K

L VI Man

DR. ERNST DARMSTAEDTER
No. 961
COLLECTION

Pl. XVI misbound opp. p. 168

10726

JO. JACOBI

MANGETI,

MEDICINÆ DOCTORIS,
& Sereniſſimi ac Potentiſſ. REGIS PRUSSIÆ Archiatri,

BIBLIOTHECA
PHARMACEUTICO-MEDICA,

SEU

Rerum ad PHARMACIAM GALENICO-CHYMICAM ſpectantium

THESAURUS

REFERTISSIMUS,

In quo, Ordine Alphabetico *non Omnis tantùm*

MATERIA MEDICA

Hiſtoricè, Phyſicè, Chymicè ac Anatomicè explicata; ſed & Celebriores quæque

COMPOSITIONES, TUM EX OMNIBUS DISPENSATORIIS
Pharmaceuticis, variis hactenus Linguis in lucem editis, tum è melioris notæ
Scriptoribus Practicis excerptæ:

Imò ſecretiores non paucæ PRÆPARATIONES CHYMICÆ, MECHANICÆ &c. *in Curioſorum cujuſvis Ordinis uſum, undequáque conquiſitæ, abunde cumulantur.*

CUM INDICIBUS ET FIGURIS ÆNEIS NECESSARIIS.

TOMUS SECUNDUS.



GENEVÆ,

Sumptibus CHOUET, G. DE TOURNES, CRAMER, PERACHON,
RITTER, & S. DE TOURNES,

M. DCC. III.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

CATALOGUS LIBRORUM
MEDICORUM ET MISCELLANEORUM,
Apud CHOUET, G. DE TOURNES, CRAMER, PERACHON, RITTER, & S. DE TOURNES, Bibliopolas impreſſorum, ut & eorum qui majori in copia apud Ipſos proſtant.

Albinæi Bibliotheca Chymica. 8
Anatomia Corporis Humani Dionis. 8. *cum Fig.*
——— Authore Munnicks 8. *Fig.*
Atrium Medicinæ & Pharmacopœæ Helvetiorum 12
Aldrovandi Ornitologia ſive de Avibus fol. *cum Fig.*
Barbette, Pauli, Opera Medica & Chirurgica, novis Additionibus aucta & illuſtrata à Joh. Jacobo Mangeto D. M. 4. II. Vol. *ſub Prælo* 1703.
Bayle Inſtitutiones Phyſicæ, cum Figuris accuratioribus. 4. III. Vol. Francof. 1703.
Bauhini Hiſtoria Plantarum. f. III. Vol.
Boneti Sepulchretum ſive Anatomia Practica f. *III. Tomi* Nova Editio cum multis Addit. 1700.
——— Polyalthes, ſive Theſaurus Medico-Practicus fol. *III. Tom.*
——— Medicina Septentrionalis f. II. *Tom. cum Fig.*
——— Bibliotheca ſive Theſaurus Chirurgicus f. cum *Fig.* ſub Prælo.
——— Labyrinthus Medicus extricatus &c. 4
——— Pharos Medicorum. 12
Bibliotheca Anatomica aucta & illuſtrata f. *II. Tom.* cum multis Fig. 1699.
——— Medico-Practica, Mangeti fol. *IV. Tomi.*
——— Chymica Curioſa ejuſdem Authoris f. II. Vol. cum Fig.
——— Pharmaceutico-Medico-Chymica ejuſdem Authoris fol. *II. Tomi* cum Fig.
de-le-Boë Sylvii Opera omnia Medica *cum nov. Addit.* fol. 1698.
Boyle Opera omnia Philoſophica-Chymica *&c.* 4. variis Tomis diſtributa *cum Fig.*
——— Tractatus varii *ſeparatim.* 4
Burneti Theſaurus Medicinæ 4. Edit. nova aucta & illuſtrata 1698.
Beguini Tyrocinium Chymicum 8
Bicaiſſi Manuale Medicorum 12
de-le-Boë Sylvii Caſus Medicinales, *ſive* Hiſtoriæ Ægrotorum in Noſocomio Leydenſi *&c.* fol. *ſeparatim.*
Cenſura Celebriorum Authorum, *ſive* Tractatus in quo varia Virorum Doctorum de Clariſſimis cujuſque Sæculi Scriptoribus Judicia traduntur, Ord. dig. per Th. Pope-Blount. 4
Ciceronis Opera cum Notis Variorum 4. *IV. Tomi.*
Gharas Hiſtoria Naturalis Animalium, Plantarum, & Mineralium, nec non Theriacæ Andromachi Compoſitionis Ingredientium, *cum* Experimentis circa Viperam. 4. *Fig.*
Catalogus Authorum, qui Librorum Catalogos, Indices, Bibliothecas, Virorum Litterat. Elogia, Vitas, Orationes Funebres ſcriptis conſignarunt, ab *Ant.* Teiſſerio adornatus cum Phil. Labbei Bibliotheca Nummaria *&c.* 4
Cardani Opera Omnia. fol. *X. Vol.*
Chaſſanæi Catalogus Gloriæ Mundi fol
Charas Opera Pharmaceutica, & Medica 4. *II. Vol. Fig.*
Chabræi Icones Stirpium, *ſive* de Plantis. f. *Fig.*
Crollii Baſilica Chymica 8
Chalmetei Enchiridium Chirurg. 8
Celſus de Re Medica. 16
Colladonis Sphalmata Medica 8
Caſſiodori Opera 4
Cozzandus de Magiſterio Antiquorum Philoſophorum. 12
Cordemoy Tractat. Phyſicus de Corporis & Mentis Diſtinct. 12
Corps de Medecine & de Chirurgie contenant la maniere de guerir toutes les Maladies tant interieures qu'exterieures par Obſervations & Exemples avec toutes les Operations de Chirurgie & les Cures &c. 4. *IV. Tom.*
Diemerbroeck, Opera Omnia Anat. & Medica 4. *II. Vol. Fig.*
——— Opera Medico-Pract. *ſeparatim.* 4
——— Appendix ad Anatomiam *ſeparatim* 4. *Fig.*
Dionis Anatomia Corporis Humani 8. *Fig.*
Duretus in Coacas, *ſive* Prænotiones Hippocratis fol.
Derodonis Philoſophia Contracta 4
——— Opera Omnia Philoſophica. 4
De la Fond de Hydrope Tympanite 12
Dictionarium Poëticum, Geographicum & Hiſtoricum Henrici Stephani 4
——— IV. & VI. Linguis 16
Dictionarium Hiſtoricum, Geographicum, Poëticum *&c.* à *Car.* Stephano inchoatum, Ad incudem verò revocatum, innumeriſque locis auctum & emaculatum per *Nic.* LLoydium 4
——— Græco-Latino-Gallicum Morelli. 4
Dale Pharmacologia. 8
Ecriteaux pour les Apoticaires, Droguiſtes & Epiciers. fol.
Fabricii ab Aquapendente Opera f. Fig.
Joh. Fortis Conſultat. Medic. fol. Tom. Secund. *ſeparatim.*
Fracaſtorii Opera Medica 8
Fabritii Hildani Opera Medico-Chirurgica cum Severino de Efficaci Medicina. f. *Fig.*
Ferrarii Lexicon Geographic. *cum Notis* Baudrand *&c.* f. *II. Vol.*
Fernelii Opera Medica *cum Augment.* f.
——— Idem 4. & 8.
Ferrerii Vera Medendi Methodus. 8
Gaveti Nova Febris Idea, ſeu Novæ Conjecturæ Phyſicæ circa Febris naturam. 12
Graaff Opera Omnia. 8
Hippocratis Opera cum Œcon. Foeſii f. III. Tom. *Gr. & Lat.*
——— Œconomia Foeſii fol. *ſeparatim.*
Hollerius in Aphoriſmos 8
——— Practica Medica 4
Hartmanni Praxis Chymiatrica 8
Hiſtoriæ Romanæ Scriptores. f II. Vol.
Hiſtoire de la Medecine par Mr. le Clerc. 12
Indices Librorum Prohibitorum. fol.
Keckermanni Opera. fol.
Latini Latinii Bibliotheca. f.
Lemeri Curſus Chymicus 12
Muſitani Chirurgia Theoretico-Practica. 4. IV. Tomi.
——— Opera Medico-Chymico-Practica 4. *III. Tomi* 1700.
Morton Opera Medica cum novis Tract. 4
Munnick de Re Anatomica 8. *cum Fig.* Editio nova.
Malebranche de Inquirenda Veritate *&c.* 4
Meſſis Medico-Spagyrica Schrodero-Hofmanniana f. *Fig.*
Mayernus de Arthritide 12.
Morelli Methodus Remediorum 8
Medicina Salernitana 16
Magni Philoſophorum Arcani Revelator. 12
de Mayerne Praxis Medicinæ. 12
Muſitanus ad Mynſicht Armamentarium Med. Chym. cui acceſſit Battimelli Auctuarium & Piperi Corollarium. 8
Mynſicht Armamentarium Medico-Chymicum cum Mantiſſa Muſitani. 8
la Medecine Domeſtique contenant le Gouvernement de la Santé, l'Apothiquaire, le Chirurgien & le Medecin Charitable. 8
Novum Lumen Chymicum. 8
Peyeri Parerga. 8
Plempii Opera Medica f.
Pharmacopœa Schrodero-Hoffmanniana illuſtrata & aucta. f. *cum Fig.*
Piens Tractat. de Febribus, *cum Notis ampliſſ. &c.* 4
Paracelſi Opera Omnia. f. *III. Vol.*
Pharmacopœa Helvetiorum 12
Riverius Reformatus, *ſive* Praxis Medica Methodo-Riverianæ non abſimilis, & alii Tract. *Editio nova valde aucta.* 8. 1696.
Renodæi Pharmacopœa 8
Roſini Antiquitates Romanorum 4. *Fig.*
Riolani Schola Anatomica. 8
Rondeletii Opera Medica 8
Rohaulti Phyſica 8
Riverius Contractus 8
Scapulæ Lexicon Græc. Lat. f.
Scaliger de Emendatione Temporum. f.
Sennerti Inſtitutiones Med. 8
Sylvatici Conſilia Medica. f.
Sinapii Paradoxa Medica 8
Sacchi Opuſcula Medica 8
——— Med. Theoretico-Practica f. Parmæ.
Sydenham Opuſcula Medica 8. *Editio aucta 1696.*
Schmitzii Compendium Med. 12
Schola Salernitana. 16
Seminarium totius Philoſophiæ. f.
Sylvii Methodus Medendi 12
——— Opera Medica. f.
Schedulæ, ſeu Inſcriptiones pro Aromatariis, & Pharmacopolis. fol.
Tilingii Rhabarbarologia. 4
Tractatus de Potu Caffé, Thé, & Chocolata *nova Edit.* 12. *Fig.*
Theatrum Machinarum Beſſoni f.
Theſaurus Secretorum &c ſub Prælo. 4
Virideti Tractatus Medico-Phyſicus de Prima Coctione. 8
Vieuſſens Neurographia Univerſalis. f. *Fig.*
——— Tract. de Remotis & Proximis mixtis *&c.* 4. *Fig.*
Willis Opera Omnia Medica *cum* novo Tractatu de Peſte. 4. *II. Vol. cum Fig.*
Wyſſii Curſus Philoſophicus. 8
Zodiacus Medico-Gallicus. 4. *V. Tom.* Fig.

JOH. JAC. MANGETI
BIBLIOTHECÆ
PHARMACEUTICO-MEDICÆ
LIBER IX.
Continens ea quæ incipiunt à Literâ
I.

JACEA.

IACEA, quæ Jacea nigra pratenſis latifolia *Caſp. Bauhini*, quæque Jacea nigra vulgaris capitata & ſquamoſa *Ioh. Bauhini*, commendatur in Aphthis ac vulneribus, unde apud Paduanos *Herba delle ferite* vocatur. Taberna-montanus ejus decoctum in herniis proficuum dicit, ut & pulverem in juſculo exhibitum. Per analyſim Chymicam nihil propè præter materias ſale acri prægnantes exhibet.

JACOBEA.

Iacobea à S. Jacobo, cui dicata eſt hæc herba, nomen accepit. Jacobæa à cæteris papposis non lacteſcentibus, folijs laciniatis, floribus flavis radiatis differt.

Nomina. Jacobea vulgaris *I. B.* vulg. Major *Parck.* vulg. Laciniata *C. B.*

Radix plurimis fibris majuſculis albentibus terræ firmiter adhæreſcit, ut non ſine difficultate poſſit extirpari. Caules inde exurgunt non raro plures, interdum unicus, teres, ſtriatus, alias glaber, alias nonnihil lanuginoſus, in apricis plerumque purpuraſcens, ſolidus, folijs crebris, nullo aut alterno ordine poſitis veſtitus, ſeſcubitalis aut altior, in latiore ſolo etiam tricubitalis, ſumma parte in ramos aliquot diviſus, medium caulem altitudine æquantes aut etiam ſuperantes; unde fit ut flores in ſummis caulibus & ramulis exiſtentes in umbellas quodammodo diſpoſiti ſint, magnitudine ſinguli mediocri, radiati flavi, folijs marginalibus cuſpidatis, medio diſco concoloribus, anguſtis, oblongis, calix floris ſquamoſus, ſtriatus, ſemen perexiguum, pappo alatum, per maturitatem rubeſcens, folia oblonga ſunt profunde diſſecta, primo in laciniarum quaſdam conjugationes ad mediam prope coſtam, deinde in alias lacinias ſecundarias ſubdiviſa, glabra & obſcurius virentia, præſertim ſupina parte.

In paſcuis inque incultis & ad vias paſſim provenit.

Vires. Non Solum eandem formam, ſed eaſdem cum ſenecione vires & facultates obtinet, autore *Trago*, imprimis autem vulneribus, inflammationibus & fiſtulis medetur.

Obſervat Hofmannus Jacobeam calidam nonnullis Cataplaſmatis formâ adverſus ventris tormina (quæ miserè dyſenteria affectos excruciant & tantum non interimunt) feliciſſimo ſucceſſu fuiſſe abdomini applicatam.

JALAP.

Nomina. Convolvulus Americanus Jelapium dictus, Mechoacanna nigricans ſive Jalapium *Parck.* Bryonia mechoacanna nigricans *C. B. I. B.* Jalapium *Ger.*

Radice eſt mechoacannæ ſimili, ſed cortice nigricante veſtita inferius rufeſcens, quæ teſſellatim inciſa, rotunda, magnitudine & figura calculo aleatorio reſpondens ex India gelapæ ſive celapæ nomine allata fuit, ab Alexandrinis & Maſſilienſibus Jalapium vel gelapo vocitatur, & à Maſſilienſibus mechoacanna nigra vel mas æſtimatur. *Caſp. Bauhin. in Prodrom.*

Guſtu eſt non ingrato & gummoſo, & ob copioſam gummoſitatem ſi carbonibus vel igni admoveatur flammam concipit (hoc ſe nunquam obſervare potuiſſe ſcribit. *Parkinſonus*).

Vires. Albam Mechoacam viribus ſuperat, nam ob gummi copioſum fortius humoresſeroſos purgat,cum imi ventris levi dolore, & præcipue viſcera, hepar & ventriculum roborat,quare ℨ j. pondere exhibetur tuto & ſine faſtidio opus ſuum exſequitur (cautiores in granis ſubſiſtunt? *Schroderus* non aſcendit ſupra ℈ß.)

Vis purgatrix potiſſimum in reſina Jalapij conſiſtit, ideoque monet *Schroderus* ſi jalappam adhibere volueris vel in ſubſtantia vel in extracto aut Magiſterio utaris,vino enim ſi infundatur vires ſuas pro voto communicat.

Jalapij plantæ deſcriptionem apud botanicos non invenio. *Raius in Hiſtor. Plant.*

Jalapa mechoacannæ & rhabarbari nigri nomine nota radix,in taleolas diſſecta ad nos ex Occidentali India defertur, quæ eligenda maxime vegeta, ponderoſa & reſinoſis nigris venis abundans,ac ſi frangatur, ſplendida, externa facie. Nigricans, interna ruſeſcens, flammam promtiſſime concipiens. *Auguſtani.*

Jalappa eſt convolvuli Mexicani Xalappa dicti radix oblonga, craſſa, in taleolas diſſecta Mecoacanni nigricantior & circuloſior, ſapore acuto, incidenti, muſcoſo; odore nullo. Planta eſt Monopetala, ſeminibus anguloſis in capitibus ſubrotundis, *Hermann.in Materia Medica Manuſcr.*

JASMINUM.

Iaſminum priſcis botanicis incognitum flore ex longo tubo in quinque lacinias expanſo totidem folia æmulantes, per quam odorato folijs pinnatis, bacca dicocca ab alijs fruticibus bacciferis differt.

Nomina. Jaſminum album *Ger. Park. Parad.* vulgatius flore albo *C.B.* Jaſminum ſive gelſeminum flore albo *I, B.*

Longiſſimis & lentis, licet tenuibus viminibus, & niſi ſuſtententur appoſitis pedamentis, proclivis donatum eſt, cortice viridanti intectis folia ſeptem ad nervum alligantur,acuminata,viciæ folijs fere paria, glabra,atrovirentia, flores velut in umbella, ſuaviſſimi odoris, ex oblongo, gracili tubulo in calathum quinq; partitum explicantur, colore candido; in frigidiorib. regionibus marceſcunt flores nullo ſuccedente fructu, unde nonnulli fructu prorſus deſtitui, ſecure nimis affirmarunt, quos & nos olim ſequuti in Catalogo Plantarum Cantabrigienſium idem tradidimus: verum nunc melius edocti tum à D. P. Hermanno, tum à Jo. Bapt.Triumfetti Romano, fructum proferre, nimirum baccas ſubvirides ſemine rotunda nigro circello notata continentes agnoſcimus,de loco hujus natali nihil certi traditum invenio,ſed ut rectè *Lobelius* in hortorum angulis apricis & pro prædiorum cavædijs ſurculo pangitur, adque ornamenta pergularum pedamentis erigitur ad fornaces.

Vires. Jaſminum album ſicut odore fragrat, ita viribus multis pollet. Oleum ex floribus confectum crudos diſcutit humores, frigidis ac catarrhoſis confert, & hyberno tempore utile eſt quibus autem temperatura contigit calidior, his dolorem excitat capitis, & ſi diutius odoretur, periculum adfert ſanguinis è naribus profluvij. Præcipua ejus utilitas ad contractus induratoſque artus, articulos, tendines, nervoſque calefacit, emollit, aperit. Uteri morbos arcet non ſolum hypogaſtrio & locis muliebribus illitum, ſed etiam potu aut enemate uſurpatum. Simili modo prodeſt & doloribus colicis quos frigidus & viſcidus humor concitavit. Præcipuus florum uſus eſt ad diapaſmata & odoramenta,ad chirotecas & linteamina odore ſuaviſſimo imbuenda, *Raius in Hiſt.Plant.*

Duplex eſt hoc Jaſminum,album, vulgatius ſcilicet & parvo flore,ac humilius Hiſpanicum grandiflorum quæ ejuſdem omnino ſunt uſus. Sed præterea aliud datur luteum dictum propter flores luteos, à quo deſcribendo abſtinemus, quia nullius eſt in Medicinâ uſus.

JASPIS, vid. ſub titulo *Lapis.*

IBERIS.

Iberis vox Latina eſt ab Iber, iberis vel Hiberis,quod in Hiſpania copioſe naſceretur. Naſturtij ſpecies eſt, à flore ſiliquis, & odore.

Nomina. 1. Iberis *I. B.* Ib. cardamantica *Lob.* Iberis latiore folio *C.B. Park. Ger. emac.*

Ioh. Bauh. Statim è radice alba, lignoſa mediocriter craſſa, paucis fibris donata plures profert caules dodrantales & altiores, duros, frequentibus alis concavos.Folia quidem prima longis pediculis appenſa,ſemunciam lata duas,treſve uncias longa per extremum ſerrata;ſuperiora vero & quæ in caulibus ramiſque linariæ folijs paria,anguſta,acuta, nullo pediculo donata,nec crenâ ullâ inciſa; ſapor omnibus fervidus naſturtij, flores extremis ramulis coacervati hærent, candidi naſturtij floribus ſimiles. Semen continetur minutim in partibus thecis oblongis, quarum valvulas diſſepit membranula.

In incultis, ruderatis & ſecus vias ubique fere tum in Germania, tum etiam in Italia, Sicilia & Gallia Narbonenſi.

Nomina. 2. Iberis naſturtij folio *C. B. Park.* h. e. Iberis *Cam. ep.* & Matth. Mag. fig. Cardamantica tenuifolia *Ger. Emat.*

Nihil aliud eſt quam thlaſpi anguſtifolium *Fuchſ.* Sive naſturtium ſylveſtre *I B.* ex ſententia *I. b.* cui & nos libenter ſuffragamur: ideoque ibeidem in duas ſpecies non diſtinguimus.

Nomina. 3. Iberis humilior, annua virginania ramoſior Moris. Alijs piperilis ſeu lepidium Americanum.

Moris. Hæc facilè diſtinguitur à priore 1. Duratione: 2. Folia producit latiora, viridiora, magis crenata: 3. Caules humiliores & ramoſiores: 4. tandem flores duplo majores & conſequenter majores itidem capſulas.

Vires. Iberis dicta odore & ſapore eſt naſturtij, proinde etiam viribus cum eo convenire videtur.

Veteres, Dioſcorides, Galenus, Plinius è Democrate ad dolorem iſchiadicum eum commendant. Radix contuſa magnâ copiâ (difficultur autem tunditur æſtate & recens, tunc enim fortiſſima, & uſus efficacior) cum modica axungia adhibetur toti cruri & maxime coxendici? ſinitur per quatuor horas in viris, minus in mulieribus, deinde aufertur & crus in balneo ponitur, poſt inungendum ex oleo & vino, ac demum terſa pinguedine & ſudore tegendum molli lana, ut æger ambulet. Si opus fuerit repetendum poſt dies viginti. *Raius in Hiſtor. Plant.*

IBIS.

Antea Ibidem nigram (verba ſunt Bellonij) pro hæmatopode habueramus: ſed obſervatis ejus moribus non hæmapotodem ſed Ibin nigram eſſe deprehendimus, cujus Herodotus primus meminit, deinde Ariſtoteles. Corpore eſt elorij aut paulò minor, omnino niger; capite corvi aquatici; roſtro, qua capiti jungitur, pollicis craſſitiem ſuperante, ſed per extremitatem mucronato, & incurvo nonnihil atque fornicato & omnino rubente, uti etiam cruribus, quæ oblongæ ſunt,ſimilia cruribus illius avis quam Plinius bovem taurum, Ariſtoteles ardeam ſtellarem nominat: collum vero oblongum Ardeolæ inſtar habet:ſic ut cum primum ibidem nigram conſpiceremus,

Bovi

Bovi tauro corporis habitu ſimilis videretur.

Ægypto adeò proprium eſſe dicitur hoc genus avis, ut extra eam regionem vivere non poſſit, aſportatumque ocyſſime moriatur.

Ibes Ægyptijs utiliſſimæ ſunt ad ſerpentes, locuſtaſque & bruchos delendos, quibus regio illa præcipuè infeſtatur ideoque divini honores ijs habiti ſunt, *ibes* (inquit Cicero) maximam vim ſerpentium conficiunt, avertunt peſtem ab Ægypto cùm volucres angues ex vaſtitate Lybiæ vento Aphrico invectas interficiunt atque conſumunt, ex quo fit ut illæ nec morſu vivæ noceant, nec odore mortuæ, eam ob rem invocantur ab ipſis Ægyptijs Ibes: quæ præterea veteres de Ibide tradunt vide apud Aldrovandum *Willugbeius in Ornitholog.*

Hujus animalis adeps anodynus & reſolutivus reputatur.

ICHNEUMON.

Vide ejus deſcriptionem ex Raio ſub titulo *Muſtela*, cujus ex mente Doctiſſ. illius Autoris ſpecies eſt. *Vires* autem quod attinet; hujus caro juſculo incocta, ſeu potius juſculum ex eâ confectum ſudorificum præſtans creditur, colicis paſſionibus, animalium venenatorum morſibus, ac ſanguini purificando apprimè faciens.

ICHTHYOCOLLA.

Ichtyocolla (quia glutinoſum habet corium ex quo gluten illud Ichthyocolla, dictum conficitur) Tanais fluminis, ubi frequens eſt, accolis barbota dicta, (quia ſuperiori maxilla quatuor apophyſes carnoſas, barbæ inſtar dependentes habet, quem diligenter deſcribit Bellonius lib. 1. de piſcibus. *Charletonus.*

Ex hoc piſce, qui aliàs *Huſo* & *Exoſſis* propter oſſium carentiam dicitur, conficitur gluten illud quod item *Ichthyocolla* vocatur. Sic autem conficitur. Partes piſcis omnes ac præcipuè pellis, pinnæ, cauda, interanea, nervi aliæque partes mucilaginoſæ, in aquam calidam immittuntur ac lento igne decoquuntur uſque dum ad reſolutionem in gluten abierint, quod extenditur ſuper inſtrumenta apta, ut inter deſiccandum quaſi membranaceum evadat, atque poſtea ſub varias formas convolvatur ac reſecetur. Batavi hoc gluten præcipuè â Moſcovitis coëmunt. Debet autem ſeligi album, pellucidum, inodorum, ac aſſervari in pixidibus probè obturatis.

Emollit, diſcutit, ac propterea aliquas emplaſtrorum compoſitiones ſubingreditur. Non parum præterea utilis eſt Ichthyocolla œnopolis, quia in vinidolium per fruſta projecta illud clarificat. Inſervit etiam nebulis lineis dealbandis, nitori conciliando tenijs ſericis, ſophiſticandis margaritis &c.

Ichthyocola, ut habet *Hermann. in mater. Medic. manuſcr.* eſt ſubſtantia ex albo flaveſcens glutinoſa, excocta ex piſce Huſo dicto, in pelliculas diducta, inque ſpiras cocta ſaporis glutinoſi, odoris nullius. *Quæ ex carne paratur* alij præferenda. Piſcis unde educitur frequens eſt in Danubio prope Walachiam, qui ſale induratus menſis apprime inſervit.

IGNIS.

Vid. de eo ubi de *Inſtrumentis Pharmaceuticis internis*, ſub titulo *Inſtrumenta Pharmaceut.*

ILEX.

Ilex Iſidoro viſum ab illiciendo deducere, quòd mortales eam nondum repertis frugibus in victum elegerint. Sed hoc φορτικώτερον, magis veriſimile fit eſſe ab Hæbreo quæ à robore nomen habet nempe ab robuſtus, Voſſ.

Nomina 1. Ilex arborea *I. B.* major glandifera *Ger.* major aculeata & non aculeata *Park. I. V.* Seu folio rotundiore molli modiceque ſinuato *C. B.* nec non *I* ſeu folio oblongo ſerrato *C. B.*

Cluſ. Arbor eſt mali aut pyri magnitudine, multo frequentioribus brevioribuſque ramis prædita quàm ſuber, quos latè ſpargit. Folia perpetua, ſupernè viridia, interne candicantia, guſtu adſtringente, folijs ſuberis minora & magis orbiculata, in adultis arboribus plerumque ſine aculeis, præter novella, & nunc primum enata, quæ aliquantulum inciſa & aculeata ſunt certè in tenellis arboribus; antequam glandem ferre inciperent omnia folia aculeata obſervabam. Multos in extremis ramulis fert oblongos julos, qui in flavos & muſcoſos floſculos, polline & tenui pulvere perfuſos explicantur. Glandes è floribus non oriuntur (nam ſunt inutiles) verum in alijs quibuſdam ſeparatis pediculis: ea autem quernis glandibus ſunt ſimiles, nunc majores longioreſque modo minores & breviores, quæ nunquam ante maturitatem nigreſcunt; & gummi quoddam reddunt, guſtu calidum, ſaporis tamen non ingrati. Maturorum cortex ſive putamen nigricat. Nucleus candidus, firmus & dulcis eſt, præſertim majorum: utraq; tamen à nunnullis maxime expetuntur, illiſque non minus avide veſcuntur, quam nos caſtaneis & avellanis. Hanc ob cauſam in foro Salmaticenſi aliiſque Hiſpaniæ locis venales menſibus Octobri & Novembri proponuntur; ut non immeritò dixerit Plinius, per Hiſpanias glandem Menſis ſecundis inferri.

J. Bauhinus brachia ramuloſque ilici incana lanugine obductos eſſe obſervavit: inque folijs & ramis excrementum per vernum tempus nigrum & rotundum annotavit. Theophraſtus præter glandem granum quoddam puniceum ferre ſcripſit.

Differentiæ Ilicum mihi accidentariæ potiùs eſſe videntur, quàm (ut cum Philoſophis loquar) ſpecificæ; nam in arbuſculis juniorībus folia ſinuata, aculeata, lata & agrifolij æmula obſervavi, in vetuſtioribus oblonga, aliàs aculeata per margines, aliàs æqualia, neque ſerrata neque ſinuata, & oleagineis ſimilia, prout ea rectè deſcribit Matthiolus, quicquid alij contradicant.

In Hetruria aliiſque Italiæ Provincijs, præſertim ad Mare inferum, inque Gallia Narbonenſi & Hiſpania, in Sylvis, Collibus & Campeſtribus Maritimis paſſim & copioſe provenit.

In Anglia vidimus arbores annoſas & grandes quatuor aut quinque in horto D. Franciſci Willugdbi, Wolletoni, prope Notinghamiam, quæ tamen glandes ſuas ad maturitatem non perducunt: quoniam hoc genus arbores, etiam locis natalibus fructum ſuum tardiùs perficiunt.

Phellodryn Theophraſti (quam & alio nomine, Ariam eidem dictam probat J. Bauhinus) Plinius videtur eandem exiſtimaſſe cum ſubere, quod & phellos dicitur, ſiquidem ea omnia ſuberi tribuat, quæ Theophraſtus Phellodryi.

Phellodrys ſive Cerro ſugaro Matthioli, cùm nec ab eodem deſcripta ſit, neque Cluſio neque J. Bauhino, neque nobis in Italia peregrinantibus uſquam conſpecta, num ab Ilice ſpecie diſtincta ſit meritò dubitamus, ſi liceat ſuſpicari ex icone (inquit J. Bauhinus,) ea accedit ad Smilacem Dalecampij.

Phellodryos quinque ſpecies proponit & deſcribit Hiſtoria Lugdunenſis: verum cum in collibus Rhodano vicinis, aut non procul ab eo diſſitis, eas provenire dicat: nos autem ibi loci ilicis duntaxat varietates quaſdam, non ſpecies diſtinctas, obſervavimus, phellodryas illas non arbores vel à ſe invicem, vel ab ilicibus ſpecie diverſas eſſe ſuſpicamur: ſed ilices majores folijs ludentes. Fortè tamen phellodrys nigra *I. B*, ſpecies diſtincta fuerit, quam ſic deſcribit.

Phellodrys nigra id nominis à ramis nigricante cortice veſtris & glabris adepta eſt. Folia ab iliginis differunt, quòd rotundiora multo & latiora, à ſmilacis folijs quod longè breviora pro latitudine, minuſque candida inferius; à ſuberis nobis traditi, quod duriora, ſpina mordacioribus magis horrida. Calyx glan-

glandis tradente Dalechampio lævis eſt.Forte hæc eſt Ilex folio agrifolij D. Magnol, quæ folia habet ſpinoſa agrifolij, obſcure virentia; quam tamen ipſam à vulgari Ilice arborea ſpecie diverſam eſſe ſe nolle ſtatuere ait, quouſque culturâ innotuerit.

At neque Smilaces Dalechampij apud Hiſtoriam Lugd. ab ilice arborea differe putamus: cum primum genus in agro Monſpelienſi frequentem provenire aſſerit, ubi nulla præter ilicem ejus generis arbor, neque à nobis neque à D. Magnol, obſervata: alterum in Collibus Rhodanum, reſpicientibus, totoque eo tractu, qui à Vienna Allobrogum Areleten uſque ducit (ubi nihil aliud præter Ilicem nobis occurrit) obſervavit.

Aria & phylica Bellonij quomodo ab ilice differant, cum eas non deſcribat, neſcimus, quæ de ijs habet collegit in unum Jo. Bauhinus lib. 7. cap. 30. Hiſt, Plant.

Ilicis tum folia, tum glandes cum quernis viribus conveniunt, hæ autem ſuibus ſaginandis utiliores habentur. Uſum in cibis in deſcriptione attigimus.

E ligno fiunt carbones ad metalla fundenda utiliſſimi. Matthiolus Hetruſcis in pretio eſſe tradit, non modò quòd ignem diu foveant, ſed etiam quod (ut aiunt) caput minime tenteant: arborum trunci ad molarum fabricas & alia opera ſervantur ob materiæ firmitudinem & durabilitatem, teſte Cluſio: Plinius rotarum axibus ilicem duritie ſuâ eptum eſſe ait; ut & malleis majoribus.

ILEX COCCIGERA

E qua grana ſeu baccæ illæ quæ vulgò ſub nomine Kermes veniunt.

Nomina. Ilex coccigera *I.B. Ger.* aquifolia ſive coccigera *Park.* aculeata cocciglandifera *C.B. I.B.*

Magnitudine multum cedit alijs Ilicibus: ut quæ non temere ſtolones duobus cubitis altiores proferat eoſque non admodum craſſos; folia aquifoliæ proxima, minora, muricata, utrinque glabra, verum non ita hilari virore nitida, flores vel potius julos copiosè fert, muſcoſos: glandem vero maximam, quod in pumila arbuſcula mireris, etiam illigna altera majorem calyce aſperiore. At præter hæc omnia triplicia excrementa in eis obſervantur.

1. Unum Maio & Aprili apparet; quod nihil aliud eſt quam grana in folijs rubra, parva, rotunda, parùm oblonga, ex ipſa foliorum ſubſtantia nata, piſis parvis ſimilia, ſubſtantiâ intus albâ, non ita abſimili ſubſtantiæ fructuum oxyacanthæ Matth. guſtu nonnihil acido, grato, in quibus tandem vermiculus naſcitur.

2. Alterum huic cum ilice majore commune, Maio menſe apparens, ramis adhæreſcit, ſed ſatis breviter, copioſum, rotundum, nigrum, lævi, nitidâque ſuperficie, ſatis durum, intus liquore albido plenum, cui vermiculi innatant, tandemque inareſcit, circa quod fervent ſæpe formicarum opera.

3. Tertium denique eodem cum jam dicto tempore conſpicitur in folijs, reliquis notius & celebratius: coccum puta infectorium: grana ſunt rubra, ſaltem pulviſculo albo quo reſperguntur abſterſo, liquore ſanguineo plena cum concoloribus vermiculis.

Cluſius puſillam & valde amaram glandem Hiſpanicæ ſuæ, Ilici tribuit: cum ex J. Bauhini obſervatione Ilex pumila Narbonenſis, glandem etiam quam arborea majorem proferat. quod & nos verum comperimus.

Arbuſcula hæc in collibus ſaxoſis circa Monſpelium, Nemauſum, Avenionem, & alibi in Gallia Narbonenſi oritur, ubi præcipuus cocci proventus nec non in Provincia, & Lobelio teſte, etiam in Italia, præſertim in Hhetruſco, Romano & Senenſi finitimo agro, locis montoſis, glareoſis, ſterilibus, inter varias Ilices, ſmilaces aſperas, terebinthos, lentiſcos, &c. attamen obſervante Cluſio, non ubique coccum gerit, nam ijs ſolum regionibus quæ Mediterraneo Mari vicinæ ſunt, & magno Solis ardore torrentur oriri animadvertit; ſed neque iſtic perpetuo fert Cum enim frutex adeo adolevit, ut glandem alere incipiat Coccum non gignit: ideoque ſolent incolæ quadriennies aut adultiores frutices urere, ut proximo anno novelli reſurgant, qui deinde ſingulis annis aliquot ſubſequentibus coccum ramulis inhærentem inſtar exiguorum piſorum coloris cinerei gignit.

Quomodo gignatur Coccus. Quinqueranus declarat, Vere (inquit) medio rorati imbribus frutices coccum hoc modo oriuntur. Ubi imus ſcirpus ſe in duo brachia patitur, in horum medio primum omnium increſcit rotundum quiddam magnitudine & colore piſi; hoc matrem, vocant, quod ex eo cætera grana producuntur. Matres ineunte æſtate æſtuque minutiſſimorum vermiculorum catervum profundunt, fatiſcuntque in ſummitate; in animalia prorepit nova ſoboles, colore candida, pro ſe quiſque in ſublime: at ubicunque vermiculi geminantis Surculi axillis occurrerint, deſident & incrementis aucti milij magnitudine fiunt: inde liberius adoleſcentibus albus color in cinericeum tranſit, jamque non animal ſed piſum rurſus apparet tumque ea grana ad maturitatem adepta colliguntur, jam coloratis vermiculis fœta.

Alij grana non in divaricatione duntaxat ramulorum naſci perhibent, ſed etiam in folijs ipſis.

Grana hæc à Philoſophis botanicis ſpurij quidam ſeu excrementitij fructus Ilicis pumilæ, equidem ſolius proprij habita ſunt, verum eruditiſſimus & ingenioſiſſimus vir D. Martinus Liſter amicus noſter ſummus, ejuſmodi grana etiam in Anglia ceraſorum aliarumque arborum ſurculis tenellis adnaſcentia obſervavit, eaque non excreſcentia eſſe judicavit, ſed inſecti cujuſdam opus, fœtibus ſuis excipiendis & fovendis domicilium ſeu nidum efformantis, ab eodemque virgulis affixa: quod & nobis etiam (quibus Eboraci grana arboribus adhærentia oſtendit, videtur) cum inſectis adultis & egreſſis à ſurculis facile abſcedant & dilabantur. Adeo autem ſimilia ſunt hæc grana coccis baphicis, ut ægrè queant diſcerni, eiſdem etiam in locis, eodemque modo ſurculis adnaſcuntur, unde ab eodem inſecti genere efficta eſſe veriſimillimum eſt, quamvis ſuccus tingendo minus idoneus ſit ob diverſitatem alimenti. Quæ ex Quinquerano attulimus huic noſtræ opinioni de ortu horum granorum, quod ſcilicet inſecti opus ſunt, non arboris excreſcentiæ, favent. Putamus tamen inſectum iſtud ibi loci ubi granum effingit & ſurculo agglutinat, ejuſdem corticem perfundere, & ſuccum inde exugere quo cuſculium repletur, quique vermiculis in cibum ſufficiat. Verum hæc ex conjectura.

Matthiolus ſe coccum in Bohemia in quercubus copioſe naſcentem obſervaſſe ſcribit. Quod quamvis nonnulli carpant & rideant, verum tamen eſſe potuiſſe quæ à D. Liſter obſervata protulimus declarant: imo verum eſſe non dubitamus.

Uſus & *Vires.* Omiſſis iis quæ Quinqueranus alijque habent de modo colligendi & præparandi coccum ad uſum tinctorum, ea producemus quæ D. Verchand Monſpelienſis Botanicus & Pharmacopœus inſignis ex propria obſervatione nobis communicavit.

Coccus baphica, inquit, duobus uſibus inſervit, nimirum Medicinæ & lanis tingendis: pro Medicinæ uſu oportet ut in mortario marmoreo tundatur, & deinde per cribrum trajiciatur, ut pulpa inde ſepar-

ſeparetur, æquali ſacchari quantitate permiſcenda mixturam hanc conſervam appellant, è qua addito ſaccharo, ſerico crudo, pomorum ſucco & aqua roſacea fit ſyrupus de Kermes qui inſervit pro baſi confectioni illi tantopere celebratæ de Alkermes Meſuæ dictæ.

Pro tinctorum uſu granum maturitatem adeptum colligitur, deinde in area complanata, linteis ſubſtratis, ſoli exponitur initio, quando humore abundat, bis terve in die verſant, ne incaleſcat nimium. Cum pulvis rubicundus in ſuperficie apparet eum cribi ope ſeparant, & grana denuo linteis inſternunt, uſque dum ſimilis pulvis iterum percipiatur, quem ſecunda vice per cribrum tranſmittunt. atque hanc operationem toties repetunt donec grana nihil amplius pulveris reddant.

Notandum autem quod primus pulvis è foramine illo exit quo pertunditur granum ab ea parte qua plantæ adhæſit: poſtremus autem qui ſub finem undique in grani ſuperficie apparet, conſtet è vermiculis intra folliculum animatis eumque penetrantibus, quoniam foramen dictum plerumque obturatum eſt.

Quamprimum autem granula illa pulveris rubentia ſe incipiunt movere, aceto acerrimo irroranda ſunt & manibus confricanda, deinde in pilulas formanda, quæ ſoli expoſitæ ſiccentur.

Si quis pulverem hunc rubicundum reſtare ſinat, nec aceto aliove acido liquore perfundat, & ut ita dicam, extinguat, è quovis ejus granulo efformabitur muſca quædam minima, quæ per unum vel alterum diem huc illuc ſaltantes volanteſve tandem colore mutato mortuæ decidere, amorore illo quem antea habuerunt omnino privatæ.

Granum evacuatum ſeu pulvere penitus exhauſtum vino lavant, dein Soli exponunt Siccatum in ſacco confricant, ut lucidum reddatur; quo facto ſaccis infundunt, jam venalem pulvere inde egreſſo uniuſcujuſque ſacci in medium immiſſo, ut innoteſcat ſcilicet pulveris ad grana proportio. Eo autem fingitur nobilis ille color quem Eſcarlatinum vocant. Coccus baphica vim habet adſtringentem, cujus ratione vulneribus Nerviſque ſauciatis trita ex aceto convenienter imponitur. Dioſc, Plin.

Eximiè conferre hoc granum mulieribus abortientibus cum pari thuris pondere in potu ſumptum Fuchſius & Matth. teſtantur. Noſtro tempore mulierculas Monſpelienſes & Nemauſenſes in difficili partu & collapſis viribus ejus pulveris ſcobem ex vino, aut ipſam etiam Confectionem Alkermes non ſine fructu ſumpſiſſe ſcimus. Medicis Monſpelienſibus in quovis caſu præcipiti, & morbis acutiſſimis, apoplexia, paralyſi, & ſimilibus nihil præſentius eſſe ſcimus I. B. Meſues eam ad cordis palpitationem, ſyncopem, mentis alienationem ſeu deſipientiam, & mœrorem ſine cauſa manifeſta celebrat, quomodo autem coccus baphica cor corroboret & exhilaret cum præter adſtrictionem nulla qualitas manifeſta in ea percipiatur nos fugit. Odorem quem ſenſerunt fragrantiſſimum in vermiculis & granis ipſis inter præparandum lacuna & quinqueranus, mirum cur alij aut non deprehenderint aut non meminerint. *Raius in Hiſt. Plant.*

ILLECEBRA, vid. ſub titulo *Sedum*.

IMPERATORIA,

Nonnullis magiſtrantia, alijs, aſtrantia, oſtrutium ſeu oſtritium dicitur, veteribus indicta videtur.

Notæ ſunt, ejus folia lata, colore & odore ad angelicam accedentia, tripartito diviſa & ſubdiviſa: radices craſſæ oblique: ſemen ſtriatum majus.

Nomina. Imperatoria *I. B. Ger.* Major *C. B.* Imperat. ſive aſtrantia vulgaris *Prk.*

J. B. Pollicari craſſitudine nonnunquam eſt radix, ſenſim gracileſcens, rugoſa, & lateralibus fibris, quibus ſe propagat donata, ſumma tellure oblique acta, carne alba, aromatica, acrimoniâ vehementer linguam vellicante, totumque os calefaciente. Folia terna plurimum juncta (tripartito diviſa) macerones, acutiora, rigida, quorum ſingula rurſum in tria ſegmenta ſerrata, alias levius, alias profundius dividuntur, caules cubiti & ſeſquicubiti altitudinem aſſequuntur, ſtriati, inanes in alas diviſi; Umbellæ florum alborum myrrhydis, latæ, ſemen anethi ferè, ſed paulo majus, candidum, plenum & latiuſculum (florum petala bifida ſunt.)

In montibus Max, Carthuſianorum cœnobio imminentibus invenimus. Gignitur etiam in Ananienſibus montibus ſupra Tridentinum, inque pratis ad radices montium Alpibus Auſtriacis & Stiriacis vicinorum magnâ copiâ.

Hujus ſpeciem minorem proponit Camerarius Ep. non alia in re quam partium omnium parvitate à ſuperiore diverſam, quam Imperatoriam ſeu aſtrantiam alpinam appellat.

Vires. Saporis eſt acerrimi, radix præſertim, unde per errorem noſtratium, vulgò Pyrethrum Hiſpanicum denominatur. Alexipharmaca ac ſudorifica eſt, diſcutit mirifice inteſtinorum & uteri flatus, unde in colico cruciatu utilis eſt, in colicis & flatuoſis (inquit C. Hofmannus,) eſt divinum remedium, ultra certè & Angelicam & Zedoariam, uſus præcipuus eſt in venenatis morbis ac ictibus, in pulmonum tartaro reſolvendo & expectorando, in fœtore anhelitus corrigendo, in capitis affectibus phlegmaticis, paralyſi, apoplexia & aiunt nonnulli quartanâ eos ſanari, qui pulveris cochlearis dimidium ſi hora una ante acceſſionem ex mero bibunt. Commendatur & ad hydropem (in hydrope, in quartana, in febribus diuturnis omnibus, non habet ſibi parem Medicinam. C. Hofmannus,) extrinſecus in odontalgia, (gargariſ-aut radicis fruſtulum denti impoſitum & in ore detentum, copioſe etenim pituitam & phlegma elicit.) In catarrhis exſiccandis (ſuffiu) in tumoribus ac arthritide frigida. In ſcabie capitis exſiccanda (lotione, in ſerpigine, inveterata ſananda (cum adipe ſuillo illita) in globulis ſagittiſve corpori extrahendis impoſita *Schrod. & Matth.*

Hinc non immeritò (inquit J. Bauhinus) Imperatoriæ nomen ſibi aſcivit, cum tot tantiſque viribus præſtet, cæterum ut facie externa & odore angelicam refert, ita iiſdem cum illa facultatibus dotata eſt. *Raius in Hiſt. Plant.*

INCARNATIVA vid. *Sarcotica.*

INCERNICULUM, vid. *Inſtrumenta Pharm.*

INCINERARE.

Nihil aliud eſt quàm materiam aliquam comburere ac in cinerem redigere.

INCRASSANTIA MEDICAMENTA.

Specialiter quaſi adſtringentia ſunt *Incraſſantia* & *Repellentia*, utraque motui humorum oppoſita, ſed diverſo reſpectu; illa quidem tenuitati internè & externè ſibi relictæ, hæc influxui & affluxui exterius ſolùm, utrobique reſpectu ad poros & parietes ſecundariò habito.

Incraſſans nempe, παχυντικὸν Græcè, attenuanti eſt contrarium, eſtque illud, quod tenues humores reddit craſſiores, magiſque conſiſtentes. Hinc utimur incraſſantibus potiſſimum intrinſecus ad tenues catarrhos inhibendos, ad ferocientem turgeſcentemque bilem frænandam, ad materiam, quæ bronchijs pulmonum inhæret, & ob tenuitatem expectorari nequit, tuſſi commodè rejiciendam. Si enim ſupra modum

dum tenuis ſit, impellentis ſpir.vi tuſſiendo non facilè in arteriam ſuſtolli excernive poteſt,ſed ob tenuitatem ab aere velut inciſa diſploditur, inque pulmones relabitur, aere ſolo eluctante. Quare ſputum tenuius addenſari oportet, ut impetu tuſſis & vehemente exſufflatione, quam Græci ἐκφύσησιν appellant, expurgetur. Proſunt ad aquoſioris ſeminis profluvium compeſcendum, ad hæmorrhoides immodicè fluentes ſiſtendas. Extrinſecus etiam illa hæmorrhagias ſedandas, uſurpamus; incraſſatus enim refrigeratuſque ſanguis ad fluxum tardior fit atque ineptior.

Cùm verò omnis in corpore fluxilitas principaliter fit à ſero, adæquatè à ſalibus, cumprimis nitroſis, vel alcalinis; Cùm ſerum in utrumque extremum declinare ſoleat, in coagulum & fluorem;quorum illud ſi contingat, inviſcatur & pituiteſcit, ſeu pituitæ nomine venit, quale in muco, in ſcreatu rejectis, in alijs apparet,hocce verò dato,torulis ſuis contineri neſcit; facilè patet agendi modus incraſſantium. Fluxili nempe illi materiæ obicem ponunt, & fluorem, quem adepta eſt, moderantur, non aliter, ac ſi aquæ terra inferatur, unde lutum fit. Agunt, quando craſsâ ſuâ ſubſtantiâ & terrenâ naturâ tenuioribus ſe permiſcent. Incraſſantia ergo liquida & tenuibus humoribus σύςασιν inducunt ſolidiorem & compactiorem.

Et quidem incraſſantia, ſecundum dicta, reſpiciunt corporaturam ipſam, ſerum fluidius laxioribus repagulis gaudens, aqueis puta; vel ſtimulum & motorem,particulas ſalinas. Illud quæ præſtant, velut propriè dicta incraſſantia, ſunt in activis qualitatibus frigida juxta vulgatas regulas, in paſſivis ſicca, ſeu potius modo ſubſtantiæ lentorem præ ſe ferunt, aqueis explicabilem. Quæcunque etiam per mechanicam hunc poſſident,illa omnia incraſſant, ut mox in exemplis patebit. Frigore igitur cogunt, ſubſtantiæ autem craſſitie incraſſant,& tenuioribus ſuccis,ſeu ſero conſiſtentiam corpulentiorem & ſpiſſiorem tribuunt. Et hanc *Galeni* quoq; eſſe mentem de incraſſantium temperamento, ex *fine cap.20. l. 5. de ſimpl.* apparet, ubi ſcribit extenuandi & incraſſandi facultates eſſe oppoſitas, atque extenuandi quidem virtutem in calidis & tenuium partium eſſentijs ſitam eſſe,incraſſandi verò in frigidis craſſarumque partium ſubſtantijs hærere. Sed loqui tamen videtur *Galenus* de majori incraſſantium numero;quædam enim in calidita e & frigiditate temperata eſſe poſſunt, quemadmodum in amylo apparet. Quod ipſum tamen, reſpectu attenuantium & λεπτομερείᾳ gaudentium, ijs contrariam obtinet vim.

Talia ſunt,ut diximus,lentore generatim pollentia, citra activarum particularum concurſum, & quidem lentor mucilagineus hic ſtatui poteſt triplex potiſſimum;(1) aqueus concretus, qualis eminet in gummi tragacanthæ,ceraſorum, arabico, item rad. ſymphyti, cujus lentor tantus eſt,ut ſi cum carnibus coquatur, illæ inde velut concreſcere ſcribantur,id quod in gelatinis videmus quoque;(2) terreus concretus, ut boli omnes,terræ bolares,ac quaſi tales. (3)aquoſo vel terreo-oleoſo conſtant radix althææ, gelatina CC. lac, aliaque ſunt & ex his mixte,ut ſpec. diatrag.frig.&c.

Hæc ut propriè dicta & velut ſubſtantificè ac in ſuâ naturâ & mole ſunt incraſſantia, quatenus in corpus aſſumta fluxum alvi vel ſiſtunt ac refrænant, vel contemperant tamen;ita quæ (4) lentorem anodynum, ob ſulphur reſolubile fixans & concentrans ſalia, huc vel maximè pertinent,papaveracea uno verbo, unde ſuſpendunt humores & in centro detinent.

Notandum verò, & hunc uſum incraſſantium per mechanicam inſignem eſſe,quod parietes & membranulas integunt, adhærendoque oblinunt, v.g. in dyſenteriâ, ut ab acrimoniâ humorum, bili vel acidis alijs impeti rodique ita non poſſint,non aliter ac corticibus arborum defrictis & deraſis ceram emplaſticam obducere ſolemus, quæ inſtar corticis ſit. Notum quippe eſt, inteſtina perpetuum habere defenſorem mucum blandum, à ſero illuc è glandulis tranſudante & concreſcente continuatum, cujus ἕλκωσις quaſi & abraſio in inteſtinis contingit.

Circa uſum incraſſantium obſervandum eſt generale aſſertum, omni materiæ conveniens; inter indicans & indicatum perpetuam eſſe relationem. Hinc 1. *incraſſantia minus conveniunt, ſi ſerum vel deficiat in corpore,vel in coagulum & ςάσιν vergat.* Illius exemplum præbet hectica & phthiſis. Omninò verum eſt, craſſa & viſcida obtundere acrimoniam, ut ſpicula ſalina vim ſuam his oppoſitis amittant;ſed ſi ſerum ſanguini fuerit incoctum nimis, (æqualiter hoc caſu,ſecundum quid,) inde motus imminuetur magis. Ergo proficuus uſus in his morbis intelligendus ſaltim eſt in principio magis, vel ubi ſerum non ita abſumtum eſt,ut exſudare & difflari ceſſet, corporiq; hinc nutrimentum debitum fœneret. Hoc in cachecticis valet, unde aperientia magis & incidentia conveniunt, non incraſſantia æquè.

Adeoque 2. *non invertendus ordo,* quod empiricorum eſt & vulgi, cujus exemplum præbent inprimis affectus pulmonum omnes quaſi, ſiquidem expectoratio ſit neceſſaria. Unicè ibi ad ſtatum humoris, ſeu lymphæ & ſeri eſt reſpiciendum. Cum igitur expectoranda materia debeat eſſe ejus corporaturæ,ut ejici, attollique poſſit, ut è contrario nimis viſcida & infarcta minus eſt mobilis incraſſantia non locum habent, v.g. ſpecies diatragacanthæ frigidæ (calidæ enim exoleverunt,per craſſam hanc empiriam inductæ ſcilicet,) vel laudanum opiatum, ubi expectoratio difficilis eſt, nec ſuccedit ob materiæ copiam, & lentorem, quæ incidenda, attenuanda, reſolvenda, potius eſt, ſed ubi acris, mobilis,fluida, tenuis adeoque cruda eſt, quæ coqui poſtulet & maturari,ad exitum aptari. Hinc pleuritici, quibus opiata, vel papaveracea, uti flores papav. rhæados habentur pro ſpecifico, improvidè & citra hanc cautelam dantur, ſuffocantur & obeunt. Hinc phthiſicis narcotica h.m. ſæpius fiunt νεκρωτικά. Verbo ita ſemper pectoris affectus curandi ſunt, ut libertas viarum nativa ſalva perſtet & expectoratio fieri poſſit, quo de ſuo loco plura. Interim tamen opiata non excludimus in laudatis affectibus, quin divinum prædicamus remedium,modò dentur μετ' ἀσφαλείας, cum ſecuritate, providentiâ, modò dentur doſi refractâ,ut in terminis naturæ convenientibus agere poſſint, cum reſolventibus item, quorum virtutem & ipſa eximiè juvant & adaugent. *Wedelius.*

INDICUM & INDIGO, vid. *Glaſtum Indicum.*

INFUNDIBULUM, vid. *Inſtrumenta Pharmaceutica*

INFUSIO.

Infuſa cum decoctis maximam habent convenientiam tum in materiali,neque enim alia ferè eorundem ſunt ingredientia,præſcribendi ordo,quin & vires ipſę quadantenus,quin per omnia propemodum coincidant, tum in formali generico, liquida enim utrobique eſt forma. Nihilominus ſeorſim ea quoque videbimus, ut eò penitius in eorundem cognitionem feramur.

Infuſi itaque notio non aliundè arceſſenda, quam quod duo itidem, ut in decoctis, concurrant, certæ & ſelectæ *ſpecies* infundendæ, & *liquor*,in quo eædem immergendæ & extrahendæ veniunt. Notabilia vero duo circa hoc ſunt nomina alia, dicuntur enim *nodali* ab incluſione, ſpecies quidem ipſæ magis, quod illigatæ vel inſutæ infundantur, *Puſchel ins Bier oder Wein*, item à liquore ipſo *cerevisia* vel *vina medicata*, de quo paulò poſt.

Definiri enim poteſt infuſum, quod *ſit medicamentum liquidum diffuſius, ex ſpeciebus & liquore accommodis, citra coctionem vel fermentationem ſolâ maceratione vires nactum, pro alterandi vel purgandi uſu.* Per omnia ſcilicet convenit cum ipſius decocti definitione, præterquam, quæ differentia quoque eſt ſpecifica, in præparandi ipſo modo potiſſimum, & ex parte etiam in liquore, ut mox dicemus.

Infuſio nempe vel *conjunctim* & *ſecundario* ſub conſiderationem venit, quatenus cum coctione in effectu jungitur, eandemque ferè præit, v. g. infuſa ſtent per noctem, manè coquantur; vel *ſeorſim & primario*, de quo hoc loco nobis potiſſimum eſt conſideratio, ut dubium cui videri poſſit, ipſane coctio latius pateat, an, quod nos affirmabimus, infuſio?

Citra coctionem eſt & confit, tunc enim decoctum peculiariter eſt auditque, proinde tamen non excluditur lenis calor, unde ſicut chimicorum fiunt eſſentiæ menſtruis potiſſimum ſulphureis, ſolâ infuſione, digeſtione, & extractione, ita infuſa, ceu eſſentiæ Galenicæ, eodem modo, menſtruo ſaltim paulò diffuſiori parantur.

Citra fermentationem vero dicta ſunt fieri, ut vina & cereviſias hinc ſeparemus hoc pacto medicatas, quando v. g. certæ plantæ; ut abſinthium, meliſſa, &c. in vino vel muſto, abſinthium, ſcolopendrium, matriſylva, hepatica nobilis &c. in cereviſiâ potiſſimum recenti immerguntur, ut unà fermententur, ſicque ſimul extrahantur. Neque tamen hîc excludenda penitus, licet videantur paulò remotius huc ſpectare, *vina Hippocratica & clareta*, quæ per ſe nullo modo quidem differunt; attamen diffuſiora paulò ſunt, & media, ut evadat vinum magis alimentoſum paulò diffuſius, & infuſum quaſi implicitum magis.

Quoad *Materiale* in genere, ut jam monuimus, nulla ferè eſt differentia quoad ingredientia, niſi quod quædam melius infunduntur, quædam melius coquantur, quædam indifferenter & medio modo ſe habeant. Fixiora omnia & diffuſiora, ut oſſa, cornu cervi, hordeum, radix ſcorzoneræ, herba acetoſæ, endiviæ &c. magis coquuntur; aromatica & concentratiora magis infunduntur.

Hinc recipiuntur non aliter, ac in decoctis. radices, folia, flores, &c, duplâ omnia doſi, conciſione & contuſione aptantur ad meliorem extractionem, licet citra quendam præparandi ordinem, qui tamen ſervari ferè idem in ordinando ſolet, aliquot tamen cautelis & privilegiis quaſi peculiaribus.

1. *Quæ nec in ſubſtantiâ, nec in decocto ipſo quandoque commodè dantur, infuſi ſpecie commodè præſcribuntur*, id quod inprimis valet de δραστικοῖς, ſeu vehementiorib., antimoniatis, colocynthiacis, helleboratis, mercurialibus, &c. unde & fibræ hellebori nigri frequenter infuſa purgantia ingrediuntur, refractâ quippe ſingula hæc virtute hinc tutius operari conſueverunt,

2. *Quæ intimius ſaporem afficiunt, & ingratiora ſunt; in infuſis quoque refracta recipiuntur*, Hinc utut leniter amaricantia, præcipuè Germanis nobis, ſatis ſint amica, eaque potioris æſtimemus in infuſis, quam alia medicata, quippe magis adſueta & nota nihilominus tamen refractâ magis doſi eadem indenda, *daß es nach wwas ſmecke*; par ratio eſt ſimilium; angelicæ, ſcordij, & aliorum,

3. Quin, *quia caput feriunt faciliùs, parcius quoque indenda*, uti notum eſt, plurimis eo nomine minus arridere abſinthiaca, hinc, ut & huic intentioni fiat ſatis. vel, exemplo apud *Simon. Pauli in quadrip. botan.* in infuſo præſervante propoſito, aloes moderatâ additione id ſuppleri poteſt, vel abſinthio pontico, loco vulgaris recepto.

4. *Mineralia quædam per ſe infunduntur, quædam clave opus habent.* Notabilis eſt infuſio, vel decoctio oculorum cancrorum cum vino, quod indè alcalicum ſaporem acquirit, & dolorum hypochondriacorum & plurimorum aliorum morborum egregia eſt medela, id quod ab *Helmontio* maximè laudatur. Præcipuè verò notandum eſt, martialia commodè quoque infundi in vinis aperientibus, verum clave opus habere, cujus vicem obeunt potiſſimum duo, ſaccharum & tartarus, idque præcipuè alterandi & deoppilandi fine. Neque obſtat tamen autoritas *Geigeri*, qui in *microcoſm. hypoch. c. 23. p. 294.* monet, ne vinis medicatis ex ſpeciebus purgantibus concinnatis limatura martis addatur; quod in praxi ſuâ experientiâ comprobaverit, illa vina minùs laxare, & alvi laxationem remorari, minuſque penetrare; quo minus etiam his poſitis circumſtantijs laxantibus addere eandem liceat.

5. *Extinctionem facilitantia, ſicubi id opus, addenda*; Sic huic fini inſerviunt tum *acida*. ut ſpirit. ſal. vitrioli philoſophicus, martis, item cremor & cryſtalli tartari, ita enim acuitur menſtruum extrahens, liquor affuſus; tum *lixivioſa*; ut oleum tartari per deliquium, maximè in rhabarbari vel foliorum ſenæ infuſione; item ſal abſinthii, centaurij minoris; vel *media*, tartarus vitriolatus, arcanum tartari; tum denique *ſpirituoſa*, præſertim in alterantibus & confortantibus, ut ſpiritus cochleariæ, liliorum convallium, roſarum, &c. Notandum tamen eſt benè, ne addit m nta hæc, ſive corrigendi, ſive extractionem adjuvandi, ſeu vires augendi fine addantur, excedant, valet enim & hîc, corrigentium, adde hoc loco & reliquorum, doſin debere eſſe minorem.

Ut ergo *Forma* infuſi emergat, de liquore commodo inprimis proſpiciendum eſt. Quandoquidem enim ſpecies conciſæ & contuſæ, adeoque extractioni aptatæ ſunt, (rarius enim integræ in propriè dicto infuſo induntur,) liberum eſt medico, velitne ipſas ſolas ab uſuro hinc illigandas nodulo præſcribere ex officinâ, an pharmacopœo committere, ut inſuantur in ſindone rubrâ, cum interpaſſatione, id quod ſatis commodum eſt præſertim in delicatioribus, cum ſignaturâ, S. *Püſchel ins Bier*, ſpecies *in Wein* &c.

Cùm verò infuſio ipſa, ſibi relicta, præterquam ubi hinc vel coquuntur ſpecies, vel poſt extractionem alia addenda, quod in purgantibus obtinet, non facile in pharmacopolio fiat: hinc ſeorſim admonendus eſt æger vel ejus miniſtri, tum de liquore affundendo in genere, tum de ejus quantitate & alijs circumſtantijs.

Liquor ipſe purè aqueus rarò vel nunquam præſcribitur; uti enim ad decocta magis aqua ſolet recipi, ita ad infuſa magis liquores domeſtici alimentarij, vinum, cereviſia, & alicubi mulſa quoque; ita enim, ſi horum vehiculo virtus in corpus derivatur, & gratia in aſſumendo eſt major, & corpori ipſi id amicabile & conſuetum.

Serum lactis caprinum, licet ab Arabibus mater infuſionum vocetur, tamen itidem paulò rarius; frequentius vero pro decoctione adhibetur in uſum, ad aduſtum ſanguinis ſtatum utile.

Hinc porrò notandum de pondere, 1. *tantum affundendum, quantum ſufficit extractioni, & ſapori tolerabili*; hinc in genere infuſa non largâ nimis, continuâ quantitate, ſimul & ſemel paranda, unde & ultra manipulos ſex herbarum ad ſummum vix ſolemus aſcendere, tum ob tædium, tum corruptionis metum: Sed præſtat, quantitate diſcretâ procedere, ut, ſi uſus id exigat, abſumto uno nodulo, ſeu infuſione, è ſpeciebus recentibus apparetur denuò medicamentum ipſum. Facile verò hinc eſt dilutiorem reddere medicinam, præſertim ſi diutius fuerit infuſio facta.

2. *Liquor Affectui ſit commodus, non adverſus*; hinc uti notum eſt, vinum non convenire capite dolenti-

bus, febricitantibus, hæmoptoicis, & ex parte paralyticis, arthriticis &c. hinc eo caſu omittendum potius eſt, niſi æger id malit ipſum. Aliàs enim noxam facilè procurare poſſumus.

3. *Ut ſimilia ſimilibus ſolvantur, ita, quæ extrahi à liquore non poſſunt, vel omittenda, vel ad hoc aptanda.* Hinc cum reſinoſa, ſulphurea, non benè extrahantur aqueis, ut radix giaiapii, lignum aloës, & ſimilia non benè ingrediuntur infuſa; parum enim & improportionatè fiet extractio.

4. *Ex ſpeciebus aromaticis, ſaccharo & vino, cum frequentiori colaturâ per manicam Hippocratis, fiunt clareta*; quæ ipſa tamen apud nos paulò ſunt rariora, & magis locum habent in affectibus frigidis & diuturnis. Aliàs ſaccharum aliaque non facilè adduntur, præterquam tum hocce, tum ſupra dicto caſu.

5. *Calidus liquor fortiùs extrahit*; *expreſſus fortiùs operatur*; *ſed ingratius.* Hinc ſi purgandum præſertim ſit, ſtare poteſt infuſio loco calidiori. Sed pro aſſervatione diuturniori id non æquè aptum eſt, præſtat enim, ut diutiùs incorrupta maneant infuſa, loco frigido eadem locare. Expreſſio verò non adeò locum habet, niſi in purgantibus, & ubi æger ipſe, ubi ſæpè fit, majori ſpe juvaminis, id ipſum vult. Ideoque frequentiùs omittitur, & decantatus clarus magis liquor hauritur.

6. *Tempus extractioni debitum etiam attendendum*, hinc utplurimum vel per noctem vel per quinque, ſex, octo horas infuſio relinquenda eſt prius, quàm in uſum cedat. Quò diutiùs verò relinquitur, eò fortior extractio, & virtus redditur major.

Obſervatis his habetur medicamentum commodum aſſumtu, cujus cæteroquin conſiſtentia non attendenda, cavendo ſolùm, ne craſſior liquor fiat, & vini vel cereviſiæ penitus obſcuretur facies.

Exempla infuſorum poſſunt eſſe ſequentia.

Cephalicum in paralyſi. ℞. *rad. pæon.* ℥j. *helen.* ℥ß. *fol. beton. meliſſ. ſalv. roſm. a. m.j. fl. cheiri, lil. convall. anth. p. ij. primul. ver. p. j. ſtœch. Amb. m ß. lign. al.* ʒj. *viſc. querc.* ʒij. *cinnam.* ʒß. M. Conciſ. cont. inſuantur ſindoni rubræ.

Antiphthiſicum. ℞. *rad. chin. glycyrrh. tuſſil. a.* ℥ß. *caryophyllat.* ʒij. *fol. marrub. ſcabioſ. veron. capill.* ♀. *a. mj ſcord. mß. fl. tuſſil. p. ij. 4. cord. a. p. j. lign. ſaſſafr.* ʒj. *ſandal. rubr.* ℥ß. M.

Ictericum: ℞. *rad. 5. aper. rub. tinct. cichor. ā,* ʒij. *herb. agrim. hepat. nob. fragar. marrub. fl. cent. min. ſummit. abſinth. ā. mß. hyper. p. ij. ſandal. flav.* ʒj. *curcum.* ʒiß. *croci* ʒß. *cinam* ℈j. *M.*

Vinum anthypochondriacum: ℞. *rad. cichor. acetoſ. a.* ℥ß. *pimpin.* ʒij. *fol. cochlear. ſpicanth. ſummit. fumar. a. mj. fl. roſar. rubr. hepat. nob. a. p. ij. cort. rad. cappar. tamariſc. citri, ā.* ʒj. *caſſiæ lign.* ʒß. *ocul.* ♋. ʒiij. *coſti ver.* ℈j. *M.*

Menſes ſiſtens: ℞. *rad. biſtort. torment. acor. ver. ſymph. a.* ʒ ij. *fol. polygon. millefol. plantag. burſ. paſt. a. mß. fl. roſ. rubr. balauſt. a. p. iij. ſandal. flav.* ʒiß. M. pro vino rubro.

Facilè verò, in quibus opus eſt, purgantia fieri poſſunt eadem, acceſſione foliorum ſenæ, rhabarbari, mechoac. alb. agar. troch. &c.

Quod ad *utendi modum* ſpectat, 1. *infuſa omni ætati conveniunt*, præterquam in infantibus & pueris, in quibus, ob delicatiorem præſertim ſenſum, propriè dicta paulò rariora ſunt, niſi eadem in doſi imminuantur.

Aſſumuntur magis intermedio à cibo tempore, manè, & veſperi, noctu, niſi vina vel cereviſiæ per fermentationem ſint medicatæ, illæ enim locum habent tunc magis. Et licet virtuoſiora æſtimari poſſint actu calida, non tamen pari hæc gratiâ ſe commendant. Notabile tamen eſt, ut ſingula alia liquida, ita præſertim infuſa manè aſſumenda calida eſſe debere, ut ventriculus eadem commodius ferat, & inprimis, ne feriant caput, unde & tum vina tum cereviſiæ matutino tempore vel calida aſſumenda, vel poſtquam juſculum unâ vel alterâ horâ prius fuit aſſumtum, non item frigida, jejuno ventriculo.

2. *Quæ purgant, pro ipſius medicamenti operatione veſperi vel omittuntur vel continuantur.* Prius, ſi ab uno præbio corpus jam ſatis exerceatur; quod ipſum ad dies tres, quatuor vel quinque producitur nonnunquam; alterum, ſi ſegnius ſe geſſerit idem. Alterantium verò uſus diſcretus continuari poteſt pro lubitu.

Doſis verò totius dividendi ipſa tanta eſſe debet, quæ uno hauſtu vel potione abſolvi queat, v. g. tertia pars ſextarii, vel ſextæ menſuræ, cyathus unus, poculum unum, quod ℥ij. ℥iij. capiat; idque & in alterantibus & purgantibus. Extrahit enim liquor non ad modum agentis abſolutè; ſed ad modum quoque receptivitatis ſuæ.

Denique quo *Fine & uſu* ſe commendent, videndum reſtat. Commodiſſima quidem eſt infuſorum formula, nihilominus tamen minus convenit 1. *in. ventriculi debilitate*, ſiquidem copia ingredientium ſeu farrago major fuerit. Habent ſiquidem hoc vitii, quod, cum alimenta medicatam virtutem ſecum inferant ventriculo, facilè inde turbetur idem, & flatus parturiat: hinc corrigentia ipſis & ventriculum reſpicientia conſultò adduntur; hinc ab iiſdem facilè etiam non purgandi fine adhibitis laxatur alvus; hinc præter alia quoque aquea menſtrua pro infuſione minùs ſunt uſitata.

2. *Minus refrigerandi & ſiccandi, magis calefaciendi, diluendi & humectandi fine in uſum cedunt*; tum, ne lædant eâ formâ & fine magis ventriculum, turbentque, tum quoque, quia virtus refrigerantium hoc pacto minùs extrahitur, calefacientium verò magis obtunditur. Hinc & in reliquis viſceribus refrigerandis cum prima actio in ventriculum redundet, multò minus eadem locum habent.

Cum verò, ſiqua alia, benigniſſima ſit infuſorum formula, plures ſanè uſus habet, quàm non habere κατ' ἄρσιν dici poteſt. Hinc, ut ſummatim eos videamus,

1. *Infuſa humectant*; hinc in ſiccioribus, tum in genere tum in ſpecie quoad alvum, habent uſum inſignem. Actu enim & blandè quidem id præſtant, hinc diluunt quoque aduſtos humores, bilioſos & atrabilarios maximè, Et præſtantiora quidem ſunt ipſis decoctis, eò, quod nihil pereat de virtute extrahendorum, ſed omnis quaſi & quidem ſubtiliter concentrata & extracta maneat.

2. *Laxant & purgant.* Hinc ſqualidis præſertim, debilibus, exhauſtis, valetudinariis, ſiccis, purgantia infuſa ſunt laudatiſſima, & ipſis quidem delicatis commodè propinantur; neque tamen obſtat, quod veteres infuſa ad ſola purgantia in genere reſtrinxerint, ipſique non niſi coacti & egeni eadem æſtiment, hodie enim longe latiùs patent, quàm olim.

3. *Alterant efficaciter & purgant efficaciter*, ſeu, ut cum inſigni emolumento vim purgandi exſequuntur, ita etiam non minori efficaciâ alterant maſſam ſanguineam; hinc ubi ſanguis novo quaſi charactere, priſtino amiſſo, imprægnandum eſt, nimis vitiatus & ad aliam peregrinam perductus qualitatem, potiſſimum in infuſis invenit auxilium. Sic in paralyſi continuatum infuſorum nervinorum uſum invenimus probatiſſimum, idque præſtant, quia lentè agunt & ſucceſſivè, penituſque illabendo, id, quod lentè congeſtum eſt, lente quoque ad motum alium cient; hinc

4. *In morbis chronicis*, & in ſpecie *obſtructionibus apprimè conveniunt infuſa*, auferendo ſucceſſivè *μίασμα* illud ſalſum ſcorbuticum ſeu hypochondriacum. Hinc etiam defectum ſeri ſolantur, in defectu menſium, febribus tertianis, quartanis, maximi ſunt uſus, hinc in exuberantiâ ſanguinis & ſeri non ita locum habent. Aguntque, ſiquid aliud, per *ἐπίκρασιν*, & alterant & purgant

purgant, unde, quod ſenſim & lentè congeſtum eſt, lentè & ſucceſſivè, ſufficienter tamen, reſerant.

5. *Infuſa polychreſta ſunt*, pluribus intentionibus & indicationibus aptiſſima, habito ad præſentiam ſeri ubique reſpectu, quibus, quod de iiſdem ulteriùs dici poſſit, includimus. Hoc pacto alimenta medicamentorum fiunt commoda vehicula, horumque dotibus ſigillatæ maſſæ ſanguineæ adjumentum nobilius adferunt. Sic in vulneribus quoque, ulceribus vetuſtis, ſordidis, fiſtuloſis faciunt officium. *Wedelius.*

Sequuntur jam Infuſa varia ad varios uſus è variis Autoribus.

Infuſio Cathartica communis.

℞. *Fol. ſen. mund.* ʒiij. *ſalis tartari alb.* ℈ß. *Infund. calide per noctem in ſ. q. aq. comm ad colaturæ* ℥iv. *v. vel plures, pro una doſi.*

Addi poterit rhabarbarum, & alia etiam varia pro intentione Medici; ſed hic tantùm de infuſione cathartica verè communi.

Infuſum Seri lactis, *Meſuæ è Pharm. Aug.*

℞. *Foliorum roſarum recentium uncias duas. rhabarbari electi* ʒij. *gr. xij. nardi indicæ* ʒiß.

Minutim inciſa macerentur per noctem in ſeri lactis caprini ℔ j. deinde colentur ac leniter exprimantur.

Sanguinem depurat; bilem quoque flavam, tenues & calidos ichores eidem admixtos clementer ac ſine moleſtia educit & eryſipela à juvat.

Infuſum aliud Seri lactis ex eâdem *Phrmac.*

℞. *Florum boraginis, bugloſſi, fumi terræ, epithymi ana manipulum ſemiſ, poypodii querni* ℥ vj. *fœniculi* ʒij. *folliculorum ſenæ* ℥ß. *ſeri lactis* ℔iij.

Fiat infuſio & decoctio ad tertiæ partis conſumptionem & colaturæ addantur mellis roſati ℥ij.

Aduſtos humores temperat & expellit cutem à ſcabie ac prurigine mundificat.

Infuſum Hieræ, Meſuæ, ex eadem *Pharmac.*

℞. *Hieræ ſimplicis, aloës ana* ℥v. *macera in decocti epithymi alibi deſcripti* ℔j. *in vaſe vitreo, & cola.*

Ventriculum & caput expurgat, proinde amborum doloribus aſſiduis, ac hemicraniæ confert; nec non febribus antiquis, & morbis melancholicis auxilio eſt.

Infuſiones variæ è Pharmacop. Bateanâ.

Infuſio Arthritica.

℞. *Anthos* ℔ j. ✱ *volat.* ℥j. *Pyrœni* ℔ vj. *Digere in Lagena opt. obturata in fimo equino* ♂ 40. *dein in ſola* ♂ 20. *ſ. expreſſio.* Applicetur in declinatione Arthritidis. Extrahit valde frigidos, craſſos, & flatuoſos humores in articulis, & fortificat.

Infuſio Benedicta.

℞. *Rad. polypod. qu. turpet. ſenæ opt.* ā ℥vj. *ſem. carvi* ℥j. ▽. *alb.* ℔xij. *macer. (vaſe clauſo) ſuper* 🜄 *calidos ad horas* 24. *colat. cum expreſſione factæ adde mann. opt. ſyr. Roſ. cum Agar. ſacch.* ā ℔j. *clarific. cum album. ovor. ſ. a.* Bilem utramque cum pituita è capite, ventriculo, aliiſque partibus inſigniter educit ſine faſtidio. Doſ. ℥iv. an ℥ vj.

Infuſio Cachectica,

℞. *Rad. enul. rec. inciſ.* ℥vj. *uv. corinth. inciſ.* ℥viij. *ſacch. alb.* ℥ vj. ▽. *alb.* ℔ iij. *macer. in frig. hor.* 48. *& cola.* Doſ. ℥ iv. bis in die in cachexia, chloroſi, Dyſpnœa, &c.

Infuſio Icterica.

℞. 🜍 *anſerin. rec.* ℥ vj. *Fol. chelidon. mij.* ▽. *alb.* ▽ *chelidon. ſimp.* ā ℔j. *Infunde tepidè hor. vj. cum ſacch. alb.* ℥ij. *ſ. colat. ſæpe per manic. Hippoc.* Doſ. ℥iv. bis in die.

Infuſio Ireata.

℞. *Rad. irid. nr. rec. inciſ. uv. paſ. exacin. inciſ. ſacch. alb. cerevíſ. ten.* ā ℔iij. *macer. dies* 3. *& ſ. colat.* Detur hauſtus manè & veſperè in Scorbuto, Hydrope, &c.

Infuſio Sancta.

℞. *Guajac.* ℥ix. ⊖ *Tartari* ℥iv. *glyc.* ℥iv. *Digere tepidè in Hydropeg.* ℔ xx. *ad* ♂ *vj. dein ſ. colat.* Alexipharmacum nobile habetur. Sanguinem mundificat, omnes obſtructiones & putrefactiones tollit, & ſanitatem optimè præſervat. In Scorbuto, Hydrope, Febribus, Lue ♀. Arthritide, cæteriſque morbis tartareis multùm facit. Doſ. ℥vj. quater in die.

Infuſio Aperiens *Goddardi.*

℞. *Flor. ſambuc. ſummit. geniſt.* āā *p. iij. centaur. min. p. ij. ſumm. abſinth. vulg. flor, chamom.* āā *p. j aq. puleg. hyſſop. menth. raphan. compoſitæ* āā ℥iv. *infund. calidè per horas* 3. *colaturæ adde tinctur. croci* ℥ß. *ſyr. de ſuccô aurantior.* ℥iß. Doſ. cochlear. vj. bis in die.

INGUINALIS, ſic dicitur quibuſdam *Aſter Atticus.*

INJECTIO.

Injectio generaliter idem ſignificat ac enema; in ſpecie verò eſt illud omne remedium liquidum, quod per ſyringam in quaſcumque partes internas immittitur.

Materia injectionis pro variis partibus & affectibus, diverſa eſt. Paratur ex liquoribus, ſuccis, aquis, decoctis; vel ex ſolis oleoſis; vel ex pluribus eorum ſimul mixtis.

Uſus multiplex eſt pro variis partibus & morbis.

Primò, in aurium affectibus ad dolorem & inflammationem mitigandum.

℞. *Lactis recenter emulſi* ℥. *ij. liquoris albumin. ovi agitati detractâ ſpumâ, vel aq. roſar.* ℥ß. *Miſce, fiat tepidè injectio in aurem.*

Vel

℞. *Succi lactuc. & ſolani* ℥. *ß. olei amygdal. dulc. ſine igne extract.* ℥ß. *Miſc. fiat injectio.*

Si rumpatur abſceſſus paranda injectio detergens.

℞. *Decocti hordei* ℥iv. *mellis roſ.* ℥ j. *Miſce, fiat injectio.*

Quando materia eſt craſſa & frigida.

℞. *Succi apii & porror. an.* ℥j. *mellis roſati* ℥ß. *Fiat injectio, &c.*

Ad gravem auditum.

℞. *Olei aniſi arte chymicâ extracti, vel caryophyll. gutt. vj. per ſe, aut cum oleo amygdal. dulcium, vel amar. aut cum pauco lacte, Fiat injectio.*

Secundò, In thoracis morbis, & vulneribus, pro empyemate, & vulneribus pectoris ad pus detergendum.

℞. *Hord. integr. p. j. fol. agr. plantag. pimpin. an. M. j liquirit, raſæ* ℥. *ij. flor. hyper. p. j. Fiat decoct. Colat. ad* ℔j. *diſſolve mell. roſ.* ℥ij. *Fiat injectio.*

Tertio, In uteri affectibus.

Injectio fit in uterum per ſyphonem, qui metrenchyta dicitur, pro virginibus nuſquam præſcribenda, pro puerperis & recenter enixis, doſis pro unâ vice eſt ad ℥ iv. pro cæteris ad ℥iij. vel iv.

Ad dolorem & inflammationem ſedandam.

℞. *Aq. plantag. ſolan. an.* ℥iij. *Fiat injectio.*

Vel

℞. *Succi plantag. ſolan. an.* ℥iij. *mucilag. ſem. cydonior. & pſyllii, extractæ in aquâ plantag.* ℥iß. *Miſce, fiat injectio.*

Vel

℞. *Folior. lact. plantag. ſemperviv, an. M. j. flor. nymph. p. j. Fiat*

p. j. Fiat decoct. Colat. ad ℔. ß. diſſol. ſalis prunell. ʒiß. Fiat inj. ctio.

Ad tumorem uteri œdematoſum, vel ſchirroſum,

℞. Rad. alth. & lilior. an. ℥ j. fol. malvæ, parietar. artem. an. M. j. ſem. lini, althææ an. ℥.ß. flor, chamomill. p. j. Fiat decoct. in aquâ & vino albo, vel in jure omaſorum. Colaturæ ad ℔. j. diſſolve olei lilior. & chamom. an. ℥j. Fiat injectio.

Quartò; ad ulcus tergendum.

Si adſit acrimonia, ardor, dolor,

℞. Decocti hordei & ſeri lactis ann ℥. iij. mellis roſati ℥. i. ß. Miſce fiat injectio pro unâ vice ſæpè iteranda.

Si ulcus ſit ſimplex.

℞. Hordei integri p. j. fol. agrim. plantag. fænicul. ana M. j. flor. hyperic. p. j. Fiat decoct. Colat. ad ℔. j. diſſolve mell. roſ. ℥ ii.

Si ulcus ſit ſordidum, & multis ſcateat excrementis injectio neceſſaria eſt efficaciùs detergens, modò non adſit dolor, vel hæmorrhagia, quæ à detergentibus acribus augerentur.

℞. Rad. ireos Florent. gentian. an. ʒ iij. agrim. plantagin. abſinth. & marrub. an. M. j. flor. hyperic. p. j. Fiat decoctio in ſero lactis vel hydromellite. Colatur. ad ℔. j. diſſolve ſucci apii, & mellis roſati ana ℥ i. ß. Fiat injectio.

℞. Aquæ vel decoct. agrim. ℥ij. ſalis jovis ʒß. Fiat injectio.

Ad provocandos menſes in frigidis, & obæſis, tum ad deterſionem quando pituitoſis humoribus ſordet uterus.

Utendum pro injectione aquis thermalibus, quales ſunt Balerucanæ, præmiſſis ſufficienter univerſalibus.

Quintò in veſicæ, & penis morbis.

Nota, non eſſe præſcribendam injectionem, niſi priùs redditâ urinâ depleatur veſica.

Ad dolorem leniendum ab acrimonia, calculo, &c.

℞. Aquæ hord. ℥iij. olei amygdal. dulc. recenter extracti ℥iß. Miſce fiat injectio.

Poteſt parari ex lacte tepido cum aqua hordei, vel ex mucil. ſemin. alth. & pſyllii extract. cum aqua ſolani & lilior. ſi adſit inflammatio.

℞. Aquæ plantag. ſolan. ana ℥iij. camphoræ gr. iij. Fiat injectio.

Vel

℞. Fol. ſempervi. lactuc. an. M. j. hordei integr. & flor. nymph. ana p. j. Fiat decoct. Colat. ad ℔. ß. diſſolv. ſalis prunell. ʒ j. Fiat injectio.

Ad ulcus detergendum.

℞. Hord. integr. p. j. fol. plantagin. fænicul. millefol. & abſinth. an. M. ß. ſummit. hyperic. & roſar. rub. an. p. j. Fiat decoct. Colat. ad ℔ j. diſſol. mellis roſ. ℥ ij. Fiat injectio.

Si ulcus ſit depaſcens, & fœtidum, ſæpè etiam utere ſequenti injectione.

℞. Aquæ plant. ℥iv. collyr. Lanfranci ʒß. unguenti ægyptia. ʒß. vel præcipitat. rubri ℈ ij. Fiat injectio.

Si ulcus ſordidum ſit. & ſcateat plurimis excrementis, utendum magis detergentibus, qualia ſuprà dicta ſunt in ulcere uteri; ſed fieri debet decoctio in aqua & vino albo, vel ſi magis roborandum ſit, in vino rubro.

Sæpè etiam interjicienda ſequens injectio.

℞. Præcipitati rubri ʒß. vel unguent. ægyptiaci ʒß. aquæ plantag. ℥iij. Fiat injectio.

Nota quòd aliquando cum prædictis ulceribus adſit inflammatio. vel intemperies calida inſignis, vel tumor aliquis calloſus aut cancroſus: quo tempore non eſt agendum nimis exſiccantibus, & calidis, ſed temperatis, anodynis, & refrigerantibus, dum præſcribuntur univerſalia alterantia, & evacuantia.

Ad exſiccandum, & conſolidandum paratur ex modicè adſtringentibus, & exſiccantibus, ut

℞. Rad. ſymphyti major. biſtort. an. ℥j. fol. plantag. equiſeti, polygon. an. M. j. granor. ſumach. plantag. an. ʒij. ſummit. hyper. & roſar. rubr. an. p. j. decoctio Colatur. ad ℔. j. diſſolve ſyrup. de roſis ſiccis ℥ij. ſalis ſaturni ʒß. Fiat injectio.

Sæpè etiam diſſolvi poſſunt in ℥iv. prædicti decocti trochiſcor. Gordonii ʒij.

Sextò, In ulceribus profundis, vel etiam fiſtuloſis cæterarum partium, & cavitatum, quando detergendum & exſiccandum.

℞. Radic. gentianæ, rhapont. & ariſtolochiæ rotundæ an. ʒ ij. fol. pimpin. ſcabioſ. bugulæ an. M. pul. cancr. fluviatilium in nodulo poſiti ʒ ij. roſarum rubrarum M. ß. Coque in vino albo ad ℔. j. Quo decocto fove ulcera, ter aut quater in die, & ex eo fiat injectio in fiſtulas per ſyringam.

Si ulcus ſit ſordidum, diſſolve in parte ejuſdem decocti collyrium Lanfranci, ægyptiacum, præcipitatum rubrum, ut ſuprà. *Toncke.*

Injectiones tres è Pharmacopæâ Bataneâ.

Injectio Alba.

℞. Trochiſcor. albor. Rhab. ʒiij. camphor. ℈j. ſolvantur in aq. ſperniol. ℥xij. ſ. a. Inflammationes & dolores mitigat. Efficax admodum ad ulcera virgæ, Gonorrh. &c.

Injectio Auricularis.

℞. Anthûs m ij. coque in urinâ pueri ℔. iß. ad ℔. j. colat. adde Rhodo melit. ℥iv. M. Valet in ſurditate & aurium dolore.

Injectio Benedicta.

℞. Aqu. Benedict. ℥ viij. mercur. dulc. ſubtiliſ. pulveriſ. ʒij. M. exactiſſ. ſ. a. Vires habet eaſdem cum injectione albâ.

INSECTA.

Per repetitas obſervationes eò deductus ſum ut credam terram, poſt primas illas plantas, & prima illa animalia, quæ ſub ipſa mundi primordia ſupremi Creatoris juſsû producit, per ſe, nec herbas, nec arbores, nec animalia qualiacunque perfecta vel imperfecta produxiſſe, & quod omnia illa, quæ vel præteritis ſeculis nata ſunt, vel hoc tempore in, vel ex terra naſci videntur, ex ſemine plantarum reali & vera, necnon ipſorum etiam animalium naſcuntur, ut quæ mediante ſemine proprio, ſuas ſpecies conſervant. Et quanquam ſingulis ferè diebus videamus, ex cadaveribus animalium, nec non ex omni genere herbarum, florum & fructuum putridorum & corruptorum vermes naſci infinitos, juxta illud

Nonne vides quæcunque mora, fluidoque calore,
Corpora tabeſcunt, in parva animalia verti?

Huc tamen feror, ut credam, omnes hos vermes ex ſemine paterno generari, & carnium, herbarum, aliarumque rerum, vel planè putrefactarum, vel putreſcentium, in generatione inſectorum non alias eſſe partes, nec aliud officium, quàm ut locum vel nidum commodum præbeant, in quem ab animalibus cùm nendi tempus inſtat, deferantur vermes, ova vel quodcunque aliud vermium ſemen, qui vermes, ſtatim ut nati ſunt, in hoc nido alimentum ſufficiens & nutritionis commodiſſimum inveniunt; & niſi a matribus ſupradictum ſemen huc delatum ſit, nullum ibi vermem, nunquam inquam quidquam generari. Et ut hoc,

Carole

Carole Dati, quod dico, verum eſſe perſpicias, de paupaucis & maxime vulgaribus, nobiſque notis inſectis tecum apud te loquar.

Ergo, ſecundum ea quæ dixi, & quæ antiqui ſimul & moderni ſcriptores, nec non communis vulgi opinio probavit, omnis putridi corrupti cadaveris, & omnis eluvies cujuſcumque alterius rei putrefactæ, vermes generat, atque producit, cujus rei veritatem indagare volens, ineunte menſis Junii tres ex illo genere ſerpentum, quos angues Æſculapii vocant, interemi, ſtatimque ut mortui erant in ciſtulam apertam, ut putreſcerent, injeci: nec multum temporis intercesſit, cùm eos vermibus conicæ figuræ opertos vidi, nullo pedum, quantum quidem oculo perſpicere licebat, apparente veſtigio. Hi vermes devorandis his carnibus occupati continuo creſcebant, augebanturque, ut videbatur, de die in diem eorundem numerus. Cæterum, ut ut conicæ omnes figuræ eſſent, quia tamen diverſis naſcebantur temporibus, diverſæ quoque magnitudinis erant: minores tamen ſimul & majores, abſumta carne, ſed integris adhuc nudis oſſibus, per exiguum quoddam ciſtulæ occluſæ foramen ad unum omnes ſeſe proripuerant, nec indagare unquam potius ubi locorum ſeſe abſcondiſſent. Ergo majore adhibita cura, ut finem eorum perſpicerem, 11. Junii tres alios ejuſdem generis ſerpentes adhibui, in quibus exacto triduo vermiculos vidi, quorum numerus & magnitudo continuò creſcebat: & omnes quidem unius ejuſdemque figuræ, ſed coloris erant diverſi: majoribus quantum ad exteriora candidum referentibus, cum minores in carneum propenderent. Abſumtis carnibus anxiè fugam circumſpectabant; ſed rimis optime clauſis obſervavi, decimonono ejuſdem menſis nonnulla ex majoribus æquè ac minoribus quaſi ſopiri & immobiles reddi. Inde corrugati & in ſe collecti, in en biliter oviformem figuram aſſumebant, uſque dum die vigeſimo primo penitus transformarentur in figuram ovi candidi tis, qui tamen color poſtea in aureum & paulatim in ſubrubicundum, tandemque in nonnullis venum obſcurior factus, in nigricantem degenerabat. Ova autem, tam rubicunda, quàm nigra, poſtea quàm ad hunc gradum pervenerant, ex mollibus & teneris, ducto cortice, dura & fragilia reddebantur, ut jam aliquam cum chryſalidibus vel aureli s aut nymphis, ut vocant, convenientiam habere viderentur, in qua per aliquod temporis ſpatium bruchi, bombyces, atque id genus alia inſecta transformantur. Curioſius ergo cuncta obſervans, aliquam in ovis rubicundis & nigris quoad figuram differentiam deprehendi: utut enim eadem omnia ratione, ex pluribus quaſi annulis ſimul junctis compoſita viderentur, annuli tamen illi in nigris quàm rubicundis magis exſculpti, magiſq; conſpicui erant, cùm rubicunda quaſi polita viderentur, & in altero extremorum certa quadam exigua concavitate deſtituerentur, quæ in nigris manifeſta & concavitati malorum medicorum ubi à ramis decerpta ſunt, non multum diſſimilis erat. Separatis his ovis, unumquodque genus ſeorſim diverſo vaſe vitreo, chartâ benè munito excepi, & exactis octo diebus ex quocunque ovo rubicundo, rupto putamine, muſca prodibat coloris cinerei, torpida, ac veluti ſtupens, imperfecto adhuc opere, & alis nondum exertis, ſed quæ intra octavam horę partem ſenſim explicatę, pro modo illius corpuſculi, intra idem temporis ſpatium ad debitam & naturalem partium ſymmetriam reductæ, ac jam planè formatæ dilatabantur, & muſca depoſito livido illo colore cinereo, viridem maxime vividum, & mirum in modum radiantem aſſumpſerat, totumque corpus ita increverat, ut impoſſibile videretur illud exiguo illo putamine comprehendi potuiſſe. At verò ſi hæ virides muſcæ ex ovis rubicundis octidui ſpatio excludebantur, ex ovis nigris, non niſi poſt quatuordecim dierum moram, rudes quædam & nigræ majores muſcæ prodibant, albore undulatæ, ventre piloſo, & in imo rubente, illius generis, quas per macella & domos quotidie circa mortuas carnes vagari & bombos edere videmus. Cùm naſcerentur deformes erant & tardiſſimæ alis, id quod viridibus etiam, de quibus ſuprà dictum eſt, acciderat, non explicatis. Nec tamen nigra illa ova omnia poſt dies quatuordecim excludebantur, ſed erant numero plura quæ in diem uſque vigeſimum cunctarentur, quo temporis articulo certum genus muſcarum prodibat extraordinarium, & à primis duabus generationibus tam quoad magnitudinem, quàm figuram planè diverſum, nec à quoquam hiſtoricorum, quod ego ſciam, deſcriptum. Muſcis etiam ordinariis, quæ menſas noſtras infeſtant multò minores ſunt, alis volitant argenteis & quæ modum corporis non excedunt, corpus ipſum prorsùs nigrum, coloris ferruginei, politi & circa imum ventrem ſplendentis eſt, quâ parte corporis formicarum alatarum figuram referunt raris, & nonniſi ope microſcopii, conſpicuis tenerioribus pilis cornua oblonga, vel, ut naturalis hiſtoriæ ſcriptores vocant, antennæ in capite duæ aſſurgunt. Anteriores quatuor pedes ordinariam in muſcis pedum ſtructuram non excedunt, ſed poſteriores duo multò quàm pro tanti li corporis modulo longiores & magis craſſi ſunt, & ex materia cruſtacea, locuſtarum marinarum pedibus non diſſimili, conſtant, eundemque, ſed magis vividum atque illum in modum rubentem colorem obtinent, ut ipſam etiam cinnabarim ſuperarent, punctiſque candidis diſtinctæ, opus æmulantur ex puri ſſimo ære conſtans.

Hæ diverſæ muſcarum generationes, ex uno ſolo cadavere productæ, meam curioſitatem non explerunt, ſed inſtar ſtimuli mihi fuerunt ad tentandum nova experimenta: & in hunc finem apparatis ſex ciſtulis, ſine operculo, in primam miſi duos ex prædictis ſerpentibus, in ſecundam pullum majorem columbinum, in tertium duas carnis vitulinæ libras, in quartam fruſtum equinæ carnis ſatis magnum, in quintam caput, in ſextam cor vervecis, & omnia horarum viginti quatuor, aut paulo majore ſpatio vermes produxerunt: vermeſque, exactis à nativitate ſua quinque vel ſex diebus, more ſolito in ova tranſierunt: & ex ſerpentinis, coloris rubicundi, & cavitate carentibus, ſpatio dierum duodecim muſcæ natæ ſunt, aliæ coloris cærulei, aliæ violacei. Ex columbinis carnibus ova alia rubicunda prodierant, alia nigra: & ex rubicundis quidem ſub finem octidui muſcæ virides; ex nigris verò die decimo-quarto, rupto putamine, in ea ovi parte, ubi cavitas nulla eſt, totidem nigri culices albo colore undulati prodierunt: eodemque tempore ejuſdem generis culices prætextati ex ovis reliquarum carnium nati ſunt, hoc tamen diſcrimine, quod ex corde vervecis, præter prætextatum hoc genus culicum, nonnulli etiam coloris cærulei & violacei nati ſint.

Interim ranas aliquot fluminis, excoriatas, vaſe vitreo excepi, & vaſe minimè clauſo, ſequenti die cuncta recognoſcens, paucos numero vermes inveni, qui ranas depaſcebant, aliis in fundo vaſis, & aqua à carne ranarum deſtillata natantibus. Die ſequenti altero, vermes omnes increverant, natis interea infinitis aliis, qui in aquæ ſuperficie natantes, nonnunquam emergendo, ex reliquiis ranarum cibum capiebant, quibus bidui ſpatio abſumtis, natando & ludendo per fœtidum illum liquorem ferebantur, & quanquam molles & inquinati pedibus deſtituerentur, tamen attollentes ſeſe ſubſultabāt, & ſerpendo pro lubitu deſcendentes, ac circa vitrum delati aquas repetebant, tandem me non animadvertente factum eſt, ut ſubſequenti die illos in univerſum omnes

nes, ſuperatâ altitudine vitri, diffugiſſe viderem. Eo ipſo tempore piſces aliquot Arni fluminis, qui *Barbi* vocantur ciſtulæ perforatæ, cum operculo æquè perforato incluſi, eâque poſt quatuor horas apertâ, innumerabilem ſuper piſcibus vermium minutiſſimorum multitudinem, & circa juncturas ciſtulæ internas, ipſoſque adeò vermiculos affixam & conglomeratam tenuiſſimorum ovorum ſeriem deprehendi, quorum alia candida, alia crocea, cum unguibus tererentur, fracto putamine liquorem emittebant candicantem, albumine ovorum avium ſubtiliorem & nimis viſcoſum. Reſtituta in priorem ſtatum; & poſtero die apertâ ciſtulâ, vidi, ex ovis illis omnibus natos eſſe vermes, & vacua liquore putamina, eo quo generata erunt hærere loco, vermeſque illos, quos pridie ejus diei videram, duplo majores factos eſſe. Et quòd miraculi inſtar erat, ſequenti die in illam magnitudinem excreverunt, ut ſinguli ſeptem circiter grana penderent, cùm antea 25. aut 30. eorundem unius grani pondus non excederent; ſed reliqui ex ovis prodeuntes, minutiſſimi erant, & nictû, ut ita dicam, oculi, citiùs quicquid erat carnium in piſcibus devorabant, oſſibus illum in modum denudatis, ut totidem ſceleta eſſe, & ex diligentiſſimi totius Europæ Anatomici manibus prodiiſſe viderentur: & hi vermes, eo loco aſſervati, inde effugere, vel ſolicitè id quærentes, non poterant, exactis à nativitate eorundem quinque vel ſex diebus, more ſolito in totidem numero ova transformabantur, ex quibus poſtea determinato tempore muſcæ prodibant virides, culiceſque cærulei, & nigri alii, albo colore undulati: muſcæ item aliæ, locuſtis marinis & formicis alatis ſimiles, quales ſupra deſcripſimus. Præter hæc quatuor genera, octo, vel decem numero muſcas ordinarias vidi, quæ menſas noſtras circumvolitantes, bombum edunt. Et quia exacto uno ſupra vigeſimum die, animadverti, ovorum nigrorum aliqua nondum excluſa eſſe, diverſis illa vaſis ſeorſim excepi, & exacto bidui ſpatio culices prodibant nigri minutiſſimi, quorum numerus intra aliud biduum ita adaugebatur, ut numerum ovorum quàm longiſſimè ſuperaret. Quare aperto vaſe, & ruptis quinque, vel ſex ovis, eadem prædictorum culicum illum in modum plena inveni, ut unumquodque putamen minimum 25. vel 30. & ſæpiùs quadraginta culices contineret: continuatiſque multoties iſtiuſmodi experimentis, nunc carne cruda, vel cocta, tauri, cervi, aſini, bubali, leonis, tigridis, canis, hœdi, agni, damæ, leporis, cuniculi, ſoricis, vel gallinæ, galli Numidici, anſeris, anatis, coturnicis, perdicis, graculi, paſſeris, hirundinis, apodis, vel etiam varii generis piſcium, thunni, acipenſeris, piſcis gladii & lamiæ, ſoleæ, mugilis, lucii, tineæ, cancrorum marinorum, & fluviatilium, necnon muſculorum marinorum conchâ demptâ, ſemper indiſtinctè mihi nata eſt, modò hæc, modò illa ſpecies prædictarum muſcarum, & quandoque ex uno ſolo animali omne memoratum genus muſcarum ſimul, & multæ præterea oleæ generationes culicum, nigri coloris; quorum nonnulli uſque adeò minuti erunt ut oculis eos vix aſſequi poſſem: & ſuper ſemper his carnibus & ſuper his piſcibus, & circa foramina ciſtularum, non vermes modò vidi, ſed, ut ſuprà dictum eſt, ova etiam, ex quibus vermes naſcuntur. Atque hæc nova in memoriam mihi revocarunt ſtercora, quæ à muſcis ſuper carnibus & piſcibus excernuntur, ex quibus poſtea vermes naſcuntur, id quod optime notatum eſt à compilatoribus vocabularum Academiæ noſtræ; & pariter obſervatur à venatoribus in feris æſtivo tempore captis, nec non à macellariis, & mulierculis, quæ ut carnes per æſtatem ab his ſordibus conſervant, in muſcarium illas recondunt aut linteis candidis cooperiunt. Unde non ſine ratione Homerus, libro decimo nono Iliados, Achillem introducit, metuentem, ne dum vindictam in Hectorem pararet, muſcæ vermibus inficerent vulnera demortui Patrocli, δείδω inquit, cum Thetide loquens.

Δείδω μὴ μοι τόφρα Μενοιτίου ἄλκιμον υἱόν
Μῦαι καδδῦσαι κατὰ χαλκοτύπους ὠτειλάς
Εὐλὰς ἐγγείνωνται, ἀεικίσσωσι δὲ νεκρόν
Ἐκ δ' αἰὼν πέφαται, κατὰ δὲ χρέα πάντα σαπείη.

Id eſt,

Timeo, ne mihi interea Menœti fortem filium
Muſcæ ingreſſæ in impreſſa ære vulnera,
Vermes generent deturpentque cadaver:
(Vita autem adempta eſt) inque corpore omnia putreſcant.

Quare pia mater eidem promiſit, divinâ ſuâ potentiâ abacturam ſeſe ab illo cadavere importunum hoc muſcarum examen: & contra ordinem naturæ per integrum anni ſpatium illud incorruptum ſervaturum.

Τέκνον, μὴ τοι ταῦτα κατὰ φρεσὶ σῇσι μελόντων,
Τῷ μὲν ἐγὼ πειρήσω ἀλαλκεῖν ἄγρια φῦλα,
Μυίας αἵ ῥά τε φῶτας ἀρηϊφάτους κατέδουσιν.
Ἤν περ γὰρ κεῖταί γε τελεσφόρον εἰς ἐνιαυτόν,
Αἰεὶ τῷ δ' ἔσται χρὼς ἔμπεδος, ἢ καὶ ἀρείων

Id eſt,

Fili, ne hæc menti tuæ ſint curæ,
Ab hoc quidem ego conabor arcere improba examina,
Muſcas, quæ viros bello necatos comedunt:
Et ſi enim jaceret ſolidum per annum,
Semper huic erit corpus integrum, vel etiam melius.

Hinc dubitare cœpi, utrum omne hoc vermium in carne genus, ex ſolo muſcarum ſemine, an ex ipſis putrefactis carnibus oriretur: tantoque magis confirmabar in hoc meo dubio, quanto in omnibus generationibus, meâ operâ factis, ſæpius videram, in carnibus, antequam verminare inciperent, reſediſſe ejuſdem ſpeciei muſcas, cujus propago poſtea naſcebatur. Sed vana fuiſſet, nullo experimento firmata dubitatio. Quare medio menſe Julio, in lagenas quatuor, orificii amplioris, miſi ſerpentem unum, piſces aliquot fluviales, anguillas Arni fluminis quatuor, & fruſtum lactantis vitulinæ, occluſiſque poſtea, & optime obſignatis chartâ & funiculo orificiis, in lagenas qualque, tantundem prædictarum rerum demiſi, non occluſis orificiis, nec multùm temporis abiit, quin piſces & carnes horum vaſorum reliquæ verminare inciperent; muſcis, cùm luberet intrantibus & exeuntibus. At verò in lagenis occluſis nullum unquam vermem natum vidi, utut non unus menſis obierit, ex quo cadavera immiſta in eas erant. Nonnunquam tamen foris, in charta, excrementorum aliquid, vel vermiculus inveniebatur, qui omni conatû & ſolicitudine id agebat, ut inventâ aliquâ rimâ, intrare in lagenam, & victum ſibi quærere poſſet, omnibus quæ intus erant, jam putrefactis, & corruptis: piſcibuſque ipſis præter ſpinas, in aquam fæculentam & turbidam converſis, quæ ſenſim reſidens, tandem clara & limpida reddebatur, natantibus in ſuperficie quiduſdam pinguedinis liquefactæ guttis. Ex ſerpente etiam multum aquæ prodit, non diſſoluto cadavere, id quod ſervato eodem colore integrum & illæſum permanſit, haud ſecus ac ſi heri recens occluſum eſſet. Anguillæ contra minimum aquæ dabant: ſed intumeſcentes, & inflatæ, deperditâ ſenſim figurâ in maſſam quaſi glutinoſam, vel gluten ſatis tenax & viſcoſum abibant, At verò vitulina, per multas ſeptimanas arida permanſit & ſicca. Nec tamen hoc ſolo experimento contentus fui, ſed diverſis temporibus & vaſis infinita alia ejuſmodi experimenta ſumſi.

Et ne

Et ne quid intentatum prætermitterem, non ſemel aliquot fruſta carnis ſub terra ſepeliri & humo optimè contegi curavi, nullis unquam, poſt plurium ſeptimanarum in terra moram, generatis vermibus; cùm carnes reliquæ omnes, in quibus muſcæ deſederant, vermes produxiſſent. Et maximè dignum conſideratione eſt, quod inteſtina trium caporum, quæ menſe Junio in cucurbitam vitream, colli ſatis longi & aperti conjeceram, ibidem verminarint, & cùm vermes exire, propter nimiam altitudinem colli, non poſſent, recidentes in fundum cucurbitæ, & ibidem morientes, muſcis cibi & nidi loco fuerint, ubi non per omne modò ætatis tempus; ſed in exeuntem uſque Octobrem vermes produxerunt. Fuit etiam cum non exiguam vermium, in bubalina carne generatorum, copiam, necari, & partim in vaſe clauſo, partim in aperto ſeponi curarem: & in vaſe quidem clauſo nihil unquam generabatur: at verò in altero illo vermes naſcebantur, qui in ova tranſmutati, tandem in muſcas ordinarias abibant: Idemque prorſùs accidit, cæſis non minimâ copiâ muſcis ordinariis, eademque ratione ſepoſitis. Etenim in vaſe clauſo nihil unquam natum vidi; at verò in vaſe aperto vermes naſcebantur, ex quibus in ova tranſmutatis, muſcæ prodibant, ejuſdem cum illis ſpeciei, ex quibus nati erant vermes. Hinc facilè conjecturam capere poteris, doctiſſimum & quâvis laude digniſſimum P. Athanaſium Kircherum hallucinatum eſſe, cum libro duodecimo mundi ſubterranei experimentum proponit, generandi muſcas ex earundem cadaveribus. *Muſcarum cadavera*, inquit vir Doctiſſimus, *collige eaq; primus aquâ mellicâ nonnihil macerata ſupra laminam aneam impone deinde laminam chymico more ſupra cinerem aut arenam calore lento, carbonibus ſuppoſitis, aut etiam fimo equino tepefactum expone, & videbis primò microſcopii ope inſenſibiles quoſdam vermiculos naſci, deinde aliis aſſumptis ſenſibiliter in muſcillas & tandem ſenſim creſcentes in perfectas muſcas animari.*

Ego verò mihi perſuadeo, aquam mellitam tantùm inſervire alliciendis viventibus muſcis, ut his cadaveribus paſtæ, ſemen ſuum in illis relinquant: & parùm aut nihil referre puto, an vaſe æreo excepta cadavera, ad tepidum calorem cinereum admoveantur, necne. Etenim ſemper, & in omni loco ex cadaveribus vermes, ex vermibus muſcæ naſcentur; tantum ut à muſcis ipſis vermes, aut vermium ſemina generata ſint. Ego jam non capio, quomodo hi à Kirchero deſcripti ſubtiliſſimi vermes, in parvas muſcas convertantur, antequàm per aliquot dies in ova tranſierint: & multò minus capio (ingenuè confiteor ignorantiam meam) quomodo hæ muſcæ, cum uſque adeo exili corpore naſcantur, poſtea increſcant. Etenim omnes muſcæ, culices, & papiliones, ut millies vidi, eâ magnitudine ex ovis ſuis prodeunt, quam toto vitæ decurſu ſervant. Sed quam hoc ſolo experimento male conſiderato, muſcarum renatarum, ex cadaveribus muſcarum, gauderent, vel, ut ita dicam, ſeſe offerrent, qui ſuaviter ſibi perſuaſerunt, mediante fermentatione, vel quo alio ſimili, aut alieniore labore, ex carne humana poſſe reſuſcitari homines. In ea opinione ſum, maximi id illis fundamenti loco futurum, & ubi id glorioſè & jactanter enarraſſent, exclamaturos illos eſſe, Phœnicem fatentibus omnibus Philoſophis ex cineribus ſuis renaſci. Hinc fortè ad capiendum incredibile illud experimentum, à non uno hactenus tentatum, ſeſe compoſuiſſent, ſicut jam aurea nugatoriè loquentes audivi. Sed operæ pretium non eſt, ridiculas illorum nugas refutaſſe. Etenim, ut Martialis ait,

Turpe eſt difficiles habere nugas,
Et ſtultus labor eſt ineptiarum.

Idque tantò magis, quantò Celeberrimus P. Athanaſius Kircherus, libro undecimo Mundi ſubterranei, præclarè, & ſolidis rationibus refutavit ſtultitiam nugatoris Paracelſi, qui copiosè admodum docere voluit, ridiculam methodum, generandi homunciones, in vaſis Chimicorum. Magis me offendunt, qui altiſſimum fidei chriſtianæ, de corporum reſurrectione, myſterium, ex his & ſimilibus nugis atq; conjecturis æſtimant. Ex eorum numero Georgius Piſida, homo Græcus eſt, qui reſurrectionem corporum urget, adducto exemplo Phœnicis, & inclytus famâ, ac celeberrimus Dominus Digbi, exemplo cancrorum marinorum, qui ex ſuo ſale, chemicè præparato renaſcuntur. At ſancta illa, & profunda fidei noſtra myſteria, ab humano ingenio comprehendi non poſſunt, nec pari paſſu cum naturalibus cauſis ambulant, ſed ſpecialia & mirabilia opera Dei ſunt, quem ſi omnipotentem credimus, reliqua omnia facillimè, & clauſis oculis credi poſſunt & debent, & oculis clauſis credita meliùs intelliguntur.

Sed miſſâ hâc longâ digreſſione, ut ad propoſitum redeamus, neceſſum eſt, ut tibi dicam, quanquam ſufficienter mihi videbar quaſi manibus palpaſſe, ex carnibus animalium mortuorum, niſi ab aliis viventibus animalibus ſemen afferatur, nullos vermes generari, me tamen ut omnis tolleretur dubitatio, nec locus eſſet oppoſitioni, quam quis occaſione vaſorum occluſorum formare poterat, ac ſi aër ambiens nec intrare, nec exire, nec innovare ſeſe liberè poſſet, aliud experimentum tentandum duxiſſe. Miſi carnes & piſces in vas capaciſſimum, & ut aër eò penetrare poſſet, vas ipſum ſubtiliſſimo velo Neapolitano obſeratum, in arculam, arcendis muſcis aptam; & ejuſdem generis velo Neapolitano obductam, incluſi: nec tamen ſuper his carnibus, & ſuper his piſcibus, vel unicus vermis viſus eſt; non raro tamen plures in ſuperiore veli & arculæ facie circumvagari videbantur, qui odore carnium illecti, quandoque per ſubtiliſſima foramina expanſi veli in arculam penetrabant, & ſi quis ſegnior in eximendis illis fuiſſet, fortè in vas ipſum penetraſſent, tanto ſtudio & induſtria id agebant, ut per vim eò devenirent. Aliquandò obſervavi, duos vermes, poſtea quàm primùm velum feliciter tranſmiſerant, & jam in ſecundo, quo orificium vaſis occludebatur, hærerent, tanto niſu id egiſſe, ut jam dimidiâ parte corporis velum illud ſecundum pertranſierint, & parùm aberat, quin carnibus illis ſeſe expleviſſent. Et jucundiſſima res erat, interea vidiſſe, muſcas majores circumcirca volitando, & bombum edendo, per vices ſuper primo velo reſidere, ibidemque vermes deponere: & animadverti harum muſcarum aliquam ſex ſeptemve vermes ſingulis vicibus ibi reliquiſſe; aliam in aëre antequàm velum tetigiſſet, eos emiſiſſe. Atque hæ fortaſſis illius generis fuerunt, de quo Scaliger narrat; fortuitò ſibi eveniſſe, ut muſca major ab ipſo capta, eidem intra manum exiguos aliquot vermes relinqueret: & hinc ille argumentatur, muſcas generaliter omnes, non ova, ſed vermes generare viventes: ſed quàm egregiè Doctiſſimus ille vir falſus ſit, ex iis, quæ ſupra dicta ſunt, ſufficienter adparet. Et certè, muſcarum aliquot genera vivos vermes pariunt, reliquis nonniſi ova deponentibus; Cujus rei certiorem me fecit experientia, & factum ipſum. Nec me ullo modo convincit, magni alioqui ponderis, ſapientiſſimi patris honorati Fabri, ſocietatis Jeſu, teſtimonium, qui vir contrarium ejus quod Scaliger affirmabat, libro de generatione animalium: Nimirum muſcas ſemper ova, nunquam vermes parere; & fieri ſanè poteſt, (quod neque nego, neque affirmo) ut eadem muſcarum ſpecies, nonnunquam ova & aliquandò vermes producat; & quod natura ſua fortè ſemper ova parerent, niſi anni tempus calidius aliud in corpore produceret, vermes ſcilicet vivos & ſe moventes, ut millies vidi.

Fallitur ſimiliter accuratiſſimus Joh. Sperlingius, in ſua Zoologia ſcribens, hos vermes, non à muſcis ipſis generari, ſed ex ſtercore earundem naſci: & ut rationem red-

reddat, ſubjungit falſam hypotheſin : *Ratio hujus rei animis candidis obſcura eſſe nequit : muſca enim omnia liguriunt, verminumque materiam unà cum cibo ipſo aſſumunt, aſſumtamque per alvum reddunt.* Non obſervavit Sperlingius, id quod obſervare quivis poteſt, nimirum in muſcis ovarium in duas cellas diviſum eſſe, quarum unâ ova, excrementum alterâ continentur, ſed ita ut utraque per communem quendam canaliculum excernantur, atque incredibili copiâ: nonnullæ enim muſcæ virides uſque adeò fœcundæ ſunt, ut quælibet illarum ducenta ova reddere poſſit. Erravit itaque Sperlingius, credendo vermes muſcarum ex ſtercore earundem naſci, Sed cum Sperlingio fortè etiam erravit, Doctiſſimus P. Athanaſius Kircherus, qui opinionem fovet, à Sperlingii opinione non multùm diverſam. Nec minùs, quàm hi celeberrimi ſcriptores à vero abit, vir Doctiſſimus, & mihi chariſſimus, qui muſcam, telæ involutam ad quamvis aranei morſum vermem excernere videns, in eam devenit opinionem, morſum illam habere virtutem & potentiam ut corpora muſcarum verminare faciat. *Hactenus Rhedi de Inſectorum Generatione.*

Sequitur Inſectorum Diviſio generalis ex Charlet.

Inſecta Græcis ἔντομα, ſic dicti, quoniam eorum corpora inciſuris præcinguntur, aut parte tantùm ſupinâ, aut etiam pronâ.

Diſtinguntur generaliùs in Terreſtria & Aquatica, & utraque in Pedata, & Apoda.

E Pedatis rurſus alia ſunt Alata, alia Aptera, ſive non Alata.

Alata ſubdividuntur in Anelytra, ſive, Detectipennia membra nacta; & Coleoptera, ſive vaginipennia, quæ alas ſuas velut in vagina recondunt.

Inter Anelytra, alia favificant, alia non. *Atque hæc de Inſectis in genere tantùm.*

Poſtquam de Generatione Inſectorum ex Clariſſ. Rhedi hactenus egimus, ut & de eorundem diviſione generali ex Celeberr. Charletonô, jam ſpecialius de iis verba faceremus quatenus ad Medicos uſus faciunt; verùm hoc abundè perficitur ſub propriis eorundem nominibus, unde, colligi debent.

INSESSUS.

Sub Inſeſſus voce non tantum de eô in in ſpecie ſed etiam de Balneô, Semicupio & Lotionibus; quamvis de iis jam alibi.

Inſeſſus.

Inſeſſus eſt quaſi balneum ventris, partiumque infernarum. Fiunt ex decoctione herbarum, radicum, florum, ſeminum, quorum reſidentia ſacco imponitur, cui reſideat, æger. Utimur his in affectibus veſicæ, coli, uteri, ani, renum, ventris, ob ægri imbecillitatem, ob balneorum defectum. Horum autem alii ſunt adſtringentes, alij emollientes, alij aperientes; alij diſcutientes &c. de quibus in ſequent.

De Inſeſſionibus aſtringentibus.

Inſeſſus ad anum prolapſum.

℞ *Plantaginis m.j: roſarum rubr. m.ß.*

Decoquantur in aqua, cui chalybs antea extincta fuerit. *Andernacus.*

Inſeſſus ad nimium uteri fluorem, & ani hæmorrhoidas.

℞. *Plantaginis, polygoni, equiſeti, rubi foliorum ana m.j. roſarum p.iv. malicorij ℥ij. rad. ſymphyti ℥j. calycum glandium ʒj.*

Decoquantur in aqua chalybeata, fiatque inſeſſus. *Andernacus.*

Inſeſſus ad hæmorrhoidas.

℞. *Verbaſci, plantaginis ana m.j. flor. verbaſci p.j. ſem. lini ℥ij. cort. malorum punicorum, balauſtiorum, rhus obſoniorum, baccarum myrti ana ℥ß.*

In aqua & vino auſtero decoquantur ad inſeſſum. *Andernacus.*

Inſeſſus ad fluorem alvi.

℞. *Rad. biſtortæ, rad. conſolidæ major. ana ℥ij. nucum cupreſſi, nucum pini, cort. mali granati ana ℥ij. roſarum rubrarum, balauſtiorum, granorum myrti ana ℥jß.*

Decoquantur omnia in vino rubro aſtringente. *Rondeletius.*

Alius.

℞. *Plantaginis, Polygoni, burſæ paſtoris, equiſeti ana m.jß. aluminis rochæ ʒij. roſar. rubr. ana ℥jß.*

Decoquantur omnia ſimul in vino rubro, aut aqua chalybeata: deinde huic decocto inſideat æger. *Rondeletius.*

Inſeſſus ad alvi, uterique nimium fluorem, deſcenſum, hæmorrhoidas, exitum ani, aliaq; ejus vitia.

℞. *Fol. quercus m.v. roſar. rub. m.ij. gland. querc. ℥ij.*

Decoquantur in aqua pluviali, vel fontana. In decocta reſtinguatur chalybs, aut ferrum candens ter, vel ſæpiùs. Inſeſſus fiat mane ac veſperi. *Rulandus.*

De Inſeſſionibus emollientibus.

Inſeſſus ad teneſmum.

℞. *Malvæ, althææ, violariæ, verbaſci ana m.j. flor. verbaſci p.j. ſem. lini ℔ß.*

In horum decocto ex aqua, æger ad umbilicum uſque ſedeat. *Andernacus.*

Inſeſſus ad teneſmum alius.

℞. *Folia tapſi barbati m.iv. calculorum ſem, lini* ℔ß.

Fiat ex his in ſ.q. aquæ decoctio, & inſeſſus. *Ruland.*

De Inſeſſionibus aperientibus.

Inſeſſus ad menſtrua provocanda.

℞. *Arthemiſiæ, roriſmarini, thymi, marrubii, calaminthæ ana m.ij. ſabinæ m.j. fol. lauri p.iij. flor. roriſmarini, ſambuci ana p.ij. rad. cyperi ℥j. granorum juniperi contuſ. ℥jß.*

Omnia inciſa, ſacculoque condita, coquantur ex aqua fluviali, quanta ad inſeſſum requiritur. *Andernacus.*

Alius ad eadem.

℞. *Arthemiſiæ, ſalviæ, betonicæ, calaminthæ, origani, pulegii, chamæmeli, meliloti, hyperici, abrotani an. m.ß. rad. iridis. petroſelini ana ʒj. Coquantur pro inſeſſu.* Fuchſius.

Alius ad menſtrua provocanda.

℞. *Nepetæ, arthemiſiæ, thymi, ſalviæ ana m.j. fol. lauri, filicis ana m.ij flor. ſambuci p.j. rad. valerianæ, rad. apij rad. petroſelini, rad. fœniculi ana ℥ij.*

Ex his in aqua decoctis fiat inſeſſus, quo manè & veſperi ante cibum utendum eſt. *Andernacus.*

Alius ad menſtrua indurata, tumoreſque & dolores naturalium.

℞. *Fœnigræci, ſem. lini, pulegij arthem. cucumeris. ſylveſtr. rad. liliorum alb. fol. dendromalachæ ana q.ſ.*

Deco-

Decoquantur omnia in aqua, fiatq; inſeſſus, vel balneum ſimplex dulcis aquæ emolliens & humectans. Antea verò quàm utaris, alvus ſubduci, levarique veſica debet, nam his oppletis, & uterum, qui medius inter illa conſiſtit, prementibus, menſtrua nimia anguſtia cohibentur, tardanturque. *Andernacus.*

Inſeſſus ad menſes ciendos.

℞. Pulegij, ſabinæ āā m.vj. rad. aſari ℥iv.

In ſacculo incluſa coquantur ex aqua pluviali, vel fontana, quantam poſtulat inſeſſus. Utendum hoc ante cibum manè, ac veſperi tempore menſtruationis.

De Inſeſſionibus diſcutientibus.

Inſeſſus ad uteri inflammationes.

℞. Rutæ, pulegij, nepetæ, marrubij, thymi, arthemiſiæ, althææ, &c. ana q.ſ.

Decoquantur ad inſeſſum. Poſt hujus uſum, uterus oleo laurino, vel nardino, vel anethino inungatur. *Andernacus.*

Inſeſſus ad renes inflammatos.

℞. Malvæ, althææ ā m.iv. ſem. lini, fœnigræci ā ℥ij.

Decoquantur in aqua. Hæc poſtea vaſi ligneo altitudinis pedalis immittantur ad inſeſſum. *Andernacus.*

De Inſeſſionibus frangentibus calculum.

Inſeſſus ad calculoſos.

℞. Fragmentorum raparum, fragment. paſtinacæ, ſiſeris, chamomillæ, flor. verbaſci, betonicæ, prunellæ, aquilegii, rutæ murariæ, arthemiſiæ ana m.j.

Coquantur in aqua pluviali, quantum ad inſeſſum ſatis eſt. *Andernacus.*

Inſeſſus ad calculum.

℞. Saxifragiæ, œnanthes, helxines, malvæ, althææ ana m j. cicerum rub. ʒij. ſem. petroſelini, lini, fœniculi ana ʒjß.

Coquantur in aqua juſtæ quantitatis ad tertias pro inſeſſione. *Fuchſius.*

Alius ad calculum.

℞. Malvæ, althææ, chamomillæ, meliloti, parietariæ, ſcolopendrii ana m.ij. rad. malvæ ℔ß. rad. fœniculi, ſem. lini āā ℥iij. fœnigræci ℥ij. rubeæ tinctorum ℥j.

Inciſa omnia, ſacculoque lineo indita, ad inſeſſum coquantur. *Andernacus.*

Alius ad calculum.

℞. Radicis althææ ℥iv. fol. althææ, malvæ, parietariæ, āā m.ij. rad. nardi m.ß. origani, calamenthi, betonicæ, abrotani, arthemiſiæ, roriſmarini, petroſelini āā p.ij ſem. lini, fœnigræci, aniſi, fœniculi ana unc. ij. furfuris craſſi p. iv.

Sacculo indita ex aqua communi coquantur, quanta ad inſeſſum ſufficere poterit. *Andernacus.*

Inſeſſus ad arenam, renumque calculos.

℞. Raparum num. v. Naſturtij aquatici, polygoni ana m. iv.

Inciſa lineo ſacculo indantur, ac incoquantur aquæ, quantum ſatis eſt inſeſſui. Utatur æger tempore paroxyſmi, & ubi ingens urget dolor. *Rulandus.*

Inſeſſus ad veſicæ calculum & ſtranguriam.

℞. Raphani num. x.

Incidantur, ſacculo imponantur, aquæ quanta neceſſaria eſt, incoquantur, ut fiat inſeſſus, cujus frequens ſit uſus.

De Inſeſſionibus dolorem mitigantibus.

Inſeſſus ad dolores colicos mitigandos, curandoſque.

℞. Althææ, rutæ, majoranæ, arthemiſiæ ana m.ij. fol. lauri ℥ijß. ſeminis apij, aniſi, cumini ana ℥ij.

In aqua decoquantur, quanta ſolium dimidium repleat. *Andernacus.*

Inſeſſus ad colicam paſſionem, ventriſque torſiones.

℞. Florum chamomillæ, meliloti, anethi, ſem. lini ana m.ß. menthæ, calamenthi, abſinthij, pulegii, origani, cumini, granorum juniperi, baccarum lauri ana m.j. ſpicæ m ß. ſulphuris vivi ℥j. ſalis nitri ℥ß.

Sacculo indita coquantur in ſ. q. aquæ fluvialis ad tertias, ut fiat inſeſſus, quo utatur æger manè ac veſperi, &, ſi opus ſit, noctu ac ſæpiùs, donec ex toto remittat dolor. *Rulandus.*

Inſeſſus ad colicum & nephriticum dolorem.

℞. Origani, calaminthæ, anethi, chamomillæ, ſinonis, lauri ana m.iv. fœnigræci. ſem. carvi, cumini, aniſi, fœniculi ana ℥ij. baccarum lauri ℥ß.

Quòd ſi varij ſint affectus, eorumque cauſæ diverſæ, plura medicamenta inſtituto idonea adjicere licebit: ut, ſi emollitione opus ſit, folia malvæ, althææ, parietariæ, ac violarum addes. Sin autem inciſio quædam, aut meatuum apertio requiratur, radices aſparagi, ruſci, apij, adjungentur. Ad veſicam calculoſam eiſdem utendum, ita tamen ut ruta addatur. *Andernacus.*

Inſeſſus ad uteri dolores & præfocationes.

℞. Meliſſæ m. x pulegii m.iv. roriſmarini m.iij.

Coquantur in ſ.q. aquæ fontanæ. Uſus ejus eſt ante cibum manè atque veſperi. *Rulandus.*

De Balneis.

Balneum remedium eſt totius corporis. Horum alia alterant qualitate primâ vel ſecundâ de quibus in ſequentibus.

De Balneis excalefacientibus.

Balneum ad intemperiem frigidam.

℞. Pulegij, origani, hyſſopi, thymi, ſaturejæ ana m.j. ſalviæ, fol. lauri, roriſmarini, chamæpityos, Pyrethri ana mß.

Hæc, vel omnia, vel plura ex eis, in aqua fontana vel vino mixta coquantur, quanta ad balneum ſatis ſunt. *Andernacus.*

Balneum ad paralyticos.

℞. Baccarum Iuniperi contuſarum m. xv.

Decoquantur in aqua fluviali, quanta opus ſit ad lavacrum. In decocta aqua reſtinguatur ſepties chalybs candens, ac renovetur hoc modo tertio quoque die. Inſideat ægrotus in iſto balneo ad collum uſq; tot horis, quot ferre manè & veſperi quotidie poteſt. *Rul.*

Balneum ad contractos & convulſos.

℞. Sambuci m. xx.

Decoquantur (pro divitibus) in vino, pro pauperibus verò in aqua quantum ſufficit. Inſideant quotidie diutiùs in hoc lavacro, & poſt egreſſum, in calido lecto bene contecti ſtragulis ſudent diù multumque. Poſt ſudorem perungantur membra contracta iſto unguento.

℞. Pinguedinis taxi ℥iij. pinguedinis vulpis ℔j. maſticis ℥ß. euphorbij ʒij. piperis utriusque ʒx. vini boni menſ. ij. Fiat decoctio juxta artem. *Rulandus.*

De Balneis refrigerantibus.

Balneum ad intemperiem calidam.

℞. Flor. violarum, bugloſſæ ana p. iv. flor. nymphææ p. ij.

In aqua coquantur, quanta pro balneo ſufficit. *Rondeletius.*

Aliud.

℞. *Succi ſolatri, ſucci Cucurbitæ, ſucci melonum ana* ℔iv.

Miſce aquæ balnei, quanta pro balneo ſatis eſſe poteſt. *Rondeletius.*

Balneum pro hecticis.

In febribus hecticis conveniunt balnea ex aqua tepida, humectantia: quæ ut magis humectent, addimus libram unam olei violati: aut butyrum recens in prædicta aqua diſſolvimus, quod humiditatem aeream partibus externis infundit. Rondeletius.

Aliud pro hecticis.

℞. *Radicum Biſmalvæ* ℔ij. *malvæ, branchæ urſinæ, bugloſſæ cum rad. ana m.iv. flor. violarum, bugloſſæ, borraginis ana p.iv. roſarum rubr. p.ij.*

Humectantibus balneis admiſceantur decocta pedum vervecis, & inteſtinorum: quamvis illa ad remolliendum potiùs uſurpentur. *Rondeletius.*

De Balneis aſtringentibus.

Balneum ad juvandum conceptum.

℞. *Rad. valerianæ lib.iß. rad. cyperi, galangæ, rad. enulæ ana* ℥ij. *fol. lentiſci, arthemiſiæ, calamenthi, origani, lavendulæ, majoranæ, fol. lauri ana m.iv. ſummitatum lentiſci, myrti, cupreſſi ana m ij. ſem. ameos, lentiſci, fœniculi ana* ℥jß. *cort. mal. granat.* ℥ij. *aluminis* ʒij. *roſ. rub. ſtœchados, flor. ſampſuci ana p.iij.*

Coquantur omnia in ſufficienti aquæ quantitate, addendo vini rubri ſtyptici modicum: & utatur balneo. *Rondeletius.*

Balneum ad conceptum perutile, calefaciens & roborans uterum.

℞. *Arthemiſiæ, abſinthij, leviſtici, avenæ, granorum juniperi, origani, chamomillæ ana m.ij.*

Decoquantur hæc ſimul in aqua pluviali, quanta opus eſt. Inſideat in iſto balneo mulier ſterilis, ſtatim poſt fluxum menſtruorum quotidie bis, manè ſcilicet per horam, & tamdiu veſperi, idque continuet octo diebus, ac renovet tertio quoque die. *Rulandus.*

Balneum ad inflammationem, cùm fluxus adeſt.

℞. *Plantaginis, polygoni, fol. rub. ana m. iij. malicorij* ℥ij.

Coquantur in aqua, quantum ad balneum ſatis eſſe putas. *Andernacus.*

De Balneis emollientibus.

Balneum emolliens.

℞. *Malvæ cum radicibus, branchæ Urſinæ, violariæ ana m.iij. mercurialis, parietariæ, betæ ana m.ij. ſem. lini* ℥j. *flor. chamomillæ p.ij.*

Fiat decoctio pro balneo, in quo æger bis quotidie natet ad horam unam. Hoc balneum valet etiam in affectibus cutis cruſtoſis, ſquamoſis, ſiccis & ſqualidis. *Rondeletius.*

Balneum ad inflammationem & duritiem membrorum.

℞ *Malvæ domeſticæ, ſylveſtris, meliloti ana m.ij. ſeminis lini* ℥ij *fœnigræci* ℥ij.

Ex his in aqua coctis balneum paratur. *Andern.*

De Balneis aperientibus.

Balneum menſtrua provocans.

℞. *Rad. Ireos* ℔ß *galangæ craſſæ, rad. rubiæ majòr ana* ℥ij. *rad. althææ, cyclaminis an.* ℥iij. *arthemiſiæ, nepetæ, matricariæ, origani, mercurialis ana m.iv. pulegii, pſyllii, majoranæ, fol lauri an. m.ij. ſem. petroſelini, ſeſeleos, ameos, cinnamomi ana* ʒjß. *ſem. lini, fœnigræci an.* ℥iij. *flor. ſampſuci, anthos, ſtœchados, cicerum rub. ſabinæ an. p.iv.*

Coquantur omnia in duabus partibus aquæ, & una vini albi: deinde ſedeat in balneo, frequenter admovendo ventri inferiori plantas in prædicto balneo decoctas. *Rondeletius.*

De Balneis abſtergentibus.

Balneum primum, ad cutis affectus: hoc eſt, cruſtas & ſquamas duras emolliens, & detergens.

℞: *Malvæ cum rad. branchæ urſinæ, violariæ ana m.iv. mercurialis, parietariæ, betæ an. m.ij. ſem. lini* ℥j. *chamomillæ p. ij.*

Decoquantur pro balneo, in quo bis quotidie ſedeat ad horam unam. *Rondeletius.*

Balneum ſecundum, cutis affectus detergens & exiccans.

℞. *Rad. bryoniæ, lapathi acuti. cucumeris ſylveſtr. ari, ſerpentariæ ana* ℔j. *rad. aſphodeli, vel gentianæ, & ſquillæ* ℔ß. *ſaponariæ, parietariæ, abſinthij, ſcabioſæ, fumariæ, borraginis ana m.j. lupinorum, fabarum ana* ℥ß. *flor. centaurij min. p.iij. roſarum p.ij.*

Fiat decoctio pro balneo: de qua decoctione adde plus vel minus, pro morbi natura, vel corporis habitu & viribus, & diutiùs utatur. *Rondeletius.*

Balneum tertium, cutim detergens, ac leviter aſtringens ſeu corroborans.

℞. *Fol. myrti, vel fol. lentiſci, vel plantaginis, tapſi barbati, piloſellæ, hippuris, polygoni ana m. ij. roſarum part. xx. rad. iridis, biſtortæ, pentaphylli ana* ℥ij. *fiat decoctio: in qua diſſolve ſalis communis* ℔iij. *alum.* ℥iv.

Miſce, & fiat balneum tepidum, & ſpongiis novis detergatur diligenter. Ex lixivio etiam fieri poſſunt, modò non ſit nimis acre. Hoc autem balneo non utendum, niſi priùs materia per præcedentia balnea fuerit inſenſibiliter reſoluta, vel evacuata. *Rondeletius.*

Balneum ad majores cutis affectus.

℞. *Rad lapathi acuti,* ℔j *rad. enulæ* ℔ß. *fumariæ, lupinorum, borraginis, bugloſſæ, parietariæ, betæ, ſaponariæ ana m.iv. ſem. cucurbitæ, cucumeris, melonis, citrulli ā* ℥ij. *acetoſæ, lapathi acuti, lentiginis aquat. ā m ij.*

Miſce ſimul, & pro balneo decoquantur, in quo potes addere farinæ fabarum ℔ij. Sedeat in hoc balneo æger.

Aliud ad idem.

℞. *Rad. bryoniæ, cucumeris ſylveſtr. an.* ℔ß. *rad. aſphodeli* ℥iij. *rad. lapathi acuti, rad. enulæ an.* ℔ß. *mercurialis, betæ cum rad. ſaponariæ, parietariæ ā m.iij. lupinorum, fumariæ ā m. ij. ſem. raphani* ℥j. *ſem. melonum, citrulli. cucurbitæ, cucumeris ā* ℥jß. *lumbricorum per media diſſectorum n.iv. fol. ſenæ* ℥iij. *fol. borraginis. violarum, bugloſſæ ana p.iij.*

Reponantur omnia pro balneo, in quo diſſolve farinæ lupinorum, & ciceris rubr. an. ℔ß. fiat balneum, ut dictum eſt. *Rondeletius.*

Aliud ad præduram prætumidamque ſcabiem.

℞. *Rad. bryoniæ, cucumeris ſylveſtr. ana* ℥iij. *rad. althææ, rad. liliorum alb. rad. lapathi acuti āā* ℔iij. *rad. ſerpentariæ, haſtulæ regiæ āā* ℥ij. *malvæ, biſmalvæ, branchæ urſinæ an. m.iv. lupinorum fumariæ, lapathi acuti, ſaponariæ, acetoſæ, endiviæ, cichorij an. m.j. ſem. lini, fœnigræci ana* ℔j. *ſem. raphani* ℥j. *ſem cucurbitæ, melonum, citrulli, cucumeris ana* ℥j. *flor. chamomillæ, meliloti ana p. ij. flor. borraginis, bugloſſæ, nymphææ,*

hordei

hordei integri, Cicerum rubr. ana p. ij.

Miſce ſimul, & decoquantur in ſufficienti aquæ quantitate pro balneo, quo præſidio utimur ad diſcutiendam ſcabiem cruſtoſam & contumacem, & emolliend a tubercula elephanticorum, quibus tota cutis ſcatet. Poſt hoc balneum utendum erit tertio balneo, ſuperiùs deſcripto in cutis affectibus. *Rondeletius.*

Balneum ad morbum Gallicum.

℞. *Flor. chamomillæ, flor. meliloti ana* ℔j. *caudæ equinæ, lavendulæ, malvæ, ariſtolochiæ longæ, centaureæ ana m. iij fœnigræci p. iv. ligni guajaci, vel juniperini* ℔iij.

Bulliat in ſufficienti quantitate aquæ, ſecundùm artem, deinde coletur, uſuique ſervetur. Poſt egreſſum ſcabies abluatur mixtura præſcripta, ex oleo ligni, & aqua plantaginis facta. Et ſic æger ſanabitur, corpore priùs rectè purgato. *Rulandus.*

Balneum abſtergens, purgans, rarefaciens, digerens, pro leproſis.

℞. *Bryoniæ, cucumeris aſinini, Serpentariæ, enulæ ana* ℔ß. *cum radicibus, lepathi acuti, acetoſæ, borraginis, bugloſſæ, ſaponariæ ana m. iij. cum radicibus, fumariæ, lupulorum, endiviæ, cichorii, plantaginis ana m. iij. lupinorum, cort. fabarum, hordei integri ana p. ij. roſarum rubr. flor. nenupharis, trium flor. cordial. tamariſci ana m. iv. flor. chamomillæ, flor. meliloti ana m. ij.*

Fiat decoctio in aqua fontana & pluviali pro balneo, quod ingrediatur manè ventriculo vacuo. Bis aut ter in ſecunda vice ſumat tabellam unam Diamarg. frigid. ſuperbibendo ℥j. aquæ borraginis. Item à prandio ingrediatur longè à cibo. Continuis tribus diebus peragat idipſum.

Balneum ad ſcabiem, lepram, ulcera, & omnia cutis vitia, expertum.

℞. *Fol. Quercus, piſorum ana m. x. Coquantur in aqua fluviali q. ſ. In hoc balneo inſideat æger quotidiè manè & veſperi. Et quando egreditur, cutis infectiones penna in ſequenti mixtura intincta laventur, & per ſe ſiccentur:*

℞. *Aquæ plantaginis* ℔iß. *olei ligni guajaci* ℥ij.

Miſce. Ulcera verò Emplaſtro Diaſulphuris vinciantur. Hoc enim modo ſanavi omnem ſcabiem, ulcera quæcunque, ac lepram recentem, non ex parentibus contractam, cutiſque vitia cuncta. Renovandum eſt autem tertio quoque die, ut reliquæ artificiales balneæ. *Rulandus.*

Balneum Theophraſti Paracelſi, certò ſanans (ut ipſemet edoctus experientia teſtatur) omnes morbos chirurgicos, eoſque qui per cathartica, abſtinentiam, ſudationes, & balneas curari ſolent aut poſſunt.

℞. *Aluminis* ℔x. *ſalis* ℔xx. *Aceti ſtillatitii q. ſufficit.*

Commiſceantur ſimul optimè, ſtetque per quatuor dies in infuſione, poſtea decoquatur ad conſumptionem aceti. Cocta hæc maſſa, ſeu lapis, incoquatur in aqua pluviali, quanta ſufficit, quoad oleoſitas quædam appareat. Deinceps inſideat æger in hoc lavacro pro vulgari modo, & conſuetudine, nec ulla utatur medicina.

De Balneis Dolorem mitigantibus.

Balneum ad dolorem colicum.

℞. *Rad. althææ* ℔ij. *Mercurialis, violariæ, branchæ urſinæ ana m. j. origani, calamenthi, pulegii, rutæ ana m. iij. aniſi, fœniculi, petroſelini ana* ℔ß. *flor. anthos, ſampſuchi, ſtœchados, meliloti ana p. iij. cort. citri ſicc.* ʒij. *lavendulæ, flor. lauri ana m. iij.*

Decoquantur omnia in duabus partibus aquæ, & una vini. Quòd ſi vini Malvatici copia ſuppetit, illius modicum permiſceri poterit. *Rondeletius.*

Balneum ad dolorem nephriticum.

℞. *Rad. liliorum alb. biſmalvæ ana m. iv. parietariæ, ſaxifragiæ, petroſelini, fœniculi marini, fœnigræci ana m. ij. ſem. lini, fœnigræci ana* ℔ß. *milii ſolis* ℥j. *fol. ſiſymbrii, violariæ, borraginis, bugloſſæ ana p. iv. quibus addere potes, rad. raphani* ℥iij. *fol. ſenecionis m. ij. flor. chamomillæ, flor. ſambuci ana p. iiß.*

Decoquantur omnia in ſufficienti aquæ quantitate: deinde permiſceantur vini albi ℔iv. olei liliorum, & butyri ana ℔iij. paretur balneum, in quo ſedeat æger tantiſper, dum vehementibus doloribus torquetur. Quo uti poſt alias evacuationes eſt ſaluberrimum: & eo ipſo tempore, quo æger in balneo reſidet, potiones calculum frangentes exhiberi poſſunt. *Rondeletius.*

Balneum ad laſſitudinem.

℞. *Hyſſopi, origani, pulegii, thymi, ſatureja ana mß. ſalviæ, fol. lauri, roriſmarani, chamæpityos, pyrethri ana m. ß.*

Coquantur in aqua fontana, quanta ad balneum ſatis eſt. *Andernacus.*

Aliud balneum ad laſſitudinem.

℞. *Origani, pulegii, chamomillæ ana m. iij. ſalviæ, baccarum lauri ana m. ij.*

Coquantur in aqua, quanta opus eſt. *Rulandus.*

Balneum ad dolorem.

℞. *Raparum n. vj. rutæ m. v. ſalis m. iij.*

Incoquantur ſimul in aqua, quanta fuerit opus. Inſideat æger manè ac veſperi, ubi non adeſt inflammatio. *Rulandus.*

Balneum ad podagram, chiragram, & ſciaticam.

℞. *Salis* ℔ij. *aluminis* ℔j. *ſulphuris vivi* ℥ii. *baccarum lauri* ℔ß.

Bulliant ſimul in aquæ duobus ſextarijs. Atq; ex hoc unicuique balneo tertio quoq; die renovando infundatur portio à ℔ß. ad ℔j. Ac inſideat in hoc lavacro æger quotidie per horam, mane & veſperi. *Rulandus.*

De Lotionibus,

Partium quarundam fiunt ablutiones, quæ balnei vicem gerunt, videnturque balnea particularia. Unde Lotiones variæ de quibus in ſequent.

De Lotionibus capitis.

Lotio ad ſordes capitis auferendas.

Caput ad ſordes auferendas lixivio, ex cineribus ſarmentorum facto, lavatur, corpore recrementis vacuo, & manè ante cibum: ſic tamen, ut ſtatim caput abſtergatur linteis calidis, & exſiccetur: capilli ſi adſint, extricentur: non autem expectandum, donec caput, capillique per ſe exſiccentur. *Andernacus.*

Lotio ad ulcera.

In capitis ulceribus lixivijs deſiccantibus utimur, ut abrotani, betonicæ, &c. *Rondeletius.*

Lixivium ad Achoras.

℞. *Piſorum m. iv.*

Decoquantur in ſ. q. aquæ. Horum juri admiſceatur tantundem lixivii fortis: & facta ebullitione reſervetur uſui. Caput eo lavetur quotidie ante cibum, & mox ſiccetur. *Rulandus.*

Aliud ad pediculos.

℞. *Agarici* ℥ß. *Coquatur in lixivij dulcis* ℔iij. & ex ea irrige-

irrigetur, aut lavetur caput in dies. Si ulceratæ capitis partes illinantur parum oleo Balſami, commoriuntur uno dies omnes pediculi. *Idem.*

Lotio ad pediculos.

In pediculari morbo, amaris, ut lupinis, nitro, & fellibus, ſtaphide agria, & ad vermes occidendos, & furfures detergendos, & pilos tingendos. In furfuribus, detergentibus: ut melle, ſiccis herbarum amararum, aut herbis ipſis decoctis, ut cicla, parietaria, ſaponaria. *Rondeletius.*

Lotio ad tingendos capillos.

Capillis tingendis palea avenæ utimur, cortice & ligno berberis, & floribus geniſtæ, & hyperici. *Rondeletius.*

Lotio ad Alopeciam.

Ad Alopeciam fit ex alcyonio potentiſſimum lixivium, quod ſiccat & digerit potenter, & morbum curat. *Rondeletius.*

Lixivium ad melancholiam, inſaniam, ac vigilias.

℞. *Majoranæ, flor. betonicæ, Chamomillæ ana M.ß.*
Condantur ſacculo, & decoquantur in ſ. q. vini, quo crebrò lavetur caput. *Rulandus.*

Lixivium roborans cerebrum, nervos, oculos, ſenſuſque reliquos.

℞. *Fol. Senæ ℥j. roſarum rubr. p.j. lavendulæ p.j.*
Fiat ex his decoctio in ſ. q. aquæ; qua caput mane lavetur. *Rulandus.*

Lixivium ad cerebrum memoriamque juvandum.

℞. *Chamomillæ, Salviæ, origani, betonicæ ana M.j.*
Submittantur cineri in fundum, & lixivium ſuperfundatur, cum aqua pluviali: & pridie quàm caput lavetur, madeſcat in eo ſacculus lineus ex
Roſarum rubr. majoranæ, lavendulæ, roriſmarini, ſpicæ, betonicæ ana p.j. modicè inciſorum, agarici ʒij.
Inter lavandum ſapo odorus in pomi figuram (pomarium vocant) addatur. *Andernacus.*

Aliud lixivium ad frigidos affectus.

℞. *Salviæ, roriſmarini, origani, calaminthæ ana m.j. fol. lauri m.ß flor ſtœchados, heliochryſi ana p.j.*
Ex jure decocti caput irrigetur laveturque. *Andernacus.*

Aliud ad memoriam.

℞. *Majoranæ, roriſmarini, meliſſæ ana m.iß. fol. lauri m.j. flor. chamomillæ, flor. ſtœchados, pſeudonardi ſeu lavendulæ ana p.ij.*
Coquantur in lixivio, ſacculo condita horum jure caput, mane ante cibum, corpore purgato, lavetur: mox ſiccetur contegaturque. *Andernacus.*

Aliud ad deſtillationem ſiſtendam.

℞. *Majoranæ, betonicæ, meliſſæ ana p.j. flor. chamomillæ, ſtœchados, anthos, heliochryſi ana p.iij. nigellæ ʒij.*
Coquantur in lixivio ex bucci cinere, & hoc caput rurſum lavetur.

Lixivium ad aſthma, ſiccans & ſiſtens deſtillationes ex capite ad ſubjectas partes.

℞. *Salviæ, betonicæ, hyſſopi ana m.ß. flor. chamomillæ, roſarum rubr. granorum myrti contuſ. ana m.j.*
Bulliant in q. ſ. lixivij dulcis, condita ſacculo. Ex hoc caput ſingulis ſeptimanis lavetur, ſemel aut bis ante cibum. *Rulandus.*

Lixivium aquas ducens, quod in potu exhibetur.
℞. *Cinerum geniſtæ virgineæ, ſtipularum fabarum, Vitis albas uvas proferentis ana m.j. vini rhenenſis ℔iv.*
Ter cola per cineres: fiat lixivium: adjice
Nucem myriſticam n.j. cinnamomi ad ejus pondus, baccarum lauri n. vj. cymini, fœniculi, aniſi ana ʒij.
Craſſe contuſa ſint ſemina, & adjice ſacchari ℥iv. ter die de hoc lixivio bibat ſpacio menſtruo. *Leviathan Rabi.*

De Lotionibus axillarum.

Lotio ad axillas.

Axillæ abluuntur lixivio parato ex aſtringentibus, ut oleaſtro, lentiſco, additis quibuſdam odoratis conſtringentibus, ut roſis. *Rondeletius.*

De Lotionibus manuum.

Lotio ad manus.

Manus abluuntur aqua & ſapone odorato, vel aqua & medulla panis, vel aqua & furfure: additis quibuſdam odoratis, ut aqua roſarum, vel naphæ, vel oleo ſpicæ. Divitum verò manus abluuntur aqua, cui aqua roſata moſchata fuerit permixta.

Lotio ad manus tempore peſtis, præſervationis cauſa.

℞. *Rad. Angelicæ, zedoariæ ana ℥iß. caryophyllorum ʒij. calami aromatici vulgaris ℥ij.*
Omnia macerentur in ℔ß. aceti roſacei optimi, poſtquam craſſiuſcule erunt contuſa. *Johannes Bauhinus Junior.*

De Pedum Lotionibus.

Lotio ad ſomnum.

℞. *Malvarum, lactucæ ana m. ij. capitum papaverum alborum n. x. corticum radicum mandragoræ, fol. meliſſæ ana ℥ß. aquæ q. ſ.*
Fiat decoctio ad quintæ vel ſextæ partis conſumptionem. Addi poterunt flores nymphææ, meliloti: folia ſalicis, vitis, cucurbitæ, ſemen Anethi. *Heurnius.*

Lotio ad ſomnum ciendum in febribus.

℞. *Malvæ recentis, lactucæ, fol. cucumeris, cucurbitarum, violarum ana m j. flor. nenupharis, violarum ana p.j.*
Fiat decoctio, qua abluantur pedes, cùm ibit dormitum: nec tergantur, aut panno humido involvantur. *Rondeletius.*

Lotio pedum polychriſtos.

℞. *Chamomillæ, roſarum rubr. betonicæ, origani, ſalviæ, rutæ, aſari ana m.j.*
Condita ſacculo coquantur in lavacro pedum: ubi verò jam ſatis inferbuerint, ſextarius nitri, & ſalis p.j. addatur. Utitor in ſeptimana ſemel vel bis, mane aut veſperi ante cibum, vel etiam ante ſomnum, in uſum adhibeto. Capiti, pedibus, ſanguini, & omnibus nervis ſalubris, multos morbos alioqui futuros arcet. *Andernacus.*

Lotio ad podagram.

In multis uſitata podagricis valdè profuit. Lixivium ex fagi cineribus paratur, & ter aut quater colatur: deinde tantum vini admiſcetur: aluminis unc. ij. adduntur: omnia in fictili vitreato conjuncta calefiunt ad ignem, ſed ita ut non effervеſcant. Deinde transfunduntur in vas, in quo pedes conſiſtere poterunt: hi autem tam altè lavacro inſiſtent, ut aqua ſupra talos excedat. Extrahit humidam pituitæ materiam in articulis hærentem: quam deinde linteo puro abſterges. Tam calidum autem erit lavacrum, quàm pedes ferre poſſint: maneque & veſperi ante cibum adhiberi debet. Quin etiam cùm malum hoc acceſſionem minatur, & poſt ipſam utile eſſe poteſt, idque in

ſeptima-

ſeptimana quater aut quinquies: ne deterreat te, ſi pedes tumidos, rubenteſq; fieri conſpicias. *Andernacus.*

Lotio ad podagram, noſtra.

℞. *Roſarum rubr. balauſtiorum, flor. myrti, plantaginis, verbaſci, fol. lauri, origani, pulegii, calamenthi, ſalviæ, thymi, flor. roriſmarini ana m j. baccarum juniperi ℥iij. aluminis rochæ, ſalis communis ana ℥ij.*

Bulliant omnia in aqua ſufficienti, fiatque lotio. In hac immorandum ad horas duas vel tres. Continuetur autem triduum vel quatriduum manè ſtomacho jejuno.

Lotio pedum ad dolores, & podagram.

℞. *Salis m. iij.*

Decoquantur in ſufficienti quantitate aquæ: eaque utatur æger mane, ac veſperi ante cibum. Poſtea abſtergantur pedes linteo. *Rulandus.*

Alia ad laſſitudinem.

℞. *Origani, pulegii ana m. iß. ſalviæ m j.*

Decoquantur in aqua, quantum requiritur. Uſus ejus eſto ante ſomnum. *Idem.*

Alia ad fœtorem pedum.

℞. *Aluminis m j.*

Bulliat in ſufficienti quantitate aquæ: in qua uſque ad talos immittantur pedes manè atque veſperi, & diù multumque fricentur, laventurque. *Weckerus in Antidotariô.*

Insipidus Sapor, vid. ſub titulô *Sapor.*

INSOLATIO.

Calfactio eſt, *medicamentorum tam ſimplicium quàm compoſitorum præparationis quædam modus, quo ea ipſa non quidem coquuntur, aut uruntur, ſed moderatè calefiunt, vel in ſole, vel igne, vel rerum putridarum calore*, ut commodius percolentur, vel malaxentur, vel facilius & felicius exhibeantur. Sic medicamentum infuſum, antequàm percoletur, calefit, ut illius qualitas non modò tota in liquorem tranſmittatur, ſed ut liquor promptius permeet, & totus eliciatur. Clyſteres colico dolore laborantibus præſcripti, ſolent feliciter à Pharmacopœis paulò calidiores injici, modò non ſit à bile. febrientibus verò tepidiores, ne fervor magis incandeſcat, ſed miteſcat: Et vomiturientibus aqua tepida bibenda datur, ut naturæ motum adjuvet, humoriſque fiat ſurſum per os facilior excluſio. Cùm vix quidpiam actu frigidum debeat exhiberi, ſive topicum ſit remedium, vel intro ſumendum, ut & balnea, & ipſa linteamina, priuſquam ægrotis inſerviant, debent modicè calefieri. Multa quoque medicamenta calefactione indigent, ut facilius terantur, miſceantur, diſſolvantur, & percolentur.

Inſolatio calefactioni tam eſt finitima, ut altera alterius vicem facilè queat ſubire. Utraque enim eundem effectum pollicetur, & inſtar cujuſdam coctionis eſt: ut cùm circa caniculam, aut vigentibus cœli ſqualoribus, dies circiter quadraginta inſolatur hydromel, ut ſic magis concoctum vinoſum reddatur. Non tamen ea arte ſola fit vinoſum, ſed quod paratur ex libris quatuor aquæ fluviatilis & una mellis, tamdiuque coquitur ante inſolationem, donec ovum crudum ſupernatet.

Conſervæ recentes inſolantur, ut omnes earum partes ſimul fermententur, & humidior quædam materia diſcutiatur: maximè verò quæ ex foliis aut floribus frigidis paratæ, ad multum tempus debent aſſervari.

Scyllæ ſuccus, conſilio Gal. *cap. ult. lib. de puero epileptico*, elicitur inſolatione. Obſcuro tamen cœlo, igne extrahitur. Et quæ medicamenta inſolari hyemis conſtitutio denegat, eadem igne calefiunt per hyemem, ut æſtate per ſolem.

Olea multa ex infuſione florum, vel rerum aliarum permixtione parantur, inſolanturque diebus vel pluribus, vel paucioribus, pro infuſæ rei quantitate & viribus. Calidiora namque & ſicciora, aut nulla aut pauca egent inſolatione, frigida & humida diuturniore.

Par eſt ratio de aceto, variis floribus alterato, Roſaceum enim diutius debet inſolari, ſambucinum minus, & quod allia, mentham & vetonicæ garyophillatæ flores admittit. *Renodæus.*

Inspergere, vid. *Aſpergere.*

Inspissatio, vid. ſub titulô *ſolutio* cui opponitur.

INSTRUMENTA PHARMACEUTICA.

De *Inſtrumentis Pharmaceuticis* hic 1. in genere ex Clariſſ. Wedeliô; 2. de *Inſtrumentis Pharmaceuticis internis* & *menſtruis* in ſpecie ex Celeberr. Bohnio. 3. de Inſtrumentis *Pharmaceuticis externis* & propriè ſic dictis, furnis nimirum, vaſis, &c. ex Curioſiſſ. Barnerô & aliis quorum figuras itidem adducemus.

De Inſtrumentis Pharmaceuticis in genere.

Vetus dictum eſt: qui vult finem, velit etiam media ad finem ducentia. Cum ergò de fine generali & ſpeciali, ſub diſtinctis quatuor claſſibus, ſingulis velut συγκρίσεως & διακρίσεως adminiſtris & ſpeciebus, actum hactenus ſatis ſit; reſtat, ut de mediis quoque dicamus. Pro variâ verò mediorum & finis conſideratione etiam methodus diverſa exorta eſt. Cum enim finis chimiæ medicæ ſint medicaměta, media σύγκρισις & διάκρισις, modus duplex ſubjecti conſiderandi & tractandi duplicem quoque methodum peperit: (1.) *Syntheticam*, τὸ διότι quæ reſpicit magis, à mediis ad finem progrediěs. Hæc à priori tria regna in ſua principia ignis examine reſolvit, partes componentes eliciens, & quæ ex quibus quibus haberi poſſint docens, quali methodo in pharmacopœâ ſuâ uſus ěſt *Schröderus*. (2.) *Analyticam*, quæ τὸ ὅτι reſpiciens magis à fine ad media progreditur, & partes compoſitas magis ſcrutatur, ſeu à poſteriori effectus homogeneos, v.g. aquas, ſpiritus, magiſteria in certas claſſes digerit, quod obſervatū videas in pharmacopœâ Londinenſi, à *Zwœlffero* & aliis. Utrâque idem obtinetur finis; prior tamen ſpeculativa inquirit, quid poſſideant, altera practica magis, quæ poſſidere deprehenſum jam ſæpius eſt per experientiam, elicit & præparat, Media & finis ſunt eadem, modus diverſus.

Supponimus igitur hîc materiam, ex quâ medicamenta chimica & pharmaceutica ſint præparanda, eſſe vel vegetabilia, vel animalia, vel mineralia, ſingula in ſuâ latitudine.

Hinc facilè patet (1.) *pro diverſâ materiâ tractandâ, inſtrumentis aliis atque aliis opus eſſe.* Fidem hujus rei faciunt ſenſus, non poſſe obtineri finem citra opem inſtrumentorum; & hæc ipſa adæquata debere eſſe materiæ. Utut verò omne agens agat ſaltim ad modulum receptivitatis ſubjecti, eo ipſo tamen neceſſitas inſtrumentorum magis confirmatur. Ut in mechanicis limâ modò groſſiori, modò mediâ, modò ſubtiliſſimâ opus eſt, cultro item, ſerrâ & ſimilibus ad eundem modum; Sic etiam ſe hîc res habet. Unde qui inſtrumenta novit & materiam medicam, uſum quoque facilè noverit, omnes quippe ἐγχειρήσεις in applicatione inſtrumentorum debitâ conſiſtunt unicè. Ex quibus cognitio horum quàm neceſſaria ſit, ad oculum claret.

2. *Ad operandum opus eſt dirigente, tum totum, tum ignem, & excipiente.* Dubitari poſſet, quare nunc demū de his agatur, præmittendis potius reliquis omnibus, quæ huc uſque agitavimus; Enimverò coronidem imponere generali parti horum recenſione non inconſultum eſt, ne accinctis ad praxin & à theoriâ digreſſis

quicquam obſtet, vel deſit, aut deſiderari poſſit neceſſarium. Directore ergò harum rerum gnaro, medico puta, omnia probè ſuccedunt, modò ipſe his ſacris initiatus fuerit, nec infra dignitatem ſuam reputet hæc egiſſe. Vices hujus obit pharmacopœus, medici quidem miniſter, ſed, ſi dicere fas eſt, ſæpe in hoc peritior, unde ſi quidem non integrum fuerit medico illis operari vel occupari, ſaltim notitiam habeat oportet, ne fallatur. Sanè ſi ullibi, in hiſce falli pronum eſt, nuſquā magis fallendi promptior occaſio, adeò pleraque plena ſunt fallaciarum, quæ venum exponuntur cenſoribus ignaris. Cenſores perpetui debent eſſe medici, (quod nomen Veſpaſianus cum filijs, Tito & Domitiano, proprium & ſingulare ſibi eſſe voluit, teſtibus nūmis,) ne quid detrimenti inde capiat microcoſmus cujus imperator eſt. Dirigi debet totum artificium, totus proceſſus & ἐγχείρησις, ita ſaltim, ut norit ex effectu, quàm probè progreſſum fuerit. In ſpiritibus mineralibus, ne res exemplo careat, ſpiritu vitrioli nominatim, ♀ri, clyſſo, & aliis adeò invaluere fraudes, ut Argum agere ubivis neceſſum ſit; imò cœcus cœcum ſæpe ducit. Multum huc facit, ut in ſingulis ſpeciebus ratio ἐγχειρήσεως pateat, ut interfuerit fuco medicus, cæteroqui videns & audiens fallendus, unà cum iis quibus opem ferre ſatagit. Dirigi cumprimis ignis, ne præcipitando peſſum eat omne, nec cunctando, quod tamen reſpectivè melius eſt, metu inani an ignorantiâ, minus exhauriatur, quàm par eſt, mixtum, facilè utrobivis glauco nate oculis obducendo. Dirigendum inprimis negotium hoc in experimentādo; ſi ullibi enim in medicinâ, etiam hoc caſu ἡ πεῖρα σφαλερὴ, *experimentum periculoſum eſt*; ſeu in explorandis venenis, quæ ignores, ſeu in mixturâ nocivâ, quod contigit, qui pulverē pyrium ad hunc modum caſu invenit. Dirigens ignis etiā præcipuè ſunt furni, excipiēs vaſa ſunt, de quibus in ſequentibus. Opus verò eſſe directore medico, inter alia vel inde cognoſcere eſt, quod quædam ſe ipſa propellunt & deſtillant, quod in glaſti ſpiritu evaporante clariſſimum eſt; niſi ergò nares & ſenſus alios adhibeas, multa latebunt, quæ ſecus ſi fiat expromi poſſunt largiter, induſtrioſo ſτοχασμῷ & ratiocinio.

3. *Ignis corporum analyſta, & διακρίσεως ac συγκρίσεως primarius autor eſt.* Ἀνάλυσις reſolutio eſt & deſtructio corporum naturalium artificialis, ut quod primâ fronte non ſtatim motu proprio offerunt, hoc motore impulſa præſtent. Dubitari de hocce aſſerto cœptum eſt, & rationibus adſtrui poſſet dubium ſequentibus: (1.) *quod violēter aggrediatur obvia ſive oblata, nec tam reſolvat vel exporrigat contra mixtorum, quàm deſtruat & potius confundat.* Sed quis non videt, diſtinguendum eſſe inter ignem promiſcuè admiſſum, & refractè providâ curâ adminiſtratum ac modificatum, ut ſic agat. Deſtrui oportet omninò, quæ reſolvere eſt intentio, aliàs contradictio eſſet in adjecto, reſolvere & tamen non deſtruere compagem quamcunque. Si rectè miniſtres ignem, nulla oritur confuſio, ſed ſucceſſivè procedunt & ex debito omnia. Si rem exactius luſtremur, omnia elementa ſunt etiam deſtructoria corporum. Æmulantur menſtrua, quæ ſolvunt ſimilia; ſeu ex iiſdem, quibus conſtamus, etiam reſolvimur. Non negamus hinc in terrâ reſolvi teneriora, & in quæ jus obtinetur, corpora in pulverem, in aquâ in mucilaginem, in aëre in ichorem. Illud verò vel lento & paulatino fit gradu, vel potius inſufficienter. Igne & menſtruo omnis fit διάκρισις, igne tamen principaliter, menſtruo vices ignis humidi gerente. Nominandus ergò analyſtâ alius, ſi ignem menſtruum univerſale negaveris, nec muneri huic ferundo. (2.) *quod alia potius & nova entia producat, quæ prius non aderant.* Salia non ineſſe, non ſulphura, non alia, niſi igne ingenerentur atque ſic producta appareant. Verùm contradictio non minus eſt, agnoſcere in operationibus chimicis διάκρισιν & tamen novam generationem ſtatuminare vel fingere potius. Si enim διάκρισις eſt, non generatio eſt; ſi generatio nova, non διάκρισις, ſive ſeparatio. Quod ſi quæ alia afferantur his gemella, ejuſdē fuerint commatis, eâdem reſponſione digna. Nihil producit ignis, quod non alijs experimentis poſſit demonſtrari, unde rectè principia chimica ſtatuuntur duplicia, ut conſtitutiva, ſive à priori, quatenus κρᾶσιν mixti conſtituunt, quicquid etiam in contrarium afferatur; & à poſteriori, ut producta, prout beneficio chimicæ ἐγχειρήσεως hoc illud conceſſum fuerit indeque elicitum. Si ulterius dubitare lubeat, illud opponemus: Scepticos ubique reperiri poſſe.

4. *Ignis particulas mixti diſlocat, quietas in motum ciet, rarefacit, figit.* Sanè motor primus eſt, & ſine igne nil ἄξιον λόγου produci poteſt. Materiam aggreditur, & dum materiam reſolvit, particulas neceſſariò aliter locat, unde licet formaliter non inexiſteret prius oleum, ſal, tamen materialiter inhæret, unde non poteſt non à locatione ſive poſitu diverſo particularum alia figura, aliud & diverſum à priori ens quoad accidentia emergere. Laudari hîc meretur *Carteſius* ex *l. de meteor. cap. 3. §. 19. p. m. 225.* Palam liquet, *inquit,* producti hujus vel illius per ignem è mixto partes eaſdem eſſe, quæ antea mixtum compoſuere, ſed illas inter ſe colliſas & vi ignis agitatas, modò ex rigidis & inflexibilibus plicatiles, ex teretibus planas & ſecantes evadere, modò ex flexibilibus & plicatilibus in inflexiles & rigidas, modò ex fixis in volatiles, modò ex his in fixas &c. mutari, unde poſtmodum coloris, odoris & ſaporis diverſæ admodum manant differentiæ. Ubi obiter notamus, admittere eundem manifeſtò principia hæc chimica, ſed magis quoad ſtructuram figuratam ſpectata. Patet res per mechanicam. Dirutus paries, concuſſus lapis, diſciſſum plumbum aliam figuram extimam largitur, multò magis id hîc eveniet, ubi è centro ſuo diſlocantur. Nec valet illa objectio, ſi omnia in mixtis ex iterint, quæ inde prolici queant, etiam vitrum inextitiſſe, quod abſurdum eſt. Notandum enim, conſiderandum eſſe ignem in ſphærâ activitatis, & mixta in ſphærâ, ut ita loquar, paſſibilitatis ſuæ. Ex his duobus proportionatim habentibus terminus acquiritur, ſeu finis, quo obtento quieſcendum. Quod ſi verò ultra hanc ſphæram progrediar, non contentus prolectis, & fortiſſimo urgeam igne, tunc jam improportio eſt, & non tam fit ſeparatio amplius, quàm compoſitio. Sufficit tamen, quod noverim, id ipſum fieri à fuſione particularum terrearum cum ſalinis. Ignis quietas in motum ciet particulas, quietas vel quaſi non ſibi relinquit, ſed agitat, propellit, & à detinentibus alijs liberat, v.g. ſal volatile oſſium, craniorum &c. Ignis rarefacit, evaporationem præſtat, quæ rarefactio comes eſt perpetuus, & indicium manifeſtum, quæ rarefiant, illa etiam propelli, ac moveri, ſeparari. Hæc origo fuit chimiæ, hæc anima quaſi. Rarefacta enim, quæ rarefieri poſſunt, propelluntur, reliqua fixa remanent.

5. *Ignis viâ ſiccâ, ipſe tamen non unus, vires mixtorum exhibet.* Ignis quidem latius patet, cum aquâ tamen præcipuè ad hoc opus concurrit: ignis activus, aqua paſſiva eſt magis. Varios ignes conſiderare operæ pretium eſt tum ratione originis, tum graduum. Eſt enim (1.) *ignis ſolaris*, quem naturalem vocant, ad digerendum, calcinandum, rarefaciendum, fermentandum, & immutandum aptus. Depurat pinguedines, fermentat conſervas, immutat vinum in acetum, calcinat vitriolum inſenſibiliter, antimonium ſenſibili flammâ. (2.) *ignis intrinſecus*, ſive ab intrà forâs agens, qualis eſt vinaceorum, fimi equini, glaſti fermentantis & ſimiliū, qui itidem ſuos habet uſus, exaltandi, digerendi, ut & alio fine diſſipandi, & maturandi, ignis ſine igne exiſtens, & tamen effectus ignis conformes præſtans. (3.) *ignis frigidus*, quo tum menſtruum intelligi poteſt, tum

tum vis activa intrinſeca citra calorem, qualis eſt conſumendi vis in mercurio, tum per motum continuum blandum, lenem, ſive tritum præſtitus, qualem hodiè non pauci ad magnum opus magni æſtimant, ut & hoc ignis ſive trituræ genus ad omiſſa in chimiâ referatur. (4.) *ignis culinaris*, adminiſtratus vel lignis, non tamen ſemiputridis, quo de vid. *Lang l. 1. epiſt. 53. p. 274.* vel carbonibus probè exuſtis, potiſſimum ex lignis durioribus, faginis, vel, quod itidem tamen minus obtinet, carbonibus foſſilibus, quales Cygneam effodiuntur. (5.) *ignis mediatus* vel *immediatus*, *uvidus*, vel *ſiccus*, pro artificis variâ intentione, unde & artificialis audit, naturali perpetuo ſolari contradiſtinctus, licet, quod ſupra jam innuimus, formaliter ſive ſpecie non differat. De gradibus verò jam ſub deſtillatione diximus. Addimus tamen.

6. *Gradus ignis magis ex proportione mutuâ agentis ergâ patiens quàm aliunde æſtimandos.* Si dicere volumus quod res eſt, reverà quidem variis artificiis poſſumus determinare vel cognoſcere potius gradus, & manſiones graduum ignis, v. g. ratione ſtillicidii, vel ipſius totius evaporationis aliorumque; Genuinum tamen modum ex conditione tractandi ſubjecti perſpicere licet. Valet hîc quoque iſtud πολυθρύλλητον, propter quod unumquodque eſt tale, illud magis eſt tale. Ignis propter calcinanda, deſtillanda, digerenda impenditur, igitur major habenda ratio horum, quàm ignis ipſius. Volatilia, teneriora, laxioraque moderato motore egent; fixa, duriora, compactiora fortiori cuneo. Pro modulo ergò ſubjecti habeat ſua fata ignis oportet. Quæ primo gradu propelli fas eſt, ſi ſecundum attingant, non æquè votum ſatiant, & ſic in reliquis. Gradus videlicet ignis faciunt cumprimis & unicè pro determinando tempore proceſſûs cujuſcunque. Præſtat ignem gradatim accendi & ſic evolvi, quæ addecet, ad ductum naturæ ſenſim ſenſimque, ne præcipitetur propulſio, &, miſſis mediis, ab uno extremo ad alterum fiat progreſſus. Eſt enim & hîc ut alibi, & nominatim in morborum ætate, conſiderandum initium, augmentum, ſtatus & declinatio. Quæ ſi invertas, præpoſtera erit ἐγχείρησις, omnia verò iſta variant ad ſenſuum teſtimonium, pro evolutione, pro diſpoſitione ſubjectorum, quamvis hunc in finem & furni & operationes, quod hinc inde delibavimus, ipſæ modum dicant.

6. *Aqua viâ humidâ & veliſicatur expromendæ virtuti, & praeſt.* Prius præſtat cum igne actuali, hoc menſtrui titulo. Reverà enim, quod non ſemel diximus, ignis & menſtruum ſunt præcipua omnis operationis pharmaceuticæ ſubtilioris inſtrumenta. Pluribus verò modis cum id efficiat aqua, potiores videbimus impræſentiarum. Aqua (1.) *diluit* & diſtemperat, ut compage laxatâ evolvi poſſint utiles ac deſideratæ particulæ, ſicque diſcontinuatæ magis igni obtemperare, quod exemplo aquarum, gelatinarum & aliorum patere poteſt. (2.) Aqua *refrænat*. Aquam eſſe frænum ignis, extra dubium eſt. Refrænat ergò ipſum immediatè, ne impetu pleno aggredi mixta, ſed refractè ſaltim poſſit, ut in Balueo Mariæ vulgò dicto. Refrænat mediatè, diluendo ſulphur & partes terreas, ne empyreuma contrahere poſſint tam facilè, adeóque frænum eſt empyreumatis. Empyreuma ignis notat prædominium, & diluentis ac refrænantis humoris abſentiam; quando torrentur ultrà quàm par eſt objecta quæcunque. Hinc quod in viâ ſiccâ deſtillatis ſulphureis combuſtibilibus & quaſi talibus empyreuma eſt inevitabile, humidâ præcavetur quàm optimè, defenſo ſic ſulphure combuſtibili, ne odore ingrato empyreumatico, fumoſo combuſtóque, moleſta ſint. (3.) Aqua *miſcet*; miſcet ſalia & terram, impaſtat ac coadunit, ut coire, ut coagulari & aliis modis miſceri poſſint per intima. Exemplo ſint luta, globuli pro ſpiritu ſalis parando, aliáque. (4.) Aqua *ſolvit*, ut menſtruum univerſale & particulare, variis modis acuata, modò alcalibus, modò acidis falibus, modò ſpirituoſis moliminibus. (5.) Aqua *excipit*; excipit laxè & mediatè ſaltim olea deſtillata viâ humidâ, ut hoc vectore viam ſibi apparent ad exitum. Excipit ſtrictiori complexu & arctiori vapores fumoſos, ut in clyſſo & ſpiritibus acidis tantum acquiras aquæ vel ſpiritus, quantum affuderis ejuſdem. (6.) Aqua *vehit*, ſive vector eſt oleorũ, ſeu ſupernatent eadẽ, ut æthereæ magis, ſive ſaltim provolvantur aliàs fundum petentia. Vehit & ſolvit ſpiritus, unde rectificatione indigent.

7. *Aër igni vitam, rarefactionem aquæ diſpenſans, utrique obſtetricatur.* Aër ignis velut externum eſt pabulum, ut ſi aërem demas, vitam demas, unde neceſſum eſt eundem extingui; hinc aër unicè ignem ſuſtinet, ut ſpiraculis his flammam producere queat. Hinc tantum virium habet ignis, quantum libertatis permittit aër: quò liberius eventatur ignis, eo fortior eſt, & contrà. Producitur idem & in minimo, ſive in compendio durabilis redditur, aëris artificio, intenditur idem follis miniſterio. Totum igitur artificium graduum adminiſtrandorum ignis conſiſtit in admiſſione aëris majori, vel minori. Unà verò aër rarefactionem largitur aquæ & omnibus liquoribus, explicitis vel implicitis, quæ ratio eſt, quare non debeant vaſa, retortæ, cucurbitæ, veſicæ ad plenum recipere materiam quamcunque, ut ſpatium conveniens ſit pro rarefactione & evaporatione; ſecus enim ſi fiat, præſertim in paulô volatilioribus, vel ignis ſubdatur ab initio ſtatim fortior, v. g. in deſtillando oleo aniſi, aquarum &c. confertim & cùm impetu confuſaneus liquor tranſilit alembicum. Unde & dulcibus & magis ſpumaſcentibus aliud frænum poni debet. Cumque inſtar regulæ calor dilatet aërem, frigus concentret eundem, tanquam rarefactionis omnis πρῶτον δεκτικόν, facile & dicta illuſtrari queunt & intelligi, quomodo aër frigidus pro aſſervandis aquis, pro mitigando empyreumate, & aliis præſtandis uſibus inſerviat.

8. *Aer volatilia depopulatur fixa adauget.* Vagum & ſummè mobile corpus eſt aer, continuâ calidi & frigidi, humidi ac ſicci reciprocatione gaudens, ſimulque gravitate imò preſſurâ ſuâ poris ſe inſinuans. Tanta eſt atomorum harum ſubtilis mutatio, ut ſenſus quoque fugiat, facilè tamen in macrocoſmo deprehendatur motu maris æſtuoſo, in animalibus brutis, vel ipſis gallis teſtibus, & aliàs, præcipuè in thermometris, in mercurio aliiſque. Imò & in microcoſmo à poſteriori id evidens eſt, ſeu ab affectu in præſagis tempeſtatis doloribus, ſero extra ſuam ſphæram vitalem ad ductum humidi macrocoſmici compoſito, in pollutione nocturnâ, epilepſiâ, ſæpe ipſo ſolo momento quadrarum ☽æ mutatarum irruente, ut taceam menſes in fœminis, ſeroſioribus viris, ſtatum etiam lunæ ductum, licet ad archeum uteri variantem, ſequentes, ut alias videas in novilunio, alias in plenilunio, alias in reliquis quadraturis id pati, ſicciores verò exemptas penitus. Depopulatur humidum, ſi ipſe careat moleculis liquidis, aqueis, unde quod invenit citra reſiſtentiam, promptiſſimè recipit, imò furatur & abripit, uti exiccat plantas, calcinat vitriolum, ejuſque & aluminis mineras, evocato humido concidentia, & colore aliiſque accidentibus maniſeſto immutata. Depopulatur humidum ſpirituoſum, naturæ diſſipabilis magis, unde licet optimè deligatis orificiis exſpirant ſenſim ſenſimque & imminuuntur particulæ, exemplo ſpiritus vini & cum eo paratarum eſſentiarum. Videas idem quoque in vino, quod hinc, niſi in cadis ſuis continuò defectum ſuppleas, facilè ſitum concipit, confeſtim extirpandum affuſione ſpiritus vini momento. Depopulatur ſalia volatilia & ſpiritus ſale volatili fœtos, ut vix ſatis defendi illa ab aëre, præterquam cerâ ſimplici & operculis vitreis, arctiori complexu arcentibus aerem, poſſint. Hinc ad volatiliſanda ſalia, ſive ſalia volatilia acquirenda aëris quoque ſua vis eſt. Fixa verò adauget aër; adauget fixa alcalina, calcinatione vacua ab humido reddita, quatenus inſinuando

nuando

nuando ſe cum particulis ſuis aqueis, quibus perpetuo gaudet, perdit eaſdem gratiori hoſpitio & fixiori receptas. Adauget fixa alcalia, deliquando eadem, modò vitro patulo detur acceſſus, exemplo olei ſalis tartari per deliquium & ſimilium. Adauget fixa acida, vel incorporando eadem, ut in ſpiritu ſulphuris campanato videre eſt, melius parabili aëre humido, denſoque, unde cellam eligunt quidam; vel ſolvendo & deliquando, exemplo liquoris martialis. Recenſebimus hujus rei duo exempla egregia. Mediante alcali quidem adaucti exemplo ſit liquor cryſtalli multiplicabilis, quem deſcribit *Poterius Pharmac. Spagyr l. 2. c. 23 p. m* 488. Alcohol cryſtalli medio, *inquit*, (eſt verò alcohol pulvis cryſtalli calcinatæ, ſeu ignitæ bis, ter, quater, & in aqua extinctæ, hinc lævigatæ) oleum fit mirabile, quod quidem vi pollet vegetabili, augetur enim ſenſim vegetabilium in morem, adeò ut uncia una intra menſem vel ſeſquimenſem alteram unciam dederit, contrà omnium liquorum naturam, qui ab ambiente continuo abſumuntur, hoc contrà augetur mole & pondere. Tribuit verbis ſequentibus id ſubſtantiæ cuidam famelicæ, ejuſce ſalium ordini peculiari. Parari eundem beneficio ſulphuris idem memorat *l. 2. c. 11. p. m.* 432. ubi oleum vocat multiplicabile, & de uſu agit. Acidi per ſe adaucti exemplo ſit oleum vitrioli, quod aſſervatum, etiam clauſo cum cerâ vitro firmiori, ſucceſſu temporis vidimus ita increviſſe & intumuiſſe, ut oras tranſcenderit & jam priori ſpatio nullo modo contineri queat, aliquot annorum decurſu obſervatâ illâ curioſitate. Utroque igitur modo operationibus pharmaceuticis per multum confert, magis tamen ſecundariò, igne actuali & potentiali, ſive menſtruo, principatum tenente, quibus omnia fiunt primariò, reliquis adæquatè.

9. *Terra operationibus per ignem faciendis modò corpus præbet, modò hoſpitium.* Corpus præbet, & fundamentum rarefactionis ſalium, quatenus eadem diſſociat, atque ſic in fluorem adigit. Vices hujus tenent bolus communis, armena, ſigillata, ſi quis pretioſius operari, licet fruſtrà, velit; item alumen uſtum, caput mortuum à ſpiritu ſalis reſiduum. Ita enim hactenus uſitatò conſuevere fieri ſpiritus acidi, excepto vitrioli, qui penes ſe illud corpus habet in ochrâ, ut ſuo loco diximus; donec curioſior modus innoteſcat, ſpiritum è mineralibus, nempe ▽am fortem, ſpiritum nitri, vitrioli deſtillari poſſe ſine recipientibus, quæ ſæpe franguntur, ſed ſolo vitro unius menſuræ noſtratis, beneficio materiæ cujuſdam haud peregrinæ, quæ ſpiritui adimit fluxum, ut ita reſidere cogatur, id quod in *Act. Haffn. Vol. 2. obſ.* 133 *p.* 355. memoratur inventum. Præbet corpus etiam quandóque liquoribus, uti fit ex terrâ ſigillatâ & ſpiritu vitrioli liquor ſtypticus Michaëlis, ex ſpiritu ſalis & calce vivâ liquor nephriticus quorundam. Præbet hoſpitium vaſis, ſive arena, quod cõmuniſſimum eſt, ſive cineres vel limatura ferri ipſi ſubſtituantur, quod tamen hodie ferè exolevit. Notabile verò eſt à quibuſdam aſſertum, ſucceſſu temporis arenas catinorum acidas reddi, quo acorem ignis quoque ſimul ſtabilire ſatagunt; verùm ſi id fit, potius ſpiritui terræ ſic evoluto adſcripſerim, de acido participante, ſive, ut non rarò fit, effuſis vel fractis quoque vitris.

10. *Præter inſtrumenta generalia, ſpecialia mechanica ancillantur operationibus ſingulis.* Ad apparandum reliqua & præparanda ſpeciatim faciunt mortaria, contuſioni & mixturæ debita, cavendo, ne particulæ æneæ miſceantur durioribus unde cryſtallus liquorem viridem exhibet, juxta nonnullos, non ex ſe, ſed à miculis venereis inter pulveriſandum remixtis. Hinc eligi & hîc poſſunt diverſa, lapidea quoque minora ad diſpenſandum inſerviunt; plumbea pro emplaſtris & unguentis ſaturninis. Conchæ ad terendum & miſcendum, *Glaß-ſchalen*, cribrum & ſetaceum ad pulveres, aliquando & pultes tranſcernendos, circuli ferrei ad ſcindenda vitra, prius candefacti, faciunt, variâ magnitudine, cujus rei ratio eſt incaleſcentia vitri reſpectu totius inæqualis, reſpectu circuli æqualis, unde, inſtar regulæ, omnis calor improportionatus & inæqualiter adminiſtratus rumpit vitra, ſicuti æqualiter, puta quoad totum & ſucceſſivè admiſſum benè ferunt, & funduntur potius ac ſubſident, ut in cinnabari antimonii quandóque fit, quàm rumpuntur. Eadem ratio eſt filorum ſulphuratorum obductorum & accenſorum, item funiculi linei mollioris accenſi, proſequendo & dirigendo ſic fiſſuram. Hinc etiam nocet potius quàm promovet ſciſſuram accuratam aquæ frigidæ adſperſio, vel vitri in aquam intruſio urplurimum, quia ſic major inæqualitas inducitur, unde fiſſuræ laterales plures eveniunt. Serræ, limæ, cultrorum uſus notus eſt, ad raſuram, limaturam, conciſionem. Marmor ad lævigandum, baculus ferreus ad ſuſtinendas retortas vel catinos, ſpatula ad diſpenſandum & miſcendum, forfex ad plures uſus faciunt, ut & alia plura. Forceps ad carbones & alia ignita apprehendenda, rutabulum *Ruhrhacke*, ad cineres purgandos: cochlear ferreum ad ingerendam materiam ſucceſſivè; uncus verſorius ad carbones ſubigendos. Tacemus prælum ad exprimenda olea, comprimendas paſtas v. g. cydoniorum, ollas, ampullas vitreas & figulinas, capſulas, excutiam, malleum, dioptram, ſeu inſtrumentum ligneum quadratum pertuſum pro oculis defendendis ab igne, ſicuti per chartam acu pertuſam obſervamus ſolem, ne lucido excellenti viſus lædatur &c. Hæc ut præparationi inſerviunt; ſic

11. *Deſtillationi rarefactionem humidâ & ſiccâ viâ moderantia præſunt.* Deſtillationi propria ſunt veſica, de cupreo vaſe prædicari ſolita, majori & minori, ad deſtillationem aquarum, & ſpiritus vini, quod in vulgus abiit, ſiquidem vaſa hæc igni magis reſiſtere apta nata ſunt. Par ratio eſt oleorum, ſi quidem aquæ commercio parantur. Cucurbitæ de vitreis magis prædicantur, majoribus vel minoribus, inprimis pro ſpiritibus ſeu deſtillandis, ſeu rectificandis, uti & pro abſtractione omni in genere. Alembici ut exceptoria ſunt vaſa, ſic ſtannei, cuprei & præcipuè vitrei eſſe conſueverunt, commodo mechanico conſilio, ſiquidem rotundiori ſuo fornice quæcunque deſtillata humida excipiunt, reflectunt, & ad recipiens vas diſpenſant, ut adeò omnis deſtillandi & operandi in humidis occaſio potiſſimum in alembico locetur. De hujus ſignificatione ulterius videri poteſt *Conringius l. de Hermet. Med. p. m* 371. *Zwinger. exam. princip. chim. p.* 88 Juxta nonnullos *Plinio* calix eſt dictus. Roſtratus eſt communiter ad deſtillandum, ad digerendum etiam quandóque, licet rarius, cœcus nominatur, qui roſtro caret. Aludel verò audit alembicus continuatus & in altum productus. in ſublimatione tantum uſitatus. Horum vicem in deſtillationibus præſtat productior celſiori apice alembicus, ad rectificationem ſpiritus vini in Belgio potiſſimum uſitatus. Quod verò veſica eſt in metallicorum, cupri inprimis, genere, ſtanneæ enim cucurbitæ dantur quoque; id cucurbita eſt in vitreorum genere, pro differentiâ magnitudinis, minor, mediocris & media, ut cucurbita elatior vulgo audit *eine Herrenkolbe.* Nonnunquam etiam ſeſſilis in uſu eſt, baſi planâ non rotundâ quæ menſæ vel alteri loco impoſita firmo ſic ſtat talo, citra adminiculum aliud, ſicuti tum huic, tum aliis uſibus ſimilibus coronæ ſtramineæ conducunt. Phiolæ etiam huc ſpectant, latius aliquando pro cucurbitâ acceptæ, propriè tamen quæ ex globo in canalem oblongum & æqualem exeunt. Retortæ vitreæ, terreæ, aliquando & ferreæ, pro diverſitate ſubjectorum & ignis violentiâ officium faciunt; aliæ ſimplices, aliæ tubulatæ, & pro lubitu artificis aliæ. Collum productius etiam, *Anſtoß*, in terreis præprimis ex uſu eſt. Receptacula liquorem deſtillandum excipiunt, optima quidem vitrea, ſi quidem ex puriori metallo, ut vocant, producta fuerint: oculis enim exhibent ἐγχείρησιν, ſatis capaciâ requiſita; *Vorlagen.* Campanæ ad ſpiritum ſulphuris parandum ferè inſerviunt, gas ejuſdem ſic concentrato & beneficio atomorum aquearum corporefacto. Singula in magnitudine variant, pro operationis modulo, unde & cucurbitulæ minores pro ſolvendis metallis, pro ſubli-

matione

matione cinnabaris & aliis inſerviunt. Tacemus vitra hypocleptica, *Scheidetrichter*, quæ tritoria ſunt longiora & attenuata in fine, pro ſeparandis oleis ab aquâ, & ſimilia hinc inde memorata.

12. *Solutioni ſolventia, præcipitantia, ſeparantia & adſervantia velificantur. Solventia* ſunt menſtrua, quæ etiam ſibi oppoſita ſunt præcipitantia. Quæ internoſſe & ad manus præcipuè habere oportet polychreſta, ex ſpirituoſis ∀, qui inſtar omnium eſt, præcipuè tartariſatus, & cum vel ſine igne rectificatus ac dephlegmatus; cui omnes eſſentiæ, tincturæ, extracta ſuam debent originem. Ex ſalinorum claſſe ſal ♀ri, & huic analogum ac ſuccedaneum cineres clavellati, unde & plurima conſurgunt medicamenta, quæ ſal hoc largitur ipſum & ex aliis miniſtrat. Ex acidis acetum deſtillatum, ad extracta, tincturas, magiſteria, ſolutiones proficuum, inprimis etiam ad figendum, præcipitandum, immutandum; ſpiritus vitrioli & ſalis ad acuendum, ſolvendum, præcipitandum. Hæc juvantis velut univerſalis titulum ſuſtinent. Tacemus menſtrua aquea, aquam ſimplicem, maximè & hîc polychreſtam, & horummet ampliſſimum uſum ad ipſas deſtillationes, calcinationes, præparationes. *Separantia* ſunt filtra chartacea, ex chartâ putiori, typis excipiendis dicata, paratâ, formâ ex pyramidali rotundâ. Reverà enim nil aliud ſunt filtra ſimplicia & duplicia, quàm tritorium dimittens, ut poros ejus tranſeant liquida tenuiora à liquidis ſpiſſioribus, ut in oleo ♀ri, & ſolidis, à calcinatis, ♁tis, edulcatis. Et ipſa TRm retinent, preſſione ſuâ ſubinde particulis aliis alias protrudentibus. Lintea filtra quoq; commoda ſunt ad dimittendum & exprimendum, ut in extractis aloës, opii, tinct. bezoard. & aliis. Certum enim eſt & ratum, longè efficaciora ſic reddi extracta, quàm ſimplici decantatione, i. e. defuſione, vel filtratione, M. H. Suſtinent hæc tritoria vitrea, ferrea laminata, imò & corbes aliquando. *Adſervantia* vitra præcipuè ſunt, pro coctione, ſive ſolutione cum igne, latiora, pro extractione & digeſtione anguſtioris orificii. Hinc cucurbitæ minimæ ad ſolutiones ☉i, ☽æ, & ad extrahendas tincturas aliæ faciunt. Hinc etiam tincturæ commodius extrahuntur in vitreis lagenis, firmato probè orificio, v. g. eſſentia ♉ij & ſimiles, ut non aufugere in auras particulæ ſubtiliores tam poſſint, & calore circulari liquor melius queat. Et eodem artificio ad emollienda oſſa & ea præſtanda hodiè utuntur, quæ eodem compendio hactenus fieri non potuere. Concluſam illam vocabimus digeſtionem & humidam, ad uſum domeſticum & medicum. Neque id adeò tamen novum eſt, ſed mulierculis noſtris conſuetum, ad paranda juſcula analeptica ex gallinis, in lagenâ coctione inſtitutâ. Nec aliud indigitarunt ſuperioris ætatis chimici per pelicanum ſuum, hodiè exoletum ferè, quàm circulationem centralem.

13. *Calcinationi firmius ignem ſuſtinentia & fuſa excipientia auxiliantur.* Quæ enim ſolâ accenſione deflagrant, concidunt in cineres. Quæ verò intimius calcinari vel fundi debent, vaſe opus habent firmiori & minus poroſo, quale eſt crucibulum. Elegans eſt conſideratio horum, quoad poros. Non ſuſtinent pori hi aquam & liquida, ſed promptius dimittunt, (unde pro evaporatione aliis utimur, latioribus & firmioribus, terreis vaſis, vel metallicis ferreis potius,) atque inter abſurda pharmaceutica referri poteſt, ſi quis ▽m coquere in ✚lo velit. Suſtinent verò optimè liquefacta, ut nitrum fuſum per ſe & cum aliis, ut metalla & mineralia fuſa. Ex quo experimento efficitur, aliam eſſe longè horum conformationem quoad poros; ſunt enim liquores hi fuſi, ſeu liquores ad ignem, magis viſcidi, ſive particulis æqualibus reſpectivè præditi, unde non ſubeunt poros ✚li æquè, ſaltim nõ tam intimè, propulſante ſimul igne & defendente. Et tamen, quod itidem mireris, ſi relinquantur ſalia fuſa prius in ✚lo, efflorеſcunt per poros particulæ ſalinæ, modò humidi acceſſerit pars. Optima in Germaniâ ſunt crucibula Haſſiaca, quæ miſy ſimul ingreditur, non facilè in igne fiſſuras acquirentia. Aliam verò itidem configurationem pororum obtinent catilli cinerei, & teſta, *Treibſcherben*, quorum omnium definitionem *Harmannus* & *Rhenanus* tradunt. Notabile tamen eſt, quod quidam afferunt & ſatis probabiliter, metallica corpora poſſe ſe inſinuare crucibuli poris, cui probando pondus crucibuli inſervire poteſt. Obtinuimus aliquando inter mira alia, quæ ſubinde ad ignem occupatis obveniunt, ex calcinato, in crucibulo antea uſurpato, capite mortuo tartari pro ſale parando, regulum elegantiſſimum. Unde venerit cogitantes, inter alia conjecimus, an prius in crucibulo regulus antimonii fuſus fuerit, & pars in poris crucibuli recondita manſerit, donec acceſſione ſalis in lucem ſe dederit denuò. Pyramis, ænea vel ferrea, *Gieſsbuckel*, ad regulos ſeparandos facit, parte metallicâ graviori ad fundum deturbatâ, ſcoriis ſupernatantibus. Omittimus alia fundendis & excipiendis hiſce vulgò dicata; item crucibula commodè ad ſublimationem fixiorum, ut cinnab. vulg. nativæ & antimonii inſervire.

14. *Operationes omnes & ſingulæ ſuo qualibet loco & tempore peragendæ.* Locus dividi poteſt in generalem & ſpecialem. Generalis laboratorium audit. Utut verò ἐυπορέςως peragi etiam poſſint non pauca in foco, in fornace domeſticâ, hoc vel illo angulo, apto ad locandum ignem; ad ſplendorem tamen & commoditatem majorem facit locus ſingulis adaptatus, fornacibus inſtructus & iis omnibus conjunctim, quæ & ad uſum & decorem pertinent. Tale fuit in aulâ imperatoris, directoribus Martino Rulando fil. & Oſwaldo Crollio. Tale Lugduni Batavorum ſumptibus publicis exſtructum eſt. Nec reliqua privatorum hinc inde ſuis carent laudibus & elegantiâ. Sufficerit locus aptus in particulari huic vel illi operationi, unde & celeberrimi chimici de ſplendore tali minus ſoliciti, plus tamen quàm alii emicuere, exemplo B. *Ludovici* noſtri, & aliorum. Nec tempus negligi debet, modò non ſuperſtitioſè illud attendamus, v. g. in parando regulo antimonii, antimonio diaphoretico &c. ſolum ſudum cœlum eligendo. Studiis publicis gratulor, ait *Helmont. de magn. vulner. cur. p. m. 64.* illique benè faveo, qui novit, quomodo antimonium vulgare inter præparandum ad influentiam ſe continuò dirigat. Id tamen ſi ad dicta referatur, parum valet. Etenim nubilo cœlo ſæpe nobilior regulus & antimonium diaphoreticum longè elegantius exurgit, quàm ſereno. Tempus verò commodius eſt, quando phyſicè & moraliter cœlum favet, ſive condendis & præparandis vegetabilibus, ut vernum; ubi & deſtillationes vegetabilium commodiores, ſive aliter. Sic tempore hyberno commodius fit extractio eſſentiarum, quod aliud agendo digeri melius ſic queant ad fornaces. *Wedelius.*

De Inſtrumentis Pharmaceuticis internis Igne, Aëre, Aqua, Terra, item & Menſtruis: ac 1°.

De Igne.

§. 1. Dum in hac & in ſequentibus Diſſertationibus de Inſtrumentis Chymicis mihi dicendum præſumo, breviter Lectorem præmonere, neceſſarium puto, me haud acturum de Furnis, Vaſis deſtillatoriis, Filtris, mortariis, prophyrite, cribro ſimilibuſque utenſilibus mechanicis, partim mediatè, partim immediatè magis ad Corporum diſſolutionem & concretionem concurrentibus: Sed illa ſaltem Chymicorum Inſtrumenta luſtrare conabor, quæ non tàm forma externâ, quàm intrinſecâ ſuâ textura, motu & potentiâ, in corpora ſibi obvia agunt, hæc modò diſſolvendo, modò cõbinando.

§. 2. Diſtinguere illa populari quidem licentiâ ſolent in Naturalia & Artificialia: ut prioris claſſis ſint Ignis, Aër &c. poſterioris autem Menſtrua non tantùm communiter ſic dicta, fluida ſc, & ſolventia, ſed cuncta

concreta naturalia, ſolida quoque, quæ ab artifice aliis applicata vel ſolvendo & diſcontinuando, vel condenſando ac combinando in hæc operantur. Hæc tamen non ideò artificialia vocari volo, quaſi alio, quam naturali, modo vim ſuam in objecta exerant; nec quaſi arte ſaltem pareantur: Sed tantùm, quia eorum plurima ut plurimum in Officinis Chymicis ex corporibus naturalibus conficiuntur, aut ad minimùm in his aliquantum prædiſponuntur ad hanc, vel illam operationem ſpecificè magis accommodantur, aut determinantur, ac cum aliis eundem in finem miſcentur.

§. 3. *Primò* ſiquidem ratione agendi modi potiſſimæ & potentiores in Menſtruis ſimilibuſq; Inſtrumentis, artificialibus communiter dictis, & quidem quam maximè etiam compoſitis, ſingulari acumine inventis ac encheiriſi haud vulgari elaboratis, Naturæ partes ſunt, quamvis illorum motus Artifex dirigat & moderetur: quatenus v. g. fumus ſulphuris, à Mechanico accenſi, in ferrum ſibi expoſitum vix alia ratione agit, dum eum hoc in Crocum aut vitriolum Martis coit, quam exhalationes ſulphureæ ſubterraneæ, quæ naturæ opus dicuntur, mineras ferri rodentes & Vitriolum naturale cum illis conſtituentes. *Deinde* nec grotiam hanc natura ſibi adimi patitur, quaſi arti producere liceret aliquod ſolvens, coagulans, &c. Quod non per illius quoq; activitatem fieri queat, aut cui ſimile quoddam, ſine artificis manu & concurſu, in univerſitate rerum haud exiſtat. Concipe tibi menſtrua acida, vegetabilia, talia ſola natura v. g. ſuccum citri, ſine artificis cooperatione, ſuggerit. Concipe potentiora, ſc. mineralia, v. g. Spiritum ſulphuris, ſalis &c. hæc mechanicus non tàm conficit, quàm à mixtis, in quibus cum partibus unctuoſis, terreis aut metallicis, coierunt, ſegregat, aut, ſi etiam conficeret, idem tam artificium hæc parandi Naturæ non derogat, quæ exhalationes ſalis, ſulphuris, nitri &c. ſubterraneas per ignem ſubterraneum excitat, vitriola atque alumina diverſorum metallorum ſimiliáque decompoſita, æquè ac ſtagma ſulphuris, vitrioli, nitri &c. officinarum formantes. Concipe fumum ſulphuris per ignem furni intra retortam elevatum & vapores mercuriales in Cinabarim officinarum coagulantem: invenies hunc in terræ venis, ejuſdem texturæ atque minerale nativum condenſantem. De urinoſis equidem dubitari poſſet, an ſolius naturæ productum illa unquam exiſtant? Verùm eò ipſo, dum Nitrum & Sal ammoniacum naturale, quod prope Puteolos cum ebullitione & ſtrepitu notabili in terræ cavernis ſublimatur, præter ac dum urinoſum ſal fovere certi ſumus, urinoſum hoc ſincerum, antequam in concretis coagulabatur, naturæ terriſque quibuſdam præinexiſtere non negarem, præpriùs, cum, uti ſuo loco demonſtrabitur, terræ argillaceæ diverſi generis dentur, à quibus Spiritus & ſal volatile urinoſum deſtillando elici valet. Salia fixa ſ. alcalia quamvis ſolius artis opera ſint, ſalſorum tamen atque aluminoſorum magna pariter per naturam conſpicitur farrago, v. g. præter Nitrum & Sal ammoniacum nativum ſal commune, gemmæ, Vitriolum, Alumen &c. Ac denique, ut taceam, nihil artem unquam patrare, niſi quod per naturæ regulas contingere poterat, illa ipſa inſtrumenta chymica, quæ artis opera atque effectus eſſe, nobis perſuademus, merè naturaliter agentium Species, ſeu ipſius Naturæ proles ſunt, quatenus v. g. acetum, tartarus & ſpiritus vini fermentatione, ſalia urinoſa frequentiùs putrefactione, alcalia igne &c. producuntur.

§. 4. Naturalium autem vulgò ſic dictorum agentium dum quatuor conſtituo recedo à *Dorneo* qui in *Cl. veto-tius philoſoph chemiſt.* naturæ æque ac Chymiſtarum ſolitarium inſtrumentum Ignem pronunciat: recedo pariter *ab A Sal. ſ. 1. aph* 8. hujuſque Apologeta, *Billichio*, duo tantùm inſtrumenta chymica, ſc. Ignem & Menſtruum aſſerentibus: recedo denique à *Lauremberg* o ac ejus Defenſore, *Arnoldo Schrod.* tribus ſaltem, nempe Igni, Aëri & Menſtruo agentium in chymia muniis decernentibus. Adeóque Menſtruum, ex hypotheſi vulgari, artificiale inſtrumentum pronuncio, Igni verò atque Aëri Aquam ac Terram jungo: quod quo jure agam, ex inſequentibus diſſertationibus ſingulatim innoteſcet.

§. 5. Ignem inſtrumenti chymici titulum mereri, nullus unquam dubitavit, ut vel ex recenſitorum Scriptorum collatione videre eſt, ejuſque uſus in operationibus ferè cunctis quàm ampliſſimus obſervatur: ita quidem ut, quia agens potentiſſimum & catholicum magis hic ſemper creditus fuit, olim jamdum Chymiam Pyrotechiniæ titulo ornarint, Helmontius verò Philoſophum per Ignem propriâ autoritate ſe proclamarit. Qui autem hunc in externum atque internum diſtinguunt, non adeò philoſophicè diſſerere videntur, cùm illæ ipſæ quoque particulæ igneæ, quas concretis inexiſtere, ſupponunt, totius equidem compagis intuitu, i. e. in ſenſu populari, internæ dici queant, reſpectu tamen minimorum ſeu moleculatum, quæ mixta conſtituunt & ab illis afficiuntur atque agitantur, revera externæ maneant: quatenus movens ſemper extra mobile & ab hoc diſtinctum obſervatur. Cui accedit, quod calor ille, quem nonnulla concreta, v. g. inter fermentandum & putreſcendum, præ ſe ferunt, Igne quodam congenerato, i. e. formaliter & actu inexiſtente, haud emergat, ſed per colliſionem potiùs particularum inteſtinam, quæ fermentationi & putrefactioni ſubeſt, excitetur, hujuſque effectus dici debeat.

§. 6. Paradoxum equidem hoc videri poſſet Peripatheticis, elementis ſuis ignem jungentibus, hincque ad generationem mixtorum cunctorum, varia quamvis proportione, materialiter hunc concurrere, aſſerentibus: aſt cùm paradoxa magis hæc illorum hypotheſis, quæ eam conſequitur, ignis congeniti atque intrinſeci potentia ſatis adhuc dubia erit. Quippe nec ab iis comprobatum, nec ab aliis conceſſum, eſt, ejuſmodi elementum & ſubſtantiam ignis urentem atque lucentem extra ſolis corpus & hujus radios dari, qualis ſuperiorum ſeculorum ſcholis introducta fuit: illum enim, qui in foco, furnis, cavernis ſubterraneis &c. obſervamus, elementarum potiùs aliquod, i. e. particulas ſulphureas accenſas, ſeu celerius & ad ſe invicem determinatâ ratione vibratas eſſe, adeóque cùm pabuli ſeu materiæ deflagratione abſumi, haud equidem mei inſtituti facio, ipſa nihilominus ſana ratio dictitat. Præterea quamvis ejuſmodi ignis à ſole haud emanans exiſteret, hujus tamen incoercibibilis eſſentia concipere vix permittit, quomodo, ut principium conſtitutivum, mixtorum compagem, ſub formalitate ſua, i. e. ut lucens & adurens, ſubingredi queat, quatenus deſtructionem potiùs rerum machinatur, hincque *Helmont* o modò *Creatura destruct* v *a*, modò *Mors artificialis*, dicitur: hoc commodius inſtrumentum deprehenditur ad corpora diſſolvenda ſeu in partes diſcerpenda, quam ad ullum illorum conſtituendum ac firmandum; in perpetuo ſc. motu exiſtens, hinc minimorum cohæſionem & quietem turbans.

§. 7. Ignis E omnis, diſſolutioni atque concretioni corporum inſerviens, externus eſt, ſive lucididus is ſimulque urens obſervetur, ſive calore ſolo atque urendi poteſtate ſe prodat. Ignis micans, i. e. luce & calore gaudens partim Soli, & quidem formaliter ſeu efficienter, partim talibus concretis, materialiter tamen tantùm, inexiſtit, quæ moleculis ſulphureis, reſinoſis, pinguibus atque unctuoſis abundare conſtat, adeóque inflammabilia dicuntur. Qui autem cæcus, & ſine luce calefacit, in ſalinis quoque aliiſque mixtis, quorum particulæ ad motum agiliores, aut in hunc facilè abripiuntur, deprehenditur, v. g. in calce viva, ſalium acidorum & alcalicorum conſurſu ac quibuſcunque corporibus attritu mutuo incaleſcentibus: ita tamen ut, ſi horum alterutrū, aut plures particulas 🜍reas intertextas habeant, v. g. ligna aut ſilex & Chalybs, motu concitatiore ſeu attritione diuturniore

deinum

demum quoque in flammam abripiantur, ignemque micantem producant.

§. 8. Solem primariam ignis lucidi magiſque ſimplicis ſcaturiginem exiſtere, & quidem adeò perennem, quæ vix ullo extra ſe motore atque excitatore opus habeat, augurari facit, quod omni tempore eadem hujus calefaciendi & adurendi obſervetur potentia, quamvis hanc prout radij ipſius incidentes ac reflexi magis aut minus perpendiculares ſunt ſub diverſo activitatis gradu objecta exerat. Imò non vulgo ſaltem innoteſcit, ſolis infra horizontem moram frigus æque ac tenebras excipere, ſed rerum Phyſico-Aſtrologicarum indagatores ſolertiſſimi, teſtantur, eo tempore, quo ſol eclipſin majorem patitur; & radiorum illius incidentia ad nos maximam partem inhibetur, aerem notabiliter ſimul refrigerari: ita quidem ut illi interdum (quamvis ante & poſt obſcurationem æſtus aëris intolerabilis exiſtat) vix ſine horrore aut plurium veſtimentorum fotu ſe continere queant. Cui accedit, quod eorundem radiorum ſolarium, ope ſpeculi cauſtici reflexorum; concentratio, id eſt, plurium concurſus & congeſtio, in materia habili ignis actualis & omnium compoſitorum ignium potentiſſimus evadat, in inſtanti ferè ferrum, vitrum, lateres &c. fundens & calcinans, ligna viridiſſima inflammans; hincque vehementiſſimum ac furni fuſorij candentis ignem activitate longè ſuperans; quales effectus ſpeculum metallinum Domini Villetti olim Lugduni Gallorum præſtitiſſe recordor.

§. 9. Aſt quieſcens magis, potentialis tantùm, materiæque ſaltem ſubſtratæ aut pabulo ſuo proportionatus, eſt ignis corporum inflammabilium: utpote quibus intertexta minima ſulphurea ſeu bituminoſa motu demum ſuperveniente externo ignis formam induunt, ſive hunc ab igne actuali, ſive à quocunque more adæquato, ſuſcipiant. Hac tamen diſparitate, ut ille ad actuanda, & accendenda concremabilia cuncta aptior exiſtat, hic autem ſolidis tantùm inflammandis inſerviat: dum fluida, quæ aliàs tota inflammabilia, nulla agitatione naturali aut mechanicâ, ſine ignis actualis adaptatione, in ignem converti poſſunt, niſi forſan flamma, quam Spiritu terebinthinæ & Aquæ fortis colluctatio, obſervante *Nobiliſſimo Borrichio Act. Hafn. volum. 1. cap. 72.* præſtat, huic regulæ exceptionem concedat.

§. 10. Ignem actualem, dum corporibus inflammabilibus admovetur, motu ſaltem vim ſuam in hæc exerere, id eſt, ea accendere ſeu ignita reddere, eò ipſo palam fit, quod, ſicut ejus formalitatem in motu conſiſtere, penes omnes ferè hujus ſeculi Philoſophos in confeſſo eſt, ita illis, in quæ agit, objectis præter motum nihil imprimat. Potiſſimum cum ignis propter ſummam ſui (in particulas non rarò præ exiguitate viſum fugientes) diviſibilitatem moleculis etiam objectorum minimis magis, quàm reliqua agentia naturalia cuncta, applicabilis, per conſequens ad corpora dividenda horumque particulas dimovendas & exagitandas aptiſſimus videatur. Atque hoc quidem eo impetuoſius præſtet, quantum ratione ſuarum atomorum vix ulterius diviſibilis is eſt, hinc exiliſſima & leviſſima ejus corpuſcula exigua violentiâ multum impelluntur ac velociſſimè vibrantur. Non poteſt igitur fieri, quin eâdem velocitate atque impetu corpora inflammabilia ignis moveat, hinc potentiſſimum Naturæ ad motum localem inſtrumentum quibuſdam rectè dicatur, i. e. quod particulas igneas, hactenus in alijs concretis torpidas, motu ſuo omnium facillimè in motum abripiat atque actuet, Quibus accedit, quod ipſa flamma ex accenſione ſulphureorum prorumpens nihil, niſi effectus rarefactionis atque attenuationis materiæ unctuoſæ ſeu ſulphureæ exiſtat, quam ignis, qui craſſiori illorum ſubſtantiæ, v. g. ligno, elychnio &c. adhæreſcit.

§. 11. Motu verò externo ſeu magis mechanico, i. e. attritione ac colliſione mutua atque proportionatâ, pariter ignem actualem excitari poſſe, prolixius oſtenderem niſi chalybem ſilice, clavum malleo percuſſum ſcintillulas evomere, fœnum madidum per putrefactionem, & ligna mutuâ attritione tandem in luculentam flammam erumpere, per experientiam popularem quoque conſtaret: ita quidem, ut Indos per colliſionem arundinum ſuarum cum lignis durioribus & ſiccis focos accendere, ſcriptores perhibeant.

§. 12. Atque his ſuppoſitis Entio aliiſque facilè concedi poteſt, ſcintillulas attritione ſeu colliſione è corporibus exilientes, ab ipſo motu neutiquam produci vel generari, ſed latentes ſaltem educi atque elici: ideò quod illa tantùm concreta, in quibus moleculas ſulphureas abundare, novimus, concremabilia obſerventur aut ſcintillulas fundant, reliqua verò exagitata ad ignem equidem non lucentem concipiendum prona ſint, nunquam tamen motu quovis concitatiſſimo igneſcere queant, niſi ubi ignem actualem vehementiſſimum admodum experiuntur. Hunc enim obſervamus, lateres, Salia & ipſa alcalia quoque (ſulphure ſine dubio potiſſimo ſpoliata) candefacere: Ita tamen ut luculentam flammam nunquam emittant, & igne externo remoto hujus etiam impreſſio mox extinguatur, id eſt, lucidam illius partem hæc facilè denuo probant. Motus nihilominus eſt ac manet, qui quod potentia ſaltem ſcintillula erat actu talem facit: Quatenus in chalybe, ſilice, ligno &c. nulla pars monſtrari valet, quæ ignis eſſe ſenſibile habeat, ſeu quæ calorem & lucem, aut alterutrum ſaltem horum, præ ſe ferat; ſed ejuſmodi ſaltem iis inſint atomi, quæ motu ab extra ſuperveniente, id eſt, colliſione, ignis formale induunt. Quod quidem manifeſtius evadit per illa, quæ *Hooke Micograph. obſ. 8.* de textura atque natura ſcintillularum è chalybe excuſſarum teſtatur, nempe has, per microſcopium obſervatas nihil aliud quam ramenta chalybis, diverſæ figuræ, eſſe, vi percuſſionis ſeparata & ratione ſui ſulphuris combuſtibilis ignita ac liquefacta, imò eorum quædam per colliquationem hanc vitrificata: pari ratione, ac limatura ferri aut chalybis, dum per candelæ flammam trajicitur, momentaneo hoc tranſitu incandeſceret & infinitas ſcintillulas formaret.

§. 13. Quemadmodum autem pro motu ejuſmodi ignifero ſuſtinendo particulæ ſaltem exiliſſimæ admodum, & quæ ſeparatim exiſtentes ſenſus planè fugiunt, aptæ obſervantur, dum verbi gratia, ex relatione ejuſdem *Boyle de effluv. ſ. atmoſphær. ſumma exilitate c.5.* certa ratione præparati cupri granum unum flammæ vividæ, ac amplæ ſatis, ultra dimidium horæ durantis, tingendæ ſufficiens exiſtebat, adeoque in incomprehenſibilis parvitatis atomos metallum iſtud dividebatur: Poſtquam ſcil. in cochleari appropriati menſtrui illud diſſolutum, & ſolutio lampadi vitreæ exiliori atque elychnio inſtructæ infuſa atque accenſa erat. Sic nec quivis ſolidarum harum particularum motui localis calorem atque ignem excitat, ſed peculiariter tantùm modificatus, i, e. vehementiſſimus ſeu velociſſimus, atque varius ſeu ad diverſas plagas determinatus.

§. 14. Vehementiam atque celeritatem ejus ſingularem impetus ignis ſummus, quem in corpora quævis aut liquefacienda, aut comburenda, ille exerit, ſatis abundè evincit, qui nullis etiam repagulis coerceri

ceri aut temperari valet. Variam autem ejuſdem motus tendentiam non irregularem per ſe mihi perſuaderem, quatenus omnium concretorum naturalium motus naturales determinationes ſuas perpetuas habent: neque cum Velthuſio reciprocam & in ſe reflexam ignearum particularum agitationem, nec cum alijs rotationis & quaſi vertiginis motum, dicerem: Sed talem mihi hunc conciperem, quo illæ cunctæ à centro ad circumferentiam; adeoque ad diverſas plagas, feruntur. Sicut enim illis modis ſi agitarentur igniferæ particulæ, una alterius motum potius inhiberet, quam juvaret atque intenderet; quatenus parum impetus ſibi promittere poſſunt ab alijs reflexis in motu ſuo turbatæ: Ita poſteriori hypotheſi non parum favere videtur ejuſdem ignis vis rarefactoria, expanſiva, diſſolutoria &c. quam ab intra ad extra tendere, diverſa ſuadent. Ex quibus inpræſentiarum ſufficiant pulvis nitrarius, aurum fulminans ſimiliaque cum exploſione ignem concipientia, quarum ſane particulæ per hunc à centro ad peripheriam feruntur, hinc ſuperiora æquè ac inferiora & lateralia repagula, ſi æqualem reſiſtentiam hæc præſtent, cum impetu diffringunt ac rumpunt. Imò ipſa ignis flamma à pabuli ſui craſſiore parte, tanquam à centro, ad cunctas plagas ſe æqualiter explicaret, & non tàm in conum aſcenderet, quàm ſphæricam figuram indueret, ſi materiam modo ubique proportionatam offenderet, ut exemplo candelæ evincitur: Cujus flamma ideo tantum ſuperiora petit quod pabulum ſuum ſeu ſebum, calore ignis valde rarefactum, hinc aëre levius redditum, & ab hoc undiquaque æqualiter preſſum ſurſumque coactum ſequatur: cum eadem flamma mox deorſum inclinet, ſi alia extincta, fumans tamen adhuc, candela ipſius parti inferiori ac laterali admoveatur, mox enim ad exhalationes hujus pinguiores, quæ fumum conſtituunt, deflectit, eamque denuo accendit.

§. 15. Quibus ſuppoſitis ſummæ ad Ignem perpetuandum atque conſervandum pabuli neceſſitatis ratio evidens fit. Eo ipſo enim dum ille nihil aliud, quàm ſui conſumptio ac extinctio eſt & in ſuis natalibus, quaſi perit, quatenus in nullo concreto ſine hujus diſpendio ignis generatur ſeu accenditur: huic ſemper præſto eſſe debet talis ſubſtantia, quæ particulas, diſſipatis & expulſis ſuccenturiantes, continuò & facilè ſuppeditet, id eſt, ſulphurea aut de ſulphure multum participans. Negari equidem haud poteſt, præter particulas ſulphureas ſeu bituminoſas, aqueas, ſalinas & forſan terreas quoque per ignem diſſipari: hæc tamen in ignem minimè revera faceſſunt, multò minus hujus pabulum dici merentur, cùm hujus potius activitatem non leviter obtundant, quatenus nempe à calore ignis accenſi agitatæ ac propulſæ maximam fumi portionem conſtituunt, ita ut, cùm non æquè ac ſulphureæ penitius diſſolvi & abſorberi valeant, ultra hujus ſphæram delatæ aut in rorem aqueum, aut cum parte exhalationum ſulphurearum in fuliginem ab aëre craſſiore præcipitentur & cogantur.

§. 16. Unde illis, qui acidum igni materiam ſuppeditare huncque nihil aliud, quàm motum particularum acidarum volatilium velociſſimum eſſe, ſibi & publico perſuadere ſatagunt, ideò quod plumbum, corallia, antimonium &c. per calcinationem pondere notabiliter augeri obſerventur, Ligna pabulum igni commodum ſuppeditantia, per deſtillationem ſpiritum acidum fundant &c. vix adeò ſimpliciter aſſentiri poſſum: anceps adhuc hærens, an acidæ aliæve ſalinæ ex lignis aut carbonibus per ignem exhalantes particulæ illæ ipſæ ſint, quæ ignem forment? Sicut enim ſal illud acidum, quod cum bituminoſo magmate in ſulphur commune degenerat, dum hoc accenditur, ignem aut flammam minimè, ſed ſtagma acidum, quod Spiritum ſulphuris appellamus, conſtituit, bituminoſa ſaltem ſulphuris parte deflagrante ac in flammam abeunte, ita reliqua, quæ pabulum ignis obſervantur, ſaltem ratione ſubſtantiæ pinguioris, non verò ſalinæ aut acidæ, tales exiſtunt.

§. 17. Quoniam verò particulæ hæ ignivomæ motum ſuum rapidum, juxta Epicureos, ſibi congenitum non habent, quatenus ſcintilla ſæpè parva in magnum ſæpè incendium explicatur; id eſt illæ, ſibi relictæ adeò turmatim erumpere & obvia quævis tanto impetu perrumpere nequeunt: motore quodam univerſali, ſublunari, eas agitans neceſſe eſt, quem ſanè aerem, tanquam fluidum proximè ambiens, eſſe inde augurari convenit, quod is perpetuo verſetur motu, ac ſine ambientis hujus influxu nec accendi, nec ardens conſervari queat. Quem aeris equidem ad ignem conſtituendum influxum licet Philoſophi, ſi nominatos Epicureos excipias, ferè omnes concedant, imò hunc animam ignis pronuncient; diſſentientes nihilominus maximè in ætiologia & modo agendi determinando, ſeu habitudine aeris ad ignem declarandâ, deprehenduntur, quatenus eorum alij ventilando, id eſt fuligines abſorbendo ac diſſipando tantùm, huic inſervire, alij eundem materiæ quandam portionem ipſi ſimul ſubminiſtrare, autumant.

§. 18. Prioribus mox dubium movet Machina pneumatica Boyliana, in cujus recipiente vaſe, ſi aer ex illo fuerit exantlatus, lucerna, candela, pruna &c. citius, quàm ſi idem aere adhuc repletum, expirat: manifeſto indicio, non à proprijs fuliginibus illa ſuffocari, aliàs ſiquidem brevioris durationis in vaſe aere pleno, quàm in vacuo, illorum foret flamma & ignis, utpote quorum illud, propter aëris receſſum, plus ſpatij excipiendis efformationibus ſuffocationibus concederet, potiſſimum cùm pruna quoque æque celeriter vivacitatem ſuam deponat, cujus tamen fuligines pauciſſimæ vixque proportionatæ videntur pro violentia ejuſmodi inferenda. Cui accedit, quod etiam ſub ipſis primis ignis incunabulis, & ubi ſcintillula parva in latiorem flammam explicari debet, id eſt, ubi fuliginum ſecernendarum turgeſcentia nondum adeò urget, plus nihilominus aeris, aut ſaltem hujus vibratione concitatiore atque impetuoſiore, per folles v. g. præſtanda, opus ſit, ac poſtquam incrementum aliquale igni contigit,

§. 19. Qui deinde aliquid ſubſtantiæ aerem igni contribuere putant triplicis denuò exiſtunt hypotheſeos: quarum prior ſpiritum quendam ſubtiliſſimum, pinguibus & oleoſis inhabitandi ſimilem, altera Nitrum, tertia ſpiritum quendam Nitro-aereum, ſeu igneum in aere hoſpitari vult; ſine quorum concurſu ignem modo inviſibilem, modo mutilum, modo nullum pronunciant. Verum ratione prioris, quam Burſerus profitetur, Spiritum illum oleaginoſum equidem aſſertum, nondum tamen probatum, adeoque nec reprobationem urgere, judicamus: an Nitrum vel integrum quæ plurium neotericorum ſententia, vel Spiritus nitro-aereus, ſeu nitroſus volatilis aeri inſit, inſequenti diſſertationi ventilandum defero. In præſenti indicaſſe ſufficiat, per experimenta illa, quibus Nitrum, vel ſpiritum nitroſum aeris, cujus ad ignem formandum tanta creditur neceſſitas, ſtatuminare ac defendere conantur, non niſi hæc tantùm concludi poſſe, (1) Nitrum ſulphuri commixtum, huic inter deflagrandum aliquid ejus præſtare, quad aer ipſi præſtat; (2) Simili forſan ratione utrumque horum idem agere: Aerem autem vel

Nitrum

Nitrum, vel hujus aliquem Spiritum igneum, ſibi intertextum gerere, ac hujus virtute ſimilem aut eundem cum Nitro in alijs concretis, adeoque in ſulphureis etiam cremandis, effectum producere, per hæc non magis inferre licet, quam identitatem aut partium integrantium de cæteris, quæ forſan in uno tertio conveniunt, concludere velle,

§. 20. Notiſſimas eſſe ſuppono conglaciationes aqueorum artificiales, quas præter Nitrum cum Sale communi, Sale ammoniaco &c. alterutro horum nivi commixtis adornare, ſicque aerem gelidum in formanda glacie imitari, licet; idque eò feliciùs ſi per Experientiam Florentinorum magmati huic aliquid Spiritus vini adſpergas: quis autem ex hoc phænomeno adeò temerariè colligeret, aerem Vim refrigeratoriam atque congelatoriam à ſale, ſale ammoniaco, Nitro, Spiritu vini, aut horum aliqua parte, petere, vel eandem ratione horum exerere? Spiritus urinæ urinoſus rodit metalla, quod Spiritus Nitri, Vitrioli & quævis acida præſtant: E. ſpiritus urinæ fovet acidum, aut acida illa ſtagmata de urinoſo participant: quorum neutrum nemo ſanæ mentis largietur. Pariter ille quàm peſſimè inferret qui per putredinem, flammam, attritionem, calorem ac ignem, adeoque unum eundemque effectum produci obſervans, atomos putrilaginoſas, urinoſas &c. flammæ vel attritioni, aut contra, ſubeſſe, argumentaretur, quamvis tria hæc, quicquid in hoc genere agunt, idem, eodem modo id eſt, motu, agant. Aſſererem E. potius, aerem æque ac Nitrum, quicquid ad ignem producendum aut propagandum conferunt, motu præſtare: ut proin non opus ſit, Nitrum, aut hujus aliquem ſpiritum in aëre piſcari.

§. 21. Aërem quippe, quo concitatiore motu fertur, eo commodiorem & aptiorem ad ignem accendendum &, propagandum eum exiſtere flabellorum æque uſus ac ventus comprobant, ita quidem ut his ſedatis aut remotis illius fervor atque activitas mox remittat: motum proin aëris auctum ignem augere, moderatum eundem conſervare concludo, vel eum ad materiam combuſtibilem adigendo, vel hanc igni adducendo, vel ſulphur calefactum, inſtar menſtrui univerſalis atterendo atque diſſolvendo. Poſteriorem hanc agendi rationem itidem proxima declarabit diſſertatio, ignem autem ſubſtantiæ inflammabili aëris vibratione atque tendentia appelli inter alia ſucceſſiva granulorum pulveris pyrij, in eadem ſerie conſtitutorum, evincit exploſio ac incendij à proximi pariete ad proprium non rarò ædificium propagatio: Sicut pabulum igni aërem ſubminiſtrare in lucerna ardente conſpicuum ſit, ubi oleum ſeu pinguedinem calore reſolutam ac interiore elychnij parte ad hujus faſtigium eique viciniorem aërem, ignis actione rarefactam per elaſticitatem aut gravitatem ſuam, haud ſecus ac Mercurium in Barometro, vel aquam in antlia, aſſurgere facit. Pari & eodem ferè modo nitrum ſulphureis concretis combinatum horum deflagrationem juvat, motu ſcilicet ſuo, quem ab igne ambiente actuatum, in hæc exerit, Sub illorum enim contactu cum impetu ac exploſione quædam, velut flatus è folle aut totidem quaſi Æolipilis, & ita quidem prorumpit, ut maſſam illam huc illuc agitet & ſæpè extra vaſa cum ſtrepitu notabili & detonatione projiciat: hinc ſulphur calefactum diſſolvitur, ignis circum circa accenſus in motum celeriorem concitatur, ipſeque cum aëre in corpus ſubjectum, hocque in illum, impetuoſius adigitur, adeoque aëris motui hæ Nitri exploſiones & crepitus aliquantum ſuccenturiantur, Aer autem haud materialiter, ſed efficienter duntaxat, ad ignem formandum & perpetuandum concurrit.

§. 22. Atque hic ignis præprimis eſt, qui potiſſimas Pyrotechniæ operationes peragit, quamvis nec cœcum ſeu non micantem, nec ſolarem, chymicorum officinas omnino exulare, ijs, qui hæc viſitare non detrectant, conſtet, Illius fomites atque pabula diverſa obſervamus, inter hæc tamen frequentioris uſus Carbones vegetabiles, lignis ipſis ideò anteponendi (1) quod particularum ignitarum utpote paucioribus heterogeneitatibus implicatarum, in his & per hos æquabilior ſit, adeoque eorum ignis facilius moderari hujuſque gradus accuratius menſurari queant: (2) quod ob eandem rationem ignis eorum potentior, quatenus horum particulæ à nullis, aut certè paucis, aqueis obruuntur & obtunduntur: (3) quod ſpiritus lignorum acidus, quem deflagrando eructant, res quibus ita immediate magis applicantur variis modis, præter intentionem atque expectationem artificis immutet, alcalia verbi gratia, in ſalſa tranſmutando: ac (4) quod ignis lignorum ſæpius cum ſtrepitu & exploſione erumpens vaſa, quæ lambit, frequentius forſan rumpat. Quod ſi tamen carbonum delectus conceditur, præferuntur fagini ſimileſve quernis, utpote in quibus acidi ſalis reliquiæ uberiores calorem inæqualem, rebus verò tractandis vaſiſque ſuſpectum pariter ſubminiſtrant.

§. 23. Non rarò tamen carbonibus vegetabilium ſubſtituuntur ceſpites bituminoſi; verbi gratia, in Germania inferiore, ubi horum abundantia lignorum defectum ſupplet. Imò interdum illi haud ſatis potentes cenſentur, pro ignis gradu deſiderato ſuppeditando, verbi gratia, qui ad duriorum metallorum liquationem aut emollitionem requiritur, quemque foſſiles tantùm præſtant: quo facit, quod *Vreesvvych in the Gonde Levv* aſſerat, acetum antimonij non niſi carbonibus mineralibus obtemperet. Verum non periculoſum ſaltem, ſed ſuſpectum pariter, horum uſum cenſeo: quatenus ab exploſivis eorum eructationibus vaſorum itidem rupturæ & concretorum inſignes alterationes, metuendæ.

§. 24. Eidem igni micanti chymico inſerviunt olea nonnulla expreſſa, ſcilicet ſem. Lini, raparum & olivarum lampadis furnum flamma ſua actuantia. Quibus ſordium evitandarum cauſa egregiè ſuccenturiatur Spiritus vini ſufficienter rectificatus, flammam puriſſimam, penetrantiſſimam atque æquabilem maximè conſtituens: ita quidem ut minor quoque hujus quantitas idem præſtet, quod major dictorum oleorum, utpote totus igneus, adeoque precij ejus non parum illius activitas compenſetur.

§. 25. Non micantis autem nomine venire ſolent fimus equinus, thermæ naturales & calx viva: quorum illis in digeſtionibus, hac in deſtillationibus quibuſdam utimur: non ſaltem, quod alterius loci, pro deſtillandorum particulis, ratione terreſtreitatis ſuæ, diſcontinuandis, & acore illorum per ſalinam ſuam ſubſtantiam imbibendo & præcipitando; ſed ut ſuo ſimul æſtu, in quem ad contactum aquoſæ humiditatis erumpit, illorum ſpiritus ac ſalia volatilia exagitet & in excipulum transferat. Quale quid in ſpiritus urinæ & ſalis armoniaci deſtillatione experimur, dum urina aliquantum inſpiſſata aut ſal armoniacum cum aqua ſolutum calci viva affunditur capitellum cucurbitæ mox adaptatur, ſicque ſpiritus deſiderati, abſque ullo alio calore, colliguntur. Spectat huc *Nobiliſſimi Wedelij* encheiriſis, pro ſalibus volatilibus vegetabilium per ſolam putrefactionem, abſque furni igne, ſublimandis; quam curioſo ſatis tractatulo amicis æque ac alijs communem eſſe

voluit. Pariter hujus loci videri poſſet, quam alias igne ſaltem aut certè non ſine igne adornare ſolent, ſpiritus vini rectificatio, ſolo ſale tartari aut cinerum clavellatorum nihilominus peragenda: niſi eam alteri cuidam occaſioni reſervaſſem.

§. 26. Ignem tandem ſolarem ſeu cœlicum quod ſpectat, hic digeſtionibus atque evaporationibus ſeu exſiccationibus frequentius, rarius deſtillationibus, inſervit. Sunt tamen, verbi gratia, Poppius, Bartolettus, Febvre &c. qui radijs ſolaribus ſpeculo uſtorio concentratis calcinationes quaſdam ſolent adornare, verbi gratia, Mercurij & Antimonij, quas cœlicas, phyſicas & magicas appellant: hunc ignem plus longe, quam ſublunarem in perficiendis & exaltandis naturalibus præſtare credentes, dum verbi gratia, Orthelius mediante illo hæc auſterâ & ſerâ ſua cruditate exui atque ad ſuaviſſimam maturitatem deduci aſſerit; ſine dubio, quia homogeneus magis hic eſt, hinc nec ſalia peregrina concretis adeò facile imprimit, quod à ſublunaris pabulis ſemper metuendum. Illud interim Febvre concedere haud poſſum, quaſi ignis foci antimonium per ſe calcinando cum ponderis imminutione tantum emeticum, ſolaris autem diaphoreticum, cum augmento notabili, illud reddat: Cùm etiam carbonum ignis utrumque præſtet, pondus autem ejus an radij ſolares augeant, nec credere nec negare audeo, hujus phænomeni nullam adhuc experientiam habens.

§. 27. Sicut autem applicatio caloris decentis à proportionata ignis quantitate dependet & magna ignis regiminis potentia obſervatur, ac à *Moorhof. de Tranſmutat. metall.* per diverſas obſervationes deprædicatur: Ita ignis & caloris gradus quatuor conſtituuntur, ſinguli tamen ſuâ latitudine gaudentes. Moderantur hi vel ignis ipſius vim augendo & imminuendo, vel eundem objectis diverſimodè applicando: Illud duplici ratione præſtamus, ſc. aut pabulum, aut aerem, moderando, hoc per variam vaſorum ab igne diſtantiam.

§. 28. Effectus tandem ignis chymici quod ſpectat, teſtantur hi de ſua cauſa, id eſt, per particularum ſuarum motum varium diverſiſſimas operationes chymicas is perficit, corporum ipſi expoſitorum partes variè commovendo, haſque modo divellendo, modo combinando, in deſtillatione, fuſione, exſiccatione, ut digeſtionis, fermentationis & putrefactionis, igne & calore externo interdum adjutorum taceam. Motu E. omnia dum in concretis, quæ ipſi exponuntur, exequitur, haud mirandum, quod idem ignis in horum diverſis, eaque interdum planè ſibi contraria, producit phænomena, dum verbi gratia, metalla liquat, ſalia coagulat, lutum exſiccat, ceram fundit; quatenus hæc non per potentias diſtinctas agit, ſed unam eandemque, quam motui in acceptis refert, metallorum, ceræ &c. partes homogeneas divellendo hæc ad fluorem deducit, aqueam autem humiditatem à ſalibus ac luteo expellendo hæc inſpiſſat, id eſt, pro varia objecti textura ignis motus ſ. activitas determinatur: Quam tamen determinationem non parum immutat aëris acceſſus atque excluſio, quorum hæc ex vegetabilibus carbones, ille cineres producit: cujus diverſi phænomeni ætiologiam pariter proxima forſan ſuppeditabit diſſertatio.

§. 26, Pabulum moderamur, aut hujus ſubſtantiam immutando; quatenus carbones foſſiles intenſiorem reddunt ignis activitatem, vegetabiles remiſſionem, quos excipiunt ligna, radij ſolares &c. aut ejus molem & quantitatem augendo, id eſt, plures vel pauciores carbones ſupponendo, modo uno, modo duobus vel tribus elychnijs lampadem inſtruendo. Aere verò mediante gradus ignis variant, ſi copioſius vel parcius iſte admittatur, ſive per ſpiracula ordinaria, ſive per oſtiola, per quæ carbones immittuntur, aut cineres extrahuntur hoc fiat per diſtantiam vaſorum non illud ſaltem ſpatium intelligendum venit, quod carbones & retortam verbi gratia, intercedit, quodque pro carbonum copia diverſa variat: Sed attendendum pariter, an ignis vaſa immediatè lambat, an aliud quoddam corpus interjectum ejus vehementiam aliquomodo refrænet? Ille ignis apertus communiter dicitur, & ignem rotæ, reverberatorium ſ. ſuppreſſionis includit, imò huc ſpectat, ſi corpus, quod deſtillationi aptum immediatè ſuper prunas per oſtiolum furni, mox occludendum, injiciatur, ut fumus ſeu vapor, vi ignis elevatus, in roſtro ſeu canali longiore, lateri aut ſummitati fornacis infixo & vaſe recipiente munito, ſenſim in liquorem condenſetur, qualis erat fornax, quam Londini apud Drebbelium *Schroderus* ſe vidiſſe perhibet, quamque *Glauberus* prolixius deſcribit. Corpora verò interjecta ſunt vel Capella vacua, vas deſtillatorium immediatè recipiens, qualem ad rectificandum petroleum nonnulli commendant, quæque rectificationi olei vitrioli quàm neceſſaria eſt: vel capella, cineribus, arena aut limatura Martis repleta, quæ balneum ſiccum audit, vel ahenum aqua ſcatens, ac maris ſeu Mariæ balneum dicitur: vel idem aut ſimile ahenum lamina cribriformi coopertum, pro vaporibus tranſmittendis & vaſi deſtillatorio communicandis, quod balneum vaporis vocant.

§. 30. Imò præter hoc effectus deſideratos non rarò alius accedit, odorem atque ſaporem, forſan etiam virtutes objecti enormiter depravans & vix ulla arte ſufflaminandus aut eluendus empyreuma ſcilicet cujus productionis rationem duplicem auguror, partim texturæ immutationem, partim novarum & heterogenearum ab igne particularum acceſſionem. Illam probabilem reddunt varia producta chymica, quorum ſub hac forma inexiſtentiam nemo ſibi perſuadere poterat, verbi gratia, Spiritus ſulphurei, blandiſſimo calore educti, empyreuma nihilominus indelebile ſpirantes: hanc autem ſuſpicari jubent, quæ de ponderabilitate ignis & flammæ à *Boyle* varijs experimentis fuerunt aſſerta, quæque *Borrichius Act. Hafnienſ.* vol. 1. cap. 71. de calcis vivæ recentis oleo craſſo & ſubfœtido, item de liquore nigricante, poſt deſtillatum oleum per ſpatium menſtruum vi ignis continuata, exſtillante, refert.

De Aëre.

§. 1. Quemadmodum inter Inſtrumenta Chymica in *Diſſertatione antecedanea* Aerem retuli ita mirari nunc contingit *Billichium*, Scriptorem aliàs eruditiſſimum, quod, Salam ſuum contra Laurenbergium defenſurus, Aerem modò cauſæ inſtrumentalis rationem haud obtinere aſſerat, quoniam non ſit in poteſtate agentis; modo menſtruis nihilominus eum accenſeat, ideo quod cum ſalibus deliqueſcat &c. Siquidem ut illa mea haud faciam, quibus argumentorum horum vim *Arnold. Scroderus in defenſione* nominati *Laurenbergii quæſt.* 1. enervavit, ipſa experientia quotidiana pro Aeris activitate Chymico-phyſica prolixè loquitur, nemoque ſanæ mentis qui Chymicarum rerum cognitionem non tam ex cerebello proprio, quam ex manuali operatione & autopſia, ſibi comparavit, negabit, fluidam hoc non minus, ac Ignem, Aquam &c. inſtrumenti Chymici munus gerere.

§. 2. Ae-

§. 2. Aërem hunc obſervamus duplicem, internum atque externum; quorum ille, quamvis, ut miſcibile & in ſenſu Peripatetico, concreti aliquam partem integrantem ſeu elementarem haud conſtituat, poros tamen hujus, ut heterogeneum quoddam fluidum, ſubit ac opplet, id eſt, reliquis hujus minimis ſpiſſioribus, ſeu ſolidis, ſeu fluidis, interjicitur horumque ſpatiola occupat, hic verò corporum naturalium periphæriam ſaltem contigit atque ambit, & atmoſphæra communiter audit. Quamvis non rarò obſervetur, internum Mixtorum aerem vix adeò firmis ſepimentis ac repagulis à contiguitate externi muniri, mutuumque omne ijs denegari commercium, quin qui modò ambiens atque extrinſecus dicebatur, mox penitiores hujus vel illius corporis receſſus ſubeat horumque incola evadat; contra, qui illi quaſi conatus, ad exteriora prorumpat, & ; dum ab hoc ſolidiores quaſdam particulas ſecum rapit, ratione harum diſtinctas & individuales cujuſvis Concreti atmoſphæras determinet. Quatenus ambiens aër Ignem v.g. non ſaltem varijs modis exagitat, ſed nimis quoque hujus ſe immiſcet, Aquam idem ſubingreditur, ex qua poſtmodum denuo exhalat, ſenſibiliter æque ac inſenſibiliter ab animalibus aura inſpiratur, expiratur etiam cum hac ſubſtantia aerea in horum corpore congeſta, ut illa nunc tranſeam, quæ *Illuſtris Boyle in Experim. phyſ. mechan. continuat.* 2. de aere factitio, i. e. è varijs corporibus naturalibus, exhalante, hujuſque paradoxis effectibus diſſerit, pluribuſque experimentis declarat.

§ 3. Utriuſque E. hujus aëris in operationibus mechanicis magnam eſſe energiam, cùm mihi nunc probandum incumbat, ſuppono ex *Diſſert.* 3. Ignis, tanquam Inſtrumenti chymici potentioris ac frequentioris, animam aërem eſſe, quemcunque demum hujus illam actuandi modum ſibi quis concipiat: id eſt, cui cum *Rege Alphonſo Clav. ſapient,* aerem ignem groſſum appellare religio eſt, illum certè experientia hunc motorem atque modificatorem minimorum ſulphureorum ſeu ignivomorum ordinarium magiſque catholicum profiteri cogit, ita quidem ut pro diverſa hujus fluidi perpetim moti & actuantis admiſſione vel excluſione, raritate ac denſitate, ignis vis ſeu activitas modò intendatur, modò refrænetur ac planè ſuffocetur. Imò ratione influxus hujus variantis unius ſæpè ejuſdemque concreti verbi gratia, vegetabilis ab igne exagitati particulæ modò in luculentam & micantem flammam, tanquam fumum reſolutum & rarefactum, ſi ſcilicet ſub dio libero accendantur, modò in fuligines ſeu flammam condenſatam, in liquorem acidum & oleum craſſius coagulabilem, in vaſis clauſis, abeunt: & poſteriore hac ratione toſta carbones, priore verò cineres, poſt ſe relinquunt, ita quidem ut illi intra hæc repagula ignis torturam ad plures annos ſine ſui in cineres converſione, ſuſtineant. Et flamma quæcunque v. candelæ, ſi tali modo impoſito vitro, ut nullus, vel paucus tantum, aer illam ferire queat, extinguatur ſeu ſuffocetur, fumum format, quem eandem flammæ naturam facilè reaſſumere, modo aer liberior admittatur, per quotidianas & pueriles quoque obſervationes, conſtat.

§ 4. Simili ratione cum Nitro res ſe habet, quod cum carbonibus, antimonio, tartaro, aut ſulphure igni luculento commiſſum copioſos cum ſtrepitu notabili eructat flammas, ejuſque maxima portio ſuâ harum coruſcatione in auras abit: retortæ verò tubulatæ ſi eadem mixtura decenter injiciatur, flamma hæc propter aëris ſufficientis aditum interclusum, in fumum rutilantem cogitur, qui in excipulo ſtagmatis acidi, ſpiritus nitri aut Clyſſus vulgò dicti, conſiſtentiam induit: hoc eſt, una eademque Nitri ſubſtantia, ab igne diſſoluta, nunc flammæ, nunc fumi, recipit ſpeciem, pro varia minimorum ſuorum combinatione atque textura, quam ab aeris interfluentis motu, modò rapidiore, modò tardiore, acquirit. Tandem concreta reſinoſa atque oleoſa, verbi gratia, terebinthina, ſuccinum, maſtiche, olea, Spiritus vini &c. quamvis ſub aere libero ab igne exiliore exardeſcant, & tota ferè in flammam faceſſant, in vaſe tamen clauſo ab intenſiore quoque igne in vapores ſeu fumum ſaltem reſolvuntur, qui in recipiente, pariter contra aëris acceſſum munito, in ſal volatile, phlegma acidum & oleum condenſantur.

§ 5. Aſt quò immediata magis in contra naturalia, eaque vel combinanda, vel diſſolvenda aeris eluceſcat activitas, conſterque, proximi quoque inſtrumenti chymici titulum optimo jure huic competere: una vel altera operationum producenda erit, cujus, ſi non formalitatem, certè notabile moderamen, aeris influxus præſtat, quatenus ſc. mixtis, arti exponendis aut expoſitis, horumque minimis, determinatos motus imprimit, & per hos illorum texturas notabiliter alterat.

§ 6. Inter has primum locum teneat *Fermentatio*, quæ cum ſine motu ac molis dilatatione neutiquam fiat, id eſt, ejus formalitas in concreti texturæ naturalis dilaceratione ſeu divulſione conſiſtat; nullum quoque inter corpora ſenſibus ſimpliciora, præter aerem, obſervetur, quod in ſe magis dilatabile ac condenſabile, ſemperque in motu exiſtat, ſit; hunc ſane motorem motui illi præſtando ſatis adæquatum eſſe, quàm probabile ſit, potiſſimum cum aeris externi varius impulſus eum variè moderetur, denegatus verò illum modò in totum, modo in tantum, ſufflaminet ac turbet, atque hoc quidem in fermentationibus æque, quas naturales magis, quam illis, quas artificiales potius vulgus philoſophorum pronunciat. Sic v. g. Aer per ſpirales vegetabilis fiſtulas adductus illiuſque poris inexiſtens & quaſi connatus, quia virtute elaſtica nunquam deſtituitur, licet intra anguſtiores hos cancellos compreſſus magis videatur, vegetationis & maturationis negotium aliquantum inchoat, ipſi tamen perficiendo: niſi ambiens aer ſuppetias ferat, minus potens exiſtit. Ab hujus enim temperatura atque tono diverſo, id eſt, raritate ac denſitate calore atque frigore horumque reciprocatione, quam tempus anni atque diei præſtat, idem aër fructuum v. g. horariorum, inteſtinus patitur, ac aer thermometro incluſus, quatenus uterque pro diverſa ambientis fluidi conditione modò rareſcit, modò condenſatur, in vegetabilibus verò horum particulæ adeò diverſimodè moræ aſperitatem ſuam deponunt, hinc loco auſteritatis ſuavem tandem dulcedinem fructibus inducunt.

§ 7. In vegetabilibus conquaſſatis horumque ſuccis expreſſis aut decoctis res manifeſtior eſt, utpote quæ celerius ac impetuoſius longè, ac ſi parenchymati ac pelliculis ſuis, tanquam vaſis aut phiolis accuratius obturatis, adhuc fuerint incluſa, ſi convenientem athmoſphæræ texturam atque temperaturam experiantur fermenteſcunt, i.e. cum ſenſibilis caloris conceptione turgeſcunt & in majorem longè molem attolluntur, quatenus particulæ illorum aereæ non ſaltem majorem libertatem ſpatiumque ſeſe expandendi hac ratione nanciſcuntur, ſed aeri quoque externo commodior conceditur aditus, ac internum exagitandi ſuggeritur occaſio, Dum hos ipſos fructus, citius matureſcere deprehendimus, qui ab avibus ſimilibuſve animalib. commorſi autimmaturiores decerpti fuerunt: eo præprimis, quod per tunicas ſuas laceratas ac pedunculos confractos plus aeris recipiant, quam integri ac arbo-

arboribus adhuc continui, Uno verbo fermentatio hæc fructuum maturativa ſimili modo ſe habere videtur ac cereviſia recens, muſtum aliique ſucci & maſſæ fermentandæ, quæ accuratius munitæ ſeu intra vaſa arctius clauſa ſegnius & difficilius fermeneſcunt, quam aeri libero expoſitæ: ita quidem, ut intra machinam pneumaticam Boylianam ſuccum rubi idei, item muſtum, per plures dies integros & immutatos, elapſo anno in loco ſatis calido, me conſervaſſe meminerim, alia horum liquorum portione, ſub aura libera ejuſdem conclavis, mox per fermentationem fatiſcente. Ut taceam, quod piſtoribus, *Z*ythopœis ſimilibuſque mechanicis notiſſimum, pro varia atmoſphæræ habitudine fermentationum ſucceſſus variè determinari: ut ſub aura tepidiore hæc celerius atque impetuoſius contingant, ſub frigidiore ſufflaminentur & extinguantur, quemadmodum ideo hybernam tempeſtatem ad fermentandas res minus aptam, æſtivam magis potentem; obſervamus.

§. 8. In *Putrefactione* aërem efficienter concurrere, equidem negat *Mariotte, de la nature de l'air*, putreſcere tamen in aëre aperto fructus, ſanguinem aliaque citius, ideo quod eorum ſubſtantia facilius exhalabilis in hoc commodius, quam in aëre limitibus anguſtioribus coërcito, inveniat receptaculum; Aſt, quantum mihi equidem judicare licet, ejus experimenta conſequentia illa, quam ſibi promittunt, vix gaudent, quatenus aërem paucum & occluſum putredinem aliquantum ſufflaminare, liberum verò eandem magis adjuvare, tantùm evincunt, neutiquam tamen, quod aſſerit, probant, aërem anguſtiorum vaſorum plus quam receptaculum aëre vacuum, putredinem arcere. Aër enim eſt, cujus partes, nobis ut ut inſenſibiles, ſe in corporum poros inſinuant, motuque & vibratione ſua mobiliora minuſque implicata illorum minima expellunt & ſecum rapiunt, aut harum ſitum & figuram, hinc totius texturam, ita immutant, ut iſta novas & priſtinæ formæ incongruas qualitates acquirant. Unde fit, ut quæcunque aëris contactum arcent aut ejus motum coercent, concreta, in ſe alias ſummè corruptibilia, à putredine præſervent: quatenus aquis aut terræ profundius immerſa (quo aër externus non adeò commodè penetrare valeat) tardius, partes verò eorum, quæ terræ ſuperficiei propinquiores, aut aquis non ſemper teguntur, faciliimè ac brevi putreſcunt, & colophonio incruſtata, butyro oblita, oleo cooperta, aut in vaſe recipiente, quod per modò nominatam machinam pneumaticam omni aëre exhauſtam; conſervata vegetabilia æque ac animalia corruptionem vix, aut poſt longius demum tempus, experiuntur, quamvis de piſcibus contrarium teſtetur experientia, facilè in vacuo quoque putreſcentibus. Pariter *Dominus Boyle* per diverſa annotavit tentamina aërem compreſſum in quibuſdam vegetabilibus, verbi gratia, Tulipa, Conſolida regali &c. putrefactionem ac muceſcentiam, quam in aëre libero ac rariore contrahunt, impedire, ita tamen, ut temporis progreſſu à quantitate aëris condenſati varia corruptionis quoque quantitas in alijs dependeat diverſa: ut illud denique mittam phænomenon, quo aërem calidiorem & humidiorem putredinem accelerare, frigidiorem eandem ſiſtere, quàm uberrimè liquet,

§. 9. Præterea *ſolutiones* per menſtrua varia adornandas aëris habitudo particularis diverſimodè modificat, quatenus per machinam illam digeſtricem, aërem incluſum comprimentem, quam modo nominatus *Dominus Boyle* intimavit, prolixius verò ſuperiore anno delineavit ac emendavit, *Ingenioſiſſimus Papinus*, Tincturas etiam tales, quarum copia alia adeò facilè fieri nequit, ex concretis per menſtrua appropriata evocare licet, & brevi quidem ſatis tempore, verbi gratia, ſub directione *Domini Sclare* intra paucas horas ex ſale tartari cum ſpiritu vini tantæ acrimoniæ tincturam, qualem intra menſem per digeſtionem ordinariam vix aliquis compararet, item tincturam ſuccini cum eodem ſpiritu vini, officinali longè potentiorem.

§. 10. Quibus contrarium effectum teſtantur ſolutiones in aëre ordinario clauſo ac in vacuo ſeu magis rarefacto tentatæ: quarum illæ tardius, hæ tardiſſimè, quæ verò in aëre ampliore, facillimè atque celerrimè perficiuntur. Ita verbi gratia, cum ſpiritu ſalis armoniaci, in aëre aperto, ex limatura cupri, intra ſex vel ſeptem circiter minuta notabilem, ac intra horæ quadrantem profundam & ſaturatam planè, cœruleitatem provocavi: in vaſe arctius clauſo intra dimidiæ horæ ſpatium vix ſenſibilem, in Vacuo autem intra horam ferè nihil planè coloris idem menſtruum induiſſe vidi. Donec aër externus per epiſtomium machinæ recluſum irruens menſtruum dictum, hactenus rarefactum, cum tanto impetu deprimebat, ut hujus quædam guttulæ rorulentæ exultantes in partibus vaſis recipientis æneis in momento cœruleitatem contraherent, tingebaturque ſub eodem aëris appulſu ſuperior primo liquoris pars colore lazureo ac intra tria vel quatuor minuta tota ejus compages.

§. 11. Haud repetam *ex Diſſertat.* 1. experimentum *Grevvy*, qui mixturam olei vitrioli atque aniſi, ſub aura patente facilè in reſinam coagulabilem, in vacuo non adeo promptè ſibi implicari teſtatur; nec qua ratione oleum terebinthinæ cum ſale tartari ab aëre communi in ſaponem cogatur, multò minus, quæ de offa Helmontianæ, ex ſpiritu vini & urinæ parandæ, aeris attendenda conditione eodem loco monui: confirmabo potius experimentorum horum fidem per ſimile & olim Londini in Laboratorio Regio à me viſum phænomenon. Sc. deſtillabat *Dominus le Febvre*, dicti Laboratorij tunc temporis Præfectus, ſuper Vitriolum quoddam venereum ſpiritum ſalis armoniaci, qui liquor, quamvis in recipiente limpidus & coloris aquei conſpiceretur, taliſque in aliud vas effunderetur, cum ſedimento ſeu portione quadam ſubſtantiæ metallicæ, retortam ſimul tranſcendente, aere nihilominus poſtmodum in vaſe aperto ſuperveniente, ſedimento eidem venereo reaffuſus, cyaneum, & quidem in momento, induebat colorem, qualem mora diuturniore & aliquot horarum ſine aeris externi ingruentia, elicere haud poterat. Spectat etiam huc, quod Spiritus Nitri, ſpiritui terebinthinæ commixtus, ſub dio libero citius longè quaſdam hujus diſſolvat particulas, haſve ſibi adaptet, quàm ſi intra vas recipiens, è quo aer probè exantlatus, eoſdem liquores confundas, utpote qui poſt aliquot demum horas ſenſibiliter coeunt. Denique hic ponderare convenit ſolutiones metallicas, cum menſtruis magis corroſivis inſtituendas v. g. ejuſdem Cupri cum Aqua forti, quam *Do. Papinus* equidem *Tranſact. Philoſ. Anglor.* Nu. 119. in vacuo ſegnius, quàm in aura patula, fieri perhibet, cùm tamen contrarium ſucceſſum propria me nuper docuerit, (ni circumſtantiæ me fallunt) experientia: qua obſervavi, dictum menſtruum ſeu ſpiritum Nitri, limaturæ Veneris affuſum, hanc ſub aere latiore impetuosè ſatis aggredi, potentius tamen longe intra excipulum aëre vacuum, ita quidem ut cum ſpumeſcentia inſigni ſolutio hæc ſupra oras vitri, in quo continebatur, erumperet, tantillum verò aeris denuo immiſtum mox in eandem ſolutionem ita vibraretur, ut hæc in momento ſubſidendo deſpumeſceret, imò cum tanto impetu deprimeretur, qui

ejus

ejus notabilem portionem extra vaſculum continens ad faſtigium & latera excipuli machinæ elutriaret.

12. Præterea *Deſtillationum* atque *Sublimationum* quoque effectus aëris externi admiſſio atque ſecluſio non parum moderatur, atque immutat. Ne enim hûc revocem, quæ ſuperiùs de ignis diverſimodè applicati diſpari ſucceſſu recenſui, quid notius eſt, quam ſulphur ſub campana, quam atmoſphæra libere perflat, accenſum maximam partem deflagrare & in ſtagma acidum reſolvi, quod idem nihilominus ſub vaſis clauſis in flores, ſulphuris immiſſi pondus ferè æquantes, ſublimatur, ex vegetabilibus aromaticis quæ per arenam deſtillantur, aqua & oleum empyreuma ſpirantia, ex obſervatione *Celeberrimi Boyle*, ope certi inſtrumenti, ab eodem *Exper. phyſ. mechan. contin.* 2. delineati, in vacuo prodeunt, ex eadem arena, ſuaviſſimi odoris. Nec repetere hic pigebit phænomenon illud, cujus olim jamdum aliquando mentionem feci. Nempe colchotar Vitrioli rubicundum, antequam aëream humiditatem abſorbeat, in retorta figulina aut vitrea loricata, & excipulo conveniente inſtructa, igni reverberii committatur, hujus portio ſalina fixior, & alias oleum Vitrioli puniceum formans, ultimâ illius torturâ ſub nebulæ albicantis ſpecie propellitur, quæ tamen minimè in fluidam, ſed in ſolidam & cryſtalliformem maſſam condenſatur: quod ſi verò cementum, vaſa hæc combinans, iiſdem refrigeratis tollatur, ita ut aura ambiens excipulum confertim ſubeat, cryſtallumque hunc lambat, illa mox hujus quandam portionem in nebulam reſolvit atque attollit ſulphuream & incautos penè ſuffocantem; moderatè autem & ſucceſſivè admiſſa totum illum cryſtallum in oleum obſcurè rubicundum deliquat, quod facilè tamen & ad leniorem calorem ſuam fluiditatem deponit priſtinamque ſpiſſitudinem & formam reaſſumit, niſi & hæc per novi aëris appulſum iterum deſtruatur.

§. 13. Alcalibus depurandis quamvis in officinis Chymicorem ordinariè Ignis & Aqua duntaxat miniſtrentur, illaque his mediantibus crebrius calcinata ac ſoluta ab omnibus heterogeneitatibus terreſtribus ac unctuoſis videantur liberata: ad puritatis tamen ac homogeneitatis ultimum faſtigium demum evehuntur, ſi aëris quoque vibrationem ad deliquationem uſque ſuſtineant. Hinc ſal v. g. Tartari, quod per crebriores ac repetiras ignitiones & in aquâ ſolutiones omni impuritate exutum cenſetur, ſi in aëre fluat, fœces ac ſedimentum nigricans adhuc poſt ſe relinquit, tale, quod nullo igne conſumi nullaque aqua elui poterat, ſed ſoli aëris potentiæ ſeparatoriæ cedit. Proin illud *Vigenerii de Aqua & ſale* perpetui ſucceſſus deprehenditur, *quod in una iſtarum in aëre humido reſolutionum, quæ per ſe fiunt, omnia ſalia & alumina ſe depurent magis quam in duodecim aut quindecim diſſolutionibus, quæ per acetum aut alia ſimilia diſſolventia fieri conſueverunt.* Quamvis enim *Dom. Mariotte, de la Nature de l'Air* promptus largiar, non tam aërem, quam aqueos vapores huic innatantes, ſalia immediatè diſſolvere: Iſte nihilominùs, eoſdem incredibiliter diſcontinuat ac vibrat, his, tanquam appropriatis menſtruis. utitur illoſque magis attenuatos longè alia ratione, quam ſi in aquam ſpiſſiorem coagulati fuerint, impellit, i. e. motum impetuoſiorem iis imprimit, ſeu eoſdem ad penitiora magis ſalium dirigit, ita quidem, ut v. g. oleum tartari per deliquium firmioris texturæ obſervemus, ac Lixivium ſalis tartari cum aqua paratum.

§. 14. Tranſeam nunc, quæ de aëris potentia in concretis fixioribus volatiliſandis præter *Helmontium* ac ſæpiùs laudatum *Boyle of Volatilitie* alii mechanici attenderunt, eam in ſalium ſolutorum in cryſtalliſatione tantum nunc obſervaturus; quam in acidis, ſalſis & Vitriolis frigidior aër præſtat, cryſtallos vero productos tepidus conſervat, calidior deſtruit. Contrà gelidus alcalia deliquat, eorum ſolutionem in cryſtallos diaphanos tepidus cogit, quos aër frigidior brevi denuò fundit, prout in ſalis tartari ſolutione experiri licet, cujus ad medietatem circiter evaporatæ portio notabilis circa vaſis fundum in cryſtallos angulares, irregularis quamvis figuræ. temporis tractu, per teporem blandum, faceſſit, ſub liquore proprio aut in atmoſphæra temperata ſoliditatem ſuam tuentes. Pariter ſalia cum aqua ſoluta in receptaculo aëre vacuo haud adeò facilè, ac ſub aëre libero, in cryſtallos abeunt; ut quemlibet, machinam Boylianam verſantem, mechanica docebit.

§ 15. Imò quemadmodum recenſitarum hactenus operationum mechanicarum ſucceſſus diverſa ætheris conditio variuſque aëris impulſus notabiliter variat atque moderatur, ſic plures harum æque ac aliarum deprehenduntur ſpecies, quas ſine præparatione illa præcedanea, quam idem aër ſubjectis præſtat, fruſtraneo conatu tentamus: ita quidem, ut multi, non minùs ex Philoſophorum cœtu, ac vulgi turbâ, aërem corporibus ſibi expoſitis aliquid ſuæ ſubſtantiæ inſpiraſſe autument: qualium phænomenorum catalogos prolixos paſſim videre licet, pauca nihilominus nunc indigitaſſe, ſufficiat. Nempe obſervant communiter Metallurgi, nonnullas equidem Vitrioli & Aluminis mineras aquæ affuſæ mox ſuam ſalſuginem concedere, alias tamen econtra non niſi per aëris aliquot menſium aut annorum contactum prædiſpoſitas & per incaleſcentiam quandam maceratas, fœtus ſuos eniti, ut nihil dicam de glebis ſeu terris ſale ſuo exhauſtis, quæ tandem temporis tractu ab aura circumfluente eodem ſpecie ſale de novo imprægnantur, ſicut præter *Agricolam de re metall. l. 12. Ercker, Bergb. l. 5. & Rocham de aquis miner. c. 1.* quotidiana teſtatur experientia. In præſentiarum ſcopum fieret Magneſia illa vitriolata, cujus ſub minerae Martis Haſſiacæ titulo *Diſſertat.* 2. mentio facta fuit quæ ſine prævia aëris digeſtione ad aquam ſibi affuſam, nihil vitrioli deponit, nec igni commiſſa ſtagma acidum fundit: utrumque tamen liberè dimittit, poſtquam per aliquot menſes iſtius incubationem ſuſtinuit.

§. 16. Denique & hujus loci erit, quod nonnullis mineralium fuſionibus ac depurationibus aër craſſus atque nebuloſus impedimento, cœlum ſudum & ſerenum adjumento ſit, v. g Epatis ac vitri Antimonii confectioni, quæ ſub hoc colorem ac pelluciditatem ſplendidiorem, ſub aëre nebuloſo obſcuriorem, nanciſcuntur, quemadmodum de Epate antimonii *Nobil. Kerkringius in Baſil. Curr. triumph. antimon.* perhibet, eſſe quædam anni tempora, quibus ſi hoc paratum cum menſtruo debito præcipitetur, hoc alio prorſus imbuatur colore aliiſque præſtat viribus, quam id, quod alio tempore confectum eſt. Quam enim in his ſimi ibuſque operationibus chymicis adornandis advertere jubent, occultiorem aſtrorum influentia dubia adhuc eſt, vel quod influxus hic maximè precarius adhuc videatur, vel quod experientia eoſdem ſæpè effectus diverſa ſub conſtellatione ſiſtat, dum optimus v. g. Regulus antimonii quovis tempore, modo reliquæ operationis circumſtantiæ probè obſerventur, paratur.

§. 17. Ex quibus cunctis abundè ſatis aëris illum concurſum Inſtrumentalem, ſine quo chymicis operari haud licet conſtare puto: cujus tamen ætiologiam ſeu influendi modum explicari ſi deſideres, non unius, ſed varii, genii deprehendes autorum ſuper hæc theorias. Sunt enim primò Peripatetici, qui calori, frigori, humiditati, & ſiccitati, adeoque aëris qualitatibus primis, omne hoc attribuunt: aſt quia calorem aër omnem ab extra, ſeu à ſole aliiſque calefacientibus, recipit, hincque ille ipſi vix congenita, ſed acceſſoria ac mutuatitia tantùm, affectio eſt, aër quoque interdum talis præſtat, quæ calor ſine aëre, cujuſcunque gradus agere haud poteſt, v. g. fermentationem, fixorum nonnullorum

rum volatiliſationem; qualitas hæc agentis adæquati nomen vix merebitur. Quoad frigus, licet aërem frigidum per ſe exiſtere, ex dictis ſupponamus, illa tamen phænomena, quæ frigoris productis analoga credantur, multum ab iiſdem diſcrepant, v. g. glacies & ſalium cryſtalli, quatenus glacies ſub æthere tepidiore deliqueſcit, ſalia neutiquam; imò nec illa, quæ frigoris immediati effectus habentur, tales exiſtunt, v. g. condenſatio, gravitati potius aſſignanda. Pariter quia nec humiditas aëri eſſentialis, ſed accidentalis ſaltem, eſt, utpote quam à pluviis frequentioribus, aut maris, fluminum atque ſtagnorum vicinitate recipit, moxque denuò deponit, ita quidem, ut, quamdiu ſibi relinquitur, ad abſorbendas potiùs & imbibendas aliorum corporum humiditates aptus obſervetur, quod non contingeret, ſi natura ſua humidus foret; humiditatis effectus non tam aëri, quam aqueis ipſi intertextis particulis, aſſignandi videntur. Siccitati ejus equidem, ſi præſto ſit aliquid potentiæ concedi poſſet: verùm quia hæc vix tale quid eſt, quod univoca actione in ſubjecta ſibi expoſita agat, ſed aër partim corporum humidiorum particulas aquoſiores motu ſuo exagitando expellit, partim per modum quendam relativum, i. e. partium ſuarum texturam, ad excipiendas & continendas illas aptus obſervatur, hincque ſiccus dici valet, nec huic tantum, quantum alias fieri ſolet, aëris conditioni in phænomenis chymicis attribui debet.

§. 18. Deinde obſervantur alii, qui aërem in corporum diſſolutione & combinatione chymica materialiter concurrere credunt, adeoque vel ratione nitri ſeu ſalis univerſalis, vel ſpiritus Nitro-aerei, vel particularum, à ſubterraneis corporibus, hactenus quidem ignotis, aſt activis maximè, exhalantium, vel ſolis, reliquorumque planetarum emanationum, fermentationibus, putrefactionibus, Vitriolorum & ſalium è marcaſitis in glebis ſuis regenerationibus & productionibus miniſtrari. Quam tamen hypotheſin, à multis equidem receptam, non omni ambiguitate deſtitui, ſuperioribus annis in peculiari chartulà monſtravi, nec in præſentiarum in illam adhuc adeò ſimpliciter & ita deſcendere valeo, ut per eam Operationum Chymicarum, harumque phænomenorum univerſalium magis, quibus aër præeſt, ætiologias explicandas credam, quatenus quæ pro illa defendenda à Scriptoribus (mihi quidem innoteſcentibus) publicè prolata, aut ab Amicis his meis dubiis privatim hactenus oppoſita fuerunt, ab iis me omnimodè haud liberant, ut alia forſan occaſione declaraturus ero.

§ 19. In præſentiarum illud ſaltem, quod proxima diſſertatione promiſi, paucis expediam, atmoſphæræ ſc. univerſali nec Nitrum, nec ſpiritum Nitro-aereum, à recentioribus quibuſdam ſuppoſitum, inexiſtere: quamvis atmoſphæram hanc vel illam particularem nitri è certis terris exhalationes recipere & ſecum longius aliquando abrepere, negandum haud veniat. Quippe (1) ſi ſecundum *Tabulam ſmaragdinam* ſuperius hic, ſicut inferius & Nitri pater Sol ac mater Luna, locus vero natalis, aer eſſet, cur non omnis terra, ſed illa tantum, quæ per ſe nitroſa, excrementis animalium, calce viva, ſimilibuſque ſalibus imbuta, ad aviculam hanc Hermetis capiendam æque apta; Reſpondent, quia non quælibet harum congruo magnetiſmo turget, qualis ad apprehendendum & retinendum hoc minerale æthereum exigitur. Regero ſi determinatus magnetiſmus ſeu congruitas quædam certa ad illud alliciendum ſeu excipiendum neceſſaria eſt, cur nihilominus in tam infinita mixtorum genera Nitrum hoc aereum agere, iiſque adeò varias & innumeras mutationes imprimere, concedimus, in quorum tamen tanta varietate magnetiſmus ejuſmodi uniformis concipi ac demonſtrari nequit? (2) cur ordinariè atmoſphæræ pars inferior tantum minimè ſuperior, illud ſal hermaphroditicum fovet ac enititur? quatenus qui in nitro producendo & multiplicando laborant, operarij cumulos ſeu acervos illis terræ nitriferæ ulnis ſex vel octo vix altiores congerunt, imò ab inferiore potius, quam ſuperiore, harum parte meſſem Nitri uberiorem petunt ac recipiunt? Quo etiam illud *Mariotti* experimentum facit; qui terram nitroſam, ex qua Nitrum jamdum elixiviatum, in contignatione domus quarta & ſuperiore, aeri per duos annos expoſuit, obſervaturus, an illa hic novo nitro imprægnaretur, fruſtraneo tamen cum ſucceſſu, cùm interim ſimilis terra cellæ impoſita notabilem ejus quantitatem recepiſſet: ita ut terram potius, quam aerem, nitri feracem eſſe mechanica credere iubeat. Potiſſimum quoniam, qui Nitro colligendo inhiant, terras ac murorum calce cementatorum rudera ac pulverem cavearum ſubterraneum fornicibus inſternunt, non ex aere, ſed ex illarum atmoſphæris atque exhalationibus, ſalis hujus proventum uberiorem ſibi pollicentes: ac in ſtabulis, jumentorum ſimiliumque animalium excrementis ac fimis oblitis & ab aeris appulſu immediato remotioribus, copioſius, quam in aliis patentioribus locis, eruitur Nitrum.

§ 20. Nec illorum commento ſatis ingenioſo aſſentiri poſſum; qui, diviſum terræ atque ætheri compingendo nitro imperium decernentes, ex aere ſpiritum ſeu ſalem quendam igneum, quem *Nitro-aereum* appellant, tanquam partem quandam nitri activam magis, ſeu impetum facientem, pro hoc formando deſcendere & à terra abſorberi putant. Quamvis enim admittatur, *nonnihil aereum ad flammam quamtuncumq; conſtituendam requiri*, hoc tamen forſan *non ipſum aerem, ſed tantùm partem ejus magis activam ſubtilemque, eſſe*, item, *nitrum ſulphuri admixtum ac pulverem pyrium in vitro aere vacuo & ſubter aquas ſatis promptò deflagrare*, adeoque ad ſui accenſionem ſubſtantiâ *igneo-aerea* ab extra ſuggeſta non opus habere, *flammam à nitro deflagrante excitatam non à particulis hujus ſulphuris conflari, nec ſulphur in in loco, aere vacuo flammam, niſi nitrum niſi ad mixtum fuerit, concipere*: Cuncta tamen hæc pro ſpiritus ſeu particularum illius atmoſphæræ nitro-aerearum exiſtentia firmanda minimè ſufficiunt.

§ 21. Quippe quod aer non tota ſua mole præſtat, illud forſan ratione ſubſtantiæ æthereæ ſeu materiæ ſubtilioris ſibi intertextæ, aut per motum vibrationis agit: quod nitrum ſulphure temperatum aut pulvis pyrius accenſus ſub aquis non extinguatur, ab hujus ſpiritu rarefactorio & expanſivo habet, qui aquam expandendo ſpatium intra hanc ſibi parat, in quo ab extra irruens aer flammam ſubmerſam pari ferè modo ventilat, ac qui extra aquam conſtitutus, ut taceam eundem hunc nitri ſpiritum elaſticitate ſeu ventoſitate ſuâ ignem in carbonibus ac ſulphureis nitrarii accenſum quaſi ſufflare. Pari, non tamen eadem, ratione dico, cùm extra tubum illum, cui pulvis pyrius impactus, non adeò longe, ac ſi in aere libero hic deflagret, flamma prodeat, ſed maximâ partem intra hujus cancellos coerceatur: ut conſpicere commodè licebit, ſi in vaſe vitreo experimentum hoc adornes. Aquam verò ſimul notabiliter expandi hancque aerem externum ſubire, inde colligere poteris, quod illa intra pulveris pyrii deflagrationem majorem longè in molem efferatur, bullas amplas & copioſas projiciat, imò non rarò ultra oras vaſis turgeſcat haſque elabatur. Aſt in vacuo pulveris ejuſdem pyrii grana accendi atque explodi vix adeò certum eſt, ac nonnulli ſibi perſuadent, quatenus fruſtraneos aliquot experimenti hujus ſucceſſus *Experientiſſimus Boyle of the difficulty of producing flame vvithout Aer, Experim.* 5. 6. 7. & 8. teſtatur egoque aliquoties irrito conatu, aliis adſtantibus, idem tentavi.

§. 22. Dicerem proin, Aerem atmoſphæricum operationes chymicas moderari horumque phænomena atque effectus variare partim ſua gravitate, partim elaſticitate

ſticitate, partim fluiditate, ita tamen in earum una, vel altera per plura horum attributorum atmoſphæra vim ſuam exerat, v. g. in ignis productione atque perpetuatione it. putrefactione per elaſticitatem atque fluiditatem; quam vero illius humiditatem nonnulli quoque hujus loci volunt, quaſi per eam ſalium ſolutiones perficiat, in præſentiarum mittimus, utpote à vaporibus aqueis mutuatam, adeoque inſequenti occaſioni reſervandam.

§. 23. Gravitatem aeris, Peripateticis paradoxam, ponderoſis tamen, ab experientia maximè petitis, argumentis firmatam, prolixè nunc demonſtrare, nec ſcopi, nec paginarum harum, anguſtiores limites concedunt: præprimis cum qui noſtræ ætatis ſcripta phyſica ſolidiora legere non faſtidiunt, de eadem vix amplius dubitare queant. Hac E. ſuppoſita, aer non poterit non concretorum particulas, ſpiſſiores æque ac fluidas minores atque leviores, ſibi ſubjectas, gravitando deprimere, hacque preſſione vel invicem, vel aliis corporibus, appellere & adaptare, v. g. aqueas ſalibus: quorum ſolutiones in atmoſphæræ parte inferiore ideò feliciùs, quam in ſuperiore, ſuccedunt, quamvis hæc vaporibus aqueis, v. g. ſub pluvioſa tempeſtate, maximè quoque turgeat; i. e. ſalia in cella potiùs, quam ædium faſtigio, deliqueſcunt, ſine dubio ob diverſam aeris gravitatem, quam majorem longè in locis terræ viciniis omnes per multijugem evincunt experientiam. Ex quo pariter fundamento, ſeu pro varia aeris ad globum terraqueum tendentia atque preſſura, mixtura olei tartari & terebinthinæ in ſaponem, olei Vitrioli atque aniſi in reſinam, ſpiritus urinæ & vini in coagulum &c. ſub atmoſphæra craſſiore, v. g. in cavea pariter ſubterranea, commodius, quam rariore, hincque leviore, faceſſunt. Idem confirmare videtur Machinæ Digeſtricis Papinianæ, aerem ad varios gradus comprimentis, uſus, quatenus aeri per hanc impreſſum atque auctum pondus non tantùm, ut ſuperiùs annotatum, menſtruum concretis extrahendis potentius impellit, hincque Tincturarum eductiones facilitat, ſed oſſibus & cornubus quoque animalium, lebeti hujus inſtrumenti incluſis (ne reliqua hujus generis phænomena attingam) modò cum, modò ſine, aqua affuſa, ſciſſilem ac edilem mollitiem inducit, corporibus his ſolidioribus humiditatem aut propriam, aut alienam, inſinuando atque imprimendo.

§. 23. Ut proinde gravitatem hanc ſolutionum ac cryſtalliſationum ſimiliumve coagulationum, prout quidem ab atmoſphæra adjuvantur, ætiologiam non immeritò ſuſpicer, licet minimè ſolitariam, quatenus hujus fluorem pariter & elaſticitatem, operationibus illis modulum ſuum conferre, rationi haud abſonum videtur. Aſt Elaſticam aeris virtutem in ſpecie & manifeſtiùs deprehendere contingit in fermentatione atque putrefactione, in ſingula quippe harum aer internus ac externus, uterque elaſticitate gaudens, quam, utpote ſenſibilem ſatis & in Scholis Philoſophorum pleriſque hodie receptam, iterum potiùs ſuppono, quam præjudiciis obrutis perſuadere conor, in ſe agunt. Vegetabilibus ſubſtantiam aeream ſubeſſe, factitius ille aer, quem intra vacuum ſucceſſivè, quidem, ſed copioſè ſatis, eructant horum plurima, fateri jubet, ita quidem ut Mercurii vivi aſſenſum in Barometro, pariter vacuo incluſo, notabiliter variet atque juvet, imò ſucci horum in eadem machina ſenſibiliter valdè ebulliant & bullas ab imo ad ſuperficiem ſuam emittant. Hic E. particulis illorum ſolidioribus interſperſus, ab iis, tanquam totidem repagulis atque peſſulis, ſeu potius ſclopetulis pneumaticis, coercetur ejuſque ſpirulæ aut elateres comprimuntur ut è quibuſdam concretis, v. g. ex ſempervivo, ſale &c. ſi nimirum ab igne incaleſcant, cum ſtrepitu ac crepitu prodeat. Imò hujus expanſionem præterea impedit aer ambiens craſſior ac frigidior, qui integumentorum ſolidiorum tenacitudini ſubveniens ſpinæ interni renitentiam expanſivam magis coercet: donec idem calidior redditus intrinſeco aut novum calcar ſtimulumve addat, aut rareſcens interiori cedat, huncque, libertatem quærentem, dilatari & reliquas ſolidiores particulas in motum, aut fermentativum, aut putrefactivum, abripere, patiatur.

§. 24. Simile fatum experiri videntur mineralia vegetabilibus compactiora, quibus ab aere externo aliqua contingit mutatio, v. g. dum marcaſitæ in Vitriolum convertuntur, aliæve mineræ ad fundenda metalla, ab hujus appulſu præparantur, quod vel ſola eorum, quæ ab hoc iis ſupervenit, incaleſcentia docet, ſine motu ſubſtantiæ ſubtilis intrinſecæ haud contingens: quatenus per hunc ſulphurea eorum minima conteruntur, i. e. ſimile quid, quob ab igne actuali leniori, perferunt; cui toſtionis præparatoriæ cauſa eædem mineræ nonnunquam exponuntur, & ſic ad promenda mineralia maceratione quaſi quadam diſponuntur. Quem quidem aeris intrinſeci motum aer externus inchoare atque perpetuare ideò videtur, quod (1) ſine hujus contactu talia phænomena non obſerventur: (2) vapores aquei concretorum horum meatulos ſubeant & cum ſalinis ac metallicis interdum in vitriolaceam ſubſtantiam effloreſcant, incuneati quaſi ab atmoſphæræ minimis ſubtilioribus & continuam vibrationem exercentibus.

§. 25. Tandem n. ratione fluiditatis, i. e. per continuum & nunquam interruptum ſummamque partium ſuarum exiguitatem corpora etiam ſolidiſſima aer permeat, & horum particulas exagitat, vel eaſdem ab igne jamdum commotas ſuſcipit, atque atomis aqueis, quas ſibi intertextas gerit, combinat, ut in ſpiritus ſulphuris per campanam confectione deprehendimus. Imò quietiores quoque non rarò ſecum abripit, v. g. aqueas, hincque ſalium quorundam cryſtalliſationem juvat humidaque corpora deſiccat, ut ſalinas ſulphureaſque taceam, v. g. ſalium volatilium, ſpiritus nitri, Spiritus vini &c. utpote quibus evehendis & diſſipandis intrinſeca mobilitas vix unquam ſine aere proportionata exiſtit. Imprimis verò hic fluiditatis aereæ motus ad Ignis formalitatem præſtandam multum confert, ut ea ſuperiore diſſertatione repeti valet, illud ſaltem ſub præſentis colophone adnectendo, quod ſicut aer ad moleculas objectorum ſatis exiguas divellendas commodiſſimum exiſtit movens, ſic etiam pabuli ignei partes ſulphureas inter deflagrandum ille diſtrahat & quaſi atterendo ad ignem formandum aptas reddat: pari circiter modo, ac marcaſitæ illius Haſſiacæ, ſæpiùs memoratæ, ſulphur, quod ignis luculentus in ſtagma acidum & vitriolo formando conveniens menſtruum reſolvit, in ſimiles exhalationes temporis tractu redigit, ſubſtantiam hujus metallicam rodentes & cum hac in ſimile vitriolum abeuntes.

De Aqua & Terra.

Aqua ſicut ex ſyſtematis mundani fluidis ſecundis ſeu particularibus craſſiſſima eſt, ita uſum ejus inſtrumentalem in officinis Chymicorum ſenſibus faciliùs & à priore magis obſervare contingit, quàm Aeris, utpote fluidi, ſenſoria noſtra cuncta non adeò ferientis. Quippe non ſaltem in Balneo Maris & Vaporoſo caloris, ab igne emanantis, applicandi conveniens deprehenditur vehiculum, ſed præprimis in ſolutionibus atque extractionibus varii generis, concretorum æque animalium ac vegetabilium & mineralium, quibus ſatis frequens menſtruum exiſtit, ejus energia conſpicitur. Pariter Cryſtalliſationi quoque ſalium idem fluidum inſervit, hiſque intrinſecum evadit, i. e. cum ſubſtantia horum in Cryſtallum ſolidiorem faceſſit: ita quidem, ut ſine proportionata aquæ quantitate nullum

ſal

ſal in cryſtallum cogi queat, & hac per calcinationem exhalante, formam cryſtallinam idem deponat ac in calcem alteriuſve texturæ maſſam abeat. Dum v. g. Vitrioli cryſtalli, ſmaragdini, aut ſaphyrini coloris, ſi ſuper laminam ferream aut in olla vitreata calcinantur, cum exhalante ſubſtantia phlegmatica, pelluciditatem atque tincturam ſuam ſenſim perdunt, & calcis albi aut ſublavi atque opaci texturam induunt, cum notabili ponderis ſui jactura: calx verò hæc, ſi in aqua pluviali ſolvatur & per congruæ hujus portionis evaporationem ad cryſtalliſandum diſponatur, priſtinam Vitrioli faciem priſtinumque pondus recuperat.

§. 2. Aqua interim, quæ concreta diſſolvit, frequentiùs equidem externa, non rarò tamen interna etiam eſt, quatenus idem Vitriolum non ab aqua ſaltem extrinſecùs affuſa, ſed per ſe quoque & per humiditatem illam intrinſecam, quam per cryſtalliſationem ſuam fecit, in liquamen aqueo ſalinum abit calori aliquali, potiſſimum Maris balnei, expoſitum, utpote qui particulas illas aqueas internas commovet, haſque exagitando totam Vitrioli compagem diſſolvit ac fluidam reddit. Simili modo quædam etiam animalium, v. g. Lumbrici terreſtres, item vegetabilia, v. g. flores liliorum convallium &c. per putredinis certam rationem, ſine omni humiditate extranea & per phlegma intrinſecum in maſſam molliorem aut liquamen mucilaginoſum reſolvuntur, ſpiritus ſuos ſalino ſulphureos ad levioris ignis contactum exhalant. Quæ intrinſeca quoque ſalium mineralium aquoſitas particulas eorum, ab igne vehementiori commotis vehiculo exiſtit, ut hæc deſtillationi expoſita in ſtagmata acida deliqueſcant, fluorem ſuum, ceſſante etiam ignis activitate atque impetu, retinentia. Sic idem v. g. Vitriolum, quod phlegmate ſuo per diuturniorem calcinationem maximè ſpoliatum, per ignis potentioris vibrationem in nebulam quidem ſeu vaporem elevatur, hic tamen haud in fluidum, ſed ſolidum & cryſtallinum, cogitur corpus: quod neutiquam fit, ſi ſalinum hoc concretum leviter ſaltem toſtum fuerit, hincque proportionatam phlegmatis quantitatem retinuerit, aut ſi hujus, ad rubedinem obſcurum calcinati, particulæ ſalinæ in excipulum, cui aliquid aquæ infuſum, per deſtillationem urgeantur. Et Cornu Cervi v. g. corpus ſenſu aridiſſimum, in ſpiritum fluidum, propter phlegma copioſius, ſal ipſius volatile diſſolvens, faceſſit: qui totus ſalinam ſoliditatem induit, aquoſitate hac per rectificationem ſeparatâ.

§. 3. Contingit equidem in deſtillatione Cornu Cervi, ſerpentum &c. aliquid ſalis cum phlegmatica concretorum ſubſtantia coire, & cum illa in ſpiritum urinoſum deliqueſcere, notabili tamen ejus copia ſub molecularum ſalinarum textura lateribus excipuli adhæreſcente, i. e. à phlegmate non ſoluta. Aſt ratio hujus phænomeni hæc videtur, quod, quamvis in rectificatione ejuſmodi deſtillati, ubi ſal volatile, reliquis concreti partibus magis evolutum, hoc, tanquam levius, prius aſcendat, in prima tamen deſtillatione phlegma illud antecedat & in excipuli fundo colligatur, antequam ſalinæ exhalationes prodeant, quæ mox in lateribus ejus condenſatæ nullam ulterius aqueorum vaporum contactum ſuſtinent. Cum, ſi ignis mox intenſior concretis his, nulla habita graduum ratione, applicetur, & deſtillatio impetuoſius urgeatur, ita ut major ſalis portio ſtatim in principio, vaporibus aqueis intertexta, cum his ſimul aſcendat, minor longè hujus quantitas in lateribus vaſis colligatur, majore ſc. à phlegmate dilutâ & in ſpiritum ſoluta.

§. 4. Licet autem aqua multis variiſque corporum generibus eorumque particulis exagitandis & ſuſtinendis inſerviat, vix tamen adeò univerſalis, ac Ignis atque Aeris, eſt ejus potentia, dum ſalina & gummoſa ſ. mucilaginoſa tantùm, rarius terrea, ſulphurea aut metallica, aggreditur, prout illi frequentius ſolent: Et ſi forſan contingat, reſinas v. g. ab aqueis liquoribus abſorberi, ac vitriolum, tartarum &c. quæ præter ſubſtantiam ſalinam, terream quoque aut metallicam continent, ab aqua communi diſſolvi, imò ex vegetabilibus & animalibus decocta atque infuſa, totius mixti naturam referentia, parari: agunt tamen fluida hæc in talia, ubi alias minus congrua, non immediatè, ſed intervenientibus demum mediatoribus appropriatis v. g. vitello ovorum, reſinas diſcontinuante, ac abſorbente, aut per ſubſtantiam vitrioli, tartari reliquorumque corporum magis compoſitorum ſalinam, iis congenitam, cæteras eorum partes diſcontinuantem, nunc verò ſolutam & agitatam. Quando proin *Williſius de ferment.* Aquam univerſale menſtruum pronunciat, modò ſalinis ſpiculis acuetur, aquæ malè confert, quod ramentis ſalinis in acceptis referendum erat; i. e., aqua quidem horum ſolvens appropriatum eſt, hæc tamen ab illius fluore motâ aliorum ſimplicium & concretorum menſtrua evadunt. Tolle ſiquidem per evaporationem aquam, & diſſolutorum particulæ ſulphureæ aut terreſtres non cum illa exhalabunt, ſed ſali combinatæ in fundo vaſis remanebunt.

§. 5. Quia tamen non tantum ſalina & laxiora mineralia ſal. ſc. commune Nitrum, Vitriolum, Alumen, Calx viva &c. ab aqua & ipſi congeneribus menſtruis diſſolvuntur, ſed de metallicis quoque nonnullis concretis, v. g. Auro, ferro, antimonio, & mercurio, idem obſervatur aut obſervari dicitur, quaſi & hæc particulas ſui quaſdam, & cum his virtutem medicamentoſam, eis concedant; compactior nihilominus horum textura vix à molliore ejuſmodi agente ſibi aliquid deradi patiatur: quomodo hoc contingat, & in quantum id admitti debeat, explorandum erit. Ubi primò de auro obſervetur, quod, quamvis *Burrhus in epiſt. ad Bartholin. 4.* cum Antiquitate, hujus candefacti in liquoribus appropriatis, etiam aqueis, extinctioni multum tribuat, & v. g. *ad ſedandam diarrhœam & cordis palpitationem in hanc uſque diem nullum præſtantius medicamentum* repertum fuiſſe aſſerat; ita quidem ut (1) *auri pondus frequenter adhibiti ad hunc uſum inſigniter imminuatur.* (2) *color ejus in ſuperficie, utut radians, rubigine ſubcinerea atque ſubrubra obducatur, tandem* (3) *aqua libræ unius, à repetita extinctione ad quantitatem unciarum trium reducta, color lacteus viſus fuerit,* hæc verò (4) cum *ad ſiccitatem à deſtillatione urgeretur, cinerem, ex quo in capella aliquid auri colligebatur, relinqueret.* De aſſerto nihilominus hoc præter expectationem decantati effectûs fruſtraneam nos dubitare jubet, quod metalli hujus particulæ adeò arctè ſibi combinentur, ut ab igne nec commoveri, aut evolvi, nec ab aqua abſorberi, queant. Quam enim frequentius extincti auri ponderis imminutionem, rubiginem cineream, & aquæ, in qua illud extinguebatur, colorem lacteum αὐτόπτης recenſet, haud obſervare potui, qui laminas auri per antimonium fuſi, per viginti quinque ignitiones totidemque in aquam pluviam deſtillatam immerſiones, pondus & colorem, aquam verò, tentamini huic inſervientem, pelluciditatem priſtinam retinuiſſe, oculis propriis æquè, ac adſtantis cujuſdam amici, teſtor. Ita ut, ſi liquori forſan, in quo metallum hoc fixiſſimum extinguitur, vel peregrinus ſapor, vel alia qualitas contingat, non immeritò ambigendum veniat, an hæc ab auro, ut tali emergant, an potiùs à particulis acido-ſalinis, à pabulo ignis eructatis, illique adaptatis, aut metalli igneitate, quæ texturam aquæ pari forſan modo immutare valet, ac alia concreta per ignem quotidiè alterari præter illa, quæ *diſſert. 1.* monita, vel exinde conſtat, dum ſaccharum per meram ſuper ignem deliquationem novamque inſpiſſationem, colorem, ſoliditatem &c. naturalem perdit, novamque texturam adipiſcitur.

§. 6. Ferrum quod ſpectat, pariter per ignem candefactum

defectum, hujus ſal ſuperficiale, ſeu immaturiori & laxiori portioni adhæreſcens, ab igne agitatum metallum leviter corrodit, & cum hoc in vitriolum qſ. coit, quod poſtmodum per aquam abluitur & diſſolvitur. Simili quidem ratione, ac de auro modò innui, augurari quis poſſet, rem & hic ſe habere, ſc. ſalinas, ex ignis pabulo exhalantes, atomos ferrum aggredi & in eo concentratas vitriolum formare, aqua eluendum: ſed hypotheſin hanc deſtruit, quod ferrum, per ſe quoque aqueis menſtruis incoctum aut infuſum, his aliquid ſaporis vitriolici & virtutis deobſtruentis ac diureticæ imprimat; ita quidem ut ſi, cum majore limaturæ Martis quantitate coctio ejuſmodi diutius continuetur, decoctumque filtratum ad pelliculam uſque evaporetur, ſal quoddam, licet exilioris molis, per cryſtalliſationem producatur. Ut taceam in præſentiarum, ferrum aliquandiu in igne fuſum aliquomodo vitrificari, quod ſine ſalis cujuſdam concurſu fieri nequit: & limaturam martis per ſolam aquæ pluvialis adſperſionem in crocum converti, quod à ſalibus extrinſecis alias contingere, ex mechanicis ſuppono. Aſt maximè mirari ſubit potentiam aquæ illam, quam in ferrum æque ac in ſulphur commune hæc exerit, ſi illius limatura cum hujus pulvere in anatica quantitate miſceatur & utraque in paſtam redigantur: Sic enim poſt bihorium circiter hæc fermenteſcere & incaleſcere incipit, ut vix manibus vas continens attingere liceat, imò ſi major hujus materiæ moles, illa ſulphureum ſpirat odorem ac inflammari videtur, ferrum autem maximam partem in crocum faceſſit.

§. 7. Decocta ac infuſa antimonii crudi, hujus reguli, vitri & epatis, per aquam communem adornata, pariter vim ſudoriferam atque emeticam recipiunt, imbibendo particulas quaſdam ſalino-ſulphureas, quæ iis paulò laxiùs adhæreſcunt. Antimonio ſiquidem crudo ſal quoddam inexiſtere, ut alia taceam, ſal potens comprobat, quod ex eodem per calcinationem cum calce viva æquè ac cum creta, paratur: quamvis in vitro, regulo &c. illius aliqua portio per fuſionem ſimileſque operationes partim expulſa, partim magis fixata, videatur. Concedi equidem debet, parum, aut nihil forſan, ſaporis peregrini menſtruis aqueis à ſalina hac ſubſtantia affricari, i. e. decocta & infuſa antimonialia ſaporis notabilis expertia obſervari: non magis tamen, à liquoribus iſtis hanc non abſorberi, dici valet, ac de decocto calcis vivæ inſipidiſſimo quis aſſerere vellet, hoc à calce nullas particulas ſalinas imbibiſſe, utpote quarum nihilominus præſentia varia phænomena arguunt. Imò quamvis ramenta hæc, quæ ab antimonio hujuſque prole aqua recipit adeo exiguæ molis ſint, ut cuncti ferè chymici aſſeverent, Antimonialia pluries & infinities infuſa, pondere ac viribus haud imminui: corporeas tamen atomos has eſſe, adeoque ſub earum receſſu moli quoque totius aliquid, ut ut vix ſenſibile, ſubtrahi etiam ſuſpicari jubemur, quod vigeſies v.g. aut pluries infuſa hæc concreta, præprimis cum vino, vix notabiliter amplius evacuent aut quaſvis vires exerant hincque moleculas quaſdam activas ſibi detraſas profiteantur; cur autem detrimentum adeò exile in illis hactenus non obſervatum fuerit, aut vix obſervari queat, *Nobiliſſimus Boyle de ſumma effluviorum ſubtilitate c. 5.* rationes ſuggerit.

§. 8. Cum Mercurio res adhuc difficilior videtur, dum & hic virtutem vermes enecandi aquæ communi, cui incoquitur, communicat: dici autem nequit, an ramenta quædam cum toto concreto eadem, an ſalina ſaltem, ſecedant; quatenus mineralis hujus abſtruſa & portentoſa textura, nulli alio mixto communis, aliquid certi hoc in paſſu determinare vetat.

§. 9. Atque eo ipſo, quia ad quorumvis præprimis ſalium, vitriolorum, aluminum atque tartarorum ſpecies diſſolvendas aptiſſima deprehenditur, aqua pro lixiviis ex cineribus formandis horumq; alcalibus evocandis, pro muriis conſtituendis, cunctiſque ſalibus depurandis non tantum adhibetur, & particulæ ſulphuris communis ſalinæ, per deflagrationem expulſæ ac in auras aliàs abeuntes, à ſuppoſita aqua imbibuntur atque abſorbentur, quo oleum ſulphuris communiter dictum præbeant: Sed idem fluidum ſolidiora tenacia quoque vegetabilia & animalia eorumque partes ſubit, ac ex iis ſalinas, imò aliquas, iis arctius combinatas, ſulphureas, ac de totius natura reſtantes, moleculas, ſeu tincturam & cum hac odorem ac ſaporem, depromit, ut in decoctis ac infuſis, per aquea menſtrua adornatis liquet. Quas quidem extractiones maximè ſalinas eſſe, inde evincitur, quod (1) infuſa & decocta, cum aqua facta, mixtorum illorum, quæ parum ſalis plus verò reſinoſæ & oleoſæ ſubſtantiæ poſſident, nullius aut exiguæ efficaciæ obſerventur, (2) concreta, è quibus decocta aut infuſa ejuſmodi jamdum parata ſunt, minorem longè quantitatem ſtagmatis ſalini per deſtillationem fundant, quam quæ nullam adhuc coctionem paſſa, parum quoque ſalis alcalici incinerata concedant. Quæ quidem ſubſtantia ſalina ab aqua commodius evolvitur partim ſi aquæ actio juvetur, v. g. per elixationem, partim ſi per operationes quaſdam miniſtras, v. g. digeſtionem, fermentationem aut aliam quamvis appropriatam, concreta prædiſponantur i. e. ex inviis compactilve permeabilia magis fiant. Ita v. g. aqua, in qua lignum computruit, notabiliorem longè ex hoc ſalis portionem recipit, quam ex non putrefacto ſenſibus manifeſtiorem reddendam, ſi aqua evaporetur; quatenus per putredinem adeò laxantur concreti pori, minimaque ejus ita disjunguntur, ut, quæ eorum ſalinæ texturæ, aquea vis, ejus clauſtra perrumpens combibat, aliàs maximam partem ab atmoſphera excipienda.

§. 10. Quam verò in mucilaginoſam ac gelatinoſam ſubſtantiam aqua exerit, vim præprimis experimur in gelatinis, ex partibus animalium ſolidioribus ac compactioribus coquendis, ac mucilaginibus quarundam radicum, v. g. althææ, ac ſeminum. v.g. lini, pſyllii &c. evocandis, & in gummatibus v. g. arabico, tragacantha, diſſolvendis: quod an, tanquam merè ſalina, patiantur hæc, equidem abſolutè determinare vix licet; maximam partem tamen eorum ſubſtantiam ſalinam eſſe, non improbabile fit, quatenus (1) oſſa & cornua, à quibus gelatinæ ſeparatæ, nihil aut exiguum ſatis, ſalis volatilis, dum deſtillationi ſubmittuntur, fundunt: (2) Gelatinæ evocatæ verò ſi igne deſtillatorio urgeantur, maximam partem in ſal volatile & oleum empyreumaticum abeunt, pauciſſimis terreſtreitatibus in fundo retortæ remanentibus. Quod autem in animalibus eſt gelatina & gluten, illud in vegetabilibus mucilagines & gummata, proin ſale quoque volatili hæc abundare plane paradoxum videri haud poterit.

§. 11. Atque hæc quidem de potentiæ aquæ effectibus ſufficiant, formalitas hujus moduſque agendi nunc exponendus erit. Sc. Aquam cum ſine fluiditate concipere haud liceat, neceſſariò inferre convenit, eam ex pluribus particulis, vario in motu conſtitutis, componi adeoque nunquam quietam eſſe, ita quidem ut in aqua, quæ nudis oculis, quoad quævis ſua minima, ſtagnans & quieſcens plane appareat, his microſcopio armatis motus undulationis ſ. ebullitionis notabilis conſpiciatur. Has particulas læves ſeu glabras ac flexiles potius, quam ramoſas cum Neotericis ſupponere decet, ideò quod (1) à quibuſvis, quibus adhæreſcit, aut quæ diluit, corporibus, facilius & levi calore evehatur ac in vapores explicetur: dum ramoſæ ſibique implicitæ olei particulæ quibuſvis poroſis firmius agglutinantur iiſque altius infiguntur, ut ab iis non adeò commodè ſe expedire aut detergi valeant; imò oleum aquæ confuſum & per agitationem huic quoad minima commixtum,

tum, mox propriam ſphæram repetit, ejuſque partes ſibi ſponte implicantur, ideò quod læves & flexiles aquæ moleculas facile elabuntur, per ramoſitatem verò ſuam ſeſe mutuo & per ginglymum quaſi quendam excipiant ac detineant. (2) Quod aqua leniter effuſa in guttulas ſeparatas & minores decidat, olea econtra, dum ſtillant, in fila quaſi protrahantur, majoreſque proin guttas forment. Propterea etiam (3) fit, cur aqua, quamvis facilè dilatabilis, vix, quemadmodum aer, comprimi ſeu condenſari, queat: quod plures ſc. aquæ partes, quæ ſibi, inſtar anguillularum lævium ac flexibilium, incumbunt, hinc exigua, aut vix ulla, ſpacia vacua inter ſe admittunt, ſe comprimi haud patiantur; imò propter contiguitatem, hinc glabritiem & flexibilitatem, aqueorum minimorum exactiorem aqua aere longè ponderoſior, ſecundum quoſdam ſc. millenis ferè vicibus, ſecundum *Domini Boylii* verò experimentum, quod *Exper. phyſ. mechan. contin.* 2. *art.* 11. recenſet, octingentis ſaltem, deprehenditur.

§. 12. Propter quam quoque aquearum particularum texturam & habitudinem ad ſe invicem, fluidum hoc, ſi non plane inſipidum, certè ſaporis, linguam leviſſimè tantùm vellicantis, exiſtit: quatenus ad ſenſorium guſtus afficiendum, aut papillas nerveas, quas immediatum guſtus organum nunc tantùm, brevitatis cauſa, ex Anatomicis ſuppono, percelli, aut motum ſpirituum animalium, his ſibique continuis nervis inexiſtentium, aliter modificari neceſſe eſt. Quorum neutrum à minimis aqueis expectari poteſt, utpote quæ glabræ partes illas nerveas vix ſtringunt aut fricant, ſpirituum verò motui potius obtemperant, quam ut aliam motus determinationem ipſis imprimant: quamvis negari non poſſit unam aquam præ altera, v. g. fontanam pluvià aut fluviali, ſenſibilius magis linguam afficere, utpote à terrâ, quam tranſit, particulas rigidiores & ramoſas magis, ut plurimum recipiens ac vehens.

§. 13. Quicquid E. aqua in ſolvendis corporibus præſtat, motu egit, dum ejus particulæ cunctæ, partim ab aëre, partim, & quidem potiſſimum, à fluido illo primo & univerſali, ſc. aura ætherea variæ & ſeorſim agitatæ, in corpora ſolidiora ſibi obvia motu continuo feruntur: quorum minima, ſi levius & per contiguitatem ſaltem laxiorem cohæreſcant, ab illarum vibratione facilè diſcontinuantur, ita tamen ut earum aliæ craſſiores ſc. terreſtres, aut ramoſæ, nempe oleoſæ mox ſecedant, & pro diverſa ſua ponderoſitate aut fundum aquæ petant, aut ſuperficiei ipſius ſupernatent, ſalinæ verò, tanquam mediæ naturæ & in minima infinita diviſibiles ab illis abripiantur & ſolutæ detineantur, donec portione quadam aquei earum vehiculi exhalante, hinc reliquarum ejus particularum motu fatiſcente, minima ſalina ad priſtinam contiguitatem ſe recipiant, & ſub cryſtallorum forma ipſi ſubmergantur aut lateribus vaſis adhæreſcant, niſi quibuſdam horum in cruſtam latiorem coeuntibus, hinc ſuperficiei ſolventis ratione hujus planitiei innatantibus, quatenus ſi cruſta hæc confringatur, ejus fragmenta etiam minima mox ad reliqua ſubmerguntur & per gravitatem ſibi congenitam fundum petunt.

§. 14. Ut ut autem aqua fluidum ſatis explicabile & ad vapores uſque inſenſibiles dilatabile ſit, minimè tamen, quamdiu fluorem ſibi adæquatum retinet, in infinitum ſe extendi patitur, aut certè à corpuſculis ejuſmodi ſalinis ſolidis extendi poteſt, i. e. determinatam duntaxat ſalis, & ab hoc abſorbtorum Concretorum quantitatem imbibit ſeu diſſolvit, quod verò illius proportionem illam quam activitatis ſphæram communiter dicunt, tranſcendit, intactum relinquit & v. g. ad partem unam ſalis ſolvendam quatuor præter propter aquæ partes exiguntur, niſi hoc ſol compactius aliiſque terreſtreitatibus arctius involutum coctionem pro ſui diſſolutione poſtulet, adeoque, propter evaporationem haud evitandam, paulo plus aquæ expectet. Quibus ita revera ſe habentibus paradoxum ſatis videtur phænomenon ſequens, ſc. diſſolvatur tantùm ſalis communis ſeu marini aut Nitri in aqua ſimplici, quantum hæc capere poteſt; quo facto aliqua Sacchari portio muriæ huic immittatur, quam itidem diſſolvet hæc: hinc Aluminis pariter tantum, quantum illa capere poteſt, tandemque vitriolum, quæ bina poſteriora, licet aqua illa nihil amplius ſalis aut Nitri, ac ſacchari abſorbere poterat, nihilominus in hac deliqueſcent, & quæ ne grano quidem ſalis communi amplius ferendo aut ſuſtinendo adæquata ad alia ſalium genera ſuſcipienda apta exiſtit.

§. 15. Utitur hoc experimento *Gaſſendus*, vacuo Epicuri & Democriti diſperſo ſuccinens pro comprobandis infinitis per aquam diſperſis, diverſiſque ſalibus, per diverſas ſuas figuras accommodatis ſpaciolis: quorum alia v. g. quadrata, ſalis moleculas cubicas tantùm, recipiant, hiſque repletis nihil hujus ſalis ulterius diſſolvi queat; aliorum autem figurarum meatus, hactenus inanes, ſaccharum, vitriolum &c. admittant. Verùm etſi hic diſputandi locus haud ſit, quo ſenſu Epicurus ac Democritus inane hoc aſſeruerint, quatenus forſan alia longè fuerit eorum mens, ac vulgò explicari ſolet; videtur: ante omnia tamen neutiquam à pororum inanium inexiſtentia aquæ vis, adeò diverſa ſalia ſolvendi, peti debet, ſed fiunt potius intercapedines hæ à particulis ſalinis, mole & gravitate ſua aqueas divellentibus; quæ etiam adeò notabiliter intumeſcit majuſque ſpatium quærit, prout, præprimis, ſi in phiola vitrea anguſtioris & longioris colli hæc ſolutio heterogenea patetur, obſervare contingit. Et ſi pro ſalium diverſis & innumeris atomis admittendis totidem aquæ conci perentur ſpatiola vacua, hæc notante *du Hamel*, tota foraminulis parvia & ſpongioſa foret, ac inania aquæ particulas hujus ſolidiores longè & enormiter ſuperarent.

§. 16. Nec ideò tamen eidem du *Hamel* auſcultandum, quando cum Digbœo, aquam ſale communi ſaturatam propterea aliquid ſacchari, aluminis &c. adhuc diſſolvere putat, quod illa à ſalis corpuſculis denſior reddita ſal idem amplius ſubire non poſſit, his tamen velut armata ſpiculis, vitrioli, aluminis aut ſucci alterius craſſioris mineralis penitiora ſubeat, ejuſque partes ingreſſu ſuo divellat. i. e. aqua uno tenuiore ſale prægnans ad alterius craſſioris diſſolutionem quodammodo diſponatur atque præparetur. Eadem quippe ſucceſſuum ratio eſt, ſive aquam prius ſubtiliore, ſive craſſiore ſale impregnes, dum aliquoties expertus ſum, ſolutionem vitrioli craſſioris maximè ſaturatam æquè promptè ſal commune aut Nitrum poſtmodumque ſaccharum imbibere, ac ſolutio ſalis penetrantioris vitriolum vel alumen in partes divellit atque abſorbet.

§. 17. De cætero hæc aquæ in corpora ſibi obvia activitas non parùm, ſed notabiliter, juvatur per motum illum, quem quælibet ab extra percellentia, præter motum ipſi naturalem & proprium, inducere valeat: qualia ſunt non ſaltem vaſorum & materiæ per ſpatulam ſimiliave inſtrumenta concuſſio, ſed quam ignis inſuper, ſeu calor hujus, præſtat. Utpote ad quem recipiendum hæc magis prona eſt, ob laxiorem ſuarum partium connexionem, quæ earum ſeparationem, hinc ad diverſa loca motum facilitat: quamvis propter eandem cauſam calorem intenſiorem, quem extrinſecùs contraxit, facilè denuò deponat. Recenſerem motus illius adjutorii nonnulla exempla, niſi in *diſſertatione prima* hoc jamdum factum recordarer; hujus loci illud tantùm monendum videbatur ſolutiones ejuſmodi modò immerſivas, modò vaporoſas, dici poſſe: illas quidem, ſi corpus, per aquam ſolvendum aut extrahendum, huic, ſub ſpiſſitudine naturali exiſtenti, infundatur;

has

has; verò ſi in ſumma vaſis idem ſuſpendatur, adeoque vaporem ſaltem illius excipiat, qui particulas illius ſolubiles ſimul abripiat, v. g. dum gelatina ex ebore C. C. &c. æquè hoc ad illo modo elicitur paratur.

§. 18. Interim & illud fateri cogimur, unam aquam præ altera ad ſolutiones has vel illas præſtandas aptiorem eſſe, v. g. pluviam ac fluvialem, fontanâ, quatenus hæc particulis heterogeneis magis ſcatens (1.) ad ſalia extranea admittenda non adeò commoda obſervatur. (2.) facilè imponit, quò id, quod aquæ, tanquam menſtrui, contentum, corporis extrahendi partem, credamus: aut (3.) ſolutorum texturam notabiliter alterare valet; imò (4.) quæ, calore adjuta, ſalia admiſit, poſt breve tempus ac tepeſcens denuò deponit & ad fundum ſponte præcipitari patitur: quorum hoc non raro quoque fiet, ſi ſolutioni ſalinæ, cum aqua pluvia paratæ, aquam fontanam infundas, cum tamen alias, quo plus aquæ, eo commodius ſalia diſſolvantur: licet pluviam & fluvialem quoque heterogeneitates interdum uberrimas fovere mechanica doceat. Imo quamvis aquam ſimplicem notabilis ſaporis expertem ſuperius pronunciarim, hujus tamen ſcaturigines frequentius & quàm manifeſtiſſimè varient ſapore aliiſque qualitatibus, dum harum alia ſalubrior, alia magis ad decoquendam cereviſiam, alia ad lavanda linteamina, alia ad ferrum temperandum & in chalybem convertendum alia ad Tincturas parandas magis aut minus apta obſervatur: ſine dubio, quod præter particulas ſalinas metallicas quoque has vel illas complectatur.

§. 19. Ab heterogeneitatibus ut liberetur aqua quævis, communiter equidem commendatur poſt ſubſidentiam & filtrationem deſtillatio, ſub qua notabilem ſalis ac terræ ut plurimum deponit proventum: aſt nec hæc encheiriſis omnem de homogeneitate ejuſmodi aquæ deſiderata dubitandi occaſionem tollit, quatenus ſal quoddam magis volatile huic inhærens non tantum ſimul per deſtillationem evehitur & per alembicum in excipulum deportatur, ſed terreſtreitates quoque alias arctius ſibi combinatas ſecum abripere poteſt, adeò ut nunquam forſan de vera alicujus aquæ ſimplicitate nos certos eſſe liceat. Præprimis cum *Celeberrimus Borrichius in Hermet. contra Conring. vindicat.* teſtetur. *aquam etiam limpidiſſimam, & vel decies per deſtillationes ab omni fece liberam, in veram, firmam, fixam, & inſipidam terram mutari, ſi eandem iterum iterumque frequentiſſimè, ex recentibus ſemper vaſis vitreis, deſtillando evoces: quavis enim vice tenellam quandam cuticulam terream, ſed elegantem, ex aqua illa enatam, ſuperficiei vitri interiori agglutinari,* Quod idem cum *Edhmundo Dichinſohno*, Medico & Chymico apud Oxonienſes Clariſſimo, narraret, ſibi centeſima deſtillatione hoc compertum hunc aſſeruiſſe, perhibet.

§. 20. Ex inſtrumentis, Naturalibus communiter dictis, ſiccum & ſolidum illud Terra ſcil. ponderandum reſtat; paradoxo forſan propoſito, illis præprimis qui terram principium rerum conſtitutivum iners, cadaveroſum, mereque paſſivum credunt, adeoque terræ damnatæ, capitis mortui &c. titulo deſignant. Quibus equidem litem haud movebo, an, quas poſt operationes chymicas ſæpius tanquam inutiles & effœtas rejiciunt, remanentiæ omnis planè activitatis & ſeminalis principij expertes ac vacuas jure pronuncient? cum Experimentum *Ioh. Agricolæ*, circa Terram damnatam ſulphuris factum, cuprum egregium, & caput mortuum fœniculi poſt deſtillationem, incinerationem ſaliſque eductionem *à le Febvre* in ſterquilinium rejectum, inſequente nilominus anno multum fœniculi promens, contrarium confirmet, ut *Domini Lemery*, Scriptoris Chymici Galli dexterrimi atque ingenioſiſſimi, taceam, qui terram nunquam puram à mixtis ſeparari poſſe, ſed illam ſemper infixas ſibi tenere particulas quaſdam illorum activas, ita ut aeri per aliquod tempus expoſita, inde aliquid novi petat, (melius forſan dixiſſet, latitans & fixatum ejus principium activum reſuſcitetur.)

§. 21. Supponam potius ſeu concipiam in præſentiarum Terram ſubſtantiam ſolidam & fixam, ſulphureis & ſalinis partibus expertem hinc nec igni, nec aquæ (aeri forſan aliquantum) cedentem, eamque vel ordinariam, qualem pedibus calcamus, vel è diverſis concretis arte eductam, v.g. oſſa calcinata &c. Cujus ſane uſum in Officinis Chymicis multifarium evincunt non ſaltem furnorum diverſorum catinorum, tigillorum, teſtarum, crucibulorum &c. apparatus, ſed multæ quoque deſtillationes, ſublimationes, depurationes, aliæve operationes, immediatum magis illius concurſum comprobant, ita quidem ut ſine aut cum hac minus ritè diſpoſita, aut non in proportione juſta adhibita, irritos non raro tentaminum ſuorum Chymicus experiatur ſucceſſus.

§. 22. In deſtillationibus frequentiora contingunt ejuſmodi phænomena & potiſſimum quidem ſpirituum mineralium acidorum. ex ſalibus ſimplicioribus parandorum, utpote quæ ſalia ſola igni expoſita à calore hujus facilè deliqueſcunt, hinc deſtillationem detrectant; tale proin corpus ipſis admiſcendum: cujus particulæ illorum corpuſcula exactius diſcontinuando fuſionem hanc impediunt. Equidem hactenus nonnulli Chymicorum allaborarunt in inveniendo modo, ſal commune ſine ejuſmodi additamento heterogeneo deſtillandi, ſed fruſtraneo cum ſucceſſu: ita ut merito aut certæ ſalis texturæ, aut præviæ præparationi, adſcribendum ſit, quando *Lemery Cours de Chym. c. 15.* à Viro quodam rerum Chymicarum experientiſſimo ſal quoddam marinum ſibi conceſſum fuiſſe refert, cui ignis moderatior ſpiritum quam acidiſſimum extorſerit.

§. 23. Atque horum additameamentorum à diverſis commendantur diverſa, dum alij farinam laterum, argillam, alumen uſtum, bolum aut vitrum contuſum, ſalibus admiſcenda ſuggerunt. Arenam, Lateres, bolum argillamque rejicit *Zvvelferus in Pharm. Auguſt.* quaſi nempe ſpiritus acidi, è corporibus ſuis propulſi & fervidi terras has aggrederentur atque corroderent, hinc multum de particulis ſalinis in his linquentes partim exiguæ quantitatis, partim phlegmatici ſeu aquoſi magis prodirent: pari ratione ac ſpiritus iidem deſtillati, ſi terris ejuſmodi affundantur, totaliter deſtruerentur, non ſecus ac ſi ſolvendis metallis adhibiti fuiſſent. Sed metum hunc vanum duplex reddit experientia, quatenus primò omnium mechanicorum obſervatione conſtat, ſpiritus tales cum ejuſmodi terreis additamentis paratos acidiſſimos & in ſufficiente quantitate prodirent, modò conveniens additamentorum proportio obſervetur, & operatio quoad reliquas encheiriſes decenter adminiſtretur. Secundò ſi pari modo in terras adjectas agerent ſpiritus ſeu vapores horum commoti atque in his concentrarentur, ac quando condenſati ipſis affunduntur, nec mediante igne exinde rurſus expellentur: Caput eorum mortuum ſaporem ſalinum, ſcilicet auſterum ſimilemve, præ ſe ferre deberet, cujus tamen contrarium lingua cujuſvis comprobat, id eſt, inſipidum ferè hoc deprehenditur. Et quod hunc in finem præ illis commendat Alumen uſtum, nihil prærogativæ præ reliquis terreis habere videtur, id eſt ſi hoc probè exuſtum fuerit, æquè in eo, ac in illis, acidum ſpirituum mineralium figetur, ut taceam alumen quocunque modo toſtum plurimum ſubſtantiæ ſalinæ adhuc retinere,

prout vel ſola ipſius vis cauſtica, quam in abſumenda ulcerum hyperſarcoſi exerit teſtari poſſet.

§. 24. Nihilominus & hoc aſſerere non dubito, quod arena & vitrum inter nominata diſcontinuantia minus commoda ſint: ſive mixturam hanc ſub pulveris forma Retortæ immittas, ſive eam cum aqua in globulos prius redigas. Sub priore ſiquidem conditione ponderoſitas dictorum corporum exactiori mixtioni cum ſal bus reſiſtit; poſteriorem verò ſi intendas, vix ſuccedet, quatenus hæc cum aqua diſſoluta non adeò intimè ab illis, utpote poroſis minus admittuntur, ſed vix illarum partium ſuperficiei exteriori adhæreſcentia globulorum firmitatem impedient.

§. 25. In vitrioli atque Aluminis deſtillatione terreis ejuſmodi heterogeneitatibus haud opus eſt, utpote quæ tantum terræ propriæ & intrinſecæ poſſident, quantum ejus pro deliquatione ſubſtantiæ ſalinæ inhibenda neceſſarium. Et Nitro v. g. cui, per ſe deſtillando boli ad minimum tres partes combinantur, ſi ex hoc Aquam fortem parare mens eſt, add tamen dupla aut æqualis portio ſufficit, quatenus terreſtreitates vitrioli juncti & proprij & Nitri, ſalis corpuſculis diſcontinuandis, ac ignis motui facilitando adæquatæ ſunt.

§. 26. Præterea in illorum concretorum, quæ calorem intenſiorem ſine ebullitione haud ſuſtineat, v. g. terebinthinæ, mellis, mannæ gummi elemi, maſtichis, ſuccini &c. deſtillatione his ut plurimum pro turgeſcentia illa infringenda arena, farina laterum cineres &c. adduntur; quibus in mollioribus & fluidis, ſcil. melle & terebinthina ſtuppæ cannabinæ ſuccenturiantur. Ubi tamen ratione horum poſteriorum nempe mellis & terebinthinæ illam corporum terreorum admixtionem non damnarem, niſi per hæc terebinthinæ reſiduum, quod colophoniæ nomine non exilem uſum in re medica & mechanicis habet, perderetur. Cineres ideò vix admitterem, quod ratione alcali aciditatem ſpiritus mellis, maſtichis &c. deſtruant. Nec arenæ combinatio adeò congrua, utpote quæ, in mollioribus præprimis concretis, ratione ponderoſitatis ſuæ ab his faciliùs ſecedit & ſubſidet. Imò cum plerorumque horum deſtillandorum ebullitio per gradualem ignis applicationem aut vaſorum amplitudinem intercipi queat: neglectis illis heterogeneitatibus illa potius igni committantur, niſi ceram ſimiliave excipere mavis.

§. 27. Referri huc pariter debet olei olivarum deſtillatio cum lateribus candefactis adornanda, Poſtquam enim hi in oleo extincti pulveriſantur atque igni exponuntur: quo facto oleum prodit ſubtilius empyreumaticum & acore ſuo intrinſeco maximam partem privatum, quod quo jure Philoſophorum aut de Lateribus audiat, facile judicare licet: Quippe vix concipi poteſt illa virtus, quam à lateribus ſibi promitteret illud oleum, utpote quæ corpora ſicca & omnibus partibus activis deſtituta ipſi nihil communicare valent: Sed & adhibentur pro olei ſaltem moleculis diſcontinuandis, hic actionem ignis rarefactoriam facilitandam.

§. 28. Aſt alterius finis gratiâ oſſa calcinata ſalibus volatilibus rectificandis intermiſcentur, v. g. viperarum, Cornu Cervi &c. ſublimationem cum recentibus oſſibus aut cornubus repetendo, Nam hoc modo oleum empyreumaticum, quod tantum fœtorem atque ingratitudinem ipſi imprimebat, ſeparatur & in oſſibus illis poroſis retinetur: unde etiam egregium candorem minusque nauſeabundum ſaporem induunt, id eſt, idem hæc oſſa præſtant, quod ſpiritu vini tartariſatus, oleaginoſitatem ſalium horum diſſolvens ac imbibens, hincque puriora hæc reddens, Memini mihi olim ex eodem principio ſalis tartari ſimiliumque fixorum volatiliſandi rationem commendatam fuiſſe: quaſi ſcilicet oleaginoſitas horum ſalia lixivioſa figens, hac ratione in oſſibus calcinatis concentraretur, hinc ſui juris & libera dimitteret ſalina corpuſcula. Sed non adeo felicem mihi contigit eſſe, ut operationis ſucceſſum deſideratum viderim: meliorem aliis fortunam hoc in paſſu precor.

§. 29. Tandem in vitrificatione terræ uſus inſignis obſervatur, quatenus hæc potiſſima vitri materia exiſtit, ita ut pro hujus puritate majore aut minore cum alcali in vitrum modo magis, modò minus, diaphanum colliqueſcat. Sed ſingularis & paucis hactenus cognitus, attamen hujus loci, aſt modus, plumbum ac ſtannum in granula exiliſſima, quæ cleplydris formandis maximè accommodata, redigendi, quem *Hook Micograph. cap.* 8. deſcribit. Nimirum exilior, quantum fieri poteſt, horum metallorum limatura cum calcis vivæ & ſiccæ pulvere in crucibulo ſtratificatur, ita ut ramentorum illa ſe haud contingant, ſed per calcis vivæ interjecta corpuſcula terrea probè diſcontinuentur: hinc igni graduali mixtura hæc committitur, ut metallum deliqueſcat. Quo facto maſſa aquâ communi diluitur, & ramenta metalli liquefacti ſub globulorum exiliſſimorum, ſeu potius pulveris ſubtilis, forma in fundo vaſis ſubſidet, facile à calce ſeparanda.

De Menſtruis.

Miſſis illis Inſtrumentis naturalibus & quæ cum aliis Mechanicis, imo cum Macrocoſmo, communia habet Chymicus, ad Menſtrua nunc tranſeo, tanquam agentia huic magis propria, & vel ideò quoque artificialia forſan dicenda, quod Chymico, ut tali, præprimis inſerviant ejuſque inſtrumenta proximiora exiſtant.

§. 2. De Menſtrui Etymologia haud ero ſollicitus cum à Chymicis ſuperiorum temporum, in nomenclaturis inveniendis ac determinandis ſæpius ſatis obſcuris, nec ſibi conſtantibus, imò non rarò impertinentibus, ſi non fallacibus, Notio hæc ad nos propagata fuerit. Illud vulgò deſcribunt per liquorem concreta naturalia in partes ſolventem: quæ tamen definitio triplici animadverſione indigere videtur.

§. 3. Quippe *primò* præter liquores ſolventes & extrahentes vitam quoque obſervantur corpora ſolidiora, quorum vim agendi in alia quotidie quoque experimur, quatenus verbi gratia, Sulphur in Mercurium, Mercurius ſublimatus in Antimonium, Antimonium in Aurum, Sal Tartari in ſulphur, Cæmenta in Metalla &c, operantur: adeoque non omne, quod vini ſolvendi habet, actu fluidum, exiſtit, multo minus Liquoris formam habet. Quamvis facilè largiar, ſolida ejuſmodi menſtrualem vim exerere in objecta ſibi expoſi a haud poſſe, niſi in fluorem redacta fuerint: Sive hunc ab Aere, ſive Aqua, ſive Igne, ſive binis horum ſimul, munientur. Ita v. g. Sulphur in Mercurium, Mercurius ſublimatus in Antimonium, hoc & Cæmenta in Aurum ac in cætera Metalla nihil agunt, niſi ab Igne agitata & in fluorem reſoluta: Sal Tartari aut Calx viva ſub conſiſtentia ſpiſſiore ſulphuris compagem minus aggrediuntur, niſi aut per Aquam aut Ignem aut utrumque, eorum ſoliditas aboleatur: pariter ſalina illa ſubſtantia, quæ in ſulphure Mineræ Martis Haſſiacæ latitat, hujus texturam Metallicam tunc demum laxat & cum hac in Vitriolum abit, poſtquam ſc. per aliquot menſes ab Aeris continuo appulſu fluorem ſuſcepit.

§. 4. *Deinde* & hic obſervare convenit, Menſtrua equidem plurima immediate ſolutionem corporum, quibus adaptantur præſtare, verbi gratia, liquor aqueus ſalia liquat, ſpiritus vini ſcammonium & Aqua fortis Metalla ſolvit: mediate tamen interdum

ad

ſolutorum quoque cum alijs concretis combinationem conferre, quatenus eadem ſalia deliquata à motoribus ſuis concretis metallicis ita impinguntur horumque minimis uniuntur, ut cum his,in Calcem aut Vitriolum abeunt.Imò,dum Mercurius menſtruorum appropriatorum vim ſuſtinet, dubitare licet an hæc illorum actio ſolutionis; an condenſationis ſeu coagulationis nomen mercatur; quatenus vix concipiendum, qua ratione fluidiſſimum Hydrargyri corpus in minores atomos ab extraneo dividi queat, adeoque ſine præcedanea potius ſolutione particulis menſtrui ſalinis connubat.

§. 5. *Denique* nec ſolida Menſtruorum objectum ſolitarium exiſtunt, ſed fluida quoque interdum eorum imperio ſubjecta obſervantur, v. g. olea deſtillata, butyrum antimonij &c. quorum illa Spiritus Vini, hoc Spiritus Nitri ſeu Aqua fortis ſolvit, ut taceam Mercurij vivi, quem actionem menſtruorum variorum experiri, modo indigitavi.

§. 6. Poſſent E. Menſtrua dici corpora quævis tam ſolida, quam fluida,, quæ partim ratione ſuæ agilitatis & motus ſive proprij, ſive à fluido quodam univerſali impreſſi, partim ratione configurationis atque congruitatis particularum, poros concretorum aliorum ſubeunt, horum minima divellunt ſibique implicant: ita ut hos modò ſimul in motum abripiant & in fluido ſtatu conſervent; modo ab iiſdem retineantur & cum illis in decompoſitum ſolidum coagulentur, utroque modo texturam corporis ſibi expoſiti ſenſibiliter immitent.

§. 7. Motu, aut certè non ſine motu, Menſtrua in objecta agere, confirmatur (1,) quod eò ipſo, dum ab his aut particulas determinatas deradere, aut totius concreti compagem diſſolvere, aut fluida condenſare debent, eadem penitiora ſolvendorum ſubire ac permeare, adeoque locum mutare, id eſt, moveri, neceſſe ſit: (2.) quid ejuſmodi motus in infinitis ſolutionibus, etiam quæ per menſtrua ſatis blanda & planè aquea fiunt, ſenſibus pateſcat: (3.) Motus ab extra, v. g. per agitationem aut ignem, impreſſus Menſtrui activitatem multum levet, ita ut quæ frigida non niſi ſegniter admodum operantur, incaleſcendo potentius ac celerius munus ſuum præſtent, imò quæ efficaciæ majoris, à calore externo multum juventur.

§. 8. Sed præter particularum Menſtrui motum & agilitatem aliud quid ad negotium hoc requiri, vel exinde colligere licet, quod certi liquores corpora nonnulla haud adeo commodè diſſolvant, niſi eorum partium motus atque activitas aquæ affuſione, aut aliorum vehiculorum torporem inducentium permixtione, debilitetur. Phænomenorum ejuſmodi infinita exempla Mechanica concedet, quatenus v. g. Spiritus aut Oleum Vitrioli in ferrum minus congruè agunt, pro Vitriolo inde parando, niſi aut Aqua communi aut Spiritu vini temperentur, hincque adeo ſenſibiliter infringatur eorum minorum activitas, ut ſtrepitus longe minor inter ſolvendum obſervetur, quàm ſi minus diluta hæc ſolventia manſiſſent. Pariter, ut illa taceam, quæ de Aquæ fortis aquæ dilutæ in Plumbum & Argentum potentia corroſiva majore *Celeberrimus Boyle in tentam. phyſiol.* refert, *Idem* Menſtrui cujuſdam mentionem facit, in quo aliàs Aurum inſtar glaciei in Aqua tepente, citra ebullitionem deliqueſcebat & cujus ope aliàs ex eodem metallo ſingularia produxerat, ab eo tamen, poſtquam ab omni terreæ & aqueæ ſubſtantiæ miſcela hoc liberatum fuerit, nihil prorſus priſtinæ efficaciæ impetrare potuerit.

§. 9. Quoniam verò nullam in rerum natura concipere licet dimenſionum penetrationem,adeoque nec Aquæ Regis in Aurum, nec aliis ſolventibus in alia concreta, niſi per poros, conceditur aditus, quo ſubſtantiæ illorum nexus diſſolvant; poros tamen non ejuſdem generis illud ſuſpicari jubet, quod prout concreta diverſa diversâ ſubſtantiâ gaudent,& ex varijs particulis coagmentata videntur, ita numerum quoque figuram ac magnitudinem horum interſtitiorum diverſam eſſe, id eſt, diverſitatem minimorum componentium pororum quoque facere diverſitatem, ſeu partium diſpoſitionem pororum ſequi confortationem: Solventium etiam particulas ſeu ſpicula ſimili forſan modo, ac clavis ſeræ, ſolvendorum poris adaptata eſſe, id eſt, habitudinem determinatam ratione figuræ atque magnitudinis hæc ad ſe invicem habere, veroſimile eſt, ſine qua, utut rapidiſſime mota & impulſa illa his minime impingi, adeoque ſolvendorum vinculum divellere poſſent. Quatenus cuneus major exilem fiſſuram, & corpus ſphæricum aut quadratum meatui triangulari minime adaptatur, hinc ad diſtrahendos & ſeparandos hujus parietes incongruè plane adhibetur.

§. 10. Sicut autem Menſtruorum agendi modum duplicem eſſe, alium quem motu, alium, quem mole & configuratione ſuarum atomorum præſtant, hac ratione conſtat: ita eorum nonnulla motu ſaltem, aut præprimis; alia motu & conformatione ſimul in concreta operari veroſimile ſit. Motu quidem potiſſimum activitatem ſuam exerunt, . Aquea & Oleoſa: quatenus poroſiora ſaltem concreta, verbi gratia, ſalina & vegetabila, ſine ſtrepitu & efferveſcentia, ſubeunt ac penetrant, adeoque laxius ſaltem ſibi cohæreſcentia ramenta diſcontinuant & ſecum auferunt, quamvis eo ipſo, quod olea ab omni ſalis conſortio vix libera obſerventur, horumque particulæ ramoſitate quadam gaudeant, configuratione inſimul ſua plus, quàm Aqua, videatur ad ſolutiones conferre adeoque compactiora & aquæ haud aſcultantia, verbi gratia, ſulphura, diſſolvant, ac in metallica quoque corpora, v. g. oleum Lini in corpori purificatione, operentur, ſalinis vero abſorbendis minimis, talibus jam dum ſaturata, vix adæquata exiſtant.

§. 11. Aſt præter motum per configurationem determ magis videntur agere menſtrua ſalina ac Salino-ſulphurea, utpote quorum ramenta rigidiora, acuminata & acuta inſtar totidem cuneorum ſunt: quatenus quæ alcali ſolvit, intactum relinquit acidum, ac vice verſa, imo inter acida quoque notabilis obſervatur diſparitas, dum eorum alia, v. g. ſp. Vitrioli in ferrum, Acetum in plumbum, ſpiritus ſalis in alia concreta tantum, agit. Et quamvis à laxiore ſolvendorum textura horumque majore firmitate ſolventium potentia iuvetur ac ſufflaminetur: dum v. g. ad diſſolvendum Mercurium vivum longe minor quantitas ſpiritus Nitri exigitur, quàm ſi Argentum v. g. aut Biſmuthum corrodendum fuerit, & ſpiritus vini, qui Mercurium ſublimatum, per acida jam dum maximè rarefactum, imbibit, vivum ac dulcem, utpote compactiora corpora, minimè penetrat. Salina tamen menſtrua tale adminiculum interdum haud curant, ſed ſolidiorum non raro ſolutioni adæquata ſunt hæc, quæ corpora, quorum minima non adeo arctè cohærent, haud lacerant, dum v. g. tartarus ferrum, & acetum plumbum ſolvens, in Biſmuthum & Mercurium nullum jus habeat.

§. 12. Singularem inter immeditandi occaſionem Chymicis ſuppeditarunt Aquæ fortis ſeu ſpiritus Nitri in argentum, & Aquæ Regis in Aurum agentis æthiologiæ: id eſt, dum alia quædam metalla, v. g. Cuprum & Ferrum, à variis liquoribus acidis facile corroduntur, quomodo hæc Aqua fortis Lunam tantùm, non Solem, Aqua regis Solem ſaltem, minimè Lunam, ſolvat, adeoque, ſingulæ reſtrictam ſatis con-

congruitatem habeant, ita ut poſterior clavis appropriata auri compagi ſolidiori reſerandæ exiſtat, nullam verò argento, laxioris texturæ metallo vim inferat.

§. 13. Symboliſationem equidem hanc Chymici atque Philoſophi diverſi diverſimodè exprimere conati fuerunt: nullus tamen eorum, quantum mihi videtur, hoc ita præſtitit, ut omnem Lectori ambigendi occaſionem demſerit. Conſulamus primò *Willisium* qui aurum atque argentum compactiora atque à terreſtri materia plurima defæcata metalla ſupponens, ea non à quovis, ſed ab ejuſmodi tantum ſolvente, quod ſale cum iſtis homogeneo conſtat, in partes diſcerpi ſuſpicatur: cùm autem Lunæ compages à ſale vitriolico, Solis à ſale armoniaco ſimilive, dependeret, Aquam fortem, vitriolica virtute pollentem cum argenti, ſale combinari hujuſque texturam recludere, Auri verò, quæ à vinculo heterogeneo eſſet, minimè laxare, uſque dum ejus potentia Vitriolica per additum ſal armoniacum deleretur, hincque ejus ſpicula ſalina, Luna intactâ, Soli tantùm adaptarentur. Verum quemadmodum hypotheſin hanc ab alijs jamdum examinatam & exturbatam obſervo, ita præter illa, quæ prolixiùs ab alijs deducta, Williſio illa ſalium, metallis inexiſtentia probanda manet ſimulque negatur menſtruorum in concreta potentiam ab identitate aut ſimilitudine, quam cum ſale aliave his intrinſeca ſubſtantia habeat, dependere, & falſum eſt, quod ſalina, in ſalina ùt talia agant, ſed Aquea potius in ſalina, ſalina in terrea & metallica, item 🜂 ea &c. vim ſuam exerunt. Præterea ut ut haud negem, Aquæ forti aut aliquid ſalis Vitriolici ſubeſſe aut certe in illius deſtillatione Spiritus Nitri texturam ab hoc additamento non leviter immutari, quatenus Fullones v. g. teſtantur in pannis ſcarlatis tingendis Aquam fortem cum Vitriolico paratam hoc præſtare, quod ſimplex Spiritus Nitri peragere haud poterat: animadvertere nihilominus contingit, ſpiritum eundem eadem, imò forſan potentiore, activitate Argentum aggredi hocque in partes inſenſibiles ferè diſcerpere.

§. 14. Nonnulli Auro plus, quam Argento, Sulphuris ſubeſſe contendentes, Aquam Regis à Salis ammoniaci partibus volatilibus ad ſulphuream hanc compagem divellendam magis accommodari ac diſponi credunt: Qui tamen pariter ſupponunt, in dubium maximè vocanda. Nam quamvis concederem, nondum comprobatum, Auro plus quam Argento Sulphuris intertextum exiſtere, gratis tamen ſatis aſſeritur, particulas ſalis ammoniaci volatiles ſeu urinoſas in Aquæ Regis confectione Aquæ forti accedere & commiſceri: Quatenus (1.) hæ per effervescentiam illam, quæ mixturæ Aquæ fortis & ſalis ammoniaci contingit, illæ aut exhalant, aut præcipitantur: (2.) Spiritus Urinæ aut Salis Armoniaci vim ſolvendi aurum Spiritui Nitri ſeu Aquæ forti non affricat: (3.) verò Sal marinum hoc idem præſtat, in quo tamen nihil Salis urinoſi ſomniare licet.

§. 15. Sed qui ex mechanicis magis principijs argumentum hoc in ſe ſuſceperunt diſquirendum, id eſt, non tam ſimilitudinem aut congruitatem ſubſtantiæ, quàm modum ſubſtantiæ, in auxilium vocarunt, & menſtrualium particularum ſolvendorumque pororum relationem & habitudinem ad ſe invicem in ſolutionibus conceperunt, in varias iterum claſſes ſecedere obſervantur. Siquidem ſunt, qui in illa generali ſalis æthiologia ſubſiſtunt, adeoque nec pororum in metallis, nec particularum in nominatis menſtruis ſalinorum rationem, determinant. Qui tamen me dubitare patiantur *primò* an illa ſalium diverſorum figura externa diverſa perpetua ſit, ita ut virtutibus illorum integris hæc immutari nequeat? cum contrarium ſuadeat, olim jamdum quod mihi affulſit, phænomenon. Sc. cohobetur à ſale communi ſeu marino Spiritus Nitri bis vel ter, hincque reſiduum ſal ſolutum ac ad convenientem ſpiſſitudinem evaporatum cryſtalliſationi committatur: quod ſane non in ſtirias ſexangulares & Nitro proprias, ſed in cubiformes cryſtallos, inſtar ſalis marini, concreſcet, ſaporem nihilominus Nitroſum, ſc. penetrantem, ſubamaricantem ac refrigerantem, Linguæ imprimentes, imò inflammabilitate & cum carbonibus alijſve concretis ſulphureis detonatione verum Nitrum exhibentes. *Secundò* eo ipſo dum duo modi ſunt, qui hanc pororum in ſolvendis & ſolventium aculeorum conformitatem præſtant, Magnitudo ſcil. atque Figura, ita ut meatuli v. g. rotundi menſtrui particulis ejuſdem magnitudinis teretibus excipiendis adæquati ſint: quid obſtabit, quo minus hæ trianguleres verbi gratia, aut quadrangulares, ab iiſdem poris, modo iis non majores exiſtant, admittantur? & vice verſa cur meatulum quadrangularem non ſubintrabit atomus ſalina triangularis, aut rotunda, ſi modo illius diametrum hujus moles non tranſcendat? Et per conſequens Identitas figuræ atque magnitudinis ad ſolutiones haud ſemper neceſſaria obſervabitur. *Tertio* ſuppono, particulis fluidum conſtituentibus aliam longè molem ac figuram contingere, quam quâ dum ſolidum formabant, gaudebant, ad minimum illis, quibus Ignis fluiditatem impertitur: quatenus eò ipſo dum hic illas in partes minores diſcerpit, neceſſario quoque earum figuram immutat, adeoque ex angularibus, motui valde reſiſtentibus, rotundas forſan format, quæ, quia non niſi in puncto ſaltem ſe contingunt adeoque à fluido illo univerſali facilius agitantur, ſeu in fluidum ſubtilius & penetrantius rediguntur. Nihil E. aut parum, conferet magnitudo & figura ſalium integrorum ad ſtagmatem exinde deſtillatorum effectus declarandos. *Quarto* tandem, ſi non omnimode deſtruit notabiliter tamen confundit porulorum Auri & ſpiculorum ſimilitudinem, in Aqua Regis hactenus ſuppoſitam, paradoxum planè experimentum, Quo certa ratione præparatum Spiritum Salis ſimplicem Aurum ſolvere, leviter ſaltem Argentum arrodere, mihi conſtat: monſtra Tu in menſtruo hoc conformitatem, quam ex ſolo Sale communi præparatum, cum Aqua Regis quacunque in qua ſemper aliquid Nitri habet communem.

§. 16. Qui autem illam Congruitatem ſpecialius determinare ſuſceperunt, in varias iterum ſeceſſerunt ſententias. Sunt enim, qui particulas Spiritus Nitri ſeu Aquæ fortis craſſiores, adeoque ad auri penetrationem hactenus ineptas, per ſalis Armoniaci admiſcelam magis attenuari & exilioribus Auri poris adaptari putant: ita, ut, licet ampliores pariter Argenti mæandros ſubintrent, ratione tamen ſummæ teneritudinis atque ſubtilitatis nec robur, nec impetum, haberent proportionatum ad ejus partes divellendas. Litem his denunciavit *Lemery*, ſc. haud concipi poſſe, quomodo illi Spiritus Nitri aculei ſubſtantiam ſalis Armoniaci penetrando & diſſolvendo magis extenuari queant, cùm in omni effervescentia, qualem & hic deprehendimus, acidorum particularum acumen notabiliter obtundatur, id eſt, agendo in alcalia de aciditate ſua multum deponant: imò ſalis Armoniaci ſubſtantiam non volatilem ſeu urinoſam, ſed ſalis marini accedere, quatenus illa inter effervescendum partim in auras abiret, partim præcipitaretur, imò ut jam dictum, ſal marinum ſimplex ad producendam Aquam Regis æque ac ſal Armoniacum adhiberetur. Præter quæ alia adhuc penes me ambiguitas manet, quomodo nimirum ſpicula Aquæ Regis teneriora, Argento divellendo

imparia, compactiorem nihilominus atque ſolidiorem Auri compagem diſcontinuare & confringere queant? Aut ubi ſunt in menſtruo ſolari ſuperius allegato ſpicula Nitri attenuanda,

§. 17. Alia & ferè contrariâ ratione negotium hoc *recens quidam Compendij Chymici Scriptor* explicat, ideò Aquam Regis Aurum diſſolvere, quod metallum hoc poris anguſtioribus, irregularibus & magis intricatis ſimulque ſuperficie adeò lævi gaudeat, in cujus texturam non adeò facilis ingreſſus eſſet, ſed inſtar juncorum inflecterentur particulæ Aquæ fortis fluidæ: compoſitis autem particulis ſalinis Aquam Regis per harum inſimul rigiditatem fortiore cum impetu ſuperficiem illam lacerare & viciniam auri particularum deturbare. In Argento autem aliam videri meatuum diſpoſitionem, talem ſc. quæ ſalium rigidiorum naturam reſpueret: Inſuper in Aqua Regis meatuum & ſpatiolorum nimiam eſſe penuriam quam quæ particulis Argenti oblongis ac planis recipiendis & retinendis ſufficeret. Verum quo ad hanc pororum in duobus his metallis diverſitatem nulla ratio apparet, cur flexibilium Aquæ fortis particularum in aurum, ut ut hujus pori irregulares & intricati magis concederentur: ingreſſus difficilior, cùm hæc ipſa flexibilitas, quo intricatiſſimis etiam meatibus tale menſtruum ſe accommodet, multum faciat. Imò quicquid ratione rigiditatis majoris anguſtiores & intricatos auri poros permeat, patentiores quoque & minus implicatos Argenti meatulos ſubintrabit. Præterea dubitare licebit, an plus, an minus, rigidæ exiſtant atomi Aquæ Regis præ Aquæ fortis ſpiculis, cum illam ex hac æque, ubi ſpiritus Nitri propellet per tantillum ſalis, ac ex ſpiritu ſalis, per tantillum Nitri additamentum, parare queamus. Dum verò idem Eruditiſſimus Scriptor ſubnectit paucitatem ſpatiorum in Aqua Regis particulis argenti planis atque oblongis abſorbendis non eſſe adæquatam, præcarium ſatis videtur: Cum figura hæc corpuſculorum argenti nondum probata paucitas illa ſpatiolorum auro non minus ac argento imbibendo obſtaculo ſit.

§. 18. Omnium tamen maximè paradoxum hoc in paſſu deprehendemus *Dominum Lemerii* qui in *Curſu Chymico* Aquam Regiam ideò Lunæ ſolvendæ haud proportionatam, arguit, quod ſpiritus Nitri cuſpides à ſale addito majorem molem acquirentes metalli illius poros ſubingredi detrectent, Auro vero cujus pori ampliores, facilius ſe inſinuent: Econtra Aquam fortem aut Spiritum Nitri argentum in minima redigere, quod ſpicula ejus ſubtiliora & anguſtioribus illius mæandris magis accommodata exiſtant. Et quamvis eadem latiores quoque auri meatus, commode ſubeant, ratione tamen tenuitatis ſuæ, hincque dependentis flexibilitatis in ejus corpus firmius atque compactius agere haud poſſent, utpote quod pro ſui laceratione cultris potentioribus magiſque ſecantibus opus haberet. Cui tamen aſſerto regeri valet, 1. In auro malè ampliores poros quam in Argento ſupponi, illoſque non tantùm autopoſiæ, ad quam provocat, refragari, ſed per ponderoſitatem ejuſdem metalli deſtrui: 2. Spicula Aquæ Regis poris Argenti haud craſſiora eſſe, ideò quod friabilitatem ſingularem etiam huic introducant illudque in calcem redigant, econtra Aquæ fortis cuſpides auri poros haud ſubintrare, quatenus à menſtruo hoc ne minimum quidem patitur, ſed ſplendorem, flexibilitatemque priſtinam retinet, cùm, uti dictum, ab Aquæ Regis contactu argentum ſenſibiliter ſatis corrodatur,

§. 19. Quocunque E. hactenus indigitatorum modorum illa, de pororum Auri & Argenti ac ramentorum ſolventium ſtagmatum habitudine, hypotheſis explicetur, vix tamen negotio huic videtur adæquata & per conſequens inſimul ad aliud quoddam principium, quod menſtruorum diverſorum concreta effectus diverſificat, recurrendum erit. Hinc præter motû fluidi & magis univerſalem quibuſlibet menſtruorum ſalinorum particulis particularem ac peculiarem magis, ſeu certa ratione modificationem, aſſignari debere auguror, quamvis modificationem hanc determinare difficillimum ac forſan impoſſibile opus ſit. Obſervamus ſiquidem aut certe concedere cogimur, monente *Nobiliſſimo Boyle*, in ſimplicibus non ſaltem corporibus infinitam graduum æque ac aliarum conditionum atque circumſtantiarum Motus differentiam, ut is modò ſimplex, modò compoſitus, modò uniformis, modò difformis, modò celerior, modo tardior exiſtat, modò ſecundum lineam rectam, modò aliquam curvarum, v. g. circularum, ellipticam, fieri queat: ſed in compoſitis quoque particularum primogenearum magnam concipere licet varietatem, non tantum quatenus earum modo plures aut pauciores ſimul moventur, ſeſe modò arctius, modo laxius, & quidem modo hoc, modo illo, ordine excipiunt, verum prout vel uniformi, vel confuſo, æquali vel inæquali vibratione feruntur, &, uno verbo, motus, etſi ſimplex ſatis rerum principium, multis circumſtantiis in ſolutione corporum quoque variare poteſt ac debet. Quæ ut Chymicis magis phænomenis applicem, alium ſane agendi modum deprehendimus in Nitro, ſi hoc ſub detonationis impetu ac ſtrepitu Antimonium aggrediatur, quam ſi ſine hoc utriuſque mixturam Igni committas: dum v. g. Antimonium crudum cum tripla Nitri portione per detonationem in calcem albam ſ. Antimonium diaphoreticum redigitur, ex eodem verò Minerali cum æquali ſaltem Nitri parte productum Epat Antimonij per duplum Nitri adhuc adjectum, in ſimilem calcem, quia nulla amplius detonatio contingit non adeo facile convertitur. Pariter referendum puto, quod caſu nuper & cum diſpendio multi temporis atque laboris expertus ſum, nempe Terram foliatam Tartari, convenienter præparatam cùm in Aqua communi ſolutam & filtratam evaporationi in vaſe aperto exponerem, ultra dimidium hujus in auras abibat, quale quid nihilominus in vaſe clauſo & ignis motu atque impreſſione aliter modificato nunquam obſervatur. Antimonium potentiore Ignis torturâ in maſſam regulinam deliqueſcit, aſt leniori calori expoſitum in calcem cineream abit non in Antimonium; ſed vitrum pellucidum, per ignem fortiorem deliqueſcentem. Motum fermentationis utrumque eſſe, qui muſtum in Vinum & acetum, commutat, omnes concedimus, aliter tamen illum modificari, quando acetum, quam quando vinum, producit, inde colligere jubemur, quod per hunc Sulphur, per illum Tartarus ſeu ſal, hactenus per muſtum diſperſus, magis recludatur. Pariter fermentationis ac putrefactionis harumque effectuum obſertur diſparitas, eam ſola motus diverſificatio præſtat, alias in putreſcente, alias in fermenteſcente, maſſa exagitans particulas, & quidem unius ejuſdemque vegetabilis. Imo tandem ſi menſtrua dantur, quæ concreta certa ſolvendi ſimulque immutandi vim habent, quemadmodum *Dominus Boyle* ſe ejuſmodi Liquoris poſſeſſorem *in Origine of Formand Qualities* profitetur, qui auri partem aliquam diſſolvit, partem in aliud metallum tranſmutat: nonne in uno eodemque Menſtruo duplicem, eumque diſparem ſatis, motum augurari conveniet?

§. 20. Ita ut ex dictis confirmari queat quam ſuperius indigitavi, Menſtruorum æthiologia, motu ſcilicet atque conformatione ſuarum particularum relativa, quicquid aut ſolvendo aut quocunque modo

modo in objecta ſua agunt, illa præſtare: modo ſub motus notione non meram fluidi, ſed certam inſimul particularum cujuſlibet menſtrui agitationem intrinſecam & propriam, concipiamus; cujus equidem formale ſpecialius determinare impoſſibile eſt, perſuadent nihilominus illam aut antecedanea, aut vibrationes illæ ſenſibiles, quas menſtrua diverſa, unum idemq; concretum dum aggrediuntur, diverſas exerunt. v. g. ſolve aurum cum aqua Regis ordinaria, cum ſpiritu Nitri bezoardico &c. notabilem, modò vas leviter incaleſcat, inter hæc obſervabis ebullitionem, qualem minimè deprehendes, ſi cum Spiritu Salis, cujus ſuprà mentio facta fuit, ejuſdem Auri ſolutionem tentes, ut ut intra idem cum priore temporis ſpatium hæc abſolvatur.

§. 21. Imo his ſuppoſitis faciliùs decernere licebit *An Menſtrua dentur inſipida*, ſeu *aut talia qua ſolidiorum ac compactiorum corporum ſolutionibus ad æquata & proportionata, in rerum natura exiſtere queant?* Faciunt, ſiquidem pro affirmativa præter illa, quæ in *diſſertatione quinta* de aquæ in nonnulla mineralia & metalla potentia fuerunt annotata, quibus, accedit, quod eadem Aqua cupro rubiginem inducat, hæc intra vaſa cuprea aliquando aſſervata inde ſaporem & virulentiam quandam recipiat, quod idem cuprum ab oleo lini, ferè inſipido, ſingulariter depuretur, quod oleum aniſi, omnis pariter acrimoniæ ſenſibilis expers, obſervante *Langelotto*, Corallia in mucilaginem rubicundam redigat, & Mercurius vulgaris inſipidus plane atque inodorus aurum facillimè, & forſan menſtruis corroſivis intimius, ſolvat. Primo enim non cuncta, quæ nobis inſipida videntur, corpuſculis ſolvendi vim habentibus penitus deſtituuntur, cùm ſenſuum noſtrorum talis ſit natura, ut omnia corpuſcula minima & diſperſa comprehendere nequeant, unde etiam contingere poteſt, ut ſolvens aliquod tali ſuarum atomorum conformatione atque impetu gaudeat, quæ quidem nervos guſtatorios vix afficiant, concretorum tamen diverſorum hæc vel illa minima, tractu temporis, ſatis potenter commoveant atque divellant. Quemadmodum *Fr. Bartholinus de Figur. corp.* Aquæ cujuſdam, à quodam magni nominis Chymico paratæ, meminit inſipidæ, ad alios tamen effectus ſummæ efficaciæ: ut infuſorum Antimonij atque Mercurij potentiæ taceam, quum ijs aſſumptis corpora noſtra experiuntur. Deinde nec rationi, nec experientiæ repugnat, aliquod fluidum, ſalinis aliiſve partibus operoſis deſtitutum, vario atque diuturniore ſuorum minimorum motu tantùm à ſolidioris quoque compagis corporibus ſibi expoſitis ſucceſſivè & frequentius reiteratorum impulſuum interventu, aliquid deprædari, pari circiter modo, ac gutta lapidem non vi, ſed ſæpè cadendo, cavat, prout *Dominus Boyle* de *Latentibus quibuſdam Aeris qualit.* prolixius ediſſerit.

§. 22. Dividuntur Menſtrua communiter in *Univerſalia* atque *Particularia*, ut *Univerſale*, à Paracelſo & Helmontio Alcaheſt, Circulatum majus, ab alijs Ignis gehennæ, Ignis philoſophicus, Ignis frigidus, Azoth &c. dictum, definiatur per ejuſmodi liquorem, qui ad quælibet Mixta ſolvenda indifferenter ſe habeat, hæcque in vera ſua principia materialia abſque corroſione ac viribus ſuarum attritione aut perditione, diſſolvat. Tale aliquod an per naturam rerum exiſtat, ſeu produci poſſit? non immeritò dubitarunt multi, v. g. *Conring. de Hermet. Medic. Billich. Obſerv. & Paradox. Chymiatr. Rolfinc. Chym. in artis form. & Moorhof de Tranſmut. metall.* quorum hic *nunquam fuiſſe*, ſcribit, *qui vidiſſe ſe talem liquorem ſolventem catholicum aſſeruere potuerit, cum ſint tamen non pauci, qui ipſum magnum philoſophorum lapidem non ſemel viderint.* Econtra Menſtrui hujus exiſtentiam non ſaltem poſſibilem, ſed veram quoque aſſerunt *Ludov. de Comitibus de Liqu. Alcaheſt, Borrichius contra Conring. Starkey Natures Explicationand Helmonts vindication*, item ejuſdem *Pyrotechny aſſerted and illuſtrated.* ac in Libello poſthumo, de *liquore Alcaheſt* atque *phyſ. ſubter. l. 1.* ita quidem ut quæ de ejuſdem materia materia & parandi ratione *Stabey* in Pyrotechnia ænigmaticè ſaltem propoſuerat, in opuſculo poſthumo evidentioribus declaret verbis, quaſi ſcilicet ex Sale urinæ cum Spiritu vini certa ratione combinato emergeret, quod idem Ipſum olim quoque in Literis ad *Dnum de la Moniere*, Medicum apud Lugdunenſes Præclariſſimum, nunc defunctum, teſtatum fuiſſe, recordor. Ego interim, qui ex cognitionis negatione exiſtentiam alicujus phænomeni impoſſibilem reddere, nefas duco, nec menſtruo tali nunquam viſo, affirmativam deſcendere, neque idem negare, mihi præſumo: quamvis an tale, quod revera catholicum ſit, i. e. quod omnes corporum ſpecies eadem ratione ſubigat: unquam expectandum veniat, ob rerum variam admodum texturam ambigam.

§. 23. Menſtrua autem particularia dicuntur, quæ ratione certæ ſuæ naturæ atque habitudinis his vel illis ſaltem concretorum naturalium ſpeciebus, harumque ſolutoni aut condenſationi ſunt, appropriata, obſervanturque vel *Aquea* vel *Sulphurea* vel *Salina*, vel *Sulphureo-Salina*, *Mercurius Antimonium* atque *Plumbum*, quorum tamen tria hæc poſteriora, utpote nimis particularia & ad pauca ſaltem metalla reſtricta, hujus loci haud volumus.

§. 24. *Aquea* Menſtrua ſunt cuncti liquores aquei potentiæ aliàs omnis activæ, ſc. ſalinæ, ſulphureæ &c. expertes, hincque ferè inſipidi atqui inodori, v. g. ſerum lactis, ſucci vegetabilium potiſſimi, aquæ deſtillatæ, cereviſia &c. quæ qualia objecta agnoſcant ſeu cujus generis mixta ſolvant, ex illis, quæ de Aquæ, tanquam inſtrumenti naturalis, potentiâ in *diſſertatione proxima* dixi, facilè pateſcet, dum hæc, quæ præſentis loco obſervantur, Menſtrua non, niſi minore ſimplicitate, ab illa differant.

§. 25. *Sulphurea* autem omnes illi liquores ſunt, qui multum oleoſæ & inflammabilis ſubſtantiæ in ſe habent, & non, niſi corpora ſulphurea, v. g. ſulphur, galbanum, aggrediuntur atque ijs connubunt: ſuntque præprimis olea tam expreſſa, quam deſtillata; licet hæc illis majoris efficaciæ deprehendantur. Quatenus expreſſa præter inflammabilem ſeu reſinoſam ſubſtantiam duplicem adhuc heterogeneitatem intertextam gerunt, aquoſas ſc. & acetoſas vegetabilium particulas: quæ utræque illorum in ſulphurea & reſinoſa actionem impediunt atque turbant.

§. 26. Menſtrua *ſalina* triplicis obſervantur generis, ſc. Pure ſalſa ſeu Alcalica, Acida, & utriuſque texturam involventia ſ. Acido-ſalſa. *Salſorum* iterum duæ exiſtunt ſpecies, fixa & volatilia, ut fixa ſuppeditent alcaliſata & per calcinationem ſeu incinerationem ex vegetabilibus, mineralibus & teſtis marinorum parata ſalia, cineres v. g. clavellati, ſal tartari, Calx viva, Nitrum fixatum & teſtarum oſtreorum, ac cochlearem calces quæ vel in forma ſicca ſolvendis admiſcentur ac cum iiſdem in Igne calcinantur, vel per deliquium aut aquam affuſam deliquata & in lixivia redacta cum iiſdem digeruntur aut coquuntur. Objecta horum ſunt Sulphurea non tantum, ſed in alterius quoque generis concreta agunt, dum v. g. liquor Alcaheſt Glauberi qui nihil aliud quam alcali ex calcinatione tart. & nit. emergens & per deliquium ſolutum eſt, non ſulphur ſolum, ſed verbi gratia, myrrham, quoque aloen atque crocum extrahit, adeoque confectioni Elixir Proprietatis ſine acido miniſtratur, Sal

tartari decoctis ac infuſis vegetabilium juvandis admiſ-
cetur, imò ungulæ alcis appropriatum idem Alcaheſt
Glauberi exiſtit ſolvens.

§. 27. Sulphura interim quo ſinceriora eò magis ſa-
lium horum potentiæ ſubjecta ſunt, adeoque pro La-
ctis ſeu Magiſterii ſulphuris communis confectione lixi-
vium Salis Tartari aut Calcis vivæ quam convenien-
tiſſimum deprehenditur: quo autem minus ſincera, i.
e. particulis terreis magis obvoluta, v. g. metallica, eo
debilior alcalium in hæc obſervatur activitas, ut vix eo-
rum exteriorem ſuperficiem aliquantum corrodant ci-
demque aliquid rubiginis inducant, Sulphur nihilomi-
nus Antimonii & Cinabaris embryonatum variis modis
cliciant atque abſorbent. Et quamvis à nonnullis Scri-
ptoribus Chymicis non raro ſp. acidi v. g. ol. vitrioli &
Aqua Regis pro Sulphuris v. g. Antimonii extractione
commendetur, hocque conſilium Mechanicæ reſpon-
deat: monendum tamen, ſulphuris hujus ſecretionem
neutiquam per modum ſolutionis talem contingere, quo
menſtrua illa acida cum atomis hujus coeant & unian-
tur, alias in ſulphur purum magis agerent illudque diſ-
ſolverent; ſed per meram ſaltem metallicæ vel alterius
non ſulphureæ ſubſtantiæ corroſionem Ita ut illa, nem-
pe ſulphurea, quæ à menſtruo acido abſorberi, minimè
poterat, à vinculis ſuis liberata, ſolutioni innatet, co-
chleari tollenda, vel per ſublimationem ſeparanda, aut
ramentis Antimonium circumcirca adhæreſcat inſtar
cruſtæ cujuſdam, ſulphuris vivi texturam æmulantis. Id
eſt, pari fere ratione acida in ſeparando ſulphure mine-
rali concurrunt, ac v. g. alcalia fixa ad Mercurii vivi
à ſalibus acidis in Sublimato, aut ad ſalium volatilium,
hactenus ab acidorum compedibus devinctorum, vel
ad Auri ab Argento per Aquam fortem, ſecretionem
conferunt Quemadmodum enim alcalia illa non in
Mercurium aut Sal urinoſum ſublimandum, nec aqua
fortis in Aurum, ſed tantum in acida hactenus figentia
& Argentum vim ſuam exerunt; ita acida quoque men-
ſtrua, regulum Antimonii diſcontinuando, ſulphuri li-
bertatem reſtituunt.

§. 28. Sale volatili turgida Menſtrua ſunt Salia & ſpi-
ritus urinoſi quivis. qui non tantum in vegetabilia, &
animalia, ſed mineralia etiam, agunt, quemadmodum
per Spiritum urinæ, Salis ammoniaci, cornu cervi &c.
non ſaltem vegetabilium olea eſſentialia provocantur,
& Tinctura v. g Caſtorei elicitur, ſed ex Cupro, Ar-
gento &c. item ex floribus ſulphuris, Tincturas elici,
notiſſimum eſt.

§. 29. Excipiunt hæc *Menſtrua acida*, qualia vegeta-
bilia, & mineralia potiſſimum, interdum etiam anima-
lia, prout de formicis & apibus *diſſert.* 1. §. 16. indigi-
tatum fuit fundunt. Operantur hæc in corpora mine-
ralia non ſalina, alcalica, terrea, imò in vegetabilia ac
animalia quoque, v. g. in aurum, argentum, Antimo-
nium, oculos cancrorum, corallia, ebur, ſpinas & car-
nes ſerpentum, gummata & gummi reſinas, v. g. myr-
rham &c. ita tamen ut acetoſæ illorum particulæ à
metallis difficulter & non niſi Igne intenſione abactæ,
interdum recedant & priſtinam formam iis concedant,
ab aliis vero terreis, quæ citra ſui corruptionem ignem
fortiorem non ſuſtinent, avelli planè nequeant, v. g.
oculis cancrorum.

§. 30. Reſtant ex Menſtruis ſalinis *Acido Salſa*, v. g.
Nitrum, Sal Ammoniacum, Terra foliata Tartari. &
his cunctis anteponendum Sal Tartari eſſentificatum:
quæ ſicut particulis valde penetrantibus, minus tamen
corroſivis, conſtant, ita eorum quædam vegetabilibus
præprimis extrahendis ſimulque horum cruditatibus
corrigendis inſerviunt, v. g. Terra foliata Tartari in
purgantium virulentia attemperanda omnium optimum
hactenus obſervatum fuit remedium, & Tartarus ille
Tartariſatus catholicus & potentiſſimus in vegetabili-
bus reſerandis exiſtit clavis, ut vel in Elixir proprietatis
confectione, per hoc menſtruum ad trinata ſaltem ex-
periri licet, cujus ingredientia cuncta quoad minima
eidem auſcultant. Quædam nihilominus eorum etiam
firmioris texturæ corpora ſubeunt, ita ut dictum ſal eſ-
ſentiale Tartari Nitrum & Sal commune metalla non
tantum, ex *Williſii* mente, ſuperficietenus aliquantum
corrodant ac cum particulis horum in rubiginem ab-
eant, ſed eadem quoque tota in calcem redigunt v. g.
in Croco Auri, quem *Zuvelferus Pharm. Aug. p.* 466. *&*
Mantiſſ. Spag. p. 316. deſcribit & in Marte ſolubili cum
illo Tartari ſale conficiendo.

§. 31. Medio modo ſe habent *Sulphureo-Salina* v. g.
Spiritus vini ſimplex & Tartariſatus Tinctura Tartari,
Spiritus vini cum ſale Urinæ temperatus &c. Spiritum
vini equidem vulgo ſulphureis meris accenſent, ſed
malè, non modò quod ab oleis quoad diverſos effectus
differat, dum illa ſulphur commune diſſolvunt, hic mi-
nime, idem tamen aqueis &c. connubit, quod ab oleis
meris nunquam expectandum: Sed quod per fermen-
tationem paratus particulas ſalinas vel plures intertex-
tas, vel magis evolutas, gerat, adeoque de harum præ-
ſentia minus in hoc quam in oleis, dubitare conveniat.
Eundem autem Spiritum Tartariſatum & Tincturam
Tartari aliquid adhuc molecularum alcalicarum imbi-
biſſe, vel ſapor eorum alcalicus odorque ſingularis,
vel hoc teſtari poterat, quod Sal Tartari, à quo Spiri-
tus vini cohobatus fuit, notabiliter imminutum depre-
hendatur, Tincturaque Tartari ad ſiccitatem deſtillata
aliquid, licet exiguum, Salis ejuſdem poſt ſe relinquat.

§. 32. Refero huc Terebinthinam & vitellum ovo-
rum, quatenus illud in gummatibus reſinoſis diſſolven-
dis perquam commodum obſervant recentiores Phar-
macopœi, v. g. in gummi hederæ, galbano, myrrha
&c. quæ alias & olim per aceta ſolvere conabantur ut-
pote quod concretum non ſalinas & mucilaginoſas tan-
tum, ſed reſinoſas quoque, earum partes, quas acetum
haud attingit, aggreditur. Hoc agere puto ratione æque
ſubſtantiæ ſulphureæ, quam in liquamine illo præpolle-
re, omnes ultro concedent, ac ſalinæ, quam ejus textura
reſinoſa neceſſario involvit, à poſteriore autem confir-
mat vis diuretica, & ſal acidum in ſpiritu ſeu oleo tere-
binthinæ ſenſibile: quamque pariter concludere jube-
mur, quod reſina illa in aqua communi aliquantulum
cocta huic aliquid ſuæ ſubſtantiæ concedat quæ per
aquæ frigidæ inſperſionem in pelliculam variis colori-
bus ornatam & in veram terebinthinam inſpiſſatur;
qualem vim ſolvendi in pure ſulphurea aqua aliàs non
habet. Vitelli autem in ejuſmodi ſubjectis diſſolvendis
energiam hactenus nominata ſaltem terebinthina ex-
perta fuit, nunc eandem tentarunt Recentiores in reſi-
noſis aliis v. g. reſina gialappæ, balſamo Peruviano,
item oleis deſtillatis quibuſcunque. Quod pariter à tex-
tura hujus maſſæ ſulphureo Salinæ contingere, inde an-
guror, quod oleum ex illa expreſſum præter oleaginoſi-
tatem acrimoniam notabilem, vitia cutis varia deter-
gentem, oſtendat, adeoque plurimum ſalis quoque ipſi
ineſſe, ſuadeat. *Bohnius.*

De Furnis & Vaſis.

Varii Furni deſcribuntur ab Auctoribus, va-
riæ eorum ſunt inventiones, quales & furnos quidem
Philoſophicos, quos ſic vocat, integris operibus tradi-
dit Glauberus. Alii apud Sennertum, Rhenanum, Li-
bavium, &c. videri poſſunt. *Sed ſi dicendum quod res*
eſt, nulla tot ac tam varios furnos exigit neceſſitas. Inventio-
nibus ſuis indulgent Auctores illi, at, ſufficiunt noſtri
ad operationes omnes, quos paulò poſt depingemus.
Pari modo ſe res habet, quod obiter addimus, cum
Athanor ſive Furno Philoſophico excoquendo lapidi
dicato vereque mihi dictum videtur à Scriptore, quo-
dam; *facilè inveniri poſſe nidum, dummodo ovum adſit,*

hoc eſt, cognita ſit materia myſterij illius, & operandi modus.

Generalis verò furnos conſtruendi modus, quem meritò primò tradimus, ſequens eſt: Infima cujuſcunque furni pars *Cinerarium* dicta, poſitis, intùſque applicatis formâ ad rotunditatem accedente, ut æqualiter magis contineatur calor, lateribus conſtituitur ac relinquitur in medio lateris anterioris cujuſcunque Cinerarij foramen (*das Aſchen-Loch*) cujus altitudini duo lateres ſufficiunt. Poſteà imponitur *craticula*, ſex vel ſeptem ferreis digiti latitudine à ſe invicem diſtitis conſtans bacillis, & ab eâ circulariter ductis lapidibus alijs erigitur focus duorum itidem laterum altitudine: Foramen habet hic focus ſuperimpoſitum quaſi inferiori, ejuſdem cum eo longitudinis ac latitudinis (ſufficiunt autem ſex vel octo digiti quadrato) ejus per quod carbones immittantur: (*das Kohlen Loch*) Foco huic per medium imponitur ferrum. Catinum baſis loco continens, ſicque circumcirca in formâ quadratâ vel rotundâ, pro ut vas impoſitum ſe habet, apponuntur lateres, eâ altitudine, quam requirit vas ipſum, hoc tamen obſervato, ut vas ſive Catinus à parietibus ſpatio duorum digitorum per tranſverſum undiquaque diſtet, quo eo melius ambiens admittatur aer: Superius quomodocunque claudatur furnus, quatuor relinquantur foramina, quæ quatuor digitorum capacitatem quaſi habent, & ſpiracula ſive regiſtra audiunt, quia per ea reſpirat quaſi ignis & regitur. Unde ſuis operculis illa inſtructa eſſe debent, quæ etiam inferiora deſiderant foramina.

Sic ſe habet modus conſtruendi furnos, qui oculari demonſtratione melius addiſcitur uſuque, In ſpecie verò furni, quos neceſſario requiri diximus ſecundum quatuor à nobis explicatos gradus, ſequentes ſunt: 1. Balneum Vaporis ac Mariæ (ſive Maris) ſic dictum, quod aquam contineat, ſicque ex mari factum eſt Mariæ, in gratiam potiſſimum B. Virginis, unde Baſilio Balneum hoc audit (*das Bad der Allerheiligſten Jungfrauen*) Communiter autem Balneum Vaporis in hunc modum conficitur: inferius eſt catinus aliquis æneus furno exceptus, qui aquam per tubulum infuſam recepit, ei ſuperimponitur alius æneus æquè, qui hamulis ſuſpenſa excipit vaſa, ut ea attingat vapor, à quo incaleſcunt. Per ſuperius foramen aliquod aqua exhalare poteſt; ſed & illud operculo obſtructum eſt. *Obſervabis verò hoc in balneo tota incaleſcere vaſa, id quod in digeſtione & Putrefactione quandoque conducit, in circulatione autem non æque, utpote quæ frigidum expetit in ſuperiore vaſis aerem, à quo condenſantur ſpiritus.* Et in hunc finem tum balneum hocce tum aliud & noſtrum, de quo paulò poſt, ſuperiorem fundum ſuperimpoſiti vaſis, apertis foraminibus pertundi poteſt, ut exitum illa præbeant vitrorum collis; illa verò firmantur, ac foramen ambiens occluditur circulis plumbeis diverſæ magnitudinis ſibi invicem ſuperimpoſitis, quorum ultimus exactè collum ambit, luto autem muniuntur omnes. Diximus Balneum hocce calore excedente ad temperiem quandam poſſe reduci, quod quomodo fiat, ex deſcriptione Pigri Henrici innoteſcet.

Succedunt itaque Mariæ Balnea, ad quæ ratione gradus primi ferè venter equinus referri debet. Hunc ut conficias, arcam quaſi figuræ quadratæ, eâ, quâ placuerit magnitudine, confice, eique fimum recenter calidum immitte, ac vaſa impone, rectoque ligneo clauditur ciſta, hæc, fimo ad medium ferè (ciſtâ) impletâ quo exhalationi liber ſit locus, Calor hic durabit ad octiduum, quatuordecim dies ferè; Conſervari autem diutius poteſt, ſi immiſceatur firmo, calx viva ad quam per canales patet acceſſus aquæ calidæ infundendæ ſubinde; ſic enim accedente aquâ ſuſcitatur vapor, à quo furnus incaleſcit.

Communia Mariæ Balnea ex catino æneo conſtant, per terreos enim penetrat aqua, excipiuntur illi furnis generaliter deſcriptis. Vaſa ijs imponuntur vitrea unicè ob dictam paulò antè rationem, plumbeis ligata circulis; non æquè verò retortæ adhiberi poſſunt, in balneis hiſce, ſiquidem ad fundum uſque illa non penetrant, nec colla habent egreſſum, ut tamen retortam ex Balneo etiam poſſis deſtillare, ita procede. Catino æneo ollam immitte aggravatam lapidibus, altam ita, ut retortæ venter margini ejus imponi poſſit, ita, ut collum ejus debitè promineat. Superius tegitur retorta linteo madido, ne frigidior aer accedat. Ita ſe habent Balnea.

Circa Catinos arenæ & furnos ejus notandum haud quicquam aliud eſt, quàm quod catini illi non adeò profundi eſſe debeant: Sufficit ſpithamæ altitudo, ut venter cucurbitæ ſolummodò excipiatur, nam ſi nimium promineat catinus, citius incaleſcit etiam cucurbitæ collum cum alembico, cum diſpendio deſtillationis.

Ignis aperti furnus ſequentia obſervat; à Cinerario uſque ad extremitatem ſacci, cademque (quæ) generalis ſtructura eſt. Sacco verò per tranſverſum duo ferrei baculi imponuntur, quæ retortam recipiunt. *Eſtque de ſacco ſpecialiter notandum, quòd altus ille ultra ſpithamam eſſe non debeat*; in principio enim, dum lento procedimus igne, paucos immittimus carbones: Si verò intra retortam & craticulam ingens nimium ſit ſpatium, incaleſcit non adeò benè retorta; *eſtque optimus omnium pro furno hoc ſuppreſſionis ignis.* Supra ferreos illos bacillos exporrigitur altius furnus, contractis ſubinde lateribus, uſque dum, pyramidaliter in medium aliquod foramen quadratæ figuræ ſex vel ſeptem digitorum deſignat. Ex illâ verò parte, ubi collum retortæ prodire debet, latus integrum relinquitur apertum, quod deinde immiſsâ retortâ lateribus alijs claudendum eſt. Hâc formâ ſi furnus fuerit exſtructus, trahitur fortius ignis, eſtque extremus tunc ejus gradus, quando ſuperius illud foramen unâ cum inferiori & cinerario apertum eſt, ac luculenta erumpit flamma, unde primus gradus primò adhibendus innoteſcit. *Furni Anemii* ſtructura ſequens eſt: (*vid. Tab.* VI. *Fig.* I.) Capacitas ejus quadratæ figuræ ultra duas vel tres ſpithamas non exporrigitur, quia ſolummodò crucibula recipit. Cinerarium verò extruitur altius, ac bonæ ſpithamæ magnitudine pro copioſiore aeris ingreſſu. Sic & craticula latior eſſe debet, cui ex terrâ vel ferro quaſi quidam circulus eſt accommodatus, qui crucibulum recipit. Imponitur ei quandoque fruſtum lapidis, quando altius crucibulum componitur, Sicque primò formatus ſaccus altitudine trium vel quatuor ſpithamarum, & ultrò æqualiter exporriguntur latera, ſupra tamen ſaccum diſtantiâ ſpithamæ per tranſverſum ducitur latus, medio pervium foramine, per quod flamma pergit & ſupra illud tanquam fundum denuo exporrigitur furnus; ſicque conſtituitur quaſi quædam camera, unde pro ea interiùs itidem relinqui debet foramen apertum, cum operculo ejuſdem magnitudinis, pro ut interiùs fuit in cinerario, & tale etiam eſſe debet carbonum vel ſacci foramen, ut crucibula majora immitti poſſunt. Supra cameram definit furnus in canalem aliquem oblongum & rotundum, foramini, in quod coarctatus eſt furnus, impoſitum, per quem flamma exit. Eſtque hic furnus potiſſimum inventus à Glaubero, fundendis metallis, etiam ſine folle aptiſſimus. Furnus reverberatorius (*vid. Tab.* VI. *Fig.* 2.) in eo ſolummodo à reliquis differt, quod ſupra ſaccum ſuum fornicatus ſit, in eum finem (ſuperius) fundo quaſi diſtinguitur, qui duabus ferreis laminis continetur, ita ut undiquaque duobus digitis à parietibus diſtet, per quod ſpatium in ſuperiorem partem, quâ fornix eſt, flamma prorumpit. Fundo huic imponitur materia, quæ reverberari debet, vaſis terreis excepta, anterius adeoque pro ingreſſu, cornuæ januæ loco foramen patet. Et fornix quidem ſupra fundum ſpithamæ magnitudinem extructa, undiquaque oſtiolis quaſi pervia eſt, ut flamma poſſit erumpere.

Su-

Supereſt, ut jam deſcribamus Pigrum Henricum qui ita dicitur, quod lentum calorem foveat, & ut ordine agamus, ac ea, quæ in ſuperioribus deſunt, ſuppleamus, primò partes ejus delineabimus, dein ex iiſdem eum (*vid. Tab.* VI. *Fig.* 3.) componemus. Balneum Mariæ noſtrum deſcribendum primò eſt: illud verò conſtruitur ex catino æneo vel rotundâ vel quadratâ figurâ, & fundum habet ligneum perforatum, qui à fundo ipſius catini quatuor vel quinque digitis tranſverſis diſtat: ſub eo aqua eſt, quæ per tubululum ex laminâ ferreâ tenuiore factum, infunditur: Fundus, quem ita vocamus, ligneus, pauxillo ſtraminis tegitur, & ſuperimponitur linteum expanſum undiquaque per catinum, arenâ ſpithamæ altitudine repletum. Tubulus, per quem infunditur aqua, clauditur: margo lignei fundi circumcircâ probè eſt obturatus, aquæ adeoque vapor per fundi illius foramina aſcendens, madidam reddit arenam linteo impoſitam, quâ de cauſâ illâ non adeò incaleſcit. *Balneum Vaporis* (*vid. Tab.* VI. *Fig.* 4.) ut debiti & temperati ſatis caloris ſit, per tubulos ex inferiore catino aquâ pleno porrectos, ac epiſtomiis ſuis inſtructos vaporem admittit, ſed in ſuperiore ſui parte, quæ eodem modo inſtar catini alicujus eſt, fœnum: quod vaſa recipit; imbuit, ſic per epiſtomia tantum admitti poteſt vaporis, quantum requiritur, ac prætereà fundus ſuperioris vaſis foramen habet aliquod, ſuperius pariter ac inferius tectum operculo, hoc ut frigidior aura accedere poſſit, illud, ut exhalet vapor calidus, ſicque immittuntur vaſa, quæ ſi prominent extra catinum, obturantur circulis plumbeis ſibi invicem ſuperimpoſitis. Inferior catinus aquâ impletus, coopertus eſt æneâ laminâ, aperto unico ſolùm foramine, quod claudi poteſt, & per quod aqua infunditur: Sic enim aquæ vapor per tubulos illos ſuperiora petere cogitur.

Jam componemus Pigrum noſtrum Henricum, (*vid. Tab.* VI. *Fig.* 5.) circa quem tria præcipuè attendenda, ut etiam locum habeat, quo ceu parte aliquâ ventris ſui foveat nonnulla, quæ ſiccitatem amant, v. g. alkalia, quæ aliàs in aere facilè diffluunt, adeoque baſis ejus Matrix veluti, ita conſtrui debet. Ampliore aliquantulum capacitate erigitur furnus communi quidem modo, ſed tertium habeat operculum præter duo: unde eo uſque porrigitur carbonum ſaccus: Igni enim ac calori ad minimum 24. horarum ſufficere debet. Hiſce ſuperimponitur Balneum Vaporis, quod paulò antè deſcripſimus, ſed ita illud coarctari debet, utut pro majori ſuperioris catini capacitate incurvati aliquantulum ſint tubuli, ut à latere quædam quaſi receptacula ſint, latitudine ad minimum dimidiæ ſpithamæ, aperta interius, ac clauſa operculo ligneo, his enim ut dictum, excipi poſſunt vaſa illa, quæ calorem optant. A latere uno Balneum Mariæ exſtruitur toto furno, ita tamen, ut ſaccus ejus foramine ſit apertus in ſaccum ipſius ventris Pigri Henrici, idque eum in finem, ut quando ſatis ſuperque balneum hocce eſt calefactum, immiſſis carbonibus foveri poſſit calor, à calore ex communi quaſi ventre traducto, in quem finem B.lnei foramina claudi debent. Ex alterâ parte conſtructus furnus eſt catinis ſuis noſter pluribus diſtinctus, ad quorum ſingulos peculiares abeunt tubuli ænei inſtructi epiſtomijs: & porrecti ex alio aliquo foramine communis ventris, quem ita vocavimus, regiſtris autem ſuis ſinguli catini furni illius ſunt inſtructi; & ex communi quaſi trunco contiguo foraminis illius clathris ferreis munito oriuntur tubuli illi. Furnus eorum communi foramine eſt apertus, ut ad ſingulos fieri poſſit acceſſus, adeoque tubuli illi ita ſibi cohærent, ut diviſi in partes poſſint eximi ac purgari, luto obduci in juncturis ſuis, ſicq; figendis rebus quibuſcunq; majori vel minori ignis gradu inſerviunt illi catini quæ omnia demonſtrat figura. Sub ipſis verò tubulis æneis ſpatium haud pervium cinerarij foramine, dicta illa vaſa, quæ calorem amant, continere poteſt communiter. Cæterum, altera pars hæcce Pigri Henrici ſuperiorem habet fundum inſtar catini majoris, ad quem diſtinctè communis ventris pergit calor, & hâc ratione Piger Henricus conſtrui poteſt, qualem ac artificioſum 40. annorum decurſu habuit B. M. Dn. Doct. Michael. Furnos hoſce ſive ſejunctim ſive ſeparatim in uſum vocare ſufficit, modo obſerves omnis generis magnitudinis eos eſſe debere, arenæ præcipuè catinos, ne in gratiam vaſis alicujus minoris cum carbonum ac temporis diſpendio accendere neceſſum habeamus; conducit eum in finem furnum etiam habere minorem portatilem & verſatilem, ex ferreis factum laminis, qui pro vari â intentione & ſublimationibus inſervit & deſtillationibus ignis aperti.

Furnum dokimaſticum, den Probier-Ofen, ſi placet, adjungere poteris; ejus autem ſtructura à reliquis non adeo differt, aperti potiſſimum ignis, ſaltem quod minoris magnitudinis ſit, tribus vel quatuor ſpithamis definitæ ex laminis ferreis, luto intus ac lapidibus munitis ſuperius in acumen deſinentis; Ferreos duos elathros tegulam fornicatam, quæ per anterius foramen oſtiolo clauſum ſuo intromittitur, recipit. Tandem & forſan Philoſophicum furnum deſiderares, ac tale aliquid ſimile ei, olei ope ac ellychnij conſtrui à multis, varias hinc inde etiam apud Auctores, Libavium (Bernhardus potiſſimum & Enchiridij Phyſici Auctor furnos verè Philoſophicos deſcribunt) delineationes occurrere ſcio probè; ſed offerre eas haud lubet. Videor enim mihi nidos componere, antequam vel avem habeam, vel ovum, hoc eſt, materia ſit cognita & operandi modus, facili negotio & nidos inveniemus. Sufficiant nobis furni noſtri.

Ille verò locus, quo excipiuntur Furni, communiter Laboratorium vocari ſolet, de quo pauca monere lubet. Talem autem locum cuivis cujuſcunque opportunitas deſignat ac neceſſitas, cui ſi parendum eſt, ſufficit ſibi invicem unâ aliquâ ſerie appoſuiſſe furnos, ita ut medium teneat Mariæ Balneum noſtrum, quod loco vaporoſi ſimul erit, habeatque ad latus Furnum Pigri Henrici, alterum inſtructum tubulis, ſub quibus locus erit recipiendis vaſis, quæ in loco calido, ut dictum eſt, reponi debent, deſtinatus. Reliquum ſeriei conſtituent furni duo vel tres catinorum diverſæ magnitudinis, ex unâ parte furni illi omnes foraminibus ſuis aperti eſſe debent, ut ordine omnibus imponi poſſint carbones, ex alterâ parte, in quam lux magis incidit, receptacula vitrorum prodeunt. Sic furni in medio alicujus conclavis ordine poſſunt exſtrui, latus ejus tenet furnus ignis aperti cujus ſuperiori foramini ſi cannam ex argillâ applices, & aperturam anteriorem, per quam retortæ collum exit, dimidiâ ac ſuperiore ejus parte claudas, per reliquum enim immittuntur crucibula, loco anemij tibi erit. His omnibus ſi portatiles aliquot quocunque in loco repoſitos addideris furnellos, ferreum præcipuè minorem deſcriptum paulò ante, habebis quantum ſufficiet.

Si verò ornatum ſpectas, elegantiſſimum, aliquod Laboratorium nunc in modum conſtrues: Rotundæ vel quadratæ figuræ ſit ædificium, commodior tamen rotunda figura eſt, quæ definit in ſpiralem camini ſcil. medij acuminati, per quē fumo patet exitus. Rectâ ſub illo camino integer exſtrui debet Anemius furnus, qui lateri non apertis foraminibus junctum habet focum; incinerandis, coquendiſque rebus nonnullis deſtinatur. Ad latera orificij in orbem quaſi furni paulò ante dicti omnes, bini ſemper juncti ſibi etiam pro igne aperto apponuntur, ut inter ſingulos binos ſuperſit ſpatium, quod & receptaculis utraque ex parte prodeun-

deuntibus ſufficiat, & acceſſum faciat liberum. Piger Henricus ignis aperti furni curvaturæ ſphæricæ figuræ eleganter poſſunt accommodari. Porrectus autem ſupra furnos paries partim feneſtras continet, partim receptacula vaſorum, quæ deſtillationibus inſerviunt. Terram propè ac fundum ædificij, hinc inde per tria aut quatuor foramina facta affabre aeri concedatur ingreſſus, pro majori furnorum eventilatione, qui per caminum habet exitum. A latere huic ædificio jungatur aliud quod inferius Muſeum habeat, in quod ex Laboratorio pateat aditus vel vaſis reponendis, vel miſcendis materialibus ac adornandis deſtillationibus deſtinatum. Ex ejus ſuperiori contignatione deciduis carbonibus per ciſtam aliquam oblongiorem clauſam operculo mobili patet aditus, qui in Laboratorio ciſtâ aliâ excipiuntur. Ita poſſumus & neceſſitati inſervire & ornatui, modò inſuper attendamus in Laboratorio omnia ordine fieri debere ac decenter; inſtrumenta ſingula ſuis loci reponi; quot verò eorum deſiderentur, dicetur, in ſequenti cap. Oportunum eſſet prolixius hic inquirere, an certum aliquod tempus conſtitui debeat pro laboribus Chymicis, ac ſiderum influxus; ſic enim marte, e.gr. non-niſi horâ martis &c. fundj nonnulli volunt, & vitrum antimonii non niſi ſereno cœlo: nec negari poteſt, aerem ambientem alterare etiam vitra deſtillatoria, unde difficilior deſtillatio eſt hyberno tempore & tardior, friguſque repellit. *Sed quanquam concedi poſſet, pro ratione intentionis attendi etiam debere vel influxum ſideris vel certum tempus, quia tamen totum illud negotium vel obſcurum eſt, aut pro ut deſcribitur communiter, ſibi non conſtat, & experientiæ reſpondet, ideò obſervationem haud meretur, labores hi omnes traditi hoc in opere temporum obſervationes illas haud requirunt, ſed poſſunt omni tempore confici, nocturno etiam fundi vitra, modò diligenter attendantur Enchiriſes, & in iis ſimus exercitati ſatis. Circumſtantias quaſdam temporum circa labores obſervari debere non negamus, v. g. fervidiore ſub Sole citius fiere cryſtalliſationes: tempore pluviarum facilius fluit aliquid per deliquium, ſpiritus ſulphuris per campanam fit, ſed hæc non tàm tempori debemus quàm tempeſtati & aeri, cui ſimiles qualitates etiam ſine aere ſolo calore & aquâ poteſt producere Ars.* A Sole intenſiore in cryſtallos facilius coguntur ſalia, ratione intenſioris caloris, diffluunt alkalia citius in aere humidiore ratione humiditatis, unde & Caput mortuum vitrioli citius effloreſcit, ſic & naturæ hoc tribui debet rei ipſius, circa quam occupati ſumus, e.gr. quod ros verno tempore colligi debeat; alio quippe non decidit. Siderum influxus ſi applicari poſſunt, aſcenſionis eorum ac poſitus rationem habendam eſſe, (ſed quod potiſſimum eſt, materiam etiam influxui aptam præparandam eſſe.) utique largior: *Optimum interea tempus eſt illud, ut ſingula ordine agantur, ac pro indigentiæ, quam operationes ex ſe habent, ratione,* v. gr. poſt filtrationem ſalium, eorum evaporationem eſſe inſtituendam, auctor ſum. Confer ea, quæ de temporibus balſamicis dicta ſunt ab Helmontio. Hæc enim hiſce eleganter per analogiam poſſunt applicari.

Inſtrumenta ſecundaria vocare hic lubet ea, quæ ad furnos ſpectant (præcipuè,) ac officiis vilioribus ſunt deſtinata, primaria enim in antecedenti capite ſunt enumerata, & iis potiori adhuc jure annumerantur menſtrua ſequenti capite tradita. Ex his noſtris itaque inſtrumentis primò ſunt Vitra. *Vitrum in genere, optimum verò cenſetur, quod veſiculas non habet, illæ quippe incluſum gerunt aerem, & ex duabus conſtant laminis, quarum adeoque exterior facile rumpitur, interior non minus, à quâ vitri jactura fit: pari ratione grandines in vitro colliquati rumpunt illud facilè, vel perforant,* cum enim ſint lapides, inæqualiter cum vitro incaleſcunt, & nimio concepto calore, diſſilire illud aliquantum faciunt, aut relicto ſui veſtigio & foramine ex eo proſiliunt. *Vitrum porrò optimum cenſetur, quod conſiſtentiæ mediocris eſt*, craſſum enim nimis cùm vehementiorem ignem requirat, à quacunque mutatione facilius diſſilit: ſi verò nimis ſubtile fuerit, ab illiſione frangitur citiſſimè, quod plus ſatis in retortis vitreis muranis, quæ vel intra manus cùm luto munirentur, ſunt ruptæ, (folii chartacei tenues,) experti ſumus. *Eſt & hoc præcipuè at tendendum, vitrum omne, quàm primùm factum eſt in Furnis* (die Kuhl-Oefen *dictis*) *debitè frigeſieri debere,* alioquin ab ambiente frigidiore aere rumpitur facilè. *Unde enchiriſis circa uſum vitrorum univerſalis notari debet, frigida ſcil. frigidis, & calefactis calida (vaſis) infundi debere,* alioquin & ſi frigida calidis injiciantur, ruptura fit: Etenim particulæ ſalinæ in vitro ab igneis particulis, ubi incaluere, frigido accedente, ſolvi quaſi incipiunt, certè aguntur & pelluntur quaſi, unde vitrum diſſilit. Sic ſali communi ab igne liquefacto, ſi frigidum inſtillet, ſubitò incipiunt fumi & ſpiritus exhalare. *In negotio hoc enchiriſis eſt, ut dum calidius frigidiori vaſi inſtillamus, aliquantulum ejus præmittamus, ac ſubitò vas moveamus, ſic enim calidum non in aliquam partem ſolummodo agit, ſed divertitur quaſi, ac vitrum omne æqualiter incaleſcit.*

Circa uſum porrò vitrorum in genere ſequentes notandæ ſunt regulæ: 1. *Debitam eorum copiam, habere debemus,* (quod frequentiſſimum eſt) ſtatim ſubſtitui poſſit aliud, ne differre operationem neceſſum habeamus. Sanè ſi ullum aliud hoc certè ingens impedimentum eſt laboris, præſertim quando vitra peregrè peti debent. 2. *Pro laborum diverſitate ordinata ad eam & deſtinata etiam vitra habere debemus,* e. gr. pro ſpiritibus vini, ſimilibus oleis ac aquis alia, alia contra pro fœtidis, deſtillatione e.gr. ſpiritus C. C. viperarum &c. Etenim odores fœtidorum altius penetrant, nec elui poſſunt, aut difficile ſaltem: Fœtore autem alia, quæ iis infunduntur, inficiunt. Acida quidem etiam penetrant, *ſed cum ſalina ſint, facilè aqua,* elui poſſunt. *Sequitur hinc & tertio ſubito, poſtquam finita deſtillatio eſt, vaſa elui debere, ne fœtorem imbibant altius, vel remanens acidum frangat ea,* etenim memini ſæpius, vaſa grandia recipientia non eluta ſubitò, tandem totoque fuiſſe corroſa & rupta; acidum quippe in alkali vitri agere non deſinit, ſeque cum eo conjungere, ita, ut viderim vitrum circulariter ruptum in cryſtallos quaſi acido cum vitri dicto alkali. Malè adeoque ſibi conſulunt, qui tempore longiore uno aliquo in vaſe ſpiritus acidus reſervant: hinc damnum illi patiuntur non unum, dum per ſe quaſi ac in repoſitorio, lagena ſpiritu vitrioli plena rupta eſt.

Sed jam videbimus Vitra in ſpecie: Ex illis primò ſunt *Phiolæ,* (*vid. Tab.* VII. *Fig.* 1.) quæ in laxiorem ampliatæ ventrem, ſtrictioris & æqualis colli eſſe debent, ut Hermetice ſigillari poſſint; pro rectificatione ſalium volatilium verò collo laxiore aliquantulum phiola eſſe poteſt, ne copioſiore ſale obturetur. Phiolæ verò diverſæ magnitudinis ad varios uſus haberi poſſunt.

2. *Cucurbita,* colli exporrecti protuberantis aliquantulum in extremitate, ut eo melius alembicum recipiat, ac denique ventris æqualiter rotundi, quanquam aliâ etiam figurâ haberi poſſit, non amplo adeò expanſoque ventre. Prior tamen melior eſt pro rectificatione ſpirituum, ſiquidem ex ejus ventre non æquè Phlegma aſcendere poteſt. Dividuntur cucurbitulæ in majores, *die Herren-Kolben* (dictas; medias, quæ *Mittel Kolben* audiunt;) & minores, quas cucurbitas ſeparatorias, *Scheid Kolbgen* vocamus; ſiquidem in iis Cinnabaris Antimonii rectificatione ſeparari ſolet. Cucurbitis majoribus, quæ circiter octo vel decem menſuras aquæ recipiunt, quæ majora ſunt, recipientia audiunt, ſuntque adeò:

3. *Vaſa recipientia*, per quæ ea intelligimus, quibus utimur in deſtillationibus ad recipienda deſtillata, atque ea quidem omnis generis eſſe poſſunt, (Phiolæ, Cucurbitæ minore) (*vid. Tab.* VII. *Fig.* 2.) *eſtque obſervandum pro deſtillatione ſpirituum, quo majora ſunt recipientia vaſa, eò melius hoc eſſe.* Unde cucurbitæ colli ſtrictioris

ctioris alembicis applicari poſſunt. *Cæterum quando deſtillantur ſpiritus primâ vice majora requiruntur recipientia*, quæ diverſæ non minus magnitudinis ſunt. *Eſt autem obſervandum, recipientia illa vaſa oblongioris eſſe debere colli, ut ſi rumpantur, pars colli aliqua demi poſſit, quod ipſi vaſi non officiat*, quia periculum collis imminet, ductu enim quaſi ſpirali ſponte nonnunquam rumpuntur, luto muniri debent: *vas integrum ne rumpatur, collum ſemper obturatur, ne frigidiori aeri pateat aditus, à quo rupturæ periculum non minus eſt.*

Tandem ut integra ſervemus vaſa hæc in deſtillationibus, utimur collis vitreis, *die Vorſtoſſe*, quæ quarto medio ſuo ventre debent eſſe largiora, ut eò melius ac primùm capiant ſpiritus. Inſerviunt illa potiſſimum vaſis recipientibus, ne illorum colla, dum nimium incaleſcunt, rumpantur; *ſed obſervandum de iis, ut ventre ſuo æqualiter in apicem deſinant*, (quod figura monſtrat:) (*vid. Tab.* VII. *Fig.* 3.) alioquin ſi ventricoſa nimis fuerint, liquor & oleum ex iis in recipiens non defluit. *Enchiriſis eſt, quo magis collum in ventrem recipientis abit, eo magis continentur ſpiritus, ne per juncturas exhalent.* Cæterum elegantiſſimi deſtillandi modi ſunt, quippe quibus fracturæ periculum ac ſpirituum jactura evitatur, quando ſcilicet vel collum, vel ipſum vas recipiens inſtructum tubulo eſt, cui aliud adhæret vas recipiens.

Quintò, Ita ex Tubulo Phlegma & oleum craſſius excidit, ſpiritus verò ſubtiliores per tubulum in vas alterum recipiens penetrant, ſicque ſubſequentes ſpatium amplius inveniunt. Non negamus, alterius illius recipientis aerem obſtare, quo minus adeo facilè in illud ſe recipiant ſpiritus advenienti tamen eorum copiæ cedere cogitur aer, Aliàs, ut tractum aeris efficiamus, illeque ex altero recipiente reſpirare quaſi poſſit, ultimo recipienti tubulum anguſtioris foraminis itidem applicamus, per foramen illud exit aer, non tamen ſpiritus, ſiquidem eò uſque & in tertium recipiens non perveniunt.



Sextò *Alembici, de quibus præcipuè notandum, collum eorum æqualiter rotundum eſſe debere, non figuræ ovalis, nec inæqualiter deſinentis, aliàs enim ipſis cucurbitis ſtrictè non poſſunt accommodari.* Roſtrum ex iis deſcendens inclinatum debitè eſſe debet, ut liquor omnis eo melius exſtillet, quo rotundius magis eſt, eo melius: alioquin ſi compreſſum fuerit, facilè obturabitur à ſalibus volatilibus. Pro ſublimatione etiam ſalium volatilium adhiberi ſemper debent Alembici qui roſtrum amplius habent, ob eandem, quam modò dixi, cauſam, hoc enim neglecto, & ubi obturatum fuerit roſtrum, vitrum omne vidi ſæpius elevatum ad tectum uſque fractumque penitus. Ipſe venter Alembici quò amplior eſt, etiam ſi diverſæ magnitudinis ratione, quâ pro collis phiolarum, cucurbitarum &c. opus habemus, collum eorum quo ſit ſtrictius, eo melius eſt, ſic enim patet magis locus ipſis ſpiritibus, ſalibus, non incaleſcunt Alembici, adeo cito. *Alembicus cæcus* eſt ſic dictus, quia roſtrum non habet, de cujus uſu paulo poſt.

Septimò *Retortæ*, de quibus notandum, & *colli longioris eas eſſe debere*, ſic enim liquor longiore viâ deſcendens refrigeratur magis, & incurvari eleganter, in gratiam vaſorum præcipuè recipientium, quæ eleganter poſſunt iis applicari tum etiam ipſius deſtillationis, ſiquidem in collis illis magis circulatur liquor.

Octavo *Circulatoria*, quorum variæ figuræ, neſcio in quales ſpiras & anfractus contortæ communiter exhibentur ab Auctoribus, Pelicani, Dioptræ, vid. de illis Schemata apud Sennertum Rhenanum, Libavium, alioſque. Sed apparatu illo non indigemus, quinimo vel planè non, vel difficile negotium cum illis ſuccedit, & intra gyros illos contentus ſpiritus facilè ea rumpit. *Sufficiunt nobis Circulatoria ex ſolis cucurbitis* (*vid. Tab.* VII. *Fig.* 4.) *arctiſſimè ſibi incluſis* (ac lævigandos) *munitiſque luto.* Grandior eſt inferior cucurbita, ne præponderet ſuperior, & collorum orificia unico ſaltem circulo ſe contingunt; ut liquor in vas ſuperius aſcendere, quod ſi in medio ſui clavum quaſi ex ſolido vitro habeat, ab eo circulatus liquor decidens medium materiæ protinus ferit, ſicque circulationem & ſolutionem abbreviat. Digerere etiam ſolemus ſub alembicis cœcis, de quibus communis eſt error, quod externè reliquorum alembicorum adinſtar, cucurbitis applicentur, ſic enim quod in alembicum elevatur, iterum ad priſtinam materiam non redit; ſi vel nil quicquam elevari debeat, nec poſſit, cæcis illis alembicis opus non habemus. Ita collo cucurbitæ ſuæ alembici alii ſunt accommodandi, prout de duplici C C. tâ ſibi ſuperimpoſitâ modò dictum eſt. Alioquin etiam & communiter in Phiolis Hermetice ſigillatis circulationes fieri ſolent, ſed certè cum vaſis illis procedendum. Acta enim intenſiore igne, materia eam facilè rumpit. Elegans pro circulatione inſtrumentum etiam eſt (*vid. Tab.* VII. *Fig.* 5.) liquor enim aſcendit, amplioribus receptus ſpatiis tantum periculi non infert, ſuperior ejus pars, vel cum cucurbitâ vel cum cæco alembico dicto modo committitur. *Obſervandum eſt de circulatoriis omnibus, ut vaſa eorum ſuperiora ſerventur frigida.* Operationes inferius cap. de Circulatione dicendæ.

9. *Rectificatoria*, hæc ſunt vaſa, quæ rectificationibus ſpirituum volatilium inſerviunt, qualia ex deſcriptis veterum illis circulatoriis (etenim in ijs rectificatio cum quâdam quaſi circulatione) multa non minus in uſum vocata ſunt, ſed dicto paulo ante ſucceſſu. Sufficiunt nobis vitra, quæ inſtar Phiolæ ſtrictioris aliquantulum ſunt colli, quo impediatur, ne phlegma alliſum parietibus ſupernis aſcendat adeo facile. In ventre hujus vaſis tubulus aliquis conſtitui poteſt, per quem phlegma craſſius abit, ſuperiora petente ſpiritu.

10. *Separatorium*, (*vid. Tab.* VII. *Fig.* 7.) quod quaſi duplex filtrum ſibi ſuperimpoſitum eſt. Foramen inferius minimum eſſe debet, ne abundante aere adeo facilè liquor effluat, amplius eſt ſuperius foramen cerâ obturandum, ſic ſpirituoſa ſeparantur, quæ in apertis filtris facile exhalarent.

11. *Conchæ*, (*vid. Tab.* VII. *Fig.* 6.) quibus utimur ad cryſtalliſationes, tùm ad ſolutiones in aëre, tùm ad exiccationes, diſtendi enim in iis eleganter poteſt materia. Illæ, quæ ſolutionibus per deliquium inſerviunt, tubulum habent à latere, ut ſolutus jamjam liquor in ſubjectum vas defluere poſſit.

12. *Vaſa ampliora*, quæ Germanicè *dir Zucker-Glaſer* vocamus, pro evaporationibus & cryſtalliſationibus.

13. *Mortariola vitrea*: (*vid. Tab.* VII. *Fig.* 8.) Orichalceis enim ut poſſumus, quando miſceri debent corroſiva, quæ æruginem extrahunt.

14. Denique omnis generis *Vaſa recipientia*, quæ *die Einfaſs Glaſer* vocamus, pro aſſervandis ſcilicet ſpiritibus ac deſtillatis omnibus. Hæc communiora vaſa vitrea ſunt, quibus opus habemus, alia quivis ex Auctoribus petere, vel ſuo Marte invenire poteſt.

Inſtrumenta ſunt porrò figulina, & parantur ex Argillâ, Cucurbitæ ſcil. Retortæ, Vaſa ſublimatoria tubulata. Crucibula, Tegulæ fornicatæ &c. Alembici & Recipientia Vaſa ex terrâ (figulinâ) haud confici debent, ſiquidem cùm omnis terra poroſa ſit, vel tranſmittant ſpiritus, vel quomodo deſtillatio procedat obſervari nequeat; imò & Cucurbitæ ac Retortæ, niſi proba fuerit, ac firma ſatis terra, in uſum vocari non debent.

bent, (ob eaſdem quidem rationes.) Sic enim vidi ex retortâ argillaceâ cum ſal & ſpiritus C. C. deſtillaretur, ſpiritum omnem fuiſſe à terra imbibitum, ut in recipiens nil quicquam tranſierit: Retortæ verò fragmenta denuò deſtillata, omne reddebant, quod imbiberant. Utimur autem vaſis terreis aperto potiſſimùm in Igne, ſiquidem non adeò facilè, uti vitrea, ab intenſiore flamma rumpuntur. Unde crucibula non niſi ex argilla eſſe poſſunt. Attendendum itaque, non omnem argillam ad inſtrumenta hæc eſſe idoneam: ob cauſas, quas jam innuimus. *Hinc in Germaniâ unicam ferè habemus Waldenburgenſem, unde vaſa Waldenburgenſia tantopere commendata ſunt, utpote quæ ignem ferunt, quia tamen nimus ſunt vitreata crucibula ex iis confici nequeunt*, ſed uſu recepta apud nos ſunt Haſſiaca, aliaque, quæ Celſæ figulorum in Auſtriâ ac propè Noribergam conficiuntur, Firmior terræ hujus compages eſt, & ultima illa crucibula à miſcela Martis nigricant, eaque de cauſa fuſa in iis nigra reddunt aut inficiunt, de quo vid. Zvvelferus. *Quo magis pinguior Terra eſt, eò melior quidem exiſtit, ut in Igne perſtet, admixta arenâ præparari poteſt: arena quippe pinguedinem illam attemperat, & firmitatem vaſis conciliat*, eo ipſo dum ab Igne cum eâ colliquatur. Terreæ autem particulæ potiſſimùm conſiſtentiam dant ipſis mixtis, atque ſic quidem etiam ex quacunque argilla, omnis enim pinguis eſt, optima conficies vaſa, attendendo primò, *ut ei vitrum ac ſilices ſubtiliſſimè pulveriſati largiter admiſceantur. Secundò, ut vaſa ex iis confecta & optime ad Solem exiccata diutius quàm communiter cum ollis culinariis &c. fieri ſolet, igniantur & vitrificentur*: Waldenburgenſes in gratiam inſtrumentorum horum ignem ad 16. vel 24. horas continuant. Eſt & hæc Encheiris obſervanda, *vaſorum illorum ruptorum* ab uſu, *Fragmenta omnium optime pulveriſata vaſis novis loco vitri & ſilicum admiſceri.* Cum enim vitrum & ſilices colliquati jam ſint, ad faciliorem & ſolidiorem illorum compagem faciunt.

Deveniamus jam ad vaſa ipſa in ſpecie:

Cucurbitæ & Retortæ à vitreis peculiare nil habent *Sublimatoria* (*vid. Tab.* VII. *Fig.* 9.) autem, pro quibus tamen etiam Retortæ adhiberi poſſunt, communiter fiunt vel cum tubulis, vel ſine tubulis. Cum tubulis Sublimatorium eſt cucurbita, tubulum in ventre habens, cujus collo (Sublimatorii cum tubulis) ſuperimponuntur aliquot (quaſi) alembici; ſine tubulis inſtrumentum conſiſtitur ex duabus partibus, ut alterum alteri ſuperiori poni poſſit, de horum uſu acturi ſumus ſuo loco.

Spectat huc *Inſtrumentum tubulatum*, quo utimur in deſtillatione Clyſſorum.

Tegulæ Fornicatæ, (cujus) uſus ex dokimaſticorum libris petendus. Sic ex argillâ furni integri, catini, opercula furnorum confici ſolent, quorum omnium (tamen) deſcriptionem in antecedentibus jam tradidimus.

Superſunt itaque reliqua inſtrumenta ex materiâ metallicâ, v.g. *Pyramis* &c. quæ in ſequentibus paulò pòſt tractentur. Jam de uſu dictorum inſtrumentorum præcipuè videndum eſt; qui tamen, cùm alia aut reliqua prolixè huc uſque ſint tradita, in adaptatione & lutatione eorum conſiſtit; *Eſtque in antecessum obſervandum, lutum omnium optimum eſſe, ipſam rerum ſubſtantiam, quæ deſtillationi ſubjicitur, ut eam attendamus ac naturam ejus, & conforme iis ignis Regimen inſtituamus, alioquin ſi (quodlibet) luto vaſa eſſent munita, aucto nimis igne jactura introduceretur. Deinde quando exacte arcteque contingunt vaſa* (*daſs ſie ſich vvol ſchlieſſen*) *optimum illud lutum eſt*, etenim ſi interjiciatur nimium chartæ imbibit illa ſpiritus. convenit tamen aliquantulû interponere, partim ut exactius claudantur, partim ut exterioris vitri fractura evitetur, id quod fieri poteſt, dum vitrum interius, quod proximè attingit, exterius incaleſcit. Juncturæ tandem clauduntur lutis, quale commune eſt ex farinâ cum aquâ ſubactâ, quæ chartæ injunctum vitris circumponitur. Sufficit lutum hocce, quia facile iterum removeri poteſt, modò ea, quæ paulo ante diximus, rite recteque obſerventur. *Firmius alioquin glutinat ovi albumen veſicæ inductum, aut ſi cum eo calx viva, vel etiam caſeus recens ſubigatur*: hoc enim lutum quaſi in quendam lapidem induratur, ſtringente, ut rectè habet Helmontius, aciditate calcis vivæ glutinoſitatem caſei vel ovi albuminis Fracta vitra eodem luto linteolis inductæ lutare ſolemus, vel etiam lithargyrio oleo lini ſubacto, quo utimur etiam pro vaſis, in quibus ſpiritus acidi deſtillantur: acidum quippe olei cum lithargyrio & ſale ejus ſaccharino ſejungendo, detinetur à terrâ ejus, ac acidis præcipue ſpiritibus illud inſervit. Quia autem in ſuperioribus dictum: acida in oleoſis fatiſcunt; *ſic vitrorum etiam fragmenta glutinat ichthyocolla ſoluta in Spiritu vini ac inungendo ſuperinducta aliquoties*, etenim glutinoſæ ejus particulæ in quaſi quaſdam pelliculas tandem tandemque concreſcunt Ex colophonio, cerâ ac vitri pulvere, cerâ item Hiſpanicâ obturantur colla illa, quæ calorem non ſentiunt, nam alioquin lutum liqueſcit. Sigillum Hermetis hoc obſervat, ut phiolæ collum (majora enim & ampliora ita colliquari nequeunt, quin non rumpantur à copioſiore aere intra cavitatem contento) probè circumpoſitis carbonibus ab igne colliquatum ſit, quod dum ſentimus, inclinare illud forcipe calefacto, (ne à frigido rumpatur) aliquo uſque in altum protrahere debemus; ſic enim in apicem quaſi pervium minimo foramine abit, quod, quando vitrum frigidum factum eſt, tubulo aliquo & candelæ igne clauditur. *Obſervandum tamen, ut ſi oleoſa & Spiritus vini phiolæ ſint incluſa, collum antequam hoc modo ſigilletur linteolo eſſe abſtergendum*; vidi enim accenſum Spiritum vini hoc modo in manibus incauti alicujus vas omne fregiſſe Dixi, vaſa amplioris colli hoc modo Hermetice ſigillari non poſſe: Pro iis utimur pulvere aliquo *Anatron* qui ♃ lithargyrij ℔ ij. ſcobis Martis, vitri Venetiani ℔ j. ſilicum calcinatorum ℥ iv. pulveriſata, per ſeptem horas fluant in crucibulo: ut ſcil. vitrum, quod à ſcobe Martis & lithargyrio vim majorem penetrandi habet, quâ colliquatione vitrum vitro ſociat. Margini colli ſucceſſivè & probè tamen igniti inſpergitur pulvis hic, quod dum liqueſcit, vitri fruſtum aliud calidum item factum imponitur, ſicque ſimul colliqueſcit.

Reliquorum inſtrumentorum uſus ex doctrinâ de Operationibus, quæ ope illorum perficiuntur, ſpecialiter innoteſcet. *De crucibulis ſaltem notandum adhuc quod ſemel illa madida facta ignem amplius non ferant: aquam enim imbibunt, à qua quaſi fatiſcunt. Ut vero eo melius materiam, quæ in illis fundi debet, contineant* (*perforantur enim facile ab Antimonio &c.*) *cretâ interius oblinuntur. Hæc quippe ceu terra aridior reſiſtit magis, & alterum alteri imponitur, ut rupto forſan uno, perſtet tamen aliud.*

Superſunt Inſtrumenta reliqua; ex quibus.

1. Eſt *Pyramis, der Gieſſpuckel*, ex ære facta, (uſus habetur in cap. de Regulis.)


2. *Infundibulum, der Einguſs*, quo tamen præcipuè Aurifabri utuntur.

3. *Forcipes*, quales tres habemus, *Validiorem*, quâ utimur ad tollendum crucibula fusâ materiâ plena: *Longiorem* ac *Graciliorem*, ut aliquid ex vehementiori igne tollere, carbonem eximere, imponere aliquid &c. poſſimus: *Verſatilem* denique ac minorem ad ſigillanda vitra.

4. *Circuli majores & minores ferrei* (*die Spreigeiſen*) ad ſcindenda vitra; exactè rotundi illi eſſe debent, ſic igniti probè circumducenda admoventur vitris, quo facto aliquantulum aquæ aſpergitur, à quâ ritè diſſiliunt. *Rumpuntur alioquin etiam circumpoſitis funiculis ſulphuratis accenſiſque.*

5. *Mortaria* aurichalcea, ferrea, lapidea. Elegans


VII Tom · II
Figuræ quinque Tabulæ quæ in Opere Sexta designatur ·
pag · 48 ·
fig · 1 ·
Furnus Anemius
fig · 2 ·
Balneum · Mariæ ·
fig · 3 ·
Vas prominens · catinum · obturatum · circulis ·
fig · 5 ·
· Piger · Henricus ·
· Balneum · Vaporis ·
· fig · 4 ·
Figuræ vndecim Tabulæ quæ in Opere Septima designatur ·
fig · 1
Cucurbita · fig · 2 ·
· fig · 5
Vas · rectificatorium ·
Sublimatorium · tubulatum
fig · 9 ·
Instrumentum · pyriforme · admenſtruum · exaere · peten · dum ·
fig · 10 ·
fig · 3 ·
fig · 6 ·
Concha ·
Recipientia · Vaſa
fig · 11 ·
fig · 7
Separato= =rium ·
fig · 4
Filtra · vitrea · liquore · impleta · ſibiq · impoſita ·
Instrumentum · ad menſtruum · exaere · petendum ·
Mortario= =lum · vitreum ·
fig · 8 ·


F
E
C
B
B
A
H
K
K K
I
I
D
G
a
N
P
X
X
Y
L
Q
u
R
b
Z
T
c
M
r
Y
S
f
d
V
g
O
m
l



gans eſt, quam nonnulli Molam Philoſophicam vocant, (in quâ quidem per rotas piſtillum circumagitur,) ſic eò faciliùs res pulveriſantur.

6. *Circuli ex ſtramine* pro reponendis, & plumbo, pro retinendis in balneo vitris. Et plumbei quidem circuli funduntur ſupra terram intra arenam madidam, in quâ iſtiuſmodi circuli veſtigium factum eſt.

7. *Baculus ferreus* ad purgandam craticulam.

8. *Rutabulum* ad evacuandum Cinerarium.

9. Denique *Baculi lignei* incurvati in apice linteo inſtructi, quibus utimur ad eluendas ſordes. *Oleoſa autem à C. C. &c. eluuntur aquâ & cineribus, quia alkali eorum in oleum abit, vel etiam furfuribus, illi enim cum præpingues ſint, olea itidem imbibunt, ut ex doctrina de principiis patet.* Ita viliſſimæ etiam operationes ſua habent fundamenta: ita lavant lotrices. *Acida eluuntur ſolâ aquâ communi calidâ, quæ eò meliùs agit:* etenim acida quando coagulata vitri parietibus adhærent, in ſal quaſi coagulantur, uti antecedenter, & in hoc cap. dictum: Salia autem ſolâ aquâ ſolvi, ex antecedentibus etiam patet. Baculi autem incurvati eſſe debent, ut in vaſe purgando vitri ventris parietes attingere poſſint; alioquin & filis ferreis ad eximendum aliquid uti ſolemus, modò iis non tractemus alia, quæ ferrum rodunt, urinoſa etiam, ea enim ſpurcitiem contrahunt. Denique &:

10. *Ut vitra, quæ recipientia vocavimus minora, claudamus, cera opus habemus, quæ ℞. cera comm. p. IV. terebinthinæ p. j. (hæc additur, ut cera magis tractari poſſit) ſimul liquefiant, ſed à volatilibus & oleoſis cera illa abſumitur, adeóque meliùs operculis ex ſubere (tractabile enim illud lignum eſt) conficiuntur, illiſque ſuperinducitur cera,* ac de reliquo opercula muniuntur veſicâ madidâ, quæ meliùs adhæret & (operculis) filo colligatis. Optimè omnium ac elegantiſſimè tandem clauduntur orificia vitreis operculis lævigando immiſſis, (quod einſchleiffen vocamus) & continentur illa ab operculis aliis ex argento vel ſtanno factis (die Schrauben Germanicè vocamus.) *Barnerus.*

Explicatio Tabularum Chalcographicarum quibus Furni, vaſa, variaque alia Inſtrumenta Chymicis Operibus dicata è variis Autoribus petita depinguntur.

TABULA VIII.

A. Cucurbita. *Une Cucurbita.* Kolbe.

B B. Cucurbitulæ ſibi invicem occurrentes, pro circulationibus peragendis. *Cucurbites de rencontre pour des circulations.* Kolbe zu circuliren.

C. Retorta, ſeu Cornuta. *Retorte ou Cornuë.* Retort.

E. Recipiens ſeu Excipulum. *Un Recipient ou Balon,* Recipient oder Vorlag.

F. Alembicus vitreus capitello à toto minimè diviſibili inſtructus. *Alembic de verre avec ſon chapiteau qui ne ſe ſepare pas, ou qui eſt tout d'une piece avec le reſte.* Blind-Alembic.

G. Vas vitreum circulatorium. *Vaiſſeau de verre pour les circulations.* Circulier-glas.

D. Vas vitreum quod Infernum vocant. *Enfer de verre.* Gießpuckel.

I I. Gemelli. *Gemeaux.* Doppelt Alembic.

K K. Crucibulum. *Creuſet.* Tiegel.

H. Vas circulatorium quod Pelicanum vocant. *Vaiſſeau circulatoire nommé Pelican.* Pelican.

u. Ferrum pro exſcindedo collo tum recipientium ſeu excipulorum, tum cucurbitarum. *Fer pour couper le cou des recipiens & des cucurbites.* Rund eyſen die gläſer zu ſchneiden.

O. Matratium longiori collo donatum. *Matras à long cou.* Kolbe mit einen langen Halß.

Q. Matratii Capitellum. *Chapeau du Matras.* Helm zu der Kolbe.

R. Recipiens ſeu Excipulum adaptatum matratii capitello. *Recipient attaché & uni au chapiteau du matras.* Recipient mit dem Helm an die Kolbe verlutiret.

L. Capitellum cæcum. *Chapiteau ou Chappe aveugle.* Blind-Helm.

Y. Vas vitreum oleorum ſeparatorium. *Vaiſſeau de verre pour ſeparer les huiles.* Ein glas die olea zu ſepariren.

X X. Matratium Matratio ita adaptatum ut ſuperius in inferius deſcendat pro digeſtionibus & circulationibus. *Matras de rencontre pour les digeſtions & circulations.* Doppelte Kolbe.

P. Phiala vitrea infundibulo ſuo pro filtrationibus munita. *Phiole ou bouteille de verre garnie de ſon entonnoir pour les filtrations.* Ein glas mit dem Trechter zu filtriren.

N. Capſula terrea. *Capſule de terre.* Erdene Capſel.

a. Obturamentum inciſuræ capſulæ. *Bouchon de l'échancrure de la capſule.* Zapffen zu der Capſel.

y. Conus fuſorius, ſeu Cucullus ferreus pro projiciendis regulis. *Cornet de fer pour jetter les regules,* Eingus.

r. Sipho. *Siphon.* Regal.

M. Ovum philoſophicum. *Oeuf philoſophique.* Philoſophiſch Ey.

t. Forcipes ferrei. *Pincettes de fer.* Zangen.

T. Catinus vitreus. *Plat de verre.* Glaßſchale.

Z. Vaſa aptata ſeparationi olei ab aquis ſtillatitiis mediante ellychnio. *Vaiſſeaux pour ſeparer l'huile des eaux diſtillées avec la méche.* Scheidglaß die olea der diſtilirten waſſer mit einer Lunden zu ſepariren.

b. Vas vitreum pro ſeparandis oleis. *Vaiſſeau de verre pour ſeparer les huiles.* Scheid-trechter die olea zu ſepariren.

V d. Duo Capitella vitrea ſibi invicem impoſita quorum inferius per partem ſui ſuperiorem perforatum exiſtit. *Deux chappes de verre l'une ſur l'autre, dont celle du deſſous eſt ouverte au haut.* Zwey gläſſerne Capſelen auff einander gelegt / da die untere oben auffgemacht ſeyn muß.

f. Vas cupreum pro Balneo Mariæ. *Vaiſſeau de cuivre pour le Bain Marie.* Kupffern-keſſel zu dem Balneo Mariæ.

S. Infundibulum. *Entonnoir.* Einguß / oder auch Trechter.

g. Mola chalybea. *Moulin d'acier.* Stahlene Mühle.

l. Forcipes ferrei. *Tenailles de fer.* Eiſerne Kneipff-zange.

m. Fuſilis metalli teres typus. *Lingottiere.* Klumpen.

TABULA IX.

FIGURA I.

A. Furnus deſtillationi ſpiritus vini inſerviens. *Fourneau pour la deſtillation de l'eſprit de vin.* Ofen den Spirit. Vini zu diſtilliren.

B. Veſica cuprea intus ſtanno obducta aquam vitæ continens. *Veſſie de cuivre étamée au dedans contenant l'eau de vie.* Kupfferne Blaſen inwendig verzinnet / worinnen der Brandtewein.

C. Tubulus cupreus ſerpentinus columna ſuffultus. *Serpentin de cuivre ſoûtenu d'une colomne.* Kupffern Röhr an eine ſtange gehalten.

D. Tubuli ſerpentini capitellum. *Chapiteau du ſerpentin.* Helm zu der Kupffern Röhr.

E. Refrigeratorium. *Refrigerant ou Refrigeratoire.* Refrigeratorium.

FIGURA II.

F. Alius furnus deſtillationi ſpiritus vini inſerviens. *Autre fourneau ſervant à la deſtillation de l'eſprit de vin.* Ein ander Ofen den Spirit. Vini zu diſtilliren.

G. Veſica cuprea ſtanno intus obducta aquam vitæ continens. *Veſſie de cuivre étamée au dedans contenant l'eau de vie.* Kupfferne Blaſen inwendig verzinnet / woeinnen der Brandtewein.

H. Tubulus ſerpentinus ſtanneus. *Serpentin d'étain.* Zinnerne Röhr.

I. Capitellum vitreum. *Chapiteau de verre.* Ein Helm von Glaß.

K. Recipiens ſeu Excipulum. *Recipent.* Recipient oder Vorlag.

S. Obturamentum oſtii ſeu januæ furni. *Bouchon de la porte du fourneau.* Zapffen der Ofen thüre.

X. Fulcrum, Excipulum ſpiritus vini ſuſtinens. *Gueridon portant le Recipient de l'eſprit de vin.* Stuhl den Recipient haltende darein der ſpir. vini fält.

FIGURA III.

A. Furnus Reverberii. *Fourneau de Reverbere.* Ofen zu reverberiren.

B. Operculum fornicatum ſuperiùs perforatum, furno reverberii imponendum. *Couvercle fait en Dôme ouvert par deſſus, que l'on aplique ſur le fourneau de Reverbere.* Runder Deckel dan man auf den reverberirten Ofen ſetzet/ welcher oben offen ſeyn muß.

FIGURA IV.

H. KK. Furnus in quo poſſunt collocari quatuor Cornutæ ſeu Retortæ pro deſtillatione. *Fourneau où l'on peut diſtiller avec quatre Cornuës ou Retortes tout d'une fois.* Ofen damit man auf ein mahl diſtiliren kan.

I. I. I. I. Quatuor Receptacula ſeu Excipula majora quatuor Cornutis ſeu retortis aptata. *Quatre grands Recipiens pour les quatre Cornuës ou Retortes.* Vier groſſe Recipient für die vier Retorten.

FIGURA V.

A. Furnus pro Aludele. *Fourneau pour l'Aludel.* Ofen pro Aludele.

B. Aludel. *Aludel.* Aludel.

CCCCC. Vaſa Aludelis. *Vaiſſeaux ou Pots de l'Aludel.* Häffen zu dem Aludel.

D. Aludelis Capitellum. *Chapiteau de l'Aludel.* Helm zu dem Aludel.

TABULA X.

FIGURA I.

G. Furnus ventoſus. *Fourneau à vent.* Lufft-Offen.

H. Furni Porta ſeu Oſtium. *Porte du Fourneau.* Offen-Thür.

I. Extremitas tubuli qui ventum in furnum deducit. *Extremité du tuyau qui conduit le vent dans le fourneau.* Das Ende des Canals / welches die lufft in den offen hinein führet.

I. I. Tubulus ventum deducens. *Tuyau qui conduit le vent.* Canal welcher die lufft führet.

L. Follis. *Soufflets.* Blaſebalch.

M M. Lignum ſuſtinendo folli, illique itidem movendo inſerviens. *Bois ſervant à porter & mouvoir les ſoufflets.* Holtz welches man braucht die blaßbalche zu tragen.

O O. Caminus. *Cheminée.* Schornſtein/oder Kamin.

P. Quadrum ferreum craticulæ furni vicem gerens. *Quadre de fer ſervant de grille au fourneau.* Ein viereckigt eyſen wie ein Roſt zu dem offen dienende.

Q. Lamina ferrea quæ imponitur Quadro ferreo. *Piece de fer platte pour mettre ſur le quadre de fer.* Eine eyſerne Stang ſo platt / auf das viereckigte eyſen oder Roſt zu ſtellen.

FIGURA II.

A. Alius furnus ventoſus. *Autre fourneau à vent.* Anderer Lufft-Ofen.

a. Laterculus pro ſuſtinendo crucibulo. *Piece de brique pour ſoûtenir le creuſet.* Ziegelſtein den Tiegel zu unterſtützen.

b. Crucibulum in furno collocatum. *Creuſet mis dans le fourneau.* Tiegel in den Ofen geſtellet.

C. Tuba ferrea tripedalis orificio furni imponenda pro augendo calore. *Trompette ou Domino de fer pour mettre ſur l'orifice du fourneau afin de donner plus grand feu.* Eyſerne Trommete auff des Ofens mund loch zu ſtellen / umb das Fewer gröſſer zu machen.

FIGURA III.

A. Furnus. *Fourneau.* Ofen.

B. Veſica cuprea intus ſtanno obducta. *Veſſie de cuivre étamée au dedans.* Kupfferne Blaſen inwendig verzinnet.

T. Capitellum. *Chapiteau.* Helm.

D. Doliolum continens aquam pro refrigerando liquore diſtillante per tubulum doliolo annexum in Excipulum tranſmittendo. *Tonneau contenant de l'eau pour rafraichir la liqueur qui diſtille & qui eſt conduite dans le recipient par un tuyau attaché au tonneau.* Ein Faß mit waſſer gefüllet darinnen eine Röhre durch welche das liquor diſtilliret und durchgehet in den vorangezogenen Recipient.

E. Recipiens ſeu Excipulum. *Recipient.* Recipient.

FIGURA IV.

C. Furnus pro deſtillatione herbarum in Arenæ Balneo. *Fourneau pour la deſtillation des herbes au Bain de Sable.* Ofen die Krauter im ſand zu diſtilliren.

D. Vas cupreum intus ſtanno obductum herbas continens. *Vaiſſeau de cuivre étamé au dedans contenant les herbes.* Kupfferne Blaſen inwendig verzinnet darinnen die Krauter.

E. Capitellum cupreum intus ſtanno obductum. *Chapiteau de cuivre étamé au dedans.* Kupffern Helm inwendig verzinnet.

O. Recipiens. *Recipient.* Ricipient.

TABULA XI.


FIGURA I.


A. Furni pigritiæ, Henrici pigri, ſeu Athanoris Turris. *Tour du fourneau de pareſſe ou Athanor.* Thurn des ofens Athanor genandt.

B.C. Furni ejuſdem membra duo, in quæ calor è turri devehitur. *Deux parties du fourneau de pareſſe ou Athanor où ſe porte la chaleur de la tour.* Zwey Stücker des ofens Athanor genandt / wohin ſich dee hitze zeucht.


D. Canalis ſuperiùs anguſtior, ſed ſenſim verſus inferiora dilatatus quo carbones continentur. *Canal étroit par le haut, mais qui va inſenſiblement en élargiſſant vers le bas, dans lequel ſont contenus les charbons.* Enge Röhr für den obertheil / welche aber unten unempfindlicher weyſe in außbreitung gehet/ darinnen die Kohlen ſind.

E. Exprimit Orificium per quod calor à turri in membrum furni ſiniſtrum tranſmittitur, quod orificium in parte dextra non depingitur quia ſic contra picturæ leges peccaretur. E. *Exprime la porte ou orifice*


FIG·I·
E
D
C
B
A
FIG·II·
I
H
K
G
F
X
S
FIG·III·
B
A
FIG·IV·
H
K
K
I
I
I
FIG·V·
D
C
C
C
C
C
B
A


O
9
L
M
I
M
N
FIG·I·
Q
P
I
G
H
C
FIG·II·
b
A
a
FIG·IV·
E
D
C
O
V
FIG·III·
B
A
D
E

TAB XV Tom. II


FIG I
D
P
F
F
F
A
B
C
E
FIG III
H
m
fo
g
g
E
F
F
A
K
K
l
l
FIG II
h
h
h
c
f
f
g
g
d
e
c
b
e
a
FIG IV
O
O
V
V
I
I
FIG V
L
L
L
E
E
E
A
A
A
FIG VI
R
S
T
Q
C
V
O
P
X
FIG VII
3
10
9
8
7
6
4
2
X
5
1

orifice qui prend dès la tour de l'Athanor & porte la chaleur dans la partie gauche de ce fourneau, on n'a pas pû exprimer la même choſe du côté droit, parce que cela auroit été contre les régles de la Peinture. Litera E verzeichnet das Thor oder mundloch / welches den anfang nimbt von dem thurn Athanor/und trägt die hitze in die lincke ſeite dieſens ofens. Man hat nicht können eben daßelbe auf der rechten ſeiten außtrucken / weilen es wider die Regel des gemählds geweſen währe.

F F F. Obturamenta ſpiraculorum quæ quatuor in utroque furni membro ſcil. dextro & ſiniſtrô reperiuntur pro variè moderando calore in illa devehendo. *Bouchons des regiſtres ou ſoupiraux, qui ſont au nombre de quatre dans l'une & dans l'autre des parties du fourneau qui ſont à droit & à gauche de ſa tour, pour moderer & régler diverſement la chaleur que l'on y veut introduire ſelon le beſoin.* Vier Zapffen in dem ofen neben dem thurn / zwey an der rechten und zwey an der lincken ſeythen/ umb das fewer zu guverniren / nach dem man die hitze haben will.

P. Obturamentum Canalis turris, qui ſcilicet canalis obturatur poſtquam carbones in ipſum immiſſi ignem aliquatenus conceperunt. *Bouchon du canal de la tour, lequel canal on prend ſoin de boucher quand les charbons qui ont été jettés dedans, ont en quelque façon pris feu.* Zapffen der Röhr des Thurns/ welchen man ſtopffen muß / wan man die kohlen hin ein geworffen / oder adgezündet hat.

FIGURA II.

Hac Figura Furnus depingitur Philoſophicus. *Cette Figure depeint le Fourneau Philoſophique ou Four à lampe.* Dieſe Figur mahlet oder zeichnet den philoſophiſchen ofen oder Lampen-thurn ab.

a. Furni fulcium ſeu fundamentum. *Soutien ou fondement ſur lequel eſt porté le fourneau.* Der grund auff welchem der ofen ſtehet.

b. Lampas quatuor ellychniis inſtructa quæ elevatur & deprimitur pro exigentia mediante coclidio. *Lampe à quatre mêches qui ſe hauſſe ou baiſſe ſuivant la neceſſité, au moyen d'un vis.* Lampe mit vier lunden/ welche ſich in die höhe hebt / oder neyget / der nothdurfft nach / und zwar mit einer ſchrauben.

c. Tripus vas furno concluſum ſuſtinens. *Trepied ſoûtenant le vaiſſeau renfermé dans le fourneau.* Dreyfuß welcher das geſchirꝛ im ofen hält.

d. Vas cum ovo philoſophico. *Vaiſſeau avec l'œuf philoſophique.* Das Geſchirꝛ mit dem Ovo philoſophico.

e e e. Pars furni prima, ſecunda, atque tertia. *Premiere, ſeconde & troiſiéme partie du fourneau.* Erſter/ zweyter und dritter theil der ofens.

f f. Feneſtræ ex vitro pro perſpicienda materia. *Fenêtres vitrées pour voir la matiere.* Gläſerne Fänſter die matery zu ſehen.

g g. Vitra ovatæ figuræ feneſtris oppoſita. *Vitres ovales oppoſées aux fenêtres.* Fenſter wie ein ey / gegen das gläſerne Fenſter.

h h h. Spiracula. *Soûpiraux ou Regiſtres.* Ofen-Löcher.

n. Thermometrum quo menſuratur gradus caloris. *Thermometre ou inſtrument pour juger du degré de la chaleur.* Thermometrum.

FIGURA III.

Hac Figura depingitur furnus & vaſa quibus oleum ſeu ſpiritus ſulphuris conficitur. *Cette Figure depeint le fourneau & les vaiſſeaux avec leſquels on fait l'huile ou eſprit de ſoulphre.* Dieſe Figur mahlet ab den ofen und die geſchirꝛ mit welchen man diſtilliret das oleum oder ſpiritum ſulphuris.

A. Furnus è terra cocta. *Fourneau de terre cuite.* Ofen von gekochter erden.

E. Cucurbitula in ignem immiſſa. *Cucurbite qui eſt dans le feu.* Kolbe die in dem Fewer iſt.

f. Parvulum orificium per quod ſulphur in cucurbitam projicitur. *Petite ouverture par où l'on jette le ſoulphre dans la cucurbite.* Klein Loch durch welches man den Schwebel in die Kolbe wirfft.

H. Capitellum duplici roſtro donatum. *Chapiteau à deux becs.* Helm mit zwey Schnabeln.

g g. Spiracula. *Soûpiraux ou Regiſtres.* Ofen-Löcher.

F F. Receptacula ſeu Excipula. *Recipiens.* Recipient.

K K. Fulcra Recipientium. *Soûtiens des Recipiens.* Stützel der Recipienten.

I I. Vaſa terrea ſulphur pulveratum continentia. *Vaiſſeaux de terre contenans le ſoulphre pulveriſé pour en faire les projections.* Erdene Geſchirre den geſtoſſenen ſchwebel darein zu werffen.

m. Prominentiæ in cucurbitulæ collo quibus capitellum ſuſtinetur. *Prominences ou élevations qui ſont au cou de la cucurbite, & ſoûtiennent le chapiteau.* Höchſteilungen ſo am halß der Cucurbit / und den Helm hälten.

FIGURA IV.

V V. Vaſa terrea majora pro deſtillatione ſpiritus ſulphuris. *Grands pots de terre pour la deſtillation de l'eſprit de ſoulphre.* Groſſer erdentr Hafen den ſpiritum ſulphuris zu diſtilliren.

O O. Campanæ vitreæ. *Cloches de verre.* Gläſerne Klocken.

I I. Crucibula ſulphur concludentia. *Creuſets contenans le ſoulphre.* Tiegel worinnen der Schwebel iſt.

FIGURA V.

C C C. Catini tres vitrei majores. *Trois grands plats de verre.* Drey groſſe gläſerne ſchüſſeln.

A A A. Tria Crucibula ſulphur continentia. *Trois Creuſets contenans le ſoulphre.* Drey Tiegel worinnen der Schwebel iſt.

E E E. Tres Campanæ vitreæ. *Trois Cloches de verre.* Drey gläſerne Klocken.

L L L. Tria Capitella. *Trois Chapiteaux ou Chappes.* Drey Helme.

FIGURA VI.

O. Retorta in Balneo Cinerum poſita materia ſublimanda & difficilioris diſſolutionis referta. *Retorte placée dans le Bain de Cendre, pleine de la matiere que l'on veut ſublimer & qui eſt d'une diſſolution dificile.* Retorte in dem Balneo Cineris geſetzt/ voll der matery welche man ſublimiren will / und gleichwohl übel zu diſſolviren iſt.

Q. Vas vitreum duobus è latere canaliculis S. T. & uno V. in ventre inſtructum. *Vaiſſeau de verre ayant deux canaux de chaque côté S. T. & un autre dans ſon ventre marqué V.* Gläſern geſchirꝛ habende zwey röhren an beyden Seiten mit S. T. gezeichnet / und ein anders in ſeinen bauch mit dem buchſtaben V. gezeichnet.

S. Commiſſura Retortæ in Balneo Cinerum poſitæ cum altero canaliculo vaſis Q. *Rencontre ou union de la Retorte placée dans le Bain de Cendre avec l'un des canaux du vaiſſeau marqué Q.* Vergleichnung der Retorten / in dem Balneo Cineris geſetzet / mit einem Rohr gezeichnet Q.

P. Veſica canaliculo è ventre vaſis Q. enato commiſſa & adaptata. *Veſſie attachée & unie au canal qui ſort du ventre du vaiſſeau marqué Q.* Eine Blaſe / welche am Rohr angeklebt iſt/ welche aus dem bauch des gläſernen geſchirres gehet / gezeichnet Q.

C. Retorta alia ſuper fulcrum X. poſita in quam ſubtilior puriorque pars materiæ è Retorta O. ſublimandæ ſe ſe inſinuat, dum alia pertinacior poſtquam aliquatenus evecta fuerit in via reſolvitur & in veſicam P. ſe exonerat. *Autre Retorte placée ſur ſon ſoûtien marqué X. dans laquelle ſe porte la plus ſubtile & la plus pure partie de la matiere qui ſe ſublime de la Retorte marquée O. pendant que l'autre matiere plus rebelle après avoir été élevée à un certain point, ſe reſout en chemin & tombe dans la veſſie marquée P.* Andere Retorte auff ſeinem ſtützel geſetzt/ gezeichnet X in welche ſich trägt der aller ſubtileſte und aller reineſte theil der materi/ welche ſich auß der Retorte gezeichnet O. ſublimiret/ in dem die andere böſe matery/ nach=demſie in die höhe gezogen in einen gewiſſen grad/ unterwegens ſich reſolviret/ und in die blaſe gezeichnet P. fallen.

FIGURA VII.

2. 4. Retortæ duæ quarum prima ſupra fornaculam, I. ponitur altera ſupra fulcrum S. *Deux Retortes dont la premiere eſt placée ſur un petit fourneau marqué I. & l'autre ſur un ſoûtien marqué S.* Zwey Retorten da die erſte auff einen Kleinen offen geſetzt/ gezeichnet I. und die andere auff einen ſtützel/ gezeichnet S.

3. Canalis in inferiore ſui parte quinque canaliculis inſtructus quibus totidem Recipientes ſignati numeris 6. 7. 8. 9. 10. correſpondent. *Canal muni de cinq autres petits canaux par le deſſous de ſon ventre auxquels canaux ſont attachés cinq Recipiens marqués 6. 7. 8. 9. 10.* Röhre/ welche mit fünff andern röhren verſehen iſt/ unter ſeinem bauch/ an welche röhren fünff Recipient angeklebet ſeind/ gezechet 6. 7. 8. 9. 10.

Intra Retortam 2. ponatur liquor diſtillandus ſubtiliandusque, quo peracto colligatis lutatiſque commiſſuris tam retortæ 2. quàm recipientium 6. 7. &c. accendatur ignis lenis, unde liquor in vaporem exaltatus primò reſolutus intra receptaculum 6. deinde ulteriùs provectus intra recipientem 7. & ſic gradatim uſque ad ultimum perfectionis gradum intra retortam 4. ſe inſinuabit. *Il faut mettre la liqueur qu'on veut diſtiller & ſubtiliſer dans la retorte marquée 2. & ayant en ſuite exactement luté les jointures, tant de la retorte marquée 2. que des recipiens marqués 6. 7. &c. on allumera un petit feu, au moyen duquel la liqueur étant élevée en vapeurs, ce qui s'en reſoudra le premier deſcendra dans le recipient marqué 6. ce qui aura un peu plus de ſubtilité, d'activité & de force, ſe portera juſques au Recipient marqué 7. & ainſi inſenſiblement dans les autres ſuivans, ſelon les divers degrés de perfection, juſques à ce que ce qui ſe trouvera poſſeder le plus haut degré de ſubtilité & de perfection, s'inſinuë dans la retorte marquée 4.* Man muß die liquor/ welche man diſtilliren und ſubtiliſiren will/ in die Retorte gezeichnet 2. ſetzen/ und nachdem man fleiſſig verlutiret/ ſo wohl die retorte gezeichet 2. alß auch die recipiente gezeichnet 6. 7. &c. muß man alß=dann ein klein fewer anzünden/ durch deſſen mittel ſich die liquor alß wie ein dampff in die höhe heben wird/ was ſich am erſten reſolviret/ wird in den Recipieut gezeichnet 6. diſtilliren/ was aber noch ſubtiler und ſtärcker/ wird in den Recipient gezeichnet 7. diſtilliren/ und allſo unempfindlicher weyſe in die andere/ nach die unterſcheidene grad der voll=kommenheit. Endtlich aber was ſich auff dem höchſt=ſubtileſten grad findet/ wird ſich auch in der retorten gezeichnet 4. finden.

TABULA XII.

FIGURA I.

A. Furnus ſublimationi florum ſulphuris inſerviens. *Fourneau ſervant à ſublimer les fleurs de ſoulfre.* Ofen die flores ſulphuris zu ſublimiren.

B. Capſula ferrea in ignem immiſſa. *Capſule de fer miſe ſur le feu dans le fourneau.* Eiſern Capſel in dem ofen auff das fewer geſetzt.

C. Vas terreum tubulatum canaliculis ſcilicet tribus uno ſuperiori D. lateralibus duobus F F. inſtructum, in parte verò ſui ima perforatum ut materia per canaliculum D. projecta in capſulam ferream deſcendat. *Vaiſſeau de terre ayant trois tuyaux, l'un au deſſus marqué D. les autres à ſes deux côtés marqués F F. ouvert par ſa partie inferieure pour que la matiere que l'on jette par le canal D. deſcende dans la capſule de fer.* Erden geſchirr drey Canal habende/ einen oben gezeichnet D. die anderen auff ſeine beyde ſeithen gezeichnet F F. offen an ſeinem unteren theil/ damit die matery welche man durch die Röhr gezeichnet D. wirfft/ in den Eiſern Capſel falle.

G G. Doliola duo fulcris ſuis O O. impoſita & canaliculis lateralibus F F. commiſſa ut flores è capſula ferrea ſublimati per vas terreum evecti in illa progrediantur ut ibidem colligantur. *Deux petits tonneaux placés ſur leurs ſoûtiens marqués O O. & unis avec les tuyaux lateraux F F. du vaiſſeau C. afin que les fleurs qui ſe ſublimeront dès la capſule de fer après avoir été élevés au vaiſſeau de terre marqué C. paſſent juſques dans la cavité deſdits tonneaux & y ſoient ramaſſees.* Zwey kleine Fäſſer auff ihren ſtützelt geſetzt/ gezeichnet O O. und einig mit den röhren an den ſeithen des geſchirrs C. gezeichnet F F. auffdaß die flores die ſich auß dem eyſern Capſel ſublimiren/ nachdem ſie in die höhe des erdenen geſchirrs gezeichnet C. gezogen/ in die hohligkeit der benagmten Fäſſer gehen/ und heraus genommen werden.

FIGURA II.

A. Furnus ſublimationi florum Antimonii alborum inſerviens. *Fourneau ſervant à la ſublimation des fleurs d'Antimoine blanches.* Ofen die flores Antimonii albi zu ſublimiren.

V. Vas terreum tubulatum tribus ſcilicet canaliculis C C C. inſtructum, in furno collocatum. *Vaiſſeau de terre ayant trois canaux marqués C C C. placé dans ſon fourneau.* Erden geſchirr mit drey röhren gezeichnet C C C. in ſeinem ofen geſetzt.

D. D. Vaſa duo terrea majora fulcris ſuis I I. impoſita & canaliculis duobus lateralibus C C. Vaſis V. commiſſa aut Antimonium prius calcinatum, (prout illud fit in confectione vitri Antimonii) & per canaliculum ſeu tubulum ſuperiorem C. vaſis V. immiſſum per utrumque illius latus in ipſa ſublimetur atque colligatur. *Deux grands pots de terre ſoûtenus de leurs ſoûtiens I I. & unis aux deux canaux lateraux C C. du vaiſſeau V pour que l'Antimoine calciné auparavant (comme on le prepare pour travailler le verre d'Antimoine) étant jetté dans le vaiſſeau V. par ſon canal ou tuyau ſuperieur marqué C. ſe ſublime par ſes deux côtés juſques dans les ſuſdits pots & y ſoit ramaſſé en fleurs blanches.* Zwey groſſe Erdene häfen auff ihren Stützeln geſetzt/ gezeichnet I I. und einig mit den zwey röhren an den ſeythen des geſchirrs V. gezeichnet C C. damit der Antimonium antea calcinatum, wie man ihn zuvor prepariret hat pro Vitro Antimonii, in das geſchirr V. geworffen ſey durch ſein ober=Röhr gezeichnet C. ſich ſublimire durch ſeine

beyde

FIG I






FIG II





TAB XIII Tom II

FIG I




FIG II




FIG III





FIG IV



beyde ſeitben biß in die vorgemeldte häfen / und die flores Antimonii Albi herauß genommen werden.

TABULA XIII.

FIGURA I.

Icon Molæ Philoſophicæ.

Repreſentation du Moulin Philoſophique.

Vorſtellung der Philoſophiſchen Mühlen.

A. Capitellum plumbeum ſatis craſſum. *Chapiteau de plomb paſſablement gros & épais.* Bleyern Helm ziemblich groß und dick.

BB. Axis. *Axe ou Eſſieu ſur lequel roule la machine.* Wagenaxt auff welchem das gebäw umbdrehet.

C. Tympanum dentatum. *Tambour dentelé.* Trommel die Kleine zänhlein hat.

D. Tympanum aliud ex fuſis conſtans. *Antre tambour composé de pluſieurs petits bâtons ou fuſeaux.* Andere Trommel auß viel kleinen höltzern gemacht.

EE. Mortarium. *Mortier.* Mörſſel.

PP. Piſtilla. *Pilons.* Stöſſer.

F. Manubrium cujus beneficio mola agitatur. *Emmanchement ou poignée au moyen de laquelle on donne le mouvement au moulin.* Häfftung / durch deſſen mittel man die bewegung der mühlen giebt.

a. Superius axis eſt rotunda. *Au deſſus du tambour l'axe ou l'eſſieu eſt rond.* Oben auff der Trommel iſt der wagenaxt rund.

b. Heic axis eſt quadrata. *Ici au deſſous du tambour l'eſſieu eſt quarré.* Hier unter der Trommel iſt der wagenaxt viereckicht.

c. d. Heic utraque piſtilla axi affiguntur. *C'eſt ici que les deux pilons s'attachent à l'axe.* Hier iſt es da ſich die zween ſtöſſer an dem wagenaxt anhefften.

e. Heic utraque piſtilla per firmum æneum annulum firmantur. *Dans cet endroit les deux pilons ſont raffermis par un fort anneau de cuivre.* In dieſem orth ſeind die Zween ſtöſſer geſtärcket durch ein ſtarcken Kupffern Ring.

f f. Heic utraque piſtilla æneis capſulis firmantur. *Dans cet autre endroit les deux pilons ſont ſoutenus & fortifiés par des capſules de cuivre.* In dieſem andern orth ſeind die zween ſtöſſer unterſtützet und geſtärcket durch die kupfferne Capſelen.

ggg. Utraque craſſa vitrea piſtilla. *Deux gros pilons de verre.* Zwey groſſe gläſerne ſtöſſer.

FIGURA II.

Referri debet ad paginam ubi de præparatione potus Coffi ſub titulo CAFE'.

Ceci doit avoir ſon raport à la page où il eſt parlé de la preparation du Coffi ou Caffé ſous le titre CAFE'.

Dieſes muß getragen werden ad pag. da geredet iſt de præparatione Coffi vel CAFE.

A. Ramus arboris Coffi ſeu Café proferentis. *Branche qui porte le Café.* Aſt von dem Baum welcher die frucht Caffé trägt.

a. Fructus arboris prædictæ. qui fructus eſt inſtar fabæ & enucleatus in duas partes dividitur b b. *Fruit de l'arbre ſuſdit, ce fruit eſt comme une feve & étant ſorti de ſon envelope ſe diviſe en deux parties marquées* b b. Frucht des vorbenahmbten baumes / dieſe frucht iſt wie eine Bohne / welche wann ſie außerhalb der Schälen ſich in zwey ſtücke theilet / und gezeichnet iſt mit dem buchſtaben b b.

B. Ferreum inſtrumentum per quod fructu Coffi repletum & operculo ſuo C. tectum tranſire poſſit veru quò ad ignem agitetur. *Inſtrument de fer que l'on remplit du fruit nommé Coffi ou Café, on le couvre en ſuite de ſon couvercle marqué* C. *& on paſſe une broche au travers pour le tourner autour du feu.* Eiſern Inſtrument / welches man füllet mit der frucht Coffi oder Caffé genandt / hernacher mit ſeinem deckel decket / wie gezeichnet mit dem buchſtaben C. und welche mit einem ſpieß durchſtochen und an dem fewer gewendet wirdt.

FIGURA III.

Inſtrumentum vitreum ſeu phiala pro præcipitatione mercurii vivi per ſe in Arenæ Balneo. *Inſtrument ou phiole particuliere de verre, au moyen de laquelle on precipite le mercure vif au Bain de Sable ſans aucune addition.* Inſtrument oder beſonderes glaß durch deſſen mittel man den Mercurium vivum precipitiret in Balneo Arenæ ohne einige zuſetzung.

O. Orificium phialæ per quod immittitur mercurius decies cum ſale & aceto lotus ac toties per corium expreſſus. *Embouchure par où on jette dans le vaiſſeau le mercure lavé dix fois avec le ſel & le vinaigre & paſſé autant de fois au travers d'une peau.* Das loch durch welches man den Mercurium im ſaltze und eſſig zehen mahl abgewäſchen / und auch zehen mahl durch ein leder geſeyher / in das geſchirr wirfft.

FIGURA IV.

Hic exhibentur inſtrumenta pro floribus Saturni conficiendis.

On donne ici les inſtrumens pour la fabrique des fleurs de Saturne ou plomb.

Allhier giebt man die Inſtrumente die Flores Saturni vel plumbi zu prepariren.

V. Retorta terrea duplici roſtro pervia cujus fundum nonnihil planum ſit. In eam immittitur plumbum priùs cum ſulphure calcinatum quoad friabile fiat, illud ſubtiliter terendum ac per cribrum trajiciendum, atque addendum ſalis toſti tantundem atque boli Armenæ duplum, ut in prædictam retortam hujus immittatur miſcellæ non multum ſimul & ſemel, ſed tantùm quoad vix quarta ejus pars impleatur. *Retorte de terre ayant deux becs ouverts à ſes deux côtés & dont le fond doit être un peu plat, on met dedans du plomb calciné premierement avec le ſoulphre, enſorte qu'il en devienne friable, on le broye exactement, & après l'avoir paſſé par un tamis on lui joint ſon peſant de ſel decrepité, & le double de bol d'Armenie, on met dans la ſuſdite retorte pour une fois une quantité de ce mélange qui ne rempliſſe tout au plus que la quatriéme partie de ſa cavité.* Erdene Retort zwey offene Schnabel an ſeinen beyden ſeyten habende / und deſſen grund ein wenig eben ſeyn muß / darein man erſtlich thuet bley mit ſchwebel calciniret / auff das man es reiben könne / und nach dem es durchſiebet / thuet man hinzu ſeiner ſchwäre decrepitiret ſaltz und den gedoppelten Bolus Armena. Man thut in die oben benahmte Retorte auf ein mahl ein klein wenig von dieſer Vermiſchung / damit es zum meiſten nicht mehr fülle alß den vierdten theil ſeiner höhligkeit.

I. Vas recipiens amplum altero retortæ roſtro ſcilicet tenuiori agglutinatum. *Grand recipient attaché au plus petit bec de la cornue.* Groſſer Recipient an dem Kleineſte ſchnabel der Retorten verlutiret oder angeklebet.

C. Folliculus quô quamprimum nubeculæ in recipicte conſpiciuntur per roſtrū recipienti oppoſitū paulatim & ſenſim inflatur, ut ſic flores cum impetu ab altera parte in vas recipiens erumpant. *Petits ſouſflets par leſquels dès qu'on voit quelques nuages dans le recipient, on ſouſle doucement par le bec qui lui eſt opoſé, & par ce moyen les fleurs ſe portent avec viteſſe dans le recipient.* Kleiner blaßbalch / durch welchen ſo bald man einige wolcken oder nebel in dem Recipient ſihet / langſahm in den Schnabel blaſet / welcher ihme gegen uber ſtehet / und durch dieſes mittel ſich die Flores mit geſchwindigkeit in den Recipient tragen.

INTERCIPIENTIA.

Sunt Medicamenta quæ humorum & ſanguinis motum intercipiunt, vocanturque aliâs *Defenſiva.*

Intybacea, vid. *Cichoracea.*

Intybus, vid. *Cichorium.*

Ipecacoanna, vid. *Ypecacuana.*

Irio, vid. *Eryſimum.*

IRIS.

Iris Dioſcoridi à Cæleſtis arcûs ſimilitudine nomen accepit, quem variô colore floris quadantenus figurat. *Notæ charačteriſticæ* ſunt flores enneapetali, folia gladii figuram referentia; acie cauli obverſa.

IRIS NOSTRAS.

Nomina. Iris vulgaris *Ger.* purpurea ſive vulgaris *Park.* Germanica Fuch. vulgaris Germanica ſive Sylveſtris *C. B.* vulgaris violacea, ſive purpurea, hortenſis & Sylveſtris *I. B.*

Cord. Ab uno ceſpite plura & erecta erigit cubito longiora folia, duûm digitorum latitudine, rectivenia, inferius in radicum capitibus conjuncta, ceu ex omnibus unum fiat, & ſibi invicem inſerta, ſingulorum aperto & inciſo ventre ſeu carinâ alterius dorſum excipiente, ſuperius verò alæ modo in latitudinem explicita, & in mucronem gladii figura deſinentia: è quorum medio caulis aſſurgit ſeſquicubitalis, rectus, teres, & glaber, veluti cinereo polline conſperſus, facile abſtergentibus cedente, quinque aut ſex geniculis interceptus, ex quibus ſine pediculo exeunt, ſingula, caulem amplectentia folia, inferioribus eò minora quò ſummitati propinquiora: in tres vel quatuor ramos diviſus: flores in ſummitate poſt medium veris per intervalla erumpunt, primum convolutis in turbinem membranis paulatim ſe in novem folia explicantibus: ex his tria inferiora digitali ſunt longitudine, circa exortum anguſta, reliqua ſui parte unciâ multo latiora, deorſum reflexa linguæ figura, foris lividi coloris in cinereo & circa principium viridia, intus vero purpurea, ſeu violacea, lacteis & lacteis venis prope exortum, à fimbria productis varia. Adhæret iis in interiori ſinu, media folii parte, per longitudinem exporrecta lanugo, oblongis piſis inferius albis, ſummâ parte luteis compoſita, lanuginem cujuſque folii aliud parvum obtegit folium, in ſummitate in duas diſſectum, ab utroque latere herbacei coloris, (in nobis obſervato pallidè cærulei ſeu cinerei) in medio livido extante dorſo: reliqua tria folia & ipſa linguæ aut cochlearis formam habet, primis tamen latiora & paulo breviora exiſtunt, & ſurſum reflexa junguntur: color his utrinque, cineteo lividus (imo purpureus, paulo tamen dilutior quam in propendentibus petalis) qua verò prioribus alterno poſitu adnectuntur purpureis & albis lineis à medio petalo ad latera utrinque productis ſtriata ſunt; triduum vel quatriduum durat aut longius pro aëris conſtitutione, deinde contrahitur & decidit, inferius oblongum ac ſexangularem folliculum relinquens, intus in tria loculamenta interſeptum, in quibus rotunda ſunt & oblonga ſemina. Radicibus nititur multis, invicem in latitudinem ſibi adnatis, duum digitorum craſſitudine, geniculatis, in tranſverſum ſtriatis, per ſuperficiem terræ ſparſis, foris modicè in flavo rubentibus, intus candidis, ex inferiori parte longas, tenueſque fibras in terram agentibus, graviter tota herba, ut ſambucus ferè, dum teritur ſpirat, præſertim radix, guſtu acri, conſumptorumque ſuperfluo humore tandem odorata.

Sylveſtris ab hortenſi, non videtur aliter differre quam accidentibus à cultura ortis, foliis minoribus, & hyeme mareſcentibus, caule breviore, floribus præcocioribus & ſaturatius purpuraceis &c.

Naſcitur editis & clivoſis locis inter arbuſta.

IRIS FLORENTINA.

Nomina. Iris flore albô *Joh. Bauh.* Hortenſis alba Germanica *Caſp. Bauh. Parkinſ.* item alba Florentina *eorundem.* Iris alba & Iris Florentina *Gerard.*

J. B. Qui præcedentem rectè nôrit, & hanc noverit, nullam quippe in radicibus, foliorum florumque forma differentiam notabilem animadvertimus, in quibus tamen utriſque coloris non modicum eſt diſcrimen. *Folia* enim colore ad glaucum magis accedunt. *Flores* paucô, ſed eô tamen gratô, odore præditi, lacteo candore perfuſi ſunt, extimorum coſtis non minùs quàm purpureæ, extrà virentibus, quibus intus luteæ crocomata reſpondent; imorum autem foliorum margines luteæ ſtriæ percurrunt.

Nos Iridem albam Florentinam à vulgari flore albo ſpecie diverſam non facimus. Differentia ſola eſt in radicibus, quæ in Florentinâ majores, craſſiores, ſolidiores, candidiores, odoratiores, ut rectè *Joh. Bauh.* Regioni fortè calidiori diverſitati debetur. Sic fœniculum dulce & apium dulce in frigidiores regiones tranſlata paulatim in vulgaria degenerant. Forte etiam Florentina dicta ſationi primam ſuam origicem debuit, nam ab eôdem ſemine proveniunt Irides flore odorato & inodoro, cur non & radicibus.

Non videtur J. B. propter colorem album particulatim vocanda Iris Florentina, cùm utrâque abundent Florentini, & utramque indiſcriminatim ſumant; à bonitate autem potius utramque Florentinam denominari, non propter colorem.

Caſp. Bauhinus Iridem Illyricam à Florentinâ ſpecie diverſam facit. Differentia eſt in floris colore, qui in Florentinâ candidiſſimus eſt, in Illyricâ dilutè cæruleus, palleſcens, & odore remiſſiore. Nobis, his non obſtantibus, eadem videtur.

Vires & Uſus. Iridis radix in vinô ſuſpenſa, aut in cereviſiâ, hanc dulcem conſervat, illud jucundô tum odore, tum ſapore commendat, illius planè æmulô quem mora rubi Idæi communicant, ut nos in vino rubro ſæpius experti ſumus. Sed & piſtoribus ad parandum fermentum triticei panis magnopere uſitata eſt. Hæc partim è Trag. Hiſtor. deſumta, partim noſtræ ſunt obſervationis.

Plurimæ hujus plantæ radici virtutes à veteribus & neotericis attribuuntur. Sic breviter Schrôder. *Uſus* præcip. in mucilagine ſeu tartarô pulmonum, tuſſi, aſthmate, obſtructione menſium, torminibus ventris infantum. Extrinſecus abſtergit cutis maculas & lentigines cum helleborô & melle mixtus, Creberrimus uſus modernis eſt in pulveribus

qui

qui capillis inſperguntur. Vulgus vocat pulveres de Cyprô. Quin & Hydropi confert & Ictero.

In Hydrope ad ſerum in ſpecie purgandum commendatur radicis ireos ſuccus ab ℥ß. ad ℥iſſ. dandus. Honeſta matrona mihi nota ſe plures hydropicos curaſſe affirmavit ſolô uſu hujuſce ſucci, exhibendo quotidie mane jejuno quatuor cochlearia in ſex cochlearibus vini albi.

In deſperatâ alvi obſtructione ſuccus radicis ireos recens ad ℥j. propinatus expertus fuit, teſte Schenchiô lib. 1 obſerv. Purgat autore Caſp. Hofmann. primario pituitam & aquas, ſecundario bilem, non contra. Hodie ferè ſolus ſuccus frequentatur in Hydropicis, in quibus cùm ſæpe ardores faciat, non in faucibus tantum, ſed & in totô corpore, quidam prorſus abhorrent ab illô. Sed diſtinctione opus eſt. In Germanicâ id fieri veriſimile eſt, in Florentinâ non eſt. Deinde verum eſt de ſuccô crudô, per reſidentiam non depuratô. Id autem fieri debet ſi modò tutò curare volumus. Succus crudus non ultra ℥ij. exhibendus eſt, depuratus & inprimis Italicus in majore doſi ſumitur. Caſp. Hofm. videtur unc.iij. ſuperari non poſſe.

E Flandriâ advehitur ad nos in corticibus teſtiſve tellinarum pulcherrimum quoddam pigmentum, quod vulgari eorum idiomate dicitur *Verdelis*; ipſum verò ita paratur. Iridis florum ſummitatem colligunt ante maturitatem perfectam, quam tundunt in mortariô lapideô cum piſtillô ligneô; inde maſſam ſic tuſam recondunt in vitreô vaſe, & in cellâ vel aliô locô humidiore collocant per dies quindecim, ut digeratur atque putreſcat: quibus elapſis eliciunt materiam è vaſe, & linteo veteri percolant; nam verſa erit ferè tota in liquorem, quem igni exponunt in ollulâ vitreâ, ut ferveat, donec decreſcat tertia pars, cui tum additur aluminis rochæ modicum, plus minuſve donec diſſolvatur, magis clareſcat & delectetur color, quem experiri poteris, ſi in ipſô liquore madefiat fruſtum albæ chartæ, & conſpicietur pulcherrimus color, qui ſervari poteſt in Tellinarum teſtis juxta Flandrorum morem. *Canepar. de atram. Londin. impr. p.30.* Ipſemet idem obſervavi quater vel quinquies in locis Belgii Hiſpanici & Fœderati, ut in Diariô meô invenio. Hoc pigmentô uſos obſervavi Belgas ad chartas colorandas, & ad vaſa tum lignea tum fictilia pingenda; cujus non meminit Caneparius. Hæc ultima Dom. Tancredus Robinſon recenſente *Raio in Hiſtor. Plant.*

Joachimus Camerarius in Notis ad Petri Andr. Matth. herbar. Germanic. quod 1590 Francof. prodiit de floribus Iridis cæruleis notatu dignam profert obſervationem; ſcilicet quòd aqua ex illis deſtillata hydropi conferat, quòdque multò efficacior ſit, ſi ita deſtilletur ut nativum florum colorem ipſa retineat.

Verùm ut bene advertit *Elzoltius*, explicare debuiſſet prædictus *Camerarius*, quomodo aqua cærulea ex illis floribus cæruleis deſtillari poteſt; ne legentibus orietur ſuſpicio per artificium, quodpiam rem peragi: Sibi enim an vulgari methodô deſtillata hæc aqua cæruleſcat, hactenus experiri datum non eſſe.

D. Jacob. Wolffius Miſcell. Curioſ. Dec.ij.ann.viij. adfert hiſtoriam mulieris hydropicæ quæ per radicis ireos Germanicæ ſuccum ad cochleare unum bene habuit, ex eô tantùm querula quòd medicamentum fauces læſerit. Verùm quid fauces in remediô læſerit ſuprà obſervatum eſt, & hic ſuccus non minus efficax reputandus venit, ac propterea omnino uſurpari debet cum cautelis neceſſariis.

Radix Ireos Florentinæ multùm continet olei volatilis ac ſalis eſſentialis. Seligi debet bene nutrita, ponderoſa, compacta, munda, alba, odore violas martias referens, ſaporis ſubacris ac ſubamaricantis.

IRIS PALUSTRIS, ſive *Acorus Adulterinus.*

Nomina. Iris paluſtris lutea *Ger.* paluſtris lutea ſive acorus adulterinus *J. B.* acorus adulterinus *C. B.* paluſtris, ſive pſeudoiris & iris lutea paluſtris *Park.*

I. B. In obliquum radices agit, complicatas & multum fibratas, quæ propter foliorum veſtigia & venenoſas reliquias foris villoſæ, nigræque ſunt, intus verò rubentes, ſubſtantiâ poroſæ, & ceu filis quibuſdam venoſæ, ſapore ſtrenuè adſtringente novis quotannis oculis, inſtar Typhæ aquaticæ gemmæ: folia iridis, longa mucronata, quorum ea quæ prope radicem ità ſunt, ſubrufa nonnunquam apparent. Caulis duos cubitos æquat, & interdum ſuperat, rectus, lævis, teres, ſpongioſus & interdum aliquouſque inanis, in alias diviſus. Flores iridum lutei, inodori; quorum tria folia reliquis ſex majora, extrorſum repanda, lutea, fimbriæ ſupercilium imitantis loco, & utrinque adjacentibus folij marginibus, lineis nigris variegatis: hæcce intercedunt terna alterno poſitu ſurrecta, valdè anguſtia & brevia, tota lutea; ſicut & intima, quæ criſta bifidâ, reliquaque forma cum iride violacea, vulgari conveniunt, ſolo colore luteo excepto, quibus à dorſo appreſſa ſtamina, ex luteolo albedine quædam prædita. Sapore eſt flos totus fervidiſſimo, non quidem primò occurſu verum paulo poſt fauces omni pipere ardentius erit. Siliquæ longe ut in ſpatula ſemen continent ruffum. Odorem tota herba non ſpirat.

In pratis riguis, locis paluſtribus & ad margines & ripas fluviorum ubique ferè oritur.

Vires, Calidáne an frigida ſit hujus plantæ radix inter botanicos non bene convenit, quòd verò inſignem adſtringendi facultatem obtineat fere omnes conſentiunt & guſtus abunde confirmat unde ad dyſſenteriam alioſque fluxus alvi & uteri commendatur Sanguinem etiam undecumque manantem cohibet. Hinc extrinſecus ad dyſſenteriam alioſque ſanguinis fluxus præcavendos appenditur: unde patet quanto olim in errore verſati ſunt pharmacopæi, cum hujus pro acori veri radicibus facultate plane contraria dotatis uſurparent.

Scribit. I. Bauhin. ſe Tiguri aliquando deguſtaſſe hujus flores qui tantum ei ardorem & fervorem excitarunt in faucibus, ut ſummam ejus acrimoniam vix potuerit mitigare oxycraro; unde (inquit) nulli ſuaſerim cum Trago uſum tam acris floris ad inflammationem oculorum.

Scoti montani (*Highlanders vocant*) ex hujus plantæ radice, per viginti quatuor horas in aqua infuſa aut parum cocta, perpetuo in illa aqua fricando calculum album aſperioris ſuperficiei ſuper cultellum aut purioris chalybis fruſtum per aliquot horas atramentum optimum conficiunt, ex relatione D. Georgii Mackenſij. Sibbald. prodro. hiſt. nat. Scotiæ, tranſact. Philoſoph. num. 117. *Raius in Hiſtoria Plant.*

ISATIS, vid. *Glaſtum.*

ISCHAIMA MEDICAMENTA.

De *Iſchæmis*; ſeu ſanguinem ſiſtentibus dicturis ipſius ſanguinis occurrit neceſſaria conſideratio. Supponemus enim brevibus de motu hoc ad extra.

1. Sanguinem torulis & alveis ſuis non contentum exitum affectare improportionatum & oneroſum. Videmus id totô die in plethoricis, quod hæmor-

morrhagiam narium, menſes immodicos, hæmoptyſin ipſam quandoque, patiantur. Imò vel ex hoc diſcere poſſunt αἱμοφόβοι, profundi à naturâ ipſâ oneroſum ſanguinem, adeoque abundare poſſe eundem. Cum abundat non rarò, licèt & alia mala det, non tam patentibus hiſce vijs.

2. Oneroſum & improportionatum reddi ſanguinem à nimiâ rarefactione, motu inteſtinô majori, ſalibus alcalinis, bilioſis inductâ. Omne humidum calore diducitur, & elaſticum, expanſivum redditur. Hoc ut in ſtatu naturali ita comparatum eſt, ne fiat profuſio, ſed venæ ipſæ & pori expandi poſſint; ſic in præternaturali, vel non naturali quoque inde fit exundatio.

Et vel culinario exemplo notum eſt, calore majori ollæ limites exuperare aquam ſimplicem, magis verò ſalitam, ut quando piſces elixantur; maximè omnium pinguia, oleoſa, ſulphurea, ut in elixatione olei lini pro vernice parando, in parandis emplaſtris, in præparatione balſami 🜍ris ad oculum patet, quatenus viſcedo 🜍is hoc pacto in infinitas bullulas exſpumeſcit. Hæc duplex mechanica illuſtrat egregiè ebullitionem ſanguinis & efferationem majorem, unde poriò ponemus.

(3.) Sanguinem inprimis exſpumeſcere magis tum ſalſum, tum bilioſum. Salſedinis exemplum occurrit toto die in ſcorbuticis, in catarrhis, tuſſi ipsâ, quæ frequenter hæmorrhagiam narium habet conjunctam, ſputo cruento, ubi & ſenſibus occurrit ſalſedo titillans, in menſibus immodicis, ubi erodens acrimonia ſatis ſe manifeſtat ſæpe in ipſis genitalibus, in dorſo quoque ipſo. Bilioſæ rarefactionis exempla viſuntur in febribus tum primarijs, tum comitatis. Frequentiſſime in febribus fiunt hæmorrhagiæ etiam in non plethoricis, quatenus ſanguis & ipſe bilioſus tum magis exſpumeſcit, intenſo illo calore, & ſal volatile peregrinum junctum rarefactionem præſtans maximè concurrit. Sic & in variolis, morbillis alijſque idem ſolenniter occurrit, imò cum levamine, quatenus parte ſpumoſâ oleoſâ recrementitiâ tunc demptâ, reliqua maſſa archéo redditur magis obſequens, & ſubjugabilis.

(4.) Adeoque hæmorrhagiam cauſari modò ſerum magis, modò ſanguinem. Serum enim ſalſedinis, ſanguis bilioſi ſulphuris vehiculum eſt magis. Utut ergò utraque ſint conjuncta, & ad ſenſum unita in corpore, id tamen non obſtat, quin modò ſerum, modò ſanguinem peccare magis dicamus, quod unumquodque recipiat ad receptivitatis ſuæ modulum, unde quoque id patet ex effectu, quatenus natura ipſa ſeorſim ſerum, licet non æquè ſanguinem ſeparet. Sanguis ſanè non excideret ſæpè, niſi ſero acriori & fluxiliori obſecundaret & ipſe, niſi fibræ laxiores cohærerent ejuſdem culpâ; ſæpe etiam, ſi ipſi temperaret magis partes oleoſas bilioſaſque, unde frenum bilis audit.

(5.) Sanguinem rarefacere magis alcali, obtundere acidum; ſerum verò ab utroque reddi acrius. In ſtatu febrili & bilioſo prius occurrit, in ſtatu extra febrim magis alterum. Hinc non tàm tenuis ſanguis exſtillat, quàm ſpiſſus quoque cinnabarino florido colore, qualis etiam à V. S. emiſſus viſitur. Hinc ſcorbuto calido affecti magis etiam hæmorrhagiis tentantur, quàm frigido vexati. Aſt acidum in ſubdominio, vel ſeroſo ſtatu etiam in prædominio exiſtens hæmorrhagias cauſari poteſt quoque, licet magis inferioribus locis quàm ſuperioribus, utero, inquam hæmorrhoidibuſque, tanquam fixius ſal, ut alcalicum magis eſt volatile. Protrahit tamen hic ſtatus magis hæmorrhagiam, quàm excitat, exemplo menſium immodicorum.

(6.) Quæcunque ab extra exſpumeſcentiam hanc ſeri & ſanguinis promovent, hæmorrhagias parere. Id quod patefit exemplo motus, potus vini, aromatum uſus, aëris calidi, æſtivi, iræ; menſium ſuppreſſorum &c. unde facilè vi contrariorum patere poteſt, quæ hæmorrhagias ſedent.

(7.) Sanguinem extrà ferri ſæpe non tam exſpumeſcentiâ inductâ, quàm coactum. Duplicia hujus rei occurrunt exempla, partim frequentiora, partim rariora. Frequens eſt hæmorrhagia, generali acceptione aliis quoque fluxibus ſanguinis omnibus competens, in hydropicis, vel hypochondriacis quoque, ob communionem particularem & lateralem cònſtanter è dextrâ vel ſiniſtrâ nare ſtillans, prout hepar vel lien affectus magis fuerit. Frequens in aliis quoque, ut menſibus immodicis, hæmorrhoidibus itidem ab obſtructione vaſorum meſentericorum oriunda; frequens in gibboſis, non creſcentibus, uti par erat, unde cum non detur ſufficiens ſpatium, ſed inter vehentia vaſa & vectum humorem improportio, coactus alibi affectat exitum, idque locis patulis & poroſis per ſe, vel adſuetis quoque effluxioni per naturam.

Rarior eſt hæmorrhagia coactiva univerſalis, cujus duo novimus exempla. Coactivam voco, non tam ob rarefactionem, quo ſenſu etiam talis in febribus ad mortem uſque producta occurrit non rarò, fruſtra adhibitis remedijs quibuſvis, ſuperveniente tandem ſudore & frigore extremorum, ſalvâ ratione, & tandem inevitabili morte; quàm, ubi ſanguis contineri ſpatijs ſuis, ſeu corpore, & poris & vaſis neſcius vi quâdam expellitur, ſeu ipſe diffluit & effluit, quaſi expulſus. Univerſalem verò, quod per nares, per alvum, per urinam id eveniat, imò etiam aliquando per aures & oculos ipſos. Mortuus ſic eſt ante 7. vel 8. circiter annos Chiliarcha Imperialis, quod ex relationibus publicis tunc innotuit. Mortuus eodem morbi genere nobis adſtantibus vir primarius, quod alibi deſcribimus.

(8.) Læſo quocunque gravius vaſe, niſi reſtinguatur, omnem ſanguinem effluere poſſe. Eſt enim quoad hæc comprimis ξύρροια μία, *unus confluxus*, continuâ cordis pulſatione inducta, neque quoad huncce perfectum hiatum effluens ſanguis obicem ſibi ipſi ponere poteſt, uti ſponte & motu proprio exitum affectans per uterum, nares.

Hinc facilè æſtimare erit, quænam ſint ἴσχαιμα, nempe: 1. *Quæcunque ſanguinis copiam,* ὀργασμὸν, *acrimoniam, tenuitatem ac impetum refrænant, ſunt* ἴσχαιμα. Copiam tollunt optimè V. S. & hujus vicaria præſidia alia. Certum nempe & hoc eſt in praxi, ſymptoma hoc, niſi ſanguine litemus, tolli feliciter non poſſe; Fruſtrà utimur aſtringentibus in hæmorrhagiis fortioribus narium, repetitis illis, fruſtrà in ſputo & vomitu cruento, menſibus immodicis quoque & ſimilibus citra V.S. quod toto die nos docuit praxis, hâc verò adhibitâ feliciſſimè, depleto ſtatim oneroſo illo ſuperfluo, per unam V. S. revulſoriam.

Ὀργασμὸν cum rarefactione conjunctum tollunt, quæ ſulphur obtundunt & ſal volatile figunt ac invertunt, nominatim *acida*, & *aquea*. Notabile eſt aſſertum, acida coagulare ſanguinem, puta fervefactum ac ebullientem nimis, quem coercent duplici illo modo eximio, ſive ſint acida diffuſa, ſeu concentrata, ſive 🜖-lica, ſeu 🜕ſa, aliaque. Hinc commendant autores ∽ 🜖-li in ſputo cruento ipſo, quod cum grano ſalis accipiendum, quando ſcilicet vitio lienis & M. S. ſymptoma illud magis contingit, habere aliquando locum poteſt, aliàs non item, ſi vitio pulmonis determinato magis eveniat. Hinc in hæmorrhagijs, vitia hepatis calidioris inprimis ortis, Terrâ viol. cum ∽ 🜖-li feliciter ſumus uſi.

Præſtat

Præſtat enim eo caſu diffundere eundem, ſatis activum, quàm concentrato eodem ventriculum & corpus lædere. Sic eundem in finem faciunt, cumprimis in febribus, julepi diluentes & temperantes; modò aciduli ſint, non dulces nimis, dulcia enim in hæmorrhagijs quibuſcunque minus locum inveniunt, ſed, quod ipſa quoque per mechanicam in ſpumam & bullulas facilè rarefiant, nocent potius. Sic etiam aquea inſigniter proficiunt, decoctum hord. cum ſucc. citr. potiones, emulſiones, aliaque hujus commatis.

Acrimoniam temperant, tum eadem iſta, quæ diximus jam, tum *terrea* quoque, conſtrictiva, lentore & mucilagine blandâ inviſcantia & obtundentia, ex ſimplicibus corallia, lap. hæmat, ſangu. dracon. &c. ex compoſitis pulv. ſtypt. croc. ♂ aſtr. tum ☽ ſia quoque ipſa, modò laxitas fibrarum non obſtet, eximiè proficua.

Tenuitatem & fluxilitatem cohibent *incraſſantia* & *adſtringentia*, nominatim Tinctura lap. hæmat. antiphthis. corall. ♂ aſtr. rad. alth. & jam dictus pulv. ſtypticus polychreſtus. Non minus enim tenuitatem ac impetum, ipſamque acrimoniam reſpicit tum hic, tum opiata, varijs formis exhibita, ſeu ſola, ſeu ſtypticis maritata. Virgo generoſiſſima à vitijs diætæ patitur diarrhœam, cum abſceſſus reatu, egerit feces plurimas & cruentas & fœtidas; datâ Tincturâ ♂ aſtr. cum corall. dato item per vices pulvere ſtyptico anodyno feliciſſimè convaluit. Ruſticus cacochymicus à motu fortiori ſentit hæmorrhagiam narium inſigniſſimam per 4. 6. horas, nullâ data interruptione quaſi. Noctu petit auxilium, dantur interius eadem medicamenta, feliciter reſtituitur. Fœmina menſium immoderationem percipit non unâ vice. Simul ac doſin unam alteramque de pulvere ſtyptico cum anod. aſſumit, fluxus ceſſat. Hæmoptyicus petit auxilium, propinatur pulvis ſtypticus, ad ſupra dictum modum, præter alia, paroxyſmus ſtatim retunditur. Verbo, probatiſſima ſunt hæc ipſa remedia, innumeris exemplis confirmata, & nunquam non cum ſucceſſu uſurpata. Quæcunque ſcilicet lixivioſum alcalinum; rarefactum nimis ſanguinem concentrant, congelant, mitigant & figunt, dictam indicationem omnibus modis abſolvunt.

Refrænant verò dictum impetum tum interna, calori ſimul debita, qui ſingulis illis motûs ſpeciebus velificatur; tum externa eidem fini inſervientia.

Refrænant ligaturæ mediocres, ſanguinis impetuoſum partim remorantes, partim dolorifico ſenſu eundem in vias communes ex proprijs quaſi divertentes; item cucurbitula ſicca in nuchâ, quatenus & eadem motum ſeri fluxilioris impedit, & dolore inducto ſimul archeum divertit. Ubi enim dolor, ibi ſanguis affluit, quo facto non poteſt non idem alibi exundans revelli & alio rſum deflecti.

Refrænant actu & potentiâ frigida non una, oxycratum, fronti, collo, temporibus, nuchæ, ſcroto adhibitum, aqua frigidiſſima, nix ipſa quoque. Quæcunque nempe loco ſanguinis alterationi & refrigerio magis inſerviunt, apta nata potiſſimum ſunt, quibus ἴσχαιμα adhibeantur, quæ inter & vertex eſt. Utut ergò ſint, qui fruſtrà bregmati applicari eadem contendunt, quod non exinde ad nares devolvatur ſanguis; attamen ea applicatio ſecundum ductum vaſorum inſtituitur, & actuali frigiditate activa ſatis eſt & alterans. Imò nec oſſium vallum obſtat, ſiquidem refrigerans illa vis ſatis ad interiora uſque evibrat ſuum effectum. Methodum hanc curandi inculcat ipſe *Hippocrates* 7. *aphor.* 37. ubi de vomitu cruento loquitur quidem, aſt ſimilium eadem eſt ratio. Curatio, *inquit*, refrigerandi & adſtringendi vim habentibus perficitur. Refrigerantia magis debentur vijs communibus, poris, ob calorem rarefacientem largius ſanguinem invitantibus, tum proprijs quoque ſeu vaſis, quatenus in medio curſu quaſi ſuo eundem ad moderationis leges inflammin ut ſæpe. Hinc & elogio 5. *aphor.* 23. frigido in his utendum, unde fluit, aut fluxurus eſt ſanguis, non quidem eodem loco, ſed circa ea loca, unde influit; habito nempe reſpectu ad cor, tanquam fontem ſanguinis.

Quod ſi accedat compreſſio, tanto præſentius frigida hæc juvant. Exemplo ſit imperialis, prius aquâ frigidâ alteratus fronti adalligatus, quo pacto tum infantibus, tum alijs etiam adultis feliciter ſuccurrimus.

Refrænant & concentrant omnia actualia frigida. Cum enim motus hic ſanguinis ſit ad extra, adeoque idem qui caloris à centro ad circumferentiam, nec ſine calore, ſaltim naturali, & vaſorum eveniat; cum corpus infinitis ſpiraculis polleat, ab ambitu maximè alterabile, frigus verò concentret aërem & poros magis patulos; inde motus contrarius inducitur, à circumferentiâ verſus centrum, ab extrà intrò, & alteratur quoque fervidior ſanguinis ſpuma. Pertinet huc & terror ipſe, ſive alijs modis incutiatur, ſeu per aſperſionem aquæ frigidæ, in nucham vel faciem ex improviſo factam, ut tantò præſentius alteret.

Refrænant alia per contactum frigidum, & potentiâ adſtringendi, vel etiam quadam diſcutiendi, applicata. Cùm enim ad objecta non uno modo ſe habeat calor noſter, ſed ex illis effluvia partim ferantur, partim calore hoc noſtro excitentur, meritò quoque ab his appenſis, in manu detentis, vel alibi corpori extus applicatis, levamen quoddam ſperandum. Quorſum inprimis pertinet ſumma ſubtilitas effluviorum, quæ in odoratis quidem actu ob copiam admirari, non menſurare poſſumus, in alijs verò dari, etiam pigris viſis, non negandum eſt. Hinc quæcunque effluvijs auſteris, adſtringentibus, terreis, remorantibus archeum univerſalem afficiunt, & quaſi afflant, ſunt iſchæma. Univerſalem inquam, nam de particulari partium effundentium ſanguinem poſt dicetur. Sic uſitatiſſimum eſt eo caſu adhibere lapidem hæmatitem, in utrâque manu, vel ſub axillâ. Eſt hic de naturâ martiali, imò martis purior minera, unde hoc pacto duplici modo ſuccurrit, frigore actuali primùm, in duris metallicis corporibus profundiori & quaſi domeſtico; deinde effluvijs auſteris alterantibus ſanguinem. Par ratio eſt jaſpidis. Sic fluxum ſanguinis menſtrui (quod & de alijs valet) reſtrinxit *Langius* retentione peræ ſeu burſæ paſtoris in unâ, & jaſpidis in alterâ manu. *l.* 3. *ep.* 1. *p.* 941. Idem adnotavimus de centinodio in fœminâ nimias hæmorrhoides patiente, ordinariè & cum ſucceſſu ſemper adhibito. Sic & bufo exſiccatus ſub axillis detentus certo experimento ſedat hæmorrhagias narium alias, tum ob ſimilia effluvia, eſt enim animal frigidum & terreum, tum quoque quod archeus inde abhorreſcentiam quandam contrahat, unde intrò humores magis vocat, & conſequenter hæmorrhagia ceſſare cogitur. Sic ⊕-lum Cyprium in manu detentum idem præſtat. Sic in aulis quibuſdam vel gynæceis uſitatum eſt ad menſes ſiſtendos, ut ovum ad duritiem coctum ſub axillis detineatur. Et quæ alia hunc in finem hinc & inde ſolent commendari. Radix nigellaſtri eâdem ex ratione prodeſt, niſi dicamus eandem ſub linguâ poſitam divertendo quoque & diſcutiendo agere ob motum.

Cumque de effluvijs dixerimus horum, operæ pretium eſt de ijs quædam adhuc addere huc facientia & quidem de pulvere ſympathetico, qui hæmorrhagias

rhagias narium & vulnerum inter alia feliciter quoque ſedat. Inventor hujus celebratur à *Digbæo or. de pulv. ſympath. p.* 11. Carmelita monachus, qui hoc arcnum ex oriente adduxerit, à quo hic modum ſecretum didicit. Paratur nempe vel ex quovis ⊖-lo, extemplo adhibito & pulveriſato, vel ſoluto pro re natâ, nam idem præſtitiſſe adſeverat *Digbæus*, vel quod receptius eſt, ℞. ⊖-lum cyprium, vel noſtras quoque calcinatur calcinatione aëreâ, expoſitum ſolis radijs menſe Julio vel Auguſto, donec in pulverem album fatiſcat, exuto virore vel cœruleo colore ſuo, addito pro lubitu, quod nonnullis placet, gummi tragacanthæ pulveriſ. ad partem ſubdecuplam, ſeu ad ℥i. ʒj. imò quidam ana id faciunt.

Experimentum pro hæmorrhagiâ ſiſtendâ, quantum ad noſtrum ſcopum hîc facit, illud eſt, ſi nempe viâ ſiccâ ſtillet ſanguis exiens ſuper pulverem illum ſympatheticum, uti alter viâ humidâ, ſi linteamen cruore madidum & exiccatum intingatur ſolutioni huic ⊖-li; exempla videantur apud *Digb. l. c.* Studioſus medicinæ hæmorrhagiâ narium frequenter corripi ſolitus familiaritate hujus pulveris ſe curabat ſubinde. Geſtabat illum ſecum, vel ad manus habebat, ſtillato in pulverem ſanguine ceſſabat. Uſi ſumus eodem cum ſucceſſu in dyſenteriâ, inſpergendo eundem, quod & de ☠ valet, fecibus cruentis. Non ſemper tamen eundem expectationem ſatiare rectè aſſerit *Boyleus Tentam: Phyſ. p.* 120 ubi proprium experimentum adducit, non compeſcuiſſe hæmorrhagiam narium in ſe, licet in alijs contrarium viderit. Deſcribit & memorat eundem *Beverovic. quæſt. epiſtol. p.* 241. Edidit & de eo librum *Nicolaus Papinius* Pariſijs, quem citat *Ol. Worm.* & deſcriptionem ponit *muſ. c.* 10. *p.* 25. Meminit etiam hujus, & Digbæum, qui eum è Barbariâ attulerit primus, ejuſque hypotheſin de modo agendi celebrat *Borell. app. ad c.* 3. *obſ.* 46. *p.* 276. Optimè etiam de eodem agit *Helm. l. Buttler inſcr. p.* 470. & *l. recepta injecta p.* 456.

Mirum itaque id torſit ingenia, quomodo pulvis hic eminus ſanet, citra applicationem immediatam. Quidam id ut ſuperſtitioſum rejecêre; quod ut Theologus quidam probaret apud *Helmontium*, factâ proteſtatione expreſſa adhibuit idem, viditque nihilominus vulnus ſolito citius ſanatum, cruorem quoque ſtatim ſedatum. *Digbæus* putat, beneficio lucis (aëreâ calcinatione magis irradiatæ & impreſſæ) atomos ⊖-li & cruoris conjunctorum expandi in aëre, inde verò attrahere eaſdem vulnera, unde ſtatim dolor mitigetur, & ſpiritibus balſamicis ⊖-li ſanatio fiat. *p. m.* 119. Affinis huic hypotheſi Helmontiana eſt, principium actionis ſympatheticæ eſſe facultatem influentijs affinem, agentem per irradiationem in objectum ſibi appropriatum. Tacemus quæ integris libris pluribus, à *Strauſſio* collectis, de curâ ſympatheticâ fuerint tradita & congeſta.

Nos ut dicamus quid ſentiendum nobis videatur, ſupponemus.

(1.) ⊖-lum auſteritate ſtyptica & terrea pollere præ alijs omnibus, vel ſaltim eſſe inter eadem præcipuum.

(2.) Exerere eandem contactu immediato; nil magis è taliſnorum claſſe vulnera & ulcera condit & quaſi balſamat, quàm ⊖-lum, inprimis album.

(3.) ⊖-lum præ omnibus alijs ſui generis eſſe tranſpirabile & diffuſivum effluviorum, quod in alumine impedit ſpumoſa viſciditas & velut gluten, unde & igni magis reſiſtit. Hinc & aërem promptè ſubire patitur, promptè calcinatur in pulverem. Imò præparatum hoc modo poros exhibere laxiores ad effluvia.

(4.) Calorem & humorem effluvia ⊖-li magis citare & diffundere; calor quidem diffundendo humidum & poros dilatando, humor verò ſolvendo id præſtat.

Hinc cum cruore actu calente mixto effluvia ab humido & calido promota magis exeunt, & ad locum affectum facilè perveniunt. Irradiatione leniori & blandâ ergò ſanguinem ſeroſum concentrant eadem effluvia ⊖-li auſteriuſcula, ut fortiori ſternutationem cient; eademque cum ſero ſanguinis communicata & per ſolutionem emanatione ſua ad locum affectum facilè perveniunt. Imò & aërem alterant, qui, cum corruptor ſit vulnerum, his effluvijs alteratus amicus iiſdem magis evadit. Unde immediatio virtutis hujus agentis cum patiente perſpici poteſt. Nec opus eſt, ut ſymboliſmum ſeu magnetiſmum cruoris emiſſi & corruptionem ſubeuntis cum ſanguine vivido reliquo ſtatuamus.

Quod verò non ſemper idem eveniat æque feliciter, id improportioni agentis & patientis debetur. Si enim impetus exituri ſanguinis ſit fortior, ſi vulnus gravius, minus etiam effluvia hæc poſſunt ſufficere. Sufficit, concurrere & hæc effluvia & agere intra ſphæram activitatis ſuæ, quod poſſunt & debent.

Refrænant fluxilitatem hanc & impetum exituri ſanguinis *figentia*, *opiata*, inſigni quoque argumento, quomodo hæc agant. Si enim in priori hoc caſu dicto verum eſt, ſanguinem affectare exitum motu proprio, ſalino-ſulphureo ὀργασμῷ, quiete & paſſive ſe habentibus fibris & partibus omnibus ſolidis, citra ullum dolorem, ullam coactivam quoad vaſa ipſa continentia emiſſionem, ſequitur neceſſariò, opiata agere in partes ipſas fluidas, ſiſtendo h. l. acrimoniam; incraſſando & motum ſpiritibus pacatiorem imperando. Faciunt opiata hoc tàm ſibi relicta, quàm cum aſtringentibus & ipſis ſerum incraſſantibus ac moderantibus remixta, ut jam diximus. Imò notavimus poſt opiatorum & adſtringentium uſum è venâ ſectâ ſanguinem hinc minus fluxiſſe.

2. *Quæcunque vaſorum pororumque emittentium oſcula, quocunque modo fiſſa vel hiantia, conſtringunt & obſtruunt, ſunt* ἴσχαιμα. Priori claſſe dicta magis interiora reſpiciunt, poſteriori hâc exteriora magis, quando ſanguis hoc pacto neceſſitate fluxionis continuæ emittitur, licet quoque ipſe vitioſus ſæpè & datâ portâ facilius effluens obſervetur. Unde & è V. S. tantò promptius exilit, quò fervidior vel magis turgeſcens eſt. Illa adſtringunt, hæc obſtruunt.

Utrarumque verò meminimus viarum, communium & propriarum, quod & vulnera partium aliarum adſtrictionem ſanguinis indicent, & pori quandoque ipſi, uti exempla taliſmodi hæmorrhagiarum per diapedeſin præbent non ſolum equi, ſponte cruentantes, verum & in homine ſudor cruentus, vel ſanguis ipſe quoque hinc illinc extillans, citra manifeſtum hiatum, qualia exempla recenſet *Heer. obſ.* 23. *p.* 269. ubi nemo ullo ſenſu deprehendere potuit; unde v. g. è minimo manus digito ſanguinis magna ſatis copia effluxerat. Quid hoc aliud, quàm διαπήδησις eſt, quibuſdam, an detur, in dubium vocata?

Obſtruunt emittentia vaſcula obturantia, ut compreſſio actualis. Hoc pacto enim labia vel oſcilla continuantur, & obex ponitur, pariete quaſi redintegrato quod per mechanicam valet, facto quotidiano experimento. Facit huc quorundam mos, qui venam ſectam ſtatim comprimunt, vel lardum imponunt, nec prius emittunt ſanguinem, quàm animus ad ſe redierit, velut collectis ſpiritibus. Faciunt huc ligaturæ quæcunque tum ſimplices, tum ſple-

ſplenijs, vel lineis, vel, ut ita nominemus, metallicis quoque ſtringentes compoſitæ, quod unicè valet in curandis vulneribus arteriarum, ſive caſu, ſive ἐκ προαιρέσεως apertæ fuerint.

Obſtruunt emplaſtica & inviſcantia quædam, uti novimus quendam emplaſtro viſcidiori tepefacto fluido vulneri affuſo non rarò ſtitiſſe hæmorrhagiam. Præſtant enim hæc futuram quaſi ſiccam etiam hoc caſu.

Obſtruunt, quæcunque effluvijs auſteris etiam odoretenus conſtipationem vaſorum & villorum procurant, unde ſordida quidem medicina eſt, non incongrua tamen, hæmorrhagiæ narium, ſi ſtercus porcinum iiſdem adhibeatur, vel aſininum. Imò novimus quendam hoc ipſum imbibitum bis vel ter cum ſucco urticæ internè & externè cum ſucceſſu adhibuiſſe. Et *Zacutus Luſitanus* præſtantiſſimum & palmarium vocat ſtercus aſini, quod exactiſſimè lævigatum omni juri potuique permiſcuit, & tabellas cum ſaccharo ex eo formavit, deſperatumque ſic reſtituit. *pr. hiſt. l. ult. cap.* 2. *num.* 4. *p. m.* 638.

Obſtruunt exſiccantia ſanguinem. Omne ſiccum fluido eſt contrarium, præcipuè ſi terror conjungatur, unde inter probatiſſima habetur hæmorrhagiæ narium remedia ferri candentis mediata & remotior applicatio, ut ſanguinem exſtillantem excipiat, cujus ratio ex dictis claret. Facillimè inter liquida exiccatur ſanguis, exiccatus verò cohæret & aggerem ſibi ipſi ponit.

Quin omnis ſanguis ſiſtit ſanguinem, non quidem exiccando, ſed glutinante ſuâ hâc naturâ, ratione partium γλισχρῶν ſulphurearum. Hinc in hæmorrhagijs narium, ut alias non attingamus, ipſe in exitu concreſcit, & concreſcendo remoram ſibi injicit, ut ſubſiſtere tandem cogatur, neque etiam hinc, dato illo caſu, grumeſcens ſanguis ſtatim è naribus eximendus eſt; quin nec vulnera arteriarum citius religanda, ne denuò cruentare incipiant, nondum ſatis factâ obſtructione. Sic columbæ ſanguinem reprimere hæmorrhagias è membranis cerebri ſcribit *Tagautius inſtit. chir. p.* 646.

Obſtruunt conſtringentia auſtera, liquida & ſicca. Ex liquidis atramentum, oxycratum, acetum, exemplo venarum ſublingualium, & præ alijs decantatus hodiè liquor ſtypticus, ex ○ & ⊕-lo per ▽ f. & coctionem unitis conſurgens, de quo vid. *Weberus*, licèt ſint, qui roſis rubris tingi poſſe eundem velint, inde verò reverâ nigreſcens evadit, quod inter ⊕-lica & reſinoſa perpetuum eſt. Tacemus adſtringentia alia communia, ut uſneam turundis inſperſam tenuiſſimè prius pulveriſatam maximè commendat *Hildanus c.* 2. *obſ.* 15. *p.* 91. quorſum & terra Japonica referenda eſt.

Obſtruunt diſſociantia ſeu imbibentia. Quò magis diſſociatur humor quicunque, eò minus fluit, ſed conſiſtere cogitur, inprimis qui in ſpiſſitudinem habet in receſſu; ſimulac ex caloris dominio excidit. Diſſociando obſtruit fungus pulverulentus, ſeu crepitus lupi vulgò dictus, qui dum minutiſſimis atomis applicatus diſſociat ſanguinem, maximè imbibit & ſiſtit eundem, ſeu in naribus ſeu vulneribus quoque exundet, impoſitus immediatè & illigatus. Cumprimis verò huc ſpectat pannus xylinus uſtus, cum albumine ovi exceptus & applicatus, poſito deſuper crepitu lupi & cum ſplenijs factâ deligatione, quod egregium eſt arcanum.

Diſſociant quoque lanuginoſa & mollia alia, unde pili leporis ad hæmorrhagias ipſarum arteriarum commendantur, & alijs caſibus quoque. Sic & linamenta concerpta optimè id præſtant, tum per ſe, tum oxycrato imbuta & compreſſa, qualem obſervationem recenſet *Tagautius l. c.* Faciunt huc & pulveres aſtringentes naribus inflati, vel cum turundis potius blandè intruſi. Quin & turundæ compoſitæ tales fieri poſſunt ex fungo pulverulento, pil. lepor. muſco cran. human. pulv. gallar. bufon. exicc. ſterc. ſuill. &c. ut alia humida taceamus.

Obſtruunt criſpantia, ut adeò & hæc externa partim adſtringant, partim obſtruant; adſtringant continentes parietes ac vaſa, adſtringant exiturum ſanguidem. Criſpantia ergò velut utrumque id præſtare poſſunt, & vaſcula firmant, & exiturum ſanguinem refrænant.

Criſpant & ferruminant quaſi tum potentialia mitiora cauteria; quem in finem probatiſſimum habetur colcothar ⊕-li, quod *Heer. l. c.* quod *Heurn. comm. in aph.* quod experientia toto die commendat. Criſpant, corrugant & cruſtam inducunt cauteria actualia ignita, ſummâ ſimul junctâ exſiccandi virtute; quod inter extrema attamen probatiſſima remedia numerandum eſt, modò cum prudentiâ adminiſtretur. Fitque id ipſum ferro ignito, quem in finem cauteria varii generis, tenuia quidem, baſi tamen aliquantò lata, apud chirurgos in uſu ſunt, momentaneâ actione id præſtantia; unde non item id expectandum eſt ab actuali igne alio, qualis moxæ eſt, ſeu ὑποκαύματος ex artemiſiâ, neque enim deflagrat, niſi ſenſim, reſpectivè, ut fomites alii quoque, nec flagrat ſplendida flammâ, unoque loco collectâ.

3. *Quæcunque ſanguinis motum in ordinem redigunt, & acrimoniam ſeri ſcorbuticam alterant; ſunt* ἴσχαιμα.

Certum eſt, à priori ſanguinem ſæpe in motum extraordinarium citari, quando motus ordinarius non ſufficit, vel impeditus eſt, ſeu hæmorrhagias fieri ab obſtructionibus viſcerum. Exemplum communiſſimum præbet obſtructio vaſorum uteri Quas non vias affectat ſanguis eo caſu, ut exeat? Probare idem poſſunt hæmorrhoides, quæ quidem ab ὀργασμῷ interno oriuntur quoque, frequenter verò ab obſtructione viſcerum. Viſcera hæc ſunt cumprimis quoque lien, hepar & meſenterium, ubi copioſis vaſis decurrit ſanguis; unde ſi in his motus ejuſdem impediatur, hæmorrhagiæ varii generis conſurgunt, ipſique in fœminis menſes immodici, ut non repetamus jam tactos hydropicos, & hypochondriacos, magis manifeſtè tales, ſæpe enim latet hæc cauſa, prudenti ἀγχινοίᾳ eruenda.

Certum eſt à poſteriori, ſæpe hæmorrhagiam narium à ligaturis auctam, item à frigidis, collo & ſcapulis aſperſis, cucurbitulis ſiccis aliiſque, remotis verò his omnibus, & datis motum ſanguinis ordinarium promoventibus ceſſâſſe. Exemplo ſit ſperniola Crollii, quæ itidem conſtat unà ex calidis eundem motum promoventibus & obſtructiones venarum reſerantibus; ut ſanguis intemerato curſu à corde miſſus ubicunque penetrare queat. Eadem ratio eſt ▽æ theriac. Croll. carfunc. aur. cinam. Tincturæ ♀ri &c.

Quæcunque igitur vias reſerant, & ad priſtinum ſpatium arctatos fines reducunt, licet paulò impropriè, omninò hæmorrhagias ſedant, præcipuè ſi ſimul ſanguinem, ut faciunt, corrigant. Inſtar omnium ſunt martialia, omni huic indicationi ſatisfacientia, edulcant enim acrimoniam, acetoſitatem tollunt, conſiſtentiam ſtabiliunt, & in ordinem redigunt ſanguinem. Sic & corallia medio loco ſe habent, & ſimilia, imò & ipſa acida ſuo modo huc faciunt, ob incidendi juxta & refrænandi virtutem.

Præter aperientia verò hæc & diuretica, ipſaque calida providè remiſcenda, etiam motum hunc ſanguinis corrigunt, non minus ac acrimoniam ſeri

ſcor-

ſcorbuticam; ipſa *diaphoretica* temperata, ex ♉ diaph. bol. armen. ♉ ♂li cacheƈt & ſimilibus, vitatis volatilioribus, à quibus ſæpe obſervavimus hæmorrhagias. Fœmina plethorica ad dolorem capitis tumens Tincturam bez. Mich. extra ordinem menſium experiebatur fluxum, quod probè notandum in variolis & aliis caſibus. Cumque è ſuis fontibus hæc nota ſint, non opus eſt, ut ea huc arceſſamus latius.

Coronidis loco not. 1. *Non omnis hæmorrhagia ſeu fluxus ſanguinis ſiſtendus eſt ἰσχαίμοις.* Non conveniunt in hæmorrhagiâ criticâ, niſi reſtrictè, ſpectator tunc eſſe medicus debet, ſed non otioſus. Critica enim hæmorrhagia eſt à priori naturæ intentione, ſed ſymptomatica evadit, à poſteriori, neque enim ipſa moderari æquè fluxus vel ſiſtere apertas vias poteſt. Non, ſi minus urget, uti alias urgentiſſimum eſt ſymptoma. Non ubi contra indicans, vel affectus etiam principalis alius obſtat, ipſaque eſt ſecundaria, vel timendus eſt gravior ſtatus. Abſurdum foret, pleuritico, cui ſalutare eſt ſanguinem ejici cum tuſſi, per iſchæma velle ſuccurrere. Fœmina vomitu cruento laborans, jam provectæ ætatis, hauſto adſtringente pulvere à chirurgo dato mox moritur, fluxu repreſſo; menſes enim illuc affectabant exitum, aperientibus potius, & V. S. juvandi. Philoſophus clariſſimus mictu cruento laborans, hoc curato, apoplecticus moritur; id quod in alijs quoque obſervavimus ſenibus, mictum nempe cruentum excepiſſe apoplexiam.

2. *Modo topicis, modò internis magis ad hæmorrhagias opus eſt.* Præſtat quidem eadem conjungere, moderanda tamen ſunt ita, ne fruſtrà ſimus. Quandocunque effluit ſanguis, illius ſphæra intuenda eſt, ut ſiſtat quidem fluxum, motum tamen naturalem non negligat medicus. Topicis immediatis ſuus locus eſt, mediata verò, pro æſtuante ſanguine alterando, applicanda locis magis toroſis & patulis. Quando non ceſſat fluxus, conſultum ſæpe eſt, ut tota ſpina dorſi aquâ frigidiſſimâ perfundatur. Sic & plantis pedum ranam vivam cum ſucceſſu adalligavit *Koza k. l. 2, c. 12. de hæmorrhag. p. 678.*

3. *Topica ἴσχαιμα roborent, non lædant.* Valet id de activis & causticis cumprimis. Acetum ipſum in minoribus quidem vaſis ſublingualibus contrahendis habet locum; quando verò foramina nimis ſunt lata, ſeu magis hiant, eo non contrahi poſſunt, tunc myrrha & olibanum aliaque inſperſa magis proſunt. Corroſiva arſenicalia & ☿lia abſint penitus. ▽ & ⓥ providè applicentur, quorum ultimum omnium eſt tutiſſimum.

Hinc non ablato interius ἐργασμῷ fruſtra ſunt adſtringentia. Hinc præcipere ſolent practici ſanguinem ex hæmorrhoidibus erumpentem etiam largius non eſſe reprimendum externis ſtypticis, niſi prius ſectâ venâ ejus maſſa diminuta fuerit. Univerſalia etiam hîc valent ſæpè præ topicis.

4. *In remorando ſanguine circulus ejusdem non turbandus eſt.* Valet id tum de aliis hactenus dictis, tum inprimis quoque de ligaturis extremorum. Hæ, partim pro vaſorum compreſſione, partim pro remorando in poris ſanguine, convenire queunt, accedente inprimis levi dolore, qui advocat illum huc ad partem ligatam, adeoque revellit. Sed ſi fortius ſtringantur, circulum omninò turbant, ægrum fruſtra cruciant, & tantum abeſt ut ſanguinem ſic ſiſtant, ut potius fluxurum magis cieant & hæmorrhagiam augeant. Neque verò ſelectus coloris hic aliquid facit, quando rubrum ſericeum vinculum eligunt, quin potius rubedo magis motum promovet, quàm ſedat. *Wedelius.*

Iva Arthritica, vid. *Chamæpythis.*

JUBA.

Juba in Phytologiâ eſt arundinacea coma laxè effuſa, qualis in miliô eſt. *Raius.*

JUGLANS.

Juglans quibuſdam dici videtur à juvando & glande, ut Macrobius. Refert tamen non dubitandum quin ſic vocetur quaſi Jovis glans, nempe eâ ratione à Joviglans, qua à Jovipater Jupiter, nam ut dicitur Marspiter & Dieſpiter, ſic & Jovipater ſeu Joviſpater ubi Jovis eſt antiquus nominativus.

Non eſt tamen Juglans Διὸς βάλανος Theophraſti, cum ea potius Caſtanea ſit; ſed ut nonnullis videtur; nux Perſica ejuſdem, ut aliis, nux Euboica, nux Baſilica Plinio. Nucem Caryon (inquit Plinius) à capitis gravedine, propter odoris gravitatem convenit dictum.

Nomina. Nux Juglans, *J. B. Ger.* Juglans vulgaris, *Park.* Juglans ſive regia vulgaris *C. B.*

J. B. Procera arbor eſt multis prælongiſque nixa radicibus, trunco ad binum ternúmve cubitorum complexus ſæpius craſſeſcente, materia ampla, ruffa vel ſubfuſca, multis exiguis ſegmentis ſcarificata, quibuſdam partibus undulatim Criſpa, robuſtâ: firmis vaſtiſque ramis brachiata, cortice cineracea, Craſſo, lævi, per ſenium hiulco, & in rimas altas dehiſcente, folia pinnatim diſponuntur. Conjugationes claudente folio impari, quorum ſingularia ampla, ſeſquipalmum longa, palmum fere lata, principio & mucrone anguſtiora, venis obliquis à medio nervo deductis, cum tenera adhuc ſunt rubicantia, ſuaviterque olentia, cum adoleverint pulchre viridentia, odore jucundo, fere laureo, ſed graviori & vehementi; ſapore adſtringente. Iulum profert longum, multiplici callo compactilem, cujus flaveſcentes paniculæ brevi decidunt: tum flos emergit herbaceus, (ego pro vero & genuino flore Iulum habeo, ut qui è ſtaminibus & apicibus componitur) totidemque calyculacea tegumenta quot flores petiolo contrahuntur, quibus ſingulis ſingulæ includuntur nuces. Nucem ſive fructum quales. Simul multi confertim ex eodem pendent pediculo jam perfectiorem tegit pulvinatus calyx, acerbi & amari ſaporis, nec ſine acrimonia, nigro colore manus inficiens, cui ſubjectus cortex rugoſus, lignoſus, in duas carinas apertilis nucleum continens in binas partes ad medium ferè fiſſum, & pæne quadripartitum, revolutionibus cerebri ſimiliter inæqualem primo mucoſum ac inſipidum ferè: deinde per maturitatem calloſum candidum, dulcem, cuticulâ pallidâ tectum, exortum trahens ex candida, & ex acido amaricante quadam ſubſtantia pulpoſa, cujus terreſtrior, portio in lignea, vel ex ligno membranacea quædam nucleorum diſſepimenta abit, qualibus tenerioribus interior oſſis cavitas magna ex parte obducta eſt. Integri & maturi magnitudine minoris aut mediocris perſici; & pulpa viridi ſeu integumento externo pulvinato, (quem Feſtus vocat culeolum quaſi exiguum culeum) atque carnoſo detempto, uncia ferè latiores & hac ipſæ latitudine longiores, ex rotundo in oblongum ſubtumeſcentes, ſed delumbata utrinque qua vulvularum commiſſura eſt circinatione rotundi. Nucleus duplici cuticula ſeu membrana tegitur, exteriore flavicante & ſubamara, quæ dum nux adhuc recens eſt facile deglubitur, cum areſcit arctè adhæret nec poteſt ſeparari, interiore tenuiore & pellucida.

Núces

Nuces juglandes magnitudine, figura, duritie, ſapore multis modis differunt, Recentiores ſex potiſſimum differentias annotarunt. 1. Nux juglans ſive Regia vulgaris. Hanc à duro cortice & frangendi mora Moraciam & Moracillam vocari tradit Hermolaus. Non facile à putamine purgari poteſt, ſurdam nominat Cæſalpinus. 2. N. I. fructu maximo Caballinam Dalechampius vocat. Noſtrates i. e. juglandes Gallicæ, Bonitate & pondere ad proportionem reliquis cedunt: non enim intus oppletæ, ſed magna ex parte vacuæ ſunt, minus ſapidæ, malis magnitudine ferè æquales, è quarum cuppis ſeu valvis Marſupia pueris geſtanda fiunt. 3. N. I. fructu tenero & fragili putamine, à Dalechampio Molluſca dicta, quòd cæteris generibus Mollior ſit; ejuſque putamen vel digitis facile rumpatur, Tarentinæ vel eadem eſt, vel ſimilis. 4. N. I. bifera cujus generis Hermolaus in Silvatiano Patavini agri viculo provenire ſatis conſtare tradit. Et Plinius nuper (inquit) Conſularem virum audivi biferas & juglandes nuces ſe habere profitentem. 5. N. I. fructu ſerotino. Nuces S. Joh. dictæ, quia ante diem S. Joh. ſacrum neque folia neque nuces oſtendunt; Cum verò id tempus adeſt, pares reliquis nucibus quoad fructum & folia exiſtunt: quales Tragus Vaſoniæ ad Rhenum, binas etiam Giengenbachii extare refert; J. Bauh. circa Tigurum aliquando vidit; Dalechampius circa Lugdunum obſervavit. Has ego non peculiare genus fuiſſe exiſtimo, ſed differentiam quandam ſeu varietatem accidentalem & præternaturalem. 6. N. I. folio ſerrato; hujus nuces teneritudine & longiori formâ à vulgaribus diverſæ protulerunt vulgaris juglandis ſimilia, ſed longe magis tenella, atque in ambitu ſerrata Cluſ.

His adde Virginianarum Juglandium duo genera: unum forma & ſapore parum ab Anglicis differt, putamine craſſiore & duriore, alterum maius, cortice ſcabro & duro, nucleo magno, dulci & oleaginoſo, ex quibus contuſis lac conficiunt cum ſuis cibis miſcentes. Harum arborum nonnullæ 80. pedes longæ. Park. duas juglandium Virginenſiū ſpecies deſcribit, quæ ab his videntur diverſæ. 1. Prior, nux juglans alba Virginenſis eidem dicta, arbor eſt erectior, & minus patula, nuce rotundiore, minore putamine, multo craſſiore magiſque albicante quàm cujuſvis ex prædictis, nucleo etiam multo minore, æque tamen candido & dulci. 2. Poſterior N. I. Nigra Virginenſis denominata fructu potiſſimū à præcedente differt: niger eſt & rotundus, aſper ſeu rimoſus, putamine adeò craſſo & duro ut validis Mallei ictibus vix poſſit confringi, nucleū intus minimū claudēs.

Ubi ſponte proveniat nux juglans neſcimus in Italia, Gallia, Germania, atque etiam Anglia in viridariis & agrorum marginibus paſſim plantatam obſervavimus. Amat loca montana, humida & frigida; plerumq; lapidoſa; Autore Palladio, quod in Italia & calidis Regionibus fortaſſe verum eſt; at in frigidioribus ut Anglia & Germania, ſummitates ejus ſæpius gelu peruruntur, ſi præcociùs germinaverit; in Germania juniores arbores interdum perduntur, præſertim ſi loco humidiore plantæ fuerint, teſte J. Bauhino, quod in Anglia nunquam obſervavi evenire.

Iulos gemmaſque protrudit Martio, aut initio Aprilis. Fructum ante initium Septembris apud nos non perficit, differunt tamen arbores hoc reſpectu, aliæ enim præcociores ſunt, aliæ ſerotinæ, nec ante Octobrem Menſem maturantur; diu eſt antequam fructum ferat hæc arbor; viginti Annos ſupervivit, ac mirū in modum grandeſcit. Cariem, (ut annotat Tragus) vetuſtatemq; non ſentit. Teneram eſſe arborem, & in calidioribus Regionibus lociſque apricis feliciter provenire ſcribit J. Bauhinus, quod ut verum ſit, frigidiora tamen non averſatur.

De ſatione & inſitione hujus arboris Conſule Geoponicos. Nucibus ſeritur juglans, nec inſeri vult ut aliæ arbores Trag. Ruell. quòd ſanè nobis veriſimile videtur, quamvis Palladius aliique contrarium affirment. Utut res ſit, Nos cum J. B. inſitionis multa curâ non opus eſſe judicamus ſiquidem nucū ſatis ſatu facile ac feliciter proveniat.

Ut nuces in proximū annum copioſius proveniant, mos eſt hodie apud ruſticos quoſdam ut nuces perticis decutiantur, hinc non inconcinnè quidam alludendo cecinit,

Nux, Aſinus, Mulier ſimili ſunt lege ligata,
Hæc tria nil fructus faciunt, ſi verbera ceſſant.

Verum hic mos quamvis apud noſtrates etiam inolevit qui & ſuum rhythmum habent.

Rationi repugnare videtur. Quid enim aliud ab hujuſmodi verberatione ſperandum eſt, quam ut gemmæ futuri inſequenti anno proventus ſpes decuterentur.

Umbram juglandis noxiam eſſe plerique affirmant & capiti inimicam. Joh. Muis in Podalirio redivivo P. 57. 58. decubitum ſub hac arbore dolorem capitis inducere experientia D. Boyle probat. Hic autem dolor (inquit) non provenit ab umbra (ut vulgus arbitratur) ſed à vaporibus ex foliis arboris egredientibus qui quàm infeſti ſunt muſcis etiam unicuique notum eſt. Nam æſtivo tempore ad muſcas abigendas valde familiara eſt, ramulum juglandis ab arbore avellere; verum quicquid eſt de muſcis, haut facile id mihi perſuaſerim, imo cum D. Evelyno non tantum innocuam, ſed & amænam & ſalubrem exiſtimo ob odorem gratum quem folia expirant, & deceptos ſuſpicor qui ſe contrarium expertos affirmant.

Vires. De viribus Dioſcorides & Plinius hæc habent: Nuces Regiæ in cibo ſumptæ concoctu ſunt difficiles, ſtomacho nocent (bilem gignunt) capitis dolorem inferunt, ſuntque tuſſientibus inimicæ; (Plinius de ſiccis, quæ unguinoſiores ſunt, hæc tradit, recentes enim (inquit) jucundiores ſunt) utiles verò in cibis jejunis ad vomitiones concitandas (pro his Plinius habet inimicas eſſe vomituris jejunis, atque addit, aptæ in teneſmo ſolo, trahunt enim pituitam) venenis quoque reſiſtunt cum Ficubus & ruta præſumptæ, ac etiam poſt ipſa venena hauſta comeſtæ, addit Plinius Anginæ prodeſſe cum ruta & oleo largiùs eſitatæ latos lumbricos pellunt. Imponuntur & mammarum inflammationibus, abſceſſibus, luxatiſque cum mellis exiguo & ruta. Cum cæpa autem melle & ſale contra canis hominiſque morſus proficiunt, eædem cum calyce ſuo peruſtæ & umbilico admotæ tormina ſedant. Putamen verò combuſtum tritumque in vino & oleo puerorum capite perunctο capillos condecorat, & Alopecias replet, at qui intra ipſum eſt nucleus tritus & cum vino appoſitus menſes ſiſtit; perveterum autem nucum nuclei commanducati & impoſiti gangrænis, carbunculis, Ægilopibus & alopeciis præſenti ſunt remedio, aliis miſcentur ad acrimoniam ipſorum eximendam: Plin. Cæpis.

Cortex juglandium lichenum vitio & dyſentericis prodeſt folia trita cum aceto aurium dolori Plin. Antidotum Mithridatis ipſius manu deſcriptum conſtabat ex duabus nucibus ſiccis item ficis totidem, & rutæ foliis 20. ſimul tritis, addito ſalis grano: qui hoc jejunus ſumat nullum venenum nociturum illo die.

Coquitur hæc nux, Autore Galeno, facilius quam Pontica, i. e. Avellana, ſtomachoque eſt gratior, & multo magis quando cum caricis manditur. De recenti nuce hæc accipe, nam ſicca in ſuccum pinguem tranſmutatur ut cibo prorſus ſit inepta.

Corticis nucum exterioris ſuccus expreſſus vel crudus, vel cum melle decoctus ad dandam conſiſtentiam, in ore gargariſatus ad uvulæ relaxationem, tonſillarumque & gutturis inflammationes vi ſua adſtrictoria cum tenuitate partium conjuncta utiliſſimus eſt Galeni experimento.

Virides ſeu recentes juglandes ventrem cient. Galen. Aet. Veteres & ſiccæ potius aſtringent: concoquuntur probè in ventriculis frigidis, in calidis in bilem vertuntur.

Cortex interior arboris ſiccatus vomitum ciet validè; Iuli ſive nucamenta lenius.

Tinguntur cortice illarum (nucum) lanæ, & rufatur capillus primum prodeuntibus nuculis. Plin. hiſt. lib. 25. c. 22.

Ineſt quoque juglandibus nucibus propria quædam ac peculiaris facultas ad remoratos menſes ciendos, aliis medicamentis nihil proficientibus. Macerantur in aqua donec nuclei membranis poſſint nudari; deinde nuclei ita expoliati macerentur in aqua vitæ per biduum, eorumque duo vel tres quotidie manè jejunæ exhibeantur per decem dies ante tempus menſtruæ fluxionis.

Succus radicis violenter purgare dicitur nonniſi ruſticis

cis exhibendis aqua etiam juglandium immaturarum deſtillata ad multa cõmendatur v. g. ad diſſolvendos thrombos concreti ſanguinis, ad vulnera & ulcera calida, ad Anthracem peſtilentem foris impoſita. Ad eadem valet & foliorum juglandis aqua: an verò aqua juglandium refrigeret, adeóq; Anthraci conveniat meritò dubitat J. Bauh:

Nuces juglandes poſt piſces ſumptæ eorum coctionem adjuvare creduntur, unde illud Scholæ Salernitanæ.

Poſt piſces nux ſit, poſt carnes caſeus eſto.

Certum eſt etiam eas venenis repugnare præſumptas in cibis, unde ſæviente peſtilentia proceres pariter ac plebs infima quinetiam rura toſtas jejuni mandunt.

In tranſmarinis regionibus juglandes teneras & immaturas, cortice exteriore acuto cultello deciſo atque etiam putamine duriore, in aqua frigida maceratas aliquandiu & deinde ad mollitiem coctas in ſyrupo è ſaccharo præparato leviter bullitas & in eundem demerſas reſervat pro bellariis.

Juglandes virides decerptæ Maio vel Junio appetente, antequam earum putamina obduruerint, Sacchato adſervatæ ſtomacho utiles evadunt. Imo ex noſtra obſervatione juglandes, dum virides adhuc & immaturæ ſunt integræ unà cum corticibus & putaminibus ſaccharo conditæ, ſive (ut moris eſt) in aqua ſaccharata decoctæ donec tenereſcant; deinde eidem aquæ ad ſyrupi conſiſtentiam coctæ immiſſæ ut ſerventur, ſi duæ vel tres ſumantur ſub veſperam à cibo ſumpto, alvum leniter ſubducunt.

Decoctum corticum exteriorum nucum juglandium terræ ſuperfuſum lumbricos è foraminibus ſuis vel elicit, vel exigit.

Tragus ſcribit quoſdam exteriorem corticem nucum juglandium areſacere, inque pulverem redactum piperis loco in condiendis cibis uſurpare: cui ad ſaporem commendandum nonnulli pulverem foliorũ ſalviæ adjiciunt.

Juglandis materies Menſis & utenſilibus laudatis dicatur, & operto tectorio. In Gallia plurimi fit hoc lignum pro menſis, ſcamnis, lectis, cathedris, ſcriniis, abacis & aliis ejuſmodi, quæ tela ceræ fricant ſæpe; ſic egregiè poliuntur, & nitidum ſplendorem acquirunt. D. Evelynus fabros noſtros oleo ſuo calido affricto lignum hoc expolire ſolere ait. Maxime autem æſtimatur ob colorem ſuum varium, venas undulatas aut criſpas, & materiæ ſoliditatem.

E nucibus tuſis, calefactis & expreſſis elicitur oleum, quo nonnulli ad gangrænas, carbunculos, ægilopas & nervorum ulcera utuntur. Infuſum auribus ſurditati prodeſt, & idem utile calidis doloribus illitum. Matthiolus nullius in medicina uſus eſſe ſcribit, ſed ad Lucernas & Lampadas præcipue expeti.

Quod durabilius ſit oleo olivarum. Præfertur etiam pictoribus ei quod è lini ſemine exprimitur; ſiquidem hoc ceruſſæ admixtum tractu temporis colorem immutat: illud vero incorruptum perpetuo aſſervat. At alibi flatus potenter diſſipare, & in coli affectibus à flatu genitis plurimum afferre auxilii tradit, Ætius eandem ei vim tribuit quam oleo amygdalino, inſuperque hoc privatim habere tradit, quòd inaurantibus aut inurentibus conducit. Siccat enim & ad multum tempus inaurationes & inuſtiones continet & adſervat.

Iſcæ (ἴσκαι) Paulo ſunt ſpongioſa quædam corpora in quercubus & nucum regiarum arboribus naſcentia, (fungos, puto intelligit) quæ Barbari magis in uſu habent. His inter cætera cauteriorum genera uſos fuiſſe antiquos idem paulus teſtatur, in longis ſtomachi defluxionibus, inque hydropicis; quomodo autem iſcis ad uſtionem uterentur ſic demonſtrat Cælius Aurelianus. Fungos ligneos inferius ac ſuperius anguſtos formantes, (convenientiùs inferius latos efficerent, quo melius cuti inſiſterent) patientibus apponunt locis, quos ſummitate accenſos ſinunt concremari donec cinereſcant atque ſponte decidant. Id hodie imitantes Turcæ ſarmentum vitis bene aridum parti malè affectæ applicant & ſummitatem ejus accendunt. Hoc modo Moxâ dicta utuntur nunc dierum, ad podagram & alios morbos. Cæterum creber eſt uſus fungorum juglandium ſclopetariis ad ignem conſervandum: modum præparandi fungos ad hunc uſum vide apud Johannem Bauhinum in Hiſtoria arboris hujus:

Arbor vulnerata initio veris antequam folia emittit liquorem effundit copioſum, minus tamen dulcem quam ſit betulæ ſuccus. *Hæc Raius in Hiſt. Plant.*

Dominus Roſinus Lentilius, Miſcell. Curioſ. Decur. ij. ann. v. de liquore polychreſtô è radice nucis juglandis eliciendo hæc habet. Terra circum arborem verſus orientem ſitam, effodienda profunde latis, & ample, ſic tamen ut ne radices lædantur. Quærantur poſtea radicum mediarũ ſucculentæ extremitates, & cultro circum circa præcidantur ad modum turundæ, ſic ut anguſtioris orificii lagenam vitream capere queant. His radicibus applicentur hujuſmodi lagenæ, ac omnia bene obturata ſepeliantur in fimô equinô, cum parte terræ effoſſæ admiſtâ, ita ut arboris truncus fimo equino & terra ad altitudinem circiter quatuor pedum obtegatur & foveatur ſupra horiſontem. Relinquantur ita per 6. aut 7. dies ac noctes, poſt rurſum effodiantur omnia caute, ne ſcilicet vitia lædantur. Liquor extillatus ſi humidum radicale non auget, illud ſaltem in vigore ſervat, ita ut fatalem horam ſine morbis homo vegetus exſpectare queat. Hiſce additur ex Camerario, quòd ex ejus liquoris uſu officiarius quidam bellicus lue Neapolitanâ adeò fædus ut vivum cadaver videretur fæliciſſimè reſtitutum fuiſſe. Notandum autem quòd liquoris collectio cum arboris interitû ſit conjuncta. De doſi, aut tempore collectionis nihil præterea addit. Collectionem autem quod ſpectat illa proculdubiô tempeſtate vernâ fieri debet.

Frid. Hofman de Juglande hæc habet.

Nux Juglans capitis habet ſignaturam. *Cortex ſc. exterior* pericranii. *Interior* ſive ligneum putamen Cranii, pellicula circumdans nucleum meningis & membranarum cerebri; Nucleus ipſius cerebri figuram. Nihilominus *Author Noſter* cum aliis ſtatuit ventriculum illarum uſû offendi, cephalalgiam excitare, dificilis eſſe digeſtionis &c. *vid. Dioſcorid. Lib.* 1. *cap.* 179. *Plinius Libr.* 23. *cap.* 8. Unde *Nuces* à nocendo dici probat *Andreas Sanftleben in Tr. de Nucibus Saturnal. cap.* 1. *p.* 8. Verum diſtinguendus eſt uſus ab abuſu, & Natura. Dicuntur tamen à peſte præſervare. Sed *Caſp. Hoff. Libr.* 2. *de Medicam. offi. in. cap.* 102. omnem vim alexipharmacam juglandibus denegat. Verùm, non tamen de nihilo ſunt, quæ & alii probati Doctores Medici de earum virtute alexipharmaca prodiderunt; & certum eſt, maximam eſſe differentiam & diverſitatem in recentibus & rancidis juglandibus *vid.* D. D. Simon Pauli *in quadripartit botanic. Claſſ.* 2. *p.* 99.

Putamina externa viridia vi emetica pollent ob Sal vitriolicum, quod in illis continetur & arte ex his extrahi poteſt.

Cortex interior de arbore deceptus in forma orbiculari, ac per horam in aceto infuſus, atque pulſibus in utriuſque manus carpo ac plantis pedum in febribus ardentibus loco veſicatorii applicatus mirificè prodeſt, & præſtantioris eſt energiæ illo, quod ex cantharidibus præparatur. vid. Cataplaſma revulſorium ſect. V. nom. X. in Theſaur. Pharmaceutic. annexo.

Cortex nucleum ambiens ſeu luteola illa membranula aut tunica proximè nucleum inveſtiens ſubamara inſigne arcanum eſt contrà Colicam, id quod verum eſſe ſanctè atteſtor: doſis eſt hujus pulveriſatæ & exſiccatæ, quantum pugillo apprehẽdi poteſt in vino vel alia aqua carminativa.

Iuli vomitum excitant, de quibus vide cautelam in modo laudato D. D. Simone Pauli l. c. p. 97.

Communiter inſtante S. Johannis Feſto noſtrates fructus adhuc immaturos molles ac virides paſſim colligere ſolent, ad condituram, cujus conficiendi modum vide in *inſtitutionibus* Cl. *Sennerti p.* 1398. confortant ſtomachum, juvando digeſtionem, roborant fœtum in utero, præſervant ab abortu, &c.

Aqua deſtillata ex nucibus juglandibus viridibus non poſtremum eſt alexipharmacum confortans.

Succus menſe Februario vel Martio ex radicibus perforatis deſtillans ac depuratus non ſaltem podagricos lenit

dolores,

dolores, ſed & magno cum ſucceſſu in febribus & dolore capitis exhibetur. *Thom. Barthol. centur.* III. *hiſt.* 97.

N. *Cardanus* demonſtraturus, quantum conſenſum habeant genitalia cum capite, aſſeverat, quod ſi quis canitie deformis unicâ tantùm nocte ill nat ſcrotum ſucco ex radice juglandis viridis expreſſo, canitie depoſita nigerrimo colore capitis pilos iri infectos, totum annum duraturos. *Heinric. ab Heer libr.* I. *obſerv.* 16.

Rob Nucum, fit ex ſucco putaminum viridium cum Saccharo in catarrhis tenuibus ad fauces delabentibus, item in angina &c. euporiſton eſt.

Oleum fit per expreſſionem ex nucleis recentibus. Hoc ſummum emolliens & reſolvens eſt, unde in colica etiam ad flatus diſcutiendos & pituitam incidendam miræ eſt efficaciæ. Mammillarum itidem fiſſuras optimè ſanat recens expreſſum & inunctum inſperſo deſuper Saccharo.

JUJUBA, ſeu ZIZYPHUS.

Zizyphi vox peregrina eſſe videtur. Zizyphi autem notæ quibus à reliquis congeneribus diſtinguitur, ſunt folia trinervia, flores herbacei vel luteoli, fructus olivares ſeu nonnihil turbinati.

Jujuba Domeſtica Sativa.

Nomina. Zizyphus ſeu jujuba major *Park.* Zizypha ſativa & ſylveſtris *J. B.* Jujubæ majores oblongæ *C. B.* Jujubæ arabum ſive zizyphus Dodonæi. *Ger.*

J. B. quæ in officinis notas Jujubas fert, arbor eſt domeſtica, ſed in fruticem ſpinoſum facilè degenerans. Teſte Cæſalp. alioqui ſatis magna, ſtipite recto, in ramos plures brachiato, quibus in tenuibus ſurculis quaſi pediculis alternatim adnaſcuntur folia, unciam aut ſeſcunciam longa, ſemiunciam aut unciam ferè lata, in obtuſum mucronem deſinentia, ſplendido virore nitida, tribus ſecundum longitudinem decurrentibus nervis, per ambitum ſerrata; ad quorum ortum rami ſpinis horrent aliis aduncis brevioribus, aliis rectis longioribus (ſed cum ſeneſcit aculeis caret, inquit Cæſalp.) eodemq; loci flores, plures ferè ſimul exeunt, pediculis breviſſimis ut fere ſeſſiles videantur ribes floribus perſimiles, colore herbaceo, apiculis concoloribus. Hoſce fructus excipiunt formâ magnitudine olivari, corno craſſiores, per maturitatem rubentes, vel, ut ait Cæſalp. ex pallido nigreſcentes, quaſi fumo infecti pelliculâ craſſiuſculâ, pulpam ſubalbidam mollem, fungoſam, melleæ dulcedinis contegente, cui immergitur oſſiculum oblongum utrinque acutum, rugoſum, in quo nucleus compreſſus, lentis majoris inſtar, ruſâ pelliculâ tectus, ſapore amaro.

Gaudet cœlo & ſolo calidiore, aut certè temperato: in Hiſpaniæ, Italiæ, & Galliæ Narbonēſis hortis colitur. Cluſius ſcribit nunquam ſponte naſcentem à ſe viſam. Forte nullibi terrarum jujubæ majores ſativæ ſponte naſcuntur: ſylveſtres nos in Italia ſpontaneas vidimus. E ſylveſtribus vero ſatione, inſitione & cultu ſativas initio factas exiſtimamus. Sylveſtres Monſpelii frequentes occurrere ſcribit: at nobis circa Monſpelium non obſervatæ ſunt. Neque D. Magnol. in botan. Monſp. earum meminit. In rupibus & clivis maritimis propè Tropiam Calabriæ urbeculam ſponte & copioſè creſcentes vidimus.

Florent Maio & Junio: fructus leguntur Autumno vel poſt, unà cum ſurculis, & in manipulos colligati poſt aliquot dierum inſolationem loquearibus ſuſpenduntur: poſtremo decerpti in capſulas reponuntur ad medicos uſus, ſunt qui decerpta Zizypha, & cratibus tegetibuſque inſtrata tandiu inſolant quouſque rugoſa ibidem fiant.

Nos Venetiis recentes apud Melopolas abunde venales vidimus, quàvis palato noſtro non multū arrideant.

An hæc arbor veteribus Græcis cognita fuerit ambigitur. Vide apud J. Bauh. concertationes de nominibus. Inclinat (inquit ille) multum animus, Theophr. ſub loto, & Plinium ſub oſſea loto de loto Athenæi locutos, ac lotum Athenei eſſe jujubas.

Vires. Serica Galeno (quæ plerique jujuſtas putant) vix quicquam ad ſanitatis tutelam pertinent aut morborum profligationem. Mulierum enim aut infantium effrenatorum ſunt edulium quod exigui eſt alimenti & concoctu difficile. Verùm recentioribus Græcis & Arabibus in uſum Medicum vocatæ ſunt. Moderatè calidæ ſunt & humidæ, ideòque febrium ardentium calores leniunt in julep s aut decoctis, ſanguinis acredinem ſedant: ad pectoris & pulmonis vitia conferunt, tuſſes aſperas, arteriæ aſperitatem, ſpirandi difficultatem; nec non ad renum & veſicæ vitia, urinæ ardorem &c. J. Bauh. ſyrupum jujubinum in pulmonum vitiis non à calida tantum cauſa, ſed & à frigida ortis concedendum putat; contra Matthiolum & alios, qui in ſolis affectibus pulmonum Calidis locum habere putant. Sunt enim dulces & moderatè calidæ, ratio & experientia dicit (inquit C. Hoffmann.) jujubas habere vim contemperandi, calidos & acres humores.

Jujuba Sylveſtris.

Nomina. Zizyphus ſive Jujuba Sylveſtris *Park.* Zizypha Sylveſtris *J. B.* Jujuba Sylveſtris *C. B.*

Frutex paliuro ſimilis eſt, non ſolum foliis, ſed ramis & ſpinis, quatuor aut quinque cubitos altus, cujus rami ſe terram verſus contorquent ad formam ſemicurculi, ſpinis abundantes craſſioribus & ſimiliter acutis, binis ſimul diſpoſitis. Folia diſpoſita ſunt ut in ſorbo. Fructus ſimiles jujubis domeſticis, niſi quod multo minores. & ſimiliores oxycedri aut lauri fructibus, qui ubi maturuerint rubent, & eſui apti ſunt: non tamen nuclei qui oſſei, ideòque, rejiciuntur, quibuſdam in locis fructus hi in vinum immittuntur ut ſuavis reddatur. Reperiuntur in agris Veronenſibus referente Pona; nos (ut diximus) in Calabria pro Tropiam obſervavimus.

Vires. ℞. Zizyph macerentur in ſp. vini donec valde turgeant. Accipe j. aut ij. mane & ſero, mirabilis eis vis ineſt præſervandi à tuſſi. *Hartmann.*

Uſus Jujubarum eſt in pulmonum aſperitate, tuſſi, pleuritide, urinâ acri, ferveſcentia ſanguinis, eroſione renum ac veſicæ. *Schroder.*

JULEPUS.

Julepus eſt medicamentum fluidum ex liquore idoneo & ſyrupo vel ſaccharo ſine coctione paratum.

Compoſitio ipſius ſimplex eſt, & per hoc differt ab apozemate, à ſyrupo verò quia liquidus eſt. Præſcribuntur liquor & ſyrupus in ea proportione, ut pro ratione ℥j. ſyrupi, ſint ℥vj. vel viij. liquoris. Determinatur quantitas utriuſque ſub hac proportione, ratione ætatis, conſuetudinis, roboris ventriculi, & uſus neceſſitatis; minor enim doſis in pueris, inaſſuetis, ſtomacho debilibus, & calore minùs intenſo, major è contra.

Componi ſolet ex aquis ſtillatitiis, vel ex herbarum decocto: tunc maximè utimur aquis, quando vel decocta faſtidit ægrotans, vel ob ventriculi laborem non ſuſtinet, vel quando res urget, & deficit tempus decocta parandi, vel quando adeſt herbarum penuria, ut in hyeme.

Tempus ſumendi eſt hora quælibet, ſed potiſſimùm ſexta matutina, & nona veſpertina, duabus aut tribus horis poſt & antè juſculum.

Uſus plurimi ſunt, vix tamen ad alios ſcopos uſurpatur, quàm

Primò, Ad refrigerandum. Pro quo utiles ſunt aquæ cichorii, endiviæ, potul. papav. rhœad. nymph. bugloſ. borrag. ſyrupus limonum, de cichor. ſimplex, violatus, capill. veneris, & ſimiles.

Forma julepi hæc eſt.

℞. Aquar. cichor. lact. an. ℥iij. ſyrupi limonum ℥j. Fiat julep. capiat manè & veſperè.

Ex chymicis poſſunt diſſolvi vel addi

Sal prunellæ à ʒß. ad ʒj. Spiritus vitrioli, vel ſulphu is à gutt. iv. ad gutt. vj. vel ad gratam aciditatem. Spir. ſalis dulcis à ℈j. ad ʒß.

℞. *Decocti cichor. lact. q. ſ. ſyrupi violati, vel limon. ℥j. vel de nymph. ℥ß. ſalis prunel. ʒß. Fiat julep.*

Vel ex decocto magis compoſito pro 3. doſibus.

℞. *Folior. cichor. totius, capill. ven. acetoſæ, lact. borrag. an M. j. quatuor ſemin. frigidor. maj. ana ʒj. hordei integri & flor. cordial. ana p. j. Fiat decoctio pro 3. doſibus. Adde cuique ſyrup. capill. ven ℥j. ſpirit. ſulphur. ad gratam aciditatem; capiat veſperè & manè.*

Nota abſtinendum eſſe à ſpiritibus acidis in conſtitutione valde ſicca quando humores ſunt aduſti, melancholici, major enim ab his fit exſiccatio & humorum fermentatio.

Secundò, Ad ſitim extinguendam, & bilis ardorem temperandum.

℞. *Aquæ hord. ℥viij ſucci limon. recenter expreſ. ad gratam aciditatem, ſacch. albi, vel ſyrupi capillorum veneris ℥j. agitentur ſimul & ſæpè transfundantur à vaſe in vas. Fiat julep. capiat uno hauſtu.* Vel

℞. *Aquar. papav. rhœad. portul. ana ℥iij. ſalis prunel. ʒß. ſyrupi violati ℥j. Miſce, fiat julep.*

Tertiò, Ad diaphoreſim promovendam in febribus malignis & peſtilentibus, variolis, &c.

℞. *Aquar. cardui bened. papav. rhœad. ſcorzon. ana ℥ij. confect. hyacinthor. & ſalis prunel. ana ʒß. pulveris viperini ℈ß. ſyrupi limon. ℥j. Fiat julep.* Vel

℞. *Aquar. ſcab. papav. rhœad. ana q. ſ. ſalis cardui bened. vel ſcab ℈ß. lapidis bezoardici veri gr. iv. ſyrupi capill. vener. ʒvi. Fiat julep.*

Poteſt etiam diſſolvi ex chymicis in aquis hujuſmodi,

Bezoardicum minerale ad ℈ß. Bezoardicum joviale ad gr. viij. Spiritus ſalis dulcis ad ℈j.

Ad plures uſus ſolet etiam præſcribi julep. de quibus exempla paſſim reperiuntur.

Quando iterari debet julep. ſic præſcribitur.

Reiteretur julep. ſumendus veſperi, aut manè, horâ &c. *Tenke.*

Iuleporum variæ formulæ è variis.

Julepus Cordialis *Donzelli.*

℞. *Sant. rubr. & citr. ãã ℥j. lign. aloës crudi ʒij. roſar. rubr. ʒiij.* Pulveriſentur omnia ſubtiliſſ. poſt iis affunde ſpir. vini ℥viij. reponantur in digeſtione donec videris ſpir. vini rubrô colore probè tinctum. Tum ℞. *Sacch. alb.* ℔ij. redige in ſyrupum cum aquâ roſarum odoratâ; ac poſtquam mellis conſiſtentiam acquiſiverit, miſce *aq. flor. bugloſſ. & aq. flor. borrag ex alembicô vitreô deſtillat. ana ℥iv.* Bulliant ſimul leviter ac ab igne removeantur: Poſteaque illis tepidis miſce ſpiritum vini prædictum probè tinctum & à fæcibus ſuis ſeparatum, reducendo in formam julepi.

Utiliſſimum eſt hoc medicamentum in omnibus cordis effectibus, recreat ſpiritus vitales & vitioſas ſanguinis diſpoſitiones corrigit. Doſis ab ℥iß. ad ℥iij.

Julepus gemmatus *Norimbergenſium.*

℞. *Topaziorum, Smaragd. Rubior. Sapphyror. Hyacinthi, Sardæ, Coralliorum rubrorum ana ʒij.*

Subtil. pulveriſatis affundè aceti deſtillati ſufficientem quantitatem, ut ſolvantur; ſolutum filtretur, & ad ſiccitatem in balneo abſtrahatur.

Deinde ℞. *Confectionis Alkhermes ℥ij. de hyacintho ℥j. aquæ naphæ, ſeu flor. Aurant.* ℔ß.

In temperato calore digerantur, decantentur, & ſuperiori ſolutioni infundantur; clarum per ſubſidentiam quod erit, addita ſacchari albiſſimi ℔iß. levi abſtractione, per Alembic. ad ſyrupi formam reducatur.

Tandem ℞. *Moſch. or. ambr. griſ. ana ʒj.*

Diſſoluta cum ſpiritu roſarum prædicto ſyrupo addantur, & fiat Julepus.

Julep roſatum, *è Ph. Auguſt.*

℞. *Aquæ roſar. odoratiſſimæ ℥xiv. ſacchar. clarificati & ultra conſiſtentiam tabulati cocti,* ℔ij. *Miſce.*

Cordiale plane Medicamentum eſt: totius corporis exæſtuationi confert, vitales ſpiritus reficit, eoſdemque evanidos reparat.

Julep ſambucinum, *ex eadem Pharm.*

Paratur eodem modo, ex aqua ſambuci è floribus deſtillata, & ſacchari ſufficiente quantitate.

Seroſos in corpore humores blande temperat, calores febriles mitigat, & ſudores elicit.

Julep ex vino, *ex eadem Pharmac.*

Fit ad modum præcedentium ex vino optimo, odoratiſſimo, albo & ſaccharo.

Ventriculi & cordis robur tuetur, coctionem promovet, frigidos crudoſque humores partim incidit, partim concoquit, ac caninam famem lenit.

Julep. ex vino *Zwelferi.*

℞. *Vin. Malv. vel ſi illud propter valorem non arrideat, vini albi Rhen.* ℔ *v. cui immergantur, roſ. rec.* ℔ *ij. cort. Arantiorum, citri ãã recent. ext. ℥j. cinam. acuti ℥iß.*

Facta brevi maceratione, abſtrahantur in balneo vaporoſo deſtillando libræ tres, liquori huic ſpirituoſo & fragranti abjectis ſpeciebus cum vini vappa quæ in reſiduo remanſit porro adde.

Vin. Malv. vel vin. albi potentis ℔ *ij. roſar. rec. ſale condit. ℥iv. flor. tunicæ rec. ℥ij cort. arantiorum citri recentium, cinamomi acuti ãã ℥j.*

Ac porrò brevi factâ maceratione, abſtrahantur, deſtillando in eodem baln. vapor. ℔iiß. vel iij. quibus adde ſacchari can. albiſſ. ℔iv. & ſola ejuſdem diſſolutione ſine ulla coctione aut ebullitione paretur julapium multis encomiis extollendum, ob ejus virtutes cordiales & roborantes quas habet in morbis frigidis, Apoplexia, epilepſia, lethargo, comate vigili, paralyſi & hydrope, ſenum peculiare eſt reſtaurativum, ſpiritus eorum vitales excitando, roborando, aſſumendum in vino quod gratiſſimum reddit, vel etiam alio in vehiculo grato.

Nota. Aqua ſpirituoſa bina vice à roſis aliiſve ſpeciebus ſuperius abſtracta, in virtutibus ſuis magis intendi poſſet ſi in eadem corticum Arantiorum & citri ana recent. & extim. ℥j. cinamomi tantundem, ligni aloës ʒij; nec non ambræ ac moſchi, pro ditioribus, ana grana aliquot, aliquandiu ſaltem macerentur. Roſæ verò quandóque planè omitti poſſent propter odorem fœmineo ſexui adverſantem.

Julep Violarum *è Pharm. Auguſt.*

Ex aqua florum violarum, uti præcedentes, cum ſaccharo conficitur.

Febrium incendia reprimit, vigilias levat, gutturis, faucium, ac aſperæ arteriæ afflictionibus à ſalſi aut acris humoris influxu enatis ſuccurrit: calidis inſuper, ac ſiccis pectoris morbis apprime convenit & & cordi excalefacto auxiliatur.

Iulepi varii è Pharmacop. Bateana.

Julap. Antiſcorbuticum.

℞. *Vin. chalyb.* ℔ß. *Tinct. ſacræ ℥ij. Sp. cochlear. ʒv. Sp. Lavend. comp. ʒß. ♀ ⊖ lat. ℈j. Syr. Scelotyrb. ℥iß. m. Dentur, coch. ix. omni manè.*

Julap. Aſthmaticum.

℞. *Milleped. vivor. nu.* 400. *contuſis adde ▽ Hyſſop. ℥vi. ▽. Limac. magiſtr. ℥iß. ſacch. cand. ʒiij. f. expreſſ. fort. Dentur coch. 2. cum Decoct. Pector. ℥iij. quarta quaque hora calidè.*

Julap.

Julap. Cretaceum.

℞. *Cretæ albiſ. præpar. ℥j. ſacch. opt. ℥iß. ol. ſt. nuciſt. gt. iij. Hydropeg. ℔iij. miſc. optimè ſ. a. D. ℥iij. pro vice ſæpe.* Ἐν τῇ καρδιαλγίᾳ ἄεισον.

Julap. Fragorum.

℞. *Fruct. fragor. matur. ℔iß. Hydropeg. ℔j. Leucœn. ℔ß. ſacch. alb. Syr. Limon. ana ℥iß. macer. in frig. menſ. 3. & cola. In æſtu febrili refrigerat, &c.*

Julap. Hyſteric. Camphoratum.

Incende camphor. ʒij. & ſæpe extingue in ▽ font. ℔i. ad totalem camphoræ conſumptionem. Tum cola. Dentur coch. 4. vel 5. ſæpe in paroxyſmo.

Julap. Hyſt. Farinaceum.

℞. *Farinæ tritici puriſ. ʒij. ſacch. alb. ʒß. Hydropeg. ℥viij. Agitentur opt. in Phiala, ut f. Julap. albiſ. Dentur ſæpius coch. 4. in paroxyſmo.*

Julap. Hyſter. Fœtidum.

Solve Aſæ fœtid. opt. ʒiß. in ▽ Ceraſ. n. ℥vi. ſine calore in mortar. frig. ut lacteſcat, ſ. a. Sumatur coch. i. initio paroxyſmi, & repetatur poſt finitum ejus.

Julap. Hyſter. Mithridaticum.

℞. ▽ *Bryon. c. ℥vj. Mithrid. ʒij. Tinct. caſtor. ℈ij. Syr. Ceraſ. n. Gran. Actes ana ʒiß. m. ſ. a. Doſ. coch. i. vel ij. in languoribus.*

Julap. Hyſt. Moſchatum.

℞. ▽ *Naphæ ℥vj. Moſch. ℈ß. ſang. dracon. ℈j. m. pro ij. doſ. in parox.*

Julap. Idæum.

℞. *Fruct. rubi Idæi rec. ℔j. ſacch. alb. ℥ij. Hydropeg. ℔iß. ſerva ſimul in frig. ad menſ. 3. & cola. Bibatur ad libitum in æſtu febrili ad ſitim extinguendam.*

Julap. Perlatum.

℞. ▽ *Citri, Borrag. Meliſ. ceraſ. n. ãã ℥iij. Sp. ceraſ. n. vel Sp. citri ℥j. ſacchar. albiſ. ʒvj. margarit. præp. ʒiß. Agitentur opt. ſ. a. Dentur coch. 5. vel. 6. in languor.*

Julap. Purpureum.

℞. *Syr. Viol. ℥iij. Sp. ⊖-li gt. 30. Hydrocrith. vel Hydropeg. ℔ij. m. ſ. a. In febribus ardentibus ad ſitim extinguendam utiliſſimum.*

Julap. ad Rachitidem.

℞. ▽ *Ling. cervin. cum 2. cohobiis ſ. at. ℥v. Conf. Alkerm. ʒij. Syr. Caryoph. ℥j. Sp. 🜂 gt. vj Fol. ⊙ num. 2. m. f. Julap. Elegans. D. coch. 2. bis in die. Mira ndæ præſtitiſſe narrant Dominæ.*

Julap. Tartariſatum.

℞. ☿ *ſubt. ♀ alb. ℥j. ⊖ ♀ ʒß. V. alb. ℔ijß. m. Doſ. ℥iij. bis in die per dies 8. in Icteritia curanda.*

Julap. Vitæ.

℞. *Vitell. ovor. rec. num. 2. ſacc. alb. ℥ß. ☍ cinnam. gt. iij. V. alb. vel Hiſpan. ℥vj. exactiſſ. miſceantur ſ. a. In animi deliquio, virium que maximâ debilitate, vel in moribundis auxiliò fuit.*

Iulepi duo aperientes ex Goddardo.

℞. *Aq. Cinnam. abſinth. magis compoſitæ, cochleariæ compoſ. ſyr. de ammoniacô ãã ℔iß. aq. amygdalar. amarar. ℔x. M. & add. ſal. mart. ʒvj. in aq. flor. ſambuci triplô pondere ſolut. per reſidentiam clarificetur.*

Pro majori compoſitione.

℞. *Superioribus addantur abſinth. flor. chamæm. ãã ʒx nuc. moſc. croci ãã ʒvj caſtor. ℥ß.*

Vide rurſus plura in hâc argumentô ſub titulô Potio.

IULUS.

Eſt nucamentum quod in corylô, juglande &c. velut prælongus vermiculus dependet, & nihil aliud eſſe videtur quàm florum ſtamineorum ſeries. Salicum juli à juglandis &c. diverſi ſunt; nam in fertilibus plantis numeroſis vaſculis ſeminalibus conſtant. *Raius.*

JUNCAGO.

Juncago quæ Domino de Tournefort in ſuâ Hiſtor. Plantar. circa Pariſios naſcentium, Juncago paluſtris & vulgar. *Inſtit. rei Herbar.* Gramen junceum ſpicatum, ſive Triglochin *Caſp. Bauh.* Gramen ſpicatum alterum, *Lobel.* dicitur. Planta eſt omnino de graminum familiâ, nullius aut minimi in Medicina uſus quia etiamſi vias urinarias reſerare credatur, per alvi adſtrictionem ſæpius noceret.

JUNCUS.

Juncus Caulibus teretibus, fungoſis, paniculâ vel in ſummo caule exiſtente, vel ex ejus latere inferius exeunte, & multis feminibus majuſculis compoſita à reliquis gramini foliis diſtinguitur: gramina Juncea à juncis diſtinguuntur caulibus folioſis articulatis. Folia etiam in his non ſemper teretia ſunt, ſed in nonnullis ſpeciebus compreſſa, in omnibus tamen fungoſa.

Notandum etiam nos communem botanicorum ſententiam ſecutos nonnullas ſpecies juncis admiſcuiſſe, quæ ad hoc genus propriè non pertinent; ut, v. g. juncum acutum maritimum Cambro-Britannicum, gramen tormentoſum.

Juncus autem à jungendo dicitur, quòd cum flexilis ſit, res eo jungi poſſint.

Juncorum variæ ſunt ſpecies quas hic paucis deſcribemus.

Nomina. 1. Juncus Acutus capitulis Sorghi *C. B.* maritimus Capitulis Sorghi *Park.* pungens, ſeu juncus acutus Capitulis Sorghi *J. B.*

J. B. Denſè ſtipatos tollit culmos, ſeſquicubitales, craſſiuſculos, rigidos, corticè ſpiſſo, medullâ ſolidiusculâ, albâ, quos ſtatim à radice, craſſis fibris contextâ, involvunt foliaceæ vaginæ, rubentes, dodrantum circiter longæ, Comitantibus pinnatis Criſtis, Sparti Auſtriacei formâ, non autem colorem qui hic ruffus, æmulantibus, intra mucronem autem culmorum ſeminumque glomerata capitula (ſubrotunda, ſplendentia fuſca, Sorghi æmula, ſemen minutiſſimum, oblongum & ſubfuſcum continentia) quorum exortui ſubjectum eſt folium; indidem erumpens, exlatiore principio vaginam imitata, in acumen deſinens.

In Arenoſis cumulis ad Occidentale Cambriæ litus Merionethenſe copioſiſſime oritur. C. Bauhinus circa Thermas Aponianas frequens eſſe ait, ut & non longe Monſpelio ad pagum Peraule, imò in tota illa ora maritima paſſim provenit.

Nomina 2. Juncus acutus maritimus capitulis rotundis *C. B.* acutus maritimus alter *Park.*

C. B. hic multò procerior eſt (præcedente) inquit C. Bauhinus imò nobis obſervantibus nihilo procerior:) radice craſſâ, lignoſa & nodoſa, fibris capillata, ruffo cortice obducta. Calaminis ſive ſcirpis permultis, duos cubitos ſuperantibus, ad exortum ruffâ tunicâ opertis, fungoſa medulla farctis, in vertice mucrone pungente duplici, altero ſæpe unciis quatuor capitula ſuperante, altero breviore, deorſum reflexo: inter quos ſcapus diſſilit, pediculi prodeunt, foris-

floris leves ac teretes, intus veluti canaliculati: capitula parva, rotunda, aſpera, ſparganii forma ſuſtinentes: nonnunquam vero capitula plura, aſpera, conglobata ſine pediculo proxime caulem amplectuntur. Quibus mollis, nivea & tomentoſa inſtar barbulæ propendet.

In Sicilia, Italia & Gallia Narbonenſi ad maris litus valide frequens eſt. Nuper etiam in Anglia detexit in Comitatu Somerſeti *D. Stephens*.

Ex medulla & ellychinia & alia à circulatoribus fiunt unde columbas commentitias volitantes, atque aëre ſeſe librantes conflatas vidit Lobelius. Adv.

Nomina.3. Juncus acutus maritimus caule triangulo *C. B. Park. J. B.*

C. B. Radice eſt repente, fibroſa: à qua aliæ radiculæ prioribus exſiccatis naſcuntur: hinc culmi, quos ad radicem brevia folia cingunt, pedales, trianguli exurgunt, & in extremitatem pungentem deſinunt, & paulo intra faſtigium à latere floccus racemoſus rufeſcens, ex granulis tribus lateribus donatis conſtans, exit.

In maritimis propè Frontignanam & Peraule oritur, apud nos ad ripas Thameſis fluvii tam ſupra, quam infra Londinum, ut à fide dignis mihi relatum eſt: quamvis ipſe nec ibi, nec alibi eum hactenus viderim.

Nomina.4. Juncus acutus maritimus Anglicus.*Park.*

Eodem modo radicibus ſe propagat quo alii junci; ſunt autem ſcapi ſeu calami ſeſquicubitales aut altiores, teretes, læves obſcurius virides, duriores & ſolidiores multo quam junci lævis vulgaris, medullâ denſâ & ſolidâ farcti: alioqui magnitudine illis non multum cedunt; ad imum tribus quatuorvè thecis ſquamoſis, ex rubro nigricantibus cincti è ſcapo in ſinum excavato, & in duo cornua, altero admodum brevi, diducto, ſeſquipalmari aut dodrantali ab apice diſtantia, erumpit panicula ampla, in plures partiales panicula diviſa una præ aliis longo pediculo inſidente & ſupra reliquas eminente ac ſi ſeparata eſſet. Panicula in latitudinem minus diffuſa eſt quam junci lævis vulg. colore albi ſpadicei tantillo inter mixto, vaſculis triangularibus compoſita.

In maritimis paluſtribus copioſè oritur, ut, v. g. circa Camalodunum in Eſſexia & ad occidentale Cambriæ latus.

Nomina. 5. Juncus acutus *Ger.* acutus vulgaris *Park.* acutus paniculâ ſparſâ *C. B.* an juncus foliaceus *J. B.*

Radix prope terram ſuperficiem oblique incedit, fibris frequentibus fuſcis demiſſis firmiter depacta; plurimi inde conferti junci è capitulis ſeu gemmis craſſis & velut bulboſis ſquamis membraneis. Spadiceis ſplendentibus obvoluti exeunt. Hujusmodi membranoſi folliculi, ſpadiceo colore ſplendentes ac ſi politi eſſent, intimo reliquis multo longiore, imum juncum ad palmi & amplius longitudinem involvunt & obveſtiunt. Junci ſeſquicubitales ſunt & altiores, graciles & teretes, ſtriati, cortice craſſo, medullæ intus pauca, non tamen inanes, & radicibus omnes oriundi, nulli (quantum nos obſervare potuimus) ex aliorum ſinubus, ut ſcribit Dodonæus, eumque ſecuti alii plerique botanici. Forte alium & à noſtrate vulgari junco acuto ſeu duro diverſum deſcribit in acutos mucrones exeunt: intra quos ad dimidii plus, minus pedis diſtantiam erumpit panicula ſparſa, rufeſcens ſemen in vaſculis.

In paſcuis & ad vias publicas ſolo humidiore paſſim provenit, junci panicula arundinacea deſcriptio apud J. Bauhinum in multis ad juncum nobis deſcriptum accedit.

Nomina. 6. Juncus montanus paluſtris. An oxyſchænos ſive Juncus acutus Alpinus Cambrobritannicus *Park.*

Fibris majuſculis rubentibus radicatur. Folia numeroſa, non erecta, ſed plerumque ſupra terram expanſa ſtellæ in modum, brevia, dura, acuminata, non exactè rotunda ſed ſuperna parte canaliculata, undè rectius fortaſſe ad gramina quam ad juncos referendum eſt hoc genus, è medio foliorum exurgit caulis dodrantalis aut pedalis, firmus, medullâ farctus, uno tantum folio prope terram cinctus. Cætera nudus, junceam in ſummo paniculam geſtans, è pluribus particulis compoſitam, quæ ſingulæ è ſinu foliis quod in caule ad earum baſim conſiſtit emergunt, flos graminis hirſuti exilis, hexapetalos, cum totidem in medio ſtaminulis fimbriatis luteis. Succedunt capſulæ majuſculæ ſubrotundæ, ſemen continentes.

In montoſis paluſtribus ſolo ſpongioſo & putrido per totam Angliam copioſè naſcitur: ut loca indicare non ſit opus. Prope Londinum in ericeto Hampſtedienſi.

Figura & deſcriptio graminis juncei maritimi majoris apud Parkinſonum huic noſtro convenit.

Parkinſonus ſpeciem hujus minorem habet, quam vocat oxyſchænum ſive juncum Acutum minorem p. 1192.

Nomina. 7. Juncus aquaticus maximus *Ger.* lævis maximus *Park.* max. holoſchænos *J. B.* juncus maximus ſeu ſcirpus *C. B.*

C. B. Hic magnitudine & craſſitie reliquos ſuperat, & proceritate Thypæ æqualis eſt, ex radice craſſitudine fere cubitali, geniculata, hinc inde per terram repente, cortice atrorubente intecta, intus candida ſcirpi ſeu junci hominis altitudinem ſuperantes, minimi digiti craſſitie, virides (qui exſiccati albeſcunt) rotundi, enodes, medullâ candidâ, molli & fungoſâ farcti attolluntur, quorum cacuminibus ſcirpis reclufis petioli intus canaliculati, foris teretes extenduntur, qui ſummo apice floccos ſeu paniculas ruffas, inæquales, ſquamatim compactas metæ figurâ, infernè latiores, ſuperne acuminatiores ſuſtinent. Semen milii magnitudine, triangulum, altera parte compreſſum, altera dorſo elato ſuccedit.

Hic ob fungoſam & foraminulentam medullam leviſſimo vento facilè hinc indè, inſtar arundinis vulgaris agitatur in fluminibus, piſcinis & ſtagnis majoribus, aquas ſemper habentibus invenitur.

Uſus. Juncorum multiplex uſus eſt, ad tegetes, ſcabella pedum, ad cathedrarum ſedes, ſportas &c. inter Indos ad tapeta, ſtragula, pileos, &c.

Juncus ſeu ſcirpus medius *C. B. Park.* Sylvaticus Tabernamontani *J. B.*

A præcedente magnitudine potiſſimum differt, & in Sylvis ſed locis aquoſis provenit, unde Juncus Sylvaticus Tabernæmontano dicitur, pleniorem deſcriptionem videſis apud J. Bauhinum.

Nomina.8. Juncus lævis paniculâ ſparſâ noſtras. An Juncus panicula arundinacea *J. B.* jun. Lævis paniculâ ſparſâ major? *C. B. Park.*? juncus lævis *Ger.*

Ad bicubitalem aut majorem altitudinem aſſurgit, ſcapis teretibus, erectis, minimè nodoſis, culmo craſſioribus, viridibus, glabris, & nitentibus, medulla ſolidiore & denſiore, quàm in ſequenti ſpecie unde ad ellychnia aptiores ſunt, in mucrones acutos deſinentibus. Dodrantali cis apicem ſpatio erumpit panicula ſparſa & latè diffuſa, ſaltem in locis ubi humor abundat, alias enim paulo compactior eſt: in petiolis tenuibus vaſcula propendent, multo quam in ſequenti junco minora pallidiora, quamvis planta ipſa major ſit.

In aquis ipſis aut juxta aquas.

Hujus medullæ uſus eſt ad ellychnia, ex cortice texunt funes in agro Staffordienſi, vide D. Plot.

Nomina 9. Juncus lævis vulgaris panicula compactiore, an juncus lævis vulgaris Park. an junc. læv. glo-

glomerato flore ejuſdem. Juncus lævis panicula non ſparſa C. B.

Hic à præcedente differt caulibus ſtriatis, medulla rariore & ſpongioſiore. Unde ad ellychnia inutilis eſt : paniculâ compactiore & vaſculis ſeminalibus majoribus, ſuperius ſeu cacumini propius erumpentibus, tempore denique florendi maturiore.

In paſcuis & ſylvis locis humidioribus copioſe non raro oritur, cum ſuperior plerumque in aquis tantum aut juxta aquas : locis certè humidioribus quam hoc loco deſcriptus.

Junco Matthioli figura apud J. Bauhinum huic convenit non item deſcriptio.

Nomina. 10. Junci genus medullâ prorſus niveâ *Hiſt. Lugd. J. B.* juncus lævis alter *C. B.*

Parum differt à junco lævi vulgari panicula ſparſa; ut neſciam an planè diſtinctus ſit.

Nomina. 11. Juncus cacumine reflexo major *C. B. J. B. Park.*

C. B. Radice nititur capitata, & quâ parte alia aliis adhærent & incumbunt, leviter compreſſa, cortice nigro obducta, fibris plurimis deorſum & ad latera emiſſis, & in unum ceſpitem coacervatis : ſcirpis eſt ſeſquicubitalibus, ad exortum tunicâ atro rubente & ſplendente tectis, qui infra cacumen incurvatum, pedis fere ſpatio, ad latus ſcirpo fiſſo, plures pediculos emittit, qui foliacea, membranoſa & oblonga vaſcula, in quinque apices fiſſa ſuſtinent : quæ fructum anguloſum nigrum minuto ſemine, eoque flavo, refertum continent vel, ut Ruellius, melancranis ſeu attriceps dicitur : fructum ger t uvarum cohærentium modo, in quibus cuſpidatum ſemen clauditur. Aquei & ſubauſteri ſapor s.

Naſcitur in aquoſis & pinguibus locis, ſed pura & præterlabente aquâ fere madentibus.

Nomina. 12. Juncus acumine reflexo alter *C. B. J. B. Park.*

Caule eſt ſeſquicubitali, rotundo, lævi, aphillo: panicula umbellæ ſimilii, atro ſplendente, pediculo carente, filamentis cæruleis (ut in Aphillante cærulea) donata : quam caulis duarum triumve unciarum, acutus ſed mollis parùmque reflexus ſuperat.

In Provincia Galliæ provenit.

Nomina 13. Juncus trifidus *J. B.* acumine reflexo trifidus. *C. B. Park.*

J. B. ex radice nigra, geniculata & fibroſa, longiuſcula ſcirpi producuntur plures, dodrantales, valde tenues, quorum ſinguli per extrema in tres ſtylos palmares tenuiſſimos, acutos finduntur : interque hos ad exortum ſedentes paniculæ paucæ exiguæ, ex rufo fuſcæ.

In Monte Fracto Lucernatum, inque Pyrenæis & Montibus Moraviæ provenit.

Nomina 14. Juncellus omnium minimus, Chamæſchænos *Ad. Lob.* juncellus *Lobellii Park.* an juncus humilis *J. B*? an juncellus inutilis ſive chamæſchænos *C. B.*

Tranſverſam agit radicem, in ſuperficie terræ repentem, & qua obiter hinc fibræ albentes demittuntur, inde ſurriguntur junci crebri, qui paniculas producunt, tres uncias aut interdum palmum alti, enodes, unico vel altero ad baſim foliolo cincti, ſetæ equinæ craſſitudine aut etiam tenuiores, erumpentibus, propè apicem ad latus, ut in aliis juncis, paniculis brevibus compactis habitioribus (ut mihi videbatur) ſquamoſis abſque pediculis, plerumque duabus, interdum unica, rarius tribus, colore primum virentibus, tandem nigricantibus cinereo, Imi junci & tranſverſa radix ſpadiceæ ſunt.

In Arenoſis & glareoſis humidioribus oritur.

Nomina. 15. Juncus exiguus montanus, mucrone carens *C. B. Park. J. B.* an juncus Lychnanthemo tenuis. *Thalii*?

Radice eſt puſilla, nigra, capilacea : Cauliculo quatuor vel quinque unciarum, cujus ſummo capitulum parvum, ex fuſco purpuraſcens, quadrifidum, in exiguum, ridigiuſculum filamentum abiens inſidet : foliola ad cauliculi principium tria, juncea, unciam longa.

In Taurero Raſtadienſi Auſtriæ monte provenit.

Nomina. 16. Juncus lævis paniculâ glomerata nigricante *C. B.* Lithoſpermi ſemine *Hort. reg. Blæſ. & Pariſ. Botan. Monſp.*

Magn. Radicem habet ex multis fibris nigricantibus, in unum ceſpitem coacervatis, compoſitam, unde plurima folia palmaria, triangularia producuntur, inter quę plures oriuntur ſcirpi cubitales, quorum unuſquiſque capitulum ſpadiceum producit, ſcirpo adhærens, ex varijs folliculis compoſitum, in quibus ſemina alba, ſplendentia, lithoſpermi majoris ſeminibus minora continentur, folia & ſcirpi verſus radicem colorem habent atrorubentem.

Provenit apud nos locis paluſtribus, putrido & ſpongioſo ſolo ut v. g. Hinthoniæ & Teverſham mariſcis propè Cantabrigiam, reperitur etiam circa Monſpelium : unde à P. Magnol. pro nondum edito depingitur & deſcribitur.

Nomina. 17. Juncus parvus calamo ſupra paniculam compactam longius producto.

Semipedali altitudine aſſurgit, ſcirpo tenui, gracili, panicula compactâ, tertia circiter totius longitudinis parte, à ſummo ſcapi mucrone erumpente.

Tribus hiſce notis. 1. Parvitate ſua; 2. Paniculâ compactâ. 3. Scapo ſupra paniculam longiſſime producto, ab alijs juncis facile diſcernitur.

In Weſtmorlandia non procul ab oppido Amble-ſide dicto invenit *D. Newton.*

Nomina 18. Juncus capitulis equiſeti *C. B.* Aquaticus minor capitulis equiſeti *Ger. Park.* Capitulis longis, ſive Clavatus *I. B.*

C. B. Radice eſt geniculata, graminis aut arundinis modo ſerpente & innumeris fibris implexa : ſcirpis cubitalibus, aliquibus tamen ad radicem duarum & trium unciarum, ad exortum ſubrubro cortice tectis, tenui & fungoſâ medullâ planis, quorum verticibus capitula exigua, ruſeſcentia, aliquando rotunda, aliquando oblonga, aſparagorum equiſeti vel clavæ inſtar inſident : flores candicantes & villoſos, in latus exporrectos Maio & Junio Menſibus emittit. Septembri Menſe in hoc, quemadmodum in ſecali luxuriante grana, oblonga, nigricantia, dura intrinſecus alba vidimus.

Varietas obſervatur in ſtylis vel ſcirpis, alteri enim triplo latiores, alteri anguſtiores ſunt.

In Rivulis frequentiſſimus eſt : reperitur etiam in aquis ſtagnantibus.

Nomina. 19. Juncus capitulis equiſeti minor & fluitans *C. Bauhini I. B.* Iuncellus capitulis equiſeti fluitans *C. B. Park.*

C. B. Ex radiculis capillaceis juncus tenuiſſimus recurvus prodit qui in plures juncellos duarum triúve unciarum ſubdividitur, quorum aliqui erecti, aliqui reflexi capitulum minimum ſuſtinent, & juncellis ſingulis foliolum tenue, capillaceum adponitur.

In Angliæ aquoſis fluitat autore Gillenio.

Hanc ſpeciem nos nondum vidimus, ſed aliam à D. Rob. Plot. in hiſtoria naturali Oxonienſi titulo.

Nomina. 20. Juncelli omnium minimi capitulis equiſeti.

Qui è radicibus capillorum inſtar tenuibus exurgit ſetæ equinæ craſſitie, altitudine tres uncias non exce-

excedens, clavam in apice parvam aliorum hujus generis in modum ſuſtinens, notandum autem juncum hunc non ramoſum eſſe in modum præcedentis, ſed ſimplicibus ſcapis è radice exurgere. In paſcuis communis Binſeii humidis foſſis prope Iſidem fluvium. Hunc nobis communicavit amiciſſimus vir reique herbariæ peritiſſimus. D. Dodsvvorth.

Nomina. 21. Juncus alpinus cum cauda leporina *J. B.* Alpinus capitulo lanuginoſo ſive ſchænolaguros *C. B.* à capitulo haud multum leporum caudæ diſſimili. Gramen juncoides lanatum alterum Danicum *Park.*

J. B. Crebros ex parvis radicibus ſurrigit culmos, dodrantales, interdum cubitales, ſtriatos, foliis propter terram ſtipatos, quæ & ipſos culmos aliquouſque involvunt, alioqui juncea folia in ſtylum exeunt, acutum, pauloque ſupra radicem refulcentia ſæpe in fibras comoſas fatiſcunt. Cæterum ſinguli culmi in echinatam caudam, caneſcentibus, tomentoſis ſquamis compactilem faſtigiantur, mollitie holoſericum provocantem. Radicatur denique fibris aliquammultis fragilibus.

In paluſtribus putridis & cænoſis locis v. g. in Lincaſtria, in Salopia, &c. provenit inque Montibus ſolo ſpongioſo, aquæ bibulo & cænoſo.

Nomina. 22. Juncus parvus paluſtris cum parvis capitulis equiſeti. An juncus montanus parvus cum parvis capitulis luteis *J. B.*

Plurimis fibris craſſiuſculis ſubluteis, aliè in terram demiſſis, criſpis & velut undulatis radicatur, imam Juncorum partem ſquamæ crebræ pellucidæ, nigricantes obvolvunt ut in aliis fit. Styli palmares tenues, ſatis firmi & rigidi in ipſa ſummitate capitulum exiguum geſtant ex ſpadiceo nigricans, unde ſtamina ſeu filamenta numeroſa ſordide flavicantia exeunt. Folium in ſingulis caulibus unicum perbreve.

Maio Menſe floret.

Nomina. 23. Juncus Alpinus bombycinus *C. B.*

C. B. Ex radice aliorum juncorum ſimili folia juncea exurgunt inter quæ culmi plures tenuiſſimi, palmo minores, qui capitulum parvum lanugine alba ornatum ſuſtinent.

In Montibus Moraviæ: & in locis udis Vallis Grindevvald Bernatum creſcit.

Nomina 24. Juncus parvus paluſtris cum parvis capitulis equiſeti. Juncus parvus Montanus cum parvis capitulis luteis *J. B.*

Longiſſimis fibris juncus hic Montanus iiſque crebris demiſſis radicatur; ſtylos emittit palmares aut dodrantales, tenues, multis foliorum propter terram involucris obſitos. Qui cætera æquabiles enodeſque in ſummo faſtigio capitulum geſtant duplo triplóve brevius quàm juncus clavatus, inter ſquamas longiores emicantibus floſculis luteis.

Deſcriptio hæc & figura J. B. ſatis apte reſpondet junco à nobis ſæpius obſervato in pratis udis & locis paluſtribus circa Middleton in agro Warwicenſi, & alibi in Anglia, fibræ duntaxat radicum vetuſtiores non rectæ ſunt, ſed huc illuc reflexæ & veluti undulatæ, imam juncorum partem ſquamæ, crebræ, pellucidæ nigricantes obvolvunt. *Raius in Hiſt. Plant.*

Omne junci genus, in cujus 24. ſpeciebus hactenus ex Raio deſcribendis fuſiores forſan quàm par eſt fuimus, quamque requirat noſtra methodus, facultatis eſt adſtringentis, ac propterea ejus ſemen alvi fluxibus, imò in mulierum hæmorrhagiis exhibetur; imò ſomnum conciliare creditur.

JUNIPERUS.

Juniperus à junior & pario, quòd juniores & novellos fructus pariat antiquis matureſcentibus ut qui pariat uſque ad tertium annum arbori ſuo inhærente fructu *C. B.* Græcis Ἄρκευθος παρὰ τὸ τὴν ἀεϱὸν κάθειν quod ejus odorem omnia reptilia averſentur, vel διὰ τὸ ἔχειν τὰς ἀκάνθας κεκρυμμένας idem.

Oſtendit Anguillara juniperum Doſcoridis & noſtram unam eſſe ex cedris Theophraſti. Oxycedrus etiam ſeu cedrus Lycia nihil aliud eſt quam Juniperi ſpecies major. Lignum quoque cedrini nomine ex America allatum Juniperinum eſt.

Nomina. Juniperus vulgaris baccis parvis purpureis *J. B.* vulgaris *Park.* vulgaris fruticoſa *C. B.* item vulgaris arbor ejuſdem Juniperus *Ger.*

J. B. Plerumque denſo ramorum ſtipatu fruticat duntaxat juniperus aliquando in juſtæ magnitudinis arborem adoleſcit, ita ut in Hiſpania ſupra Segobium quâ Madritum itur, ex ea trabes & ædium contignationes ſibi incolæ fabricent; *Caudice* tamen non multum craſſo, cortice ſcabro & deciduo, rubente, materie firma, nonnihil etiam rubeſcente, maximè ſi ſiccata fuerit, odore reſinoſo, grato. Ramuli in ſurculos multos dividuntur, minacibus *foliis*, ſemper virentibus aculeatiſque armati, rigidis, ſupernè glabris, infernè virentibus, ſplendidis, raro unciâ longioribus, ſæpè brevioribus, valdè anguſtis, ternis plerunque ſimul per intervalla *Bacca* per ramos ſparſæ, numeroſæ, rotundæ, umbilico in tres radios, totidem ſeminum loculos oſtendentes diſtincto, donatæ, duplo majores granis piperis, primùm vireſcentes, per maturitatem cæruleæ, aut nigræ, in quarum ſingulis grana tria oblonga, triangula, (nonnunquam quatuor Cæſalp.) pulpa nonnihil ruſtà involuta, ſapore acri, reſinoſo cum quâdam dulcedine, tactû quoque ubi inveterurint oleoſo & glutinoſo; prò *flore* tribus foliolis minutiſſimis obſeptum inſidet futuræ baccæ rudimentum, tam exiguum, ut nonniſi à diligenter inſpicienti animadvertatur.

Nos pro fructus calyce hæc foliola habemus; non autem pro flore; pro flore enim non agnoſcimus quod ſtaminibus & apicibus caret, quæ floris præcipua pars ſunt. Unde & multi flores petalis ſeu foliolis coloratis fugacibus carent, nulli autem apicibus. Apices enim noſtrâ ſententiâ, ſunt vaſcula ſeu conceptacula ſeminis maſculi in plantis. Atque idcirco Cæſalpinus rectè ſcripſit, Juniperum quæ fructum fert, non florere. Quod & veteribus obſervatum, nam referente Theophraſto & ex eo Plinio. Quidam Juniperorum duo genera tradunt: Alterum florere nec fructum ferre: quæ vero non florent ferre protinus, baccis ſubnaſcentibus, quæ biennio hærent.

Per reliqua ſimilis eſt huic Junipero quæ fœmina (rectiùs mas) dici poteſt, flores producens plurimos, aliàs quà fors tulit, ſparſos per ramulos, aliàs confertos conorum exiguorum inſtar habentes, purpurâ cum croceo mixtu pictos, ex plurimis corpuſculis rotundis, papaveris ſemine minoribus, pulviſculo farinaceo farctis compactiles, intercedentibus raris quibuſdam viridantibus acuminatis foliolis, ſquamatim corpuſcula dicta obtegentibus. Videas autem cùm dehiſcunt effigiem capituli Equiſeti florentis, Uniquique ſquamulæ adnatis apicibus ruffis. Cæſalpinus vocat floſculos amentaceos exiles. Cæterum tantum florum apparatum, quaſi ad oſtentationem comparatum, nullus fructus ſequitur, ſed in auras abiens pulviſculus vanam baccarum ſpem eludit.

Noſtrâ ſententiâ, (ut modò dictum) floſculi hi non ad oſtentationem tantum, ſed ad uſum comparati: ſiquidem pulviſculus eorum apicibus incluſus fœminarum baccis aſperſus ſpermatis maſculini modo in fœcundandis inſervit. Conſentit Tragus inquiens. Maio menſe tenuiſſimus ac luteus pulvis è Juniperis in auras evolare conſpicitur, quod ſemen illius eſſe animadverti (Joh. Bauh. perperam pro ſemine florem ſcribit) Poſt hunc quem diximus pulverem baccæ prorumpunt exiguæ, virides,

virides, quæ altero demum anno, Autumno appetente, quod illis tempus maturitatis eſt, cæruleo tinguntur colore.

Juniperus in ericetis agri Cantiani, Eſſexienſis & alibi in Anglia copioſè provenit, ſed plerumque humilis & fruticoſa; quoniam jumenta eam aſſiduè carpunt & coërcent & in arborem adoleſcere non permittunt: in hortis cultu arboris modicæ magnitudinem & ſtaturam aſſequitur & invenitur etiam non minùs frequens in Belgio, Germania, Gallia &c.

De tempore florendi jam diximus. Fructus, notante Cæſalpino, matureſcit anno ſecundo, ut aliquandò fructus trium annorum contineantur. Cùm is qui maturus eſt ſervetur ad tertij anni fructum naſcentem.

Quæcunque in junipero cernuntur (inquit Tragus) odorata ſunt. 1. Humor, qui ex ea, ſi lædatur cum in ſucco ſuo fuerit, effluit. 2. Radices & caudices aridi. 3. Baccæ recentes & maturæ. 4. Folia acuminata.

Uſus & Vires. Lignum præcipue ob ſuaveolentiam commendatur (præſertim ſi maio menſe cædatur) unde incenſum ad aërem emendandum, & odores noxios aut contagioſos arcendos ſuffumigatur.

Juniperi arbor maio menſe cum pluvioſa fuerit tempeſtas luteam à cortice ſudat lachrymam; quæ magna copia tanquam fungi exigui arbori adhæret; nec magnopere odorata eſt.

Lignum vix ſentit vetuſtatem, & carbones dat tantum non æternum viventes, Chymiſtæ, tradente Matthiolo, aſſeverant carbonem juniperinum accenſum ac ſuo cinere obrutum ignem integro anno fovere. Trabes juniperinæ fuerunt in Templo Dianæ Sagunti cui religione inductus Annibal pepercit, ut eſt apud Plinium.

Raſura ligni non ſine cauſa in cucuphis adhibetur, quippe cephalicum eſt, nervoſumque genus inſigniter laborat Schrod. fit etiam cinis ex ligno. Per quem cinerem colatum, vinum tam potens eſt ſudorificum, ut quibuſdam exhauſerit aquas, vel pituitam ex toto habitu. Ex arido ligno deſtillatur & oleum per deſcenſum vel retortam; melius tamen elicitur per veſicam: extrinſecus ejus uſus eſt in morbis nervinis, in tibiarum ſerpigine & cancro, vulneribus & ulceribus malis.

Baccæ in cibo eſitatæ ſtomacho frigido utiles ſunt, pituitamque quæ in illo coit digerunt, contra inflationes & tormina faciunt, vitia pectoris purgant, tuſſique medentur, urinam efficaciter ducunt venenumq; à corde repellunt, eædem menſes & coxendicū vitioſos humores ducunt; ſuntque Tragi Judicio ad cibos condiendos pipere ſalubriores. Utiles etiam ſunt in affectibus capitis & nervorum, differunt autem baccæ aliæ enim dulces ſunt & edules, aliæ acres & aromaticæ.

Lapponij baccarum juniperi decoctiones bibunt, quemadmodum nos Caovæ & Theæ, ſuntque præcipua apud illos medicinæ pars. Schefferus hiſt. Laplandiæ: earum vires fuſe traduntur à Scharfio de Junipero, & Joan. Michaele de eadem.

Succus extractus è baccis juniperi ad prædicta omnia utilis eſt & alia multa, ſi credere fas ſit, quæ vide apud I. B. Theriacam Germanorum nonnulli dixerunt, tum quod ſit efficax contra venena, tum quod Germanorum corporibus amiciſſima & maxime ſalutaris.

Oleum fit vel per deſtillationem è baccis contuſis cum aqua mixtis, oleum enim cum aqua aſcendit, vel per expreſſionem è baccis contuſis cum oleo olivarum mixtis. Valet ad tormina aliaque multa. Guttulæ duæ vel tres puerulis verminantibus exhibitæ Lumbricos quibus vexentur, enecant & expellunt.

Vim diureticam in juniperi baccis, earumque oleo (inquit Cargillus) in me expertus ſum ſæpius manifeſtam, & tum ex illis paucas devoratas, tum panem hujus guttula tinctum evidenter violarum odore urinas imbuere, non ſecus ac terebinthinam vulgarem ejuſque oleum ſtillatitium. Cum generoſo vino albo decoquenda, & decoctum ſingulo mane ſaccharo edulcoratum calculoſis propinandum.

Ego fretus hac obſervatione complurimis commendavi baccarum juniperi blande contuſ. hiſcente ſolum exteriore cortice infuſum in vino, qui perbelle ab illius uſu valuerunt, & à jugi nephretico dolore vindicati ſunt: exemplo ſit Laurentius Roſtochienſis Profeſſor: is enim quotidie circiter i. pugillum groſſe contuſarum aut dētibus comminutarum bacc. junip. deglutiebat, quo ſimpl. medicamento obtinuit, ut non ſolum arenulas, ſed calculos minutulos, imo etiam lentis magnitudine ſi non ſine omni moleſtia, attamen dolore excrevit, cum ante uſum harum baccarum ſæpe oppido male habuit. Sim. Paulus ſpiritus & oleum non modo contra calculum ſed etiam pectoris vitia valde proſunt.

Elixir juniperinum admirandarum virium in Calculo: quod inſuper ſtomachicum inſigne eſt &c.

℞. baccar. juniper. maturar. & electar. q. v. Contundantur craſſe digeranturque affuſa aliqua aqua diuretica. Hinc exprime abſtrahendoque inſpiſſa ad conſiſtentiam mellis, hujus mellis juniperi cochl. 10. 11. 12. &c. miſce optime cum aqua vitæ juniperina, digereque aliquandiu leniſſimo calore (ſolis aut ſim.) Schrod.

Baccæ apud Germanos ſingulari remedio ad graſſantia peſtilentiæ contagia depellenda uſurpantur; Trag. à noſtris fiunt & aliæ antidoti ex his baccis contra febres peſtilentiales, quas laudo vel ideo quia medicamentum eſt domeſticum D. Bovvle, baccas in aceto maceratas; exſiccatas deinde & in pulverem redactas in peſte utiliſſimas eſſe ſcribit. In obſervationibus ad nos tranſmiſſis.

Aſſerit Cluſius Narbonenſes Gallos è juniperi baccis oleum exprimere, quod ipſi de Cade vocant, capitis ſcabiei, ut pecorum etiam ſcabiei, & ulceribus, quibus à Tonſione infeſtantur, adprimè utile.

Gummi juniperinum ſeu vernix ſicca, (Arabibus ſandaracha ſeu ſandarax, à Græcorum ſandaracha, quæ auripigmentum eſt longe diverſa) recens, pallida & pellucida probatur: Cùm inveteravit fit flava & friabilis, maſticis modo, quam mentitur in multis: Sanguinem undequaque fluentem ſiſtit, ulcera putria curat, cruditates ventriculi emendat, diarrhœas antiquas ſiſtit, lumbricos necat; Schrodero uſus præcipuus eſt in nervorum affectibus, reſolutione, frigiditate, contractione, &c. & in capitis affectibus reliquis à frigiditate ſubortis.

Quod vernix liquida ſeu vernigo ſit lachryma ſeu gummi juniperi, falſo à Matthiolo, Lacuna, Cæſalpino, & alijs aſſeritur, inquit Cornarius. Nam factitia res eſt vernix: non tamen à lachryma juniperi in oleo lini ſoluto (ut multi volunt) ſed ex ſcobe ſuccini in oleo dicto decocta, ut poſt Cornarium affirmat etiam Capſ. Hofmannus. Uſus ejus eſt ad illuſtrandas picturas, ad nitorem ferro conciliandum, ad tectoria oblinenda, fabris & pictoribus.

De uſu ligni juniperini in Lue Venerea ad modum guajaci, & pro eo ſubſtituto, cum dubium ſit, an proſit necne, nihil dicam Vid. Si placet hiſt. Ebrodun. lib. 9. cap. 13.

Umbram juniperi noxiam eſſe verſus ille Virgilij multis perſuaſit, Juniperi gravis umbra, &c. nonnulli etiam rationem ejus reddere conantur, quia ſcil. ob denſitatem foliorum vapores è terra noxios exhalantes repercutit & difflari non ſinit, unde ibidem ſtagnan-

ſtagnantes aërem prava qualitate inficiunt; ego potius juniperi umbram ſalutarem eſſe crediderim ob ſuavem quem arbor expirat odorem. *Raius in Hiſtor. Plant.*

JUNIPERUS ARBOREA.

Nomina. Juniperus major bacca rufeſcente *C. B.* Oxycedrus. Quibuſdam Juniperus major baccâ rubrâ. *J. B.*

Folia quàm Juniperi vulgaris duplo ſunt longiora, latioraque, rigida, infeſto mucrone pungentia: Baccæ duplo aut triplo Juniperinis majores, coloris non ut illæ cærulei, ſed ruffi, ſapore tamen & odore ſimili. Cluſius ſic deſcribit. Junipero ferè ſimilis eſt Oxycedrus, magna ex parte contorto ut illa caudice, interdum etiam in arbuſculam excreſcens, tenui & ruſeſcente cortice. Folia habet Juniperi vulgaris modo pungentia, aliquantulum tamen longiora & rariora, terna ſemper circa ramulos ſimul naſcentia, ut in Junipero min. Fructum initio viridem, deinde flaveſcentem, poſtremò cùm maturuit punicei coloris, Juniperi fructu multò majorem ut interdum Avellanam magnitudine æquet, & tuberculis quibuſdam, veluti ſquamarum rudimentis obſitum, nucleos tres aut quatuor inæquales continentem, majores quàm in ſuperiore, medullâ intus albâ.

Floret Juniperi minoris modo, & eodem tempore utriuſque fructus maturitatem adipiſcitur. In collibus circa Monſpelium frequentem obſervavimus.

Provenit (inquit Cluſius) pleriſque Hiſpaniæ & Narbonenſis Galliæ aſperis locis: nuſquam tamen majorem videre memini quàm ſupra Segobiam & Evandrianam, itinere Madritiano, ubi arborum magnitudinem & altitudinem interdum æquat, trunco humani corporis craſſitudinem Cæſalpino. E fructibus Juniperi majoris cùm maturi ſunt vino remollitis exprimitur liquor, qui Saccharo exceptus utiliſſimus: utpote qui ex pulmone & pectore educit purulenta; ac tempore peſtis præſervativæ loco eſſe poteſt. Obſervavit D. Tancredus Robinſon in Gallia Narbonenſi itinerans incolas ex Oxycedro elicere oleoſam ſeu reſinoſam ſubſtantiam, eodem modo ut è Pinu, & Abiete, in tædam converſo, deſtillatione rudi facta per deſcenſum, qua utuntur in ſcabie, & ulceribus pecorum. *Raius.*

JUPITER, vid. *Stannum.*

JUSCULUM.

Cogimur ad uſum juſculorum alterantium cùm decocta faſtidiunt ægrotantes, aut venticulus ea, propter debilitatem pati non poteſt; vel etiam ut in morbis longis mutetur forma remedii, ne uni familiariter aſſueſcens natura vim illius tandem eludat.

Juſcula vel ſunt alterantia, vel reſtaurantia, vel purgantia.

Alterantia fiunt ex radicibus & herbis convenientibus cum pullo gallinaceo, vel fruſtulo colli carnis vervecinæ, vitulinæ aut caprillæ.

Ad multos uſus præſcribuntur.

Primò, ad refrigerandum in calore & ſiccitate attemperandis, ut in febribus bilioſis, calidâ hepatis intemperie, conſt tutione corporis gracili.

♃. Radic. cichor. bugloſ. an. ℥j folior. cichor. bugloſſi utriuſque, lactu æ, agrim. an. mß. hord. integri p. j. Fiat decoct. cum pullo gallinaceo, aut fruſtulo colli carnis caprillæ, vel vitulinæ, fiat juſculum pro una doſi, capiat manè continuet per 12. *aut* 15. *dies.*

Secundò, ad viſcerum obſtructiones reſerandas & intemperiem calidam corrigendum, ut in febribus lentis, intermittentibus longis, obſtructionibus viſcerum & meſenterij, chloroſi, ſuppreſſis menſtruis, & ſimilibus.

♃. Radic. aſparagi, graminis, bruſci an. ℥ß. fol. cichor. cum toto, agrim. pimpin. ceterach, polytrichi, ana mß. Coquantur cum pullo gallinaceo, aut fruſtulo carnis colli vervecini, fiat juſculum, quod capiat manè per 10. *aut* 15. *dies.*

Addi debet id quolibet juſculo aliquod ex ſubſcriptis aperientibus chymicis, ut

Tartarum vitriolatum ad ℈j. tartarum chalybeatum ad ʒß. cryſtall. tartari ad ʒß. ſpiritus tartari ad ℈ß. ſpiritus volatilis ſalis armoniaci à ℈ß. ad ℈j. ſpiritus vitrioli martis à ℈ß. ad ℈j. crocus martis aperiens ad ʒß. tinctura martis ad ʒj. tinctura tartari à gutt. iv. ad gutt. vi j. magiſterium tartari Schroderi ad ℈ß.

Liquor tartari ſpleniticus ad cochlear *ß.*

Spiritus gummi ammoniac. ad ℈ß. in contumaci, craſſa, viſcoſa mucilagine pulmonum, meſenterii reſolvendâ, tùm & in obſtructionibus diuturnis lienis, hepatis, uteri, mira præſtat.

Quorum omnium compoſitio traditur à pleriſque Chymicis, & præcipuè à clariſſimis viris Schrodero, Vulfer, Sennerto, Glazero & alijs.

In pallidis virginum coloribus, cachexia, ictero, & ſimilibus.

♃. Radic. bruſci, apij, rubiæ tinctorum ana ℥ß. fol. chicor. totius, capillarium omnium, ana mß. flor. calendulæ p. j. Fiat decoctio cum fruſtulo colli carnis vervecinæ, aut vitulinæ pro juſculo, in quo diſſolve aliquod ex prædictis aperientibus, inter quæ, ſequentia ſunt magis appropriata.

Tartarum chalybeatum, tinctura martis.

Spiritus volatilis ſalis armoniaci ad prædictam doſim.

Liquor tartari ſpleniticus, tartarus nitratus ad ℈ crocus martis cachecticus Vulfer. ad ʒß. diaphoreticum antimonij Schroderi à ℈ß. ad ℈j.

Aliquandò etiam cùm obſtructiones ſunt contumaces, nec reluctatur ventriculus, in decocto præſcribitur poſt radices, chalybis præparati in nodulo incluſi ʒj. vel ſi ad ℥ß. pro 4. aut 5. vicibus inſervit.

Perſeverandum eſt in uſu iſtorum juſculorum ad minus per decem aut quindecim dies, & in quarto vel quinto quoque juſculo incoqui debet ſenna ad ʒij. aut ʒiij. cum aniſo, & ſale tartari ad ʒß. imò & vicibus alternis etiam diſſolvi debet manna ad ℥j. aut ℥iß. vel in iis qui infarctus majores patiuntur ab humoribus craſſis, etiam diacarthamum ad ʒiij. vel aliquod ex panchymagogis infrà dicendis.

Tertiò, Sumitur juſculum ad fluxionis tenuis in pectus fluentis acrimoniam demulcendam, in affectibus catarrhoſis pectoris, tuſſi diuturna, &c.

♃. Radic. bugl. fragariæ an. ℥ß. radic. ſchinæ minuti ſecta ʒiß. folior. cichor. borrag. agrim. capill. veneris pimpin. an. mß. hordei integri & flor. roſar. rubr. an. p. i. Fiat decoctio cum fruſtulo colli carnis vitulinæ pro juſculo, quo utatur per 10. *aut* 12. *dies. addi poteſt in quolibet, ſaccharum roſat ad ʒj. lactis ſeu butyri, aut magiſterij ſulphur. cochl. ß. rotularum pectoral. Vulfer. ʒi.*

Antimonium diaphoreticum ad ℈j. recenter parari debet, nam diutiùs ſervatum malignam ſuam qualitatem recuperat, nempè quia ſuum ſulphur ob detonationem cum nitro ex parte fixum redditur, dum ex alia parte evaporat: fixum autem quod ſupereſt redditur volatile, aut temporis diuturnitate, aut quia aëri exponitur; & ſic ex diaphoretico fit emeticum & cordi infenſum.

Vide, num cum fluxione humoris tenuis & acris circa pectus deerrantis, & tuſſim excitantis, ſocientur

tur partium inferiorum intemperies, obſtructio, & infarctus: in quo caſu non eſt ſimpliciter refrigerantibus, incraſſantibus & detergentibus utendum, ſed etiam leviter aperientibus, & per vices purgantibus, indicatione ſumptâ à cauſa producente vitioſos humores, qui fluxionem conſervant, dum propter obſtructiones viarum, nec ſegregantur, nec per deſtinata loca expurgantur, ſed cum ſanguine confuſi, in pectus, aliaſve partes dilabuntur.

Quartò, ad tenuem ſanguinem incraſſandum in hæmoptyſi, & ad conſtringenda vaſa, tum quoque ad intemperiem calidam pulmonum corrigendam, ut & in menſtruorum & hæmorrhoidum fluxu, &c.

℞. Radic. bugl. ſymphyti maj. an. ℥ß fol. lact. portul. plant. pulmon. & millef. an. mß. roſar. rubr. p. j. Fiat decoctio cum fruſtulo carnis vitulinæ pro juſculo per 12. dies ſumendo. Diſſolvi poteſt unum ex his. Saccharum roſatum tabulatum ad ℥ ij. magiſterium boli armeni. terræ ſigillatæ, perlarum præparat. corallorum rubror. oculorum cancri, cornu cervi ad ʒß. crocus martis adſtringens à gr. x. ad gr. xv. tunc præſertim ex uſu cùm obſtructiones viſcerum dictis affectibus præſunt.

Cavendum eſt, ne dum ſanguinem incraſſare volumus, viſcerum obſtructiones (ſi quæ ſint) augeamus. Tunc enim, ut dictum eſt, miſcenda ſunt remedia quæ leviter aperiunt & detergunt cum his quæ vaſa conſtringunt, & ſanguinis acrimoniam temperant, ut alterantibus & per vices purgantibus admixtis, cauſa acrimoniæ & tenuitatis, ſanguinis, in partibus & humoribus, conſtituta auferatur.

Quintò, In lepra, ſcorbuto, melancholia, affectione hypochondriaca, quartanis longis, febribus lentis, prurigine, ſcabie inveterata, Rheumatiſmi, & ſyphilidis reliquiis, cæteriſque caſibus in quibus craſſus, piger, impurus, & nimium coagulatus ſanguis volatilior reddendus, ſequens juſculum viperinum acidorum illuviem conterit, per diaphoreſim exturbat, depurat ſanguinem, coctionem & fermentationem naturalem juvat, reſtituit, præmiſſis univerſalibus.

℞. Rad. cichor. bruſc. bugloſ. an. ℥ß. fol. cichor. agrim. cerefol. pimpinell. ceterac, bugloſſ. an. m. ß. Fiat decoct. cum carnis vitulin. & viperin. fruſtulo pro juſcul. ſumendo per xv. dies & poſt intervallum octo dierum renovando, interſumptâ ptiſanâ purgante poſt ſeptimum & ultimum juſculum.

Vices viperæ ſupplet ſerpens, loco ſicco, prope montes, non paludoſo degens. Abſcinde caput & caudam, exentera, ſemotiſque hepate & corde ritè aquâ tepidâ lava & utere.

Sextò, Reſtaurantia juſcula præſcribuntur ad vires reparandas, aut conſervandas; quorum formula peculiaris non præſcribitur, quia parari ſolet ab ægro miniſtrantibus. Docere debet ſolùm Medicus hujuſmodi juſculum confici ex pingui capone exenterato & in fruſta conciſo, detractâ pelle & pinguedine, quod deinde ponendum in olla vitreata ritè clauſa & lutata ſine ullo liquore, niſi parum aquæ roſar. & florum arantiorum addere volueris; deinde coquitur in B. M. ad putrilaginem, ceu ferè ad ſiccitatem. Exprimitur ſuccus, à quo pinguedo ſeparari debet, & ſervari in vaſe argenteo, aut vitreo in loco frigido. Ex hoc ſucco duæ aut tres unciæ pro ſingulis juſculi libris adduntur, aut in alternis juſculis refrigerantibus duo cochlearia miſcenda ſunt.

Septimò, Purgantia juſcula, de quibus in purgantibus. *Tencke.*

LIBER X.

Continens ea quæ incipiunt à Literâ

K

KALI.

KAli nomen Arabicum pluribus & quidem genere diverſis plantis ſignificandis imponitur, ſiquidem *Kali geniculatum* à *Kali ſemine cochleato* genere differt. Kali minus album, de quo inter bliti Sylveſtris ſpecies, ab utroque.

Kali geniculatum, foliorum carentia & ſurculis viridibus ſucculentis è quibuſdam velut ſquamis pyxidatim geniculatis compoſitis, ab alijs omnibus plantis primo ſtatim aſpectu diſcernitur.

Inter varias autem plantæ *Kali* dictæ ſpecies eſt *Kali geniculatum majus*, ſive *Galicornia*, item *Kali geniculatum alterum*, vel minus, quod aceto & ſale conditum aſſervatur: Sed præcipuè *Kali* illud *majus ſemine cochleato*, quod ad Mare Mediterraneum ſpontè oritur pluribus in locis, & ſeritur Monſpelij in lacubus ſalſis ad ſal alkali conficiendum; cujus modum Joh. Bauh. referebant conflatores ipſi.

Scrobiculo effoſſo propè marè tranſverſim aſſulas ligneas imponunt, quibus ſuperaggerunt cumulatim herbam prædictam, ex qua accenſo igne ſtillat in ſubjectam ſcrobem liquor, qui tandem concreſcens fit ſal alkali, coloris partim nigri, partim cinericei, valde acre & cathæreticum, ſalſum. Et Saxum hoc, Kali vocatum vel ſode ad vitrum conflandum aptum in Italiam inque Septentrionem ex Gallia Narbonenſi & Aquitania defferunt.

Galli in tractu Montiſpeſſulano cum ſale Kali & oleo nativo gabiano in fonte adversùs Beziers ſaponem parant, quem arte colorare pro libitu norunt. Ex epiſtol. med. Th. Bartholini. Habui à D. Tancr. Robinſon. *Raius in Hiſtor. Plant.*

KARABE, vid. *Succinum.*

KEIRI, vid. *Leucoium.*

KERMES, *Ilex Baccifera*, ſub titulo *Ilex.*

KERMIA.

Kermia, aliàs *Alcea veſicaria* ac *ſoliſequa*, item *Malva horaria* &c. planta eſt regionum calidarum ut Italiæ & aliarum indigenna, quæque etiam in hortis colitur. Succo imprægnatur viſcoſô, ac multum olei & phlegmatis cum paucô ſale continet: eaque propter facultatis eſt emollitivæ ad inſtar malvæ. Verùm in uſus venit Medicos.

KIN-KINA, ſive *Quina Quina*, vid. *Quina Quina.*

KOLLA, vid. *Gluten.*

KOMAROS, vid. *Arbutus.*

LIBER XI.

LIBER XI.

Continens ea quæ incipiunt à Literâ

L

Labdanum, vid. *Ladanum.*

Labrum Veneris, vid. *Virga Paſtoris.*

LABRUSCA.

Labruſca, aliàs *Vitis, ſylveſtris*, Gallicè *Lambrus, ou vigne ſauvage*, nihil habet ſingulare quod ſeorſim à vitis vulgaris deſcriptione adferatur.

LAC & ejus SERUM.

Lac eſt liquor albus ex chylo in mammarum glandulis productus. De quo nota differentias, partes, uſum, modum præſcribendi, & cautiones.

Differentiæ lactis multæ ſunt, aliud enim humanum cæteris temperatius, ideò naturæ humanæ magis analogum.

Caprillum aliud mediocris conſiſtentiæ, ſed ſiccioris, ceu minùs humidum quàm humanum.

Ovillum craſſius, & minùs ſeroſum.

Vaccinum craſſum & pingue.

Aſininum tenue & ſeroſum.

Vaccinum plus cæteris butyro abundat, ovillum caſeo, aſininum ſero.

Ex cæteris animantium ſpeciebus, vix aliud in uſu eſt; ut enim probatur quod ab animali habetur ſimiles humanæ carnes habente, ſic longiùs diſtans (quod odor carnium injucundus & faſtidioſus oſtendit) reprobum eſt.

Partes lactis ſunt tres, prima ſeroſa, quæ refrigerat, tergit, alvum ſolvit. Secunda butyroſa, quæ laxat, emollit, nutrit. Tertia caſeoſa, quæ ſiſtit, obſtruit, nutrit.

Uſus plurimi ſunt, tum in ſanis, tum in ægris.

Primò, Ad nutriendum, pro quo hic ordo bonitatis inter lactis genera conſtituitur, ut primas teneat humanum, deinde vaccinum, poſteà ovillum, mox caprillum, ultimò aſininum. Humanum optimè & omni alio meliùs nutrit, vaccinum quia pinguius plus humano, cætera minùs, quò ſero magis, minùs butyro conſtant, caprillum ovillo, caprillo aſininum frigidius.

Secundò, Ad alterandum, refrigerandum, humectandum, incraſſandum, acredinem demulcendam, juxta quos & alios ſcopos aliud alteri præfertur.

In dyſenteria, diarrhœa, menſium, & hæmorrhoidum fluxu, hæmoptyſi, & in quocunque caſu adeſt ſanguinis tenuitas, acredo, corporis gracilitas, vaccinum eligitur: quòd ſi ferre non poſſit debilis ventriculus, ovillo, hujus defectu, caprillo, vel etiam nondum exactè purgato corpore ubi refrigerare, detergere, mitigare, & aliquatenus expurgare intentio eſt, atque etiam dum timemus ab obſtructionibus viſcerum & debilitate ventriculi, aſinino utendum.

Gal. 3. *de facult. alim. c.* 15. *Si lactis*, inquit, *injectis lapillis, vel orbiculis ferreis ignitis ſerum conſumatur, non laxat, ſed adſtringit: facile tamen cogitur in caſeum, ob id aquam quidam affundunt, ſicque ſeri acrimonia temperatur.*

Tertiò, Ad alterandum & nutriendum, ut in tabeſcentibus ab ulceribus internis pulmonis, gulæ, ventriculi, renum, &c. febre hectica, cæteriſque caſibus, qui refrigerante, detergente, & reficiente remedio indigent, aſininum cæteris tutius eſt; accedit humanum; ſi vires ſint validæ vaccinum. Sed ſi præſens ſit febris putrida, vel ipſius periculum, & in omni caſu cum timor eſt ab obſtructionibus viſcerum, debilitate ventriculi, coagulatione & corruptela, aſininum cæteris præſtat: licèt enim modicè corrumpatur, utilitate tamen ex ſero refrigerante, & aliquali nutrimento ſuperante, alteri prævalet, ut & vaccinum in phthiſicis, quibus putridum ineſt ulcus, quia ob pinguedinis copiam ſanioſa & purulenta faciliùs & cum adjumento cedunt excutienti pulmoni: idem quoque tuſſiculoſis & gracilibus, carnoſis verò & craſſo habitu præditis aſininum magis opitulatur.

In hectica & phthoë ſi febris ſit inſignis quæ ſemper ſequax eſt putredinis vaſorum, abſtinendum omni lacte, donec alterantibus & evacuantibus alvus & ſanguis purior ſit, & febris remiſſior. Tunc verò aſininum ex uſu eſt, quia ut magis ſeroſum plus refrigerat, ut minùs pingue non accenditur, ut tenuius facilè tranſit, nec obſtruit: ad quos fines ſuperbibenda traditur aqua hordei, & graminis ad uncias tres aut quatuor.

Malignis affectibus ſine febre, lepræ, cancroſis ulceribus, lui venereæ poſt hydrargyroſim, podagræ, rheumatiſmo convenit aſininum. Venenis omnibus acribus, calidis, frigidiſque, quod magis præſto eſt: ſi datur electio, vaccinum præſtat, quia butyro adhæret & hebetat venenum, ſerô deterget, penetrat, & ſimul nutrit, magnâ copiâ ſumptum ab initio vomitum excitat, qui ſi tardior ſit, hydræleo tepenti provocandus, & ſomnus prohibendus.

In renum debilitate, mictu ſanguinis, diabete, ovillum præhabetur, cui in confortando renes, ut loquitur Avic. non eſt medicina compar. ſubdit Cardanus, quia magis caſeoſum, caſeus autem nutrit renes, & ob id roborat.

Modus utendi varius eſt pro diverſa lactis natura. Humanum ab ubere ſugitur, quodvis ex cæteris recens mulctum & tepidum ſumi debet jejuno ventriculo & optimè ab excrementis repurgato, nam ob partium tenuitatem facilè corrumpitur; quieſcendum ab eo ſumpto, non dormiendum capitis doloribus tentatis, & viſceribus æſtuantibus affectis; Nec comedendum niſi è ventriculo exciderit. Saccharum roſatum aut mel additur, ne corrumpatur & aceſcat: nonnullis cum Gal. placet ut loco ſacchari ſalis modicum addatur.

Aliquando præſcribitur lac humanum, aut vaccinum pro omni alimento maximè in phthiſicis, podagrâ, cæteriſque affectibus in quibus vel timemus ne lac cum alimentis corrumpatur, vel in quibus debilis eſt vis coctrix ad ſolidiora alimenta digerenda: aut in quibus non ſufficit ut unâ vice in die lac exhibeatur. Tunc verò quarta quaque horâ in ea doſi, quam ſine faſtidio ferre poteſt, ventriculus, propinatur. Tempore prandii & cænæ exhibetur panatella vel lac leviter coctum cum panis talleolis. Senſim lacti aſſueſcendum, in principio manè horâ ſolitâ, & veſperè

circa

circa horam quartam, doſis lactis eſt offerenda; quo tempore detrahendum eſt aliquid prandio & cœnæ, idque per ſex vel octo dies; & tunc purgato corpore lac ſit pro omni alimento.

Modus præſcribendi hic eſt.

Utatur lacte v. g. aſinino ſtatim ab ubere extracto, per menſem integrum, (plus minùs prout morbus exiget & tempeſtas permittet) ſumendo primâ die lactis ℥. viij. ſacchari roſar. ℥. j. augendo ſingulis diebus lactis doſim, donec pervenerit ad ℔. j & ſacchari ℥. j. ß. plus minus pro ætate & ventriculi tolerantiâ.

Cavendum à nimia copia; ſunt enim qui ad ℔. ij & ultra propinant, quod quantum noceat vix æſtimari poteſt niſi ab eo, qui exactè conſiderat, totam lactis molem non diſtribui in ſano, minùs in ægrotante, ſed ex parte ſtagnare & in flatus bilémque converti: unde ſæpiùs cibi faſtidium, alvi fluxum, aut febrem nimij illi γαλακτόποται incurrunt.

Perſeverandum in eadem copia, cum qua quiſque ſe ſentiet benè habentem, nec gravitate, flatibus, oris inſuavitate, cibi faſtidio, febre, alvi fluxu, vel aliâ ſuperveniente moleſtiâ deteriorem. Quæ doſis ſic inventa quolibet manè ſumenda quatuor horis ante juſculum, vel alium convenientem cibum: quo tempore neque vehementiùs ſeſe commoveat, neque dormiat, ſi capiti timeat. In fine ſenſim minuatur lactis quantitas, donec redeat ad primam doſim.

In uſu cujuſque lactis, maximè craſſioris ad hoc ut obſtructiones, ſi quæ ſint, non augeat, ſed faciliùs tranſeat, calorem temperet, putredini reſiſtat, ſuperbibenda præſcribitur aqua tepens decocti hordei & graminis, vel aqua bugloſſi, borraginis aliave morbo propria, ægro grata, ad ℥. iij.

Eligatur animal ſanum, non nimis pingue, mediæ ætatis: paſcatur gramine & hordeo; ducatur ad liberum paſtum matutinis & veſpertinis horis; nec nimis exerceatur ne incaleſcat, mundetur ſtrigilibus, & in loco non fœtido ſtabuletur.

Lac optimum eſt colore candidum, ſapore dulci, odore grato, vel nullo præditum, conſiſtentiâ & copiâ mediocri.

Lac gravidæ exiguum & pravum, à partu liquidum, impurum, turbidum: poſt menſem optimum. Humanum ad annum, vaccinum à tertio menſe pinguius. Aſininum poſt ſex & octo menſes deterius. Quodlibet vere fluidius, copioſius: æſtate, tenuius, reliquo tempore craſſius.

Cautiones plurimas docet Gal. *com. in Aph. 64. ſect. 5.* in quo quibus noceat, & quibus conveniat lac, oſtendit. Sed præ omnibus hoc advertendum ne præſcribatur dum adeſt febris intenſior, dum obſtructa ſunt viſcera, impura, vel calidiora, niſi probè repurgata, reſerata, & balneis temperata fuerint. Cavendum quoque ne ventriculus, ſit valdè debilis, & frigidus; nam ut in æſtuante nidorem contrahit, ſic & in frigido aceſcit.

Qui utitur lacte ceu pro remedio, ceu pro alimento, ſobriè degat: facilè corrumpitur admixtum calidis, acribus; piſcibus & fructibus. Acidis coagulatur: coctum, longo uſu, viſcera obſtruit. Vigiliis, animi & corporis motu vehementi, venere nimiâ, & vino meraciori abſtineat: liberam alvum teneat: aër ſit purus; ſalubriùs erit ſi æger contabeſcens atque animal è quo lac ſumi debet, degant in colle ad meridiem & orientem, non boreæ aperto, juxta mare, qualis erat Tabiarum locus.

Serum lactis non eſt alimentum, ſed remedium alterans, & nonnihil evacuans.

Separatur à reliquis lactis partibus duplici modo. Primò per ſe; ſecundò per admixtionem rei ſeparationem juvantis.

Per ſe ſecernitur ſeroſa ſubſtantia à caſeoſa, ſi lac non nimis recenter emulctum calori exponatur.

Juvat ſeparationem flos cardui, coagulum vituli, agni, juvat quoque & citò ſeparat liquor acidus, ut acetum, ſuccus limonum, ſpiritus vitrioli, herba acetoſa incocta. Melius eſt ſeparare cum flore cardui vel cum coagulis quàm cum acidis pro his qui ventriculo frigido ſunt, tum & pro tuſſi aliiſque pectoris affectibus tabem minantibus obnoxiis.

Modus ſeparandi hic eſt, ſumatur lactis certa quantitas, ponatur in olla vitreata, ut primùm bullire incipiet, injice aceti optimi vel alterius prædicti liquoris acidi parùm quidem, ne nimium aceſcat ſerum: permitte ut bulliant per breve temporis ſpatium; extrahe ab igne, refrigerato lacte; ſeparatum ſerum videbis limpidum, ſi benè præparatum fuerit. Vel quod minùs noxium eſt, utere coagulo vel flore cardui; & ſi non fuerit perventum ad integram ſeparationem, ſecretum ſerum pone in patina, aut olla vitreata, & cum modico ſucco limonum bulliat, refrigera & cola.

Præſcribitur verno tempore per xv. dies aut menſem integrum, corpore ab obſtructionibus, & ab excrementis libero, poſt alterantia & purgantia repetita quantùm neceſſitas exiget.

Doſis eſt ab ℥. viij. ad ℔. j. aut ℔. j. ß. manè jejuno ventriculo, addito ſaccharo roſato in proportione ad ſeri copiam, juxta illud quod dictum eſt de lacte.

Uſus eſt:

Primò, Ad refrigerandum, in non valdè emaciatis, quibus meliùs competeret lac, vel in iis qui obſtructionibus facilè implicantur, citiùs enim penetrat ſerum quàm lac; in iis quoque, quibus æſtuant viſcera, præmiſſis tamen univerſalibus. Sic præſcribitur.

Utatur ſero lactis caprilli per menſem integrum, ſumendo ſingula vice, &c. ut ſuprà diximus de lacte & de ſaccharo.

Secundò, Ad refrigerandum peculiariter in morbo melancholico, lepra, ſcabie, renum & hepatis ardore, febre quartanâ, quintanâ, &c. maximè ſi herbæ refrigerantes, ut fumaria, cichorium, aut epithymum, per aliquot horas macerentur, vel leviter ipſi recenter parato incoquantur.

Sic autem præſcribitur.

℞. Seri lactis optimè depurati q. ſ. infunde per noctem, vel leviter incoque folior. cichor. m. j. coletur manè ad ℔. ß. vel ℔. j. addendo ſacchari roſati ℥. ß. capiat manè quatuor horis antè paſtum per menſem integrum, augendo doſim ſingulo die, donec ad ℔. j. ſeri lactis, & ℥. j. ſacchari pervenerit, deindè minuendo, donec ad parem primæ doſim revertatur.

Utiliter ſic præſcribitur in prædictis morbis melancholicis.

℞. Seri lactis optimè depurati q. ſ. ſtatim atque manè paratum fuerit, incoquantur folior. fumariæ m. ß. epithymi p. j. Colaturæ ad ℔. ß. vel ℔. j. adde ſaccari roſati ℥. j. ſucci pomorum redolentium ℥. j. ß. capiat manè &c.

Quandiù continuabitur uſus lactis, aut ſeri lactis, oportet ſextam, vel octavam quamque doſim reddere purgantem, ne lac aut ſerum lactis contactu excrementorum quæ ab ipſo aut ab alimentis ſoboleſcunt, corrumpantur. Hoc autem exequimur diſſolvendo in lactis aut ſeri doſi ſyrupi magiſtralis purgantis morbo appropriati ℥. ij. vel incoquendo ſero lactis ſennæ cum aniſo ʒ. iij. vel etiam in his qui uberiori indigent purgatione, diſſolvendo in hujuſmodi tincturâ ſennæ, mannæ ʒ. j. vel ℥. j. ß. aut ſine infuſo ſennæ in morbis pectoris mannæ & ſyrupi flor. perſic. an ℥ j. ß. in aquis papaveris rhœados & cichorii diſſolvere oportet.

Quibus ineſt frigidus ventriculus, ſomnus ſuadetur ſtatim ab aſſumpto lacte, quibus verò calidus prohibe-

tur, imò in gracilioribus & calidioribus viſceribus per uſum lactis, aut ſeri lactis, balneo, aut ſemibalneo uti prodeſt, ſumendo lactis aut ſeri doſim ſtatim in ingreſſu balnei, aut poſt horæ quadrantem. *Tencke.*

LAC AUGENTIA, ET LAC MINUENTIA.

De *Lactis proventu augendo & minuendo* dicturis operæ pretium videtur quædam pauca ex phyſiologicis ſupponere, v. g. (1.) lactis γένεσιν prærequirere in corpore abundantiam alimenti individualis, non minùs ac menſes, quę niſi adſit vel procuretur, lac produci ulterius nequit, unde ſi vigilijs, mœrore, inediâ abſumatur corpus, lac ſuppetit minus.

(2.) Lac eſſe nihil aliud, quàm ſerum chyloſum, ſeri & ſanguinis aliàs materiam, huc, fermenti glandoſi & tubulorum ſecretoriorum beneficio, impenſam alij ſcopo, ut alteri nempe detur; citra ipſius individui uſum proprium.

(3.) Mammas ex infinitis glandulis conſtare, iiſq; minoribus, vulgò conglomeratis dictis, & ordinariè lympham ad cor diſpenſare magis, ad lactis verò productionem opus eſſe excitativo, ſive impulſu, ſive fermẽto actuali. Eſt illud partim internum, naturæ motus, ut alatur fœtus jam in lucem editus, qui finis unicus eſt, ceſſante verò eodem, etiam lac ceſſat, & ceſſare debet. Hinc plura φαινόμενα poſſunt illuſtrari, imprimis gravidas lac non habere, nec virgines. Deus enim & natura nil faciunt fruſtra; ceſſante ergò fine, ceſſat etiam id, quod ejus gratia inſtituebatur. Decipiuntur ſanè medici, qui inter ſigna graviditatis recenſent lactis præſentiam, illud enim eſt contra experientiam quotidianam; loquuntur contra autoritatem ipſius *Hippocratis*, qui *l. de nat. puer. c. 20. tom. 11. 12. 13.* expreſſè contrarium ſcribit: cum movetur, *ait*, fœtus, tunc ſanè lac indicationem ſui matri præbet, mammæ enim attolluntur & papillæ gliſcunt ac turgent, addit verò: τὸ δὲ γάλα ȣ̓ χωρέει, *lac verò non prodit*; innuens manifeſtò, non negligendas quidem mammas, ſed non lac actu expectandum præſens, quod edito demum fœtu, ut *c. 22. ſeq.* ſuccedit, ubi: Et ubi peperit mulier, principio motus facto, (intellige naturæ impulſum, quem diximus,) χωρέει τὸ γάλα ἐς τὰς μαζὰς, *lac in mammas ipſius procedit*, ſi lactaverit. Notanter utrumque nominat internum & externum impulſum. Loquuntur contra rationem omnem, nullus enim ibi finis lactis, imò potius lac præſens fœminâ geſtante fœtum notat debilem & moriturum, indicio quippe, naturam fine priori relicto alterum jam intendere. Unde lac & menſes ſunt ſororij liquores, unicè ſpeciei producendæ deſtinati.

Eſt illud quoque partim externum, nempe ſuctus, unde ſi vel fœtus fuerit mortuus, vel ablactatus, vel papillæ deſint, quòd à variolis in fœminâ quâdam paganâ obſervavimus, lac ceſſat, licet aliquandiu ſæpe ſtagnat, & ob moleſtiam imminuendum ſit.

Quæcunque ergò 1. *ſunt πολύχυλα, illa etiam ſunt πολύγαλα*, ſeu quæ ſubſtantificè ſerum, ſanguinem, & horum materiam primam, chylum, adaugent. Adauctâ enim materia, ipſam collectionem majorem fieri neceſſum eſt, & quod cauſa eſt cauſæ, per vulgatum axioma, illud etiam eſt cauſa cauſati. Infans ſanè per diem & noctem ad libram unam vel alteram deplet lac ex corpore, pro ætatis modulo. Hinc ut ſine Cerere & Baccho friget Venus, ita & veneri litans lac. Pertinent ergò huc, quæcunque ad victum plenum ſpectant, quæque ex hoc ipſo humidum oleoſum ſeu aqueo-ſulphureum ſuperfluum principium corpori magis fœnerare norunt, alimenta boni ſucci, digeſtionis facilis, moderatè calida & humida, & alimenta medicamentoſa, & vice verſâ, non confundenda tamen inter ſe; unde fruſtra ſunt, qui ubera vaccina inter γαλακτοποιοὺς pulveres recenſent, quod maximè inconveniens eſt.

Pertinent huc emulſiones, tanquàm lac artificiale, lac vaccinum, & cum eo parata decocta, inprimis florum ſambuci, quod non ſine cauſâ dilaudat *Langius*. Hi enim flores non minùs ac ſemen nigellæ, fœniculi, aniſi &c. oleoſitate ſuâ chylo ὀργασμὸν fœnerant majorem, vegetatis partibus aqueis.

2. *Quæcunque ſerum oleoſum reddunt fluxile, & colationi aptum ab intra, ſunt πολύγαλα.* Fluxile ab intra & mediatè reddunt blanda *ſudorifera*; unde videmus vel ipſa natura indice lactis appulſum à partu fieri cum quadam heterogeneitate, & difficultate, ita, ut niſi accedat ſudatio diſcuſſoria, & adjuvans hunc illapſum, & prohibens διαχώρησιν morboſam, facillimè & quaſi ordinariè oriatur febris, lactaria dicta. Unde diaphoretica eo caſu utramque abſolvunt paginam, lac mammis, ſanguini vigorem afferunt. Fluxile ab intra reddunt id ipſum ſerum temperata *alcalina*, acorem, ſulphuri oleoſo contrarium, abſorbentia, adeoque coagulum in fieri exuentia. Pellunt quaſi à centro ad circumferentiam hanc ſudorifera dicta, hæc verò alcalina temperata tranſcolant quoque, ut imperturbato ordine poris illabatur. Hinc quæ plurimo abundant acido in primis viis, lactis imminutionem experiuntur facilè. Hinc diaphoretica in febribus ipſis ardentibus ſæpe præſtant lac, ut, quod contra naturam ferè videtur morbi, natura provida ſpeciei lac poſſideat, ad ultimum ſæpe halitum, quod majus eſt, infantes in ipſis illis morbis malignis, etiam morientibus matribus non evadant ſolùm illibati, ſed & optimè habeant.

Faciunt huc ex ſimplicibus fl. ſambuc. herb. vincæpervincæ, ſem. aniſi; ex animalibus, lumbrici terreſtres, laudati à nonnullis, licet minus commodè videantur in uſu frequentari; ex mineralibus cryſtall. præp. & lac lunæ, de quo integram curioſiſſimam diſſertationem ſcripſit *Excell. D. Major noſter*. Ex compoſitis ſpecies diacryſtalli, acceſſione lactis lunæ roborandæ, & rot. lac aug. Mynſ. aliaque præcipitantia naturæ amica, poros liberos reddentia.

3. *Quæcunque ſerum oleoſum reddunt fluxile ab extra, ſunt πολύγαλα.* Invenias puerperas, quæ nullo modo lac augendo fœtui obtinent, vel ſaltim alterutrâ mammâ id ſolùm poſſident, in alterâ v. g. ob prævium abſceſſum poris glandoſis calleſcendo ſubſidentibus. Quibus igitur hæc difficultas fuerit velut nativa, ibi fruſtra lac citaveris, renitente quippe naturâ. Uti verò ſuctio impellens eſt extrinſecum immediatum, & inſtar antliæ ex fonte hoc hauriens; ita eundem quoque appulſum citant topica. Frictiones blandè inſtituendæ, quæ alliciant, non diſſipent. Fomenta paulò rariora quorſum pertinet angelica ſylv. erratica, herba Gerhardi dicta, quæ externè cum lacte cocta adhibita lac certo experimento augere dicitur. Emplaſtra rariſſima hoc fine.

Topica tria ſicca laudantur, pimpinella recens, cryſtallus & mercurius vivus. Pimpinellæ odor penetrans eſt, & aperitivus, ut conferre aliquid poſſit manifeſtis effluviis, ut & vino indita illud ſtatim alterat. De cryſtallo vulgaris eſt opinio, quod dorſo applicata lac imminuat, anterius verò adaugeat, cujus rei ratio non facilè patet, niſi dicamus illud fieri frigore & frictione mediante, (nam de loco Practici conſentiũt,) frictione & accubitu, ſiquidem facilè in rarioribus corporibus, ut ſunt mammæ, appoſita poros geſtatione ſuâ dilatant, ut ſudent quoque facilè. Cryſtallus verò inprimis id fecerit, quia alienæ qualitatis omnis eſt expers. Admitti & ſuaderi igitur hæc ut indemnia poſſunt.

De mercurio vivo res certa eſt, illum mammis externè adhibitum affluxum citare majorem, & lac reſtituere. Notandum hanc in rem (1.) quod potenter

ſerum

ſerum fundat, exemplo ſalivationis;quod (2.)effluviis volatilibus calore rarefactus poros facillimè afficiat, gaudens maxima vi elaſtica,quod ad oculum patet,ſi ad thermometri formam aptetur, vel vaſe etiam ligneo aperto.Calore dilatantur ejus pori manifeſtò,ut excurrat,&turgeat,frigore conſtringuntur,ut interiora petat,& in ſe ſubſideat,ad inſtar omnium humidorum,quod mirandum eſt.(3.) Convenit tamen,ut omnia hæc,magis præſente impellente intrinſeco,& cœteris paribus.

Patet ex his, quod lac generans medicis ſumatur tam pro eo, quod materiam ad lactis generationem ſubminiſtrat,quàm quod generatam jam lactis materiam ad mammas deducit, quorum prius quaſi materiei, poſterius vehiculi magis rationem habet. Priori intentioni prima claſſis, poſteriori duæ ſequentes velificantur,quatenus nempe illa lacti materiam ſuggerunt,hæc eandem ad mammas deducunt,&promovent, ut inibi lactis formam nanciſcatur, moderata nempe incidendi,attenuandi fluxile,aperiendique poros facultate,quò ſanguis chyloſus reddatur ſubtilior, meatus dilatet, ac per illos humorem chyloſum ad mammas transferat.

Uſus lac augentium eſt determinatus ad nutrices, ſeu lactantes, quæ aliàs ſanæ penuriâ lactis laborant, ad ſugentium ſuſtentationem, præcipuè ſi infans fortius ſugat.Niſi enim ſufficiens quantitas ſuppetat, nutrire non poteſt,unde tormina,inquietudo, clamores. Plurimi ſanè infantes moriuntur lactis culpa,unde faciunt hæc ipſa etiam ad lac depurandum quaſi, unde conſultò aſſumuntur frequēter ab iiſdem ſemina carminativa,anis.fœnic.carvi,duplici hoc nomine, ut & flatus abarceant torminiſicos,& lactis proventum facilitent,optimo ſanè conſilio & effectu. Addi & tertium poteſt,quod ſubtiliſetur hoc pacto lac paulò ſpiſſius & oleoſius,facilè daturum epilepſiam;quod corrigatur lac nimis aquoſum,diarrhœas citans. Optimè ſe eadem gerunt, ut lac in prima culina probè concoquatur, nec cruditates generet.

Utriuſque verò hæc generis lac augentia utplurimum conjungenda ſunt, vel conjūcta ſaltim efficacius ſe gerunt. Et ſuctu ipſo videmus toto die continuari illum appulſum,ut ad 2. 3. annos ſæpe continuo ordine lac ſuppetat nutricibus.

Contraria his ſunt LAC MINUENTIA, quæ tamen duo dicunt vel complectuntur, in eundem effectum conſpirantia, quæ nempe & minuunt, & minuendo reſolvunt, ut è dicendis patebit.

Cum ergò intentio ſit lac collectum jam &factum emittere, futurum verò arcere, hinc poſſet quidem & tenuior victus ſuaderi, id verò cum fieri non æquè liceat,nam ali debet corpus, à naturâ ſæpe huc magis intentâ, ut lac adſit pro fœtu, quàm ut ſuperfluum in corpore alimentum ſit;nec concedatur æquè à delicatis,vix ferè,niſi ſecundariò id præcipi ſolet.Hinc,præter purgantia, & alia.

1. *Lac imminuunt emollientia.* Non obſtat, contrarium videri,poſſe eadem & lac augere& imminuere;variat enim id pro diverſo ſtatu.Emollientia poros lac augēt, non præſens & collectum æquè: emollientia lac imminuunt præſens & ſtagnans.Quam in rem nota: (1.) omne lac ſuctu non prolectum ſtagnat in mammis. (2.) ſtagnans gravat,& in coagulum abire promptum eſt.Ergò (3.) omninò dimittendum eſt. Hinc aliquandiu etiam emulgeri poteſt & debet, ut ſenſim depleatur,nec negotium faceſſat.Viæ ergò proximæ ſunt dilatandæ,remotæ conſtringendæ. Dilatant verò emollientia,calida & humida temperata, mammis ipſis applicata.Emollitio hæc prohibet ſtagnationem; prohibet coagulationem. Optimum hoc fine præſidium eſt empl.diachylon ſimpl. frequentiſſimè à nobis uſurpatum cum ſucceſſu. Conſtat id ex mucilaginibus, & emolliendo unicè prodeſt. Unum hoc inſtar omnium eſt, cataplaſmatibus aliiſque omnibus contrà proficuum. Ut vero natura ipſa copiam lactis effuſione è papillis ſpontaneâ toto die deplet,ne oneroſa fiat;ita ſuctu omninò ordinariò ceſſante per hanc viam commodiſſimè depletio lactis reſtagnantis, laxatis poris, inſtituitur; quem in finem emplaſtra illa rotunda quidem eſſe debent, ut complectantur ſphæram mammę,in medio verò perforata, ut ne effluxus impediatur, maximè expeditus. Natura ab uno extremo ad alterum nunquam ſine medio, ſibi relicta & citra noxam,progreditur. Ceſſante ergò ſuctu,impellente extrinſeco,non ſimul & ſemel deſiccare hunc fontem poteſt, unde effundendum reliquum, ipſaque adjuvanda.

2. *Lac imminuunt reſolventia.* Utroq; caſu optima ſunt hæc ipſa, tum in initio ſtatim, tum in progreſſu, tumore & duritie jam præſente. Reſolvunt in genere, i.e.caſeationem,grumeſcentiam & coagulationem,turgeſcentiam ac quietem conſequens tollunt *ſudorifera.* Reſolvunt divertendo laticem ad extimam veſtem,ſerumq; diſſipando,unà verò *ςάσιν* omnem expedientia, ne febris ac inflammatio,ne dolor inde conſequatur, datâ hanc in rem Tincturâ bez.camphor.M.S.aliiſque paulò volatilioribus.Puerperis & ablactantibus ſudorifera optima ſunt præſidia,& velut univerſalia.

Reſolvunt *ſalin.amara,ſale & ſulph.activo fœta*, ut cerefolium,petroſel.alſine,cicor. ſal, ſalv. & quæ aliàs ſemen imminuunt,inprimis enim hęc ipſa oleoſum characterem ſero demūt, ut attenuatum hinc diffluat magis.Actuali ſuo frigore aliquo modo repellunt, ſalino principio activo calefacta reſolvunt; & diſſipant, vel ſolâ exhalatione ſi â cum glādulis extimioribus communicatâ.Pertinet huc etiam herba medica, quam lac extinguere dudum *Ariſtoteles* aſſeruit, admovenda mammis, facillimo & *εὐπορίςῳ* remedio.

Reſolvunt *frictiones*, quæ grumoſitatem impediunt; quâ factâ glandulæ,aliàs conglomeratæ putatæ, ipſas conglobatas æmulantur duritie &magnitudine.Inprimis verò ſperma ceti inter reſolventia pectoralia,traumatica, nephritica aliàs laudatiſſimum, ſeu cū empl. diachyl. addito gummi ammoniaco cum acet. ſol. & camph. parum miſceatur; ſeu ſparadrapum Mynſ. de ſperm. ceti apponatur maturè.

Reſolvunt, experimento *Helmont.* magneticè quaſi prunæ, ſi in eas vel laterem candentem lac emulgeant. Sine dubio hoc fit ab averſatione archei, quatenus incutitur eidem velut horror,ut, dum alij fini impenditur idem,hinc amplius renuat profundere hunc utilem ſuccum,ut taceam ipſum hunc actum expreſſionis per ſe quoq; conferre. Reſolv. quoq; *acida,* præſente ſcil. coagulo vel quaſi tali, & cum alijs mitigata ſulphur. ut fotus apud *Morellum* laudatus,modò providè id fiat.

3. *Lac imminuunt repellentia*, quæ, vi vocis uſitatæ,illapſum & adventum in poros glandoſos prohibent, vias & aditum præcludunt, ne turgeant tam & dilatentur,quàm conſtringantur pori. Repellunt actu dicta frigida vegetabilia,repellunt,non æquè tamen tuta, oleoſa, terrea, aquea. Repellunt acida,auſtera & quaſi talia. Repellunt anguſtantia thoracem, omnia tamen cum moderatione.

Conveniunt nempe lac imminuentia indicatione præſervativâ magis,quàm curatoriâ, imò illa ipſa ferè potior eſt;tum abſolutè, ſi lac ne quidem generari debeat,ſed averti,tum ſecundum quid,quando generatū ſubſiſtere debet,nec ſtillare & fundi amplius.Una verò eademq; eſt curatio. Suaſimus illo caſu emplaſtra commendata bina,emolliens&repellens In junioribus verò ob coſmeticæ, falsò licet perſuaſæ, ſtudium majus,quaſi emplaſtr.forma decēs pereat,notavimus illud non facilè admitti, ubi noduli ſaltim ſuaderi gaudent.

Cauto ergò opus eſt inprimis 1. *ne mammæ patiantur inflammationem.* Inflammatio ſequitur ſubſiſtentiam, quæcunque ergò inflammationem, ſubſiſtentiam & tranſpi-

tranſpirationem difficiliorem cauſantur, omnia abſint. Abſint pinguia, oleoſa, unguinoſa; illa enim inflammationem vel cauſantur, vel augent, non aliter ac in eryſipelate quovis idem fit. Hinc licet videantur dolorem lenire, magis tamen eundem promovent hoc loco, longè humidiori & delicato, glandoſo ac ſpongioſo. Abſint ſpirituoſa, quæ aliàs, ſi locus id permittat, optimè proſunt, etiam in gangræna, exemplo ſp. vini camphor. Laborabat puerpera dolore & inflammatione mammarum incipiente, obſtetrix, ut ſolent primam quaſi inſtantiam ſuſtinere, mammis applicat ♈: Inde verò febris inducebatur manifeſto motu, ſudoriferis abacta. Abſint aquea & humida quævis, ſeu ſola, ſeu cum terreis mixta, ſola ſcilicet & frigida, aqua enim calcis vivæ leni ſua alcalina natura diſcutere apta nata eſt, modò itidem cum cautela id fiat.

2. *Cavendum, ne mammæ patiantur ſuppurationem.* Nullibi in inflammationum acceſſu tam conveniunt diſcutientia, quàm in mammis; nullibi magis nocent repellentia, quàm in mammis, ob copiam nempe maximam humorum, qui iſtis globis inſident, tanquam ſpongiæ imbibiti, ob infinitos poros, qui facilè obſtrui poſſunt, præſente ῥευματισμῷ. Si qua repellentia conveniunt, proſunt terrea, ſicca, ex iis, quæ aliàs in eryſipelate proſunt. & mitiora, vegetabilia cum reſolventibus mixta; proſunt aciduł, dicto modo adhibenda.

3. *Repellentia origini, quàm inſertioni viarum certius & tutius applicantur.* Originem intellige viarum; viæ verò, per quas humores appellunt, ſunt duplices, cõmunes pori, propriæ vaſa, quod nullibi magis quàm in mammis patet. Ubi ergò id licet, inconveniens eſt repellere in loco inſertionis, ſeu influxus. Repellere enim eſt, non admittere influxum, arcere humorem, defendere poros & partes recipientes. Turpius & hoc loco ejicitur, quàm non admittitur hoſtis. Valet id in aliis quoque, ubi repellentia ſub defenſivorum nomine locum habent, in fracturis, gangræna & ſphacelo, ac ſimilibus. Tunc nempe ipſi affectæ parti traumatica, ſanæ defenſiva applicamus, illique remotæ, quæ ſuſtinet tanquam origo & via propior influxum. Si itaque hanc rationem attendamus penitius, facilè patet, repellentia hoc caſu non mammis, ſed dorſo applicanda eſſe. Sine dubio viæ iſtæ, ſeu notæ, ſeu ignotę quibuſdam fingantur adhuc, per quas ad mammas ducitur lac, ab inferioribus reſpectivè ἄνω tendunt, ex quibus tanquam centro ad circumferentiam ſphæræ mammillaris prodeunt. Hunc in finem nõ ſolùm cryſtallus ibi appendi poteſt, ſed & empl. de ſperm. ranar. alb. coct. ſeu ſeorſim, ſeu conjunctim optimo conſilio dorſo imponuntur, idque immediatè citra obductionem ſindonis rubræ.

5. *Ex duobus malis minus, & naturæ propius magisq; conveniens eligendum.* Valet id in genere de omni inflammationum genere, tum ſpeciatim de mammis. Seu quandocunque eò uſque progreſſa eſt inflammatio, ut ob copiam & ςάσιν majorem diſcuti non poſſit, naturæ ipſius nutu & ductu, optimum eſt ſuppurationem juvare. Nam & ſerum oleoſius in pus abit, imò nullum pus fit ſine ſero, ut facillimè ſanguine & ſero magis unitis, difficilius ſeparatis. Hinc tumores glandularum reſpectivè difficilius ſuppurationem ſubeunt, quia minus de ſanguine participant. Hinc ſerum minus oleoſum, ut in arthriticis, non ſuppuratur, ſed ad abſurda chirurgica id pertinet. Hinc vulnera facilius pus concipiunt. Hinc rebelles ſunt cancroſi & cacoëthici tumores.

Adjuvanda hinc ſuppuratio tum emplaſtris emollientibus, tum ipſis unguinoſis & reſolventibus, ne nempe augeant inflammationem, quam adjutum eunt. Et mirandum eſt, ſibi relicta natura, hoc modo tamen adjuta, quomodo tam citò ulcera hæc, à ſuppuratione mundata, conſolidentur, ceſſante ſcilicet affluxu, & continente ſolùm materiâ in pus promota. Contra ea induratio omnis in mammis eſt periculoſa & ſuſpecta, etiam diu duret. Eſt verò & tunc naturæ convenientius, tolerare quietum, vel in centro detinere morbum, quàm ſuppurantibus irritare. *Wedelius.*

Variæ Præparationes quæ quia ſunt ſub forma & colore Lactis aut ſaltim liquori admotæ albeſcunt Lactis nomine veniunt.

Lac Aluminis.

℞. *Fit ex ▽æ alb. ovor.* ℥vj. *Ʒris Ois* ℥j. *ſp. vin.* ℔ij *opt. & diu in vaſe vitreo conquaſſatis, ut f. inſtar Lactis.* Arcanum habetur in Gonorrhœa, Profluvio albo, Menſibus immodicis, &c. Doſ. coch. 2. vel 3. ter in die. Aſſumptum ad ℥j. hora ante paroxyſmum ſæpè curat Tertianam.

Lac Ammoniaci.

℞. *Gum. Ammon. puriſ.* ʒiii. *ſolve in △æ Hyſſop. frigidæ* ℥vj *in mort. frig ſ. a.* Detur ſæpe coch. pro vice in difficultate anhelitus.

Lac Aſæ fœtidæ, *v.* Julap. Hyſt. Fœtid.

Lac Benzoini.

℞. *S. Benz.* ℥j. *▽æ Hyſſop. vel ſcabioſ.* ℥xij. *m. ſ. a.* Aſthmaticum, Pectorale, &c.

Lac Mercurij.

℞. *F. ex ☿ corroſ* ʒvj. *fricatis & agitatis in diſco ſtanneo cum ▽ fumar.* ℥xij, *ut f. ut f. lactis inſtar ſ. a.* v. Vires in aq. Mercurial.

Lac Saturni. *v.* Magiſt. Saturni.

Lac Scammonij.

℞. *☿ ſcammon.* ʒvj. *affunde in mort. frig. paulatim ▽ cinnam. hordeat.* ℥viij. *inter affundendum diu agitando Liquor lacteſcens ſeparetur à picea ſubſtantia, & ſervetur ad uſum. Vocatur &* Liquor Acuens. Doſ. coch. i. ſuaviter purgat.

Lac Sulphuris.

℞. *🜍 p. i. ♆, vel ⊖♀ p. iij. coq. in ▽æ q. ſ. ad 🜍ris ſolutionem: filtra calidè, ▽a cum ✢ vel ſp. Ⓓ', edulcora & ſicca ſ. a.* Balſamum eſt pulmonum conſumens & exiccans, valet in Catarrhis, Aſthmate, Tuſſi, Phthiſi, Colica, &c. Doſ. ℈ß. *ad* ℈i. *Hæc ex Pharmac. Bateanâ.*

Lac Virginale è *Pharm. Aug.*

℞. *Alum. crud* ℥iv. *decoq. ad 3. in aq. font.* ℔ij. *poſtea.*
℞ *Lytharg.* ℔ß. *aceti* ℔ß. *dec. ad remanentiam* ℔j. *colentur & commiſceantur ambæ aquæ ut albeſcant.*

Coſmeticum eſt medicamentum, cuti perpoliendę, ac manibus lævigandis commodum, faciem tergit, lentigines debet, nec non ſerpigines, lichenas impetigineſque ſanat.

LAC LUNÆ.

Lac Lunare vel lac Lunæ deſcribit CONRADUS GESNERUS, *de figur. lap. p. 50. quod in altiſſimorum quorumdam montium Helveticorum ſpeluncis reperiatur, ut Storchornij in ditione Bernenſium, & Fracti ſive Pilatini Lucernentium: De quo repetam, ait* GESNERUS, *hic ea ferè verba quæ in fracti montis deſcriptione noſtra ante annos ſedecim poſui, mutatis nonnullis & additis. In Spelunca quadam, per ſummum montem fornici adhærens, naſcitur quædam ſubſtantia, fungoſa, friabilis, alba, leviſſima, quam fungum petreum dixeris, vel agaricum ſaxatile, tam ſimilis hujus eſt facies. Incolæ Monmilch appellant hoc eſt lac lunæ, à ſubſtantia alba & ſpumoſa, ex qua concretus videtur hic lapis, ſi lapidis nomen meretur. Aquæ mixtus, albo lactis colore eam inficit. Inſipidum eſt. Siccat ſine morſu. Nulla in eo aſperitas, & totum cum ſaliva mandentis liqueſcit, præſertim quod melius fuerit*

nam

nam & craſſius & aſperius reperitur, immaturius nimirum & crudius; quod odore etiam caret. Concoctum autem & perfectum, ut aſperitatem admittit, ita albius colore, & pondere levius, & ſuaviter odoratum redditur. Videtur autem Holoſteis dictis lapidibus qui in terra arenoſa in Palatinatu effodiuntur proximam obtinere: & lapidi quem ab odore Cydonitem nominant. Superſtitiosè quidam, adverſus quemcumque morbum ægroti cujuſvis, propter quem expreſſo ipſius nomine à ſpelunca petatur, ſalutare eſſe putant. Lucernæ in pharmacopolio venire ſolet. Pollinem ejus Chirurgi ulceribus deſiccandis inſpergunt. Sunt qui nutricibus pollinis hujus drachmam exhibeant, ad augendam lactis copiam; è jure, ni fallor (poteſt autem commodiùs ex lacte amygdalarum; cui immixtus hic pollen aliquot horis fuerit, colato propinari, cum pauco ſaccharo & aqua fœniculi) Ajunt autem mammillas evidenter hoc auxilio turgere, & repleri lacte.

Præterea à docto quodam viro nuper proditum invenio, lac Lunæ in profluvio ſanguinis utiliter dari, tanquam ſomniferum; idque ſibi experimento conſtare. Quod ad nomen priſcum ego aut ipſum Morochium veterum eſſe aliquando putavi, aut eaſdem certè illi facultates obtinere: ſed amicus quidam rerum omnium foſſilium cognitione clarus, Margæ friabilis genus mavult, Hæc ex Appendice ad Schrôderum.

LACCA.

Lacca gummi, ut in officinis habetur, Concretione bacillis pertinaciter circumnata adhæreſcit, ſuperficie rugoſa inæquali & veluti granulata, pellucida, colore ruffo flavo, aut ex rubro nigricante, intus cavernoſa, neſcio quid nigri friabilis ſubſtantiæ in antris continens, ſapore nullo evidente: ſputum colore rubro tingit, qui longe apparet floridior, ſi cum aqua miſceatur. Prunis impoſita bullat primò, Levem odorem reſinoſum ſpirans, tandemque flammeſcit. Vi detracta bacillis corticem ferè ſecum rapit, & canaliculata qua adhæſit apparet. Bacilli duarum triumve unciarum aut longiores cortice teguntur ſatis craſſo, melino fere: materies ut coryli, ſed medulla copioſiore farcta.

De hujus generatione & fiendi modo non conſtat. Nam quod Garcias refert à magnis formicis alatis eam elaborari, ut apes mel conficiunt, materiam ex ipſa arbore exugentibus, nobis non videtur veriſimile, ſed potius (ut I. B.) ex ipſamet arbore vel ejus ramis & ſurculis, ſtatis temporibus ſtillare liquorem illum, & demum ſolis vi in eam quam videmus formam concreſcere.

Lac legitimum hujus gummi nomen eſt. Sic autem dicitur quòd hoc medicamentum ubi ejus uſus eſt, in *lac* ſive *loc*, id eſt, mellis craſſitiem diſſolvatur, in Pegu vero & Martaban, ubi præſtantiſſima eſt, *Trec* nominatur.

Duplex habetur: ea quæ cum bacillis, vix enim ſine eis adfertur, quam laccam Sumatri vocant, quia ex Sumatra inſula, nonnullis Taprobana antiquorum credita, habetur; ut eam quæ in glebis ſine ſurculis affertur laccam Comberti nominant; & altera factitia quâ infectores utuntur, quæ & ſuas differentias habet, quædam ex fæce braſilii & cocci conficitur, ſive ex gummi & liquore braſilij. Laccam veram reſinâ & cerâ interdum adulterari annotavit Acoſta.

Lacca veteribus incognita fuiſſe videtur. Nec enim eorum ſententiam probare poſſumus qui Cancamum Dioſcoridis eſſe exiſtimant. Cum lacca non ſit odorata, nec ſuffitionibus apta, ut Cancamum.

Vires & uſus, lacca attenuat & aperit, ſanguinem purificat, ſudorem ciet, diuretica eſt. Uſus præcip. in obſtructionibus lienis, veſicæ, fellis, hepatis, & hinc in hydrope, ictero, aſthmate, apoſtemate pulmonum: in expellendis variolis, morbillis atque peſtilenti contagio, in ciendis menſibus &c. Schrod.

Ad oppilationes tam hepatis quam ſplenis, ut & in hydrope & ictero à pleriſque medicis unanimi conſenſu præſcribuntur trochiſci dialaccæ dicti. J. B.

Ex lacca etiam bacilli parantur ad obſignandas epiſtolas, ceram Hiſpanicam vocant.

Alutas & coria vervecina lacca contuſa & urina veteri macerata rubro colore infici ex altera parte tradit Cluſius ex quorundam ſententia.

Cum lacca in ceram Hiſpanicam redacta, & conchyliorum ſplendicantium in minutiſſimis fragmentis, ligna, tabulas, arculas, &c. incruſtant ad elegantiam.

Pictores, aliique mechanici utuntur Lacca ut vernice, eamque varie colorant, & diſſolvunt in ſp. vini & ol. Terebinth. *Raius.*

E Gummi Lacca cum aqua aluminis &c. paratur tinctura pro dentibus vacillantibus ac eroſis gingivis, de quâ vide Tincturas ex Hadrianô à Mynſicht: nos autem in oris profundioribus ulcerationibus multò efficaciorem conficimus ex Laccâ pulveratâ, oleô tartari, vel nitri fixi per deliquium extractô, modicè irroratâ, ac poſtmodum in ſpir. vini ſ. q. digeſta.

LACCA PICTORUM.

Hæc nihil aliud eſt quàm Magiſterium, è variis plantis, baccis, aut floribus coloratis eductum. Illud autem ſequenti modo paratur ſecundùm accuratiſſ. D. Le Mort. ℞. Herbar. cujuſcunque generis q. v. Iis admiſce ſal alcali in vigeſimâ circiter parte, plus vel minùs, prout libet, deinde adde ſ. q. aq. comm. Coq. ſimul leni igne, ut ſaturato colore imbuatur liquor. Tincturam per ſubſidentiam clarificatam præcipita cum ſolutione aluminis crudi in aq. comm. facta, ſic in pulpam quaſi coaleſcet & deſcendet pulvis, pluribus additionibus aquæ communis edulcorandus, & poſtea exſiccandus. Quæ autem ejuſmodi Magiſteria ex radicibus & floribus aut ſimilibus coloratis fiunt, dicuntur *Laccæ* & pigmentis inſerviunt.

Hactenus Le Mort, de Laccâ autem pictoria ſic rurſus D. Pomet in ſua Aromatum Hiſtor. univerſali. Lacca Veneta ſic olim dicta quod Venetijs parata undique deportaretur, jam Pariſijs exquiſitiſſimè conficitur. Eſt autem paſta dura ex oſſibus ſepiæ, tincturâ è Cochenilia Meſteca, lignô Braſilienſi & alio Fernambouc dictô, alumine Anglicô calcinatô, arſenicô, ac lixiviô è natrô Ægyptiacô, ſeu ſoda alba, aut etiam Alicantina, præparata, infectis compoſita, non alia ratione procedendo quam in præparatione coloris (*Indigo*) dicti.

Lacca autem Colombina dicta è tonſuris pannorū colore coccineo tinctorum, Gallicè (*teints en écarlate*) paratur, dum ſcilicet illæ in lixivio mox deſcriptô incoctæ, de liquore filtratô per alumen pulveratum quicquid coloris ſuſtinet præcipitatur, ac edulcoratum in tabellas quadratas craſſitiei & amplitudinis arbitrariæ cogitur, ac deſiccatur. *Hactenus Pomet.* Qui autem plura de Laccis voluerit conſul. Illuſtr. Robert. Boyle de Colorib. Experim. 49. ſed præcipuè Ant. Neri de Arte Vitrar. Tract. lib. vij. de quo ſub tit. VITRUM.

LACERTUS.

LACERTOS voco Animalia omnia Quadrupeda ovipara, cauda in longum producta. Ovipara ἔξω intellige, ut cum Ariſtotele loquar, ἔξω enim plerique lacerti ζωοτόκοι ſunt. Vera ſci. & genuina ova intra ſe concipiunt, quæ tamen ovorum ſpecie non pariunt

pariunt & ponunt Avium more; ſed in utero fovent & excludunt, & vivos tandem fœtus in lucem edunt. Plerique inquam non omnes: Differunt enim hoc reſpectu, quemadmodum & Serpentes, quorum nonnulli tam ἔξω quam ἔσω ὠοτόκοι ſunt, alij, ut de piſcibus Cartilagineis obſervavit Ariſtoteles, ἔσω μὲν ὠοτόκοι, ἔξω δὲ ζωοτόκοι.

1. LACERTUS *omnium maximus*, *CROCODILUS dictus The Crocodile*. Quem *Wormius in muſeo* ſic breviter deſcribit. Capite eſt lato, roſtro ferme ſuillo, rictu magno, uſque ad locum aurium patente, oculis ſuillis, maxillam ſuperiorem mobilem habens, dentes in utraque acutos, albos, robuſtos, multos, numero, ut puto incerto, qui fortaſſe pro ætate etiam variat. Dentes hi inſtar pectinis conjunguntur: lingua indiſcreta: crura, cum pedibus acutiſſimis unguibus armatis, in latera flectuntur. Caudæ longitudo reliquum æquat corpus: Corio circa ventrem adeò molli, ut quolibet gladio facilè ſauciari poſſit; ſed reliquæ corporis partes adeo dura pelle teguntur, ut telis & ſagittis minime cedant, ſquamis horridis & ſpinoſis refertæ. Colore croceo quibuſdam ſtatuitur, ſed, quotquot ego vidi, ad gryſeum & cinereum inclinant. Forſan vivus ad croceum vergit. Viſus eſt quandoque tantæ magnitudinis ut 26 cubitos æquaverit.

Pigrum eſt Animal, nec in latus facilè vertitur, gratum ſpirat odorem, perniciolum alioquin, quòd unguibus necat, dentibus conterit, denſiſſima oſſa diſſipat. Ova parit Anſerinis magnitudine paria, numero circiter 60. quæ in arena obruit, ubi Solis calore fota abſq; ullo incubatu ſponte fœtus excludunt.

Inveniuntur in *Nilo* & *Nigro* Africæ fluminibus, inque *Gange* Indiæ circa Bengalam & alibi.

Ab hoc ſpecie differre non videtur *Jacare* Braſilienſibus *Cayman*, Æthiopibus in Congo *Marcgrav.* Nam deſcriptio in pleriſque convenit. Linguam (inquit) habet nullam, ſed tantùm mēbranam, quæ mandibulæ inferiori interjacet, & linguæ figuram refert, quam tamen ſuſtollere non poteſt: Oculos magnos, rotundos, claros, [non ſuillos] cæſios, pupillâ nigrâ. Crura anteriora breviora & infirmiora, 5 in pedibus digitos, [3 interiores unguibus armatos, exteriores duos unguium expertes] continentia: poſteriora longiora & craſſiora, 4 in ſingulis pedibus digitos, quorum unus ſcil. exterior ungue caret. Ultima caudæ medietas firmâ pinnâ ſuperiùs erectè ſtante, ad finem uſque dotata eſt, qua inter natandum more piſcium ſe gubernat. Quòd Crocodilus ſolus ex Animalibus maxillam ſuperiorem movet inferiore ſci. immobili, non uno in loco Ariſtoteles affirmat, quem ſecurè nimis recentiores ferè omnes ſecuti ſunt, adnotante *D. Grevio* in R.S.Muſ. Cum ex oſſium ſtructura, hoc eſt articulatione non ſolùm occipitis cum colli vertebris, ſed etiam maxillæ inferioris cum ſuperiore, quæ in hoc Animali cum reliquis conformis eſt, manifeſtum ſit, Crocodilum eodem prorſus modo quo alia Animalia maxillam inferiorem movere.

Crocodilus Zeylanicus elegantiſſimus nigricantibus holoſericeis maculis notatus KIMBULA Zeylonenſibus.

CORDYLUS ſeu Caudiverbera, Uromaſtix Græcis. Lacerta viridi major eſt. Cauda rotunda, in circulos quoſdam ſquamatim diviſa, ſquamis duriſſimis, quæ eam tanquam tegulæ domorum culmina cooperiunt ab alijs Lacertis diſtinguitur. Hujuſmodi in agro Monſpelienſi vidimus.

TAPAYAXIN ſive Lacertus Orbicularis Novæ Hiſpaniæ *Hernandez.* Orbiculari pæne planòque conſtat corpore, ac Raiæ vocatæ quadantenus formâ, ni longè minor eſſet, nec uncias 4 longitudine aut latitudine æquans. Cartilagineum a. eſt hoc genus & multicolor, tactu ſemper gelidum, tardi inceſſus, ac raiò mutans locum etiam contrectatum. Caput duriſſimum eſt, aculeis quibuſdam, corollæ modo diſpoſitis horrens & elatum. Gaudet ab hominibus apprehendi, madinus geſtari contrectarique placita quadam ſecuritate ac tranquillitate immobilis. Illud eſt in eo mirabile, & nulli alij, quod ſciam, commune, compreſſis vexatiſve oculis aut capite, aut parùm indulgēter tractatis, ſanguinis guttas per eos effundere, ac longiùs jaculari, tanto interdum impetu, ut ad trium paſſuum diſtantiam contingat rejectari. Siccatus, in pulverem redactus & ℨi. menſurâ ex aqua aut vino potus lui Venereæ doloribus auxiliatur, eiq; medetur. Vivit in montibus frigidarum regionū, ubi paſſim offenditur.

LACERTUS vulgaris, The common Eſt or Swift. Roſtrum habet obtuſum ovatum: Color ad ferrugineum accedit. Digitos habet quinos valdè exiles cum unguiculis tam in prioribus quàm in poſterioribus pedibus: in his qui indicis locum habet longiſſimus eſt, pollici inferior locus datur. Hujus ſpecies variæ apud nos. 1. Terreſtris vulg. ventre nigro maculato. 2. Terreſtris anguiformis in Ericetis. 3. Parvus terreſtris fuſcus oppido rarus. 4. Lacerta Terreſtris lutea ſquamoſa Anglica *D. Plot. Hiſtor. Stafford.* p. 252. 5. Lacert. aquat. fuſcus, & niger.

LACERTUS viridis, The green Lizard. A colore ita dicitur: vulgari major eſt. In Italia frequenti ſimi habentur. Inveniuntur etiam in Hiberniâ. An Lacertus Hibernicus *Muſ. Tradeſcanti.*

LACERTUS Facetanus Aldrov. Romæ & Neapoli *Tarantola* dicta. Aſpera eſt cute, coloris cinerei, toroſus & craſſior alijs Lacertis. In muris & ædificijs vetuſtis invenitur. Romæ & Neapoli frequens. Color hujus lucidus & aſpectus triſtis fœduſque horrorem videntibus incutit; facie namque externa malignitatem ſuam fatetur. Ego ſanè cùm primùm eum viderem naturæ inſtinctu cohorrui: quamvis doctiſſimus *Joan. Faber Lynceus* timorem ab aſpectu hujus beſtiolæ incuſſum, fanaticum quendam motum ſibi videri ſcribit, ut magis intuentes coloris fœditas atque deformitas quàm animalis ira & malignitas perterrefaciant, cùm his, inquit neq; hominibus inſidiari, nec hos à Tarantulis demorſos & periculum paſſos fuiſſe, qui frequentiſſimas illas viderim, hactenus obſervaverim.

LACERTUS Indicus Senembi & Iguana *dictus.* Amphibium eſt Animal Lacerti forma (inquit Joan. De Laet) cute partim cinerei partim fuſci coloris. Verùm *Marcgravius* totam cutem eleganter viridem eſſe ſcribit; maculis nigricantibus & albis in modum panni undulati variegatam, ſquamulis quibuſdam totam tectam. A cervice ad extremam caudam ſeriem habet planarum, ſed mucronatarum inſtar ſerræ ſpinarum ſecundùm dorſi longitudinem etiam vireſcentis coloris, ad cervicem majores, ſemperque minores fiunt, ut minimæ ſint in extrema cauda. Sub mento ingluviem habet, ad pectus uſque propendentem. Reliquam deſctiptionem vide apud Joan. de Laet & Geor. Marcgravium: nobis hæc ſufficiunt.

Lacertus Braſilianus TE JUGUACU & TEMAPARA Tupinambis dictus Marcg Corporis figurâ, & partibus pleriſque cum *Senembi* convenit. Differt 1. Quòd corporis color niger ſit, elegantiſſimis maculis albis inſperſis varius, ut verſùs caudam 6 quaſi aculeos habeat albos. 2. Quòd cauda in exortu craſſior ſit. 3. Dentatis illis aculeis in dorſo careat. 4. In pedibus poſterioribus exterior digitus paulò remotior à reliquis ſit & brevior. 5. Quòd linguam habeat bifidam longam, rubram, glabram, quam velociſſimè inſtar ſerpentis ad digiti longitudinem protrudit & retrahit. Ἄφωνος eſt: cruda ova ſorbet; inediæ patientiſſimum eſt; ut quòd 7 menſium ſpatio nihil omnino comediſſe antequam inediâ moreretur expertus eſt *Marcgravius.*

In hoc Lacerto verum eſſe comperit Marcgr. quod

Plinius

Plinius ſcribit, Lacertis ſcil. & Serpentibus caudas amputatas renaſci. Nam cùm quiſpiam partem caudæ calcādo detriverat, poſtea de novo ad duos digitos crevit.

TARAGUIRA Braſilienſibus. Longitudo circiter pedalis. Corpus teres, ſquamulis triangularibus cinereis ſeu leucophæis undique tectum. Caret ingluvie ſub mento, & dorſum ei æquale eſt.

In & prope domos, in hortis & ubique frequens eſt. Nutat velociſſimè capite quando aliquid videt, & celerrimè currit motitando corpus. Si videat hominem dormientem, cui ſerpens venenatus aut aliud venenatum animal lædendi cauſa appropinquat, illum excitat nè lædatur.

AMEIVA Braſilienſibus *Marcgrav.* Præcedenti per omnia ſimilis eſt, excepto quòd caudam furcatam habeat, *i.e.* deſinentem in duo cornua recta. Non dari in rerum natura hujuſmodi ſpeciem Lacerti opinor, Nullum enim præterea quadrupes aut in univerſum Animal ſanguineum unquam vidi, legi aut audivi, caudâ bifidâ: proinde quæ hujus generis occurrunt monſtroſa & anomala videntur.

TARAGUICO ATCURABA Braſilienſibus Marcgr. Taraguiræ alia ſpecies eſt, ſuperiori ſimilis, excepto quòd cauda ab initio uſque habet triangulatas ſquamas parvulas. Caudæ extremitas planis ſquamulis tecta eſt, & præterea 4. maculis fuſcis picta: Dorſum & præcipuè poſt caput undatum maculis variis fuſcis.

AMERICIMA Braſilienſibus Marcgr. Lacertulus 3. dig. longus, & pennam olorinam craſſus. Crura & pedes Senembi. Corpus ferè quadratum videtur. Totum dorſum ſquamis veſtitur leucophæis; latera, caput & crura fuſcis, cauda verò cœruleis. Omnes a. ſplendent, & ad tactum apprimè ſunt læves. Digiti in pedibus inſtar ſetarum porcinarū. Venenoſum animal cenſetur.

CARAPOPEBA Braſilienſibus Marcgr. Tres, 4, vel 5. dig. lōgus eſt, venenatus: corporis figura ut reliquorum. Corpus totum hepatici eſt coloris cum albis notulis, in cauda autem albis lineolis. Hinc indè etiam aliquâtum flavi mixtum. Oculi ſplendentes & q. vitrei.

TEJUNHANA Braſilienſibus Margr. Digitum minimum craſſus eſt, capite acuminato ut Senembi: Caudâ teres 6. dig. longo, & inſtar aciculæ in extremitate acuminata. Caput ſquamoſa cute tegitur; Dorſum, latera, & crura exteriùs cute veſtiuntur ad tactum molli inſtar holoſerici. Cauda ſquamulis quadratis minuſculis tegitur, guttur itidem & infimus venter, ſed majuſculis. Caput fuſceſcit. Dorſum & latera lineis fuſcis & viridibus, punctiſque viridibus & nigris ſecundùm longitudinem ductis perbellè pinguntur: quo ordine diſpoſiti ſunt hi colores apud Autorem noſtrum v de. Caput inferiùs, guttur & infimus venter candidi ſunt coloris ſanguineis notis variegati: Cauda ſuperiùs coloris eſt cerei obſoleti, inferiùs carnei cum albo mixti.

Præter Braſilienſes hoſce lacertos à Marcgravio, deſcriptos, *Rochefortius* in Hiſtoria naturali *Inſularum Antillarum* Gallice ſcripta quatuor aut quinque ſpecies proponit à *Marcgravianis Braſilienſibus*, quantum mihi videtur, diverſas. Primam ſpeciem *Les Anoles* vocat, in Domibus ubique frequentem; magnitudine Lacertorum vulgarium Gallicorum, verùm capite longiore; pelle flavicante; dorſo lineis cœruleis, viridibus & griſeis ſeu cinereis, à capite ad extremam uſque caudam deductis ſtriato. In terræ cavernas ſeu foramina internoctu ſe recipiunt; unde per totam noctem ſtridorem edunt, vehementiorem magiſque moleſtum quàm eſt Cicadarum. Interdiu in perpetuo ſunt motu, *&c.*

Secundum nominat *Les Roquets*, qui *Anolis* dictis minores ſunt; pelle coloris xerampelini, punctulis flavis aut nigricantibus notati. Pedes anteriores bene longi ſeu alti. Oculi ſcintillantes & vividi. Caput in aerem elatum perpetuo tenent: & velut Aves indeſinenter ferè ſaltant. Cauda ſupra dorſum catenus reflexa eſt, ut circulum & dimidium plerunque efficiat. Hominum aſpectu delectantur. Cùm à curſu incaleſcunt, canum more os aperiunt, & linguam exſerunt.

Tertiam ſpeciem *Maboujas* appellat. Colore differunt. Qui in arboribus putridis, locis paluſtribus, aut vallibus profundioribus quò radii ſolares non penetrant, degunt, nigri ſunt & aſpectu horridi, unde *Maboujas* i.e. Diabolorum nomen ab Indis iis impoſitum: Pollicem circiter aut paulò plus craſſi ſunt, 6. aut 7. pollices longi. Pellis velut oleo inuncta videtur.

Quartam Gallico vocabulo *Gobe mouches* indigitat, quòd muſcis venandis ſe continuè exercent. Quadrupedum omnium in hiſce inſulis naſcentium minima ſunt, Stelliones dictos figurâ imitantur. Sunt qui velut auro aut argento foliato ſuperinducti videntur, alii viridi deaurato, aliiſve coloribus mirè ſplendentibus tincti. Hominibus adeò familiares ſunt, ut audacter conclavia & cœnacula ſubintrent, nec quicquam mali faciant, ſed è contra muſcis aliiſque moleſtis & importunis beſtiolis ea purgent & liberent. Quas mirâ induſtriâ, dexteritate, agilitate perſequuntur, ut venatorum technæ prægenio & artibus hujus animalculi planè ſordeant. Cætera videſis apud Autorem. Cæterùm adeò cicures & familiares naturâ fiunt, ut etiam menſas dapibus ſtratas conſcendant inter prandendum aut cœnandum, & ſi muſcam aliquam videant, ut eam capiant convivantium quadras aut etiā manus ipſas & veſtimenta tranſcurrere non verentur. Sunt autem adeò mundi & nitidi, ut quamvis ipſa fercula & dapes tranſeant, nè minimam prandentibus nauſeam aut faſtidium creent. A morte ſtatim evaneſcit colorum ille ſplendor & gratia; pelle in pallidum & lividum mutatâ.

Quintam adhuc beſtiolam memorat, quam Lucium terreſtrem [*Brochet de terre*] nominat, quia figuram integram, & pellem Luciorum fluviatilium obtinet: verùm pinnarum loco quatuor habet pedes; qui tamen adeo debiles ſunt, ut inter reptandum illis non utatur ſed ſuper terram trahat, nam ſerpētum modo incedit. Maximi 15. pollices longitudinis non excedunt, craſſitie proportionatâ. Eorum cutis ſquamis parvis tecta eſt valdè relucentibus, colore griſeo argentato. Durante nocte ſtridorem edunt horrendum è rupibus imis & cavernarum fundis ubi deliteſcunt. Sonus quem reddunt, longe vehementior eſt & ingratior ranarum aut Bufonum coaxatione. Rariſſimè prorepunt & ſe conſpiciendos præbent niſi ſub veſperam. Quòd ſi de die occurrant, eorum motus qualem diximus terrorem non modicum videntibus incutit.

Tandem & ſextam ſuperaddit lacertorum ſpeciem in locis paluſtribus non raro inventam, dum terram cavant à puteorum & conceptaculorum aquæ foſſoribus aſpectu trucem & formidabilem. Septem circiter pollices longi ſunt. Dorſum nigris ſquamulis tegitur, aliquot etiā griſeis inter nigras diſſeminatis, quæ adeò relucent, ut oleo inunctæ videantur. Venter imus non minùs quàm dorſum, ſquamoſus eſt: Cutis tamen colore eſt flavicante ſeu pallido. Caput parvum & acuminatum; os in ſatis amplam aperturam fiſſum, pluribus dentibus iiſq; acutiſſimis armatum. Oculi parvi, lucem tamen diurnam ferre nō poſſunt. Quamprimum enim quis eos è terra extrahit, conantur illico pedibus ſuis (quorum unuſquiſq; 5. unguibus duris & incurvis inſtruitur) foramen effodere Talparum more, ſeque iterūm ſub terra condere, cuniculis factis quò volunt viā ſibi facientes. Hortos mirum in modum vaſtant, Arborum & herbarum radices erodentes. Eorum morſus non minùs venenoſus & nocivus habetur quàm perniciosiſſimi Serpentis.

LACERTUS INDICUS Cluſ. Ex. Worm. Muſ. p. 313. *Bugelugey* R. S. Muſ. Quatuor fermè pedum Rom. longitudines

gitudine erat, 9 unc. ambitu. Capitis & colli longitudo uſque ad anteriores pedes, 8 fermè unc. trunci corporis ab anterioribus cruribus ad poſteriora 9: cauda in longum & tenuem deſinens mucronem pedes 1. & unc. 4. Color fuſcus, ſed maculis variis ex albo ad cœruleum vergentibus,nunc majoribus,nunc minoribus,quadratis & formâ rhomboide,inordinatè diſpoſitis per totum corpus variegatas. Cutis ſquamis veſtita,circa caput & collum rotundis,mox ad dorſum quadratis,per caudam oblongis circulariter diſpoſitis.

Rictus pro ratione capitis magnus ; dentes parvi, anteriores acuti,poſteriores obtuſi. Pedes ſ. crura poſteriora,anterioribus,quamvis ſatis craſſis & toroſis, duplo craſſiora & longiora,majoribus ſquamis; Digitis longiſſimis & valdè inæqualibus, unguibus dotatis : incurvis,acutis , & flaveſcentibus. Reliqua vide apud Autorem. Squamis in ventre 5 aut 6 vicibus iis quæ in dorſo majoribus à reliquis lacertis diſtinguitur.

Lacerti alterius peregrini iconem,& deſcriptionem ex pictura concinnatam exhibet Clariſſ. *Cluſius* Exot. lib.5.cap.21.cujus longitudo trium pedum erat, ambitus novem unciarum.

Lacerta *Zeylanica* maxima,ex gryſeo cinerea,Chamæleontis capite,pugnax. *D.T.Robinſon* è muſeo *Lejdenſi*. Eundem etiam vidit idem *D.Robinſon* in muſeo *D. Charleton.*

SCINCUS ſeu *Crocodilus terreſtris*. Animalculum Officinis noſtris non ignotum,parvam Lacertam magnitudine non ſuperat,utpote pedem dimidium vix æquans,craſſitie pollicis,colore cinereo , ſquamoſus, cauda rotunda,capite oblongo , roſtro acuto,pedibus q. alatis,digitis quinis unguiculis armatis.Locus Arabia aut Ægyptus. *Worm. Muſ.*

Locum obtinuit in variis Antidotis,& ad venerem ſtimulandam pulvis ejus efficaciſſimus habetur. Pedem habet planum & latum humanæ manus inſtar, digitos breviſſimos,unguiculis nullis.*D.Grevv.*

SEPS ſive *LACERTA CHALCIDICA*, Columnæ Aldrov.628. Hanc Liburni in litore maris arenoſo invenimus. Serpens potiùs pedatus eſt quàm lacerta. Parvus erat,rotundus,lineis nigris in dorſo parallelis ſecundùm longitudinem ductis diſtinctus. Oculos habuit parvos auréſque;in acutam caudam deſinebat. Quod imprimis mirabile eſt, 4. habuit minutiſſima crura,pedéſque in digitos fiſſos,ad ambulandam inutiles;primum par non longè à capite;ſecundum propè exitum excrementorum.Squamæ reticulatæ , ſingulæ ſci. rhomboides , diametro longiore ad piſcis longitudinem tranſverſa. Venter albet cum tantilla cœrulei mixtus. Prope roſtrum extremum duæ nares. Pulmo longus,in duos diviſus lobos : Hepar itidem prælongum.Ovaria bina.Columna è prægnantis utero 15 vivos fœtus exemit,quorum alii membranis exuti, alii pelliculâ diaphanâ circundati erant ,ut in viperæ catulis obſervatur;unde & viperæ hanc accenſet. Cæterùm Columnæ deſcripta à noſtra ſpecie fortè diverſa erat;nam & multo major,utpote bipedali longitudine erat,& tota æreo colore,non lineis nigris ſtriata. Serpentinam & elegantam hanc Lacertam obſervavit *D.Tancred.Robinſon* in Muſ. Clariſſimi viri *D. Charleton.*

STELLIO, The Svvift or Spotted Lizard. Maculæ quibus pingitur hoc genus non ſtellatæ ſunt,ut nomen innuere videtur,ſed rotundæ;minores confuſè & nullo ordine ſparſæ;majores in 13 zonas ſeu annulos dimidiatos diſpoſitæ. In dorſo maculæ clariores ſunt magiſque diſtinctæ quàm in cauda. In Thracia,Sicilia & Syria invenitur *D. Grevv.*

Lacerta dorſoſtriis albis cruciformibus inſignito Cap. Bonæ ſpei *Tachart.* f. 12.

Lacerta Indica tota maculoſa Tockay dicta *ejuſdem.*

Salamandra terreſtris. Lacerto viridi ſimilis eſt, ſi caput & ventrem,quæ craſſiora ſunt,excipias. Breviorem habet caudam , colorem nigrum maculis rubeis inquinatum,ſed quadam lævitate lucidam.In alpibus Stiriacis obſervavimus,ubi frequentes inveniuntur. Salamandram aquaticam à terreſtri ſpecie non differre ſunt qui affirmant,quantumvis & colore , & figura præcipue caudæ,(quæ in terreſtri teres eſt,in aquatica lata & compreſſa)plurimũ differant,cùm enim aquam deſerunt tum colorem mutant, tum figuram caudæ è compreſſa in teretem.Nos rem in medio relinquimus, cùm de eo nondum conſtet,nihil temere neque affirmantes , nec negantes.

Quòd Salamandra ſine ullo incommodo in igne vivere poſſit à vulgo creditum,verùm à Doctoribus dudum abunde refutatum eſt.

Salamandra aquatica,the Water Eft. In aquis ſtagnantibus & piſcinis frequens eſt. Cauda compreſſa eſt & in acumen deſinit.

Plures Salamandræ aquaticæ ſpecies apud Autores occurrunt:D.Grevv in Deſcriptione *Muſei R. Societ.* tres enumerat.Primam *Parvam vulgarem* vocat , cui truncus craſſior,roſtrum obtuſum ovale: pedes poſteriores ab anterioribus longiſſimè diſtantes.Secundam Salamandram *tenuem* ſeu *gracilem* nuncupat , cui caput,pro ratione craſſius , roſtrum longius & acutius quàm præcedenti,truncus corpus gracilior minuſque ventricoſus. Pedes poſteriores anterioribus propiùs admoti.Tertiam *Craſſicaudam* denominat , cui cauda minùs gracilis & mucronata quàm utrivis antecedentium,in obtuſum deſinens,pedes etiam poſteriores anterioribus adhuc propiores.

De Salamandra qui plura velit conſulat Doctiſſimi D.Pauli Wursbainii Norimbergenſis Salamandrologiam Norimbergæ impreſſam 1683.Salamandram viviparam eſſe teſtatur experientia propria.V. *Jacobæum de Ranis & Lacertis,Cap.*1.Ova ſua fortè in utero fovet,& excludit vivos fœtus more viperarum.

Lacertus peregrinus ſquamoſus *Cluſ.Exot.* Auctar. ubi & icon ejus habetur,ut & apud Bontium & Beſlerum. Cluſius eum ſatis prolixè deſcribit,ut & Grevius noſter in *Muſ.Reg.Soc.*Longitudo D.Grevio deſcripti, unius erat ulnæ & dimidii i. e. 12 ½ pedum : capitis (nam collum non habet)à ſummo roſtro ad pedes primores trium tantùm unciarum,quod imprimis notabile eſt;trunci corporis à pedibus anterioribus ad poſteriores 11 non plus digitorum erat.Caudum à poſterioribus pedibus ad extimum ejus mucronem longiſſimam habebat,ut quæ ulmam unam & octavam inſuper partem æquaret.Totum corpus,excepto gutture & intima parte ventris,ſquamis latis,magnis , rigidis, ſtriatis,& mucronatis munitum erat ? illæ verò quæ collum & capitis ſupremam partem tegebant,ſemunciam non erât longæ:atquæ mediam corporis partem inter crura comprehenſam muniebant , binas uncias longæ & ſeſcunciam latæ:quæ deinde per caudæ longitudinem ſpargebantur,adeò amplæ non erant , ſed ſenſim versus ejus extremum procedendo minuebantur,ut extremam caudam occupantes iis quæ collum tegebant vix ampliores eſſent:earum a.quæ caudæ latera utrinque claudebant forma prorſus reliquis diſſimilis:nam planè non erant aliarum inſtar,ſed cavæ & veluti geminatæ , quia pronam & ſupinam laterum partem tegebant:præter illas totius caudæ prona pars tribus ſquamarum ordinibus erat munita totidem etiam ſupina,paulò tamen minoribus, quibus deinde conjunctæ laterales illæ geminatæ : anteriora crura paulò breviora erant poſterioribus , eaque ſuprema duntaxat parte quibuſdam ſquamis tecta:horum denique reliqua pars cum pedibus nigris villis obſita. Pedes a. 4 unguibus præditi , quorum ſecundus aliis multo major,unciam,*viz.* longus,craſſus, uncus & niger,alii verò candicabant:& poſteriora crura pedum

tenus

tenus ſquamis erant obſita,& ſupinam duntaxat illorum partem pili veſtiebant;horum ſimiliter pedes 4. unguibus præditi ; ſed minoribus quam anteriores; parvum inſuper calcar anteriore parte adjunctum habebant.Animalis guttur,& ventris ima pars villis obſita.Locus ejus natalis nobis nondum innotuit.

Animal mite admodum & manſuetum eſſe dicitur.

Ex pilis quibus prona pars corporis tegitur ad Animalia quadrupeda Vivipara pertinere exiſtimo, non ad hoc genus;quamvis ob corporis formam Lacertis ſolet annumerari.

Lacerta volans Indica.*The Flying Indian Lizzard.* Hujus iconem ad vivũ delineatam *Nicolaus Grimmius* ex Indiis redux ſecum attulit , quæ ſculpta extat in *Ephemer.German.*Anno 12.De Lacerta autem illa hæc annotavit prædictus Grimmius,*Hæc in arborum fruticũmque ramis vitam conſervat ſuam; formicis veſcitur, muſcis,& papilionibus,aliiſque inſectis minoribus ; nec hominibus,nec Animalibus unquam noxia.*

Animal ipſum integrum in Spiritu vini ſervatum vidi nuperrimè Londini apud illuſtrem virum *D. Guil.Charlton* è Medio Templo. An Lacertus volans Bontii?An Draco vel Serpens alatus *Geſneri ?* Lacertæ volantis alteram ſeu ſecundam ſpeciem apud eundem clariſſimum virum *D.G.C.*obſervarunt alii.

*Chamæleo,The Chămelion.*Cur beſtiola hæc Chamæleo, *i.e.*Leo pumilus nominetur rationem probabilem non invenio apud Grammaticos aut Hiſtoriæ Animalium Scriptores.*Panarolus* à longitudine caudæ ità dictã opinatur,quæ in extremitate ad ſimilitudinẽ Leoninæ retorquetur. *Licetus* quia ut Leo alia Animalia venatur & devocat,ſic Chamæleo Muſcas prædatur.

E genere Quadrupedum Oviparorum eſt, Lacertis affinis & ſimilis, præterquam quòd caput & dorſum non depreſſa & plana ſunt Lacertinorum inſtar,quódque crura habet longiora.

Bellonius duas obſervavit ſpecies,nimirum 1.*Arabicum*,qui puſillus eſt , vix viridem excedens lacertum, colore albicante,ſubfulvis & rubentibus maculis diſtinctus.2.*Ægyptium*,qui duplo major,colore interIndicum & viridem ambiguo,quem ex luteo in fulvum variè commutare ſolet.*Jo.Faber Lynceus* tertiam addit, nimirum Chamæleontem *Mexicanum*:imo quartam. Nam *Bellonii* neuter(inquit) cum neutro noſtrorum, h.e. neque cum Mexicano,neque cum eo quem Romam allatum vidimus congruebat.

Chamæleo ille quem deſcribunt *Pariſienſes* è genere *Ægyptiaco* erat,undecim nimirum digitos & dimidiũ inſuper longus comprehenſa cauda, cùm *Arabici* & *Mexicani* ſex plerunque uncias longitudine non excedant.Caput digitum unum & decẽ lineas(menſuræ Pariſienſis)æquabat:à capite ad caudæ initium 4 digiti erant.Cauda 5 erat digitorum:pedes ſinguli 2½.Moles ſeu craſſitudo corporis varia erat prout ſe vel dilatabat vel contrahebat.A ſummo dorſo ad imam ventris carinam duæ interdum unciæ erant alias paulo plus uncia una,Hæc autem intumeſcentia & contractio non tantum per thoracẽ & abdomen extendebatur,ſed ad pedes uſque priores & poſteriores,& ipſam etiam caudam pertinebat. Hi autem motus intumeſcentiæ & contractionis,non ut in aliis Animalibus,quæ ſucceſſivè & æquis fere temporis intervallis pectus & ventrẽ aërem inſpirando extendunt & expirando contrahunt, facti ſunt. Vidimus enim corpus ad horas uſque duas tumidum & inflatum manere , quo temporis ſpatio quamvis paulatim ſubſideret & detumeſceret, ità tamen ut id ægrè percipi poſſet;deinde iterũ intumeſcebat;cum hac differentia , ut dilatatio multò celerior eſſet & viſibilior;idque longis & inæqualibus intervallis:Vidimus etiam contractum & vacuum per longum temporis ſpatium durare , & diutiùs multò quã tumidum. Quo in ſtatu adeò macilentus apparuit ut ſpina valdè acuta videretur , coſtæ omnes facilè numerari poſſent,& pedum tam anteriorum quam poſteriorum tendines valde clare & diſtinctè nudo etiam cernerentur oculo.At neque vertebræ inſtar Serræ(ut *Geſnerus* & *Scaliger* tradunt) per dorſum videbantur; neque ſpinæ illæ parvæ quas pro tutela ei datas *Panarolus* memorat,nobis comparuere:verùm quantumvis macilentus & ſtrigoſus evaderet,ſpina tantummodo acuta,æqualis remanſit abſque ullis dentibus aut punctis eminentibus.Hæc autem macilentia & ſtrigoſitas adeò inſignis erat,ut *Tertullianus* Chamæleonem nihil aliud eſſe quam pellem vivam non ineptè dixerit.

Ipſius caput ſecundum *Panarolum* quandam cum Sue ſimilitudinem habet,ſed propter acutiem Arietinum æmulatur;undique à dura ſquama mediante,tanquam Crocodilus fortiter armatum eſt. *Ambroſino* , A medio capite retrorſum oſſea pars triquetra eminet; reliqua pars antrorſum colligitur cava & q.canaliculata,eminentibus utrinque oſſeis marginibus aſperis & leviter ſerratis.Pariſienſes caput Piſcis capiti aſſimilant,thoraci proximè , collo intercedente breviſſimo , duabus utrinque cartilagineis eminentiis inſtar Piſcis ad latera tecto,annexum.Criſta in vertice erigitur,& duæ aliæ ſupra oculos:inter has criſtas in ſummo capite cavitates ſeu convalles duo ſecundùm longitudinem extenduntur.Naſus ſeu roſtrum obtuſum duplici acie à palpebris ad extremũ decurrente, unde Raninum refert. Maxilla inferior ultra ſuperiorem excurrit.In extremo roſtro foramina duo , hinc indè unum,Narium inſtar:quæ *Bellonius* Auditui inſervire exiſtimat.Et revera non alia habuit Chamæleon noſter foramina in capite quàm nares haſce , per quas reſpirare eum veriſimillimum eſt,cùm os plerunque adeò arctè clauſum ſit,ut nullum habere videatur, maxillis lineâ vix perceptibili junctis.

Maxillæ dentibus munitæ ſunt aut potius oſſe continuo denticulato,qui tamen nullius uſus ei ad mandendum videbantur,cùm muſcas aliaque inſecta quæ capiebat integra deglutiebat abſque ulla commanducatione.Fortè ei inſerviunt ad baculum quo,*Æliano* referente,ſe adversùs Serpentes tuetur , firmiùs in ore, tranſverſim ſcilicet ab iis deglutiatur,retinendum.

Os peculiari modo ſciſſum erat. Cùm enim in aliis pleriſque Animalibus apertura labiorum ulteriùs quàm faucium ad duarum linearum longitudinem extendebatur,& obliquè deſcendebat.

Forma,ſtructura & motus oculorum peculiare quid & ab aliorum Animalium diverſum obtinebant. In cavo receſſu prægrandes erant;ſphærici oſſe videbantur,& ad hæmiſphærium extabant , quod palpebra unicâ ceu pileo integebatur,media parte foraminulo pervia,per quod pupilla vivida & lucida circello aureo cincta ſatis clarè diſcernebatur:Palpebræ reliquæ cutis inſtar aſperæ erant,& colores mutabant unà cum reliquo corpore. Anterior pars oculi palpebræ affixa erat,ejuſque motũ perpetuo ſe tuebatur,nec ut in aliis Animalibus ſeorſim ſe ex tollere aut deprimere potuit. Foraminulum prædictum tranſverſim ſe claudit & dilatat,ut unicam efficiat rimam;cujus labium ſeu margo ſuperior cum inferiore exactè coit & unitur.

Verùm præcipuè notabilis eſt & admiratione dignus oculi utriuſque motus,ut ità dicam,ſolitarius;nam uno aliquando immoto alterum volvit,unum ſurſum,alterum deorſum;unum dextrorſum alterum ſiniſtrorſum flectit:imò quod omnem ferè admirationem ſuperat, motus hi adeò notabiles & exceſſivi ſunt , ut oculos ſub criſta ſupercilium efficiente eouſque ad canthos circumagat Animal,abſque ullo capitis,quod ſcapulis affixum eſt motu,ut non minùs clarè quæ directè retro ſita ſunt aut geruntur cernat,quàm quæ ante.

Pars illa corporis quæ truncus appellatur, quæque thoracem & abdomen continet tota fere Thorax erat

abſque

abſque ullo abdomine:coſtæ enim ad ilia uſque deſcendunt, cùm in aliis multis Animalibus in lumbis vertebræ tranſverſas duntaxat apophyſes habeant, non coſtas adnexas.

Pedes omnes ſimiles erant è 5 digitis,tribus antrorſum, duobus retrorſum ſpectantibus compoſiti, poſticis duobus anticos tres magnitudine æquantibus: differunt,quod pedes anteriores duos ab externa, tres a. ab interna parte digitos habeant; vice verſa poſteriores duos ab interna,tres ab externa.Ungues recurvi ſunt.

Inceſſus tardior erat quàm Teſtudinis,& ridiculus admodum videbatur,quia cùm crura brevia non eſſent, nec ut in Teſtudine impedita, verùm libera & ſoluta,affectata quadam gravitate ea movere viſa eſt. Hujuſmodi greſſum nonnulli pro timiditatis ſigno habent:verùm *Pariſienſes* cautelæ & Providentiæ effectum eſſe exiſtimant. *Panarolus greſſus ideò ridiculos eſſe* ait, *quod inconcinnè dum pedes in parte ſiniſtra approximat, removet maximè ex dextra parte alios, & è converſo dum approximat pedes ex parte dextra, ex ſiniſtra eos quàm maximè retrahit, atque hunc motum fatuè & inconcinnè cum aliqua corporis flexione perficit. Sed ſi ſuper arbores ambuletità veloces ſunt greſſus, ut volatum mirificè æmuletur.*

Cauda,nimirum cum inflata rotundaretur, Viperæ aut Muris domeſtici majoris rati dicti caudam ſatis bene referebat, aliàs tres ſecundùm longitudinem eminentias habuit è ſpinoſis & obliquis vertebrarum Apophyſibus compoſitas, duas inſuper, hinc indè unam,ex Apophyſibus tranſverſis factas. Caudâ etiam ramis circumvolutâ,præſertim quando deſcendebat, corpus firmabat,eaque tanquam manu utebatur.

Quòd Chamæleon linguam habeat teretem Pici Martii in modum,lumbrico terreſtri ſimilem,per totum concavam & ſacci inſtar in ſummo apertam, in cujus extremo ſpongioſus quidam & glutinoſus nodus eſt,ſeu,ut alii,caruncula lata & rotunda, caput aciculæ referens,quam[linguam] mira velocitate & velut momento Sagittæ inſtar in longum evibrans, muſcas aliaque inſecta agglutinata corripit,in os attrahit,& illico devorat, neoterici omnes qui de eo ſcripſere conſentiunt?Unde patet Veteres falſos fuiſſe,qui Chamæleonem aëre ſolo victitare tradiderunt: *Pariſienſes* etiam ventriculum & inteſtina muſcis repleta obſervarunt, quin & excrementa choleâ flavâ aut vireſcente mixta,quotidie fere ab eo evacuata, ad modum Animalium quæ alio genere victus quam aëre utuntur.E recentioribus nonnulli Chamæleonem quòd inediam diutiſſimè toleret,nec menſis interdum ſpatio muſcam unam capiat,ut experti ſunt qui vivum aluerunt,partim inſectis partim aëre nutriri crediderunt. Conſideratione digniſſimum judico (inquit *Franciſcus Nydermajer* apud *Jo. Fabrum*) quomodo hoc Animal ex unica muſca, tanto temporis tractu, plurium non ſolùm dierum, ſed unius atque alterius etiam menſis ſpatio, ſufficiens haurire nutrimentum potuerit. Verùm facilè reſpondetur,hoc non Chamæleoni peculiare,ſed toti Serpentino generi commune eſſe,rariſſimè veſci & famem facile pati, quia ſcilicet naturæ admodum frigidos ſint,nec multum alimenti abſumant, & per totam ferè hyemem torpida & immota jaceant:quin & nonnulli obſervârunt hoc genus Animalia uno tantùm anni tempore veſci, quod illis in reliquam ejus partem ſufficiat.

Quo artificio ſeu naturæ mechaniſmo lingua exſeritur in tantam longitudinem & pro libitu retrahitur, inter Phyſicos non bene convenit. Quæ Pariſienſes habent apud ipſos vide.

Id quoque quod ventis Animal nutritur & aurâ,
Protinus aſſimilat tetigit quoſcunque colores.

De priore jam diximus: Quod ad poſterius, Panarolus Chamæleonis colorem cinericeum eſſe affirmat, qui etiam poſt mortem,ſed aliquanto dilutior remanet,ſed ſecundum animi paſſiones,calorem vel frigus colorem variare:videlicet vel aliquid rubri acquirere, ità ut color cinericeus rubeſcens appellari poſſit; vel aliquid viridis,ut color cinericeus vireſcens nuncupari queat:ab objecto autem proximo colorem nullatenus recipere. Quæ *Pariſienſes* de colorum mutatione habent,quamvis lectu ſane digniſſima, quoniam ſatis longa ſunt,huc transferre noſtræ non convenit brevitati. Videat qui volet apud ipſos.

Liene prorſus caret. Pulmones ſecundum *Panarolum* & *Nydermayer* admodum ſpongioſi,rari & parvi formati ſunt.Plinius aliíque pulmonem maximum ei tribuunt:Bellonius etiam pulmones magnos deſcribit. per ventris latera exporrectos. Quæ facilè concilliantur,quoniam in hujuſmodi Animalibus pulmones ex vehiculis conſtant, quæ propemodû inviſibiles ſunt, niſi quando inflantur.Verùm (ut experti ſunt Pariſienſes)aëre per aſperam arteriam inſpirato vacuitates magnæ in dextro & ſiniſtro viſcerum in medio ſuſpenſorum latere,membranarum quæ ante inflationem non apparebant intumeſcentiâ ſtatim reprobantur; nec cavitates tantùm,ſed & lobos quoſdam in utroque latere extendebat flatus Cyprini veſicam referentes, nonnullos digiti longitudine & craſſitie, alios multò minores &c. *Raius in Synopſi Hiſtor. Quadrupedum.*

Hactenus de Lacertis in genere jam de Lacerto in ſpecie ſic dicto videndum ex Schrodero ejuſque Commentatore Hofmanno quid ad Medicinam faciat.

Σαῦρος,σαῦρα, Lacertus,Lacerto, *Egochs*, *Ader*, *Jchtâchs,Moll. The Lizard,Nevvt* or *Esk. Een Egedis, Egdiſſe*, *of hagedis.*

Inſectum eſt quod figurâ notum,colore varians;bufonibus ac araneis inimicum.

N. *Lacertus ſi diſſectus fuerit, pars utraque movetur aliquamdiu,& ſi concurrerint. coaleſcunt rurſum. Sunt qui oculos ſi effoſſi ſint,renaſci dicunt,id quod & de cauda ſi amputetur,Plinius affirmat.Degunt in cavernis terræ, ruderibus murorum aliiſque locis aſperis,veſcuntur Cicadis,Cochleis,Gryllis, Apibus.*

Lacertus eſt { Terreſtris,*de quo hic & minus veneratus.*
Aquat.*qui venenoſus habetur, & rarior uſus.*

N. *Commendatur præ reliquis genus lacerti viride & magnum,verum cum in hiſce regionibus minus uſitatum id ſit,lacertum communem hic deſcribimus.*

Vires.Elicit è corporibus ſpicula,vitra, &c. (*ſectus, vel cum ſale tuſus & impoſitus,imprimis v.caput.*)capillos renaſci facit,(*cum adipe illita caro,vel cinis applicatus.*)Ictui ſcorpionum ſuccurrit. Commendatur itidem ad herniam infantum. (*ſi decocto lacerti laventur,*)ad facilem evulſionem dentium,(*pulvis aquatici Lac affricatus.*)

N. *Sunt qui ajunt lacerti exiccati pulverem gingivis illitum facere ut ſine difficultate ſine dolore, atque ſine inſtrumente dentes extrahi queant.*

PRÆPARAT.

Oleum infuſum.

Fit ex infuſione Lacertorum vivorum N. vij. in ol. commun. ℔iß.

Vires. *Commendatur ad faciei rubedinem emendandam (illitum)*

HOFMAN *Lacertus.*)Meminit & alterius *Lacerti orbicularis* Novæ Hiſpaniæ ſeu Mexicanæ nomine *Tapayaxin Nardus Antonius Recchus Lib.9.Cap.16.*Novæ Hiſpaniæ cujus caput eſt duriſſimum & nonnullis aculeis elevatum. Gaudet ab Hominibus apprehendi, manibus geſtari & contrectari,placida quadam ſecuritate & tranquillitate immobilis.Quare amicus hominis

minis φιλάνθρωπος ab indigenis nuncupari ſolet. Hoc in eo eſt mirabile compreſſis aut vexatis oculis, aut capite, ſanguinis guttas per eos effundere, ac longius jaculari, qualis detrahi ſolet, ab homine temperatiſſimo & ſana favente valetudine, tanto ſæpe impetu ut ad trium paſſuum diſtantiam contingat rejectari. Siccatum ad ignem, & pulveriſatum devoratumque ex vino aut aqua unius drachmæ menſura Morbo Gallico & doloribus ab eo ortis ſummè auxiliari ſolet, quod multis comprobatum eſt experimentis evacuata Morbi cauſa per ſuperna & inferiora ac demum evacuata urina.

Aliàs *Wormius & alterius meminit Iguanæ* vocati, in cujus capite *Lapis* reperitur præſentiſſimum contrà Calculum remedium *in Muſæo. Lib.3.Cap.20.*

LACHRYMA.

Lachryma in Phytologiâ eſt humor è plantis tum ſpontè effluens (ſive is concreſcat v. g. in oleum, reſinam, gummi, ſive non) tum facta inciſione emanans. Spigelius in eo lachrymam diſtinguit à Succo, quòd liquor qui ex contuſa herba exprimitur aut elicitur, Succus vocetur; qui verò vel ſpontè, vel inciſione manat lachryma. *Raius.*

LACHRYMA JOBI.

Lachryma Jobi, ſeu *Lithoſpermum Arundinaceum*, ac *Maius*. vid. ſub titulo *Milium Solis*;

LACONICUM, vid. *Hypocauſtum.*

LACTRIA, vid. *Eſula.*

LACTUCA.

Lactuca (θρίδαξ) quòd copia Lactis exuperet dicta eſt, quodque fœminas Nutrientes lacte impleat.

Hujus *notæ* peculiares, quibus à congeneribus diſtingui poſſit, ſunt ſemina brevia, latiuſcula & compreſſa, utrinque acuminata, caules graciliores, firmiores, & minus concavi, capitula minora.

Hujus duo ſunt genera, ſativum & ſylveſtre, ad poſterius genus reducimus plantas nonnullas Chondrillæ dici ſolitas, unam etiam cujus ſemen lactucæ ſemini non reſpondet, ob capitula parva quibus lactucam refert; nimirum Chondrillam vimineam dictam.

Lactucas hic non ulterius deſcribimus quando quidem ſatis ſuperque notæ ſunt, & ad vires continuò pergimus.

Vires Lactucarum ſativarum. Refrigerant, ſtomacho gratæ habentur, bilis effervescentiam & æſtum compeſcunt, ſomnum conciliant. Declinante ætate (inquit Galenus) ex ſe inſomni, graviter hoc incommodo afficiebar, adverſus quod unicum mihi præſentiſſimum remedium lactuca veſperè commanducata fuit; pleriqùe antequam excauleſcat in aqua elixa utuntur, ut ego jam facio, (inquit Galenus) ex quò dentes mihi deteriores eſſe cœperunt. Lac augent, alvum leniter movent (neque alvum cohibent, uti neque impellunt) ventriculo conveniunt multique ac laudabilis nutrimenti ſunt, verum decoctæ, magis alunt, coitum tamen avertere dicuntur, & ſi aſſidue edantur viſus hebetudinem inducere.

In phrenitide, delirio, febre ardente &c. applica temporibus & ſuturæ coronali, imò carpis, nempe linteum duplicatum aut triplicatum permadefactum aqua lactucæ, in qua verbi gratia in lib. i. pond. medicin. ſalis nitri pp. & cryſtallizati aut ſalis prunellæ ℥ß. diſſolutæ fuerint: quod medicamentum longè præfero his in caſibus oleo roſaceo cum lactucæ ſucco permixto. Sim. Paulus.

Vires Lactucæ Sylveſtris, De viribus lactucæ ſylv. veteres prodiderunt quod ſcilicet ſemen ejus non minus quam ſativæ libidinum imaginationes in ſomno amolitur, & venerem arcet, quodque ſuccus ad eadem valet, an huic plantæ conveniant dubito. Narcoticam eam eſſe & ſoporiferam, adeóque viribus papaveri ſimilem, ut Dioſcorides & Plinius tradunt, opii vehemens & viroſus odor abundè convincit. Verum omnia in genere opiata irritare potius quam extinguere appetitum ad venerem me jampridem monuit D. Mart. Liſter. ſaltem modicè ſumpta non ſecus ac vinum ac alii generoſi liquores quibus & viribus quodammodo reſpondere videntur; de lactuca ſativa aliter ſe res habet: hæc enim dum adhuc recens & tenera eſt, antequam excauleſcat, commanducata certo certius veneri adverſatur & libidinem extinguit.

Hujus herbæ incenſæ fumo animi cauſa naribus excepto ſe veluti conſternatum & vertigine ſubita correptum & eodem planè modo affectum ſenſit idem D. Liſter. quò ſolent illi qui nicotianæ fumum haurire primò aggrediuntur. *Hæc Raius in Hiſtor. Plantar.*

LADANUM.

Videatur de eo in deſcriptione *Ciſti Ladaniferi*, ſub titulo *Ciſtus*. Hic tantùm de *Ladano* probe ſeligendo, ut & de quibuſdam ejuſdem præparationibus, ac viribus.

Ladanum maximè probatur odoratum, facilè molleſcens, reſinoſum, arenularum aliarumque ſordium expers, nec ſqualore obſitum, quale laudabile, in agros plerumque coagmentatum (maſsâ uniformi) Arabicâ pro viliori reputatâ) ex Cypro defertur Paſta ex caprino ſtercore, admixtô Ladanô & pulvere nigro, ejus formam æmulatur; verùm id quia reſinoſum non eſt, ideò adulteratum eſſe deprehenditur. *Pharmac. Auguſt.*

Vires. *Calef. ſicc. emollit, digerit, maturat, attenuat, aperit, orificia venarum reſerat, inſpiſſat. Uſus præcip. in capite humido ac catarrhoſo, in dyſenteria &c. Extrinſecus ejus uſus eſt in emplaſtris emollientibus, anodynis, tuſſim ſedantibus, in Alopecia (innnge vel coque in vino & lava) in odontalgia, in cardialgia, doloreque ventriculi, (*cum modico Bdellii faciunt pilulas dandas; Nam i. & 2 horâ i. ante paſtum Crato) in ſuffocatione uteri [introrſum adhibitum:] cicatrices curat.*

PRÆPARAT.

1. *Ol. ſtillat.*
2. *Pilulæ de Ladano* V. ſub titulô *Pilulæ.*

N. 1. *Sala purificare edocet in ▽ id ſolvendo atque colaturam inſpiſſando. Verum me hercle minus commodè. Etſi enim coctione nonnihil in aqua ſolvatur, id tamen non niſi portiuncula minima eſt, relinquitur pars major intacta, quæ non minus quàm illa commoda eſt.*

N. 2. *Etſi inflammabile ladanum ſit non tamen pinguibus ſolvi poteſt. Schroderus.*

Vires. Calefac. & ſicc. diger. matur. atten. aperit. &c.) Unde uſus ejus præcipuus in capite humido ac catarrhoſo &c. in formâ pilularum, quas ſeq. modo præparatas in catarrhis à cauſâ frigidâ ortis maximæ virtutis ſemper expertus fui; Recip. Ladani depurat. ℨj. Nuc. Moſchat ℨß. cardamom. ℈j. Maſtich. gr. viij. oliban. gr. vj. reſin. gialapp. ℈j. Moſch. op. gr. Ambr. gr. viij. ol. d. Cinamom. gutt. vj. d. Citri rec. gutt. v. f. ex his pilul. cum aq. lil. convall. ad magnitud. lentium Doſis harum eſt 7. q. ad noctem ſub horam ſomni. Externè in emplaſtris adhibetur anodynis emollientibus ac reſolventibus, unde ex ejus parte unâ & ceræ duabus Joh. Crato commendat ceratum;

ratum,quod ſuaviſſimè calorem fovet innatum & ad flatus diſſolvendos & digeſtionem promovendam plurimum facit. Flatulentiâ Melancholicâ laborantibus nihil eſt utilior.

N. Hoc gummi etſi inflammabile ſit & oleum ex eo per retortam poſſit deſtillari,non ſolvitur tamen pinguibus, ſp.vini tamen totaliter reſerari poteſt ; Etſi etiam aquâ ſolvatur coctione, pars tamen ejus major manet intacta,quæ non minus , quàm illa quæ aquâ ſolvitur,utilis eſt. *Hofmannus.*

LÆVIGARE.

Lævigare nihil aliud eſt quàm ſuper porphyretico lapide aliquid in alcohol,ſeu tenuiſſimum pulverem redigere.

LAGANUM, vid. ſub titulo *Panis.*

LAGOPUS.

Lagopus, Pes leporinus , ſeu Trifolium arvenſe humile ſpicatum , eſt planta de Trifoliorum claſſe, cujus propterea deſcriptio inibi reperiri poteſt.

Vires ejus ſunt adſtringentes, unde in alvi fluxibus, herniis, ac faucium morbis uſurpatur.

LAMIUM.

Lamium dictum nonnullis putatur à florum cucullata effigie larvatam lamiam quodammodo repræſentante.

Floribus in verticillis ad caulium nodos foliis urticæ, odore fœtido , ſeminibus majuſculis, è vaſculis brevibus patulis maturitate illico decidentibus, à reliquis verticillatis diſtinguitur.

Nomina. Lamium album *ger.* vulgare album ſive Archangelica flore albo *Park.* album non fœtens folio oblongo *C. B.* galeopſis ſive urtica iners floribus albis *I. B.*

Vires. Recentiores flores lamii candidos fluorem muliebrem albidum ſiſtere poſſe exiſtimant ; unde nonnulli ad eum uſum parant ex iis conſervam, ſingulis diebus ſumendam.

Herba tuſa ei impoſita valere creditur ad tumores quoſcunque diſcutiendos,nec non ad inflammationes,plagas,ulcera putrida & vulnera.

Ad ſcrophulas. ℞. herbæ recentis (lamii albi)mj. calefiat inter duos lateres calidos,& tumori applicetur,eum noctis unius ſpatio plurimum aperit, aperto adhibe mixturam ſequentem ℞. omphacii cochleariæ vj. butyri majalis inſtar juglandis ; miſce & impone lanæ nigræ oleo è pedibus bubulis madefactæ : intus interim propinetur aqua florum geniſtæ mane & hora quarta pomeridiana ſingulis diebus *D. Husle è mſ. nondum edito:* decoctum lamij rubri ad dyſſenteriam commendatur *in Hiſtor.Plant.*

LAMPETRA.

Lampetra piſcis eſt qui Gallicè dicitur *lamproye* aliàs *Murena fluviatilis*,ex Anguillarum familia,Lampetra autem non tantum eſt fluviatilis, ſed etiam marina , utraque menſis idonea , non tamen marina omnis,ſed quædam tantum ejus ſpecies.

Adeps Lampetræ eſt anodyna , emolliens , ac reſolvens, unde eò inungitur facies, ac itidem manus eorum qui variolis afficiuntur nè ſcilicet veſtigia eorum ſuperſint.

LAMPSANA.

Nomina. Lampſana Dodonæi *I. B.* Lampſana *ger. emac. I.* vulgaris *Park.* Soncho affinis lampſana domeſtica *C. B.*

Radice nititur alba, ſimplici, ſurculoſâ tamen & variè fibroſâ,Caulis inde exurgit,bicubitalis & altior, teres, ſtriatus, pilis rarioribus hirſutus, rubeſcen, concavus, ramoſus. Folia ad radicem & in ima parte caulis uno vel altero pinnularum pari donata , extremitate latiore, magnitudine & figura fere foliorum Sonchi lævis muralis, aut barbareæ dictæ, molliccl[illegible], hirſuta, alternatim poſita : quæ in caulibus & ramis ſuperiora, oblonga, anguſta, acuta, nullis pediculis fulciuntur, nullis pinnulis lobiſve donata. Supremæ caulis & ramorum partes glabræ,in flores terminantur exiguos, luteos, è plurimis compoſitos floſculis, quorum ſingulis ſingula cohærent ſemina oblonga, nigricantia , nonnihil incurva , minimè papposa: utcumque I. Bauhinus flores in pappos abire ſcribat, tota planta vulnerata lac fundit amarum,floret Junio & Julio menſibus, in hortis & cultis frequentiſſima eſt.

Vires. Efficax eſſe cenſetur in ſanandis papillis exulceratis,unde & nomen papillaris ſortita eſſe videtur,apud quoſdam. *Raius in Hiſtor.Plant.*

LAMPYRIS, vid. *Cicindela.*

LANA.

De ea vide ſub titulo *ovis.* Hic tantum uno verbo de *lana ſuccida*,Gallicè *laine graſſe*, è qua ſine alia prævia præparatione œſipus extrahitur. Non omnis autem lana ſuccida eſt, ſed tantùm ea quæ è collo & inter animalis femora exſecatur. Hæc lana virtutis emollientis, reſolventis, digerentis ac anodynæ ; & propterea applicatur genis & faucibus ex fluxione tumentibus.

LANUGO.

Lanugo in Phythologia eſt mollis fructuum aut filiorum lana,ut Cydoniorum, verbaſcorum quorundam &c.

LANCEOLATA, vid. *Plantago.*

LAPATHUM.

Lapathum, græcis Λάπαθον, ἀπὸ τοῦ λαπάζειν ſeu λαπάζειν i. e. κενοῦν movere, evacuare dicitur, quia foliorum ejus decoctum alvum emollit. Latinis rumex, à rumo i. e. ſugo quia ſolerent ſuccum ejus exſugere. Voſſ. *Notæ* Lapathi *genericæ* ſunt ſemen triquetrum ſplendens, flos hexaphyllos,i. e. ſex foliolis conſtans, quorum tria ſemen obtegunt, arctè interdum adhærentia.

Lapathum in tria genera ſubalterna dividi poteſt, aliud radice eſt purgatrice , rhabarbarum dictum, aliud foliis acidis, acetoſa & oxalis denominatum, aliud denique foliis magis inſipidis, ſapore oleraceo, lapathum ſimpliciter generico nomine dictum.

Primi generis tres ſpecies novimus, nimirum,

1. Rhabarbarum verum *ger.*
2. Hippolapathum rotundifolium vel pſeudorhabarum monachorum.
3. Lapathum majus ſive rhabarbarum monachorum *I. B.* patientiam vulgò dictam.

Tertii ſeptem, ſi modo lapathum pulchrum Bononienſe ſinuatum revera ſpecie diſtinctum ſit ab oxylapatho vulgari,eæ ſunt.

1. Hydrolapathum majus.
2. Lapathum vulgare folio obtuſo I. B.
3. Lapathum folio acuto criſpo C. B.
4. Lapathum acutum ſive oxylapathum I. B.

5. La-

5. Lapathum folio acuto, flore aureo C. B.

6. Lapathum pulchrum Bononienſe ſinuatum I. B.

7. Lapathum folio acuto rubente C. B. aliis ſanguineum & ſanguis draconis.

De iis autem omnibus vid. ſub propriis nominibus; hic tantùm de viribus Lapathi ſanguinei, ex eo quòd ſuccum ad inſtar ſanguinis rubrum fundat, facilè agnoſcibilis, uno verbo; quòd ſcilicet ejus folia in juſculo, alvum cient, ut & itidem totus plantæ ſuccus ſanguineus expreſſus, quódque quamvis oxylapatho nitroſior deprehendatur reliqua cum eodem communia habet.

Semini pulveratum & in decocto adſtringente potum ſingularem habet efficaciam in ſiſtendis nimiis menſibus & ſimilibus fluxibus, ut adnotat *Camerarius.*

Lapidificatio, vid. mox ſub titulo *Lapis.*

LAPIS.

Ut ordine in Lapidibus eorumque Viribus deſcribendis procedamus, 1o. *De Lapidibus & Gemmis naturalibus in genere, item de Lapidibus ac gemmis arte confectis, & adulterinis.* 2o. *De Lapidibus naturalibus in ſpecie quatenus ad Medicinam faciunt eorumque propterea viribus ac præparationibus.* 3o. *De Lapidibus artificialibus ad uſus medicos paratis, paucis agemus.*

De Lapidibus naturalibus in genere.

Lapidum nomine intelligimus Corpora foſſilia, dura, inductilia, nec in aqua oleove ſolubilia, ex ſucco lapideſcente, in quo ſpiritus lapidificus, exorta.

Dividuntur commodiſſimè, ὅσον διδασκαλίαν χάριν. in (1.) *minus pretioſos*, & (2. *pretioſos*: & priores rurſum in (1.) *Majores*, eoſque vel *duros*, vel *molles*, & (2.) *Minores*. Poſteriores autem pariter in *Majores & Minores*. Qui omnes ordine expendendi ſunt.

In *Majorum & Durorum* Claſſe conſtituuntur.

I. Saxum ex quo integri quandoque conſtant montes & rupes, Danis 1. *een Kampeſtaen*, forſan quod minoribus iſtiuſmodi in bellis uſi ſint, veteres, eaque fundis & aliis machinis in hoſtes jaculati ſint, ut apud *Virgil.* 3. *Æneid.*

Jamque faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat.

II. Saxum Arenarium quia aſperum & veluti ex arenis compoſitum. Durius eſt ædificiis extruendis utile.

III. Saxum Violaceum, quod colore Violas refert, Cujus mentionem primus fecit *Agricola*, *de Nat. Foſſil. lib.* 5. *cap.* 17. & deinde *Ol. Wormius*, *Muſei pag.* 37.

IV. Saxum Suillum *Norvvegis*, (apud quos in ſula quædam extat, quæ integris cautibus ejus generis ſcatet) fœtidum exhalat odorem, & talem quidem, qualem ſpirare ſues ſolent. Nigrum eſt, fragile, ſtriatum, in ſe Pyritem argenteum & Talcum habens, unde micas quaſdam ſplendentes de ſe fundit. Uſum habere aiunt, quod in pulverem redactum, & ſuibus quocunque morbo laborantibus exhibitum proſit.

V. Saxum Fissile, ſeu *cruſtoſum* (quod in cruſtas findatur, ſtratis ac tectis utile) cujus non una eſt differentia. Apud nos tantæ amplitudinis reperiuntur, ut menſas ex eis integras fabricent, aliaſque tabulas delebiles. Cæteris vero præfertur *Islebianum*, quod nigrum eſt, & in Comitatu *Mansfeldiæ Islebiæ* effoditur. Horſum haud incongrue retuleris *Lapidem Fiſſilem Hibernicum.*

VI. Saxum Limosum, (quia facile ab humido in limum ſolvitur) quali agricolæ noſtri nonnullis in locis utuntur ad agros fœcundandos. Alii vero in *Cornubia* pro tuguriolis extruendis. Hoc tamen potius ad Margas, quàm ſaxa referri poſſe videtur.

VII. Silex, cujus varia ſunt genera.

Ex omnibus vero præcipui cenſentur.

1. *Pyrimachus*, qui colore albo & perſpicuo gemmas quandoque æmulatur, & liquabilis eſt. Unde Metallarij metallis fuſis eum ſuperinjiciunt, ut iis ſupernatet, ne nimium metalli in auras evolet. Vitrarij vero ex eo vitra conficiunt, & Chymici Pſeudadamantes, alioſque factitios lapides.

2. *Ludus Paracelſi*, quem *Helmontius* tantopere ad calculos è corpore humano expellendos commendat, quemque nos etiam *in lib. noſtro de Lithiaſi* clarè deſcripſimus.

VIII. Lapis Schistos, qui duriſſimus ac ſolidiſſimus eſt, Ideoque igne calefactus, calorem diu retinet.

IX. Pyrites (quia ex ejus quadam ſpecie ignis copioſe excutitur) quem propriè Pyromachum dictum putant nonnulli quòd igni repugnet. Nam in ardentes conjectus fornaces fluit: & ubi ſemel defluxerit in catinum mox rurſus concreſcit & dureſcit. Reperitur ut plurimùm in fodinis Metallicis, Metallis quandoque permixtus, quandoque iis deſtitutus, & variis figuris luſum naturæ oſtentans.

X. Lapides Molares. ab uſu nomine mutuato, quòd iis frumenta molantur. Qui ſuas etiam habent ſpecies.

XI. Cos qui lapis durior eſt, ferramentis acuendis aptus. Eſtque vel (1.) *Olearius*, oleo enim illinitur ut aciem trahat, vel (2.) *Aquaticus* qui in orbem communiter redigi ſolet, ut motu circulari actus, vel ex alto cadentem, vel in ſubjecto alveo ſtagnantem aquam excipiat, quo admotum ferrum commodius terere poſſit.

XII. Marmor, Græcis Μάρμαρος (ἀπὸ τοῦ μαρμαίρειν) à *ſplendore*. Atque hæc cauſa eſt cur & *mari*, ob nitorem aquæ, marmoris nomen tribuunt Poëtæ, ut 1. *Georg.*

--- *Infidum remis impellere* Marmor)

Cujus variæ ſunt differentiæ, à variis coloribus deſumptæ. Dantur nempe Marmora, alba, nigra, viridia, cinerea, rubra, variegata.

Ex Albis ſunt

1. Parium (ab inſula *Paro*, ubi olim copioſe effodiebatur) veteribus *Lychnites* dictum (quòd ad lucernas in cuniculis cæderetur.) Cujus duo genera ſtatuunt. *Unum* tranſlucens, ex *Phengites* proinde dictum, φέγγω enim apud Græcos ſignificat *illumino*. Hoc lapide conſtruxerat *Nero* ædem fortunæ, quam aurea domo complexus eſt: quare etiam floribus apertis interdiu claritas diurna erat haud alio quàm ſpeculari modo, tanquam incluſâ luce, non tranſmiſsâ, *Domitianus* item porticum in quibus ſpatiari conſueverat, parietes Phengite lapide diſtinxit: è cujus ſplendore per imagines quicquid à tergo fieret, provideret. Ut *Suet. Tranq. in ejus vita.* Alterum non tranſlucens, *Alabaſtrites* nominatum. A vulgari Alabaſtro duritie differt & ſplendore, Foditur in *Italia*, in agro *Lucenſi* ejus genus quoddam, quod ab oppido *Caracienſe* nomen obtinuit.

2. Alabastrum, quod, etſi inter molles & raros lapides locum habeat, huc tamen quidam referunt, externæ figuræ & polituræ reſpectu. Hujus generis vel integras rupes in *Anglia* habemus, in agro *Gloceſtrienſi* ad littus fluminis *Sabrinæ*; ex quo ſtatuas ſepulchrales exſculpunt.

Ex Nigris ſunt.

1. *Baſaltes* (à voce *Æthiopica*, *Baſal*, quæ *ferrum* ſignifi-

ſignificat eo quòd Marmoris genus ſit duriſſimum, ferrei coloris, limiſque reſiſtens) nonnullis *Baſanum* (à βασανίζω, ideſt diligenter *examino*, quia eo Argentum & Aurum examinatur & probatur, non minus ac lapide Lydio) Variis in locis Germaniæ hodie reperitur.

2. *Obſidianum* ſeu *Numidianum* Gallis, *pierre de Touche*, quia auro & argento examinando potiſſimùm inſervit Ex hoc Marmore grandia quadrata conficiuntur, quibus Magnatum demortuorum Loculi teguntur. Tabulæ ite Epitaphiis aptæ. Politum enim inſtar ſpeculi reſplendet & nigerrimum eſt.

Ex *viridibus*.

Olim celebrabantur *Lacædemonium*, *Auguſtum*, *Tiberium* (quorum duo poſteriora ſic dicta videntur, quòd eorum principatu primùm inventa) hodie vero frequens eſt *Ophites* (quæ ſerpentis formas & maculas diſtinctas exhibeat) varia ex eo conficiunt Pocula, Cochlearia, Mortaria, Laminas incurvas, aliaque ejus generis. Quandoque mollis eſt hic lapis, ut liquores imbibat, quod ut impediatur, oleo nucis moſchatæ inungunt vaſa ex eo fabricata. Commendatur ad multa, quæ ſchedula typis mandata enumerare ſolent venditores circumforanei: ſed omnibus, imò aliquibus an fides adhibenda ſit, eſt cur valdè dubitamus

Ex *variegatis* ſunt

1. *Cinereum Seravetianum* (quod *Seravitiæ* & aliis locis Italiæ reperiatur) quod durius eſt, & verè Marmor, & maculis cinereis inſigne. Ex hoc globi conficiuntur parvi, ut manibus detineantur ab iis, qui febre ardente laborant. His enim recreari videntur, dum refrigerando dolorem mitigant & ardorem.

2. *Subviridis* ille *Lapis*, Italis *Verdello* dictus, eo enim utuntur Lapidis Lydii loco, ad aurum & metalla probanda. Quidam *Thyitem* Veterum eſſe arbitrantur.

3. *Garantronium Imparati*, quod pulcherrimum eſt, literis quaſi Arabicis à natura ſibi inſculptis ſuperbiens, colore aureo in corpore purpureo. Concretum videtur è terra purpurea & putaminibus aureis, ſupervenientе ſucco aut ſpiritu lapidifico. In *Aſia* inter ornamenta corporis geſtatur, & ex eo manubria cultorum & gladiorum conficiunt. lege plura apud *Ferrand Imperat. Hiſt. Natural. lib.* 24. *cap.* 55.

4. *Florentinum variegatum*, quod per ſe maxima ex parte cinereum licetſit maculis tamen fuſcis, & lineis obſcurioribus hinc inde ductis & diſcurrentibus, jam turres, jam ædes, montes, flumina, ac integra civitates exhibet. Variæ hujus Tabulæ in REGIÆ SOCIETATIS Cimeliarchio aſſervantur, in quibus prærupta turrium rudimenta, urbis inæqualiter ſitæ domus & ædificia, aliaque id genus phænomena, diſcretis coloribus & artificiosè delineata, à natura ludente, ſine omnis artis pictoriæ miniſterio, repræſentantur.

5. *Embuſcatum*, ex monte SINAI Hieroſolymitano depromtum quod albicans eſt ad flavedinem tendens, & quocunque modo ſecetur aut dividatur, in eo arbuſta & frutices, colore nigricante ſubtiliter à natura depicti apparent. Si ſupra ignem ponatur brevi evaneſcit pictura, & nil niſi nudus remanet lapis, ſui coloris, adeò durus tamen, ut calcinari nequeat, ſed fortiſſimo igne inſtar vitri fundatur. Hujus etiam generis Tabula *Embuſcata* viſitur inter Rariora naturæ in dictæ Soc. Reg. muſæo collecta. Aliam elegantiſſimam diſertè deſcribit *Ol. Wormius in muſæi ſui pag.* 45.

Ad *Flava* refertur.

Phengites, quod venis flavis & tranſparentibus micat. Tale illud eſt, quod *Romæ* in Templo *S. Mariæ* in porticu ſpectatur ubi columna ex eo fabricata viſitur dimidiata, colore flavo parietis rimam claudens, & externam lucem ſolari fulgore intromittens, ita ut, ſole radios ſuos in columnam jaculante, ardere videatur. De quo multa fabulantur.

Inter *Rubra* denique principatum obtinet.

Porphyrites quod durum admodum eſt, & ſplendidum ex eo fiunt non ſolùm columnæ, ſed & Mortaria, & cruſtæ ad colores & Lapides pretioſos læ igandos, attritione enim nihil à ſe remittit. Ex hoc marmoris genere conſtant *Obeliſci*, qui *Romæ* viſuntur, literis Hieroſoglyphicis inſignes, ad templum *Joh. Lateranenſis & in Vaticano*. De quibus conſulatur *Plinius lib.* 36. *cap.* 9. Ubi expreſſè modum, quo ex *Ægypto* eò delati ſunt, deſcribit.

LAPIDUM *Molliorum Claſſis*.

Inter Lapides minùs Pretioſos MOLLIORES occurrunt.

I. Saxum CALCARIUM, unde Calx conficitur; Cujus copia ingens paſſim in tota Anglia reperitur. Opticum vero eroditur prope viculum in agro *Leiceſtrenſi*.

II. GYPSUM, Gallis *du Plaſtre*, lapis eſt albus, mollis Alabaſtri inſtar, qui cùm leviter uritur, ex eo fit calx iſta, quæ Gypſum vocatur, uſus eſt ad ſtatuas ingentes & læviſſimas, ad domorum areas & concamerationes. Cum polline lapidum duriorum, pulvere plumbi & lacte, in veros lapides tranſit, & ſi colores adjiciantur, Marmor pondere, nitore & colore imitatur quàm maximè.

III. Lapis BONONIENSIS, à quibuſdam *Spongia Solis*, ab aliis *Spongia Lunæ*, ab aliis *Lucifer*, lapis *Caſciarolanus*, *Phoſphorus* Kirchero, quod ſingulari proprietate polleat lucem imbibendi & retinendi. Si enim Soli aut igneæ flammæ apponatur, ſic illuſtratur, ut indè translatus ad locum tenebricoſum, conceptam recens lucem diutule retineat ſibi infixam, adeo ut in tenebris inſtar carbonis ad ſemihorulæ ſpatium ardeat, idque toties, quoties ita Soli aut lumini fuerit admotus. Verùm hanc facultatem mirabilem non niſi præparatus obtinet. Modum autem cum præparandi docet *Kircherus in art. magn. Lucu & Umbra lib.* 3. *de Magn. pag.* 505. *& Wormius Muſ. pag.* 46.

IV. PUMEX, Græcis Κίσσηρις (quaſi à vermiculis eroſus) Lapis eſt eroſus ſpongioſuſque, exiguis caverinulis refertus, colore ut plurimùm cinereo, quandoque candido, nonnunquam nigro, qualem Islandiæ *Hecla* evomit. Huc pertinet *Pumex Vulcani Syracuſani*, quem deſcribit *Clar. Bartholinus in Epiſt. Medicin.*

V. FLUENTIS ÆTNÆ COAGULUM, maſſa nimitum quædam coagulata ex Lapidibus, calce, & Sulphure, quæ ſimul calore flagrantis Ætnæ liquefacta inſtar rivi igniti ex Ætna defluunt, ſed frigore tandem ambientis denſata, maſſam hanc præbent.

VI. TOPHUS πῶρος, *Porus*, qui eſt aſper, ſcaber, poroſus, (unde nomen) ſeu foraminulis plenus, ideoque levis, & facilè in arenam attritu ſolubilis. Reperitur variis in locis *Germaniæ*: copioſè verò prope *Coburgum* in dition *Mansfeldica*; & in *Anglia* ubivis penè occurrit. Propter levitatem commodiſſimus eſt ad replendas parietum collabentium rimas, cum præ levitate non premat, & glutinat facile extrema. Huic cognata ſunt.

VII. ALCIONIA. (ſic dicta ab avibus, quæ *Halcyones* vocantur, quia ex iis mari innatantibus nidos fingunt & conſtruunt) Quæ etiam lapideum habent naturam, ſed ortum tamen ex mari; cujus aquæ cùm ſalſæ ſint, ex ejus ſpuma cum tenuiſſimis ſordibus permiſta; accedente ſucco lapideſcente, ſeu ſale maſſam coagulante, in varias figuras c nceſcunt. Horum plura ponuntur genera ab *Ol. Wormio in Muſæi ſui pag.* 48. & 49. luculenter deſcripta.

VIII. Aſtus

VIII. Asius, vel Assius *Lapis*, quem etiam *Sarcophagum*, vocant (eo quod carnes humanas conſumat, nudatis oſſibus) quem veteres ad Pumices & Poros referunt. Hic conſulendi veniunt *Plinius lib.* 36. *cap.* 17. & *Ol. Wormius in Muſæo.* Unde lineam unam & alteram interim exſcribam. Ego in peregrinatione mea gallica, inquit, in templo, D. Hilario ſacro parieti auſtrino infixam vidi tumbam lapideam, coloris cinerei, cujus ſubſtantia ſaxea aut marmorea erat tantæ capacitatis, ut cadaver humanum integrum capere potuerit. Hic lapis pro *Sarcophago* vel *Aſſio* monſtratur accedentibus. Verùm poroſus non eſt, ſed durus & ſolidus, ut ex fruſtulo, quod ex eo excuſſi, videre licet. Veſtibus affrictum ut incaleſcat, fœtorem cadaveroſum exſpirat. Ferunt, cadavera ei indita, viginti quatuor horis prorſus abſumi, relictis ſolùm oſſibus; An ita ſe res habeat, ignoro.

IX. Stalactites, Generatur ex aquis Nitro, vel ſucco petrifico copioſe imprægnatis, & materiam terreſtrem ſubtilem ſecum convehentibus. Cum enim aqua per terræ canales effluit, aut ex alto decidit, aut lateribus alveorum agglutinatur, horum ratione varias, dum concreſcit, figuras acquirit. Ex alto deſtillans extremitati canalis, pyramidis forma quandoque adhæret, & eodem modo, eademque forma induratur, quâ è canalibus defluens humor frigore hyemali congelari ſolet. Hinc tanta inter hujuſmodi lapides figurarum obtigit varietas, quam obſervare licet in fonte petrifico apud nos percelebri, in agro *Eboracenſi* vicino; in quem quicquid ligni immittitur, lapideo cortice brevi obduci & lapideſcere obſervatum eſt; & in quo diverſimode figuratas concretiones videas. In hunc fontem non è terræ venis aquæ nitroſæ ſcaturiunt, ſed ex impendentibus rupibus guttatim deſtillant.

X. Stalagmites, qui ejuſdem naturæ & ſubſtantiæ eſſe videtur cum *Stalactite*, ſed figurâ ſaltem differt, quòd ſemper globoſe concreſcat. Interdum contingit, ut quàm plurimi horum lapillorum ſimul concreſcant, & tunc lapis integer maſſam ovorum piſcium majorum exprimit cujuſmodi aggeriei iconem exhibet *Ol. Wormius Muſ. pag.* 52.

XI. Ammonites, ſeu *Hammites* (quia ex arenis majoribus coagmentatus) qui ovis minorum piſcium ſimilis etiam apparet.

XII. Osteocolla, aliis *oſſifragus, oſteites, Amnoſteus, oſteolithus ſtelochites*, quia ſummopere ad fracturas oſſium conglutinandas conducere creditur. Lapis eſt mollis, albo & cinereo colore, figuram oſſis exhibens, concavus, quandoque medullam habens friabilem, linguæ adhærentem, & facile in liquore ſolubilem, quandoque verò nullam. Creſcit per arenam forma Corallii, interdum brachii craſſitie. Cùm primum è terra erumpit, friabilis eſt, paulatim verò magis indureſcit. Videtur Margæ quædam ſpecies eſſe, quæ per terræ meatus diſcurrens, in talem figuram concreſcit & induratur. Hujuſmodi nos in mineris *Cambobritannicis* varios habemus: quorum exempla videantur in inclytiſſ. Soc. Reg. Cimeliarchio, ex Nobiliſſ. juxta ac Eruditiſſ. D. *Roberti Moray*, Equitis Aurati, & ejuſdem *Societatis* magni ornamenti, munere eo allata. De *viribus* Oſteocollæ videatur *Thom. Eraſtus*, qui de eo argumento juſtum tractatum conſcripſit. Interea temporis animadvertas velim; quòd in officinis pleriſque pro Oſteocollâ verâ, *Stalactitis* quandam ſpeciem, albam, poroſam, levem, mollem, albam, poroſam, levem, mollem, facilè in liquore ſolubilem, ſapore ſubſalſo, quæ tamen ab Oſteocollâ virtute multum diſcrepat.

XIII. Lapis Spongiæ, quibuſdam Lapis *Cappadox*, Plinio Cyſteolythos, qui ſubſtantia eſt friabili, colore albicante, ſuccum lacteum de ſe præbente. Laudatur à *Dioſcoride* ad veſicæ calculum frangendum: ex vino aliiſve appropriatis propinatus.

Cornu Fossile, Geſnero *Ceratites*, Cluſio *Foſſile*, Ceſalpino *Lapis Arabicus*, quibuſdam *Dens Elephanti petrefactus*, aliis *Lithomarga alba*. Eſt ſubſtantia lapidoſa, colore, lævore, & forma quandoque cornu referens; quandoque mollius, cortice exteriore duro, flaveſcente, nigro aut ſubcinereo; medullâ molli friabili, abſque poris compacta, adſtringente, exſiccante, linguæ firmiter adhærente, odore grato. Invenitur tam in *Italia*, quàm variis *Germaniæ* locis, in *Moravia, Sileſia, Saxonia*. Materia & modus generationis traditur ab *Anſelmo Boetio à Boet. in lib. de Mineral.* Commendatur ad omnes morbos malignos.

XV. Amianthus (ab α ςερητικῷ & μαίνω, *polluo*, quòd in ignem conjectus non inquinetur, ſed nitidior appareat) alias *Asbeſtinus Lapis* (quod non comburatur) Paulo Veneto *Salamandra* (ob eandem rationem) ab aliis *Corſoides* (quia canitiem præ ſe fert) ab aliis *Linum* (quia ejus lanugo manibus netur & texitur,) Lapis eſt *Alumini Schiſto* ſimillimus, ignem reſpuens, adeò ut eo non modo uti non poſſit, ſed purior reddatur, colore ad viriditatem obſcuram tendente, quandoque & ferreo, attritione facile in tenuia filamenta ſolubilis. Mollis enim eſt, & quod effloreſcit, dum teritur, plumas refert: Unde à quibuſdam *Alumen Plumoſum, & flos petræ* dicitur, Olim in fila aptabatur, & mappæ ex eo tanquam lino fiebant, quæ ſordibus conſpurcatæ, puriores igne exuſtæ reddebantur ac magis ſplendebant, quàm ſi lavarentur. Regum quoque funera in ejuſmodi adurebantur tunicis, ne corporis favilla cum reliquo miſceretur cinere. De quo conſulatur *Pancirollus de Reb. deperdit. tit,* 4. *cum Salmuth. commentar.* De modo vero, quo ita præparatur, ut ex eo lina fiant, lege *Ol. Wormium, in Muſ. pag.* 55.

XVI. Selenitis (quia ad *Lunæ* motum fulgore creſcere & decreſcere olim credebatur) Neotericis *Lapis Specularis* (quia perſpici poteſt, & rei, quæ ab ejus tergo eſt, imaginem reddit) nempe ex Moſcovia magna optimi generis copia provenit.

XVII. Talcum, alias *ſtella Terræ* (quod ſtellarum inſtar niteat & micet) quibuſdam *Argyrodamus* veterum (quia ignis violentiæ reſiſtit;) *Argyrolithos* Chymicis. Cujus oleum ſollicitè quærunt ſpagyrici, quo æs in argentum convertere ſe poſſe ſperant. Mulieres etiam id avidiſſime expetunt, ad nitorem cuti conciliandum, variiſque modis id perficere tentant, ſed irrito hactenus conamine, quanquam *Jacobus Zvingerus* modum extractionis præſcribere auſus ſit.

XVIII. Lapis Schistos, *Talco* & *Selenitidi* valde affinis, albus, perſpicuus fermè, in laminas ſciſſilis ſibi invicem cohærentes. Reperitur in fodinis argenteis *Norvvegiæ*, eique venæ argenti ita innaſcuntur, ut purum per ejus corpus ramulis eleganter diſtinctum perrepat.

Lapidum ex Animalibus *deſumptorum Claſſis.*

Ad Lapidum minus pretioſorum Molliorum genus ultimum auctores & eos referre ſolent, qui ex Animalibus deſumuntur. Cujuſmodi ſunt.

I. *Lapis* Tuberonum. Qui revera lapis non eſt, ſed os quoddam ad auditum ſpectans, in capite piſcis *Tuberonis* repertum, & ab Anatomicis *Cochlea* dictum: & cujus loco vulgo divenditur *Lapis Manati*. Pulvis ejus utiliſſimus cenſetur ad Nephritidem & urinæ difficultatem, renumque & veſicæ calculos deturbandos.

II. Percarum *Lapis* qui reperitur in capite *Percæ majoris*, circa exortum ſpinæ, quâ capiti inungitur, duo extant utrinque unus, veſiculis quibuſdam incluſi, oblongi, plani, ultera parte dentati, qui facilè è piſcibus coctis eximuntur. Ad calculos comminuendos ſimiliter lau-

laudatur, ſi cum vino oligophoro pulveriſati exhibeantur, drachmæ unius pondere.

III. Lapis Carpionum, qui ad calculum pellendum commendatur, pari modo quo præcedentes, magnique fit à multis, credulitati nimium addictis.

IV. Lapis Coracinus, qui ex Piſce *Coracino* petitur, in ejus capite deliteſcens, candidus, oſſeus, figuræ ovalis, incurvus aliquantulum, parte convexa lævi, protuberantia præditus, ſed juxta extremitatum alteram aſperitatem quandam habens; ſicut ab *Aldrovando lib.* 1. *de Piſcibus, cap.* 15. deſcribitur Commendatur à quibuſdam ad icterum ſeu morbum Regium, ſed & præcipuè ad renum, arenulas

V. Lapis Limacis, ex iis Limacibus exemptus, qui ſine teſtis in campis & locis ſubterraneis vagantur, colore fuſco. Hi ſcilicet in capite lapillum geſtant candidum, ovali, figuræ, tenuem, planum, aliquantulum convexum, pondere adeo exili, ut tres ſcrupulum unicum non ſuperant. Nil aliud eſſe exiſtimo, quàm Limacis *Cranium*.

VI. Oculi Cancrorum, vulgò ſic vocati, ſed malè. Revera enim oculi non ſunt, ſed ex Gammarorum fluviatilium capitibus eximuntur, idque non quovis anni tempore, ſed menſibus Junio & Julio, cùm exuvias deponunt. & novam cruſtam acquirunt, Sita ſunt in capitis ſummitate, utrinque unus. *Medicis* in uſu venerunt ad ſanguinis concreti diſſolutionem & expulſionem; quia tenuium ſunt partium & facultatis diureticæ, quo nomine etiam ad *Nephriticos* dolores ex arenulis commendantur & potionibus *Traumaticis* adm iſcentur.

VII. Tophus Juvenci, qui in Jumentorum ruminantium ſecundo ventriculo, pilæ rotunditate, concretus reperitur.

VIII. Pila Rupicapræ, Velſchio *Ægagopila*, quia reperitur in Capris Alpinis, quæ in præcelſis Rhætorum & Valeſianorum rupibus & Alpibus Epiſcopatus Salisburgenſis degunt. De horum Lapidum generatione & virtutibus medicis ſingularem tractatum edidit *Hieron. Velſchius*, quem conſulas.

IX. Calculus Humanus, ſeu in veſica, ſeu in renibus *hominis* concretus.

X. Alectorius, qui in ventriculo *Caponis* aut *Galli* decrepiti nonnunquam concretus reperitur.

XI. Chelidonius, ſic dictus, quod in ventriculis Hirundinum inveniri putetur, lapillus eſt exiguus, magnitudine ſeminis lini, ſed figurâ hemiſphæricâ, colore luteo ſubobſcurum, ſplendente parte convexâ & rotundiore, purpureo & nigricante ſeſſili. *Anſelmus Boetius* ſe in Hirundinibus eum quæſiviſſe ait, ſed inveniſſe nunquam. Adferuntur ex inſula *Melitenſi* Lapilli *Chelidonii* dicti, qui deſcriptioni Plinianæ conveniunt, quos incolæ *Oculos Serpentum* vocant *Petrificatos*. Vires eis adſcribunt præclaras in capitis & oculorum affectibus.

XII. Umbilicus Marinus (à ſimilitudine umbilici, quem repræſentat) quibuſdam *Umbilicus Veneris*, Cretenſibus *oculus Marinus* (quod geſtatus oculis prodeſſe dicatur) qui nihil aliud eſt, quàm operculum *conchæ* cujuſdam *cælatæ Aldrovando* dictæ, quæ etiam ad *Turbines* ſpectat. Hujus orificium claudit eo modo quo vulgares hyeme cruſtâ quâdam teſtas ſuas obducunt, ut à frigoris injuria defendantur. Ejus in ſanguine ſiſtendo vim eximiam experti ſunt quàmplurimi, ſi parte plana cum ſaliva fronti agglutinetur. Et Hæmoptoici, qui ſanguinem per intervalla expectorant, ejus pulvere cum ovo ſorbili juvantur. Hujus Lemmatis eſt & *Umbilicus Marinus Magnus* ex India allatus, quem eleganter deſcribit *Ol. Wormius Muſ. pag.* 37. Omnes *umbilicos Marinos* Itali indiſcriminatim *Divæ Luciæ oculos* appellitant.

Lapidum *minus pretioſorum* Minorum & Durorum Claſſis.

Expedito Lapidum, minùs pretioſorum & mollium, Elencho, ad *Duros* ejuſdem diviſionis accedimus. Hujus igitur capitis ſunt.

I. Magnes, (ſeu à *Magnete*, Armentario, primoque ejus inventore; ut *Plinius*, deducit, ſeu ut *Lucretio* viſum eſt, à *Magneſia* regione, ubi creſcit, ſeu à *magnis viribus*, ut modernorum nonnullis placuit) *Theophraſto Heracleon* (quod circa urbem *Heracleam* inveniretur) aliis *Lapis Herculeus* (quia ferro, quod omnia domat, imperat) quibuſdam *ſiderites* (calcem de cauſa, σίδηρος nempe ferrum notat) Qui lapis eſt durus, ferrugineus, nigricans, ferrum aut alium Magnetem ad ſe trahens vel rejiciens, ac plagas mundi oſtendens. Huic affinis videtur Magnesia, quæ colore & duritie magnetem referens, vitro adhuc fuſo certa ratione admiſta, id perſpicuum efficit, & à viridi colore expurgat, plus æquo admiſta, nigro colore inficit. Sed lapis hic Alabandicus non omnis eſt metalli expers. Nam ſolutus in oleo vitrioli magnum calorem procreat, qui affuſione aquæ identidem excitatur, atque inſtar ferri rubrum colorem aquæ forti conciliat, acrem emittit fumum, ac demum ubi vitro fuſo imponitur, ſtatim vitrum intumeſcit, quod ei cum cupro & ferro commune eſt. Cur autem vitrum potius expurgat, quàm ſuo colore inficiat, id neque tractione fit, quæ forte nulla eſt, nec præcipitatione, cum nihil in fundo vaſis præcipitatum appareat, ſed partes inſenſibiles ſic immutat & diſponit, ut liberum aditum lumini permittant.

II. Calamita Alba, ſeu *Magnes Carneus* (quia ut illa ferrum, ita hunc carnem ad ſe trahere putant) qui lapis eſt albus, lineis nigris inſcriptus, qui lingua admotus firmiter ei adhæret. Reperitur potiſſimum in *Ilva*, Hetruſci maris inſula ſunt, qui ad *Margas Saxatiles* referunt: ſunt qui ad *Oſteocollas & Poros*.

III. Hæmatites (vel quòd ſanguinei coloris ſit, vel quòd attritus cotibus aquariis ſuccum fundat ſanguineum vel quòd polleat vi ſanguinem ſiſtendi.) Lapis eſt colore ſanguinis concreti, durus, ſtriis Antimonii inſtar exornatus, globoſus, vi ſanguinem ſiſtendi præditus. Reperitur in variis *Germaniæ* locis, inter rubricas & ferri fodinas; ſed præ reliquis commendatur *Hiſpanicus*; qui *Compoſtella* adfertur, figura anguloſa, ferri nigricantis colorem habens & ſplendorem ulceribus, vaſorumque rupturis internis, & mictioni cruentæ prodeſt in pulverem tritus & cum appropriatis exhibitus.

IV. Smyris, lapis eſt ferrugineus, ad nigredinem tendens, adeò durus, ut ejus pulvere utantur gemmarii ad gemmas ſculpendas, & fabri ferrarii ad arma polienda. *Chymici* tincturam ex eo trahunt, quo Mercurium quaſi in momento figunt, atque ita fixum quidam vocant *Præcipitatum Miraculoſum*, quo ad augmenta ſua Chryſopœi utuntur. In ferri fodinis reperiri ſolet, & apud nos copioſè provenit in inſula *Sarnia* vulgò *Garnſey* dicta, teſte *Cambdeno* noſtro in deſcript. Inſular. *Britannicar.* ubi hæc habet. Naturæ munimentis [inſula] ubique prærupta cautium corona redimita, inter quos *ſmyris*, lapis duriſſimus & aſperrimus reperitur, quo Gemmarii lapides expurgant, ſcinduntque, & vitrarii vitrum diffindunt.

V. Lapis Lazuli, Græcis Κυανὸς λίθος, Latinis Lapis cæruleus, ab Arabibus *Hager* vel *Azur* lapis eſt durus florum Cyani cærulei colore, aureis punctulis & venulis exornatus. Duo ejus ſtatuunt genera, unum ignis vim fert alterum neutiquam. Is qui *fixus* eſt, & colorem in igne non mutat, ex *Oriente*, Alia

Aſia, aut Africa adfertur, & *Orientalis* ideò dicitur, atque hâc notâ probatur. *Non fixus* quibuſdam in locis *Germaniæ* reperitur, medius eſt inter *Lapidem Armenum & Lazuli*, hoc utique mollior, illo durior, *Colores* ex utroque parare ſolent pretioſos, ex *Orientali ultramarinum* dictum, auro chariorem, qui ætate non mutatur: *Germanico*, ignobiliorem, qui externis injuriis facilè læditur, & temporis progreſſu viveſcit. Medicis etiam in uſu eſt ad affectus Melancolichos.

VI. Lapis Armenus, (id eſt, ex *Armenia* allatus) Gallicè *Verdazur* (quaſi dicas colorem à cœruleo in viridem tranſeuntem,) qui levis eſt, colore cœruleo ad viriditatem vergente, friabilis. Olim ex Armenia deferebatur, jam vero in variis *Germaniæ* locis reperitur, ut in Comitatu *Tyrolenſi*, aliiſque argenti-fodinis. Inter *Medicos* commendatur ad eoſdem affectus, ad quos *Lazuli* lapis, humores ſcilicet Melancholicos per vomitum & ſeceſſum educendos.

VII. Lapis Lipis, cujus, quod ſciam, primus meminit *Zacutus Luſitanus lib.* 1. *Obſervat.* 83. Colorem habet cæruleum Saphirinum, cum tranſparentia quadam. Duriſſimus eſt, ſed in minuta finditur fragmenta. Guſtu ita acris & mordax, ut, ſi tantillum juxta linguam apponatur, excitato ardore eam exulceret. Affertur à multis mercimonii cauſa *ex Novi Orbis* Provinciæ, *Pontoſe* dicta, & civitate *Lipis* (unde nomen ſortitus eſt) vocata. Venditur in taleolas redactus; ita ut, ſi eum à longinquo videris parùm diſtare à merce illa, quam Luſitani *Anil* vocant, Belgæ verò *Indigo*, niſi quòd *Lipis* clarum & tranſparentem ſortitur colorem, *Indigo* verò aliquantulum obſcurum. Inter auxilia celeberrima, quæ ad ulcera virulenta & depaſcentia, præſertim Gallica, coercenda, eorumque putrilaginem abſumendam utilia ſunt, hic Lapis obtinet principalem. Nam ſua vi Cauſtica eorum malitiam & malignitatem infrænat.

VIII. Lapis coeruleus Anglicus, in agro *Lancaſtrenſi* repertus, qui ducendis lineis idoneus eſt. Hujus mentionem facit D. Dr. *Merret. Pinac. rerum Natural. Britannicar. pag.* 218.

IX. Glossopetra (quaſi *Lingua lapidea*, ita dicta, quòd linguam *Picæ* avis figura referat, ſed vulgò ita appellatam volunt, quod ſerpentis linguam exprimere putant. Unde nihil aliud eſſe exiſtimant quàm ſerpentis linguam in lapidem converſam. Verùm falluntur; Serpentium enim linguæ non triquetræ, ſed teretes & bifidæ ſunt. Lapis eſt ut plurimùm triangularis, baſi craſſiore, ſcabra, toto alioquin corpore lævi, & quaſi cornuo, minutis quibuſdam denticulis ad latera crenato, colore quandoque luteo albicante, longitudine diversâ. Creberrime reperitur in inſula *Melita*, nonnunquam etiam in *Anglia*, ubi in variis matricibus præcipuè in mineris carbonariis delitéſcit. Item in *Germania* prope *Luneburgum*, ex Aluminoſis fodinis eruitur. De hoc Lapide ſingularum Diſſertationem conſcripſit *Clar. Thom. Bartholinus.*

X. Astroites, *Lapis ſtellaris*, quia ſtellulis undiquaque inſignitus nigricantibus, qui eſt moderate durus, colore cinereo, fuſco, nigricante, aſtericis exornatus, ad capitis humani magnitudinem quandoque excreſcens. In Comitatu *Tyrolenſi* & circa arcem *Cimmeriam* invenitur, & alibi. Aceto impoſitus hinc inde movetur, ac ſi vivus eſſet, quod fit, aceto per poros lapidis ſeſe inſinuante, & aerem incluſum prementе, qui exitum ſeu libertatem potius elaſticam ſibi quærens, lapidem trudit & movet. Ad peſtilens contagium & vermes puerorum necandos, ejus pulvis, quatuor granorum pondere commendatur. Nonnulli eum Amuleti loco geſtant. Hic lapis à Boëtio de Boet *Aſterias vera*, ſeu *lapis ſtellaris* à Geſnero *Sphragis Aſteros*, à Ferd. Imperat. *Stella Judaica* nominatur.

XI. Lapis crucis; cujus duo ſtatuuntur genera. *Unum*, quod in corpore cinerei coloris, crucem oſtentat candidam. *Alterum*, quod coloris *nigri*, aut, *purpurei*, crucem exhibet. *Primum* eleganter deſcribit *Laurentius Pignorius in Muſæi calceolarii Sect.* 14. Poſterius *Septalius in Epiſt. ad Chioccum.*

XII. Lapis Judaicus (à loco ubi invenitur *Judea* ſcilicet ſic nominatus) quibuſdam *Syriacus*, Plinio *Euroes* (quod urinam fluere faciat) & *Tecolithos* (quod calculum reſolvere putetur,) variarum eſt figurarum. Naturâ in ejus formatione mirè ludente; unde diverſa etiam obtinuit nomina. Qui inſtar glandis & Balani eſt, *Phænicites*, qui inſtar nuclei olivæ, *Pyrenes* &c. Genus præcipuum (quod frequentiſſimum apud *Medicos*) Nuclei olivæ formam repræſentat, ſtriaſque & ſulcos habet, à radice in apicem uſque excurrentes. Reliquæ ejus ſpecies ſunt Trochites, quia rotæ aut Tympani fert effigiem. Entrochos, cùm multæ vertebræ ſimul junctæ reperiuntur, adeo ut radii unius alterius ſtriis inſerantur. Colonetta Italica appellatione, cùm articuli longiores ſunt, columnulas imitantes, & æqualibus commiſſuris conſtantes. Stella Judaica, quum articuli non modiolos aut columnulas, ſed ſtellas exprimunt. Cujuſmodi apud nos etiam in *Anglia* propè oſtium fluminis *Sabrinæ* frequenter inveniuntur. Et exiſtimo eoſdem lapides eſſe cum eo, qui *Aſteria* Boëtio dicitur, Geſnero *Sphragis aſteros*, ſingulis enim partibus utrinque ſtella figura ceu ſigillo impreſſa videtur, radii eminent ſuis angulis, & in ſingulis radiis cavitas media. Octo aut plures interdum cohærent tam affabrè, ut nullus artifex melius potuiſſet conjungere; facile tamen ab invicem ſeparabiles. Omnes ſpecies ad renum calculos inprimis commendantur. Maximè verò *Nephritici* tinctura, quæ nullibi deſcripta extat. *Morbius* tamen hanc commendat præparationem; infunditur nempe ſpiritus ſalis rectificatus pulveri lapidis nephritici, reponiturque in digeſtione, fitque tinctura viridis, de qua dentur guttulæ decem in vehiculo convenienti.

XIII. Belemnites (*à ſagitta*, cujus formam exactè refert: Βελεμνον enim ſagittam vocant Latini) aliis *Dactylus Idæus* (quòd in monte *Ida* reperiatur, & *digitum* repræſentet.) Quibuſdam *Lyncurius* (quòd ex urina *Lyncis* ortum trahere falſo exiſtimaverint) Danis *Spectrorum Candela* Lapis teres & oblongus eſt, in apicem obtuſum deſinens, colore modo albicante, modo aureo, ſagitta extremitatem ad amuſſim referens, quandoque plenus, quandoque concavus; lineas obtinens à medulla ad extremitates tendentes; communiter pollicis & digiti longitudine. Omnibus à natura ineſt rima quaſi in longitudinem tendens. In *Anglia* paſſim reperiuntur variorum colorum. Germani contra incubum & renum calculos valere credunt, eumque in finem ejus pulverem exhibent in liquore competenti.

XIV. Morochtus aliis *Leucogæa*, *Leucophrygis*, *Galaxias*, *Graphida*, *Galactites* (quia eo lineas albas ducere ſolent *Pictores* & *Mathematici*, & quia, ſi ſuper cutem cum aqua fricetur, lacteum emittit ſuccum, quo in collyriis utuntur *Medici*. Lapis eſt (ſi modo lapis) mollis, lubricus, quandoque nigro, quandoque ſubviridi, quandoque melleo colore, qui tamen veſtigia alba poſt ſe relinquit, ſi convenienti ſubjecto affricetur. Reperitur in *Hetruria*, *Germania* circa *Hildesheimium*, *Anglia*, & inſula *Feroenſi* ad littora fluvii cujuſ-

cujuſdam ubi inſtar Tartari concreti cautibus adhæret Dioſcorides in Ægypto reperiri ait; & ad lineas veſtes dealbandas uſurpari.

XV. Ceraunias, *Telum Fulmineum*, *Lapis fulminaris*, *Cuneus Fulmineus*, *Telum Jovis*, eo quod cum fulmine è nubibus decidere vulgo perſuaſum ſit: quam verè tamen, à nobis, in *Diſſertatione noſtra de naturâ fulminis*, fusè demonſtratum. Varias figuras præ ſe fert, maximâ ex parte cuneum refert, Pyramidem, malleum, ſecurim, clavam: longus quandoque pollices ſeptem, quandoque quinque, latus tres aut quatuor, craſſitie inæquali, ſubſtantia, ut plurimùm ad ſilicem accedit, durus adeo ut limam non ſentiat, gravis & ponderoſus. Colore variat quandoque cinereo, quandoque nigricante, quandoque luteo ſubobſcuro. Multas & inſignes virtutes ei adſcribunt ſuperſtitioſi.

XVI. Brontias (quòd cum fulmine ſcilicet è cælo delabi putent) aliis *ombrias* (quòd cum *imbribus* cadat) quibuſdam *chelonitis* (quòd *chelis* teſtudinum, figura & calore quandoque repræſentat,) aliis *Ovum Anguinum* (quia caudas anguinas corpus ejus ambientes & in unum punctum concurrentes quodammodo oſtentat, Germanis magnus Lapis Bufonius. Lapis eſt hemiſphæricus dimidii ovi gallinacei magnitudine, quandoque major, quandoque minor, colore cinereo, fulvo, nigricante, materia vel ſaxea, vel gypſea, vel ſilicea, ab apice ad baſin per ejus convexum quinque lineas, æqualiter in quinque quaſi triangula eum dividentes, habens; quæ lineæ ſemper duplicatæ, ex minutis conſtant punctis, & quandoque in planam ejus ſuperficiem terminantur, quandoque cum perreptantes in modiolum, quòd centrum planæ ſuperficiei, exornant. Si protuberantiæ & eminentiæ quædam in eo appareant, *Ovum Anguinum* nominant. Nunquam, quod ſciam animadverſum, quod plures ſimul in eodem loco aut nido reperti ſint. Hujus alteram ſpeciem conſtituit *Brontius Favogineus*, quam *Ol. Wormius Muſ. pag. 77.* deſcribit.

XVII. Aetites, ſeu *Aquilinus Lapis* vel quod colore ſit fulvo inſtar Aquilæ, vel quod in nidis Aquilarum reperiatur: eo enim transferri aiunt, ſeu ut eo nidus Aquilarum ſtabilior reddatur, ſeu ut partum ovorum promoveat, dictus. Lapis eſt rotundus, aut ad rotunditatem accedens, colore cinereo, pullo, aut fuſco, alium lapidem vel argillam in ſe continens, unde concuſſus reſonat. Varia ejus ſunt genera, *Plinius* quatuor recenſet. *Anſelmus Boëtius* tria & totidem *Wormius* ſe vidiſſe affirmat *Parturientibus* peculiariter dicatum eſſe docent veteres non refragante Modernorum experientia. Siniſtro namque brachio alligatus, fœtum in iis retinet, quæ ad abortiendum ſunt proclives: tempore partus ſiniſtro femori alligatus, partum accelerat.

XVIII. Ostracites (à Græco ὄστρακον, quod *teſtam* notat, eo quod ex cruſtis multis ſibi invicem ſuperimpoſitis conſtet) nam Lapis eſt ſciſſilis & cruſtoſus, ferrugineus ſeu fulvus: qui ablatâ unâ cruſtâ ſeu teſtâ, aliàs ſubinde continet ejuſdem coloris & ſubſtantiæ Pumicis loco quidam utuntur ad cutim glabram reddendam. Ex *Medicis* nonnulli ad mulierum Catamenia ſiſtenda, mammarumque inflammationes ſupprimendas, pulverem ejus præſcribunt.

XIX. Conchites, lapides *Conchas* figura exprimentes.

XX. Bucardites (quia *cor Bovinum* tum figurâ quàm magnitudine æmulatur) quam primus deſcripſiſſe videtur *Ferrandus Imperatus lib. 24. cap. 26.* reperitur interdum in *Anglia*.

XXI. Fungites (quia fungos refert) cujus non unum genus.

XXII. Sceleton Serpentis, qui oſſa Serpentis in ſpiras contorti exprimit. Cui valde affinis eſt *Ophio morphites*, qui ſimiliter anguem in ſpiras convolutum imitatur. Hujus generis infinitus reperitur numerus in *Anglia*, in oppido quodam, quinto lapide ab urbe *Briſtolliæ*, diſtante & alibi.

XXIII. Pectinites, qui piſcem *Pectinem* repræſentat, eaque de cauſa ita haud incongrue nominatur.

XXIV. Cornu Ammonis, quod quatuor conſtat circumvolutionibus in ſe revolutis, inſtar *Vitruvianæ* volutæ perpetuis ſtriis & articulationibus dotatum, colore nigricante, ad griſeum tendente, ſubſtantia ſicca, quibuſdam in locis armatura aurea ſplendens. De quo plura apud *Anſelm. Boëtium lib. 2. De Gemmis cap. 246.*

XXV. Cornu Arietis, quia inſtar cornu arietini in ſe retortum & involutum eſt, rugiſque tranſverſim ductis exornatum. In *Anglia* haud rarum eſt, utpote quod in multis agri *Somerſetenſis* locis, potiſſimum prope *Thermas* ſulphureas, *Aquas Solis* vocatas, lapidicinis effoditur.

XXVI. Hysterolithus, ſive *Lapis uterinus*, eo quod pudendum muliebre figurâ æmuletur, ſic dictus.

XXVII. Priapus, qui faſcinum virile mentitur, tum figurâ, tum magnitudine.

Hiſce ſubjungere poteſt Lector curioſus alios lapides, quotquot ſeu naturalium, ſeu Artificialium formas aliquatenus exprimere viderit. Iſtiuſmodi quippe lapidum, qui omnes nomina ſua à rebus, quas figurà repræſentant, ſortiuntur, permagnus imò fermè infinitus numerus. Atque hæc quidem de *Lapidibus ignobilioribus & minoris pretii*, quatenus ad præſens inſtitutum faciant, dicta ſunto.

Lapidum *Pretioſorum* Majorum Claſſis.

Lapides Pretiosi, quos *gemmas* communiter vocant (licet inter lapidem pretioſum & Gemmam diſcrimen agnoſcant accuratiores) commodiſſimè dividuntur in *Majores* & *Minores*, quos *Gemmas* ſtrictè dicunt.

E Majoribus ſunt

I. Jaspis, qui lapis eſt variorum colorum ſeu ob variorum ſuccorum, qui ad ejus generationem concurrunt, mixturam, ſeu ob particularum, quibus conſtat, figuras & poſitiones varias, & tantæ nonnunquam magnitudinis, ut ex eo magnæ ſtatuæ & columnæ integræ elaborari poſſint, ſed *Achatæ* mollior, *Species* ejus ſunt *Jaſpis*.

1. *Orientalis*, quæ ſubcæruleo, viridique colore obſcura ſanguineis punctis conſperſa eſt, & cæteris omnibus præfertur.

2. *Viridis*, quæ maximâ ex parte vireſcit, paucis intercurrentibus venulis ſanguineis. Hujus varia genera afferuntur ex inſulis Feroenſibus.

3. *Grummalias*, quæ aliquid purpurei admixtum, interjectâ lineâ albâ, habet, cæteriſque omnibus olim præferebatur.

4. *Terebinthinuſa Dioſcoridis*, (quòd colore ſit flavo, inſtar *Terebinthinæ* coctæ, ſic dicta)

5. *Purpurea*, croceis & cæruleis venulis interſperſa.

II. Heliotropius, (ex eo nomen eſſe videtur, quòd aquæ immiſſus augere ſolis fulgorem ſanguineo repercuſſu, extra aquam radios ſeu fulgorem, quaſi avertere, ſolemque velut in ſpeculo exhibere credatur, docente *Plinio* lib. 27. cap. 10.) Qui non ſolùm dimidia ex parte rubro colore tingitur, ſed & in ipſa viriditate maculas oſtendit aliquas rubicundas: quæ nota à *Jaſpide viridi*, internoſcatur. Huic affinis eſt lapis ille ſpurius quidem, ſed elegans quem *Jaſponichem*, id eſt, Onichem viridi colore tinctam, vocant Gemmarii, quæ in *Inſulis Feroenſibus* reperitur.

III. Malachites, quæ viridis & opaca eſt, inſtar foliorum *Malvæ*(unde nomen traxit) ſed pro diverſitate & gradibus colorum, varias etiam obtinet ſpecies, de quibus videatur *Anſelmus Boëtius de Gemmis.* Tantæ magnitudinis quandoque reperitur, ut pocula & manubria gladiorum ex ea conficiantur. Optimæ in *Bohemia* effodiuntur.

IV. Prasius *Theophraſto*, lib περὶ λίθων, πρασῖτης aliis πράσιος λίθος, dictus (à *Praſino*, ſeu, *Porraceo* colore) qui maxima ex parte viridis eſt, ſed raro ſine punctis atris, & quandoque alba diſtinctus Domus eſt *Smaragdi*, ut *Jaſpis Praſii*, & *Jaſpidis Marmor*, unde tanto mollior *Jaſpide*, quanto *Smaragdo* durior, obſervatore *Cardano*, *lib. de Gemmis & coloribus, ſect.* 18.

V. Lapis Nephriticus (quia in doloribus *Nephriticis* eximie proſicuus) Italis *Oſiada del fiancho* Gallis un *ſiadre*; Qui ut pluximùm viridis eſt, politure accuratæ incapax, & ſemper quaſi pinguedine quadam obductus & oleoſus maculis ſeu nubeculis quibuſdam obſcurioribus interſtinctus; ubi in laminam tenuiorem redactus eſt, quodammodo tranſparens. Coloris gradibus variat, quidam ex viriditate nigreſcit, quidam flavedinem cum viriditate coniunctam habet. Sæpe ex viridi, albo, flavo, nigro, cæruleo quaſi miſtus apparet. Ex utraque *India* adfertur nonnullis *Hiſpaniæ & Bohemiæ* locis etiam reperiri quidam aiunt. De viribus ejus in Renum & veſicæ calculis atque arenulis expellendis, hiſtorias varias & experimenta vide, in peculiari de eo tractatu conſcripto à *Clariſſ. Caſparo Bartholino.*

VI. Achates (à fluvio ejuſdem nominis in *Sicilia*, quòd primo ibi inventus.) Lapis eſt variorum colorum, quorum ratione in varias ſpecies diſpeſcitur ut etiam figurarum ipſi à natura impreſſarum. Quando venis ſuis & maculis cornu refert. *Cerutachates* dicitur, quando arbores & nemora, *Dendrachates*. Ubi venæ albæ per eum diſſeminatæ ſunt, *Leucachatem* vocant, ubi rubicundæ, *Hæmachatem*; ſi ſardæ modo rubet, *Sardachatem*; ſi Coralli in morem, *Corallachatem*, Summâ, coloribus adeò variat ac ludit, ut jucundum præbeat ſpectaculum, in primis ubi lineis & ſuis coloribus res alias naturales aut artificiales exhibet. Ex *India* notæ probatiſſimæ adfertur, ſed & in *Germania & Bohemia* quandoque reperitur, etiam tantæ molis, ut Pocula & ſcyphi ex eo conficiantur: item in *Anglia*, in *Cornubia*, uti ex quorundam relatione ſcribit. D. *Merret*, in Pinac. rerum Nat. Britan. pag 209.

VII. Onyx, (à corneo unguis humani candore, quem exactè refert) Italis *Nicolo.* Quæ duobus ad minimum coloribus, albo ſcilicet & nigro. Zonis diſtinctis conſtat, & magis opaca eſt, quàm diaphana. Pro colorum varietate etiam varias habet ſpecies: ſed omnes zonas & lineas habent, quibus colores ab invicem diſterminantur. Olim tantæ magnitudinis inveniebantur, ut inde columnulas & pocula, quæ *Myrrhina* dicebantur, conficerent. Ad ſigilla conficienda aptiſſimus lapis, non ceram politus non recipit.

VIII. Sardonix, quæ ex *Oniche & Sarda* componitur, & cui varias imagines imprimere ſolent ſculptores. Quandoque ex zona alba imaginem ſculpunt, ita ut nigra zona loco ſtrati ſit, tamque à quibuſdam *Memphites* appellatur.

IX. Calcedonias, alias *Carchedonius* (à *Carthagine*, quæ Græcis Καρχηδὼν, non quaſi Carthagine naſceretur, ſed quia è Garamantibus Carthaginem, inde ad alios adveheretur olim) Qui lapis eſt Gemma, quaſi per nubem ſpectata, vel nullo, vel levi aliquo colore tincta, ſemiperſpicua, ſcalpturæ, propter duritiem contumax. Præferuntur reliquis, qui aliquo colore ſunt diluti ac oculis grati, ut illi, in quibus purpureus, cæruleus, ac rubicundus albo miſcentur, quique ſoli expoſiti radiorum refractione Iridem oſtentant. Cujuſmodi eſt *Chalcedonius Grandinoſus* (nempe ex grandinibus quaſi Margaritis conſtans, guttulis ſucci lapideſcentis ita invicem concretis, ut ova piſcium eſſe ſolent) cujus mentionem feciſſe videtur *Ferrandus Imperatus lib.* 24. *Hiſt. Nat. cap.* 2. ſub nomine *Ingemmamenti grandinoſi*, & qui veterum *chalazia* eſſe videtur. Huc ſpectat *Calcedonius Islandicus Cryſtalloides*, quem *Olaus Wormius Muſ. pag.* 99 diſerte deſcribit.

X. Cornelius, vel potius, *Carneolus* (quod *carnis* colorem imitetur, ſic dictus) aliis *Sardus* (ab inſula *Sardinia* unde olim optimus adferebatur,) Primus lapis in *rationali Aaronis*, ſanguini ſubcitrino aut bilioſo, vel loturæ carnis colore ſimilis, ſemiperſpicua & obſcura quaſi nubecula perfectus magnitudine nunc majori, nunc minori. Varia ejus ſunt genera *colores* ſi ſpectes. Reperiuntur in *Sardinia*, *Armenia*, *Perſia*, *Germania*, *Inſulis Feroenſibus.*

XI. Amethystus (ab στερητικῷ & μεθύσκω, inebrio, vel quod uſque ad vini ex pallido rubentis colorem accedens, in violam deſinat: vel quòd Magorum vanitas reſiſtere eum olim promiſerit:) Hebraicè *Achlama*, Chaldaice *Eneglo* Lapillus eſt coloris violacei, ex rubri & cærulei miſtura orti, fulgore non omnino igneo, ſed deficiente ſeu languido. Differentia tamen aliqua in colore obſervatur & ubi ad albedinem accedit. *Amethyſtus albus*, dicitur. Reliquis præferuntur, quibus in purpura refulget roſeus color, Repeiuntur in variis locis *Indiæ* utriuſque, *Arabiæ*, *Armeniæ*, *Cypriæ*, imò in *Germania*, *Bohemia*, *Miſnia*, ſed molliores & viliores. Præſtantes in *Hiſpania* vidit nobilis ille juvenis D. Franc. Willoughbæus, ὁ μακαρίτης, è monte quodam in oppidi Vict dicti vicinia ſito, copioſè effoſſos: quemadmodum ipſe teſtatum reliquit in *Itinerar. ſui pag.* 469. ubi totum explicuit artificium quo primum è ſubnigricantis terræ venis eruuntur, & deinde poliuntur.

XII. Crystallus (à Κρύος gelu, & στέλλω, *contraho*, quaſi quid gelu concretum) Gemma eſt mollis, tranſparens, aquam in glaciem congelatam referens, unde haud pauci ex glacie natam volunt: quod tamen veritati minus conſonum eſſe docet Experientia, cum igne non ſolvatur, nec aqueæ in ea partes igne conſumantur. Quandoque colores alios aſſumit, tumque nomina etiam. Si ſaphirinum, *Pſeudoſaphirus*, ſi Smaragdinum, *Pſeudoſmaragdus* appellatur, & ſolâ duritie à veris differt. Cryſtalli ut plurimùm hexagona naſcuntur figura, quandoque pentagona, imò globoſa & rotunda, ſed tum duriores ſunt vulgaribus, ac pro *Pſeudodamante* habentur. Hujus ſortis eſſe videtur *Cryſtallus* ille, qui è rupe *S Vincentii* prope *Briſtolliam* effoditur.

XIII. Fluores (quia ignis calore, ut glacies à ſole, liqueſcunt & *fluunt*, ſic ab *Agricola* dicti) Qui variis coloribus inſigniuntur, & diverſis figuris concreſcunt, gemmaſque primo aſpectu mentiuntur. Ex iis quandoque conficiuntur colores pictoribus utiles, ſed Metallurgi, dum metalla excoquuntur, eos adhibent, ut facilius fundantur. Huc referunt nonnulli lapidem illum (non à natura quidem, ſed arte elaboratum) qui

XIV. Bezoar Minerale dicitur & Italis Pietra *D'aventura* (quod à Chymico quodam Veneto caſu inventus ſit) cujus ſubſtantia quaſi vitrea eſt, coloris luteo rubentis, micis aureis referta, quæ oculos mire perſtringunt.

XV. Lapis Serpentinus, Luſitanis *Jo piedra della Cobra*, partim naturalis in ſerpente concretus, quem Luſitani *Cobra de Capelos*, i.e. colubrum piloſum vocant, partim artificialis, ex variis venenoſorum animalium, potiſſimum hujus Colubri piloſi portionibus confectus; qui intoxicatis antidotum præſtat, tempeſtivè adhibitum, remedium ferè toti Indiæ, & Chinæ uſitatum. De cujus virtutibus mira prædicat *Athan. Kircher. China illuſtrata pag.* 80.

Lapidum *pretioſorum* Minorum Claſſis.

Inter Lapides Minores, ob nobilitatem Gemmas ſenſu ſtrictiori vocatos, occurrunt.

I. Adamas, (ἀδάμας, ab α privativo, & δαμάω ſive δαμάζω, domo, eo quòd *indomabilis*, ſive in tantùm durus, ut omnia metalla confringat, & ipſe non confringatur ab ullo: licet quod de tanta ipſius duritie prædicarunt veteres, vanum prorſus eſſe hodie compertum ſit; nam & in ſcobem redigi, & facillimè malleo confringi poſſe, quotidiana docet experientia) Hebraicè *Shamar*, Anglicè *à Diamond*, fortè ab Arabico *Diamah*, à *dim*, quod durare ſonat) Gemma eſt duriſſima ſine colore, aquæ inſtar diaphana applicatam tincturam ad ſe quaſi rapiens, ſibique ita conjungens ut micantes ſuos radios procul ejaculentur. Si alieno colore, albo, luteo, aut nigro infectus ſit, id illi vitio eſt, ejuſque pretium minuit. Licet *Plinius* plura Adamantum genera agnoſcat, nobis tamen non niſi *unicum* innotuit, quod genuinum & verum ſit, ſed *Pſeudoadamantes* varii, qui à ſolo natali nomen & differentias invenerunt; cujus modi ſunt *Bohemii Annabergici*, *Hungarici*, *Anglici*, tum Briſtollienſes nempe tum *Cornubienſes* &c. ſed hi omnes molliores ſunt, nec ſplendorem verorum attingunt, ideoque ad Cryſtallos rectius referendi ſunt. *Veri* in *Biſnager*, Provincia *Indiæ Occidentalis*, & in *Decan*; item ad fretum *Tanaim* in *Malacca* &c. inveniuntur. Mirum eſt, quod ſcribit *Rubeus*: Dominam *Heverenſem* è *Luxenburgorum* familia, duos habuiſſe hæreditarios *Adamantes*, qui alios crebro producerent, ut eos qui ſtatis temporibus intueretur, congenerem ſibi prolem enixos fuiſſe palam judicaret. Mirabile dictu, conſtaret ſi certa fides, & magnum ſane argumentum ſeminarias facultates lapidibus ineſſe, quibus in terræ gremio propagantur & ſibi ſimiles producunt.

II. Rubinus, (à rubro colore) ab India, *Tabes* & *Muncha*, à Perſis & Arabibus, *Jacut*, Eſt gemma diaphana, rutilans, rubenſque ad cæruleum parum inclinans, limam reſpuens, & ad ſanguinis, Cocci, Laccæ Indicæ colorem propius accedens, quàm Minii. Ratione ſplendoris & rubedinis *quatuor* ejus conſtitui ſolent *genera*, quæ *nomina* etiam diverſa ſunt ſortita. viz.

1. *Rubinus verus*, quo ubi magnus eſt & radiantis ſplendoris, Carbunculus, Græcè ἄνθραξ (quia carbonis inſtar accenſi rutilat & micat) & *Pyropus* (quaſi ignitus lapis) & *Apyrotus* (quia ab igne non patitur) de quo vide, quæ ab immortali *Boyleo* noſtro in Epiſtola quadam ad prænobilem virum *D. Robertum Morrey*, Equitem Auratum de *Adamante* quodam in tenebris diutile lucente & de *Carbunculo* conſcripta ſunt, ad finem *lib. ſui de Coloribus*.

2. *Rubicellus* qui ex Balaſſio & Spinello colorem mixtum habet, quaſi ſimilis Granatis Bohemicis.

3. *Balaſſius*, qui exiguam & languidam habet rubedinem.

4. *Spinellus*, qui mollior aliquanto vero Rubino, rubicundior Balaſſio, ſed non adeo ſplendet ac verus Rubinus. Præſtantiſſimi Rubini in Inſula *Zeilan* reperiuntur, ubi in roſeâ quâdam matrice, quam *Balaſſium* eſſe quidam arbitrantur; naſcuntur. Reperiri nonnunquam *Ovi Gallinacei* magnitudine teſtantur Hiſtoriæ, à *Purchaſio noſtro lib. Peregrination.* 1. *cap.* 4. *pag.* 10. *traditæ*.

III. Granatus, Gallis *vermeille* quòd *Minii* rubedine flagrat, qui inter Rubinos etiam à quibuſdam recenſetur. Eſt autem Gemma dura & flavedine obſcure rubens, inſtar ignis aut Minii nativi tincturam ſuam in igne non remittens. Ratione loci ubi invenitur, in *Orientalem* & *Occidentalem* dividitur. *Orientalis* ex *India*, *Camboia*, *Æthiopia* adfertur. Occidentales coloribus differunt: reliquis vero præferuntur *Bohemici*, ob tincturæ præſtantiam. Reperiuntur quoque in *Norvvegia* dodecalaterum; ſed impuriores, vena *Talci* plerumque infecti, colore ad nigredinem tendentes, ut eo primum genus *Orientalium* æmulari videantur, naturâ quandoque politi.

IV. Hyacinthus (ab Hyacinthino colore) qui ejuſdem cenſus eſt cum ſuperioribus, colore rutilo & ex flavedine rubenti. Cum varios etiam habet coloris ſui gradus, eorum reſpectu variæ ejus conſtituuntur ſpecies. Sunt qui inſtar *Minii* nativi & ſanguinis bilioſi rutilent: ſunt qui colore *croceo* flaveſcant; ſunt qui *ſuccinum flavum* æmulentur, qui viliores ſunt; ſunt qui *album ſuccinum* referant, qui viliſſimi habentur. Dantur tam *Orientales*, ex *India* allati, quàm *Occidentales*, ex *Sileſia*, *Bohemia*, aliiſque *Germaniæ* locis petiti. *Plinii Hyacinthus* hodie inter *Amethyſtos* recenſetur, ut veterum *Amethyſtus* pro *Granato* accipitur, apud nos in *Anglia*, in agro *Eboracenſi* quandoque effodiuntur *Hyacinthi*, ſed impuri.

V. Saphiros, Σάφειρος (appellatio eſt ab Oriente, nam ſimiliter *Hebræis* dicitur *Saphir*; uti Voſſio videtur, à loco, qui fortè fuerit ejuſdem nominis) Plinio *Cyanus*, (à colore,) Gemma eſt cæruleo colore, pellucida, diaphana, dura, omni carens rubedine Amethyſtina. Quidam albicat, & à Plinio *fœmina* vocatur; quidam coloris eſt ſaturate cærulei, *Mas* eidem Plinio: quidam omni prorſus colore deſtituuntur, & pro Adamantibus quandoque ſubſtituti, ſed longe his & duritie & ſplendore inferiores. Alii dividi ſolent in *Orientales* ex variis *Indiæ* regionibus allatos: & *Occidentales*, in confinio *Sileſiæ* & *Bohemiæ* in torrentibus, & in prato minore *Iſera* inventos. Tinctura & color Saphiri, ab eo igne auferri poteſt, ut Adamantem mentiatur. Quidam pro *Oleo Saphiri* (quod contra venena commendatur) vendunt quippiam ex floribus *camomillæ* cum *ſale Ammoniaco* deſtillatum; à quibus cavendum.

VI. Smaragdus, Σμάραγδος & μάραγδος ſine σ, quo *Menander* utitur apud *Athen. lib.* 3. (nem-

(nempe ut dicitur σμαράσσω & μαράσσω, luceo, ſplendeo: ab illo eſt *Smaragdus*, ab hæc *Maragdus*. Nam *Ovidius.*

In ſolio Phœbus claris lucente ſmaragdis

A nonnullis, *Praſinus* (à colore viridi) ab aliis *Neroninus* & *Domitianus*, Arabibus *Zamarus*. Qui lapillus eſt grato vigore oculorum aciem ita demulcens, ut omnium viridariorum amœnitatem ſuperet; pellucidus, diaphanus, planè viridis. *Plinius* ejus generi duodecim recenſet. Hodie in Orientalem & Occidentalem diſpeſcitur? ille præſtantiſſimus, duriſſimus, viriditate oculos uberrime ſatians. Hic rurſus duplex eſt; *Europæus*, qui in *Cypro, Britannia* (*in agro Eboracenſi*) aliiſque locis invenitur: & *Peruanus*, qui licet viriditate excellat, tamen ut Orientalis non ita radiat, & nubeculis ut plurimum fœdatur. Mira ſunt, quæ de ſmaragdorum magnitudine apud Autores leguntur. *Ol. Hormius* ſe *Genuæ* vidiſſe ſcribit integrum catinum ex ſmaragdo qui in diametro pedem circiter habebat, qui æſtimari ob amplitudinem nequibat. Partum id fuit antiquitus ex victoria Syriaca, & ad publicum Civitatis ornamentum D. Laurentio conſecratum.

VII. Chrysolitus, χρύσος & λίθος, quaſi *aureus Lapis*, quia aureo color translucet.) Qui Gemma eſt viridis, colore ſmaragdo dilutior, utpote cui nonnihil flavedinis adjunctum eſt; diaphana, quandoque per viridem aureum fulgentem habens, & tum *Chryſopatius*, à quibuſdam indigitatur. Quòd ſi noctu, igne admoto, vehementer ſplendeat (*Chryſolampis* Plinii eſt. Non adeo durus eſt, quin limam ſentiat. Quandoque, ſed rariſſime, in tantum excreſcit magnitudinem, ut inde ſtatuæ confici poſſint. *Arſinoæ* namque Ptolomæi Philadelphi uxori ſtatua quatuor cubitorum ex hoc lapide (qui veterum eſt *Topaſius*, in delubro ſacrata fuit.

VIII. Topazius (ab inſula quadam in Mari rubro quæ & *Paz* dicebatur, *Opaz* & *Topaz*; ita derivante *Plinio lib. 6. cap. 29.*) Topaſium Neotericorum, veterum *Chryſolithum* eſſe, doctè demonſtratur tùm *ab Anſelmo Boëtio*, tum à D. *Joh.* de *Laet.* Duo ejus genera ſtatuunt, alterum *Orientale*, quod inſtar auri obryzi ſive puriſſimi rutilat: alterum *Europæum*, quod Cryſtalli inſtar molleat, cum auro colore vel parum, vel multùm nigricante. Hujus generis quoſdam eſſe ſcribunt, qui tum parum flavedinis habent, ut niſi nigredine à Chryſtallis diſtingui non poſſint, atque in *Bohemia* paſſim inveniri.

IX. Turcois, *Turcoſa*, *Turchina* vel *Turcheſia* (à Turcis à quibus ad nos adferri ſolet) quæ gemma eſt opaca, ex viridi, albo & cæruleo quaſi compoſita, viride æs colore exactè referens, ſunt *Orientales*, in *Perſia* nigris lapidibus adnaſcentes, quarum quædam colorem ſemper ſervant: aliæ paulatim virideſcunt, ac viliores proinde habentur: vel *Occidentales*, quales in *Germania, Bohemia, Hiſpania, inſulis Feroenſibus* colliguntur. Lege *Itinerar.* D. Mandelſto. Tantæ magnitudinis *Turcheſia* in Theſauris *Magni Ducis Hetruriæ* viſitur, ut juglandem æquet; cui *Jul. Caſaris* effigies inſculpta eſt.

X. Bufonius *Lapis* (quia vulgò creditum eſt, cum ab annoſis *Bufonibus* eructari, quod experientia falſum eſſe norunt ſagaciores.) Qui lapillus eſt, raro unguem digiti ſuperans, coloris ut plurimum griſei, ad rubedinem quandoque inclinans, oculi modò convexus, quandoque oblongus, quandoque rotundus, altera parte planus aut parùm concavus. Naſcitur fungi ad morem in ſaxis & petris, non verò in capitibus Bufonum.

Opalus, ſeu *Opalis*, Græcè ὀπαλός (quem *Iſidorus* nomen ex patria obtinuiſſe vult, quia eum ſola parturit India, ſed de cauſa nominis quod offert, veriſimilius eſſet, ſi locus ejus nominis ullus eſſet in India; olim *Pæderos*, quaſi puerorum amor (quod amorem conciliare olim à ſuperſtitioſis crederetur, vel ob eximiam pulchritudinem) Italis Giraſole, vel, ſcambio Gemma ſanè elegantiſſima, omnes fermè colores exhibens Ex radiorum enim luminoſorum refractionibus variis cæruleum, purpureum, viridem *florem* rubrum, lacteum, ac nigrum interdum, intuentium oculis ingerit. Unde *Plinius*, ineſt Opalo, inquit, carbunculi tenuior ignis, Amethyſti purpurâ fulgens, ſmaragdi virens mare, & cuncta pariter incredibili miſtura lucentia. Hinque fit, ut à quibuſdam inter omnes gemmas palma ei deferatur; tum quod arte nullâ adulterari poſſit. Ejus quatuor conſtituuntur genera.

1. *Primum* Diaphanum eſt, omnes colores Iridis exhibens, hocque præſtantiſſimum.

2. *Secundum* ex nigredine igneum carbunculi fulgorem emittit.

3. *Tertium* in corpore flaveſcente varios repræſentat colores, quietos tamen nec fulgore vividos, & nonnunquam lactea etiam quaſi languentes.

4. *Ultimum* cum primo æque diaphanum eſt, ſed parum cærulei, aut flavi coloris in ſe habet, & luci oppoſitum, ſi vertatur, in extremo cardine lucere, propter luminis reflexionem, videtur. Hoc omnium ignobiliſſimum cenſetur, ideoque Pſeudo-opalus dicitur.

Præſtantiſſimi Opali in *India* inveniuntur, viliores in *Cypro*, *Ægypto*, *Hungaria*: Nullibi verò frequentiores quàm in *Inſulis Feroenſibus.* Naſcuntur omnes in lapide molli, venis nigris, flavis, fuſcis diſtincto.

XII. Berillus, ſive, *Beryllus*, βήρυλλος (nomen ab *Oriente* accepimus, teſte *Iſidoro lib. 16. cap.* 7. qui *Beryllus* inquit, *in India gignitur*, gentis ſuæ linguæ nomen habens.) Ultimus in rationali *Aaronis* Lapillus, Circa ejus deſcriptionem variant Autores. Communis tamen opinio huic gemmæ tribuit virorem marinum. Ex *India* venit & *Phœnicia*; ubi Ophitæ venis innaſcitur, ut *Dionyſius Poëta* teſtatur hoc verſiculo.

Φύεται ἐν προβολῇ Ὀφιήτιδος ἔνδοθι πέτρης
Naſcitur is venas intra fulgentis Ophitæ.

Uti vertit *Raphael Volaterranus*, *lib. 27. lap. de gemmis.*

XIII. Oculus Mundi nonnullis *Lapis mutabilis* (quod aquæ frigidæ impoſitus, colorem mutet, planeque flavus & perſpicuus reddatur, ſed inde extractus in priſtinum ſtatum redeat) quem *Muſæi calceolarii Autor Ceratus* Opali ſpeciem quandam exiſtimat, *Onychini* colore cinereo quodammodo refert, & Opali modo quadantenus perſpicua eſt, lucique applicata in candore luteum quid continet. Hujus generis ego unum vidi à nobiliſſimo Viro, Philoſophiæque experimentalis aſſertore feliciſſimo. D. *Roberto Boylæo* Societati Regiæ oſtenſum. Qui aquæ frigidæ & puriſſimæ immerſus, exiguo temporis ſpatio, proprio quaſi exutus colore, alium inducbat, ex albo nimirum flaveſcentem, & (quod majorem excitabat admirationem) forma lucidum: ex aqua verò extractus, depoſito colore illo, quem in aquâ contraxerat, proprium denuo exhibuit intuentibus. Cujus experimenti occaſione, ex eruditis ſpectatoribus nonnulli ingenia ſua ad inveſtigandum, unde tanta, tamque admiranda coloris mutatio in iſto

lapillo

lapillo contingeret, tertio exercebant, variaſque in medium proferebant conjecturas: quarum aliquæ forſan impoſterum lucem videbunt. Interim lectione digniſſima exiſtimo, quæ non multis retro ab hinc annis ſuper hoc lapide commentatus eſt *Clariſſ. Vir D. Ioh. de Laet. Lib.* 1. *de Gemmis & Lapid. cap.* 13. Extat etiam in ſocietatis Regiæ archivis hujus gemmæ amplior hiſtoria, à *D.D. Ionath. Goddard* (quem humanis jam exemptum ſeriò doleo) conſcripta.

XIV. Oculus Catti, Italis *Occhio di Gatto*, ab Hiſpanis *Torna Sole*, ab Indis *Holtzitzilteil*, à Portugalis *Oio di Gatto* (quia illius animalis oculum probè refert.) Cujus variæ ſpecies ſunt. Præcipuam autem ſic deſcribit modo laudatus *Joh. de Laët.* Gemma hæc, inquit, ſi invertatur, in altera ſemper parte candidior & lucidior apparet. Conſtare enim duobus coloribus videtur, lacteo penè & fuſco, in medio veluti divortio quodam ſeparatis, qui utrinque obſcurius translucent, ita tamen ut alteruter color magis lumen admittat. Inſpicienti hanc Gemmam deſuper, dextra pars candida videtur, quomodocumque verteris, imò ſi bene advertas, linea ſatis lata candida in medio apparet, & utraque latera fuſca, ita ut certo certius ſit, hanc coloris varietatem à lumine illi accedere. &c. Magnam horum copiam in *Tototepec* Indiæ Occidentalis *Provinciæ* reperiri, eoſque exiguos eſſe, & præ nimiâ abundantiâ viles, ſcribit *Francximines lib.*4. *cap.*18.

XV. Oculus Beli (ob eximiam ſpeciem *Belo*, ſacratiſſimo Aſſyriorum Deo, olim dicatus; unde nomen) exiguus lapillus hemiſphæricus, in cujus centro pupilla nigricat, quam ambit latus circulus, Margaritæ inſtar ſplendens, tunicam oculi corneam referens, tunc ſequitur alter circulus, tenuis, alto purpureus quem excipit ejuſdem magnitudinis flavus, ex quibus duobus Iris quaſi conſtituitur, reliquum corporis fulvo eſt colore. Eadem gemina videtur cum *Geſneri Lycopthalmo*, quo ſimiliter quatuor conſtat coloribus, ita poſitis, ut *Lupi* oculum probè referat.

Ad pedem hujus Claſſis apponi poſſunt.

Margaritæ, (μαργαρίτης, ſeu, uti *Euſtatius* deducit, à μαίρειν, *ſplendere*, ſeu à μάργαρον, quomodo à *Pauſania in* Arcad. & in Epigramm. vocatur: μάργαρος vero eſt ab Hebræo fonte, nam Jeſ. 17. ver. 6. eſt *Gargerim*, quod in translatione ſua *Junius* & *Tremellius* vertere Baccas) aliis Perlæ, & cum majores ſunt, *uniones* (quod nulli duo indiſcreti reperiantur.) Quarum nobiliores in ſinu *Perſico* & in *India* in primis ad Promontorium *Commoria*, & Inſulam *Zeilam* reperiuntur, *Orientales* dictæ; *Occidentales* verò quæ ignobiliores ſunt, variis in locis *Europæ*, etiam in *Anglia*, *Scotia*, *Dania*, *Norvvegia*. Apud nos in *Oſtreis* maximâ ex parte, ut & in *Mytulis* (ſed impuriores) inveniuntur. *Margaritæ* vitia temporis progreſſu contrahunt, & quaſi ſeneſcunt, cùm flavedinem induunt, ſed priſtino ſplendori & candori reſtituuntur, detractâ ſuperiore cuticulâ ſpiritu vitrioli, verum quia aliquid earum detrahit magnitudini & pretio, alii pulvere Alabaſtri, corallii albi, vitrioli albi & tartari albi eas mundant, & reſtituunt. Quidam columbis devorandas præbent, quidam oryza & ſale fricant. Maculas tollunt Gemmarii rore Maiali, in foliis Lactucæ collecto, ſi in eo per diem macerentur.

Lapis Bezoar (vel à Perſico *Pazar*, quod *Hircum* illum notat, cujus ex ventriculo deſumitur, vel ab Hebraico & Chaldaico *Beluzaar*, quod *Dominum veneni* ſignificat, eo quod præſtans ſit in domandis venenis) Lapis eſt mollis, ex variis cruſtis coagmentatus, in animalis cujuſdam, capræ ſylveſtris ſpeciem habentis, ventriculo genitus, figura varia, oblonga, orbiculari, modo rotundiore & renum referente, colore nunc nigricante, nunc ſubcinereo, nunc flaveſcente, ut plurimum verò eſt pullus, ſpadiceus, ex viridi nigricans, in ſuperficie lævis & blandus, in meditullio concavus, vel feſtucam, vel plantæ fibras, vel aliud quid continens. Duo ejus dantur Genera, *viz.*

1. *Orientalis*, qui ex *India* Orientali, *Perſia*, *Ægypto*, *China*, *Cathaio*, & vicinis regionibus adfertur: de quo optime commentati ſunt *Carolus Cluſius ad lib.* 1. *Garciæ, cap.* 44. & *Joh. Nierenbergius in Hiſt. Ind.*

2. *Occidentalis*, qui ex America & Peruvia & minoris pretii habetur.

Veri lapidis Bezoardici notæ hæ ſtatuuntur; ſi ex Capricervis Orientalibus, in montanis paſcua habentibus, ſit depromptus; unde Perſicus refertur Malacenſi: qui ex nigro ſeu varo colore virideſcit, cujuſque pulvis ſubviridis eſt; qui ablata cruſtâ ſuperiore, inferiorem habet æquè ſplendentem ac politum, qui, in meditullio concavus aut arenum lapidis ſubſtantiæ ſimilem habet qui aquâ aut vino liqueſcit, nihil continens arenoſi, ſi calce vivâ, aquâ admiſtâ, unctus, paulò poſt flaveſcat. Quidam chartam Cretâ fricant, deinde ſupra Cretam lapidem, & ſi frictionis linea viridis appareat genuinum eſſe cenſent. Quidam acu ignitâ lapidem, & ſi frictionis linea viridis appareat, genuinum eſſe cenſent. Quidam acu ignita lapidem perforant, ſi fumum de ſe ſpargat, adulterinum credunt. Certius tamen veri indicium non datur, quàm ſi venenum animali exhibeatur, & mox oblato lapidis pulvere incolumis evadat. Mirum eſt, quòd *Ol. Wormius* ſe obſervaſſe ſcribit. Oculis meis, inquit, vidi Lapidem Bezoardicum inſignem, *Ovi Gallinacei* magnitudine, manibus ab homine maligno geſtatum, & leviter ſaltem tactum, ruptâ exteriore tunicâ, in fruſta deſiliiſſe, magnâ adſtantium admiratione. Ipſos Indos hunc lapidem ſolerter adulterare, docet *Manardus tractat. de Lapide Bezoardico.* In *Braſilia* conficitur artificiosè ex Reſina, fructu crumacino, radice *Dralzenæ, contrajerva* Luſitanus dicta: ſed in ſuperficie flaveſcit, intus eſt cinerei coloris. Huic merito ſubſtituit *Jac. Bontius* (*lib. Medicin. Indor.*) Lapidem Porcinum, ſive *Malacenſem.* Qui in Apro inventus, quantum forma ac colore Bezoartico inferior eſt, tantùm virtutibus & uſu eum exſuperat. Quoties enim liquori alicui per horam ſolummodo immaceratur. Toties eandem vim cum illi communicat: idque cum tam exiguo ponderis decremento, ut vix animadvertas ipſum imminui à frequenti infuſione. Liquot autem ipſius licet aliquantulum amaricet: ingratus tamen nequaquam eſt, daturque facillime potui, delicatis corporibus, ac teneræ puerorum ætati; convenitque maximopere febri malignæ, morbo comitiali, ac variolis, cùm ob ſudorem quem elicit, tum quòd malignitati adverſetur. Vide *Tulpii Obſervat. Med. lib.*1. *c.* 51.

Lapis Cervinus, qui in canthis oculorum *Cervi*, concreſcit, ex oculorum ſordibus & ſudore in cavitate quâdam exiguâ collectis diuque detentis. Subalbus eſt ſuperficie, intus cinereus, & perraro piſi minoris magnitudinem ſuperat. Viribus cum Bezoar vero certare aiunt. Et de *Lapidum* Generibus hæc ſufficiant. *Charleton.*

De Lapidibus & Gemmis *adulterinis* ſeu *Arte confectis*, eorumque parandorum ratione.

Ars Naturæ in omnibus imitatrix, hoc potiſſimum intendit, ut quantum fieri poteſt, ejus effectus, ſi non vera,

vera & reali efficientia ſaltem ſecundum analogiam quandam & quàm veriſimillime attingat, quod tum in aliis jam in præcedentibus diſcuſſis; tum potiſſimum in artificioſa lapidum; gemmarum, margaritarumque confectione eluceſcit. Quam artem ne præteriiſſe videremur, hic paulo fuſius deſcribam, cum ad multa, ſi fraus abſit præſertim in cultus Divini promotione ac Eccleſiaſticis ornamentis elaborandis utiliſſima eſſe poſſit. Dico itaque primo quomodo ex ſola ſmaltea materia ſapphiri, ſmaragdi, amethyſti, hyacinthi, Carbunculi, topazii & ſimiles pretioſæ gemmæ ad vivum elaborare poſſint: & ne hoc loco avaritiæ labe depravatis hominibus impoſturæ detur occaſio, ſimul addemus modum, qua ratione adulteria gemmarum facili negotio cognoſci queant. Verum ne Lectorem diutius ſuſpendamus, ἐγχαυςοποιείαν ordiemur.

Smaltum Idem eſſe dicimus; quod veteres encauſtum dixere & nil aliud eſt, quam liquati coloratique metalli pigmentum; Unde encauſtæ ἐγκαυςαὶ ii vocantur, qui liquatis metallis colores inurunt, encauſtum eliquatum auro agglutinant ſive metallicum pigmentum auro inurunt; aut liquanti coloratoque metallo aurum inducunt; Cujus ope adeo venuſta & elegantia fiunt opera, ut iis nil ſive raritatem, ſive ſplendoris dignitatem ſpectes, comparare poſſe videatur Quomodo autem ac quo ingenio fiant ex Blaſio Vigenerio & Bulengero, qui ea ex lingua gallica in latinam vertit, paucis exponam.

Quomodo gemmæ ex ſmalto ſeu encauſto Confici poſſint:

Encauſticum igitur opus fit è vitro & metallis, quæ inter ſe naturæ ſponte mirificè conſentiunt. Vitrum quod ad encauſticum opus adhibetur, non è filice aut fago, aut tribulo paludum fieri debet, ſed è petra ſeu lapide, ut vitrum illuſtre, ſplendidum & cryſtallinum fiat, unde encauſtum efficiatur metallis inurendum. Cineres è ſilice aut tribulo, è quibus fit vitrum, diſſolvunt in aqua calida, & ſegmentis panni candidi adhibitis, aquam puram & claram in vas ſuppoſitum tranſmiſſunt; quidquid ſordium eſt, in cineribus ſubſidit in priore vaſe, nec per pannum tranſmittitur; ſed aqua tantum clariſſima & limpidiſſima, quæ modico igne in ſalem candidum concreſcit, quum humidum aqueum exhalarit, qui arenæ aut lapidi, ſeu ſaxo purgato admixtus, & minio perfuſus, in fornacem vitri mittitur: minium illud aut minerale eſt ſeu metallicum aut factitium è plumbo uſto. Calx illa rubra plumbi fit in igne vehementi & clauſo, ne in aere exhalet; πυρ[illegible]; aut ignis reverberatus, & in clauſo vagus & errans vocari poteſt. Vitri artifices vas quoddam è terra pingui candida, cum oſſibus arietum tritis, & aliis medicamentis capaciſſimum & ampliſſimum fingunt, quod nullo igne quamlibet violento corrumpi aut diſſolvi poſſit. Vas illud in fornacem mittunt, & in medio collocant, cineribus vitro faciendo aptis plenum, qui vi ignis liquefiunt, mox terreas linguas in vas illud ardens immittunt quibus materia illa & pinguis & liquida adhæreſcit, è qua vitrea fiunt: ſal igitur ille Alcali minio perfuſus in capedine terrea ſex totos dies flammis ardenti perſeverat: primo & altero die materia illa miniata flaveſcit, tertio & quarto vireſcit, duobus aliis albeſcit, & aeris colorem induit, & cryſtallina efficitur, è qua fiunt adulterinæ gemmæ, & encauſtum ſeu ſmaltum. Cryſtallina illa materia ut cogatur & concreſcat, calcem metallicam è plumbo & ſtanno Cornubienſi puriſſimo in fornace reverberante ante conflatam adhiberi neceſſe eſt, ut ſtanno, encauſto, ſeu ſmalto adferat ſoliditatem, & corpus ne ſit pellucidum; ſine plumbo nullum metallum in vitrum tranſire poteſt cum igitur materiam illam cryſtallinam & calcem plumbi ac ſtanni, utramque tenuiſſimo pulveri ſimilem inter ſe miſcueris & quaſi patulum panem aut ſubactam maſſam ex iis effeceris, foramen in medio fodies, ut exhalet inutilis humor, & per ſe ſenſim exſiccari patieris, tum maſſam illam exſiccatam in fornacem vitriariam mittes eouſque, dum liquari incipiat; mox è fornace extrahes & refrigeſcere materiam ſines; tandem in vaſe terreo, quod igni non ſolvatur, non liqueſcere ſubjecto igne ſines, ſpumam pinguem ſupernatantem cochlearibus ferreis extrahes, donec 24. horis materia fervens purgatiſſima & limpidiſſima fiat, hoc tibi erit ſmaltum album, quod quocunque colore imbui poterit. Si ſmaltum illud cum cryſtallo in pulverem contriveris, & in fornace vitriaria liquefeceris, & metallicam cautem, ſeu petram ſubterraneam metallicam adjeceris, exiſtet nigrum ſplendidum; ſi addideris argentum uſtum cum ſulphure, cæruleum turquinum effeceris; ſi æs in laminas tenues ſecueris, & per quinque dies uſſeris; & in ſmaltum illud injeceris efficies virens, æs ter uſtum tingitur ſmaragdino pellucido. Cæſium glaucum, violaceum, cinereum, fiunt è ſmalto illo, cui metallicam petram vario modo temperatam admiſcueris. Si nitrum ſeu ſalem petræ indideris, colorem margaritarum expreſſeris ſmaltum rubrum. Clarum principatum inter alia obtinet; flavum bracteolatum argento addito effeceris luteum paleatum, item luteum aureum, luteum mali punici; ſed luteum citrinum fit è ferrugine anchorarum, quas vis maris arroſit, aut ex croco ferri quem ex aceto ſtillaveris. Smaltum eò firmius, lætius & integrius eſt, quo diutius ignes patitur. Rubrum effeceris ſi æs in calcem redactum vi ignis vitro ſeu ſmalto candido injeceris, una cum ramentis ferri & auripigmento. Si plus vitri injeceris, roſeum ſplendidiorem effeceris, eſt murex dilutus; vel oſtrum dilutius. Si plus plumbi indideris; cave ſtannum admiſceas, minoris enim erit ſplendoris. Rubrum clarum efficies, ſi plumbum & argentum vivum auro intuderis, item ſpiritum æris, & ſulphur æris incombuſtibile

Æris illius tinctura uſque adeo ſatura eſt, & eminens, ut colorem auri nativum augeat & exaggeret; Sed color ille exaggeratus igne vehementi delctur. Exaggeratio illa coloris in auro fit per ſpiritum volatilem æris, quod cum auro ſenſim in capeduncula terrea excoquitur caliculus metalli fuſor: ut igitur colorem auri exaggeres, aliquid argenti vivi cum auro & ſpiritu æris miſcebis, quia vivum argentum prohibet ne tincturæ & colores exurantur; & ignis vim moratur id temporis, quo tinctura & color in aurum intimè ſubit. Aurum ita tinctum quaſi folium pyropis ſubjicitur: aurum enim quod fulvo tingitur; corpore æris adhibito, ſemper nigricans, lividum & marcidum eſt; quia ſubſtantia æris, quæ per ſe nigricat, nigris maculis liberari non poteſt, ſive radas, ſive coquas, ſive gummi & ſandaraca laves: at aurum quod tingitur ſpiritu æris eſt veterum Aurichalcum & electrum, unde pocula fiunt quæ venenum, ſi quod injectum fuerit, indicant & produnt; hoc item aurum ſpiritu æris exaggeratum, vi ſolius plumbi, non alterius metalli in vitrum convertitur, unde fit ſmaltum ſeu encauſtum rubrum clarum: imo aurum vi plumbi fit volatile, aut in oleum mutatur, quod vitrum aureum vocatur; quod S. Joannes in Apocalypſi pavimentum cœleſtis Hieruſalem, quaſi teſſeris vitreis ſtratum eſſe, teſtatur. S. Hieronymus aurum illud vitreum vult eſſe electrum Ezechielis hæbreis dictum: non ita pridem argentum aſperum & ſincerum cum ære & plumbo excoquebant & concorporabant ut rubrum clarum exiſteret, quam Neſluram vulgo vocarunt, quum in grana argentum liquefactum & in aquam injectum concideret. Smaltum auro, argento, æri, non aliis metallis inducitur & inuritur. Item vitro & teſtis fictilibus; imo nuper reperta ars inurendi ſmalto marmora & duriſſimos lapides, ita ut igne non violentur: ut metalla & ex metallis

colores inuras, ſmaltum in minutiſſimum pulverem in mortario ferreo duriſſimo tere piſtillo ferreo cum modica aqua: melius enim cum mortario ſuccedet res, quàm ſi in porphyretico lapide tereres; colores qui ex metallis inuruntur, hi ſunt, niger, violaceus, viridis, ferrugineus ſeu caſtaneus, cinereus, cæruleus ſeu glaucus, ruber clarus, luteus ex auro, qui omnes colores pellucidi ſunt & ſplendidi, cum albus & cælius Turquinus ſunt opaci. Cùm triveris tres metallicos colores in mortario cum modica aqua, effunde quidquid eſt aquæ, & pulverem illum tenuiſſimum in patella vitrea reponito, cui tantum affunde aquæ fortis, quam è nitro & vitriolo ſubjecto igne ſtillatitiam efficiunt, ut pulveribus innatet eoſque tegat, & toties pulveres illos aqua forti imbutos aqua fontis limpida lavato, donec ea nihil ſordium trahat, ſed nitida & clara exeat. Aqua fortis pingue metallicum purgat; aqua fontis limpida, ſi quid terræ admixtum erat, abluit & tollit, ſmaltum tritum in aqua limpida facile integrum ſervantur, extra aquam ſordes concipit. Pulveres iſti tegulâ æreâ colliguntur & operi hamilioris formæ magna cura & diligentia inducuntur, ut alij ab alijs ſegregentur, ne forte pulverum aut colorum contuſio aut perturbatio fiat, Cum probe collocati fuerint, chartam vulgarem aqua madefacito & inter manus aquam exprimito, ut charta ſit loco ſpongiæ, quæ humido exuſto ſmaltum exſiccet, quod ſiccum lætius & hilarius eſt, quàm madidum Illa pulverum collocatio dicitur vulgo primapellis; deinde ſmaltum laminæ terreæ impoſitum paulatim in fornacem intruditur, ubi exardeſcit, donec liqueſcere & moveri incipiat tum enim è fornace debet educi, ut refrigeſcat; mox adduntur ſecunda & tertia pulverum collocatio, & opus fornaci & igni vehementi permittitur, donec ſmaltum planè coloribus inuſtum ſit: tum è fornace opus eductum expolitur lapideo idoneo, & abſolvitur Samio lapide. Ut encauſto eminentia cujuſvis figuræ, vel opus tumens, aut in umbonem plus minus elatum inuretur, acinos pyri aqua limpida madidos ſumes illiſque ſmaltum irrigabis, quod viſcoſum factum, & quaſi glutine illitum, facile operi adhærebit: aliter non adhæreſceret umboni, & extantibus ſignis, aut prominenti figuræ; cum tamen nullo negotio ſmaltum fundo vaſorum & operum humilioris formæ adhæreſcat. Rubrum clarum non adhæreſcit niſi auro Rubrum opacum in argento, & ære probe collocari poteſt. cætera encauſta ſeu ſmalta auro, argento & æri inhærere poſſunt. Tunc dicuntur auro adglutinari, metallicum pigmentum auro inuri, liquenti coloratoque metallo aurum pingi, deſcribi, diſtingui, encauſtum, auro illini, obduci; ubi incauſto metallum inuſtum eſt, opus eſt abſolutum. In pluribus encauſtis ſeu ſmaltis admiſcetur vitriolum, minium vel humus plumbeæ venæ. Crocus martis ſeu ferri nitrum, nativa, vel factitia ærugo raſilis, magneſia & rupes metallica, quæ ſub agris arentibus & macilentis naſci ſolet.

Ex hiſce patet, generalem maſſam fieri ex cryſtallo præparato & per ſalem tartari ad ſummum purificato, cui adjicitur ſal Alcali fixum; atque hujuſmodi maſſæ contuſæ miſcentur colores, qui quo puriores ſunt, eo vitrum fit excellentius & conſequenter, quo præparatio eſt ſubtilior & coctio ingenioſior, eo lapis fit præſtantior. Verbo gemmificii cardo in hoc vertitur, ut facias ex metallis mineralibuſque convenientibus ſmalta ſeu vitreos colores illoſque illiques materiæ, quæ conſtat ex una parte cryſtalli præparati & duabus ſalis fixi.

Sapphiri Confectionem ſi deſideras, tum accipe ſalis Alcali beſſem, cryſtalli præparati trientem, Zaphiræ ſemidrachmam commiſce; & artificioſè per triduum in fornace vitriaria concoque. Si quæras quid proprie Zaphara ſit? dico eſſe Lazurium illud ex magneſia ſaturnina, quod biſmuthum quoque vocant, & hoc vitream maſſam cæruleo tingit colore, quo & figuli ut plurimum uti ſolent: hic enim in porphyretico lapide lævigatus illituſque fictilibus, cruda tingit ſub nigro colore qui vi ignium tamen mox in cæruleum abit.

Smaragdus ſic fit, Trita cryſtallo ad duplum minii in fornace vitriaria eliquati; maſſa ſiquidem ex eo emergens adeo nativo ſmaragdo eſt ſimilis, ut etiam peritos fallat, niſi quod Soli expoſitus, plumbeus appareat: recipit interdum æruginem, ſed in igne ob æris participationem flammam edit.

Alio modo ſmaragdus fieri poteſt: ſi capies minii trientem cryſtalli præparati unciam, æruginis duas drachmas, miſce & colliqua; eſt enim mira & abdita vis æris ad ſmaragdum qua facile coeunt.

Topazius fit, colliquatis ceruſſæ quadrante, & ſemiuncia cryſtalli in fornace ventoſa, quam Anemiam vocant, intra catinum argilla munitum clauſumque; per ceruſſam hic aliud non intelligitur, niſi calx plumbi, quam & alii album Hiſpanuum vocant; quidam hunc quoque componunt ex calce æris, minio nativo, & cryſtallo adjecta calce Jovis quadrupla; quamvis, ex his ego non tam Topaſium, quàm chryſolithum conflari exiſtimem.

Hyacinthus cærulei coloris fit ex præparato cryſtallo, & ceruſſæ binis unciis, addita vitrioli. Joannes Baptiſta Porta in hyacintho conficiendo ſic procedit: Capit ſalis communis 5. partes, halonitri 1. miſcet & projicit in plumbum liquefactum, agitatque cum ſpatula ferrea & fiet cinis, quem ablutum purè eliquat in gemmam. Si vero hunc ex cæruleo rubrum efficere velis, cape ſilicis albi partes 4. cineris plumbi, ſive ceruſſæ 2. Nitri 4. Squammarum ferri duas drachmas; in fornace concoque, & habebis hyacinthum rubrum.

Rubinum præſtantiſſimum Iſaacus Hollandus libro de mineralibus, unà cum Paracelſo efficere ſe poſſe putat tincturâ rubeâ lapidis Philoſophorum; ſed uti lapis iſte Philoſophorum à nemine hucuſque viſus fuit, ita quoque de rubino omnibus rubinis & carbunculis Orientalibus præſtantiori conficiendo, nulla fides præſtari debet: ſed de hoc in ſequentibus fuſius. Unde vero ex metallicis calcibus tanta colorum diverſitas mirum cuipiam videri poſſet. Verùm qui ea, quæ in octavo & in nono libro tradidimus, rectè perceperit, originem colorum non poteſt non videre; Sal metallorum, omnium horum effector eſt: eſt enim color cæruleus nil aliud quàm ſal argenti, ex quo deſcendunt lapides pretioſi; ex ceruſſa ſtanni & minio plumbi arte ſimul & natura juxta differentes coloris gradus cooperantibus idem exiſtunt. Ex ſpiritu æris fit ſal, ac deinde oleum, quod auro junctum conſtituit elixir ad ſmaragdum. Ex croco martis fit mercurius, ſeu aqua ad gemmas potiſſimum, & adamantes formandos peridonea.

Nullum pænè minerale aut metallum eſt, quod in cryſtallum cogi non poſſit, & ratio in promptu eſt, quum ſubſiſtentia ſolida mineralium metallorumque, nil aliud ſit, quam ſalina vis naturæ, quæ uti omnibus, uti in ſexto libro oſtendimus, vim condenſativam confert, ita quoque ad conſiſtendum firmitudinem præſtat, ea maximè in cryſtallo cæteriſque diaphanis gemmis qui puri puti differentium ſalium effectus ſunt, eluceſcit; & experientia convincit in arte ſpagyrica.

1. Aurum in cryſtallos cogi poteſt per ſublimationem vehementemque ignis expreſſionem: hoc pacto: aurum aquâ regiâ ſolutum diſtilletur iterum iterumque, donec plane ſolutum ſit; deinde abſtracta aquâ uſque ad oleoſitatem reponitur in cella, quod ibi tandem in cryſtallos rubentes abit, in aurum tamen ut alibi docuimus, reducibililes.

2. Argentum, in cryſtallos cogitur, ſi ſolveris id aqua forti;

forti, ſolutio clara à fæcibus depurgata diſtillatur ad mediam partem, ex quibus in cella conſiſtunt lapilli, qui elaborantur deinde, ut fiat medicina vel contra epilepſiam, vel ad gemmam conficiendam.

3. Ex ære cryſtallos colligunt, ſolvendo æs aqua forti, æs uſtum ſumitur ad inſtar ſanguinis rubicundum, ſolutio fiat ad digerendum per menſem in vitro forti, donec cryſtalli virides conſiſtant ex quibus & tinctura fit veneris & oleum inde extrahitur: nos vero in noſtro pharmacopœio nullo pænè negotio nitrum & vitriolum, quod æs liquidum dicimus, in cryſtallos ducimus, vel per ſtillatitiam aquam, vel ſpiritum vini ſolvendo, & per colatorium tranſigendo; hoc enim ſoli in catino fictili expoſitum, in pulchros cryſtalli exagonos effloreſcit.

4. Ferrum cryſtallizat oleo rubro chalcanthi cum duplo aquæ fontanæ; in hac mixtura ſolvitur eliquati ferri ſcobs; ſolutio per filtrum purgata coquitur in vitreo ad tertiam partem remanentem; quæ deinde frigido repoſita loco lapillos reparat, qui tandem aqua ſtillatitiâ purgantur, filtranturque donec tandem coagulati nitidiſſimam cryſtalli indolem aſſumant.

5. Stannum cryſtallizat, ſi adjecto ſulphure comburantur in cinerem, ſive calcem; vel etiam per acetum ſtillatitium ejus ceruſſa extrahatur; extracta ſolvitur aqua pluviali prius diſtillata; ſolutio filtrata coagulatur in lentiſſima balnei evaporatione, repetendumque eſt hoc opus ſepties; donec ultimò emergant lapilli cryſtallini puri & limpidi; & lapilli Jovis dicuntur.

6. Plumbum in cryſtallos cogitur eodem modo, quo ſtannum ex ceruſſa videlicet, vel minio quod in aqua dulci prius ſolvatur, ſolutum filtretur coaguleturque; & hoc toties repetes, donec cryſtallinos efflореſcentes puriſſimos comperies hoc pacto mercurium, ſulphur cæteraque mineralia in cryſtallos cogunt ſpagytici. Verum quia de ijs alibi quoque dictum eſt, ijs hic immorari noluimus.

Ad Artificia vitrea & ſmaltea, ſeu mavis encauſtica reduci poſſunt illæ menſæ, quæ hodie ſpectantur Romæ, uti nova, ita rara inventione admirandæ, quæ ſanè tanta elegantia & nitore fulgent, ut qui artificium ignorat, eas ex nitidiſſimis marmoribus, jaſpidibus, alabaſtris cæteriſque magni pretij lapidibus confectas putet. Artificium ſanè elegantiſſimum paucis deſcribam. Certum Talci genus, quam ſcaiolam vocant, ex Sicilia ubi frequens ejus proventus eſt, non ſine ſumptibus aſportari curant; quamvis & in Hetruria inter Montem Politianum & Pientiam ejus haud obſcura indicia obſervarim. Hinc ſcajolam in minutiſſimum pulverem reſolvunt, & ex ea paſtam, ut vocant, conficiunt; deinde menſam vel tabulam ſub quacumque figura ex rudi marmore conficiunt, quam & excavant nonnihil, & fundamenti loco totam paſtæ maſſam gypſo marmoreo miſtam inducunt nigro ſeu fuligineo colore oleo lini ſubactam indunt, atque adeò deplanant poliuntque, ut ſpeculum, aut lydium lapidem exprimat; hoc peracto omni genere colorum maſſas paſtæ ſeparatas imbuunt: deinde quicquid voluerint, ſupra deplanatam jam tabulæ ſuperficiem, delineant, hiſtorias ſci. volucrum animantiumque figuras & imagines foliaturis variis mirè inter ſe perplexis deſignant; delineatione rerum paracta juxta varias imaginum umbras ſubtili graphio excavant, & pro colorum exigentia paſtam injectam deplanant, pumicibus expoliunt in ſpendidiſſimam, atque adinſtar ſpeculi lucentem tabulam ſeu menſam; quam & pro operis ſplendore & apparente dignitate vili pretio, puta 10.15.20. ſcutis vendunt quæ ſi ex marmoris variegati inſertione facta fuiſſet, vix 100. 200. vel 300. ſcutis perſolveretur: ut proinde ſola res caras faciat hominũ æſtimatio.

Dum Florentiæ anno 1661 morarer Sereniſſimus. Joannes Carolus S. R. E. Cardinalis Medices in cubiculum pro ſuo in me me q; ſtudia affectu introduxit, qui dum mihi pulcherrimas nitidiſſimaſque picturas, quibus totum conclave exornabatur, demonſtraſſet; rogavit, quaſnam putarem hujuſmodi picturas eſſe, eique reſponderem; à nobiliſſimo haud dubiè pictore [illegible] ctas eſſe; ille ſubdidit; falleris mi pater, has picturas penicillum non tetigit; quod cum mirarer, totam picturæ & in ea procedendi rationem expoſuit, Eſtque ejuſdem prorſus rationis, quàm in menſis conficiendis elaborandiſque adhibere ſolent: ſuntque hujuſmodi imagines & picturæ perennes; & ſi quandoque pulveribus aut humiditate obſcurentur, ſola ſimplicis aquæ lotione ad priſtinum ſplendorem reducuntur. Huc quoq; revocari poſſunt opera muſiva, ſeu maſaica, cujus modi imagines cupularum S. Petri effictæ ſunt; neque diſtinguuntur à præcedenti, niſi quod muſivum opus varijs imbutum coloribus, & deinde in teſſeras ſectum in fornace prius coquatur in perenne picturæ opus.

De Gemmarum Adulteriis

Seu

De fucata Lapidum gemmarumque Compoſitione, partim proprio experimento, partim peritiſſimorum ſcriptorum auctoritate & amicorũ communicatione comprobata.

Priori capite modos nonnullos recenſui, quibus gemmas quis imitari poſſit, hoc capite obiter, quo pacto id ex mente Boëthi fiat, ut facilius falſæ à veris diſtingui poſſint, oſtendendum ſupereſt. Majores quam ſint, viſui ſe offerunt gemmæ, dum multis ſuperficiebus, inferior pars, id eſt, ea quæ ciſtæ includitur, cælatur Multiplici enim ſuperficierum reflexione, magnitudinis ſpecies quædam ſpectanti promittitur: dum etiam inter inferiorem ſuperficiem, & ſuppoſitam bracteam aer intermedius eſt corpore vacuus, gemmæ majores, quàm ſint apparent, qui aer corporis vices ſubit, ac tanto craſſiores gemmas, quàm ipſe eſt videri facit. Si loco aeris vitrum ſuppoſitum ſit, aut cryſtallus, & abſque glutino vel colore intermedio; multo major gemma, quàm eſt, videtur. Si color additur in conjunctione cum maſtiches lachryma, aut vitrum coloratum ſit colore gemmæ; non ſolùm major ſed coloratior apparet, atque hic modus frequens & uſitatus eſt. Coloratiores etiam gemmæ redduntur, dum illorum inferior ſuperficies colore perſpicuo illinitur, ac deinde bractea ſplendens ſupponitur, fit autem color perſpicuus, adjiciendo maſtichen igne depuratam: depuratur, ſi granum maſtiches cuſpidi ferro adhærens igni adhibeatur, ut fluere incipiat, & excrementa opaca digitorum preſſu à parte perſpicua ſecludantur & abjiciantur, colores qui adduntur varii ſunt, & tales quos gemma deſiderat, in ſingulis capitibus veros colores qui ſingulis gemmis competant, docebo, nam hic tantum in genere fuci gemmarum oſtenduntur, dixi nobiliſſimum fucum eſſe cum cryſtallus aut pſeudo adamas, aliave gemma colore vacans & diaphana in aqua aliqua colorata maceratur, vel in igne, aliove modo ita tingitur, ut corpus gemmæ intrinſecus colorem perſpicuum ſuſcipiat, aqua gemmas penetrans ex terebinthina & aqua vitæ conficitur, huicq; color additur ex metallis extractus, ac in aqua urinæ ſtillatitia diſſolutus ac per alembicum elicitus, in hanc aquam tepidam cryſtallus tepidus immittitur & maceratur aliquot horis, donec tincturam in ſe recipiat, recipit autem facile quia mollior redditur lapis: ad rubeum colorem inducendum croco martis, ad viridem ærugine, ad cœruleum lunâ, ſale ammoniaco & aqua forti, ad cyaneum ærugine, & lapide lazuli opus eſt. Cæterum quia ut dixi mollescunt gemmæ, poſſunt priſtinæ duritiei reſtitui hac ratione: cyſtis fit expaſta ſiliginea, huic

huic intruditur crocus martis: deinde gemma una, aut plures chartæ includuntur, ac croco imponuntur, ita ut croco charta undique tecta ſit, poſtmodum occluditur paſta, ac fornaci cum panibus committitur, ac poſt panem exemptum remanens adhuc per horas ſex in furno, recuperant gemmæ priſtinam aut majorem duritiem, quam prius habuerant; In igne tinguntur cryſtalli integri (Baptiſta à Porta autore) hoc modo: Sumantur ſtibij partes ſenæ, auripigmenti quaternæ, arſenici cryſtallini ternæ, ſulphuris partes & tutiæ binæ, omnia ſeorſim teruntur, & tenui cribello diſcernuntur, ac ollæ induntur: cryſtalli fruſtula vel æneis pilis ſuſpenſa, vel pulveribus demerſa igni opponuntur; ut quaternis vel quinis horis excandeſcant, ſed ſine follium flatu, ne in partes diſſiliant vel liqueſcant; argumentum legitimi coloris eſt, ſi exemptum fruſtum flagrantiſſimi & fulgentiſſimi ſit coloris, ſin minus, igni denuo tradendum, ac poſt aliquam horam eodem modo tollendum, diligens autem cura adhibenda, ne dum ex igne tolluntur, refrigerentur extemplo: nam friantur & in plures partes deſſiliunt ſi Hyacinthi Color placuerit, cito ab igne tolluntur, ſi ſatura purpura deſideratur, diutius in igne relinquuntur: hactenus Porta. Gemmæ coloratæ ut ſapphirus, Topazius, amethyſtus & granatus, ſi illorum color auferatur, Adamantem effingunt. Solet in eum ſcopum præcipuè ſapphirus eligi, qui vel ferri ſcobe vel cretà oblitus, ignitur, donec artificem voti compotem faciat, ut ſuo loco docebo. Ignis beneficio etiam & Porta docente, altera tantum gemmæ pars colore ſuo privari poteſt, ita ut gemma ex parte Adamas & ex parte ſapphirus videatur: eodem modo rubinus una parte Adamantis ſpeciem reddit; ait ille, partem quam proprium colorem ſervare volumus, creta oblinendam eſſe, ſic alteram quæ igni expoſita eſt, ac flammæ radios nuda ſuſcipit, colorem admittere, ac adamantem oſtendere. Gemmæ factitiæ veris ſatiſſimiles ex cryſtallo, Topazio, ſilicibus aliiſque mollibus gemmis, vel ex nobiliori vitro, metalliciſve corporibus, aut ex illorum commixtione fiunt. Alexius Pedemontanus ſequentem paſtam ad factitias gemmas deſcribit: recipit plumbi à figulis calcinati uncias tres, ac tantum aquæ ſuprafundit, ut uno aut duobus digitis emineat, eamque agitat digito, ut plumbum ima petat, poſtmodum effundit aquam, & ſervat ad vas vitriandum, ne materia vaſi adhæreat: deinde recipit tres uncias minij ſicci, immiſcet plumbo, adjicit unam unciam cryſtalli, aut chalcedonij calcinati, ac ſcrupulos duos aut tres ad ſummum lamellarum tenuiſſimarum cupri, his bene mixtis & contuſis imponit ea ollæ argillaceæ bene plumbatæ & humectatæ aquâ dictâ, ac eam bene obſeratam committit furno vitriario, aut ventis per diem, & ita habetur optima paſta.

Ad Smaragdos effingendos accidit ſal Alcali, quod diſſolvit aqua, filtrat & exſiccari ſinit, idque opus tertio repetit; poſtea in pollinem redigit, quemadmodum etiam cryſtallum: deinde accipit etiam uncias duas & ſemis cryſtalli; ſalis alcali uncias duas, æruginis aceto macerati & colati unciam unam miſcet, ac vaſculo plumbato imponit, ac luto ne quid expiret, optime munit, ac per triduum exſiccari ſinit, aut diutius tamdemque per diem figuli furno committit, ſi rubinum cupit, cinnabarim loco æruginis, ſi ſapphirum lapidem lazuli; ſi hyacinthum, corallium adjicit, calcinat autem Alexius cryſtallum: vel chalcedonium hoc modo: tartari calcinati uncia una in aqua clara diſſolvitur & colatur. Cryſtallus vero & chalcedonius ignitur in cochleari ferreo, ac in aqua prædicta extinguitur, idque opus ſepties repetitur, hoc pacto optime calcinatus in pulverem teritur, ac mixturæ ſeu paſtæ adjicitur; ſi ſmaragdus optatur, in mortario æneo, ſi rubinus, in ferreo tundendus eſt. Sed quia gemmæ factitiæ molliores cryſtallo propter additiones alterius materiæ redduntur, docet Alexius aquam, cujus beneficio indureſcunt. Jubet itaque capere magnetis fruſtula ac calcinare, ut de cryſtallo dictum eſt, ac deinde in pulverem teri, in loco humido poni, ut in aquam ſolvantur: aquam iſtam nutriri vult vitriolo Romano, vel Pannonico crudæ pulris inſtar; deinde ex ea præcipit per retortam extillari aquam, ut ea humectetur farina hordei, & fiat paſta dura, in quam imponantur formati lapides; nam ſi ea dum penis coquitur, in furno relinquatur, ac cum pane eximatur, ait ille duritiem maximam gemmas acquirere. Vidi apud Gallum quendam factitias gemmas perquam elegantes & naturalibus quam ſimillimas, is ſe non alio quam prædicto modo eas confeciſſe mihi aſſerebat, opus dictum neque ſumptuoſum, neque magni laboris videtur, à me tamen hactenus nondum expertum eſt.

Paſta ad gemmas factitias nobilior eſt, Porta teſte, quæ ex cryſtallis, ſilicibus aut Topazio Bohemico fit; nam ſi vitrum additur, aut plumbum, graviores & molliores fiunt. Calcinantur autem ſilices & Topazius ut cryſtallus: deinde color qui deſideratur, additur: minium & viride æris ſmaragdi colorem præbent. Ceruſſa & crocus martis hyacinthi: minium & ceruſſa chryſolithi; ſaphara vel lapis lazuli, item ſal armoniacum & argentum ſapphiri colorem exhibent: aurum rubini colorem à nonnullis cryſtallo tribuere aſſeritur. Stannum Adamantis aquas oſtendere dicitur: harum rerum curioſi ex varijs metallorum mixtionibus varios calores in opere ipſo deprehendent, paſta ad gemmas ignobilior eſt, ſi vitrum addatur cryſtallis vel ſilicibus. Joannes Baptiſta Porta in ſua Mag. Nat. varios modos, quo pacto factitiæ gemmæ concinnari poſſint, docet, ad quem lectorem remitto. Quæ hic à me deſiderari videntur, ſingulis gemmarum Capitibus tractantur, ubi & gemmarum fuci aut imitationes oſtenduntur, hic nihil aliud reſtare videtur, quam ut ſi quis fingere gemmas velit, doceatur paſtam igne æquali regere; ne inæquales bullæ, vel atomi fucum prodant; deinde paſtæ materiam exactè mundare, & à ſordibus eluere poſt calcinationem, ne vitia fucatæ gemmæ habeant, oportet, quæ ſane diligens artifex abſque alia admonitione ſi ſedulus fuerit, facile ſervabit.

Nota de Bracteis ſeu foliolis, quæ gemmis ad ſplendoris augmentum ſuponuntur, ex Boethi L. de Lapidibus.

Spectat hæc praxis ſolummodo gemmas diaphanas, quæ quidem lucere non poſſunt, niſi ſub ſe quidpiam quod lucem repercutiat, ſpeculi adinſtar habeant: ad hunc finem bracteæ ſeu foliola metallica inventa ſunt, quæ non ſolum id præſtant, ſed & gemmarum colorem mirifice promovent; varijs autem coloribus ad libitum tinguntur, ut hoc modo gemmæ prius veluti mortuæ & diluti coloris vivaciores & coloratiores videantur; bracteæ ex ære ſolo, vel ære, auro & argento ad tenuiſſimæ chartæ ſimilitudinem malleo cuduntur, deinde poliuntur creta tenuiſſima vel argilla Tripolitana, & ſmiride lapide lævigantur tam diu, donec lapidis veſtigia in bracteis non amplius appareant, bracteis præparatis furnus conſtruitur duplex, ſupernus & infernus; in utriuſque parte ſuprema foramen eſt; in inferiori furno carbones accenſi, & ab omni prius fœtida exhalatione exu-

ſti

ſti induntur, bracteæ vero ſuperiori orificio ſupraponuntur, aut filis in eo ſuſpenduntur, ut fumum ſuſcipiant, qui hyacinthi colore eas abſque alia additione tingit. Si alij colores deſiderantur, plumis avium id efficitur: nam viridis viridi, cœruleus cœruleo, ruber rubro, & flavus flavo colore bracteam ſi furno exurantur, tingent. Sapphiri color plumis anſeri cœruleis: ſmaragdi color buxi folijs, flocciſque panni coccinei habetur.

In Bohemia ubi magna Topaſiorum, pſeudamantum, beryllorumque, coloris tamen expertium copia reperitur, ſola ſuppoſita bractea aurea vel argentea in diverſarum gemmarum apparentiam tranſmutat: ſi enim auream, vel auro imbutam bracteam lacca, id eſt, colore rubro ex auro tranſlucente, Topazio prius in polyedram figuram adaptato ſubdideris, pulcherrimi coloris rubinum ille tibi exhibebit ſi colore viridi argenteam ita imbueris, ut ex argenteo fundo tranſluceat, ille tibi amæniſſimi coloris ſmaragdum exhibebit; ita ſapphirum bractea illa ſubdita ex cœruleo tranſlucentem exhibebit; hoc pacto pro bracteæ coloratæ conditione Amethyſtos, hyacinthos, chryſolithos aliaſque gemmas pulcherrimas, vel in una cryſtallo aut beryllo nitidiſſimo exprimunt: in rotundis hujuſmodi cryſtallis res non eundem ſucceſſum habent, facilè enim fucus apparet, manifeſtante ſe oculis bractea colorata, ſed in multilateris tantum, quia colores variè circa angulos reflexi bracteola varia ſua inumbratione tegunt; ſed jam ad alium fucatas gemmas conficiendi methodum deſcribendam procedamus.

Propoſitio I.

Rubini Confectio.

Adulterari vel fucari ſolet Rubinus tribus modis: primò dum ipſe ſi abſque aliqua vel pauca rubedine ſit, uti paulo ante diximus, rubra bractea, aut color aut vitrum aliquod rubro colore tinctum, & ſplendens ſubſternitur qui modus nonnullis ideo carere fraude putatur, quod vera gemma ſcilicet colore non proprio adjuta appareat; verumtamen fraus eſt, precium gemmæ alieno colore augere. Ob hanc impoſturam famæ jacturam fecit gemmarius quidam, dum Rudolphum Imperatorem decipere conaretur. Secundo dum alia gemma nobilis candicans; ut ſaphyrus albus, cryſtallus, Topazius aut pſeudoadamas in illius locum ſubſtituitur, atque propter colorem bracteam, aliudve corpus diaphanum ſubſtratum ità rubet & radiat, ut à vero rubino nihil differat. Tertio dum vitri partes duæ maſtiche ità glutinantur, ut maſtiche colore cocci tincta per utrumque vitri corpus ità pelluceat, ut verus Rubinus videatur; horum modorum ſecundus & tertius uſitaſſimi ſunt, Verum non adeò difficulter deprehenduntur. Primo modo fucati dignoſcuntur, quia non exactè ſcintillant, limam non perferunt, at colore pulchriores veris videntur: horum fraudem ſolent aliqui ad unguem noſcere: nam ſi colore rubro carruerit, ac gemmæ planicies ungui ſuperponatur, viſuſque ad ſuperficiem gemmæ & unguis dirigatur, candor abſque colore apparebit, verumtamen gemmarij inferiores gemmæ ſuperficies varijs angulis ita artificioſe ſcalpere norunt, ut multiplici ſuperficierum in omnem partem reflexu, fraus innoteſcere perito artifici non ſemper poſſit, propter has fraudes Rubini hoc ſæculo non tanti, quam olim fiunt.

Nonnulli rubinum ementiuntur auripigmento quod excoquunt in vaſe non exactè obturato lento igne; ac fruſtula vitri lateribus adhærentia, ſed admodum frangibilia ſtatuis cereis adhibent, ut rubini vices, quam exactè referunt, ſuppleant.

Propoſitio II.

Margaritarum Confectio.

Vix ob aliam cauſam tanto in pretio ſunt margaritæ, quàm quod non facile adulterari poſſunt; aurum adulteratur facillimè; gemmæ ex vitris duplicatis concinnatæ auroque incluſæ ità fallunt oculos, ut gemmarij periti, niſi eas eximant, à veris non diſcernant. Sola margarita neque corrigi, neque alieno fuco elegantior reddi poteſt, tradit tamen Linſchotanus Indos, ut margaritas pulchras reddant, oryzam cum ſale contundere, ac ea mixtura fortiter illas fricare ita, fieri pulcherrimas cryſtalli inſtar, ac ſplendorem non amittere, non mirum itaque catenas margaritarum ab heroinis, & fœminis nobilioribus, aureis præferri, meliuſque divitias oſtentare, quàm gemmas aut aliud quicquam, quod adulterio fucove obnoxium eſt: Tradunt varij authores rationes, quomodo margaritæ falſæ fieri poſſint: nam nonnulli ex pulvere concharum, alij ex creta orbiculos formant, quos poſtea argenteis folijs obducunt, ac obductos albumine ovi humectant, ac ſiccari ſinunt, ut margaritæ videantur, alij ſunt, qui ex margaritarum pulvere concinnant cum albumine ovi, ac poſtea exiccant, verùm pondere & colore facilè mangonium deprehenditur. I. Baptiſta Porta hunc modum ſcribit. Margaritæ in ſacculum unà cum ſmiridis, pumicis, ſæpiæ oſſis pulvere injiciantur, & ex aqua ſublatæ manibus tractentur uſque dum elotas & politas cognoveris, dein reſiccatas in pollinem redigito, ſolvantur limonum ſuccò, ac moventur donec ſolutas noveris, & pingue quoddam olei inſtar in humoris ſuperficie natare videas, id argenteo cochleari excipe: poſtea pulverem in orbes redigito, manibus, vel typis ſtylo argenteo ac porci ſetâ perforatas margaritas oleo inungito ac è filo pendentes vitro includito, ſolique exponito; dum ſiccatas videris milij vel hordei fermento non ſalito neque acido involve, ac in ſurno excoqui ſinito, aut columbis manducandas præbeto, vel in lacte ficus ebuli, & præſtantes habebis. Si aliter placuerit, ubi ſucco, vel forti aqua fuerint diſſolutæ margaritæ, clara lavabis lymphâ, vel diſtillata, lotiſque manibus, ne tractando ſordeſcant & palleant, ſic lacteo fici ſucco cochlearum aqua ferventi balneo diſtillato aut ovi albore glutinabis, perforabis & ſiccabis, argentea lavando ſemper aquâ & commiſcendo. Aquam argenti ſic parabis: forti aqua ſolutum fatiſcat purgatum argentum, lenibus prunis evolet aqua, tertium relinquendo, mox ab igne vas tractum dimittito, deinde ſub dio noctu relinques, donec glaciet, & argentum in cryſtallini lapilli ſpecie reperies, rite ablues fontis aqua, ut lucidiores conſpiciantur quos vitreo condes vaſe ac putri fimo ſolvere ſinas, quo mergas factitios uniones & immorari ſinito, & lucidos argenteo colore pellucenti reperies, Hactenus Porta; ubi multa occurrunt quæ aſteriſcis notari poſſent, hi enim fucandi modi etiamſi non plane diſpliceant, non tamen omnimo ſatisfaciunt, quia ex pulvere margaritarum ſolutarum nunquam ita ſolidum corpus graveque effici, ut antè fuit, poteſt; neque video cur columbis prius devorandas det. Sed relinquamus unumquemque ſuo abundare ſenſu, ad noſtra revertamur, perſpectus mihi alius modus, qui prorſus naturam imitatur, deinde etiam modus, quo pacto augeri poſſint margaritæ, ſed hæc tanquam arcana in alium locum conſultò reſervanda duxi.

Propoſitio III.

Sapphiri Confectio.

Solet Sapphirus vitro cœruleo inter duos Bohemicos Adamantes glutinato, egregie adulterari: alij ex vitro maſſam cæruleam in igne conflant, eamq; expoliri jubent, indurant, & imperitis pro ſapphiro vendi-tant: ſolet id artificium variis modis perfici; plerumq; in maſſam vitream ex cryſtallo aut ſilicibus paratam, momentum Zapharæ inijcitur, videlicet drachmæ duæ ad libram unam & movetur maſſa igne candens, quam optimè ferreo unco; deinde exempta particula exploratur, num plus Zapharæ aut maſſæ addendum ſit, ſi juxta menſura apparuerit, per ſex horas efferveſcere ſinitur, poſtea eximitur, ac ſapphirum referens, maſſa perito ſculptori ſculpenda ac ſpolienda traditur. Si ritè maſſa facta fuerit, vix à vero ſapphiro diſtingui pſeudoſapphirus poterit, qui fictitij ſunt, plerumque bullas ſeu atomos in corpore habent, qui propter ignem non æqualiter in maſſam agentem proveniunt. Ità Boet.

Propoſitio IV.

Opali Imitatio.

Adulterari duplici vitro, vel colore, ut aliæ gemmæ opalus non poteſt, ſcribit tamen à Porta, calcem ſtanni in vitrum cryſtallinum excandens injectam illud obnubilare & colorare opali inſtar: ſed oportet ſæpius ex igne eximere, & accommodare, donec quis voti compos fiat: Quercetanus à ſpiritu nitri alembicum vitreum intrinſecus ita tingi varijs Coloribus aſſerit, ut opalus videatur, qui modum tingendi ſcire cupit, legat libellum, quem edidit de priſcorum philoſophorum vera medicina.

Propoſitio V.

Smaragdi Compoſitio.

Omnibus ferè modis ſmaragdi adulterari poſſunt; nobilior modus fit cryſtallo, vitro, & ſilicibus calcinatis & fuſis, ſi ijs exigua quantitas minij adijciatur: ita ego præſtantes factos vidi; alij æs uſtum in tenuiſſimum pollinem redactum addunt, adjecto croci ferri dimidiato pondere, ac ſex horarum ſpatio coquunt, ac vas per ſe refrigerari ſinunt, gemmamque polituræ committunt: ſic exactè quis operatus fuerit, Americanis omnino ſimiles efficiet ſmaragdos.

Smaragdus quomodo fiat, aliter ex Cardano.

Majore negotio ſmaragdus conficitur. Teritur cryſtallus tenuiſſimè, additur marcia cocta & ærugo ſplendidiſſima, vel vermicularis, foditur later crudus; imponuntur hæc tria, ac in laterem excoquitur inter alios ſigno addito, id eſt, extrahitur gleba, Smaragdo ſimilis quæ excinditur, & politur quidem, vitrum tamen eſt, ſed adeò elegans: ut niſi qui primo invenerunt (inventum enim eſt hoc novum, atque ab annis decem circiter) magnis fruſtis nimis celeriter voluiſſent ditari indeque ſuſpicionem copia & magnitudine injeciſſent, potuiſſet & nunc latere fraus cum maximo & incredibili inventorum lucro, quanquam nec ſine lucro fuerint: vidi adeo pulchros, ut auro circumdati nativos ſplendore vincerent: optime ſuccedit, ſi omnino bullis careant: nam bullæ vitrum eſſe declarant, & ſordidum lapidem faciunt; tangitur tamen limâ, nam vitrum eſt; omnis enim gemma plumbi odore tranſit in vitrum, præcipue vero, cum fuerit tenuem in pulverem redacta.

Sapphirus in Adamantem quomodo verti poſſit.

Tertius gemmas adulterandi modus longè nobilior ac minus damnatus eſt, arte cum natura luctante, Gemma in gemmam mutatur ignis ope: ſapphirus nitidus, ſed alioquin diluti coloris cum auro jungitur, apponitur igni ſenſim donec liqueſcat; fervet aurum horis tribus aut quatuor, inde gemma tollitur, & ſenſim refrigerari permittitur, invenies Adamantem; gemma enim manet, nec lima tangitur, quicquid autem eſt coloris cœrulei perit, ideo coloris dilutiſſimi ſapphiros quærimus: ſunt enim viliores, & celerius in Adamantem tranſeunt atque perfectius mutantur, qui primum invenit, hoc ditatus eſt valde, brevique tempore, inde detecta re adhuc lucrum arti relictum eſt: nitet enim plurimum ob ſapphiri duritiem, ſunt qui ex aqua marina gemma viliore & molliore faciunt Adamantes pulchros; ſunt qui & ſapphirum non incoquant auro, ſed creta involutum in igne ſolùm, eodemque modo res ſuccedit. Obſervandum tamen eſt, ut gemmæ frigidæ ignis ſenſim circundetur, ut rurſus ut peracto opere permittatur refrigerari ignis extinctione, nam detrahere ex igne haud tutum eſt; vitium eſt, ſi quicquam remanſerit veſtigij coloris cœrulei.

Propoſitio VI.

Topazii Compoſitio.

Topazij aurei coloris ob elegantiam adulterantur omnibus modis, quibus aliæ gemmæ adulterari ſolent, præſtantior modus eſt, dum in cryſtallo, ſilicibus & vitro fuſo aureus color conciliatur: id fit ſi ad ſingulas vitri libras quarta unciæ pars ferrei croci commiſceatur, atque tantillum minij addatur; ſed primum addendum minium, poſt crocus, teſte Baptiſta à Porta; ſi cryſtallo calcinato triplum plumbi addatur, Topazius abſque aliqua adjectione emergit, ſi per diem in fornace moretur, aliter ſic conficies; fac pollinem ex ære uſto, cinnabari nativo ac cryſtallo, quadruplumque ſtanni uſti adde, tuſorioque vaſi ex terra fortiſſimo indes, fornacique committes per diem, ſed ignis vehæmens non ſit, ac ſemper eodem gradu permaneat, facile enim fluit pulvis prædictus.

Propoſitio VII.

Berylli Compoſitio.

Berylli non ſunt in majori authoritate, quàm Topazij orientales, olim chryſolithi appelati: proinde eodem pretio æſtimari poſſunt, pro coloris tamen elegantia augetur, vel minuitur pretium, idque in omnibus gemmis ſervandum eſt; adulteratur beryllus ijs modis, quibus aliæ gemmæ omnes; nobilior modus eſt, dum æs uſtum in tenuiſſimum pollinem redigitur, ut omnem tactum effugiat, ac cryſtallino vitro, aut cryſtallo calcinato, vitroque illi adjecto miſcetur, ac fornaci committitur, æris una drachma pro vitreæ maſſæ libra ſufficit.

Propoſitio VIII.

Cryſtalli Compoſitio.

Cryſtallus non ſolum ad mundum muliebrem; dum catenæ, nodi, aliaque hujuſmodi inde fiunt, ſed etiam ad ſpecula, perſpicilla, pocula, ſcyphos, patinas, lavacra & ſimilia uſui eſt; adeo dum abſque vitio eſt, hujus modi pocula vel ſcyphi à principibus appetantur, & ſat magno in pretio ſint: aureus enim ſcyphus pedis magnitudine interdum centum ſcutis dividendi poteſt aliquando etiam pluris: exigui cryſtalli, ex quibus nodi

aut

aut coronæ fiunt, viles ſunt, ac cælaturæ pretium non ſuperant; ex cryſtallo etiam adjecto vitro, ac arena puriſſima ſaleque Alcali nobiliſſima vitra cryſtallo vero quàm ſimilia, fiunt Venetiis: inſervit etiam cryſtallus ad gemmas imitandas dum Calcinatus plumbi tribus partibus miſcetur; huic ſolent metallica addi, ut optatus Smaragdi, Topazii, vel alterius gemmæ, color prodeat. Cryſtalli beneficio etiam ignis ſolet è ſolis radiis colligi, dum nempe rotunda planities modicum convexa ſoli ita opponitur, ut corpus id, quod ignem ſuſcipere debet, circa convexi centrum ponatur. In mollioribus etiam corporibus & delicatulis, cauterii ferrei vices ſupplet, quanquam non minus quàm ferrum urere & dolere exiſtimem. Adulteratur vitro cryſtallino: quod illi ſimillimum, verum cryſtallo mollius & ponderoſius eſt.

Pſeudo-Adamantes dum peritè cælati ſunt, etiam auro includuntur ac dum exigui ſunt, ita veros æmulantur, ut non niſi àperitis dignoſci poſſint. Hinc fit, apud Bohemos, Hungaros & Moſcos non exiguam habere authoritatem, majoris tamen quàm cælaturæ pretium ſit, non venduntur, niſi duri ſint, & egregiè ſcintillent: eadem ratio citrinorum & Iridum, qui omnes ſupra cælaturæ pretium non plus valent, quàm velit emptor: habentur enim in ſatis magna copia, magnaque fruſta pugni inſtar nondum elaborata & prorſus perſpicua uno, aut duobus ſcutis tantum dividentur, elaborata & in ſcyphos aptata venditoris arbitrio ac emptoris deliciis commiſſa, ſæpe ſatis magno diſtrahuntur.

Propoſitio IX.

Chalcedonii Compoſitio.

Commendatur chalcedonius contra omnia atræ bilis ſymptomata, hoc eſt, triſtitiam, timorem, dæmonumque inſultus; nec deſunt auctores vani, qui geſtanti victoriam (quæ tantùm à Deo datur) promittant. Ex India occidentali afferuntur nonnulli modicè tranſlucidi, ex albo palleſcentes, nonnulli lacteis zonis diſtincti quos prædicant appenſos valere ad lactis ubertatem; hodie propter copiam non magni fiunt; ſi tamen majora fruſta egregie ſculpantur, nec deſit color inſignis, magno interdum vendi poſſunt, ac non multò viliori pretio quam ſardonix: adulterium chalcedonius vix meretur; ſic tamen imitaberis: igni ad colliquafaciendum cryſtallum immittes, argenti calcis parum commiſceto, per diem fornaci immorari ſinito & habebis quæſitum.

Propoſitio X.

Onychis Compoſitio ſeu Pſeudonyx.

Onyx ſimplicior vix unquam ſolet ab aliquo imitari, illa vero quæ corpus album à nigro diſtinctum habet quam ſæpiſſime, ut nempe cælata, poſtea pro cameo dividendi poſſit: fit autem hoc modo; conchæ parvæ marinæ quibus mulieres Italicæ ad fucum utuntur, in pollinem redigantur, ac in ſuccum limonum aliquoties per filtrum depuratæ ponantur, ita tamen ut ſuccus tribus aut quatuor digitis ſupernatet; ſinatur ita per decem dies ſuccus bene coopertus in calore; poſtea effunde ſuccum, reſidentiam aquâ elue, ac tere in porphyritide albumine ovi, prius optime conquaſſato, ac in formas proiicito; poſtea non formatam partem externam optime expolito, ut ſupra ſtratum nigrum optime & dextre collocari poſſit, & fraut non cuivis facile innoteſcat: inter terendum alii colores optime triti addi poſſunt, ita ut ſardonyx hac ratione etiam fingi poſſit, nec minus aliæ gemmæ, alijve lapilli pretioſi.

Propoſitio XI.

Turcoidis imitatio.

Turcoidem apprimè Vitriarij Veneti Venetiis imitantur. Vidi Gallum, qui ita dextre imitari poterat, ex alia materia ut à vera gemma propter venulas nigras, quas illi inſerebat, cognoſci non poſſet, pro factitiis illas vendebat, ac ſatis in pretio, propter elegantiam pretio; puto chryſocolla nativa, ac aqua lapideſcente adjectis paucis aliis illum uſum fuiſſe: ut amiſſum colorem recuperet, nonnulli ſol[illegible] calorem tranſmarinum aqua chryſulca, eaque diſtillatione abſtracta reliquias ſuperſtites exſiccant; iiſque turcoidem fricant; alii aquæ chryſulcæ imponunt, ac abſterſum aceto parum committunt: deinde in aquam frigidiſſimam mergunt, tum enim coloratior fit: verùm iſtis artibus paulatim intrinſecus color in cutim trahitur, evaneſcit, ac gemma ingratior & vilior redditur, rectius oleo vitrioli cutis ſuperior exeditur, ut ſubjectus color elegantiorem gemmam faciat.

Cardanus fol. 290. lib. de ſubt. de Achatum imitatione ſic ſcribit: omnibus tamen gemmis unus apponitur lapis Achates & ipſe è gemmarum numero; ſed tam varii generis, ut unum lapidem eſſe non credas; candidus, rubeus, croceus, cinereus, viridis, niger varius, cœruleus; quid moror? huic uni nec omnium aliarum gemmarum colores ſatisfaciunt, ille lucos, prata, animalia, flumina, flores, arbores, natura ludente referr. Celeberrimus in hiſtoriis eſt Achates Pyrrhi regis, novem Muſas cum Apolline in medio cytharam pulſante referens, ſingulaſque cum propriis ornamentis, ut videatur tunc natura cum pictore certaſſe, atque hic miraculum dici potius debet, quam gemma; nobis duo ſunt Achates, in quorum altero natura hemiſphærium pinxit cœli, diſtinctis orbibus, in medio terra rotunda quaſi aqua ſupereminens; in reliquo hiatus terræ fumum emittere videtur, qui aerem obumbret.

Cæterum illud admiratione dignum, quod alius fumi color, alius aeris, ex eo obſcuratur: fumus candidus quaſi ac denſus, aer ſubrubens, ac mediocriter perſpicuus; alii etiam Achates referunt avium oculos, & nos talem habemus, alii autem piſcium; Ponticus qui ſanguineis guttis interſtinguitur aut atris, montium refert & convallium imagines, quidam humanos oculos leucophthalmi, quidam lupi licophthalmi, quidam capræ ægophthalmi vocari, vidi & viridem perſpicuum lineis duabus candidis pulcherrime diſtinctum, quem dubiæ eſſe naturæ crediderim, nam velut in animalibus, muli ex aſino & equa, & ſyciſca ex lupo & cane, ita & lapides quandoque miſcentur ex vario genere, mixta eorum materia cauſiſque illos producentibus.

Cæterùm, quod ad Achatem Pyrrhi regis attinet, nimis ridiculum puta, caſu illum adeò ad amuſſim ornatum ac diſtinctum fuiſſe, hoc igitur ſic contigit, pictor validis coloribus lapidem aliquem è marmorum genere pinxit, ut novem Muſæ pulſantem in medio Apollinem mirarentur; inde ſeu caſu, ſeu induſtria lapis ille ſepultus jacuit per multos annos, eo in loco ubi Achates gigni lapides ſolent. Contigit itaque circum circa gigni Achatem perſpicuum & aqueum, inde inventus referebat Muſas & Appollinem illum quaſi naturæ induſtria fabricatum, cum Achates jam gemma eſſet; namſi ſpicæ & muſcus arboribus hærens in Achatem tranſeunt tractu temporis, ut ego Achatem habui

habui cum quinque ſpicis, quas diceres nunc ex tritico excidiſſe, & tamen lapis erant, imo gemma ſic etiam muſci non parva pars aderat, quanto facilius pictus Lapis mollis ille in Achatem potuit tranſire.

Itaque ſi quis loca Achatum obſervaret, ea maximè ubi perſpicui generantur, hoc enim eſt neceſſarium; ſepeliat vero picturam ex coloribus perpetuis, quales ſunt cæruleus & aureus è metallo conſtantes, cum maxime ſi cera punica pauco oleo temperata, aliove perpetuo ſed perſpicuo tamen unguento opus liniat, quale eſt, quod apud nos vernix liquida vocatur, quæ picturis abſolutis pretioſioribus ſolet induci, Achates naſcetur ſic pictus.

Verum dices, hic frequens eſſet Achates ſit pictus, ſi tam parva arte parari poſſet: verum non animadvertis, primo oportere ſepeliri ubi gignantur Achates, tum vero Achatem qui circumducitur, eſſe ſplendidum & perſpicuum, tum vero intra paucos annos tranſire in gemmam antequam pereat pictura, nec dilui prius aliquo externo humore, ne aboleatur imago, demum contingere ut abſolutus effodiatur, quot enim piſces ſunt, quos nemo unquam piſcatur, & feræ in nemoribus, & aves quas nullus unquam cepit, ſponteque ſua in proprijs locis obeunt, tot eſſe exiſtima gemmas, quæ latitantes locis quibus genitæ ſunt, nunquam in lucem prodeunt ſed in primam matrem terram ut coaluerant vetuſtate, ita eadem revertuntur. Tametſi; Achates varietate nobilis ſit, quia tamen parum ſplendet, raro pretium ingens habet inter gemmas. Hucuſque Cardanus, quæ non abluunt ab iis, quæ nos in Libro VIII. de geneſi figurarum in lapidibus naſcentium tradidimus, ad quæ lectorem remittimus.

Propoſitio. 12.

Auri à Lazulo Separatio.

Quo pacto aurum ex lapide lazuli, poſtquàm tritus fuerit, ſeparandum ſit.

Lapidis jam ad porphyrium triti libram commiſce unciæ mercurii purgati, ac miſce optimè in mortario, deinde exprime per linteum, & mercurius unà educet per linteum aurum; poſtea expreſſam materiam tigillo impone, vulcanoque committe, ita mercurius evolabit in auras, & quod remanebit in tigillo, aurum purum erit; id ſi relinquatur in igne color junctus, eum magis ſplendentem, molliorem & in penicillo ductus & extenſioni faciliorem reddit.

Propoſitio 13.

Vſus Coloris ad Picturas.

Propter immenſum coloris ultramarini pretium non ſolent eo uti pictores, ut aliis coloribus, ſed pingunt imagines, quas cœruleas volunt, communi cœruleo ex armenio præparato, aut ex vitro illius coloris, quod ſmaltum vocant; deinde partes eas, in quibus lux hæret, ceruſſa, poſt modum coloribus iſtis, ut res poſtulat, ritè adhibitis iiſque optimè exſiccatis, ultramarini colore humectato oleo nucum, & ſpiritu terebinthinæ totam illam picturam cæruleam, tanquam vernice, aut linimento quodam tenuiſſimo oblinunt. Hoc modo per obductum colorem tanquam per glaciem aut vitrum ſubjecti reſplendent, pulchritudinem non ſolum excellentiorem à velamine nacti, ſed & perpetuitatem, & ne ducentis, quidem annis, vel minima lucis, vel pulchritudinis portio decedat; nec mirum, quia quem ignis colorem conſumere non potuit, multo minus aer aut ſol exedere poterit. Ita Boethius.

Propoſitio 14.

Color ultramarinus Lazuli.

Quo pacto ultramarinus color alio modo, & brevius à Lapide ſeparetur.

Recipe Lib. I. Lapidis in tenuiſſimum pulverem redacti, & cum aqua clara ad porphyrium triti, & impone ſcutellæ vitriatæ, donec pulvis in umbra exſiccetur, quem iterum, ſi in maſſam coierit, in pulverem redige; deinde habeas in promptu reſinæ pini ℥vi. picis græcæ, maſtiches, Thuris ana ℥iii. olivarum ℥ii. patellam vitream ſupra lentum ignem pone, & primo imponas oleum, & cum bene calidum erit, adde reſinam, poſtea picem, deinde Thus, & poſtremò maſtichem ac move optime: poſtea alteri ſcutellæ infunde, & ebulliat parum. His paractis habeas ad manum aliud vaſculum, in quod pones ſiccum lapidis pulverem, cui affundes unguentum dictum, paulatim movendo ſpatula, & bona fiat mixtio: tum relinque per diem mixturam & cum auferre vis colorem, funde paſtam ſupra aquam bullientem, & move & agita optime materiam & cum aqua incipit refrigerari, eiice, & aliam calidam affunde; idque fac, donec aqua colorem trahat, atque repete toties, donec omnem colorem extraxeris. Singulas extractiones ſaparare potes, ut diſtinctos colores habeas.

Si color ſpurcitiem contraxiſſe videatur, ita reſtitues: tantum aquæ tartari adiice colori, ut ab aqua tegatur; ſine per diem poſtea aquâ limpidâ colorem abluc, & habebis mundatum.

Præparabis lapidem ad dictum opus hoc modo: dum in fruſta fregeris, vaſculo impone ac ure, deinde lava cum aceto, ſit ſupererit optima pars, quæ igni reſiſtit.

Artificia varia tincturarum omnis generis.

Addam hoc loco pulchras quaſdam ἐγχειρήσεις, queis tincturæ rubino, ſmaragdo & ſapphiro aliiſque haud abſimiles facili negotio confici poſſint, quas Excell. Dom. Utriuſque Medicinæ Doctor, Seren. Regis Poloniæ Archiater martinus Barnadus mihi pro ſingulari ſuo in me affectu, communicavit, earumque me inſpectante in noſtro pharmacopolio experimentum ſumpſit.

Experimentum I.

Tinctura rubra ad ſimilitudinem Carbunculi Lucentis.

Accipe gummi laccæ, cui in aqua limpida diſſoluto nonnihil aluminis, vulgo di Rocca adiunges, deinde totam miſturam indes veſicæ vitreæ, quod matracium Chimici vocant: quam deinde cineribus calidis impones, & in intenſiſſimam rubedinem ad inſtar rubini converteretur: cui ſi non nihil olei tartari infuderis, tunc colorem obtinebis quem vulgo vocant incarnatiuum. Nobiliſſimum verò dentifricium obtinebis ſi gummi laccæ aqua ſalviæ aut roris marini dilueris, tincturamque extraxeris.

Experimentum II.

Tinctura ad ſimilitudinem ſmaragdini Coloris.

Accipe ſyrupi violacei partem intra phialam, cui ſi aquam limpidam ſuperaffuderis, & huic nonnullas guttas olei tartari addideris, habebis peracta præcipitatione tincturam ſmaragdino colori ſimillimam, id eſt viridem.

Experimentum III.

Tincturam ſapphirino colori ſimilem efficere.

Accipe calcem vivam in vaſe cupreo in aqua limpid-

pid-

pida dilutam huic adiunges non nihil ſalis ammoniaci, quod ubi 12. horis circiter conſiſtere permiſeris, tandem liquorem totum in ſapphirinum colorem cœruleum, & ultramarino haud abſimilem degeneraſſe reperies. Ut verò colores hi ſplendidiores fiant per chartam diaphoreticam prius tranſcolandi ſunt colores ſive tincturæ. Uſus earum eſt in thermoſcopiis concinnandis ſingularis.

Experimentum IV.

Arcanum rariſſimum quo Auri ſcriptorii conficiendi modus traditur.

Mirantur multi eximiam illam veteribus auro ſcribendi methodum uſitatam, nec modum ejus capiunt. Unde multi putant artem eſſe uti deperditam, ita inventu difficilem. Nos hoc loco modum quem nos ſupra laudatus excellentiſſimus Doctor Martinus Barnardi docuit, bono publico manifeſtandum duximus, ita autem proceditur: Diſſolvatur in vaſculo gummi, arabicum uſque ad craſſitiem inſtar pultis conſiſtentium, deinde illud per mundiſſimum linteolum percolabis, ex hoc gummi portiunculam quantitatis nucis avellanæ acceptam in orbem fictilem mundiſſimum (cujuſmodi paſſim hic Romæ in menſis utuntur) depones. Poſtea aurum foliatum quanto plus, tanto melius eſt, Commiſtum gummi digitis tanto tempore terito, uſque dum totum gummi intime contemperetur; quanto enim melius ſubactum fuerit aurum gummi, tanto res meliorem ſucceſſum habebit: identidem dum laboras, digitis aquam eidem tepidam affundendo. Quod ubi peractum fuerit, tum denuo aqua calida ſuperaffuſa 12. horis relinquatur: donec per inclinationem aqua effuſa, nova aqua tepida affundatur, quod ubi aliquoties feceris, tunc relinque, uſque fæces ſubſederint, quæ eſt materia auri ſcriptioni apta. Hæc itaque intra conchas guttatim diſtributa dabit tibi aurum ſcriptorium huc uſque deſideratum; quo ſi uti velis, unam atque alteram guttam ex aqua glutinis candidi (cujuſmodi in Germania melioris notæ præparatur) ad dilutionem ſuperadditam, in uſum convertes. Nobiliſſimum ſane ſecretum, & in præſentia mea comprobatum.

Poſſem hoc loco adiungere ad coronidem Sinicæ vernicis veræ & legitime conficiendæ modum & rationem, ſed quia deſcriptio longior eſt, quam ut charta admittat, alio forſan loco opportunius lectori curioſo id communicandum reſervavimus. Communicavit id mihi R. P. F. Euſtachius Jamar, Leodicenſis ord. D. Auguſt. religioſus, qui ad ſtuporem omnium hanc artem hic Romæ dum hæc ſcribo exercet. Variaque conficit utenſilia adeo ſplendida, & lucida, ut vernicem Sinicam, ſi non ſuperet certe æquet; neque puto ad excellentiam artis quicquam poſſe accedere.

Propoſitio XV.

Quomodo factitii lapides fiant & ſaxa ingentia pro Columnis cæteriſque Monumentis.

Magna inter auctores lis eſt, utrum factitii lapides per infuſionem fieri poſſint. Nonnulli exiſtimant columnas & obeliſcos Romam ex Ægypto allatos, non eſſe niſi fuſiles lapides in tantam molem formis appropriatis eliquatos; ſed nos hanc fabulam quã ampliſſime in noſtro Oedipo & obeliſco Pamphilio confutavimus: fuerunt enim ex vivo ſacco elaborati cujuſmodi fodinæ in Thebaide ſuperiori etiamnum ſpectantur. Eſſe tamen modum quendam & certam rerum mixturam, quæ in lapides fundi poſſit, non abnuo, imo praxin apud peritiores marmorum opifices & latomos me vidiſſe memini; imò veterum Moſaicas ſive muſivas teſſellas nil aliud, quam paſtam fuiſſe fuſilem in triangulos, quadratos, ſimileſque polygonas figuras ſectam vel ipſa λιθοτομίᾳ luculenter docet, & ne quiſpiam ea de re dubitare queat rem experimento docebimus. Non enim ſolum gemmæ factitiæ fiunt, ſed ſaxa & marmora, quemadmodum paulò ſupra de menſis quæ hic Romæ modo inventæ conficiuntur, ſat patet.

Experimentum Lapidis Fuſilis.

Lapides, marmora, Jaſpides &c. in pulverem redigantur minutiſſimum, cui jungantur calx, gypſum, ſal, ſanguis bovinus, quæ omnia commixta aceto, vino, cereviſia, vel lacti aut ejus ſero imponantur. Varieque agitentur, donec in pultem redigantur. Hoc peracto colores metallici, quos volueris, pulti commiſceantur, addito non nihil ex felle bovis, deinde ſpatula lignea ea induſtria miſceantur, ut marmor fictitium venas omnes coloris, adinſtar veri variegati marmoris obtineat. Haud ſecus ac in carta turcica præparanda fieri novimus, deinde formæ ſeu modulo jam præparato infunde exſiccatumque duritiem prorſus lapideam induet, quæ deinde pumice deplanata, ſmegmate vel oleo polituram recipit perfectiſſimam. Ingenio pollentes ex hac brevi deſcriptione mentem meam facile percipient, quare ad alia.

Propoſitio XVI.

De Perlis fictitiis componendis Methodus.

Perlæ fiunt hic Romæ quoad formam veris ita ſimiles, ut ſplendoris & ſpeciei ratione à veris & nativis vix diſcerni poſſint hoc pacto: purgant albumen ovorum per ſpongiam quàm mundiſſimè in quod inſpergunt, miſcentque pulcherrimi talci, aut etiam conchæ perlatæ ramenta unà cum perlis naturalibus in minutiſſimum pulverem primò redactis; hoc mixtum in marmore optime terunt, ita ut fiat denſum amalgama, quod in ſole, vel poſt fornacem calidam ſiccetur; ex hac maſſa formant perlas quantaſcunque volunt, quas ſetis ſuillis perforant, & ad ſiccandum ſoli exponunt habebiſque negotium peractum; ſi vero non ſatis ſplendeant, exterius ovorum albumine præparato more ſolito inunctas ad ſiccandum ſoli exponunt, & habent quæſitum.

Propoſitio XVII.

Corallia Ficta.

Simili modo Corallia fictitia fieri poſſunt: Cinnabarim cum albumine ovorum in marmore tere per horam, poſtea, ut terram figulinam ſicca, deinde finge inde globulos vel ramoſum fruticem prout libuerit, ſume exſiccatam materiam uti perlas; exterius ovorum albumine inunge, & ſiccata corallia fiunt nativis ita ſimiles, ut vix dignoſcantur. Magna ſane res latet in albumine ovorum, nam vernifium inde excoqui poteſt, cui commixta aurea & argentea ramenta lapidem efficiunt, ei, quem venturinum vocant, haud abſimilem.

Propoſitio XVIII.

Lini in ſericum tranſmutatio.

Si ex calce & cinere Iſatidis herbæ acerrimum fiat lixivium linum in eo coctum in ſericeam abit materiam, ſplendidam & ſubtiliſſimam filationi aptiſſimam. Eſt & hoc mirabile, ſi plumeæ partes pennarum ex volucribus abraſæ in hoc lixivio coquantur, non ſecus ac goſſipium neri & texi poterunt. Sed & hoc arcanum manifeſtat aſbeſtinæ materiæ filandi modum & rationem quam Lib. VIII. in capite de Aſbeſto conticueram.

Propoſitio XIX.
Succini Confectio.

Plinii tempore tingebatur ad libitum Succinum, hædorum & anchuſæ radice, ac etiam conchylio, id eſt, violæ ſerotino colore; hac ætate ars tingendi ſuccinum periit, ſi tamen verum ſit, quod vulgo ſcribitur, in ceram ferventem immiſſum, molle fieri, facile quoſvis colores recipere poterit. Imitatio ſuccini à multis proponitur. *Cardanus* ovi candido & tragacanthi lacryma immiſſis formicis, culicibus, muſcis, paleis, ſuccinique pulvere, ut benè oleat, & feſtucas trahat, ſuccinum imitari conatur, ac melius aptiuſque candido ovi, vitellum indicat, quod coctum humiditatem, putredinis auctorem amittat, ac in lapidem dureſcat. *Myzaldus* cryſtalli pollinem, albuminis ovi conquaſſati, aqua croco addito, miſcet, vitro imponit, aquæ ferventi committit, dum duram conſiſtentiam adipiſcatur, quam efformat. Verum ſi corpus diaphanum cupiat, ante coctionem materiam percolat: ſed modus iſte mihi non placet. *Baptiſta à Porta* maſtichen liquidam per colum trajicit, ut expurgetur, parumque radicis curcumæ adjicit, ac ſuccini ſpeciem imitatur, ſed verius & utilius is nativum ſuccinum imitatur, qui id diſſolvere ac diſſolutum iterum coagulare, vel in maſſam cogere novit. Quomodo autem id fieri debeat, verus Phyſicus, ac qui prædicta intelligit, facillimè aſſequi poterit. Ignaris ac Muſarum oſoribus hæc aperire nefas exiſtimat *Boëtius*.

Sufficiat itaque Naturæ ſcrutatori, viam ita facilem hoc capite demonſtrari, ut falli non poſſit, qui exactam ſuccini hiſtoriam vult; *Andreæ Libavii*, viri doctiſſimi tractatum legat.

Hactenus Athanaſius Kircherus *de compoſitione artificiali Lapidum & Gemmarum* in ſuo Mundo Subterraneo. *Qui plura ac admodum curioſa hoc in argumento, præcipuè de Gemmis artificialibus, voluerit, conſulat totum tractatum de Arte vitrariâ Antonii Neri, quem nos ſub titulo VITRUM ad ducimus.*

De Lapidibus & Gemmis ſpecialius, quatenus ſcilicet ad Medicinam faciunt, eorumque Præparationibus.

Schroderus cum aliis, ſalino-terreſtri principio lapidifico cauſam lapidum efficientem & materialem adſcribit, quæ in illis duritiem, ſoliditatem & coagulationem terreſtrem ſupradictam efficiat. Sed unde probabitur hæc adſertio, & quonam fundamento eſt ſtabilita? Quis unquam vel tantillum ex tot differentibus lapidum generibus, quod illorum coagulationis cauſa ſit, ſalis extraxit? Quid ſalis oſtendi poteſt in corallis, quæ juxta quorundam opinionem in aquâ ſalſa remanentia mollia, inde autem educta indureſcunt? quid ſalis oſtendi poteſt ex fuſi Saturni corpore in corpus Mercurii vivi tranſire, quod in eo fuſi Saturni corpore in corpus equidem ſalini magna videtur potentia eſſe in quorundam corporum coagulatione expediundâ, hæc tamen nullatenus provenit à peculiari quâdam vi Lapidificâ; ſed ex illorum corpuſculorum figurâ & motu, quæ per Naturam magis apta nata ſunt, quàm plura alia concreta ſeſe aliorum corporum poris inſinuare, eorumque particulas tam ſuimet quidem, quam ſibi invicem nectere, idque vel corpuſcula illa quaſi cuneatim jungendo, vel rigidis & gracilibus ſuis partibus, vel acutis ſuis angulis aut aciebus plura eorundem penetrando. Nos ſtatuimus cum ſanioribus Naturæ interpretibus, Omnes Lapides fructus aquæ eſſe, cùm mediante ſale circulato ſuam omninò fixitatem amittant, & tandem in aquam inſipidam tranſeant, æquiponderantem Lapidibus, ex quibus manavit. BERNARDUS PALISSY Gallus in Libris gallicè editis, *De Naturâ fontium, Metallorum, gemmarum,* ex aqua omnes etiam Lapides duriſſimos deducit, aquas tamen duas ſtatuens, unam materialem, alteram congelantem. Nobiliſſimus *ROBERTUS à Boile* Lib. de Gemmis, harum primam originem etiam putat ſubſtantiam fuiſſe liquidam, quæ ſi tincturis quibuſdam mineralibus, dum fluidæ vel molles ſunt, imbuuntur, colores pro ratione mineralis obvii acquirant. In Opacis, quales hæmatites, Jaſpis &c. lapilli ſunt, terram metallicis ſuccis imprægnatam, acceſſione liquoris petreſcentis ſeu ſpiritus petrifici in lapidis formam coagulari indicat. Meminit inibi etiam cujuſdam liquoris, qui gemmas ſolvere potuerit. Terram plenam eſſe menſtruis aliiſque liquoribus variorum generum ſtatuit, è fodinis, per quas vagantur, variè imprægnatis, qui quibuſdam caſibus vice menſtrui fungi, alio verò modo concurrere ad productionem corporum mineralium poſſint. Quemadmodum igitur omnia, quæ fiunt in Naturâ, ut ſupra de Rerum Nativarum productione oſtendimus, ſeminis neceſſitate fiunt, ita & Lapides ex ſeminibus petroſis, quæ in lapideſcibilibus ſuccis, (qui ſive tincturæ ſive menſtrui nomine veniant, perinde eſt) latent, fiunt, donec fluxu ſeminum maturato partium corpora conſtituentium ex aqua ſive ſale abundent vel non ita diſponant, & figurâ & motu apta reddant, ut ex his ſtabile & ſolidum corpus lapis fiat. Ubi ejuſmodi ſemina petroſa in aquis deliteſcunt,* quicquid illis injicitur, in Lapillos condenſatur. vid. *Robertus à Boyle l. c. item. in Tentamin. Phyſiologic. & in tr. de Fluidit. & Firmitat. Athanaſ. Kircher. in Mundo ſubterran.* Tom. 2. ſect. 3. Lib. 8. p. m. 78. *Thomas Scherley Regis Angliæ Medicus in Diſſert. de cauſis Lapid.* It. *Ingenioſiſſimus STENO in diſſert. de ſolido intra ſolidum naturaliter contento. Doctiſſimus Morhofius in Epiſt. de Metallor. transmutat. Hofmannus.*

Lapides ſunt corpora terrea, dura, inductilia, vi lapidificâ ex materia lapideſcente, id eſt, viſcoſa terreſtri ſeu tartarea, coagulata.

N. *Generantur lapides ex peritomate ſalino terreſtri, quod in nutritione rerum redundat, vique ſuâ lapidifica in duritiem lapideam coagulatur.*

Suntque vel pretioſiores, vel minus pretioſi: Illi gemmæ nomen adſciſcunt, præcipue ſi adiaphanæ fuerint; hi nomen lapidis retinent. *Schroderus.*

Suntque vel precioſiores vel minus precioſi.) Lapidum differentiam *CL. HELMONTIUS* facit triplicem; Animalem, Vegetabilem, & Mineralem. Animalis eſt Duelech ſeu calculus humanus, lapis cancrorum, limacum, Bezoar &c. Vegetabilis eſt capſa nuclei perſicorum, meſpilorum &c. Mineralis eſt ſaxum, ſilices, adamas &c. Verùm Animales lapides & vegetabiles propriè ſic dicti Lapides non ſunt, ſed minerales tales habentur, qui in calcem verti poſſunt, quod vegetabilibus lapidibus denegatum, qui potius nodoſum lignum, quàm Petra ſunt; Animales lapides potius oſſa ſaxea, quia cremantur, quam petra ſunt. De cætero Lapides minerales pro mineralis ſucci vel tincturæ præſtantiâ variant, ut in gemmas vel alios lapides minus nobiles deflectant. De Lapidibus ſcripſit *Alber. Magn. Geſnerus, Valleſius, Camillus. Leonard. Caſius. Johann. de Laët. Anshelm. Boetius de Boodt. Chriſtoph. Encelius. Andreas Baccius.* Ex recentioribus *Bernhardus Paliſſi Gallus* linguâ gallicâ, *Thomas Scherley.* &c. Hofmannus.

Præparata.

Præparationes ſeu operationes, quibus lapides in uſum Medicum veniunt, præcipuæ ſunt 1. Pulveriſatio & præparatio in ſpecie ſic dicta. 2. Calcinatio

tio, cui ſubjunguntur. 3. Solutio, Coagulatio, & Purificatio ſeu Edulcoratio. 4. Liquatio ſeu Deliquium. 5. Deſtillatio ſeu Volatiliſatio. His accedit interdum 6. Syrupiſatio.

N. *Integrum & inſignem tractatum de lapidibus conſcripſit Nobil.ſſ. Anſelmus de* Boodt, *Medicus Rudolphi Secundi, quem in deſcribendis lapidibus potiſſimum ſum ſecutus. Præter hunc inſervit Bunradus* Kunrath, *qui medullâ ſuâ deſtillatoriâ, integrum fere Tractatum ſcripſit de Lapidibus pretioſis ac minus pretioſis, utrorumque præparationibus ac facultatibus, part.* 1. *tr.* 10.

I. Pulveriſatio & Præparatio.

Pulveriſatio lapidum commodiſſima fit primùm tritu â, quam dein ſuſcipit lævigatio. Præparatio fit, ſi inter lævigandum ▽ conveniens ſtillatitia aſpergatur, inque pulpam maſſa redigatur, in umbra exiccandam. *Schroderus.*

Præparata. Pulveriſatio & Præparatio.) Huic inſervit *Tritus*, qui peculiari molâ philoſophicâ conveniertiſſimè peragi poteſt, cujus iconem infra de AURO inſculptum videbis, quâ miranda in Arte Medicâ & chemica perfici poſſunt. *Hofmannus.*

II. Calcinatio.

Calcinatio, cui lapides ſubjiciuntur, vel miniſtra eſt, vel principalis; Miniſtra eſt, quâ lapides ad principalem illam ſuſcipiendam, diſponuntur; diciturque ſtrictè loquendo calcinatio. Principalis eſt, quâ lapides propius in uſum Medicum veniunt, dicitur ſolutio potius quam calcinatio, adjunctamque habet coagulationem cum annexa edulcoratione.

Calcinatio, quâ lapides ad ſolutionem diſponuntur, perficitur vel ignitione tum ſimplici, tum reſtinctoriâ, vel corroſione, eâque aut cum Sal. com. aut cum Sulphure, &c.

Ignitio ſimplex fit, ſi lapis vi ignis nudi, tum libeti, tum reverberio incluſi comburatur, donec in calcem redigi queat. Exemplo ſit calcinatio illa vulgaris lapidum calcinariorum, unde calx viva murariis expetita.

Ignitio reſtinctoria: quando lapis ignitus in liquore aqueo extinguitur, idque vicibus repetitis, donec in calcem redigatur.

N. *Eſt & alius modus calcinandi: Nimirum pulveriſati miſcentur cum duplo carbonum pulveriſatorum, (præſtant fagini) inque fornace figulina ☌ 24. Crucibulo cooperculato cremantur.*

Corroſio 1. *cum Sal. nit.* Lapis groſsè (ſaltem) ad minimum contuſus, miſcetur cum Sal. nitri portione æquali, duplo, plus minus, ignique committitur fortiſſimo, ut Sal. nit. fundatur & concremetur.

N. *Peragitur & hoc modo: Nitrum funditur primùm, hinc fuſo ſuper inicitur paulatim lapis calcinandus pulveriſatus.*

Corroſio 2. *cum Sulphure*: Lapis cum Sulphuris duplo, triplo, ter, quater pluriesve in Crucibulo aperto ad Sulphuris exhalationem uritur.

N. *Præſtat Sulphur vivum, vel flores Sulphuris adhibere.*

De Calcinationibus hic notandum in genere.

1. *Si quidem calcinationes id finis præſeferunt, ut lapides fiant ſolubiles, parum intereſt, utrum uno pluribuſve calcinationum modis finem dictum conſequaris. Sic perficiunt calcinationem alii uno calcinationis genere (v. gr. Baſilius ignitione ſolâ Corallia calcinat:) alii duobus, (ſic calcinat Crollius gemmas, &c.),* 1. *cum Sulphure.* 2. *Cum Sal. nit.* Kunrath, *è contra* 1. *cum Sale nit.* 2. *Cum Sulphure: alij præmittunt quoque calcinationem ignitionis & præcipuè reſtinctoriam.*

2. *Si quid indiſſolutum remanſerit, denuo calcinandum eſt, idque vicibus toties repetitis, donec tota ſubſtantia, rejectis fœcibus, ſit diſſoluta.*

III. Solutio.

Solutio Lapidum tàm pretioſorum, quàm vulgarium varijs poteſt adminiſtrari menſtruis, quibus lapides ut plurimum calcinati injiciuntur, locoque tepido reponuntur, ac ſubindè ſ. a. id eſt, toties repetitis novi menſtrui affuſionibus & decupelationibus, donec opus fuerit, & nihil amplius ſolvatur.

Menſtrua idonea ſolutioni videſis in ſolutione Coralliorum, præcipua tamen ſunt Acet. deſtill. vulgare ac imprimis alcaliſatum, terebinthinatum, Acet. deſtill. mellis, Spiritus ⊖-li, Sal. nitri. Ol. Sulphur. per C. &c. *Schroderus.*

Solutio.) Hujus idonea menſtrua ſunt Acet. diſt. ſuccus Citri, ſpiritus mellis, Nitri, Sal. comm. Vitrioli, Sulphuris &c. Præcipitatio fit non tantum ſalibus, ſed & ſpiritibus. Nam notandum eſt, præcipitationem cum ſalibus factam Magiſteria reddere magis fixa, non differentia à præparatis calcinatis, ſolubilia autem illa eſſe, quæ à ſpiritibus præcipitantur. *Hofmannus.*

Coagulatio.

Coagulatio ſolutorum lapidum fieri poteſt, vel menſtrui abſtractione, vel ſolutionis præcipitatione.

Abſtrahitur menſtruum, tum evaporando, tum deſtillando.

Præcipitatio fit inſtillatione Sal. com. fuſi, Ol. Tart. p. d. &c.

Edulcoratio fit iteratis ſolutionibus, ac coagulationibus, vel ablutionibus.

N. *Purificatio, quo ſæpius iteratur, eò ſal præſtantius ac purius evadit.*

IV. Liquatio.

Liquatio ſeu diſſolutio per deliquium fit, quando Sal lapidum in vitrea marmoreave patina, vel ſimili, in locum humidum exponitur, ut in liquorem diſſolvatur.

V. Volatiliſatio.

Volatiliſatio fit, ſi ſalia ſæpe ſolvantur coagulenturque; atque tandem cum 🜄 (vel ▽. deſt. appropriata ſeu quod melius cum Spir. herbæ appropriatæ) ☌℘. 14. in fimo equino digerantur, multotieſque per cucurbitam humilem vel retortam deſtillentur, quippe poſt quamlibet putrefactionem aliquid Sal. cum menſtruo aſcendit.

N. 1. *Deſtillatum hoc conſtans ex Menſtruo ac Eſſentia lapidis, (id eſt, ex ſale lapidis volatiliſato) dicitur Elixyr: verum ſi menſtruum calore (leni) abſtractum fuerit, remanet Eſſentia in fundo.*

N. 2. *Præſtat Vini eſſentiam cum ſalis liquore conjunctam, ſine ſeparatione aſſervare, quippe utraque ſeſe mutuo perficiunt, adeoque vis ſalis reſolutiva, qua calculum ſeu Tart. reſolvit Eſſentiæ illius vinoſæ viribus exaltatur, quin & Vini Spiritus fit magis penetrativus & ad calculi reſolutionem operativus. Schroderus.*

Volatiliſatio.) In Lapidibus ne micam quidem ſalis reperiri, quod volatiliſari poſſit, ſuprà jamdum monuimus; Benè tamen ex adjunctorum & connexorum ſalium texturæ mutatione ſeu variatione figuræ, motus, ſitus vel nexus illorum Lapidum partes pulveriſatæ minutiſſimè unà in ſublime evehi & deſtillari poſſunt. v. g. Recip. Lapid. pretioſ. cujuſvis ℥ß. vel ℥1. excandeſcat & in Acet. diſt. exſtinguatur, ſolve in ſp. Sal. comm. compoſito, filtra & per retortam abſtrahe, cum acris exſtillare incipit, deſine, reſiduum edulcora ▽ fontanâ affusâ; Remanentiæ exſiccatæ affunde ſpiritum vini ſale Tartari

vola-

volatili impprægnatum, pone in fimum equinum per 14. ☍, poſtea deſtilla ſæpius per humilem cucurbitam, ſemper digeſtione interpoſitâ, & ſic ſal Tartari volatile mutuo connubio ſecum rapiet particulas quaſdam lapidis pretioſi volatiliſatas, non autem ſal lapidis volatiliſatum, quod in lapide non fuit, nec inerit unquam. Interim tamen reſiduum illud hujus lapidis pretioſi ſale Tartari jam fixato ex parte à ſpiritibus ſalinis turgentis abjicienda, utpote in hoc magna adhuc lateat virtus. Licet enim ex lapidum pretioſorum ſubſtantiâ parum elevetur, elevatur tamen aliquid, quod Sal Tartari volatile in aliud eſſe tranſducit; Quemadmodum etiam videmus in fixo alkali ſalis Tartari, quomodo, quæ illi junguntur, reducat in eandem & ſui ſimilem naturam. Sic v. g. ſal Tartari calci vivæ nuptum multò potentius efficitur & ferè in igneam transfertur Naturam. Oculi Canc. cum Sal. comm. Tartari vel *liquati in plane aliud eſſe degenerant. Sal volatile urinæ aliquot cohobijs à ſilicibus nigris calcinatis abſtractus plane aliam induit naturam. Non diverſa eſt ratio gemmarum vel lapidum pretioſorum cum ſalibus volatilibus intercedente digeſtione combinatarum & ſublimatarum. *Hofmannus.*

VI. Syrupiſatio.

Syrupiſatio fieri poteſt, ſi ſolutionem (factam cum ſucco aſſumptioni internæ idoneo, v. gr. ſucco citr. berber.) cum ſaccharo in ſyrupum redegeris, affuſâ, ſi liber, aquâ ſtillat. convenient. *Schroderus.*

Syrupiſatio.) Ex lapidibus pretioſis v. g. Corallijs, perlis, &c. hæc ſyrupiſatio optimè peragitur, ſi hi totaliter prius diſſolvantur in ſ. q. Acet. diſt. ſolutio filtretur, & ad ſiccitatem par MB abſtrahatur, remanente in fundo ſolutione ſiccâ, hujus ſolutionis ſiccæ q. ſ. ſolâ ſolutione vel digeſtione fiat ſyrupus juſtæ conſiſtentiæ, *Hofmannus.*

Operationibus hiſce fiunt ex Gemmis,

1. *Gemmæ Præparatæ.*

Præparantur modo dicto; lævigando, ſubindeque irrorando, cum ▽ cordiali (roſarum, bugloſſæ, & ſim.)

2. *Sal.*

Gemmæ calcinatæ ſolvuntur interveniente digeſtione in Acet. deſtill. vulgari (vel terebinthinato) ſolutiones filtrantur: hinc abſtrahitur menſtruum, ſalque relictum purificatur eluendo cum ▽ deſtillata. Croll.

N. 1. *Sunt qui malunt Acet. deſtill. à ſexta parte cineris herbæ Kali ternis cohobiis deſtillatum. Nimirum hoc ſubdulce nec adeo mordax eſt. Hartm. in Croll.*

N 2. *Calcinatio hîc fit, vel ſola ignitione, ſcilicet uſtione; vel corroſione. Placet hic modum Crollii inſerere, qui eſt Gemmæ lævigatæ cum Tart. (flor. Sulphur.) ter quaterve comburuntur, idque igne rotæ crucibuloque operculato: ultimo tegitur totum crucibulum carbonibus. Calx gemmarum lotione à Sulphure repurgata miſcetur cum Sal. nit. ana. & calcinatur denuo in tigillo clauſo igne rotæ ut fluant. Tandem abluitur optimè Sal. nit. calxque gemmarum exiccatur, Si parata eſt ad ſolutionem.*

N. 3. *Si quid indiſſolutum manſerit, id nova calcinatione comburendum & ſolvendum idque toties, donec tota ferè gemmarum ſubſtantia diſſoluta ſit.*

3. *Magiſterium.*

Præcipita ſolutionem dictam cum Ol. Tart. p. d. vel Spir. ⊖i.

N. *Fiunt quoque Magiſteria gemmarum, ſolvendo eas in ſpiritu Sal. nit. vel Salis Naturæ, & præcipitando cum Ol. Tart. Vid. Quercet. in Pharmacop. reſt. cap. 24. & 24. Schroderus.*

Sal.) Utrum ſal quoddam eſſentiale in intimis gemmarum v. g. Smaragd. Corallor. perlar. viſceribus reconditum ſit, magna Philoſophico-chemicorum contentio eſt, *CL. SENNERTUS in lib. de Conſenſ.* ubi in ſe non ſuſcipit cauſam agere chimicorum, ſed ipſorum & Peripateticorum Arbitrum; rotundè pronuntiat, ſalem omnibus ineſſe mixtis & ex ijs omnibus fieri poſſe p. 147. Et quod de ſale dixi, ait, idem & de Sulphure dici poteſt. Verùm ignoſcant manes Sennertiani, bonâ ipſorum veniâ probationes ſolidas hujus generalis aſſerti vel maximè deſideramus. Qui de hujus veritate me convincere ſatagit, prius per mechanicam oſtendat, quomodo ſal vel Sulphur ex gemmis & alijs lapidum generibus ſint extrahenda, quos intenſus △nis non in calcem ſed fuſionem reducit. Unde & Nobiliſſ. *HELMONTIUS* p. 409. ſcio, inquit, ex ſilicibus, arena & ſaxis non calcarijs nunquam Sulphur aut Mercurium trahi poſſe. Sed inquis: Unde autem ſalia eſſentialia Nonnullorum, quæ pro panaceis venditant, gemmarum ſcilicet? ſcias, ſalia ſuppoſititia eſſe, v. gr. gemmæ quando cum Sulphure calcinantur, (juxtà *Crollii* modum, quem *Dnus AUTOR* adducit) deflagrante autem & combuſto ab his Sulphure aliquoties, ſic ſolutæ verum Sulphuris acidum ſpiritum in ſinum recipiunt, alias in campanâ vitreâ coagulabilem, ex quo ſal ſuppoſititium concipiunt, & poſt illarum ſolutionem & coagulationem ſpurium pariunt Quemadmodum ex Saxis & metallis difficillimè ſalia fiunt, ſed cuncta facilè diſſolvi & quædam in Vitriola, utpote metalla converti; Ita nec ex corallijs, matre perlarum, quæ ſaxa marina ſunt, ſui generis, & oculis cancrorum itidem ſuæ ſpeciei lapillis ſalia propriè ſic dicta paratu facilia aut poſſibilia erunt. *Hofmannus.*

4. *Oleum gemmarum ſeu liquor.*

Sal Gemmarum optimè ſolutionibus ac coagulationibus purificatum reponitur in cellam ſupra marmoream tabulam, ut liqueſcat.

N. *Felicius fit menſibus Julio & Auguſto, Croll.*

5. *Tinctura ſeu Eſſentia: Sal gemmarum exaltatum.*

Liquori ſive Oleo (Magiſteriove) gemmarum affunditur V alcaliſatus F. Extractio ſ. a. ſeparatur ſolutio, abſtrahiturque menſtruum ad formam uſque craſſiorem: Hartm. *Quercet. in Pharmacop. reſt. c. 24.*

6. *Oleum per deſtillationem. Eſſentia elaboratior.*

A liquore gemmarum evoca V cumque recentis V atque Acet. deſtill. terebinthinati ana. deſtilla denuo per retortam: poſt evocatum menſtruum prodeunt ſales in forma Olei. *Hartmann. in Croll. ſect. de liquoribus gemmarum.*

7. *Extractum Gemmarum, cryſtalli & lapidum S. Cloſſ.*

♃. Pulv. impalpabilem cujuſcumque gemmæ, lapid. aut cryſtalli, tere cum tantundem Sal. mar. decrepit. & reverbera vaſe tecto in furno figuli per 24. horas, materiam reſolve in aq. font. calidâ, agita aquam fortiter & quod ſolutum erit, effunde per inclinationem in vas aliud vitreatum, ita viciſſim procede aliam aqu. calidam affundendo & decantando, donec calx in fundo reſtet inſolubilis, quæ novæ remixtioni & reverberationi erit ſubmittenda. Decantatas a. aquas reſidere permitte, & ſepara à limo ſubſidente, in illas projice guttatim °o Tart. ut lacteſcant, filtra per chartam, craſſamentum ille adhærens ſepara,

para, & limo ſuperiori permiſce, idemque de novo age præcipitando, colando, dum nullum amplius limum dederit. Omnes has viſcoſas ſubſtantias in unum junctas per ablutiones plures à ſalſedine vindica, iiſque Acet. deſtill. affunde, digere donec dulceſcat Acet. deſtill. abſtrahe ad ſiccitatem, reſtabit ſal griſeum, è quo Tincturam trahes cum ♉ opt. eoque revocato per deſtillationem apparebit Sapa ſive Syrupus Lapid. aut gemmæ diſſolutæ ulterius in Eſſentiam (ſi velis) provehendus.

8. *Syrupus.*

Fit dicto modo ex ſolutione & Saccharo. Vide Syr. corall.

Et hæc de Lapidibus in genere, ſequuntur jam Gemmæ. *Schroderus.*

De Gemmis.

Utrum Gemmæ & Lapides pretioſi rectè in uſum venire poſſint medicum, an ſecus; plurimi Doctorum dubitant. Negat *HERCULES SAXONIA Braſſavola* in examin. ſimplic, *Thom. Eraſtus* in Diſp. *contra Th. Paracelſum. P. Poterius in Pharmacop ſpagyric.* & Alij, quia ſunt duriſſima corpora, etſi tenuiſſima, à noſtro calore atteri & in actum deduci nequeunt, unde eâdem ſubſtantiâ & eodem modo, quo aſſumuntur, eodem etiam immutatæ rejiciuntur. Verum hæc ratio de nihilo eſt, non enim hæ alimenta ſunt, quæ in corporis noſtri œconomiam diſtribuuntur, ſed Medicamenta, quæ licet corporis noſtri meatus non penetrare valeant, variè tamen mireque Archeum noſtrum ventriculi alterando afficiunt, ut in morbis curandis ſæpè præſtent miracula. Nec obſtat, per alvinam regionem ſæpè eodem, quo aſſumptæ fuere pondere & modo iterum ejici, tamen nihil hoc derogat ſalutari illarum effectui, *Dni D. Johannis Michaelis* ſpecificum cephalicum, bezoardicum Martiale, ſolare, lunare &c. eodem etiam modo, quo aſſumpta fuerunt, dejiciuntur, & tamen maximæ ſunt ſæpè energiæ. Ejuſmodi enim Medicamenta mineralia citrà ſui diſſolutionem, citrà ſui penetrationem & immutationem liberè, imò etiam eminus operantur in ſopitum vel ſuccenſum Archeum, ſolo quaſi ſui aſpectu, irradiatione, vel ejaculatione ſuarum virium in medio productarum, retentis adhuc priſtinis & non mutatis pondere & proprietatibus. *Hofmannus.*

I. Chryſolithos.

Chryſolithos (*veterum,*) (Topaſius *Gemmariorum modernorum*) eſt gemma aurei coloris Germ. *Chryſolith.* La pierre Chryſolite. *Chryſolite. Cryſolite.*

Duo ipſius ſunt genera, Orientalis & Europæus, ille ut colore, ita duritie Europæum ſuperat: hic enim inſtar Cryſtalli mollis eſt, & cum aureo colore vel multum vel parum nigricat.

Inveniuntur in Bohemia paſſim.

Vires. *Natura ſolaris ex ſignatura judicatur. Proinde creditur timores nocturnos & melancholiam minuere, intellectum confortare, moleſtiſque inſomniis adverſari (ſiniſtro ſcil. brachio alligatus, aut collo ſuſpenſus, æroque incluſus) alij commendant ejus aſſumptionem ad morbum comitialem, & peſtem. Schroderus.*

1. *Chryſolithos.*) Ab Auro nomen habens, idem ſonat quod Lapis aureus, cùm reverà aureo fulgeat colore. Nonnulli *Pyropon* appellant. Modernorum *chryſolithos* non idem eſt cum veterum *chryſolitho*, qui *TOPAZIUS* eſt Modernorum, ſed veterum *TOPAZIUS* jam pro *chryſolitho* habetur, qui gemma eſt viridis colore, ſmaragdo dilutior, cui nonnihil flavedinis adiunctum eſt. Diaphanus quandoque per viridem aureum fulgentem habens, ac tunc *Chryſopatius* à quibuſdam vocatur. *OLAUS in Muſæo.*

Duo ſunt ipſius genera, *Orientalis* & *Europæus* Electas *Æthiopia* mittit. Arabicæ turbidæ & interpolati fulgoris ſunt, nubilo macularum refertæ.

Vires. *Natura* ☉*laris ex ſignaturâ judicatur; creditur Melancholiam minuere & morbum comitialem) Hieronymus Cardanus* de admirandis curationibus refert, *Cæſarem Palavicinum*, aliumque nobilem ex oppido *Gallarati*, Melancholiâ & comitiali morbo, alternatim (quorum unus jam quindecim diebus cum febre, *Palavicinus* alter jam ſex menſibus, ſed ſine febre, verum cum clamoribus) laborantes & fruſtrà à Medicis vexatos, ſomniferis lotionibus capitis, ſolo potu pulveris chryſolithi ex vino in octo dierum ſpatio ſic liberatos fuiſſe, ut nunquam Morbus redierit. Hæmorrhagiam vulnerum ſuperalligatam ſiſtere, item libidinis incendia compeſcere tradunt.

N. Reperitur & in Bohemiâ & in jugis Miſniacis ac conterminis locis, ſplendore tamen ad candidum languido, fragilis & mollis, ut expoliri non poſſit.

Alias *Chryſolithos* in frequenti uſu Medico non eſt, ſed præfertur *SMARAGDUS* & *SAPPHIRUS. Hofmannus.*

II. Granatus.

Granatus eſt Gemma pellucida, ex flavedine rubens, ignis inſtar, minijque nativi vel factitij colorem ferè referens. Germ. *Grenat.* Pierre de Grenat. *Grenate. Granaet.*

N. *Sunt diverſa genera Gemmarum quæ colorem ignis æmulantur, adeoque ſub Carbunculis (quo nomine à Carbonibus ſumpto, Gemmas illas in genere vocant,) comprehenduntur v. g. Granatus, Hyacinthus, Rubinus, &c. Hinc ſunt; qui Granatum faciunt Rubinum colore obſcuriore, expoſitus enim luci aut ſoli, carbonis imaginem oſtendit dilucidius, quam ipſemet Rubinus.*

Sunt granati alij (vel aliæ) Orientales, alij Occidentales. Orientales, ut meliores ita & pretioſiores, proinde provinciam officinalem ſolis Occidentalibus linquunt. Hi ſunt tum Hiſpanici, tum Bohemici, tum Sileſiaci. E quibus Bohemici reliquos antecellunt.

Vires. *Exiccant, corroborant, medentur cordis palpitationi, melancholiæ reſiſtunt & veneno, ſpuitionem ſanguinis ſiſtunt, Tartarum in corpore reſolvunt, collo ſuſpenſi iiſdem virtutibus vulgo celebrantur. Schroderus.*

2. *Granatus.*) A pomo granato Nomen habet, eſt gemma rubea pellucida ſimilis balauſtijs coloris roſacei, obſcurior carbunculo. Species eſt *Carbunculi* vid. *Autorum Noſtrum & Andream Baccium* de Gemmis p. m. 55. Sunt autem *Alij Orientales, Alij Occidentales.* Quamvis gemmæ Orientales ferè omnes ob tenuitatem & perſpicuitatem meliores & præſtantiores ſint Europæis, Granati tamen & in primis Bohemici multis paraſangis Orientales antecellunt, dum iſti vi fortioris ignis liqueſcunt, & inſtar vitri alicujus coagulantur, hi autem Bohemici Ignem ſuſtinent fortiſſimum, & in eo neque colorem, nec pondus mutant, nec diffluunt, ſed ſolidi ex ipſis flammis viciſſim emergunt.

Vires. Solaris naturæ ſunt, unde & nonnulli Sulphur Solare in ſe habere opinantur. Hinc ſibi perſuadent, ſi hoc Sulphur elici poſſet, quod metallorum tranſmutationem hoc medio perficere vellent; Alij volunt hoc Sulphure figere Mercurium Sed omnia vana ſunt. Cordis & cerebri affectibus medentur Granati, unde Melancholiæ adverſantur, cordis palpitationem ſedant, ſpuitionem ſanguinis ſiſtunt. Reſiſtunt etiam veneno, unde Zacutus Luſitanus ſtatuit, omnes gemmas vi pollere bezoardicâ contra peſtem, dum veniunt in plura pretioſa antidota, de quorum ſaluberrimo uſu legatur *Stephanus Caſtrenſis*

Libro de Meteor. Microcoſmic. Cap. 3. quod ipſum utut verum ſit, nihilominus tamen ſelectus eſt habendus. *Hofmannus.*

Præparata.

1. *Granatus præparat. Fit l. com.*
2. *Magiſterium.*

Igniuntur Granati & in Spir. Sal. com. aliquoties extinguuntur, donec ſolvantur. Soluti, oleo Tartari, in lactis cremorem coagulantur, atque ▽ calidâ dulcorati poſtmodum uſui adhibentur. *Schroderus.*

Magiſterium.) Hoc prout *Dominus Autor* deſcribit, admodum crudum eſt, ſolubilius & præſtantius paratur vel cum ſp. Vir. ær. vel Acet. diſt. granatis ſolutis & cum ſp. Vitrioli Præcipitatis. *Hofmannus.*

N. 1. *Fieri quoque inde poſſunt & aliæ præparatorum formulæ ad modum generaliter datum.*

N. 2. *Sulphur granatorum Bohemicorum deſcribi Agric. tom. 2. pag. 261.*

III. Hyacinthus.

Hyacinthus eſt Gemma pellucida, ex flavedine rubens, igniſque flammas imitans. Germ. *Hyacinth.* Pierre de Hyacinthe. *Jacinct* or *Hyacinth. Hyacinthus.*

Sunt alij (vel aliæ) Orientales, alij Europæi. Hi inveniuntur ad Iſeram fluvium, in confinibus Sileſiæ & Bohemiæ, ſuntque Orientalibus ignobiliores. Quoad colorem, referunt alii colorem minii nativi, aut ſanguinis admodum bilioſi: & hi ſunt præſtantiſſimi: alii rubedine Croci flaveſcunt; alii exactè oſtendunt ſuccini colorem, & hi viliores: alii albi pellucidi ſuccini colorem referunt, & hi omnium viliſſimi habentur.

Vires. *Vim habet cor corroborandi, & à peſte tuendi: Singulare quoque eſt ſpecificum contra ſpaſmum & contracturas. Amuletum quoque antipeſtiferum habetur collo appenſus, aut annulo incluſus. Quercetan. in Pharm. Reſt. cap. 26. B. de B. Schroderus.*

Hyacinthus.) Eſt gemma pellucida ex flavedine rubicunda ignis flammam æmulans. Differt ab *Amethyſto*, fulgur violaceus in Amethyſto emicans dilutus eſt in hyacintho, gratus primo aſpectu evaneſcens antequam ſaliat, marceſcens celerius nominis ſui flore. Sunt etiam *Alii Orientales*, *alii Europæi.* Mittit *Æthiopia, India, Arabia. Europæi* inveniunt ad Iſaram, fluvium, in confinibus *Sileſiæ & Bohemiæ*, ſuntque orientalibus ignobiliores. *Hofmannus.*

Præparata.

1. *Hyacinthus præparat.*
2. *Sal & Magiſterium.*

N. *Hartm. in Pract. Calcinat cum æq. parte Sulphur, vivi (mineræ adhuc conjuncti non in magdaleones redacti,) in crucibulo forti, cum operculo tecto, (non lutato) △ circulari: 1. lento. 2. fortiori, tandem 3. fortiſſimo, donec Sulphur omne exhalet, nec amplius Sulphuris odorem ſpiret. Hinc eluit optimè & denuò cum ana Sal. nit. calcinat △ circulari. donec in maſſam abeat in △ metalli inſtar rubeſcentem. Hinc injicitur in ▽m calidam, eluiturque optimè donec amplius Sal. nit. non ſapiat. Hinc pulveri affundit Acet. deſtill. terebinthinatum, ſolvitque ſ. a. donec hyacinthi ſint ſoluti relictis exiguis fæcibus in fundo. Solutionem filtratam exhalare permittit, ad ſiccitatam pulveremque optimè edulcoratum exhibet [Sal. hyacinthi] aut cum Oleo Tart. præcipitat. [Magiſterium.]*

Doſis ℈ß. *vel* ℈. *Schroderus.*

N. *Hartmannus in Practic. calcinat cum æquali parte Sulphuris vivi.*) Hoc ſal ſive Magiſterium nihil aliud, eſt, quam ſal quoddam ex acido Sulphuris Nitri & aceti concretum, in calce hyacinthi, nihil differens à Magiſteriis crudis vulgaribus beneficio ſp. Vitrioli, Nitri præparatis, & cum oleo Tartari Præcipitatis. Hoc & ſimilis farinæ aliis proceſſibus facile ſuperſedere poſſemus, ſi Nobis copia foret liquores *BIRRII & ROBERTI BOYLII* gemmas ſolventis, cujus mentionem facit *Excell. Morhofius in Epiſtol. de Metallor. tranſmutat.* p. 15. & 20. certè ampliſſimis Praxis chemiatrica muneribus ornaretur. Interim ſi loco calcinationis cum Sulphure & Nitro factæ, ſpiritus Sal. comm. compoſitus Acet. diſt. mitigatus ſumeretur, hujus compoſitio commodior foret. *Hofmannus.*

[Jaſpis, præſertim qui undique rubicundus, in hæmorrhagia multum valere putatur, appenſus, calculum frangere aſſumptus (Claudin. Empir. ration.) partum accelerare femoribus alligatus. B. de Boot.]

IV. Lapis Nephriticus.

Lapis Nephriticus eſt lapis opacus, variegatus, ex colore viridi, aliiſque permiſtus. Germ. *Grieſtein.* La pierre Nephritique. *Nephritick-Stone for the reins. Nierzuchtigh-Steen.*

Raro hic Lapis in ſe duos colores habet, ſemperque viriditatem refert; alius ſubinet viriditatem ex albedine, alius viriditatem ſubflavam, interdum ſubcœruleam; plerumque ex viridi albo, flavo, cœruleo nigroque colore mixtio eſt. Poliri exactè non poteſt. ſemper enim ipſius ſuperficies pinguis apparet, quaſi Oleo inuncta eſſet.

Adfertur ex nova Hiſpania. In nonnullis etiam Hiſpaniæ locis, & in Bohemia reperitur. Tantâ invenitur mole, ut pocula inde fieri poſſint. Quin imo fruſtum hic Francofurti conſpicere licuit, ultra libras 50. pendens.

Vires. *Commendatur adverſus nephritidis aut ſtomachi doloros, ſed ejus præcipua laus eſt ad nephriticos dolores, calculumque, & arenulas expellendas. Medetur his affectibus brachio vel coxendici alligatus, aut de collo ſuſpenſus. Cujus rei gratiâ armillas inde factas geſtare ſolent.* ⊙ ♏ *ingrediente inſculpunt ſignum* ♏.

Præpar.

1. *Magiſterium D. a. g. iv. ad* ℈j.
2. *Liquor. a. g. vj. ad xxv. Schroderus.*

4. *Lapis Nephriticus.*) Hic in novâ Hiſpaniâ vocatur *YHibayoteam*, *Quatzalizoili* id eſt obſcurus *Smaragdus* vid. *Rerum Medicarum Novæ Hiſpan. Nardi Antonii Rechi Lib.* 10. *Cap.* 7. *Igiada Hiſpani* vocant, Eſt Lapis opacus obſcuri coloris viridis. Ex dictâ Novâ Hiſpaniâ adfertur. Reperitur etiam in *Nonnullis Hiſpaniæ locis & in Bohemiâ.*

Vires. Hic Lapis admirandas vires, quas vel geſtatus tantum, vel intrà corpus exhibitus, tum in præſentaneo doloribus Nephriticis auxilio afferendo, tum in arenulis per oculos, veſicam, anum ac totius corporis habitum pellendis, potenter exſerit, habet. Hâc tamen obſervatâ ſemper cautelâ, ut priuſquam hic Lapis in uſum ducatur, alvus à ſaburrâ vitioſorum humorum ſit liberata, aliàs Lapis ille plus nocebit, quàm opem afferet excrementitiis iſtis humoribus unà ad renes deductis. Ideoque corpus prius probè evacuandum eſt ante Lapidis hujus uſum vid. *de hoc Lapide Nicol. Monard. Medic. ſimplic. ex novo orbe delat. Cap.* 31. *Johann. Franciſc. Ulmus de occult. Medicam. proprietat. Lib.* 2. *Cap.* 7. *Matth. Untzer. in Florileg. de Nephritid. Lib.* 1. *cap.* 24. N. Majoris tamen erit efficaciæ hic Lapis, ſi arte chemicâ reſolvatur & in jucundum Medicamentum transferatur. Ex illo parat Magiſterium ſuum Nephriticum *Dn. D. Johannes Michaelis* ſeq. modo.

Recip. Lapid. Nephritic. Lyncis. ſpongiæ.

Perca-

Percarum ana ℥iij. judaic. ℥ij.
Cryſtall. ocul. ♋ glaciei Mariæ ana ℥iv.
Aquilæ ℥iß. Ophitis. ℥ v.
Ovor. kitruch. ℥v.
pulv. ſubtiliſſ. & affuſo menſtruo f. ſ. a. Magiſterium. Ex hoc Lapide Nephritico etiam Liquor Nephriticus ſ. m. confici poteſt:

Recip. Lapid. Nephritic. q. v. redige in pulverem ſubtiliſſ. affunde ſpirit. Salis q. ſ. ſtent in loco calido per aliquot ☉☉, poſt per inclinationem ſepara liquorem impraegnatum particulis lapidis Nephritici, alium ſp. Salis affunde in eadem doſi, rurſus decanta poſt digeſtionem & tertia vice repete. Deſtilla ſolutionem lento igne, donec nihil phlegmatis prodeat. fracto vitro materiam induratam pone in locum humidum, ut per deliquium ſolvatur, ſolutionem tertiâ vel quarta vice deſtilla, & in loco frigido toties per deliquium ſolve. Tandem cum ſpiritu vini ſ. q. edulcora, & pro uſu ſerva. Hujus doſis eſt à gutt. vj. ad xxv. Magiſterij à gr. iv. v. ad vj. ℈j. &c. Habet ille *Lapis Nephriticus* nec minus vim laxandi alvum, commendatur etiam in capitis dolore & tumoribus pedum œdematoſis curandis. *Hofmannus.*

V. Rubinus.

Rubinus eſt Gemma diaphana rutilans, rubenſque, (exigua portiuncula eſt cœrulei coloris) ac limam reſpuens Græcè Ἄνθραξ. Arabicè Jacut. Latinè Carbunculus, κατ᾽ ἐξοχήν. Germ. *Rubin.* le Rubis. *Ruby* or *Rubin Robyn.*

N. *Rubedo ipſius eſt inſtar ſanguinis, laccæ indicæ aut coloris coccei; Kermſine.* Couleur Eſcarlatte. *Scarlet* or *crimſon colour. Scharlaeken coleur.*

Nobiliores Rubini in Inſula Zeilan naſcuntur, alij qui minores, in Goria, Calecut, Cambia, & Biſnagar. Optimi in Flumine Pegu. Exploratur bonitas ore & linguâ. Nam frigidiores & duriores, meliores reputantur. Naſcuntur in lapidea matrice roſei coloris, primumque candicant, deinde paulatim matureſcentes ruborem contrahunt. Hinc albi immaturi. Naſcuntur plerumque in eadem fodina, ubi Saphiri reperiuntur.

Vires. *Tradunt rubinum geſtatum; vel ebibitum venenis reſiſtere, ac à peſte præſervare, triſtitiam arcere, libidinem coërcere, malas cogitationes, & terrentia ſomnia avertere, animum exhilarare, corpus incolume conſervare, ac ſi homini infortunia inſtent, ea mutatione coloris in obſcuriorem ſignificare, iiſque præteritis iterum priſtinum colorem recuperare.* Schröderus.

5. *Rubinus.*) à Rubore appellatus, quia inſtar ſanguinis, laccæ indicæ aut coloris coccei ruber. Præter requiſita bonitatis à Dno Autore adducta commendatur etiam à duritie. Invictus ab igne permanet, adeò ut illorum color igne etiam augeatur, incolæ Zeilan inſulæ inde diu coqui ſinunt. De hoc ſcripſerunt Salmaſius, Angelus Sala, Schnebergerus. P. Johann. Faber. A. Baccius &c.

Vires. Rubinus geſtatus venenis reſiſtit, à peſte præſervat, Melancholiam arcet, libidinem coërcet, terrentia ſomnia avertit, ſi homini infortunia inſtent, ea mutatione coloris in obſcuriorem ſignificat, & pro majori vel minori infortunio ad majorem vel minorem opacitatem declinat. Sic refert *Andreas Baccius de Gemmis* p. 63. Cum Anno 1600. d. 5. Decembr. cum conjuge ſuâ *Calvvam Stugardiâ* proficiſceretur, obſervaſſe in itinere manifeſtiſſimè Rubinum pulcherrimum, quem annulo aureo incluſum ab eadem dono acceptum in manu gerebat, ſemel atque iterum ſplendidiſſimum colorem ferè prorſus amiſiſſe, & pro ſplendore obſcuritatem acquiſiviſſe: quæ obſcuritas non ſolùm per unum vel alterum diem, ſed aliquot dies perduravit, ut vehementer perterritus annulum ex digito removerit & in ciſtam recondiderit. Quid fit? intra paucos dies conjux ejus lethali morbo correpta diem ſuum obiit. Poſt mortem priſtinus *Rubini* ſplendor ſuâ ſponte rediit. Tradunt etiam in coitu, ſi quis eundem ſecum geſtet, mutari. Hoc ab occulto acido in effluvijs deliteſcente oriri puto, quemadmodum etiam in corallijs rubris obſervamus à pueris geſtatis decumbentibus à Morbo, ſæpè acidum ſpirantibus.

N. Quintam Eſſentiam *Rubini* habet *P. Joh. Faber lib. 3. Myroth. Spagyr.* p. 626. Sed cujus valoris ſit, ſuperius traditæ à me animadverſiones evincent. *Hofmann.*

Præpar.

Rubinus præparat. more communi.

[*in febribus utilis*]

[*Tinctura Rubini fœtum pelli Kozar. refut. Doſ.* ʒiß *vel* ℈ß. *in aq. Helen. vel Rub.*]

VI. Sapphirus.

Sapphirus eſt Gemma cæruleo colore, pellucida & diaphana, German *Sapphir*, le Sapphir. *Saphire. Saphirus* or *Sapphier.*

Sunt aliquæ colore cœruleo albidæ, aliæ cœruleo ſaturo: hæ mares, illæ fœmellæ appellantur, aliæ omni colore carent, albæque vocantur.

Orientales inveniuntur in Calecut, Cananor, Biſnagar, Zeilan, & præſtantiſſimæ in regno Pegu.

Occidentales, varijs in locis reperiuntur. Confinia Bohemiæ, & Sileſiæ ſatis præſtantes ferunt. Præſtantiores tamen ſunt Orientales.

N. *Color in igne facilè aufertur.*

Vires. *Eſt frigida & ſicca, aſtringens, conſolidans, alexipharmaca, cordialis; ophthalmica. Proinde oculorum humiditates exiccat, inflammationem arcet & extinguit (in collyrijs adhibita, aut butyro loto excepta, palpebriſque oblinita ſuperioribus,) valet ad omnia alvi profluvia, dyſenteriam, fluxum hepaticum, hæmorrhoidum, ſanguiniſque rejectiones (aſſumpta cum aq. plantag. tormentill &c.) Ulcera interna & vulnera ſanat; cor corroborat, & lætificat, peſti* [*Anthracibus impoſitus venenum à corde arcere dicitur.*] *omnique veneno, febribuſque malignis adverſatur: cardiacos ac melancholicos affectus quoſvis lenit, tollitque; (intus exhibita.) Integra Sapphirus fronti adhibita, hæmorrhagiam ſiſtit, ac inflammationibus applicata, eas extinguit. In orbiculum redacta piſi magnitudine ac perpolita oculis impoſita, pulveres, culices, & quidquid in oculum deciderit, aufert; oculos à variolis & morbillis tutatur, &c.* Schröderus.

7. *Sapphirus.*) Hebraicè, Græcè & Latinè ita nomen obtinet. Eſt gemma coloris cœrulei pellucida & diaphana. Et vel *Orientales* vel *Occidentales* ſunt. Optimæ ex *Æthiopiâ* & *Indiâ* afferuntur, quarum illæ præ cæteris commendantur, quæ apud *Medos* & loca *Libyæ* vicina reperiuntur, quæ hodie ſyrtes Barbariæ exiſtūt, omnium præſtantiſſimæ ex Pegu veniunt. *Occidentales* paſſim *Goldbergæ, Leobergæ, Boleſlaviæ, Hirsbergæ* in torrentibus & rivulis inveniuntur. Magni & pulcherrimi in prato minore Iſeræ in Sileſia, quæ expolitæ ſæpè pro *Orient.* veniunt. Præſtantiores tamen ſunt *Orient.*

Tantæ autoritatis fuit hæc gemma apud veteres, eò quod etiam apud *Deum* non minimum valere putarint; Unde & *Apollini* ſingulariter fuit conſecrata. Nam cùm Gentiles Paganicis inſtitutis deluſi *Apollinem* tempore ſacrificii pro reſponſo conſulerent, citius reſponſo ſe dignari ſibi perſuaſerunt, ſi *Sapphirum* tunc ſecum geſtarent. Tradit *Epiphanius Moyſi* in Monte à Deo leges datas in gemmâ *Sapphiro* fuiſſe expreſſas.

Vires.) Hæc, præterquam quod omnibus affectibus

ab Autore allatis inſerviat, anthraces etiam tempore Peſtis naſci vetat, & ſuper anthracem poſita, non aliter eum, quàm aqua ignem extinguit, ut ſæpius expertus fuit Nobiliſſ. *Knœffelius Regis Poloniæ archiater* in tr. de febrib. malign. curat. ex *Antonio Guaynerio Papienſi Medico.* Nam ejus malitiam & venenoſitatem reprimit, ne venenata ejus effluvia ad cor aſcendant & ſpiritus inficiant. Oculos ſi ſæpius tangat ante variolarum eruptionem ab illis præſervat; ingreditur cum aliis gemmis nobile illud Electuarium de gemmis & alia antidota cardiaca. *Hofman.*

Præpar.

1. *Sapphirus præp. fit modo comm. lævigando cum ▽ cordiali.*
2. *Sal.*
3. *Liquor ſeu oleum.*

N. 1. ℞. *Sapphirum duplo pondere Sulphuris commixtam calcina, calcem ▽â ſtillatitiâ ſæpius ablue, rurſuſque exicca. Poſtea ſpiritu Vini perfunde ac macera, tum rurſus exicca, quodque in fundo remanet, iterum calcina, deſtillaque toties, donec in Vino liqueſcat nivis inſtar, tandem abſtrahe, & provenit ſal, quod in loco humido in liquorem ſolvitur. Boet de B.*

N. 2. *Alii ſolvunt Sapphiri pollinem in Acet. deſt. R. & ſucco limonum, ſolutionemque cum alio cordiali exhibent mixtam.* Schrôderus.

Liquor ſeu oleum.) Ad hujus elaborationem calcinatio cum Sulphure facta non eſt neceſſaria, ſulphuris loco ✱ ſubſtitui poteſt, vel ſpiritu Salis comm. compoſito pulvis ſapphiri in digeſtione ſolvi, & humiditate abſtracta reſiduum in aëre humido per deliquium liqueſcere poteſt; Et à liquore demum ſpiritus vini ſæpe abſtrahendus eſt. *Hofmannus.*

Eſſentia ſeu Tinctura.

Calcinatur Sapphirus bis, ac poſtea oleo ⊕-i ſolvitur; abſtracto dein oleo ⊕-i cum 🜄 Eſſentia extrahitur B. de B.

VII. Sardius Lapis.

Sarda, Sardius Lapis eſt Gemma ſemiperſpicua, loturæ carnis, ſeu carni ſanguinolentæ ſimilis, unde & Carneolus, vel corruptè Corneolus vocatur, Germ. *Corneol.* La Carneole. *Sarda, Sardius, or Carneol of a fleshy colour. Sardius, Carneolus, van een vleeſchachtige coleur.*

Non omnes uniuſmodi inveniuntur coloris, alii enim ſunt rubri, alii exigua ſanguinis rubedine tincti, alii ſubflaveſcentes ex rubedine.

Laudatiſſimus Carneolus in Sardinia invenitur, hinc in Epyro, & Ægypto, ſed Babylonius cæteris præfertur, Indici & Arabici etiam non contemnendi, ut nec Europæi. Nam in Bohemia, Sileſia, aliiſque Regionibus præſtantes inveniuntur.

Vires. *Pulvis ad omnem ſanguinis fluxum propinatur. Geſtatus fertur animum exhilarare, timorem pellere, audaciam præſtare, faſcinationes prohibere, ac corpus contra venena quævis tueri. Inprimis autem ſanguinem undecunque fluentem peculiari proprietate ſiſtere: ventrique alligatus partum conſervare.* Schrôd.

7. *Sardius Lapis*) à Patriâ Sardiniâ denominatus, quæ inſula quædam eſt, naturâ ſuâ multa genera tincturarum & purpurarum producens, vel *SARDIUS* Plinio dicitur ſimilitudine à Sardis ſale conditis deſumpta, quarum colorem repræſentet: vel quod loturæ carnis ſimilis ſit *CARNEOLUS* appellatur. Non omnes uniuſmodi coloris inveniuntur, alii enim ſunt rubri, alii exiguâ ſanguinis rubedine tincti, alii ſubflaveſcentes ex rubedine. Laudatiſſimus circà *SARDINIAM* reperitur, ſecundum locum habet, qui circà *Epyrum*, noſtro ſeculo, *Albaniam* appellatam & *Ægyptum*. Omnibus tamen præfertur, qui in *Babylone Aſſyriorum* naſcitur.

Vires. Sanguinem undiquaque fluentem peculiari proprietate ſiſtit, vel intus propinato pulvere, vel exterius Lapide admoto, ventri deligatus partum conſervare dicitur. Geſtatus fertur lætitiam conciliare, audaciam facere, faſcinationes prohibere &c. *Hofmannus.*

Præparata.

Sardius præparat. modo communi.

VIII. Smaragdus.

Smaragdus eſt Gemma pellucida & diaphana, grato ſuo virore pulcherrima, omnium gemmarum fragilliſſima, *Arabicè* Zamarrut, nonnullis Praſinus, Germ. *Smaragd.* Emeraude. *Smaragdus or Emerauld. Smaragdus of Smaragd.*

Sunt alii Orientales, alii Occidentales.

Orientales, uti ſunt virore amœniſſimi, ita & præſtantiſſimi.

Occidentales ſunt, tum Peruviani, tùm Europæi. Hi reperiuntur in Cypro, Britannia, aliiſque in locis, ſed reliquis ſunt ignobiliores.

Vires. *Omnem alvi ſanguiniſque fluxum, & præcipuè dyſenteriam ebibitus ſiſtit, nec refert utrum à mordaci humore, an à veneno ortum ea habuerit: venenatis item morſibus, peſti, febribus peſtilentibus medetur.*

Doſis gran. 6. 8. 10.

Inter amuleta præcipuè commendatur ad Epilepſiam, partum accelerat, (alligatus coxæ) eundem retinet, (impoſitus ventri) Hæmorrhagiam ſiſtit, (ore conditus) dyſenterias omnes, ac hæmorrhoidum fluxum indubitatò compeſcit, (ventri adhibitus; teſte Guainerio.) Timores ac Terriculamenta arcere fugareque, ac hamitritæam febrem tollere creditur, è collo pendulus, &c.

N. *Frangi Smar. in coitu quandoque experimento comprehenſum dicunt. Card.* Schrôderus.

8. *Smaragdus.*) A ſplendendo nominatur, nam nihil jucundius viridi colore ſplendet, cujus coloris elegantiſſimi hæc gemma palmam obtinet, eſt enim gemma pellucida & diaphana, grato ſuo virore pulcherrima, ut oculos intuentium perſtringat, & ubi reliquæ gemmæ jubare Solis aureo fulgente pallidulæ fiunt, & in tenebris conſtitutæ nubiloſæ redduntur, incomparabilis *Smaragdus* coruſcans, aërem vicinum & circumfuſum ſplendore ſuo perſtringit, ut nec flamma nec umbra quicquam immutare poſſint.

Trium ſunt generum Smaragdi, quidam in *Scythia, Ægypto*, & aliis locis reperiuntur. *Orientales* tamen ſunt præſtantiſſimi, uberrimâ oculos viriditate ſaturantes, à Mercatoribus avidè expetuntur, ut facilè non proſtent venales plebeculæ. *Paliacatta & Biſnagar* viridi adulterant vitro. Nonnullos *Peru* miniſtrat, ſed non ita viriditate ſuperbientes, duriores tamen Orientalibus. Unde non deſunt, qui ſtatuunt, *Lapides hos de Peru*, *Smaragdos* veros non eſſe, ſed lapidis *Praſii* fragmenta, qui in illa inſula copioſus eſt. Tertium genus *Mexica* ſuppeditat minoris pretii, duriores tamen adhuc Peruvianis & ſplendidiores, toto cœlo tamen differunt à reliquis.

Vires. Specificum eſt contrà dyſenteriam à quacunque cauſa fuerit. Medetur etiam convulſionibus epilepticis, tam intus quàm extus loco amuleti geſtatus in annulo. Morſibus venenatis, peſti & febribus malignis reſiſtit. Alligatus coxæ partum accelerat, ventri impoſitus eundem retinet. Hæmorrhoidum fluxum ſedat umbilico impoſitus. Smaragdo Motus obſcæ-

obſcænæ libidinis valde eſt moleſtus, ſive enim mas, inquit *G. Agricola Libr. 6. de Naturâ foſſil.* fol. 289. ſive fœmina, dum commiſcent corpora, eum geſtet, ut cutem attingat, vel à collo pendulus vel annulo geſtatus diſrumpitur. vid. & *Card. de ſubtilitat.* Hofmannus.

Præparata.

1. *Smaragdus præparat.*
2. *Sal. & Tinctura Smaragdi.*

Smaragdus pulveriſatur, ac per linteum trajicitur, hinc ſuperfunditur Spirit. Urinæ, qui aliquid phlegmatis adjunctum habet, ut colorem extrahat; ſpiritu dein iterum deſtillatione abſtracto, in fundo remanet Extractum (ſal) gryſeum, è quo tandem (citra edulcorationem) vi V extrahitur color ſeu Tinctura ſummè viridis: abſtrahe igitur ad aliqualem conſiſtentiam & ſerva.

Doſis gran. 10.

B. de B. Hartm. in Practic. de Dyſent. Tentzel. in Exegeſi ſua, Finck. in Enchirid.

Vires. *Dyſenteriæ & fluxibus alvi quibuſcunque mirificè prodeſt, nec minus utilis eſt in cordis & capitis affectibus Palpitatione, Melancholia, Paraphrenitide, Syncope, &c.*

N. 1. *Urina quicquid poteſt vi ſui ſalis facit: hinc non errabis, ſi ▽ ſtillatitiam convenientem Sal. comi urinæ acuatam loco menſtrui adhibueris. Imprimis quoque, quia Urina ſimpliciter deſtillata, niſi ſale ſuo acuata ſit, laborem irritum facile reddere poteſt.*

N. 2. *Tinctura hæc nihil aliud eſſe videtur, quam Elixyr, conſtans partim ex Smaragdi ſubſtantia, partim quoque ex ſale Urinæ, dictæ ſubſtantiæ, commixto. Schroderus.*

Tinctura Smaragdi) Quæritur, An Tinctura h. m. præparari poſſit? *Angelus Sala* negativam defendit in aphor. Tincturam h. m. ex gemmis extrahi poſſe; Huic Laurenbergius contradicit. Et ſanè ſi dicamus, quod res eſt, juxtà præſcriptum modum *Autoris* ſi elaboremus non procedet, experientia edocti chemica, dum ſpiritus urinæ neutiquam ſolvit repagula *Smaragdi*, in quibus Tinctura ejus abſcondita. Quod ſi poſſibile eſſet, ut Smaragdus prius beneficio trituræ in ſubtiliſſimum alkohol redigi poſſet, & demum ex hoc cum ſpiritu urinæ ſale ejus volatili acuato Tinctura extrahi, haberemus nobiliſſimum Med.camentum tam in Peſte, quàm Dyſentia epidemicâ. *Hofmannus,*

De Corallis.

Lapidibus pretioſis ſubjungimus Corallia & Margaritas, utpote quæ non modo ſubſtantia & viribus, ſed & præparationibus, & inde reſultantibus præparatis, Gemmis adſimilantur.

Corallium eſt frutex ſub aqua marina generatus, Græcè κοράλλιον & λιθόδενδρον. Arabicè, Baſſad. Mergen ſeu Morgian, Beſd. Latinè, Corallium, Coralium, Corallum; German. *Corallen.* Coreaux. *Coral. Corael.*

N. *Corallia generari ex ſucco lapideſcente certum eſt: utrum autem ſuccus ille per ſe in fruticem lapideum prorumpat, vel an prius ligneam ſuſcipiat figuram ſubindeque in lapideam vertat, vel denique an plantam (emortuam) ſub marina aqua repertam, penetret, transmutet, adeoque hujus figuram retineat, dubium. Dubitandi occaſionem præbet, quod frutices Coralliorum dentur, qui ex parte ligni adhuc referunt ſubſtantiam, partim Coralliorum. Nos, poſthabitis ejuſce farinæ dubitationibus, qualis præter hanc, & illa eſt, quam habent de fructibus Coralliorum granulatis, quod alii negant, alii perhibent: Item de induratione, quam alij fieri ſtatuunt, ſimul ac Coralli frutex extra aquas eſſe incipit, alij etiam in ipſa ▽ Corallia indurari volunt: utpote quas ſcire parum eſt emolumenti, ignorare parum detrimenti, pergimus ad ea, quorum Medici intereſt, differentias ſcilicet, vires & præparationes. Schroderus.*

Corallia Nos dicimus lapideam ſeu ſaxeam in fruticis ſpeciem concretionem, non caſu, ſed Naturæ ordinatione ſub aqua marina generatam ex ſucco lapideſcibili (ſive tincturæ ſive menſtrui rationem habeat) ſemine petroſo ſpecifico impregnato. Remota Materia aqua eſt, quæ ſeminis petroſi fluxu maturato coralliorum corpus conſtituentis figura, & motu apta reddita fuit, ut ſtabile inde & ſolidum corpus illorum prodeat. *Alexander Achilles in Libro Germanico de cauſis terræ Motus & Mineralium, Coralliorum* productionem exhalationibus *Auri*; *Margaritarum* verò *Argenti* vaporibus, qui è terris ſubjectis iſtarum minerarum feracibus evehuntur, adſcribit. In cujus rei fidem experimentum affert de virgula venarum argentiferarum indice, quæ ad uniones vel oſtrea æquè ut argentum ſe inclinaverit. Hæc utut ſe habeant, certè magna affinitas ratione virtutis cardiacæ. Auro cum corallis, & reſpectu cerebri Margaritis cum argento eſt.

De induratione, quam alii fieri ſtatuunt, ſimul ac corallii frutex extra aquas eſſe incipit, alij etiam in ipſa aqua corallia indurari volunt.) Corallia ſaxei ſunt frutices, habentes, ut & aliæ gemmæ, vim vegetativam, eò quòd creſcant, unde ego vidi apud *Nobil. Rolfinckium* p.m. inſtar arbuſculæ. Interea recepta eſt inter Naturæ curioſos traditio, *Corallia* naſci mollia in fundo maris, aſt cum in aërem liberum fuerint producta, licet magnitudinem & figuram ſuam retineant, in lapideam concretionem indureſcere. Unde *Ovidius 4. Metamorph.* pulcherrimam de Meduſæo capite fabulam affert, ſcilicet, cum Perſeus caput Meduſæ abſciſſum in arenam ſubſtratis folijs & virgis ad littus poneret, virgæ induruere tactu capitis. Quod fieri cum Nymphæ pelagi viderent, & pluribus in virgis contingere viderunt, ſparſerunt illas virgas hinc inde per mare, quæ ſemina quaſi manſere coralliorum, id quod ſcitè his verſibus expoſuit:

Nunc quoque Coraliis eadem Naturâ remanſit,
Duritiem tacto capiant ut ab aëre, quodque
Vimen in æquore erat, fiat ſuper æquora ſaxum,
Idem Libr. 15.
Sic & Coralium quò primum contigit auras
Tempore dureſcit, mollis fuit herba ſub undis.

Sitne hæc traditio vera an ſecus, quæritur? *Corallia* ſub aquis mollia non eſſe, experimentis probare conatur ultima Tirocinij chemici editio à *Pelshovverò* procurata *Witteberga* Anno 1650. Sic enim *Libr. 2. Cap. 10. p. 153.* differit *Generoſus Dominus Johannes Baptiſta de Nicolao, Eques Maſſilienſis*, & regius piſcationis Corallorum in Regno Tunetano præfectus, certò mihi confirmavit, quod cum Anno 1585. menſe Julio in mari Bizertino regni illius Tunetani piſcationem inſtituiſſet, cupiditate Naturæ corallorum inveſtigandæ adductus, juvenem funibus ſufficienter longis alligatum & pondere viginti quinque librarum in utraque manu ad deſcenſum liberiorem, in mare iſtud centum perticas profundum demiſerit, ipſique in mandatis dederit, Corallium ut evelleret, & inter evellendum curioſè attenteque obſervaret, an molle, durumve eſſet. Qui, ubi rurſus adſcendiſſet, utraque manu Corallum attulerit, conſtanterque aſſeruerit, illud non minus in ſub mari, quàm ſupra illud durum eſſe, & ſe cum ad octo perticas aut circiter propè fundum maris appuliſſet, magnam ibi frigoris vim ſenſiſſe. Imò quod ipſemet etiam cùm relationi ejus fidem adeò non haberet, in mare cum retia, quibus corallia piſcari ſolent, contrahenda eſſent, antequam in ipſum aërem efferentur, ad pro-

profunditatem unius perticæ ſe immerſerit, & corallium reti adhærens manu prehenderit; idque tum æquè durum ac cùm aëri externo eſſet expoſitum obſervaſſe. Idem etiam confirmavit *Ong de la Poitier, Nobilis Lugdunenſis*, qui Anno 1613. ab ejuſmodi piſcatione reverſus eſt. Retulit quoque *Dominus de Nicolai*, quod vere, quando corallium evellitur, liquor quidam lacteus ex eo inter frangendum emanet, qui decidens ſuper lapidem, lignum, ferrum aut aliam materiam corallii duritiem induit. Contrà *Nobiliſſ. Robertus à Boile* in tr. de fluiditate & firmitate ſect. 65. part. 2. quicquid, inquit, nonnulli dicant ad fidem traditioni derogandam, (quin imo quàm fidenter etiam *Beguinus* eam rejecerit, negandum non eſt interdum ſalem id verum eſſe. Eruditus, pergit, *Gaſſendus* in vitâ *Piereſckij* Libr. 4. Anno 1614. verba faciens de curioſitate, quâ vir ille incomparabilis ductus fuerat piſcandi Corallium propè Tolonem, Nobilem non procul à Maſſiliâ portum, inter alia hoc refert; Plantæ revulſæ & protractæ nec rubræ erant, nec elegantes, niſi deglubito cortice; in quibuſdam partibus molles erant & manui cedebant, uti ſummitatem verſus, quâ fractâ & preſsâ Lac, ſimile lacti ficuum, emittebant. Cui adſertioni adſtipulatur Jeſuita *Fournierus Gallicus hydrographus* ſcribens de Maſſiliâ & Tolone, dum inquit: Has plantas nec rubere nec politas eſſe, quando ex aquâ extrahuntur, donec cortex excutiatur; quinimo molles eſſe, & fractas, vel etiam intra digitos preſſas lac quoddam ficuum lac referens emittere, & ſi premere deſinas, videre licet foraminula ſeu poros, ubi lac expreſſum hoſpitabatur. Et huic etiam ſubſcribit Medicus quidam Practicus in Indiâ Orientali, qui in reditu ſuo per aliquod tempus in Mohila, Inſula prope Madagaſcar ſubſtitit, ubi corallium album copioſè naſci fertur: à *Roberto à Boyle* rogatus, ullumne legiſſet, & num molle, cùm creſceret, deprehendiſſet? Ipſi reſpondit, ſe nuperis annis in illius Inſulæ arena aliquoties corallium legiſſe, & quando legeret, valde album reperiſſe ac cæpæ ad inſtar molle, adjiciens, quod licet brevi temporis ſpatio in aëre dureſceret, attamen probè notum ſit nautis hanc mercaturam exercentibus, niſi tempeſtive legatur, non diu durare, ſed vel dilabi, vel aliâ ratione diminui. Id quod non diſconvenit cum *Piſone* in *Naturali ſuâ hiſtoriâ Braſiliæ Libr. 4. cap. 68.* de quibuſdam locis oræ Braſilianæ verba faciente, ubi plures plantas lapideas alias arbuſculis ſimiles, alias aliter formatas, ſereno cœlo in fundo maris naſcentes videri dicit, quod è fundo erutæ mox duriſſimæ, ſi inſolentur in littore, ſiccæ & nivei coloris fiant. Sed hîc objiciunt nonnulli, ſi corallia ſub aquis mollia exiſterent, quâ ratione rapido maris motui reſiſtere poſſent? vel piſcium tranſeuntium impetum ſuſtinere? Et ſi in aquis omninò eſſent mollia, unde poſt eorum extractionem durities? Verùm, ut ex hac ambigua diſceptatione me expediam, hæc diſtinctio mihi non adeo abſona videtur, qua diſtinguitur in corallorum germinationem, & perfectam illorum formationem. Qui corallia ſub aquis mollia offenderunt, illi inciderunt tunc in illorum germinationem, qui autem piſcatorum retia ab eorum duris ſurculis dilacerarunt, perfectè jam formatis implicuerunt corallis. Nec obſtat corallis mollibus ſub aquis germinantibus rapidus maris motus; Nam quamvis ventorum truculentia in ſuperioribus aquæ partibus libidini eorum expoſitis vaſtos ciere fluctus poſſit, vehemens tamen illa agitatio in partibus profundioribus, quæ à vertice ſunt remotiores, per gradus diminuitur. vid. *Nobiliſſ. Robert. à Boyle in Relation. de Fundo Maris ſect. 3.* Durities autem poſt eorum extractionem oritur ab ambientis aëris ſale æthereo, ſive centrali, quod ſucci illius lapidifico ſpiritu turgidi mollitiem in perfectum ſaxum convertere aptum natum eſt; quod corallia in aquis tandem etiam perfectam formationem adepta planè lapideſcant, nullum eſt dubium, invaleſcente ſpiritu lapidifico & indurante eadem, ut perfectiſſimam ſuam acquirant ſubſtantiam. Habemus ſimilia Naturæ exempla, quæ allatam ſententiam de Corallorum in mari mollitie & illorum in aëre duritie confirmant. Sic ſuccinum interdum molle ex mari extrahitur & in aëre induratur. *Gaſſendus de Piereskio* refert, ipſum tempore æſtivo lavare ſe ſolitum in quodam ex minoribus Rhodani rivulis, ſequentem hanc obſervationem feciſſe. Deprehendit aliquando fundum, quod aliàs æquabile & molliuſculum obſervarat, induruiſſe in globulos & moleculas, qualia ova ſunt cortice detracto, ubi coctiora fuerint, id demiratus collegit & detulit aliquot domum, ut Præceptori oſtenderet, & facti cauſam ſciſcitaretur. Miraculum verò adauctum, ubi poſt dies non ita multos, cùm rediiſſet ad fluvium, deprehendit moleculas induruiſſe in fluviatiles lapides. Præterea meminit etiam *Boylus l. c. ſect. 78. p. 2.* argillæ cujuſdam viridis quæ reperiatur propè flumen Amazonum, atteſtante *Petro Pelleprat* in ſuccincta ſua de continenti Americana Relatione, & mollis ſit, quamdiu ſub aqua deliteſcit, ut quaſvis ei effigies imprimere poſſis, ſed aëri expoſita eò uſque dureſcat, ut adamantes duritie excedat, & ſecures ad ligna findenda inde parari queant. *Hofmannus.*

Differentia.

Corallij variæ ſunt ratione colorum differentiæ; aliud enim rubrum eſt, aliud nigrum, viride, ſubflavum, cinereum, fuſcum, aliove mixto colore ornatum. Cæteris omnibus præfertur rubrum minij nativi colore, quod maſculi nomen obtinet; & hoc recipiendum quoties ſimpliciter corallium præſcribitur ſine coloris mentione. Palleſcens fœminæ nomen habet. Huic ſuccedit corallium album: deinde nigrum, (Antipathes olim dictum.) Nam quod alio colore eſt, neque in uſum adhibetur, neque pro corallio, vulgo habetur.

Rubrum, in India & Siene, teſte Plinio, reperitur, nunc in Mari Tyrrheno & Siculo paſſim invenitur, Neapolimque adfertur, ubi politur. Hoc antequam rubeſcat, & quodammodo maturum fiat, videtur varijs coloribus tingi. Nigrum reperitur in Gallicia Hiſpaniæ. Album reperitur rarò, ſolidumque eſt, & cavitatibus caret, quibus ſignis diſtinguitur à ſpecie quadam, Hiſpanis Polo dicta, quæ in Catalonia ab ijs qui corallium rubrum quærunt, inventa pro corallio albo pretio viliori divenditur. Caret hoc cortice, creſcitq; in fundo maris, non in ſaxis, ut rubrum coralliũ.

Vires. *Corallium omne exiccat, refrigerat, adſtringit. Cor præcipue, deinde ventriculum & jecur roborat, ſanguinem purificat, ac proinde peſti, venenis, febribuſque malignis adverſatur, hilarem hominem efficit, (nigrum tamen Corallium homines melancholicos reddere perhibetur,) ſiſtit fluxus quoſcunque alvi, uteri, penis, Gonorrhœam, Epilepſiam infantum præcavet, (ſi recens nato ante omnem cibum in lacte materno gran. 10. exhibeantur.) Extrinſecus commendatur ad ulcera, quæ carne explet; ad cicatrices, quas extenuat; ad oculos quorum etiam lachrymas ſiſtit viſumque recreat in collyriis.*

Doſis à ℈j. *ad* ʒj.

Rutilantia Corallia ex communicatione Paracelſi amuletum exhibent celebre contra terriculamenta, faſcinationes, incantationes, venena. Epilepſiam, Melancholiam, Dæmonum inſultus, fulmina. Album appenſum, ut pectus contingat, hæmorrhagiam ſiſtit mulierum, & fluxum album.

Corallii

Corallii variæ ſunt ratione colorum differentiæ; aliud enim rubrum eſt, aliud nigrum, viridè, ſubflaveſcerũ, cinerum, fuſcum, aliove mixto colore ornatum. Cæteris omnibus præfertur rubrum &c.) Quod rutilante cinnabaris nativæ colore ſeſe commendat ; & maſculi nomine venit. Palleſcens fœminæ nomen habet. Rubrum jam in mari Tyrrheno & Siculo paſſim reperitur, & Neapolim adfertur, ubi politur. Coloris rubri incunabula in coralliis prædominantis communiter ex Sulphure Autores deducunt, tanquam fonte omnium realium colorum. vid. *Kircher. in Mund. ſubterran. Libr. 9. ſ. 3. Cap. 6. P. Faber. in Panchym. Libr. 4. c. 25.* Verùm in examinandâ hac ſententiâ tempus non perdens paucis me expediam; reales & permanentes colores ex corporibus metallicis v. g. ☿rio, ♂te, ♄no &c. extrahi, abſque vel Mercurii, ſalis vel Sulphuris additione vel ſubtractione, & ex diverſis corporibus; quæ ſingula ſeorſim coloris ſunt expertia; momento temporis colorem valdè ſaturatum generari; imò unum ſæpè colorem in alium tranſmutari; ut cauſam habeam ſufficientem ſtatuere, colores non niſi vel ex naturali vel merè mechanicâ texturæ in minoris corporum partibus mutatione; vel à textura ex coitione diverſi generis corpuſculorum emergente dependere, adeò ut veri colores planè de novo generari poſſint; & planè aboleri, vid. *Carteſium in Dioptr. c. 1. §. 8. Deuſing. in examin. pulver. ſympathetic.* p. 263. *& in theatr. Natur. Univerſ.* part. 1. Diſp. 3. q. 1. *Digbæum de Corpor. Nat.* Cap. 11. p. 349. *Robert. à Boyle in chymiſt. ſcept c.* part. 5. p. 213. & *in tr. de coloribus.* Jam quod colorem Corallor. concernit, itidem non à ſulphure, cujus ne gry. quidem ineſt, nec per mechanicam ejus ſeparatio à Corallis demonſtrari poteſt, deducimus, ſed ex nudâ naturali texturâ diverſarum partium figuræ & illarum coalitione. Quæ textura coralliorum rubrorum ſæpè ab atomis & effluviis ex corpore geſtantium cachecticorum vel cacochymicorum emanantibus & in porulos eorum penetrantibus invertitur, ut pallore inficiantur, contrà verò effluvia ex ſanguine hominis ſani exſpirantia rutilantem illorum colorem potius conſervant & adaugent.

Non in Saxis, ut rubrum corallium.) Non determinatum habent locum, neque rupibus nec ſaxis & petris determinatè adhærent; ſed adnaſcuntur etiam lateribus, oſſibus, tabulis ligneis, ferramentis; quæ cum Corallis ſæpè extrahuntur, imò & ex duro delphini corio Corallia propullularunt. Sic Piſis *Dux Hetruriæ* in ſuo Rarithecio Cranium habet humanum; ex quo corallina planta excreviſſe ſpectatur.

Vires.) Omnis illorum virtus dependet ab occulto alcaliſato, quo acidum præternaturale in maſsâ ſanguineâ præcipitant; nec dubium, quin ſingulari etiam proprietate ſpirituum vitalium ſubſtantiam confortent, illorumque tenorem conſervent. *Hofmannus.*

PRÆPARAT.

Operationes, quibus Corallia elaborantur, ſunt 1. *Præparatio.* 2. *Calcinatio.* 3. *Solutio.* 4. *Coagulatio.* 5. *Liquatio.* 6. *Sublimatio. Schroderus.*

Præparationes. Operationes, quibus Corallia ſubjciuntur ſunt 1. *Præparatio,* 2. *Calcinatio.* 3. *Solutio.* 4. *Coagulatio.* 5. *Liquatio.* 6. *Sublimatio.*) Omnes dictæ operationes prout *Dominus Autor* proponit exceptâ præparatione, quæ fit per tritum ſeu pulveriſationem, potius deſtructiones, quàm veræ & genuinæ Corallorum præparationes ſunt, dum hiſce Corallia ſuis genuinis privantur proprietatibus & poteſtatibus, contrà verò adulterinis imprægnantur & inficiuntur. Prout ex ſequentibus patebit. *Hofmannus.*

I. Præparatio.

Præparatio nihil à regula communi diverſum habet.

II. Calcinatio.

Calcinatio Coralliorum eſt vel Ignitionis vel corroſionis.

Calcinatio Ignitionis eſt tum mitior, tum violentior, tum reſtinctoria.

Calcinatio mitior.

Fit igne reverberii, dando tamen calorem ſecundi gradus, ne tinctura ſeu color ipſorum ignis violentiâ exhalet. *Querc. de præparat. Medic. Spagyric.*

Ignitio violentior.

℞. Corall. integror. q. v. calcina △ reverberii primùm lento, ut ſaltem viva flamma corallia in furno reverberii poſita ſuperficietenus lambat. Corallia hoc modo, primo gradu albeſcentia, tamdiu △ gradatim aucto fatiganda ſunt, donec ex albedine in flavedinem, ex flavedine in rubedinem ſummam reducantur; corpore toto reddito ſpongioſo ac levi; id quod plerumque biduo vel triduo abſolvitur.

Sic Corallia facta ſunt habilia ad deponendam in 🜄 tincturam. *Hartm. in Croll. Sen. inſt.*

N. *Si Sal. Coralliorum propriè ſic dictum deſideras, vehementi uſtione eadem in cinerem redige moreque ſolito lixivium inde faciendo, ſalem elixiviando extrahe. Schroderus.*

Si ſal Corallorum propriè ſic dictum deſideras) Corallia in cinerem velle redigere, eſt Lapidem exſlare; in calcem quidem redigi, ſed non in cinerem abire poſſunt; Et ſi Sal quoddam poſt calcinationem ex illis acquiris, illud tamen nec materialiter, nec formaliter in illis fuit, ſed flammæ productum eſt ex ſpiritu acido ex lignis aut carbonibus combuſtis exæſtuante, cujus ſucceſſivus motus à novis accenſis lignis aut adjectis carbonibus ſubinde ſuppeditatur, ſuam habens originem, ille dum corallia invadit (nam imbibunt acida) augetur illorum pondus; quâ ratione etiam notum eſt ♄ turnum in teſtâ probatoriâ acceptiſſe incrementum, Quid Marti Vulcani torturæ expoſito largitur Crocum? Unde colores in flammâ Ignis cærulei variegati iridem æmulantes in ♎tione ☿rij cum Salibus, deſtillatione ſpiritus Vitrioli, Nitri & Sal. comm. &c. ſi fortè vas ſublimatorium vel retorta rimas contraxerit? *Hofmannus.*

Calcinatio Ignitionis extinctoria.

℞. Corall. groſsè trit. candeſcant in igne, extinguanturque multoties in Acet. deſtill. ut ſolvantur. Filtra dein abſtraheque Acet. deſtill. & conſequetur ſal. corallorum per deliq. reſolubile. *Med. deſtill. part. 1.*

Calcinatio Corroſionis. 1. Cum Sal. nit.

℞. Corall. tritor. atque Sal. nit. ana crema, ut duodecim horis fuſa, liquoris modo fluant: vel comburc ad conſumptionem Sal nitri, deinde duas horas candentia in igne conſiſtant. *Leſſ. 1. cap. 8.*

Aliter.

℞. Corall. ſubtiliter trit. ac Sal. nit. ana M. injice per vices in retortam tubulatam candefactam cum Excipulo appoſito. Tubulum ab injectione ſtatim obtura, & cùm penitus materia injecta fuerit, continuo igne hor. 18. corallia probè calcin.

Hæc adſcribitur Hartmanno, unde Tincturam feciſſe dicitur.

2. Cum Sulphure.

℞. *Corall. trit. p. iij. Sulphur. p. 1. (alii an) calcina △ circulari per hor. 2. Poſtea ignita adhuc infunde in Acet. deſtil (ad corall. ℥j. Acet. deſtil. ℔1.) vas mox operculo claudendo. Hinc digere per ♂ 14. abſtrahe, &c.* Sennert. Inſtit.

3. Cum Pumice.

℞. *Corallia groſsè contuſa F. cum pumice uſto S.S.S. cementaque in vaſe clauſo. △ reverberii, ſpatio ♂℘ 3. Quo opere finito pumex, relicto corpore albo, coralliorum tincturam imbibiſſe creditur.* Gans. de Corall. verum impugnat idipſum Tenzel. in exegeſi, p. m. 512. Schrôderus.

Calcinatio ignitionis extinctoriæ. Calcinatio Corroſionis 1. cum Nitr. 2. cum Sulphure. 3. cum Pumice.) Ex eodem cenſu & hæc ſunt, qualia antecedentia fuerunt, ex his enim æquè non Corallorum, ſed Acet. diſt. Nitr. Sulphuris &c. Salia emergunt. Corallia tanquam ſolutu facillima facilè à quovis acido ſolvuntur ſpiritu, & in ſoluta corallia, ſi aquâ affuſâ diluuntur, convertuntur. *Hofmannus.*

III. Solutio.

Liquores, quorum beneficio corallia ſolvi poſſunt, varij occurrunt. Præcipui tamen ſunt Acet. deſtill. commune & radicatum: ſuccus berber. melon. citri. ros majalis, (ſpiritus ejuſdem cum ſuo Sal. com. acuatus) liquor betulæ: ſpiritus mellis, (panis,) terebinthinæ, ligni guajaci, buxi, juniperi, quercus, ſummitatum alni, ſorbi ſylveſtris, ſpir. Sal. com. ſpir. ⊖, ſpir. Tart. ut & 🜈 iidem acuatus, ſpir. corallior. ardens; Phlegma ħj optimum, &c.

Quinimo corallia cum Sulphure calcinata ſimplex ſolvit ▽.

Modus ſolvendi nihil peculiare habet: Nimirum coralli in liquoris ſ. q. ſolvuntur, ſ. a. donec penitus ferè ſoluta ſint. *Schrôderus.*

3. *Solutio.*) Allegati liquores omnes ad Corallorum potius tendunt deſtructionem, quàm legitimam illorum præparationem Acet. diſt. ſuccus berberum Citri. ſp. roris majalis, liquor betulæ, ſp. mellis, terebinthinæ, ligni buxi, guajaci, quercus ſp. Sal. comm. Nitr. Vitrioli &c. Corallorum repagula non ſolvunt, ſed arrodunt ſaltem. Verum autem ac genuinum ſolvens vide infrà. *Hofmannus.*

Purificatio & Edulcoratio ſalis & Magiſterii fit plerumque ▽ deſtill. vel ſi placet, adhibere poteris rorem majalem è tritico collectum & deſtillatum, aut aquam aliquam cordialem: *coagulantur* dein vel liquoris abſtractione, (tùm deſtillatoriâ, tùm Evaporatoriâ) vel præcipitatione.

Præcipitatio perficitur inſtillatione Ol. Tart. p. d. ſpir. ⊖i, vel ▽ deſtillatæ, vel Ol. Sulphur. p. c.

Reliquæ operationes ex ſequentibus facilè innoteſcent.

Præparat.

I. *Corallia præparata.*

Fiunt cum ▽ cordiali (roſarum) ſ. a.

N. *In uſu ſunt præparata rubra ac alba.*

II. *Pulvis Corallorum ⊖latus.*

℞. *Corall. rubr. præp. ℥ij. Ponantur in cucurb. affundendo aq. roſ. ℥vi. ⌒⊖li ℥ij. Statim ebullient & elevabuntur in bullas, quibus ceſſantibus reponatur vas in MB. per horas aliquot, effundatur aq. per inclinationem, quæ erit inſipida, in fundo reperies calcem albam cum acore aſtrictorio, ſed acrimoniâ carentem.*

III. Sal Corallorum.

Fit ex rubr. corall. 1. Uſitatiùs per Acet. deſtill. ut moris: vide ſupra.

2. Per ſuccum berber. & limon. *Quercetan. in Pharmacop. reſt.*

N. *Nonnulli ℞. Succi limonum expreſſi & depurati ℔j. liquoris betulæ menſe Aprili collecti ℔viij. coquunt ad caſum ℔vij. cui denuò addendo ſucci Limon. ℔1. deſtillant aliquoties rectificando. In hoc ſolvunt corallia, perlas, & ſimil. ſolutionemque propinant. Hartman. in Croll de perlis.*

3. Per ſpiritum ſeu liquorem acidum Guajaci. Sic purgat optimè ſanguinem in lue venerea. *Hartman. in Pract.*

4. Per ſpiritum ⊖i.

5. Per ſpiritum Sal. communis.

N. 1. *Solutiones cum ſpir. ⊖i aut Sal. communis factas ſi citra menſtrui ſeparationem in uſum vocare volueris, circula aliquandiu & magnam acrimoniæ partem amittent, præcipue ſi quoque 🜈m affuderis.*

Vires. *Ex ſuperioribus repete.*

Doſis à gran. 6. ad 20.

N. 2. *Paracelſus calcinat primo corallia leviter in reverberio cum Sal. nit. ana: hinc ſolvit digerendo cum 🜈. Poſtea 🜈 abſtrahit, ſalque relictum per deliquium ſolvit, idque vocat Magiſterium. libr. 6. archid.*

IV. Sal dulce Corallorum.

Calcinentur per biduum in furno figuli ad albedinem ſummam, ſolvantur in Acet. deſtill. Stent in loco tepido per octiduum. Rubeſcet ſolutio, menſtruum abſtrahe lento △ ad ſiccitatem uſque: ſal hoc reſolve pluries in Rore majali, filtra & coagula, tandem ſiccatiſſimum & albiſſimum ſalem detine per 3. ſeptim. in Ciner. calidis, ut majorem acredinis ſuæ partem deponat.

N. *Acet. deſtill. pro hac ſolutione bis aut ter cohobandum eſt ſuper herbam Kali, ita minus fit mordax & tamen non minus corallorum, ut & perlarum ſolutivum.* Schroderus.

Præparata. 2. Pulvis Corallorum Vitriolatus. 3. Sal Corallorum. 4. Sal dulce Corallorum) Hæc in ſalium illegitimorum ſunt numero, quæ cum ſpiritibus acidis corroſivis Acet. diſt. Vitrioli, Salis, Nitri &c. præparata ſunt, & quamvis ex corallis extrahantur iſta ſalia, illa ipſa tamen corallorum non ſunt, ſed ſolutiones ſalinæ corporis totius corallorum à ſpiritibus acidis inductæ. *Hofmannus.*

V. Magiſterium.

1. *Magiſterium Officinarum.*

Inſtilletur in ſolutionem corall. (cum Acet. deſtill. factam) Ol. Tart. per d. præcipitatus pulvis, edulcoretur ▽â deſtillatâ.

N. *Alii præcipitant cum ſpir. ⊖i.*

Vires. *Ut Magiſterium à ſale non differt ſubſtantiâ: ita nec viribus, nec doſi.* Schrôderus.

5. *Magiſterium.)* Et 1. Officinarum hoc admodum crudum eſt, ac minus reſolubile, non diſtans à terrâ mortuâ Optima præparantur Magiſteria cum ſp. Vir. ær. ſucco Citri, Acet. diſt. &c. Reſolubilia enim ſunt, & ob tenuitatem partium in omni liquore ſolubilia. *Hofmannus.*

2. *Magiſterium butyraceum.*

Solve corallia in ſpiritu magico, (id eſt, ſpiritu roris majalis, vel quod idem, in Acet. deſtil.) præcipita cum Ol. Sulphur. per C. præcipitatum edulcora ac digere aliquamdiu cum 🜈i, quo iterum abſtracto habes magiſterium in ore inſtar butyri liqueſcens.

Huc

Huc referri poteſt & Galreda Coralliorum. ♃. Corall. præparat. & ✻ Fiat deſtillatio ex Arena, ſic aſcendit Sal; remanebitque in fundo maſſa inſtar Galredæ.

3. *Magiſterium plumaceum.*

Solve ſ. a. corall. in ſpiritu non dephegmato, deſtillato ex Sal. com. & O. ana ℔j. formatis ſc. cum argillæ ℔ j. vel iij. in globulos, videlicet vel per vices injiciendo corallia in ſpiritum, vel è contra corallis ſpiritum eundem per vices ſuperfundendo: decanta ſolutionem, filtra, (affundendo, ut eo commodius filtrari poſſit, ▽ deſtillatam roſatam, ſi placet:) præcipita cum Ol. Sulphur. p. C. vel ſpirit. ⊖-i edulcra aqua cordiali & exicca.

N. 1. *Cùm corallia velut aſcendere deſinunt, menſtruum debilitari incipit, ſubſiſte igitur & inſpiſſa aliquantulum.*

N. 2. *Menſtruum ſuperiùs ſi tandem igne fortiſſimo fatigaveris, aſcendit materia ſalina rubeſcens.*

Aliter.

Solve ſ. a. corall. in ſpir. Sal. nit. filtraque (affundendo aqua pulv. deſtillatam,) hinc præcipita cum Ol. Sulphur. p. C. edulcora & exicca.

N. *Hoc modo in magiſteria præſtantia redigi poſſunt & perlæ, oſſa, cornua (e. gr. C. C.) ungulæ, nec non cruſtacea.*

En candide Chymiæ Cultor, inſignes plumaceorum magiſteriorum proceſſus gratis tecum communico, magni aliàs emptos, quos cum plurimis aliis ex communicatione obtinui Viri ſolertiſſimi Dn. Joannis Salz-wedelii Pharmacopæi apud Mœno-Francofurtenſes celeberrimi.

N. *Querc. ſolvit in ſpirit. ſalis Naturæ. Pharm. reſt. cap.* 24.

VI. Oleum ſeu liquor corallorum.

N. *Oleum Corallorum propriè oleum non eſt, ſed liquor, vel per deliquium factus, vel per deſtillationem prolectus; de priori hìc agimus, de poſteriori paulo poſt, in ſpiritu.* Schrôderus.

6. *Oleum ſeu Liquor Corallorum.*) Omnes dicti liquores nihil aliud ſunt, quàm ſalia reſoluta menſtruorum acidorum, quibus corallia corroſa fuerunt, aliquid de corallorum ſubſtantiâ participantia. Interim quoad vires non dubito, quin ſalium iſtorum naturam, quæ in reſolutione, & vi diureticâ & aperitivâ conſiſtit, ſequantur. *Hofmannus.*

Fit liquor ex ſale.

♃. *Sal corallorum, repone, ut liqueſcat per deliquium.*

N. 1. *Liqueſcit feliciùs menſibus Julio & Auguſto.*

N. 2. *Liqueſcit promptiùs ſi ſolutio aliquamdiu (♂ 24.) digeratur. (ut rubeſcat) ac dein (Acet. deſtil. abſtracto) optimè dulcorata, defæcata & purgata fuerit, (ſolutionibus ac coagulationibus iteratis ut moris) imò ſi ulterius cum 🜈i circuletur. Verùm hoc Oleum appellandum eſt potius Eſſentia, de qua vide Cunrad.* Kunraht. *in Medull. deſtill. p.* 1. *p.* 215.

N. 3. *Alij ♃. Corall. trit. ℔ij. Lapid. prunell. ℔ß. vel ℔ɪ. calcinant fundendo hora* 3. *materiam illam tritam ponunt in cellam ad liqueſcendum.*

Doſis gran. v.

Vires. Præter vires corallorum ſupra deſcriptas confert & in calculo.

Doſis à gran. 4. *ad* 15.

N. *Vide & ſolutionem Corallorum, cap.* 15. *in Bezoard. ☉ compoſ.*

VII. Eſſentia ſeu Tinctura Corallorum.

♃. *Salem Corallorum (purificatum optimè per iteratas ſolutiones ac coagulationes, vel magiſt.) volatiſa nimirum cum 🜈 digerendo, ac deſtillando, (vide volatiliſationem lapidum in genere,) Poſtea abſtrahe leni MB calore 🜈m, ac remanet Eſſentia corallorum, quam ſi placet ex arena per retortam propelle.*

Vide Quercetan. in Pharmac. reſtit. cap. 24.

N. 1. *Nihil intereſt utrum ſal receperis per Acet. deſtill. factum, vel per ſpirit. Sal. com. vel per ſpir. phlogiſton. acet. deſtill.*

N. 2. *🜈i felicius eſſentiam corallorum ſecum per XX transferet, ſi addideris aliquid camphoræ, e. g. ad 🜈i, menſur.* 1. *camphor.* ℥ß. Schrôderus.

2. *Spiritus vini felicius eſſentiam Corallorum ſecum per Alembicum transferet, ſi addideris aliquid camphoræ e. g. ad ſpiritum vini &c.*) Hæc Eſſentia ſive Tinctura ob camphoræ additionem majores acquirit vires, quæ partim à ſalibus additis, partim à camphorâ, non à corallis dependent. Et illius rubedo vel reliquijs ſpirituum ſalinorum & Sulphuris, vel ſpiritui vini multum digeſto ſupervenit. *Hoffmannus.*

N. 3. *Cunrad.* Kunraht, *ſolvit & digerit* 1. *cum Acet. deſtill. quo iterum abſtracto ſolvit & digerit,* 2. *cum aqua pluv. deſtillata* (NB.) *recentiſſima,* 3. *cum ſpir. Vini.*

Vires. Ut præparatio Tincturarum operoſior eſt, quam ſalis ac magiſterij, ita & virtus earundem fortior.

Doſis, guttæ aliquot: à vj. ad xv. & ultra.

2. Tinctura Baſilij.

♃. *Salis corall. (per ſpir. Sal. com.) edulcoratiſſimi* ℥viij. *Sulphur* ℥ß. *mixta leniter comburantur, donec Sulphur conſumptum ſit: Poſtea contere tantillum camphoræ cum corallis, idque accenſo igne abſumes, hinc edulcora & extrahe tincturam ſ. a. cum 🜈, abſtrahe 🜈 ad conſiſtentiam Olei.*

N. *Maniaci & Melancholici hâc Tincturâ curati ſunt, Dn. D. Gans.* Schrôderus.

2. *Tinctura Baſilij.*) Hæc Tinctura ex ſpiritus vini digeſtione ſuper ſalia factâ emergit, non ex Corallorum ſubſtantiâ. *Hofmannus.*

3. *Tinctura Quercetani.*

Extrahe Tincturam ſ. a. ex corallijs calcinatis, (e. g. ignitione mitiori,) digerendo vaſe H. cl. cum menſtruo cœleſti, deſtillato ſcil. cum proprio ſuo ſaccharo, (id eſt, cum rore majali, qui cum melle ac eo deſtillatus, ad eminentiam digitor. 8. affuſo. Menſtruo demum abſtracto, remanet Tinctura in fundo. *Quercet. lib. de præpar. Med. Spagyr.*

4. Aliter.

♃. *Magiſter. Corall. extrahe cum Sulphure bezoardico ex re vegetabili prolecto, (id eſt cum 🜈 rectificatiſſimo] in vaſe H. cl ad ignem cinerum. Poſtea ſepara & in perfectam Tincturam decoque.* Quercet. Pharmacop. cap. 24. Schrôderus.

3. *Tinctura Quercetani.*] Quid extrahet menſtruum cœleſte ex corallis calcinatis? Menſtruum cœleſte ex rore majali & melle conficitur, vel loco mellis adſumi etiam poteſt manna, quæ recens & electa eſſe debet. De quibus infrà Libr. 4. Poſſunt etiam addi alij ſpiritus pro diverſorum morborum reſpectu, in quibus Tincturam hanc præſcribere animus eſt, v. g. additur ſpiritus C C. rectificatus in affectibus cordis. Sic *Dnus D. J. Michaelis* p. m. habuit Tincturam Corallo-

 rallo-

rallorum anti-ſcorbuticam cum ſpiritu anti-ſcorbutico. De hiſce plura inferius.

4. *Aliter. Recip. Magiſter. Corall. extrahe &c.*) Sulphur illud bezoardicum nihil aliud eſt, prout & Autor innuit, quàm ſpiritus vini rectificatiſſimus. Sed hæc Tinctura etiam ne gry quidem debet Corallis, & nil niſi ſpiritus vini per digeſtionem tinctus eſt. *Hofmannus.*

5. *Tinctura Hartmann.*

℞. Sal. corall. (per Acet. deſtill.) purificatiſſimum, impregna Acet. deſtill. tantiſper, donec nihil iſtius ſpiritus amplius retinere velit. Sal ita imprægnatum digeratur. [♂ 20.] in MB. Poſtea deſtilletur per Ret. Reverberio clauſo vel Balneo ſicco, ita tamen, ut prius Phlegma inutile evaporet: Poſtea prodeuntes ſpiritus albicantes ſeorſim capaci recipiente excipiantur, continuando deſtillationem, donec omnes ſpiritus cum oleo rubro inſtar ſanguinis prodierint, ſeparetur ſpiritus [qui ardens inſtar 🜂] per Retortam ab oleo rubro, quod in Retorta manebit.

Hoc menſtruum [ſpiritus ſcilicet hic partim ab Acet. deſtill. partim à corallis productus] extrahit ex recentibus corallis impoſitis tincturam rubicundiſſimam, quæ ſi turſus ab hoc ſpiritu per deſtillationem liberata, & tandem cum 🜂, vel alia aliqua ▽ cordiali appropriata digeſta perque cohobia volatilis facta fuerit, elegantiſſima evadit corallorum Tinctura, ſuaviſſimi ſaporis, fragrantiſſimique odoris.

N. *Impragnatio illa fit hoc modo.*

℞ Sal. Corall. ℔ 1. *Acet. deſtil. opt.* ℥ *ij deſtilla lenter, ut extillet ſolum Phlegma inſipidum; ſecundâ vice affunde Acet. deſtil.* ℥ *iij. iterumque deſtilla, atque ita perge ſingulis vicibus Acet. deſtil.* ℥ *j. plus affundendo, donec tam acre Acet. deſtill. inde prodierit, perinde ac affuſum fuerit, Hartm. in Croll Schroderus.*

5. *Tinctura Hartmanni* 1.) Sæpius inſtituta Acet. diſt. affuſio ſuper ſal corallorum (aliàs ſpurium) hanc compoſitionem etiam reddit ſuſpectam. Et cùm ex corallorum ſuppoſititio Sale per Acet. diſt. facto eliciatur, conjectio facilis eſt, Tincturam iſtam demum cum ſpiritu vini abſtractam & digeſtam potius ex Acet. diſt. quàm ex corallis emergere. Hac enim ratione & ex albis Corallis Tinctura rubra elici poſſet, item ex oculis ♋ & aliis. *Hofmannus.*

6. *Tinctura Hartmanni, 2.*

℞. Corall. calcina. (ignitione violentiori) q. p. injice in 🜂, vel in alcohol ſpiritus roris majalis, ac paulò poſt extrahitur tinctura, fæcibus, (ſine ulla virtute) in fundo remanentibus: Tinctura hæc aliquantulum coagulata, fit rubicundiſſima, cum quadam dulcedine.

Vires. *Eſt tantarum virium, ut poſt ejus uſum aliquoties repetitum, impoſſibile ſit, ullam impuritatem in ſanguine totius corporis ſuperſtitem eſſe poſſe. Exhibetur in vehiculis convenientibus, à gut. 3. ad 10.*

N. *Hac ſanè tinctura Medico commendatiſſima eſſe debet, ob ſtupendas ejus vires, ut quæ cum ſpiritibus hominum magnam convenientiam habeat. Hartm. in Corall. Schroderus.*

6. *Tinctura Hartmanni.* 2.) Præviis iſtis calcinationibus jamdum deſtructa eſt ſigillata corallorum poteſtas, non ſecus atque Magnes valdè calcinatus vim amittit attractivam & ſuccinum uſtum vim attrahendi paleas. Quod autem iſta menſtrua calcibus infuſa tincturam acquirant, digeſtio in causâ eſt, non ſecus atque ſuper alia alcalia infuſa idem fieri ſolet pro texturæ & figuræ partium mutatione. *Hofmannus.*

7. *Alia Tinctura, per acetum Coralliorum.*

℞. Corall. contuſ. ℔ ij. eliciatur per retortam acetum, id eſt, liquor acidulus, quo profecto utantur corallia vehementer, donec reddantur albiſſima: exempta dein redigantur in pulverem, ex quo ſ. a. cum aceto illo, digeſtione leni, extrahe T. donec Acet. deſtill. nihil amplius ſolvere valeat, univerſiſque corallis diſſolutis, nihil præter terram inutilem remaneat. Decantatos liquores deſtilla in arena ad ſiccitatem, ut ſeparetur phlegma: Dein recipiente murato, fac ut igne auctiori & ſpiritus ſublimis per XX propellatur, qui diligenter colligendus. Tandem relictum pulverem album ſpiritu 🜍 penitus ſolve, eundem ſpiritum 🜍 igne forti abſtrahe; corallia relicta fortiſſimo igne ure, donec colorem ferè nativum recipiant. His affuſus proprius ipſorum ſpiritus tincturam proliceri dicitur.

N. *Acetum ex corall.* ℔ *ij deſt. vix ſolutioni dicta ſufficiet. Schroderus.*

Alia Tinctura per acetum Coralliorum.] Simili modo & hæc tinctura eſt putritia, poſito, elici ejuſmodi ſpiritum acidum ex corallis contuſis, vera tamen tinctura nullo modo ex illis extrahi poteſt; dum Corallia per Vulcani torturam nativâ ſuâ ſunt ſpoliata rubedine, & albicantia ex retortâ eximuntur, qualem igitur tincturam proprius illorum ſpiritus acidus extrahet? niſi more aliorum acidorum ſuper alkalia fuſorum ſe ipſum tingat, quemadmodum in Acet. diſt. ſuper corallia ad albedinem calcinata fuſo experimur, illud rubro etiam tingi colore, ſicuti ſuper pumice etiam calcinato videmus, ex quibus ſequitur, etiam fictitiam illam eſſe Tincturam. Licet hic proceſſus alias Boëtii de Boodt fuerit inter arcana relatus. *Hofmannus.*

8. *Tinctura per ſpiritum coralliorum ardentem.*

℞. Corall. trit. q. v. extrahe tincturam ſ. a. digerendo cum ſpiritu corall. ardente, [vide infra,] abſtrahe menſtruum, atque extrahe denuò cum 🜂. *Gans. Schroderus.*

8. *Tinctura per Spiritum Coralliorum ardentem.*] Hunc modum propriis etiam manibus pluries expertum fuiſſe gloriatur P. Poterius. Interim ipſe dubitat, utrum dictus liquor potius ex aceto, qui abſconditus eſt in ſpiritu corallorum ardente, an verò ex Corallis procedat. Liquor, inquit, b Acet eſt, ut liquet, color verò non ità, eò quod Acet. diſt. ejuſmodi rubro colore careat; Odor ille fragrans itidem ſuſpectus eſſe poteſt, nec immeritò: Nam Saturni ſpiritus eodem ferè præditus eſt odore. In utriuſque ſpiritu idem conſpicitur color cum eâdem rubedine: Ideoque omninò ex Acet. diſt. eſt, cujus vis omnis, quæ in ſuo ſale acido volatili reſidet, cum ſolutis corporibus mixta manens, denuò alteratum ſpiritum fundit, deſtillatione per retortam ritè, inſtitutâ. Et quamvis etiam hic ſpiritus ſapore, colore & odore corporum ſolutorum præditus videatur, & poſtea is non amplius acidus, ſed quaſi æthereus, Sulphureus, flagrans & virtutes balſamicâ etiam donatus appareat tamen hic non eſt ex corporibus ſolutis, ſed per mutationem novæ texturæ & figuræ partium tam ſolutorum, quàm ipſius ſolventis Acet. diſt. ad ejuſmodi qualitates novas traductus, ut hic ſpiritus ardens nihil aliud ſit, quàm ſpiritus vini ex Acet. in coralliis reſuſcitatus, & per digeſtionem à coralliis ita rubro colore ſpurio & aſcititio tinctus. Quæ cauſa etiam eſt, quod eam tincturam ipſe Hartmannus ejus Autor itidem rejiciat, eam à menſtruo oriri putans, ut & CL. Sennertus, qui eodem modo ex albis corallis Tincturam rubram elici ſtatuit. *Hofmannus.*

9. *Alia*

9. Alia per ſpiritum ſeu ▽ mellis.

℞. Corall. cum Sal. nit. calcin. extrahe ſ. a. cum ſpiritu mellis, (vide de melle) decanta & abſtrahe in MB donec in fundo ſpiſſus relinquatur ſuccus, huic edulcorato extrahe Tincturam cum 🜄, habes Tincturam coralliorum veram. *Hartm. in Croll.*

Doſis à gran. 4. ad 10. vel 12. Schroderus.

9. *Alia per ſpiritum ſeu ▽am mellis.*) Hæc etiam ſuppoſititia eſt, dum ſpiritus iſte mellis per ſe facilè tincturam adſumit rubram, prævia ſcilicet digeſtione Sic v. g. ſic cum ſpiritu vini mel adjectis latenis digeratur, dat tincturam purpuream, & ſi jungatur cum Sale Tartari, inſtar ſanguinis mel rubeſcit, facilè igitur ſuper corallia calcinata aliquas eorum particulas abſorbendo in leni colore rubram induet tincturam, non autem à Corallis oriundam, nam ſpiritu hoc à pulvere abſtracto rurſus per ſpiritum vini tinctura evocanda, præviâ digeſtione, & ſic in immenſum creſcet Tincturæ Corallorum apparatus, qui tamen ratione nativi Corallorum coloris ſolis Corallis non inerat. *Hofmannus.*

10. Alia per Aquam Temperatam.

℞. Sal. corall. (per ſpiritum 🜖i) extrahe ſ. a. cum ▽ temperata, ex 🜄 i & ſpirit. 🜖i, vide l. 4. in Vino.) decanta, filtra & abſtrahe. *Schroderus.*

10. *Alia per Aquam Temperatam.*) Nec hæc ſatisfacit. Ratio quia ſpiritus Vitrioli, dum corallia corrodit, & ſpiritui vini tranſitum in poros oſtendit, pulviſculum illorum recipiendo facilè mediante digeſtione Tincturam induet. *Hofmannus.*

11. Alia, per Phlegma ♄i.

℞. Corallia calcinata, ſuperfunde Phlegma ♄i, cum ſpiritu acuto ♄i digerantur vaſe cl. & rubeſcat menſtruum: abſtrahe in VB, affundeque 🜄, digereque denuò, ac pelle per retortam, ſic exſtillabit eſſentia corallorum rubicunda: abſtrahe 🜄 ad conſiſtentiam. *Joh. Agricola.*

Vires. *Inſigne eſt cordiale, balſamumque nativum ſumme exaltat, Uſuſque præcipui eſt in terrore infantum, Epilepſia, & ſimil.*

Doſis gran. 3. 4. 5.

N. *Eodem modo poſſunt ſolvi corallia cruda, ſed tardius. Schroderus.*

11. *Alia per phlegma Saturni.*] Hujus cum phlegmate Saturni præparati eadem ferè eſt ratio, quam quæ cum aceto, uti ſuprà oſtendimus. Iſti enim ſpiritus nihil aliud ſunt, quàm ſpiritus vini vel in Saturno, vel in coralliis regeneratus, & in corallis tam albis, quàm rubris ex digeſtione tinctus. *Hofmannus.*

12. Tinctura Coralliorum Holſatica.

1. Fiat tale Menſtruum: ℞. Tartari crud. pulveriſ. ℔ iv. phlegm. 🜖i (ſpir. ſuo volatili adhuc gravidi) ℔ iij. 🜖 ung. ℔ i. ſtent. in digeſtione ☍ (3.) Dein deſtilla ex XX per gradus △ aperto, donec nihil amplius exeat. Rectifica optimè.

2. ℞. Corall, ſubtiliſſ. pulveriſ. q. v. Superfunde præcedens menſtruum, miſceque diligenter. Stent in digeſtione, ſic rubeſcet ſaturatò. Filtra & abſtrahe ad ſiccitatem in arena, & remanet pulvis rubens Ex hoc extrahe Tincturam per ▽ temperat.

N. 1. *In præparatione ▽ a temperatæ unio iteratis ſæpius rectificationibus peragenda eſt.*

N. 2. *In præparatione menſtrui prioris verum Tartari Sulphur XX biro adhæreſcere ſolet.*

N. 3. *Ex Colcothare, elegans Tartarus 🜖atus cryſtallinus parari poteſt.*

Hæc habe Lector ex communicatione viri celeberrimi Dn. D. Langelotti, Chymiatri in aula illuſtriſſ. Holſatiæ digniſſimi, cui Tinctura hæc familiariſſima eſt, adhibetque in omnibus affectibus ab imparitate ſanguinis ortis. Schroderus.

12. *Tinctura Corallorum Holſatica.*] Licet hæc Tinctura olim Dreſdæ & in Holſatia frequentioris fuerit uſus, attamen reliquis ſpuriis eſt annumeranda. Nam menſtruo hoc à Corallis ad ſiccitatem abſtracto, reliquiæ ſalium Vitrioli & Tartari, ex quibus Tartarus Vitriolatus cryſtallinus parari poteſt, affuſum ſpiritum vini vel Aquam temperatam tingunt. Facili viâ & ex corallis albis vel oculis ♋ ejuſmodi tinctura confici poteſt. *Hofmannus.*

13. Per oleum Citri.

His jam addi poterit Tinctura per oleum citri, quod è corallis rubris, crudis etiam tincturam elicit. Huic ſi dempto oleo vehiculum aliud præbere poteris, tincturam corallorum non contemnendam habebis. *Schroderus.*

13. *Per oleum Citri.*] Cum aliis oleis deſtillatis etiam procedit, v. g. an iſi, fœniculi &c. Sed qualis hæc eſt Tinctura? Subtilis hujus olei partes corallorum aggrediuntur ſuperficiem, & ad albedinem pro texturæ mutatione, tinctura tamen in receſſu latente diſponunt, & cùm oleum ipſum coloris ſic aurei, accedente debitâ digeſtione facilè tincturam rubram acquirit, Idem modus etiam cum corallis albis & oculis cancrorum procedit.

N. *Altioris eſt indaginis Dni D Joelis Langelotti Archiatri Sereniſſimi Holſatiæ Ducis Regentis Tinctura* [quæ tamen potius deberet Eſſentiæ nomine venire] *Corallorum rubrorum* beneficio digeſtionis cum oleo quodam inter deſtillata vegetabilia omnium blandiſſimo factæ fragmentis primo corallinis oleo immutato quoad odorem & ſaporem in rubicundiſſimam mucilaginem, inde cum ſpiritu vini Tartariſato mediante etiam digeſtione in rubicundiſſimam Tincturam reſolutis in quadam Epiſtola ad præcellentiſſimos Naturæ curioſos. In litteris miſſ. ad me miſſis Anno 1672. d. 16. Decemb. hanc cautelam *Vir* ille *Excellentiſſimus* addit. De oleo, inquiens, inter vegetabilia blandiſſimo rectè conjicis Aniſi eſſe, ſed quod ritè debet rectificari, atque à ſuâ mucilagine craſſiori liberari, ut inſtar limpidæ appareat. *Hofmannus.*

14. Tinctura Corallorum S. Cloſſ.

Reſolve corallos in ſ. q. 🜍 Sal. com. ſolutionem filtra & abſtrahe 🜍 forti △ ita ut ⁓ omnes ſeparentur à calce, cui affundes Acet, deſtill. ex quercubus novellis menſe Martio detruncatis, ad extrahendam Tincturam, quæ erit coloris hyacinthini, evoca menſtruum & remanebit pulvis ſubtilis, cui ſuperfundes 🜄 circulatum digere, decanta, fæces ſepara à tincto 🜄 quem iterum digeres, ut novas fæces [ſi adſint] deponat ad fundum, tandem filtra & 🜄 ad medias abſtrahe. Parum habebis, ſed magnarum virium adverſus Contracturas.

Doſis ℨ ß. per ſe.

N. 1. *Poteſt etiam parari Tinctura modo Glauberiano cum ſale Tartari inſtar Tinctura S licum.*

N. 2. *Fit etiam ſublimando corallos cum* ✱ *& tincturam extrahendo cum* 🜄 *ut eſt in Myroth. Joh Fabri. Adde Rolfincii tinctur. p. 227. cum ſp. lign. Sancti aut Coryl. Schroderus.*

14. *Tinctura Corallorum S. Cloſſæi.*] Rubedo illa etiam coralliis accedit vel à ſalium reliquiis acidorum ex Sal. communi, vel à ſpiritu vini ſæpius affuſo & multum digeſto.

N. 2. *Fit etiam ſublimando corallia cum* ✱ &c.) Negari quidem nequit, ſalem ammoniacum cum pulvere coral-

corallorum r. ſublima tum ſubtiliſſimas corallorum rubrorum portiones fideli connubio ſecum ad ſublime rapere. Quod autem ex floribus ejuſmodi rubris à ſale liberatis cum ſpiritu vini tinctura extrahi poſſit, non procedit.

Examinatis igitur Tincturis Corallorum rubrorum, quas *Dnus Autor Noſter* tanquam pro veris & genuinis deſcripſit, reliquum nunc eſt, ut videamus, An veræ, genuinæ & legitimæ dentur Corallorum rubrorum Tincturæ ex ſolis Corallis rubris oriundæ, quarum verum ſignum eſt, *ſi in* formâ mellaginis ſucci roſarum inſpiſſati tranſparentis ſeſe in conſpectum prodant. *Deindè* ſi illorum color proprius & intimus, non verò alienus extrahitur. *Tertiò* ſi tincturâ extractâ reliquum corpus amiſſo nativo colore pallidum & exſangue jacet. *Quartò* ſi corporis eſſentia cum ea ſimul extrahitur. *Quintò* ſi copia ejus exigua. Nos ſimpliciter inficias ire non poſſumus, veram & genuinam Corall.r. tincturam haberi poſſe. Proſtat enim jam ſuprà allata *Excell. Chymiatri Langlotti*, non deſunt aliæ, quæ proprium & intimum Corallor.r. colorem in ſe comprehendunt, non beneficio menſtruorum acquiſitum, adeò ut illarum etiam Eſſentia cum tincturâ ſimul extracta fuerit, relicto illorum corpore albo. *Burrus* confecit adminiculo tritus cum molâ philoſophicâ infrà depictâ *Cap. de Auro.* Ubi primò optimè contrivit & poſtmodum menſtruo ſuo cœleſti, quod ex rore majali, cum Mannâ vel melle aut ſaccharo deſtillato conſtat, Tincturam in digeſtione extraxit: Quomodo etiam aliquot ante annos egregius quidam Chemicus Pariſiis Tincturam Corallor. r. elaboravit. Reliquæ, quæ paſſim hinc inde venales veniunt, nullius valoris ſunt, originem ſuam debent vel in digeſtione tinctis menſtruis, vel Tincturæ ſalis Tartari cum granis Chermes vel ſantalo rubro tinctæ. *Hofmannus.*

VIII. Flores.

Flores coralliorum parantur ad modum, quo perlarum flores parari dicemus.

N. *Fieri quoque poſſunt flores coralliorum ſublimatione cum* ✱ *inſtituta.*

IX. Spiritus ſeu oleum.

1. *Spiritus corallorum ardens*, ſupra in quinta Tinctura Hartmanni deſcriptus eſt, videturque compoſitum quid eſſe ex aceto & corallis, ardereque ratione ſpiritus aceti vinoſi.

2. Oleum itidem d.l. deſcriptum eſt. *Schroderus.*

9. *Spiritus ſeu Oleum.*] Spiritum Corallorum multi vel omninò pro non-Ente, vel ſaltem pro ſpiritu vini in corallis regenerato habent. Oleum Corallor.r. ſunt ſalia per deliquium ſoluta ab adjunctis ſalinis menſtruis orta. *Hofmannus.*

3. *Spiritus Corallatus, Spiritus terræ Corallatus.*

Fit ad modum quo perlarum ſpiritus cum terra ſigillata. *Vide ibidem.*

4. *Oleum Corallorum ſuccinatum.*

℞. Corall. rubr. pulveriſat. ℔ i. ſuccin. ℔. ſ. M. & deſtilla per retortam, vel cucurbitam, ſic ſuccinum Tincturam corall. per XX attrahet, in forma coloris ſanguinei. In fundo vaſis reſiſtet pulvis corallorum colore albus.

Vires. *Oleum illud valet in Epilepſia & Apoplexia.*

Doſis gutt. 4. ad 8.

N. *Huic ſimilis eſt modus quo Corallia ſale ſubdulci ſalita, pinguedineque aromaticâ ſaginata, deſtillationi ſubjiciuntur, atque ita tincturam ſuam dictis comitibus committunt, cum iiſdem per Retortam pelli aptam. Schroderus.*

4. *Oleum Corallorum ſuccinatum.*] Hoc non ex corallis, ſed ſuccino emergit, licet admodum ingratum habeat ſaporem ratione ſuccini, præſtantiſſimum tamen eſt medicamentum, & novit *Dnus D. I. Michaëlis* Medicum, qui hoc ſolo egregias præſtitit curas.

N. *Huic ſimilis eſt modus, qui corallia ſale ſubdulci ſalita.*] Sub ſale hoc ſubdulci Dnus Autor intelligit ſal, quod à nonnullis æthereum appellatur, panurgon ab aliis dictum ſublunare, quo Natura tamquam paraſtatâ fideliſſimo in ſuis operationibus utitur. Cujus beneficio ſalia fixa volatilia & aliæ philoſophicæ præparationes peraguntur, imò claves ſuppeditantur, quarum ope ad corporum penitiſſima penetrare, purumque Naturæ veréque eſſentiale ſeparare Artis cultoribus licet. *Excell. Joel Langelott in præfat. ad D. Johann. Tilemanni experim. chymic. de veris* ☉ *ſolutionibus*, vid. diſſert. de Auro Auræ Anonymi cujuſd. cum meâ epicriſi annexâ. *Hofmannus.*

X. Syrupus Corallorum.

℞. Corall. rubr. groſsè contuſ. q. v. ſolve in ſucco Berberorum vel Limonum optimè depurato, coralliis ad eminendam digitorum, 3.4.5. ſuperfuſo, Hinc,

℞. Succi illius Eſſentiâ corallinâ impræegnati part. ij. Sacchar.cand. [vel commun.] part. i. coque ad conſiſtentiam.

N. 1. *Colorem dilutiorem ſi expetas affuſâ* ▽ *deſtillatâ convenientè, pro libitu conciliare poteris.*

N. 2. *Poterit ſimiliter fieri ſolutio cum liquoribus acidis deſtillatis, Juniperi ſcil. aut Guajaci.*

N. 3. *Huercetanus monet ſolutionem inſtituere, 1. in vitro ſubere vel cera Hiſpanicâ occluſo, ne Eſſentia Corallina ſeparetur. 2. In* VB.

N. 4. *Si quid reſtiterit nondum ſolutum, huic recens ſuccus affunditur, donec penitus ſolutum fuerit.*

N. 5. *Similiter fieri poſſunt & Syrupi margaritarum & lapidum pretioſorum.*

N. 6. *Artificium Quercetani ad concinnandum hunc Syrupum, nullum eſt aliud, quam evaporatio lentiſſima in* MB *tepido ſolutorum corallorum in ſucco berb. adjectis* ℥ *vj. ſacch. ad libras ſingulas ſolutionis, ita ut ſpatio horarum 12. non exhalet ultra ſpiſſitudinem thaleri aut macrocollonis denſioris, aliàs certo certius ſoluta corallia à menſtruo ſeparabuntur. Schroderus.*

10. *Syrupus Corallorum.*] Poſtquam Corallia r. in ſucco berberum vel limonum per hujus repetitam infuſionem ad totalem horum ſolutionem ſoluta ſunt, ut ſuccus ille eſſentiâ corallinâ probè ſit impragnatus, non Vulcani violentiæ ſtatim ſubjicienda, ne Corallia ſeſe præcipitent, ſed juxtà *Joh. Quercetani* monitum, evaporatio lentiſſima in MB inſtituenda eſt, uſque dum ſyrupi acquirat conſiſtentiam vid. *CL. Zwelſer. in animadverſ. P. A.* & hujus *antagoniſt. D. D. Luc. Schrœck. in P. A. R. ſive E. p. 32. Claſſ. 1. Hofmannus.*

Syrupus Corallorum compoſitus D. Sam. Cl. & D. de Mayerne.

℞. Corall. rubr. ſubtil. in mort. marm. lævigat. ℥iv.
Succi limon. depurat. ℥ xii.
Aceti quercin. ℥ vi.
Digerantur in B. per octiduum, quotidie vas bis vel ter agitando deinde filtrentur per chartam.
℞. Solutionis colatæ ℥ x.
Succi berber. depurat. ℥v.
Tinctur. roſ. ℥iv.

Sacch.

Sacch. alb. ℔ ß.

M. & mediante coctura blandâ in vaſe argenteo F. Syrupus, cui inter coquendum infundatur Nodulus continens.

Santal. citrin. ʒ ij.

Ligni aloës ʒ j.

Ambr. giſ. gr. xv.

Moſch. gr. vi.

Doſis cochl. 1. mane ac veſperi longè à paſtibus.

Vires. *Ex viribus Coralliorum ſuprà allatis & ſucco Berberorum vires cenſendæ ſunt. Laudatur valde in Diarrhæa, Dyſenteriæ, fluxu hepatico ad reſtaurationem facultatum naturalium, &c. Schroderus.*

Syrupus Corallorum compoſitus D. Sam. CL. & D. de Mayerne.) Quem in finem tot differentibus acidis ſuccis Corall. r. ſolvuntur, cùm unus ſufficeret? Deinde in coctione iſtâ partes balſamicæ ambræ & moſchi volatiles æthera petent, & ſic fruſtrà cum nodulo infunduntur coctione perdurante. Ideòque commodius eſt, ſi compoſitum Syrupum deſideras, ſumere ſyrupum Corall. r. f. & ipſi addere Tincturam roſar. r. Eſſentiam ambræ cum Moſcho paratam. &c. *Hofmannus.*

XI. Species Diacorall.

XII. Trochiſci Diacorall. Galen.

XIII. Troch. de Corall. Nicolai. Schroderus.

De Margaritis.

Medicis uſitata nomina ſunt *Margaritæ, Perlæ & Uniones.* Dicitur μάργαρον & μάργαρος in neutro. ὁ μαργαρίτης λίθος ſive μαργαρίτις Maſcul. & fœminin. genere. Hoc vocabulum poſtmodum latina civitate donatum eſt, ut Margarita in uſu ſit. Quidam, Iſidorus dicit in Originum Libr. 16. Cap. 10. Margaritam, vocari dicunt, quod in conchis Maris hoc lapidum genus inveniatur. Uniones autem appellantur, quod Indicæ & Perſicæ conchulæ ſingulas aliquoties pariant, ſed majores. Unde Alii diſtinguunt; ſi parvæ ſint, margaritarum, ſi craſſæ & ponderoſæ, unionum nomen ſervant. Verùm hæc etymologia ſuſpecta eſt. Conſtat enim ex Indicarum rerum ſcriptoribus interdum ſeptem, nonnunquam decem, imò plures una concha inveniri, non aliter atque in gallinis ova, quædam abſoluta & magna, ſed ea unica, mediocria aliquot, exigua abſque numero. Vera igitur Nominis ratio inde colligi poteſt ex *Aldrovando Libr. 3. de teſtac. Cap. 42.* quod nulli duo planè ſimiles inveniantur, quia ſcil. vel magnitudine, vel colore, vel figura, vel alio quodam diſcrimine inter ſe differunt. *Hofmannus.*

Margaritæ, Perlæ (Uniones, ſi magnæ ſint) ſunt Lapides rotundi, in conchis nonnullis ex perittomate eodem quo teſtæ generantur, producti. Arab. Lulu, Germ. *Perlen.* Marguerites, Perles. *Pearles. Peerlen.*

Duplices cenſentur, Orientales & Occidentales. Illæ ſplendidiores ſunt, adeoque cæteris præferuntur, & præſertim Perſicæ. Hæ lacteſcunt, minuſque ſunt ſplendidæ. Inveniuntur etiam in Europæ locis multis, ut in Scotia, Sileſia, Bohemia, Friſia, lociſque maritimis aliis, ſed vilioris eæ ſunt notæ. Majores itidem & quæ perforatæ ſunt, cenſentur minoribus, & non perforatis maturiores & præſtantiores.

Vires. *Cordiale præbent nobiliſſimum, quo balſamus vitæ oppreſſus viresque exolutæ inſigniter recreantur ac confortantur, proinde venenis, peſti & putredini reſiſtunt, animum exhilarant. Et hujus rei gratiâ in tantum aſcenderunt honorem, ut vel agoniſantium extrema recreatio communiter inde expetatur. Schroderus.*

Sunt Lapides rotundi) Sed pretioſi ſeu gemmæ in conchis marinis ex humore illo, ex quo teſta concharum concreſcit, corticatim contextæ. Illas autem ſub Lapidum pretioſorum numero contineri certum eſt ob raritatem, pulchritudinem, ſoliditatem, pretium ac virtutem. Veræ tamen gemmæ non ſunt, ſed Lapidibus ſui generis ſimiles, inter quos nobiliſſima eſt margarita inquit *Cardanus de Rerum varietate* Libr. v. quæ ex Lapidibus cum nihil habeat ſimile, facilè ab omnibus etiam diſtinguitur.

In conchis nonnullis.) Unde & Margaritiferæ vulgò Mater Perlarum appellantur, ceu nativo ſolo & ſalo reperiuntur. Non ſolum verò in Mari, ſed & in fluminibus limpidiſſimis & puriſſimis non profundis ac eorum conchis inveniuntur.

Ex perittomate producti.) Vocabulum περιττώματος duplicem habet ſenſum, utilis & inutilis. Conceditur utile eſſe excrementum, idem ſcil. ex quo teſtæ generantur. Concreſcunt ex ſucculento humore Naturâ negotium dirigente per coagmentationem & appoſitionem.

Duplices cenſentur, Orientales & Occidentales.) In *Orientali Mari Ormutianæ* primas tenent. In *Occidentali Mari* circà *Boſphorum Thracium* minoris æſtimantur, nebuloſæ ut plurimum ſunt & ſubflavæ. In Germaniâ circà Bohemiam, Sileſiam &c. quæ inter arenas *Quiſſi* fluvio propè Gryphibergam lavantur, pulcherrimæ quidem piſi interdum magnitudine, rotundæ, teretes, oblongæ &c. ſed ſine dubio viribus inferiores.

Vires. Cordiale præbent nobiliſſimum.) Præſertim majores, quô enim majores, eô profectiores, quia magis ſunt cocti & ſubtiles & ſolvuntur etiam citius. Temperati ſunt, omnis qualitatem exceſſus expertes. Univerſam corporis confortant œconomiam, cerebri in primis & cordis collapſas reſtaurans vires, balſamum vitæ oppreſſum recreant, & non vulgare Archei furioſi ſedativum in illis latet abſconditum. Unde & illorum vis cardiaca hos adeò inſignes & decantatos fecit, ut vel agoniſantium extrema recreatio indè communiter expetatur. *Hofmannus.*

PRÆPARAT.

Perlarum præparationes iiſdem fiunt operationibus, quibus corallia, calcinatione autem ignitionis haud indigent. Supervacanea igitur illarum extinctio in ▽ vitæ ardentiſſima, quam vult Quercetanus in Pharmac. reſt. cap. 26.

Solutio Perlarum iiſdem perfici poteſt liquoribus, quibus coralliorum.

Purificatio quoque & Edulcoratio nihil à coralliorum purificatione peculiare habent.

Præcipitatio iiſdem cedit liquoribus, quibus coralliorum præcipitatio.

Hinc

I. Præparata Perlæ.

Præparantur more vulgari, ſuper porphyrio lapide lævigando, ſubindeque aq. cordialem, (verbi gratiâ, roſarum, meliſſæ, & ſimil.) aſpergendo. *Schroderus.*

Hinc 1. *Præparata Perlæ.* Præparantur more vulgari ſuper Porphyrio Lapide lævigando &c.) Vide, ne margaritas prius mortario æneo conteras, induunt enim vitriolatam qualitatem, quæ poſtmodum pro confortatione creat nauſeam, id quod poteris experiri, ſi ejuſmodi perlas ſolvas in aq. f. virorem contrahunt, ſin autem ipſis infundas ſp. ✻ ſalſum, tinctura fit lazurea. In molâ philoſophicâ optimè pulveriſari poſſunt. Licet & hac carere poſſimus, nam vel integræ & citra digeſtionem ſolventi liquori acido obediunt.

N. Nonnulli Medicorum in hac verſantur opinione, *Margaritas* præparatas non eſſe in Medicum

uſum

uſum vocandas, & illarum loco magiſteria ſeu ſolutiones illarum præſtantiora eſſe, ut quæ vires ſuas longè exſerant celerius præparatis, & multum temporis requiratur, antequam præparatæ à debili ægrotantis ventriculo & depravato fermento acido ſolvantur, vel prorſus intactæ etiam ſæpius excernantur. Verùm circumſpectus Medicus facilè dijudicat, quid vel obeſſe vel prodeſſe poſſit. In cruditate acidâ, ubi fermentum ventriculi acidum in exceſſu peccat, Margaritis præparatis, prout & aliis præparatis nihil convenientius eſt. In cruditate autem nidoroſâ, ubi ſalibus acribus, ſalſis, amaris &c. fermentum ventriculi inquinatum eſt, Magiſteria ſive ſolutiones acidis liquoribus facta præparatis in uſu præferuntur. Inde CL. *Zwelfe* ius in fine claſſis vigeſimæ de margaritis præparatis dicit, facillimæ ſolutionis eas eſſe, atque ab Archeo noſtro, innatóque calore utcunque divinci & actuari poſſe. *Hofmannus.*

II. *Sal Perlarum.*

Fit, ut in corallis dictum: Solvendo perlas, vel (quod uſitatius) in aceto, vel in ſucco Berber. & Limon. &c. ſolutionem filtratam ad remanentiam ſalis inſpiſſando, inſpiſſatamque ablutione, ut dictum, vel in ſolutione iterata purificando ac dulcorando.

N. 1. *Non opus habent triturâ, quippe vel integra atque citra digeſtionem Acet. deſtill. obediunt.*

N. 2. *Solutionem in ſucco Limonum ac Betulæ Deſtill. vide de Corallis.*

N. 3. *Fit quoque Sal Perlarum, in quovis liquore diſſolubile, beneficio ſucci citri mali, digeſtione depurati. Nimirum perlæ lotæ & ſi placet contuſæ, in eodem illo ſucco ad eminentiam 4. digitorum affuſo, digeſtione interveniente ſolvantur, ſolutioni affunditur ros majalis deſtillatus, vel aq. Meliſſæ, decantaturque ſolutio: hinc affunditur novus ſuccus depuratus, digeritur, affunditurque iterum ros deſtill. vel aq. Meliſſ. atque decantatur, &c. Et hic labor toties repetitur, donec perlæ penè totæ ſolutæ ſint, relictis perpaucis fæcibus. Demum ſolutio lento igne inſpiſſatur, ad remanentiam pulveris.*

Doſis à gran. 6. ad ℈ß. *Ex aqua roris majalis cum manna deſtillata, vel ex aq. Cinam. cum aq. roſ. &c. Hartm. in practic.*

N. *Paracelſus, Sali perlarum, ut & reliquis inde paratis maximas vires attribuit. Profeſſus, inquit, harum, etſi ſimplices, tamen, crede experto, mirifica operatio ipſarum (perlarum) eſt. Non tamen fit per artem hæc virtutum actio, ſed in natura ipſarum eſt, quæ in groſſa ſubſtantia occultatur, & non poteſt operari, ſicut mortuum corpus ſed reſolutione facta, vivificatur corpus ejus lib. 6. archid.*

Huic finitimum eſt.

Sal ſive Magiſterium Perlarum Riverii.

♃. Perlar. ſubtiliſſ. tritar. q. v. impaſta cum ſucco citri vel aurant. & relinque aliquamdiu. Poſtea ſolve cum Acet. deſtill. ſ. a. donec perlæ ex toto ferè fuerint ſolutæ. Collectum acetum miſce cum tertia parte aq. fluvialis, deſtilla in arena igne primum lento, dein fortiori. Deſtillatum reaffunde capiti mortuo reſtanti, & denuo ſolve, poſtea filtra, evaporaque admodum lentè, & reſes erit perlarum Magiſterium.

Vires. *Præter vires ſupra allatas, ſummum eſt præſervativum Arthritidis.*

Doſis ℈ j. *ad ſummum. Schroderus.*

2. *Sal Perlarum.*) Hoc prout & 3. *Magiſterium* illarum nihil aliud, quàm nudæ ſolutiones ſunt, factæ cum loco citri, berberum, aceto, &c. Unde Magiſteria reſolubilia, butyracea, & pulmacea confici poſſunt. Nec inæqualis cenſuræ ſunt, quæ cum ſp. Vitr. ær. O & Salis non dephlegmato fiunt cum Vitrioli Spiritu præcipitata, eodem modo & cum Spiritu Vitrioli phil. perlæ ſolvi & cum ſpiritu roris majalis ▽ pitari poſſunt. Item ſi Perlæ in Acet. diſt. ſolvantur & cum ſp. Vitrioli rect. fic. ▽ pitentur & poſtmodum edulcorentur, Magiſterium candidius & reſolubilius evadet, quàm ſi fiat ▽ ratio cum oleo Tartari per deliquium crudiora enim tunc fiunt. *Hofmannus.*

III. *Magiſterium Perlarum.*

1. *Commune* fit ſolvendo cum Acet. deſtill. & præcipitando cum Ol. Tart.

2. *Butyraceum* eodem modo fieri poteſt, quo Magiſter. butyraceum corallorum.

3. *Plumaceorum* præparatio itidem ex corallis repetenda. Confer Rolfinc. Chym. p. 347.

Vires. *Vires ex viribus perlarum deſcriptis facile colligi poſſunt.*

Doſis à gran. 6. ad 15.

IV. *Oleum ſeu liquor Perlarum.*

Fit per deliquium: modum ex ſuperioribus repete.

V. *Eſſentia, Tinctura, Arcanum Perlarum.*

♃. Perlas q. v. ſolve cum Acet. deſtill. & para ſal; Sal ita paratum iteratis in Acet. deſtill. ſolutionibus ac coagulationibus (rejectis ſemper fæcibus) purifica, donec nullæ amplius fæces ab ultimis ſolutionibus reſtiterint, atque ideo ipſæ perlæ ab omni immunditie liberatæ ſint. Hinc ſolve cum aq. pluviali, vel rore majal., deſtillandoque abſtrahe humiditatem, idque toties repete, donec interveniente deſtillatione perlæ fiant edulcoratæ, (id quod oſtendit aquæ poſtremò deſtillatæ dulcedo) Hoc ſ lita defæcatum, digere, vaſe clauſo in MB (♂♂ 8. vel 10.) cum V i rectificatiſſ. ad eminentiam 2. digit. affuſo. Sic Perlæ cum tempore Eſſentiam ſuam inſtar olei ſpiſſi ad ſuperficiem V i remittent, quam cautè ſepara, novumque V i affundendo, laborem repete, quoties viſum fuerit. Convertitur enim totum ferè ſal, relictis paucisſimis feculis, in Eſſentiam. Hanc de novo cum V aliquamdiu circula, poſtea leni deſtillatione MB. V i ſepara & ſerva.

N. *Eadem perlarum Eſſentia cum V per Retortam, vel per MB. ſeu reverberatorium ſiccum, inſtitutis cohobiis tandem omnis tranſit.*

Vires. *De uſu conſtat ex viribus margaritarum, fortiſſimarum autem virium eſt propter ſummam ſubtilitatem.*

Doſis à gran. 6. ad 14. *Hartman. in Croll.*

Arcanum per ſpiritum Guajaci.

♃. Perlar. ſubtiliſſ. trit. q. v. extrahe ſ. a. tincturam rubicundiſſimam cum ſpiritu Guajaci rectificato, reſidem pulverem calcina leniter, atque extrahe iterum bis aut ter cum novo ſpiritu Guajaci. Poſtremò calcina fortius, atque iterum extrahe. Extracta coagula in MB ad apparentiam cuticulæ verſicoloris, quippe quæ ſignum eſt, abſtracto phlegmate, ſolum arcanum ſeu Eſſentiam perlarum cum ſpiritu Guajaci, in forma coagulata reſtare.

N. 1. *Hæc Eſſentia ac ſpiritus vix à ſe invicem ſeparari poterunt.*

N. 2. *Eadem Eſſentia ſeu Arcanum perlarum cum aq. meliſſæ, & ſimilibus q. ſ. ſubito ſolvitur, inque rubentem pellucidum colorem vertitur ſaporis elegantis.*

Vires. *Optimè ſanguinem mundificat, magnarumque virium eſt in lue venerea.*

Doſis à gutt. 6. ad 14. *Hartman. in Croll.*

Alia Tinctura.

♃. Perlar. ℥ß. ſpir. Sal. com. q. ſ. ſolve ſ. a. decanta;

canta; abſtrahe, ut fiat pulticula, quam elue ▽ ſtillat. Circula cum 🜄 ſeptimanas 6. tandem 🜄 abſtrahe, leni MB calore. *Libav. in Syntagmate.*

V. Flores Perlarum.

Solvuntur perlæ cum Acet. deſtill. ſolutio digeritur aliquandiu (per menſem) dein abſtrahitur Acet, deſtill. & tandem fortiori igne elevantur flores. *Libav. in Syntagm. lib. 2. c. 25.*

N. 1. *Sublimari poſſunt quoque Margaritæ & Corallia beneficio* ✱

N. 2. *Flores perlarum per ſolutionem in* ⏜ *u* ♄*ni deſcribit Hartman. in Croll. p. 474.*

VI. Spiritus perlatus, ſeu ſpiritus terræ perlatus.

℞. *Sal. vel Magiſterii perlarum* ℥ vi. *Terræ ſigillatæ* ℔ j. *M. ac imbibe cum ſ. q. olei perlarum, & fac globulos quos exiccatos deſtilla per retortam uti deſtillatur ſpirit. Sal. communis, Rectifica & ſerva pro uſu.*

Vires. *Summum eſt ſecretum in Podagra.*

N. *Eodem modo fieri poteſt & ſpiritus Corallatus.* Schroderus.

4. *Oleum ſeu Liquor Perlarum.* 5. *Eſſentia, tinctura, Arcanum Perlarum.* 6. *Flores perlarum.* 7. *Spiritus perlatus.*) Hæc & ſimilis farinæ compoſitiones quocunque veniant nomine, non ſolum ex eſſentialibus & conſtitutivis perlarum ſunt partibus, ſed etiam alterius familiæ pignora ſalutari poſſunt, larvatum perlarum amictum ſaltem ex Acet. diſt. ſp. guajaci. Salis Vitrioli, & occulto perlarum pulvere compoſitum. Qui perlas ſic ſolutas bibunt, tantum abeſt, ut ſola illarum ſubſtantiâ fruantur lacteâ, ut etiam una cum perlis ſalem Acet. diſt. vel alterius liquoris acidi ſolutum bibant. Si tamen liquores iſti cum ſpiritu vini tandem circulentur & digerantur, eo iterum abſtracto præſtantiores erunt. *Hoffmannus.*

De Lapidibus minus pretioſis : qui ſunt.

I. AETITES.

Aetites Lapis eſt veluti prægnans : cum quatitur, alio in utero ſonante : hujus genera pro diverſitate ſuperficiei, (ſcabræ, ſcilicet vel lævis) colorum tum materiæ inibi contentæ, conſtituuntur quatuor.

1. Eſt exterius ſcabrum, colore vario, plerumque nigricante : continet in ſe lapidem Collimum dictum.

2. Cinerei coloris eſt, ac in ſe argillam vel margam continet.

3. Terram in ſe concludit.

4. Præter hos addit Plinius Taphuſium nomine, qui noſtratibus eſt incognitus.

N. 1. *Dicitur lapis aquilæ, quod in aquilæ nido reperiatur ad promovendum partum ab aquila eò deportatus. Herm.* (*Adlerſtein. Klapperſtein.*) Pierre d'Aigle. *Eagle ſtone found in an Eagles neſt. Adelaerſteen*, of *Arentæ ſteen.*

N. 2. *Primus Orientalis eſt, raroque pruni magnitudinem ſuperat.*

Secundus & Tertius etiam in Germania juxta Svvinfurtum reperiuntur, pugnique magnitudinem ſæpe æquant.

Vires. *Partum promovet, ſi feminibus alligetur, ſin brachio eundem retinet : obſervare autem expedit, ſtatim à partu eſſe removendum, ne & uterum ad ſe trahat.* Schroderus.

De Lapidibus minus pretioſis : qui ſunt 1. Aetites.) Aetites Lapis ab Aquilâ, Græcis ἀετὸς dicitur. Vel propter colorem vel ob virtutem illam, quod aquila ſine illâ parturire nequeat, inde & in aquilarum nidis reperiatur. Eſt autem vel candidus, vel gallæ colore, vel ſubrutilus, vel in rutilo niger. Hujus differentias vide in Autore. Cinerei coloris in ſe argillam vel margam continet, quam terræ ſigillatæ facultatem habere dicunt, unde peſti & febribus peſtilentialibus correptis cum aquâ appropriatâ propinata auxilio eſt, ſudores elicit, venenum expellit, quandoque & alvum movet. Dyſenteriam malignam & alvi fluxum ſiſtit. *Boet. de Booth. in hiſtor. gemmar. & Lapid. cap. 198. p. 398. Olaus Wormius in Muſæo* cap. 12. De hoc ſcripſit etiam tractatum Laurenbergius, ubi tradit de Laplandis, quod certo modo, præſtare poſſint, ut aquilæ ejiciant hos Lapides ex nidis.

Continet in ſe lapidem collimum dictum.) Reperitur etiam ſpecies albo ſilice prægnans, quam *Chriſtoph. Encelius invenit ad albim* vid. *de Lapid. & gemm. lib. 3. Cap.* 47.

Vires.) Partum promovet, ſi feminibus alligetur, ſi brachio, eundem retinet. *Olaus* l. c. ſæpius hujus fecit experientiam, adhibitâ tertiâ hujus lapidis ſpecie ab *Autore*, nominatâ quæ terram in ſe includit. *Licet Andr. Baccius de Gemmar. Naturâ* Cap. 18. p. 212. illam ſpeciem denominet, quæ lapillum in alvo continet; Obſervavit etiam *Valeriola*, tam vehementer trahere, ut una uterus excidat, ni maturè removeatur, id quod accidit Valentiæ conjugi Ponſoni Jouberti. Tradunt quidam, ſi patinis ſupponatur Aetites, in quibus cibus veneno eſt infectus, deglutiri illum non poſſe. Aliàs tritum & Cerato admixtum epilepticos paroxyſmos ſiſtere, quod dicunt, experientiæ non repugnat. Liquorem Aetitis contra calculum in quibuſcunque corporis partibus commendat *P. Johann. Faber. in Myrothec.* ingreditur etiam *Dn. D. Johannis Michaelis* Magiſterium & Liquorem Nephriticum. Dicitur etiam Lac reſtituendi vim habere. Collo appenſus medetur prolapſui uterino, herniis, epilepſiæ &c. Fabulam ſapit, geſtatum amorem & divitias augere, invictum omnibuſque gratum efficere, deprehendi & furta illo tradunt. Nam panem, cui Lapis ille incluſus fuit, qui furtum commiſit, *teſte Dioſcoride*, deglutire non poteſt. Inde ortum eſt proverbium, *Aetiticus panis illi porrigendus*, in hominem cui furandi vitium natura ſit inſitum *P. Bellonius Libro* 20. *obſervat. cap.* 23. teſtatur, hanc conſuetudinem adhuc apud Græcos in uſu poſitam eſſe, quâ lapidis hujus vi occultâ furta palam faciant. Furem igitur manifeſtum facere volentes Græci, omnes furti nomine ſuſpectos ſimul evocare ſolent; Id quod multis peragitur ceremoniis. *Calojeri* enim cornicant ſecum quid clauſo murmure, dum ſine fermento maſſam pinſunt, è quâ parvos conficiunt panes, ovi magnitudine, horum ſingulis qui convenerunt, ternos devorandos tradunt, totidem boli nullo potu addito deglutiendi præbentur. Et qui furtum commiſerat, nunquam tertium panem devorare potuit, quin imo dum deglutire niteretur, parum abfuit, quin ſuffocaretur. Græci Monachi hoc obſervant, tanquam peculiare ſecretum, *vid. Andr. Baccius de Gemmar. Naturâ cap.* 39. p. 113. *Hofmannus.*

Præparationes quædam Lapidis Aetitis, aut quas ingreditur idem lapis ex D. D. Bausbhio,

Quinta eſſentia lapidis aetitis ad Calculum frangendum P. I. Fabri, cujus præparatio,

℞. *Lapidem aquilæ, contundatur & pulveretur, connectatur cum pari pondere ſalis nitri & ſulphuris, & in tigillo forti, ad ignem fortiſſimum igniendus eſt, & per tres aut quatuor dies continuos in eo igne retinendus, donec optimè calcinetur & comburatur. Tunc demum à ſale nitro, per lotionem aquæ dulcis multoties iteratam, eſt vindicanda, & huic calci probè lotæ & ad ignem exſiccatæ affundendum*

dum eſt in vitro acetum acerrimum ſtillatitium, & vitro clauſo digere, dum eſt id omne per quindecim dies in balneo tepenti, eum demum evaporandum eſt acetum affuſum in vitro magni oris, aut in ſcutella argentea; deinde poſt deſiccationem iterum calcinandum eſt ſal illud in fundo remanens: & igniendum per tres aut quatuor horas; ignitum ſolvendum eſt aqua pluviali ſtillatitia, ſolutum filtrandum eſt, ut probè depuretur ab excrementis, filtratum evaporandum & deſiccandum, deſiccatum igniendum & calcinandum, ut priùs, donec ſal habueris probè purum & nitidum, ſicut cera fundens & dulce ſicut ſaccharum, tandem ſal illud limpidum & clarum, & ad hanc perfectionem deductum connectendum eſt cum ſpiritu vegetabili æthereo ex ſucco ononidis aut ſaxifragiæ extracto in balneo tepenti per duos dies, deinde ſervandum in phialis optimè clauſis.

In omnibus calculorum generibus, in quibuſcunque ſint locis & membris, mirè efficax eſt remedium: ſumatur ſingulis lunæ quadris cum aqua ononidis, ſummo mane, jejuno ſtomacho, à quantitate drachmæ unius ad duas: poteſt ſiphunculo injici in veſicam ad calculum diſrumpendum, & miros & ſtupendos præſtat effectus.

Liquor Diureticus Suinfurtenſium.

℞. *Lapidis ſpongiæ, hominis, ætitis ſeu aquilæ, lyncis, judaici, oculorum cancri, cryſtalli, ana partes æquales: contundantur & miſceantur cum pari quantitate nitri, calcinentur, laventur & edulcorentur, exſiccentur lento igne: pulverentur & indantur in phialam vitream, ſuperfundendo ſpiritum ſolis ad eminentiam duorum digitorum ſupra materiam, digerantur in cineribus, vaſe probè clauſo, quinque dierum ſpacio: poſtea ſpiritus ſalis per deſtillationem abſtrahatur. In fundo remanebit maſſa quæ in loco frigido & humido poſtea, reſolvitur in oleum, quod exſiccetur lento igne: poſtea reſolvatur in frigido, & iterum exſiccetur. Hoc repetatur donec non amplius exſiccetur, ſed permaneat in conſiſtentia olei quod oleum lapidum nominatur.*

Doſis hujus gut. v. *vel* vi. *in aq. ſequentis* ℥ i ß. *præmiſſo ſpecifico purgativo nephritico, vel electuario lenitivo antinephritico Quercetani.*

℞. *Succorum porri, cepæ, raphani, piloſellæ, ſigilli ſalomonis ex radicibus, argentinæ parietariæ depuratorum in B. M. ana* ℔ ß. *ſucci limonum depurati* ℥ x. *cryſtallor. tartari* ℥ ij. *ſpecierum diatragacanthi frig.* ℥ i ß. *cryſtalli calcinati cum æquali quant. nitri, loti & edulcorati, bl andoque igne exſiccati* ℥ j. *pulpæ caſſiæ recent. extractæ* ℔ ß. *terebinthinæ Venetæ* ℥j. *ſtercoris columbi albi* ℥ ij. *Omnia, contuſis contundendis, indantur in alembicum vitreum, & deſtillentur in cineribus, igne moderato ad ſiccitatem. Quæ tamen aqua præcipue ob additam cryſtallum deſtillationi ineptam, vix effugiet quorundam animadverſionem.*

Liquor diureticus compendioſiori methodo ſic paratur.

℞. *Oculor. cancri, lapidis Judaici, ſpongiæ, Lyncis, lazuli, aquilæ, glaciei vel ſpecularis ana part. aq. Reſolve in ſpiritu vel oleo ſalis. Si reſoluti ſunt, reſolutum clarum defundatur de fecibus. Clarum coagula ſuper cineribus calidis in vaſe vitreo, reſolve in marmore. Denuo coagula. Idque toties repete, donec non amplius coaguletur.*

♃. *Hujus gutt. aliquot in vino quotidie. Reſolvit calculum & per urinam expellit illum mucilaginis inſtar.*

Jan. Pharamund. Rhumel in Baſilea Chimica tale habet nephriticum.

℞. *Oculorum cancri, lapidi judaici, pumicis, ſilicis. l. ſpongiæ, l. cyncis, ætitis, l. carpionum, ſuccini, cryſtalli, corall. ana p. aq. ſuperfunde ſpir. ſalis ut quatuor digitos emineat: repete effuſionem ſpir. ſalis, donec nihil amplius ſolvat: ſolutiones omnes deſtilla per alembicum ad ſiccitatem: pulverem in cella, ſuper marmorem, reſolve in liquorem. Doſis à gran. x. ad xx. in cochleari ſpirit. calcis vivæ.*

Norvegicus ætites mas hac peculiari præ cæteris virium dote valet, ut ſi urina ſuper illum reddatur, eademque poſtea exhauriatur, frangat ac comminuat, tam renum quam veſicæ calculum. Fœmina verò cum aliis hoc habet commune, quod parturientibus auxilium præſtet.

Qui plura de ætite, de ejus differentiis, contentis, generatione & viribus, tàm veris, quam fabuloſis, deſiderat, conſulat D. D. Bauſchium *qui tractatum de eo conſcripſit.*

II. ALABASTRITES.

Alabaſtrites, ἀλαβαςρίτης, Alabaſtrum, Onyx, lapis candidus notiſſimuſque eſt, Germanicè *Alabaſterſtein.* Albâtre. *Alabaſter, Alabaſtren, Alabaſter.*

Species ſtatui poteſt Marmoris, verùm accuratè penſitatus, ipſo mollior eſt, proinde Marmor incoctum & imperfectum, ſi ita vis appellare poteris. Hîc ſi ita mollis ſit ut cultro ſcindi poſſit, gypſum rectius dixeris, & eſt id lapidis, è quo varia torno finguntur vaſa.

Uſus *rarioris Officinalis eſt, nec ingreditur uſualia, niſi ſolum unguentum alabaſtrinum.*

Vires. *Combuſtus reſinâ aut pice exceptus durities diſcutit, ſtomachi dolores cum cerato levat, gingivas comprimit. Dioſcorid.* Schroderus.

2. *Alabaſtrites*) Eſt Lapis ex ſpeciebus marmoris notus in Italia & Venetiis, *ejus tres ſunt ſpecies. Prima* candicat, ex qua fiunt imagines & ſepulchra mortuorum. *Secunda* ſpecies nigras habet maculas. *Tertia* in ruffo candicat, & hæc dicitur *Onyx,* quia unguis humani colorem præſentat. Et hanc intelligit *Dioſcorides,* dum ſcribit, Alabaſtrites qui & Onyx dicitur, crematus cum reſina aut pice durities diſcutit, quem ſequitur & *Dominus Autor noſter*. *Poſtremæ duæ ſpecies* etiam apud Nos in Germaniâ effodiuntur in Cheruſcis non procul à Northuſiâ, & in inferiore Saxoniâ circa Hildeshemium. Cæterum præſtantiores tamen ſunt, qui in Italiâ reperiuntur, quàm hîc locorum. Uſus rarioris ſunt in Medicinâ, præparatur tamen ex his *Unguentum alabaſtritum* dictum, quod in doloribus & aliis Capitis affectibus ſummè prædicatur. Vide Cataplaſma Hypnoticum D. D. R. ſect. 5. nu 1. in Theſaur. Pharmaceutic. annexo. *Hofmannus.*

III. AMIANTHUS.

Amianthus (ἀσβεςος) alumen plumoſum, eſt lapis aluminı ſciſſili non abſimilis, adeo ut à nonnullis inter ſe confundantur, Germanic. *Federvveiſs, Steinflachs, Schiefervveiſs,* Alum. de plume. *Earth-Flax, Salamandershairs, Feathered. Allum. Aerde-vlas, geluck Allüm.* (quippe ſunt, qui tales ex eo conficere norunt,) *Steindacht*, quod elychnia ex eodem fiant incombuſtilia.

Differt ab alumine ſciſſili, quod hoc combuſtile ſit, ſaporiſque aſtringentis, illud non item.

Vires. *Veneficiis reſiſtere creditur omnibus, præcipuè tamen veneficarum. Præterea abſtergit, ſcabiem ſanat; ſi cum* ▽ *vitæ & ſaccharo ſolvatur, mixturaque ejus exigua portio quotidie mane detur, album fluxum mulieris mox iri ſanatum aiunt.* Schroderus.

3. *Amianthus.*) Seu *Alumen plumoſum, ſciſſile* ſimilis alumini ſciſſo, adeo ut nonnulli inter ſe confundant, Germanicè *Federvveiſs.* Ex hoc utpote flexibili telæ ſpectaculi gratiâ conficiuntur, quæ ignibus injectæ ardent. Fabula communis eſt eum ex Salamandræ pilis oriri, quia non conſumitur igne, ut Salamandra. Sed Amianthus hic lapis eſt teſte Dioſcoride natus in Cypro, differt ab alumine ſciſſili quod hoc combuſtibile ſit & ſaporis adſtringentis, illud non item Veneficiis Magorum reſiſtit: Præterea abſtergit & ſcabiem curat cum ▽ vitæ & ſaccharo ſolutus. Si mixturæ ejus aliqualis portio quotidie tempore matutino exhibeatur, album fluxum mulierum mox iri ſanatum dicunt. *Hofmannus.*

Præ

Præparata.

Præparata Officinalia quæ amianthus ingrediatur, præter unguentum citrinum, nulla ſunt. Commendant tamen nonnulli ſupra modum Linimentum ad tineam puerorum, & ad ulcera tibiarum, [addunt etiam quidam unguentis nervinis.]

IV. LAPIS ARMENUS.

Lapis armenus eſt lapis maculis viridibus, cœruleis & ſubnigris relucens, ſicut lapis lazuli punctis aureis, adeoque non differunt inter ſe, niſi ſolâ maturitate, uterque enim in unis iiſdemque ſcaptenſulis reperitur. Lazuli tamen lapis ceu maturior, crebrius invenitur in fodinis aureis, armenus in argenteis.

Dicitur lapis armenus ſeu armenius Λίθος ἀρμένιος, quod olim ex Armenia ſolum ad nos translatus ſit, hodie tamen & in Germania producitur, verbi gratia, in Comitatu Tyrolenſi ſub nomine Melochites. Dicitur Arabicè Hager ſeu Hagiar, Germ. *Armenerſtein Bergblau*. La pierre d'Armenie. *Armenianſtone. Steen van Armenien.*

N. *Præfertur colorato cœruleus.*

Vires. *Deſiccat mediocriter, extergit cum levicula acrimonia & leviſſima adſtrictione. Internè propinatus purgat ſine noxa humorem Melancholicum, ἄνω καὶ κάτω. Verum ſi multoties. (12. aliis 50.) lotus fuerit, purgat ſolum per inferiora. Hinc conducit in Mania, Melancholia, Epilepſiâ & ſimilibus.*

Doſis in ſubſtantia ℥ j. *ad* ℈ iv. *Extrinſecus miſcetur Medicamentis ocularibus, uti & Pſilothris palpebrarum.* Schroderus.

4. *Lapis Armenus.*) Eſt Lapis maculis viridibus, cœruleis & ſubnigris relucens, ſicuti Lapis Lazuli punctis aureis, adeoque non differunt inter ſe, niſi ſolâ maturitate. Lapis tamen Lazuli ceu maturior crebrius invenitur in fodinis aureis; Armenus in argenteis. Reliqua vide in *Autore*. Hic de Lunâ Armenus ſcilicet, ille Lazuli ſcilicet de Sole participat. In Lygiis ad Coldbergam in foſſis ac puteis vetuſtis Aeris Cupferbergi cum pyrite producitur. Hic Lapis Armenus ad *P. Poterii mentem in Pharmacop. Spagyric.* Lib. 2. cap. 26. duplici conſtat Sulphure, ſale item duplici, volatili & fixo. In ſale volatili vim emeticam reddere, in Sulphure confortantem, roborantem & cardiacam. Si igitur vim purgantem velis, & vomitoriam ab ♁nio non admodum diſſimilem pulveriſatus purus cum aliis mixtus v. g. in pilulis eſt offerendus. Sin autem vim cardiacam expetis per calcinationem corrigendus eſt, cujus medio pro diverſâ texturæ & figuræ partium mutatione in motu vel quiete omne volatile recedit qualitatis purgatricis cauſa ac fortificans ac roborans ſuccedit. Specificum autem eſt in maniâ, Melancholiâ, Epilepſiâ &c. Hujus Lapidis præparationes conveniunt cum Lapide Lazuli, de quibus vide inferius. *Hofmannus.*

Præparata.

1. *Lapis* creberrimè *lotus*, quem præparatum vocant.
2. *Pilulæ* d. l. armeno, *vide Diſp.*
3. *Magiſterium* fit l. commun. Lapis calcinatur per fl. Sulphur. hinc ſolvitur calcinatus in aceto fortiſſimo alcaliſato aut mellito. *Querc. Pharm. reſtit.*

N. *Mallem equidem lotum adhibere lapidem, vel ſolutionem cum* V *perficere; quippe vis purgatrix aciditate infringi apta eſt.*

LAPIS CALCARIUS.

Lapis Calcarius, eſt lapis ille gryſeus, ex quo violentiâ ignis conficitur calx muraria, Germanicè, *Kalckſtein.* Pierre à faire la Chaulx. *Limeſtone. Kal.k ſt..n.* Schroderus.

5. *Lapis Calcarius.*) Græcis dicitur ἀσαυστός. Eſt lapis ille gryſeus, ex quo ignis violentiâ calx muraria conficitur. Optimus ad medicinam maximè conducibilis reperitur Naumburgi. Alias totus ille tractus Riphæorum circa Kauffungam, ac ſi diceres Kalckſund, Seittendorff & Riersdorff in Sileſiâ hoc Lapide calcario abundat. Novo invento ad Freibergum oppidulum carbone foſſili coquitur. Alias calx candidiſſima etiam in Alpendorff ad Gigantæum montem uſtulatur ex Saxo candido Alabaſtrum æmulante. Quoad Vires ignea eſt, & tam occultum potentiâ in ſe continet ignem, ut & actualem △nem comburendo, mortificando & deſtruendo ſuperet.

Officinalis non eſt, niſi in Præparatis, quæ ſunt.

1. *Calx viva.* Græcè ἀσβεστὸς. Arabicè Herach, Nure, Nura.

Vires. *Eſt ignea, mordax, adurens, cumque progreſſu temporis cruſtam gignens.*

2. *Calx lota,* (è qua ſal optimè ſ. a. elixiviatum,) Exiccat ſine mordacititate, adeoque valet ad contumacia ulcera, (verbi gratiâ, venerea) uti & ad ambuſta & alia, quæ non facilè curationem admittunt.

3. *Lixivium*, quod conducit ad vulnera putrida eluenda. [Ex hoc fit aqua Chirurgorum pretioſa ad ulcera venerea, ſerpigines gangrænæ reſiſtens.] Quin imò ex eodem fit ▽ ophthalmica inſignis, quam vide lib. 2.

[Cremor calcis vivæ decoctæ cancri exulcerati labia corrupta aufert.]

[Balſamus ad ambuſta ex calce decocta Ol. ſimpl. roſar. ovorum.]

4. *Spiritus.* ℞. Calcis vivæ, q. v. læviga minutiſſimè, imbibeque cum Vi alcaliſato, (qui ab omni Phlegmate purus ſit, alias incaſſum laboratur,) quantum ſcil. imbibere illa poteſt, (non ad eminentiam) abſtrahe V leniſſ. MB. calore, cum cohobiis (8. vel 10. repetitis) ſic fortificatur vis ignea Calcis vivæ,

℞. Hujus Calcis vivæ lævigatæ, ℥ x.
Sal. Tartari puriſſ. ℥ j.
⊖ Tart. probè prius igniti ℥ xj.

Miſc. ac deſtilla ex Retorta lutata, infra medietatem repleta, in excipula duo, quorum unum (in quo ſit parum V rectificatiſſ.) deſtinatum ſit ſuſcipiendo ſpiritui adeoque capacius alterum (quod vacuum) extillanti phlegmati.

Excipulum prius connexum ſit cum canali ex alterius illius excipuli collo deducto, poſterius ſit collocatum, ut phlegma recta delabi poſſit. Accenſo igne ſtillat primum phlegma quod delabitur in excipulum vacuum; dein auctiori igne prodit ſpiritus albicans, qui per canalem in alterum illud excipulum ad V recta tendit, eique ſeſe commiſcet, ut ſeparari ab invicem difficulter poſſint.

Rectifica aliquoties, & ſepara leniſſ. calore V in phiala, vel accende V qui efflagrabit remanente ſpiritu Calcis vivæ in fundo.

N. 1. *Niſi Calx viva initio cum* V, *ad modum dictum fuerit impregnata, adeoque exaltata, incaſſum laborabitur, quippe defluit in excipulum minus, vique phlegmatis commixti nullius evadit valoris.*

N. 2. *Spir. primo flavus eſt, verum leniter in cin. rectificatus clareſcit.*

Vires. *Summum eſt arcanum in atterendo radicituſque pellendo calculo, cujuſcunque ſpeciei, aut loci. Confert & Podagricis. Pulmon. nocet.*

In uſu Pharmacopœtico ſolvit Cryſtallos, oculos ♋, *lapideſque duriſſimos. Keſl. lib. 1. c. 80. ſpiritus minerales volatiles figit. Baſil. in rep. L. P.*

N. *Alii miſcent Calcem vivam cum biſmulto, ac deſtil-*

deſtillant ex ♈ in receptaculum capaciſſ. aliquot (ſex) menſuris ▽æ adimpletum.

5. *Hinc ſpiritus Calcis vivæ alcaliſatus.*

℞. Sal Calcis vivæ, ſolve in ſpiritu Calcis vivæ, ac forma globulos cum argilla, vel miſce cum pulvere laterum, deſtillaque per retortam. *Schroderus.*

2. *Calx lota (è qua ſal optimè ſ. a. elixiviatum.)* Communiter duplicem in calce ſalem ſtatuunt, Acidum ſcil. & ſalſum. Sed neutrum ex illa extrahi poteſt, & horum loco ineſt potius ſpiritus quidem igneus, adurens, mordax &c. omnia alia ſalia volatilia mortificans & deſtruens. Cùm igitur actu nullum ſal in calce inſit, inepta eſt ejus lotio & ſalis elixivatio. Aliàs ex hâc Chirurgi conficiunt aquam ſuam pretioſam, ad ulcera Venerea, & ad ambuſta, unde:

3. *Lixivium.)* Ex hoc dicta aqua pretioſa conficitur, quæ ſtupendo cum effectu adhibetur in ulceribus Venereis, antiquis corrodentibus. Dum exſiccat, ſaturando carne replet, inflammationem arcet, extrahit ſalia ſylveſtria erodentia, à quibus calor, ſedat dolorem, reſiſtit gangrænæ & eam mirabiliter extinguit, curat ſcabiem herpetem, ſerpigines, guttam roſaceam, aphtas tollit, & tumores hydropicos; inde Aquapendens in Chirurgiâ aquam calcis vivæ deprædicat, in quâ ſpongiam novam, quæ totum abdomen comprehendit exprimit, eamque ſuperligat. Sic enim aquas hydropicorum inſenſibiliter abſumi & viſcerum intemperiem tolli ac Lienem induratum ſanari aſſerit.

N. Hoc decoctum ſi in vas æneum infunditur, addito parum * fit aqua ophthalmica Chirurgorum.

Egregium & probatum Decoctum contra ſcabiem deſcribit *Cl. Sennertus in inſtitut.* De quo tamen notandum, quod aliquando etiam addatur aliquid de cryſtallis Saturni, & mercurii dulcis, in primis ubi ſimul adeſt inflammatio, prout in fiſtulis, ulceribus malignis, Lue Venerea & non raro in ſcabie illud contingit. Expertus eſt *Dom. D. Johanne Michaelis* p. m. in ſcabie manuum, & non repellit, ſed dum ſalia maſſæ ſanguineæ vel laticis corroſiva imbibit, exſiccat & temperat; calidè autem vel tepidè applicari & ſæpius iterari debet.

N. Cremor calc. vivæ colligitur in decocti ſuperficie, hic ſi labiis cancri inſpergatur, pars corrupta decidit, ſana autem remanet.

4. *Spiritus. Recip. calc. viv. q. v. læviga minutiſſimè &c.)* Hujus ſpiritus elaborationi & præparationi album, Nos addimus calculum, licet multum operæ & laboris ad hunc conficiendum requiratur, tamen ejus notabilis energia iterum compenſat. Summam eſt arcanum in expellendo calculo cujuſcumque ſpeciei aut loci, Confert & Podagricis. In uſu pharmaceutico ſolvit oculos ♋, cryſtallos &c. & figit ſpiritus volatiles.

N. Sequens ſpiritus calc. viv. compendioſior eſt.

Recip. calc. viv. ℔ iij. læviga minutiſſimè & miſce cum ſp. vini, q. v. inde in retortam, & igne aperto pelle in amplum receptaculum, primo exit ſpiritus, & aucto igne poſtmodum ſequitur ſp. viv, in formâ nebulæ inſtar ſpiritus Salis.

Alius.

Recip. Spirit. Salis non dephlegmati vel cum alumine compendioſius deſtillati q. v. calc. viv. recentis ana, miſce, & ſtatim per alembicum in conſuetas efferveſcentias deſtilla liquorem urinoſo ſapore & odore. Reſiduo ad liquoris Nephritici confectionem ſufficientiſſimo.

5. *Hinc ſpiritus calc. viv. alkaliſatus.)* Ex calc. viv. ſal. elici nequit, & hujus loco potius ineſt ſpiritus quidam igneus mordax, qui aliis ſalibus & acidi fixis in virtute robur addit, ſic v. g. ex calc. viv. Tinctura Nephritica h. m. præparatur,

Recip calc. viv. part. 10. Tartari crudi opt. part. ij coq. cum ▽â fontanâ in ollâ, filtra, coagula & extrahe cum ſpiritu vini. Præſtantior autem erit, ſi loco ſpiritu vini pro extractione ſubſtituatur ſpiritus Nephriticus quidam compoſitus. Vires ejus ſunt in calculo & morbo Tartareis.

N. Si tamen ad aliquod ſalis genus, id quod in calce vivâ prædominatur, eſt referendum, ſtatuimus, in numerum lixivioſorum ſeu alkalium eſſe reducendum, obſervando, quod quamvis evaporata ejus infuſio vix ſal ejuſmodi ſuppeditet, quale cineres exhibere ſolent, ſi tamen colore ſuo cœruleo Tincturam ligni Nephritici ſpoliemus beneficio aceti, lixivium calcis vivæ ſtatim fugatum colorem revocabit.

N. Balſamus etiam ad ambuſta præparatur ex decocto calc. vivæ cum Oleo ſimplici vel compoſito v. g. Oleo lil. alb. roſar. ovorum &c. *Hoffmannus.*

VI. LAPIS CALAMINARIS.

Cadmia lapidoſa, cadmia metalli expers, eſt lapis foſſilis, ſubflavus, non admodum durus, luteum dum accenditur fumum eructans, German. *Galmey, Galmeyſtein.* La Cadmie pierreuſe. *Calaminaris ſtone* or *Stony Cadmia. Calaminaris* of *Cadmyſteen.*

Reperitur ſæpius in metallorum fodinis.

Vires. *Siccat leniter, extergit, adſtringit, ulcera carne replet, cicatricem inducit. Adhibetur ſolum externè, creberrimoque uſu infantum excoriationibus exiccationis ergo inſpergitur.*

N. *Utuntur eo & ærarii ad conficiendum aurichalcum, cuprum enim pallere facit.* Schroderus.

6. *Lapis Calaminaris.)* Vocatur *Cadmia Nativa* Metalli expers. *Eſt enim Cadmia* vel *nativa* vel *factitia*. Illa metallica, *Cobaltum* eſt, & Metalli expers præſens *Lapis Calaminaris* dicitur de quo hoc loco. De *Cadmia factitia* autem infra. *Cadmia* metalli expers eſt Lapis foſſilis, ſubflavus, non admodum durus, luteum, dum accenditur, fumum eructans. Germanicè Galmey. Reperitur in metallorum fodinis. Ejus uſus eſt plurimum externus; creberrimo uſu infantum excoriationibus exiccationis ergo inſpergitur.

N. Hujus Magiſterio non opus habemus S. Cloſſ. ut quod ob Sulph. Antimoniale emeticum ſuſpectum ſit. *Hofmannus.*

Præparata.

1. *Lap. Calamin. præparatus.*

2. *Emplaſtr. è lapid. Calaminaris, vulgò Zeltenpflaſter Auguſt.*

3. *Empl. Gryſeum de lapide calaminar. Auguſt.* [*differt à ſuperiori, quod etiam Myrrham & Camphoram contineat.*]

4. *Magiſterium lapid. Calaminar. S. Cloſſ.*

Solvitur in part. x. ♒us Sal. com. deinde præcipitatur pulvis rubeus cum Ol. Tart. more vulgari & dulcoratur ſæpius aquâ calidâ.

Evacuat per vomitum & ſeceſſum, mitius quàm ♁ præparatum.

[*Oleum lapid. Calamin.*]

VII. CRYSTALLUS.

Cryſtallus, lapis tranſparens eſt, aquam in glaciem congelatam omnino referens. Dicitur Cryſtallus à *κρύος*, id eſt, gelu, & *στέλλω*, id eſt, contraho, Germ. *Cryſtall.* Du Cryſtal *Cryſtal. Cryſtal.*

[N. *Calcedarius Cryſtallum, in cujus medio liquor fluctuans, habuit. Vid. Muſ. Veron.*]

N. *Gemmam, ſi vocare libet, licet, modo omnium molliſſimam dixeris, vel à ſimilitudine coloris, qua gemmas colorata Cryſtallus refert, pſeudo gemmam verbi gratia, pſeudo-berillum, pſeudo-topaſium, pſeudo ſaphirum, pſeudo-*

pſeudo-ſmaragdum, quæ veris gemmis molliores ſunt. Sic & Iris vocata gemma à colore, quem fronti applicata exhibet, Cryſtalli ſpecies eſt.

Invenitur variis in locis, etiam in Germania, Bohemia, Ungaria, Cypro & Luſitania, & nonnunquam in agris.

Delectus.

Quanquam coloratæ minimè negligendæ ſint, ut præcipuè pſeudo-adamas, quæ aliis nobilior, attamen in præparationibus Chymicis recipitur Cryſtallus propriè ſic dicta, quæ eligenda eſt puriſſima, pellucidiſſima, ac eximiè intenſa.

Vires. *Facultatis eſt adſtrictoriæ, adeoque confert dyſenteriæ, diarrhææ, cœliacæ, choleræ, fluxui uterino: præbet lactis abundantiam, atterit calculum totius corporis, hinc prodeſt & podagricis.*

Si pulveris ℈ *ij. vel* ʒ *j. pondere cum* ☍ *amygdal. dulcium exhibeatur, curat eos qui* ☿ *m hauſerunt, Boët.* de Boodt, *Matthiol. vid. Heer.*

N. *Sunt qui Cryſtallum radiis ſolaribus objiciunt, hiſque concentratis cutem inurunt, loco cauterii.* Schroderus.

7. *Cryſtallus.*) Hæc nomen à glacie mutuat κρύος, enim genu & στέλλω contraho ſignificat, vel quod aquam in glaciem congelatam referat, vel quod ex glacie nata ſit. Licet ultimam aſſertionem plurimi negent, & ſtatuant, Cryſtallum quidem in montium jugis præcelſis ex aquâ oriri, ut omnia mineralia, ſed ſemine petroſo & lapidifico imprægnata; Nam ſi Cryſtallus immediatè foret ex glacie, nec Alabanda Aſiæ, nec Cyprus Inſula Cryſtallum procrearet, quibus calor jugis eſt. Imò etiam igni admota liqueſceret, quod non contingit. Unde *Diodorus Siculus*, Cryſtallus, inquit, Lapis, ex aquâ oritur puta congelatâ, non quidem à frigore, ſed divinâ caloris vi quæ duritiem ſervat variosque colores ſuſcipit. Hujus rationem reddit pro noſtra ſententia ſtabilienda *Ariſtoteles in lib. Meteor.* Lapidea de ſubſtantiis, mineralibus materialiter ſunt aqua, ut dicit *Richardus Ruffus*, Lapides vel Lapidea mineralia ſunt ex aquâ; ſed tamen, quia habent de terreâ ſiccitate plus quàm liquabilia, ideò non congelantur ſolo frigore aquoſo, ſed etiam terreâ ſiccitate, quæ permutat aquoſum terreum in vitreum quando ſuper aquam dominatur. Quò etiam intendit ſupra allegatus *Thomas Scherley Regis Angliæ Medicus in Diſſertatione de cauſis Lapidum,* Et *ingenioſiſſimus Steno in diſſertatione de Solido intra Solidum* naturaliter contento. Ubi de Cryſtalli productione multa ſubtiliter explicat: an inter fluidum & fluidum, vel inter fluidum & ſolidum; an verò in ipſo fluido producatur: nam è fluido productam eſſe, ille nullum habet dubium; frigore tamen concretam ut communiter volunt, negat. Quemadmodum enim vitrum non ſolum ignis adminiculo producitur, ſed & abſque igne humano artificio fieri poteſt, ſic & cryſtallus abſque ignis ope ex fluido concrevit, & abſque igne eadem etiam in fluidum poteſt reſolvi, modò quis verum Naturæ menſtruum imitari queat. Fluidum enim, quo cryſtallus congelatur, eo modo ſeſe ad cryſtallum habet, quo aqua communis ſe habet ad ſalia. Hæc adſertio per mechanicam item demonſtrari poteſt: Preſtat enim ſingularis liquor, qui vulgare vitrum ad tempus ita flexibile reddere poteſt, ut ex hoc imagines fingi poſſint aut illi characteres imprimi. Cujus meminit *Excellent. Dnus Morhof. in Epiſtol. ad Cl. Dn. D. Majorem de Scypho vitreo per ſonum fracto ſcripta.*

Invenitur variis in locis.) In venis tam propriis, quàm metallicis, etiam in agris, ubi ſeritur & in præruptis montibus. In Hiſpaniâ, Galliâ, Scythiâ, Norvvegiâ, Angliâ, Indiâ Or. & Occid.

Vires.) Facultatis eſt præcipitatoriæ adſtringentis, inde confert in omni alvi fluxu bilioſo, cholerâ, ſcil. dyſenteria &c. Ad dolorem etiam & ardorem ventriculi commendatur ab Heinric. ab. Heer. Lib. 3. obſerv. 16. Item contra Mercurium ♎ tum ſumptum. Intus adhibita lactis abundantiam præbet; Sin autem in tergo è regione mammillarum applicetur. Lac imminuit, id quod *Dn. Dn. Johan. Michaelis* ſæpius probavit. Medetur etiam Epilepſiæ pulveriſata propinata, & ſi collo appendatur, contra vertiginem facit. Atterit calculum totius corporis, hinc prodeſt & podagricis. *Hofmannus.*

Præparata.

1. *Præparatio in ſpecie ſic dicta.*

Fit. leg. commun.

2. *Sal Cryſtallorum.*

Cryſtallus calcinata ſolvitur in Acet. deſtill. vulgari, Terebinthinato, ſ. a. ſolutio filtratur, abſtrahiturque ad ſiccitatem. Materia remanens, Sal Cryſtallorum; purificatur ut moris.

N. 2. *Alii calcinant Cryſtallos primo cum* ♀ *re, dein cum Sal. nitri, Alii è contra, priorem calcinationem cum Sal. com. peragunt poſteriorem cum Sulphure. Alii alterutrâ ſaltem calcinatione Cryſtallum ſolubilem reddunt.* (*Exempli gratia, Quercetanus & Boetius de* Boodt, *cum Tartaro. Quidam præmittunt ignitionem, vel ſimplicem, vel reſtinctoriam. Quæ diverſitas neminem moveat, modo Cryſtallus ſolubilis fiat. Vide Notas de Calcinatione Lapidum in genere.*

[*Calcinari etiam dicitur Cryſtallus peculiari* 🜄 *& molleſcere inſtar pultis, recuperare duritiem immerſione in acetum.*]

N. 2. *Calcinatio vera Cryſtalli extat in Nuyſemant de l'Eſprit de l'Univers. p. 140. Ex hac calce elicitur Sal nephriticum per ebullitionem in aq. urtic. major. fortificata ſuo proprio ſale &* ℥ *ij. ſpiritus ſalis marini, colore virid.*

N. 3. *Si Salis hujus uſum ſine mora experieris.* ℞. *Cryſtallos groſſe contuſ. candefac ac extingue in aq. Raphani, Ononid. Petroſelin. & ſimul acuata ſpir.* ⊖ *i, vel* ☍ *Sulphur. idque multoties (decies) repetatur: filtraturæ ſi libet adde ſacchari q. pl. ac habes aq. ononidis, & ſimil. Cryſtalliſatum. Boetius de* Boodt.

N. 5. *Alii loco Acet. deſtill. adhibent aq. deſtillatam Urticæ minoris, Boetius de* Boodt.

N. 5. *Neque confertim, neque continuo Sal Cryſtall. exhibere licet præſertim ubi natura languidior extiterit. Hartman. in Croll.*

Doſis ſalis à gran. 6. ad 16.

[*Huc pertinet Cryſtallus Cryſtalliſatus.*

℞. ⏀ *cryſtalli*

⏀ *tri ana. q. v.*

f. ſolutio in ✱ *hinc evaporatio ad Medietatem, & cryſtalliſatio loco frigido.*

Vires. *In febribus ardentibus & intermittentibus exhiberi poteſt, vel ſolus ad grana aliquot, vel mixtus arcano duplicato.*

3. *Magiſterium Cryſtalli.*

Solutioni (cum aq. urtic. factæ, &c.) inſtilla Sal. com. fuſi aliquid & præcipitabitur, decanta, elue. exicca.

4. *Oleum ſeu liquor Cryſtallorum.*

Solvitur Sal Cryſtallorum per deliquium, tumoris *Sennert. Inſtitut. lib. 5. part. 3. ſ. 3. cap. Medull. deſtillat.*

Doſis gran. xv. ad xx.

5. *Elixyr Criſtalli.*

Fit volatiliſatione Salis Cryſtallorum. Nimirum.

℞. Salis Cryſtall. optimè [iteratis ſolutionibus ac coagulationibus] purificati, q. v. digere in fimo equino, vel ejus vicario MB, cum 🜄, vel cum aq. urticæ, [vel potius cum 🜄 ſupra urticam deſtillato,] ☍ 14. Dein deſtilla per cucurbitam humilem retortamve, ſic

ſic menſtruum ſecum aliquid Sal. transferet, remanenti materiæ affunde recens menſtruum, idque toties, donec Sal ferè totum aſcenderit. Serva pro uſu.

Boëtius de Boodt, *Beguin.*

6. *Eſſentia Cryſtalli.*

Deſtilla Elixyr Cryſtalli & abſtrahe menſtruum lento MB calore, ad conſiſtentiam mellis, vel ſi placet inſpiſſa.

N. *Keslerus Elixyr Cryſtallorum parat hoc modo.*

1. *Cryſtallos calcinat ignitione reſtinctoriâ in Acet. deſtill.*

2. *Calcem hanc comburit cum Sal. nit. horis duodecim.*

3. *Hujus Maſſæ* ℥ *iv. affundit Acet. deſtill.* ℥ *x. digerit* ☍ *2. vel 3. in* MB. *abſtrahit ad ſiccitatem Acet. deſtill. remanentiam reſolvit per deliquium, oleumque rubrum ſeorſim colligit, (neglecto albo quod à Sal. nit.) rubrum illud digerit* ☍ *cum vino fæceſque ſubſidentes rejicit. Claram ſolutionem cum liquore, e. g. cum vino exhibet, idque quotidie ter Kesler. lib. 3. cent. 44.*

7. *Cremor Cryſtalli.*

℞. Cryſtal. in Alcool redacti, Sal. Tart. defæcati ana ℥ ij. calcinetur in furno Anem. vel in fornace figulina, in teſtâ vitreatâ cum operculo foramine pervio, donec vaſa figuli perfecta ſint, poſtea in aq. Urtic. minor. projiciantur, & omnia ſolventur in aquam lucidiſſimam viridis coloris: ſi quid pulveris in fundo maneat, abjiciatur, liquori vero prædicto immitte parum S l. com. fuſi pulveriſati, ubi pulvis fundum petet.

Cujus edulcorati doſis erit à ℈ß. *ad* ℈ j. *vel ſolitariè, vel cum cremore Tart. In hydrope & calculo commendatur. Habuit S. Cl. ex commun. D. Gregor. Horſti f. l. memor.*

[*Poterius liquoris ſive olei multiplicabilis (Sulphuris) meminit per Alcool cryſtalli, unciâ menſis ſpatio unciam producente.*]

[*Fulminaris lapis ſ. Ceraunia, cunei pyramidalis plerunque figura, unde Donnerkeil vel ſecuris, Donnerart. &c. Hunc mulierculæ in defluxionibus in genas, mammillas, &c. affricant: In Hydrope & Ictero etiam proficuus dicitur.*]

Gloſſopetra ſeu lingua ſerpentina Melitenſis, Schlangen- oder Natterzung, cortice ſplendido ſubcinereo, (qui nigricante melior) minutim ad latera ſerrata, Terræ ſigillatæ vel Boli Armenæ virtute pollens æſtimatur, ad venenatos animalium ictus & morſus, venenaque arcenda, epilepſiam lumbricos; variolas & morbillos malignos aſſumta, dyſtociam manu detenta, difficilem dentitionem, appenſa. Oculi lutei ſerpentum Gloſſopetræ connaſcuntur, viribuſque æquales putantur. Inveniri etiam in ericeto Luneburgenſi dicunt pyramidales gloſſopetras.] Schroderus.

2. *Sal Cryſtallorum.* 3. *Magiſterium Cryſtalli.* 4. *Oleum ſeu Liquor Cryſtallorum.* 5. *Elixyr Cryſtalli.* 6. *Eſſentia Cryſtalli.*) Iſtiuſmodi præparationes nil niſi ſalia larvata ſeu fucata ſunt, parum vel prorſus nihil de cryſtallis in ſuo ſinu recondita habentia, ex diverſitate texturæ & figuræ partium minutiſſimarum orta præſens mendicatum pallium induerunt. Ut tamen & Noſtrum ſymbolum addamus, dicimus, poſſe, ex ſale cryſtallorum per ſolutionem Acet. diſt. prævia illorum calcinatione parato cryſtallos cum Nitro confici in febribus non rejiciendos. Recip. Salis cryſtallorum & Nitri ana q. ſ. ſolve in acet. diſt. evaporet media pars & cryſtalliſentur in frigido. Hi cryſtalli utiliſſimi ſunt in febribus ardentibus ad grana aliquot in cereviſia diſſoluti.

N. *Magiſterium Cryſtalli.*) Si ſolutio cryſtallorum per Acet. diſt. cum ſpiritu Vitrioli rectificato in aq. communi diluto præcipitetur, humiditas decantetur & reſiduum cum aq. f. edulcoretur, fit Magiſterium. Decantatus Liquor novis cryſtallis calcinatis affunditur, quod denuo ſolvit, & ſecum ſolutionem retinet. Quando non amplius ſolvit, filtratur & evaporatur, tranſit in Liquorem ſeu Oleum per deliquium Cryſtallorum.

N. *Eſſentia Cryſtalli*) Recip. ſolut. cryſtallor. per ſpirit. Nitr. aceto deſtillato temperat. fact. m, inde retortæ, abſtrahe ad ſiccit. reſid. ſolut. cryſtall. ſiccam extrahe ſpiritu vini, digere filtra.

7. *Cremor Cryſtalli.*) Optimus fit cremor cum ✱, ſi ſcilicet cryſtallorum ſ. q. cum ſ. q. ✱ miſceatur pulveriſatorum exquiſitiſſimè, inditaque retortæ deſtillentur lento prius Ignis gradu, & deinde fortiori Igne urgeantur, primò exſillat ſp. urinoſus volatilis, poſtea ex reſiduo cum deliquio ſoluta fiat cremor beneficio ⩱tationis factæ cum aquâ fontanâ. *Hofmannus.*

VIII. *Hæmatites.*

Λίθος αἱματίτης. Lapis eſt, vel terra duriuſcula, ſanguinem colore æmulans. Arabicè Scedenigi. Germanicè *Blutſtein*, la pierre Hematite, ou Sanguine. *Bloedtſtone. Bloedt-ſteen.*

N. 1. *Lapis Hæmatites noſtratibus officinis uſitatus, differt à veterum hæmatite.*

N. 2. *Interdum Niger eſt, interdum ferri colorem habet.*

Reperitur Lapis Hæmatites Officinarum in variis Germaniæ locis. Sæpè inter rubricas & ferri fodinas, quales prope Joachimicam vallem Bohemiæ, item circa Breſlam, aliquando ex Oſtracite naſcitur, ut prope Hildesheimium contingit. Excoquitur in ferrum lapis hic, adeoque ferri materia exiſtit. Fit etiam hæmatites ex magnete uſto.

Optimus habetur friabilis, ſaturato colore niger qui per ſe durus eſt & æqualis, nulla ſorde admiſta aut ſepto intermedio, habetque cinnabari ſimilem colorem, ſed ſaturatiorem; loci naturalis ratione, Hiſpanicus præſtat.

Vires. *Refrigerat, exiccat, adſtringit, glutinat, adeoque convenit ulceribus oculorum & pulmonum, oculis lacrymantibus ſanguinem, ſanguinis expuitioni medetur, profluvia, v. g. hæmorrhagiam uteri, alvi, &c. compeſcit.*

Datur pollen internè à ℈ j. *ad* ℈ iv. *Externè modo variis adhiberi poteſt.* Schroderus.

8. *Hæmatites.*) Germanicè *Blut-Stein*: ita dicitur, vel quod colore cruorem æmuletur, vel quod ſanguinem ſiſtendi vim obtineat; Mediæ Naturæ eſſe videtur inter Terram, lapidem & Metallum. *Plinius* quinque hujus recenſet genera, inter quæ tamen quædam potius ad Rubricas & Cinnabarim Nativam ſunt referenda, quàm ad Hæmatiten. Idem etiam Lib. 36. Cap. 20. Hæmatiten & Schiſton cognationem habere docet, & hæmatiten diſcernere venas rubentes & quod ſit naturâ friabilis. Differt tamen hic ab illo, quod Schiſtos ſit pallidior & crocei coloris ac friabilis, ſuapte naturâ fiſſilis, concreto & alterno cohærentium venarum adhæſu ammoniaco ſali ſimilis. At Hæmatites venis rubentibus friabilis eſt & ſanguineus. Naturæ Martialis eſt. Fit hæmatites etiam ex magnete combuſto, ſeu igni artificialis, ſeu calore terræ. Hinc non eſt impoſſibile, ut, ubi ſit magnes, ibi etiam reperiri Hæmatiten. Hiſpanicus omnibus præſtat; Et qui compoſtella adfertur, figuræ anguloſæ eſt.

Vires. Habet vim adſtrictivam glutinantem, unde in hæmoptoë & omni hæmorrhagiâ, item ulceribus pulmonum commendatur, in dyſenteriâ notabilem etiam præſtat energiam. Manu detentus narium ſiſtit hæmorrhagiam vel fronti item applicatus, & tunc miſceri poteſt cum aq. burſ. paſtor. plantag. ſpermat. ranarum

rum &c. in nimia uteri hæmorrhagia externè etiam adhiberi poteſt cum aq. ſpermat. ran. & aceto roſaceo. *Hofmannus.*

Præparata.

Hæmatites præparatus fit leg. c. cum ▽ adſtringente, verbi gratia, Plantaginis vel Tormentillæ.

N. 1. *Hæmatites per* ☊ *exhibet ſpir. odore ac ſapore ſpiritum* ⊖*-i æmulantem.*

N. 2. *Hæmat. cum* ✱ ♎*-tus pulverem præbet inſigniter diaphoreticum, coloris aurei valde jucundum.* [*Aroph. Paracelſi quaſi aroma Philoſophorum.*]

N. 3. *Pollen cum aqu. diaphoretica maximo cum fructu podagricis exhibetur.*

Ex communicatione Clariſſ. Dn. D. Langelott.

[*Tinctura etiam parari poteſt ex Hæmat. cum ſp.* ⊖ *comp. vel ſp.* ⊕ *recluſ. per ſpir. Vini.*] Schroderus.

Præparata.) Si Lapis Hæmatites lævigando in ſubtiliſſimum, & quaſi impalpabilem alkohol redactus poſtmodum cum modico olei deſtill. Nucis moſchatæ humectetur vel cum extracto croci Or. imprægnetur, & denique exſiccetur, ad plures alios affectus incomparabile remedium.

N. 1. *Hæmatites per retortam exhibet Spiritum.*) Non per ſe, ſed cum ſale acido ✱ci turgidus ſummè volatilem ac fragrantiſſimum largitur ſpiritum magnorum morborum domitorem ſi optimo uſus fueris luto, ſpiritus penetrationem impediente ex receptaculo. Si Hæmatiten cum ✱co ana ſublimaveris, flores acquires elegantiſſimos *Aroph* Paracelſi dictos, ſeu Aroma Philoſophorum, in quartanâ, Plicâ & morbo hypochondriaco maximæ virtutis. Hi dicti flores magis diuretici, quàm diaphoretici ſunt, contra atque *Autor* ſtatuit.

Recip. Lapid. hæmatit. optimè lævigat. ✱ci ana ℔ j. miſta & probe contuſa ac trita impone cucurbitæ fictili probe lutatæ ac igne aperto per gradus ſublima, adaptato recipiente munito. Primò exſtillat liquor volatilis ſalſus urinoſus luteus, & deinde ad latera cucurbitæ flores aurantii coloris elevabuntur, quorum tincturam ſpiritu vini rectific. extrahe, extractiones omnes per deſtillationem in cucurb. ta vitreâ abſtrahe ad rutilantis ſalis ſiccitatem, qui aurei coloris ſal croci ſpirabit fragrantiam. Unde & Philoſophorum Aroma dicitur. Ex Cap. mort. deſtillatur ſpiritus acidus Martialis elegantiſſimus.

N. Tinctura quoque elegantiſſima paratur ex Lapide Hæmatite prius cum ſp. Salis compoſito vel ſp. Nitr. à Sale abſtracto recluſo ac poſtea ſpiritus vini beneficio extracta.

Doſis harum Tincturarum eſt à gut. xx. ad xxx. in convenienti vehiculo. *Hofmannus.*

Præparationes variæ Lapidis hæmatitis ex D. D. Bauſchio.

Hæmatitis uſtio.

Peragitur ſi lapis hæmatites igniatur atque in felle bubulo extinguatur.

Hæmatites trochiſcatus.

Hæmatites minutiſſimè pulverizatur, coquitur in aq. comm. vel plantag. deſtillata, per horas 7. vel 8. uti fiat inſtar terræ lutoſæ, quæ poſtea effuſa & evaporata aqua, in trochiſcos formari & ſigillari poteſt. Doſ. eſt à ℈ *j. ad* ℈ *iv.*

Magiſterium Hæmatitis.

℞. *Hæmatitis pulveratæ* ℥ *vj. calcin. cum ſulphuris puriſſ.* ℥ *viij. vel pluribus, donec ſulphur abſumotum ſit. Huic rurſus pulveriſato affunditur acetum deſtillatum, bene acuatum cum ſp. vitrioli. Poſt aliquot dierum extractionem in loco calido, vel arena calida, præcipitatur cum oleo tartari per deliquium. Præcipitatum cum repetita affuſione aquæ calidæ edulcoratur, edulcoratum ſiccatur, ſiccatum quod coloris rubei eſt, ad uſum ſervatur.*

Flores Hæmatitis.

℞. *Lapidis hæmatitis ſubtiliſſ. pulveriſati p. j. ſalis ammoniaci itidem tenuiſſime triti. p. ij. optime miſce; ſublima per alembicum in arena, igne forti: ſpiritum ſalis ammoniaci egreſſum ſeorſim ſerva: ſublimatum elue aqua, filtra per chartam emporeticam, præcipita affuſione olei tartari per deliquium, donec aqua fiat alba & clara: præcipitatum edulcora, ſic habebis flores lapidis hæmatitis.*

Tincturæ Hæmatitis.

℞. *Caput mortuum quod in ſublimatione hæmatitis in fundo cucurbitæ remanſit, ſolve aqua, donec non amplius tingitur; ſolutiones calidas filtra per chartam, coagula igne forti, & extrahe poſtea cum ſpir. vini (præſtaret ſumere ſpir. cydoniorum vel prunorum ſylveſtrium) affundendo toties, quoties tingitur, Tincturam, quæ per chartam filtranda.*

In hac tinctura progreſſu temporis ſubſidet pulviſculus ſubtile: hic effuſa tinctura ſiccandus: ſiccato affundenda aqua, ut ſal ammoniacum quod adhuc dum ipſi adhæret, imbibat: qui pulviſculus denuo ad uſum medicum ſiccandus, & vel ſeorſim ſervandus vel floribus immiſcendus.

Aqua verò illa evaporanda ut coaguletur ſal ammoniacum, quod depuratum, diaphoreticum in febribus eſſe poteſt, tùm conſtet ex ſale ammoniaco, tanquam ſpecifico febrifugo, & hæmatite tanquam diaphoretico.

Ultimum caput mortuum hæmatitis, ſeu corpus hæmatitis è quo flores ſublimati & tinctura extracta, poſſet uri & lavari, pro uſibus externis.

Liquor Hæmatitis.

℞. *Lapid. hæmatitis & ſal. ammoniaci ana p. aq. ſubtiliſſimè pulverata & optimè mixta deſtillentur: Aſcendit ſpir. ſalis ammoniaci, igneus urinoſus: aucto igne ſublimatur ſal ammoniacum, & ſecum rapit flores hæmatitis, inſtar corticum aurantiorum coloratos: hos reduc in tenuiſſimum pulverem, ſuper funde ſpir. vini rectificatiſſimum, ut tincturam extrahat: idque toties repete, quoties coloratur ſpir. vini; ſpiritus hos tinctus deſtilla ex balneo: manebit in fundo cucurbitæ ſal pulcherrimorum colorum, odore croci, quod ſerva.*

Caput mortuum tere ſubtiliſſimè; projice in ſpir. vini optimum, (poſſet ſpir. vini è ſale deſtillatus ſumi) qui coloratur: repete aliquoties uſque ad extractionem omnis tincturæ: ſpiritus hos deſtilla per alembicum ex balneo, remanebit iterum in fundo fac ut prius, hoc deſtilla lento igne, per retortam vitream lutatam, in furno venti, exibit ſpir. ſalis ammoniaci acidus, corroſivus, duplicatus: aucto igne prodeunt flores: finita deſtillatione conjunge ſpiritum corroſivum cum floribus in collo retortæ hærentibus: deſtilla lento igne per retortam vitream: exibit ſpir. & flores manebunt in fundo, hos flores miſce cum ſuperioribus, repone in cellam, ut liqueſcant in liquorem. Liquor hic inſignis eſt medicina, præſertim cum gummi ammoniaco in pilulas redactus; in hydrope, quartana, ſcorbuto, pleuritide, renum calculo, colica, obſtructione menſium, melancholia hypochondriaca, affectibus ventriculi variis aliiſque morbis gravibus: *præterea habet* vim anodinam & ſomniferam.

Oleum hæmatitis ad ſanguinis profluvia.

℞. *Lapid. hæmatitis ſubtiliſſ. contriti p. j. ſal nitri partem alteram c. ſulphuris vivi p. ij. commiſceantur & in calcem aduratur hæmatites: deinde ex aqua pluviali ſtillatitia, lavetur aliquoties, rurſuſque ſiccetur: poſtea vini ſpir. ſuperfundatur, macereturque: tum extilletur rurſus, & quod in fundo remanet, iterum calcinetur, lavetur, ſiccetur, deſtilleturque toties donec in vino eliqueſcat inſtar nivis: tandem incoquendo ſal provenit, quod in loco humido reſolvitur in liquorem.*

Quinta eſſentia & ſal lapid. hæmatitis.

℞. *Lapid. hæmatitem cum duplo ſulphuris, tere in pulverem impalpabilem, cementa per horas ſex, poſtea ſub tegula in fornace probatoria candefac per horas duas, ſemper movendo: materiam ignitam projice in acetum acerrimum deſtillatum: à reſidentia lentè ſepara acetum deſtillatum; pulverem cum aq. comm. deſtillata edulcora: ſicca: dein cum aqua roſarum forma globulos parvos: quibus ſuperfunde ſpir. Juniperi, digere aliquandiu donec omnis eſſentia extracta ſit: filtra per chartam, ſpir. in B. M. abſtrahe, ut eſſentia maneat in fundo: caput mortuum edulcora: ſuperfunde aquam mellis corroſivam: abſtrahe aquam: Sal cum ſpir. vini per iteratam deſtillationem edulcora ſic habebis ſal parum.*

Plura videſis apud D. D. BAUSCHIUM qui tractatum de Lapide hæmatite publici juris fecit.

IX. *Lapis Judaicus.*

Lapis Judaicus olivæ ſpecie ſubrotundus, tener & friabilis eſt, ſtriis ſecundum longitudinem diſcurrentibus & æquidiſtantibus, ac ſi arte (torno) factæ eſſent, colore eſt albo & ſubcinereo.

Reperitur in Judæa, unde Ἰσδαικὸς dicitur, hinc & in Sileſia.

Dicitur Aëtio Lapis Syriacus, aliis Phenicites, Tecolithos, Arabicè Hager alieudi, & Agiar aliheud Germ. *Judenſtein.* La pierre Judaique. *Jevvs-ſtone. Joden ſteen.*

Aliqui ſexum diſtinguunt, minoreſque fœminas vocatas, ad veſicæ lapidem commendant, majores maſculos, inter quos aliqui ſunt longiores minimi digiti quantitate, ad renum lapidem expellendum.

Vires. *Medetur difficultati urinæ, calculos veſicæ, præcipueque renum rumpit. (tritus exhibitus.)* Schroderus.

Lapis Judaicus.) Ita dicitur, quia in Palæſtinâ & terrâ Judæorum reperitur. Similis eſt glandi, ſive olivæ, lineis quaſi torno ductis. Dicitur *Aëtio* Lapis Syriacus, aliis Phœnicites, quia in Syriâ & Phœniciâ reperitur. Dicitur & Pyrena, quia ſimilis nucleo olivæ, item Tecolithos, quod calculum ſolvat: item Eurhoës *Plinio*, quod urinam fluere faciat. Hiſce vocabulis non plures, ſed una ſaltem indigitatur hujus Lapidis ſpecies. Reperitur etiam in Saxoniâ, circa Hildesheimium, in Marchiâ antiquâ ad oſtium Tangræ, ad littora Albis &c.

Vires.) Medetur urinæ difficultati, calculo &c. Unde ejus pulvis cum ſaccharo cando infantibus calculoſis ſummo cum fructu exhibetur. Ingreditur *Dn. D. Johan. Michaelis* Liquorem & Magiſterium Nephriticum. *Hofmannus.*

Præparata.

1. *Præparatus fit lege c.*
2. *Sal. &*
3. *Magiſterium.*

Calcina cum Sulphure, ſolveque in Acet. deſtill. mellito, vel ſpirit. Sal. com, hinc abſtrahe, habes ſal, vel præcipita cum Ol. Tartari, habes magiſterium, edulcorando.

4. *Oleum ſeu Liquor*: fit per deliquium.

N. *Oleum lapid. Judaici Lyncis &c. per deliquium reperies in Ciſta med. p.* 112.

X. *Lapis Lazuli.*

Lapis Lazuli, eſt lapis opacus Saphiri colore, aut florum Cyani, aureis punctulis aut flammulis exornatus, Armenio durior.

Dicitur λίθος κυανὸς, Lapis cœruleus. Arabicè Hager, Azul.

N. *Ex hoc fit color ille cyaneus, quem ultramarinum vocant; azurum verò ex lapide Armenio, vel cyano Germanico faciunt.*

Genera tantum duo ſunt, fixus, id eſt, colorem in igne non mutans, qui ferè ex Oriente affertur, & non fixus qui in Germania reperitur, ac vulgò *Lazurſtein*, la pierre d'Azur, *Lazus-ſtone, Lazuyren-ſteen* vocatur, unde color dictus *Lazurblau.*

Azure or *Lazul-blevv. Lazuyrblauvv.*

Vires. *Viribus convenit cum lapide Armenio, ſed imbecillius eas exercet. Purgandi facultate præditus eſt, præcipuè contra Melancholicos omnes affectus, quartanam, apoplexiam, morbum comitialem, lienis vitia, alioſque complures, à melancholico ſucco originem ducentes.*

Doſis ℥ j. *in polline ſubtiliſſimo.*

N. *Pro amuleto etiam de collo geſtatur, ut puerorum terriculamenta arceat, oculorum aciem roboret, ſyncopen & prægnantium abortum præcaveat. Verum partu appropinquante, ne fœtum retineat, auferendus eſt. Boëtius de* Boodt. *Schroderus.*

10. *Lapis Lazuli.*) Arabibus ita dicitur. Eſt lapis cœruleus aureis flammulis exornatus, inde & Græci κυάνεον vocant. Ex hoc ultramarinum conficiunt. Eligitur ſaturato cœruleo colore coruſcans maculas quaſdam aureas ſtellarum modo radiantes habens fractu contumax, & ab igne invictus, in aurifodinis orientalibus effoditur.

Purgandi facultate præditus eſt.) Cùm hujus lapidis, ut & Armenii virtus commendare ab antimonio non valdè diſſimilis ſit, ſuſque deque purgantis omnes humores; quæritur: an rectè ingrediatur confectionem alkermes, & annon eo nomine potius ſit omittendus? Amatus Luſitanus de quodam obſervationem habet, cui ex frequenti hujus confectionis uſu grave ſanguinis ſtillicidium accidit, ob hunc lapidem putans. Verum hic metus inanis eſt, vis enim purgandi quam in ſale volatili conſiſtere putat *P. Poterius l. c.* per calcinationem vel alio modo corrigi poteſt, ut in confortantem degeneret. Quid ſi hoc ſymptoma, quod *Amatus* adfert, ex nimio confectionis Alkermes uſu ortum duxiſſet? vel à Moſcho & ambrâ, quæ hanc ingrediuntur confectionem, vel à dulcibus fuiſſet, fermentatione p. n. in maſſâ ſanguineâ excitatâ Moſchum autem & ambram ſanguinis impetum promovere jamdum ſupra demonſtravimus. Eccur non potius creber hujus confectionis uſus diarrhœam vel hypercatharſin movit, quam nudum ſanguinis ſtillicidium? Ideoque hic Lapis philoſophicè præparatus admirandam habet vim confortandi & maniacam ac melancholicum μίασμα expellendi. *Hofmannus.*

Præparata.

I. *Lapis* multoties (in aq.) *lotus*, quem præparatum dicunt. Lavatur autem ut acrimonia, viſque exurendi lotura auferatur.

2. *Magiſter.*

Fit cum Sp. Sal. cum melius cum 🜄.

N. *Quercetanus Ph. R. calcinat cum Sulphure, & ſolvit cum Acet. deſtill. Vini optimi; hinc præcipitat cum Ol. Tart.*

Doſis ℈ j. *&c.*

3. *Elixyr.*

Calcinatur Lapis Lazuli in fornace laterum deinde Aq. vitæ ſolvitur calcinatus.

Fiorovantus hac ſolutione multos morbos & febres malignas ſe curaſſe ſcribit, & ulcera etiam peſſima in optimum ſtatum ad miraculum uſque redegiſſe.

4. *Oleum ſeu liquor*, qui illitus dolores podagricos, inflammationeſque levat.

5. *Eſſentia ſ. Extractum.*

℞. Lapis Lazuli q. pl. igniatur 6. vel 7. extinguatur

turque in 🜄. tandem in pulverem redigatur, & cum 🜄 melliſſæ ipſius recrementa terrea eluantur, (*laſſ abſchleichen*) laiſſe l'eau doucement decouler. *let them run ea ſyly off. laet ſe ſtille aflooven.* redigantur in pulverem tenuiſſimum, & cum 🜄 digerantur in calore ſeptim. 3. vel 4. dein abſtrahatur 🜄, & remanentiam ſerva.

Doſis à ℈ß. *ad* ℈ j. *Hartm. in pra*

Cryſtalli purgantes Lap. Lazuli.

Calcinetur forti △ donec albeſcat, teratur in marmore, bulliat in ſ. q. Acet. deſtil. per v. aut vi. horas Decantatum Acet. deſtill. injiciatur in vas fictile non vitrearum, ſtrictique orificii, 5. aut 6. unciarum capax, os teſtæ cerâ occludatur, reponatur in cella, & tranſudabit lanugo cryſtallina intra paucos ♂, vaſique teſtaceo adhærebit, hanc collige, aliam expecta, &c.

[*Tinctura per fl* ✳ *& alcool Vini Hiſpanici.*]

Doſ. ℈ j, *ad* ℈ß.

[*Lapis Lipis novi orbis* 🜄 *ſtillatitiâ maceratus cœruleam reddit.*

Vires. *Mundificat oris ulcera Zac. Luſ. Pr. admir.*] Schroderus.

Præparata 1. *Lapis multoties in* 🜄 *lotus.*) Hujus Lapidis lotio ſupervacanea eſt, ſed ſufficit, modò purum, nec nimis ſaxoſum obtineas. Nil abſonum veritati loquitur *Cl. Zvvelferus*, utrumque, quod eluitur, & quod lotione remanet; purum pulverem Lapidis Lazuli eſſe nullo planè ſapore vel per ſe imbutum, nec etiam aquam ab eo imbui. Quicquid contra Alii ſtatuant. Prout experientia cuilibet manifeſtabit, ſi probare libuerit. Falſum eſt ablutione præparatum vomitum non movere, non lotum autem hoc perficere, cum tam non lotus, quàm lotus ἄνω καὶ κάτω purget. Adſertio *Domini Schrœckii* Nos etiam fruſtratur, lixivioſam ſeu alkalicam Lapidis Lazuli proſapiam guſtu judicari, experimento enim facto, ipſum opinione falli deprehendimus. *vid. l. c. Claſſ.* 20. *p.* 439.

2. *Magiſterium.*) *Euchſtadius* negat, ex hoc lapide Magiſterium præparari poſſe, dicit enim, ſi in Acet. diſt. ſolvatur, illud ſaporem Vitriolatum acquirere, qui poſtmodum nullatenus ſeparari aut edulcorari poſſit. Alii Lapidem hunc cum Sulphure calcinant, poſtea cum ſp. Salis ſolvunt, & demum cum oleo Tartari p. d. 🜄tant & edulcorant. Nonnulli ſeq. modo præparant tincturam & demum Magiſterium.

Recip. fl. ✳ in deſtillatione ſp. ✳ adſcendentium & alkohol vini Hiſpanici q. ſ. miſce ac digere, & habebis menſtruum, quod ſuperfunde lapidi Lazuli ſubtiliſſimè trito & ſtatim extrahet in modico calore digeſtionis tincturam cœruleam. Doſ. ℈ß. ad gr. xv. in delirio.

N. Si huic Tincturæ affundes tantum ſpiritus Vitrioli, uſque dum non amplius efferveſcat, & tinctura mutata ſit in 🜄 viridem, abſtractâ modico calore humiditate 🜄tatum acquires, quod in calore fluit inſtar ceræ, in frigore autem inſtar butyri concreſcit. Doſis hujus ℈ j. in Maniâ.

2. Tinctura cum ſp. ✳ urinoſo præparata commendatur in quartanâ, epilepſiâ, apoplexiâ, maniâ, melancholiâ &c. ab humoribus acidis ortis, Doſ. eſt à gut. x. ad xx. vel ultra.

Magiſterium Lapidis Lazuli à *Cl. Zvvelfero* communicatum in animadverſ. P. A. p. 413. & in ejus appendice p. 15. Pictoribus commendamus.

3. *Elixyr.*) Si aquæ vitæ fl. ✳ vel ſp. ✳ urinoſus in ſ. q. addantur, ſolutio & extractio commodius ſuccedet. Prout & in Eſſentiæ præparatione itidem modus obſervandus, & in utroque digeſtio per plures ſeptimanas in moderato calore continuanda non poſtponenda.

Cryſtalli purgantes Lap. Lazuli.) Hi cryſtalli Vitriolum quoddam ſunt ex Acet. diſt. & ſubſtantiâ Lapidis Lazuli conſtantes, quibus purgantia acui & in viribus exaltari poſſunt) *Hofmannus.*

XI. Lapis Lyncis.

Lapis Lyncis, Belemnites, ἀπὸ τοῦ βελέμνου, à ſagitta, cujus effigiem refert, (ſeu dactylus Idæus, à figura dactyli & Ida monte Cretæ Inſulæ, ubi invenitur.) eſt lapis teres: pyramidalis, ſub variis coloribus repertus. Germ. *Albſchoß, Schoſtein, Luchſtein, Tappenſtein*, (ſi niger ſit.) La pierre de Lynx. *Lyncian-ſtone. Steen van de lynx.*

Inveniuntur albi, nigri cinerei, pellucidi, vini falerni inſtar, Et hic forſan eſt quem veteres LYNCURIUM appellarunt, quem ſuccini ſpeciem fecerunt, ob colorem, quo ſuccinum refert, quemque ex urina Lyncis, ſimul ac ea excernitur, coagulari, nonnulli fabulantur.

N: *Vires hic lapis graveolet, & ne uſtus quidem odorem deponit.*

Reperiuntur multis in locis Germaniæ, in Boruſſia, Pomerania, Epiſcopatu Hildeſienſi, Helvetia, Ducatu Wittembergenſi. (Gôppingæ.)

Vires. *Adhibetur ad calculos frangendos, non aliter quam lapis Iudaicus.* (*In febribus intermittentibus nobis utilis: Doſ.* ʒß. *vel* ℈ j. *cum aceto.*) *Curat vulnera, Putatur etiam ad pleuritidem* (*quia mucrones habet,*) *valere.*

N. *Putant lapidem hunc potum contra Ephialtis ſuppreſſiones, noctiſque ludibria valere, ac faſcinationibus ſuccurrere.* Schroderus.

II. *Lapis Lyncis.*) Dicitur & Belemnites, ἀπὸ τοῦ βελέμνου, à ſagitta, cujus effigiem refert, non dactylus idæus à figurâ dactyli & Idâ monte Cretæ Inſulæ, ubi invenitur. Veteres LYNCURIUM appellarunt, quem ſuccini ſpeciem fecerunt, & ex Urinâ Lupi cervarii ſeu Lyncis in ſylvis ac montibus coagulatâ generari tradiderunt. Neque hoc adeò abſurdum dicit *Chriſtoph. Encelius de re metallic.* Lib. 3. cap. 27. Urinam Lyncis coire in Lapidem, præcipuè calore terræ, tibi ſimile dicam, inquiens, in exitu veſicæ ſylveſtris porci, apri ſcilicet, nonnunquam etiam porci domeſtici caſtrati, reperitur Lapis coagulatus ex urina calore animalis, flavus & ſubpallidus nonnunquam; magnitudine fabæ. Cur ergo non fieret, ut urinæ Lyncis calore terræ coirent? Verùm hoc non admittitur à Naturæ ſcrutatoribus, alia enim eſt ratio & modus fiendi calculi porcini, & aliorum calculum, qui non ſemper in veſicâ ex urina, ſed & aliis etiam in partibus ex petroſis ſeminibus producuntur, & aliis hujus Lapidis, qui ex terrâ in ſylvis & montibus, quo lynces nunquam ſtabulati ſunt, ex profundo eruuntur. Reperitur in Boruſſiâ, Pomeraniâ, &c. Prodeſt contra calculos, icteritiam, fluxus ventris. De cæteris, conſtat experientiâ, hunc Lapidem etiam mirificam fermenti febrilis vim habere præcipitantem, ut in febribus intermittentibus pulveris hujus ʒ ß. vel ℈ij. in aceto vini propinati horâ unâ vel circiter ante paroxyſmum febrilem non facile medentem deſerat. Putatur etiam ad pleuritidem, quia mucronem habet, valere, ſed non eſt univerſalis regula, quia alia habemus præſtantiſſima anti-pleuritica, quæ tamen minimè ſunt mucronata.

N. Hûc referri etiam poſſe videtur *Ceraunia ſeu Lapis fulminaris* à fulmine nomen trahens, Germanis *Donner-Keiſe*. Figurâ enim non abſimilis hic eſt dicto *Lapidis Lyncis*, licet hic fulminaris præter hanc alias etiam habeat variaſque figuras, ſed maximâ ex parte tamen cuneum refert, pyramidem, ut repræſentet ſaccharum pyramidale *einen Zuder-Hut*, malleum, ſecurim, clavam &c. ſubſtantia ad ſilicem ut plurimum accedit, durus adeò, ut limam non ſentiat, gravis & ponderoſus. Somnum provocare quidam volunt & victoriam in prælio & cauſis agendis conciliare. Infantes ab hernia præſervari, ſi cunis imponatur, & curari ita, ſi eo morbo laborent. Domum, in qua ſervatur, à fulmine tutam eſſe credunt, ut & hominem, qui caſtè eum geſta-

geſtaverit. Ex hoc paravit etiam medicamenta *Dn. D. Joan. Michaelis* ad hydropem & ictericiam utiliſſima. vid. *Geſner. de figur. Lapid.* p.m. 63. *Kentmann. de Lapid. Ol. Worm. in Muſæo Cap.* 12.

N. Dicunt Lapidem in Indiâ eſſe *Cocaottet* ſeu *Corvinus* dictus, qui calefactus tonitru edit *in hiſtor. Braſill. P. Borellus in hiſtor. & obſ. C.* 2. *obſ.* 58. Hofmannus.

XII. Magnes.

Magnes eſt lapis, qui ferrum vel alium magnetem ad ſe trahit, ac plagas mundi oſtendit. Græcè λίθος μαγνήτες L. Heracleus, ἡράκλειος. Lat. Herculeus, ſideritis ſ. magnetis. German. *Magneſtein.* La pierre d'Aimant. *Loadſtone. Magneeet, of Zeylſteen.*

Reperitur circa ferri fodinas in diverſis locis Germaniæ, Norvvegiæ, Sueciæ, Italiæ.

Delectus.

Vegetior plerumque cæteris eſſe ſolet, qui ferri colorem habet.

Vires. *Vires habet hæmatitis, teſte Galeno, adeoque adſtringit, ſanguinemque ſiſtit, (uſtus) craſſos & melancholicos humores educit, ſed uſus eſt rarioris.* Schroderus.

12. *Magnes.*) Ab inventore *teſte Plinio* Lib. 36. Cap. 16. nomen accepit (item *Lapis Herculeus, Heracleus* à civitate *Heraclia* Lydiæ vel Magneſiæ, ubi laudatiſſimus magnes reperitur, appellatur. Vel etiam *Sideritis*, eò quod ferrum attrahat, σίδερος enim ferrum ſignificat. Germ. *Magnetſtein,* Eſt autem Lapis coloris nigri cœrulei, denſus, non admodum gravis. Ferrum vel alium Magnetem ad ſe trahit, hoc cedit magneti & patitur à magnete, & quod majus eſt, ferrum à magnete tactum alterum ferrum trahit. *Jul. Cæſ. Scalig.* exerc. 102. ſ. 6. ferrum non attrahere magnetem, ſed moveri ferrum potius ad magnetem tanquam ad matricem ſuam, cujus abditis principiis perficiatur, ſtatuit. Mas enim ſurrectus rigidus. Fœmina multis adverſus maritum quaſi blanditiis, & adnutans. Cum ferri pabulo non indigeat Magnes, non illud attrahet. Magnes etiam plagas mundi oſtendit. Quam volubile & inconſtans hoc ſit vid. *in Nobiliſſ. Roberto à Boyle tentamin. phyſiologic.* p. m. 157.

Reperitur circa ferri fodinas. In diverſis locis Germaniæ, in Sileſiâ, Bohemiæ finibus ad Schvvartzbergum, item Salveldiæ in antiquis ferri fodinis, Goſſariæ &c. Præterea etiam in Norvvegiâ, Sueciâ, Italiâ, Hiſpaniâ (ut fertur) invenitur.

Vires habet hæmatitis.) Suprà diximus, magnam eſſe magneti tum hæmatite affinitatem, ut *Plinio* etiam hæmatites magnes dicatur; qui eſt ſpecies hæmatitis Æthiopici, & magnes combuſtus ſit hæmatites, & venditur pro illo. Inde & eaſdem cum hæmatite habet vires. Nonnulli cum mulſa exhibitum hydropicos ſanare dicunt ſeroſos & aduſtos humores evacuando. Ex collo geſtatus ſpaſmum ſanare ac nervorum dolores compeſcere, manuque detentus partum accelerare credit. *Hofmannus.*

Præparata.

Unguentum Magneticum, ſeu *Sympatheticum*, vide lib. 2.

N, 1. *Sunt qui ex magnete uſto & cera Emplaſtrum conficiunt, idque ſummè ad podagricos dolores leniendos commendant.*

N. 2. *Carroboratio magnetis inſtitui poteſt, ſi cum Calc. viv.* △ *mediocri cementetur, ac poſtmodum in ſolutione vel oleo* ♂ *extinguatur.* Schroderus.

N. 1. *Sunt qui ex Magnete uſto & cerâ Emplaſtrum.*) Quale etiam *Boëtius* deſcribit; hujus beneficio dicunt extrahi poſſe ferrum, quemadmodum hiſtoriæ referunt de ruſtico Regiomontano & Bohemico cultrum deglutientibus. Ad podagricos dolores leniendos ſummè etiam commendatur. Unde conficiunt nonnulli emplaſtrum ex magnete, quod ſalia acida maſſæ ſanguineæ, imprimis ſi crocus martis aperitivus intus etiam fuerit propinatus, exterius locis dolentibus applicatum foras elicere ſibi imaginantur. Quodque etiam in hernia & prolapſu uterino maximi ſit valoris ductu & conſilio *Helmontii* p. m. 597. Dum inquit: Dorſum magnetis ſicut ferrum, ita & inteſtinum pellit, curat herniam, omnemque catarrhum de Naturâ martis. Omnes nempe magnetiſmi ad hominis uſum ſunt ordinati; Vis trahendi ferrum ſi mumiæ muliebri maritata fuerit, tunc dorſum magnetis in femore & ejus venter in lumbis emplaſtrata abortum jam minitantem tutò præcavet. Venter verò magnetis in femore & dorſum lumbis appoſitum partum mirificè facilitat. Verum ſi allegata emplaſtra in dictis affectib. aliquem præſtant notabilem effectum, non ob attractivam hoc fit magneticam vim, ſed exſiccantem & adſtrictivam, in qua magnes ferrum vel hæmatitem æmulatur. Magnes inquit *F. Platerus in quæſt. Medic* 91. licet ferrum trahat non tamen agit eâ vi in corpus noſtrum, cum quo nullam habet ſimilitudinem, ſed potius vi ſiccante & adſtringente, uti & hæmatites &c. Præterea & hac in parte cum *Athan. Kirchero* facio, qui *lib.* 3. *cap.* 2. de magnetiſmo Medico ſtatuit, Emplaſtra ex contuſo magnete nulla vi pollere magnetica. Etſi enim ſcobs magnetica & ferrea libera ex ſe & ſua natura magnetica ſint, & vi attractiva mirificè polleant, tamen ubi canali incluſa ſcobs fuerit, omnem eam attractivæ virtutis efficaciam ob partium ſe diſponentium confuſionem perdit, ſi igitur coarctatus intra canales pelvis magneticus vi ſua ob dictas rationes privatur, quanto magis ea deſtituetur, ſi madefactus vel unctuoſis aliis pinguibus ſpeciebus in Unguentum redactus fuerit: quo præter partium, quæ in ſimili miſcella concurrit, confuſionem, mirum eſt, quàm obtundatur ejus vis, quàm hebes & ignava reddatur, imò penitus deſtruatur.

N. 2. *Corroboratio magnetis inſtitui poteſt.*) Veteres Naturæ indagatores tradiderunt allii ſucco magnetis vim attractivam aboleri, ſed *P. Borellus in hiſtor.* & obſ. 88. hanc rem falſam eſſe per experientiam didicit. Corroborari autem magnetem poſſe liquore quodam ♂tis ſingulariter præparato, licet *Cl. Zvvelferus* irrideat, experientia teſtatur. *Hofmannus.*

XIII. Marmor & Ophites.

Marmor lapis eſt inſigniter durus ac ad ſplendorem ſuſcipiendum, ſi poliatur, ita aptus, ut ſtatuæ vel columnæ egregiè nitentes inde ſcribi poſſint, Græcè Μάρμαρος (à ſplendore) German. *Marmelſtein.* du Marbre. *Marbl-ſtone, Marmeer-ſteen* ...

Genera multa ſunt, cum nec certa illis figura, nec color certus ſit. Alia ſunt alba, verbi gratia, Alabaſtrites. Alia rubra, Alia nigra, ut Lydius Lapis. Alia variis coloribus; ut Porphytites, Ophites, de quo hic.

Ophites eſt marmor inſtar porphyritæ duriſſimus, colore viridi ſaturato, dilutis ejuſdem coloris maculis quaſi aſperſus. Græcè ὀφίτης. Latinè Serpentinus, German. *Serpintinſtein.* La Serpentine. *Serpentin-ſtone. Serpentyn-ſteen.*

N. 1. *Boetius de* Boodt. *cinereum quoque conſtituit Ophitem, eumque duriſſimum, tum & nigricantibus maculis aut punctulis variegatum & hunc mollitie alabaſtrita.*

N. 2. *Veteres Ophitæ genera fecerunt.* 1. *Nigricans durum.* 2. *Cinereum punctis diſtinctum.* 3. *Lineis quibuſdam candidis interſtinctum, candidum, molle. Hinc apparet veterum Ophiten à noſtrate eſſe diverſum.*

Foditur noſter in locis variis, Italiæ, & Germaniæ, verbi gratia in Miſnia, quod tamen ob mollitiem, rectius Alabaſtris accenſetur, diciturque Zebicium.

Vires.

Vires. *Veterum Ophitæ omnes allegati contra capitis dolores & ſerpentum ictus (ex ſignatura) proſunt, teſte Dioſcoride. Qui lineas habent, Lethargo & capitis doloribus auxiliari dicuntur, arcereque peſtem petecchialem (ex ſignatura) Galeno lithontripticus eſt intro aſſumptus.*

N. *Ophitæ noſtrati multa vulgus tribuit, videlicet; poculum inde factum, ſi venenum ſuſceperit, id ſudore prodere. Conducere colicæ, pleuritidi, torminibus, ac ventriculo refrigerato, doloribus podagricis, nephriticis, ſi calfactus ophites loco affecto applicetur. Opitulari quartanis, tertianis, phthiſicis, hepaticis, ſi poculum quotidiano uſui deſtinetur.*

[*Lapis Phoſphorus, ſive Luciferus Bononienſis ſpongia & retinaculum Solis & Lunæ, miſtura chalcanthi & Antimonii, Pſilothrum præbet.*]

[*Melachites ſive Pavonius infantibus pro extinguendo æſtu febrili exhibetur ad gran. 3. vel 4.*]

[*Myoxolithos, Bufonius lapis. Batrachites, Krotenſtein, deſcribitur infrà*] Schroderus.

13. *Marmor & Ophites.*) *Ophites* eſt marmoris ſpecies, & ita appellatur, quia colore ſerpentes repræſentat. Et hæc ſpecies, lineis cinereis & nigricantibus eſt, uti ſunt in colore chelydri ad oſtium Tangræ. Eſt & alia ſpecies *Ophitis* magis ad ſerpentis formam accedens, quia ſquamas habet, ut ſerpens, & eſt cruſtaceus lapis, reperitur in Saxonià circa Hildesheimium, fordet inſtar cornu. Eſt & tertia *Ophitis* ſpecies, quam *Encelius l. c. p.* 125. invenit ad littora Albis propè oſtium Tangræ, & eſt lapis tenuis, oblongus, in formâ ſerpentis, ac ſi ſerpens in lapidem induruiſſet, intus coloris nigri in cœruleo nitentis, foras albicantis.

N. Hîc quæritur; Quid de *Draconite ſeu Lapide vel coronâ Draconum Aſpidum*, vel *ſerpentum* ſit judicandum? *Plinius* Lib. 37. Cap. 10. *Encelius* de Lapid. & gemm. Lib. 2. c. 39. *Libavius* Lib. 2. Batrach. Cap. 23. & Alii adſcribunt huic cum *Philoſtrato Gygis* annuli virtutem, *Cæl. Rhodgin.* Lib. 6. c. 2. Alias *Gygis annulus* adagium eſt, quadrat vel in homines moribus inconſtantibus, vel in fortunatos, qui veluti virgulâ divinâ quicquid optant, id ſuo arbitrio conſequuntur. *Gyges* fuit Rex Lydiæ, cui oraculum ſciſcitanti, ecquis ſe viveret felicior, Apollo prætulit Aglaum Sophidium Arcada, qui nunquam è tugurio ſuo fuerat egreſſus. *Plin.* Lib. 7. Cap. XLVI. Hujus adagii meminit *Lucianus* in Votis, ubi quiſpiam optat ſibi complures annulos ejuſmodi, quales habuit Gyges, alium, quo diteſceret, alium quo gratus & amabilis redderetur, alium, per quem liceret volare quocunque libitum eſſet. Hic annulus hominem etiam inadſpicuum reddebat, ſi pala ejus ad palmam eſſet converſa, cùm ipſe tamen omnia videret vid. *Cicero* III. de Offic. Ejuſmodi magicam vim adſcribunt etiam *Draconiti.* Verùm à pluribus dubitatur de hujus exiſtentiâ. Eſt enim circumforaneorum impoſtura plebeis obtruſa, dum nihil aliud ſunt, quàm chelæ, ſquillæ marinæ, quæ dentatæ ab uno latere interiore ſemifalcatæ, ebore quovis nitidiores. Has affabrè eâ parte, quâ dearticulatæ fuerunt, committunt, capſuliſque oſſeis & ligneis decenter inferunt. Vulgò vocantur *Schlangen. Kronichen.* Hofmannus.

XIV. *Oſtiocola.*

Oſtiocolla lapis eſt albo cinereove colore, oſſiſque figuram æmulans. Dicitur lapis Oſſifragus, Lat. Sabuloſus, Oſtrites, Oſteolithus. Holoſteus, Morochtus Matthiolo, German. *Beinbruch, Bruchſtein, Beinvvell, Wallſtein, Sandſtein, Steinben.* La pierre Oſteocolle. *Oſteocolla, A ſtone like a bone, bone binder. Oſtiocolla, Wallſteen, gelijck een baen.*

Naſcitur Darmſtatino in agro in Palatinatu, locis arenoſis, (*ander Bergſtraſs*, au chemin, dit prés la montagne. *On the hils. Arn de bertzſtraet....*) Item in Saxonia, in Sileſia, &c. creſcit per arenam formâ Coralli.

Vires. *Celebratur ad oſſa citò glutinanda, quippe materiam callo idoneam citiſſimè ſuppeditat, adeoque glutinationem maturare. Adhiberi poteſt internè à ℈j. ad ʒ i ß. & externè in catapl. Emplaſtris &c.*

Præparata.

Oſtiocolla præparat. lævigando cum ▽ geranii. Cremor Weinlini prodeſt hypochondriacis. *Sroderus.*

14. *Oſtiocolla.*) Eſt lapis albi aut cinerei coloris, oſſis figuram referens. Dicitur *Lapis Oſſifragus. Meindruch.* Creſcit per arenam in formâ corallorum, Reperitur in locis arenoſis Saxoniæ, Sileſiæ &c. Commendatur ad oſſium fracturam citò callo obducendorum. Doſis eſt à ʒß. ad ʒ j. Ex hoc Lapide enim Magiſterium confici poteſt ejuſdem energiæ cum pulveriſato. *Hofmannus.*

XV. *Pumex.*

Pumex lapis eſt eroſus, poroſus, ſpongioſus, exiguiſque cavernulis, ſeu foraminibus plenus. Græcè Κίσσηρις, Arabicè Tanech. Germ. *Bymſtein.* Pierre ponce, *Pumice-ſtone. Puymſteen.*

Invenitur ad Confluentiam Germaniæ.

Probantur, qui candore minimoque pondere, ut & qui quàm maximè ſpongioſi, aridique ſunt, trituque faciles, nec arenoſi in fricando, &c.

Vires. *Refrigerat, ſiccat, extenuat, ulcera leviter purgat, cicatrices explet, & emendat. Farina adhibetur ſæpe medicamentis oculorum, & verendorum. Immiſcetur item dentifriciis & ſternutatoriis.* Schroderus.

15. *Pumex.*) Hic eſt lapis, & non eſt lapis; Lapis propter duritiem; non lapis propter raritatem, & innatat etiam aquis. Probatur candidus, levis, ſpongioſus, aridus, tritu facilis, nec in fricando arenoſus. Reperitur in maris littoribus, inde quidam ſibi perſuaſerunt, ſed falsò, ſpumam concretam maris eſſe. *Hofmannus.*

Præparata.

Pumex uſtus.

Uruntur trinâ uſtione, ita ut torreantur carbone puro, ac toties vino reſtinguantur albo. Lavantur deinde & ſiccari conduntur quàm minimè uliginoſo loco.

N. *Quidam tertia uſtione refrigeratos potius quam reſtinctos terere malunt ex vino. Boëtius de* Boodt.

XVI. *Lapis ſpecularis.*

Lapis ſpecularis eſt lapis foſſilis, inſtar cryſtalli pellucidus ac in bracteas tenuiſſimas ſciſſilis. Dicitur communiter Selenites, aliis alumen Scaiolæ, quibuſdam Glacies Mariæ, *Fraven Eiſs.*

Invenitur in Moſcovia, copioſe item in Hiſpania, in Saxonia, Thuringia, Marchia, Miſnia, &c. Etſi autem ut plurimum candidus ſit, attamen reperitur & variis coloribus, melleus ſcil. niger, fuſcus.

N. *Veterum Selenitem, (aphroſelenitem) quia noctu lucebat, à noſtrate diverſum eſſe, nemo non intelligit.*

Uſus eſt rarioris, nec adhibetur facile, niſi ad mulierum faciem dealbandam, & rugas depellendas. Quidam tamen commendant in Epilepſia (& provocando partu.) Schroderus.

16. *Lapis* Specularis.) Dicitur communiter *Selenites*, vel aliis *Alumen Scajolæ.* Huic *Asbeſtus* lapis eſt ſimilis, de quo vid. *Ath. Kircher. in mund. ſubterran.* Tom. 2. ſect. 3. Lib. 8. p. m. 66. Narrant *Geologi Sinæ* Lapidem in *Xenſi* provinciâ reperiri, qui juxta incrementum aut decrementum Lunæ creſcat, inæſtimabilis apud eos pretii. Verum & eundem effectum non præ-

ſtare

ſtare apud nos *Seleniten*; ſeu præſentem lapidem ſpecularem plerique tradunt Naturalium rerum ſcriptores. Obſervatum enim eſt hunc lapidem non ſolum ad Lunæ ſplendorem lucere, ſed & veluti in ſpeculo quodam Lunæ ſive plenæ ſive dichotomæ, ſive ſexatilis figuram perfectè exhibere. Unde de Lunari hoc lapide juxta phaſes Lunæ nunc creſcente, nunc decreſcente, fabula nata eſt, dum enim figuram Lunæ ſub quâcunque phaſi veluti in ſpeculo exhibet, ſimplices realis lapidis incrementis aut decremento, phantaſmate illo illuſi id adſcripſerunt, quod non niſi in ſpeculari Lapide reflexo Lunæ radio repræſentatur, & inde patet, quod lapis ſemper ſibi ſimilis, nullâ in ſe mutatione factâ quâcunque Lunæ phaſi in quâcunque tandem rerum exhibitionem perſiſtat. vid. *Chinam illuſtratam p.* 205. *Hofmanus.*

Præparata.

Calx & Liquor.

Comburitur igne in pulverem candidiſſimum, qui per deliquium oleum ſeu liquorem præbet, Vide Talcum.

XVII. Silex.

Silex duriſſimum genus ſaxi eſt, vel marmore durius extrinſecus leve. German. *Kieſsling, Keiſelſtein.* Un Caillou. *Flint ſtone. Keyſel-ſteen.*

Differentiæ ejus plurimæ ſunt,

Nam alii liquabiles ſunt, & plerunque foris albi & pellucidi. Germ. *Fluſsſteine, vveiſſe Kieſsling, Bachſteine.*

Wite Flint, Witte Keyſelſteen.

Aliqui prorſus diaphani ſunt.

Aliqui ita duri, ut ex iis ignis excutiatur, inde & Pyrites dicuntur. Germ. *Feverſtein.*

Fireſtone. Vner-Keye.

Aliqui opaci prorſus ſunt.

N. *Qui molliores ſunt marmore, non ſilices, ſed lapides ſimpliciter appellantur.*

Virec. *Silicum communium uſus internus eſſe poteſt, ad tartaream mucilaginem incidendam, calculum reſolvendum, ac proinde ad obſtructiones reſerandas. Extrinſecus frequentius uſu in dentifriciis adhibentur.*

Pyrites vim poſſidet calefaciendi, ſiccandi, diſcutiendi, digerendi, adeoque Emplaſtris digerentibus admiſcetur. Schroderus.

17. *Silex.*) Duriſſimum genus Saxi eſt, vel marmore durius. Derivatur à ſaliendo ſeu proſiliendo, quia ex eo percuſſione factâ ſalit ignis. Sub hoc comprehenditur etiam *Pyrites*, imò omnis lapis, ex quo ignis proſilit. Ejus plurimas differentias *Dominus Autor* deſcribit. Nos addimus, ſilicum alios dari Solares, qui propè aurifodinas Goldkranachii & aliis in locis reperiuntur, & quàm optimè Medicamentorum præparationibus inſerviunt; alios martiales, qui propè ferri fodinas reperiuntur. *Nobiliſſ. Helmontius* modum novit, quo in Silices Lumen Solis transferre poteſt, ſolâ ſilicis præparatione, ut extra Solis præſentiam ſub denſiſſimis tenebris lumen illud acquiſitum aliquantiſper permaneat, iterumque hauriatur lumen novâ ſilicis expoſitione ad ſolem diurnum, licet obnubilum p. m. 110. §. 95. Quemadmodum de *Lapide Phengite* idem habet *Robertus à Boyle de ſyſtematic. vel coſmicis Rerum qualitat.* Cap 8. p. 40. Exiſtunt ſanè in aëre certa quædam ſubtilia corpuſcula, parata & diſpoſita, ut ſe inſinuare queant poris alterius corporis ita diſpoſiti, ut illorum admittat impreſſionem vel actionem, ſi in primis cum illis concurrant aliæ nondum obſervatæ cauſæ & ſtabilitæ in hoc univerſo leges.

Vires.) Non omnes ſilices tutò uſibus deſtinantur internis, ſed illi ſolum, qui molles, friabiles, cultro atteri & facilè contineri poſſunt, è quibus ferro alliſo non eliciuntur. Ex hoc præparata medicamenta tartaream ſaburram optimè incidunt, calculum expellunt & obſtructioues reſerant. *Hofmannus.*

Præparata.

1. Sal fit leg. comm. calcinatum ſolvendo in ✱.

Doſis gran. 6. ad 10. vel 20.

N. 1. *Calcinatio fit eodem modo, quo Cryſtallos calcinari diximus.*

N. 2. *Si ex tempore adhibere volueris, reſtingue ſilices ignitos in vino generoſo, aut aceto, idque toties donec plane in pulverem fuerint redacti, ac exhibe vinum. Hartm. in pract. Medull. deſtill.*

N. 3. *Querc. ſolvit cum Acet. deſtill.*

2. *Oleum* fit per deliq. (*melius. Ph. R.*)

Doſis ℈ j. *Medull. deſtillat.*

3. *Cremor ſilicum & cryſtalli* paratur etiam facillimè ex liquore Silicum deſcripto in parte ſecunda furnorum Glauberi p. 136. ſi ſcilicet liquor ille diutius in cella ſervetur, tandem Galredam quandam demittit ad fundum, ⚯ Tart. ſupernatante, quod tam diu evacuandum erit à dictâ Gelatinâ, quamdiu aliquid liquoris ſurſum feretur, deinde edulcandum eſt.

Cremor hic de facili in quovis vehiculo diſſolvitur. S. Cloſſei experientia, ad Spir. aperic. Benotti. Schroderus.

Præparata. 1. *Sal fit l. c. calcinatum ſolvendo in Acet.* Ego etiam ex ſolis ſilicibus calcinatis quibuſdam, non omnibus, aëri, ſed temporis ſpatium expoſitis ſal collegi ſapore ſaccharum ♄ turni æmulans.

N. 2. *Si ex tempore adhiberi vulneris* &c.) Silicibus ignitis aliquoties affunde vinum generoſum & hoc propina calculoſis, mirum in modum calculum & urinam expellit, potes etiam vino addere ſummitates abſinthii.

2. *Oleum fit per deliquium.*) Liquantur ſilices cum Sale Tartari, vel ✱, poſiti in aere humido per deliquium ſolvuntur, qui metallorum ſolutiones ▽tant. Ex hoc etiam cremor & cryſtalli parantur, de quibus vid. Autorem.

N. *Si à Silicibus nigricantibus calcinatis Sp.* ✱ *urinoſum ſalſum aliquoties per deſtillationem abſtraxeris, acquires ſpiritum cœrulei coloris urin. & calculum expellentem. Hofmannus.*

XVIII. Lapis Spongiæ.

Lapis Spongiæ eſt lapis prorſus friabilis, in ſpongiis concretus, colore candido vel gryſeo.

Dicitur Cyſteolythos (ab uſu,) Lapis Cappadox quorundam. German. *Schvvamſtem.* Pierre d'éponge. *Spunge-ſtone, found in ſponges. Sponchſteen, in Spongien gevoden.*

Vires. *Extenuat abſque inſigni caliditate, ad calculos renum veſicæque frangendos utilis eſt. Valet etiam ad ſtrumas diſcutiendas, ſi nempe omni mane fiat hauſtus propriæ urinæ, & poſtea in ultima* ☾ *æ quadra ſingulis diebus ſumatur in vino, cum Sal. communi Tartari &* ☿. *Vide Gluckrath. Idem præſtat ſpongia combuſta Schroderus.*

18. *Lapis Spongiæ.*) Spongia in quâ hic lapis reperitur, neque animal, neque frutex eſt, ſed tertiam habet naturam animalis & plantæ, unde *Avicenna* definit corpus marinum, laxum, rarum, cui rei adhæret, ab eâ non ſeparatur, habetque animam. *Dioſcor.* Lib. 5. Cap. 85. Ejus duo genera eſſe ſcribit, *Marem & Fœminam.* Nonnulli addunt tertiam, atque in hâc, non in illis ſtatuunt, reperiri Lapides, qui dicuntur à *Plinio* Lib. 36. Cap. ıx. Cyſteolythos, quia veſicæ ſuccurrunt laboranti & calculum in illâ expellunt. Inveniuntur & in ipſis ſpongiis in mare & in fœminâ nuclei inſtar amygdalarum vid. *Encelius* l. a. Cap. 45. Lib. 2.

Vires.) Lapis Spongiæ præterquam quod puerorum lumbricos enecet, calculum renum & veſicæ frangat, ſtrumis inſuper certo experimento etiam medetur, vid. *Cl. Helmont. & Dominus Autor noſter.* Hofmannus.

Præ-

PRÆPARATA.

1. *Sal.*

Calcinatur cum Sulphure calcinatione levi, ſolvitur in Acet. deſtill. vel ſpiritu Sal. com. Item; ignitus toties in Acet. deſtill. extinguitur, donec in calcem reſolvatur.

[Stellaris lapis, Aſtroites invenitur in Gotlandia; Tyrolenſi etiam Comitatu. Antiloimicus putatur, & vermes necare exhibitus infantibus, ad gran. IV.]

XIX. Talcum.

Talcum Officinis lapis eſt, ſpeculari lapidi ſimilis, magis tamen tenuis, ſquamoſus, viridiuſculus, igni reſiſtens ac fixus. Dicitur à nonnullis Stella Terræ. German. *Talck.* du Talc. *Talk, the ſtar of the earth. Talct.*

N. *Invenitur & Talcum rubrum ac nigrum (Parac. in Chronic. Caryntbiæ) varum Officinis minus adhuc uſitatum eſt.*

[*Dicunt* ☉*lare*, ☽*are*, ♀*eum pro coloris diverſitate.*]

Electio.

Optimum cenſetur, quod Venetiis ad nos tranſportatur, Muſcoviticum tamen æque bonum eſt, probatur autem præcipuè viridiuſculum.

Vires ac Uſus: *Potiſſimus ejus uſus eſt externus & coſmeticus, adhiberi tamen nequit, niſi vinculo ſuo liberatum, præparatum, ac in liquorem redactum ſit. Schroderus.*

19. *Talcum.*) Officinarum Lapis eſt, Lapidi ſpeculari haud abſimilis, magis tamen tenuis, in laminulas flexiles tamen & varie intricatas argenti modo diviſibilis, colore candido lunari, glauco viridiuſculo aut nigricante. Dicitur à quibusdam ſtella terræ. Germ. *Talch.*

Igni reſiſtens ac fixus.) Vidit tamen *Cl. Morhofius* de metall. tranſmut. in Epiſtol. ad Nobiliſſ. *D. Joël Langelott.* vel intrà dimidiæ horæ ſpatium pauciſſimo igne rudi ad ſpeciem artificio totam ejus ſubſtantiam ita calcinatam, ut colore flavo ablato ſpongioſa facta ſub digitis in minutiſſimum pollinem comminueretur. Quare patet non adeò igni invictum eſſe talcum.

N. *Invenitur & talcum rubrum ac nigrum.*) Th. *Paracelſus* quatuor talci ſpecies recenſet de miner. tr. I. Rubeam, albam, nigram & luteam. Et fortaſſe hæ ſingulæ varias mineralium ſpecies complectuntur. In Anglia eſt Talci ſpecies, quod intrà unius horæ ſpacium in calcem niveam igne moderato mutatur. Non deſunt, qui pro minerâ ſolis venditant. Unde plurimi ſtatuunt, exinde menſtruum fieri poſſe, ad tranſmutationem ☉ & ☽ næ, ut Mercurius figatur & tingatur. Verum licet certiſſimum ſit ex quadam talci germanici ſpecie in forti ſalium alkaliſatorum ſolutione digeſta non parum auri extrahi poſſe, memini, inquit Robertus à Boyle in tentamin. phyſiologic. me aliquantum Talci ſubfuſci poſſediſſe, quod aquæ regis immerſum à menſtruo illo manifeſto ſolvebatur, quæ ſolutio deinde filtro depurata à quibusdam chemiæ peritis, qui viderunt, ratione ſaturrimi coloris, vera auri ſolutio judicabatur, exinde tamen non ſequitur, illum ☿ rium figere poſſe.

Electio.) Optimum cenſetur *Venetum*, huic ſuccedit *Anglicum* & demum *Moſcoviticum*; Multis etiam *Germaniæ* in locis reperitur ac *Norvegiæ*. Probatur autem ex his viridiuſculum, & quod ad tactum pinguius.

Vires ac uſus.) Avicenna frigidum eſſe ait in primo, & ſiccum in ſecundo gradu, adſtringit, ſanguinem ſiſtit, prohibet mammillarum & parotidum abſceſſus. Sunt, qui dyſentericis, hæmoptoïcis, menſtruorum & hæmorrhoidum fluxu nimio laborantibus cum ▽ plantaginis præbeant. Dixi modò laudato *Morhofio* l. c. amicus, noviſſe ſe medicum, qui ſulphure per ſingulare artificium ex hoc extracto curare immedicabiles morbos potuerit, ut alterum illi à maximo Elixire locum poſuerit. Quod ſanè non de nihilo eſt, latere enim in eo Sulphur aliquod Solare certiſſimum eſt. Talcum calcinatum teſte *Martiano Martini in Atlante Sinico* p. 79. vino mixtum ac epotum Sinicis Medicis ut ſingulare medicamentum ad vitam longam commendatur.

Potiſſimus ejus uſus eſt externus & coſmeticus.) Hunc ut præſtet, prius in fluidum reſolvi liquorem neceſſe eſt, quæ gratiâ ab illo ignis torturâ extorqueri nequit. Mitius enim, ait Steno l. c. à naturâ haberi ſolitum Talcum tantam in venuſtatis amatoribus ſævitiam indignatur & vindictæ loco Vulcano cedit illam ſui reſolventis partem, quam ſibi incluſam conſervat. *Hofmannus.*

PRÆPARATIONES.

E præparationibus Talci præcipua eſt Calcinatio, reliquæ enim operationes, qualis eſt deſtillatio & liquatio, per ſe notæ ſunt.

Calcinatio igitur tum eſt ſicca, tum humida. *Schroderus.*

Præparationes. Ex præparationibus Talci præcipua eſt Calcinatio.) In præcedentibus jamdum percepimus, calcinationem Talci non adeò difficilem eſſe, modò quis veram encheiriſin cognitam habeat, & modum intelligat, quomodo artificio ignis quoad gradus obſervandi in calcem redigi queat niveam intrà unius horulæ ſpatium, etiam candelæ flammâ.

Calcinatio tam eſt ſicca, tum humida.) Omnes hujus deſcriptiones à *Dno Autore* traditæ ſunt exigui valoris, id quod ſanctè teſtari poſſum, optimè mihi conſcius, quam in his explorandis me non ſine tædio & fruſtraneo effectu torſerim. Talcum calcines ſummâ ignis violentiâ pro lubitu ad diuturnum etiam tempus & omnem vim flammarum eludet. Attamen præter calcinationem igne moderato artificio ad ſpeciem rudi factam, nec minus præparationem per tritum in molâ philoſophicâ inſtitutam non adeò eſſe rejiciendam putaverim, imò Calcinationi per ignem præferendam. Ex hoc igne tenuiſſimo cum ſale Tartari volatili ad ſeptimanas aliquot digeſto non equidem liquor pro coſmetico emerget, ſed ſolutio ☉, ſi quid in Talco abſconditum fuerit. Liquores & Tincturæ Talci ab Autore traditi ex propagine falſum partim acidorum partim alkaliſatorum oriundi parum animum curioſitatis amantem exſatiant. *Hofmannus.*

Calcinatio ſicca.

1. Contunditur in pollinem tenuiſſimum piſtillo ferreo, poſtea forti ollæ committitur, operculo addito, imponiturque furno vitriariorum, figulorum vel calcariorum (*in einem Kalckofen*, Dans un four où on fait la Chaulx. *In a limekiln, in een kalckoven.*) ubi maximæ flammæ ſunt. Poſt triduum aut quatriduum eximitur, & ſi in calcem redactum ſit, ſervatur, ſin minus, repetitur labor, donec perfectè calx dealbuerit.

2. ♃. Talc. opt. q. v. contunde in mortario candenti, [ſic melius teritur Talcum,] donec nullum amplius ſplendorem referat, pulverem trajice per cribrum ſetaceum, ac cum carbonum Tiliæ ana. Miſc. calcinaque in fornace figulina ♂♀ 2. vel 3.

3. ♃. Talc. ſubtiliſſime pulver. ℔j. Sulphuri per Sal. com. calcin. ana F. S. S. S. ac cementa in crucib. clauſo,

clauſo, ; ☍ut crucib. candeat. Dein exime ac edulcora. Loco Sulph. prodeſt Tart. per Sal petr. calcina.

4. ℞. Talc. opt. in laminas tenues redacti, q. v. candefac ac extingue aliquoties, (duodecies vel plures) in °° ♀ri, donec fiat candidum inſtar nivis. Edulcora ▽ pluviali, & exſicca. Hinc impaſta cum albumine ovi, ac formâ globulos, quos in calce viva reconditos, atq; crucib. clauſo impoſitos, calcina ☍. 3. in fornace figulina vel vitriaria & fiet Talcum, inſtar Cryſtallorum; exime.

5. ℞. Calc. opt. part. 1. Sal. p. ij. Miſc. & calcina per quatriduum, poſtea tere & ablue, pulverem exiccatum panno involutum, obducito luto craſſo, ac ſepeli in Tart. crudo, calcinaque ☍ 15. tere ac ſolve in ▽ vitæ, ſolutum coagula.

6. Calcinatur cum Metallis; nimirum injice Talcum argento Orichalco, vel cupro, ad ignem fuſo horam dimidiam (hoc aliquot.)

Calcinatio humida,

℞. Talc. Venetian. opt. ſcinde cultello in particulas ſubtiliſſimas, digere in ſole ferventiſſimo, vel fimo equino per menſem, cum Acet. deſtill. acerrimo Vini Hiſpanici, quotidie aliquid Acet. deſtill. ſuperaddendo, donec acetum fiat q. mucilaginoſum.

Hinc

PRÆPARATA.

1. °° *Talci deſtillatum, Coſmeticum Hartmanni.*

℞. Talcum calcinatione humida, (cum acet.) in mucilaginem redactum, deſtilla per retortam lutat. △ nudo, in excip. capaciſſ. Primo prodit Acet. deſtill. poſtea oleum album. Hæc ſepara.

N. *Alii Talci pollinem cum cochleis ollæ immittunt, ut Talcum devorent, ubi devoraverint, cum teſtis tuſas vitro imponunt, ac ab aliis aquam extillant, pro mulierum mangonio.*

Vires. *Aceto poſſunt manus ablui, °° vero fieri inunctiones.*

N. *Aiunt, ſi primo facies fuerit diligenter ab omnibus ſordibus purgata, ſuccum integrum menſem durare poſſe. Hartman. in Croll.*

2. °° *Camphoræ Talcatum.*

℞. Talc. crud. (præſtat calcinat.) optime pulveriſati part. 1. °° Camphorat. p. ij. digere ut albeſcat °° *Vide de °° Camphora.*

3. *Liquor Talci, ſive °° per deliquium.*

℞. Talc. optimè calcinatum, (calcinatione 1. 2. vel alia,) F. Extractio cum Acet. deſtill. filtra & coagula. Edulcora ac repone poſtea ad liqueſcendum in cella.

N. *Alii progrediuntur ulterius, atque °° cum ▽ circulant, abſtrahuntque aliquot cohobiis.*

Liquor Talci S. Cloſſ.

1. Talcum in pollinem terendum eſt, id quod fit 4. modis, vel enim Talcum exfoliatum calculis fluviatilib. integris permiſcetur, ſacculo oblongo includitur, & miniſterio duorum horum ſucceſſivis vicibus agitatur fortiter, vel lapidi pumicis continuè affricatur, pulviſque decidens colligitur, qui tamen minus ſincerus eſt, vel in mortario calentiſſimo contunditur. Ego illud longè faciliùs, beneficio limæ lævigatoriæ (une lime douce) aurifabrorum in ſcobem attero, cujus ℔ß. confundo cum ℔. 1. Sal. ♀ri. ac in furno venti per hor. XII. calcino, calcinatum repono in cellâ, quod liqueſcit ſeparo à non liqueſcente, calcem hanc ſiccatam denuò calcino in tigillo △ vehementiſſimo cum part. 4. Sal. nit. Ita Talcum colliquabitur in maſſam albam pellucidam, quæ in cella repoſita defluit in liquorem glutinoſum.

Vires. *Lentigines & maculas faciei exeſt, cutem dealbat, verum non diu relinquendus eſt liquor, ſed aq. florum fabarum, nenuph. &c. abluendâ facies eſt, ne Epidermidem arrodat.*

Alius liquor atque Magiſterium Talci.

℞. Talci groſsè triti (ſubtilis pulvis ſeparatur) q. v. infunde in Acet. deſtill. ☍ (3. 4.) Hinc ſuperjiciatur plumbo fuſo, calcineturque ad friabilitatem. Hoc ſolvatur in Acet. deſtill. Solutioque abſtrahatur, Solvatur iterum aliquoties in aq. deſtillata, purificeturque à fæcibus. Tandem præcipita cum ſpir. ⊕-i, edulcora & exicca.

N. *Solutum ante præcipitationem per deliq. ſolvi poteſt, unde liquor.*

N. 2. *Calcinari itidem poteſt ſuper aliis metallis, v. g. ☾ are &c.*

Ex communicatione amici cujuſdam Hamburgenſis.

Cremor Talci.

Pulveriſetur uno è modis 4. ſupradictis, affunde Acet. deſtill. terve Bull. lento △ in patinâ vitreat ſpuma pinguis ſupernatans colligatur cum cochl. deſpumatorio, dum dabitur, Acet. deſtill. cremori mixtum evaporet, cremor a. reſolvatur in phlegmate Sal. com. vel pomatæ alicui permiſceatur.

Inſervit dealbandæ faciei. Ex comm. S. Cloſſ.

4. *Tinctura Talci.*

℞. Talc. optimè pulveriſat. q. v. digere cum ♈ ⊕-i Philoſophico, in fimo equino menſ. 3. 4. ſic ſolvetur Talcum, protrudetque ad ſuperficiem nonnihil inſtar pinguedinis.

Huic affunde ▽, digere ac abſtrahe cum repetitis cohobiis, & tranſibit tandem XX.

Alia.

℞. Talc. calcinat. extrahe cum ♈u Sal. com. viridi, decanta, abſtrahe, ac cohoba aliquoties, ſic aſcendit tandem & Tinctura, tranſitque alembicum ſub colore rubicundo.

Vires. *Præſervativum eſt efficax in peſte, quotidie ſumptum. Doſis gran. vj.*

N. *Præſtat hic rubrum Talcum ſumpſiſſe, ſi haberi poſſit.*

Tincturam Talci rubri vide in Agric. p. 789. tom. ſecundi.

Alia.

℞. Talc. q. v. affunde Spir. Vitriol. abſtrahe aliquoties m. cum Sulphur. reverbera. Extr. tincturâ m. d.

[Sulphur Talci, quod habet ſolare, extractum, egregium ad graviſſimos morbos putatur remedium.]

XX. *Unicornu foſſile.*

Unicornu foſſile. Cornu foſſile. Ebur foſſile. Lapis Ceratites, eſt lapis colore & levore cornu referens, interdum etiam formâ ipſâ, *gegraben Ein-horn, gegraben Eiſſenbein* de l'Unicornu foſſile, *Unicorn mineral* or *graven. Gegraven Eenhoorn.*

N. *Sæpius tam craſſum ac magnum reperitur, ut à nullo unquam animali produci potuerit. Subſtantia lapidea ſemper & vel dura vel mollis eſt. Exterius ut plurimum dura, intrinſecus plerumque mollis, alba, levis, friabilis, compacta, abſque poris, linguæ firmiter adhærens, odore nonnunquam grato. Cortex exterior interdum flaveſcit, cinereus, albus & ſubniger eſt.*

Inve-

Invenitur in variis locis Germaniæ, prope Elbingerodam Oppidum Comitatus Stolbergenſis, prope Heidelbergam, Hildesheimium. Item in Moravia, Sileſia, Saxonia, Haſſia, multiſque locis aliis.

Materia hujus creditur Marga, aquâ ſubterraneâ lapideſcente irrigata & fluida reddita, quæ pro diverſitate matricum, in quas fluit, vel & pro diverſitate rerum, quibus ſeſe inſinuat, ſcil. lignorum vetuſtorum, cornuum, oſſium ſubterraneorum, varias quoque ſuſcipit figuras & odorem.

Vires. *Non omnia habent eandem facultatem, aut æque validam, ſed differunt pro diverſitate originis, reique commixtæ. Utplurimum exiccant, adſtringunt, proindeque ſiſtunt alvi profluvia, gonorrhæam, menſtrua alba, hæmorrhagiam narium, hæmorrhoides. Quod ſi inſuper odor medullis accedat gratus, cordi imprimis grata ſunt, idque roborant, Epilepſiam arcent. Quæ cum rebus aliis ſunt commixtæ medullæ, pro earum facultatibus naturæ mixta cenſentur. Extrinſecus ulcera ad cicatrices perducunt, oculorum lacrymas ſiſtunt; (in Collyriis.)*

N. *Fruſtum hujus generis Cornu non longe Marpurgo Haſſiæ è terra erutum oblatum mihi eſt, haud ita pridem, brachium craſſitie æquans, ebori ſimillimum; niſi quod corticem arboris extrorſum figura referret & pro mediano deſtitutum eſſet. Huc referenda oſſa Scharsfeldica.* Schroderus.

20. *Unicornu Foſſile.*) De hoc vid. *Athanaſ. Kircher. in mund. ſubterran.* Tom. 2. ſect. 2. Libr. 8. Cap. IV. V. p. 60. ſeq. Reperitur in variis Germaniæ locis, Moravia, Sileſia, Haſſia, Saxonia propè Hildesheimium, Heidelbergam, Elbingerodam, & in primis ex ſpecu Bumanni propè Hercyniam ſylvam eruitur, ſæpè in formâ animalium oſſium in ſaxeam naturam verſorum. Inter quæ ſunt dentes molares & inciſorij admodum magni; in quibus evidentiſſimè radices à dente ipſo, ſeu parte, quæ extrà gingivas prominuit, diſcernes, itemque fragmenta radiorum, tibiarum, exactiſſimè ipſam oſſium naturalem conformationem repræſentantia. Eodem ſpectat; quod refertur in Ducatu Wirtembergico inventa folia querna lapideſacta, & martyris cadaver ex cœmiterio *Calixti* erutum lapideum, narrat Nardius. Ac memoratu dignum, quod notat Gaſſendus in vitâ Peireskii Libr. 2. detexiſſe hunc non longè ab Aquis ſextiis inſignem quandam copiam non humanorum modò oſſium naturæ factorum lapideæ, ſed variorum etiam animalculorum, itemque ſtirpium, foliorum, florum, ſimiliumque hujuſmodi. Ita memorat idem ibid. p. 346. intrà Cavernam Guetinam reperta fuiſſe folia ex quercu, alno, ilice, Ulmo, Nuce, populo, hederâ, lauro, aliiſque arboribus; ita in lapides converſa, ut ſuis nervulis ſuas indicaverint ſpecies. Sæpius verò contrà tam craſſum ac magnum reperitur, ut à nullo unquam animali produci potuerit. Subſtantia lapidea vel dura; vel mollis eſt. Exterius ut plurimum dura; intrinſecus plerumque mollis, alba, friabilis, interdum poroſa, interdum minus linguæ firmiter adhærens inſtar cornu cervi calcinati; odore nonnunquam grato. Cortex exterior interdum flaveſcit, cineteus, albus & ſubniger eſt. *P. Borellus in hiſtor. & obſ. rer. Cap. 3. obſ.* 83. Limaces lapideos non procul ab urbe Caſtrenſi in rupe Lunellis multarum ſpecierum invenit, albi etiam conchas varias marinas & circà Montiſpeſſulum oſtrea magna lapidea, imò piſces lapideos.

Materia hujus creditur marga.) Quæ cauſa efficiens & materialis ſit hujus diverſitatis & ipſius etiam unicornu foſſilis, variæ occurrunt Doctorum ſententiæ. *Libavius* ſingular. part. 3. Libr. 8. Cap. 17. ex terrâ aliquâ bituminoſâ vel cinere illius effluentibus ex terrâ vel aliunde liquoribus ita compacta eſſe ſcribit. Alii materiam hujus ſimpliciter Margam credunt, aquâ ſubterraneâ lapideſcente irrigatam & fluidam redditam, quæ pro diverſitate matricum, in quas fluit, vel pro diverſitate aliarum rerum, quibus ſeſe inſinuat, ſuprà in medium productarum varias etiam ſuſcipit figuras. Quæ mea eſt ſententia. Et niſi hoc admittamus, vim aliquam plaſticam ejuſmodi terræ præter omnem rationem concedamus, neceſſe eſt. Id quod abſurdum. Et potiori forſan jure quis ſimili terræ tribuat artificium figulinum, quo ollæ illæ foſſiles formentur, ac in terrâ coquantur, quas in Poloniâ, Luſatiâ, Saxoniâ, Thuringiâ inveniri notum eſt.

Vires.) Antequam hominibus offeratur hoc cornu foſſile, prius in canibus aliiſque animalibus probari debet, cum ſæpè contigerit, quod ejuſmodi cornua foſſilia aliquid veneni in ſe habuerint; inde pro medela fatalis exceſſus vitæ ſubſequuntur. Aliàs vim habet exſiccandi, adſtringendi cum virtute bezoardica, qua non ſolum alvi profluvia, dyſenteriam, uteri hæmorrhagias, menſtrua alba, hæmorrhoides, gonorrhæam ſiſtit; verùm etiam in febribus præſertim malignis peſtilentialibus, teſte *Franciſco Joele* in tr. de Peſte mirè commendatur. In inſultibus epilepticis notabili etiam cum εὐφορίᾳ adhibui. Doſis eſt à ℈ß. ad ʒß. vel ultrà in appropriato vehiculo injuncto ſudore.

N. Præter hactenus in medium producta Lapidum minus precioſorum genera, dantur adhuc alia nec minus in medica praxi utilia; ex quorum numero eſt,

Aſtroites, Latinis *Lapis Stellaris*, Germ. *Sternen-Stein.* Stellarum figuras punctatim in ſe exhibens, eſt moderatè durus, colore cinereo, fuſco nigricante, ad humani capitis magnitudinem ſæpè creſcens. In Comitatu Tyrolenſi & circa arcem Cimmeriam invenitur in Gotlandia & alibi.

Vires.) Ad peſtilens contagium & puerorum lumbricos necandos ejus pulvis quatuor granorum doſi commendatur. Geſtatus etiam productionem vermium impedire, ſi nudum tangat corpus, afferunt. Tremorem, apoplexiam, alioſque morbos ſubitaneos avertere, victoriam conciliare, credunt. Hepatis ac pulmonum vitiis ſuccurrere & ſanguinem puriorem reddere volunt. Præferuntur reliquis albidiores, benè formatas ſtellulas habentes.

Bufonius, Lapis Batrachites, Germ. *Kroten-Stein*, quia ab antiquis bufonibus eructari creditur, quod tamen falſum eſt, ſed fungi inſtar naſcitur in ſaxis & petris, non verò in capitibus bufonum. *Vires.* Commendatur pro certo remedio ad tumores ac inflationes ab animalibus venenatis illatas; quas contactu & affrictu diſcutit. Præſente veneno ſudore diffluit & colorem mutat. Hordeolum in palpebris oculorum curat; ſi annuli palæ incluſo eo partem affectam ſæpius affrices.

Lapis Bononienſis, quem nonnulli ſpongiam Solis, alii ſpongiam Lunæ, quidam retinaculum luminis cœleſtis, lapidem illuminabilem, Luciferum, Phoſphorum &c. appellant. Invenitur in quibuſdam collibus propè Bononiam in monte Paterno, quatuor milliaribus ab urbe diſſito. Eſt lapis pellucidus, foſſilis, gypſo valdè ſimilis; multum chalcanthi & antimonii admiſtum habens: vix pugno major invenitur; nullam certam habet figuram; colore quodammodo variat, aliquando cinerei eſt, aliquando nigrioris, aliquando flavi, aliquando rubiginoſi, ſubcœrulei, imò miſti. Ratione materiæ, quatuor ejus obſervarunt genera. Quidam enim horum in latas lamellas inſtar talci Veneri ſunt ſciſſiles, cortice pallente, modò ſcabro, modò lævigato. Quidam ſtrias habent in modum ſtibii radiantes & candicantes.

Quidam cortice vel lævi vel aſpero, colore cinereo radiant, ubique ſtriis vel rectis, vel obliquis ad centrum tendentibus. Quidam ſtricti ſunt ad centrum & friabiles colore nigricantes.

Quamvis in Medicinâ externum ſaltem præſtat uſum hic lapis, dum ex eo lixivium pro pſilothro parati conſuetum, in primis tamen admiranda pollet proprietate, qua ſingulare viſui præbet oblectamentum, dum Lumen ex Sole vel Luna calcinatus attrahit, & inde ad locum tenebricoſum translatus illud iterum præſentat, ut in tenebris inſtar carbonis ad ſemihoram ardeat, idque toties, quoties ita Soli fuerit admotus aut Lumini ambientis. Verùm hanc vim lucem attrahendi hic lapis non niſi præparatus obtinet.

Pro facultate illa Lucifera *P. Poterius in Pharmacop. Spagyric.* Libr. 2 Cap. 27. duobus modis calcinat, quem vide, ut & *Ol. Wormium in Muſæo* p. 46. Cæterùm poſteriore tempore obſervarunt multiplici calcinatione integrum etiam lapidem calcinari, & ubi fuerit ferè perfectiſſimæ Naturæ per uſtorium ignem, à tota ſubſtantia penitiori evomere ac veluti ſudare ad ſuperficiem efflorefcentias quaſdam minutiſſimi roris grana referentes, in quibus maximè reſidet virtus concipiendi & retinendi lucem ſine ulla rei alterius permiſtione. Sed ſi lapis non fuerit ita perfectæ Naturæ, vel ante, vel poſt primam calcinationem conteri debere, pulveremque vel ovi albumine, ut P. Poterius docet, vel aq. ſ. vel ol. Sem. lini cogi in maſſam, quam niſi concipias ad votum, iterum calcinetur, & ubi contigerit oleo conſumpto rurſus in pulveres diſſolvi, ante diſſolutionem projici maſſam in idem oleum frigidum. Plerumque verò contingit, ut lapis hic heterogeneas habeat partes, undè non ſolum ſecundum aliquas probè calcinatus adhuc retineat alias crudas & alias habet nimium exuſtas. Verùm etiam obtinet nonnullas ad lucem excipiendam præparabiles, alias verò, quæ nullam præparationem adipiſci valeant, quæ lucem nunquam in ſe concipiant. Quin & alii lapides brevi quatuor horarum ſpatio præparantur, alii longiorem poſtulant ignem 10. aut 12. horarum: alii longiſſimam uſtionem 24. horarum plus minus in fornace requirunt. Præterea de hujus lapidis legitimo calcinandi modo vid. *Pater Bononienſis Mazotta in Philoſ. tripl:ci Bononiæ* edita, & *Fortun. Licetus* in ſingulari Libello, *Athanaſius Kircherus de Magnete* Libr. 3. p. 3. cap. 4. quæſtion. 2. p. 581. *Hofmannus.*

LAPIS EQUINUS, HIPPOLITUS, de eo vid. ſub titulo *Equus.*

LAPIS PORCINUS

Piedra Puerco dictus.

Reperitur in porcis ſylveſtribus Inſulæ præcipuè Ceylonicæ, & propriè lapis non eſt, ſed ſimul compacta piloſaque Materia bili beſtiæ ſecundum guſtum commixtæ, ſummamque amaritudinem obtinens. Res hæc frequentis nunc uſus eſt apud Incolas, ſicut & apud *Europæanos*, fœlicemque ſucceſſum habet in multis gravibus ac ſubitis accidentibus tanquam quoddam *Alexipharmacum*, *Alexiterium*, aut *Antidotum.* Præcipuè verò bonitatem ipſius expertus ſum in (*de Bort*) ſive Colera, in Variolis, & ſubitis febribus quas quædam venenoſa qualitas comitatur. Modus eo utendi nil aliud eſt quàm quod illud adjectâ quâdam humiditate ſuper lapide conterunt, ſed quia piloſitas eſt quodammodo faſtidioſa, eam ob cauſam ex eodem quandam eſſentiam extraxi, cujus minima tantùm Doſis operationem ſuam valdè ſubtiliter & ſine motu præſtat & hoc modo paratur.

Eſſentia Lapidis Porcini Ceylonici.

♃. Talem lapidem, quem in minima fruſtula diſſecatum in phialam projicies, eique tantùm boni *ſpiritu Vini Tartarizati* ſuperaffundes, ut ſub duorum digitorum ſpatio materia ſubmerſa jaceat. Vitrum benè lutabis atque per octo dies in calore depones ut fiat extractio. Sic Tincturam Lutei coloris habebis quam claram effundes cumque totam Aromaticam atque fortiſſimam olfacies. Habes hîc igitur omnes vires ſimul conjunctas, & hanc Medicinam vel ſolam vel ſub aliis præbere potes. Doſis eſt gutt. iij. ad gutt. v. *Autor Laboratorii Ceylonici qui Clariſſ. D. Grim. creditur.*

LAPIS SERPENTIS PILEATI.

Lapis hic in capite, Serpentis cujuſdam Indici reperitur qui Luſitanis *Cobras di Cabelo* vocatur, atque venenoſiſſimus eſt; De eo hac habet *Nobiliſſ. Redi* in ſuis experimentis Naturalibus, ad Athanaſium Kircherum inſcriptis.

Anno 1662. Sub finem veris, reduces ex India Orientali in Aulam Hetrutiæ, tunc Piſis venationibus occupatam pervenerunt tres Patres venerabilis ordinis S. Franciſci, *vulgo Zoccolanti* dicti, qui ex illis regionibus multas res curioſas adferentes id honoris obtinuerunt, ut inſpiciendi copiam darent Sereniſſimo Magno Duci Ferdinando II. æternæ & glorioſæ memoriæ, inter alia non ſine pompa oſtentantes nonnullos lapides, quos, perindè ut tu mihi ſcribis, affirmabant reperiri in capite certorum ſerpentum, à *Garzia ab Horto* deſcriptorum, & à Luſitanis *Cobras de Cabelo* dictorum, eaſque per omnem regionem *Indoſtan*, & vaſtiſſimas duas peninſulas intra & extra Gangem, ſed ſpecialiter in regno *Quamſy*, ceu probatæ fidei experimentum, ſecuriſſimi antidoti loco inſervire, ſi imponantur morſui viperarum, aſpidum, ceraſtum, & quorumcunque aliorum animalium, qui morſu vel pungendo inficiunt. Nec non ſi imponantur quibuſcunque vulneribus, à ſagittis, vel alio aliquo armorum veneno infectorum genere recens inflictis. Præterea dicebant, talem & tantam & uſque adeô miraculoſam eſſe ſympathiam horum lapidum cum veneno, ut ſtatim vulneri appropinquantes, parvarum ventoſarum inſtar ſe eidem tenaciſſimè applicarent, nec ante loco moverentur, quàm omne venenum ſugendo imbibiſſent, quo facto ſua ſponte ſoluti in terram caderent, relicto animale ſano & immuni à mortifero, quo opprimebatur, morbo: Atque hinc, ut ab imbibito veneno purgarentur, affirmabant boni illi Patres, neceſſum eſſe, lavare illos in lacte recens mulcto, nec non eoſdem in eodem lacte macerare, tantiſper, donec omne venenum in lac evomuiſſent, quod ex albo, quale eſt, abiret in colorem inter flavum & viridem medium. Et quo magis promptè huic ſuæ narrationi fides adhiberetur, ſua ſponte obtulerunt, tot ſeſe experimenta daturos, quot maximè curioſis & minimè credulis placere poſſent; certo perſuaſi fore, ut Medici manu tangerent minimè mentitum eſſe Galenum, ubi cap. 14. Libr. primo de facultate naturali ſcripſit, dari nonnulla medicamenta, quæ venenum eadem ratione attrahant, qua magnes ferrum. Ergo ne qua mora opus tardaret, dictum eſt ſtatim, ſedulo conquirendas eſſe viperas: Interim Domino Vincentio Sandrini, uni è numero experientiſſi-

ſientiſſimorum operariorum in aromataria domo Sereniſſimi Magni Ducis, diligenter inſpectis his lapidibus, incidit in memoriam, nonnullos iſtiuſmodi lapides jam diu ſub ſua cuſtodia eſſe; eoſque repertos his Religioſis exhibuit; fatentibus, eoſdem ex eadem cum ſuis generatione eſſe, & fortè, imò revera eaſdem vires habuiſſe.

Plures iſtiuſmodi lapides habeo; nigri coloris, lapidi Lydio non abſimiles, leves & ſplendentes, ac ſi Sandaracha infecti eſſent; Nonnulli ab uno latere; Alii ab utroque maculam cineream habent; Alii planè nigri & ſine aliqua macula ſunt; alii, circa medium, colorem quendam albeſcentem ſordidum obtinent & in ambitu ingrato colore tincti ſunt. Major pars lentis figuram exactè æmulatur; nec tamen deſunt inæqualiter longi: Et ex primis illis majores, quos ego vidi, latitudinem nummi, à Florentinis *groſſo* dicti obtinent; paulo minores magnitudinem quatrini non æquant. At verò, ſivè magni ſint ſivè parvi, pondere parum inter ſe differunt. Etenim majores ut plurimum denarium & grana octodecim non ſuperant. Minores denarium & ſex grana-pendent. Attamen, per hos dies vidi & examinavi unum, qui grana ſex ſuper quartam partem unciæ pendebat & latitudinem Teſtonis, ut vocant, non nihil ſuperabat.

Communibus deſideriis minimè fortuna favit. Etenim, cum per anni tempus, ſolito frigidius, viperæ nondum cœpiſſent prodire, ex ſaxis illis, in quibus per totam hyemem latent, impoſſibile fuit vel unam invenire, quæ negotio, de quo agebatur, inſerviret. Quare ſtatutum eſt, ut ſequenti die aliis adhibitis venenis experimentum fieret virtutis illorum lapidum: Et hunc in finem multi ſapientiſſimorum & maximi nominis Philoſophorum & Medicorum Academiæ Piſanæ convenerunt, cupidi in opere ipſo videre, id quod Patres verbis declarabant.

Ex venenis quæ vulneribus adhibita necant, oleum tabaci, ceu potentiſſimum elegerunt, & ducto in acum filo albo duplicato, illud hoc oleo quatuor tranſverſorum digitorum latitudine inunxerunt. Inde acu pulli gallinacei coxam transfigentes, filum oleo inunctum per vulnus adduxerunt, & ſtatim quidam ex Religioſis illis cruento vulneri unum ex lapidibus illis applicavit, qui, ut erat prædictum, eidem tenaciter adhæſit: Eo tamen non obſtante pullus ille gallinaceus poſt octavam horæ partem mortuus cecidit, æquè magna Religioſorum admiratione, ac eorum unquam fuit, qui rem incredibilem viderunt.

At enim, quod nondum ſibi ſatisfactum putarent, ſed in credulitate pertinaciſſimè perſiſterent, eodem filo, ſed recens inuncto, propriis manibus alterius pulli gallinacei vulnus infecerunt, qui æquè ac prior ille breviſſimo tempore mortuus eſt, cum nihil ei profuiſſent deprædicatæ lapidis virtutes: Id quod uſque adeo novum & inſolitum illis viſum eſt, ut tertia vice rem experiri voluerint: Idque experimentum occaſionem præbuit, ut ſequenti die plura illius generis fierent. Etenim, trajecto per coxam tertii pulli gallinacei eodem filo, quo priores infecti erant, adhibitoque lapide, pullus non modo nullum futuræ mortis ſignum, ſed ne morbi quidem indicium dedit. Ideoque ex re viſum eſt, eundem denuo ſub ala dextra ſcalpello ferire: & affuſis ſanguinolento vulneri aliquot olei guttulis, ac ſtatim applicato lapide, dignoſci non potuit, ullum ei à veneno allatum eſſe detrimentum. Tantummodo laborare multum, & affligi viſus eſt, ex quo tertia vice, acu & filo in exitioſiſſimum hoc oleum intincto ſiniſtra ejus coxa vulnerata eſt: Sed paucæ aliquot horæ abierunt, cum priſtino vigori reſtitutus eſt, & ſequentis diei matutino tempore ſaltando & cantando indicium dedit, cibi ſe potius, quàm mortis deſiderio teneri.

Magnam ab hoc eventu delectationem & voluptatem cœperunt lapidum fautores, uſque adeo ut reſumptis animis, intrepidè & ſtudioſiſſimè alia & diverſi generis animalia adferri peterent: quo obtento, experimentis longè pluribus, & morte animalium evidentiſſimè conſtitit, nullam huic lapidi vim & virtutem medicam contra venenoſum tabaci oleum ineſſe. Cæterum, quia non raro accidit, ut juxta id quod verum eſt, ceu tumidus quidam ſurculus propullulet id quod dubium eſt; hinc evenit, ut nonnulli cauſarentur; fortè hæc animalia non defectu virtutis, lapidibus propriæ, ſed multo potius eam ob cauſam interiiſſe, quod transfixis acu illorum membris, ideoque bicipiti vulnere affectis, neceſſum eſſet, non unum, quod hactenus factum erat, ſed duos lapides adhibere: Sed exiguo negotio ſublata eſt hæc difficultas, morte aliquot gallorum, quibus antea vulneratis duorum lapidum applicatione ſubventum eſt. Oblivioni dandum non eſt, quod vulneratis uno eodemque momento, in eadem corporis regione, & æquali vulneris magnitudine duobus capis, quorum uni impoſiti erant lapides, alteri non item; is cui ſubventum erat lapidibus, aliquot minutis ante mortuus eſt, quam alter ille; idemque luſus accidit, in aliis aliquot avibus, & diverſis animalculis quadrupedibus: Nec forte præter rationem eſſet credere, obſerato à lapidibus vulneris capite, & prohibito ſanguinis ſimul & aliquo veneni effluxu, mortem citius ſubſecutam eſſe.

Alia multa, & his ſimilia experimenta alias à quamplurimis eruditis hominibus vidi, quos inter nominare poſſem aliquot Patres Societatis Jeſu, & ſpecialiter Patrem Anthonium Veira, famoſiſſimum concionatorem Luſitanum, Patrem Adamum Adamando, celebrem Matheſeos Profeſſorem, Patrem Eraſmum Scales, & Patrem Anthonium Michaëlem Vinci, Lectorem Theologiæ & Philoſophiæ, in veſtro collegio Florentino, & tandem Dominum Mathæum Campani, virtuoſum, & nobiliſſimis utiliſſimiſque ſuis inventionibus nulli literatorum per orbem ignotum. Hactenus nihil aut parum attuliſſem, contra mendoſas dotes illorum lapidum, ſolis olei peri experimentis ſubnixus, niſi ſubjungere poſſem illos non magis contra mortiferos viperæ morſus prodeſſe; Et multi dictis meis verum & vivum teſtimonium dare poſſunt, & ſpecialiter venerabiliſſimæ Societatis veſtræ Pater Maracci, homo admodum ſapiens, & in rebus Indicis expertus & ſagax, quo præſente ab iratis his animalculis multa animalia morſu vulnerata ſunt, nullo in his lapidibus invento ſubſidio, quibus tunc temporis bonus hic Pater plurimum tribuebat. Et dum hæc ſcribo, idem in viperis Neapoli allatis, & quæ hic in vicinis nobis clivulis capiuntur, multoties expertus ſum, ut certus eſſem ejus rei, cujus jam ante certiſſimus eram. Inter alia memini, me nono Maij, præſentibus multis doctiſſimis hominibus, quatuor columbos totidem viperis mordendos exhibuiſſe,

qui applicatis quatuor lapidibus, decimo, ex quo infecti fuerant minuto, mortui ſunt. Idem ferè accidit quatuor pullis gallinaceis, quorum tres viginti aut aliquanto amplius minutis interierint: quartus, exclamando & concutiendo ſeſe, non niſi exactis quinque horis mortuus eſt. Nec vero tot experimentis, & meorum, aut Sereniſſimi Magni Ducis lapidum virtuti ſatisfidens, alium D. Doctoris Johannis Baptiſtæ Cheluzzi, inclyti in urbe Florentina Medicinæ Doctoris lapidem operi adhibui: ed etiam hunc, non minus quam omnes alios, deprehendi indigum, & plane expertem omnis proprietatis & virtutis, contra venenum viperarum, & Scorpionum Affricanorum. Multas iſtiuſmodi beſtiolas, in experimentis meis de generatione inſectorum jam antea deſcriptas, & Tuneto advectas, recens acceperam: ergo quatuor columbas ſylveſtres quatuor ſcorpionibus, in parte pectoris maxime carnoſa pungendas exhibui, applicato lapidum remedio, ſed cum opprobrio lapidum intra unius horæ ſpatium columbæ omnes mortuæ ſunt. At vero caput, ex quo percuſſus, & adhibita medicina eſt, ſeptem horas ſupervixit: & porcellus Indicus, à Scorpione Tunetano percuſſus, applicato lapidum maximo & ſpecioſiſſimo, horas octodecim vivus exegit. Nihil tamen cauſæ eſt, quominus credam, canem, applicato lapide tuo, & hominem à vipera percuſſum, applicato lapide D. Caroli Magnini mortem effugiſſe. Credo illud, & veriſſimum eſſe judico, eique tantum fidei tribuo, quantum cuique veritati evidentiori tribuere par eſt. At verò abſit, ut cogitem, lapidis virtute id factum eſſe; ſed naturæ hic effectus fuit, robuſtæ, vegetæ & benè conſtitutæ, quæ fortiter repugnando vim veneni viperini, ſolito debilioris, & minus vividi tandem ſuperavit: vel luſus hic, ut ita dicam fortunæ fuit; cujus cauſas ut plurimum ne ſumma quidem ingenia comprehendere poſſunt, ut ut comprehenſibiles ſint; ſi accuratum & diligens examen accedat, quo mediante ſimul illæ, & latentes fraudes cum fallacibus indicationibus detegantur. Placeat tibi, lapidis tui ſerpentini *Cobra de Cabelo* naturam, & vires denuo in aliis beſtiis, quas viperæ momorderunt, experiri: Etenim, ſi poſt multa experimenta accuratè facta deprehenderis, illum revera pollere virtute ſanandi punctus & morſus venenoſorum animalium, ingenuè fatear neceſſe eſt, me hactenus deceptum, & lapidem tuum bonum & legitimum, meos vero falſos & ſpurios eſſe. Quod ſi è contra inveneris, nihil in lapide tuo virtutis eſſe, gaudebimus utrique, inventam à nobis veritatem, & detectum eſſe mendacium, quod hoc vel illo caſu occaſionem mortis ſuppeditare poterat homini ingenuo, qui morſu à vipera vel cane rabido petitus, recuſatis omnibus aliis medicamentis, omnem ſuam ſpem in hujus unius lapidis virtute collocaret, quod genus lapidum, ut dicam quod ſentio, adulterinum & factitium eſt; aut ſi in capite ſerpentis *Cobra de Cabelo* vel *Pileati* vulgo dicti naſcitur, nullum contra viperæ morſum, peti oleum, & ſagittas Bantamorum & Macaſſarorum virtutem habet: quod ſi omnino aliquam alexipharmaci vim obtinet, nihil quod ei ultra largiamur ſupereſt, quam ut dicamus, prodeſſe eundem contra morſus illorum ſerpentum, in quorum capite naſcitur, & hoc Pater Michaël Boëm Jeſuita, ſemotis fabulis capite octavo de ſerpente *Gen-tò* in ſua *Flora Sinica* ſcripſit, penes quem ejus rei fides ſit. Me quod attinet, non dubito, quin hi noſtri lapides, ut jam antea dixi, manu facti ſint: & hanc meam ſententiam multi viri confirmant, qui diu admodum in Indiacis & ultra Gangem habitarunt, affirmantes, illos à ſolitariis, vel Indorum eremitis, idololatris, *Jogui* dictis, compactos eſſe, quos poſtea in Diu, Goa, Salietta, nec non per omnem Malabari & ſinus Bengalenſis, Siami, & Coccincinæ oram, omneſque præcipuas maris orientalis inſulas divendant. Sed me vel maximè in hac opinione confirmat, quod tu ipſe, Virtuoſiſſime Pater, non multum ab hac mea ſententia abis, uti paucis ab hinc diebus liquido videre mihi licuit, ex doctiſſimo tuo libro, de triplici in natura rerum magnete. Ubi mentione facta ſerpentum criſtatorum eorundemque lapidibus, ſapienter hunc in modum ſcripſitti: Qui autem hujuſmodi ſerpentes capiendi modum quam dexterrimè callent, ſunt Brachmani, & quos Jogues vocant, gentilitiæ ſuperſtitionis eremicolæ: longa ſiquidem experientia docti, vel ad primum ſerpentis Pileati aſpectum ex certis ſignis norunt, qui lapide turgeant, qui non, nec hic ſiſtunt, ſiquidem comparata horum lapidum copia, contuſos, atque unà cum reliquis ſerpentis partibus, addita non nihil ex terra ſigillata, aut etiam, quam magni faciunt, terra Melitenſi, in maſſam redactos, lapides efformant artificiales, eadem virtute, qua naturales imbutos, quos deinde magno quæſtu advenis vendunt, ſecreti lapidis conficiendi ita tenaces, ut nullis aut precibus, aut obſequiis propoſitiſque nummis, id advenæ extorquere poſſint. Alius quidam Pater Soc. Jeſu in ſuis relationibus de hac re ita loquitur.

Bonam hic virtutem alterius lapidis *Cobra dicti*, quem India habet: hic lapis vocatur; *Piedra de Cobra de Diu*. Parvus eſt, & maculas aliquot albas habet. Variis confectionibus & antidotis conſtat. Jogues illum præparant, homines pagani, pœnitentes, & ſerpentum incantatores, qui in Diu morantur. Nonnulli dicunt illos in capite colubri naſci: ſed hi virides ſunt; & obſcuri certe lapides ſunt, ab his artificialibus diverſi, & omnes eadem virtute pollent.

Virides hactenus nullos vidi, nec expertus ſum: Sed ſi eandem quam artificiales virtutem obtinent, non ſine ratione de eorundem viribus vehementer dubitaverim: quin in eo ſum, ut ferè credam, hos ſimul & illos prorſus omni virtute carere, & hos Jogues ejuſdem cum noſtris circumforaneis & cantilenarum propolis farinæ eſſe: etenim per emporia Indiarum vagantur, oſtentando ſerpentes criſtatos, eoſque collo & brachiis circumligantes, ſed ita, affirmante Garzia ab Horto, ut dentes illis omnes antea effregerint, nec non omni veneno ſpoliaverint. Et fieri poteſt, (quæ mea imaginatio eſt) ut his ſerpentibus, ea ratione præparatis, ſeſe mordendos exhibeant, & medicato his lapidibus morſu, falſam pro vera virtute jactent. Serpentes Cobras de Cabelo, ſcribit Garzias, capite de ligno Serpentino, circumferre ſolent. Circumforanei quidem (Jogues appellant) ſtipem emendicantes, & cineribus ſeſe aſpergentes, ut hac ratione venerandos ſeſe ſanctimoniæ titulo vulgo præbeant. Circumeunt iſti omnes regiones, & nonnulli ex iis circulatorum munere funguntur, geſtantque hos ſerpentes, quos demulcere ſolent, & collo aptare, (prius tamen exemptis dentibus) vulgo perſuadentes eos ſe incantaſſe, ne nocere poſſint.

Attamen, inquiet aliquis, neceſſe eſt, ut hi lapides aliquam, neſcio qualem amicitiam & inimicitiam cum veneno gerant, & ut aliquis inter lapides & venenum

venenum reciprocus amor ſit; cum liquido appareat, quam tenaciter ſeſe ad venenoſa vulnera applicent. Et vero negari non poteſt, quod vulneribus illis adhæreant, ſed hoc addatur neceſſe eſt; illos quibuſcunque vulneribus non venenoſis, atque adeo cuicunque parti corporis adhærere, quæ quidem molles ſint, & ſanguine, vel quo alio liquore madeant: eadem ratione, qua exigui illi panes terræ ſigillatæ, & omnes aliæ bolorum ſpecies. In ſumma, ſemper magis magiſque obtuſus hæreo, ad tanta mendacia, quanta indies de illis medicamentis ſcribuntur & narrantur; quæ ex ultra marinis, & longius remotis, aut minus cognitis regionibus ad nos deferuntur, nulla veri falſive cura, tantum, ut quæ narrantur, nova, inaudita, & quaſi miraculoſa videantur; unoquoque id agente, in hac via magis conſpicuum ſeſe, magiſque reverendum; & ſimplici vulgo doctiorem oſtendet, qui quidem has nugas eadem fide apprehendit, quâ rudes Caſtiliani crediderunt, veros eſſe effectus pennæ & carbonum, à nequiſſimo impoſtore ſibi exhibitorum; cujus mentionem Boccacius facit: prorſus ut falſus ſit Arioſtus, ubi dixit:

Chi va lontan dalla ſua patria vede
Coſe da quel che già credea lontane,
Che narrandole poi non ſe gli crede;
E ſtimato bugiardo ne rimane:
Che'l volgo ſciocco non gli vuol dar fede
Se non le vede, e tocca chiare, e piane.

Id eſt:

Qui procul à patria ſua abit res videt, quas antea procul à vero abeſſe credebat: quin ubi illas narrat, nemo illi credit & nugator habetur. Etenim ſtolidum vulgus fidem ei adhibere non vult, niſi illas clarè & planè videat tangatque.

Certus ſum, ſi de Hiſtorico, non de Poëta ſcripſiſſem, vel ſaltem ea puritate ſermonis uſus eſſem, qua ille in Satyris utitur, ſapientes, non ſtultos vocaſſem, qui lentè procedunt in adhibenda fide omnibus illis, quæ de iſtiuſmodi regionibus referuntur, quæ adiri commodè nequeunt, ad inveſtigandam veritatem relationis. Rem experientiâ probatam loquor & veram: multa famoſa medicamenta, inde ab Africa & Indiis tam Orientalibus, quam Occidentalibus, magna exſpectatione in Europam delata, mihi tractanti non reſpondiſſe, & facto periculo nullius valoris fuiſſe. Culpabunt multi zelatores, & nimis forte creduli, id quod dico, & murmurantes exclamabunt, me nimis ſtupida & parum politica ſinceritate id agere, ut fidem minuam vel demam illis pharmacis, quam inveterato multorum conſenſu obtinuerunt maximam. Ego vero per viam experientiæ liberam, & ab affectu immunem incedens, reſpondebo illis, nobiliſſimi illius Satyrici Florentini verbis, ad meum propoſitum accommodatis:

Dunque tua voglia imperioſa chiede;
Ch'io metta al mio 'ntelletto le paſtoje;
Ne piu la Scorza, ch'il tuo occhio vede;
Chi ſi da queſti impacci, e queſte noje
La verità non ha già per oggetto;
Ma vuol tenere in prezzo quelle gioje;
Ch'eſſendo falſe, gli fa gran diſpetto
Chi arreca delle vere, e le ſua Smaccà,
Moſtrando al paragone il lor difetto.

Id eſt,

Ergo imperioſa tua voluntas poſtulat, ut intellectui meo numellas imponam, ne plus percurrat, quam oculus tuus videt? qui, ſi in perplexis & tædioſis iis negotiis veritatem pro objecto non habet, ſed in pretio gemmas illas habere vult, quæ falſæ ſunt, vehementer ſuccenſet ei, qui veras affert, reprobatis illis, monſtrando ad lydium lapidem eorum defectum.

Hactenus Illuſtriſſimus Redi quibus ſequentia opponit Clariſſ. D. Baglivus.

Ex repetitis D. Redi viri accuratiſſimi experimentis de hoc lapide factis circa venenum potentiſſimum olei tabaci, viperæ & ſcorpionis Africani, detectum tandem eſt virtutem illius ſudoriam venenorum ſuppoſititiam eſſe & falſam, ut patet ex ipſius epiſtolâ ad Kircherum. Diu adhæſi opinioni tanti viri propter grave pondus ſuorum experimentorum in Aulâ tanti Principis factorum; ſed acceptis gratiſſimis, dum hæc potiſſimum ſcriberem, epiſtolis Aletiô Romam mihi datis per Patrem meum, ab eruditiſſimô Patre Joh. Dominicô Putignani Soc. Jeſu, mutavi ſententiam, præſertim cùm ex his cognoverim non eſſe omninò falſam dicti lapidis virtutem, ſed ex parte veram; ut expertus eſt præfatus Pater Paulæ urbe Calabriæ. Summa prædictæ epiſtolæ hæc eſt.

Diſcedens elapſis annis Siciliâ, mecum ferebam nonnullos lapides ſerpentinos donô mihi datos à Religioſo viro qui recens Luſitania Siciliam venerat. Paulam Calabriæ urbem me contuli, quô loci aliquantiſper commoratus ſum. Interea ruſticus Calaber Auguſtô menſe morſus fuit in collô à Cabrô Scorpione, & floccipendens illatam puncturam nulla adhibuit remedia; quamobrem ſupervenientibus graviſſimis ſymptomatis ad extremum ferè vitæ perductus fuit. Elapſo triduò certior factus ab amicis de præfato caſu, ſtatim acceſſi ad patientem, ut experimentum facerem eum lapidibus meis ſerpentinis. Inveni igitur ipſum jamjam morientem, & à filio ſuo indicatus mihi fuit in collo locus demorſus cui parva cruſta ſupercreverat. Scarificato priùs lanceola loco affecto, ſtatim ſuperpoſui unum ex lapidibus præfatis qui vehementer adhæſit parti; vixque elapſis quatuor vel quinque minutis horæ, patiens ſummoperè ſuſpirare cæpit, necnon & reſpirare frequentiùs, & poſt horæ quadrantem integræ ſanitati reſtitutus fuit, præſentibus pluribus conterraneis. Obſervavi in principiô applicationis lapidis quòd oportebat illum ſtatim exonerare ſucto veneno, infundendo eundem in lacte in quo veneni ſeminia deponebantur. Quamvis liberatus eſſet æger à morbô poſt horæ quadrantem, nihilominus tamen præſervationis gratia per duos alios dies lapidis applicationem repetebam, & ſingula applicatione obſervavi quòd in lacte adhuc deponebat aliquid venenoſæ ſubſtantiæ, donec tandem illud non ampliùs tingeret. Hæc eſt ſumma Epiſtolæ Italico ſermone datæ ab eruditiſſimo Patre.

Colligendum exinde erit lapides prædictos reverà venenum extrahere; quoniam tamen plures ſunt adulterini, & vili pretio ab Arabibus & Indis fallacibus venundati noſtris Europeis, ut idem teſtatur Dom. Redi, ideò nil mirum quòd frequentiſſimè votis non reſpondeant.

LAPIS SERPENTIS IN MOMBASA.

Famoſus eſt hic lapis & in capite vel ventriculô ſerpentis cujuſdam Africani in Mombaſa Zanguebaris regione reperitur. Credunt etenim eum maximum probatumque eſſe remedium accelerando gravida-

vidarum partui, idque ſine dolore, etiamſi fœtus mortuus ſit, ſi coxæ parturientis alligetur; hac tamen cautione ſervata, ut ſtatim poſt partum removeatur. Etenim ſi diutiùs ibi alligatus maneat, ob ingentes ſuas vires omnia puerperæ inteſtina ad ſe traheret. Mirabiliter quoque contra febres prodeſſe perhibetur, ſi tempore paroxyſmi in potu detur; quin & ſanare dolores colicos fertur, & pellere animo omnem melancholiam, quamvis graviſſimam & hypochondriacam. Verum, *inquit Nobiliſſ. Redi*, Sereniſſimo Magno Duci Hetruriæ Ferdinando II. dono datus eſt hujuſmodi lapis: figuræ erat ſphæricæ, ponderis unciarum quinque, eundemque experimento ſemper inveni inutilem. Lapis eſt, ſi exteriora ſpectes, nodoſus, & ex infinitis foliis compoſitus, quorum unum alteri ſuperinductum eſt, perinde ut in calculo veſicæ hominum, necnon illis lapidibus quos in Indijs Orientalibus in ſtomacho cercopithecorum, ovium, cervorum, damarum, aliorumque ruminantium domeſticorum pariter & ſylveſtrium animalium necnon apud Indos Occidentales in ſtomacho illorum animantium quæ *Vicunnas*, *Tarvas*, *Guanacos* & *Pacos* vocant, reperire eſt, quos omnes nomine lapidis Bezoar indigitamus. Fabuloſæ illæ inventiones quæ de modernis medicamentis narrantur, maximam partem originem ſuam habent à quadam fabula ab Antiquorum credulorum aliquo ſcripta & credita. Et quis non videt ea quæ hic de *Lapide Mombazæ* & ejus utilitate narrantur quam parturientibus affert ab illis deſumta eſſe quæ de lapidis aquilini miris virtutibus ſcripta fuere.

LAPIDES *quidam* ARTIFICIALES, *ad Medicinam facientes, præter alios multos qui in hoc Opere hinc inde reperiuntur; ſunt autem hi è Pharm. Bateana.*

Lapis contrayerva.

℞. Magiſt. c. c. corall. alb. rub. margarit. ſuccin. alb. ocul. ♋. ana ʒij. Rad. contrayerv. ℥ß. apic. nig. chel. ♋. ℥ij. omnibus ritè præp. & commiſtis adde Gelatin. viperar. q. ſ. ut f. globuli, foliis ☉ obducendi, atque cautè ſiccandi, ſ. a. Sunt qui addunt Ambr. gris. ʒß. Cardiacus, Alexiterius & ſudorificus inſignis eſt. Valet maximè in peſte, Variolis, Morbillis, febribuſque malignis omnibus. Dos. ℈ß. ad ʒß.

Lapis de Goa.

℞. Lap. Hyacinth. Topas. Saphir. Rubin. Margarit. ana ℥j. Smaragd. ℥ß. Bezoar. orient. Corall. alb. rub. ā ℥ij. Moſch. Ambr. gris. ā. ℥ß. Fol. ☉ num. 40. F. ☿ ſubtilis, qui cum ▽Roſ. in paſtam ſubactus efformetur in pilas oblongas, ovulis non abſimiles, in umbra probe ſiccandas.

Poſtea Dentalio, Entalio, ſeu ulla alia hujuſmodi conchâ accuratiſſimè (ut eleganter niteant) poliantur ſ. a. *Eaſdem obtinet vires cum priori. Præterea ſpecificus eſt contra Spaſmum & contracturas. Doſ. à* ℈i. *ad* ʒß. *& ultra.*

Lapis Medicamentoſus.

℞. ⊕ *alb.* ℥iv. ✱ ℥ß. O, *ceruſſ.* AB. *ā* ℥i. *m. f.* ☿ *coq. cum* ✢ *q. s. ad lapidis duri conſiſt. ſ. a.* Virtutes hujus variæ ſunt. Ulcera & defluxiones tollit: Vulnera inveterata deſiccat: Eryſipelas, Scabiem, Tineam, &c. curat. Modus utendi ità eſt. Liqueſcat ℥j. in Aquæ pluvialis ℔i. & filtra. Dein utere, tum lavando, tum linteolum imbuendo ac imponendo.

Lapis Salutis.

℞. ✱ ℥i. O. AB. *ā* ℥ij. ⊕ *virid.* ℥vi. ◐ ℥iij. *ceruſſ.* ℥ij. *m. f.* ☿ *coq. l.* 🜂. *cum* ✢ *q. s. donec. redigantur omnia in lapidem durum.* Eaſdem vires habet cum priori Lapide.

LAPPA, vid. *Bardana.*

LARDARIA, vid. *Evonimus.*

LAREX.

Laricis nomen à Germanico Antiquo *Larch* vel *Larich* dictum eſſe veriſimile eſt. Apud Cæſarem voces Germanicæ in *ich* terminatæ obſervante C. Hofmanno, mutantur in *ix*. Laricem autem Theophraſto & veteribus Græcis incognitam fuiſſe cum Bellonio putamus, qui ait univerſis locis Græciæ per quæ tranſiit Laricem non apparere. Larix à reliquis coniferis & reſiniferis arboribus abunde diſtinguitur quòd folio ſit deciduo. Verùm de tempore quo folia decidunt non conſentiunt botanici: Matthiolus folia non decidere hyeme, ſed novo vere cum recentia propellunt vetera affirmat; Matthiolo ſuffragatur auctor ἀξιοπιστότατος J. Bauhinus, qui non autumno ſed vere folia decidua ſe obſervaſſe ſcribit. Alii è contra folia autumno decidere & arborem hyeme nudam eſſe aſſerunt: præ reliquis C. Hofmannus, quid autem? inquit, niſi omnes qui hortum Medicum frequentavimus cæci ſumus ſingulis autumnis folia decidunt. Ego J. Bauhino ut curioſo & veraci potius aſſentior. Obſervent & litem hanc determinent quibus arborum harum copia eſt & inſpiciendi animus.

Nomina. Larix *ger. C. B. Park.* Folio deciduo conifera *J. B.*

J. B. Caudice recto ac procero Abieti æqualis eſt: Cortice craſſo, ſcabro, fuſcoque (J. Bodæo cortex inferiore parte quæ ramis ſubeſt craſſus, aſper, undique in rimas dehiſcit, præciſus interius rubere conſpicitur, reliqua parte lævis, glaber, nonnihil foris inalbicans) rami circa ſtipitem velut per gradus collocantur, longi, graciles, deorſum dependentes. Folia leniter odorata, ramos confuſo ordine ambientia, è tuberculis umbilicatis duodecim, viginti, aut triginta ſimul penicilli in morem conjuncta prodeunt, tenera, perangusta, craſſitudine porcinas ſetas æquantia, unciaha & longiora, viridantia (ſtapelio breviora, tenuiora, molliora quàm pini, haud aculeata ſed retuſa, adventante hyeme pallida effecta, (quod & nos obſervavimus) ad ſtipitis radicem decidunt) non ante hyeme decidentia quàm aliæ initio veris ſuccedant. Non igitur univerſa ſimul, ſed ſingula paulatim recedunt, aliis interim ſucceſſu ab iiſdem tuberculis prodeuntibus dilapſorum vicem occupantibus, itaut non defluiſſe folia, ſed novæ juventutis habitum induiſſe videantur. (at Stapelius alijque nudam hyemem tranſigere Laricem affirmant) Floſculi ſeu potius conorum rudimenta Stapellio rotunda, è tenerrimorum ramulorum ſummitatibus erumpunt, arboremque mirum in modum condecorant, quod in purpuram ardenter rubeſcentia, comantibuſque foliolis miro naturæ artificio annexa, viatorum oculos non parum recreant, ſuntque odoratiſſima. Coni pertinaciter ramis hærent brevi, contorto, craſſiuſculo pediculo, nutabundi, nucis cupreſſinæ magnitudine, ſed paulo longiores, ſquamulis compacti latiuſculis compreſſis, obtuſis, tenuibus, (ex rubro, ut inquit Cluſius, purpuraſcentes, nimirum dum tenelli ſunt & nondum maturuerunt) qui dum novelli & recentes ſunt, ex iiſdem tuberculis è quibus folia prodeunt, petiolo ſurſum reflexo nitentes, ut mucrone cœlum ſpectent: illoſque intercedunt ſquamulæ foliaceæ, tenellæ in ſtylum acutiorem deſinentes quæ ſingulæ continent ſemina parva, alata, gemina, magnitudine

Fig. 1.



Fig. 2.




Fig. 3.




Fig. 4.





Fig. 5.



ſæ ſeminis cupreſſi, foris cinericeo cortice, intus autem candido nucleo conſtantes, ſapore dulci & pineam nucem referente, materies firma ſatis & ſolida, in rectum fiſſilis, fulva, criſpantibus ſaturatioris coloris callis, pectinibus rectis, odorata, flammeſcens, odorem quoque jucundum naribus aſpirans.

In Alpibus Rhæticis & Valleſiacis abundè provenit: nos in Alpibus Stitiacis & Carintiacis copioſam obſervavimus, cum Vienna Venetias iter faceremus. In Viennenſi ſaltu, tum alijs montibus Alpibus vicinis, exceptis ſummis jugis, abundare Laricem ſcribit Cluſius. Plinius, Vitruvium, ut videtur ſecutus, Laricem nec ardere, nec carbonem facere, nec alio modo ignis vi conſummi quam lapides ſcribit. Hoc tamen falſum eſſe experientia conſtat, nam apud Valleſianos quibuſdam in locis, non alia ligna in uſum foci adhibentur, ac alicubi etiam in Alpibus ad Ferrarias fodinas carbones ex ea fiunt.

Nec verius eſt, quod hanc perpetuo virere dicit cum botanicorum omnium conſenſu folio ſit deciduo: poteſt tamen hac in parte deffendi Plinius: cum Larix (teſte J. Bauhino) non ante folia amittat, quam vere nova producat.

Erravit inſuper Plinius Laricem nullo flore exhilarari, nec natales pomorum recurſus annuos verſicolore nuntio promittere affirmans cum obſervante Cæſalpino, flores ineunte vere emergant in cacuminibus, in purpura valde rubentes, odoratique; quod ſi hi nihil aliud ſunt quam conorum rudimenta, non immerito Plinius arborem floriferam eſſe negavit. Ego autem in hoc genere non minus quam in alijs coniferis dari flores à fructibus non tantum diſtinctos, ſed etiam disjunctos ſuſpicor.

At vero quomodò Plinium Laricis morbum eſſe ut tæda fiat ſcribentem excuſem non video: in hunc autem errorem incidit quod πεύκην Theophraſti i. e. pinum pro Larice habuerit, & cuncta Larici tribuerit quæ de pinu Theophraſtus ſcripſit, cujus morbus proprius eſt ut tæda fiat.

Uſus. Larix (auctore Plinio) quàm picea materiâ præſtantior longe, incorrupta vis, emori contumax. Fiunt ex ea, (referente Cluſio) vinetorum pedamenta, & pali circa Neapolin & ſupra Badenſes (Auſtriæ) thermas, ut quæ corruptioni minùs ſit obnoxia: item longiſſimi canales tectis ſupponendi & aptandi ad pluviam & imbres ex iis decidentes excipiendam: ſunt enim ad hos uſus commodiſſimi: nam cum firma & ſolida materia conſtent, diutiſſimè ſolis ardoribus, & alijs aëris injurijs reſiſtere poſſunt, nec finduntur aut vitium contrahunt, eaque de cauſa non picis aut alterius inductione egent. Structurarum pondera firmiſſimè & diutiſſime ſuſtinet, idque Baptiſta Albertus adnotaſſe ſcribit, cum alibi tum apud Venetias ex vetuſtis operibus.

Vires. Folia ejus & cortices adſtrictoriam facultatem obtinent: lignum magni fieri adverſus elephantiaſim ſcribit Stumpfius, Simlerus contra lepram.

Colligitur ex hac arbore reſina liquida, candicanti melli, veluti Attico aut Hiſpanico, colore & confiſtentia ſimilis, quæ tamen non ſponte effluit, ſed ex arboris trunco emanat craſſo oblongoque terebro ad cor uſque excavato; manantem inde reſinam vaſculis quibuſdam è piceo cortice paratis excipiunt. Reſina hæc Larix dicitur, in officinis terebinthina appellatur, ejuſque loco divenditur. Quod novum non eſt; nam & ſua ætate Galenus rhopopolas Laricem terebinthinæ loco vendidiſſe refert. Vide Bot. à Stapel. comment. in Theophraſt. hiſt. lib. 3. cap. 10. ubi è Galeno oſtendit eos citra errorem hanc illi ſubſtituere.

Parkinſonus & C. Hofmannus reſinam Lariceam eſſe quam officinæ noſtræ terebinthinam Venetam vocant affirmant; & C. Bauhinus hanc non tantum pro terebinthina in uſum receptam eſſe, verum etiam ſolo terebinthinæ cognomento cognitam, ait, nec deſunt (inquit) qui in totum Laricis reſinam eſſe volunt quam pro terebinthina officinæ habent.

Ea (inquit Jacob Wagnerus) odore, guſtu ac facultate eſt præſtantiſſima, externus ejus uſus in ſcabie, pſora, tinea internus ad ardorem mitigandum in ulcere veſicæ, nephritide, purulenta mictione ad renes detergendos. Dilu um quoque ex Laricea ℨj. Cum vitello ovi & aq. cardui benedicti egregiè purgat, inebriat pota, quod Rhætis lignatoribus familiare.

Pro *uſu* terebinthinæ vide reſin. pini & arietis: & Cap. de pinu ſativa & de terebintho. *Raius in Hiſtor. Plant.*

Laridum, vid. *Porcus.*

Laser Medicum, & Syriacum, vid. *Aſſa Fœtida*, ut quidam credunt.

LASERPITIUM.

Laſerpitium (Σίλφιον) antiquis tantopere celebratum, quæ planta fuerit, hodie ignoratur, quæ de eo Theophraſtus, Dioſcorides, Plinius habent, apud ipſos vide. Conſule etiam ſi placet J. Bauhinum & J. Bodæum comment. in Theophraſt. hiſt. lib. 6. p. 589. & ſequent. de *Laſerpitio* fusè diſputat. Sciendum tamen Cyrenaicam regionem laudatiſſimum ſilphium protuliſſe.

Quæcumque tamen planta fuerit veterum ſilphium ſeu Laſerpitium, id enim neſcimus, nos pro Laſerpitio habebimus plantam ſemine multis alis foliaceis (8. in binis ſeminibus conjunctis) ſecundum longitudinem, ſtriarum more, decurrentibus donato. Ex hoc etiam numero ſunt Libanotides Theophraſti ſeu latifoliæ nonnullis dictæ. Laſerpitium Alpini & Bodæi ad aliud genus pertinere videtur: Si Bodæi mentem rectè aſſequor, nam ſemen foliaceum ei attribuit i. e. compreſſum & planum, ut ego interpreror, quamvis tumidum appingat, unde per foliaceum forte intelligit alis foliaceis extantibus circundatum.

Quidam Silphium veterum Aſſam fætidam eſſe volunt quos refutant Marcellus, Virgilius & Jo. Bodæus à Stapel; quos adi.

Hæc de Laſerpitio hactenus ex Raio, quibus cùm in re obſcuriſſima ſatis lucis prælatum non credamus, rurſus quædã in eodem argumento ex Plinio ac præcipuis ejuſdem Commentatoribus imò ex ipſo Salmaſio in Solinum tam doctè pro more ſcribente, cum propriis conjecturis &c. adjiciemus. Sic autem de Laſerpitio PLINIUS. Hiſt. Nat. lib. xix.

Laſerpitium quod Græci *Silphion* vocant, in Cyrenaicâ Provincia repertum; cujus ſuccum vocant *Laſer*: magnificum in uſu medicamentiſque, & ad pondus argenti denarii penſum. Multis jam annis in eâ terrâ non invenitur, quoniam publicani qui paſcua conducunt majus ita lucrum ſentientes, depopulantur pecorum pabulo. Unus omnino caulis noſtrâ repertus memoriâ, Neroni Principi miſſus eſt. Si quando incidit pecus in ſpem naſcentis, hôc deprehenditur ſignô: ove, cum comederit, dormiente protinus, caprâ ſternuente. Diuque jam non aliud ad nos invenitur Laſer, quàm quod in Perſide, aut

Media

Mediâ & Armeniâ naſcitur largè, ſed multò infra Cyrenaïcum: Id quoque adulteratum gummi, ſagapenô aut fabâ fractâ. Quo minus omittendum videtur C. Valerio, M. Herennio Coſſ. Cyrenis advecta Romam publicè Laſerpitii pondo xxx. Cæſarem verò Dictatorem initio belli civilis, inter aurum argentumque protuliſſe ex ærario Laſerpitij pondo M. D. Id apud Auctores Græciæ evidentiſſimos invenimus natum imbre piceo repente madefacta tellure; circa Heſperidum hortos Syrtimque majorem, ſeptem annis ante oppidum Cyrenarum, quod conditum eſt Urbis noſtræ anno CXLIII. Vim autem illam per quatuor millia Stadium Africæ valuiſſe. In ea Laſerpitium gigni ſolitum, rem feram ac contumacem, & ſi coleretur in deſerta fugientem: radice multa craſſaque, caule ferulaceo, aut ſimili craſſitudine. Hujus folia mas petum vocabant, apio maximè ſimilia. Semen erat foliaceum, folium ipſum verò deciduum. Veſci pecora ſolita, primóque purgari, mox pingueſcere; carne mirabilem in modum jucunda. Poſt folia amiſſa, caule ipſo & homines veſcebantur decocto, aſſo, elixoque: eorum quoque corpora XL. primis diebus purgante à vitijs omnibus. Succus duobus modis capiebatur: è radice atque caule. Et hæc duo erant nomina, rhizias atque caulias vilior illo ac putreſcens. Radici cortex niger. Ad mercis adulteria ſuccum ipſum in vaſa conjectum, admixto furfure ſubinde concutiendo ad maturitatem perducebant, ni ita feciſſent, putreſcentem. Argumentum erat maturitatis, color, ſiccitaſque ſudore finito. Alij tradunt Laſerpitij radicem fuiſſe majorem cubitali, tuberque in ea ſupra terram. Hoc inciſo profluere ſolitum ſuccum, ceu lactis, ſuperenato caule, quem magydarin vocarunt. Folia aurei coloris pro ſemine fuiſſe, cadentia à Canis ortu, Auſtro flante. Ex his Laſerpitium naſci ſolitum, annuo ſpatio & radice & caule conſummantibus ſe ſe. Hoc & circumfodi ſolitum prodidere. Nec purgari corpora, ſed ægra ſanari, aut protinùs mori, quod in paucis accidere. Perſico Silphio prior opinio congruit.

Alterum genus ejus eſt, quod Magydaris vocatur, tenerius & minus vehemens, ſine ſuccô: quod circa Syriam naſcitur, non proveniens in Cyrenaicâ regione. Gignitur & in Parnaſſô monte copioſius, quibuſdam Laſerpitium vocantibus: per quæ omnia adulteratur rei ſaluberrimæ, utiliſſimæque auctoritas. Probatio ſynceri prima, in colore modicè rufo, & cùm frangitur, candido intus mox tranſlucente: gutta aqua ſalivaque liqueſcit. Uſus in multis medicaminibus.

Et libro XXII. ejuſdem Hiſtor. Naturalis. Laſer è Silphio profluens, quo diximus modo, inter eximia naturæ dona numeratum plurimis compoſitionibus inſeritur. Per ſe autem algores excalfacit, potum nervorum vitia extenuat. Feminis datur in vino. Et lanis mollibus admovetur vulvæ ad menſes ciendos. Pedum clavos circumſcarificatos ferro, mixtum ceræ extrahit. Urinam ciet ciceris magnitudine dilutum. Andreas ſpondet, copioſius ſumtum, nec inflationes facere, & concoctioni plurimum conferre ſenibus & feminis: item hyeme, quam æſtate, utilius, & tum aquam bibentibus: cavendumque ne qua intus ſit exulceratio. Ab ægritudine recreationi efficax in cibo. Tempeſtive enim datum, cauterij vim obtinet: aſſuetis etiam utilius, quam expertibus.

Ad extera corporum, indubitatas confeſſiones habet. Venena telorum & ſerpentium exſtinguit potum: ex aquâ vulneribus his circumlinitur: ſcorpionum tantum plagis ex oleo: ulceribus vero non maturescentibus cum farina hordeacea, vel fico ſicca. Carbunculis cùm ruta, vel cum melle, vel per ſe viſco ſuperlitum, ut hæreat: ſic & ad canis morſus. Excreſcentibus circa ſedem, cum tegmine punici mali ex aceto decoctum. Clavis, qui vulgò morticini appellantur, nitro mixto. Alopecias nitro ante ſubactis replet cum vino, & crocô, aut pipere, aut murium fimo, & aceto. Perniones ex vino fovet, & ex oleo coctum imponitur: ſic & callo. Clavis pedum ſuperaſſis præcipuæ utilitatis. Contra aquas malas, peſtilentes tractus, vel dies. In tuſſi, uva, fellis veteri ſuffuſione, hydropiſi, raucitatibus: confeſtim enim purgat fauces, vocemque reddit. Podagras in ſpongia dilutum poſca lenit. Pleuriticis in ſorbitione vinum poturis datur: contractionibus opiſthotonicis, ciceris magnitudine cera circumlitum. In angina gargariſatur. Anhelatoribus, & in tuſſi vetuſta cum porro ex aceto datur, æquè ex aceto his qui coagulum lactis ſorbuerint. Præcordiorum vitijs ſyntecticis, comitialibus in vino, in aqua mulſa linguæ paralyſi. Coxendicibus & lumborum doloribus cum decocto melle illinitur. Non cenſuerim, quod auctores ſuadent, cavernis dentium in dolore inditum cera includi: magno experimento hominis, qui ſe ea de cauſa præcipitavit ex alto. Quippe tauros inflammat naribus illitis: ſerpentes avidiſſimas vini admixtum rumpit. Ideo nec inungi ſuaſerim cum Attico melle, licet præcipiant. Quas habeat utilitates immixtum alijs, immenſum eſt referre: & nos ſimplicia tractamus: quoniam in his naturam eſſe apparet, in illis conjecturam ſæpius fallacem, nulli ſatis cuſtodita in mixturis concordia naturæ, ac repugnantia. Et libro XXXII. Percuſſis vero à paſtinaca marina medetur *Laſer*.

Hactenus PLINIUS cujus Doctiſſimus Commentator Rever. Pater Joh. Harduinus è Societate Jeſu plura ſuperaddit ex Theophraſto, Dioſcoride & alijs ad textus illuſtrationem facientia; ſcilicet quòd v. g. tuber in radice Laſerpitij ad modum capituli extuberet, quod ſublime penitus exſtet, ut ferè in ſumma tellure eſſe appareat; ex *Theophraſto*. Quod ſemen Silphij ſimpliciter *folium* appellatum ſit, ut ex veteſtis ſcriptoribus antea demonſtratum eſt. Unde Theophraſti hæc verba ſunt. Τὸ καλέμενον φύλλον ἐςὶ σπέρμα, ὃ καὶ ὅταν νότος λαμπρὸς πνεύσῃ μετὰ κύνα, διαῤῥιπτεῖται, ἐξ ὧν φύεται τὸ σίλφιον. Quòd eadem anno radix conſummatur, perficiturque, & caulis. Unde meritò inter plantas annuas hæc reponenda. Quod ex Dioſcoride præferatur Laſer modice ruber, atque tranſlucens, myrrhæ æmulus, neque ſaporis immitis; qui denique facile liqueſcit ac diluitur, & albeſcit. Quod ex Dioſcoride clavos calloſque prius circumciſos extrahit *Laſer* ſeu *Silphii liquor*: ſi quidem cerato ante fuerit ſubactus. Quod inde *Laſer* cauterij vim obtinere dicitur quia fluxiones ac pituitas intus deſiccat, acrimonia ſibi innata, quibus intercipiendis cauterio eſſet alioquin opus. Quod de *Silphii* radice non verò tantum de ſucco ſeu *Laſere*, etiam Dioſcorides tradat, illam excreſcentia circa ſedem tollere, tegmini mali punici incoctam, & impoſitam. Quod quibus hauſtum lac coagulatum fuerit, ſive intus concreverit, ſumtus ex aceto mulſo Silphii ſuccus opitulatur, inquiente Dioſcoride, &c.

Celeberrimus Salmaſius in ſuis ad Solinum doctiſſimis Exercitationibus nummum Cyreneorum producit qui ab uno latere Hammonis effigiem, ab alio vero *Silphium* inſculptum habet, (*vid. Tab. xiv. figur.* 1. & 2.) Superque eo ſcribit. In Silphii nummo hoc inſculpti caule folia ſunt, quæ hinc inde è thyrſo velut alæ prodeunt, & erumpunt, & caulem ipſum ambiunt, ut in arundine, & ferula, non tamen alternatim, ſed ex utraque pariter parte. Apio ſimilia videri neutiquam poſſunt, tantum quod

quod inciſa in extremo, & aliquatenus ſtriata viden-tur. Cauliculi qui ex mediis foliorum alis exeunt in globulum deſinentes, globulus ille, vel granum rotundum ſemen eſt. Sed & globoſa illa congeries granorum uvæ more ſibi connexorum, quæ in ſummo caule viſitur, ſeminis inſtar obtinere cenſenda eſt. Quod ſemen quare foliaceum, & πλατὺ tradiderint veteres, neſcio. Rotunda illa grana potius apparent, quam plana, aut foliacea, ut eſt ulmi ſemen. Sed fortaſſe eam parvæ illæ pilulæ, maturitate diſruptæ in plura foliacea ſemina dividebantur, quæ auſtro flante ſpargebantur: ut ſolent etiam ulmi ſemina vento diſflari. Ita neceſſe eſt credere, ſiquidem veterum deſcriptioni fidem habeamus. Proponam hic etiam aliam Laſerpitij plantæ figuram (*vid. Tab. xiv. fig.* 3.) eamque admodum antiquam, ſed quæ nihil prorſus habeat ſimile cum ea ſuperiore. Nos eam ex Codice vetuſtiſſimo Dioſcoridis Græco ante mille annos ad minimum deſcripto ſumpſimus. In eo exemplari omnes ferme, paucis exceptis, plantarum figuræ manu antiquarij, qui librum ſcripſit, Graphicè expreſſæ ſunt. Utrum ad verum & naturæ fidem eas pinxerit, an ex verbis Dioſcoridis ad libitum effinxerit, neſcio. Multæ ſane ibi extant ad nativam veritatem delineatæ. In hac autem figura multa vitia quæ ad verum expreſſam credere vetent. Radix non reſpondet deſcriptioni veterum. Caulis craſſus ac ferulaceus non eſt, qualem Laſerpicio omnes ſcriptores antiqui tribuunt. Nihil denique in illa pariat cum illa Silphij facie, quæ in veteri Cyrenarum nummo conſpicitur, quam tamen genuinam ac Germanam eſſe conſtare debet. Folium hæc quidem habet apio ſimile, & ſemen latum, ac planum, quod pictori antiquario facile fuit ex verbis potius Dioſcoridis, quam ex veris fingere. Dicere heic poſſet aliquis effigiem hanc eſſe Syriaci, aut Medici Laſerpitij, aut etiam Parnaſſij, non Cyrenaïci. Medicum certe & Cyrenaïcum καὶ εἶδος ἐξαλλάττειν inquit Strabo. Sed hæc incerta. Pictura Dioſcoridis Antiquarij, quæ pro Silphio propoſita eſt, plane accedit ad Smyrnij deſcriptionem, ſive Aſtrantiæ, quam pro Laſerpicio veterum quidam hodie nobis obtrudunt herbarij. In ea ſententia fuiſſe videtur herbarius ille priſcus Dioſcoridis, utpote qui Smyrnium veterum nobis delinearit in locum Laſerpitij. *Gallicum Laſerpitium* quidam vocant. Idem Salmaſius fusè in ſequentibus diſputat contra eos qui Silphium Medicum, aut Syriacum cum Aſſa fœtida hodiernorum confundunt. Verum in ſuis de Homonynis Hyles Iatricæ Exercitationibus, poſtquam per totum prope Caput 96. eandem acriter defendit opinionem ſub finem tandem eò delabitur ut Aſam fœtidam Perſicum Laſer credat à Cyrenæo gradu tantum minimè verò tota natura diverſum. Illucque inducitur Vir Magnus, tum quòd Garcias ſcribat Aſam non aliter præparari quam olim præparabatur Laſer quò commodius aſſervaretur, id referente Theophraſto, atque etiam ex Theophraſto Plinio noſtro; ſcilicet quòd ſuccus qui ex caule inciſo fluxit in bubula coria conjiciatur admixta tritici farina: Tum etiam quòd pares omnino effectus Aſæ in medicaminibus Indi hodierno tempore tribuant quos vetuſtas Laſeri ſuo aſſignavit.

Hactenus *Plinius* commentante Harduino, ac etiam ipſe *Salmaſius* de *Laſerpicio*. Nos in re difficili quid ſentiamus breviter explicabimus. Convenimus equidem cum Clariſſ. D. Clerico Collega noſtro & amico ſingulari, de Laſerpicio in ſuæ Hiſtoriæ Medicæ part. III. lib. II. cap. 2. ſcribente fieri omnino potuiſſe ut apud antiquos ſapor Aſæ fœtidæ non ita ingratus ſit reputatus, ac nobis ille videtur, ſiquidem adhucdum hodie, ſuccus gummoſus qui Aſa dicitur, & qui Germanis propter intenſum fœtorem *Stercus Diaboli* vocatur, Indis eſt inter condimentorum ac menſarum delicias, tantopere enim inter ſe diſtant variorum hominum guſtus, ut in Proverbium meritò abierit de guſtibus nullatenus eſſe diſputandum. Præterquam enim nativa quorundam hominum eſt ad hos aut illos ſapores ac odores propenſio, qui aliis non tantum ingrati, ſed prorſus abominandi ſunt: ut notæ eſt Imperatoris illius Græci ſeu Conſtantinopolitani hiſtoria qui ſtercoribus delectabatur, indeque nomen adeptus fuerat, & nos ipſi vidimus quendam qui pediculis, alium qui araneis magna cum voluptate veſcebatur, nihilque oppilatis, ut vocantur, mulieribus magis familiare quàm magna contentione ac ſtudio exquirere in ſtomachum cum voracitate ingerere res eas à quibus tota hominum Societas quàm maximè abhorret. Quis neſcit habitudinem à junioribus conquiſitam annis plura inter delicias reponere quæ priùs nauſeam ac horrorem aliquatenus incutiebant. Sic aqua quam maximè ſaturata ſemine caphe probè toſto, nullo etiam admiſtò ſaccharò, in noſtris familijs ab ipſis infantulis Patrum ſuorum exemplò eò inductis, magna aviditate expetitur ac ſorbillatur, quam olim multa cum averſatione refugiſſent. Sic tabaci abominandus ſapor in delicijs eſt apud eos qui illi maſticando non aliter aſſueverunt quàm Indi ſuo *Bet le.* Imò ut ad ipſam Aſam revertamur, Joh. Bauhinus, in ſua Plantar. Hiſtor. univerſali, capite de Aſa fœtida ſeu Officinarum, aſſerit quòd quorundam oratione perſuaſus, condimentum ex Aſa aliquando deguſtaverit, confricato ſcilicet ea ferculo, quod Palato ſic ſatis arriſerit, non tamen adeò ut tales prædicaverant ſuaſores, quoniam fortè, inquit, neque juſculis, neque condimentis valde delectaretur. Additque præterea idem, quòd ejuſmodi condimenta ſibi ſuo odore non eſſent moleſta, tametſi nullum odorem æquè infeſtum haberet ac Aſæ fœtidæ odorem. Ex hiſce autem omnibus quamvis facilè concludatur poſſibile fuiſſe ut veteres ab Aſæ fœtidæ ſapore ac odore in medicamentis & condimentis non prorſus abhorruerint, non tamen ſequitur, ut opinatur Magnus Salmaſius, paritatem quandam inter Aſam fœtidam & Antiquorum Laſer intereſſe, quaſi ſcilicet ſucci forent è congeneribus plantis ſtillantes, de quibus videri poſſunt & Raius in Aſa fœtida proprio loco in hoc ipſo opere deſcripta, & præcipue Botanic. Celeberr. Joh. Bauhinus in Hiſt. Plantar. Univerſali mox præcitata. Signa etenim alia nobis veniunt explicanda pro conformitate plantar. unde Laſer & Aſa fætida exſtillant facienda quàm quæ ex tolerabilitate ſaporis hujus apud quosdam ſimpliciter adducuntur, dum alia omnia pro conformitate neganda pugnant. Antiqui in deſcriptione Silphij unde verum Laſer ſtillaret unanimi voce aſſerunt illud eſſe plantam folia apij gerentem, ſeminaque quaſi foliacea, qualia ſunt ſcilicet paſtinacarum angelicarum ſylveſtrium aliarumque multarum plantarum, ſuo tempore promentem; quibus etiam apprime conſona eſt effigies in nummo à Magno Salmaſio allato inſculpta, quæ dummodo ſevero nimium nō ſubjiciatur examini, (ut certè non æquum eſt ejuſmodi ſubjiciantur effigies) nobis prodit plantam, folijs ſuis caulem loco unde enaſcuntur prorſus circumcingentibus, angelicis noſtris, apijs quibuſdam, atque Smyrnijs, ſeu oleribus atris, (quæ à Salmaſio, ut per tranſennam, male cum aſtrantijs confunduntur) nō multum diſſimilem; foliorum revera extrema non ita accuratè depicta inibi viſuntur & quaſi lacera & diſrupta apparent, quia non aliud permittebat nummi anguſtia; ſed caulis eſt omnino ad formam caulium angelicarum, leviſticarum ac paſtinacarum, & præterea flos in ſummo plantæ è thecâ ſuâ nondum evolutus, illamque vix dum aperiens in globum collectus non

non aliter repræſentatur quàm angelicarum, leviſticorum ac lib notidum quarundam flores ſe nobis quo tempore flos prorumpere paratus eſt ſe ſe explicat. Globulos autem quod attinet in eadem figura depictos quaſi circa foliorum pediculos è caule hinc indè aſſurgentes; ijs exprimuntur flores è prænominatarum plantarum caule ſubinde quandoq; enaſcentes, illosq; theca ſuâ infaſciatos, ac adhucdum minime perruptis involucris, in globum coactos. Fatemur quidem rurſus hac in parte effigiem ab accurata repræſentatione plantæ aberrare, ſed quis ſedulitatem majorem in antiquiſſimo exquiſiverit nummo, eo tempore quo homines ad umbram ſuam pingebantur cõfecto; ſeu potius quis non admiretur effigiei in nummo inſculptæ cum ipſa Silphii repræſentatione in præcipuis ſuis caracteribus, jam vetuſtiſſimis illis temporibus, conformitatem. Alia præterea Salmaſii icuncula Tabulæ ſcilicet hic noſtræ xiv. fig. 3. delineata quantumvis rudis, Libanotidas quaſdam ad quas inter Botanicorum hodiernorum Principes meritò recenſendus Clariſſ. D. Pitton de Tournefort, Silphium inhæſitanter refert, nõ tam male exprimit; aut potius effigies Laserpitij Maſſiliotici apud Joh. Bauhinum depicti, quod ad Leviſticorum aut Libanotidum familiam reducendum venit, omnino accommodatur.

Aſt quomodocunque tandem ſe res habeat, & poſito quòd Veteres in ſuis deſcriptionibus ac delineationibus à vera Silphij repræſentatione circa multas circumſtantias non parum aberraverint, nihil tamen hæc planta habebit conſortij cum illa è quâ hodie Aſa fœtida exſudat. Sive etenim iconem hic Tabul. noſtr. xiv. fig. 4. è D. Pomet Hiſtoria Aromatum Univerſali mutuatam, conſulamus; ſive deſcriptiones à Clariſſ. Viris Joh. Bauhino & Joh. itidem Raio allatas expendamus; ſive omnes illas quas nobis tradunt varij per totam Indiam ac præcipuè Perſidem, Peregrinatores ad examen revocemus, nihil prorſus videbimus inter illas & Antiquorum Silphium commune. Scilicet planta unde Aſa fœtida cujus effigies à D. Pomet affertur, arbuſculam, folia rutæ folijs non abſimilia gerentem atque in ramos & ramuſculos longè diviſam, exhibet: Deſcriptiones verò Raij, Bauhini ac variorum Peregrinatorum duplicem faciunt Aſæ fœtidæ plantam, aliam ſcilicet ſarmentoſam ad inſtar ſalicis aquaticæ quæque de arbuſcularum genere ſit; aliam verò ac fæcundiorem, cujus radix craſſiſſimos referat raphanos, folia autem ad tithymalorum folia accedant. Verùm ſit nobis inſtar omnium Accuratiſſimus Botanicus qui & ipſe per Indiam non tantum peregrinatus eſt, ſed etiam in Orientalibus mundi plagis dudum commorando quid demum veri de plantis varijs exoticis aliiſque multis ad materiam medicam facientibus nobis traderetur, diligenti inquirens examine, Aſam fœtidam in ſua Materiæ Medicæ manuſcripta hiſtoria, aſſerit ſubſtantiam eſſe gummoſam, & reſinoſam, aridioris inſtar ceræ lentam & ſequacem, ex variis ſplendentibus grumis, modò albeſcentibus, modò flaveſcentibus, modò elegantiſſimi incarnati coloris, ex TITHYMALO PERSICO SARMENTOSO, FOETIDO hinc quibuſdam dicto, exſtillantem ac in maſſam coactam &c.

Quod autem affert Salmaſius de præparatione & purificatione Aſæ fœtidæ, non abſimili illi qua Laſer, ſeu ſuccus Silphij ad maturitatem perducebatur nihil concludit pro conformitate ſuccorum. Præterquam etenim illa præparatio non eſt in omnibus eadem; ſiquidem pro Aſa fœtida ex Garcia adhibetur ſanguis & farina, dum pro Laſere ſolum furfur impenditur, idque non tam ad perfectionem quàm ad adulteratione ut ex Plinio videre eſt; quis neſcit res toto cœlo diverſas unò eodemque modò præparari poſſe.

Conformitas etiam virtutum inter Laſer & Aſam fœtidam, ſi quæ ſit, nihil magis concludit, quandoquidem innumera reperiuntur in rerum natura quæ etiamſi viribus aliquatenus inter ſe reſpondeant, nihil tamen in aliis habent commune.

Ratum itaque apud nos maneat Antiquorum Silphium jam ante Plinij tempora deficiens ignotum prorſus hodiernis eſſe, & medicinas quæ exinde conquirebantur ac præparabantur aliunde jam petendas eſſe: Sicque hiſce finem facimus.

LATHYRIS, vid. *Cataputia.*

LATHYRUS.

Λάθυρος q. λάθυρος dicitur, quod venerem maximè excitet, à λα particula augmentiva, & θῦρος, quod ſignificat ἀφροδισιασῆς ὁρμητικός J. Bod. à Stapel. at nobis non arridet illud etymon.

Lathyri nota generica ſunt caules membranulis ſecundum longitudinem extantibus aucti, compreſſi & anguloſi. Folia ex unica tantum pinnarum mediæ coſtæ annexarum conjugatione compoſita. Liceat jam in variorum Lathyrorum ſpeciebus cum Clariſſ. Raio deſcribendis paulò magis etiam in alijs ſolitum ſit plantis, evagari.

Nomina. I. Lathyri majoris ſpecies flore rubente & albido minore dumetorum ſive Germanicum *I. B.* Lathyrus Sylveſtris *Dod.* Lathyrus anguſtifolius *Cluſij* ex ſententia *I.B.* Lathyrus ſylv. major *C. B.* Lathyrus ſylv. Dodonæi. *Park.*

I.B. Lathyro huic longiſſima ſunt flagella, ad cubitos aliquot porrecta, anguloſa, & membranulis aucta, in varios ramos diviſa: folia ex pediculis palmo longioribus, longa, venoſa, & acuta, bina, juncta pediculo inter utrumq; in capreolos abeunte. Proxima fulcra amplexantes flores longis hærent pediculis, piſorum æmuli, rubentes, minores quam Narbonenſis Lathyri. Siliquæ rubræ, anguſtæ, pœne rotundę grana continet minora quam viciæ ſativæ, nigricantia rugoſa nonnihil & maculoſa. Hilus mediam partem ſeminis occupat, ſapor leguminoſus, radix ſubeſt perennis, longa, digito craſſior, ſingulis annis germinans eadem eſt (ni fallor) quam reperi colore partim albo ac nonnihil ex luteo pallido.

In dumetis & ſepibus varijs Germaniæ in locis reperit J. Bauhinus, quæ apud ipſum vide. Nos propè maximum Carthuſianorum cœnobium, quin & in Angliæ Suſſexia, ni multum fallor, propè pagum ruſticum Poynings dictum; item in Comitatu Cantabrigienſi propè Caſtle Campes Vicum ad ſepes juxta viam publicam quæ Bartloviam ducit. Obſervante D. Dale.

Aves hujus ſemina perquirunt, & ſiliquas perforant ut ea devorent.

Nom. II. Lathyrus major Latifol. *Ger. Emac.* major perennis *Park.* Latifol. *C.B.* Major Latifolia, flore majore purpureo ſpecioſior *I. B.* Clymenum *Matth.*

J. B. Lathyro præcedẽte omnibus partibus ſpecioſior eſt, membraneis alis venoſis ſecundum caules prolixos aptis: folia bina, nervoſa rigidiora, in obtuſum Mucronem deſinentia, unciam circiter lata, pediculo membraneo in cirros faceſſente adnectuntur. Flores ſingulari appendice, dodrantali interdum, nituntur, multi juncti, magni, purpurei & colore grati (addit Parkinſonnus & odore) quos ſequuntur Siliquæ, ℥iij. longæ aut etiam majores, vix ſemunciam latæ, nonnihil compreſſæ, ſemina parva, quã viciæ minora, rotunda, nigricantia continentes, & ut vult Gerardus, ſaporis amari.

In Sylvis apud nos invenitur, ſed rarius. Occurrit etiam in agro Monſpeliano.

Nomina 3. Lathyrus major Narbonenſis anguſtifolius *J. B.* Lathyrus anguſtifolius. *Park.*

Foliorum anguſtiâ præcipuè differt à præcedente, imò hac notâ ſolâ, ut affirmat Camerarius. J. Bauhinus folia quaterna ad originẽ pediculi foliati obſervavit, quorum duo majora & alia duo minora; quæ tamen in ramulo quem habemus ſicco non cernuntur. Poſſent

procul

fig · 1 ·



fig · 2 ·





fig · 3 ·



fig · 4 ·

Assa · Fœtida

proculdubio & aliæ differentiæ obſervari ſi quis plantas diligenter inter ſe conferre voluerit, nam tanta eſt in folijs differentia, ut vel ſola ſufficiat ad diverſitatem ſpecificam, ut vocant, arguendam.

Moriſonus Lathyrum Sylveſtrem majorem C.B. hujus ſynonymum facit, quàm rectè ipſe viderit. Fortè tamen hic fuerit quem Cluſius in Francofurtenſi agro obſervatum Lathyrum Sylveſtrem anguſt-folium appellat, quem tamen nos cum J. Bauhino ad primam ſpeciem retulimus.

Circa Monſpelium varijs in locis obſervavimus. V. Botan. Monſp.

Nom. 4. Lathyrus Luteus Sylveſtris dumetorum *J.B.* Sylveſtris Flore Luteo *Park. Ger. Emac.* Sylv. Luteus folijs viciæ *C. B.*

J.B. Ex radice repente, vivaci, anguloſis fiſtuloſiſq; flagellis latè ſe propagat, infirmis tamen & humi provolutis ni ſuſtineatur, bicubitalibus & altioribus. Folia quædam Calamos pinnatis alis amplectuntur, alia extremis adnatorum inſident, bina oppoſita, ut Lathyro ſiliquâ hirſutâ, vel cicerculæ, breviora: inter quæ tortiles capreoli enaſcuntur. Flores cæteris Lathyris ſimiles, ex longis pediculis, parvi, lutei. Siliquæ ſuccedunt glabræ, quæ maturæ nigræ, ſtriatæ, interdum nonnihil incurvæ; ſemina parva ſex vel ſeptem, pœnè rotunda, lucida, non variegata ſublutea.

In dumetis & ſepibus paſſim luxuriat non rarò etiam in pratis & paſcuis.

Nomina 5. Lathyrus luteus Latifolius Botan. Monſp. Lathyri ſpecies Lutea *I. B.* an Lath. arvenſis annuus Luteus, ſiliquis hirſutis *Moriſſoni?*

J.B. Folia habet bina, oblonga, ex quorum medio capreolus in aliquot partes ſuperne diviſus proſilit: floſculus Luteus à præcedente diverſus, cum flores ſunt ſimul in uno pediculo juncti. Folia etiam ſunt minora & tota planta multo major ramoſiorque. Quatenus hucuſque obſervare potuit, J. Bauhinus.

In horto Frid. Meier J. Bauhino viſa eſt. Pediculi flores ochroleucos ſuſtinentes in Moriſoni planta longi ſunt, ſeſquipedales aliquando, vulgo palmares; Siliquæ longæ, aſperæ.

In ſatis circa Salenovam non longè à Monſpelio & alibi Aprili & Majo menſibus cum flore occurrit.

Nom. 6 Chamæbalanus leguminoſa *J. Bauh.* Lathyrus arvenſis repens tuberoſus *C.B.* Lath. Arvenſ. Sive terræ glandes *Park.* terræ glandes Dod. *Lob. Ger.*

J.B. Ex radicis argumento chamæbalanon, quaſi terreſtrem glandem dicas, denominarunt; ſiquidem ex filis tenuibus, longiſſimis pendulæ ſubſunt glandes, craſſiuſculæ, oblongæ, pulpa candida, dulci, nonniſi alta foſſione inveniendæ; unde infirmi emergunt cauliculi, ſed longi, cubitales vel majores, ramoſi, humi procumbentes: in quibus obſervare eſt, bina ferè folia ex adverſo ſita, viciæ ſimilia, unciam circiter longa, obtuſiore mucrone, reliquo pediculo in capreolos abeūte. Flores leguminoſi, piſi, plures congeſti privato inhærent ſurculo purpurei & odorati ſiliquas relinquētes parvas, oblongas, compreſſas ſemina claudentes quatuor aut quinque rotunda, compreſſa.

Non eget prolixa deſcriptione hæc planta, ſiquidem radicibus ſuis tuberoſis, eſculentis, ab alijs Lathyris abundè diſtinguitur.

In agris inter ſegetes frequentiſſimè reperitur in regionibus tranſmarinis, obſervavimus in Brabantia & circa Genevam: in Anglia, quod ſciam, ſpontanea non occurrit.

Nomina 7. Lathyrus ἀμφίκαρπος, ſeu ſupra intraque terram ſiliquas gerens *Moriſſ.*

Moriſſ. Parvula hæc Lathyri ſpecies cauliculos pedales per terram ſtratos producit: ad quorum ſingula genicula bina exeunt foliola, anguſta mucronata, atque ex alis inter cauliculos & folia protruduntur Capreoli curti, & petioli breves itidem, ſuſtinentes flores dilutè rubicundos, papilionaceos, quibus ſuccedunt ſiliquæ unciales, duplici membranaceâ alâ in prona parte cinctæ, Lathyri ſativi in modum; inque ſingulis continentur bina, aut ad ſummum terna ſemina rotunda, radice conſtat ſatis numeroſa, fibrillis juncta: atque inſuper ſiliquas intra terram gerit, continentes in ſe ſemina, ſiliquarum floribus ſuccedentium ſupra terram paris, Arachidnæ Theophraſti inſtar ſemina Chalepo accepta à D. Roberto Huntington: provenit in Aſia Syriaque ſponte. Floret apud nos Auguſto & Septembri; Octobri maturantur ſemina.

Huic affinis & fortaſſe eadem eſt

Araco ſimilis planta ex Hiſp. miſſa *Bod. à Stapel.*

Infraque ſupraque terram ſiliquam fert parvam, ſed magnitudine & formâ æqualem, in qua ſemen rotundum unicum, colore foris obſoleto ſive nigricante. Intus ex luteo albicante. Cauliculos ſtatim è radice emittit plures quincunciales aut paulo majores, tenues humi procumbentes. Foliola è caulium geniculis exeunt glabra, anguſta parva, in Mucronem deſinentia Araco ſive ciceræ Dod non diſſimilia, ſed minora, bina uni inſiſtentia, inter quæ medius hæret Capreolus. Flores purpurei.

Seminibus in ſingulis ſiliquis ſingulis à præcedente differt.

Nomina 8. Lathyrus Bæticus flore luteo *Park.* Lathyrus æſtivus flore luteo *Ger. Emac. App.*

Mor. Park. Caules profert ternos aut quaternos, ulnā excedentes, binis, alis membranaceis auctos aliorum more: quin & bina foliola brevia, latiuſcula, ad exortū pediculi folia ſuſtinentis bina anguſta, longa, qui deinde in capreolos abit, flores fert luteos, venis purpureis diſtinctos: quibus ſuccedunt ſiliquæ longæ, plures ſimul junctæ, ſemina continentes rotunda aſpera & velut reticulata, ſena aut plura. Adde ex Gerardo Emac. folia bina minutiſſima, hinc inde unum, cauli appoſita ad exortum pediculorum foliorum, quæ anguſtiſſima ſunt: tres uncias longa, flores parvos eſſe, ſiliquas glabras, teretiuſculas: ſemina arenæ colore obſcuriore.

Nom 9. Lathyrus Arvenſis ſiliquis piſi minoris *Moriſſ.*

Moris. Hæc parvula & annua Lathyri ſpecies convenit in reliquis cum antedictis; ſolâ ſiliquâ curtâ cylindracea ad inſtar pini minoris ab illis differt & diſtingui poteſt.

Nom. 10. Lathyrus anguſtifolius leptomacrolobus, ſemine rotundo, flore rubello *Moriſſ.*

Moriſſ. Folia gerit anguſta, longa & quaſi graminea; caules exerit pedales & ſeſquipedales, procumbentes, è quorum ſinubus oriuntur pediculi triunciales, ſuſtinentes flores minores papilionaceos, eleganter rubellos, obſoleti veluti coloris, nunc ſingulos, nunc binos; quorum ſingulis ſuccedit ſiliqua tenuis, rotunda, longa, triuncialis, ſequentis ſiliquâ tum longior, tum craſſior: in ſingulis continentur ſemina novena, dena, rotunda, parvula, viciæ Sylveſtris More. Radice conſtat tenui, gracili quotannis pereunte.

Provenit inter ſegetes copioſè circa Blæſas: floret Junio, & ſemina maturantur Auguſto.

Nomina 11. Lathyrus anguſtifolius, leptomacrolobus, ſemine anguloſo, flore cœruleo *Moriſſ.*

Moris. Folia edit, quàm præcedentis anguſtiora, graminea pariter, ſed omnino tenuiora. Florem fert parvum, papilionaceum, cœruleum, præcedentis minorē: cui ſuccedit ſiliqua anguloſa, brevior & tenuior quàm præcedentis, continens ſeptena, octona, minuta pariter, anguloſa & quaſi triquetra.

Floret promiſcuè cum præcedenti menſe Julio inter Segetes eundo Blæſis ad villam Dom. de la Nove.

Nomina 12. Lathyrus ſiliqua hirſuta *J.B.* an Lathyrus anguſtif. ſil. hirſuta *C. B.*

J.B. Radice eſt ſingulari, tenui, annua; anguloſi cau-

les cubito longiores ſunt folia bina Lathyri flore rubro albive, at florum purpuraſcentium pediculi longi ſunt, ſeſquipalmares aliquando, licet & vix palmares interdum exiſtant: in quorum faſtigijs plures diſpoſiti flores, qui delapſi ſiliquas relinquunt, breviores & latiores quam in Majore Germanico, ſeſquiunciam ferè longas, non totam ſemunciam latas, hirſutas, aſperas ſemina comprehendentes Majoris Germanici ſeminibus ſimilia, minora ruffa, vel nigricantia, rotunda, ſuperficie criſpa.

Circa agrorum limites in Hochley, Ralegh & alibi ſponte naſcentem invenimus in Eſſexia: nec non in tranſmarinis prope Genevam inter ſegetes.

Nom 13. Lathyrus ſativus flore fructuque albo *C. B.* Lathyrus anguloſo ſemine *I.B.* Cicercula ſive Lathyrus ſativus flore albo *Park.* anguſtifolius flore albo *Ger. emac.*

J.B. Anguloſis, prolixis ſatis caulibus præditus, in ramos multos diviſis. Folia pediculo hærent latiuſculo, duabus ad exortum Appendicibus caulem amplectentibus: ſunt ea verò gemina, oblonga, acuminata, glabra, ſtriata, inter quæ proſiliens pediculi reliquum in tortiles abit claviculas, quibus proxima apprehendit. Ex pinnatarum appendicum ſinu pediculi exeunt ſingulares, florem gerentes unicum, majuſculum, album; quē excipit ſiliqua lata, compreſſa, duabus membranulis extantibus averſâ parte ſecundum longitudinem alata, ſemina claudens anguloſa, candida: radix fibroſa, gracilis.

Circa Genevam in agris copioſè ſeritur; & etiam in Germania.

Nom.14. Lathyrus ſativus flore purpureo *C.B.* anguſtifolius flore purpureo *Ger. emac.* Lath. flore rubro *I.B.* Cicercula flore purpureo *Park.*

Dod. Flores habet ex rubra purpura in puniceum inclinantes: grana anguloſa, obſoleta nigroque proxima. *C. B.* Cætero præcedenti ſimilis.

Hic eſt, ni fallor, Lathyrus æſtivus Bæticus flore cæruleo Boelij *Ger. emac. App.*

Nom.15. Lathyrus anguſtifolius ſemine maculoſo *C.B.* Lathyrus quædam, quibuſdam Ægyptia Aracus *J. B.* Lath. Ægyptiacus *Ger. Emac.* Cicercula Bætica & Ægyptiaca *Cluſij, Park.*

J.B. Lathyro albo ſimilis eſt, infirmus, clavicularum ope bacillis juxta depactis ſeſe implicans; caulibus anguloſis, quibus membranulæ ſecundum longitudinem adnatæ: fol js culmum latis, acuminatis, craſſiuſculo pediculo adnexis, binis, ſtriatis, inter quæ Capreoli oriuntur: ad baſin autem pediculi duæ veluti alæ, & flores ex longo petiolo inflexo ſingulares inſident piſi floribus æquales, ſupremo ſoi o lato ſurſum expanſo, foris carneo, intus cæruleo, exceptâ infimâ ora rubente, colore prædito, alis duabus foris coccineis: maculâ cæruleâ medium pingente, intus cæruleis exceptâ anguſtâ purpuraſcente orbitâ, carina ex herbaceo albicat, ſiliquæ latæ, ſexunciam longæ, compreſſæ nonnihil, inſigni ſulco fimbriato altius exaratæ, ſemina continent bina vel terna, magnitudine Lathyri albi anguloſi, ac fere quadrata, à craſſiori latere ad oppoſitum devexa, & in anguſtum compreſſa, coloris fuſci, minutiſſimis maculis anthracinis conſperſa, guſti piſorum dulceſcente, & dentium attritu ſubſtantia qualis piſorum æquabili.

Reperitur non in Ægypto tantum ſed & Hiſpaniâ.

Nom.16. Lathyrus folio tenuiore floribus rubris *I. B.* anguſtiſſimo ſive capillaceo folio *C.B.* Prod. an Lath. major anguſtiſſimo folio *Park?* anguſtifolius brachyplatolobus flore rubello *Moriſſ.*

J.B. Hæc aliàs eſt cubitalis, aliàs vix palmaris, radice tenui, fibroſa: cauliculi crebri, per quos folia tenuiſſima longa, caryophilli holoſtei vel graminis: flores rubri pro plantæ proportione magni, ſimiles Lathyro flore rubro, cui forte eadem eſt, folijs tantum ludens. Siliquæ latæ ſunt, ſemina continentes tria quatuorve, orobi exiſtimati magnitudine, pænè rotunda, aſperata, fuſcis maculis obſita, hilo lineis fuſcis picto.

Qua itur Monſpelio Frontignanum invenit I.B ſiccis & ſylveſtribus locis Aprili menſe florentem.

Nom.17. Lathyrus flore coccineo. An cicercula flore rubente *Park?* Lath Bæticus miniatus *Boelij?*

Hic inter ſegetes nobis inventus circa Genevam, atque etiam circa Liburnum portum in Italia, cauliculis aſſurgit ſemipedalibus, erectioribus ferè quam aliorum folijs veſtitis in oblongo pediculo binis oppoſitis, anguſtis, acutis, unciali aut ſeſcunciali longitudine: ad exortum pediculi bina apponuntur foliola, pro plantæ magnitudine majora latioraque quàm alijs pleriſque Lathyris. Flores foliorum ſinubus exeunt in pediculis uncialibus aut longioribus, tenuibus ſingulares coccinei; ſiliquas non obſervavimus.

Lathyri Bætici miniati Boelij deſcriptionem accuratam vide inter Lathyros Parkinſonianos à Johnſono elaboratam, & à nobis Latinam factam ex Appendice ad Gerardum emaculatum, huc tranſlatam.

Præter hūc & alium adhuc obſervavimus Lathyrum flore coccineo, folijs gramineis, ad radices montis Veſuvij prope Neapolim, in Italia: an

Nom. 18 Lathyrus anguſtifolius Ervum Monſpelienſium *C.B?*

Fort: inquit D. Magnol. intelligit C. B. Lathyri ſpeciem quam in ſterilibus circa Boutonetum & in alijs ſterilibus ſatorum marginibus habemus humilē cum folijs gramineis, venoſis, & floribus Phæniceis.

Nom.19. Lathyrus Tingitanus flore amplo ruberrimo Caules ex eadem radice exeunt plures, bicubitales & longiores humi procumbentes niſi adſint plantæ aut fulcimenta quæ arripiant & ſcandant; compreſſi, Appendicibus duabus membranaceis ſecundū n longitudinem productis donati. Folia ut in reliquis congeneribus ad ſingula genicula ſingula, è binis pinnulis ad mediam coſtam annexis compoſita, Lathyri perennis dumetorum magnitudine & figurâ, coſta cui adnectuntur pinnulæ in Capreolos exit, tum caules tum folia glauca ſunt, ut in pleriſque congeneribus. Ex alis foliorum exeunt ſurculi palmares & longiores, duos plerumq;, interdum tres flores amplos, pulcherrimos ſaturo rubore & velut ſanguineo tinctos ſuſtinentes, quibus ſuccedunt ſiliquæ tres digitos longæ, latiuſculæ compreſſæ, leves, ſex, vel etiam octo ſemina continentes compreſſa, oblonga, pulla, obſcurioribus lineis varia. Siliquæ ubi ſemina ſunt protuberant Paulum, ut in orobo. Planta eſt annua & ſemine renovanda.

Semen hujus plantæ cum alijs rarioribus *D. Alexander Balam* primus, quod ſciam, à Tingi Africæ urbe in Angliam intulit.

Lathyrorum *Vires*, (de ijs ſcilicet qui inter nos magis vulgares ſunt quique Gallice vocantur *Geſſes*, hic agimus) ſunt propriè in ſemine, quod non parum enutriens, reputatur. Juſcula quibus incoquitur ſunt aperitiva & aliquatenus laxantia, imò iis vim Aphrodiſiacam ineſſe quidam aſſerunt. At ſanè ſatius fuerit illud columbis enutriendis adhibere, aut pani ruſticorum tritico admiſtum conficiendo impendere, quàm in uſus medicos advehere.

LAVACRUM, vid. *Balneum.*

LAUDANUM, vid. ſub titulo EXTRACTUM, item *Opium.*

LAVENDULA.

Lavendula recentioribus dicta creditur quod Balneis ſeu Lavacris experatur. Semen & folia (inquit lobelius in Adv.) ad affectus matricis commendantur in fomentis & lotionibus. Nonnulli *Iphyum* Plinij ſuſpicantur, quod Heſychius λαβανπδα vulgo dictum ſcri-

ſcribit, quæ vox ad lavendulam accedit.

Martinus à *leben* Germanico i. e. *vivere*, deducit, tranſitivè ſumpto quia vivificat & valet ad Lipothymiam ſeu animi deliquium, autore Matthiolo.

Ejus *Notæ* ſunt flores in ſpicas tenuiores triticearum æmulas, longis pediculis inſidentes congeſti.

Vires. Partium eſt tenuium, cephalica ac nervina, uſus præcip. in cathatris, paralyſi, ſpaſmo, vertigine, lethargo, tremore artuum; in urina, menſibus ac fœtu pellendo, (unde & parturientibus exhiberi ſolet) in torminibus ventris flatulentis: extrinſecus in lixivijs capitis ac artuum, in maſticatorijs (pro catarrho exſiccando ac revellendo ad Palatum, ne ad pulmones defluat.) *Schrod.*

In uſu eſt aqua deſtillata, conſerva ex floribus & oleum ſpicæ: flores ſpicæ cum linteaminibus & veſtimentis in arculas recondi ſolent ad odoris ſuavitatem communicandum, Schroderus eos odore ſuo pediculos fugare ſcribit.

In difficili partu ſem. Lavendulæ eſt oppidò conducibile. Duo ſequentia remedia arcana præſtantiſſima perhibentur primum eſt Rondeletij, ℞. Sem. Lavendulæ ʒß. ſeminis plantaginis, endiviæ ana ℈ij. piperis ℈j. fiat pulvis. Cape cum aquis ſequentibus. ℞. aquar. Caprifolij, endiviæ an. ℥iij.

Secundum eſt Backmeiſteri ℞. ſem. Lavendulæ ʒß. ſuccini albi præparati, borac. ℈ij. ol. cinnamomi guttas ix. f. l. a. pulvis, dividendus in tres æquales partes, propinandus in vino Rhenano: hæc ſunt minime fallacia. Sim. Paulus ex annotatis *D. Edv. Hulſe.*

In pueris pediculoſis hoc expertus ſum (inquit A. Hieron. Reumerus) juſſi caput inungi oleo ſpicæ, & ſtatim moriebantur pediculi *D. Soame.*

At oleum quodcunque illitum inſecta exanimat quoniam obſtructis meatibus reſpiratorijs aërem intercipit & excludit, cujus defectu inſecta moriuntur. *Raius in Hiſtor. Plant.*

LAUREOLA.

Nomina. Laureola *Ger. Park.* Laureola ſemper virens flore Luteolo *J. B.* ſemper virens flore viridi, quibuſdam Laureola mas *C. B.*

J. B. Ad Cubitos duos & altius grandeſcit ſtipite lento, aliquando ſimplici, aliquando in ramos aliquot diviſo, quem ſubcinereus ſeu albicans tegit cortex, & fractu contumax, & flexuoſus, folijs fere nudum, quæ circa faſtigium potiſſimum gerit, eaque ſatis frequentia, adeo ut in orbem umbellæ inſtar diradiari videantur, Laureorum æmula, nec per hyemis aſperitates caduca, ex anguſtiore principio ſeu cervice ſenſim dilatata, craſſa, glabra, nigricantia, ſplendentia, è foliorum ſinubus egrediuntur pediculi unciales, craſſiuſculi, foliolis aliquot concavis velut totidem ſquamis veſtiti, in faſtigio floſculos plures geſtantes confertos velut in umbella, ex herbaceo luteolos, è tubo oblongo in quatuor lacinias acuminatas, foliorum æmulas expanſa, fructuum rudimenta intimo receſſu complectentes, quæ in baccas excreſcunt juniperinis pares, nonnihil oblongas, primum virides, per maturitatem nigras, nucleo intus duro, cannabis ſemine paulo longiore, medullâ interiore candida. Radix ſubeſt in aliquot partes diviſa, longa, craſſa, lenta, quæ difficulter evelli poteſt. Toti plantæ ſapor fervidus.

In ſylvis & ſepibus, præſertim umbroſis, ſatis frequēs eſt Februario & Martij initio floret. Fructus æſtatis fine & adventante autumno maturitatem conſequuntur & nigri fiunt.

Vires, Daphnoides Dioſc. & Plin. Vires huic conveniunt, ſiquidem folia guſtata os fauceſque vellicant & inflammant. Eadem ſeu arida, ſeu etiam recentia pota pituitoſa per alvum dejiciunt; vomitus quoque ac mēſes cient: quin & commanducata pituitam è capite extrahunt, & menſes movent. Cæterum quindenæ ipſius baccæ (quinæ denævæ Plinio) purgationis cauſa ſumuntur.

Folia commanducata os & fauces (ut diximus) inflammant: intus ſumpta ventriculum admodum ſubvertunt, vomitum cient, partes internas lædunt & adurunt: empirici nonnulli tum folia tum baccas exhibent hydropicis ad humores ſeroſos evacuandos. Cæterum, inquit J. Bauhinus, non temere hanc plantā aut aliquam ejus partem præſcripſerimus ob inſignem acrimoniam, tamen in aceto macerando corrigi poteſt.

Pulvis hujus in aceto maceratæ, exſiccatæ & comminutæ cancris inſperſus prodeſt. Frigida & repellentia conveniunt in cancro occulto, in ulcerato non item D. Bovvle. *Raius in Hiſtor. Plant.*

LAURUS.

Laurus, unde Laurea (inquit Voſſius) Græcum videri poſſet, nam apud Heſychium legas λαῦρον τὴν δάφνην. Sed ſi à Græcis, potius putem eſſe à Pergœa voce λάφνη, quæ idem ſignabat, Heſych. Λάφνη δάφνη Περγαῖοι. Sin Latinis originem debet, fortaſſe erat à lavo, i. eſt purgo, nam ſanguinis purgandi habet poteſtatem Vel ſi veteres potius audiendi, prius fuit laudus, eſtque id à laude; Servius ad Eclog. 8. Cur tamen triumphantes Lauro coronantur hæc ratio eſt, quoniam apud veteres à laude habuit nomen, nam laudum dicebant Nec tantum laudum pro lauro, ſed & pro laurea olim laudeam vel ludeam dixerunt.

Δάφνη Etymologo quaſi δαοφώνη dicitur hoc eſt ἐν τῷ δαίεσθαι φωνοῦσα, quia nempe ἠχεῖ καιομένη quod etymon non improbat Voſſius apud quem plura vide.

Nomina. Laurus *Ger. I. B.* Vulgaris *C. B.* Major ſive latifolia *Park.* An minor ejuſdem?

J. B. Laurus plerumque multis ſtolonibus luxuriat, vel mediocris arboris altitudinem aſſecuta, alioqui in juſtæ magnitudinis arborem excreſcit, præſertim regionibus calidioribus, caudice enodi, cortice tenui, materiâ rarâ, nec multum validâ, radices habet craſſas, inæquales & obliquas. Cæterum perpetui viroris eſt, nitidi in junioribus, in adultioribus ſaturatioris. Folia ei oblonga, dura, acuminata, ſed mucrone aliâs acutiore, aliâs obtuſiore, ſeſcunciâ aut ℥ij. lata, palmo longiora, verſus pediculum & mucronem Paulatim anguſtiora reddita, quæ ſecundum lōgitudinem percurrit, coſta recta, obliquos in margines nullo ordine nervos exporrigens: ſapor acer, aromaticus & ſubamarus. Adhærent autem folia ramis viridantibus brevi pediculo. Flores ſecundum ramos exeunt conferti, hederaceis quadantenus ſimiles, majores, albi (Lobelio flaveſcentes) multis in medio apicibus: quibus ſuccedunt baccæ, Ceraſiis minoribus pares, oblongæ, colore primum viridi, ubi maturuerint nigræ, quæ ſub cortice tenui Nucleum bifidum calloſum ac durum, cum aliqua acrimonia amarum ac pinguem claudunt.

Laurus (inquit C. Bauhinus) quædam floret tantum, flore copioſo, racemoſo (Uvam Thophraſtus vocat) & fructum non fert; alia fructum fert, in quo etiam differentia: alterius in rotundo modice oblongus eſt; alterius oblongus, gracilis, & utrinque ovato mucrone turbinatus. Laurum fulmine non ici veteribus perſuaſum fuit. Hinc Tiberius Imp. qui tonitrua præter modum expavit & exhorruit, tonante cœlo, contra fulminum metus, nunquam non lauream coronam capite geſtavit. Verùm quàm hoc falſum & ſuperſtitioſa credulitate fundatum experientia quam adfert Lacuna, elegantiſſimæ Lauri Romæ in Palatio Ducis de Caſtro fulmine ictæ luculenter oſtendit.

Eadem ſuperſtitione nititur obſervatio illa de crepitū quem folia Virgæ Lauri inter urendum edunt. Nam ſi crepuiſſent abunde ac ſonantiùs haud dubie portendi felicem eventum rebantur; quod ſi tacita deflagraſſent triſtem & inauſpicatum.

Laurum Apollini ſacram inde fabulātur Poëtæ quòd Virgo

Virgo Daphne quàm deperibat in hanc arborem converſa eſt. Vide Ovid. Metamorph. 1.

Triumphantes apud Romanos Coronam Lauream geſtabant, vel lauri ramum dextrâ tenebant, ſed & aliter præterquam in triumphis etiam victoriæ nuncia fuit Laurus: nam & tabernacula, & faſces, & literæ & naves militumque jacula, lanceæ, pila Lauro in eam ſignificationem adornata ſunt, ut & Plinius affirmat, & Ebrodunenſis hiſtoriæ auctores adductis exemplis oſtendunt.

Laurus cœli frigidioris impatiens eſt, minus tamen quàm myrtus. In Germania, Anglia, Gallia & Belgio nonniſi ſata & diligenter culta provenit. Quòd ſi in Germania hyeme tegenda & hypocauſto reſervanda eſt, recte ſcribit Turnerus in Anglia felicius adoleſcere, vireréque quam in Germania: apud nos enim eam curam & tutelam non requirit, ſed intecta & ſub dio relicta hyemem, niſi præter ſolitum aſpera ſit, facile tolerat; quod ſi quando frigore peruſta & corrupta ſit à radice denuo repullulat.

In Italia ſpontaneam obſervavimus non infrequentem in ſylvis & ſepibus. In Monte Atho ingentes & præaltæ Lauri ſpontaneè naſcentes ardorem ſolis omni tempore reprimunt, teſte Bellonio, qui quinque ſpecies in Græcia notavit: quem conſule pro uſu olei Baccarum apud Monachos.

Floret Martio & Aprili. Baccæ maturantur ſub finem Autumni cum olivis, & niſi decerpantur per totam hyemem ad ver uſque in arbore hærent.

Vires. Laurus excalefactoriam (emollientemq; Dioſc. deſiccantem, Gal.) naturam habet, & folijs, & cortice, & Baccis; itaque decoctum ex his, maximè è folijs, inſeſſu Vulvæ ac veſicæ vitijs convenit: virentia folia trita & illita veſparum, Crabronumque ac apum, item ſerpentum venenis reſiſtunt, maximè ſepis, dipſadis & viperæ (proſunt & menſibus fœminarum cum oleo cocta Plin.) cum polenta autem quæ tenera ſunt trita ad inflammationes oculorum, cum ruta teſtium, cum roſaceo capitis dolores, aut cum irino. Non temere utendum folijs Lauri exiſtimat I. B. in inflammationibus oculorum & teſtium, aut etiam in capitis doloribus, pro inflammationibus ergo inflationes legi mallet. Eadem proſunt ſuſpirijs trita cum melle: cortex radicis cavendus gravidis. Ipſa radix calculos rumpit. Jecinori prodeſt tribus obolis in vino odorato pota. Folia vero pota ſtomachum gravant, & vomitiones movent. In Græco Dioſc. legitur πραΰνει τὸν ςόμαχον, id eſt, mitigat, pro quo legit Cornar. βαρύνει regravat, ſanè in alterutro membro clauſulæ errorem ſubeſſe oſtendit eorum inter ſe repugnantia. Verum is I. B. judicio, non in primo, ſed potius in poſtremo, certum enim, inquit, eſt tum experientia, tum ex Galeno Laurum Aromaticam eſſe totam & Amaricantem cum nonnulla adſtrictione, hepati amicam, qualia ventriculum tantum abeſt ut ſubvertant, ut nauſeabundum corroborent potius: hinc Lauri folia à recentioribus non raro cum nonnullis cibarijs, præſertim piſcibus coquuntur: nec ulla inde nauſea accedit, ſed cibus iſtis conditus ſapidior ac ventriculo gratior redditur: unde κινεῖ vocem in textum irrepſiſſe & expungendam eſſe, Plinium autem corrupto Codice uſum exiſtimat, verùm nos Plinium Dioſcoridi ſaltem coævum, ſi non antiquiorem, alibi ex Salmaſio oſtendimus; proinde Plinium & Dioſcoridem ex alio antiquiore autore quæ eadem habent exſcripſiſſe, ideoque cùm in facultate illa vomitus movendi Plinius & Dioſcorides conſentiant, poſterius clauſulæ membrum proculdubio ſanum eſt, prius corruptum & per illud emendandum, ut recte fecit Cornarius: ſivè verum ſit folia vomitum movere, ſive id res vera refutet, C. Hofmannus propoſita quæſtione, conferantne an lædant ventriculum, reſpondet, tot authoritates faciunt, ut credam hoc poſterius potius, Ideo, cum Marc. Vergil. & Cornario pro πραΰνει apud Dioſcoridem lego βαρύνει apud Dioſc. & Plin.

Baccæ magis quàm folia calefaciunt, menſes trahunt appoſitæ tritæ, vel potæ; in eclegmate tritæ cum melle aut paſſo proſunt tabi; orthopnœæ & pectoris rheumatiſmis; tuſſi veteri detracto cortice in vino potæ: nam & concoquunt pituitam & extrahunt Plin. Noſtra ætas non ad pulmonis & pectoris morbos Baccis utitur, ſed ad ventriculi, jecinoris, lienis & veſicæ, affectus tum Baccas tum folia exhibet: refrigeratum ventriculum concalfaciunt; concoctionem crudorum humorum promovent, languentem appetitum excitant, cibi faſtidium pellunt; jecinoris ac lienis obſtructiones aperiunt, urinas cient, mēſes movent, & ad ſecundinarum expulſionem faciunt. J. B. ad juvandum partum deglutiantur ſeptem Baccæ Lauri ante ſomnum. Cheſneau. Contra Scorpionum ictus ex vino bibuntur, & vitiligines emaculant: (addit Plinius, Epinyctidas ex oleo illitæ, & lentigines & ulcera manantia & ulcera oris, & furfures; cutis pruriginem ſuccus Baccarum emendat & phtiriaſin.) Expreſſus ex ijs ſuccus aurium doloribus audituſque gravitati auxiliatur cum vino vetere & roſaceo inſtillatus (perunctos eo fugiunt venenata. Prodeſt contra ictus & potus. Baccæ cum vino ſerpentibus & ſcorpionibus & araneis reſiſtunt; ex oleo & aceto illinuntur & lieni & jecinori gangrænis cum melle, & in fatigatione etiam aut perfrictione ſucco eo perungi nitro adjecto prodeſt. Sunt qui celeritati partus multum conferre putant radicem acetabuli menſura in aqua potam, efficacius recentem quam aridam,) Dioſc. cortex radicis calculos rumpit, partus necat & hepaticis prodeſt tribus obolis in vino odorato potus. (In remedio uvæ jacentis quadrantem pondo Baccarum foliorumve decoqui in aquæ ſextarijs tribus ad tertias eamque calidam gargarizare convenit.)

Laurus folia trita olfactaque ſubinde peſtilentiæ cōtagia prohibent, tanto magis ſi & urantur, hinc Commodus Imperator, Herodiano tradente, tempore peſtis, conſulentibus medicis, ad loca Lauris abundantia Laureatus ſeceſſit. Herbæ enim perpetuo virentes, autoribus S. Grembs, Cardilucio aliiſque Helmontianis, ſunt peſtis Alexiteria, corruptioni reſiſtunt, ſeque deffendunt contra æſtum & frigus, unde nobis planè ſignavit Deus, illas plantas perennes ſēper eſſe ad manū pro quotidiano uſu generis humani, continent enim in ſe balſamum, omnis corruptionis propugnatorem.

Adverſùs Boum coriaginem, tradente Colum. proderit Laurum decoquere, & eâ calidâ terga fovere, multoque oleo & vino confeſtim ſubigere atque per omnes partes apprehendere & attrahere peſtem: idque optime ſub dio ſole fervente.

Medicamenta varia ad lachrymas oculorum, ambuſtionem, aurium gravitatem & ſonos, colicam, uvulæ relaxationem, urinæ retentionem, partum facilitandum, capitis dolorem, hemicraniam: E baccis aut folijs Lauri parata vide apud J. Bauhinum Hiſt. plant. lib. 4. cap. 1. pag. 414.

Olei Laurini multiplicis mentio fit à veteribus & recentioribus. Aliud è Baccis recentibus contuſis exprimitur, aliud è Baccis cōtuſis vel etiam integris, in aqua fervente bullitis: oleum aquæ ſupernatans in vaſa colligitur; aliud per deſtillationem elicitur. Sic ℞ Bacc. ℔ ij. contuſis ſuper affunde aq. tepidæ ℔ ij. vel iv.

Poſtquam aliquandiu ſteterint deſtilla per Alembicum vel veſicam. Sic prodibunt oleum & aqua per tritorium ſeparanda.

Dicitur etiam oleum Laurinum quod fit è folijs aut Baccis Lauri in oleo omphacino decoctis.

OleoLaurino vis ineſt excalfaciendi, emolliendi, ſpiracula venarum aperiendi, & laſſitudines diſcutiendi, quin & malis nervorum omnibus, doloribus aurium ac deſtillationibus confert: renum vero vitio ex frigore

gore

gore contracto laborantibus illitum eſt præſtantiſſimum, & maximè ſi quid aliud utile. Ob vim ejus excalfactoriam paralyſi, ſpaſmo, iſchiadicis ſugillatis, capitis doloribus inveteratis, deſtillationibus, auribus in Calyce punici calefactum illinitur; colo dolenti clyſtere infuſum mire prodeſt ut & horrori febrili. Verû in calidis & bilioſis temperaturis ab eo abſtinendum. Vermes & pediculos tam agreſtes, quam domeſticos & lentes enecat (imò hoc facit oleum quodcunque) in genere utile eſt in affectibus frigidis maximè exterius illitum, intus ſumptum nauſeam movet.

Schroderus de oleo ſtillat. hæc habet. Diſcutit inſigniter flatus & ventoſitates, præcipuè in ſpaſmis gravidarum, ut & in colica; ſiderata membra illitu reſtituit, auribus inditum dolores compeſcit, auditumque confortat, delet impetigines, lentigines & quaſcunque faciei maculas, denique ichoroſis capitis doloribus medetur; phthiriaſin & tineas curat.

Emplaſtrum Laurinum ad hydropem, ad dolores à flatibus aut cauſa frigida ortos, doloremque colicum utile eſt.

Electuarium etiam de Baccis Lauri flatus diſſipat.

Si Lauri exſiccatæ ramus ramo frequenter confricetur, ſuperaſperſo Sulphuris pulvere ignis ſtatim exiliet: quod mirum, cum Lauri lignum leve & ſpongioſum ſit. Sed nihil hedera præſtantius quæ teretur, quæ terat Lauro. Plin. Cum attritio utriuſque fit, quæ teratur, quæ terat perinde eſt, ut nobis quidem videtur,

In Catalogo horti Acad. Lugd. Batavi à D. Hermanno edito has Lauri ſpecies ſeu varietates invenio.

1. Laurus Indica Aldini. Laurus regia hort. regij Paris. Hanc nonnulli Perſeæ arbori Cluſ. eandem eſſe volunt. Laurus cujus cortex caſſiæ ligneæ aſſimilatur *Park.*

2. Laurus latifolia, πλατυφύλλος Dioſcor. C.B.

3. Laurus vulgaris C.B. & aliorum.

4. Laurus vulgar. folio undulato Hort. reg. par.

5. Laurus Tenuifol. mas Thab.

In Tho. Bartholini Act. Medic. Ann. 1673. inter plantas à M. Stolle Hafniam allatas à Promont. Bonæ ſpei invenio.

Laurum Africanam ſerratis folijs, cujus foliû Londino ad me miſit D. Tancr. Robinſon. Erat id pro magnitudine anguſtius & longius Lauri vulgaris folio. Ramulum etiam ejuſdem habeo ex munere D. Petiver. An Evonymo affinis Æthiopica ſempervirens fructu globoſo ſcabro, folijs Salicis rigidis ſerratis Herman. H. Leyd. Lauro Serratæ odoratæ Stapelianæ ſimilis inodora Cap. bon. ſpei Breyn.

6. Bod. à Stapel habet Laurum ſerratum odoratam.

Alia ſpecies Lauri invenitur in horto inſtructiſſimo Reverend. Epiſc. Londin. D. H. Compton, ſub nomine Lauri tulipiferæ Baccis calyculatis quam ingenioſiſſimus vir D. Baniſter tranſmiſit è Virginiâ, folia ei integra non tam viridia & craſſa quàm Lauro ceraſo. *Raius in Hiſt. Plant.*

LAXANTIA, vid. *Chalaſtica, hic de purgantibus non agitur.*

LECTIPES, vid. *Lynopodium.*

LEGUMEN.

Legumen, Legumentum, eſt quicquid è terræ ſatis in ſiliqua naſcitur, ut faba, piſum, cicer, lens; à *legendo* teſte Varrone, quoniam id non ſecatur, ſed legitur manu vellendo.

LENIENTIA dolorem, vid. *Anodyna.*

LENIENTIA PURGANTIA.

Lenientia dicuntur tum ratione actionis, lenis, blandæ & ſuavis, tum quoque partis, nempe alvi, quæ alvum leniter expediunt, quam in omni morbô apertam eſſe convenit; unde cùm huic fini optimè proſpiciant, & primas vias ſine moleſtiâ, ſine turbatione liberent, inſigniſſimum habent uſum.

Et hinc audiunt quoque *Laxativa*, Barbaris *Minorativa* ἐκκοπρωτικά, q. d. ſtercoraria, quod ſcybala promoveant, ut & *benedicta*, ob maximam utilitatem, ὑπαγωγά.

Indicans primarium eſt alvi lenitio, ſecundarium humorum vitioſorum eductio; coindicans vires debiles, adeoque purgantium ſunt ſuccedanea, ſuccedunt iidem in minori cacochymiæ gradu; ſuccedunt, ubi purgantia minus tutò dantur, majorem læſionem poſt ſe datura, ut proportio inter agens & patiens, ſeu potius inter indicans & indicatum, adæquata fiat.

Locum ergò habent in quovis morbo, tum ſi natura in officio ceſſet ſuo, hoc pacto monenda, tum revellendi, & reliqua adjuvandi fine, innoxia ſingula & indemnia, ſive per os adſumantur, ſeu per clyſteres κάτω applicentur, ſeu per epomphalia in uſum cedant.

Efficiunt hoc ipſum alia propriè, alia impropriè & per accidens. Propriè lenientia iterum alia humores educendos, alia naturæ ſtimulum & ſenſum magis reſpiciunt, quorum illa diximus per accidens magis, hæc per ſe magis id præſtare, hoc reſpectu, nempe ἐρεθισμῷ. Unde dividemus iterum in lubricantia, detergentia & ſtimulantia.

Lubricando leniunt (1.) *aquea*, & humectantia, quæ diluunt feces, ſeu ſcybala exiccata, ob defectum humidi ad fluendum, ſeu motum ſaltim, inepta, ut potus largior. Nil magis enim impedit ſcybalorum retentionem, (ſi appetitus cœteroqui benè habeat, & cibus aſſumatur,) quàm potus parcior, & vita deſes, ſedentaria, quieta. Unde maximè errant, qui neſcio quâ religioſâ parſimoniâ ſeu abſtinentiâ à potu corpus defraudant genio, & alvi beneficium hinc non experiuntur. Perpetua enim intercedit proportio inter aſſumpta, digeſta & egeſta; ut, quod alibi diximus, qui benè ingerit, digerit & egerit, ſanus demum habendus ſit.

Hinc falluntur, qui in morbis, quando nihil ægri aſſumpſêre per aliquot dies ciborum, & venter quaſi vacuus eſt, tamen ſtimulant alvum, non attendentes nil habere naturam, quod excernat, unde neceſſariò quieſcit. Hinc etiam in fame nimiâ ſubſident & corrugantur inteſtina. Hinc uno verbo largius hiſce bibendum eſt.

Tantò magis verò leniunt & laxant aquea, quando vel activo charactere ſunt imbuta, ut thermæ & acidulæ, ſerum lactis caprinum &c. vel heterogeneis particulis fœta, apta fermentationi, ut muſtum, cereviſia recens, & omnia feculenta, alvum turbantia. Utroque nomine cereviſia Numburgenſis id præſtat, eſt enim ex nitroſæ naturæ aquâ cocta & turbulenta, vix claritatem acquirens ad inſtar aliarum. Sic & ſuperbibitus potus prunis, pyriſve coctis, facilius id præſtat.

Lubricando leniunt (2.) *emollientia, mucilaginoſa*, quæ aqueam & ſulphuream concretam habent mollitiem in receſſu; tum alimentoſa interius aſſumpta, oleracea omnia, nitroſo ſale fœta, quod vel guſtu ſpinachiæ ad pultem decoctæ patet; tum medicamentoſa, in clyſteribus recipienda. Neque enim hæc interius æquè adhibentur, quatenus ventriculum flaccidiorem reddunt, quod ejus tono adverſum eſt.

Mollificant hæc itidem feces, & motum periſtalticum inteſtinorum adjuvant, præcipuè quando naturâ ſuâ ſicciora ſunt hæc ipſa. Quidam colicus, alijs non juvantibus, taleolis malvæ radicis; quidam deſperatâ velut alvi adſtrictione laborans in balneum ductus & ſacculo è farinâ lini abdomini toti impoſito convaluit. Non minus verò & hæc magis id præſtant, quando ſalino ſtimulo acuuntur.

Lubricando leniunt (3.) *oleoſa, unctuoſa, pinguia*, lævigantia, laxantia ſtricturam, tum interius itidem,

tum exterius, v. g. butyrum paulò largius ſumptum, modo non nidoroſam qualitatem nimio uſu fœneremur, & maximè ante paſtum. Quidam Quæſtor, ob fecum ſiccitatem ſæpius colicis afflictus torminibus, ab eo eo tempore nunquam ſenſit eos repetere, cùm prandij & cœnæ tempore primum ferculum ſtatueret panem butyro illitum, ſuaſu medici rationali. Sic & plebis experimento butyrum cum pinguedine anſeris & muſcerdâ imponitur umbilico pro laxandâ alvo; ſic etiam butyrum cum aloë rem xtum & putamini nucis incluſum eodem fine facit officium. Sic oleum amygd. dulc. in calculo optimè lenit vias alvi & urinarias, alvo enim liberâ & colici & nephritici dolores conticeſcunt facilè. Sic & infantum recens natorum primum eſt alimentum medicamentoſum, unico laxandi fine propinandum, ut meconium, feces bilioſæ & viſcidæ, torminum & ſymptomatum ſpaſmodicorum cauſa, educantur. Oleum lini in dyſenteriâ & pleuritide ob lenientem & ſanantem vim inſigne eſt. Singula nempe olea tum particulis ſulphur-aqueo, mucilaginoſis mollificantibus gaudent; tum ſalinis in receſſu, quod etiam nuces edentibus juglandes experiri facile eſt, undè expeditiſſimè juvant.

Leniunt *deterſiva* & *ſtimulantia*, quæ ob particulas ſalinas variè modificatas, acidulas, amaras, nitroſas, cum vel ſine ſulphureis lenius irritant & detergunt mucum. Omnia nempe ſalia ſtimulant, unàque fluxiles humores reddunt, craſſitie & viſcedine excuſſâ. Stimulant *alcalia*, quæ, juxta *Helmontium*, ſeminibus (per ignem) orbata ſolam (quaſi & præcipam) habent abſterſivam, ſaponariam & reſolutivam proprietatem. Hinc in clyſteribus ſtimuli loco adduntur; hinc cum purgantibus ſociantur commodè; & ſpeciatim tinctura tartari egregiè ſe gerit in obſtructionibus alvi, tàm ſenili, quàm al â.

Stimulant *acidula* terrea, ut tartarea omnia, tartarus ipſe crudus, quem cryſtallis præfert *Heer. in obſ. p.* 30. Et *Angelus Sala* ſe à doloribus colicis, aſſumptis tartari crudi ʒij. liberatum nullis juvantibus alijs deprædicat, cauſamq; adſcribit alleviationis remotioni cauſæ tartareæ & frigidæ in inteſtinis collectæ.

Leniunt alvum cremor & cryſtalli ♀ri, abſterſivâ fermentanteq; naturâ, quâ bilem incidunt & fluxilé reddunt ſimul, eandemq; contemperant: idq; tum per ſe data ante cibum, repetito uſu, tum cum purgantibus & lenientibus alijs mixta, ut cum aloë &c. Sic etiam in formâ humidâ taliſmodi leniens eſt clyſſus antimonij ſulph. qui hinc in potum inditus febricitantium & urinam movet, & ſudorem promovet, & refrigerat, & alvum apertam ſervat, unde cum indicationibus pluribus ſatisfaciat, aptiſſimum conſtituit remedium. Neq; obſtat, acida figere potius & coagulare humores; diſtinguenda enim ſunt & ipſa pariter & ſubjecta, prout ob particularum diverſitatem fermentationem promovere, & irritare hinc diverſimodè ſeu ſtimulare fibras nerveas poſſunt. Sic oxymel eſt leniens egregium, extergendæ pituitæ ex inteſtinis inſerviens, fixante naturâ acidâ alteratâ.

Talia acida ſunt inprimis *nitroſa*, quæ omnia detergendo laxant, unde in laxitate ventriculi & diarrhœis alijſque humorum ſeroſorum fluoribus minus danda; unde ab his ſæpè ſolicitatam alvum novimus, etiam ad inſtar purgantis. Propinabamus fœminæ ʒj. arcani duplicati, ad moderandas ebullit omnes hypochondriacas, pro tribus doſibus, ſingulo mane per tres dies continuos ſumendis. Inde verò quotidiè 4. 5. 6. purgata cum levamine referebat hinc ſe à purgante dato hoc pulvere, ut putabar, egregiè adjutam. ⊕ ♁iatum aptiſſimus eſt clyſterum ſtimulus.

Leniunt *ſalia media* ſeu ſalſa, [quæ diverſo reſpectu poſſunt ad acida & media referri,] ut ſal commune, hinc ciborum condimentum, quod ſimul excretionem ſcybalorum promovet. Lenit abſtergèndo & ſtimulando ♀ ⊖-tus, quibuſdam hinc ſalis balſamici titulo veniens, ſi ad ʒij. propinetur, quæ tamen doſis pro hoc fine impetrando nimia eſt, & teneriores facilè ledit. Propinata hæc doſis à medico Sereniſſimo cuidã Principi, robuſtæ & militari vitâ induratæ naturæ, lenivit alvum 5. 6. ſedibus. Eadem verò Sereniſſimæ conjugi data, tenerioris texturæ & ſeroſiori, debilitatem induxit, ut lipothymia ipſa ſurreperet. Sic & tartarus reſolutus, [cum ſale tartari] leniendi hiſce viribus eſt conſpicuus.

Præcipuè verò & ſtimulando leniunt *purgantia*, tum ipſa leniora, aloe, lenientium apex, manna, tamarindi, tum reliqua & alia, minori doſi data; adeoque purgantia accisâ doſi data, vel fortiora cum lentivis refractâ doſi mixta evadunt lenientia. Faciunt huc anima rhabarbari, pilulæ aloeticæ, Francofurtenſes, Glaſſianæ, & his affines ex aloe roſatâ, vel violatâ factæ, ſine vel cum ſcammonio acuatæ, præcipuè ſi recludatur intimè & reſolubilis per fermentationem reddatur aloe, acceſſione martis, ac cr. ♀ri, aliorumque ſic ſimul cicurandorum, ubi viſcedinem reſinoſam irreſolubilem omnem deponit, egregio cum ſtrategemate.

Tacemus alia lenientia hujus commatis, quæ vel ex materiâ clyſterum, vel purgantium claſſe huc referri poſſunt. In mentem venit, quod vulgus hîc loci in uſu frequenti habet leniens, alvo reſerandæ, dicatum quaſi probatiſſimum, plumas nempe anſerum tenuiores, *Pflaum Federn*, tenuiter conciſas; quæ quicquid præſtant, videntur facere ob heterogeneitatem averſam naturæ, unde archeus ad excernendum conſurgit.

Impropriè verò & ex accidente lenientia huc faciunt adſtringentia, καταχρηστικῶς quaſi talia, & effectu æquivoco. Notandum enim, quod adſtringentia in iis, qui laxiorem habent ventriculum & debiliorem, alvum non tantum leniant, ſed & quandoque purgent, inprimis ex alimentoſis cydonia, ſi ſumantur poſt paſtum, ut ante cibum ſumpta adſtringunt, cujus rei ratio eſt ex fibrarum naturâ petenda. Adſtrictæ enim ante cibum ægrè dimittunt κάτω, adſtrictæ poſt cibum propulſionem accelerant. Par ratio eſt opiatorum, de quo egimus in Opiologiâ, & pulverem ſtypticorum. Vir hypochondriacus cum ad vomitum curandum aſſumeret pulverem ſtypticum, toties diarrhœam reportabat, idque non ſemel, ob flacciditatem villorum ventriculi, ut de reſolventibus, de quibus inferius plura occurrent, nil addamus.

Proſunt hæc, ut diximus, 1. *in quovis morbo, ubi alvum apertam bonum eſt eſſe*, tum illo ſenſu, quod ſtatui naturali id ſit conveniens; tum altero, ubi natura id indicat, nel alibi impedita eſt, ut in variolis & morbillis, ubi nec lenientia ſine noxâ dantur, alibi occupatâ naturâ. Sin naturæ beneficio alvus naturaliter ſolvatur, nec citetur ultra naturales terminos, id ipſum quoque bonum eſt.

Dantur 2. *cum cibis*, ſiquidem obſervatum eſt, lenientia optimè hoc tempore dari, immediatè ante cibum, vel cum cibo ipſo, & potius cum cœnâ, quàm cum prandio. Legi meretur de hoc ipſo inſignis locus apud *L. Septalium l.* 3. *animadverſ.* 5. ubi inter alia ſcribit: Et ut millies ego expertus ſum, & noſtrates medici meo exemplo cognoverunt, hoc modo aut uncia ſemis aut etiam drachmis duabus ſæpenumerò major excrementorum copia educitur, quam cum uncia, & etiam uncia una ſemis per horam, ut moris eſt, ante prandium exhibetur. Hunc in finem uſitatiſſimè propinantur pilulæ aloeticæ Francofurtenſes aliæque hujus generis. Conveniens eſt hoc tempus naturæ, quatenus à ſomno capto matutino tempore per alvum ſecludere ſcybala geſtit.

3. *Lenientia purgantium commoda ſunt adjuvantia*, in ſpecie tartarea, quæ non ſolùm in decoctis purgantibus

tibus optimo cum ſucceſſu junguntur; verùm & in pulveribus purgantibus.

Neque tamen 4. *ſolis inhærendum lenientibus*, ſeu in principio morborum, ſeu in progreſſu; quin purgantia in eorundem locum ſint ſurroganda, ſicubi à majori copiâ humorum indicentur, unde illud apud *Hoffmannum, l. de med. offic.* Non curamus ullos magnos morbos, quia nunquam nos expedimus à lenientibus.

5. *Non ſunt confundenda lenientia & ſtimulantia.* Lubricandum magis in ſiccitate inteſtinorum; ſtimulandum magis in eorundem repletione. Illa magis feces, hæc ſenſum magis reſpiciunt. Lubricantia in clyſteribus, ſtimulantia in ſuppoſitorijs magis proſunt. *Wedelius.*

LENITIVUM, vid. *Electuarium.*

LENS.

Lens vel ex *Lenis* factum eſt, vel ex Lentis, quomodo Vett. dixiſſe in recto, ait Priſcianus in vii. Ratio nominis eſſe creditur quia comeſa Lenes & Lentos faciat. Invenio [inquit Plinius lib. 17. cap. 12.] apud auctores æquanimitatem fieri veſcentibus ea.

Lens à reliquis vicijs diſtinguitur ſemine compreſſo & pro plantulæ modo grandi ſiliquis latis, brevibus.

Cæterum Lens minutum & vile eſt legumen, unde Proverbium mira de Lente, apud Græcos dici ſolitum quoties res humilis & puſilla ſplendidis encomiis magnificiſque laudibus attolleretur cui Anglicum noſtrum reſpondet.

Pauperum & tenuium cibus eſt, quæ faſtiditur ſimul ac lautior fortuna contigit, unde Proverbium, dives factus jam deſiit gaudere lente, in eos dictum, quibus ad uberiorem conditionem evectis faſtidio ſunt ea quæ prius inopes boni conſulebant.

Vires. Quod ad vires attinet, Lens ex veterum authoritate oculorum aciem obtundit, ægrè concoquitur, ſtomacho incommoda eſt, eumque & inteſtina inflat: alvum autem ſiſtit ſi cum cortice edatur, inducit gravia inſomnia, ad nervos, & pulmonem & caput incommoda eſt. Galeno Corpus Lentium ſiccat & ventrem ſiſtit, decoctum vero propellit. Quapropter prior aqua diffunditur cum cohibendi gratiâ ſumuntur, præcipua vis adſtringendi eſt in cortice, detergendi in ſucco. Lens ergo decorticata illam adſtringendi vehementiam & ea, quæ ipſam conſequuntur amittit; magis tamen nutrit quàm quæ cortice ſpoliata non eſt, verum ſuccum craſſum ac pravum gignit, tardeque commeat, non tamen alvi fluxus deſiccat uti ea cui cortex non eſt ademptus. Externè in cataplaſmatis ad multa adhiberi ſolebat à veteribus. Vide Dioſcoridem & Plinium. *Raius in Hiſt. Plant.*

LENTICULA PALUSTRIS.

Nom. 1. Lens Paluſtris *Ger. I.B.* Paluſtris ſive aquatica vulgaris *Park.* Lenticula paluſtris vulgaris *C. B.*

J. B. Stagnantium aquarum incola Lenticula eiſdem innatat, totam ſuperficiem denſiſſimo foliorum, infernè nigricantium, ſupernè virentium, nitidorum, orbiculatorum, Lentiſque modo compreſſorum ſtipatu obtegens, quæ inter ſe capillamentis tenuiſſimis & albis arctè revinciuntur, iiſdemque ſeu radicibus è limo adhæreſcente alimentum hauriunt.

In lacubus & ſtagnis aliiſque non fluentibus aquis, ut urbium foſſis, innatans, & latê ſæpe earum ſuperficiem occupans reperitur.

Quæ de mirabili hujus plantæ Metamorphoſi in plantam ſiſymbrio aquatico haud abſimilem habent Matthiolus, & poſt eum Lugdunenſis, apud me ſanè fidem non inveniunt, quantumvis Lugdunenſis operum naturæ indagatorem Dalechampium illud non ſine admiratione obſervaſſe ſcribat.

Vires. Vis ei refrigerans, unde inflammationibus, podagræ, & ignibus ſacris convenit, agglutinat etiam in pueris hernias inteſtinorum. Vide ſis Matthiolum & Lugdunenſem.

Nuper mihi communicavit pro ſecreto infaillibili ad icterum infuſionem Lentis paluſtris in vino albo per novem dies. ℥vj. manè præbendo D. Bales in M.S.

Veſcuntur eâ Anates magnâ voluptate, quod & nomen Anglicum i. e. anatum eſca, indicat; ut etiam gallinæ eum aquis excepta furfuribus permiſcetur. *I.B.*

Nom. 2. Lens paluſtris quadrifolia *J. B. Park.* Lenticula paluſtris quadrifolia *C. B.*

Fibroſis radiculis nititur è craſſiore aliâ (licet ea tamen tenui) tranſverſa demiſſis, unde propagantur rami multi, multifariam diviſi, atque tum ex iis, tum ex radicibus pediculi ad aquæ ſuperficiem pertingentes, quorum ſingulorum extremis adhærent aquæ innatantia quaterna folia, triquetra, per extremum lata, angulis acutioribus ad pediculum coeuntibus; circa vero ramulorum divaricationes pediculorumque exortus numeroſa ſemuncialibus pediculis nixa cohærent grana, nigra, dura, Lentibus majoribus paria.

Nomina 3. Lenticula aquatica triſulca *J. B. C. B.* Hederula aquatica *Ger.* Ranunculus hederaceus aquaticus. *Park.*

Lenticulæ paluſtris vulgò notæ ritu aquæ ſtagnanti innatans viſum pænè fugientibus fibrillis limum arripit alimentum ſucturis: quibus etiam inter ſe committuntur folia. Non vulgarem ſortita connexum & formam. Folio enim Lenti leguminoſæ pari pinnæ utrinque foliaceæ tranſverſim ſquammoſâ commiſſurâ ita incumbunt, ut trahentem leviter ſequantur, & iis attractis tenuius redditum folium viſum tranſmittat: tota autem omnium trium connexio triſulcam hederacei folii formam quodammodo exhibeat; at hujus connexus capillari petiolo tranſverſim incumbit folium veluti temere projectum, nequaquam tamen ſolutum licet adhæſus ratio oculos fallat in aquis cænoſis pigrioribus: in foſſis paludoſis inſulæ Elienſis copioſiſſimè oritur.

LENTISCUS.

Lentiſcum dictam putat Ruellius quod liquore quodam lenteſcat: Lentorem quippe foliorum attrectatu quilibet percepit, inquit Lob. in adv. vel forte Lentiſcus ob virgultorum Lentitudinem dicitur; ut Stapelius: vel potius quod ipſa Lenteſcat arbor, dum reſinam fundit, ut Voſſius. Græcis Σχῖνος, ἀπὸ τῦ σχίζειν ſcindo, findo, quod lignum ejus facile finditur, quodque ejus χίδαξι, hoc eſt ſegmentis ſeu fragmentis è ligno ſciſſis ſolerent uti ad dentiſcalpia, ad nitelam alboremque dentium, ut etiamnum fit hodie.

Maſtiche ἀπὸ τῦ μασᾶσϑαι, i. e. maſtichando dicitur: nam & olim & hodie in maſticatoriis uſurpata eſt.

Certè Græci in inſula Ihio eam perpetuo in ore habent, & ad multa utilem eſſe ejus aſſiduam maſticationem ſibi perſuadent.

Nomina Lentiſcus *Lob. Ger. Park. J. B.* vulgaris *C. B.*

J. B. Multis fruticat Lentiſcus ſtolonibus, mediocriter craſſis, flexilibus ramis brachiatis, cinereo cortice obductis. Interdum in juſtæ magnitudinis arborem excreſcit. Ut obſervavit Cluſius. Folia minora quã piſtaciorũ aut terebint. glycirr. foliis paria, ſed buxeorũ ſoliditate (nobis obſervantibus glycyrrhizæ foliis minora erant) ex viridi nonnihil rubentia, conjugatim ſine ullo impari ad Coſtam Canaliculatam rubeſcentem annexa in Spinulam plerumque deſinentia, inque

eandem fere partem vergentia perpetua,jucundi cum quadam gravitate odoris, ſapore acidiuſculo & adſtringente, iis interdum folliculi vel veſiculæ quædam adnaſcuntur culicibus exiguis referti haud ſecus quam in terebinthinis aut ulmeis, ad alæ imum exoriuntur floſculi, veluti racemuli rubentes, vel Colore ex herbaceo palleſcentes, nonnihil purpuraſcentes, qui in fructus abeunt, dimidio fere piſis minores in ſtylum minutum deſinentes, rotundos,rubentes & per maturitatem nigricantes, acidos, nucleum continentes parvulum, durúm,nigrum, medullâ intus albâ, fructum Cæſalpinus oleaginoſum dicit,Nucleum viridem.

In Italiæ, Siciliæ & Narbonenſis Galliæ ſaxoſis Collibus, orâ præſertim maritima, Lentiſcum Copioſiſſimam obſervavimus: nec minus frequens,teſte Cluſio, naſcitur in Luſitania,Bætica,Regno Valentino, & toto illo tractu ad mare mediterraneum obverſo: ubi nunquam (quod equidem viderim)juſtam arboris ſtaturam & magnitudinem aſſequitur; fortè quia ab hominibus cæſa aut à jumentis depaſta & coercita non permittitur adoleſcere. Nam quando non cæditur ſed negligitur (ut pleriſque Locis ad Anam flumen obſervavit Cluſius) in arborem juſtæ magnitudinis excreſcit.

In ſola inſula Chio, Bellonio autore, reſinam fundit Maſtichen dictam,alii in Italia quoque Maſtichen præbere, ſed non copioſam tradunt, ut v. g. Matthiolus (qui tamen ſibi contrarius in Hiſt. Germ. dicit. In ſola inſula Chio Lentiſcum maſtichen fundere) Cæſalpinus & Lacuna.Nos cum in Italia & Gallia Narbonenſi peregrinaremur nuſquam Maſtichen fundentem vidimus hanc arborem, neque quis fide dignus nobis unquam retulit ſe vidiſſe. Idem dicit I. B. argumentum tamen ab autoritate negativum nihil concludit, ut loquuntur.Neque enim ſequitur non dari in Italia arbores Maſtichen fundentes, quia ego aut mille fortè alii non viderimus, & plus valet unius teſtimonium ſe vidiſſe affirmantis ad probandam affirmativam,quam vel mille negantium ad negativam ſtabiliendam.

Verùm nonnullis terebinthus reſinam fundens ab Italica ſpecie diſtincta videtur.Qui in Chio aliquandiu hæſerunt Cluſio retulerunt Lentiſci arbuſculas ab aliis quæ in Italia naſcuntur nonnihil differre. Et Camer. ſunt inquit qui velint Italicam Lentiſcum à Chia in eo tantum differre,quod fruticoſa ſit illa,hæc vero arboreſcat,etiam ſine cultu. Audivi ex quibuſdam è Chio oriundis arbores, quæ Maſtichen ferunt longè proceriores, pulchrioreſque ſylveſtribus eſſe, quæ,tamen eodem loco naſci ſolitæ I.B. verum Bellonio potius,curioſo obſervatori & veraci, fidendum, qui Lentiſcos qui in Provincia & Italia proveniunt, ſimiles dicit naſcentibus in Chio; Maſtichen tamen non fundere.

Floret Lentiſcus magna ex parte Aprili vel Martio. Fructus Octobri & Novembri primum matureſcit. Ter autem fructum fere tradunt, fortè quòd tribus diſtinctis temporibus eundem perficiat. Cicer. ex Arato.

Jam vero ſemper viridis,ſemperque granula
Lentiſcus,triplici ſolita eſt grandeſcere fœtu.
Ter fruges fundens,tria tempora monſtrat arandi.

Ciceronem nonnulli inſcitiæ accuſant quod χῖνον Lentiſcum tranſlatavit cum vox χῖνος apud Theophraſtum & antiquiores Græcos Scillam ſignificet Ciceronem quomodo defendat I. Bauhinus,aut potius Cherlerus, apud ipſum vide.

Vires. Lentiſcus,autore Dioſcoride, omnibus ſuis partibus germinibus & foliis, fructu, ramorum & radicis cortice adſtrictoria eſt, exprimitur & ſuccus è cortice, radice aut foliis in aqua decoctis,aut etiam è foliis viridibus tritis, qui valet ad ſanguinis rejectiones, alvi profluvia & dyſenteriam in potu, itemque contra Sanguinis ex utero eruptiones, atque tum ipſius uteri, tum ſedis procidentias, in ſumma denique Acaciæ & hypociſtidis vice eo uti licet, nomas arcet,urinas ciet, dentes mobiles collutione firmat atque ſtabilit,eadem fere habent Plinius & Galenus

Porro dentiſcalpia è Lentiſco parata tum priſcis, tum hoc ſeculo,magnatibus & delicatioribus præſertim,in uſu quotidiano habentur.

Cherlerus ſibi aliiſque ſtudioſis ſaltus & colles aridos Narbonæ peragrantibus inſerta in os folia non modo ſuaviter ſpirabant, ſed etiam ſitim arcebant & fauces humidas tuebantur.

Oleum Lentiſcinum ſimiliter atque laurinum è maturo fructu confectum,ac prius inſpiſſatum, ſcabiem jumentorum canumque ſanat:peſſis, acopis, & ad lepras tollendas accommodatis medicamentis aptè & utiliter admiſcetur & ſudores quoque cohibet. Galenus in defluvio capillorum Lentiſcinum oleum valde commendat, habere namque adſtrictionem, ſponteque naturæ tale exiſtere quale eſt ipſum ladanum,quare neque expertum ſe, neque mente concipere poſſe ullum præſtantius pharmacum ad defluos Capillos quam quod ex ladano & lentiſcino oleo permixtum conſtat,oleum hoc ad gingivarum inflammationem ſummopere commendat Actuarius, ſi moderatè calidum ore continetur. Ab Hiſpanis oleum fructuum lentiſci in maximo habetur uſu.

Itali lignum Lentiſcinum in diarrhœis laudant, & decoctum, exinde paratum: tranſudat nempe ex hoc maſtiche:unde in ejus locum decoctum maſtiches ceu ſtomachicum nobile in diarrhœis uſurpari poteſt: quod etiam quorundam medicorum fuit ſecretum. Et mull.prax.

Lentiſci varietas habetur in hort. Lug. Bat. foliis minoribus & pallidioribus.

De Reſina Lentiſcina Maſtiche dicta.

J. B. Hujus grumi, quales ad nos importati in Officinis habentur Orizæ granum æquant, longè etiam interdum majores,candidi, pellucidi, fragiles, ſtatim ſub dente diſſiliunt, mox tamen friatura, omnis denuo coit continuata maſticatione, lenteſcitque mollitie ceræ(ſine adhæſionis ad dentes metu) quam rurſus acuit ſimulac aerem ſenſit.Prunis injecta flammam concipit, promptius tamen fumat quàm flammeſcit,contra ac Thus, guttaſque affatim deſtillat, id quod Thuri negatum,odoremque non ingratum ſpirat. Sapor leviter adſtringens cum calore modico.

Olim adulterabatur Thure & Reſina Strobilina, ſed odore fraus deprehenditur, aut ſapore gummi dente lenteſcentis. Scimus(inquit J. B.) inter Maſtiches glebas non rarò reperiri glebulas gummi Tragacanthi & Arabici. Præfertur pellucidâ, ceræ Thyrrhenicæ candore ſimilis,denſior vel plena,acida, friabilis,odorata: viridis minus probatur.

Galenus lib. 2. ad Glauconem Ægyptiacam Maſtichen commendat: hoc autem tempore ſcimus in ſola Chio reperiri; ubi Lentiſci arbores tali diligenti cura excoluntur, ut non minores in eam rem ſumptus fiant quàm apud nos in vinetorum culturam; nec immeritò cum potiores incolarum hujus inſulæ opes in Maſtiche conſiſtant. Niſi enim diligenti cura colerentur exiguum gummi proventum darent. Maſtiches proventus in Chio inſula tantus eſt,ut ſingulis annis Turcico Imperatori pro 4000. aut 5000. ducatorum pendant, in deductionem ejus ſummæ quam illi tributi nomine dare debent, i. e. 12000. ducatorum; ſingulas centenas libras 105. ducatis æſtimant. Quicquid ejus ſupereſt ſibi reſervant.Mercatores Gal-

li

li Maſtiches pretium idem perpetuo eſſe conſiderantes, exiſtimant atque etiam referunt incolas collecta ejus certa quantitate reliquum abjicere. Sed falluntur. Nam, uti diximus, magnæ impenſæ in lentiſci fruticibus colendis & curandis faciendæ. Quia vero Turcico Imperatori ſingulis annis pro quatuor aut plurium millium ducatorum æſtimatione pendent, ejus pretium vel augere vel imminuere non licet. Bellonius obſerv.

D. *Thevenot* Peregrinat. part. 1. p. 95. mira nobis de lentiſcis in Chio cultis narrat, nimirum tortuoſas eas eſſe Vitium inſtar, & humi provolvi, ſeu per terram repere. Reptantes haſce arbores menſibus Auguſto & Septembri compungunt, éque foraminibus in cortice factis Maſtiche exſudat, & in terram defluit, ubi in fruſtula plana indureſcit; Hæc indigenæ colligunt, & in cribro ad id comparato (*a ranging Siere*) agitant, ut pulvis ſeparetur, qui operariorum faciei adeò pertinaciter adhæret, ut abſque oleo elui nequeat. Viginti duo in Inſula pagi ſunt quorum agri lentiſcis conſiti, ut numerus arborum per annos ſimul cultarum ſit circiter 100000. pro quibus annuatim Turcarum Imperatori pendunt 300. Maſtiches ciſtis, quæ ſimul efficiunt 27000. Oquas ſingulis ciſtis nonaginta oquis attributis. Oqua autem unica 400. drachmas continet.

Vindemiæ (ſi ita loqui liceat) tempore omnes inſulæ aditus vigili cura cuſtodiunt & obſervant, ne quis Maſtichen ſuffuratus effugere poſſit. Quicunq; autem deprehenſus fuerit iſtius criminis reus ad triremes illico ablegatur.

Matthiolus etiam Maſtichen ex arboribus defluentem in terra circumpavita concreſcere ſcribit. Mulctantur autè inquit, ſectâ manu qui lentiſcū Maſtichen fundentem in proprio vel alieno agro exciderint.

Maſtiche pota ſanguinis rejectioni & veteri tuſſi utiliter adhibetur: Stomacho quoq; eſt utilis, ructumque movet: additur etiam in dentifricia & faciei illitus: quippe quæ nitorem cuti conciliat. Quin & pilos oculorum fluentes glutinat & cohibet. Commanducata oris halitum commendat, gingivaſque contrahit.

Oleum unguentiumve à Veteribus è Maſtiche Chia confici ſolitum eſt. Modus præparandi duplex extat alter ſimplex, alter compoſitus. Prior; Maſtiches ℥iij. in olei Seſamini ſextario coquuntur in vaſe duplici. Alter, Maſtiches ℥iij. Vini boni albi ℥iv. alii viij. Ol. roſ. ℔j. in vaſe duplici coquuntur ad vini conſumptionem. Cerebrum, nervos, juncturas, ventriculum, hepar corroborat, tumores duros lenit, dolores ſedat. Poſterius hodiè ferè tantùm eſt in uſu, quod præſtantius eſt priores I. B.

Ad omnem ventriculi dolorem (ut refert Matthiolus) vomitum & nauſeam magni faciunt hoc remedium Alfarabius & Matthæus de Gradi. ℞. vitellum ovi n. 1. Mellis deſpumati cochl. ij. Maſtiches gr. xv. Contrita & commiſta indantur teſtæ magni ovi Anſerini ſi haberi poſſit, & in calidis cineribus aſſentur. Ad dolores ventriculi topicum.

In pulverem redigitur Maſtiche inſpergendum linteo aut alutæ, qua calefacta impoſita ventriculo vomitum & dolorem compeſcit. Vel ℞. panem toſtum, tere ſubtiliſſimè, cui admiſce Maſtiches ʒij. Sacculo immiſſa & calefacta ventriculo imponantur. Contra omne alvi profluvium, præcipuè verò hypercatharſin. Cingitor arctiſſimè, mox prunis injecto pulvere ex æqualibus partibus Maſtiches & Thuris ſuffitum ano excipito, extemplo ſiſtit. Egregium & probatum ad inveteratum coxendicis dolorem. ℞. Myrrhæ & Maſtiches ana part. æquales contrita coquantur in oleo Chamælino. Eo calido inungatur locus dolens. Emplaſtrum ad arthritidem à frigida cauſa.

℞. Maſtich. Cymini, Puleg. Salv. Bacc. Lauri ana partes æquales. Subacta cum melle calidè applicentur. Hæc è I. B.

Coquitur ℥ß. Maſtiches in aquæ ℔iij. vel iv. & datur pro potu ordinario in Diarrhæa. *Schroderus.*

Extenſæ ſuper alutam Maſtiches frequens uſus eſt in defluxionibus ad dentes, temporibus applicitâ alutâ. Cùm enim in vaſis cutaneis ferè eſt materia, ipſa quidem intercipitur, vaſa autem clauduntur. In iiſdem malis frequentatur ſuffumigium, præcipuè ſi non ſuccedat affixio, & argumentum præbeat de via intrinſeca. *Cap Hofmannus.*

Cæterum Chinenſes tam viri quàm fœminæ & pueri Maſtichen fere ſemper in ore habent, ad roborandos dentes & gingivas, necnon ad halitum oris emendandum. Panibus etiam & biſcoctis immiſcere & incoquere ſolent, ad eos guſtus delicatiores reddēdos.

Summâ Maſtiche in omnibus affectibus in quibus adſtrictione opus eſt, præ aliis medicamentis commendatur. *Joh. Raius in Hiſtor. Plantar.*

L E O.

Leo, Gallicè *Lion.* Fœmina Leæna dicitur. Eſt autem Leo omnium conſenſu Animal generoſiſſimum, fortiſſimumque & Ferarum princeps, capite craſſo, fronte quadrata. Verùm capitis magnitudo carnis muſculoſæ quâ tegitur copiæ, & oſſium quæ maxillas ſeu gingivas componunt magnitudini debetur, ut *Pariſienſes* obſervant: Pectore robuſto & metaphreno lato. At *Pariſienſes* affirmant Sternum valdè compreſſum & acuminatum eſſe, etiam magis quàm in Equo aut Cane; largum videri ob pilos longos & denſos illud undique cingentes.

Collum ei riget, verùm non (ut volunt *Ariſtoteles* & *Ælianus*) unico ſimplici & indiſcreto oſſe conſtat, ſed vertebris diſtinguitur. Pariſienſes tamen ſpinoſas apophyſes vertebrarum colli longiores eſſe, & ligamentis tam duris & fortibus invicem colligatas ajunt, ut unicum os eſſe videantur.

Oſſa medulloſa ſunt & minimè ſolida, ut nonnulli prodiderunt.

Quòd lingua admodum aſpera & aculeata ſit, Felinæ inſtar copiâ mucronum inſtructa, excepto ejus apice, omnes conſentiunt; nobis etiam & viſus & tactus confirmavit. Mucrones hoſce ab baſin concavos eſſe, & gulam versùs incurvos tradunt Pariſienſes.

Cor, omnium conſenſu, pro Animalis magnitudine ampliſſimum: unde falſi convincitur vulgaris illa traditio, cor magnum timidi Animalis ſignum eſſe. Plinius Leones in corporis vaginas ungues condere, nè mucrones inceſſu refringantur hebetenturve ſcribit. Pariſienſes id negant, verum experientia noſtra in Leone juvene, admodum manſueto, quem propriis manibus tractavimus, Plinio ſuffragatur; & Cl. Vir. Tho. Bartholinus idem affirmat. Quin & ipſi Pariſienſes in alio leone idem in parte experti ſunt.

Epar Felini in modum in plures lobos, ſeptem nimirum vel octo dividitur: quod & pleriſque rapacibus Animalibus carne victitantibus commune eſt. Retro mingit, & coit eodem modo quo Cameli & Lepores.

Aſpera arteria vel bubulâ amplior, teſte *Ol. Borrichio*, aliis etiam de magnitudine conſentientibus, unde rugitus ille Leonem formidabilis procedit. *Tho. Bartholinus* & *Pariſienſes* in primo ab illis diſſecto Leone cartilagines annulares ex quibus componitur omnes integros circulos fuiſſe obſervarunt. Verùm *Ol. Borrichius* & ipſi etiam Pariſienſes in Leone à ſe poſtea diſſecto eas imperfectas fuiſſe, & arteriam poſtica parte, qua vicina erat œſophago, tantùm membranaceam eſſe compererunt. Singulare eſſe

videtur

videtur quod in hoc Animali *Th. Bartholino*, ſed præcipuè *Borrichio* obſervantibus, primi aſperæ Arteriæ annuli cartilaginei, à capite numerando uſque ad octavum vel nonum non diſtinguebantur propriè membrana intermedia, ſed ſquamatim imbricatimve ſibi incumbebant, ut ſolet tectum inſterni Lapide ſciſſili, id quod ad robur vocis non parùm conferre creditum.

Muſculi temporales vaſtiſſimi, ac fermè circa ſuturam ſagittalem ſe invicem attingentes, ad dentium robur.

Cerebrum proportione corporis minimum & tamen mira in Animali ſe produnt indicia judicii ac rationis: unde Pariſienſibus judicatum, quòd paucitas cerebri ſit potius ſignum & cauſa indolis ferinæ & crudelis, quàm defectus acuminis.

Colon & vicina inteſtina oſſibus ante deglutitis hinc inde referta *Borrichio* obſervatum: unde cibi diſſolutionem non in ventriculo tantùm, ſed etiam in inteſtinis fieri colligit.

Nos etiam in *Raiæ* piſcis inteſtinis teſtarum & oſſium particulas & fragmenta nondum diſſoluta invenimus; in recto 2. inteſt. propè anum nulla: quo Borrichii obſervatio confirmatur.

Digiti Leoni in anterioribus pedibus quinque, in poſterioribus quatuor. Leænam, juba quâ caret & binæ in ventre mammæ à mari diſtinguunt. Longitudo Leonis valdè etiam juvenis à Pariſienſibus dimenſi à ſummis naribus ad initium caudæ pedum erat 7½. altitudo à medio dorſo ad terram pedum 4¼. In *Aſia* & *Aſia* plurimi inveniuntur leones, in *Europa* pauciſſimi aut nulli. Neapoli in Italia, leæna una cum leone in eadem cavea incluſa & nutrita quinque catulos peperit & educavit. *D. Willughby.* At qui potuit 5. catulos lactare ſi duas tantùm mammas habuit. *Raius in Synopſi Animal Quadrupedum.*

Hactenus de Leonis deſcriptione, jam de Medicamentis ex eodem animali agendum venit.

Leo exhibet 1. Pinguedinem ad coitum proficuam priapo inunctam.

2. Stercus, Antiepilepticum, ex quo etiam paratur Spiritus ad ℈ß. exhibendus, ingrediens Magnatibus familiarem compoſitionem.

3. Cruor exiccatus in Vino hauſtus Epilepſiam tollit. Hujus tamen Spiritus & Sal Volatile efficaciora ſunt. *Schroderus.*

Leonis hoc loco facienda eſt etiam mentio, nec hic ſicco pede eſt prætereundus.

Eſt autem Animal ferociſſimum ac callidiſſimum, brutorum animantium veluti Rex, certo tempore coiens.

Datur Mas & Fœmina,

Partes Medicinales ſunt.

1. *Cruor* 2. *Cerebrum* 3. *Pulmones.* 4. *Jecur.* 6. *Fel.* 7. *Stercus.*

Cruor in furno exſiccatus & exhibitus cum vini hauſtu contrà epilepſiam mira præſtat; cujus tamen ſpiritus & ſal volatile in expugnando caduci miaſmate majoris ſunt energiæ.

Ex *Cerebro* etiam ſpiritus, Sal volatile & oleum deſtillari poteſt magnarum in epilepſia, peſte, & ſuffocatione uterina virium.

Pulmones exſiccati pulmonum exulcerationi adeoque phthiſi opitulantur.

Ex *Corde* Aqua deſtillatur Cordialis ad modum Aquæ de Corde cervi additis aliis aromatibus.

Jecur exſiccatũ prodeſt cachecticis, hydropicis &c.

Fel humanum & aliorum etiam animalium ſale volatili oleoſo conſtare plurimi modernorum curioſorum Naturæ interpretum conſtanter defendunt, ducti manuali experientiâ; Si ſpiritum, inquiunt Vitrioli aut Sulphuris cum felle bubulo committas, ſale urinoſo nativo illud ipſum prænans eſſe, illico pugna & ebullitio evincet, quæ longè incitatior fuerit, ſi aquam cauſticam bili permiſcueris, adeò ut illico ſequatur turbatio, & ſpuma alba in ſublime attollatur. Hinc colligunt, ſale volatili oleoſo fel turgidum eſſe, quemadmodum etiam apparet in ſale volatili Tartari oleoſo, huic ſi ſpiritum acidum Vitrioli vel Sulphuris affundas, illud ipſum effervеſcere & quaſi ebullire. Verùm ſatis mirari nequeo, tantæ exiſtimationis viros tanta ſæpe pro veritate ſomnia venditare, cœteroquin ludibria; Ridet Natura, fidem pro ſenſu notis ex ſomno poſcere & pudenda commenta pro veritate docere. Fel enim non oleoſus nec ſalſus, verùm gummoſus aqueus liquor eſt, difficile cum reſinoſis, facile autem cum aqueis aſſociandus; Et ſi vulcani examini committimus, deprehendimus, nil niſi aquam præbere inſipidam, nullum oleum, nullum ſal volatile, relictis in fundo ſcoriis abſque ullo ſalis fixi vel volatilis aut olei indicio. Neque oculato teſtimonio verum eſt ſpiritum Vitrioli vel ſulphuris acidum, aut ▽am cauſticam ei nuptam ebullitionem aut ullam ſpumam concitare, ſed dicta acida ſalia felli commiſta illud prius eminere faciunt, poſtmodum invicem concuſſa præcipitantur, ex quâ præcipitatione viridis emergit color inſtar ſucci alicujus herbæ viridis, nulla hic in conſpectum venit ebullitio, nec ulla ſpuma) in fundo præcipitatur ſuccus quidam albus inſtar chyli. Ex phænomeno pateſcit, quid de ſucci pancreatici acidi, ut volunt, cum bile fermentatione judicandum ſit, dum & ipſe ſæpè inſipidus interdum, modo acidus, modo ſalſus, modo acido-ſalſus repertus, Nos adhuc de vero ejus ac genuino ortu ac uſu ambiguos tenet.

Stercus in partus difficultate ex Leone fœmina fœtum jam enixa exceptum non ſolum per ſe exſiccatum mira præſtat in forma pulveris adſumptum, ſed & ad epilepſiam. Spiritus exinde paratur tam ſimplex, quàm compoſitus Ant-epilepticus, ſeq. m.

Rec. cinerem cornicis ex nido extract. Turturem unum uſtum. Cranii humani combuſt. ℥j. gran. tiliæ ℥ j. ſtercor. Leonis ℥ß. Hæc ſeorſim per ſe in ſingularibus cucurbitis perfundantur ſp. vini ad 3. digit. eminentiam. Stent in vaſis clauſis in digeſtione per triduum, aut ſi una infuſio non ſufficit, fiant plures. Poſtmodum adde tantum vini Malvatici, quantum, Aqua vitæ extract. Sacchar. cand. ℥ v. repone in vaſe vitreo optimè munito.

N. Hæc Animalium uſtio rudis potius eorum deſtructio, quàm Philoſophica præparatio jure appellanda eſt, unde tanquam inutilis rejicienda, qua dicta animalia omni ſua virtute Medicinali caſtrantur & in terram mortuam ac effœtam rediguntur. Si quid virium ex hoc emanat, à ſtercore Leonis ſolum provenit; Salia animalium volatilis cum ſale volatili ſtercoris Leonis mixta & in Eſſentiam redacta altioris ſunt indaginis. *Hofmannus.*

LEONTICA, vid. *Cacalia.*

LEONTOPODIUM, vid. *Alchimilla.*

LEPIDIUM.

Λεπίδιον Dioſcoridi lib. 2. c. 205. ſic dictum quod λεπίδας ſeu ſquamas & maculas faciei deleat, vel ἀπὸ τοῦ λεπίζειν, id eſt, ἐκδέρειν, quod ſua acrimonia urenti ulceret, excoriet, eaque facultate vel ferro notas fronti Servorum inuſtas deleat, de quo forſan Columella lib. 10. Lepidium Plinio lib. 20. c. 17. I. B.

Lepidii notæ genericæ ſunt folia integra magna, floſculi parvi albi. Siliquę itidem parvæ, ſapor & odor piperis, & in vulgari ſpecie radix reptatrix.

Nomina 1. Lepidium latifolium *C. B.* Lep. Pauli *I. B.* piperitis ſive Lepidium vulgare *Park.* Raphanus Sylveſtris officinarum, Lepidium Æginetæ Lobelio. *Ger.*

Radix

Radix digitali craſſitudine & major, alba guſtu acri & calido, ſed qui ſubito evaneſcit, ſub terra reptat. Caules emittit plures, bicubitales, teretes, læves, medulla farctos, ramoſos, minimo digito minores, glauco quodam polline, qui facile detergi poteſt obductos, folia longa, lata, in acutum deſinentia, mali citriæ ſimilia, ſed ſæpius majora; glabra pinguia, obſcurius virentia, alternatim adnata; per margines ſerrata; quæ è radice exeunt & in imo Caule ſunt, pediculis longis ſuffulta. Floſculi in ſummis Caulibus & ramulis pro plantæ proportione minimi, tetrapetali, albi, conferti & copioſi, pediculis tenuiſſimis inſident; quas excipiunt vaſcula ſeminalia minutiſſime compreſſa, apice acuto, ſemina continentia.

Reptatu ſuo hortulanis inviſa eſt; ſemen autem ad maturitatem raro perducit, ad fluviorum ripas ſed rarius apud nos provenit: ut v. g. prope Pontem Hithenſem Colceſtriæ, necnon Camaloduni, ad pontem Heybridge dictum copioſe & alibi propè Fulbridge.

Nomina 2. Lepidium glaſtifolium *C. B.* Lepidium non repens *I. B.* Lepidium annuum *Lob. Ger. Park.* Sed perperam.

Moriſſ. Radix fibrata, ex qua folia oriuntur, primum palmaria & ſeſquipalmaria, anguſtiore principio penes pediculum ſextantalem aut quadrantalem, ſenſim dilatata aut ternas circiter uncias, ſenſim denuò in obtuſum mucronem deſinentia, nullis per ambitum crenis dentata, ſapore Lepidii fervido. Caulem profert bicubitalem & altiorem aliquando, qui ſupernè in multos ramuſculos finditur; floſculis onuſtos plurimis albidis, majoribus multò quàm ſint procedentis flores, quos ſequuntur ſiliculæ rotundæ, planæ, bifidæ, membranâ per maturitatem pellucidâ & alba diſſeptæ, ſemina plurima, ſubruffa continentes, ſapore acri Thlaſpeos æmula, folia inferiora glauca, glaſti foliorum Colore & glabritiæ æmula, ſuperiora, caulibus alternatim aut nullo ordine adnaſcentia, perquam anguſta & tenuia.

Quamvis annuum dicatur Lob. & aliis radix tamen hyemem perfert interdum, & in plures annos durat, etiam poſtquam ſemen perfectum dederit.

In agris prope Ratiſponam in Germania obſervavimus copioſa enatum. Verum quam ibidem collegimus planta capſulas habuit numeroſiſſimas, perexiguas, ſphæricas, monoſpermas; unico in ſingulis ſemine ruffo: unde ſpecie ab hac diverſa ſit oportet.

Nomina 3 Lepidium Dioſcoridis *Zanoni*; maximum Chalapenſe Moriſſ. Radicem demittit ſatis craſſam, longitudine circiter palmari, albam, ruptu difficilem, ſuperius viridem & aſperam, plurimis radiculis longis, rotundis, à majore hac exeuntibus, quæ huc illuc repando alias plantas producunt, more lepidii vulgaris, quibus undique ſcatere conſpicitur locus in quo plantatur, ut difficulter inde erui & penitus eximi poſſit. Caulem edit ſimplicem aut aliquando duplicem rotundum lævem, lucidè virentem, qui in pingui ſolo proveniens ſuperat cubitalem altitudinem, ex cujus ſingulis geniculis exiliunt folia caulem ambientia quemadmodum fit in Lepidio vulgari, ſed laurinis foliis ſimilia in ſummis caulibus ramatim prodeunt flores tetrapetali, albidi, cum flaminulis & apice in medio, quibus flaveſcentibus totidem ſuccedunt capſulæ rotundæ, bivalves, includentes in ſe ſemina ruffa, naſturtii vulgaris ſiminibus minora.

Sapor hujus plantæ acrior eſt quàm lepidii vulgaris, ac proinde potentius remedium eſt contra dolorem iſchiadicum, lepram & dolorem ſplenis.

Floret æſtate: ſemina Chalepo tranſmiſſa ſunt à D. Rob. Huntington.

Vires. Vis foliorum acris eſt & excalfaciens (inquit Dioſcorides) quapropter trita Herba iſchiadicis præſentiſſimum eſt auxilium, ſi cum Helenii radice quatuor horis illinatur; lienoſis ſimili modo prodeſt, lepras eximit. Radix appenſa collo (adalligata brachio Plin.) dolore dentium liberare exiſtimatur.

Mulierculæ noſtrates Buriæ ſeu S. Edmundi burgi in Suffolcia, referente Parkinſono, ad partum facilitandum decoctum in cereviſia propinant *Joh. Raius in Hiſtor. Plantar.*

LEPUS ac LEPORINUM GENUS.

Lepus, Λαγὼς Græcis. *The Hare.* Notiſſimo Animali deſcribendo non eſt cur immoremur. Pedes poſteriores prioribus multo longiores habet, & muſculis validiſſimis inſtructos, ad fugam & curſus velocitatem à natura factos: Caput breve & ſubrotundum, labium ſuperius in medio fiſſum: oculos extantes, ut radios etiam à poſtica parte venientes accipiant, quibus apertis dormire dicitur; Auriculas longas mobiles, ad ſonum vel leviſſimum percipiendum. Solitarii ſunt, & totos dies immoti ſedent, interdiu pabulantur.

Oeſophagus Leporis ut & Cuniculi medio ventriculo inſeritur. Inteſtini cæci & magnitudo & conformatio mira, ulnam ferè longum, duos aut tres digitos tranſverſos in principio latum: Extremitas ejus ad 8. digitorum longitudinem, amplitudine Indicis, vaſa ſanguinea admodum conſpicua monſtrat; ipſaque ſubſtantia ex glandulis rotundis conflata videtur, è quorum foraminulis, appendice foris preſſa, prodiit liquor albus, turbidus. Cæcum reliquum tenue & tranſparens, quamvis primo aſpectu valvulas multas conniventes habere videatur; inflatum tamen unam & ſimplicem valvam ſeu laminam oſtendit perpendiculariter extenſam à circuitu inteſtini, & curioſiſſimè ſpiraliter cochleæ in modum circumvolutam, ab extremo ad extremum per totam inteſtini longitudinem ductum. Lepores albi Patavii frequentes ſunt, in montibus vicinis capti: Auriculæ duntaxat anteriùs cinereæ ſunt, & extremitatibus nigræ.

CUNICULUS, Δασύπους, *A Rabit or Cony.* Quod ad figuram corporis externam in omnibus ferè cum Lepore convenit, magnitudine excepta, qua illi cedit. Carnis tamen colore albo ab eo differt, & proprietate foramina, cuniculos inde dicta, in terra effodendi. Partibus internis non minùs quàm externis Leporem refert.

Wepferus in Lepore fæmella in perinæo ſinus duos laterales reperit, in quibus ſubſtantia quaſi cerea continebatur, quæ in compendio omnem nidorem Leporis in ſe continebat, & acri fœtore nares pupugit: in ſinum utrinque excernebatur ex glandula conglomerata dura, in apice oſtiolo prædita: nam illa preſſa exibat ſimilis ſubſtantia. Non ergo ſolis Animalibus carnivoris conceſſi ſunt folliculi odoriferi. Eoſdem ſinus &, glandulas obſervavit *D. Willughby*, ſubſtantiam fœtidam, aurium cerumini ſimilem continentes.

Cuniculus Braſilienſis PATETI dictus. Figurâ eſt noſtratis, dupla magnitudine Gliris: pilis & colore ut Lepus, ſed paulò fuſciore: auribus longis ut noſtrates Cuniculi. In fronte ruſeſcit paulum, ſub gutture nonnihil albicat, & circulum album habet circa collum: quidam tamen illo carent, & tantùm ſub gutture, pectore & ventre parùm albicant: nullam habet caudam; barbam ut noſtrates cuniculi; oculos nigros. Caro comeditur. *Mareg.*

Cuniculus Braſilienſis APEREA dictus *Mareg.* Inter murem & cuniculum ambigere videtur. Auriculas habet murinas breves & ſubrotundas, cætera leporis. Pedali eſt longitudine, craſſitie 7. digitorum. Pilorum color leporinus, in ventre tamen albicant. Labio fiſſo, dentibus, barba, cum Lepore

convenit, & ut Lepus incedit; nam poſteriora crura ad ſuffragines uſque callo ſunt obducta. Crura priora tres circiter digitos longa, poſteriora paulo longiora. Pedes anteriores in 4. digitos fiſſi, cute nigra, & unguibus parvis non prominentibus: poſteriores in tres, medio longiſſimo. Caret caudâ. Caput paulò acutius Leporino. Caro Cuniculi. Vivit & habitat ut ille.

HISTRIX, *The Porcupine*. Spinoſa Italis. Romæ apud Ornithopolas venalem vidimus, integrum, verùm exenteratum, in montibus vicinis (ut nobis retulerunt) captum; & pretio ſatis vili emimus, inque hunc modum deſcripſimus.

Figura corporis taxum refert. Ponderabat 23. libras Romanas, viſceribus & interaneis exemptis. Longitudo à ſummo roſtro ad extremam caudam duorum plus pedum erat. (Quem metiebantur Pariſienſes à naribus ad ultimos pedes 18. tantùm digitorum erat.) Totum corpus ſetis veſtiebatur, quarum color in ſcapulis, cruribus, lateribus, inque toto ventre niger erat; in medio dorſo, lumbis, clunibus, & cauda ubi ſpinæ ſ. calami oriuntur, varius ex albo & nigro.

[Conſiſtentiâ, figurâ & colore ſetas Porcinas referebant, unde & nomen Animali inditum Hyſtrix, quaſi ὑὸς θρὶξ.]

Collum ei breve, caput craſſum, Roſtrum obtuſum; Nares ampliſſimæ, non tamen patulæ, ſed rima tranſverſa apertæ. Labium ſuperius in medio fiſſum Leporini inſtar. Circa & ſupra nares ſetas complures habet, nigras, longiſſimas, veluti Felis aut Mus. In extremo utriuſque maxillæ binos habet *dentes* prælongos, validos, introrſum incurvatos oblique ſciſſis & forficum more ad incidendum aptatis, non planis extremitatibus concurrentes. Molares in utralibet maxilla octo. *Oculi* pro corporis magnitudine exigui, iridibus cœruleis: (Canthus major ſ. interior præter aliorum Animalium normam, minore multò ſuperiùs ſitus) *Auriculæ* (quod notatu digniſſimum eſt) humanis perſimiles; circa quas pili cinerei, & molliores quàm in reliquo corpore, excepta maxilla inferiore, in qua lanugo mollis eſt. In ſummo capite perque totum collum ad ſcapulas uſque criſtam ſeu jubam erectam obtinet ſetarum longiſſimarum (8. circiter unciarum) partim nigrarum, partim albarum, partim ex albo & nigro variarum. *Crura* brevia ſunt, digiti in pedibus poſterioribus 5. manifeſti, *unguibus*, non admodum acutis, & ſuperficie inferiore ad apices concavis. In pedibus anterioribus 4. tantùm habet digitos cum ſuis unguibus, (è quibus extimus maximus eſt & pollicem æmulatur ut in Urſo.) *Setæ* per totum corpus craſſæ ſunt, in imo compreſſæ, in tenuem pilum deſinentes, pediculo brevi gracili inſidentes.

(Spinæ ſ. calami duum generum, alii firmiores, craſſiores, breviores, magiſque acuminati, duplici acie ut in ſubula; alii longiores & flexiliores infirmioreſque, pedem longi, acumine compreſſo. Primum genus ad radicem album, & ſumma parte obſcurè caſtaneum erat: Secundum utraque extremitate album; medio, albo & nigro varium.

Cauda plus palmum longa, ſpinis horrida, quarum plures habet ordines annulares. In extrema cauda ſpinarum loco 10. aut 12. habet tubulos, magnitudine ſpinarum, ſed dimidio plus breviores, tenui pediculo nixos, in ſummo apertos, tenues & prope tranſparentes.

Hyſtrix Americanus, *CAVDA* Braſilienſibus *Maregr. Tlaquatzin* ſpinoſum *Hernand.*

Magnitudo Simiæ majoris. Totum corpus cum capite, excepto roſtro, imis pedibus, & poſteriore caudæ medietate, munitum eſt aculeis, 3. aut 4. digitos longis; neque pilos habet. (Ut *Tlaquatzin* pilos albos admixtos habet in modum velleris. *Hernand.*) Flaveſcunt hi ab initio ad mediam longitudinem, ſuperiore medietate nigra aut brunna, cuſpis tamen albicat: cavi ſunt inſtar pennarum, acuti, & Animal illos poteſt ejaculari, (qui ita hærent, ut nulla induſtria aut viribus extrahi poſſint. *Hernand.*)

Corpus ab occipitio ad initium caudæ pedem 1. Rhynland longum: Cauda ped. 1. & 5. digit. cujus medietas poſterior ſetis raris porcinorum ſimilibus tegitur. Aures parvæ, ſub ſpiculis latitantes; os Leporinum, binis dentibus foras conſpicuis; nares patentes, atque ideò ampla & ferè quadrata promuſcis: Oculi rotundi, prominentes, fulgidi inſtar carbunculorum. Barba velut Felina aut Leporina, 4. digitorum. Pedes Simiarum ſimiles, in 4. tantum digitos fiſſi: unde arbores ſcandit, ſed tardo greſſu, quia pollice caret, quamvis locum habeat quaſi abſciſſus eſſet. Cauda circumvoluta ramo alicui ſe firmat nè labatur.

Victitat libenter gallinis; vocem edit ut Sus. Carne eſt bona & pergrata.

Auriculis, roſtri figura, dentibus, facultate ſpinas ejaculandi (ſi credere fas ſit) *cum Hyſtrice convenit: Aculeorum parvitate, & cavitate; digitorum pari in pedibus omnibus numero, caudæ longitudine, facultate arbores ſcandendi, & victu, ab eodem differt. Mirum autem, carnivorum cùm ſit hoc Animal, carne eſſe ipſum laudabili & in cibis accepta.*

Quæ de aculeorum ejaculatione habet mihi non probantur. Puto Marcgravium *vulgi errorem ſequutum, nullo experimento facto, calamos ejaculandi facultatem Hyſtrici tribuiſſe, quamvis & Pariſienſes in eodem luto hærent, & veteribus aſſentiuntur; Spinas craſſiores, breviores, rigidioreſque minùs firmiter cuti inhærere aſſerentes, adeoque ejus concuſſione excuti, & in venatores evibrari poſſe.*

CASTOR ſive *Fiber*, *The Beaver*. Longitudo Pariſienſibus dimenſi à ſummis naribus ad extremam caudam pedum erat $\frac{3}{2}$, latitudo maxima 12. unciarum: Pondus appenſi 30. libras ſuperabat. Nec inferior pondere erat in Rheno captus, & à Clariſſ. Wepfero deſcriptus. Caput compreſſum, à naribus ad occiput unc. $5\frac{1}{3}$. longum & totidem propemodum latum, unde τετραγωνοπρόσωπον Herodoto dicitur. Oculi parvi ſubnigri; Auriculæ minutæ, breves, rotundæ, Lutrinæ, extrorſum piloſæ: Dentes inciſores in utralibet maxilla bini, ut in reliquis hujus generis, prominentes, lati, extremitatibus velut obliquè ſectis ad incidendum, introrſum albi, exterius è flavo pulchrè rubentes; Collum breve, craſſum.

Pedes anteriores digitis 5. diſcretis præditi erant, & unguibus rotundis ſed obtuſis muniti. Hi manuum uſum Animali præſtant, ad cibum tenendum & ori admovendum, ut Sciuro. Digitorum proportio & ſitus, palmæque figura ut in manibus. Poſteriorum pedum digiti jungebantur membrana craſſa nigra, ut Anſerinorum, & obtinebant ungues latos, nigros, ſimiarum ſimiles.

Pili quibus totum corpus cauda excepta integebatur duum erant generum invicem tamen commixti utrique, tam longitudine quam colore diverſi. *Longiores* capillorum craſſitie, ſeſcunciales circiter, coloris ex rubro nigricantis ſ. ad fuligineum tendentis, valde lucidi; ſubſtantiæ adeò ſolidæ erant ut nè microſcopio quidem vel minima in eis cavitas potuerit diſcerni. *Breves* vix pollicis longitudinem obtinebant, hi etiam & longitudine & mollitie differebant, breviores etenim adeo tenues & molles erant, ut tenuiſſimæ & molliſſimæ plumagini non cederent. Hæc pilorum diverſitas & mixtura in Caſtore, Lutra &

Apro

Apro præcipuè cernitur, iiſque uſum præſtat neceſſarium, ad aquam ad cœnum in quo ſe volutant à corpore defendendum.

Cauda glabra & depilis, nigra, ſquamoſa, ut piſcium cutem referat. *Wepferus* ſquamoſam videri, at non revera eſſe aſſerit. At Pariſienſes epidermide ex ſquamis pelliculâ junctis compoſita integi ajunt, & ſquamas deſcribunt pergameni craſſitie, lineam & dimidiam [Pariſiens.] longas, & figuræ plerunque hexagonæ irregularis, quæque caudâ pellè nudatâ decidebant, veſtigia tamen ſua relinquentes alba in cute. Erat autem cauda longa 11. pollices; ab exortu, ubi 3. uncias latitudine non excedebat, ad medium ſenſim dilatabatur, 5. uncias ibidem attingens, exinde paulatim contracta in ovalem figuram terminabatur. Prope exortum 2. propemodum pollices craſſa erat; dein ſecundum longitudinem craſſitudo ſenſim minuebatur, ut in medio pollicem unum non excederet, in extremo ad 5½. lineas redigeretur. Margines circumcirca ſubrotundæ & craſſiuſculæ erant, multò tamen media parte tenuiores.

Wepferus ſub cauda orificium excrementorum ſeorſim conſtituit, ut ſuperiùs ſub oſſe pubis rimam; inquiens, In cute integra in pube relicta videbantur duo oſtia inſignia, ſuperiùs ſub oſſe pubis eſt rima, inferiùs ſub cauda podex. At Pariſienſes tam orificium excrementorum quàm exitum urinæ velut communi meatu rima includi ajunt.

Inter hæc oſtia [urinæ & excrementorum] in cute depili apparuerunt duo foramina, quæ ſtylum ſed non profundè admiſerunt, &c.

In parte rimæ ſuperiore reconditur penis oſſeus, ſub illo rima, mediante membrana intergerina in duas partes dividitur, quarum quælibet in ſinum deſinit lateralem. Folliculi (Caſtorei receptacula) quatuor ſunt (inquit Schraderus) extra abdomen ſiti, majores ſuperiùs, figurâ pyri exſiccati, ligamentis ſuis oſſi pubis annexi, albicante tunica inveſtiti, continentes in ſe Caſtoreum ſiccum Spicei coloris; minores inferiùs, rubicundis involucris præditi, liquidóque & albicante Caſtoreo turgentes. Ab utroque folliculorum pari pergebant 4. ductus ad vulvam, in qua eorundem oſtiola clarè poterant conſpici, limbis membranaceis munita, & extrinſecus occluſa. Horum folliculorum particulares & accuratas deſcriptiones qui deſiderat *Pariſienſes* & *Wepferum* conſulat.

Teſticuli ſub oſſe pubis prope caſtoreum ſiti; nullis in inguine illic latentium indiciis foris vel viſu, vel tactu ſe monſtrantibus: & quamvis Caſtoreo vicini erant, nulla tamen inter illos & caſtoreum intercedebat communio ſive mediata, ſive immediata.

Memorabile eſt quod de ventriculo Caſtoris obſervavit *Wepferus*, nimirum in parte ſiniſtra laterali prope orificium ſuperius haberi portionem rubentem carnoſam, palmo longiorem, palmum latam, ovalem, reliquâ tunicâ altiorem. Aperto ventriculo intus foramina ſeu oſcula quamplurima in conſpectum venerunt, maximam partem rotunda & lentem admittentia, per quæ compreſſo foris ventriculo exiit mucus albus & gryſeus lentus, Caſtoreum redolens, ſubſalſus, copioſè. Oſcula intus ægrè ſtylum admittebant, foris verò in apice tubulorum inflicto vulnere ſtylus citra obſtaculum per tubulos in cavum ventriculi tranſit. Remotis membrana tenui nervoſa, & craſſiore rubicunda, apparent tubulorum extremitates cæcæ, pulchro ordine ſitæ ceu glandulæ conglomeratæ. Pleniorem deſcriptionem videſis apud *Wepferum*. Inſervit proculdubio hic mucus alimento ſolvendo & comminuendo. Quin ad acuendum & excitandum appetitum languentem ajunt Caſtorem, folliculo pede expreſſo, caſtoreum ore lambere & deglutire; Indoſque laqueos quibus utuntur ad Caſtores capiendos eo oblinere.

Quod ad longitudinem & capacitatem inteſtini cæci, ejuſque appendicem, non multum differt Caſtor à reliquis hujus generis.

Qui ventriculum diſſecuerunt nihil intus invenerunt præter ſegmenta ex corticibus & radicibus arborum; piſcium vel cancrorum nè minimum quidem veſtigium, nec contenta piſculenti quidpiam redolebant, ut in *Lutra*.

Foramen ovale in omnibus clauſum.

Mira ſunt quæ feruntur de ingenio & ſolertia horum Animalium, quod domos ſibi conſtruant inter omnes convenit; eaſque etiam plurium contignationum bicameratas & tricameratas Alberto.

Caſtores olim Britanniæ nativos fuiſſe literarum monumentis conſtat. Ingenioſiſſimus vir, & amicus noſter ſingularis D. *Edvvardus Lhvvyd* Giraldi Cambrenſis teſtimonio id confirmat, qui *Itinerarij Cambriæ*, lib. 2. cap. 3. ait, *Teivi* ſolum Cambriæ fluvium fuiſſe qui ſua ætate Caſtores retinuit, additque in unico tantùm (ut ferebatur) Scotiæ flumine eorum genus jam tum ſuperfuiſſe. Verùm (inquit) ut Caſtores in Cambria olim repertos fuiſſe credam, non tantùm Giraldi autoritate inducor, ſed quod nomen eorum antiquum, nimirum *Afange*, quod vocabulum *D. Davies* in Lexico ſuo Wallico *Fibrum* interpretatur, adhuc ſuperſit, & à vulgò frequentetur, quamvis nunc dierum non eo ſenſu accipiatur, ſed pro phantaſmate: & ipſe duos treſve lacus novi qui nomen *Lhynyr afange*, id eſt, lacus caſtorei præferunt. Nomen autem *Afange* ab *Afon*, quod fluvium ſignificat, derivatur.

Addit inſuper idem *D. Lvvyd*. Quod & capreoli quin Cambriæ etiam incolæ ſeu indigenæ fuerint, apud Wallos minimè dubium eſſet. Quinetiam ſuſpicari ſe, Urſum etiam quondam in hac inſula ſylveſtrem feram fuiſſe, ob rationem ſequentem, nimirum quod inter veteres quaſdam leges & conſuetudines Britannorum, Antiqua Britannica ſeu Cambrica lingua manu ſcriptas, ſtatuta quædam & regulas in venatione obſervandas invenerit, in quibus continetur; *ſummam ſeu præcipuæ æſtimationis ferinam eſſe*, *Urſi*, *Leporis* & *Apri*. Et alibi in eiſdem conſtitutionibus, *E novem quæ venantur ferarum generibus* [*Games*] *tria tantùm Latrabilia* [*baitable*] *eſſe*, *Urſum*, *ſcandentia* [*the Climers* quo nomine vermineum genus & Sciurum intelligunt] & *Phaſianum*. Urſus fera latrabilis [*baitable*] dicitur, quià cùm tardigradus ſit; nec velociter currere poſſit, canes eum facile aſſequuntur, contra quos deinde corpore in clunes erecto aliquandiu ſe defendit; canes autem initio timidi, nec propiùs accedere auſi eum allatrant antequam aggrediantur & occidant.

Verùm Animalia hæc à Venatoribus tandem ad internecionem uſque cæſa, eorumque ſtirps in Anglia & Wallia penitus extincta eſt. Ajunt tamen capreolos in Scotiæ Septentrionalibus etiamnum ſupereſſe.

SCIURUS vulgaris. Paulò major eſt quam muſtela, non tamen longior. Color ei in ſupina

parte, ut capite & dorſo rutilus, in prona ſeu ventre candidus. Reperiuntur tamen alicubi nigri, in Polonia & Ruſſia griſei ſeu cinerei. Cauda longa villoſa, quâ ſupra dorſum reflexâ ſe tegit & inumbrat, unde nomen ſumpſit.

Clunibus inſidens prioribus, pedibus cibum tenet & ori admovet. Veſcitur nucum omni genere & glandibus, verùm libentiſſimè Avellanis, quas æſtate congerit & in hyemem recondit, ut pro victu ei inſerviant. In arboribus habitat, nidificat & fœtus fovet. Facilè autem tranſilit de ramo in ramum, & aliquando de arbore in arborem.

Mus Ponticus, ſeu varius Antiquorum cenſetur.

SCIURUS Virginianus cinereus major, *The great grey Virginia Squirrel.* Ad Cuniculum vulgarem magnitudine accedit. Nec colore multum differt, eſt enim griſeus. Digiti in anterioribus pedibus 4. in poſter. 5.

SCIURUS Zeylanicus pilis in dorſo nigricantibus, RUKKAIA dictus à ſono *D. T. Robinſon* è *Muſeo Leydenſi*. Variat pilis in dorſo griſeis.

SCIURUS Americanus volans, The flying Squirrel. Sciuro noſtrati quem vidi multò minor erat, colore ſuperne cinereo obſcuro ſeu murino ſubtus niveo: oculis etiam murinis, nigris & prominentibus; caudâ longâ, planâ & lata ſeu compreſſâ. Cutis in lateribus utrinque laxa ab anterioribus pedibus ad poſteriores extenſa, eiſdem annectitur, quâ porrectis pedibus veli inſtar explicatâ, inter ſaltandum ſe promovet, undè & volare dicitur.

In Nova Hiſpania atque etiam Virginia reperitur. Ad mures potiùs quam ad Sciuros referenda videtur, pili enim breviores ſunt quàm in Sciuro, cauda lata & plana, quam neque in dorſum reflectit, neque in gyrum contorquet ut ille. In commiſſura colorum pronæ & ſupinæ partis ærea utrinque linea nigricans cernitur.

SCIURUS Getulus Caij apud Geſnerum, *The Barbary Squirrel.* Coloris eſt mixti ex ruffo & nigro. Eam ab armis ad caudam per latera albæ fuſcæque lineæ alternatim certis diſtinctæ intervallis decentiſſimè pingunt. Idem aliquibus fit in colore ex albo & nigro, reſpondentibus etiam in cauda lineis, niſi ſiquando expanſa cauda propter piloꝛum raritatem eædem diſpareant. Venter illi cœlorum colorem imitatur in albo poſitum. Paulò minor is eſt vulgari Sciuro, nec aures extantes habet ut ille; ſed depreſſas magis & ferè capiti æquas, orbiculares, & per cutis ſuperficiem deductas in longum. Caput Ranæ fere eſt, cætera ſimilis vulgari Sciuro: Nam figura corporis eadem, natura, mos idem & vivendi ratio. Caudâ ſe contegit more cæterorum Sciurorum.

E Barbaria à mercatore quodam aliquot vivi ad nos allati ſunt. Huic eadem nobis videtur *Muſtela Africana* Cluſij *Exot.* lib. 5. cap. 17. Majoris muris ſive Glitis non prorſus adulti magnitudine, corporis formâ Muſtelam & Sciurum quodammodo referens. A Sciuro Getulo differt quod caudam quidem attollat, minimè tamen ſupra caput retorqueat ut Sciurus, ſed in latum nonnunquam valdè explicat. Reliqua deſcriptio cum Sciuri Getuli deſcriptione ſatis bene convenit; ut non dubitem idem Animal eſſe.

Huic ſimilis eſt Sciurus à *Cla. D. Lyſter* obſervatus, & ſic deſcriptus; Sciurus è minoribus eſt, ex ruffis cinereiſque pilis ferè ad ſimilitudinem vulgaris Moſcovitici coloratur: in medio dorſo unica linea ex toto nigra; item ad utrunque latus altera, eæque latiuſculæ quidem, at multo breviores; earumque etiam mediæ albicant. Huic cauda brevis, corpori concolor, at nigrior, & raris pilis donatus.

MUS domeſticus major, ſive *RATTUS, the Rat.* Color ei cinereus obſcurus ſeu fuſcus. A mure domeſtico vulgari ſeu minore magnitudine præcipuè differt quâ eum quadruplo ſuperat. Cauda longiſſima, raris pilis obſita, 160. minimum annulis diviſa.

MUS major aquaticus, ſive *Rattus aquaticus.* A præcedente differt. 1. Quod multo major ſit. 2. Colore magis ruffo ſeu brunneo. 3. Quod Pedum digiti membranis intercedentibus connexi ſint. 4. Quòd cauda ei brevior, teres, ubique æqualis & velut abſciſſa. 5. Dentibus multò longioribus, colore buxeo ut in Sciuris. *D. Willughby.*

MUS AQUATICUS exoticus Cluſ. Exot. auctar. p. 375. *Worm. Muſ. The Muſcovy or Musk Rat.* Ratti aut Talpæ erat magnitudine; à capite ad caudam 7. unc. longus; totidem corporis ambitus continebat. Denſis & mollibus villis undique tegebatur, in tergo nigricantibus, in ventre ex albo cineraſcentibus. Caput pro corporis mole ſatis parvum: roſtri pars ſuperior firma, prominula, & pæne unciam longa, nigricans, eâque forma prædita, ut inſtar Talpæ aut Suis terram evertere poſſet: Oris hiatus non magnus. Dentes ut in reliquis hujus generis. Oculi valdè exigui & vix conſpicui. Rictû, latera longis villis cineracei coloris obſita. Cauda 8. unc. longa, plana, lata, rariſſimis brevibuſque pilis tecta. Uterque pes anterior 2. fere uncias longus, in 5. digitos acutis unguibus armatos diviſus: poſteriores paulò longiores & magis pleni: Digiti majores membranis connexi ad commodiùs natandum.

Ex Ruſſia adferuntur, & odorem muſci reddunt, quamvis neget ſe id obſervaſſe Cluſius. Forte; in pelle Cluſiana folliculi odoriferi amputati erant.

Mus domeſticus vulgaris ſeu minor, *The Mouſe.* Color in dorſo ex fuſco cineraſcens quem murinum vocant; venter nonnihil albet. Oculi magni extantes. Cæcum ingens. Claviculis donatur.

MUS domeſticus medius. Hic præcedente major eſt, colore etiam differt, nam in dorſo tincturam quandam ruffi flavicantis habet: venter & pars prona tota albicat: acriùs etiam mordet quam ille: nam unius diei ſpatio aſſerem quernum digitum propemodum craſſum rodendo perforavit. *Thomas Williſellus* hujus (ut puto) generis in agris reperit. Color in dorſo niger fulvo mixtus, in ventre albus; Colores linea per utrumque latus ducta terminat. Caput longius quàm in mure domeſtico minore vulgari, oculorum orbitæ ut & oculi majores & prominentiores; Auriculæ latiores & rotundiores. Cauda longa pilis rarioribus, supernè nigris, ſubtus albicantibus veſtita: Pedes longiores, ſex tubercula in planta. Quem deſcribo è nido ſubterraneo exemptus erat.

Mus agreſtis capite grandi, brachyuros. Mure domeſtico minore major eſt, Corpore longiore, capite grandi; roſtro brevi obtuſo; oculis parvis nec prominentibus; auriculis brevibus, latis, ſubrotundis, in Furura ſ. pilis, (qui longiores ſunt quàm in domeſtico, minore) penè occultatis. Cauda ut in hoc genere breviſſima, ut quæ pol-

pollicarem longitudinem non multùm ſuperet, pilis quam in Ratto crebrioribus non tamen denſis veſtita. Crura perbrevia. Color pilorum in dorſo ob curior quam Muris domeſtici min. è nigricante & ſordidè luteo mixtus; in ventre plumbeus, apicibus pilorum albicantibus, fundo nigro.

Ob craſſitiem capitis & colli ſcapularumque, & brevitatem caudæ inſignis eſt. In paſcuis nidificat.

Georg. Agricola horum meminiſſe videtur his verbis, Minoribus agreſtium brevis eſt cauda.

Mus agreſtis major macrouros. Geſn. Non multò minor eſt ratto, quin caudam ut ille longam habet ac craſſam. *Geo. Agricola* Auriculis eſt rotundis, capite magno rotundo, nec eminente roſtro, colore fuſco, ad latera ruffo; barbâ medio inter os & oculos loco rigente. De hac ſpecie mihi non undequaque ſatisfactum.

Mus Avellanarum major, Sorex Plinij, *Geſn. The greater Dormouſe or Sleeper.* Magnitudo & forma Ratti erat; (deſcribente Geſnero) color murinus per tergum & latera, magis ruffus, præſertim in capite; Auriculæ magnæ, glabræ; Venter candidus, & eodem colore crura, & cauda parte inferiore extremitatem verſus. Nares & pedes rubicundi; Cauda tota hirſuta, & qua deſinit albis denſiſque villis condita: Oculi majuſculi, eminentes, nigerrimi, ita ut nihil ferè candidi in ijs appareat; barba partim alba, partim nigra. Color niger infra ſupraque aures & circa oculos, & in poſteriori parte caudæ ſuperioris. Odor in hoc genere & excrementa ità ſe habent ut in domeſticis muribus. Poſteriorum crurum pars averſa à ſuffragine per totam tibiam ad extremos unguiculos glabra eſt.

In terra cavernas fodit, in quas nuces Avellanas optimas congerit. Tota hyeme à fine Autummi ad veris uſque initium dormire Ruſtici aliquot fide digni Geſnero affirmarunt. At egô de eorum fide dubito. Plinius tamen Sorici hyemem dormiendo tranſigi ſcribit. Eodem victu utitur Mus Avellanarum minor.

Mus Avellanarum Minor, Angl. *The Dormouſe or Sleeper.* Muris domeſtici minoris magnitudinem non excedit. Genus illud quod in Italia vidimus dorſo, capite & ſupina parte tota, excepto caudæ apice, ruffa erat; prona, exceptâ caudâ, alba: Cauda autem pilis longis denſis veſtita, ferè ut Sciuri. Oculi nigerrimi, ſplendidi, protuberantes. Qui apud nos in Anglia inveniuntur non æquè ac Italici in dorſo rubent, neque ſub ventre albent, ſed tantum ſub gutture; at neque extremitas caudæ albet: Forte ſpecie differunt Italici & noſtrates. Plurimum dormit per hyemem, non tamen ſemper: nec ei pro cibo ſomnus eſt, ut rectè Georg. Aricola, ſed proviſum pabulum.

Mus Noricus vel *Citillus Geſn.* In terræ cavernis habitat. Ei corpus ut Muſtelæ domeſticæ longum & tenue. Cauda admodum brevis. Color pilis, ut Cuniculorum quorundam pilis cinereus ſed dilutior. [Geſnerus in pellibus colorem fuſcum ex cinereo ferè obſervavit.] Sicut Talpa, caret auribus, ſed non caret foraminibus quibus ſonum ut Avis recipit. Dentes habet muris dentium ſimiles. Ex hujus etiam pellibus, quamvis non ſint pretioſæ, veſtes ſolent confici. *Agricola.* Complures in uno cavo reperiri ajunt, cum magna Avellanarum Caſtanearumque copia: in cibo delicati habentur.

In Bohemia, Auſtria & Hungaria inveniuntur.

Cricetus Geſn. Major paulò quam domeſtica muſtela exiſtit. [Ratto paulò major, cuniculo minor.] Pedes habet admodum breves. Pilis in dorſo color eſt ferè Leporis, in ventre niger, in lateribus rutilus. Sed utrumque latus maculis albis tribus numero diſtinguitur. Suprema capitis pars, ut etiam cervix, eundem quem dorſum habet colorem: tempora rutila ſunt, guttur eſt candidum: Caudæ, quæ palmum longa eſt, ſimiliter leporis color. Pili autem ſic inhærent cuti, ut hæc faciliùs à carne avellatur, quàm pili ex ea radicitus extrahantur. Atque ob hanc cauſam & varietatem pellis ejus ſunt pretioſæ. Animal eſt iracundum & mordax; adeò ut ſi eum eques incautè perſequatur, ſoleat proſilire & os Equi appetere, & ſi preheuderit mordicus tenere. In cavernis habitat non aliter atque Cuniculus, ſed anguſtis, in quos multa frumenti grana congerit. Vorax eſt & pinguefcit admodum. In poſteriores pedes cùm erigitur colore & habitu Urſum refert, unde Gelenio Arctomys Palæſtinorum cenſetur.

Dentes habet in anterioris oris ima ſupremâque parte binos, unde patet murium generi adſcribendum eſſe. Malas laxas & amplas importando exportandòque replet, ambabus mandit. Pedibus anterioribus pro manibus utitur ut Sciurus. De moribus, ingenio, *&c.* Geor. Fabricius apud Geſnerum multa, quæ vide. In Turingia & Miſnia reperitur.

Mus Alpinus Plin. MARMOTA *Italis.* Muri Alpino (deſcribente Geſnero, qui eum domi aluit) magnitudo fere leporis eſt, aut varius inter cuniculum & Leporem: Ferè corpulentior eſt, ſed brevior cruribus. Species ac figura muris, ex qua Mus dicitur: pilis durioribus quàm cuniculus, colore ut plurimum ruffo, qui in alijs clarior, in alijs obſcurior & fuſcus eſt: [Caudæ tamen extremum nigricat.] Magnis oculis, prominentibus mediâ magnitudine. Auriculas mutilas & quaſi decurtatas habet. Priores dentes ſupra infraque binos ut Sciurus, & longos acutoſque habet, Fibrinis ferè ſimiles, ſubflavos. Circa naſum & labra ſuperiora nigræ ei & aſperæ ſetæ rigent, tanquam Feli. Longitudo caudæ duo palmi & ampliùs. Crura brevia craſſa, & villis ſuperiùs referta: quibus & venter imus denſis ac longis munitur. Digiti pedum Urſinis ſimiles: Ungues longi nigri, quibus altè effodit terram. Poſterioribus pedibus non ſecus ac urſus uti ſolet, ac interdum ingredi bipes. Dorſum præpingue habet, cùm cæteræ corporis partes ſint macræ, quanquam hæc verè nec pinguitudo, nec caro dici poteſt: ſed ut mammillarum caro in bubus, inter eas eſt medium quiddam. In quem uſum? An ad frigus defendendum?

Si quando inter ſe colludunt, ut catelli clamorem faciunt. Cæterùm cùm iraſcuntur, vel tempeſtatis mutationem denuntiant, argutiſſimam vocem, fiſtulæ acutæ & aures lædenti ſimilem, edunt. Fructibus & radicibus herbiſque veſcuntur, cupide verò lacte, butyro & caſeo, ut mures. In clunibus reſidens, cibum prioribus pedibus ſumens & ori admovens, mandit, ut Sciurus. Per hyemem in cavernis quas ſibi fodit delitefcit, & multùm dormit; fœno, ſtramine, ſarmentis cubili ſtrato, ut mollius & calidiùs cubet. De artificioſa foraminum conſtructione *Geſnerum* conſule.

Nonniſi in altiſſimis Alpium & circa ipſos vertices naſcitur.

Ex feris noſtri orbis vix ullam reperias quæ adeò manſueta & familiaris homini reddatur: ſic cicuratus canes odit, eoſque graviter ſæpè mordet.

In planitie non admodum velox eſt, ut homo eum currendo aſſequi poſſit.

Cruribus & digitis eſt robuſtiſſimis, & celeriter fodit, ità ut exiſtimetur fodiendo etiam ſubterfugere hominem ejus capiendi gratiâ fodientem. Si domi alantur, multum ſæpe damni inferunt, pannis aliiſque rebus arroſis.

Plura de ejus moribus & capiendi modo vide apud *Geſnerum*.

Hildanus pinguedinis copiam obſervatu dignam putavit: inter pellem & muſculos ℔iß. in ipſo verò abdomine ad ℔j. collegit; cujus uſum eſſe ad animal dum hyeme in cavernis profundiſſimis montium dormit nutriendum exiſtimat; qui enim verno tempore capiuntur macilentos eſſe venatores referunt.

Quæ de hoc Animali habet Jacobus Harderus vide *Ephemer. German.* Ann. 14. Obſerv. 121.

Mus ſeu *Cuniculus Americanus & Guineenſis*, *Porcelli pilis & voce*, *CAVIA COBAYA* Braſilienſibus dictus *Marcgr.* Cuniculus ſive Porcellus Indicus *Geſn.* *The Guiny Pig.* Cuniculo minor eſt, & corpore breviore plenioreque. Auriculæ humiles, tenues, pellucidæ, patulæ, ſubrotundæ, glabræ fere, Glirium auribus non diſſimiles, eæque recens natis haud multo minores quàm adultis. Roſtrum leporinum, ut & barba: Labium ſuperius cuniculi inſtar, verſus nares hiulcum cernitur. Cauda nulla. Dentes ut in muribus. Pilis porcellum refert, vox etiam porcellorum grunnitum imitatur, unde noſtratibus *Fu'ny Pig*, i. e. Porcellus Guineenſis dicitur. Color aliis alius: vidi (inquit *Geſnerus*) totos albos, & totos ruffos, & ex albo & ruffo varios, qui apud nos frequentiſſimi. Anteriores pedes quaternis digitis donantur, poſteriores ternis tantum, eorumque medius longior eſt reliquis, non a. ſenos anteriùs & quinos poſterius habent, uti *Geſnerus* & *Aldrovandus* voluerunt. Pedibus anterioribus os & caput ſcabit ut Cuniculi ſolent, & horum quoque more pedibus poſterioribus inſidet, ideòque crura ad ſuffraginem uſque callo obducta ſunt, quemadmodum & pedes. Haud ſubſultim tamen incedit; ſed alternato pedum greſſu porcorum ritu. [Super calcaneis incedit Hominis & Urſi modo *D. Willughby.*] Non fodit ut Cuniculus; neque ut hic cæcus naſcitur. Pugnatrius ferit roſtro, porcino more. Octo interdum fœtus una vice parit. Omne genus herbis & fructibus veſcitur. Caro edulis eſt & Porcinam ſapit. Cùmque ad menſam paratur non debet (Cuniculi noſtratis inſtar) pelle nudari, ſed aquâ fervente (Porcellorum ritu) depilari. Aqua huic Animali nihil opus, modò herbis viridibus veſcatur.

Partium internarum deſcriptionem Anatomicam à Clariſſ. Viro *D. Georgio Entio* factam vide apud *D. Charleton.* Mantiſſa Anatomica. *D. Willughby* hæc habet. Pulmones in 4. utrimque lobos diviſi erant, quorum duo admodum parvi. [*D. Entius* ternos tantùm in utrovis latere Pulmonibus attribuit, quorum infimus valdè exiguus, ſuperior autem bifidus cernebatur.] Hepar in 7. dividebatur, è quibus itidem duo perexigui. Fel ex albo luteſcebat. Porum cholidochum, & meatum cyſticum habebat. Inteſtina longa, convoluta: excrementa ut in Leporibus & cuniculis in pilulas coacta. [*D. Entio* Scybala nucleorum Pineorum inſtar oblonga ſunt, qualia nempe murium ſtercorum ſolent conſpici, qualiaque ipſi hi cuniculi excernunt. Hujus a. rei hanc (inquit) cauſam arbitror, quod colon alicubi acuto angulo curvatum arcteque complicatum dureſcenti jam ſtercori ductum longiorem non concedat. Cæcum ingens, etiam ventriculo majus, extrema tamen parte gracileſcens, in cellulas ligamentorum validorum ope diviſum, quemadmodum colon in homine. Juxta Cœcum Appendix ſeu tuberculum parvum cernebatur 65. erat digitorum. [*D. Entio* * 56.] Ab Ano ad Coli partem illam ubi excrementa in pilulas formari incipiunt digiti erant 26. [*D. Entio* 15½.] E glandulis juxta anum alba & fœtida materia exprimitur.

Penis ingens, qui deorſum caudam verſus reflecti videtur. Juxta meatum per quem ſemen exit foramen eſt, in cujus fundo Spinulæ duæ albæ, æquales, molles. Inter anum & penem magna cavitas eſt, ut in Lepore, è cujus lateribus alba & fœtida materia exprimitur. Moriens ejecit craſſum liquorem Amyli ſimilem. Sub veſicæ urinariæ collo veſiculæ ſeminales extendebantur, cornibus uteri ſimiles, 4. uncias longæ, exiles & extremitatibus ſuis intortæ.

Libet hic Dentium deſcriptionem quamvis loco alieno ſubjicere, quoniam *D. Entius* cum *D. Wlughby* in earum forma deſcribenda adeò exactè concordat, ut eadem etiam comparatione utatur. Inciſores (inquit) bini utrinque longi, tenues, & acuti, ut in hujus generis reliquis; molares a. quaterni utrinque tum in ſuperiore, tum etiam in inferiore maxilla numerantur: iidemque omnes intus pariter foriſque inciſuris ſive crenis inſculpti ſunt, grato ſanè intuentibus ſpectaculo. Inciſuræ iſtæ in maxilla quidem ſuperiore intus acutangulæ foris obtuſangulæ conſpiciuntur; in maxilla autem inferiore contrarium evenit, ideòque quilibet Dens literam W egregiè exprimit.

Mus Sylveſtris Americanus Cuniculi magnitudine, *Porcelli pilis & voce.* *AGUTI* vel *Acuti* Braſilienſibus dictus. *Marcgr.* Pili craſſi ut in Porcellis, & ſplendentes; ex ruffo & brunno mixti cum pauxillo nigro, in ventre magis flaveſcentes. Caput & barba Cuniculi; roſtrum tamen acutius, inferior maxilla ſuperiore brevior ut in Sue: Labium ſuperius fiſſum inſtar Leporis. Crura glabra & ſine pilis fere, anteriora breviora, 4 digitis, poſteriora longiora, ſex prædita; ungues acuti. Cauda breviſſima glabra; oculi nigri. Grunit ut Porcellus. Voraciſſimum eſt Animal, & cibum anterioribus pedibus tenet ut Sciurus, & devorat quàm ocyſſimè. Quod reliquum eſt recondit ſtudioſè & fodiendo occultat. Currit velociſſimè. Cum iraſcitur dorſi extremi pilos ſurrigit & poſterioribus pedibus terram fortiter pulſat.

Mus Braſilienſis magnus, *Porcelli pilis & voce* *PACA* dictus. *Marcgr.* Magnitudine eſt Porcelli; pingui & craſſo corpore, & circiter 10. dig. longo: capite Cuniculi; barba Leporina prolixa; Auriculis nudis & paulùm acutis, naribus amplis. Maxilla inferior ſuperiore brevior; ut & Crura priora poſterioribus. In pedibus digiti quatuor. Pili breves, & ad tactum duri, umbræ coloris; in lateribus ſecundum

dùm longitudinem maculas habet cinereas, in ventre albicat. Cibum oblatum pedibus non tenet ut Sciurus, ſed in terra poſitum devorat inſtar Suis, atque ad eundem penè modum. Carnem habet eximiam & pinguem; mordet vehementer.

Hoc genus Animalia pilis & voce porcellum referunt; Dentibus & figurâ capitis, & etiam magnitudine Cuniculum; Auribus murem: ſuntque ſingularia & ſui generis.

Mus Norvvegicus vulgo *Leming* Wormij *Muſ. p.* 322. Hujus animalis mentionem primus fecit *Olaus magnus* l. 18. cap. 20. Hiſtoriæ Gentium Septentrionalium. Quæ de eo habent *Conradus Geſnerus*, *Julius Scaliger*, *Jacobus Zieglerus* & *Johnſtonus* omnia ex eodem fonte, nimirum *Olai* prædicti Hiſtoria, hauſerunt. Accuratiori inquiſitione habita, prolixam ejus hiſtoriam texuit *Olaus Wormius*. Animal autem ſic deſcribit, Figurâ Murem aut Soricem repræſentat, niſi quod caudâ ſit minore. Longitudine eſt unciarum circiter 5. Pilo ſubtili, varijs coloribus tincto: capitis extremitas ſupina nigricat, vertex flaveſcit, hinc collum & Scapulæ nigræ: Corpus reliquum rufeſcit, intermiſtis maculis quibuſdam nigris parvis, variarum figurarum, ad caudam uſque, quæ brevis, vix ſemuncialis, piloſa, tenuis, ex flavo nigricans. Macularum a. in omnibus non idem ordo, figura, aut magnitudo obſervatur. Caput acuminatum. Os cingunt pili multi rigidi, myſtacis inſtar, ex quibus 12. longiores reliquis & rigidiores, utrinque 6. latè diſperſi. Os parvum eſt, cujus ſuperius labrum ſciſſum, ut in Sciuris, ex quo eminent dentes duo, magni, inciſorij, acuti, incurvi, quorum radices ad oculorum orbitam pertingunt, & molarium inſertionem; parte extrema, quià eminent excavati. Quibus in inferiori maxilla, quæ tribus proceſſibus jungitur ſuperiori, totidem reſpondent, eodem modo diſpoſiti. Ab his diſtant maxillares, utrinque numero tres, quorum anterior latiſſimus, 4. inciſuris conſtans, ſecundus tribus, tertius minimus, ſuis alveolis diſtincti, & ad interiora palati interſtitio ſat magno ſiti. Lingua pro ratione oris magna ſatis & ampla, ad extremitatem dentium inciſoriorium pertingens. Ramenta quædam palearum in faucibus inveni fæculento humore obducta; ut vel hinc colligere liceat inter ruminantia locum habere hoc animal. Oculi parvi nigri: Aures obtuſæ in dorſum reclinantibus auriculis. Crura anteriora breviſſima; pedes piloſi, 5. acutis & incurvis unguibus armati, quorum medius longiſſimus, reliqui utrinque ab hac longitudine deſcreſcentes, anteriora ſpectantes; quintus, pollicis aut calcaris Galli inſtar, altiùs aliquanto crura verſùs ſitus eſt. Poſteriora longiora videntur, ſed figurâ ab anterioribus nonnihil diſcrepantia. Mirum quod etſi cruribus ſit breviſſimis, curſu tamen feratur celerrimo & concitatiſſimo. Pelle eſt tenuiſſima & facilè corruptibili, niſi quà labia tegit, ubi craſſior apparet, ut pili myſtacis in eo melius firmentur. Venter totus albicat ad flavedinem tendens. Oſſa tenuia & fragilia admodum, ut ad minimum ictum facilè frangantur. Interiora viſcera rimari non licuit, quia exenterati & exſiccati fuere hi mures omnes quotquot ad me pervenerunt. Quod ſata depopulantur, magnamque paſcuis & ſegetibus cladem inferant, quodque conſumptis frugibus quando moriuntur, morbos poſt ſe relinquant peſtilentes, non negaverim: Quòd vero è putredine ortum habeant, inque nubibus generentur, indeque decidant in terram, mihi minimè probatur; ut qui ſpontaneam omnem generationem non quadrupedum tantùm ſed & Inſectorum rejicio. Quòd detur in ijs ſexuum diſtinctio agnoſcit *Wormius*: quin & audiviſſe ſe ait virum quendam religioſum aliquot hujus generis dolio amplo incluſiſſe; fœnum, contrita frumenta & fraces pabuli loco exhibuiſſe, atque ita per biennium incolumes conſervâſſe, ut in hoc dolio etiam fœtus ſuos excluſerint: unde patet aliorum Animalium modo per coitum & generationem propagari hoſce mures. Quòd graminis recentis guſtu enecentur falſum & fabuloſum eſſe conjicio. Quæ de eorum generatione & lapſu è nubibus multis diſputat *Wormius*, apud ipſum requirendi omitto. At illud præterire nequeo in noviter delapſorum ventriculis diſſectis herbarum recentium particulas à nonnullis fuiſſe inventas. Quomodo ergo in nubibus generari potuere? ni forte non mures tantùm ſed & herbæ ididem naſcantur; ut mirum ſit, plantas etiam interdum è cœlo non depluere; quod tamen nullum (quod ſciam) Autorem habet. Dices, tritico aliquoties pluiſſe multi Hiſtorici teſtantur. Ergo, ut videtur, non herbæ tantùm in nubibus oriuntur, ſed & in ſegetes ſuccreſcunt, & ſemen tandum perficiunt.

GLIS Geſneri & aliorum, *Rell* vel *Rellmus* Helvetijs. Deſcriptio hujus accurata nullibi, quod ſciam, extat. Audio (inquit Geſnerus) Glirem majorem eſſe Sciuro, colore nigricante; vel (ut alij referunt) dorſo fuſco, ventre albo, cauda brevi, in extremo villoſa, facie quodammodo Urſina, mordacem adeò eſſe, ut rarò vivus capiatur. Eſculentus eſt nec unquam placet niſi inter patinas.

Quæ de hoc animali traduntur adeò varia & incerta ſunt, ut dubitem an detur ejuſmodi in rerum natura.

MUS INDICUS arboreus Striatus, in Palmis cocciferis degens. *Muſei Leydenſis.* Hunc in *D. Charletoni* muſeo vidi. *D. T. Robinſon. Rajus in Synopſi Quadrupedum.*

Hactenus de Lepore in genere, jam de Medicamentis ex Lepore in ſpecie ſic dicto.

OFFICIN. NAT. ex *Lepore.*

1. *Cinis Leporinus.* 2. *Caput.* 3. *Oculus.* 4. *Sanguis.* 5. *Pulmo.* 6. *Cerebrum.* 7. *Cor.* 8. *Jecur.* 9. *Fel.* 10. *Renes.* 11. *Teſticuli.* 12. *Uterus.* 13. *Coagulum.* 14. *Talus.* 15. *Axungia.* 16. *Stercus.* 17. *Pili.*

1. *Cinis* fit ex Lepore integro combuſto (præſtat qui Verno tempore captus,) vel ex pelle tota, ad nigredinem cinerumve colorem incinerata. Præſtantiſſimum Medicamentum eſt in calculo.

Doſis ad ℈j. & ʒß vel ʒj.

Alopecijs item & Pernionibus extrinſecus medetur.

N. *Laurenberg. leporem non calcinat, ſed animal decollat, ollaque inditum exiccat in clibano, pulv. exhibet.*

2. *Caput* Alopeciæ ſubvenit, (*cinis cum melle inunctus,*) dentes dealbat, (*cinis in dentificiis.*)

3. *Oculi Leporini* Martio capti, valent ad partum difficilem, ſecundinas & molam propellendam, (*ſiccati ſcilicet cum pipere ſine ulla compreſſione, impoſitique vertici ut pupilla verticem tangat.*

4. *Sanguis illitus* cutis vitia in facie, uti lentigines vitiliginemque ſanat: *aſſatus*, Dyſenterias & Cæliacorum profluvia ſiſtit, calculum comminuit.

5. *Pulmo* ſuſpirioſos juvat, Epilepſiam curare dicitur, (*muriâ conditus & quotidie cum Myrrha comeſtus per menſem*;) perniones ſanat (*impoſitus.*)

6. *Cerebrum* gingivis infantum affrictum dentitionem facilitat, tremores artuum emendat (*inaſſatum & manſum.*)

(Dentes loporini infantibus ad faciliorum dentitionem appenduntur, ut gingivas illis fricent, ſicuti Lupini.]

7. *Cor* dicitur itidem Epilepſiam curare (*ſimili modo quo pulmo adhibitus,*) dolores uterinos arcere, (*pulvis aſſumptus.*) Quartanæ peculiariter mederi, (*in partes tres diſſectum & præmiſſis univerſalibus initio 3. Paroxyſmorum, tertiâ parte ſingulis vicibus propinatum.*)

8. *Jecur* fluxum ſedat alvi, jecineroſiſque opem fert.

9. *Fel* Ophthalmicum & Otalgicum inſigne exhibet.

10. *Renes & Teſticuli* calculoſis propinantur, (*ſiccati:*) conceptum juvant (*à menſibus aſſumpti:*) mixtionem involuntariam corrigunt.

11. *Teſticuli* Urinæ incontinentiam tollunt, Veſicæ morbis ſubveniunt, ad conceptionem faciunt, (*pulveriſati & aſſumpti.*)

12. *Uterus* itidem conceptionem promovet (*ſiccatus & à menſibus propinatus.*)

13. *Coagulum* ſanguinem concretum diſcutit, conceptionem promovet (*poſt menſtruas purgationes vulvæ cum butyro impoſitum,*) potum verò partum enecat, Epilepſiam curat, &c.

N. *Præſtantiſſimum eſt quod eximitur antequam aliud quid, præter Lac maternum deguſtaverint.*

14. *Oſſiculum Tali, der haſenſprung. The little Bone of the Ankle. Een ſleyne Fuſtel-been.* commendatur ad arenulas, Colicam, Epilepſiam partuſque enixionem (*pulveriſatum & exhibitum.*)

N. *Idem de Vertebris caudæ affirmant.*

15. *Axungia* extrinſecus applicata, maximè ſi vetuſta ſit tanta pollet attrahendi vi, ut vel ſpicula cuti infixa eliciat; inſuper abſceſſus rumpit, dolori dentium medetur, (*pone aures poſita.*)

16. *Stercus* calculoſis prodeſſe dicitur, (*cinis exhibitus*) Dyſenteriæ convenit, (*potum*) ambuſtis medetur (*impoſitum.*)

[N. *Urina ad auditum gravem celebratur.*]

17. *Pili* Linimentis ſanguinem ſiſtentibus miſcentur.

[N. *Pellis ejuſdem cum axungia efficaciæ putatur; partibus dolentibus in arthritide & catarrhis imponitur.*] *SCHRODERUS.*

Leporis uſtio potius ejus deſtructio, quam genuina præparatio eſt, dum nil niſi Cap. mort. remanet omni virtute orbatum. Nec minus cineris appellatio ipſi non competit, quia nullum alkali inde extrahitur. Pulvis in clibano exſiccatus jure meritoque illi præfertur. Eſt Archei ſedativum & ſanguinis coagulati ſolvens.

Oculi leporini.) ſiccati ſcilicet cum pipere ſine ulla compreſſione & vertici impoſiti, ut pupilla verticem tangat in partu difficili inſtar incantamenti cæteris ritè diſpoſitis juvant.

Sanguis &c.) Cruor Leporis in martio capti & per terrorem occiſi dyſenteriæ medetur.

Cerebrum) gingivis infantum affrictum dentitionem facilitat etiam Archei furorem ſedando.

Cor) quartanæ ſpecificè opitulatur, in partes tres diſſectum & præmiſſis præmittendis initio trium paroxyſmorum, tertiâ parte ſingulis vicibus propinatum.

Teſticuli) urinæ incontinentiam tollunt, id quod & de utero prædicatur cum braſſicâ capitatâ muriâ conditâ comeſto, qui etiam ad venerem ſtimulandam commendatur.

Oſſiculum Tali) contrà colicam & calculum commendatur, item ſuffocationem uteri &c. id quod & de vertebris caudæ affirmatur.

Pili) hæmorrhagiam narium ſiſtunt externè naribus inſerti. HOFMANNUS.

LEUCACANTHA, vid. *Carduus Mariæ.*

LEUCANTHEMUM, vid. *Bellis Major* Item aliquibus CHAMOMILLA, ſive *Chamemœlum.*

LEUCOIUM.

Leucoium, Gallicè *Giroffier*, ſive *Violier*, planta eſt non unius ſortis; aliud ſiquidem datur quod folio incano; aliud quod viridi; aliud quod flore luteo & Keiri dicitur. Rurſusque illa in varias ſubdividuntur ſpecies de quibus abunde agitur apud Botanographos. Nos hic de Leucoio luteo Keiri nomina ô.

Hoc genus non tantùm foliorum colore viridi, ſed eorundem forma, præcipue tamen floris colore à præcedentibus differt, qui in hoc luteus eſt, in illis natu â purpureus aut albus, nunquam ne ex accidenti quidem (quantum nos hactenus obſervavimus) luteus.

Nomina, Leucoium luteum vulgò cheiri, flore ſimplici *I. B.* luteum vulgare *C. B.* Keiri ſive leucoium vulgare luteum, *park.* viola lutea *ger.*

Radicibus, ſurculiſque ſeu ramulis ubertim fructicantibus luxuriat, lignoſis, albicantibus quos obſident folia nullis appenſa pediculis, crebra, unciali & ampliore longitudine, ex anguſto principio ſenſim dilatata, virentia aut caneſcentia, idque maxime pronâ parte, ſapore ſubacri, flores crebri, lutei valdè odorati, ſapore parum grato, ſtaminibus ſenis ſtyloque chloris, in medio penitus fere latentibus, ſuccedunt ſiliquæ longæ, in quibus ſemen latum, ruffum, guſtu acri & amaro.

In muris paſſim & copioſè provenit.

Leucojum luteum flore pleno *I. B.* & *aliorum.*

Non differt ſpecie ab eo cui flos ſimplex, ſed cultura tantum, cultu & mangonio talem evadere ajunt, præſertim ſi tenellæ plantæ antequam floruerint ſæpius transferantur. Lugd.

Vires. Flores leucoij lutei partium ſunt tenuium, diſcutiunt, extergent, cordiales ac nervini ſunt, dolores mitigant, menſes cient, ſecundinas proritant, fœtum pellunt: unde medicamentis, quæ Græcis φθόρια dicuntur accenſentur à Galeno 7. Simp.

In uſu ſunt Conſerva ex floribus, aqua deſtillata, & oleum ex floribus infuſis, quod præſervat ab apoplexia, & paralyticos juvat, eſtque inſigne anodynum in vulneribus & inflammationibus partium nervoſarum, ut & in malis uterinis interius.

Quæ de leucoij viribus habent veteres apud ipſos vide, vel ſi placet, apud I. Bauhinum hiſt. plant. lib. 21. cap. 13.

Epiſcopus Tridentinus ad præſervationem ab apoplexia & paralyſi feliciter utebatur conſerv. florum Keiri in aqua ſua propria adſumptâ. D. Soame ex obſervat. Hier. Reuſneri à Velſchio editis obſ. ij. *Joh. Rajus in Hiſtor. Plantar.*

LEVI-

LEVISTICUM.

Leviſticum vox à Liguſtico corrupta videtur, vel potius à Libyſtico Galeni, quod eſt liguſticum Dioſcoridis. Liguſticum autem à Liguria, ubi plurimum naſcitur, dictum eſt. Ejus notæ ſunt folia Apij majora, odor validus, magnitudo & ſtatura inſignis.

Nomina. Leviſticum vulgare *ger. Park.* Liguſticum vulgare folijs apij *I. B.* lig. vulgare, an libanotis fertilis Theophraſti *C. B.*

I. B. Caulem habet hominis altitudinem excedentem, craſſum, geniculatum, cavum, ſtriatum; folia pedalia & ampliora, in alas diviſa, quarum extremæ diviſiones ad folia apij paluſtris aliquatenus accedunt, ſed longè majores, obſcuro virore ſplendentes, odore valido (non tamen ingrato) rami u: & ſummus caulis umbellas gerunt amplas florum luteorum: ſemen majuſculum compreſſum, radix craſſa eſt & lignoſa D. Nid. amicus noſter ſingularis & botanicus egregius ſolebat dicere, leviſticum pharmacopolij odorem ſpirare.

Leviſticum vulg. in hortis colitur: natalis ejus locus nobis hactenus incompertus: Pona tamen in Monte Baldo reperiri ait, alij in Alpibus Liguriæ aut Apennino, æſtate floret, Auguſto magna ex parte ſemen ad maturitatem perducit. I. B. gaudet ſolo umbroſo leviſticum vulgare germanicum Park. quare an differat à vulgari leviſtico.

Vires. Alexipharmacum eſt ac diureticum, vulnenerariumque; ventriculum roborat, aſthmati ſubvenit; menſes & lochia ciet; fœtum mortuum eijcit, [ſemen] tartarum lentum reſolvit, doloreſque inde natos ſedat, hepatis, lienis obſtructiones reſerat, adeòque præcipue ictero convenit: extrinſecus ejus uſus eſt in balneis, cataplaſmatis (utero & ureteribus dicatis) in emplaſtris vulnerarijs & ſim. Schrod.

Vulgus per caulem cavum petum haurire ſuevit, quo tuſſim ſedatum iri ſibi perſuadet.

In facultatibus porro tam vicinum eſt angelicæ & imperatoriæ ſupra dictis, ut non putet neceſſariam eſſe commemorationem C. Hofmannus: adiuvat digeſtionem, ventoſitatem diſſolvit & inflationem.

Veteres Ligures, ut & hodie Hetruſci, ſemine pro pipere utebantur promovendis menſibus & ſudoribus ſufficit ʒß. ſeminis.

Cum odor hujus plantæ adeo validus & pertinax ſit præ Angelica & Imperatoria, veriſimile eſt eam viribus etiam eiſdem antecellere.

Nomen procul dubio factum eſt à Libyſtico Galeni, quod eſt liguſticum Dioſcoridis ita dictum quod in Apennino, qua parte Liguriam attingit frequens eſt.

Foreſtus pro ſecreto habuit ſuccum foliorum leviſtici in ſecundinis retentis, erat magnum Arcanum famoſæ cujuſdam obſtetricis, quæ id obtinuerat à Judæo medico. Communicavit D. Tancredus Robinſon *Joh. Rajus in Hiſtor. Plantar.*

LIBANOTIS CACHRYOPHORA,

Libanotis quod radix ὄζει λιβάνκ, thus redoleat, dicta eſt: ejus ſemen cachrys dicitur, cachrys autem plurima ſignificat, de quibus conſule grammaticos.

Notæ hujus generis characteriſticæ ſunt folia tenuiter diſſecta, ſemina tumida, nucis myriſticæ parvæ figuræ, fungoſæ ſubſtantæ nucleum ambiente.

Vires. Cæterum cachrys, autore Dioſcoride, vim habet calefacientem & valde reſiccantem: unde in ſmegmate commode miſcetur, & ad fluxione laborantes oculos capiti inſpergitur, & poſt triduum deſiccatur.

Secundum Æginetam vim habet repurgandi, diſcutiendi & calefaciendi, ideoque comitialibus ſubvenit, & ſuffuſis felle cum pipere & vino potum; illinitur idem ruptis, convulſis & podagris utiliter. Uſus ille etiam eſt ex oleo contra febrium perfrictiones & cum tremore algores *Rajus*.

Plures dantur Libanotidum ſpecies, latifolia ſcilicet ac major, & alia minor; libanotis item quæ laſerpitium folijs latioribus lobatis; Libanotis Theophraſti quorundam, ſive Seſeli Æthiopicum Matthiolo; Libanotis quæ Cervaria alba J. Bauh. vocatur &c. quarum maxima pars in montibus nobis vicinis naſcitur. Verum nihil opus eſt illis deſcribendis immoremur.

LIBISTICUM, vid. *Leviſticum*.

LIBRA, *vid.* ſub titulo *Pondera*.

LIBYCUS LIQUOR, vid. *Benzoinum*.

LICHEN, vid. *Hepatica*.

LICHENES EQUORUM, *vid.* ſub titulo *Equus*.

LIGNUM.

Ligna ſunt varij generis quæ ad Medicos transferuntur uſus, de quibus videri poteſt ſub nominibus earum arborum è quibus educuntur, hic tantùm de quibuſdam eorum in ſpecie.

LIGNUM ALOES, vid. *Agallochum*.

LIGNUM AQUILÆ.

Gallicè *Bois d'Aigle*, nullius eſt in Medecina uſus.

LIGNUM BRASILIANUM.

Gallicè *Bois de Breſil*, vel *de Fernamboug*, apud Tinctores eſt in uſu, Medicis non item, quamvis ejus vires, ſantali rubri viribus quam maximè conſimiles ſint.

LIGNUM CITRI.

Aliàs *Lignum Jaſmini*, Gallice *Bois de citron*; vel *Bois de Chandelle*. Vermiculati operis artificibus non parum eſt in uſu, Medicis non item.

LIGNUM CORALLINUM.

A colore ſic dictum apud artifices de quibus mox diximus eſt etiam in uſu.

LIGNUM FERRI.

A duritie ſic dictum, corticem habet ad eadem quibus Lignum Guajacum ejuſdemque cortex inſervit uſdem.

LIGNUM COLUBRINUM.

Lignum Colubrinum dictæ ſunt hoc genus ſtirpes quod ſingulæ mirum in modum utiles ſunt adverſus colubrorum virulentos ictus & morſus. C. Bauhinus clematitides vocat, quia pleræque ſarmentitiæ ſunt & per arbores repant.

Hoc autem lignum quomodo deprehenſum ſit ſerpentium morſibus prodeſſe vide apud Garciam: nobis enim fabulam reſipere videtur ea narratio.

Nomina. Lignum Colubrinum I. Garciæ. *I. B. Park.* Clematitis Indica folijs perſicæ, fructu periclymeni *C. B.*

Duum aut trium palmorum altitudine aſſurgit, paucis virgulis, quatuor aut quinque duntaxat, tenuibus: radixque maxime in uſum venit, veluti tenuiorum noſtrorum vitium radices, multis capitibus aut nodis ſe propagans, ita ut ſemper radix aliqua extra ſolum ſe exerat, & radice una exempta aliæ in

ejus locum ſuccedant: radix hæc candido cinerea eſt, ſolida, admodum amara guſtu; folia perſicæ mali; magis tamen virentia, flos longe à folijs racematim cohæret pulcherrimo colore rubens: fructus ſambuci, ſed rubens, & durus, racematim cohærens, velut in periclymeno: In Inſula Zeilan & multis alijs regionibus & in Goæ continenti naſci tradunt.

Vires. Teritur primùm hæc radix, & ex vino aut aqua cordiali propinatur à ſerpente percuſſis: teritur etiam ad cotem ſantali modo, & vulneribus inſpergitur.

LIGNUM COLUBRINUM aliud, cujus

Nomina. Colubrinum lignum II. Garciæ, Cluſio ſcandens *I. B.* Clematitis indica ſpinoſa folijs luteis *C. B.*

Arbor eſt (cum ſola provenit nullis vicina arboribus) malo punicæ ſimilis, ſpinis brevibus & firmis horrida; Cortice candido, denſo, rimoſo & amaro, non tamen veluti prioris cortex: folijs eſt luteis, aſpectu pulcherrimis: hanc autem (ſi juxta aliam quampiam arborem provenit) per ſummos ejus ramos ſerpere, atque cucurbitæ modo amplecti ferunt. Materies Clus. firma, candida, venis quibuſdã diſtincta, non diſſimilis fraxini ligno; cortex cãdicans & quaſi cinereus: utraque verò deguſtata amaro ſapore eſſe deprehendebatur. In Inſula Goæ naſci ferunt, ſed nunquam Garciæ videre contigit. Commendatur adverſus venena velut primum; & eodem modo uſurpatur. Solent ipſum lignum cum cortice & radice permixtum exhibere: præfertur tamen radix.

LIGNUM COLUBRINUM rurſus aliud, cujus

Nomina. Lignum colubrinum III. Garciæ *Park.* Col. Lign. 3. Garc. folijs lentiſci *I. B.* Clementis indica folijs lentiſcinis candidis maculis aſperſis *C. B.*

Ramos habet paucos, tenues, quatuor aut quinque digitorum longitudine, qui niſi alligati ſuſtentare ſe nequeunt, ſed per ſolum ſeſe diffundunt, folia rara, lentiſcinorum effigie, oblonga non viridia, ſed maculoſa, ſive nigricantibus ex candido maculis reſperſa, radix tenuis eſt, dura, nigra & odorata.

Cum Prorex in Jafanapatan Inſula Zeilan conterminа eſſet, dono data eſt illi hæc radix, quam mirificè adverſus venena prædicabant, ſimilem in continenti Goæ naſci ferunt.

LIGNUM COLUBRINUM aliud, cujus

Nomina. Colubrinum Lignum hederaceum folijs brioniæ, Acoſtæ I. *I. B.* Lign. Col. I. Acoſtæ *Park.* Clematitis Malabarenſis folijs vitis, colore dracunculi *B. C.*

Naſcitur in Malabar hederæ modo, colore dracunculi majoris ſive ſerpentariæ. Folia illi ſunt bryoniæ fere ſimilia, integra tamen initio, nervoque prædita per longum excurrente, & quinque aut ſex venis in latera vergentibus. Succeſſu temporis accedunt exigua foramina, quæ paulatim cum folijs incrementum ſumunt, donec tandem omnino folia ſcindant eaque vitis folijs ſimilia reddant; Conſpiciuntur etiam integra, alia exiguis, nonnulla majoribus foraminibus prædita, omniaque adeò inter ſe diſſimilia, ut ejuſdem plantæ folia minimè eſſe videantur, tantam vero habet hoc Lignum cum Colubro ſimilitudinem, ut (Acoſta tradente) qui conſpicit, vivum colubrum eſſe exiſtimet.

Solo hujus ligni odore ſerpentes fugari ajunt, idcirco incolæ maxima ex parte illud circumferre ſolent.

LIGNUM COLUBRINUM aliud, cujus

Nomina. Colubrinum lignum Dudaſali Canarinis, Acoſtæ II. *I. B.* Lig. Colubr. 2. Acoſtæ, *Park.* Clematitis Malabarenſis altera, radice ſerpente *C. Bauhini.*

Planta admodum brevis eſt & tenuis, triaque ſolummodo folia habet mollia, lævia, ſaturatius virentia. Flos aut fructus non conſpectus, nec quiſquam ſe vidiſſe aſſerit, radix oblonga & tenuis eſt, minimo digito minor, hinc inde nonnunquam extuberans & ſumma tellure ſerpens: cæterum ejus cortex valde tenuis eſt, & cinereus, nullo dum guſtatur manifeſto ſapore præditus, deinde tamen guſtum in ore relinquens ſuavem, & uti moſchus odoratum. Fiſſus eſt undique hic cortex, & ſponte ſeſe expedit ab alio craſſiore flavoq; cortice ſubtus naſcente qui odorem trifolij odorati vulgaris refert, & ſaporem glycyrrhiza dulciorem: præmanſus odore admodum ſuavi, nec injucunda mordicatione, momentanea tamen præditus eſſe deprehenditur: ipſa materia lignoſa eſt, candida, dura & inſipida, folia napi ſaporem referunt, germen producit radix hæc ſupra terram, circiter quatuor uncias longum in caput extuberans.

Invenitur in Malabar locis humidis, & inter arbores, præſertim verò circa illas quæ Angelins nuncupantur, nec procul à mari, ad eadem valet ad quæ præcedentia

LIGNUM COLUBRINUM aliud, cujus

Nomina. Colubrini ligni tertium genus in Malabar vaſtæ arboris magnitudine Acoſtæ, *C. B.* Colubrinum Lignum Cluſij, *pao de cobra* dictum, forte. III. Acoſtæ *I. B.*

De hac arbore in alio libro (qui tamen nunquam quod ſcimus editus eſt) e acturum ſcribit Acoſta, pingitur à Cluſio notis ad Acoſtam fragmentum ligni cum tubere ſive ſuperiore radicis parte in nodum coacta, quod colubrino 3. Acoſtæ idem eſſe ſuſpicatur, ſimilis fere ligni fragmentum à Jac. Gareto acceptum à Cluſio, per medium ſecundum longitudinem ſectum, coloris erat pallidi; ipſum quidem lignũ amarum, ſed cortex paulo amarior, cujus ſuperficies quodammodo flaveſcit, ipſe verò ex candido cineracei coloris eſt.

Harum omnium ſtirpium lignum ſive potius radix, non modo adverſus animalium virus ejaculantium morſus ictuſue efficax eſt, Sed etiam ejus pulvis lumbricos necare, papulas, exanthemata & impetigines tollere creditur, & cholericam quam vocant paſſionem (incolæ mordexi dicunt) ſanare. Similiter utile eſſe medicamentum ferunt adverſus febrium circuitus unciæ pondere propinatum, prius tamen tritum & aqua maceratum, per vomitus expurgata multa bile: addit Acoſta, ſyncopen, ventriculi debilitatem & cordis tremorem, hinc conjectatur D. Grevius, vel cognata eſſe hæc ligna arbori ex cujus cortice pulvis patrum fit, vel ejus in febribus intermittentibus vim experiundi & inveniendi occaſionem Indis dare potuiſſe.

Attendamus experimenta *Antonij de Heide* in centuria obſerv. 7. quæ ad me tranſmiſit *D. Hulſe.*

Ad febrem quotidianum ſedandum ligni colubrini pulverem aſſumit tornator quidam circa veſperam, ſubſequente nocte ſeſe ſatis bene habuit, ſed manè ſurgere vel corpus movere ſatagens ſentiebat tremorem in membris: acceſſitus exibui mixturam hypnoticam, & intra paucas horas tremore liberatur æger: ejuſdem ligni ʒß. aſſumpta & muliere cachectica præ-

ter

ter tremorem excitavit & ſtuporem, ita ut ægra nullius rei curam haberet, neſciens (ut mihi retulit) ſe eſſe in mundo, vel vivere, curatur mixturâ hypnoticâ.

Retulit mihi illuſtris Domina famulum ſuum ab aſſumpto hoc Ligno inſtar fatui extitiſſe. Hæc penſiculans & conferens cum Symptomatis à nuce vomica in cane excitatis obſ. 50. exaratis (quæ nos in Hiſtoria nucis vomicæ retulimus) Libenter ſuſcribo aſſerenti nucem vomicam eſſe fructum Ligni Colubrini: hæc mera eſt Conjectura. *Rajus.*

Lignum Heracleum, vid. *Corylus.*

Lignum Indicum, vid. *Guaiacum.*

LIGNUM MOLUCECNSE.

Nomina. Lignum Molucenſe, Pavana dictum, fructu Avellanæ *I. B.* Molucenſe, folijs Malvæ, fructu Avellanæ minore, cortice molliore & nigricante, Pavana incolis. *Lugd. C. B.*

Acoſtæ.

Arbor eſt domeſtica, Mali Cotonei magnitudine, cujus folia Malvæ vulgaris folijs ſunt ſimilia, fructus vero Avellanis, ſed minor, molliore cortice & nigricante.

Invenitur in Moluccis, ſeritur coliturque in hortis diligenter nec alibi facile invenias: tanti enim ab incolis æſtimatur, ut peregrinos nè ad ejus quidem conſpectum admittant.

Vires. Semen ad aucupia utile eſt. Ejus pauxillum cum Oryza cocta mixtum avibus ſylveſtribus exponunt, quæ eo deguſtato illico decidunt ſopitæ & ſtupidæ; quæ verò avidiùs id edunt moriuntur, antequam illis auxilium præberi poſſit, quod eſt ut frigidâ caput perfundatur.

Lignum in pulverem pelle caniculæ marinæ aut limâ ferreâ redactum, intus ſumptum aut foris impoſitum, omnibus reſiſtit venenis. Ad viperarum, regulorum, aliorùmque ſerpentum morſus intrò aſſumitur magno commodo ex aqua roſarum vel vulgari, aviumque juſculo pulveris apta quantitas pro neceſſitate & natura ægri, modo X. Gr. non excedat: ipſiſque morſibus inſpergitur. Eadem ratione uſurpatur ad vulnera à ſagittis toxico illitis facta.

Robuſtiſſimo cuique pulveris dimidius ſcrupulus ſummo manè datus (cœna autem diei præcedentis parca eſſe debet) evacuat omnes humores, præſertim craſſos, lentos, & melancholicos: convenit quartanis diuturnis, febribus continuis, Iliacis colicíſque doloribus, flatibus, hydropiſi, arenulis, renum calculis, urinæ difficultat bus, ſæviſſimæ cholericæ paſſioni, articulorum & tibiarum inveteratis doloribus, ſcirrhis & ſcrophulis. Omnis generis lumbricos necat, & appetentiam dejectam revocat. Obſervavit etiam illius præſtantiam Acoſta, in inveteratis capitis doloribus, hemicrania, apoplexia, aurium tinnitu, arthritide, ventriculi & uteri affectibus & aſtmathe. Si nimia fiat evacuatio bibat æger dimidium cyathum canjæ, h. e. decocti Orizæ, aut aviculam comedat & cito ceſſabit. Accedit, quod neq; fœtorem, neq; tædium, neq; metum dum ſumitur, pariat, poſſitq; ſine Diætæ obſervatione, etiam ijs qui ſua negotia foris peragunt propinari. Exhibendus eſt ſummo mane, nec cibus aut potus concedendus donec purgati ſint quantum neceſſarium videtur, tum demum cyathus juſculi gallinarum tepidè detur, reliquam diætæ obſervationem vide apud Authorem. Biliosis calidiſq; ventriculis nonnihil moleſtię parere donec cibum ſumunt & nonnullis vomitum excitare viſus eſt. His pulverem nonnunquam dedit. Acoſta ſirupo acetoſo aut carambolâ conditâ exceptum, aut in catapotia cum ſacharo roſaceo efformatum. Solet interdum in nonnullis ani pruritum & excoriationem excitare, atque in aliquibus, (ſed paucis admodum) hæmorrhoidas. *Rajus.*

LIGNUM NEPHRITICUM.

Nomina. Lignum nephriticum, *Park.* nephriticum cœruleo, & flavo tingens *I. B.* peregrinum aquam cœruleam reddens *C. B.* Coatli ſeu Aqueus ſerpens *Hernand.*

Hernandez.

Alijs Tlapalezpatli, ſeu Medicina ſanguinis coccinea. Frutex eſt magnus, ſtipitem ferens enodem, craſſum, Materia Pyri eſt, folijs ciceris, minoribus tamen, rutaceiſve ſed majoribus; flore luteo, elangueſcente, parvo & longiuſculo, compoſito in ſpicas.

Provenit regionibus moderatè calidis, qualis eſt Mexicana: & interdum etiam fervidioribus, qualis eſt Quauhchinacenſis.

Ejus uſus (inquit Monardes) jąm diu receptus eſt [in Hiſpania] ad renum vitia, urinæ difficultates & incommoda: poſtea experimento compertum eſt, ejus aquam in jecoris & lienis obſtructionibus utilem eſſe. Fit autem hoc modo, Lignum aſſulatim & minutim conciſum in optima & limpidiſſima fontana aqua maceratur; atq; in ea relinquitur donec aqua à bibentibus aſſumpta ſit: deinde novam aquam ligno affundunt, atque hoc toties repetunt donec Lignum nullam amplius tincturam reddit. Dimidia circiter hora poſt injectum lignum cœruleum aqua colorem dilutiorem contrahit, qui ſenſim pro temporis diuturnitate intenditur. Adulteratur ligno illi ſimili, quod aquam croceo colore inficit, Addit Hernandez febres extinguere & colicis mederi; atque hæc potentiùs præſtare ſi radices *Metl*, adjiciantur; quanquam ventriculum laxent. Exoleſcit poſt quindecim dies virtus. Mirum verò quod ſaporem aquæ non mutet.

Ex noſtra obſervatione lignum hoc aquam cui infunditur, flavo & ſi diutiùs relinquatur, croceo colore tingit, ſi aqua ſcil. colorata phialâ vitreâ excepta inter lucem & oculum collocata per radios refractos ſpectetur. At verò ſi oculi ſitus ſit inter phialam & lucem, & aqua per radios reflexos ſpectetur, cœrulea apparet tinctura; ut cuivis volenti facile eſt experiri. Quod idem in vitro croceo colore tincto obſervatur: quotquot enim radij à vitro ad oculum reflectuntur cœruleum colorem exhibent, quotquot verò per vitrum ad oculum tranſeunt colorem flavum croceùmve repræſentant, ut totum vitrum in hoc ſitu flavum, in illo cœruleum appareat. *Rajus.*

LIGNUM RHODIUM.

Gallicè *Bois de Rhodes, Bois de Roſe, Bois de Cypre*, eſt Lignum Santalo Citrino non multum abſimile coloris flavi, odore roſam ſpirans. Debet ſeligi recens, craſſum, quinimo tortuoſum, coloris ſubflavi palleſcentis, bene odorum. Apud unguentarios in uſu eſt, ſiquidem ex eo per deſtillationem elicitur oleum fragrantiſſimum. Præterea illud ipſum lignum, ut & eo prolectum oleum cordi ac cerebro roborandis inſerviunt. Vocatur Rhodium, ac Cyprinum, quia arbor unde educitur creſcit præcipuè in Inſulis Rhodo ac Cypro.

LIGNUM VIOLACEUM.

Aliàs *Polixandrinum Lignum*, Gallicè *Bois violet*. Lignum eſt ſatis pretioſum teſſellatis operibus conficiendis apprimè idoneum. Eſt autem duplex, verum ſcilicet aliud, falſum aliud apud Hollandos familiare, quod Gallicè *Bois de la Chine*, utrumque ijſdem opificijs inſervienti, & Medicis hactenus inutile.

Liguſticum, vid. *Leviſticum.*

LIGUSTRUM.

Liguſtrum à ligando dici veriſimile eſt, quia virgulta ejus ob lentorem & gracilitatem facile flectantur & circumvolvantur.

Liguſtrum vulgare non eſſe Cypren Græcorum probatur, quia nec in arboream magnitudinem unquam excreſcit, nec folia ejus capillum rufent: quæ cypri apud Dioſcoriden notæ ſunt; unde neque Alcanna ſeu Henne Arabum eſſe poteſt, cùm Arabes pleraque ſua de Alcanna ex Dioſcor. Capite de cypro tranſcripſerint.

Floribus racemoſis albis, baccis nigris dipyrenis, viminibus lentis ab alijs fruticibus diſtinguitur.

Vires. Foliorum decoctum, eorumvè aqua deſtillata commendatur ad Ulcera & flammationes oris, gargariſatus, ad carbunculos pudendorum ulcera, & ambuſta collutus; floſculi aceto macerati frontique impoſiti capitis dolorem ſedant.

Acinis Liguſtri maturis quidam rubello vino nigrum inducunt colorem, ſolent etiam illi tam nigrum quam venetum colorem præſtare, quo nomine ab his qui chartulas luſorias aliaſve picturas varijs coloribus illuminant leguntur.

Hyeme baccis veſcuntur aves, præſertim merulæ ac turdi; frutex propter lenta & flexibilia vimina, ſurculoſque denſos, & folia hilarè virentia ad topiarias ſcenas expetitur, quas non ineleganter conveſtit: rectè Laurembergius, inter omnes frutices arbores & herbas nihil eſt quod in tot figuras & elegantias effingi, flecti aut formari tondendo queat ac liguſtrum Horticult. L. I. C. 30.

Vires, à Matthiolo liguſtro traditas ab eo potius efficas rationabiliter aut aliunde mutuatas cenſet I. B. quam experimento cognitas, ex guſtu (inquit) quivis facile vel mediocriter verſatus unicuique plantæ vires probabiliter aſſignare poſſit. At pro veris & compertis prodere non debet. *Rajus.*

LILAC.

Lilac Arbuſcula eſt flores emittens cæruleos aut etiam albos odoris non ingrati, nullius in Medicina uſus, quamvis illius ſemen pulveratum vel etiam aquæ incoctum reputetur medicamentum adſtringens.

LILIUM.

Lilium Latinis à Græco λείριον deductum eſt, ρ literâ in l. mutatâ.

Nomina. Lilium album Ger. album vulgare I. B. Park. album flore erecto & vulgare C. B.

J. B.

Florum deliciæ Lilium ex radice bulboſa, multis nucleis conſtante caulem ſurrigit rectum, Cubitalem & ſeſquicubitalem, vel etiam altiorem, ſingularem, teretem: cui ab imo ad ſummum adnato, folia nullo pediculo, oblonga & latiuſcula, viridia, glabra & ſplendentia, verſus ſummum caulem ſenſim minora & anguſtiora. Flores in ſcapo ſerie quidam plures, non eodem tempore panduntur, odoris ſuavitate eximia, colore lacteo, ſenis pinguibus repandis folijs calathum imitati in quorum medio ſtylum longiuſculum, ex albo viridantem, triſulcum circunſtant ſtamina, folijs numero & Colore paria, quibus apices inſident Crocei.

Datur rurſus alia Lilij ſpecies quæ eſt flore croceo; quamque non opus eſt hic deſcribamus.

Vires. Stillatitiam florum aquam dari utiliter potandam ægrè parturientibus, & ad pellendas ſecundinas addito croco & caſſia ſcribit Matthiolus. Crocum & caſſiam ad augendam penetrantiam addi non conceſſerit Camerarius; qui aquam ſtillatitiam ſolam ad hos uſus efficaciſſimam ait, unde non temere in alijs affectibus dandam. Tragus duo aut tria cochlearia reſtituere animo linquentes ſcribit ex aliorum ſententia. Schroderus uſus crebri eſſe in affectibus pulmonum, aſthmate, tuſſi & ſimilibus ſcribit. Virgunculis familiaris & expedita eſt, ut ea faciei nitorem concilient, tantillum camphoræ & olei tartari per deliquium deſtillati in ea diſſolventibus. Sim. Paullus.

Oleum ex floribus per inſolationem fit; Cavendum autem ne folia relinquantur in oleo vetere ad quindecim dies: Cum enim tota planta turgeat ſucco mucagineo, facile putreſcunt, & oleum jam redolet non lilia, quæ prima bonitatis nota eſt, ſed grave & fœtidum quid. Sufficit igitur triduum, quo exacto imponantur alia, tum denique iterum alia, ſufficit enim tertium repetijſſe.

Hoc oleum maximas habet vires in quibuſcunque doloribus & affectibus frigidis: tenſa remittit, dura emollit, dolores ſedat; uſus ob id eſt in doloribus colicis & nephriticis, in pleuritide, &c. uſus etiam eſt in induratis nervis præcipue, in ſchirro veteri & inde dependente menſium mora C. Hofmannus.

Radicis uſus internus rarus eſt, externus crebrior in tumoribus leniendis & maturandis, in clavis pedum tollendis (axungia vetere exceptæ & illitæ) in pudendis parturientium emoliendis, in ambuſtis emendandis &c. Schrod.

Stamina exhibentur ad facilitandum partum cum aqua verbenæ vel ſimili, Idem.

Gulielmus Goderus, Elizabethæ Reginę chirurgus, referente Gerardo, multos hydrope laborantes ſanavit radicis ſucco cum farina hordeacea mixto, pane ſcilicet ex iſtiuſmodi maſſa confecto ægro per menſem aut ſex hebdomadas continuas exhibito; quo ſolo & non alio pane per totum id tempus veſceretur.

Idem eodem referente, radicis tuſæ ſuccum expreſſum cum vino exhibitum, & per duos treſve dies potum venenum peſtilentiale expellere, & facere ut foras erumpat in puſtulis & veſicis cutem externam occupantibus. *Rajus.*

LILIUM CONVALLIUM.

Lilium Convallium recentioribus dicitur hæc herba, quòd in opacis & lucis vulgò naſcatur. Lilium inter Spinas & Lilium convallium Solomonis. Notæ ejus ſunt caulis nudus, flores parvi campanulati, baccæ rubræ.

Nomina. Lilium Convallium, *Ger.* Convallium vulgo *I. B.* Convallium album, *C. B.* Convallium flore albo, *Park.*

J. B.

Radice tenui & alba, fibrata, ſummo ceſpite reptante donatum, coliculum profert palmarem circiter, anguloſum à cujus medio ad ſummum flores pulchri in unam fere partem vergentes per intervalla, penduli & nutantes, in pediculis tenuibus curvique naſcuntur, parvæ nolæ effigie, oris in ſex lacinias diſſectis, totidem ſtaminibus ex herbido luteis fundo adnatis, ſtylum triquetrum circumſtantibus, odore ſuaviſſimo, ſapore amaricante: quibus ſuccedunt rubra ſeminum conceptacula globoſa, ut in aſparagis; folia bina aut terna, lata, oblonga orchidis folijs ſimilia; potius nervoſa polygonati, Majo menſe floret.

In ericeto Hampſtedienſi propè Londinum copioſè provenit: item in umbroſis ad latera montis Ingleborough & alibi in ſeptentrionalibus Angliæ.

Nomi-

Summa Titel XII

Titel XIII.
Sonſtige Ausgaben:


Linaria



Nomina. II. Lilium Convallium flore rubente *I.B. C.B.* & aliorum floribus ſuave rubentibus *ger.*

Solo floris colore à præcedente differt. C. Bauhinus florem minorem eſſe ait & minus odoratum.

Vires, Flores ut & folia, adverſus apoplexiam, epilepſiam, paralyſin, vertiginem, alioſque morbos capitis frigidos auxiliares eſſe feruntur, ſunt etiam qui velint cor roborare, ac cardiacis prodeſſe & lipothymiæ.

In Germania alicubi conficiunt ex floribus per æſtatem ſiccatis vinum vindemiarum tempore, ipſos calcatis uvis admiſcentes, quo poſtea utuntur ad prædicta.

Sunt & qui recentiores flores cum vetere & generoſo vino deſtillant, vel ſolos, vel cum floribus lavendulæ & roris marini, vitreis organis in balneo aquæ, qui fortiorem volunt, repetunt infuſionem, iterumque deſtillant. Sic parata aqua Matthiolo dicitur aurea, quia in vaſis aureis, argenteiſve ſervatur, & in omnibus periculoſis morbis exhibetur.

Non radices tantum, ſed & flores exſiccati & in pulverem redacti inſigne πταρμικὸν habentur. *Rajus.*

Lilium Aquaticum, vid. *Nenuphar.*

Lilium Coeleste, vid. *Iris.*

Limax, vid. *Cochlea.*

LIMONADA.

Eſt potus pro quo v. g. ♃. cortic. citr. exter. duorum, infund. in vini & aq. ãã Menſ. j. add. ſacchar. alb. ℥viii. & cola. Vel fit ſimpliciter ex ſucco citri in aquâ ſaccaratâ, addito ſi placet cortice, vel etiam cinnamomi momento.

Limones & Limonia Mala, vid. *Malum Citrium.*

LIMONIUM.

Limonium à λειμὼν pratum nomen ſuum obtinuit, quia irriguis pratis & conſimilibus locis gaudet ut limonium nunc dierum vulgò dictum herba eſt maritima, in ſalſis paluſtribus & clivis maritimis proveniens abundè innoteſcit & ab alijs plantarum hujus claſſis generibus diſtinguitur loco natali & caulibus nudis ramoſis.

Vires, Semen limonij, ut & herba ipſa, aſtringit, proinde diarrhœæ, dyſſenteriæ, hæmorrhagiæ & nimio menſium fluxui medetur, ut veteres prodiderunt, & neoterici etiam conſentiunt.

LINAMENTUM.

Gallicè *Charpi*, vetus eſt linteum in fila digitis diſcerptum; Illud Linamentum melius reputatur quod è vetuſtioribus linteis, ſed mundis ac albis paratur: inſervit autem plumaceolis ac turundis conficiendis, ſineque eo nulla vel ulcerum vel vulnerum cura methodica perficitur. Ingreditur Emplaſtrum de Linamento propterea dictum, quamvis parum ad ejus virtutem faciat.

LINARIA.

Linaria. Dicitur à foliorum ſimilitudine cum lini folijs Character ejus genericus eſt flos rictum exprimens, calcari donatus, cui ſuccedit vaſculum bivalve.

Nomina. Linaria lutea vulgaris *ger.* Vulgaris noſtras, *Park.* vulgaris lutea flore majore *C. B.*

Vires, Linaria lutea vulgaris alvi turbatrix eſt, autore Trago, urinam tam potenter pellit, ut inde karnkraut Germanis appelletur. Aquæ quantum vitrum exiguum capiat, admixtâ drachmâ corticis ebuli in pulverem redacti ſumpta potio urinam potenter cit; quare hydropicis tantum id medicamentum exhibendum erit, eadem aqua deſtillata pota alvum laxat, morbum diſcutit regium, adverſus quem herba ipſa in vino decocta ac pota in primis facit, ſic ut & jecur obſtructionibus liberat, eadem aqua aut ſuccus oculis inditus inflammationes eorum & ruborem tollit, quod ſe experientia & longa obſervatione didiciſſe ſcribit Tragus: eadem linteolis impoſita quævis ulcera emundat ſi cum ea colluantur loci affecti. Succus idem maculas & vitia faciei emendat. Tragus.

Icteris non recentibus tantum ſed jam ad hydropem ſpectantibus veriſſimum & efficaciſſimum præſtat commodum, obſervante Lobelio in adv.

Sunt qui herbam hanc intra calceos plantis pedum ſupponunt ad febrem quartanam abigendam.

Ad dolorem hæmorrhoidum ♃. Herb. linariæ cum flor. q. ſ. decoquatur cum adipe porcino quouſque adeps valdè vireſcat, fiatque unguent. cui expreſſo & parum refrigerato vitellus ovi admiſceatur, ego non ſoleo vitellum ovi miſcere niſi applicationis tempore, uſuque comperi unguentum in hac regione viriditatem amittere poſt annum, & cum ea virtutem: id quod Maſſiliæ non contingebat. Cheſneau, habui ab ingenioſiſſimo viro mihique amiciſſimo D. Edvv. Hulſe. m. D.

Linaria ſanat incredibiles hæmorrhoidum dolores Grems & Cardilucio autoribus, item Sennerto. *D. Tancredus Robinſon. Rajus.*

Linariam etiam habemus minorem flore cæruleo in montibus vicinis è cujus folijs ſuccus non parum glutinans exprimitur, quæque inter vulnerarias plantas meritò recenſenda venit. Ejus ichonem vide hic adjectam tabulâ quæ inter noſtras eſt xv.

Linctus, vid. *Eclegma.*

Lingua Agnina, vid. *Arnogloſſum.*

Lingua Avis, vid. *Ornithogloſſum.*

Lingua Bovis, vid. *Bugloſſum.*

Lingua Canis, vid. *Cynogloſſum.*

Lingua Cervina, vid. *Scolopendrium.*

Lingua Equina, vid. *Hippegloſſum.*

Lingua Serpentina, vid. *Ophiogloſſum.*

Linimentum, vid. *Litus.*

LINUM.

Linum à græco λίνον, à quo non aliter differt quam modulo ſyllabæ: nam priorem Græcis corripit, Latinis producit, ſæpe utuntur Græci pro rebus è lino confectis, ut pro linteis ac velis.

Lini notæ genericæ ſunt vaſcula ſeminalia ſubrotunda, in decem loculamenta, totidem ſemina continentia diſpertita, ſemina melina plerumque, flores caduci.

Nomina. Linum ſativum *Ger. emac. B. C. Park.* Linum *I. B.*

J. B.

Tenui radiculâ nititur, paucis fibris donatâ; caule terete, plurimum ſimplici, inani, tenui, glabro, cubitum ac ſeſquicubitum alto, alis circa ſummum diviſo. Folia acuminata, culmum lata, uncias duas plus minus longa, alternatim aut potius nullo ordine cauli appoſita, mollia, glabra. Flores cœrulei, pentapetali, petalis extremo ſubrotundis ſtriatis, è calicibus in quinque ſegmenta acuta diviſis, pediculis tenuibus longiuſculis inſidentes, admodum caduci: capitula ſuccedunt rotunda, (ciceris magnitudine, in quibus ſemina decem continentur, loculis in circuitu proprijs diſtincta, depreſſa, in angulum acutum deſinentia, ſuperficie valde lævi & ſplendente, mellei coloris Cæſ.) I. Bauhino fuſci.

In agris ſeritur tam in Anglia, quàm in tranſmarinis regionibus,

Vires & Uſus. Plinius proœmio libri 17. de lini uſu ad vela navium agens, in qua (inquit) non occurrit vitæ parte; quodve miraculum majus; herbam eſſe quæ admoveat Ægyptum Italiæ? herbam eſſe quæ Gades Herculis columnas ſeptimo die Oſtiam afferat, & citeriorem Hiſpaniam quarto, Provinciam Narbonenſem tertio, Africam altero? audax vita, ſcelerum plena, aliquid ſeri ut ventos procellaſque recipiat: & parum eſſe fluctibus ſolis vehi: denique tam parvo ſemine naſci, quod Orbem terrarum ultrò citroque portet, tam gracili avena, tam non altè à terra tolli; neque id viribus ſuis necti, ſed paſſum tuſumque & in mollitiem lanæ coactum, injuriâ naturæ ac ſummâ audaciâ: at nos priore libro imbres & flatus cavendos frugum cauſa fructuſque præmonebamus, ecce ſeritur hominis manu, metitur ejuſdem ingenio quod ventos in mari optet: hæc Plinius, quibus addit I. Bauhinus, at quanta cenſenda eſt velorum ex lino utilitas, ſi ad reliquum lini uſum per omnem vitam conferatur? hoc loti detergemur, hoc ſordidi defricamur, ex hoc facta veſte totum corpus ad cutem integente omnes interdiu veſtimur, noctu ſtragulis inde factis incubamus ac integimur, Ruſticana gens (in Germania) utriuſque ſexus pallia & tunicas ex ipſo geſtat, & mundus muliebris magna ex parte ex hoc conſtat, ſed omnes has neceſſarias vitæ utilitates facile ſuperat linum chartarum dono: hæ ex ipſo penitus detrito & nullius amplius uſus rejiculo fiunt, tot hodie ubique officinis, ut multa hominum millia ex præparandi chartas opera, in papyraceis (ut vocant) molendinis ſe nutriaut, his chartis & literarum notis omnes bonæ artes, leges, tota philoſophia, & vitæ piè ac rectè agendæ rationes excipiuntur, conſervantur, harum utilitatum vix animo quis concipere poſſit, nedum pro dignitate explicare, quantumvis longa inſtituta oratione: hactenus Bauhinus.

Liber impreſſus ex ſolo lino conſtabit, ſi papyrum ad nigredinem uſtam, & oleo lini incraſſato miſtam pro atramento utaris. Michael Mayerus in Luſu ſerio.

Quantas injurias, quot tormenta hæc Herba præ alijs omnibus ab hominibus patiatur, legat qui volet Geropium Becanum luculenter & rethoricè demonſtrantem, Hermath. lib.3.

Quidam olim Galeni tempore utebantur ſemine lini toſto pro obſonio cum garo, item melle admixto; ſed flatuoſum eſt, inquit, ſtomacho incommodum & ægrè concoquitur: quod paucis abhinc annis Middleburgi in Zelandia (inquit Tragus) animadverti potuit; cum propter frumenti aliarumque frugum inopiam plerique ex civibus pane & cibis ex hoc coctis veſcerentur, diſtenta enim his valdè citò hypochondriaca fuerunt, & facies aliæque partes tumidæ factæ, quorum non pauci ſic affecti etiam mortui ſunt.

Oleum lini, quod ex ejus ſemine exprimitur, multiplicem uſum habet, neque enim à pictoribus aut ſtatuarijs, alijſve artificibus expetitur ſolum, vel ad lucernas tantum utile eſt, ſed etiam medico uſui ſervit; nam & duritiès omnes emollit, nervorum tenſiones contractioneſq; laxat, dolores illitum ſopit J. B.

In angina & pleuritide, alij addunt phthiſi & colica, datur nonnullis bibendum: verum cum cautela ut recens ſit. C. Hofman.

Oleum lini eſt magnarum virium in perineumonia, phthiſi, doloribus colicis, ego multoties in pleuritičis doloribus nihil melius expertus ſum quam oleum lini propinatum: hoc enim ſtatim reſpirationem facilitavit, ſputumque promovit; in hæmoptycis etiam idem oleum exhibui cum optato ſucceſſu: Conſolidat enim partes affectas vi ſua balſamica & emplaſtica Ephem. Germ. An 6, & 7. ex obſervatione D. Raygeri, obſerv. 209.

Oleum lini partes habet adeò ſubtiles, ut in fictilibus ſervari nequeat quin exudet Michael Meyerus de Luſu ſerio.

Attramentum typographicum è fuligine lampadis & oleo lini componitur, ſilex politus ſi in oleo lini coquatur duritiem invictam acquirit, unde ferendis ijs quæ opus eſt in tabula marmorea evadit aptior, J. B. in hiſtor. fontis & balnei Bollenſis, ex relatione D. Lutz pharmacopæi Kirchenſis.

Tumores ventris feliciſſime curantur ab olei lini uſu, Ephem. German. An. III. *Rajus.*

LINUM CATHARTICUM.

E radicula tenui, alba, lignoſa, fibrillis aliquot donata, cauliculos emittit nonnihil reptantes, mox humo ad palmum & altius ſe attolentes, tenues, rotundos, rubentes, faſtigio ſurſum ramoſo, nutante: folia infima mucrone obtuſo & ſubrotunda ſunt, ſuperiora quæ in caulibus bina oppoſita, crebra, exigua, ſemunciam longa, culmum lata, glabra, abſque pediculis adnata, flores pediculis longis tenuibus inſident, albi, pentapetali, petalis acutis, minimè bifidis, cum apicibus totidem in medio luteis, è calice quinque partito. Vaſcula ſuccedunt lini parva, canaliculata, in quibus ſemen lucidum & lubricum lini compreſſum & oblongum I. Bauhino, ſapor totius plantæ amarus & nauſeoſus.

Floret initio Junij, & deinceps per totam æſtatem, & in paſcuis ſiccioribus præſertim montoſis abundat.

Vires. Hujus herba integra cum caulibus & capitulis vino albo per noctem ſuper cineres calidos infuſa, ſeroſos humores purgat ſatis validè, ſumi poteſt vel herba contuſa, vel ejus exſiccatæ pulvis, cum tantillo cremoris tartari & ſeminum aniſi, & purgat ſine moleſtica D. Bovvle. *Rajus.*

LIQUARE & LIQUEFACTIO.

Liquare eſt vi caloris liquidum facere. Competit metallis, ſalibus, pinguedinibus, & ſimilibus. Interdum tamen idem eſt quod per deliquium diſſolvere.

LIQUAMEN SILICUM, vid. *Liquor Silicum.*

LIQUIDAMBAR.

Reſina eſt, teſte Moharde, effluens inciſis arboribus vaſtæ magnitudinis, pulchris & ramoſis, quarum folia hederaceis ſimilia ſunt, Ocoſolt Indi vocant, cortice craſſo cinereo, huic cortex odoris cauſâ commiſcetur comminutus, ut ſci. ſuavius ac diutius ſpiret in ſuffitibus. Fra Hernandes arborem liquidambari Xochiocotzo quauhiſl Mexicenſibus dictam Aceris fere folijs eſſe ait, in tres cuſpides duoſque ſinus diviſis, altera

Tabula Menſurarum et Ponderum Medicinalium Veterum Characteres exhibens

MENSVRÆ

Sextarius · S · Ↄ · [illegible] · XE · 8 · [illegible]
continet Aridorum ℔ j · S · Liquidorum Heminas ij
Sextarius Ponderalis eſt vel Arabicus qui continet ℥ · S ·
vel Italicus continens { olei ℥ 18 · vini vel aquæ ℥ 20 · Mellis ℥ 27 }

HEMINA ·

K · K · K° · K° · [illegible] · græcor ·
Ↄ S · [illegible] · Roman ·
continet Sextarium · S

ACETABVLVM ·

Z O · græc ·
continet · { olei ʒ 3 · 18 · vini ℥ ij · ∋ 12 · Mellis ℥ iij · ∋ 9 · }

CYATHVS ·

K · K · KY · græc ·
Rom · C · C · TI ·
continet { olei ʒ 3 · 12 · vini ℥ ß · ∋ 4 · Mellis ℥ ij · ∋ 2 · }
Seſquicyathus · Celſ · lib · 5 · cap · 19 ·
Acetabulo æquivalet ·
Ligula · Colum · lib · 12 · cap · 21 · Plin · lib · 20 · cap · 23 ·
continet ʒ iij ∋ j
Cignus · Apic · lib · 10 · cap · 6 · & · 31 ·
continet ʒ ij ∋ ij
Cochleariium eſt vel
Parvum, continens · ʒ · j ·
vel
Magnum, continens · ʒ · ij

AMPHORA ·

Continet octo Congios,
ſeu, olei ℔ 72 · vini ℔ 80 · Mellis ℔ 108 ·

CONGIVS ·

Continet Sextarios ſenos,
ſeu, olei ℔ 9 · vini ℔ 10 · Mellis ℔ 13 · ℥ 6 ·

PONDERA

PONDO AS LIBRA NATIN

P · [illegible] · [illegible] · [illegible] · [illegible] · [illegible] · [illegible] ·
X · [illegible] · [illegible] · [illegible] · N ·

GRÆC

Δ · [illegible] · [illegible] · [illegible] · [illegible] ·
Pendet Vncias XII ·

BES,

S · –S– · [illegible] · [illegible] · [illegible] ·
Pendet Vncias VIII ·

SELIBRA, SEMBELLA ·

græc · S″ · Latin · S · SS″ · Ʒ · ƩT ·
S · [illegible] · [illegible] · Scribonio
Pendet Vncias VI ·

TRIENS ·

P · Ʒ vel 3 [illegible] · [illegible] · 3 · S · [illegible] ·
[illegible] · pendet Vncias · IV ·

QVADRANS ·

[illegible] · [illegible] · [illegible] · Ʒ° · [illegible] · T ·
Pendet Vncias III ·

P · SEXTANS ·

Celſ · Lib · 5 · cap · 19 · et 25 ·
[illegible] · Ʒ · Ʒ · S · [illegible] · Z ·
Pendet Vncias II

SESCVNCIA ·

P · z · Z · Z · [illegible] · [illegible] · [illegible] · ƩI ·
[illegible]

VNCIA ·

græc · [illegible] · [illegible] · [illegible] · Z · S · [illegible] ·
θ · Rom · [illegible] · [illegible] · Pendet Drachmas VIII ·

SEMVNCIA ·

E · [illegible] · € · S · [illegible] · [illegible] · [illegible] ·
S° · 8 · [illegible] ·

DVELLA ·

G · V · D · LL · [illegible] · [illegible] · [illegible] ·
D · [illegible] Pendet Scripul · VIII ·

SEXTVLA ·

I · v · [illegible] · [illegible] · [illegible] · [illegible] · V · [illegible] ·
4 · Pendet Scripul · IV ·

DIMIDIA SEXTVLA ·

+ · [illegible] · [illegible] · Pendet Scrip · II ·

SICILICVS ·

Ↄ · pendet · Scripul · VI ·

SEMISICILICVS ·

[illegible] · pendet · Scripul · III ·

DENARIVS ·

X · [illegible] · [illegible] · X · [illegible] · Z ·
[illegible] · [illegible] · 3 · [illegible] · Λ · Δ · [illegible] ·
Ʃ · græc · pendet · Scrip · III $\frac{3}{7}$

VICTORIATVS ·

Scribon · Largus Compos · 85 ·
S · P · [illegible] · S · V · V · Λ · pendet ·
Seſqui Scripul · $\frac{3}{14}$

FABA

Aegyptia Sive Alexandrina · Victoriato reſpondet ·
Syra pendet · Scrip · II ·
græca pendet · Scrip · I ·
Romana Celſ · Lib · 5 · cap · 25
Latina Sorano Epheſio Iſagog · Med · cap · 24 · [illegible] ·

LVPINVS ·

∋ $\frac{1}{3}$

ERVVM ·

Pendet grana IIII ·

GRANVM ·

SCRIPVLVM ·

Pendet Obolos duos · [illegible] · [illegible] ·
[illegible] · ∋ · SS · [illegible] · [illegible] · [illegible] ·
[illegible] · [illegible] · pendet gran · XX ·

SEXTANS DENARII,

Celſ · Lib · 5 · cap · 17 ·
[illegible] ·

VNCIA DENARII, OBOLVS.

NVX PARVA PONTICA, AVELLANA ·

pendet Drachm · I ·

NVX MAGNA IVGLANS REGALIS ·

pendet Vnciam dimidiam · vel Drachmas VI ·

parte albicantibus, altera vero obſcurioribus ſerratiſq; Corticem ſtipitis partim fulvum, partim virentem. Addit Io. Terentius fructum rotundum eſſe, ſed inſtar polygoni multos habere angulos luteos, ſuperficies vero nigras; ubi naſcuntur ejuſmodi arbores, fragrantiſſimus eſt aeris odor, adeò ut Hiſpani primum eo appellentes, iſtic aromata naſci, atque adeò eas aromatiferas eſſe arbores exiſtimarent. Eo hic utimur in ſuffitibus, odoramentis, paſtillis ſtyracis liquidæ loco, cujus odor proximè ad hunc accedit; adeò autem validus eſt, ut celeri etiam ſuffitibus non additum non poſſit, ſed totas ejus, ſi ejus ſit copia atque adeò plateas ſuo odore repleat.

Vires. Plurimus in medicina illius uſus eſt, nam calefacit, roborat, reſolvit & anodynum eſt. Cerebrum per ſe illitum aut alijs aromatibus mixtum confortat, omnigenóſque dolores à cauſa frigida emplaſtri modo impoſitum mitigat: ventriculo adprimè utile ſtomachici inſtar adhibitum, nam appetentiam excitat & Concoctionem adjuvat. Cum ſtyracis, Ambari & moſchi momento mixtum emplaſtri conſiſtentia, & ſcuti formâ ſuper alutam extenſum ad eadem utile eſt, ex eo recens collecto & loco idoneo (in ſole Park.) repoſito oleum quod de liquidambar nuncupant deſtillat multò perfectiſſimum illoque longe ſuavius ſunt qui expreſſione etiam eliciant ut majori quantitate colligant, nam chirothecis imbuendis plurimum abſumitur, utile eſt ad pleroſque morbos frigidos, ad tumores reſolvendos, & privatim ad tumores & obſtructiones uteri, menſeſque provocandos.

Sunt qui ex arboris ramis comminutis & coctis pinguedinem innatantem colligunt, & vendunt pro legitimo oleo, atque hic liquor à nonnullis ſtorax liquida putatur in Aromatoriorum & pharmacopœorum officinis vulgo venalis. Fr. Hernandes oleum hoc ex arbore ipſa vel ſponte vel inciſa extillare ait.

Arboris pampini & ſummitates in faſciculos collecti veſtibus & ſtragulis ab Indis inſeruntur odoris gratia, in eumque uſum Hiſpanis etiam vendunt.

Fr. Hernandes ſomni inducendi vim liquidambaro ejuſque oleo tribuit. *Rajus.*

Liquiritia, vid. *Glycyrrhiſa.*

LIQUOR.

Inter medicamenta liquida tanta occurrit varietas, non minus ac in claſſibus alijs, ut & ipſorum Liquorum nomen peculiarem ordinem conſtituat. De his not.

1. *Liquores ſunt ſolutiones ſpontaneæ.* Liquores audiunt ſtrictiori ſignificatu, contradiſtincti ab alijs liquidis quibuſcunque, ſive naturâ profluentibus, ſeu arte factis, expreſſis, prolectis, deſtillatis. Liquores ſunt medij inter eſſentias, magiſteria, ſalia ſuccos. De omnibus ferè participant, pro diverſitate tamen ſubjectorum. Solutiones ſunt, non humores in latiori ſignificatu: ſolutio duo perpetuò ſecum importat, ſolvens & ſolutum. Duo hæc perpetuò viſuntur etiam in liquoribus; ſolutiones ſunt, unde liquor non eſt ſimplex, ſed fœtus particulis mixti, è quo paratus eſt, combinatâ ſimul virtute. Unde & liquor facilè præcipitari, idque contentum, quod ſecum vehit, ad oculum demonſtrari poteſt; niſi ſit aquoſior. Participant ſaltim de virtute, ſi non de mole in omnibus. Sed ſolutiones hæ non tam fiunt ab extra, affuſo liquore ſive menſtruo, ut in præparatione ſeu ſolutione pro magiſterio perlarum, coralli & ſimilium; quàm ab intra. Seu ſolutiones ſunt ſpontaneæ, citra ſolutionem, citra menſtruum affuſum. Eleganti vocabulo id vocant per deliquium Liquores fiunt deliquio, ſive deliquium eſt liquorum pater. Quando nempe concidunt particulæ, deſumtâ metaphorâ à lipo hymiâ, quâ correptum corpus concidit ſtatim, nec conſiſtere poteſt; eodem pacto quæ ſolida ad ſenſum fuerant vel eſſe poterant, deliquio adhibito id nolentes volentes experiuntur. Ex quibus facilè efficitur, liquores, qui ſolutiones non ſunt ſpontaneæ, ſed ſolâ mixtio conſiunt, dici tales paulo latius, rectè tamen, eò quod & in his quædam ſit ſolutio, quædam ſolutorum combinatio, unde affinitas & conformitas emergit inſignis. Sic liquor cephalicus noſter duplex conſurgit. (1.) ſimplex è mixturâ ⁓us ⊖ ✳ci & lil. convall. quo ipſo tum alias uſi ſumus feliciter, tum præcipuè in epilepſiâ Infantum adultorumque, & paralyſi. (2.) Oleoſus ſive lacteus, emulſio artificialis elegantiſſima, exemplo eſſentiæ ſeu lactis cephalici ſuperius laudati. Sic liquor C. C. vel eboris ſuccinatus ſit, ſi ℥j. ⁓us ʒj. circiter ⊖is volat. per vices ingeneratur, quâ ſolutione factâ vel per ſe jam adhiberi poteſt, vel, ut melior fiat unitio & partis oleoſæ ablatio, (quæ caput ferit,) abſtrahi per alembicum.

2. *Liquores ſunt ſolutiones aëreæ.* Cum ſpontaneæ ſint, i. e. citra externam humidi acceſſionem, neceſſum eſt, ut humiditas quæ emergit & ſenſu liquorem conſtituit, vel in ipſo concreto latitet, vel aliunde accedat. Advenit verò ex aëre. Aër eſt aqua attenuata, vel ſaltim plurimas in ſe continet atomos humidas aqueas, calidi & humidi, quæ mundi conſtituunt animam, non minus ac in animalibus & mixtis omnibus, determinatum characterem indepta, campus Martius patentiſſimus, ſeu laboratorium. Calor perpetuò agit in humidum, tum cœleſtis ille, ex fonte genuino ſole derivatus; tum ſubterraneus, unde aër modò denſior, modo tenuior, modò ſpiſſatur. Aëreæ igitur ſolutiones ſunt, quæ fiunt ab aëre, humidi promptuario occulto, aſt publico & perpetuo. Duplex deliquationis hujus eſt ratio in actione & paſſione, ſeu receptivitate fundata. Aër premit, promtè ſe in poros obvios ingerit, & illabitur, quæ preſſura illum infert neceſſariò. Invitat verò corpus deliquandum, unde ὦσις & ἕλξις concurrunt. Ὦσις ſive pulſio eſt in aëre, preſſionem vocant communiter: ἕλξις in ſale. Hinc liquores fiunt in aëre libero & denſiori, ſeu activis atomis magis ebrio, inprimis vaſe aperto, non clauſo inprimis in cellâ ſubterraneâ.

3. *Liquores ſunt ſolutiones ſucceſſivæ lentæ & ſaturatæ.* Succeſſivæ & lentæ ſunt; quod morâ opus eſt, donec accedant & colligantur partes ſ. q. aqueæ, donec attrahantur ex aere, capiantur & ſolvant. Morâ ergò opus eſt, ut liquor conſurgat, qui non affunditur. Fiunt enim magis negligendo, neglectim repoſito vaſe, nec curato, niſi ut defendatur ab extraneis quæ illabi queant, pulvere, araneis, inſectis, alijſque, quæ peſſundent operationem. Solutiones ſunt à poſteriori, contingentes tunc demum, quando ſiccum quod erat corpus diffluit, deliquaturque, quod in inſtanti fieri non poteſt. Reliquæ à priori magis, quatenus affuſus liquor in ſolvendum agit ſtatim & eo uſq; donec ſubigatur & in ſubſtantiam ſolventis transſumatur penitus. Et inde quoque liquores hi propriè dicti longè ſunt ſaturatiores & concentratiores, quàm ſi ipſa aqua affuſa fuerit. Paulatinâ enim & ſucceſſivâ illâ morâ ac ſolutione intimius confringuntur particulæ, ut, confractis magis unitis & ſolutis, liquor inde emergat pondere gravior, ſapore inſignior, virtute efficacior. Sic oleum Tartari per deliquium, i. e. liquor & lixivium paulatim enatum, longè ſaturatius eſt & efficacius ad præcipitandum, ad [illegible]rum

⊕-latum &c. parandum, quàm ⊖ Tartari ſimul & ſemel aquâ ſolutum. Invenit enim quandam repugnantiam, non æquè & penitus auſcultantibus poris, terræque obice, remixtæ & corporatæ. Inter deliquandum verò vincula ſubtrauntur magis. Sic & liquor ♂is ex floribus ♂is *calibus nigris, in fundo remanentibus, ſulphur ♂is magis panſum exhibet, & liquorem longè tinctiorem, ac efficaciorem, ſi ſucceſſivâ & ſpontaneâ ſolutione factus fuerit, quàm ſi extemporaneâ ſolutione fuerit acquiſitus. Idem de alijs verum eſt.

4. *Liquores è ſalis & aquæ connubio ſeu deliquatione principaliter fiunt, adæquatè ex alijs.* Subjectum genuinum liquorum parandorum ſunt ſalia quæcunq; ſibi relicta. Salia ſunt magnes aquæ, attrahunt ex aëre particulas uvidas, ſeu appropinquantes & irruentes aucupantur, non dimittunt, ſed ſibi concorporant, conſociantque, ut in unum hinc coaleſcant, & ex ſalis deliquatione ſic fiat liquor. Unde liquor utrumque dicit, aqueum ſolvens & ſalinum ſolutum. Omnia ſalia liquores largiuntur, quia ſunt poroſa, & ſolvuntur ab aquâ, tanquam elemento maximè ſymbolico: unde facilè claret, liquores à potiori hocce principio totuplices eſſe, quotuplicia ſunt alia. Promtiſſimè quidem ſolvuntur alcalia, ut liquor dictus ſalis tartari, vel ciner. clavellat. unde defendenda ſunt curioſè ab aëre, velut inſidias vitæ ſtruente. Promptiſſimè ſolvuntur acida, quæ quidem aquâ nondum ſoluta ſunt, ſive butyroſa, ſeu concentrata aliàs. Sic liquor butyri ♁ij fit ex butyro neglectim repoſito, ſolâ ſubſidentiâ ſic optimè depurando eodem. Sic oleum ⊕li ita ſenſim ſenſimque adaugetur, etiam clauſo ſic ſatis vitro; ut duplum ferè tandem emergat, ſaltim quoad ſpatium, ut duobus vitris continendum ſit, quod uno ſervabatur. Sic ſal commune toto die, tempore minus ſereno, ſtillat è carris liquorem, ſive muriam. Sic ſal cum raphano mixtum in liquorem promtè abit, conſociatum cum ſucco quem expromit domeſtico. Sic liquor nephriticus Dreſdenſis fit ex ⊖ & Tartaro ãã. calcinatis & deliquatis. Sic ex calcis vivæ & ⊖ *ci combinatione deſtillato ∿u reliquum ſal elixiviatû promptiſſimè in liquorem abit, quem ☿rificantem nonnulli vocant. Notanter verò diximus, ſalia ſibi relicta liquores parere, quod duplici ſenſu intelligi poteſt, (1.) non ſoluta jam, ſed poroſa, & quaſi vacua, (2.) non cryſtalliſata atque defenſa, cryſtalliſatio enim antidotus & præſervativum eſt deliquij.

5. *Liquores ſalini per ſe magis, ſulphure, terrâ, alijſque fœti, mediante ſale co-fiunt.* Fluit id ex doctrinâ ſolutionis ſive menſtruorum. Liquorum corpus conſtituit aqua, animam quaſi ſal. Cum verò aquæ per ſe nullum jus ſit in ſulphur, niſi beneficio diſſociantium ſalium, tum explicitè tum implicitè præſentium, adeoq; ſal ſit mediator, & interpres amicitiæ inter ſulphur & aquam, hinc ſal liquorum principium, prout ſulphura, terraſq; & alias ſeminales vires his immerſas ſibi combinat; ita & liquores varios alios efficit, licet itidem ad alcalinos, acidos, medios, tanquam præcipuos fontes referendos; ita ut alij liquores poſſint conſtitui ſimplicis, ex uno ſale, alij compoſiti, ex alijs in conſortium adſcitis facti. Sic liquor O-Oci, à calcinatione O-Oci cum ⦶, ex alcali hujus & partibus fixioribus correctis veneni conſurgit. Sic liquor terræ ſigill. ſive ſtypticus internus, cujus inventor laudatur *D. Bucretius*, fit ℞. Terræ ſigill. opt. q. v. ſuperfundatur ∿⊕li rect. ſic. ad digit. ij. eminentiam, abſtrahe ∿⊕li in ∴. novumque ∿um relictæ in ◯â maſſæ ſuperfunde, eundemq; abſtrahe, & hoc tertiâ vice repete, maſſam relictam duram in cellâ in tabulâ vitreâ ſolve, ſolutum filtra & ſerva. Deprædicatur tanquam ſingulare arcanum in febribus malignis, ubi vomitus & alvi fluxus nimius, item in dyſenteriâ epidemiâ. Doſ. infantibus ad gutt. v. vj. alijs ad gt. xx. Liquor ſtypticus externus ex ⊙ & ⊕-lo notus eſt. Referri huc merentur liquor cordialis *Michaelis*, abſtracto ∿u ⊖is ab oc. ♋, ebor. corall. perl. ſeu matre perlar. & nephriticus animalis ex ∿ ⊖is ſimpl. vel compoſ. ſolvendo putam. ovor, ſtruthij; ac mineralis *ejuſdem*, ex lap. lync. judaic. lazul. cryſtall. ſpong. nephrit. aquil. perl. oc. ♋. raſur. eboris, affuſo ∿u ⊖is compoſito ex ⦶ & ⊖, facillimè inde parando magiſterium reſolubile, indicio manifeſto partium terrearum ſolutarum, uti de ſulphure teſtatur liquor ♂lis, qui crocum continet ♂tis. Sic & ſcoriæ reguli ♂ liquorem ſulphureum exhibent. In omnibus ſal invitat humorem, & retinet.

6. *Liquores uſu ſalis & ſolutorum naturæ conformi ſe commendant.* Virtutem omnem mutuantur à ſoluto, quod animam vehenti corpori fœnerat, & quo ſine inertes & inefficaces ſunt omninò. Sibi igitur relicti magis ſunt lithontriptici, velut communi penitus uſu, cum omnia ſalia diverſo reſpectu ſint nephritica. Roboratur hæc vis, acceſſione lithontript corum aliorum, uti liquor ♀ri lithontripticus *Zobelii* fit ex lap. judaic lync. ſpongiæ, oc. ♋. aliquil. cryſtall. cum ♀o reverberatis. Communem uſum hunc vocamus, quod ſalia quæcunque ſint, lithontriptica, diverſo reſpectu, & acida & aliâ, uti ad coagu'um quoque ſingula ſunt apta. Specialis uſus ſequitur naturam ſui principalis, tum externus tum internus, licet internus communis ſtatui poſſit abſterſorius, quorſum facit ⚯ ſeu liquor talci coſmeticus, liquor ☿lis pro ulceribus ♀eis, O-Ocalis, ⊕li albi, ſolut. in cacoëthicis alijs. Cumque ob concentratas vires in minimâ mole agant perquàm efficaciter, diluuntur etiam commodè cum alijs, uti liquor ♂is per ſe eſt maximè adſtringens, cum alijs miteſcit, ſi diſtemperetur. Adeoque omne ſal concretum ſolvi amat, ſibi relictum, cum aquâ. Et ſic liquores ſunt ſolutiones ſpontaneæ concentratiores aëreæ, è ſalinis potiſſimum acquiſitæ, pro uſu conformi ſolutorum naturæ.

De liquore alcaheſt præſtat tacere, quàm incerta latius dicere. Notabile tamen eſt deprædicari eundem ut medicamentum, juxta *Paracelſum*, & menſtruum, univerſalis titulo, de quo *Helmontius* legi poteſt tum alibi, tum *l. de febrib. c.* 15. §. 25. Utrumque verò ex ☿li proſapiâ, conſenſu ferè omnium recentiorum, conſurgit, & quidem Alcaheſt Helmontij κατ' ἐξοχὴν laudatum, prout quidem communicatione innotuit, (1) ex repetitâ ☿ij ♎tione, undecim ad minimum vicibus, (2.) ex ejuſdem ☿ij vivi cum ⊖ *co ♎ti tritu, ſolutione, fermentatione, deſtillatione, (3.) utriuſque hujus combinatione, deſtillatione & ſublimatione, tædioſiſſimâ præparatione abſolvitur. Ex quibus patet, ☿lis & ſalinæ eſſe naturæ, ut ſic ſolutioni metallorum & ulteriori combinatione tranſmutationi inſerviat. Reliqui liquores alcaheſt, abuſivè ſic dicti, vel in ſuo genere convenientes, itidem ſalinæ ſunt naturæ. ⊖ ſcilicet & ▽ ſunt menſtruum univerſale. *Wedelius.*

Hactenus de Liquoribus in genere ex Clariſſ. VVedelio, jam aliquot eorumdem Formulæ ex variis Auctoribus veniunt adducendæ.

Liquor Alexipharmacus *Zvvelferi.*

℞. *Cort. citri, aut limon. recent. & extim.* ℥. vi. *ſem. citri* ℨ iii. *cardui benedicti, rutæ an.* ℥. ii. *myrrhæ, rubræ* ℨ iſs. *Amygd. dulc. decortic. pro exactiori diſſolut. myrrhæ* ℨ iii. *contundantur benè in mortario, cum aq. ſcordij, ſcorzoneræ*

zonera, rutæ, an. ℥ III. *fiat emulſio, quæ colandæ, & colaturæ addendæ ſyr. de ſcord. ſimpl.* ʒ VI. *de cort. citri, recent.* ℥ I. *miſceantur pro tribus circiter doſibus.* hic.

Liquor, ſeu emulſio extemporanea, (nam ejus ſubſtantia ætatem & tempus non fert,) inter pretioſa quæque cardiaca meritò notanda. In morbis quorum curatio à centro ad circumferentiam, uti morbilis, variolis, petechijs ipſaque peſtæ, tutius, tuto exhibetur.

Liquor Cornu Cervi ſuccinatus, è Lexico Pharmaceutico Clariſſ. *D. Jungken.*

♃. *Salis ſuccini vol. rectificati q. l. ſolve in* ▽. *fontan. & adde* ⊖*is vol. c. c. tantum, donec amplius non efferveſcant, tunc liquor hic ſenſim coaguletur & ſiccetur: poſtea ſume Sal communis hujus* ℥ *s. aquæ ceraſorum nigr.* ℥ *Is. ſolve & ſerva pro liquore c. c. ſuccinato.*

Vires. Principaliter epilepticis motibus dicatæ ſunt, & multiſque alijs nomibus commendandæ in puerorum acido corrigendo, vide valetudinar. infantul. Etmull. D. Michel. ♃. Sal communis ſuccini vol. & Sal communis c. c. vol. ana, hæc diſſolvit, in ſpir. c. c. rectif. & tum poſt digeſtionem evocat liquorem illum c. c. ſuccinatum per deſtillationem ac cohobationem.

Cordialis temperatus *è Pharmac. Reg. Zvvelferi.*

♃. *Rad. cyperi rotundi, ireos florent. an. unc. j. flor. recent. borraginis, bugloſſæ, roriſmarini cum folijs, tunicæ ana. unc. j s. roſar unc.* VI. *cort. arant. citri, ana recent. & ext. unc. ij. cinamomi optimi unc.* I *s. ligni rhodij raſpat. nucum moſchat. macis an. unc. j. croci oriental. unc.* I *s. inciſa & contuſa, quæ requirunt, immergantur in vini malvatici* ℔ VI. *vel* VIII. *facta maceratione, deſtillentur ex baln. noſtro vaporoſo ad* ℔ V. *vel* VI. *exſtillationem: aquæ ſpirituoſæ egreſſæ porro immergantur cort. arantiorum, citri ana recent. & extim. unc. j. granor. chermes unc. s. ligni aloes opt. gum.* ʒ ii. *croci auſtriaci* ʒ j. *ambræ gryſeæ, moſchi orient. opt. ana.* ℈ j. *facta maceratione, duobus circiter diebus, in loco tepidiori, poſt coletur & filtretur eſſentia: in qua tandem diſſolve, magiſt. ſolub. perlar. or.* ʒ j. *corallior rubr. matris perlarum ana* ʒ ij. *porro filtretur, & ſervetur eſſentia in vitro optimè munito; quæ, ſi ſic neceſſitas ferat, ſyrupo de cinamomo, aut julapio roſarum, edulcorari poteſt, nam hac ratione, ſine ſucchro & ſyrupis, eſſentias à fermentatione, ſitu & corruptelâ, diu munitas aſſervabis.* Cardiacum eſt, magnæ virtutis, ad ſyncopas, tremores, animi defectiones & languores expetendum. A malignis & peſtiferis præſervat morbis. Doſis aliquot cochlearia.

Cordialis refrigerans. *Ex eodem.*

♃. *Cort. arantior. recent. & extim. unc. s. citri recent. & extim. unc. j. granorum chermes drach. j. ambræ gryſeæ grana* V. *ſem. citri excortic.* ℈ j. *vel drach. ß. ſacch. can. albiſſ. unc. ij. contundantur optimè & diu in mortario, ad pultis formam; poſt diluantur aq. meliſſæ, lilior. convallium, roſar. fragrant, de rubo idæo, ana ſine addit, aq. ſimpl. ſtill. unc.* VI. *flor. arantiorum unc.* II. *& colentur: filtreturque colatura; cui ſuperaddito mag ſt. noſtro. ſolub. perlarum, orient.* ℈ j. *corallor. rubr. matris perlar. an.* ʒ *ß. ſucci limonum, granator, ana recent. & jamiam expreſſ. unc.* I ʒ. *ſyr. granatorum unc. ij. miſceantur pro potu cordiali, & refrigerante; cujus unc. ij. tres, vel amplius, æſtuantibus, laſſiſque ægris, iterato propinari poterunt, ambra autem, propter hos, quibus contrariatur, omitti poteſt; pari ratione aqua roſarum, quarum vices ſubeat aqua florum tunicæ.*

Ad Gonorrhæam virulentam, *ex Eodem.*

♃. *Vini albi rhenani* ℔ VI. *huic immergantur inciſæ & confuſæ rad. ireos florent. unc.* I ß. *cyperi rotundi unc. j. herb. recent. menthæ criſpæ, hyperici floreſc. rutæ, ſcordij, roriſmarin, flor. recent. nymphææ, roſarum, papav. errat. verbaſci an. unc.* II. *ſem. fœniculi, agni caſti an. unc.* I ß. *macis unc.* ß *terebinth. næ claræ* ℥ IV.

Factâ brevi digeſtione, deſtillentur in balneo noſtro v poroſo, evocentur autem ſaltem aquæ libræ quatuor, ſemis circiter, (nam phlegma vini, quod per deſtillationem ultimatè ſuccedit, plenum nauſeâ, ſaporis & coloris ingratiſſimi, ad extrahendas Eſſentias ineptum) & paulisper aſſerventur. Liquori igitur huic, nonnihil ſpirituoſo, egreſſo, oleo Terebinthinæ in ſuperficie ab eo ſeparato (quod eidem affectui etiam ſolum remedio eſt,) porro immergantur inciſæ & contuſæ; nimirum.

♃ *Rad. cyperi rotundi, ireos florentinæ, cynogloſſæ, biſtortæ, tormentillæ, an. unc.* ß. *flor. recent, nymphææ, papav. erratici, roſar. rubr. an.* ℥ I ß. *ſem. agni caſti* ℥ j. *lacturæ, cannabis, papaver. albi, rutæ, an. contuſ. cum modico aquæ* ʒ VI. *croci optimi* ʒ I. *ſacchari ſaturni reſolub.* ʒ I ß.

Digeſtione factâ per dies aliquot, in loco tepido, fiat colatura cum forti expreſſione; quæ diligenter filtranda per chartam, & uſui aſſervanda in loco frigido, efficaciter ſubſervit hæc eſſentia ijs, quos virulenta & diuturnior gonorrhæa peſſundedit. Sanat renum & paraſtaticarum glandularum ulcera, ad aliquot Cochlearia iteratò exhibita; præmiſſis purgantibus, ijſque à mercurio mutuatis, & injectionibus conſimilibus.

Hepaticus & ſpleneticus, *ex Eodem.*

♃ *Olei tartari per deliquium facti* ℔ *iij. ab hoc liquore abſtrahatur, deſtillando per retortam vitream, in arenâ, tota humiditas, ad ſiccitatem ſalis tartari, in reſiduo manentis; quâ interim aſſervatâ, ſumito vini albi rhenani* ℔ V. *cui immergantur rad. recent. apij, pimpinellæ, enulæ, leviſtici an.* ℥ *ii. herb. recent. naſturtij hortens. cochleariæ, chærefolij an.* ℥ IV. *roris marini, verbenæ an.* ℥ *iß. flor. recent. roſar. rubr.* ℥ III. *ſem. fœniculi, apij an.* ℥ *i. bacc. juniperi* ℥ *iß. lauri* ℥ *ß. cinamomi optimi* ℥ *iß.*

Factâ brevi maceratione, abſtrahantur deſtillando ℔ III. aqua egreſſa ſpirituoſa cum ſuperiore liquore aſſervato, à ſale tartari ſtillato, commiſceatur; quibus dein immergantur ſequentia minutim inciſa; ut pote rad. recentis pimpinellæ, cichorij ſylveſtr. apij an. ℥ i. herb. recent. Agrimoniæ, abſinthij noſtr. naſturtij hortens. Cochleariæ an. ℥ iß. flor. roſar. rubr. recent. ℥ II. cichorij recent. ℥ j. ſem. naſturtij, urticæ an. ʒ II. ſantali rubri ℥ ß. cremoris Tartari ℥ j.

Factâ denuò digeſtione, in loco frigido, aut cellâ, donec, aliquot dierum ſpatio, omnia ſint collecta, fiat deinde colatura cum forti expreſſione, quæ filtran-

filtranda, & uſui aſſervanda, in loco frigido, ſine ſacchari aut ſyrupi alicujus additione; ad evitandam fermentationem, quam ſaccharata in aquoſis illicò ſuſcitant, poterit autem, urgente neceſſitate, hæc eſſentia ſyrupis appropriatis in inſtanti condiri ad lubitum & gratiam.

Efficax & magnum auxilium hinc ſibi polliceantur lienoſi, ſcorbutici, & cujuſcunque ſpeciei hydropici; eòquod eſſentia hæc hepatis, lienis, meſenterij, pancreatis anguſtias & obſtructiones feliciter reſeret, & tollat, Doſis ab unc. I. ad unc. I ſs.

Lithontripticus ex eadem *Pharmac. Regia Zvvelferi.*

℞. Nucleor. perſicor. ℥ii. *ceraſor.* ʒvi. *rad. rec. apij, liquiritiæ, petroſelini, pimpinellæ, an. unc.* I *ſs. ſem. naſturtij, apij, thlaſpios, urticæ, an. unc. j. bacc. juniperi unc.* I*ſs. alkekengi, ligni nephritici an.* ʒvi. *cinamomi acuti unc.* I. *macis unc.* ſs. *borac. venetæ* ʒii.

Nuclei perſicorum & ceraſorum, ſemina item, baccæ quoque juniperi & alkekengi, contundantur probè ac minutim in mortario, additâ ſ. q. aquæ cinamomi ad pultis formam, his addantur radices recentes, nonnullis radulâ comminutis, reliquis incilis & contuſis: quibus omnibus mixtis, atque cucurbitæ vitreæ injectis, ſuperaffundantur ſpir. juniperi rectif. è baccis ℔. *ii.* Ceraſorum lib. ʒ. vini rhenani optimi albi lib. IV.

Factâ digeſtione, diebus aliquot, in tepido ſaltem loco, vitro probè clauſo, fiat colatura cum forti expreſſione ſpecierum, filtrata mox eſſentia ſervetur in vitro benè clauſo: quæ quotiescunque trahenda in uſum, ſyrupis appropriatis, utpotè acetoſitatis citri, fragorum, aut conſimili, additis guttis aliquot ſpiritus vitrioli poterit alterari: reſpicit eſſentia hoc renum affectiones; celebris proindè eſt in Calculoſis diſpoſitionibus, in Δυσυρίᾳ, Tartaro & ſabulo renum exorbitante; auxilio quoque eſt muliebri utero, cujus menſtruum profluvium potenter excitat, abſterſis craſſioribus humoribus, ejuſque ſinus dilatando. Doſis unc. j. ad unc. I ſs. vel cochlearia duo, ad tria.

Liquor Silicum.

℞. Silicum calcinator. & pulv. q. v. miſce cum ⊖. *Tartarum an. & probè calcina, tum in loco humido frigido liqueſcant in liquorem.*

Præbet inſigne diureticum & nepthriticum à guttis, VI. ad ℈j. & ultra, ſed ſumi debent ſilices molles qui facilè cultro atteri poſſunt, & qui ferro alliſi ſcintillas non emittunt.

Spleneticus aperiens è *Pharmac. Regia Zvvelferi.*

℞. Ol. tartari per deliquium facti ℔. *ij. vini albi boni* ℔ *iv. camphoræ unc. ſs. fiat per alembicum vitreum, in arenâ, abſtractio totius humiditatis, ad ſiccitatem ſalis tartari, liquori egreſſo iniiciantur rad recent. Apii, bryoniæ, pimpinell, fœniculi, raphani hortens. ana conſciſſ. & conquaſſ. unc. iſs. herb. recent, cochleariæ, nicotianæ, naſturtij hortens, verbenæ, perſicariæ, ana conſciſſ. & conquaſſ. unc. ii. ſem naſturtij, urticæ an. unc. s. bacc. juniperi virid unc. iſs. pulv. gummi ammom, unc. s. vel unc. vi. ſalis ammon. unc. ſs.*

Factâ maceratione horis circiter XXIV. fiat Colatura cum forti expreſſione: expreſſum, ſi libet, quamvis non ſit opus filtratione; citra quàm intenſius agit, Epithema hoc eaſdem vires & effectus lieni communicat, quas, ſuprà deſcriptum, hepati: quare inde omnis informatio & notæ repetantur.

Liquor Tartari è Lexico Pharmac. Clariſſ. D. *Jungken.*

℞. Tartari crudi ℔i. *nitri* ℔ ß. *alii* ℔i. *pulveriſata exactè miſce, ac in crucibulo detonentur, dehinc pulveriſa, & affunde aq. fervent.* ℔. *iv. digere in loco calido per ſex dies & noctes, quotidie agitando: poſtea colentur, colato lixivio adde tartari. et pulv.* ℔i. *digerantur ulterius diebus octo &c. poſtea filtrentur & ſerventur ad uſum.*

Quoad vires inſigne exhibet deoppilativum lienis, aliarumque obſtructionum v. g. meſenterij, menſium &c. Doſis Cochl. ß. ad I. cum vehiculo idoneo.

Liquores è Pharmacopæa Bateanâ.

Liquor Sulphuris.

℞. Flor ſulph. ſacchar. cand. alb. āā ℥*j. m. F. Pulvis. induratis* 4. *ovi (vitellis) include, & probè ligata ſuſpende ſuper prunas, ut liquamen exudet.* Quod ſerva ad uſum.

Liquor acuens, vid. Lac Scammonij.

Liquor Cephalalgicus.

℞. Camphor. ʒii. *ſolve in pyrani* ℥ii. *qui rhodoſtagmatis q. ſ. excipiatur in diſco, calfaciendo ad mediocrem ſiccit. tum inſperge pulver. nuc. moſch.* ℈j. *zedoariæ* ʒß. Fronti adhibe in Cephalalgiâ.

Liquor Limacum.

℞. Fit ex limac. rubr. conciſis & cum ſal. comm. āā *in onanicam Hippocr. injectis, & in cellâ ſuſpenſis, ut defluant in liquorem,* Servandum ad uſum.

Liquores ex Hofmanni Theſauro Pharmac.

Liquor Oculor. cancr. D. D. J. M.

℞. Oculor. cancr. ſ. q. ſolve in ſp. nitr. rectific. aceto temperati ſ. q. inde retorta; abſtrahe ad ſiccit. relictam ſolutionem digere cum ſp. vini, filtra.

Alius D. G. R.

℞. Ocul. cancr. crudos, miſce pulveris. cum oleo tart. per deliquium parato, digere calore MB. *per* 10. *dies & noctes in phiola. coagulato affunde ſp. vini, ſtent in digeſtione per aliquot dies & noctes, & effundatur impregnatus ſpiritus.*

Liquor Perlarum.

℞. Perlarum ſ. q. affunde ſp. ſalis comm. ad 4. *digitor. eminentiam, abſtrahe reſiduum & cum ſpir. vini circula.*

Liquor Nephriticus *D. D. Ch.*

℞. Lapid. lyncis, judaici, lazuli, ſpongiæ, percar. ocul. cancr. āā *ſ. q. pulveris affunde ſp. ſalis optimè rectific. ſ. q. ſtent in loco calido per tres dies ac noctes, poſtea per inclinationem ſepara ſolutionem, hanc deſtilla lento igne donec nihil phlegmatis prodeat, fracto vitro materiam induratam pone in cellam ad deliquium, ſolutionem tertia vel quarta vice deſtilla, & in loco frigido toties per deliquium ſolve, demum cum ſp. vini digere.*

Liquor Lithontripticus D. D. Z.

℞. Tart. crudi pulveriſ. lib. j. lapid. judaici, lyncis, ſpong. oculor. cancr. cryſtalli āā ℥iiß. *reverbera invicem*

per

per aliquot horas, ut fiat inſtar cretæ. Inde cucurbitæ affunde aceti ſtill. ℔. *j. q. digere per 4. ſeptimanas, decanta, filtra, abſtrahe per* MB. *& reſiduum ſolve p. d. ſolutum cum ſp. vini digere.*

N. Ad eundem modum & liquor Cordialis D. D. I. M. parari poteſt ex ocul. cancr. marg. r. corall. rub. lap. percar. ebor. & C. C. ſolut. cum ſp. ſal. & demum cum ſp. vini circulat.

Liquores varii ex Hadriani à Mynſicht Armamentario Medico-Chymico.

Nectar Vitrioli.

℞. *Sacch. cand. alb.* ℥x. *ſpir. vitriol. rectif.* ℥ij. *M. & in vaſe vitreo obturato, adverſus incidentium muſcarum & ſordium injurias per aliquot menſes repone, uſque dum materia nigra picis inſtar appareat. Poſtea* ℞ *pultis hujus nigræ* ℥iv. *aq. roſar. fragrantiſſ.* ℔. *iß. menthæ criſpæ* ℔. ß. *cinnamomi bugloſſatæ* ℥vj. *ſyr. acetoſitatis citri* ℥iv. *man. Chriſti ſimpl.* ℥ii.

Vires, Uſus, Doſis. Ad ventriculi intemperiem tam frigidam quàm calidam valdè commendatur: ejus enim vires languidas & reſolutas recreat. Appetitum excitat. A putredine vindicat. Febribus malignis confert & ſitim vehementer ſedat. Doſis per ſe ab ℥. ii. ad ℥. iii.

Liquor Vitriolatus.

℞. *Syr. Violarum vel roſar.* ℔. ß. *ſuc. citri vel limonum* ℥ iv.

Diligenter miſc. & mixtis adde:

Aq. endiviæ ℥. x. *acetoſæ, roſarum an.* ℥. viii. *nymphææ, ſcabioſæ an* ℥. vi. *cinamomi bugloſſat. an.* ℥. ii. *ſp. vitrioli q. ſ. ad gratam acetoſitatem.*

Denuò miſce pro uſu.

Vires, Uſus, Doſis. In Peſte, morbo Ungarico, Febribus ardentibus, ceteriſque inflammationibus omnibus, ſitim egregiè ſiſtit. Corpus aridum jucunde humectat, & ſuaviter refrigerat. Doſis ab ℥. ij. & ℥. iii.

Liquor Ophthalmicus ſubalbidus.

℞. *Aq. ophthalmic. de cancris* ℥. ß. *euphraſiæ, fœniculi an* ʒ. ii. *troch. & pul. ophthalmic. noſt. an. ß.* i.

Miſc. & f. l. a. Collyrium ſubalbidum.

Vires, Uſus, Doſis. Miræ virtutis eſt contra Amblyopiam, Amauroſim & ſuffuſionem oculorum: Guttatim poteſt in oculum inſtillari citra ullum doloris ſenſum: Cujuſvis enim acrimoniæ expers eſt. Ex ea etiam oculi ſingulis matutinis, idque ad pluſculos dies irrigari debent.

Liquor Nitratus.

℞. *Aq. è ſuc. card. bened. deſtillat.* ℥. xix. *rob. ribium* ℥. iv. *man. chriſti ſimpl.* ℥. ii. *nitri præp.* ℥. i.

Miſc. accuratè, ad uſum repone.

Vires, Uſus, Doſis. Eſt inſigne diaphoreticum, diureticum, bezoarticum refrigerans, &c. in omni æſtuante morbo & malignitate quacunque. Doſis per ſe ab ℥. j. ad ℥. ii. & ℥. iii.

Liquor Cephalicus.

℞. *Aq. apoplectic. noſt.* ℥. iv. *epileticæ, lilior. conval. an.* ℥. iii. *majoranæ, betonicæ, ſalviæ, an.* ℥. iß. *rot. diambræ* ℥. j. *conf. ſmaragdin* ℥ ß. *ſal. ſuccini ab.* ℈. j.

Fideliter miſce & ad uſum repone.

Vires, Uſus, Doſis. Ad paſſiones Capitis valde utilis; Cephalagicis, Hemicranicis, Epilepticis, Apoplecticis, Inſanis, Vertiginoſis, &c. præſenti auxilio eſt: Cerebrum enim confortat. Senſum ſubtiliſat. Intellectum acuit, & memoriam amiſſam recuperat. Doſis à Cochl. j. ad ij.

Liquor Pectoralis.

℞. *Aq. cinamomi bugloſſat. caponis ana unc.* iv. *pulmon. vituli, hederæ ter. veronicæ, farfaræ ana unc.* iii. *lact. ſulphuris* ℥. iii. *flor. ſulphuris* ʒ. ß. *mag. corallorum rub.* ʒ. j. *perlar. orient.* ʒ. ß.

Miſce & cum Man. Chriſti ſimpl. ℥. iii. edulcora, & ad uſum reſerva.

Vires, Uſus, Doſis. Mirabiliter Aſthmaticos, Peripneumonicos, Phthiſicos & Hecticos juvat. Cor confortat. Periculoſe ſeu graviter tuſſientes non ſine admiratione liberat & priſtinæ ſanitati reſtituit. Doſis manè, meridie & veſperi à Cochl. j. ad ij. Et priuſquam ad uſum medicum adhibeatur, diligenter moveatur.

Liquor Cordialis.

℞. *Aq. cordial. frig. & calidæ noſt. ana unc.* iv. *cinamomi bugloſſat. ex corde cervi ana unc.... conf. alkermes* ʒ. ii. *ſal. perlarum orient. corallor. rub. ana* ℈. j.

Mixta edulcorentur Man. Criſti ſimpl. ℥. iß. & ad uſum reſerva.

Vires, Uſus, Doſis. Cardiacis & præter rationem tribulatis prodeſt: Palpitationem, tremorem & ſyncopen curat. Spiritum clarificat. Animum exhilarat. Debiles & languentes recreat. Cor in genere confortat, illudque à Peſte, & aliis malis quam plurimis præſervat. Doſis à Cochl. j. ad ij.

Liquor Acidus Perlarum orientalium.

℞. *Aceti à ſolutione margaritar. orient. in B. M. iterum abſtracti* ℥. ii. *ſp. vitrioli cum ſp. vini debitè rectif. unc. j.*

Miſce & accipies liquorem ſubalbidum, miræ operationis, quem theſauri inſtar ad uſum repone.

Vires, Uſus, Doſis. Caput, Cerebrum, Stomachum, Cor, Hepar, & cetera membra principalia corroborat. Ab Apoplexia, Epilepſia, Vertigine, Lepra, Lue Venera, præſervat. Ægris convaleſcentibus appetitum excitat. Oculorum nebulas detergit. Putredini & Venenis reſiſtit; nec non in Febribus malignis & morbis æſtuantibus extremum refugium. Doſis à ℈. s. ad ß. j. & ʒ. s. in vehiculis appropriatis.

Liquor Acidus Coralliorum rubeorum.

Eodem quoque modo fons acidus Corallorum præparatur ad Capitis affectus, Epilepſiam, Melancholiam, Dyſenteriam, Uteri Hæmorrhagiam; nec non ad ſanguinem & Stomachum rectificandum, morbosque internos quam plurimos radicitus evellendum, & Spiritus animi recreandum, medicamentum admodum illuſtre Doſis à ℈. s. ad ʒ. j. & ℈. s. in vehiculis ſpecificis.

Liquor Nephriticus.

℞. *Aq. è citreis malis per ſe in B. M. deſtillat. nephriticæ noſt. an.* ℔ *js. ſyr. è ſuc. violarum* ℔ *j. ſaccharizandi alb. unc. j. ſal. lap. percarum. piſc. ocul. cancri an.* ʒ. *ij. nitri cum flor. ſulph. præp. ſal. ſuccini, alb. an.* ʒ *j.*

Vires, Uſus, Doſis. Ad frangendum & expellendum Renum & Veſicæ calculum, urinam ciendam, doloremque inde natum ſiſtendum, efficaciſſimus eſt. Doſis manè jejuno ventriculo, vel longè à cibo à Cochl. j. ad ij. & Cochl. *iij.* per ſe abſque vehiculo.

Liquor Diaphoreticus.

℞. *Aq. Theriacal. noſt.* ℥. *vj. Sp. Tartari aliquoties rect.* ℥. *iij. Terra ſigillat. per ſe deſtillat. rectif. Liq. Guajaci rectif. Liq. Acidi Perlarum orient. Acidi Corrallor. rub. ana.* ℥. *s.*

Miſc. & in vitro clauſo per tres aut quatuor ſeptimanas probè digerantur; poſtea liquor filtratus ad uſum ſervetur.

Vires, Uſus, Doſis. Omne venenum à Corde per ſudorem expellit. Valet in Syncope, Ecſtaſiâ, Epilepſiâ, Melancholiâ, Angina, Paralyſi, Hydrope, Ictericia, Pleuritide, Lue Venera, Peſte, morbis Epidemicis, Aſthmate, Febribus malignis & putridis, Menſibus retentis, Contracturis, Scorbuto, Scabie &c. In tollendis enim omnibus obſtructionibus, & putrefactionibus, præ alijs medicamentis hoc ſolum excellit. In Paralyſi quotidie exhibitus, miraculoſe juvat. Penetrat omnes nervos, muſculos, & totam medullam; & quicquid noxium reperit, corrigit atque expellit. Doſis à Drach. ß. ad Drach. j. & Drach. ij. in aq. Cornu Cervini noſt. vel Card. bened. aut alia morbum propriè reſpiciente.

Liquor Refrigerans.

℞. *Aq. è Suc. Cichorei deſtill. Rubi Idæi Card. bened. Roſarum, Endiviæ, Acetoſæ ana* ℥. v. *Rob. Ribium & Berber. ſine ſaccharo parat. Syr. Acetoſ. Citri an.* ℥. *ij. Nitri præp.* ℈. *vj.*

Miſc.

Vires, Uſus, Doſis. In morbis æſtuantibus, Febribuſque acutis &c. inſigniter refrigerat atque confortat. Doſis ab ℥. ij. ad ℥. iii. pro una vice.

Liquor Vulnerarius.

℞. *Rad. Galangæ min. Zedoariæ, Oculorum Cancri macis ana* ℥. *s. mumiæ tranſm.* ʒ. ii. *nuc. vomic.* Gran. xv.

Craſſiuſcule contuſa infund. in Vini generoſi Lib. j. ſtent in loco tepido.

Vires, Uſus, Doſis. De hâc mixtura Doſis manè & veſperi Cochl. j. adeo efficaciter operatur, ut ſi quid infixum in profundo corporis hæreat, illud propellat, ſed in vulneribus capitis nux vomica omittatur.

Liquor Camphoratus.

℞. *Spir. vini camphorat.* ℥. *ij. aq. omnium florum ſpermat. ranar. ana* ℥. *js. ſulphuris anodyni, Vitrioli* ʒ. *j. ſtyrac. liquid. opii Thebaici, ſpirit. Vitrioli an.* ʒ. *s.*

Miſce & ad uſum repone.

Vires, Uſus, Doſis. Cum petijs loco affecto applicetur: Arthritic. enim dolores à cauſa calida ortos, egregiè ſopit. Interim bis in die ægro Nitri præp. ℈. ij. in aq. florum Sambuci offerantur.

Liquor Tartareus.

℞. *Vini Rhenani opt. & fervent.* ℔. *j. tartari vitriolati* ℥. i.

Mixtis & ſ. a. diſſolutis adde:

Aq. hordei cum paſſulis min. & cinamomi coct. Syr. è ſuc. Violarum. ana ℔. *s.*

Miſc. pro uſu.

Vires, Uſus, Doſis. Eſt univerſale digeſtivum, quod in morbis quam plurimis, medicamentis catharticis præmittendum. Offeratur autem calidè, niſi incenſa Febris aut Stomachi intemperies calida adſit. In Febribus detur in aurora, ſi verò paroxyſmus manè invadit, veſperi propinetur. In morbis diuturnis per quinque dies continuetur, & his per diem, mane ſcilicet & à prandio: Sed in morbis Capitis circa introitum lecti exhibeatur. Alvus ſemper ſit libera; ſi enim alvo conſtipata offertur, dolor inde accidere ſolet: Quia materia mota & abſterſa, cum non poſſit excerni, in flatus, qui dolores excitant, convertitur. Doſis per aliquot dies, ubi opus eſt, bonus hauſtus pro una vice.

Liquor Arthriticus.

℞. *Mellis virginei cum favo* ℔. ii. *vitrioli ad flaved. calc.* ℔. i. *ſilicum fluv. calc.* ℔. *s. roriſmarini verbenæ ana* ℥. *vj. hermodact. alb* ℥. iii. *gum. ammoniac, maſtichis, olibani, myrrhæ rub. bdellii, opopanac. ana* ℥. ii. *ſulphuris citrin. ſalis marin. tartari alb. ana* ℥ *is. Succ. hyoſcyami inſpiſſ. mumiæ tranſmarin. opii thebaici ana* .

Mixtis affunde Sp. Vini è fecibus vini rub. vel è confectione Laudani opiat. reſidui Lib. v. vel q. s. & digerantur per aliquot dies: Poſtea per alembicum vitreum bene lutatum, addito latis magno capitello, cum Recipiente capaci ſecundum gradus, quamdiu vides guttas ſeu ſpiritus exire, deſtillentur; deinde frigeſcat. Caput mortuum ſeu feces pulverizentur, illiſque deſtillatum liquorem denuò affunde, & ſecundâ vice deſtilla. Hic labor tertiâ vel quartâ vice repetendus, & ſic liquor Arthriticus verè paratus eſt.

Vires & Uſus. In omnibus diuturnis, & inveteratis doloribus, & defluxionibus membrorum & juncturarum, ſecretum eſt: Inungatur autem locus affectus aliquoties in die tepidè, certis tamen intervallis, donec cruciatus & dolores omnes ceſſent.

Liquor Antipodagricus trinunus.

1.

℞. *Sp. vini opt. rect.* ℔. ii. *aq. ſpermat. ranar.* ℔. *js. mellis virginei* ℔. i.

Miſc. & in BM. deſt. & liquorem evocatum ſeorſim cuſtodi, capiti mortuo & pulveriſato adde:

Lixiv. ſarmentor. vitis ℔. ii. *tartari alb.* ℔. *s. Phleg. vitrioli à ſpiritu nondum ſeparati* ℥. iv. *caſtorei veri* ʒ. *vj. croci orient.* ℥. *s. terebinth. venet.* ʒ. ii. *ſalis fuſi* ʒ. *j.*

Macerentur per 24. horas; poſtea deſtilla & liquorem deſtillatum conſimiliter ſeorſim repone. Capiti mortuo denuò exempto & pulveriſato affundatur liquor primæ deſtillationis reſervatus totus. Miſce iterum, & poſt debitam digeſtionem tertia vice deſtilla; Ultimo liquores ſtillatitios mixtos adhuc ſemel in B. M. rectifica & ſerva, ſigneturque. *Aq. Spermatis Ranarum compoſita.*

2.

℞. *Caryophyllorum.* ʒ. vj. *Hermodactylor. alb. Rad. Juniperi ana* ℥. *s. nuc. moſchat.* ʒ. ii. *herb. verbenæ, fol. ſambuci an. m.* ii. *flor. lavendulæ, ſpicæ nard. majoranæ roriſmarin. betonicæ an. m. j.*

Incidenda incidantur, terenda terantur, ac infundantur in vini Rhenani opt. Lib. v. Stent in digeſtione per 24. dies ac noctes; poſtea per alembicum deſtillentur, ſigneturque.

Aqua Arthritica.

℞. *Alu-*

3.

℞. *Aluminis* ℔. II. *vitrioli alb. virid. æris an.* ℔. *ſ. Tartari alb. Lithargyrii, oſſ. ſepiæ, ceruſſæ an.* ℥. IV.

Subtiliſſimè contuſa miſce, evapora, & evadit griſeus lapis, ſignetur:

Lapis admirabilis.

4.

Nunc ſequitur compoſitio.

℞. *Aq. ſpermat. ranar. comp.* ℔. IV. *arthriticæ* ℔. *j. lap. admirabil.* ʒ. III. *cryſt. nitri* ʒ. II. *croci orient.* ℈. *ſ.*

Mixta ſtent in infuſione per noctem; & ſic demum liquor filtratus ad uſum reponendus.

Vires, Uſus, Doſis. In hoc liquore (quo hodierni Chymiatri & Practici feliciſſimè utuntur) immerge lintea, & calide loco affecto frequenter, vel ad minimum ter vel quater in die appone, continuando, donec intolerabiles cruciatus, ac immenſiſſimi dolores ceſſent, & penitus evaneſcant: Singulare enim & incomparabile ad ſiſtendum dolorem podagricum, & adventitii humoris impetum propulsandum, experimentum eſt. Liquor verò ſic dictus, quod tribus conſtet compoſitionibus.

Liquor Veſtimentalis.

℞. *Aq. Fontanæ* ℔. II. *cineris clavellat. ad quantitatem nucis jugland. major. malorum citriorum minutim inciſ. nn. j.*

Miſc. & ſtent in digeſtione per 24. horas; poſtea filtra, & liquorem clarum ad uſum reſerva.

Vires & Uſus. Omnes ſordidas, oleoſas & quaſi piceatas maculas, tam ex pileis quam veſtibus, vel ſericis, laneis, lineis, aut bombicinis in puncto ſtatuit atque tollit. Remotis autem maculis, locus purus aquâ dulci confeſtim & ex tempore abſtergendus eſt.

Liquor Mercurij Vivi.

℞. *Mercurii vivi aq. fortis an.* ℥ *j.*

Solvatur Mercurius in aq. forti, & ſolutis adde:

Aq. plantaginis ℔. II. *lap. medicament. cum aq. roſar. fact.*

Miſce & ad uſum repone.

Vires & Uſus. Liquor hic Mercurialis ſubalbidus in partibus corporis exterioribus, omnes defluxiones, omniaque ulcera & vulnera antiqua, præſertim vetera aphrodiſia & ſordida deſiccat & cicatrice tegit. Morphæam, faciei furfures, puſtulas & maculas curat ac abigit. Inſuper ad exſiccanda Eryſipelata, & ſanandas fiſtulas, remedium eſt ſingulare. In applicatione autem cave, ne oculos vel dentes attingas.

Liquor Ceruſſæ.

℞. *Ceruſſæ veræ* ℥. *j. Nihil ſicci* ℥. *ſ. lap. calaminaris, lithargyrii ana* ʒ. *ij. tutiæ præparat. ſpodii ana* ʒ. *j.*

Subtiliſſimè pulveriſatis & mixtis affunde:

Aq. ſemper-vivi domeſt. plantaginis major. roſarum rub. an. ℥. III.

Denuò miſce & ad uſum repone.

Vires & Uſus. Externe membra tumore, rubore, & inflammatione aliqua infeſtata, refrigerat & deſiccat. Dolores ſedat, Oculorum lippitudines curat. Citrinas faciei totiuſque cutis maculas abſtergit, formamque hominis vividam & nitentem reddit. Uſus ejus in crebrâ per ſingulos dies adhibitione conſiſtit.

Liquor Tutiæ.

℞. *Tutiæ præparatæ lithargyrii, ceruſſæ, camphoræ,* ʒ. *j. aluminis crud.* ʒ. *ſ.*

Omnibus diligenter mixtis adde:

Aq. plantaginis roſarum an. ℥. IV.

Iterum miſce & ad uſum communem repone.

Vires & Uſus. Partes corporis exteriores conſimiliter refrigerat & exſiccat; propterea omnibus inflammationibus, & tumoribus conducit.

Liquor Mercurij Saccharatus.

℞. *Aq. plantaginis, roſarum ana* ℥. IV. *ceruſſæ* ℥. *j. mercurij ſublimat, ſacchari cand. alb. ſpir. vini opt. ana* ℥. *ſ.*

Miſce & adde: Aq. fortis ℈. j. & ſignetur *Flechten-vvaſſer.*

Vires, Uſus, Doſis. Impetiginem & Lichenes omnes etiam contumaciſſimos curat. Ante uſum autem, ſemper moveatur, & cum penicillo liquore intincto, tangatur locus affectus.

Liquor Mercurij Acetoſus.

℞. *Vitrioli alb. camphoræ an.* ℥. *ſ. mercurij ſublimat ceruſſæ, tartari alb. aluminis uſt. an.* ʒ. *ij. nihili alb.* ʒ *ſ.*

Miſc. & f. pulvis. ℞. hujus pulveris ℥. ſ. Aceti Vini opt. ℥. IV. Denuo miſce, & ad uſum repone.

Vires, Uſus, Doſis. Utimur eodem modo, præcedentibus tamen corporis mundificationibus, ad omnes impetigines & Lichenes perfectè ſanandas.

LITHANTHRAX, vid. *Carbo Petræ.*

LITHARGYRUS.

Lithargyrus, vel *Lithargyrium* plumbum eſt ſcoriis cupri imprægnatum, & quaſi in ſpumæ metallicæ formam per calcinationem redactum. Paratur hæc materia dum cuprum purificatur poſtquam è fodinis ſuis, in Polonia, ſcil. Suecia ac Dania exemptum eſt.

Duæ Lithargyri dantur ſpecies, quarum alia coloris eſt flavi ſubrubentis, quæ Lithargyrium auri vocatur, ſeu Chryſitis, ſeu Celauritis: Alia coloris eſt aliquatenus argentei, & propterea Lithargyrium argenti, ſive Argyritis dicitur. Varietas autem coloris in duabus hiſce Lithargyrij ſpeciebus aliam cauſam non agnoſcit quam magis vel minus intenſius calcinationis gradus: Scilicet Lithargyrium auri ignem diuturniorem ac vehementiorum paſſum eſt quàm Lithargyrium argenti. In utroque Lithargyrio vix aliud quàm plumbi materiam reperire eſt, quandoquidem paucæ admodum cupri ſcoriæ in iis reſtitant.

Conficitur etiam Lithargyrium dum aurum ac argentum per cupellam ſeu cineritium depurantur, ſed parcâ quantitate, hoc autem à priori non differt.

Lithargyrium ſeligatur in parvula fruſta diſſectum, probè calcinatum, purum, coloris intenſioris, ponderoſum. Quod Dantzicho ad nos advehitur multò pulchrius eſt quam quod ex Anglia adducitur. Figuli eo utuntur pro eleganti vernice coloris ænei viridis ſuis operibus conciliando. Adhibetur itidem à pictoribus, tinctoribus, pellionibus atque iis qui telas ceratas conficiunt. Sed præterea medicis uſibus non parum inſervit: Lithargyrium etenim deſiccat, deterget, refrigerat, corruſque ac conſiſtentiam præcipuæ emplaſtrorum parti conciliat, dum in oleis ac pinguibus per coctionem diſſolvuntur.

Lithargyrium ſic vocatur à λίθος *lapis* & ἄργυρος *argentum.*

Lithophiton, vid. *Corallina.*

Lithontriptica, vid. *Nephitica.*

Lithospermum, vid. *Milium Solis.*

LITUS.

Litus, ſeu *Linimentum* conſiſtentiam habet mediam inter oleum & unguentum, oleo craſſius, unguento liquidius eſt.

Componitur ex oleis, axungijs, butyro, pulveribus, medullis, unguentis. Proportio ea eſſe debet ut ad duas olei partes ſit una axungiæ, aut butyri, pulverum parum.

Doſis totius linimenti eſt ad ℥iv. plus minus pro partis affectæ magnitudine. Cera non eſt addenda quia poros obſtruit.

Uſus eſt 1. ad refrigerandum & demulcendum dolorem in partibus æſtuantibus.

℞. Unguent. roſat. Meſues & cerat. refrig. Galeni loti in oxyc. ãã ℥j. ſal. ſaturni ʒj. ſucci endiviæ q. ſ. f. Linimentum.

Pars æſtuans vel inflammata illiniatur hyeme tepidè, æſtate frigidè.

2. Ad pectus laxandum. In cauſa calida, ut peripneumonia, pleuritide, tuſſi, ſolo utimur oleo amygdal. dulc. pro pectoris linimento.

3. Ad refrigerandum, laxandum & demulcendum dolorem in nephritide ſive febre.

℞. Unguenti de alth. ℥j. olei ſcorp. Matth. ʒß. olei lilior. q. ſ. f. Linimentum quo lumborum regio illiniatur.

4. Ad reſolvendum & roborandum in paralyſi, convulſione utere balſamo Guidonis.

5. Ad mitigandos dolores hæmorrhoidum eorumque tumores diſcutiendum.

℞. Unguenti roſ. loti in aq. roſar. ℥ij. mercur. crudi ʒii. M. f. Linimentum, Tencke.

Hactenus de Litibus in genere, ſequuntur jam variæ eorundem Formulæ ad varios uſus ex variis Auctoribus.

Linimentum de ♄i, Balſamus ♄i *ex Schrod.*

Solve Sal ♄. in ✳, ut optimè eo imprægnetur, hinc abſtrahe aliquantulum ✳, miſceque hujus ℥viii. cum olei roſat. unc. iv. vi. &c. agitaque ut f. Linimentum.

Vires. Confert Inflammationibus, & ambuſtis illitum.

Linimentum ♄i compoſitum, ſeu Linimentum de amianto. *ex Schrod.*

℞. Amiant. ʒiv. plumb. uſt. ℥xii. tut. præparat. ℥ii. calcinentur, deinde pulveriſata macerentur cum ✳, ac quotidiè per menſem materia agitetur ſemel: poſt menſem ebullienda eſt unius horæ quadrante, ac quieſcere ſinitur, donec clareſcat.

Deinde,

℞. Aceti hujus clari. ol. roſae. an. miſc. optimè, donec f. limentum.

Vires. Miraculoſum eſt, ad tineam puerorum, & ad ulcera tibiarum ſananda. Inungitur ſcil. pueri caput totum ad ſcabiem, Ulcera veſperi inunguntur, Boëtius de Boodt.

Linimentum dentifricium, *ex eodem.*

℞. Rad. ireos ʒj. pumic. ʒiß. alum. uſt. ℥ß. oc. ⚭. corallor. rubr. an. ʒj. pulveriſata excipiantur melle roſato f. linimentum.

Linimentum Errhinum, *ex eodem.*

℞. Succ. ireos. cyclamin. majoran. betæ ana ℥iß. ol. irin. ʒvi. elaterii gran. vii. *cum cera. f. linimentum.* Crato.

Linimenta varia ex D. Charraz.

Linimentum hæmorrhoidale.

℞. Flor. ſulphur ʒii. olei ovor. ℥ß. olei roſati ℥i. m. f. linimentum hæmorrhoidibus admovendum. vel.

℞. Sal ſaturni ℥ß. olei camomillæ, roſati, ſucci capillor. vener. an. ℥ii. f. ex a. linimentum ad formam nutriti. vel.

℞. Olei lini, pulpæ cepæ ſub cineribus coctæ an. ℥i. ceræ albæ ℥ß. f. ex a. linimentum. vel.

℞. Pulpæ millepedum, unguenti populei, olei ovorum an. ℥j. extracti opij ʒß. m. f. ex a. linimentum.

Linimentum ad Herpetes.

℞. Mercurij præcipitati rubri, vitrioli viridis ana ℥j. aluminis uſti ℥ß. viridis æris, borracis ana ʒii. ſucci lapathi acuti ℥ii. axungiæ porci, butyri recentis ana ℥iv. olei hyoſciami expreſſi ʒi. f. ex a. linimentum.

Linimentum Iſchiadicum.

℞. Canes noviſſimè natos & talpas viventes ana n. iii. *lumbricor. terreſtr. ℔. j. folior lauri, roriſmar. menthæ, majoranæ, lavendulæ, ſerpylli, hyperici ana m. j. coquantur in olei communis, & vini rubri an. ℔.* iii. *ad vini conſumptionem, poſtea colentur, & fortiter exprimantur, addendo expreſſioni ceræ citrinæ, & axungiæ anſeris an. ℥x. & factum erit linimentum. Sed at dolores iſchiadicos & rheumaticos calide prope ignem parti affectæ inunctum.*

Linimentum ad variolarum cicatrices prohibendas.

℞. Lythargirij auri præpar. ceruſſæ in aq. roſar. lotæ ana ℥j. olei ſemin. 4. *frigidor. maj. mundator. amygdalar. dulc. & ovorum an. ℥ß. aquar. ſolani, plantaginis an. q. ſ. f. ex a. linimentum ad formam nutriti.*

Linimentum ad arcendum vomitum.

℞. Ol. nuc. moſch. expreſſ. & aq. regin. hungar. ãã. ℥ß. olei ſtill. abſint. ʒj. maſtich. elect. ſubtiliter pulver. ʒii. m. f. e. a. linimentum ſtomacho calidè applicandum.

Linimentum Somniferum.

℞. Unguent. roſ. & popul. ãã. ℥j. olei ſem. hyoſc. expr. ʒii. extr. opij liquidior. ʒj. m. f. linimentum ad uſum.

Applicatur fronti & temporibus pro ſedandis doloribus capitis, & ſomno conciliando.

Litus Varii ex Vveikardi Diſpenſatorio.

Linimentum pro Renibus.

℞. Pinguedin. cuniculi, capon. mucilagin. ſem. althææ cum aq. parietariæ facta ãã. ʒii. unguent. roſ. ʒi. olei ſcorpion. ʒß. acet ℈ii.

M. & hoc Linimento lumborum regio inungatur.

Linimentum in Dolore Capitis ſiſtendo utile.

℞. *Unguenti alabaſtrin. populeon. an.* ℥. II. *opij gr.* ij. *ol. papav.* ℥. j. ß. *nucis moſch. expreſs. gr.* IV.
Fiat mixtura qua frons & tempora illinenda.

Aliud in dolore podagrico.

℞. *Mucilag. ſem. fœnugr. pſyllij, ſem. Althea an.* ℥. j. ß. Additis *ol. roſar. & chamamel. an. q. ſ.* extrahantur Mucilagines cum Aceto, & talis mixtura linteis excepta parti dolenti admoveatur.

Linimentum ad intertigines.

℞. *Medull. ſeu ſevi cervini* ℥. ß. *Butyri recent.* ℥. j. *Ceruſſ. lot.* ℥. II. *lithargyr. loti* ℥. I. ß. *Myrrha. Drach. j.*
Modico ol. Amygd. dulc. fiat linimentum.

Linimentum ad Mammillarum dolores lacte turgentium & inflammationes uſu crebro probatum.

℞. *Ol. lini* ℥. III. *papav.* ℥. j. *cera nova* ℥. II. *liqueſcant, & linteis excepta mammis imponantur.*

Aliud dolorem ſiſtens ex inflammatione.

℞. *Ol. Nenuphar. papav. hyoſcyam. an.* ℥ j. *cremor. ſem. pſyll. rad. alth. ſem. lini extracti cum aq. ſolan. an.* ℥. ß. *ung. roſac.* ℥ j. ß.
Miſc. f. linim. quo partes affectæ calidæ illinantur.

Linimentum defenſivum.

℞. *Boli armen. lot., ſanguinis dracon. Corall. rubror. lapid. hæmatit. an.* ℥. II. *croci martis, ceruſſæ an.* ℥. j. *ol. roſac. omphac hyoſcyam. an.* ℥. j. *aceti vini.* ℥. j. *cera modicum.*
Miſc. f. Liniment.

Linimentum ad capitis vulnera cum cranij fractura.

℞. *Mellis roſati colati.* ℥. II. *ol. ovorum vel roſac.* ℥. j. *terebinthin. lota* ℥ ſs.
Fiat mixtura, quæ ſyndone rubra excepta duræ matri detectæ imponatur, ubi vero dies ſeptima vel undecima præterierit, ſequentia parti affectæ applicanda.
℞. *Mell roſat. colati* ℥. II. *terebinthin lota* ℥. j. *ſpiritus vini, g.* X.
Miſces omnia ſimul, calefiant lento igne & linamenta tenuiſſima hiſce imbuta actu calida applicentur, & ſi olei de Myrha ℥. ſs. addatur, commodiſſimum & aptiſſimum erit.

Aliud ad oſſa corrupta, & ulcera maligna quo tamen cautè utendum.

℞. *Ol. ſtillat antimon.* ℥III. *vitriol. tartari an* ℥II. *ſulphur. myrh. ligni guaiaci an.* ℥. j. *garyophyll.* ℥. ſs.
Miſc. omnia, & cum utr voles, os corruptum bis terve tangatur Bombace in hoc Linimento intincto, quod ad extremum ſpecilli alligandum, ac tum os à carie ſanabitur, ſimulque quod corruptum eſt dilabetur.

Linimentum in dolore pleuritico.

℞. *Ol. chamamel. irini an. part. aequal. Aceti vini partem unam, miſc.* Fiatque Linimentum, quo latus affectum inungatur.

Linimentum ad ambuſta vulnera.

℞. *Lardi ſaliti* ℔. ſs.
Incidat. minutiſs. & ad flammam liquato adde.
Cort. medior. ſambuc. virid. m. I. ſs.
Coque omnia ſimul & exprimantur fortiter, colatura inungatur locus aduſtus bis quotidie.

Aliud Empyreuma extinguens.

℞. *Ol. nuc. jugland. ſemin. lini an. part. aeq. unguent. populeon. part.* I. *vitellor. ovor. num.* IV. *ſalis parum: aqua ex ſpermat. ranar. elicita* ℥ j. ß.
Coquantur ad Aquoſitatis conſumptionem, poſtea exprimantur fortiter, expreſſo utere ut jam dictum.

Aliud ad ambuſta paratu facile.

℞. *Butyri majalis* ℔. ß. *vel ol. roſati, vitellor ovorum num. 6. nitri albi* ℥. I. *capar. minorum inciſar. num.* II. *corticis medii ſambuci p.* I.
Miſc. & bulliant lento igne donec vitelli ovorum prorſus indurata fuerint, poſtea colentur cum fortiſſima expreſſione fiatque linimentum, quo pars affecta ter aut quater in die inungatur.

Aliud præſtantiſſimum linimentum ad empyreuma pulveris Tormentarij reſtinguendum.

Butyrum liquefactum ſummeque fervens in Aquam ex ſpermate Ranarum deſtillatam injice, id decies aut ſæpius repetendo, donec Butyrum lactis inſtar albeſcat, ejus itaque *præparati* ℥III. miſc. cum ℥. I. *ol. luteorum ovorum* fiatque linim. quo partem pulvere Tormentario maculatam inungas, eſt enim ad id ſingulare Remedium.

Sequens etiam laudatur.

℞. *Calcis in vino generoſo extincta* ℔. ß.
Exſiccetur iterum & pulveriſetur ſubtiliſſimè, miſc. cum ſ. q. ol. communis, fiatque linimentum molle quo bis in die mane & veſperi pars læſa illinatur.

Linimentum ad Sciſſuras papillarum Lactantium.

℞. *Herba vulneraria*, quam nonnulli virgam Auream vocant, *Geranij an. part. aequal.*
Colligantur tempore Maji, incidantur & contundantur in mortario, deinde coq. in butyri Majalis non ſaliti quantitate ſufficiente, exprimantur fortiter & expreſſum reſervetur uſui.

Linimentum infrigidans puerorum.

℞. *Ungu. Roſati, populeonis an.* ℥. I. ß. *ol. violar. Nymphea an.* ℥. I. *ceruſſ. lota.* ℥. II. *camphor.* ℈. I. *cera virgin.* ℥. I. *aceti rutac.* ℥. I.
Coquant. ad ignem donec Acetum fuerit conſumptum, removeantur ab igne, & cum infrigidari cæperint, ceruſſa pulveriſata inſpergantur fiatque Linimentum.

Aliud in dolore Renum & expellendo calculo.

℞. *Unguent. roſac. infrigidant. Galeni an.* ℥. I. ß. *ol. ſcorpion. Amygdal. amarar. an.* ℥. ß. *Amygdalar. amarar. excort. & ſubtiliſſ. tritarum* ℥. *iii.*
Miſc. f. linimentum.

Aliud in inflammatione Renum.

℞. *Ungu. infrigid. gal. roſat. Populeon. ſing.* ℥. j. ß. *ol. violar. Nymphea an.* ℥. j. *Aceti roſac.* ℥ ß. *ſpec. Diatrion. ſant.* ℥. j. *Pulv. rad. plantaginis aquatici,* ℥. ß.
Miſc. & coquant. lento igne exprimantur per linteum, & expreſſo utere.

Aliud

Aliud Nephriticum, ureteres dilatans.

℞. *Ungu. roſat.* ℥. j. *ol. Amygdal. dulc.* ℥. ß. *Amygdal. amarar. num.* VI.
F. Linimentum.

Aliud in Dolore Pleuritico valde utile.

℞. *Rad. Alth. minutim inciſ.* ℥. ß. *ſem. lini* ℥. ß. *fœnugræc.* ʒ. II.
Cum aquæ Malvæ q. ſ. extrahatur ut moris eſt mucago, cui adde ol. Amygdal. dulc. ʒIII. de floribus chamom. roman. ʒ. j. miſc. pro linimento, quo pars affecta bene inungenda, & linteis calidis duplicatis fovenda, valet ad ſiſtendum dolorem in parte quacunque.

Aliud pro Lumbis in dolore calculi.

℞. *Mucag. ſem. lin. fænug. cum aq. malvæ extracta an.* ʒ. III. *butyri recentis loti in aq. roſar.* ʒ. II. *adipis cuniculi* ʒ. jß. *ol. lilior. albor. violar. an.* ℥. j. *ol. ſcorpion.* ℥j. ß. *cheyrini* ʒ. j. *aceti cochleare j.*
Vel ſi nulla adſit inflammatio, loco aceti ſumatur aquæ vitæ ſimpl. tantundem, fiatque Linimentum, quo ſpina dorſi circa fornacem calidam mane & veſperi inungatur, imprimis valet quando calculus ejici nequit, nam hoc linimentum partim anodynon eſt, partim emolliens, & aperiens meatus urinarios.

Aliud in Paralyſi & reſolutione membrorum.

℞. *Ol. vulpini* ℥. j. *coſtin. amygdal. amar. an.* ℥. ß. *butyri recentis majalis* ℥. ß. *pingued. catti ſylveſtris* ʒ. III. *taxi, anatis vel anſeris an.* ʒ. II. *humanæ,* ʒ. j. ß *camphor.* ℈ j. *ſtactæ* ʒ. j. *pulver. ſem. nigell. flor. lavend. an.* ʒ. ß. *aq. vitæ ſimplicis cochl.* III.
Miſc. lento carbonum igne, & exprimantur per linteum rarum, fiatque linimentum molle quod reſervetur uſui in vitro benè munito.

Aliud ad Motus imbecillitatem.

℞. *Ol. laurin. maſtichin. an.* ℥. ß. *juniper.* ʒ. ij. *petra* ʒ. I. *ſtillat. lavendul.* ℈. II. *garyophyll.* ℈. I. *nuciſt. expreſſ.* ʒ. I. *ſtyrac. liquidæ* ʒ ß. *ſpiritus vini ter ſublimati* ʒ. j. ß. *ſevi cervini* ʒ. IIſs.
Miſc. pro linimento, quo ſpina dorſi inungenda.

Linimentum meum Cordiale quando quis peſte correptus.

℞. *Ungu. roſat. Meſuæ.* ℥. II. *ol. ſcorpion. ſimplic.* ℥. j. ß. *magri Matthiol.* ʒ. II. *nucis moſchat. expreſſ.* ℥. ß *ſtillat. cortic. citri.* ℈. IV. *camphoræ* ʒ. I. *antidoti Matthioli, theriac. Andromachi an.* ʒ. j. ſs. *aceti roſarum* ʒ. II.
Miſc. fiatque Linimentum quo cordis regio diligenter illinenda, antequam epithemata applicentur.

Aliud cordiale.

℞. *Unguenti roſati vel pomatæ pretioſæ* ℥. ſs. *ol. ſtillat. de corticibus citri* ℈. ſs. *cinamom. g.* III. *aceti roſar. g.* v.
Miſce pro Linimento, cujus uſus ſit idem.

Linimentum Melluminatum, & aliud Linimentum ſimplex è Pharm. Bateanâ.

Linimentum Melluminatum.

℞. *Pulver: aquileg. ſalviæ, menthæ, nucis moſchat. ãã* ʒ ß. *alum. uſti* ℥j. *mellis* ℥IV. *m.*
Facit pro ulceribus gingivarum, inflammationibus, laxitate.

Linimentum Simplex.

℞. *Succi ſolatri, olei roſac. ãã* ℥XX. *coq. ad ſucci conſumptionem colat. add. lithargyr. ceruſſ. ãã* ℔. j. *m. ſ. a.*

Linimentum egregium in Arthritide vagâ D. le Mort è Collectan. Chymic. Leydens.

℞. *Olei caſtor. vulpini ãã* ʒII. *chamæmelini, anethini ãã* ʒj. *ſapon. veneti* ℥j. *camphor.* ℈j. ß. *vini rectif.* ʒII. *agitentur tamdiu ſimul, donec in linimentum album fatiſcant.*
Inde fit etiam oleum & ſpir. egregij uſus in diureticis.

Linimenta varia ex Freder. Hofmanni Theſauro Pharmaceutico.

Linimentum Salutis *D. R.*

℞. *Ung. roſar. Meſ.* ℥jß. *theriac.* ʒvj. *ſpec. cordial. temperat.* ʒii. *ſantal. citrin.* ℈j. *croci or.* ℈s. *camphor.* ʒs. *cum ol. ſcorpion ſ. q. & balſam. citri. rutæ. angelic. ſalviæ. an.* ℈j *f. linimentum.*
Uſus. Externè in febribus malignis & virium debilitate ſcrobiculo cordis cum linteo imponitur.

Linimentum Naſale *Ejuſd.*

℞. *Fl. lavendul. anthos. ſalviæ. an.* p. j. *gummi ammoniac. caſtorei an.* ℈IV. *helebori alb.* ℈IV. *ſemin. nigell. ſeſel. pyrethri. an* ℈I. *cubeb. piper. alb. an.* ℈s. *ſcammon. elaterij, an.* ʒs. *moſchi ambr. an. g.* v. *ſubtil. pulveriſ. incorpor. ol. irini ſ. q pro linimento.*
Vires. Errhinum eſt exquiſitiſſimum contorto linteolo naribus inditum.

Linimentum ad Ariduras.

℞. *Ung. alth. ol. popul. lauri. an.* ℥IIs. *ol. olivar. juniperi. an.* ʒv. *lumbricor.* ʒIs. *ping. taxi. U ſi. an.* ℥Is. *ſem. cymini* ℥j. *ſev. cervini* ʒIs. ⊕ ʒIs. *cervi virgin.* ʒIs. *f. linimentum.*

Linimentum pro Nervo retracto.

℞. *Pinguedin. human. taxi, viperar. an.* ℥j *ol. lumbricor. ſucci alth. an.* ℥s. *ceræ parum m. f. linimentum.*

Linimentum in Contracturâ.

℞. *Euphorbij. ſpec. diatr. piper. ſemin. urtic. an.* ʒij. *O plumoſ.* ℥s. *cantharid.* ʒs. *ping. vulpis. taxi ol. lumbricor. an.* ℥j. *f. linimentum molle.*

Linimentum pro penis erectione.

℞. *Succi paſtinac. ol. ſinapi. an.* ℥s. *ovor. formicar. magnar.* ℥s. *piſtentur & exponantur* ☉ *li per* ♂♄*, deinde miſce omnia in formam linimenti.*
Uſus, Hoc inungatur glans antè coitum; & ſi penis remaneat rigidus, aqua tepida abluatur, ſic enim deprimitur.

Linimentum Antipodagricum W. P.

℞. *Vitrioli ad albedin. calcinat. q. v. deſtilla ut*

moris

moris eſt tum ſepara phlegma vel per alemb. vel per retort. liquorum adhuc per ſe ſemel pelle per retort. quo phlegma ritè ſeparetur, quod ſerva.

℞. Pinguedi. porc. recent. ℥. XXIV. *coq. donec nigreſcat; inde cucurbit. adde prioris liquoris* ℥VI. ß. *probè obtura & agita invicem: poſtea coq. in aren. donec penitus nigreſcat, non nunquam parum agitando. Huic, adde vini è caryophyll. cinnam. nuciſt. zinzib. oliban. maſtich. myrrha, croco & ſpir. juniper. aſſati* ℥III. ʒVI. *ol. ſpic.* ʒII. *pone ad refrigerandum.* Hoc linimentuo penes ignem locus dolens ter de die illinendus & poſtea ſemper obligandus.

Linimenta varia è Pharmac. Perſicâ.

T E L O N I.

Linimentum

Ad ſanguinem è naſo fluentem.

℞. Farinæ hordei, balauſtiorum, opij, ſantali albi, ana dr. 3. *acaciæ, aſſæ fœtidæ, camphoræ, ana dung.* 1.

Madefiant roſaceâ, & frontis unctio fiat.

T E L O N I.

Linimentum

Productionem capillorum prohibens.

℞. Bufonem; ad umbram deſicca, & contere; tum ſanguinis teſtudinis fluviatilis deſiccatum, & calcem, & nitrum, & lithargirium, & matreſperlas uſtas q. v. aquâ dilue; quod ſi hac mixtione pilos ſub brachiis, & in inguinibus creſcentes jam abraſos linieris, amplius non exurgent.

T E L O N I.

Linimentum

Efficax contra pruritum, & ſcabiem ſiccam.

℞. Pulpæ nucleorum malorum Armeniac. Salis edulis, Seminis oxylapathi perſici, ana dr. 20. *Mercurij enecati dr.* 2.

Hæc omnia ex dr. 20. oxygalæ, ſeu lactis aceroſi excipiantur, & in hypocauſto fiat linimentum, quod ad horam relictum, poſtmodum abluatur.

TELONI HEMIN CHASSIET.

Linimentum ad ſcabiem humidam.

℞. Nitri, Myrrhæ, Coſti, Struthij, a. dr. 10. *Storacis liquidæ, dr.* 5.

Madefiant oleo roſato, & in balneo utantur ad unctionem; elapſiſque tribus horis, aquâ calidâ adhibita ablutio fiat.

T E L O N I.

Linimentum

Ad verrucas evellendas, & eradicandas.

℞. Gallarum, Aluminis ſciſſilis, Seminis erucæ, ana q. ſ.

Tenuiſſimè terantur; & conficiatur linimentum ex felle bovis, quo aliquoties utere ad intentum.

T E L O N I.

Linimentum.

Ad puſtulas humidas in facie parvulorum excreſcentes.

℞. Ceruſſæ ſtanni, drach. tres, Roſarum, dr. duas, Florum granatorum, Croc indici, ſive Curcumæ, an. dr. unam, Camphoræ, chalcos, 2. *Ceræ albæ, dr.* 2. *ſ. Olei roſati, dr.* 10.

Cerâ in oleo liquefactâ; cæteriſque pulveratis, maſſa fiat ad linimentum.

TELONI GEHET SCHEPESCH.

Linimentum ad pediculos.

Ad infirmitatem quam phtiriaſim vocant, probatum remedium.

℞. Staphiſagriæ, Salis petræ, ana drach. duas Auripigmenti rubri, ſeſquidragmam. Argenti vivi enecati, dr. unam.

Fiat linimentum ex aceto, & oleo roſato. Quod ſi corpus liniatur oleo carthami, & aquâ, in qua ebullierint folia roſarum, & myrti ritè abluatur, effectum eundem ſortieris.

T E L O N I.

Linimentum

Ad ulcera corrodentia.

℞. Nitri, Ammoniaci, Euphorbij, Sulphuris flavi, Foliorum ficus, an. q. v.

Fiat linimentum ex aceto.

T E L O N I.

Linimentum

Ad dolorem capitis ſedandum perutile.

℞. Moſchi, Aloës, Euphorbij Caſtorei, Gummi Arabici, Agallochi, Croci an. dung. 2. *Opij, dung.* 1. *ſ.*

Humectentur aquâ Petroſelini Macedonici, vel aquâ majoranæ; & fiat linimentum, quod chartæ aptatum, applicetur fronti, & temporibus.

T E L O N I.

Linimentum

Ventrem adſtringens, ac dyarrhœam compeſcens.

℞. Acaciæ, Cyperi, Myrrhæ, Thuris, Fungi marini, Nucis cupreſſi, Gallarum, Roſarum, Myrobal. belleric. Boli Armenæ, Milij, vel Melicæ, Orizæ, Lentium, Glandis, Balauſtiorum, Herbæ appollinaris, Santali, an.

Fiat linimentum in epigaſtro, ex aquâ myrti, aut aquâ coroneorum.

T E L O N I.

Linimentum

Fœtorem ſub brachijs diſſipans.

℞. Helenij, Ariſtolochiæ longæ, Foliorum cucumeris, Chartæ, Vitri, an. q. v.

Pulverentur, & comburantur; adde croci ad pondus omnium: & fiant globuli ex aquâ myrti, & exſiccentur; dein ſcalpant partem ſub humeris fœtentem, donec ſanguis erumpat: fiat, & applicetur linimentum per diei integræ ſpatium, conſtans ex globulo uno roſacceâ diluto, & deinceps ceſſabit fœtor.

Linimenta ex Collectione Clariſſ. Theophili Bierlingii.

Linimentum *D. Agricolæ* contra ariduram.

℞. Euphorb. ſpec. diatr. piper. ſem. urtic. ã. ʒII. *alumin. plumoſ.* ℥ſ. *canthar.* ʒſ. *axung. vulpis, taxi, lumbricor. ã.* ℥I. *m. f. linimentum.*

Linimentum molle *Ejusdem.*

℞. Rad. raphan. ſylveſtr. ℥II. *cantharid.* ʒI. *ſem urtic.* ʒIII. *radic. A aron.* ʒII. *piper. long.* ℥Iſ *euphorb.* ℥ſ. affunde ſpiritus vini optimi ℔IV. ſtent in digeſtione per octiduum, poſtea deſtilla.

Linimentum contra ulcera cervicis uteri.

℞. Succ. apij ʒI. *mell. roſac.* ℥VI. *terebinth* ʒII. *farin. orob. vel hordei q. ſ.* f. linimentum.

Aliud.

Aliud.

℞ *Hydromell. q. ſ. adde marrub. centaur. minor. agrimon. ãã. m ß. rad. ariſtol. rot unc. ß. coq. colatur. adde Pulv. rad. ireos, farin. orobi, mellis q. ſ.* f. l. a. Linimentum.

Linimentum ad cancrum *D. Spigelii.*

℞. *Succ. virg. aureæ, ſolatr. ſonch. ãã. unc. j. ℘ violar. roſar. ãã. unc.* iß. In mortario plumbeo cum piſtillo plumbeo omnia redigantur in formam linimenti.

Aliud probatum.

℞. ℘. *roſar. complet. myrthin. ãã.* ℔. *j. ſucc. ſolatr. hortenſ. plantagin. ãã. unc.* 1 1 ß. bulliant ad conſumptionem ſuccorum, factâ colaturâ.

℞. *Ceruſſ. præparat. unc.* 11ß. *litharg. ppt.* ℥ v. *plumbi uſti & loti, antimonii præparat. ã. unc. j. camphoræ* ʒ1.

M. in plumbeo mortario.

Linimentum ad hæmorrhoides.

℞. *Gummi opopanac. myrrh. opij ã.* ʒ11. Omnibus ſeorſim pulveriſatis, ac invicem in ſ. q. aceti diſſolut. atque ad mellis ſpiſſitudinem decoctis, miſce paulatim ℘. roſar. unc. ſs. vitell. ovor. n. j. Croci orientalis prius invicem conquaſſati ℈j. mucilag. ſem pſyllij ʒ11. pulv. oliban. ʒ1. m. f. ſ. a. linimentum.

Linimentum naſale pro plebeis *D. Georgij Mochingeri.*

℞. *Theriac. Andromach.* ʒ11. *ſantal. citrin. cortic. citr. ã.* ℈11. *ſtyracis calamith. benzoes, myrrha elect. an.* ℈1. *camphor. gr. vj.* Cum ſucco rutæ f. l. a. linimentum.

Linimentum ad pulſum vel ſalutis ex arbore vitæ *D. Doreri.*

℞. ℘. *roriſmar.* ʒ11. *arbor. vitæ* ʒ111. *ſpic.* ℈1. *ex bacc. juniperi* ʒ111. *nuc. moſchat. expreſſ. unc.* 11. *ceræ albæ* ʒ111.

M. f. Linimentum.

Linimentum ſalutis cum theriaca & mithridatio *Ejusdem.*

℞. *Theriac. Andromach. Mithridat. Damocrat. an.* ʒ1x. ℘ *nuc. moſchat. expreſſ.* ʒv1. *pulv. oliban myrrh. an.* ʒ1. *caſtor. camphor. an.* ℈11ß. *benzoes* ʒ1ß ℘. *ſuccin.* ʒ11ß. *lavendul.* ʒß. *juniper.* ʒv. *citri* ʒ111. *rut.* ʒ11. *unguent. pomat.* ʒv. *moſch. ver. gr.* 1x. *trochiſc. gall. moſch.* ʒ1. *alypt. moſchat.* ʒ1.

M. f. l. a. Linimentum.

Linimentum contra vermes infantum.

℞. ℘. *rut. laurin. an. unc.* 1. *aloes, theriac. an. unc.* ß. *ſucci abſinth. parum, ceræ, q. ſ.*

F. l. a. Linimentum.

LIXIVIUM.

Affines multis modis liquoribus ſunt Lixivia, ut ſalium inveniendorum media ac ſalia dilutiora & fluida. *De his not.*

1. *Lixivia ſunt ſolutiones ſalinæ alcalinæ diffuſæ.* Ad lixiviorum naturam illuſtrandam non parum facit ipſorum nomenclatura. Lix veteribus duo ſignificavit (1.) cinerem, (2.) aquam. Ab hâc itaque dictum lixivium convenientiſſime ſignificat ex duobus iſtis emergentem liquorem, ex cinere & aquâ. Sunt ſcilicet lixivia ſolutiones, quæ itidem teſtantur de eo, quo conſtant, ſeu ſoluto. Cumque ſolutiones variæ ſint, genus hoc determinatur differentiâ ſpecificâ, nempe alcalini ſoluti, ſeu ſolutiones ſunt ſalinæ alcalinæ. Proprium eſt citrum, ut κατ' ἐξοχὴν alcali parturiant, tanquam omnium fixiſſimum ſal, unde ex ipſis quibuſdam acidis, ut ⊕, conſit, reliquis aufugientibus magis. Quamvis verò impropriè paulò elixiviatio & lixivium hinc quoque prædicetur de alijs ſalibus, magis tamen id latè & ἀκύρως dicitur, ob analogiam, ut lixivium ex Antimonij diaph. edulcatione reſiduum. Quandocunque igitur lixivium vocari audimus, alcalinum concipere ſenſu genuino fas eſt. Diffuſæ audiunt hæ ſolutiones, reſpectu liquorum, qui ſolutiones ſunt concentratæ magis. Licet in ſe iterum lixivia alia magis, alia minus ſaturata ſale ſint, quod à priori ἁλομέτρῳ, *Salzwage*, à poſteriori evaporatione in ſal probari ad oculum poteſt, ut non laudemus ſaporem, & tactum, quæ duo organa præ alijs ſal afficit.

2. *Lixivia è cineribus vegetabilium præcipuè conſiunt, tum ſimplicibus, tum compoſitis.* E quibus nempe ſalia parantur, ex ijſdem lixivia conſurgunt. Præcedit igitur elixiviationem incineratio, ut ſulphure conflagrato, maximam partem, partes ſalinæ & terreæ reſtitent, invicem complicatæ, laxiori nexu; unde cineres poroſi ſunt admodum. Vegetabilium verò principia teneriora ſunt, ut igni facillimè pareant; & ſale fixiori gaudent. Animalia igni quidem itidem promtè obſecundant, aſt ſale pollent magis volatili, cum ſulphure ita connexo, ut ſimul avolent. Cauſa etiam eſt, quod ſulphure magis animalia polleant, acido pauco, quod illigat & figit in vegetabili regno partes ſalinas volatiles. Pro lixivijs verò ſolis parandis expetuntur magis cineres, qui potulentam vel liquidam ſaltim formam largiri poſſunt & debent; unde cineres abſinthij, cent. min. dipſaci, juniperi, alijque eupatoriſti huc faciunt; pro externo uſu magis cineres arborum, utpote acriores & ſcopo ſic aptiores, quercus, fagi, pini, vitium ipſarum ſarmenta. E compoſitis lixivium ſeu liquor benedictus Mynſ. & lixivium ſapientiæ laudari meretur. Reliqua facilè ad hunc cenſum referuntur. Notabile hoc loco eſt, quod è cranio humano lixivioſus quoque liquor paretur, quem ad ſtrumas & ſcrophulas non ſine causâ laudant, quatenus ſerum tenacius inde fluxile magis redditur. In mineralibus verò, ubi vi ignis ſulphuris excuti viſcedo vel terra deſtrui magis poteſt, cineres non tam quàm calces conſurgunt, quarum quædam lixivia etiam largiuntur. Inſtar omnium eſt lixivium calcis vivæ, pro uſibus varijs expetitum.

3. *Lixivia affuſo menſtruo aqueo vel quaſi tali parantur.* Hoc enim ſalium ſolvendorum genuinum eſt menſtruum. Aqueum eſſe debet, ut recipere in ſe poſſit poros ſalium; quos non ingrediuntur ſpirituoſa. Cumque lixivia hîc ſola ſpectentur, citra abſolutam & completam ἐγχείρησιν ſalium inde producendorum, duplicia pro ijs parandis memoranda veniunt menſtrua, (1.) aquea pura, pro uſu extreno potiſſimum, (2.) aquea potulenta, ce-

ta, cereviſia vel vinum. Hæc etenim vel ideò eliguntur, quod & gratiora ſint & notiora, ſicque aſſumantur facilius, &, quod potiſſimum eſt, quod corrigant ſimul, ſulphure ſuo ſalia, & aquæ cruditatem, alias facilè ſtomacho nocitura; ut viciſſim acorem vini tollunt ſalia. Memini, qui id præſtabant cum cinerum clavellatorum modico, prævia leni quædam effervescentia pro acido vini tollendo, ut minus corpori & præſertim articulis noceret. Quod ſi moderatè fiat, concedi poteſt, alias enim acidum, gratum ventriculo, & vino proprium, cum ſulphure mixtione facta magis confortativum, extinguitur, plus damni ſic laturum, quàm ſibi relictum. Vinum itaque & præ cereviſia huc facit ſtomacho amicum, ut alcalia continuata facile eundem exolvunt, præſertim ſi acido fixo non delinquat.

4. *Lixivia pro uſu primario interno ac externo parantur & inſerviunt.* Uſus eorundem ſanè multiplex eſt, primarius quidem, ubi ſola & per ſe non alio fine appltantur. Secundarius ubi pro alio mediato quaſi & miniſtrante. Sic primarius uſus internus eſt, ut (1.) urinam pellant, unde hydropicis propinantur, ita tamen, ut rationem habeamus ventriculi, nec dum prodeſſe volumus, pelſundando hujus tonum potius noceamus. Una etiam lympham viſcidam, quod ſæpe occurrit in iiſdem, corrigamus, fundendo, & liquando. Adde, reſpiciendum ſemper tum ad ventriculi vires eo caſu, tum ad urinæ & conſequentes viſcerum ſtatum. Sic & eodem fine vinum, in quo ſilices fuerint extincti, confert calculoſis, ſive dyſuriâ vel iſchuriâ correptis, non alia ratione, quàm quod lixivioſum evadat, & ſal ſuum dimittant ſilices. (2.) Ut acidum exuperans extinguant, in bulimo, ſeu fame urgentiori hypochondriacorum. Curavimus talem ſolo lixivio ſeu oleo tartari p. d. propinando per vices guttas 30. pro re nata, donec contemperaretur fixum acidum & ad frugem rediret. (3.) Ut ichoreſcentiam feri tollunt, quod tamen cum grano ſalis intelligendum. Sic ſunt, qui gonorrhœam & ſimplicem & virulentam ſæpe curatam aſſerunt lixivio caulium fabarum in cineres redactarum; caules deuruntur, cinis in aqua fluv. 24. hor. maceratur, colatur per inclinationem; doſis ℥ iv. per ſe, ſingulis diebus novâ maceratione facienda, uſu trium dierum tantum. Quod prodeſt, non ſiſtendi, ſed ichorem corrigendi poteſtate facit, cœteroquin enim omnia alcalia ſerum reddunt magis fluxile, quàm ut ſiſtant ejuſdem motum. Exterius verò longè magis conſpicuus lixiviorum uſus eminet, communis cum ſalibus. Proſunt v.g. eadem (1.) in lotione, ſive capitis; unde capitiluvia varia roborantia & mundificantia. Sordes enim tartareas, viſcidas inſigniter detergunt ac tollunt, præcipuè cephalicis plantis incoctis, unde lixivium ſapientiæ dictum huc facit: modò moderatè & magis in ſicciori ſtatu eo utamur. Humida enim talia alias memoriæ, quæ in ſicco habitat, adverſa ſunt potius, unde memini quoſdam vel per viginti integros annos, ut memoriam ſervarent vegetam, abſtinuiſſe ſtudio à capitiluviis. Præſtant ſicca pulveres cyprii, furfures, & ex humidis eſſent. flor. ſpicæ vel lavendul. vertici illita. Seu pedum, cumprimis in fœtore, quem ſalia & lixivia unicè profligant, ſulphur cœnoſum, acidum, uliginoſum exterminando; ſeu totius corporis reliqui. Memorabile eſt experimentum *Kozack lib. de ſale*, qui ante paroxyſmos febriles jubet pedes immergere lixivio calido, ut ſic corrigatur ad extima magis laxa magis & æquabilitas humoribus inducatur, de quo legi meretur latius. Idem aliquoties cum ſucceſſu fecimus ſaltim ad imminuendum rigorem, poros ſic ſervando apertos, & circulum ſanguinis juvando; recurrit enim ſanguis circa paroxyſmum magis verſus cor, tanquam centrum. Mittimus alia huc referenda ſpecialia. (2.) In epithemate proſunt, ubi laudatiſſimum eſt lixivium calcis vivæ, in ulceribus, in herpete &c. impoſitum; item in ſphacelo, ubi lixivia arcent putrilaginem, calidè applicanda, ut melius penetrent.

5. *Lixivia pro uſu ſecundario varia alia conſtituunt & modificant medicamenta utiliſſima* Principaliter largiuntur (1) ſalia, fixa enim plantarum ſalia unicè lixivio conſiunt; ſalia tum pro interno uſu notiſſimo, tum pro externo & mechanico. Exemplo ſit lapis ſeu ſal potius corroſivum, ex lixivio ſaponariorum paratum, quatenus acceſſione calcis vivæ acrimoniam majorem adciſcunt lignorum ſalia, per ſe quoque acriora; item cineres clavellati, i.e. ſal ipſiſſimum lignorum reverberatum. Largiuntur (2) ſulphura extractione ſcilicet, ut ſalia ſolutione fiunt: ſulphura tum vegetabilia, quod de glaſto ſcripſimus *lib. 2. de ſale vol. plantar.* tum mineralia & metallica, exemplo ſulphuris ♁ii, & aliorum. Mediante enim ſale exporrigit aqua ſulphur, quo cum congredi alias non poterat. Largiuntur (3.) linimenta & unguenta. Curioſium eſt olea cum lixivio mixta coire in unum coagulum, & præſtare ſic unguentum; v.g. o°o ♀i p. d. cum oleo ſambuci conquaſſatum, in vitro vel pyxide, extemplo largitur unguentum euporiſton in ſcabie. Fit verò id ipſum à promptâ coitione ſalis & ſulphuris, ipſius aquæ corporaturâ ſic quaſi evaneſcente, æqualiter in utrumque mixtum diditâ & concorporatâ ſubſtantiâ.

Adeoque lixivia ſunt ſolutiones ſalinæ alcalinæ diffuſæ, affuſo menſtruo aqueo vel quaſi tali è cineribus vel calcibus paratæ, pro uſu primario vel ſecundario. *Wedelius.*

Lixivium Cephalicum è Corpore Pharmaceutico Clariſſ. D. D. *Jungken.*

Fiat Lixivium ex cineribus origani, vel alterius herbæ odoratæ quæ copioſe haberi poteſt. In talis lixivii menſura una decoque ſequentes ſpecies v. g.

℞. *Herb. ſalv. meliſſ. major. ſerpill. ana m. j. flor. lilior. convall. roſ. rubr. melilot. lavend. ana m. ß. fol. ſenæ ℥ j. radic. irid. Florent. ℥ ß.*

Decocto colato caput lavetur calidè in loco calido, tum verò linteis calefactis probè exſiccetur rurſus.

Lixivium Diureticum ex *eodem.*

℞. *Tartar. ad nigredin. calcinati q. l. cum aq. petroſel. fiat lixivium cui infund. cortic. Arant. præp. Tandem colatura detur ad Cochlear & ultra;* ſic ſabulum in renibus reſolvit & repellit.

Lixivia varia ex Hadriani à Mynſicht Armamentario Chymico-Medico.

LIXIVIUM BENEDICTUM.

℞. *Ciner. Lig. & extrem. frond. Juniperi Artemiſiæ rub. Geniſtæ, Fabarum adhuc in paleis, Abſinthii ana ℥ j.*

Et cum vini albi potentis ſ. q. fiat l. a. lixivium.

Vires, Uſus, Doſis.

Aqua intercute laborantibus ſingulariter prodeſt: Efficaciſſimè enim & valentiſſimè aquam per urinam expellit, quo auxilio multos Hydropicos nullo alio diebus aliquot adhibito remedio ſanavimus. Doſis manè ſtomacho jejuno ab ℥ ij. ad ℥ iij.

Lixivium Sapientiæ.

℞. *Rad. Caryophyllat. pyrethri, aſari, viſci quercini ana ℥ j olibani, ſuccini citrin. ana ℥ ß. herb. roriſmarin. majoranæ, meliſſæ, origani, fol. ſalviæ, acut. lauri an. ʒ ij. flor. lavendulæ, roſar. rub. pæoniæ, betonicæ, primulæ veris an. ʒ j.*

Bulliant in lixivio dulci, poſtea ad uſum reponatur.

Vires & Uſus.

Cum hoc lixivio ſemel tantum ſeptimana, corpore purgato, Caput, in læſa memoria & ratiocinatione à cauſa frigida & humida, quæ alias frequentiſſima eſt, diligen-

diligenter abluatur: Cerebrum enim memorandique facultatem mirificè confortat, Spiritus animales illuſtrat, & ab Epilepſia & Apoplexia præſervat.

Lixivium Cephalicum.

℞. *Fol. ſenæ elect.* ℥ vj. *rad. ireos flor. ſem. caruſ. ana* ℥ iij. *herb. euphragiæ cum florib. verbenæ, majoranæ, roriſmarin. ſalviæ, origani an.* ℥ iij. *agarici alb. & levis* ℥ j ß. *flor. ſtæchan. citrin. chamomillæ, roſar. rub. cheiri ana* ℥ j.

Mixta & inciſa coquantur in lixivio bono, poſtea clarificetur, ut eſt artis, & ſic paratum eſt.

Vires & Uſus.

In dolore Capitis valdè prodeſt, Inſuper Cerebrum, nervos, oculos, ſenſuſque reliquos egregiè roborat. Lavetur autem cum hoc lixivio Caput bis in hebdomade. Sed illi, qui frigidi & humidi naturâ ſunt, capitalibus lotionibus rarius: Qui verò calidi & ſicci, frequentius utantur.

Lixivium Antiaſthmaticum.

℞. *Rad. glycyrrhizæ raſæ, ireos flor. enulæ camp. ana* ℥ ß. *ſuccini citrin. thuris albi, gran. myrti an.* ℥ iij. *herb. ſalviæ min. betonicæ, hyſſopi, origani an.* ℥ ij. *ſem. nigellæ, carvi an.* ℥ j ß. *flor. camomillæ, roſarum rub. papav. errat. anthos an.* ℥ j.

Condita ſacculo coquantur in Lixivio dulci, poſtea clarificetur, & uſui reſervetur.

Vires & Uſus.

Ex hoc Caput ſingulis ſeptimanis ſemel aut bis ante cibum lavetur: In Aſthmate enim ſiccat & ſiſtit deſtillationes ex capite ad ſubiectas partes: mox ſiccetur contegaturque caput.

Lixivium Diureticum.

℞. *Herb. Linariæ cum flor. geniſtæ cum flor. ebuli cum toto fol. ſambuci cum frond. ana ſ. q.*

Fiat Cinis, ut eſt artis, ex quo poſtea cum vini Rhenani ſ. q. præparetur lixivium clarum.

Vires, Uſus, Doſis.

Fortiter Hydropicorum aquas per urinam expellit, & aliàs in dyſuria, iſchuria ſecretum eſt, Doſis ab ℥ ij. ad ℥ iij. per ſe, vel in vehiculis ſpecificis.

Lixivium Tartari.

℞. *Tartari alb. ad nigredinem calcinat. q. v.*

Fiat cum aq. pluviali deſtillata lixivium, in quo poſtea bulliant Cortices Aurantiorum, & colaturam claram & tinctam ad uſum reſerva.

Vires, Uſus, Doſis.

Singulis diebus ad tempus aliquod exhibitum, calculum reſolvit & expellit, nec non omnem tam Renum quam Veſicæ mucilaginem inſenſibiliter educit. Doſis Cochl. j. in vehiculis ſpecificis.

Lixivium Tingens.

℞. *Lixivii Sarmentor. vitis* ℔ ij. *rad. brioniæ, chelidoniæ, curcumæ an.* ℥ ß. *croci liliot alb.* ℥ ij. *flor. verbaſci ſtæchad. citrin. geniſtæ hyperici an.* ℥ j.

Coquantur ſimul, & fiat lixivium clarum, ut eſt artis.

Vires & Uſus.

Capillos colorat, clarificat, & flavos facit: ſed crines crebrò lavandi ſunt cum hoc lixivio, donec perfectè tingantur.

LOCUSTÆ in PHYTHOLOGIA.

Locuſtæ in *Phythologiâ* ſunt avenaceæ glumæ ſingulares cum ſeminibus ex longis filis dependentes, ob quandam ſimilitudinem cum *Locuſtis* dictæ. Extenditur hoc nomen ad Graminum paniculatorum grana glumis involuta ſignificanda. *Raius.*

LOCUSTA ANIMAL.

Locuſta (quaſi *loca uſta*, quòd meſſes & alia quæ attingunt urant, morſu vero omnia erodant) Ἀκρίδα παρὰ τὸ ἄκρας τ̃ σαχύων ϰ̓ τ̃ φυτῶν νέμεσϑαι, quod ſummitates ſegetum & plantarum depaſcantur.

Locuſta quarum diverſæ ſpecies ſunt, aliæ vulgares, cujuſmodi ſunt.

1. *Bruchus* (παρὰ τὸ βρύκειν) à mordendo & devorando, minor eſt locuſta nigri coloris, alis cinereis, ſub quibus rubet.

2. *Attelabus* (παρὰ τὸ ἀτλεῖν, quod tam minutis pennis conſpiciatur, ut eis omnino carere credatur) qui ubicunque exoritur, ibi omnia quaſi in pollinem, ſive rubiginem conterit, atque abſumit.

3. *Gryllus* (à clamore acuto, qui gryllitmus appellatur) ſi campeſtris ſit: & ſi domeſticus, Ἀκέτη Junii, γρύλλος locuſtæ genus, cicadæ ſimile. Sub oculis eminent cirri bini, veluti capillamenta tenuia, pedes ſeni inter quos poſteriores longiores, extremis inſtar ſerræ aſperiuſculis. Acuti duo appendices in cauda exeunt, longiuſculi, hirti, pennis ſuperioribus ſubjacent membranulæ tenuiſſimæ; quæ veluti promuſcis quædam bifida ultra appendices protenduntur. Hyeme ad hypocauſtorum fornaces, & fumibulorum parietes habitant, ſtridore ſuo nocturno, plus quam moleſti, quamvis nonnullis admodum ſit gratus eorum ſtridor, ut etiam ſomnum conciliare aſſerant. Gryllus campeſtris corpulentior eſt domeſtico, at brevior, coloris nigri, picis inſtar ſplendentis: oculis majuſculis prominentibus, juxta quos cornicula duo brevia; ad roſtrum vero ſupra & intra appendiculæ binæ, nodoſæ. Alæ, fuliginei coloris, fibris varie diſtinguuntur, pedes ſeni, utrinque tres veluti ſerrati. In fine alvi ſuperioris, ſub alis extant ſpicula duo acuta, ſub quibus alii appendices longiores rigidiuſculi, ſetæ inſtar porriguntur, in extremitate bifidi, in campis, pratis, & aridis colliculis frequens. Aridam fodit terram ut ejus cavernis cubet æſtate.

Gryllo talpa, inſectum viſu horrendum, quadruplo maximam ſuperans cantharidem, præcipue ætate ſi fuerit provectiori, gryllus dicitur quia eundum cum gryllo ſtridorem nocte appetente facit; & talpa quia terram continuo fodit.

Aliæ rariores ut locuſta.

1. *Italica*, Mantis dicta, (vel quia ſuo adventu ver præſagit, ut Anacreon cecinit: vel famem prædicit, ut Cœlius annotavit: vel quia anteriores pedes, veluti manus, ſupplices ſemper tenet, atque elatas, votum more; qui eo geſtu orationes ad Deum fundere ſolebant: unde Gallis *preque Dieu* dicitur), tam Divina cenſetur beſtiola inquit Rondeletius, ut puero interroganti de via, altero pede extento rectam monſtret, atque raro vel nunquam fallat.

2. *Græca*, quæ magnitudine, & forma priori ſimilis, alium tamen colorem ex naturæ locive dono accepit. Habet enim cornicula ſaturate lutea, hyacinthinum ocellum, alas ex luteo fatiſcentes, corpus reliquum amethiſtinum.

3. *Africana*, è Barbaria Mouffeto allata gracilis, quinque uncias longa, cucullata, capite pyramidali, è cujus pene vertice duo cornicula latiuſcula, unciam ferc longa ſe exigunt, galerumque illum Turcicum,

biplu-

biplumem, quali Janiſarii utuntur, ſuperbientem repræſentat, *Charleton.*

Vires Locuſt. vulgaris propriè ſic dictæ. Odoris ſuffitu urinæ difficultates juvat, præſertim quæ fæminas malè habent. Sunt præterea qui locuſtas collo appenſas quartanam ſanare aiunt.

LOLIUM.

Lolium Αἶρα Græcis, quaſi δόλιον hoc eſt adulterinum; fieri enim creditur, è corruptis tritici & hordei ſeminibus. D. autem in L. abit, ut ab Æolico ὀδύσσευς Ulyſſes, à δάκρυ lachryma, vel dicitur ἀπὸ τοῦ λαῖον ὀλεῖν, id eſt, ſegetem perdere, ſive quaſi λαῖον ὄλοον id eſt ſeges noxia, ita *Martinus* & ex eo *Voſſius.*

Lolium autem ſpicâ ſtrigoſâ, compreſsâ, granis cum glumis utrinque ad ſcapum in eodem plano ſitis à reliquis graminum generibus diſtinguitur.

Nomina. Lolium album *Ger. Park.* lolium gramineum ſpicatum caput tentans *I. B.* gramen loliaceum ſpica longiore *C. B. ivraye* Gallis quoniam inebriat.

Radicibus eſt fibroſis, tenuiſſimis, capillamentis cirratis, ſtipulas habet cubitum unum, duos, treſve altas. Triticeis pares aut paulo minores, quatuor vel quinque nodis diſtinctas, ad quorum ſingulos, ut in reliquis culmiferis, ſingula folia, triticeis anguſtiora, & viridiora, nitentia, glabra, pinguia, ſtriata, culmum ad proximum fere geniculum obvolventia, à quo poſtquam receſſerint in ſeſqui palmarem aut bipalmarem longitudinem producuntur. Culmus in ſpicam deſinit pedalem, figura peculiari, ſiquidem ex culmi lateribus alternatim grana terna aut quaterna & quina, imo non raro ſena aut ſeptena puſillæ ſpicæ forma pediculis nullis exeunt. Singulis ſpicis foliolum oblongum eas ſinu ſuo excipiens, exterius adjungitur. Grana triticeis minora ſunt, glumis ſeu cortice fuſco & ſimplici incluſa, quæ in acutam & tenuem ariſtam, qua tamen aliquando deſtituuntur, deſinunt inter ſegetes, præſertim triticeas nimis frequens habetur. Quæ de degeneratione ſeu tranſmutatione tritici in lolium, aliorumque frumentorum & leguminum in ſua vitia, à veteribus & recentioribus dicta ſunt, ſuperius in parte generali conſideravimus.

Vires. Lolium calefacit & exſiccat, attenuat, reſolvit, abſtergit & frugibus ex quibus cerevisia paratur permixtum ebrietatem promovet, quod ſi pani copiotius addatur ſtuporem & veluti temulentiam eſitantibus parit; hinc nonnullis triticum temulentum, Gallis *ivray* quaſi ebrioſa dicitur.

Triticum in lolium degenerare veteribus pleriſque & recentiorum multis videtur: quod tamen & curioſioribus & naturali ſcientia penitius imbutis merito in dubium vocatur, qua de re ſuperius lib. primo cap. de ſpecierum tranſmutatione egimus.

Quamvis autem lolium intro aſſumptum celerrime vertiginem inducat, foris tamen cum axungia (adipe anſerino Plinio) admotum idem incommodum tollit Theoph.

Oculis officit caliginem adferendo propter vapores acres in cerebrum elevatos unde lolio victitare dicuntur proverbio, qui viſu ſunt imbecillo, ut luſcoli & myopes.

Lolii farina aliis medicamentis idoneis admixta, ad ulcera putreſcentia, impetigines, lepras, ſtrumas, gangrænas, dolorem iſchiadicum &c à veteribus commendatur conſule Dioſcoridem & Plinium. *Raius in Hiſt. Plant.*

LONCHITIS.

Lonchitis Dioſcoridi duplex eſt, altera *foliis porri*, quam ſolam Plinius novit, cujus ſemen triangulum & lanceæ cuſpidi ſimile, unde etiam planta ipſa ſibi cognomentum arrogavit; altera quam alii aſperam dicunt, folia proferens ſcolopendrii, ſed aſperiora majoraque, ac multo magis diviſa, quæ hujus loci eſt, hæc forte (inquit C. Bauhinus) à λόγχη (lancea) dicitur, eo quod folia inſtar lanceæ in acutum deſinant.

Eſt autem duplex alia ſcilicet *major*, alia *minor* polypodii folio; utriuſque radix aperiens eſt, vulneraria ac diuretica.

LOOCH.

Ita vocatur ab Arabibus, & à Græcis ἐκλεγμα, à Latinis Linctus.

Eſt medicamentum conſiſtentiâ medium inter ſyrupum & opiatam, utpote ſyrupo craſſius, opiatâ dilutius, quod ore ſumptum roris ad modum ſtillat in aſperam arteriam, in affectibus pectoris conveniens.

Aliud Officinale, quod non eſt amplius in uſu, aliud Magiſtrale, quod ex tempore pro morbi exigentia præſcribitur.

Componitur, vel ex pulveribus bechicis, & ſyrupis; vel ex pulpâ fructuum, pulveribuſque & ſyrupis; vel ex decocto pectorali.

Communiter tamen fit ex pulveribus & ſyrupis, aliquando etiam ex conſervis.

Tempus ſumendi eſt, cùm adeſt neceſſitas ſputum educendi & juvandi.

Uſus plurimi ſunt.

Primo, Ad ſputum juvandum, quando materia frigida, & craſſa eſt, ut in aſthmate, tuſſi à pituita bronchiis impacta, & ſimilibus.

℞. Mellis opt. & butyri recent. an. ℥ j. ſacchari candi ℥ iij. terebinthinæ Venetæ lotæ in aq. ſcab. ℥ j ß. Fiat looch.

Vel ℞. Syrup. de tuſſil. & capill. ven. ana ℥ j ß. oxymellitis ſimpl. ℥ j. Miſce, utatur ex cochleari ſenſim lambendo.

Secundò, Ad ſputum juvandum, quando materia tenuis eſt & calida, in pleuritide, peripneumonia, &c.

℞. Penidior. & ſacchari candi an. ℥ ij. ſyrupi violati & jujubini q. ſ. Fiat looch, utatur cum baculo liquir.

Syrupus de pomis ſine igne recenter per deſcenſum paratus refrigerat, lenitque ſuaviſſimè, ſumitur ex cochleari frequenter.

Looch incraſſans, leviter detergens in empyemate.

℞. Pulpæ radic. alth. vel paſſul ℥ j ß. ſacchari candi ℥ ß. ſucci liquir. ℥ ß. Cum ſyrup. de tuſſil. Fiat looch.

Tertiò, Ad ſanguinis ſputum compeſcendum.

℞. Conſervæ roſar. ℥ j. pulver. diatraganthi frigidi ℥ ij. ſyrupi de roſis ſiccis q. ſ. fiat looch.

Vel ℞. Succi portul. ℥ iij. gummi Arabici ℥ j ß. ſacchari roſati q. ſ. Fiat looch.

Vel ℞. Syrup. de roſ. ſicc. & de papav. an. ℥ ij. Fiat mixtura, de qua ſumat unum, aut alterum cochlear ſenſim deglutiendo, diu noctuque.

Cave ne nimis adſtringentibus extravaſatum ſanguinem in pulmonibus detineas.

Quartò, Ad exſiccanda & glutinanda pulmonum ulcera in phthiſi.

℞. Conſervæ roſar. & conſol. maj. an. ℥ j. gummi tragacanthi & Arabici leviter torrefacti ana ℥ ij. ſemin. plantag. & papav. alb. an. ℥ ß. Cum ſyrup. de roſ. ſic. fiat looch.

Vel quod prodeſt diuturnæ tuſſi, pulmonis faucium que ulceribus glutinandis, aſperitatibus arteriæ leni endis, in tuſſi, ſputo ſanguinis è faucibus erumpentis, catarrho & raucedine.

℞. Pulpæ rad. alth. vel liquir. ℥ iij. mucilag. gumm. Arab. tragacant. extracta cum aqua roſat. ℥ j ß. ſacch. roſ. q. ſ. Fiat looch.

Quintò, Ad tenuem fluxionem in pectus ruentem in hæmoptoicis cum tuſſi, vocis raucedine, cum vel ſine febre.

℞. Aquæ roſ. ℥ vj. ſemin. cydon. mundat. ℥ i ß. ſacchari candi vel albiſſ. ℥ ij. Pone omnia ſimul in phiala vitrea per 4. horas, fiat liquor mucilaginoſus, quo utere ſæpe diu noctuque ex cochleari.

Poteſt etiam parari ex æquis partibus aq. flor. papav. rhæad. & roſar.

Syrupus papaver. alb. ad id utiliſſimus eſt, pluries diu noctuque ſenſim lambedo ſumptus. *Tenke.*

Looch variæ ad varios uſus Formulæ è variis Auctoribus.

Lohoch de Caulibus Gordonii ex *Pharm. Aug.*

℞. Succi caulium rubrorum ℔ j. croci ʒ ij. ſacchari, mellis an. ℔ ß. miſce, ut decet, & fiat lohoch.

Raucedini, & vocis ablationi medetur, ac pectus ab humoribus vitioſis liberat, nec non ſpiritum facilitando thoracis levat anguſtias; priſcis forſan magis quàm nobis uſitatum medicamentum, ut qui braſſicæ plurimum tribuentes, ex ea ſingulis in corpore membris ſingula comparant remedia

Aliter in Pract. Cap. de tuſſi humida à Meſue præparatur. Recipit enim ſucci caulium ℔ v. hunc, ſpumam auferendo, lento igne coquit ad ℔ ij. deinde addit ſapæ & mellis an. ℔ j. atque ſic coquendo ad juſtam perducit conſiſtentiam.

Looch De Farfara ex *eodem Pharmac.*

℞. Radicum farfaræ ℔ j. coquantur in aqua ad mollitiem poſtmodum contundantur, & colentur, addendoque mellis ℔ ij. coquantur ad juſtam conſiſtentiam.

Tabidis prodeſt, pulmonis ulcera glutinat, faucium ac aſperæ arteriæ aſperitates lenit, inter arteriaca medicamenta haud poſtremum; ad cujus normam & alia ejuſmodi ſimplicia lohoch præparari poſſunt, utpote lohoch ex althæa, enula, liquiritia & ſimilibus, quibus interdum aromata adjiciuntur, atque in primis crocus pectori conveniens.

De Farfara compoſitum ex D. *Lemery.*

℞. Rad. tuſſilag. ℥ iv. alth. ℥ ij. coq. in aq. font. ſ. q. pulpamque cribro exprime; hanc iterum diſſolve in ipſo decocto cum ſacch. alb. ℔ j. mell. paſſul. ℥ vii. ſucci glycyrrh. ℈ iv. Agitentur ſimul validè piſtillo ligneo, & inſpergantur interim pulver. macis, cinnam. ana ℈ j. croci, caryophill. an. ℈ ß. f. ſ. à Looch.

Serum acrius ac ſalſius in aſperam arteriam delabens; inſpillat, pectus corroborat, excreationem promovet; ſugitur in bacillo liquiritiæ contuſo.

Looch Lentium *Avicennæ.*

℞. Lentium rubr. p. ij. coq. modicè in aq. font. & rejecta hac prima decoctione, iterum recoq. lentes in aq. font. ℔ ij. ad conſumpt. quartæ partis, addendo deinde ſem. papav. alb. ʒ ij. poſt aliquot fervores, adde paſſul. mundat. ℥ j. coq. donec veniat decoctum ad ℔ j. poſtea addendo roſ. rubr. ʒ ij. unico fervore facto, & in colat. permiſce ſacchar. candi ℔ ß. Tandem ad conſiſtentiam eclegmatis.

In faucium doloribus ac raucedine confert, excreationem juvat & ſugitur in cochleari.

Looch de Papavere Meſue ex *Pharm. Aug.*

℞. Papaveris albi ʒ xxv. amygdalorum dulcium mundatorum, nucleorum pineorum, gummi arabici, ſucci glycyrrhizæ an. ʒ x. amyli, ʒ iij. ſem. portulacæ lactucæ, cydonioeum an. ʒ iv. croci ʒ j. ſacchari penidii ℥ iv. ſyrupi de papavere ℥ iij. omnia conciſſa & contuſa ſyrupo de papavere excipiantur, cujus hæc eſto formula.

℞. Capitum papaveris albi & nigri recentium an. ℥ vi. ſem. lactucæ, florum violarum an. ℥ i ß.

Coquantur, dum contabuerint capita, in aquæ cucurbitæ. ℔ viii. expreſſum & colatum cum ſacchari ℔ iv. percoquantur ad ſyrupi craſſitudinem.

Efficax eſt in deſtillationibus tenuibus, quæ acrem, ſalſam, & tenuem materiam in thoracem demittunt fauces aſperant, vigilias ac febrem pariunt; confert etiam febribus ardentibus, dolenti thoraci & pleuritidi.

Looch Paſſularum ex *eadem Pharm.*

℞. Radicum pæoniæ ʒ iv. hyſſopi meliſſæ, ſcolopendrii, ſeu ceterach an. m. ß. glycyrrhizæ ℥ ß.

Fiat omnium decoctio in ſufficienti aqua pluviali, factâ colaturâ cum forti expreſſione, *adde paſſularum minorum in mortario bene contuſarum, prius ab arillis mundatarum ℔ j.*

Decoquantur, & per pannum lineum fortiter exprimantur expreſſioni addendo ſacchari ℔ j. fiat looch ut eſt artis;

Uſus eſt ad tuſſim & pectoris vitia, maxime in puerulis, iiſdemque epilepticis, propter pæoniæ radices ingredientes.

Loo hcde Pineis Meſuæ ex *eadem Pharm.*

℞. Nucleorum pineorum ʒ xxx. amygdalarum dulcium, avellanarum, Tragacanthi, gummi arabici, glycyrrhizæ, ireos an. ℥ ß. dactylorum ʒ xxxv. amygdalorum amarorum ʒ iij. mellis paſſularum, ſacchari albi, butyri, recentis an. ʒ iv. mellis optimi ℔ iij. ℥ ij. terenda terantur, & incidenda minutiſſime incidantur, ac melle excipiantur.

Modus confectionis hic eſt, ut gummi & tragacanthum macerentur in ℔ iij. aquæ capillorum veneris, donec prorſus molleſcant, deinde cribro ſetaceo tranſmittantur, & cum melle optimo miſceantur ad lentum ignem, rudiculâ ligneâ diu movendo, poſtea ei inſpergantur pulveres tenuiſſimi radicum ireos, capillorum veneris, glycyrrhizæ, ſacchari, amyli, ut & pinei nuclei, amygdala & avellanæ contuſæ, & optime miſceantur. Demum utrumque gummi miſtum, & dactyli in pulpam redacti; melli paſſularum in quo prius fuerit diſſolutus ſuccus glycyrrhizæ, vaſe ab igne depoſito addatur, & diutius omnia agitentur donec uniantur, addito butyro recenti, ſi ſtatim eo utendum ſit; ſin verò diutius fuerit adſervandum, paretur abſque butyro, ne rancorem contrahat.

Diuturnæ Tuſſi, difficultati ſpirandi, & aſthmati ſuccurrit, humores in Thorace craſſos incidit & attenuat, ſenibus maximè familiare, peripneumoniam quoque ac pleuritidem, inclinante jam febre, juvat.

Pro melle paſſularum aliqui ſapam non inepte ſubſtituunt.

Looch de Portulaca ex *eadem Pharm.*

℞. *Succi portulacæ* ℔ ij. *trochiſc. de terra lemnia* ʒ ij. *de charabe, gummi arabici, ſanguinis draconis, an.* ʒ j. *lapidis hæmatitæ, pilorum leporis uſtorum, an.* ℈ ij. *ſacchari albi* ℔ j. *fiat lohoch ut eſt artis.*

Sputum ſanguinis cohibet, ac ruptis opitulatur pulmonibus: exeſa vaſa cruorem fundentia glutinat, & anhelitus vias ab exulceratione tutas reddit.

Looch de Pulmone vulpis Meſuæ ex *eadem Pharmac.*

♃. *Pulmonis vulpis ſiccati & præparati, ſucci glycyrrhizæ, capillorum veneris, ſem. aniſi, fæniculi ana* ℥ j. *ſacchari clarificati* ℥ v. *omnia trita tenuiſſime ſaccharo excipiantur, & ad debitam formam redigantur.*

Medicamentum hoc ex Meſuæ cap. de phthiſi deſumptum, prodeſt magnopere Tabidis, conſumtis, ac ulceratos pulmones habentibus. Ejus loco aliqui ſolum pulverem pulmonis vulpini cum ſaccharo roſato exhibent.

Looch Sanum & expertum ex *eadem Pharm.*

♃. *Cinnamomi, hyſſopi, calaminthæ, ireos, ſem. aniſi, fænicul., ana unc.* ß. *capillorum veneris manip. j. macerentur per viginti quatuor horas in aqua fontan. lib. ij. poſtea deſtillando abſtrahatur circiter lib. j. cum qua ex pinearum mund. drachm. v. amygdalorum dulcium drach. iij. fiat emulſio, & ſolvendo in eo ſacchari albi lib. ij. additiſque pulveris glycyrrhizæ, tragacanthi, gummi arabici, amyli ana drachm. iij. ireos drach. ij. optime miſceantur.*

Tuſſi, vocis aſperitati & raucedini à frigiditate natæ auxilio eſt, craſſos itidem in Thorace, & pulmone humores incidit, & attenuat; morbis tamen calidioribus, ut & tuſſi calidæ, ſuſpectum.

Looch de ſucco Scillæ ex *eadem Pharm.*

♃. *Succi ſcillæ lib. j. mellis* ℔ i ß. *coque ad formam lohoch.*

Incidit, tenuat, & expulſioni præparat materiam craſſam, quæ in Thorace continetur, veterem tuſſim ſanat ſuppuratis, aſthmaticis, difficulter ſpirantibus in magna puris & lentæ pituitæ copia, ſpiritus vias opprimente, ſuccurrit, prompteque hujuſmodi obſtructa liberat.

Scillas plenas ac nitidas cultello eburneo in partes incidito, ejuſque laminas puriores in mortario lapideo contuſas exprimito ac utitor.

Galeni deſcriptio à Meſue non differt, niſi quod Meſue ſucci ſcillæ & mellis partes æquales ponit.

De Scilla compoſitum ex *eadem Pharm.*

♃. *Scillæ præparatæ unc. ſem. marrubii, hyſſopi, ana* ʒ j. *ireos* ʒ ij. *myrrhæ, croci an.* ʒ ß. *mellis quantum ſufficit. Fiat looch.*

Prædicta omnia valentius præſtat, tuſſim ac ſenum difficilem reſpirationem levat, pectus à frigida, craſſa, tenaci & impacta iis locis pituita potenter expurgat.

Looch de Teſtudinibus ex *Ant. de Scobbiis Theat. Pharmac.* Italicè conſcripto.

♃. *Pulpæ è teſtudin. terreſtr. quibus extrema ſint prius exempta, corpuſque integrum probè lotum, num. iij. ſucci liquir. tragacanth. ſem. papav. alb. lactuc. portul. malv. quatuor frig. majoran. ana* ℥ ß. *cotoneorum, bombacis ana* ʒ vj. *paſſular. exacinat. ſebeſten, berber. ſpodii ana* ʒ iij. *roſar. violar. hord. mund. capill. vener. borrag. bugloſſi ana manip. j. aq. comm. q. ſ. ſacchar. lib. iv. f. ſ. a. Looch.*

Looch pro Ulceribus pulmonum *ex eodem.*

♃. *Conſerv. roſ. veter.* ℥ j. *pulp. rad. conſolid. maj.* ℥ iij. *tragacanthi torrefacti, & gummi Arabici itidem torrefacti, ciner. cancr. fluviat. ana* ʒ ij. *corall. rubr. boli Armen. terræ ſigill. an.* ʒ j. *ſem. papav. plantag. an.* ʒ i ß. *ſyr. roſar. rubr. q. ſ. M. f. ſ. a. Looch.*

Looch duo ex Pharmacop. Bateanâ.

Looch Album.

Fit ex oleo amygdal. dulc. rec. & ſacch. penediat. ana exactiſſimè ita mixtis ut in maſſam unam homogeneam conſpirent albiſſimam. Fieri nequit ſine arte Pharmacopæi.

Looch Domeſticum.

♃. *Olei amygdal. dulc. rec.* ℥ iv. *ſyrup. jujubin. capill. vener. an.* ℥ ij. *ſacch. alb.* ʒ ij. *M. exactiſſimè in mortario marmoreo ſ. a.*

Confici etiam poteſt multò elegantius ac inſeparabilius (ſi Ars non deſit Pharmacopæo) ſine ulla ſacchari additione. Expectorationem promovet.

Looch ex Hadriani à Mynſicht Armamentario Medico-Chymico.

Looch Roſatum.

♃. *Conſ. roſar. rub. cum Spir. Sulphuris tinct. unc. iv. Lohoch. de rad. tuſſilag. cum ſaccharo parat. unc. ij. ſpec. diarrhod. abb. unc. j. lact. ſulphuris unc.* ß. *boli rub. or. prap. ſuc. glycyrrhiz. ext. ana drachm. ij. croci or. prap. drachm. j. flor. benzoini cardamomi miner. macis ana drach. ß. balſam. ſulphuris aniſat. ſcrup. j. ol. roſar. veri gran. iv.*

Miſc. & cum Syrup. Pectorali ſimpl. noſt. f. Lohoch.

Vires, Uſus, Doſis.

Diuturnæ tuſſi, raucitati, pleuritidi, &c. confert & auxiliatur. Pulmonibus difficiles excreationes extrahit purulentas exulcerationes tam pectoris quam pulmonis eorundemque graveolentiam halitus efficaciter ſanat. Sanguinem quoque expuentibus conducit. Doſis per intervalla, nucis avellanæ quantitas.

Lohoch Violatum.

♃. *Conſerv. violar. rec. cum elix. Sulphur. noſt. tinct. unc. iv. lohoch. ſani & expert. unc. ij. ſpec. diamargarit. frig. diaireos ſimpl. ana unc.* ß. *flor. Sulphuris compoſ. ext. rad. glycyrrhizæ ana drach. iij. croci orient. prap. Styrac. calamit. ana ſcrup. j. ol. hyſſopi & benzoin. ana gran. iv.*

Miſc. & cum Syrup. pectorali comp. noſt. f. Lohoch. pectorale.

Vires, Uſus, Doſis.

Experimentum eſt in Tuſſi, Aſthmate, Phthiſi, diſpnœa, orthopnœa, cæteriſque pectoris vitiis, & doſis

doſis eadem, quæ in præcedenti Lambitivo obſervanda.

Looch Pectorale.

℞. Syrup. Pectoral. ſimpl. noſt. Compoſit. ana unc. ij. Lohoc. de rad. farfaræ ſani & expert. ana unc. j. Man. Chriſti aniſat. drach. vj. ſpec. diarrhod. abb. unc. ß. zingib. de Bengalâ cond. ʒ *iij.*

Miſc. & fiat, ut eſt artis, Lohoch pectorale.

Vires, Uſus, Doſis.

Certiſſimarum eſt virium ad tuſſim quamcunque & raucedinem à frigore vel pituita craſſa in Thorace & Pulmonibus contenta, ortam; nec non in pectoris affectibus quibuſvis, difficultati anhelitus, pleuritidi, & dolori coſtarum medetur. Doſis ſæpius in die nuc. moſchat. quantitas.

Lohoc ſeu Diacodion crocaton.

℞. Cap. papav. num. XXI. *ſiliquar. dulc. abjectis granis rad. glycyrrhiz. raſæ ana unc. iij. ſem. bombacis, althea, cydoneor. gran. myrti ana unc. ß. ficuum pinguium dactylorum, ſebeſten ana num.* XI. *flor. malvæ arb. rub. violarum, jaceæ ana* ʒ *ij.*

Coq. in ſ. q. fontanæ, ut eſt artis, poſtea

℞. Colaturæ lib. ij. ſacchari candi roſar. penidiorum ana ℔ ß.

F. Syrupus craſſus, cui circa finem adde:

Syrup. è ſuc. flor. papav. errat. jujubini ana unc. ij. extr. croci or. ʒ *ß.*

Miſc. & flamma imbecilli ad mellis conſiſtentiam coquantur, & cum Galliæ Moſchatæ veræ ℈ j. aromatizentur.

Vires, Uſus, Doſis.

In omnibus diſtillationibus ſeu defluxionibus calidis, tenuibus, acribus, ac ſalſis, à Capite, in Thoracem & aſperam arteriam, ex continua tuſſi inſomnia facientibus, ſecretum eſt. Gutturis enim aſperitatem leniendo, ſputum tenue maturando, incraſſando, glutinando, atque expectorando, ſitim extinguendo, caloris incendium, mitigando, ſomnum conciliando; Item refrigerando & humectando Spiritus corroborat, vires reparat, & calorem nativum conſervat. Dici præterea, non poteſt, quàm proſit iis, qui acutiſſimis doloribus maximè Colico, Nephritico, Pleuritico, Arthritico, &c. corripiuntur. Prodeſt etiam ad ſanguinis excretionem & menſtruorum nimiam evacuationem; nec non Febribus ardentibus, alvi profluvio & Dyſenteriæ, quæ ex materiæ acri & bilioſæ effluxu excitatur, confert, Doſis à Drach. j. ad Drach. ij. tres aut quatuor.

Lohoch Antiphthiſicum.

℞. Diacodii crocat. noſt. unc. IV. *Looch ſani & experti, de pulmone vulpis ana unc. ij. rotul. pectoral. alb. citrin. rubrar. ana unc. j. ſyrup. pector. ſimplic. noſtr. & compoſ. ana drach.* VI. *zinziberis de Bengalâ cond. unc. ß. ſpecier. diarrhod. Abbatis, diamargar. frig. ana drach. ij. M. & cum emulſione ſem. papav. albi cum aq. pulmon. vituli fact. unc. i ß. f. flammâ imbecilli juſta conſiſtentia Lohoch.*

Vires, Uſus & Doſis.

In Phthiſi, Aſthmate, Tuſſi, Pleuritide, Catarrho, Raucedine vocis, cæteriſque Thoracis & Pulmonis vitiis &c. valdè efficax eſt, humoreſque exſcreatu difficiles extenuat, ſomnumque conciliat. Doſis ſæpe in die nucis avellanæ quantitas.

LOTIO, quatenus eſt OPERATIO PHAMACEUTICA.

Lotio conſtat duplici ſubjecto. 1. *Lavante*, quod frequentiſſime & principaliter eſt aqua ſimplex, adæquatè etiam deſtillatæ 2. *Lavando*, cui generaliter omnia depurationis vel ſeparationis humidæ indiga ſubſtant, nominatim corpora ſolida & media etiam quædam, exemplo terebinthinæ.

Fundamentum Lotionis eſt duplex, ſeparatio 1. puri ab impuro, 2. ſubtilis & levioris à graviori corpore, quem in finem vel ſola mixtio aquæ concurrit, ut atomi terræ alioqui miſcibiles cum eâdem confuſæ ſeparentur, vel ejuſdem ſolutio, ut menſtruum eſt, quod exemplis patebit. Hinc & modus non unus eſt, ſed lotio quædam fit ſimplici affuſione & decantatione, ut in extrahendis ſalibus; quædam ſimplici agitatione, ut in terebinthinæ lotione; quædam fortiori confuſione, ut in terreis dicetur, quædam extractione perfectâ, ut in aloe lota.

Finis nempe & uſus generalis eſt depurare & ſecernere, effectu tamen diverſo, qui duo diſtincti uſus eſſe poſſunt generales, ſpecialis multiplex. Lotio ergo (1.) *dealbat* & nitidiores partes reddit, quod exemplo terebinthinæ manifeſtum eſt, ſive pro uſu interno agitando lavetur, verbi gratia, cum aqua nymphææ in gonorrhæâ, pro uſu externo in unguento digeſtivo parando, albicat inde partibus aqueis & ſulphureis poroſioribus confuſis. Sic & cera dealbatur, ſic ſuccinum dealbatur flavum coctione cum muriâ, ut mechanicam dealbationem linteaminum, ubi vel continuâ affuſione aquæ, accedente calore ſolis, partes ſulphureæ unctuoſæ elutriantur, *bleichen* vocant, vel lotione domeſticâ dealbantur iterum, non memoremus. Imò ſalia quoque dealbantur unicè crebriori ſolutione & coagulatione, ut in arcano etiam tartari patet ex parte.

(2.) *Lotio elixiviat*, exemplo tum culinario, ad paranda lixivia, tum pharmaceutico. Omnia enim incinerata vegetabilia affuſione aquæ & tranſcolatione ſal præbent alcalinum hinc lixivium dictum, exemplo, abſinthii, centaurii minoris &c. Quod nempe aquæ beneficium eſt, id lotioni ſeu mixtioni cum aquâ omninò etiam quadrat. Aqua verò ſubit & ſolvit ſalia, imò ſolvendo unit.

3. *Lotio edulcat*. Aqua ipſa dulcis & inſipida eſt, recipit verò in ſe ſalia & ſalina corpuſcula ſubtiliora, & alio quàm elixiviandi fine. Sic lapis lazuli minutiſſimè tritus toties aquâ abluitur, probè agitando, donec affuſa aqua omnis ſaporis vel coloris alieni expers manſerit. Nec id immerito, ſalia enim mineralia acrimoniam ſuam in corpus vibrant facilè, niſi auferantur. Hinc etiam aqua, quâ cum cinnabaris vel lapis lazuli & ſimilia lota ſunt, non tam facilè muceſcit, ſed vivida permanet. Inprimis hæc edulcans lotio habet uſum, ut habeantur terræ inſipidæ; præter uſus mechanicos alios, exſiccantes, leviores. Hinc calx lota ad ambuſta uſurpatur, hinc terra vitrioli dulcis fit ſolâ ſufficiente lotione. Par ratio eſt omnium calcinatorum & præcipitatorum, ♁ii diaphoretici, bezoardici mineralis, ſulphuris aurati ♁ii, magiſterii perlarum, auri, &c. quæ edulcantur crebriori trajectione aquæ. Imò huc etiam feculæ ipſæ trahi poſſunt, ubi conjungitur comminutio & confractio particularum, & lotio unde pulvillus mitior minuſque acris ex bryoniâ, aro, pæoniâ, iride conſurgit.

Ut taceamus (4.) ſecundarium uſum, jam tactum, *lotionem* in tritura etiam *comminutioni particularum ulteriori inſervire*, cujus rei experimentum manifeſtum præbet detritio ferri exacuendi fine, *ſchleiffen*, ibi enim lotio ſeu affuſio aquæ omnino id moderatur, unde

unde & aquæ detritæ illæ martiales ſunt omninò, & novi quaſdam abortum illarum poto meditatas inducere.

(5.) *Lotio extrahit* propriè dicto modo, ita ut extracta ſiſtat. Atque adeò non ſolum lotio inſtituitur, ut ſordes auferantur, relicto puriori, ſed & vice verſâ, ut puriores particulæ auferantur, relictis fecibus, ſeu impuris, minus utilibus. Extractionis exemplum præbet aloe lota, quæ non priori ſenſu ita dicitur, ſed poſteriori, unde aloe depurata ſeu lota fit, quando aloe pulveriſata verbi gratia, ad ℥ij. ſolvitur in aqua, (accedente calore, nam lotio eſt duplex, calida & frigida,) hinc liquor tinctus ſolutione factâ filtratur per linteum, & evaporatione prævia exhibet extractum ſolutivum elegans. Par ratio eſt aloes violatæ ipſius, imò & extracti opii liquidi & ſpiſſi, quod eodem modo menſtruo aqueo paratur, de quo ſub extractis latius dicetur. Sic etiam ſcammonii lac, menſtruis aqueis factum purgans eſt extractum, licet minus hodie in uſu.

(6.) *Lotio modò leviorem, modò graviorem particularum ſecretioni inſervit*, quæ ſcilicet ſunt utiliores. Διάκρισις enim omnis debetur primariò utilibus, quarum σύγκρισις fieri debet. Sic in ♁ii diaphoretici præparatione, facta ſolutione in olla pro elixiviatione, partes ſolùm tenuiores & ſubtiliores filtro ingeruntur, craſſiores impuræ relinquuntur. Sic lithargyrium præparatum fit, ſi lævigatum aqua deſuper limpidiſſimâ affuſâ agitetur, donec ea turbida fuerit, hinc in aliud vas conjiciatur, ut ſubtilius illud evolutum ſubſidat. Sic etiam terræ ſubtiles è calcinatis oſſibus aliæve lavantur, *ſchlemmen, abſchvvammen* vocant, ut ex iis catini fiant, ut alia mechanica taceamus; item bolus armena, oſteocolla, aliæque hunc cenſum ſubeunt, ſiquidem id opus ducatur. Contrarium hujus rei fit in metallicis, nominatim loturâ auri, quod illuſtrabimus exemplo lotionis ex fluvio Schvvarza, nobis vicino. Cum enim ramenta auri cum arenulis viſantur conjuncta, uti auri ſeminium præ reliquis eſt diffuſum metallis omnibus, procedunt ita: Ex flumine hauriunt terram & corbi indunt, lapides majores eximuntur & ſeparantur, confuſè reliquæ partes minutiores inſtrumento ligneo longo, lato & declivi, cui ſubſtratum eſt ſetaceum, ut olim pellis, ingeruntur, affunditur ſubinde aqua, junctâ agitatione, ita partes terreæ tanquam leviores ſecedunt & detrubantur, aureæ ramentoſæ in ſetaceo relinquuntur cum terreis minoribus. Unde tandem excuſſæ in vas ligneum ſemiovale, *Muldlein*, denuo repetitâ aquæ affuſione & ſeparatione ſola tandem auri habentur ramenta, plura vel pauciora, non levi tamen in Schvvarzâ cum lucro. Idemque de Albi, Rheno aliiſque valet, unde habetur aurum ſtatim ſuum finumque, imò finiſſimum, ex ſinu naturæ matris hauſtum, citra ignis aliquam miniſtrantem opem, idque puriſſimum, crudiori ſaltim modo coque antiquiſſimo collectum. Hinc vellus ipſum aureum Jaſonis, licet *Suidas*, ſub voce Δέρας, aliique cum ipſo explicent, librum fuiſſe Alchimiſticum, ex vellere ovino, more antiquo, ſcriptum, qui artem parandi aurum continuerit, ex aliis metallis tranſmutatione factâ; rectius tamen cum *Strabone lib.* 11. *Geograph.* ſtatuitur, populos Colchos inhabitantes ſolitos fuiſſe aurum torrentium mediante vellere ovino excipere.

Sic etiam exemplum utriuſque præbet lotionis cinnabaris nativa, prioris quidem ſi ipſa ſit paulò purior, vel ſaltim non bolaris, ita enim factâ pulveriſatione particulæ utiliores evolvi; & ſub ſidendo hinc colligi poſſunt, quod ante annos aliquot in uſu nobis erat, deſumtâ hâc colligendi ratione ex ipſius cinnabaris tunc adferri conſuetæ modulo; Poſterioris verò, ſi impurior & bolaris ſit magis, Germ. *Weiſſer Zinnober*, quatenus proceditur modo contrario, & in fundo quæritur purior pars, ad inſtar lotionis auri. Ita enim fit ſeparatio partis utilioris per aquam, ſeu viam humidam, quæ etiam alio modo per ignem fieri poteſt, noſtro experimento, ſublimando eandem ex arenâ, igne debito ſubdito, manifeſto argumento, eſſe hanc non minus διάκρισιν, ac illam.

Quin imò nec aurum lavari per totum, vel elui omne, ſine diſtinctione, poteſt. Sed ſi arenulæ commixtum minoribus particulis fuerit, *Goldſchlich* vocant, beneficio hinc amalgamationis ſecerni amat quoque quatenus recipiuntur auri miculæ à mercurio, à quo hinc beneficio ignis iterum ſeparantur. *Wedelius.*

LOTIO, quatenus eſt MEDICAMENTUM.

De ea vid. ſub titulo *Fomentatio*, item ſub titulo *Balneum.*

LOTIUM, vid. *Urina.*

LOTUS ARBOR.

Nomina. Lotus arbor *Park. Ger.* lotus arbor fructu ceraſi *C.B.* id eſt, urticæ arbor à figura foliorum.

I.B. Lotus dicta arbor magna eſt, caudice craſſiſſimo, ramis ceraſi inſtar brachiata, ſed in latitudinem magis quàm in altitudinem extenſis, cortice lævi ſubalbido (ut Cæſalpinus ait, ut Matth. in cæruleum nigreſcente) foliis ulmi longioribus, & magis in acutum deſinentibus, inferiore parte nonnihil incanis, ſuperna viridantibus, rugoſis, in ambitu ſerratis, in acutum deſinentibus, quæ nihil nobis cum ilice videntur habere commune. At unumquodque ferè folium eſt bacca ſubnigra, ceraſo ſylveſtri ſimilis, minor tamen, ex longo pediculo, pulpam paucam albam continens, cum dulcedine aſtringentem, gratam: oſſiculum ad fructus proportionem magnum: bacca tota ſicciſſima, ut vix ea quis ſatiari poſſit. Floſculi, teſte Cæſalpino, ex binis filiolis conſtant, ſummo fructui inſidentibus; baccæ nigræ; oſſiculum durum, veluti quadripartitum intus unica ſeminis medulla dulcis.

Si floris ſitum rectè deſcribit Cæſalpinus, in noſtra Methodo ad hoc genus pertinet.

Multis Italiæ in locis reperitur ſpontanea: nos circa Romam in ſepibus obſervavimus, nec non in Gallia Narbonenſi circa Monſpelium.

Arbor hæc eſſe non potuit cujus fructuum dulcedine capti Ulyſſis Socii, cum lotophagis permanere ut eis fruerentur quàm ad ſocios reverti maluerunt. Quæ enim gratia eſſe potuit tam ſicci & exucci pomi, niſi fortè in iis regionibus carnoſior atque etiam ſuavior, quàm in noſtris ſit?

Arborem hoc in loco à nobis è I. B. deſcriptam ipſiſſimam Theophraſti, Plinii aliorumque veterum lotum eſſe pro certo affirmare non auſim, adeoque an vires loto ab iis adſcriptæ huic conveniant neſcio, fructus aſtringunt & alvum ſiſtunt, maturi minus; ramentorum decoctum vel infuſum dyſentericis fæminiſque profluvia laborantibus confert, rufat flavoſque etiam reddit capillos (quod præter Dioſcoridem & Serapionem nemo tradit) eoſdemque defluentes continet. *Raius.*

LUBRICANTIA, vid. *Hypactica.*

LUCIUS PISCIS.

Lucius, (vel à Græco nomine τῦ λύκυ quod lupum ſignificat: quia hic interfluviatiles ſit voraciſſimus & edaciſſimus, quemadmodum inter marinos lupus, cui Græci à voracitate λάβραξ nomen deduxerunt, vel

à lucendo) Gallis *Brochet*, vel aliis *Bequet* ſeu *Bechet*, à roſtro prominente, Angl. *the Pyke*. (vel ob ſimilitudinem roſtri cum haſta, vel quod ſe inſtar haſtæ projectæ in aqua promoveat: unde Franco-Gallicè etiam *Lanceron* à lancea appellatur) & dum adhuc parvus eſt. Branchias habet ſenas, utrinque ternas. Oculi coloris aurei ſunt æmuli, maxime ad iridem. Palato ejus natura duos dentium ordines infinxit, quoniam in ſuperiore maxilla nulli ſunt: inferior maxilla dentibus acutiſſimis imparibus, & duplici interdum triplici ſerie extantibus, in os recurvis armatur, ut in carcharia. Cor ſub branchiis minutim ſature rubet. Hepar longiuſculum, ſimplex, pallet: cui anteriore parte fel jungitur majus, cæruleum. Vada petunt, cum parturiunt: ac ſæpenumero ſingulas fœminas mares 12. 13. aut 14. ſequuntur. *Charleton.*

Officin. Nat. ex Lucio.

1. *Fel.* 2. *Cor.* 3. *Mandibulæ.* 4. *Offiiculum cruciforme.* 5. *Axungia.* 6. *Ova.*

Vires.

1. *Fel*, Febrim arcere volunt *ſi aſſumantur.* Numer. 3.

Extrinſecus inſervit oculorum maculis, hebetudini, aliiſque eorum affectibus.

2. *Cor*, adverſus Febrium paroxyſmos devoratur.

N. *Sunt qui Cor vivo Lucio exemptum devorare, luciumque corde orbum denuo in fluentem aquam conjicere jubeant.*

3. *Mandibula* exiccat, abſtergit. Hinc datur in pleuritide ceu ſpecificum, confert itidem ut & reliqua capitis oſſicula in calculo, fluore albo mulierum, partu difficili.

Extrinſecus ſiſtit (cinis) ſynoviam, vulnera inveterata mundificat, hæmorrhoides exiccat.

4. *Oſſiculum Cruciforme ex capite Lucii*, commendatur quibuſdam ad Epilepſiam (*aſſumptum.*)

N. *Periapton ſingulare quibuſdam habetur adverſus incantamenta.*

5. *Axungia* vulgare Medicamentum eſt, illiturque plantis pedum & pectuſculis infantulorum, ad revellendos catharros & demulcendam tuſſim.

6. *Ova*, vomitum ac alvum ciere apta ſunt, unde & hujus gratia medicamenti loco à plebeis exhibentur.

Præparata.

Aqua *Fellis* deſtillata oculis ſubvenit. *Schroderus.*

Hujus *Mandibula* cum reliquis oſſiculis capitis exſiccata & pulveriſata egregium præbet anti-pleuriticum, vel per ſe, vel cum aliis mixta.

N. Nuper ex capite Lucii *duos Lapillos* inſtar cancrorum extraxi raro exemplo; quos reſervo in meo rarithecio. *Hofmann.*

Ludus, vid. *Calculus.*

Lujula, vid. *Oxytriphyllum.*

LUMBRICI.

Lumbrici terreſtres (quaſi lubrici, quia labuntur, vel ut Martinius ingenioſus deducit, ex eo, quod ex λύματι βρύει, hoc eſt, è ſordibus naſcatur) Græcis γῆς ἔντερα, terræ inteſtina & γαφάγοι (quod terram comedant) quorum interanea per acuratiſſimam anatomen detecta, & iconibus ad ipſius naturæ fidem expreſſa contemplari licet apud Doctiſſim. Williſium de An. Brut. cap. 3. quibus conſimiles etiam in hominum ventriculo & inteſtinis generantur trium generum, viz. lumbrici (1) lati, (2) teretes, (3) aſcarides, ἀπὸ τοῦ ἀσκεῖν, quoniam iis affectos mordicatione & pruritu valde exercent (4) Syrones in cute. De inteſtinorum lumbricis admirandam ſane Hiſtoriam hanc tradit Caſp. Schvvenchfeld. Novi fœminam ruſticam, inquit, cui lumbrici longi teretes palmares & longiores, noveni, per intervalla, aliquot dierum ſpatio dextra abdominis parte, ſponte ex ventre prorupere: ulcuſculo ſuapte natura iterum coaleſcente.

N. Vires. *Sunt inſigniter diuretici, diaphoretici, ànodyni; diſcutiunt, emolliunt, obſtructiones reſerant, lac augent, vulnera, nervoſque præciſos glutinant.*

Uſus præcipui ſunt in apoplexia, ſpaſmo (ex ſignatura) aliiſque affectibus nervorum ac muſculorum in ictero, (utroque) hydrope, vermiculatione infantum, dolore colico. Inprimis autem ſpecificè proſunt in arthritide illa ſcorbutica, quam vagam appellant, (die lauffende Gicht die Vahren, The running and vvandring Gout, De loopend of vliegende Gicht;) adhiberi intus poſſunt & extus.

Intus exhibentur vel toti conquaſſati, recenterque verbi gratia, cum vino trajecti per linteum, vel ſiccati & pulveriſati.

Extus applicantur vivi & mortui, vivi impoſiti, donec moriantur, proſunt panaritio, mortui in cataplaſmatis ferè adhibentur. Odontalgiæ convenire dicitur cinis, (cavitati dentium inditus.) Podagricos dolores leniunt, (pulvis cum farina calidè impoſitus.)

Præparata.

1. *Aqua*, fit in MB.

Hydropicis maximè proficua eſt.

2. *Oleum coctum, vide Diſp.*

N. *Ex* 🜔 *o hoc deſtillatur cum* 🜄 *raphani, Ol. quod urinam & ſudores potenter pellit.*

3. *Liquor* fit in clybano.

Nimirum.

Lumbrici loti & per ſtupam purgati induntur vitro anguſtiori orificii. Hinc obturatur vitrum maſſaque panis incluſum committitur, (ut & reliqua maſſa,) clibano, donec cum panibus eximatur. Poſt liquor filtratur & ſervatur pro uſu interno & externo.

Doſis à ʒij. ad ℥ ß.

4. *Spiritus* præviâ putrefactione, ubi ⊖ volatile ſtatim elevatur, vel ſine putrefactione ex ☊ 🜂 aperto.

5. *Pulvis*, fit ex lumbricis in furno exiccatis. *Schroderus.*

Hi tanquam ſpecificum in arthritide vagâ ſcorbuticâ commendabiles ſunt, ex quibus ſuccum expreſſum ad ruſticos & plebeios amandamus cum eorum pulvere. *Spiritu cum Sale volatili per ſe deſtillato contenti.* Atque hic habetur vel cum prævia lumbric. terr. putrefactione, vel ſine ea. In ea Sal volatile ſtatim in deſtillatione elevatur; in hac extrema opus eſt ignis tortura per retortam 🜂ne aperto peragenda. Ex hoc cum Eſſent. chamædr. chamæpyth. ſalviæ, flor. hyperic. anthos lavendul. ligni ſaſſafras, radic. angelic. &c. Elixir anti-arthriticum paratur, quod in arthritide vaga ſcorbutica ad gutt. xx. xxx. vel ultra propinatum cum appropriato vehiculo notabilem edit effectum. Nota alias etiam eſt Eſſentia lumbri-

lumbricorum ſ, & e. Dn. Dn. Dravifii *in arthritide vagâ ſcorbuticâ.* vid. & Balſamum Dorſalem ſeu antiparalyticum D. B. O. in theſaur. pharmaceutico annexo Sect. 4. num. 5.

Lumbrici inteſtinorum.) Sunt qui pulveriſatos offerunt ad lumbricos expellendos. Sed *Heinricus ab Heer lib. 1. Obſerv. 9.* hoc non probat, quia materia illa vermium putris putri puerorum pituitæ mixta à magno illorum calore humido iterum animari poteſt, ut videmus muſcas ſubmerſas longè mortuas, ſi non premantur, ſoli denuò expoſitas vitam & volatum recuperare. Sic & ſerpentes in minima etiam fruſtula conciſos ac putrefactos, ut nullum amplius vitæ adſit veſtigium, Solis calore in novos ſerpentes abire, ob ſerpentum formatrices ideas in putredine non deſtructas. Verùm hic Metus de Nihilo eſt, hi enim lumbrici non integri, ſed exſiccati ac pulveriſati offeruntur, ac alias adeſſe potuerunt in corpore priuſquam pulvis Lumbricorum fuit adhibitus. *Hofmannus.*

De artificiali Lumbricorum Productione hæc habet R. P. Athanaſ. Kircherus Mund. Subterr. Vol. II. p. m. 376.

Lumbricos plures ſiccatos in pulverem conchæ lateritiæ, terra pingui & dulci impletâ ſepelies: deinde aqua pluviali eam ſubinde rigabis, & intra tres aut quatuor dies reperies totam illam terram nova lumbricorum pullulagine ſcatere, & primò quidem ſub magnitudine vermium qui ex caſeo naſcuntur; deinde quoque pingui illo terræ ſucco nutritos, in veros lumbricos excreſcere comperies: cùm enim ſemen in lumbricorum incineratione non pereat, ſed virtute maneat, hinc fit, ut intra terram pingui & dulci ſucco preditam conditus pulvis, calore ſolis ſe ſe exerens, vi latentis, ſeminis in idem, quod primò erat, animal excludatur. Vel idem quoque duplici alia ratione ſuccedit, vel ex conciſis ſiccorum lumbricorum particulis terræ inſitis, pluvialem aquam admiſcemus, quæ illa eadem eſt, quæ ſemina lumbricorum aliunde deciſa ſecum portat atque terræ committit; hinc ſtatim poſt pluvias & imbres terram pinguem dulcemque ſemper lumbricis ſcatere deprehendimus, tanto numero, ut vel ipſas ſemitas expleant. Eſt & hoc admirabile, quod ſi lumbricum ſoli ferventi expoſueris, is ſtatim fit moriturus, quem poſtero die ubi examinaris; innumerabili vermiculorum multitudine coopertum videbis, quos ex cadaveris ſeminalibus partibus inſtaurari non eſt dubium; Unde ingens illa lumbricorum multitudo in terra, naſcitur, uti enim terram ſaxoſam, ſterilem & arenacceam oderunt, ita ex ea non naſcuntur; fit tamen ſubinde ut vel repentes terram illam ingrediantur, ſed cùm alimentum non reperiunt, ibidem vita functi ex propriis eorum cadaveribus mox ingentem verminaginem emittant, qui pluvia in terram pinguiorem delati, ibidem in immenſam lumbricorum copiam adoleſcunt.

LUMBRICOS NECANTIA, vid. *Anthelmintica.*

LUNA vid. *Argentum.*

LUNA CAUSTICA, LAPIS INFERNALIS, vid. ſub titulo *Argentum.*

LUNARIA MINOR ſeu Botrytis.

Nomina 1. Lunaria minor *Ger. Park.* L. Botrytis *I. B.* racemoſa minor vel vulgaris *C. B.*

I. B. Radice tenui, ſubnigra, intus flaveſcente folium exit ſingulare, una cum pediculo interdum palmare, 4. 5. 6. 7. aut pluribus pinnarum craſſarum, ubi nervo medio connectuntur anguſtarum, in latum & falcatum mucronem deſinentium, conjugationibus compoſitum pinnarum ſuperiorum concavo inferiorum gibbum excipiente, ex eodem pediculo ex infimæ conjugationis ſinu ſurculus prodit palmaris, ſucculentus, craſſus, è cujus lateribus alternatim oriuntur pediculi racemulis onuſti, jubam imitantes. Racemuli acinos habent congeſtos, paucos, virides, qui nec flores unquam edunt, nec ſemen intus habere conſpiciuntur, ſed pro eo pallido colore pulvis tenuiſſimus atque impalpabilis invenitur, quo ſato an ex eo planta exuat incertum eſt, ſæpe quidem cum expertus nunquam exire aliquid cognovi, inquit Columna.

Ego pulverem hunc ipſum plantæ ſemen eſſe minime dubito, quantumvis à columna ſatum, loco fortaſſe alieno non provenit.

In montibus Eboracenſibus propè Settle oppidum copioſiſſimè provenit & alibi in montoſis & frigidioribus variis in locis, tum Anglia, tum in tranſmarinis regionibus.

Lunaria botrytis minor multi folia I. B. Lun. racemoſa ramoſa major C. B. an ſit luſus naturæ tantum: an ſpecies Lunariæ diſtincta ambigimus, præſertim cum Camerarius eam in Anglia inveniri tradat: nos autem nihil tale unquam invenimus, nec ab aliis inventum audivimus in Anglia, niſi forte accidentarium & monſtroſum *Raius.*

Vires. Lunaria minor ſeu *botrytis* vulgaris planta eſt vulneraria ac adſtringens, dyſentericis, ut credunt, admodum proficua, Nos vidimus virum quendam qui Herniis curandis non mediocri cum ſucceſſu allaborabat plantam hanc extus & intus in magno uſu habuiſſe.

Nomina 2. Lunaria botrytes ramoſa Sileſiaca I. B. racemoſa multifido folio *C. B.*

Cluſ. dodrantalis eſt planta, ſtatim à radice unam aut aliam foliorum alam protrudens, ſive folium ramoſum & multifidum, frequentibus foliis, Lunariæ minoris vulgaris foliis fere ſimilibus conſtans, ſed longioribus & craſſiuſculis, crebraque inciſura diviſis, colore ut in vulgari viridi dilutiore, & quodammodo palleſcente; ſecunda ala, ut tenerior eſt & poſtremo nata, tenui quadam ſed rara admodum lanugine pubeſcere videtur, ſucculentiorque eſt quam prima: ex ejus quaſi utero ſecundum radicem emergit cauliculus pinguis & ſucculentus, ſuſtinens multifidam & majorem uvam (floris an fructus dicere debe m hæreo) quam vulgaris, alioquin admodum ſimilem. Radix vulgaris inſtar multis fibris late in ambitum ſparſis, craſſioribus tamen, conſtat.

In altis Sileſiæ montibus oritur; culturam autem reſpuit ut pleræque montanæ.

Nomina 3. Lunaria racemoſa minor Adianti folio *Breynii.*

Breyn Vulgari foliis laciniatis (cujus effigies apud Camerarium in Matthiolo Germanice edito ſub numero II. extat) per omnia ſimilis præter folia, quæ capilli veneris ſive adianti foliis coriandri C. B. in modum eleganter ſunt diſſecta.

Naſcitur in montibus Caſſubiæ, ſed admodum rara.

Nomina 4. Lunaria racemoſa minor matricariæ folio Breynii.

Breyn. Montium Caſſubiæ eſt incola, unde ſatis copioſe

copioſè allata, cauliculi in omnibus allatis magis curti erant quam vulgaris, racemis brevioribus magiſque ramoſis, ac foliis brevioribus, plures in lacinias anguſtiores diſſectis, matricariæ haud imparibus onuſti.

LUPINUS.

Lupinus nonnulli à *Lupus* dici exiſtimant rationemque hanc adferunt, quòd lupinâ quadam naturâ terram voret. Nam (ut Plinius ait lib. 18. cap. 14.) tellurem adeò amat, ut quamvis frutetoſo ſolo conjectum inter folia vepreſque, ad terram tamen radice perveniat. Sed rectius Iſidorus lib. 17. Orig. cap. 4. qui Græcum eſſe origine docet, eſt enim ἀπὸ τῆς λύπης, quo reſpiciens Maro J. Georg. ait, triſteſque lupini.

Nempe quia, ut loco dicto Iſidorus ait, vultum guſtantis amaritudine contriſtant; aquâ tamen ſi macerentur amaritudinem exeunt: unde Zeno Citticus rogatus unde fieret, quòd cùm naturâ adeo tetricus eſſet, vinum ſi biberet, fieret ſuavior, ibi hoc cum lupino commune eſſe reſpondit. Meminere Athenæus lib. 3 & Laertius in Zenone.

Ex lupino macerato fiebant nummi, quorum in Comædiis uſus erat. Plaut. Pæn. Act. 3. Sc. 2.

Ag. *Agite, inſpicite aurum eſt.* Col. *Profectò, ſpectatores, Comicum.*
Macerato hoc pingues fiunt auro in Barbaria boves.
Verum ad hanc rem agendam Philippeum eſt.

Hinc Horat. Lib. 1. Epiſt. 7.
Nec tamen ignorat quid diſtent æra lupinis.

Ubi ut Turnebus à Mureto edoctus ſcripſit lib. 1. Adverſ. cap. 15. per æra intelliguntur *nummi ærei*, per lupinos, *nummi comici* è lupinis confecti, ut omnino fallantur qui corrigunt, *quid diſtent erva lupini.* Hæc omnia è Clariſſ. Voſſii Etymologico.

Lupini *Notæ* ſunt folia digitata caules teretes, flores in ſummis caulibus & ramulis in ſpicas digeſti, ſiliquæ erectæ.

Plures dantur ejus ſpecies, ſcilicet *flore albo*, qui vulgaris, item flore cæruleo, luteo &c. Hic de vulgari cujus

Vires. Seruntur in Hetruria (inquit Matt. & nos etiam id obſervavimus,) non modo ad alimentorum uſum, ſed ad agros impinguandos, & Plinius pingueſcere hoc ſatu arva, vineaſque dixit, ita ut optimi fimi vicem repræſentet.

Semen in aqua dulci calida maceratum amaritudinem, deponit, & guſtui gratum redditur, ut citra aliam coctionem eſitetur. Galenus elixum cum garo ac oxygaro, vel etiam ſine his ſale mediocri conditum mandi ſcribit, & fieri tunc nutrimentum ſucci craſſi, & tardè deſcendere. At ubi nativa etiamnum amaritudo manet extergendi digerendique vim obtinet. Interficit lumbricos tum illitus, tum addito melle linctus, tum in poſca potus; quin & decoctum ejus idem præſtat. Foris impoſitus ex emplaſticorum genere eſt; unde & decoctum in fotu, & farina in cataplaſmatis vitiligines, achoras, puſtulas, pſoras, gangrænas, ulcera maligna juvat, partim extergendo, partim citra mordacitatem digerendo. Sunt qui farinam iſchiadicis cum aceto illinunt, elicit menſes & fœtum cum myrrha & melle impoſitum, & alia multa præſtat, quæ vide apud Dioſcoridem, Galenum & Plinium.

Quod Theophraſtus dixit viridem à nullo animali mandi propter amaritudinem, de fructu intelligendum eſt: nam hodie etiam pro boum pabulo ſeritur inter rapas. I. B. *Raius.*

LUPULUS.

Lupulum à Plinio l. 21. cap. 15. lupum ſalictarium nominatum volunt, Lupulus cur dictus ſit me latet, ſalictarius autem dicitur quia ſubit ſcanditque ſalices & arbuſta omnia circumvolvendo: à ſalicibus autem potius quam ab aliis arboribus denominationem ſumpſiſſe nobis videtur, quia locis humentibus & ad fluviorum ripas, ubi & ſalices, naſci amat. Lobelius ſalictarium dictum exiſtimat, quia fulcra quæ ſcandit ut plurimum ſaligna ſunt. Meſue volubilis folio aſpero dicitur: cæterum notæ lupuli characteriſticæ quibus à reliquis hujus generis diſtinguitur ſunt, caules volubiles, fructus ſquamoſi in racemis laxis: quibus incoctis efficitur ut cerevifia ætatem ferat incorrupta, nec cito in vappam aut acetum degeneret.

Nomina. Lupulus mas & fœmina *I. B.* I. ſeu mas & II, ſeu fæmina *C. B.* 1. Sive ſativus & 2. ſive ſylveſtris *Park.* nec enim aliter differunt quam magnitudine & exilitate aliiſque accidentibus à cultura ortis. Lupus ſalictarius *Ger.*

I. B. Anadendras lupulus, per ſe infirmus, facilè & proxima adminicula quæ apprehendit, conſcendit; non ille quidem capreolorum, quos nullos habet, ope, ſed tortilibus aſperis, anguloſis, purpuraſcentibus & concavis ſarmentis, tenaci pedamentorum complexu, in altum ſubnitens, cæteroqui humo ſe tollere vix potis. Folia è geniculis bina adverſa, pediculis palmaribus, aſperis, & interdum rubentibus adnexa, modo mori folia imitata, integra in mucronem abeunt plerumque trifariam aut quinquefariam diviſa, totidem mucrones oſtentantia, tum hic, tum illic per ambitum ſerrata. Flores in Mate dicto è foliorum alis racemoſi, cannabacei, colore herbido palleſcentes, ſex foliolis & totidem ſtaminibus componuntur, nullo ſequente fructu evaneſcentes. Fructus in fœmina ſtrobilorum inſtar, ſquamis compactiles, verum membranaceis & laxis, colore pallido ſeu ex viridi luteo, ſemen continet ruffum, amarum.

In ſepibus paſſim abundat, & ad dumeta & margines pratorum humentium luxuriat. Lupuli tam in Anglia, quam in Germania vitium inſtar, in lupuletis ſeruntur & coluntur, magnâ curâ, nec minore impenſâ, depactis prælongis perticis, quas ſarmenta conſcendunt atque etiam ſuperant. Solo gaudent humidiore, lætiore & pinguiore, bene ſtercorato. Tota planta culta lætior multo evadit, florum thyrſis foliaceis ex ſquamoſis grandioribus ſemine etiam paulo majore, vindemiæ tempore uvæ decerpuntur, in furno & ad id præparato exiccantur, in ſaccos deinde congeruntur & venum exponuntur. Hæc partim ex adverſar. Lobelii, partim ex noſtra obſervatione.

Vires. Harum uſus notiſſimus eſt toti orbi, ad condiendam nimirum cereviſiam nè citò aceſcat aut corrumpatur, ſed in longum tempus aſſervetur. Quod præſtant mediante inſigni amarore quem ei communicant, quæ tamen ætate paulatim evaneſcit, cereviſia interim vinoſum ſaporem vetuſtate contrahente, quinimo lupulus incoctus cereviſiam ſalubriorem reddere exiſtimatur & ſapidiorem: diureticam quoque & emmenagogam vim eidem communicare, ſanguinem purgare ictero & hypochondriacis affectibus utilis eſſe. An vero calculo renum & veſicæ atterendo & expellendo conducat. An è contra ad ejus generationem & coagulationem faciat à nonnullis ambigitur. Qui adverſus calculum eum commendant eo argumento nituntur, quod calidus ſit & diureticus.

Qui uſum ejus in calculo damnant, ſententiam ſuam valido ſane tibicine experientia ſuffulciunt, quâ teſte cereviſiæ lupulatæ (quam nos bieram vocamus) uſu calculoſorum paroxyſmi exacerbantur, qui è contra Alæ (ſic dicimus cereviſiam cui lupulus non fuerit incoctus) potu leniuntur & mitigantur: præterea ex quo lupuli

lupuli in cereviſia uſus in Angliam introductus ſit, calculum apud nos epidemicum factum eſſe, multoque plures quam olim infeſtaſſe clamitant. Nos iis potius aſſentimur, qui uſum ejus in cereviſia probant & commendant. Salubrior enim inde nobis videtur, & ventriculo gratior, & cibo concoquendo utilior. Nec obſtat quod cereviſiæ lupulatæ potus calculoſis à Medicis interdicatur, Alæ præſcribatur: illud enim fit ad leniendos paroxyſmos, Cui uſui Ala ob lenitatem & lubricitatem ſeu lævorem ſuum conducit, non ad morbum eradicandum, ejuſve cauſam tollendam; cùm ala ob lentorem & viſciditatem ſuam, atque tartari aut fæcum copiam quam deponit, calculo generando potius & coagulando quam diſſolvendo & comminuendo apta nata videatur. Falluntur autem qui calculum epidemicum factum, ex quo lupuli in cereviſia uſus introductus ſit, exiſtimant. Nam quamvis lupulus frequentioris hodie uſus ſit in urbe Londino quàm unquam antehac fuerit, pauciores tamen inibi nunc dierum quam ſuperiore ſæculo calculo laborant, ut ex accuratis D. Graunt obſervationibus patet. Quod ad calculum attinet, putamus liquores illos, qui tartarum copioſum continent & præcipitant, generationem ejus in corpore humano promovere? unde & aquæ potores à morbo illo immunes futuros arbitramur; qui autem vino indulgent, & merum aſſidue bibunt, perſæpe calculo aut podagra vexantur: quorum morborum eadem cauſa, eadem materia eſſe videtur, ideoque non raro in ſe mutuò tranſmutantur. Obſervatum quoque eſt, longe plures in Gallia, ubi vinum quotidianus potus eſt, calculoſos fieri, quam in Anglia ubi cereviſia pro potu ordinario utimur. Vinum autem Gallicum copioſum tartarum præcipitare notiſſimum eſt, verum enim vero cum ingenioſiſſimus Vir Dom. Fredericus Slare receptam illam opinionem, quod ſcilicet tartarum calculi materia ſit, experientia plane refutavit, quamvis verum ſit meri bibulos calculo obnoxios eſſe, & vinum etiam tartaro abundare, non tamen idcirco calculum generat, quod tartarum copioſum deponat, ſed ob aliam aliquam nondum exploratam rationem; deinde ad calculum præcavendum conducere opinamur, ut renes & ureteres copioſo ſero ſeu urina ſubinde inundentur & proluantur, ita enim & meatus omnes urinarii dilatantur & arenulæ unà eiiuntur, hinc qui ſe pluſculum invitant, & ſtrenue bibunt rariſſime calculo infeſtantur. Diuretica quoque ſi effectum ſuum ſortiantur, & urinam copioſam cieant, calculi materiam in renibus reſidem auferunt: ejuſque concretioni antevertunt.

Turiones lupuli velut & aſparagi vulgaris verno tempore coquuntur cumque butyro aut oleo communi, aceti tantillo & ſale menſis adhibentur eorum eſu ſanguinis purgatur, ſcabies præcavetur, alvus ſolvitur, hepar & lien obſtructionibus liberantur.

℞. Salis nigri, lupulorum recentium, ana manipulos duos, uvarum Corinthiacarum cærul. ℔ ¼. probè contuſa, mixta, & in maſſam fragilem redacta carpis applicentur pro epithemate ad febrem quotidianam fugandam Dom. Boyl. de utilit. Philoſoph. nat.

Lupulus ſcandendo perticas motum Solis obſervat, hoc eſt, à dextra ad ſiniſtram, ſeu ab Oriente per meridiem verſùs Occidentem flectitur, nunquam in contrariam partem, licet ipſe manu volvendo, & dirigendo ut eo tendat efficere coneris. Idem & aliis omnibus convolvulis ab hac parte æquatoris naſcentibus commune eſſe aliquando exiſtimavimus. Nunc tamen experientia contrarium edocti ſumus, alii enim à dextra ſiniſtram verſus flectuntur cum lupulo, ut verbi gratia, Brioniæ nigra, convolvulus niger, & periclymenum, alii a ſiniſtra, versùs dextram ut phaſeolus; cuſcuta, convolvulus major & minor? alii nunc in hanc nunc in illam partem, ut dulcamara. Sunt ergo qui ſolem ſequuntur, ſunt etiam qui refugiunt, ſunt denique qui ambigunt.

Idem & cochleis terreſtribus accidere, ut id obiter notemus obſervavit ingenioſiſſimus vir & ſingularis amicus noſter D. Martinus Liſter; quarum quamvis maxima pars à ſiniſtra dextram versùs circumactis orbibus intorqueatur, nonnullæ tamen (minores hæ ſunt & acutiori vertice) ſpiris in lævam tendentibus faſtigiantur.

Cæterum non omittenda ſunt quæ Cluſius habet de lupuli radicum apud Salmanticenſes uſu.

Vulgus (inquit) & vetulæ Salmanticenſes Medicinam empiricam factitare ſolitæ ad curandam alopeciam à venerea lue natam hac ratione lupulo utebantur. Ejus radices pondere libræ unius probè lotas & à ſordibus repurgatas per noctem in aquæ libris octo macerabant: poſtridie in illa ipſa aqua lento igne & fumi expertæ ad tertiæ partis conſumptionem coquebant, vel etiam ad mediam partem, ſi vehemens eſſet Alopecia. Decoctionem ſervabant in uſum ejus ℥ viii. mane ægris jejunis propinabant deinde ſtragulis injectis ſudorem producebant. Addebant interdum apii ſive ſelini hort. duas aut tres uncias, & graminis aliquot radices, & nonnunquam etiam paſſas uvas à gigartis mundatas *Raius.*

LUPUS.

Circa ejus deſcriptionem vid. quæ ſub titulo CANIS afferuntur, hic tantùm de partibus hujus animalis officinalibus, & remediis quæ exinde petuntur.

Officin. Nat. ex Lupo.

1. *Dentes.* 2. *Cor.* 3. *Hepar.* 4. *Inteſtina.* 5. *Axungia.* 6. *Oſſa* 7. *Stercus.* 8. *Pellis.*

Vires.

1. *Dentes* argento incluſi infantulis familiares ſunt, quibus gingivas ſcilicet fricant, dentibuſque erupturis patefcere faciunt: alligati pavores eorum prohibent.

2. *Cor* comitialibus prodeſſe fertur (*toſtum & tritum.*

3. *Epar* Epatis utilis confert, ideoque & Hydropicis ac Emaciatis, nec non & tuſſientibus, (*ſiccatum & exhibitum.*)

4. *Inteſtina* inprimis ad colicos dantur dolores quos itidem arcere dicitur circumligata: hoc item fertur de corio.

Doſis Inteſtin. arefactor. & pulveriſator. ℨ j.

[Caro pulveriſata comeſta Epilepticis utilis experta, & ſalita appenſa, in Hiſpania.]

5. *Axungia* non vilioris virtutis eſt, quàm canina: calf digerit, articularibus morbis medetur, oculorum lippitudini confert, (*ſi eâ fricentur.*)

6. *Oſſa* ad morbum intercoſtalem, ut & ad ictus puncturaſque valent.

7. *Stercus* Colicis confert (*exhibitum*, (ℨ j.) *vel brachiis, cruribuſve alligatum vinculo, ut nonnulli volunt, confecto ex lana ovis à lupo laniatæ, vel ex corio cervi. Vid. Foreſt.*)

8. *Pellis* lupi commendatur itidem ad dolores colicos mitigandos, (*facta inde ſtragula, vel cingulum, cujus pili ventrem tangant.*)

Præparata.

1. *Oleum* fit ſi Lupus in Oleo decoquatur.

Vires. *Podagricos dolores mitigat.*

2. *Eſſentia*

2. *Eſſentia Sanguinis Lupi*, efficax ad diſſolvendum ſanguinem coagulatum. *Hartman. in pract.* Schrodeꝛus.

Eſus Cordis & Epatis Lupini perfectè curat Epilepticos. *Petrus Borellus Centur. 2. obſ. 95.*

Inteſtina Lupi contra colicam commendantur Doſ. pulveris ℨ j. Per *aſperam arteriam pulmonum* Lupi potus hauſtus opitulatur pueris poſt variolas in faucibus læſis.

Pellis Lupi) ex hac cingulum fieri debet in epilepſia, ventri & lumbis circumcingendum pilis exterius poſitis. *Hofmannus.*

LUPUS MARINUS.

Lupus marinus *Schonf.* eſt piſcis à voracitate ſic dictus: mordax etenim eſt animal & dentibus terribile, ita ut ſi anchoram prehendat, ſonum edat ac veſtigia conſpicua relinquat.

In *uſu* ſunt Dentes molares, lapis bufonites, officinis dicti, ſecundùm D. Dale, quamvis Clariſſ. D. Charleton afferat hoſce lapides non ex dentibus ſimpliciter fieri, ſed ex fraudulentia Gemmariorum fingi. Hi autem lapides quomodocunque efformentur, ſunt bullæ inſtar, altera parte cava, altera convexa, coloris ex fuſco pallentis, aliquando fuſci, interdum nigri, albi, viridis, verſicoloris. Commendantur autem ad peſtem & venena, ceu remedium præſtantiſſimum, ut ex Schrodero &c. dicimus capite de LAPIDIBUS.

Quinam exiſtimant hujus piſcis junioris ac parvuli applicationem tumoribus frigidis & ſcrophuloſis conducere.

LUPUS SALICTARIUS, vid. *Lupulus.*

LUCINIA.

Luſcinia, Gallicè *Roſſignol*, eſt avis omnibus ſatis nota; ejus uſus eſt in epilepſia ſi comedatur; & ejuſdem fel in viſu acuendo non infimum reputatur medicamentum.

LUTEOLA.

Nomina. Luteola *Ger.* vulgaris *Park.* Lut. herba ſalicis folio *C. B.* Lutea Plinii quibuſdam *I. B.*

Radice nititur ſimplici, albâ, lignoſâ, pauciſſimis fibris donata, craſſitie interdum pollicari, ſapore naſturtii acri, caules bicubitales, teretes, ſtriati glabri, viridantes arctiori tubulo pertuſi ramoſi, foliis crebris, longis, anguſtis, glabris non crenatis, verùm obiter interdum ſinuatis aut criſpis, nullo ordine poſitis veſtiti. Folia antequam excauleſcat humi in orbem ſpargit nitentia (J. Bauhinus longitudinem palmarem, latitudinem ſemuncialem foliis attribuit, ſaporem ſubacrem cum lentore) thyrſi florum prælongi, teretes, magnam caulium & ramorum partem occupant. Floſculi ſinguli brevibus ſtipati pediculis, quatuor petalis laciniatis componuntur, cum pluribus intus apicibus pallidè luteis; quibus ſuccedunt vaſcula tripartita, hiulca, tribus loculamentis, quæ vix unquam exactè clauduntur, ſed in medio dehiſcunt, & ſemina parva nigra, rotunda, continent compoſita; ad ſingulos florum pediculos ligula appoſita eſt.

In muris & locis ruderatis, non raro etiam in arvis requietis: Seritur etiam in agris ad uſum tinctorum.

Vires & uſus, Quæ de hujus plantæ viribus in Medicinæ à Matthiolo traduntur pro incertis habemus nonnulli contuſam vulneribus recentibus imponunt. Lanatum infectoribus (ut J. Bauhini verba uſurpem) adde & ſerici, uſus magni eſſe quotidiana teſtatur experientia: rudes enim & albas cum alumine decocta colore luteo tingit. Cæruleas autem viridi idque magis minuſve intenſo quo ſaturatior dilutiorve fuerit color cæruleus. Ita panni bicolores, uno eodemque decocto, ex eadem cortina extrahuntur. *Raius.*

LUTRA.

Animal ſic dictum ab Æolico ἐλύδρης, pro ἐνύδρης, ſive ἐνυδρὶς, quòd in aquâ ut plurimùm verſetur, generali nempe nomine, quamquam propriè omnia aquatilia ſint ἔνυδρα. Æolos autem eorumque exemplo Latinos N. in L. mutare ſatis conſtat: unde νύμφη, *lympha*, ex quo νυμφόληπτοι *lymphatici*. Penem habet maximâ ex parte oſſeum, canum more, pedeſque palmatos, ad inſtar anſeris, quo velocius natet. Plura vid. ſub titulo *Canis*.

Ejus adeps reſolvit & digerit, ac in juncturarum doloribus adhibetur. Hepar deſiccatum & pulveratum dyſentericis prodeſt à ℈ j. ad ℨ j. Teſticuli itidem deſiccati & pulverati Epilepticos juvant ſi pulvis à ℈ j. ad ℨ j. aſſumatur.

LUTUM CHYMICUM.

Conficitur vel ex luto ſimplici admixto laterum & vitri pulvere cum ferri ſcoriis, & pilis minutim conciſis, vel ex farina & aquâ, vel ex farina cum ovi albuminibus vel ex calce cum iiſdem albuminibus, vel ex ſcobe ferri, farina laterum & oleo lini, &c. de quibus hinc inde in variis præparationibus Chymicis Nos non ſemel vaſa noſtra cum ſucceſſu lutavimus ex cineribus communibus cum aquâ certâ proportione commixtis.

LYCHNITIS, vid. *Verbaſcum.*

LICHNIS.

Lichnidis nomen accepiſſe contendunt hanc herbam περὶ τὸ λύειν νύχω ἤγυν σκοτὸς, quod tenebras ſolvat: vel quod tomentoſis ejus foliis veteres ad Lucernarum uſum pro ellychniis uterentur: antiquitus enim goſſipii copia non dabatur, ejus ergo vicem quarundam herbarum folia, ut verbaſci & lichnidis, præſtabant. Placet aliis nomen lichnidis huic datum non à frondium tomento, ſed à flammeo rutilanteque floris colore: Lichnis ergo quaſi lucidus luculentuſque flos. Jo. Bod. à Stapel. qui & alia adfert.

Lichnidis *nota* ſunt calyx floris integer, ſtriatus plerumque & tumidior: vaſculum ſeminale pluriꝛmum pyriforme, interdum oblongum & propemodum cylindraceum, ſumma parte per maturitatem ſe aperiente in oras dentatas, ſeminibus turgidioribus non ſatis, compreſſis & rugoſis, ut in caryophyllis, in medio ſitis ea ambiente undique & protegente vaſculo.

Florum petala in lichnidibus ſæpiſſime bifida ſunt raro integra, rariſſime laciniata, nunquam, quod ſciam, in margine crenata, quo à Caryophyllorum diſtinguuntur.

Variæ dantur Lychnidis ſpecies: Nos hîc de Lychnide ſylveſtris flore albo propriè agimus quæ in paſcuis & ad ſepes paſſim naſcitur.

Vires. In liquore poſſet; decocta optimum eſt remedium in convulſione puerorum D. Palmer. ex relatione D. Hermans.

LYCIUM.

Lycium veterum quid fuit hodie ignoratur; Lycium autem à Lycia Provincia unde allatum fuit dictum creditur. Lycii hiſtoria apud Botanicos recentiores valde confuſa eſt & intricata. Nullam novimus Lycii notam caracteriſticam qua ab aliis ſpinoſis fruticibus, Rhamno præſertim, diſtinguatur: quocirca frutices hoc nomine à Botanicis donatas Rhamno ſubjungendas

gendas duximus. Nec tamen puto, genere inter ſe conveniunt ſtirpes omnes Lyciæ dictæ.

Nomina. Lycium Gallicum I. B. C. B. Paliurus altera peregrica ad lob item lycium latifolium C. B. latifolium Monſpelianum *Park.* item Lycium Gallicum Avenionenſe ejuſdem.

I. B. Spinis rigidiſſimis horret oxyacanthar Matthioli ſimilibus circa quas flores parvi, multi ſimul ex brevibus pediculis, quibus ſuccedunt baccæ; quæ maturæ ſub pellicula continent ſemina oblonga polita, ſtriata; exſiccatæ bicoccæ & tricoccæ apparent, buccis ſpinæ Burgundicæ ſic ſatis ſimiles amaræ valdè, Lugdunum adferuntur nomine grani tinctorii. Folia ad prunum ſylv. nonnihil accedentia tenuia, minora, in ambitu aliquantulum ſerrata, nervoſa, decidua, in ſiccis nullum deprehendimus manifeſtum ſaporem.

Naſcitur in aſperis & ſaxoſis circa Avenionem & Carpentoraten.

Lycium Dalechamp. deſcribitur ſpina tres cubitos alta, cortice in cinereum palleſcente, radicibus multis lignoſis, aculeis foliolis, fructu piperis magnitudine, nigro, adnexo brevi pediculo, nunc triangulo, nunc quadrangulo, nunc cordis figura pro nucleorum numero, è cujus faſtigio pilus duplex ſubtiliſſimus eminet, ſapore ingrato & valde amaro: baccis ad tingendum ſericum aureo colore infectores utuntur & vocant *granum tinctorium.* Hinc patet lycium dalechamp eandem plantam eſſe cum lycio Gallico I. B. & C. B. paliurum autem alterum peregrinum Ad. J. Bauhinus lycio ſuo Gallico idem exiſtimat. Et Dom. Magnol, qui illum prope Monſpelium obſervavit, in eadem eſt ſententia Lycium ergo 4. ſive latifolium C. B. & 5. ſive Gallicum ejuſdem una & eadem planta ſunt.

Granum hoc pro tinctoribus ſeligatur recens ac bene nutritum. Avenione advehitur. Hollandi ex eo cum cretæ albæ quadam ſpecie commixto componunt calorem illum flavum quem Galli *Stil de grain* vocant: materiam autem in maſſulas contortas cogunt. Hujus Lycii partes omnes adſtringentes ac digerentes reputantur.

Datur aliud Lycium quod *Indicum* eſt cujuſque.

Vires, in maſticatoriis ad gingivas molliſic nd s & relaxandas confirmandaſque cum betle ſunt inſignes. Medicamentum autem eſt cum amaritudine adſtringens & exſiccans, ad alvi profluvia curanda, & oculorum dolores tollendos optimum, in quibus plerumque optimo cum ſucceſſu uſus ſum (inquit *Garcias*) ex ligno propter duritiem & pondus piſtilla hunt deglumandæ oryzæ idonea in mortariis ligneis, ſex palmos in ambitu continentibus.

Cæterum *Caten Indicam* lycium veterum eſſe non poſſe (ut opinatus eſt *Garcias*) facile eſſet oſtendere: ſi quidem lycium Dioſc. folia buxi habeat, & puſilla ſit arbor.

Bontius paulo plenius hanc arborem deſcribit lib. 6. cap. 3. Creberrimus in trunco & ramis ſpinis eſt obſitus, foliis fere ſabinæ vel arboris vitæ, ſed non tam pinguibus & craſſis: cæterum fabas rotundas fert, puniceí coloris in quibus tres, aut ad ſummum quatuor nuces clauſæ latent, tanta duritie ut dentibus frangi nequeunt: hiſce pueri apud nos loco ſphericarum lateritiarum in luſu ſuo utuntur. Sapor foliorum aſtringens unde eorum expreſſo in ulceribus uſus eſt Bontius in aliorum medicamentorum defectu: idem è cortice & foliis multoties p æ tantiſſimum excoxit, lycium cupreſſi aut arboris vitæ ſpecies videtur. *Ratus.*

LYCOPERDON, vid. *Orbicularis.*

LYCOPERSICON, vid. Solanum Pomiferum, ſub titulo *Solanum.*

LYCOPODION, vid ſub titulo *Muſcus.*

LYDIUS LAPIS, vid. ſub titulo *Lapis.*

LYNX.

Lynx, Latinis *Lupus cervarius,* ut multis probat *Joh. Faber* in notis ſæpius laudatis, Anglice *the Ounce,* quod nomen Gallis & Hiſpanis etiam commune eſt, & à Lynx corruptum videtur. Lynx autem *Lupus cervarius* non quòd lupo ſit ſimilis, ſed quòd pari cum eo aviditate feratur, & in cervos hoſtiliter eat. Plinius tamen Lyncem à Lupo cervario diſtinguit.

Color huic Animali albicans, ex fulvo purpuraſcens, ſed maculis oculorum inſtar variata, ut plurimùm nigricantibus. *Faber.* Academici Pariſienſes colorem ei vulpinum in dorſo attribuunt, nigris maculis interſtinctum in ventre & interiore crurum parte cinereum, maculis pariter nigris ſed dilutioribus, majoribus, minuſque frequentibus. Pilorum maxima pars tam quæ rubra, quàm quæ cinerea apparuit, curioſe ſpectata reverâ tricolor erat, ima parte griſea ſumma albente, mediâ rubrâ; maculæ tamen nigræ bicolores tantum erant nullo in extremitate albo.

Oculi fulgentes & ferè radiandes quod Animali viſu pollere arguit, caput Felinum; Auriculæ etiam Felinis ſimiles, notâ characteriſticâ Lyncem ab omnibus aliis Animalibus diſtinguente inſignes, nimirum apicibus villoſis, confertis, inſtar Holoſerici nigri ſplendentibus, mollibus & venuſtis, ex rarum ſummitatibus enatis, ac ſurſum trium forſan digitorum tranſverſorum longitudine el tis & acuminatis, quorum *Ælianus* in hoc Animali meminit.

Lingua ſpinoſa & aculeis referta, ut in Leone & Fele; aculei hi ab apice ad medium Linguæ duri & acuti, verſus gulam inclinati, reliqui ad radicem in contrarium verſi.

Dentes in utraque maxilla molares tres ex utraque parte numeravit *Jo Faber*; at Pariſienſes duos tantùm in ſuperiore maxilla utrinque, in inferiore tres: Duos prælongos caninos in utraque maxilla [in ſuperiore longiores *Paris.*] Inter caninos utrinque inciſores ſex.

Digiti in anterioribus pedibus, ut in hujus generis reliquis, quini, in poſterioribus quaterni, unguibus duris, recurvis, acuminatis, ex cinereo albicantibus inſtructi.

Quod ad menſuras attinet, longitudo capitis 7. erat digitorum, colli 4. reliqui corporis 24. caudæ 8. [Fabro 6. ſumma totius longitudinis pedes 3. unc. 7. Altitudo à ſummis ſcapulis ad imos pedum anteriorum ungues 20. unciarum; ab oſſe ſacro ad ultimos poſteriorum.

Ventriculus Felino ſimilis. In partibus internis nihil ſingulare occurrit: nam inteſtinorum brevitas ei cum Leone communis eſt. Nervus opticus ad latus tapeti ſeu tunicæ choroidis non inſeritur, ut in pleriſque Animalibus, ſed prope ejus centrum.

Inveniuntur in Italia & Germania, ſed in Aſia pulchrius coloratæ. Coloribus, ut videtur, multum variant etiam Europææ. Vid. *Joan. Fabri* notas in Recchi Anim.

Siyah Ghush Perſicè dictum animal *D. Charletono* deſcriptum & depictum in *Exercitat.* de *Nominibus & Differentiis Animalium,* huic idem videtur; ut & icon, & nomen quod nigris acribus præd tum ſignificat, arguunt; aut ei valdè ſimile: Differt quod maculoſum non ſit.

Pardus an Lynx Braſilienſis, *Jaguara* dicta *Marcgrav.* Luſitanis *Onza,* Nomen Luſitanicum *Onça.* & maculæ nigræ hoc Animal Lyncem eſſe arguunt, magnitudo Lupi pardum. Capite, barba, palpebris, auribus, digitis cum Fele convenit. Ungues ſemilunares acutiſſi-

acutiſſimi: Oculi cæſij, noctu inſtar ignis ſplendentes. Cauda longa felina; quo à Lynce differt. Tota pellis conſtat pilis flaveſcentibus, brevibus in adultioribus, per totum maculata maculis nigris variis, eleganter diſpoſitis. Crudeliſſimum eſt Animal, & hominibus juxta ac beſtiis infeſtiſſimum. Igne noctu fugatur. *Raius*.

Officin. Nat. ex Lynce.

1. *Axungia.* 2. *Unguis.*

Vires.

1. *Axungia* convenit articulis reſolutis.

2. *Unguis* argento & auro includitur, geſtaturque adverſus morbum Comitialem & Spaſmum (*loco amuleti.*) Schroderus.

LYSIMACHIA.

Lyſimachia à Lyſimacho rege inventore, teſte Plinio, nomen accepit, vel à pugna dirimenda, id enim eſt λύειν τὴν μάχην. Eſt namque vis ei (ſi veteribus fides) belluarum etiam animos feroces & mutuos hoſtiles congreſſus placandi, & hoc autorem habet Plinium, cujus lib. 25. c. 7. verba ſunt. Invenit & Lyſimachus herbam Lyſimachiam, quæ ab eo nomen retinet, Vis ejus tanta eſt, ut jumentis diſcordantibus jugo impoſita aſperitatem cohibeat.

Hujus *notæ* ſunt ſiliquæ flores antevertentes, quæ per matur. quadrifariam partiti & dehiſcentes, quatuor ſeminum ſeries oſtendunt; flores ſummis inſidentes & integri una cum calycibus decidentes, unde tetrapetali proprie dicti non ſunt. Hujus ſpecies quas novimus omnes præter Virginianas luteas ſiliquas producunt lanigeras.

Hactenus de Lyſimachiis ſpicatis in genere ſic dictis, quarum ſpecies ſunt ſpecioſa, ſpicata major & minor &c. Jam de aliis Lyſimachiis

& 1. *Lyſimachia Lutea.*

Hujus *notæ* ſunt capſula bivalvis, flores lutei, quæ nominis ratio, folia ſalicis oblonga, ad genicula interdum aut terna aut quaterna.

Nomina Lyſimachia lutea *I. B. Ger.* Lutea major, quæ Dioſcoridis *B. A.* Lutea major vulgaris *Park.*

I. B. Subrubente radice, reptatrice, ſummo ceſpite hærente nititur, caules autem profert ſeſquicubitales & bicubitales, ſtriatos, hirſutos: Quibus ad genicula adnaſcuntur folia terna, aut quaterna, rarius bina, ſalicis latifoliæ, acuminata, ſuperne atrovirentia, inferne magis candicantia, lanuginoſa; flores in extremis ramorum faſtigiis lutei, hyperici, acidi ſapori, (è quinque petalis compoſiti, totidem ſtaminibus medium occupantibus. Semen (potius vaſculum ſem.) coriandro par, ſapore haud ſegniter adſtringente.

2. *Lyſimachia purpurea.*

Nomina. Lyſimachia purpurea ſpicata *Ger. Park* purpurea, quibuſdam ſpicata *I. B.* Spicata purp. fortè Plinii *C. B.*

I. B. Plures ſpargit radices digitales, lignoſas, albas; caules ad hominis altitudinem lætiore ſolo adoleſcunt, rigidi, in alas diviſi, anguloſi, ſubrubentes. Folia plurimorum bina ex certis intervallis, alias terna ſaligna, quam luteæ Lyſimachiæ ſtrictiora & ſaturatius viridia, acuminata, ſicco guſtu; flores in ſpicis dodrantalibus aut brevioribus & pluribus velut verticillis compoſitis; hilari purpurâ oculos perſtringunt; quorum ſingulis ſenis foliis conſtant, ſtaminibus concoloribus medium occupantibus, ex cauliculis oblongis, ſtriatis ſubpurpureis, in duodecim ſegmenta diviſis.

Præcipuè notabile eſt in hoc flore, quod petala non exeant ex imo calyce circa baſin vaſculi ſemina is(quod in eodem fere occultatur) ſed è ſummo calicis margine, ut ſtatim patebit ea avellenti, cum jam marceſcere incipiunt.

In paluſtribus & ad fluviorum ripas abunde provenit. Æſtate floret.

Vires. Aqua hujus deſtillata ad vulnera, puncturas & ſugillationes oculorum, nec non ad obſcuritatem aliaque eorum vitia præſentaneum eſt remedium autore Parkinſono: ſpecificum eſt inflammationibus.

LIBER XII.

Continens ea quæ incipiunt à Literâ

M

MACER.

Nomina. MAcer veterum *C. B.* Macer Dioſcoridis & Græcorum *I. B.* Macer Græcorum *Park* ulmo affinis, fructu veſiculis membranaceis & ſemine intus incluſo compoſito &c.

Qui Macerem Græcorum & Macin offic. unum & idem eſſe opinantur, næ illi multùm hallucinantur. Macer enim cortex craſſus eſt, contra macis tenuis: macer perquàm aſtringit, macis ſapore ſubacris eſt: macer temperatus eſt, macis calida. Præterea Arabes, ut Serapio & Avicenna, de iis, ut de rebus diverſis diſtinctis capitibus agunt, & Avicenna Macerem *taliſafar* radicis corticem vocat. Tandem veteres qui de macere agunt nullam nucis miryſticæ, cujus experimentum eſt macis mentionem faciunt, quod non veriſimile eſt eos ignorare potuiſſe, aut ſilentio præterire voluiſſe, ſi illorum macer cum maci idem fuiſſet. Quin Plinius apertè Macer corticem rubeum radicis magnæ eſſe aſſerit. Maceris arbor deſcribente Acoſta, vaſta eſt, & multis ramis prædita, ulmo multò major, cùm folia ſex aut ſeptem uncias longa ſunt duos lata, exteriore parte dilutius viren ia, interiore ſatura. Ea non alium fructum habere creditur præter ſemen quoddam narii magnitudine, tenue, cordis effigie, colore flavo, ſapore verò amygdalæ, aut nuclei Perſicorum malorum tenui & candidâ tunicâ tectum, quod veſica quadam tenuiſſimis duabus ſimul junctis & tranſparentibus membranis conſtante includitur: ea autem veſica in medio folio naſcitur, aliis magnitudine non diſſimili, ſed cuſpide obtuſiore, & circa pediculum anguſtiore, colore medio inter rubrum & fulvum, inæquali, & multis fibris à pediculo ad extremitatem rectâ lineâ ductis criſpo & rugoſo, haud abſimilis illi quæ in ultimo naſcitur, paulo tamen latior & planior.

Succo

Succo lacteo prædita eſt hæc arbor uti morus, radiceſque habet ilici perſimiles, magnas, craſſas, in latum & profundum diffuſas, & cortice tectas craſſo, aſpero, ſcabro, duroque, cinereo foris colore, inferius albo dum recens eſt, cum ſiccus flaveſcens & admodum aſtringens, ſucco cum adſtrictione nonnihil mordicante, quæ tamen mordicatio brevi evaneſcit.

Vires. Radicis cortice recenti trito, cum oxygala ſeu lacte acido mixto omnis generis dyſſenterias & alvi profluvia mirabili ſucceſſu curant omnes Medici, tum Brachmanes, tum Canarini & Malabarici, aliqui hujus corticis ſicci & in pulverem redacti ſemunciam per noctem macerant in ℥ iv. ſeri lactis, eumque his in die propinant, mane & veſperi: deinde medicamento ſumpto oryzam ſine ſale & butyro coctam, atque pullos gallinaceos coctos maceratos & tritos in oryzæ decoctione ſtatim ægro exhibent: interdum ſi neceſſitas urgeat, opium admiſcent. Solent verò etiam Arabes cujuſcunque generis alvi profluvia opio nuce moſchata admixta curare.

Hujus item radicis uſus ſalutaris creditur ad vomitus compeſcendos, & ventriculum roborandum cum aqua menthæ & maſtices pulvere. Plus autem pollere aſſerunt Indici Jogues hujus arboris portiunculam in compeſcendis vomitibus alvique profluviis ſiſtendis quam magnam quantitatem corticis myrobalanorum aut Arecæ, eamque præſtantiorem eſſe Coru Malabarico.

Præterea macræ fructum omnis generis lumbricos in humano corpore natos necare & calculum in renibus frangere. Tum etiam eos qui ſingulis diebus mane uterentur. Liberos fore à calculo & à coli doloribus, nec inebriari poſſe.

Similitudo nominum *Macer* & *Macre*, & convenientia in viribus hunc corticem Dioſcoridis Macerem eſſe arguunt.

An cortex ad alvi profluvia in novo orbe Monardis? profert (inquit) novus Orbis prægrandem arborem, foliis cordis effigie, nullo fructu. Ejus cortex digiti craſſitudine aut amplior. ſolidus, durus & ponderoſus, tenui candicante pellicula integitur; ſimilis eſt admodum cortici guyacan, uti gentiana amarus, manifeſte adſtringens, grati tamen ſeu aromatici odoris particeps, cæterum amaritudinem Monardes cortici ſuo tribuit. Cujus alii quidem non meminerunt, quantum quidem nobis conſtat. *Raius.*

MACERARE & MACERATIO.

Macerare nihil aliud eſt quàm per infuſionem in liquore ſeu menſtruo apto, corporis alicujus ſicci, aut ad ſiccitatem accedentis poros ita laxare, vinculaque ejuſdem partes colligantia ita extricare, ut facilius igne ſubigi poſſit pro commodiori deſtillatione &c.

Macis, vid. *Nux moſchata.*

Macropiper, vid. *Piper.*

MAGISTERIUM.

Magiſterii vocabulum communiter ſumitur pro ſubtiliſſimo pulvere ex certis rebus per præcipitationem præparato. Præcipitatio autem dicitur actio, per quam ſoluta in præceps aguntur & demittuntur. Hæc autem variè ſumitur; Primò *generaliter*, pro quâvis ſolutorum ſeu ſublimatorum ex menſtruis ſuis repercuſſione, quæ ſignificatio propriè hîc locum habet. Deinde *ſpecialiter* & vel pro Præcipitatione Mercurii, quâ per aquas fixatorias & gradatorias liquabilitas Mercurii ſiſtitur, & ex menſtruo ſuo præcipitatur, ſed cum præceps hoc modo in fundum decidat Mercurius & nil minus quoque ſit, quàm vera coagulatio, obtinuit hactenus nomen, ut ille dejectus h. m. Mercurius Præcipitatus & varii eum præparandi modi κατ' ἐξοχὴν Præcipitati vocentur. Vel ſumitur pro Philoſophicâ præcipitatione, quâ ut eſt apud *Gebrum* Libro *De ſumma perfectione Capite* 99. Materia Artis in cœlum vecta ſeu Aludelis collum circa ſpondilia hærens in terram delabi cogitur. Impropriè ſumitur pro rubificatione & fixatione præparatorum, quo quidem modo Mercurius in phiala incluſus poſt repetitas blandas ſublimationes ex ſe & per ſe inſtar rubei pulveris in fundo tandem remanet. *Synonyma Præcipitationis* ſunt, primò Deſcenſio, quia Præcipitata in fundum deſcendunt ex corpore liquoris. Secundò Repercuſſio, quia repercutiuntur ſoluta, ut repercuſſi decidant. *Germanicè Der Niederſchlag. Definitur autem Præcipitatio, quod ſit ſyncriſis ſeu counitio dejectoria ſolutorum ex menſtruis ſuis actione & reactione partium varia figura & textura præditarum facta.* Hofmannus.

Magiſterii nomen etſi æquivocum ſit, uti lib. 1. dictum, attamen communiter uſurpatur pro pulvere, ut plurimum, candido, per præcipitationem ex certis quibuſdam rebus præparato. Res illæ tum è mineralibus ſunt, ut terræ & lapides, tum è vegetabilibus, ut Herbæ, &c. tum ex animalibus; ut oſſa, cornua, cruſtacea.

Modus fiendi.

℞. Materiam, ex qua Magiſterium parare conſtitutum eſt, tere aut comminue groſsè, hinc affunde liquorem convenientem; acidum vel ſimilem ut ſolvatur, vel extrahatur; ſolutio præcipitatur (affuſo liquore vel materiâ cujus vi ſolventis vis obtundatur,) præcipitatus pulvis abluatur, ſi opus ſit Aq. communi, hinc exiccetur lente. *Schroderus.*

Suprà docuimus quemvis humorem cuivis extractioni non convenire, ſed certum certæ, Sulphureum Sulphureæ, Salinum Salinæ &c.

In *Præcipitationibus*, prout etiam in ſolutionibus demonſtramus, etiam obſervandum, ut cuivis ſoluto ſuum conveniens & appropriatum adhibeatur præcipitans. Sic verbi gratia, præcipitat. Ven. Sal comm. & *. ☉ Præcipitat. Mercur. & oleum Tartari per deliquium; Venerem ♂ Præcipitat. Mercurius ſolutus à Spir. Vitrioli, à Mercurio crudo Spiritus Vitrioli in aluminoſam ſubſtantiam, à lixivio ex cineribus fagi Vitriolum, ab Acet. Sulphur, à ♂. Sal comm. & Tartar. Antimonium, ab Aq. butyrum Antimonii in Mercurium vitæ Præcipitatur; Quæ Spir. Vitrioli ſoluta ſunt. Præcipitantur ol Tartari per deliquium quæ Spir. Sal. com. vel Acet. diſt. Præcipitantur Sp. Vitrioli &c.

Sic fiunt

Magiſteria.

1. *E Mineralibus.*

Sic habemus Magiſterium Saturni, Magiſterium marcaſitæ, Magiſterium ☉ ſale Tartari Præcipitatum, Magiſterium Vitrioli Antim. liquore Tartari Præcipitatum &c. *Hofmannus.*

Tritis affunditur ſolvens, ſolviturque ſ. a. ſolutio præcipitatur, eluitur & ſiccatur.

N. 1. *Liquor ſolvens vulgariter adhibetur Acet. diſt. tum per ſe, tum acuatum per Sp. Sal. nit. vel Similes ſpiritus minerales, ſc. Vitriol. Sal com. &c. vel peculiaris deſtillatur ſolutioni aptus liquor, de quo ſuis locis.*

N. 2. *Præcipitatio fit communiter oleo Tart. p. d. nonnunquam ſpiritu vitrioli, illo modo griſea aliquatenus evadunt præcipitata, hoc, albeſcunt magis.*

N. 3. *Quæ conſiſtentiæ ſunt durioris, ut lapides, ante calcinari volunt. Vide ſpecialius lib.* 3. Schroderus.

2. *E Vegetabilibus.*

De his Magiſteriis notandum, quod in hiſce præcipitans ut plurimum in triplo, & præcipitatum ſolutum in uniplo adeſſe ſoleat, exemplo magiſterii Laccæ Florentinæ ex granis chermes, quod beneficio aluminis & ol. Tartari elaboratur, ubi duplo plus Laccæ Florentinæ acquiritur, quàm fuere grana ante præparationem; potiſſimam partem alumini debere ſtatuo, quod ex terreo corpore & ſpiritu acido compoſitum, quorum hic deſtillatione abſtractus albam terram ſine præcipitantis alicujus interventu relinquit. *Hofmannus.*

1. Tritis groſſè vel inciſis affunde lixivium forte ex Sal. Com. Tart. Aq. pluviali paratum, extrahatur, decantetur ac præcipitetur affundendo aquam aluminis (in qua O ſolutum) exicca lente.

N. 1. *Præſtat adhibere herbas mediocriter ſiccas.*

N. 2. *Sic nobis in uſu ſunt tam ex alterantibus, quam purgantibus, verbi gratia, Magiſterium Rhabarbari, cujus doſis* ʒ ß.

2. Sulphureis, id eſt, quæ oleosâ parte ſcatent, extrahitur Tinctura beneficio Spir. Vini rectificatiſſ. præcipitaturque affusâ aq. com. vel aq. aluminis.

N. 1. *Sic fit Magiſt. Reſinarum, Succini, Corticum reſinoſorum, exempli gratia, cinam. Turbeth. Gialap. &c.*

N. 2. *Extractis cæt. non immerito annumerari poterunt.* Schroderus.

Sulphureis id eſt, quæ oleoſa parte ſcatent, extrahitur Tinctura beneficio Spir. vin. rectificatiſſ. & præcipitatur affuſa aq. comm. vel aq. alumin.) Ubi notandum, ſpiritum tinctum per inclinationem eſſe ſeparandum, ejus dimidiam partem lentâ in MB. deſtillatione ſeparandam & reſiduo demum aquam communem vel aliam præcipitandum eſſe affundendam. Extractum ſenſim ſubſidens lento calore ſiccandum eſt. *Hofmannus.*

3. *Ex Animalibus.*

Oſſa, Cornua, Cruſtacea ſeu Teſtacea exhibent ſua magiſteria modo, qui de lapidibus traditur. Videlicet beneficio Acet. diſt. vel ſpiritus alicujus mineralis acidi & acris.

Uſitatoria ſunt.

Magiſter.	Ovorum ſtruthii.
Conchárum.	Percarum lapillorum.
Corallorum rub.	Perlarum.
alb.	Rubinor.
Cornu cervi,	Saphiror.
Cranii humani.	Smaragdorum,
Cryſtallorum.	Terræ ſigillatæ.
Dentis apri.	Tutiæ.
Granator.	Vitri Venetiani.
Hyacinth.	Ungulæ alcis.
Lap. Judaici.	Sic & Mag. Jalappæ.
Magnetis.	Scammonii.
Mandibularum lucii.	Succin.
Matris Perlarum.	Turpethi.
Oculorum cancri.	*Schroder.*

Magiſterium Gummi Gamandræ è *Pharm. Aug.*

℞. *Gummi Gamandræ q. v. Diſſolve cum ſ. q. ſpir. vitrioli in vaſe vitreato, ut inſtar pulmenti fiat, poſtea in arenâ exſiccetur, cavendo ne nigreſcat, ſed colorem ſuum nativum ut reſervet luteum.*

In corpore à ſeroſis & pituitoſis humoribus purgando conducit.

Magiſterium Hepaticum rubrum ex *eâdem Pharmac.*

℞. *Cryſtallorum tart. ſubtiliſſ. tritorum* ℥ *vj. ſal. acetoſellæ* ʒ *ij. tingantur imbuendo cum ſ. q. tincturæ ſandali rubri ſpiritu vini cum ſp. vitrioli acidulato, extractæ, iterumque exſiccentur.*

Digeſtivum eſt celebre, & ſtomacho ac hepati confortando dicatum.

Magiſterium Jalappæ ex *eadem Pharmac.*

℞. Radicum Jalappæ q.v. craſſiuſculè contuſis adfundatur ſp. vini optimè rectificatus, ut tres vel quatuor digitos ſuper emineat. Stent in infuſione in loco calido per aliquot dies, poſtea colentur cum forti expreſſione: Extractionem hanc toties repetendo quousque ſp. vini non amplius tingatur; tandem conjunctis & filtratis adfundatur aqua fontana, & ſp. vini deſtillando ſeparetur. Reſinoſa ſubſtantia jalappæ in fundo cucurbitæ hærens aquâ clarâ aliquoties lavetur, ſiccetur & pulveriſetur. Liquor autem reliquus tinctus ulteriùs inſpiſſetur, qui eſt extractum Jalappæ.

Seroſos bilioſoſque humores commodè evacuat; delicatulis & cætera pharmaca averſantibus maximè adcommodum.

Magiſterium Sulphuris vid. *Lac ſulphuris.*

Magiſteria quædam ex Pharmacopæa Bateana.

Magiſt. Antim. Diaphoret.

F. ex ♁ Diaphor. in ▽ cocto & filtrato, affundendo Om ſolutum, ⊽ando ac abluendo ſ. a. *Doſ.* ℈ß. *ad* ℈*j. vires obtinet ceruſſ.* ♁ *ij.*

* *Magiſt. Benzoini,*

F. ex Benz. albiſ. in Pyrœno ſoluto, ⊽ando ▽ â Lactis, & ſiccando ſ. a. *Doſ.* ℈ß. *ad* ℈*j. Pectorale eſt nobile.*

Magiſt. Biſmuthi.

℞. Marcaſitæ pulveriſatæ p.j. Solve in Sp. ☽i rectif. p. iij. ⊽a ▽â ſalſa edulca & ſicca ſ. a. *Confert ad cutis vitia, Lichenes, Impetigines, Scabritiem manuum & ſimil. coſmeticum eſt inſigne.*

* *Magiſt. Git.*

℞. Gum. Git. puriſ. ℥iij. Tinct. Roſ. r. ℔ i ß. ſucc. limon. ℔ß. Sp. ⊖li ʒj. macera ac evapora ad conſiſt. extracti: vel f. pulvis. Fieri etiam poteſt ex gum. Git. ℥ij. ☍ ♀ri p. d. ℥j. V̇. ℥ vi. digeſtis ac evaporatis ſ. a. *Purgat ἄνω ϗ κάτω, præcipuè humores ſeroſos. Uſus eſt proficui in Hydrope, Scabie, Pruritu, &c. Doſ. gr. x. ad* ʒß.

* *Magiſt. Jovis.*

F. Ex Fl. ♃ial. in ▽ ſolut. & filtratis, ⊽ando vel ☍ o tartari p. d. vel One ſoluto, edulcando ſæpe ▽ tepidâ, & exiccando. *Doſ. gr.* 4. 5. 6. *&c.* v. *Salis Jovis Vires.*

Magiſt. Saturni.

Coq. ♄ rubr. in ✱: filtra, ⊽a ☍o ⊖li, & edulca, ſ. a. *in Phthiſi, Hectica, Febribus ardentibus, aliiſque inflammationibus internis. Item in Quartana, Lienis affectibus, Colica, & Lue* ☿*rea, Secretum eſt. Doſ. gr.* 4. 5. 6. *&c. Externè valet in Putredine oris, Ulceribus malignis, canceroſis, Lupo, Fiſtula, Ambuſtis, Puſtulis faciei rubris, Rubedine oculorum, &c.*

Magiſt. Tartari.

℞. ⊖is tartari q. v. Imprægna ✱ opt. donec tartarum nil amplius aciditatis retinere velit, dein affund. V̇. eumque abſtrahe, aliquoties cohobando. Tandem repone

pone tartar. ad liqueſcendum, & habebis Oleum rubrum, per inferiora purgans. *Utile eſt in omnibus morbis deploratis. Doſ.* ℈ß. *ad* ℈ j.

Magiſt. Turpethi.

℞. ☿ q. ſ. coq. in ▽ pluviali ad ſolutionem, filtra, & cum ☍ tart. p. d. 🜄a; Tandem edulcora ▽ ♃atâ ſ. a. *inſigne eſt in Lue ♀rea, Tinea, Scrophulis, &c. Doſ.* ℈ß. *ad gr. xv. cum Conf. Hamech.* ℥ ij. *vel iij.*

Magiſteria quædam ex Hofmanni Theſauro Pharmaceut.

Magiſterium Epilepticum D. D. I. M.

℞. *Ungul. alcis, cranii humani violenta morte peremptì, cornu alcis, C. C. an.* ℥ j. *ſmaragdor. Orient. ver.* ℥ j. *unicorna veri* ℥ ij. *Pulveriſatis affunde menſtruum ex ſale & alumine præparatum, ſ. q. ſolve & ſolutum præcipita ſp. vitr. poſtmodum præcipitatum edulcora, & adde magiſterii ſuccini* ℥ j.

Magiſterium Cordiale D. D. G. M.

℞. *Margarit. vel Corall. r. pulveriſat. ſ. q. Affunde ſucci citri depurati & cum ſp. ſalis rectificat. acuat. q. ſ. ad ſolutionem: ſolutum cum ▽ f. 🜄ta & edulcora, ſiccato adde Ambræ gryſ. ſolut. in ol. d. roſar.*

Doſ. à ℈ß. ad ℈ j. in convenienti vehiculo.

Magiſterium Cordiale D. D. K.

℞. *Matris perlar. Margarit. præp. Corall. r. præp. ocul. ♋ præp. Dentis equi marini ana q. ſ. ſolve cum ✱ ſ. q. ſolutum 🜄ta cum ſp. ⊖-oli & poſtmodum edulcora.*

Doſis à ℈ j. ad ℥ß.

N. Cùm ſp. ⊕ elegantiſſima etiam juxta Cl. Zvvelfer. præſcriptum conficiuntur magiſteria, quem conſule in Append. ad P. A.

MAGISTRANTIA, vid. *Imperatoria.*

MAGNES.

De eo vid. ſub titulo LAPIS. Hic tutſus unicam tantùm adducimus ejus præparationem ex *Pharmac. Bateana.*

℞. *Pulveris magnetis in crucibulo candefacti, & olei martis, ana, exhala lento igne ſ. a.*

Cum cera miſcetur in emplaſtr. & dolores podagricos mitè mitigat.

MAGNES ARSENICALIS.

℞. *Arſenici alb. antimon. crudi ſulph. comm. ana* ℥ iv. terantur omnia ſeorſim & cribrentur, ac miſceantur; tum pulvis immittatur patellæ terreæ non vitreatæ, & leni igne carbonum fluant, ſpatulâ ferreâ ſæpe movendo, cavendo ne materia accendatur, & quando omnia bene fluunt, tunc affunde ſuper lapidem in lamellas, & habebis maſſam gryſei coloris quæ ſervetur.

Externi ſaltem eſt uſus, & ingreditur emplaſtrum pro curandis carbunculis & bubonibus peſtilentialibus, ubi venenum attrahit & maturat; alii item geſtant de collo loco amuleti in peſte, ac præterea præbet mite eſcharoticum, quo utebatur Clariſſ. Barbette loco lapidis cauſtici vulgaris, in cauteriis conficiendis.

MAGNESIA SATURNI, vid. *Antimonium.*

MAGNESIA OPALINA, vid. *Antimonium.*

MAJORANA & ORIGANUM.

Majoranam nonnulli dictam volunt, quòd majori curâ, diligentiaque, quàm cæteræ herbæ ſeratur colaturque.

Amaracum ab *Amaraco* puero regio, fabulam narrat Servius: Amaracus Cynarus Cypri Regis puer unguentarius fuit, qui caſu lapſus dum ferret unguenta, fracto alabaſtro majorem ex confuſione odorem creavit: unde optima unguenta Amaracina dicuntur. Hic poſtea cum nimio odore contabuiſſet in herbam ſampſuchum mutatus eſt, quæ deinde ab ejus nomine cœpta eſt maracum appellari.

Non invenio *notam* ullam *genericam* & eſſentialem quâ origanum dictum à majorana differat, atque idcirco utrumque eodem capite complectar.

Origanum ἀπὸ τοῦ ἐν τοῖς ὄρεσι γάνυσθαι, quod montanis delectetur locis, autoribus Dioſcoride & Theophraſto, dicitur; Herodianus dictum origanum contendit ἐκ τοῦ ὁρᾶν videre & γανοῦν clarificare, quòd clarificet & illuſtret, quod Jo. Bodæo non arridet, cum origanum ex ſententia Hippocratis, oculis & dentibus potu exhibitum noceat.

Aliud etymon excogitavit Theodoſius Grammaticus, teſte Phavorino, qui per ῥῶτα ſeu ſimplex r ſcribendum ait, atque à ῥίγω i. e. algeo, factum ῥίγανον additoque o parvo ὀρίγανον quaſi frigus aliquot, per antiphraſin; calfacit enim, verum nec hoc probatur: primum magis placet.

Nota majoranæ ſeu origani ſunt flores in capitula ſquamoſa congeſti in ſummis caulibus & ramulis, capitulis & ſquamis minoribus quàm in dictamno; & folia minus tomentoſa & incana quam in illo.

Vires majoranæ tenui foliæ, & majori etiam folio. Partium eſt tenuium, digerit & attenuat, auxiliatur cerebri & capitis frigidis morbis quovis modo aſſumpta, pulvis herbæ ſiccæ naribus inflatus ſternutamenta ciet, & pituitam evocat, cerebrumque corroborat; ſed & idem præſtat foliorum ſuccus naribus infuſus. Valet & ad pectoris vitia, ſtomacho præterea utilis eſt, ac jecinoroſos & lienoſos juvat quovis modo aſſumpta: Sed & ad uteri flatus ac cæteros ejuſdem frigidos morbos confert. Urinas & aquoſos humores in potu ſumpta ducit: dentium dolores lenit commanſa aut appoſita, admiſcetur antidotis J. B. Dodonæo & aliis.

Oleum ejus calefacit & corroborat nervos.

Nicolaus Cheſneau Maſſilienſis M. D. ſequens errhinum à ſe ſæpius expertum in cephalalgia commendat.

R. Radic. hellebori albi ℥ß. fol. ſampſ. p. ij. decoq. in aq. ℥ vi. ad conſumptionem tertiæ partis, ore aquâ pleno utere naribus attrahendo, ex decocto parum calido, in vola manus poſita, in dolore atroci, levem enim exaſperat.

Aqua majoranæ catarrho confert, ſi loco errhini, ore prius ſimplici aqua vel vino repleto, volæ ſeu cavæ manui infuſa, compreſſa alterutra nare alterâ exhauriatur, radice naris aut oſſe ethmoide tenus. Secus ſi faxis, non ad dictum locum ſed fauces aut narium foramina hoc errhinon retrahitur. Hoc errhino pater meus ſumma ſua laude uſus eſt, in Principe Walenſteinio ad coryzam. *Simon Paulus.*

Balſamo majoranæ ſi pinnæ narium & μετόφρυον inungantur, mirum dictu quantum in catarrho aut potius coryxa is valeat, quo etiam nucha temporaque cum in modo dicto affectu, tum in aliis frigidis capitis affectibus inungi ſolent. Idem, has tres obſervationes amiciſſimo D. Eduardo Hulſe Medico Londinenſi debeo.

Vires Origani. Aperit, abſtergit, adſtringit origanum, & quomodo hæc conveniunt? uſus præcip. in obſtructione pulmonum, hepatis ac uteri, & hinc in tuſſi aſthmate, utero. Auget lac, ichoroſa excrementa per ſudorem expellit, (ante balneum aſſumptum) extrinſecus uſui venit crebriore, eoque in balneis uterinis, cephalicis totius corporis (contra ſcabiem) nos plantam hanc, ut & omnes origana dictas pro majoranæ ſpeciebus habemus; proinde & eaſdem illis vires convenire veriſimile eſt. *Raius.*

Nuper ex mandato Dicaſterii Electoralis Brandenburgici viſitavi Pharmacopæiam viri ex longinquis itineribus famigeratiſſimi, Dn. Heiſen non pridem defuncti; ubi invenimus oleum deſtillatum majoranæ in cellâ per 27. annos reconditum, in vitro anguſtiſſimi oris

cerâ & veſicâ bene munito, ℥ vi. continente, fermè totum in ſal volatile tranſmutatum. In aliis oleis deſtillatis autem hoc non contigit. Patet igitur magnam affinitatem eſſe inter ſalia volatilia herbarum & olea deſtillata: Ideoque quoniam vis integra in oleis deſtillatis, quod tantopere in herbarum volatilibus ſudandum. *Clariſſ. D. Daniel Crugerus Miſcell. Curioſ. Dec. ij. Ann. 5.*

MALABATHRUM.

Nomina. Malabathrum & folium Indum officinarum *I. B.* folium Indum ſeu malabathrum *Park.* tamalapatra *Germ.* tamalapatrum ſive folium *C. B.* Cadegi Indi, id eſt, folium Indum Arabibus eidem.

Cum folium Indum ſeu tamalapatra, (obſervante curioſiſſimo Fab. Columna) à canellæ folio, excepto ſapore, vix poſſit dignoſci nervis illis tribus & folii reliquis ſignis ſimilibus, ut non ovum ovo magis ſit; non eſt cur in eo deſcribendo laboremus, cum in Hiſtoria Canellæ abundè deſcriptum ſit.

Scribit Dioſcorides folium lentis paluſtris modo aquæ innatare, nulla fultum radice. De malabathro (inquit Scaliger) veteres ſomniarunt. Qui enim omnes Arabias & univerſas Indias penetramus hodie nuſquam folium illud mirabile compertum habemus.

Garcias quoque Græcos in hoc falli affirmat, folium enim Indum non aquis innatare, ſed in procera arbore naſci, procul ab aquis, tum multis aliis in locis, tum in Cambaya. Tamalapatram vocant, quam vocem Græci in malabathrum corruperunt.

Nos autem tantiſper donec promiſſum impleat, & diverſum eſſe probet Jacobus Breynius, cum Amato aliiſque doctis ſentimus folium Indum officinarum Caſſiæ odoratæ folium eſſe, aut ſaltem cancellæ ſylveſtris Malabaricæ proxime deſcriptæ. Cum enim id affirment Ruellius Cordus, Amatus, Lacuna, alii; cum Garcias ſcribat folium Indum Caryophylla quodammodo redolere, quem odorem Canellæ Zeilanicæ foliis tribuunt D. Hermannus & Knoxius; cum ipſe J. Bauhinus (qui contrariam ſententiam tuetur) in noſtro folio Indo, ejuſque partibus quædam eſſe quæ reſpondere videntur cinnamomo veterum fateatur; cum illud ipſum canellæ folium à pleriſque etiam doctis credi ſcribat Valerius Cordus; cum denique fructum legitimæ Canellæ (uti jam conſtat) interdum una cum folio vulgari Indo ad nos adferri ſe intellexiſſe refert Cluſius, unde & Jo. Bauhinus illum pro folii Indi habet; & Cluſius Tamalapatræ ſeu folii Indi ramulo cum appingat, folium Indum dictum ſeu malabathrum ipſiſſimum Canellæ ſeu cinnamomi folium eſſe, vix ullus ſupereſſe videtur dubitandi locus.

Vires, Malabathrum virum viribus cum ſpica nardi convenire dicitur, urinam potenter ciere, horis halitum emendare, veſtes ab eroſione vermium tueri. *Raius.*

Malabatrum eligatur quod figurâ ad arboris citriæ folium accedit, tribus donatum nervis per ejus longitudinem excurrentibus, colore ex pallido vireſcens, odore, ſi conteratur, & ſapore admodum aromaticum, integrum, læve & nitidum ex unâ parte, ex alterâ verò aſperum. *Pharm. Aug.*

Malaguetta, vid. *Cardamomum.*

MALAXARE.

Malaxari dicuntur emplaſtra dum in maſſam ſubiguntur, ſive id manu fiat, ſive pilâ, vel ſimili inſtrumento.

MALICORIUM.

Nihil aliud eſt quam Malici Punici cortex, de quo vid. *Granatum.*

MALLEOLUS.

Malleolus in Phythologiâ definiente Columella lib. 3. cap. 5. novellus eſt palmes innatus primi anni flagello, cognominatuſque à ſimilitudine rei quòd in eâ parte quæ deciditur ex vetere ſarmento prominens utrinque Malleoli ſpeciem exhibet.

MALVA.

Malva Latinis quaſi *Malva* quòd alvum molliat, ut inquit Feſtus, ſecundum tritum illud ſcholæ Salernitanæ verſiculum.

Dixerunt Malvam veteres quia molliat alvum.

Græcis etiam μαλάχη dicitur ἀπὸ τῦ μαλάχειν ob eandem rationem; utrumque Etymon improbat Caſp. Hofmannus, nec tamen meliora ſubſtituit.

Nota Malvæ *Characteriſtica* ſunt Calyx octaphyllos, ſeu geminus, exterior in tres, interior in quinque lacinias diviſus, folia integra, ſemina in rotulæ caſeoli formam circumacta.

Vires. Herba humectat, emollit, lenit dolores urinæ, acrimoniam mitigat, in tumoribus maturandis doloribuſque ſedandis extrinſecùs adhibetur in cataplaſmatis; ad alvum leniendam & dolorem nephriticum mitigandum in clyſteribus: præcipua ejus vis eſt in emolliendo, ut vel ipſum nomen arguit.

Ob lentorem ſucci ſyrupus & conſerva medentur dolori calculoſorum ob calorem illum modicum quem habet, eſt remedium colicum cum infantibus in butyro frixa. Hoc in propriis liberis expertus ſum C. Hofman. in de Medicam. officin. eadem habet S. Paulus. Decocti vel aquæ deſtillatæ foliorum malvæ ℥ iij. cum ſyrupi violacei ℥ i ß. urinæ ardorem & acrimoniam mitigat & reſtinguit illico prima dozi. Grulingius in praxi, nec ſe aliud in hoc morbo præſentius remedium noſſe ſcribit, cui noſtra quoque experientia ſuffragatur. D. Hulſe.

Ad dyſuriam ℞. Decoct. malvarum cum ſyrupo violarum hoc remedio ſemetipſum curaſſe ſe teſtatur Foreſtus. D. Hulſe.

Vires Malvæ roſeæ. Malva roſea eiſdem viribus pollet quibus vulgaris.

Ejus flores coquunt in vino veteri, quo porrigines abſumunt & ſanant, Cam. hort. utuntur etiam ad eryſipelatis rubores compeſcendos; imprimis rubentibus roſis, ſecuti coloris ſimilitudinem. Ego (inquit J. Bauhinus) in ſiccitate & ardore linguæ & faucium horum decocto feliciter utor.

℞. Malvæ herbæ rad. ſem. q. v. (an. par. æq.) cum farina hordacea in aqua coquo; cui admiſceatur oleum olivar. vel roſar. ex hiſce omnibus conficiatur emplaſtrum, & imponatur locis affectis; id quod non ſine magna utilitate fiet in tumoribus hepatis, lienis, & matricis: nam reſolvendi, diſcutiendi & emolliendi calidos abſceſſus vim obtinet hujuſmodi medicamentum: idem emplaſtrum ſacris ignibus & aliis id genus inflammationibus auxiliatur, & impactos corpori aculeos refigit. Trag. lib. 1. cap. 119. p. 368.

Invenio in adverſariis meis idem emplaſtrum in frequenti uſu eſſe in Noſocomiis Italicis ad inflammationes & tumores ardentes mitigandos & compeſcendos D. Tancred. Robinſon.

Novi ego unguentum ſimplex è malvæ hortenſis foliis in butyro majali non ſalito decoctis & colatis paratum ad eryſipelata & ignes ſacros magno ſucceſſu adhibi-

adhibitum. Ut poſt alteram vel tertiam inunctionem ea compeſcere, extinguere & ſanare ſoleat rariſſime fallat.

Vires Malvæ arboreæ maritimæ.

Vulgare quidem, ſed tamen magnæ efficaciæ medicamentum, quod tonſillis habentibus ex floribus malvæ arboreæ ex lacte paratur, quo gargariſmatis loco utimur Sim. Paullus.

Doctus quoque ſum flores malvæ arboreſcentis pulveriſatos & cum melle deſpumato, & aluminis tantillo, quantum lingua ferre poſſit miſtos, ac gingivis illitos efficaciſſimum eſſe remedium contra omnem putredinem gingivarum, contraque ipſum ſcorbutum. Idem habui ex excerptis D. Edu. Hulſe. *Raius.*

MALUM, vid. *Malus.*

MALA ADAMI.

Nomina. Malus Adami *C. B.* Poma Adami *I. B.* malus Aſſyriæ vel poma Adami, *Park.*

Proxima aurantiis ſunt poma Adami nuncupata, ſi fructum ſpectes orbiculatum illum quidem & aureum, æquabili Aurantiorum ſuperficie, ſed multis numeris majorem, & nonnunquam ad umbilicum veluti ambeſum, colore magis fulvo quam aurantia, & odore ignaviori carne citris ſimili, ſed guſtu inſuavi, multo interim ſucco prægnante, ſapore aurantiis affini: At vero folium in limonum aut Citriorum familiam cooptare jubet, ut cui nulla ſubjecta pinnula, nam pori quibus pertunditur omnibus communes ſunt, veluti & ſpinæ virorque pertinacis vitæ folii flores Citri.

Pomum Adami dictum volunt, quod in ſuperficie ceu infixorum dentium veſtigia habere videatur, quaſi ab Adamo primo homine commorſum fuiſſet.

Ejuſdem originis eſt cum reliquis congeneribus & in eiſdem locis colitur, iis tamen minus obvia, nec ita paſſim nota.

Vires. Viribus cum malo Citrio convenit: peculiariter autem ad ſcabiem valere creditur, ſi per medium ſectum, & tenuiſſimo ſulphuris flore aſperſum, deinde cinere ferventi calefactum corpori ſcabioſo affricetur Dalechamp.

Notat Cluſius hujus fructus ut & mali Aurantiæ brevibus folliculis comprehendi, cum in reliquis generibus folliculi ſeu veſiculæ ſuccum continentes oblongiuſculæ ſint.

Cæterum pomi Adami ſeu paradiſi, lumina dicta, variæ recenſentur & deſcribuntur ſpecies, nimirum.

Pomum paradiſi fructu oblongo.

Pomum Adami ſubrotundius, idque vel Rheginum, Neapolitanum, Romanum, vel fœtum alia poma includens.

Lumia ſive pomum Adami Spataforum nothum.

Lumia ſive malum Aſſyrium ollulæ aſpectu.

Lumia expers medullæ.

De ſitu, terra, fimo, ſatione, inſitione, propagatione, translatione, collocatione, ſtercoratione, rigatione, injuriis cæleſtibus, morbis, remediis & uſibus malorum citriarum, limonum & Aurantiorum prolixè agit Ferrarius in Heſperid. & nuperrime Commelinus, quos conſulat Lector.

Olea expreſſa & deſtillata ex harum ſeminibus, floribus & corticibus præcipui uſus ſunt in mechanicis & pharmacia. Succi è medulla expreſſi juvant in febribus, ſcorbuticis & calculoſis affectibus. Cortices ſiccati & pulveriſati in affectibus ſtomachicis & flatulentis (præſertim in frigida intemperie) commendatur.

Turcæ populique Orientales varias conditurasex hiſce præparant, & ſuum Sherbet ex horum ſuccis & ſaccharo componunt. *Raius.*

MALA ARMENIACA.

Mala Armeniaca ab Armenia dicta Romanis, auctore Dioſcoride, præcocia dicuntur, quod ante alios fugaces fructus matureſcant, nominantur & præcoqua: Galenus etiam ſcribit vetus hujus arboris nomen (μηλέα Ἀρμενιακή) vocare enim omnes tum fructum, tum arborem πρεκόκκιον; licet alidi præcoqua ab Armeniacis diſtinguere videtur, cum illa his præſtantiora faciat. Βερικόκκια vox qua recentioribus Græcis hi fructus dicti ſunt proculdubio à Latino præcocia corrupta eſt: à quo fonte Gallicum *Abricot* profluxit. Plinius præcocia mala inter Perſica numerat, & eorum duo genera facit. Supernas amplum & magnum; & vulgare parvum & ſtrigoſum, etiam Armenum dictum.

Differunt autem *Præcocia* à *Perſicis*, quòd illis folia latiora, pyrum aut populum nigram referentia: oſſa plena & lævia, cùm Perſicorum rugoſa ſint & cavernoſa.

Nomina. Armeniaca mala minora *I. B.* malus Armeniaca minor *C. B.* Ger.

Vires. Bonitate Perſica ſuperant, neque enim, ut illa, in ventriculo corrumpuntur, neque tam facile aceſcunt, vulgo etiam ſuaviora habentur, unde & ſtomacho ſunt gratiora. Febres tamen cauſare dicuntur non minùs quàm Perſica, verùm eas breviores & quæ facile ſolvuntur. Cum ſaccharo condita & aſſervata, ſive liquida, ſive ſicca inter præſtantiſſima dulciara ſeu bellaria à matronis noſtris habentur; ex iis etiam ſcriblitæ dictæ, omnium optimæ fiunt, ſive maturitatem adeptis ſive immaturis. Oleum à nucleis Armeniacorum expreſſum mirificè valere tradunt inunctum ad inflammatas hæmorrhoidas, & ad ulcerum tumores & linguæ impedimenta, & pariter ad aurium dolores.

Item potum ℥ v. pondere cum vini Cretici ℥ j. calculos pellit, & colicos juvat *I. B.* è Matthiolo *Raius.*

MALA PERSICA.

Ratio nominis obvia eſt, ſiquidem *mala Perſica* dicta ſunt à perſide, unde primum advecta. Malus Perſica ab Armeniaca & reliquis congeneribus differt foliis longis anguſtis. Fructus oſſiculo rugis & ſulcis profondioribus exarato.

Nuci Perſicæ autem à Perſicis fructus glabritie differunt.

Nomina. Malus Perſica *I. B.* & *aliorum.*

Vires. Galenus & Paulus Perſicorum omne genus genus damnant ut pravi ſucci, & quæ noxam ventriculo inferant; ſuadent itaque & ut initio refectuum ante alios cibos ſumantur, & nè aqua ſuperbibatur, ſed vinum meracum. Addit Paulus eos qui crebrius iis ad ſatietatem veſcuntur febre corripi: lædere & nervos proprietate quadam.

Ego tamen non video cur Plinii & Dioſcoridis ſententia, Perſica ſcilicet ventriculo utilia eſſe, & alvum bonam præſtare, nec alium iis innocentiorem cibum, omnino damnetur & rejiciatur: nec enim veriſimile eſt, fructum adeò ſapidum & delicatum, qui noſtro quidem palato præ omnibus fugacibus arridet, ita ut à natura ipſa nobis ad edendum commendata videatur, noxium prorſus & inſalubrem eſſe oportet, tamen ut delectus pomorum habeatur, & ut modus in iis ingerendis ſervetur. Hinc quæ de Perſicorum noxa à Galeno & aliis dicta ſunt, de

præ mollibus intelligenda eſſe credit Amatus. Secus enim ait eſſe de duracinis, ex quibus optimus ſpirat odor, ſuavis, gratus & ſpiritum recreans: nam eorum ſapor delicatiſſimus eſt, cum quadam auſteritate, qua mediante ſtomacho conducit & ipſum roborat, imo omnes Principes Hiſpaniarum & viri delicatiſſimi ea poſt victum comedunt, nonniſi vino prius infuſa, & nullam inde noxam evenire perſentiunt.

Difficulter adverſantur Perſica, quia non aliud pomum fugacius, ut rectè Plinius, unde à Matronis noſtris, aut confectoribus quos vocant, raro condiuntur. J. Bauhinus condiendi modum hunc præſcribit: ritè lecta manu, decorticaque & officulis exemptis optime purgata cum aqua & ſaccharo decoquantur ad conſiſtentiam ſyrupo debitam, mirificè placent ægrotantibus, præſertim ſiti, & linguæ ariditate vexatis, refrigerando corroborant, & in omnibus calidis morbis apprimè conducunt.

Braſſavola ſub cineribus coctum unum vel alterum Perſicum ægrotantibus ſuis offerebat. Cibum verò delicatiſſimum eſſe ægris perquam gratum affirmat Amatus.

Folia ob amarorem ſuum in cereviſia aut lacte decocta & pueris exhibita lumbricos inteſtinorum enecant & expellunt. Galenus trita & umbilico impoſita id præſtare ait. Parkinſonus etiam alvum leniter ſolvere ſcribit, ſi ſufficienti quantitate exhibeantur.

Idem præſtant & flores, efficacius etiam quàm roſæ damaſcenæ in quem uſum ex iiſdem cum ſaccharo contuſis fit conſerva, mane potiſſimum jejunis exhibenda; ſed & ſyrupus paratur ad prædictos effectus aptiſſimus, recentes, autore Matthiolo, non tantum alvum dejiciunt, ſed & vomitiones cient, & hydropicorum aquas pellunt in acetariis eſitatæ, ſed non abſque ægrotantium labore; aqua deſtillata maculas faciei delet.

Gummi arboris commendatur ad alvi fluxum, calculum, impetiginem, tumorem faucium, aſperitatem arteriæ, ſputum ſanguinis, vitia pulmonum dyſenteriam commendatur. Varios utendi modos ad ſupra dictos affectus, vide apud J. B. in Hiſt. è Valeriano, Matthiolo, Geſnero.

Nucleos commendat Matthiolus, ad ventris tormina, ad ebrietatem prohibendam (ſex ſeptemve præſumptos) ad Alopeciam (tuſorum & in aceto decoctorum pulticulam) oleum contuſorum ad ſomnum conciliandum, ad colicam tam potum quàm clyſteribus infuſum: ad iliacam paſſionem & calculum, quatuor unciis potum: aquam è nucleis Perſicorum 50. ceraſorum 100. florum ſambuci manipulo in vini Cretici libris tribus maceratis, fictili per decem dies in fimo ſepulto, deſtillatum mirum in modum renum calculos pellere ſcribit Matthiolus.

E Corticibus mali Perſici conficitur ſyrupus cujus virtutes non ſunt minus cordiales quàm ſyrupi è corticibus citri.

MALA COTONEA, vid. *Cydonia.*

MALA PUNICA, vid. *Granata.*

MALA AUREA.

J. B. Paradiſorum noſtri ſeculi, ubi id ſolum & cœlum concedit, deliciæ ſunt Medicorum malorum ſpecies, æternæ frondis virore, & fructuum ubere quovis tempore proventu & luxurie, aliis primùm è floribus eluctantibus, aliis adoleſcentibus, aliis maturis, atque his quidem ſimul omnibus plerumque placentes. Notiſſima verò reliquiſque vulgatiora ſunt Aurantia dicta, quibus Aureus ille & rutilus corticis fulgor nomen dediſſe potuit. Hæc aliis magis orbiculata, nonnihil compreſſa, parum rugoſo & foraminulento luteo cortice, interius albicante non multum ſpiſſo (fæminas vocant) vel craſſo, (mares dictitant) amariſſimo & evidenter calido teguntur, quæ tamen ante maturitatem viridis tegit cortex. Sapor ſucco pro maturitatis progreſſu aut generis varietate acidus, dulcis aut medius, ſeminibus æqualibus, multa medulla farctis, amaris; folio peculiaris forma, ſemper virenti, & Hyperici inſtar infinitis propemodum foraminulis pervio, quippe quod gemellum videri poſſit, majori lauro acuminato, nec crenato, alio ceu corculo ſubjecto. Flos ut & fructus fragrantis odoris (qui Cordo cimicum virus nonnihil redolere videtur) coloris candidi, ſtaminulis multis medium obſidentibus, pulchrior quam in Citro, & odoratior, intus ſubcitrinus, per oram vero limbi purpuraſcentes. Arbori, quæ multo major quam Citri, cortex viridis, ſpinæ rigidæ ſed raræ.

Aurantiam ab auri potius colore dictum puto hoc malum quàm ab *Orange* Galliæ oppido, vel ab *Arantia* Achaiæ urbe. Aurantiæ enim nomen priſcis incognitum, non ante in uſum venit quam Aurantium oppidum deletum eſt.

J. Bauhinus malum Aurantium potius quam Citrium dictum, Theophraſti & Plinii malum Medicum eſſe (ut ſuperius innuimus) ſuſpicatur; quod autores hi malum Medicum non comedi dicant, quod de malo Aurantio verum eſt; de malo Citrio minimè, quod totum manditur; verum pace tanti viri malum Aurantium cortice excepto eſculentum eſt, & vulgò comeditur pro cibo, & non in condimentis tantum, pulpa enim interior Aurantii multo mitior eſt minuſque acida quàm vel Citrii limonii: & nos in Italia & Sicilia obſervavimus ruſticos & nautas Aurantia mala cum pane pro refectione comedentes, nunquam vero vel limonia vel Citria: dantur etiam mala Aurantia dulcia quę mandi poſſe ipſe non negat. Eſt inſuper in Europam nuper invectum Aurantii quoddam genus, eſculentum, Chinenſe dictum ſaporis delicatiſſimi, cujus etiam cortex unà cum carne comeditur. Quocirca quod Domitianus Matianum malum ſuper cænam ſumpſit, non obſtat quo minus malum Aurantium hodiernum, vel Ceſtianum, vel Matianum Plinii fuerit.

Requirit idem, ut Scaliger vel alius aliquis ſubtilitatis Profeſſor reſpondeat ſine cunctatione alteri argumento quo idem probare nititur. Aurantia (inquit) exſiccata vel in multos annos odorem ſuum retinent, ideoque veſtibus interponi ad odorem communicandum & arcenda noxia aptiſſima eſſe. Citria vero etſi exſiccantur quoque, ſunt tamen evanida, adeoque nec odore nec uſu commendabilia.

Arantiorum plures ſpecies ſed potius varietates eſſe nec pauciores quam

Citriorum aut limonum conſtat.

C. Bauhinus iſta genera proponit.

I. Malus Arantia major. Cujus plura genera eſſe ait ab inſitione prodeuntia: pleraque cortice amaro, craſſo, aureo: alia ſubvirente; alia cortice tenuiſſimo, ſubrubente, medulla dulci: aliqua è cortice dulci: aliqua in uno pomo duo genera botrorum habent: alia abſque ſeminibus: ſic & pulpæ ſapore differunt: nam alia acida, alia dulcia, alia vinoſa, ſive media ſunt.

II. Malus Arantia humilis.

III. Malus Arantia cortice dulci eduli: an Chinenſe?

IV. Malus Arantia unico grano.

His addit Parkinſonus malum Arantium Sylveſtrem, quæ tamen in Europa non invenitur.

Ferrarius has habet varietates.

Aurantium ſicciore medulla hybernum.

Aurantium ſemine carens, quod vel ſubrotundum, vel oblongum limonis effigie.

Aurantium geminum è criſpo folio, & flore duplici.

Au-

Aurantium ſtellatum & roſeum.

Aurantium virgatum & ſtriatum.

Aurantium fœmina ſive fœtiferum.

Aurantium hermaphroditicum ſive corniculatum.

Aurantium calloſum multiforme.

Aurantium Olyſſipponenſe, Sinenſe noſtratibus & Belgis, quod è regno Sinarum Olyſſipponem tranſvectum fuerit. Circinnatæ eſt rotunditatis, mediocrem ſupra modum tumens. Caro cum ipſa cute confunditur, & editur jucundiſſimè. Novem ſpicarum medulla blande mordacis dulcedinis tam vehementer flaveſcit, ut aurum in eam diſtabuiſſe credas. Corticis inſuper ſeu potius cuticulæ glabritie & ſeminum paucitate à reliquis generibus diſtinguitur. Adde quod in hoc genus fructu pulpam vitioſam, carioſam aut corruptam nondum viderimus.

Aurantium Indicum ex inſulis Philippinis.

Aurantium dulci cortice & Sinenſe.

Aurantium omnium maximum.

Malum Aurantium lauri anguſti foliis.

Malum Aurantium umbilicum roſæ inſtar gerens: fructus quidam monſtroſus aut præternaturalis eſſe videtur.

Malus Arantia hermaphroditica, fructu medio Citrio, medioque Arantio odoratiſſimo Herman. Cat. inſitionis ingenio producta videtur, applicatis ad ſe mutuo mal. Citriæ & Aurantiæ ſurculis per medium ſecundum longitudinem fiſſis, aliove aliquo artificio permiſtis ſeminibus; ad eundem fere modum quo mulus anno equam ineunte generatur.

Hujus arboris deſcriptionem vide apud D. Hermannum in Catalogo Horti Lugd. Bat. qui habet malum Aurantiam Indicam fructu omnium maximo Pupelmum dictam medulla pallefcente & ruffeſcente.

Gaudent Aurantia iiſdem locis ac regionibus quibus mala Medica, ubi paſſim abundant in hortis & viridariis, maritimis præſertim tractibus ut in Liguria circa Genuam, & in inſulis Stæchadibus Hieres dictis propè Olbiam Gallo Provinciæ. ubi adeo familiarem eſſe Aurantiam ſcribit Lobelius, ut ſemper virentium lucorum amœnitate & pomorum fætura perenni neutiquam inquilina videatur. Nos in inſula Melita in Magni Magiſtri viridario arbores ſatis grandes & proceras vidimus malis majoribus æquales. Abundat etiam in Sicilia & Italia, nec minus in Hiſpania. Hiſpalenſia apud nos in maximo pretio ſunt. Peregrinæ tamen ſunt hæ arbores in Europa & aliunde initio advectæ, quemadmodum Citriæ & Limoniæ, nimirum ex Aſia: aurea Heſperidum mala nonnullis creduntur quæ veriſimilius Cydonia fuere, ut alibi diximus.

Flores mali Aurantiæ odoris gratia in præcipuo honore ſunt: decerpti etiam per maria in longinquas regiones perferuntur, & aqua quoque fragrantiſſimi odoris ex iis paratur arte deſtillatoria quàm napham vocant: non tantum ad delicias, ſed contra peſtem & morbos contagioſos utilem, & cordi amicam, quæ & ſudores movet. Hiſpani parturientibus in difficili partu propinant cum pauxillo aquæ pulegii.

Cortex amarior eſt ac proinde calidior Citri cortice, ſaccharo conditus verminantibus pueris utilis futurus ni amarorem reſpuerent: per aliquot dies aquâ infuſus amarorem deponit & edulis evadit, deinde conditus ſaccharo non tantum menſis ſecundis inter delicatiſſima bellaria infertur, ſed & medicum uſum habet, in corde & ventriculo roborando, inque iis affectionibus quibus Citria conducunt: modum condiendi cortices Arantiorum & limonum vide apud J. Bauhin.

Pulpa interior ſeu ſuccus mitior eſt minuſque acidus quàm Citriorum & limonum ſuccus, frigidus tamen & guſtui gradus, & ad appetitum excitandum utilis, ut & ad ſitim extinguendam in febribus. Nos certè in febrili ardore magnum inde ſolatium multoties ſenſimus.

Mala Aurantia Scorbuto ſanando efficaciſſima eſſe perhibentur, ut quidam etiam ſolo eſu crudo uno diuturno percurentur.

Malum Aurantium Hiſpalenſe integrum cum cortice & carne comeſtum ante acceſſum febris intermittentis, præſertim tertianæ, perſæpe paroxyſmum avertit, & febrem ipſam profligat.

Oleum è corticibus expreſſum igneæ pæne qualitatis eſſe comperti ſumus (inquit J. Bauhinus) quod facile patebit ei qui corticem recentem juxta candelam preſſerit, ut exiliant guttulæ inſtar roris, videbit ſtrepitum & ſcintillulas flammeas excitari ac ſi pulverem ſulphureum in flammam injeciſſet. Sunt qui exiſtiment eodem modo expreſſos cortices in oculos clarificare viſum.

E tenellis deciduiſque Aurantiis fiunt globuli ad monilia, & ad preculas numerandas, odore ſuo commendabiles.

Semina verminantibus pueris utiliter dantur: ex ſemine terræ commiſſo arbuſculæ primo anno prodeunt, quæ in acetarii modum comeſtæ, admodum palato ſunt gratæ, ventriculum inſuper corroborant & appetitum excitant, autore Dodonæo.

Ad lumbricos, R. Malum aureum, perforetur & digitis comprimatur, ut ſuccus exprimatur, deinde oleo lini & ſucco abſinthii rutæque paribus portionibus impleatur pauco theriacæ & farinæ lupinorum addito, parumque bulliant. Hoc linimento pulſus tempora, nares, ſtomachus & umbilicus linantur & videbis mirabilem operationem. Alexis. Hoc remedium ſemper mihi placuit inquit Cheſneau, habui à D. E. Hulſe, *Raius.*

MALA CITRIA.

Malus Citria, Græcis *malus Medica* & *Aſſyria* dicitur, utroque nomine à regionibus, unde primùm in Græciam allata, ducto.

Cùm veteres ſcripſerint mala Medica non mandi, conjectatur J. Bauhinus mala Aurantia noſtra potius quam Citria veterum Medica fuiſſe; tantum enim abeſt ut Citria hodie non comedantur, ut præ cæteris omnibus in maximis deliciis habeantur, niſi quis (inquit) malit probare rationem Athenæi, non ideo abſtinuiſſe veteres à Citriorum eſu, quod non fuerint edulia, ſed quia in alium uſum, tanquam rem magni pretii potius aſſervanda duxerint.

Athenæus Citrii nomen extare apud veteres Græcos negat: ſuſpicatur ille Citrium à cedro tanquam cedrium nominatim fuiſſe: propter odorem fortaſſe, innuit J. Bauhinus. Hæc conjectura Voſſio improbatur, Palladii diligentiâ citrus in Italia primum coaluit; hunc ſolers imitata poſteritas eam Galliæ & Hiſpaniæ, ubi nemora jam & campos occupat, communicavit.

Cæterum Citri vox æquivoca eſt & pro duabus arboribus accipitur, altera infrugiferâ è cujus ligno menſæ olim fiebant, alterâ pomiferâ, quæ aliter malus Medica & Aſſyria dicebatur, ut Plinius diſertis verbis docet, conſule etymologicum Clariſſ. Voſſii.

Citrus, deſcribente Cordo, arbor eſt fruticoſa veluti cotonea, brevi trunco, longis ramis, craſſis, lentis, & obſequioſis, viridi glabroque veſtitis cortice, ferendæ fructuum moli valdè imparibus, & ad terram pronis, ideoque ſubjectis per tranſverſum hoſtilibus furciſq; fulciendis. Folia laurinis ſimilia, denſiora tamen, multoq; majora, & ad juglandis magnitudinem accedentia, oblonga, utrinque acuminata, egregiæ viriditatis ſplendoriſque; præſertim ſuperne, inferne enim pallidiora ſunt (per ambitum ſerrata) tota hyeme arborem ſuam exornantia, odoris acerrimi, late ſpirantis, qualis in meliſſophyllo ſenti-

ſentitur, cum gravitate quadam cimicem imitante, (juncturâ quadam pediculo inhærentia; Soli ſi objiciantur, inſtar foliorum Hyperici foraminibus viſum ferè effugientibus, undique punctim trajecta cernuntur. Bod) ſpinis armatur ſub omnium foliorum annexibus longitudine uncialibus, rectis, acutis ac viridibus (J. Bauhino rigidiuſculis, flexilibus tamen nec ita infeſtis) flores virentes gemmarum calyculi emittunt oblongos, caudicantes, (ſæpiuſcule forinſecus purpurantes, Calathi effigie, ſolidos, odoratos, ſtaminibus in medio tenuibus ac capillaneis) horum duplex eſt genus; ſterile & infæcundum quod colo caret; & fertile, quod in medio ſtylum exerit penſum colo involutum æmulantem, cuique à tergo fructus rudimentum annexum.

Fructus florem ſequuntur ſinguli, longitudine non raro dodrantali, figurâ ovatâ, interdum etiam globoſâ, ſuperficie rugoſâ, tuberoſaque, colore primum viridi, in maturitate verò aureo ſeu citrino, odore foliorum ſimili. Cortice ambiuntur tenui, amaro & fervido, cui ſubeſt caro cartilagineæ duræque conſiſtentiæ, colore candido, ſapore acetoſæ conditæ capitatæ braſſicæ truncos referens. In medio mala cavitas quædam eſt, ſucco vehementer acetoſo, ſuis membranis contento plena, cui immixta ſunt oblonga & ſemuncialia ſemina, utrinque ferè acuminata, cute floris flavâ ſtriataque intus candido, duplicis nucleo conſtantia, quibus amarus, tenuis & mediocriter fervens eſt ſapor, præſertim cutis, nucleus enim dulcedinem quandam admixtam habet. Radicibus nititur copioſis & tenuibus.

Fructus Citrii magnitudine variant: quidam enim in molem excreſcunt melopeponibus parem, ita ut ad pondus librarum decem nonnunquam perveniant, hi nullo ferè ſucco ſunt; adferuntur autem ex Liguria & Adriatici Maris inſulis: alii limonum magnitudine ſunt: alii paulo majores, quæ à lacu Benaco aſportantur; forma etiam differunt Citria, nam alia prælonga ſunt, alia rotundiora, alia in varias figuras hominum induſtriâ vaſis figulinis incluſa formantur. Quædam ſapore remiſſiore ſunt, quædam vehementiore: in colore etiam obſervatur differentia, nonnulla dilutiora, alia ſaturatiora ſunt; non multum tamen differunt naturâ & viribus, Nos omnes has differentias accidentales & à ſatione, aut forte etiam inſitione ortas ſuſpicamur. C. Bauhinus quatuor diſtinguit ſpecies.

I. Malus medica ſimpliciter ei dicitur.

II. Malus medica maxima, pulpâ plurimâ.

III. Malus medica fructu ingenti tuberoſo, citrangula quibuſdam.

IV. Malus medica ab Imperatore Carolo V. ex Hungaria in Hiſpaniam delata, quæ omnium mali medicæ generum acidorum ſuaviſſimum, ut Cluſius in ſua Hiſtoria refert.

Parkinſonus noſter in Theat. Bot. ſex recentes & deſcribit varietates, hæ ſunt.

1. Malus Citria major.

2. Citria Malus minor, ſive limonera, quæ à præcedente differt foliis minoribus & brevioribus: floribus etiam minoribus & ſaturatius rubentibus, fructu minore longioreque, cortice mediocriter craſſo, flavo, minùs ſcabro, ſucco copioſiore cum paucioribus ſeminibus,

3. Citria Malus ſive limonera prægnans, alium fructum minorem in ſe continens. Fructus eſt monſtros.

4. Limonera dulcis, Hiſpanis limones Imperatoris.

5 Limonera acida.

6. Limonera multiformis: has quinque poſteriores ſpecies, limoneras Cluſio dictas C. Bauhinus & rectius noſtra ſententia ad malum limoniam refert. His adde è Ferrario, 1. Malum Citreum vulgare belluatum. 2. Malum Citreum cucurbitinum vulgare. 3. Malum Citreum digitatum ſeu multiforme. 4. Malum Citreum dulciſſimâ medullâ, radice non ita plerumque cuſpidato.

D. Tavernier in peregrinationibus ſuis per regnum Tunquin duo Citriorum genera obſervavit. Alterum flavum, alterum viride, utrumque adeo acidum & immite ut mandi non poſſint, aut deglutiri abſque inſigni offenſione ventriculi, ſuccus tamen quemadmodum apud nos aqua fortis uſurpatur ad mundanda metalla, cuprum, ſtannum, ferrum antequam deaurantur, ut & ad tincturas præcipue ſerici. In uſu etiam ſunt pro lixiviis ad candorem linteaminibus conciliandum, eaque emaculanda. Quin & per totum magni Mogoris Imperium ſucco iſthoc Citriorum utuntur ad pannos lineos Calecuticos dictos candefaciendos, unde interdum adeò nivei & lucidi evadunt, ut ſplendore nimio intuentium oculos perſtringant & offendant.

Vires. Citrii mali partes omnes, cortex exterior & interior, pulpa ſeu ſuccus, & ſemina eximii uſus ſunt in Medicina; & contrarios ſibi invicem effectus producunt. Exterior cortex flaveſcens valdè odoratus eſt & aromaticus, ſapore amaro, exſiccatus cardiacum eſt inſigne & alexipharmacum, ventriculum frigidum & flatuoſum calefacit & corroborat, flatus potenter diſcutiens, humoreſque crudos ibidem aut in inteſtinis contentos concoquens & digerens; maſticatus halitum oris emendat; ciborum concoctionem promovet, & melancholiæ conducit: in hypochondriacis morbis, ut in vaporibus, flatibus, palpitatione cordis, obſtructionibus & imbecillitate viſcerum plurimum commendatur ab experientia Herman. Grube de malo Citreo, p. 36. 37. pulverem corticis exterioris limonum & aurantiorum ad eadem valere veriſimile eſt. Saccharo conditus inter bellaria menſis ſecundis infertur; electuariis etiam cardiacis admiſcetur adverſus contagionem & affectus prædictos: quin etiam alvo laxandæ conducit, in quem uſum ex eo paratur electuarium de citro ſolutivum ad humores frigidos & pituitoſos evacuandos utile: tuto etiam uſurpari poteſt cùm bilis phlegmati admiſcetur: inferior & alba pars corticis pæne inſipida eſt, nec ullius in Medicina uſus; inſervit tamen pro confectionibus dulciariis & apophoretis.

Caro ſeu pulpa interor, aut ſuccus inde expreſſus quamvis ſucco limonum minus acidus ſit, vi tamen refrigerandi ei plurimum antecellit, inquit *Parkinſonus*: in febribus ardentibus & peſtilentialibus apprimè utilis eſt, ad venenum reſtringendum, æſtum contemperandum, bilis efferveſcentiam & ſanguinis orgaſmum reprimendum, ſitim extinguendam, ſpiritus recreandos, appetitum acuendum: aiunt & ebrietati reſiſtere & vertigini conducere.

Semina cardiaca ſunt & alexipharmaca, adverſus ictus ſcorpionum aliorumque animalium venenatorum; necnon peſtis & variolarum contagia cor minuunt: ventriculi & inteſtinorum vermes enecant, menſes provocant, abortum cauſant, humores crudos & ſeroſos digerunt & exſiccant tam internè in corpore, quàm externe in ulceribus humidis & ichoroſis.

Memorabilis imprimis eſt Hiſtoria, quam Athenæo narravit civis quidam ſuus cui Ægypti mandata fuerat adminiſtratio. In maleficio deprehenſos quoſdam ille ad ſerpentum morſus damnaverat. Productis illis & ad theatrum euntibus deſtinatum latronum ſupplicio in via forte caupona quædam miſericordia commota, quod in manibus tum habebat malum citrium dedit; acceptum vero illi comederunt: & paulo poſt ingentibus ac ferociſſimis anguibus oblati, commorſique ab aſpidibus nihil læſi ſunt: qui tandem cum illorum cuſtodem militem interrogaſſet, nunquid bibiſſent, aut ediſſent, ut id comperit quod id acciderat, nimirum, abſque dolo citrium illis traditum fuiſſe, poſtridie alteri surſum dari juſſit, alteri minime: per-

percuſſus hic confeſtim periit: illæſo altero qui citrium comederet: indeque multis & expertis cognitum eſt Citrium adverſari venenis omnibus.

Citria innoxia & quaſi recens collecta procul mitti poſſunt, ſi arboreo muſco ſingillatim involvantur ramulorum cæſuris cerâ vel creta ſuperlitis, Ferrar. Heſperid. l. 2. c. 19. *Raius.*

Fructus ſeu Poma Citria magnitudine & loco natali potius variant, quàm genere, Ratione magnitudinis, quædam ſunt *majora* inſtar melopeponum, alia *minora*, alia *Limonum magnitudine* &c. *Alia Medica, Aſſyria, Alia ex Guinea &c.*

Vires. Cortex calef. & ſiccat. Pulpa autem refrig. & humectans Semen calefac. & ſicc. atten. diger. abſterg. &c. Integrum Pomum Citreum eſt alexipharmacum, ut patet ex hiſtoriâ ex *Athenæo* deſumptâ, ubi referunt, quendam facinoroſum ad beſtias damnatum integri pomi eſu ab internecione aſpidum fuiſſe vindicatum, quod prætereunti è caupona pſaltria quædam ipſi porrexerat. Hujus hiſtoriæ veritatem confirmat ſtudioſus Medicinæ Pariſiis Gallorum aliquot retrò annis à viperæ morſu lethaliter ferè decumbens & ſalutifero pomorum citrinorum eſu reſtitutus. Medicinæ ſcilicet ſtudioſus dictis Pariſiis in frequentia quorundam Medicorum de natura, viribus ac veneno viperarum diſceptantium in ædibus pharmacopolæ cujuſdam, ubi haud exigua viperarum quantitas ex finitimis locis apportata diſcendi & curioſi ingenii gratiâ præſens fuerat, de præſenti materia ultrò citroque cum reliquis verba miſcens arripit manu, quod antea ſæpius illæſus fuerit, viperam tabulæ impoſitam, & ipſo inſcio à pharmacopæo Gallo rudè inter forcipem compreſſum & hinc irâ ſuccenſam, hæc dum ille ſermoni intentus, reflexo capite dente ſuo canino pollici dextræ vulnuſculum vix acus magnitudinem æquans infligit, quo animadverſo illam projicit, vulnere tamen ſpreto. Aſt vix quadrantis horulæ ſpatium interceſſerat, quin dira ſubſequuta ſymptomata, ſyncope, convulſio, continui vomitus, alvi dejectiones, cum torminibus & ilei paſſionibus, cum extremorum refrigeratione, brachium croceo infectum colore intumeſcebat, facies cadaveroſa, labia livida ac tumida, oculis dedentibus, pollex tum minimè intumeſcebat, niſi ſub fine, nec ex vulnere inflicto ne guttula ſanguinis aut ullius humoris exſtillavit. Improviſus & ſubitus hic tragicus caſus in multas & diverſas præſentium Medicorum conſilia diripuit partes, hic ad Theriacam, alter ad Orvietanum, tertius ad cauterium potentiale, ſed nimis tardè, confugerunt: Tandem miſer hic juvenis decumbens, viviciſſimus licet, diſtortus doloribus, ſal viperarum volatile cum aqua theriacali exigebat, inani verò quaſi effectu, continuato enim vomitu hauſtum rejiciebat, nec clyſteres ullum attulerunt levamen, tota namque Naturæ œconomia haud leviter turbatâ. Fortè autem fortuna accidit, ut Nobilis quidam externus ex commiſeratione ægri tactus decumbenti pomum citrium exhiberet, quod vix odoratu, non dicam, guſtu, acido ſcilicet ſucco delibatum, incredibile dictu eſt, quam ſubitaneam & præſentiſſimam tulerit opem, omnia momento ceſſabant ſymptomata, & non aliter fuerat, ac ſi Jupiter ipſe opitulatricem porrexiſſet manum. Galli verò pro innata illorum levitate hoc minimè obſervabant. Patiens licet ex virium diminutione antegreſſa haud parum debilis, mu[illegible]m tamen ſuum repetiit, & ſumpto electuario quodam ex Confect. alkerm. & de hyacinth. intermediato Pomorum Citriorum uſu non ſolùm illa nocte placidè dormivit, ſed & brevi iterum ex voto convaluit.

Ex hâc obſervatione notatu digniſſima plurima Naturæ phænomena adhuc non ita aperta dilucidanda veniunt; Facile eſt exinde videre cujus naturæ ſit venenum viperarum, quomodo à viperâ in hominem traducatur, ecquid in maſſam ſanguineam ſeu Archeum noſtrum agat, quales actiones Archei in morbis cudendis & ſanandis, quomodo medicamenta hujus beneficio operationes ſuas peragant, & in ſpecie qua ratione Citriorum acidus ſuccus in venenum à viperâ illatum operetur, illud mortificando & figendo.

Pharmacopœus Gallus, in cujus ædibus hæc tragœdia incepit, tractatum ſub proprio nomine Charras (at alieno ſane Marte) edidit tit. *Les Experiences des Viperes à Paris in octavo.* Ubi ait venenum illud agere in maſſam ſanguineam, eam figendo, & circulationem impediendo: Et in ſequentibus, venenum ceu acidum aliquod figere ſanguinem &c. Verùm ſi hoc hâc ratione eveniret quomodo ſuccus ille citreus levamen aliquod afferre poſſet, de quo ille ſtatuit gaudere virtute fixativâ, ſic enim venenum illud redderetur fixius & circulatione magis magiſque impedita mors tandem acceleraretur. Statuimus itaque, perniciem illam dependere ex viperarum ſalivali humore in dentium veſiculis contento extra notabilem quantitatem, prout modernorum Italorum curioſarum experientia pateſcit, qualis D. Redi Archiatri Florentini qui in quovis liquore hauſt is innoxius eſt, ſin verò imago iræ ſeu idea furioſa beſtiæ illius ſuperveniat vulnere a dentibus longioribus tricuſpidibus in corporis peripheriâ inflicto, quæ in dicto liquore ceu vehiculo ſigillata, ſeu ex vipera vivâ ſeu ex mortuâ fuerit, Archeus dum expellere exoticum illum hoſpitem nititur, agitur in furorem, eoque niſu ſub veneni tyrannide omnes functiones interturbat, dum totam ſpirituum & liquorum vitalium ſubſtantiam ſibi aſſimilando evertit; uſque dum ex poteſtate dotali remedium, ex cujus numero in hac morborum ac ſymptomatum ſyndrome etiam fuit ſuccus ille Citri, ſuperveniat, ſupereminentem & non vulgarem obtinens bonitatem, quâ irati ac ſuccenſi Archei errores ſopiuntur ac corriguntur; Ex his patet, omnem morbum ab Archeo prout errat, vel furioſus eſt, fabricari ac regi, errantemque ac iratum placari & demulceri poſſe remediis poteſtativis in quibus denuò ſuas reperit delicias, ut à furore remittat. Si enim juxta allatam hiſtoriam morſus viperæ extra notabilem humoris quantitatem & quaſi ſolo attactu ſæpè occidat; & ad liquoris cujuſdam mihi noti inunctionem in manu factam, ſi mentum viri attigerit, paulo poſt barbæ pili excidant, ſuperciliorum ac totius capitis, quidni & remedia dentur, quæ ſcilicet ſolo guſtu non dicam contactu Archei errores compeſcant citra ullam perceptibilem quantitatem Archeum ſedantia & demulcentia. Quæ ratio, quod ægroti ſæpenumero gliſcente adhuc cauſi & aliorum morborum vigore à ſpecifico quodam remedio in momento quaſi priuſquam à debili tunc ventriculi digeſtivâ in actum potuit deduci, notabile levamen & inſequentem [illegible] ſanitatis plenam reſtitutionem ſentiant, id quod vel millies in praxi meâ obſervavi.

Falſum eſt, & experientiæ contrariatur, quod de Capite vel alia parte hujus animalis vulneri impoſitum referunt. Verum autem, caput frixum vel viperam coctam devoratam profuiſſe, ſaporoſam, nec ullius veneni participem.

Miranda eſt hiſtoria, quam habet Caſp. à Reques in Campo Elyſæo jucundarum quæſtion. de Ruſtico quodam à vipera morſo. Sed hæc in tranſitu, redeo jam ad noſtrum Pomum Citrium, cujus Cortex aromaticus, antiloimicus & carminativus etiam concoctionem juvat, *pulpa acida* adhibetur ad febricitantium calorem reſtinguendum. *Semen in Emulſionibus* confert verminantibus pueris & contra vomitus gravidarum adhibetur. Ex recentibus *Cortices condiuntur*, *ex ſucco*

ſucco ſyrupus Acetoſ. Citri conficitur. Et ex *corticibus* quoque deſtillatur, unde *Eleoſaccharum Citri Eſſentia Citri, &c.*

N. *Oleum Citri* ex recentiſſimis & non fermentatis Corticibus Citri ſolâ aquâ affusâ per V B. deſtillatum fuerit, præſtantiſſimum eſt, naturali gaudens odore, & multos per annos manet incorruptum: ſecus fit in fermentatis Citri Corticibus, ex quibus ingratum Therebinthinatum ſpirans odorem oleum deſtillatur.

Spiritus Citri *valdè* Cardiaçus.

Recip. Pomorum Citri q. v. remotâ parte albâ effœtâ conſcinde reliqua, ſacchari q. ſ. adde, miſce in vaſculo optime clauſo, ſtent in digeſtione per 7. ♂♀ continuos poſtmodum ♌ la per Alemb. & tandem rectifica per Aren. Spiritus prodibit limpidiſſimus, cujus aliquot guttulæ in convenienti vehiculo oblatæ collapſas reſtaurant vires.

Eſſentia Citri *in formâ liquidâ.*

Recip. Malorum Citrinorum num. 100. dividantur primò cortices à pulpâ ipsâ, poſteâ remotâ parte ſpongiosâ albâ in partes conſcinde minutiſſimas, ex reliqua pulpâ interna acidâ ſuccum exprime, quàm fortiſſime, & ſuperaffunde probè cum ſucco miſtis invicem corticibus, adde ſacchari ſ. q & per ſeſquimenſem digere in loco calido; poſtea per MB. abſtrahe ſpiritum fortiſſimum quem ſeorſim aſſerva. Reſiduum exime & cum expreſſione trajice primò per pannum album, deinde verò filtra debitè per chartam bibulam, facta filtratione inde cucurbitæ convenienti & abſtrahe inde ℥j. cum ſupra dicto ſpiritu fortiſſimo conjungendam, quod reſidui liquoris remanſerit, in cucurbita ſupra dicto ſpiritui permiſce & in Pelicano tandiu circulentur, donec liquor ille pellucidus & coloris Citrini evaſerit. Tandem effundatur per lentam inclinationem, quod clarum eſt, & uſui ſervetur, fæces verò in fundo reſidentes rejiciantur.

Eſſentia Citri ſicca.

Recip. Hæc conficitur ex Cortic. Citri recent. mediante ſacchari albiſſ. aſperſione, quod abraditur iterum cum parte inverſâ cultelli in orbe ſtanneo, uſque dum ſaccharum conſiſtentiam acquirat ſiccam.

N. Aquam meam bezoardicam temperatam ex pom. Citri paratam vid. in theſaur. noſtr. pharmaceutic. annexo ſect. 1. n. 35. *Hofmannus.*

MALA LIMONIA.

Mala Limonia Citriæ ſeu malo Medicæ congener eſt.

Limoniæ nomen haud temerè apud ullum probatum, vel Græcum vel Latinum autorem invenias, viderurque poſterioris ſeculi eſſe inventum, differt à citrio malo fructu minore, cortice tenuiore, copioſiore pulpâ, eaque acidiore.

Malus autem Limonia magno caudice aſſurgit, (circa lacum Benacum in eam ſe ſe attollit proceritatem in quam aliis in locis ſalices & ulmi Calzolar) ramoſque habet tenuiores, longos, firmis, longis, virentibus ſpinis armatos, (iiſque aliquantulum hamatis, multoque pluribus quàm citria, quo fit ut ejus virgæ quandam Rubi imaginem referant. Cord.) folia per ambitum nonnihil ſerrata, minora quam Citriæ, conſimiliter foraminulenta, denſa, viridia, glabra; flos purpuraſcens foris (I. B. purpureus) quam Citriæ paulo minor, alias non diſſimilis. Forma pomo oblonga, turbinata, rugoſa, & tuberculis inæqualis, ſed minus quàm Citria; color pallidior, magnitudo minor; in eo etiam differt à citrio, quod cortice pulpoſo tenuiore, minuſque carnoſo, ſucco uberiore donetur, eoque acidiore, ut interdum nihil ferè niſi ſuccum contineat, ſemen non multum diſſimile amaricat.

Hujus etiam arboris plurimæ ſpecies ſeu varietates habentur. Quatuor recenſet Cordus.

1. Primum Anſerini ovi formam ac magnitudinem habet, odore inter Citriam atque Arangiam malum medio.

2. Secundum globoſum minuſque prædicto, utroque capite veluti eminente umbilico inſigne cætera ſui parte fruticoſum.

3. Tertium oblongum eſt gallinarum ovi figurâ & magnitudine.

4. Tertio æquale eſt quartum, ſed globoſum, & ſuperficie magis æquali C. Bauhinus in pinace novem conſtituit ſpecies.

I. Malus limonia acida, de qua dictum.

II. Malus limonia major dulcis: fructu minore & oblongis limis ſimili, Clus.

III. Mal. lim. folio ſerrato, fructu oblongo, cortice tenuiſſimo, quæ limas primum genus. *Cluſ.*

IV. Mal. Lim. fructu rotundo orbiculato. Limas alterum genus, Clus.

V. Limones prægnantes, alium fructum minorem in ſe continentes, Clus.

VI. Limones variarum figurarum, toti fere carnei, Clus.

VII. Malus Limonia minor dulcis, limonis genus in Hiſpania, minimo fructu, vix nucis magnitudine, odore cæteris præſtantiore, excelſiore arbore.

VIII. Limonum Sylveſtrium in Syria provenientium inque Ægypto & Africa meminit Scaliger, pomis admodum exiguis, acidiſſimis.

Limonum à Ferrario & Commelino deſcriptorum catalogum ſequentem D. Tancredo Robinſon debemus.

Limon Liguſticus, inſigniter variat ut limon S. Remi, Cerieſcus ſeu citriformis, Genuenſis, qui à fructu parvo rotundo puſilla pila nominatur.

Limones Neapolitani multum variant, ut limon Cajetanus figurâ ultra vulgarem modum ovata, ut cacumine faſtigiata: limon Amalphitanus forma oblonga, apice admodum eminente: limon perpuſillus Calabrenſis fructu ſubrotundo.

Limon Romanus à Rio vel rivo, inſigniter cuſpidatus, nonnunquam digitatus.

Limon prægrandis Dominæ Lauræ.

Limon incomparabilis, figurâ inter oblongam & rotundam ovata.

Limon Imperialis, cæteris productior ſatiſque craſſus.

Limon medulla dulci duplex, vel vulgaris Italicus, vel Olyſſipponenſis, qui foliis & fructu facilè diſtinguuntur.

Limon pyri effigie, vulgò Peretta ſive Spatafora, iſque major & minor.

Lævis vel ſtriatus.

Perettæ conſimilis Limon, ſed oblongior & anguſtior.

Lymon Spatafora Rheginus, craſſo mucrone faſtigiatus, aromaticus. cortice punctim lacunoſo.

Limon Rheginus fructu racemoſo oblongo, paulatim extenuato in apicem cuſpidatum.

Limon ſtriatus ſive canaliculatus, ſumma parte muliebrem in papillam exuberante.

Limon ſtriatus Amalphitanus, mali Citrii magnitudine, cortice per quam verrucoſo & ſcabro.

Limon Shardonius rotundus, manente floris apiculo velut roſtratus.

Limon Roſolinus, umbone retortum in mucronem emiſſo bene faſtigiatus.

Limon Florentinus Barbadorus, foliis ſerratis, viridi atrore pictis & hyperici modo punctim pertuſis & tranſlucidis.

Limon ſcabioſus lepræ facie.

Limones varii citrati, læves & ſcabri & alios Limones ſæpe includentes.

Limon pſeudo citratus Barberinorum.

Limon citratus Sylveſtris.

Limon globoſus ponzinus, iſque quintuplex, Liguſticus, rubens, Romanus, Chalcedonicus, Tripolitanus.

Limon Sponginus Calabriæ rugoſus.

Limon ſponginus (ſpongioſus) Liguriæ verrucoſus.

Lima eſt multiplex, dulcis, acris, agri Privernatis Romana citrata.

Lima citrata oblonga, ſcabioſa & monſtroſa, quandoque & ſubrotunda.

Lima ſubrotunda ſpinis craſſitie & longitudine vaſtiſſimis Piorum in hortis Romæ.

Gaudent Limones eodem cælo calido, curâ ac cultu quo citria ad nos deferuntur ex Hiſpania & Italia, in quas regiones ex Media & Perſia primum invecta, nec enim ſponte ibi proveniunt.

Vires & uſus. Limonia cum guſtu reliquis omnibus (aurantio & citrio) ſint acidiora, ideo ſucco frigidiore eſſe probabile eſt, valent ad eoſdem uſus ad quæ citria: ad venena tamen ut minus efficacia, ita ad æſtuantes morbos potentiora habentur & hæc quidam comedunt, non integra, (ut Jo. Bauhinus ait) ſed cortice denudata & in laminas conciſa, aſperſo multo ſaccharo, quomodo magnam cum palato gratiam ineunt, ſitim potenter reſtinguunt & febrilem ardorem compeſcunt.

Succi Limonum ſunt admodum efficaces in diſſolvendis calculis & detergendis partibus Herman. Grube de Limon. p. 10. idem ſcribit Crato, aliique ut M. Biegny in Zodiac. Med. Gallico An. 2. p. 127.

Syrupus de ſucco Limonum magni fit ad calculum & obſtructionem renum, item ad ſitim & æſtum in febribus ardentibus: cordi & ventriculo robur addit, & bilis efferveſcentiam compeſcit: ideoque haud infeliciter imbecillitates, lipothymias, fluctuationes, vomitus & ſingultus febribus ardentibus ſupervenire ſolitos curat.

Cortices Limonum non minus quàm Aurantiorum ſaccharo condiuntur pro bellariis & ad eoſdem uſus valent. Condiuntur & parva integra ad varios uſus.

Aqua è Limonum, ut & citriorum ſucco deſtillata coſmeticum inſigne habetur.

Succo Limonum ſcribuntur literæ occultæ, quæ igni admotæ manifeſtantur. Eorum acido ſucco tam elegantem purpureum colorem conſervæ roſarum, aut etiam Violarum aliorumque multorum conciliabis, ut nihil ſupra hinc & tinctoribus utilis eſt, ad colores multos tranſmutandos aut figendos, qui magnam ejus quantitatem inſumunt.

Ad nephriticos affectus ℞. ligni querc. deraſi ℥j. aquæ font. lib. vj. ſucci Limonum ℥iiij. infund. omnia per 24. horas ſupra cineres calidos, poſtea coq. ad tertiæ partis conſumptionem: coletur. Doſis ℥vj. valdè prodeſt calidæ jecoris intemperiei, ulceribus renum, ardori urinæ, ſed præcipuè pituitam ſalſam & viſcidam e renibus & veſica evacuat. dyſur. & ſtrangur. cauſam poteſt ex hoc decocto vinum dilui. Mihi communicatum à patre religioſo. Chelneau excerpſit D. E. Hulſe *Raius.*

MALUS.

Malum priore producta à Dorico & Æolico μᾶλον pro μῆλον eſt quod non modo pecus & mamillam, ſed & pomi genus ſignificat. Arbor ipſa malus Græcis μηλέα Voſſ.

Pomi vox latius patet quàm mali nonnulli enim nucem etiam, quæ Græcis ἀκρόδρυον hoc nomine complectuntur. Alii nucem à pomo ita diſtinguunt, ut pomum ſit quicquid foris habet quod edendo eſt, durum intus includit, nux quicquid foris duriore corio tegitur, intus habet quod edendo eſt. Sed vulgo genus pro ſpecie accipitur. Pomum autem à πόμα ſive potius πῶμα (nam & hoc invenitur) dictum arbitratur Julius Scaliger, quia ſitim tollerent eorum plurima, ſimulque eſſent cibo & potui.

Malus autem, cùm ſit Arbor totâ Europâ notiſſima, prolixa non indiget deſcriptione. Quin ſi indigeret, noſtram in eo deſcribendo operam ſuperfluam reddit accurata I. Bauhini deſcriptio, quam nonnihil auctam lectori proponemus.

Arbor eſt mediocris magnitudinis; ramis magis patula plerumque quam alta, cortice ſcabro, ſæpe muſcoſo, obtecto, foris cinereo, intus flavo, ac lævi potius quàm aſpero, materie alba, vel candicante, fragili, mediocriter dura, & variis utenſilibus præſertim domeſticis parandis, atque ad torni artificium haud incommoda: radice non valdè multa, nec admodum profunda, ſed in ſummo ferè terræ obhærente.

Folia ex rotundo oblonga, vel obtuſa, vel acuminata, infernè villoſa magis quàm supernè, præſertim nova, in ambitu crenata, alternatim poſita.

Flores ſimul multi, ex brevibus tomentoſis pediculis, ſuave olentes, candidi vel purpuraſcentes; pentapetali, apicibus in medio ſubflavis.

Ipſa verò mala adeò variant formâ, magnitudine, colore, ſapore, matureſcendi tempore, ut dinumerare haud ſit facile. In genere tamen malum fructus eſt magnitudine & figurâ varius, quippe aliud rotundum, aliud turbinatum, aliud ſeſſile, quædam etiam anguloſa ſunt etiam quæ ad pugni gemini magnitudinem accedunt, ſunt & parva & mediocria; tunica omnia contecta vel pallidâ vel flaveſcente; interdum rubra, aut ex toto, aut ex parte, rarius ſubcinerea, aut ad glaucum vergente, cui caro ſeu pulpa ſubeſt mitis, odorata in maturis, in immaturis & ſylveſtribus durior: ſapore vel dulci vel ſubacido aut vinoſo, vel acido dulci; in ſylveſtri auſtera atque acerba; pediculo ſuo quodque adhæret, eo ipſo. Longitudine & craſſitudine diverſo, è parte inferna, atque ut plurimum cavata, rarius prominente emerſo: in cujus oppoſito, parte nimirum ſuperna, eſt id quod πυθμένα quidam vocant ex Polluce, alii ὀμφαλὸν, umbilicus nempe ſeu cavitas quædam, cui inutile illud floris reſiduum, (floris calyx) inſidet in ipſo fructus meditullio, ſeu volva Scribonio dicta, ſemina latitant oblonga, altera parte obtuſa, altera acuta, qua petiolum ſpectant, intus latentia, per maturitatem nigra, membranaceis quibuſdam atque duris pelliculis (cartilagineis potius,) ceu parietibus intergerinis, ſejuncta, ita ut ſingula in ſingulis latitent cellulis, interdum etiam gemina, quorum medulla candidæ, ſapore ſubdulci.

Mali unam duntaxat ſpeciem agnoſco: nam quæ feruntur ſpecies, varietates tantum ſunt accidentibus quibuſdam, magnitudine, figurâ, colore, ſapore, matureſcendi tempore differentes.

Has autem varietates idcirco ſpecie differre non exiſtimo quia ſationi originem ſuam debent, ſuntque infinitæ, nullo certo aut determinato numero cum ex ſemine ſato novæ indies exoriantur.

Bauhinus uterque pomorum varietatem ex inſitionum maxime varietate ortam eſſe aſſerunt: nos è ſeminibus ſatis varietatem hanc provenire exiſtimamus: cum(ut alibi diximus)in inſitionibus fructus ſurculi ſeu gemmæ naturam ſemper ferè ſequatur; non tamen negamus fructum inſitione emendari & velut cicurari,ſucco ex acerbo aut acido in mitem evecto.

Mali apud nos in Anglia florent ſub exitum Aprilis,& initio Maij: fructus ſuos maturant aliæ citius, aliæ tardius, præcoces Julio menſe & Auguſti initio, ſerotinæ non ante finem Septembris, aut Octobris initium.

Amat quævis ferè loca malus, ſi ferventiora excipias, ſed maxime temperata, aut etiam humidiora (ut recte I. Bauhinus)non tamen frigidiſſima: raræ ſunt in interiore Italia & Gallo-Provincia ob cæli fervorem J. B. Abhorrent etiam loca maritima, nec uſpiam nobis viſa in ejuſmodi locis: ac ne in vicinis quidem commodè coluntur: idem,concludit tandem malos temperata loca quætere,quæ tamen nonnihil ad calorem & ſiccitatem vergant,ut naſcantur ſapidiora.

Genera illa malorum quæ C. Bauhinus in pinace pro peculiaribus habet nobis non aliter differre videntur quam reliquæ varietates,eæ ſunt.

1. Malus pumila,quæ potius frutex quàm arbor.
2. Malus exigua pallidis floribus.
3. Malus ſine ſemine interius in fructu.
4. Malus non florens fructificans tamen; quæ duæ ſpecies ſunt degeneres ſeu monſtroſæ.
5. Malus folio pyri.
6. Malus flore pleno naturæ luſus eſt,ut in Ceraſo.
7. Mala ſylveſtria,perſica,&c.quæ & alba & rubra, & majora & minora de his tamen paulò poſt ſpecialius agemus.

Vires & uſus, Vires pomorum variæ ſunt pro ſaporum varietate, acida,acerba & auſtera aſtringunt ac proinde alvum ſiſtunt, verum cum butyro cocta cibum febricitantibus præbent commodum, inquit. *Schroderus*.

Dulcia ſunt naturæ calidioris & laxantis.

Subacida ſeu vinoſa naturæ ſunt mixta, conveniuntque ventriculo & cordi.

J. Bauhinus Ariſtotelis ſententiam probat, ut poma ante cibum ſumantur;ſumpta enim,inquit,antè cibum facillime alvum ſolvunt;at ſi poſt cibum, nihil fere aliud quàm inflant,& flatus excitando moleſtiam creant ſtomacho, ut proprio periculo didicimus. Noſtrâ experientiâ commodiſſimum tempus edendi poma non eſt matutinum ante prandium,cum ventriculus plane vacuus eſt & jejunus, ob cruditatem & acorem,uti nec ante cænam ob eandem rationem, at neque ſtatim à prandio aut cæna,ſed duabus, tribus, quatuorve horis poſt utramlibet refectionem, cum ventriculus nondum penitus exhauſtus eſt, nec nimis repletus;poma ſanè ſunt fungoſa & ſpongioſa,quæ injecta aquæ innatant,contra pyra reſidunt, unde poma difficulter in ventriculo concoquuntur.

Pyra ſive cruda ſive cocta facilius fero, meliuſque digero,inquit idem.

Quamvis autem poma ventriculo frigidiori & humidiori fortaſſe noceant, calidiori tamen & bilioſo apprimè conveniunt, & alvum facilem reddunt. Omnibus ferè pomis cōmune eſt,quod ſuccus expreſſus admixto pauxillo croci ebibitus veneno adverſatur, & ventris animalia pellit. Punctionibus lateris Camerarius inducit cataplaſma ex pomo dulci, cui thus contuſum inditur, at ſimul aſſentur; idem ad pulveris pyrii expyreuma extinguendum pomum dulce in plantaginis latifoliæ aqua coquit ad tabitudinem, deinde cum lacte facto cataplaſmate vulneri inducit.

Nos in quotidiano uſu habemus,ac magni facimus experimentum quod è pomis in aqua coctis paratur, & pulmenti ſpecie oculorum inflammationibus imponitur. Poſſunt & ex lacte coqui, vel caprino, vel muliebri, vel ex aqua roſac. euphraſ.vel ex alia aqua frigida, ego tamen feliciter ſæpius hoc medicamentum expertus ſum, etiam ſine lacte. J. B. noſtrates non minore commodo pomum putridum oculorum inflammationibus & tumoribus quibuſcumque imponunt. Memorabile eſt experimentum quod refert Simon Paulus, quadrip.Botan.Claſſ.2.p.82. recordor inquit honeſtiſſimam matronam mihi faſſam, ſibi à lithotomo quodam Stralſundenſi femur gangrænâ correptum, omnino reſtitutum eſſe poſtquam illius ſuaſu poma putrida contuſa, & ſine ullius liquoris affuſione cocta, cataplaſmatis formâ ſemel atque iterum applicuiſſet.

Geſnerus in vitiis pulmonis & dypſnœa malum aſſum excavatum & drachma thuris repletum, felici cum ſucceſſu comedendum dedit.

Denique poma comeſta,ſyrupus de pomis ſimplex & compoſitus cor exhilarare ejuſque palpitationi & ſyncope conferre; inque morbis melancholiæ ſummopere prodeſſe creduntur. (Capſ.Hofmannus quod tantis laudibus par ſit ſyrupus de pomis ſe vix credere ſcribit) pomorum etiam uſus eſt ad nobilem illam confectionem Alkermes.

Cæterum poma commodiſſime aſſervantur in loco frigido, & ſicco potius quàm humido, in acervum etiam congeſta:verum ne à frigore nimio congelentur diligenter cavendum: ideoque cum gelu vehementius ingruit, vel ſtragulis injectis, vel copioſo ſtramine, (quidam Avenaceum præcipue commendant) contegenda ſunt, vel in cellam ſubterraneam profundiorem recondenda; ubi à gelu etiam vehementiſſimo tuta & illæſa latitant,ut plurimorum experientia conſtat.

E pomis contuſis & prelo ſubjectis ſuccus exprimitur, qui poſtquam fermentatus & partibus heterogeneis ſecretis probè defæcatus & clarus evaſerit, potui idoneus redditur, nec vino multum inferior ſapore aut viribus. Variat autem pro qualitate & ingenio pomorum ex quibus efficitur, ut & pro ætate.

Pomaceum parandi modus ſimpliciſſimus nobis omnium optimus videtur; ſuccum expreſſum vaſe ſatis capaci & aperto exceptum tandiu reſtare ſinas, donec fæces craſſiores ſubſederint, & effervеſcere incipiat, deinde in dolium clauſum & operculatum cereviſiarii aut vinarii ſimile infundas, ubi cum ſeſe purgaverit & partibus heterogeneis ſecretis & ejectis clarus evaſerit, (quod menſis unius minimum ſpatium poſtulat) in ampullas vitreas teſtaceaſve anguſti colli & oris exhaurias, eaſque bene obturatas in cellam aliumve locum frigidum recondas. Hoc modo paratum & aſſervatum pomaceum in multos etiam annos durabit incorruptum nec in vappam aut acetum degenerabit, quin ſi ex pomis electis, & boni ſucci fiat, generoſum & lene experieris, quoque vetuſtius eò ferè melius: nonnulli ut liquor clarior & defæcatior evadat, è doliis exhauſtum in nova transfundunt, & aliquantiſper denuo reſtare faciunt.

Infinitus eſſem ſi omnes pomorum uſus in cibo & medicina enumerare aggrederer. Sufficiat dixiſſe omnium apud nos naſcentium arboreum fæuum longè utiliſſima eſſe, nec ſine inſigni detrimento iis carere poſſe humanam vitam.*Raius*.

MA-

MANATI.

Manati (piſcis cetaceus, ab Hiſpanis in Hiſpaniola ſic nuncupatus, quod pinnas ad caput, & veluti binas manus habeat, quibus natat,) Belgis vacca marina (cùm quod capite terreſtrem bovem referat; tum quod ejuſdem more herbis in terra paſcatur) adeo magnus eſt, ut jugo boum opus ſit, ad unum vehendum; animal hoc gemino in terris & aquis victu eſt, & amicum hominis, ut tali hiſtoria patuit. Caramataxius, Gacicus, id eſt regulus, quidam in Provincia Nicaregua, parvulum Manati quondam captum viginti ſex annos in Guainabo lacu, ædibus ſuis vicino, veluti in vivario, panis fragmentis aluit. His allectus piſcis adeo cicur evaſit, ut delphinos veterum ſcriptis celebratos manſuetudine vinceret. Nam quocumque diei tempore inclamatus ab reguli domeſticis, Matto, Matto, (ea vox Indis magnificum aut generoſum ſonat) velud ad familiare ſignum, ex imo advolabat; paſtuſque è manu, præbebat conſcenſuro dorſum: adeo ut egreſſus in ripam paſtum in ædes ventitaret, & cum pueris colluderet. Si qui forte animi gratia lacum tranſmittere vellent, decem nonnunquam exceptos dorſo indefeſſus tranſvehebat: referente Petro Martyre, Ocean. dec. 3. lib. 8. Hic piſcis Lutræ prope formam referens, xxxv. pedes longus, xij. craſſus eſt, capite & cauda bovem referens; exiguis oculis; pelle dura & piloſa, coloris veneti, pedes duos elephantinis ſimiles habet. Fœminæ ejus generis, ut vaccæ, catulos pariunt, eoſque gemino ubere alunt; ut Hieronym. Benzone hiſt. novi orbis lib. 2. cap. 14. ſcribit. Lapides ſeu oſſa in cerebro bina gerit, parvæ pilæ palmariæ magnitudine & orbicularia; quæ Colicæ paſſioni & doloribus nephriticis valide adverſantur, ſi primo aduſta, contrita & per cribrum tranſmiſſa, in vino, drachmæ unius quantitate, aſſumta fuerint. *Charleton.*

Cetarum generibus annumeratur Piſcis *Manati* dictus, à pedibus binis anterioribus, quos ſolùm refert, nimirum hos manus Hiſpani vocant, unde & piſcem manatum, ac ſi diceres manibus præditum, vocaverunt. Belgæ ob ſimilitudinem capitis, quo vaccam mentitur, Vaccam marinam (*See-Kuh*, Le Manati, *A Sea Covv, Een* Zee *Roe*) appellant. Vid. Cluſ. Aldrovand. Monard. Gomar.

Officin. Nat.

Lapis *Manat.* ſeu de Manati, vulgò Lapis *Manatin*, eſt lapis, os ſeu cruſtaceum ex capite, ejus exemptum, idque variforme, nonnunquam enim dentes refert, unde & nonnullis *See Kuh-Zahn, Sea-CovvsTeoth, Tantvan de Zee-Roe*, i. e. dens Vaccæ marinæ audit, aliquando oſſicula aurium mentiuntur, adeoque oſſa auditus dicuntur.

Præpar.

1. Præparat. fit ex calcinato ſ. cremato.

N. *Præſtat irrorare aliqua aqua conveniente v. g. Fœniculi, &c.*

Vires. *Summè commendatur ad calculos renum & veſicæ comminuendos, dolores nephriticos, ac colicos ſedandos.*

Doſis ℈j. *& ultrà.*

N. *Sunt qui ad* ʒj. *aſcendunt.*

2. Magiſt. Fieri poteſt ſolvendo cum ſpiritu ſalis vel ſal. nitri, ac præcipitando cum ▽. *Schroderus.*

De variis *Cetorum* generibus præter *Ulyſſem Aldrovandum, Geſnerum, Jonſtonum, vide Ol. Wormium in Muſeo & Thom. Bartholin. centur.* 4. *hiſtor.* 24.

N. *Priapus Ceti* à paucis annis pro ſummo arcano dyſenterico adhibitus ex Indorum Orientalium Medicinâ in Europam delato experimento, qui dum frequenter dyſenteriâ corrumpuntur, ſumpto priapo ceti reſtituuntur, quod & apud Nos ſæpè feliciter ceſſit, ob facultatem ſuam glutinoſam oſcula venarum oblinentem & anodynam vim archei furorem ſedantem, *vid. D. D. Joh Daniel Major in Tr. de priapo Ceti.* Hofmannus.

MANDRAGORA.

Mandragora dicitur, quòd ſolis fervidioris impatiens ad Mandras pecorum, antra, aliaſque ſpeluncas umbroſas provenire amet. *Mandræ* enim aprica loca quò ſe recipiunt & ſtabulantur armenta etiam hodie Itali è Græco ſignificant.

Notæ ejus ſunt quòd nullos caules producat præter pediculos flores & fructus ſuſtinentes, radices grandes anthropomorphas quodammodo.

Mandragora Mas.

Nomina. Mandragora fructu rotundo *C. B.* Mandragora mas *I. B. Ger.* Mas vulgatior *Park.*

J. B. Anthropomorphon dixere Mandragore radicem, craſſam, longam, bifidam, incoxantem hominem, ut ſibi perſuadent, referentem; (radix interdum ſimplex eſt & indiviſa, interdum etiam trifida aut quadrifida) è cujus capite folia exeunt, mari quidem circiter cubitalia, ſeſquipalmum ferè lata, principio & mucrone anguſtis, atro virore prædita, fætida: inter hæc à radice quoque (nullum enim profert caulem) pediculi exeunt crebri, duarum unciarum, aut palmares etiam, florem ſinguli ſuſtinentes albidum, ac nonnihil purpuraſcentem, modice hirſutum, campanulæ fere formâ, quinis ſegmentis, è calyce foliato, laciniato, itidemque villoſo, odore fœtido; pomum ſequitur rotundum, parvi meſpili magnitudine, ex luteo viride, ſemina continens alba, ſubrotunda compreſſa (pomum plene maturum croceum colorem acquirit Park.) radicum in officinis proſtant ſolummodo cortices.

In calidioribus regionibus Hiſpaniæ puta Italia, Creta & Cycladibus Inſulis ſponte in ſylvis & umbroſis exit, necnon propè ripas fluviorum in frigidioribus & Septentrionalibus nonniſi in hortis ſata oritur.

Mandragoras mas altera *Park.* foliis ex viridi ſubcinereis & nonnihil complicatis à præcedente differt.

Mandragora fæmina.

Nomina. Mandragora fæmina *I. B. Ger.* flore ſubcæruleo purpuraſcente *C. B.* item Mandragora fructu pyri ejuſdem. Mandragoras fæmineus *Park.*

Cluſ. Mandragoræ fœminæ folia anguſtiora, minora & nigriora ſunt, quàm mari, magis etiam rugoſa criſpaque, viroſa & graveolentia & humi expanſa: inter quæ longi pediculi exiliunt, per terram ſtrati, quibus inſident flores Melopeponum floribus formâ penè ſimiles, coloris ex cæruleo purpuraſcentis, quibus ſuccedunt fructus, non turbinati inſtar pyri, ſed rotundi, veſicariæ fructu triplo majores: initio virides, maturitate palleſcentem ex luteo colorem adquirentes, odorati, ſucci pleni, ſemine abundantes plano ut maris fructus, ſed minore nigrioreque. Radix pedalem aut ampliorem longitudinem æquat, interdum bifida, intus alba, foris vero fuſca, cui aliquot fibræ adnaſcuntur.

Supra Gades itinere Hiſpalenſi, non procul ab urbe Xeres de la frontera dicta, ad arvorum margines, quæ ſecundum flumina ſita ſunt, & quibuſdam aliis

aliis Bæticæ locis uliginoſis florentem obſervabat Cluſius Februario &c.

Vires. Mandragoræ inter narcotica & hypnotica medicamenta recenſeri ſolent. Quod an de radicum cortice (qui officinis in uſu eſt) verum ſit neſcio. Fructus certè immeritò,ſuſpectus eſt, Caſp. Hofmannus an quiſquam pomum ipſum, cum vel ſine cortice impunè poſſit eſitare ſe valde ignorare ſcribit, Ætius omnem malitiam videtur rejicere in ſemen, quaſi illo dempto caro ſit indemnis,niſi nimis copioſè ingeratur.

Verùm,ô bone, pulpam etiam cum ſemine innoxiè eſitari poſſe te docebit, Jo. Faber Lynceus Romæ Simplicium Profeſſor, vir eruditiſſimus, & fide digniſſimus. Is, teſte Joan. Terentio notis in Hernandes de Plantis Mexican. lib. 8. cap. 28. coram ſuis auditoribus magnum Mandragoræ pomum, unà cum ſeminibus jejunus abſumpſit, ſine ullo vel ſomni, vel alterius mali ſigno minimo, & ut experimentum eſſet certius, jejunus uſque ad prandium,per aliquot nempe horas,permanſit, & à vino, ne vis pharmaci debilitaretur,abſtinuit. Idem experimentum ſe quoque perſæpe feciſſe teſtatur Jo. Terentius.

Cum ergo Mandragoræ poma & eſculenta ſunt & odorata, non eſt cur aliam interpretationem vocis Hebrææ Dudaim, quæ matri ſuæ Liæ Ruben attulit, quæramus. Cumque veterum teſtimonio ſemen Mandragoræ potum uteros purget, veriſimile eſt Rachelem hujuſce facultatis conſciam poma Mandragoræ expetiviſſe, ut purgato utero aptior ad concipiendum redderetur, liberoſque non minus quàm Lia ſoror & ancilla *Zilpha* procrearet. J.B.

Cortex radicis,qui ad nos aliunde, potiſſimum ex Italia aſportatur narcoticus eſt ac ſoporiferus (inquit Schroderus) rari uſus intrinſecus, extrinſecus ejus uſus eſt in oculorum rubore ac dolore, in eryſipelate in tumoribus duris,ſtrumis &c.

Agyrtæ & impoſtores pro Mandragoris circumferre & plebi divendere ſolent fictitias quaſdam imagines ex aliarum ſtirpium radicibus recentibus efformatas, Altheæ, Arundinis, ſed præſertim Bryoniæ. *Raius.*

Mandragora planta eſt pentapetala, baccifera, ſeminibus compreſſis, rugoſis. Quæ nota cum omnium ſolanorum ſit, Mandragora ad ſolanorum ſpecies referri debet. Incipit florere primò vere, quo tempore radix ut plurimum efficaciſſima colligitur.

Ex odore viroſo colligitur ejus vis narcotica, incidens & attenuans; ſed omnis hæc vis eſt in cortice, & medulla inferior rejicitur; unde etiam in officinis nonnullis cortices tantùm in umbra exſiccati proſtant. Specificum uterinum eſt, ſed cautè adhiberi debet, ſin in nimia exhibeatur quantitate dira inde ſequuntur ſymptomata, ut ſpaſmi &c. In pulvere doſis eſſe poteſt ʒj. in infuſo ʒij. Circumforanei utuntur contra febres intermittentes, ſed minus tutò. Extractum ejus valet contra tertianam & quartanam. Præparata præterea nulla. *Hermannus, in Mater. Medic. Manuſcriptâ.*

MANNA.

Arboris manniferæ folia conjugatim diſpoſita, ſunt,ſed quæ piſtaciorum folia referunt, ſubrotunda, minora quàm fraxini vulgaris, in ambitu ſerrata, in quibus medietas interior ad nervi imum brevior quàm exterior ſæpe conſpicitur, id quod in Terebintho & piſtaciis uſus venire ſubinde obſervamus.

Ex Italia attulit C. Bauhinus.

Ex hujus ramis & foliis in Calabria æſtivis menſibus exudat Manna, & in granula ſolis colore conceſcit. Nam Mannam vulgarem officinarum non eſſe rorem cæleſtem aut mel aëreum evidentiſſimis argumentis & experimentis probat tum Altomarus, tum Pena & Lobelius, necnon Monachi qui in Meſuem commentati ſunt, nequicquam reclamantibus Matthiolo,Cæſalpino & aliis. Quæ enim evidentior poteſt eſſe demonſtratio Mannam ipſius fraxini humorem ſeu ſuccum eſſe, gummi modo exudantem, quàm quòd è trunco,aut ramis vulneratis extillat? quodve experimentum certius & efficacius ad id evincendum eo quod Pena & Lobelius tradunt,ramos magnos laricis & fraxini præciſos,atque in vinariam cellam, quo æſtatis tempore Manna colligi ſolita eſt, aſportatos, Mannam poſtero die,quanquam non perinde nitidam oſtentaſſe.

Idem quoque mihi cùm in Italia peregrinarer confirmarunt tum alii Calabri, tum præcipuè eruditiſſimus vir & ſedulus naturæ operum indagator D. Thomas Cornelius M. D. Neapolitanus, Conſentiâ Calabriæ oriundus, teſtis αὐτόπτης & omni exceptione major, qui in ramulis & foliis à ſe ipſo experiundi causâ linteo circumvolutis & curioſè contectis Mannam ſæpius collegit: quod experimentum ante eum ab Altomaro aliiſque factum Legimus: Fruſtra ergo vel huic veritati confirmandæ argumentâ accumularemus, vel ratiunculis aliorum in contrarium allatis refutandis tempus inſumeremus: quæ utrinque adductæ ſunt probationes reſponſioneſque apud I. Bauhinum videri poſſunt.

Mannam autem in Calabria ſingulis annis circa vel paulo ante caniculares dies & ſextiles pluvias colligunt, cum autem pluit ceſſat fluere.

Eſt autem manna duplex: quæ è fraxino colligitur.

1. Spontanea,eaque duplex, vel corporis,ut vocant, vel folii.

2. Coacta,quam Sforzatellam vocant Calabri.

Obſervant collectores in fraxinis Mannam emanare ex ramis ea potiſſimum parte quà foliorum pediculi eiſdem annectuntur.

Notandum etiam, non mane priuſquam Sol valde perurat, ut quidam falſò retulerunt, colligi mannam, ſed meridie ſoleque fervidiſſimo; non enim à ſolis calore rareſcit, ſolvitur aut evaneſcit, ſed potius concreſcit, & durior ac candidior redditur atque hoc reſpectu, Altomari experimento, differt manna Calabrina à bombycina dicta, & ut veriſimile eſt, Maſtichina, reliquiſque orientalibus, quæ fortaſſe ſunt rores cœleſtes concreti ſeu mella aërea. Hanc ſe ferro ac lateri ignito cum Calabrinæ granis quibuſdam injeciſſe refert, tam ejus quæ ex foliis, quàm quæ ex ramis & caudice colligitur, illam autem protinus ſolutam & liquefactum: hanc vero aridiorem durioremque redditam: Soli quoque expoſitam bombycinam, non quidem ita repentè ſed ſenſim liquefactam; Calabrinam vero duriorem redditam & albidiorem.

Notandum inſuper colligi Mannam omnem quidém ex fraxino & orno, ſed non ex omnibus individuis unde in Calabria venduntur tales arbores quæ Mannam dant,ut ſcribit Altomarus.

Vires. Mannæ, referente Cæſalpino, uſus eſt in tota Italia ad alvum leniendam diſſolutæ jure aut ſero, pondere duarum unciarum aut trium, mitiſſimum enim eſt medicamentum, ſolum tenues humores educens, bilioſos & ſeroſos. Tuto exhibetur ſenibus,pueris,fœminis etiam prægnantibus & delicatis; non ipſe ſolus (inquit Altomarus) ſed omnes ante me & juxta me in hac regione medici hac Manna bono ac felici ſucceſſu citra ullam noxam uſi ſunt, præſertim ad alvum molliendam. Lenit etiam thoracem & aſperam arteriam.

Cautelæ

Cautelæ in ejus uſu (inquit C. Hofmannus) duæ ſunt. I. ne detur cruda ſed cocta, hæc enim non minus quam caſſia flatuoſum quid. 2 ut detur cum acribus, Thymo, Hyſſop. & ut actio ſit c... t

Eligenda recens (anno non vetuſtior) granis minoribus & rotundioribus qualis eſt manna foli... , candida, lucida, guſtu dulcis, & cum his omnibus ſolida.

Jam ſi quæratur, cur fraxinus in Calabria mannam fundat, in aliis regionibus non item, quæram & ego cur Lentiſcus in Chio Inſula maſtichen manet, in Italia aliiſque regionibus minimè. Reſpondeo autem id evenire vel ratione temperiei cæli, vel conditionis ſoli, vel utriuſque, vel forte etiam peculiaris naturæ & conſtitutionis ipſarum arborum.

C. Hofmannus mannam Orientalem & Europæam ejuſdem generis eſſe opinatur; ſed neutrum melleum quid, verùm ſuccum ſeu liquorem arboreum: cui ſuffragatur Garcias, in hiſt. Arom. de manna orientali ſcribens, compertum ſibi, eſſe eam gummi vel reſinam arboris perſicæ dictæ *quæſt.* Deinde, cum certum ſit, Europæam eſſe arboreum quid, Orientalis autem ſit illi per omnia ſimilis; quid ni ſit ejuſdem naturæ, at vero ſi ejuſdem naturæ ſit, cur tanta diverſitas liquefactionis & indurationis reſpectu s? experientiam appellamus.

Obſervavit *D. Tancredus Robinſon* in Regno Neapolitano itinerans multas cicadas ſugere & depaſcere fraxinum humiliorem, unde ſuſpicatur mannam faciliùs extillare per aperta vulnera; ſeu foramina ab hiſce animalibus perforata, ſicut in Indiis Orientali *Lacca* ex corporibus ab inſectis exugitur, & præparatur *Raius.*

Δροσόμελι & ἀερέλι *Galen.* Mel ex aëre, cui cæleſtis natura, *Plinio.* Men Siracoſt & Tiernabin, *Arab.* Thereniabin & Trung bin, Terengibil, *Serapion. & Avicenna.* Manna purgatoria, *Matth.* Droſomeli, *Cord. hiſt.*

Eſt ros ſive liquor ſuavis, qui ex aëre ſublucanis temporibus decidens arborum ramis & frondibus, hinc herbis, lapidibus & ſolo interdum invenitur inhærere, brevi tempore coaleſcens, grumoſus inſtar gummi apparet.

Manna itaque cum eſt
- Liquida Tereniabin ſtrictè *Bellon. l. 2. obſ. c. 65.*
- Durior
  - Maſtichina
  - Granata
  - *Hæ Officin.*

Pro diverſitate regionum eſt Manna Orientalis ſi Syriaca, Perſica, Calabrica, Goritiana, Tridentina, Brianſ... nenſis.

N. *Meminit & Garzias Mannæ Granatæ inſtar ſeminis Coriandri, quæ nobis penitus incognita, niſi intellectum velit graminis ſemen, Mannæ nomine veniens,* de quo ſupra Claſſ. 1.

Ex his etſi Syriaca laudem omnibus præripiat: attamen noſtratibus in Officinis primas damus Calabrienſi & præcipuè granatæ, i. e. quæ granulis minoribus conſtat, vulgus Mannam foliorum vocat, quod ſcil. de arboribus colligatur. Hac inferior eſt maſtichina, i. e. quæ granis majoribus & maſtichis guttis prope æqualibus eſt. Dicunt mannam corporis, quod de ramis colligatur vel impetu ventorum in terram delabatur.

Eligenda candida, recens, anno non vetuſtior: ruffa enim & fuſca inveterata eſt. Adulteratur ſaccharo penidio, herbarum foliis circumvoluto. Sic quoque quæ Sennæ folia granis ſuis amplecti ur factitia eſt, C. B. Fit quoque Manna factitia ex amylo Manna, Scammonea ſemine aliquo & radice lacticinia, *Chriſt. Acoſt c. 8.*

Vires. *Temperata eſt ad caliditatem reclinans, guttur, aſperam arteriam, thoracemque leniens, alvum blandè movens, bilem ſeroſoſque humores educens.*

Doſis infantibus à ʒij. ad ℥ß. adultis ab ℥iß. ad ℥iiß. & ℥iij.

N. *Quia facilè bileſcit, in febribus, niſi frigida admiſta fuerint, non adeo conveniens cenſetur.*

Præparata.

1. *Electuar. Diacaſſia cum Manna.* Vide *Elect.*
2. *Electuar. Lenitivum de Manna.* Vide *Elect.*
3. *Manna Tartariſata ſ. Tabulæ de Manna.*

Fiunt ex manna ſoluta & purgata, quæ more communi in tabulas effunditur, ad Mannæ ℥j. Cremor. Tartar ʒj.

[*Præſtat etiam Manna compoſita additione Jalapæ.*]

Manna liquida.

℞. *Mann. Calab* ℥j. *Crem. Tartari* ʒij. *Aq. ſtillat. pro libitu* ℥v.

Tartarum primò aquis optimè ſolvatur, hoc facto, lento igne manna; quæ omnia calidè per linteum trajicienda, & cum albumine ovi clarific. in modum ſyrup. Cui ad conciliandum gratum odorem aqua cinnam. (Eſſent. citri) vel ſimile quid affundi poteſt.

Ex Communicatione D. D. Johan. Kiefer.

(Doſis à ℥iß. ad ℥ij. pueris adultis ad ℥v. vel ℔ß.

5. *Spiritus Mannæ.*

℞. Mannæ el. q. v. deſtilla △ lento ex Cucurbita, & habebis ſpiritum inſipidum.

Vires. *Sudoriferum inſigne eſt in febribus tùm peſtilentialibus, tùm communibus, ſudorem propellens admodum fœtidum.*

Doſis ad cochlear. 1.

Solvit itidem Sulphur, unde Tinctura Sulphuris flava Cl. Dn. D. Helvic. Dietericus, Medicus Electoris Brandeb. Princip. Dan. & Holſat. amicus meus integerrimus.

6. *Spiritus Mannæ alius.*

Diſſolvatur Manna rore Majali, & tandiu cohobetur donec ſublimetur in caput ✕ci inſtar nivis. Hic ☿s in ſpiritus fluidam naturam redactus fit ſolutivum Solis mineralis, ſepoſitâ omni vi corroſivâ. *Beckerus in Hermete redivivo.*

7. *Syr. de Manna laxativus. Dn. D. Echoldi.*

℞. *Polypod. q* ʒvj. *Rad. Ireos Flor.* ℥ß. *Paſſul. min. ping. & inciſ.* ℥iij. *Fl. Violar. Borrag. Bugloſſ. ana p. j. Sen. ſ. ſt.* ℥iß. *Cinam.* ʒß. *Aq. mulſ.* ℔ ij.

Coque omnia ſ. a. ad conſumpt. lib. 1. Coletur & exprimatur. In colatura diſſolve.

Mann. calabr. ℥ ij. *Sacchar. penid. Cand. alb. an.* ℥j.

Coq. ad conſiſt. ſyrupi; addendo in fine aq. Cinamo. parum.

Doſis ℥j. *ad* ℥ij. *& ultra.* Schroderus.

Manna.) Noſtratibus in officinis primas damus *Calabrienſi* & præcipuè *granatæ*, id eſt, quæ granulis minoribus conſtat, vulgus *Mannam* foliorum vocat. Præter hanc alterius adhuc meminit *Th. Bartholinus Centur. 1. Epiſt. med. 54.* quam ex trunco Arboris orni ſtillantem eo modo vidit, quo ex Pino reſina, vel ex ceraſo gummi & quidem etiam in Calabria, ſcilicet alternis ictibus truncum orni cultro vel ſecuri proſcindunt vulneribus & mane ſequenti colligunt humorem exſtillantem, excipiunt & abradunt cultris ligneis & abſtergendo vaſis imponunt. Liquorem deinde in menſa explicant, ſoli obverſam, ut abſumatur aquea humiditas & aciditas, quæ ſuavitatem corrumpit, idque, ſæpè repetunt. Cicadæ quoque aperiunt ſuctione ſuâ ornum, ut ſucco dulci fruantur, deinde per apertum foramen liquor ſtillat,

ſtillat, quem vulgus poſtmodum ex aëre deciduum putat, prout & *D. Autor* eandem fovet ſententiam. Licet *Chriſtophorus à Vegâ* non ex ipsâ Arbore, ſed cicadis aut apibus parvis hunc ſuccum guttatim defluere ſibi imaginetur, ſed falſiſſimè.

Hæc inferior eſt Maſtichina.) Hæc rotunda eſt inſtar granorum Maſtichis, & ex ramis & foliis arborum ventorum impetu decidit grandinis modo. Verùm impropriè *Manna* vocatur, cum potius ſit *lachryma Arborum* concreta.

4. *Manna liquida.*) Hæc uti ſuâ non caret laude, ita tamen ſequens etiam non poſtponenda eſt. Recip. Mannæ el. ℥ij. vel ℥iij. cremor. Tartari ʒj. vel ʒiß. Solve in calore MB. benè muniti cum ▽ font. aciduli ℥iv. vel ℥v. adde parum ſucci Citri rec. vel ſp. Vitrioli martis pro grato hauſtu. Tandem cum albumine ovi clarifica & per chartam filtra, denique cum cortic. Citri recent. f. odor ſuavis aut cum eleoſacchar. ſ.q. Doſ. à ℥iij. ad ℥iv. vel ℥v.

MANNA JULEPATA.

Recip. Mann. el. ℥iv. aq. Scabioſ. ℥x. diſſolve ad △ & cola, poſteà adde cryſtallor. Tartari ʒiß. bulliant inſimul lento △ne uſque ad conſump. tertiæ partis, cui iterum addatur alia drachma cryſtall. Tartari, iterumque bulliat ad conſumptionem alterius unciæ, ita ut tota potio remaneat ad ℥viij. circiter, quæ poteſt propinari frigida.

6. *Spiritus Mannæ alius.*) *Ros Majalis cum Mannâ calabrinâ* ♌ *latus* exhibet menſtruum metalla & gemmas ſolvens; item ſi manna diſſolvatur in rore majali collecto ex roſis aut aliis odoriferis balſamicis, multò erit præſtantior, ut quæ in minori doſi majores edet effectus. *Hofmannus.*

Curioſas quaſdam Mannæ *Præparationes hic addemus ex Abbate* ROUSSEAU.

Mannæ libras x. in 40. aquæ calidæ libris diſſolutas, & per linteum trajectas, in loco calido ad fermentandum per dies 70. repoſui, vaſis vitreis materias continentibus probè clauſis. Hoc tempore exacto ſeparavi lutulentum quid ad fundum præcipitatum, liquoremque in alembicô cum ſuô refrigeratoriô deſtillavi, unde ſpiritum, ſpiritui vini viribus non inferiorem, ac directò copioſiorem quàm ex ipſo vino prolexiſſem, habui. Huic autem ſpiritui ſuccedebat phlegma lacteum, quod poſtquam aſcendere deſinebat, materias meas ex igne cremavi, atque in ipſo recipiente quicquid deſtillaveram quieſcere ſivi per dies circiter decem. Quo tempore elapſo clareſcebat liquor deſtillatus illique ſupernatabat oleum coloris auri, ſeu potius ſuccini citrini, ſaporis acris, non parum aromatici, ac ipſo oleo cinnamomi eſſentiali multo precioſius. Tum omnia in aliud alembicum ſuo munitum refrigeratorio, pro rectificatione, liquoris deſtillati, infudi; ſicque aqua vitæ prius prolecta in purum ſpiritum oleo ſuo aromatico imprægnatum, abiit, cujus odor non vinum, ſed ambram gryſeam quammaximè referebat, cujuſque virtutes ambræ gryſeæ virtutibus ſuperiores mihi videbantur.

Quicquid in fundo vaſis dum 1. materies deſtillaveram ad conſiſtentiam ipſius mannæ lento evaporatum calore, grandioribus retortis vitreis immiſi, ac igne arenæ probè graduato pro devitandis turgeſcentiis vaſa diſrumpentibus, deſtillavi; unde phlegma, ſpiritum rufum ac oleum nigrum fætidum acerrimum acquiſivi.

Tum accepi caput mortuum ex hac ultima deſtillatione reſtitans quod coloris erat nigri ad inſtar gagatis, & prorſus inſipidum, aqua calida probè lavi, nec ſic tamen vel ſalis momentum extraxi. Sed quod mirum, ex quo retortam abrumpebam pro iſto capite mortuo educendo, illud continuò deflagrabat, quod an aliis materiis, excepto ſale ſaturni eveniat neſcio, phoſphororum etenim natura aliena ab iſtis prorſus eſt.

Contrivi itaque caput illud mortuum atque in retortam cum proprio ſpiritu & oleo immiſi, ac ex igne arenæ ſub finem vehementiori deſtillavi, laboremque eundem novies per iteratas cohobationes repetii. Unde in ipſo capite mortuo, ſale antea prorſus vacuo, ſal lixivioſum reperii ab illo facile per lotionem ſeparabile.

Sal illud per elixiviationem ex arte extractum, ſpiritui ſuo dephlegmato reuniatur, atque ſic unitum Spiritui priori oleo aromatico imprægnato conjungatur; & mixtura digeſtioni neceſſariæ pro ſeparatione hypoſtaſeos cujuſdam quæ fundum petet, committatur. Tunc ſpiritum vitæ habebis concentratum odoris ac virtutis prorſus admirandæ.

Obſervandum autem venit quod dum aliæ omnes materiæ è quibus per deſtillationem olea ætherea ac aromatica proliciuntur, nihil tale poſtquam fermentatæ fuerint ſufficiunt. Manna è contra nullum oleum aromaticum exhibeat ante fermentationem, quod tamen non parcè poſt eam peractam cum copioſo ſpiritu, producit.

De Manna autem Montis Sinai quam Arabum miniſterio uſus ex favore Archiepiſcopi ejuſdem montis ad 20. ad minimum libras ſuper rupibus ac herbis, (illic enim nullæ ſunt arbores) collegi, habeo adnotandum quod in vaſe aperto aëri expoſita, intra quindecim dies, duas ponderis ſui tertias partes amittat, quodque majori temporis intervallo integra avolet. Adnotandum inquam de hac manna habeo, quod cum eam in aquæ quadruplo pro fermentatione, ut priùs dictum, peragendâ diſſolviſſem, die ſubſequenti aquam diſſolventem inde congelatam viderim, quodque opinatus coagulationem inde enatam eſſe quòd aquam larga ſatis quantitate non adhibuiſſem, novamque propterea infudiſſem, illa rurſus ſit coagulata, quodque idem quater eodem modo novâ ſemper additâ aquâ acciderit. Experimentum ulterius deducere mihi non datum fuit, quia in Europam ex *Cairo* Ægypti tunc revocatus fui. Aliunde autem vim iſtius mannæ coagulantem conjecturis meis arceſſere non licuit, quàm ex virtute lapidifica ſoli unde colligitur. Super illo etenim, quod oculatus affirmo, melones, ſerpentes, fungi & ligna vi loci petrificata ſubinde reperiuntur. Unde probabile eſt mannam per unius etiam tantum noctis moram aliquid de eadem vi exugere quod aquæ communicatum illam congelet, imò forſitan longiori temporis intervallo in lapideum quid convertat.

MARCASSITA.

Minerale eſt Metallicum cujus multæ ſunt ſpecies, omnes etenim lapides qui aliquid metalli vel parciſſimè complectuntur, hoc nomine donantur. Verùm magis propriè ſic tres denotantur mineralium ſpecies, quarum prima marcaſſita aurea, ſecunda marcaſſita argentea, tertia verò marcaſſita cuprea, dicitur.

MAR-

Marcius Panis, vid. *Panis Marcius & Paſta Regia.*

MARGA.

De ea vide in genere ſub titulô Terra, & in ſpecie de ea quæ Lac Lunæ dicitur ſub propriô titulô.

MARGARITÆ.

De iis jam abundè ſub titulo Lapis, ubi variæ præparationes exquirendæ. Hic tantùm rurſus aliquid de *Margaritarum* generatione ac ratione quâ ex imo mari cum oſtreis ſuis educuntur, adferemus ex Celeberrimô D. Liſtero, & Reverendo P. Le Comte. Sic autem 1. Listerus de generatione.

De Margaritum natura ita *Steno*. Margaritarum productio, tam earum, quæ teſtis adhærent, neque ita ſphæricæ ſunt, quàm earum, quæ, cùm pororum orificia in animalis ſuperficie obſtructa fuerint, figuram rotundam intra ipſos poros acquirunt, eodem modo ſe habere videtur. Etenim inter Margaritarum tunicas ſive laminas, ipſaſque Teſtulas Conchyliorum Margaritiferorum ea tantum differentia eſt, teſtularum in his fibras quaſi in *eodem plano* ſitas eſſe, Margaritarum verò Lamellarum fibras in *Sphærica ſuperficie* diſponi. Ita fibræ centrum margaritæ cujuſque ex unâ extremitate reſpiciunt.

Item experientiâ didici, margaritas, quæ forte inæqualibus protuberantiis exaſperentur, nihil aliud eſſe, quàm plures exiguas margaritas, eâdem cruſtulâ communi incluſas.

Rurſus, è flaveſcentibus margaritis pleraſque ita colorari, non in ſuperficie tantùm, ſed in intimis etiam laminarum circulis. Ita ut non amplius dubitare licet, quin iſte color animalis *humoribus mutatis* adſcribendus ſit. Unde laterem lavare conatur, qui aliquo artificio margaritarum colorem in melius corrigere ſtudet.

Fictitiæ quoque Margaritæ nullius momenti ſunt Diſcendum naturæ ſecretum: aut Piſcinas, alicujus Luculli more, ſibi conficiat, qui copiam Margaritarum habere cupit. Hactenus *Steno.*

Illud autem veriſſimum eſt, Margaritas non æque in omnibus Fluviis, aut omni mari naſci, ſed quædam maris & fluminum loca iis nutriendis aptiora eſſe; nempè ob *ſuccum lapideum & petreſcentem* iis locis copioſiorem. Igitur nullus dubito, quin ſi ibi Piſcinæ confectæ fuerint, Margaritis multiplicandis utiliores eſſent.

Ut autem hic repetam, quæ alibi poſui: nempe ex internâ teſtarum parte membranam ſeparavi ex argento pulchre cæruleſcentem, id eſt, ejuſdem coloris micantis cum ipſis teſtis: neque tamen eâ nudatæ defuit ſuus elegans nitor priſtinus. Unde conjicio materiam lapideam, ſive teſtaceam, pluris membranis lamellatim diſpoſitis includi, perinde ut in Margaritis. Sed in his orbiculatim, in illis verò eædem membranæ ex plano ſibi invicem ſuperextenduntur. Ipſa autem materia lapidea membranis ſuis per fibrillas illita, vel obducta, prout ipſarum membranarum textura fuerit, à ſucco animalis vitali decedit atque induratur: unde & nitorem ſuum elegantem ſive micationem illam pulcherrimam ex albido cæruleam, quam tantopere miramur, acquirit, cum in pleriſque conchyliis iſtum ſuccum ita ex aqua per ſe, & ex levi coctione colorari, ſæpius in hiſce exercitationibus diximus. De membranis verò & Steno & Leeuvvenhoekius ſilent, quòd fortè è corruptis & vetuſtis Teſtis experimenta fecerint.

Quòd autem Margaritæ non aliæ ſint à Teſtis, & niſi ſolâ figurâ ab iis diſcrepent, illud ſatis evincit; nempè color idem cum teſtis; ut ſi fortè rubeſcat teſtæ pars interna, ſimiliter & rubent Margaritæ, ſi quæ in iis inventæ fuerint; & ſic de reliquis coloribus pro teſtarum natura atque elegantia. Ita ab Oriente ferè Margaritæ plus reſplendent, quàm ab Occidente, quòd aliæ atque aliæ Conchyliorum Margaritis ferorum ſpecies ſunt, unde oriantur. Ita fluviatiles Margaritæ, & quæ ex oſtreis vulgaribus noſtris eximuntur ob imbecillam ſuarum teſtarum micationem, parvo veneunt, præ iis in *Berberi* antiquorum repertis. Quo autem privatim loco in corpore animalis Margaritæ naſcantur, ſi quæras; reſpondeo, ipſorum, quantum adhuc ipſe viderim, ligamentorum ſive *Muſculorum* rectorum *capitibus*, quâ ſcilicet valvis ſuis adhærent piſces; nimirùm in his tantùm locis in uno muſculo fluviatili, ut ſuprà narratum eſt, ſexdecim circiter Margaritas, à magnitudine papaveris, ad piperis grana numeravi. Ex iis verò minutioribus aliquot fuere admodum rotundæ; cæteræ autem majuſculæ, aſperæ, & inæquales.

Has equidem ſeneſcentium, aut aliàs morbidorum Conchyliorum vitia eſſe putavi. Nam in parvis multis diſſectis non unam quidem Margaritam inveni, etiamſi ex iiſdem aquis expiſcata fuiſſent. Adde, quòd in imis illis muſculis, valvas conſtringentibus, hæ Margaritæ, velut quibuſdam thecis collocatæ fuerint, non aliter, quàm calculi in renibus, aut aliàs in animalium ſanguineorum glandulis nati; in reliquo autem Piſce, undè hæ ſexdecim Margaritæ exemptæ fuerunt, nihil inventum eſt.

Diſpoſitio autem & locus Margaritarum melius tibi apparebit, ſi parum coquantur Conchylia, & non cruda diſſecentur.

Cum itaque Margaritarum locus proprius ſit muſculorum, valvas claudentium, capita, ubi majora ſint iſta capita, uniones majuſculi expectandi ſunt. Ita, ut dictum eſt, in pulchro Conchylio *pulchra* Margarita; ſic in magno muſculo ſive ligamento conſtringente *maxima* Margaritæ ſpes eſt.

At de illarum *figura* nulla regula eſt: etenim Margaritæ vel ſphæricæ vel difformes ſunt, prout caſus dederit.

Inter Margaritas verò noſtras è *Muſculis Fluviatilibus* plurim. *Tympania*, ut Plinii verbo utar, inventa ſunt, & paſſim in officinis proſtant venales; ſcilicet ob brevitatem muſculorum conſtringentium, unde in earum formatione aliquantulum deprimi neceſſe habeant. Ob parvitatem verò loci, rariſſimè ſcrupuli pondus implent. At in *Berberi* antiquorum & pyriformes & ſphæricæ vaſtæ magnitudinis inventæ ſunt, ob loci amplitudinem eximiam. Nam in Berberi veſtigia muſculorum valvas claudentium menſuravi, ad tres digitos longè latéque diffuſa.

Atque hæc unica ratio eſſe videtur cur in Conchyliis *Turbinatis*, etiamſi ex iis aliqua vaſtæ magnitudinis ſint, tamen quòd iis illi muſculi, quibus Teſtis ſuis adhærent Piſces, admodum anguſti ſint, Margaritæ nunquam, quod ſcio, inventæ ſunt: Conchyliorumque adeo bivalvium propriæ ſunt.

Igitur cùm eadem ſit Teſtarum materia & textura ſimilis, quæ Margaritarum, utpote mera curvatura diſcrepans, quid dubitemus ipſas Teſtas, loco Margaritarum, uſu medico adhibere: ſanè, quantum ſcio, pulvis Teſtarum purgatus accommodatiſſimus eſt ad medicamenta quævis, in quibus requiruntur vel ipſæ margaritæ, vel oculi cancrorum dicti, vel ipſum corallium; item tu deinceps cogites velim, quicquid de Teſtis dicetur, idem de Margaritis quoque intelligere liceat.

De Margaritarum generatione hactenus *Liſterus* quòd ſcilicet in ſenioribus oſtreis ex morbô naſcantur non ſecus ac variæ aliæ calculorum ſpecies in aliis animalibus; jam de earundem expiſcandarum ratione ex Patre LE COMTE.

Urinatores ſeu Piſcatores illi qui oſtreis Margaritiferis ex imô mari educendis adhibentur, ad infimum ventrem ſibi lapidem ſex pollices craſſum, & pedem longum in arcum efformatum adligant ne motu aquæ abripiantur, aliumque præterea graviſſimum lapidem ab altero dependent pede quo ad imum mare rapidius deducantur, ſed poſtquam ad fundum pervenerunt hoc ultimo ſeſe exſolvunt pondere quod ſurſum machina in id adhibita continuò retrahitur. Digitos manuum pluribus etiam circumvolvunt linteis, quò ſcilicet dum oſtreas rupibus arctius adhærentes revellunt, non ita facilè vulnerentur, & in id præterea quandoque fuſcinas, aliaque ferrea inſtrumenta apta, adhibent. Tandem eorum quiſque ſacculum retiformem de collo ſuſpenſum habet ut in eum quas colligit oſtreas immittat. Ex quo autem urinatores iſti maris fundum attingunt, ſine ulla mora undique curſitant, præcipitanter revellentes quicquid oſtrearum in via ſua reperiunt. Qui inter iſtos verè ſunt eximii horæ quadrantem ſub aquis commodè commorantur, nec in id vel oleo nec alio aliquo liquore, aut adminiculo utuntur, quàm quòd ſpiritum toto illo tempore ex adepta uſu habitudine non ita difficulter cohibeant; nihilque infeſtius in tota illa mora vident quàm quòd aliquando in marinas belluas incidant à quibus miſerè diſcerpuntur ac vorantur. Ex quo ſpiritum ulteriùs cohibere neſciunt, vel aliud quid funeſti prævident funem ad naviculam unde in mare ſe projecerunt pertingentem trahunt illumque manibus arctiùs conſtringentes, à ſociis in prædictam continuò reducuntur naviculam, cum onere ſuo quod quandoque quingentarum eſt oſtrearum. Sic retracti momento pro aëre hauriendo quieſcunt, & poſtea in mare ſe rejiciunt, idemque exercitium per totam diem repetunt, nec alio tempore cibum aſſumunt quàm matutinis horis, antequàm primò in aquas ſe demergant; & ſub veſperam poſtquam laborem diurnum peregerunt. Ad maris littora omnes exonerantur naviculæ in foſſulas quatuor circiter pedum cubicorum in arenis excavatas: Oſtrearum autem non ſolùm in foſſulas conjicitur quod illis replendis ſatis ſit ſed etiam quod ad hominis altitudinem ſupra eas elevetur, & in eo relinquitur ſitu, donec pluviæ, venti aut ſolis ardor, horumce animalium conchas ſeu teſtas aperiant, unde brevi enecantur. Tum caro putreſcit ac deſiccatur, ſicque Margaritæ commodiùs colliguntur, quia ſcilicet omnes in foſſam ſubjectam delabuntur, dum concha, quæ mater perlarum dicitur attrectatur & extrahitur. Harumce oſtrearum maximæ manus humanæ latitudinem non excedunt, earumque caro eſt optima, unde colligitur quòd ſi, ex quorundam Medicorum ſententia, margaritæ procreuntur à cauſa morbida, ſicut procreantur calculi, & lapides illi qui ſub *Bezoar* nomine veniunt, non ſic tamen humorum conſtitutio in oſtreis ſenſibiliter alteretur; Urinatores etenim qui illis expiſcandis inſerviunt, quique oſtreas avidè comedunt nihil reperiunt in ſapore unde illæ quæ à Margaritis vacuæ ſunt ab aliis diſtinguantur. Quamprimùm repurgatæ ſunt foſſæ à craſſioribus impuritatibus, arena ſubinde cribratur ac recribratur, ut Margaritæ ſecernantur: Interea tamen quæcunque demum in id cura adhibeatur, multæ ſemper ex iis deperduntur, quæ etiam multis poſt Expiſcationem peractam annis in illis locis reperiuntur.

Margaritæ in toto oſtrearum corpore reſperſæ videntur, in capite, in velo caput cooperiente, in muſculis circularibus ventriculum attingentibus, ac in genere in omnibus partibus muſculoſis & carnoſis: Itaut nullatenus dici poſſit illas in oſtreis eſſe quod ova ſunt in avibus ac piſcibus, præterquàm quòd etenim natura nullum earum formationi locum in ſpecie adſignavit, Anatomici qui curioſè materias haſce rimati ſunt nihil reperiunt quod ſimilitudinem aliquam inter locum ubi enaſcuntur uniones, & cum ubi ova progignuntur, faciat. Interea tamen dici revera poteſt, quòd ſicuti in gallinis innumera ſunt parvula ova quorum quædam augmentum ſumunt, dum alia in parvitate ſua ſubſiſtunt, ſic itidem in unaquaque oſtrea videtur aliqua Margarita grandior ac perfectior quàm aliæ omnes; verùm grandior hæc nullum habet locum fixum. Magnitudinem autem quod attinet, grandior illa Margarita, tantam illam quandoque adipiſcitur, ut valvarum teſtæ occluſionem impediat, unde moritur oſtrea atque putreſcit. Numerus Margaritarum non minus incertus eſt; ſæpius etenim tota oſtreæ caro iis reſperſa conſpicitur, aſt rarum eſt plures quàm duas majores in uno reperire animali.

Omnes Margaritæ Orientales ex natura ſua ſunt albæ, variante illius albedinis gradu; pro ratione majoris aut minoris Concharum Mediniis. Interea refert *Tavernerius* ſibi ſex in Indiis dono datas quæ gagatis nigredinem poſſidebant, quæque propterea in Orientalibus Plagis magni admodum fiebant. Verùm ni nos ille fallit Autor, ipſe proculdubio fallitur, etenim certo certius eſt quod in omni illa plaga ubi expiſcantur Margaritæ, nigrarum pretium tam vile eſt ut à piſcatoribus tanquam inutiles abjiciantur. Color autem purior, aut ſordidior, ac magis aut minus alteratus reperitur prout, Margaritæ in locis enaſcuntur ubi miſcella humorum magis aut minus albedinem naturalem inquinantium coacervatur, ſiquidem quæ inteſtinis, aut bilis receptaculo viciniores ſunt magis flaveſcunt, quæ verò in carnibus enaſcuntur puriùs ac veriùs albent.

MARMELADA.

Marmelada terminus eſt Pharmaceuticus denotans ſpeciem Gelatinæ Cydoniorum, quà ſimplicis, quà compoſitæ, aromatibus &c. conditæ & variis coloribus exornatæ. Plures autem dantur earum tum alterantium, ac corroborantium formulæ, è quibus quaſdam ſelectiores jam adducimus.

Marmeladæ variæ è Laboratorio Ceylonicô

Marmelada Cordialis.

℞. Diacydon. ſimpl. ℔*j. pulp. citr. aurant. cond. ana* ℥*iiij. conſ. roſ. vitriol.* ℥*j. butyr. perlar.* ℥*ß. ambr. gryſ. moſch.* ʒ*ß. M. F.* Marmelada.

Hæc Marmelada vitales ſpiritus & cor ipſum corroborat atque præſervat ipſum à multis Accidentibus.

Doſis eſt drach. j. ad ij.

Marmelada Cephalica.

℞. Diacidon. ſimpl. lib. j. nuc. moſcat. cond. nu. iiij. extr. roriſm. eleoſach. calaminth. an. ℥*j. eſſent. roriſm. butyr. perlar. an unc. ß. mag. ſuccini dr. j. moſchi. ambræ an. dr. ß. M. F. Marmelada.*

Hæc *Marmelada* Cerebrum confortatur, & utiliſſimè adhiberi poteſt ad eoſdem morbos, veluti in *Apoplexia, Vertigine, Lethargo, Paralyſi* & Tremore. *Doſis eſt drach. j. ad ij. drach.*

Marmelada Stomachica.

℞. Diacydon. ſimpl. lib. j. myrobal. Indic. condit. unc. iiij. nuc. moſcat. cond. num. iv. zinzib. condit. cortic. citri

citri. aurant. condit. an. ℥*j. conſerv. roſar. vitriolat.* ℥*ij. mag. ſuccini dr. j. eleoſach. calaminth.* ℥*j. ß. M. F. Marmelada.*

Iſta *Marmelada* optimè confortatur Stomachum atque Viſcera, Appetitum provocat, auxiliatur Concoctioni, adverſatur putrefactioni, impedit, ne venti progignantur & prohibet rupturas. *Doſis eſt drach. j. ad ij.*

Marmelada Pectoralis.

♃. *Diacydon. ſimpl. lib. j. ſyr. de polipod. Indico, lib. ß. pulm. & carn. Vulpis Indici, inomtia. Jackhals. exſiccat & præp.* ℥*iv. balſam. ſulph. aniſati,* ʒ*ij. lact. ſulph. præp.* ʒ*j. Fl. ſulph. Benzoinat. dr. j ß. M. F. Marmelada.*

Hæc Marmelada optima eſt contra infirmitates Pectoris, ut Aſtma, Tuſſis, puris expuitio, & præcipuè in phtiſi quę exinde provenit. *Doſis eſt Semidrach. ad drach. j.*

Marmelada Hepatica.

♃. *Diacydon. ſimpl. lib j pulpæ citr. condit. conſerv. flor. tamar. an.* ℥*iv. nitr. vitriol. unc. ß. Martis Potabilis,* ʒ*j. ß. Santal. rubr. dr. j. M. F. Marmelada.*

Hæc Marmelada præſtantiſſima eſt quibuſdam Infirmitatibus Hepatis velut Inflammationibus, Obſtructionibus & ejuſdem duritiebus. Item in Cachexia, Ictero & Hydropiſi. *Doſis eſt Semidrach. ad ij.*

Marmelada Splenetica.

♃. *Diacydon. ſimpl. lib. j. ſyr. de polypod. ſimpl. lib. ß. Tinct. Martis,* ʒ*ij. extract. filicis. rhabarb. curcumæ. Eleoſacch. Menthæ an.* ℥*j. M. F. Marmelada.*

Hæc Marmelada præſtantiſſima eſt ad tumores & durities ſplenis & aperit ejus Obſtructiones atque ſaluberrima eſt pro Morbis qui ex magnis Humoribus Melancholicis ſuam habent originem. *Doſis eſt j. drac. ad drach. ij.*

Marmelada Nephritica.

♃. *Diacydon. ſimpl. lib. j. ſucc. liquirit.* ℥*ij. ſal. oc. cancri,* ℥*j. ſuccini volatil. mag. ſuccini, an.* ʒ*j. tartari Eleoſachar. Bacc. cinn. an. unc. j. M. F. Marmelada.*

Hæc Marmelada ſaluberrima eſt contra morbos Renum atque Veſicæ, dolorem mitigat, & ardorem Urinæ minuit; & ſuaviſſimè Tartaream Materiam per Urinam expellit, imò optimè conducit ad *Gonorream. Doſis eſt* ʒ*. j. ad ij.*

Marmelada Laxativa.

♃. *Diacydon. ſimpl lib. j. nuc. moſcat. condit. nu. ij. zinziberis condit.* ℥*j. reſin. turbith.* ʒ*vj. Eleoſachar. fol. cinnam.* ℥*ij. M. F. Marmelada.*

Marmelada iſta ſuaviſſime Phlegmaticos omnes humores expurgat & omnium accidentium expers eſt quæ cætera communia Purgantia nobis procreare ſolent. *Doſis eſt* ʒ*ij. ad ſemi unc.*

Marmelada cum Gummi Gotti.

♃. *Diacydon. ſimpl. lib. j. gum. gott. roſat.* ʒ*vj. Eleoſach. fol. cinamom.* ℥*ij. M. F. Marmalada.*

Hæc Marmelada leniſſimè *Serum* expurgat & præſertim in *Hydrope* mirabilia præſtat. *Doſis eſt dr. ij. ad ſem. unc.*

Marmeladæ variæ ex Armamentario Chymico-Medico Hadriani à Mynſicht.

Marmelada Cephalica.

♃. *Diacydon. ſimpl.* ℥*iv. rot. diamoſchi dulc. diambræ ana* ℥*ij. rad. pæoniæ cond.* ℥*j. conſ. anthos.* ℥*ß. nuc. jugland. condit. num. iij. moſchat. in Indiâ condit. num. j. ſmaragd. præp.* ʒ*j. Elæoſacch. ſuccini alb. majoranæ, roriſmarin. an.* ℈*j.*

Miſc. & ſine ulteriore additamento f. l. a. Marmelada, quæ detur in ſcatula.

Vires, Uſus, Doſis. Cerebro roborando, & illius ſimul affectibus propugnandis ſpeciali, dote conducit. Feliciter etiam datur Apoplecticis, Epilepticis, Vertiginoſis, Lethargicis, Paralyticis, Tremori & ſpaſmo obnoxiis. Doſis à Drach. j. ad Drach. ij. & Unc. ß.

Marmelada Stomachica calida.

♃ *Diacydon. ſimpl.* ℥*iv. rot. aromat. caryophyllat. ſucculat. Indæ ana* ℥*j zingib. de Bengalâ condit. calami aromat. cond. myrobalan. chebul. cond. ana* ℥*ß. cort. aurantiorum condit. citri condit. ana* ʒ*j. elæoſ. cinamomi & caryophyllor. ana* ℈*j.*

Miſc. & ſine ulteriori additamento f. ſecundum artem Marmelada.

Vires, Uſus, Doſis. Ventriculum aliaſque partes nutritioni ancillantes roborat. Concoctionem juvat. Appetitum excitat. Flatus diſcut. A putredine præſervat. Venas aperit. Vomitum & ſingultum compeſcit. Doſis pro una vice; nucis moſchatæ quantitate.

Marmelada Stomachica frigida.

♃. *Diacydon. ſimpl.* ℥*iv. rad. cichorei condit.* ℥*j. rot. diarrhod. abb.* ℥*j. myrobalan. emblic. condit. conſ. roſar. rub. ana* ℥*ß. nitri vitriolat.* ʒ*ß.*

Miſc. & ſine additione f. Marmelada, ut eſt artis; quæ conſervetur in ſcatula.

Vires, Uſus, Doſis. Stomachum calidis humoribus laceſſitum recreat, confortat, & appetitum ſtimulat. Inſuper calidæ intemperiei alterandæ, cordis morſibus propugnandis & vomiturientibus juvandis utiliter datur. Doſis caſtaneæ quantitas.

Marmelada Pectoralis.

♃. *Diacydon. ſimpl.* ℥*iv. morſ. pectoral. noſt. rot. à ſuc. violar. parat. ana* ℥*ij. flor. ſulphuris comp.* ℥*i. rad. fœniculi condit. enulæ camp. cond. ana* ℥*ß. ſuc. Glycyrrhiz. ext.* ʒ*ij. ſpec. dia ireos ſimpl. conſ. alkermes ã* ʒ*j.*

Miſc. & fiat ſine ulteriore additamento Marmelada auro cooperta.

Vires, Uſus, Doſis. Multum confert Tuſſiculoſis, Pulmonicis, Aſthmaticis, Pectoris doloribus, & quibus fit frequens delapſus humoris à cerebro ad thoracem & vitales partes. Doſis à Drach. j. ad Drach. ij.

Marmelada Cordialis, calida.

♃. *Diacydon. ſimpl.* ℥*iij. rad. bugloſſ. condit. borrag. cond. an.* ℥*iß. rot. aromat. caryophyll. aromat. roſar. de gemmis, diambræ, ana* ʒ*vj. cortic. citri condit. conſ. alkermes, an.* ℥*ß. mag. perlar. orient. corallor. rub. ana* ʒ*j.*

Miſc. & f. ſecundum artem per ſe ſine additione Marmelada.

Vires, Uſus, Doſis. Maximè Cor & vitales facultates à cauſa frigida imbecilles, confert & exhilarat; necnon calefaciendo omnes Spiritus reficit: Proinde ſenibus & mulieribus ex morbo aliquo convaleſcentibus mirè ſubvenit, & multis Uteri affectibus prodeſt, Doſis nuc. moſchat. quantitas.

Marmelada Cordialis frigida.

♃. *Diacydon. ſimpl.* ℥*iij. man. Chriſti perlat. rot. diamarg. frig. ana* ℥*iß. pulp. citri condit. conſ. roſar. rub. ana* ʒ*vj. rad. cichorei condit.* ℥*ß. conſ. alkerm.* ʒ*ij. lap. pretioſior. præp. ana* ℈*j.*

Mixta rediguntur in marmeladam.

Vires

Vires, Uſus, Doſis. Cor confortat, & ejus calorem flammeum extinguit, & æſtuantia viſcera contemperat: necnon Cardialgiæ, Febribus & Vomitibus bilioſis, & ſiti urgentiori ſaluberrima eſt. Doſis à ʒß. ad ʒj. & ʒij.

Marmelada Hepatica calida.

℞. *Carn. cotoneor. cond.* ℥iv. *rot. diacubeb. diacurcum. dialaccæ ana* ℥j. *rad. pimpinel. cond. fœniculi cond. eryngii cond. ana* ℥ß. *cinamomi acut.* ʒj. *rhabarb. elect.* ʒj. *ſp. ſalis cum ſale abſinthii congelati,* ʒß.

Miſc. & fiat Marmelada ut eſt artis, quæ detur in ſcatulâ.

Vires, Uſus, Doſis. In frigidis intemperiebus, ad Hepatis & Lienis obſtructiones reſerandas exhibetur; Idcircò omnibus Cachexiis & Hydropiſibus prodeſt: non parum enim ad urinam proliciendam apta eſt. Doſis à ʒj. ad ʒij. plus, minuſve.

Marmelada hepatica frigida.

℞. *Carn. cotoneor. cond.* ℥iij. *rad. cichorei. cond. ſcorzoner. cond. ana* ℥iß. *rot. è ſuc. berber. & ribium parat. an.* ʒvj *pulv. citri condit. lactuc. hiſpan. cond. ã* ℥ß. *ſpec. diarrhod. abb. ſp. vitrioli prius irrorat.* ʒij. *ſem. quat. frig. major. nitri præparati, ana* ʒj.

Miſc. & fiat l. a. Marmelada, quæ detur in ſcatula.

Vires, Uſus, Doſis. Hepatis, Ventriculi & præcordiorum æſtum refrigerat, ſitim extinguit, Febricitantibus & viſcerum incendio laborantibus convenit. Doſis Caſtaneæ quantitas.

Marmelada Magnanima.

℞. *Diacydon. ſimpl.* ℥iv. *rad. ſatyrii cond. ſucculatæ Indæ, ã.* ℥ij. *pinearum mund. piſtad. virid. ã.* ℥j. *caſtanearum vino malvatic. coctar. nuc. moſchat. in Indiâ cond. conf. alkermes, ana* ℥ß. *ol. macis exp.* ʒij. *gallia moſchat. veræ, mag. perlar. or. ã.* ʒj. *ol. cinamomi,* ℈j.

Mixta redigantur ſine ulteriore additamento in marmeladam.

Vires, Uſus, Doſis. Ad Venerem incitat. Impinguat. Multum nutrit. Vires reficit. Cor confortat. Totam naturam recreat. Ventriculum & Hepar roborat. Pituitam concoquit, &c. Doſis manè & veſperi nuc. moſchatæ quantitas.

Marmelada Carminativa.

℞. *Diacydonii ſimpl.* ℥iij. *cort. aurant. cond. citri cond. ana* ℥iß. *rad. fœniculi cond. calami aromat. cond. rot. carminat. noſt. ana* ʒvj. *nuc. moſchat. cond. tali leporini, ana* ʒij. *zedoariæ, zingiberis alb. galang. min. ana* ʒj. *elæoſach. caryophyllor. cinamomi, aniſi, macis, ana* ℈j.

Miſc. & f. juxta artem Marmelada, quæ detur in ſcatulâ.

Vires, Uſus, Doſis. Flatibus Ventriculi à craſſis & pituitoſis humoribus procreatis diſcutiendis aptiſſima eſt. Hinc tormina ventris ſedat, & contra Colicum dolorem & Tympaniam propriè uſurpatur. Doſis à ʒj. ad ʒij. pro una vice.

Marmelada Splenetica.

℞. *Diacydon. ſimpl.* ℥iv. *rot. diacucurmæ, dianthos, ã.* ℥j. *rad. helenii cond. ſcorzoneræ cond. ã.* ʒvj. *eſſ. ſcolopendrii. flor. geniſtæ, ã.* ʒij. *fruct. tamariſci, cort. rad. cappar. ã.* ʒß. *elæoſ. roriſmarini, caryophyllor. cinamomi, an.* ℈j.

Miſc. & f. ſine ulteriore addimento Marmelada.

Vires, Uſus, Doſis. Lienem roborat, ejuſque tumores & ſcirrhoſas duritiés ſolvit, minuit, obſtructiones tollit, humores incidit, digerit, atque intemperiem quamlibet immutat; necnon ad cæteros affectus inde promanantes [corpore tamen priùs purgato] conducit. Doſis manè & veſperi Caſtaneæ quantitas.

Marmelada Steghotica.

℞. *Diacydon. ſimpl.* ℥vj. *rad. ſymphyti cond. cichorei cond. ana* ℥ij. *pul. rad. tormentillæ,* ℥ß. *mag. corallor. roſat. ext. ſang. draconis. corn. cervi uſti & præp. ana* ʒij. *croci martis per reverberat. fact. ſmaragd. præparat. terræ ſigillat. ana* ʒiß. *bol. rub. orient. nuc. moſchatæ, ſem. plantaginis, antheræ roſar. ã.* ʒj. *caſſiæ ligneæ, caryophyllor. ana* ʒß. *croci orientalis, ol. macis exp. ana* ℈j.

Miſc. & fiat l. a. Marmelada juſtæ conſiſtentiæ.

Vires, Uſus, Doſis. Antiquatum alvi profluvium compeſcit; Hinc Dyſentericis & Cœliacis mirum in modum auxiliatur: Menſium quoque & Hæmorrhoidum fluorem immoderatiorem, atque omnem humoris à Capite ad partes infernas defluxum cohibet: Doſis à Drach. j. ad Drach. ij. & Drach. iij. in vehiculis appropriatis.

Marmelada Terebinthinata.

℞. *Carn. cydoneor. cond.* ℥iv. *terebinth. cypriæ in vino rhenano lot.* ℥j *ſpec. diarrhod. abb. rad. glycyrrhiz. ana* ℥ß. *pul. ſem. aniſi cum proprio ol. parum irrorat.* ʒij. *ſem. quat. frig. major. ã.* ʒj.

Miſc. & cum ulteriore additamento f. Marmelada.

Vires, Uſus, Doſis. Renes purgat, eorumque ſordes & arenulas expellit. Dorſi lumborumque dolores mitigat. Obſtructiones tollit. Urinam movet. Meatus aperit. Strangurias ſanat. Gonorrhœam virulentam curat. Terebinthina enim eximiis pollet viribus, & eſt inſigne in multiplices uſus accommodatum præſidium. Doſis à Drach. j. ad Drach. ij. pro unâ vice manè in aurora.

Marmelada Nephritica.

℞. *Diacydon. ſimpl.* ℥iij. *rad. eryngii condit. petroſelin. cond. fœniculi cond. ana* ℥ß. *fruct. alkekeng. matur.* ʒvj. *acidi tartari,* ʒij. *mag. lapid. percar. oc. cancri, ana* ʒj. *ſal. ſuccini alb.* ℈j.

Mixta redigantur in Marmeladam juſtæ conſiſtentiæ.

Vires, Uſus, Doſis. Calculos & arenulas à Renibus, ureteribus & veſicâ, obſtructiones auferendo, meatuſque aperiendo, expellit, & urinam potenter movet. Doſis à Drach. j. ad Drach. ij. in vehiculis ſpecificis.

Marmelada Hyſterica.

℞. *Diacydon. ſimpl.* ℥iv. *ſacchari anthoſati,* ℥ij. *calami aromat. condit. rad. pæoniæ cond. ana* ℥j. *cinamomi acut. fæc. bryoniæ, ana* ʒij. *ſem. paſtinac. domeſt. agni caſti, rutæ hort. ana* ʒiß. *cardamomi min. antophyllorum, macis, ana* ʒj. *mag. Jovis Anglici, matris perlar, corallor. rub. ana* ʒß. *elæoſ. ſem. angelicæ, majoranæ. ſuccini alb. fœnicul. aniſi, ana* ℈j.

Miſc. & f. l. a. Marmelada juſtæ conſiſtentiæ.

Vires, Uſus, Doſis. Uteri ſuffocationi & albo mulierum fluori auxiliatur, & præterea colluviem quandam pravam, ſi quæ in locis muliebribus contineatur, meatus aperiendo, & obſtructiones ſolvendo, forâs protrudit. Doſis caſtaneæ quantitas, per ſe, vel cum vinô calidô, vel aquâ hyſtericâ congruâ.

MARMOR, vid. de eo ſub titulô, *Lapis*.

MARRUBIUM.

Marrubium duplex eſt, *Album* ſcilicet & *Nigrum* de quibus ordine.

MARRUBIUM ALBUM.

Marrubium Album, Græcis Πράσιον, Latina vox eſt non Græcæ originis, nam r. ſecundum ſine aſpiratione ſcriptum ubique legitur: ita dictum putatur quod tabidis & marcentibus conducat τὰ φύλλα ξηρὰ σὺν τῷ σπέρματι ἑψόμενα σὺν ὕδατι ἢ χολιζόμενα χλωρὰ δίδοται μετὰ μέλιτος φθισικοῖς foliorum ſiccorum ſimul & ſeminis decoctum, aut etiam recentium foliorum ſuccus unà cum melle tabidis exhibetur. Dioſcor.

Vel Marrubium dicitur, quod folia marcida & ſqualentia ſint quaſi rubigine exeſa, Joan. Bod. à Stapel.

Marrubii notæ ſunt flores in verticillis denſis circa caulium nodos, totius plantæ canities; folia ſerrata obtuſa, rugoſa; odor validus & gravis non tamen fœtidus: quodque minor, humilior, magiſque ramoſa planta ſit quam ſtachys. Quinetiam Marrubium vulgare, neſcio an & aliæ ſpecies inſigni nota ab aliis verticillatis differt, nimirum quod calyculorum ſtriatorum margines non ut in aliis in quinque ſegmenta acuta dividantur, ſed in totidem ſpinulas quot ſunt in ſingulis ſtriæ, ſtellæ radiorum inſtar diſpoſitas.

Nomina. Marrubium album *I. B. Ger.* album vulgare *C. B. Park.*

Vires. Succus expreſſus cum melle (ut præſcribit Dioſcorides) aut potius ſyrupus de praſſio Aſthmaticis, tuſſientibus & tabidis opitulatur; eſt enim pneumonicum inſigne. Pulvis foliorum interaneorum vermes necat. Valere dicitur & in partu difficili, Lochiiſque retentis.

Syrupus de praſſio Meſues, annotante C. Hofm. valde calidus eſt, & qui ſenibus potius quam juvenibus, frigidis quàm calidis adhibendus ſit.

℞. Syrupi de praſſio ℥ii. olei tartari per deliquium ℈j. miſce, ſumat æger per intervalla frequentia ad menſuram unius cochlearis. Medicamentum eſt ad icterum nulli ſecundum.

Marrubium veſicæ & renibus nocere ſcribit Dioſcorides; quos frequenti uſu exulcerat. C. Hofman.

Veteres in ictero Marrubio pro errhino uſi ſunt, ad bilem per nares expurgandam, quæ oculos ſæpe contumaciſſime occupat.

Innumeris comprobavi experimentis Marrubii albi ſummitates, vino albo infuſas, & triduo epotas, mirè ad menſtrua provocanda (nec menſes tantum accelerat, ſed remorantes ſecundinas quoque præcipitat S. Paulus) ſtomachum roborandum, cachexiam & fœdos virginum colores arcendos valore, & fortius cum Chamædrye & centaurio minore mixtas. Borell. obſerv. med. p. 289.

Conſerva florum Marrubii cum melle parata & per 40. dies exhibita in doſ. ℥j. nobilem quendam ſcirrho hepatis diu laborantem integræ ſanitati reſtituit, aliis medicamentis ex ebeno & chalybeatis paratis fruſtra illis propinatis. S. Pauli quadripartit. Botan. p. 389. habuit Sim. Paulus è Zacuti lib. 2. prax. admir. obſervat. 48. ſuperbibebat autem nobilis iſte ſingulis matutinis parum aquæ ſtillatitiæ ejuſdem Marrubii cum radice, ut invenio in obſervationibus è Cheſneau collectis & ad me tranſmiſſis ab Ingenioſiſſimo & Amiciſſimo Viro Dom. Edv. Hulſio Medico Londinenſi.

MARRUBIUM NIGRUM.

Foliis & odore lamii eſt, à quo differt floribus in ſingulis pediculis è ſingulis foliorum alis egreſſis pluribus conſertis.

Nomina. Marrubium nigrum *Ger. emac.* nigrum ſive Ballote *I. B.* Nigrum fœtidum, Ballote dictum *Park.* Nigrum fœtidum, Ballote Dioſcoridis *C. B.*

Caules cubitales & interdum bicubitales, plures ex eadem radice lignoſa perenni exeunt, brevi lanugine hirſuti, quadrati, inanes, ramoſi, rubentes, foliis veſtiti ad ſingula genicula exadverſo binis, meliſſæ aut potius lamii rubri, rotundioribus & nigrioribus hirſutis & ad tactum mollibus, rugoſis. Flores verticillatim caulibus adnaſcuntur in eodem communi pediculo è folii ſinu egreſſo plures, galeati, pallide purpurei, Saturatioribus lineis intus ſtriati, calices ſtriati, oblongi, in quinque acuta ſegmenta partiti, quatuor ſinguli ſemina continent parva, per maturitatem nigricantes. Ex iiſdem foliorum ſinubus unà cum floribus & ramulis exeunt Odore fœtido lamium refert, æſtate floret in ruderatis & ad ſepes.

Vires. Hujus folia (inquit Dioſcorides) ſale trita canis morſibus medentur ferventi cinere flacceſcunt, ut condylomata reprimant: Sordida ulcera cum melle purgant. Plinius eadem iiſdem fere verbis retulit.

Decoctum Ballotes præſtantiſſimum eſt remedium in hypochondriacis affectibus, itidemque hyſtericis D. Bovvle. *Raius.*

MARS.

Vid. de eo ſub titulo FERRUM. Hic tantùm tres ejus præparationes è *Pharm. Bateanâ* quarum etiam ſecunda nihil de Marte habet quanquam ejus nomen præferat, & veriùs appellari poteſt *Pulvis fulminans*, quàm *Mars fulminans.*

Mars Diaphoreticus.

Sublima Sal. Armon. cum an. mart. ſ. a. ſublimatumſolve in exiguâ quantitate aq. font. filtra & præcipita affund. guttatim ol. tart. per deliqu. vel ſp. ſal. armon. præcipitatum exſicca ſ. a.

Sudores movet & diureticus eſt, eximij uſus in melancholiâ hypochondriacâ, quartanâ &c. Doſ. ℈ß. ad ℈j.

Mars fulminans.

℞. Nitri ℥ivß. ſulphur. ℥ij. m. f. pulvis ſ. a. Diureticus eſt, & menſes movet.

Mars potabilis.

Solve Chalybem tartariſ. in aq. font filtra & coagula ſ. a.

Optimè valet in Cachexiâ, Hydrope, Scorbuto, Chloroſi, Quartanâ &c.

MARTAGUM, vid. *Hemerocalis.*

MARUM.

Planta eſt exotica, Majoranæ in facultatibus ac figura ſimilis; adeo ut pro una eademque herba à nonnullis habeantur. Quamobrem cum Maro hiſce in regionibus deſtituamur, Majoranam vel Dictamnum Creticum ſubſtituere ſolemus.

Præparat.

Pilulæ Marocoſtinæ Mindereri. Schroderus.

Marum.) Planta eſt exotica hinc ad varias refertur plantas, ad *Majoranam*, ad *Maſtichinam* dictam & ad *Origanum Heracleoticum*, imò *Meliſſam* eſſe *Hermolaus in Dioſcor.* ſtatuit.

Plantæ hujus caules ſunt lignoſi, denſa lanugine obſiti, in ramos oppoſitos diducti. Folia è geniculis bina, ex adverſo ſita Majoranæ ſativæ foliis ſimilia cinerei coloris, craſſiuſcula, odore fragranti, & ſapore acri ac aromatico.

N. Hæc

N. Hac ſummè delectari feles ſtatuunt, eaque comeſta ipſas ſemen genitale effundere.

N. Lobelius Mari *Syriaci* meminit, quod cum *Dioſcoridis* maximè vult conſpirare quoad externam formam & odorem, refertque per decennium plantam hanc odoris fragrantiam retinuiſſe *Vid. in adverſ. p.* 213. Et ſunt, qui Marum illud ex locis peregrinis allatum id ipſum eſſe contendunt. *Tabernamontanus Libr.* 2. *herbar. cap.* 2. varias Mari enumerans ſpecies ex Aſia dicit & Ægypto in Italiam quoque deferri, num verò ibidem etiam proveniat, non meminit.

Majoranam vel *Dictamnum Creticum ſubſtituere ſolemus.*) Verùm licèt *Marum* maximè ad Naturam Majoranæ accedat, & iiſdem cum hac polleat viribus, nihilominus tamen non confundendæ ſunt hæ plantæ, multò minus peregrinæ in hujus locum ſurrogandæ: ſed Marum, quod ad Nos defertur, & notis à Dioſcoride & Cortuſo deſcriptis gaudet, retinendum. Hujus iconem vid. in Dominico Chabræo. l. c. p. 418. Ex hac *Pilulæ Marocoſtinæ Minderi* præparantur, quæ inter cephalica non poſtremum habent locum, ac unà ventriculo, jecori, lieni, pectori ac aliis partibus auxiliantur. *Hofmannus.*

MARUM VULGARE DODONÆI, vid. *Clynopodium.*

MASTICATORIA & SALIVANTIA.

Quando abuti ſolet natura viis alimentariis ad excrementa rejicienda, quod vomitus exemplo clarum eſt; id inprimis quoque fit per os in genere. Maximè enim interea, ut plura loca eſſent pro recrementis eliminandis, ſpeciatim verò ſero. Non ſolùm per urinam, & per ſudorem ordinarius evacuationis hujus locus eſt; verùm quoque per os, tùm ordinariè pro capite purgando, tùm conſecutivè pro reliqua M.S. ipſa. Unicuique loco nobiliori tanquam conclavi attexit locum ignobiliorem, ut expurgaretur camarina.

MASTICATORIA dicuntur ab adhibendi modo. Quando ingeſta maſticantur, promptè affluit, ceu primum & antecedens menſtruum, ſaliva, miſcenda cum cibis & deglutienda. Sin opus ſit, non pro uſu alimentario ſed medicamentoſo, maſticatione uti, quæ id ipſum præſtant, audiunt maſticatoria.

APOPHLEGMATISMI, ſeu ἀποφλεγματίζοντα dicuntur, quod phlegma, ſeu ſerum in coagulum abituriens, depleant; SALIVANTIA, quod per ptyaliſmum ſeu ſialiſmum, affluxum ſalivæ majorem ſolito, adeoque expuendum cieant. Quo ipſo triplici nomine tres quoque gradus diverſos exprimemus, ſub eodem capite ſingula complectentes.

Claret ergò ex phyſiologicis 1. *Salivam ſeri eſſe progeniem.* Seroſum maximè eſt cerebrum, nulla pars hac ipſa magis humido pollet. Ut cor eſt calidi ſedes, ita cerebrum quaſi humidi regia, unde etiam inducti fuere non pauci, ut à capite nutritionem arceſſant, à ſucco nutritio, quem vocant, nervorum; ſanguis vehiculum eſt ſpirituum vitalium & materia; ſerum ſpirituum animalium. Fauces verò iſthmus quidam & cataracta ſeri, non tàm ἄνω tendentis, quod ſibi perſuadent, qui caput exors catarrhorum autumant, quàm potiſſimum κάτω reflui. Per anatomen quippe clarum eſt, propagari ductum lacteum ſeu lymphaticum thoracicum verſus caput, valvulaque intermedia in ramum aſcendentem & deſcendentem diſcriminari, utrumque tendentem ad cor & lympham illuc revehentem. Senſu etiam patet defluere modò blandè, modò impetuoſè quandoque lympham deviantem ad pulmones & aſperam arteriam, quin & tumores amygdalarum & faucium alios cauſari non raro.

2. *Stillare ſalivam è glandulis, quibus numero infinitis labia & fauces tota pollent;* Pollent minoribus, quas conglomeratas vocant, ſenſui obviis, viſui & tactui, & majoribus, conglobatas dicunt, exigua præter hanc differentia, ſublingualibus non paucis, & lateralibus, tonſillis. Illuſtrant ſe invicem collatæ hæ partes cum renibus. In utriſque continua fit ſtillatio, ceſſans tamen in faucibus ferè tempore ſomni, ut per ductus detrudi ſuos queat.

3. *Motu produci & cieri ſalivam è glandulis,* ut quò plus ſunt motæ, plus cieantur aquæ & hæ. Hinc ſomni tempore, motu omni animali h. l. ceſſante, etiam ceſſat actio hæc. Eo verò impreſſo fortiori citatur, vel corporeo, facta agitatione labiorum, modò non nimis citato ſermone interdum quaſi abſumatur, factâ improportione quâdam, unde exiccantur fauces & ſpiſſatur ſaliva; vel ſpirituali, ſi ſpiritus accurrant magis, ſeu præ deſiderio, ſive nauſeâ ad objecta, utroque enim facto ſalivâ os repletur magis. Quorſum etiam ventriculus ipſe confert aliquando, unde ſialiſmus prodromus eſt nauſeæ & vomitus, & in hypochondriacis quoque quibuſdam obſervatur. Hinc ſalivatio alia eſt *naturalis*, omnibus communis, perpetuò ſuppetente liquore hoc utili, licet excrementitio; alia *p. n.* & *ſymptomatica* in dictis caſibus; alia *critica* & *medica*, ut in febribus, quin & in gravidis quandoque, factâ regurgitatione & copiâ majori huc latâ; alia *artificialis*, per hæc ipſa remedia diverſis gradibus inducta.

4. *Adeoque ſalivam aliam eſſe utilem, aliam inutilem;* illa dicitur κατ' ἐξοχὴν ſaliva, hæc abuſivè, propriè verò ſputum, unde melancholici ſunt ſputatores, unde his ipſis remediis crebior inducitur ſputatio. Utilis illa eſt tenuior, hæc viſcidior, ut alias differentias plures non memoremus.

His poſitis tribus diſtinctis nominibus tres quoque diverſos gradus in unum eundemque finem generalem collimantes proponemus; 1. *Quæcunque in motum cient glandulas miliares faucium, exprimunt ſalivam,* ſeu in os citatius colligunt, ut expui vel deglutiri poſſit, ſunt uno verbo maſticatoria. Faciunt hoc, quæcunque agitant linguam, ſubditi globuli quicunque, è cryſtallo inprimis, quale inſtrumentum eſt *Sanctorii* pro ſiti ſedandâ, aquâ prius humectatum. Faciunt huc ſemina coriandri, aliaque rotunda ac orbicularia, ad agitationem & motum quippe præ cæteris aptiora, inprimis verò præ omnibus maſtiche, maſticatoriorum apex. Cum enim vel ſolâ maſticatione quaſi continuò ſerum eliquetur, his ipſis maſticatoriis, calore & motu, fluxiliores è glandulis redduntur humores ſalivales, porique glandularum miliarium utroque modo redduntur magis patuli & dilatati, unde humor amplius colligitur. Maſtiche hoc pacto tota albeſcit, tota obſecundat contuſioni, per dentium molam factæ, optima pro ſero educendo, optima pro corrigendo, aromaticâ ſulphureâ roborante virtute.

Proſunt hæc ipſa maſticatoria pro alterando, & deplendo, in fœtore oris, præcavendo & curando, unde myrrha, cort. citri, coſtus verus, cinam. caryophylli, fol. Indum, rad. carlin. angel. & alia maſticari queunt, inprimis quoque ad præſervandum corpus à contagio, ſeu phthiſeos, ſeu putrilaginis cujuſcunque, ſeu ipſius peſtilentis vel maligni. Talia maſticare par eſt medicum, ut & ſerum alteret, & aerem quem haurit, & ventriculum, quem primario accuſat in peſte *Helmont. Thomſon*, & alii.

Proſunt in laxitate gingivarum, inprimis ex terr. japon. parata, ut pulveres, trochiſci, eſſentia & ſimilia; optima enim ſunt unà roborantia. Proſunt in hæmorrhagiâ ipſâ narium, ut rad. pſeudome-

domelanthij id præſtat, ſub linguam repoſita.

2. *Quæcunque ſerum proximius in faucibus in motum cient, ſunt apophlegmatiſmata.* Duplici modo conveniunt ad eliciendum humorem hæc ipſa (1.) cum maſticatione, (2.) citra maſticationem, ſolâ ſimplici detentione, qui ſecundus quaſi gradus eſt, ſi cœtera conſentiant quoque. Illa poſſunt dici propriè dicta maſticatoria, quia maſticatione abſolvuntur; hæc impropriè dicta, ſeu apophlegmatiſmi, quâcunque formâ adhibita, ſiccâ, liquidâ & mediâ. Sic pro loquelæ defectu in apoplexiâ curandâ ſolenne eſt, è ſimplicibus facilè parabilibus, vel ſolum roſmarinum ſub linguâ detinere; Par ratio eſt leviſtici & ſimilium.

Sic myrrha, coſtus verus, cort. citr. zedoaria, aliaque dicti huc referri poſſunt, ſeu ἐυοσμίας, ſeu præſervationis gratia, ſi alia forma, quàm ſola maſticatione, quo nomine ad primam claſſem ſpectant, in uſum veniant. Et illa enim citant quoque ſalivam, ſed quaſi incompletè, ut deglutiatur & alteretur. Si fol. Ind eodem refert *Roder. Caſtor.* Imò diverſa medicamenta alia huc ſpectant, quæ pro applicatione & præparatione alia atque alia ad primam Ilam & ſecundam pertinent, v. g. rad. ir. pyrethri, (in doloribus dentium maximè laudata,) zingib. cyper. acori veri, ſem. ſtaphid. agr. cubebæ, cardamomum, piper omne, eruca, ſinapi, quod à quibuſdam pro inſigni præſervativo epilepſiæ habetur, ſalvia, roſmar. thymus, ſatureja, piperitis, & inprimis nicotiana &c. Ex ijſdem etiam parari poſſunt cum melle alijſque modis globuli maſticatorij, qualis eſt apophlegmatiſmus Laurembergij, ex nicot. rec. rad. pyrethr. maſtich. & zingibere. Ex liquidis ſpirituoſis, eſſ. lign. ſanct. ▽ apoplect. tinct. catechu, ∽ ⊖✱ci; aquoſis, nitroſa varij generis. Ex mollibus conf. anacard. theriaca & alia, in aphonia cum ſucceſſu uſurpanda.

Priora ſola quaſi motu, vel præcipuè ſaltem partes continentes ad ſalivam fundendam ſollicitant; altera hæc partes contentas magis in motum cient, non neglectis etiam illis. Maſticatoria motu & calore, apophlegmatiſmi calore potentiali & ſalina virtute fluxiliores reddendo humores ſalivales cogunt, ut è dilatatis poris glandularum miliarium in faucibus exſudent citatius. Adeoque hæc ipſa magis ſunt acuta, ſalina, inciſoria & fundentia, inprimis ſulphurea volatilitate unà conſpicua, quæ ob partium tenuitatem & agilitatem liquatum ſerum alliciunt, & ex diverticulis proximioribus glanduloſis evocant; quorum uſus ex dicendis patebit.

3. *Quæcumque ſerum in motum cient è centro ſuo, ut ad fauces confluat, ſunt ſalivantia.* Suſtinet hunc titulum κατ' ἐξοχὴν ☿ius. Licet enim & alia quædam huc referri poſſint, principatum tamen tenet ☿ius, qui nec in hoc ſibi parem habet medelam aliam. Sic novimus quoſdam cum ſucceſſu uti ⊕-lo albo, ſaltem ad g. j. quotidiè dato, eodem fine, minori indicatione, quo facto, & per aliquot dies continuato blanda quædam ſalivatio oritur, cum ſucceſſu. ⊕-lum enim eſt emeticum, doſi juſtâ datum, minori verò continuatum, cùm movere vomitum non poſſit, ſaltim ſalivam in os movet, uti id ipſum fit in vomiturientibus.

Inventum eſt remedium hoc, ſalivatio mercurialis, primitus ab empiricis, teſte *Fracaſtor. l. 3. morb. contag. c. X. p. 269.* ad analogiam ſcabiei tractando luem veneream, & feliciter curando. Hujus cum effectus evidens ſit, ratio non item, eandem inquirendo luſtrabimus penitius.

Not. enim (1.) in ☿io eſſe partes ut rotundas, ità ſummè mobiles, unde etiam ſi vel maximè extinctus, quietus, mortuus quaſi appareat, mox motu mediante recorporeſiat & priſtinam aſſumat faciem.

(2.) Eſſe in eodem vim ſummè elaſticam, cum humidis alijs æqualem, ſummè evaporabilem. Ubicunque enim eſt vis dilatandi & concentrandi in corpore, ibi eſt vis elaſtica, quod in aere & liquidis omnibus aliàs clarum eſt. Evaporabilis verò vis igne pateſcit, aufugit enim totus, niſi captivetur clauſo eodem, totus, inquam, vix veſtigio relicto, ſi purus ſit; imò autem ipſum quoque ex parte deprædat, quando ad inauranda vaſa adhibitus, igne mediante abigitur; unde principium evaporabile chimici nominant ☿ium. Tacemus experimenta evaporationis hujus ☿lis alia in aquis, veſtibus &c.

(3.) Eſſe in eodem partes quidem ſulphureas, viſcidas, cohærentes, rotundas, ſed cum ſalinis volatilibus ſui generis, acetoſis, & terreis intimè combinatas, ſolutaſque. Sulphureæ patent ex colore, quem mille modis fingit, cœruleum, albidum, flavum, rubrum, nigrum & nullum non; patent, ſi cum acidis rigidis immutentur, ut in ☿ ≏ato, ſi cum ijſdem beneficio terrearum, ignis vi, expandantur, uti cum acido ſulphuris gas coiens cinnabarin præſtat ac exhibet vulgarem, & ♁tam, communem ac Helmontianam. Salinæ & terreæ ex gravitate ſummâ; utraque ex effectis varijs, quatenus intimè penetrat poros metallorum, eaque ſubigit & devorat, atque alia præſtat mira. Soluta verò omnia ſunt in ☿io, quod ſummè mirabilem illum reddit. Reliqua enim cum alijs habet communia, hoc ſibi ſolum proprium, quod omnia illa non tam mixta, juncta, unita, ſed & ſoluta obtineat; unde liquor eſt metallicus, non madefaciens manus, fluidus, menſtruum univerſale metallorum, eorumque comprimis regis. Solvens eſt & ſolutum, viſcido metallico liquore gaudens, quo deſtructo nec ipſe ceſſat activus eſſe.

(4.) Videri quidem frigidum, torpidum, ſed alas indeptum ſummè eſſe activum. Alas indipiſcitur, ſi ſolvatur ſolutionis vinculum. Solutus eſt & ligatus; ſolutus, liquore metallico aqueo concentratiſſimo intimè combinatis particulis ſulphureis, terreis, ſalinis, & quamdiu ſolutæ ſic eædem, tamdiu mobilis; ligatus quoad vires harum, parent enim menſtruo, parent ſolventi. Simul ac verò diſſociatur, ut non fluat amplius, nullum ſub ſole videas magis activum medicamentum, emeticum, ſudoriferum, purgans, univerſale. Alar indipiſcitur, à calido & humido vitali; calidum vim elaſticam expandit, humidum partes ſolidas recipit, diſſociatione factâ infirmatur ne fluat, ſed hoc agat.

His itaque poſitis facilis clavis eſt ad luſtranda affecta ſalivationis; ſive enim intus adſumatur, ſeu extus applicetur, atomi ſubtiliſſimæ effumantes fundunt ſerum, & ſtimulant, ut & ipſum turgeſcat, elaſticam vim ſuſcipiat, & quidem in centro ſuo, in ipſo ſanguine. Lentore ergò excuſſo, fluere citatius incipit, acrimoniâ ſalinâ fœtum; fluens verò citatius exitum quærit, Adeoque à priori & poſteriori certum & notum eſt 1. fundi inde ſerum, 2. fuſum non poſſe conſiſtere ſuis toculis, 3. alterari quàm maximè, ut acrimoniam ſuam & illatam exuat, abſterſum defæcatumque reddi, & 4. conſequenter effectus præſtare in corpore ſalutares, ipſâ ſuâ alteratione hâc & exacuatione.

Quas verò vias affectat ad exitum aliàs quàm ordinarias? ſiquidem ordinariè agat. Ordinariæ viæ ſunt ut & fauces, ubi continuò ſerum confluit & effluit. Huc ergo ruere oportet magis, ſibi relictum, huc exire, & ſputatione mediante excerni.

Attamen ad inſtar aliorum univerſalium, non ſolùm extraordinariè aliquando alvum laxat, in alijs vomitum ciet hæc operatio, (quo caſu vix feliciter operatur ex noſtrâ experientiâ,) ſudorem item ciet; verùm etiam ordinariè ſimul per dictas has vias opera-

operatur, ita tamen ut operatio primaria, ut decet, procedat nihilominus, præcipuè verò per urinam & ſudorem, tanquam vias ſeri eductioni quadrantes & congruas magis præ alijs.

Cognitâ itaque materiâ hâc ſalivationis, ceu apophlegmatiſmi univerſalis, cùm ipſa operatio ſit heroica, ſi ulla alia, ac generoſa, operæ pretium erit uſum genuinum in praxi monſtrare.

(1.) Objectum, ſeu indicans hujus remedij Principale eſt lues venerea, adæquatum morbi rebelles plures alij, ex vitio ſeri graviori oriundi. Cumque remedium nec minus, nec majus ipſo morbo eſſe debeat, accuratè diſtinguendi ſunt luis venereæ gradus, quos tres conſtituemus hoc loco. Primo & ultimo minus, medio magis convenit & ex uſu eſt. Non primo, quippe ſtranguria, gonorrhœa, tumores alij curari queunt levioribus. Non ultimo, quod tum vires alijs curari queunt levioribus. Non ultimo, quod tum vires ſint tunc minùs pares, tum penitius debito jam ipſa oſſa carioſa reddita, parteſque exeſæ.

Diſtinguendæ etiam accuratè non minus ſunt ejuſdem ſpecies, à nobis in praxi inventæ & introducendæ meritò, prout vel ulcera, vel tumores, vel dolores magis divexant ægros. Obſervavimus nempe in ulceribus extimis, ſerpiginibus, tuberculis ſiccis, unde variola magna dicitur, faciei, corporis totius, penis, profuiſſe præcipuè, & ex fundamento penitus atque penitus, citò & tutò, idque conſtanter abegiſſe. Exempli ſint hiſtoriæ ſequentes paucæ è multis. Laborabat ſtudioſus luis venereæ hâc ſpecie, ſummè defœdatâ facie, exulceratis ſimul genitalibus. Fruſtrà adhibitis omnibus alijs, &, quod mirum videri poterat, ipſo dyſentiâ perfectâ correpto, nequicquam tamen adjuto, ſed conſtantiſſimè tuberculis permanentibus in ſede ſuâ, adhibebatur inunctio ☿lis, procedente ſalivatione feliciter intra trium hebdomadum ſpatium curabatur.

Paſtor quidam à multis annis ſiniſtro femore & brachio ſerpiginoſis ſiccis cruſtis infeſtatus, cætera ſanus & benè habens, ut ſolent iſto morbo laborantes, à curatione hac, mox dicendo modo inſtitutâ, ſaniſſimus evaſit & mundiſſimus. Fæmina vidua tubercula eadem toto corpore patiens, & ipſa ſibi & alijs creditur laborare variolis. Medicus eandem curare ſuſcipit, & pro tali quoque tractat, ſed ut apud *Poëtam* ruſticus expectat, dum defluat amnis; ita hic expectabat ægra, mediculque, donec ſuppurarent & deſiccarentur variolæ, ſed fruſtra. Refertur res ad nos tanquam inſolita; accedentes, morbum agnoſcimus, & brevi tempore curamus hâc curâ ☿li.

Fœmina alia conjugata patitur ſimilia, tubercula cum maculis in capite, ſub parte capillatâ, cum exulceratione genitalium & intertrigine venereâ, erat enim obeſior, cum doloribus capitis, & crurum inſigni debilitate, unà verò filiolus unius anni, & virgo 14. annorum, ille ani intertriginem, quod puerili ætati ſignum proprium eſt inprimis, hæc tubercula non pauca exhibet. Medicus ad matrem vocatus eandem itidem pro variolis laborante tractandam ſuſcipit, ſed fruſtraneâ diagnoſi & curâ. Vocati omnes & ſingulos reſtituimus eodem divino hoc remedio.

Duo ſunt luem veneream curandi remedia: ſudatio & ptyaliſmus, utraque univerſalia, utraque ſeri vitijs debita. Sed licet tutius per primam viam videatur primâ fronte remedium, periculoſius per ſecundam; contrarium tamen reverà obtinet dictis caſibus, ut adeò utraque habere locum videantur commodum, modò diſtinguantur ſubjecta, morbi gradus & ſpecies. Quantum hujus eſt loci, utraque remedia magis locum habent in pituitoſis, ſibi tamen relata invicem ſi fuerint, mercurialis medela reſpectivè magis pituitoſis, altera per ſudationem magis bilioſis convenit, illa fundendo, hæc diluendo. Longè tamen efficacior eſt ☿ius, è minerali regno, quàm quævis ſudatio ex vegetabili.

Adæquatum verò indicans conſtituunt morbi rebelles alij, inprimis lepra ſeu elephantiaſis Græcorum, & hinc quoque alij, quos caſu ſæpe ſanat, inſigniſſimè ſero per hanc viam correcto. Talia exempla *Ord. & Meta. comm.* commendat & reliquit *Rolfincius*. Modò hæc duo ſint paria & ſibi reſpondeant harmonicè invicem, ægri corpus ſuſtinens, & ipſum medicamentum, cum modo ipſo benè utendi & applicandi.

(2.) Subjectum activum, ſeu materia remedij eſt mercurius vivus, varijs modis adhibitus. Adhibendi hic modus duplex eſt: internus & externus, iique vel ſolitarius, vel conjunctus. Intrinſecus commodus eſt ☿ dulcis, benè præparatus, ex ☿ij vivi & ≏ti ana, datus in pilulis, tanquam formâ aptiori, noſtro quidem uſu cum extr. ſcorzon. vel alio, v. g. ℞. ☿. dulc. ℈iß. vel ij extr. ſcorzon. q. ſ. v. ℈i. M. F. l. a. pil. xxx. vel pauciores, ità tamen, ut pro doſi circiter v. vi. grana & amplius ad ℈ß. determinentur. Præſtat enim pro continuando uſu minorem doſin eligere, ſenſimque naturam aptare. Nonnunquam & ☿∽us ruber dulcis, i. e. ab acrimoniâ ſpirituum acidorum liberatus beneficio repetitæ edulcationis per ▽ roſ. adhiberi conſuevit, ſed paulò rarius. Notabile enim eſt de utriſque porrò, cavendum eſſe, ne vel vomitus vel alvi fluxus accedens operationem ſalivantem impediat, quod omninò & per ſe accidit aliquando, & inprimis à datis hiſce largiori doſi expectandum eſt. Melior eſt ☿ diaphoreticus, etiamſi non ad perfectam ſalivationem præſtandam detur.

Externus vel *unguentis*, vel *emplaſtris*, vel *cingulis* abſolvitur, minus aptè maſticatione actuali, vel ſuffitu. Uſitatiſſima ſunt unguenta mercurialia hinc dicta, ſive officinalia, ſeu potius extemporanea, v. g. ℞. ☿ij vivi c. ſ. q. tereb. extincti & inviſc. ℥i. iß. vel ii. ungu. pomati q. ſ. v. g. ℥ii. vel iii. ol. lign. rhod. ſalv. a. gtt. iv. amplius. M. F. unguentum, facilè addendis quoque alijs, ſi majori apparatu delectemur.

Emplaſtra ☿lia reſolvendi & diſcutiendi magis fine in gummatibus, doloribus & tumoribus venereis in uſu ſunt, quàm ſalivandi, inprimis emplaſtrum de ran. Vigon. cum ☿io, probatiſſimum ijs caſibus; pro ſalivatione verò excitandâ non item, niſi ſecundariò & in ſubſidium, (quod & de zonâ ☿li valet,) emplaſtris utimur. Sic ptyaliſmum artificialem collo circumdatum empl. de ran. Vigon. ſimpl. ☿ j currentis conſtans longè facilius, quàm zonam ☿lem, promovere & accelerare ſcribit *Sim. Pauli digr. de feb. malign. p.* 27. ibidemque ſubinnuit, h. m. luem veneream intra 6. ſeptimanas curari poſſe. Cingulum ☿iale conſtituit idem ☿ius, in unguentum redactus, linteoque inunctus formâ ſubligaculi, ſeu cinguli aliàs ad hernias uſitati, ita ut occultetur interius ☿ius, cingulo ad plures uſus ſuffecturo. Novimus talia uſurpata cum ſucceſſu in ſcabioſis. Majoris apparatus deſcribitur ab *Oberndorffero contra Ruland. p.* 30.

Suffitus mercuriales, cujus materiam conſtituit cinnabaris vulgaris, prunis injecta, licet *Rondeletio* & *Paræo* alijſque laudentur, qui multos ſe ſuffitu ☿li curaſſe gloriantur; hodiè tamen magis obſolevit uſus, præterquam ad uſum particularem, ulcera nempe penis. Ita hoc fine ſuffimentum fieri

fieri poteſt quoque ex ♉ ℥j. ☿ viv. vel dulc. ℥ß. oliban. maſtich. cinnab. a. ʒj. ariſtol. O ʒij. carbon. til. q. ſ. M. concluſus in ollâ fumus ex pulvere carbon. inſperſo afficiat membrum carioſum. Ne verò gratis id dictum videatur, tenendum eſt, ideò abſtinere medicos à ſuffitu, quia hoc pacto fumus (pro univerſali uſu inſtitutus) pulmones ferit, quàm partes afficit extimas alias, unde facilior læſio quàm uſus.

Pro maſticatorio verò adhibere ☿ium dulcem, itidem non receptum eſt in praxi ſelectiori hodiè, nec commodum, tum ne dentes inde lædantur magis, tum quia ſic non ita è centro ſuo ad motum univerſalem citatur ſerum, quod tamen requirebatur.

Si fateri volumus quod res eſt, ſufficiunt interius pilulæ, exterius unguentum, reliquis carere poſſumus facilè.

Subjectum paſſivum eſt æger lue venereâ vel conſimili graviori morbo afflictus, ita tamen, ne viribus fatiſcat, vel aliud adſit contraindicans. Non convenit, niſi æger ſit ὀρθοστάδιος, ſana habeat cæteroqui viſcera, inprimis pulmones, ſero non omni exhauſtus. Non infans, puer, nec ſenex ſuſtinet facilè hanc operationem perfectam. Obſervandum quoque eſt inprimis, quod diximus, quo gradu, quâ ſpecie laboret luis ♀eæ, quod dum non diſtinguunt vulgò, varia committunt inconvenientia plura, etiam in renunciando & aliàs non tam medici, quàm vulgus, infamantes ſæpe citra culpam, quæ id mereatur, affectos.

Modus abſolvitur circumſtantijs alijs, quoad locum inunctionis, & tempus cumprimis ac numerum. Æger nudatus locatur ad fornacem calidam, inunguntur manè articuli, humeri, brachij, & manuum, ſpina dorſi, inguina, genua, circa talum & plantæ pedum. Facto hoc, junctâ ſimul frictione concinnâ, imò pro re natâ quandoque etiam inunctis partibus ſpeciatim affectis, æger componitur in lectum calidum, ut tranſpirabili ſervato corpore actuetur magis vis mercurialis, eoque die relinquitur ſibi. Hinc ſi vel citius labore defungi velimus, vel æger robuſtus ſit, altero die ſtatim idem repetitur, vel interpolatione factâ, quod deprehendimus ex uſu naturæ, tertio demumdie. Non præſcribi poteſt tàm certus inunctionum numerus vel finis, quippe quod variat pro ægri conſtitutione variâ, inprimis verò effectu. Vidimus primo vel altero ſtatim die aliquando incepiſſe ſalivationem, quo facto bis etiam ſaltem inunctio locum habet, & ſufficit; ubi verò tardius procedit, tertiâ vel ad ſummum quartâ vice repeti poteſt, factâ tamen laudatâ interpolatione, ut de effectu melius conſtet. Et hæc de actu ipſo, dicturi de cautelis quoque, ubi prius de maſticatorijs dicenda abſolverimus conjunctim.

Notabile enim 1. *maſticatoria particulare eſſe evacuans capitis, ſalivantia totius.* Particulare ſunt illa, ſive fauces afficiantur ſolum & ijs indigeant, ſive cerebri regimen ſanctius depletione hâc gaudeat, ſive vicinæ partes aliæ. Hinc proſunt in affectibus capitis, catarrhis, vertigine, memoriæ debilitate, affectibus ſoporoſis, & affectibus capitis alijs. Proſunt in affectibus oculorum, ophthalmiâ, ſuffuſione; aurium, ut ſurditate, auditu difficili, tinnitu; faucium & adæquatè ventriculi, in fœtore oris, laxitate gingivarum, dolore dentium, aphoniâ, per accidens etiam ad ſitim, frigidi & impropriè dicta, ut cryſtallus. Univerſale evacuans mercurialia conſtituunt; ubi character peregrinus ſeminalis M. S. inquinat. Hinc proſunt in lue venereâ, pſorâ, & alijs affectibus rebellibus cum conſpurcatione & inquinatione conjunctis.

Non confundenda ergò ſunt utraque, ſed unumquodque ſuo opponendum. Non ſalivantia affectibus capitis, niſi adæquatè, non apophlegmatiſmi ſimplices & particulares ſeri graviori oneri vel vitio tollendo ſufficiunt.

2. *Et maſticatoria & ſalivatio ☿lis ſero lento, viſcido, oneroſo debentur, non fluxili, tenuiori, ſalſo, vel deficienti.* Exulent hinc in febribus illa, & ubi motu magis quàm quiete ſerum delinquit. Hinc, autore *Ebnſina*, apophlegmatiſmi in phthiſi, tuſſi, pulmonum affectibus cane pejus & angue ſunt fugiendi, etiamſi à capite non rarò affluxus fiat, quod in partem imbecillem & plus æquo affectam humorum illicerent magis. Sic etiam maſticatoria eadem præſente dolore, aut ſenſu cerebri exquiſito exiſtente minus conveniunt, ut contra ea optimè excitando inſerviunt motui ejuſdem.

3. *Faucibus ſpeciatim affectis nec maſticatoria, nec ſalivantia locum habent.* Neque enim per locum affectum evacuandum unquam eſt, ſi ipſe labem ſuſtineat. Laboret quis uligine gingivarum ſcorbuticâ, cum laxitate & putredine, maſticatoria vix conveniunt, præterquam roborantia. Si quis luis venereæ ſeminia magis in faucibus ſe exſerentia offerat, ut circa uvulam, & partes vicinas eroſio viſatur, vel os ethmoideum, cartilago narium affecta, obſervavimus malè potius ſæpè, quàm benè cedere inunctionem ☿lem. Sin copiâ lymphæ educenda, utraque conveniunt, inprimis maſticatoria propriè dicta; par ratio eſt, ſi ob aphoniam nervi ſint roborandi. Sin gingivæ laxiores expoſcant remedium, terrea quidem mucilaginoſa conveniunt, magis tamen, præſertim graviori caſu, electuaria, mella & ſimilia demulcentia.

4. *Maſticatoria educunt, ſternutatoria excutiunt.* Quandocunque ergò non tàm excutiendus, quàm educendus eſt humor ſeroſus, illa, non hæc conveniunt, v. g. in ophthalmiâ, in ozænâ, polypo & ſimilibus. Hinc etiam exceſſus in fumo tabaci hauriendo minus reſpectivè nocent, & facilius tolerantur, quaſi per conſuetudinem quandam, quàm ſternutatoria, niſi & hâc occalleant quaſi parietes magis, nec ſternutationem inducant actualem.

5. *Actus ſalivantium vel completus eſt, vel incompletus, uterque diſtinguendus.* Completum vocamus, qui pro fine habet ptyaliſmum ipſum, quo continuato materiæ morbificæ fit diminutio, in ſero nimirum characteriſatæ. Cujus operatio per duas, tres vel 4 quoque hebdomadas, pro re natâ, neceſſaria eſt, eo uſque μετ' ἀσφαλείας μετ' εὐφορίας eandem finire liceat. Incompletum verò nuncupo, quando inſenſibiliter magis exerunt ☿lia actionem ſuam, citra ſalivationem, exemplo ſcabiei, & unguentorum ad hanc curandam adhiberi ſolitorum.

Adeoque completum vel incompletum dicimus (1.) ab effectu hoc. Ut aliàs inter ſudorifera & diaphoretica obtinet diſtinctio in praxi; itâ etiam circa hæc ☿lia (2.) ab intentione medici. Utut enim etiam præter intentionem quandoque ab uſu ☿ij dulcis interno, vel unguentorum ☿lium, emplaſtrorumve, alio fine adhibitorum, invitis quaſi ſalivatio accidat, præcipuè in ijs, quorum corpora jam ſalivationem experta ſunt; nec ipſa tamen, vel unguenta, niſi id intendamus, completum edunt ordinariè effectum. Latius ergò patent unguenta & emplaſtra quoque ☿lia hæc, quàm pro ſalivandi fine. Hinc inſtar regulæ notandum: Quod ſalivantia ſunt toti, id diſſolventia, vel mundificantia ☿lia ſunt parti. Toto die hinc adhibentur in ſcabie & conſimilibus cutis exulcerationibus, ſeu in pulvere, ſeu unguento, ſeu alijs modis, effectu tamen optato conſequente, modò cœtera ſint paria.

6. *Inunctio ☿lis indemnis, tuta, efficaciſſima & neceſſaria eſt, nec in ſe quicquam incommodi affert.* Infamem licet illam proclamet *Helmontius*, nihil minus tamen quàm talis eſt, modò rectè utentem invenerit. Hinc leguntur medici aliquot millia lucrati ſolo uſu medicamentorum ☿lium & applicatione concinnâ. Objici varia ſolent ab ijs, qui ☿ij genium dari talem fingunt, qualem præſumunt. Non timenda eſt palpitatio cordis vel periculum aliud; multò minus id hiſtoriæ & objectiones aliæ eveniunt, vel teſtimonia & autoritates medicorum, qui ☿ium venenatum habent, quod humores pravos ac malignos in totius corporis habitu contentos ab ignobilioribus ad meliores partes, cor, hepar, & ſtomachum, contra naturæ benè operantis conſuetudinem, non ſine magno periculo repellant. Adde, quod vis maligna, ut volunt, in corpore remaneat, alij corripiantur maraſmo, alij dentium caſu, palati corruptione, oſſa capitis aliquibus exedantur, illis os & facies intorta, quin omnem ſæpè illuviem ad caput protrudat, morbo non curato. Imò quoſdam ☿ium evomuiſſe hinc, quoſdam minxiſſe, alios in capite geſtaſſe ſcribitur.

Tuta & neceſſaria eſt operatio, neque enim æquè decocto lignorum cedit, vel alijs; unicè adæquatus morbo huic ☿ius, ut ſine hoc heroe giganteum illum hoſtem ſuperare non poſſimus facilè, inprimis æqualiter affectâ M. S. citra febrem ullam. Efficaciſſima verò eſt conſtans, ità ut hoc remedio adhibito, mox exiccentur ulcera, cruſtæ evaneſcant, tubercula, calli deſtruantur, nec opus ſit alijs, ſolo hoc & unico ſufficiente. Et quidem omne ſeminium morboſum & fermentum perfectè eximitur, ut recidiva nulla ſit timenda ab hoc remedio, modò non ultimo gradu & lineâ morbus conſtiterit jam, & æger denuò relabatur ad priſtinas veneres, vel in utendo error fiat.

Neque etiam opus eſt, ut, non contenti mercurio vulgi, alium ☿ium quæramus, & cum ſuo auro præparemus ac figamus, cum ipſe jam ſufficiat, licet non negandum ſit, hoc pacto præparatum eundem efficacius quoque agere.

Cardanus verò *conſil. pro lepram patient. p. m.* 351. idem effici poſſe credit alijs inciſorijs medicamentis, non mercurialibus, ex 🜍 viv. ℥ii. ⊖ ℥iß. g. junip. helleb. alb. a. ʒii. ſucc. tithym. ʒiii. vel amplius, tithym. contuſ. ℥i. ol lin. ℥ß. &c. inungendo ſub poplitibus, interiora cubitorum & juxta talum, & juxta carpos manuum, & ſub alis, & plantas pedum, & loca omnia patientia; quod latius apud ipſum legi poteſt. Sed utut concedamus, ijs caſibus hoc præſtari poſſe, ubi actus ☿ij incompletus ſufficit, negamus tamen id ipſum fieri poſſe, ſi completus deſideretur, & malum ſit gravius.

7. *Regimen ægri inunctione factâ ſummè neceſſarium*; ut nempe optatus ſuccedat effectus, aliqui facilè noxius futuros. Quoad interiora ergò ſolemus manè ſub initium operationis propinare pilulas ex ☿io dulci ad facilitandam eandem, veſperi verò bezoardica propinare, ex tinctura bezoard. eſſ. ℈ij, ♁ diaph. cinnab. nat., ut hoc pacto & corrigamus ſimul medicamentum, & refrænemus ſerum, & defendamus M. S. ſuaviter diaphoreſin procurando. Exterius verò ambiens debet eſſe calidus aer, frigus verò omne cavendum ſtudioſè (completo expetito actu, pro gradu morbi ipſius,) vinum cavendum, & affectus animi omnes graviores.

8. *Muniri prognoſtico intereſt medico etiam quoad medicamenta inprimis, tum alia, tum ☿lia.* Maximè commendat medicum, ſi, quæ fieri debere dixerit, eveniant atque ſequantur, in bonum & malum reſpectivè. Cùm itaque non jucunda penitus ſit hæc ipſa operatio, ſed conjuncta cum moleſtiâ quâdam, adeò ut viſi ſint ſæpè adeò impatientes ægroti, ut & chirurgum & adſtantes interimere minarentur nonnunquam, ſuaſerim, ut exponat prius omnia benè, & opus eſſe tolerantiâ, ſatis eſſe, ſi brevi morâ ſuſtinens moleſtiam pleniſſimè hinc convaleſcat.

9. *Moderandus ſalivationis actus ad εὐφορίαν naturæ unicè* Moderari conantur quidam eundem externis additis. Sic cum 🜈 adminiſtrandum vult. *Meier. de 7. mont. planet. p.* 63. ut calor naturalis excitetur & roboretur, ſicque major excretio fiat; cujus tamen contrarium tuetur *Hartmannus*, ne inflammetur ſanguis. Sic ſi oleum de euphorb. unguentis venereis admiſceatur, per alvi dejectionem & ſudorem, non per profluvium oris vel vomitum fieri evacuationem ſcribit *Lang, l. 3. epiſt. p.* 960. Sed præſtat unguenta dicta ſibi relinquere, nec curioſius illa multiplicare ingredientibus hiſce; ſæpe enim per accidens quæ fiunt, per ſe facta putantur.

Hinc not. non temerè repetendam inunctionem, diſtincto puta tempore, ſi ſalivatio ſufficienter procedens nil juverit ægrum; notat enim id naturæ repugnantiam. Hinc præſtat quoque ægrum non emaciatum eſſe abſtinentiâ & fame. Utut enim quiete & abſtinentiâ multi magni morbi curentur, quæ *Celſi* eſt parœmia; non tamen facilè ipſa hæc curatio lui venereæ abigendæ ſatisfacit, pro cibo non niſi pane biſcocto, & amygdalis aliquot; pro potu, decocto hordei vel alio apto conceſſo. Hinc ſi vomitus inde ſequatur, & id fruſtraneam fore eandem utplurimum denotat. Hinc non inſtituenda inunctio prius, quàm præmiſſis univerſalibus, purgatione, venæ ſectione, imò & alijs. Si enim rectâ ratione adhibitis alijs cedat affectus, non opus eſt ſalivatione; contra ea verò ſi minus reliqua tentata ſufficerint, audacter hanc amplectimur. Hinc ſi fiſſuræ & tumores linguæ ac labiorum, productâ eâdem, ſi deglutitio difficilis, & dolores adſint in faucibus, mel roſatum, gargariſmata modò abſterſoria, modò adſtringentia & mundificantia conveniunt. Interius opiata habent locum, provide adhibita. *Wedelius.*

MASTICHE.

De *Maſtiche* alibi, ſcilicet ſub titulo *Lentiſcus*, Hic tantùm aliquid de ejus *viribus* & *præparatis*.

Maſtiche eſt Gummi Reſina ex albo citrina, pellucida, granulata, bene odorata ex Lentiſco arbore exudans.

Delectus.

Optima cenſetur quæ in Inſula Chio provenit, odorata, candida, inſtar ceræ albæ, ſplendens, adulta, retorrida, friabilis, ſyncera, ſtridens. Reprobatur nigra bitumini ſimilis, viridis, livida, impura. Adulteratur Thure & Reſina pini, ſed odore fraus ſtatim deprehenditur.

N. *Quantò vetuſtior, tantò intenſius citrina agit.*

Vires. *Calf. & ſicc.* 2. *ſubaſtr. emollit, ventriculum roborat. Ujus præcip. in vomitu, nauſea ac fluxu alvi compeſcendo. Obtundit ac corrigit purgantium acrimoniam, reprimit exhalationes ventriculi, quæ caput alias ferire ſolent, [grana aliquot poſt paſtum deglutita,] roborat caput nervoſumque genus, expuitioni ſanguinis ac tuſſi medetur, emendat oris halitum, pituitam è cerebro elicit (maſticando) Extrinſecus uſus ejus creberrimus eſt in dentifriciis, emplaſtris ac cataplaſmatis ſtomachicis.*

N. *Coquitur* ℥ß. ▽ ℔. iii. *vel* v. *daturque pro potu ordinario in Diarrhœa.*

Præ-

Præparata.

1. *Oleum ſtillat. ſ. flavum.* 2. *Oleum rubrum ſeu Balſamus.*

℞. *Maſtich q. v. ſalis parum, (¦.) filic. contuſ. an. deſtilla per* 🝭*m, primò extillat liquor albus -um* 🝆 *flavo, tandem* △*e fortiori,* 🝆 *rubrum, rectifica per* 🝭*m parvam: flavum* 🝆 *ſerva ſeorſim, rubrum deinde & Balſamum nigricantem, itidem ſeorſim.*

Aliter.

℞. *Maſtich.* ℔. ii. *boli pulv.* ℔. ii. 🜈 *q. ſ. impaſta, digere* σ (14.) *dein deſtilla per* 🝭*m* △*e nudo, & prodibit* 🝆 *leve ſupernatans, tum quoque grave & ad fundum ſecedens, utrumq; rectifica cum bolo ac ſale.*

N. 1. *Habes egregium modum Olei albi flavi & rubri prima parte Glauber. p. 36.*

N. 2. *Et aliud ſub titulo Quintæ Eſſentiæ cum ſpiritu Thereb. Myroth. Fabri. Per ſe autem factum Oleum præbet in copia, quod ſi ſuper* ⊖*m rectificaveris, acredinis alicujus erit particeps, additâ verò* ▽ *font. per B. habebitur Oleum flavum S. Cl.ſſ.*

2. *Oleum per deliq.*

Fit in albumine ovi cocti, aëri humido expoſito.

3. *Oleum Maſtichinum coctum.*

Fit coctione maſtich. in Ol. Roſar. omphac. *Vide Diſp.*

4. *Spiritus Maſtichis.*

Eſt liquor albus, [qui in Deſtillatione olei prodit] rectificatus.

5. 🜈 *Maſtichatus.*

℞ *Maſtich. el.* ℔. i. 🜈 *rectif.* ℔ß. *digere* σ (14.) *poſtea affunde aquam fontan. & deſtilla in* MB, 1. *prodit* 〜 *dein* ▽, *quæ nullius uſus,* 〜*m in* MB *rectifica & ſerva.*

N. *Quod remanſit deſtillari poteſt per* 🝭*m, ut profundat* 🝆.

Vires. *Maximè prodeſt in ventriculi imbecillitate ac cruditate, in colico dolore &c.*

6. *Aqua Maſtichina F. F.*

℞. *Maſtich.* ℔. ß. *caryophyll.* ℥ß. *macis* ℥i. *vini albi generoſi* ℔ iii. *deſtilla per Alembicum.*

7. *Pilulæ Maſtichinæ.* Vid. D.

8. *Emplaſtrum Maſtichinum.*

Stomachicum, nervinum, Fietrus arteriæ ſectæ imponit. *Schroderus.*

Maſtiche.) Græc. ῥητίνη σχινίνη. *Reſina Lentiſcina.* Aliàs μαςίχη forſan ἀπὸ τῦ μαςίχαι ῥητίνης, *Reſina Maſtichina.* Germ. *Maſtich.* Officinæ Maſtix. Eſt gummi reſinoſum ex Citrino-album, pellucidum, granulatum, balſamicum ſpirans odorem ex *Lentiſco* exſtillans, qui eſt Arbor procera, ex cujus radice multi ſtolones coryli modo concreſcunt, ramis lentis & flexilibus bracchiati. Folia ab uno pediculo ferè octona cohærent, folijs glycyrrhiza non multum diſſimilia, ſed duriora; Flores muſcoſi plurimi pediculis longis adhærent, quibus baccæ ſuccedunt Ervi magnitudine, initio virides, & ubi maturuerint, nigræ, ſubſtantâ quâdam pingui & nucleo intus nigro & duro turgidæ, Ex hâc arbore *Maſtiche* colligitur & quidem præſtantior, quæ in Chio provenit, candida, ſplendens, odorata, friabilis. Sola enim Inſula Chios, *inquit Bellonius*, inter reliquas *Maſtichen* generat, etſi *Galenus* Ægyptiam commendet, hoc ſiquidem tempore ſcimus in ſolâ Chio reperiri. *Lib. 2. obſervat. cap. 8.*

N. In Italiæ Senenſibus maritimis toto maris Tyrrheni tractu Cajetam uſque & circâ Neapolim *Lentiſcos Maſtichen* producere, ſed non eâ abundantiâ, quâ in Chio & Cretâ Ægei Inſulis, *teſte Melichio comment in El. Arom. Amat. Luſitan. Enarr. 18. in Dioſcorid.*

Delectus. Optima cenſetur &c.) Probatiſſima eſt, quæ nitedulæ modo reſplendens pellucet & Tyrrhenicæ aut Hetruſicæ ceræ candore ſimilis eſt, craſſâ, friabilis & odorata.

N. Ita feliciter in Chio naſcitur, ut non mediocre vectigal quotannis ex eâ cives habeant.; Et refert *Bellonius* primarias Inſularum opes & fortunas ibi conſiſtere, in *Maſtichis*, quam ſola hæc Inſula tam copioſè & largè ſubminiſtrat, collectione, nec minore impenſa & diligentiâ *Lentiſcos* iſthic excoli, quam in Galliâ vites, nec differre Arborem ab eâ, quæ in Galliâ Narbonenſi, tum in Italiâ provenit: majorem tamen in *Lentiſci* arboribus curandis diligentiam ibidem adhiberi *vid. Bellon. Lib. 2. c. 8. obſerv.*

Adulteratur thure & reſinâ pini) Admiſtis reſinâ pineâ, aut thure; ſed ſolâ reſinâ pineâ adulterari poteſt, ut quæ colore albo in concolore *Maſtiche* facilius fallat.

Vires. Calefac. & ſicc. ſubaſtring. emollit, &c.) Unde uſus ejus præcipuus eſt, in vomitu, diarrhœa &c. dum ventriculum roborat & debilitatum ac laxatum in appetendo & digerendo reſtaurat. Unde dicit Prævotius in euporiſtis valdè prodeſſe, ſi quotidiê ſumatur ex ovo ſorbili ʒj. Maſticata catarrhos ſiſtit, & deglutita cum conſervâ roſar. j. veteri in pectus ruentes catarrhos incraſſat. Vomitum, uti dictum, compeſcit etiam cum roſ. ſic. & caryophyllis Indis in vino rubro cocta. Et præterea balſamica ejus virtus in ſanandis ulceribus, ventriculi & inteſtinorum non ſatis deprædicari poteſt. Injiciatur parum maſtichis ſuper carbones ignitos & fumus excipiatur ollâ novâ, imple ollam aquâ vel cruda vel decocta ſecundùm intentionem Medici & operiatur optimè, Suſcipit aqua ſaporem & vires Maſtichis, hoc medicamentum eſt præſtans pro ventriculi debilitate & omnibus alvi fluxibus.

Præparata. Ex Maſtiche præparatur Oleum, Spiritus, Aqua, Pilulæ &c. de quibus vid. *D. Authorem & Johann. Stephani Stolbergeri Maſtichologiam. Hofmannus.*

MATER PERLARUM.

De Matre Perlarum jam ſub titulo MARGARITÆ. Hic tantum pauca.

Mater Perlarum ſeu Margaritarum. *Perlen Mutter.* Mere ou Nacre de Perles. *Mother of Pearles. Moeder van Paerlen.*

Species eſt Choncharum, à Margaritis nomen ducentium, quæ inibi frequentius, quam in reliquis inveniuntur.

Vires. *Præter vires concharum communes ſunt qui vim cordialem huic attribuunt, verum quo ſucceſſu, videant ipſimet.*

Alij antifebrile ex eadem conficiunt, ad modum, quem ſupra ex conchis oblongis dedimus.

Præparata.

[In uſu eſt Mat. Perl. præp.]

[Magiſterium Matr. Perlarum.] *Schroder.*

Mater Perlarum.) Species eſt *concharum*: in quibus Margaritæ reperiuntur, ex hac cum alijs marinis v. g. Ocul. canc. Corall. r. Margarit. Or. conchis oblongis, dente equi marini &c. Magiſterium cordiale conficitur, reſoluti prius acet. deſtil. & poſtmodum ſp. Vitrioli Præcipitatis. Ingreditur *Mater perlarum pulverem antifebrilem D. D. Strobelbergeri. Hofmannus.*

MATRATIUM, *vid.* ſub titulô *Inſtrumenta Pharmaceutica.*

MATRICARIA.

Matricaria à matrice ſeu utero recentioribus dicta,

 quod

quod morbis uterinis conferat, Parthenium Dioſcoridis cenſetur, quod diminutivum eſt à Παρθένος virgo.

Notæ ejus Characteriſticæ ſunt flores velut in umbella, barbulis albis diſcum medium luteum ambientibus.

Nomina. Matricaria *Ger.* vulgaris *Park.* Matricaria vulgò, minus parthenium *I. B.* parthenium I. ſive matricaria vulgaris *C. B.*

E radice alba plurimis fibris emiſſis terram apprehendente caules exurgunt plures, ſeſquicubitales, rigidi, ſtriati, glabri, ſatis craſſi, medullâ fungoſâ referti, folijs crebris, nullo ordine poſitis veſtiti, verſus ſummitates caulium ex alis foliorum exeunt ramuli, in quib. ut & in ſummis caulibus exiſtunt flores pediculis oblongis, plures velut in umbella radiati, non admodum ampli, folijs marginalibus brevibus, albis, diſcum medium flavum cingentibus: folijs marginalibus marceſcentibus diſcus medius extumeſcit: folia velut alata ex duabus tribuſve pinnularum mediæ coſtæ adnexarum conjugationibus componuntur pinnulæ hæ natæ ſunt, inque alias minores circa margines dentatas ſubdividuntur, filicis cujuſdam fere in modum, color foliorum ex viridi luteolus.

Tota planta odorem gravem & vehementem ſpirat.

Junio & Julio menſibus floret ad ſepes & in locis ruderatis.

Matricariæ varietates ſunt.

1. Matricaria flore pleno C. B. & aliorum, ſola floris multiplicitate à vulgari, non ſpecie differt.

2. Habetur & flore nudo, ſeu foliolis radiatis medium orbem cingentibus viduo, flore aphyllo, bullatis floribus aureis Park.

Matricaria odorata I. B. & aliorum, cum nulla alia in re præterquam odore gratiore à vulgari differat, nec ulteriore deſcriptione indiget, nec ſpecies diſtincta cenſenda eſt.

4. Matricaria florum petalis fiſtuloſis majoribus.

5. Minoribus.

Utraque varietas colitur in hort. reg. Paris. & hort. Leydenſi, & ſemini proculdubio originem ſuam debuit, uti bellis minor florum petalis fiſtuloſis.

6. Matricaria cauliculis rubentibus N. D. Hort. Lugd. B.

Vires, Ad uterinos affectus non parum confert (ut vel nomen ipſum arguit) decoctum & potum, menſes & ſecundas remorantes, uteri ſuffocationem, &c. quæcunque amara poſſunt utiliter præſtat: ventris tineas expellit, vel herba ipſa, vel ſuccus ejus expreſſus non ſecus ac centaurium aut abſinthium convenit in arthritide.

Noſtratibus, & Germanis etiam, febrifuga dicitur ab effectu, nonnulli, ut apud Tragum, I. Hiſt. 50. Sapientes mulieres, & Braſſavola in Exam. Simpl. vim purgatricem illi attribuunt, quam Parthenio ſuo Dioſcorides ineſſe prodidit.

Palam eſt apes ferre non poſſe odorem matricariæ: quare Plethorici, quos præ alijs pungunt apes & culices, in hortis ambulaturi optime ſibi conſulent, ſi Serviam ex matricaria ſibi parent & circumferant: Sic enim apes hujus graveolentiâ offenſæ, quaſi manu abactæ, illis non nocent.

Eundem effectum expectare poſſumus à cotula fœtida, S. Paulli quadrip. Botan: Claſſ. 3. p. 390.

Habui à D. Tancred. Robinſon.

Ad Hemicraniam, R. folior. Matricariæ m. j. Calefiat in ſartagine, & bis aut ter calidi vertici applicetur. Cheſneau ex libro Arcano rum matricaria cruda impoſita capitis vertici mitigare ejus dolores ſæpiuſculè ſolet S. Paullus.

Parare ex ea & floribus chamomillæ cum tantillo artemiſiæ decoctum ſuevi, à cujus uſu hyſterica ſymptomata illico ceſſare, & lochia abunde fluere ſæpe comperi, idem *RAJUS.*

MATRISYLVA.

Peryclimenum dici putatur quaſi περικυλιόμενον, quia adminiculis ſe convoluit & ſcandit. Caprifolium quòd folia ſint extremis flexibus capreolata. Lob. Adv.

Deſcriptio periclymeni apud Dioſcoridem, excepta radice, quam craſſam ac rotundam dicit, caprifolio noſtro vulgari ſatis benè convenit, verùm ob radicem diſparem ambigitur an noſtrum periclymenum non ſit potius κυκλάμινος ἑτέρα Dioſc. l. 2. c. 195. quam κιννάνθεμον aut κινόφυλλον vocitant, verum de nominibus diſputare, noſtri non eſt inſtituti, ſufficit nobis caprifolij & periclymeni nomina pro hac planta uſu recepta eſſe.

Vires, Vehementer calefacit & deſiccat, id quod guſtu etiam ipſo deprehenditur, ſiquidem folia in ore aliquandiu retenta & deguſtata, ardorem & acrimoniæ ſenſum linguæ imprimunt, unde rectè colligitur ea attenuantis, digerentis, diſſolventis qualitatis eſſe: tantum abeſt ut eorum decoctum ad oris fauciumque tumores & inflammationes incipientes in collutionibus & gargariſmis utile ſit; prout, inveterato errore, nequicquam reclamantibus medicis, à vulgo hactenus ea uſurpante creditum eſt, idem dicendum de aqua foliorum aut florum deſtillata, quæ ad eoſdem uſus à vulgo frequentatur, non in Anglia tantum ſed & in Germania; forte locum habere poſſit in tumoribus faucium à frigidis humoribus ortis.

Recentiores autem eaſdem ferè vires caprifolio ſuo tribuunt quas veteres periclymeno, exicare enim ipſi tradunt ulcera humida & ſordida, ſanare impetigines & alias cutis fæditates, lienem abſumere, difficultati ſpirandi conferre, partus celeritatem facere, calculos pellere, faciei maculas abſtergere &c. J. B. Cœterum matriſylva in eorum unguentorum uſum venit quæ ad capitis vulnera parantur, vide Matth.

Liquorem periclymeni ſtillatitium cum ſemine lavendulæ ſolitus eſt ad partum facilitandum ad ℥ii. vel iii. propinare Rondeletius.

E caprifolij floribus conficitur oleum Jaſmini ſuccedaneum S. Paullus quad. Bot. Claſſ. 2. p. 39. 40. *Rajus.*

Maturantia, vid. *Pepaſtica.*

Mayz, vid. *Triticum Indicum.*

MECHOACAN.

Nomina. Convolvulus Americanus Mechoacan dictus. Jeticucu Braſilienſibus ſeu radix mechoacan *Marggr.* Bryonia mechoacana alba *C. B.* Bryonia alba Peruana ſive mechoacan *Park.* Mechoacan *I. B.* Marggr.

Caulis ſarmentoſus eſt, longiſſime ſerpens & ſcandens, multangularis, lentus, ruffus, etiam viridis, folia ſolitarie poſita, quodlibet in ſuo pediculo digitum longo, figuram habens cordis uti pingitur, duabus ad latera auriculis, tenera ad tactum, unum, duos, tres & quatuor dig. longa, ſaturatè viridia, inferius nervo & venis tranſverſis conſpicua; nullum autem præter herbaceum habent odorem folia trita: caulis verò inciſſus lacteum ſuccum præbet: florem fert convolvuli magnitudine & figurâ, unico folio conſtantem, album cum pauco incarnato dilutum, intus autem purpureum. Semen continet piſi magnitudine, fuſci coloris, verùm haud rotundum, ſed quaſi duæ particulæ exſectæ eſſent, ita ut fere triangularis ſit figuræ, radix medium aut integrum pedem longitudine æquat, craſſities plerumque eadem, & ut plurimum dupla & bifida eſt, una par-

parte breviore altera, exterius obſcure cinerea ſeu fuſca, recens reſinam quandam fundit & eſt interius alba.

Hæc eſt deſcriptio Marggravij: cui ut oculato teſti & veraci fidem potius adhibemus quam alijs ſibi minus compertaex aliorum relatu ſcribentibus: unde Mechoacanam veram & genuinam eſſe Convolvuli ſpeciem Minimè dubitamus: non autem Bryoniæ, ut vult C. Bauhinus: nam quæ Monardes habet de fructu, Coriandri magnitudine, racematim cohærente, ex aliorum relatu ſcribit, non *αὐτοψίᾳ* edoctus.

Mechoacana ſylveſtris Monardis à deſcripta non aliter videtur differre quam ut planta ſylveſtris à culta ejuſdem ſpeciei.

Miſſa ſunt Cluſio ex Hiſpanijs duo ſeminis mechoacan genera: unum brevi calyculo ſive ſiliquâ, ſemineque nigro, quale eſt ſcammoniæ aut convolvuli majoris: alterum oblongiore aliquantum calyculo & ſemine ruffo, quam ſuperius longiore teneriore que; utriuſque ſiliqua parte interiore lanuginoſa erat, poſterior ſpecies forte eſt quam Monardes deſcribit, flore mali aureæ, quinque petalis conſtante majoribus, ſubfulci coloris, è cujus umbilico protuberat calyx ſive veſicula quædam avellanæ magnitudine, membranâ conſtans tenui, albicante, quæ in duas cellulas tenuiſſimâ pelliculâ ſecretas dividitur & in ſingulis bina grana, ciceris exigui magnitudine, colorem per maturitatem nigro, guſtu inſipido, continentur: hæc etiam Convolvuli ſpecies videtur, quamvis (ut ſuſpicor) flos minus rectè deſcriptus ſit: ſemen etiam nigrum; quo differt à Cluſiana ſecunda, prior Cluſſij ſpecies eadem videtur Marggravianæ.

Mechoacana à provincia ubi primo reperta eſt nomen obtinuit: poſtea tamen in multis alijs Americæ meridionalis regionibus, ut v. g. Nicaragua, Quito, Braſilia, inventa eſt;

Plantæ quas deſcribit Fr. Hernandes pro radice Mechuacanica Tachuache nomine, floribus oblongis, coccineis, fructu peponis formâ & magnitudine, lanugine obducto candenti, ac ſemine albo referto, tenui, latoque non ſine bombycinis quibuſdam filis, argenteis & lentis, ab omnibus à Monardo & Marggravio propoſitis diverſæ videntur, & Apocyno potius affines quam convolvulo.

Ex inſula novæ Hiſpaniæ mechoacan dicta, unde delata eſt, & nomen obtinuit hæc radix, de ejus facultat. Libellum ſingularem edidit Æg. Everartus Antuerpiæ, 1587. ut & Jac. Gorræus gallice Pariſijs, de eadem ſatis prolixe agit Monardes in Simp. Ind.

Vires. Pituitoſos, aquoſos ſeroſoſque humores ex toto corpore, ac imprimis ex capite nervoſoque genere, ac pectore blande ac ſine moleſtia educit: addunt alij purgando etiam partes roborare: quin & bilem flavaſque hydropicorum aquas purgat, ex quo ipſo cognoſcitur (inquit Caſp. Hofman) quam non ſit mite medicamentum.

Tuſſi veteri, colico dolori, arthritidi, lui venereæ plurimum confert, quia tamen calida & ſicca, monet Schroderus, ne in calidis conſtitutionibus ejus uſus ſit continuus.

Sumitur in ſubſtantia fere tantum, ſumendo pulverem ipſius cum liquore idoneo, præſertim vino, quamvis etiam cum juſculo ſumatur in decocto non datur; nam experientia compertum eſt, coctione vim ipſius perire & exſolvi, liquor non ſolus exhibendus eſt, ſed pulvis infuſus C. Hofm. Liquorem etiam ſolum purgare ſcribit.

In pulvere ſervanda non eſt: ita enim ut in alijs vis ipſius facile exhalat, pulvis ſit craſſiuſculus.

Doſis à ʒß. ad ʒj. aut ij. corrigitur cum cinnamom. Aniſi aut maſtich. tertia parte.

Eligatur recens, intus albicans non tamen candida, cortice cinereo tecta, non carioſa. *Rajus.*

Mechoacana, quæ nonnullis *Rhabarbarum album*, alijs *Scammonium Americanum* dicitur, ſpecies Bryoniæ exoticæ in India Occidentali provenientis, eligatur albicans ac recens, ponderoſa & inſipida; improbatur nigra, carioſa, & valdè candida.

Adulteratur radicibus Bryoniæ in taleolas ſectis, & ad formam Mechoacanæ reſiccatis. Dolus teneritudine Mechoacanæ deprehenditur, cum bryonia ſubſtantiam longè rudiorem ſit nacta. *Auguſtani.*

Præparata. *Mechoac.*

1. *Extractum Mechoacannæ*

Extractum ut alia extracta parari poteſt cum 🜄, vel ſecundùm Quercetan. (*in Pharm. reſt. c. 25.*) cum 🜄 aliqua Epatica, e. g. Endiviæ, ſucco Limoniorum vel Citriorum acidula reddita. Alij parant cum aceto *Hartm. in pract.* verùm minus rectè, quippe vis purgatrix hac ratione obtunditur.

Doſis ad ʒj.

N. *Nihil lucri in hoc Extracto præ pulvere habes, præterquam quod diſſolvi in liquoribus poſſit.*

2. *Extractum Mechoacannæ compoſitum.*

℞. *Rad. Mechoac. el. non carioſæ* ℥iii. *turpeth. gummoſ. & ab.* ℥j. *zinziberis albi* ℥ii. *polypod querni* ℥ß.

Inciſis groſſo modo, extrahe digerendo cum 🜄 opt. & 🜄 Beton. (quæ ab Aloë eſt abſtracta, ſi adſit) an. ℔ß. exprime fortiſſimè, fæcibus relictis, aliam affunde 🜄m Betonicæ, macera iterum ac exprime, expreſſis liquoribus adde Mannæ puriſſ. ʒii. Scammon. mund. ʒj.

Agitando miſceantur, adde

🝆 ⊕i, g. v. ☍ Cinam. gr. iii.

Redige ad conſiſtentiam extracti.

Vires. *Panchymagogon eſt, omnes humores noxios ſimul educens, præcipuè autem ſeroſos.*

Doſis ℈j. plus minus. *Hart. in Croll.*

[Parantur etiam Morſuli de Mechoacanna.]

[Fecula Mechoacæ.] *Schroderus.*

Meconium, vid. *Opium.*

MEDICA.

Medica natales ſuos ipſo nomine fatetur, locumque undè venerit vocabulum indicat, inquit J. Bauhinus. Externa olim Græciæ (verba ſunt Plinij) à Medis eſt advecta per bella Perſarum, quæ Darius attulit: hinc Gentile nomen obtinuit.

Gallis *Saint foin* & *Foin de Bourgogne* & *grand Treffle* dicta eſt: Onobrychis autem vulgaris *Lucern* ſeu *Lucerne*; quam Auctor Hiſt. Lugd. perperam confundit cum Medica ſativa. Hinc patet quanto in errore verſentur tam ſpermatopolæ, tum etiam Agricolæ noſtrates, qui pro Fœno ſancto ſeu Burgundiaco, Onobrychidis ſeu capitis Gallinacei ſemen habent.

Hoc genus ſiliquis paucioribus volutis intortis, iiſque non contiguis ſibi invicem ſed paulò remotioribus à Medica minore annua differt.

Nomina. 1. Medica major erectior floribus purpuraſcentibus *J. B.* Trif. Burgundiacum *Ger.* Fœnum Burgundiacum, ſive Medica legitima *Park.*

J. B.

Valdè quàm luxuriat, obſequioſo fœnore cultorem fovens, caulibus ut numeroſis ità prolixis: folia terna, oblonga, per extremam oram, quæ obtuſa eſt, cre-

na a: flores copioſi, velut in ſpicam digeſti, purpuraſcentes: ſiliquæ cornu caprini inſtar contortæ, in quibus ſeme minutum & candidum. Radix ſubeſt longa, tenuis lignoſa, in multos annos vivax.

Circa *Genevam* & *Avenionem* in Provincia in agris ſatam vidimus pro jumentorum pabulo. Circa *Monſpelium* ſpontaneam obſervavimus.

Siliquæ ejus intortæ quidem ſunt ſed paucioribus volutis, iiſque non contiguis ſibi invicem ut unum glomerem efficiant, ſed paulo remotioribus.

Nomina. 1. Medica fruteſcens, ſive flavo flore Cluſij, *Park.* Medica ſylveſtris *J. B.* Trifolium luteum ſylveſtre ſiliquâ convexâ, vel Medica fruteſcens *C. B.* Trif. ſiliquâ cornutâ. *Ger. emac.*

Clus.

Multos ex eadem radice profert ramos, cubitales aut longiores, humi plerumque fuſos, teretes, viminales & flexibiles, in multas alis diviſos: Folia terna uni petiolo inhærentia, legitimæ Medicæ folijs reſpondentia, & dorſo eminente, ſed longè minora. Flores in extremis ramulis confertos, alterius floribus formâ pares, flavo tamen colore, non inodoros: cornicula deinde plana, contorta, corniculorum legitimæ Medicæ inſtar, anguſtiora tamen quàm illa: in quibus grana ſativæ granis ſimilia continentur, ſed paulo minora. Radix legitimæ radici par, craſſiuſcula, latè ſparſa, fibroſa, perennis, ſingulis annis novos caules profert.

In montoſis & campis patentibus inter ſegetes, inque aggeribus terrenis floret Junio & Julio.

Flore purpuraſcente ex viridi variantem obſervavimus propè Nordvicum urbem, niſi fortè ea fuerat Medica legitima, cum hac ſpecie promiſcuè orta, quæ eo loci copioſſimè provenit.

Medica ſativa & legitima non modo in varijs Hiſpaniæ locis ſpontè oritur, ſed etiam diligenter colitur in pecudum pabulum, ſed maximè equorum, vice Fœni communis, quippe quod propter ubertatem ſingulis annis pluries demeti poſſit. Gallis, ut diximus *Saint Foin de Bourgogne* dicitur, inque meridionalibus Galliæ regionibus rigua ſua prata ejus ſeminibus conſerunt, ter eundem ſingulis annis ſecantes, reſtibili radice & inexhauſta fœcunditate Agro pingui & bene ſtercorato delectatur; è contra Onobrychis arido & glareoſo ſeu ſabuloſo, edito tamen. Quomodo noſtrates harum duarum plantarum nomina permutâruut, ſuperius diximus. Moriſonus, & rectè, nobilibus & Viris generoſis conſulit, ut ex agro Turnonenſi aut Burgundiaco ſeminum involucra cochleata (aut ipſa ſemina nuda) Fœni verè & propriè Burgundici *Saint Foin* dicti acquirant, & ſerant in agris ſuis, quæ cum triplici fœnore perſolvent ipſis pretium, modo in agris benè ſubactis & pinguibus ſeratur. Cum enim apud Gallos ter quotannis ſecetur, quidni etiam hic in Anglia? ubi terra pinguior magiſque rigua & ubi humor magis abundat ex frequentibus imbribus. Qui in Hiſpania rem obſervarunt (annotante Camer. in hort.) ubi quotidianus ejus uſus eſt, referunt nullo cibo tam viridi, quam arido, priùs magiſque lætari, ſaginari & pinguefieri jumenta pecuſque omne, parcius tamen dari, quoniam inflat, & multum ſanguinem creat. Agrum ſtercorat ac adeo ſuavis eſt ac nutriens, ut pecus arcere neceſſe ſit, nè vel difrumpatur aut ſanguinem detrahere oporteat. Animalium vitijs pleriſque medetur; Ad Maciem mularum, ut Columella prodidit, nulla res tantum quantum Medica prodeſt. Semen (ut tradit Dioſc.) ſiccatum jucundi ſaporis gratiâ conditaneo ſali admiſcetur. Vide quibus refrigeratione opus eſt illitu ſuffragatur. *J. B.*

Semel ſata in multos annos durat: Plinius tricenos inquit, (mendum in codice ſubeſſe ſuſpicor,) rectiùs Palladius denos. *Rajus.*

MEDULLA *in Genere.*

Medulla in *Mineralogia* par em molliuſculam denotat quæ in ſaxis nonnunquam reperitur. In *Phythologia* mediam cujuſlibet plantæ partem molliorem & ſpongioſam ſignificat, quam & cor matricemve appellant. In *Zoologia* adipem ſignificat in oſſium medietate contentam: vel molliorem illam ſubſtantiam quæ in ſpinâ dorſi ac craniô eſt.

MEDULLA ANIMALIUM *in ſpecie.*

Μυελος, *Medulla* eſt pinguedo oſſium cavitatibus, velut nutrimentum, inſita.

Suntque Officinales.

Medulla bubula ſeu bovilla, canina, cervina. Equina, hircina, hædina, ovilla, vitulina.

Vires. *Calefacit, emollit, rarefacit, ulcera explet. Hinc proficuus medullarum uſus in tumoribus induratis & ſcirrhoſis, &c.*

N. *Optima habetur cervina, dein vitulina: Medulla Hircina & bubula tum acrior eſt, tum ſiccior, ideoque ad molliendum minùs idonea.*

Eſt & medulla ſpinæ dorſalis cerebrique, id eſt, ſubſtantia molliuſcula in cavitatibus eorum collocata.

Verùm excepto cerebro leporino, reliquæ uſus ſunt rariſſimi.

Præparata exinde fieri poſſunt præcipua, Aquæ ſtill. & Oleum. *Scroderus.*

MEL.

De *Melle* jam ſub titulo Apis; hic itaque tantum de *Mellibus* quibuſdam *compoſitis.*

Mel Anacardinum Alzaravij *Pharm. Aug.*

℞. *Anacardia recentia i. e. ſucculenta atque vetuſtate non corrupta, tere, & in aqua ſufficiente quantitate decoque, donec melleum ſuccum in aquam depoſuerint, mellis conſiſtentiam redige.*

Memoriæ jacturam reſarcit, labantes ſenſus reficit, oblivionem diſcutit, ac mentem acuit; morbis cerebri frigidis & humidis conducit, nervorumque reſolutioni opitulatur.

Fuchſius paulò aliter deſcribit: Anacardia enim trita in aceto juſtæ quantitatis diebus ſeptem infundit, octavo die lento igne ad medietatem decoquit, & per linteolum colat, in ſucco autem mel juſtæ quantitatis ad ſpiſſitudinem decoquit.

Mel Anthoſatum ex *eâdem Pharmac.*

℞. *Mellis roſati ſimplicis ad majorem ſpiſſitudinem cocti* ℔ III. *florum roriſmarini recentium contuſorum* ℥. VI. *ſtent in infuſione, loco calido, horis viginti quatuor, deinde exprimantur, & fiat colatura, ut artis eſt.*

Colicos ac uterinos dolores mitigat, cerebri, cordis & ventriculi vires auget, & crudam in inteſtinis, ac circa meſenterium pituitam digerit ac flatus diſcutit: additur in enemata, ubi pareſis ex colica metuitur, nervoſas enim partes à noxis defendit.

Mel Elleboratum è *Pharmac. Londinenſi.*

℞. *Rad. ellebori albi ſiccarum & conciſarum* ℔ j. *aquæ limpidiſſimæ* ℔ XIV. *poſt infuſionem triduanam, coque paulatim ad medias; factaque diligenti expreſſione, recoque in melleam conſiſtentiam, cum mellis albiſſimi* ℔ III.

Mel

Mel Emblicorum è *Pharm. Aug.*

℞. *Myrobalanorum emblicarum numero quinquaginta, contundantur mediocriter, & decoquantur in libris tribus aquæ ad conſumtionem librarum duarum: reſiduo colato & clarificato addatur mellis deſpumati tantundem, & ad juſtam conſiſtentiam coctio inſtituatur.*

Cor, cerebrum, jecur, nec non ventriculum confortat, corporis odorem commendat, ac hilaritatem parit.

Mel Menthæ ex *eadem Pharmac.*

℞. *Succi menthæ purificati* ℔ II. *mellis optimi deſpumati tantundem, coquantur ad juſtam conſiſtentiam.*

Ventriculum frigidum fovet, Coctionem adjuvat, ac pituitoſos faucium tumores diſcutit.

Idem *Zvvelferi.*

℞. *Aquæ menthæ odoriferæ ſine additione ex balneo noſtro vaporoſo ſtill.* ℔ j. *cui denuò menthæ recentis odoratæ librâ unâ additâ, ex balneo noſtro vaporoſo aqua deſtillando proliciatur, quâ interim aſſervatâ odoriferâ & ſpirituoſâ aquâ accipe mellis puriſſimi ſatis craſſi, & legitime uti ſupra edoctum extracti lib* IV. *cui immergantur menthæ recentis minutim conſciſſæ* ℥ x. *vel* ℔ j.

Factáque maceratione loco calido, vaſe probè clauſo, ſeptimana una circiter, fiat colatura cum forti expreſſione, mel expreſſum interim aſſervetur: jam verò ex reſidua mentha expreſſa additis adhuc menthæ recentis lib. j. & ſucci menthæ recenter expreſſi & depurati ℔ Iß.

Fiat cum ſuffic. q. aquæ ſimplicis affuſâ, decoctum forte, quod colatum & purificatum leniter evaporet, ad conſiſtentiam & ſpiſſitudinem ſatis craſſam, inſtar electuarij, hoc porrò cum ſuperioris aquæ ſpirituoſæ ſuffic. quant, nonnihil diluatur, ac ſuperiori melli menthæ, quantum ad debitam ſuam conſiſtentiam ſufficere videbitur, jungatur.

Efficax eſt in affectibus ventriculi & inteſtinorum, doloribus colicis & hyſtericis, tum per os aſſumptum, tum etiam gutturi inferiori immiſſum opitulatur.

Mel mercurialis è *Pharm. Aug.*

℞. *Succi mercurialis* ℔. iij. *mellis puri ac optimi* ℔. Iß. *coquantur, & deſpumentur, ut artis eſt.*

Eaſdem cum ſyrupo vires obtinet, magis tamen abſtergit, ideoque alvum (ubi enematibus inditur) felicius ſubducit.

Mel Mororum, vid. *Diamoron.*

Mel Nucum, vid. *Dianucum.*

Mel paſſularum ex *Pharm. Aug.*

℞. *Uvarum paſſarum* ℔ IV. *aquæ* ℔ XII. *inciſæ paſſulæ macerentur horis viginti quatuor in aqua, deinde coquantur ad remanentiam tertiæ partis: colentur & ad mellis conſiſtentiam coctione redigantur; ob quam vocatur mel paſſularum.*

Pectoris vitijs, præcipuè verò deſtillationi acri, & calidæ à ſalſis humoribus obortæ conducit, aſperam arteriam lenit, & humectat, expectorationem promovet, tuſſim itidem, ac raucedinem mitigat.

Mel Roſatum ſimplex è *Pharm. Aug.*

℞. *Roſarum rubrarum recentium* ℔ IX. *contuſæ infundantur in aquæ fontanæ puræ & calentis* ℔ XII. *per horas viginti quatuor; colaturæ* ℔ V. *addantur* ℔ IV. *mellis, coquantur ſimul, ut artis eſt.*

Ventriculum roborat, detergit, viſcidoſque ſuccos & crudos coquit & expurgat: putredini oris, prout & gingivarum tonſillarumque inflammationibus adverſatur.

Mel Roſatum Meſuæ è *Pharm. Aug.*

℞. *Roſarum rubrarum nondum penitus apertarum* ℔ II *mellis optimi* ℔ VI. *coquantur lento igne ſecundum artem.*

Id vulgus quondam plerumque expetijt ac uſurpavit: eodem raucedines mitigare, aſperæ quoque arteriæ, columellæ, faucium & gutturis noxas depellere, edoctum.

Mel Roſatum Citratum, ex *eadem Pharm.*

℞. *Mellis roſati ſimpl. ad perfectionem cocti* ℔ II *huic, dum adhuc à coctura fervet, infunde cort. citri recentium & extimorum* ℔ j. *ſtent in infuſione per menſem, poſtea mel transcoletur ac reponatur.*

Frigidis ventriculi & cordis affectibus eximiè ſuccurrit; abſtergit, tenuat, concoquit: corruptionem humorum, eorundemque putredinem arcet, ideoque oris fœtorem corrigit, requiritur potiſſimum ad Compoſitionem oxymelitis hell. borati à Juliano deſcripti, & à Geſnero magnis encomijs celebrati.

Mel Roſatum Laxativum, *ex eadem Pharm.*

℞. *Prædictæ infuſionis roſarum ſimpl.* ℔ VI. *mellis* ℔ II. *conficiatur ſecundum artem.*

Eaſdem, quas ſyrupus roſatus vires poſſidet.

Mel Saponis è *Pharmac. Bateana.*

℞. *Sapon. com. mellis ãã* ℥ IV. ⊖ 🜿ri ℥ ß. ▽ *fumar.* ʒ II. *m. ſ. a.* Coſmeticum eſt, inſerviens apprimè manibus & faciei lavandis ac dealbandis, valet etiam in ambuſtis, inflammationibus, podagra, &c.

Mel Scilliticum *Pharmac. Londin.*

℞. *Scillam adultam & ſucci plenam numero unam, tota fruſtatim comminuatur, & in vaſe vitreo, ore arctè clauſo, & pelle obducto, quadraginta dies, libere exponatur ſolis radiis; ante ſcilicet & poſt exortum canis, viginti, tum demum vas aperiatur, ſuccumque in fundo collectum cum optimo melle condiendum.*

Mel Violatum, ex *Pharm. Aug.*

Fit, ut mel roſatum ſimplex.

Refrigerat, lenit, & humectat, alvumque emollit: inditur potiſſimum enematibus, ubi bilis & caloris acrimonia levanda aut obtundenda eſt.

Mel Violatum Solutivum ex *eadem Pharm.*

Fit eodem modo, quo Roſatum ſolutivum.

Syrupo jam dicto viribus adfine eſt: inditur potiſſimum enematibus, ubi febres cum alvi adſtrictione moleſtæ ſunt.

Mel

Mel Roſatum Agaricatum è *Pharmac. Norinberg.*

℞. *Agarici albiſſimi* ℥vi. *infuſionis roſarum ſolutivæ, mellis optimi ana.* ℔iv.

Colata coquantur l. a. ad juſtam Conſiſtentiam.

Mel Roſatum Anthoſatum, ex *eâdem Pharmac.*

℞. *Mellis roſati ſimplicis* ℔ iii. *florum roriſmarini recentium m.* vi.

Stent in infuſione in loco calido, horis viginti quatuor, ac factâ expreſſione, fiat colatura, & coquatur ſecundum artem.

Mel De Tuſſilagine, ex *eadem Pharmac.*

℞. *Radicum farfaræ lib. j. contuſa bene coquantur, colentur, addendo mellis lib.* ii.

Coquantur ad juſtam conſiſtentiam.

MELAMPYRUM

Μελάμπυρον à μέλας & πύρος, ex tritici enim mutatione naſcitur melampyrum, ut ex melino nigrum fiat, teſte Galeno, nos ejuſmodi in plantis ſpecierum tranſmutationem dari non concedimus. Cæterum Melampyrum dictum putamus, quod ſemen ejus triticeum referat magnitudine & figurâ, colore nigro differat; cum autem inter ſegetes tritici frequens naſcatur, ejuſque grana triticeis ſæpenumero admixta ſint, hinc orta occaſio fingendi ex tritici mutatione naſci. *Triticum vaccinum* dicitur quod granus paſtus ſit bobus & vaccis ſaginandis.

Uſus, Melampyrum (inquit I. Bauhinus) nondum quod ſciamus, in Medicina uſum obtinuit, ſed plerumque negligi ſolet. Scribit Cluſius, eam in occidentali friſiæ ſeu Flandriæ parte, (ubi copioſiſſimum ait) panem vitiare, & atriorem reddere: quinimo eos qui eo veſcuntur plerumque capitis gravedine tentari, ſolere, non ſecus ac ſi lolio victitaſſent: ego ſemine hujus ſæpius quidem panem tinctum obſervavi, ſed nullum pravum ſaporem ei adferre deprehendi, nec inſalubriorem à ruſticis ideo thaberi animadverti, nec eam ullo modo ſeparare ſtudent, quin & Tabern. qui admodum ſapidum panem ait, ſe ſine ullo nocumento ſæpe comediſſe teſtatur.

Gratus paſtus bubus & vaccis ſaginandis, ut non incongruè forſan pabulum bovinum aut vaccinum quis nuncupare poſſit. J. B. *Rajus.*

MELANAGOGA.

Sunt Medicamenta Melancholiam purgantia; de quibus *vid.* ſub titulô *Purgantia.*

Melanthium, vid. *Nigella.*

Melicratum, vid. *Hydromel.*

MELILOTUS.

A μέλι & λωτός quaſi lotus mellea, vel à flavo colore florum, vel ab odore melleo quem ſiccata emittit; vel, ut vult Io. Bodæus à melleo ſapore, qui in caule ejus & radice deprehenditur dum comeduntur: verum hæ de meliloto Ægyptiaca intelligendum.

Notæ hujus generis characteriſticæ ſunt flores penduli in ſpicis è foliorum alis egreſſis, ſiliquæ ſeu folliculi breves, ſcabri rugoſive.

Vires, Leniter reſolvit, digerit, emollit, dolores ſedat, hinc emplaſtris & cataplaſmatis digerentibus ac reſolventibus nec non concoquentibus tum & acopis omnibus utiliter admiſcetur, utuntur ea vulgò officinæ pro vera veterum meliloto.

Ad pleuritidem mitigandam hunc fotum prodeſſe experiemini. R. herbæ meliloti, parietariæ, veræ ana m. ij betonicæ m. j miſta & decocta in aqua ſæpe pectori ſuperponantur. Simon Paullus

Emplaſtrum de Meliloto Meſue egregium eſt anodynum, diſcutiendo non flatus tantum, ſed & frigidam craſſamque materiam in tumoribus externis, necnon hepatis lieniſque.

Cum Dioſcorides dixit meliloton eſſe boni odoris, intelligendus eſt de exſiccata herba, quia nullum fere odorem virens habet, ſed quum aruerit fragrantiſſimum, quod neque Theophraſto prætermiſſum. Lib. 6. de cauſis plantar. Sertula (inquit) campana ſiccata plenius olet. Marantha.

Trifolium caballinum Camer. & Italis dicitur, quia equi herbam hanc avidiſſime in pabulum ſequuntur, apud nos etiam in Anglia ſubinde ſeritur pro equorum & jumentorum pabulo, *Rajus.*

Melis, vid. *Taxus.*

MELISSA.

Meliſſa. Dicitur hæc herba quia odore ejus apes delectantur in tantum, ut ſi ſucco ejus alvearia linantur nunquam diffugiant.

Folijs atrovirentibus calaminthæ majoribus odore citri, floribus in udo pediculo è cujuſque folij ſinu egreſſo pluribus confertis, non ut in calamintha ſparſis, à reliquis hujus familiæ diſtinguitur.

Vires, Meliſſa inter herbas cordiales recenſetur; hinc melancholicis tantum non appropriata eſt; triſtitiam depellit, ſomnia procreat læta, ſenſuſque acuit; hinc in ſyncope & palpitatione Cordis magnas habet laudes apud Foreſtum & alios: commendatur à Rondeletio in paralyſi, morbo caduco vertigine alijſque cerebri frigidis affectibus cum vino cocta, aut macerata & bibita: à Gratarolo in confortanda memoria, & ingenio acuendo quocunque modo comedatur; in remoratis menſibus & lochijs puerperarum, ſuffocatione que uteri & flatibus magni uſus eſt, emendat inſuper fœtorem anhelitus.

Mulierculæ in gallia turiones teneros tuſos ovis, ſaccharo & roſaceo excipiunt, placentulaſque pinſunt parturientibus puerperis & enixis quibus vires impediendo dejectæ fuerint & ſecundæ non probè eductæ.

Extrinſecus uſus eſt in uterinis balneis, cataplaſmatis &c. ictibus venenatis apum, veſparum &c.

Pro officinis monente C. Hofmanno, colligenda eſt tempore verno, & extra florem ad quem ubi pervenit jam cimices olet.

Ad maniam, R. fol. meliſſæ m. j minutim incidantur & infundantur in ſp. vini ℥iv. add. margarit. p p. ʒ ß. Doſis cochl. ij. erat arcanum familiæ cujuſdam Monſpelienſis. Riverius.

Si formulam Medicamenti melancholiam refrænantis expetatis (inquit Simon Paullus) hanc accipite. R. Conſerv. Meliſſæ ℥j. borraginis, bugloſſæ ana ℥ ß. Confectionis Alkermes ʒj. cum ſyr.

ſyr. quinque aperientium, cujus jugi uſu præmiſſis univerſalibus recordor à pertinaci Melancholia Virginem Sanitati priſtinæ reſtitutam, quæ inſuper chloroſi laborabet.

Noſtrates Mulierculæ Melliſſæ decocto menſes ſibi concitant & proritant. Novi unam & alteram quæ ſatis feliciter ſibi menſes proliciunt Meliſſâ recenti tibialibus vel ſandalijs ſolùm inditâ. Simon Paullus.

Multi cordis tremore laborantes, jam derelicti à medicis curati ſunt ſola Aquâ Meliſſæ cum manu Chriſti m. ad conſiſtentiam ſatis craſſam, tempore paroxyſmi largius adhibitâ.

Quam etiam in epithemate ſeu potius cataplaſmate adhibitam, imitatione Helidei de Padoanis Medici Bononienſis & præceptoris ſui mira effeciſſe notavit. P. Foreſt. Lib. 17. Obſerv. 1. ex Obſervat. Jeremiæ Martij. D. Soame. *Rajus.*

Meliſſa Saracenica, vid. *Molucca.*

MELISSA TURCICA, ſeu MOLDAVICA.

Nomina. Meliſſa Turcica *Gerardi.* Turcica multis dicta *J. B.* Turcica flore cæruleo & albo *Parkins.* Peregrina folio oblongo, *C. B.*

J. B.

Odor & ſapor Meliſſam argunt; at folia in caulibus ramoſis, quadratis, ſubrubentibus, cubitum & ſeſquicubitum altis, quàm Meliſſæ vulgaris longiora & anguſtiora J.B. Seſcunciam (imò duas uncias) longa, vix ſemunciam lata (imò inferiora in planta vegeta unciâ latiora) Lobelius Chamædryis & ſcordij folijs ea comparat, per ambitum ſerrata, in acutum deſinentia. Flores verticillatim geniculis circumnaſcuntur, cærulei vel albi, labello bifido, bifidoque cucullo breviore, biniſque alis exiguis conſtant, ex ſpinoſis radiatis caliculis exeuntes. Semen nigrum, apicello albo, dum adhuc recens eſt conſpicuo, inſigne.

Hæc planta ex *Moldavia* ad nos primum delata eſt, ubi ſponte per ſe provenit. Obſervante Parkinſono, ſemine ſata cærulea albave, colorem non mutat; ſed quæ flore eſt cæruleo producit perpetuo plantas flore cæruleo; quæ flore albo, plantas flore albo; quod ſe per viginti minimùm annos in horto ſuo expertum affirmat: ideoque has duas varietates ſpecie diſtinctas eſſe contendit, nec præter rationem. *Rajus.*

Stomachum, cerebrum, cor & uterum corroborat; venenis & animalium venenoſorum morſibus reſiſtit.

℞ Folijs hujus plantæ conficitur Eſſentia mirandarum in omnibus prænominatarum partium affectibus virtutum; propterea autem minutim conſciſſa in vas vitreum immittuntur, ſuper affundendo vini albi optimi, q. ſ. ut duos emineat digitos: vas obturatum reponitur ad ſolem ut ejus calore materię contentæ coquantur per aliquot dies, unde poſtea educuntur & colantur cum forti præli expreſſione. Expreſſo nova folia adjunguntur, materiaque ad ſolem cocta reexprimur, eundem laborem ter repetendo. Tandem vinum hoc probè filtratum deſtilletur organis vitreis in MB. donec in fundo remaneat eſſentia ad conſiſtentiam melleam redacta, quæ in vitro conſervetur. Eſt autem Medicamentum inſigne in affectibus prædictis ut & ipſâ peſte ac peſtifero contagio ſi ad ℥i. in juſculo pulli, vel aquâ cordiali exhibeatur. *Fælix PASSERA in Theſauro novo Italico arcanorum pharmaceuticorum.*

MELONES.

Hoc genus (inquit C. Bauhinus) Palladius Melones quaſi μηλωνας, i. e. pomeos à malorum figurâ appellavit, vel forte ab odore. Semine albo, anguſto, oblongo nuclei pinei æmulo cum cucumere convenit; fructu majore non ſpinoſo, Moſchum redolente, carne delicata ab eodem differt.

Vires, Melones quamvis in delicijs habentur apud gulæ proceres, eorum tamen pulpa frigida eſt & humida, in ventriculo putreſcere aptâ, febribus ac torminibus generandis idonea, ego facile Dodonæo conceſſerim Melones difficilius concoqui quam cucumeres, quantumvis J. Bauhino contrarium videatur, ob carnem odoratam; quodque ipſe qui ventriculo laboravit frigido & pituitam coacervante, non ſemel obſervaverit, cucumeres ſibi facile nocere, ventriculo difficulter eos concoquente, ructu diu poſt eſum eoſdem reſipiente; cum Melones ſemper ſine manifeſta commederit noxa, at nos è contra nullum unquam ex eſu cucumerum nocumentum ſenſimus, at ex Melonum maximum non ſemel; quocirca hæc fortaſſe idioſyncraſiæ tribuenda ſunt. Ne Melonum caro in ventriculo vitietur & noxam inferat, cùm ſale & pipere comedenda eſt (alij ſaccharo ſolo utuntur,) & vinum copioſe ſuperbibendum.

Semen eſt è numero quatuor frigid. maj. cùm quibus viribus in omnibus convenit. Lac melonum præſtantiſſimum in febribus ardentibus remedium cenſetur. Seminum autem medullam aquâ fontanâ aut alio aliquo liquore conguo prius contuſam per cribum ſetaceum emulgent anguſtiſſimum, aut pannum adinſtitutum accommodatum, ſeminis hic cremor febrientibus utiliter, teſte Matthiolo, ex hordeacea ptiſana propinatur, datur etiam tuſſientibus, tabidis & maraſmo affectis, atque etiam contra urinæ ardores valdè prodeſt, *Rajus.*

Menſes Provocantia, vid. *Emmenagoga.*

MENSES SISTENTIA.

1. *Menſes ſiſtentia ſunt, quæ ὀργασμὸν ſive turgeſcentiam tollunt ſanguinis & ſeri, ſive menſtruam, ſive aliam extraordinariam quoque.* Non minus ſcilicet frequenter in praxi occurrit menſium immodicum profluvium, quam ſuppreſſio menſium. Licet enim in fœminis, quod inſtar regulæ valet, minus timenda ſit ſanguinis etiam largior profuſio, quod, ob ſanguinis ſeroſiorem ſtatum, illam præ maribus ferre magis innoxiè poſſint; attamen id non negligendum, tum propter ſymptomata, lipothymias præſertim urgentes ſæpiſſimè, tum in futurum propter inde exorituros morbos, niſi præcaveantur.

Præſtant ergò id generatim & propriè talia, quæ motum ſanguinis refrænant, acrimoniam & impetum exundantem coërcent, tenuitatem, fluxilitatem & turgeſcentiam tollunt, adeoque figunt & congelant. Uno verbo adſtringentia, ſuperius jam abunde expoſita.

Cùm verò ὀργασμὸς hic ſupponat quantitatem ac reſpectivam copiam, ſive in ſe & effectivè talem, ſive affectivè quoad qualitatem, unde expanſus & rarefactus alveis & poris ſuis exundat, nec è vijs communibus in proprias recipi poteſt, notandum eſt in genere, ipſa hæc adſtringentia magis deberi poſteriori caſui, minus priori, unde obſervavimus in praxi, ad immodicum menſium fluorem pro ὀργασμῷ illo, ſine quo nunquam fiunt, nimio tollendo opus eſſe depletione quantitatis oneroſæ. Depletionem verò optimè præſtare venæ ſectionem in brachio, non in pedibus, quæ & divinum eſt tunc remedium, & niſi admini-

miniſtretur hac ipſa, tantum abeſt, ut adſtringentia ſola proſint, ut potius non rarò majorem fluxum cieant, quatenus conſtringendo vaſa vias minores reddunt, impetum verò quantitati debitum retundere neſciunt. Ut non poſſunt menſes promoveri niſi præſente quantitate ſanguinis ſufficiente; ita non ſiſti niſi abſente, quod cuivis experienti liquidum erit.

2. *Menſes ſiſtunt, quæ ſal volatile & ſulphur ſanguinis intenſius rarefacta & expanſa, quantum licet, deprimunt & ſerum concentrant.* Faciunt id acida, auſtera, & nitroſa quoque, habito ſaltim ad uteri fibras reſpectu, præcipue in nitroſis, nam fluxilem reddunt magis ſanguinem. Sic uſurpavimus cum ſucceſſum Tinct. ♂is adſtringentem vel ſolam, vel cum Tinct. corall. remixtam, interpolatam cum pulvere ſtyptico anodyno, quæ duo vel ſola ſuffecerunt utplurimum. Sic infuſa quoque locum habent ex concentrantibus ſimilibus, quale deſcribit *Rolfincius in ord. & med. comment.* Sic & Tinct. antiphthiſica ad 15. 20 gtt. data adſtringit menſes. Hæc enim & dictam exequuntur intentionem, & ſerum concentrant, quod in omnibus ſanguinis floribus neceſſarium eſt. Interim tamen exterius vires refocillandæ ſunt ipſis excitantibus, ut balſamo hyſterico, ∾u ſalis ammoniaci, aquâ apopl. amar. acidâ & ſpirituoſâ cum caſtoreo, pennis perdicum accenſis &c. ſi lipothymiæ, ut fit graviori caſu, ingruant.

Contra ea vitanda ſunt ſtrenuè, quæcunque ſal volatile & ſulphur ſanguinis adaugere vel rarefacere magis poſſunt, ut vinum, aromata, adeoque tenuium partium, motus ipſe, quæ frequentiſſimè & exuſcitant & propagnant affectum. Addi prioribus etiam poſſunt potiones diluentes & temperantes, qualis eſt *Sylviana* ad omnes hæmorrhagias communis, ex aquâ v. g. centin. burſ. paſt. torment. plantag. cum corall. præparat. lap. hæmat. ſang. drac. laud. opiat ⋇ & ſirup. myrtin. ſubinde cochlear unum vel alterum dando.

3. *Menſes ſiſtunt quæ & ſanguinem concentrant, & archeum, tonum & villos uteri roborant placantque.* Certum eſt & menſes immodicos fieri non ſolum ſanguinis, & ſed & uteri culpâ, quatenus non retinet, ſed plus juſto hiat, & ἀνασόμωσις ejus naturalis plus quàm par eſt continuatur; cum ſanguinis tranſeuntis culpâ antecedente, tum debilitate conſequente majori. Patiuntur menſium fluxum immodicum ſcorbuticæ & hypochondriacæ frequentiſſimè, quorum ſerum acrius eſt, ſanguis verò minus γλίσχρος & glutinoſus, unde ἀθρόως tranſit nec proprijs illis particulis viſcidis aditum ſibi, uti aliàs ſolet, præcludit.

Not. hoc loco, duplicem occurrere in praxi menſium fluxum immodicum, unum continuatum & velut ordinarium productum, ubi tempus longius & quantitas major egeritur; alterum impetuoſum. Vidimus inter alias & curavimus fœminam, jamdum ſeneſcentem, quæ ſæpius, plurium tamen menſium intervallo menſibus non viſis, hinc ſimul & ſemel vaſtiſſimam quantitatem ſanguinis profundebat, unde totum corpus, facies, manus & pedes albiſſima & omni quaſi ſanguine exhauſta, apparebant; idque iterum fiebat, quando onerabatur ſuperfluitate regenerata corpus, ſaltim reſpectivâ.

Proſunt hunc in finem, præter adſtringentia, ſimul traumatica, unde inſtar omnium eſt, pulvis ſtypticus noſter. Propinari etiam poteſt utiliter eſſentia traumatica, & unguentum comitiſſæ ad pubem & dorſum applicatum, prodeſt & fragaria pubi applicata. Memoravimus etiam alibi euporiſton ad menſes immodicos ex centinodio. Cumque martialia inſigniter ſanguinem roborent, præ alijs ex uſu ſunt. Hæc nempe ſingula archeum roborant, vaſa nimis hiantia, laxa, eroſa, patula conſtringunt, glutinant & firmant. Spectant huc & balnea, roborantia & exiccantia, ſed infidum præſidium, niſi præſervandi fine, extra tempus fluxus, quod ferè magis valet de diutiùs interpolatis menſibus, quàm alio caſu. Solet enim ferè repetitione citiori hoc profluvium moleſtum eſſe, ita ut & ſingulis menſibus quaſi bis revertatur, & longius ſive per plures dies duret. Uſi etiam ſumus aliquando liquore ſtyptico ipſo, loco peſſi cum linteamine adhibito.

4. *Menſes ſiſtunt ſæpe non tam adſtringentia, quam aperientia, licet impropriè & per accidens.* Aperientia ſcil. in ſuâ latitudine, quatenus & amurcam venarum fracidam abſtergunt, erodentem, ac findentem acrimoniam ſcorbuticam, & limo extorſo anguſtatum priùs ſpatium dilatant, ut liberius in alveis decurrens ſanguis non cogatur ad exundandum, exceptis aloeticis, & quæ menſes propriè movent, myrrhatis, crocatis, elixir proprietatis &c. Non rarò enim obſtructionibus vaſorum meſaraicorum ſanguis ferocit magis, & exitum per loca aliàs conſueta affectat. Hinc in graviori & ſolenniori malo utile & neceſſarium deprehendimus (1.) uti martialibus, in formâ ſicca & humidâ, pulvere cachectico, M. S. antiſc. martiali, Tinct. ♂ cydon. arcano tartari martiali, Tinct. martis ſolari dictâ & alijs antiſcorbuticis temperatioribus. (2.) Adhibuimus purgantia ipſa, ad ſerum ὀργασμῶδες deplendum; niſi enim ſerum corrigatur, fruſtra eſt curatio omnis. Una cauſa præcipua morbi eſt in ſero acriori; una cura præcipua, in hoc mitigando, concentrando, divertendo & evacuando. Nec timendum eſt, purgantibus hiſce fluxum excitatum iri, modò extra tempus paroxyſmi dentur, nec ſint hæmagoga, colocynthiaca &c. (3.) quin & ſudorifera utiliſſima eo caſu ſunt, ex antimonio martiali cachect. bezoard. ♂li ♁io diaphoret. bezoard. minerali, terrâ lemn. cornu cervi philoſoph. &c. Hoc niſi fiat, fruſtra ſunt adſtringentia, non ablatâ ſcilicet cauſâ materiali, & ſtimulo illo perpetuo. (4.) Nec fonticuli eo caſu ſunt de nihilo, exitum ſero quantitate & motu cumprimis peccanti largientes.

5. *Menſes ſiſtunt, licet itidem impropriè, fœtum roborantia in gravidis.* Inſtar regulæ nempe eſt, quandocunque in gravidis fluunt menſes, excepto planè extraordinario caſu ſingularis ἰδιοσυγκρασίας & abundantiæ, tunc vel fœtum actu debilem eſſe, vel talem futurum. Eo caſu ergò fruſtrà itidem fuerit, ſolis adſtringentibus uti, vel opiatis, ſed ipſe fœtus vel roborandus eſt, vel tutandus, ut Tinct. & pulv. corall. medicamentis cordialibus, perlis, ebore præp. aquâ cinamom. boragin. meliſſæ, balſam. embryonum, præcipuè exterius quoque, ne dimittat de ſe alimentum debitum, & hinc fatiſcat & marceſcat.

Eodem caſu quoque laudatiſſima eſt venæ ſectio, quæ hinc in medijs menſibus, imò etiam ultimo quandoque locum habet, licet quoad repetionem illam cauto opus ſit. Servavimus hoc pacto ſpem uteri integram non ſemel. Menſis octavi initio fœmina primaria menſium eruptionem ſentiebat, cum metu abortus. Factâ venæſectione, & interius propinatis roborantibus temperatis & ſtypticis, fœtus reſtitit quatuor integras hebdomadas, ſalvus hinc editus & incolumis. Alia vomitu cruento laborans ultimo menſe, factâ V. S. in brachio, brevi poſt feliciſſimè enitebatur infantem, adhucdum in vivis exiſtentem.

6. *Fluori albo primarò abſtergentia & roborantia (lympham,) ſecundariò aſtringentia conveniunt.* Obi-

Obiter nempe & de illo dicere voluimus, ne vel menſes decolores, albive cum fluore albo, ſiquidem omninò differunt, & antecedendo, conſequendo, concomitando menſes, quod variat, manifeſtò oſtendit, non in menſibus ſed alibi quærendam eſſe fontinam hanc, nempe in glandulis, in lymphâ uteri ichoreſcente. Optimè proſunt hinc ſuccinata ſive pulveris formâ, cum ebore præp. lapid. cancrorum, corall. caſtor. ſive eſſentiæ cum bezoardicis, eſſentiâ lignorum, anodynâ &c. Curavimus aliquando fluorem hunc ſolo magiſterio oculorum cancrorum, cum oleo aniſi, item elixir uterini aliquibus doſibus. Eodem ſpectat roſmarinus & ſimilia, ſeri vigori reſtituendo debita. *Wedelius.*
verū ad hunc fluorē albū pluries expertā habemus aquā panis Jo: Ernesti per aliquas auroras sumptā ad ℥÷ vel ℥j

MENSTRUUM, vid *Inſtrumenta Pharmaceutica Interna, ubi in ſpecie de Menſtruis* ſub titulo INSTRUMENTA PHARMACEUTICA.

Hic tantum Menſtruum *Boylei* non corroſivum.

℞. Panis ſecalini domeſtici q. l. conſcinde teſſelatim, & parum arefacto reple retortam, & ex arena gradatim deſtilla. Poſt deſtillationem ſepara oleum à liquore, & liquorem ſerva; extrahit tincturam corallorum abſque calore, & perficit quod ab acerrimis & maximè corroſivis menſtruis vix expectandum.

MENSURA.

De *Menſuris* & *Ponderibus* Medicis cum vix alius æque accuratè ſcripſerit ac vetus *Maſſarius* cujus tractatum hoc in Argumento jam anno 1584. innumeris mendis repurgatum Conradus Generus vulgavit. Illum integrum hic exhibemus in curioſi Lectoris majus commodum, cui omnino neceſſaria eſt variarum menſurarum & ponderum antiquorum cognitio, ut cum fructu legere poſſit Medicos Auctores. Sit itaque.

Dominici MASSARII *Vincentini* de Ponderibus & Menſuris Medicinalibus Tractatus libris tribus comprehenſus, *ex Græcis, Arabicis & Latinis rei Medicæ Scriptoribus diligentiſſime conſcriptus, non Medicis modo, ſed omnibus Literarum Linguarumque ſtudioſis perutilis futurus &c.*

Liber Primus, qui Pondera & menſuras ordine Alphabetico breviter explicat.

Aben eſt menſura, quæ obſervatione communi, habet olei quidem uncias viginti: vini vel aquæ duas & viginti cum Sicilico paulò minus: mellis triginta. Obſervatione vero Attica olei uncias ſexdecim, cum duabus tertijs: vini vel aquæ decem & octo, paulo minus obolo ſcilicet: mellis autem quinque & viginti. Vide tractat. 3. cap. 44. Kiſt Romanum aliâs.

Acetabulum menſura eſt Drachmarum decem & octo obſervatione communi: ſecundum Atticos, quindecim tantum. Olei autem menſuram exprimimus ſolam, quoniam ſi vel vinum vel aquam, aut mel metiri voluerimus, major erit ſecundum proportionem ſuperius dictam in Aben, & in tractatu tertio latius explicandam. Vide in Kaſſuf & Oxybaphum. Tract. 3. cap. 20. & 22. Et obiter lib. 3. cap. 2.

Acſati, vel *Acſat* idem quod ξέϛης Græcè, aut Sextarius Italicus Latinè, & eſt menſura Cotylarum duarum, pondere uncias decem & octo capiens olei: vini vel aquæ viginti: mellis ſeptem & viginti: obſervatione communi: quoniam apud Atticos ſubſeſquiquinta proportione minor eſt. Hanc Arabes etiam Kiſt Italicum vocant. Vide in Sextario tract. 3. cap. 10. Et obiter lib. 3. cap. 2.

Acſeit idem quod Acſati, lib. 3. cap. 10.

Acſuneſſum (vel Acſuneſſi) idem quop Acetabulum vel Oxybaphum: interdum Acſuſſi (vel Acſaſſi) legitur, & eſt menſura apud communes Drachmas decem & octo pondera capiens olei: vini vel aquæ viginti: mellis ſeptem & viginti. Apud Atticos vero olei quidem quindecim tantum: vini vel aquæ ſexdecim, cum duobus Scrupulis: mellis duas & viginti ſemis. Vide tract. 3. cap. 20. & 21. & 22. in verbis Oxybaphum & Aneſimen. Et obiter Acſaſſe l. 3. c. 2.

Adar uncia dicitur. tract. 2. cap. 59.

Alcaubolus, aureus eſt pendens octo obolos: ſcrupulos ſcilicet quatuor communes. Apud Nicolaum vero pendet ſcrupulos ſcilicet quatuor ſemis: obolos autem ſeptem ſemis. A communibus enim operibus (ponderibus) Nicolai pondera plurimum differunt, ut tractatu ſecundo planè docebimus. Vide tract. 2. cap. 53.

Alchi Arabicè, idem quod ὁλκὴ Græce, Latine Holca vel Drachma, vide tract. 2. cap. 44. 45. 56.

Alchilati (alias Alkilat) eſt Kirat, pondus granorum ſcilicet quatuor. tract. 2. cap. 10.

Alcovanus, aureorum duorum, ſeu ſcrupulorum octo pondus eſt, unciæ pars tertia. Vide tract. 2. c. 56.

Alcuatus, menſura drachmarum duodecim, dicta Latine Cyathus, id eſt, uncia & ſemis obſervatione communi. Apud Atticos vero drachmas decem tantum pondere continet. In verbo Cyathus, tract. 3. cap. 24.

Alduruch vel *Aldorach* (alias quoque Duruch & Doruch) Italicum eſt, amphora Italica, vel Keramion Italicum, menſura ſcilicet pedis quadrati, octo & quadraginta capiens ſextarios. Habet autem olei libras duas & ſeptuaginta: vini vel aquæ octoginta: mellis, centum & octo. Vide in verbo Amphora tract. 3. cap. 4. Alduruch vero vel Adorach abſolutè, ſine determinatione prolatum, capit libras tres tantum. Vide ſupra.

Alhemen, idem quod Alheminon mox.

Alheminon (alias Alhemion & Alhemen) eſt mina Græca, drachmas pendens centum, uncias ſcilicet duodecim ac ſemis. Tract. 2. cap. 69.

Almuneſi, Cyathus dicitur, menſura ſcilicet, quæ pars eſt ſextarij duodecima: pondere autem unciam & mediam capiens olei communi obſervatione: aut drachmas duodecim. Vide in Cyatho, tract. 3. cap. 24.

Alſacrajati magna quid, lib. 2. cap. 57.

Alſatil, ex Principe, ſimiliter uncia. tract. 2. c. 61.

Amphora duplex, Italica & Attica. Italica menſura eſt duarum urnarum tantum capax: Attica, trium: quæ & Cadus & Metreta nonunquam dicitur. tract. 3. cap. 2. 3. & 4.

Aneſimen, idem quod Oxybaphus lib. 3 2. & 21.

Anulus, idem quod Obolus, lib. 2. 18.

Arme, Alias Harme, ſcrupulus. tractat. ſecundo cap. 25.

Artaba menſura Ægyptia, capiens modios tres Italicos, & modij partem tertiam. tract. tertio cap. 48.

Aſſabaſa idem quod Nux: & eſt duplex magna & parva, Magna quatuor decim capit obolos apud Arabes: apud ignotum vero Græcum, ſemiunciam. Parva, ſeptem aut ſex. In verbo Sextarius Arabicus, tract. 2. cap. 57.

Aſſatis, uncia. tract. 2. cap. 60.

Atogochilos, drachma eſt. tract. 2. c. 43 & 67.

Avellana drachmam ſignificat. tract. ſecundo: cap. 2. 48. & 49.

Auguen, uncia eſt. tract. 2. cap. 59.

Aureus multiplex eſt: Communis, Nicolai, Venetus, Atticus. Eſt unciæ pars ſexta. tract. 2. c. 51. & c. 46. & cap. 1.

Autulus, idem quod Kiret, & pendet hordei grana quatuor. Tract. 2. cap. 1. & 9.

Bachates parva, Myſtrum parvum commune, eſt menſura ſcilicet drachmas capiens ſex pondere: ſed ſecundum Atticos quinque tantum. Tract. tertio. cap. 29.

Bachile (id eſt, Faba) idem quod Balanus. Tract. ſecundo. cap. 35.

Bachileon, idem. Ibid. cap. 33.

Balanus, eſt drachmæ medietas: idem quod Cochlear minimum. Tract. 2. cap. 32.

Beſſis vel Biſſe & Bes, & unciæ octo. Vide in verbo Libræ partitiones, Tract. 2. cap. 64.

Biſſiliqua, duplicata ſiliqua, pondus eſt granorum octo hordei. Nam ſiliqua granorum quatuor pondus eſt. Quare biſſiliqua, idem eſt quod Danich. Tract. 2. cap. 1. & 15.

Bondacate, menſura quæ Cyathus dicitur, Cotylæ pars ſexta. Tract. 3. cap. 26.

Cadus, eſt Attica Amphora, tres capiens urnas, duos vero & ſeptuaginta ſextarios ſcilicet Italicos. In verbo de Sextario, Tract. 3. c. 2. 4. & 10.

Calyx, Cotylæ, medietas, unciæ ſcilicet quatuor ſemis Tract. 3. cap. 15. & 18.

Canos (alibi Conos) Cyathus eſt. Tract. tertio. cap. 32.

Caſſitium (alias Caffitium) vel capitium, menſura Cypria, Cotyla vel hemina, quod idem eſt, ſextarijs ſcilicet medietas. Apud aliquos videtur libra. Tract. 3. cap. 23.

Cerates, ſemiobolus eſt, id eſt, grana ſex, verius tamen idem quod ſiliqua grana ſcilicet quatuor, ut ſcripſit Simon. Tract. 2. cap. 13.

Ceratium, id eſt, ſiliqua, pondus eſt granorum quatuor. Tract. 2. cap. 12.

Chalcus (Arabibus, Keſtus, & Keſtuf, Tuſſus vel Tuſſugi) eſt Keratij vel ſiliquæ medietas, quod idem eſt, grana ſcilicet duo tantum pendens. Tract. 2. cap. 1. & 6. & 7.

Chaus, lib. 3. cap. 2.

Cheme, vel χημη, Chema vel Chima, obſervatione communi eſt Myſtrum parvum commune, drachmas ſcilicet ſex pondere capiens. Apud Atticos autem drachmas duas ſemis tantum. Tract. 3. cap. 28. in verbo Myſtrum commune parvum.

Chemeraſis (id eſt, Faba) Alexandrina, drachma media. tract. 2. cap. 1. & 30.

Chinica, idem quod Chœnix ex Dioſcoride. Tract. 3. cap. 13.

Choa Græce, Latine Congius vel Chus, menſura ſextariorum Italicorum ſex, pondere libras habet novem. Tract. 3. cap. 2. & 6. in Chus.

Chœnix ex Dioſcoride, Cotyle tres: ex ignoto Græco & Priſciano Cotylæ octo, ſextarij ſcilicet quatuor Italici. Tract. 3. cap. 12. & 6.

Chous vel χοεὺς Græcè, menſura quæ amphoræ Italicæ pars eſt octava, ſex continens ſextarios Italicos. In verbo Chus vel Congius. Tract. tertio. cap. 2. & 6.

Cianes, menſura obolorum quinque vel ſex. Obſervatione communi drachmam pondere continet: apud Atticos obolos quinque tantum. Tract. 3. cap. 34.

Coanuſum, menſura Cyathorum duorum, pars tertia Cotylæ, quæ & pugillus dicitur, pondere capiens uncias tres: eſtque idem quod & Myſtrum magnum commune. tract. 3. cap. 27.

Coatus, Cyathus. In verbo Cyathus, Tract. 3. c. 24.

Cochlear multiplex: magnum, maximum, parvum, minimum. Cochlear magnum menſura eſt Myſtri communis parvi, pars quarta pondere, drachmas ſemis capiens vel duas. Tract. 3. cap. 38. & cap. 2.

Cochlear maximum, cyathi communis pars tertia pondere, ſemiunciam capiens, drachmas ſcilicet quatuor. Tract. 3, cap. 39. & c. 2.

Cochlear parvum (quod aliquando Flagerim) menſura, quæ Myſtri communis parvi pars eſt ſexta, drachmam capiens pondere. Tract. 3. cap. 2. 37. & 40.

Cochlear minimum (aliquando Fahaliel) quod eſt menſura minima, duodecima pars eſt Myſtri parvi communis, ſemidrachmam pondere capiens. Tract. 3. c. 2. 36. & 41.

Colananos, cochlear. tract. 3. cap. 42.

Conchula, drachmam & mediam pondere capiens, eſt menſura. Tract. 3. c. 2. in verbo de Cochleari minimo omnium menſurarum prima.

Congius, menſura ſextariorum ſex, heminæ ſcilicet duodecim. Tract. tertio. cap. 2. & 6. in verbo Chus.

Conos, id eſt, Cyathus. Tract. 3. cap. 24. & 32. & Tract. 2. cap. 19.

Corboni vel Corbonus, menſura dicta Cotyla. tract. 3. cap. 2. & 11, in Cotyla.

Cotyla (vel Cotillum,) menſura unciarum novem, id eſt, cyathorum ſex, obſervatione communi: & eſt medietas ſextarij. tract. 3. cap. 2. 1. & 24.

Cuabium (aliàs Cuabus) ſimiliter Cyathus. tract 3. cap. 25.

Culeus menſurarum maxima, amphoras Italicas viginti continet. tract. 3. cap. 2. & 3.

Cumulus, vel Anulus, obolus. tract. 2. c. 18.

Cyathus, Cotylæ pars eſt ſexta. Habet autem pondere drachmas duodecim apud communes: apud Atticos vero decem tantum. tract. 3. cap. 24. & 26.

Daguanich, idem quod Danich. tract. 2. c. 14.

Dunich granorum eſt octo pondus: drachmæ communis pars nona, quæ & Biſſiliqua dicitur. tract. 2. cap. 1. 6. & 16.

Darchimi Arabicè, Græcè (δεǫχμή) Latinè drachma. tract. 2. cap. 1. 23. & 46.

Darchimia, vel Darchimet, idem & ibidem. tract. 2. cap. 45.

Denarius aureus, hexagium vel ſtagium: tract. 2. 42. in verbo Numus aureus.

Denarius argenteus drachma ſive numus. tract. 2. cap. 41. de aureo, lege tract. 2. cap. 1. & 42.

Deunx unciæ undecim. tract. 2. cap. 64. in verbo Libræ partiones.

Decunx, & *Deunx*. 2. cap. 64. in verbo Libræ partitiones.

Dichalcon granorum quatuor pondus eſt, duos capiens Chalcos: idem quod Kirat, vel Keratium, (Kerarit, Autulus, ſiliqua.) tract. 2. cap. 1. & 6. in verbo Chalcus.

Dodrans, unciæ novem. tract. 2. cap. 64. in verbo, ut ſupra Libræ partitiones.

Dorach Italicum, vel Duruch, amphora eſt Italica. Vide ſupra Aldorach vel Aldurach, & infra, tract. 3. cap. 4. in Amphora.

Dorach. Arabum, ſextarij duo, l. 3. cap. 2.

Drachma multiplex, communis, Attica, Veneta, & Nicolai, ut ſequetur.

Drachma communis, unciæ communis pars octava, duo & ſeptuaginta capiens grana, ſcrupulos tres, obolos ſex. tract. 2. c. 37.

Dra-

Drachma Nicolai, unciæ ſuæ pars nona, ſcrupulos ejuſdem tres, obolos quinque tantum capit, grana ſexaginta. tract. 2. cap. 1. & 38.

Drachma Veneta, unciæ pars octava, obolos ſimiliter quinque, & grana ſexaginta capit. tract. 2. cap. 1. & 38.

Drachma Celſi major, duo & octoginta grana capit, duaſque grani ſeptimas. Tract. 2. cap. primo. & 1. & 39.

Drachma Attica ſex & quinquaginta grana cum duabus octavis capit, obolos vero quatuor, cum duobus tertijs oboli, paulò plus quam duas octavas grani. Tract. 2. cap. 1. & 40.

Duella, unciæ pars tertia, ſcrupuli ſcilicet octo, vel aurei duo communes, grana centum duo & nonaginta. Tract. 2. cap. 1. & 54. 55.

Duruch, lib. 3. cap. 2. & 4.

Eberie idem quod Enib. Tract. 3. cap. 46.

Ejub (ſunt qui Enib legant) menſura eſt Kiſt Romanum vocitata, olei quidem uncias viginti capiens: vini vel aquæ, duas & viginti cum Sicilico paulò minus: mellis triginta. Tra. 3. cap. 44. 45.

Ecſuneſſi, lib. 2. cap. 22.

Emina, Vide Hemina.

Exagium (vel potius Aureus) ſcrupulos pendet quatuor. Tract. 2. cap. 42. in verbo Numus aureus, & cap. 51. in verbo Aureus.

Faba, pondus de quo leges tract. 2. cap. 35.

Faba Syra (Cyriaca) oboli quatuor, ſcrupuli ſcilicet communes duo: aut grana octo & quadraginta. Tract. 2. cap. 31. & 36.

Faba Græca, oboli duo, ſcrupulus ſcilicet communis, hoc eſt, grana quatuor & viginti. Tract. 2. cap. 1. & 27.

Faba Alexandrina, drachma media communis, hoc eſt, grana ſex & triginta, aut oboli tres. Tract. 2. cap. 1. & 29. Itemque cap. 30. ubi Kemeraſi etiam pro Faba accipi videtur.

Faba Ægyptia, quod Alexandrina. Tract. 2. cap. 1. & 31.

Faclanarium vel Paclanarium, cochlear parvum, id eſt, drachma. Tract. 3. cap. 43. in verbo Paclanarium.

Fabaliel, cochlear eſt minimum, drachma ſcilicet media. Tract. 3. cap. 41.

Fiala, menſura eadem quæ & Cotyla, uncias novem pondere continet olei: vini vel aquæ decem, mellis tredecim & ſemis obſervatione communi. Tract. 3. cap. 2. 16.

Flagerim, cochlear parvum pondere, drachmam capiens. Tract. 3. cap. 40.

Goanuſus, Cyathorum duorum menſura. Tract. 3. cap. 1. 27.

Gormia Arabicè, eſt ſcrupulus communis, oboli ſcilicet duo: grana quatuor & viginti. Tract. 2. cap. 1. & 23. (Nomen à Græco Gramma videtur corruptum.)

Gramma Græcè, idem quod Gormia. Tract. ſecundo cap. 1. & 24.

Granum ex ponderibus minimum, lib. 2. cap. 1.

Guanchus, ſcrupulus. Tract. 2. cap. 22.

Harme (alias Arme) ſcrupulus, nomen à Græco gramma, ut videtur corruptum. Tract. 2. c. 22.

Hecſuneſi Avicennæ idem quod ſcrupulus lib. 2. cap. 22.

Hemina nomen eſt ponderis & menſuræ libro 2. cap. primo.

Hemina, Cotyla eſt, ſextarij ſcilicet medietas pondere: unciæ novem olei: vini vel aquæ decem, mellis tredecim & ſemis. Tract. 3. c. 2. 10. 11. 14.

Hemion, Lege Alhemion.

Helagium, Vide Exagium.

Holca, à Græcis dicitur, quæ & drachma iiſdem. Tract. 2. c. 44. & 81.

Johem A abite, Congius eſt, menſura ſcilicet ſextariorum ſex libras novem capiens. Tract. 3. c. 6. in verbo Chus.

Kararit apud Arabes, pondus eſt granorum quatuor: idem quod Kirat, Siliqua aut Dichalchum. Tract. 2. c. 1. & 8.

Kasfuf (aliàs Kaſſuf) Oxybaphus, Acetabulum idem, Cotulæ pars quarta pondere, drachmæ decem & octo: aliquando Kiſſuf legitur Tract. 3. cap. 22.

Kasfitium vel Kaſſitium, menſura quæ Cotyla videtur. Tract. 3. c. 23.

Kejellati, Cotylæ medietas, unciæ ſcilicet quatuor & ſemis. Tract. 3. c. 15.

Kemeraſis Alexandrina, idem quod Faba Alexandrina, lib. 2. c. 30.

Keramion Italicum apud Græcos, eſt Amphora Italica, octo & quadraginta capiens ſextarios. Tract. 3. cap. 4. in verbo Amphora Italica, & lib. eodem cap. 2. 3.

Keratium, idem quod Kirat, aut Dicalchoin. Tract. 2. c. 1. 6. & 14.

Kermet, ſcrupulus eſt communis. Tract. 2. cap. 26. Nomen à Græco gramma corruptum videtur.

Keſtuf, (aliàs Keſtus ut cap. 1. lib. 2.) Chalcus eſt, granorum ſcilicet duorum pondus. Tract. 2. c. 6. & 7. in Chalcus.

Kilat, Lege, Alkilat.

Kirat pondus granorum quatuor. Tract. 2. cap. 8. poſt verbum Dichalcos, & alibi, ut lib. ſecundo cap. 1. 9. 10. 11.

Kiſt Italicum, menſura dicta Sextarius Italicus vel Xeſtes Græcè, Cotylas duas continens. Vide Tract. 3. cap. 2. & 8. in Sextarius Italicus: &, De Sextario licet. Item capitibus 44. & 46. in vocabulo Aben & Eberio.

Kiſt Romanum uncias viginti capit olei. Vide ubi ſupra.

Kiſt Atticum, menſura quæ olei quidem capit uncias quindecim: vini vel aquæ ſexdecim cum duabus tertijs: mellis autem duas & viginti ſemis. Tract. 3. cap. 9.

Koſtuf, id eſt Chalcus. Tract. 2. c. 6. & 7.

Libra multiplex. Communis, Attica, Nicolai, Veneta, quarum diſtinctionem vide Tract. 2. de Libra agnoſces. Tract. 2. cap. 1. & 62. Plura item de libra leges capitibus 63. 64. 65. ejuſdem tractatus. Libra communis & Celſi conveniunt, lib. 2. cap. 2. Libra vero Nicolai & Venetorum differunt ibidem.

Lupinus, drachmæ eſt medietas. Tract. 2. cap. primo. & 34.

Manes, vel Manei, vel Manij, mina. tract. 2. cap. 68. (Vocabula corrupta ſunt à Mina Græco.)

Medimnus eſt menſura duas Italicas continens amphoras medias, ſcilicet ſex, hoc eſt, ſex & nonaginta ſextarios. Tract. 3. c. 47.

Mena, mina, ubi ſupra. Tract. 2. cap. 68. & lib. 3. cap. 11.

Meſtrum idem quod Myſtrum, liber. tertio. cap. 17. & 2.

Metreta duorum & ſeptuaginta ſextariorum menſura: idem quod Cadus & Attica amphora, tres capit urnas. Tract. 3. cap. 4. & 10. in Sextario licet.

Mina Attica, drachmas quinque & ſeptuaginta, quæ & libra Attica dicitur, ubi ſupra, l. 2. c. 66.

Mina Italica, vel Aegyptia, libram cum triente, id eſt uncias ſedecim, ibid.

Mina Romana, eſt unciarum viginti. Ibid. in verbo, Mina multiplex.

Miſſobaos, eſt Congij medietas, pondere, libræ quatuor ſemis. Tract. 3. c. 7.

Mna, μνᾶ Græcè, quam noſtri minam vocant, communis ſcilicet drachmas centum pendet. Tract. 2. c. 67.

Modius, Vide Tract. 3. c. 49.

Muchitrum, idem quod myſtrum, l. 3. c. 2. & 17.

Muneſi, Lege Almuneſi.

Myſtrum magnum commune menſura eſt, ſextarijs pars ſexta, Cotylæ tertia. Capit autem pondere olei uncias tres: vini vel aquæ uncias tres, & ſcrupulos octo: mellis uncias quatuor ſemis. Tract. 2. c. 23. & Tract. c. 17.

Myſtrum magnum Atticum, ſcrupuli decem, oboli viginti. Tract. 3. c. 30. De Myſtro Attico rurſus, Tract. 3. c. 33.

Myſtrum parvum commune, eſt Cyathi medietas, pondere vero drachmas habet ſex. Tract. c. 23. & tract. 3. c. 28.

Myſtrum Atticum parvum, oboli quindecim. Tract. 3. c. 31.

Nabach, Drachma eſt, aut drachmam pendet. Tract. 2. c. 48.

Numus aureus, Exagium, vel aureus abſolutè. Tract. 2. c. 42.

Numus argenteus, drachma eſt Tract. 2. c. 41.

Nux parva, drachmam pendet ſecundum aliquos: aut drachmam & ſextam, id eſt obolos ſeptem, ut ſcripſit Serapio & Princeps. Tract. 3. c. 35. in verbo Nux.

Nux Magna apud ignotum Græcum ſemuncia eſt, cochlear maximum ſcilicet verum: apud Arabes ſcrupuli ſeptem aut ſeminet quatuordecim, quod idem eſt, ut ſcripſit Serapio & Princeps. Tract. 3. c. 35. in verbo Nux.

Nux Pontifica penſitat Keratia decem & octo. Drachmam ſcilicet unam communem, aut cochlear parvum, quod idem eſt. Ibid.

Nux Regalis aureos tres, aut drachmas quatuor communes: ſemi unciam ſcilicet pendet, vel cochlear maximum. Ibid.

Obolus, drachmæ communis pars eſt ſexta, ſcrupuli medietas, granâ ſcilicet duodecim. Tract. 2. c. 6. 19. 51. 16. Semiobolus granorum ſex eſt. Tract. 2. c. 1. & 13.

Olca (vel potius Holca, ὁλκὴ) drachma. Tract. 2. c. 1. 44.

Oliginat videtur drachma. Tract. 2. c. 47.

Ominus, eſt corruptum à Mina vocabulum. Mina. Tract. 2. c. 43. & 67.

Onoloſat, vel Onoloſſich, id eſt, Obolus. Tract. 2. c. 1. & 19.

Onolos, Obolus. Tract. 2. c. 1. & 19. in verbo Onoloſat.

Orobus Grana quatuor, & eſt Siliqua, aut jurat, quod idem eſt. Tract. 2. cap. 11. poſt Siliqua.

Oſinachi in ſecretis Galeni exponitur unciæ tres: & eſt Alyſtrum magnum commune.

Oxybaphum obſervatione Attica, eſt menſura, pars quarta ſcilicet Cotylæ, vel ſeſquicyathus: habet autem pondere drachmas quindecim: ſed obſervatione communi drachmas habet decem & octo. Tract. 2. cap. 22. & Tract. 5. cap. 2 20. 21. 22.

Paclanarium, cochlear eſt parvum, pondere capiens drachma. Tract. 3. 43.

Paroxis, pondus ſex granorum, Tract. 2. cap. 1.

Pugillus, Menſura eſt, quæ & Myſtrum commune magnum. Tract. 3. c. 19. [menſura Cyathorum duorum. Tract. 3. c. 27. Vel Cotylæ tres. Tract. 3. c. 19.]

Quadrans ad libram relatus, eſt Unciæ tres. Ad unciam, ſicilicus, id eſt, drachmæ duæ. Ad Drachmam, grana decem & octo. Ad Aureum ſcrupulus. Tract. 2. c. 61. & 46. in verbo Libræ partitiones. [Vide etiam in eodem tract. c. 1.]

Quadrantal, Amphora Italica. Tract. 3. c. 4. in verbo Amphora Italica.

Quincuns, Unciæ quinque. Tract 2. c. 2. & 61.

Rejelati, videtur menſura Cotylæ mediæ, Tract. 3. c. 15.

Rotulus, Libra eſt. Tract. 2. c. 65.

Sachrajati eſt, Unciæ tres & octava: drachmæ ſcilicet quinque & viginti, Tract. 2. c. 57. in verbo Sextarius Arabicus.

Sacros, Unciam ſignificat. Tract. 2. c. 58.

Satil, Vide Alſatil.

Scrupulus multiplex eſt, communis ſcilicet, Atticus, Venetus, & Nicolai, quorum differentiam, tractatu ſecundo, de initio & ortu ponderum, & capitulo proprio tactam reperies. Tract. 2. c. 21.

Scrupulus & obolus differunt, l. 2. c. 6.

Scrupulus variat in numero granorum. lib. 2. cap. 1.

Seguinem, id eſt, obolus, Tract. 2. c. 17.

Selibra, libri medietas, unciæ ſcilicet ſex. Tract. 2. c. 64. in verbo Libræ partitiones.

Semidrachma l. 2. c. 1.

Semiſextula, & ſemiſecla. Aurei medietas.

Seminen, Obolus. Tract. 2. c. 1. & 17. & 57.

Seminet, idem. Tract. 2. c. ijſdem.

Semiobolus, l. 2. c. 1. & 13.

Septunx, l. 2. c. 64.

Semiſſis l. 2. c. 1.

Semuncia, eſt unciæ medietas. Tract. 2. c. 1. & 64. in verbo Libræ partitiones.

Secla, idem quod aureus communis l. 2. c. 51. 52.

Sexcunx, vel Sexcuncia, Uncia eſt ſemis. Tract. 2. cap. 63.

Sextarius apud Arabes, idem quod apud noſtros Stater, Unciæ ſcilicet medietas. Tract. 2. c. 57. & l. 3. c. 2. & 10.

Sextarius Italicus, menſura eſt Cotylarum duarum capax: pondere verò unciarum decem & octo olei: vini vel aquæ viginti: mellis ſeptem & viginti. Apud Oribaſium tamen, ut refert Paulus, olei quidem uncias quinque continet: vini vel aquæ duas & vinginti paulò plus: mellis vero triginta capit. Tract. 3. cap. 8. & in verbo Chus. Tract. 3. c. 6. Sextarius Atticus l. 3. c. 9.

Sextans ad Libram relatum, duarum unciarum pondus eſt: ad unciam, aureus: ad aureum, grana ſexdecim: ad drachmam, obolus. Tract. 2. c. 1. 63. in verbo Libræ partitiones.

Sextinus, idem quod ſextula, l. 2. c. 52.

Sextula, Vide Tract. 2. c. 1. 51. & 52.

Sextunx, Obolus: quoniam drachmæ pars eſt ſexta: Et de aureo quandoque legitur, quoniam ſexies multiplicatus, unciam reddit. Tract. 2. 51. in verbo Sextula.

Sicilicus, vel Siciliquus, unciæ pars quarta, drachmæ duæ. Tract. 2. c. 1. & 54.

Siliqua, granorum quatuor eſt pondus. Tract. 2. c. 1. & 11. De Biſiliqua, vide tract. 2. c. 6. & 15.

Solidus, idem quod aureus. Tract. 2. c. 51. in verbo Aureus.

Stagium, Vide tract. 2. c. 42. & 51.

Stater,

Stater. Vide in Sextario apud Arabes. Lib. c. cap. 64. & 57.

Suneſi Lib. 3. cap. 2.

Thermus, granorum ſex pondus. Tract. 1. c. 1.

Tremiſſis, aurei pars eſt tertia, grana ſcilicet duo & triginta obſervatione communi. Apud Nicolaum vero triginta tantum. Venetijs vero ſex & viginti, cum duabus tertijs Tremiſſem faciunt. Tract. 2. c. 1. & 28.

Triens, pars tertia ad libram relatus, unciarum quatuor pondus eſt ad unciam, aurei duo: ad drachmam, ſcrupulus erit. In verbo Libræ partitiones. [Vide etiam eodem tract. cap. primum.]

Tuſſuc, idem quod Tuſſugi. Tract. 2. c. 7. & primo.

Tuſſugi, Clalcus eſt, hordei ſcilicet grana duo Tract 2. c. 7. & 1.

Trublium, vel triblion Græcè, Cotyla eſt. Tract. 3. c. 11. in verbo Cotyla.

Uncia, multiplex, communis, Nicolai, Veneta & Attica. Tract. 2. c. 1. & 2.

Uncia communis, eſt pars duodecima libræ communis, continet autem drachmas octo, aureos, ſex: ſcrupulos, quatuor & viginti: obolos, octo & quadraginta: grana vero quingenta ſex, & ſeptuaginta Tract. 2. c. 1. & 2.

Uncia Nicolai, drachmas novem: ſcrupulos ſeptem & viginti; obolos quinque & quadraginta capit: grana vero quinquaginta & quadraginta. Ibidem.

Uncia Veneta drachmas octo: obolos quadraginta: grana quadraginta octingenta. Ibid.

Uncia Attica, obolos ſeptem & triginta ſemis: grana quadringenta quinquaginta.

Uncia Denarij, quo vocabulo uti videtur Celſus, ſexta pars eſt denarij, vel drachmæ Celſi: grana ſcilicet tredecim, cum quinque ſeptimis. Celſi namque Drachma grana duo & octoginta, duaſque grani ſeptimas capit ſimiliter. Ibidem ſcilicet tract. 2. c. 1. & 2. 20.

Urna, Amphoræ Italicæ medietas eſt, pondere libras ſex & trigina capit olei: vivi vel aquæ, quadraginta: mellis, quatuor & quinquaginta. Tract. 3. cap. 2. & 5. & in verbo Amphora Italica.

Xeſtes, Congij pars ſexta: idem quod Sextarius Italicus, vel Kiſt Italicum. Tract. 3. c. 2. & 6. & 57. in verbo Chus & c. 10. in verbo, de Sextario licet.

His quæ hactenus ſcripſimus, ſi fidem, Lector, fortè non adhibes, hos qui ſequuntur rogamus legas tractatulos, quoniam in illis diutius immorantes, quæcunque prius nuda, ſummaque cum brevitate perſtrinximus, tentabimus firma, adductis non adductis non paucis illuſtrium medicorum dictis. Divino itaque freti auxilio, à quo bona cuncta procedunt, de ponderibus primum, ac de menſuris poſtea, ſtilo proſequemur ſobriore.

LIBER SECUNDUS,

De Initio & Ortu Ponderum.

CAPUT I.

Sicut apud Arithmeticos, numerorum omnium principium eſt unitas, non aliter apud Medicos, Ponderum omnium initium eſt Granum, id autem hordaceum dicimus: Ut enim omnis numerus diviſibilis eſt, ac niſi ad unitatem redigatur, diviſionem ſemper recipit: ſic pondus omne ſecabile, atque ita ſecabile, ut ejuſdem ſectio non antea ceſſet, quàm in granum tandem deſcenderit: Ultra enim non progreditur medicus: Adde præterea, quod quemadmodum ex pluribus ſimul junctis unitatibus, variæ infinitæque numerorum ſpecies procreantur, non minus ex pluribus ſimul aggregatis granis diverſas ac ſine numero penè ponderum ſpecies coacervari videmus. Ut igitur binarium numerum primum, minimumque duæ ſimul junctæ unitates efficiunt, non aliter Chalcum pondus primum, minimumque duo ſimul aggregata grana parturiunt. Sortitum eſt autem pondus hoc primum nomina plura, apud Græcos quidem & noſtrates Chalcus: apud Arabes, Kiſtus (aliàs, Keſtuſ) tuſſuc, vel tuſſugi nuncupatur. Nec minus quæ ſequuntur pondera varijs ſunt appellata nominibus, quorum ſi meminerimus tædio ne afficiare lector, rogamus.

Grana quatuor, Dichalcon faciunt, alio nomine Siliquam, Keratium, Kirat, Kerarit, Autulum. Sunt autem nomina hæc nomina granorum quatuor pondus importantia.

Grana ſex, Thermum, Paroxin, ſemiobolum, Chalcos ſcilicet tres faciunt.

Grana octo Biſſiliquam, Dahich.

Duodecim, obolum, ſeminen vel ſeminet, onoloſſat, vel onoloſſich & interdum onolos.

Grana tredecim, cum quinque ſeptimis, unciam denarijs, vel drachmæ, quod idem videtur apud Celſum.

Atticis grana decem, novem Nicolao, Venetiſque viginti, communibus vero medicis quatuor & viginti, ſcrupulum complent, communis drachmæ partem tertiam; Aurei quartam, vocatam Græcè gramma, Arabicè gormiam, Latinè ſcrupulum & fabam interdum Græcam.

Sex viginti grana, cum duabus tertijs, Tremiſſem faciunt Venetis, Triginta ijſdem, ac Nicolao Semidrachmam. Apud illum namque idem eſt.

Aurei pars tertia, tertia, tremiſſis ſcilicet & ſemidrachma. Non autem apud Venetos, aut communes medicos.

Duo & triginta grana, communem tremiſſem faciunt, aurei communis partem tertiam.

Sex & triginta, communem ſemidrachmam, fabam Aegyptiam, fabam Alexandrinam, Chemeraſim Alexandrinam, & Lupinum interdum vocatam.

Quadraginta Venetis aureum medium.

Quinque & quadraginta Nicolao.

Sed communibus octo & quadraginta, aureum medium complent, ſcrupulos duos ſcilicet, obolos quatuor, fabamve Syram (Siriacam.)

Sex & quinquaginta cum duabus octavis, drachmam Atticam.

Sexaginta Venetam & Nicolitam.

Duo & ſeptuaginta communem perficiunt vocatam Oleam, Avellanam.

Darchimiæ, Darchimet, Denarium argenteum, Bondachate quoque, communis unciæ partem octavam, libræ ſextam & nonageſimam ex tribus conſtantem ſcrupulis, obolis ſex. Danich biſſiliquis novem: Keratijs, Kirat, Kararit, autulis aut ſiliquis decem octo.

Grana duo & octoginta & duæ ſeptimæ, Denarium ſive drachmam Celſo faciunt, uncias Denarij ſex.

Quinque & ſeptuaginta, aureum Atticum.

Octoginta, Venetum.

Nonaginta, Nicolitum.

Sex & nonaginta, communem faciunt vocatum plerumque ſextula, vel ſextulam interdum & ſextimum: quoniam ſit unciæ pars ſexta.

Centum quatuor & quadraginta, Sicilicum, communes drachmas duas pendentem.

Centum duo & nonaginta, unciæ communis partem tertiam, vocatam Duellam.

Ducenta quinque & viginti, ſemunciam Atticam.

Ducenta quadraginta Venetam.

Ducenta ſeptuaginta, Nicolitam.

Ducenta octo, & octoginta, communem faciunt.

Quadringenta quinquaginta, unciam Atticam.

Quadringenta octoginta, Venetam.

Quingenta quadraginta, Nicolitam, drachmas ejus novem capientem, ſcrupulos ſeptem & viginti, obol os quinque & quadraginta.

Quingenta vero ſex & ſeptuaginta grana, communem unciam complent drachmas octo, ſcrupulos quatuor & viginti, obolos octo & quadraginta capientem.

Nongenta, ſextantem faciunt Atticum.

Noningenta & ſexaginta, Venetum.

Mille octoginta, Nicolitum.

Millel centum duo & quinquaginta, communem, duas ſcieicet communes uncias pendentum.

Mille trecenta quinquaginta, Atticum quadrantem.

Mille quadringenta quadraginta, Venetum.

Mille ſexcenta viginti, Nicolitum.

Mille ſeptingenta octo & viginti, communem faciunt, trium ſcilicet unciarum pondus.

Mille octingenta, trientem Atticum.

Mille noningenta viginti, Venetum.

Duo millia centum ſexaginta, Nicolitum.

Duo millia trecenta quatuor, communem trientem, uncias capientem quatuor.

Atticis duo millia, ducenta, quinquaginta, quincuncem, Venetis duo millia quadringenta.

Nicolao duo millia ſeptingenta.

Communibus, duo millia octingenta, octoginta.

Duo millia ſeptingenta, Atticis.

Duo millia octingenta octoginta, Venetis.

Tria millia ducenta & quadraginta. Nicolao.

Tria millia quadringenta ſex & quinquaginta, communibus, Semiſſem faciunt.

Grana quinque millia quadringenta, Atticam.

Quinque millia ſeptingenta ſexaginta, Venetam.

Sex millia quadringenta, octoginta, Nicolitam.

Sex millia, noningenta duodecim, communem libram perficiunt.

CAPUT. II.

Ponderum Diverſorum inter ſe comparatio.

Hac quæ prius diximus diligentius conſiderantibus nobis, facilè apparebit quæ, quantaque ſit inter communes, Atticos, Venetos, Nicolaum, ac Celſum de ponderibus diſſonantia. Dictum eſt enim (Nicolitum, Venetumque ſcrupulum ex vinginti conſtare granis: Atticum ex decem & novem ferè: Communem vero ex quatuor & viginti. Nicolai quoque Venetamque drachmam, ex ſexaginta, Atticam ex ſex quinquaginta cum duabus octavis: Communem ex duobus & ſeptuaginta. Celſo vero placuit Denarinm ſuum, ſive Drachmam, ex granis duobus, octoginta duabuſque ſeptimis facere. Unciam autem ex Denarijs ſeptem tantum, quorum tamen ſumma ad quingenta ſex & ſeptuaginta grana conſcenderit. Unica vero Nicolai cum ex Drachmis novem integretur, Drachmæque ſingulæ ex granis ſexaginta, novies autem ſexaginta, quingenta & quadraginta producant, quingentorum & quadraginta granorum numerum continebit. Communes vero medici, Galenus ſcil. Alexander, Paulus, Arabeſque omnes eos ſequuti, communique obſervatione utentes, (quoniam ex Drachmis octo faciunt unciam. Drachmas vero ſingulas ex granis duobus & ſeptuaginta, octieſque duo & ſeptuaginta, quingenta ſex & ſeptuaginta producunt) ad quingentorum ſex & ſeptuaginta granorum numerum extenderunt unciam. Ex quo ſequi videtur eorum unciam, Nicolai unciam ſuperare in proportione ſeſquiquinta decima. Continet enim illam totam & amplius quintamdecimam ejus partem, grana ſcilicet ſex & triginta. Et conſequenter Nicolai libram eadem in proportione, communis libram eadem in proportione, communis libram eadem in proportione, communis libra ſuperabit. Venetam vero in proportione ſeſquiquinta: quoniam ex Drachmis octo tantum unciam. Drachmam vero ex granis ſexaginta faciunt. Hoc equidem Celſi ponderibus, communibus comparatis nullo pacto contingit. Licet enim Celſi Drachma, communi major aliquanto ſit, communem tamen unciam, Celſi uncia minimè ſuperat, imo illi ad unguem penitus quadrat. Id quod cuivis patere facilè poteſt diligentius ſpeculanti: quia cum Drachmarum numerus, ex quibus unciæ conſtant, non utrobique par ſit: quoniam Celſi ſeptenarius tantum. Communium vero medicorum octonarius, ſit, ut communis uncia, additione Drachmæ octavæ, recuperet illud omne quod ex granorum diminutione Drachmam conſtituentium videbitur amittere. Septem quidem communes Drachmæ Celſi Drachmis ſeptem comparatæ, vincuntur ab eis per exceſſum granorum duorum & ſeptuaginta. Duo enim & octoginta grana cum duabus ſeptimis ex quibus Celſi Drachma componitur, ſi ſexies multiplicentur, quingenta & ſeptuaginta reddunt. Duo vero & ſeptuaginta ex quibus communis drachma, quingenta & quatuor tantum, quibus ſi octavæ Drachmæ numerus addatur, duo ſcilicet & ſeptuaginta, quingentorum ſex & ſeptuaginta granorum numerus aggregabitur, quæ etiam Celſi Drachmæ ſeptem congregaverant. Erunt ergo pares inter ſe unciæ, communes & Celſi, eundem præciſè granorum numerum continentes. Libræ quoque ſimiliter pares, quod de Nicolai Venetorumve uncia aut Libra verificari nequaquam poteſt, inter quos maxima eſt de ponderibus diſſonantia, minima vero ac penè nulla inter communes & Celſum, quorum unciæ, libraque eadem, Drachmæ vero ut diximus, earumque minutiæ aliquantulum diſpares. Verùm Drachmarum minutiæ, ſi non Arithmetica, Geometrica tamen proportione concordant. Ut enim oboli ſex, Drachmam communem, haud aliter denarij unciæ ſex, Celſi denarium integrant, ità ut pene idem videatur uncia denarij Celſi in denario, quod obolus in communi drachma. Veruntamen obolus ſuperatur, ab uncia denarij, per grana quaſi duo paulo minus: quia duabus ſeptimis, qui exceſſus adeò parvus eſt, ut Hermolaus Barbarus ætatis noſtræ ſingulare literarum decus, in Plinianis caſtigationibus ſcripſerit, unciam denarij idem eſſe, quod obolus: quamvis non omnino idem ſit, ſi verum exquiſitius indagari volumus, quod & Celſus ipſe teſtari videtur his verbis, Id, inquit, ad pondera noſtra relatum paulò plus eſt dimidio ſcrupulo, id eſt, obolo. Duo enim oboli ſcrupulum integrant.

CAPUT. III.

De Cauſa & modo Mutationis Ponderum per Nicolaum.

Quid autem moverit Nicolaum, ut hanc de qua dixi-

diximus, ponderum mutationem faceret, hæc cauſa
fortè fuiſſe potuit: Ardens ſcilicet gloriæ cupiditas,
qua nominis immortalitati ſtudens, quod Attici
menſuris plurimis feciſſe probantur, hoc ipſe pon-
deribus quibuſdam feciſſe videatur. Illi namque ex
communibus menſuris ſexta ſubtracta parte ità pro-
prietates effecere, ut communes penè omnes ad At-
ticas comparatæ, ſeſquiquinta in proportione majo-
res inveniantur. Exempli cauſa, Cyathus commu-
nis, drachmas duodecim pondere continet: Atti-
cus decem. Sextarius communis, uncias decem &
octo: Atticus quindecim. Duodecim autem de de-
cem, & decem & octo, ad quindecim, proportio
eſt ſeſquiquinta. Imitatus igitur Atticos Nicolaus,
ex communi ſcrupulo, communique drachma, ſex-
tæ partis detractione, peculiarem ſcrupulum, dra-
chmamque fecit, ad quos communis ſcrupulus,
drachmaque communis comparati, ſeſquiquintam
proportionem obtinent. Quatuor enim & viginti
granorum numerus, qui communis eſt ſcrupulus, &
duorum & ſeptuaginta, quæ communis eſt dra-
chma, ad viginti Nicolai ſcrupulum, adque ſexa-
ginta ejuſdem, drachmam, ſeſquiquintam eſſe pro-
portionem, nemo eſt qui ambigat, proportionum
ſciolus, ſic ut dicimus, in ſcrupulis, drachmiſque
conſtituendis, proceſſit Nicolaus: ſed non ſimiliter
uncias, ſubtrahendo ſcilicet ex communibus: ſed ad-
dendo potius proceſſiſſe videt: quippe qui Drach-
marum numerum auxerit, ex quibus uncia conſtat,
illam ex novem conſtituens drachmis, quam ex octo
tantum communes effecerant Aſſequutus eſt autem
per additionem drachmæ novæ, ut exceſſu longe mi-
nori, ejus unciam communis uncia vincat, utpote
inter quas ſeſquiquinta decima proportio conſtet,
non ſeſquiquinta, qualem inter ſcrupulos, drachmaſ-
que monſtravimus, differentia: namque quingento-
rum ſex & ſeptuaginta granorum, (quæ communis
eſt uncia) ad quingenta & quadraginta (quæ Nicolai
eſt uncia) ſex ſcilicet & triginta, pars eſt quinta de-
cima numeri minoris communis. Uncia per drach-
mam mediam tantum, libra vero per ſemunciam cum
ſicilico Nicolai, unciam libramque ſeparant. Qua-
mobrem fateri cogimus, Nicolaum Drachmarum
quidem auxiſſe numerum, granorum vero diminuiſ-
ſe, ex quibus vacia conſtar, diminutione tamen non
tanta, quantam in ſcrupulo drachmaque fecerat,
quos ſexta ſui parte mutilos reddidit.

Veteres vero medici, medium quodammodo inter
Nicolaum & communes tenentes, quo ad ſcrupu-
los & drachmas Nicolaum ſequuti, in conſtituendis
uncijs communibus adhæſere, quam non ex novem
ut Nicolaus, ſed ex octo tantum drachmis, commu-
nium more, factitarunt. Ex quo ſequitur, commu-
nem unciam, ſeſquiquinta proportione majorem Ve-
neta: conſtat enim Veneta, ex quadringentis octo-
ginta granis, communis vero ex quingentis ſex & ſe-
ptuaginta, quorum differentia eſt ſex & nonaginta.

CAPUT IV.

De his quæ ſequentur ex Ponderum aſſignatione ab antiquioribus deviantium.

Hic varius aſſignandorum ponderum modus, non
parvi erroris cauſa videtur extitiſſe: quoniam cum in
his quæ à veteribus probatiſſimis medicis ſumuntur
antidotis, non ſervetur componentium inter ſeſe pro-
portio eadem, quæ in primis eorum deſcriptionibus
fuerat: nulla admiratione dignum videri debet, ſi
quæ nunc componuntur medicamina, ab antiquio-
ribus tantis celebrata laudibus, non admirandam
illam, ac penè divinam, ita dixerimus, ſortiantur
in operando excellentiam, quam olim habuiſſe,
clariſſimi medicinæ authores memoriæ prodidere.
Quod canone quinto de theriaca ſcribens princeps
Abohali conſuluiſſe videtur. Et meum quidem in-
quit, conſilium eſt, ut non removeatur quod experi-
mentum juvativum, invenit, fortaſſe enim illà
compoſitio, cum illo pondere eſt ſignificans illud,
cujus juvamentum invenit experimentnm, quod
quando ipſa movetur à ſuo pondere, non ſequitur il-
lam proprietatem.

CAPUT V.

Quod in Arabum Libris, loco drachmæ, aureus frequenter ſcribitur.

Adde quod ex Arabico in linguam noſtra verſis
commentarijs, locis quamplurimis, ubi drachma
ſcribi debuerat, aureus frequenter legitur: idque
apud Principem, cum maximè Canone quin-
to, Theriacæ deſcriptione deprehenditur apertiſſi-
mè, non Pauli ſolum teſtimonio ubique drachmam
ſcribentis ubi aureum principis ſcripſit inter-
pres, ſed & Gentilis, authoris non ſpernendi, il-
lud idem affirmantis. Et quod his omnibus ma-
jus putamus & magis urget, Andromachi, radicali
deſcriptione, quo ad hoc, à Paulo nullatenus diſſen-
tiente. Poſſet autem & ſatis probabilis adduci ratio
quædam ſumpta ex proportione mellis ad ſpecies,
ex quibus Theriaca componitur, quæ quidem du-
pla eſſe debet, ut capite eodem, deſcriptione ſecun-
da, Princeps teſtatur. Eſt autem ratio talis. Si intel-
ligamus aureos in deſcriptione prima à Principe
poſitos, in propria ſignificatione ſumendos pro
ſexta ſcilicet unciæ parte, quam diximus, mellis
ad ſpecies proportio dupla ſcilicet ſervari nullo pa-
cto poſſe videtur, ſervatur autem ſi aurei pro dra-
chmis exponantur. Ergo aurei in Theriacæ de-
ſcriptione poſiti, pro drachmis exponendi viden-
tur. Hoc autem quod ità ſit oſtenditur: quanti-
tas ſpecierum in Theriacæ deſcriptione prima de-
ſcriptarum, eſt, aurei quadringenti duo & octo-
ginta & aureos duos: hæc autem libras ſex, uncias
octo cum triente faciunt. Mellis ergo pondus cum
duplex ad ſpecies debeat eſſe, ut Principis ſenten-
tia diximus, ad libras tredecim, & eo amplius
aſcenderet, ſed ex Serapione, Rhaſi ad Almanſo-
rem, Haliabbate, Conſtantino, ac Gentili, Mel
apponendum eſt, libræ decem tantum. Ergo au-
reorum ſcriptura in propria ſignificatione ſumpto-
rum ſalvari poſſe non videtur, quoniam ſpecierum
quantitas major eſſet, quam tanto mellis ponderi
convenire authores prædicti teſtentur, quod duplum
ad ſpecies & librarum decem eſſe confirment. Quod
autem dicta proportio ad unguem ſervetur, ſi au-
reorum loco drachmæ ſcribantur, apertè monſtratur,
Drachmæ quadringentæ duæ & octoginta, uncias
ſexaginta cum quadrante faciunt. Hæc autem libras
quinque cum ſicilico, ad quas pondus librarum de-
cem, mellis proportionem duplam obtinent. Cla-
rum itaque apertumque eſſe videtur, quod dice-
bamus apud Arabes medicos, aureum frequenter
ſcriptum inveniri, ubi drachma ſcribenda fuiſ-
ſet, maximè apud Principem & Rhaſim in Con-
tinentis volumine. De quo quamvis innumera
adducere exempla poſſem, ne principalis ta-
men propoſiti immemor appaream, pauca
quædam adduxiſſe ſat erit. Decima tertij capitu-
lo de aſthmate in medicina de Synapi, quam à

Paulo Princeps accepit, ubi Paulus drachmam medium, aureum ille medium. Et quod non poſſumus non vehementius admirari, ubi Paulus obolum medium, grana ſcilicet octo & quadraginta ſcripſit interpres. Sed librarijs fortè, non interpreti tantus error aſcribendus erit. ℞. inquit Paulus, Sinapi drachmam unam, nitri Affri obolos tres, elaterij quantum medius obolus. Avicennæ interpres. ℞. ſinapi aureum unum, ſalis communis, qui in pane ponitur, aureum medium, ſucci cucumeris aſinini aureum medium. Raſis quoque Continentis vigeſimo ſecundo, cap. CCI. Dioſcoridis dicta teſtatus: Cum ſumuntur, inquit, ex caſtoreo & mentaſtro ſylveſtri ana aurei, provocant menſtrua, cum tamen Dioſcorid. cap. de Caſtoreo dixerit, κάςοϱος ὄρχις ποθεὶς μετὰ γλήχωνος πλῆθος δυοῖν, ἔμμηνα κινεῖ, &c. In Græco exemplari: in Latino: Caſtoreum cum pulegio bibitum drachmis duabus, menſtruis imperat. Raſis aureos, Dioſcorides drachmas ſcripſit, cui Plinius lib. 32. c. 3. conſonat, inquiens de caſtoreo dari binas drachmas ſatis eſt. Ex his oſtenſum planè videtur, quare in nobilium medicinarum, quàm plurimis à priſcis medicis laudibus innumeris celebratarum, non ille excellentes, admirandæque ætate noſtra appareant operationes, quæ priſcis illis temporibus apparuiſſe produntur: quoniam variatis ponderibus ſimplicium, ex quibus componuntur, compoſitorum quoque complexiones ex miſcibilium refractione reſultantes, nec non & proprietates ad complexionum præparationem emergentes variantur, ut Principis atteſtatione, paulo ſuperius diximus.

CAPUT VI.

De Chalco Granorum duorum pondere.

Chalcus granorum duorum eſt pondus, unciæ pars ducenteſima octava & octogeſima. Teſtatur Paulus practicæ ſeptimo de Ponderibus. Obolus (inquit) habet Keratia tria. Keratium chalcos duos. Hinc nonnulli non rectè interpretantes Paulum, quoniam inquit, Keratium habet chalcos duos, credentes Keratium granorum ſex pondus eſſe, dixere chalcum pondus eſſe granorum trium, non advertentes ad verba Pauli dicentis, Obolus habet Keratia tria, quoniam ſi Keratium pondus eſſet granorum ſex, tunc obolus grana decem octo penderet, quum tria Keratia pendeat, quod falſum eſſe Medicorum omnium benè ſentientium ſchola teſtatur. Ad quod illud quoque ſequeretur, drachmam communem non habere Keratia decem & octo ut Dioſcorides, Paulus, ignotus Græcus, Serapio & Avicenna teſtantur, ſed duodecim tantum. Keratia enim decem & octo producerent, grana centum & octo, ſeſquidrachmam præciſe. Quod quum ſit evidentiſſimè falſum, dicendum videtur, Keratium granorum quatuor pondus eſſe: chalcum ejus dimidium, duorum: oboli partem ſextam Hinc apparet Plinij textum lib. 21. c. ult. videri mendoſum, ubi dicitur, obolum habere chalcos decem, cum ſex habeat tantum Obolus enim ut diximus grana duodecim non amplius pendet, cujus pars tertia eſt Keratium, id eſt grana quatuor, duos retinentes chalcos. Quamvis Dardanus dixerit obolum non diſtrare à ſcrupulo, niſi nomine, quod medicorum dictis & vero non quadrat. Quare chalcus granorum duorum pondus erit, cui ſententiæ Græcus Dioſcoridis textus cap. De elaterio conſonat, ἡδὲ τελεία πόσις ὀβολὸς ἡδὲ ἐλαχίςη ἡμιοβόλιον, παιδίοις δὲ διχαλκον, iſt eſt, ejus perfecta potio, obolus: minima, medius obolus: pueris dichalcos, plus enim periculum affert. Dialchos videtur pondus minus ſemiobolo, nec aliud eſſe poteſt, quam Keratium aut ſiliqua, quod idem eſt, granorum quatuor ſcilicet pondus. Illum Dioſcoridis textum referens Serapio de elaterio, Doſis ejus, inquit, completa Onoloſſat unum, id eſt obolus & ad minus medietas ejus. Sed pueris non detur, niſi pondus duorum Keſtuf. Eſt autem Keſtuf ex concordia Dioſcoridis & Serapionis locis allegatis chalcus. Hali abbas 2. practicæ c. 4. de cucumeris ſylveſtris ſucco, Hunc ſi propinare vis homini, fac ejus ab obolo uno potionem uſque ad unum & medium, & minorem tribus chalcis, id eſt, medium obolum: ſed medius obolus eſt, grana ſex quæ diviſa per tria, reddunt duo, ergo chalcus grana duo Confirmatur ex concordia Raſis 4. continentis c. 1. charta octogeſima tertia, columma 4. circa principium De cura aſthmatis, cum Paulo iij. Practicæ c. xix. de cura eadem. Medicina inquit Raſis provocans vomitum ℞. Synapi ʒ. j. nitri Kirat novem, ſucci cucumeris agreſtis, Kirat unum. Paulus, ℞. Synapi ʒ. j. nitri triobolon, elaterij dichalcon. Raſis Kirat unum, Paulus dichalcon, ergo dichalcon idem, quod Kirat ſive Keratum: ſed Kirat, eſt grana quatuor, ergo & dichalcos totidem: quare Chalcus grana duo. Idem Raſis continentis 22. capite de cucumere aſinino. De ſucco ejus doſis, inquit, completa obolus ſed infantibus detur in quantitate danich medij. Danich autem ex Serapionis ac Principis deſcriptione pendet grana octo, cujus medietas eſt grana quatuor, quod idem eſt, quod dichalcos aut Kirat. Igitur Chalcus pondus eſt primum, minimumque duo tantum ut diximus penſitans grana. Nec huic ſententiæ noſtræ repugnat, quod à Campano dici videtur in octavo propoſitionis commento libri quartidecimi Euclidis, quod chalcus ſcilicet eſt unciæ pars centeſima ſecunda & nonageſima, & conſequenter eſſet granorum trium pondus, non duorum, quod nos aſſerimus: diviſis enim quingentis ſex & ſeptuaginta granis, ex quibus uncia conſtat per centum, duo & nonaginta tria exeunt, non duo. Advertendum quod Campani ratio, quæ ab eodem adducitur loco ſuperius allegato, de additione ponderis chalcus, oſtendit apertiſſimè vitiatum fuiſſe textum ſuum, ſcriptumque centeſimam ſecundam & nonageſimam, ubi ſcribendum fuerat ducenteſimam octavam & octogeſimam. Poſtquam, inquit Campanus, majores noſtri diviſere unciam in duodecim fractiones, Semunciam, Duellam, Sicillicum, Sextulam, drachmam, &c. His addidere chalcum, cauſa additionis fuit, ut uſque ad minimum extremum diateſſaron & diapente tonorum, ſemitoniorumque intervallis diſtinctarum harum fractionum denominatio conſcenderet. Sed hoc non fieret ſi non ultra centeſimam ſecundam, & nonageſimam fractionem unciæ diviſio progrederetur: quoniam ut inquit Boetius Muſicæ lib. 1. c. 17. diateſſaron, (quæ eſt conſonantia vocum quidem quatuor, intervallorum,) conſtat ex tonis quidem duobus, & uno non integro ſemitonio, & exemplificat in his numerus 192. 216. 243. 256. Si igitur 256. numerus, comparetur numero 192. ſeſquitertia proportio fiet, ac diateſſaron concinnentiam roſonabit. In cap. vero ſequenti. Rurſus diapente conſonantia, vocum quidem eſt quinque, intervallorum quatuor, trium tonorum & minore ſemitonio. Ponatur idem numerus 192. & ejus ſeſqui-

quialter, qui ad eum diapente faciat conſonantiam. Sit igitur numerus 288. Igitur horum & ſuperius deprehenſorum 192. ponantur in medio numeri 216. 243. 256. Dudum Diateſſeron conſonantia, à 192. numeris ad 256. venerat. Nunc vero diapente ab eiſdem 92. numeris ad 288. diſtenditur. Hæc Boëtius. I aque diligentius conſiderantibus nobis apparet quod harum ſymphoniarum extrema, minima eſt numerus 288. non 142. Nec te moveat quod numerus 288. major eſt numero 292. rei enim diviſæ partes, quo majori numero denominatur, eo minores ſunt unciæ: namque pars ducenteſima octo & octogeſima longè minor eſt centeſima ſecunda & nonageſima, quià in porportione ſubſeſquialtera, ut puta duorum ad tria. Minimum ergo extremum dicendum 288. non 192. quià non eſt reſpiciendus numerus ſignativus factionis illam denominans, ſed fractio ſignata per numerum. Si igitur unciæ fractio, non tranſcenderet centeſimam ſecundam & nonageſimam fractionem, ſive minunutiam, non pertingeret ad extremum minimum diapente fractionum Unciæ denominatio. Rectè igitur cum Paulo, Dioſcoride, Raſi, Serapione, Principe dicendum videtur, Chalcum unciæ partem ducenteſimam octavam & octogeſimam: id eſt, grana duo cenſendam, quod & Campani ratio ſonare videtur, illam benè audientibus.

CAPUT. VII.

De Tuſſuc vel Tuſſugi, vel Keſtuf, id eſt Chalco.

Tuſſuc vel tuſſugi, primo continentis, c. VI. charta undecima, columa, III. exponitur, Chalcus, quamvis Simon Genuenſis, authore Rhaſi, in Diviſionibus de ſonitu aureis, exponat, grana duo ſemis. Sed mendoſus videtur textus diviſionis, quoniam nono Almanſoris, c. eodem dicitur, De opio diſſoluto in oleo, immitendum eſt in aurem quantum duo grana hordei ponderant. Non igitur videtur vera expoſitio in diviſionibus poſita, quare dicendum, quod tuſſuc vel tuſſugi, chalcus, vel Keſtuf, quod idem eſt, grana duo tantum pendeat. Keſtuf chalcus ex concordia Dioſcoridis cum Serapione de elaterio, ut in verbo Chalcus.

Dichalcos: granorum quatuor pondus, chalcos duos continens, Kirat ſimiliter Serapione & Principe teſtibus.

CAPUT. VIII.

De Kararit ſeu Kirat granorum v. *Pondere.*

Vide etiam quatuor ſequentia Capita.

Kararit, idem quod Kirat, ex concordia Serapionis ij. practicæ de tinnitu, cum Rhaſi continentis iij. c. eodem. Et confert, inquit Serapio, iterum medicamen hoc ad gravitatem auditus. ℞. ellebori aureum unum, caſtorei danichos tres, nitri (& eſt baurach rubeſtorum) Kararit quatuor. Raſis, ubi ſupra, hoc eſt medicamen ad ponderoſum auditum: Ellebori albi pondus aurei unius, caſtorei ſcrupulum unum, nitri danich duo & grana duo. Sed danich duo & grana duo decem & octo congregant grana, quibus æquivalent Kararit quatuor & medium, & ſimiliter Kirat quatuor & medium Ergo Kararit quatuor & medium, idem quod Kirat quatuor & medium, & conſequenter Kararit, idem quod Kirat, quia quæcunque ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe, primo Euclidis: & eſt communis animi conceptio.

CAPUT IX.

De Autulo, alio ejuſdem Ponderis nomine.

Autulus idem quod Kirat, ut teſtatur Princeps, Canone quinto, de ponderibus, deſcriptione oboli. Obolus; inquit, continet danich unum & medium, aut autulos tres, igitur tantundum eſt autulus, quantum danich medium, ſed illud eſt grana quatuor, ergo & autulus erit grana quatuor: vel aliter, autuli tres, obolum faciunt, qui duodecim pendet grana ſed diviſis duodecim per tria, exeunt quatuor, ergo autulus eſt grana quatuor, non novem ut Pandectarius & Simon.

CAPUT. X.

De Alkilat, Rurſus alio ejuſdem ponderis nomine.

Alkilat, ex concordia Raſis ad Almanſorem lib. IV. cum Averrhoë colliget ſeptimo, in deſcriptione, pilul rum contra peſtem, eſt Kirat: uterque in deſcriptione earum concordat. De doſi autem Raſis pondus duodecim alkilat, Averroïs duodecim Karatorum.

CAPUT. XI.

De Siliqua, Latino ejuſdem nomine.

Siliqua iterum idem quod Kirat, ſive autulus, & eſt unciæ pars centeſima quarta & quadrageſima, Campano teſte: vel pars quarta & vigeſima ſolidi, id eſt aurei, teſte Iſidoro, quod idem eſt.

Orobus idem ex Dioſcoride.

CAPUT XIII.

De Keratio idem ſignificante Græco vocabulo.

Keratium idem: grana ſcilicet quatuor, Paulo & ignoto Græco teſtibus.

CAPUT. XIII.

De Semiobolo.

Semiobolus, dimidius obolus, grana ſcilicet ſex; eſt autem unciæ pars ſexta & nonageſima quam Campanus & Iſidorus ceratem vocant, qui ſi ceratem pro Keratio ſumerent, admittendi non videntur.

Cerates dimidius obolus ut ſupra.

CAPUT XIV.

De Daguanich, ſivè Danich granorum octo pondere.

Vide etiam ſequens caput.

Daguanich ex concordia Serapionis (ſecundo practicæ, c. 8. de paſſione cordis dicta Caſſacam) cum Raſi (VII. continentis charta clVII. col. ij. circa medium) eſt danich. Danich autem ex Serapione & Principe, granorum octo eſt pondus. Obolus (inquiunt ambo) eſt danich & medium, ſed obolus (ut in verbo obolus & Autulus exponitur) grana duodecim pendent. Ergo danich octo pendebit.

CAPUT XV.

De Biſſiliqua, latino ejuſdem ponderis nomine.

Biſſiliqua eſt duplicata ſiliqua, idemquod danich, & eſt unciæ pars ſecunda & ſeptuageſima Campano teſte.

CAP.

CAPUT XVI.

De Obolo, id eſt, Granorum xij pondere.

Obolus granorum duodecim pondus, Paulo, Serapioni, Principi, Campano, Priſciano, Iſidoro & ignoto Græco, & eſt unciæ pars octava & quadrageſima. Unciam, drachmam, aureum, ſolidum, libram, abſolute prolata communes ſemper intelligo.

CAPUT XVII.

De Seminet, Seminen vel ſeguinem, id eſt, obolo Arabicè dicto.

Lege etiam tria ſequentia Capita.

Seminet vel ſeminen & interdum ſeguimen obolus eſt, teſtatur Serapio deſcriptione fabæ Syriacæ. Faba (inquit) Syriaca, eſt quatuor seminet, & exponens ſe, addit, & id eſt oboli quatuor. Idemque Serapio & Princeps exponentes fabam Græcam inquiunt, eſt ſeminen duo aut oboli duo. Quod vero apud Principem legitur, ſeminet eſt unciæ decem & media, videtur mendoſum, quoniam apud Serapionem, quem Princeps ſequitur, de ponderibus nulla de minis fit mentio: niſi ignoto Græco adhærentes exponeremus, ſeminen eſt pars minæ minoris quintadecima, apud quem mina parva quindecim habet obolos. Eſt ergo ſeminet ſive obolus pars quinta decima minæ parvæ, non minæ decem & media. Et fortaſſis hæc fuit Principis mens.

CAPUT XVIII.

De Cumulo vel Anulo, alio Arabico Oboli nomine.

Cumulus aut anulus, ut in antiquis exemplaribus Principis cap. de laſerpitio, ex concordia ejuſdem cum Dioſcoride & Serapione eſt obolus: τιτανικοῖς τέ ἢ ὀπισθοτονικοῖς ὀβολοῦ ὁλκὴν περιπλάσας, δίδου καταπίνειν: Dioſc. in Græco exemplari, quamvis in Latino legatur: Si excipiatur ex aſſa pondere holce: Serapio pondere onoloſſat: Princeps anulus vel cumulus, & miſceatur cum cera. Propter quod Simon exponent holcam, holcam dicit eam ſignificare drachmam ex Iſidoro. Sed ex concordia Avicennæ cum Dioſcoride capite de aſſa, eſt obolus: ſed quoniam in Græco exemplari legitur obolus, non holca, talis expoſitio non videtur admittenda.

CAPUT. XIX.

De Onoloſſat vel onoloſſich, rurſus alio Arabico oboli nomine.

Onoloſſat vel Onoloſſich & interdum onolos ex concordia Dioſcoridis, Plinij, Serapionis & Principis & Rhaſis de cucumere aſinino, eſt obolus. Dixit Dioſcorides de elaterio, τελεία πόσις ὀβολὸς, id eſt perfecta potio obolus. Plinius libro 21. cap. 1. Modus, portione virium à dimidio obolo ad integrum. Serapio doſis ejus completa onoloſſat unum & ad minus ejus medietas. Princeps ſimiliter ſcripſit onoloſſat. Rhaſis vero primo continentis cap. v. onoloſſich tres, id eſt, danich quatuor & medium de agarico datum in potu confert epilepſiæ. Danich autem quatuor & medium ſunt grana ſex & triginta, quæ diviſa per tria reddunt duodecim, id eſt, obolum, ergo onoloſſich eſt obolus, Serapio quoque cap. de agarico, confert inquit, punctionibus & humoribus viſcoſis, crudis & illi qui cecidit, cum dantur de eo duo onoloſſat cum vino. Dioſcorides in Græco exemplari: ποιῶν πρὸς. τε ῥήξεις ἢ ὠμότητας, ῥήγματά τε ἢ πτώματα, ὀβολῶν δὲ δυοῖν πλῆθος διδόμενον, In Latino, De alto cadentibus utiliter adhibetur bibitis obolis duobus cum vino. Apparet itaque quod olonoſſat vel onoloſſich obolum ſignificat: & textum Principis cap. eodem de agarico videri mendoſum, dicentem dandum de eo Kirat tria, id eſt, obolum tantum, non duo ut Scrapio ſcripſit, & Dioſcorides. cap. quoque de bathecha (melone) Dioſcoride authore. Radix ejus inquit Serapio, cum deſiccatur, &c. & eſt ſufficiens, doſis uſque ad duos onoloſſat. Dioſcorides in Græco exemplari, ἀρκέσουσιν ὀβολοὶ β. In Latino idem facere poſſunt oboli duo. Raſis quoque continentis xxii. cap. eodem & competenter vomet, qui ſumet quantitatem trium danich, id eſt, grana quatuor & viginti qui ſunt oboli duo. Ex his arguet aliquis vitiatum videri Principis textum, Canone ij. cap. de abſinthio in areola membrorum nutrimenti, quum dicitur. Reducit appetitum, cum ſumitur decoctionis ejus, aut ſucci ejus quaque die quantitas trium onoloſſat, id eſt, oboli tres: (quià minima eſſet decoctionis quantitas onoloſſat, ideſt, oboli tres, nam ſemidrachma tantum.) Quod Serapionis dicta teſtantur dicentis, Quando bibitur ex aqua ejus ſcilicet abſinthij, vel decoctione, quaque die quantitas trium conos (canos in Serapione) curat illos qui habent faſtidium. Conos autem cyathum ſignificat, ex concordia Dioſcoridis cum Serapione capite eodem de abſinthio, in Græco exemplari legitur πλῆθος κυάθων τριῶν, in Latino, & datum ad liberandum cyathis duobus vel tribus faſtidium tollit. Ex concordia quoque eorundem de cyclamine, ubi enim à Serapione conos, à Dioſcoride cyathus ſcribitur, in Græco exemplari κυάθων: in Latino, ſemen ejus drachmis duabus cum vini cyathis duobus bibitum per dies quadraginta, per urinam ventrem tumentem attenuat. Serapio, authore Dioſcoride, cum bibuntur ex ſemine ejus drachmæ cum duobus conos (his canon ſcribitur apud Serapionem, ut paulò antè canos, pro conos) vini albi, &c. Cyathus autem, eſt drachmæ duodecim. Quamobrem apud Principem loco ſuperius adducto de abſinthio, non onoloſſat tres, ſed cyathi tres ſcribendum fuiſſe videtur.

CAPUT XX.

De Uncia Denarii.

Uncia denarij, quo vocabulo utitur Celſus, denarij eſt minutia. Sexta vero ejuſdem pars pendens, grana quatuordecim fere, quia minus duabus grani ſeptimis.

Celſus lib. 5. cap. 17. Idem in uncia denarij habeo, quod Græci habent in eo, quem ὀβολὸν appellant. Id ad noſtra pondera relatum paulò plus dimidio ſcrupulo facit.

CAPUT XXI.

De Scrupulo.

Vide & capita ſequentia ſex.

Scrupulus multiplex eſt: communis, Nicolai, Venetus & Atticus.

Communis, granorum quatuor & viginti eſt pon-

pondus, drachæmæ communis pars tertia, aurei quarta, unciæ quarta & vigeſima, libræ ducenteſima octava & octogeſima, teſtibus Campano, Priſciano, ignoto Græco, Serapione, ac Principe.

Scrupulus Nicolai granorum viginti pondus eſt, drachmæ ſimiliter ſuæ pars tertia, ſed unciæ ſeptima & vigeſima, libræ trecenteſima quarta & vigeſima.

Scrupulus Venetus, granorum ſimiliter viginti pondus eſt, & drachmæ pars tertia, Unciæ quarta & vigeſima, libræque Venetæ ducenteſima octava & octogeſima.

Atticus vero ſcrupulus decem & novem ferè pendet grana.

CAPUT XXII.

De Guancho, id eſt, Scrupulo apud Arabes dicto.

Guanchus ex concordia Serapionis de ſimplicibus, & Raſis xxij Continentis de ſemine naſturcij authore Galeno, videtur ſcrupulus, quando de eo, inquit Serapio ſumuntur in potu duo Guanchi, expellit choleram per vomitum & fluxum ventris. Raſis, ſcrupuli duo ſumpti ex eo provocant vomitum, & purgant choleram. Avicenna, Et quando bibitur ex eo ecluneffi, (hecluneſi, in cujus margine, pondus achſuna taſi) facit vomere choleram rubeam & educit eam ſolutione. Et faciunt illud, tres quartæ drachmæ unius. Quartæ autem tres drachmæ unius, ſunt grana quatuor & quinquaginta quæ obolo medio excedunt ſcrupulos duos. Quare ut quod dicitur à Principe, quadret, Serapioni & Raſi, ità videtur intelligendum, quod quartæ duæ & tertiæ duæ unius drachmæ, id eſt ſcrupuli duo de ſemine naſturtij bibiti, cum acſuneffi, id eſt, onybapho, potionis alicujus, ſupple, faciunt vomere, &c. oxybaphus autem aquæ vel vini drachmas habet viginti pondere, duas ſcilicet uncias & ſemis.

CAPUT XXIII.

De Gormia, alio Barbarico ſcrupuli nomine, & à Græco gramma, corrupto.

Gormia ſcrupulus eſt, ex concordia Pauli practicæ ſeptimo, cum Avicenna Canone quinto de ponderibus, tam parvi, quam magni myſtri deſcriptionibus. Myſtrum magnum, inquit Princeps, habet olei uncias tres, vini, vel aquæ uncias tres, & gormiæ octo. Paulus uncias tres olei, vini vel aquæ uncias tres, ſcrupulos octo. Myſtrum vero parvum, inquit Princeps, eſt darchimiæ ſex olei, vini, vel aquæ gormiæ viginti. Paulus myſtrum parvum drachmæ ſex olei, vini, vel aquæ ſcrupuli viginti. Arabes ſtudentes imitari Græcos pro gramma, gormia, pro drachmi, darchimi, aut darchimiæ & interdum darchimet ſcripſerunt, non potentes enim proferre dra, ſyllabam, literarum tranſpoſitione dar proferunt ſicut de Januenſibus dicitur.

CAPUT XXIV.

De Grammate Græco ejuſdem vocabulo.

Gramma Græcè, ſcrupulus eſt, Paulo teſte, Priſciano, ignotoque Græco. Semioboli duplus eſt obolus, quem pondere duplo Gramma vocant, ſcrupulum noſtri dixere priores. Hæc Priſcianus.

CAPUT XXV.

De Harme, Rurſus alio ſcrupuli Arabico nomine, à Græco nimirum gramma corrupto.

Harme quoque ſcrupulus eſt. Harme (inquit Serapio) eſt quarta pars drachmæ, aut danich duo, auculi duo. Sed danich duo & autuli duo, ſunt grana quatuor & viginti, id eſt ſcrupulus qui eſt pars quarta aurei, non, drachmæ. Ideo ſubjunxit Serapio, quaſi ſeipſum corrigens in deſcriptione alia aurei, quæ litera videtur melior. Ille loco eodem paulò inferius ſeptimo ſcilicet practicæ de ponderibus. Seminen eſt pondus harmen mediæ, ſed ſeminem eſt obolus ut diximus grana duodecim pendens. Ergo harme cujus medietas eſt ſeminet vel ſeminen grana quatuor & viginti pendet, & eſt ſcrupulus.

CAPUT. XXVI.

De Kermet, alio rurſus barbaro ſeu corrupto ſcrupuli nomine.

Kermet item ſcrupulus eſt, ex concordia Serapionis & Principis cap. de colocynthide: Doſis ejus (inquit Princeps) ſit duo Kermet, & exponens ſe dixit, id eſt, Kirat duodecim, ſed Kirat duodecim ſunt grana octo & quadraginta, ſcrupuli ſcilicet duo. Serapio cap. eodem: cum accipiuntur ex ea onoloſſat quatuor & conficiuntur, &c. Onoloſſat autem, ut prius oſtenſum eſt, obolus eſt, conſtans ex granis duodecim. Igitur onoloſſat quatuor, & Kermet duo idem erunt. Sed onoloſſat quatuor, ſunt ſcrupuli duo, ergo & Kermet duo erunt ſcrupuli duo: quia quæcunque ſunt eadem uni tertio, eadem interſe. Euclidis primo confirmatur. Princeps ij. Canone, capite de polypodio, & potio ejus ſit ſex Kermet. Kermet enim eſt ſex Kirat, imò ſit uſque ad drachmas duas: Item ex concordia ejuſdem cum Plinio cap. de elleboro, Et potio ejus, inquit Princeps, ſit tres Kermet, Plinius vero libro xxv. cap. v. Datur ad leniter molliendum alvum plurimum drachma, ſed drachma tribus conſtat ſcrupulis, ergo Kermet ſcrupulos tres important. Septimo quoque breviarij Serapionis. cap. XII. de elleboro, oportet inquit, ut detur aureus unus. Exponendus drachma, quoniam apud Arabes loco drachmæ aureus frequenter ſcribitur, ut abunde ſatis ſuperius diximus.

CAPUT XXVII.

De Faba Græca ſcrupulum appendente.

Faba Græca ſcrupulus: eſt enim (ut inquit Serapio Practicæ ſeptimo) ſeminet duo, id eſt, oboli duo.

CAPUT XXVIII.

De Tremiſſe Pondere granorum 30. vel. 32.

Kremiſſis, aurei pars eſt tertia, unciæ octava decima, grana ſcilicet duo & triginta obſervatione communi. Verum apud Nicolaum tringinta tantum, apud Venetos autem ſex & viginti cum duabus tertiis.

CATUT XXIX.

De Faba Alexandrina drachma dimidium pendente.

Vide etiam ſequentia ſex capita.

Faba Alexandrina, ex Serapione drachmæ medietas.

De

CAPUT XXX.

De Kemeraſi (id eſt Faba) Alexandrina rurſus.

Kemeraſis Alexandrina ex eodem idem quod faba.

CAPUT XXXI.

De Faba Ægyptia pro eodem pondere.

Faba Ægyptia, videtur idem quod Alexandrina, quoniam Alexandrina Ægypti civitas eſt. Quamvis in his, quæ teſtatur Princeps, ex Serapionis breviario deſumpta, ſcripſerit: faba Ægyptia, oboli (ſuminet, Avicenna) quatuor: qui ſunt paulò plus dimidia drachma. Verumtamen de faba ſub nomine Ægyptia, non videtur ſcripſiſſe Serapio, ſed de faba Syra, quod eſt ſeminet quatuor. Quare apud Principem faba Syra, non Ægyptia, legendum fortè videtur, eſt oboli quatuor. Et tunc nulla erit ambiguitas, nec inter Serapionem & Principem diſſonantia. Apud Dioſcoridem legitur faba Ægyptia obolus cum dimidio, videtur autem legendum ſcrupulus cum dimidio.

CAPUT XXXII.

De Balano, id eſt, drachma dimidia.

Balanus ex Dioſcoride drachma media.

CAPUT XXXIII.

De Bachileon Arabico ejuſdem ponderis nomine.

Achileon Avicennæ fen. 2. tertij libri, de cura paralyſis, (*Bakilleon, in textu: in margine bachele.*) Videtur autem ſimiliter drachmæ medietas ex concordia Pauli tertio practicæ cum Principe loco allegato. Ejus quidem potio ſcilicet opopanacis, inquit Princeps, ſit quantitas bachileon. Paulus ad magnitudinem fabæ.

CAPUT XXXIV.

De Lupino, ſimiliter pro Drachma media.

Lupinus eſt drachmæ medietas, ut teſtatur Pauli, Serapionis, & Principis de theriacæ in tuſſi exhibitione, concordia. Ubi namque Serapio & Princeps inquiunt, Lupinus: Paulus, detur faba Ægyptia, quæ à Serapione vocatur Alexandrina & ab eodem exponitur ſeminet tres aut oboli tres, quod eſt drachmæ medietas. Spuentibus quoque ſanguinem de recenti, jubet dari Paulus cum oxycrato: ex multo tempore ſpuentibus, cum decoctione ſymphiti, utriſque mane & ſero quantitas fabæ Ægyptiæ, id eſt, drachmæ medietas pro vice: ita quod drachma una in die. Avicenna idem de oxycrato mane & ſero utriſque ad aureum unum, id eſt drachmam: quod ità exponendum videtur, ut cum Paulo Principis textus concordat, è quo ſumpſiſſe videtur. Quinto quoque Breviarij de Scorpionum punctura, antidorum ſcripſit Serapio, Detur ex eo, inquiens, quantum eſt lupinus. Paulus vero Practicæ quinto, detur quantitas fabæ Ægyptiæ. Quare Lupinus & faba Ægyptia nomina ſynonima ſunt, importantia pondus idem drachmæ ſcilicet dimidium. Confirmat hoc Serapio breviarij ſeptimo, de probatione theriacæ: detur ei inquit in potu ex theriaca quantitas lupini, & eſt quantitas media aurei, id eſt, drachmæ.

CAPUT XXXV.

De Bachila, id eſt, Faba rurſus.

Bachila ex concordia Principis prima tertij, de cura apoplexiæ, cum Paulo iij. practicæ cap. eodem, fabam ſignificat. Inquit Paulus, Caſtore drachma una, opopanacis ad magnitudinem fabæ in melicrato. Princeps de ſimplicibus: Caſtorei drachma una cum aqua mellis, aut ex oxymellite (etiam mellino) cum bibitur bachila una. Sic textus videtur diminutus: quia deeſt opopanacis, de quo bachila bibenda eſt cum oxymelite, ut Paulus ſcripſit. Raſis quoque Continentis 1. cap. 2. charta ſecunda, columna quarta circa principium. De opopanace: ſed perfecti juvamenti erit, ſi ſumatur quolibet die cum ſyrupo mellis ad modum fabæ. Et ſcribuntur hæc de cura apoplexiæ.

CAPUT XXXVI.

De Faba Syriaca Scrupulorum ii. pondere.

Faba Syriaca ex Serapione, oboli quatuor, id eſt ſcrupuli duo, ut in faba Ægyptia.

CAPUT XXXVII.

De Drachma Communi.

Vide etiam capita xi. ſequentia.

Drachma communis, grana duo & ſeptuaginta pendens, unciæ pars eſt octava, libræ ſexta & nonageſima. Capit autem ſcrupulos tres, Kirat decemocto, chalcos ſex & triginta, obolos ſex.

CAPUT XXXVIII.

De Drachma Nicolai.

Drachma Nicolai & Veneta, grana ſexaginta tantum continet, obolos quinque, Kirat quindecim, & eſt unciæ Nicolai pars nona, Venetæ vero octava: libræ Nicolai centeſima octava: Venetæ ſexta & nonageſima.

CAPUT. XXXIX.

De Drachma Celſi.

Drachma Celſi major eſt omnibus: quoniam duo & octoginta continet grana duaſque grani ſeptimas & eſt communis unciæ pars ſeptima, ſicut apud eundem legitur lib. 5. cap. 17, libræ communis pars quarta & octogeſima.

CAPUT XL.

De Drachma Attica.

Attica drachma tanquam omnium minima; ſex & quinquaginta continet grana cum duabus octavis.

CAPUT XLI.

De Numo vel Denario argenteo.

Numus argenteus ſive denarius, drachma eſt ex Plinio.

CAPUT XLII.

De Numo Aureo Denario, ſtagio, vel hexagio.

Vide etiam caput xlix.

Numus aureus, ſive denarius, vel ſtagium, aut hexagium obſervatione communi habet ſcrupulos qua-

quatuor communes, drachmam ſcilicet integram & ejus partem tertiam, non dimidiam, ut ignoto Græco imponitur non recte: apud quem legitur: drachma habet Keratia decemocto, Stagium quatuor & viginti: quorum ad decem octo proportio eſt ſeſquitertia, non ſeſquialtera.

CAP. XLIII.

De Atogochilo, id eſt, drachma ſecundum Arabes.

Atogochilos ex concordia Dioſcoridis & Serapionis de modo dealbandi lithargyrum drachmam ſignificat. In unaquaque Ominos (id eſt, mina) lithargyri, ſcripſit Serapio, ponito quinque atogochilos ſalis ex minera. Dioſcorides in Græco exemplari, τῇ μνᾷ τῆς λιθαργύρȣ ἁλῶν ὀρυκτῶν ∠ε., id eſt, lithargyri minam ſalis ex minera drachmas quinque, quare ominos, minam atogochilos, drachmam importabit.

CAP. XLIV.

De Holca Græco vocabulo drachmam ſignificante.

Holca idem quod drachma, Keratia decem octo continens ex Paulo, ignoto Græco & Priſciano. Holca quoque à drachma non re, ſed nomine diſtat, Priſcianus. Quamvis legatur apud Græcum ignotum. Holca duas habet uncias: apud Hermolaum in Plinianis caſtigationibus, holca eſt libra teſte Cleopatra: & apud Titum Livium, Pauli interpretem, holca eſt ſcrupulus, lib. iij. practicæ, cap. xxxvi. & apud Simonem hylca eſt obolus, quæ omnia non videntur quadrare veritati.

CAP. XLV.

De Alchi nomine corrupto ab holca, id eſt, drachma.

Alchi apud Serapionem Græcos imitantem, pro ὁλκὴ ſcribitur, quod eſt holca Latine, id eſt drachma. Libro namque de ſimplicibus cap. de pinu. Quando, inquit, bibitur ex folio pini pondus alki cum aqua & melle: ὁλκὴ videtur legendum Græcè, vel holca Latine: quoniam apud Dioſcoridem, ut teſtatur Serapio cap. eodem, legitur, ἠπατικῆς τῶν φύλλων ὁλκή μία: id eſt drachma una. Paulus quoque ac Ignotus, olki drachmam interpretantur.

CAP. XLVI.

De Darchimi vel Darchimie, id eſt, drachma.

Darchimi, vel darchimie, vel darchimet apud Arabes, ſtudentes imitari Græcos, qui δραχμὴν darchmam dicunt, pro drachma frequentiſſimè legitur, quod ex concordia Serapionis & Principis cum Paulo, quum alibi locis quampluribus, tùm maximè myſtri parvi deſcriptione deprehenditur. Myſtrum parvum dixere Serapio & Princeps, eſt darchimie ſex, Paulus drachmæ ſex: cyathus olei eſt darchimie duodecim, Paulus drachmæ duodecim. Licet admirari Simonem Januenſem rerum noſtrarum diligentiſſimum indagatorem, Darchimie, inquit, Arabicè pondus eſt obolorum ſex, obolus eſt tria Kirat, Kirat eſt grana quatuor: ergo darchimie pendet Kirat decem octo id eſt grana duo & ſeptuaginta ſecundum Joannem Serapionem. Idemque inquit Simon, dicit quod darchimie eſt aureus ex Serapionis verbis. Duo facile Simon poterat intelligere: primum apud Arabes darchimie drachmam ſignificare: ſecundum apud eoſdem pro drachma aureum frequenter uſurpari, nec ſcribendum fuerat darchimie drachmam & ſeminet eſſe & ſimiliter avellanam in aurei expoſitione, quum darchimie ad duo & ſeptuaginta grana tantum conſcendat, nec ultra extendatur, ut ex obolorum Kirat & granorum computatione convincitur, ita ut pacto nullo poſſit aureus eſſe non Nicolai, qui ad nonaginta grana tantum, multoque minus communis qui ad ſex & nonaginta progreditur. Itaque dicendum videtur quod darchimi, vel darchimie, quamvis verè ſit drachma, à Serapione tamen vocari aureum, Arabum more uſitato, nomina hæc aureum ſcilicet & drachmam ſæpiſſimè confundentium, & vice drachmæ ſcribentium aureum nō raro, ſicuti ſuperius tractatus hujus ſecundi, cap. 4. abunde ſatis oſtendimus & ex Raſi 22. continentis cap. de ſcammonea apertiſſimè docemus: ſumpta, inquit, ſcammonea pondere aurei medij, aut danich quatuor & medii cum ſirupo mellis, &c. ſed danich quatuor & medium ſunt grana ſex & triginta, id eſt, drachma media, ergo aureum loco drachmæ poſuiſſe videtur Raſis.

CAP. XLVII.

De Ologinat alio barbarico drachmæ nomine.

Ologinat apud Serapionem de ſimplicibus cap. de Eſula, authore Dioſcoride, quam pityuſam appellat. Ejus autem interpretatio eſt drachma, non obolus ut ſcripſit interpres: folia (inquit Serapio) laxant ſi accipiatur de eis tres ologinat. Dioſcorides, τῶν δὲ φύλλων ὁλκαὶ γ. id eſt, foliorum autem drachmæ tres. Interpres: Omnia facere poſſunt folia ejus tribus obolis accepta. Ego Dioſcoridi magis adhæreo quàm interpreti. Quoniam Dioſcorides de lacte eſulæ, tanquam potentiori, jubet dari coclearium, id eſt drachmam mediam: de fructu integram: de radice duas: de foliis, tanquam debilioribus tres. Nec obſtat quod à Simone adducitur in expoſitione holcæ, quod obolum ſignificat ex concordia Dioſcoridis & Avicennæ cap. Laſſar: quoniam in Dioſcoridis Græco exemplari legitur, pondus oboli, non olcæ, ut apud interpretem.

CAP. XLVIII.

De Nabach ſimiliter appendente drachmam.

Nabach ex concordia Principis prima iiij. de cura quartanæ, cum Raſi ad Almanſorem lib. decimo, de cura eadem, eſt avellana ſive drachma. Eſt neceſſarium (inquit Princeps) ut des in potu omni mane quantum eſt nabach, de eis quæ ſunt ſicut mendicamen de aſſa. Raſis poſt deſcriptionem confectionis de aſſa. Sumatur ex hoc medicamine quantum eſt avellana, & confirmatur ex Principe canone; tract. 1. in fine deſcriptionis confectionis prædictæ: Doſis ejus ſit pondus drachmæ unius.

CAP. XLIX.

De Avellana drachmæ pondere.

Vide etiam ſequens caput.

Avellana drachmam ſignificat. Avellana (inquit Princeps) eſt drachma una. Quod & Galenus ſentire videtur de theriacæ commoditatibus libello, menſura, inquit, theriacæ aliàs alia utens benè facies, aliâs autem fabæ Ægyptiæ magnitudinem cùm aqua aſſumens, quando per acutum fuerit futurum tempus vel ſpacium ad digeſtionem. Aliâs autem avellanæ magnitudinem, ſic faciens, bibet quando plus ad digeſtionem tempus habes. Et ita

ita (per) fabam Ægyptiam, drachmam mediam Galenus fortè intelligit: (per) avellanam, integram drachmam.)

CAP. L.

De Bondacate, id eſt, rurſus de Avellana Arabice dicta, quaſi Pontica nuce.

Bondacate ex concordia Principis, prima tertii, de cura apoplexiæ: & Raſis primo continentis cap. primo, charta ij. columna iij. circa principium: ſimiliter de cura apoplexiæ autore Aaron, à quo & Princeps accepiſſe videtur, eſt avellana. Ubi enim Princeps Bondacate, (aliàs, bondacha) Raſis avellanam ſcripſit, Dandum quantitatem bondacate unius ex theriaca aut mithridacio: Serapio vero loco conſimili aureum theriacæ dari juſſit, qui per drachmam exponendus videtur, ex uſitato more Arabum, aureum loco drachmæ frequenter ſcribentium.

CAP. LII.

De Aureis diverſis: è quibus communis etiam ſextula dicitur.

Vide etiam caput XLII.

Aureus multiplex: communis, Nicolai, Venetus & Atticus. Communis qui & ſextula (vel ſexcla) dicitur, quoniam unciæ pars eſt ſexta, ſcrupuli ſcilicet quatuor. Libræ pars eſt ſecunda & ſeptuageſima, grana ſcilicet ſex & nonaginta. Quoniam ad grana ſex millia noningenta duodecim, qui eſt numerus granorum communis libræ, ſi comparentur, ſecundam & ſeptuageſimam eorum partem tenent. Aureus Nicolai grana nonaginta: Venetus octoginta: Atticus vero quinque & ſeptuaginta tantum capit. Quorum quilibet ad propriam relatus unciam, partem ſextam: ad libram, ſecundam & ſeptuageſimam poſſidet. Exagium à pluribus dicitur: ab ignoto Græco ſtagium: à quibuſdam ſolidus.

CAP. LII.

De Sextula ſive aureo communi rurſus.

Sextula, à quibuſdam vocitata ſexcla, idem eſt quod aureus: ſic dicta quod unciæ pars ſit ſexta. Unde & ſextinus aliquando dicitur: non quod in ſex uncias aut obolos dividatur, ut ſentire videtur Hermolaus, ſed quoniam ſexies multiplicatus unciam reddat. Quamobrem & obolus dici ſextinus merito poteſt, quoniam drachmæ pars ſexta computetur. Sex enim oboli drachmam integrant, ſicuti & aurei ſex, unciam, Semiſexcla vel Semiſextula aurei medietas.

CAP. LIII.

De Alcaubulo ſive aureo apud Arabes dicto.

Alcaubolus, ex Serapione, aureus. Quoniam eſt quatuor & viginti Kirat.

CAP. LIV.

De Sicilico qui drachmas ii. pendet.

Sicilicus unciæ pars eſt quarta, drachmæ ſcilicet duæ, grana centum quatuor & quadraginta, ex Feſto, Campano & Priſciano: ſic dictus quoniam ſemunciam ſecet, ut Feſtus inquit. Campanus xiiij. Euclidis, in octavæ propoſitionis commentario, unciam, inquit, rurſus in alias duodecim fractiones majores noſtri diviſere, ſed alia via. Nam medietatem unciæ dixerunt ſemunciam, tertiam verò duellam, quartam Sicilicum. Priſcianus, Drachmam ſi gemines aderit, quem dicier audes Sicilicum. Eſt itaque Sicilicus unciæ pars quarta, non ſemuncia, ut ſcripſiſſe videtur Hermolaus.

CAP. LV.

De duella octo ſcrupulorum pondere.

Duella unciæ pars eſt tertia, aurei ſcilicet duo, ſcrupuli octo, grana centum duo & nonaginta, ex Campano.

CAP. LVI.

De Alcovano Arabico ejuſdem ponderis nomine.

Alcovanus idem quod duella apud Serapionem, Alcovani tres inquit idem unciam faciunt.

CAP. LVII.

De Sextario in Arabum libris, id eſt ſtatere vel ſemuncia: & ſacraiati pondere drachmarum 25.

Sextarius apud Arabes ponderis nomen eſt idem importans quod apud Græcos ςατὴρ, apud noſtros ſtater, ſemunciam videlicet. Teſtatur Princeps qui minam Romanam, quæ eſt unciarum viginti, dicit eſſe ſextarios quadraginta. Teſtantur ſimiliter Serapio & Campanus, qui ut ſcripſit Simon, afferunt minam continere grana hordei undecim millia, quingenta viginti, & ipſa conſtituere ſextarios quadraginta. Talis autem granorum numerus ad uncias redactus, viginti præciſe producit uncias: igitur ſextarius eſt unciæ medietas apud Arabes vel Arabicus. Vel aliter, ex ſuppoſitione, undecim millia quingenta viginti grana, ſextarios quadraginta faciunt: ergo quadrageſima illorum pars, eſt Sextarius. Sed pars talis eſt, ducenta octo & octoginta grana, quæ unciam mediam, vel drachmas quatuor complent. Nam quater duo & ſeptuaginta grana, ex quibus drachma conſtat, ducenta, octo & octoginta producunt. Ergo clarum, apertumque videtur ſextarium Arabicum unciæ mediæ pondus non amplius importare, qui maximè diſtat à ſextario Italico vel xeſte, Græcorum commentariis frequenter uſitato, cum ea non pondera, ſed menſuræ videantur exiſtere, ut infra Tratatu tertio, Deo dante, monſtrabimus. Huic ſententiæ conſonat Serapio Breviarii ſeptimo, & Princeps Canone quinto, Diamartis deſcriptione. quorum uterque, ℞. inquit, zinziberis, coſti, & caſſiæ ana ſextarios tres. Et iſtarum medicinarum in deſcriptione alia, drachmas duodecim, ſed diviſis drachmis duodecim per tria, exeunt quatuor. Ergo Sextarius eſt drachmæ quatuor, confirmatur. Sacraiati (ut inquit Simon) eſt Pondus granorum mille octingentarum hordei: quæ drachmas quinque & viginti producunt. Quoniam duo & ſeptuaginta, qui eſt numerus communis drachmæ, ſi per quinque & viginti multiplicentur, mille octingenta concreſcent. Et idem Sacraiati à Serapione & Principe deſcribitur, quod eſt ſextarii ſex & quarta. Sed diviſis quinque & viginti drachmis per quatuor, proveniunt ſex & quarta. Sequitur igitur ex dictis Serapionis & Principis, ſextarium eſſe pondus drachmarum quatuor: Sacraiati verò

quinque

quinque & viginti. Nec obſtat quod apud Principem legitur. Alſacraiati magna eſt quatuordecim ſeminet, ideſt, oboli. Hunc enim textum mendoſum eſſe, Serapionis dicta Septimo breviarii, à quo Princeps accepit, apertè demonſtrat. Cum enim dixiſſet Serapio: Nux eſt quatuordecim ſeminet, ſubjunxit: Aſſabaffa parva, eſt ſeminet ſeptem. Avicenna verò poſt nucis expoſitionem, ſtatim ſubjunxit: Aſſacraiati magna eſt quatuordecim ſeminet, cum tamen Serapio non alſacraiati, ſed aſſabafa ſcripſerit. Ipſe quoque Avicennæ textus, ſeipſum arguere videtur erroris, quoniam paulò infra inquit Alſacraiati eſt ſextaria ſex & quarta. Sed hoc aſcendit ad drachmas quinque & viginti, ut præ oſtendimus, quod eſt pondus longè majus quam oboli quatuordecim, quonam in decuplo majus & amplius, ut benè calculanti facilè apparet. Sunt enim ſeminet quatuor, duæ & tertia pars drachmæ: ad quos drachmæ quinque & viginti proportionem habent decuplam, ſuper decupartientem quartadecimas, drachmæ enim quinque & viginti in ſeminet, id eſt obolos reſolutæ, centum quinquaginta producunt obolos, qui quatuordecim decies continent & quartas decimas decem, vel eorum quinque ſeptimas, quod idem eſt. Quamvis Dinus in eo qui illi inſcribitur de ponderibus libello videatur ſcribere & ipſe Sacraiati magnum, eſt ſeminet quatuordecim, id eſt, drachmæ quinque & grana ſex & triginta. Quod non videtur poſſe ſtare, quoniam ſeminet, ut ſuperius expoſuimus, eſt obolus, quia harme medietas, ut Serapio teſtatur. Si vero ſeminet quatuordecim, drachmas quinque facerent, & grana ſex & triginta, non eſſet ſeminet medietas Harme, id eſt, ſcrupuli, imo excederet ſcrupulum. Si quæ Dino attribuitur, vera eſſet expoſitio, ſeminet contineret grana octo & viginti paulò plus, & conſequenter non eſſet obolus, nec medietas Harme, id eſt, ſcrupuli: imo excederet ſcrupulum per ſextam ejus partem, grana ſcilicet quatuor, paulò plus, quod contradicit Serapioni. Præterea Sacraiati, quod ex Principis ac Serapionis deſcriptione, habet ſextarios ſex & quartam, id eſt, drachmas quinque & viginti, majus eſt illo, quod drachmas quinque & mediam tantum: & longè majus, quoniam quinquies paulò minus, ergo non illud, ſed hoc magnum dici mereretur. Quamobrem dicendum videtur ſextarium Arabicum ſemunciam, Alſacraiati uncias tres & octavam ſignificare, vel ſextaria ſex Arabica & quartam, & in hac ſignificatione uſus eſt libro diviſionum cap. I. de Alopecia, dum præcipit potandam ſcamoneæ quartam drachmæ unius in ſex ſextariis & quarta lactis acetoſi: ac ſi diceret, in ſacraiati uno lactis: dicendum quoque aſſabaffa nucem ſignificare & eam in magnam & parvam dividi, magnamque quatuordecim, parvam vero ſeptem pendere obolos, ut ex Serapionis dictis elicere quivis diligentius conſiderans indubiè poteſt. Huic ſententiæ noſtræ ignotus quidam aſſentiri videtur parvo quodam ſuo de ponderibus tractatulo. Princeps nucis majoris pondus dari aliquando jubet, quam aſſabaffam vocat Serapio de nuce: apud ignotum Græcum aliter legitur, ut infra, Deo dante, videbimus.

CAP. LVIII.

De Sacros, id eſt, uncia.

Sacros ex concordia Serapionis cap. de Lycio, & Raſis continentis xxij. cap. eodem, unciam ſignificat. Quando bibitur (inquit Serapio) ex fructu ejus ſacros, laxat phlegma. Raſis, & ſumere de fructu ejus ad pondus unciæ unius, laxat phlegma aquoſum.

CAP. LIX.

De Auguen & adar, quorum utrumvis uncia eſt.

Auguen ex Serapione videtur uncia. Adar etiam apud eundem & Principem exponitur uncia.

CAP. LX.

De Aſſatis, id eſt, uncia.

Aſſatis ex Serapione eſt uncia.

CAP. LXI.

De Aſſatil, id eſt, uncia.

Aſſatil ex Principe ſimiliter uncia.

CAP. LXII.

De Libris diverſis & earum diviſione.

Libra communis uncias habet duodecim, aureos duos & ſeptuaginta, drachmas ſex & nonaginta, obolos quinquentos ſex & ſeptuaginta: grana ſex millia noningenta duodecim. Libra Nicolai uncias ſimiliter duodecim, drachmas centum octo, obolos quingentos quadraginta, grana ſex millia quadringenta octoginta. Veneta uncias ſimiliter duodecim, drachmas ſex & nonaginta, obolos quadringentos octoginta, grana quinque millia ſeptingenta ſexaginta. Attica libra habet & proprias uncias duodecim, drachmaſque ſex & nonaginta, obolos autem quadringentos quinquaginta, grana autem quinque millia quadringenta, qui tamen granorum numerus, novem tantum uncias communes cum tribus octavis perficit, id eſt, drachmas communes quinque & ſeptuaginta, unde Priſcianus.

Ter quinque hanc denique drachmis,
Et ter vigenis tradunt explerier illam.

CAP. LXIII.

De Librarum inter ſe proportionibus.

Librarum inter ſe proportiones tales exiſtunt: Communis libræ ad Nicolai libram proportio eſt ſeſquiquinta decima. Ad Venetam ſe quiquinta. Ad Atticam ſeſquitertia ſuper quadripartiens ſeptimas. Nicolai ad Venetam ſeſquiquinta, Venetæ ad Atticam ſequiquinta decima.

CAP. LXIV.

De Libræ Partitionibus.

Libram in multas partiri poſſumus partes: in medietates, tertias, quartas, ſextas, octavas, duodecimas, vigeſimas quartas. Et ex his quidem aliquotæ dicuntur partes: quoniam aliquoties ſumptæ, libram reddunt adæquatæ. Libræ nempe medietas, ſelibra, vel ſemis dicitur, unciæ ſcilicet ſex. Pars tertia, triens: quarta, quadrans: ſexta, ſextans: octava, ſeſcuncia, uncia ſcilicet & media: duodecima, unde quarta & vigeſima, ſemuncia, drachmæ ſcilicet quatuor, ſtater apud noſtros, στατὴρ apud Græcos, ſextarius Arabibus dictus. In libræ vero partes non aliquotæ, deunx, decunx vel dextans, dodrans, beſſis vel bes, ſeptunx, quincunx. Eſt autem deunx libræ pars illa tota quæ remanet dempta uncia, unciæ ſcilicet

undecim decunx vel dextans, quod dempto ſextante remanet unciæ ſcilicet decem: Dodrans, dempto quadrante, relinquitur, unciæ novem. Beſſis vel bes quod ſupereſt dempto triente, unciæ octo. Septunx, remoto quincunce manet. Advertendum tamen quod triens, quadrans, ſextans, ex ſe confuſæ tantum, non diſtinctæ quantitatis ſignificationem habent: ſed ab his ad quæ referuntur mutuantur. Quadrans enim quamvis totius alicujus partem quartam ſemper ſignificet, quanta tamen dearticulatè ſit, apte non explicat, toto non precognito, cujus eſt quadrans, à quouſque adeò diſtincta quadrantis ſignificatio pendet, ut eo variato, & quadrantis ſignificatio neceſſario varietur. Nam ſi ad libram reſecatur quadras, unciarum trium pondus erit: ſi ad unciam, Sicilicus: ſi ad aureum, ſcrupulus: ſi ad drachmam, obolus & ſemis. Idem de triente & ſextante proportionabiliter dicendum. Quorum varium ſignificatum, apud Celſum, Plinium, Hali abbatem, Vitruiumque non raro reperire poſſumus.

CAP. LXV.

De Rotulo, id eſt, libra.

Rotulus ex concordia Galeni lib. de Phlebotomia, cap. 8. cum Raſi ij. continentis cap. ij. eſt libra. Scribit de quodam juvene Gal. flegminantes oculos habente, ablatè ſunt ſibi prima ablatione ſanguinis ℔iij. deinde hora nona, &c. Raſis ubi ſupra & juveni in lib. flebotomiæ: erat quidam juvenis cui minui & extraxi quaſi tres rotulos & in nona hora. Item ex concordia Serapionis iij. breviarii, cap. xv. de ſpeciebus vomitus, cum Raſis v. continentis cap. ij. ℞. inquit Raſis granorum granatorum acetoſorum ℥xx. maſticis ʒi. coquantur in rotulo uno aquæ uſque dum perveniet ad medium. Serapio, ℞. granorum granatorum coquantur cum libra aquæ donec remaneat medietas. Similiter ejuſdem Raſis xij. continentis cap. I. deſcriptione duplici, quot incipit. ℞. ſtaphiſagriæ rotulum unum, &c. cum Avi. xxij. tertii cap. de epithematibus & emplaſtris ad ſciaticam, ubi Raſis rotulum, Avi. libram ſcripſit.

CAP. LXVI.

De Mina multiplici.

Mina multiplex eſt: Graia, Attica, Italica, Ægyptia & Romana, Graia Plinio, Paulo, Priſciano & ignoto Græco, centum drachmas pendet, uncias ſcilicet duodecim ſemis. Attica quinque & ſeptuaginta ex Priſciano, quæ & Attica eſt libra, quamvis apud ignotum Græcum legatur, mina Attica ſtagia tria, id eſt, ſemuncia. Item mina habet uncias novem. Item mina parva oboli quindecim: in Plinianis caſtigationibus Hermolai, mina eſt libra. Mina vero Italica & Ægyptia Paulo, Serapioni & Principi, uncias viginti; quæ apud Serapionem & Principem dividitur in ſextarios quadraginta, libra vero in viginti. Legendum videtur non viginti, ſed quatuor & viginti, quoniam productorum inter ſe & producentium eadem debet eſſe proportio neceſſariò, ſed unciarum viginti ad duodecim eſt ſuperbipartiens tertias, quadraginta ad viginti dupla, ad quatuor vero & viginti ſimiliter ſuperbipartiens tertias: quia, &c. Advertendum quoque diligenter Minam & eminam non idem eſſe, ut ſentire videtur Simon, imo inter ſe maximè diſtare cum altera pondus, altera menſura ſit. Emina menſura eſt congii pars duodecima, ſextarii medietas, cyatos ſex continens, miſtra magna tria, oxybaffos quatuor, de qua cum de menſuris tractantes latiùs diſſeremus. Mina vero non menſura, ſed pondus exiſtens, multiplex eſt & ipſa, ut in mina diximus. Graia drachmas pendens centum ut Priſcianus teſtatur. Accipe præterea parvo quam nomine Graii. Minam vocitant, noſtrique minam dixere priores, centum fert hæc drachmas. Plinius ſimiliter libro vigeſimo primo cap. ultimo, quam noſtri minam vocant pendet drachmas Atticas centum. De emina, cum acetabuli menſura dicitur, ſignificat eminæ quartam, id eſt, drachmas quindecim. Hic emina, quamvis ſit menſura, notificatur per pondus, quod eſt drachmarum ſexaginta, cujus eminæ pars quarta eſt oxybaffus aut acetabulum.

CAP. LXVII.

De Ominos, id eſt, mina.

Ominos ex concordia Dioſcoridis & Serapionis de modo dealbandi lithargyrum, minam ſignificat. Pone (inquit Serapio) in unaquaque ominos lithargyri, quinque atogochilos ſalis ex minera. Dioſcorides εἶτα μίξας τῇ μνᾷ τῆς λιθαργύρου ἁλῶν ὀρυκτῶν οὐγγίας έ. Qurre ominos minam, atogochilos drachmam ſignificat.

CAP. LXVIII.

De Manes (alias manei, manii) id eſt, mina.

Manes vel manei & interdum manii, ex concordia Serapionis de ſimplicibus cap. de ſtilla, & Serapionis vij. Breviarii de modo conficiendi acetum ſciliticum cum Dioſcoride, de aceto ſquillitico, Minam ſignificat: Servatur (inquit Serapio cap. de ſquilla) quantitas unius manes, & projiciantur ſuper eam duodecim Kiſt aceti. Septimo breviarii. ℞. ſquillæ minam unam. Dioſcorides, λαβὼν μνᾶν μίαν ἐξ αὐτῆς κάθες εἰς ξέςας ὄξους καλοῦ ιβ. Serapio item cap. de mandragora, accipiatur de vino dulci amphora una, & projiciatur in ea tres manei de radice mandragoræ. Dioſcorides in Latino exemplari. conficitur, & vinum cum cortice radicis ejus, ut in unum amphoram vini, tres minas radicum ejus infundas. De lotura quoque ſquamæ æris ſcribens Serapio cap. de ære ℞. inquit de ſquama optimè purgata mediam mani. Dioſcorides ἡμίμναιον, id eſt, minam mediam. Stephanus menam.

CAP. LXIX.

De Alhemion, id eſt, pondere unciarum xij. & ſemis.

Alhemion apud Serapionem Breviarii ſeptimo de ponderibus, ſextaria habet viginti quinque: igitur drachmas centum. Quoniam ſextarius apud Arabes ſtaber eſt, ſive ſemuncia quod idem eſt. Quare alheminon eſt mina Græca drachmas centum pendens, ut Paulus, Plinius, Priſcianuſque teſtantur. Corruptus igitur videtur Principis textus cum dicitur: Alhemen eſt ſextarii quinque & drachmæ triginta, & autuli quatuor. Ideoque caſtigandus videtur, ut quadret Serapioni à quo Princeps accepit, & ipſemet teſtatur. Alhemen eſt ſextarii quinque & viginti. Alhemen idem quod Alheminon.

LIBER TERTIUS

De Menſuris.

CAP. I.

De Menſuris in univerſum.

Circa medicinales menſuras; (de his enim ſermo noſter futurus eſt) præmittendum videtur, quod menſurarum obſervationes crebriore uſu à medicis uſurpatæ, apud Græcos quidem fuere communes & Attica: apud noſtros Itala, & Romana: apud Arabes Ægyptia, Syra & Alexandrina de quibus particulariter ſuis dicemus locis. Hic tamen præmonuiſſe placet quod ad omnium menſurarum notitiam apertiorem, ſpectare viſum eſt, Quod notificare menſuras duplici poſſumus via, per menſuras majores & minores, ſcilicet, aut per pondera ad menſuras relata. Exempli cauſa, Si quæratur quid ſit cotyla, & reſpondeamus ſextarii eſt medietas, aut menſura cujus ſexta pars eſt cyatus, per majorem & minorem menſuram cotylam declarabimus. Per pondus autem, ſi dixerimus, cotylam uncias eſſe novem olei: via vero prior certior ſtabiliorque eſt, nullius mutabilitatis ſuſceptiva, quod de ſecunda verificari non poteſt. Quamvis enim cotyla nulla, major aut minor ſit ſextarii medietate, nec cyatos plures aut pauciores ſex continere poſſit, non tamen ſemper erit novem unciæ, imo & decem & eo amplius aliquando reperitur. Una enim, eademque menſura, in ſe ſuiſque dimenſionibus nullatenus immutata rerum menſurarum cauſa, pondere non æqualium, variari quoad pondus multipliciter poteſt: Coryla namque, ſiquidem oleum menſuret, uncias capiet novem tantum: ſi vinum vel aquam, decem ſi mel, tredecim ſemis. Diverſorum certè ponderum oleum: vinum vel aquam & mel, una eademque menſurata menſura, ita ut ſit vini vel aquæ ad oleum proportio ſeſquinona, mellis ad idem ſeſqui altera, ad vinum vero vel aquam ſeſquitertia paulò plus. Harum proportionum Paulus Practicæ ſeptimo, ignotus Græcus, & Priſcianus ſuis de ponderibus tractatulis meminere. Serapio & Princeps licet apertè non exprimant, intelligentem tamen exemplis multis, ad earum notitiam excitant. At ita eſſe nos experti teſtamur. Variantur item menſuræ in ſe regionum, locorumque varietate. Atticas namque ferè omnes, Italiæ atque communes ſeſquiquinta in proportione ſuperant: Italas vero ac communes ſeſquinona Romanæ, ut ſuis locis, Deo Dante, monſtrabimus. Eſt & alia diſtinctio, cum ſiccis liquida comparantur. Nam ſi ad res ſiccas, puta pulveres, mel ipſum comparaveris, ejus ad illos quadrupla naſcetur proportio, & hoc illud eſt, quod Canone quinto Princeps & Breviarii ſeptimo Serapio his verbis admonent. Coclearium mellis, eſt aurei quatuor medicinarum unus.

CAP. II.

De Cochleari minimo, menſurarum omnium minima, & via compoſitionis prima.

Cochlear minimum, menſurarum omnium, menſura eſt minima, & via compoſitionis prima. Via vero reſolutionis ultima, pondere quidem drachmam mediam capiens, quæ myſtri parvi communis, pars eſt duodecima: cyathi vero quarta & vigeſima: Unde Priſcianus cochlear extremum eſt, ſcrupulique imitabitur inſtar. Extremum quidem eſt, quoniam eſt ultimum, in quod quum menſurarum diviſio deſcenderit, non ultra progreditur. Apud medicos imitatur ſcrupulum: quoniam ut quatuor & viginti ſcrupuli unciam, ſic quatuor & viginti minima cochlearia, cyathum complent. Cochlearia duo minima ſimul juncta, pariunt cochlear parvum: tria magnum: à quibuſdam vocatam conchulam: octo maximam apud medicos idoneos. Quadruplex eſt cochlear, maximum, minimum, magnum, & pravum, pondere, ut diximus & menſura diſtincta Minimum drachmam mediam: parvum integram, Magnum ſeſquidrachmam, aut ſecundum Aetium didrachmam, Maximum ſemunciam pondere capit. Cochlearia parva ſex, myſtrum commune parvum faciunt: duodecim cyathum: brialam Cyathus & ſemis, oxybaphum, acetabulum ac ſuneſi, acſaſſe, aneſimen, cyathi duo, miſtrum commune magnum, Pugillum, meſtrum muchitium: Cyathi tres, cotylam mediam, calicem integrum: Cyathi ſex, miſtra magna tria, oxybaffos quatuor, cotulam integrã, fialam integram, corboni, eminam, calices duos. Cotylæ duæ, Xeſtem, Sextarium, Kiſt, acſati. Sextarii duo, duruch vel dorach Arabicum. Sextarii ſex congium, chus, chaus, choan, iohen: congii quatuor, urnam. Urnæ duæ, amphoram Italiam, vocatam à noſtris Quadrantal, à Græcis Keramion Italicum, ab Arabibus duruch vel dorach Italicum. Urnæ tres amphoram Atticam, ſive cadum Amphoræ Italicæ viginti, culcum faciunt, menſurarum omnium maximã continentem cochlearia minima, ducenta ſex & ſeptuaginta millia quadringenta & octoginta. Hæc de menſuris curſim & quaſi per tranſitum quodammodo ſcripſimus à minoribus orſi, quarum compoſitione majores concreſcunt. Poſt hæc circa unam quamque diutius immorantes, majorum in minores ſectionem faciemus, Ubi ſi quid occultum aut expoſitione dignum viſum fuerit, tentabimus, quantum nobis divina bonitas tribuerit, explanare, in lucemque deducere, teſtibus adductis fide dignis, Dioſcor. Galeno, Alexandro, Paulo, ignotoque Græco, Principe Aboalij, Serapionibus utrilque, Raſi, Hallabbate, Plinio, Priſciano, ac Simone nonnunquam Januenſi.

CAP. III.

De Culeo Menſurarum maxima.

Culeus eſt menſurarum maxima, amphoras Italicas viginti capiens Plinio teſte lib. xiv. & Priſciano de ponderibus & menſuris tractatulo.

CAP. IV.

De Amphora.

Amphora Italica, menſura eſt pedis quadrati, octo & quadraginta continens ſextari os Feſto, Priſciano & Paulo, quam nonnulli ex noſtris quadrantal Græci Keramion, ut diximus Italicum vocant, Arabes duruch vel dorach Italicum & nonnunquam alduruch vel aldorach Italicum, quod idem eſt apud illos. Habet autem pondere duas & ſeptuaginta libras olei: vini, vel aquæ octoginta: mellis vero centum octo. Hujus dimidium Urnam dicimus: partem octavam, Congium. Quartam & vigeſimam Dorach, vel Duruch Arabicum. Octavam & quadrageſimam Sextarium. Sextam & nonageſimam Myſtrum magnum commune. Tricenteſimam quartam & octogeſimam Oxybaphum, vel Acetabulum. Quingenteſimam ſextam & ſeptuagenam Cyathum. Millenam centenam ſecundam & quinquagenam Myſtrum commune parvum. Millenam ſeptingentenam octavam & vigenam Cochlear maximam. Ter millenam quadringentenam, ſextamque & quinquagenam cochlear magnum. Sexies millenam noningentenam duodenamque Cochlear parvum. Tredecies millenam octingentenam quartamq; & vigenam Cochlea

minimum, quod quidem ultimum in diviſione, Drachmam mediam pondere continet.

Attica præterea diſcenda eſt amphora nobis,
Seu cadus, hanc facies, noſtræ ſi adjeceris urnam.

Amphora vera Attica has urnas continet. Amphora Italica duas capit urnas, Attica vero tres ex Priſciano quæ & cadus & metreta dicitur. Quod autem Amphora Italica Keramion Italicum duruch vel dorach Italicum idem ſint re, licet nomine differant Græcorum atq; Arabum medicorum cum noſtris de menſuris concordia, facilè monſtrat. Septimo quidem Practicæ Paulus Keramion Italicum, habet choas octo, choa Xeſtes ſex, Xeſtes autem idem quod ſextarius Italicus, ut oſtendemus. Octies autem ſex, octo & quadraginta producunt: ergo totidem continet ſextarios, apud Græcos Keramion, quod apud noſtros Amphora, propter quod unam & eandem menſuram dicendam Amphoram & Keramion, ſoloq; nomine inter ſe diſſimilia. Eodem modo apud Serapionum Breviarii ſeptima. Duruch Italicum habet chaus octo, chaus unum, eſt ſex acſati. Sed acſati idem quod ſextarius, quare duruch Italicum apud Serapionem octo & quadraginta ſextarios habet, & conſequenter idem eſt quod Amphora Italica vel Keramion Italicum. Et conſimiliter deduci poteſt dorach Italicum apud Principem eandem eſſe menſuram, quæ Amphora vel Keramion Italicum, aut quadrantal. Advertendum tamen non temere dictum dorach Italicum Dorach enim vel duruch abſolutè prolatum, non Amphoram Italicam ſignificat, ſed librarum trium pondus tantum, ſicuti canone quinto Princeps & Breviariarii ſeptimo Serapio expoſuere, in qua ſignificatione eorum uterque poſuit, cum abſinthiacum oleum deſcripſere. Fundatur inquit Serapio ex oleo ſiſamino in pixidem dorach unum, herbæ abſinthii unciæ duæ. Princeps, ℞. olei ſiſamini daurach unum, abſinthii uncias duas, quamvis in quibuſdam exemplaribus corruptè legatur, danich unum. Hoc autem ex Hali abbatis concordia oſtenditur, qui uncias duas ex oleo ſiſamino ſumendas ſcripſit, id eſt libras tres & abſinthii uncias duas, ejuſdem olei deſcriptione.

CAP. V.

De Urna id eſt Amphora dimidia.

Urna eſt medietas amphoræ Italicæ, ſed Atticæ pars eſt tertia: excedit enim Attica Amphora, quæ & cadus, ut ſcripſit Priſcianus & metreta dicitur, ut ignotus Græcus. Amphoram noſtram, per urnam unam hanc facies noſtræ (ſimilem) ſi adjeceris urnam, ſcripſit Priſcianus in verbo amphora.

CAP. VI.

De Congio.

Chus vel congius, amphoræ pars eſt octava, ſextarios continens ſex: cotylas ſive heminas duodecim, pondere vero libras habet novem olei, vini vel aquæ decem, mellis treſdecim ſemis. Hanc menſuram noſtri congium Priſciano teſte,

Ac cotylas has ſi placeat, dixiſſe licebit,
Heminas geminas recipit ſextarius unus,
Qui quater aſſumptus, ſit Graio nomine chœnix:
Adde duos chus, fit vulgò, qui eſt congius, idem,
A quo ſextarii, nomen feciſſe priores,
Crediderim, quos eos capiat ſex congius unus.

Græci chus vel choam vocitant teſtibus Galeno, ignoto Græco ac Dioſcoride. Arabes interdum chaus, ut Serapio interdum Iohem, ut Princeps. Hoc quod ita ſit, eorum de menſurarum expoſitione concordia monſtrat. Choa inquit Paulus, octava pars Keramij, habet xeſtes ſex: xeſtes autem corylas duas, erit itaque choa idem quod congius, xeſtes idem quod ſextarius, idemque judicium de chaus & johem, cùm chaus pars octava ſit duruch Italici apud Serapionem: Iohem vero octava dorach Italici, apud Principem, & eorum utrumque acſati ſex apud illos obtineat, apparet apud Serapionem chaus, apud Principem Johem, eandem importare menſuram, illam ſcilicet, quæ à noſtris congius à Græcis vel choa dicitur, quæ libras novem capit olei, ut diximus, & ex concordia Serapionis ac Dioſcoridis cap. de reſina, convincitur, ubi enim Dioſcorides choam, Serapio novem ſcripſit libras.

CAP. VII.

De Miſſohaos, id eſt, congii dimidio.

Miſſôhaos ex concordia Serapionis & Dioſcoridis, de modo aromatizandi adipem, cap. de pinguedine & adipe, eſt menſura congii medietatem capiens. ℞. inquit Serapio ollam novam terream, capientem circa libras triginta, & pone in ea adipem, & ſuper hoc vinum miſſôhaos. Dioſcorid. ἢ χοὸς ἡμισυ οἴνȣ, hoc eſt, congium medium: libras ſcilicet quinque, eſt enim choa vini, libræ decem.

CAP. VIII.

De Sextario.

Sextarius Italicus eſt menſura, quæ congii pars eſt ſexta cotylas aut eminas duas continens, cyathos duodecim. Unde Priſcianus,

Sextarii cyathus pars eſt quæ eſt uncia libræ.

Sicut enim libra duodecim continet uncias, ita ſextarius duodecim cyathos. Sed ſi emina, ut ſcripſit Simon, cyathos novem habuerit, cum ipſa ſit ſextarii medietas, cyathos decem octo ſextarius continebit, quod veritati non videtur quadrare. Habet autem ſextarius Italicus, pondere olei quidem, uncias decem octo: vini, vel aquæ viginti: mellis ſeptem & viginti. Romanus verò, ut apud Oribaſium legitur, & Paulus teſtatur, olei viginti capit uncias, vini vel aquæ duas & viginti paulò plus: mellis triginta. Sextarium Romanum Serapio & Princeps, Kiſt Romanum vocitant, & ſextarium Italicum Kiſt ſimiliter.

CAP. IX.

De Sextario Attico.

Sextarius Atticus, habet olei uncias quindecim, vini vel aquæ & mellis ſecundum proportionem ſuperius explicatam hujus tractatus, capite primo.

CAP. X.

Rurſus de ſextario variæ Simonis Genuenſis expoſitiones.

De ſextario licet multa Simon noſter dixerit, nihil tamen determinatum dixiſſe videtur, unde ſciri certè poſſit, pro qua menſura vel pondere medicorum commentariis accipiendus ſit. In eminæ namque expoſitione, Emina, inquit, dicta eſt, eo quod ſextarii ſit medietas, continet autem cyathos novem teſte Alexandro de lacte dyſſentericis dando. Eſt autem, ut dixit, ſecundum Iſido. menſura liquidorum, apprehendens libram unam: ſecundum vero Serapionem & Avic. & Campanum, qui reduxit pondera, quæ ponunt hi duo, ad grana, eſt undecim millia quingenta

&

& viginti, & ipſa eſt ſextaria quadraginta. Sed emina Romana eſt unciarum viginti. Italica & Ægyptia unciarum ſexdecim Sextarius eſt vigeſima pars libræ. In expoſitione vero ſextarij, Sextarius, inquit, pondus eſt drachmas ſex habens & ſemis, ut apud Avic. in fine de ponderibus. Secundum vero libros antiquorum, eſt nomen menſuræ, & habet libras duas. Secundum antiquos: & alibi duas & ſemis: alibi duas & uncias octo: olei libram unam: mellis tres. Secundum Iſodo. ſextarius librarum duarum eſt in fine, Authore Papia. Sextarius eſt ſextula pendens ſcrupulos quatuor, ſic dictus, quod ſit ſexta pars unciæ, quod idem eſt quod aureus. Hæc Simon ex quibus videtur eundem maximè ambiguum fuiſſe, quid ſextarius, quidve emina apud medicos deberet intelligi. Nam ſi ſextarius eſt menſura cujus medietas eſt emina, & emina libram pendet, ut authore Iſodo. ſcripſit Simon, quo pacto ſextarius eſt pars vigeſima, cùm duas ipſe captat libras. Item ſi undecim milia quingenta & viginti grana, in quæ reſolvitur emina, teſte Campano, viginti producunt uncias, quomodo emina unam tantum habebit libram, cùm ſupra libram duos addat ipſe trientes, quia uncias octo. Quo etiam pacto ſextarij medietas appellari merito poterit, quæ eodem major eſſe videatur. Sciendum ſextarium aliter apud Arabes aliter apud noſtros accipiendū: apud illos enim ponderis nomen eſt ſemunciam denotans, ut in de ponderibus tractatu ſecundo diximus. Apud noſtros menſuram ſignificat, quæ congii pars eſt ſexta, quam Græci xeſtem, Arabes acſati & Kiſt vocant, quo vocabulo in hac ſignificatione frequentiſſime utuntur: illo autem acſati ſcilicet perquam rariſſimè, quod ego legerim. Septima namque quarti de linimentis canitiem prohibentibus, ſcripſit Princeps, olei omphacini acſat tres. Raſis xxv. continentis olei omphacini rotulos quatuor deſcriptione eadem videtur legendum quatuor ſemis; acſat enim tres id eſt ſextarij olei uncias quatuor & quinquaginta capiunt. Rotuli vero quatuor, octo & quadraginta tantum. In deſcriptione quoque confectionis anacardinæ, canone V. acſati legitur tria, quamvis in quibuſdam exemplaribus corruptè legatur aſcleti. Serap. vero acſei ſcripſit, Haliabbas cades tres, & expoſuit cadum continere uncias decem octo. Rariſſimè itaque legimus acſati, frequentiſſime vero Kiſt. Canone ſecundo de cucumere aſinino in membrorum nutrimenti areola. Quando decoquitur radicis ejus libra media cum duobus Kiſt vini ſcripſit Princeps, Serapio ſimiliter de ſimplicibus cap. eodem accipiatur de radice ejus libra media, & teratur cum duobus Kiſt vini. Dioſcorides in Græco exemplari τῆς ῥίζις λαβόντα ἡμιλίτρον μετὰ δυοῖν ξεςῶν οἴνȣ μάλιςα λιβανȣ̃ λεκχῦνειν: in Latino ſelibra radicis ejus, in vini xeſtis bullita duabus. Ecce quod Dioſcorides xeſtem, Arabes Kiſt vocavere. Corruptus vero videtur qui ſequitur, tàm Serapionis quàm Principis textus locis allegatis, ſcilicet & dentur omni die tres onoloſſat in potu de decoctione ejus radicis, quoniam minima eſſet potionis quantitas tres onoloſſat, quia drachma media tantum, cùm onoloſſat obolum ſignificet, ſex autem oboli faciunt drachmam, ut præoſtendimus tractatus ſecundi cap. 1. & cap. obolus. Dioſcorides etiam ubi ſupra non obolos tres, ſed cyathos tres dari de decoctione juſſit, in exemplari Græco, διδόναι ἐκ τȣ́τȣ κυάθȣς γʹ. Cyathi autem tres ſemicotylam faciunt, uncias ſcilicet quatuor & ſemis. Selibra radicis ejus inquit Dioſcorides in Latino, xeſtis bullita duabus trita & accepta cyathis tribus per triduum, hydropicis humores ventris ſpargit. Confirmat hoc Raſis continens xxiij. cap. dicens de cucumere ſimiliter aſinino, qui decoctionis antedictæ uncias quatuor ſemis dandas ſcripſit. Itaque apud Serapionem & Principem caſtiganda eſt litera, ut non onoloſſat tres, ſed cyathi tres ſcribantur. Quoniam verò hæc quaſi digredientes diximus, redeamus unde digreſſi ſumus, ut oſtendamus apud Arabes Kiſt frequentiſſimè ſcribi, pro eo quod nos ſextarium, Græci xeſtem ſcribunt. Quartadecima tertij, tractatu quarto, de cura aſcitis, in medicina de ſquilla, quam à Paulo ad literam Princeps accepit. Decoquantur, inquit, ſquillæ libræ duæ in Kiſt vini tribus. Paulus Practicæ tertio, cap. xlviij. cura eadem: & hoc inquit eſt valdè bonum interioris ſquillæ libræ duæ in vini auſteri xeſtis tribus. Item xxij. tertij, tractatu ij. De epithematibus & emplaſtris ad ſciaticam, ℞. picis humidæ, &c. & paulò poſt ſtaphiſagriæ Kiſt unum eſt & cotile duæ inquit Princeps. Galenus quoque vij. miemir deſcriptione diacodion ſecundum mentem propriam: mihi autem inquit experientiam habenti de prædictis conſtructionibus, viſa eſt eſſe melior illa, in qua pro quolibet xeſte uno aquæ, ponuntur codiæ decem, ſicut ſcripſit Criton, Alexander; Galeni verba quaſi ad literam referens, mitte, inquit, in ſextario uno aquæ, papaveris capita decem. Avic. canone v. cap. vi. in ſyrupi de papavere deſcriptione, oportet inquit ſut accipiantur centum papavera viridia vel media. Deinde projiciantur ſuper ea Kiſt decem aquæ pluvialis. Galenus xeſtem, Alexander ſextarium, Avic. Kiſt ſcripſerunt. Paulus quoque vij. practicæ deſcriptione diacodion. Item libro 4. de nervorum vulneribus anethi xeſtem unam, picis libram unam, opoponacis uncias tres, quam eandem ſcribens Avic. vi. quarti de cura morſus à cane rabido, Kiſt unum. Serapio Practicæ vi. ſimiliter de cane rabido, aceti libra una & media. Item vij. Practicæ deſcriptione theriacæ, vini acuti Kiſt duo & ſunt libræ tres. Ex his evidenter apparet, verum videri menſuram illam, quæ à Galeno, Paulo, Dioſcoride & Alexandro vocatur xeſtes vel ſextarius, apud Principem Kiſt appellatam. Apparet etiam Kiſt non eſſe menſuram illam quæ hordei uncias capiat decem & octo, vini vel aquæ ſeptuaginta, mellis centum octo, quod apum Principem in pluribus exemplaribus corruptè legitur. Hoc etiam non omittendum videtur, quod apud Haliabbatem Practicæ decimo theriacæ deſcriptione, ubi Paulus xeſtem, Serapio & Princeps Kiſt, Stephanus cadum ſemper ſcripſit, vocabuli proprietatem minime ſervans: quoniam cadus non ſextarium unum tantum, ſed duos & ſeptuaginta capit: eſt enim Attica amphora, ut Priſcianus: vel metreta, ut ignotus Græcus urnarum trium capax menſura, quod & Plin. ſentire videtur l b. xiiij. de Cæſaris liberalitate, quem triumphi ſui cœna vini Phalerni amphoras centum, Chij cados centum diſtribuiſſe reſtatur. Idem ſcribitur à Januenſe Papia authore. Abuſus itaque vocabulo videtur Stephanus, qui xeſtis vel ſextarij loco cadum ſcripſit. Decimo quoque practicæ, olei nardini deſcriptione, olei fiſſam cados quinque, & eſt in cado libra & media. Quod peccati genus Avicennæ quoque interpres xx. iij. cap. xxij. frequenter & aliis aliquando locis incurriſſe deprehenditur. Ex quibus omnibus colligimus, xeſtem ſextarium Kiſt, acſat, val acſati nomina eſſe ſynonima, menſuram importantia quæ ſexta congij pars eſt, ſi Kiſt Italicum, aut ſextarium Italicum intelligamus, non autem Atticum aut Romanum.

CAP. XI.

De cotyla id eſt Sextarii dimidio.

Cotyla congij quidem pars eſt duodecima, ſextarij medietas, miſtra magna tria, oxibaphos quatuor

 cyathos

cyathos vero ſex capiens, pondere autem, olei uncias novem, vini vel aquæ decem, mellis tredecim ſemis, quam Græci κοτύλην, τρύβλιον, & τρυβλίον: Arabes corboni, corylum, & interdum corylam. Noſtri eminam, Stephanus autem ſæpe menam appellant Simon tamen exponit eam, authore Galeno, uncias novem, id eſt duas & ſeptu ginta drachmas: authore verò Iſidoro, drachmas ſexaginta tantum, quorum utrumque verum eſt, ſecundum diverſas tamen obſervationes. Quoniam Galenus communes, Iſidorus Atticos ſequitur, quorum menſuræ ad communes relatæ minores ſunt ſubſeſquiquinta in proportione, ut ſexaginta ad duos & ſeptuaginta. Nec hoc à vero diſſentire videtur, his qui communium menſuratum ad Atticas habitudinem norunt. Quod autem ab ignoto Græco videtur dici, coryla, eſt oxibaphi duo, non putamus verum, quoniam contradicit Paulo, Serapioni, Principi, Priſciano, & poſtremo ipſimet dicenti coryla, habet uncias novem quare videtur illud non ignoti Græci dictum, ſed ſuperadditum, aut ſcriptoris vitio depravatum.

CAP. XII.

De Chœnice.

Chœnix ex Dioſcoride coryle tres: ex ignoto Græco & Priſciano octo ſextarij, licet quatuor Italici.

CAP. XIII.

De Chinica, id eſt chœnice.

Chinica ex Dioſcoride idem.

CAP. XIV.

De Hemina ſeu cotyla.

Hemina, idem quod Cotyla Priſciano teſte.

At Cotylas quas ſi placeat dixiſſe licebit.
Eminas geminas recipit ſextarius unus.

Habet autem emina, ut in coryla diximus, cyathos ſex, non novem, ut ſcripſit Simon. Cùm enim ſextarius cyathos duodecim tantum contineat, non poterit ejus medietas novem continere. Quoniam ſi ſic, decem & octo cyathos, ſextarius contineret, & tunc cyathus eſſet pars ſextarij decima octava, non duodecima, ſicuti Priſcianus teſtatur.

Sextarij cyathus pars eſt quæ eſt uncia libræ.

Quod ſi concederetur, cùm cyathus ſit unciam & mediam capiens menſura, tunc ſextarius decemocto continens cyathos, libras duas cum quadrante caperet: olei uncias ſeptem ſcilicet & viginti, & conſequenter amphora, quæ teſte Paulo, Feſto, Priſciano, Principe ac Serapione octo & quadraginta capit ſextarios, duas ſcilicet & ſeptuaginta libras: olei tantum centum & octo contineret, mellis vero centum duas & ſexaginta, quod authoribus antedictis omnibus contradicere videtur. Non igitur videtur concedendum, quod emina cyathos novem capiat, multoque minus, quod uncias viginti, aut grana undecim millia quingenta viginti, quod idem eſt. Hoc enim dato, cùm emina ſit ſextarij medietas, tunc pars æquaretur toti, imò major eſſet emina ſcilicet ſextario. Quoniam ſextarius eſt unciæ decem octo, ut in verbo ſextarius Italicus. Caſtiganda videtur igitur Simonis expoſitio, ut dicatur, Emina eſt ſextarij medietas, cyathorum ſex menſura. Ubi autem dicitur, quæ emina Romana eſt unciæ viginti, aut grana undecim millia quingenta viginti, prima abraſa litera mina Romana non emina legendum videtur, ut dicatur mina Romana uncias viginti pendet, aut grana undecim millia quingenta viginti, & tunc inter Simonem & authores antedictos nulla de hoc erit controverſia. Et forte taliter ſcripſit Simon, ſed ſcriptorum negligentia fuit depravatum. Ad Alexandrum verò de lacte dyſentericis dando, quem Simon adducit, ut oſtendat eminam novem cyathorum eſſe menſuram, tentemus, &c. ut tota impleatur emina Sciendum quod liquidorum menſurabilium apud medicos leviſſimum eſt oleum, graviſſimum mel, ut tractatus hujus cap. primo diximus, mellis ad oleum proportio eſt ſeſquialtera, emina namque olei uncias novem pendet, mellis tredecim cùm dimidia. Cyathus autem pendet unciam unam & ſemis. In emina igitur, olei ſunt cyathi ſex, quo ad menſuram & quo ad pondus: Quoniam menſuras ſex, vocatas cyathos, recipit emina olei, quorum quælibet unciam & mediam pendet. Sexies autem uncia una & media ſumpta novem producit uncias: In emina vero mellis ſunt item quo ad menſuram, cyathi ſex ſolùm non plures: Quo ad pondus vero plures quam ſex, quia Novem. Nam ſi dividuntur unciæ tredecim ſemis, per unciam unam & mediam, quod eſt pondus cyathi, proveniunt novem Quare in emina mellis, ſunt cyathi novem, quo ad pondus licet quo ad menſuram ſex tantum. Quoniam menſuræ ſex appellatæ cyathi cujuſcunque liquoris fuerint, illam replent ad ſummum, quam cyathi mellis ſex, quo ad pondus, non replerent, quia ſunt quatuor tantum quo ad menſuram unciæ ſcilicet novem. Ut ergo tota impleatur emina cyathis novem, quo ad pondus, ſex autem menſura indigebit. Ad quod reſpiciens Alexander, inquit, tentemus igitur lac dare quãtum capere poſſunt tres cyathi. Poſt duas horas alterum tantum aliquibus & tertio damus, ut integra impleatur emina, pondere ſcilicet, quæ novem conſtat cyathis. Cyathi enim ſex pondere, id eſt unciæ novem non replerent eminam integram ponderalem totam, cum illa uncias tredecim ſemis capiat, addendi erant iterum cyathi tres pondere, id eſt unciæ quatuor ſemis, & hoc voluit Alexander, ut ſentio. Non ergo dicendum, quod emina cyathos novem contineat, id eſt menſuras appellatas cyathos, quos ſextarij Italici partes duodecimas authores exponunt.

CAP. XV.

De Reielati, id eſt, menſura cotyle media ut videtur.

Reielati apud Principem canone V. in deſcriptione unguenti diachylon, videtur cotylæ medietas, vocata calyx, id eſt unciæ quatuor ſemis: cui concordat ignotus quidam, quamvis Mundinus exponat uncias quatuor tantum. Ex Paulo tamen Practicæ ſeptimo ex antidotario, ac ex Raſi ad Almanſorem vij. de ſcrophularum cura, videtur poſſe elici quod diximus. Similiter ex Serapione vij. Practicæ, & Principe quinto canone, deſcriptione electuarij, quod ſtat loco Alcanzi.

CAP. XVI.

De Fiala, id eſt, cotyla.

Fiala ex concordia Raſis iiij. continentis, charta lxxxiij. columna prima deſcriptione ſecunda pillar. ad aſtma cum Avicena xiij. de cura aſthmatis, cotylam ſignificat. Poſt horam ſcripſit Raſis detur in potu, poſt eas cotyla media. Et confirmatur idem ex concordia ejuſdem Raſis iiij. continentis charta, cap. I. columna iij. circa principium, cum Galeno V. de interioribus. Raſis enim exponit fialam unciarum novem, menſuram pleuritici rejiciunt quaque die ſex vel ſeptem fialas, ſed fiala eſt novem unciarum. Galenus vero loco allegato. Si quaque die quantitas ſanici

ſaniei quam ſcreant coadunetur, inveniet illam ſex aut octo cotylas. Caſtigandus vero videtur textus Raſis in prædictarum pilularum deſcriptione loco prædicto, ubi fialam mediam, exponit uncias novem, quoniam contradicit dictis ſuis ſuperioribus & Galeno, & ſcribendum videtur, unciæ quatuor ſemis, id eſt cotyla media. Similiter & principis litera corrigenda, ubi poſt deſcriptionem pilularum ſuperius immediatè deſcriptarum dicitur. ℞. pulpæ coloquintidis danich duo, ſeminis urticæ, &c. Deinde potentur drachmæ duæ aut tres aquæ mellis. Quoniam loco ſuperius adducto ſcribuntur à Raſi non drachmæ duæ aut tres. Et videtur textus Raſis melior. Quare inferri merito poteſt, fialam & cotylam unam & eandem eſſe menſuram: quamvis apud ignotum quendam legatur, fiala eſt ſexta pars ſextarij, quod non videtur verum, quia tunc eſſet cyathi duo & non ſex.

CAP. XVII.

De Myſtro communi magno.

Myſtrum commune magnum, cotylæ pars eſt tertia, ſextarij ſexta, cyathorum duorum capax menſura. Habet autem pondere, olei quidem uncias iij. vini, vel aquæ, uncias tres, ſcrupulos 8. mellis vero uncias 4. ſemis, teſtatur hoc Paulus, Serapio, & Princeps. Verum Serapio muchitrum, Princeps meſtrum appellat. Galenus vero interdum pugillum ut expoſuit Gloſſator, decimo de ingenio ſanitatis, de cura maraſmi, ubi in exhibitione lactis aſinini, dandum, inquit, prima die lac aſinæ pugillo uno non plus. Et infra, licebit tibi offerenti multitudinem lactis augere dimidij pugilli. Cui concordare videtur Joannes Damaſcenus de lacte phthiſicis dando, & oportet inquit, ut lactis dandi quantitas comparetur virtuti ſuſcipientis, quare incipiendum à quantitate minori dando de eo circiter uncias tres in prima die. Et in craſtina addatur item. Mundinus quoque inquit, Pugillus eſt menſura unciarum trium. Et confirmatur iterum ex Galeno decimo ut ſupra. Qui denique ex ira febriunt, bibāt aquæ frigidæ cotylas duas, id eſt, pugillos ſex. Duæ autem cotylæ, ſunt unciæ decem & octo, quæ diviſæ per ſex, reddūt tria. Igitur pugillus videtur unciæ tres. Quamvis apud Raſin ſexto continentis charta 140. columna ſecunda, circa medium, exponatur pugillus, Keraria ſex, & Keratium eſt grana hordei quatuor, ſecundum quam expoſitionem pugillus eſſet quantitas ſcrupuli unius, quod non videtur verum. Ex his arguet quis Avicennæ textum poſitum decima tertij tractatu v. de exhibitione lactis aſinini, videri mendoſum. Et mulgeatur inquit, medietas ſacraiati, & eſt quantitas ejus, quod potu datur, in die primo. Sacraiati namque medietas, ut ſuperius oſtendimus eſt ſeſcuncia, id eſt, uncia & ſemis paulo plus. Quoniam Sacraiati ex Principis & Serapionis deſcriptione, eſt ſextarij ſex & quarta, drachmę ſcilicet quinque & viginti: quare diſſentire videtur à Galeno ſimul & Damaſceno de lactis exhibendi menſura. Quod autem ab ignoto Græco dicitur, quod myſtrum magnum, eſt cyathi tres, non videtur verum, quia tunc eſſet cotylę medietas, unciæ ſciliçet quatuor ſemis, non partis ejus tertia, unciæ ſcilicet tres, quod Paulus, Serapio, Princeps & Priſcianus affirmant. Quamobrem cogor credere tractatum illum viriatum fuiſſe, multaque non rectè dicta ignoti, bene dictis fuiſſe ſuperadita.

CAP. XVIII.

De Calyce, id eſt, cotylæ dimidio.

Calyx, eſt fialæ ſive cotylæ medietas menſura ſcilicet cyathorum trium pondere, uncias quatuor & ſemis habens, ut teſtatur concordia Raſis iiij. continentis, charta lxxxiij. columna prima; deſcriptione ſecunda pilularum ad aſthma cum ſeipſo libro eodem, charta lxxxv. columna, I. circa finem deſcriptione iterum pilularum ad aſthma, quæ ſunt pene eædem, cum primis: cum Avi. x. iij. tractatu primo cap. xl. de cura aſthmatis, deſcriptione pilularum earundem Raſis poſt pilulas, charta lxxxiij. deſcriptas, juſſit dari aquam mellis ad fialam mediam: charta vero lxxxv. admodum unius calycis, Avic. vero cotylam mediam. Idem ergo eſt per horum concordiam calyx unus, quod fiala media. Sed fiala media, vel cotyla media, eſt uncia quatuor ſemis, ut in verbo fiala, igitur calyx eſt menſura unciarum quatuor ſemis. Quare mendoſa videtur utraque expoſitio in Raſi ſuper addita tam fialæ mediæ, quam calycis unius, cum utrumque exponatur unciæ novem. Quare utrobique ſcribendum videtur, unciæ quatuor ſemis, & non novem, hoc enim dato, pars æquaretur toti, quod eſt impoſſibile.

CAP. XIX.

De Pugillo, id eſt, cotylæ triente.

Pugillus (ut in verbo Myſtrum commune magnum) menſura eſt cotylæ pars tertia pondere unciarum trium capax.

CAP. XX.

De Oxybapho, id eſt, ſeſquicyatho.

Oxybaphum ex Principe, Paulo & Serapione, cyathus eſt cum dimidio, cotilæ pars quarta. Pondere autem, obſervatione communi drachmas habet decem & octo: olei, vini, vel aquæ viginti: mellis ſeptem & viginti. Obſervatione vero Attica, drachmas habet, olei quidem quindecim tantum: vini vel aquæ & mellis ſecundum proportionem ſæpius dictam. Quod vero apud ignotum Græcum legitur: Oxybaphus habet cyathos tres, id eſt, uncias quatuor ſemis, non videtur verum: quod etiam ab eodem dicitur, habet uncias duas & ſtagia duo, ſi diceret & drachmas duas videretur verum. Hanc menſuram Plinius acetabulum, Serapio & Princeps acſuneſſi vocitant. Verum Princeps loco drachmarum decem & octo, darchimet ſcripſit decem & octo. Interdum acſuffi legitur, ut apud Serapionem cap. de tithymallo, cujus tamen textus videtur mendoſus, dum dicitur, quando accipitur ex ſemine & folio ejus pondus duorum acſuffi, & bibuntur, faciunt idem quod ipſum lac: Et ſimiliter textus Raſis videtur mendoſus, continentis xxiij. cap. eodem cum dicitur: uncia una & media, videtur legendū ex Dioſcoride, oxybaphi medij quantitas, drachmæ ſcil cet novem, quem authorem tam Raſis, quam Serapio teſtantur, folia inquit Dioſcorides Latinus multi collecta ſervant ſemen & folia ejus oxybaphi dimidiati menſura, potata virtutem lachrimæ ipſius complent: in Græco exemplari πλῆθος ἡμισυ ὀξυβάφου πεπτισμένα.

CAP. XXI.

De Aneſimen vel acſaſſe, id eſt, oxybapho.

Aneſimen apud Principem, Acſaſſe apud Serapionem, ex concordia utriuſque cum Dioſcoride de cucumere aſinino, eſt oxybaphum. Ubi enim Dioſcorides corij rad. ejus quarta parte oxybaphi, in Latino exemplari. In Græco τὸ τέταρτον ὀξυβάφου, Serapio quarta acſaſſe, Avic. aneſimen ſcripſit. Nec prætereundum videtur quod Dioſcorides & Serapio, ex ſucco radicis & corio ejuſdem ſimul medicamen compoſitum

tum faciunt ad hydropicos: Princeps ex utroque diſjunctim unum ſimplex, utens diſiunctiva, aut, quę conjunctivè videtur intelligenda aut ſcilicet pro, &c.

CAP. XXII.

De Kaſſuff, id eſt, oxybapho.

Kaſſuff ex concordia Serapionis cum Dioſcor. & Plinio capit. de pſyllio, eſt oxybaphum, Ad ramicem puerorum (inquit Serapio) accipiatur de Pſyllio quantitas duorum Kaſſuff, teratur, & infundatur in duabus cotylis ſolutis aquæ Dioſcorides enterocelicos infantes, & quibus eminet umbilicus in cataplaſmate adhibitum pſyllium maximè curat, oxybapho uno trium & in duobus digitis aquæ infuſum, in Latino. In Græco vero, ὀξυβάφου πλῆθος ἐν δυσὶν ὕδατος [Marcellus legit, κοτύλαις] δακτύλοις. Plin. lib. xxv. cap. 19. Acetabuli menſura ſextario aquæ denſat & contrahit : terere oportet, &c. Quare videtur legendum in Serapione quantitas Kaſſuf unius , non duorum ex concordia Plinij & Dioſcoridis. Item capite de Rura cum ſumitur , inquit Serapio, ex ſemine ejus quantitas Kaſſuff cum vino : Dioſcorides, ὅσον ὀξυβάφου τοῦ σπέρματος ποθὲν δοθὲν, in exemplari Græco : & in Latino oxybaphus ſeminis ipſius bibitur. Capitulo ſimiliter de origano ſcripſit Serapio, ſi bibitur ex eo ſicco quantitas Kaſſuf cum aqua & melle , ſuperfluitates melancholicas, & cœtera Dioſcor. oxybaphi quantitas ὀξυβάφου πλῆθος , legit. Aliquando Kiſſuf , ut capite de origano apud Serapionem idem. Ex his, & capitibus duobus ſuperioribus inferri poſſe videtur, oxybaphum acetabulum, acſuffi , acſunef, aneſinen, acſaſſe, Kasfuf , vel Kisfuf nomina eſſe ſynomina, menſuram eandem importantia cotylæ ſcilicet partem quartam, drachmarum decemoćto pondus capientem obſervatione commum. Attica vero quindecim tantum.

CAP. XXIII.

De Kaſſitio vel Kaſſitio menſura quæ videtur cotyla.

Kaſſitius vel Kaſſitius ex concordia Principis Canone. v. cum Haliabbare Practicæ decimo , & Serapione ſeptimo Breviarij, deſcriptione Alkinſi, menſura eſt Cypria , & videtur heminam ſive cotylam ſignificare. ℞. inquit Princeps loco ante dicto granorum myrri caſſitium ſemis. Haliabbas, granorum myrri ſemis heminam: & apud quoſdam heminam, de quorum numero Serapio fortè fuit , qui granorum myrti libram unam ſcripſit, Atticam quidem intelligens libram quinque & ſeptuaginta conſtantem drachmis , unciis ſcilicet novem cum tribus octavis, quam tribus drachmis tantum majorem heminam, tractatu ſecundo de ponderibus in libra , oſtendimus. Hæc videtur caſſitij ſignificatio, quamvis apud Mundinum & ignotos quoſdam , exponatur menſura unciarum quindecim , quod rationi conſentaneum non videtur, Quoniam medicina , quam deſcripſit Raſis viij. continentis de colica, charta cxcix. columna ij. infra medium , quam dicit conſtare ex ſtercoris columbini caſſitio uno, anethi pugillo uno, & aquæ rotulis duobus decoquendis , donec rotuli medietas remaneat. Si vero unciarum quindecim menſura caſſitius ſit, adeò ſpiſſa redderetur, ut potabilis fieri nullo modo poſſe videatur. Advertendum Principis textum ſextadecima iij. poſitum, de colica , capite de compoſitione medicinarum ſolventium phlegma, videri mendoſum, cum dicitur Solutivum aliud forte ℞. caſſitium unum ſimi columbini , & manipulum unum anethi, & danich aquæ, daurach videtur legendum, id eſt, tres. Nec audiendus Pandectarius ſcribens , caſſitium appellari, Stercus columbinum , deceptus ex modo ſcribendi unitatem Iotam ij. utrinque punctis ſignatam, non numeri, ſed expoſitionis ſignum credidit, quod tamen erroris genus , non Pandectario viro doctiſſimo tribuendum dixerim, ſed eorum alicui potius, qui priorum commentaria ſupplere volentes , ea ſæpiſſimè maculant, & ſua multa corruptè dicta, aliorum benedictis ſine pudore commiſcent.

CAP. XXIV.

De Cyatho, conos, coatus, alcantus, vel almuneſi.

Vide etiam duo ſequentia capita.

Cyathus menſura, quæ cotylæ , vel heminæ pars eſt ſexta , myſtri magni communis dimidia. Pondere obſervatione communi , capiens olei drachmas duodecim : vel aquæ tredecim & ſcrupulum ; mellis vero decem & octo , ut teſtantur , Paulus ignotus Græcus & Princeps Hanc menſuram Arabes coatum, interdum conos appellant: aliquando almuneſi alcanta vel alcantus vel alcoatus.

CAP. XXV.

De Cuabo, id eſt, cyatho.

Cuabum ex concordia Raſis v. continentis , char. cxxiij. columna prima ſupra medium , cum Galeno viij. Miamir, (hoc eſt, de compoſitione medicament. ſecundum locos affect,) authore Archigene , apud utrumque eſt cyathus. Quod ſi fuerit inflammatio (inquit Raſis) cum interſectione lamentabili abſque febre, &c. da in potum quidem ad modum trium cuabij cum aqua frigida bis aut ter. Gal. ubi ſupra in aliis vero quæ circa ſtomachum , moleſtus his quidem quibus aduritur ſtomachus cum ex ſolutione & lipothymia vel inappetibilitate ex quacunque cauſa præter febrem, cyathos tres vel quatuor aquæ frigidæ da ſorbere bis aut ter per intervalla.

CAP. XXVI.

De Briala, id eſt, cyatho.

Briala ex concordia Principis (iij. primi, de regimine aquæ & vini) cum Raſi xxv. continentis , cap. I. de Canone cibi & potus, eſt cyatilius. Super cibum tamen (inquit Princeps) brialas duas aut tres bibere non nocet ei, qui conſuevit Raſis quia in autumno debes potu uti ſuper cibum aut poſt, in modica quantitate tribus cyathis.

CAP. XXVII.

De Coanuſo ſeu pugillo, cyathorum duorum menſura.

Coanuſum ſeptimo decimo continentis , de cura hecticæ, pugillum ſignificat , menſuram cyahorum duorum, ex concordia Raſis & Galeni decimo de ingenio ſanitatis circa finem, quem Raſis adducit loco ſuperius allegato.

CAP. XXVIII.

De Myſtro communi parvo.

Myſtrum commune parvum, quod & chema parva dicitur, cyathi medietas eſt, teſtibus Paulo, Serapione & principe Habet autem pondere drachmas ſex olei: vini vel aquæ ſcrupulos viginti, mellis vero drachmas novem. Verum Serapio Muchitrum parvum , Princeps

ceps meſtrum appellat. Serapio item & Princeps pro drachmis ſex, darchimet ſex ſcribunt, pro ſcrupulis vero viginti, ſcripſit Princeps gormiæ viginti, ex quo facilè ſciri poteſt darchimet apud Arabes drachmam, gormiam ſcrupulum ſignificare, ut in verbo gormia, tract. ij.

CAP. XXIX.

De Bachates parva, quæ videtur menſura drachmarum quinque, &c.

Vide libro 1. in B. litera.

Bachates parva, ex concordia Serapionis Practicæ iij. cap. xv. cum Avicennæ Canone v. ſumma ij. tract. vi. & Bimaſvi continentis v. charta centeſima quinta & vigeſima, columna ij. ſupra medium eſt drachmæ quinque in deſcriptione medicinæ de ſucco granatorum & mentæ ad vomitum, ℞. (inquit Bimaſvi) ſucci granorum granatorum drachmas triginta, ſucci mentæ drachmas decem. Avic. ſucci granorum granatorum drachmas triginta, mentæ & ſiſymbrij, ana drachmas quinque. Serapio ſucci granatorum ſimiliter drachmas triginta: ſucci mentæ, ſiſymbrij ana bachatem parvam. Idem igitur videtur drachmæ quinque & bachates parva. Confirmatur ex Andromacho octavo Miamir, ut ſcribitur à Galeno. Ex Theod. quoque Priſciano Practicæ tertio, ca. vi. * paraſo incidente ſtomacho, &c. Ex Paulo item Practicæ ſimiliter iij. cap. xxxvij. ex Raſi etiam v. continentis locis quamplurimis, authore præcipue Bimaſin, qui omnes, medicinam prædictam deſcribentes, granatorum ſuccum triplum ponunt ad mentæ ſuccum. Quare cum & apud Serapionem granatorum ſuccus ſit drachmæ triginta, mentæ & ſiſymbrij erit drachmæ decem, bachates ergo duæ ſucci drachmæ decem, erunt. Et conſequenter bachates parva una drachmæ quinque, ut ſcripſit Princeps.

CAP. XXX.

De Myſtro magno Attico.

Myſtrum Atticum magnum, ex Dioſcoride cotylæ Atticæ pars eſt decimaoctava, ſcrupuli ſcilicet decem, id eſt, oboli viginti, non quatuor & viginti, ſicut apud ignotum Græcum legitur, afferentem trium ſtagiorum, id eſt, aureorum pondus.

CAP. XXXI.

De Myſtro Attico parvo.

Myſtrum Atticum minus, ex eodem Dioſc. & ignoto Græco & Priſciano, oboli quindecim: eſt enim pars quarta cyathi ſexaginta capientis obolos obſervatione quidem Attica. Communi enim obſervatione duos & ſeptuaginta capit.

CAP. XXXII.

De Cano, id eſt, cyatho.

Canos ex concordia Serapionis & Dioſcoridis cap. de abſinthio, & de Cyclamino, cyathus eſt: utrobique enim, ubi à Serapione conos à Dioſcoride cyathus ſcribitur. Item ex concordia eorundem de urina, cum Raſi vij. continentis cap. de hydropiſi. Ubi enim Dioſcorides & Raſis dant urinæ caprinæ cyathum unum cum drachma una ſpicæ, Serapio Canon: quamvis apud Galenum nono Miamir de cura hydropicorum, autore Archigene ſcribatur, urinæ caprinæ cochlearium unum cum ſpica: qui locus videtur depravatus & ſcribendum cyathus.

CAP. XXXIII.

Rurſus de Myſtro Attico.

Myſtrum Atticum juſtiſſimum ex Dioſcoride, oboli octo.

CAP. XXXIV.

De Cianes menſura obolorum V. vel VI.

Cianes menſura, quæ obſervatione communi parvum coclearium dicitur. Habet autem pondere, obſervatione communi drachmam unam ſive obolos ſex: obſervatione vero Attica, cochlearia minima duo, teſte Priſciano.

CAP. XXXV.

De Nuce parva & magna.

Nux duplex, parva & magna. Nucis ſanè nomen ad pondera potius, quam menſuras pertinere videtur. Parva, quam ignotus Græcus Ponticam vocat, habet Keratia decem & octo apud ipſum, ſcrupulos ſcilicet communes tres, aut drachmam communem unam, aut coclearium parvum unum, quod & Serapionis concordia, primo Practicæ cap. 23. deſcriptione medicinæ ad epilepſiam, cum Raſis continentis, cap. 1. & cum Alexandro de cura epilepſiæ, videtur teſtari. Sed ex medicinis ſimplicibus (inquit Serapio) eſt pyrethrum, teratur & miſceatur cum melle, & detur ex eo cochlearium unum. Et Alexander ſimiliter de epilepſia Et maximè ad iſtam facit pyrethri radix trita cum melle, ut electuarium compoſita. Dabis autem exinde cochlearium. Raſis vero ubi ſupra. Medicina, inquit, valde bona & experta: ℞ ſeſelios, &c. Sumatur ex ea quantitas nucis, & infra. Ex medicinis facilibus eſt pyrethrum, mixtum cum melle & exhibitum in quantitate nucis. Verum apud Serapionem & Principem deſcribitur nux parva, habere ſeminer. 1. obolos ſeptem, drachmam ſcilicet unam & ejus ſextam. Quod & Raſis ad Almanſorem lib. 4. cap. de opio ſentire videtur, dum dixit: Detur de Theriaca ab avellanæ ad nucis magnitudinem, ac ſi diceret, à keratiis decem octo, ad unum & viginti, id eſt ab obolis ſex ad ſeptem. Tra. 3. ca. cxxxiiij.

Nux magna vel nux regalis vocata ab ignoto Græco, tres habet aureos aut drachmas quatuor apud eundem, & eſt ſemuncia. Verum apud Serapionem & Principem, non drachmas quatuor, ſed duas tantum & drachmæ tertiam id eſt obolos quatuordecim, quos illi vocant ſeminet. Quoties autem apud noſtros nux abſolute ſcribitur, minorem intelligendam arbitramur.

CAP. XXXVI.

De Cochleari minimo.

Cochlear minimum obſervatione communi, ſemidrachma eſt pondere, ex concordia Plinij, Dioſcoridis, Pauli & Principis ſecundo Canone, cap. de aloem in membrorum nutrimenti arcola, Quando (inquit Princeps) bibuntur ex eo cochlearia duo cum aqua frigida & tepida, infringit appetitum ſalſum. Similiter Dioſcorides, cochleariorum duorum pondere in Græco exemplari κοχλιαρίων πλῆθος β': quamvis in Latino legatur, cyathis duobus, Paulus Practicæ ſeptimo de purgantibus choleram, Aloem drachma una cum melicrato detur: Si minus detur ut tres oboli ſolum, ſtercus evacuat. Plinius lib. 27. cap. 4. de aloë: Confirmat ſtomachum bibitum drachma una. Ad ſtomachi vero diſſolutionem, duobus cyathis aquæ frigidæ cochlearis menſura bis terve. Inde Dioſco.

&

& Princeps cochlearia duo, Plinius & Paulus drachmam ſcripſerunt. Tantundem igitur eſt cochlearia minima duo, quantum drachma una ex horum concordia. Minimum igitur cochlear ſemidrachma jure dicitur.

CAP. XXXVII.

De Cochleari parvo.

Cochlear parvum drachmam integram pondere capit. Teſtatur concordia Dioſcoridis cap. de Caſtoreo, cum Galeno undecimo de ſimplici medicina cap. eodem. Illis (inquit Dioſcorides Latinus) qui ex plenitudine ſpaſmum patiuntur aut tremorem nervorum, utiliſſimum eſt caſtoreum datum mulſa drachma una, aut cochleario uno. Galenus ubi ſupra: ut dicat aliquis tepidam febrem patientibus, caſtoreum cum pipere albo quantitate cochlearij de utroque per melicratum. Et Galeni verba referens Raſis Continentis xxi. ſimplici cci. Caſtoreum, inquit, eſt maximi juvamenti, cum patiens eſt abſque febre, aut ejus febris eſt lenta, ſicut illa quæ apparet in ſenibus, & illa quæ eſt in lethargo, quia plures ex his nos liberavimus cum pipere albo & caſtoreo, pondere aurei unius de quolibet, cùm hydromelite. Ecce ubi Galenus cochlearium unum. Raſis aureum ſcripſit, qui drachma exponendus videtur, ex Arabum vulgata conſuetudine, aureum pro drachma frequentiſſimè ſcribentium, ut multis in locis oſtendimus, & adhuc ex Dioſcoridis & Plinij concordia cùm Raſi de caſtoreo, planè convincitur. Caſtoreum, inquit Dioſcorides in Latino exemplari, bibitum cum pulegio drachmis duabus, menſtruis imperat. In Græco eſt πιθεὶς μετὰ γλήχωνος < πλῆθος δυοῖν. Plinius dari drachmas binas ſatis eorum quæ adijciuntur ſingulas. Raſis cùm ſumuntur ex eo & mentaſtro ſylveſtri ana aurei duo, provocat menſtrua, ubi illi drachmas, hic aureos ſcripſit.

CAP. XXXVIII.

De Cochleari magno.

Cochlear vero magnum ex Aëtio medico illuſtri Græco, & Georgio Valla, eſt menſura, quæ myſtri communis parvi pars eſt tertia, duas quidem pondere capiens drachmas, ſeſqui exagium ſcilicet, id eſt aureum cum dimidio, quod idem eſt quod drachmæ duæ, vel Sicilicus, id eſt unciæ pars quarta. Verum ex concordia Alexandri, Pauli & Principis de apoſtematibus renum, videtur quod cochlear magnum ſit ſeſquidrachma, id eſt drachma & media ſolùm non duæ ℞. (inquit Alexander) lini ſeminis pulveris drachmas duas, amili drachmam unam, dabis in aqua cochlearium unum ad bibendum. Paulus ſelini partes duas, amili partem unam, bibant cochlearium unum. At verò Princeps ex potionibus expertis inquit, eſt illud quod recipit ſeminis lini pondus aureorum duorum, amili aureum, & eſt duæ doſes, cum aureus pro drachma hoc loco accipiendus ſit, ut ſcripſit Alexander, à quo & Paulus & Princeps accepere quod diximus medicamen, & aggregatum ex tribus drachmis dividendum in duas doſes æquales, ut ſcripſit Princeps, quarum utraque ſit cochlearium, ut expreſsè Alexander. Sequi videtur cochlear magnum dicendum, menſuram quæ myſtri communis parvi pars eſt quarta, non tertia drachma ſcilicet & media, non autem duæ. Cui ſententiæ conſonare videtur Serapio V. practicæ, cap. xxxv. deſcriptione diamargaritonis. Detur, inquit, ex eo coclearium, aut duo cochlearia, & ſunt aurei tres, id eſt drachmæ tres.

CAP. XXXIX.

De Cochleari maximo.

Cochlear autem maximum eſt menſura, quæ cyathi pars eſt tertia, pondere ſemunciam capiens, quod mellarium dici poſſet, cujus Serapio & Princeps de ponderibus tractantes & menſuris meminerunt. De quo Serapio iterum practicæ v. cap. xxxiiij. circa finem: butyri (inquit) vaccini & mellis ana cochlearium unum, & eſt drachmæ quatuor.

CAP. XL.

De Flagerim, id eſt parvo cochleari.

Flagerim apud Serapionem cap. de Squilla, ex concordia Dioſcoridis cum eo, cap. eodem parvum cochlear ſignificat. Accipiatur, inquit Serapio, ex quilla aſſata pars una, ex ſale aſſato & trito partes octo, & detur in jejuno pondus unius flagerim ad laxandum ventrem. Dioſcorides ſquillæ pars una, ſalis aſſi partes octo, accepto cochleario uno, vel duobus ventrem mollit, ἐν μέρος τῆς σκίλλης, ἁλῶν ὀπτῶν μέρη ὀκτὼ, διδόμενον κοχλιάριον ἓν ἢ δύο. Raſis etiam continentis xxi. ſi ſumeretur pars una ex ſquilla aſſata, & octo partes ſalis ſimiliter aſſati, & ſimul tererentur, & daretur ex eis pondus aurei unius, laxaret ventrem, aureum pro drachma ſcripſit Raſis, parvum innuens cochlearium.

CAP. XLI.

De Fahaliel, id eſt, cochleari minimo, pondere drachmæ ſemis.

Fahaliel ex concordia Serapionis cum Dioſcoride cap. de ſcammonea, ſignificat cochlear minimum: pondus ſcilicet drachmæ mediæ, & doſis ejus, inquit Serapio, ſit ſecundum fortitudinem ejus qui ſumit, & ſecunda doſis ſit fahaliel trium & media duorum fahaliel, & parva unum Dioſcorides in Græco exemplari loco fahaliel, cochlearium ſcripſit: λαμβάνεται δὲ πρὸς δύναμιν τὸ μὲν τέλειον, τρία κοχλιάρια, μέσον δὲ β'. &c. in Latino nihil eorum legimus. In viij. ad Almanſorem cap. liiij. de ſcammonea dicitur, Minus quod de ea datur, eſt ſexta pars drachmæ unius, id eſt obolus, grana ſcilicet xij. Plus vero quantitas duarum tertiarum drachmæ unius, id eſt ſcrupuli duo, xxij. Continentis cap. de ſcammonea, ſumpta in pondere aurei medij, aut danich quatuor & medij, cum ſyrupo mellis, laxat choleram & phlegma. Et ſufficiens ſumptio ejus ad leniendum ventrem in quantitate danich trium, tamen in potione & magna in quantitate danich quatuor & medij. Serap. vij. practicæ cap. xij. & potio ejus integra ſecundum ſententiam antiquorum eſt noven Kirat, ſed ſecundum ſententiam modernorum, eſt duo danich. Hæc quamvis dicta ſunt præter intentum principale, non inutilia fortè videbuntur.

CAP. XLII.

De Colananos, id eſt, cochleario.

Colananos apud Serapionem cap. de ſulphure, exponitur cochlearium: ex concordia ejuſdem cùm Dioſcoride cap. eodem rectè exponitur. Quando accipitur de eo inquit, Serapio quantitas unius colananos, & ſumitur in potu cum aqua aut cum ovo ſorbili, curat ictericiam. Dioſcorides ictericis cochleario in ovo ſorbili accepto prodeſt: in Latino exemplari. In Græco vero Αποκαθαίρει δὲ καὶ τοὺς ἰκτερικοὺς κοχλιαρίου πλῆθος.

CAP.

CAP. XLIII.

De Paclanario vel faclanario id eſt cochleario.

Paclanarium vel faclanarium ex concordia Dioſcoridis & Serapionis de condyſo (quod ſtruchion Dioſcorides nominat) idem eſt & ipſum quod cochlearium. Ab utroque dicitur cum melle datum movere urinam. Serapione pondere paclanarij, à Dioſcor. cochlearij, σὺν μέλιτι κοχλεαρείου πλῆθος. Item ex concordia eorundem cum Principe, Plinio & Paulo cap. de aloë.

CAP. XLIV.

De Aben vel Kiſt Romano.

Aben menſura eſt eadem quod Kiſt Romanum: quæ pondere quidem habet olei uncias viginti: vini, vel aquæ duas & viginti paulò plus mellis triginta. Et ita caſtigandus videtur Serapionis textus cum dicitur. Aben mellis eſt minæ duæ, aben olei eſt mina & media, quoniam mendoſus videtur. Si enim intelligatur, ut ſonat proportio mellis ad oleum nullo pacto poterit quæ eſt ſeſquialtera. Quare legendum videtur aben mellis mina & media, & Romanum intelligo. Aben olei mina una, id eſt unciæ viginti. Sicuti de Eiub mellis ſcripſit Princeps, quod idem eſt quod Aben: & tunc mellis ad oleum ſervabitur proportio ſeſquialtera.

CAP. XLV.

De Ejub aliter dicta eâdem menſurâ.

Ejub menſura, quæ & Aben, & eſt, ut ſcripſit Princeps, mellis habens libras duas ſemis, id eſt uncias triginta: olei vero minam unam tantum, non unam & mediam, ut apud Principem corruptis exemplaribus legitur. Minam tamen Romanam oportet intelligas, aliter forte pateretur inſtantiam.

CAP. XLVI.

De Eberie menſura, qua videtur Kiſt Romanum.

Eberie apud Principem (tertia quarti, de cura lepræ, in decoctione ad leproſos) videtur idem quod ejub ſcilicet Kiſt Romanum. Bartholomeus tamen Montagnana in conſilio ad leproſos, eandem deſcribens decoctionem loco eberie, liberam ſcripſit.

CAP. XLVII.

De Medimno.

Medimnus, ex his quæ colliguntur ex Paulo Dioſcoride & Priſciano, videtur menſura rerum ſiccarum, ſex capiens modios: cujus medietas eſt amphora Italica, modiorum trium capax, octo ſcilicet & quadraginta ſextariorum menſura: quarta vero pars amphora item vocata, modij unius & medij menſura, quatuor & viginti capiens ſextarios, quia medimnus modios ſex capit Italicos, ſeptem vero Atticos ex Dioſcoride, Paulo, Priſciano: quibus aſſentiri videtur Plutarchus in Attico, quem donaſſe univerſos Athenienſes frumento commemorat, & ita ut ſingulis ſeptem modij tritici darentur, qui modus menſuræ medimnus Athenis appellatur. Modij autem ſeptem Attici, faciunt communes, vel Italicos ſex, paulò minus. Apud ignotum Græcum medimnus modiorum ſex cùm tribus octavis legitur. Dicit enim medimnum conſtare ex xeſtis centum duabus: quæ diviſæ per ſexdecim, qui eſt numerus xeſtarum, xeſtium, ex quibus conſtat modius, dabunt ſex, cum tribus octavis.

CAP. XLVIII.

De Artaba.

Artaba menſura Ægyptia, modios tres Italicos & modij partem tertiam capiens, ut Priſcianus teſtatur. Namque decem modiis explebitur artaba triplex. Apud Paulum habet modium unum tantum.

CAP. XLIX.

De Modio.

Modius menſura eſt, quæ licet apud Hebræos duos & viginti ſextarios contineret, apud noſtros tamen ſexdecim tantum continet Teſtatur Priſcianus qui dicit, amphoram menſuram pedis quadrati tres capere modios. Sed diviſis octo & quadraginta ſextariis, ex quibus conſtat amphora, per tria proveniunt ſexdecim. Ergo modius qui eſt amphoræ pars tertia, ſedecim completur ſextariis.

Tabula Generalis diverſorum ponderum, ac totius ſecundi libri Dominici Vincentini quaſi quoddam compendium, diducens ſemper majora in minora, & oſtendens quoties minor in majore comprehendatur, per GASPARUM WOLPHIUM *Tigurinum Medicum.*

I. MINA ROMANA.

Mina Romana 20. unciarum communium, contine

1	Minam Atticam $1\frac{1}{4}$ hoc eſt, ſemel cum quarta ejuſdem parte.	
2	Libram communem $1\frac{2}{3}$ hoc eſt, ſemel cum duabus ejus tertiis.	
3	Libram ſemis $3\frac{1}{3}$ quod eſt, ter & ſimul tertiam totius partem.	
4	Uncias	20
5	Sextarios ſeu ſemuncias	40
6	Duellas	60
7	Sicilicos	80
8	Sextulas	120
9	Drachmas	160
10	Fabas Syras	240
11	Lupinos, ſeu drach. ſem.	320
12	Tremiſſes	360
13	Scrupulos	480
14	Obolos	960
15	Biſſiliquas	1440
16	Semiobolos	1920
17	Siliquas	2880
18	Chalcos	5760
19	Grana	11520

II. MINA ATTICA.

Mina Attica ſedecim unciarum, in ſe habet

1	Libram $1\frac{1}{3}$ id eſt libram unam & ejus partem tertiam.	
2	Semilibras $2\frac{2}{3}$ hoc eſt libras duas & duas tertias.	
3	Uncias	16
4	Semuncias	32
5	Duellas	48
6	Sicilicos	64
7	Sextulas	96
8	Drachmas	128
9	Fabas Syriacas	192
10	Lupinos, ſeu drach. ſem.	256
11	Tremiſſes	288
12	Scrupulos	384
13	Obolos	768
14	Biſſiliquas	1152
15	Semiobolos	1536

16	Siliquas	2304
17	Chalcos	4608
18	Grana	9216

III. LIBRA.

Libra duodecim unciarum comprehendit

1	Semilibras	2
2	Uncias	12
3	Semuncias	24
4	Duellas	36
5	Sicilicos	48
6	Sextulas	72
7	Drachmas	96
8	Fabas Syras	144
9	Lopinos	192
10	Tremiſſes	216
11	Scrupulos	288
12	Obolos	576
13	Biſſiliquas	164
14	Semiobolos	1152
15	Siliquas	1728
16	Chalcos	3456
17	Grana	6912

IIII. SEMILIBRA.

Libra ſemis unciarum 6. ſub ſe habet

1	Uncias	6
2	Semuncias	12
3	Duellas	18
4	Sicilicos	24
5	Sextulas	36
6	Drachmas	46
7	Fabas Syriacas	72
8	Lupinos	96
9	Tremiſſes	108
10	Scrupulos	144
11	Obolos	288
12	Biſſiliquas	432
13	Semiobolos	576
14	Siliquas	864
15	Chalcos	1728
16	Grana	3456

V. UNCIA.

Uncia drachmarum 8. capit

1	Semuncias	2
2	Duellas	3
3	Sicilicos	4
4	Sextulas	6
5	Drachmas	8
6	Fabas Syras	12
7	Lupinos	16
8	Tremiſſes	18
9	Scrupulos	24
10	Obolos	48
11	Biſſiliquas	72
12	Semiobolos	96
13	Siliquas	144
14	Chalcos	288
15	Grana	576

VI. SEMUNCIA.

Uncia ſemis in ſe complectitur.

1	Duellam	$1\frac{1}{2}$
2	Sicilicos	2
3	Sextulas	3
4	Drachmas	4
5	Fabas Syriacas	6
6	Lupinos	8
7	Tremiſſes	9
8	Scrupulos	12
9	Obolos	24
10	Biſſiliquas	36
11	Semiobolos	48
12	Siliquas	72
13	Chalcos	144
14	Grana	288

VII. DUELLA.

Duella valet.

1	Sicilicum	$1\frac{1}{3}$
2	Sextulas	2
3	Drachmas	$2\frac{2}{3}$
4	Fabas Syras	4
5	Semidrachmas	$5\frac{1}{3}$
6	Tremiſſes	6
7	Scrupulos	8
8	Obolos	16
9	Biſſiliquas	24
10	Semiobolos	32
11	Siliquas	48
12	Chalcos	96
13	Grana	192

VIII. SICILICUS.

Sicilicus habet.

1	Sextulam	$1\frac{1}{2}$
2	Drachmas	2
3	Fabas Syr.	3
4	Semidrachmas	4
5	Tremiſſes	$4\frac{1}{2}$
6	Scrupulos	6
7	Obolos	12
8	Biſſiliquas	18
9	Semiobolos	24
10	Siliquas	36
11	Chalcos	72
12	Grana	144

IX. SEXTULA.

Sextula capit

1	Drachmam	$1\frac{1}{3}$
2	Fabas Syras	2
3	Lupinos	$2\frac{2}{3}$
4	Tremiſſes	3
5	Scrupulos	4
6	Obolos	8
7	Biſſiliquas	12
8	Semiobolos	16
9	Siliquas	24
10	Chalcos	48
11	Grana	96

X. DRACHMA.

Drachma valet

1	Fabas Syriacas	$1\frac{1}{2}$
2	Lupinos	2
3	Tremiſſes	$2\frac{1}{4}$
4	Scrupulos	3
5	Obolos	6
6	Biſſiliquas	9
7	Semiobolos	12
8	Siliquas	18
9	Chalcos	36
10	Grana	72

XI. FABA SYRA.

Faba Syriaca pendet.

1	Lupinum	$1\frac{1}{3}$
2	Tremiſſem	$1\frac{1}{2}$
3	Scrupulos	2
4	Obolos	4
5	Biſſiliquas	6
6	Semiobolos	8
7	Siliquas	12
8	Chalcos	24
9	Grana	48

XII. LUPINUS.

Drachma ſemis continet.

1	Tremiſſem	$1\frac{1}{8}$
2	Scrupulum	$1\frac{1}{2}$
3	Obolos	3
4	Biſſiliquas	$4\frac{1}{2}$
5	Semiobolos	6
6	Siliquas	9

7 Chaleos 18
8 Grana 36

XIII. TREMISSIS.

Tremiſſis valet.
1 Scrupulum $1\frac{1}{3}$
2 Obolos $2\frac{2}{3}$
3 Biſiliquas 4
4 Semiobolos $5\frac{2}{3}$
5 Siliquas 8
6 Chalcos 16
7 Grana 32

XIV. SCRUPULUS.

Scrupulus in ſe tenet.
1 Obolos 2
2 Biſſiliquas
3 Semiobolos 4
4 Siliquas 6
5 Chalcos 12
6 Grana. 24

XV. OBOLUS.

Obolus capit.
1 Biſſiliquas $1\frac{1}{2}$
2 Semiobolos 2
3 Siliquas 3
4 Chalcos 6
5 Grana 12

XVI. BISSILIQUA.

Biſſiliqua recipit
1 Semiobolos $1\frac{1}{3}$
2 Siliquas 2
3 Chalcos 4
4 Grana 8

XVII. SEMIOBOLUS.

Semiobolus pendet
1 Siliquas $1\frac{1}{2}$
2 Chalcos 3
3 Grana 6

XVIII. SILIQUA.

Siliqua tenet
1 Chalcos 2
2 Grana 4

XIX. CHALCUS.

Chalcus 1 Grana. 2

XX. GRANUM.

Granum ponderum minimum, ex quo, tanquam ex unitate numeri, reliqua pondera majora additione vel multiplicatione fiunt.

Abacus ſive Tabula Ponderum uno intuitu oculis objiciens, quæ præcedenti Tabula ſeorſim fuerant & per Partes diſtributa.

	Min. At.	Libra	Selibra	Uncia.	Semunc	Duella	Sicilicus	Sextul.	Drachma	Fab. Sy.	Semid.	Tremiſſis	Scrupul.	Obolus	Biſſiliqua	Semiob.	Siliqua	Chalcus	Grana
Mina Rom.	$1\frac{1}{4}$	$1\frac{2}{3}$	$3\frac{1}{3}$	20	40	60	80	120	160	240	320	360	480	690	1440	1920	288c	5760	11520
Min. At.		$1\frac{1}{3}$	$2\frac{2}{3}$	16	32	48	64	96	128	192	256	288	384	768	1152	1536	2304	4608	9216
Libra			2	12	24	36	48	72	96	144	192	216	288	576	864	1152	1728	3456	6912
Selibra				6	12	18	24	36	48	72	96	108	144	288	432	576	864	1728	3456
Uncia					2	3	4	6	8	12	16	18	24	48	72	96	144	288	576
Sextar.						$1\frac{1}{2}$	2	3	4	6	8	9	12	24	36	48	72	144	288
Duella							$1\frac{2}{3}$	2	$2\frac{2}{3}$	4	$5\frac{1}{3}$	6	8	16	24	32	48	96	192
Sicilicus								$1\frac{1}{2}$	2	3	4	$4\frac{1}{2}$	6	12	18	24	36	72	144
Sextul.									$1\frac{1}{3}$	2	$2\frac{2}{3}$	3	4	8	12	16	24	48	96
Drach										$1\frac{1}{2}$	2	$2\frac{1}{4}$	3	6	9	12	18	36	72
Fab. y.											$1\frac{1}{3}$	$1\frac{1}{2}$	2	4	6	8	12	24	48
Lupin.												$1\frac{1}{8}$	$1\frac{1}{2}$	3	$4\frac{1}{2}$	6	9	18	36
Trem.													$1\frac{1}{3}$	2^{2}	4	$5\frac{1}{2}$	8	16	32
Scrupul.														2	3	4	6	12	24
Obolus.															$1\frac{1}{2}$	2	3	6	12
Biſſili.																$1\frac{1}{3}$	2	4	8
Semiob.																	$1\frac{1}{2}$	3	6
Siliqua.																		2	4
Chalcus																			2
Grana																			

Menſuræ apud Veteres Græcos & Latinos Scriptores uſitatæ, Liquidorum & Aridorum, ita diſpoſitæ, ut quæ ſunt majoris ponderis ſemper præcedant. Sic enim veteribus facilius noſtræ atque aliarum gentium menſuræ conferentur, per Conradum Geſnerum Medicum Tigurinum.

NOTÆ LITERARUM.

R.	*Romana menſura.*	*Att.*	*Attica.*
Geo.	*Georgica.*	*Hipp.*	*Hippiatrica,*
L.	*Liquidorum*	*A.*	*Aridorum.*
C.	*Communis.*		

Menſurarum nomina minorum in ſecunda columna, illæ etiam vel Romanæ, vel Atticæ, vel Georgicæ, vel Hippiatricæ accipi debent, pro ut in prima ponuntur.

Menſura	CAPIT.		Continet Lib.
Culeus R. L.	*Amphoras*	20	1600
Medimnus Geo. Att.	*Chœnices*	48	162
Metreta Att. L.	*Choas*	12	108
Metreta Geo. L.	*Amphoras*	2	108
Medimnus Att & Siculus Ar.	*Chœnices*	48	108
Hemimedimnus Geo. At.	*Chœnices*	24	81,
Amphora quadrantal. Ceramium R. L	*Urnas*	2	80
Amphora, ἀμφορεὺς *Geo.* L.	*Choas*	4	40
Τελτεὺς *triēs medimni Ge.* A.	*Chœnices*	16	54
Urna R. L.	*Congios*	4	40
ἑκτὸν *Geo.* A. *Sextans medimni.*	*Chœnices*	8	27
Modius R. A.	*Semimodios*	2	26. ʒß.
Chus, Congius Geo. L.	*Cotylas* 12 *vel Sextarios*	9	13½
Semodius R. A.	*Sextarios*	8	13. ℥ 4:
ἡμίεκτον, *uncia medimni Ge.* A.	*Chœnices*	4	13½
Congius vel congiarium R. L.	*Sextarios*	6	10.
Chus Att. L.	*Sextarios*	6	9.
ἡμιδοδέκατον *Ge.* A. *ſemuncia medimni*	*Chœnices*	2	6. ℥ 9.
Chœnex, χοῖνιξ *Geo.* A.	*Cotylas*	3	3. ℥ 4. ½
Chœnex Att. A.	*Sextarium*	1½	2 ½
ἡμιχοινίκιον *Geo.* A.	*Cotylam*	1½	1½ ℥ ij. 32.
Sextarius A. C.	*Heminas*	2	1. ℥ 8.

Sextarij liquidorum 12. *Aſſis partium nominibus appellantur, quæ & aridis videntur accommodari poſſe, non minus quam ipſe Sextarius.*

Menſura	CAPIT.		Continet Lib.
Deunx R. L.	*Cyathi*	11	1. ½ ʒ1. ℈1.
Xeſtes, id eſt Sextarius Att. C.	*Cotylas*	2	1 ½ (℈j.
Dextans R. L.	*Cyathos*	10	1. ℥ 4½ ʒ1.
Dodrans R. L.	*Cyathos*	9	1 ℥ 3.
Cotyla Geo. C.	*Oxybapha*	4	1. ℥ j. ½
Bes R. L.	*Cyathos*	8	1 ℥j. ʒ2. ℈2
Cotyla Hipp. L.	*Oxybapha*	2	1.
Sextans R. L.	*Cyathos*	7	℥11. ʒj. ℈j
Hemina R. C.	*Quartarios*	2	
	vel acetab.	4	o. ℥ 10:
Cotyla Att. C.	*Quartarios*	2	
	vel oxybap.	4	o. ℥ 9.
Quincunx R. L.	*Cyathos*	5	℥8. ʒ2. ℈2
Triens R. L.	*Cyathos*	4	℥6. ʒ1. ℈j
Onybaphum Hipp. L.	*Cyathos*	3	o. ℥ 6.
Quadrans Quartarius R. L. τέταρτον.	*Cyathos* 3. *vel acetabul.*	2	o. ℥ 5.
Hemicotyliō At. L. *vel Quartar. Att.*	*Oxybapha*	2	o. ℥ 4½
Oxybaphum Geo.	*Cyathum*	1½	o ℥1. ʒiij
Sextans R. L.	*Cyathus*	2	o ℥1. ʒ2. ℈2.
Acetabulum R. *At.*	*Cyathum*	1½	o. ℥ 2. ½
Oxybaphum Att. C.	*Cyathum*	1½	o, ℥2 ʒ2.
	Myſtra	4	o. ℥2. ʒ2.
Cyathus Geo. C.			
Cyathus Hipp. L.	*Myſtra*	4	o. ℥ 2.
	Lagulas.	4	o. ℥j. ½ ʒj.
Cyathus R. C.			℈j.
	Cyathum	1½	o. ℥j. ½
Acetabulū R. L.	*Conchas* 2 *vel*		o. ℥j ½
Cyathus Att. C.	*Cochlearia*	10	
	Myſtra.	2	o. ℥½ ʒ2.
Concha Att. L.			o. ℥½ ʒ½.
Myſtrum maius Geo. C.			o. ℥ 5.
Myſtrū Hip. L.	*Cochlearia*	2	ʒ j. ℈j.
Ligula R. C.			
Myſtrum minus Att. L.	*Chemam*	1½	ʒ iij.
Chema Att. L.	*Cochlearia*	2	ʒij ℈j. gr
Cochlearium Hipp. L.	*Myſtri dimidiū*		4 4/5
			ʒ 2.
Cochlearium Att. C.			ʒ j. ℈½.
			gr. 2/5.

Virorum Illuſtrium Alphabetica Enumeratio, qui de ponderum ac menſurarum doctrina vel integros libros aut tractatus ſcripſerunt, vel ſaltem obiter aut ſummariè in ſuis ſcriptis, hanc materiam attigerunt: per Gaſparum Wolphium Tigurinum Medicum recens collecta.

Andreas Alciatus Mediolanenſis I. C. ſcripſit libellum de ponderibus & menſuris brevem quidem ſed doctiſſimum. Idem quoque tranſtulit Galeno attributum de eadem materia, librum.

Andreas à Lacuna, libellum fecit de ponderibus & menſuris.

Angelus Decembrius Mediolanenſis partes 51. Politiæ literariæ, explicat ponderum, menſurarum & numerorum vocabula aliquot.

Angelus Policianus ſcripſit epiſtolam de ponderibus & menſuris, earundemque notis, ad Franciottum Urſinum: quæ habetur impreſſa epiſtolarum Policiani lib. 10. epiſtol. 13. In hanc commentatus eſt Franciſcus Sylvius Ambianates, ubi nonnulla Policiani corriguntur.

Antonii Monachi de ponderibus & menſuris, ſtateriſque iniquis: habetur cum Stobæo ſermone 56.

Apulicus quidam ſcripſit libellos duos, quorum alter eſt de ponderibus, & alter de menſuris, cum earundem motis; Habetur impreſſus cum operibus Meſuæ in fol. apud Juntas.

Auguſtinus

Auguſtinus Gadaldinus interpretatus eſt librum Galeno attributum de ponderibus & menſuris.

Avicenna caput peculiare habet de ponderibus & menſuris, lib. 5. ſumma ſecunda, tractatu octavo: partim è ſcriptis Allier cujuſdam, partim filii Sem.

Balbus ſcripſit librum de nominibus menſuratum cujus memini Volateranus.

Bedæ de ratione unciarum libellus: in quo aliorum ponderum ac menſurarum quoque mentionem facit.

Bridfertus commentarium ſcripſit in Bedæ libellum de ratione unciarum.

Cælius Calcagninus, de ratione ponderum ſcripſit lib. 5. cap. 17.

Cælii Secundi Curionis, de menſuris Romanorum tractatus, ab Hervagio excuſus eſt unà cum Livio.

Claudii Galeni liber, de doctrina menſuratum ac ponderum ex variis authoribus collecta, habetur adjunctus operibus ejus, ſed falsò Galeno attribuitur Correxit hunc lib. Michaël Neand.

Conſtantinus Monachus, de ponderibus medicinalibus ſcripſit librum peculiarem.

Cornelius Celſus de medicina libro 5. cap. 17. pauca quædam de ponderum ratione ſcripſit.

Cyriacus Schreitman; ſcripſit Germanico idiomate; de ponderibus, unà cum ſubtilitatibus quibuſdam ad Alchimicam & metallicam artem facientia, anno 1578.

Demetrii Alabadi, quædam de minutiis: item de ponderibus & menſuris, quæ Veneriis impreſſa ſunt.

Dinus de Garbo, Florentinus ſcripſit tractatum de ponderibus & menſuris.

Dominici Arcignanei, de ponderibus & menſuris Græcorum & Arabum tractatus ſive libri tres.

Diodori cujuſdam liber Græcus de ponderibus & menſuris, ſervatur in Italia. Eſt autem fortè is author, cujus meminit Georgius Agricola in præfatione in lib. de ponderibus & menſuris his verbis: Non admodum fortè in Græcis ponderibus, opus fuiſſet hoc meo labore, ſi liber à Diodoro de his ſcriptus non periiſſet. Dolendum itaque eſt, ſi author tam deſideratus & utilis, privatis uſibus tantum reſervatus, non tandem in uſum reipub. medicæ luci redditur.

Eliæ Vineti Santonis emendationes & annotationes, in Priſciani Cæſarienſis, Rhemnii Fannii, Bedæ Angli, & Voluſii Metiani libros de numis, pond. & menſ. numeris eorumque notis, &c.

Epiphanius Cypri Epiſcopus libellum ſcripſit de ponderibus & menſuris. Græcè, apud Robertum Vuinter: Hunc interpretatus eſt Janus Cornarius: & de talento.

Franciſcus Bonafides, de ponderibus minoribus & grano.

Georgius Agricola medicus ſcripſit de ponderibus & menſuris libros quinque quorum,

1. De menſuris Romanis.
2. De menſuris Græcis.
3. De rerum quas metimur pondere.
4. De ponderibus Romanis.
5. De ponderibus Græcis.

De ponderibus & menſuris libellus lingua Gallica ſcriptus ex Georgii Agricolæ libris collectus, adjunctus eſt Plinio Gallico à principio.

Guillemus Budeus conſcripſit Breviarium de Aſſe & ejus partibus: itemque de ponderibus & menſuris.

Gulielmus Philander Caſtilionius, epitomem ſcripſit omnium Georgii Agricolæ De ponderibus & menſuris librorum, Lugduni.

Guilhelmus Rondelletius librum ſcripſit de ponderibus: hoc eſt de juſta quantitate & proportione medicamentorum. In hoc verò libro, licet pondera tantum medicamentis inter ſeſe permiſcendis certa ratione, præſcribat, tamen ejus libri caput nonum, huic argumento peculiariter convenire poteſt.

Heinricus Glareanus ſcripſit librum de ponderibus & menſuris.

Heinricus Houverde, de ponderibus & menſuris libros duos confecit.

Heinrici Vranii Compendium de re nummaria, menſuris & ponderibus ex Budæo.

Hieronymus Cardanus de proportionibus ponderum.

Jacobus Faber Stapulenſis ſcripſit Commentaria in librum Jordani Nemaurarii de ponderibus, &c.

Jacobus Sylvius libro tertio, in methodo componendorum medicamentorum, tractatum ſcripſit peculiarem de ponderibus & menſuris, quæ Galeno præcipuè, & ætatis noſtræ Medicis in uſu ſunt frequentiore.

Scripſit idem de menſuris & ponderibus Meſuæ conſuetis paucula quædam, quæ addidit ſuis in Meſuæ Antidotarium annotationibus, ſtatim à principio: Cum hac præfatione: Tempeſtivum mihi jam videtur pauca quædam de menſuris & ponderibus Meſuæ conſuetis dicere, ne quorundam novitas inaudita lectori adhuc rudi aut imponat, aut ſit remoramento, &c.

Janus Cornarius interpres eſt Epiphanii de ponderibus & menſuris.

Incerti authoris tractatus de ponderibus & menſuris habetur cum operibus Avicennæ, ex verſione ex Arabico per Andream Bellunenſem.

Incerti authoris aſſignatio notarum ponderum ac menſurarum habetur adjuncta operibus Meſuæ.

Joachimus Vadianus de dodrante & uncia.

Johannis Buteonis de libra, & ſtatera libellus; Et alter de fluentis aquæ menſura. De ponderum inter ſe congruentium forma. De margaritarum precio.

Johannes Fernelius de ponderibus & menſuris ſuccinctè tractat Therapeuticæ Medicinæ libro quarto, capite ſexto.

Johannis Raviſii textor's menſurarum quarundam explicatio habetur in ejus Officinæ tomo ſecundo.

Johannes Raynaudus ſcripſit de menſuris, De monetis & ipſarum valore.

Johannes Ruellius libro primo capit. 16. ſcripſit de menſuris quibus longitudines herbarum dimetimur. Item de rationibus ponderum.

Johannes Serapio, de ponderibus & menſuris nonnulla in Breviario ſuo ſcripſit.

Johannes Tortelius, de ponderibus, in mentione Talenti, in opere de orthographia.

Jordani Nemaurarii de ponderibus propoſitiones tredecim, & earundem demonſtrationes, multarumque rerum rationes pulcherrimæ, Norimbergæ excuſ.

Joſias Simlerus Tigurinus collegit, ſuppreſſo tamen ejus nomine, vocabula rei numariæ, ponderum & menſurarum, Græca, Latina, Hebraica, Arabica ex diverſis authoribus, ac in ordinem alphabeticum diſpoſuit. Lexicon hoc nominum menſurarum, &c. additum eſt lexico ſive Dictionario Latino Ger-

Germanico à Johanne Friſio edito.

Iſidorus junior, Epiſcopus Hiſpalenſis, ſcripſit libro Ætymologiarum decimo quinto, de agris, eorundem finibus ac menſuris. Item libro decimo ſexto, de ponderibus, menſuris & ſignis. De hoc Iſidoro & ejus ſcriptis, ſic Alciatus de ponderibus & menſuris ſentit, ſtatim ab initio ſui opuſculi. Ego, inquit, non video, quid hoſce ſummi judicii homines impulerit, ut Iſidorum, nequaquam bonum authorem, opinatiſſimis ſcriptoribus prætulerint, è quibus Plinius lib. 21. cap. ultimo, &c.

Leonhardus Portius, ſcripſit de ponderibus & menſuris eruditum commentarium.

Lucæ Peti, de menſuris & ponderibus Romanorum & Græcorum, cum his quæ hodie ſunt Romæ collatis, libri quinque, Venetiis.

L. Voluſii Metiani de Aſſe & ejus partibus: item vocabula ac notæ partium in rebus pecuniariis, pondere, numero & menſura. In hunc ſcripſit annotationes Elias Vinetus.

Michael Neander, ſcripſit ſynopſin menſurarum & ponderum, ponderationeſque menſura bilium ſecundum Romanos, Athenienſes, Georgos, & Hippiatricos, ex præſtantiſſimis authoribus hujus generis contracta.

Idem emendavit ac tranſtulit Galeno attributum librum de ponderibus & menſuris: itemque Dioſcoridis de iiſdem annotationem.

Nicolaus præpoſitus, in diſpenſatorii libro ſecundo, particula prima, capite undecimo, tractat de ponderibus & menſuris.

Oribaſius Synopſeos lib. 2. cap. 58. breviter ponderum ac menſurarum rationem tradit, quæ ferè eadem ſunt cum his quæ apud Æginetam leguntur.

Paulus Aegineta de ponderibus & menſuris ſcripſit earundemque notis libro ſeptimo, capite viceſimo ſexto.

Petrus Andreas Matthiolus: in ſuis commentariis in Dioſcoridem, menſurarum ac ponderum typos ad Dioſcoridis mentem, ex Galeno edidit.

Philippus Melanchthon, de menſurarum ponderumque ad Germanorum uſum, nominibus.

Plinius peculiari capite, ultimo ſcilicet libri viceſimi primi de ponderibus & menſuris tractavit.

Priſcianus Grammaticus, ſcripſit de ponderibus & menſuris. In hunc authorem annotationes edidit Elias Vinetus.

Quinti Rhemnii Fanni Palemonis de ponderibus & menſuris libellus hexametris conſcriptus. In hunc annotationes breves ſcripſit Elias Vinetus. Vide etiam de eodem apud And. Alciatum in principio libri de materia eadem. Hunc librum, ut & Dionyſium de ſitu orbis, carmine redditum ab eodem: Priſciano alii attribuunt: verum huic ſententiæ doctiores repugnant. Alardus Amſtelredamus in ſuis annotationibus in Marbodeum, paſſim Rhemnii carmina citat de gemmis quibuſdam & de Medica herba, unde conjici poteſt genuina Rhemnii eſſe, hæc de ponderibus carmina, patebitque hoc clarius etiam ex iis, quæ Gyraldus de Poëtis Latinis Dialogo quarto ſcribit. Eo in loco authorem hunc Q. Rhemnium Palæmonem vocat, Vicentinum natione. Sunt inquit, ex literatis, qui carmen de ponderibus, quod legitur, huic aſcribant: quod perperam fieri ipſe contenderim: nam Rhemnio Fannio potius attribuendum, quod alibi dicemus. Scribit autem alibi, Rhemnio Fannio, qui ab aliis Fanius aut Favinus, non recte ſcribitur, & perperam Palæmon cognominatur, cum multò poſt Palæmonem vixerit, ei de ponderibus libellum à doctis pleriſque merito aſcribi, ineptè autem Priſciano, aliquos etiam translationem Latinam Dionyſii Afri ei attribuere, quæ vulgo Priſciani Cæſarienſis nomine circumferatur, & diſcipulum fuiſſe Arnobii, & de medicinalibus librum eleganti carmine ſcripſiſſe, &c. Vide plura loco citato.

Robertus Cenalis, opus de integro inſtauratum ſcripſit, de vera menſurarum ponderumque ratione. Ejus autem operis tituli præcipui hi ſunt.

De unciis variis, in genere & ſpecie.
De libra menſurali & ejus partibus.
De Sextariorum varietate & partitione.
De Cyatho.
De Xeſte, ſeu Sextario Græco, Attico, & partibus ejus.
De Sextario Georgico, & ejus partibus.
De Sextario Hypiatrico & partibus ejus.
De Sextario Hebræo & ejus partibus.
De Amphora & partibus ejus.
De metrete Attico & partibus ejus.
De Medimno. De Medimno Georgico.
De Medimno Hippiatrico & ejus partitione.
De Ephi, amphora Hebraica & ejus partibus.
De Amphora Pariſina & ejus partibus.
De Artaba.
De Menſuris.
Menſurarum longitudinis & naturalis progreſſus.
De Aſſis varia acceptione & ejuſdem partitione.
De Obolo & partibus ejus.
De Drachmæ valore & ejus partitione.
De Siclo & ejus Abaco.
De Denario & partibus ejus.
Denarii Romani abacus.
De Solido ejus partitione & abaco.
De Libræ multiplici ratione & ejus abaco.
De Talenti ratione & ejus abaco.
Talenti minarum Hebraicarum argenti abacus.
Talentorum argenti Hebraici ſecundi ordinis, ſparſim è ſcripturis cumulatus.

Saladinus Æſculanus, ſcripſit de doſibus & ponderibus, ac de eorum nominibus & differentiis, in compendio aromatariorum, particula tertia.

Stanislaus Calepius Polonus, De multiplici Siclo & Talento Hebraico. De menſuris Hebraicis, tam aridorum quàm liquidorum. Epitome de ponderibus & menſuris, quæ apud prophanos leguntur authores.

Theodericus Thaminus Dominicanus, de Menſuris rerum librum ſcripſit.

De Ponderibus & Menſuris ſpecialia quædam hinc inde ab authoribus explicata.

Cujuſmodi ſit id, Deum omnia perfeciſſe numero, pondere menſura, Cælius 22. 6.

Ponderum nomina, Textor in Offi. 821.

Quid mina quid drachma, quid aſſis, denarius, Seſtertium, & talentum apud gentes diverſas valuerit Alexand. 4. 24.

De obolis vel obelis, Cælius lib. 10. cap. 2.

Menſurarum à corpore humano eſſe deprompta nomina, Cælius lib. 30. cap. 20.

Quis primus repererit pondera & menſuras, Polyd. 1. 19.

De nummis, vide in politicis vel œconomici, licet etiam huc ad pondera referri potuiſſent.

De menſuris, Volateranus 30.

Menſuræ quædam, Textor in Officin. 273.

Hippiæ menſuræ & Pnidoniæ cur Cælius 14. 18.

Περὶ χοινίκων, Τζέτζ. 13. 479.

Quid

Quid Chœnix, chœnicometræ, & ſuper chœnice ſedere, Cælius 16.17.

De maride menſura & marila, idem 26.16.

Sara pro menſuræ ſpecie: item cabus & batus, Idem 16.24.

Exponitur illud Quintiliani, in triclinio Choa: quid choëus, choa, choës, de cotyla item pauca, Cælius 29. 1.

Hemina, Cælius 28.30.

Nomina terræ dimenſionum in Geometricis poſita ſunt.

PRÆTERMISSA ſunt nobis in catalogo de induſtria multa de numis, & monetis: itemque quæ de Mathematicis & Geometricis menſuris ab authoribus ſcripta extant quod ad medicinam ferè non ſpectent: quanquam etiam nonnullorum hic quoque mentio inciderit alicubi. Qui vero etiam horum catalogum requirit, is conſulat Bibliothecæ Geſneri partem ſecundam: lib. 6. de Geometria, tituli tertij, parte ſecunda: & ibidem in Appendice. Itemque De Grammatica. titulo 12.

Vocabula rei nummariæ ponderum & menſurarum Græca, Latina, Hebraica, Arabica: ex diverſis authoribus collecta, & in ordinem alphabeticum diſpoſita, per JOSIAM SIMLERUM *Tigurinum.*

Aben ſeu Enib vel Evib, Acſat, Kiſt nomina ſunt Arabum & Maurorum ejus menſuræ, quam Romani Sextarium nominant. *Ein halbe maoſſ.*

Acetabulum ex aceto nominatur ad imitationem Græcorum, apud quos ὀξύβαφον vas primo dictum, deinde ad menſuram tranſlatum. Liquoris autem menſura eſt & ſeſquicyathum continet. Agricola transfert *Ein halb maſsl.n* alii *ein Becherlin*: ſunt autem noſtræ menſuræ capaciores Romanis. Eſt etiam ſiccorum menſura, cujus frequens mentio fit apud Cornelium Celſum. Agr. *Ein vierteil eines halben maſſes.*

Achana Perſica eſt menſura, cujus Ariſtophanes meminit in Acharnenſibus, quo loco interpres menſuram hanc, teſte Ariſtotele, ſcribit quadraginta quinque medimnorum Atticorum capacem fuiſſe.

Acſat idem quod Abun, Sextarius.

Actus menſura intervallorum, rei ruſticæ ſcriptoribus in uſu: dictus quod in eo boves agerentur, cum aratur uno impetu juſto: eſt autem duplex. Actus minimus area pedum 480. latitudinis pedes 4. longitudinis habet pedes 120. Actus quadratus pedum 14400. latus pedes 120. & longus totidem is modus & Mina Latine appellatur. *Ein halbe jucharten.*

Adarkon 1. Paral. ult. cap. quidam drachmam transferunt, alij nummum ſignificare volunt: videtur autem ita appellari nummus aureus drachmalis.

Æquipondium ſacoma Vitr. appendiculum quod per ſcapum trutinæ Campanæ punctis obſervatur. *Das gvvicht an der ſchnellvag.*

Æquilibrium Vitru. Æquamentum Feſto, libramentum Plin. cum neutro inclinat examen, ſed æquo momento partitur diſcrimen. *Das innſtehend gvvicht.*

Ærolum vel areolus χαλκοῦς ponderis nomen, ſexta pars oboli Attici, pendit autem duo hordei grana: apud Græcos dividitur in ſeptem minuta. Eſt etiam nummi genus, qui & ipſe ſeptem minuta λεπτὰ pendebat: proinde ad noſtrum nummulum qui eſt 32. pars drachmæ transferre licet, quamvis æreolus 63. pars drachmæ fuerit: *Ein pfennig oder ein angſter*, vel antliſter, *ein alter angſter* apud nos proxime ad æreolum accedit.

Ærarium locus ubi publicæ pecuniæ ſervabantur, ita dictus ab ærea moneta, quam veteres Romani uſurparunt. *Schatzkamer, ſtas ſeckel, ſtatt geltkainer, oder renterey.*

Æs, pro omni genere aureorum argenteorumve nummorum. *Allerley muntz, aller hand galt.*

Æs circunforaneum, quod e tabernis argentariorum, quæ circumforum ſub porticibus erant, fœnori petebatur. *Galt auf vvucher auf genommen oder entlehnet.*

Æs alienum quod aliis debetur, debitum. *Geltſchuld.*

Æs grave dicebatur, quo non numerato, ſed appenſo debita exolvi ſolebant.

Ære mutare, pretio aliquid emere aut venundare. *Rauffen und verkauffen.*

Adærare, ære æſtimare, ad pecuniæ taxationem redigere. *Zu geltſchlahen, ſchetzen.*

Æruſcare vetus verbum, æra undique, id eſt pecunias colligere. *Allenthalb gelt ſamlen und zu ſamlen kratzen.*

Agorah idem quod Gerah Hebræis, nummulus argenteus vigeſima pars ſicli.

Alabaſtrum, ut Epiphanius ſcribit, vaſculum eſt vitreum, quod capit olei libram: menſura vero quæ recipit dimidiam ſextarij partem.

Alcuathum ſeu Cuathum, Arabica menſura Cyathum capiens.

Aldorach amphora Arabica trium librarum.

Alki Arabibus idem quod Græcis ὁλκὴ ſeu drachma.

Amah Hebræis cubitum ſignificat. Cubitum autem Hebræis fuit duplex, alterum ſex palmorum, quod ſimpliciter Amah cubitum nominant: alterum ſeptem palmorum, quod cubitum & palmum, ſive palmicubitum vocant. *Ein eln.*

Amphora à Græco nomine ἀμφορεὺς, Quadrantal ab antiquis appellata, à quadrati pedis figura: menſura eſt liquidorum, quæ duas urnas, ſex tarios vero 48. c. *Vier und zu entzig maſſ, ein Omen.* Agricola Amphoram interpretatur. *Sechsſtobichen.*

Amphora Capitolina, Romana amphora Jovi ſacrata in monte Tarpeio, in quo Capitolium fuit: juſtæ capacitatis amphora: nam majoribus & minoribus amphoris, non ut menſuris, ſed vaſis utebantur.

Amphoreus ἀμφορεὺς, vas quod utrinque anſas habet quibus capi & portari poſſit: & menſura Græca eodem nomine appellata, à quo amphoræ nomen Romani mutuari ſunt. Eſt autem Amphoreus ſeu Amphora Græcorum ſimilis Vrnæ Romanæ, capit cyathos 298. choas quatuor. *Ein halber omen.*

Amphora Attica, ita nominat Fannius Metreten, quæ major eſt Romana, capit enim 3. Vrnas, Choas ſeu Congios duodecim. *Ander thalber omen.*

Anecſure ſeu Kaſnuf: item Hacſuneſi, ſeu quarta Acſaſſæ nomina Arabum & Maurorum ejus menſuræ quæ acetabulo reſpondet, & ſeſquicyathum capit.

Anſa in qua examen bilancis verſatur.

Apophoreta Martiali, munera quæ convivis aſportanda dabatur. *Gaſt geſchenckt.*

Aporrhyma menſura Ægyptiorum, quæ capit 11. ſextarios.

Argenteus aliquando in ſacris literis, & apud Joſephum abſolute pro ſiclo ponitur, Hebræa phraſi, qua ſiclus Keſeph argentum aut argenteus nominatur, ſubintellecto videlicet nummi nomine. Apud Græcos quoque drachma vocatur ἀργυρὶς, ſecundum Alexarchum apud Athenæum, quia fuit alia drachma auri.

Argumentariam facere Cic. pro exercere uſuram, aut argentarij nummulariive munus obire *Wücheren, oder den vvachſel tryben.*

Argentariam diſſolvere Cic. cedere foro, quando nummularius tabernæ ſuæ exercitium deſerit. *Vom handel abſton, Bankerottieren.*

Arra vel Arrabo, quod emptionis nomine datur, ut conſtet fides de pretio, quod convenerit. *Goldspfenig, pfandtſchilling, haftpfennig.*

Arra ſponſalitia, quæ datur utrinque à ſponſo & à ſponſa, in matrimonij contractus teſtimonium. *Das nan man uff die Æegibit.*

Arraba menſura eſt Perſica Herodoto, capiens medimnum Atticum & præterea tres choenicas Atticas. Eſt etiam arraba medica, medimni Attici capax: & tertia Ægyptiaca quinque modiorum.

Arundo ſeu calamus, apud Hebræos inſtrumentum dimetiendi intervalla: Apud Ezechielem cap. 40. arundo ſex palmicubitorum ſeu ſeptem communium deſcribitur. *Ein matzſtab, ein zollſtab.*

Arura menſuræ nomen apud rei ruſticæ ſcriptores habens pedes quinquaginta.

As nomen ab ære deductum, ærei nummi appellatio, qui vario pondere percuſſus eſt: primum libralis, deinde ſextantario pondere, tum uncialis, poſtremo ſemuncialis. Dividitur autem as in partes duodecim, quæ unciæ ſingulæ vocantur, duæ vero ſextans, tres quadrans, quatuor triens. quinque quincunx, ſex ſemis, ſeptem ſeptunx, octo bes, novem dodrans, decem dextans, undecim deunx. Cum verò as decima ſit pars denarij Romani, ejus æſtimatio ex denarij valore noſcitur: Budeus denarium æſtimat quaternis Caroleis, & duobus denarioſis Turonicis: hoc eſt octo cruciferis ſeu cruciatis noſtratibus, & duabus quintis unius cruciati: itaque as valebit hac ratione quatuor denariolis Turonicis & quinta unius parte, quinque verò denarioli cruciatum faciunt: itaque his pares ſunt minimi nummuli Baſilienſes, & ad Romanum aſſem proxime accedit. *Ein kleiner Vaſel vierer.* Aſſe Romano etſi non pondere ac æſtimatione, uſu tamen & partium ſimilitudine, reſpondent Germanici nummi quos *ſchilling* & *plappart* vocant quamvis diverſæ æſtimationis: nam Luceriæ aureo æſtimantur 50. Tiguri 40. Baſileæ 25. Argentorati 10. Mercatoribus vero in uſu eſt aureum 20. *ſcilling*, quos *ſchilling in gold* nominant æſtimare: omnes vero aſſis inſtar in duodecim domi notos & vulgares nummulos dividuntur quos *heller* vocant.

As cum de ponderibus verba fiunt eſt libra, vel pondo, & ſimiliter in duodecim uncias dividitur, quæ nomina ante commemorata ſervant. Poſtremo quoties ſolidum dividitur, ut pes, jugerum, fundus, hæreditas, hora & in cœlo Zodiacus, as pro ſolido accipitur: & partes nomina partium aſſis accipiunt: hinc fluxerunt illæ formulæ. Ad aſſem reddere, ad aſſem omnia perdere, ex aſſe hæres: & ſimiles.

Aſſarius vel aſſarion, cum pondus declarat eſt duarum drachmarum Romani pondus aſſis ærei ſæpe diminuerunt, & tandem lege Papyria ſemunciales aſſes fecerunt: iſtiuſmodi autem aſſis dimidium à Græcis dicitur ἀσσάριον, à Varrone aſſarius: à nummo pondus nomen accepit. Aſſarij nummi mentio in Evangelica hiſtoria Matthæi & Lucæ *Ein Baſel rap.*

Aſſaron Hebraicæ menſuræ nomen apud Joſephum quæ alias omnes, & à ſeptuaginta interpretibus γομόρ nominatur, & eſt pars decima Ephi, continet ſextarios Atticos ſeptem, & quintam ſextarij partem.

Aſſipondium unum pondus dicebatur, ideo quod as erat libræ pondus. *Ein pfundtſchvvar.*

Auctoramentum quo accepto miles obligatur cum dat nomen. *Verpflichtung, vergeltung, lauffgelt, daſſ man einem knecht aufdhand gibt, oder zu der aufrüſtung.*

B

Bat ſeu Bathus menſura liquidorum Hebræis: quæ capit ſex hinas: eſt autem æqualis amphoræ Atticæ quæ μετρητὴς & κάδος nominatur, capit autem Cadus 36. *Buſſgouvver maſſ, anderthalben omen.*

Bes octo unciæ, ſeu duæ tertiæ, aut duo trientes aſſis ſeu libræ: intelligimus autem libram Romanam quæ pendit uncias duodecim. *Acht untzen, oder ſechſſzehen lot.*

Bes argentarius, aurarius, ſeu monetarius, quo monetales utuntur, qui cudunt aurum vel argentum, *Ein mark.* Marca etiam ſeu Bes nominatur certa pecuniæ ſumma, quamvis beſſem libræ non pendeat: Sic Miſeni nummi quatuor, quos *Silbergroſchen* nominant, bes appellantur ſeu marca, cum tamen, ſi pondus ſpectes, bes pendeat ejuſmodi argenteos nummos octo & octoginta, Apud nos bes nominantur duo aurei cum dimidio.

Beſſalis vel pondus intervallum octo unciarum. Vitruvius beſſales laterculos nominat. *Gebrante ſtein, ziegelſtein acht zol lang oder breit.*

Beſſis uſura, in qua centeſimæ beſſis ſolvitur: nam centeſimæ uſura hic as eſt. *Wücher oder zinſſ acht vom hundert ein jar.*

Biceſſis idem quod viceſſis, à duobus decuſſibus, hoc eſt viginti aſſibus, ductum nomen.

Bigati nummi ita dicti quòd nota bigæ eſſent percuſſi.

Bilibris, duarum librarum *Zvvey pfund ſchvver.* Cornu bilibre apud Horatium, duarum librarum menſuralium capax, *Das zvvo pfundt maaſſ faſſet.*

Bipedalis. Vitruvio, Tegulæ bipedales. *Ziegel zvven ſchüchlang.*

Bos didrachmi Athenienſis nomen, quod nota bovis ſignatum eſſet, ex quo illud, Bos in lingua factum fuit tritum Græcorum ſermone proverbium, ſi quis argento corruptus cum loquendum eſſet taceret. *Ein pfenning darauff ein ochs gepraget vvar bey den Athenern, galt ein ort eins guldins.*

Bravium, quod victori confertur in ludis. *Die gab ſo man dem helden im kampf gibt, das beſt.*

C

Cab ſeu Cabus menſura aridorum apud Hebræos, quarta pars modij, capit ſextarios quatuor ut ex Joſepho & Epiphanio annotavit Agricola. *Ein vierling.* Glareanus tamen ex ſententia Rabi Solomonis Cabum facit cyathorum 32. qui ſunt ſextarij duo & ſemis: idem tradidit, Santem Pagninum Cabum definire ſex medimnis, ſeu amphoris duodecim.

Cadus & vaſis nomen eſt apud Latinos, & menſuræ apud Græcos, quo & Plinius utitur, ſed tantummodo ubi vel Græca transfert, vel de Græcis vinis loquitur. Idem menſuræ genus dicitur μετρητὴς, κεράμιον, ςάμνος & ςάμνιον, & Amphora Attica Cadus capit urnas tres. *Anderthalber omen.*

Calamus, Vide ARUNDO.

Canon legitima & ordinaria penſitatio reipublicæ, cujuſmodi ſunt vectigalia & portoria. *Jarlich ordinar einkommen.*

Caph Hebræorum magiſtri menſuram & trigeſimam Logi partem eſſe ajunt: ſed in ſacris literis Numer. 6. cap. Caph nomen eſt vaſis patuli, parvi & concavi, in modum cochlearis formati, in quo

thus

thus aut aliud hujuſmodi ponebatur.

Capitha Perſica menſura apud Xenoph. quæ capiebat duas chœnicas Atticas.

Caput, ſors, ſumma Cic. Terent. Plinio, principalis ſumma quæ fœnori datur: quod caput ſit fœnoris, κεφάλαιον Platoni dicta, & Iſocrati ἀρχαῖον, quod ex eo tanquam principio oriantur uſuræ. *Die gantze ſumm, hauptſumm, haupt gût,*

Cenſus æſtimatio fortunarum, pro cujus ratione tributum penditur. *Schatzung eines yetlichen haab, item umgelt, ſtür zinß.*

Centeſima abſolute, & uſura centeſima, item uſura unciaria, & fœnus unciarum, quæ centeſimam ſortis partem ſingulis menſibus capit quando nimirum quotannis duodecim penduntur uſuræ nomine: ibi enim aſſis nomine cenſetur annus, ut unciarum vices gerunt menſes. *Zvvölff vom hunder.*

Centumpondium Cato nominat, quod juniores centenarium appellarunt. *Ein centner, ein gvviſtein hundert pfund ſchvver, oder een tnerig.*

Centuſſis quo majus æris vocabulum non eſt centum aſſes, ſeu denarii decem, itaque Romanus centuſſis æſtimabitur cruciatis 80. *Zvventzig batzen.* Budei ætate cum pretium auri nondum adeo auctum fuiſſet, coronatus Gallicus decem denariis, ſive centuſſe ab eo æſtimatus fuit.

Chalcus Vide *Æreolum.*

Chariſterium, quod beneficio datur.

Chœnix Attica menſura aridorum, & principium ferè omnis menſuræ, unde & metron appellabatur: capit autem chœnix (ut Agricola tradit) ſeſquiſextarium, co ylas 3. oxybapha 12. cyathos 18. Budæus vero Chœnica duos ſextarios Romanos capere ſcribit: quæ diverſitas ex medicarum & georgicarum menſurarum diverſitate orta videtur: nam inter menſuras Atticas ſeu medicas, & georgicas proportio eſt ſeſquialtera, Chœnix vero cibus erat diurnus ſervorum Græcorum, quemadmodum fuit demenſum Romanorum cibus menſtruus, quod quidem continuit modios quaternos, qui faciunt ſextarios quatuor & ſexaginta: ſi igitur menſis ſtatuatur 30. dierum, cibus diurnus duo erunt ſextarii, ſed ſupererunt quatuor, qui corollarii vice dati cenſeri poſſunt. Romanis quoque militibus ſextarius caſtrenſis, qui duos urbicos capiebat, menſura erat cibi diurni, & Herodotus tritici chœnica abſumendam quotidie ſingulis viris, qui erant in exercitu Xerxis, partitur: unde apparet eandem victus rationem Græcis & Romanis domi militiæque fuiſſe. Capacitas igitur Chœnicis ex ſextario, de quo loco, apparet. Pretium haud dubiè varium fuit. Cicero in Verrem Modium in Sicilia lege æſtimatum ſcribit ternis ſeſtertiis, aut quaternis ſi erat imperatum frumentum. Jam cum modius capiat ſextarios: 6. Chœnix qui continet duos ſextarios, emetur aſſe uno & quadrante *Drey Baſel rappen*, ſi pretium modii fuerint quatuor ſeſtertii: Quare cum in Apocalypſi dicitur Chœnix tritici æſtimabitur denario, ſignificatur magna annonæ caritas, vide licet panem diurnum qui alias cruciato aut paulò pluris emebatur, octo cruciatis emendum eſſe, *Ein halber vierling, oder ein imme.*

Chus qui & chœus quoque dicitur vaſis primum genus quo aqua hauſta fundebatur, deinde Attica menſura liquidorum, quæ ut apud Romanos Congius ſex continet ſextarios. *Drey maaſz, drey kannen.*

Cicar Hebræorum pondus, quod duplex fuit: Cicar ſanctuarii quod Joſephus cinchares nominat & in Græcam linguam converſum talentum ſignificare tradit, id pendebat centum minas. Cicar congregationis quod & vulgare nominatur, hoc ut ex 38. cap. Exodi intelligitur fuit quinquaginta minarum. *Ein centner.*

Cimelium, quod reponitur extra quotidianum uſum, κειμήλιον. *Beſchmuck und kleinoter.*

Ciſtophorus Cic. Aſiaticus nummus, cujus pretium fuit pauxillo majus, quam denarii dimidii me; ita dictus, quod ex moneta expreſſos haberet ciſtigeros, qui ſacrorum arcana ciſtis incluſa geſtarent. Quatuor autem denarii (ut ex Feſto colligere licet) efficiunt ſeptem ciſtophoros cum ſemiſſe, ex qua ſumma ad calculos revocata colligitur ejus pretium ad tres obolos cum ſemiſſe, noſtra moneta. *Ongfaar zvven Baſel plappart.*

Clima agri menſura quæ quoquo verſus pedum eſt ſexaginta. Columella auth. *Ein vierungfelds ſechtzig ſchüch breit und ſechtzig ſchüch lang,*

Cochlear ſeu ligula menſura liquidorum minima Latinis, quarta pars cyathi: Græci myſtrum nominant. Eſt & aliud minus cochleare Atticum, Cleopatræ decima cyathi pars: Fannius cochleare facit cyathi quartam & viceſimam partem: Scribonius Largus minus habet cochlearium: cyatho enim tribuit triginta. *Ein löffele.*

Coclanarium nominant Arabes medici, vel eorum barbari interpretes, cochleare, è Græco κοχλιαρίου nomine coclanarii formato.

Collathum apud Syros eſt media humidi bathi pars: eſt vero ſextariorum quinque & viginti, ut Epiphanius tradit.

Collecta pro pecunia quæ à convivis exigitur. *Gelloch, ürten maalgelt.*

Collybus pecuniæ permutatio. *Wechſel.*

Collybo pecuniam curare, vel mittere. *Gelt durch einen vvechſelbrieff ſchicken.*

Comiſtrum quod bajulo datur. *Trager oder fackiner lon, karenzieher lon.*

Concha liquidorum menſura Græca (qua tamen & Latini uſi ſunt, ſicut & pro vaſis generis) duplex eſt, major quæ æqualis eſt oxybapho: minor quæ dimidium cyathum capit.

Congius Græcis χοῦς liquidorum menſura capit ſextarios ſex. *Drey maaſz oder drey kannten.*

Congialis, id eſt unius congii Plautus, Mulſi congialem plenam faciam tibi fideliam.

Congiarium congii menſura: præterea munus quod à Cæſaribus, vel imperatoribus amicis dabatur: inde fortè dictum quod primò congii vini vel olei dabantur, deinde res aliæ cœptæ dari eadem manente appellatione: ſcribitur enim à Suetono Auguſtum congiaria populo frequenter dediſſe, modo quadragenos, modo tricenos, nonnunquam ducenos quinquagenoſque nummos. *Furſten gaab.*

Contubare Cic. poſterioribus creditoribus ſatisfacere, præteritis veteribus. *Die leſte ſchuld abtragen und die alten bleyben laſſen.*

Cophinus menſura eſt Bœotia tam aridarum quàm liquidarum rerum, capiens congios ſeu choas tres. *Halt nün maaſz oder kannten.*

Corboni medicis Arabibus heminam declarat: interpres Avicennæ corylam Græco nomine appellat, Raſis interpres phialam reddidit: cum tamen phiala menſura non ſit ſed genus poculi.

Cor vel Corus ampliſſima menſura aridorum apud Hebræos, quæ capit medimnos Atticos decem, ſextarios 720. *Ein malter*, Matheſius *achtet es für zehen Leyptziger ſcheffel.*

Coronarium quod principi ad inaugurationem ſeu novum honorem donatur. *Gaab die man einem Künig oder Fürſten auff ſeiner Krönung ſchenckt.*

Cotyle vaſis genus & menſura humidorum, qui

etiam

etiam ἡμίξεϛον & τρυβλίον Græcis, & Latinis hemina nominatur, quæ ſemiſextarium ſive cyathos ſex continet, Vitebergæ *ein hälber nöſſel* Agricolæ Glareano Benedictinorum poculum: apud nos *ein halbe quertlin.*

Cuathum & præpoſito articulo Alcuathum cyathus eſt Mauris, Græco nomine κύαθος Arabica barbarie depravato.

Cubitum & cubitus à Græco fluxit, etenim ἀγκῶνα Hippocrates appellat κύβιτον, id vero habet pedem unum & dimidium, eſtque extenſio inter flexum brachii & ſupremam medii digiti partem: eadem menſura quæ & ulnæ, iiſdem enim nominibus idem membrum appellatur, unde Pollux, πῆχυν cubitum inquit, ulnam quoque ὠλένην nominari Petrus Victorius in fine variarum lectionum ſcribit πῆχυν eſſe duorum pedum, ideoque duobus palmis cubito longiorem. Apud Perſas regium cubitum tribus digitis majus erat quam mediocre. *Ein eln, anderthalben ſchüch.*

Cubitalis πηχυαῖος, *Ein eln, anderthalben ſchüch hoch oder lang.*

Culei dicebantur utres è corio in quibus vinum & oleum portabatur, in ejuſmodi quoque culeos è corio parricidæ vivi inſuti in proximum mare vel amnem dejiciebantur. Culeus etiam eſt maxima menſura liquorum Romanis, quæ amphoras capit viginti. *Helt zvventzig omen.*

Culeare dolium. *Ein vaſz das zvventzig omen halt.*

Cyathus ἀπὸ τοῦ χύειν à fundendo Græcis dictus, poculum quod in ſympuli locum ſucceſſiſſe in conviviis dicit Varro, cum in ſacrificiis manſerit altera appellatio. Inde tranſlatus ad menſuram cyathus, quorum duodecim ſextarium complent. Ad cyathi menſuram accedunt minuta pocula quæ fabri argentarii aliquando ex uncialibus nummis cudunt. *Taler becherlin.* Glareanus cyathi menſuram quadratam facit, longitudine duorum, profunditate unius, latitudine ſeſquipollicis: quæ contineat liquoris alicujus uncias duas. Quare pueriliter errant qui cyathum menſuram credidere poculum vulgare eſſe, quale hodie plerunque in menſa convivis præponi ſolet, cum hujuſmodi pocula frequenter quatuor cyathos capiant.

Cyprus menſuræ nomen apud Alcæum & Hipponactem, ejuſdem cujus medimnus capacitatis Heſichio auctorem. Epiphanius vero, Cyprus, inquit, apud Ponticos menſura eſt ſiccorumgerminum modii duo, qui ipſis dicitur eſſe chœnicum quinque, ut Cyprus ſit ſextariorum 50. magnus etenim modius eis eſt ſextariorum viginti quinque.

Cyzicenus ſtater viginti octo drachmas Atticas valebat, taxatur duobus aureis Ungaricis & tribus undecimis unius aurei. *Ongſar vier guldin.*

D.

Dactylus, digitus, minima menſurarum quibus intervalla metimur: ſpatium digiti lati ſive tranſverſi. *Ein zvverch finger.* Eſt etiam digitus quadratus in longitudine & latitudinem æqualis: & rotundus tribus quartis decimis ſuo quadrato minor, quia anguli deteruntur.

Digitalis, Plinio, Radix anchuſæ digitali craſſitudine. *Eines fingers dick.*

Dactylodochme, paleſte, doron, & dochme, palmus, conſtat quatuor digitis. *Ein zvverch hand.*

Dadix menſura eſt ſex chœnicum capax apud Pollucem.

Danaces nummus eſt barbarus, quem iſti in os mortuorum imponebant, ut pro vectura ſolvere poſſent Charonti, atque ſic nummum funebrem appellavit Callimachus & Plutarchus Ariſtophanes & Lucianus obolos mortuis datos fuiſſe dicunt: Juvenalis trientem.

Danicum nummum in magna Antiochia ſignatum fuiſſe Suidas auctor eſt, quo uſi ſunt ad conficiendas negotiationes exiguas.

Danich pondus Arabum, quod pondus à Græcis θέρμος, à Latinis lupinus dicitur, Arabes Cleopatram imitati ajunt pendere duas oboli tertias partes.

Darchimi apud Arabes & Darchemon apud Hebræos medicos, eſt Græca vox δραχμή, ab utriſque literarum immutatione corrupta.

Daricus, nummus aureus à Dario Perſarum rege percuſſus: hic enim cum cuperet tale monimentum ſui linquere, quale nullus rex reliquiſſet, ex auro, quod quàm fieri potuit puriſſimum excoxit, nummos percuſſit. Valebat autem Daricus quantum aureus Athenienſis, ut Harpocration annotat, drachmas duas Atticas pendens. Falſus itaque eſt Glareanus qui Darium nummum fuiſſe tetradrachmalem ſcribit: graviorique errore implicitus tenetur Budæus, qui octo drachmarum eſſe voluit, ſecutus eos qui ab Harpocratione erroris inſimulantur. Hadr. Junius. Agricola Daricum ſtaterem æſtimat duobus coronatis Francicis & ſeptem ejuſdem auri Frantici momentis. *Helt zvvo ſonnenkronen und ſiben eſz oder granli.*

Decemmodiæ vaſa ruſtica apud Columellam decem modiorum.

Decempeda, pertica, ἄκαινα inſtrumentum quo viarum & agrorum metatores apud Græcos & Romanos uſi ſunt, à numero pedum denominata: *Ein maaſzſtab oder ſtangen zehen ſchüch lang.*

Decempedator, metator.

Decoquere Cic. creditum non reddere, credito fraudare. *Auffrehen, ein friſchen tiſch machen.*

Decuſſis decem aſſes, denarius. *Halt zvven batzen, acht creutzer.*

Demenſum menſura ſtata quatuor frumenti modiorum, in ſingulos menſes ſervis appenſa vel admenſa, à metiendo nomen accepit Plauto Reſpondet autem demenſo Græce σιμητέτελον, quod in triginta dies datum fuiſſe militibus ſcribit Polybius. *Die vaacht.*

Denarius, nummus ita dictus quòd denos æris valebat hoc eſt decem aſſes, quapropter & decuſſe ſignabatur, ut Soſipater annotavit. Aliquando ſimpliciter nummus nominatur, ſicut & ſeſtertius, ut quinquageni nummi Plinio, id eſt 50. denarii: aliquando ad nummum adjicitur denarius ut verbum ambiguum diſtinguatur, Varro nummi denarii decuma, libella. Bello Punico denarius ſedecim aſſibus permutatus fuit: fuerunt autem decem aſſes pediti Romano diurnum ſtipendium: prætoriani milites duobus denariis merebant: Tacito authore, Plinius tamen in militari ſtipendio denarium pro decem aſſibus datum ſcribit. Denarius legitimus pendebat ſeptimam unciæ partem, drachmam Atticam & ſeptimam ejus partem, itaque etiam pretium ejus ſuperabat: veruntamen etiam apud veteres drachma & denarius idem ſignificare & tantundem valere dicuntur. *Ein halb ort, acht creützer.* Germani pedites gregarii qui plerunque menſtruum ſtipendium habent aureorum quatuor, ſimiliter ut Romani denarium ſeu decem aſſes in dies ſingulos merent: ſed à Gallis Helvetio pediti majora ſtipendia perſolvuntur, danarii ferè duo in ſingulos pedites diurnum ſtipendium, exceptis his qui plura ſtipendia merent, ut ſclopetarii, ſigniferi, & alii.

Denarius pondus denarii, drachma, ſeptima unciæ pars, nam in libra denarii 84. apud Romanos incurrunt:

ſunt: *Halt etvvas mer dann ein quintlin.*

Deunx unciæ undecim, *Einlif untz*, non tantùm de libra ſeu pondere, ſed de pede, jugero, hora, ſextario, &c. dicitur Martialis, Poto ego ſextantes, tu potas Cinna deunces. Deuncem nominat ſextarii cyathos undecim. *Ein vvenig minder dann ein halb-maaſz.*

Dextans unciæ decem, *Zehen untz, fünff ſechsteil eines dings.* Omni aſſe in duodecim partes diviſo, decem partes faciunt dextantem.

Diarium. Horat. diurnæ operæ pretium. *Taglon.*

Diaulus duo ſtadia: Stadium à veteribus dicebatur αὐλός, unde δίαυλος duo ſtadia: erit igitur diaulos 1200. pedum ſeu ducentorum quinquaginta paſſuum. *Zvveyhundert und fünfftzig ſchritt, oder zvvœlff hundert ſchüch.*

Didrachmum nummus argenteus qui pendit duas drachmas. Didrachmum Athenienſe quod haberet expreſſam bovis effigiem ab una parte, & ab altera Theſei, bos appellatum fuit. *Vierbatzen, ein ort eines guldins.* Didrachmi mentio fit in Evangelica Hiſtoria Matth. 17. pendebatur enim à ſingulis Judæis dimidium ſicli, hoc eſt didrachmum, quotannis ſanctuario: hanc penſionem templo ademptam Romani ſuis magiſtratibus ſolvi juſſerunt, idque tributum Chriſtus quoque eo loco ſolviſſe ſcribitur. Septuaginta ſiclum didrachmum transferunt Numerorum 3. cap. cum tamen ſiclus ſanctuarii, de quo illic ſcribit, quatuor drachmarum fuerit.

Digitus, menſura minima intervalli, quem latum aut tranſverſum intelligimus, hanc ex quatuor latis hordei granis conſtare dicunt: vide Dactilus. *Ein zvverch finger.*

Diobolus vel diobolum, Athenienſis nummus duorum obolorum, inſculptum habens hinc Iovis ſpeciem, illinc noctuam, unde à non nullis etiam γλαῦξ noctua fuit dictus. Cum autem drachma habuerit ſex obolos, colligitur pretium dioboli majus fuiſſe duobus cruciatis, duabus tertiis unius cruciati. *Etvvas mer dann ein Baſel plapart.* Agricola diobolum Atticum taxat *einliff Meiſznuch pfennig, ein heller und ein dritteil eines hellers.*

Diobolarias meretrices Pacuvi. & Plaut. Græcos imitati, appellant contempta & abjecta ſcorta.

Dochme ab accipiendo à Græcis appellata, eſt ea menſura quam Latini palmum nominant, conſtat autem quatuor digitis. Vide Dactylodochme. *Ein zvverchhand.*

Dodrans unciæ novem, *neün untzen.* Cæterum quia ſpithame Græcorum (quam quidam palmum majorem appellant) hoc eſt, intervallum inter pollicem & minimum digitum diductum, conſtat novem unciis pedis, ſeu palmis tribus, Latini σπιθαμήν dodrantem appellarunt. *Ein ſpann.* Cujuſcunque ſolidi tres quartæ partes dodrans etiam appellari poſſunt.

Dodrantalis herbula. *Ein kreütlin einer ſpaan hoch.*

Dolichus eſt duodecim ſtadiorum. *Anderthalbe Italianiſche meil, fünzehenhundert ſchritt.*

Donarium Macrob. proprie, quod in ſacrum uſum confertur, ἀνάθημα. *Birchen. gezierd, oder geſchenck.*

Donativum. Suet. quod ab exercitus imperatore militi confertur. *Eins herren geſchenck.*

Dorach Italicum apud Arabes idem eſt quod amphora Romana. *Ein omen.*

Doron Græcis idem quod dochme & dactylodochme & Paleſte, Latinis palmus: δῶρον autem Græci appellant palmum, quòd munerum datio Græce δῶρον appellatur: id autem ſemper geritur per manus palmum. *Ein zvverchhand.*

Dos à marito profecta φέρνη ἔδνον: ac προὶξ quæ ab uxore. *Morgengab, heimſteür.*

Dos profectitia Ulpiano, à parente virilis ſexus profecta.

Dos adventitia ab extraneo donata, vel ex ipſius mulieris bonis.

Drachma ponderis nomen eſt, cujus nomen & uſus in myſtopoliis manſit, octava unciæ pars. *Ein quint.*

Drachmæ nomen cùm ſolum ponitur, Attici nummum intelligunt drachmæ pondere, qui quantum valeat ipſum pondus indicat. *Ein quint ſilber.* Drachma tamen Ægynæa, quæ etiam Atticæ reſpectu παχεῖα craſſa dicebatur, plus pependit: nam cum Attica eſſet ſex obolorum, hæc decem obolos pependit. *Halt zü den 13. creützeren,* Attica vero *zvven batzen, acht creützer.*

Drachma in intervallis eſt pars octava, unciæ pediis verò nonageſima octava. *Der achte teilins zols.*

Dupondo, Fabio, & pondo dua Scribonio Largo. *Zvvey pfund.*

Duella, tertia pars unciæ, binæ ſextulæ: continet octo ſcriptula, ſive drachmas binas totidemque ſcriptula.

Dupondius vel Dipondius nummus æreus Romæ duarum librarum, duo enim aſſes quos pendebat olim liberales erant. Huic pretio reſpondet. *Ein doppel vierer.*

E.

Elephas menſuræ aut potius vaſis nomen, tres implebat congios.

Emere ab haſta, in auctione emere: nam ubi auctio fiebat, haſta olim de more erigebatur, tanquam præcipuum ſignum, ut Feſtus annotat: unde & haſta apud Ciceronem pro ipſa bonorum venditione ſive auctione ponitur: quod haſtarium dixit Tertullianus. *Offentlich kauffen, auff der gant kauffen.*

Epha aridorum menſura apud Hebræos decima pars Cori: capit tria ſata, apud Hebræos: apud Atticos medimno par eſt, quare etiam ſextarios ſeptuaginta duos recipit. *Ein ſchefel.*

Evangelium Cic. quod læta nuntianti datur. *Das bottren brot.*

Evib. idem quod Aberi apud Arabes, Sextarius.

Examen Virg. lingua ſive lingula, quæ in anſa huc atque illuc nutant, dum lancibus æquatis reſpondeat ſummo puncto. *Das züngle in der vvag.*

Extrat æs theatricum, quod ſpectaculorum gratia dabatur. *Gelt ſo man gibt etvvan ein ſpyl zü ſehen.*

F.

Fahaliel, & Falgerin medici Arabes & Mauri cochleare appellant. *Ein lœffele.*

Faſciculus Scribonio, manipulus Celſo. *Handvoll, hand büſchele.*

Finitor idem qui & decempedator, & metator.

Fiſcus principis ærarium, à fiſcis ſive fiſcellis, hoc eſt, ſportis quibus includi & aſportari pecunia publice principi debita ſolebat. *Eins Fürſten ſchatz.*

Fœnus, uſura, fructus è pecunia fœnori data collectus, quòd ad ſortem uſu accedat: fœnus vero quod fit accepti veluti fœtus. *Wücher.*

Funiculus, ſchœnos. Ægyptia menſura ſexaginta ſtadiorum, ita dicta D. Hieronymo auctore, quòd Aegyptii in Nilo flumine, ſive in ejus rivis ſolerent naves funibus trahere certa habentes ſpacia, quæ appellant funiculos, ut labori defeſſorum recentia trahentium colla ſuccedant. *Schœnos macht 7500. ſchritt, zvvo ringe teüſche meylen.*

Funi-

Funiculus inſtrumentum quo vinearum & agrorum metatores apud Perſas & Ægyptios uſi ſunt. Fuit autem Funiculus Ptolomæo ſive potius Marino triginta ſtadiorum, Ægyptiis ſexaginta.

G.

Gabenum menſura georgica, apud quam nationem in uſu fuerit non traditur, habuit autem eandem quam acetabulum capacitatem Heſichio.

Garme quod etiam Karmes dicunt Arabes, factum eſt transjectione & immutatione literarum ex Græco verbo, quod eſt gramma, & ſcrupulum ſignificat. *Ein ſcrupel.*

Gerah Hebræum pondus vigeſima ſicli pars, pendet obolum Atticum & quintam ejus partem, itaque Græci & Latini obolum vertunt. *Der fünfft teil eins quintlins, ein gran.* In re monetaria Gæra in noſtra moneta. *Ein doppelvierer.*

Gomor ſeptuaginta Interpretes appellarunt eam menſuram quam Hebræi Omer nominant, Joſephus Aſſaron alicubi tranſtulit decima pars Ephæ.

Gradus, ut Boetius inquit, eſt menſura duorum pedum & dimidii: ſed vetuſtiores hoc nomine pro menſura nuſquam utuntur, ſed illis progreſſum quendam ſignificat. *Ein ſchritt.*

Gramma Græcum pondus, drachmæ tertia pars Latinis ſcrupulum, vetuſtioribus Græcis diobolum. *Eins dritte l eins quintlins.*

Granum nominant quidam drachmæ partem ſeptuageſimam ſecundam.

H.

Haſtæ ſubjicere, Cic. ſub corona vendere ſuſtinio, ſub corona venire Cæſari, in propatulo vendere, haſtam in foro ponere, & bona voci ſubjicere præconis, auctionari. *Offentlich verganten und verkauffen.*

Hemina ex Græco ἡμίση, quod eſt dimidia pars ſextarii, cotyle Græcis, liquidorum & aridorum menſura, continet cyathos ſex: Georg. Agr. *Ein halber noſzel, item ein halbe maaſz:* apud nos *ein halb quertlin.*

Hinc menſura liquidorum apud Hebræos capit Logos duodecim, duos congios, ſive ſextarios duodecim. *Helt ſechs maaſz.*

Homer, Vide Omer.

Honorarium quod honoris ergò magiſtratui aut principi Reipublicæ nomine offertur, non tanquam debitum. *Vereerung, eerenſchemcke zu einem Fürſten oder Obeikeit.*

Honorarium etiam merces quæ medicis, Juriconſultis, aliiſque operam beneficii loco præſtantibus dabatur. *Eereſchenck, eerlicher lon.*

Hoſtorium, Plauto, & radius, lignum teres quo menſuræ æquantur. *Streichholtz, ſtreiche.*

Hydria apud Ponticos menſura eſt decem ſextariorum Alexandrinorum, Epiphanio auctore.

I.

Inium Ægyptiaca menſura: Sextarius.

Johein apud Arabes ſignificat Congium.

Iſagogicum quod pro rudimento donat diſcipulus, unde Iſagogicum dependere, Budæo, quod ferè conſonat cum illo Ciceronis, Rudimentum ponere, & rudimentum tyrocinij deponere, Juſtinus. *Das vvilkum gelt geben und bezalen, Denintroitningeben.*

Jugerum ruris modus, quem uno die juncti boves jugo uno exarare poſſunt, habetque duos quadratos actus: patet 120. pedes in longitudinem, dimidiumque in latitudinem. *Ein juchart, vvas ein par ochſen auff ein tag eren mag.*

Jugum ſcapus bilancis, de quo lances utrinque dependent.

K

Kasfuf Arabica menſura, quæ etiam aneeſuneſi barbaris hacſuneſi, & acſaſſe dicitur: acetabulum.

Keiliati, Arabicum, manat à Græco verbo, quod eſt κάλυξ: eſt autem ea menſura quam Græci vocant τέταρτον. Latini quartarium, quod quarta pars ſit ſextarij.

Kermet Arabicum pondus quod & Garme: Scrupulum γράμμα.

Keſtuf apud Arabes, idem eſt quod Græcis χαλκοῦς, Latinis æreolum: quod juxta ipſos duo hordei grana pendit.

Kirat imitatione Græci vocabuli κεράτιον, ſiliqua Eſt autem omnis Kirat Avicennæ quatuor grana hordei.

Kiſt apud Arabes ea menſura eſt, quam Romani ſextarium nominant. Eadem menſura Aben & Evib vel Enib & Aciat ab illis appellatur.

L

Lapis terminalis ſeu terminus quo olim non ſolum agrorum limites, ſed milliaria ſignabantur, inde legimus ad ſecundum, ad tertium, ad quartum lapidem: quo modo veteres etiam dixiſſe ad tertium cippum Valerius Probus auctor eſt: nam cippus lapidem terminalem & terminum ſignificat.

Lanx. *Wagſchüſslen.*

Lauria Livio, munera quæ legatis exterarum nationum dabantur. *Frœmbder botſchafft geſchenckt.*

Legativum Ulpiano, quod dabatur legato viatici & impenſæ nomine. *Zeergelt einer botſchafft.*

Lepton, Vide Minutia.

Lethec aridarum rerum menſura apud Hebræos, media pars cori, recipit ephas quinque.

Leuca Gallicum nomen: nam ut Ammianus Marcellinus ſcribit, Galli non mille paſſibus, ſed leucis itinera metiuntur, quæ menſura Gallica eſt mille quingentorum paſſuum, ut ex decimoſexto libro ejuſdem colligitur: hodie tamen duobus ferè millibus paſſuum à Gallis definitur, & nomen ſervat. *Ein Frantzöſiche meil oder* Leuca.

Libella nummulus argenteus denarii pars decima, valebatque aſſem qui erat libralis ex ære proinde as, libra & libella argenti Plauto Libella Cic. & aſſis, pro eodem accipiuntur. *Ein Baſel vierer.*

Libra inſtrumentum quo reſponderantur. *Ein vvag.*

Libra pondo. *Ein pfund.* Statuunt autem libram triplicem: mercalem ſive zygoſtaticam, qua negotiatores inſtitoreſque quinque merces appenſas venundant, utuntur, ſedecim unciarum: alteram Romanam duodenum unciarum, quæ Romanis olim uſitata & ſcriptoribus omnibus eſt decantatiſſima: & tertiam nummulariam dictam & octonariam, vulgò marcam, quæ Romanæ bes eſt.

Libra menſuralis μετρική. *Ein pfundmaaſz in der Apoteck.*

Libralis, Plinio Columellæ. *Eins pfunds ſchvvær.* Librale cornu Plinio. *Das ein pfund maaſz faſſet,* Libræ menſuralis capax.

Lichas Græcum menſuræ nomen Latino nomine caret, eſt intervallum inter pollicem & indicem, cum quam fieri poſſit maxime diſtenduntur, efficit vero digitos decem, ſeu palmos, duos & dimidium.

Ligula, & inſtrumentum eſt auriendi ſicut cochlearium, & certa menſura cochleare. Plinio etiam lingua nominatur. *Ein lœfele.*

Log vel Logus menſura Hebræa minima in liquidis & aridis, quam Hebræorum magiſtri tradunt ſex gallinæ ova continere: duodecima pars in liquidis, & in aridis quarta pars cabi: Sextarius. *Ein albe maaſz.*

Litrum Ennio, quod pro captivi corporis redemptura dependitur. *Rantzung.*

Maeotrum

M.

Mæotrum quod obſtetrici datur. *Der hebammen-lon.*

Maneh. Hebr. ponderis nomen, quod Græci Hebræos imitari μνᾶν, Latini minam vocant duarum librarum & dimidiæ: ſiclorum ſexaginta. Germanice *ein ſchock*, quod nomen 60. ſignificat.

Manes Arabicum mina, quæ illis duplex eſt, Romana unciarum viginti, & Alicarica, Balaria, & Ægyptia unciarum 16.

Mantiſſa Lucilio, additamentum Cic. auctarium Plin. corollarium, acceſſio Cic. *Zugab, zůmaſz, übermaſz.*

Marcam hodie nominant argentarii & monetales libram ſuam unciarum octo, quæ zygoſtaticæ ſemis eſt, Romanæ verò bes: ideoque Marca bes argentarius Latinè nominari poteſt.

Medimnus, Attica aridorum menſura, continet 48. Chœnicas, modios Romanos ſex.

Meneroth vaſculi nomen apud Hebræos, quod Epiphanius tradidit eſſe menſuram cyathi.

Menytrum quod indici & exploratori datur. *Geleits lon.*

Menſura, metrum Victorino, *maaſz*: ſunt autem menſuræ duplices: alteræ quibus moles rerum liquidarum aridarumque metimur: alteræ quibus longitudinem, latitudinem, altitudinem corporum ſive intervalla.

Menſtruum Ulpiano, pro ſtipendio militis in menſem. *Ein monat ſold.*

Menſtruum etiam Ciceroni & Livio, cibarium in menſem. *Fürſehung der proviandt für ein monat.*

Merces Cic. conductionis locationiſque præmium, aut pro opera. *Lon, lidlon, taglon.*

Meſtarum aut Muſtarum Arabibus menſura Græca myſtrum.

Metretes, Amphora Attica, Cadus, liquidorum menſura maxima apud Atticos, capit Choas duodecim, ſextarios 72. *Halt adertbalben omen ongefaar vvie ein lagelen.* Cum igitur in nuptiis in Cana cum ex aqua Chriſtus vinum fecit, ſex hydræ ſingulæ binas aut ternas metretas ceperint; Chriſtum intelligimus ſuppeditaſſe magnam vini copiam: quæ res pertinet ad miraculi magnitudinem & dignitatem.

Metrum bioticum, Victorinus vocat, quod in vitæ uſu taxatur. Quatuor autem modis accipitur, per ſpatium longitudinis, ut cubitale: ſecundo per examen ponderum, ut librale: tertio per qualitatem acervalem, ut in modio: quarto per humidam & fluxam qualitatem, ut cyatho, congio.

Milliare & milliarium, mille paſſus octo continet ſtadia: lapis etiam ita accipitur, & cippus Valerio Probo: quia milliaria olim lapidibus & cippis ſignabantur, cujus rei documentum adhuc extat in Veneta ditione. *Ein meil tuſent ſchritt lang.*

Mina Attica erat quaſi libra Attica, fuit autem mina Attica quatuor drachmis gravior Romana libra: ſed ut drachmam Atticam denarium Latini tranſtulere, quamvis ſeptima parte denarius gravior fuerit, ita etiam minam libram transferunt. Cæterum in re nummaria mina quia centum drachmas pendit, à Budæo æſtimatur decem coronatis Gallicis qui bilibres ſint Francica æſtimatione, id ad noſtræ monetæ rationem facit duodecim aureos & ſemiſſem. *Zvvölff guldin und ein halben, den fl. für 64. creützer gerechnet.*

Minerval quod præceptori pro inſtitutione numeratur: à Minerva artium præſide. *Leer gelt, ſchül gelt.*

Minutia vel minutum λεπτὸν ſeptima æreoli pars cum in ponderibus tum in re nummaria: apud nos nummulum qui huic reſpondeat non habemus. *Iſt minder dann ein vier teil eines hallers.* Marci 12. Vidua pauper miſit in gazophylacium minuta duo, quod eſt quadrans Evangeliſta interprete. Quare neceſſe eſt alia fuiſſe Hebræorum minuta, ſi numerus non ſit corruptus, nam aliâs quadrans Romanus valet 6. minuta & præterea tres decimas unius minuti partes. Quidam transferunt minutum ſeu lepton. *Ein ſcherfflin, ein myt* inde *Nit ein myt*, renuendi formula.

Miſſilia in Digeſtis donaria quæ in vulgus promiſcuè ſpargit princeps aut magiſtratus. *Herren gaaben und gelt ſo man under das volck vvirfft.*

Miſſochaus idem quod ἡμεχὺς, medius congius. Arab.

Modiolus menſuræ genus apud Plautum, cujus capacitas ignoratur, Quia ei promiſi modiolum vini dare. Celſus in diverſa ſignificatione χοινίκιον modiolum tranſtulit. Eſt & vaſis nomen ſitula. *Ein eimer.*

Modius aridorum menſura maxima apud Romanos, continet ſextarios ſedecim Agricolæ. *Ein ſechzehenteil eines ſchöffels.* Nobis *ein vierteil.*

Modialis Plauto, Aula modialis, quæ modii habet menſuram.

Momentum στιγμὴ media pars minuti. In rationibus monetariorum momentum. *Ein eſz oder ein granlin.*

Momentum? *Auſz zug im gevvicht.*

Moneta à monendo dicta, nummus, numus, numiſma, pecunia à pecore quæſito nomine. *Müntz, gelt.*

Moneta proba. *Güte müntz, güt gelt.*

Moneta adulterina, improba. *Falſche und böſe müntz, verrüffte müntz.*

Moneta accila, aroſa. *Beſchnittner pfennig.*

Monetaria officina. *Die müntz.*

Muſtarum, Arab. myſtrum.

Munus, munuſculum, donum. *Gaab, ſchencke.*

Myſtrum Attica menſura duplex fuit, majus rei ruſticæ ſcriptoribus in uſu, decima ſexta pars cotyles, minus medicum viceſima ſecunda pars cotyles. Eſt autem myſtrum appellatum ἀπὸ τῆ μυὸς: μῦς vero conchilii genus eſt Ariſtoteli.

N.

Naulum Juvenali quod pro vectura & trajectu ſolvitur. *Fürlon, ſchifflon.*

Hebel Hebraicum verbum eſt & ſignificat utrem, Epiphanius menſuram facit ſextariorum centum quinquaginta.

Nomen quod nos debemus, aut quod nobis debetur.

Nomina impeta. *Vervvorne ſchulden, alte und verlegne ſchulden.*

Nomen diſſolvere Cic. *Schuld abzalen.*

Nomina facere Cic. obligare ſe debitorem cautionibus: ita enim nomen accipitur pro debitoris obligatione, in Digeſtis. *Sich in ſchulden ſtecken.*

Nomina exigere. *Schulden erforderen oder eynziehen.*

Nonuſſis novem aſſes.

Numiſma Horat. νόμισμα, nummus ita nominatus tanquam legitimum quiddam, & ut Ariſtoteles ſcribit, quod non natura ſed lege factus ſit. *Müntz, gelt.*

Nummus idem.

Nummus aſper Suetonio, recenter & notis ſuis affabre expreſſus atque percuſſus. *Erſt oder neüvvgeſchlagner pfening.*

Nummum percutere, ſignare, monetam cudere vel argentum, Terent. ferire pecuniam Plinio. *Müntzen, müntz oder gelt ſchlagen.*

Nummum commovere Cic. pecuniam à menſariis accipere fœnori. *Gelt aufnemmen.*

Nummum commutare. *Gelt vvechſzlen.*

Nummaria teſſera, ſcheda qua exhibitæ pecuniæ repræſentantur. *Wechſelbrieff.*

Nummaria difficultas Cic. argentaria inopia. *Mangel an gelt.*

Nummariam rem conſtituere. *Ordnung vom gelt aufbungen.*

Nummus aureus, qui & ſolidus, & aureus ſtater, viginti quinque denarios valebat, ſive ſeſtertios centum, taxatur Roſato quem Anglia dat, tribus aureis Rhenenſibus & præterea drachma.

Nummus Daricus, Vide Daricus.

Nummi puri aurei vel argentei. *Die von lauterem gold oder ſilber one zůſatz gemüntzt ſind.*

Nummus aliquando abſolute pro denario, aliquando vero pro ſeſtertio ponitur.

O.

Oblatio legitimæ penſitationis genus, quod Latina voce ſubſidia vocamus. *Gult ſo man der oberkeit gibt.*

Obolus & ponderis & nummi nomen, ſexta drachmæ pars. *Der ſechſzt teil eins quintlins.* Obolo Attico in noſtra moneta ſimilis fere eſt noſter as: *Ein Zvvychſchilling, thůt an derthalber creützer:* redundat tamen in drachma cruciatus unus Philippus obolum quinque Myſorum nummulis æſtima., *Fünff Meiſznich pfennig.*

Oephin menſura Ægyptia eſt quatuor Chœnicum apud Heſichium.

Ologinat Arabibus drachma, ὁλκή.

Olvatium Antiſtius Labeo ait eſſe menſuræ genus, apud Feſtum Pompeium: qui tamen ejus modum non exponit.

Omer Hebræa menſura qua ſæpius ſacræ literæ utuntur, decima pars Ephæ, capit Cabos duos, ſextarios Atticos ſeptem & quintam ſextarii partem. *Ongeſaar ein halb vierteil.*

Onoloſſat Arab. obolus.

Orgya Gr. Latine paſſus (quamvis paſſus Orgya contractior ſit) ſignificat extenſionem ambarum manuum, ut & pectus una cum eis metiaris, eſt autem quatuor cubitorum ſive pedum ſex. *Ein klaffter.*

Orthodoron Gr. palmus rectus, intervallum inter primam palmæ partem, καρπὸν Græci nominant, & ſupremam medii digiti, efficit autem digitos undecim.

Oxybaphon ita primo dictum vaſculum ad infuſionem aceti, ut in id intingerent cibum ſumentes, paratum: deinde menſura hoc nomine dicta, Latine Acetabulum, capit ſeſquicyathum.

P.

Paleſte, vide dochme & dactylodochme.

Palmicubitum, ſeptem palmorum menſura: Hebræi qui duplex cubitum habent, alterum cubitum & palmum nominant: quod nos palmi cubitum nominamus, hoc D. Hieronymus perfectum cubitum appellat. Gellius cum ſcribit ſeptem cubita facere 12. pedes & quadrantem, de palmi cubito loquitur. Regium cubitum apud Herodotum, digito uno minus eſt: & de hoc cubito Gellium loqui arbitrantur, qui apud eum legunt Pedes XI. S. & quadrantem.

Palmi pes ex palmo & pede componitur, eſt digitorum viginti.

Palmipedalis Columellæ, cui menſura eſt palmi & pedis.

Palmus quatuor digitorum eſt. *Ein zvverch hend.*

Palmarius Colum. palmi menſura. Per ſpacia palmaria ſerere, & inter palmaria ſpacia deponere. *Ein zvverch handvveyt von einanderen ſayen oder ſetzen.*

Paraſanga, menſura eſt Perſica triginta ſtadiorum. *Drey tauſent ſibenhundert und fünfftzig ſchrit, Ein Perſiſche meil, ein lange tütſche meil, 250. ſchrit mid dan ein gmeine meil.*

Paſſus, ex paſſis, hoc eſt diductis manibus nomen hoc duxit, habet pedes quinque: *Ein ſchritt:* multi tamen noſtrorum per noſtrum paſſum *ein ſchritt*, pedes duos & ſemiſſem intelligunt, quod gradum quidam vocant.

Pecunia à nota pecudum, qua Servius Tullius Romæ æs ſignavit, eſt appellata Plinio: à pecu Varroni: cum apud antiquos opes & patrimonia ex his præcipuè conſtituerint. Pecuniæ enim ſignificatio ad ea refertur quæ in patrimonio ſunt. *Farend und ligend hab und gůt.*

Pecunia otioſa Plin. quæ non occupatur & exercetur, nec in nomina aut prædiorum emptionem collocatur. *Gelt das vveder in kauffman ſchatz noch auff gevvün auſz geben oder an gelegt vvirt, müſſig gelt.*

Pecunia Calendario deſtinata, in Calendarium converſa Dig. quæ faciendis nominibus occupata eſt: inde origine petita, quod Calendis menſium ferè pecunia fœnori daretur. *Gelt ſo man auff gvvün auſz gibt.*

Pecunia attributa Aſconio, quæ adnumerari quæſtori ſolebat à tribunis ærariis in ſtipendium militi: aſſignationes ſunt qui vulgò vocari putent. *Zügeſtelt gelt.*

Pecunia ærosa, Cod. cui plurima æris portio eſt. *Küpferig, oder küpferin gelt.*

Pecunia numerata Cic. argentum præſentarium Plauto. *Bargelt.*

Pecuniam occupare Cic. exercere, & nominibus collocare pecuniam. *Sein gelt laſſen gvvunnen.*

Pecunioſus Varro.

Peculium quicquid labore noſtro partum & repoſitum nobis eſt. *Warbgůt, ervvorben gůt, gevvunnen gůt.*

Peculium Juriſconſulti eſſe volunt eorum, qui in aliena ſunt poteſtate. Huc ſpectant illæ loquendi formulæ. In orci peculio numerari, hoc eſt pro mortuo haberi: & Cupidinis peculio adnumerari, pro amoris vinculis captum teneri.

Peculium profectitium, quod vivens pater filio permittit. *Galt ſo der vatter in ſeim laben dem ſon überlaſzt.*

Peculium adventitium, quod alius alii concedit exercendum. *Galt das man einem gibt darmit ervvas zů handlen.*

Peculium caſtrenſe, quod in militia acquiſitum eſt, aut degenti militiæ donatur. *Kriegs gůt.*

Pes, quatuor eſt palmorum ſive digitorum ſedecim, dividiturque in duodecim uncias, ita ut duodecima pars pedis vocetur uncia: pollicem dici auctor eſt Frontinus. Porrò pes Græcus & Paſſus, Romanis ſunt longiores, pes quidem ſemuncia, paſſus pede uno & quadrante.

Pes porrectus, eſt juſta pedis menſura. *Stehender füſz, ein vverch ſchůch lang.*

Pes contractus, longus & latus ſemipede. *Ein yngezogner füſz, oder ſchůch.*

Pes quadratus, longus & latus pede. *Füſz in quadrant.*

Pedalis, Plinio Colum. Pedali intervallo. *Eins ſchůchs vveyt von ein anderen.* Pedali menſura. *Eins ſchůchs lang.*

Peda-

Pedaneus Colum. Pedenea ſcrobs. *Ein grüben eins ſchüchs tieff.*

Pertica, Vide Decempeda.

Plethrum, Græcum, Latino nomine caret, intervallum eſt pedum centum. Alii ſcribunt Plethrum eſſe menſuram terræ habentem cubita ſex & ſexaginta tot quidem habet cubita, præterea pedem unum.

Pondo, ſi ſolùm ponitur, idem quod libra ſignificat. *Ein pfund.* ſin alteri vocabulo ponderis adjicitur, id quod Græci ςαθμῷ vel ὁλκῇ id eſt pondere: ſic ſcribitur pondo uncia. *Ein untz ſchvvær*, ad differentiam unciæ menſuralis. Pondo denarii unius, &c.

Portorium. Cic. quod portitori in portu ſolvitur pro importatis aut exportatis mercibus. *Zoll.*

Pugillus. *Ein hand voll.*

Punctum unciæ pedis pars ducenteſima octogeſima octava.

Putare rationes. Cic. Plaut. pro puram putamque & abſolutam rationem conficere. *Die rechnung läuteren und klar machen.*

Pygme, Gr. cubitum decurtatum minus, digitis ſex brevior quàm πῆχυς cubitum: definitur eſſe menſura à cubito ad digitos concluſos.

Pygon cubitus decurtatus, major vel palmipes, menſura à cubito uſque ad extremam manus partem cum digiti inflexi fuerint: digitis ferè quatuor brevior cubito.

Q.

Quadrans nummus æreus antea triuncis vocatus à tribus unciis, teruncius Ciceroni: hujus nota fuit ex altera parte Ianus geminus, ex altera ratis: aſſis pars quarta, unde & nomen accepit: denarii verò pars quadrageſima. *Gilt als vil als ein Baſzler helbling, zevvn alt angſter,* *ein* quatrin. *Etſch vierer.*

Quadrans præterea eſt, cujuſvis aſſis ſeu ſolidi pars quarta. Pigmæi non ſunt longiores Plinio, quàm pedes duos quadrantem. *Zuven ſchùch und drey zol.*

Quadrans pedis & palmus eàdem menſura ſunt: ſed in hoc reputamus digitos, in illo uncias.

Quadrantali craſſitudine. Plinio. *Drey zol dick.*

Quadrantaria, vile ſcortum quod quadrante ſe conduci patitur.

Quadrantarius. *Ein hanrein, ein hellerman, oder hellerhôre.*

Quadrantal vocabant antiqui quam ex Græco amphoram dicunt, quod vas pedis quadrati octo & quadraginta capit ſextarios. *Ein omen.*

Quadrigatus, nummus ſignatus quadriga.

Quadrilibris. Plaut. *Vier pfund ſchvvar.*

Quartarius, quarta ſextarii pars, cyathi tres, Gratiarum poculum. *Ein bacherle voll.* Manlio cum Gallos Capitolio dejeciſſet univerſi milites ſelibras farris & quartarios vini ad ædes ejus quæ in arce erant contulerunt. Liv.

Quinarius nummus qui & victoriatus à nota victoria, dimidium denarii ſeu drachmæ, triobulus Atticus. *Ein batz.*

Quincunx. *Fünff untzen oder fünff zôl.*

Quincuncialis, herba quincuncialis Plinio. *Ein kraut fünff zôl hoch.*

R.

Raſta verbum caſtrenſe Germanorum: olim, ſi D. Hieronymo credimus, certum viæ ſpacium univerſæ ſignificabat Germaniæ, quod nunc milliare Latino vocabulo appellamus, cum efficiat quatuor millia paſſuum, atque ita duobus ſtadiis ſuperet Paraſangam Perſicam. *Ein gemeine Teutſche meyl.* Hodie etiam milites Germani cum aliquo itinere perfecto humi ſtrati conquieſcunt, ut ex laſſitudine recreati, mox rurſus ita facere poſſint, raſtam nominant.

Repræſentare Cic. ante diem ſolvere, vel præſentem pecuniam ſolvere nulla interpoſita mora. *Bargelt dargeben oder legen.*

Reparare Horat nummis è mercium venditione conflatis aliud quid emere. *Etvvas anders an die ſtatt kauffen.*

Rhytum Mart. ῥυτὸν Athen. duos capiebat congios.

Rotulus libra menſuralis apud Arabes medicos, aut potius eorum interpretes Rotuli nomine pro libra hodie utuntur incolæ Aſiæ minoris, Syri, Ægyptii, Afri, Mauri, ac plures alii.

S.

Sabitha Syum eſt verbum, quod interpretatum ſignificat vas, quo de lacu tortulis haurimus: apud Aſcalonitas eſt ſextariorum duorum & viginti.

Sacoma Vitr. quod lanci trutinæ appenſum aut adjunctum æqualitatem ponderis conciliat. Hinc aurum ad ſacoma appendere. *Vol kommen gevvicht golds gaben.* Æquilibrium facere.

Sacros unciam dicunt Arabes.

Satum Hebræa menſura proximè ad modium accedit, continet cabos ſex ſextarios quatuor & viginti.

Schœnos Herodoto Ægyptia menſura ſexaginta ſtadiorum. Vide Funiculus.

Scorteus nummus D. Hieronymo ex corio confectus. Hujuſmodi nummos ſignavit Fridericus ſecundus cum in Italia bellum gereret & eum pecuniæ deficerent, quorum ſinguli valebant aureo nummo: eos poſteaquam pecuniam confeciſſet, illum cum aureis commutaſſe annales tradunt.

Scripulum quarta & vigeſima unciæ pars, ſcriptulum Varroni. *Dritt teil eines quintlius, Scrupel.*

Scrupulus lapillum aſperum ſignificatâ ſcrupo, quo nomine quidam perperam pro ſcripulo utuntur.

Selibra Livio. *Ein halb pfund.*

Sembella nummulus, libellæ ſemis, & denarii pars viceſima. *Ein Baſzler rappen.*

Semycotylium quod Latini quartarium appellarunt, tres cyathos capit.

Semyciprum menſura apud Hipponactem, quæ juxta Heſychium dimidium eſt medimni.

Semiobolus pendit ſiliquam unam & dimidiam, æreolos tres. *Imm gvvicht thüts den zvvôlfften teil eines quintlins, In der müntz ein drittel mer dann drey helblig, zvven Coſtentzer pfennig.*

Semipes Catoni. *Ein halber ſchüch.*

Semipedalis Colum. Aſſerculos inter ſe diſtantes ſemipedalibus ſpatiis. *Eines halben ſchüchs veyte von ein anderen.*

Semis æreus nummus dimidium eſt aſſis.

Semiſſis homo Cic. pro contempto & abjecto.

Semodius dictus à ſemis & modius quaſi ſemimodius, capit autem ſextarios octo.

Semodialis Cato, placenta ſemodialis.

Semuncia. *Ein lot.* Eſt etiam ſemuncia menſuralis ſicut & libra.

Septunx. *Siben untzen.* Martialis Septunce multo deinde perditus ſtertit. Septunx, ſeptem cyathi.

Seſquimodius.

Seſcuncia, ſeſquiuncia. *Anderthalb lot.*

Seſquipes. *Anderthalb ſchüch.*

Seſtertius nummus quaſi ſemis tertius, valebat æris libras duas & dimidiam, hoc eſt quartam denarii partem. *Zvven creützer.*

Seſtertium cum nomine numerali eodem caſu, numero, genere congruens, tum numerus non alius ſignificatur quàm profertur. Cic. Duo denos ſeſtertios exegiſti, id eſt, ut idè interpretatur ternos denarios, hi enim

enim efficiunt duodecim ſeſtertios. Si verò duo nomina ſeſtertius & numerale iiſdem caſibus non efferuntur, ſed illud genitivo plurali, hoc quod item plurale eſt & generis neutrius, quovis alio caſu, atque non ſequitur mille quod à nomine numerali nunquam diſſentit caſu, ſemper intelligitur, ut Salv. præmium ſervo libertatem & ſeſtertium centum, id eſt centum millia ſeſtertium Plinius. Solum foro extruendo. H. S. mille ducentis Cæſar dictator emit, id eſt ſeſtertium mille ducentis millibus. Si adverbium numerale jungitur cum ſeſtertiis ſignificat centena millia, ut Decies ſeſtertium, hoc eſt decies centena millia ſeſtertium.

Sextans duæ unciæ aſſis cujuſvis. *Zvvo untzen, ein ſechſzter teil.*

Sextarius liquidorum & aridorum menſura, capit heminas duas, cyathos duodecim: ſextarius appellatus, quòd ſit ſexta pars congii.

Sextarium in liquidis Glareanus æſtimat media menſura Briſgoica, Agricola. *Ein nöſſel*, & in aridis. *Ein maaſz.*

Sextula nummus æreus, Varroni æris minima pars, ſexta pars unciæ: pondus ſextulæ, Pharmacopolæ quatuor ſcrupulos nominant.

Siclus & ponderis & nummi nomen apud Hebræos: pendit autem ſiclus geras viginti Hebræis, hoc eſt ſemunciam ſeu drachmas quatuor, juxta Joſephum. Epiphanius verò ſecutus ſeptuaginta interpretes Siclum facit δίδραχμον & quadrantem nominat quaſi unciæ quartam partem improprie. Hebræorum Magiſtri duos tradunt ſiclos, ſanctuarii ſemuncialem, & profanum qui ſubduplus ſit priori duarum ſcilicet drachmarum. Ex pondere nota eſt ſicli æſtimatio, ſi ex puro argento fuerit. *Ein lot ſilber*, plerumque tamen drachmæ ratione medio floreno: *Umb ein halben güldin*, æſtimatur.

Siglus nummus Sardianus & Perſicus, valebat obolos Atticos ſeptem & dimidium Xenophonti. Heſychius ſemi obolo majorem facit. Differt à ſiclo Hebræorum, qui pendebat 24. obolos.

Sicilicus quarta pars unciæ. *Ein halb lot.* Et in menſuris Gæodeticis ſimiliter ſicilicus quarta pars eſt unciæ. *Ein vierteil eins zols.*

Siliqua κεράτιον, drachmæ pars decima octava, quam quatuor grana lentis pendere dicunt. Monetariorum pondus gren quidam ſiliquas interpretantur.

Solidos nominat Juſtinianus aureos nummos, quorum ſinguli penderent ſextulam, ſic ut è libra duo & ſeptuaginta ſignarentur. Dicti ſolidi reſpectu ſemiſſum & tremiſſum, qui ex dimidia & tertia horum parte conſtabat. *Halt ongfar ein ort und zvven guldin.* Fuere etiam alii ex auro ſolidi graviores.

Sors, caput, ſumma, principalis ſumma. *Hadpt ſumm, hauptgüt, die gantz ſumm.*

Sors nautica Modeſtino, vel trajectitia, quòd trans mare vehatur: quod pro itu redituque in profectione perſolvitur. *Fürlon, ſchiflon, feergelt: oder das auff die ſchiffart auſzgelihen vvirt.*

Soſtrum quod medico datur pro curatione & reſtituta valetudine. *Artzetlon, meiſtergelt.*

Spithame Gr. Latinis dodrans, intervallum quantum eſt digitis extenſis inter minimum digitum & pollicem, nempe trium palmorum. *Ein ſpaun.*

Sportula apud Juriſconſultos, pecunia ab actore & reo communiter depoſita conſtituendi judicii gratia.

Sportula Suet. Mart. pro cibo aut donario quod in clientes & ſalvatores erogabatur.

Stadium menſura qua Græci locorum intervalla ſolent explicare, ut Latini paſſu, ſpacium eſt in ſexcentos pedes porrectum, ſive centum viginti quinque paſſuum. *Ein rennvveg, roſſzlauff, hundert fünff und zvventzig ſchrit.*

Stagium idem eſt quòd ſextula ἑξάγιον. *Der ſechſzt teil einer untz.*

Stater pondus drachmarum quatuor: nummus etiam argenteus ejuſdem ponderis, qualis fuit quoque Hebræorum ſiclus. *Ein halber gulden.* Fuerunt etiam ſtateres aurei, duarum drachmarum, ut ſcribit Pollux.

Stips Plinio, ſtipendium Ulpiano, æs militare Aſcanio, æs peculium caſtrenſe Pompon. quod militi pro opera mercenaria ſolvitur: militare ſtipendium, teſte Plinio, erat denarius in dies ſingulos. *Sold, kriegs ſold.*

Stips collatitia Marcellino, quæ in pauperum uſus erogatur. *Allmüſen.*

Strena Symmacho, munuſculum quod in anni auſpicio donatur. Strenæ autem primum fuerunt inſtitutæ à Tatio rege, acceptis è luco Streniæ deæ verbenis, novi anni auſpicibus. *Das güt jar, ein neüvves jar.*

Summam cavere alicui, Scevola. *Einen verſicheren, oder einem verſicherung geben umb die gantz ſumm.*

Superpondium, quoddam quaſi auctarium, quod ſuper pondus apponitur. *Ubergvvicht, auſz zug.*

T.

Talentum, inter pondera eſt multiplex, apud Vitruvium libro 10. eſt talentum pondo centum viginti librarum. Habet etiam Heſychius diverſa talenta, unum librarum centum: alterum librarum centum vigintiquinque: tertium centum ſexaginta quinque: quartum quadringentarum, & poſtremum mille centum quinquaginta duarum. Talentum poſſumus reddere, *Centner*, qui etſi à centum pondo nomen habet, tamen admodum varia quoque ſunt & diverſis ponderis centenaria.

Talentum Atticum minus ſexaginta minarum, *thüt* 750. *fl.* majus octoginta minarum, *thüt* 1000. *fl.*

Talentum Ægineum, 10000 drachmarum Atticarum 6000. Æginearum: etenim decem drachmæ Atticæ valebant ſex drachmas Ægineas, *thüt* 1250. *fl.*

Euboicum fuit quadraginta minarum, drachmarum 4000. *haſt.* 500. *fl.*

Talentum Hebræorum, ſanctuarii drachmarum 12000. ſiclorum 3000. librarum 120. & aliud talentum congregationis, quòd 2. Sam. 14. regium nominatur, ut quidam arbitrantur, media pars ſuperioris 6000. drachmas pendebat. Quidam talentum regium modo loco ſtatuunt. 9000. drachmarum.

Rhodium fuit 4500. drachmarum, facit 562. & dimidium *fl.*

Siculum vetus minarum 24. *das iſt*, 300. *fl.* novum 12. minarum 150. *fl.*

Ægyptium talentum pendit pondo octoginta.

Babylonium fuit 7000. drachmarum Atticarum, *thür.* 875. *fl.*

Syrium mille & quingentarum drachmarum 187. & dimidium *fl.*

Talenta quædam magis ex conſuetudine Græcorum, quàm ponderis ratione denominata ſunt, ſic tres aurei Attici dicti ſunt auri talentum Polluci: eodem modo Feſtus ſcribit Alexandrinum talentum eſſe duodecim denarium: Neapolitanum, ſex denarium: Syracuſanum, trium denarium: Rheginum, victoriati.

Tertiarius, τεταρτεύς, tertia pars medimni Attici, capit Chœnicas ſedecim.

Teruntius minimus numulus argenteus Romanorum, denarii pars quadrageſima. *Ein Baſzler helbling.*

Tetra-

Tetradrachmum, & tetrachmum nummus argenteus quatuor drachmarum, qui & ſtater: talis fuit Hebræorum ſiclus. *Ein halber guldin, oder halber taler.*

Tetraſtater, Cyrenenſis aureus, communi aureorum temperatura æſtimatur ſeptem aureis Ungaricis, & ſeptem undecimis unius aurei.

Tetrobolum, cujus nota apud Athenienſes erat Jovis ſimulachrum cum duabus ab adverſa parte noctuis. *Fünff creützer, und drithalben creützer.*

Thepah Hebræis ea eſt menſura quam Græci παλαιστὴν, Latini palmum ſolent vocare.

Topin menſura decem Chœnicum apud Heſychium, qui tamen nationem quæ hanc menſuram uſurpaverit non profert nominatim.

Trepondo Fabio. *Drü pfund ſchvvær.*

Treſſis nummus tribus aſſibus æſtimatus. *Ein Baſel plapart.*

Treſſis agaſo Perſio, pro contempto & abjecto.

Tributum Cic. Ulp. pecunia populo imperata, quæ à ſingulis tributim pro cenſus portione colligebatur. *Steür, ſteürgelt.*

Tridrachmum nummus argenteus trium drachmarum. *Ein frantzôſiſcher dick pfennig.*

Triens nummulus æreus, tertia pars aſſis. Et triens libræ. *Vier Untzen.* Triens pedis. *Vier zol.*

Triobolum nummus argenteus qui pendit dimidiam drachmam. *Ein batz.* Hinc homo trioboli Plauto.

Triuncis nummus æreus à tribus unciis quas pendebat dictus, qui poſtea quadrans appellatus eſt.

Trutina Vitruv. ſtatera Cic. qua centenaria appenduntur. *Schüſſelvvag.*

Trutina Campana. *Ein ſchnellvvag.*

Trutina momentana, vel monetaria. *Goldvvag.*

Triblium idem quod oxybaphum in Georgicis menſuris, in medicis autem majus oxybapho, idem quod cotyle, & ita frequentius triblium pro cotyle media ſextarii parte accipitur, Hemina Latinis.

Trytodoche, theca bilancis. *Goldvvag tæfelin.*

V.

Vectigal Dig. propriè portorium quod in itinere præſtari ſolet. *Zol.*

Vectigal Cic. proventus annuus, reditus. Portorium pro eodem Plinius extulit. *Rennt, jærlichs eynkommen.*

Verſuram facere Cic. verſuram ſolvere Teren. Aes alienum ex ære alieno ſolvere. *An einem ortlôſchen und am anderen anzunden.*

Verſuram facere etiam eſt, cum quis pecuniam minore acceptam fœnore majore occupat. *Mit gælt auff* intereſſe *auffgenommen, vvücheren.*

Victoriatus Plin. nummus ſignatus victoria, quinarius, triobolus, ſemidrachma. *Ein batz.*

Vivum Latini ſortem vocare ſolent, quòd vel fœnus vel lucrum ex ſeſe pariat. *Das hauptgüt.*

Ulna quàm Græci ὠλένων appellant & cubitus eadem eſt menſura, Polluci & Suetonio dicta ἀπὸ τῶν ὠλένων, à brachiis. *Ein eln.* Alii Ulnam volunt eſſe Græcorum ὀργυίαν quæ eſt quatuor cubitorum: Plinius enim illud Herodoti de pyramide, τεσσαρακοντόργυιος vertit, quadragenarum ulnarum. *Ein klaffter.*

Uncia duodecima pars aſſis. *Ein untz.* Eſt autem alia menſuralis, alia ponderalis. Uncia pedis. *Ein zol.*

Uncialis. Literæ unciales. *Groſſe büchſtaben die eines zols groſz oder hoch ſind.*

Urna Romana menſura, media pars amphoræ ſeu quadrantalis, capit quatuor & viginti ſextarios. *Balt zvvôlff maaſz.*

Urnale Plinio, vas urnæ capax.

Uſura eſt fructus, qui ex pecunia quæ alicui data eſt fœnori percipitur: ita dicta, ut Varro ſcribit, quòd ad ſortem uſu accedat. *Wücher.*

Uſura diurna, quæ ſingulis diebus ducitur aut penditur: ita hodie Judæi fœnerantur Chriſtianis etiam poſtquam pignora dederunt. *Daman alle tag den zinſz oder vvücher ſo er nit erlegt vvirt zum haupt güt ſchlacht, Juden-vvücher.*

Uſura menſtrua, quæ ſingulis menſibus ducitur. *Do man alle monat den zinſz rechnet oder forderet.*

Uſura annua, quæ hodie maximè in uſu eſt, & anno abſoluto penditur. *Zinſz oder vvücher vom jar.*

Uſura nautica non tam tempus habet definitum, quàm locum in quo penditur, hæc & trajectitia nominatur, ac duplex eſt: aut enim perſolvitur eò loco ad quem navigatur, aut cum quis redierit eò unde navigarat.

Uſura centeſima, cum quis menſtruo tempore centeſimam partem perſolvit. *Alle monat vom hundert eins.* Annua centeſima. *Vom hundert zvvôlff.* Centeſima uſura eſt inſtar aſſis, cujus ratione reliquæ uſuræ cenſentur.

Beſſis uſura. *Von hundert acht guldin ein jar.*

Semiſſis uſura à Plinio civilis & modica vocatur, & à Juſtiniano permiſſa eſt omnibus hominibus, exceptis illuſtribus perſonis: talem uſuram hodie pendunt Boemi. *Vom hundert ſechſz.*

Quincuncis hodie in uſu eſt Germanis. *Vom hundert fünff.*

Trientis, ſeu fœnus trientarium, quod Antoninus Pius exercuit & Juſtinianus illuſtribus perſonis concedit. *Vom hundert vier.*

Quadrantis, ſeu quarta centeſimæ. *Von hundert drey.*

Sextantis. *Vom hundert zvven.*

Unciaria, Unciarum fœnus Tacito, quum pars centeſimæ duodecima ſingulis menſibus ſolvitur, in Digeſtis de Ad. min. tuc. l. 47. ubi tamen uncias uſuras legitur. *Vom hundert eins.*

X.

Xenium Mart. quod hoſpitibus donatur. *Frômbden oder geſten geſchenck.*

Z.

Zereth Hebræis, Græcis σπιθαμή, Latinis Dodrans. *Ein ſpann.*

Hactenus de MENSURIS & PONDERIBUS *veterum ex* MASSARIO *plus quàm ſatisne; quid tamen rurſus hâc in parte deſiderare poſſit Lector Curioſus earum Caracteres ex Clariſſ.* RHODIO *excerptos, & tabula Calchographica expreſſos jam adjicimus Tabula autem illa eſt,* Num. XVI.

MENTHA.

Mentham à Græca voce μίνθη dictam eſſe haud dubium eſt, μίνθην autem παρὰ τὸ μινύθειν deducunt Grammatici, quòd purgationes fœminarum inhibeat, vel quòd ſemen copioſiore ejus uſu minuatur & tabefiat.

Mintham Plutonis pellicem à Proſerpina (ut ſolent pellices ſemper odiſſe uxores) in hortenſem Mentham transformatam fuiſſe narrant Poëtarum fabulæ, æterno in æternâ planta hominis monumento, quam vocem Romani magis amantes, quia in ea malè habitæ ob amorem puellæ memoria ſervaretur unâ tantum aut altera mutatâ literâ per Græcorum Minthen Mentham ſuam fecerunt. Marcellus Virg.

Delechampio μίνθη Græcis dicitur ἀπὸ τῆ μίνθη à ſtercoris fœtore per antiphraſin quòd minime fœtida fit. Verùm etymologias illas per Antiphraſin merito rejicit & explodit Voſſius. Nonnulli μίνθον interpretantur lanuginem muſcoſamque pubem humentibus & putreſcentibus pæne cunctis ſubdio apertis obduci ſolutam, qualem cernere eſt in oletis & ſterquiliniis: cui non abſimilis tenera illa hirſuties quæ in mentha agreſti, ſed præcipuè calamintha viſitur.

Notæ menthæ caracteriſticæ ſunt, flos quadripartitus, galea & labello à ſegmentis lateralibus vix diſcernendis; odor ſuavis, unde & Græcis ἡδύοσμος dicitur: radicibus vel flagellis repere.

Vires, Menthæ uſus præcipuus eſt in ventriculi imbecillitate, cruditate, ſingultu, vomitu, flatibus, ardore, hepatis obſtructione, inteſtinorum dolore, capitis vertigine. Menſes & album mulierum profluvium compeſcit efficaciter. Extrinſecus duritiem Mammarum lactiſque coagulationem tollit, achores ſanat, Schrod. Menthæ folia lacti immerſa coagulari & illud in Caſeum coire non permittunt. Trag. quin & in ventriculo lac coagulari non patitur. quare (inquit Caſp. Hofmannus) ſectari illam debent qui vel coguntur crebrius uti lacte, vel aliud alimentum non habet; verum lac in ventriculum receptum, ſi is bene ſe habeat, ritè & ordine naturæ coagulari debet: ideoque iis quibus ventriculus ſanus & recte diſpoſitus eſt, non opus eſt ut quærantur quæ coagulationem impediāt; ſed iis duntaxat quibus infirmus, aut nimio acido ſcatet, ad coagulationem moderandam, quamvis enim lac in ventriculum receptum initio coagulatur, Coagulum tamen hoc antequam in inteſtina deſcendit, iterum in liquamen diſſolvitur: quod ſi denſius & durius ſit, non ita facile fiet. Herbæ ſuccus ejuſve aqua diſtillata ad vomitum reprimendum uſus ſunt creberrimi. ℞. Aquæ ℥ij. ſemel atque iterum, enormes ſiſtit vomitus *Hartman.*

Eadem aqua deſtillata mulierculis uſitatiſſima eſt ad tormina ventris in infantibus compeſcenda. Turnero autore, odor Menthæ cerebrum roborat, memoriam conſervat & auget. Contraria videntur tradere autores de vi Venerem ſtimulante, venereaque inſomnia & exonirogmos impediente.

Noſtrates Mentham piſis & Fabis incoquere ſolent ad eorundem flalutentiam corrigendam.

Ex Menthæ herba ſicca, additis æqualibus rutæ partibus & tantillo ſeminis carvi, omnibus convenienter in aceto cereviſiæ coctis paratur cataplaſma, quod mirifice lac coagulatum mammarum reſolvit primū, dein omnino generationem lactis prohibet: quo promiſcuè puerperæ felici ſucceſſu utuntur Simon Paulus. Ex exerptis *D. Edv. Hulſe.*

Ad anorexiam, Elixir Menthæ cum ſpiritu proprio per infuſionem paratum, addito pauco ſaccharo eſt egregium. *D. Hulſe ex Ettmulleri Praxi.*

Vires Menthæ Criſpæ. Ipſe obſervavi ſimplex decoctum Menthæ Criſpæ (neſcio an de hac ſpecie an de præcedentium duarum utralibet intelligat) ita ſanguinis motum circularem ſuffocaſſe, ut ne illius quidem gutta è pede ſtillaret, quamvis ſcalpellum myrtiformem ter vel quater ſatis profunde in vaſis pedis maximè conſpicuis adegiſſet Chirurgus ſolertiſſimus, S. Pauli quadr. Botan. claſſ. 3. p. 390. pararat pediluvium famula prius ex aqua in quam injecerat faſciculos aliquot menthæ, hoc pediluvio domina uſa eſt, forte non cauſam pro cauſa habuit. S. Paullus: nobis enim non veriſimile videtur mentham talem effectum habere. Ex excerptis. *D. Edovardi Hulſe Rains.*

MENTA SARRACENICA, vid. *Balſamita.*

MERCURIALIS.

Mercurialis à Mercurio denominationem ſumpſit. Plin. lib. 25. cap. 5. Linozoſtis ſive parthenium Mercurii inventum eſt, ideo apud Græcos Hermupoan multi vocant eam, apud nos omnes Mercurialem pro Mercurialis ſpeciebus habeo cynocramben dictam & phyllon; adeoque tres Mercurialis ſpecies agnoſco, unam perennem, duas annuas, eæ ſunt.

1. Mercurialis perennis repens, Cynocrambe dicta.

2. Mercurialis annua glabra Vulgaris.

3. Mercurialis annua hirſuta, Phyllon dicta.

Nomina I. Cynocrambe mas & fæmina Ger. emac. mas & fæmina, ſive Mercurialis repens, J. B. Merc. Sylveſtris Cynocrambe dicta vulgaris mas & fœmina Park. Merc. Montana teſticulata, & Merc. Montana ſpicata C. B.

J. B. Plurimis fibroſis radiculis perennibus & lentis, ſapore nonnihil dulci, ſed faſtidioſo per terram repit Cynocrambe tam mas quàm fœmina, nervo duro, fibrarum hellebori inſtar farctis. Caules ſurriguntur, multi, teretes, concavi, longis internodiis geniculati, pedales, propter terram purpuraſcentes non ramoſi. Folia ad articulos bina oppoſita, lanuginoſa, foliis Mercurialis paulò longiora, duarum ſcilicet triumve unciarum tenera, (inferiora multo minora ſunt) acuminata, in ambitu ſerrata, pediculis brevibus, guſtu nauſeoſo; ex alis foliorum pediculi exeunt, in mari quidem breviores, quatuor vel quinque, ſemunciales, unciales ac majores, breviores alios interdum à latere proferentes, quibus inſident floſculi herbaceo colore præditi, ternis foliolis conſtantes, quorum medium occupat loculamenti ſeminum rudimentum, ex cujus cacumine emicant apiculi bini, corniculati, extrorſum reflexi: loculi hirſuti, compreſſi, in geminos teſticellos lentis magnitudine diviſi, ſemina bina continent, diſſepimento membranulæ diſtincta, in uno pediculo tergemina. At in Cynocrambe fœmina ex foliorum alis pediculi ſurgunt tres, quatuor aut quinque uncias, longi, tenues, ſtriati, in quibus floſculi in ſpicam digeſti muſcoſi, ternis foliolis, herbaceis compoſiti, in quibus ſtaminula aliquot herbacea, qui nullo ſuccedente ſemine intereunt. Dodonæo tota herba viroſi odoris ingratum redolet.

Cynocrambe in ſylvis, ſepibus, aliiſque perinde umbroſis gignitur, primo vere exit, autumno exeunte, folia & caules marceſcunt, radice ſuperſtite.

Vires. Facultatibus cum Mercuriali convenit Prævotius. Mercurialem Sylveſtrem olerum more coctam, & oleo ac ſale conditam inter medicamenta ſeroſitates benigne enumerat evacuatia in libro de medicina paup. quod è Dioſcoride hauſit.

Nomina. 2. Mercurialis mas & fœmina Park. Merc. mas & Merc. fœmina Ger. M. teſticulata ſive mas Dioſcoridis & Plinii, & M. ſpicata ſive fœmina eorundem C. B.

J. B. Folia ejus ad parietariæ foliæ accedunt, ſed glabra ſunt, atro virore ſplendentia & in ambitu ſerrata, ſapore nitroſo, calidiuſculo & nauſeoſo. Caules ei anguloſi, ſpithamæi ac etiam majores, geniculati, læves; ex foliorum alis, fœminæ quidem ligulæ rectæ emicant, tenues quas verticillatim ſeu in ſpica ambiunt floſculi glomerati muſcoſi, qui in quatuor foliola herbida ſeſe explicantes, cirros apiculorum luteolorum aut herbidorum oſtentant, nullo ſuccedente ſemine pereuntes. Mari autem ex iiſdem alis breves pediculi oriuntur, quorum ſinguli teſticulata burſula, nonnihil compreſſa, hirſutaque inſidet, gemina ſemina recludens. Radix utrique tenera & fibroſa, annua.

In has deſcriptione J. Bauhinus vulgarem opinionem

hem ſequitur, Mercurialem ſterilem pro fœmina, & fertilem pro mari accipiens: cum è contra rationi cō-ſonum eſt, & aliarum rerum naturalium analogiæ, ut ſterilis dicatur mas, fertilis fœmina. Fœmina enim eſt in omni genere quæ fœtificat & fructum edit.

Mercurialis reperitur in hortis olitoriis, vinetis, aliiſque locis humentibus ac umbroſis. In maris littore propè Ryde Vectis inſulæ oppidulum ſponte & copioſe provenit.

Vires. Eſt è numero quinque illarum fomaſarum emollientium herbarum; abſtergit, alvum movet, aquas ac bilem purgat, unde & hodie in enematis frequentiſſimus ejus uſus.

Sunt è noſtratibus mulierculis, qui mercurialem infantibus cum pappa exhibent, ut alvum ſolutam retineant, torminaque præcaveant. Schrod. obſervatum eſt omnis generis verrucas hujus foliis vel eorum ſucco tolli; item ſemen cum abſinthio decoctum ictericos mirificè juvare Matth & Ruel.

Quæ veteres habent de vi maris ad efficiendum ut mares gignantur, fœminæ ut fœminæ, nobis fabuloſa videntur & falſa.

Nomina. 3. Phyllon marificum & fœminificum Park. arrhenogonon & thelygonon folio incano Monſpeſſulanum I.B Arrhenogonon ſive marificum, & thelygonon ſive fœminificum Ger. teſticulatum & ſpicatum. C. B.

J.B. Pedales & cubitales habet caules, totos candido tomento pubeſcentes, & per ætatem l gneſcentes, qui in ramos ex adverſo poſitus ordine certo abducuntur; folia oblonga, ſubrotunda, craſſiuſcula, nervoſa, mollia, lanuginoſa, incana ad articulos oriuntur. Floſculi minimi in mari quidem ad juncturas, brevibus pediculis nixi, vix apparentes ante fructus, ſunt duo apices ochræ colore pallido. Sunt autem fructus gemelli, teſticulati, villoſis loculis comprehenſi. Semina (inquit Lobelius) uti minoris Heliotropii exiliunt, immatura albida, matura verò cyaneo nitent colore, rotunda & quam papaveris majora, guſtu fervida, & nonnih l pinguia, radix lignoſa, exilis. In fœmina flores ſpicati, racemoſique ut in Mercuriali fœmina.

Theophraſtus phyllo ocymi folia tribuit, & rectè noſtrâ ſententiâ. Illud inter alia ei cum Mercuriali, Cynocrambe & Heliotropio minore commune eſt, ut erucæ radices temporis ſucceſſu cæruleum colorem contrahunt, Clus. Quod & nobis obſervatum, etiam de caule & fructu.

Circa Monſpelium in foſſarum aggeribus & ad vias publicas, præſertim prope aquas oritur; ut nobis obſervatum. Cluſius multis Hiſpaniæ & Galliæ Narbonenſis in locis naſci refert, ubi Aprili floret & interdum maturius, at in regiones frigidiores tranſlatum nonniſi æſtate.

Vires. Salmanticenſes utriuſque decoctum omnibus animalibus à cane rabido demorſis propinant, magno ſucceſſu, ut inquiunt. Granatenſibus verò, Mauritanis præſertim, ad muliebres morbos magno in uſu eſt. Clus. *Raius.*

MERCURIUS.

Mercurius nihil aliud eſt, quam liquor mineralis, ſeu metallicus volatilis, metallis & præ aliis ☉i avidè adhæreſcens.

Dicitur argentum vivum, Hydrargyros. Arabicè Zaibar, vel *Z* bach. Barbarè, Azock, Azoth. Germ. *Queckſilber.* Argent vif. *Quickſilber*, or *Mercurii Quickſilber.*

Eſt nativus (*de quo hic*) & artificialis, è Metallis extractus, qui & Mercurius corporum dicitur.

Nativus Virgineus etſi nonnunquam per ſe ipsâ naturâ operatrice, ſeparatus inveniatur: plerumque tamen ex terra minerali, quam cinnabarim vocant, vi ignis evocatur. Vide ☿ ex plantis apud Borell. c. 3.

Delectus.

Mercurius non æque bonus omnis exiſtit, ſed variat, tùm ratione matricis, ſeu loci natalis, tùm ratione inquinamentorum, quibus nonnunquam per ſe in terrâ conſpurcatus eſt, nonnunquam & à malevolis adulteratus venditur.

Natali loco cenſetur optimus, qui eruitur è mineris vicinis auro vel argento, & hinc præfertur Hiſpanicus & Ungaricus.

Inquinamentorum ratione prævalet, qui minus ſcatet commixtione arſenicali, antimoniali, ſaturninâ, cadmioſâ, quibus nonnunquam in terræ cuniculis venenoſus redditur, hinc & qui minus fallaci artificis manu adulteratus eſt: adulterare enim eum adeò exactè norunt, (plumbi ſcilicet & ☿ii beneficio Biſmutique commixtione,) ut quoque ſimul per corium tranſire æquè ea queant, adeoque diffic le ſit fucum cognoſcere. Ea propter ne quâ incautus decipiaris, non abs re erit, hæc bonitatis ſigna obſervare.

1. Mercurius cenſetur bonus, qui per retortam propulſus nihil recrementi relinquit.

2. Qui in cochleari argenteo evaporationi ſuper prunis expoſitus maculam cochleari relinquit flavam, aut albicantem, non nigram aut fuſcam.

Vires. *Internè mundificat ſanguinem ab inquinamento, præcipuè venereo: Fugat lumbricos, difficilem promovet partum, &c. Externè inunctus, ſanat ſcabiem omnis generis, fugat pediculos, reſolvit duros tumores. De collo ſuſpenſus, præſervat à peſte, & (ut nonnulli volunt,) ab incantatione, faſcinationeque. Imò quoad ejus præparata, nulla res in Officinis eſt, ſi ☿ excipias, ex qua major medicamentorum ſupellex elici poſſit, quam ex ☿io. Suppeditat enim purgantia, ſudorifera, mundificantia vulnera, acrimoniam, (præcipue in Gonorrhæa,) lenientia, ut patebit in formis medicamentorum inde paratis.*

Uſus ☿ ij crudi internus & externus eſt. Intrinſecus tamen rariùs adhibetur, extrinſecus ſæpius. Modus applicandi intrinſecus in pilulis, e. g Barbaroſſæ. Quinimo cum certo quodam ſucco pulveriſari ac exhiberi poteſt.

N. *Si ☿ m, (ſive crudum, ſive præparatum,) exhibere intrinſecus volueris, convenientius in pilulis exhibetur, quam in alia aliqua medicamenti forma, ne dentes ſcil. quibus noxius eſt, tangat.*

Uſus externus eſt in unguentis, in quibus penitus diſparet,) in Emplaſtris (quæ in ſcabie) complicaturis ſaltem articulorum adhibentur. Sed cave ne nimium adhibeas. Etenim cum ſalivatione oris putredinem inducit, loco quocunque applicatus, id quod de præcipitato ſimiliter obſervatum eſt.

[*Coquunt quidam ☿ vivum & aquam Hermeticam vocant, ſcabiei convenientem.*] Schroderus.

Mercurius nihil aliud eſt, quàm l quor mineralis ſeu metallicus volatilis) &c. Dicitur aliàs Argentum vivum, Hydrargyros; Arabicè Zaibar, vel *Z* b. ch; Barbarè azock, azoth Germanicè *Queckſilber.* Mercurius dicitur ob analogiam, quæ ipſi cum Mercurio Planetâ illo cœleſti intercedit ratione mobilitatis omnibus ſeſe aſſociante Planetis; tùm ratione variet tis in colore, tùm temperamenti, mutabilitatis &c. Argentum vivum dicitur, quod Argentum fuſum & liquefactum colore æmuletur; Vivum verò, quod loco motum vivere quaſi videatur. Hydrargyros, nomine derivato ex ▽ & ☽nâ, quod ▽æ inſtar liquidus & colore ☽nam repræſentet. Mirabilis ſanè ſubſtantia, mille ſe in formas fingit ac refingit, quovis tractatur modo, inde & Protheus dicitur. Item ſervus fugitivus, quod præter omnem ſpem ſæpè auffugiat. Plinius vomicam liquoris æterni vocat.

Et præ aliis ☉ avidè adhæreſcens.) ☉ miro amplectitur amore eique per minutiſſima ſe unit. Unde plurimi colligunt, illum primum eſſe metallorum Ens. Nec deſunt hodiè, inquit *CL. Morhofius* l. c. qui idem ſtatuunt. Accedit venerabile illud mercurii nomen, quod in Chemicorum ſcriptis adeò frequens eſt: conſpirant tot deſcriptiones, tot requiſita, ut vel cautiſſimus iis omnibus fallatur. Aliqui Virginem mercurium volunt, quem Natura produxit à flammis voracibus nondum tentatum: aliqui è metallis cæteris per artem extractum. *Hæc Morhofius.* Verùm de his ſuprà ſatis jam commentati ſumus. Notum enim eſt aliud eſſe hunc mercurium vulgi, & aliud mercurium metallorum; ille minerale quoddam eſt, in ſuis etiam repertum mineris & recrementum potius metallicum, ſuo tamen etiam mercurio metallico conſtans & quidem in magnâ copiâ. Nec ſuo deſtitutus ſulphure, ſed in minori copiâ & quidem albo, uno externo, altero interno. Externum originalem ejus labem continet, quæ quia originalis, ideò & difficulter ab eo tollitur, quâ tandem nihilominus ſeparatâ per artem, ajunt periti, mercurium ſulphure ſuperfluo externo & immaturo mundatum, quippe deinceps nullo △ni poteſt in formam terræ præcipitari ob maximam ſui ſimplicitatem, quâ aquæ elemento comparatur. Amiſit namque terram (id eſt ſulphur) quę terra, inquit *acutiſſimus Helmontius*, in centro ſuæ eſſentiæ non minus eſt ex Elemento aquæ, quàm reſiduus ejus depuratus mercurius, licet hanc terram prius ab origine ſibi profundiſſimè commiſtam haberet. Spoliatus iſto ſulphure mercurius nullo amplius igne mutabilis eſt, quia eſt mercurius de mercurio. Alterum ſulphur metallorum eſt internum ipſi mercurio, ideoque intactum ab omni corroſivo, non minus, quàm ab ignis & aëris deſtructionibus.

Eſt Nativus (de quo hic) *& artificialis è metallis extractus, qui & mercurius corporum dicitur*) Sed ubi tractavit *Dominus Autor* de mercurio artificiali ex metallis extracto? forſan ſuprà in metallis, ubi de mercurificatione egit? Opinione fallitur. Niſi enim mercurius metallorum in ſuis inveniatur mineris, arcano ſanè nec cuivis cognito artificio ex ☽nâ, ♄no, ♃ve, ☿rio ſeparari poteſt, de quo Dominus *Autor noſter* altum habet ſilentium. Qui autem alias ex minerâ mercurii igne aperto deſtillatur, & coquendo per ollæ foramina dato igne ſuppreſſioni decidit, item per retortam deſtillatur ex minera Cinnabaris Hungaricæ, & ex ♀n:o, ♄no, &c. vivus elicitur, non mercurius corporum eſt, ſed etiam mineralis, prout præſens nativus eſt.

Nativus etſi nonnunquam per ſe ipſâ Naturâ operatrici ſeparatus inveniatur.) Aut per ſe liquidus in terræ ſpecubus aut in nonnullarum venarum metallicarum in ☽narium, ♄ninarum tectis ſtillatim concretus ſui coloris, h. e. purus & genuinus reperitur, virgineus dictus, quòd inſtar virginis ſit, & ignem nondum expertus. Ante aliquot annos cùm aquileges hîc Hallis Saxonum in Patriâ meâ in foro è regione Magiſtratus cellarii cereviſiarii & ſalinatorum tabernæ in ductus hydrophylaceos reparandos inquirentes terram ſpathis ſuis effoderent, ſub hâc effoſsâ ulnas aliquot duas libras vel circiter mercurii vivi invenerunt. *Turnheiſerus etiam Libr. 6. Alchymia Magn.* Cap. V. ſe in prato quodam ſalicibus conſito ad pagum Pipp. ditionis Solothurenſis, elegans argentum vivum offendiſſe fatetur. *Cæſalpinus Libr. 3. de Metall. Cap.* 11. vidit Argentum vivum Piſis per ſe inter ſaxa, dum vetera excavarentur fundamenta. Interdum etiam mercurius in venâ Schiſti reperitur, ut plurimum tamen in cinnabrio Nativo copioſiſſimè. Mirabilis ſcilicet eſt & penetrantiſſima mercurii vivi ſubſtantia, quæ fit in mineris per ignes ſubterraneos diſſipabilis, hic facilè ſe in diverſa loca & ſubjecta inſinuare poteſt. *De Mercurio Plantarum* vid. *P. Borellus Centur.* 3. *obſ.* 88. Habuit Excell. *Morhofius* ab amico fruſtum ligni, quod ex arbore è terrâ metalliferâ prognata fuerat reciſum, in quo per omnes ejus fibrillas & venulas diſſeminatæ fuerunt Argenti vivi particulæ, ut valido motu etiam excuti potuerint, id quod facilè fieri potuit, quia laxiores ſunt in ligno, quàm in metallo meatus. Si quis in ſanguine humano, ut obſervationes proprias habui, mercurius vivus fuit repertus, ortum ſuum debuit mercurialibus medicamentis tam internis, quàm externis minus ritè præparatis & adminiſtratis.

Delectus.) *Dominus Autor* præfert Hiſpanicum & Ungaricum. Verùm & Ungaricus non omni caret ſuſpicione, nam cum fodinæ argenteæ ſint ſimul ♄ninæ & ♁niatæ, item cadmioſæ, laudem bonitatis in totum non meretur. Hiſpanicus præ cæteris probatur ob puritatem, ille autem eſt tum in Hiſpaniâ natus, tum ex auriferis Indiis invectus ſplendoris argentei. Huic ſuccedit Ungaricus.

1. *Mercurius cenſetur bonus, qui per retortam propulſus nihil recrementi relinquit.* 2. *Qui in cochleari argenteo &c.*) Hic ſecundus probationis modus æquè ſuſpectus eſt, cum ex hoc concludi nequeat de totâ quantitate & qualitate, præſertim ſi vel ♄, vel ♃ aut biſmuthum non exquiſitè fuerint mercurio mixta, ideoque conſultius eſt per Tartar. & calc. viv. bis vel ter deſtillaſſe.

Vires. Internè mundificat ſanguinem ab inquinamento præcipuè venereo &c.) In Lue ♀nerea ſpecificum eſt medicamentum, & quidem primarium, adeò, ut, ſi ad ultimum hic morbus pervenerit gradum, ſalivatione opus habeat, quæ vel maximè ab hujus uſu promovetur. Aliquot ante annos *Archiater* quidam *Dn. D. Johann. Michaël.* p. m. per litteras conſulebat, quærendo, an etiam novâ nec unquam auditâ methodo Peſtis mercurii vivi adminiculo extirpari poſſit? Accepit ſcil. mercurii vivi ℔ j. ij. iij. uſque ad iv. & propinavit in quodam vehiculo, præmiſſo, ſi res ſinat, emetico, & injunxit ægroto infecto quietum decubitum, ad 6. uſque ad 12. hoc Ubi per alvum iterum fuit egeſtus per magnetiſmum attracto veneno peſtifero terrâ effoſsâ occultatum. *Autoris*, qui hanc inivit medendi peſtem methodum, mens fuit cum *Athanaſ. Kircheri in Scrutin. ſuo Peſtil.* quaſi omnis peſtis ex verminoſâ putredine oriretur, & ita mercurius vivus contra illam eſſet antidotum. In hoc quæſito meam ſententiam modo laudato D. Johanni Michaëlis p. m. eam à me requirenti ſequenti modo tranſmiſi. Quamvis in peſte infectorum maſsâ ſanguineâ nonnunquam vermiculi ſint viſi, inde tamen non ſequitur, eos in omni peſte & nullo non tempore adfuiſſe. Peſtis enim non unâ, ſed aliâ atque aliâ apparet facie, ut ex ipſius *Athanaſ. Kircheri allato ſcrutinio* ſect. 1. cap. 9. p. m. 96. liquet: Et poſito, vermiculos in quâdam Peſte per microſcopia cognitos fuiſſe ob inſignem à veneno peſtilentiali inductam corruptionem in ſanguine, tamen non cauſam ipſius peſtis, ſed corruptionis potius judicamus productum, quemadmodum etiam in febribus malignis & ſcorbuto videmus ob nimiam humorum corruptionem non rarò generari vermes, nec tamen febris malignæ & ſcorbuti cauſa ſunt, nec propterea ad cor curatio dirigenda eſt. Et licet etiam quidam vermiculi Peſtis ſint cauſa, minus benè tamen contra eos mercurius per os aſſumeretur, quia hoc modo inter illos & hunc neque corporalis neque virtualis contactus ad omnem actionem requiſitus adeſt. Non corporalis, quoniam hi vermes non ut reliqui, ad quos abigendos mercurius per

os

os exhibetur, in inteſtinis,ſed,uti volunt, in ſanguine & lymphâ ſunt. Nec virtualis,cùm mercurius ſibi cohærens ac mobilis ſit,accedente inteſtinorum motu inſito ac naturali per alvum eâdem, quâ aſſumptus eſt, quantitate ſtatim antequam reſolvi & in actum deduci queat, excernitur, atque ita ob exiguam ſuam in corpore moram operationem ſuam perficere & venenum peſtilentiale per totum corpus diffuſum attrahere nequit. Et ſi reſolveretur, tunc attraheret vermiculos iſtos virulentos ab exterioribus & ignobilioribus partibus ad interiores & nobiliores, uſque ad inteſtina. Nec etiam mercurius vermiculos magneticè attrahere valet,cùm ad actionem magneticam non contrarietas, qualis inter vermes & mercurium, ſed ſimilitudo requiratur.

Fugat lumbricos.) Tam in ſubſtantia aſſumptus, quàm odoretenus, ſi ſcilicet cum hoc aqua communis ebulliat, hæc aqua bullita pauco & innoxio potu omnes in inteſtinis & ventriculo interimit vermes.

Difficilem promovet partum.) Sic *Matthiolus* Libr. 4. epiſt. Medic. ut & in comment. ſuo ad Libr. 5. *Dioſcor.* Cap. 70. affirmat, ſe vidiſſe Goritienſes obſtetrices mulieribus laborioſè parturientibus ℈j. vel ʒß. mercurii vivi felici ſemper cum ſucceſſu potandum dediſſe. In Iliacâ etiam paſſione & colicâ commendat *Augenius* Lib. 2. epiſt. 1. *Ægineta* Libr. 7. Cap. 3. *Marianus Sanctus in comm. ad Avicenn. Henric. ab Heer* obſ. 2. Lib. 1. Recip. mercurii vivi cum ſulphure extincti & in pulverem redacti ℥j. in globulo ceræ include & offer, poſt oblationem totus ſunt adhibendi continuò & clyſteres. *Lazarus Riverius in obſervat. communicat.* 1.

N. De ejus uſu in Dyſenteriâ pridem prodidit in hiſtoria animali *Plinius*. Intelligenda autem eſt primaria Dyſenteria, quando abſceſſus aut exulceratio excruciat inteſtina. Tunc Argentum vivum repurgatum cum Unguento ſantalino vel roſacco & lupi inteſtinorum pulvere miſceri & foris applicari poteſt. Hoc etiam in epatico fluxu calido, febribus malignis &c. cum plurimo adjumento adhibetur.

Externè inunctus ſanat ſcabiem omnis generis.) Sed cave, ne nimium adhibeas. Etenim cum ſalivatione oris ſæpè putredinem inducit, loco quocunque applicatus: id quod de præcipitato ſimiliter eſt obſervatum.

Fugat pediculos, reſolvit tumores duros.) Inſtar incantamenti fugat pediculos, & reſolvit tumores ſcilicet venereos, ſed in ♄no coagulatus & poſtmodum lamellatus.

De collo ſuſpenſus.) Avellanæ ſcil. incluſus, Quemadmodum & Patavinæ mulieres ob lactis defectum avellanæ incluſum non infelici cum ſucceſſu collo appendent. Quamvis, ut refert *Th. Jordanus de Peſt. phænomen.* tr. 3. c. 9. ideò ſuperſtitioſè adhibeant, quod contrà faſcinum, quo lactantibus Lac adimatur, proſit, unde & ab incantatione & faſcinatione præſervat: mercurius vivus cum fl. hyperici h. Lunariæ contrà incantationem veneream ſacculo incluſus in collo appenditur novis nuptis. Cacodæmonas in corpore latitare dignoſcitur, ſi mercurium in arundine occluſum & collo appenſum nigrum videas. *Angelus Abbativus de viperis.*

Uſus mercurii internus & externus eſt.) Tutò adhiberi mercurium vivum crudum & ritè depuratum per ſe vel ceræ incluſum audivimus. Nonnulli globulos argenteos vel plumbeos mercurio vivo inungere ſolent & deglutiendos porrigunt. *Dn. D. Erbenius Regis Poloniæ* archiater, jam autem *Electoris Bavariæ* Medicus ex caſtris ſcripſit *ad Dn. D. Johann. Michaël.* p.m. quod Comiti Iliacâ paſſione ſeu miſerere mei graviter detento mercurium vivum ad ℔ ij. reliquis medicaminibus fruſtra adhibitis propinarit. Patientem verò miſſis habenis in curru quàm celerrimè tranſvehendum curavit, ſed abſque omni fructu. Accidit autem ut nonâ poſt hoc medicamentum adſumptum, nocte alvus aperta fuerit, & excrementa copioſè expurgata, quâ ratione factum, ut æger demum convaluerit, & diu poſtmodum vixerit.

Convenientius in pilulis exhibetur.) Quoad applicandi modum vel eſt per ſe, vel in pilulis, aut cum certo quodam ſucco pulveriſari & exhiberi poteſt, ſed cum ligneo cochleari ut offeratur, neceſſe eſt.

N. Quamvis mercurius vivus ut vivus, ſeu ut mobilis non ſit venenum, nec ullam cum venenis habeat affinitatem, ut innoxiè etiam teſte experientiâ per os adſumi poſſit: In hoc tamen Medicus cautus ac circumſpectus ſit neceſſe eſt, ne adulteratum aut malè præparatum porrigat, nec hypochondrialis, ſpleneticis, & aliis ventriculi fermento nimis acido præditis & ſanguini ſalibus acidis ſylveſtribus ac corroſivis abundante, à quibus mercurius naturam præcipitati induere poteſt, propinet Mercurium enim reſolutum ſive præcipitatum ſive ſublimatum venenum eſſe ſymptomata dira & venenis reliquis communia, quæ ſtatim atque in corpus adſumptus eſt, inducit, evincunt.

Uſus externus eſt in unguentis &c.) Niſi univerſalia fuerint præmiſſa, quæ laticem evacuant inutilem, non eſt adhibendus mercurius. Quibuſdam in locis receptum eſt arcanum corallinum in Lue ♀ nereâ cum ung. roſ. miſcere, illudque pro arcano etiam in contumaci ſcabie habent. Hîc non immeritò quæritur; An Cingulum Mercuriale cum ſucco pomorum vel etiam aliis linimentis corpori ſcabioſo per 9. hor. ut communiter aſſolent, circumligatum ſit tutum auxilium. *Mindererus Libr. thren. Medic. Cap.* 14. caſtigat empiricos ſcabioſis audacter hoc applicantes, quod tetrum illud mercurii vivi virus in corpus geſtantis ejaculentur. Et *P. Hechſtetterus Dec.* 3. *obſ. Medic. Caſ.* 7. damna illorum recenſet, qui cingulo iſto ad ſcabiem temerè ſunt uſi. Verùm hic metus de nihilo eſt, ſi univerſalibus, uti dictum, præmiſſus, topica mercurialia rectè præparentur & applicentur. Unde & *Petræus in Noſolog. Harmonic. Tom.* 1. p. 395. Unguenta mercurialia, inquit, in contumaci ſcabie tutò ac utiliter exhiberi poſſunt, ſi univerſalia præmittantur, & inutilis ac nocivus latex prius ex corpore exterminatus ſit. Non tamen ejuſmodi topica ex magnâ rerum innumerarum congerie conflata ſint, majori cum ſucceſſu & celeriori effectu operatura. Hæc externè adhibita mercurialia ritè præparata, tantum abeſt, ut Naturæ motum impediant, ut potius verminoſos, putres, ſalſos ac mordaces humores præcipitent, quæ cauſa etiam quod ex mercurio ſublimato & mercurio vivo emergat mercurius dulcis, quòd hic vim habeat ſalium corroſivorum texturam immutandi, præcipitandi atque adeò etiam edulcorandi. Et ſi quæ ſymptomata interdum oriuntur, non tam ex mercurio, quàm vitioſorum humorum colluvie & ſiniſtrè adhibitis remediis proveniunt. Inde & ruſticus ille *Thom. Bartholin. Centur.* 3. *hiſtor.* 79. omnes illos cingulo ſuo mercuriali fœliciter reſtituit, qui pura corpora crebro medicamentorum à medicis præſcriptorum uſu obtinuerant, cacochymicos autem exitio eripere non potuit. Hic ruſticus mercurium cum ol. d. juniperi ſubegit, & in maſſam formavit, corioque in cinguli formam refecto illinit, quo medium corpus conſtrinxit, & ad omnes affectus malignos, cancros, ulcera mali moris, & dolores artuum commendavit. Alii mercurii cingulum ita componunt. Mercurium ſalivâ aut ſævo extinctum albumine ovi excipiunt illinuntque ſuprà goſſypium, quod in cinguli modum conſuunt.

Suff-

Suffumigia mercurialis & lotiones in primis Galliâ frequentiſſimi etiam ſunt uſus, & præmiſſis præmittendis etiam non ſine notabili ſucceſſu uſurpatur. *Hofmannus.*

Præparationes ☿ ij ſunt.

1. Purgatio. 2. Calcinatio & Præcipitatio. 3. Sublimatio. 4. Deſtillatio. 5. Extractio. 6. Liquatio. 7. Salificatio.

I. PURGATIO.

Purgatur ☿. 1. *Expreſſione*, per corium, quâ fæcibus craſſis in corio remanentibus ☿ tranſit.

N. *Et metalla ſi benè admixta ſint ſimul tranſeunt.*

2. Lotione.

Lavetur autem vel per ✚ ſimpliciter, aut cum Sal. comm. mixtum, vel per lixivium calcis vivæ, & cinerum clavellatorum, vel etiam per lixivium ſaponariorum, ſæpius nimirum cum his agitando, & viciſſim à ſordibus eluendo.

Quinimo purgatur quoque agitatione forti cum 🜈 in vitro obturato, ſeparatur enim nigredo ad latera.

3. Deſtillatione.

Nimirum deſtillatur in arena per retortam igne ſat forti, idque per ſe, id eſt, ſine additione, vel addito ſale Tartari, calce viva, & ſimil. Optimè vero purgatur amalgamando cum metallis perfectis, ac poſtmodum per retortam, à corpore admixto ſeparando.

N. 1. *Sequeſtrari quoque poteſt ☿ puriſſimus, per reductionem ex ☿⁓to.*

N. 2. *Purgationes quò ſæpius iteraveris, eo puriorem ☿m colliges.*

N. 3. *Optima purgatio fit à metallis perfectis aliquoties cohobando.* Schroderus.

1. *Purgatio.*) Hæc ſummè eſt neceſſariâ, alias variæ ſymptomatum tragœdiæ ſubſequuntur, non tam ab ipſo mercurio, quàm à corpore, quo conſpurcatus eſt. Mercurius purgatur 1. *Expreſſione*, dum per corium mundum exprimitur. 2. *Latione*, quæ vel per Acet. ſ. aut cum Sale mixtum, vel per lixivium calc. viv. &c. donec iſti liquores non amplius nigreſcant, inſtituitur. Et 3. *Deſtillatione*, hæc omnibus reliquis præfertur, à metallis perfectis aliquoties cohobando. *Hofmannus.*

II. CALCINATIO & PRÆCIPITATIO.

Calcinatio ☿ ii communiter præcipitatio dici ſolet, voce tamen minus accurata &, nimis ſtricta, quippe quæ ſolam ſeceſſionem ad fundum ſonat: nihilominus tamen hunc ſequar, calcinationemque Præcipitationis voce exprimam, adeoque ☿s calcinatus nomine Præcipitati veniet, qui vel ſine Metallis vel cum Metallis.

Eſt itaque ſine Met.

1. Præcipitatio ☿ ij. per ſe.

♃. ☿ puriſſ. ℥ ij. vel q. v. injice in phialam, (peculiariter in hunc uſum factam, infernè ſcil. latam, ſupernè compreſſam, intus roſtro anguſtiſſimi orificii in ventrem uſque producto, ut tantummodo fundus operiatur: phialæ exactè ad æquilibrium in arenam collocatæ, (ut ☿ æquali craſſitie ubique fundum tegat,) ſubdatur △ primo lentus, poſt fortior, donec ☿ in pulverem rubicundiſſimum inſtar cinnabaris converſus ſit: hunc ablue ▽ s cordialibus, vel 🜈.

N. *Labor eſt multorum dierum* (30.)

Vires. *Sudores valde movet, luem ♀ ſexies vel ſepties exhibitus eradicat. Febres omnes tollit. Lumbricos eliminat.*

Doſis à gr. iv. ad vj.

N. 1. *Utplurimum vomitum quoque movet ſat violentum.*

2. *Præſtantior erit præcipitatus, ſi fiat cum ⁝ ☉is, vel ☾æ.*

Sennert. Inſtit. Hartman. in Croll. Tentzel. Beguin.

3. *Poteſt quoque præcipitari eâdem ratione & amalgama ☉is & ☾æ, de quibus Crollius. Præcipitavi aliquando*, inquit, *amalgamata ☉is & ☾æ ſeorſim per duos annos, & quamvis pulverem rubicundum nanciſcerer, tamen nondum erat debitè fixus, nec ad uſum Medicum commodè exhiberi poterat, ſine ulteriori præparatione. Hæc Crollius.*

Verum me hercle quia præcipitatus per ſe exhibetur, quid vetet quo minus præcipitatus hic ☉ris, ☾riſve exhiberi poſſit, non video.

2. ☿ præcipitatiõ per ſilices.

♃. ☿ ii puri ℥ ij. aut ad ſummum iij.
Silicum magnitud. fabar. ℔ ij.

Detine in △e arenæ, (aliquoties circumvolvendo, ac ☿ m lateribus adhærentem detrudendo,) donec ☿ planè fuerit præcipitatus, & ſilicibus adhæreſcat: Hic ☿ m à ſilicibus concuſſione ſepara ac ſerva.

Vires *ac Doſis convenit præcedenti.*

Hartman. in Croll. Keſler. lib. 1. centur. 50.

3. ☿ fixatus, Panacea.

♃. ☿ viv. purg. ʒ iij. Sulph. citrin. ℥ ij. 🜹 ℥ iß. Miſce exactè; donec nihil ☿ appareat. Poſtea ſublima, ſublimatum ſemper de novo cum fæcibus tritum ſublima iterum, tandem auge △, ut candeſcat: Id quod in fundo remanet fixum, medicina eſt ſecretiſſima.

Vires. *Omnes humores noxios exiccat, perque diaphoreſin expellit.*

Doſis ℈ ß. ℈ i. ʒ ß.

4. ☿ præcipitatus per 🝆 Sulph.

♃. ☿ ij. purgat. ℔ 1 ß. affunde 🝆 Sulph. per camp. ℔ 1. digere per dies (2.) in arena, ac deſtilla poſtea per 🝭 m vitream. cum cohobiis tribus. Quarta vice, ſi libet aliquid recentis 🝆 Sulph. affunde, △mque in fine auge, ut 🝭 incandeſcat: ſic maſſam habes albam, quam poſtquam aqua calida abluta fuerit, tere, inque phiala ſaltem goſſypio obturata, △i arenæ vehementiſſimo per (℘♂ octo) committe, ut ſi quid vivi ſuperſit Mercurii, ſublimetur. Hunc denique Mercurium fixum trina deſuper 🜈 incenſione ulteriori correctum ſerva.

N. *Eodem modo poterit quoque Merc. præcipitari cum ⁓u 🜖i.*

Vires. *Purgat omnes vitioſos humores, reſolvit catarrhos, contra infirmitates ex humorum putredine remedium eſt, quo in morbis deploratis vix experiri licet præſentius: Hic utile eſt in Hydrope, Podagra, Lue Venerea, Venenis, Peſte, Febribus, Ulceribus malignis, Scabie.*

Doſis à gr. 3. ad 6.

Croll. Sennert. in Inſtitut. Beguin. Untzer. de Merc.

5. Merc. præcipit. per 🝆 🜖i. rubic.

♃. Merc. purific. q. v. digere cum 🝆 🜖i rubicundo donec ſub forma liquida penitus Merc. lateat: Abſtrahe 🝆 per 🝭 m in arena, & reſtabit præcipitatus in fundo.

N. *Ex hoc fit vitrum Mercurii, quod vide infra.*

Diſput. Chymico-Med. Hartmann. 7. th. 127. Baſil.

6. Merc. præcipit. per ⊖*m Sal. nit. Mercurius Corallatus.*

℞. ☿ purificat. ⊖m Sal.nitri, optimè rectific. ana ℥iv. digere, ut ſolvatur penitus ☿. Hinc abſtrahe ⊖m Sal. nitri(in arena per phialam longi colli,) Mercurio relicto trito affunde denuo tantundem novi ⊖ Sal.nit.ac abſtrahe,idque vel tertia vice, videbis in fundo Mercurium corallatum elegantem,quem △ l. paulùlum igniendo calcina.

Dulcis eſt & ſine corroſiva facultate.

Uſus idem eſt,qui Corallini & quidem felicior. Croll. Hartm.in Croll.

7. *☿ præcipitatus per ▽ ovorum.*

℞. ☿ purific. q. v. affunde ▽ deſtillatam ex ovis ad duritiem coctis , & præcipitabitur in pulverem. Huic pulveri affunde ſæpius ▽ eandem , deſtillatam ſcilicet à putaminibus ovorum calcinatis,cohobaque igne cinerum , donec ☿ ſit converſus in pulverem rubrum & dulcem.

N. *Paracelſus vocat Balſamum.*

Vires. *Curat ulcera colli veſicæ , etiam quæ æſtimantur incurabilia ,ſanat vulnera & ulcera externa. Untzer.*

8. *Præcipitatus per Tincturam Smiridis, Præcipitatus miraculoſus dictus.*

Calcina Smiridem △ violentiſſimo donec vireſcat, & lateribus ✠ buli adhæreſcat ,(aliquot horarum ſpatio fiet,)Extrahe dein Tincturam per ⚹ vel 🜄 opt. decanta & abſtrahe ad oleoſitatem.

℞. Hujus Tincturæ ℥j.Mercurii ℥iv. confunde & præcipitabitur Merc.in momento:Mercurium hunc,l. △ in ✠ bulo candefac per horam,poſtea edulcora.

Vires. *Purgat leniter ἄνω καὶ κάτω.*

Doſis gran. 3. 4.

N. *Mercurius hic purgat tantummodo per inferiora, ſi horis duabus ignіatur,ſin vero horis quinque vel ſex, evadit fixus ac diaphoreticus.*

2. *Aptior erit Smiris ad Tincturam eliciendam ſi aliquoties in aqua antea extinguatur.*

Beg.Gluckr.Kes lib.3 c. 42.

De ſolutione in 🜅 *communi.*

9. *Præcipitatus communis,*

℞. Merc. puriſſ.p.i.🜅 p.ij.ſolve ac præcipita , affundendo ſcilicet aquam ſalſam vel abſtrahendo 🜅 per deſtillationem cum cohobiis tribus.Præcipitatum edulcora iteratis ablutionibus , vel reverbera, ut à ſpiritibus 🜅 liberetur.

Vires. *Purgat per inferiora & ſuperiora.*

Doſis à gr. 6. ad 12.

Beg. Hartm. in pract.

10. *Præcipitatus albus S. Cloſſ. Vomitivo Catharticus.*

Solve ℥ij. ⚹ci in ⚺ ß. aq. font. & in eam projice Mercurii ⚹ti in pulv.redacti ℥j.Stent in loco calido, & intra bihorium fiet diſſolutio integra Merc ⚹ti,cui guttatim ſuperfundes ♂ Tart.deliquioſi ℥j.aqua evadet lactea, ſine ſubſidere, aquam decanta à pulvere albiſſimo, quem phlegmate mellis bis aut ter elues aut aq.communi calente dulcorabis.

Doſis ℈ß. *gr. xij. cum* ʒij. *Confect. Hamech. in Siphylide,elephantiaſi,tinea.ſcrophulis , decantata aqua laventur loci ſcabioſi & Eryſipelata præſertim ♀ ea, ſic citò curantur.*

11. *Præcipitatus dulcis.*

Miſcetur Mercurius crudus cum an. præcipitati rubri , ſuperfuſo 🜄 ex arte dulcificati & in calore arenæ detinentur per 20. ♂, ſic enim ſeſe mutuò coagulant & miteſcunt. *Schroderus.*

2. *Calcinatio & Præcipitatio,*) *Calcinatio* mercurii communiter præcipitatio dici ſolet , &c. Præcipitatio ſic dicta eſt, quod per eam præceps agantur ac demittantur ſoluta, unde calcinatio minus accuratè præcipitatio dicitur. Variè autem hæc ſumitur; *Primò generaliter* pro quâvis ſolutorum ſeu ſublimatorum ex menſtruis ſuis repercuſſione , quæ ſignificatio propria eſt. *Deinde ſpecialiter* & vel pro præcipitatione mercurii, quâ per aquas fixatorias & gradatorias liquabilitas mercurii ſiſtitur & ex menſtruo ſuo præcipitatur. *Peterius* coagulationem hanc vocare mavult, ſed cum præceps hoc modo in fundum decidat mercurius & nil minus quoque fit, quàm vera coagulatio illa , obtinuit hactenus nomen, ut ille dejectus hoc modo mercurius ⚹tatus, & varii eum præparandi modi κατ' ἐξοχὴν ⚹tata vocentur. Ita *Libavius* metallorum quoque calces dejectas ex corroſivis ſuis ⚹tata v. g. ♀ neris, ♄ni &c. vocat. Et Hermetici paſſim laudant ⚹atum ſuum Philoſophorum, quem Aureolum vocavit Paracelſus. *Vel ſumitur pro philoſophica præcipitatione*, quâ eſt ut apud *Gebrum Libro de ſummâ perfectione* Cap. 99. Materia artis in cœlum vecta , ſeu Aludelis collum circa ſpondilia, hærens in terram delabi cogitur , quod quomodo ſit intelligendum , *ipſemet antiquus ille Magiſter in laudato ſuo Libro Cap. 45. explicat , ubi dicit* ; Ne ſis in præparatione illius (quæ fit per ſublimationem) negligens , quia qualis erit mundatio , talis erit perfectio , ubi per mundationem intelligit , ſublimationem , per fixationem autem præcipitationem explicat , quam proinde alibi etiam ſublimationis perfectionem appellat. Impropriè ſumitur pro rubificatione & fixatione præparatorum , quo modo & hoc loco ab Autore Noſtro mercurius in phialam injectus poſt repetitas blandas digeſtiones ex ſe & per ſe inſtar rubei pulveris in fundo remanet , qui vel ſine metallis, vel cum metallis.Hæc mercurii mutatio inconvenienter dicitur Calcinatio , cum neque per privationem aliquarum partium, nec per additionem Salium formam Pulveris induit, ſed ſaltem poſt innumeras revolutiones,& inflexiones,implicationes & alias mutationes Ejus corpuſcula ita ſibi invicem connectuntur, ut fluido corporis loco in rubentis pulveris forma,qui Præcipitatus per ſe dicitur,appareat.

Eſt itaque ſine metallis. 1. *Præcipitatio* ☿*rii per ſe.*) Hîc requiritur phiala peculiariter in hunc uſum facta , cujus ideam vide ſis in *Cl. Zuvelferi Mantiſſ. Spagyric.* part. 1. cap. 7. pag. m. 353. Hujus deſcriptio & elaboratio recto ſuo ſtat talo,adeò ut nil niſi mirabilitas in animis multorum relinquatur , ecqui fieri queat,quomodo fluidum corpus quale Mercurius vivus,idque permanenter,in adeò ſiccum traduci poſſit; Addo permanenter , eò quod in hanc ſententiam circà mutationem aquæ in glaciem , & glaciei in aquam , ut & metallorum in fluida vel dura corpora per fuſionem & refrigerationem dici poteſt. In hiſce enim exemplis , inquit Acutiſſimus Naturæ interpres Anglus *Robertus à Boyle* l. c. acquiſita aquæ duritіes & metallorum fluiditas nuda corporum iſtorum in aërem temperatum tranſlatione poteſt amitti, cum in noſtro Mercurio ⚹tato acquiſita textura adeò ſit durabilis,ut niſi extremam vim externam adhibueris , qualis pleraque alia ſtabilia corpora deſtrueret , ipſam deſtruere haudquaquam poſſunt. Hæc mutatio Mercurii vivi in ⚹atum adeò ſine exemplo eſt, ut licet res inter curioſos ſpagyriſtas ſic notiſſima, multi Phyſicorum ex vulgo ad finem ei habendam non facile adduci poſſint. Omnis tamen ratio à partium dependet textura, ut texturæ mutatione non externi vel interni coloris vario poſitu,eædem partes ad conſtituendum humidum vel fluidum

aut ſiccum corpus reduci queant, & poſt innumeras revolutiones, inflexiones, implicationes, aliaſque mutationes, ita ſibi invicem connectentur, ut fluidi corporis loco, licet per microſcopium minutiſſimi globuli ☿rii vivi adhuc in conſpectum veniant, tamen variè revoluti & intertexti, in rubentis pulveris forma appareat. Qui etiam tædioſa multorum de eorum præparatione poſthabita ſequenti modo compendioſius elaborari poteſt. Rec. ☿rii vivi lib. j. & △ne forti ex retorta vitrea deſtilla: in vaſis fundo & circa ejus latera parum rubri pulveris remanebit, quod nil niſi pars fluidi corporis in ſiccum corpus aliquot horis mutata videtur.

Vires.) ☿rius hic ita per ſe ⊽atus prout Dnus Autor communicavit, ut & ſequens cum ☉ vel ☾na, præterquam quod, uti dictum, ſuam ob dextram præparationem laudem mereatur, magnarum etiam eſt virium, quæ magis diaphoreticæ, quàm purgantes ſunt. Luem eradicat ♀neream, & febres contumaces repetitâ ſuâ exhibitione paucorum granorum doſis extirpat.

2. *Præſtantior evit⊽tatus, ſi fiat cum ☿ ☉lis vel ☽na*) Præcipitatus eſt duplex vel cum ☉, vel cum ☽. vel cum ☉ & ☽ ſimul, & hac poſteriori ratione dicit *Elias Johannes Heſsling* ſe ſuum paraſſe Azoth, quod tamen an verum ſit, valdè dubito. Si enim ⊽atus cum ☉ & ☽ ritè fuerit præparatus, egregiam præbet Medicinam. Ex eodem etiam cenſu eſt *Panacea de La Vigne Medici Regii Pariſienſis*, qua in morbis deſperatiſſimis quaſi miracula præſtitit. Rec. in amalgama coge ☉ & ☽ ana ℥j ß. Mercurii vivi ℥iij. idque induréſcat in albam maſſam, ſimul ac conterimur, ut ne granula duriuſcula maneant, (hæc enim adhærent poſtea vitro, & non excuti, nec in pulverem converti poſſunt) ſtatim apparebit materia humidior, & exprimatur per linteum Mercurii currentis bona pars, pòſt probè conteratur amalgama, ut ſubigantur granula omnia, fietque materia ſubfuſca ſeu nigricans. Si ſic relinquitur, ſtatim ſecandeſcet & obdureſcet, ex trituri verò ſemper madorem & nigrorem contrahit. Affundatur rurſus Mercurius expreſſus & protinus à materia combibetur, additur autem ſemper aliquid Mercurii novi, ita, ut cum initio dupla Mercurii pro ſimpla ſeu unica portione maſſæ ☉laris & ☽naris fit, poſtremò cum ſæpè conteritur & exprimitur Mercurius, decem partes Mercurii ad partem unam Maſſæ veniant. Hæc omnia infunde phialæ, digerantur △ne lampadis continuo, & per 5. vel 6. hebdomadas Arbor Hermetica inde gignetur (tribus chopinis Pariſienſibus, *iſt nach unſern Hælliſchen Maaſſ ohne gefahr ein halb Noſſel*) olei per Menſem facile △ alitur; ut ellychnium unum concinnatum ex quatuor filis continuò ardeat, leviter modò claudatur phiala charta, arctius ut claudatur non opus eſt, quia Mercurius non ultra, quàm ad medium adſcendit, indeque decidit, per blandas quaſi ⊽ationes, idque circiter decies fit. Ad finem fit pulvis ruber ad omnis generis Morbos vel deſperatiſſimos creberrima experientia probatus.

N. 1. Tota operatio novem Menſium ſpatio abſolvitur, adhibito continuo lampadis △ne. Doſ. gr. j. vel ij. uſque ad v. vel ℈ß. in vehiculo appropriato.

2. *☿rii ⊽tatio per ſilices*) Hæc ⊽tatio eſt facillima, ſilices tamen ſint valdè exigui & minuti, præ primis autem hîc locum habeant, qui Goldkranachii reperiuntur de ☉le participantes.

3. *☿rius fixatus. Panacea*) Per repetitam enim ſublimationem cum reſiduis fecibus de novo inſtitutam figitur tandem quodammodo ☿rius à Sale acido ✱ Sciendum tamen non ſinè ſalivatione noxios humores, teſte experientiâ, excludere.

4. *☿rius ⊽tatus per ol. Sulphuris.*) Hæc deſcriptio cum elaboratione admodum conveniens eſt, prout & cum ſp. vitrioli eodem modo præcipitatio ſuccedit. Hic denique ☿rius fixus trinâ deſuper Spir. vini incenſione ulterius corrigendus eſt, in hunc finem, ut, quod nondum ſatis eſt fixatum, cum ſpir. vini avolet.

5. *☿rius præcipitatus per ol. vitrioli rubic.*) Melius, procedit, ſi ☿rius vivus præcipitetur cum ſp. Nitri, prout ſequens ☿rius præcipitatus Corallatus, ſeu Arcanum Corallinum evincit, & cum ſp. vini poſtmodum edulcoretur, eò quod ol. vitrioli ut naturæ metallicæ non ita ſeparari poteſt ut ſp. Nitri: quem modum etiam *Dominus D. Johannes Michaëlis* approbavit & in uſu habuit. Hîc eâdem viâ, quâ ſimplex præcipitatus præparatur per ſolum ſpiritum Nitri pro Mercurii diſſolutione & repetitâ quaternâ cohobatione ſpiritu Nitri recenti ſemper affuſo.

N. Si ☿rium vivum ol. vitrioli corrodas, & menſtruum abſtrahas, calx alba remanebit, quæ affuſione aquæ limpidæ mox in colorem limonium vertetur.

7. *☿rius præcipitatus per ▽ ovorum.*) Hic Modus non ſuccedit ex ovis ad duritiem coctis elicitâ aqua, quid enim niſi aqua ſimplex elementaris inde ſperanda? quomodo igitur ☿rium præcipitabit in pulverem? Melius procedet, ſi loco aquæ ovorum mercurius cum Calce viva præcipitatus fuerit, qui egregiè in ulceribus deſperatis conducit.

8. *Præcipitatus per Tincturam Smiridis. Præcipitatus miraculoſus dictus.*) Smiris calcinatur △ne violentiſſimo aliquot horarum ſpatio, & ſæpius in ▽a extinguitur; donec virideſcat, & lateribus Crucibuli adhæreat, extrahitur poſtmodum Tinctura cum Acet. diſt. decantatur, & ad oleoſitatem abſtrahitur. Cum hac Tinctura mercurius præcipitatur, ob ♂tem qui copioſè in Smiride reperitur. Hic præcipitatus moderno tempore Uſum Medicum non agnoſcit.

9. *Præcipitatus communis cum* aq forti.) Hîc etiam non eſt amplius uſualis, quia tutò non adhibetur ob ejus vehementiam, ἄνω καὶ κάτω purgans, & loco aq. fort. melius ſp. Nitri ſubſtituitur.

N. Si cum Sale marino vel ejus Spiritu ſolutus mercurius cum aq. fort. factus præcipitetur, ad fundum deſcendit in pulveris albi forma; Si autem cum alkali præcipitetur, pulverem ſubflavum vel fuſcum ſuppeditabit. Si autem nulla præcipitatio, & Menſtruum calore convenienti abſtrahatur corroſus mercurius in fundo remanebit, in formâ ſubſtantiæ, quæ eò redigi poteſt, ut differentes colores, differentium caloris graduum ope exhibeat. Ut inde pateat, quouſque texturæ partium mutatio caloris beneficio facta ſeſe extendat.

10. *Præcipitatus albus S. Cloſſ Vomitivo catharcticus.*) Hic proceſſus Mihi valdè arridet. In primis ſi internus ejus uſus, qui ſalivationem excitat, exulet; Et contrà externus, qui eò tutior eſt, recipiatur; Decantata aqua laventur partes affectæ.

11. *Præcipitatus dulcis.*) Miteſcit præcipitatus ruber, ſi cum ana mercurii crudi ſuperfuſo ſp. vini per menſtruum ſpatium in digeſtionem ponatur. Minus tamen etiam tutus eſt ejus uſus internus ſed externus commendatur.

N. Qui unum vel duo Medicamenta ex mercurio ritè præparata habet, reliquis carere poteſt. Nec quem moveat colorum varietas, quia nec hæc aliquid ad benè eſſe facit. *Hofmannus.*

COR-

CORRECTIO *ſeu* RECTIFICATIO
Præcipitati.

1. Diſſolve præcipitat. bulliendo ※ acri per hor. 6. &c. (ut totus diſſolvatur,) diſſolutioni ſuperfunde 🜄 vel 🜔 Tart. & præcipitabitur denuo, ablue igitur & ſicca.

Doſis g. 4. 5. 6. *Untzer.*

2. Digere præcipitat. per diem cum ſpiritu ⊖-i, hinc abſtrahe △ forti, (alii cohobant aliquoties,) ſuper ☿m affunde 🜄 ad eminent. digit. 2. digere (2.) & decantaque alium 🜄 denuo affunde, idque tertiâ vice repete. *Sennert. Inſtitut.*

Vires. *Purgat per inferiora.*

N. *Alii abſtrahunt* 🜄 *& cohobant aliquoties.*

3. Imbibe præcipitatum communem, (flavum vel album ∇â roſarum aliquoties ablutum,) cum 🜄 opt. ac camphora ana, viciſſimque 🜄 l. △ evoca.

Vires. *Purgat per inferiora præcipuè materiam febrilem. Utilis quoque eſt in Peſte morbiſque Epidemicis.*

N. *Ante Paroxyſmum cum Theriaca exhibetur.*

Doſis à gr. 3. *ad* 6. *Hartm. in Croll.*

4. Vis vomitiva Præcipitatorum Mercuriorum infringitur etiam ſi in ~tu Hominis ſolvantur, reverberentur leniter & per aq. ovorum ſæpius cohobatam figantur.

12. *Mercur. præcipitatus incarnatus.*

℞. Merc. ℥ j. ſolve in 🜅 ℥ ij. ſolutioni adde ∇ calida ℥ iij. ac infunde poſtea urinam ſani hominis recentem, & præcipitabitur merc. incarnatus aquâ eluendus. *Hartm. in Croll.*

Vires. *Solum ſeceſſum movet.*

Doſis à gran. vj. ad x.

13. *Merc. Præcipitatus luteus.*

Fit, ſi loco urinæ, ſolutioni priori inſtillaveris 🜔 Tart. p. d. ſic præcipitabitur merc. luteus, quem ſimiliter lotione edulcora. *Hartm. in Croll.*

Vires. *Vires & Doſin eandem cum priori obtinet.*

14. *Alius merc. præcipitatus Vitriolatus fixus, dulcificatus.*

℞. Merc. purific. ſolve in 🜅 (ex ⊖ ♁ ij. & Sal. Nit. p. 1.) abſtrahe & cohoba vice tertia: Hinc affunde ~m ⊖-i, rectifica, deſtillaque cohobando, (6) poſtea affunde 🜄. cohobaque itidem aliquoties (decies) præcipitatum edulcora aquis cordialibus ac ſerva. *Kesler. lib.* 1. *c.* 2.

15. *Præcipitatio Mercurii egregia.*

Fac 🜅 ex Sal. Nitr. ♁ ij, ⊖, ♁ j. O non calcinat. ℥ x. Sal. Com. ℥ vi. In hac vel communi 🜅 ſolve mercurii purgat. quantum 🜅 ſolvere potis eſt, (alioquin non libenter fit præcipitatio.) ſolutioni affunde aquam fontan. frig. ℥ ij. iij. ſtent aliquot horas extra ignem, ut præcipitetur merc. pòſt affunde multum aquæ frigid. atque repone ad ſubſidendum, præcipitatum edulcora, iteratâ ablutione, ac digere in vitro lati orificii, ſive ✕ l. △. ad ſiccitatem. Exiccato huic præcipitatio affunde denuò ※ acerr. p. IV. digere in MB. per diem unum ac alterum in cucurb. probè obturata, tandemque ut antè in vitro lati orificii exicca. *Harm. in Croll. Sennert. Inſtitut.*

Doſis gran. 1. *ad v. vel vj.* Schroderus.

Correctio ſeu Rectificatio Præcipitati.) Omnes dictæ ab Autore Noſtro correctiones & rectificationes præcipitati merè palliativæ ſunt. Proinde & CL. Helmontius perbenè dixit, quamdiu mercurius revivificari poteſt, non eſt tutus ejus uſus, nec boni viri remedium, prout in præſentibus uſu venit, in quibus ad priſtinum ſuum redit ingenium mercurius.

12. *Mercurius præcipitatus incarnatus.*) Hic proceſſus præ aliis etiam commendatur, modo pro aq. fort. ſubſtituatur ſp. Nitri. Et productio coloris incarnati ut & ſubſequentis 13. mercurii præcipitati lutei, ut ſupra jamdum monuimus, ortum ſuum debet coalitioni Mercurialium particularum cum acidis nitroſis & ſalſis urinoſis & alkalicis, invicem pro texturæ diverſitate, figurarum & poſitu aſſociatis.

Vires ſcilicet mercurii præcipitati lutei.) Hic mercurius præcipitatus luteus cum antecedente incarnato ſolum ſeceſſum movere perhibetur, ratione ol. Tartari & urinæ ceu alkalicorum, & licet interdum etiam vomitum cicat, tamen illud non ab ipſo præcipitato, ſed potius à ſaburrâ vitioſorum humorum Archeum Ventriculi infeſtante provenit, à quâ Natura auxiliantibus manibus jam ſublevata ſeſe liberat. Seu, ut Dogmatici Galenici loquuntur, provenit potius ille motus per ſuperiora à bilioſis humoribus ventriculo ſubſtratis, hinc in ictero ſpecificè prodeſſe ſtatuunt. Verùm cum Meliora ac tutiora poſſideamus, quis frugibus inventis jam ulterius glandibus veſcatur? præcipitatis his utique carere poſſumus.

14. *Alius mercurius præcipitatus vitriolatus fixus dulcificatus.*) Si cum ſpiritus vitrioli corrigitur præcipitatum, flores ſupra dicti Papiliones alium colorem aliaſque nanciſcuntur virtutes: Et 🜄 inde per cohobationem deſtillatur, ut effluvia mercurialia ſi qua reſidua fortè ſimul inde avolare queant. Præterea & ∇ cordialibus præcipitatum edulcorandum, præprimis autem iis, quæ mercurium, ſpecificâ vi corrigere dicuntur, ut ∇ radic. enulæ, pimpinell. Scorzoner. &c.

15. *Præcipitatio mercurii egregia.*) Hæc à *Cl. Hartmanno.* Nobiliſſ. *D. Sennerto* & D. D *Johanne Michaelis* p. m. mirificè commendatur, quia Menſtruum, prout Dominus Autor tradidit, penitus abſtrahi poteſt, ut nulla ferè remaneat ſalſedo cauſtica; Et ſi qua remanſerit, per Acet. deſtill. acerr. affuſum optimè corrigitur. Unde & hic modus antea in uſu fuit modò laudato D. D. Johan. Michaelis p. m. *Hofmannus.*

De præcipitatis cum metallis.

1. *Præcipitatus* ☉ *laris.*

℞. 1. ☉ puri & limat. vel lam. redacti ℥ ß. ſolve in 🜅 ex Sal. Com. (ſine *) facta.

℞. 2. Vitr. ♂ ii hyacinth. ℥ ß. ſolve in 🜅.

℞. 3. ☿ ii purgat. ℥ iij. ſolve ſimiliter in 🜅.

Solutiones omnes confunde, abſtraheque ∇ per ✕: hinc novam 🜅 affunde, ſæpiuſque identidem evoca, idque tantiſper, donec præcipitatus in ignita ferrea lamina nullum penitus fumum de ſe emittat. Poſtea præcipitatum totum calcina ſub tegula, ut ~🜆 omnes diſſipentur. Tandem ab eodem 🜄 ſexies deſtilla, atque denuo ☿m ſub tegula lentè igniendo calcina.

Vires. *Summum eſt remedium mundificativum ſanguinis ac totius corporis in lue venerea. Magnum quoque fert ſolamen in Hydrope, pellit aquam per urinam, exiccat fontem. Prodeſt quoque in caduco, colica, quartana, ulceribus malignis ac cancroſis ſubvenit, & ſimil. Hartm. in Croll.*

2. *Præcipitatus* ☉ *laris regulinus, ſeu diaphoreticus.*

℞. 1. Regul. ♀. ℨ j. ſolv. in 🜅 vel 🜆.

Confunde & abſtrahe ad ſiccitatem in arena. Hinc edulcora aquâ & ſpiritum 🜍 aliquoties (ſepties) deſuſuper cohoba, ſubinde novum ſpiritum affundendo. Tandem edulcora denuo, ac 🜄 ternâ vice inde deſtilla, ad ſiccitatem pulveris flavi.

Vires. *Præſtantiſſimum eſt ſudorificum in omnibus morbis, qui diaphoreſin requirunt.*

Doſis gran. 3. 4.

N. *Ut regulus eò felicius ſolvatur, imbibe aliquoties ejus pulverem* 🜂 *, hinc ſolve.*

3. *Hercules Bovii.*

Huic finitimus eſt Hercules (potius aurum vitæ,) Bovii, qui nihil eſt aliud quam ☿ præcipitatus ☉laris cum vitro ♁ii conjunctus.

Nimirum.

℞. ☉ purific. ℥ j ☿ purific. ℥ iv. utrumque ſolvit ſeorſim in 🜂. Solutionem utramque confuſam deſtillat (△ graduali, & in fine aucto) per retortam: præcipitatum quod in fundo remanſit, ut & ſublimatum, quod parietibus, vel collo retortæ adhæret, ſolvit iterum in 🜂 nova, & deſtillat, idque repetit tantiſper, donec tota materia in præcipitatum convertatur. Poſtea calcinat ſupra ferrum ignitum ad figendos ſpiritus corroſivos, & denique edulcorat.

Vires. *Ex mente Bovii omnibus aliis catarcticorum ſpeciebus antecellit: Eſtque domitor vermium. Luis ♀, Petechiarum, Peſtis, Quartanæ, & aliorum incurabilium morborum.*

Doſis à g. 3. ad 6. vel 8. cum ſaccharo roſato, & in ovo vel brodio, vel in pilulis, inprimis ſi conjungatur cum Scammonio, & humectetur ▽ *vitæ, quæ deſuper comburatur. Tentzel. ſect. 3. panchymag. Mercuriali.*

4. *Aurum vitæ, Hartmann.*

1. ℞. ☉ purgat. ℥ß. ſolve in 🜂 ℥ ij. ſervando ſolutionem in calido.

2. ℞. Mercurii crud. purific. ℥ vi. ſolve in 🜅 commun. ℔ j. utramque ſolutionem mixtam, (qua mixtione apparebunt omnia nigerrima,) ex arena per XX l. △ gradatim aucto, deſtilla, donec, quæ, in fundo, rubeſcant, & cucurbita tandem ſubtus candeat: Exemptum dein pulverem ſub capſul in catillo, ſubinde cum ferreo baculo calcina, donec 🜍 ab 🜅 probè evanuerint: Ablue poſtea aquâ dulci omnem ſalſ dinem & extremo 🜄 correctum ab eodem ſæpius per cohobia deſtilla.

Uſus ejus egregius eſt in Peſte, ut & aliis morbis quàm plurimis.

N. *Fit* 🜂 *ad hoc opus.*

℞. 🜅 is ex ⊖: Sal. Nitr. & O ana factæ ℥ iv. ✱ ℥ j. Miſc. & deſtilla per alemb. ex arena.

5. *Aurum vitæ S. Cloſſ.*

Fac ããã ex Regulo ♂ris ſtellato & ☿io, lava hunc pluries, & exprime per pannum, ſecundo fac aliud ããã ex ☉ & ſuperfluum ☿um iid m exprime, tertio ambo ããata commiſce, ita ut ſine Reguli ♂tis & ☉ ana ℥ ß. ☿ii ℥ ij. aut circiter, quarto ſuperfunde Ol. ⊖li, digere dum colorem ruberrimum acquiſierit, quinto Tincturam inde extrahe cum 🜄 extractam, circula per menſem, tandemque rectifica.

Vires. *Purgat ſuaviter & ſudores copioſos movet.*

Doſ. à gr. 8. ad ℈ß. *gr. 12.*

6. *Aurum vitæ aliud.*

℞. ☿. purific. ℥ v. ☉ puriſſ. laminat. ℥ß. F. amalgama quod abluatur 🜔, donec omnis nigredo ablata fit.

Poſtea impone in 🜭m, & affunde 🜅m, (ex ⊖ p. ij & Sal Nit. p. i.) digereque (in cineribus vel arena,) ut ſolvatur ☿ & ☉ in fundo ſub forma pulveris remaneat: dein deſtilla augendo in fine △m, ut fundus retortæ incandeſcat omneſque ſpiritus corroſivi prodeant. Vaſis refrigeratis, tere materiam, abſtractamque 🜅m iterum affundendo cohoba, & invenies in fundo pulverem rubicundum, quem collige, abjiciendo quod ad latera retortæ fortè fuerit ſublimatum. Hinc candeſac laminam ferream, cui optimè candeſcenti, inſperge pulverem illum Mercurialem, non modo ut optimè exiccetur, ſed & ut id quod volatile reſtat, evaporet. Hinc aufer & reſerva in vaſe clauſo.

Vires. *Purgat per ſeceſſum lentè ſine omni etiam vomitu, niſi ſcilicet ventriculus impuritatibus refertus ſit. Summum arcanum eſt in Hydrope, Lue Gallica & omnibus cutaneis affectibus, atque defluxionibus, ut & ubi corpus ſcatet pituitoſis humiditatibus.*

Doſis à gr. 3. ad 8. cum Terebinth. pauxillo aut extracto aliquo. Hartman. in pract. pag. 12. Confer Sennert. in Inſtitut.

7. *Præcipitatus viridis ſeu venereus.*

℞. Mercurii purificat ℥ iv. ſolve in 🜅 commun. in eadem 🜅 ſolve & ♀ is ℥ ß. conjunge ſolutiones ac abſtrahe in arena, urgendo in fine ignem, ut maxima pars ſpiritium tollatur. Præcipitatum exicca ac digere cum ✱ in MB ♂ ac 🝆: ultimo fac bullire, ut puriſſima pars Mercurii in ✱ ſolvatur. Hinc decanta & abſtrahe atque ſicca ſine lotione.

Vires. *Eſt ſpecificum in Gonorrhæa virulenta, quam nimiam tollit, inſufficientem promovet, ideoque ſingulis diebus continuandus ejus uſus eſt, donec omnis fluxus ſedatus ſit.*

Doſis à gr. ij. ad viij. Hartman. in Croll.

N. *Signum boni præcipitati eſt, ſi aurum fortiter cum eodem fricatum, non dealbetur, ut ſolet ex contactu Mercurii.*

Huc

8. *Vitrum Mercurii* ☾*nare.*

℞. ☿ præcipit. (per ☍ ⊖i rubic.) ℥ ij. ☾æ calcinat & ✱ ana ℥ j Miſc. & ſublima. Sic aſcendit ✱, relictis in fundo Mercurio & ☾ â inſtar auri puriſſimi; inde crucibulo & da ignem fuſionis, ut in vitrum ſimul abeant. *Vide Diſput. Chym. Med. Hartmann. 7. th. 127.*

9. *Vitrum ex* ☿ *vitæ, ſive Succinum* ♁*ij.*

℞. Mercurium vitæ abſtrahe per 🜭m partes minus fixas, reliquum fundatur igne fort in vitrum, quod tranſparens opacum, vel ſi diutius in igne contineatur, Hyacinthinum evadit.

N. 1. *Dicitur aliis ſuccinum* ♁*ii, quia nihil aliud eſſe videtur quam vitrum* ♁ *ii, non mercurii.*

2. *Si abſtractio partium minus fixarum fortius urgeatur, extillat viciſſim liquor inſtar butyri* ♁*ialis.* Schrodèrus.

De Præcipitatis cum Metallis. 1. *Præcipitatis* ☉ *ris.)*

Hic præcipitatus ob ſalia aq. fort. corroſiva prout & ſequens 2. ☉laris regulinus ſeu diaphoreticus valdè ſuſpectus eſt. Non deſunt, qui *Cl. Helmontium* in hydrope hoc præcipitato uſum fuiſſe ſtatuunt. Verùm Mihi ejus ſcripta ſedulò evolventi nunquam perſuadere hoc ipſum potui; Dum ſtatuit *in progymnaſ. Meteor. §. 18.* ab ejuſmodi Menſtruis corroſivis interiorem Mercurii nucleum non attingi, multo minus terebrari, ſed terram ejus Sulphuream tales ſolum ſubire mutationes, quâ ſpoliatus Mercurius nullo igne manet mutabilis. Proinde & alibi ſcribit, quamdiu Mineralia virus ſolutivum adhuc ſuum obtinent, tamdiu arcanorum nomine ſunt indigna, quæ cauſa etiam, quod in *tr. ignotus Hydrops §. 39.* ſcribat Mercurius præcipitatus non juxta noſtrum ſed Paracelſi præſcriptum omnem curat hydropem, non quatenus purgat, ſed in quantum materialiter tranſiens per inteſtina reſolvit cauſam occaſionalem. Sin una vomitum vel alvum cieat, illud hydropi erit per accidens. Ut autem id pro voto ſuccedat, mori oportet Mercurium abſque ullo ſalium externorum ſodalitio, aut Spirituum alienorum conſortio. Sic tamen mori convenit, ut vivum maneat in plauſtro. Quæ cauſa etiam quod *in tr. Diſpenſator. modern. §. 39.* de-

§. 54. deteſtetur omnes Mercurii præcipitationes, vitrificationes &c. dum neſciunt, inquit, ah neſciunt, acidum venis hoſtile, ideoque peregrina diſſolventium ſuperata & tranſmutatâ aciditate ejuſmodi minerale pulverem eſſe, vel tale, ut antè.

3. *Hercules Bovii.*) Bovius fuit Medicus, cujus nomen in Italia longe lateque notum fuit, magno theatro ſpectatus hic ferè omnes lue ♀nerea infectos hoc ſolo curavit Hercule quod Medicamentum pro maximo habuit arcano & adhuc in Italia decantatur pro arcano. Scilicet accipitur ☉ purific. ℥ j. mercurii purific. ℥ iv. utrumque ſolvitur ſeorſim in aq. reg. Solutio utraque confuſa deſtillatur per retortam: præcipitatum quod in fundo remanſit, ut & ſublimatum, quod retortæ collo adhæret, ſolvitur iterum in aq. reg. novâ, & deſtillatur, idque tamdiu repetitur, dum tota materia in præcipitatum converſum fuerit, poſtea calcinatur, ut ſalia aq. reg. averruncentur. Verùm & hic Hercules Bovii valdè etiam ob aq. reg. ſalia corroſiva remanentia adhuc ſuſpectus eſt: Proinde ſequens potius ☉laris præcipitatus eſt præferendus.

Rec. Mercurii ſæpius cum Regulo ♂tis ſublimati ℥ ij. ☉ puriſſimi ʒ vi. f. ããã in Crucibulo △ne moderato, Aurum candefactum in mercurium actu calidum projiciendo. Hoc ããã toties lavetur Acet. & Sale, uſque dum nulla amplius nigredo conterendo & abluendo conſpiciatur: Hinc ſiccatur, cui probè mundificato adde præcipitati per ſe facti rubicundiſſimi ℥ ij. conterantur diu multumque in mortario vitreo, quoad bene uniantur, & immittantur phialæ, ac per gradus △nis denuo ad ſiccitatem & ſummam reducantur rubedinem.

4. *Aurum Vitæ Hartmanni.*) Hoc ejuſdem pretii ac valoris eſt cum Hercule Bovii.

5. *Aurum Vitæ S. Cloſſæi.*) Hoc reliquis præfertur; quamvis Spiritus Vir. ær. oleo Vitrioli ſurrogatus hanc compoſitionem commendabilem redderet, ad colorem rubrum mediante digeſtione inde acquirendum & demum, cum ſp. vini extrahendum, tamen & ſequens in caſibus deſperatis non eſt poſthabendum. Rec. ☉ purgat. per ♁ ſoluti in ſp. Sal. comm. ſ. q. ℥ ß.

Mercurii ſoluti in ſ. q. ſp. Nitri ℥ iij. conjunge cum repetita cohobatione, poſtea ablue benè & Acet. diſt. aliquoties impræġna & abſtrahe; Pulvis ſub tegula exſiccandus, & habebis ☉ lare præcipitatum. Doſ. gr. iij. iv. v. pro diverſitate conſtitutionum, curat Luem ♀neream, Lepram, icterum, febres quartanas, Maniam &c. purificando ſanguinem.

6. *Aurum vitæ aliud.*) Fiat fortiſſima deſtillatio, in hunc finem, quo nihil ſalium cauſticorum ibidem remaneat; imò etiam ſub tegulâ inſimul calcinari poteſt, ut ſpiritus corroſivi omnes totaliter evaneſcant.

7. *Præcipitatus viridis ſeu venereus.*) ♀ nus probè purificata eſſe debet, antequam compoſitionem ingrediatur, vide ſupra *De Cupro Cap.* 12. Hic præcipitatus fuit etiam in uſu *D. D. Johanni Michaelis* p. m. Ubi notandum, quod licet Materiam peccantem per urin. expellat, & hâc ratione gonorrhœam augere videatur, junioribus tamen practicis nullum incutere debeat terrorem, dum ejuſmodi excretio ſæpe fiat cum εὐφορίᾳ, Naturâ hoc modo ſeſe ab hoc malo liberante. Doſis eſt à gr. ij. ad viii. primò ſcil. vel ſecundo die, poſtea augeatur doſis ad ℈ ß. & exhiberi poteſt cum panchymagogo *Crollii*, vel extracto catholico *Andernaci*.

8. *Vitrum mercurii* ☽*nare.*) Sic etiam fit ☽na cornea; ſed plus de ☽na, quàm mercurio participat, quia mercurius per fuſionem abit in auras. Sed nullum in Medicinâ agnoſcit uſum.

Vitrum ex mercurio vitæ, ſive ſuccinum ♁*nii.*) Succinum dicitur à colore; ſed non mercurialis, verùm ♁nialis eſt proſapiæ, ut infra de ♁nio uberius patebit quo etiam pertinet.

N. Succinum hoc ſi infundatur, magis leniter vomitum movet, atque Mercurius vitæ. *Hoffmannus.*

III. SUBLIMATIO.

1. *Mercurius ſublimatus Officinarum.*

℞. ☿ in ▽. ſolut. Vitrioli exiccat. Sal. Com. decrepit. ana. Miſc. exactè & ſublima ex cucurbita humili. *Gluckrath. in Beguin.*

2. *Aliter optimus pro* ☿ *dulci conficiendo.*

℞. ☿ Purific. Vitriol. rubific. Sal. Com. decrepit. ana ℔ i. Sal. Nit. ℥ ix. Miſc. exactè aſpergendo modicum ✶ ſublimaque ut dictum.

Jam denuò.

℞. ☿ ≏ illius ℔ i. Sal. Com. decrepit. ℥ xii. Vitriol. rubificat. ℥ iv. M. Sublima.

Iterum.

℞. ☿ ≏ti illius ℔ i. Sal. Com. decrep. ℥ xii. M. ſublima.

N. *Puriorem Mercurium* ≏*m ſi deſideras, reitera adhuc ſublimationem, ſed ſine additione. Beg. Untzer.*

3. ≏*tus Regulinus.*

℞. ☿ Purificat. Regul. ♁ii anâ ℔ ß. Vitrioli rubific. ℥ iv. Sal. Com. ſuſ. ℥ vi.

Miſc. & ſublima ex ſublimatorio vitreo, deſuper defundendo ▽: ſublimatum miſce cum ⊖, ac ſublima denuò, idque vice tertiâ.

Vires. *Inſervire commodè poteſt Mercurio dulci, aliiſque Medicamentis, ex* ☿ ≏, *præparandis.* Schroderus.

3. *Sublimatio.* 1. *Mercurius ſublimatus Officinarum.*) Electio ſublimati ad Medicamentorum præparationem Medico ſummè neceſſaria eſt; & quantum inter vulgò ſublimati & Ejus, quod fideliter præparatum eſt, operationes diſcriminis ſit, non tantum in metalla, ſed etiam in humana corpora peritis Arte Medico-chimicâ erit notiſſimum. Longè alia operatio illius eſt, qui juxta *Domini Autoris* primum & ſecundum modum, & alia illius, qui juxta ſequentes modos hoc eſt, qui abſque Nitr. aut aq. fort. & ſaltem cum vitriolo & Sale præparatus eſt mercurius ≏atus, Et niſi etiam præterea ad cryſtallinam uſque puritatem fuerit ſublimatus, & colorem acquiſiverit albiſſimum, in Medicinâ locus ipſi minimè concedendus erit; qualis modo adductus Autoris Mercurius ſublimatus officinarum, ubi non ſufficit Vitrioli nuda exſiccatio, ſed & neceſſe eſt, ut Vitriolum ipſi deſtinatum ita calcinetur, ne ſuo ſpiritu privetur acido? Deinde nec anatica mercurii in aq. fort. ſolut. Vitrioli & Salis proportio ſufficit, in primis ſi corroſivus reddi debeat mercurius, ut non ſolùm illorum pondus duplicetur, ſed & ſublimatio mercurii addito ſemper recente Vitriolo calcinato & Sale bis terve reiteretur, donec in cryſtallinam ſublimetur compagem, & non per Aren. ſed △ne aperto ſervatis △nis gradibus in cucurbitâ lutatâ, quemadmodum & *Dominus Autor* in ſecundo modo innuere videtur. Hæc ex *Cl. Zvvelferi Mantiſſ. Hermetic.* libuit. Quam admonitionem equidem obſervari poſſe & *Dominus Lucas Schrœckius Luc. Filius in Mantiſſ. Hermetic.* p. 543. concedit. Sed rationem illam *Cl. Zvvelferi*, quâ ideo vitrioli perfectè ad totalem Spirituum expulſionem calcinati id eſt, colcotharis additionem rejicit, quod liquefactionem & coagulationem ſalis unà adjecti quidem impediat, citius tamen ipſos ſalis ſpiritus abſorbeat, antequam mercurium attingant, & ſic pro majori parte Mercurius in ſublimatione ſemper adſcenderet vivus, putat inſufficientem, dum pars illa Spirituum ſalis à colcothare

cothare abſorpta, non in eo ita figitur, ut non cum Mercurio, & reliquis acidis Salis particulis iterum elevati poſſit. Alias Spiritus quoque acidi Vitrioli ad cinereum vel flavum colorem calcinati in ſublimatione non aſcenderent, ſeſeque hydrargyro unirent ac ita vitriolum hocce inutiliter ferè pro hac operatione abſumeretur. Unde ipſe *Zvvelferus* Mantiſſ. ſpagyric. p. 351. pro altera ſublimati corroſivi confectione colcotharis ſeu Capitis mortui Vitrioli parum addere permittit, quod parum ſpirituum acidorum quoque partem aliquam à ſale abſorbet. Poſtea etiam *Clariſſ. Zvvelferus* Vitrioli & Salis præſcriptam quantitatem non ſufficere putat, præſertim ſi corroſivus reddi debeat mercurius; neceſſum igitur ducit, ut non ſolùm pondus eorum dupletur, ſed & ſublimatio mercurii additis ſemper recentibus ſpeciebus, bis terve reiteretur, donec in cryſtallinam compagem elevetur. Hîc majorem quidem dictorum corporum, ſalis ſcilicet & vitrioli calcinati, quantitatem commiſceri poſſe, ut magis corroſivus evadat mercurius ſublimatus, non etiam impugnat *Cl. Lucas Schrœckius*; interea tamen cum præſcripta doſi ſublimatum eundem non eſſe corroſivum, non rectè adſtrui ſtatuit; quorſum enim, inquit, abierint Salia iſta corroſiva Sal. comm. & Vitrioli, cum in relicto Cap. mort. non invenientur? certè cum mercurio ſalinam præ ſe ferente faciem, conjuncta ſunt, unde non niſi corroſivam hinc induiſſe naturam dici poteſt. Verùm juſto adhuc ſtat talo *Nobiliſſ. Zvvelferi* de mercurio ſublimato ritè conficiendo ſupra in medium allata cenſura, dum ejus verba directa ſunt ad moderatam, & non totalem, ubi penitus penitùſque ſuo corroſivo aut ſpiritu acido Vitriolum privatum eſt, calcinationem; in modernâ enim Vitrioli calcinatione pars illa ſpirituum ſalis non ita figuntur, ut non cum mercurio & reliquis Vitrioli acidis particulis elevari poſſit, quàm in perfectâ, ubi ad totalem ſpirituum acidorum expulſionem Vitriolum calcinatum ſpiritus acidos ſalis abſorbet & coagulat, antequam mercurium attingant, ut mercurius vivus in ſublimatione abſque ſalibus adſcendere cogatur. Alia igitur ratio eſt vitrioli etiam ſaltem ad cinereum vel flavum colorem calcinati, cujus calcinatio etiam eſt moderata, cujus ſpiritus acidi quoque in ſublimatione cum mercurii unione adſcendunt. Nec refert, quod ipſe *Zvvelferus* in mantiſſ. l. c. pro alterâ ſublimati corroſivi confectione Cap. mort. Vitrioli parum addere permittat, particulæ enim ſalinæ acidæ in hujus ſublimati elaboratione ſuperant hoc parum colcotharis, ut ita facilè cum mercurio ſublimari poſſint. Deinde ut ſublimatus mercurius commodè in cryſtallinam elevetur compagem, neceſſum eſt, ut non ſolùm pondus vitrioli & Salis dupletur, ſed ſublimatio ſæpius reiteretur, quo ſublimatum æque bene corroſivum fiat, id quòd *Domino Lucæ Schrœckio* concedimus; at minus hâc corroſione, quæ malignam ac deleteriam ſecum trahit qualitatem, quam ſi quis in ſublimato ex Nitr. vel aq. fort. confecto negare auſit, omni rationi & experientiæ repugnabit. Magis igitur ad medicinam ſublimatus adaptatur, qui ſolum cum Vitriolo & Sale, abſque additione Nitri vel aq. fort. præparatus fuit, licet ille quoque ſit corroſivus, abſque malignitate tamen eſt, & noxâ, cum per ſe externè ulceribus ſordidis venereis aliiſque affectibus applicatus, tum etiam ad interna medicamenta prius dulcificatus ad uſum tractus, ut infra videbimus, ſine ſanitatis diſpendio aut læſione agit, minoreque periculo uſui Medico eſſe poteſt, quàm ſimplex dictus ex Nitr. aq. fort. &c. qui Venetiis in magnâ copiâ paratus ad Nos transfertur.

Recip. Mercurii vivi depuratiſſimi ℔ ß. Vitrioli Ungaric. calcinat. albiſſ. Salis exſiccat. ana ℔ j. ſubigantur cum modico aceti, exſiccata terantur, & ſimul miſceantur in mortario lapideo tamdiu, donec mercurius cum ſalibus in pulverem abeat. Tritam materiam inde cucurbitæ cum alembico & igne aperto deſtilla per gradus ad 8. horas ſervatis ignis gradibus. Hujus ſublimatio additis ſemper recenti Sale & Vitriolo bis vel ter reiteretur, donec inſtar albiſſimorum cryſtallorum meteoriſetur. Hoc modo ſi ſublimatus regulinus conficeretur tertius omnium optimum acquireres ad mercurium dulcem ſequentem & alia ex mercurio ſublimato præparanda. *Hofmannus.*

4. ☿ *Dulcis vulgaris: Draco mitigatus.*

℞. ☿ ♎ti ℥ VIII. ☿. crud. purific. ℥ VI. Miſc. exactè in mortario lapideo, vel ſuper porphyrite, donec Mercurius vivus amplius conſpici nequeat. Hinc ſublima calore arenæ in Phiala leniter ſaltem obturata & ſublimabitur totus ferè Mercurius, adhæreſcetque lateribus Phialæ, remanentibus in fundo fæcibus, quas una cum nigricante materia collo phialæ adhærente rejice. Hinc ſublima denuò, idque vice tertiâ, rejectis ſemper fæcibus, ut dictum.

N. 1. *Si purum inſipidumque ſecundâ ſublimatione obtinueris, acquieſce, multa enim ſublimatione infringitur vis purgatrix.*

N. 2. *Alii addunt quoque Colchotar.*

N. 3. *Optimum Mercurium dulcem conficies ex mercurio ♎to regulino, & Mercurio ♁ ii.*

Harmann. in Croll.

Vires. *Omnes humores noxios ſine perturbatione blandè expurgat, unde vel infantibus exhiberi poterit.*

Doſis: Dari quidem poteſt ad ʒß. Verum ut eò citius operationes ſuas perficiat, nec diu in corpore deliteſcat, acui ſolet purgantibus aliis fortioribus, exempli gratia, Diagrid. Trochiſc. Alhand. & ſimil. Daturque cum iiſdem à gran. 8. ad 15. & plur.

Hartmann. in Croll. Sennert. in Inſt. Tentzel.

5. *Alius.*

℞. Mercurii in ∾u Vitrioli ſoluti & edulcorati.

Mercurii crudi ana.

Sublima aliquoties ut dulcis fiat.

Vires. *Lentè purgat per inferiora.*

Doſis à gran. 6. ad 12.

N. 1. *Eodem modem modo dulceſcit & Mercurius præcipitatus luteus ſi per ſe ſublimetur, dulcificatuſque leniter alvum movet.*

Doſis gr. 8.

2. *De uſu: Ex omnibus hiſce Mercuriis dulcibus poteſt parari aqua utiliſſima ad inflammationem, fiſtulas & ulcera maligna, non tantum detergenda, ſed etiam cicatriſanda, præcipuè in Lue venerea; valet etiam ad ſcabiem, ſine noxa penitus curandam.*

Nimirum.

Projicitur Calc. viv. recens in aquam bullientem, relinquiturque aliquamdiu, hinc filtratur, in filtraturæ ℔ 1. diſſolvitur bulliendo Mercurii dulcis, q. ſ. colatur & ſolvatur. Fallopius vocat aquam aluminis. *Hartm. in Croll.*

6. *Sublimatum dulce Talcoſum S. Cloſſ.*

Fit ſi M. cum Sal. Nit. irrorando guttulis aliquot ℅ Sal. Com. hæc tria conſtituunt Axungiam Talcoſam fluentem.

Vires. *Suaviter purgat abſque vomitu, deobſtruit & refrigerat, eſtque ſecurum febrium intermittentium ſolamen.*

Lanugo perlata ſive flores ☿ argentei ex inventione S. Cloſſ.

1. Facta eſt 🜅 ex ana Sal. Com. & Sal. Nit. triplo boni communis ad modum 🜅 2. in ℔ j. hujus ſpiritus

tus ſolutæ fuere ☿ crudi ℥ x. & abſtractâ ♃ ad duas tertias, collecti fuere cryſt. Illi probeque edulcati 3. perfuſi ſunt iidem ▽ Tartariſato, ad 3. digit. ſupereminentiam ſicque per menſem in putrefactione, MB ſtatere, 4. materia in ♉ conjecta eductoque ▽ pars quædam ☿ ij. ſublimabatur △ auctiori, pars in rubrum abibat Præcipitatum. 5. ambobus iterum confuſis ✱ affundebatur, & poſt digeſtionem unius diei ac filtrationem calidam, tota materia ſoluta in floccos argenteos goſſypio perlato fulgentique ſimiles fuit converſa incaleſcente menſtruo. 6. hos flores cochleari vitreo detraxi & in charta bibula quadrupl. exiccavi, ita enim ſplendorem non amittunt. 7. cum alio ✱ ſuper reſtitantem materiam conjecto novos flores collegi, idque ter quaterve repetii.

Vires. *Ex Untzero repetend, qui longè operoſiorem nobis methodum aliam reliquit in Anat. ☿ ij p. 255. Ubi enim illic per grana & ſcrupulos abraduntur flores, hic per uncias & libras congeruntur.*

Doſis eorum eſt gran. vj. in formâ pilul. cum pauxillo Extracti liquir. Educit abſque violentiâ humores vitioſos in febre quotid. ſcabie, Leprâ.

8. *Mercurius* ⌒*tus rubeus non corroſivus, Arcanum Crollianum.*

℞. Mercurii optimè purgati, ℔ j.
Sal. Nit. optimè purificat.
⊖i ad rubedin. calcinat. ana ℔ ij.

Pulveriſentur & miſceantur optimè. ſubindè irrorando & incorporando cum ✱ acerrimo, donec diſpareat penitus Mercurius. Hinc ſublima ex arena, in cucurbita lutata, cum capitello, & exit primum phlegma, dein auctiori △, viginti quatuor horas continuato, ſublimatum proximè à materia rubeum, paulo altius flavum. Utrumque rubeum ac flavum, cum Sal. Nit. ℔ j. & ⊖ leniter calcinati, ℔ j. miſce impaſtaque cum phlegmate ✢, ſublimaque denuo ut prius (horis duodecim,) & aſcendit iterum ſublimatum rubicundum ac flavum, collige ſingula ſeorſim, rubicundum elue ▽is cordialibus, ac ab eo efflagrare ſine ▽; flavum calcina igne medioeri, ut rubeſcat, hinc elue ſimiliter ac corrige cum ▽ deſuper accenſo.

N. *Feces nigricantes cum Mercurio in capitellum aſcendentes, abjiciantur in ſingulis ſublimationibus.*

Vires *Purgat, per inferiora præcipuè, magnumque ſecretum in Hydrope, morbo Gallico, Podagra, Scabie, Ulceribus, Cancro, &c. Crollius.*

9. *Modus compendioſior, Laudanum Mercuriale ſive Metallicum.*

℞. Salis extracti ex ⊙o ▽is, (ex ⊖ & S l. Nit. ana fact.) ℥ vi. ☿ purific. ℥ ij. Sal. nit. purific. ʒ ij.

Pulveriſa ac miſce optimè impaſtand) cum ✢ ſublimaque, ut dictum, ſic aſcendit pars quædam alba, quædam lutea, quædam crocea, quædam rubicundiſſima, collige croceam ac rubicundam, abjectis cæteris, ſublimaque denuo per ſe ex arena igne ſat forti, ac omnia rubeſient: hinc elue ac corrige ▽ ſupra accedendo.

Vires. *Eaſdem habet cum præcedenti. Hartmann. in Croll.*

10. *Manna Mercurii, ſeu Mercurius dulcis* ⊙*laris.*

℞. Mercurius dulcis vulgaris, q. v. tantiſper ſublimationibus iteratis eleva, donec in ſixos abierit Cryſtallos, poſtmodum in liquorem ſolvito.

℞. Hujus part. iij. ⊙ calcin. p. 1. Miſc. ac digere per menſem, cohoba donec in cucurbita inſtar ceræ fluat.

Vires. *Ad ſummum Medicinæ gradum Mercurius ita redactus eſt, & in Epilepſia, & morbis Veneris admirandæ virtutis Tentz.*

N. *Egomet Mercurium dulcem ter ſublimatum miſcui quondam cum* ☽*æ foliata; ſublimationemque ad huc quarta vice iteravi, quibus peractis ſublimationibus eſtâ item materiam igni ſubjeci fuſorio, ut quid* ☾*æ reſtaret colligerem; verum ſine commodo, quippe* ☾ *cum merc. penitus fuit ſublimata; vis autem illius ſublimati ſudorifera potius fuit, quam dejectoria.*

11. *Arcanum corallinum correctum S. Cloſſ.*

℞ ⊖ Sal. com. ana ℔ ij. ⊖ calcinati & ☿ii ana ℔ j. Omnibus arte mixtis detur △ ♎mationis in fine bene fortis; quod rubeſcit ſublimatum collige, bene edulcora, tere, & digere in ✱ ad 4. digitorum extantiam per 2. aut 3. ♂, evacua per inclinationem, aliud affunde digere, donec nil amplius ſolvatur tandem evapora remanebit pulvis luteus, quem lavabis ſæpius aq. calidâ.

Doſ. mirificatæ hujus Aquilæ eſt à gr. v. ad ∋ß. *cum Panchymag. Felicius adhuc operabitur, ſi ejus gr. viii. cum auri ſilopet. & croci* ♂ *ana gr. iij. in conſ. florum borrag. aut pil. de aloë lota exhibeantur.*

Ad ☿ ♎ *pertinet quoque.*

12. *Cinnabaris Officinarum artificialis.*

℞. Sulphuris commun. ℥ iij. vel iv. Huic liquefacto infunde Mercurii vivi ℔ j. ſpatulâ ligneâ bene agitando incorpora, donec Mercurius à Sulphure planè conſumptus videatur. Hinc maſſam refrigeratam tere ſuper marmore, atque ſublima, ex ſublimatorio lutato; igne primo leni, dein auctiori, &c. Primo aſcendit fumo citrinus, paulatim rubeſcens. Quando itaque fumus nigro-rubeus aſcendere incipit, urge igne violentiſſimo quatuor vel quinque, & ſublimabitur cinnabaris, adhæreſcetque lateribus, quam exime, rejectis fæcibus in fundo & capitello.

Paracelſus in Chirurg. lib. 1. manual. pag. 1. 702 Brendel.

Aliter.

℞. Sulphur. ℥ iij. ☿ ℥ iv. M. ac ſulphur. aliquantulum efflagrare ſine, ut pulvis remaneat niger; hinc ſublima ſemel ac iterum, ut cinnabarim nanciſcaris rubeam.

13. *Panacæa* ☿ *ii purgans.*

℞. Mercurii vitæ p. ij. mercurii vivi in deſtill. butyri ♁ii proveniens p. 1. ſublima ut mercurium dulcem.

Doſis à gran. v. ad viij.

N. *Mercur vitæ ad hoc opus ſit ex merc. p. ij.* ♁ *optimi vel reguli p. 1. deſtillatur &* ▽ *tur aq. com. ut moris & de ſupr. flagret aliquoties Spir. Junip.*

Cl. D. D. Joh. C. Fauſ. *Schröderus.*

4. *Mercurius dulcis vulgaris: Draco mitigatus.*) Dominus Autor poſuit mercurii ſublimati ℥ viii. & mercurii crudi ℥ vi. Verùm exacta mercurii vivi quantitas determinari nequit, quia quo magis corroſivus eſt mercurius ſublimatus, eò plus requirit de mercurio vivo pro ſua edulcoratione. Ideoque ſumitur tantum mercurii vivi, quantum mercurius ſublimatus capere poteſt, & ſublimatur etiam igne aperto in cucurbita vitrea infra lutata, ita tamen, ne ignis totam lambat cucurbitam, ſed paulò ultra, quàm quouſque cucurbita mercurio adimpleta eſt, ignis eam circumdare poſſit.

N. 1. *In mortario lapideo.*) Vel ligneo cum piſtillo ligneo vel lapideo exquiſitiſſimè & diu miſcenda ſunt.

N. 2. *In phialâ leniter ſaltem obturatâ.*) Ne alembicus firmiter & penitus claudatur, ſed ſtatim leniter ut fuligines venenoſæ exhalare queant quemadmodum hoc etiam obſervatur in ſublimatione cinnabaris ♁nii.

N. 3. *Si purum inſipidumque ſecunda ſublimatione obtinueris.*) Si ambo ingredientia probè fuerint purifi-

cata, ſublimatio abſolvi poteſt ſecunda vel tertia vice, alias mercurius ille nimis redditur dulcis, id quod per crebriorem ſublimationem fieri poteſt, & inde vim purgandi amittit. Ex quibus conſtat, quomodo interdum corpora adminiculo ignis mixta ſatis quoad fixitatem & volatilitatem diſcrepantia, adeò tamen prima ignis operatione combinentur, ut vix ipſe poſtmodum ea ſeparet, ſed tantummodo in pulverem redigat, ſic in præſenti mercurii dulcis præparatione ſalinæ vitrioli, ſalis marini & nitri interdum ad ſublimatum conficiendum adhibitorum particulæ adeò ſeſe cum particulis mercurialibus primò ad parandum, deinde ad edulcandum ſublimatum uſurpatis uniunt, ut ſalinæ juxta metallinæ partes in multis ſublimationibus ſucceſſivis, ac ſi unum duntaxat corpus conſtituerent, una aſcendant.

N. 4. Mercurium ſublimatum admiſto arſenico fucari ſolere vulgo notiſſimum eſt; at quantum inter hujuſmodi ſublimati & ejus quod fideliter præparatur operationes diſcriminis eſſe valeat, non tantum in metalla, ſed etiam in humana corpora (nempe cum mercurius dulcis aliaque medicamina ex eo conficiuntur) vix illi facilè concipient, niſi quibus facultates Arſenici hominibus æquè ac metallis noxiæ innoteſcunt. vid. *Nobiliſſ. Robertus à Boyle in tr. infidus ſucceſſus experimentorum* p. 64. Sed arſenicale virus in ≏a:o agnoſcitur, ſi aliquid ol. Tartari per deliq. ſuperfundatur, & mercurius ſublimatus nigreſcat, adulteratus eſt arſenico, ſin verò flaveſcat, probus utique eſt.

Optimum mercurium dulcem conficies ex mercurio ſublimato regulino, & mercurio antimonii) Ex eodem fonte promanat *Cl. Riverii Anti-quartium*, quod componitur, ex *triplici Hercule* (mercurio, Sale & vitriolo) duodecim laboribus h. e. ſublimationibus ad ſummum nobilitatis gradum evecto. Quibus tamen Quartus Athleta additur, operis complementum efficiens (Mercurius vitæ, eo modo, qui ab *Autore Cl. Riverio* in inſtitut. Medic. lib. 5. part. 2. ſ. 1. p. 1. cap. 12. deſcribitur correctus) commiſcetur itaque ex mercurio dulci duodecies ſublimati & mercurio vitæ.

Recip. Mercurii ſublimati ſuperius edocti q. v.

Argenti vivi vel purgati, vel ex antimonio præparati inferius deſcripti q. v.

Miſce exactiſſimè in mortario lapideo vel ligneo cum piſtillo ligneo, ut mercurius vivus non amplius appareat, & ſublima ſ. a. ſublimationem hanc duodecies reiterando.

Recip. Hujus mercurii dulcis part. 4.

Mercurii vitæ part. 1. ſeq. modo præparati.

Recip. Mercurii vitæ q. v. pone in patinâ terreâ vitreatâ ſupra foculum menſarium aut furnulum exiguum ſemper movendo. Fumus exhalat ater & fœtidus, qui venenoſitatem intus latentem continet & illa operationem continuando par. 2. vel 3. horas tota abſumitur. Peractæ ſufficienter operationis ſignum eſt, quando nullum emittit fumum. Si poſt iſtam operationem vomitum adhuc cieat, iteranda & optatum habebis effectum, fit pulvis colore griſeo. Hujus vires, uſum & doſin vide in *Cl. Riverii obſervationibus.*

N. Ex mercurii dulcis præparatione etiam innoteſcit, quomodo ſalia corroſiva beneficio mercurii ob variam partium texturam & figuram ſingularemque poteſtatem miteſcere & in tertium quid tranſire queant.

Vires. Omnes humores noxios &c.) An mercurius dulcis ſit univerſale purgans & panchymagogum minerale diſceptatur inter Chemicos? Nos negamus; Interim negari nequit, in Lue venereâ ad ſalivationem excitandum mira præſtare, cùm alioquin notum ſit, præcipuam hujus mali curam in ſalivatione conſiſtere, cùm illa omnes impuritates ipſis etiam oſſibus infitas eluere & extrahere poſſit. Et admiratione dignum in hoc mercurio dulci, in aliis affectibus nullam ſalivationem excitare, ſi ritè præparatus fuerit, niſi in corporibus Lue hâc infectis. Unde & infantibus tutò exhiberi poteſt à gr. iij. IV. V. VI. VII. &c. modò cum aliis purgantibus colliquativis non miſceatur, qualia ſcammonea, colocynthiaca &c. præſertim in vermibus, ſcabie, &c.

N. Non deſunt, qui mercurii dulcis correctionem per ſublimationem ſuper ſcorias ♂tis inſtituunt, vel per ſp. ſalis fortiſſimi affuſionem trinâ vice cohobando, & acquirunt optimè rectificatum mercurium dulcem.

5. *Alius. Recip. mercurii in ſpiritu Vitrioli ſoluti &c.*) Hæc etiam egregia eſt præparatio, ad uſum medicum tam internum quàm externum commendabilis, eò quod abſq; ſp. nitri, cum ſp. vitrioli ſolum præparata ſit.

N. 1. *Eodem modo dulceſcit & mercurius præcipitatus luteus.*) Verùm difficulter procedit ſublimatio cum hoc præcipitato luteo, dum cum ol. Tartari præcipitatus eſt, quod ſublimationem ſalium impedit, ut nudus ſolùm mercurius meteoriſetur.

2. *De Uſu. Ex omnibus hiſce mercurii dulcibus poteſt parari* ▽*a utiliſſima.*) Cum hâc aquâ ulcera luis ♀ nereæ maligna optimè curantur, ſi una aliquid mercurii dulcis in decocto calc. viv. & inflammationibus ſacchari ♄ ni addatur, & externè applicetur. Valet ad ſcabiem, nec ullam infert noxam, nec repellit, ut vulgaria linimenta & unguenta.

7. *Lanugo perlata ſive flores* ☿*rii argentei.*) Melius ▽ fort. quàm aq. reg. ſubſtituitur, cum hæc nimis acris & corroſiva ſit, illa autem ex Vitriolo & ſale, non nitro confici debet, neque ex ſale, non nitro confici debet, neque ex ſale & nitro; ideoque ſeq. modo melius paratur.

Recip. ☿ rii vivi optimè cum Sale & Acet. diſt. purificati & per corium trajecti & expreſſi ℔ j. aq. fort. ex Sale & Vitriolo ℔ iij. commiſta ſtent in loco frigido, donec coaguletur ☿rius inſtar cryſtalli, ubi aliquam partem vides congelatam, cryſtallos exime; reliquum repone, idque tamdiu, donec nullos amplius cryſtallos emergere cernas. Cryſtallos hoſce omnes collectos contunde, affuſo ol. Tartari optimè parato, donec fiat inſtar pulticulæ nec ſpumoſum amplius appareat; Tunc ſuperfunde aquàm pluvialem ♌ latam, ad 3. digitorum eminentiam, ponatur in digeſtionem cinerum tepidam, per 3. vel 4. ☍ aquam cum ol. Tartari filtra. Relictum ☿rium in chartâ loco tepido vel ad ⊙ exicca, denuò uffunde ol. Tartari ac procede ut antea, hocque ter. Tandem affunde Acet. diſt. & ſimiliter repone ad digerendum calore forti Vir. ær. per triduum, filtra, idque etiam tertiâ repete vice. Ultimò aquâ pluviali ♌ latâ edulcora, filtra & flores ☿ rii in filtro reſtantes leniter exſiccatos reſerva uſui. Doſ. gr. iij. vel IV. purgant per alvum leniſſimè & pro humorum redundantiâ copioſè abſque ulla vomitus ſuſpicione in formâ pilul. in febribus inveteratis quotidianis, ſcabie, &c.

8. *Mercurius* ≏*atus rubeus non corroſivus. Arcanum Corallinum*) Hic mercurius non adeò eſt in uſu interno, ſed tantummodò externè adhibendus eſt, cum calc. viv. decocto.

9. *Modus, compendioſior, Laudanum* ☿*riale, ſive metallicum.*) Extrahendus eſt ſal. com. ex Cap. mort. ▽ fort., quæ ex Nitri & Vitrioli æq. part. fuit deſtillata; Hujus Salis Recip. ℥ v. vel VI. eique imprimatur ſub continuâ agitatione per corium vervecinum ☿rii vivi purgati ℥ i ß. vel ij. conterendo diu in mortario vitreo, quouſque ☿rius vivus non amplius conſpiciatur. Hinc ſublimetur gradatim in alembico, & adſcendet primo luteus, ſecundo croceus, tertiò rubicundus, quem ſeparatim ſerva Doſ. gr. iij. IV. V. in lue venereâ.

10. *Manna mercurii, ſeu* ☿*rius dulcis* ⊙*laris*) Dicitur ab *Hartmanno* aquila ☿rii ⊙laris, ipſique in ſecreto fuit;

Opti-

Optimè autem præparatur ex part. iij. ☿rii dulcis ſæpius per ≏ationem evecti, donec in cryſtallos albiſſimos abierit, & optimæ ⊙ calcis vel per tritum, vel ad modum Cl. Zvvelferi confectæ part. 1. miſcendo ac digerendo per menſem cum cohobatione, donec in cucurbitâ inſtar ceræ fluxerit. D. Hartmannus hoc etiam pueris præſcripſit, & ſummæ eſt energiæ in Lue ♀nereâ, ſcabie, aliiſque corporis impuritatibus, item in epilepſiâ in primis à vermibus ortâ. Ejuſdem eſt fortis *Nobil. Zvvelferi mercurius ⊙ laris dulcis in mantiſſ. Spagyric. p. m.* 315.

11. *Arcanum Corallinum correctum S. Cloſſ.* (Hoc optimè etiam ſuccedit, nec ullâ indiget encheiriſi.

12. *Ad ☿ ≏atum pertinet quoque Cinnabaris Officinarum artificialis.*) Exactiſſima etiam eſt hæc compoſitio. Liquentur ſcil. Sulphuris ℥ VIII. & immiſceantur illi ☿rii vivi ℔ j. & ℥ IV. Ex his mixtis fiat ≏atio & acquires cinnabarim artificialem. Hæc in Italia ad ſuffumigia, emplaſtra & unguenta contra Luem ♀neream adhibetur. Internè autem loco cinnabaris antimonii adhiberi nequit: Licet non deſint, qui, dum ſpecificum cephalicum *Dn. D. Johann. Michaelis conficere volunt*, loco cinnabaris antimonii officinarum cinnabarim ſubſtituunt, ſed non ſine miſerandâ mortalium clade, Sulphur enim antimonii, ex quo cinnabaris ♁nii cum mercurio conſtat, naturæ eſt ⊙laris; Artificialis verò ſeu officinalis cum Sulphure communi parata ſæpè arſenicalis. Si verò quis mercurium vivum deſideret puriſſimum, illum ex hâc officinarum cinnabari elicere poteſt, qui poſtmodum in medicinâ egregium utique ſortietur locum. Alias quidem ex obſervatione conſtat, ſeptuagenarium fuiſſe à pueritiâ cinnabaris confectorem, qui ad levem contactum vel appenſum ducati illicò illum dealbare potuerit.

13. *Panacea ☿rii purgans.*) Si ☿rius vitæ à ſalibus exquiſitiſſimè liberatus fuerit, non ſuccedit hujus panaceæ elaboratio niſi butyrum ♁nii cum ☿rii vivi connubio ſumatur) ſed tunc ob vim corroſivam ſuſpectum erit medicamentum. Seq. autem modo commodius conficitur. Recip. ☿rii dulcis ℥ iij. reguli ♁nii ℥ i ß. miſce exactè & in pulverem ſuper porphyrite diu conterendo redige, quibus deinde cucurbitæ vitreæ immiſſis adde ſp. vitrioli opt. ℥iß. digere triduo vel quatriduo in cineribus calidis, deinde ex Aren. deſtilla & abſtrahatur tota humiditas ad pulveris ſiccitatem, ex quo cum ſp. vini Tartariſato extrahe tincturam, & ſpiritus tincti omnes in MB. ad ſiccitatem pulveris rubei abſtrahantur, qui aſſervetur.

Doſis ejus eſt à gr. iij. IV. ad V. in morbis diuturnis chronicis, obſtructionibus, & febribus abigendis; item in melancholia hypochondriacâ, ictero, & Lue ♀nereâ curandâ efficax eſt remedium *Hofmannus.*

IV. Deſtillatio.

1. ♂♀ ♁ *ii. Mercuriale., ſeu Butyrum* ♁ *ii: Liquor gummoſus.*

℞. ♁ii puriſſ. ☿ ≏ti ana Miſc. exactè in mortario lapideo deſtillentur per ☉m vitream ex arena △ primo mediocri: ſic liquor ſeu butyrum antimonii inſtar glaciei egreditur, qui ſi concreſcat in collo, ne id obruat admove cautè carbonem, ut liqueſcat. Finitâ deſtillatione liquoris, auge △, daque ignem ſuppreſſionis, [id eſt, ſupra ∴m,] & ſublimabitur cinnabaris antimonii. [de qua vide ſuo loco, in ſublimatione antimonii:] Liquorem egreſſum rectifica per retortam vitream.

N. 1. *Præſtat hoc* ♂♀ *Cinnabari ſuâ ante rectificationem impraegnare. Nimirum, Cinnabarim tritam adde dicto* ♂♀ *ſtentque in digeſtione (hor. 24.) vitro clauſo in cinere, ſic fiet unitio, hinc rectifica per* ☉m.

N. 2. *Felicior procedit deſtillatio* △ *aperto, ſed ſenſim & ſucceſſivè aucto. Item ſi* ☉m *cum materia ante deſtillationem in cellam per triduum repoſueris.*

N. 3. *Alii* ℞. *Reguli & merc.* ≏ti *ana, ſingula ſeorſim trita miſcent, & ut concretionem in collo praecaveant, ad liqueſcendum in cella reponunt, Liquoremque deinde deſtillant.*

N. 4. *Beguinus eodem modo ex merc.* ≏ti *p. ij.* ♃. *limat. p. 2.* ♂♀ *elicit, unde pulvis fit præcipitatus, quem vocat* ♃ *diaphoreticum, vide in* ♃.

Vires. *Uſus hujus glacialis per ſe eſt externus ſolum, in gangrana & ſphacelo, in quibus ſi pars mortua illinitione hujus Olei circumlinatur, non ſerpit ulterius putredo, ſectione felicius peragitur. Simili ratione Carbunculus peſtilentialis oleo hoc circumlitus paulatim emoriendo excutitur, adeoque aptus redditur, qui poſtmodum Emplaſtris aliis obediat. Uſitatum itidem corroſivum Chirurgis exiſtit.* Schroderus.

4. *Deſtillatio 1. Ol. antimonii mercuriale, ſeu butrum antimonii; Liquor gummoſus.*) Quo purius eſt antimonium & ☿rius ≏matus fuerit albus cryſtallinus exquiſitè bonus, eò etiam præſtantiora fiunt medicamina ex butyro antimonii præparata. Alias exacta & accurata etiam eſt deſcriptio butyri antimonii ab *Autore Noſtro* tradita.

N. 1. Deſtillatio etiam per retortam fictilem inſtitui poteſt optimè lutatam amplioris colli, & tunc non ex Aren. ſed △ne aperto, adaptato recipiente per gradus deſtilles, alias metus eſt, ne ſi butyrum ibi congelet, vas rumpatur, laborque & ſumptus irriti fiant.

N. 2. Da △nem ſuppreſſionis non ſtatim in ♌ationis principio, ſed poſtquàm aliquamdiu operatus fueris, vel potius in fine.

N. 3. Qui ante rectificationem butyri antimonii cinnabarim addunt, egregium utique acquirunt butyrum antimonii, quod revera ☿riale eſt multiſque in morbis v. g. apoplexiâ, epilepſiâ, aliiſque graviſſimis affectibus valdè proficuum eſt. Et hic modus meritò inter arcana reponendus, unde elegantiſſima utique bezoardica acquirentur, quæ in officinis non reperiuntur. Alias qui cinnabarim non addunt antè hujus ol. rectificationem Medicamentum acquirunt ſaltem antimoniale non ☿riale. Scilicet cinnabaris ♁nii trita butyro admixta ſtet in digeſtione per 24. horas vitro clauſo in cinere, ſic fiet unio, & poſtmodum per retortam rectifica.

N. 4. Felicior etiam procedet ♌latio, ſi retortam cum materiâ antè ♌lationem in humidum locum per triduum repoſueris; optima erit encheiriſis, adeò, ut ſi magnam butyri copiam ad mercurium vitæ vel etiam ad alia bezoardica deſideres, maſſam ante ♌lationem in cellam repone. Si verò cinnabarim quis in majori copiâ habere intendat, ſtatim poſt miſtionem inſtituat ♌lationem.

N. 5. Egregiâ quoque ratione loco antimonii crudi Regulus antimonii ſubſtituitur, quia ſic purius & efficacius impetratur bezoardicum: Sic etiam qui in præparatione antimonii diaphoretico loco antimonii crudi ſubſtituunt ejus regulum, medicinam melioribus nobilitatam virtutibus acquirunt. Sumi autem poteſt vel regulus ♂tialis, jovialis &c. de quibus infra plura.

Vires.) Ol. hoc carbunculo peſtilentiali illitum extrahit venenum, ne ulterius ſerpat. Ante omnia autem obſervetur, ut locus accuratè muniatur emplaſtris convenientibus. Adhibetur etiam ad fonticulos, ita ut lignum quoddam hoc ol. impragnatum in globulum efforment, eoque locum fonticulo applicando aptum tangat, hâc tamen cautelâ, ut locus muniatur emplaſtris uſitatis defenſivis, ne vi ſuâ cauſticâ ſerpat ulterius, atque ſic ol. illud carnem abſque moleſtia & dolore exedit. *Hofmannus.*

Ex hoc ♂♀ fit & Merc. vitæ & bezordicum minerale.

I.

Mercurius vitæ.

°°o præcedenti ſive Butyro ♁ii, infunde aquam, ac ſtatim pulvis albus præcipitabitur, qui abluatur donec nullam amplius acrimoniam ſapiat, deinde exiccetur.

N. 1. *Candidior ac purior erit, 1. Si ad deſtillationem Butyri, loco ♁ ij crudi, regulum ejus receperis. 2. Si per* ♌*m illud rectificaveris.*

N. 2. *Appellatur & Pulvis Angelicus, Pulvis Algoreth, Aquila alba.*

Vires. *Totius corporis, & præcipuè primæ regionis humores noxios, per ſeceſſum ac vomitum expurgat, Uſuſque inſignis eſt in Peſte, Capitis morbis, Lue venerea, Ulceribus malignis. Febribus, Arthritide, Hydrope, ubi & ut plurimum ſine vomitu operatur.*

Doſis à gran. ij. ad iv. Macerare quoque licet gr. ij. ad iv. in hauſtu vini, eumque filtratum exhibere.

Sunt qui infuſionem Mercurii vitæ in promptu habent.

Nimirum.

℞. ☿ vitæ ℈iß. vini generoſ. ℥ xvIII.
Doſis ℥ j.

N. 1. *Vis purgatrix hujus merc. ut & vitri ♁ij. nunquam exhauritur.*

N. 2. *Triduanum ejus uſum ſæpe pro identiam ani periculoſam excitaſſe compertum eſt, cavendum itaque nimius ejus uſus.*

Croll. Senn. in Inſtit. Beguin. (qui ℞ ♁ p. 1. ♉ p. ij.) Sala in Ternar. Emet. Keſl. 1. c. 26. Tentzel.

Quia autem hic Mercurius vitæ ſat violenter operationes ſuas, ac inprimis per vomitum perficere ſolet, ſolliciti fuere Medici de hac violentia certis modis corrigenda, deque vi ejus vomitoria mitiganda.

Hinc

1. *Mercur. vitæ correctus.*

℞. Merc. vitæ in phiala △ arenæ fove, donec rubere inceperit, poſtmodum 🜄 ſæpius ab eo abſtrahe.

Vires. *Purgat ſat commodè per alvum, impuritateſque quaſcunque educit.*

Doſis g. 4. 5. 6.

2. *Merc. vitæ Catharcticus.*

1. Merc. vitæ cum Sal. comm. aliquoties diutiuſque teratur, & ſalſedo poſtea per ▽ commun. abluatur; ſic ſolam vim per ſeceſſum purgandi obtinet. *Hartm. Senn. Tentzel. Agricola.*

2. Sal. nit. ad △ fuſo adde mercurium vitæ ſenſim injiciendo & agitando; poſt refrigerationem, Mercurium in fundo inſtar Reguli invenies, quem edulcora.

Alii hanc correctionem paulò aliter abſolvunt.

Unde

Laxativum minerale.

Fit, ſi Sal. nit. fuſi ad △. ℥ ij. Mercurii vitæ, ʒß. circiter, vel ʒ j. paulatim injeceris: & poſtea omnem ſalſedinem ▽a ablueris. Pulveri huic exiccato denuo adde Sal. commun. duplum & tere diligenter in marmore per horas duodecim. Tum ruſum aquâ dulci elue.

Doſis à gr. 6. ad 12.

N. *Injice primo* ʒ j. *atque cooperi ſtatim, donec fumus ceſſet, poſt perge injiciendo* ʒ j.

N. 2. *Habetur egregius ☿ jus vitæ ☉ aris per inferiora purgans in Anatomia ☿ ij Untzeri, qui fit ex Oleo mercurii & ∽u Sal. nit. ſuper calcem ☉ affuſo, donec Tincturam attrahat quod poſt modum cum ✱ co aut °° Tart. præcipitatur.* Schroderus.

1. *Mercurius vitæ.*) Hic nihil aliud eſt, quàm delicatiſſima ac tenerrima ſtibii proles in butyroſum liquamen aut gummoſam glaciem reſoluti, id quod reductio edocet, & quod butyrum ♁nii & mercurius vitæ abſque ≏ato fieri poſſit, Quando vero mercurius vitæ additâ cinnabari ♁nii paratur, tunc quodammodo mercuriale medicamentum emergit. Non deſunt, qui *Cl. Helmontii* parallela de Lilio & mercurio vitæ, qui inſenſibiliter fermentorum peregrinorum immutatione, abſterſione, & ablatione, ac ſequenti ſpirituum ſeu virium reſtauratione potens eſt, ad hunc vulgatem emeticum cogunt, quem tamen cum aliis hujus farinæ purgantibus *Cl. Helmontius* planè damnat, & ex Medico foro exulare jubet.

N. 1. Niſi butyrum ♁nii per ſæpius repetitam rectificationem à ſuis impuritatibus probe purificatum ſit, flavus fieri ſolet, ut ingentia damna corpori inducat, & ex mercurio vitæ ſæpe mortis fiat Mercurius.

Uſus inſignis eſt in Peſte.) Ego ob vim ſuam emeticam nemini ſuaſerim uſum eius internum in Peſte, felicioti autem cum ſucceſſu in lue Venereâ, in primis cum vitioſorum humorum ſaburrâ ſtipatâ, & cum Mercurio dulci mixtæ ad *Anti-quartii Riveriani* ſupra deſcriptum proceſſum. Item in ſcabie, febribus intermittentibus, inveteratis, & Arthritide nonnulli utuntur. At cum mihi benigniora alia ſuppetant remedia, ejuſmodi draſticis nunquam uſus fui, nec uſus ero, dum vixero. Mirantur quidam, quod hoc violentiſſimum pharmacon in hydrope adhibitum raro per ſuperiora, ut plurimum verò per inferiora hydropicorum aquas educat. Sed qui novit beneficio ſalium acidorum volatilitatem purgantium figere, ita ut ſaltem per inferiora purgent, hic facilè etiam hujus rei rationem reddere poteſt, ſiquidem acidoſalſæ aquoſitates in hydropicis abundantes hanc vim pariter exerere poterunt. Doſ. eſt à gr. ij. ad iv. P. I. Faber etiam ad gr. xII. præſcripſit, ſummo tamen ægrotantium cum periculo, nec velim quemquam facile imitari, niſi fuerit in infuſo, cum ſic tutius non ſolùm uſurpetur, ſed etiam ſuas vires eò melius exſerit; nam in ſubſtantiâ adhibitus facile hypercatharſin excitare poteſt, quia illius pulvis citiſſimè tam in inteſtinorum, quàm ipſius ventriculi plicis ſeſe inſinuans tandiu purgat, quamdiu ibidem retinetur, imò ex obſervationibus conſtat, tantam vim colliquativam ſæpe exſeruiſſe, ut poſt obitum etiam nonnullis fæces alvinas extorſerit.

N. 1. *Vis purgatrix hujus mercurii, ut & vitri Antimonii nunquam exhauritur.*) Hæc quia ejuſdem ſunt proſapiæ, unde ex mercurio vitæ etiam vitrum antimonii conficitur, de quo vid. ſupra, eundem etiam ſortiuntur effectum; Antimonium enim eſt quaſi chaos, abyſſus & faviſſa inexhauſta largiſſima ſpirituum mineralium.

Hinc 1. Mercurius vitæ correctus.) Hujus genuinam correctionem vide ſupra, ubi tradidi *Cl. Riverii* Antiquartium de mercurio dulci. Hic correctus coloris griſei eſſe debet.

2. *Mercurius vitæ catharcticus. Nitr. ad △ fuſo adde mercurium vitæ* &c.) Si ſcilicet nitri ℥ iij. in Crucib. △ne aperto ſed moderato fuſis mercurii vitæ ʒ ij. ſenſim ac pedetentim injiciantur, ac per ſemihorulæ ſpatium in △ne detineantur; Hinc elixiviatio nitri per repetitam ▽æ ſ. affuſionem probè edulcoratus pulvis uſui aſſervetur. Ex eodem fonte promanat etiam tertia correctio, Laxativum minerale dictum: Niſi autem juſtam nitri doſin adjeceris, habebis diaphoreticum.

N. 2. *Habetur egregius mercurius vitæ ☉ laris &c.*) primò ol. mercurii vitæ ſive butyrum Antimonii & ſpirit. Nitri accurate miſceantur, Deinde digerantur aliquandiu, ac poſtea deſtill. ut fiant homogeneum menſtruum. Hoc affundatur calci vel foliis ☉

trium

trium digitorum circiter altitudine, & ſolutio per duas digeſtiones procuranda, vel per modum Tincturæ vel per nudam ſolutionem, abſtractâ humiditate aliquali reliquum aquâ communi diluendum, vel ol. Tartari vel ✻ præcipitandum eſt.

N. *Mercurii vitæ gemina præparatio pro Pilulis Benedictis Joſ. Quercetani ſeq. eſt.*) Rec. Antimonii crudi el. Vitrioli parùm calcinat. & pulveri ſalis marini decrepitat. āā. part. æq. redige ſeparatim in pulverem, mixta pellantur per retortam, ignem ſecundum gradus regendo, exibit aqua clara, & coagulum albiſſimum ac pellucidum, quod in fundo reſidebit, rectifica per retortam vitream, aquam ſepara à coagulo, quod aquis cordialibus frequenter abluatur, donec omni fœtore & vi ſuâ corroſivâ ſpoliatum redigatur in pulverem ſubtiliſſimum, albiſſimum. *Hofmannus.*

II.

Bezoardicum Minerale.

1. ♁ *Diaphoreticum Crollii ſeu Bezoardicum Minerale ſimplex, ſeu Officinarium.*

℞. Butyr. ♁ii rectificat. c. g. ℥iv. affunde guttatim ~ Sal. nit. rectific. ℥iv. (alii 🜅,) abſtrahe deinde ~ Sal. nit. iterumque affunde ~ Sal. nit. novi ℥j. idque tertiâ vice repetatur. Præcipitatus hic poſtea teratur, abluatur & igniatur.

N. *Crollius butyrum hoc facit ex* ♁*ii p.* 3. *&* ☿ ♎*ti, nempe* ☿*~ti parati per* ⊖*-m & Sal. com.) p.* 1. *ſed ſufficit proportio anatica.*

Vires. *Magnum eſt Alexiterium ſaluberrimumque remedium Bezoardicum, quod ſudores provocando magnos effectus monſtrat in omnibus peſtilentialibus & venenatis affectionibus.*

Doſis à gr. 6. *ad* 12. *vel ultra.*

Quercet. in Pharmacop. reſtit. Croll. Sennert. Inſtitut. Kesler. 1. *cap.* 70. *Hartm. in pract. ut & in Croll.*

De Controverſia: Utrum Medicamenta ex butyro ♁ii facta ſint Mercurialia, an ♁ialia; *legat qui velit Tentzelium in Exeg. titul. de Bezoard. Salam. in Ternar. Bezoard.*

Probabilius videtur, naturæ id eſſe ♁ialis.

2. *Bezoardicum* ⊙ *lare compoſitum.*

℞. Bezoard. mineral. ſolar. ℥j. Sal. Rut. Guajac. ana ʒ ij. ſolut. Corall. rubr. ℥iß.

Miſc. optimè per horam in mortario vitreo.

Hinc adde ſubinde

Spir. ſulphur. ʒß. Tinctur. ſ. extract. Croc. or. ʒß. Ol. caryophyll. ſuccin. cinamom. ana ℈j. Lap. Bezor. ℈ß. vel ℈j. ſi placet.

Stent in cinere tepido, clauſo vitro, ☍. 3.

N. 1. *Bezoardicum minerale ſolare ad datam compoſitionem fit.*

1. ℞. Butyr. ♁ ℔ ß. ♁ factit. præparat. (vel ♁ ♁.) ℥j. F. ſolutio in Phiala oblongi colli, △ arenæ mediocri, (ut leniter bulliat,) ſic rubeſcet Solutio. Hinc ♎ta affundendo ▽ calidæ ℔ aliquot, & ♎bitur ♁ albus, quem decantato ſenſim liquore flaveſcente, edulcora optimè in ▽ abluendo, tandem exicca blando calore ſolis vel hypocauſti.

2. ℞. ⊙ Ungar. laminat ʒij. ſolve penitus in ℥ iij. 🜆, deſtillatæ ex 🜅, cum ſ. l. com. ¼.) Hinc abſtrahe 🜆, cohobaque vicibus 4. Dein ſolve denuò: Solutionem funde ſuper pulveris prioris ℥ iij. digere hor. vigint. poſtea abſtrahe ſenſim, cohobaque vice tertia. Tandem auge △ ut ~ 🜆 prorſus evaneſcant Poſtmodum affunde 🜄 cumque aliquoties iterum abſtrahe: ſic paratum Bezoard. miner. ſolare.

N. 2. *Solutio Coralliorum fit.*

℞. ✻ Purificati, (id eſt ſublimati 1. à tantundem ſal. com. decrepitati, 2. ſine ſal. com. per ſe,) Corall rubr. pulv. ana ℥ß. Miſc. & ♎a denuò: ſic relinquetur in fundo ♎torii Calx Corallorum, quam pone ſupra tabula vitrea ad liqueſcendum. Reſiduum quod in ſolutione ſupererit, denuò cum ✻ purificato ſubmitte ſublimationi & ſolutioni, donec tota Corallorum ſubſtantia ſit ſoluta.

N. 3. *Tinctura Croci fit cum* 🜄*i, qui iterum abſtrahitur ad conſiſtentiam mellis.*

Vires. *Sudores validè ciet, adeoque confert in Apoplexia, Paralyſi, Arthritide, Podagra, Tremore artuum.*

Doſis à gr. 4. *ad* 8.

Ex communicatione Affinis mei colendi, Dom. Johannis Graſeri Chymici induſtrii & Pharmacopœi hujus Reipubl. meritiſſimi, qui & hoc inter Chymica ſua extare voluit.

3. *Bezoardicum Solare Crollianum.*

℞. Butyri ♁ii ℔ ß. ſolve affundendo ſenſim ~ ſal. nitri.

℞. ⊙ fin. ℥ ß. ſolve in 🜆.

Utramque hanc ſolutionem claram confunde, abſtraheque menſtruum gradatim, abſtractum iterum affunde, cui adde ~ ſal. nitri. nov. ℥j. abſtrahe, idque repete aliquoties.

Calx hæc dulcoranda & ignienda eſt.

Vires. *Vires hujus Bezoardici ſummis Crollius effert laudibus in Lue venerea, Peſte, Podagra, hydrope, Febribus, obſtruct. Lienis.*

Doſis gr. 3. *ad* 8.

N. *Hoc Bezoardicum licet ſuis haud careat viribus, attamen ob corporeitatem, quam* ⊙ *adhuc obtinet, præſtantius cenſetur quod ſequitur. Videlicet.*

4. *Bezoardicum Solare verum.*

Fit eodem ferè modo.

Nimirum.

Si loco ⊙ illius corporei, ſubſtituatur ⊙ in ſpiritualem ſubſtantiam exaltatus: *de qua exaltatione vide in* ⊙*lis Volatiliſatione, vel Tinctura* ⊙.

Nempe.

℞. 1. ⊙ illius ſpiritualis ℥ß. ſolve in 🜆.

2. Solve in eadem butyri ♁ii rectific. ℥iv. [vel ut alii vi.] utramque ſolutionem confunde, abſtrahe menſtruum per ⊖m, deſtillationibus ſæpè repetitis: Poſtea per calcinationem ſub tegula (*unter einen Muffel, under a covered crucibile, onder een gedeckte ſmeltcroes,*) reduc in ♁ærem violaceum, ſi lenis, vel in purpureum, ſi intenſior calcinatio inſtituatur.

Vires. *Vires eaſdem obtinet, quas prius, ſed efficaciores.*

N. 1. *Hartman in Croll. Sennert. in Inſtitut.*

℞. Aurum (per ~m nitri bezoardicum,) ſpirituale redditum, junge cum butyro ♁ii, in ~u nitri vel 🜆 ſoluto repetitis deſtillationibus uniantur ac figentur: abſtrahe tandem & habebis interveniente calcinatione Bezoardicum ſolare purpurei coloris magnarum virium.

Doſis eadem quæ priorum, à gran. 2. *ad* 10.

N. 2. *Tentzelius ſolu i nem illam* ⊙ *oleiformem educorat, ſuperfundendo & abſtrahendo aliquoties acetum forte. Poſtea extrahit Tincturam, Menſtruo Baſilii affuſo digerendo per menſem, &c.*

Hinc

℞. *Tinctura hujus à menſtruo ſeparatæ p.* 1. *Butyr.* ♁*i in ~ nitri ſolut. p. vj. vel viij. Miſcet ac unit cohobando ultimo calcinat.*

5. *Be-*

5. *Bezoardicum Lunare* 1.

♃. Butyri ♁nii in ∽nitri. ſolut. ℥iv.
Tinctur. ☾æ viridiuſculæ ℥ß.
Junge ac deſtillando aliquoties ad ſiccitatem fige.
Vires. *Bezoardicum hoc viridiuſculum utiliſſimum eſt, ad capitis affectus præſertim ad Eryſipelas capitis muliercularum.*
Doſis à g. 6. ad 12.

Tinctura ☾æ fit

☾m ſolvendo in ▽F, hanc rurſus abſtrahendo, & Tincturam per ▽i extrahendo *vide ſuo loco.*

6. *Bezoard. Lunare* 2.

♃. Extracti Cœrulei ☾æ, (ex ☾ cum Sulph. calcinata per ∽m urinæ extracti,) ſoluti in ▽F p. 1.
Butyri ♁ii, itidem in ▽F ſoluti p. x.
Junge ac deſtillando vel circulando uni.
Habes Bezoardicum Lunare ejuſdem, vel etiam majoris virtutis.

7. *Bezoardicum Lunare* 3.

♃. Extracti ſeu Tincturæ ☾æ, (mediante ⋇ extractæ ex ☾a in ▽F ſoluta & inſtillatione ol. Tart. p. d. præcipitata.)
Et Butyr. ♁ii, *procede ut ſupra.*

8. *Bezoard Lunare* 4.

Præſtantiſſimum fit Bezoardicum ☾are, in ☾a cum ∽tu Sal. nit. in 🜔m redacta & cum butyro ♁ii, ſ. a. in pulverem fuerit fixata.

9. *Bezoardicum venereum.*

Ex ſquama æris elicitur Tinctura cum butyro ♁ii rectificato, dein figitur per ∽m Sal. nit. ut in prioribus dictum.

Bezoardicum ♂tiale.

Ex croco ♂ per reverberationem extrahe cum butyro ♁ii. Tincturam dein fige per ∽m Sal. nit. more uſitato.
Vires. *Eſt ſpecificum in omnibus fluxionibus ventris, præſertim ab Epate originem capientibus.*
Scheunemann. in Hydromant.

11. *Bezoart.* ♃ *iale.*

♃. Reguli ♁ii ſine ♂ facti ℥ iij. huic fuſo, (in crucibulo,) adde Jovis Anglici puriſſ. ſimiliter fuſi, ad ℥ij. ut fiat de novo Regulus poſtea læviga, & admiſce diligenter ☿♎ti, ℥ v. Deſtilla ex 🝭, Butyrumque inde deſtillatum cum ∽u Sal. nit. ternis deſtillationibus fige, poſtea calcina, ignitumque in ▽ extingue, & exicca, fit pulvis gryſeus.
Vires. *Potentiſſimè movet ſudores, inſuper ad obſtructiones Epatis Polychreſton non contemnendum eſt.*
Doſis à g. 2. ad 6. vel 8.

12. *Bezoard.* ♄ *ninum.*

Cum Butyro ♁ii non rectificat. extrahe Tincturam ex vitro ♄, atque cum ∽u Sal. nit. dicto modo fige.
Vires. *Prodeſt in affectibus Lienis.*
Doſis ad g. 6.
N. *Vitrum ♄i fieri poteſt ex minio & ſilicibus.*

13. *Bezoard. Mercuriale.*

Fit eodem modo quo Bezoardicum Saturni, ex vitro ſcil. ☿ii vitæ & butyro ♁ii.
De omnibus hiſce Bezoardicis legi poteſt Hartman. in Croll. Tentz. in Ex. g.
Nos ad deſtillata revertimur, inter quæ ſequitur,

2. *∽ ſeu ⚮ ☿ii album diaphoreticum.*

♃. ☿♎ti tenuiter pulveriſati p. 1. Argillæ rubr. p. iij. Miſc. & fac cum ▽ communi globulos in umbra exiccandos, deſtilla dein ex 🝭 vitrea per Arenam △e ſuppreſſionis, (gradatim tamen) horis duabus adhibito, prodit elegans ∽, quem ſerva.
N. *Si quid ☿ii ſublimetur, cum recenti argilla miſce, & procede ut antea.*
Vires. *Diaphoreticus eſt. Doſ. gr. 1. 2. 3. vide ſpiritum ſequentem.*
Rhenan. chymotech. l. 1.

3. *∽ ſeu ⚮ ☿ii rubrum.*

♃. ☿♎ti, tenuiter pulveriſati, Limatur. ♂. ana. Miſc. ac reſolve per deliquium in ⚮ flavum, quod diligenter collige. Reſiduo (quod non ſolutum,) affunde ▽m comm. ac extrahe Sal. Sal purificatum & coagulatum denuò ⚮o junge, fietque aurei vel crocei coloris. Deſtilla in Arena ex cucurbita humili per XX brevis roſtri, primò exibit phlegma, quod ſeorſim colligatur, auctiori deinde △ aſcendit rubedo, quæ partim in excipulum (quod mutatum ſit,) deſtillabit, partim in XXo & roſtro, butyri inſtar adhæreſcet: Urge △m, donec nihil amplius aſcendat, tunc ceſſa.
Phlegma deſtillatum unà cum rubedine ad ſpondilia cucurbitæ elevatæ, redde capiti ſuo mortuo, reiteraque deſtillationem per XX eundem, vix incaleſcente XXbico, (imo vel à vaporibus,) liqueſcet rubedo in XX XX hærens, extillabitque rubicundiſſimè in Excipulum: poſtquam rubedo hæc extillavit, mutato Excipulo ſuſcipe phlegma ſubſequens, ac poſtea rubedinem reliquam igne auctiori, ut antè collige, idque repete tot vicibus, quot opus fuerit.
Vires. *Utriuſque hujus ſpiritus magnus eſt uſus, inprimis verò rubei; expediunt per ſudorem quodcunque in corpore noxium fuerit, aliiſque Medicamentis difficulter cedit. In Lue Gallica puſtulæ hujus uſu ſponte cadunt, tubercula minuuntur, dolores ſopiuntur, ulcera fœtida manantia exiccantur & conſolidantur.*
Doſis gr. 1. 2. &c. in ▽ Theriacali miſtura ſimpl. ∽tu Guajaci, Decocto & ſimil.
Hartm. in pract.

2. ⚮ *Mercurii diaphoreticum dulce.*

♃. ☿♎ti q. v. ſolve in ⋇, digere ac abſtrahe ⋇ ad ſiccitatem, reſiduum in 🝭 digere cum ▽ rectificatiſſ. donec fiat craſſus liquor. Hinc deſtilla ex Arena △ forti & prodibit liquor inſtar lactis. Lacteum hunc liquorem reaffunde materiæ in fundo relictæ, deſtillaque denuo. Sic extillat ⚮ album ac fragrans ſine corroſione. *Keſl. lib. 3. c. 30. lib. 4. cap. 35. vide etiam Liquores Mercurii.*
N. *Alii contenti ſunt ſolâ digeſtione ac deſtillatione cum ▽ per acta Keſl. lib. 2. cap. 29. lib. 4. c. 34.*
Vires. *Curat ulcera maligna, cancroſa, præſertim Renum & Veſicæ.*
Uſus *tam internus quam externus eſt.*

5. *Oleum fragrans, Aſtrum dictum.*

♃. Mercurii ſepties ſublimati, totieſque per Calc. viv. rectificati, q. v. ſolve in ∽ Sal. nitri calore mediocri: dein abſtrahe ∽m Sal. nitri, edulcora optime coquendo in ⋇, ut corroſivus ſapor eluatur: poſtmodum abſtrahe quoque ⋇, & denuo elue, affundendo ▽m pluviam ſtillatitiam, hinc exicca, & digere aliquamdiu cum ▽ rectificatiſſ. ana. Poſtea pelle ſimul per 🝭 in △, initio leni, dein fortiori: corpus reſiduum ſerva pro conficiendo inde ſale: Extillato verò deme ▽ in MB. Et remanebit in fundo Mercurii fragrantiſſimum, quod Aſtrum Mercurii. *Baſilius.*

Vires

Vires. *Diaphoreticum eſt & peculiare curativum Luis venereæ: eaſdemque vires obtinet, quas Sal Mercurii ex corpore reſiduo paratum, vide infra.*

6. Aliud Oleum Merc. diaphoreticum fragrans.

℞. Mercur. ♎ti p. 1. ✱ fixi, (in liquorem, p. d. redacti & mundificati,) p. iij. ſolve p. d. Liquore imbuatur charta bibula: Charta ſic perfuſa matracio vitreo includatur cum ſuo ⅩⅩ & recipiente: deſtillando liquorem Mercurialem igne arenæ elice. Hunc ſi rectificaveris, dulciſſimum odoriſque fragrantiſſimi ac gratiſſimi, moſchum redolentis nanciſceris oleum.

Vires. *Aptiſſimum eſt in ſudoribus ciendis.*

Quercetan. in Tetrard. In deſcriptione Panaceæ antimonialis.

7. Oleum Mercurii Saccharatum, Spiritusque.

℞. Merc. ♎ p. j. Sacchar. p. iij. Miſc. optimè ac deſtilla per ☊m vitream luto obductam in receptac. capac. Primò accende paulatim carbones ſupra ☊m, ut caleſcat: hinc accende & infra ac continua ignem lentum dies 2. aut 3. Quod extillavit committe deſtillationi MB. Exibit ∼ Mercurii ſubacidus, ☍o Sacchari remanente in fundo.

N. *Lentè procedas memento, ne operam ac oleum perdas. Saccharum enim æſtu nimio irritatum, vi ſibi exitum quærere ſolet.*

Uſus. *In Ulceribus Veſicæ, aut aliis Affectibus, ex morbo Gallico relictis, magni eſt ſolatii.*

Doſis: *ſpiritus exhibetur gut.* 3. 4. Schroderus.

2. *Bezoardicum minerale.*) Hoc ab Antimonio diaphoretico non realiter, ſed modi præparandi ratione differt, nihilominus tamen, qui hoc præſcribere intendit, ad reliquorum differentiam illud denominet. Alias præſens bezoardici mineralis deſcriptio (Si aq. fort. ad fixationem butyri planè omittatur) ſatis eſt accurata. Scilicet butyro Antimonii cucurbitæ vitreæ immiſſo ſenſim affunde ſp. nitri rectificati tantum, uſque dum butyrum totaliter fuerit ſolutum, nec ulla amplius efferveſcentia conſpiciatur. Hinc in Aren. ſp. Nitr. abſtrahatur ad ſiccitatem. Hujus Spiritus Nitri affuſio & ♌latio tribus repetenda eſt vicibus cum novo ſpir. Nitri, augendo ignem ultimò quoad omnes ſpiritus fuerint expulſi. Maſſa reſidua Crucib. immiſſa igne aperto per hor. unam leviter calcinetur.

N. Nonnulli, prout & *Dom. D. Moebius* fecit, Bezoardicum hoc minerale ſ. commodius elaborant, ſi ſeparato prius ſpirit. Vitrioli philoſophico à butyro Antimonii. Mercurium vitæ figant in viâ ſicca cum Nitro in Crucib. fuſo, inſtar Antimonii diaphoretici ſenſim inferendo, vel in viâ humida à Mercurio vitæ ſextuplum boni ſp. Nitri per Aren. ad ſiccitatem perfectam abſtrahendo, pulvere reſiduo citra cohobia aut ulteriores calcinationes & innocentis acoris elutriationes ſat valido ac tuto.

Vires.) Ebullitionem ſanguinis in febribus ardentibus tam boni moris quàm mali moris mirè compeſcit, ac in primis ſequens bezoardicum ſolare, ſi in primis ſuccenturiatu adſint ſalia volatilia urinoſa, qualia Sal Tartari volatile, C. C. cruoris cervi, ✱ &c. cum eſſentia theriacali nupta, fermentum febrile venenatum ac malignum cauſam iſtius ebullitionis figendo, invertendo ac per diaphoreſin & diureſin expellendo. Hujus autem virtus non tantum ab Antimonio & ☉le, ſed etiam à Nitr. oritur, quod abundè in Antimonio & ☉le figitur, id quod ponderis auctio & incrementum edocet, ſalva manente vi ſuâ refrigerante & ſedativâ (paucis cognitâ) quæ tamen magis enoteſcit, quando totum Nitrum vertitur in terram albiſſimam inſipidam per encheiriſin à *Clariſſ. Helmontio explicatam.* De *Lithiaſ. cap.* 4. §. 7. *& in complex. & miſtion. Element.* figmento §. 24.

N. Quoties à Natura ſpontanea illa coctio vitioſorum humorum in febribus ſerius venit expectanda, toties Arte promovenda eſt, inquit *Meus Sylvius in Practic. Medic.* pag. m. 944. & quidem medicamentis omnem humorum acrimoniam, & in primis acidam (unde illa penitior humorum in lympha & ſanguinis maſſa permiſtio effici ſolet) blandè temperantibus & arctam humorum unitionem iterum ſolventibus. Præ omnibus autem aliis blandè acrimoniam humorum, & acidam quoque cruditatem temperant Sulphura mineralium & metallorum fixa & ad ſummam ſui perfectionem exaltata. Quibus proxmè accedunt ſalia volatilia oleoſa, & aromatica: Quorum prudenter uſurpatorum vi, captum humanum in multis ſuperante, non tantum Naturæ humanæ convenientiſſima conciliatur in inteſtino tenui & Corde humorum ſubcontrariorum efferveſcentia, verum etiam diſſolvitur iterum in ſanguine & lymphâ concretio & coadunitio humorum acriorum præternaturalis, ſed prius ab ipſis moderatorum. Hujus generis volatiles ſpiritus ſeu ſalia volatilia circumſpectè ac cum del. ctu adhibita pro diaphoreſi ab initio febrium malignarum ſæpè plus præſtant additâ eſſentiâ anodynâ in cephalalgiâ, cardialgiâ &c. Quàm Bezoardicum minerale ſ. ſive C. intenſioris malignitatis ſeminaria rarò compeſcentia, adjunctis vel intermediatis pro circumſtantiarum ratione abſorbentibus temperatis, invertentibus anodynis. Si nauſeæ & vomitus ab initio ſymptomaticè complicati & ſolum fixiora illa bezoardica ex Antimonio oppoſita fuerint, malum, quod ſupra notatis alexipharmacis volatilibus ſolitariis aut anodynorum tantillo exaltatis facilè ſopitur, ſæpenumero magis exaſperant. In ejuſmodi morborum progreſſu non rarò cruda ſimpliciſſimè præparata ex animalium & foſſilium claſſe evidentius operantur abſorbendo ac figendo fermenta maligna ac venenata v. g. C. C. ſ. △ & cum △ præparatum, Terra ſigill. unicornu foſſile, cetaceum, dens equi marini &c. Quæ in aliis febribus cum bezoardico martiali & joviali, ſi non fuerint malignæ ab initio ad reſolutionem & inverſionem commodè alias adhiberi poſſunt.

2. *Bezoardicum ☉lare compoſitum.*) Hic notandum, Sal rutæ, guajaci & ſolut. corall. r. tantæ efficaciæ, non eſſe, ut hoc bezoardicum ☉lare in virtute ſuâ exaltent, vi ſuâ alexiteriâ per vulcani vehementiam orbata, niſi juxta jam monitam cautelam prius ſalia volatilia oleoſa vel Tinctura bezoardic. cum ſalibus volatil. parata in convenienti vehiculo adhibeantur & in progreſſu uſus bezoardici ☉ laris interpoſitis cordialibus ex corallinis, cinnabarinis, Cervinis, Lapide bezoar &c. ſequatur.

N. 1. *Bezoardicum Minerale Solare ad datam compoſitionem* fit.) Si loco aq. reg. tanquam nimium corroſivæ & noxiæ ſubſtituatur ſp. Nitri, præſens deſcriptio erit accuratior, & ſeq. facta modo commodior.

℞. Butyr. Antimonii clari ſ q. huic affunde ſp. Nitr. & abſtrahe per Alemb. cum hoc Spiritu abſtracto ſolve ☉ q. v. recipe poſtea ſolutionem hanc ☉larem & affunde butyr. Antimonii rectific. ſeorſim in cucurbitâ apertâ in loco aperto collocatâ ℥iij. hoc facto etiam affunde ſp. Nitri rectific. guttatim tantum, ut emineat ad 2. vel 3. digitos poſtea digere per aliquot ☍☍, deinde in Aren. per Alemb. abſtrahe, ſed non ad omnimodam ſiccitatem, ſaltem ut materia inſtar pultis flavæ quodammodo ſiccatæ remaneat, huic quod exſtillavit redde, addito novo ſp. nitri ad ℥ ij. circiter, miſce & digere iterum, poſt digeſtionem iterum deſtilla, hunc laborem ter vel quater repete. Sic ☉ perfectiſſimè cum ſuâ maſſâ unitur & fit Pulvis ſiccus: calcina ſub tegulâ per horam unam vel alteram. Doſ. eſt à gr. iij. ad v, ℈ ß. vel ℈ j. in omni morbo repentino.

N. 2. So-

N. 2. *Solutio corallorum fit.*) Hæc ſolutio minus philoſophica eſt, nec genuina, de qua vid. ſupra cap. de coralliis.

3. *Bezoardicum* ☉*lare Crollianum.*) Hoc ſuo etiam ſtat talo: attamen ob fixitatem, quam ☉ adhuc obtinet, cenſetur præſtantius quod ſequitur.

4. *Bezoardicum* ☉*lare verum.*) Si loco ☉lis illius corporei ſubſtituatur ☉ in ſpiritualem ſubſtantiam exaltatum, quod perficitur vel per philoſophicam trituram in pulverem ſubtiliſſimum cum philoſophico mortario inſtitutam, vel ſublimationem cum ✱co, vel per ſecundam aut tertiam ♌lationem cum nitro bezoardico, ut liquorem ſuppeditet duraturo colore ☉lari tingentem. Hoc Aurum ſpirituale ſolve in ſp. nitri non aq. reg. & ſolutionem abſtrahe ad ſiccitatem, deſtillationibus ſp. nitri ſæpius repetitis. Poſtea reſiduum calcina ſub tegulâ, (*unter einen Müffel*) &c. Nonnulli bezoardicum ☉, antequam igniant ſub tegulâ, irrorare ſolent ſp. vini & poſtea calcinant, probè tamen agitando in violaceum vel purpureum colorem, hic licet non ſemper acquiratur, etiam à flamma ignis procedens, nihilominus tamen ritè præparatum erit, modò eaſdem obtineat vires. De quibus ſupra in Bezoardico ſ.

N. *Rec. Aurum (per ſpiritum Nitr. bezoardicum.)* ſpirituale redditum &c. cum antecedenti convenit. Et Menſtruum illud Baſilii nihil aliud eſt, quàm ſpir. vini ſubtiliſſ. cum ſp. Salis digeſtus & ternâ ♌latione per alembic. unitus ex MB. Solvit ☉ non radicaliter, ſed ex partium texturâ tincturam acquirit.

5. *Bezoardicum* ☽*unare* 1.) cum ☽na non niſi depuratiſſima & ab omni ♀nere per capellationem liberata ad hoc bezoardicum aſſumi debeat, niſi vomitum vitriolatam vim concitare velis tinctura ☽næ viridis cum âq. fort. parata hîc exulet, utpote à ♀re non à ☽nâ oriunda, & ejus loco ſubſtituatur ☽na capellata in ſpir. nitri ſoluta ac butyro Antimonii nupta, ſeq. modo conficienda: Rec. ☽æ finæ laminatæ ℥ß. ſolve in ſp. nitri ſ q butyri Antimonii rectific. ℥ iß. ſpiritus nitri ſ. q. ſenſim butyro Antimonii affunde, uſque dum omnis efferveſcentia & ſtrepitus ſubſideat. Has ſolutiones conjunctas abſtrahe in cucurbitâ vitreâ deſtillando igne Aren. ad ſiccitatem maſſæ albæ cœruleæ. Huic reſiduæ maſſæ alius recens ſp. Nitri affundatur & abſtrahatur, idque tertiâ vel quartâ vice repetendum, ultimo fortiſſimo igne urgendum, ad omnimodam ſpirituum corroſivorum expulſionem, ſingulis tamen vicibus ante repetitam ſp. Nitri affuſionem maſſam in mortario vitreo conterenda; Maſſa denique reſidua aquâ ſ. ſæpius affuſâ edulcoretur & à ſpiritibus corroſivis liberetur, & bihorii ſpatio in Crucib. igne aperto calcinetur.

Tinctura ☽*æ fit.*) Loco Tincturæ ſumi poteſt Magiſterium Lunæ ex Lunâ finâ cum ſp. Nitri paratum & cum muriâ præcipitatum. Ex quo enim Tinctura ☽næ parari poteſt cum ſpir. ✱ & ſpir. ſal. tartari volat. Hoc Magiſterium cum butyro antimonii etiam conjungi cum ſp. Niti. ſ. a. figi poteſt, ut jam ſuprà oſtenſum.

6. *Bezoardicum* ☽*nare.* 2.) Hic loco extracti cœrulei ☽næ ſoluti in aq. fort. & extracti ex ☽ cum Sulphure calcinata per ſpiritum Urinæ jam dictum Magiſterium ſubſtitui debet, & cum butyro ♁nii non in aq. fort. ſed ſpirit. nitri ſolutum jungi poteſt, ut ſupra jamdum traditum fuit. Similiter etiam cum Bezoardico ☽nari 3. prout & cum 4. procedendum erit.

9. *Bezoardicum venereum.*) in Lue ♀nereâ, gonorrhœâ virulentâ, & ubi renes parteſque genitales vel exulceratione vel alio laborant Morbo, eſt egregium Medicamentum, ſi juxta *Domini Autoris* præſcriptum elaboretur.

10. *Bezoardicum* ♂*tiale.*) Quamvis *Domini Autoris* deſcriptio hujus bezoardici ♂tialis non ſit rejicienda, dum cum butyro ♁nii ex croco ♂tis per reverberationem facto tinctura extrahitur, quæ per ſpiritum nitri more uſitato figitur. Tamen optimum fit ex regulo ♂tis cum mercurio ſublimato in butyrum redactis & cum ſp. nitri vel fluore nitri ad fixitatem perductis. Prodeſt in febribus cum diarrhœâ conjunctis, item in dyſenteriâ epidemicâ, nam ratione ♂tis aliqualem habet vim adſtringendi & ratione nitri etiam anodynam.

11. *Bezoardicum* ♃*viale.*) Hoc juxta *Domini Autoris* præſcriptum etiam ſuccedit, ſed non fit pulvis gryſeus, verum albus ſubcœruleus. Eſt egregium Medicamentum diaphoreticum in Epatis obſtructionibus & in omnibus uteri affectibus, præprimis in purpurâ, ubi ſcilicet cum feculâ bryoniæ, aliiſque uterinis commiſcetur, quia malignitati reſiſtit & uterum una purificat. Item in epilepſiâ ex utero cum feculâ pœoniæ & bryoniæ decantatiſſimum eſt remedium. In Epatis obſtructione cum pulvere epatico rubro miſcetur. Imò in ipſâ Peſte etiam cum Magiſterio cordiali Dom. Dom. Johannis Michaelis p. m. utiliſſimum deprehenditur tàm ratione præſervationis, quàm curationis.

12. *Bezoardicum* ♄*ninum.*) Hoc non adeò eſt uſu receptum. Ex Minerâ ♄turni autem & mercurio ſublimato ana per retortam ♌latis acquiritur butyrum ♄ninum & cinnabaris ♄turni, ex quo cum ſpir. Nitri fixato bezoardicum ♄turninum fit magnarum in Peſte virium, prout & in pleuritide, ſcorbuto, ſcabie, melancholia hypochondriacâ. Hoc butyrum ♄ni ſuper ſaccharum ſaturni infuſum & per retortam deſtillatum largitur liquorem ſubrubrum dulcem, externè in ulceribus ſerpentibus utilem, quemadmodum etiam ex hoc mercurius vitæ confici poteſt in Morbis ſaturninis commendabilis.

N. Alembic. ♄turni quomodò conficiatur, vide ſupra de ♄no.

13. *Bezoardicum Mercuriale.*) Hoc utut Mercuriale dicatur, nihil tamen de Mercurio realiter participat, ſed ♁niale eſt, alembic. enim mercurii eſt ſuccinum ſeu alembic. ♁nii, licet aliquando colore differant.

Nos ad deſtillata revertimur, inter qua ſequitur 2. *Spiritus ſeu ol. Mercurii album diaphoreticum.*) Hic ſpiritus ſeu ol. ne quidquam de Mercurio participat, ſed niſi ſalia in fluorem redacta ſunt Mercurii ≏ati per argillam cauſata. Totum autem artificium hunc ≏atum conficiendi in eo conſiſtit, ut mercurius ſublimatus cum argillâ probè commiſceatur & conteratur, illudque aliquoties repetatur, alias loco Spiritus adſcendet ſublimatus. Commendatur in partium genitalium exulceratione.

3. *Spir. ſeu ol. Mercurii rubrum.*) Accurata eſt hæc deſcriptio, ſed præterquam quod adſtringendi vim à ♂te acquirat, non minoris cum antecedente ſortis & proſapiæ eſt. Eſt autem nihil aliud, quàm Tinctura rubra ♂tis ſalium beneficio in Mercurio ſublimato reconditorum ſupra alembicum evecta. In Cap. mort. nobile deliteſcit Vitriolum quod ſublimatum & in ol. per deliquium redactum elegantiſſimam præbet Tincturam adſtrictivam vel per ſe, vel arcano Tartari nuptum, ad tonon viſcerum confortandum in hæmorrhagia, vomitu, diarrhœâ & omni alvi fluxu miræ efficaciæ.

4. *Ol. Mercurii diaphoreticum dulce.*) Cum ſolo ▽ abſque aceto deſtillato ſolutio etiam ſuccedit, ſed digeſtio per aliquot Menſes continuanda in fimo equino, aliàs in caſſum laborabis: Rec. Mercurii cum Vitriolo & ſale ſublimati q. ſ. Solve in ſp. vini rectificatiſſ factâ ſolutione in alembico appoſito capitello cœco per aliquot Menſes fiat in fimo equino digeſtio, quâ peractâ,

ſpir-

Sp. vini in MB. abſtratur, hoc abſtracto ad oleoſitatem, reſiduum urgentiori △ne in Aren. ex retortâ vitreâ in aliud receptaculum pellatur. Quoad vires contumaciſſimis renum veſicæ, partiumque genitalium affectibus hoc oleum prout & reliqua plurimum præſtant, etiam internè propinari abſque ullo poſſunt periculo. Qui hiſce mercurialibus caret oleis, adſumat mercurium dulcem, qui etiam non contemnendas in hujuſcemodi caſibus habet vires.

5. *Oleum fragrans. Aſtrum dictum.*) Aſtrum mercurii habetur vel in formâ liquidâ, prout & *Domini Autoris* eſt, quod ſuccedit, ſi mercurius ſublimatus præparatus fuerit ex vitriolo & Sale; deinde cum ▽ ſolum ſolvatur, & tertiò digeſtio in fimo equino ad aliquot dies continuata fuerit. Vel habetur Aſtrum in formâ ſiccâ quemadmodum ſequens ex cinnab. Rec. Primò fiat ▽ Nitri hoc modo.

Re. Nitri optime purgati ℔ iij. miſce cum ℔ ix. terræ figulinæ præparatæ & nondum excoctæ, ☊la per retortam cum amplo collo, ut ſpiritus tranſire queant, adaptetur capax recipiens cum luto optimè lutatus, lutum prius probè exſiccetur, ne ſpiritus tranſire queant: Poſtea per 3. Horas △ne lento ☊la, hinc fortiore, donec ſpiritus nulli prodeant; poſtmodum rectifica, adde partem dimidiam Salis gemmæ, ſtent in digeſtione per 2. ☍, poſtea effunde, & adhuc ſemel rectifica. Rec. cinnabaris foſſilis Ungaricæ, opt. pulveriſa, & exſicca, Rec. hujus q. v. in alembic. affunde dictam aquam Nitri ad trium digitorum eminentiam, permitte in ſolutione, effunde aquam de terra damnata, abſtrahe aquam ad partem dimidiam, & pone in cellam ad criſtalliſandum, cryſtalli fiunt inſtar nivis inde hos iterum in ▽am deſtillatam ad ſolutionem, ſoluto affunde ol. Tartari & in momento ⚗tantur ſoluti cryſtalli inſtar croci.

N. Quidam poſtea in ▽ philoſophica ex ✱ & Nitr. ãã. facta ſolvunt ☉ puriſſimum ad ℥ iij. ſolut. ℥ j. ac cum eadem ▽a repetitis cohobationibus & digeſtionibus ☉ ſolutum per Alembicum ducunt, donec totum tranſeat. Hanc ſolutionem conjungunt cum priori Zinnabaris ſolutione abſtrahunt ſexies Aquam ad medietatem uſque repetitis ſemper iiſdem cohobationibus poſtea ad ſiccitatem deſtillatur. Tandem vel per ſp. Tartari vel ▽ omnis corroſio auffertur. Confert in apoplexia, epilepſia febribus malignis &c. Doſ. eſt à gr. j. ij. ad gr. v. in vehiculo appropriato.

6. *Aliud oleum Mercur. diaphoreticum fragrans.*) ✱ figitur h. m. calcinatur ſcil. ✱ cum calc. viv. aq. part. igne forti tribus vicibus, ſemper tamen affundendo calidam ipſum Salem ſeparantem. Sal diſſolvitur, filtratur & coagulatur, hic labor repetitur ſemper reaſſumendo calc. viv. ad unamquamque operationem, uſque dum ✱ figatur & liquabilis inſtar mellis reddatur. Hoc Sal in locum reponatur humidum & brevi in pellucidiſſimum liquorem convertetur, quem mundificabis & cum illo juxta Autoris præſcriptum procedes.

7. *Oleum Mercurii Saccharatum, Spirituſque.*) Hoc in Gallia & Ungaria Chirurgorum eſt Arcanum. Cautela hæc, quam *Autor* appoſuit, ut ſcilicet lentè in ol. hoc deſtillando procedatur, exactiſſimè obſervanda eſt, ne alembic. dum ſaccharum nimis effervescit, diſrumpatur. Verum quemadmodum in aliis etiam ſupra à *Domino Autore* adductis Mercurii oleis nihil eſt, quod Mercurii ſubſtantia ingrediatur, cui illorum effectus ſit adſcribendus, ſed ſalia ſunt quæ defectum ejus ſuppleant: ita etiam in hoc ol. Mercurii ſaccharato nihil eſt de Mercurio, (niſi odoretenus velis) ſed liquor eſt compoſitus ex ſalibus corroſivis & acido ſale ſacchari quæ Mercurio ♎mato immerſa & in ⚗tione Mercurii vitæ ſp. Vitrioli philoſophicum conſtituunt. Rectificatus hic ſpiritus ol. præbet fulvum. Quoad uſum; Spiritus hic internè cum liquoribus appropriatis convenit in Lue Venerea: Externè oleum etiam in articulorum doloribus nonnullis commendatur, qui tamen uſus ob corroſivitatem meritò eſt ſuſpectus. *Hofmannus.*

V. EXTRACTIO,

Unde

1. *Sulphur ſeu Tinctura Mercurii, Aquila cœleſtis.*

℞. ☿ ♎ti (cum Sal. com. & ⊖-o elevat.) q. v. affunde ✱, ſtent per ſeptimanas aliquot, ut extrahatur flavedo ſ. a. Decantatos liquores deſtilla ad ſiccitatem & habebis pulverem rubeum, qui verum Mercurii Sulphur.

Vires. *Paracelſus maxima huic attribuit praconia, in curanda Podagra, Epilepſia, morbo Gallico, &c. Quorum radicem per ſudorem expellit.*

Doſis g. 3. 4.

2. *Alia.*

℞. Vitri Mercurii (quod ſuccinum ♁ii vocatur,) extrahe cum ✱ decanta & abſtrahe.

Vires. *Sudorem movet.*

Doſis g. 2. 3.

N. *Uti vitrum illud, non eſt niſi vitrum* ♁ *ij: Ita Extractio hæc non niſi* ♁ *ij cenſenda erit. Vid. Bittich.*

3. *Oleum Mercurii* ♁ *ialis, Tinctura.*

℞. Mercurii ex ♁ fact. part. 1. ☍ ⊖-li rubr. rectificatiſſ. p. iv. abſtrahe leniter, ut ♒ eum Mercurio maneant, dein auge △, & ſublimabitur aliquota Mercurii pars. Sublimatum redde Mercurio in fundo, tantumdemque novi ☍i ⊖-i adde abſtraheque & ſublima, idque vice tertiâ; tandem tere, & affunde triplum ▽ rectificatiſſ. circula, ſic fiet ſeparatio, & Mercurius in ☍ abibit ſupernatans. Hinc ſepara ☍ idque circula ☍ cum ✱ acerrimo. Sic ☍ recipiet ponderoſitatem, fundumque petet, & quod noxium in ☿ erat ✱ o immixtum maneat.

Vires *Baſilius maximis encomiis* ☍ *hoc celebrat, vimque ei attribuit corroborandi Cerebrum, curandi Apoplexiam, imò loco Panaceæ habet.* Schroderus.

V. Extractio. Unde 1. Sulphur ſeu Tinctura Mercurii, Aquila cœleſtis.) Hæc deſcriptio ferè cum ſupra allato ol. ☿rii diaphoretici dulcis convenit, eò quod hæc æque ſolutionem, digeſtionem & abſtractionem Acet. diſt. ad ſiccitatem præcipiat, illa autem hiſce prævis extractam ex decantatis liquoribus cum Acet. diſt. ſuper Mercurium ſublimatum factis flavedinem pro ſulphure ☿rii venditet. Verum hæc extracta flavedo, quæ poſt deſtillationem in pulverem rubeum degeneravit, non ex ☿rio, ſed etiam ex ſalium diverſorum variâ texturâ orta eſt. Interim tamen notandum eſt, quod ſi Acet. deſtillat. à mercurio ſublimato vel butyro ♁nii ſæpius abſtrahatur, per ſeceſſum purgare, unde & hoc dictum Sulphur mercurii purgantibus admiſceri poteſt.

2. *Alia.*) Hoc vitrum mercurii nihil aliud eſt quam ſuccinum ♁nii, ex quo loco Acet. diſt. convenientius cum ſp. Vir. ær. tinctura extrahi poteſt, & tinctura extracta cum ſpiritu vini circulari. Verum non mercurii, ſed ♁nii inde tinctura rubicunda elicitur.

3. *Oleum mercurii* ♁ *nialis. Tinctura.*) Mercurii ♁nii elaborationem vide infra de Antimonio. Interea præſens Domini Autoris deſcriptio non eſt de nihilo. Elegantiſſimum etiam ♎matum fit ex mercurio antimonii, Vitriolo calcinato & ſale tribus ſupra nominatis athletis fortiſſimis ad contumaces febres expugnandas. Loco ol. Vitrioli ſ. ſubſtitui debet ol. vitrioli ♂tis vel vitrioli hermaphroditici ex vitriolo ♂tis & veneris

veneris paratum. Tandem poſt ♎ationem affunditur triplum ſp. vini rectificatiſſ. & cum eo circulatur ut dulceſcat; Alias etiam ex ſp. vitrioli & ſp. vini rectific. præmiſsâ debitâ combinatione per circulationem & deſtillationem fit ſpiritus cephalicus Dn. D. Joh. Michaelis; item, ſpiritus catharthalis, cephalicus, apoplecticus, de quo infra pluribus. *Hofmannus.*

VI. Liquatio.

1. Unde Liquor.

℞. ☿♎ti q. v. digere in phiala vitrea calore mediocri, ♂ (40.) hinc ſolve per deliquium.

Vires. *Curat Ulcera ac Vulnera maligna, inſtillatus.*

Alius liquor Mercurii præcipitati.

℞. ☿ per 🜄 præcipitat. q. v. affunde 🜄 opt. digere & cum acer factus fuerit decanta. Hinc affunde alium, donec acrimonia ſublata, & calx attenuata fit. Tunc affunde ⚹ digere, decanta, affunde novum ⚹, idque toties, donec totus pulvis in ⚹ abierit: abſtrahe ⚹, pulveremque repone in cellam ad liqueſcendum cum aqua Chelidoniæ.

N. *Quod ſi ⚹ calci huic inſufficiens fuerit, denuo calcina.*

3. Alius.

℞. ☿♎ti q. v. ſolve in 🜄, (ex Sal. nit. p. ij. & ✱ p. 1. deſtillata,) digere vaſe clauſo, poſtea deſtilla: reſiduum tere, rurſuſque aquam affunde, idque tantiſper reitera, donec omne ſublimatum in fundo fixum remaneat. Fixum hoc ſublimatum per horam unam ac alteram leviter reverbera, dein tere, digere cum 🜄, abſtraheque cohobando, donec in ℴℴi formam abeat. *Untzer.*

Vires. *Confert Podagricis, lue Venereâ infectis, Cancro, Fiſtulis, & omnibus ulceribus ſordidis, putridis atque inveteratis, ſive intrinſecus, ſive extrinſecus adhibeatur.*

N. *Sic quoque figitur per ⚹, fixumque per 🜄 dicto modo in mucoſam pinguedinem abit: quæ ſi ex arena gradatim deſtilletur igne fortiſſimo, lacteum humorem ſudat, digere hunc ac deſtilla, accipieſque ℴℴ candidum & ſuave.*

Vires. *Uſus ejus tum internus eſt ad Renes exulceratos, atque calculum, tum externus ad ulcera.*

4. Alius, ℴℴ ☿ij diaphoreticum dulce.

℞. ☿♎ti puriſſ. q. v. tere & ſolve, p. d. ſuper tabulis ferreis ſtanno obductis. Liquor affundatur 🜄, fiat deſtillatio, cohobiis toties repetitis, donec 🜄 aceſcere incipiat. Tandem abſtrahe leniter 🜄, manebitque in fundo ℴℴ Mercurii dulce. *Harmann. in pract.*

Doſis à g. 2. ad 6.

N. *Alii pellunt igne fortiori ex arena, nanciſcunturque lacteum liquorem, qui rectificatus per ♋m evadit fragrantiſſimus ſine corroſione. Vide ſupra in deſtillatis.*

5. Liquor ☿ Jovialis.

℞. Merc. crud. ♃is ana ℥ ij. F. ãĩã. Huic adde Mercurii aliquoties ſublimati ℥ v. Trita ſolvantur per deliq. Liquorem digere cum 🜄 per menſem. Poſtea abſtrahe 🜄m △e leniſſimo in MB ne ℴℴ ſimul aſcendat F. cohobatio quater vel quinquies. Ultimo remanebit in fundo ℴℴ merc. ♃iale.

Vires. *Poteſt adhiberi intrinſecus & extrinſecus.*

Doſis à g. 2. ad 6.

6. Liquor Merc. ♎ti.

Sublima Merc. ♎ti ℥ j. cum ana ✱ci, adde 🜄 ad eminentiam 3. digitorum, digere ſimul per 6. ♂ & per ♋ pelle. Poſt 🜄 egreditur Oleum, quod in frigido coagulabitur in maſſam albam, quæ in cellâ poſita reſolvetur in liquorem ⊖em diſſolventem, eumque in volatilitatem adducentem.

Ex S. Cloſſ. Schroderus.

6. *Liquatio unde 2. Alius Liquor mercurii ♎tati.*) Hæc prout & 3. ſequens deſcriptio nil minus affinis eſt cum ſupra jamdum examinatis oleis.

4. *Alius, ol. mercurii diaphoreticum dulce.*) Hoc etiam ſuam meretur laudem. Uſus tamen ejus ſaltem externus eſt in ulceribus malignis.

5. *Liquor mercurii ♃ialis.*) Convenit hic cum Dn. D. Johann. Agricolæ deſcriptione ol. mercurii, quam tradidit in notis ad Poppium, & repetiit Cl. Zvvelferus in mantiſſ. Spagyric. part. 1. cap. 7. p. 355.

6. *Liquor mercurii ſublimati.*) Si mercurii ſublimati juſta proportio cum ✱ ana & ſp. vini per aliquot dies digerantur, & poſtmodum per retortam deſtillentur. Poſt ſp. vini egreditur ol. quod in frigido coagulatur inſtar butyri, & per deliquium ſolutum poſtmodum metalla ſolvit.

N. Quomodò ex mercurio cum calce vivâ & ſale Tartari fortiſſimo alkali *Cl. Zvvelferus* in mantiſſ. ſpagyric. part. 1. cap. 7. p. m. 355. *Liquorem Alkaheſt ſummum Nobiliſſ. Helmontii* arcanum eruere in formâ aquæ præſumat, evolvi poteſt; Verùm de hujus ſucceſſu valdè dubitatur vid. & *Dominus Luc. Schrœck. in Mantiſſ. Hermetic.* p. 513. ſeq. Negari quidem nequit, poſſe in hâc Zvvelferi præparatione unà cum mercurio aliquid aquæ in vaſe recipiente colligi. Sed non ideo mercurius in aquam reſolutus dici poteſt, cùm longe aliam habeat originem, ſcilicet à vaporibus vel poros mercurii ingreſſis, eo ante deſtillationem, aëri humido expoſito, vel ex vaporibus recipienti incluſis. Unde & *Nobiliſſ. Robertus à Boyle in paradox. chemic.* p. 71. Poſſe inquit, certo quodam tractandi Argentum vivum (vel ſaltem aliquod ejus genus, nam non in omni mercurio ita feliciter ſuccedit) artificio, ab ipſo, nullâ factâ additione, minimum quintam vel quartam limpidi liquoris partem ſeparari, qui à vulgari Peripatetico pro aquâ haberetur, quemque vulgaris chymicus phlegma vocaret, qui tamen reduci in mercurium nequit. vid. l. c. *Hofmannus.*

VII. Salificatio.

℞. Corpus ex præparatione ℴℴi ☿ii fragrantis reſiduum (*vide ſupra*) affunde idem illud ℴℴ fragrans, digeretur que & extrahetur ſal. ☿. Extractioni decantatæ, affunde 🜄 quantitatem bonam, demum abſtrahe 🜄 in cinere, & aſcendet poſt 🜄 & ℴℴ ☿ii relicto ſale in fundo.

Vires. *Summum eſt & efficaciſſimum arcanum in extirpanda Lue venerea, etiam radicata & inveterata, ſanguinem mundificat, adeoque omnis generis ulceribus ſine & cum malignitate conjunctis medetur, ſcabiei confert, impetigines ſanat.*

Doſis g. 1. ad 2. vel 3. Schroderus.

7. *Salificatio.*) Ex hactenus in medium allatis medicamentorum mercurialium præparationibus verſipellis ille ac larvatus *Mercurius* ex habitu ejus externo (ex Sulphure ejus externo) ſatis ſuperque innotuit, dum cum quibuſdam diverſis menſtruis mutatus modo in liquorem cum aq. fort. vel in rubicundum, vel album pulverem, modò cum ol. Vitrioli in ſubflavum, cum Sulphure in ſanguineam ac volatilem cinnabarim transformatus fuit. Cum aliis ſalinis quibuſdam corporibus ſurſum latus, ſalis formam, cum regulo antimonii butyri ſpeciem, cum

cum aliis adjunctis vitri, imò etiam olei ſubſtantiam induit. Nihilominus tamen ex hiſce omnibus concretis exoticis reduci & priſtinam eſſentiam, quæ ſolummodo in iſtis larvabatur, induere poteſt. Tantumque abeſt, ut hæc involucra ſalina aut Sulphurea partes ſint mercurii conſtitutivæ ex ejus ſubſtantiâ elicitæ, ut potius etiam compoſita ſint corpora ex mercurio & menſtruo, aliiſve additamentis ad ipſum larvandum adhibitis conſtituta, uti exinde, quod in mercurium priſtinum reduci queant, abunde eluceſcit. Prout ſal in aquâ ſolutum ſal manet & inde ſine ſalis mutatione reperitur. Si autem hic vulgi Mercurius à Sulphure ſuo externo, ſeu labe originali liberatus ſit, non ſinit ſe amplius à ſulphuribus aut ſale apprehendi, quin hæc confeſtim ſumat ac veluti conficiat. Ideoque interior Mercurii nucleus, ſeu Philoſophorum Mercurius in igne conſtans à dictis diſſolventibus non attingitur, ſed altioris eſt indaginis. Interim tamen cùm hæc medicamenta mercurialia, ſi ritè præparata fuerint & methodice exhibita, non vulgarem etiam in Medicinâ præſtent uſum, tamdiu iiſdem immorabimur, uſquedum Cl. *Helmontii* potiamur Mercurio diaphoretico, arcano corallino, Glaure Augurelli &c. *Hoffmannus.*

Mercurii aliquot rurſus Præparationes è Pharm. Bateana.

Mercurii Purgatio.

Diverſimodè perficitur. Vel trajiciendo per alutam, vel lavando cum ✚ & ⊖ mixtis; aut cum ▽â Calcis vivæ ſæpius agitando cum Sp. V. in vitro obturato. Vel deſtillando in ∴ per ♉m △e forti; idque per ſe, vel addito ⊖e tartari, calce viva, &c. vel ããndo cum ☉ vel ☽, ac poſtea per ♉ à corpore admixto ſeparando.

✶ *Merc. præcipitat. Albus.*

Solve ☿ in 🜆: ♎a ▽â ſalſa, ablue, exicca. *Albus ſubdulcis.* Solve ☿ in Sp. ⦶i, ♎a cum Sp. V. ſicca, & ſæpe combure cum 🜈 ſ. a. *Doſis eadem cum ☿io dulci. Uſus in Lue ♀, Hydrope, Podagra, Ictero, &c.*

Merc. præcip. correctus.

℞. ☿ per ⊖ & ✚ purgat. ℥ij. 🜆 duplic. ℥viij. Abſtrahe 🜆em ex ∴, cohobando. Tum materiæ tritæ affunde ℴℴ ⊕li ℥ij. Digere, & ℴℴm abſtrahe. ſuper ☿m affunde Sp. V. Digere ♂ iij: decanta, aliumque Sp. V. affunde idque tertiâ vice repete: tandem, ſicca. *Doſ. gr. 3. ad 10. Purgat per inferiora. in Lue ♀rea curanda præſtantiſſimum remedium.*

Merc. præcip. fixus.

℞ ☿ purgat. ℥iij. ✶ ℥iß. Fl. ♁ ℥ij. m. & ♎a ſ. ♎atum cum fæcibus tritum ♎a iterum: dein auge △em ut candeſcat. id quod in fundo remanet fixum *Panacea vocatur. Omnes humores noxios exiccat, perque diaphoreſin expellit. Doſ.* ℈ß. *ad* ʒß.

Merc. præc. Flavus.

(Id eſt) *Turpeth. miner. Doſ. à gr. 5. ad 10. Eaſdem habet vires quas Arcan. Corallinum.*

Merc. præc. griſeus.

Turpeth. mineral. in 🜆oſ. lotum & ſiccatum imbibe cum Pyrœno, & (addit. camph. in Pyrœno ſolut. ã,) l. △. Pyrœnum abſtrahe ſ. a. *Doſ. an. gr. iij. ad viij. &c. Purgat. per inferiora.*

Merc. præc. Incarnatus.

☿ ℥j. in 🜅 ℥ij. ſolutæ adde ▽ fervidæ ℥ii. ♎a ⊡â ſec. ablue ac ſicca ſ. a. *Solùm per ſeceſſum movet. Virtutes obtinet Arcani Corallini. Doſ. gr. vj. ad xij.*

Merc. præc. Laxativus.

F. ex ☿ cum ℴℴ ⊕li, vel ♁ in ∴æ B. cryſtalliſato, & in ✚bulo indito ut per horam candefiat ope △is: dein in aquam calidam projecto, ut fiat pulvis flavus. ▽am decanta, lava, exicca, & 🜈 ſupra eum incende ſ. a. *Purgat ἄνω καὶ κάτω. Doſ. gr. 3. ad 10. mirè proficuus in Lue ♀rea extirpanda, Podagra, Ictero, Hydrope, Scabie, &c.*

Merc. præc. per ſe.

☿ pone in vitrum infernalem, exactè in ∴. colloca, & gradatim auge △m, donec ☿ in pulverem rubicundiſſ. converſus ſit. Ablue 🜈 *opus eſt multorum dierum. Sudores valde movet. Luem ♀ream ſexies vel ſepties exhibitus penitus eradicat. Febres omnes tollit. Lumbricos eliminat. ut plurimum vomitum quoque movet ſat violentum. Doſ. gr. 3. ad 6. præſtantior erit præcipitatus, ſi fiat cum parte octavâ ☉is. v. infra.*

Merc. præc. Ruber.

Solve ☿ p. i. in 🜅 p ij. Abſtrahe 🜅 à ☿io per deſtillationem cum tribus cohobiis, donec in pulvis pulverem rubrum evadat. *Vires imitatur præcedentis.*

Merc. præc. Solaris per ſe.

F. ex ããã facto ex ☿ ℥iv. cum ☉ per ♀ fuſi ℥ß. in vitro infernali poſito ut ſupra, materiam ſæpe eximendo, & conterendo, ſ. a.

Merc. præc. Viridis.

℞ ☿ ℥iv. ♀ ℥ß. Solve ſeparatim in 🜅, & miſce poſtea. abſtrahe 🜅em, digere ♎atum cum ✚, filtra ac ſicca ſ. a. *Specificum eſt in Gonorrhœa virulenta, quam nimiam tollit, inſufficientem promovet: ideoque quotidie continuandus ejus eſt uſus, donec omnis fluxus ſedatus ſit. Doſ. gr. ij. iij ad viij.*

Merc. ſublimat. Ruber & Flavus.

℞ ☿. ⦶. ⊕ calcin. an. ℥vj exactè miſta ♎a: cum ♎ato miſce ⦶ & O parum calcin. an. ℥iij. Impaſta ✚to, & ♎a iterum. Rubrum à flavo ſeparatum ſeorſim ▽â ablue, & 🜈 ſupra utrumque incende ſ. a. *Purgat præcipue per inferiora, magnumque Secretum in Hydrope, Lue ♀, Podagra. Scabie, Ulceribus, Cancro, &c. Doſ. gr. 5. 6. 7. &c.*

Merc. Vitæ correctus.

☿m Vitæ in phiala △e ∴æ fove donec rubere inceperit: poſtmodum 🜈 ſæpius ab eo abſtrahe ſ. a. *Purgat ſat bene per alvum, Impuritateſque quaſcunque educit. Doſ. gr. 4. 5. 6.*

Merc. Vitæ purgans.

Si ☿m vitæ cum ⊖e aliquoties teras, & ſalſedinem poſtea per ▽am abluas, vim ſolam purgandi per ſedem obtinebit. *Doſ. à gr. vj. ad xij.*

MESPILUS,

Ac primò Meſpilus folio laciniato.

Hæc duplex eſt vel major non ſpinoſa Cratægus Theophraſti, & Sorbus torminalis Plinii credita; vel minor & ſpinoſa, eaque iterum duplex vel mitior, fructu majore, Meſpilus Aronia dicta, vel ſpinoſior, fructu minore quam oxyacantham vocant.

Vires, Meſpili non ſpinoſæ Sylveſtris. Fructus maturi & jam fracidi eam acerbitatem quam cruda habebant ex parte deponunt, & ſubacidum acquirunt, nec injucundum ſaporem relicta tamen etiamnum aliqua acerbitate in callo qui eis ineſt.

Alvum aſtringunt ſicut Meſpila, eis tanquam ſingulari & præſenti remedio contra tormina (dyſenteriam) utuntur qui Hercynios montes accolunt ruſtici, ut teſtatur Cordus. Matthiolus etiam eandem eis vim tribuit; quam ineſſe nos quoque in parte experti ſumus.

Rob. Sorbi, ſpeciatim torminalis eſt nobile ſpecificum in diarrhæis epidemicis, item in diuturnis, quæ ab uſu fructuum horariorum ſuperveniunt. Etmuller cap. de Diarrhæa. Communicavit D. Hulſe eadem omnia poſſunt quæ ſorba domeſtica ſed inefficacius eodem autore; imo, me judice efficacius, certè febricitantibus aptiora ſunt cum refrigerent non minus quam aſtringunt,

Uſus Meſpili ſpinoſa fructu majori eſculento. Fructus maturi ab Italis pro deliciis crudi appetuntur in cibis: nec tantum crudi ſed etiam ſaccharo conditi & aſſervati eduntur. Lazaroli autem Italis dicti ſunt ab Arabico Alzaror. Nobis certe crudi grata aciditate placent hi fructus, & Meſpilis delicatiores viſi ſunt, moderate admodum aſtringunt, iiſque qui alvo ſunt laxiore cibus eſt utiliſſimus.

Vires Oxyacanthæ. Quæ de hujus fructus viribus tradunt Tragus, Matthiolus, Schvvenckfeldius, quòd ſcil. aſtringit, & omnis generis fluxus ſiſtit non probat J. Bauhinus, nec enim ſubauſterus eſt (ut vult Lobelius) ſed guſtu aliquantulum glutinoſus & dulcis: at neque è contra aſſentitur Anguillaræ eum ventrem lubricare & fluxus provocare. Nec tamen negat aquam ex floribus pleuriticis utilem eſſe poſſe, aut calculoſis prodeſſe. Certe hujus vel aquam deſtillatam, vel ſiccati pulverem, vel infuſum in vino conferre adverſus arenulas & calculum conſentiunt Botanici.

Quamvis oxyacantha frutex potius quam arbor cenſenda ſit, cum fruticis modum plerumque non excedat, commodum tamen locum nacta, ſi permittatur in proceram & juſtæ magnitudinis arborem adoleſcit.

Meſpilus vulgaris foliis integris.

Nomina. Meſpilus vulgaris *J. Bauhini*, vulgaris ſive minor *Park.* Germanica folio laurino non ſerrato, ſive Meſpilus Sylveſtris *C. B.*

Parva eſt arbor, foliis quam pomi longioribus, anguſtioribus, laurinis fere paribus (Matthiolo cerasorum) infernè incana lanugine pubeſcentibus, ſuperne quoque nonnihil piloſis, ſed ſaturatius virentibus, alias ſerratis, alias non ſerratis; flores ſingulatim naſcuntur candidi ſeu dilute rubentes (quinque petalis amplis, obtuſis, in medio bifidis compoſitis) Cotoneæ mali: quibus ſuccedunt poma exigua, fulva, per quam acerbi ſaporis, pyris ſylveſtribus paria, hirſuta, ex anguſto principio in umbilicum latum excavatumque deſinentia: ex cujus ſupercilio emicant quina folia oblonga, anguſta, acuminata, quæ florem antea tegebant. In ſingulis autem pomis quina fere oſſicula, compreſſa, triangula, caro dura, alba, adſtringens valde: quæ tamen fracida reddita acidulum ſuavemque acquirit ſaporem, & menſis ſecundis inſtruendis inſervit.

Paſſim hodie colitur in hortis & viridariis Germaniæ, Italiæ, Galliæ & Angliæ. In Germania etiam ſponte provenit: verbi gratia, inter Argentinam & Badenſes Thermas in Sylvis. Quæ non inſitæ ſunt, ſpinoſæ ferè ſunt & parvos edunt fructus: ſed major, & præſtantior non niſi culturâ comparatur. Inſeriturque apte pyro ſylveſtri aut ſpinæ albæ. Floret Aprili & Maio, fructum perficit Septembris fine aut etiam tardius.

C. Bauhinus eumque ſecutus Parkinſonus quatuor genera diſtingunt.

1. Meſpilus Germanica folio Laurino non ſerrato ſive Meſpilus ſylveſtris C. B. Meſpilus vulgaris ſive minor Park.

2. Meſpilus folio Laurino major C. B. maxima ſativa Park.

3. Meſpilus Italica folio Laurino ſerrato C. B. minor folio ſerrato Park. J. Bauhinus in Meſpilo vulgari minore ſe utriuſque folia ſerrata, & non ſerrata, obſervaſſe ſcribit.

4. Meſpilus fructu albo C. B. fructu albo magno Park.

Vires. Meſpila ejuſdem temperamenti ſunt cum Sorbis, & ad eadem valent, vomitum, dyſenteriam & omnes in genere alvi fluxus. Ventriculo noxia eſſe aiunt, præcipue dum duriuſcula & acerba adhuc ſint: nam emollita & fracida facta adſtringunt minus. Si decocto immaturorum colluantur os, & fauces, reprimit fluxiones in fauces, dentes atque gingivas. Paratur quoque ex Meſpilis ſiccis, ſucco roſarum, caryophyllis, pauco corallii & nuce moſchata cataplaſma, quod applicatum regioni orificii ventriculi potenter compeſcit vomitum ciborum. Meſpila virid. in magna quantitate devorata multas diarrhæa pertinaci laborantes ſanaverunt, aliis remediis nihil proficientibus Foreſtus.

Folia ſimilem cum fructibus vim obtinent.

Herbariorum plurimi oſſicula in pulverem detrita tam ad renum quam ad veſicæ calculum conterendum & expellendum commendant nec Herbarii modo, ſed & practicorum pars major id faciunt & paſſim in ſuis libris calculoſis præſcribunt: atque ita qua primùm data porta eſt, ceu impetu quodam ruunt omnes, inquit J. Bauhinus, magno mehercle & artis & rationis ludibrio: qui idcirco iis ſtrenue ſe opponit, & multis probare nititur contrarium. Ipſum ſi placet conſule *Raius.*

METALLUM.

Metalla ſunt corpora dura, ductilia ex ſucco ſalino ſive Mercurio vi ſui ſulphuris in terra coagulato.

N. *Libro primo diximus, res ſecundarias ex perittomate rerum primariarum fieri. Perittoma ero macrocoſmicum veniens in matricem, ſive locum metallificum, id eſt, metallorum generationi aptum, ſi ibidem ſubſtiterit, ſuſcitatur ſpiritus ſeu ignis illius perittomatis; ſubindeque vi matricis metallinæ in naturam metalli faceſſit. Duobus ergo ut omnia, ita & metalla conſtant; humiditate ſcilicet quæ Mercurius dicitur, & ſpiritu ſeu igne, qui Sulphur. Duo hæc in ſale fundata ſunt vitriolato, id eſt, in naturam talem tranſmutato, qualem natura ad generanda metalla proxime requirit. Hoc Sal alteratur ulterius paulatim, nec enim ſtatim metallum evadit perfectum. Quare, cum in natura conſtitutum ſit, ut partes diverſæ invicem miſceantur atque inſuper mixtio & maturatio fiant ſucceſſivè, particulis ſcilicet nonnullis, citius ad maturitatem pervenientibus, aliis tardius, aliis crudis aliquantulum manentibus; & in hac metallorum generatione varietatem quandam eſſe neceſſum eſt, qua particulæ aliæ maturiores, aliæ minus maturæ. Maturiores ergo partes id eſſe ſuſpicor, quod Philoſophi ſub titulo ſeminis metallini eliciunt. Licet enim in Metallis partes adeo compactæ & unitæ ſint, ut difficulter invicem ſeparari queant, unde fateri convenit, pleraſque laborationes, maximè vulgares, non ſeparatorias, ſed ſolùm præparatorias ſeu exaltatorias eſſe, id eſt, quibus metalla circa ſeparationem puri ab impuro, ſolùm alterantur, ut eò melius à calore noſtro ſuperari, inque actum deduci queant: attamen ſeparationem illam contra multorum experientias hinc inde annotatas, impoſſibilem ſtatuere, pertinacium potius eſt, quam virorum cordatorum. Quin imo non modo cuidam ex amicis meis, ſed & mihi ſors favit, ut oleum rubicundiſſimum, aquæ ſupernatans ex ☉ elicuerimus.*

De viribus Metallorum in genere nihil addo, niſi quod tantæ inibi à majoribus deprehenſæ ſint, ut principalioribus macrocoſmi ſtellis, macrocoſmique membris principalioribus & dicarint, & nomina communia impoſuerint, uti patet partim ex ſequentibus, partim ex lib. 1. cap. 9. Schroderus.

Quod *D. Autor* iterum de perittomatis macrocoſmici ſpiritus in locum metallificum, ut loquitur, ſeſe inſinuante omnium metallorum causâ efficiente producit, Calilthenem ſequutus, quaſi omnia metalla in hoc ſpiritu tanquam formâ ſpecificâ conſpirarent, & inter

ter ſe convenirent, ac non niſi accidentaliter pro majore vel minore puritate; maturitate vel cruditate, fluiditate vel firmitate &c. differrent, hoc partim ſupra *Libro primo* jamdum exploſum eſt, partim in ſequentibus refutabitur. Metallorum cauſas & originem ſunt, qui in aſtris inquirunt & principem ſaltem eorum partem eo deducere conantur. Quæ cauſa etiam, quod certis metallis Aſtrorum nomina fuerint impoſita hiſce originem ſuam quaſi debentibus. Quæ ſententia ſanè adeò non adſpernanda eſt. Globorum magni hujus Orbis Planetarii, inquit *Excell. Morhofius* l. c. p. 15. tum qua totum ſyſtema, tum qua partes nobiliores, inter quas in terreſtri globo omninò referendi ſunt ſpiritus metallici per vaſtiſſimum hoc corpus diſperſi, nullam eſſe conſpirationem aut mutuam efficacitatem, nemo mihi temerè perſuaſerit. Quis enim negaverit, aliquod communi aëre ſubtilius adhuc corpus, quod Ætherem appellare poſſumus, per univerſum hoc diffuſum dari, quod ſecundum diverſam texturam & figuram partium, item magnitudinem, motum &c. Omnia corpora pervadere & adæquate poros implere poſſit illorum, quæ figurâ & magnitudine diverſis portionibus inſinuantis materiæ reſpondeant? Quod autem talis ſit in hoc univerſo ſubſtantia, ex multis phænomenis probari poteſt. Refert *Digbæus*, ſed ex fide amici, radios ſolis per vaſa vitrea & concava certo quodam modo diſpoſita in purpureum & minutiſſimum pulverem præcipitari. Scripſit jam dudum *Th. Paracelſus* de ſolari pulvere ex ſpeculis per radios ſolis collecto, quo rite præparato excitare in nobis igneam naturam queamus. Imò nonnulli eò devenìunt, ut ſtatuant, Solis ipſius ſubſtantiam ex auro liquefacto conſtare. Mirum igitur, ſi non ſemina etiam per terram ſpargeret ac in eâ ſubſtantiam ſibi ſimilem produceret; Solis & Lunæ vires in hæc inferiora ſatis perſpectæ ſunt. Illi cum *Auro*, huic cum Argento ſingulare intercedit commercium, quod nec Saturno cum Plumbo, nec Marti cum Ferro, nec Jovi cum Stanno, nec Veneri cum Cupro, nec Mercurio cum Argento vivo denegari nequit; Solis & Auri ſimilitudinem oſtendunt ſplendor, color, qui à ſulphure optime digeſto, quod à ſole huic ingenerari creditur, provenit. De Sole, inquit *laudatus Morhofius* l. c. vulgaris opinio eſt, quod plumbo ac cupro, quo templa & ædes tegi ſolent, aurum ingeneret. Quam licet anilem fabulam vocet *Honoratus Fabri*, novi tamen, dicit, qui à plumbo ac ſtanno veteri per repetitas calcinationes & eductiones non contemnendo lucro aliquid auri & argenti expreſſerint; ſive id à cauſis quibuſdam latentibus productum, ſive ſeparatum fuerit. *Albinus* in *Chronico ſuo Metallico* p. 29. obſervavit, ſemper in fodinis Schnebergenſibus argentum copioſum ſub Saturni in ſignum Cancri ingreſſum accedente Lunâ repertum fuiſſe. De Margaritis Garcias ab Horto prodidit, eos poſt plenilunium captos cum tempore minui & deſcreſcere; qui verò ante plenilunium capiuntur, huic vitio non eſſe obnoxios. Verùm magno Orbi planetario generalis ac univerſalis quidem influxus ac conſpiratio cum metallicis hiſce inferioribus Planetis denegari non poteſt, interim ſpecialem ac particularem illorum cauſam ſive conſtitutionem non abſolvunt. Præterea *Dominus Autor* duobus metalla conſtare ſtatuit, humiditate ſcilicet, quæ Mercurius dicitur, & ſpiritu ſeu igne, qui Sulphur. Duo hæc in ſale fundata eſſe vitriolato &c. Verùm nolo hîc multa de tribus dictis iſtis Principis Chemicorum hypoſtaticis diſquirere, de illorum exiſtentiâ, numero, & an omnibus inſint corporibus & quantum à ſe diſcrepent in diverſis ſubjectis, ſed Lectorem remitto ad *Nobiliſſ. Robert. à Boyle* in Chemiſtâ Sceptico, item *Hamelium Libr. de conſenſu veteris & novæ Philoſ.* Lib. 2. Cap. 4. & *Ex Mangeti Biblioth. Pharmac.* Tom. II.

cellent. Rolfinck. in tr. de Chemiâ in Art. form. redact. Veteres illi ante *Paracelſum* Mercurium & ſulphur tantum metallica ſtatuerunt Principia, & quidem proxima, ut quæ manibus tractari & in oculos incurrere poſſunt, remota autem illis corporum principia fuerunt Elementa. Per Mercurium & Sulphur non intellexerunt illi, quæ vulgò ſic vocamus, nam hæc potius recrementa metallica illis fuerunt, quàm vera Principia. Mercurius illis eſt ſubſtantia metallica ex perfectorum metallorum familiâ, immatura, ad levem calorem fluidiſſima, ponderoſa, volatilis, ſummè ductilis, non currens, ut vulgaris Mercurius, unicum & ſummum naturæ metallicæ agens. Hoc ita crudum in Naturâ inveniri ajunt, unde ſummâ arte eliciunt ſubſtantiam puriſſimam viſcoſam, quæ proxima materia eſt metalli conſtituendi. Hóc omnibus metallis commune eſt principium, ſed prout ſulphur vel purius vel impurius illud temperat, aliam vel aliam miſtionem ſortitur: unde vulgò diverſæ illæ metallorum ſpecies conſtituuntur. Hanc materiam in perfectorum metallorum incunabulis inquirere, cumque inter perfecta metalla ab Auro compacto ſperari nihil poſſit, ab Argento, vel aliquo, quod illi cognatum eſt, petere jubent. Hanc materiam ignem, Aquam, acetum vocant, quod in metalla perfecta ita operetur, quemadmodum ignis in corpora inflammabilia, aqua in ſalia & glaciem, acetum in corpora, quæ in illo ſolvi poſſunt. Hanc ſubſtantiam tradunt exhibere ſe interdum inſtar lenti humoris, qui poſtea in optimum coagulatur argentum, cujus hiſtoriam refert *Albinus in der Berg-Kronick* p. 110. & *Nierenbergius* iu hiſtor. nat. Lib. 10. Cap. 19. Alterum Principium Sulphur eſt, ſpirituoſum, penetrans, coagulans materiam metallicam. Ex Auro illud elici volunt, ſed per materiale illud principium prius ſoluto; reliquorum metallorum ſulphura, ut impura contemnunt. Sulphur illud in Auro longâ alteratione infixum, purum & incorruptibile evaſit conſtituens, ex quo etiam, quamvis tenacius illic hæreat, ſeparari poſſe teſtantur tam veteres, quàm recentiores Chemici; Fitque hoc modo, ut quantum ponderis habuit Aurum, ex quo tinctura educta eſt, tantum argenti ipſa tinctura, ſi illi ſuperjiciatur, colore ſuo tingat & in ipſum Aurum convertat. Quod cum fit, candida ex Auro maſſa remanet, æquè ut prius ponderoſa, cui per cæmenta color ſuus reddi poteſt, qui flavus ex purpurearum ac candidarum particularum accuratâ miſtione oritur, non ſecus ac cum ex cupro & Zinco inter ſe juſtâ proportione commiſſis ſubſtantia Auro haud abſimilis reſultat. Si Sulphur extrahitur, candidum fit Aurum, quod Lunam fixam appellant, cùm pondus Auri habeat & in aquâ forti non ſolvatur. Hæc duo dicta Principia in ſale vitriolato fundata eſſe ſtatuit *Autor noſter*, Utrum autem illud univerſale ſit, an ſecus, non explicat. Magna quidem Naturæ Architectonicæ inſtrumenta ſunt ignis & ſalia, eleganter loquitur *Morbofius* l. c. ſed varia, ut varia ſunt corpora corporumque miſtiones, quorum miniſterio, pro ſubjectorum ingenio in compoſitione & diſſolutione eorum utitur. Ea tamen illorum eſſentiam non ingrediuntur. Miras in corporibus metallicis beneficio ſalium Natura facit viciſſitudines, quæ ſubterranea pyrophylacia per omnes terræ ſinus & anfractus diſpergunt, in fodinas metallorum, ex quibus varia inter ſe ſalium & ſulphurum corpuſcula in mineris deprehenduntur; attamen ad metallorum intimam conſtitutionem pertinere nemo dixerit. *Hæc Excell. D. Morhofius* l. c. Nos ſtatuimus metallorum proximam materiam eſſe Mercurium & Sulphur in quovis ſpecie diſtincto metallo ſpecie etiam diſtinctum; remotam autem eſſe aquam. Quemadmodum enim totius univerſi Conditor omnia corpora naturalia in primâ mundi creatione ex aquâ produ-

produxit & iiſdem vim ſibi ſimile in poſterum producendi conceſſit. Cur metalla ita ſpadonia & infelicia dimiſerit, quin etiam ex aquâ produxerit & virtute plaſticâ donaverit? Scilicet ex aquâ minerali fermentis metallicis impraegnatâ, in quibus ſpiritus ſeminalis ſive Sulphur ſui multiplicativus gliſcit, Bur metallicum efficitur, quod teſte experientiâ & obſervationibus ſæpe in profundis venarum & fodinarum ſpecubus vel vaporetenus, vel inſtar liquidæ ſubſtantiæ oberrat & pro diverſitate metallorum ſpecificâ vi plaſticâ donatum, longo annorum ſpatio ſibi ſymbolizantem materiem matricum parietibus affigit ac perficit, ut hic creſcat Aurum, ibi Argentum, alibi cuprum, ferrum, ſtannum, &c. Immò quod etiam minerale vel metallum prius non fuerat, tale poſtea etiam fuerit factum, quemadmodum ex probæ notæ Autoribus conſtat. Non rarò contingit, ut Metallurgus in fodinis ſaxa diruens parietem lædat, ut dehiſcat in rimam, inde aliquid aquæ ſubalbidæ vireſcentis emanat, quod mox concreſcit inſtar ſaponis liquidi, mutato pallore ſubviridi flaveſcit vel albeſcit, vel ſaturatius virideſcit, & demum indureſcit. Succus ille ſive Mercurius Philoſophorum interno ſuo ſpiritu ſeminali ſive Sulphure Philoſophorum fermento metallico tincto, quod aquam impraegnat, condenſat, & ſenſim in ſuccum mineralem in terrâ tranſplantat, perficitur. Nec minus veriſimile videtur, alia etiam mineralia etiam ſolidiſſima antea fluida fuiſſe, antequam in lapides vel alia dura corpora concreverint, ex eo, quod in quibuſdam locis aqua mox delapſa in lapillos condenſetur; Nec novum in mineris Antimonii, Saturni, Jovis &c. Particulas lapidum metallicis corporibus circumfuſorum inveniri, & alia Naturæ phænomena occurrere, quæ noſtram ſententiam ſtabiliant. Hancque etiam ſine dubio uvarum, vitium aurearum & auri in arborem ſæpe reperti cauſam fuiſſe puto, dum ſuccus aurificus ex aurifodinis à ſucco vitium vel arborum in radicibus coalitus & condenſatus occultâ vi fuit attractus, ut dum vitis germina emiſit, mirabili Naturæ inſtituto Aurum ſimul eruperit. *Alexander ab Alexandro* Gen. D. 4. 9. *Gaudent. Merul. Coſmograph.* 10. 27. *Mizaldus* 2. memor. referunt, in citeriore Germaniâ intra Danubium, etiam in toto Mœni tractu & Nicri vites, cum per hiemem nivibus humo contectæ jaceant, liquatis poſt nivibus calore cœli redeunte mirificè germinare & frondes geniculatas emittere, ſed vini parum effundere, inter eas quaſdam claviculas & plerumque candicantia folia ex puro Auro germinantia habere, & ſimul coaleſcere, haſque Principibus una cum palmite vitis rimoſo cortice dono datas ingente miraculo fuiſſe *Fortun. Licetus* Libr. 4. Cap. 72. *de ſpontan. viv. ort.* Varia hujus rei documenta adducit, ubi inter alia ex *Petro Martyre in Novis Orbis Hiſpaniolâ Inſulâ* Aurum è terrâ vitis modo circa arbores ſurgere teſtatur. Si Americanorum artificium locum invenit, qui Aurum per aquam quandam ita mollefacere poſſunt, ut inſtar ceræ digitis tractari queat, & undiquaque gemmæ inſeri firmatis labris, palis & oris, nihil veritatis noſtræ decedit ſententiæ. Aſſertionem noſtram præterea confirmat metallorum vegetatio accretio & multiplicatio, ubi per obſervationes conſtat, illa in matricibus creviſſe & aucta fuiſſe. Si quis negaverit, Arbores illæ Philoſophicæ ex argento vivo productæ, & mirabilis illa Arboris argenteæ in aquis ex eodem metallo germinatio, quæ à San-Simonio Bruxellis injecto pulvere, quem homo Leodienſis ignotus illi dederat, peracta eſt, teſte *Borrichio Lib. de Ort. & Progreſſ. Chem.* p. 103. demonſtrare & ob oculos ponere poſſunt. Ingenioſus *Cæſalpinus* in Italiâ mineram ferri copioſiſſimam obſervavit, ob quam etiam Ilva fuerit nobilitata, Tyrrheni maris Inſula incredibili copiâ illud producens. Nam terra eruta, dum minera tota effoſſa procedente tempore iterum in mineram ferri converſa; Cui & adſtipulatur *Fallopius & & Georg. Agricola*, ad Sagam, inquiens, oppidum Germaniæ in pratis erui ferrum, foſſis ad altitudinem bipedaneam actis, addens decennio renatum denuo fodi, non aliter atque Ilvæ ferrum. Sic & de Plumbo *Galenus* ſcribit, illud creſcere & augeri, de quo etiam *Plinius* Lib. 34. hiſtor. natural. cap. 17. dudum prodidit, mirum, inquiens, in his ſolis Plumbi metallis, quod derelicta fertilius reviviſcant. In Plumbariis ſecundo lapide ab Ambergâ dictis ad aſylum recrementa in cumulos congeſta expoſita ſolibus & pluviis annis paucis reddunt ſuum metallum cum fœnore. In Auri & Argenti generationem ſi inquirimus, invenimus illa nec minus in fodinis augmenta capeſſere & multiplicari. Sic in valle Joachimicâ teſte *Gerhardo* Medic. argentum graminis morbo è Lapidibus mineræ veluti ex radice excreſcit digiti longitudine; Ita aqua cœrulea Annebergæ inventa eſt, ubi argentum erat adhuc in primo ente, quæ coagulata redacta eſt in calcem fixi & boni Argenti. Simili modo in profundis fodinarum Hungaricarum ſpecubus Aurum ſæpè, ac ſi arborum rami fuiſſent, creſcens viri fide digni ac periti obſervarunt. Cui ſubjungit *A Coſta in Nat. & Mor. Hiſtor. Indic.* Lib. 3. Cap. 5. fide propriâ ſe nativi & puri Auri moleculas aliquoties vidiſſe, quæ complures ponderarent libras, & ita ex peculiari venâ ſuâ incrementum ſumpſiſſent. Ex quibus luce meridiana clarius apparet, ex aquâ ſeu ſucco quodam metallico principio ſeminali plaſtico imbuto metalla generari, & quotieſcunque hæc in terræ viſceribus debeant produci, ſufficere ex liquoribus ſui generis interdum etiam in formâ halituum volitantibus metallicis rudimenta quædam ſeminalia in ſe continentibus produci, quorum virtute formatrice temporis tractu in hanc vel illam maſſam metallicam ex ſuo Mercurio & ſuo Sulphure conſtantem degenerant, perinde ut limpida aqua virtute ſeminalis ſui principii in varia corpora vegetabilia effigiatur. *Hofmannus.*

Metalla non ineptè in claſſes tres collocantur, idque tam ſecundum conformitatem diſparitatemve duritiei, quàm ſecundum convenientiam præparationum.

Prima continet Metalla nobiliora, ☉ & ☾ m.
Secunda ignobiliora duriora, ♂ & ♀ m.
Tertia, Ignobiliora molliora, ♄ & ♃.

Præparationes Metallorum ſunt.

1. Purgatio.
2. Calcinatio. 1. Immerſiva. 2. Vaporoſa ac Illinitionis, 3. Amalgamatoria. 4. Cementatoria. 5. Reverberatoria.
3. Volatiliſatio; unde Metallum volatiliſatum, id eſt, in ſpiritualem naturam redactum.
4. Extractio: vel potius maturatio: ſ. exaltatio; unde Tincturæ.
5. Sublimatio: unde Flores.
6. Salificatio: unde Sal.
7. Mercurificatio: unde ☿ s. *Schroderus.*

Super METALLORUM PROBATIONIBUS, vid. quæ *ſub titulo* DOKIMASTICE METALLICA.

METALLURGIA.

Super ea hic exhibemus quæ habet Athanaſ. KIRCHERUS in ſuo Mundo Subterraneo, ubi ſcilicet agit

De

De Artis Metallicæ requiſitis, fodinarumque conditione.

Et primò

De Objecto Metallurgiæ; item de Cauſa materiali & formali Metallorum.

Relictis omnibus iis, quæ ſcholaſtici de objecto artium, & ſcientiarum, item materia & forma compoſiti naturalis tradere ſolent, tanquam vulgo notis; nos ad ea tantum calamum noſtrum, quæ proximas cauſas metallogeneſias concernunt, extendimus. Sed ut cœptam inſtituti noſtri telam proſequamur, Ariadnæo filo arrepto, eo potiſſimum, quæ in difficili Phyſicæ labyrintho conduntur hucuſque inextricata, Deo aſſiſtente, nos evoluturos confidimus.

Objectum noſtræ Metallurgiæ materiale eſt mixtum perfectum pure metallicum, excluſis cæteris, de quibus jam in præcedentibus ubertim egimus, mineralibus: ſunt autem aurum, argentum, æs, ſeu cuprum, ferrum, plumbum.

Formale verò objectum, modum & rationem dicimus, quo ea in viſceribus terræ natura generat. In quantum verò erui poſſunt ex ſuis natalibus locis, & fundi, formarique in ſtatuas, tranſmutari in invicem, cudi, fundi, liquari, fingi & figurari in annulos, torques, armillas, nummos, omnis generis inſtrumenta utenſilia, variarum artium objectum eſſe poſſunt. Nempe Metallicæ, Statuariæ, Alchymiæ, Ferrariæ, Aurificinæ, monetariæ; ut verò negotiatorum ſubduntur permutationi, dant ſuam ſpeciem arti collybiſtarum; de quibus in hujus operis decurſu fuſe agetur.

Materiam proximam Metallorum, non materiam primam Peripateticorum, non ſtellarum influxum, non elementa, ſed vaporem & exhalationem Sulphureo-ſale Mercurialem dicimus quo unice Metallica corpora, tanquam ex ſemine chaoticæ maſſæ concreato, originem ſuam nanciſcuntur. Materiam vero remotum, Hylen, elementarium qualitatum concurſum, influxum ſtellarum dicimus; quæ omnia quomodo intelligenda ſint, ex ſequentibus patebit.

Notandum itaque in chaotica maſſa latere ſuccum quendam pinguem ſalinum elementis congenitum, qui à ſubterranei ignis poteſtate in vaporem actus, per univerſas Telluris fibras diſperſus, ubi matricem invenerit proportionatam, ei adhæreat, idemque longo temporis tractu coctus tandem in metallum glebæ ſeu matrici terræ appropriatum degenerat. Dixi ſuccum primò, quo Mercurialem liquorem, ſive ſpirituoſam ſubſtantiam, quam humiditatem radicalem, omnibus rebus inexſiſtentem indigitamus. Dixi ſecundo ſuccum pinguem, id eſt ſulphur, quam pinguedinem illam omnibus rebus ad partium nexum inditam, & in ſulphure potiſſimum eluceſcentem appellamus. Dixi ſalinum, quod ſal terreum elementum, utpote quod omnibus mixtis firmam conſiſtentiam & fixam ſubſtantiam ſubminiſtrat, quod quidem non tam in ſucco prædicto, quàm in ipſa terræ gleba potiſſimum natales ſuos ponit. Atque hæc tria ſunt, quæ ad omnium metallorum compoſitionem concurrunt, ut poſtea oſtendetur.

Atque hanc noſtram ſententiam congruam primis Philoſophis eſſe, ita demonſtro. Ariſtoteles lib. 3. Met. expreſſe ait, materiam metallorum eſſe vaporem; quod ut oſtenderet, præmittit duplicem halitum, unum vaporoſum, alterum fumoſum; & foſſilibus quidem ſiccis, ut ſunt Sandaracha, ochra, minium, & lapides, qui liquefieri nequeunt, halitus ſiccus competit; metallis verò, uti ſunt, Aurum, Ferrum, Æs, utpote quæ metalla ductilia, & liquefactibilia ſunt, vaporem ad eorum geneſin decernit, quod poſtea luculentius explicat lib. 2. de Gen. Animal. hiſce verbis: metalla itaque habent in ſe humidum plurimum aqueum, paſſum tamen ita ab elementis, ut factum ſit glutinoſum. Scias tamen velim, Philoſophum hoc loco vaporem non ſimplicem ex puro elemento aquæ intellexiſſe; quod inde patet, quod aqua attenuata ex ſimplici elemento aquæ non aliud à ſe ſpecie differens generet, ſed in id, quod fuit, tandem reſolvatur, ut videre eſt in aquæ bullientis vapore, qui operculo in guttas abit, in aquam videlicet eandem ex qua in vaporem abiit: patet & in pluviis, nivibus, grandinibus, ſimilibuſque de quibus in Meteorologicis. Aliud itaque ſub iſto vapore μεταλλογεννητικῷ latere præter ſimplicem aquæ vaporem, pulchro & noſtræ ſententiæ congruo ſane ratiocinio, dum Ariſtotelis ſententiam explicat, Albertus docet hiſce verbis: materia proxima metallorum eſt humidum ſubtile, unctuoſum, & viſcidum ſicco terreſtri attenuato optime permixtum. Quid per humidum ſubtile aliud, niſi mercurialem naturæ humorem? quid per unctuoſum & viſcidum, niſi ſulphur? (nam ut alibi oſtendimus) eſt ſulphur eſſentialiter pingue, unde tam facile accenditur, & colliquatur;) quid aliud, ſicco terreſtri attenuato optime permiſtum, niſi ſal naturæ, quod compoſito conſiſtentiam, corpuſque præbeat, connotat? quia vero halitus ille vapidus ſemper exhalationem calidam, & ſiccam adjunctam habet, utpote ſine qua non elevaretur; hinc fit ut quod in glebis metallicis ſiccum eſt, ab exhalatione ſicca & calida proveniat, quod autem à vapido, id in metallorum materiam, ipſo Ariſtotele teſte, cedat: atque hoc eſt, quod Albertus dicit, terreſtri ſubtili attenuato optimè permixtum.

Imò hanc noſtram opinionem variæ Auctorum ſententiæ approbant: Gilgil Arabs, uti eſt apud Albertum, metallorum materiam aſſerit eſſe calcem & lixivium, ſive cinerem aquâ madidum, ubi nemo pro calce, aut cinere, calcem, aut cinerem noſtræ calci, & cineri ſimilem intelligat velim; ſed abſque dubio intellexit terram comminutam, ſivè ſalem naturæ terræ inditum, quæ aqua infuſa, ſive mercuriali ſulphuris vapore imprægnata, tandem in metallum abeat. Ineſt enim metallorum materiæ humidum quoddam viſcoſum, cujus indicium eſt, quod ignis calore liquata fluant, frigore vero aëris, & aquæ rurſum denſentur. Hoc autem ita, teſte Agricola, fit ut aquæ plus in ipſis ſit, terræ minus: ſimplex enim aqua non eſt eorum materia, ſed liquor Mercurialis mixtus cum terra chaoticæ maſſæ inexiſtens à principio, quam deinde varii motus pariunt, aquæ fluxus terram molliens, terra cum aqua permiſta, vis caloris agens in mixturas, ex quibus denique ſuccus ille μεταλλογόνος elaboratur & gignitur, ita quidem, ut quatuor elementa, non niſi vehicula quædam ſint inſitarum in vapore ſupradicto virtutum; ſine hoc virium complexu coquatur terra, & aqua, quantum velis inde tamen non aliud extrahes, quàm quod prius fuerunt, ſcilicet aquam & terram. Sed ſi ſpermaticus hic vapor (ſic enim per analogiam quandam voco ad vegetabilium & animalium ſperma) elementis acceſſerit, tum enim vero primo vires ſuas exerent, & pro condi-

tione materiæ, ſeu terreſtrium glebarum, metallum ſpecie differens producent. Sed hæc omnia in ſequentibus libris, variis experimentis comprobabuntur. Ex quibus luculenter patet, metalla proxime ab aqua elementari, & ſimplici minime generari, ſed à vapore ſingulis appropriato.

Quomodo verò in tantam duritiem creſcant, merito quiſpiam dubitare queat, dico itaque non à frigore, nec à calore ſimpliciter ſed ſolius humidi attenuatione, ſeu evaporatione, vel exſiccatione id fieri; cum enim duplices ſpiritus dentur in natura rerum calidi, & frigidi: ex iis quidem procedit caloris in rebus principium: hi non ſecus ac illi, etiamſi à natura frigidi ſint, ſunt tamen ſubtiliſſimi, & ſpirituoſi, uti ex vento Septentrionali conſtat, et vulgò notum; eſt quandocunque itaque abundant ſpiritus calidi uti ſunt nitroſi, atramentoſi, ſulphurei & ſimiles, tunc res, quas pervadunt, temperiem calidam acquirunt; ſi vero frigidi fuerint, uti ventorum Septentrionalium Spiritus, & ii, qui per loca nivoſa tranſeunt, vel venti ſubterranei qui frigidiſſima loca glebarum, quæ naturâ frigidi temperamenti ſunt, pervadunt, tunc res, quas pervadunt, frigidam temperiem acquirunt. Unde fit, ut uterque humidam glebam pervadens ſpiritus, calidus quidem eam attenuando in vaporem, frigidus vero eam exſiccando, & ab omni ſuperflua humiditate exonerando, debitam unicuique rei, ſive lapidibus, ſive metallis duritiem inducat. Cuius rei veritatem Philoſophus agnovit, qui loco ſupra allegato ubi duplicem halitum expoſuiſſet tandem infert, res omnes calido agente, & frigido temperante calorem conſtare. Concreta itaque corpora, ſive lapides ſint, ſive metalla non ſolo frigore concreſcere, dicendum eſt, ſed calore, quo ſuperflua & impura glebarum terreſtrium humiditate conſumpta, res juxta vaporis conditionem in hunc, vel illum lapidem, vel in aliud, aliudve à natura intentum metallum evadunt. Omnia itaque fiunt vi caloris, tanquam principali inſtrumento; ex ſpiritu metallico, uti cætera proportionata affluente humido, generatur marmor & lapis quilibet alius & ex eodem metallum. Sicuti itaque marmor non generatur ſolo frigore, ita quoque metallum, quamvis poſtquam genitum eſt liquetur calore; ſed firmatur, formaturque vigore ſpiritus metallici, dum unitur cum fixo mediante humido, ſemper agente calore. Sed quia alibi ubertim hæc explicuimus, ad alia progrediamur.

Ad formam verò metallorum quod attinet, ſunt nonnulli qui volunt, formas metallorum ex formis elementorum conſtare; verum cum forma elementorum accidentales ſint, ſequeretur metallorum quoque formas non niſi per accidens diſtingui, quod uti abſurdum eſt, & ſenſatæ experientiæ repugnat, ita quoque hanc ſententiam ſuperfluis verbis minime refutandam cenſeo: ſanius itaque philoſophabimur.

Dico itaque formas elementorum ſubſtantiales eſſe, & ſpecie inter ſe diſtingui; quæ unicuique Metallo dant eſſe proprium, propriaſque virtutes à cæteris diſtinctas; quod non tantum verum eſt in multiplici gemmarum, lapidumque differentia ſed & in metallorum ſpeciebus. Sic Adamas, Ophites, pumex eſt id quod eſt; quilibet enim lapis, & quælibet gemmæ propriam ſuam formam, qua hæc, & illa gemma dicitur, & ab aliis ſpecie diſtinguitur, habet: forma verò hæc non ab elementorum mixtura, non à frigore, calore, humiditate, & ſiccitate proxime producitur, ſed à ſeminario, & ſpiritu Architectonico materiæ inexiſtente, qui illam prout ſeminarium poſtulat, efformat, & pro certa & indiviſibili combinationis lege elaborat, per quod quidem ſeminarium nihil aliud intelligimus, quam Sulphureo-ſale-Mercuriale Chaos, ex quo à primordiis rerum à divino Architecto producta ſunt omnia. Legat Lector lib. VI. Sect. I. ubi de Seminariis Naturæ uberius ratiocinati ſumus. Seminaria verò adeo creata ſunt tanquam rerum principia, ex quibus ſingulæ rerum ſpecies eſſentiales ſuas formas nanciſcuntur: quæ quidem ſeminaria non ſemper certis corporibus, diſtinctiſque concluduntur, uti in herbarum ſeminibus fit, ſed ſæpe in materia ita manent, ut conſpici nulla ratione queant; ſic in ramo ſalicis ſeminarium arboris confuſum eſt, neque enim ſalix ulla ſemina profert, quod tamen ibi eſſe, propagatio arboris ſat ſuperque docet; nam ſi ramus amputetur, ac terræ committatur, producitur ex ramo arbor, ac ex illa infinitæ aliæ; quod & experientia in arte phyteutica monſtrat: eodem pacto in lapidum, gemmarumque, metallorumque Geneſi Seminarium etſi conſpici non poſſit, id tamen & gemmis, & metallis principium præbet, & plaſtica ſpiritus facultate vel in gemmam vel in metallum abit: quemadmodum enim platanus, morus, tilia, abies, differentes ramorum formas habent, ita diverſa metallorum genera, ut Aurum, Argentum, Ferrum, Æs, &c. Adinſtar arborum ſuas è mineris effloreſcentias, ſeu plantas metallicas producunt quæ uti illæ, ita & hæc formas, virtuteſque habent ſpecie diſtinctas quæ in XI. libro variis, & miris experimentis Deo dante comprobabimus.

Cum itaque Metalla ex Sulphureo-ſale-Mercuriali vapore halitui ſicco mixto generentur proxime, nos Metallum in genere ita definimus: Metallum eſt corpus foſſile, durum, igne liquabile, & malleo in omnem partem ductile. Dixi corpus foſſile quia ex fodinis eruitur; durum, quia corpus concretum & compactiſſimum; igne liquabile quia ex ſulphurea pinguedine coaluit; ductile quia viſcoſitate pollet, qua partes partibus veluti glutine connexæ facile malleo extenduntur. Si verò ex ſimplici aquæ elemento, & frigore concreſcerent, non ſecus ac glacies calore nimio, ob incompactam duritiem diffluerent, igne liquata maderent, neque ductilitate pollerent ulla; ergo ex ſimplici aquæ elemento, aut frigore conſtare non poſſunt. Ab hac definitione rejicimus Mercurium, qui neque ductilis eſt, neque fluit in igne, ſed in halitum reſolvitur, corpus tamen metallicum eſt primario ad μεταλλογένεσιν concurrens.

Vtrum Cælum & Stellæ ad μεταλλογένεσιν concurrant, & quomodo Sidera ad Metallorum productionem concurrere poſſint.

Opinio, quæ docet, ex Aſtrorum influxu Metalla originem ſuam compoſitionemque habere, ita paſſim invaluit, ut etiam in ſapientiſſimorum Philoſophorum, quod ſatis mirari non poſſum, animis locum invenerit: putant enim vim ſtellarum influxivam adeo ſubtilem eſſe, radiis tanta vi penetrandi inſtructam, ut vel in intima, & profundiſſima Telluris viſcera vibrati, proportionatam glebam, concurrentium elementorum actione, in hoc vel illud metallum cogant, ut proinde ſeptem metallorum ſpecies, ex ſeptem Planetarum influxu ſortita ſint denominationis exordia; ſolem enim Auro; Argen-

Argento Lunam; Jovem Æri; Martem Ferro; Venerem Stanno; Argento vivo Mercurium; Plumbo Saturnum præſidem ponunt, & patres matreſque metallorum vocant; quam denominationis rationem Alchimici ambobus, ut dici ſolet, brachiis amplexi, eandem ob cauſam dicta metalla ſuis etiam Planetariis characteribus inſignire non ſunt dedignati, uti in margine videre eſt. Sed qui hæc penitiori rationis trutina expenderit, illa ſola divinatione niti, videbit, & apud imperitam plebem ingenti plauſu excipi: re tamen vera meras nænias, & aniles fabulas, quæ in Philoſophiam per ſuperſtitioſos Chaldæorum, Ægyptiorumque Aſtrologos irrepſerunt eſſe comperiet, uti fuſe in Oedipo Ægyptiaco de Aſtrologia Ægyptiorum expoſuimus; nemo tamen dum hæc aſſero, hoc ipſo cæleſtium corporum, ſiderumque influentias me negare exiſtimet velim; haſce enim negare non tam imprudentis, quàm imperiti Philoſophi eſſe exiſtimo. Hoc tantùm dico, fieri non poſſe, ut ſtellæ actinobolismis ſuis, ſeu quod idem eſt, ignea Lucis ſuæ irradiatione immediata in profundiſſimis terræ abyſſis metalla producant; cum tantum abſit, ut illi radii terram penetrent, ut potius, ſimul ac terræ ſuperficiem tangunt, mox in alias aliaſque partes retroacti reflectantur; Si enim ulterius pergerent, nulla in terræ ſuperficie reflexio fieret, quod omni experientiæ repugnat; ſequeretur etiam, nullum in extima terræ ſuperficie calorem procurari, cum caloris in diverſis climatis major, aut minor intenſio non aliunde proveniat, niſi ab altitudine Solis, uti fusè demonſtravimus in Arte magna lucis & umbræ.

Sed Dices: hanc ſententiam *μετεωλογόνεν* non in radiis, ſed in occultæ cujuſdam virtutis defluxu conſiſtere, quæ vis omnia penetrans, effectum metallicum tandem in proportionata materia conſequatur. Sed cum omnium occultarum influentium virtus non niſi per calorem, & lucem, quem radii ſecum ſemper à natura inſitum habent (utpote quæ dictarum virtutum influentium vehicula quædam ſunt) deferantur, utique cum reflexis radiis virtutes una quoque reflecti, & viciniori aeri communicari neceſſe eſt, aer enim iis imbutus deinde aquis vegetabilibus, ſenſitivis, inanimatiſque communicat, uti paulo poſt videbimus. Atque hinc patet, vanam eſſe eorum opinionem, qui per calorem, & lucem, aut radiationem ſtellarum influentium quidpiam intra terram produci poſſe exiſtimant.

Cum itaque lucem, calorem & influentias Cœli, ſiderumque ſupra minimè me negare aſſeruerim; quomodo itaque ad productionem ſubterraneorum concurrere poſſint, jam explicandum reſtat.

Dico itaque, omnia cæleſtia ſtellarum, ſiderumque tam errantium, quàm inerrantium corpora, non ſolum per calorem, lucidoſque radios, ſed & per virtutes ſpecificas unicuique cæleſtium corporum proprias, in inferiorem mundum, id eſt, elementarem agere; de quibus uti in primo Tomo Libro quarto, & in noſtris itinerariis copioſe egimus, ſic ea reiteranda non duxi: Solum hoc dico, latere in ſingulis ſideribus vim quandam ſpecificam à Deo Optim. Maxim. Sapientiſſimo Architecto, tanquam naturalem corporis dotem, quam per continuam *ἀπόῤῥοιαν*, ſeu effluvium, elementaribus corporibus influant. Has autem virtutes influxivas ſemper ſecundum analogiam quandam reſpondere iis virtutibus, quæ in mixtis ſublunaribus eluceſcunt, quemadmodum in quarto libro hujus operis, de Lunari in Mari influxu ſufficienter oſtendimus. His itaque poſitis, quomodo Aſtra ad ſubterraneorum Geneſes concurrant, explico.

Virtutes hæ ſpecificæ Soli, Lunæ, ſtellis inditæ, quas influentias alii, nos *παντοσπερμίαν* vocamus, ſunt veluti ſemina ſecundum analogiam quandam producendis rebus implantata, quæ primo quidem influxu ſuo aeri, aer hiſce veluti tinctus in aqueum elementum derivat. Aqueum elementum iis fœtum, per Solem & Lunam influxus, & refluxus quotidianos agitatum, eos per occultos ſubterraneos canales in abditos terrarum tractus derivat; ignis verò, ſeu Sol ſubterraneus aquas coctas in vapores reſolvit, vapores reſoluti, qua data porta patet, per intimas terrarum rimas, fiſſuraſque, veluti ſanguis per venas, capillares vocant, diffuſi, ubicunque ſimilem & proportionatam glebam repererint, eidem adhærentes, veluti per magnetiſmum quendam naturæ ſimilitudine tandem attracti, nunc in hanc, nunc in illam gemmam, aut lapidem, modo in hoc vel illud minerale, aut metallum degenerant. Atque hoc pacto cœlum & ſidera ad ſubterranearum geneſes, mediantibus videlicet elementis, & ſubterraneo Sole Vulcanio concurrere poſſe exiſtimo. Sed hæc paulo amplius deducam.

Cum Deus univerſam Mundi machinam cum omnibus quæ in ea continentur, ex chaotica illa primordialis mundi maſſa in principio eduxerit, ſingula aſtrea corpora ſua ſoliditate, humoris fluxili natura, ignea ad hæc ipſis addita portione inſtruxerit, quæ uti in ſublimibus illis cælorum tentoriis ab omni fæcum miſcella ſumme ea depurgavit, ita veriſimile quoque eſt, ineſſe ipſis ex mira illa rerum combinatione nonnihil, ſecundum analogiam quandam, earum rerum, quibus omnia in hoc ſublunari mundo conſtare videmus, videlicet præter quatuor elementorum portiones, ſulphuri quoque noſtro, mercuriali noſtro liquori, & ſali noſtro analogum; quæ uti pro tenuitate, & ſumma ſubtilitate ad nihil aliud, quam ad corporis ſui conſervationem conferunt, ita per defluxum ſublunari mundo, craſſioribuſque elementis communicata, tandem corpus acquirunt, atque per admirandum cæleſtium, terreſtriumque magnetiſmum, tandem in eam rerum varietatem, tum extra, tum intra elementaris mundi abditiſſima reconditoria, quam ſatis mirari non poſſumus, degenerant.

Cum itaque Mundus Inferior, teſte Ariſtotele, à Superiore gubernetur, certe non per ſolum motum, calorem, lucemque id præſtare cenſere debemus, ſed per virtutes unicuique aſtreo corpori peculiares, quarum actinobiliſſimi Stellarum quædam veluti, uti ſupra dixi, vehicula ſunt, omniumque virtutum bajuli; qui primum aëreo elemento communicati, illis deinde aër imprægnatur, ſine cujus miniſterio quicquid in ſublunari mundo, ſive in aëre, ſive in aquis, terriſque oritur, in eſſe ſuo perfecto, & naturali, ſine cæleſti illa virtutum aporrhæa, quæ aëri peculiari quodam modo ineſt, conſervari minime poteſt; hic denique cæleſtibus fœtus impreſſionibus, uti perpetuo aqueum elementum motu ſuo flagellat, ita quoque illi virtutes ſibi inſitas, una cum cœleſti profluvio implantat; unde cæleſtibus, aëriſque ſpiritibus innumerabilem illam rerum varietatem parturit, quam in Oceano, Maribus, Lacubus, fluminibus contuemur. Cum enim aër ſolus

ex ſe, & ſua natura nutritioni nequaquam ſervire poſſit, utpote tenuiori ſubſtantia prædirus, hinc aqueo elemento virtutes cælitus hauſtas communicat, ut corpus aliquod ad nutritionem rerum omnium acquirat: hoc enim pacto nulla res aqua, ſeu humido carere poteſt, imo ſine eo Mundum interire neceſſe foret.

Nos itaque ingens ille Geocoſmi uterus humido hoc in ſubterraneorum Geneſi deſtitutus videri poſſet, hinc ſumma & ineffabilis Dei ſapientia effecit, ut aër pro naturæ ſuæ ſubtilitate per terræ poros, aqua verò per conſtitutos à natura canales hydragogos in intima terræ viſcera, & profundiſſimas abyſſos delata, inde ſubterranei Solis ope, univerſam Telluris molem diffuſis halitibus, tum ad generationes foſſilium, metallorumque, tum ad vegetabilium, quæ ex ipſa terra ortum ſuum nanciſcuntur, Geneſes, fœcundaret, aleret, conſervaret.

Ex quibus aperte patet primò, elementum purum, & ſimplex ad rerum compoſitionem concurrere minime poſſe; neque dum elementorum mentionem facimus, nos elementa intelligere. Hoc pacto in terreno corpore qualicunque tandem modo ſalem potiſſimum dominari dicimus, cujus mira facultas coagulativum rerum elementum aſſerimus inter cætera quatuor; quod quidem nunquam credidiſſem, niſi id Spagyrica ars me docuiſſet, ſiquidem in quacunque tandem terreſtrium corporum Anatomia ſeu reſolutione, ſalem quendam igneum incombuſtibilem, fixum & permanentem ſpiritum contineri vidi, cujus virtutes adeo mirabiles ſunt, ut vix iis, qui hujuſmodi abdita naturæ ſacramenta ignorant, credi poſſe videantur; experieris quippe humidum cum ignea pinguedine, hanc cum Terrena quadam ſubſtantia, qui ipſe ſal eſt, tanta æqualitate coaluiſſe, ut abinvicem amplius ſeparari non poſſint: ut proinde non male per humidum iſtiuſmodi, mercurium naturæ; per igneam pinguedinem, ſulphur; per ipſam terreſtrem ſubſtantiam, ſalem Chymici intellexerint, ſine quibus, niſi elementa impræɡnata forent, certe ex ſe, & ſua natura nil prorſus heterogeneum producere poſſent. Terra ſiquidem pura cum puro humido conjuncta nil niſi lutum conficeret omni virtute deſtitutum.

Secundo patet, cœlum & Aſtra tanquam principium univerſale, & remotum ad metallorum, cæterorumque mineralium Geneſes concurrere, in quantum virtutum cœleſtium, impreſſionumque aſtralium veluti quædam vehicula ſunt; proxima verò metallogeneſeos principia, eſſe virtutes devectas per aerem, & aquam in intima terræ viſcera, ubi per Vulcanium ignem coctæ, digeſtæque, tandem in ſemen cedant omnium eorum, quæ ex terra originem ſuam ſortiuntur. Adeoque proxima Efficiens cauſa proprie ignis ſubterraneus eſt, materialis vapor ſulphureo-ſale-mercurialis; Formalis, proportio terreæ glebæ ad hoc, vel illud metallum, aut minerale producendum: Finalis denique cauſa, uſus infinitus ad humani generis & naturæ neceſſitatem.

Quomodo Humor ille unctuoſus, ex quo Metalla componuntur, à natura elaboretur, & quid in eo Sulphur, Mercurius, & Sal ſint?

Diximus in præcedentibus, pura elementa, aquam & terram, niſi ea aliis rerum, quibus conſerta ſunt, ſeminibus alterentur, ad compoſitionem metallorum concurrere non poſſe: uti enim naturâ ſuâ homogenea ſunt, ita ſemper in homogenea reſolvuntur; atque ex igne patet, qui attenuatum humidum in id quod primò fuit, reſolvit, aqua verò pura terræ puræ juncta, lutum facit, quod calore attenuatum in ea, quæ prius fuerunt, ſcilicet pulverem terræ, & aquam calido reſolutam revertuntur. Cum itaque ſupra metalla, corpora dura, firma, ſolida, malleo extenſibilia definierimus, illa certe aliquid aliud, quo in hujuſmodi formas degenerant, intra ſe occultum habere cognoſcuntur: quomodo enim in ſolidam illam duritiem ſola terræ ſimplicis cum aqua ſimplici mixtura degenerare poſſunt? quomodo inſeparabilis illa pinguedo & viſcoſitas, qua metalla malleo ſine ruptura extendi, aut ſine ullo humidi defluxu aut madefactione, ſolo ſimplicium elementorum miniſterio eliquari valeat? illud ſane nemo concipere poteſt. Cum nihil det, quod non habet. In intimo itaque elementorum centro latere tantorum cauſam effectuum, quod metallis originem ſuam præbeat, neceſſe eſt. Quod quidem nihil aliud eſſe dicimus, quàm humidum illud unctuoſum, & viſcidum, cujus vapor continuo exſpirans, & intra intimas telluris fibras, montiumque abditos ductus diffuſus tandem ubicunque materiam proportionatam repererit, ibi pro ratione puritatis, impuritatiſve, nunc lapidem, aut gemmam, modo minerale, aut metallicum corpus generat.

Quomodo verò à natura hoc humidum unctuoſum, & viſcidum elaboretur, merito quiſpiam dubitare poſſet. Dico, id ex defluxu aſtralium virtutum, ſpirituumque cœleſtium derivari, qui Spiritus uti ex origine ſua puriſſimi ſunt, & ab omnibus terreſtribus fæcibus quam purgatiſſimi, ita quoque ob ſummam, & inexplicabilem, tenuitatem, ſubtilitatemque, ſtatim omnia elementa penetrantes, magnetico quodam attractu iis, quæ in primordiali rerum chaotica maſſa idem fuerunt, mira quadam ratione junguntur: elementa vero aër, & aqua iis facta per maris acceſſum receſſumque, Solis & Lunæ miniſterio cauſatum, in intima Telluris recondirtoria diffuſa, ibidem à ſubterraneo igne denuo decocta, digeſta, depurataque per multiplicem, iteratamque coctionem in humidum illud unctuoſum, pingue & viſcidum evadunt, cujus vapor per abditas terreſtrium venarum fibras delatus primo inſita; & inviſibili ſalis virtute in terram ſalſuginoſam convertitur, quæ continua ejuſdem reſoluti vaporis irroratione irrigata ſolvitur, & depuratur multis modis, tum ſublimatione tum filtratione per terræ poros facta. Atque hoc pacto ab omnibus terreſtrium fæcum quiſquiliis expurgatum, tandem in genus quoddam candidiſſimi ſulphuris degenerat; quod quidem ſulphur purum, lotumque matricibus terræ concluſum calore vulcanio, & ſui ipſius ulterius coctum, multorum annorum decurſu in argentum proprii ſalis ſpiritibus figitur.

Si verò hoc ſulphur album, & incombuſtibile fortiori adhuc igne ad rubedinem uſque torqueatur, id tan-

tandem depurgatiſſimum ſub æquali humidi pinguis, & terræ portione, inſeparabili unione in aurum purum tranſmutatur. Quæ omnia undecimo libro experimentis ad naturæ exemplar accommodatis oſtendentur: Si vero hujus humidi unctuoſi, & viſcidi vapor nondum ab omni impuritate & fœculentis recrementis expurgatus fuerit, tum pro ratione gradus puritatis, impuritatiſve, nunc in perfectius modo in imperfectius metallum convertitur. His itaque expoſitis.

Jam merito quiſpiam quærere poſſet, quidnam ſit illud humidum unctuoſum, & viſcoſum? Dico illud nihil aliud eſſe, quam humidum illud radicale naturæ, quod uti à primordiis rerum cahoticæ maſſæ ineffabili divini Architecti ſapientia inditum fuit, ita in omnibus, & ſingulis rebus in hunc uſque diem perſeverare; & paſſim Mercurius naturæ dicitur, cujus unctuoſum, & viſcidum nihil aliud eſt, quàm calidum illud pingue naturæ rebus omnibus inſitum, quod & analogia quadam, Sulphur naturæ vocant Chymici; quod verò terreſtre ſub ipſo latet, ſal naturæ vocant, eo quod omnibus rebus firmam ſubſtantiam, & corpus præbeat. Atque ex hiſce omni conſtare, Ars ſpagyrica jam dudum experimento comperit. Ne verò quatuor elementa in rerum natura otioſa viderentur, natura humidum hoc Mercuriale ab initio rerum aqueo; Sulphureo-calidum innatum igneo & aëreo; terreo verò elemento fixativum naturæ ſalem inſevit, ut veluti vehicula quædam forent eorum principiorum materialium, ex quibus omnia conſtarent. Hinc omnes fere Philoſophi pro materiali principio metallorum, in genere conſtituerunt humidum terræ mixtum vaporem, uti ex præcedenti capite patuit. Quia tamen proximum naturæ progreſſum in ordine ad metalla componenda non attigerunt. Hic eum Lectoris gratiam, fuſius forſan, quam par erat, ſola experimentali notitia doctus, ductuſque elucidandum exiſtimavi, cum in Phyſicis rebus ſine experimento philoſophari, idem ſit, ac ſi cæcus de colore judicium ferre inſipientius præſumeret.

Quomodo omnia ex terreſtris & humidi caloris efficientia producantur: item, quid ſit illud, quod metalla reddit in igne flu da, non verò lapides, & plantas cæteraſque res? & quomomodo natura in diſſolvendis & perficiendis rebus procedat?

Singulare hic naturæ ſecretum pandam, quod ut intima compoſitionis rerum myſteria enucleat; ita quoque futurum ſpero, ut hiſce probe intellectis, metallorum origo, & cauſæ, Lectori quam penitiſſime innoteſcant; quod tametſi aliis terminis proponam, quam in ſcholis uſurpari aſſolet, idem tamen Ariſtotelem ſenſiſſe, ſi verba ejus recte expendantur, patebit.

Duo ſunt in rerum natura (ſi res ſepoſitis omnibus Metaphyſicis contemplationibus ſub rigore Phyſico conſideremus) quæ ad omnium rerum σύνθεσιν concurrunt, omnibuſque inſunt, omnium generationum, & corruptionum cauſa ſunt. Et primo quidem eſt materia terreſtris, ſpirituoſa, concreta, corpulenta, in cujus centro latet, id quod rebus ſubſtantiam, corpulentiamque præbet, quem fixum naturæ ſalem appellamus; ut verò materia talis, quam deſcripſimus ſit, id ab inſito fixativo elemento habet. Dixi materiam, quia omni vi activa ſecundum ſe conſiderata caret, & in tantum quidem agere dici poteſt, in quantum innato appetitu, quo prædita eſt, ſive quod idem eſt, inſito quodam magnetiſmo, trahit ad ſe partes illas, maxime ſibi conſimiles, & proportionatas. Dixi, materiam hanc terreſtrem eſſe ſpirituoſam, ſubtilem, activam, id eſt, centralem naturæ ſalem volatilem, qui actuando perficit & complet alteram partem, dum illi conjungitur, & uti ex illa alia hæc accipit corpulentiam, conſiſtentiamque, ita quoque communicat illi vim activam, formalem & ſpecificam. Et quandocunque hi ſpiritus ſubtiles, & tenues evaporant, materia diſſolvi dicitur, remanente materiali ſubſtantia fixa; & uti hæ partes formales ad agendum, ita illæ materiales ad patiendum natæ ſunt, ut patet ex artificioſa reſolutione mixtorum, qua partes ex diverſis mixtis eſſentialiter diverſæ extrahuntur: ſic ſpiritus nitri, aluminis vitrioli diverſiſſimi ſunt, à ſpiritibus, qui ex vegetabilibus vini roſarum, liliorum, aliorumque innumerorum diſtillantur, extrahuntu que. Ut proinde non immerito, quemadmodum à Peripateticis reſolutio in materiam primam non conceditur, ita quoque nullum corpus omnino ſpiritus expers dari poſſit, ſi enim quantumvis corpora in cineres reſolveris (qui omnium aliorum ſicciſſimi creduntur) tamen & illi ulterius adhuc partim in ſalem ſublimantur, partim, ſi violentiori igne torqueantur, in vitrum fluunt: hæ vero partes, materia videlicet, & ſpirituoſa ſubſtantia, cum inter ſe valde diverſæ ſint, ut inter ſe uniantur, maxime vinculo opus habent, quo ſtrictis amicitiæ legibus uniantur, copulenturque: quod quidem nihil aliud eſt, quàm humidum, medium quid inter volatile, & fixum, inter corpus & ſpiritum, ſive quod idem eſt, inter craſſum & ſubtile. Quia tamen nulla rerum mutatio ſine humidi hujus attenuatione, ſive diſſolutione fieri poteſt, hinc natura deputavit calorem, veluti Archæum quendam, cujus ope humidum gluten naturæ attenuatum diſſolvatur, quo diſſoluto, & partes diſſolvuntur, ſpirituoſa evolant, corpora concidunt. Quanto verò hoc humidum facilius reſolvitur, tanto quoque corpus faciliori corruptioni ſubjacet: quanto vero humidum pinguius, viſcoſius, compactiuſque eſt, tanto difficilius quoque diſſolvi neceſſe eſt; & conſequenter ob partium probe commixtarum conſtipationem minori corruptioni obnoxium eſt. Hinc patet, cur aquea humiditas parum viſcoſitatis habens, facile attenuata in vaporem abeat; quia videlicet vapor humidum aqueum habet, valde indigeſtum, partibuſque ſuis haud probe connexum; contra quæ humiditatem habent magis coctam digeſtamque, ei partibus intime commixtam, illa prædominante pinguedine, & viſcoſitate, veluti tenaciori vinculo difficulter diſſolvuntur.

Patet itaque ex his quomodo materialia noſtra principia; ex quibus omnia conſtare diximus, intelligenda ſint: ſiquidem, quid ſpirituoſa illa ſubſtantia aliud denotat, niſi ſulphur? quid aliud fixum, niſi ſal? & quid denique aliud humiditas illa viſcida, quàm Mercurium deſignat? uti in præcedentibus ex mente veterum ſapientum diximus, pari pacto in vegetabilibus, & vividis, pars volatilis anima, fixa corpus, humiditas vero vera & Phyſica unio dicitur, quo anima corpori copulatur.

Cur verò humiditas illa in veg tabilibus animalibuſque tam facile, in mineralibus, metallicique corporibus tam difficile ſoluta ſit, me itò quiſpiam dubitare poſſet; quoniam verò in hac magna rerum natu-

naturalium cognitio conſiſtit, eam paulo fuſius enodabimus.

Nil notius eſt, quam quod humiditas in quibuſdam calore attenuata mox in vaporem evaneſcat: in aliis verò etiam igne vehementiſſimo in vaporem reſolvi non poſſit: quomodo autem id fiat, id paucis notum eſſe exiſtimo. Dico itaque humidum illud mercuriale inter ſulphur, id eſt, ſpirituoſum & ſalem, id eſt, fixum, medium quoddam eſſe, uti ſupra innuimus: hoc verò humidum viſcoſum & naturæ gluten, pro diverſitate corporum jam aliis vel minime adhæret, ſub minima parte miſcetur; aliis vero mediocriter, ei per partes ei commixtum conjungitur. Unde triplex humidi ſpecies exſurgit; prima eſt, aquea quædam humiditas, prorſus incompacta, & omnis fere viſcoſitatis expers: altera compactior: tertia compactiſſima reperitur. Prima videtur in luto, quod ex pulvere aquæ commixto fit, quod uti incompactum eſt, & exigua viſcoſitate conſtat, ita quoque vel minima externi caloris attenuatione in ſua elementa diſſolvitur; ſi vero terrenum pulverem oleacea materia ſubigas, tum enim verò maſſa fit, quæ non tam citò ab externo calore, niſi à vehementiori igne urgeatur, reſolvitur; quia materia pinguis, & viſcoſa pulveri intimius nectitur, unde ſpiritus ne avolare valeant, continentur: quod & in cera fieri experientia quotidiana docet. Cauſa enim cur calore attenuata & rarefacta dum fluit, ſpiritus non avolent, eſt ob viſcidum illud humidum, quo partes partibus ita copulantur, ut calor cum in auras eam evaporare non permittat, ſaltem eam in fluxum reſolvat, ob tenacioris humidi viſcidi vinculum, quo partes partibus nectuntur.

Atque hinc patet quoque, cur ligna, & lapides igne comburantur, & illa quidem in cinerem, hi verò in calcem, metalla vero liquata fluant. Nam ligna, & vegetabilia quævis, uti non bene compactum humidum ob viſcoſitatis defectum habent, humiditaſque eorum magis aquea eſt, lapides verò exigua humiditate pollent; hinc fit, ut in utriſque partes ſpirituoſæ ob defectum viſcidi humidi vegetabilium partes fixas in cinerem, lapidum vero ob ſulphuris pinguedinem in calcem reſolvant: metalla vero ut humiditate viſcoſa pollent, ita quoque partibus partes intime commixtas compactaſque habent; hinc fit ut ignis miniſterio humiditas quidem illa attenuetur, & in majuſculum incrementum aſſurgat, non tamen ſeparetur, neque à corpore ſuo recedat, ſed totum in liquorem abeat.

Quicunque itaque hanc naturæ operationem penitius conſiderat, is neceſſario fateri cogetur, metalla igne ſollicitata minime fluere, eo quod aqueo prædominio prædita ſint, ſed ob inſignem radicalis humidi viſciditatem; qua partes partibus ita nectuntur, ut eas in fumos, vaporeſque abire non permittat: ſic enim humido aqueo ſimplici conſtarent, illa utique ignis ope non fluerent, ſed in calcem converterentur, quemadmodum in lapidibus igne tortis accidit; fluunt itaque metalla igne, quia humiditas illorum, quo ſpiritus metallici cum vapore colligantur, vi caloris non recedit, ſed ita attenuatur, & excreſcit, ut attenuet quoque & rarefaciat partes, quas nectit; & hinc eſt metallicarum fluxus partium. Quod & inde patet; ſi enim metallis heterogenearum partium miſcellæ, glebarumque terreſtrium quiſquiliæ admixtæ fuerint, ſolæ homogeneæ metalli partes fluent, cæteris diverſi generis rebus vel in ſcoriam, vel lappam pompholigam, fuliginemque, cum aliqua metalli diminutione abeuntibus.

Atque hæc eſt ratio, cur metalla igne torta puriora evadunt quia partium heterogenearum miſcellæ non bene compactæ, & humido aqueo abundantes, ignis attenuatione defectuque viſciditatis avolant, metalli humido ob viſciditatem irreſolubili, quod verò metalla fluxu rareſiant experimento Fabri compertum habent; ſi enim in candenti ferro foramen effecerint, id multo candente adhuc ferro latius, quam ubi id refrigeratum fuerit, reperiunt: ſicut enim ferrum calore majorem, ita frigore conſtrictum minorem locum occupat. Sed de hiſce pluribus in undecimo libro de metallicis artibus, ubi & hæc omnia experimento comprobata reperies.

Atque hinc luculenter colligitur, quomodo calore attenuentur & fluant omnia, utique ſapientiſſimo naturæ conſilio, ut videlicet perpetua, perennique rerum viciſſitudine univerſa geocoſmi facies mutetur; & quia humiditas eſt vinculum, quo partes ſpirituoſæ cum corpore, & materia conjunguntur, ſoluto vinculo ſpiritus à corpore ſine ullo tamen eorum interitu, ſed ſeparatione tantum facta, ita recedant, ut ſemper tamen in materia nonnihil ſpirituum adinſtar naturæ ſeminum, remaneat: qui ſi rurſus ad iſtiuſmodi corpus deferantur, magnetica quadam lege, ab iis qui intus reman erunt, attracti, unitique novo humido colligantur. Atque hæc eſt mira in natura rerum phyſica περικύκλωσις.

Hinc patet quoque omnium meteororum geneſes dicta naturæ induſtria fieri, atque adeo omnes generationis, corruptioniſque leges, tam in majori quàm in minori mundo inde pendere: quamvis enim omnium ſpirituoſorum effluviorum variæ & innumerabiles pene differentiæ conſtituantur, ad duo tamen, tanquam ad genera reliquæ omnes revocari poſſunt; ſcilicet ad humida & ſicca, quorum iſta vaporum, hæc halituum nomine indigitantur; quæ cuncta in triplici natura regno minerali, vegetabili & ſenſitivo vires exerunt mineralia, & metallica corpora ſubterraneo vulcano ſollicitata, attenuataque in vapores, vel halitus reſoluta, in ſuperficiem uſque terræ extimam exaltantur, ubi cæleſtibus radiis percuſſa, & ad maximam ſubtilitatem redacta magnum illud aëreum Mare replent: vegetabilium vero ſenſitivorumque omnis generis ſpirituoſæ ſubſtantiæ pariter cæleſti lucæ percuſſæ, reſolutæque rurſus aëreo concreduntur oceano, ubi frigore reſolutæ, denuo per nives, grandines, pluvias, nebulas, rores, terræ redditæ, quiſque ſpiritus, ad id, unde avolaverat, corpus nativum magnetico quædam tractu confluit. Sed de hiſce fuſius ultimo libro, ubi novam phyſicam forſan hucuſque vix notam aperiemus. Atque has naturæ operationes ars imitatur, quæ mineralia, vegetabilia animaliaque diſtillando, inde tot aquas, olea ſpirituſque extrahit differentes, quot in rerum natura differentia mixta ſunt: itaut per ſalem fixam materiam phyſicam; per mercurium humidum, omnium gluten; per ſulphur verò omne ſpirituoſum veteres Philoſophi intellexerint; ex ſolo enim ſimplicium elementorum confluxu, tantam, tamque innumerabilem rerum diverſitatem, naſci, credat, cui placuerit, ego aliter à natura doctus, hic non ea, quæ Metaphyſicos conceptus, ſed quæ Phyſicam experientiam concernunt, tradenda conſultius eſſe exiſtimavi.

De

De Metallorum, cæterorumque Mineralium Fodinis, Foſſorumque morbis & remediis.

§ I.

Quænam ad perfectam Metallicæ Artis notitiam requirantur, ſive de conditione Præfecti fodinarum.

Antequam Artis noſtræ metallurgicæ adyta profundius ingrediamur; primo quidnam ad omnimodam hujus artis notitiam requiratur, quibus dotibus, & naturæ talentis inſtructum eum eſſe oporteat, qui hujus facultatis profeſſionem ſuſcepit, paucis exponamus.

Primò, metallurgus, ſive fodinarum præfectus, divinum cultum omnibus cæteris præferat, memor illius; quærite primum Regnum Dei, & cætera omnia adjicientur vobis; ne, dum ſollicitius terrenos, caducoſque ſcrutatur theſauros, avaritiæ voragine hauſtus, animæ ſuæ jacturam patiatur. Timori itaque Domini juncta aſſiduitas, & diligentia, qua omnia juxta mellicæ artis canones, regulas & præcepta diſponantur, hoc utplurimum bonum adducit, ut his, qui & norunt ea, quæ facere oportet & curant ut perfici poſſint, pleraque omnia ſecunda, & proſpere eveniant.

Secundò, ut metallurgus omnes probi peritique viri partes expleat; neceſſe eſt, ut artis ſuæ ſit periciſſimus; nimirum ut primo noverit, qui mons, qui collis, quæve valleſtris, aut campeſtris poſitio utiliter fodi poſſit, aut foſſionem recuſet. Deinde venæ, fibræ, commiſſuræque ſaxorum ipſi pateant: mox multiplices, variaſque terrarum ſuccorum, gemmarum, lapidum, marmorum, ſaxorum, metallorum, mixtorum ſpecies perſpectas habeat, omnem quoque operis ſub terra faciendi rationem cognoſcat. Nota ſint ipſi materiæ experiendæ, parandæque artificia ad excoctionem, quæ uti diverſæ ſunt, ita quoque indifferentibus metallis differentem exigunt modum: Alium quippe exigit aurum, argentum alium, cæteraque metalla alium, aliumque, quod & de ſuccorum concretorum, ſalis, nitri, aluminis, chalcanthi, ſulphuris, & bituminis excoctione diverſimode peragenda intelligas velim.

Tertiò, metallurgus antequam μεταλλεύειν, ſive venarum foſſionem aggrediatur, hæc ſeptem ſecum conſideret. Primò loci genus, habitum, aquam, viam, ſalubritatem, dominium, vicinum. Quod ut poſſideat, multarum artium diſciplinarumque notitia inſtructus ſit oportet; primò Philoſophiæ, ut ſubterraneorum ortus, & cauſas, naturaſque cognoſcat; ſecundo Medicinæ, ut foſſoribus, cæteriſque operariis providere poſſit, ne in morbos, quibus præ cæteris expoſiti ſint, incidant, & ſi inciderint, vel ipſe eis curationes adhibere, vel ut medici adhibeant, curare. Tertio Aſtronomiæ ut agnoſcat cæli partes, atque ex his venarum extenſiones dijudicet; Geometriæ quoque haud ſit imperitus, ut quam alte ſit puteus fodiendus, ut per cuniculum, qui uſque eo agitur, pertingat, certoſque cuique fodinæ, præſertim in profundo conſtituere fines, terminoſque, juxta ſtatas Geometriæ leges menſurare queat: numerorum, ſive Arithmeticæ inſignem notitiam habeat, ut ſumptus, qui in machinis conſtruendis, foſſoribuſque fiunt, ad calculos revocare queat. Nihil autem hujuſmodi Metallurgias præſidi adeò neceſſarium eſt, quam ſtatica, qua ſubſtractiones fodinarum, machinas tractatorias, hydraulicas vel per ſe ipſum fabricare, vel aliis earum fabricandarum rationes exponere norit: præterea docebit hæc eum metallorum pondera differentiaſque unius metalli ad aliud. Staticæ ſi conjungatur pictura, tum enim verò abſolutam notitiam conſecutus dicetur, ſi cuniculorum diverticula juxta Ichnographiæ leges recte deſignare, machinarum requiſitarum prototypa, uti & montium, camporumque ſitum, poſitionemque recte repræſentare poſſit. Quia denique ſæpe magna circa fundorum juriſdictiones diſſidia oriuntur, Legum quoque peritum eſſe oportet, ut de dominiis rerum rectum judicium formare poſſit.

De variis Officiis eorum, qui metallurgiam curant.

Præſidi totius metallicæ negotiationis ſubſunt poſt ſupremum Dominum, & poſſeſſorem, magiſtri operarum jurati quos vocant, ſcribæ fodinarum, præfecti cuniculorum. Magiſter operarum in omnes foſſores imperium exercet, exceptis monetariis, Argentique purgatore; per pœnas quoque in negligentes operas animadvertit; controverſias circa fodinas ortas dirimit; jus fodinarum petentibus dat, confirmatque, fodinas metitur, earumque terminos ſtatuit; quid in unaquaque fodina faciendum docet, & præſcribit, cui omnes cæteri operarum præfecti rationem de pecunia præcedenti hebdomade expenſa, reddunt, quam ſcribæ codici conſignant. Hunc fabrum lignarium eſſe oportet, ut poſſit puteos exſtruere, columnas collocare, ac facere ſubſtructiones, quæ montem ſuffoſum ſuſtineant, ne foſſores obruantur, cuniculos perforare, ad aquas ex venis, ſaxorumque commiſſuris promanantes alio derivandas; debet & venas cognoſcere, & fibras, ut utiliter fodiant puteos, effoſamque materiam, unam ab altera diſcernat, aut per ſe, aut per alios ſolitis jam præceptis de Juratis inſtructos; cognitionem præterea habeat lavandi, depurandi, coquendique metalla; tandem quicquid foſſoribus ad labores neceſſarium eſt ſuppeditet, ferrum ad inſtrumenta, coria ad veſtes, ſevum ad lucernas, &c.

Jurati debent eſſe bonæ fidei viri, reique metallicæ periti, quorum quidem numerus pro fodinarum multitudine aſſumitur. Horum officium eſt fodinas inviſere, quid agatur, actumque ſit, inquirere, de machinis, ſubſtructionibus, noviſque fabricis conſultare faciendis, cæteriſque omnibus, quæ bonum fodinarum concernunt; deliberare: foſſionum in duris, aſperis, & ſaxoſis locis; item in mollibus, argillaceis ſimilibuſque labores ſubeuntibus juxta Arithmeticæ proportionis leges ſolvere. Item negligentes, fraudulentos, aut furaces, pro delicti gravitate punire. Juratis denique abſentibus præſes omnium nihil propria auctoritate decernit.

Ad operas quod attinet, hoc pacto labores ſuos tranſigunt: diei naturalis ſpatium iis dividitur in tres partes, ita ut ſingula ſpatia temporis ſeptem horas comprehendant: primum ſeptem horarum ſpatium incipit ab hora quarta Aſtronomica, & durat uſque ad undecimam. Secundum incipit ab hora duodecima; & durat uſque ad ſeptimam pomeridianam, quæ cenſentur eſſe operæ diurnæ. Tertium incipit ab hora octava, & finitur hora tertia poſt mediam noctem, tunc autem ſive ex puteis hauriant aquam, ſive venam fodiant, ad nocturnas lucernas perpetuo vigilant; & ne vigiliis aut laſſitudine dormiant, cantu nec

nec rudi prorſus, nec injucundo duros ſolantur labores: ad quos ſubeundos campanæ ſono admonentur, quo dato vicatim hinc inde ad labores ſeſe accingunt: cum verò ſeptem horæ fuerint finitæ, tunc dato ſigno novo, vel pulſu tabellarum, quo percepto ſubterranei foſſores ſaxis illiſo malleo dant ſignum in interioribus montium cuniculis laborantibus, laborem eſſe finitum; quamvis etiam ſevi in lucernis proximus defectus luculentum illis completi temporis ſignum ſit.

De Morbis Foſſorum.

Cum ſubterranei cuniculi magnis mineralium ſpiritibus conferti ſint, fieri non poteſt, quin ſubinde foſſores inſolitis morborum generibus infeſtentur: unde pro diverſitate aquarum, halituum aërisque, diverſos morbos naſci neceſſe eſt, quorum alii affligunt artus, alii lædunt pulmones, oculos alii, alii denique exitiali quadam, & ſuffocativa vi protinus eos interimunt. Aqua frigidior, quæ in puteis profundiſſimis ſtagnare ſolet, utplurimum crura, nervos vitiare ſolet, unde niſi ocreis in hunc finem factis ſe tueantur in conclamatas penè infirmitates ut incidant, neceſſe eſt. In fodinis verò ſiccis, & humiditatis expertibus, majus ipſis malum imminet; dum enim terram continuis concuſſationibus exagitant, & ad venarum ductus detegendos metallicarum glebarum, matrices altius adoriuntur, fieri non poteſt, ut medium variis pulverum effluviis non inficiatur, quæ unà cum aëre hauſta, pulmonibuſque inſinuata, primò Aſthma, id eſt, ſpirandi difficultatem, deinde phthiſin generant; quæ ſi prætereà corrodendi vi polleant, tunc exulceratis pulmonibus diram tabem gignunt. Quin etiam cadmiæ quoddam genus eſt, quod operarum pedes aquis madidos, itemque manus exedit, pulmones, & oculos lædit; unde multi pedes ocreis, ſed & manus chirothecis, faciem verò veſicis muniunt, ne pulvis iis nocere poſſit: hac ratione confectores minii, apud veteres Romanos contra mercuriales ſpiritus ſeſe muniiſſe Plinius tradit.

Accidit nonnunquam, ut ſaxa metallica igne adhibito frangere & rumpere cogantur foſſores, quod dum faciunt, niſi à fumo tempeſtive ſe ſubducant, dici vix poteſt, quàm monſtruoſa morborum genera, quæ proximam illis necem adferunt, incurrant: in his quippe aër mirum in modum inficitur veneno quodam ſubtili & ſpirituoſo, quod ex venis commiſſuriſque glebarum metallicarum ignis vi expreſſum, diffuſumque exhalat; hoc ſi fornicibus fodinarum ſub forma tutiæ, pompholygis, aut fuliginis adhæſerit, ac deinde cum tempore in lacunas deciderit, maximum ſanè foſſoribus aqua iſtiuſmodi lethiferis ſpiritibus tincta damnum adfert. Experientia ſiquidem docuit, quod ſi ſtagnantium hujuſmodi aquarum lacunas vel jactu lapidis commoveris, ſpiritus virulenti, qui inde protinus evolant, quemcunque offenderint, ſine ullo remedio conficiant: idem fumus igne nondum extincto ſymptomatis prorſus exoticis præſtare compertus fuit: corpora enim foſſorum iſto veneno infecta continuo ita turgeſcunt, ut omni ſenſu & motu deſtituta ſine dolore intereant: qui verò ſe infectos ſentiunt, dum ſcalarum adſcenſione ſaluti conſulturi fugiunt, interim prævaleſcente veneno, manibus pedibuſque ita in globoſam formam tumefiunt, ut dum ſe ſcalarum gradibus tenere amplius non queunt, ex ſcalis delapſi, vitam infelici morte commutent. Foſſores itaque multorum morte cautiores igne intra foſſas exſtructo, ad biduum integrum ſeſe à fodinarum ingreſſu continent, donec lethiferum virus per aërem diffuſum igne paulatim conſumatur.

Rurſus, ubicunque arſenicum, auripigmentum, ſandaracha, ſimileſque venenoſorum mineralium matrices reperiuntur; ibi aër ſeſe offert tanto pernicioſior, quanto virulentioribus dictorum mineralium, unà cum mercurialium venarum halitibus imbutus fuerit; quemadmodum Agricola refert, in ſpecubus ad Planam oppidum evenire, qui certis anni temporibus, halitum ex acidulis emittunt lucernas extinguentem, & ſi quis diutius ibi manſerit, necantem; alibi depreſſis puteis ſulphurata, & aluminoſa putearios enecant. Hujuſmodi Spiritus in Neapolitano Agro juxta lacum Agnanum in Antro quodam; (canum vocant) exhalant, quod canes exigua mora ibidem detentos ſtatim ſtupidos & veluti exanimes reddit, diutius verò detentos prorſus ſuffocat. Tales hiatus quoque in Agro Tyburtino, & Volaterrano uti in noſtra Hetruria, & Latio expoſuimus, reperiuntur, qui & homines, & animantes incautius accedentes interimunt. Vide quæ in quinto libro fuſius de hiſce diſcurrimus. Talis itaque proprietatis lethiferæ ſunt halitus illi, qui ſubinde ex novis effoſſis cuniculis magna foſſorum ſtrage occurrunt.

De Cura morborum metallicorum.

Quemadmodum omnes morbi metallici oriuntur, vel ex vaporibus virulentis metallorum, vel ex fumoſis halitibus aërem inficientibus, natura & proprietate diverſis, ita quoque diverſiſſimos morbos in ſubterraneis foſſoribus efficiunt: alii enim pulmones, ſtomachum alii, quidam cerebrum, nonnulli articulos; non deſunt qui hepar, renes, veſicam petant, in quibus deinde per continuam aëris infecti inſufflationem, vel intus calore nativo, non ſecus ac ignis vi intra Alembicum, jam ſublimantur, modo præcipitantur, nunc in alias, & alias partes diſtillatione derivantur, unde exoticæ fiunt coagulationes, corroſiones, putrefactioneſque, ex quibus cunctorum morborum ſeminaria originem habent. Quomodo itaque hiſce ſe foſſores, metallorumque coctores munire, & præſervare queant, paucis quantum ex medicis, qui conducto ſtipendio curam habent operarum metallicis ſubjectorum, intellexi, oſtendendum duxi.

Ad triplicem itaque methodum revocari poteſt metallici morbi cura; ad prophylacticam diætam, & genuinam medicamentorum rationem, prophylactica ita ſe habet: qui nondum infectus eſt, is excellentiſſimum, & ſpecificum medicamentum ſeligat ab eſſentia tartari, cujus hæc eſt compoſitio. Miſceantur ſimul liquor tartari, laudanum papaveris, oleum ex colcothare elicitum: eſt autem colcothar nil aliud, quàm vitriolum ad rubedinem calcinatum: quæ diſtillata liquorem præſtabunt, qui trium granorum doſi quolibet ſemeſtri ſumptus ab omnibus venenoſis metallorum vaporibus, halitibuſque liberum, immunemque reddere dicitur. Qui verò jam putrefactionem ex corroſione metallicorum halituum inciderint, iis maxime præſcribi ſolet balſamum vel ex vitriolo, vel ex urtica, aut chalybe eductum. Balſamum vitrioli ita parant; abſtrahunt à vitriolo phlegma ſuum tam diu, donec fiat mellis inſtar dulce, & ad purpureum colorem inclinet; doſis eſt una gutta in aqua veronicæ,

Balſa-

Balſamum urticæ ſic parant: ſal ex urtica extractum in ſua aquoſitate tandiu rectificetur per ignem moderatum cinerum, vel arenæ, aut etiam roris, donec olei pinguedo conſpiciatur, quæ à ſuis fæcibus ſeparata, quotidie trium guttarum doſi exhibeatur in aqua veronicæ.

Balſamum magnetis ſic paratur: Magnes in alcool, id eſt in pulverem tenuiſſimum redigatur, cui ſuperimpoſita æquali pondere limatura chalybis in vitreo vaſe quam optime lutato coquatur, in oleitate cinerum Iſatis herbæ; poſtea accipiunt limaturam, ſeu ſcobem magnetis quæ in eam vino rectificato tam diu digeratur, donec vinum rubeſcat: ſeparato itaque vino à rubedine in fundo balſamum magnetis reperiunt, quod ſumpta doſi ſupra poſita, nullum membrum putrefieri permittit.

Diætam peragendam foſſoribus hac cura præſcribunt: ut videlicet homines metallicis & ſubterraneis laboribus fodinarum occupati, cibos ſuos quantum fieri poteſt, ſale petræ condiant: ſimili ratione aromatum loco utantur ſale aluminoſo, quod quidem ex alumine extractum nil ſalſedinis habet, imò cibos optimè condit.

Contra Aſthma non putridum, quod metallici utplurimum ex mercurialibus halitibus contrahunt, præſcribere ſolent aquam panis porcini, unicum contra pulmonum vitia remedium: eſt enim vis ejus mirum in modum diaphoretica; ſi enim affecta membra, id eſt, hepar, ventriculus, pulmo in διαφορήσει conſerventur, eis nulla nocebit ſpiritus mineralis virulentia, & ſi quod damnum illis illatum eſt, id per vim diaphoreticam expellunt, uti mucilaginem, reſinam, aut tartarum, quæ cum diaphoretica ſeu ſudorifera vi, neque in veſica aut renibus calculus, aut arena conſiſtere poſſunt: eſt enim ſudor in hujuſmodi infirmitatibus ſummum præſidium.

Non deſunt alia domeſtica remedia tam pro iis, qui in ſubterraneis cuniculis metallis eruendis operam dant, quàm pro iis, qui lavandis, depurandis, excoquendiſque metallis operam dant; nonnulli maximè in uſu eſt Therica, aliis metallica remedia ex ſale, alumine, ſale nitro, ſalpetra, vitriolo, tartaro confecta, quorum ope, uſque maximum levamen ſe ſentire foſſores fatentur; quod utique non alia de cauſa fieri exiſtimo, quàm ex ſympathica quadam affectione, qua ſimilia intra corpus ſuſcepta collectaque metallicorum effluviorum corpuſcula ubi confluxerint, mox unà quoque ſecum humores abſterſiva vi ſalium per naturæ ſeceſſus educant. Sunt quippe cujuſcunque tandem generis ſalia, ubi ritè depurgata, & in ſuam puritatem redacta fuerint, inſigne contra maleficos mineralium halitus Alexipharmacum; totum enim, quod in ſalibus malignum latet, & ex heterogeneis malignantis naturæ glebis, quibus miſcentur, conflatum.

Iterum contra hujuſmodi peſtiferum ſubterranearum foſſarum aërem optimi, & præſtantis vini, antequam ingrediantur foſſores, hauſtus, vel juſculorum præpinguium ſumptiones cum butyri, cæparum, nucumque juglandum eſu, nonnulli *Zeduariam*, aut alterius ſpecificæ qualitatis radicem ore maſticant; quidam etiam contra mercuriales ſpiritus aurea folia ore tenent: uti enim mercurius aurum naturali appetitu mirum in modum ambit, ita quoque aureis foliis inhærens ſpiritus, ultrà non tendit; contra pulmonis vitia, vel ipſum balſamum, vel flores, aut butyrum, ut vocant, ſulphuris mitificam vim habent ad depurgandos pulmones, maxime ubi in hydropem inclinaverint. Contra peripneumoniam maximè prodeſt, ſi ſemilibram aquæ meliſſæ cum una libra tartari, unà cum vino rubro melioris notæ, admixtis baccis juniperi, floribuſque cichorii, in aquam diſtillatione reſolveris, quam quotidie cum vino generoſo doſi quatuor drachmarum ſumpſeris, cætera vide apud Paracelſum, Agricolam; quæ hîc ſcripſi ab iis, qui fodinis præſunt, medicis, mihi concredita fuerunt.

De Remediis, quibus malignus aër in Cuniculis Metallicis purgatur.

Duo maximè natura appoſuit obſtacula, quo minus ex deſideratis mentium theſauris homines perfectam felicitatem conſequerentur, ut proinde natura in hoc non tam ſe matrem, quam novercam exhibuiſſe videatur: quorum primum eſt, inexhauſta ſtagnantium aquarum colluvies qua uti venarum metallicarum tractus ad ulteriorem foſſionem impeditur, ita quoque incredibile rei metallicæ damnum confert. Alterum ſunt virulenti, & exitiales prorſus metallicarum venarum, ſive vapores, ſive halitus queis non ſolum μεταλλωρυξίς impeditur, ſed & operis ſeu foſſoribus, ſi non repentinam mortem, ſaltem uti in præcedenti capite oſtendimus, inevitabilia exoticorum morborum genera, magna miſerorum hominum ſtrage conferunt. De hoc primo, de illo naturæ incommodo poſtea differemus.

Quæritur itaque primò, quanam arte, & induſtria virulentus fodinarum vapor, & halitus expurgari, & fodinæ à tanta peſte, cum ſalute operarum liberari queat? non deſunt, qui putent, primò id fieri poſſe rogo ex ſalutiferis lignis extructo. Ego verò dico, tantum abeſſe, ut iſtiuſmodi conſilium quicquam remedii afferat, ut potius tum fumus, tum calor in tantis anguſtiis concentratus, majora pericula, majuſque malum, imò viciniorem letho portam aperiat. Legerant ipſi forſan, Hippocratem integras urbes ſalutiferorum lignorum rogis per vicos, & compita diſpoſitis, à peſte liberaſſe, quod & nos in noſtro tractatu de peſte fieri poſſe præſcripſimus; ac proinde idem in profundiſſimis terræ locis fieri poſſe cogitarunt. Sed aliud eſt, in longe, lateque externi aëris magno mari hac induſtria uti, aliud intra concluſa terræ viſcera, ubi id fieri nulla ratione poſſe, ex duobus capitibus oſtendo.

Primò, quis neſcit, ignem in ſubterraneis locis niſi ſuis caminis inſtructus fuerit, durare non poſſe, vel ſi prope vicinum putei inferioris oſtium exſtruatur, ita omnia ſummo replere, ut is operas multò compendioſiori via, quàm vel vehementiſſimi veneni halitus, ad portus mortis, ſuffocatione deducat. Ignis ſine aëre vivere non poteſt, vel ſi aërem ſufficientem non adipiſcatur, fumo ſuſquedeque vertit omnia cum extremo laborantium exitio: accedit hiſce, quod rogus inſtructus in abditis terræ latebris tantum abeſt ut aërem peſtiferum conſumat, ut potius halitus, vaporeſque, qui primò intra matricum receptacula ſopiti jacebant, caloris vehementiâ excitet, eorumque ſublimatione rarefactos per univerſos fodinarum meatus aërem virulenta facultate tingat & inficiat. Experti ſunt ſummo ſuo malo nonnulli foſſores

foſſores hujuſmodi malum ; qui accenſis luminibus, dum in loco ſulphureo-bituminoſis vaporibus referta appropinquarent, totus aër in fodinis exiſtens inflammatus, partim ſuffocatos, partim exuſtos extinxerit; quod & uſu venit in nonnullis, qui puteos fodientes ſimili vapore eos invadente, in momento extincti fuere. Rogum itaque in fodinis exſtruere tantum abeſt, ut virulentum aërem conſumat, ut potius cum excitis calore aliis,aliiſque ex venis metallicis halitibus,mirum in modum augeat.

Quodnam itaque contra tanta mala remedium? Scio plerumque aërem in fodinis follium ſubſidio expurgari ſolere; ſed niſi id negotium recte inſtituatur, non multum emendationis conferet, ſi enim extrinſecus aër aliunde non attrahatur & putridus ex alia quapiam parte non aperta diſpellatur, ſemper eundem aërem quieto jam aëre,remanere neceſſe eſt.

Duplici itaque via aërem expurgari poſſe exiſtimo; vel follium ope, vel ſine ullo follium uſu, quod antequam oſtendam, ſcire lectorem velim, aëri ita à natura comparatum eſſe, ut quamvis ex uno loco ad alium ſubterraneum locum ruens aër admitti poſſit, niſi tamen putidus hic aër alium locum habeat, quo ſe recipiat, alius externus admitti nunquam poterit, quem tamen ſi invenerit, is mox recedendo aëri externo locum præbet. Et innumeris id experimentis comprobari poſſet, ſi omnibus vulgò notum non eſſet. Ut itaque aër diſpellatur, duo orificia eum tenere neceſſe eſt: unum, quo recens, & extrinſecus inſuffletur; alterum, quo exſuffletur.

De modo exhauriendi aquarum colluviem, quæ foſſoribus magno impedimento ſunt.

Alterum avaritiæ mortalium, quo minus ad intima Auri, Argenti cæterorumque mineralium gazophylacia penetrent, frænum natura objeciſſe videtur; & eſt ſtagnantium aquarum in ſubterreſtribus fodinis colluvies; quæ quidem tanto eſt perniciofior, quanto majora occurrunt in ea evacuanda impedimenta. Primum eſt profunditas aquarum, quam ſi antliis aut coriaceis ſaccis exhauſeris, quo eam derives, vix ſine novo canali perfoſſo, diſpicias. Alterum eſt, anguſtia locorum quæ omnem hydraulicarum machinarum diſpoſitionem impedit, & cum utplurimum ferro adornentur, ei confeſtim obicem ponit mineralium aquarum acrimonia, quâ exiguo tempore ferramenta non ſolum exeduntur, ſed & in ſcoriam cum totius machinæ diſſolutione abeunt. Agricola lib. 4. de re metallica varia quidem inſtrumenta, & hydraulicas machinas proponit, quarum tamen vix ullæ in magnis iſtis fodinarum gurguſtiis ob laborioſam earum ſtructarum, uſum habent; uti enim ingentibus expenſis conſtruuntur, ita quoque tum ob ferreas catenas, hauſtra ferrea, perticas ferreas, quibus agitantur, tum ob mineralium aquarum acrimoniam, ſaliumque edacitatem diu durare non poſſunt. Accedit locorum anguſtia, quæ ſine magnis ſumptibus, ut machinarum capaces ſint, dilatari nequeunt; neque antliæ, quibus utplurimum utuntur, durare queunt; cum qualicunque tandem metallo conficiantur,ſemper minerales aquæ illis inimicæ, in eas rodendo tandiu agent, donec vel ærugine, vel rubigine conſumantur. Unde ex puro ligno, aut lateribus coctis illa conſtruere oporteret, ut ſubſiſtere queant. Vitriolatæ aquæ, ubi ferrum, aut æs, cuprumve repererint; ſtatim ea adhæſione corpuſculorum ad ultimam uſque ſcoriam rodere non ceſſant; nitroſæ verò aquæ matricem, piulcumque Antliarum, mox ubi quieverint, lapidifico ſucco ita veſtiunt, ut amplius vix extrahi poſſint.

Eſt & ad aliud impedimentum, quod poſt aquam exhauſtam vel novus canalis fodiendus ſit, ut extra derivari, vel per fodinæ puteum, quod plerumque fit, coriaceis ſaxis extrahi queat: ſed ne ſic quidem magnum emolumentum exſpectari poteſt, cum ex foſſis, occultis plerumque ſcaturiginibus implentur, quantum extraxeris aquarum, tantum ex ſcaturiginibus foſſæ novæ aquæ accedant; accidit etiam, ut aquarum metallicarum pondere ſacci ſeu bulgæ coriaceæ plerumque rumpantur. Quocunque itaque te vertas, ſemper alia, aliaque impedimenta reperiuntur: labor tamen improbus uti omnia vincit, ita quoque vel venarum obſtructione, vel aliis mediis, modiſque invitæ naturæ tandem fræna injicit, ut intento ſuo potiatur: Antliis, & coriaceis ſaccis res in Hungaria, uti mihi ſcribitur, peragitur.

Unum reſtat, quo pro meo quidem tenui judicio rem meliori modo confici non poſſe exiſtimo, quàm ſi foſſarum profunditas unà cum putei, quo intra fodinas deſcenſus datur, altitudine ad libellam prius cum reſpectu ad externam montis declivitatem examinentur. Si itaque foſſa altior, ſive profundior, aut æqualis fuerit campeſtri cuidam planitiei, tum enimverò oleum, operamque perdis in aquarum ex foſſa aliorſum derivatione, aliudque non reſtat conſilium, niſi ut per putei orificium foras extrahatur; ſi verò campeſtris, aut valleſtris planities profundior fuerit, tunc ſpem habebis, aquam per canalem data opera factum extrahendi. Qui verò ſuctu, aut attractu machinarum hydraulicarum ope negotium confici poſſe exiſtimant, illi non niſi ſpeculationibus metaphyſicis fulti, rem expediri poſſe cenſent; ubi enim aquam in receptaculum aliquod extraxerint, quò eam derivabunt? Relinquendus ita mos eſt, & conſuetudo diuturno uſu in diverſis Europæ metallorum fodinis introductus; cum enim ad hujuſmodi neceſſitatibus ſuccurrendum, ingenia hominum maximè ad aliquid inveniendum, quo à tanto naturæ incommodo ſe liberare poſſint, quotidie acuantur; nihil autem hucuſque, quod plene Metallurgorum votis ſatisfaciat, præterea, quæ diximus, inſtrumenta, & machinas, certè ea uſurpanda ſunt, donec Deus Opt. Max. aliquid aliud inſpiret, quo res deſideratum exitum ſortiatur.

Atque hæc quidem dicta ſint de iis aquis, quæ in viſceribus fodinarum collectæ exitum ob dictas cauſas non habent. Si verò aquæ illæ commode derivari poſſent ad os inferius putei, tum majori commoditate, per inſtrumenta, quæ Agricola lib. 4. præſcribit, educi poſſunt. Ne verò catenæ & ferramenta machinarum ob mineralium aquarum edacitate conſumerentur, illa oleo ex plumbo extracto probe inuncta, contra omnem conſumptionem durare poſſent. Cum nihil ſit in rerum natura, quod ferramenta etiam marino ſubmerſa liquore, ab omni corroſione & rubigine, liberiora conſervet, quàm dictum oleum. Sed cum majori hujus olei copia ad tot catenas, & ferramenta tingenda, quàm expenſæ tolerent,opus ſit,ita quoque

ad

ad negotium conficiendum non exiguam difficultatem habet.

Atque hæc ſunt impedimenta, quæ metallurgiam ſubterraneam unà cum inſigni, & irreparabili damno impediunt; & ſunt ſiccitas, & huditas fodinarum, cuniculorumque. Siccitas è calore, & conſequenter virulentiſſimis halitibus magnam foſſoribus ruinam molitur. Humiditas verò, inacceſſis fodinarum venis obicem ponit, niſi conferta operarum multitudine, eâ, qua ſolent, induſtria exhauriatur: ubi enim aquarum dominatur humiditas, ibi ſine nocumento operæ ſubſiſtere non poſſunt: frigus tamen aliquo modo prodeſt, hoc enim uti & aquarum, earumque commotione omnis mineralis auræ virulentia proſcribitur, niſi aquæ longo tempore immotæ, & ſtagnantes cutem ex venenoſo halitu contraxerint; quæ tamen multum obſunt, niſi ipſa agitatione aquæ depulſæ alio ſe receperint, accidit enim, ut ſubinde in hujuſmodi foſſis vel projectu lapidis virulentæ aquæ vapor adſtantibus irremediabile malum adducat.

De multiplicibus Venarum fibrarumque mineralium Ductibus.

Expoſitis jam impedimentis, & obſtaculis, quibus ſperatus metallicorum hominum fructus, conatuſque luditurque, nihil reſtat, niſi ut jam intimius nos inſinuantes, ſinus quoque, uteroſque foſſilium conceptui ortuique dicatos ſcrutemur, quos Plinius, Dioſcorides, Vitruvius, Albertus, Agricola, venas vocant, juxta illud Ovidij.

Nunc quoque jam veteris percepto ſemine venæ
Arva rigent, auri madidis pollentia glebis,

Sunt autem Venæ mineralium ſeu metallorum nihil aliud, quam vaſa quædam, ſeu receptacula materiæ, quam ad foſſilium formationem, ceu materni uteri ad prolis propagationem concipiunt, tranſumpta ſimilitudine, ab animantium venis. Quemadmodum enim hæ ſingulis membris diſpertiuntur, atque per eas ex jecinore ſanguis in univerſum hominis corpus diffunditur; ſic illæ diſperguntur tum per totum terræ globum, tum vel maxime per montanos locos, aquis per eas manantibus & effluentibus. Præterea ſicuti ſingulæ venæ aliam venularum fœturam connexam habent, quas capillares vocant; ita quoque venæ metallicæ venulas adjunctas habent, ex commiſſuris ſaxoſæ materiæ mineralis exortas, quas & fibras vocant; quamvis contraria ratione fundant humorem; venæ corporis humani ſanguinem in capillares exonerant venulas; contra venulæ metallicæ conceptum humorem in venas majores diffundunt; de quibus vide Senecam lib. 3. nat. quæſt. cap. 15. ubi hanc venarum analogiam non eleganter minus, quàm eruditè deſcribit. Si quis venarum, venularumque fibras rectius conſideraverit, is intra ſaxorum commiſſuras, non ſecus ac abſolutiſſimam arboris in varios ramos diviſam intuebitur imaginem.

Eſt autem multiplex venarum differentia, ſive longitudinem, ſive latitudinem, aut altitudinem ſpectes; unde triplex eas denominandi forma reſultat; ut aliæ ſint profundæ, aliæ, dilatatæ, cumulatæ aliæ. Profunda ex ſumma telluris ſuperficie in imam ejus ſedem deſcendit. Dilatata veluti medium inter terræ ſuperficiem, ejuſque profundum ſub terra latens, in multum ſe ſpatij dilatat. Quæ verò magnam alicujus loci partem occupat, in longum & latum ducta, cumulata vocatur. Quod autem eſt medium inter duas venas, intervenium nominatur. Rurſus profundarum venarum aliquæ paſſum unum ſunt latæ; aliæ duos cubitos; quædam unum, nonnullæ pedem, quas omnes metallurgi vocant latas, quæ in nonnullis locis ſubinde uſque ad duodecim paſſus extenduntur. Quædam etiam tantummodo latæ ſunt palmum unum, aliæ tres digitos, duos aliæ quas anguſtas vocant.

Dilatatæ verò inter ſe differunt altitudine: earum enim aliæ paſſum unum, aut duos, aut plures ſunt altæ, aliæ cubitum, pedem aliæ, aliæ ſemiſſem, quas omnes altas vocant: quas verò humiles vocant, aliæ ſunt palmum, aut tres digitos, vel duos, vel unum, ut in figura apparet; quæ iterum variè dividuntur, ita ut aliæ ſint rectæ, aliæ curvæ, quædam obliquæ & tortæ, aliæ tranſverſæ, & circulares, quarum omnium differentias hîc Typo, ut longiori deſcriptioni parcamus, exhibemus. Quid verò finem, caput & caudam venarum vocent metallurgi, uti paſſim notum eſt, ita ulteriori expoſitione non indiget.

Sumuntur præterea venarum differentiæ ex partium mundi ſitu, ita ut aliquæ ex oriente in occidentem, quædam contra ex occidente in orientem, nonnullæ ex Auſtro in Boream, & contra ex Borea in Auſtrum extendantur, aliæ denique intermedias Cardinalium punctorum plagas ſervent, quæ initium ſuum à ſaxorum commiſſuris ſortiuntur; quæ ſi, v. gr. occaſum verſus vergant in profundum vena dicetur oſtendi ex oriente in occidentem, & ſic de cæteris; quæ valde tamen inter ſe diſcrepant; dum aliæ ex ſummo montis vertice per devexum deſcendunt in vallem, aliæ contra adſcendunt quæ omnia vide apud Agricolam fuſius tractata.

METALLOGNOMIA,
ſive
De Signis Metalli latentis, & qua Arte metallorum venæ cognoſcantur.

Uti hoc ſagacis eſt ingenii argumentum, ita quoque pari mentis induſtria tractandum eſt. Cognoſcuntur itaque variis modis latentium metallorum theſauri; voco theſauros; quia quicquid in humani generis conſervatione, tum ad ſplendorem & magnificentiam, tum ad neceſſariorum uſum pertinet, ex ſubterraneis gazophylaciis originem ſuam nanciſcitur, quæ alibi fuſius proſecuti ſumus. Sed jam inſtituti noſtri filum arripiamus.

Subterraneæ metallorum venæ triplici ratione innoteſcunt; modo naturali, artificiali, & caſu: Modo naturali, primò per vapores, & halitus metallicos: ſecundo per montium, herbarum, arborumque in eis conſtitutionem; tertio per venarum ab imbrium, torrentiumque defluxu detectionem: quarto per flumina quæ ramenta metallorum utplurimum ſecum abraſa devehunt. Modo artificiali, per aquarum mineralium, limique fluminum lacuumque diſtillationem, Chymico more peractam; ſecundo, per virgulam divinatoriam, de qua paulo poſt poſt. Caſu, per arborum eradicationem, ſylvarumque incendia, per fluminis cadentis, ſaxaque findentis violentiam: ſecundo, per aratri, ſulcorumque campeſtrium demolitionem; tertiò equorum, porcorum, aprorumque terram fodicantium ope: quartò, per folia vitium, quas ſpiritus auriferi in aureum colorem tingunt, uti ſæpe ſæpius in Hungaria comperitur. His itaque propoſitis, jam telam proſequamur.

Signa itaque quibus metallicæ venæ deprehenduntur, ſunt ſequentia, partim ex Agricola, Cardano, partim propria experientiâ comperta.

Dico igitur primò, metallicas venas interdum vi aliqua (quam ſi caſum, ſeu fortunam dicere malis, perinde eſt) ſine hominis induſtria & labore aperiri non uno modo.

1. Eas cute nudat torrentis impetus, id quod olim accidit in Fribergi Argentariis.

2. Vis ventorum radicitus extrahens, & extirpans arbores, quæ ſupra venas creverunt.

3. Abruptio ſaxi è monte: id verò abrumpit vel diuturnus, & largus imber, vel terræ motus, vel ictus fulminis, vel violenta nivis devolutio, vel impetus ventorum. Virg. lib. 12. Æneid.

At veluti montis ſaxum de vertice præceps.
Cum ruit avulſum vento, ſeu turbidus imber.
Proluit, aut annis ſolvit ſublapſa vetuſtas.

4. Aratrum venas retegit: aratri enim vomere glebas Auri exciſſas eſſe in Galecia Juſtinus memoriæ tradit.

5. Sylvarum incendium metalla prodit, quod Argentariis Hiſpaniæ accidiſſe ſcribit Diodorus Siculus. Hinc Lucretius lib. 5. de Natura rerum.

Quod ſupereſt, as atque aurum ferrumque repertum eſt.
Et ſimul argenti pondus, plumbique poteſtas,
Ignis ubi ingentes ſylvas ardore cremarat
Montibus in magnis, ſeu cœli fulmine miſſo,
Sive quod inter ſe bellum ſylveſtre gerentes,
Hoſtibus intulerant ignem formidinis ergo:
Sive quod inducti Terræ bonitate, volebant
Pandere agros pingues, & paſcua reddere rura:
Sive feras interficere & diteſcere prædâ.
Nam fovea, atque igni prius eſt venerarier ortum,
Quàm ſepire plagis ſaltum, canibusque ciere.
Quidquid id eſt, quacunque è cauſa flammeus ardor
Horribili ſonitu ſylvas exciderat altis
Ab radicibus, & terram percoxerat igni;
Manabat venis ferventibus in loca Terræ
Concava conveniens argenti rivus, & auri,
Æris item & plumbi.

6. Denique venas referat alia quæpiam vis: etenim equus (ſi huic narrationi fides habenda eſt) Goſelariæ venam plumbariam ungula patefecit. Iſtis igitur modis fortuna nobis venas largitur.

Dico ſecundò, reconditas foſſilium venas poſſe humana arte, modis, qui ſequuntur, inveſtigari.

1. Obſervandæ ſunt ſcaturigines fontium, quæ à venis longe abeſſe non poſſunt, quod ex ipſis earum aqua manet.

2. Spectanda ſunt fragmenta venarum, quæ torrens ex terra eruit; longinquitas enim temporis aliquam eorum partem rurſus obruit terrâ. Verùm hujuſmodi fragmenta, ſi ſupra terram jacuerint, aut ſint levia, venæ ab ipſis plerumque abſunt longius, quod torrens extracta procul à venis abripuerit, & ea propellendo, levia fecerit; ſin terræ infixa, vel aſpera fuerint, ad venas proprias adſunt.

3. Situs etiam conſiderandus; nam is in cauſa eſt, quod & venæ magis, aut minus terra obruantur, & fragmenta longe, aut minus longe protrudantur.

4. Obſervandæ pruinæ, quibus omnes herbæ candicant, his exceptis, quæ creſcunt ſuper venas: venæ enim quia ſiccum exſpirant calidumque halitum, pruinæ concretionem impediunt; quo igitur loco herbæ humidæ non congelant pruinas, ſubeſt vena, quæ ſi ſpiravit valde calidum, fert ea terra humiles herbas, & colore ſublanguido.

5. Indicium venæ latentis eſt, ſi arborum folia tempore verno livida ſint, vel ſubcærulea; ſi rami, præſertim ſuperiores, infecti nigrore, aut alio colore minus naturali. Si ſtipites bifidi, ſi rami nigri, aut diſcolores; ea namque opera efficiunt calidi & ſicci venarum halitus, qui ne radicibus quidem arborum parcunt, ſed eas adurentes prorſus infirmas reddunt: qua de cauſa vis ventorum frequentius hujus generis arbores dat ad caſum, quàm reliquas.

6. Montium cacumina, quæ ad meridiem tendunt, radicibus ad Boream ſpectantibus, argumentum metalli præbent, & maximè argenti, cujus fodinæ feraciores rectà ex Oriente in Occidentem tendere ſolent.

7. Color montium & lapidum, ac terræ, non ſolum metallica ibidem eſſe, ſed & qualia ſint docet: viridis fit ab ære, niger ab argento, & auro; purpureus à pyrite, lividus à plumbo & ferro, luridus à chalcantho & ſimilibus ejuſmodi ſucci; cinereus & obſcurus à ſulphure.

8. Recenſeri & odor poteſt inter venarum ſigna: cum enim duos ejuſdem montis lapides ſimul attriveris, ſi metallum monti ſubeſt, olent ſulphuris non parum.

9. Montes ſteriles metallici omnes ſunt: nam humor abſumitur intus, unde plantæ generari nequeunt, & mali halitus jam natis etiam plantis vitam eripiunt.

10. Graviores etiam lapides, aut terra, quàm ratio poſtulet, certum eſt metallicæ materiæ argumentum.

11. Si aliqua etiam parte nimis ſplendeant lapides, vel ſolidi exiſtentes non careant omni ſplendore, ſubeſſe materiam metalli certò ſcias.

12. Lapides ſi igne liquefeceris, deprehendes ſimul, & metallum adeſſe, & genus ipſius, & quantitatem.

13. Aquæ etiam effluentes levem quandam hujus conjecturam afferunt, quæ ſi odorem, aut colorem præ ſe ferant alienum, haud dubie metallum in monte eſſe pronunciabis.

14. Fundum quoque alvei diligenter explorabis, nam partem metalli invenies: vix enim fieri poteſt, ne longo temporis progreſſu, aliquid ſemper addente die, ex deſcenſu gravioris partis, veſtigium metalli non appareat.

15. Præterea montium rimæ indicant acres metallicorum halitus.

16. Ad hæc non deſunt plantæ, quæ metallorum ſocietate gaudent raræ illæ quidem, at quo rariores, eò, ſi adſint, evidentius teſtimonium illorum præbent. Generatim tales ſunt, quæ fructum non edunt, aut exiguum; juniperus humilis, hedera, caprificus, pinaſter etiam; & aculeatarum pleræque. Sunt etiam folia arborum aut pallida, aut decidua, & trunci exiles, marcentque omnia.

17. Ex montium apicibus, in quibus plerumque vapores expirare ſolent, metallorum latentium indices ſunt.

His demum addimus Virgulam divinatoriam, qua plerumque metallurgi in explorandis metallis utun-

utuntur. Eſt autem virgula bifurcata ex variis arboribus, ſeu fructibus, pro explorandorum metallorum conditione, effecta: putant enim plerique ſuperſtitioſiores hujuſmodi, effectum conſequi non poſſe, niſi die dominica Paſchatis, aut die ſolſtitii fuerit exciſa, aut ſupra venam excreverit; neque negotium ullum ſucceſſum habiturum, ſi explorator non fuerit die dominico natus. Verùm uti natura rerum hiſce ſuperſtitioſis circumſtantiis ad agendum non indiget, ita quoque ſuapte ſponte oſtendunt, hujus artis magiſtrum alium non fuiſſe, niſi Satanam, qui homines auri divitiarumque plus æquo avidos, in ſua retia trahere, cum ultima animarum ruina ſatagit. Unde nonnulli differentes conſtruunt virgulas, diverſis metallorum ſpeciebus explorandis appropriatas. Hoc pacto colurnâ virgulâ utuntur ad argentum: Fraxineâ ad æs: piceaſtri ad plumbum: Iſatis caule ad ferrum &c. quidam enim Magicis utuntur ſpeculis, additis carminum incantationibus, in metallicis venis detegendis. Undè paſſim à peritis & timoratis ceu magicæ illuſionis ex quocunque tandem pacto introducta vanitas reſpuitur: neque enim ulla ratio dari poteſt, cur virga bifurcata utroque cornu firmiter apprehenſa, etiam omni magico pacto excluſo, tantam tamen violentiam à vaporibus metallicis ſuſtineat, ut eam deorſum trahant. Certè ego ſæpius hujus rei ſupra metallica corpora auri, & argenti, experimentum ſumens, ſemper ſpe mea fruſtratus ſum: atque luculenter adverti, manifeſtam eſſe non dæmonis, ſed virgam tractantis illuſionem, dum imaginationis vi deceptus, putat, virgam ad metallum ſuapte ſponte vergere, cum ipſe eam inadvertenter detorqueat.

Quòd & aliàs uſus venit in iis, qui annulum filo ſuſpenſum duobus digitis intra ſcyphum immittunt, putantes annulum hinc inde Scypho illiſum currentem horam monſtrare. Peſſima ſane deceptio, cum totus ille pulſus nonniſi pulſu venarum in extremis digitis agitatarum, contingat; ſi enim fortiter filum preſſeris, annulus agitabitur: ſi leniter, ſine motu ſubſiſtet: quam fallaciam ego multis viris phyſicarum rerum haud imperitis, in quadam Academia, quam Princeps quidam hîc Romæ de hujuſmodi prodigioſa annuli agitatione, inſtituerat, demonſtravi. Erat dictus Princeps ea in opinione, ſingula metalla dicto modo ſuſpenſa, digitiſque prioribus apprehenſa in certas mundi plagas magnetica quadam vi dirigi; itaut ferrum in Boream, aurum in Orientem, in Occidentem argentum, æs in Meridiem, & cætera in cæteras plagas divergerent, quod & in pretioſis lapidibus fieri opinatus eſt: ſed experientia omnium riſu excepta fuit, quando immobili tranſverſo ligno metalla filo affixa dimittebantur, vel etiam firma manu leviter apprehenſa tenebantur, tunc enim indifferentem pro ratione torti fili, ſitum ſortiebantur. Totum itaque iſtiuſmodi merum fuit phantaſiæ ludibrium, dum quod pulſus venæ moverat, ille occultæ motionis proprietati adſcriberet.

Idem igitur in virgula divinatoria uſu venire certum eſt. Si quidem fieri non poſſe puto, ut virgæ non æquilibratæ, ſed violenter tortæ latentia metalla tantam, & tam ſubitaneam vim imprimant, ut illa ultro ſe ad terram uſque inclinare cogatur, is qui magneticarum motionum peritiam habuerit, atteſtabitur: ut enim ſymphaticæ rerum naturalium actiones effectum habeant, dici vix poteſt, quanto ingenio, & induſtria opus ſit, & quàm exacta & præciſa æquilibratione corpora diſponenda ſint; ut proinde omnes ridendi ſint, qui virgulas illas bifurcatas manibus apprehenſas, à tam ſubtili halituum vi conficare poſſe ſibi imaginantur.

Ne itaque ſine ullo fructu virgulam divinatoriam condemnaſſe videamur, alium modum hoc loco præſcribam, quem uti experientia multiplici certum comperi, ita quoque omnes eos, qui eo utentur, intento ſuo nequaquam fruſtratum iri confido.

EXPERIMENTUM I.

Fiat ex ſalis foſſilis fragmento lanceola uno palmo longa, quam cum quolibet ligno ita committes, ut lignea pars ſalinæ lanceolæ commiſſa, in æquilibrio ſupra obelum affixa, vel etiam filo ſuſpenſa liberè moveatur, hanc lanceolam ligneoſalinam impone ſupra ollam ſuppoſito igne, aqua ſalina ſeu muria bulliente, & comperies; ſpiritus volatiles in halitus abeuntes ſalinæ lanceolæ, tanquam ſibi ſimili corpori, magnetico influxu adhærere; unde lanceola corpuſculis ſalinis aggravata, paulatim deorſum verſus ollam inclinabitur. Hoc idem contingere poſſe exiſtimo, ſi ſupra mineram ſalis ſimile inſtrumentum poneretur.

EXPERIMENTUM II.

Fiat una lanceola ex ligno, & aurea virga ſubtili ad æquilibrium commiſſa, uti in præcedenti diximus, hanc ſupra ollam ſtatuas, in qua purum argentum vivum poſitum ſit, quod ſi ſuppoſito igne evolare feceris, totum Mercurium aureæ virgæ ſe jungere reperies; unde eo gravata aurea virgula, ſe profunde inclinabit. Idem ſi ſupra mineram Mercurii aurea virga exponeretur, evenire cenſendum eſt. Pari pacto ſi argenteam glebam in pulverem contuſam, ollæ impoſitam igne evaporare feceris, lanceola ex ligno, & argento fabricata, ei ſuprapoſita, corpuſcula argentea Magnetico quodam attractu in ſe derivabit; unde aggravata, neceſſario ſe illuc, unde vapor exſpirat, inclinabit; quod idem virgulæ ſupra mineram æratam accidet, ſive vapor, & halitus æratæ mineræ, per internum vulcani ſive per externum ſolis calorem elevetur.

CONSECTARIUM.

Ex hiſce patet, omnium eorum, quæ ſympathico quodam attractu ad ſe confluunt, hujuſmodi virgulis abſconditam matricem indagari poſſe, dummodo virgula ſympathica ad alterum vi prædita, ſupradicta ratione conſtructa fuerit. Hoc pacto virgula ex iis materiis, quæ amicitiam cum aqua ſimplici fontana elementari habent, uti ſunt alnus, nymphæa, mentaſtrum aquaticum, ranunculus, ſimiliaque, quorum ſive radix, ſive caulis, cum alterius non ſympathici, ſive ligni, ſive metalli virgula connexa, in loco, cui latentem aquæ venam ſubeſſe ſuſpicaberis, ſuperimpoſita, vapore aqueo cum tempore aggravata ſeſe inclinabit, & ſine omni ſuperſtitione, ſolo, quo pollet, magnetiſmo, latentem aquæ venam demonſtrabit. Quod non dicerem, niſi experimento à me ſumpto, id certum cognoſſem. Cujus quidem rei rationem docuerunt nonnullæ arbores venis metallicis ſuperinſiſtentes, quarum folia, ramique vapore gravata, & veluti cuticula quadam induta, deorſum vergebant, itaut penè terram tangerent. Et ex arboribus ad ripas, fluminum ſitis id luculenter quoque patet, quarum rami vapore aquæ aggravati, ad ipſam uſque aquæ ſuperficiem ſponte ſua cum tempore inclinantur.

EXPERIMENTUM. III.

Inter ferrum, & vitriolum inſignem intervenire ſym-

ſympathiam, conſtat, cùm ſoli ferro, reliquis metallis veluti repudiatis, avide adhæreat.

Fiat itaque virgula ex ligno & ferro rite commiſſa, quam ſi ollæ vitriolum impoſitum, ignis ope exhalare ſinas; mirum dictu, ferrum protinus colore ferrugineo in æruginem fuſcam mutato, in æs quaſi transformatum, ac pondere preſſum, totum ſe in ollam inclinatum diverget. Atque hæc ſunt, quæ lectori de Virgula divinatoria proponenda duxi.

De Fodinarum Metallicarum Natura, proprietate, variis accidentibus, varia ad Auctorem reſponſa.

PRÆFATIO.

Cùm operi huic ſumma cura inſiſtenti complures difficultates occurrerent, ex quarum labyrintho me evolvere vix poſſem, metallurgos Hungaricarum fodinarum (queis in Europa celebriores non reperiuntur, ſi in ullis aliis terrarum locis, certè hîc potiſſimum divitias ſuas, & ludibundam induſtriam natura cumprimis exponit) conſulendos duxi. Literas itaque propediem expedire viſum fuit, in quibus novemdecim propoſitionibus, occurrentia circa res metallicas dubia comprehendebam. Quoniam verò nullus eorum, qui fodinis præſunt, virorum, mihi notus erat, ope Patrum noſtrorum, qui Neoſolii, viciniſque Hungariæ montanis civitatibus, potiſſimum P. Andreæ Schafferi opera uſus ſum; qui uti metallicæ artis haud imperitus, ita quoque incredibili ad cœptum negotium promovendum, cura, diligentia, & ſollicitudine, una cum P. Georgio Weber, Reſidentiæ Neoſolienſis ſuperiori amplexus, quæcunque tandem ad meum inſtitutum neceſſaria eſſe judicabat, inquiſivit, tantumque cum fodinarum Præfectis, quibus cum jam dudum ei ſumma neceſſitudo interceſſerat, effecit, ut & ii ſuam quoque ad operis promotionem, ſymbolam ſe collaturos pollicerentur. Singulis itaque fodinarum Hungaricarum præſidibus unum mearum petitionum exemplar tradidit, ut ad ea reſponſa ſua ſcriptis huc Romam tranſmitterent, quod & factum fuit. Nomina eorum, qui ad Novendecim puncta, à me tranſmiſſa reſponderunt, infra ponentur. Sed ut horum virorum fidem, & diligentia ſera cognoſcat poſteritas, hîc reſponſa eorum, prorſus eo ordine, quo in originalibus manuſcriptis habentur, pari candore & ſinceritate ex Germanica, in Latinam Linguam translata, exhibenda duxi.

De Fodinis Hungariæ rebusque memorabilibus, quæ in iis occurrunt.

Et I.

Reſponſio Schemnitziana ad Novendecim puncta ab Auctore iis propoſita.

Cum R. P. Athanaſius Kircherus Societatis Jeſu presbiter, per Rev. Patrem Andream Schaffer ejuſdem Societatis ſupra Novendecim puncta metallorum mineraliumque conditionem necnon fodinarum in hiſce partibus conſtitutionem concernentia, inſtantibus precibus nonnullam ſibi informationem dari petierit: Nos infraſcripti, rerum metallicarum præfecti, jurati, cæterique officiales, fodinarum montanarum adminiſtratores, & inſpectores, ejus obſequentes petitioni, coacto Schemnitzii in Hungariæ inferioris urbe conſilio, ſupra dicta puncta deliberantes, tandem ad ſingula nobis propoſita dubia reſpondemus, uti ſequitur.

Ad primum, de aquarum mineralium proprietate & experientiis quibuſdam metallicis.

1. Reſp. I. Aquæ, quæ foſſoribus occurrunt in principio, plerumque ſunt inſipidæ, claræ, odoris expertes, leves & frigidæ, progreſſu verò calidiores, graviores, turbulentiores, prout à ſuccis metallicis tinguntur, vel alterantur, quædam albæ, rubræ, virides, vel cæruleæ, vel nigræ ſunt, certo quodam odore, & dum ſunt minerales, acquirunt ſaporem acrem, ut in illis piſces vivere nequeant.

2. Quando aqua in fodinis diu ſtat immobilis, tunc generatur in ſuperficie ejus inſtar cuticulæ quædam nebula mineralis, quæ agitata & reſpirando attracta, præſentaneam adfert mortem. Reperiuntur etiam aquæ pravi odoris, & ſaporis, nullius tamen pravitatis. Datur etiam ibidem aquæ genus, quod in figuram ſaccharo haud abſimilem degenerat, videlicet in lapillos albos: cæteras intrinſecas Aquarum proprietates ignorant foſſores, eaſque relinquunt inquirendas chymicis, & medicis. Docet quidem experientia, tribus milliaribus à Schemnits, quandam mineralem aquam reperiri, quæ bibentibus ſtrumas generet, & econtra ſex milliaribus abhinc eſſe aliam aquam, quæ ſtrumas à dicta aqua contractas bibendo tollit.

Ad 2. De efflorecentiis metallicis in arbuſculis, & ex quibus ſalibus, vitriolo &c. naſcuntur?

Reſp. I. Aliquando in fodinis occurrunt cryſtalli filis argenteis pilorum inſtar tenuiſſimis circumvolutæ; & cætera ſimilia. Superioribus annis fuit repertum Argenti granum purum putum (Germanicè Gediegen) in lapide fatuo (Germanicè Taubenſtein) in quadam materia alba cretæ ſimili, quæ vocatur medulla lapidea, ac ſi ſtudio ibidem fuiſſet reconditum, ponderavit libras duas. Eſt alia ſpecies creſcentium, quòd Latinè ſonat veſtigium (Germanicè Blactmabl) hoc adhæret lapidibus fatuis purum putum, ita ut ferro plumbi inſtar poſſit ſcindi: Similia creſcentia igne forti fiunt volatilia, & dum ſimilia in fodinis reperiuntur, foſſoribus ſpem æris tollunt, quia habent pro augurio, ſi illa ubi æs eſt, reperiantur, æs tollere, ubi verò æs non eſt, ibi id producere. Ex quo ſale, vel vitriolo naſcantur, ignorant mineralium foſſores.

Ad 3. Quænam potiſſimum mineralia corpora inveniuntur in fodinis auri & argenti, cupri, ſtanni, plumbi, & an ubique reperiantur argentum vivum, & ſulphur, quomodo cognoſcantur Sympathia, & Antipathia metallorum?

Schemnitzii utplurimum reperitur argenti vena, quæ parum auri continet: inveniuntur quoque venæ argenti cuprum, vel plumbum continentes, ordinarie quanto plus argenti venæ verſus Septentrionem currunt, tanto plus continent plumbi; in valle Hodritzſch, in profundioribus mineræ invenitur aurum & argentum: verſus ſummitatem verò marchaſita, & ferrum abſque auro, & argento. Ferri vena eſt duplex, una quæ fluxui ſeu fuſioni inſervit, ruda vocatur, diſſimilis ſpecie ab altera, ex qua ferrum eliquatur. Notandum, aliquot annis elapſis in vena Rudæ lapidem magnetem fuiſſe repertum, ex quo aliquot centonum centenaria ferri educta fuerunt: rurſus venæ argenti Schemnitzianæ utplurimum plumbeis mixtæ Antimonii non parum habent, etiam cinnabrii; & interdum occurrit cinnabrium minerale minio haud diſſimile, argentum continens. Quapropter cum ſimilia mineralia uſtulata, & liquata ſulphureum vel Mercurialem odorem præbeant, omnino tamen creditur ibidem eſſe, etiamſi argentum vivum,

&

& ſulphur ibidem non ſint actu; attamen eſſe in potentia, vel habere cum iiſdem quandam analogiam. Similiter habetur quoddam minerale, quod Germanicè *Belſf* ſonat. Hoc fluxum ſeu fuſionem in mineralibus promovet, & liquando cum argento aurum adducit; econtra vena plumbi rapax, & prædatrix eſt; & eſt aliud genus Marchaſitæ in argenti venis frequens, quæ interdum argento vacua, & interdum argento mixta, ubi hæc reperitur, ibi foſſores augurantur, ubi æris mineræ non ſunt, ibidem eaſdem gignere, at ubi ſunt, eas corrumpere. Lapides virides vel flavi, auri & argenti venas ſignificant.

Ad 4. Quibuſdam machinis exhauriant aquam ſubterraneam? reſpondit ad hæc Georgius Agricola de re metallica lib. 6. &c.

Ad 5. Quomodo reſiſtant operæ auræ peſtiferæ ex ſpiritibus metallicis genitæ? reſpondit, ſpiraculis & follibus, ut ſupra.

Ad 6. an compareant Dæmunculi ſubterranei vel pygmæi? Reſpondit affirmative, & narrat plura exempla.

Ad 7. 8. 9. Utrum incidant in animalia quædam, quæ nonniſi infra terram habitare poſſunt, & utrum Tempeſtates, fulgura, tonitrua, fulmina, terræ motus, & ſimilia experiantur foſſores, ſicut & de fluminibus, & fontibus ſubterraneis &c.

Reſpondit, Schemnitzii nihil horum reperiri & experiri.

Ad 10. Omnia denique quæ naturæ miracula ſapiunt, notentur. Reſp. naturæ miracula breviter deſcribere, eſſe impoſſibile, debere nos potius creatoris mirari potentiam & ſapientiam, quàm ſingulorum naturam penetrare.

Ad 11. De æſtu, & frigore fodinarum, quibuſnam in partibus maxime dominentur: utrum quo profundiores, eo calidiores ſint, & num videantur ignes ſubterranei?

Reſpondit, in venis illis nullum immodicum æſtum vel frigus percipi, niſi auræ liber tranſitus impediatur, tum foſſas ſemper calidiores, uſque dum iterum tranſpiratione libera fruantur, mediantibus ſpiraculis.

Ad 12. De ventis ſubterraneis, utrum per foſſarum rimas eorum fit eruptio? de aëris ſubterranei conſtitutione ejuſdemque purificatione.

Reſpondit, ventos non percipi in fodinis, ſed potius pravos vapores, qui, ut ſupra narratum eſt, ſpiraculis, & follibus expelluntur.

Ad 13. De Terræ motibus ſubterraneis &c. Reſp. ſimile nunquam Schemnitzii accidiſſe.

Ad 14. De aquis ſubterraneis, num incidant in rivos ſubterraneos, fonteſque aquarum dulcium, nitroſarum, vitriolatarum &c.

Reſpondit ſemper in nonnullis locis aquarum prægrandem reperiri colluviem.

Ad 15. De venarum metallicarum ductibus, quàm mundi partem potiſſimum reſpiciant, & an ferri vena Boream, &c.

Reſpondit, Metallorum ductus verſus unam partem ſolam reſpicere nunquam, ſed jam verſus hanc, poſtea illam &c.

Ad 16. De metallorum Sympathia & Antipathia mineraliumque cæterorum &c.

Reſpondit, Iſtas ignorare foſſores.

Ad 17. Quiſnam ſit modus ſeparandi metalla &c. Reſpondit dimittendo ad ſeparatores &c.

Ad 18. Quænam ſigna habeant cognoſcendi venas auri & argenti &c.

Reſpondit, eſſe impoſſibile, breviter ſigna deſcribere, cum unum quodlibet metallorum habeat ſuum proprium lapidem, debere hoc addiſci longa experientia, certiſſimam tamen eſſe illam probam, quæ igne perficitur.

Ad 19. Nominentur loca, in quibus, & quæ effodiantur mineralia? item de thermis, & acidulis, & quanta ſit profunditas minerarum?

Reſpondit, Cremnitzii ſunt venæ auri, & non procul abinde, eſt vena argenti vivi.

Schemnitzii ſunt venæ argenti, ferri, plumbi, cupri, &c.

Neoſolii eſt vena cupri.

Puggantii, eſt vena auri.

Regio monte, & Dullæ vena auri, Lubethan vena ferri & cupri, Wazæ & in monte Angelico eſt vena auri.

Thermarum ſunt duæ prope Schemnitzium, aqua Thermarum ubi tranſit, fæces deponit, quæ ſucceſſu temporis in lapidem flavum mutantur.

Prope Cremnitzium duæ Thermæ reperiuntur.

Duobus milliaribus à Schemnitzio, ultra flumen Granum prope pagum Bukovvina reperiuntur Acidularum duæ.

Prope Cremnitzium quoque habentur acidulæ.

Summa fodinarum profunditas eſt 150. Klaffter, id eſt, ulnarum.

ITA TESTANTUR

Joannes Georgius Weiſs, Fodinarum præfectus.
Julius von Lanſee, Rationum fodinarum juratus.
Elias Angerman, rei metallicæ juratus.
Joannes Zuerig, fodinarum ſcriba.

Andreas Ungeden *Michael Reuter* *Georgius Ulricus Kaiſer* *Joannes Henricus* *Martinus Sepp* *Michael Korch*	*Rei Metallicæ inſpectores.*

II.

Reſponſio ad quæſtiones propoſitas, Joannis Schaipelmanni, S. Caſ. Regiæque Majeſtatis, minerarum Cuprearum præfecti in Herrengrundi in Hungaria.

Prima quæſtio, de aquarum mineralium proprietatibus, & de experientiis quibuſdam Metallicis.

Reſponſio: Apud nos Neoſolii reperitur genus Aquæ vitriolatæ, in qua ferrum in cuprum transmutatur, faciunt ſingulis annis 50. vel 60. Centones, qui ſunt circiter quinque, vel ſex librarum millia cupri. Hæc aqua vitriolata acuitur ſale vitrioli, vitriolum autem nihil aliud eſt, quàm album ſal terræ; hoc ſal ſolvitur ab humiditate, poſtea tranſeundo per mineras cupreas, illas ſolvit, & inde colorem viridem acquirit: Si autem mineram cupream nigram tranſit, continentem argentum, tum coloratur cæruleo colore; fuerunt etiam huic aquæ cuncta alia metalla impoſita, at nullum præter ferrum tangit, quòd primò in ſubtiliſſimum pulverem vertit, & poſtremo in optimum cuprum mutat, ac ſi ſtudio in igne liquatum, & in certam formam fuſum eſſet; prorumpit etiam ex duriſſimis lapidibus aqua quædam mineralis, quæ ſedimentum deponit flavum, qualis autem ſit materia, & cujus virtutis, hactenus eſt incognitum.

Reperitur quoque aqua quædam alba, quæ in lapidem durum abit: Si verò hæc aqua ante ſuam coagulationem mineram cupream tranſiverit, tunc generatur ex ea lapis, qui Melochites vocatur, quando verò aqua illa perfluit cupream mineram continentem argentum, fit ex ea pulcher lapis cæruleus ſimilis Turcoidi: hæc aqua autem nullibi frequen-

tius

tius reperitur, quam in mineris lapidibus Siliceis copioſis, & cupreum cum argento continentibus.

2. De efflorescentiis metallicis in arbuſculas, ex quibus ſalibus & vitriolo, ſimilibuſque originem ſuam trahant.

Reſp. Reperiuntur aliquando in minera hac eſfloreſcentiæ cupreæ ex cupro puro puto (Germanicè gediegen) ſicut ſupra terram flores, & herbæ, &c.

3. Quænam potiſſimum mineralia corpora reperiantur in fodinis auri & argenti, cupri, ſtanni, plumbi? an ubique reperiatur argentum vivum, & ſulphur, quomodo cognoſcatur Sympathia & Antipathia metallorum?

Plerumque in fodinis metallicis quaſi ubique reperitur Marchaſita, cui ſulphur ineſt; at argentum vivum, vel in cinnabrio aliquando ſaltem in fodinis argenti & auri reperitur, quia argentum vivum, vel cinnabrium ſuam propriam habet mineram. Apud nos Herrengrundt in fodinis cupreis argentum vivum non invenitur.

4. Quibus machinis exhauriunt aquam ſubterraneam?

Reſp. Antliis, coriaceis ſaccis & ſimilibus.

5. Quomodo procedunt adverſus peſtiferam auram, & quomodo eam tollunt in fodinis?

Quando fodinæ ſunt profundæ, ita ut bona aura inſpirari, & prava expirari nequeat, tum folles magni ita adaptantur, ut bona aura inſuffletur, & prava expellatur; ſi verò aliquis ab aura ſubterranea læſus fuerit, alio medicamento non utitur, quàm ut protinus ad auram apertam deducatur.

6. Utrum compareant Dæmunculi ſeu pygmæi in fodinis?

Reſp. tales viſos fuiſſe, & auditos pluries.

7. Utrum reperiantur animalia in fodinis?

Reſpondit, talia minimè reperiri, niſi vermiculos quoſdam nigros in lapidum poris aliquando habitantes.

8. Utrum experiantur foſſores fulgura, tempeſtates, fulmina, terræ motus &c?

Olim in Herrengrund priuſquam in fodinis ſpiracula facta fuerunt, obſervatum eſt vapores in fodinis coacervatos fuiſſe, qui facillimè intrante accenſo lumine incenſi ſunt maximo cum fragore, & ab hoc igne tacti, ita ambuſti fuerunt ut cutis facile detrahi potuerit, ac ſi aquæ ferventi aduſti eſſent. Cæterum terræ motus contingunt ſub terra, ſicuti ſupra terram.

9. De fluminibus & fontibus ſubterraneis, an reperiantur?

Reperiuntur aquæ ſubterraneæ in fodinis, pro fodinæ ſitu plus vel minus: ex quibuſdam fodinis ſingularibus ductibus educitur, alibi inſtrumentis Hydraulicis extrahitur.

10. Omnia miracula naturæ ſignificentur.

Reſpondit, hîc nihil aliud novum, vel mirabile præter lapidem quendam varias figuras repræſentantem.

11. De æſtu, & frigore fodinarum, quibus in partibus maximè dominentur, utrum profundiores calidiores, & num videantur ignes ſubterranei?

Reſpondit, fodinæ dum ſunt ſiccæ, quantò profundiores, tantò calidiores ſunt, quia impoſſibile eſt illis ſpiracula ſufficientia facere, ob profunditatem; quando verò aquas habent, non ſunt ita calidæ, etiamſi profundæ: Si verò profundæ & ſiccæ, & venas habent Marchaſiticas, ſemper ſunt calidiores.

Tempeſtates igneæ apud nos non ſentiuntur; multoties verò videntur in montibus metallis divitibus, nocte flammæ cæruleæ.

12. De ventis ſubterraneis, utrum per rimas fodinarum eorum ſentiatur eruptio; de aëris ſubterranei conſtitutione, num & quomodo, ne noceat, purgetur, & quibus inſtrumentis?

Reſpondit: venti ſubterranei apud nos non percipiuntur. Prava aura ex fodinis expellitur follibus, & ſpiraculis, vel ſi fodinæ non admodum profundæ, commotione aëris per inſtrumenta idonea.

13. De terræ motibus ſubterraneis, an in tantum concutiant terram ut operantes opprimant?

Reſpondit, contingere, & exempla plura contigiſſe narrat.

14. De aquis ſubterraneis, num incidant in rivos ſubterraneos, fontes dulcium aquarum, nitroſarum, vitriolatarum, bituminoſarum, aquarum, & ſi exitum non habeant, quomodo eas exhauriant, & quibus inſtrumentis?

Reſpondit. Reperiri in fodinis aquas dulces potui aptas, aliquando putridas & impuras, item, vitriolares aquas, quæ ferrum in cuprum mutant, ut ſupra narratum eſt? rivi verò educuntur per aquæ ductus, vel per inſtrumenta Hydraulica.

15. De venarum metallicarum ductibus, quam mundi partem potiſſimum reſpiciant; an ferri venæ potiſſimum ad Boream tendant.

Reſpondit, ductus metallorum tam ferri, quam aliorum aliquando verſus meridiem, aliquando verſus Boream, etiam aliquando ductus eſſe cruciformes.

16. De Sympathia, & Antipathia metallorum & mineralium & in quibus illa conſiſtat?

Reſpondit: quælibet minera habet ſingulares ſuas proprietates: quædam unum tantum metallum producit, alia plura ſimul, de cætero eorum Sympathiam & Antipathiam prorſus ignorant Metallurgi neque illas perquirunt.

17. Quiſnam modus ſit ſeparandi mètalla à ſuis mineris?

Unum quodlibet metallorum variis modis ſeparatur: generalis verò modus eſt, ut minera prius leni igne uſtuletur, ut evaporet 🜍, id eſt, ſulphur combuſtile, poſtea abluitur uſque dum omnis levior terra ſimul cum corroſiva qualitate receſſerit: gravior verò, quæ ſingulis lotionibus fundum petit, exſiccatur, & pro metalli conditione liquatur, & ultimo ſeparatur, prout fuſius tractat Agricola, & Lazarus Erkerus.

18. Quænam ſint ſigna minerarum, & qua ratione cognoſcantur venæ auri & argenti?

Minerarum venæ potiſſimum cognoſcuntur longa experientia, & exercitio, quia quælibet vena ſuos ſingulares habet lapides. Terra argillacea nigra, & tenax plerumq; mineras circum, vel ſub ſe habet auri.

19. Nominentur loca, in quibus, & quæ effodiantur mineralia in Hungaria. Item de Thermis, Acidulis, & quanta ſit profunditas minerarum.

Neoſolii effoditur minera cuprum ſolùm continens, & ibidem effoditur alia minera nigra cupri, cuprum & argentum ſimul continens. Quantum ad profunditatem fodinarum; quædam ſunt profunditatis 147. aliæ 137. Klaffter) id eſt, ulnarum.

Cremnitzii reperitur vena auri. Schemnitzii reperiuntur venæ argenti & plumbi. Regio monte eſt vena auri, item Pugantzii. In Dielen, uti & in Holdritz venæ argenti inveniuntur.

Thermæ ſunt: Stubnerbadt: Bomberbadt & Schemnitzii Thermæ prope vitrariam: iterum apud nos reperiuntur Acidulæ plures; quarum vires mihi ſunt incognitæ.

Hactenus ex ralatione Joannis Schapelmanni mi-

nerarum cuprearum præfecti in Herrengrundt.

III.

Georgii Schütz ſuæ Sacræ Cæſareæ Majeſtatis in Camera Schemnicenſi Rationum in mineralium negotio Præfecti.

1. De aquarum mineralium proprietate, & experientiis quibuſdam metallicis.

In ſuperiori Hungaria in Schmolnitz, ſicut etiam Neoſolii in Herrengrund reperitur tam potens aqua vitriolaris, in qua ferrum aliquanto tempore impoſitum, in cuprum degenerat, & ea, quæ in Schmolnitz reperitur potentior eſt. Hoc cuprum in igne durat, deficit in bonitate à lapide cupreo, ſi frigeſcat; unde huic ſolùm immiſcetur. Hic Schemnitzii in adjacenti aqua, viſa eſt adhærere quædam ſpuma ſolida in lignis aquæ mineralis inhærens, per modum naturalis lapidis, quæ necdum tamen probata fuit quid rei mineralis in ſe contineat.

2. De efflorescentiis metallicis in arbuſculis &c.

In mineris argentiferis inveniuntur ſæpe effloreſcentiæ argenteæ, ubi argentum nitidiſſimum in modum fili, vel capilli ex lapidibus metallicis ſe exerit: imò inveniuntur digiti craſſitudine ramenta argenti puri, licet ſubnigra, & coloris utcunque plumbei; exerunt ſe etiam non raro cryſtallinæ partes, licet non in ea quantitate, ut argentum, tam puræ nihilominus, ut bene elaboratæ Bohemicos, & Ungaricos adamantes ſuperent.

3. Quænam potiſſimum mineralia cuprea reperiantur?

Cremnitii & in Konigsperg in mineris auriferis minerarum fluxus ſulphurei ſunt, ubi & ſulphur cum ſolo auro ſine damno commoratur, magno licet aliis metallis nocumento, & ſicut id aurum purificat, ita cæteris ſplendorem & decorem tollit.

In mineris iſtis argentiferis invenitur pariter cinnabrium, ſeu cinnabaris, Marchaſita; & experientia docet, cinnabarim metallo officere aliquando, nihilominus jucundum eſt videre foſſoribus in primis fodinis fiſſuras cinnabaris tinctura refertas.

In mineris cupreis in Schmolnitz, & Herrengrund invenitur pyrites, itaut inducat ad credendum, ex eo vitriolico humore commixto, accedente calore interno & influentiis cæleſtibus, cuprum generari: habetur enim experientia, in montibus ubi mineræ cupreæ deficiunt, pyritem quoque ſpurium reperiri.

Argentum amice ſociatur cupro, & magis quam aliis metallis, imò, in excoquendo ab eodem ad majorem puritatem promovetur; cavendumque eſt, ne inter excoquendum ab infima eidem cõmixta maligna qualitate totum deperdat, cum vel maxime vires ſuas in ramentis cupri quibus commiſcentur exerat.

4. Quibus inſtrumentis aquæ ex mineralium cavernis hauriantur?

Primò maximè juvant ſtabiles ciſternæ in montibus exſtructæ, ad quas per fiſſuras decidunt ex ſuperiori parte montis aquæ, inde verò deducuntur per certos ductus.

Quidquid verò aquæ decidit infra has ciſternas, vel extrahitur Antliâ, ſi non eſt aqua copioſa; vel per artificium Hydraulicum aliud; nempe per canalem majorem trium orgyarum, quæ infra tympanum ſuperne rotam habeat, & catena tranſit per canalem, rotam & tympanum; in hac catena affiguntur ſacci ex corio, qui in inferiori parte canalis aquam hauriunt, extrahunturque per illum canalem. Vide figuram V. in ultimo hujus ſect. Capitulo propoſitam.

Talia artificia ſunt ultra ſeptendecim, unum ſupra alterum, & per quodvis aqua deducitur in ciſternam quandam, ex illa rurſus in aliam, donec in communem ciſternam ſupradictam effundatur.

Aliud eſt ex diverſis Antliis confectum, in quo diverſæ Antliæ unius perticæ ferreæ motu moventur, & hoc pacto deducitur aqua, ut ſupra.

5. Quomodo aura peſtilens inhibeatur?

Aura hæc peſtilens eſt defectus recentis auræ, qua vapores diſſipentur, atque hæc per modum Nebulæ ſubſidit aliquando in ſcrobes, quæ odore quodam dulci, inſtar muſti at maligno illas commoventes corripit, ſæpiuſque ſuffocat; diſſipatur hæc aura maligna introductione recentioris per folles bonam auram inflantes, aut etiam aſſidua ejuſdem peſtilentis auræ commotione. Verum de hiſce machinis, earumque ſtructuris vide in fine hujus ſect. c. 6.

6. Utrum dæmunculi compareant in fodinis?

Longiori abhinc tempore ii comparuerunt bono ſemper foſſorem omine. Videat lector in præcedenti libro de dæmonibus ſubterraneis, ubi omnia ad hoc argumentum pertinentia reperiet exacte tractata.

7. Utrum animalcula quædam reperiantur in fodinis, vel tempeſtates?

Nihil animadverſum eſt, à foſſoribus, præter terræ motus.

8. De fluminibus & fontibus ſubterraneis.

Præter ſupradicta non dantur; ab infra tamen notantur continuo aquæ Scaturigines tam vehementes ut violenter etiam per oppoſita erumperent, niſi alio meatu educerentur. Non procul Neoſolio in pago Walaſcha dicta, tam potens rivus è rupe erumpit, ut molendino impellendo par ſit.

9. Omnia miracula naturæ.

Videtur hoc rarum, quod in ſuperiori Hungariâ mineræ ex cupro, ferro, & plumbo adeo commiſceantur, ut non raro in ſupremitate ferri, in medio cupri, in profundo plumbi materia reperiatur, & quod alibi etiam fluores cuprei infecti plumbo ſint. In lapidibus argentariis animadverſum fuit, abundare eas plumbo, itaut ex lectis ſimilibus lapidibus inventum ſit centenarium lapidis talis continuiſſe libras plumbi 20. 30. 40; etiam 50. non tamen in magna quantitate tales lapides reperiebantur, deventum enim brevi eſt ad lapides alios minus plumbo divites.

RELATIO

Patris Andreæ Schafferi de Differentibus mineralibus, quæ in Fodinis Hungaricis reperiuntur.

1. Specificatio mineralium Neoſolio, Schemnitio, & in aliis montanis Hungariæ Civitatibus collectorum, quæ dictus Pater, tum in ornamentum Muſæi, tum ad notitiam mineralium acquirendam, Auctori, Mundo ſubterraneo intento tranſmiſit, &c. ſequuntur.

Numerus primus, Marcheſidt von Silber, gleet ohne tugendt, id eſt, Marchaſita argentea, quæ licet videatur aliquid continere, in igne tamen nihil niſi ſcoria manet.

2. Gelff beym ærtzt, id eſt minera continens cuprum, argentum & aurum: quod auri ſplendorem habet, purum cuprum eſt, quod minerale Germanico termino Gelff vocant, ad diſtinctionem lapidum mineralium, qui nigri cum appareant cuprum non ſolum, ſed & argentum continent.

3. Marcheſidt beym Kies, id eſt pyrites; reperitur hæc adulterina minera ibidem, ubi effoditur ſub numero primo poſita minera.

4. Blehærtz

4. *Bleyærtzt*, id eſt, minera plumbi: hæc ſub numero quarto continet triplicis coloris rationem; primus color eſt niger & ſplendicans, & eſt minera puri plumbi; ſecundus color habet ſtriam albam, & nihil continet, ſed ſpecies ſilicis eſt, quam vocant in fodinis Quartz, quæ eſt quaſi matrix minerarum: Tertius color eſt,&nihil eſt aliud,quam minera cupri.

5. *Eyſenærtzt*,vel ruda, minera ferri eſt non procul Schemnitio,& ibidem foditur,ubi etiam ſunt thermæ calidæ, & in copia magna,ibidem etiam ante aliquot annos effoſi ſunt magnetes, quos in fornacibus liquatoriis in ferrum elaborarunt.

6. Eſt minera ferri non Schemnitio, ſed ex alio loco civitatum montanarum Hungariæ dicto Ronis, qui locus Neoſolio diſtat verſus ſuperiorem Hungariam 4. Milliaribus. Continet hæc minera etiam ferrum,quæ ibidem de facto pro uſibus camerarum Ungariæ excoquitur.Circa quam mineram notandum,in toto hoc promontorio chalybem nullum reperiri, ſed ferrum tantum excoqui, non adeo probatum. In hoc eodem promontorio reperitur minera ferri inſtar globorum, quibus hoſtem è muſqueris petimus.

7. *Marcheſidt mit Silberærtzt vermenget.* Minera hæc argenti eſt, quæ ſimul admixtum habet aurum: quod tamen in hoc lapide auri fulgorem habere videtur, aurum non eſt, ſed Marchaſita vocatur.

8. *Kies*, minera hæc nulli uſui eſt, niſi ut faciat mineras argenti in *groſſen Mercken*, id eſt, in magnis proceſſibus, fluere, id eo vocant hîc,*einen Fluſz.*

9. *Ærtzt mit Cinober*, aut minium. Color hoc in lapide niger, minera argenti eſt, quod admixtum habet aurum. Ruber color cinnabarim, cui vivum argentum ineſt, denotat.

10. *Bleyglantzig ærtzt*, minera eſt, argentum continens & aurum, ſplendorem habens mineræ plumbi.

11. Mitto hîc R.V. mineram Marchaſiticam, uti creſcit in montibus argentiferis Schemnitii, ex qua videbit R.V. qualiter natura producat cryſtallos, quæ & lucidiſſimæ, & in magnam quantitatem aliquando excreſcunt: mitto utriuſque ſpeciei ſub numero 12. & 13. paradigmata. In qua re mirabile eſt naturæ artificium, quod omnes cryſtalli hic creſcentes ſint ſexangulares à natura, politæ & cuſpidatæ.

12. Cryſtallus eſt ex terra Schemnicenſi eruta, tota pellucida, ut apparet.

13. Hæc cryſtallus eruta eſt in montibus cupriferis Excellentiſſimi Domini Franciſci Waſſelini Comitis de Hadat, Palatini Regni Hungariæ, ubi anno elapſo in ea quantitate reperta eſt cryſtallus, ut ultra 100. libras, ſeu pluſquam centenarium ponderavit: unde hac reperta, Excellentiſſimus D. Palatinus motus fuit, ut per expeditos homines inquireret de artifice, qui cryſtallum hanc aut in formam monſtrantiæ, aut ſimilem quampiam exſcindere & efformare ſciret, ac poſtmodum, uti decrevit, ſuæ Sacræ Cæſareæ Majeſtati præſentaret.

14. Hîc mitto R.V. Cuprum quod in valle Dominorum, (quem locum Germanicè vocant *Herrengrundt*) per aquam vitriolatam, quæ in ipſo monte fluit, ex ferro factum eſt: & vocant *Zemendküpffer*, de quo inveniet R.V. inſcripto ſub Littera A. numero primo, & hoc ſciendum eſt de hoc cupro ex ferro in Cuprum verſo; primò quod ferrum in laminas cuſum, ac in hanc aquam injectum, in quantitate aliquot centenariorum intra haſce aquas in Cuprum verſatur. Secundò hoc Cuprum hoc habet peculiare præ alio cupro, quod non tredecim aut quatuordecim ignes ſubire debeat, uti cuprum ex mineris eliquatum,ſed immediatè in quidvis elaborari poſſit. Tertiò, hoc cuprum ex ferro factum magis aptum eſt ad calices & ſimiles delicatiores labores, quàm quòd mineræ ſuppeditant.

15. Eſt ſolea equi aliqua ex parte per vitriolatam aquam,ideſt,per *Zementivaſſer*, in cuprum verſa, quæ tota in cuprum abiiſſet, ſi debito tempore in dicta aqua relicta fuiſſet.

16. Mitto hic particulam magnetis qui effoditur Schemnitii, & quatuor circiter milliaribus Neoſolio, ac in pluribus aliis Hungariæ locis reperitur. Quod ſi R.V. plus deſideret, ſuppeditabo.

17.Pulveres iſti vocantur Neoſolii termino Germanico *das Schvvartze Fiſchvverct*:reperiũtur in valle Dominorum,ubi cuprum effoditur; per aquam ex monte pulveres iſti educuntur,continent cuprum& argentũ.

18. Sunt ſimiliter pulveres ex eodem loco,&vocantur *Belff Fiſchvvert*, nihilque niſi cuprum continent.

19. Vocatur hic color termino Germanico *Zerchgrien*, colligitur in *Herrengrund*, ubi per aquam in monte per cupri mineralia defluentem evehitur in certas ad hoc opus paratas ciſtas, in quas aqua influit, & ſubſidentem hunc in fundo colorem poſt ſe relinquit. Notandum, uti ex harum rerum peritis habeo,pulverem hunc ſeu colorem adeo cupri eſſe divitem, ut centenarius hujus cupri igni commiſſus ultra 54. libras cupri det.

20. Hic lapis vocatur communi nomine *Steinmilch*, à foſſoribus: ejus origo ſic ſe habet: per venas minerarum cupri flavi ſeu nigri fluit aqua, quæ ubi ſtillatim in Trabes, quibus mons ſuſtentatur ad ingreſſum foſſoribus faciendum, effluit, in lapidem hunc vertitur.

21. Eſt minera ſulphuris, quæ duobus milliaribus ſupra Neoſolium in magna quantitate effoditur. At licet hæc minera ſulphuris admodum boni dives ſit, &etiam aliquantilli auri ferax; ad alium tamen uſum non effoditur de facto, niſi ad liquationem argentiferarum minerarum & auriferarum facilius & felicius faciendam, unde vocatur minera hæc ſulphuris; *ein Rhes ſum Flues tanglich.*

22. Lapis hic vocatur *Steintchlen*, integer mons eſt inter Neoſolium & Cremnitium duas civitates Montanas Hungariæ,prope fodinas Hydrargyri,quod ibidem unà cum cinnabari effoditur.His carbonibus nemo hîc utitur pro mineris liquandis,neque liquatores, nec fabri ferrarii pro ſuis officinis;aut ullus alius.Quæſivi cauſam, reſponſum accepi, nimis vehementem ſuſcitare calorem, ita ut ferrum conſumat, & omnem liquationem deſtruat.

23. Eſt minera cupri, quam vocant *Belffærtzt*; nihil in ſe argenti vel auri continet, ſed ſolum cuprum: major harum trium eſt eruta ex nova foſſa quam anno ſuperiore feliciſſime repererunt & in tanta benedictione, ut ex hac ſola foſſa putetur ſua Sacra Cæſarea Regiaque Majeſtas proventus annuos habitura, 50. millia Imperialium, Secunda hujus generis etiam in *Herrengrundt* effoditur, & nihil niſi cuprum continet; lapis albus, qui ibidem reperitur, vocatur Quartz.Tertia ſpecies nihil niſi puri cupri minera eſt.

24. Eſt minera cupri, quàm hîc vocant *Schvvärtz ærtz*, continet cuprum & argentum, cujus eam effodiunt copiam in *Herrengrundt*, ut annuè per ſeparationem ſeptingentas circiter, quandoque plures, quandoque pauciores argenti marcas extrahant.

25. Minera hæc eſt Antimonii, quæ ſimul non nihil de auro habet, effoditur in Civitatibus Montanis in magna copia.

26. Minera hæc à nonnullis vocatur *Roth-guiden ærtz*, ab aliis *roter Schmetel*; ad varia experimenta, quidnam contineret, probarunt quidem, & certi

nihil

nihil hujates deprehenderentur, niſi quod magnum ſit venenum.

27. Eſt minera cupri in mero gypſo, quæ minera etiam hîc in civitatibus montanis effoditur.

28. Hæc minera eſt ex hujus collegii bónis & terris, prope civitates montanas adeo dives, ut non modò ex probatione per me facta, ſed etiam ex aliorum plurium in hac re expertorum, & ſuæ Sacræ Cæſareæ Majeſtatis juratorum experientia deſuper facta, centenarius minimum duodecim lotones, hoc æs 12. Loth argenti (quod potiori tamen ex parte aurum ſit) continere deprehenſum ſit.

29. Pulvis hic ad ſpiracula fornacum, in quibus argentum à cupro ſeparatur, mediante ſaturno, colligitur & vocant *Bleyrauch.* in eadem officina uti duplices ſunt fornaces, ita duplex hic pulvis albus & flavus colligitur, & aliud nihil eſt, quam Arſenicum, pulverem hunc operarij tanquam ſummum horrent venenum.

30. Eſt cinnabaris, quæ adhuc argentum vivum continet, effoditur prope Neoſolium.

31. Pulvis hic eſt cuprum ſelectiſſimum colligitur & fit hac ratione, eſt fornax una ita præparata ut in eam immittantur facile 80. 100. & plures centenarii cupri non adeo adhuc excocti: hoc ubi liqueſcit per meras flammas, quas folles ab aquis attracti excitant, cuprum liquefactum nimio flatu follium extra foramina eiicitur, & ibi in ſartagine aquâ plena excipitur: quæ in pulverem redacta materia adeo tenuis eſt, adeoque expurgata ut nobiliſſimæ inde clepſydræ fieri poſſint.

32. Hæc eſt aqua ex Valle Dominorum, ſeu Herrehgrund prope Neoſolium, ubi ſunt cupri fodinæ, quam hîc vocant Zementvveſſer, ſive ſimpliciter Zement, fluit per mineras cupri, quæ per ſe vitriolata eſt, in hanc iniiciunt ferri laminas, & intra tres menſes centenarii & amplius ferrearum laminarum vertuntur in cuprum. Schemnitii locus eſt, Neoſolio octo circiter milliarium diſtantia diſſitus, ubi ſimilis aqua majoris efficaciæ & quantitatis reperitur.

33. Eſt minerale Schemnitio mihi tranſmiſſum, cujus vim & virtutem cum mihi non communicaverint per ullam adhuc informationem; eam jam petitam proxima jam expeto occaſione, R. V. quam primum poſſim communicare.

34. Mitto hîc R. V. mineram omnino pretioſam cum hoc tempore rarius ſimile quid inveniatur, ubi videat R. V. argentum in filamenta ſua effloreſcens; flavum quod ſplendet, puriſſimum eſt aurum; quod nigricat, argentum eſt auro permixtum.

35. Lapides hi virides ſimiliter ex aqua, uti ſupra numero 20. ſcripſi, efficiuntur, cum hac tamen differentia, quod lapis hic viridis generetur ex aqua per mineras cupri fluente, ſic uti lapis ille ſub numero 20. ex qua per mineras argenti fluente generatur.

36. Tranſmitto lapidem hunc, quem à viro digniſſimo fide accepi, qui retulit, integram Alnum Arborem cum ramis ſuis in aqua repertam fuiſſe in ſimilem lapidem converſam, ex qua arbore ſic in lapidem verſa hoc mihi fruſtum ex ſpeciali gratia donavit.

37. Plumbum hoc, argentum in ſe & aurum continet, quod tranſmitto pro exemplari aliquo liquationis argenti ex minera ſua: porrò modum ex mineris aurum & argentum educendi, ſpecialiter R. V. communicabo.

RELATIO.

De Tyrolenſibus Mineris facta à Prænobili & clariſſimo Viro, Domino Joanne Gervick *Archiducis Seren. Conſiliario.*

Præter Communia alijs, narratur quod mineræ vitreæ argentum, & æs contineant.

Foſſoribus hîc notum eſt, ubi elaborantur foſſæ minerales, inveniri magna montium latera ipſâ naturâ interne ab adhærentibus partibus diviſa, eandemque diviſionem magno ſonitu percipiunt, bonumque iis omen eſt, inveniendi opulentas mineras.

Ex lapidibus ærarijs hic inventis in loco Teuffers dicto, vitr olum optimum conficitur.

Item ex ferro cuprum faciunt durius quam commune, pulchrius tamen colore, res procedit hoc modo: primo vas ligneum impletur utcunque aqua, huic ſat magna quantitas marchaſitæ imponitur; aqua hæc ad bulliendum diſponitur ſcoriis ferri Schlacken dictis: Secundo, infunditur aqua in aliud vas, ubi iterum tantum Marchaſitæ imponitur, & ad bulliendum diſponitur: item fit tertio, unde aqua utcunque vitriolaris evadit: deinde relinquitur quieta, donec ſubſidat denſior materia marchaſitæ, & aquæ effunditur in lebetes cupreos, cui imponuntur laminæ ferreæ, & ſic coquitur, ut vitriolaris aqua ferrum invadat, fit verò ut inter coquendum ſe partes quædam ferri ſolvant, quæ fundum per modum denſæ materiæ petunt. Cocta ſic aqua vitriolaris refrigeſcit, & in vaſa lignea affunditur: vaſa hæc ſuperne ampla, inferne ſtricta ſunt; relinquitur in his, donec vitriolum ad partes adhæreat, quod non adhæret, infunditur in vas ex larice, in quo imponuntur aliquot fruſta ferri, & relinquitur donec ſe ipſo bullire incipiat, & dum ceſſat, effunditur aqua ad primum vaſculum, reſervaturque illa materia denſa, & hoc ſæpius repetitur, donec aliquot centenarii talis denſæ materiæ fiant: deinde ſiccatur hæc materia, & hinc excoquitur in fornace nigrum primo cuprum, donec Goltgruben dicto, in pulchrum cuprum mutetur.

De particularibus Fodinarum Conditionibus variisque in metallicis mineris effodiendis, lavandis, concoquendis, ſeparandisque unum ab altero proceſſibus.

Et I.

De Purgatione Metallorum.

De venarum conditione in ſuperioribus ſat ſuperque dictum eſt: uti verò natura metalla plerumque procreat impura, & miſta cum terreis, & ſuccis concretis, & lapidibus, neceſſe eſt eas res foſſiles plerumque à venis metallicis, antequam excoquantur, quoad fieri poteſt, ſeparare, itaque quibus modis venæ diſcernantur, conteranturque malleis, pilis tundantur, adurantur igne, in farinam molantur, cribentur, laventur, crementur, dicendum reſtat.

Periti itaque metallurgi, non omnia ſimul commixta, pura cum impuris, inutilia cum utilibus committunt decoctioni; ſed primo tundendæ, & in minutas particulas reſolvendæ ſunt glebæ metallicæ, ſive in terreſtribus ſpeciebus, ſive concretis ſuccis, ſive denique in lapidibus inextiterint:

deinde multiplici laborantium miniſterio pura ab impuris, vilia à pretioſis ſeparanda ſunt, deinde lavanda, & urenda, tandem concoquenda, ut ſuo ſcopo potiantur.

Uruntur autem duplici de cauſa glebæ metallicæ; vel ut ex duris molles & friabiles factæ facilius tundantur, vel ut res pingues comburantur, ſulphur, bitumen, auripigmentum Sandaracha, tanquam omnibus præterquam auro nociva metallis, tum vel maxime quod ferro, minus reliquis noceat: quoniam verò nullum aurum ferè invenitur, cui non aliquid argenti commixtum ſit, hinc hujuſmodi quoque glebæ, ut excoquantur, urendæ ſunt, ſulphur enim, & bitumen, quod plerumque admixtum habet, in ardentiſſimo igne in cinerem reſolvit metallum, argentumque conſumit, uti in cadmia bituminoſa videre eſt. Modum verò urendi vide apud Agricolam & Erkerum. In craticulâ fornacis ferreâ fruſta in coni formam diſponunt, deinde igne ſuppoſito torrent: tum cæteras metallicas glebas addunt, tum potiſſimum pyritarum qui quod mirum eſt, cum tertio uruntur, ea, quæ in ſupremo faſtigio collocata ſunt, fruſta exſudant quiddam ſubviride, aridum, aſperum, tenue adinſtar Aſbeſti incombuſtibile, quod & in Schiſto lapide, ex quo in Miſnia æs educunt, obſervatum fuit. Aqua quoque ſubinde adſpergitur venæ metallicæ, ut mollior, friabiliorque evadat; cum enim vis ignis ejus humorem exſiccavit, aqua calentem facilius diſſolvit, uti in calce fit.

Tria itaque tormenta antequam ad ſuæ perfectionis terminum glebæ metallicæ pertingant, ſuſtinere debent; prius eſt, Contuſio, & in minutiſſimas particulas reſolutio, quod multiplici modo, & ratione fit. Duriora molis in hunc finem conſtructis, quarum piſtilla dentibus tympanis rotæ aquariæ inſertis elevantur, & depreſſione, illiſioneque dentibus, ſaxis illiſa (quemadmodum in chartaceis & pulverariis officinis fieri ſolet) in farinam reſolvunt. Alii lapidibus molaribus haud ſecus, ac frumentum conterunt; molliorem verò materiam ferreis malleis comminuunt, hiſce peractis, farinam metallicam ſeparant, cribrant, cribris variè maximis, minoribus, minimis foraminibus pertuſis: non deſunt, qui ſetaceis quoque cribris utuntur ad materiam in minutiſſimam farinam reducendam.

Alterum tormentum eſt, Aduſtio, quo materia metallica primùm tum ad faciliorem materiæ comminutionem, tum ad meliorem rerum heterogenearum ſeparationem, probe aduritur: fitque variis modis, quos vide apud Agricolam.

Tertium tormentum eſt ipſa Coctura, qua tandem finem ſuum conſequuntur, de qua in ſequentibus. Materies verò metallica, quæ igne non indiget, ſola lotura depuratur; quæ variis quoque modis perficitur, & ne loturæ ſive lotoriam artem omiſiſſe videar, ego præterea quæ ab aliis paſſim uſurpantur modis, & præſertim apud Agricolam lib. 8. de re metallica, alios hic modos, tum vel potiſſimum nonnullorum Principum poſtulatione, addam, qui in nonnullis fluminibus auream arenam dum inveniſſent, adeò tamen minutam, ut vix ita lavari potuerit, quin maxima aureorum corpuſculorum pars ob ſubtilitatem unà cum limo inter lavandum non deflueret, rogaverunt, ut modum aliquem facilem, & particularem invenirem, iiſque ſuggererem; ut quemadmodum ferri ramenta ab heterogeneis partibus magnetis ope ſeparantur, ita quoque daretur aliquid, quod auream ſcobem à terreſtribus reliquorum metallorum portionibus ſepararet, & quamvis in majoribus aureis ramentis à reliquis ſeparandis nulla difficultas ſit, eo quod, uti metallorum graviſſimum eſt ita quoque inter lavandum ſuapte ſponte, reliquis heterogeneis miſcellis defluentibus, ejus ramenta lavatorii canalis fundo firmiter adhæreant; de minimis tamen ramentis id dici non poteſt; cum plerumque ob inſitam exiguæ molis, quantitatem, unà cum reliquis ſcoriis defluant, ne vero eorum poſtulationi refragari viderer, duo potiſſimum media ſuggeſſi, quibus etiam inſenſibilia auri ramenta à quisquiliis terreſtribus, quibus inſunt ſeparari queant: prius eſt per Mercurium; alterum per Antimonium crudum: per Mercurium res ita inſtituenda eſt: limus, cui aureorum ramentorum ſcobs inexiſtit, ſcutellæ indatur, cui quantumvis mercurii portionem infundas, deinde ſpatula limum una cum mercurio probe commiſceas. Cum vero mercurius naturali ſuo appetitu aurum cum primis appetat, & ubicunque tandem illud invenerit, ad id magnetico quodam coitu confluat: arenæ mercurium commiſcebis; quod ubi factum fuerit, ſeparatis, quæ mercurio innatant, terreſtribus limi miſcellis, hoc pacto ſolus mercurius aureis veſtitus ramentis remanebit: quorum ſeparationem obtinebis, ſi mercurium igne evolare feceris, ne verò mercurii elapſi jacturam facias, quomodo eum integrum recipere debeas, inferius docebitur.

Alter modus per Antimonium liquefactum, cui ſi miſcellam dictam, in qua aurea ramenta continentur, infuderis, ſola aurea ramenta fundum petent, reliquis, quæcunque tandem fuerint, metallicis, terreſtribuſque portionibus Antimonio innatantibus, atque hæc eſt ratio, qua minimus etiam auri pulviſculus ab impuris miſcellis ſeparetur.

Alius Modus.

Solent probatores metallorum jurati, in fodinis mineralium probandis, primum in exigua quantitate, accipere venam cujuſcunque tandem metalli, & explorare, quidnam, & quantum contineat, fitque per ignem hoc modo: ex cumulo mineralium lapidum prius comminutorum unam, verbi gratia, unciam accipiunt juſte & quam exactiſſime ponderatam, uſque ad milleſimam, biſmilleſimam, aut etiam termilleſimam partem unius libræ, quam Germanico idiomate, *probireenten*, vocant per ignem poſtea probant. Comperto itaque pondere per regulam auream Arithmeticorum ita procedunt: M lleſima, verbi gratia, pars mineræ dat centeſimam partem, jam per probationem compertam, unius libræ auri argenti vel æris, plumbive; ergo aliæ 999. partes dabunt tantum auri, argentive, id eſt 99. ex. gr. unus ſeptenarius mineralium tantum & tantum continet in ſe argenti, vel auri, pro uno vero centenario dictorum metallorum elaborando, quanti ſumptus impendendi ſunt? & peracta operatione præciſe & pondus auri argentive, aut ſumptus impendendos reperiunt, unde & ſumptus ab auro argentove ſubtracti, illico lucrum produnt, probationem verò faciunt in exigua quantitate, ne in magnis probationibus ſumptuoſiſſimis dominus incomperto lucro damnum incurrat. Bilancibus utuntur adeò exactis, ut vel ipſos pilos, ac quaſvis minutiores res facile ponderare poſſint, vaſa vero in quibus probatio fit, ſunt plerumque ollæ teſtaceæ, ſive catini, in quibus metallica materia prius comminuta, & plumbo commixta, hi deinde catini fornaculis ad eliquationem imponuntur; quorum formam in ſequentibus proponemus, pro diverſa verò metallicæ glebæ conditione diverſas probationes habent: verbi gratia, aliam probationem fa-

faciunt in mineia, quæ aurum, aliam quæ argentum, æs, aliudque metallum continet, his itaque prælibatis, tunc ad proceſſus procedunt, qui ſequuntur.

Alia Metallorum præparandorum Ratio, ex Agricola.

Homines operarii imprimis, referente Agricola, invenire debent cuneos, laminas, malleos, bacilla, contos, verticula, ligones, & batilla: hæc enim inſtrumenta fodinis metallorum eruendis ſunt maxime neceſſaria: fodina autem in loco montoſo ſita eſſe debet, nec ab aliquo fluvio, vel ſcatebra, vel rivo remota, ut materia effoſſa ante excoctionem commode lavari poſſit, & quoniam venæ metallorum inter rimas ſaxorum clauduntur, ideo foſſores interdum bacilla ferrea rimis impingunt, & venam decutiunt; quando verò per latera ſaxorum venæ diſcurrunt, tunc malleis utuntur, & quando talia inſtrumenta in caſum adhibent, tunc violentia ignis ſaxa ſeparando venas eximunt, verùm metallici primum in adinventa vena periculum facere debent, utrum exiguam vel multam metalli quantitatem contineat: nam quando laborantur cum diſpendio, vena eſt relinquenda. Experimentum fit ex coctione modicæ quantitatis: hinc cognoſcitur, num multæ quantitatis excoctio detrimentum, vel emolumentum ſit allatura. Excoctio igitur multifariã videtur, non ſolum ut metalla ad uſum præparentur, ſed etiam ut à ſe invicem ignis ope ſeparentur: ſunt enim plerumque mixta, & eorum vitia per ignem emendantur, hoc itaque pacto in Germanicis fodinis procedere ſolent.

Primum homines operarii fragmina venarum in capſulas conjiciunt, ut piſtillis capite ferreo munitis à rota aquaria agitatis tundantur; ſemper enim procurant rivos aquarum ingentes de montibus eductos qui rapido curſu magnos rotarum orbes circumagitent; lapides autem craſſiores quibus metalla ſunt mixta malleis primo facile minuuntur, in lacunis lavantur, & denuo cribrantur, ut tandem molantur: & his omnibus modis materia metallica, in quibus venæ liquefiunt, & argentum ab ære ſeparatur, dum folles ingentes vi rotæ aquariæ ſublevantur, & aſſiduo flatu atque motu magno cum fragore flammam in fornacibus excitant, & tum viri operarii metalla ſuperius injiciunt, & alii metallum fuſum & à contuſis ſaxis ſeparatum magnis cochlearibus exhauriunt & in modulos transfundunt. At non ſolum hoc modo metallum pretioſum à vili; & viciſſim vile à pretioſo ſecernitur, ſæpius enim duo metalla in una, & eadem vena reperiuntur, quoniam naturaliter quædam portio auri cum argento, & ære mixta reperitur; in plumbo nigro, & in ferro, exigua argenti portio, plumbi nigri aliqua pars in argento, & denique aliqua ferri portio in ære. Aurum autem ab argento plerumque ſeparatur, aqua forti parata ex atramento ſutorio, vel alumine, & halinitro, quæ ad ſegregandum ab auro argentum ſummopere eſt idonea. Vulgaris compoſitio hujus aquæ conſtat ex libra atramenti ſutorii, ſalis tantumdem, & aquæ fontanæ tribus partibus. Aliter etiam paratur ex quatuor libris atramenti ſutorii, duabus halinitri cum ſemilibra aluminis, & aquæ fontanæ ſeſquilibra, qui autem volunt cuicunque metallo mollitiem inducere, ſuperaſpergunt ſublimatum, boracem, & euphorbium, in pulverem redactum; ſin velint metalla in calcem, & aquam redigere, metallum nobilius in vilius trahere, vel illa invicem transmutare; legendus eſt Weckerius in libro de ſecretis, ubi multa hujus generis arcana patefecit.

De Auri, Argenti *ac* Æris *fodinis, generatione, & proprietatibus, de quibus in ſequentibus* KIRCHERUS, *vid.* ſub titulis, *Aurum, Argentũ, Æs, ubi quæ ab hoc Autore ſcripta ſunt adducimus.*

Metallorum Miſtura.

Natura in terræ utero progignens metalla interdum duo vel tria, vel quatuor permiſcet, ut alibi enucleavimus: hinc homines è natura edocti, teſte Agricola, rationem mixturæ metallicæ ad uſum reduxerunt: imo aliquando caſus idem monſtravit, quando referente Plinio, incenſa Corintho, aurum & argentum & æs in unum confluxerunt, & ſic fortuna quodammodo tribus Corinthii æris generibus temperaturam aſſignavit, quorum candidum quaſi argentum refulgebat, quoniam id in miſtura prævalebat: alterum, in quo fulvus color, ob auri dominium nitebat: tertium, in quo æqualis omnium miſtura conſtituebatur, itaque naturam & fortunam ars & fraus imitantur: dum metalla addentes metallis, homines varias producunt Miſturas, quas Græci κεράσματα, Latini temperaturas appellant. Artifices igitur duo, tria vel plura metalla ſimplicia aut miſta copulare queunt, aut metallum ſimplex cum miſto, & viciſſim, ad duo ſimplicia cum uno miſto, & viceverſa, vel tandem plura ſimplicia cum uno miſto vel duobus, & in his pariter viciſſitudo ſervari poteſt: item vile aliquando metallum cum pretioſo ſolvitur, & è contrario, pretioſum vili additur; primo auro argentum multifariam miſcetur, & hæ omnes miſturæ carent nomine, ut ſuperius fuit manifeſtatum, ſolum miſtura auri recipiens quintam portionem argenti, electrum nominatur.

Cæterum quando homines portionem vilioris metalli cum maſſa pretioſioris compendii cauſa fundunt, abſque dubio fraudem incurrunt; licet Artifices aliqui poſſe id fieri ſibi perſuadeant conceſſu & beneficio principum, ut nummi aurei non puri, ſed cum modica argenti portione cudantur. Hodie quoque Principum conceſſione in cudendis nummis, miſtura metallorum utuntur, quam opifices & Aurifabri legam nominant: nihilominus. Tacitus Imperator, referente Flavio Vopiſco in oratione ad Senatum cavit, ne quis argento publice vel privatim æs permiſcere, neque auro argentum, neque æri plumbum auderet; alioquin cum proſcriptione bonorum capitale judicium incurrere, quamquam olim, Vopiſco teſte, nonnulli plumbum æri addiderent, ut nummos minime probatos cuderent. Fabri argentarii ſibi per leges licitum eſſe hanc miſturam procurare pronunciant, dum ſumunt decem uncias cum dimidia argenti, & dimidiam æris unciam, ſicque libralem argenti maſſam conflant. Chymicorum nonnulli æs dealbatum argento addunt, & pro ſincero argento vendunt, cum tamen hæc fraus ſub vitæ periculo ſit prohibita, hodie plumbi nigri decimam partem miſcent cum ſtanno, & ex hac miſtura, patinas, vaſa, & multa alia hujus generis opera formant, quondam etiam æri ferrum miſcuerunt, quod multis fraudi fuit. Tot igitur modis metalla viliora pretioſiori permiſcentur; at vice verſa hoc criminis loco non eſt reponendum, quando metalla pretioſiora vilibus

libus adduntur, poſtremo ſunt quædam metallorum miſturæ, quæ ab operibus ex illis reſultantibus nomen ſortiuntur, ut ollaria miſtura, quæ ex ternis vel quaternis plumbi argentarij libris, & centenis æris integratur, quæ varia vaſorum genera ingreditur; alia miſtura vocatur bombardaria, ex qua tormenta bellica fabrefiunt, hæc autem fit, dum ſingulis libris viginti æris una plumbi candidi additur. Tertia fit miſtura, quando ob ſonitum ſexdecim libris albi plumbi ſemilibra plumbi cinerei copulatur, Quarta miſtura componitur, quando duæ portiones plumbi nigri, & tertia albi conjunguntur; hanc veteres ſtannum tertiarium appellarunt, quo ad fiſtulas ſolidandas utebantur, hanc miſturam vulgus ſaldadurum nuncupat, quinta miſtio eſt, quando æquales portiones utriuſque plumbi permiſcentur: hæc miſtura Plinij ætate ſtannum argentarium vocabatur; ex hac noſtris temporibus orbes & patinæ parantur, pariter de alijs miſturis tam ſimplicibus, quam compoſitis differendum eſt cum miſtis omni tempore addi poſſint.

Sympathia & Antipathia.

Conſentiunt metalla cum variis lapidibus, & præcipuè cum illa ſilicis ſpecie, quæ, ab Ariſtotele pyrimachus appellatur, id non eſt ignotum viris ad fuſionem metallorum incumbentibus, qui ſuper liquefacta metalla id genus lapidis inſpergunt, ne metalla, in auras evolare poſſint: imò cum illo genere pyritæ variis coloribus inſigniti facilè conveniunt: quapropter opifices hoc genus pyritum loco plumbi, metallis addunt, ut in coctione metalla liquidiora evadant. Deinde cuncta metalla argentum vivum in amicitiam receperunt, quia libentiſſime omnibus copulatur, conſequenterq; in familiaritatem ſibi adjungunt illam hæmatitis ſpeciem, quæ argento vivo prægnans eſt; quocirca hic lapis ad ſe metalla trahere perhibetur, imò inter ipſa metalla Sympathia, & Antipathia obſervatur; namq; ab auro, & argento plumbum amatur: hæc enim dum ſimul funduntur, facilè commiſcentur. Viciſſim æs à plumbo temperamenti contrarietate abhorret, item ſtannum ab auro, & argento ita diſſentit, ut ea penè conſumat, id in fornacibus manifeſtiſſimum, dum plumbum album liquatur, apparet: argento enim ſupernatat, & bacillis ferreis facilè extrahitur.

Ex altera parte metalla, & animantia contrarietate maxima diſſident, quia ſpargunt quoſdam halitus ſpiritus animali inimicos: idcirco nullibi legitur, metallis aliquod animal fuiſſe nutritum: imò ubi venæ metallicæ inveniuntur, ibi neq; plantę creſcunt, neq; animantes verſantur, & in hujus confirmationem intelligimus, quod in fodinis metallorum crura opificum plerumq; vitiantur, quæ poſtea in fodinis Aſſij, ſive ſarcophagi lapidis ſanantur: hac etiam cauſa moti medici prohibent, ne in pręparandis margaritis, vel alio hujus generis medicamento, utantur metallis, ſed ſolum lapidibus marmoreis, quoniam impendet periculum, nequid metallicum medicamentis pręparandis adhęreat, quod è diametro naturæ humanę adverſaretur, & inde gravia ſymptomata emergere poſſent, uti in ſectione de venenis docuimus. Certe Plinio teſte odores à fodinis metallorum dimanantes, omnibus quidem animantibus ſunt ingrati, ſed canibus potiſſimum maximo ſunt detrimento, qui ex argenti metallo exhalant.

De Scoriis, & Excrementis Metallorum.

Excrementa, ſeu ſcoriæ ſunt metallica factitia, quæ in primis & ſecundis fornacibus fiunt, dum venæ metallorum excoquuntur, dum metallum à metallo ſeparatur, vel dum æs liquefactũ tingitur: hæc autem ſunt, ſcoria, diphryges, cadmia, pompholix, ſpodos, lithargyrium, molybdæna, & ſquamæ. Nonnulla ſunt, quæ fiunt extra fornaces, ut ærugo, cæruleum, ceruſſa, & ſimilia, de quibus ſigillatim in ſexto libro mentio facta fuit. Sciendum igitur, in excoctione metallorum ſcorias quæ ſunt veluti quædam venæ excoctæ recrementa; opifices loppas appellant, generari; hæ metallo fuſo ſupernatant, & frigefactæ & conglutinatæ, tanquam vitrum fragiles redduntur, & ſiquid humoris metallici retinuerint, graves fiunt, quo ſeparato in pumicoſam levitatem abeunt, itaq; pars metalli tereſtrior, & fœculentior abit in ſcoriam, quæ eſt purgamentum venę in fornacibus coctę, ut dictum eſt; loquendo tamen de vena auri, argenti, æris, ferri, & utriuſq; plumbi: nam venæ argenti vivi, & plumbi cinerei ſcorias non producunt, cum non excoquantur, non dicimus tamen ex plumbo cinereo, cum alijs metallis mixto, & liquefacto, ſcoriam exire non poſſe, hæc metalli ſordes græcis σκωρία meritò dicitur, quoniam apud ipſos τὸ σκῶρ, eſt ſtercus, à Celſo, metalli recrementum nuncupatur.

Argenti ſcoria, ſeu recrementum habetur tantum quando vena argenti in fornace purgatur, ſed ſincera eſſe nequit, quoniam opifices ad purgandum argentum ei nonnihil plumbi addunt, hæc ſcoria Argenti vocatur helcyſma, τό ἕλκυσμα ab ἕλκω traho, eo quod hoc incrementum ita lentum reddatur, ut inſtar viſci trahatur. Scoria verò quæ ab ære & ferro colligitur, plerumq; eſt nigra, ſordida, & ſpongioſa, ſive pumicoſa. Scoriæ majorem copiam ferrum, quam æs fundit, cum ſit metallum impurius & magis terreum; quæ quidem non ſolum, quando ferrum in fornace funditur, obtinetur, ſed etiam quando ferrum in uſtrina fabri ferrarii molleſcit. Scoria verò plumbi à cæteris maxime diſcrepat, quia minime lapidoſa eſt, neque fragilis, ut reliquæ, ſed admodum lenta, ob mollitiem metalli obſervatur.

Inter has metallorum ſcorias recenſetur Diphryges, & nihil aliud eſt, niſi æris recrementum, vocatur autem διφρυγὲς, quaſi bis uſtum: nam φρύγω, apud Græcos eſt, torreo: quatuor Diphrygis ſpecies inveniuntur: prima reſultat ex limo quodam Cypri, qui primũ ſole areſcit, deinde ſarmentis circumdatis aduritur: ideo jure optimo bis crematum, primùm calore ſolis, deinde ardore ignis, nuncupari poteſt, & hanc ſpeciem in Cypro tantum fieri ſcribebat Dioſcorides. Secunda ſpecies, nihil aliud eſt niſi ſedimentum æris in fornace aduſti, quod Galenus in Cypro ab artificibus projectũ obſervavit, Tertia ſpecies paratur ex pyrite æroſo cremato, donec colorem rubricæ contraxerit; ſed advertendum eſt, quod ochrauſta eundem colorem induit, & propterea huic tertiæ ſpeciei Diphrygis aſſimilatur, & aliquando pro Diphryge perperam venditur: quarta ſpecies oritur ex quibuſcunq; Lapidibus poſt excoctam metallorum venam in fornace inventis; & hæc ſpecies ſemper aliquid metalli habet permixtum: hujuſmodi Lapis primò torretur, mox in fornace coquitur, deinde quinquies in alia fornace crematur, ita ἑπταφρυγὲς, juſta de cauſa appellari poſſit, hodie opifices in ſecundis fornacibus ſic Diphrygem parant, quãdo aliquid auri vel argenti ineſſe æri ſuſpicantur: denuo æs cum plumbo fundunt, quia plumbum abluit, & ſecum aurum vel argentum abducit, quo peracto in extrahendis plumbi reliquiis, ignem temperatum adhibent, ut plumbum fuſum deſcendat, æs verò nequaquam; ſic enim tanquam lapis ſpongioſus redditur, qui fuſus, & percoctus in æs purgatum mutatur, cujus ſcoria eſt Diphryge purgatior, quàm illa, quæ ex primis fornacibus exierat: hanc homines operarij taminam vocantes, ſingulis vendunt.

Amplius dum Aurum, Argentum, æs, & plumbum percolantur, oritur aliud recrementum, quod vocatur cadmia, quæ ſecundum nonnullos ita nuncupatur ab inſidendo, eſt autem nomen antiquum apud Græcos, ideoque adhuc no-

minis

minis etymon latet, niſi velimus aſſerere, cadmiam olim obſervatam fuiſſe, dum lapis ærarius excoqueretur, quem aliqui cadmiam indigitarunt, fortaſſis primò in Cadmo monte ſit repertus. Galenus ſcriptum reliquit cadmiam ex lapide pyrite interdum fieri, nihilominus metallicam ex ære paratam præ cæteris commendabat: hujus quatuor ſpecies à Dioſcoride monſtrantur: prima vocatur Botrytes, quaſi racemoſa, quia βότρυς racemus, exponitur: ſecunda nominatur onychites, eſt enim ὄνυξ, unguis, cum venas inſtar unguis diſcurrentes habeat: tertia cognominatur placodes, πλακώδης cruſtoſa, quoniam eſt ſegmentis quaſi quibuſdam zonis cincta, quare & zonitis dicitur: quarta appellatur oſtracites, ὀστρακίτης teſtacea, quæ tanquam peſſima omnium rejicitur. Plinius præter quatuor genera à Dioſcoride deſcripta, quintam ſpeciem, nempe capnitim, ſcilicet fumoſam addit; καπνός enim Græcis fumus dicitur, ſed hæc ad pompholygem potius, quàm ad cadmiam eſt reducenda: noſtra ætate cadmia fornacum ſimilis corticibus arborum, ſub nomine tutiæ Alexandrinæ affertur; quod ſignum eſt haſtis ferreis adhæſiſſe. Tutia eſt nomen Arabicum quod tamen non cadmiam, ſed ſpodium ſignificat: hic animadverſione dignum eſt, quod Tutia Luſitanorum, non eſt metallica; hæc in Quirmon Perſarum regione, & Ormuz finitima paratur ex cineribus cujuſdam arboris nomine Goan, ita enim fructus hujus arboris cognominatur, & à nonnullis hæc Tutia Alexandrina dicitur, non quod Alexandriæ fabrefiat; ſed quia ex Quirmon delata Ormuz, inde Alexandriam exportetur: Auctores tamen non hanc, ſed metallicam in medicamentis commendant.

A cadmia ratione tenuitatis ſubſtantiæ, pompholyx, & ſpodium diſcrepant, quandoquidem cadmia, ut fuit expoſitum, in quandam ſolidam materiam condenſatur, ſed pompholyx, & ſpodium inſtar pollinis parietibus fornacum adhærent, cum tamen ex eadem materia ex illis fornacibus originem trahant, in quibus æs perficitur, vel in quibus cadmia crematur. Pompholyx autem levior eſt, quia evolans ad fornaces, bullarum inſtar agglutinatur, unde nomenclaturam traxit; quoniam πομφόλυξ Græcis bulla eſt. Spodium in comparatione ad cadmiam ponderoſus eſt; quocirca ſuper terram inſtar cineris cadit, unde nomen accipit, Σπόδιον enim cinerula dicitur: verum Antiſpodium arte paratur ex folijs myrti vel oleaſtri crematis, quod cinerulæ nimirum ſpodij vicem præſtat. Avicenna hiſtoriam hujus rei metallicæ confuſam ſcribit, dum aſſeverat, Tutiam eſſe fumum ſublimatum: ſuccudum verò, quod in fundo reſidet, forſitan per Tutiam, pompholygem, & per ſuccudum ſpodium intellexit.

Ad ſcoriam plumbi referri poteſt lythargyrium; oritur enim ex plumbo in fornace diutius percocto; nam eſt ſpuma, quæ colligitur, dum argentum purgatur, & concreſcit inſtar lapidis, & vocatur λιθάργυρος, à lapide, & argento nomen habens, quaſi lapis argenteus, ab Arabibus Martech, & à Latinis ſpuma argenti nuncupatur. Dioſcorides voluit, lithargyrium ſine argento poſſe concreſcere, dum in ſecundis fornacibus argentum plumbo permixtum purificatur: etenim tunc fervente mixtura plumbum violentia ignis extenuatum, & acquirens levitatem, argento ſupernatat, & fit veluti ſcoria, quam artifices paulatim ad latera pellentes tandem projiciunt, & gettam nominant, quâ poſtea figuli uti ſolent. Nonnulli perperam putant, ſpumam argenti ex auro factam vocari chryſitim; ex argento, Argyritim; ex plumbo Molybditim: cum tamen lithargyrium ex ſolo plumbo, cum alijs metallis, præcipue cum argento, ad faciliorem fuſionem, vel purificationem mixto dimanet: & quamvis interdum auri, & interdum argenti colorem adipiſcatur, tandem id ex majori, vel minori aduſtione provenit, nam ſi ſtatim atque plumbum exuſtum ſupra argentum liquatum apparet, de catino auferatur, tunc lithargyrium colore argenteo refulgebit; ſin diutius ibi manſerit, colorem aureum acquiret.

Duplex lithargyrij genus opifices conſtituunt: alterum vocant naturale, quod egreditur ex vena Argenti, mixta cum vena plumbi, & in fornacibus liquata: aliud verò Artificiale quod modis ſuperius deſcriptis præparatur, hujus Dioſcorides tria oſtendit genera: primum genus ex arena plumbaria in fornacibus perfectè cocta: ſecundum ex purificatione argenti: tertium ex plumbo reſultat; hujus ſpecies flava dicitur chryſitis; candida Argyritis; livida molybditis: optima ſpuma Argenti in Miſena, & Bohemia paratur: Dioſcorides tamen primas tribuit Atticæ, quæ cum in monte Laurio fieret. Lauritis vocabatur; ſecundas Hiſpanicæ, & tertias Puteolanæ aſſignabat.

Minera Plumbi, ejuſque Conditiones.

Quanquam plumbum utplurimum à metallurgis ob ſummam impuritatem, & terreſtrium quiſquiliarum abundantiam, metallum imperfectum, leproſum, & parum fixum habeatur, ſi tamen admirandas ejus qualitates paulo penitius intueamur, maximi id haud immerito æſtimari debet, cum ſine eo nulla nec auri ab Argento, nec argenti à reliquis metallis ſeparatio obtineatur, neque pretioſi lapidis, gemmæque ſplendorem nativum niſi hujus beneficio conſequi poſſint: ubi enim magni venarum auri argento mixtarum cumuli effodiuntur, ab illis ſane nulla alia re metalla melius, quam plumbo, uti paulo ante vidimus, ſeparantur; adeoque aurum & argentum ad debitam ſuam perfectionem, non niſi ſolius plumbi ope perveniunt, ſed de utilitate hujus metalli inferius fuſius.

Invenitur potiſſimum in diverſis ſaxis, glebiſque terreſtribus ſemper fere cum aliqua auri, & argenti mixtura, primo in ſaxo quodam ſpongioſo, candido, & duro, quod columbinum vocant, cujus indicium dant nigræ quædam maculæ, & grana per lapidis ſuperficiem hinc inde diſſeminata, ſubinde quoque reperitur in lapide coloris rubri, ſeu ferruginei, deinde in certis terreſtribus glebis coloris cinericij, cujuſmodi in Andaluzia Hiſpaniæ reperiri fertur; & uti facili negotio à venis ſuis ſeparatur, ita quoque haud difficili labore depuratur, funditur exiguo igne, tum ſe ſolo, tum alijs mixtum metallis, quæ aſſociata plumbo facilius in igne fluunt, & quod mirum eſt, id reliqua metalla, ne potenti igne ab arſenico comburantur, aut ne cum mercurio avolent, conſervat; cur vero ſolum plumbum hac virtute ſeparativa polleat, adeoque cæteris metallis, potiſſimum argento, amicum ſit, iſtius cauſa eſt, quod ex ſe, & ſua natura, cum parum fixum ſit, & aquoſitate præ ceteris polleat, Argentum verò, & æs, arida metalla ſint; hinc fit, ut aquoſitas illa plumbi ariditati juncta, lentore ſuo aquoſo aridum impinguet, & conſequenter ijs incorporatum facilius fluere faciat. Eſt & alia in plumbo proprietas, quod calcinatum per ignem reverberationis potentiſſimum, tantum abeſt, ut quidquam à mole, & pondere ſuo amittat, ut potiùs in calcem redactũ gravius, ponderoſiuſq; cōperiatur: cujus quis;

quidem rei ratio alia non eſt, niſi per calcinationem clauſis omnibus poris, ſpiritibusque aereis, aqueiſque evaporatis, multo ac in priori ſtatu naturali, denſius reddatur; quanto autem corpus denſius conſtipatiuſque eſt, tanto quoque gravius id effici, experientia docet:& patet in cadaveribus, quæ multò graviora, quam dum vita ipſis inerat, exiſtunt, eo quod vivens corpus aëre, ſpiritibuſque plenum quadantenus allevietur, mortuum vero omnibus depulſis ſpiritibus, canalibusque occluſis, compactius reddatur.

DE FERRI FODINIS.

Et I.

Ferri Natura & Proprietas.

Quamvis Plinius naturam, & affectiones hujus metalli multis verbis explicaverit, nos quidquid experientiâ nobis conſtitit, de Ferri natura, proprietate, præparatione hîc adducemus: Ferrum metallum impurum, & terreum ex ſulphure aduſto copulatur exiguo humori aqueo cum terrea exhalatione non bene permixto: propterea in igne præ cæteris metallis fumum fœtidiſſimum ſpargit: hac de re Metallum vile, & ignobile vocatur, idque ex colore illius livido patefit, hinc quoque Albertus ferrum ex mixtione argenti vivi impuri pariter, & ex ſulphure immundo, & terreſtri reſultare prodidit:non eſt igitur admiratione dignum, ſi ferrum ferro percuſſum ſcintillet; cum id ex ſulphure prodire quiſque noverit: habet præterea ferrum aliam materiam congenitam, quæ nullo modo comburi poteſt; etenim obſervantur in fornacibus, in quibus ferrum in maſſas componitur, vapores quidam à materia ferrea exhalantes, qui in lanuginem parietibus & tectis officinæ adhærentem convertuntur, cui natura tantam vim præſcripſit, ut magna ignis vehementia conſumi nequeat: his ità conſtitutis nonnulli ponderantes ferri temperaturam illud in caliditate, & ſiccitate conſtituunt, ut proinde Aſtrologi, ferrum ſub dominio martis planetæ calidi & ſicci collocarint. Præterquam quod experientia calidum ferri temperamentum declarat, dum ab ipſo ſuperfluæ ventriculi humiditates abſumuntur, & obſtructiones contumaces reſerantur, ex altera parte Galenus ferrum ad frigiditatem, & ſiccitatem reducere videtur, dum illud ſubſtantiæ lapideæ comparat, quæ ob frigiditatem, & ſiccitatem ſtabilis eſt: hanc poſtea ſententiam multi auctores in medicina non proletarij ſecuti ſunt: nam conciliator ferrum frigidum pronunciat; Jacobus de Partibus in Commentarijs ad Avicennam, ferrum frigidum & ſiccum declaravit; Manardus aquam chalybeatam frigidam, & ſiccam eſſe ſtabilivit, imo multi alij hanc opinionem uno ore confirmare videntur, quapropter ad conciliandos tantos viros, qui de temperatura hujus metalli varie ſcripſerunt, aſſerendum eſt juxta dominium primarum qualitatum, ferrum refrigerare, & ſiccare: & quoniam nonnullæ portiones ſulphureæ ab illo poſſidentur,ideo ijs ſtomachus roboratur, excrementa in illo contenta abſumuntur, & vaſa obſtructa mirandum in modum aperiuntur.

Cum igitur hoc metallum ex ſubſtantia terreſtri, craſſa, & combuſta conſtet, igni vehementer reſiſtit, & tandem molleſcit, & non niſi vehementi flammarum incendio funditur, quamvis autem natura tantam huic metallo congenuerit duritiem, nihilominus eadem natura aquam produxit, quæ ferrum abſque difficultate erodit, qualis eſt putealis in Cepuſio Smolinitij, & ejuſdem conditionis eſt ſtyx fluvius circa Theſſalica Tempe, ſiquidem hujuſmodi aqua in vaſis ferreis diu contineri nequit, quin ipſis eroſis effluat, imo majori admiratione dignum eſt, quod animantes huic metallo ſunt detrimento: Narrat enim Theophraſtus, in Syaro inſula expulſis incolis ferrum à muribus eroſum fuiſſe, & nonnulli referente Mizaldo pronunciarunt apud chalibas Mures in ferrarijs officinis magnam jacturam feciſſe, hinc colligendum eſt, duritiem hujus metalli non eſſe adeo notatu dignam, quin manibus ferrum contorqueri poſſit. Vidimus aliquos mira facilitate clavum ferreum confringentes, ſumebant enim duas faſcias longitudinis trium ulnarum, partim ex craſſiori, & partim ex ſubtiliori filo contextas, quibusità ferrum involvebant, ut pars ſubtilior clavum amplecteretur, & tunc ſimplici manuum contorſione clavum in duas partes dividebant. Denuo ferrum alias affectiones patitur: primò candens malleo percuſſum ſcintillas emittit, quæ Nonio ſtricturæ vocantur, & in excoctione recrementum, nempe ſcoriam, vel ſoppam reddit, quæ à metallarijs, & à fabris ferrarijs projicitur; hæc autem eſt illa materia, ex qua chymici lapidem philoſophorum conſtare aſſeverant, poſtremò rubiginem patitur, à qua tractu temporis prorſus abſumitur, juxta illud carmen.

Ferrugo rodit ferrum, lignumque teredo.

Verùm quando à ſanguine humano inquinatur, celerius, Auctore Plinio, rubigine vitiatur, hoc vitium à ferro, ad mentem Plinij, arcetur gypſo, ceruſſa, & pice liquida, pariter omne ferramentorum genus rubiginem non ſentit, ſi medulla cervina, pinguedine Felis, vel ceruſſa cum roſaceo mixta perlinatur: ſtannum quoque ferro ſuperinfuſum, effectum rubiginoſum impedit, ſed cum ferro permixtum, ex ſententia Alberti, illud frangibille, & minime ductibile reddit.

Sympathia & Antipathia,

Ab animantium, herbarum, & lapidum natura ferrum minime diſſidere comperimus: in primis humanæ naturæ neutiquam adverſatur: cum ferrum in vulneribus occultatum,citra patientis incommodum delituerit, etenim narrat Zacutus luſitanus mulieri cuidam profundum vulnus, per verticem capitis acuto cultello inflictum fuiſſe, quæ ſomnolenta pluribus diebus quievit, & tandem obducta cicatrice minime de actione animali conqueſta, iterum domeſtica negotia obivit; ſed cum tranſacto octo annorum ſpatio maligna febre oppreſſa deceſſerit, curioſi chirurgi, aperto cranio, inter duram meningem, & cranium, mediam partem cultelli, quo olim fuerat vulnerata, rubiginoſam invenerunt. Inter bruta animantia nullum eſt, quod tantopere ferro delectetur, quàm ſtruthiocamelus: hæc enim volveris, objecto clavo, vel clave ferrea, uti Melitæ non ſemel expertus ſum, illico fit obvia, & non ſecus, ac canis viſo panis fruſto, ferrum apprehenſum avide deglutit digeritque, cujus cauſam alibi reddimus, hoc quidem à veritate non eſt alienum, nempe cimices ferri odore ſummopere delectari, nam ferrum loco infixum, in quo nidulantur, paulò poſt omnes quaſi concordes illud amplectuntur, propterea non deſunt vegetabilia, quæ amicitiam ferri diligunt, & hac de cauſa ſuper mineras ferri ſæpiſſime creſcunt: inter has plantas Iſatis potiſſimum ſylveſtris, & Erythradanum recenſentur, quoniam quadam qualitate ferrea inſignitæ, non ſolum magneti conſervando conferunt, ut in arte magnetica oſtendimus, ſed & in cineres redactæ, & fornacibus vitrarijs inditæ, ſedimentum quoddam ferrugineum in fundo catini relinquunt. Viciſſim ſunt aliæ plantæ, quæ naturæ ferreæ penitus adverſantur, idque de

ocymo Gaudentius Merula pronunciavit; pariter ferrum Mercurio, Auro, & Argento nullo amicitiæ vinculo conjungitur, cum illis difficillimè copulatur, & propterea catinis ferreis officinæ monetariæ quidquam prædictorum metallorum adhæſiſſe opifices nunquam obſervarunt.

Ferri præparandi & temperandi ratio.

Narrat Plinius, quod in cappadocia homines non multis laboribus ſe exercent ut copiam ferri habeant, quandoquidem certo flumine terram perfundunt, & ex illa terra ferrum producitur, tanquam à fornacibus prodiret, ſimiliter habitantes ſupra Amarcanum Hyberniæ urbem, haſtam ligneam in ſtagno quodam defigunt, & poſt aliquot menſes partem haſtæ luto involutam in optimum ferrum degeneraſſe reperiunt: pars in aqua merſa Cos evadit, & quæ ſupra aquam remanſit, propriam ligni naturam ſervat, ſic in inſula Hyberniæ pariter circa oppidum quoddam lapis invenitur, qui ſimplici combuſtione in ferrum vertitur. Ariſtoteles talem ferri præparationem aſſignat, dicens, vehementi virtute ignis ferrum more aliorum metallorum tundi, & multam ſcoriam ſeparari, ſicque ferrum purius, & durius reddi, & reiterata operatione ferrum in chalybem converti, cæterum antequam vena ferri excoquatur, diligenter eſt examinanda, num ferri dives, vel inops eſſe poſſit, itaque ſumitur minera ferri alicujus noti ponderis, quæ in minutiſſimum redacta pulverem ſupra tabulam æneam ſubtilem collocetur, poſito ſubtus magnetis fruſto, quod dum paulatim movetur, grana ferri magnetis motum ſectantia, à terra ſeparantur, & hac facilè ratione quantitas ferri in vena contenta cognoſcitur, hodie in Germania bifariam ferrum præparatur; primo ex quibuſdam lapidibus elicitur, ſecundo ex terra rubra ferrugine quaſi læſa excoquitur, quod opus in Sileſia peragitur: præterea ſunt etiam nonnulli in Germania, qui ex magnete optimum ferrum eliciunt. Animadvertendum tamen eſt quod varijs laboribus ſe exercent illi, qui præcipuæ bonitatis ferrum excoquunt, diverſis laboribus corpus fatigant, qui circa venam ferri difficulter fuſilem & ærosam verſantur; qui modi apud Agricolam legendi ſunt. Si jam ad temperaturas ferri animum convertamus, ferrum recoctum, & à ſcoria diligenter ſeparatum, duritiem non vulgarem adipiſcitur. Artifices tamen in officinis colorem candentis ferri primò obſervant, deinde liquorem juxta intentionem eligunt, ut ferrum in illo extinctum, duritiem vel mollitiem nanciſcatur, quando igitur violentia ignis ferrum ultimam candoris notam acquiſiverit, vocant argentum, & tunc illud non extinguunt, quoniam conſumeretur, ut ſi croceo colore, vel rubro tingatur, ferrum roſeum, vel aureum dicitur, & tunc liquoribus merſum, durius efficitur. Hodie in officinis quadruplex ferri tinctura obſervatur: prima colore eſt albo, quæ nimis dura eſt: ſecunda flava, qua oſſa, & lapides ſcinduntur: tertia ex purpureo, & cæruleo mixta ad ſecanda ligna idonea: quarta eſt nigra, quæ nimium mollis eſſe perhibetur, ex altera parte ponderandi ſunt liquores, in quibus ferrum candefactum pro varia temperatione extinguendum eſt, multa flumina ad ferri temperaturam apta celebrantur: hac de cauſa ferrum in Norico ſcriptis veterum fuit commendatum; hujus conditionis ſunt Biblis, Taraſſius, Salo, à Juſtino chalybs, & ab alijs Iberus, unde Iberæ loricæ pro fortiſſimis, apud Horatium leguntur: De Salone fluvio Martialis ſit cecinit.

Quam fluctu tenui, ſed inquieto
Armorum Salo temperator ambit.

Pariter in Italia amnis Comum interfluens, & Lambrus Mediolanum hac eadem prærogativa gaudere perhibentur, quapropter de hoc poſtremo flumine ſic canitur.

Nec niſi duratum Lambro thoraca volebam.

Virgilius quoque de gladio Turni in Stygio amne optime temperato verba faciens cecinit in hunc modum.

Enſis, quem Dauno ignipotens Deus ipſe parent
Fecerat, & ſtygia candentem tinxerat unda

Cum igitur in ferro interdum mollities, & aliquando durities deſideretur, erunt aſſignandi modi, quibus utrumque facile aſſequi poſſimus. Glaucus ille Samius, qui ferruminandi artificium invenit, referente Suida, ferrum, quod molle eſſe voluit, oleo & quod durum, aquæ extinxit: nonnulli ad communicandam ferro mollitiem, plumbum in cavitate ferri collocantes, totum candefaciunt, donec plumbum in fumum abeat, & hoc opus toties repetunt, donec ferrum inſtar ceræ molleſcat. præterea ſæpius ferrum candefactum, & per ſe refrigeratum mirandum in modum tenereſcit: id experientia docet in filis ferreis, quæ ignita, & per ſe refrigerata, mollia & ductilia evadũt, alij in ſucco malvæ aut fabarum candens ferrum extinctum, inde molle extrahunt, alij ferrum oleo Amygdalarum amararum liniunt, illudque cera cum aſſa fœtida, & modico Alkali mixta cooperiunt, & totum nitro, & luto ex fimo equino involvunt, & in igne carbonum per noctem relinquunt, indeque ferrum tractabile & molle habent.

Præterea ferrum diligenter elaboratum mollius, & durius, juxta operantis intentionem temperari poteſt, cum aliam temperaturam enſes, aliam limæ, aliam arma in tutelam parata expoſtulent. Albertus tradidit, ferrum acrius fieri temperatura ſucci raphani, & aquæ lumbricorum terreſtrium, quod experimento reſpondere negavit Porta. Enſes igitur tali indigent temperatione, ut nervoſa exilitate ſint prædicti, ne dum punctim feriunt, rumpantur: ſimiliter acutam aciem poſcunt, ut cæſim feriendo ſecent; quapropter oleo & butyro enſis corpus temperatur, acies vero acribus extinguitur, ut in cædendo robur, acquirat: & hoc opus, monente Porta, vel canalibus ligneis, vel laneis pannis madidis opifices aſſequuntur. Scalprum verò ex eodem Porta, pro ferro incidendo in uſtrina rubefiat, & quando in ipſo rubicundus roſæ color apparuerit, in aqua extinguitur; deinde ſecundus color fulvus expectetur, & denuo in aqua mergatur, item ad ſcalpenda marmora ferrum ex optimo chalybe paratum, & ignitum, apparente roſeo, vel rubeo colore, aqua madefiat, mox remotum, apparente colore aureo, rurſus aqua mergatur. Lima ita temperanda eſt, ut aliud ferrum commodè limari poſſit: ſumatur ergo fuligo ſummitatum cornuum, vel ungularum bovis, portio vitri triti, & ſalis communis, & omnia aceto miſceantur, deinde hac miſtura lima imbuta igne candefacienda eſt, poſt modum in aceto, vel aqua frigida illico extinguenda eſt. Hamus piſcatorius ſimili indiget temperatione ut piſcium morſibus minime flectatur; viciſſim ferrum pro phlebotomia mollem temperaturam exigit, ne in operatione aut flectatur, aut rumpatur, item falces herbariæ, quia tenues ſunt fortem temperaturam non requirunt.

Poſtquam ex ferro purgato, & diligenter temperato varia inſtrumenta, vel arma fuerint fabricata, nonnullis Iconibus, aut characteribus inſigniri ſolent: idcirco ad hoc peragendum opus, pyrites aurei colo-

ris in pulverem redactus, per diem naturalem in aceto maceratur, & vale igni admoto, ut ferveat, aliud acetum ſuperadditur, quo exſiccato, materia vitreis organis diſtillatur in liquorem, quo Icones, vel litteræ, in quovis ferreo inſtrumento deſignantur, quæ prima facie nigræ apparebunt, ſed ſiccatæ, & panno lineo fricatæ, aureæ conſpicientur.

Multi occaſione extinctionis ferri in varijs liquoribus, & ejus temperaturæ ferrum, & natura, & artificio in cuprum maturari poſſe arbitrantur. Sed advertendum eſt, quod ferrum à natura non ità excoquitur, ut æs evadat, quemadmodum Scaliger in ſuis exercitationibus optime probavit, præterea ferrum merſum in aquis vitriolatis, tum naturalibus, tum ex arte paratis diſſolvitur; & quoniam hujusmodi aquæ vitriolum participantes, æs etiam ſive cuprum continent, ideo materia ferri ſoluta, in fundo harum aquarum cuprum reperitur, quod ex ferro non generatur, ſed potius beneficio ferri præcipitatur.

Chymici ad ſolvendum ferrum utuntur aqua valenti rubea, quæ ex quadrante vitrioli albi, ex ſeptem Unciis vitrioli ungarici, triente ſalis, ex ſemiuncia aluminis conſtat, verùm Pandulphus Anglus, qui de foſſilibus ſcripſit, ferrum melle reſtinctum melius liquefieri retulit, denique ferrum æri, & ſtanno permiſcetur, ſed agreſtius, & fragilius redditur.

Atque hæc ex varijs auctoribus collecta ſufficiant, qui plura artificia deſiderat, quibus ferrum purgetur, nec non auro & argento tegatur, ultimum librum conſulat, qui horum arcanorum longam ſeriem recitabit.

De Ferri fodinis Ilvæ, vulgo Elba, quæ maris Tuſci inſula eſt.

Uti nullum metallum adeò humanis uſibus neceſſarium eſt, quam ferrum, ita quoque nullum eſt, quod ubique fere locorum majori ubertate proveniat; ita ut vix in orbe Regio comperiatur, ubi id non præſto ſit: adeoque provida natura id ubique eo fine obvium adeſſe voluerit, quod in humana œconomia nil ſine ferro confici poſſit, hinc Italia, Germania, Francia, Belgium, Hiſpania, Polonia, Aſia, Africa, America, uti Geographicæ relationes docent, Ferrifodinis plenæ ſunt, ut proinde ſuperfluum ducam, hoc loco ampliorem ferrifodinarum orbis terrarum catalogum attexere, Dicam ſolummodo in inſula Ilva tantam eſſe ferratarum minerarum copiam, ut tota Inſula non niſi ferrum dici poſſit, non infimæ notæ, ſed nobiliſſimum & præſtantiſſimum omnium, & quoniam inſulam ante complures annos proprijs luſtravi, & modum ejus extrahendi, præparandique, ac in chalybem convertendi ſumma diligentia obſervavi, hinc viſum fuit, modum & rationem prout vidi & obſervavi hoc loco adducere.

Dico itaque, ferrum uti & reliqua metalla non ſemper in eodem perfectionis gradu reperiri, eſt enim ferrum dulce, ut in Ilva inſula, tantæ perfectionis, ut vel glebæ minerales ſimplici, & ordinario fabrorum igne in nobile & tractabile ferrum in omnem uſum accommodatum fundantur, cujus rei cauſa eſt, ſumma ferri puritas, in alijs vero locis ferrum non hujus bonitatis, ſed crudum, incoctum, aſperum, terreſtribusque aliorum metallorum odoribus, quiſquilijſque ita reperitur corruptum, ut vix niſi ingentibus fornacum, igniumque tormentis ad meliorem indolem, magno ſane & laboris & ſumptuum impendio deduci queat: ſunt tamen & aliæ mineræ, quæ plus, minuſve hujuſmodi impuritatum miſturis obnoxiæ ſient: quomodo verò purum ab impuro ſeparari poſſit, experientia oculari doctus exponam: ita autem ut plurimum proceditur.

Primo, opus eſt homine minerarum ferri perito, qui glebas minerales ferri puri ab impuro ſeparare norit: has itaque ſelectas, & in fruſta confractas ad partes ſeponat.

Secundo, magna imprimis carbonum ratio habenda eſt; hic in Italia plerumque lentiſci, Ilicis, ulmi, fraxini, ſimiliumque arborum carbonibus utuntur, utpotè, quæ ignem potentiſſimum, efficaciſſimumque ſuſcitent.

Tertio, Fruſta glebarum ferrearum in fornacem apertam conjecta coquuntur, excocta iterum extrahuntur, & pluvijs, ſoliſque ardoribus exponuntur; hoc enim pacto ferri materia veluti ad perfectionem debitam conſequendam maturatur, & digeritur.

Quartò, hoc peracto, fruſta ſole, pluvijſque impregnata iterum in partes rumpantur, diligenter obſervando, ſi alterius metalli, odorem emittant, ſi repereris, iterum dicto modo coquantur, donec depoſito odore ſimplicem ferri odorem referant, & ſic tandem fuſum ferrum dulce dabit & malleabile: contingit tamen ſubinde, ut iſtiusmodi adeo in ſua duritie ſit obſtinatum, ut omnem coctionem reſpuat, hoc caſu, in chalybem id deſtinabitur, eo, quem paulo poſt exponemus, modo, ut autem ſigna habeas puri, aut impuri ferri; nota, quatuor eſſe ferrinæ mineræ ſpecies.

Prima ſpecies eſt, mineralis gleba ponderoſa, compacta, à terræ, ſaxi, cæterorumque metallicorum corporum ſocietate ſejuncta; coloris bruni, & hæc eſt perfecta, & unice deſiderata.

Secunda habet neſcio quem adjunctum ſplendorem unà cum granoſa ſubſtantia, quæ facile digitis in pulverem conteratur & paſſim tanquam malæ venæ indoles reprobatur.

Tertia gleba mineralis eſt groſſioribus referta granis coloris nigri, quæ uti ſemper æs, cuprumque olet, ità quoque paſſim negligitur.

Quarta denique ſpecies minutioribus conſtans granis, pro conditione matricis nunc melior, nunc peior reperitur.

Sunt præterea aliæ glebæ, quæ facilè quidem ob reliquorum liquabilium metallorum mixturam funduntur in ferrum, malleum tamen difficulter ob debilem partium nexum, ſuſtinent; & contra, ſunt quæ malleum ſuſtinent, difficilem tamen liquefactionem habent; illa uti plerumque alium uſum, quàm in tormentis bellicis fundendis non habent, ita hæc in melioris notæ ferrum reduci poſſunt.

Quæres quænam ſint ſigna ferri puri, aut impuri, & quomodo cognoſcantur.

Dico, quod etiamſi ferrum in terreſtribus ſubſtantijs reperiatur, illud tamen optimum habetur, quod eruitur ex ijs montibus, ex quibus aquæ frigidæ, & guſtui haud ingratę emanat, præſertim ſi locus ſalubriori aëre conſtet: ſæpenumero quoque id in quodam candido ſaxo, marmori haud abſimili, generatur, quod ſi una cum ſaxo fuderis, durum plerumque ferrum obtinebitur: ſecus accidet, ſi puram mineram à ſaxo ſejunxeris, fornacique immiſſum liquefeceris, invenitur & nonnunquam in terra rubra, & flava, minera ferri facilè in arenam attritu reſolubilis, aut etiam inſtar maltæ mollis; in cujus colligendis glebis te tempus perdere nolim, cum nil boni indè reſultet, ut autem ferri puritatem, bonitatemque cognoſcas, ſic operare.

Primò, mittatur intra forte lixivium cujuſvis mineræ ſpecies, & deinde poſt aliquod tempus ex-

extractâ, ignique ſupra poſtâ, folle applicato paulatim igne exſuffles, diligenter bullulas, variique coloris vapores obſervando; quos ſi obſervaveris, id luculentum varii metallorum commercii ſignum eſt; ſi ſine colore & bullulis, optimum, & compactiſſimum ferrum eſſe judicabis.

Secundò. Ferri boni ſignum eſt bolus terra fuſca, & mollis, pinguiſque, quæ dentibus apprehenſa, nullum ſtridorem excitat.

De Ferri in chalybem transmutatione.

Quomodo ex ferro chalybs fiat, proceſſum totius, ea qua potero, brevitate, & claritate deſcribam.

Cum chalybs nihil aliud ſit, quàm ferrum ad ultimum perfectionis ſuæ, puritatiſque ſtatum reductum: quod duplex eſt: naturale & artificiale. Naturale uti paucis in locis reperitur, ita metallici liquatores naturæ defectum ſupplentes, ferrum quodvis ea ingenii induſtria, quam ſubjungam, in chalybem convertunt.

Primò, accipiunt ferrum, jam, uti ſupra dictum fuit, in fornace probè excoctum, ejus quantitatis, quæ eorum intentioni ſufficiat; hoc in partes minutiſſimas rumpunt.

Secundo, in foco vulcanio conſtituunt receptaculum rotundum pro chalybis conficiendi quantitate, majus, minuſve ex luto, cujus una tertia pars ſit argilla, duæ verò tertiæ ſint carbones in pulverem redacti, optimè aqua miſto, amalgamatoque compactum, in cujus cantro foramen fiat, per quod folles vētum exonerare poſſint ad exſufflandos carbones.

Tertio, hoc raceptaculum tum ad igneum fervorem reverberandum, tum ad ferreorum fruſtorum, carbonumque imponendorum congeriem firmius retinendam, lapidum circumpoſitione, veluti muro quodam muniatur.

Quartò, totum hoc receptaculum carbonibus uſque ad ſummum replentur, qui ubi follium ſollicitatione in ſummum fervorem æſtuaverint: ita porro procedunt.

Quinto, ex ferro in chalybem convertendo, & in fruſtula comminuto, particulas paulatim una cum contriti marmoris, aliorumque ſilicum fuſilium pulvere mixtas ſparſim intra coacervatos carbones jam ſuccenſos injiciunt, & hoc pacto ferrum facilem fuſionem intra receptaculum ſuſtinet.

Sexto, hoc peracto ex eodem ferro jam ante virgas mallei vi coactas intra hujus receptaculi fuſum liquorem impoſitas quatuor, aut quinque horis relinquunt, continuo follium vento ignem, carboneſque ſollicitando, nec non ferrea virga longiore materiem tamdiu movendo, circum agitandoque, donec virgarum ferrearum pori, ſubtili fuſæ jam infra receptaculum materiæ ſubſtantias expleantur: quod ubi opifices obſervaverint, ſtatim forcipe unam poſt alteram ereptam ſupra incudem malleis parumper diſtenſas, in præparato ſeorſim æquæ frigidæ balneo extinguunt: quas ſi necdum debita perfectione ſibi conſtare deprehenderint, denuo igneo fuſæ materiæ balneo injiciunt, & hoc toties repetunt donec ultimam perfectionem conſequatur, ita autem hac induſtria depuratur, perficiturque, ut duritie, compactione, colore, lævitate, & nitore, ſpecificam à ferro differentiam induiſſe videatur, nonneſcio, alios quoque hujusmodi laude facta ferramenta, in certis herbarum ſuccis extinguere inſigni ſane ſucceſſu, uti in præcedentibus patefecimus.

De Ferri in æs Tranſmutatione.

Magnum inter chymicos, & metallurgos de ferri in æs tráſmutatione diſſidium eſt; quod omni, qua fieri poteſt, diligentia modo opportune decidendū eſt.

Paracelſus, ejuſque ſequaces tranſmutationem, perfectam unius metalli in aliud affirmant, eo forſan fine & intentione, ne artem illam magnam de ridiculo illo lapide philoſophico tantopere jactato, quem & perfectam tranſmutationem ſubire dicunt, conclamatum concedant: ſed enim hanc vel ipſi metallicarum fodinarum præſides, mira in metallis eruendis, lavandis, coquendiſque peritia, alii arcanorum rerum doctrina inſtructi prorſus non dicam negant, ut potius rideant.

Certè, quemadmodum pater Joannes Schafferus mihi ſcribit, in Hungariæ fodinis, quas Herrengrundt dicunt, magno ſanè Cæſaris annuo proventu, ex ferro æs optimæ notæ confici: quomodo verò in hac metalli metamorphoſi procedant, etſi in octavo libro modum oſtenderim, hoc tamen loco paucis illum repetere viſum fuit.


Ferrum rubiginoſum, & inutile, uti variorum veterum inſtrumentorum ſupellectilem, accipiunt, atque fornaci, inditum ad incudem reductum, in tenuiſſimas laminas extendunt: hoc peracto has laminas rivi vitriolati, qui in profundiſſimis fodinarum cuniculis profluit, fundo imponunt, impoſitas ad nonnullos menſes relinquunt, Conſtituto itaque tempore rivum adeunt, & laminas in pulrem ſubflavam amalgami adinſtar abiiſſe reperiunt; hiſce aëri, ventiſque expoſitis in optimæ notæ æs induratur, atque ſic proceditur Neoſolii in Hungaria.

Quæritur itaque, utrum vera hæc ferri in æs tranſmutatio dici poſſit? Dico veram hic tranſmutationem dari minime poſſe cum non totum ferrum in æris ſubſtantiam mutetur, ſed ex accidente tantum; me explico: cum enim in vitriolo infinita ærata corpuſcula inexiſtant, & quemadmodum illa maximam ſympathiam cum ferro habent, ita quoque fit, ut ſtatim ad ferrum confluant, atque in ejus ſe poros intime inſinuent, cum vero ingentis acrimoniæ ſpiritibus polleant, hinc intra ferrum inſinuata, illud mox rodere incipiunt, uſque dum omni pinguedine ferri conſumpta, ferrea ſubſtantia diſſoluta, in ſcobem ſeu rubiginoſum pulverem abeat: corpuſcula vero vitriolata in conſumpti ferri locum ſe ſubſtituentia, nativa tum ferri, tum propria pinguedine, in unam maſſam conglutinantur, quæ primò quidem intra aquam mollis, aëri tamen liberiori, ventris, ſoliſque radiis expoſita, in perfectum æs induratur; atque hoc pacto idem fit, quod antea fuit: antea quidem per ipſorum corpuſculorum in aquis diſperſionem, modò per eorundem à ferro tractorum unionem. Si enim vera hic daretur tranſmutatio, nil amplius ferri ſupereſſet: ſed experientia docet, tantum ferreæ rubiginis manere, quantum ferè maſſa prius ferrea pendebat: & hujus rei experimentum exactius ſumerem, ſupramemorati fodinarum Hungaricarum præſides per ſupra dictum Patrem Schafferum, phialam dictæ aquæ vitriolatæ, unà cum ſolea equina ex media parte cuprea, ex altera ferrea pro eorum in me benevolentia tranſmiſerunt, huic itaque phialæ filum ferreum indidi, quod intra triduum totum conſumptum fuit, pulte in fundo relicta, quæ à ſcoria ſeparata purum æs reddidit, ſcoria autem fere ad ferrei fili pondus acceſſit, ut proinde de hoc negotio à nemine amplius dubitari queat, eſt & hoc admiratione digniſſimum, quod pater Schafferus de quodam medico ſibi multum familiari, magno chymico, ſcribit, eſt ei nomen Morlandus: hic frequenti experientia doctus, magnam differentiam inter cuprum, quod ex ferro per aquam vitriolatum fit, & illud quod ex mineris eruitur, reperit; ex cupri ſiquidem arte per aquam vitriolatam ex ferro con-

fecti centenario, 25. lotones auri ſe extraxiſſe refert, cum ex cupro minerarum ne quidem ſex lotones educere potuerit, rogatque à mea tenuitate hujus rei rationem. Reſpondi, id mirum non eſſe, cum enim aqua vitriolata non atramentoſis tantum corpuſculis, ſed & aureis una cum vitriolo ex propriis venis abraſis profluat, hinc fit, ut ea à vitriolatis corpuſculis ex naturali Sympathia attracta in unam farinaceam maſſam in fundo ſubſidant, ex qua deinde aëris ambientis ſiccitate indurata aurum id eliquatione ſeparetur, quantò autem per ditiorem auri venam fluxerit aqua vitriolata, tanto major æroſis corpuſculis auri copia inerit; quod tamen nequaquam fieri poſſe putem, niſi in aqua vitriolata per auream venam tranſeunte, quod deinde in ære minerali non tanta auri copia eruatur, ratio eſt, quod plerumque terreſtribus ſordibus involutum, exiguam auri copiam illi inexiſtentem præbeat, ſi vero aureæ venæ æroſa conjuncta fuerit, non video, quare non eadem auri copia, quæ ex ære vitriolato, inde educi queat; dependet itaque ea ſolutio ex eo, quod chymicus ille in æroſa ſubſtantia auro inope, in vitriolata verò ære auro divite experimentum fecerit; ut proinde nil in hoc admiratione dignum occurrat, quomodo vero ex argento, ex quo omne aurum jam, ut ſcribit, extractum, nihilominus ex uno lotone tantum adhuc auri extraxerit, quantum octo groſſorum pretium erat: Arcanum hiſce verbis mihi communicat: Accipe Antimonii, tartari, ſalis nitri unam unciam ex ſingulis, commiſceantur ſimul, & ſalia frigida fontana diluantur, à quibus ſi unam unciam Argenti ſeparaveris per cupellam, id dabit unam unciam Auro octo groſſis æquivalentis: Si vero ſecundo hujus experimenta cum argento feceris, nihil extrahes, argento remanente ſterili, miratur autem, quomodo ex argento, ex quo omne aurum extractum eſt, nihilominus adhuc aurum ſubſidio dictorum ingredientium extrahi poſſit, dico itaque falſum eſſe, omne ex argento aurum extractum fuiſſe, cum argentum non ita depurari poſſit, quin adhuc aliquæ particulæ ei inexiſtant, quæ poſtea Antimonio, in quo ſemper nonnihil auri inexiſtere omnes chymici fatentur, auctæ, aurum illud ad octo groſſorum pretium exaltant.

Hactenus KIRCHERUS, *veniat jam in Scenam Clariſſ.* REISELIUS *qui de Metallifodinis Bohemiæ præcipuis ſic in Miſcellan. Curioſor. Decur. 1. An. 2.*

Ut promiſſis ſatisfaciam, quicquid in itinere meo nupero Bohemiæ, cum generoſo Dn. Comite de PARS. Cæs. Mai. juſſu Anno MDCLXX. ad inquirendum in ſtatum modernum Metallifodinarum ſuſcepto, notatu dignum viſum eſt, fideliſſimè referam brevibus tamen, quia iter tardius, eſt declinante anno inſtitutum, me in montoſis illis locis morari diutiùs prohibuit, Primus itaq, viſitationis locus erat *Kuttenberga*, locus aliàs amœnus, benè ſituatus, & quoad temperiem aëris valdè benignus, per totam illam fodinam & unica vena cumulata argenti cum cupro permixta, in uno loco tamen ditior, quàm in altero, non adeò profunda in quibuſdam locis, nam in fodinam *Novæ Spei* (ſic dictam, quia nova eſt, & bonâ ſpe hactenus Metallici ibi nutriuntur) ſunt tantum 40. Orgiæ ſeu paſſus Metallici (notandum illos ibi habere orgias uno & medio pede longiores, quam alibi, & hic vocari *Thumplachter*, ibi verò *Berglachter*, ego puto *Thumplachter*, eſſe orgias Græcorum, *Berglachter* vero eſſe orgias Romanorum, ad mentem *Agric. de re Metall. l. 4. ad initium*) & ſanè jam ibi optima minera extrahitur, deſcendendo in puteum machinæ hydraulicæ (*Kunſt-Schacht.*) uſq; ad cuniculum ſub oſtiis, ubi aqua extracta effluit, (*bis auf dẽ Auguſ-Schraht.*) ſunt undecim orgiæ inde uſq; in *Wolffſchtreck*, (eſt cuniculus, in quo deſcenditur) ad fodinas ſive ad areas, ſunt 150. Orgiæ, ex *Wolffſchtreck* in fodinam, *Suchin* dictam, ſunt 24. Orgiæ; vena in hac fodina lata eſt, ad quartam circiter partem unius orgiæ non adeò dura, caudam ſuam tendit intra primam & ſecundam horam p. m. & ſatis magna humiditas ibi reperitur, inde uſq; ad *fodinam Aaronis* ſunt 18. Orgiæ: hæc vena eſt magis dives altera prædicta, minus tamen humida, inde tranſeundo per *fodinam Phaſiani*, reliquis duabus ditiorem, deſcenditur in *fodinam Commiſſarii* 12. Orgiis, qui locus ſiccus eſt, & Metalli quidem ditiſſimus, ita ut ibi quaſi cumulus & caput venarum videatur, de argento autem modicum continet, reliquum totum cupreum eſt. Tribus circiter orgiis inde eſt alia *fodina*, quæ *Bernireck* dicitur, pariter tam dives eſt hæc vena, ſed durior & ære caldario (*Glocckenſpeis*) prægnans, & locus venæ per ſe etiam ſiccus eſt; inde aſcenditur 44. Orgiis in *Uprzimnoſt*, quæ fodina uti apparuit, multas divitias in ſe jam non continet, humidior tamen eſt, exinde deſeruimus fodinas (*ſind zum tag auſſgefahren.*) Tota verò hæc *Kuttenbergenſis fodina*, uti eam mihi imaginor, talem tenet formam.



Ubi, *a*, eſt illa fodina Commiſſarii ſive cumulus mineræ, ſive materia illa Metallica ventris figura extuberans, (*die Gange machen, oder Vverffen einen Bauch auff,*) & *b. b. b. b.* ſunt venæ exinde provenientes, reliquas fodinas conſtituentes: ad profundiſſimum locum, ex quo nunc mineræ extrahuntur, plus minus 218. Orgiis Græcis (*Thumplachter*) deſcenditur: *puteus* autem machinæ hydraulicæ eſt alterò tanto profundior, in cujus fundum quamquam ob copiam aquæ deſcendere non potui, nihilominus tamen adverti, aquam illam ſucco Metallico ita eſſe imprægnatam, ut non tantùm intus in puteo guttæ decidentes, ſcalas (*die Farten*) ligneas in lapideas convertant, aut alias transfluens aqua rivulus canales ſuos aliis canalibus quaſi tartareis obducat, ſed intus etiam in Syphonibus talis materia lapidea accreſcat, ita ut ultra ſpatium 3. annorum rariſſimè ejuſmodi Syphonibus uti poſſint, coganturq; eos abiicere ob copiam accretæ materiæ pilum impedientis, hujus materiæ fruſtulum hic tranſmitto unà cum particulâ mineræ Kuttenbergenſis communis, nigrior, longior & obſcurior particula eſt ex *Phaſiano*, altera magis alba & brevior eſt ex *novâ ſpe*: aliam particulam mineræ Kuttenbergenſis melioris invenies etiam quæ parum argentum rude (*gediegen Silber Ertz*) in ſe continet, cerâ rubrâ notatur, hæc particula ex *Phaſiano* ante annum extracta fuit. Item adeſt particula *Mineræ argenti & cupri* Kuttenbergenſis ex cuniculo *S. Mariæ Magdalenæ*: hic locus eſt humidior reliquis omnibus, & ob hanc cauſam jam ab aliquo tempore fodinam illam colere non poſſunt, mihi videntur illi Cryſtalli eſſe flores cupri, quibus tota fodina, quantum videre licuit, pleniſſima eſt. Tranſmitto, ut puto, *Cadmiam fornacum*, & quidem eam, quæ conficitur in primis fornacibus, in quibus venæ cremantur (*Roſt-Ofen*) de qua loquitur Agric. *l. 9. de naturâ foſſil. circa initium, & ad finem l. 8. de re Metall.* Nam ibi Kuttenbergæ vocant, *Gifft von den geroſten reich Silber haltigen Ertzen*, & accipiunt ex illis fornacibus, ubi iſta materia parietibus ſeſe adhæret varii coloris, flava, alba, cærulea, nigricans &c. ego flores Arſenicales exiſtimo, nam & fumus & materia hæc malignum ſpirant odorem, ſi verò ſupra carbones ignitos projiciatur, pulvis iſte fumat potenter, & ſulphur redolet, quantum ſit venenum, proximè probabo. Adeſt & *Pyrites* aureo & argenteo colore (*Kupffer und Vvaſſer Kiſ*, vel *gelber und Vveiſſer Kiß*) continet etiam aliquid argenti in ſe, & ejus ſatis magna copia Kuttenbergæ invenitur. E regione fornacum, in quibus venæ excoquuntur (Schmoltzofen) eſt aliqua inculta fodina, ubi quondam *Antimonium* fuit extractum, cujus Mineræ particula hic invenitur. Notavi præterea, cum aliàs omnia loca herbis, arboribus, fruticibus impleta ſint, colles Metallicos ibi circum circa omnes eſſe calvos, & fumum ex fornacibus exhalantem, quia gravis eſt, & ſtatim terram repetit, omnes herbas in circumferentia, aut quæ ſub ſuo tractu communiter creſcunt, areſacere, incrementum impedire, aut planè conſumere, & vaccas, quæ ibi circa fornaces paſcuntur, lac aut inſipidum, aut malè olens præbere. Medio milliari Kuttenbergâ eſt certus tractus terræ, ubi præſtantiſſimus & delicioſiſſimus raphamus ruſticanus in totâ Germaniâ creſcit, ita ut oppidum illud ex puro raphano ſe ſuſtentet, Lipſiam & Viennam uſque adducunt propter ſuam præſtantiam. Plura in illo loco temporis injuria mihi notare non permiſit. Itaque indè in vallem Joachimicam perreximus, qui locus eſt montoſus, auſterus & rigidus valdè, ita ut vix frumentum ibi ad maturitatem pervenire poſſit, & aliquandò planè non, avena nunquam: Menſe Octobri Ribes & ceraſa ibi adhuc immatura invenimus, aliàs quoad herbas & arbores locus fertiliſſimus: inveni ibi Rorellam, An-

Angelicam, Libanotidem, Biſtortam, Tormentillam, Caryophillatam, Helleborum album & nigrum, Rhabarbarum Monachorum, Fabariam, Telephium purpureum, Gentianam majorem, & minorem, Ariſtolochiã utranq; Centaureum minus, Carlinam, Origanum, Pulegiũ, Thymũ, Saturejam, Serpillum, Imperatoriã. Polium montanũ, varias ſpecies Teſticulorũ, Liliũ Convallium; Lunariam ibi reperiri, à fide digno relatum eſt, Aſarum, Lyſimachiam purpuream & ſiliquoſam, Saxifragiam, Umbilicum Veneris, Anchuſam, Pentaphyllum Petræum, Papaver corniculatum, Solanum majus ſive Bellam Dõnam, Polypodium, ſed non quercinum, aliaſq; plurimas herbas in magnâ copiâ, quarum omnium non amplius recordor. Conjicio inde, aliquando magnas divitias extractas fuiſſe, eò quod ut in ejus loci delineatione videre eſt, quàm ſtupendè locus ille ſubfoſſus & tranfoſſus ſit: ibi plerumq; per cuniculos deſcendunt ad fodinas, raro per puteos, niſi abbreviandæ viæ gratiâ. Diverſę ibi ſunt fodinæ, quæ omnes venas habent duriſſimas, & rarò ultra latitudinem 4 aut 6. digitorum tranſverſorum ſeſe extendentes (loquor de venis argenti) ſed ditiores ſunt, quàm Kuttenbergenſes uti *ſub n.*8. illa particula probat. Omnes verò fodinę univerſaliter loquendo ſunt ibi valdè humidæ, ita ut in quibuſdam locis duplices cuniculi unus ſupra alterum ob copiam aquarum (numeravi enim ex uno cuniculo parvo aquæductus, præter aliam copioſam aquam, quæ abundãtiſſimè effluit quocunq; tempore ſicco, adeò ſuperfluè, ut ſi alia aqua deficiat, omnes inibi Molendinæ ſola aqua ex uno aut altero cuniculo eductâ ſufficienter impelli queant) inveniantur. Similis quaſi Minera ex unâ ſicut ex alterâ fodinâ effoditur, paucâ habitâ differentiâ: fodina quæ nunc ditiſſimam Mineram ibi præbet, eſt *fodina pulchra Mariæ*, in qua nunc ſæpè *argentum rude* reperitur, uti in tranſmiſſâ particulâ *ſub n.*9. quædam bracteæ argenteæ finiſſimæ & candidiſſimæ videntur. Hæc fodina valde etiam humida eſt, ſed in qualitatibus activis alias temperata: inventa fuit ante aliquot annos ibi quædam vena *argenti rudis plumbei* coloris (*Glaſſ-Ertz.*) cujus particula *ſub nu.* 10. eſt, ejus medietatem tranſmitto, quia valde parum acquiſivi, nihil enim ampliùs de venâ illâ reperitur. Inventa etiam fuit aliquando alia vena hujus argẽti penes illud oppidum, *Gottes Gab.* dictum, nunc nec hic, nec ibi amplius tale quid invenitur, an nihil remanſerit, vel an homines non tàm diligenter ampliùs, ut antea ſolebant, quærant, non ſcio. Apparet enim ibi dictas venas quæſitas ſuperficie tenus ubique fuiſſe, adeo tota terra transfodi incepta eſt (*es iſt alles geſchorfft.*) *ſub n.*11. ſunt duæ particulæ de *argento rubro rudi* (*roth Golden Ertz.*) quia mihi ita fuerunt vocatæ, tantam tamen claritatem, ut Authores notant, in hâc Minerâ non invenio, quapropter ego magis argentum rude purpureum (*gediegen Braun Ertz*) eſſe exiſtimo: ſubeat cenſuram. Inventum fuit etiam hoc argentum in valle Joachimicâ ante aliquot annos, nunc verò rariſſimè aut nunquam. Reperitur ibid. in unâ fodinâ *medulla ſaxi* (*Steinmarch.*) certum genus terræ albæ, de quâ *Agric. in Bermanno*, eſt *ſub n.*12. locus, unde excepi, eſt ultra 500. Orgias (hîc habent Orgias Romanas, *Berglachter*) profundus, ſaxum integrum, habens in medio fiſſuram ad latitudinem unius palmi, altam ad 4. Orgias circiter, altiorem & profundiorem eſſe benè apparet, ſed quia ſaxum (duriſſimum) integrum eſt, certa altitudo & profunditas, donec totum fuerit delectum ſciri non poteſt, in dictâ iſtâ fiſſurâ invenitur hęc medulla, quę licèt ſit materia pinguis, non tamen ardet, nec ad ignem liqueſcit; inſipida eadem planè eſt, exhibeturq; ibi forma pulveris ea quantitate, quam cultri cuſpis capit, cum cochleari aquæ Petroſilini in Obſtructionib. Urinarum & dolorib. Nephriticis: Nam expertum eſt, illam calculum & urinam pellere. Datur & ibi aliud genus certę cujusdam terrę, de qua etiam *Agric. l. c.* hęc & tota nigra uti videtur *ſub n.*13. eſt, & alba, nõn tamen pinguis, & rubra in unius ejuſdem fodinæ venâ: hæc fodina eſt inculta & occulta, ſaxis, terra, ſepibus, lignis, variiſq; rebus cooperta, ſine uſitato acceſſu, exceptis tribus vel quatuor, reliquis omnib. antehac non cognitis, 30. aut 40. ad ſummum Orgiis profunda, & tam anguſti introitus (per modum cuniculi) ut non niſi ſerpendo homo macilentus tantùm, in longitudine 7. vel 8. Orgiis intrare poſſit.

Notandum præterea, illam viciniam ſemper eſſe nebulis plenam, ita ut inſtar nubium continuo ibi circũvagantium permeent vapores iſti, & tamen tàm alta, ac vallis Joachimica, non eſt. Ab extra videtur formoſiſſimus hic collis ob copiam variarum herbarum: ſupra & circum circa triticum etiam copioſum creſcit, ab intra verò eſt caverna & ſpecus horrendiſſima; non eſt ſaxũ integrum, ſed totus mons apparet, ut cumulus ſaxorum grandium & minorum, intra quæ terra ita diſpoſita eſt ac ſi natura loco calcis eâ ad fabricandum hunc collem uſa fuiſſet. Si quis incaute offendat caput ad lapidem, decidit longus tractus terræ, ita ut videantur omnia velle corruere: invenimus quoq; in illo anguſto introitu, varia quadrupedum & piſcium oſſa, intus verò totam fodinam (magna non eſt) variis cuniculis hinc inde inordinatè tranſactam, pervagando, nullum animal inventum fuit, mira & mira de hac fodina narrantur, etiam à loci ignaris, inter quæ quoque narratur, quod certi quidam Itali alternis vel ternis annis venire ſoleant, pro excipiendâ hâc terrâ, ex qua poſteà illos aurum conficere fama eſt, modus verò hinc aurum extrahendi omnes latet, certum tamen eſt; non adeò pridem homines intus fuiſſe: vidimus enim veſtigia recentiſſima ſurreptæ iſtius terræ, nigræ, præcipuè, imò unam talem divitem venam lapidibus tectam & occultam in quodam cuniculo reperi, ubi magna copia iſtius terræ jam tùm ita collectæ, diſpoſitæ & ſtudio aſſervatæ latet; ſunt variæ venæ, nec omnes ſuas caudas ad unam eandemq; oram tendunt; locus aliàs non eſt adeo humidus, reſpectu vicinorum; nam eſſe loca quãplurima, ubi ad profunditatem 2. vel 3. Orgiarum jamdum aquam inveniunt, uti ab incolis illius viciniæ, fidè dignis viris, ſanctè mihi fuit aſſertum; nec terra illa aut vena dura eſt, digito enim & cultro excipi poteſt, nec ſpirat fumum viroſum, vel aliam auram peſtilentem aut putridam, totam enim illam fodinam, aut totum illum collem, aër tranſpirat & pervolat (*es iſt gutes Wetter darin, und ziecht auſſ und ein.*) Narrantur etiã de illa fodinâ, quod ab illis Italis ita maledicta ut per ſpectrã aut Dæmones metallicos truculẽtos intro ad cuſtodiẽdã hanc venam amandatos munita ſit, & ingredientes nec aliquid excipere, & ſi tamen quid excipiant, indè nihil efficere aut experiri poſſint.


Uno milliari ex valle Joachimicâ in confinibus Bohemiæ & Miſniæ creſcit *lapis Granatus*, cujus unam particulam hic tranſmitto *ſub n.* 14. omnia in illis confinibus repleta ſunt hoc lapide, & notavi, (quoniam integri montes ſunt Granati, aut ut melius dicam, tota minera mons merus eſt) in ſuperficie terræ iſtius mineralis Granatos lapides apparere quidem, ſed omnes à ſole exuſtos & conſumptos. Cuniculos quæſivi, & inveni eos aliis humidiores, & lapides Granatos bonos & recentes, velut hic tranſmitto; intrare ultra duas Orgias non potui, quia lampadem penes me non habebam, valdè tamen humidum illum cuniculum reperi, hinc apparet lapides iſtos humiditate conſervari. Unus centenarius horum lapidum continet (ut dixerunt, relata, non experientiâ probata refero) aliquot uncias argenti puri, eſt minera, uti apparet, mollis valdè. *In eadem valle Joachimicâ in cuniculo*, ut puto, *S. Suſannæ*, reperitur arbor in lapidem converſa, cujus particula eſt *ſub N.* 15. videtur ibi figura ramorum, corticum & radicum, tota arbor quaſi excavata jam eſt cuniculus iſte uſque ad illam arborem ſeſe extendit ultra

tra 2000. Orgyarum, putant fuiſſe fagum,&ita in lapidem converſam, tempore diluvii ſabulo & arena ſic obrutam, & tractu temporis in talem materiam lapideam converſam fuiſſe: quæ ratiocinatio licet abſurda adeò non ſit,(nam ille cuniculus ibi per omnes partes ſimilis non eſt,nunc enim tranſit integrum ſaxum, nunc arenam, nunc argillam, nunc terram, iterum ſaxum, jam lapides,paulò poſt iterum ferrum, jam humidus, jam ſiccus,hic calidus,ibi frigidiuſculus, denique planè heterogeneus eſt, & ibi ubi putatitia iſta arbor hæret, apparet mera arena,quæ glutine & viſcoſa quadam humiditate ſucceſſu temporis exſiccata, & quaſi conglutinata eſt,non eſt petra vera,nec pura terra,nec pura aut vera arena, ſed videtur arena cum limoſa terra conglutinata.) Quoad ego conjicere poſſum, exiſtimarem ibi fuiſſe ſuccum lapideſcentem, qui caſu talem figuram arboris formavit: ſed quid de cortice? quid de illis fibris dicendum, quæ magis indicant, ſi arbor unquam fuerit, fuiſſe quercum? nam nunquid dantur piſces, & aliæ multæ res foſſiles? libentiſſimè judicium ſubibo. Eſt & in eadem valle ***minera ferri,*** quæ videtur *ſub N.* 16. hanc mineram vocant ferrum rude purum (*gedigen Eiſen-Ertz*) dicuntq; eſſe plurimam partem ferri, & accipiunt tranſeuntes pro lapide hæmatitide, & ita quoque eâ utuntur, ego credo eſſe Crocum Martis naturalem (hic pulchrum eſſet diſcurrere,cur ferrum per mucrones,argentum per bracteas, lamellas,fibras & ſtrias,plumbum & ſtannum per maſſas & cumulos ſeſe prodant.) Cuniculus profundus adeò non eſt,conſtat & terrâ & ſaxo non adeò duro,ſed omnia ſunt rubicundiſſima,ipſamet aqua intus ſtagnãs, quæ adeo copioſa non eſt,putatur ob colorem & denſitatẽ ſuã verus ſanguis:ego in me fui expertus,illã terrã eſſe valde vulnerariã, nam cum eſſem in fodinâ, cecidi,& vulnus triãgulare ad palmũ dextrum mihi inflixi,& cùm nihil penes me haberẽ,appoſui recenti vulneri illã terram rubrã naturali humiditate prȩditã,ligavi manum,& ita perrexi,idem de die bis repetij, & cũ nullam inflammationem in manu ſentirem,nec viderẽ, cauſã ab hâc experientiâ deſiſtendi non habui, quarta die vulnus mihi perfectè ſanatũ fuit,ita ut cicatrix nũc vix videatur;nũc hic Viẽnȩ in quadã muliere operationẽ hujus terrȩ iterũ expertus fui,cui inter alia ob Rheumatiſmũ venȩ ſectionẽ in pede ordinavi,& quia ſectione hujus venȩ chirurgus majus juſſu vulnus venȩ inflixerat,ſãguine prȩterea tenui & calido exiſtente ſãguis ex venâ tanto impetu proſiliens, cum ſũma difficultate ſiſti potuit,de nocte mulier incautè,pedẽ offendens, venã abſq;hoc ſatis latè diſſectã rumpit,qua rupta ſãguinẽ ad deliquium quaſi fudit,iterũm omni adhibitâ diligentiâ ſãguis ſtetit;triduo poſt ligatura fuit aperta (omnes vulnus ſanatum credidimus)& ecce iterũm cũ ſummo impetu abſq; ſpe ſanandæ venæ ſanguis proſilit,ita ut convulſiones jam inciperent.Cum verò locus uſtioni non eſſet aptus,neq; alia quævis remedia ſanguini ſiſtendo adhibita,quicquã conferrent,tandẽ ego accedens maſſam confeci,ex crepitu lupi cum albumine ovi,ſuperaſperſi bonam quantitatem hujus terrȩ in tenuiſſimum pulverem redactæ,maceravi hanc maſſam in aceto roſaceo forti,& ſupra venam ligavi faſcijs & linteis omnibus in aceto illo roſaceo cum reliquo pulvere hujus mineralis terræ mixto intinctis, & ſpatio unius noctis tàm perfectè ſanata fuit ut altero die circumambulare tutò potuerit.Colliculus unde hæc materia extracta eſt,plenus apparet junipero & pino humili & alta, habet & alias herbas, ſed paucas. ***Plumbum*** ibid. etiam promiſue invenitur,cujus mineræ particula eſt *ſub n.*17.rarius autem *plumbũ cinereum.*(*Biſſmuth*) cujus mineræ particula notatur *ſub n.*18. Liqueſcit hæc minera ad flãmam candelæ. De hoc plumbo cinereo purificato, quando tantum ſtanno additur, quantum requirit (unum ſtannum plus, alterum minus) reddit ſtannum illud jamdum ad uſum præparatum quod ſonum & apparentiam ſimile argento, & ultra quadrantem horæ factâ commixtione iſtorum duorum metallorum auditur ſtrepitu interno in patellâ,orbe aut alia re fuſâ,jamtũ refrigerata etiam ſonitus actionis & reactionis internæ.Extrahitur & ibi magna copia *Cadmiæ metallicæ.* (*Kobolt*) cujus mineræ particula eſt *ſub n.*19. Conficiunt inde colorem illum cœruleum, quo utuntur mulierculæ pro tingendis collarib. Varia metalla, pro varietate loci,unde extrahitur,in ſe continet:Utũtur ibi etiam ut veneno contra muſcas: ego proximè quantũ venenum ſit probabo, hoc tantùm intereà pro certo affirmare poſſum, ad reditum meum Muſæum plenum muſcis inveni (fuit tamen in meâ abſentiâ ab hominibus frequentatum,) poſtquam ergò mineralia mea publico aeri ex ciſta expoſueram, inter quæ erat & Cadmia iſta, ſpatio 6. vel. 7. dierum taliter evanuerunt muſcæ, ut jam vix unam aut alteram & rariſſimè quidem advertam;ſed expoſui prætereà varias ſcutellas confectione Cadmiæ metallicæ & fornacum cum aquâ & lacte infectas, pro interficiendis muſcis, nec quantum mihi obſervare licuit, unicam muſcam inde guſtare vidi,advolarunt quidem, ſed in momento avolarunt, hinc mihi imaginor, ſolam illam evaporationẽ in aërem vicinum mactaſſe muſcas, quia & ibi in Valle Joachimicâ tantum hinc & inde mineram iſtam collocant,&ita omnes muſcas ex hypocauſtis abigunt,nunquam etiam ullam muſcam ſupra mineralia mea diu ambulantem hactenus obſervavi,ſed cum ego odorem aliàs valde acutum habeam,nullam inde nauſeam,contrarietatem aut horrorem adverto, cum tamen Napellus me jam tum duabus vicibus ſolo odore vix non mactaſſet, meum herbarium vivum, in quo napellus eſt, penes me tantum habendo,& id pervolvendo.*ſub n.*20. tranſmitto *Mineram Arſenici*, cujus ibi magna copia invenitur,attamen,uti authores ſcribunt,eam tam pinguem non invenio. Hæc fodina alta eſt, ſatis ſicca & grave olens,cujus fœtorem quanquam non ſentirem, difficilem tamen reſpirationem cauſavit, intravi ſolus cum metallicis illis ordinariis, reliqui mei ſocii cum intrare nollent,me foras exſpectarunt,alias illis,ut etiã inaſſuetis,quin idem accidiſſet, nullus dubito: Habeo enim pulmones, Deo ſint laudes, tàm bonos, ut certò cum nullo eos mutare vellem,etiamſi id poſſibile eſſet, certum tamen eſt,arſenicalem illum vaporem mihi id cauſaſſe, cum eodem plane modo idem mihi cõtigerit Kuttenbergæ: Ibi enim cum derepente ad fornaces, in quibus venæ cremantur(*Roſtofen*)incautè accederem,& ibi videnda circumſpicerẽ, quamvis nec ſpatio unius medii quadrantis horæ intus permanerem, tantã difficultatem reſpirandi ſentire cæpi,ut per horam me colligere nullatenus potuerim, & ſuffocationẽ timuerim.

Metallici, qui per aliquot annos in illa fodina laborant, acquirunt tremores artuum & moriuntur, idem contingit illis,qui in fornace, in quâ hujus venȩ flores conficiunt,laborant,cujus delineationem,proximè, ut ſpero,etiam tranſmittã, omnes laboratores ibi ſunt, ut illos aliquo modo depingam,ſicut ſceleta viva,pallidi, ſicci,oculos habent concavos,verbo,ſunt tam macilenti,ut cutis vix oſſibus hæreat.Ad hujus fornacis caminum etiam accedere planè non potui, nec in fumo aut circa fumum ſalvâ reſpiratione permanere, ad ignem tamẽ & fornacem ignitam liberè acceſſi. Obſervarunt præterea ibi morantes laboratores,quod quoniam fornax hæc in medio ſylvæ ſita eſt,ad illam viciniam, quã fumus tangit, nulli unquam cervi accedunt, ut ut circumcirca non pauci degant,ſed quam primùm fumum olfaciunt,quantocius recedunt. Ex hâc minera poſtea conficiunt *Arſenicum Cryſtallinum,uti ſub n.*21. quod eſt ſine ſulphure,*& Arſenicum flavum,uti ſub n.*22.quod eſt cum ſulphure paratum.Duobus milliaribus ab iſtâ valle alius ſitus eſt pagus, qui vocatur *Donum Dei*, eſt tam miſerabilis locus, ut vix paſſer ibi degere poſſit, altus,in continuis nubibus,& nebulis, nec herba, nec

fru-

frutex, multo minùs arbor ibi invenitur non habent hujus loci incolæ niſi tres partes anni, de æſtate nihil ſciunt, frigidus, ſummopere præterea humidus, & quidem adeò, ut gramen (quod ibi relinquunt, quoniam aut uſui nulli eſt, nec enim beſtia ulla eo paſcitur, aut ſi uſui eſſet, ſiccari non poteſt) annuatim unum ſupra alterum putreſcat, maſſa hæc putrida per totam illam viciniam ultra unam & mediam Orgiam profunda, nigerrima eſt & pinguis, ſicut fimus vaccinus putrefactus, & quando quis ſubtus eſt, ut aliquandò contingit, ſi vena ſit paulò profundior, maleolentem & nauſeabundum ſpirat odorem. Sub eâdem maſſâ eſt terra lutoſa & argillacea quaſi, quàm lavant, exque eâ Mineram Stanni extrahunt, inſtar arenæ gravem & nigram, aliquandò plurem, aliquandò pauciorem, frequentiſſimè tamen ex terræ ℔xx. circiter extrahunt ℥iij. vel ℥iv. vocantque hoc ſtannum, *Saigerzin*, & eſt valdè bonum ſtannum. Sub illâ terrâ eſt terra arenoſa & firma, inanis & nihil in ſe continens; ſunt in illâ viciniâ paludes ita tectæ gramine ſuo, ut pro firmâ terra habeantur, tantæ profunditatis, ut homo cum equo ibi ſubmergi poſſit, quod aliquandò contigiſſe, incolæ mihi narrarunt; Eſt quoque in illis cavernis magna copia ſtellionum (cavernæ ultra 4. vel 5. Orgias profundæ non ſunt) quos vidi: De Salamandris quoque interrogavi & eas deſcripſi, & ſecundum meam deſcriptionem eas ibi etiam reperiri mihi aſſeruerunt, nullam tamen vidi, non autem niſi per dimidium diem ibi permanere potui. Homines illi continuò pervolvunt illam terram ex una parte in alteram, & ſemper inveniunt in eâ mineram ſtanni, ita ut terra illa jam tum aliquoties fuerit revoluta, ſtanni, ſemper inventi, gratiâ. Ex hac valle diſceſſimus *Schlakenvvaldum*, ubi integra vena *cumulati ſtanni* reperitur, cujus Mineræ particula eſt *ſub No.* 23. Hæc vena caudam ſuam in profundum extendit (*es fælt in die Tieffe*) & quidem uſque adeò, ut venæ cauda reperiri nunquam poſſit. Quo enim diligentiùs fodiunt, eò majorem & cumulatiorem venam ſemper inveniunt, & quod magis mirere, dum infrà fodiunt, ſupernè iterum recreſcit minera. Qualia edificia, quantæ cavernæ & excavata ſpatia ſint ibi ſub terra iſtius fodinæ, nemo credit, qui non vidit, tranſivi quaſdam cavernas ultra 50. aut 60. paſſus longas, & 30. aut 40. latas, altitudinem videre non potui, tàm horrendæ ſunt. Placidiſſimè & diſtinctiſſimè intus Echo reſonat & reſpondet; omnes fornicatim excavatæ, & ſine fulcris quidem: majores adhuc cavernas eſſe, mihi aſſeruerunt, totam enim fodinam non vidi, quia ad illam totaliter viſitandam requiruntur 3. integri dies, tàm magna eſt, & variis ædificiis ſubſtructa, non adeò humida, niſi ubi eſt machina hydraulica, memorabilis ſanè; Dicunt intus morari Dæmonem quendam metallicum, qui ſæpiſſimè apparet ſub varia figura, jam ut metallicus, jam ut magiſter metallicorum, jam ut juratus, jam in forma muris, canis & variorum animalium, aliquandò auditur ſaltare, & ducere choreas, inflare tibiam, & millenas alias nugas illum ajunt incipere, cumq; pro malo omine habeant, ſi illum audiant aut videant, ſummopere omnes tumultus aut clamores aliaſque inſolentias in fodina prohibent: ego cum deſiderium haberem, illum videndi aut audiendi, incepi fiſtulare, & metallici me per omnes Deos & Deas, quatenus ab hoc abſtinerem, rogarunt, fortaſſis ſi reſpectum Comitis non habuiſſent, non verbis, ſed verberibus mihi ſilentium imperaſſent, cumq; cauſam hujus indagarem, dixerunt, illum Dæmonem ſolere aliàs ſtatim reſpondere fiſtula, ſaltu, aut riſu potentiſſimo, & cum aliquoties damnum quibuſdam inflixerit, illos præcipitando per ſcalas, torquendo, tundendo, lampades exſtinguēdo, ſeducendo &c. Illi adeò fidendum ſemper non eſſe. Apparet itaque, illum Dæmonem eſſe jocularium & nugatorium, ego verò nec quippiam audivi, nec vidi de illo in hac fodina. Hic non ſicut in aliis fodinis jaculari ſolent, ſed ignem ſubſtruunt, quia, cum patentiſſima ſit, & ſpiracula plurima habeat, ignem benè ſubſtruere licet, deindè ſi jacularentur (jaculari autem vocant, quando foramine rotundo terebrâ in mineram incuſſo, id pulvere pyrio implent, candelam ſulphuream longiorem penes accendunt, & ita mineram diſſilire faciunt) valde timendum eſſet, ne terra ſupra corrueret, & aut Metallicos aut venam obrueret. Vena enim in tali figurâ



procedit, ubi *a*, eſt ſuperficies terræ, *b*, *c*, *d*, totus cumulus venæ, adeoque uti videtur etiam extra fodinam, terra manifeſtiſſimè ſe ad venam inclinat, etiam in una parte aliquid corruit, & fregit illis rotam machinæ hydraulicæ una cum ejus cavernâ (*das Rad mit ſampt der Rathſtuben*) quarum murum jam ſubſtruunt fortiſſimum, & in illa vicin â fodere ſacroſanctè prohibent, nam in aliis locis ſufficientiſſimam mineram habent, quia eſt integer cumulus, & quicquid decutitur, minera eſt. Hic etiam eſt quædam *argenti* fodina, ex qua eſt particula *ſub No.* 24. non profunda ea eſt, valdè tamen humida, & terra lutea repleta; conjicere licet, quondam magnas divitias ibi fuiſſe extractas, vel ſolo ædificio id denotante, in quo antiqui longiſſimum quendam cuniculum ad aquam tantùm educendam egerunt, à parvo tempore fodinam iſtam colere inceperunt, ſub ſpe adhuc laborantes: Nam quantum hactenus extrahunt, non ſufficit pro ſolutione metallicorum. Media hora *Schlakenvvaldo* diſtat *Schônfeld*, qui locus participat in fodina ſtanni cum *Schlackenvvaldo*, & propter continuationem molendinarii ubi tunduntur venæ, [*Puchvverck*] & fornacum unus idemq; locus quaſi putatur: & quod admiratione videtur dignum, quod cum ejus ſitus in meram planitiem ſe diffundat, nihilominus tamen continuis nebulis, pruinis, frigore, aliiſq; Cœli injuriis perpetuis obnoxius, ita quidem ut ibi integro menſe & amplius hyemem longiorem habeant, quàm *Schlackenvvaldi*: hic erit aura temperata & ſerena, ibi ninget aut pluet, hic tota die à ſole torrentur, ibi nebula & pruina omnia devaſtabunt, hic homines formoſi, ibi ſtrumoſi, præcipuè fœminæ; hinc equidem totam mutationem & diverſitatem inibi latentem Mercurium conjicio, & ſi quærerent, certò puto, illos Venam Mercurialem reperturos, quin imò aſſeverare auſim, poſt aliquot annos, ſi ita verſus *Schônfeld* in fodina Stanni continuaverint, derepentè Venam Mercurialem illis patefactum iri. *ſub No.* 25. eſt quidam *lapillus niger*, quem vocant *zinnkrauppen*, eſt *ſtannum rude*, idem ac *gedigen zinn*, paulo rariores ſunt, quàm minera prior *ſub No.* 24. vidi alium talem lapidem ad magnitudinem unius pugni, ſed tales rariſſimi ſunt. Etiam *Schlackenvvaldi* per totum illum tractum, ubi aqua ex machinis, in quibus venæ pilis præferratis tunduntur, [*Puchvverck.*] fluit, lavant arenam, & iterum quantitatem aliquam ſtanni nunc majorem, nunc minorem inveniunt. De reliquis notavi, totam Bohemiam & Moraviam plenam eſſe *Micâ* [*Katzen-Silber*] uti apparet *ſub No.* 26. de qua ſcribit *Agric. in Berman.* qualem, licet nullius uſus ſit, tamen unà tranſmittere volui.

Et hæc ſunt, quæ brevi hoc itinere annotare potui, proximè expectabo alias mineras, quæ ſi rariores fuerint, etiam communicabo. Exſpecto etiam quaſdam delineationes fodinarum & fornacis, in quâ conficiuntur flores Arſenici, quas pariter tranſmittam, unà cum modo, quo conficiuntur, & declaratione, quare unum cryſtallinum & alterum flavum ſit. Addam inſuper pleniorem relationem eorum, quæ pro nunc fortaſſis oblitus ſum, nec non quorum experientiam facere conſtitui. Expecto etiam aliam Mineram Antimonii, aliaſque Granatos, qui ſi figura à modò tranſmiſſis different, fidelиſſimè eos communicabo. Optarem equidem etiam atque etiam, liceret ſequenti æſtate denuò fodinas haſce viſi-

viſitare, citra diſpendium meæ praxeos, abſque hoc enim ſi eſſet,tædioſum minimè foret,ſæpiùs atque ſæpiùs tranſvagare cavernas & viſitare mineras: neque enim intima terræ viſcera unquam abhorrerem,modò penitiùs contemplari naturæ opera poſſem, &c.

Coronidis loco *duo Experimenta* à me facta communicare placet.

1. Cadmiam fornacem probavi, nec mures, nec glires eam attingunt: Cato dedi, qui vertigine correptus, aliquot diebus poſt periit.

2. Cadmiam metallicam dedi cuidam cani, qui horrendiſſimè vomuit; non quidem periit, ſed tamen huc uſque malè valet. Obſervavi inſuper quod.

3. *Aqua Lapideſcens* in minera plumbi Tarnomontana, in confinibus Sileſiæ & Poloniæ *No.* 29. ſignata, creſcit ita ad inſtar bacilli longi teretis & quaſi per annulos diſtincti inque medio perforati; exhibetur ibi in obſtructionibus urinarum & in calculo.

4. Minera ♄. Tarnomontana,*No.*30. ſignata,argentum in ſe continet ſed paucum, adeòque valde parvum,inde lucrum acquirunt, &c.

5. *Sal Polonicus* in ſua fodina eſt mollis & levis, extra in momento ita dureſcit & graveſcit, ut unicum fruſtum quod in fodina ab unico homine tractabatur, extra eam vix quatuor boves,movere poſſint.Obſervavi hæc præcedenti anno, quando cum S. Maj. Imperatrice Eleonora, Sponſam Regis Poloniæ Comitante Cracoviam, eò proficiſcebar.

Hactenus REISELIUS *de Metalli fodinis Bohemicis.*

MEU Sive MEUM.

Meum Græcis μῆον vel μέιων à μείον,quia foliis conſtat omnium herbarum tenuiſſimis;quibus ut & ſemine magno, oblongo, ſtriato ab aliis congeneribus diſtinguitur.

Nomina. Meum *Ger.* Vulgatius *Park.* Foliis anethi *C.B.*Meum vulgare ſeu radix Urſina *J. B.*

J.B.Herba hæc cujus folia cubito ferè longiora,longos habentia pediculos ſtriatos,eorumq;ſupremæ partes foliis fœniculi ſimiles ſunt, capillaceæ, crebriores tamen & molliores,nec capilli uſque adeò longi;caulem edit ſimilem fœniculo, minorem tamen multo, ſtriatum,inanem,ramoſum,umbellam florum alborum Anethinis ſimilium, pentapetalorum; ſemina magna, longa, ſtriata; radix interdum una, interdum plures, dodrante longiores,modo tenuiores, modo craſſiores, è quarum lateribus utplurimum oriuntur obliquæ radices, ſatis longæ, quæ ſurſum interdum tendere deprehenduntur, nec paſſim in aliis radicibus ſic adnatæ pervenire ſolent. Cortice veſtitur primo nigricante vel potius cinericeo, tenui, deinde altero craſſo,albo,gummoſo;in ejus medio eſt matrix. Odore eſt ſatis jucundo,paſtinacæ ferè,magis tamen aromatico,ſapore non ingrato, niſi quòd acris & nonnihil amara. Quum verò radix hæc ex iis ſit quæ hyemem perferunt, & Alpina magnas habet comas capillatas, ex foliis areſcentibus.

In Weſtmorlandia Angliæ Provincia copioſe provenit in pratis & paſcuis duobus à Sedberg pago m. p. viâ quà ad Orton pagum itur.

In exteris etiam Regionibus Germania, Italia, Hiſpania in montibus invenitur.

Vires. Flatus diſcutit, uſus præcip. in inflatione ac ructu ventriculi,in menſibus ac urina ciendis,in uteri ſuffocatione; in torminibus ventris,in catarrhis tartaroque pulmonum expectorando. Schrod.

Multas ingreditur cōpoſitiones& ipſam theriacā,Idē.

Habet autem radix,non ſecus ac mentha humiditatem quandam excrementitiam, quâ ad caput lata eſt κεφαλαλγὴς, unde intelligitur non adeo frequentem debere uſum ejus eſſe,in iis præcipue qui aut voverūt caſtitatem,aut aliàs venere uti non debent. Quā enim vi agit illud,ea agit hoc quoque.C. Hofman.

Geſnero Mei pabulo in Apulia vaccæ plurimum & optimum lac reddunt,& inde caſeum cabalinum dictum confici ſe audiviſſe ait,at nobis caſeum illum ex lacte bubalino ſeu buffelino fieri narratum eſt.

Lobelium monuit Turnerus in Alpibus Cheviotiicis Scotiæ finitimis hanc ſtirpem magna ubertate ſcatere. Nobis in montibus illis plantas indagantibus non comparuit. *Raius.*

MEZEREON GERMANORUM.

Nomina. Chamælæa Germanica ſive Mezereon *Ger.* Germanica,ſive Mezereon vulgò *Park.* Laureola folio deciduo,flore purpureo,officinis laureola fæmina *C.B.* Laur.fol.decid.ſive Mezereon Germanicum *I.B.*

Frutex eſt ad trium cubitorum interdum altitudinem excreſcens radice in aliquot partes diviſa,minimi digiti craſſitudine,vel etiam craſſiores,longâ, altéque ſe demittente,alba;ex qua aſſurgunt virgulæ plerunque ſingulares,lentæ,teretes,tenues,obſequioſæ,cortice duplici tectæ,exteriore cinereo, tenui, fragili, interiore exterius virente, interius albicante valde & fractu contumaces, lanuginem quandam bombycinam dum divelluntur oſtendentes, cui ſubeſt lignum candidum,ſolidum, medullâ paucâ præditum. Flores ad ramulorum latera ſine pediculo,nunc ſingulares,nunc plures ſimul juncti ex nodulo ante folia prodeunt,pallidulі,ex rubello purpuraſcentes,colore ad flores perſicæ accedentes, oblongi in quatuor foliola mucronata,reflexa,diviſi, odore ſuavi, in medio ſtaminula aliquot crocea.Folia ex tuberculis plerunq; plura ſimul, colore herbaceo, laureolæ folio perpetuo accedentia, molliora nec ut illa ſplendicantia. Baccæ cum maturitate rubentes,quæ reſiccatæ nigricant, quarum interior nucleus cannabis ſemini ſimilis, medulla candida.Tota planta, ut odore gravi eſt exceptis floribus, ita ſapore acerrimo & urentiſſimo.

Amat loca ſylvatica & montana. In Germania & montibus circa Genevam & alibi obſervavimus. Flores, (ut in deſcriptione dictum) folia antevertunt, & Martio Menſe exeunt. Baccæ in virgis diu durant. In Anglia non habetur ſpontanea; ſed ob florum præcocium aſpectum pulchrum & ſuavem odorem noſtratibus in pretio eſt, inque hortis & viridariis magno ſtudio paſſim colitur. Variat floris colore pallidius rubente, & albo. Hujus baccæ officin. Coccignidii ſc. grana Cnidia vocantur.Schrod. Cord.

Vires. Mezerei vis eſt ignea, acerrima, exulcerans & mordens; commanducatum fauces & œſophagum adurit, diu multumque vexante impreſſione, Lobelio & experientia teſtibus. Febres accendit, cordis præcipuarumque partium vires exſolvit, validiſſimè bilem bilioſaſque ſeroſitates purgans. Corrigitur macerando hor. 24. in aceto (ut elleborus ac eluſa) ſucco mali punici aut Cydonii, portulacæ, mucilagine ſeminis pſillii. Alii corrigunt infundendo in vino & iterum exſiccando alii triduanam macerationem in aceto requirunt, ſingulis diebus novum affundendo, & tandem aquâ bene eluendo.

Verum folia, cortex, baccæ quomodocunque præparatæ & correctæ ob malignitatem rariſſime in uſum veniunt, nec niſi in tutiorum medicamentorum inopia & caſu aliquo deſperato exhibenda ſunt, idque magna conſideratione. *Raius.*

Officin. Nat. ex Mezereô.

Cortex, Folia & Grana.

Vires. *Mezerei eſt ignea, acerrima, exulcerans, mordens, febres accendens, cordis principumque partium vires exolvens, validiſſime bilem, bilioſaſque*

ſeroſi-

ſeroſitates purgans. Corrigitur macerando hor. 24. in aceto (ut elleborus ac Eſula) ſucco mali punici aut Cydonii, portulacæ, mucilagine ſem. pſyllii.

N. *Alii corrigunt infundendo in vino, & iterum exiccando. Alii triduanam macerationem in acet. requirunt, ſingulis diebus novum acet. affundendo; & tandem aqua bene eluendo.*

Doſis *Fol. ac Cortic.* Mezerei optimè præparatorum & correctorum (ſine correctione exulare debent,) eſt gr. viij. ad xv. Grana à gr. vj. ad xv.

N. 1. *Rejiciantur fibræ, dum teritur.*

N. 2. *Ob malignitatem rariſſimè in uſum venit.*

Præparata.

Pilulæ de Mezereo. Videſis apud Auguſtan.

N. Eſt & Mezeræum Chamelæa Tricoccos, C.B.i. Chamelæa foliis magnis & tenuibus, *Meſuæo.* Cham. latif. vel alba. *Serapioni.* Chamelæa, *Matthiol. Dod. Cord. in D. Bellon. Lon. Cluſ.* Tricoccos, *Lob. Caſt.* Mezereon Arabum, *Lob.* Tricoccos, *Tab.* Chamelæa vera, *Cam.* Germ. *Seidelbaſt. Great Leaved Chamelæa*, or *humble Olive. Zeelbaſt.* Verùm officinis noſtratibus non adeo vulgare, quamvis ſint, qui pro Mezereo officinarum habeant. *Schröderus.*

Cum *Mezereo*, utpote valdè draſtico Pharmaco, Nobis hîc etiam nihil eſt commercii, ſed *D. Lectorem remittimus ad D.A.ſcilicet Schröderum.Hofmannus.*

MILIUM.

Milium Græcis κέγχρος ut Varroni placet à Græco derivatum eſt, nam illud prius μίλιν, poſt μέδιν dicebatur ſeu μελίνη communi cum panico nomenclaturâ. Verum probat Voſſius μελίνην vocem apud Dioſcoridem, Galenum alioſque veteres pro panico duntaxat accipi. Probabilior ergo quibuſdam videtur Feſti opinio, milium dictum à copia ſeminum, quaſi milleſimum ferat granum.

Milium autem effuſâ jubâ, granis minoribus ſubrotundis lucidis ab aliis frumentis paniculatis diſtinguitur.

Vires & uſus. Milium refrigerare & ſiccare veteres & recentiores conſentiunt. Mali ſucci eſt, difficulter concoquitur, alvum cohibet & flatus generat. Attamen hoc multis gentibus in cibis gratiſſimum fuiſſe, & hodie quoque eſſe, inter omnes conſtat. Meliorum frugum inopiâ in panificia olim cogebatur, uti teſtantur Galenus, Plinius, Dioſcorides aliique è veteribus apud Italos (inquit C. Bauhinus) vidimus frequenter panes ex milio confici, qui flavent, quique calidi devorati ſua dulcedine placent, & à multis, etiam non urgente neceſſitate, expetuntur; cum verò panis ex milio obduruit planè nigratus eſt. Ex farina quoque ejus & lacte Itali lagana & placentas parant: quæ niſi mox cum coctæ fuerint edantur, in mandendo glutinoſæ & ingratæ ſunt. Pultem candidam ex milio olim factam fuiſſe teſtatur Plinius. Sarmatarum quoque gentes hac maxime pulte aluntur, & cruda etiam farinâ equino lacte vel ſanguine è cruris venis, admixto. Hæc plus etiam Germanis hodie in uſu eſt, cum lacte cocta, butyro addito, & ſaccharo plerunque aſperſo: Hujuſmodi etiam pultes in Angliam pridem introductæ & in uſum receptæ ſunt.

Cæterum milii farinæ olim uſus fuit in fomentis ad tormina, capitis quoque & nervorum dolores. Foris impoſitum fuit in ſacculis; nam in cataplaſmatis ob friabilitatem difficilis ejus uſus eſt. Qui plura de ejus facultatibus & uſibus deſiderat C. Bauhini Theatrum Botan. & J. B. hiſtoriam adeat.

Si membrana cerebri fuerit vulnerata, egregiè ipſam conglutinat (inquit Archigenes) calaminthæ ſuccus infuſus, & farina milii arida inſperſa.

Ad ſudorem provocandum, R. decoct. milii cum paſſulis & ficubus. Nobile ſudorificum & diureticum vocat Otho Heurnius vel R. decoct. milii ad crepaturam cocti ℥iv. vini albi ℥ij. exhibe calidè ægrotanti. Vocatur Syrupus S. Ambroſii. Cheſneau.

MILIUM ARUNDINACEUM.

Nomina. Milium arundinaceum, multis lachryma Jobi *I. B.* Lachryma Jobi *Ger. Park.* Lithoſpermum arundinaceum.

J. B. Culmis donata eſt cubitum unum aut alterum altis, geniculatis folia autem habet turcici frumenti, cubito ſubinde longiora uncias duas lata, quibus minora ſunt illa quæ in ramis naſcuntur, ex quorum alis petioli emicant, quibus tranſadiguntur ſingulis grana utplurimum ſingula, rarius bina, lævoris politiſſimi, nitida, ante maturitatem flaveſcentia, matura ex nitido rubeſcentia, duritie lapidea, Cicer æquantia, ſuperiore parte turbinata, unde exit inanium glumarum ſpica mutica.

In hortis colitur. Parkinſonus in Creta inſula, Rhodo, Syria aliiſque Orientalibus Regionibus ſponte provenire ait. In Anglia & frigidioribus ſemen ægrè maturat.

Semine maturo & aqua ferventi intincto globulos parant quibus funiculo trajectis utuntur ad numerandas preces.

Vires. Eſt etiamnum, ſi expertus hæc ſcribit Lobelius, ad calculum renum & veſicæ ſaburram polline & decocto præſidium vulgatum.

MILIUM ARUNDINACEUM Aliud.

Nomina. Milium Arundinaceum Semine plano & albo *C. B.* Sorghi album, milium Indicum, Dora *J. B.*

C. B. Hoc radices fibroſas & duras habet, terram à ſummo petentes eique infixas, quo plantæ moles firmius contra ventorum impetum firmetur: Quare quindenis diebus ſingulas radices è geniculis profert, è terræ proximioribus incipiendo gradatim ſurſum ad quartum tendens: Culmis Mayzio vel potius Cannæ Saccharinæ ſimilibus. (Qui ſex vel octo cubitorum) medulla alba, dulci, Arundinum Sacchariferarum modo, farctis: quorum ſummitati panicula ſpecioſa, Milio prædicto major alba, ſemipedalis longitudinis inſidet: ex qua poſt flores delapſos è filamentis capillaceis exiguis & rigidis grana dependent, folliculo albo incluſa, candidiſſima, lentis modo compreſſa (Orobi magnitudine in Arabia) fractu duriſſima, nigro puncto, quo ſpicæ vel petiolo, è quo ægrè divelluntur, hærent.

In Arabia circa Urbem Anam, cum Babyloniam veterem flumine peteret, utrinque ad fluminis ripas agros conſitos Rauvvolfius obſervavit; & quidem ſolo arenoſo, tenui & ſatis profundo, quod Octobri Menſe jam maturum & partim collectum erat. Et Bellonius in Cilicia & Epiro, ubi ruſtici magnos ſaccos refertos Corcyram in forum devehunt, Notavit.

Uſus. Hæc planta Dora Arabum cenſetur; quæ ſicca eſt, parum nutrit, & ventrem ſtringit, grana candidiſſima farinam panificiis aptam promunt, ex qua ut Rauvvolfius habet, panem bene ſapidum cinericeum conficiunt, placentarum forma, circa digitos quatuor tranſverſos latos, ſex longos, & duos craſſos: & ut Bellonius, molas habent domi, quibus grana conterent, & ex farina maſſam duram pinſunt, quam tenuiter admodum complana-

tam radiis ſolaribus coquunt: aut veteri Romanorum militum more, qui tegulæ ab igne calefactæ, & lapidibus utrinque ſuſtentatæ, maſſam piſtam complanatam imponentes coquebant: eadem ratione ruſtici panem coquunt; at urbani in clibano. Incolæ ex culmis, eo quo ex cannis Saccharinis modo, maſticatis, ſuccum ſuavem & dulcem eliciunt, qui in his magis in ſuperiore parte, in ſaccharinis autem in inferiore continetur. Corcyræ inſulæ incolæ hoc columbas alunt: in Cilicia ob lignorum penuriam ferunt, cujus calamos pollicari craſſitudine incolæ diligenter colligunt, & ex illis ignem ſervant. *Raius.*

MILIUM SOLIS.

Lithoſpermum à lapidea ſeminis duritie nomen accepit, Milium ſolis officinis dicitur, licet fortaſſe rectius Mauritanorum imitatione milium Soler vocaretur, quandoquidem (ut ſcribit Serapio) frequens naſcitur in montibus Soler: milium autem dicitur à ſeminis ſimilitudine, quod & ſplendore & duritia cum ſemine milii convenit. Noſtratibus corrupte . . . . . dicitur pro milio griſeo.

Notæ ejus ſunt ſemen lapideum, ſplendens, flos in quinque ſegmenta expanſus.

Vires. Semen Lithoſpermi renes abſterget, urinam ciet, calculum inſigniter comminuit & expellit, Autore Dioſcoride, at qua id qualitate præſtat? Diuretica, docente Galeno, eouſque calida & ſicca eſſe convenit, ut liquare & fundere ſanguinem poſſint: Lithoſpermi ſemen nec acre eſt, nec amarum nec ullius alterius qualitatis particeps quæ calorem indicet. Oportet ergo ut ſpecifica ut vocant proprietate calculum comminuat. Nullus autem hic à nimia doſi metus, cum nulla hic inſignis qualitas ſit.

An autem frangere lapidem jam concretum, quod quidam promittunt, equidem valdè neſcio, (inquit C. Hofmannus) & J. Bauhinus, ego quidem non exiſtimo, neque hoc ſemen nec ullum aliud remedium calculos frangere. Pituitam & craſſos humores, arenulas aut calculos glutinantes diſſolvi & pelli poſſe medicamentis idoneis, fortè, etiam hoc ſemine, concedo.

Matthiolus ʒij. magno (ut ait) ſucceſſu dat in lacte muliebri parturientibus. *Raius.*

MILLEFOLIUM.

Millefolium, Græcis μυρ[illegible]ιόφυλλον & χιλιόφυλλον à multitudine foliorum, Achillea, Ἀχίλλειος, ab Achille primo ejus inventore dicta eſt, Plin. lib. 25. cap. 5. invenit & Achilles Diſcipulus Chironis qua vulneribus mederetur, quæ ob id Achillea vocatur, hac ſanaſſe Telephum dicitur.

Hujus Characteriſticam facimus flores in umbellæ formam diſpoſitos, barbulis medio diſco concoloribus, folia tenuiſſime diſſecta.

Nomina. Millefolium vulgare Park. Vulgare album C. B. terreſtre vulgare Ger. M. Stratiotes pennatum I. B.

I. B. Ubique viarum obvium eſt millefolium; caulibus dodrantalibus cubitalibus, & altioribus ſurgens, rigidis licet tenuibus, teretibus, ſtriatis, hirſutis, medullâ farctis, qui circa ſummitatem in aliquot ſurculos dividuntur, atque hi rurſum in plures petiolos qui flores in umbella ferunt odoratos, parvos, colore albos aut ſubpurpureos, quinque, ſeptem, paucioribus aut pluribus foliis conſtantes ex caliculo ſquamato. Cæterum diſcus floris medius è plurimis floſculis albis in quinque acuta ſegmenta partitis componitur: folia marginalia, quæ diſcum in circulum ambiunt frontata ſunt, fronte duplici crena in duos denticulos diviſa, folia pinnata ad coſtam alligantur, tenuibus chamæmeli diviſuris, ſed compoſitioribus rigidiuſculis, ſuave olentibus, ſapore acriuſculo radix lignoſa & fibroſa nigricat & in terra ſe diffundit.

Folia in toto hoc genere (corymboſarum) quantum memini, ſingulatim caulibus adnaſcuntur.

Millefolium vulgare purpureum minus C. B. & aliorum, cum ſolo floris colore à præcedente differat, diverſa ſpecies cenſenda non eſt, Variat enim hoc modo millefolium vulg. floris colore in paſcuis ubique.

Vires. Hujus vires Schroderus ſic breviter recenſet. Vis ejus ad ſanguinem ſiſtendum. Uſu itaque interno convenit in hæmorrhagiis & fluxionibus omnis generis, narium, uteri, alvi, vulnerum, ſcreatu ſanguinolento, vomitu, urina retenta, calculo, mictione ſanguinolenta, gonorrhœa, hæmorrhoidibus, fluore uterino, mariſcis &c. extrinſecus adhibetur utiliter cephalalgiæ, hæmorrhagiæ narium & vulnerum, vulneribus conſolidandis, tumoribus hæmorrhoidum, herniæ, ictibus venenatis, tumori penis &c.

Recentior obſervatio (inquit C. Hofmannus) docuit millium noſtrum tantum abeſſe à facultate hæmorrhagias ſiſtendi ut etiam cieat, (at I. Bauhinus quod millefolio ſanguis è naribus irritetur ex affrictu contingere arbitratur) tam etiam vehemens eſſe diureticum, ut diuturniore uſu cruentas urinas pariat. Hofmannus ergo diſtinguit & millefolium quod acerbum eſt vim illam glutinandi obtinere putat; quod amarum deobſtruendi & diſſolvendi, urinas educendi, lumbricos necandi &c. acrimonia & amaror ſunt manifeſta in millefolio minore Cordi, itemque nobili Tragi.

Verum quacunque tandem qualitate id efficiat, multa exempla hæmorrhoidum curata decoctionibus millefolii adducit Riverius in obſerv. Centuriis & multi alii ſcriptores, ut nos monuit D. Tancredus Robinſonus. *Raius.*

MILLEPEDES.

Millipes, *Aſellus* (à colore Aſininô) ὀνίσκος Galeni, ὄνος Dioſcorid. τίλοι Plinii, κύαμος etiam (ſeu à forma fabæ cui ſimilis eſt dum ſe in globum contrahit: ſeu quòd è fabarum folliculis & culmis prodire ſoleat) Latinis *Millipes*, *Multipes*, *Centipes*, *Porcellio.* Beſtiola eſt è vermibus terræ, ſubcinerei coloris, multis pedibus arcuatim repens: ad contactum ſe in orbem vertit. Tenuium eſt partium, digerit, extenuat, abſtergit, aperit. Ex vinô potus calculo renum, urinæ difficultati & regio morbo medetur. Cum melle anginis utiliter illinitur Tritus & in cortice mali Punici calefactus, doloribus aurium, additô roſaceo, convenienter inſtillatur. Panno lineo involutus in vino albo maceratur: colatura potui datur aſthmaticis; dictu mirum quàm citò ſaturatos pulmones depleat. *Schvvenfeld.* Ferè eadem etiam tradit *Dioſcorides. Charleton.*

MILVUS.

Pondus ei 44. unciarum, Longitudo à ſummo roſtro ad extremam caudam 28. digitorum, alæ extenſæ 64. digitos æquabant. Roſtrum ab apice ad angulos oris, duorum erat digitorum. Uncus ipſe ad digiti ſemiſſem propendebat.

Caput & mentum ex albo cinerea, lineis ſecundum plumarum ſcapos deſcendentibus nigris. Collum ruſſum, mediis plumarum nigris. Dorſû fuſcum ut in Buteonibus pennæ tamen caudæ proximæ eidem concolores, mediis ſeu ſcapis nigris, Minores ordines alas veſtien-

ſtientium ruffo, nigro & albo variis, nigro ſemper medias pennas ſecundùm ſcapos occupante. Scapulares longiores lineas nigras ut remiges obtinent. Alas ſubtus tegentes rubræ ſunt mediis nigris. Pronæ partis plumæ ſub mento primum cineraſcunt marginibus, deinde rubeſcunt, mediis nigris, nigra autem pars continue anguſtior fit ad caudam uſque: ſub cauda tantum ſcapi nigricant: color quoque ruffus dilutior eſt.

Remiges alarum pennæ 24. è quibus extimæ quinque nigræ proximè ſex è nigro cinereæ; dein omnes iterum nigricant ad ultimas, quæ ruffo, albo, fuſco variantur. Præter 5. vel 6. exteriores, omnes limbis ſeu pinnulis exterioribus lineas nigras tranſverſas obtinent, areis intermediis albentibus, præcipue à ſexta ad undecimam. Priores ſecundi ordinis pennarum Alæ nigræ ut & alia notha, Alæ complicatæ mediis caudæ pennis longiores, extimis breviores.

Cauda forcipata mediis pennis 11. digitos longis, extimis 14. color ſpadiceus ſeu ruffus. Pennæ extremæ nigricant, omnes autem (exceptis mediis) Limbis interioribus lineas tranſverſas nigras obtinent; Apices omnium albent. Roſtrum nigrum vix ullas habet Appendices. Lingua lata, craſſa, ut in aliis carnivoris. Palato cavitas ineſt linguæ æqualis. Rictus & cutis narium flava, fiſſura ſeu rima in Palato duplex. Oculi grandes, iridibus ex albo pulchre flavis, pedes lutei. Digitus extimus medio ad medium fere membrana adnectitur. Ungues nigri. Poſtici unguis maximus. Medii unguis ex parte interiore in aciem tenuatur.

Cyſtis fellea magna; ingluvies quoq; grandis. Inteſtinum infra appendices multum dilatatur, ut in aliis hujus generis.

Alis expanſis in aere ſe librat, adeò ut in eodem loco diu velut immobilis quieſcat: quin nulla vel rara Alarum agitatione de loco in locum provehitur velut fluxu aut lapſu quodam.

Vel caudæ figurâ ſola ab omnibus aliis quas hactenus novimus rapacibus diſtinguitur.

Videntur (inquit Plinius) hoc genus aves artem gubernandi navem homines docuiſſe caudæ flexibus, in cœlo monſtrante natura quid opus eſſet in profundo, hinc enim (ut pergit Aldrovandus) Clavum immittere homines didiciſſe eſt probabile, quippe cum obſervaſſent Milvum cauda modo hac, modo illa flexa temonis vice uti, qua iter ſuum in aere dirigeret: ipſi quoq; ſimile quid moliti, clavum navi addiderunt, quem huc illuc contorquendo navem per undas minime incerto itinere fluctuātem quo vellent recto curſu impellerent.

Milvii aves ſunt migratoriæ, quæ pro anni tempeſtatibus loca mutant, cum aliquando (inquit Bellonius) in litore Ponti Euxini, ea parte qua Thracia eſt, verſaremur, ultimo fere Aprili, in colle quodam eminentiſſimo, columnæ illi quæ ad oſtium Boſphori eſt proximo, ubi rette tenderet auceps capiendis niſis, qui à dextra maris plaga advolabant, obſervavimus Milvos gregatim eò adventantes, recto tractu, frequenti adeò numero ac denſo agmine, ut miraculi loco nobis ea res eſſet, nam novitate ſpectaculi velut attoniti, animo concipere nequibamus, ubinam locorum tanta Milvorum copia victum ſibi eſſet paratura. Si enim quindenorum dierum durante ſpatio, ſingulis diebus numeroſo adeò phalange, atq; tunc temporis viſi ſunt prætervolaſſent, auſim aſſerere numerum viventium hominum ſuperaturos fuiſſe. Verum apud nos in Anglia omni anni tempore conſpiciuntur nec hyemes noſtras, ut videtur reformidant.

Plinius Milvos non alio cibo quam carnibus veſci ſcribit: verum Bellonius in Ægypti urbe Cayro Milvos ſibi viſos in palmas devolaſſe & dactylos comediſſe aſſerit. Hoc autem eos fame compulſos ob defectum familiaris alimenti feciſſe minime dubium eſt.

inſidiatur avibus domeſticis maximéque pullis gallinaceis, anatinis & anſerinis, inter quos è ſublimi ſpeculatus quempiam, qui extra ſecuritatem prodierit, aut incautius à cæteris ſe disiunxerit, aut alia quavis ratione rapinæ opportunus fuerit, ſibi eligit, atque aliquandiu in gyrum circumvolitans obſervat. Deinde ex improviſo dicto citius devolans incogitantem abripit, fruſtra conquerente matre & hominibus tam clamoribus quam lapidibus eum territantibus. Imo, quâ eſt audaciâ, domos, urbes locaque hominibus frequentata affectare ubi rapiat evidenter conſpicitur. Adeò ut ab illius rapinis ne domorum quidem atria areæve ſecuræ ſunt. Atque hac de cauſa mulierculis noſtris maxime inviſus & odioſus eſt.

Græcis Ἰκτῖνος & ἴκτινος & frequentius ἴκτις dicitur *Willugbejus*.

Officin. Nat. ex Milvo.

1. *Milvus incineratus.* 2. *Caput.* 3. *Epar.* 4. *Sanguis.* 5. *Fel* 6. *Stercus.* 7. *Pinguedo.*

1. *Milvus* incineratus Podagræ, Epilepſiæque ſubvenire dicitur, (*exhibitus.*)
Doſis ℈ß. ad ℈j.

2. Idem *de capite* affirmant, ac *Epate incineratis.*

3. *Epar* inſuper oculorum Medicamentis adhibetur.

4. *Sanguis* podagricos juvat, (*cum Urtica mixtus & impoſitus.*)

5. *Fel* Oculariis additur.

6. *Stercus*, articulis cum ſuceſſu imponitur.

7. *Pinguedo*, articulorum doloribus illinitur.

Præparata.

Sunt qui Milvum vivum in F. Eq. 40. ♂ macerandum ſepeliunt, & ex vermibus, qui ex eo procreantur, unguentum ad dolores podagricos conficiunt. *Aldrovand.* *Schröderus.*

In hujus *carne exſiccatâ, capite, epate, & cruore*, ſpecificum latet anti-arthriticum. *Hofmannus.*

MINERÆ & FODINÆ, vid. de his ſub titulô *Metallurgia*.

MINERALIA.

Sub eô titulô comprehenduntur ea omnia quæ in *Mineris* ſeu *fodinis* efformantur tam ſcilic. Metalla perfecta, quam imperfecta.

MINIUM, vid. ſub titulô *Plumbum.*
MINORATIVA, vid. *Purgantia.*
MISTIO, vid. *Mixtio.*
MISTURA MEDICAMENTUM, vid. *Mixtura.*

MISY.

Miſy ſecundum *Dioſcoridem* Chalcitidis ſpecies eſt, ſeu materia mineralis, vitriolica, dura, ſplendens, coloris aurei, quæ olim reperiebatur in fodinis cupreis Cypri inſulæ. Verùm hodie neſcitur qualis demum ſit hæc materia, atque in ejus abſentia ſubſtituitur vitriolum rubrum naturale, quod Chalcitis nominatur, quodque iiſdem gaudet qualitatibus quæ olim Miſy aſſignabantur.

MITHRIDATIUM, vid. *Electuarium.*

MIVA, vid. *Gelatina.*

Hic tantum aliquot Mivarum compoſitiones ex Pharm. Bateana.

Miva Borraginis.

Coque radic. Borraginis ad mollitiem, contuſ. trajice per ſetac. cujus. ♃. ℔i. *ſacch. optimi tantundem, coque ad Mivæ conſiſtentiam ſ. a.*

Miva Conſolidæ.

Fit ex pulp. radic. & ſacch. ãã ut ſupra, addendo ſingulis libris nuc. moſch. ʒvj. Uſus in Hæmoptyſi, Rupturis &c.

Miva Dialthææ.

Fit ex pulp. radic. & ſacch. ut ſuprà, addendo ſingulis libris nucis moſch. ℥j.

Miva Satyrii.

Fit omnino ut ſuprà cum nuce moſchatâ additâ. Venerem ſtimulat, &c.

MIXTURA MEDICAMENTUM.

Mixturæ vocem obtrudit imò civitate donat neceſſitas, deſignatque ea Medicamentum Chymicum variis conſtans ingredientibus, mediæ inter liquida & ſolida naturæ.

Mixturæ duæ è PHAR. BATEANA.

Mixtura Anticolica.

℞. *Mann. optim.* ℥*ij. cremor. tart. ſperm. ceti ã.* ʒ*ij. m.* Detur in hauſtu juſculi pulli. Remed. probatiſſ.

Mixtura Tubularis.

℞. *Cortic. extern. piſtach.* ℥*ij. fol. tuſſilag. betonic. roriſmar. ſicc. ãã* ℥*iij incidantur & adde Xylagii ppti* ℥*iij. ſuccin. alb. olibani craſſè contuſi ãã* ℥*iß. gummi lentiſc.* ℥*j. ol. ſtill. nucis moſch.* ʒiß. M. F. Mixtura inſtar Nicotianæ haurienda:

Vel.

℞. *Fol. beton. tuſſilag. ãã.* ℥*ij. Anthus, cortic. piſtac. extern. ãã.* ℥*j. ſem. cardamom. min.* ℥*iß. incid. ſ. a. adde olei aniſi gtt. xvj. ol. cinnam. gtt. viij. M. aliqui addunt Nicotianæ optimè pptæ* ℥*j.* Utilis eſt præcipuè in catarrhis exiccandis, defluxionibus ſiſtendis, tuſſi &c.

Mixturæ variæ ex ROLFINCII *Chymiâ in Artem redactâ.*

Miſtura Diaphoretica ſimplex.

Celebris eſt ea, quam, ſub titulo ARCANI CADUCI, deſcribit *Paracelſus libro de rebus naturalibus cap.* 8. & conſuetudine quâdam miſtura ſimplex dicitur, ad differentiam aliarum, quæ hanc agnoſcunt baſin, & *libri hujus noſtri* 3. *ſect.* 1. *art.* 2. *cap.* 29. ſunt explicatæ.

℞. *Spiritus* ⊕*-li correcti* part. j. *ſp.* ♀*ri correcti ſeu à* 🜍 *ſuo rectif.* part. iij. *ſpir. theriacalis camphor.* part. v.

VIRES, DOSIS, UTENDI MODUS. vid. ſub titulô SPIRITUS, ubi ſcilicet *Auctor* hic de *Spiritu Tartari.*

Compoſitæ Miſturæ, quæ priorem agnoſcunt ceu baſin, & 1. Antiapoplectica.

℞. *Miſturæ* ⊕*-latæ, Tartariſatæ, theriacalis unc. ij. ſpirit. C. C.* ⊖ *volatili imprægnati unc. j. lil. convall. ſanguin. humani ana* ℈*ij. extract. granor. juniper. roriſmar. ſalv. beton. ſerpill. ana unc. j. eſſent. lavendul. lilior. convall. ana* ʒß. *ſirupi fl. lavend. pæon. ana* ℥*iij.*

Miſce omnia exactè. Stent in digeſtione ignis lenti, ſpacio ♂iij. in cucurbitâ, donec in fundo vaſis appareat hypoſtaſis, ſeu ſedimentum ſpiſſum craſſumve, reliquum verò clareſcere incipiat & rubeſcere, rubini aut vini inſtar rubri. Purum ab impuro ſeparetur per inclinationem. Quod ſi quid in digeſtione exſtillaverit per alembicum ſuprapoſitum, adde colaturæ, quæ iterum coletur. Colatum ſervetur in vitro benè claudendo. Vitrum ipſum indatur in capſulam ligneam benè claudendam. *S.* Miſtura antapoplectica.

Non inconſultum eſt miſta omnia, ſine colaturâ, ſervare.

VIRES indicat nomen. DOSIS ℈j. ʒß. ℈ij.

MODUS UTENDI in juſculi, vinive cochleari horis matutinis & veſpertinis nonâ & quartâ.

Miſtura antiepileptica, antidinica, antiparalytica.

℞. *Miſtur. diaphoreticæ, aliàs ſimplicis dictæ* ℥*x. ſpir. cranii humani* ℥*j. eſſent. lilior. convall. fl. calend. pæoniæ ana* ℥*ß ſalv. & majoran. fol. ana* ℥*j* ⊖ *volat. cornu cervi* ʒ*j. ſirup. ſtœchad. cinamomi ana* ℥*iv.*

M. ſuſpendatur in nodulo ligneo.

ambræ ℈ß. *moſchi* ℈*j.*

In vitro digerantur & ſerventur benè operta. *S.* Miſtura antiep. din. paral.

VIRES titulus ſignificat.

DOSIS & MODUS UTENDI eadem ſunt.

Miſtura ophthalmica.

℞. *Miſturæ ſimplicis* ℥*v. extract. rad. valerian. ſilv. fœnic. rutæ, chelidon. major. ana* ʒ*ij. eſſent. fl. euphrag. calendul. cyani cærul. roſar. alb. ana.* ʒ*iij. ſirup. fl. pæon.* ℥*vj.*

Miſta omnia exactè, digeſtione decente prægreſſâ, ſerventur in vitro. *S.* Miſtura ophthalmica.

Miſtura antiaſthmatica.

℞. *Miſtur. ſimplicis* ℥*iiij. ſpir.* 🜍*. campan.* ʒ*j. aſthmatici compoſ.* ℥*j. extra. enulæ. ireos fl. ãã* ℈*j. ſalis ſanguin. cervi vol.* ℈*j. eſſent. croci roris* ☉ ℥ß*. thymi ſalv. ãã.* ʒ*iij. ſirupi de praſſ. hyſſop. viol. veronic. ãã.* ℥*j.*

Miſta omnia vel colentur poſt digeſtionum, vel ſimul ſerventur uſui. *S. Lufft* miſtur.

Miſtura contra Tuſſim.

℞. *Spir.* 🜍 *campan. Tartar. correcti ãã* ʒ*ij. theriacalis camphor. ligni ſancti rectif. ana* ℥*ij. extract. polypod. q. tuſſilaginis ãã.* ʒ*ij. tincturæ papav. rhœados* ℥*j. eſſent. fl. nymph. viol. ãã* ℥*iij. ſirupi hyſſopi, de marrub. ãã.* ℥*iij.*

Miſta omnia vel colentur, vel ſimul ſerventur ad uſum. *S.* ut ſupra.

Miſtura contra Cordis infirmitates

℞. *Spir. Tartar. correcti & à fœtore liberati* ℥ß. ⊕*-li optimè rectificati* ʒ*ij. elixir vitæ Matthioli* ℥*ij. extract. meliſſ. ſcorzoneræ ãã.* ʒ*j. conf. alcherm. Euſtad.* ℥ß. ⊖ *corn. cervi vol.* ℥ß*. ſirupi de pomis redolentibus, cort. citri, granat. dulc. borrag. bugloſſ. violar. ãã.* ℥*j. ceraſ. & caryophyll. hortenſ. ãã.* ℥ß*. ambræ, moſchi, in nodulo ſuſp.*

Servetur ad uſum cum titulo: Miſtura cordialis vitalis.

Miſtura ſtomachalis.

℞. *Miſturæ* ⊕*-l. Tartar. theriac. camphoratæ* ℥ß*. extr. bacc. junip. acori veri card. bened. pimpinell. zedor. eſſent. menthæ ãã* ʒß*. ſirupi menthæ* ℥*iiij. cinam.* ℥*ij.*

Stent in digeſtione. Poſt colaturam, vel ſine colaturâ ſerventur in vitro. *S. Magen* miſtur.

Miſtura antiſceletyrbica.

℞. *Succi cochlear. naſturt. aq. ſedi ſempervivi muralis ãã* ℔ß*. extract. abſinth. liquidi ſpir. Tartar. ſalis rectif. ana* ℥ß*, cochl. cum vino deſtill.* ℥*ij.*

Dige-

Digerantur leni igne per ♂♀ benè clauſo vaſe. Quod clarum decantetur; reliquum coletur. *S.* ut ſuprà.

VIRES. συρβὴν, ἢ τύρβην, *tumultum ſcorbuticum* ſedat.

DOSIS ℈ß. ℈j. in liquore competente.

Miſtura contra calculum.

℞. *miſtur. ſimpl.* ℥ß. *ſalis ſtip fab.* ʒj. *eſſent. rad. ſaxifrag. granulatæ, albiſloræ. folior. veronic. virg. aureæ* ãa. ℥iij. *ſirupi de alth. Fernelii* ℥j.

Digerantur clauſo vaſe per ♂♀. Colatura ſervetur in vitro. *S.* ut ſuprà. DOSIS ℈ſ. j.

Miſtura contra peſtem.

℞. *miſturæ ſimpl. diaphoret.* ʒiiij. *eſſent. gran. junip. vino Malvat. parat. angelic. rutæ, ſcord. meliſſ. card. bened. gentian.* ãa. ℥j. *croci* ʒij. *ſpir. C. C. cum* ⊖ *volat* ℥j. *ligni ſancti, ebeni rect.* ãa. ʒij. *ſirup acetoſ. citri, ſcordii, card. bened. ceraſ. & caryoph. ſcorzoneræ* ãa. ℥v.

Stent in digeſtione horarum xxiv. Adſerventur in vaſe, in quo ſuſpendatur nodulus.

ambræ ℈ß. *moſchi* ℈j.

Eſt alexiterium illuſtre. DATUR ʒij. iij. in vino ad præſervationem, in aquâ ſcordii ad curationem.

Miſtura ſudorifica catholica.

℞. *miſtur. ſimplicis* ⊖-*lata*, ♀*riſata, theriacalis camphoratæ* ℥j. *ſpir. ligni ſancti acidi* ℥ß. *querni acidi rectif.* ʒvj. *coryliní* ℥ß. *ſirup. card. bened. ſcordii, acetoſit. citri perlati* a. ℥ij.

Mixturæ variæ è Collectione BIERLINGII.

Mixtura antihypochondriaco-ſcorbutica *D. Finckii.*

℞. *Spir. cochlear.* ℥ij. ♀r. *rectif.* ℥iiß. ⊖-l. *rectif.* ℥iß. *Tinct.* ♂*t.* ℥j. *Santal. rubr. q. ſ.*

Digere & fiat Mixtura. Doſis 30 gutt.

Mixtura antipeſtilentialis.

℞. *Mixtur. ſimplic. Elix. proprietat. Tinct.* ♂*t.* ã. ℥j.

M. & digere per 10. ♂ & ♀, quod clarum effunde per inclinationem. Doſis à ℈j. ad ʒß. cum gutt. 3. ſpir. ✻.

Mixtura antihypochondriaco-ſcorbutica *D. Michaëlis.*

℞. *Spirit. herb. cochlear. ſuper, recentem herbam cochleariæ 5. rectificati* ℥ix. *Spir.* ⊖-l. ♂*t. rectif.* ℥iij. ♀r. *rectif.* ℥vj.

M. & rectifica per retort. △. aperto. Uſus eſt inſignis in affectu hypochondriaco cum ſcorbuto conjuncto & obſtructionibus hypochondriorum. Doſ. gutt. 20. ad 25.

Mixtura arthritica in doloribus articulorum vagis à ſero ſcorbutico ortis.

℞. *Eſſent. lumbr. terreſtr.* ⊖. *acuat.* ℥v. *ſarſaparill.* ℥iv. *Mixtur. antihypoch. ſcorbut. ſuper. deſcript.* ℥iiij. *Spir. flor. ſambuc.* ℥j.

M. Doſ. gutt. 30. ad 40. movet ſudorem. *Ex literis D. Sachſii.*

Mixtura odontalgica.

℞. *Cort. rad. hyoſcyam. mandrag.* ã. ʒiij. *pyrethr.* ʒß. *altheæ* ℥ß. *Raſur. lign. guajac. buxi* ã. ʒvj. *Caricar. pinguium, Capit. papav alb.* ã *n.* iiij. *Maſtich.* ʒj. *Flor. balauſt. roſar. rubr.* ã. pij. *melilot. malv.* ã. Mß. *Fol. ſerpill. ſalv.* ã. piiij. *C. C. raſpat.* ʒvj. *Coq. in ſ. q. aquæ ſimplic. Colatur.*

℞. ℔j. adde mellis anthoſ. ſyr. de papav. ã. ℥j. laud. opiat. gr. 1. M.

Mixtura Bezoardica *Angeli Salæ.*

℞. *Spirit. Tartar. Aq. vitæ juniper.* ã. ℔ij. *Theriac.* Andromach. *opt.* ℥iiij *Camphor.* ʒß. ♁. *radic. carlin. petaſit. angelic.* ã. ʒß.

Camphoram primò cum oleis diſſolve, additâ theriacâ in mortario probè miſce, & in maſſam, ſatis magnam redige, poſtea ſupra præſcriptos ſpiritus maſsâ ſuperaffunde, vas optimè claude moderato calore per octo dies digere, & per MB. liquorem ad theriacæ ſiccitatem diſtilla; diſtillato liquori ſpiritus nitri correcti ℥ß. immiſce, cum croci optimi ʒß. liquorem tinge, & in vaſe probè clauſo ad uſum ſerva. Obſervandum autem eſt quod ſi parva olei quantitas liquori ſupernatet, id non ſit ſeparandum, ſed potius relinquendum, & uſus tempore cum liquore miſcendum. Per ſpiritum nitri correctum intelligitur ille qui ex nitro cum bolo armenâ in paſtam redacto diſtillatur, quique additâ æquali ſpiritus vini cretici vel Hiſpanici quantitate, rectificatur. Eſt alexiterium ſummum cujus doſis à ℈j. uſque ad ʒj. in aquâ appropriatâ.

Mixtura contra calculum *D. Kolbii.*

℞. *Extract. lythontript.* ʒj. *virg. aur.* ʒß. *Cremor.* ♀r. ʒß. *Sacchar. alb.* ℥iv. ♁. *ſtillat. fœnic. gutt.* xvj. *aniſ. gutt.* viiij. *menth. gutt.* vj. *M.*

MOLUCCA.

Peregrina eſt herba Aſiaticæ originis, Conſtantinopoli primum delata, Calycibus florum ampliſſimis, patulis, acetabulorum æmulis, ab aliis omnibus verticillatis prima facie cùm floret facile diſcernitur.

Nomina. Moluca *I. B.* meliſſa molucca lævis *Ger.* molucca lævis, ſive Syriaca lævis *Park.* meliſſa molucana odorata *C. B.*

I. B. Caulem habet rectum, ſeſquicubitalem vel majorem, glabrum, ſubrubentem, fere quadratum, ſatis robuſtum, pauca medulla farctum, in ramos multos ſatis diffuſum, eoſque binos oppoſitos: folia ſubrotunda, per ambitum ſerrata (idque profunde) longis pediculis appenſa, foliis marrubii nigri ſimilia, verum non ita nigra, plane glabra nervoſa in caule ramiſque à medio ad ſummum uſque ex intervallis calices magni, patuli, calathoides, cutanei, nervoſi, ſeni verticillatim digeſti floſculos comprehendunt galeopſeos, ex albo purpuraſcentes, galeo hirſuta, apicibus in medio, tandem ſeminibus ſuccedentibus triangulis. Cæterum unicuique verticillo folia bina adhærent, longo interveniente pediculo, inferioribus ſimilia, ad pediculorum ipſius exortum ſpinulæ aliquot longiuſculæ proſiliunt. Radix lignoſa eſt & fibroſa, annua eſt herba, cui folia amara, flos fere inſipidus, hujus plantæ odor mihi gratus. *Raius.*

Eaſdem dicunt habere vires quas Meliſſa vulgaris, & propterea illam in cordis affectibus ac uteri morbis adhibent. *Falix Paſſera.*

MOLYBDÆNA, vid. *Plumbago.*

MOMORDICA, vid. *Balſamina.*

MONOCEROS.

De *Monocerote*, ſeu *Unicornu* vero; Animali ſcilicet quale apud veteres depingitur, an revera extiterit, & adhuc dum in rerum natura ſubſiſtat, non parva eſt inter Neotericos controverſia: Dum maxima eorum pars illud non minus fictitium volunt quàm Sphynges, Gryphos atque Chimæras, alii verò conſtanter affirmant tale animal & repertum eſſe & reperiri. Nos, (ut in re litigioſa, quid ſentiamus verbo dicamus) omnino credimus non ita derogandum eſſe fidei virorum proborum & non ignoti nominis qui ejuſmodi animal ſe vidiſſe aſſerunt, ut cum Doctorum aliorum multitudine nullibi inveniri pronunciemus. Aſt audiamus quid utrinque à negantibus & affirmantibus adducatur, & propterea non incongruam arbitretur hic *Clariſſ. Viri Cornelii* STALPARTII *Diſſertatiunculam* in hoc argumento conſcriptam exhibere cui iterum pauca quædam nos ſubjungemus.

Sic itaque STALPARTIUS *de Monocerote.*

Noſtræ hujus de Unicornu diſquiſitionis initium conſtituat pars quædam literarum, quas vir Ampliſſimus Cornelius Neolandius Brederodius Fœderati Belgii procerum auctoritate regni Angolenſis in Africa Concilii politici quondam Aſſeſſor ad honorandum admodum virum Godefridum Syndicum Geneveniem dedit 23. Martii 1643. in ejuſdem regni urbe Loandâ S. Pauli ſcriptas: harum autem partem hunc in modum verti.

Ipſe equidem tibi nihil omnino novi de hac Orbis terrarum parte litteris ſignifico, utpote in qua nihil geratur, quod ad tuas pervenire dignum ſit aures, præſertim hominis univerſi theatri Europæi ſpectacula oculis uſurpantis. Flagro, mehercle, atque conficior pene deſideratiſſimæ illius terrarum partis (elapsô præcipue, in quod proceribus obſtrictus triennio) amore, in qua vel otioſus mallem exiſtere ſpectator quam hic locorum inter quoſcunque tandem præcipuus. Contigit mihi, fatebor equidem hiſce in regionibus cum regibus, principibuſque unà eſſe, & veras audire & reddere voces, à quibus honoribus affectus, nec ſine reverentiæ teſtimoniis dilectus ſum; neque etiam inter noſtros potentiæ, auctoritatiſque mihi quidquam deeſt. Verùm enim verò non iſthæc animum delectant, nec juvant tantis terrarum intervallis, mariumque immenſis fluctibus ab optimis diviſum amicis, quibus, quas debeo, dignas grates perſolvere non datur.

Cæli partis, ſub quâ hic vivitur, inſolitis noxia admodum eſt qualitas: pauci enim ſunt, qui mortem, vel graviſſimum ad minimum effugiant morbum. Servavit me in hunc uſque diem laudanda Dei benignitas, quem mihi uſque manſuetum precor, ſperoque; ſi vero aliter quidem de me ſtatuerit, fiat, quicquid voluerit.

Sua quidem ſponte harum regionum ſterilis eſt tellus, nulloſque, vel oppido paucos producit fructus; fluviorum autem ripis non deſunt mali Aurantiæ, citreæque, nec aliæ in Braſilia, Europaque, notiores herbæ, ſed magno conſtat harum cultus, propter immenſam ſervorum, quos hic requirit, multitudinem. Ovium etiam, boumque, ac porcorum, aprorumque nobis abunde eſt: copiosè etiam admodum cervi, cervæque, ut & rupicapræ reperiuntur, & ferinam præſtantes carnem phaſiani, perdiceſque, palumbes, ac coturnices, necnon galli, gallinæque variegati coloris, longè aliis autem, quam quales in patriâ meâ vidi, teguntur plumis, palatoque longè ſunt amæniores. Adſunt & anſeres feri, anateſque, ac querquedulæ cum ficedulis, aliiſque, quas ignoratis, natantibus Avibus. Feræ Beſtiæ quoque hic dantur plurimæ, Elephanti videlicet, leoneſque, ac Tigres, lupi & bubali, omnes profectò feræ admodum. In aquis autem Crocodili, ut & Hippopotami, ac ſirenes degunt, in terris longiùs ab Oceano recedentibus Rhinocerotes etiam Zebræque apparent, quæ omnia animalia curſus celeritate ſuperant. Invenitur & unicornu Afris *bembe*, ac *pocabembe* dictum: hujuſmodi animalis cornu ſervo, longe ab iis, quæ in Europa hoc circumferuntur nomine, diverſum, mihi certè quam compertiſſimum eſt hic, licet rarius, veram reperiri monocerotem.

Hujuſmodi autem cornu nullum unquam experimentum feci, affirmantibus licet unanimiter Afris, præſtantiſſimum id contra quævis venena antidotum, quandoquidem Bezoardico plus fido lapidi, qualem inſtar gallinacei ovi domi meæ habeo: hunc namque crebrior mihi magis commendavit uſus. Alia rariora pauca hiſce in plagis reperire eſt, ac quod monſtri ſimile, nihil monſtri hæc profert Africæ ora, præter barbaras, ac saniore ratione carentes plurimorum Maurorum animas. Quibus autem maxima inſunt humanitatis veſtigia, pleniorque judicij facultas, Congenſes dicuntur. Dantur ad me quandoque à rege, ejuſve fratre *Bamba* duce literæ nonnulla indicia humani habentes ingenii, in cæteris autem non, niſi proborum, vitiorumque videas congeriem, hiſce &c.

ANNOTATIONES

Ad hanc Literarum Partem.

Utrum verum, ac tale, qualis meminit S. Scriptura, detur unicornu diu multumque fuit certatum: ad hoc autem ut reſpondeatur, ſciendum duplicis nominis intellectu unicornu ſcriptoribus uſurpari. Hinc enim factum eſt, ut, neglecta quidem iſta diſtinctione, erraverint plurimi.

Significat itaque generaliori nomine unicornu omne animal cui unum frontem defendit cornu. Hujuſmodi autem beſtiæ plures ſunt. Quatuor dari animalium genera, quibus uno ſuperbiat frons cornu, Laurentius Catalanus Pharmacopæus Magdalonenſis, aliique ſcribunt.

Primum genus eſt Avium, quas inter *Dynon* etiam in Æthiopia degentem numerat: ibidem reperiri aves, quibus unicum ſit cornu, Ælianus auctor eſt libr. 17. hiſt. animal. cap. 10. ille autem hoc loco generalius cornu intellexit, ita ut eo nomine etiam frontis quandam protuberantiam comprehendat.

Avibus non quidem cornua, ſed excreſcentias eſſe ſcribit Bartholinus cap. 7. de unicornu pag. mihi 46. Scaliger exercitat. 231. nu. 5. cornutas aves in inſula *Catigan*, quæ in mari pacifico, ſive del *Zut* ſita eſt, naſci ſcribit, quæ magnitudine gallinis noſtratibus pares ſint.

Vormius autem cap. 17. fol. mihi 293. per *Catiganæ* inſulæ aves illas intelligit, quas *Topau* Indi, avem Rhinocerota alii dicunt. Ipſe inter alia Cranium, Cornutumq; hujuſmodi avis roſtrum ſervo, quod mihi quidam ex India Aſiaticâ redux dono dedit; illud autem maximi roſtri intuitu minimum eſt, neque enim anſerino majus eſt multo. Ipſum quoque ulnæ ſemiſſi fere par eſt longitudine roſtrum: quodque hujus ſuperiori parti annectitur cornu craſſum, ac non nihil recurvum, ejuſdemque ſubſtantiæ, cujus illud, eſt. Hoc autem cavum, tenue ac molle, ejuſdemque fere materiæ, cujus ſunt cancri marini conchæ, quartam, & amplius, ulnæ partem æquat longitudine, nec non circuitu.

Deinde etiam piſces inveniuntur cornuti, quos inter animal marinum *uletif*, ſive *illetif* nomine eſt, cujus Joh Renodæus lib. 3. mat. med. cap. 24. nec non Thom. Barthol. de unicornu cap. 14. pag. 92. meminere de aliis etiam piſcibus unum fronte gerentibus cornu Olaus, Albertuſque ſcripſerunt, quos inter & ille referendus eſt, cujus mentionem faciunt Cluſius lib. 6. exotic. cap. 17. ac Bartholinus fol. 93. ut & marinus canis, quem *haa* hic vocat, epiſt. med. cent. 1. fol. 373. denique & unicornu æquoreum *narhual* nomine apud eundem de unicornu cap. 15.

Tertiò etiam cornua gerunt locuſtæ quædam quales Catalanus cum piſce *uletif*, ſervare ſe ſcribit.

Scarabeorum quorundam meminit Vormius, quibus unum ibidem cornu ſit. Agit & de his Bartholinus de unicornu cap. 8. fol. 53. qui & exactam in qua conſpiciuntur picti, exhibet tabulam; qualem etiam dat Mouſetus de inſectis. Albertus magnus quoque, ac Ulyſſes Aldrovandus ad amuſſim inſuper de cornutis ſcripſere ſerpentibus; de quibus videſis Bartholinum de unicornu, fol. 55. cap. 9. inveniuntur & bicornes, tricornes, multicorneſque: à cornibus enim

nomen

nomen accepit Ceraſtes ſerpens perquàm maleficus, & peſtilens. Recenſet & volatilia inſecta unicornia Aldrovandus: è quorum genere & bicornia ſunt,quale eſt illud quod cervus volans dicitur. Quia cornua ſimiliter,ut cervi,ramoſa habet.

Quarto quadrupedia quædam animalia ſingula unum fronte gerunt cornu, quæ inter nonnulli & Rhinocerota numerant,quamvis revera duo huic ſint cornua.

Inter quadrupedes autem beſtias quibus unum cornu eſt, *Onagri* etiam, ſeu *aſini agreſtres*, reperiuntur, in Æthiopiæ degentes deſertis, de quibus etiam Ariſtoteles 2. hiſtor. animal.cap 8.& 3. de part. animal.cap.2.necnon Ælianus libr.4. cap. 25. Pliniuſque lib.11. cap. 37. & 41. ut & *boves* quidam, *vaccæque* & bubali, quorum etiam Plinius libr. 8. cap. 2. mentionem facit, quibus unicum, tantum iſtis in regionibus cornu obtigit, ſicut & *equis* nonnullis in India.

Bovis etiam in ſylva Hercinia *cervi* figurâ, cujus à media fronte inter aures unum cornu exſiſtit excelſius, magiſque directum notioribus cornibus, meminit Julius Cæſar lib. 6. de bello Gallico pag. mihi 246.

Solinus Polyhiſt. cap.65.fol.194. de *bubus unicornibus* & *tricornibus* refert.

Aliis autem in regionibus, ac præcipue in Africa, *Caprearum* genus quoddam *unico cornu* notatur,quibus & accenſendi *oryges* de quibus Bartholinus dicti tractatus fol.62.69.ac 73.legi poteſt: meminerunt tamen & horum Ariſtot. 2. de hiſt. animal.cap.1. ac lib. 3. de partibus cap.2.nec nonMartialis lib.13.epigram. 95. ut & Juvenalis Satyr. 9. verſ. 140. *cornutorum* etiam *leporum* Gaſſendus vita Peireſcii lib. 2. pag. 96. meminit, qui ex Norvegia allati Lovanii fuerunt viſi.

Denique & verum *unicornu* eſt, Indis *Carcazonus*, Arabibus autem, Perſiſque ac Tartaris, &c. *carcand*, ſive *carcandan*, teſte Æliano hiſt. libr. 16. cap. 20. quamquam illi pro locorum, in quibus degit, varietate, diverſa obveniant nomina.

Atque hæc quidem generalius de animalibus quibus unum cornu naſcitur, præmiſſa ſunto.

Strictiùs autem *unicornu* certum quoddam deſignat animal κατ᾽ ἐξοχὴν ſic dictum, quod unum ei cornu ſit. De illo autem ſolo noſtra eſt inſtituta diſceptatio. Quâ maximè videndum erit, deturne hujuſmodi animal alicubi gentium, an ſecus? Verùm quidem hoc unicornu Ogigii diluvii tempore interiiſſe nihilque de eo reſtare, præter ea, quæ hodieque in Bohemia Miſniaque necnon ſylvâ Hercynia, ac extremis Thuringiæ finibus e terra eruuntur cornua, nonnulli acriter contendunt,at illud ebur, cornuve foſſile monocerotis cornu verum dici nequit.

Thom. autem Brovvnius pſeudo-doxiæ epidemicæ, ſeu de vulgi erroribus cap. 23. pag. 301. hæc eſſe fragmina lapidis ceratitis ait. Qui vulgo cornu foſſile, cujuſque variæ, ac plurimæ in Germania è terræ ſinu producuntur ſpecies, verique unicornu nomine paſſim venduntur.

Hæc autem fragmina nil niſi duriorum quarundam materierum ſunt petrificationes, ut cornuum, dentium, oſſium ramorumque arborum, quorum nonnulli adeo non omnino mutantur, ut originis proprietatem,odoremque etiamnum ſervent, uti ille de fraxinorum, juglandumque fragmentis teſtatur. Similia Deuſingius diſſertat. De unicornu ℌ. 39. pag. 278. quandoque & in Hollandia, præſertim paluſtribus locis,ac interdum in æſtuario Groningenſi, ut & Comitatu Meurſenſi, alibique reperta fuiſſe perhibet. Horum etiam meminit Sennertus Epitom. natural. ſcientiæ lib. 5. cap. 4. de lapid. & gemmis fol. mihi 74.

Quam facillime autem ſaxea hæc, ac fictitia cornua à veris diſcerni poſſunt: hæc enim firma admodùm, duraque ſunt, ut vix radi, nedum contundi queant, linguæque admota non adhærent, ut illa quæ non dura, ſed veluti calcinata ſunt; oſſa quidem videntur, cum tamen lapides minerales ſint, quare nullo d ſſolvuntur negotio,contunduntur que, ac veluti terra ſigillata, linguæ adhærent. Uſus autem eorum eſt ad vulnera, & oſſa fracta conglutinanda, ulceraque ſananda, dicunturque etiam epilepticis & alvi infantum torminibus prodeſſe.

Dictû tamen difficile eſt unicornu iſto periiſſe diluvio: neque enim permiſiſſe videtur immenſa Dei providentia, ut qualecunque tandem eo extingueretur animalium genus,nec reviviſceret, ſive ex ſervatis in Arcâ animalibus, ſive aliis quibuſdam modis. Hac autem de re lege, ſodes Geneſ.cap.6.v. 19. 20. ac cap.7. v. 2. 3.9. 15. 16. & certè ſi ejus meminit Jobus ſcriptor ſacer, ut mox liquebit, non eſt ſtatuendum, SpiritumS. chimeram induxiſſe, ſi itaque poſt diluvium fuerit ab illô memoratum,tanquam animal notum, ſaltem formâ, & exiſtens, qui potuit cataclyſmo periiſſe? ut jam non in partes vocetur Ariſtoteles, qui, ut ſe,rerumque omnium genera conſervet, diligentiſſimam ſcribit naturam; ſta uit quippe ea animalia, quæ ſemel producta ab univerſi creatore fuerint, ſemper, quanquam ſera in propagine, ſuperfore.

Dari non tantum animalia unico inſignita cornu, ſed monocerotem per excellentiam vocari, ac à reliquis, quibus unum fronti cornu inhæret, animalibus longe differre, non pauca adſtruunt ſanctioris paginæ teſtimonia, ut num 23.v.22.24 ibidem 24. v. 8. Deuteron.33.v.17.Hiobi 39.v. 1. ac 9. Pſalm. 22. v. 22. Pſal. 29. v. 6. Pſal. 9. 2. v. ij. Eſaiæ 34. v. 7. qui utique omnes viri θεόπνευστοι poſt fatale ſcripſerunt diluvium, ac graphicè admodum,opinor, depictum unicornu nobis,non fictitium tamen, etiamnum exhibent.

Animadvertendum inſuper cenſeo illis locis non nominari tantum Monocerotem, ſed & myſticam in eo latere doctrinam quam exponere hujus loci non judico. Certe dubium non eſt,quin hæc illi tacuiſſent, ſi non exiſteret ejuſmodi animal. Unicornu præterea non tantum nominat ſacra pagina, ſed & eruditas admodum ex ejuſdem natura imagines format, miraſque recenſet qualitates, ut,primo prædicatur ejus ferox indoles: Jobus quippe cap. 39. v. 12. &c. num tibi ſervire volet unicornis, aut ad tua præſepia manebit; num tu unicornem ſubjugio ligabis in ſulcis, ut poſt te liras occet? Tu ne ei,qui ſit magni roboris, confides, aut laborem tuum committes? an credes fore,ut tibi ſata referat,& in tuam comportet aream?

Hæc autem manifeſtè indicant verba nulla domari arte, nullis contineri vinculis, nec ullis ſubactam inſidiis manſueſcere monocerotem; cum tamen vel ferociſſimis jugum fuiſſe impoſitum animalibus, ut leonibus, tigribuſque &c. ab ipſo mox tempore, quo producti eſſent, arte dominis etiam nuper Hagienſibus meis conſtitit.

Secundò, memoratur nobile, præſtantiſſimumque robur: dicti enim cap. 39. v. 14. ita legitur; tu ne ei, qui ſit magni roboris, confides.

Numer. etiam cap. 23. v.22. ita *Bileamus* de populo Iſraëlitico: eduxit illum ex Ægypto Deus robore præditus Monocerotio. Confer numeror.cap.24.v.8.

Tertiò illius indicatur animoſitas, quam non ſine laude Bileamus extollit,cum dicit: Deus Iſraëlem ex Ægypto eduxit,eſt enim ejus robur (alius altitudo, aut animoſitas) tanquam unicornu adde & Pſalmum 29.v.6.ubi vox Jehovæ, inquit pſaltes, confringit cedros Libani, & exilire facit quaſi juvencos, Libanum,

num, & Sirion more pullorum unicornium.

Denique quartò refertur indomita Monocerotis feritas, nemo quippe, teſte Jobo cap. 39. v. 12. &c. aſperrimum hoc animal domuerit, Ælianus, Plinius, Solinuſque, ut & poſteriores, nec cicurari, nec vivum capi poſſe audacter affirmant, teſte Bartholino de unicornu fol. 207. cap. 28. atrociſſimum, inquit Solinus Polyhiſtor. cap. 65. fol. 194. Monoceros eſt animal, quod vivum non venit in hominum poteſtatem, & interimi quidem poteſt, capi vero non poteſt. Sed hiſce obſtare videntur S. Scripturæ loca geneſ. 1. v. 28 geneſ. 9. v. 2. Pſal. 8. v. 9 ut & S. Jacobi Epiſtol. Cathol. cap 3. v. 7. ubi legitur: omnis natura enim, & volucrum, ſerpentumque & aquatilium, humana induſtria domatur, & domita eſt.

Verùm ſciendum eſt illas beſtias revera domari non poſſe, cum jam diutius in ſylvis degerunt iisque aſſueverunt tandem. Neque enim unquam hujuſmodi unicornu domitum fuiſſe conſtat. Subigi autem quid vetat unicornium catulos, nec ſylvis, nec feritati aſſuetos? certe poterit arte hiſce imponi jugum. Neque aliter accipiendum crediderim B. Jacobum.

Simili plane modo Leones, Tigreſque (uti modo diximus) & quicquid ferarum eſt, ab eo tempore, quo modo geniti ſunt, humanæ induſtriæ traditi manſuetiores fiunt multò, ac quamquam feritatem iſtam, nunquam omnem exuiſſe videantur, rectè tamen domitos dixeris.

Unicornes autem cùm propter aſperitatem, ac robur, tum quòd remotis, inacceſſiſque ut plurimum lateant locis, ab hominibus non domantur.

Ad indolem hujus feræ etiam cornu excellens pertinet, neque enim illius in ſacris paginis tantum reperias elogia, ut Deuteron. 33. v. 17. ubi ſuper Joſepho ita Moſes: primogenitus ejus bos majeſtate præditus eſt, & cornibus Monocerotis, quibus populos protinus ad extremum terrarum feriet. Pſalmo etiam 92. v. 11. David ait de Meſſiæ regno: extolles meum cornu veluti unicornis, verùm illud etiam hodieque Medici, imo & Barbari, eorumque locorum incolæ in quibus colunt monocerotes, plurimi faciunt, præſtantiſſimumque adverſus quævis venena antidotum credunt.

Verùm equidem eſt in ſacro codice τὸ *Rem*, ſeu *Reem* modò *monoceros*, modò *Rhinoceros* verti, utpote quo ſignificetur exaltatus eſt; unde etiam fit, ut promiſcue hæc multi ſumant interpretes: paſſim tamen Hæbreorum *Rem*, ſive *Reem* Septuaginta, plurimiſque hodiernis interpretibus quos enumerat, Sam. Bochartus de animal. S. S. part. 1. pag 951. unicornis eſt: ut ex num. cap. 23 v. 22. aliiſque locis conſtat, vulgata autem latina verſio iſta nomina per Rhinocerota in Moſis, Jobique Scriptis reddidit, in Pſalmis autem, Eſaïaque, per monocerotem. D. etiam Hieronymus, nunc hoc, nunc illud intellexit Animal, quod quibuſdam S. Scripturæ locis non unicum tantum reperiatur cornu, ſed per numeri enallagen, cornua.

Ideoque Pſal. 22. v. 22. Rhinoceros vertit, pauci tamen, niſi qui eum ſequuntur, hanc admittunt verſionem. Videatur quoque de Jobi, Davidiſque locis Joh. Pierius Hieroglyph. lib. 2. pag. 21. qui modo unicornem, modo naricornem veriùs legi exiſtimat. notum enim eſt, Rhinoceroti duo eſſe cornua, quamquam negantibus nonnullis, illorum autem alterum in ima fronte prope naſum, quo Elephantos aggreditur, iiſque ventres perforat, alterum minus prope dorſum eſt.

Hebræorum verò *Reem* geminum attribui cornu Deuteron. 33. v. 17. adeoque Rhinocerotem deſignari Hieronymus ait, quòd monoceroti unum tantum ſit cornu. Vide tamen late de eo differentem Sam. Bochartum de animalibus S. Scripturæ part. 1. lib. 3. cap. 27.

Rhinoceroti etiam bina naſci cornua ex Martiale lib. Spectac. Epigram. 22. palam eſt, qui ſic de illo:

Namque gravem gemino cornu ſic extulit urſum
Jactat ut impoſitas Taurus in aſtra pilas.

Quamvis longe aliter exponente Bocharto d. lib. 26. Teſtatur etiam Pauſanias lib. 9. non unum, ſed duo Rhinoceroti eſſe cornua, alterum ingens, ac ſupra naſum natum, minus alterum, ſed validiſſimum, paulo ad cervicem recedens.

Convenit I. Cæſar Scaliger exercitat. 205. nec non Pierius Hieroglyph. lib. 2. pag. mihi 21.

Acutiſſimus hujus rei indagator Hieronymus Luſitanus gente, è Soc. Jeſ. itidem gemino cornu inſignem ſtatuit Rhinocerota, cum Æthiopiæ deſcriptione Germanorum linguâ edita (neque enim aliam videre licuit) diſtinguendum dicat *Unicornu* ab *Abada*, ſive *Rhinocerote*; id enim vel ipſa evincere nomina, cùm *Monoceros* illud, hoc *Rhinoceros* vocetur animal, quibus utique non unum, idemque ſignificetur. Corporis figura longe etiam hæc differre notat animalia; eſſe quippe Monoceroti unum, idemque longum, rectumque cornu, quod efficaciſſimum ſit contra venena remedium, Rhinoceroti autem ſive *Abada* bina cornua eſſe, nonnihil recurva, & ea quoque, quamvis non ita promptum, adverſus toxica antidotum præſtare ſcribit: differunt præterea multum hæ feræ colore pedum, capitis, pelliſque forma &c.

Gualterus Scoutenus lib. 3. Itinerarii Indiæ Aſiaticæ pag. mihi 124. tradit animal, quod *Abadam* appellant Luſitani vix capi poſſe vivum, propter vires, immenſumque robur, hujus autem cornu non tam longum eſſe ait, quam quod gerit Monoceros, cui alia plane ſit forma: breviora quoque Rhinoceroti crura eſſe aſſerit, roſtrumque ſuillo non multum diſſimile, ſed proportione habita, acutius paulo cornu ei ex naſo aſſurgere, atque initio craſſius, verſus ſuperiorem partem multo tenuius evadere, coloriſque è fuſco viridis, non omnino nigri (ut quidam falſo) eſſe, quod autem cinericeum, albeſcenſve ſit, carius longe vendi, idque ipſos plurimi facere ait Indos. Addit & aliud huic animali cornu eſſe circa primam dorſi vertebram.

Utrum verò illi, qui unum tantum Rhinoceroti cornu eſſe contendunt, minus illud cornu non conſiderarint tanquam tale, an verò variæ dentur Rhinocerotum ſpecies, quarum hi uno, gemino illi inſignes ſint cornu, non uſque adeò exploratum, quamquam veriſimile eſſe ſcribat ejuſdem generis animalia variis in regionibus forma nonnunquam aliquomodo differre: Hircis quippe diverſis in terrarum plagis interdum unum, bina quandoque, imo & tria aliquando eſſe cornua ita ille pag. 1403.

Varia etiam eſt cervinorum cornuum, aliorumque animalium pro regionum diverſitate, forma.

Dari autem verum, ac κατ' ἐξοχὴν ſic dictum unicornu plurimorum etiam, doctiſſimorumque teſtantur virorum monumenta, quos inter Cteſias qui primus teſte Plinio lib. 8. cap. 12. de eo ſcripſit: nec non poſt hunc Philetes, Ælianus, Plinius, Iſidorus, Albertus, aliique.

Philetes Scriptor Græcus hoc deſcripſit animal cap. 30. unicornu, inquit, eſt animal calcibus, & morſu crudeliter feriens, cui cornu feriſſimum media prominet in fronte, non concavum aliorum inſtar cornuum, nec leve, planumve, aut politum, ſed limâ ferreâ aſperius, ad modum tamen limacis convexum, & ſtriatum, teloque acutius, eo quod recurvum non ſit,

ſit, ſed directum, nigrumque, excepto mucrone: eadem legas Æliani variar.hiſt.lib.16.cap.20. Plinij lib. 8.cap.21.fol.138. qui omnes hoc animal vivum capi negant. His adde Solinum Polyhiſt.cap.65.pag.mihi 199. nec non Gregorium lib.31.moral.cap.13.

Paulus Jovius hiſt.lib.18.fol.mihi 872. de Gogianis in Africâ, Nilique fontibus agens ejuſdem Regni incolas affirmare tradit alatos ibidem reperiri dracones, necnon Monocerotem, cui ſit pulli equini forma, color cinericeus, cervix jubis decora, hircina barba, ac cubitale cornu longe efficaciſſimum contra venena antidotum.

Montanus deſcript.Americæ cap.3.de Novo Belgio fol.125.in Canadæ oris nonnunquam conſpici animalia ſcribit, quæ equis non omnino ſint diſſimilia: his autem biſulcas ungulas, ac hirſutas jubas, necnon caudas, quales ſunt apris, nigros oculos, & cervinas cervices, ſinguliſque unum media in fronte cornu eſſe ait, hæc etiam vaſtiſſima, ac quàm maximè deſerta petere loca, aliudque ab alio ita timeri tradit, ut nec mares cum fæmellis paſcantur niſi coitus tempore, quo feritatem poni, poſtea vero illa eâdem, quâ antea, ferocitate non quævis tantum animalia ſed & ſui ſimilia aggredi ait.

Idem pag.214. in Inſula California, quæ eſt Regni Quiviræ, feros reperiri equos teſtatur uno, ſed ingenti, frontem inſignes cornu, quibus muſtelina pellis, cervinumque caput, ac cervix brevior, nec non ab una parte dependentes jubæ, ut & tibiæ graciles, caprinique ſint pedes.

Paulus Venetus lib.3.cap.15. de Regno Baſman in Java minore ſic habet: inveniuntur apud eos Elephanti & Unicornes in magna multitudine, & ſunt unicornes paulo minores Elephanti, pilum habentes bubali, & Elephanti pedem, habent caput, ut aper, & more porcorum libenter morantur in luto, & aliis immunditiis, in medio frontis geſtant cornu unum groſſum, & nigrum; Linguam habent ſpinoſam qua lædunt homines, & animalia.

Ut autem magis liqueat veram, proprieque dictam Monocerotem exiſtere, Plinium in partes vocabo: hic enim Lib.8.Cap.21. poſtquam modo adducto capite de multis, admirandiſque egiſſet animalibus quibus unicum fronti cornu eſſet, ac tandem feræ cujuſdam, Libero Patri Sacræ, cui nomen *Axis*, mentionem feciſſet, *Orſei*, inquit, Indi ſimias candentes toto corpore venantur. Aſperrimam autem feram Monocerotem reliquo corpore equo ſimilem, capite cervo, pedibus Elephanto, cauda apro, mugitu gravi, uno cornu nigro, media fronte cubitorum duum, eminente: hanc feram vivam capi negant. Videtur autem Plinius per *Orſeos* Nyſæ Indiæ urbis incolas intellexiſſe. Hæc autem ad *Meri* montis, ubi Bacchum à Nymphis educatum Diodorus Siculus tradit, radicem ſita eſt. Urbem autem ac montem Deo iſti ſacrarant Priſci, teſtantibus, præter Plinium dicto loco, Juvenale Satyr.7.v.63. Lucanoque Pharſal.lib.8.v.227. aliiſque. A Nyſa autem urbe, cui præerat Bacchus forte Dionyſius dictus eſt. Quam maxime autem animadvertendum cenſeo, hiſce omnibus, quæ à Plinio cum de Monocerote, tum de urbe Nyſa, ſacriſque in Bacchi honorem ab incolis inſtitutis traduntur, convenire cum monetâ quadam libro miraculoſo Pyrrhi Ligorij, excellentiſſ. Ferrariæ Ducis Antiquarij ob eam memoriam ſolam religioſe aſſervanda, inſertâque, cui inſculptus eſt monoceros inclinans caput, & Cornu Cantharo Baccho ſacro immittens cum hac inſcriptione *Nyſeon*: quo ſymbolo non tantum religionem in Bacchum, ſed & venationis laudem quam ſibi jure merito, quod tam aſperam feram venati eſſent, deberi credidere, ſignificarunt.

Unde Baccius de Unicornu fol.mihi 62, è conjecturis bonis rationibus fundatis colligere ſe ait, fuiſſe hunc Alexandri magni nummum, quod Græca inſcriptione, *Nyſeon* inſigneretur, quæ Chaldæa minime, ac multo minus Indica ſit. Certum quoque eſt nullum Græcorum, aliorumve Europæorum præter Alexandrum in hos jus habuiſſe populos. Hic enim victo Dario Perſarum rege totum nominis ſui terrore orientem implevit ita ut proſpero ſucceſſu Herculis terminos, qui in urbe Nyſa erant, ac Gangem tranſgreſſus fuerit, Brachmaneſque, quos hodie Braminos Indi dicunt, viſerit, ille autem Nyſam urbem, alioſque populos, apud quos, aris erectis, ſolemnia inſtituit Baccho, Herculiſque ſacra præcipue tutatus eſt. Ac ſicuti ſummus ille terrarum Rex, quacunque pateret imperium ad inſignium victoriarum memoriam paſſim arcus, aras, pyramidaſque, aliaque Trophæa erigere ſolitus erat, quæ Ptolomæus in Riphæis etiam montibus, ac prope Caſpium mare, necnon apud Sogdanios in Aſia, Indiaque in Hydaſpis fluminis Nyſam præterfluentis ripis erecta deſcribit. Solinuſque cap.65. ac Plinius lib.6.cap.18.aras Alexandri Magni itinerum terminos in Hyphaſis ulteriori ripa poſitas vocant. Ita etiam veriſimile fit, Macedonem augendæ famæ, gloriæque ergo, quam tot clarus victoriis longe, lateque extendere cuperet, ejuſmodi nummos cudi juſſiſſe, qui qualeſcunque ſint, evidenter, quale animal Monoceros ſit in Nyſæ propriè montibus ortum, demonſtrant.

Ne quem autem altum ſcribentium de Unicornu moretur ſilentium, cum tamen per tot, tantaſque terras ſe diffuderint Alexandri arma, ac nomen; ſciendum eſt Oneſicritum Philoſophum, Hiſtoriographumque (quem & Medicum fuiſſe ac in Inſula Aſtypalæa natum, nec non in Diogenis Schola eruditum Alexandro militaſſe, ejuſque originem, laudeſque monumentis ad poſteros tranſmiſiſſe apud Strabonem lib.15. Legimus, cujuſque Curtius lib.10.ac Solinus cap.66. mentionem faciunt) memorare apud Praſios (gentem Indiæ celeberrimam, cujus & Ælianus hiſt. animal. cap 29. Pliniuſque lib.6.cap.19. meminere) equos unicornes cervinis capitibus reperiri.

Verùm jam nunc audire mihi videor dicentes, ſi, quales modo deſcripſiſti, Monocerotes dentur, qui fit, ut tam raro conſpiciantur, atque adeò varie de iis ſcriptores loquantur? Hæc autem nihili faciet, quiſquis mecum conſideraverit aſperrimam eſſe feram monocerotem, ac in vaſtis, deſertiſque degentem locis, montibus videlicet Africæ utplurimum ideoque rarius in hominum prodire conſpectum adde, quod & indomitum ſit animal, niſi forte capiantur catuli, quales ad Praſiorum Regem olim fuiſſe adductos, Ælianus hiſt.animal.lib.16.cap.20.auctor eſt, quam hiſtoriam Plinius lib.8.cap.21. confirmat: qui feſtis dein diebus robora oſtenſuri in arenam producti fuerint.

Accedit, quod hæc fera, ſi caſu quodam grandior in hominum pervenit poteſtatem, ob aeris alimentique mutationem facillime extinguatur in longinquas abducta terras.

Sunt tamen plurimi, qui vidiſſe ſe Monocerotem teſtentur, ſic P.Venetus lib.3.cap.15.in Tartaria vidiſſe ſe unicornu ſcribit.

Ludovicus Vartomannus itineris ſui Æthiopici lib.1.geminos unicornes Mechæ ſe vidiſſe aſſerit. Majorem equino pullo 30. menſes nato haud abſimilem credit. Prominet in fronte cornu unicum longitudine trium cubitorum, longe natu minor eſt alter, utpote anniculus, ac equino pullo ſimillimus. Ejus cornu quaterni palmi longitudinem non excedit. Coloris eſt id animal equi muſtelini, caput cervi inſtar, collo non oblongo, rariſſimæque jubæ ab altera parte ſolum dependentes. Tibias habet tenues, eaſdemque graciles

graciles admodum, hinnuli modo. Ungulas anteriorum pedum bifidas habet. Caprinos pedes ferme referentes. Tibiarum poſteriorum pars exterior villoſa eſt, pilique plurimi. Sane id animal ferum videtur, verum ferociam neſcio quâ comitate condit. Advecti ſunt ex Æthiopiâ ab Æthiopum Rege ad Mechæ Sultanum, quem vocant.

Aloyſius Cadamuſtus itinerarii ſui cap. 50. itidem conſpexiſſe ſe unicornu ea in novi (quem vocant) Orbis parte memorat, quæ Indiæ quam maxime propinqua eſt.

Idem ille, cujus ſupra memini, pater Hieronymus Luſitanus è ſoc. Jeſu indagator ſtrenuus tradit deſcriptione Æthiopiæ, quendam etiam è ſoc. Jeſu itinerisque ſocium qui aliquo tempore in Æthiopia, ſive Presbyteri Joannis (quem vocant) terris degiſſet, avidum maxime fuiſſe hujuſmodi cornuti animalis habendi: quapropter ad eum adductum fuiſſe à matre recentem catulum. Hic autem uſque adeo laborum impatiens erat, ut paucis poſt diebus extingueretur. Meminit & idem Luſitani cujuſdam Tribuni, qui ipſi narraverit, quomodo cum viginti exercitus militibus in iiſdem oris viderit parvæ vallis denſo nemore cinctum equum perfectum formâ, piliſque ac colore, cujus unicornu eſſe dicitur. Dixerat quoque ille equo mediocri animal illud magnitudine par fuiſſe, coloreque ſubnigro, ac cauda, ut & jubis nigris, piliſque brevibus, ac paucis, nec defuiſſe fronti elegantibus diſtinctum lineis cornu, cujus quinque circiter ſpithamas longi color albeſceret.

Thom. Bartholinus hiſt. anat. cent. 2. hiſt. 61. Franciſcus, inquit, Marchio de Magellanes Africanus, nomine Regis ſui Guinenſis ad Curlandiæ Ducem Legatus Hafniæ 1652. ſubſiſtens, in patria ſua unicornu reperiri dixit, è genere quadrupedum ſæpe à ſe viſum, nec de eo in Africa dubitari. Atque ex ejus relatione ſe comperiſſe idem ſcribit unicornu Afris *Tirè bina*, quod eſt cornutum animal, dici, velociſſimumque ac ferum animal in deſerto *Cano* oberrare, unde vivum capi nequeat, ſed ſagittis figatur; cadaver tamen reperiri, quod à veterum Monocerote non multum diſtet, Magellanicus tamen vivum non viderat. Unicornu autem illud, referente ibidem Afro, magnitudine, & forma mediocrem exprimit equum, capite, cruribus, & pedibus piloſis, juba brevi, vixque ſphithamam longa, cauda equina, nec valde piloſa, cutis omnis glabra, piliſque breviſſimis; linea nigra per dorſum cinereum excurrit, à maxilla autem inferiori ad abdomen color candidiſſimus eſt. In fronte crinium faſciculus viſitur; è cujus medio cornu unicum prodit, cui ille quamvis à fronte ſeparato adhæret. Cornu autem vix tres ſuperat ſpithamas octo vel novem circiter pollices in baſi craſſum: nec tamen hoc in gyros inſtar borealis cornu contortum eſt, ſed exiguas tantum habet inciſuras: color ei flavus eſt circa radicem cavo. Mas ſolus cornu iſto, fæmina cætera mari ſimillima ſine eo viſitur. Reliqua videſis apud Bartholinum d. l.

Vincentius Blanquius cap. 25. fol. 129. itinerarii per totum terrarum Orbem, tradit ſe in civitate *Canaranenſi* quæ eſt Regni Peguani in India, apud hoſpitem quendam fuiſſe commoratum, cui duo monocerotum cornua fuiſſent, quorum alteri oſſis frontis etiam tum adhæſiſſet pars. Ille virum hoc interrogatum, viventiane vidiſſet hujuſmodi animalia, reſpondiſſe narrat, ſe duo tantum conſpexiſſe quibus parvis admodum nondum eſſent cornua, alterumque à rege venante fuiſſe captum, matrem vero nunquam apparuiſſe quavis quæſitam induſtriâ; monocerotes enim hominum conſpectum fugere, ſerpentumque majorum vitare dicuntur occurſum, utpote qui ipſis quam maxime infeſti noceant.

Memini equidem, ait idem, me illud unicornu in Peguenſi regio ſepto vidiſſe, cum longe ejus linguam ab aliorum animalium linguis, utpote longam, aſperamque differre, caput autem cervino magis, quam equino ſimile eſſe animadverti. Pilis etiam ea animalia plurimum diſcerni tradit. Qui vero monocerotem regunt, alimentaque præbent, impuram feram dicunt, ſuoque delectatamque fætore, nec unquam demittentem cornu in aquas vidiſſe, cum biberet, dicunt.

Indorum reliqui tam multa, diverſaquè de hac tradunt ferâ, ut, cuinam credendum ſit, vix videas.

Braminorum (quos ille vocat) è numero quidam dicebat dictumque jurejurando confirmabat, ſe Regi Caſubi, cum horum unicornium unum caperetur, adfuiſſe, illud autem candidum, ac valde annoſum, maxilliſque eò uſque foras prominentibus fuiſſe, ut cute nudati longo ordine conſpicerentur dentes. Memorat etiam ferociter ſe deffendiſſe, cornuque inter arboris cujuſdam ramos avulſiſſe, captumque, ac vinctum regi traditum quinque tantum ſuperfuiſſe dies: neque enim quidquam cibi ſumebat, quod vapulaſſet inter capiendum poſt Regis Nepotem vulneratum. Unde indomitam, flectique neſciam eſſe feram quivis conijciat. Scribit & Reginas ex illius oſſibus armillas, confici juſſiſſe, Regem Caſubi, autem ſibi retinuiſſe cornu, ut & ſe Courbeum quendam itineris ſocium, cum per quinque menſes in aula regia degiſſent, rogaſſe, uti cornu illud conſpiciendi licentiam peteret, Regem autem allatum cornu Courbeo donaſſe, qui præſtantiſſimum, ut munus munere compenſaret, horologium Regi dono dederit. Illud autem cornu multum colore tradit Blanquius ab iis diverſum fuiſſe, quæ Mechæ, alibique vidiſſet, cum id è cinereo albeſcentis hæc autem ſubfuſci eſſent coloris. Regem etiam ipſis conjugis ſuæ armillas ex alia ejuſdem cornu parte confectas, ac optime olentes, totiuſque capitis oſſa à Principe quodam iſtius Regni in arca conſervata oſtendiſſe memorat.

J. H. Seyfrid Medullæ memorab. naturæ fol. mihi 593. ex Otthone Guerike tradit anno 1663. Quedelinburgi in Saxonia in campo quodam integrum monocerotis ſceleton, quà formâ hujuſmodi animalia jacere ſolent, ſed capite elevato, fuiſſe repertum, cujus fronti adhæreret cornu quatuor plus cubitos longum, ad longitudinis proportionem craſſum, cornu autem caputque unà cum aliquot coſtis, ſpina dorſi, atque oſſibus reverendæ admodum Principi Abbatiſſæ ibidem degenti traditum fuiſſe.

Teſtes autem hoſce oculares inter ſe, alioſque qui ex aliorum tantum ſcripſere relatu, ita in deſcribendo cornu diſcrepare non adeo miremur: ita nonnulli, qui animal id non videre, Cornu iſtud, Cui diverſos admodum colores attribuunt, modo lævem, modo inæqualem, ſtriatumque ajunt, modo negant, alii tres ſpithamas longum dicunt, quidam etiam quinque, inciſoſque afferunt nonnihil pedes, refragrantibus iterum aliis.

Cornuum autem, pilorumque colorum diverſitatis cauſa haud dubie eſt ætatis, (ut ex Blancquio adductis liquet) vel etiam regionis differentia.

Ita Candidi reperiuntur corvi, urſique, ac lepores in Iſlandia, nova Zemblâ regionibuſque Arcto vicinis, albos etiam quoque cervos fuiſſe conſpectos Ariſtoteles libro de coloribus, Pliniuſque lib. 8. cap. 32. fol. mihi 142. ac Bochartus de animal. S. Scripturæ pag. 963. tradunt. Albentes etiam nonnunquam reperti fuere Elephanti, quos divinis Pagani affecerunt honoribus. Reliquas vero circumſtantias regionum, aeriſque, ac alimentorum, opinor, varietas efficit, uti id aliis non tantum animalibus, ſed & ipſis contingit hominibus, quibus indoles, moreſque pro ætatis, plaga-

plagarumque necnon nutrimenti differentia longe diſſentiunt.

Illis autem,qui cum ex relatu, aliorumque, tantum fide ſcripſerint, errarunt, ignoſcendum eſſe reor.

Anne etiam diſſentientium videmus de Rhinocerote opinionum agmina, qui copioſius multo, ſæpiuſque reperitur, quam Monoceros, ita ut dixerit Ælianus hiſtor. animal. libr. 17. cap. 40. ſupervacuum fore, ſi quis Rhynocerota deſcripſerit, quem tot Græci, Romanique coram aſpexerint,optimeque norint, multum tamen plurimarum de eo diſcrepant monumenta. Ajunt namque Bontius, ac Neohoſius eum coloris eſſe ſubcinerei, Plinius autem, & Strabo in ſpectaculo à Pompeio Magno inſtituto,Rhynocerotem ſubflavi coloris conſpectum fuiſſe memorant.

Teſtatur Anderſenus pellem ei eſſe è nigra cæruleam,quidam plicatam eam, ſquammeam vero nonnulli tergumque ſcutulatum,ac veluti perpetuo thorace munitum aſſeverant. Duo huic feræ cornua alii attribuenda, unum tantum alii pertinaciter contendunt. Denique illud modo nigrum, modo cinericeum,albumve, unumque pedem, cubitive partem quartam longum dicunt, minus autem eſſe varii, duos vere pedes longitudine æquare ab his diverſi ſtatuunt.

Conſiderandum denique reor verum unicornu rarius in hominum poteſtatem pervenire ac reperiri. Atque hinc quidem contigit, ut tot arte, fallaciaque veritatem imitante conficta, vel aliorum etiam animalium cornua pro veris habita, magnatibuſque obtruſa ſint, utque tot, tantique viri ſplendidam fabulam Monocerotem, vanumque ejus cornu contra quævis toxica crediderint antidotum quanquam & hi culpâ qualicumque abſolvendi ſint, quod miris, nec adeo compertis difficilius fides habeatur: ut Horatianum illud huc transferam.

Segnius irritant animos demiſſa per aurem
Quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus.

Præſertim cum uſu didiciſſent has iſti cornu vires non eſſe,quod,cùm eſſet alterius animalis,falſo monocerotis crediderant.

Abſit tamen,ut quiſquam propter hanc ſcribentium diſcrepantiam inane tantum nomen exiſtimet unicornu,quandoquidem enim rarior hæc fera eſt, ſoliſque lateat in locis,atque non ita multis nota ſit, non erraverit fortaſſis,qui nonnullos eam pro lubitu, erroneiſve narrationibus, picturiſque inductos deſcripſiſſe dixerit, non inepte enim Flaccus.

Ficta voluptatis causâ ſunt proxima veris.

Denique quoniam plura ſunt uno frontem munita cornu animalia (ut ſupra notatum) quæ hoc certe, cum ſit unicum unicornem excellentiorem referunt, facile contingere potuit,ut errores, nævique in eorum ſcripta propter multum à ſe diſtantiam beſtiarum male conjunctas, ſeparataſve qualitates irrepſerint.

Quod ſi quis ſcire geſtiat, qui fiat, ut nec Hippocrates, nec Galenus Monocerotis meminerint, cum ejus cornu tam præſtantiſſimum dicatur contra quævis venena Antidotum.

Interrogari poterit,quid cauſæ ſit, quòd non æque ſcire deſideret cur nullam rhabarbari, aloeſve Hippocrates, nullam itidem fol. Sennæ Alexandrinæ, Camphoræ,ſpermat. ceti &c. Galenus fecerit mentionem,cum tamen eorum illa tempore extiterint.

Certum etiam eſt nec Hippocratem, nec Galenum, Dioſcoridemve unquam vel fama tantum Ambram Gryſeam, lapidemve bezoardicum aut guajacum, vel ſaſſafras, ſalſamve parillam,guttamve gemou, aut denique mechoacan. noviſſe. Licet autem his Viris egregiis iſta minus fuerint nota, ideone eorum temporibus eodem, quo nunc producuntur modo orta fuiſſe ſanus quiſpiam inficiabitur.

Plurium inſuper rerum, quæ è longinquis ad nos apportantur plagis, vel etiam deſertis proveniant in locis, ac minus ſolitæ, rarioreſque ſunt, licet formam, aliaſque ignoremus circumſtantias, optimè tamen innoteſcit uſus.Quàm variantes etiam de Rhabarbaro bene multi opiniones ſcriptis fecere notas? ignorabatur quænam eſſet planta, & quibus hæc veniſſet ab oris. Quam incertæ etiam de caſtoreo ſententiæ ſparſæ ſunt,quod ex fibri teſticulis nonnulli conſtare hariolati erant? quam ambigue etiam multi ceti ſemen Ambram Gryſeam monſtrive cujuſdam excrementum,vel piſcis alicujus hepar, aut avium fragrantibus nutritarum herbis alvinas fæces fluctibus in mare ac celſis detruſas rupibus aut denique fungorum marinorum quoddam ſtatuere genus.

Similiter etiam nuper varia admodum, diſcrepantiaque de ſuccino prolata ſunt judicia, aliis illud bituminis quandam ſpeciem, cretamve, reſinam aliis ab arboribus quibuſdam promanentem,nonnullis autem beſtiarum quoddam excrementum clamantibus.

Quàm aliena etiam à veritate nuperrime de ſpermate ceti prodita ſunt, ut & ipſe Caſpar Hofmannus de Medicam. Officinal. paralipom. cap. 66. fol. mihi 678. ſe neſcire, quidnam ſit, aperte, ac ingenue fateatur. Schroderus Pharmocop.med. Chym.lib.3 cap. 31.fol.170.inter ſcriptores de ejus origine non convenire ait, quandoquidem quidam balænæ geniturani dicant, ſed immerito,ut ſentit ipſe,quod illud ipſum etiam iis reperiatur in locis,quibus nec vola quidem, aut veſtigium balænarum ſit. Alii ſalis florem dicunt, cujus meminerint veteres, adeoque ſal maximum ſpumoſum vocant. Sed nec hi ſaniora ſentiunt, flos enim ſalis veterum rubebat, eratque tenuis, aquoſuſque,ac ſubſalſus, necnon detergere aptus. Harum autem qualitatum ſpermati ceti nulla ineſt.

Hoc autem,quin è ceto proveniat,dubitare non ſinunt non ita dudum nota argumenta.

Piſcis enim quidam à balænarum generibus in littus impulſus Norfolcienſe,repertuſque à piſcatoribus fuit 60. pedes longus, cujus è capite fluenta olei, ac ceti ſpermatis profluere, ac à piſcatoribus collecta, aſſervataque ſunt diligenter. Aperto autem capite ipſa ſpermatis reperta fuit, ut ſic dicam, officina, certis concluſi cancellis juſto ordine diſpoſitis, qui anſerinis ovis magnitudine pares, laminiſque vel adulti hominis caput magnitudine æquantibus obtecti, favorumque forma albentes, atque oleo ſcatentes eſſent teſtè Brovvnio pſeudodoxiæ Epidem. fol. 318.

Hoc autem ſperma ceti naturale eſt, noſtrum autem quod paſſim in Pharmacopoliis proſtat,mere factitium & compoſitum duplicis eſt generis: alterum è cerebro, alterum quod à balænæ conficitur pinguedine.

Sed nec dum etiam ſatis conſtat, cujus arboris ſit agallochum ſive lignum aloës, quibuſve creſcant Malabathri folia truncis. Illius namque tantum ſcimus arborem deſertis, inacceſſiſque florere in locis, nec niſi hujus fruſta tantum conſpici, quæ quotannis exundantes Ganges, Induſque, aliique orientis fluvii trans ripas ejiciunt, ac bene olentia accolis colligenda relinquunt. De Malabathri foliis autem (quæ tanquam præſtantia aromata Theriacæ plerumque admixta fuere, ac quorum defectum nunc ſimile quid ſupplet) non convenit inter ſcribentes. Verum non ita diu conſtitit

conſtitit illa canellæ arboris eſſe folia, quamquam hujuſmodi arborum varia genera in Malabaria, inſuliſque Ceylanâ ac Japanâ alibique ſint, aliæque verum cinnamomum, caſſiam ligneam aliæ, Malabathri autem folia nonnullæ producant, annotante Jacobo Breiicino obſ.130.miſcel.cur.med. phyſ. Anni 4.pag.mihi 439.

Nuperrime quoque dubitarunt nonnulli, unde Camphora originem duceret. Certatum quippe diu, atque in diverſas itum eſt ſententias, illis eam è frutice prodire, his minerale dicentibus. Agricola 4. foſſilium Fuſchius lib. 1. de compon. Medicam. ac Cæſalpinus metall. 33. Indicam, ſulphureamque ajunt Camphoram terram eſſe; Matthiolus in Dioſcorid. libr. 1. cap. 75 fol. 104. arboris cujuſdam gummi eſſe ſtatuit in montibus Indicis, quibus ſit vicinus Oceanus, tantâ creſcentis multitudine, altitudineque, ut centum aliquoties homines ſimul patulo tegmine, umbraque contegere queat.

Garcias ab Horto Archiater quondam Vicarii Regis in India cap.11. aromatum fol. mihi 48. ſatis oſtendit minus rectè ſe hanc noviſſe arborem, licet diutius iſtis in Regionibus vixerit, is autem Mercatores Luſitanos inſimulat, qui dummodo lucri bonum eſſe odorem ex re qualibet ſciant parum ſint ſolliciti, quas ferat tellus, quam adeunt arbores, quibuſve hæ inſignes exiſtimentur fructibus.

Ante paucos autem annos demum conſtitit è cortice radicis canellæ arboris oleum, ac ſal quoddam volatile per diſtillationem prodire, quod poſterius frigefactum ab oleo ſejungitur, ac deorſum vergit, quamvis per coctionem etiam ab illo Camphora ſeparari poſſit.

Quiſpiamne etiam ſcire ſe autumet, cujus arboris ſit Thus nobis adeo uſitatum, & unde plurima gummi proveniant. Temerarium certe duco, quod non videris, continuo velle negare, quando rerum etiam naturalium ſæpius multa caligine tegitur ratio, ut non niſi multa erui poſſit induſtria præcipue ſi rariores ſint, ac in longinquarum tantum terrarum pene inacceſſis reperiantur locis. Humanum igitur eſt, ſi quis in hiſce erret.

Statuo itaque, quandoquidem multorum, quorum quotidianus eſt uſus, vix innoteſcit origo ac indoles, non negandum eſſe Unicornu exiſtere, quamvis non ita multis notum ſit, cum quod rarius propter jam dictas rationes reperiatur, tum quod nunquam fere vivum capiatur & obſervandum profectò eſt omnes uno ore ſcriptores hoc ipſum aſſerere.

Sed nec ſic quidem cuivis ſatisfecero. Erunt quippe, qui dicant, alicubi in terris hoc exiſtat animal, cur non Romani etiam, quorum imperium Oceano, fama aſtris fuit terminata, hoc animal in triumphis (quos victoribus ſæpe decrevere) circumduxerunt, vel quidni etiam pugnaturum more Rhinocerotum, Elephantum ac Tigrium, nec non Leonum Urorumque, ut & Urſorum, atque Orygium in amphitheatra induxerunt.

Sed & his, quod ſæpius dictum, reſpondendum: animal rariſſimum eſſe Monocerotem, ac nunquam fere vivum capi, quin & indomitum eſſe, captumque, dum alio transfertur per mare, facile extingui, uti & Rhinocerotes, Cameli, aliæque feræ: cujus rei Ælianus quoque lib.10.cap.18.fol. mihi 295. rationem reddit. Bacciuſque fol 35.aliique teſtimoniis confirmant. Idemne etiam plurimis herbis, aromatibuſque è longinquis regionibus haſce in terras advectis contingere videmus.

Verùm quotuſquiſque eſt, qui Romanorum imperium nequaquam ad eam Indiæ partem, quam Indus, Gangeſque rigant, ac in qua Monocerotes copioſius reperiuntur extenſum fuiſſe ignoret: ipſi namque Romani nunquam Parthis virtute militari ſuperiores fuere, utut quandoque de his fuſis, fugatiſque triumphaverint. Vix enim trajecto Euphrate eorum quam latiſſime patentes fines viſerant, cum paulo poſt amiſſis cecidit Craſſus ſignis, inultaque errav.t umbra.

Quid autem de Cornibus quæ in Europa noſtra Reges plurimi, Principeſque, aliique potentiores quam religioſiſſime tanquam Unicornium aſſervant, dicendum.

Veriſimile eſt ea, quæ ſæpius conſpiciuntur, non unius, ejuſdemque animalium generis eſſe, ſed plurium, quibus tamen unum tantum frontem tueatur cornu. Alia enim lineis circumductis diſtincta cornua, glabra alia, ac modo candida, modo nigra ſunt. Sic etiam duo cornua colore nigro Mucronibus acutis ac ſuperficiebus in ſpiras contortis Ferdinandus II. Imp.Rom.ſibi comparavit quondam, ſed onagrorum illa erant.

Quæ bina in S.Marci ærario cuſtodiuntur Venetiis, æqualia, glabraque ſunt, ac onagrorum cornibus quàm maxime ſunt ſimilia.

Illa autem quæ in S. Dionyſii Fano prope Luterias nec non Windſoræ in Anglia monſtrantur, in ſpiras quoque contorquentur qualia ſunt omnia, quæ in Daniâ, Moſcoviaque necnon Germania, ac Trajecti ad Rhenum viſuntur; ideoque non tantum credunt Dani, ſed & demonſtrare poſſe ſe dicunt, omnia hæc ex ipſorum Regno provenire cornua, quibus teſtis accedit Bartholinus Epiſt.cent.1.fol.237.

Frequentes enim hæ fuerunt olim merces, cum libera, notaque eſſet è Norvegia in Groenlandiam navigatio, ac quotannis in utramque regionem ut plurimum hinc inde inſtitueretur. Dani autem tum temporis falſa hæc cornua non piſcium quorundam dentes, ſed monocerotia dicebant.

Scribit Vormius Muſei ſui lib. 3. animal. cap. 14. omnia iſta quæ inde proveniunt immerito dicta cornua dentes eſſe cujuſdam balænæ, quæ in Groenlandia, Iſlandiaque Narhual vocetur, ac ſi balænam dicas alimento viventem. Eſt enim hual balæna, nar eſca. Bochartus autem Iſlandis ita vocari ſcribit, quod Cadaveribus veſci credatur, lib. de animal. S. S. part. 1.p.956. horum autem piſcium quidam vel 40. longi ſunt cubitos, iiſque, ſcribente Vormio, ſummo in capite duo ſunt foramina, ad ipſum os penetrantia, per quæ reſpirant, immiſſamque pro lubitu aquam egerunt, hoſce autem dentes eſſe hinc liquere ait, quod ſinguli ſuperiori mandibulæ affigantur parti, dentes etiam, non cornua vocat Angrimus Jonas ſpecimine Iſlandico.

Cenſet etiam Ariſtoteles omnibus Monocerotibus media in fronte cornu naſci; hi autem piſces falſa iſta cornua anteriori mandibulæ parti, cujus cavernis plerumque aliorum inſeruntur dentes, affixa gerunt. Itaut, quod antea cornu creditum fuit, ex hujuſmodi piſcis frontis oſſe dentem eſſe conſtet, quoniam iſti per ſymphyſin oſſi non conjungitur, ſed ſuperiori maxillæ per gomphoſin infigitur. Nulli autem præter hunc maximum balænæ iſti dentes ſunt, quo glaciei fragmina ingentia, ſi quibus cingatur, non ſine violentia rumpit, ut tranſitum ſibi aperiat, unde & ille interdum læditur, partemve ſui amittit, quales ſæpe in littore reperiuntur: dens autem ille prope cranium aliquomodo cavus eſt, atque in eo parvulum quan-

doque

dorque cornu, ſi ita vocare liceat, creſcit ejuſdem plane formæ, cujus eſt ille, uti apud Vormium cap. 14. fol. 285. legere eſt. Unde Simon Vireſius libr. 1. Groenlandiæ antiquæ fol. 39. credere ſe ait hiſce piſcibus dentes iſtos tandem excidere, alioſque iterum naſci pari modo, quo infantibus, ac interdum adultioribus contingit, ut à novis creſcentibus dentibus priores illi propellantur, protrudanturque. Atque ideo quidem credit tot ejuſmodi dentes à piſcium ſeparatos capitibus in Groenlandiam Iſlandiamque à glacie provehi.

Paulus etiam Jovius lib. 18. hiſtor. de vero Monocerotio agens, cornu, id, inquit, vivo animali non detrahitur, cùm ullis inſidiis intercipi nequeat. Cornu tamen ſponte deciſum in deſertis reperitur, ut in cervis accidere videmus, qui ex ſenectæ vitiis, renovante natura, vetus cornu exuunt, venantibuſque relinquunt.

Rochefortus de Inſulis Americæ prætentis cap. 8. fol. 159. aliam quandam unicornis marini deſcribit ſpeciem qualem in Teſtudinum inſula, quæ non procul Sancto Domingo eſt, littore fuiſſe expulſum narrat anno 1644. hic autem piſcis octodecim pedes longus, ac totum corpus ſquamis magnitudine nummi Imperialis, vel Philippici (quem vocant) coloreque cæruleo obtectum erat, iſti autem unicorni equino paulo majus caput erat, ſed forma pari; pulcherrimoque frons conſpicua cornu, quod novem cum dimidio pedes longum, directumque, ac ſenſim tenuius acuto ſpectabatur mucrone, hujus autem partis capiti proximæ circuitus ſedecim pollices latus erat: ipſum autem cornu inſtar cochleæ torcularis contortum erat, quin & coronæ quædam imago capiti inhærebat, piſcis autem formam ipſe exhibet pag. 162.

Nunc autem de hujuſmodi cornuum viribus nonnihil dicam; ipſe etenim quævis quadrupedum, ſive unicornium ſive multicornium cornua contra venena antidota præbere ſtatuo; quod volatile quoddam ſal contineant hoc autem ſpiritus concitat, ſanguinemque longe reddit tenuiorem, necnon cor ipſum maxime roborat, venenis adverſatur, & peſtilentibus febribus inſigne eſt remedium humores noxios per ſudorem & urinam expellens: longe tamen majorem huic, quam illi cornu reſiſtendi venenis ineſſe efficaciam. Imo vehementius ſeſe his opponere crediderim cornua quæ in calidioribus reperiuntur plagis quod plurimum haud dubiè volantis Salis includant.

Nec veteres cornuum virtutes ſalutares ignoraſſe videntur. Hinc enim eſt quod olim cornibus biberint. Unde ἀπὸ τῶ κέρατος κερᾷν miſcere, ac bibendum præbere: hinc autem κρατήρ. Urorum etiam cornua potuum gerula facta fuiſſe inter regias menſas. Solinus cap. 32. prodit. Tradit etiam Ælianus potentiores apud Indos cornibus aſini Indici bibere ſolere: quod & affirmat Philoſtratus vitæ Apollonii Thyanæi lib. 3.

Septentrionis autem incolis maxime cornua poculorum vices ſupplerunt. Sic Saxo etiam Grammaticus hiſt. Daniæ lib. 7. illos Urorum bibiſſe cornibus teſtis eſt. De Corneis autem veterum, Regumque poculis legatur Athenæus lib. 21. Dipnoſoph.

Obſervandum quoque puto in calidiſſimis Orbis terrarum partibus peſſima etiam, ac maximè noxia gigni toxica, ideoque providentiſſimum mundi Arbitrum illis etiam locis præſtantiſſima ſuppeditaſſe antidota, quibus iſta ſuffocentur, obtundanturque crediderim.

Propriæ dictæ equidem Monoceroti admirandas eſſe dotes, vireſque quibus letalia, ac minus cognitis necantia modis venena ſupprimat; ac vincat, nulla ratione negare quempiam poſſe ſtatuit, Brovvnius Pſeudodoxiæ Epidemicæ cap. 23. quando enim alcis ungulæ, cornuaque comitiali laborantibus morbo prodeſſe dicuntur, quando etiam non tantum os cordis cervini, ſed & ejuſdem cornu eſt corroborans, Hyacinthorumque confectionemve ingreditur, quid cauſæ eſt, quod illam Monocerotio cornu ineſſe negemus poteſtatem minime vero ſe credere idem Brovvnius ait, hujus tantam eſſe antidoti efficaciam, ut, quod tamen haud pauci volunt, ſublimato, aliiſque, quæ ſecundâ (ita ait) qualitate ſive partium roſione necant, reſiſtat venenis.

Memorat Ulyſſes Aldrovandus Judæum quendam Venetiis unicornu vendere voluiſſe, ac ut, verum eſſe probaret, cornu parte circulum in menſa duxiſſe, immiſſoque primo ſcorpionem, mox & araneam, illius terminos ſuperare minime potuiſſe, ſed huc illuc repentes intra horæ quadrantem nec ante antidoti vi interiiſſe. Simile quid Stephanus Rodericus Caſtrenſis lib. 4. de meteor. Microcoſm. cap. 4. magno quopiam cornu factum ſe vidiſſe tradit, quod nobilis quidam Luſitanus ipſi monſtrarit, Regiſque, cognati ſui, eſſe dixerit, hic autem cornu, ut minime fictum eſſe oſtenderet, araneam impoſuit; quæ cùm quàm citiſſime aufugere niteretur, vi retenta brevi ſola antidoti vicinitate extincta eſt; Teſtatur hinc inſuper vidiſſe ſe in Luſitania monocerotis oſſa quamplurima ſuperaſſe venena, aſſeritque paucos admodum abſque hoc inſigni remedio Magnates ex India in Luſitaniam reduces eſſe.

Narrat etiam Monardus Tract. de lapide Bezoardi ſimilem ſe Hiſpali ab hujuſmodi cornu fruſto provenientem vidiſſe effectum quamobrem hoc omnia omnino præſtanti virtute antecellere antidota ſtatuit: nec diſſentit vir eruditiſſimus Ficinus de vita cælitus comparanda, qui Cornu iſti cæleſtes propemodum dotes attribuit. Idem cenſent Braſſavolus, Dioſcorides, Matthiolus, Baccius atque omnes fere, qui de peſtilentibus, malignisque febribus plura ſcriptis conſignarunt uno tamen omnes fatentur ore rarius illud reperiri, atque inter Regum, potentiorumque theſauros numerari pretioſiores.

Amatus comment. in Dioſcorid. lib. 1. enarrat. 51. omnes qui in India fuerint, aſſeverare ait monocerotis cornu apud Reges, Principeſque maximo eſſe in pretio, imo & Luſitanos, qui diutius medicinam in India laborantibus feciſſent, dixiſſe medicos nullum excellentius Indis veneno, contagioſiſve infectis febribus propinari remedium poſſe, atque ideo quondam Indi proceres Monocerotio cornu auro præminuto bibere ſoliti fuere, ne qua forte tradente Æliano toxica nocerent, in Æthiopia quoque Regiis illud imponitur menſis, quo explorent Aulici, nunquid veneni epulis inditum ſit. Memorat etiam Paulus Jovius libr. 31. Clementem vij. Pontificem Romanum Franciſcum I. Galliarum Regi hujuſmodi cornu bicubitale, cælatoque innixum auro dono dediſſe, quo cujuſvis cibis admixti veneni vim eluderet. Hanc quoque ob cauſam magnæ in India auctoritatis viri ex ejuſmodi cornu confectis ornantur armillis, uti ſupra è Blanquio annotatum.

Laudat quam maxime Aloyſius Mundella hoc cornu tanquam à cane rabido, aliiſve infectorum toxicis certiſſimum remedium. Ne cui itaque mirum ſit, ſi illud cum propter raritatem, tum propter eximias dotes tanto pretio olim fuerit divenditum, ut etiam

etiam memoret Baccius pag. mihi 105. Germanos quoſdam Mercatores Romam veniſſe,ut Cornu Monocerotis quibuſdam Principibus offerrent, quod 90000. coronatis æſtimarent. Julius iij. p. m. ſcribente eodem, officinam aromatariam, pretioſiſque refertam pharmacis, quam Vaticano in palatio extrui curaverat donavit inter alia Monocerotii cornu fragmento à Raguſinis mercatoribus 12000. coronatis empto. Quo Baccius Auguſtinum Riccium Medicum Pontificium uſum fuiſſe ſe ſcire ait, qui illud interdum pondere ſcrupuli unius, quandoque 10. granorum ad minimum, vel cum aqua aliqua cordi appropriata requirente neceſſitate, cum felici ſucceſſu multis, qui hujus ope magna evitarunt pericula, propinaverit.

Quanquam autem dens ille piſcis *Nerhual*, non cornu ſit iis, tamen inſignis eſt dotibus, quas bene multi quondam ei, tanquam Monocerotio cornu, attribuerunt. Non animadvertuntur, ſcribente Brouvvnio d. libro fol. 301. in plurimis quamvis non in omnibus, quæ apud nos reperiuntur. Plurimique fiunt, cornibus iſtæ qualitates, quæ aliis ineſſe ſolent. Neque enim igne, coquendove, aut liquoribus molleſcunt, nec multum gelatinæ iis decedit, nec facile calcinatione philoſophica diſſolvuntur, ſed rimis fatiſcunt vel in laminas ſolvuntur, contra, quam aliis accidit cornibus.

Addi etiam id ipſum confirmantem Bartholinum Epiſt. med. cent. 1. fol. 100. Teſtatur hic quoque Epiſt. med. cent. 2. fol. 579. necnon Hiſt. anatom. rarior. cent. 2. hiſtor. 56. cent. 4. hiſtor. 4. & cent. 5. hiſtor. 46. ſe non ſine proſpero ſucceſſu febricitantibus, præmiſſis ex methodo præmittendis, hujus dentis pulveris dragmam dimidiam præbuiſſe, qui veluti maxima quadam vi ſudores expulerit febremque minuerit. Quod ipſum ſe & in malignis graſſantibus febribus, tertianiſque expertum ait. In aliis etiam morbis, quos ejectione ſudorum tollere quis geſtit, non minus felici eventu hujuſmodi raſi, poſteaque contuſi dentis pulvis intus ſumitur.

Memorat idem cent. 2. fol. 662. Kyperum Profeſſorem quondam Lugdunenſem in Batavis hujus dentis pulverem peſte laborantibus proſpere exhibuiſſe. Quin & N. Tulpius obſ. med. cent. 4. obſ. 58. conducere unicornu marinum expellendis variolis & morbillis, domandiſque febribus malignis, ſe non ſemel expertum eſſe ſcribit.

Martinus Forbiſſerus navigatione in Regiones Occidentis & Septentrionis piſcem mortuum in Septentrionis mari ſe inveniſſe narrat, qui undis agitabatur & in roſtro unicum cornu rectum gerebat longitudine unius ulnæ cum ſemiſſe. Hoc autem intus cavum fuiſſe, ac quoſdam in id araneas injeciſſe, quæ è veſtigio fuerint mortuæ, ſcribit.

Statuunt tamen nonnulli qualitates quas S. pagina animali *Rem* attribuit, omnium optimè Orygi convenire.

Eſt tamen oryx æque, imo magis ignotus, quam proprie dicta monoceros, ac de utroque pari varietate loquuntur ſcriptores.

Primo namque caprea generaliter latinis capra, ac præcipue, fera eſt, cujus tamen plures ſpecies, Rupicapra, Dama, Ibex, Bubalis, Pygargus, Capra ſtrepſiceros, Dama vulgaris, Capra moſchi, Bezoardica, Oryx &c.

Oryges autem Columella lib. 9. cap. 1. cervis; at Plinius lib. 8. cap. 53. Bochartuſque de animalibus S Scripturæ cap. 28. partis primæ paginæ mihi 974. ac Franzius hiſt. animal. Sacr. part. 1. cap. 23. Capreis annumerant. Ita ut hujuſmodi Caprea nonnullis oryx, quibuſdam Dorcas, vel Bubalis, aut Dama, Gazellave, aliiſque Ibex ſit nec cui potiſſimum adhæreas dicere promptum ſit.

De Orygum origine, lociſve in quibus degant, non una etiam eſt opinio. Herodotus lib. 4. animalibus accenſe, quæ prope Tritonis Africæ fluvii fontes proveniunt.

Orygem quoque in illa orbis parte naſci tradit Plinius lib. 10. cap. 73. vocatque Getulum Orygem Juvenalis ſatyra 9.

In Æthiopia produci Agatarchides, Strabo Diodoruſque, ac Heliodorus contendunt. In Ægypto etiam reperiri Plinius lib. 2. cap. 40. Ælianuſque hiſt. animal. lib. 7. cap. 8. necnon lib. 10. cap. 29. ſcribunt. Idem etiam lib. 14. rupicapras ſummis montium Lybiæ cacuminibus degere tradit.

Formam inſuper Orygum alii, atque alii diverſam faciunt, dum modo unicum, modo duo illis concedunt cornua; qui Capreis annumerant, bina tribuunt, quos inter B. Bochartus, quamquam pag. 939. ita dicat: reperitur in Segeſtanæ & Bulgariæ Sylvis, Damir, Charis fera, quæ in medio capitis cornu habet unicum quod etiam p. 967. repetit.

Plinius etiam lib. 11. cap. 46. unum Orygi tantum eſſe cornu aſſerit: ita quoque Ariſtoteles lib. 2. hiſt. animal. cap. 1. ac lib. de part. animal. cap. 2. ut & Oppianus de venatione lib. 2. verſu 445.

Ælianus hiſt. animal. lib. 14. cap. 15. quatuor cornua Orygibus eſſe ſcribit non directa, ſed recurva, ac prope humeros contingentia, unde de Damis, Orygibuſque Platycerotibus locutus videtur.

Binas exhibet Orygis figuras Jonſtonus, verum utrum magis illum, an Aſinum referant Indicum, ſive Onagrum, ne Aldrovandum quidem dicere auſum ait pag. 86. fateturque nihil omnino certo ſibi de ejus formâ liquere. Bochartus etiam cap. 27. part. 1. de animal. S. Script. fol. 966. non plane *Reem* naturam (quo Orygem ſignificari contendit.) ſibi perſpectam ſcribit. Ac paſſim Orygi, licet obſcurius duo adſcribi non diffitetur cornua, cum etiam quandoque unicornem eſſe ex Ariſtotele, ac Plinio conſtare pag. 970. dicat.

Sed nec de ſubſtantiâ cornu inter ſcriptores convenit. Merembergius cap. 3. hiſtor. naturalis fol. 111. longa, firmaque huic feræ cornua, Bartholinus autem de unicornu pag. 70. ac 71. cava eſſe variaque, ut arcus, citharaſque, ac fiſtulas ex iis conficiant.

Oryges meticuloſos alii, timidoſque, ut Athenæus lib. 50. Virgilius Æneid. lib. 10. Ovidius Faſtorum lib. 5. necnon Bartholinus de unicornu, crudeles vero alii ajunt.

Hoc autem inde natum crediderim diſſidium, quod bicornes Capreæ (quibus illos nonnulli annumerant) timidiores ſint proprie dicto, ac unicornu Oryge, quem ſævum Oppianus lib. 2. de venatione v. 446. Martialiſque lib. 13. Epigram. 95. necnon Plinius lib. 2. cap. 40. ſcribunt.

Columella lib. 9. cap. 1. cum cæteris animalibus ad uſus humanos mactari Oryges ſcribit his verbis. Feræ pecudes, ut Capreoli, Damæque, nec minus Orygum, Cervorumque genera, & Aprorum, modò lautitiis & voluptatibus dominorum ſerviunt, modò quæſtui, ac reditibus.

Bartholinus etiam de Unicornu p. mihi 72. Orygis Corpus ſanum admodum, homineſque nutrire aptum, ideoque illum inter pura quoque animalia populo

Iſraëlitico

Iſraëlitico commendatum ſcribit, ut Deuteron. 14. v. 5. conſtat.

Gratiſſimi ſaporis haſce Carnes fuiſſe, lautiſſimaſque conijcias, quòd Romanorum dapes conſtituiſſe ſcribat Juvenalis Satyr. 11.

Diſſentiunt denique de Orygis longitudine ac magnitudine quotquot ferè eum diſcripſere, Herodotus enim Ælianuſque lib. 4. hiſt. animal. cap. 15. bovi magnitudine parem dicunt: Oppianus lib. 2. v. 55. illum Rhinocerote non multo eſſe majorem ſcribit. Verùm Ariſtoteles hiſt. animal. lib. 3. cap. 2. Capream inter minima cornuta, quadrupediaque animalia ponit, dicitque ſe non noſſe parvum animal Cornutum, Capream autem, quæ noſcat, omnium eſſe minimam.

Hirco parem, barbatumque ſub mento Orygem ſcribit Albertus Magnus, barbam etiam attribuit Ælianus lib.14.cap.25.

Atque hæc quidem de Oryge. Cæterum, quiſquis illa rectè perpenderit, fatebitur utique omnia, quæ de *Rem* ſive *Reem* ſacra profert pagina, de Oryge, capreave bicorni, non poſſe dici. Conſtat quippe ex numeror. 23. v. 22. τὸ *Rem* maxime altum eſſe animal, contra quam Ariſtoteles, ac Albertus Magnus de Oryge teſtantur.

Animali *Rem* excelſum etiam cornu eſſe è Pſalmo 92. v. 11. liquet: extolles meum cornu ſicut *Rem*: verùm cervorum etiam altiora eſſe cornua, quam Caprearum, quis ignorat.

Nec tamen inſcius ſum Capream ſaltare ac laſcivire, nec non Cornibus petere ſolere, atque hac conſideratione illud Deuteron. 33. v. 17. ſunt ejus cornua tanquam *Rem*, quibus populos agitabit, capreæ tribui poſſe. Verum & inſolitæ feritatis *Rem* eſt, quare ab hujuſmodi ferarum cornibus deffendi cupit Regius Pſaltes Pſalm. 22. v. 22. cùm tamen viri docti, atque ipſo rerum uſu facta fides, capreas timidiores eſſe demonſtrent.

Illud etiam quod Jobus cap. 39. verſ. 14. de Rem ſcribit, capreis attribui nequit, quæ propter virium defectum ab arandi neceſſitate eximuntur.

At dicet forte quiſpiam Orygem, qui ex caprearum genere ſit, fortem eſſe ſævumque, verum equidem eſt eum capreis eſſe ſæviorem, ſed tamen illi paſſim duo tribuuntur cornua omnes inſuper unanimi conſenſu proprie dictum unicornu nec capi, nec ſub juga mitti poſſe perhibent. Cùm tamen & Sancta Scriptura, aliique (quos inter Martialis annotato Epigrammate 95. lib. 13.

Sævus Oryx conſtat quot mihi morte canum.

Cervos Damaſque, ac Capreas, ideoque & Oryges retibus, canibuſque vinci doceant. Facile laqueo capi poſſe Orygem tradit Albertus Magnus, teſte Jonſtono: memorat etiam Athenæus lib. 5. in ſuperba Ptolomæi pompa Orygum bigas ſeptem fuiſſe: Horus etiam Apollo lib. 1. cap. 46. Ægyptios Reges huic inſediſſe animali auctor eſt.

Nec quicquam effecerit, quiſquis è S. Scripturæ locis ſuperius adductis duo *Reem* tribui cornua, ac proinde non eſſe Unicornu dixerit. Kimch us enim, Aquinaſque, ac Pomarius, aliique Hebræi, atque Arabes *Rem*, animal unico frontem ſpectabile cornu ſcripſere. Animadvertendum inſuper eſt S. Scripturam per numeri enallagen plura *Reem* tribuere cornua. Quando autem legimus Deuteron. 33. v. 17. cornua ejus ſunt, tanquam τῶ *Reem*, non neceſſariò habemus vertere monocerotis, ſed dici utique poteſt Monocerotia, utplurimi vertunt. Ita ut non videam, quid impulerit. Hieronymum, ut Pſalmi 22. verſum 22. Rhinoceroti attribuerit, Neque enim poſteriori illo modo confuſio, quam vitare voluiſſe S. Pater videtur, quæpiam oriri potuiſſe. Sed hic loquendi uſus apud Hebræos, alioſque notior eſt, quàm ut multis exponatur.

Verùm etiam nonnulli loco Monocerotis obtrudere voluere. Sed quam invita id fiat ratione, vel ipſum nomen clamat, quod recentius longe, minuſque notum, quam unicornis. Hujus enim quadringentis ante Chriſtum annis Cteſias ævo Artaxerxis Mnemonis meminit: is enim in excerptis apud Photium, ſunt, inquit, Aſini ſylveſtres in India equis pares, aut etiam minores. Verùm autem quis ante Cæſarem novit? certe poſt hunc pauci admodum illius fecere mentionem, tacente etiam omni Græcorum turbâ. Atque ideo Plinius, Lib. 28. cap. 10. hos Uros noviſſe, nec biſontes tradit, quamvis bubus feris quam maxime abundent Indiæ ſaltus. nec conſtare ait Bochartus pag. 962. Uros alibi fuiſſe, quam in Hercynia ſylva, aut locis parum remotis: unde Moſis ævo Judæis innotuiſſe nemo ſibi perſuaſerit. Nec eſt, qui, ut ſcribit idem, Syriam, Palæſtinamque Uros producere aſſerat. Moſem igitur, Jobum, & Balaamum voce *Reem* neceſſe eſt aliud ſignificaſſe.

Tandem etiam Onagrum nonnulli proprie dictam Monocerota ſtatuere; ſcimus equidem hujus feræ cornu à Monocerotio forma differre, ſed & non minus præſens adverſus venena eſſe remedium quamquam & hoc animal unicornu magnitudine par ſit, variis tamen diſtinguitur modis; pilis videlicet longitudine, æqualitate, ac colore cornu, nec non pedibus &c. quæ omnia etiam pro regionis, in qua naſcitur, diverſitate differunt. Cornuti namque in India Aſini agreſtes ſunt, ut & in Scythia, Africaque, tradente Herodoto lib. 4. nec non Æliano hiſt. animal. lib. 10. cap. 40.

Quin & ipſa ſacra pagina Jobi cap. 39. verſ. 8. ac 12. unicornem, onagrumque diſtinguit, ac diverſa utrique tribuit nomina. Quamquam Onager etiam ſolitarius ſit, ut Oſeæ cap. 8. v. 9. Jobi cap. 24. v. 5. Eſaiæ cap. 23. verſ. 14. nec non Daniel cap. 5. v. 21. liquet.

Adde vivos capi, domarique onagros, teſtibus Varrone de re ruſtica lib. 2. cap. 6 Plinio lib. 8. cap. 43. ac Anatolio Hippiatric. cap. 14. Martiale, aliiſque: quod de Monocerote vera utique aſſeri non poteſt, ait enim hic epigram. lib. 13 epigr. 101.

Pulcher adeſt Onager: mitti venatio debet
Dentis Erythræi: jam remove ſinus.

Scribit etiam Jonſtonus de quadrupedibus: cap. 3. quoſdam ad generandos mulos onagros jam domitos eligere, quod hæc quam facillime ſub jugum veniat fera, ſubactaque rarius ſolita repetat loca. Onagros ab Arabibus in deſertis laqueis, aliiſque capi inſtrumentis teſtatur Leo Africanus p. 215.

Nec diſſentit Jobus cap. 39. docet enim liberum vinculis incedere onagrum, qualis quamdiu manet, in deſertis degit, civitatumque frequentiam temnit &c.

Atque ita quidem Lectori conſtare cenſuerim, nec dentem piſcis *Narhual* cornu, multo minus Monocerotium, nec etiam Orygem *Rem* eſſe, cùm quòd bina plerumque feratur gerere cornua, tum quod timidior ſit, dometurque, nec non lautas luxurioſis præſtet epulas. Quamquam enim animi intrepidi, ſævuſque ſit Oryx quandoque, capitur tamen, ut ſæpius dictum. Verùm enimvero ſi doctiſſ. Sam. Bochartus de Animalib. S. S. pag. 961. & 962. veterum teſtimoniis abunde ſe probare dicat τὸ Rem non in

boum, ſed caprearum eſſe numero. ac p. 970. Jobum ita exponat, ut ſcilicet dometur quidem *Rem*, attamen ab arandi eximatur neceſſitate: ne videlicet negetur poſſe intelligi Oryx, qui domatur ac propter roboris defectum aratri immunis eſt. Si idem Bochartus etiam 968. feritatem orygis, ac robur, quale Jobus, aliique τῷ *Rem* tribuunt, docte, atque eleganter ex prophanis demonſtret, anne igitur, ut erudiriſſimo Viro aſſentiamur, neceſſe aſt, dicamuſque τῷ *Rem* non unicornu excellentius, ſed Orygem eſſe? minime vero ille enim iſthæc omnia, quô pollebat, ingenio conquiſivit una, eaque maxima, ut putabat ratione, quam apertiſſime p. 954. indicat, ductus, quod nempe de eo nuſpiam legiſſet, inaudiviſſetve ab iis, qui peregrinis etiam indagatores accuratiores in terris vixerint, quam etiam ob rationem viri magni Mercurialis, Paræus, Deodatus, aliique exiſtere verum negant unicornu.

Ipſe itaque unicornu verè ſic vocatum ab omnibus hiſce quammaxime diſtare animalibus, atque illud ipſum non modò propter ſimilitudines à Spiritu Sancto ab eo ſumptas, ſed & propter expreſſas quàm apertiſſimè proprietates, ferocitatem videlicet, robur, animoſitatem, feramque indolem ac denique propter veterum, recentioremque monumenta, atque ocularium teſtium fidem, non tantum ante Ogygium extitiſſe cataclyſmum, ſed & hodieque, ac præcipue quidem in Africa, exiſtere, atque reperiri exiſtimo.

Hactenus de Monocerote *Clariſſimus* STALPARTIUS, *quibus nos Subjungimus*:

Quòd non tantùm ejuſmodi animal in Spectaculis ac Amphitheatris Romanorum aliarumque Gentium expoſitum viſum non ſit propter feram admodum indolem cicurari prorſus neſciam; ſed etiam quia nihil prorſus noverant ejuſmodi populi de regionibus quibus eſt familiare, quarum præcipua procul dubio eſt Æthiopia ſuperior ejuſdemque tractus maximè montani, à peregrinatoribus tam parum etiamnum hodie frequentati, tum propter locorum aſperitatem, tum propter aditus difficultatem, tunc propter omnium mercium inibi totalem prope inopiam; tunc etiam propter inhabitantium populorum ferociam, ut pauca admodum de iiſdem ſciri, exindeque advehi poſſint. Interea tamen ut è variis teſtimoniis ab Auctore noſtrô allatis ſatis patet, à quibuſdam fide dignis quorum curioſitas difficultates præmemoratas ſuperaverat, viſum fuiſſe ejuſmodi animal, ac propterea concludendum unum aut alterum ejuſmodi teſtem oculatum exiſtentiam Monocerotis aſſerentem prævalere debere multitudini aliorum qui idem negant quia non viderunt. Raritatem autem animalis ex eô petendam credimus, tum quod adverſum habeat ſerpentis quoddam genus quod magnam ejus ſtragem faciat; tum quòd præ feritate mares rarius cum fæminis coëant; tum etiam aſſerente Patrè Hieronymo Lobo quòd homines eorum locorum ubi naſcitur unicornu indigenæ non parum ipſius carnium ſint avidi ac propterea ex eo occiſo veſcantur familiarius. Taceo teſtimonium Joh. Gabriëlis Luſitani qui in Regno Damot animal vidit, cujus frons cornu pulchro, albo, ſeſquipedem longo inſigne erat, cujus magnitudo & forma equinæ non erant abſimiles; cujus color erat badius, aut phœniceus, juba, piliquè caudæ breviores ac nigri. Taceo etiam Marmolii pluriumque aliorum auctorum teſtimonia, ac concludo ea tantum propter, inter figmenta ac entia rationis repoſitum fuiſſe à viris pluribus doctis Monocerota, quòd à quibuſdam ad riſum potiùs quàm ad veritatem ſit deſcripta hac fera, dum ſcilicet afferebant cum Plinio & aliis non minus quàm gryphum fabuloſum de variis participare animalibus, ac ex pluribus componi, ſi ita loqui fas eſt, naturis.

MORSELINI vid. *Rotula*.

MORSUS DIABOLI Seu SUCCIDA.

Nomina. Succiſa ſive Morſus Diaboli *J. B.* Morſus Diaboli *Ger.* Diaboli vulgaris flore purpureo *Park.* Succiſa glabra *C. B.*

I. B. Quà radici, minimi fere digiti craſſitudine, fibræ longæ albæque circumnaſcuntur, ea præciſa ſeu præmorſa apparet, ſapore miſto acri & amaro, folia oblonga, acuminata ſcabioſæ quanquam non diſſecta ſed integra, vel paulum quid, præſertim quæ ſuperiorem obtinent locum, ſerrata magis quidem ſupra quam infra virentia, brevibus utrinque & vix conſpicuis pilis hirſuta, ut omnino glabra videantur, bina ex adverſo pediculis ad baſin coeuntibus caulem amplexa; magis crebra in caule quam vulgaris ſcabioſæ. Caulis cubito altior, teres ſolidus, rubeſcens, ramoſus. Flores in ſummis caulibus & ramulis cærulei, non adeò plani ac ſcabioſæ vulgaris, verum globoſi: omnes quoque floſculi florem totalem componentes ejuſdem figuræ ſunt & magnitudinis, cum in ſcabioſa marginales interioribus majores ſint. Floſculi autem ut in ſcabioſa quadripartiti ſunt cum ſtylo & ſtaminibus intus.

Seriùs quàm ſcabioſa & ſub Autumnum floret in pratis & paſcuis, locis præcipuè dumetoſis.

Variat florum colore carneo & albo: interdum etiam foliis hirſutis invenitur.

Vires. Alexipharmaca eſt & vulneraria, ut facie ſic viribus cum ſcabioſa convenit; imprimis celebratur in epilepſia, peſte, uteri dolore, ſanguine coagulato, abſceſſibus occultis, lue venerea ejuſque ulceribus; in vulneribus recentibus, &c. extrinſecus in Angina tumoribus tonſillarum quæ ægrè ad ſuppurationem perveniunt (gargaris) in ſugillationibus, Bubonibus &c. *Schrod.*

Dodonæus adverſus diuturniores faucium tonſillarumque tumores, qui ad ſuppurationem ægrè perveniunt, valdè commendat, & nulli ſecundam affirmat ſucciſam; cujus authoritatem ego ſecutus, plerumque gargariſmis, ubi venereis & aliis ulceribus fauces gingivæque ſcatent, felici ſucceſſu miſcere ſoleo; ſuccum ipſum Camerarius utiliter admodum addi gargariſmis in Angina ait Sim. Paulus. *Raius.*

MORUS.

Vocis *Mori* multiplex Etymon adfertur; qui Latinam eſſe volunt à *morâ* ſeu *morandô* deducunt, quòd Arborum poſtrema frondes germinaque producat. Verum mora & morus non conveniunt quantitate primæ ſyllabæ; alii à μαυρὸς id eſt, niger dictum volunt quia baccæ ejus nigræ ſunt, alii & rectius à Græco deductum exiſtimant. Nam & arbor ipſa μορέα appellatur à Nicandro: fructum verò μόρον dici Æſchyli, Sophoclis aliorumque auctoritate comprobat Athenæus libro vj. alii ἀπὸ τοῦ μόρου, id eſt, exitio, ſupplicio, infortunio deductum putant, quòd exitii quondam cauſa fuit illis qui exſcindebant, at quibus quæſo aut quando? nec defuere grammatici (qui literam pro litera ponendo) μῶρον κατ' ἀντίφρασιν dictam arbitrantur, id eſt ſtultam cum ſit ſapientiſſima, Plin. lib. 16 c. 25. noviſſima urbanarum germinat morus, nec niſi exacto frigore, ob id dicta ſapientiſſima arborum, Idem l. 18. c. 27. Cum germinare videris morum, injuriam poſtea frigoris

frigoris timere nolito: eadem de cauſa ſapientiſſima fertur. Verum Etymologias iſtas κατ' ἀντίφρασιν exploſit Voſſius in Oratoriis.

Cùm mori albæ Iulos longis pediculis hærentes obſervaverit J. Bauhinus: cumque etiam in mori nigræ iconibus juli longis pediculis dependentes pingantur. Fructus autem utriuſque brevibus nigræ breviſſimis inſidere dicuntur, ſuſpicamur Julos à baccis disjunctos eſſe nec fructus iis ſuccedere, ut nonnulli volunt, quamvis nihil affirmemus, ſed rem obſervatione diligenti determinandam relinquimus.

Uſus, Foliorum mori uſus eſt inſignis in Italia, Sicilia, Hiſpania, Gallia ad bombyces alendos, & in eum uſum moros albas magno numero circa urbes & oppida ſerunt; harum enim foliis maxime delectantur vermiculi. Quidam mori foliis deficientibus Ulmi folia & urticæ germina ſubſtituunt: alii lactucæ, endiviæ aut dentis Leonis folia præbent: quæ omnia & nos experti ſumus: ſed junioribus tantum danda ſunt, nam ſi majoribus paulo, aut nimium des, alvo fluida facile diſſolvuntur & pereunt. Quocunque autem pabulo præter mori folia eos alas nunquam textrinam inchoabunt, & tela Sericea ſe includent. Colligenda autem potius vetera folia quàm nova, mane cum ros ſolaribus radiis diſſipatus fuerit: aut ſi madida fuerint diligenter prius abſtergenda, aut ad ignem ſiccanda ſunt: nam nimius humor obeſt bombycibus. Verum de bombycibus & ſerico agere hujus loci non eſt, ſed ad hiſtoriam inſectorum pertinet.

Vires, Fructus Mori nigræ (mora Celſi Officinis dicti) immaturi refrigerant, ſiccant & aſtringunt validè (ubi aruerit Galen.) itaque ad diarrhœas, dyſſenterias, affectiones Cœliacas, fluxus menſtruos: expuitionem ſanguinis accommodi ſunt. Extrinſecus in oris fauciumque inflammationibus & ulceribus proſunt.

Mori fructus Dioſcoridi [de maturo loquitur] alvum ſolvit [initio paſtus & ante alios cibos ſumpta] facile corrumpitur, [poſt alios cibos] & ventriculo inimicus eſt. Plinio [cui etiam experientia ſuffragatur] refrigerant, ſitim ſedant, appetentiam excitant ſi non ſuperveniat alius cibus intumeſcunt: cui etiam adſtipulatur Galenus. At è contra Horatius.

— — — — *Ille ſalubres*
Æſtates peraget nigris qui prandia moris
Finiet, ante gravem quæ legerat arbore ſolem.

Alii etiam ventriculo grata & amica eſſe volunt. Galenus autem conjectatur, mora exiguam in ſeipſis habere facultatem ejuſmodi qualis magna medicamentibus purgantibus ineſt, cujus beneficio non modo facile ſecedunt, ſed corrumpuntur, etiam ſi diu in ventre manſerint; imo totam adeo arborem in omnibus ſuis partibus miſtam aliquam vim obtinere putat ex reſtringente & purgante compoſitam. Attamen in radicis cortice purgatoriam cum quadam amaritudine exſuperare; adeò ut & latum lumbricum interficiat.

Maturorum ſuccus ad ſtomatica medicamenta utilis: ſtomaticen quàm polychreſton vocat, ſic deſcribit Plinius, Sextarii tres ſucci ex pomo, leni vapore ad craſſitudinem mellis redigatur poſt additur Omphacii aridi pondus denar. ij. Myrrhæ denar. j. Croci unius, ſimul trita miſcentur decocto. Neque eſt alius oris, arteriæ, uvæ, ſtomachi jucundius remedium. Alios modos ſtomaticen componendi ibidem. Vide.

Folia vel ſola vel cum cortice cocta odontalgiam ſedant (Gargaris) Schrod. Eadem trita cum oleo (ex aceto Schvvenchf.) impoſita ambuſtis igni medentur. *Dioſcor.*

Syrupus mororum gratâ ſuâ aciditate in febribus ad ſitim extinguendam & ardorem temperandum utiliſſimus eſt: & item ad inflammationes, puſtulas, ſeu ulcuſcula oris, palati, uvæ, tonſillarum, gutturis & faucium commodiſſimus.

Materies utilis eſt operibus quæ flecti poſtulant; eſtque ſolida, nec in aquis minùs durabilis quàm firmiſſima quercus. Æternam eſſe arbitrantur, tradente Theophraſtô, & vetuſtate Loti modô nigreſcere. *Raius.*

MOSCHATA, vid. *Nux Moſchata.*

MOSCHATELLINA.

Nomina. Moſchatellina foliis fumariæ bulboſæ. *J. Bauh. Tournefort.* Ranunculus nemoroſus Muſchatellina dictus. *C. Bauh.* Radix cava minima viridi flore *Gerard.*

Eſt plantula quæ de radice ſuâ cauliculos duos treſve promit ſex pollices longos, tenues, molliculos, coloris viridis pallidiuſculi, è quibus oriuntur folia inciſa & diviſa ad inſtar eorum *fumariæ bulboſæ*, coloris itidem viridis. E mediis enaſcitur foliis pediculus iis non multò longior, in cujus ſummitate ſuſtentantur flores quinque minimi coloris herbacei, pentapetali, quibus ad inſtar caliculorum ſubjacent foliola tria. Floribus ſuccedit fructus mellicellus, ſuccidus, in quo vulgò reperiuntur ſemina quatuor, lini ſeminibus non multum abſimilia. Radix eſt ſemuncialis & uncialis, craſſa, candida, pluribus ſquamulis ſe invicem excipientibus cincta, fibras emittit plurimas, alias quidem tenues, albas, prælongas, quibus alimentum haurit; alias majores, albiſſimas, filorum ſimiles, ad intervalla rariora obiter denticulatas, tandemque in capita intumeſcentes, quibus ſub terrâ repens latè ſe propagat. Flores & folia moſchum olent. Martio menſe floret in umbroſis ſepibus & ſenticetis.

Radix hujus plantæ virtutis eſt reſolutivæ, detergentis ac vulnerariæ. Tota planta non parum continet olei, phlegmatis ac ſalis eſſentialis.

MOSCHUS.

De Moſcho ac Animali-Moſchifero tam eleganter ſcribit Clariſſ. Lucas Schröckius filius, *Medic. Doctor & Phyſicus Auguſtanus, ut ſuparvacaneum credamus aliunde huc adferre quod de illo ac ipſius viribus exhibeamus. Veniat itaque in hanc ſcenam tam Ingenioſi ac Doctiſſ. Auctoris Tractatus integer, quamvis pro ratione Operis noſtri paulò fuſior neutiquam tamen ingratus futurus.*

Moſchum, Odoramentum illud nomine & fragrantiâ ſuâ notiſſimum, naturâ autem & operatione paucorum notitiam adeptum, dum publico hoc ſcripto illuſtrare inſtituo, nemo meum reprehendere conatum jure poterit. Cùm enim Medicæ Arti me addixerim, quæ remediis ſimplicibus, à Naturæ bonitate ſuppeditatis, finis ſui impetrandi cauſa, uti cogitur, adeoque nec naturalis ſcientiæ adjumento carere poteſt, non generalem tantùm rerum phyſicarum notitiam, ſed ſpecialem etiam ſimplicium cognitionem mihi perquam eſſe neceſſariam, ſemper credidi; eamque non ex libris unicè hauſtam, ſed ipſa autopſia confirmatam; ne numerum eorum augerem, qui, juxta *Heraclidis Tarentini*, apud *Galenum* lib. 6. de ſimplic. medicam. facult. comparationem, Præconibus ſunt ſimillimi, ſervi fugitivi formam ac notas ſæpe præconio publicantibus, propiùs tamen fortè adſiſtentem minimè agnoſcentibus.

Quòd verò pauló prolixiùs id negotium hîc pertractaverim, Moſchumque curioſiore indagine excuſſerim, non *Seneca* tantùm l.b. de otio ſapient. ſtimulum addidit, ubi curioſum nobis Naturam animum dediſſe, artiſque ſuæ ac pulchritudinis conſciam, ſpectatores nos tantis rerum ſpectaculis genuiſſe, profitetur, ut nempe ſciremus, *illam ſpectari voluiſſe, non tantùm adſpici*: Sed & ipſa, cui totum me devinxi, *Illuſtris Sacr. Rom. Imp. Academia Naturæ Curioſorum* voluntas id à me requiſiverat, imò & ipſa quoque materia, præter intentionem meam primam, inter ſcribendum ſic excreverat.

Fateor quidem, me jam quatuordecim abhinc annis, ut ingenii vires periclitarer, & qualeſcunque meos in ſtudio Medico profectus Parentibus ac Patronis comprobarem, ſimilem materiam conſcripſiſſe, typiſque commiſſam publicè poſtea, ſub præſidio Nobil. atque Excell. *D.D. Joh. Theodori Schencki*, Profeſſoris in Academia Salana celeberrimi, *νῦν ἐν ἁγίοις*, commilitonum examini ſubjeciſſe: hîc tamen longè alia indutus facie, & ad majorem maturitatem perductus, Moſchus ſiſtitur; quem nempe adcuratiùs perpendere, plurimùm augere, & magna ex parte immutare conatus fui.

Si verò ullum ex divite Naturæ penu in hominum utilitatem hucuſque productum ſimplex, Moſchus certè conſiderari meretur; cujus incertiſſimos hactenus natales inquirere, fragrantiſſimum odorem expendere, nobiliſſimas vires deprædicare, nec utilitate caret, nec jucunditate: Illa neceſſitati noſtræ conſulimus: hac vitæ hujus præſentem ubique & Medicis inprimis infeſtam miſeriam quodammodo condimus. Alii per me eandem ignobili otio edulcorent, noſtroſque curioſos labores, quos adſequi utplurimum non valent, contemnant; mihi animum nobiliori iſto otio reficere, & *nunquam otioſum* cum Illis eſſe, adlubeſcit.

Quod enim *Cicero* 5. de finib. in genere ſcriptum reliquit: *in ipſis rebus, quæ dicuntur & cognoſcuntur, invitamenta inſunt, quibus ad diſcendum cognoſcendumque movemur*; id inprimis, de Moſcho etiam fateri neceſſe habeo; qui, non obſtante, ortus ejus vilis admodum quòd revera exſiſtat, & vel excrementa inter animalia, quibus aliàs nihil ſolet eſſe projectius, referri debeat, animum tamen multorum Clariſſimorum Virorum ut curioſiùs exerceret ac delectaret, potens ſatis, hucuſque comparuit.

Fruſtraneam quidem hîc navare operam videri poſſem, ſi facilè nos carere Moſcho, ſtatuere alicui placeret; præcipuè cùm & Medicinæ Principes, *Hippocrates*, *Galenus*, aliique Medicorum antiquiorum eodem, abſque ullo Artis detrimento, carere potuerint.

Aſt ſalva res eſt! Rigoroſo iſto judicio (ut abſque ullius id ſcribam injuria) procedere, ac ſcrupuloſiùs cuncta decernere ſi vellemus, Medicinam ſane, ut primitus fuit, pauciſſimarum herbarum, deſcribente eam hoc modo *Seneca* epiſt. 95. circulo circumſcribere cogeremur. Abſit verò hoc, ut Naturam ullâ labe oneremus; quæ nec humanæ indigentiæ deeſſe voluit; nec multiplicia producendo, ullius prodigalitatis rea fieri debuit. Deprædicemus potiùs ejuſdem benignitatem, & ſponte oblatos theſauros, ſi non neceſſitati noſtræ, ſaltem meliori commoditati profuturos, grati ſuſcipiamus! Quo Cl. *Salomonis Alberti* ἐπιφώνημα in Orat. de Moſch. ſi accipiamus, ad plauſum utique ei dabimus: *Ita me hercle Moſchus neceſſarius, ut ſi uſurâ ejus Medicinam orbaveris, ipſa mutila protinus ſit ac diminuta.* Cæterùm non nobis Veteres illi in legem dati, aut omnes Naturæ theſauros exhauſiſſe credendi ſunt; nobis etiam, quod ageremus, reliquerunt; quibus ſi iſta fortuna, quæ poſteris adfulſit, contigiſſet, Moſchum contemtim haberi, magna eorum ſolertia & indefeſſum juvandi ſtudium non admiſiſſent. Sequamur potiùs proprium eorum exemplum, qui & ipſi alienæ terræ remedia in uſum ſuum trahere non omiſerunt, & medicamentorum variationem, cùm paucioribus contenti vivere potuiſſent, amplexi fuerunt.

Sed peregrinum, inſtas, quid eſſe Moſchum, magno redimendum pretio, facilè inquilinis aliis ſupplendum, noſtro non enatum ſub climate, ideoque noſtræ non æqualem naturæ, adulterationi obnoxium, nativo vigore non ampliùs turgidum, imò natalibus ſuis obſcuriſſimum &c. Verùm mihi cum amiciſſimo *Wedelio* meo, procem. Opiolog. mediam ingredi viam, & nec noſtra ſpernere, nec, ubi opus eſt, exotica rejicere, placet. Si concentratam vim cordialem, magnamque in parva doſi virtutem expetas, cum eodem nunquam ſatis laudando *Wedelio*: *Moſcho quid cordialius?* quæro. Paupertas aliàs verè inviſa omnibus, aurum gemmaſque vel ab extremis Indiis petitas deſiderat; cùm tamen domi habeat, quibus honeſtè & commodè vivere queat: Eandem cur medica ſuppellex tam anxiè quærat? Cur alienæ terræ opes, ſponte oblatas rejectet? Ex pharmacis noſtro quoque ſub climate enatis pauciſſima, ſi ulla (neque etiam opus eſt) æqualem corpori noſtro oſtendunt temperiem; intemperatas illas terræ noſtræ ſoboles, rationis & experientiæ ſolertiâ inventas, prudentia Medici intemperato itidem corpori admovet, naturalem temperiem eidem ut reſtituat; Cur id in exoticis ſuccedere pariter nequeat, cauſa nulla ſubeſt. Majus, fateor, utplurimum, quod Inſtitutorum ipſis imponit avaritia, pretium depoſcunt; ſed activitate ſua, & concentrata virtute Moſchus, ut cætera tranſeam, illud in Medicina reddit tolerabilius; ægrotorum imò nonnulli nequaquam levioti ſumptu comparabilibus, ſed pretioſis omnino & carioribus medicamentis (exemplum videatur egregium apud *Galenum* lib. 3. de compoſ. medic. per gen. cap. 8.) curari exoptant; quibus ſi repugnaveris, confidentiæ in te maximum momentum negliges. Mangonium ſæpiùs pati, non aliena ſolùm, ſed noſtra quoque, toto die experimur: Doctum rationis lumen ſi adhibeatur, à veris ſuppoſititia facilè dignoſcentur. Perierit aliqua peregrinis iſtis, cum tempore, per viarum longinquitatem, virtutum particula; eandem nec in noſtratibus, præſertim odoratioribus, præcavere ſemper poſſumus; ſufficit, potiorem, eamque efficaciſſimè operantem Moſcho ſupereſſe partem. Obſcuri natales curioſum equidem animum torquere poſſunt, notiſſimæ tamen vires, experientia & ratione confirmatæ, Medicum reddere ſecurum. Nec tanta hîc metuenda perpetuò eſt obſcuritas: Opinionum licet ingens occurrat diverſitas, fabuliſque ſæpè plus quàm animalibus, diuturnitate temporis in immenſum adauctis, hiſtoriæ involvatur veritas, ita ut nihil periculoſius hiſce ſingularibus hiſtoriis, cum *J. C. Scaligero* exercitat. 211. de ſubtilit. §. 3. fateri cogamur, magnumque adſit ſcribendi periculum, quando fides, noſtra ex aliorum fide, interdum & mendaciis pendet; cùm ſæpè nos, ſcribente alicubi magno *Thom. Bartholino*, otioſa ingenia & faceta deludant, nonnunquam & lucri ſpe multa fingantur, quæ nuſquam neque picta fuerunt, neque ſcripta, non rarò quoque inventis & viſis aliquid ſive ex ingenio addatur, ſive ex ignorantia: Adcuratior tamen inveſtigatio ſi non omnes, craſſiores certè diſpellet nebulas, & noſtri uſus Moſchum clariori luci reſtituet. Interea tamen cùm ipſum Moſchi adire locum natalem, nec mihi, nec milleſimo Medicorum liceat aut libeat, tantiſque res iſta tricis involvatur, facilè huic quoque labori meo errores,

paſſim circa noſtro quoque ſub Sole nata ſimplicia obſervandos, immiſcere ſe poſſe, prævideo, quos, ſi certiora aliquando noveris, ut moneas, aut emendandi eos occaſionem mihi præbeas, haud repugno; qui tam obſtinati nunquam eſſe volo animi, ut, veritatem penitiùs ſi inſpexerim, ejus in gratiam, priorem mutare ſententiam detrectem. Modò veritatem abſque conviciis aut livore propoſitam adplauſum mereri, iis verò oneratam viloſcere conſideraveris. Veniam itaque potiùs, quàm reprehenſionem ab æquioribus rei æſtimatoribus mihi polliceor. Interea tamen eò adlaborabo, ut nemini, quantum per conjecturas meas ratione fundatas licebit, fidem temerè omnem derogem; cui ex *Q. Curtio* lib. 9. Hiſtor. nobilitatem canum Indorum tranſcribente, hoc potiùs ſemper animo obverſabitur: *Nec adfirmare ſuſtineo, de quibus dubito: nec ſubducere, quæ accepi.*

De Nomine Moſchi.

Quanquam ſcrupuloſiorem nominum ſpeculationem minimè fori noſtri eſſe debere, ſuperciolioſo alicui Cenſori videri queat, eandem tamen adcurationem rei alicujus tractationem minimè faſtidire, quinimo requirere, nemo facilè negaverit; cùm plurimis rebus communia probè diſtinxiſſe nomina, varia etiam conciliaſſe, rudiora emendaſſe, vel obſcuriora explicuiſſe, in ipſius ſæpè rei certiorem, tutiorem, faciloremque nos deducat cognitionem, atque idcirco nominibus propter res utendum eſſe, lib. 2. meth. med. cap. 1. rectè *Galenus* edixerit, talique in ſenſu magno noſtro *Hippocrati* lib. de arte, τὰ ὀνόματα τῆς φύσιος audiant νομοθετήματα. Quo ipſo ſanè reſpectu Ill. Naturæ Curioſorum Societas nominis non minùs habendam eſſe rationem in materia, à Collegarum aliquo pertractanda, prudenter voluit. Cujus itaque methodo & decreto inſiſtendo, primò omnium impedimenta illa, quæ Moſchi nomen parere poſſet, removere ſtat ſententia.

Inprimis autem vocabulum hoc in numero τῶν πολλαχῶς λεγομένων, eorum quæ multivariam dicuntur, deprehenditur. Prout ὁ μόσχος *tenellum ramum* ſive *germen arboris* denotat; *taleam*, ut habet Clar. *Caſp. Hofmannus* lib. 2. de medic. offic. cap. 162. §. 110. *ex arbore decerptam, & alteri inſitam, unde eſt* μοσχεύειν καὶ μόσχευμα. *Propfen, apud Theophraſtum. Quidam volunt claviculam eſſe, qua vites v. g. arbores proximas apprehendunt ſcanduntque.* Et *Gabr. Fallopius* comm. in lib. 1. Dioſcor. de mat. med. cap. 24. Græcis nomen hoc *pediculum* denotare ſcribit, *quo flores oleæ ſuſtentantur.*

Μόσχια nominari *vaſcula* illa *ceparum*, ſemen in ſummo caule ſervantia, autor eſt *Marcell. Virgilius* Com. in Dioſc. cap. de Muſco, quàm fortè appellationem ſortita fuerunt, quòd ὄσχεον apud Græcos unam ex tunicis iſtis, teſtes animalium involventibus, *ſcroti* ſub etymo communiter notam, deſignet; vaſcula autem illa ceparum ſemina ſimiliter involvāt.

Vegetabile porrò illud, quod Græcis βρύον, apud Latinos utplurimum quidem *Muſcus* dicitur, à nonnullis tamen etiam *Moſchi* & *Muſchi* nomen obtinuit.

Quin & proprium quorundam Virorum nomen id eſſe, legimus. Sic Medicus ille Græcus, qui librum ſcribit περὶ γυναικείων παθῶν, *de morbis mulierum, Moſchio*, vel *Moſchus* adpellatur. Ejuſdem aliorumve *Galenus* paſſim in ſuis Operibus meminit: uti lib. 4. de differ. pulſ. c. 16. lib. 1. de comp. med. ſec. loc. c. 1. lib. 5. c. 2. lib. 7. cap. 2. lib. 2. de comp. med. ſec. gen. c. 14. lib. 2. c. 18. lib. 3. c. 9. lib. 5. c. 14. necnon *Aur. Cornel. Celſus* lib. 5. cap. 18. Grammaticus etiam & Poëta Syracuſanus, de quo *Suidas* conſulendus, *Ariſtarcho*, Grammaticorum tum facilè principi, familiaris, *Moſchus* fuit dictus. Similiter *Horatius* lib. 1. epiſt. 5. cujuſdam, quem Rhetorem, patria Pergamenum fuiſſe interpretantur, mentionem facit, de eo canens:

> *Mitte leves ſpes, & certamina divitiarum,*
> *Et Moſchi cauſam.*

Alium in Elide Philoſophantem, perque totam vitam aqua tantum & ficubus viventem, ex *Hegeſandro Delpho Athenæus* lib. 2. Deipnos. recenſet. Primum quoque atomorum doctorem quendam *Moſchum* Sidonium vel Phœnicium exſtitiſſe, *Straboni* ex *Poſidonio* in 16. Geogr. debemus; Quamvis eundem à ſapientibus Hebræorum vetuſtam illam ſapientiam mutuaſſe, *Iſaaco Cardoſo*, Medico Veronenſi, & ipſi Hebræo, pag. 9. Philoſoph. liber, credibile videatur; non refragante Ill. *Roberto Boyle* Chym. ſcept. part. 2. cùm Phœnices maximam eruditionis ſuæ partem ab Hebræis acceperint. Eodem nomine ægrotus gaudet, qui apud *Hippocr.* lib. 2. de morb. popul. ſect. 2. calculo graviter, & palpebræ ſuperioris hordeolo laborans proponitur, tum & cujus morbus lib. 4. pag. 1127. Cod. Foës. depingitur. Nec prætereundus eſt famoſus ille *Demetrii Phalerei* Coquus apud *Athenæum* lib. 12. (qui etiam lib. 6. 7. & 9. aliorum hoc nomine dotatorum meminit,) ut & imperitus Citharœdus, qui citra reſpirationem in longum producebat vocem inconditam; à quo enatū adagium: Μόσχος ᾄδων βοιώτιον, *Moſchus canens Bœoticum*: habet *Eraſmus Roterod.* chiliad. 3. cent. 3. n. 76.

Integri quoque Aſiæ populi, Colchis & Iberis finitimi, ſic nominati fuerunt, à quibus & *montes Moſchici* nomen acceperunt. Vid. *Sam. Bocharus* lib. 3. de diſperſ. gent. cap. 12. Hos *Meſeck* in ſacris Litteris dici ſcribit *Montanus* in Appar. Bibl. Qui verò hodie *Moſchi*, ſive *Moſchovita*, vel *Moſcovita* audiunt, verſus Occidentem magis vergunt, Ruſciæ albæ ſive majoris incolæ.

Urbem Moſchum in Polonia magna nobis proponunt in tabulis ſuis Geographi; quos inter *Nicol. Joh. Piſcatorem* nominare lubet.

Non minùs & *fluvius*, qui vulgò *Morava* audit, ita dici obtinuit. Et *Elias Herckmannus*, cùm Anno 1641. in expeditione Braſilienſi, circa *fluvium Tambabujam* odorem ſuavem, à Crocodilis nonnulliſque Serpentibus exhalantem percepiſſet, eundem *Moſchi* epitheto condecoraverat; Confer *Dapperi* deſcript. Americ. lib. 3. cap. 4. pag. 559. edit. Germ.

ὁ & ἡ μόσχος Græcis *vitulum* & *vitulam* denotat, quæ vox ad *bovem* quoque *novellum* ſeu tertiæ ætatis ſeſe, quorundam judicio, extendit.

Simile nomen etiam *Elephantis pullo*, *Bubalidis catulo*, *Agno*, & *Arieti trienni* imponi, *Samuel Bochartus* Hierozoici part. 1. lib. 2. cap. 23. & 28. oſtendit.

Lachrymam porrò *cervinam* eodem vocabulo dignatur *Caſp. Schvvenckfeldius* pag. 85. Theriotroph. Sileſ. cap. de cervo.

Quæ omnia tamen adcuratiorem hîc conſiderationem non ſubibunt, cùm potiùs de re longè ab his diverſa, odoramento nempe præſtantiſſimo, ab animali quodam, nobis Europæis peregrino, ſuppeditato, agere ſit conſtitutum; cui ſcilicet Recentiores Medici nomen Moſchi impoſuerunt, eâ prærogativâ gaudens, ut, ſimpliciter vocabulo iſto in Scholis & Libris Medicorum prolato, nemo de alio, quàm ſimplici hoc medicamento cogitet.

Licet autem receptiſſima hæc ejus ſit adpellatio, & quæ ſola ferè civitate, ut ita dicam, literaria donatur, perpetua tamen haud eſt, varia Synonima recipiens. Ut taceam, quòd à quibuſdam *Moſchon*, *Moſchum*, *Moſcus*, & *Muſchus* pronuncietur, corruptè ſatis, ſi *Moſchus* apud Latinos nomen id à Græca nomenclatura: Μόσχος, acceperit, quo nempe vocabulo *Aëtium* inprimis & *Sethum* uſos primò fuiſſe ſcimus; *Muſcus* præcipuè paſſim à plurimis vocatur, id quod tamen barbariem aliquam redolere, ſunt qui arbitrantur, in

quàm

quàm idcirco accuratiores Medici meritò animadvertant, hinc ineptè admodum id fieri, *Leonh. Fuchſii* lib. 2. de comp. medic. cap. 54. eſt judicium, & *Valer. Cordus* annot. in Dioſcor. l. c. *Recentiores*, ſcribit, *muſcum & moſchum diverſiſſimi generis medicamenta nominis ſimilitudine decepti confundunt.* Et *Symphor. Campegius* in Caſtig. Pharmacop. lib. 1. c. 7. Officinas Moſchum falsò Muſcum adpellare, monet cùm ſic à lapidum, fluminum, arborum &c. villoſo muſco minimè diſcernatur. Cujus erroris cauſam in utriuſque non ſaltem vocis adfinitatem, ſed & Officinarum inſcitiam, & Librariorum in exſcribendo incuriam rejicit *Salom. Albertus* in Orat. de Moſcho. Et *Joh Placotomus* in ſua Pharmacop. de emendatione corruptorum vocabulorum agens, multa eorum partim Medicorum incuria, partim imperitia Græcæ Latinæque linguæ corrupta eſſe monet, quæ & reſtitui debeant, & parvo negotio poſſint, idque vitium aut in genere aut in declinatione, aut in orthographia tantùm conſiſtere, corruptis τὸ muſcus, integris verò ſive emendatis τὸ moſchus pag. 94. adnumerans.

Quidam *Caſtoreum* nominant, quos inter inprimis memorandus Interpres ille Latinus *Vartomanni*, ſcriptoris Itali, reprehenſus propterea à *J. C. Scaligero* exerc. 211. §. 6. Cui errori anſam dediſſe creditur Moſchi recentiſſimi in odore gravitas, in folliculo generatio, coloriſque citrini, quem *Ebn Sina* in eo commendabat, obſervatio, quæ omnia pariter Caſtoreo eſſe propria, ipſi ſenſus edocent. Quanta autem diſcrimina, à *Sal. Alberto* etiam l. c. propoſita, feminis præcipuè, immineant, ſi duo hæc medicamina confundantur, unúq; pro alio ſumatur, cùm reipſa pateat, oſtendere prolixiùs haud opus eſt. Ut ideo immenſum erraſſe, vel tyrones diſcernere valeant, qui, *Conſtantini Africani* teſtimonio tract. de gradib. med. cap. de muſco, Moſcho non invento, Caſtoreum æquo pọ̈dere valere dixerãt.

Nonnulli *Zibethum* vocant, cùm tamen diverſiſſimi generis ſint odoramenta, ideoque invicem minimè confundenda.

Matthæus Sylvaticus in Opere Pandect. c. 540. & alii quidam *Abonafa* vel *Abohanifa* vocant. Quod ſtultiſſimè eſſe ſcriptum, *Conr. Geſnerus* hiſtor. animal. lib. 1. de quadrup. vivip. judicat. Hoc certè verum eſt, prædictas voces non aliud, niſi Autoris nomen indicare, cujus verba *Sylvaticus* ex *Joh. Serapionis* part. 2. de ſimpl. medib. cap. 185. de Moſcho recitat.

Dicitur etiam, pro varia Autorum intentione & ſententia, *Sanguis coagulatus*, *Excrementum*, *Pus*, *Sanies*, *Apoſtema animalis moſchiferi.* Sed qua probabilitate, ex ſubſequentibus, ubi de natura ejus ſermo erit, clarum evadet. Cum additione quoque Moſchus *aromaticus, odoratus, Alexandr. Orient. Occident.* &c. profertur.

Mauritani vocant *Meſch*, vel *Miſch*, ſed potiſſimùm articulo: *al* addito, *Almiſch*, Arabes imitati. Quod vocabulum hodie à Luſitanis juxta ac Bœticis, h. e. Hiſpanis (quibus nempe *Almizcle* vel *Almizq*; dicitur,) receptum eſſe, tradit *Amat. Luſit* comm. in d. l. Dioſcor.

Sinæ, referente *P. Martino Martinio* in Atlante Sinico cap. de Provincia Xenſi, pag. 44. animal ipſum *Xe* nominant, à quo *Xehiang* formant, quod animalis Xe odorem ſeu fragrantiam, i. e. Moſchum denotat: Ipſum verò Moſchum à Boymio non benè itidem *Xe* adpellari, inferiùs videbimus.

Germanis *Biſam*, *Biſem*, *Byſem* dicitur: cujus vocis originem Geſnerus d. l. ex Hebraicis fontibus deducit; cùm בשם *beſem*, vel *boſem*: *Aroma* interpretentur; ceu ejus ſpecimen Exod. cap. 30. verſ. 23. videre licet. Idque faciliùs ut credamus, Hebræorum ſive Judæorum in ipſis Indiis, Portugallia, & Venetiis multitudo, ac mercaturæ dedita vita perſuadere poſſunt; à quibus nempe in Germaniam noſtram ex locis iſtis fortè delatum primò, tranſmiſſumve odoramentum iſtud ſic adpellari obtinuit. Quod ſi ita eſſet, corruptè admodum *Diſam*, *Thieſem* vocaretur.

In Etymologia non minùs variæ diſcrepantes ſententiæ occurrunt, dum Moſchi, vocabulum vel παρὰ τὸ ἐκ μέσου χεῖσθαι, *e medio fundi*, derivant, quòd ſcilicet è medio umbilici animalis Moſchiferi fundatur, vel à verbo: μάω, μῶ, *vehementer cupio, quæro*, quia odoris propter excellentiam magna cupiditate deſideretur & quæratur; vel ab ὄζω, *oleo*, quòd odorem de ſe emittat; vel à privatione odoris, cùm ὄζειν *benè* & *malè olere* ſignificet, & litera μ. privationis loco præfixa ſit. Aliis, dum τὸ μόσχος, ut ſupra dictum, apud Græcos vitulum etiã, novos teneriores arborum ſtolones, & membranacea ceparum vaſcula denotat, nominis indè rationem petere placuit; animal moſchiferum fulvo colore, natura, & magnitudine vitulum referre, ſibi imaginantibus; in quo novi, ad dictorum germinum ſimilitudinẽ, odoramento illo pleni naſcantur folliculi, quiq; ipſi à cepaceorum vaſculorum figura non multùm recedãt, Moſchum inſtar ſeminum in ſe recondentes: Aliis autem à Muſci illius arborei ſpecie, quæ à *Galeno* βρύον ἀρωματικὸν dicitur, & apud *Dioſcoridem* lib. 1. de mat. med. c. 20. Aromata inter locum meretur, ad varia Odoramenta & Unguenta à Veteribus adhibita: Aliis denique à Mure, quem moſchiferum eſſe, *D. Hieronymus* (uti infra dicetur) innuere videtur. Quos omnes tamen deceptos fuiſſe, nullus dubito. Et quis non ridiculam quorundam, obſcuram, aut longiſſime petitam derivationem videat; ut certè, diutius immorari illis, aut vanitates iſtas perſtringere pudeat.

Arabicæ autem originis eſſe, & Græcos, ac conſequenter etiam Latinos, ab Arabica voce, qua *Moſko* & *Moſchmumo* vocatur, ſuum derivaſſe Moſchum, longè videtur veroſimilius; præſertim cùm primam ejus notitiam & Græci, & Latini, aliæque Nationes Europææ debeant Perſis & Arabibus, Moſchum cum aliis Aromatibus per Mare rubrum ex Sina & India Alexandriã deferentibus, à quibus illi edocti nomen ipſum cum re familiarem ſibi reddiderant. Qua in ſententia plurimùm me olim confirmaverat magnus Orientalis Literaturæ Doctor. Exc. *D. M. Joh. Friſchmuthius*, ejuſdẽ in Academia Salana Profeſſor Publ. celeberrimus; qui & ipſe in lingua Arabica genuinam vocabuli Moſchi originem eſſe quærendam ſtatuit. Utrum verò à radice *Maſaka, tenuit apprehenſum*, rectè quidem derivent τὸ *Mesko*, quod idem ac *Moſcaton* Perſica origine Moſchus; pretioſum odoramenti genus, ab Arabibus *Moſchmumo* vocatum; vel an alium agnoſcat fontem, aut etiam primitivum ſit apud Perſas & Arabes vocabulum, incerta ſunt omnia, nec ſcire ea, multùm referre poteſt. Satis itaque verborum; rem ipſam potiùs jam adgrediamur.

De Moſcho, ex folliculo, ab animali depoſito.

Nobiliſſimi Odoramenti hujus natales variè in Eruditorum aliorumque monumentis deſcribuntur, ut ferè neſcias, cuinam adhibere fidem debeas. Singulatim itaque omnes primò recenſere & examinare, quantùm licet, maximè eſt neceſſarium.

Magna verò Scriptorum pars in quodam tumore, ſeu eminentia abdominis, eaque vel naturali, vel præternaturali adquieſcit. Unde ex. gr. *Joh. Renodæus* lib. 3. de mat. med. cap. 15. ſaniem quandam adpellat, reliquas omnes Moſchi varietates bonitate ſuperantem. Et *Gabr. Fallopius* de mat. med. in lib. 1. Dioſc. cap. 24. cum tumoribus cyſticis comparat, *Credo*, inquiens, *quòd audiveritis à me & ab aliis quòd naſcuntur in corio hominum quædam tubercula, quæ habent veſicam in qua continetur ſanies, quæ eſt aliquando craſſiſſima veluti ſubſtantia lardi. Ita in quodam animali Indico concreſcit aliquando gemina, aliquando multiplex vomica in corio, in qua colligitur ſanies craſſior ſubnigra, inclinans in rubedinem, & hanc vocamus moſchum.* Et *Joh. Jacob. Weckerus* lib. 1. Antidot. ſpec. ſect. 30. de excrementis tertiæ

tiæ concoctionis agens, excrementum nominat in tumorem concretum. *P.Mart.Martinius* partem continentem pro contenta deſcribens, *Quid Muſchus ſit*, ſcribit in Atl.Sin.l.c. *dicam plus vice ſimplici teſtis oculatus:Tuber ſeu exuperantia quædam ad umbilicum animalis eſt,parvum marſupium referens,ſubtili pellicula ac ſubtiliſſimis pilis veſtita conſtans. Leonhard. Fuchſius* lib.1.de comp.med. cap.16. pus odoratum quidem nominat, aſt quod ex tumoribus naturalibus, quales in Caſtore ſunt & Leporibus, proveniat; quod & *Rondeletius* lib. de Amphib. cap.8. adſerit.

Quidquid ſit, de illa tantùm Moſchi ſpecie hoc in Capite agendum mihi propoſui, quàm ex tumore aliquo abdominis aperto ipſum animal effundere nonnulli tradiderunt.

Illud enim œſtro agitatum venereo, furibundum hinc indè vagari, cibum & potum averſari, crebròque ſe humi volvere ac fricare, adſerunt, quam fricaturam ſanguinis in folliculum ſeu receptaculum & officinam Moſchi à Natura deſtinatam adfluxus excipiat;qui ſatis inibi adcumulatus,inqueMoſchum converſus, pruritum dein animali excitet; unde continua corporis ſui verſatione utriculum terræ impingat, aut obviis arborum truncis rupibuſve aſperioribus, Solis calore & radiis illuſtratis, magna cum delectatione adfricet, qui magis magiſque hac ratione attenuatus tandem rumpatur, atque materiæ contentæ liberum effluendi ſpatium largiatur; quo ſanguine evacuato, iterum conſolidetur, novum illùc decubiturum ſanguinem deinceps rurſum excepturus atq;evacuaturus.

Moſchum tali modo ab animali depoſitum,&Solis calore coagulatum,aëriſq; & cœli bonitate coctum ac digeſtum, Regionum iſtarum incolas, quibus loca & mores animalis cognita ſatis & perſpecta ſunt, colligere, Magiſtratui offerre, ab eoque præmio vel certo conſtituto pretio, redimi, perhibetur. Ne commodo autem deſtituatur repoſitorio,ipſorum animalium,venatu captorum, abſciſſis folliculis includi, vel in plumbea aliave pyxide adſervari, creditur. Et hac ratione collectum raro ad manus noſtras pervenire,nobis perſuadere pergunt,cùm in Regum,Principum, & Magnatum uſus impendatur, quo veluti munere inſigni ac illuſtri donentur.

Relatio hæc omnium eſt antiquiſſima,cujus primos, qui ad nos pervenerunt,Autores ſunt Arabes;quos inter meritò nominare decet *Johannem Serapionem*, ſive *Ebn Serafionem*, profundiſſimum & antiquiſſimum Arabem, quo eum elogio exornat Nobil. *D. Guern. Rolfincius* tract. de dolore capit. lib. 1. ſect.1. cap. 11. Quem tamen cùm nonniſi Latinè, vulgari & barbarâ verſione *Abrahami Judæi* & *Simonis Januenſis* indutum habeam, verbotenus exſcribere, conſultò ſuperſedeo. Hunc ſequutus dein *Conſtantinus. Africanus*, Monachus tract.de gradib.medic. Ex Græcis etiam Scriptoribus *Simeon Sethus*, Antiochenus in lib.de aliment.facult.lit.M. part.6. Πάντες, inquit, δ' ἐν ὀμφαλῷ ἀπογεννῶνται ζώου τινὸς μονοκέρωτος, μεγίστου, ὁμοίου δορκάδι; οἰστρομανὲς γὰρ τὸ τοιοῦτον ζῶον ὀγκοῦται τὸν ὀμφαλὸν, παχυμεροῦς αἵματος ἐν τούτῳ συναγομένου, καὶ τηνικαῦτα νομῆς καὶ ποτοῦ ἀπέχεται, καὶ κυλίεται ἐπὶ γῆς καὶ ἀποβάλλει τὸν ὀμφαλὸν αἵματος πλήρη βορβορώδους, ὅπερ πηγνύμενον μετὰ τινα χρόνον, ἱκανὸν, ἐπικτᾶται εὐωδίαν: *Omnes autem* (ſpecies Moſchi) *in umbilico animalis cujusdam unicornis, maximi, dorcadi ſimilis, naſcitur; nam cùm iſtud animal veneris œſtro percellitur, intumeſcit ei umbilicus, ob craſſum ſanguinem in eo collectum, quo tempore cibo & potu abſtinet, & humi ſe volutans, umbilicum ſanguine cœnoſo repletum abjicit, qui debito tempore coit, & bonum odorem adquirit.*

Serapionem dein plurimi alii ſuum fecerunt,eandem hiſtoriam paucioribus modò, modò pluribus circumſtantiis proponentes & immutantes;quos inter nominare decet *Alex.Benedictum* lib.13.pract. c.26. *Anton. Mus.Braſavolum* Exam.Sirup.*Franc.Alexandr.* Apoll. Pharm.rad.1.pag.17. *Vincent.Burgundum* Bibl. mund. lib.19.Spec.natur.c.93.*Bernh. Deſſenn.* lib.6. de comp. medic.cap.de Gal.moſch. *Petr. Andr. Matthiol.* l b.1. herb.cap.15.& com.in lib.1.Dioſc.de mat.med. cap.20. *Joh.Renod.*l.c.*Theod.Corbejum* in bipart.ſimpl.&comp. pharm.claſſ.3.ſect.1.*Conr.Kunrathum* medull.deſtill.& med.part.2.tract.17. *Vopiſc.Fortun. Plempium* ſchol. in Avic.lib.2.tract.2.c.13 *Joh.Jonſtonum* taumatogr.natur. de admir.plant.claſſ.5.c.28. *Johan. Schröderum* Pharmacop. med.chim. lib.5. claſſ.1. cap.27.

Quæ tamen num veritatis laudem omnia mereantur,haud immeritò dubitatur, fidem inprimis derogantibus plurimis ex iis,qui alios colligendi & conficiendi modos hoc ſeculo nobis deſcripſerunt.Mihi tamen nec abſque diſcrimine negare cuncta, nec admittere etiam ſimpliciter adlubeſcit. Ut enim ſanguinem, vel ſuccum potiùs ei quaſi analogum,in folliculum colligi, ipſa eorum anatome oſtendit:ita eum quoq; reſtagnantem,& plus juſto acriorem redditum, poſſe pruritum excitare,quis jure inficias ire queat?Quin&eundem, in præternaturali ſtatu quandoque conſtitutum, putreſcere,inque purulentam materiam converti,quæ diſrupto à fricatu &c.folliculo effluat,non eſt impoſſibile. Quanquam hoc,ſi unquam obſervatum, rarum quid ſit & extraordinarium, nec ideò in omni animali iſto moſchifico contingat. Alia tamen etiam nonnulla ſubeſſe fictitia,haud planè negaverim.

Et quidem temporis determinationem quod attinet,dum ſanguineum liquorem illo tantùm tempore, quo animal in venerem ruit, ad receptaculum ſuum confluere perhibent, non uſque adeo infallibilem veritatem proponunt.Licet enim tum majori in ὀργασμῷ ſanguis ſit conſtitutus,adeoque etiam copioſior &ſpirituoſior in locum iſtum confluat,à quo dein ipſe quoque folliculus magis intumeſcat; cùm tamen hîc non ſimplex & ſtatuto ſolùm tempore intentetur à Natura intumeſcentia, vel cutis aut cuticulæ à ſubſtrato corpore ſeparatio;ſed revera corpus aliquod naturale,cavitate inſigni,& ſtructura ſingulari exornatum præexiſtat,minimè videtur ambigendum,quin &alio omnique tempore commeatus ille ſuccedat;præcipuè cùm ſpecialis iſta temporis expoſitio merum ſit Recentiorum nonnullorum, qui Indias nunquam perluſtrarût, aut etiam animal nuſpiam viderunt,in cerebro natum figmentum;cujus antiquiſſimi Scriptores, *Serapio &c.* nullam priùs fecerant mentionem.Unicus tandem *Sethus* voce: οἰστρομανὲς utitur, quæ decepiſſe dein reliquos potuit,dum eâdem,*cùm veneris œſtro percellitur*, nonnulli fuerunt interpretati, aliis tamen ſimpliciter & cautius: *cùm ſtimulatur exagitaturque*, exponentibus. οἰστρομανίαν enim propriè *furorem quemvis* veluti œſtro incitatum innuere, nemo qui ipſam vocis naturam conſiderat, poteſt ambigere. Licet aliàs ad inſanum ſaltem libidinis ſtimulum non minùs vox illa in ſpecie transferri queat, abſq; tamen prægnantioti aliqua cauſa unico illi ſtimulo adjudicari neutiquam debet.Animalia verò non ſolùm, in venerem dum ruunt, ſed aliis quoque ex cauſis furere,plus quàm eſt notiſſimum. Nihilominus eo ipſo tempore, quo Capreoli moſchiferi libidine agitantur, majorem humorum ad folliculum contingere adfluxum, & indè magis intumeſcere eum,atque in apricum prodire,minimè negabo,ut ita, dum antea deliteſcebat quaſi, neque oculos admodum incurrebat,tum demum enatum eſſe,incautioribus imponere, fabulæq; iſti ortum dare potuerit.

Pari nituntur incertitudine, qui modò in Plenilunio, modò in Novilunio Moſchum produci tradiderunt. Sic *Odoard. Barboſa*, citante *Laur. Catelano* c.11. de conf.alkerm. Moſchum ſaniem eſſe apoſtematis,in Summar.regn.& popul.Orient.ſcribens, tranſire eum in hanc perfectionem, ſubjungit, Lunâ in plenitudine exiſtente.

Econ-

Econtra Novilunii temporē abſceſſum hunc protuberare, *Henric. Salmulth.* in Comm. ad Guid. Pancirolli lib. 2. Memorab. tit. 1. perhibet. Quæ fortè opinio ex altera illa, menſtruo mulierum ſanguini quâ comparatur, ortum traxit; ita ut juvencularum ad excretionem aliqui, ad provectiorem ætatem alii reſpexerint. Niſi conciliare fortaſſe eoſdem liceat, Novilunium collectioni, Plenilunium perfectioni deſtinādo. Verùm mera hæc eſſe ingeniorum ſomnia videntur, quæ eadem facilitate, quâ producuntur, negari etiam poſſunt. Hinc cautiores alii *certum aliquod anni tempus* nominando, nil certi determinare maluerunt. Et mihi cuncta iſta liceat conjungere, ac, quòd omni tempore, ſive plenâ, ſive novâ, ſive etiam falcatâ facie Luna ſeſe oſtēdat, Moſchus in animali iſto generetur, concludere.

Ex hoc itaq; ſponte jam eluceſcit, quid de *Joh. Ruellii* ſententia ſtatuam, quâ hanc Moſchi productionē quotannis, ſive ſemel in anno fieri exiſtimat; cui accedebat *Zacut. Luſit.* Medic. Princ. hiſt. lib. 1. hiſt. 9. *Portentoſum*, ſcribens *naturæ miraculum videre eſt, nempe animal quoddam Indicum, pretioſiſſimum odoris genus ex umbilici vomica quotannis deponens.* Annuæ huic creditæ generationi ὀργασμὸν illum venereum anſam dediſſe, nullus dubito, quem ſemel in anno contingere, ſibi fortaſſe perſuaſerant; nec adeo improbabiliter, cùm & noſtris in terris cervino generi ſemel in anno, declinante ſcilicet æſtate, vel ſub ingreſſum autumni, idem maximè familiaris deprehendatur. Ratum interea ſit, Moſchum in folliculo ſemel in anno, i. e. ut ego interpretabor, ſemel & ſemper elaborari.

Utrùm verò ab ipſo animali folliculus vi quaſi diſrumpatur, Moſchuſq; evacuatus reliquis omnibus præferatur, paucis nunc diſpiciemus. Mihi ſanè id minimè videtur. Qui enim talia ad nos perſcripſerunt, receptaculum Moſchi eſſe tumorem aliquem præternaturalem, vomicam, vel apoſtema, ipſumq; contentum ſuccum ſanioſum quid eſſe crediderunt; quem cùm ſanguini reliquo non remiſceri aut in corpus readſumi, ſubſtantiaque ſua acri atque inſolita vicinis partibus non poſſe non moleſtum evadere, conſiderarent, ſtimulatum exinde animal, volutatione & fricatione diſrumpere vomicam, egregiè cōmenti fuerunt. Dum verò naturalis illa Moſchi collectio in omnibus iſtius generis animalculis exſiſtit, & per meatum à natura cōceſſum facilè evacuatio fieri poteſt, meritò præternaturales illas excretiones rejicimus; præcipuè cùm in tot, quot vidi, folliculis nullum relictæ cicatricis veſtigium deprehendere valuerim; nec tamen omnia animalia iſta, à quibus præfati folliculi abſciſſi, juniora indiſcriminatim fuiſſe, ideoq; Moſchum contentum primum ſaltem, qui collectus ibi fuerit, eſſe dicēdum, nec cicatricem eapropter, ob nullam antea factam rupturam, adeſſe potuiſſe, ſit credibile; inprimis quia plurimos illorum folliculorum denſa admodum præ reliquis ſubſtantia & corio præditos, provectioris ætatis animalibus fuiſſe ademtos, non inanis planè ſit ſuſpicio. Quamvis, ut paulò ſuperiùs innui, eundem liquorem in præternaturali ſtatu ſic aliquando evacuari poſſe, non adeo ſit impoſſibile.

Ut verò meam hîc conjecturam proferam, animalia hæc libidinis ſtimulo agitata, in terra ſe & ſuper ſaxa volutare poſſe, aut etiam, cùm eo in ſtatu contentus in utriculo humor acrior, ſpirituoſior & turgentior dubio procul reddatur, arborum truncis &c. ſeſe adfricare, pruritumq; ita demulcere, exiſtimo; qua ipſa frictione ad exitum propior & in vivo animali liquidior, imò in allatis etiam ad nos recentioribus quibuſdam folliculis nonnihil liquidiuſcula aliquando Moſchi ſubſtantia fortè extruditur atq; exprimitur, ſicq; arborum truncis vel ſaxis adhærens, ruptæ vomicæ perſuaſionem, purulentiq; humoris ſuſpicionem præbere rudioribus ſpectatoribus potuit, præſertim cùm & in folliculo recenti foraminulum ab ulcere relictum, aut in aridiori aliquid cicatricem quaſi referens, meatus ſcilicet naturalis ab exſiccatione factam corrugationem, poſtea conſpicerent.

Ubi ſanè non omnem analogiam cum animali Zibethico, ſive Hyæna odorifera, uti *Petr. Caſtellus* in libello de ea conſcripto vocat, excluſam velim, quod à repletis Zibethiferis ſuis vaſculis inquietum reddi, humoriſque iſtius evacuationem, confricando ſe arborum truncis, molliri, communiter, nec refragante experientia, adſeritur.

Veruntamen tali naturæ inſtinctu expurgato, diuturnioriq; ſub Cœlo & Sole mora, ac venditata digeſtione perfecto Moſcho quis tantā, quæſo, tribuere queat excellentiam, ut non niſi Regiū ac Principibus dignū cēſeri debeat donariū? Annon longioribus aëris injuriis ſubjectus, ardentioribus etiā Solis à radiis exſiccatus, ſubtiliſſima ſui parte, & cōſequenter odore excellenti, ſi non omnino, ſaltem maxima ex parte exueretur? Ut anile propemodū ſit figmentū, talem regia inter dona collocari, qui vix à plebiis leviori precio redimeretur.

Ex dictis nunc colligere etiā quilibet poterit, de illorū opinionibus quid decernendum ſit, qui non tantùm menſtrui cū ſanguinis fluxu cōparare Moſchum, ſed cū fœda inſuper apoſtematū ſanie conferre auſi fuerunt. Meras utpote eſſe ingenii fictiones, aut fabulas, falſis ex hypotheſibus & rationibus ſēſim enatas atq; cōflatas.

Nimiū ergo ſe alioſque ludere voluiſſe dicendus eſt *Oſvald. Croll.* qui ut in cæteris etiā Signaturis explicādis ſæpe ad nauſeam uſq; laborioſus eſt; ita & hoc in paſſu, dū Medicos & Chirurgos multa morborū remedia, ac rerū virtutes à brutis animalibus edoctos fuiſſe adſerens, in ſpecie, vomicæ curationem, Chirurgis Capreas has ſilveſtres, ut vocat, demonſtraſſe perorat, tā procul à vero aberrat, ut ne quidē refutari mereatur.

Menſtruū autē ſanguinē quod attinet, inprimis *A. M. Braſſavolus* l. c. (diffuſiùs idem explicante *Sal. Alberto* in Orat. de Moſch.) materiam hanc odoratam naturaliter per illam viam, per modum criſis expelli prodidit, addens: *ſicut in multis aliis menſtrua ſunt.* Abſurdum tamen hoc eſſe, *Catelanus* objicit, cùm hac ratione in femellis ſolùm inveniretur; id quod à veritate alienū putat, cùm utriq; ſexui æquè competat. Juſto tamen rigoroſiorem animadverſionem parat, licet enim utriq; ſexui Moſchi generatio competeret, quod equidē incertum, nec à quoquam determinatum, haud tamen eſt incredibile, præſertim cùm & Zibethicū animal utriuſque ſexus pinguedinem iſtam largiatur, conſiderare nihilominus debuiſſet, analogiam ſaltem aliquā Moſchi inter & ſanguinis menſtrui evacuationem proferri, non quæ ex omni parte conveniat.

Eſſe verò humorem excrementitium, è corpore propellendum, tum meatus illius naturalis, eidem exitum concedentis præſentia, tum alterius alicujus, eundem è receptaculo in corpus reducentis abſentia, clariſſimè evincunt. Cæterum an utilia inter excrementa, vel quæ ipſi animali uſum aliquem, poſt ſui in folliculo collectionem præſtet, recenſeri debeat, an inutilibus adnumerandus ſit, qui ſimpliciter excerni poſtulet? meam fateor ignorantiam, quam nempe ſola crebrior iſtiuſmodi animalium, natali præſertim in loco inſpectio, tum etiam anatomica perluſtratio diſcutere fortaſſis valeat; quibus ſanè ſubſidiis hactenus deſtituimur; cùm illi, quibus fortuna hoc conceſſiſſet, lucro tantùm vel aliis rebus potiùs intenti, hærere in ignorantia, aut mendacibus aliorum relationibus nimiùm fidere, aut etiam præconceptarum opinionum nebula dementari maluerint. Mihi tamen excrementum eſſe inutile, ſtatuere interea libet, uſque dum aliquando certiora edoceat; prout & in Zibethico animali, magis noto, ſtrigmentum illud unctuoſum, animalis ipſius intuitu, inutile & excrementitium prorſus eſſe, extra omne dubium hactenus fuit poſitum.

An vero ſanguinis hic aliquam purgationem à bilioſa & acri ſuperfluitate Natura moliatur, hæreo; certè ſapor amaricans, ſalſedini alicui mixtus, ut & color flaveſcens, non planè illud improbant.

Quo cæteroquin modo ſecretio iſta peragatur, præſtat meam fateri ignorantiam, quam & in cunctis, notioribus licet, terræ noſtræ inquilinorum animalium, imò ipſius corporis humani ſecretionibus, atque ſpeciatim in evidentiori hepatis officio candidè non diſſimulavit candidus Collega noſter curioſus, Nob. *D. D. Joh. Conr. Peyerus* exerc. ſecunda de gland. inteſt. pag. 82. & 98. Cui interea amplam fidem adhibeo, nullam ſcilicet in animalibus ſecretionem, niſi per glandulas fieri, ut ideo neque in hoc noſtro animali eandem aliter ſuccedere conjicere queam; quantùmvis tales hactenus ob minimam molem & folliculorum recentium denegatam inſpectionem oculos noſtros & notitiam effugiant, à curioſo aliquo fortè olim in apricum deducendæ. Illas enim, quas inferiùs Cap. X. recenſebo, ob ſitum earum, circa meatum excretorium ipſius folliculi occurrentem, huc trahere minimè audeo.

Unde veniam hac incertitudine utique merebor, præſertim cum nemo hactenus Anatomicis noſtris, licet oculatiſſimis, vitio vertere ſoleat, quod in tanta ſubjectorum anatomicorum copia, & infinitis cadaverum humanorum ſectionibus, nondum, uti plurimi eorum clariſſimi poſt multas conjecturas tandem fateri coguntur, Lienis, Renum ſuccenturiatorum &c. uſum & officium verè detexerint, aut extra dubitationem omnem poſuerint.

Sed aliorum etiam ſententiam perluſtrare, & qualem *Catelanus* conjecturam proferat, inſpicere decet, qui nempe veſiculam iſtam ad umbilicum à Natura poſitam fuiſſe, venditat, ut inſtar receptaculi cujuſdam humoris craſſi eſſet, cum quo certum, qui veſiculæ inſit, meatum linguam humectans, partes corporis ſui dolentes, pedes præcipuè & genua, inungere ſoleat hoc animal, ut ratione hac, veluti refectione quadam laſſitudine mideatur, quam ex continuo curſu & per ſcopulos ſaltatione contraxerat. Cui tamen adverſatur *Andr. Chioccus* in Mus. Calceol. ſect. ſexta, id nec certâ ratione, nec Autoris alicujus fide probari, objiciens; humorem præterea illum eſſe odoratum, calidiorem, atque eapropter ſiccum valde, & longè diſſitum ab ea humoris temperatione, qua partes oblini atque ad motum refici poſſint. Etcùm non raro integris ablatis veſiculis, alias denuo animalibus iſti in campeſtria loca remiſſis enaſci, *Catelanus* perhibuiſſet, ſi hæc vera ſint, ad oblinendos artus humorem hunc non facere, *Chioccus* regeſſerat. Ego quidem *Catelano* lubentius accederem, ſi, quæ magna cum confidentia dicit, αὐτοψία confirmâſſet, quæ tamen ipſum omninò deſtituit. Quamvis cæteroquin odoratus ille humor ſpirituoſæ ſubſtantiæ ſuæ effluviis laſſitudini, à motu vehementi, depauperatis ſpiritibus, inductæ, medelam aliquam adferre, ſpirituſque reſtituere poſſe, utique dici queat. Per meatum tamen illum naturalem num eundem, qui à me poſtea deſcribetur, intelligat, parum refert. In hoc autem non exiguum errorem commiſit, quod ablatis etiam integris iſtis veſiculis, & animalibus mutilatis in campeſtria loca iterum in libertatem dimiſſis, paucos poſt dies, odoriferarum herbarum paſtu, alias veſiculas, veluti vomicis prægnantes, regenerari dixerit cum Natura parens partes ejuſmodi organicas & magnâ induſtria fabricatas, ſi ſemel fuerint abſciſſæ, regenerare nunquam ſoleat, imo à recenti iſta laniena dimiſſum animal vitam ulterius vix protrahere valeat.

Ipſe viciſſim *Chioccus* ſicciorem animalis iſtius naturam, continuum curſum, & herbarum ſiccarum odoratarumque paſtum intuitus, nec minus lienem, expurgando craſſiori & ſicciori ſucco qui par eſſet, tam grandem haud obtinere ratus cum motui validiori & crebriori impedimento eſſe queat, providam Naturam, quæ nunquam in neceſſariis deficit, effingendo has veſiculas ſive vomicas ſplenis defectum eleganter & fructuosè ſuppleviſſe concludit, ut humor omnis ille ſiccior & craſſior, alendo minimè idoneus, perfectè evacuaretur. Sed hic quoque omnia incertiſſimis nituntur fundamentis. Nam 1. continuum curſum *Phil. Marini* relatio, inferius adducenda, quod in dubium vocare queat, ut non dicam, noſtrorum certè Cervorum & Capreolorum familia, corporis agilitate maximè licet polleat, vicario ejuſmodi liene deſtituitur. 2. Quamvis nardo aliiſque ſiccis & odoratis herbis pro cibo utatur, ſolas tamen illas in pabulum cedere, & alias etiam, contrariâ qualitate imbutas, quis ſpondere, quæſo, nobis poterit? Quin & noſtri capreoli ac cervi, non frigidas tantùm & humidas, ſed & ſiccâ, calidâ, atque odoratâ qualitate praeditas herbas depaſcunt. 3. Lienis parvitas eſt commentitia, neque oculorum fide comprobata; quod ſi verò talis fuerit, eo ipſo Naturam, dum ob motus celeritatem, cibique creditam ſalubritatem & ſpirituoſitatem, excrementitius, qui in viſcere illo elaborari ac ſeparari olim credebatur, humor perpaucus producitur, parvulum etiam lienem conceſſiſſe, facilè poſſet tegeri. 4. Lienem magnum, naturalem tamen, valido motui obeſſe, non quidem ſimpliciter negaverim, aſt parvum eidem periculo ſubjacere, pariter dixerim, præcipuè cum in celeriori motu ſanguis juſto concitatior minùs expandi & rareſieri in parvulo corpore queat, ideoque moleſtiam eò promptius eidem communicet. 5. In folliculo moſchifero nullo quoad ſtructuram cum liene ſimilitudo deprehenditur, quæ aliqualis faciliùs admitteretur, ſi illa à quibuſdam olim falſo credita lienis cavitas inveniretur.

De Moſcho, cum folliculo ab Hominibus ademto.

Cùm Moſchum in extuberante quodam abdominis receptaculo naturaliter inveniri, ſponte tamen ab animali moſchifero, per pruritum incitato, in uſum humanum non evacuari, jam demonſtratum ſit, paucis nunc de altera illa opinione, quæ odoramentum hoc violentiâ quadam humanâ auferri prodidit, eſt agendum.

Creſcente enim majore illius deſiderio, & ſpe præcipuè largioris indè ex impetrata copia proventuri lucri, ipſum in animalis corpus ſævire tandem homines incepiſſe, creditum fuit. Qui itaque non deſtiterunt, laqueis atque ſagittis animali ſtruere inſidias, quo ſuam in poteſtatem tam vivum, quam interemtum redigerent. Atque ſpe ſuâ hoc modo potiti, folliculum turgentem unà cum humore in eo collecto abſtulerunt, quem tamen ingrato odore inquinatum perſentientes,

 libe-

liberiore aere ſuſpenderunt, ut Cœli ſerenitate Soliſque ardore digeſtus atque exquiſitiùs percoctus, quidquid injucundum fœtidumque habet conjunctum, deponeret; ſicque ſuaviſſimus efficeretur.

Hunc collectionis modum & ipſe nobis *Serapio* primus tradidit, quem tot alii poſtea exſcripſerunt, qui, juxta vulgarem verſionem, Venatores in terris Thebeth & Seni, extenſis funibus laqueiſque Gazelas illas capere, ſcribit; *Aliquando vero* (liceat, cum pace tua, L. B. ipſa reliqua verba, ex interpretatione cujuſdam *Abrami Judæ*, & *Simonis Jannenſis*, adjungere) *ſagittant eas & abſcindunt ab eis folliculum, & tunc eſt in odore ejus horribilitas, ſuſpendunt ergo eos, relinquentes aliquo tempore, donec maturentur, & recedat fœtor eorum, & mundetur in aëre, & fit tunc in eis Moſchus bonus.*

Moſchum hunc aliqui adulterinum quidem proclamaverunt, ideoque in uſum trahi eum, minùs tutum & inconveniens fuerunt opinati: Eundem tamen pro tali acceptare, aut ex Pharmacopoliis, manibuſve Medicorum relegare, minimè audeo. Qui ſanè optimus & perfectiſſimus Moſchus omnino eſt cenſendus, cujus copiâ qui potitur, omni reliquo carere facile poteſt. Atque, ut *Franc. Alexandri* voto utar, *utinam legitimus hoc modo ad nos traduceretur!*

Quamvis, ſi prior ille, ab animali ſponte depoſitus, antequam meliores ejus particulæ in auras diſſipentur, colligeretur, præſtantiſſimi & perfectè elaborati elogium utique mereatur, non tamen alter iſte omnino damnandus aut parvipendendus ſimpliciter erit; cùm, ſi in ea ultima maturitate, qua titillare & ad folliculi apertionem perfricatum ſtimulare ſolet, auferetur, eandem ferè perfectionem habere dicendus foret: quæ ſana admodum (ſi latentem de titillatione & fricatione fabulam excipias) deciſio *Braſavoli* notari utique hîc debuit.

Utrùm verò hac ratione in utriculo hærens malè oleat, aëris demum adflatu, Soliſque ardore in ſuaviter odoratam materiam vertendus, merito diſquiritur? *Braſavolus* ſanè Venetiis odorare ſe voluiſſe adhærentem adhuc animali folliculum, gravemque omnino odorem ſe deprehendiſſe teſtatur; quem ideo nondum ad maturitatem perveniſſe judicat. Quin & omnes reliqui, ingrato odore primùm diſplicere, Solis demum ac Cœli virtute coctum, odorem adquirere gratiſſimum perhibent. Verùm eadem hîc accidere poſſe, dicere mihi liceret, quæ in Zibetho, Balſamo, aliiſque fragrantiſſimi odoris ſimplicibus deprehendimus. Hæc enim quò longius à nobis diſtant & leviter nares ſubeunt, eò citiùs ſuavitate ſuâ eas feriunt: quò propiùs autem admoventur & majori quaſi quodam nixu odoriferæ ejus atomi naribus attrahuntur, multum iſta ſua de ſuaveolentia amittunt. Particulæ quippe odoriferæ unitæ in organum odoratûs confertim, & ita non ſine violentia quadam (prout & reliqui ſenſus à ſenſili excellenti lædi ſolent) irruentes, illud lædunt, ideoque ingratæ potiùs eidem videntur, cùm viciſſim diſtantiori in ſpatio magis magiſque expanſæ & divulſæ, blandiori modo ſeſe inſinuent, atque ita etiam gratiorem impreſſionem efficiant. Ut eapropter coctione illâ deprædicatâ ſolari & aereâ nihil aliud fortaſſe impetrari dici poſſet, quàm ut admixta humiditas, maximâ ex parte evaporans, ſubtiliores quaſdam, in motu ad exhalationem jam conſtitutas particulas in copia ſecum abripiat, reliquis minùs reſolutis, ideoque ad exhalationem copioſam non diſpoſitis quaſi quieſcentibus, ſicque minori poſtea efficaciâ organum odoratorium petentibus, & illud abſque ſingulari vehementia tantùm demulcentibus. Idem ſanè in Moſcho folliculis ſuis incluſo, ſive etiam in pyxide aliqua ſervato quandoque experimur, qui nempe, ſi recens & bonæ notæ fuerit, naribus magna in quantitate propiùs objectus, ingratiſſimi ſemper odoris deprehenditur, imo tanti, ut vel Caſtorei gravitatem quidem lubentius, quam iſtam perferre velint; cùm tamen, ſi longiùs ab illo recedas, non poſſit non gratioſo odore ſuo mox perplacere. Id quod ſanè haud fieret, ſi non antea particulæ ſuaviter odoratæ præexiſterent, ſuâque libertate gauderent.

Non tamen ibo inficias, illis ipſis benè fragrantibus atomis aliquas naribus graves moleſtas conjungi; quæ ſanè, ſi bonæ notæ Moſchus & recentiſſimus eis exponatur, mox ſeſe offerunt, ſtercoracei quadantenus, vel hircoſi quaſi aliquid referentes. Quò ſpectat ingenioſi *Verulamii* conjectura, quam (excrementum illud moſchatum probi eſſe odoris, cum reliqua plerumque fœteat, admiratus,) cent. nono Hiſt. natur. profert, quod nempe voluptatis exceſſum refugiat ſenſus, ingrati potiùs alicujus gaudens conſortio, non ſecus ac Muſica repugnantes ſonos in concentum temperans, omnibus gratiſſima accidit; quo ipſo, fœtidos ab excrementitia putredine ſpiritus Moſcho ineſſe, voluit innuere, qui odoratiſſimos reliquos temperant, gratiamque illam ſic naribus noſtris offerant. Uti ita, ſi juſtâ temperie neglectâ, putridi ingrati reliquos bonos ſuperent, eoſdem unà quaſi obtundant, ſe ipſos verò naribus potentiores vel ſenſibiliores ingerant. Hîc ergo ingratioribus & minùs elaboratis particulis in aëre liberiori exhalantibus, reliqua maſſa ſuaviter odorata remanet, vel eædem benigniori Solis calore ultiùs digeſtæ, naturam priorem exuere, inque beneolentes pariter tranſmutari poterunt.

Heterogeneitatem illam partium in floribus & ſuffimentis jam olim animadvertit Ariſtoteles, dum in Problematibus ſuis cauſam indagaturus: Cur remotiora ſuaviter oleant, propiora autem ingrata magis exſiſtant? alias præter eaque ſatis obſcuras cauſas, terræ quoque particulas ſimul prodire ſuſpicatur, quæ ob gravitatem ſuam reliquis præferantur, vel eas quaſi præcurrant. Licet autem hanc celeriorem exhalantium particularùm ponderoſiorum, econtra levium tardiorem motum imaginari mihi nequeam, præſertim cùm graviores longiùs haud provehi, ſed cadere vel ſubſidere, in ſeqq. Ipſe monſtrat, terreſtriores tamen illæ non diſplicent, quibus & humidiores addendæ, utræque à calore nondum ſatis digeſtæ, concoctæ, vel elaboratæ, quæ utique in propinquo naribus objectæ, unà cum ſuavibus organum odoratûs ſubeuntes, in gratum quendam odorem ei imprimere poſſunt, ponderoſitate verò ſuâ longius provehi ineptæ, ſolas tenuiores levioreſque in remota loca ferri permittunt.

Ut de judiciorum circa odores diverſitate, ſoli fortè perſuaſioni & conſuetudini adſcribendorum, multa jam non proferam, quâ facilè poſſet contingere, ut Moſchus revera ſuaviſſimus, ſeu ingratus naribus diſpliceret, non ſecus ac Japoniis Europæorum pretioſos ſuffitus, tanquam fætoris reos, diſplicere; nobis verò quæ malè olere videntur, optimè fragrare, *Arnoldus*

Mon-

Montanus Legation. Batav. ad Imper, Japon. circa princip. recenſet.

De Moſcho è ſanguine parato.

Quamvis deſcriptum in præcedentibus Moſchum maximè genuinum vocare nullus dubitem, alios tamen eundem impetrandi, vel potiùs æmulandi & fingendi modos dari, non minùs concefferim. Iuprimis dum auri ſacra fames, & cujus vel è re qualibet odor bonus avaris atque lucri cupidis putatur, ad majorem ejus obtinendam copiam homines allicit, ſicque varias genuinum & antiquum illum naturalem quodammodo æmulaturas præparationes, vel etiam omnino novas ex aliis ſubjectis productiones iiſdem dictitat.

Maximè vero dum contentum in folliculo Moſchum ſanguinis ad naturam accedere obſervarunt, reliquum non minus ſanguinem, ſi arte ad cutem prolicerecur, odoriferâ iſtâ qualitate imbutum iri, quoſdam credidiſſe, admodum veriſimile videtur, quod etiam verberibus animal probè vexando & dedolando obtinuiſſe, quorundam ſcriptis edocemur.

Sic Nobil. *Joh. Albert. Mandelslo* libro primo Itinerar. fui cap. decimo nono ex Mercatorum Anglorum oculata fide idem perhibet, hunc in modum in vernacula noſtra ſcribens: *Es vvid der Muſcus von einem Thier genommen, vvelches einem Rehe gleich ſihet, daſſelbe Thier ſollen etliche, vvann ſie es fangen, eine vveil in ihren Hauſſeren halten, mit einem Prugel ſtarck ſchlagen, velche nache Pegu handlen, daſz groſſe Beulen darvon auflauffen, darinnen ſetzt ſich eine Materie, aus vvelcher der Muſcus kommt. Diſz haben mir die Engliſche Kauffleuthe berichtet, dann ſie es ſelbſt geſehen haben.*

Quæ paulò fuſiùs, ex Mercatoris cujuſdam relatione, à Cl. *Nath. Highmoro*, differt. de paſſ. hyſter. cap. ſexto proferuntur; cujus ipſamet verba præſtat audire: *Incolæ animal inventum primò canibus venaticis diu inſequuntur, deinde cum perſecutionem ultra ferre nequit canum, feſſum & anhelans plagis abundè excipiunt, donec tota cutis ſanguine grumoſo à verberibus canumque morſibus maximè infletur & intumeſcat, tum cum incaleſcit adhuc, pellem ubivis attollunt & ligaturis ſtrictioribus illam cum ſanguine illo grumoſo incluſo circumligant totam in nodos, deinde ſtatim, vivente adhuc animali, abſciſſis nodulis ſanguine illo plenis, pro moſcho optimo reſervant, qui nobis ſic in burſis coriaceis, ut ab animali abſcinduntur, à Mercatoribus transfertur.*

Similia, licet paulò mutata, apud *Gabrielem Sionitam de Monte Libano*, Profeſſorem Pariſinum, occurrunt, quem Exc. *D. Thom. Bartholinus* Volum. 2. Act. med. Hafn. obſerv. decima nona tanquam oculatum teſtem, ita Moſchi generationem adducit deſcribentem: *Baculo animal pluribus uno eodemque loco ictibus verberatur, adeo ut ſanguis in unum concurrat locum, ac tum pellis inflata ſanguiniſque plena ita ſtrictè ligatur, ut indè ſanguis concluſus egredi nequeat. Pellem illam in unam aut plures veſicas contractam exſiccaturi ſupra dorſum animalis ſinunt, donec abſque ulla vi, nulloque adhibito inſtrumento ea veſica cadant, ubi ille ſanguis ſuaviſſimus in moſchum beneolentem poſt unum menſem converſus reperitur.* Si hanc unius loci percuſſionem ad ipſum jam conſtringere liceret folliculum, quin largior Moſchi proventus ſic promtè ſuccederet, fortè non eſſet ambigendum. Unde etiam defatigatum curſu animal fuſtibuſque benè permolitum, ſanguinem faciliùs ad cutem ejuſque tubercula naturalia amandare judicat prælaudatus *Bartolinus* Vol. 1. Act. med. Hafn. obſerv. 58. *Sicut ubera ovium*, addens, *manu concutiunt feminæ, ut lac uberius fundant.* Aſt hac ratione ad Caput potiùs præcedens eſſet referendus.

Mercatorum autem Anglorum enarratio ſi de tumoribus aliis præternaturalibus, & à folliculo diverſis ſit intelligenda, eò majorem merebitur fidem, ubi juxta prolatam à *Scaligero* in exerc. 21. de ſubtil. ex India advectam, &, *Joh. Fabri* in Hiſt. nat. Mex. indicio, ex *Barboſa* mutuatam hiſtoriam, ſanguineus ille utriculi humor ad reliqui cruoris, etiam ſine verberibus impetrati conditu- ram adhibetur, quam tamen ipſius Autoris verbis adducere lubet: *Capta fera, eam partem* (in qua ſcil. ſanguinis collectio in tumorem abierat) *cum corio ſimul abſcindunt; qua inter ſecandum guttæ ſanguinis effluunt caduntque, eæ pro moſcho optimo atque excellentiſſimo aut excipiuntur aut colliguntur. Hujus minimæ portiunculæ beneficio ad cæteri cruoris condimentum utuntur. Ubi ſecuerunt, hirudines admovent tamque diu, quoad earum ſuctu cruor univerſus cum ipſa vita detrahatur. Eum ſanguinem exſiccatum atque in pulverem redactum, prioris illius perpauxilla quantitate, viribus vero efficaciſſimis perficiunt. Quippe centeſimam ſatis eſſe produnt.*

Poſſe autem aliis etiam in locis fuſtigatione iſta acriori ſanguinem extravaſari, inque tumores ab ejuſdem collectione cutem attolli, minimè eſt incredibile. Quod ſane mulier illa magno ſuo cum damno experta fuerat, quæ ictibus & verberibus miſerè tractata, poſt mortem, Anatomico olim dexterrimo, *D. Joh. Rudolph Salzmanno* (vid. obſ. anat. 2.) ſanguinem cutem inter & carnem per univerſum corpus effuſum exhibuerat. Quod etiam ovium, vitulorum, boumque exemplo illuſtrat Exc. *D. D. Dan. Ludovici* Miſcell. Germ. Cur. Ann. V. obſerv. 205. in quibus ſæpenumero, lanionibus ante ſe agentibus ſeverius fuſtigatis, poſt jugulationem detractâ cute, ejuſmodi collectiones in ſuperficie adparent. Capillaria enim ad corporis ambitum tendentia vaſcula ſanguinea, vi illâ aperta & lacerata, contentum liquorem ſuum intermedia in ſpatia effundunt, à venarum oſculis compreſſis inque ſitu alteratis non tam promptè reſorbendum, ſed iſtas ſuggillationes & vexationum notas efficientem. Qui ita extra naturales ſuos vitales terminos ſubſiſtens, magnam ſubire alterationem cogitur, & putredinem aliquidem concipere, quâ latentes ſulphureæ volatiles particulæ in libertatem forte vindicantur, atque occultatum antea odorem jucundum exhalant.

An autem fragantiſſimo illi folliculari odoris & virtutis excellentiâ talis æquiparari queat, eſt incertiſſimum, imò mihi omnino non credibile videtur; cum moſchi folliculariì & ſanguinis coagulati ſubſtantia admodum differant & follicularius ille ſi non ejuſdem flos & balſamus, ſaltem excrementum odoratum unicè exſiſtat, ſanguine in folliculo ſegregatus.

De Moſcho ex renibus & teſticulis confecto.

Miſsâ nunc animalis noſtri parte fluidâ, ſolidiores itidem attendi merentur, quas inter Teſticulos inprimis verum præbere Moſchum, ſunt qui perſuadere laborant. Illos ſanè *Georg. Bertinus* in ſua Medic. lib. 18. cap. decimo ſexto jamdudum nominaverat. Quos etiam ex *D. Thevenoti* Itinerario, ipſummet eſſe Moſchum, confirmaverat Nob. *D. Henr. Oldenburgius*; licet Autor Ephem. Gallic. cumu-

cumulum ſanguinis pro *teſticulis* repoſuerit. Vid. Acta philoſoph. Soc. Reg. in Angl. Num. 14. cap. 7. pag. 171. edit. Lipſ. Et Cl. *Henr. Salmuth* optimum ac præſtantiſſimum Moſchi genus eſſe, notat quod ex teſticulis animalium quorundam colligitur.

Eoſdem innuere voluiſſe celebrem floræ Sinenſis ſcriptorem, *P. Michael. Boymium*, ipſe textus perſuadet, dum ſub lit. Z. præter renes alias quoque partes indicat, quem ipſum ideo audire lubet: *Porrò quod Sinenſes propriè vocant Xe, & Luſitani Almiſcar, atque Latini Muſchum, eſt caro renum animalis ſupra dicti, & id quod natura infra abſcondit. Verumenim verò Mercatores totam carnem animalis cum ſanguine commixtam contundunt, & pappos: (ita ſacculos, ex pelle piloſa ejus vocant, quaſi forent teſticuli ipſius) & hoc quoque verum Almiſcar eſt, licet ſit non adeo perfectum ſicut prius.* Hunc tamen conficiendi modum in dubium vocat ſupra jam citatus *Laur. Catelanus*, ſemen & teſticulos planè excludens, talibus inprimis argumentis inductus: tum quod certiſſimum ſit, nullos reperiri conductus neceſſarios, ab hiſce veſiculis ad membrum genitale tranſeant, nullaque cum vaſis ſpermaticis demonſtrari poſſit communio; tum quia veſiculæ illæ utrique ſexui iſtorum animalium ventri ſint adpoſitæ, cum econtra in omni animantium genere teſticulos femineos in corpore abſcondi ſit compertum. Et quamvis ipſe quoque Moſchum præſtantiſſimum & genuinum teſticulorum ut productum vel ſubſtantiam neutiquam conſiderare, aut folliculum Moſchi utriculum genitalem, teſtes ſub ſcroti nomine involventem, ſtatuere velim, incertum tamen eſt, annon aliqua folliculis illis cum membro genitali vel ſpermaticis vaſis communio intercedat; neque id facilè *Catelano* crediderim, qui iſta nobis, non oculari ex inſpectione, obtrudere auſus fuerat, ſed unicè ex ingenii ſui libertate effinxerat, promtiorem adſenſum inventurus, ſi per conjecturæ modum id nobis ſaltem propoſuiſſet.

Aſt nihilominus ipſorum etiam teſticulorum ſubſtantiam, ſi non ſeparatim, (de quo multùm dubito) ſaltim aliis partibus mixtam conficiendo Moſcho fortaſſe inſervire, non negabo, dum, quod tot oculati etiam teſtes fatentur, integrum quoque animal in Moſchum convertitur.

Ipſe quidem folliculus burſæ ſive involucri teſticularis formam obiter intuentibus facilè repræſentare poteſt. Unde etiam ex vulgi opinione errorem hunc propullâſſe, *Catelano* promtiùs conceſſerim. Quam ipſam rotundam & teſtibus æmulam figuram *Leonhard Fuchſius* libro primo de comp. Medica. cap. 26. noſſe ſtatuit, qui Moſchum adulterant, ſubjungens: *Nam in teſticuli formam effingunt, & pelle animantis involvunt, ac teſticulum Moſchi appellant.* Quod pariter *Joh. Hugo à Lindſchotten* in Itin. Orient. monuerat.

Atque hæc ſimilitudo dubio procul quosdam permoverat, ut animal hoc odoriferum teſticulos ſibimetipſi amputare crediderint; qua de caſtratione *Salmuthum*, ex prædicto *Lindſchottano*, audire placet: *Animal ipſum naturali inſtinctu, cùm pretium teſticulorum ſuorum intelligat, de fuga aliàs deſperans, eodem dentibus ac morſu avellit, & in lytron veluti libertatis abjicit; ita occupato collectione teſticulorum venatore, necem aliquando evadit, quod ipſum & de fibro ſive caſtore proditum accepimus, quem urgentibus venatoribus & canibus, ſibi ipſi partes genitales amputare, gnarum, ſe propter ipſos peti, cum Græci; tum Latini prodiderunt.* Sicuti autem quæ de Caſtore vulgò circumferuntur, præter antiquiores illos, *Dioſcoridem* libro ſecundo, cap. 23. *Plinium* Hiſt. nat. libr. 32. cap. tertio, ipſis etiam Venatoribus fabuloſa hodie admodum habentur, à plurimis jam præclariſſimæ famæ Viris falſitatis convicta, & præſertim ab Exc. *D. D. Joh. Jac. Wepfero*, cùm anatomen aliquot Caſtorum in Anno II. Ephem. Germ. Cur. obſerv. 231. doctiſſime, ut omnia ſua, exponeret, manifeſtiſſimè explicata, ita & quilibet non vanè credulus, quæ de moſchiferi animalis effera iſta & ſtolida audacia referuntur, eodem titulo dignabitur. Neque feles ſilveſtres aut marinas, ut vocantur, ſimiaſque mihi quis objiciat, libidinoſa animalia, quæ petulantiæ ſuæ modum finemque neſcientia, vel indignè captivitates ſuas continuas ferentia, vel denique fame immodicâ allecta, genitalia ſibi ipſis & caudas amputâſſe ac devorâſſe, aliquando obſervatum fuit. Si enim unquam in animali noſtro ſimilis in proprium corpus ſævitia fuiſſet deprehenſa, quod tamen permagnâ adhuc indiget confirmatione, quis indè naturalem inſtinctum ad talem perpetrandam lanienam, vel tantum intellectum & prudentiam bruto iſti tribuere valeat, ita ut teſtium ſuorum pretioſam naturam, quæ tanta revera non eſt, (niſi quatenus generationi inſerviendo, multiplicationi etiam odoratorum iſtorum animalium inſerviunt) intelligere, reliquæ autem partes quòd non adeo expetantur, noſſe, dicendum ſit? Mihi ſanè, cum *Salmutho*, ex invidia Caſtorem id facere, contra alios negante, paucis mutatis verbis fabulam hanc claudere lubet, &, homines è propria ſua opinione ſcientiam & prudentiam brutis iſtis quod adſcripſerint, dicere. Unde enim brutis animalibus tanta ſcientia, quam homines non ſine experientia & ratiocinatione addiſcerent?

Unde pariter nunc illorum ſimilis vana patet traditio, qui de alio aliquo animali, in Sinarum regno, ac novo Mexico inveniendo, narrant, teſticulis id oneratum eſſe adeo enormibus, ut ſuſpenſos minimè gerere, ſed terram contingentes trahere cogatur, & qui æquali cum toto reliquo corpore ſint pondere, quibus oppreſſum, cùm à canibus agitatur atque evadere non poteſt, ipſoſmet dentibus mordicus detruncet & liberrimè poſtea aufugiat, ipſis his teſticulis à Venatoribus dein collectis ac contuſis optimum Moſchum præbentibus, recenſente ita apud Cl. *Joh. Fabrum*, Lynceum, Comment. in Nard. Anton. Recchi Hiſt. nat. Mexic. pag. 559. *F. Gregorii de Bolivar.* Quod tamen ipſe cùm nunquam viderit, quidquam certi propterea de eo adferre aut affirmare minimè potuit, voluitve Nec certè credulus adeo & ego eſſe velim, ut tam enormiter teſtatum animalculum reperiri, mihi perſuaderi patiar, præſertim quia in nullo probato de Regnis iſtis Scriptore (quot quidem evolvere mihi licuit,) ejuſdem mentionem factam recordor, quod ob raritatem aliàs vix intermiſiſſent.

De Moſcho, ex toto Animali producto.

Nihil denique in hoc Animali eſſe inutile, & quod non in Moſchum convertatur, multorum conſtat teſtimoniis. Quod conſiderans *P. Philippus Marinus* in hiſtor. ſua de Tunchino, nullam ejus partem projici, & pluris valere animal mortuum, quàm vivum, dicere conſueviſſe iſtarum regionum incolas, perhibet.

Unde non tantùm ex apoſtemate ſic credito, ſive folliculo provenire, ſed omnem animalis iſtius carnem, & excrementum dici Moſchum, *Iſidorus* atque *Albertus* prodiderunt.

Joh. Mendoza libro. primo cap. quarto deſcriptionis regni Sinici, (à *Joh. Kellnero* in Linguam Germanicam converſæ, & Francofurti A. 1589. editæ, Anno autem 1597. Lipſiæ quoque ſub *Matthai Dreſſeri* nomine publicatæ,) ſive *Benedictus Goës*, uti in deſcriptione Navigationis in Indiam Orient. parte duodecima horum Autor vocatur, Moſchum ex Animalibus vulpecularum formam habentibus præparari narrat, quorum verberibus enecatorum, obturatis priùs omnibus meatibus, per quos ſanguinis fieri poſſet effluxus, corpora tam diu percutiuntur & contunduntur, uſque dum oſſa cute tecta comminuantur omnia, tandem poſt exſiccationem in fruſta cum cute conciduntur, & in folliculos efformantur, Luſitanis Pappos dictos.

Eadem ex *Petro Jarrico* recitat *Joh. Euſeb. Nierembergius* libro nono Hiſt. natur. cap. 56. addiduis virgarum fuſtiumque verberibus enecari animal, tradens, ut toto ſanguis fundatur corpore, cadaver autem putridum & jam aridum fruſtatim, non detractâ pelle, diſcindi, ſacculoſque indè prædictos parari.

Joh. Petr. Maffeius Hiſt. Indic. lib. 6. pag. 142. Moſchum è feris quibuſdam vulpecularum effigie, crebro verbere enectis, dein putrefactis, parari docuit.

Non minùs *Odoardus Barboſa*, Luſitanus, in Summar. regnor. ac popul. Orient. Moſchum etiam ex animali capræ ſimili confici perhibet, cujus excoriati caro cum ſanguine contuſa in veſicas ex ejus pelle efformatas reponatur, quod etiam ipſa Moſchi maſſa innuat, in qua oſſa contuſa reperiantur, communem illam de apoſtemate aliquo relationem falſam oſtendentia.

Et *P. Mich. Boym*, Mercatores totam carnem animalis cum ſanguine ejuſdem commixtam contundere, & ſacculos cum pelle ejus piloſa exin parare, l. c. teſtatur.

Similia habet *Joh. Hugo à Lindſchotten*, cui ſuam quoque hiſtoriam debet *Henr. Salmuth.* l. c. monumentorum nempe Hiſtoricorum regni Chinenſis ſe fidem ſecutum innuens, & hunc in modum ſcribens: *Beſtiolæ ibi ſunt vulpeculæ aut catellorum magnitudine atque imagine. Hæ ad necem verberatæ ac plagis mollitæ cum carne pariter & ſanguine putreſcunt; tum ex pelle, carne & ſanguine incolæ rotundas unciales que pilas ſive crumenulas conficiunt, quæ filis undique conſuta venduntur.*

Et *Hieron. Cardanus* libro. decimo de ſubtil. pag. 574. Moſchum, qui ad nos defertur, totam eſſe carnem cum oſſibus contuſam, & vetuſtioribus veſicis impoſitam, id quod paſſim in noſtro Moſcho parva oſſium fruſta indicare, ſubjungit.

Similem, paulò tamen mutatam hiſtoriam *Amatus Luſitanus* ſuo in Dioſcor. libro. primo Commentario, text. 20. inſeruit his verbis: *Animaculum hoc, vivum cum eſt, virgis primo flagellatum neci traditur, à quo detractâ pelle & interaneis demtis, univerſam carnem à verberibus lividam cum oſſibus contundunt pinſuntque, quæ quum optimè eſt piſta, manu tractatur, ut ſiqua durtuſcula in illa fuerint oſſicula, reficiantur. Hanc ergo carnem ſic optimè piſtam, manu in globos quoſdam redigunt, & fruſto pellis ab eodem animali excoriatæ obvolvunt.*

P. Philippus Marinus, cujus verba Italico Idiomate exarata *P. Athanaſius Kircherus* Chinæ ſuæ illuſtratæ, cap. ſeptimo inſeruit, quatuor Moſchi generum, bonitate inter ſe differentium, l. c. mentionem facit; 1. Capto animali totum ſanguinem, ſeorſim adſervandum, extrahi, veſiculam ſub umbilico ſitam, ſanguine vel alio odorato humore coagulato plenam adimi, poſteaque pellem detrahi, ſcribens. Quod ſi Moſchum, eodem referente, ſummè perfectum deſiderant, dimidium animalis, inferiora nempe è renibus (*la metà dell' animale, cioè dalle reni in giù*) in magno lapideo mortario optimè contundunt, ſuperinfundentes tantum ſanguinis, quantum ad effingendam maſſam requiritur; quâ ſiccatâ ſacculos ex ejuſdem pelle factos implent. 2. Si verò Moſchum non adeo perfectum, bonum tamen & ſincerum voluerint, omnes animalis partes conquaſſant, & cum ſanguine in maſſam redactas exſiccant, in veſiculas dein pariter reponendam. 3. Aliud porrò genus non adeo purum, bonum tamen & verum ex partibus ſuperioribus, à prioris illius electiſſimi elaboratione relictis, conficiunt. De quarto genere, compoſito utpore & adulterino, nil attinet hîc quidquam dicere.

Tandem audiri meretur apud *Joh. Fabrum* Comm. in Recchi Hiſtor. natur. Mexic. in Schol. ad cap. de Zibeth. animal Americ. pag. 557. & 558. *F. Gregorius de Bolivar*, Hiſpanus Placentinus, ordinis S. Franciſci, curioſus rerum naturalium indagator, atque Orientis & Occidentis Solis Regnorum perluſtrator, qui ſuam de Moſcho ſententiam Hiſpanico idiomate hunc in ſenſum Fabro communicaverat: Hæc « certè conficiendi moſchi veriſſimaeſt Hiſtoria,quam « oculis meis ut vidi, ita ſæpè experientiâ confir- « mata fuit, &c. His artibus autem ab illis, qui mo- « ſchi mercaturam exercent, hæc animalia capiuntur: « circumdant loca, in quibus dimorari eadem no- « runt, vel igne, vel retibus ac canibus, atque in ſub- « terranea loca profugere compellunt, quæ poſtea « ſubfodiendo, vel aliâ induſtriâ extrahunt, in tanto « ſæpius numero, ut ad trecenta etiam capiantur. « Hæc ſubito jugulant, ſanguinem qui in ipſis maxi- « mè abundat, in vaſe aliquo mundo (Porcellan. m « vocant) colligentes. Tanta autem, quod mirum « eſt, ſanguinis copia in quovis horum animalculo « invenitur, ut ſæpenumero, quando extractus fuit « ac concrevit, videatur totius reliqui corporis mo- « lem ſuperare. Poſthæc pelles ipſis abſtrahunt, exen- « terant, & ab omni illuvie inteſtina emundant. « Quamvis aliqui, ut majorem moſchi quantitatem « nanciſcantur, impura cum puris relinquant. Qui « verò priore modo procedunt, cum ſanguine melio- « rem & teneriorem armorum ac coxarum muſculo- « ſam carnem, cor ac epar ſimul, in lapideo mor- « tario unam in maſſam contundunt, ex qua « folliculos, ſive ex pelle horum, ſive aliorum « animalium paratos inferciunt, loco umbroſo « ſuſpendunt, ſiccantque. Et ubi jam ſemiaridi « fuerint, ſub terra defodiunt, omninoque in « umbra exiccari permittunt. Et hic eſt præſtantiſſi- « mus moſchus, qui pro Rege ac Principibus ſaltem « conficitur. Sed ille, qui communiter circumfertur « moſchus, craſſiore Minervâ elaboratur. Contun- « ditur enim totum ſimul animal cum omnibus « ſuis

„ ſuis partibus, oſſibus, inteſtinis, & pellis quoque
„ portione donec ad maſſam tenerrimam redigatur,
„ ex qua utriculi illi ex ejuſdem animalis pelle confe-
„ cti implentur, & inteſtini aliquâ parte obvolvun-
„ tur, pauliſper ſiccantur, loco ubi urina effunditur,
„ ſub terra per paucos dies reconduntur, & denuo in
„ umbra ſuſpenſi exiccantur.

Huic F. *Gregorio Rochus Ezechiel Bauthſchner* jungendus, qui in Luſitania talem conficiendi modum uſitatum enarraverat, quem cùm liber iſte non omnium ſit in manibus, verbotenus quoque ex *Fabro* volui exſcribere: Laquei ac pedicæ ex filo æneo paran-
„ tur, & cuniculorum modo illaqueata capiuntur.
„ Horum ſanguinem Venatores extrahunt, carnes
„ ſeparant, & loco perflabili, ubi nec Sol, nec
„ humiditas dominantur, reſiccant. Aves deinde
„ capiunt quasdam, ab ipſis Aquilas vocatas,
„ Aquilæ tamen minimè ſunt, ſed Accipitribus
„ noſtris formâ ſimiles quidem, mole verò du-
„ plo majores. Harum itidem carnes ac ſanguinem
„ reponunt ſiccantque & ad Aprilis menſem
„ uſque reſervant, quo tempore viret, vigetque
„ maximè herba quædam, ab Incolis Pico de
„ Grulla dicta, hanc quoque tunc demetunt.
„ Eſt autem planta hæc tam fragrantis moſchati
„ odoris, ut certè affirmare poſſim, me lon-
„ ginquis è locis eandem creſcentem olfeciſſe,
„ evulſiſſe non rarò, & pro mea recreatione in
„ itinere mecum detuliſſe; Ab hac planta odo-
„ rifero plena humore determinatam quandam
„ ſucci quantitatem exprimunt, & cum prædi-
„ ctis carnibus ac ſanguine commiſcent, in mar-
„ moreo tundunt mortario, & reliquam, ut me-
„ moraverat F. Gregorius, ad unguem adhi-
„ bent operam. Tum in loco, in quo ſæpe uri-
„ na evertitur, benè involutam paſtam ſepeliunt;
„ vel utriculorum aliquot horum in vaſe illo,
„ σκαφίον vocant Græci, in quo (ſit auribus honor)
„ humanorum tam ſiccorum, quàm liquidorum col-
„ luvies recipitur excrementorum, ſuſpenduntur, ad
„ tres quatuorve dies detinentur. Exemptos in-
„ de & in umbroſo cubiculo benè ſiccatos ex-
„ ternis mercatoribus divendunt. &c. Moſchi qui-
„ dem opificium ipſe ego non vidi; animalia ta-
„ men & plantam moſchatam ſæpius vidi. Reli-
„ qua curioſitatis gratia ab Incolis dicidi, quibus
„ fidem denegare piaculum duxi. De quo tamen
„ inferiùs, CAP. XI. judicium meum pro-
„ feram.

Diverſum ab his omnibus Moſchum deſcribit *Pantoja*, referente *P. Petro Jarrico* lib. 2. Theſaur. rer. Indic. cap. 17. è ventriculo animalis cujuſdam feri, quod fele paulò grandius, educi Moſchum credens, nec in China ipſum, ſed in regione proxima reperiri. Ubi tamen Cibettam intelligi debere, *Jarricus* ſuſpicatur, vel credendum, nobiliorem ac pretioſiorem Moſchum ventriculo alvoque educi. Quæ quidem cuncta, ut incertiſſima, recenſuiſſe ſufficerent. Per ventriculum attamen utriculum moſchatum vel Zibethicum etiam innuere potuit *Pantoja*. *Gemara* tamen tract. Berachoth fol. 43. cap. 1. Moſchum ſimiliter ſtercus eſſe perhibet. Aliàs Moſchum nobiliorem ex ventriculo alvoque educi, non facilè conſentirem, nec quiſquam alius fide dignus ſimile quid unquam ſcripſerat. Licet & dictarum partium contenta, inprimis verò ſcybala fermento iſto odorifero bilioſo quoque imbui, faciliùs conceſſerim.

Aſt dum *Rabbi Abraham Ben Eſra* comm. in Exod. cap. 30. verſ. 23. Moſchum è guttere colligi ſcribit, conſenſum à me haud difficulter impetraret, ſi per guttur folliculis ille umbilicalis intelligi poſſet, vel, quod paulò credibilius, ſanguis ex jugulato, eo fortaſſis in loco, animali extractus, atque ad Moſchi confectionem, qualem ex. gr. Scaliger exponit, collectus innueretur. Modò non omnis illa, aliena ex relatione à *Ben Eſra* hauſta traditio ſit fictitia.

Reliquis in præcedenti diſcurſu expoſitis relationibus (quas omnes teſtimonio, ſi vera ſint, quæ narrantur, oculari vel ſaltem aurito innixas, licet in plurimis idem proponant, ſpeciatim cum L. B venia adducere volui, cùm in multis etiam varient, plures modò, modò pauciores, quin & diſcrepantes in præparatione ἐγχειρήσεις proferentes,) etiamſi veritatem ſubeſſe aliquam inficias ire nolim, ſubinde tamen fabuloſa aliqua conjungi, nullus dubito; quæ cuncta tamen eruere, mearum non eſt virium. Hoc ſaltem, ne vanè id ſcripſiſſe videar, monendum, neutiquam capere me poſſe, quâ ratione animalculorum iſtorum oſſa, integrâ permanente cute, in mortario comminui ita poſſint, ut mollioſem iſtam, quæ in Moſcho obſervatur, conſiſtentiam induant, cùm à violenta ejuſmodi contuſione cutis, inprimis dum nativo adhuc turget humore, non poſſit non fatiſcere, dicerpi, & grandes experiri rupturas. Et meatus etiam, per quos ſanguis emanare poſſet, fruſtra obturari, eſt credibile, præſertim ſi maximâ, uti illa *F. Gregorio* memorata, animalia ſanguinis copiâ abundarent. Nec intelligo, quomodo contuſi animalis è pelle, à reliquis partibus non ſeparatâ, ſed exſiccata, ſacculi parari queant, quibus moſchata illa ſubſtantia includatur, cum hæc illius quantitatem longè excedat. Quin & nonnullorum hiſtorias ex aliis ſupplendas neceſſario eſſe autumo: veluti in Mendoziana corporis contuſioni exſiccationique putrefactio addenda, niſi eandem illo ipſo tempore, quo exſiccationi exponitur, ſufficienter ſuccedere, debeat ſupponi. Sed hæc & ſimilia urgere prolixius ſuperſedeo, quæ nempe accuratiorem & multiplicem obſervationem in ipſis locis, ubi talia concinnantur odoramenta, requirunt.

Ἐπίκρισις *Antecedentium.*

Tot itaque cum ſint de Moſchi ortu opiniones, multis è ſe invicem paraſangis diſtantes, cuinam adhibere fidem præſtet, ſuſpenſum meritò reddere aliquem poſſent, præſertim cum plurimi oculorum fide nitantur, vel ſaltem niti eâ videri velint, quibus ſanè abſque ſufficienti cauſa eandem denegare, magna foret temeritas.

Hoc certum eſt, ab eo tempore quo innoteſcere Moſchus ceperat, plurima ſemper genera fuiſſe agnita.

Duorum meminit *Serapio*, è ſanguine ſponte ab animali ex folliculo depoſiti, alterius autem vi hominum erepti.

Hieron. Cardanus, atque cum eo *P. Caſp. Schottus* in Phyſ. curioſ. & apoſtema, & totius animalis cum oſſibus contuſionem admittunt.

Andr. Libavius part. 3. ſingular. lib. 4. cap 5. tertium genus addit, nempe teſticularem Moſchum, quas tres ſententias mutuò ſe non evertere arbitratur.

Clar. *Adam. Olearius* in not. ad Itinerar. *D. Joh. Alb. à Mandelslo*, poſtquam *Ruellii*, vel à quibus eam hauſit, *Serapionis*, *Sethique*, *Scaligeri* item & *Boymii* relationes expoſuiſſet; Scriptorum horum opiniones omnes, à Mandelsloana non admodum diſtantes veras eſſe poſſe, prudenter concludit, cum in unum animal Moſchiferum omnes illi præparandi modi cadere, proque diverſitate locorum diverſi etiam modi attendi queant, ita ut unus hunc,

hunc, alium alius obſervaverit. Confer. Nob. *D. Dan. Ludovici* diſcurſus, Anno IX. Ephem. Germ. Curioſ. obſerv. 38. inſertus.

Mihi ſanè, ſimili fundamento inſiſtenti, unicum quidem eſſe veri Moſchi genus, intrepidè adfirmare libet, illud nempe, quod ex folliculo depromitur, alterum tamen illud, quod ex ſanguine, carne, vel toto denique animali, eoque non unius, ſed duplicis ſpeciei & differentiæ elaboratur, pariter dari, tot teſtibus coactus, non pernego. Aſt nihilominus alterum hoc, non quidem omnino fictitium, ſecundarium tamen, & bonitatem ſi ſpectemus, longè inferius proclamare interea ſuſtineo, uſque dum meliora aliquando edoctus fuero.

Et follicularem quidem illum ipſa quotidiana ocularis inſpectio, in ipſa noſtra Europa, & in ſpecie quoque Germania, extra omnem dubitationis aleam, contra quoſcunque aliter ſentientes, vindicat.

Tot enim quotannis ad nos deferuntur genuini folliculi, quos è falſorum numero tum ſingularis conformatio protinus eximit, tum & Moſchi in eis præſentia, quem juxta cum odore præcellenti, integra ex omni parte cutanea iſta ſubſtantia, nullo foramine aut ſciſſurâ prædita, naturalem, & vivo adhuc in animali ſenſim ibi collectum, non autem artificio aliquo confectum eique intruſum, oſtendit.

Reperiri autem in animali quodam tales folliculos, *Braſavolus* & *Cardanus*, oculati teſtes, præter alios, perhibent. Quin & ipſe Anno 1675. tres ſimilis animalis Noribergâ ad nos delatas exuvias vidi, ſingulas utriculo iſto inſtructas; quorum unum dein à poſſeſſore, *Dn. Johanne Biermanno*, Pharmacopœo noſtrate ſolertiſſimo, me præſente, apertum, Moſchum continuiſſe fragrantiſſimum, recordor. Sic & Heerfordiana animalis moſchiferi pellis, à Nob. *D. D. Segero* in Anno VI. Ephem. Germ. Curioſ. obſerv. 128. expoſita; Ludolphiana, quam Francofurti Ill. Dn. *Jobus Ludolfus* ſervat, à Celeberr. *D. D. Georg. Wolffg. Wedelio* primò per literas mihi indicata, & poſtea uberius ab amiciſſ. *D. D. Sebaſtiano Scheffero* expoſita; Stoberliniana, quam Noribergæ *Dn. Joh. Leonh. Stoberlinum* Pharmacopœum peritiſſimum poſſidere, maximus Fautor meus *D. D. Joh. Volckamerus*, additâ ejuſdem icone, nuper mihi notum fecerat; nec non illa à Nob. *D. Joh. Bapt. Tavernier* part. 2. Itinerar ſui lib. 2. cap. 24. memorata & Pariſios delata, omnes, inquam, pelles iſtæ tuberculo, folliculo vel veſicâ moſchiferâ fuerunt inſtructæ. Quem ideo Moſchum fruſtra explodere, & tanquam merum figmentum proclamare nonnulli auſi fuerunt.

Et hac certitudine antiquiſſimâ innixi jam dudum aliqui, alterum illum modum, qui ex carne &c. animalis contuſa parari Moſchum monſtrat, omnino rejecerunt. Quo intuitu conſimilem iſtum *Amati Luſitani* proceſſum non legitimum Moſchum, ſed admodum adulteratum ſuppeditare, *Fuchſius* l. c. objicit. *Chioccus* tamen, explodendam omnino atque exſibilandam *Amati* ſententiam dum vocat, quamque conjecturâ capitis ſui ductus protulerit, minùs audiri meretur, cujus ideo Amati patrocinium laudatus *Faber* non immeritò ſuſcipit, pag. 560. cùm plurium ἀυλοψίᾳ eundem propugnet. Licet & ipſe acriori ſuâ in *Serapionem* & reliquos cenſurâ aliorum indignationem haud injuſtè ſibi contraxerit, dum reverâ iſta de folliculis &c. omnia falſa & mendaciorum plena eſſe, nimis concitato calamo coargueret.

Inſtat quidem *Gabr. Gallopius* lib. 1. in Dioſcor. cap. 24. ideo carnes maceratas & putreſcentes Moſchum haud eſſe, quia carneas non habeat fibras. Cui tamen idem *Faber* ſatisfacere videtur, dum Unguentarios & Chirothecarios Romanos certiſſimò ſibi fuiſſe adteſtatos, monet, ſe, dum in aquis odoriferis illum ſolvunt, filamenta ſæpius reperire, ac veluti nervoſa & carnoſa quædam corpuſcula, pelliculas quoque, quæ ubi diutius aquâ fuerint maceratæ, aliarum etiam membranarum inſtar, intumeſcant. Si jam *Falopius* in Moſcho genuino ex folliculo deſumto fecerit experimenta, facilè carnoſarum fibrarum abſentiam eidem concedemus, quas ſanè, in alium non admodum diligenti contuſione diſcerpto ex animali paratum ſi incidiſſet, faciliùs quoque inveniſſet. Modò Unguentarii & Chirothecarii ille Romani, minùs curioſi harum rerum obſervatores, *Fabro* non impoſuerint, aut piloſas ac membraneas Moſcho folliculario ſæpe aut ſemper conjunctas particulas, pro nervoſis & carnoſis corpuſculis vendit averint.

Singulari autem in tumore Moſchum non colligi, contra *Fuchſium* diſputat *Faber*, erroneâ eum opinione duci exiſtimans, cùm animal moſchiferum, Capreolum æmulans, tam rarum ſit & peregrinum, ut ex uno atque altero tumore tanta quantitas Moſchi eximi nequeat, quæ cunctæ Europæ, Aſiæ, Africæ & Americæ ſufficiat; in ſolo autem Peruano regno plus Moſchi in cibis, potu, dulciariis, veſtibus, aliiſque conſumatur, quàm in Europa univerſa, & ex China lociſque vicinis, ubi paratur, quotannis mille Arrobæ, h. e. viginti quinque librarum millia vehantur, ac per varias Orbis partes diſtrahantur. *Tantam autem Moſchi copiam, addens, quomodo vix nomine etiam nota beſtia nobis ſubminiſtrabit?* Quæ equidem ſimpliciter abſque ullo diſcrimine non impugnabo, ita ut haud coactus credam, tantam quotannis Moſchi quantitatem ex China lociſque vicinis exportari, eumque portò ex unico animalis tumore, qui nec duas interdum drachmas concrementi odorati largitur, non deſumi, interea tamen, nullum omnino Moſchum ex folliculo aliquo depromi, nequaquam indè ſequitur. Quam videlicet omneſque alias dubitationes ſola Moſchum parandi diverſitas promtè ſolvet atque diſcutiet. Ignotam cæteroquin adeo eſſe nobis beſtiam illam, nemo ampliùs hac ætate facilè conſentiet, multò minùs maximæ quantitatis Moſchi collectionem adeo incredibilem reputabit, ſi regni Sinici & vicinorum tot aliorum amplitudinem, nec non Animalium moſchiferorum in eis multitudinem, plurium, uti *Mandelsloi*, *Tavernierii*, *Martinii*, *Mendozæ*, *Maffeji*, & *Pauli Veneti*, teſtimonio fundatam conſideraverit.

Mihi tamen adfirmare ſanctè licet, omnes bonæ notæ Moſchi ſpecies, quas hactenus videre contigit, (contigit autem conſpicere plurimas,) non alias, quàm eandem cum folliculria fuiſſe, cui utpote exactiſſimè reſponderunt, ita ut, niſi tot occulatorum teſtimonia, non facilè falſitatis incuſanda, obſtitiſſent, promtiſſimè in eam deſcendiſſem ſententiam, omnem reliquum eſſe fictitium.

De Genere Moſchi conſtituendo.

Moſchum ſimplicibus medicamentis adnumerant Arabes. Præter alios teſtem cito Principem

Ebn Sinam, vulgò *Avicennam* dictum, Canon. medic. lib. 2. tract. 2. cap. 13.

Neque alium ei quiſquam locum adſignare huc uſque auſus fuit, vel compoſitis adnumerare, maximè ſi ſtrictè vocem medicamenti compoſiti quis accipiat, quidquid ſcilicet ex duobus, tribus, aut pluribus diverſarum ſpecierum ingredientibus artificioſâ methodo, & ſub certa forma invicem permixtis, eſt compoſitum, ad differentiam puta ſimplicium non ita præparatorum, ſed ſibi ſolis relictorum, quæ nempe non niſi impropriè, ſi heterogeneas eorum à natura acceptas partes quis conſiderare voluerit, compoſita adpellitari conſuevere.

Conveniunt etiam in hoc, quod animalium claſſi inferendum ſtatuant. Nec obſtat, quod *Ariſtoteles* in Problemat. ſolam Pardalin, ſive Pantheram inter animalia benè olere ſcripſerit, (cujus odoræ ſuavitatis etiam *Ælianus*, *Solinus* & *Plinius* meminerunt,) ideoque Moſchum ab animali aliquo ortum minimè trahere, ſuſpicari quis poſſet, à Panthera natales ejuſdem nemo hactenus deduxerit. Aut enim aliarum beſtiarum tantùm reſpectu, non hominum, fragrantiæ illius ſenſum eſſe intelligendum, cum *Joh. Fabro* expoſit. in N. R. Recchum pag. 541. dicemus; aut, quod utique verum eſt, moſchifera & Zibethica animalia Antiquis iſtis fuiſſe incognita, aut, quo magis inclino, merum eſſe figmentum iſtam odoris à pardali exhalationem, potius reſpondebimus.

Multò minus obſtat, quod odoris excellentiam attendentes aliqui, in diverſam ab Animalibus claſſem reponant. Veluti in *Taxa medicamentorum offinalium Wittebergenſium* cap. ſexto. ſub titulo Odoratorum & pretioſorum ſimplicium, juxta cum Ambra & Zibetho legitur. Libera enim hîc cuique, pro varia intentione, eſt poteſtas, nec coordinatio ejuſmodi alteri illi adeo repugnat.

Attamen in Clar. *D. Joh. Tilemanni* libello de mater. med. ſect. ſecunda ubi de Pectus calefacientibus agitur, Reſinas inter, nec non Cor & Caput calefacientia ubi recenſentur, inter Marina, minus adcuratè, ſive Amanuenſis, ſive Typographi, aut cujuſcunque demum hallucinatione contigerit, collocatur, cum neque reſinoſam habeat ſubſtantiam, neque maris aliquod productum exſiſtat. Licet dein, Alexipharmaca & ſemen augentia dum enumerantur, Animalium in ordine rectiùs memoratus fuerit.

An verò integrorum animalium, an partium eorundum, an productorum ab illis, an denique excrementorum catalogo inſcribi debeat, quæri poſſet? Ubi, diſtinctione factâ, ut carnem, ut ſanguinem conſideratum, animalium partibus jungi: ut humorem in folliculo collectum, ad productorum vel etiam excrementorum cenſum rectiſſimè poſſe reduci, regero.

Quod ſi tamen recenſita genera omnia veri quid habuerint, & ita unum aliquod genus omni Moſcho competens placeat conſtituere, *Partem dicere* commodè liceret, lata cujus adpellatio ipſum quoque ſanguinem, & indè enatum productum, vel excrementum nobiliſſimi odoris ſub ſe comprehendit.

An denique Aromatis epitheto dignus haberi queat, paucis videndum? Adfirmant *Jacob Primeroſius* in Arte pharmaceut cap. de humect. *Joh. Renodæus* lib. 2. Inſtitut. pharmaceut. cap. 6. aliique plurimi. Aſt contrarius videtur eſſe *Joh. Manardus* lib. 8. Epiſt. medicinal. 1. amaritudinem adeo à propriè vocatis Aromatibus alienam eſſe decernens, ut, quibus adeſt, quocunque odore præcellant, nomen Aromatis auferant. Aſt ipſum Aromatis vocabulum ſi conſulamus, quod ab ἄρ ſeu ἄρι, particulâ intenſivâ, & idem ac *valdè* denotante, ut & ὄζω, *oleo*, *benè oleo* vel ὀδμή, ὀσμή, *odor*, derivatur, quis Moſcho id nominis denegare poterit? Unde *Henricus Smetius* lib. 9. Miſcell. pag. 467. Aromata res odoraras dici, ſcribens, quæcunque nimirum odorem ſuavem & naribus gratum ſpirant, mox iiſdem Moſchum adnumerat. Vel etiam ab ἄρω, *apto*, ſi deſcendat vox iſta, quod nempe cibos apter, i. e. aptos ad edendum ſuaveſque reddat, hac quoque ratione Moſchus Aroma erit, cujus in cibis condiendis uſum exponere inferius occaſio dabitur. Imo tantum abeſt, ut amarities Aromatibus ſit deneganda, ut etiam Aromatis vox ſimpliciter poſita Myrrham, omnium notitiâ amariſſimam, denotet, vid. *Joh. Ant. Lindani* Select. med. pag. 308. Quod ſi ſaporis ſuavitatem juxta cum odoris grati præcellentia quis ſtrictè exigat, amarum multis eſſe in deliciis & gratiſſimum, recordabitur.

De Animali Moſchifero.

Nunc quale ſit animal, à quo Odoramentum jam explicatum depromitur, inquirendum occurrit.

Non uno autem ſub nomine ab omnibus proponitur; dum modo *Caprea*, *Dorcas*, *Capreolus*, *Gazelus*, *Gazela* vel *Gazella* (quam vocem origine Arabicam explicat *Samuel Bochartus* part. 1. Hieroz. lib. 3. cap. 18.) cum additione etiam: *fera peregrina*, *Orientalis*, *Indica* adpellatur. Nonnunquam ſimpliciter *Moſchius*, uti *Joh. Schrodero* in Pharmacop. *Moſcharia Anton. Fumanello* cap. 4. de peſte, *Moſchus Hieron. Cardano* vocatur, reprehenſo proprerea à *Scaligero* Exerc. 211. de ſubtilit. ſect. 3. *Aldrovando Capra moſchi* audit. Sinis ſub nomine *Xe* venire, cum *P. Martinio Joh. Neuhoſius* in deſcript. regn. Sinic. cap. 16. innuit. *Hiam* ab iiſdem dici, *Adam Olearius* l. c. ex *Boymio* refert. *Kircherus* verò utrumque conjungens, *Xechiam* à Sinis nominari monuit. Quæ tamen præfati *Boymii* ſit opinio, ipſiuſmet verbis indicare lubet: *Litera Sinicè ſcripta Xe, Luſitanis Almiſcar, Latinis Muſchum ſignificat: hoc ſumitur ex animali; quod Sinenſes Hiam vocant: Littera ut ſupra vides,* (vid. TAB. XVI. Fig. 1. in qua lit. *a.* notat *Lo*, i. e. cervum, *b.* *Xe*, cervum moſchatum, *d.* *Hiam* odorem, *c.* autem idem ac *a.* ſive *Lo* denotare autumo.) *ex duabus aliis componitur, nemp. ex Littera Xe, quæ ſupernè eſt, & Littera Hiam, quæ infernè, illa cervum, hæc odorem denotat, quaſi dicas Cervus odoratus* &c. Item: *Porro quod Sinenſes propriè Xe, & Luſitani Almiſcar, atque Latini Moſchum, eſt caro renum* &c. Hinc corruptè ſatis in Centone philoſoph. 6. Muſei Septal. *Rettiam*, typographi fortè &c. negligentiâ, vocari, eluceſcit; Licet reliqua ibidem addita huc optimè quadrent, & quouſque Cervus vocari mereatur, clarè ſatis edoceant: *Cervum immaturum* (*un Cerviotto*, ut habet *Marinus*, cui hæc deberi autumo,) *corporis mole æquat, lupino capite, duos ſub labris terram verſus, dentes longos exerens, plus timoris quàm damni inferentes. Obſcurioribns cervo tectus pilis tarde movetur. Ye Hiam* à *Phil. Marino* in *Kircheri* Chin. illuſtr. vocatur, alienâ tamen culpâ literæ X. facilè Y. ſubſtitui hîc potuit. Ubi celeberrini Sinicæ linguæ Interpretis, *D. Andr. Mulleri* ἐπίκρισιν, nuper benevolè ad me perſcriptam, adnectere conveniet, quâ cervum moſchiferum Mandorinicè *Xe*, noſtrum verò Europæum cervum eâdem linguâ *Lo* adpellari, Hiam quo-

quoque (pro quo alii *Hiung*, *Chiam* ſcribunt,) odorem, non moſchum ſimpliciter, nec cervum illum ſignificare, utrumque autem conjunctum *Xe-hiam*, tam cervum iſtum quàm moſchum denotare, me admonuit.

Iſidorus & *Albertus* qua ratione *Muſquelibet* (quam vocem etiam retinuit *Vincentius Burgundus*, aliis: *Muſquelibus* legentibus) nominent, *Conr. Geſnerus* neſcire ſe profitebatur. Sed à Moſcho, quem Muſcum vulgus adpellare ſolet, ſic adpellâſſe, *Ulyſſ. Aldrovandus* ſuſpicatur, quod equidem uti credibile ſatis eſt, ita plenariam tamen nominis iſtius rationem nondum exhaurit.

Marcus Paulus Venetus lib. 2. de regionibus Orient. cap. 37. & 38. de regione Tebeth & Caniclu verba faciens, inveniri ibi animantia tradit, Moſchum producentia, quæ *Gadderi*, vel, ut aliqui legunt, *Guidderi* vocantur.

Adam. Lonicerus de ſuccis concret. *Zabetion* & *Zibettum* vocari ſcribit. Et Germanorum non pauci, minùs adcuratè qui nomina diſtinguere norunt, aut confuſam tantum Odoramentorum iſtorum ſcientiam habent, felem vel catum Zibethicum vocant. Sic *Martin. Zeilerus* in Itiner. Ital. Florentinum theſaurum deſcribens, inquit: *Man halt darinnen eine groſſe Zibeth oder Biſem Katz; die etwvas groſſers, doch in Geſtalt einer Katzen, mit grellen Augen. Ihr Speiſſ iſt Eyer und rohes Fleiſch, von der alle vier Tag hinten einer Haſelnus groſſ. Biſem genommen vvird.* Non minùs Anglis *Muske Katte*, vel *the muſc goat*. i. e. moſchi felis audit. Et apud *Joh. Langium* liber. primo. Epiſtol. medic. 63. dum *Catoblecta animalia* (vel *Catoblepta*) odorifero Zibethi unguine turgida ponuntur, in margine additur: *Catoblecta Biſemthier.* Prout & in Oriente ipſo moſchum tam de Zibethico animali, quàm de Cervo moſchifero non raro dici, modò laudatus *D. Mullerus* teſtis mihi ſit omni major exceptione. Animalia tamen Moſchum & Zibethum ferentia ſic confundi, facilè cuivis ſponte adpareret, qui utriuſque naturam & diverſitatem conſiderat.

Nonnulli Gazelæ nomen competere ipſi negant, aliique Dorcadem non dici poſſe, contendunt, *Geſnerus* tamen, *hanc*, benè ait, *feram Dorcadem, Capreamve, aut Gazellam Indicam; peregrinam, vel orientalem appelles, aut Dorcadem moſchi, vel ſimpliciter Animal moſchi, parùm intereſt.* Sed Capreoli ſub etymo commodè reponi, adeoque Dorcadem, Capream & Gazelam dici poſſe, ex ſeqq. patefiet.

Si tamen & alterius generis animalia moſchum ſuppeditantia dari conſideremus, in genere de quovis, abſque diſcriminatione hujus vel illius ſpeciei, ſermonem habentes, omnium optimè Animal moſchiferum adpellabimus, quod vocabulum nemini non notum quamlibet ſic dirimere litem valebit.

His ita nunc enodatis, diverſæ Antiquorum atque Recentiorum Autorum & Hiſtoricorum deſcriptiones adducendæ veniunt, ut pleniùs conſtet, qualenam illud ſit animal, quod tam fragranti nos Odoramento in ſui admirationem trahit.

Inprimis verò *Serapio*, ſive *Maſudius* apud eundem, primum denuo locum meretur, qui illud à Capreis figurâ, colore & cornibus non differre, ſed caninis tantum dentibus diſcrepare adſerit. Nam, Interpretum ejus verba ut exhibeam, *habet duos dentes caninos, egredientes ab ore ejus, ſicut egrediuntur ab ore porcorum, & ſunt dentes iſti albi valde & recti, longitudinem unius palmi, aut plus habentes.* Vel, ut idem *Maſudius* apud *Bochartum* habet: *Capreoli muſci ab his noſtris nulla in re differunt, non formâ, non ſpecie, non colore, non cornu. Tantùm eos dentes diſtinguunt, quos habent inſtar dentium elephanti. Nempe ſingulis capreolis duo ſunt dentes ex maxillis prodeuntes, erecti, elati, albi, ad ſpithamæ menſuram plus minus.* Quod & *Damir* apud eundem teſtatur, eſſe nempe moſchi Capreolum nigri coloris (quales pilos etiam *D. Thom. Bartholinus* ſe vidiſſe refert in Act. med. Hafn. Vol. 2. obſerv. 19.) tenuitate crurum & ungularum diviſione noſtratibus ſimilem, niſi quod unuſquiſque illorum duos in inferiore (*ſuperiore* legendum eſt,) maxilla dentes ex ore exſertos habeat, verſus faciem erectos, (*verſus terram protenſos*, rectiùs,) uti apri dentes, intra ſpithamæ longitudinem.

Non diſſimilia apud *Ebn Sinam* in Canon. med. libro ſecundo, tract. ſecundo, cap. decimo tertio inveniuntur, videlicet eſſe Moſchum animalis, capreæ non diſſimilis umbilicum, caninos duos dentes candidos exſertos gerentis, & introrſum reflexos inſtar cornuum.

Et *Elluchaſem Elimithar* (quem nonnulli Indum fuiſſe perhibent, noſter autem *Welſchius* in M. SS. Variar. Lection. liber. ſecunda. cap. 12. nomen omnino confictum aut certè huic ineptè adtributum notat, cùm verus Autor potius ſit *Ebn Giezla*) in Tabulis de tuenda ſanit. ibidem Gazelo ſimile animal illud tradidit.

Græcus etiam *Simeon Sethus* capræ illud ſive dorcadi ſimile ſtatuit.

Nec contrarium *Joh. Terrentius*, ex Cervorum nimirum vel Capreolorum genere eſſe, picturamque ejus ſe in libris, quales Sinicos libros hiſtoriam animalium tradentes Europa noſtra hactenus tantum in votis habuit, impreſſam vidiſſe, quâ ſimilis ſit Dorcadi, ſed ſine cornibus, in Epiſtola ex ipſa Sina ad *Fabrum* perſcripta, referebat.

Accedit & *P. Boymius*, reverâ cervo & tygridi (an ob maculas pelli impreſſas ?) ſimile eſſe pilotumque, ſed coloris æris ſubobſcurè nigri, innuens. Imò *P. Martinius* quoque, teſtis oculatus, quadrupes eſſe, exili cervulo non abſimile, pilo paulò magis nigreſcente, itidem teſtatur.

Cum hiſce conſentiunt *Braſavolus* & *Cardanus*, uterque αὐτόπτης, ideoque fide digniſſimus, quorum hic l. c. talem in modum loquitur: *Moſchi animal mortuum vidi in via Vexillariorum Mediolani, magnitudine, formâ, ac pilo, niſi quod coloris eſt magis glauci, capreolo ſimile eſt, pilus tamen etiam eſt craſſior pilo capreoli: ſupra binos & totidem infra dentes habet, hocque ſolo differt & odore à capreolo, nam pili varietas à regione ortum habere poteſt.* Ille autem, in colore Cervo ſimile ait eſſe, Dorcade aut Capreolo paulò majus, & nonnunquam æquale, in figura quoque Capreolo ſimile, ungues multividos habens ut Capreolus. quod ideo Caprea aut Dorcas peregrina nominari queat, & tale Mercatores Venetiis Illuſtriſſ. Alphonſo Duci Ferrariæ vendere voluiſſe, Moſchum in folliculo habens. Quam datam à *Braſavolo* deſcriptionem *Bernhard. Ceſſennius* libro ſexto de compos. medicam. veriſſimam eſſe profitetur, utpote qui ipſe etiam hujuſmodi animal in horto elegantiſſimo Illuſtriſſ. Ferrariæ Ducis, Herculis Eſthenſis, quem in Pado flumine poſſidebat, (ſive, ut *Braſavolus* loquitur, Padana Inſula, quæ Alcinoi hortos æquat,) ſpectaverat. Unde etiam Excellen. *D. D. Segerus* Animalis moſchiferi delineationem in Ephem. Curioſ. German.

Ann.

Ann. VI. obſerv. 128, daturus, Capream illud appellare ſuſtinuit, quum toto corpore ſuo, ſolis dentibus prominentibus exceptis, Capreæ ſeu Dorcadis noſtratis mediocris magnitudinis figuram referat. Et Clar. Medicus Amſtelodamenſis, Amicus meus honorandus, *D. D. Adolph. Fiſcherus*, An. 1668. d. 17. Jan. in literis Amſtelodamo miſſis ad beatum *D. D. Joh. Theodor. Schenckium*, eo ipſo tempore tale ſe vidiſſe manibuſque tractaſſe animalculum mortuum, quadraginta Imperialibus venale, teſtabatur, Capeolo noſtrati ſatis ſimile, niſi quod longioris parum colli ac longiorum crurum fuerit.

Quæ omnia eſſe veriſſima, quantum quidem ad Capreoli magnitudinem attinet, memet quoque tres iſtæ à me memoratæ Exuviæ certiſſimum reddidere.

Nec ſilentio prætereundus *Jul. Caſ. Scaliger*, laudatus hoc in paſſu à *Chiocco* in Mus. Calceol. pag. 662. Animal illud Gazelæ ſimile album (qualem alias colorem nemo, nec etiam *Barboſa*, cujus hiſtoriam ex India petitam *Scaligerum* fuiſſe ſequutum, ex *Fabro* ſuperiùs monui, indigitavit, & talis ſi aliquando conſpectus fuerit, merito rariores inter referendus foret,) eſſe, ex hiſtoria ab Indis advecta, exerc. 21. de ſubtil. memorans, *cujus ex inferiore mandibula* (rectius: ſuperiore) *æquè dentes utrinque ſinguli exeruntur.* Nec non exercit. 211. §. tertio Gazelam hanc totam Capreoli facie, neque aliud ſane eſſe, quam Capreolum, refert, ſubdens: *Unam Meſſanæ mihi Rhodius oſtendit Eques; ſtrigoſior erat tota quam capreoli noſtrates, curibus exilioribus erectioribus, ipſa magis ſima, dentibus exſertis binis, quales attribuunt Arabes, Serapio & Avicenna: caterùm non tam grandibus, quantos ille ſcribit: ætas fortaſſis adhuc tenera, nondum illos ad eam provexerat magnitudinem, candidi fuere ii, ac paulisper inflexi; Cum id è Sicilia rediens enarraſſem Affinibus noſtris, qui in Syria fuerant, dixerunt mihi, gazellam penitus eſſe figura capræ, non autem capreoli; earum greges ſe vidiſſe multos.* Quibus tamen Adfinibus ſuis neutiquam fidem, merito habuiſſe Eum, inſequentia mox verba evincunt, de ſcribendi periculo, ex aliena fide metuendo, dum *Cardanum* admonet.

Catelanus horum ſententias rejiciens, unicam *Petri Bellonii* admittit, qui Obſervat. libro ſecundo cap. 51. (non decimo quarto & decimo quinta cum in cap. decimo quarto de ave Onocrotalo, ſerpente Jaculo, & Turcicorum militum modeſtia, cap. decimo quinto de navigatione Autoris è Rhodo in Alexandriam, Ægypti urbem, agatur,) Gazellarum ſilveſtrium genus quoddam, quod in arce Cayri viderat, prolixè depingit, haſque ſolas *Catelanus* moſchiferas eſſe exiſtimat. Contra ipſam tamen *Bellonii* mentem, qui moſchatam Capream nec alibi in iſtis Obſervationum libris, nec ibidem deſcribere unquam in animo habuit, unde etiam nullam Moſchi, vel odoris mentionem eum facere deprehendimus. Conſentit *Ul. Aldrovandus*, aliud ibi Capræ genus delineari, admonens. Confert. *Chioccus* in deſcript. Muſc. Calceol. & *Caſp. Hofmannus* Paralip. de medicam. officin. ſect. 3. c. 38.

Nonnulli Animal hoc idem cum Capreolis noſtratibus faciunt, contra quos *Fallopius* l. c. decertat, qui licet ſimile eſſe concedat, differre tamen, vel ex dentibus concludit, quos nempe prominentes inſtar apri vel elephantis habeat, id quod etiam *Joh. Jacob. Manlius de Boſco* Comm. in Lumin. maj. ſect. prima cap. Elect. è gemmis, animadvertit, cum *Avicenna* contra *Serapionem* ſentiens, licet utriuſque illius Arabis relationem non diſſentire, ex ipſo textu ſufficienter conſtet.

Sunt tamen & alii, qui diverſum planè ab hoc jam deſcripto animal nobis exhibent, illudque magnitudine & figurâ vulpem & vulpeculam, aut etiam canem referre volunt, ceu inprimis apud *Maffejum*, *Mendozam*, & *Nierembergium* videre eſt, quorum hic, *Animal*, ait, *eſt vulpis magnitudine, ſilvas incolere ſolitum.* Vulpeculæ autem formam ſeu effigiem nominant *Mendoza* & *Maffejus*. Figurâ & magnitudine parvo cani adſimilari, *Joh. Hugo à Lindſchotten* cap. vigeſimo tertio Itiner Orient. (vid. pars ſecunda de India Orient. à *Joh. Dieterico*, & *Joh. Iſraële de Bry* 1613. Francof. edit.) aut etiam vulpem referre, cap. vigeſimo ſexto (vid. pars quarta dicti libri) ſcribit. Mediocris canis formâ & magnitudine eſſe, *G. Gregorius de Bolivar Fabro* teſtabatur, cujus denuo verba, ut notatu digniora, lubet adducere: Animalcula quædam reperiuntur, quæ in ſilveſtribus locis, ubi Cuniculorum modo terram ſuffodiunt, generantur. Magnitudine & formâ ſuâ mediocrem Canem ex parvorum illo genere æquant. Colore ſunt pardo, ut Hiſpani dicunt, ſive ex obſcuro rubro, ac cinereo mixto, aliqua tamen albis nigriſque maculis ſignantur: pilos raros, diſſitos ac duriuſculos habent. Pedes ipſi ſunt largi, unguibus canis inſtar armati, ſed longioribus acutioribusque quibus facilè ſibi ſpeluncas in terra fabricant. Roſtrum oblongum, caninum, dentibus probè munitum. Aures habent curtas & rotundiuſculas, oculos parvos & minimè alacres, ſimiles illis, qui morti vicini ſunt. Non quidem multùm agilia, ſed vafra admodum ſunt, ubi abſcondendi ſub terra neceſſitas illa urget. Qui omnes ſanè unum idemque nobis animal ſiſtere videntur; quod cum talem in modum circumſcribatur ab iſtis, qui fere omnes in Indiis iſtis Orientalibus dimorati fuerunt, partim etiam animal ipſum à ſe viſum perhibent, quis diverſum à priori, Capreolo ſcilicet, Animal eos innuere amplius dubitare queat? Nec certè eoſdem tam cæcos ac quaſi dementatos fuiſſe, facilè dixerim, ut in animali, Capreolum quam maximè referente, Canis aut Vulpeculæ formam ſibi imaginati fuerint, ideoque de fide eorum, niſi certiora edoctus fuerim, ſcrupulum movere hic neutiquam poſſum.

Ut eapropter cum *Caſp. Schotto* libro octavo Phyſ. cap. vigeſimo ſexto §. ſexto *fortaſſis non unum tantùm animal moſchiferum eſt*, ſcribente, quamvis paulò confidentiùs, non unum ſolum, ſed duplex Animalis moſchiferi eſſe genus, malim concludere.

Ipſos verò Capreolos moſchificos plura in genera dividere nollem, quamvis in colore, aliiſque nonnullis accidentibus varietas ſubinde in eis occurrat. Iſta anim ſpeciem non mutant. *Aldrovandus* quidem contrarium opinatur, cùm *Braſavolus* nullum exſertorum illorum dentium mentionem faciat. Aſt, quæ humani ingenii eſt imbecillitas, in deſcribenda re quapiam occupati, facilè vel notatu digniorum circumſtantiarum oblivíſci poſſumus, quod & *Braſavolo* contigiſſe potuit, Niſi fortè dentes illos animali, quod viderat, ætas, fortuituſve aliquis caſus abſtulerit, aut *Braſavolus* aliis magis intentus ſtudiò omiſerit. Idem ſanè in *Martino* & *Neuhoſio* deprehendimus, quorum uterque de exſertis dentibus ne verbulum profert, cùm

cùm tamen eoſdem figuris, quas exhibent, Animalis iſtius adpingi curaverint.

Utrùm tamen hiſce vel illis adnumerare liceat Animal moſchiferum, quod *parvum & ſubrubri coloris* eſſe, *Gabr. Sionita de monte Libano* ſcribit, quivis per me, quidquid voluerit, credat, parvum quidem dici poteſt utrumque reſpectu habito ad alia majora genera, Oriente non infrequenter occurrentia, ſubrubri etiam coloris pilos non planè denegabimus. Suſpecta tamen fides ejus redditur, quòd Moſchum in Oriente ex Urbe & Diſtrictu Haleppi provenire ſtatuat, id quod nemo alius unquam dixerat, nec etiam veritatis aliquam ſpeciem apud Hiſtoricos inveniet, cùm omnes Moſchus, qui Haleppi venalis exponitur, Sinarum potiùs & Indorum è regionibus illuc tranſportetur.

An autem *Bauthſchneri* relatio, *Fabro* communicata, aliquid certi contineat, oculatiores alii diſpiciant, dum nempe animalcula illa, ex quibus Moſchum in Luſitania confici narrat, paulò majora eſſe perhibet, quàm illa, de quibus ſupra *F. Gregorius* hiſtoriam ſuam pertexuit, figurâ quoque non cani, ſed feli eſſe perſimilia, habitare in locis ſaxoſis plerumque ac ſilvoſis, ubi oleaſtri præſertim & quercus occurrunt, glandes dulciores caſtaneis noſtris, animalibus illis pergratas, ferentes, & neceſſitate, ab abſcondendis illis feris inſervientes. Mihi ſanè illa ſuſpecta admodum ſunt, nec in Luſitania veri Moſchi proventum dari, perſuaſum habeo, ut ideo vel fictitia omnino illa ſint, vel ad Moſchi tantum adulterationem beſtiæ hæ inſerviant. Et licet *Bauthſchnerus* in certis Luſitaniæ deſertis, quæ peragraverat, animalcula talia talia viderit, vel omninò decipi nimis credulus à fabularum conditoribus, vel etiam fictitii Moſchi elaborandi modum edoceri potuit.

Nec tandem *Amatus Luſitanus*, teſtimonio authentico deſtitutus, mihi probatur, qui Animali huic Leporis tantùm magnitudinem adſignat, quem falſè cæteroquin traducit *Franc. Alexander* in Apoll. ſuo Pharm. rad. 1. Cui tamen *M. Paulus Venetus*, qui ipſam Chinam ſive Chatajam adierat, patrocinari videtur, pulchrum id eſſe animal, teſtatur, *catti*, vel, ut alii legunt, *katha habens magnitudinem, & pilos groſſos, ut cervus, pedes quoque ungulatos.* Vitium tamen aliquod hîc ſubeſſe, & *catti* loco, *capreoli* (vel etiam *caprea*) eſſe legendum, autumat *Aldrovandus*. Nec ſanè aliud animal eum indigitare, quàm quod Capreoli nomine ſupra perluſtravimus, tum ipſâ ejus deſcriptio, tum nominata juxta umbilicum veſica ſanguine plena evincit. Liceat & hoc addere, quod libro 2. cap. 9. Animalia Moſchum ferentia, Cervos inter & Capreas media repoſuerit.

Ut autem *Bolivaris*, cæterorumque cum eo facientium Animal, minùs utpote cognitum, nec genuini ſive follicularis moſchi ad nos deferri ſoliti autorem, nemine inſuper hactenus depictum, aut ad vivum delineatum, publicique juris factum tranſiliam, de altero illo, Capreolum referente, id ſaltem jam monere lubet, omnium optimè illud à prælaudato Nob. *D. D. Segero* fuiſſe deſcriptum, cum quo tamen etiam, ſi lubeat, altera à me, Anno VIII. Ephem. Curioſ. German. numero 53. inſerta deſcriptio conferri poteſt, quæ ideo ſpeciatim adducere ſuperſedeo, cùm utiliſſimi illi Ephemeridum Academiæ noſtræ Curioſæ libri omnium ubique Curioſorum in manibus verſentur. Hoc ſaltem innuere pauciſſimis placet, quod, ſi Dorcadem noſtratem, mediocris, majoris, vel etiam minoris magnitudinis ob oculos ponas, cui variegatus, & maculis quaſi conſperſus in cute piloſa ſit color, caput tamen lupinam quodammodo faciem (ſi non in vivo animali, ſaltem in ejus exuviis,) referens, dentes prominentes duo, inque abdomine infra umbilicum parum exſtans protuberantia, eo ipſo videas Animal moſchiferum.

Dentes tamen, cornua, & curſus ejuſdem, antequam ad alia tranſeam, ulteriorem adhuc depoſcunt conſiderationem.

Illos quod attinet, *Serapionem* & *Avicennam* duos caninos extra os prodeuntes ei tribere, ex adductis ſuperiùs eorum verbis liquet, hac tamen cum differentia, quòd *Ebn Sina* eoſdem introrſum reflexos inſtar cornuum, *Serapio* autem, Interpretibus ſi fides haberi queat, rectos eſſe edixerit. Ubi tamen *Ebn Sina* magis crediderim, cùm aliorum teſtimoniis fulciatur, prout ſanè *Segerus*, *Boymius*, *Kircherus*, *Calceolarius*, *Tavernier*, & *Neuhofius* ſuis animalium iconibus incurvos ejuſmodi dentes adpingi curaverant, quales & ipſe in Exuviis omnibus, ſæpius jam è me memoratis deprehendi. Eandem reflexionem Scaliger etiam in viſo à ſe animali notaverat, & *P. Phil. Marinus* hæc profert: *hà due denti longi, come di vecchio Cignale, che li eſcon fuori di ſotto al labro ſuperiore, rivolti all' ingiù verſo terra.* Quamvis, quod in Ludolfiana pelle benè notavit Exc. *D. Schefferus*, tam curvi revera non exſiſtant, ac in Itinerariis communiter lineari ſolent.

Aſt dum *Cardanus*, ultra binos illos ſuperiori è maxilla prodeuntes, totidem etiam infrà habere ſcribit, quod non minùs *Marc. Paulus Venetus* tradidit, quid certi regeram, vix invenio, qui & memoratos, *Segerum*, *Volckamerum*, *Boymium* &c. duorum tantùm cognitionem habuiſſe, nec plures me obſervâſſe, conſidero. Unde differentiam aliquam hîc dari, fortè dicendum foret. Quamvis ſtatuere malim, præconceptam opinionem de eorum cum Aprorum dentibus, quorum à nonnullis quatuor poni conſtat, plus juſtò latiùs extenſa ſimilitudine, duos reliquos, inferioris nempe mandibulæ inconſideratiùs addidiſſe, vel eminentes nonnihil quandoque præ cæteris, non tamen ipſam oris cavitatem egredientes, aliquos dentes decepiſſe eoſdem, quales nempe Clar. etiam *Segerus* obſervavit, & de inferioris maxillæ octo dentibus verba faciens, hunc in modum ſcripſit: *quorum duo medium occupantes locum, reliquis ſunt prominentiores.* *Serapionem* itaque, qui primus porcinis dentibus comparare eos ſuſtinuit, duos verò tantùm adſignavit, ſequi præſtabit. Quos tamen unius palmi longitudinem aut plus habere dum ſcribit, ſcrupulum novum injicit, quem ex ætatis differentia tollere laboravit *Scaliger*. Certè nec *Segero*, nec mihi longiores, quàm duorum pollicum tranſverſorum comparuerunt. Uti verò Natura in dentibus humanis mirè ludit, ſic & in Capreolis iſtis variare poteſt. Vel *Serapionem* unà cum radicibus intra alveolos reconditis conſideraſſe, vel quod credibilius, omnino deceptum fuiſſe, dicamus.

Cæteroquin etiam ab aprugnis, ratione ſitûs, multum differunt; his, ſcil. in Apris, ſuperiora verſus mucrone proſurgentibus, illis verò terram verſus reflexis; quo ipſo jam etiam adparet, quouſque cum elephantinis dentibus, quos adducit cum *Maſudio Fallopius*, conveniant.

Et

Et dentes hi in cauſa eſſe potuerunt, ut Animali huic cornua nonnulli tribuerint, non ſecus ac ipſi Elephanti, piſcique Narhual eminentes extra oris rictum dentes quibuſdam impoſuerunt, ut illum cornutum, hunc verò monocerotem crederent. Dùm nemo aliàs ex illis, quibus Capreolos iſtos fuiſſe viſos certò conſtat, ullam cornuum fecerit mentionem. Imò *Martinius* cornuum omnino expers eſſe, clarè ſatis innuit, & Nob. *Viſſcherus* in literis ſuis Animal, quod Amſtelodami viderat, abſque cornibus fuiſſe, referebat, Exc. quoque *Segerus* & Nob. *Volchamerus* cornua nulla, imò ne quidem eorum veſtigia adfuiſſe, teſtantur, quod pariter & ipſe de Exuviis, quas videre datum fuit, adfirmare poſſum. Et *Joh. Terrentius*, ut paulò ſuperiùs dictum fuit, picturam ejus in libris Sinicis impreſſam Dorcadi quidem adſimilari, ſine cornibus tamen eſſe, conſentit. Unde verò Celeberr. *Welſchius* in Diſſ. ſecunda de Ægagrop. pag. decima tertia Capreolis moſchiferis exiguas ſubulas ſimplicibus ſubulonum radicibus perquam ſimiles eſſe, hauſerit, me latet, qui apud nullum Scriptorum, quos evolvere ſat multos & præcipuos datum fuit, tale quid invenio. *Aldrovandus* quidem, cum ſuam de Quadrup. biſulc. hiſtoriam conſcriberet, jam ante multos annos Bononiæ Gazellam tam marem, quàm femellam, cum ſuo pullo viſam notat, corporis figurâ & capite vulgarem Dorcadem, ſed cornibus vulgarem potiùs Capram, & colore Cervum exprimentem, quarum etiam effigiem adnectit, marem ſine cornibus, femellam autem cornutam faciens: Aſt Dorcadis genus illud fuiſſe verè moſchiferum, ferè dubito, præſertim cùm ipſe dentium prominentium, ut & folliculi nullam, neque in diſcurſu, neque in ſchemate, mentionem fecerit.

Hîc verò ſcrupulum aliquem mihi movet Animal moſchiferum, quod in Horto aulico Friſingæ Bavarorum, hinnuli cervini ſpecie præditum, vidiſſe ſe, *Wolffg. Hoferus* Hercul. medic. libro ſeptimo. cap. ſecundo. refert, (licet *Hofero* non viſum, ſed ex relatione aliorum tantum fuiſſe deſcriptum, Nob. *DN. Andr. Hueberus*, Medicus Ducalis ibidem meritiſſimus ſuſpicetur, nec in horto Epiſcopali aulico, ſed apud *DN. Buecherum*, Eccleſiæ Cathedralis Decanum &c. extitiſſe, qui illud ex Italia acceperat, unà certiorem me reddiderit,) quod A. 1648. fortiſſimo Suecorum Archiſtratego *DN. Car. Guſt. Vrangelio* donatum, &, cùm in Sueciam deduceretur, Suinfurti à duorum Academiæ Nat. Curioſ. Præſidum veneranda biga viſum, cornibus fuiſſe inſtructum, Ill. *DN. Fehrius* noſter me nuper monuerat, additâ etiam figurâ, (quam æri inſculptam TAB. XVI. Fig. ſecunda. oculis ſubjicio,) juxta cum tali deſcriptione: *Forma ipſi erat capreoli (quantum quidem de eo per feneſtram in obſcura camera tum oberrantem dijudicare licuit) ſed minoris paulò*, & *rectiora crura, duo ſtatim ob oculos ex media fronte eminebant cornua dodrantali longitudine, ſubfuſca, rotunda & ſtriata, non ramoſa (ut capreolis) & leniter reſupinata: Nulli ipſi dentes ex ore deorſum (ut apris ſurſum) extantes, auriculæ parvæ; Dorſum pilo ſplendido, æquabili ſubruffo ſeu caſtanino capreol. noſtr. inſtar veſtiebatur, ſubtus tamen & in ventre albeſcebat, nullo ibi folliculo moſchifero, ſed caudâ nigricante ſpithamam longâ ſpectabilis, quâ canis inſtar ſpectatoribus ſæpius abblandiebatur. Fœminam eam dicebant ductores, cum tamen cornua capreolis noſtris fœmellis, ut cervis deſint, niſi id errante quandoque formatrice fiat, quod cervæ iſti cornutæ in Anno Ephem. noſtr. X. mortem attulit, licet in caprillo genere fœmellæ itidem ſint cornutæ. Capreolum igitur noſtrum diverſum quidem fuiſſe, à Tuo vel pluribus Tuis ex diverſis Authoribus allatis, ſed itidem moſchiferum conſtat: abducto enim eo in Sueciam, camera iſta, ubi aliquot dies fœno & avenâ alebatur, moſchi odorem poſt ſatis diu ſpirabat. Ad ſubulonem Velſchii aut Gazellam Aldrovandi propiùs accedere videtur. Sed hæc & alia ex vicina Friſinga certius pleniuſque exquirere poteris, mihi tum temporis inter turbas ac tumultus bellicos tantum otii non ſupererat: Iconem autem genuinam affabrè dipingendam curavit Magnif. noſter Præſes & Fundator Acad. N. C. Dn. Joh. Laur. Bauſchius ὁ μακαρίτης, in cujus ædibus tum curabatur, cujus copiam licet rudi penicillo delineatam hic Tibi mitto, ut deſcriptioni meæ lucem quandam fœneraret, minorque magnoperè, nullam de eo per tot Germaniæ provincias caveâ ligneâ incluſo in Sueciam deportato (quod quidem ſciam) extare memoriam.* Et hoc ſanè animal idem cum Aldrovandino eſſe videtur. A quo nec diverſum eſt quod ſub Gazellæ nomine *D. Joh. Jonſtonus* Hiſtor. natur. de quadrup. tab. 29. delineatum dedit. Gazelam quoque, cujus in Clave medic. pag. 107. meminit, maſculam tamen, cornutam fuiſſe, Excell. *D. D. Joh. de Murato*, à Nobil. *D. D. Joh. Conr. Peyero*, meæ ſollicitationi peramicè favente, interrogatus, reſpondit; cujus verba integra ex literis Tiguri A 1681. 15. Auguſti exaratis huc exſcribere placet: *Undecimus annus agitur, ex quo Gazelam Pariſiis cum Anatomico Regio DN. Ludov. Gaiant, Hoſpite & Præceptore meo chariſſimo, ſecui: Interim præter ea, quæ in Clav. med. mea exaravi, memini nobis ſubjectum illud juſſu Regio traditum eſſe (du Parc de Verſailles) quo loco plura rara nutriuntur animalia ex India allata: pilos ſubflavos & in ventre albos tenebat, caudâ pendente crinita obſcuriore: Cornua acuta, oblonga, leviter intorta, obtuſiorem capræ inſtar naſum, caput rotundius, nullos in ſuperiore maxilla ore dentes, ſed acutos plures in inferiore habebat, pedibus bifidis, unguibus probè armatis interſepiente membrana incedebat, genua cute attrita & dura veſtita fuerunt. Sub umbilico folliculos, materia inſtar ceræ diſſolutæ plenos monſtratos, ſed non tam benè ac moſchum olentes memini; dixerunt & lepores quandoque talem materiam loco eodem recondere* &c. Hanc Gazelam, à prælaudato *DN. Peyero* Capræ Africanæ ſylveſtris nomine inſignitam, cum Aldrovandina, Jonſtoniana, & Fehriana eandem fuiſſe dicerem, niſi pedes, quos hi ungulatos pingunt, ille unguibus armatos memorat, obſtarent. Monſtroſa tamen inter animalia referre illud num propterea liceat, hæreo; quanquam multiformes ibi animalium partus eſſe, variè feminis cujuſque generis mares aut vi aut voluptate miſcente, *Plinius* (quâ fide, neſcio,) lib. 8. Hiſt. nat. cap. 16. ſcripſerit, unde etiam vulgare Græciæ dictum fuerit ortum, *ſemper aliquid novi Africam afferre*. Quidquid ſit, hoc tamen certum eſt, ſic perſuadente dentium ex mandibula ſuperiore eminentium defectu, caudæ præſentiâ, & folliculi abſentiâ, vel etiam duplicati & inſtar eorum, quos in Caſtoribus & Leporibus reperiri, præter alios, *Rondeletius* lib. de amphib. cap. 8. & cum eo *Fuchſius* l. c. nec non celeberr. *D. Jo. Jac. Wepferus* Miſcell. Germ. Cur. Ann. 2. obſ. 251. & Ann. 3. obſ. 167. fidem fecerunt, ingrati odoris excrementum continentis præſentiâ, longè diverſa hic animalia à notioribus iſtis moſchiferis ſuprà deſcriptis recenſeri; ut ita reliquorum

cor-

cornua negotium ullum mihi ampliùs hîc facere nequeant. Et quamvis odorem moſchatum Bavarica illa beſtia exhalaverit, Moſchum tamen ſuppeditaſſe, tale nempe odoratiſſimum concrementum, quale vulgò in Officinis proſtare ſolet, inde vix ſequitur, cùm halitus illi odorati rarum quid in iſto eſſe potuerint, qualequid nonnunquam in hominibus, crocodilis, leporibus, muſtelis, cochleis &c. deprehendi conſtat, & infra memorabitur.

Attamen & *Sim. Sethus* Moſchum provenire ſtatuit in umbilico *ζώου τινὸς μονοκέρωτος, μεγίστου, ὁμοίου δορκάδι, animalis unicornis, maximi, capreæ ſimilis.* Sed erraſſe hîc *Sethum*, *Geſnerus* (quod etiam *Fuchſius* notat) optimè monuit, cùm aliorum nemo id, quòd nempe ſit animal unico cornu præditum, ſcripſerit, ne oculati quidem Autores; falſiſſimum quoque id eſſe, *Bochartus* demonſtrat. *Maximum* inſuper hoc eſſe Animal, ab unico *Setho* minus bene ſcribi, idem *Geſnerus* animadvertit, pro *μεγίστου* ideo *μάλιστα* legendum, ſuſpicatus, quod equidem hac ratione ad veritatem propius nos deduceret, MSStorum tamen, quorum varias lectiones, à beato *Welſchio* noſtro collectas, ære meas feci, conſenſu deſtituitur.

Tandem morſu in perſequentes ſævire capreolos iſtos, exemtis vero dentibus longioribus manſueſcere, ut raro vivæ capiantur, in *Alex. Benedicti* lib. 13. Pract. cap. 26. legimus. Verùm ſævitiam hanc in mordendo eſſe imaginariam, denteſque illos longiores, ad corporis ſui à fame potius, quàm externis injuriis aliis defenſionem, ſive radices in cibum ceſſuras ut iſtis effoderet, à Natura concedi, autumo; quæ non minus Cl. *D. Schefferi* erat conjectura, Mendozianâ ſanè relatione, quâ odoratam tantùm, digitalis craſſitiei radicem, Camarum dictam, animali huic in cibum venire dicitur, confirmanda, ſi eandem cum capreolo hoc beſtiam Autor ille deſcriberet; aut etiam radix illa cum Behmeno eadem eſſet, quam Dorcadi huic in cibum cedere, ex *Ebn Sina* diſcimus. Hinc non minus, plus timoris, quàm damni dentes iſtos inferre poſſe rectius cum Exc. *D. Paul Mar. Terzago* cent. philoſoph. 6. Muſ. Septal. regeritur. Cujus vitæ incolumitati Natura magis curſus velocitate conſuluiſſe videtur. Saltu enim curſuque pernicia hæc eſſe animalia, tum ipſa cum capreolis, velocitate & agilitate ſuâ hominibus ſignaturam dantibus apud *Oſvald. Crollium*, convenientia, tum pedum ſtructura ad agilitatem comparata indicat. Nullam autem hîc parit difficultatem *P. Phil. Marinus*, Animal moſchiferum ad curſum eſſe lentum atque tardum, adſerens, cùm mox, adeo ſtolidum eſſe, ſubjungat, ut labor Venatoribus nullus, quàm inveniendi incumbat, quia inventum occidere poſſint, abſque motus aut defenſionis alicujus actu vel reſiſtentia, ſiquidem membra ad velociſſimum curſum idonea poſſidere, & eadem ad evitandas hominum inſidias non intendere, in uno facilè concurrere poſſunt animali. Niſi relationem à *Tavernierio* factam huc trahere, & quod debilitati dandum fuerat, ſtoliditatem adpellaſſe *Marinum*, dicere malimus. Sic enim *Tavernier* l. c. ex Gallico idiomate in Latinum converſus nos inſtruit: *Menſe Februario & Martio, cum fame colluctatæ feræ iſtæ (propter nives, quæ ibi* 10. *vel* 12. *pedum altitudine terram tegunt,) verſus meridiem progrediuntur ad gradum uſque* 44. *vel* 45. *ibique tritici & oryzæ novæ ſegeti inhiant, at ruſtici tum eas exſpectant in tranſitu caſſibus hinc inde diſpoſitis, captaſque ſagittis vel etiam fuſtibus necant. Nonnulli aſſeveravere, me præſente, tam macilentas eas eſſe, tamque debiles, ex fame hyberna, ut multæ earum curſu ab homine pedeſtri capi poſſint.* Nec obſtat *Fr. Gregorii de Bolivar* hiſtoria, Animalia moſchifera non multum agilia ediſſerens, cùm, ſi vera illa ſint, quæ profert, longè diverſum, nec ſatis adhuc nobis cognitum animalis genus delineet.

Cæterùm ut iſta, quæ hactenus dicta fuerunt, eo melius animis imprimantur, figuram Animalis hujus, ſive Capreoli moſchiferi, *Tab.* XVI. *Fig.* 3. exhibere placet, ad normam Segerianæ (non excluſâ Stoberlianâ,) adornatam, paulo tamen, juxta formam Exuviarum Auguſtanarum, immutatam. Alias tamen conſulto volui omittere, veluti Aldrovandinam, Boymianam, vel, quæ eadem eſt, Kircherianam, Calceorianam, Camerianam, Geſnerianam, Jonſtonianam & Neuhofianam, præſertim quia eaſdem in Anno IIX. Eph. Curioſ. Germ. jam memoraveram, meumque de earum inſufficientia judicium breviter protuleram. Nec ultimo etiam viſam in *Tavernierii* Itinerario iconem huc ſi ponerem, multum is conferre poſſet, quam ſi cum noſtra hac comparare velis, pariter non ſatis probare queas. *Martinii*, in Atlantis Sinenſis Tab. provinciæ tertiæ, Xenſi dictæ, poſita, non adeo, ut aliorum quædam, inconcinna eſt, cumque Neuhofiana coincidit. Niſi fortè in ipſis iſtis Capreolis, uti in magnitudine & colore, ita etiam in ipſa reliqui corporis figura aliquam dari differentiam, in iſtorum quorundam excuſationem dicere liceat; ad quod tamen credendum difficillime inducor. Quamvis aliàs quidquam honoris aut quoad cætera fidei Viris iſtis celeberrimis decedere nequeat, qui partim infidâ, incertâ & falsâ aliorum relatione unicè inſtructi, adeoque facilius decepti, partim etiam Pictorum & Sculptorum, qui ſuo tantùm ex ingenio Naturam ſæpius adumbrant, artiſque ſuæ arrogatâ licentiâ nimium abutuntur, aut etiam rudiori & imperitiori manu laborem abſolvunt, figmentis ſubjecti, vel inviti diſſeminare errores coguntur. Quod ſane & mihi, magnis ſi liceat componere parva, cum figura *Calceolarii* accidit, quo de loc. cit. pluribus à me actum fuit.

De Folliculo moſchifero.

Folliculo, ut moſchiferi Capreoli præcipuæ parti, in qua ſelectiſſimus reperitur Moſchus, & aquâ ademtâ, ad Moſchum progignendum Animal id aptum deinceps non eſſe, merito credimus *Braſavolo*, proprium deſtinare Caput, æquum eſt. Quem exuperantiam quandam, parvum marſupium referentem, & ſubtili pelliculâ ac ſubtiliſſimis pilis veſtitâ conſtantem, *Atlantis Sinici Autoris* circumſcriptione, ſupra vidimus. Quod & revera ita ſeſe habere, modo ſubtilis pellicula, non ſimplex aliqua & ſimilaris pars, ſed organica & diſſimilaris intelligatur, quivis facilè deprehendet. Ut ideo ab ipſo Moſcho folliculum, tanquam continens à contento, diſtinguere omnino neceſſe ſit, atque minus adcurate idcirco *Johannes de Sancto Amando* Expoſ. ſup. Antid. Nicol. cap. de Pot. moſch. Moſchum eſſe folliculum quendam in animali quodam inventum, ſcripſerit.

De cujus inprimis loco Scriptores non unam fovent ſententiam. Ut enim *Fallopium*, pectoris quoque mentionem abſque fundamento ullo facientem, haud curemus; multò minus *Johannem* modo dictum, apoſtema hoc pedi adjudicantem, ipſum umbilicum, *Ebn Sina*, *Elluchaſem*, *Sethus*, pluresque alii à prædictis ita edocti, nominant. Ill. etiam *D. Thom. Bartholinus* obſ. 58. Vol. I. Act. med. Hafn. receptaculum illud, oculari inſpectione adjutus, ita deſcribit: *Externa pars tuberculum habet duriuſculum, rotundum planum, piloſum, ſed pilis à circumferentia centro incumbentibus. Ex centro prominentia extat, quæ umbilici veſtigium ſignat. Pili circumjecti in cute limbi denſiores, & vario fluxu hinc inde ſparguntur, albi plerique, non ita membranæ incumbentes.* Et Nob. *D. Daniel Ludovici* Eph. Germ. Cur. Ann. V. obſ. 205. prominentiam hanc rotundam eſſe, ac nuciſtam majorem æquare vel ſuperare ſcribit, cum manifeſtis coalituræ umbilicalis, ſed citra aper-

turam quandam, notis, de cætero Bartholinianæ dictæ delineationi adprimè correſpondere, intus autem adhuc manifeſtius antiqui meatus coalitum inter corrugationes quaſdam oſtendere, cum adhærente funiculi umbilicalis particula. Alii tamen umbilicum, ſed regionem infra eundem ſitam proponunt. Sic *Marinus*: *di ſotto all' umbilico*, id eſt, *ſub umbilico*, veſicam iſtam comparere, ſcribit; *infra umbilicum*, *Cardanus*, quo etiam *M. Pauli Veneti* ſententia trahenda, juxta umbilicum inter cutem & carnem eandem collocans. Nec aliter ſentit Celeberr. *Segerus*; in abdomine non longe à poſterioribus pedibus tumorem hunc eminere teſtatus. *Tavernierius* quoque imæ ventris parti, propiorem genitalibus quàm umbilico, eum adhærere, tum in Itiner. l. c. tum libello, cui titulus: *Obſervations ſur le Commerce des Indes Orient.* notans, ſi nempe de animali maſculo loquatur, idem innuit. Nimis autem ab umbilico hunc removere videntur *Iſidorus*, *Vincentius Burgundius* & *Platearius*, dum in inguine ſubſiſtere volunt. Mihi, cum *Braſavolo*, circa umbilicum Moſchi folliculum eſſe quærendum, concludere libet, ſive in umbilicali regione inferiori, quem etiam umbilico modo paululum propiorem, modo ab eo aliquantulum remotiorem eſſe poſſe, haud admodum negabo, inprimis pro diverſitate magnitudinis in ipſis animalibus. Umbilicum tamen ipſum huc accerſere vix audeo, cùm revera paulò decliviorem, quàm quo umbilicus ſolet occurrere, abdominis locum occupet, & ſingularis ab ipſo ortu dubio procul congenita Folliculi conformatio ſimplicem umbilici extenſionem & intumeſcentiam non admittat. Quamvis verò in Folliculi acumine coalituræ quaſi umbilicalis veſtigia exſtent plerunque, ea tamen revera meatus aperti, non ita in exſiccato corpuſculo ſenſum incurrentis, eſſe indicium, paulò poſt demonſtrabitur. Mihi ſanè nulla umbilici in folliculo nota, multo minus funiculi umbilicalis particula unquam viſa. Aliorum tamen circa hæc experimenta vel conjecturas potius non impugnabo, id ſolùm recenſens, quod oculis meis in perluſtratione multoties ſe obtulerat.

39. Unicum autem tantùm Folliculum ſingulis Capreis noſtris eſſe à Natura conceſſum ſcimus. Nec *Fallopius* ſupra citatus ullam hîc parit difficultatem, aliquando geminum, aliquando multiplicem eum oriri ſcribens, quem nempe unanimis tot oculatorum teſtium confeſſio, unius tantùm conſcia, redarguit, & imaginaria cum abſceſſu præter naturæ intentionem vel ordinem generato comparatio deceperat.

Cæterùm Folliculi moſchati icones Lectori Curioſo, tam quoad internam ejuſdem, quàm externam figuram in Tabula III. exhibere volui. Alteram vero illam, quam olim ligno inciſam & Theſibus meis Academicis additam, poſtea verò ab aliis quoque mutuatam, novæque *Geſneri* de Quadrupedibus editioni, nec non *Caſtelli* de Hyæna odorifera recuſæ Exetaſi inſertam, nunc planè deleram volo; quem quidem Folliculum elegantiſſimum, haud negabo, aſt non unam mihi, dum alium nullum, quo cum conferre potuiſſem, tum temporis habueram, errandi cauſam præbuit, cùm inprimis minimè duas in cavitates aut ſinus à Natura, ſed violentiâ quadam extraneâ & compreſſione, quâ varias adipiſci figuras ſolet, diviſus, ideoque ſibi relictus unicâ tantùm cavitate præditus ſit dicendus.

Aſt dum ubi ſubſtantiam ejus cutaneam, partim etiam quaſi carnoſam edixeram nec jam mutare penitus ſententiam eſt animus. Licet enim in exſiccato uti ad nos deferri ſolet, illam carnoſam demonſtrare non adeo promtum fuerit, ubi tamen eundem aquæ aliquandiu immaceraveris, à qua partes ejus exſiccatæ denuo intumeſcunt & ad naturalem ſtatum propius reducuntur, abſque magna difficultate cultri ope oculos incurret. Verùm & alia, quæ mihi hanc vitam ingreſſo obſervare contigit, in elegantiori folliculo inprimis (cùm aliquam dari differentiam in quibuſdam haud negare velim, in eſſentialibus tamen omnes, quotquot hæc methodo examini ſubjeci, convenire obſervaverim,) breviſſimis enarrare, & libet, & jucundum ac utile erit.

Abraſis itaque & abſciſſis primò exterioribus pilis, ne tædium qualecunque remoramque ſectionis adferrent, aut foraminula ſub eis latentia oculis eriperent, mox ſub eminentia illa acuta foramen ſic ſatis amplum, Lunæ falcatæ formâ, ſeſe obtulit, ipſum in folliculi cavitatem oblique anteriora verſus penetrans. Quin & ipſa eminentia ſive faſtigium non ſolidum, (quod & Cl. *Segerus* cavum eſſe pronunciat, dum moſcho exitum præbere adſtruit,) ſed meatu aliquo (in cujus extremitatem pili, ſetarum ferè ad inſtar duri, implantantur, caput rufum, à moſcho ex vicino meatu exſtillante ita fortaſſe tinctum, reliquâ eorum parte intus latente albidâ, exſerentes, ſuaque protuberantiâ faſtigium illud inprimis repræſentantes) prædita itidem comparuit, cui immiſſus ſtylus per folliculi dorſum promtè ſubiit ad oppoſitam uſque partem, ubi abſciſſus ille, dum nempe folliculus ab Animali olim auferebatur, ulteriorem ſui inquiſitionem, & ubi tandem in corpore terminetur, denegavit.

Hiſce incitatus Folliculi pellem interiorem, eo latere quo abdomen reſpicit glabram, quo verò cum pellicula mox deſcribenda jungitur, rugoſam circumcirca abſtuli, & mox pelliculam quandam fuſcam, in ipſius folliculi mediam cavitatem propagines quaſdam emittentem, imò in Moſchi etiam ipſius ſubſtantiam immerſam, prout & per foramen falciforme ſive ſemilunare extra utriculum protenſam, cæterum à ſubjacentis membranæ nervoſæ rugis pariter in rugas contractam, facili tamen operâ ab eadem abſcedentem, atque licet per ſe admodum tenuem, diligenti tamen manu in quatuor alias tenuiſſimas membranulas haud difficulter diviſibilem, atque moſchum undique ambiente & ceu in loculo eundem continente deprehendi ac ſeparavi. Quæ naturâ ſuâ quidem albicans eſt & argenteo quodam nitore reſplendet, eo tamen latere, quo Moſchum proximè ambit, fuſco colore tingitur; cujus lacinias Mercatores Moſcho commixtas ſæpius vendere ſolent, in Moſchi electi & folliculatii ſubſtantia promtè deprehendas. Quam itaque magni ut faceret *Fallopius*, ſatis cauſæ habuit, hunc in modum ſcribens: *Ex his veſiculis aliquæ ſunt ita vetuſtæ, ut nullum odorem ſervent, aliquæ odoratæ ſunt & recentes, & ſunt illæ in quibus adeſt folliculus & membranula, ubi continebatur Moſchus. Ideo videte, quando emitis: Scalpite digito, ſi adeſt pellicula, ematis; ſin minus, linquite, quia odorem amittit citius; non ergo negligatis pelliculam internam.* Revera enim major folliculorum fragrantia membranulæ illi, à moſchato humore tinctæ debetur; diutius etiam ideo in eis perſiſtens, cùm iſtâ ablatâ, cæteris dein folliculi in partibus citius avolet, utpote non ipsâ Moſchi craſſiori ac durabiliori ſubſtantiâ imbutis, ſed odoratis tantùm quibuſdam tenuioribus atomis, quas exhalantes in ſe receperant, imprægnatæ, quibus avolantibus, minus delectabilis odor & folliculo ac pelli naturalis remanet. Atque illa ipſa pelliſcula in cauſa fuiſſe videtur, ut *Fallopius* folliculum moſchatum tumorum tunicatorum, ſive qui in folliculo aliquo membranoſo ſaniem inſtar lardi &c. continent familiæ, quamvis minus bene, ut ſupra oſtendi, inſeret. Sed ad cavitatem receptaculi hujus potius revertor.

In qua circa orificium meatus prædicti moſchiferi, tenuiſſimis ſatiſque longis ruſeſcentibus pilis munitum, glandularum (forte liquorem ſeroſum ad humoris moſchati naturâ craſſioris dilutionem exſtillantium) manipulus, in quas radices pilorum iſtorum implantati videntur, oculis ſeſe objicit, latentes tamen alia ſub illa tenui ſitum nacta, nervoſa magis & craſſa, in plurimas

fig. 4



fig. 2.



fig. 6.



fig. 7.



fig. 5.




fig. 3.



fig. 1.

鹿 a
射 b
鹿 c
香 d

fig. 8.



mas etiam fibroſas particulas, aliarum quarundam in modum, cultro ſeparabilis & ipſius cutis propago exſiſtit, utpote à qua eandem ſeparare non potui, unde hæc cutis duplicatura glandulas modò dictas, ductumque mox deſcribendum & muſculum, ceu in ſacculo quodam complectitur.

Sub hæc itaque latet carnoſa aliqua & verè muſculoſa ſubſtantia, circularibus ſuis fibris, oculorum ſi judicium me non fefellerit, utrumque meatum incingens, cæterum craſſa admodum & valida, cutique arctè adhærens, cujus carnoſis fibris exſiccatis, membranoſis tamen non omnino excluſis, folliculi ipſius ſoliditatem & renitentiam adſcribo. Muſculum autem hunc ſucci inprimis moſchati retentioni inſervire, veroſimile eſt, quem Natura hoc artificio à continuo effluxu coërcere voluit, non ſecus ac ſ. h. notioribus inteſtinorum & veſicæ excrementis, quæ juſto tantùm tempore evacuari expediebat, ſimili ratione proſpexerat.

Incumbit eidem Canalis ille ſupra dictus in ſuperiorem eminentiam foramine oblongo exitum habens, qui pro corpuſculi follicularii parvitate latus admodum & amplus, recto itinere per dorſum ejus decurrit, craſſus ſatis & membranoſus, diſſectuſque plicis eleganter inſtructus, & in extremitate circa pilorum radices glandulis aliquot conſpicuus, in quo humoris nihil reperii unquam, licet vehendo & excernendo alicui ſucco inſervire, ſitus ejuſdem & cavitas abunde confirment; quem verò à ſucco moſchato eſſe diverſum, exinde conjicio, quòd nec odore admodum moſchato, nec colore citrino aut fuſco ſit imbutus, nec etiam in ipſam folliculi cavitatem abeat; cujus tamen humor ille ſit naturæ, me omnino fugit, cùm & canaliculi ipſius ortus ſive principium, longius nempe à folliculo locatum, me lateat. Unde inanibus conjecturis Lectoris benignitatem dum onerare nolo, iſto nude recenſuiſſe ſufficiet.

De vaſis ſanguiferis, quorum multa in folliculo ſparſim occurrunt, nihil dico, cùm eorum ortus me lateat; unicum, quod canaliculi dicti latus utrumque ſtipat, magnitudine ſuâ ſpectabile, & ad muſculoſam carnem progrediens nominaſſe ſatis erit.

Si cui tamen fortuna ipſum tale Animal ſecare concellerit, ille ſucceſſum, curioſo cultello impetratum, uberius fideli calamo ſi publicæ utilitati communicaverit, non levi is Curioſos quoſvis beneficio beabit & vel mea experimenta atque conjecturas hic gratioſe confirmabit, vel ſaltem amice emendabit; quem in finem inprimis Angli, Galli, Veneti, Bavarique exorandi ſunt, quibus facilior hac in parte fortuna adridet, nec patientia, induſtriâ & peritiâ inſtructiſſimi deſunt Anatomici.

Externam verò Folliculi faciem tum icon adjuncta, tum deſcriptiones ab aliis factæ, ſatis edocent; quam tamen in magnitudine, quæ in ſibi relicto ovum gallinaceum modò minuſculum adæquat, modò longè minor obſervatur, atque interius nucillam majorem minoremve capere potis eſt, & jam drachmas duas, jam quatuor, plus minuſve continet; in figura porro nunc rotundiori, nunc oblongiori, craſſiori vel ſtrictiori, ex varia compreſſione, quam majoris ad remotiora loca in tranſportando commoditatis ergo ſubire debent, ortâ diſcrepare, in naturali autem ſtatu rotundiorem & nonnihil ovalem eſſe; in pilorum etiam, quibus veſtitur, colore, albidiore vel obſcuriore, variare, unico monere volui.

Iconem autem ejus Tabula XVI. *Fig.* 4. continet, *literâ a.* locum orificii moſchiferi, *b.* orificium canalis longi, *c.* ejuſdem partem detruncatam, *d.* plus à circumferentia centro incumbentes tenuiores, *e.* pilos craſſiores limbo inhærentes denotante.

Tab. XVI. *Fig.* 5. exhibet Folliculi faciem externam, deraſis tamen nonnihil circa orificia meatuum dictorum, evulſis è canali prominentibus, & reliquis etiam abſciſſis pilis; in qua *lit. a.* meatus moſchiferi orificium ſemirotundum apertum, *b.* orificium canalis longi, labiis tamen ejuſdem diductis oſtendit.

Tab. XVI. *Fig.* 6. internam præſentat faciem, pelliculâ tamen fuſcâ moſchatâ inteſtinâ, una cum altera ibidem ſubjacente membranâ nervosâ ademtâ; & quidem *lit. a.* meatum moſchiferum aliquantulum ampliatum, *b.* glandulas eundem cingentes, pilis tamen omnibus evulſis, *c.* canalem longum in ſitu naturali, ſed diſſectum, ut interior ejus facies videri queat, *d.* ejuſdem orificium cum glandulis inſtratis, *e.* vaſa ſanguifera inſigniora juxta eum decurrentia, *f.* muſculum circularem, *g.* cutaneam ſubſtantiam.

Cùm etiam in Ephemeridum German. Curioſ. Anno VIII. obſerv. 53. de cavitate pilorum Capreoli moſchiferi quædam dixerim, eorundem delineationem ſi hic ſubjunxero, rem non ingratam me facturum credidi; itaque.

Tab. XVI. *Fig.* 7. pilum animalis illius criſpum exhibet, in quo *lit. a.* cavitatem in eo deſignat, reliquis pili partibus *b. b.* medullâ fungoſâ expletis.

Tab. XVI. *Fig.* 8. pili cavi particulam diſciſſam, & quidem *lit. a.* eandem nudis oculis contemplatam, *b.* per microſcopium obſervatam ejus foraminulentam vel reticularem texturam denotat.

Locus natalis Animalis Moſchiferi.

Patrium Animalis noſtri ſolum deſcripturus, Indiam denominare illud poſſem, ſi, juxta nonnullorum conſuetudinem, quaſvis remotas Orientis oras nomine iſto donare vellem. Cùm tamen adcurationes alii non uſque adeo illud extendant, juxta cum *India Tartariam* quoque & *Sinam* conſtituere lubet.

Ubi inprimis *Chataja* primum ſibi depoſcit locum; qua de conſuli poteſt eruditiſſima Diſquiſitio Geographica & Hiſtorica Viri celeberrimi *D. Andreæ Mülleri*, Amici & Fautoris mei honoratiſſimi. Sub ea autem Tartariæ partem eſſe intelligendam §. 19. monuerat; cumque Gens iſta Sinas quoque occupaſſet, Chatajam deinde illam etiam regionem dici potuiſſe. Cuicunque igitur regioni, ſive Tartaricæ, ſive Sinicæ, nomen hoc imponatur, conſiderationem hic aliquam requirit.

Illa quidem, Tartarica, & quæ extra Murum Sinicum quærenda, in majorem & minorem, juxta *Kircherum*, dividitur; & hanc minorem borealibus Sinis conterminam *Thebet* vulgò adpellari, in Prodrom. Copt ſtatuit. Provenire autem in Thebet Moſchum, effato plurimorum conſtat; *Serapionis* inprimis, ſic Interpretum verbis l. c. ſcribentis: *in Tebeth ſunt multæ civitates, ſed moſchus omnis, qui circa ea loca colligitur, avehitur à civitate, quæ proprie totius regionis nomine Tebeth nominatur.* In præcedentibus quoque Tumbaſcini Moſchi mentionem facit: *Terra in quibus ſunt gazellæ muſci, & ſunt regiones Tumbaſei, & Seni, & ſunt terræ confines. Verum muſcus regionis Tumbaſci eſt melior muſco Seni &c.* Aſt Tumbaſcum ipſam Thebeticam eſſe regionem, alii notant; & inprimis *Bochartus* pro: *Tabethi* interpretem poſuiſſe *Tumbaſci*, vel potius, ut reliqua, mirè corrupiſſe, animadvertit. Quod pariter *Vopiſci Fortun. Plempii* in Schol. ad Avicenn. Can. med. conſenſu illuſtrare placet. Dum enim *Ebn Sina* de Moſchi differentia bonitatis ratione, differens, Thebetico primum locum adſignat, *Plempius* his verbis in vocem illam commentatur: *Tebezius) ab urbe Tebet, quam alii Tumbaſcum vocant. Rabbi Benjamin in ſuo Itinerario dicit diſtare quatriduo à Samarcanda urbe magna, & Timurlani natalibus nobili, in ejuſque vicinis ſilvis inquit moſchum inveniri. Golius ſcribit eſſe regnum Septentrionali Sinarum regioni ab occaſu conterminum, quod multi volunt idem eſſe ac regnum Chatai. Itaque & regnum eſt ſeu regio, & civitas regno cognominas, Geographus Nubienſis vocat Tobbat, & ſtatuit eam in regno Kaimachi-*

machitarum part.10. clim. 4. In his regionibus, inquit, exſtant animalia moſchi magna in copia. Aliis *Touboth*, *Tuboth*, *Tubeth*, *Tubet*, *Tubath*, *Tobbat*, *Tubacum* legitur. Apud *Sim. Sethum* in quibuſdam exemplaribus τοῦ Πὰτ occurrit; quod ideo *Ruellius*: *Pat*, vertit; cùm tamen, ut rectius alii, & MSS. quædam habent, duæ iſtæ Syllabæ conjungendæ ſint, atque *Tupat* legendum. Hanc quoque regionem exprimit *M. Paulus Ven.* lib. 2. cap. 37. multa animantia ibi inveniri tradens, quæ Moſchum producunt. Nec *Rabbi Benjamini*, modò apud *Plempium* citato, fuit indicta, qui cùm de Samarcant, urbe magna in Perſici regni confinio condita egiſſet, *inde*, inquit ſecundùm verſionem *Conſtantini l'Empereur*, *quatriduo petitur Tuboth, civitas, in cujus viciniis ſilvis moſchus invenitur.* Quod tamen *Tuboth* vel *Tobboth* antea, cùm de magni Perſidis Imperatoris dominio ageret, per τὸ: *inſignes*, (*Arias Montanus* in ſua verſione: *optimas*, habet,) vocis שׂוֹבוֹת homonymiâ deceptus, reddiderat: *ut & alias inſignes regiones, in quarum ſilvis feræ reperiuntur, unde moſchus colligitur*; quo de tamen Virum Clar. & plur. Rever. *D. M. Matth. Frid. Beckium*, Amicum meum colendum, qui ejuſdem Judæi novam editionem cum notis meditatur, pluribus olim acturum exſpectamus.

Huic Thebeticæ regioni verſus Occidentem provincia *Caniclu*, eodem *Veneto* teſtante, cap. 38. adjacet, magna in abundantia Moſchum ſuppeditans.

Ebn Sina l. c. Moſchi *Carchirenſis* meminit. Qualis verò ſit iſta regio, & an, quod nominis adfinitas ſuadere poteſt, cum *Carcham Veneti* conveniat, alii doctiores judicent? Quod tamen eſſe nequit, ſi *terra Carchir*, ut vult *Geographus Nubienſis* part. 10. clim. 3. Mari Sinico proxima exſiſtat.

Huc pertinet, quod *Braſavolus* recenſet, Venetias nempe Mercatorem quendam ex *Chatai* attuliſſe Moſchum, quæ regio ſit pars Scythiæ extra Imaum; incolas regionem, ubi optimus Moſchus naſcitur, *Ergimul* vocare, particularem verò urbem *Singui*. Ubi *Ergimul* vocem, quâ *Venetus* etiam utitur, corruptiſſimam eſſe, ut pleraſque alias, in Literis humaniſſimè ad me perſcriptis laudatus *Dom. Müllerus* monuit, addens: *Qui volet, Jer-Mogul legat. Eſt autem Mogul ſpatium terræ ſupra murum Sinenſem ad Borrhapeliotem. Hujus tractus litoralis Su Mogul dicitur; mediterraneus Jer-Mogul. Su verò agrum, Jer terram ſignificat. Pro Jer-Mogul, Jec Mogul Vincent. Bell. & alii ſcribunt; Ergimul Venetus; reliqui rectè.* Per *Singui* autem *Socheu* intelligendum; cùm procul dubio, *D. Mülleri* noſtri judicio, *Venetus Siu-gui* ſcripſerit, *Gui* verò eſſe Sinicum *Cheu*, quod Urbem denotat.

Cæterùm in ipſa etiam *Chataja nova*, ſive *Sina* Odoramentum hoc ſuos nanciſci natales, ex *Serapione* ſupra dictum fuit, ubi *regionem Seni* Gazellas moſchatas alere ipſe narraverat, quam ſanè regnum eſſe Sinarum, *Amatus Luſitanus* Comm. in Dioſc. conſentit, licet in hoc fortè minus adcuratus, dum ex regno *Sciam* ipſi dicto ad Sinas Moſchum deferri ſcribit; cùm tamen Sinæ ipſi Moſcho inquilino abundent, & quidem probatiori, (uti *Ebn Sina* refert,) quàm ſit ille in *maritima India* ortus, cui nempe regnum *Sciam* meritò accenſetur. Et huc etiam (ſæpius jam nominati *Veneti Chatajam* referemus, in qua optimum inveniri Moſchum, & quo melior in mundo non reperitur, lib. 1. cap. 62. prodidit. Num porrò Erronis iſtius Turcæ relatio, apud *Auger. Gulen. Busbequium* epiſt. 4. trahi huc queat, incertum eſt, non tamen improbabile, præſertim cùm poſt abſolutum longiſſimum itineris ſpatium, ad anguſtias ac veluti clauſtra regni Chataini ſe perveniſſe innuerit, & quod intrari nequeat, niſi per certas fauces, quæ Regis illius præſidiis tenentur. Is itaque Turca in urbe *Chataja*, regia ſede, frequentes eſſe tabernas odori illius aromatis, *Busbequio* enarraverat. E Recentioribus quoque *J. Petr. Maffejus* Sinarum regionem tum Odoramentis aliis, tum præcipue Moſcho abundare teſtatur; quod & *Mendoſa*, *Lindſchottanus*, pluresque alii fatentur.

In ſpecie verò quænam ejus Provinciæ hunc largiantur, *Martinus* cumprimis in ſuo Atlante Sinico indicavit, nimirum in *Xenſi*, *Suchuen*, *Yunnan*, *locisque aliis ad occaſum vicinioribus* ingentem Moſchi reperiri copiam, pag. 44. memorat. Et in ſpecie, de provinciæ *Xenſi* urbe tertia *Hanchung* pag. 48. agens, territorium ejus montibus ubique altiſſimis ac frequentiſſimis exſurgere, qui valles complures eaſque peramœnas claudant, unde quibus ad vitam opus, abunde petantur omnia, præterque alia, ingens Moſchi copia. Et pag. 52. de ejuſdem Munimentis ſive locis militaribus verba faciens, in *Taocheu* & *Hocheu* multum Moſchi colligi. Porrò in ſextæ Provinciæ *Suchuen* urbe *Queicheu* pag. 69. & ei vicina urbe militari quarta *Chinching* pag. 72. Moſchi abundantiam monſtrat, imò montem ibi quendam à Moſchi copia *Xehing* (*Dapperus* in Deſcript. Sinæ pag. 108. exprimit: *Xehiang*) dictum pag. 70. indigitat. In ſeptima inſuper Provincia, *Huquang*, colligi, pag. 83. & in decima quinta Provincia, *Junnan* abundare, pag. 155. 162. & 165. legitur. Ideoque tam in Sina boreali, quàm auſtrali Animal noſtrum invenitur.

Hiſce in *Thevenotti* varior. Itiner. curioſ. relatione *Honan.* Provincia additur. Præter Provinciam *Xenſi*, etiam *Chiamſi*, nec non regnum *Tunchinum* ſive *Tuengking* ab *Athan. Kirchero* Chin. illuſtr. part. 4. cap. 7. nominatur. De *Xenſi* ſimilia *Neuhofius* effatur in Itiner. Sinic. *Auch liefert diſe Landſchaft ſehr vil Muſcus.* Et de *eadem*, nec non *Suchuen* cap. 16. deſcription. Sin. *In der Landſchafft*, Xenſi, *vvie auch auff dem Gebirge bey* Paoning, *in der Provintz* Suchuen *findet man das Thier* Xe, *davon der Muſcus oder Biſem kommt.* Et *Gregorio* illi *Bolivario*, apud *Fabrum*, in Provinciarum *Xantien*, *Quinſay*, aliiſque locis ſilveſtribus reperiri dicitur.

Tandem ex *India* quoque, ut natali ſolo, petitur. *Sanè in India maximum Moſchi proventum eſſe, inter omnes convenit*: *Henr. Salmuth* effatur. Ad quam cùm *Pegu*, *Siam*, *Patana*, & *Bengala* &c. pertineant, quid ab eis ſperandum, nunc indicare opus eſt.

Et quidem regnum *Pegu*, multorum confeſſione, non poſtremum hîc locum efflagitat, in quo magnum adeſſe Animalium moſchiferorum numerum, Nobis à *Mandelslo* Itinerat. Orient. lib. 3. hiſce confirmat verbis: *Althier findet man vil Thier, von vvelſchen der* Muſcus *oder Biſem geſammlet vvird.* Quem etiam ex *Sina*, *Tartaria*, & *Pegu*, Amadabadam venalem deportari, lib. 1. cap. 19. ſcripſerat. Et ille ipſe Moſchus Peguanus non fuit ignotus *Paulo Ven.* dum lib. 2. cap. 34. Provinciam *Achalech Mangi* Animalia habere moſchifera, refert. Quam utpote ipſum eſſe regnum *Pegu*, doctè, ut cuncta ſua, oſtendit prælaudatus *D. Müllerus* hebdom. obſerv. de reb. Sinic. cap. 3.

Barboſa de regno *Aracan*, inter Bengalam & Pegu poſito, ait, his vicinos eſſe *montes Capelongam* dictos, cujus habitatores Moſchum ad magnam civitatem Ava tranſportent.

Tavernierius regnum *Boutan* maximam ejus largiri copiam refert; eundem etiam non tantùm ex Tunquinenſi, ſed Cocinchinenſi quoque regno, aſt non ea in quantitate adferri, notans.

En regno *Gnai* haberi, *Phil. Marinus* oſtendit.

Non minus in regno *Lu* idem Animal reperiri, ex *Martinii* præfatione Atlant Sin. colligimus, ubi regnum Laos Moſchum ex vicino Lu regno habere teſtatur, Animal tamen ipſum ex regno Lu in alterum illud Laos abductum brevi, ut piſcem extra aquam, emori ſubjungens, idem etiam inde tranſcribente *Neuhofio*. Unde in libello *Mirandorum Naturæ in Sina* &c. cap. 1. errorem aliquem latere dicendum erit, dum Laos Sinici imperii aliquando fuiſſe, partemque

Provin-

Provinciæ Junnan, mediam inter Tungking & Cochinchinam, Lu vero regnum eſſe ipſiſſimam Provinciam Junnam, perhibet: ſi *Martinii*, in rebus Sinicis verſatiſſimi, fidem ſequi velimus, moſchum in Provincia Junnan, ut ſupra modò dictum abundare, tradentis; qui tamen regna Laos & Lu ab ipſa Provincia Sinica non obſcure diſtinxerat; & multiſcii etiam *Dom. Andr. Mülleri* ſuffragio, Lu regnum ad Sinenſe referri non debet. Quare vix alibi commodius, quàm reliqua inter Indiæ regna memorari illud merebitur.

Eſt apud Indos regnum amplum, ab incolis ejuſdem loci Siam dictum, & ut melius dignoſcas, ultra Malacham ſitum, inque Animal hoc reperitur: verba ſunt *Amati Luſitani*. Quamvis verò Sinas nominibus variare, novum haud ſit, ideoque regnum ſuum quoque Sciam, uti *Neuhofius* tradit, vocare aliquando potuerint, & revera diu ante tempora Nat. Chriſti ita vocaverint, hic tamen non Sinam, ſed diverſam ab ea terram intellexiſſe *Amatum*, vel reliqua ejus verba ſatis evincunt, dum ex regno *Sciam* dicto Moſchum in Sinarum regnum deportari perhibet. Nec *Catelani* lectionem improbaverim, qui *Siam*, Indiæ Orientalis regionem potentiſſimam, uti *Cluverius* vocat ponit, præſertim cùm regno Pegu, quam maximè moſchifero, ſit conterminum, & non minus ad maritimam Indiam, ut ſupra monui, referri debeat, in qua Moſchum provenire, ab *Ebn Sina* dictum fuerat.

In inſula *Boëro Gualth Schultzius* lib. 1. Itin. Orient. cap. 9. Moſchum colligi indicat: *In den Bergen findet man auch einige Biſem-Katzen, wovon die Wilden den Biſem aufffamlen, und den Unſrigen um einen billigen Preiß verkauffen.* Sed cati ſive felis moſchati denominatio non exiguam de Zibethico odoramento ſuſpicionem præbet. Nec ullus alius, in hac, aliave aliqua Inſula Animal noſtrum occurrere, indicavit, cum viciſſim Zibethicum, ſæpe, ut ſupra dictum fuit, cum moſchato confundi ſolitum, in Inſulis iſto in Oceano ſitis, uti Ceilan, Sumatra, Java &c. hoſpitari, longè certiores ſimus.

Perſiam hic etiam nonnulli denominant. *In Perſia reperiri quidam prodidere*: Nob. *Dom. Joh. Jonſtonius* Hiſtor. natur. de quadrup. lib 2. tit. 1. cap. 2. art. 6. punct. 5. pronunciat. Sed Moſchum, quo Perſæ utantur, aliunde, ex India inprimis, adportari, ſunt qui ſtatuant; quod, præter alios, *D. Tavernier* ſuo confirmat conſenſu, Moſchum nempe omnem, qui in Perſide venditur, ex Patna advehi. Sed in *Petri à Valle* parte 2. Itinerarii Germanice editi epiſt. 4. ubi de venatione Sciah Abbas, Regis Perſiæ, A. 1618. in Ghilàn, regione ad mare Caſpium ſituatâ, olim Hircaniâ dictâ, agitur, innumerum Animalium moſchiferorum multitudinem in illa, tum etiam alias ſemper, in prædam ceſſiſſe recenſetur; quæ tamen rectius Capreolorum nomine inſigniri ab Interprete debuiſſent, cùm textus Italicus ſimpliciter Gazellas innuat, ſic expreſſus: *Senza le Gazelle, che non entrano in queſto numero, e ſon ſempre innumerabili.* Ubi itaque Gazellarum nomini, origine Arabico, idemque Animal, quod apud Græcos δόρκας, & apud Latinos Caprea vel Capreolus dicitur, denotanti, epitheton moſchatarum neutiquam jungi debuiſſet. Unde mihi de Moſcho Perſico dubitare interea liceat, uſque dum oculari hominum fide digniſſimorum teſtimonio aliud edoceat.

In *Syria* quandoque beſtias has conſpici, *Alex. Benedictus* autor eſt. Sic & *Scaligeri* adfines, qui in Syria fuerant, Gazellarum harum multas ibi ſe vidiſſe greges, eidem dixerant. Ubi tamen de fide eis adhibenda merito dubitaſſe eundem, conjicimus. Adeoque regio iſta huc nequidquam pertinet. Quod & de *Halepo*, urbe Syriaca, jam in præcedd. monui.

Secundùm *Joh. Bodinum* in Theatr. natur. Moſchi Caprea eſt in *Africa interiore.* Et *Braſavolus*, cùm de Moſchi nomine diſſereret, pluribus in *Africæ* locis Animalia hæc naſci, nec non in *Ægypto* etiam inveniri, edixit, quem dein, præter alios, *Joh. Bapt. Porta* lib. 2. Phytognom. cap. 27. ſequebatur. Ait rectius omnino *Alex. Benedicto*, ex Indiæ partibus in Perſiam primùm, inde in Amanum, atque dein in Ægyptum (addo ego & Africam. contra ipſum *Benedictum*,) invehi, creditur, ut ita nullum adferre momentum queat Moſcho impoſitum vulgare admodum Alexandrini epitheton, utpote non locum natalem, ſed emporium ejuſdem deſignans. Zibethica quidem animalia Africam alere, non negatur; aſt de moſchifero nemo probatorum Hiſtoricorum illud unquam enunciaverat.

Imò *Americam* quoque ſunt qui huc ponendam judicant. Veluti *Laur. Catelanus* Orientalem Moſchum, qui Venetiis, longè Occidentali, qui ex America Portugalliam adfertur, præferendam eſſe opinatur. Quod ut prudenter & ſcite ſcriptum *Andr.Chioccus* maximè adprobabat. Aſt neque hi adplauſum merentur. Cùm in America Moſchum non generari, ſit longè credibilius. Et mihi ſanè, quotquot Itineraria Americana, Scriptoreſque de rebus naturalibus Americanis evolvere contigit, nuſquam videre talia perſcripta licuit. In Portugalliam quidem à Mercatoribus Moſchum adferri, ſatis eſt probabile, aſt ex America illuc deportari, minime liquet. Et quis, quæſo, Luſitanorum in Indiam & reliquas Orientis regiones, antiquas & recentiores neſciat navigationes? Ex quibus Moſchum advectum, multo veriſimilius adſtruitur; & v. g. *P. Jarricus* Sinas Luſitanis eum divendere, expreſsè memorat. Occidentalis tamen dici Luſitanicus ille convenienter poteſt, noſtrarum regionum reſpectu, quibus nempe Regnum illud verſus Occidentem ſituatum eſt: Qua ratione etiam *Catelanus* & *Chioccus* eum in Galliam & Italiam ex Luſitania delatum, Occidentalem, vel de Ponent rectiſſime perhibuiſſent. Subſcripſit opinioni huic *Amatus Luſitanus*, diſertè concludens: *Venetiis Orientalis moſchus duplo venditur pretio, carior Occidentali, quum tamen ab eadem regione portetur.*

Perluſtratâ ſic Aſiâ, Africâ, & Americâ, nunc in Europam deducimur, quæ certè matrem Animalis hujus ſe jactare nequit. Licet enim ex *Fabro* ſuperius Cap. 6. *Bauthſchneri* relatio de Moſcho in Luſitania conficiendo fuerit enarrata, quin ipſe tamen, uti Cap. 9. edixi, & jam repeto, fuerit deceptus, nullus dubito, præſertim quia opificium ipſum à ſe non conſpectum, ipſemet fatetur, infidâ ſolum Incolarum fide inſtructus. Quis verò doctis, aut doctorum etiam ſaltem ſpeciem præ ſe ferentibus, ſi creduli nimis fuerint, ab indoctis vel jocoſis ingeniis ſæpe fabulas obtrudi, jocoſve parari neſciat? vel ſaltem fictitiam illam & adulterinam eſſe maſſam dicemus, ab odoratiſſima herba, Pico di grulla dicta, moſchato odore imbutam; Cui itaque genuinum inter Moſchum locus minime concedendus. Si enim Luſitani Mercatores, lucro dediti ſſimi, in patrio ſolo Moſchum levibus adeo impenſis parabilem ipſi poſſideant, tam dementes eos haud fore crediderim, ut alium remotiſſimis è Mundi partibus, magnis ſumtibus & periculis, ſint advecturi. Accedit, quod *Barboſa*, *Amatus*, *Zacutus* &c. omnes Luſitani, Moſchi tantùm Indici, patrii verò nullam omnino mentionem faciant.

Europa tamen propriæ non unice inhærentes glebæ filios, curioſoſque Naturæ Amaſios perplures ſuſtentans, exotericorum animalium ut eſt cupidiſſima: ita hujus quoque odorati præſentiâ delectatur. Quod Magnatum ideo exornare Aulas, Divitumque & Curioſorum in oblectamentum cedere ſolet, peregrino ex Orbe iſto advectum. Sic refert *Braſavolus*, ſe Venetiis Mercatores vidiſſe, qui *Alphonſo* Duci Ferrariæ Gazellam Moſchum in folliculo habentem, vendere voluerint, qualis etiam in ſua Padana Inſula eundem aliquando in deli-

cus habuiſſe, idem memorat. Pariter à *Bernh. Deſſennio* in horto iſto *Herculis* Eſthenſis, Ducis Ferrarienſis, Animal hujuſmodi conſpectum, ſupra dictum fuerat. *Scaligero* unum Meſſanæ Rhodius oſtendit Eques. *Cardanus* Mediolani & *Viſcherus* Amſtelodami, ſed mortua jam, conſpexerunt. Venetias A. 1621. unum advectum, & ad *Calceolarium* Veronam tranſmiſſum fuerat, *Catherinum Zenum*, Patricium Venetum, hujus generis Dorcadem habuiſſe, apud *Geſnerum* exſtat. De animali vero in horto aulico Friſingæ Bavarorum ab *Höfero* conſpecto ſupra vidimus. Et quis nobis Europæis curioſitatem hanc jucundam exprobrare queat, qui & ipſis Sinis in deliciis ea eſſe animalia, ex *M. Paulo Veneto* novimus, in Viridariis regiis Cambalenſibus, juxta cum Cervis Capreis &c. eadem diſcurriſſe, perhibente?

Cæterum multi ea ſunt in opinione. Animantia hæc in noſtram terram advecta, neque Moſchum præbere, neque diu vivere, à *Braſavolo* ita edocti, qui Animalia ejuſmodi Moſchum quidem apud nos maturare judicat, ſi eum habuerint, quando convehuntur, poſtea tamen non aut ineptè emittere; quod ratione cœli, aëris & victus evenire arbitrantur, propterea quoque noſtro in cœlo brevi exſpirare, cùm diu vivere nequeat, niſi ita expurgetur. Aſt quamvis credita illa violenta ſaniei ſeu potius humoris moſchati expurgatio ſit omnino fictitia, eundem tamen nec adeo perfectè noſtris in regionibus in folliculum ſeparari, & ibi percoqui, nec etiam ea in quantitate & bonitate illuc deponi, ideoque Animal hoc tum iſtam ob cauſam, tum reliquarum rerum, aëris nempe inprimis & pabuli conſueti deficientis intuitu, diu ſuperſtitem vitam quandoque agere apud nos Europæos non poſſe, ſatis eſt veroſimile: præſertim cùm plurium menſium continuato, ſive terreſtri, ſive marino laborioſo itinere multum vitalis eidem decedere vigoris neceſſe ſit: Poſſe tamen quandoque diutius vivum conſervari, non penitus itidem inficias ire vellem. Si enim tot itinerum moleſtias, aëriſque in iis & pabuli mutationes innoxie ſuſtinuit, cur, quæſo, blandiori dein loco traditum, molliterque tractatum, mortis devitare fauces præproperas nequeat? præſertim cùm mox, in Europam poſtquam delatum fuit, minimè exſpirare, exempla teſtentur, ſecus ac eidem in Oriente contingit, ubi ex regno Lu in vicinum Laos regnum abductum brevi emori, ſupra vidimus.

De Moſcho adulterino.

Si quis Sinarum conſideraverit ingenia, quin Moſchi adulterationi magnopere eoſdem ſtudere quilibet ſibi ſit perſuaſurus, nullus dubito. Ut enim aliorum teſtimonia pede ſicco prætercam, unicum *P. Martinium* audire juvat, pag. 5. Atlant. Sinic. ſagaces eos & ſubdolos vocantem, & qui ingenii acumen perperam ſæpe oſtendant dolis & fucis, quibus aliis imponant. Mercatores inſuper eorum induſtrios eſſe ac ſolertes, gentem totam otio inimicam & deſidiæ, ubi vel minima lucelli adfulget ſpes, nullum eis laborem gravem, honeſtoque ſæpe utile eſſe potius & antiquius. Nec non pag. 54. non ſolum callidos, ſed mendaces & avaros eoſdem adpellat. Quod ſanè de aliis etiam vicinis eis populis non omnino negari poteſt. Sed neque hi ſoli mendaces ſunt, avari, & in dolis ac fucis nectendis callidi, propriamque utilitatem honeſto & bono publico anteponunt, cùm & Europæorum quorundam Sycophantarum impiger in decipiendis aliis labor & induſtria plus, quàm facere queat, ſit notiſſimus; nec in ipſo Moſcho, ob pretioſam ejus naturam deteriore reddendo rapaces exercere manus deſiſtant, idque non tantùm clam & ſubdole, ſed & plena in luce factitate nonnulli audeant, Moſchum diverſi pretii à ſe confectum diſtrahentes.

Quas itaque cognoſcere fraudes, non Pharmacopæis tantùm, ſed & Medicis (aliarum profeſſionum Magiſtros ut taceam) quam maxime incumbit. De illis quidem *Helmontium* tract. de flatib, §. 37. audire decet: *Quanquam ſimplicium demerita, adulteriaque ſint plus Mercatorum, quàm Seplaſiarum: attamen illa non diſcreviſſe, tantum ignavi, ignari vel avari eſt pharmacopæi.* Quæ paulò mutata in Medicos quoque nullam in ſimplicium cognitionem habentes diſtorquere licet. Conferantur, quæ ſimili in materia Nob. *D. D. Jo Mich Febrius*, Acad. Nat. Curioſ. Præſes meritiſſimus in præfat. tract. de abſintæ. peroraverat. Quamvis itidem cum *Galeno* lib. 1. de Antidot. cap. 13. ſpuria ejuſmodi Simplicium ex ordine medicamina, vel nullatenus, vel non exactè ab adulterinis ſæpe ſecerni poſſe. fateri cogar, ita ut ex c. 4. d. l. exercitatiſſimos etiam ea in re viros decipiant,

Commodius autem in ſpurii Moſchi cognitionem devenies, ſi diverſos eundem corrumpendi modos præſciveris, quos itaque hoc in Capite enumerare conſtitui. Obſtat quidem *Galenus* tum l. c. tum lib. 9. de ſimpl. medic. facult. cap. de Diphryg. Cui nempe ſatius videbatur, quibus rationibus Opobalſamum, Lycium, cæteraque adulterentur, haudquaquam adſcribere, cùm ſcelerati homines in lucro ponant, talia poſſe addiſcere. Sed magnus nebulonum iſtorum ad fallendum ardor, abſque iſta fraudum in plena luce commemoratione, ſimilia jam ante cognita habet figmenta, in proximi damnum celebranda, ita ut metus iſte tanti momenti eſſe nequeat. Quin & hac ratione nec genuinorum pharmacorum notas propalare ſæpe liceret. quas utpote impii iiti omni dein ſtudio imitari laborant. Mihi tamen nova aut publice non nota fraudum artificia edocere, non eſt animus, ſed quæ tradiderunt alii, tantùm oſtendere, & quâ evitari queant cautelâ, monſtrare intendo. Idque eo magis, cùm raro bonum reperiri, *Joh. Jacob. Manlius de Boſco* in Lumin. maj. ſect. 1. conqueratur. Quamvis noſtram hanc quod attinet Civitatem, Moſchus laudabilis non exigua in quantitate ſemper haberi queat, id quod procul dubio aliorum etiam locorum teſtimonio proprio confirmabitur, ut ita raro bonum ac legitimum his in oris reperiri, ullo modo conqueri haud debeamus. Licet & mangonio defœdatus ſæpe occurrat, à quo itaque cavendum ſibi merito quivis reputabit.

Illud autem eo facilius obtinebitur, ſi genuini notitiam, quam ſeq. Cap. tradere conabor, longiori inprimis uſu comparandam, quis habuerit. Sincerum enim & verum cognoviſſe, eſſe, fucos deprehendere, merito cum *Weckero* fundamenti loco ponitur. Quale quid *Galenum* quoque feciſſe, ipſe fatetur, dum Opobalſamum uſque adeo pluribus artibus adulterari conſiderans, idem ex arbore ſua reſudans adſpicere voluit, exque eo particulam tanquam regulam cæteris cognoſcendis ſemper habere.

Omnia Moſchi genera, unico excepto illo, quod in Animalis folliculo bene digeſtum ac elaboratum fuit, haud pauci adulterinis, ideoque rejiciendis adcenſent. Follicularem quidem illum exſtitiſſe primum, noſtram qui devenit in cognitionem, inque uſum fuit ductus, & reliquos, auri ſacrâ fame ſic perſuadente, ad ejuſdem imitationem poſtea demum fuiſſe excogitatos; poſteriores tamen hos etiamſi bonitate priori admodum cedere apud me non ſit dubium, propterea rejiciendos prorſus nequaquam judico, cùm vel aliis in rebus idem ſæpe effectus, licet diverſis ex operandi modis, obtineatur. Modo enim maſſam ex Animali odorifero, abſque aliis heterogeneis additamentis confectam, genuinum Moſchum odore, ſi non aporrhœarum multitudine, ſaltem qualitate referentem, & revera odoratiſſimam obtineas, de inutili Moſcho omnis in te exulare poteſt ſuſpicio, quâ nempe largius in uſum ductâ, & deſideratam aliis rebus fragrantiam conciliare, & ſalutares in corroborando ſucceſſus obtinere.

Verſi-

Verſipelles tamen in Sina Mercatores eapropter non excuſatos velim qui ex ſanguine, pelle, aliiſque Animalis exuviis Moſcho additis marſupia, quæ pellis Animalis ſubminiſtrat, teſte *Martinio*, infarciunt, ac tanquam vera & genuina venditant, præcipuè ſi ſola rudiori modo confecta maſſa intrudatur: nec per debitam prius putrefactionem odoratæ in ea ſeſe extricaverint particulæ. Quod etiam de illorum ruſticorum Butanenſium fraude, quam *Tavernierius* adnotat tenendum, qui hepatis particulas minutim conciſas cum animalis ſanguine Moſcho admiſcent. Aſt hæc ipſa maſſa facile ſe proditura eſt, quæ fibroſam venarum &c. ſubſtantiam inquirenti patefaciet, nec etiam vehementi odore illo, quem genuinus exhalat, fragabit. Quod ſi animalcula quædam, quæ tractu temporis, poſt unum ſcil. duos vel tres annos innaſci Moſchum genuinum ipſum depaſcentia, *Tavernierius* prodidit, ſint immixta, eo certiorem in fraudis cognitionem deducent.

Ab aliis itaque diverſo è fonte deducti Moſchi generibus merito cavendum, ſive genuinas ille admixtis rebus aliis inodoris multiplicatus, ſive etiam ex alterius generis odoratis ſimplicibus fuerit.

Sic avis cujuſdam fimo adulterari, *Alexander Benedictus* admonet, qualis tamen ſit illa, non exprimit. Quod ſi verò hoc ita ſe habeat, forte ſtercoris illius, quod ab ave quadam emiſſum Exc. *D. D. Juſt. Fid. Klobius* in hiſt. Ambræ pag. 33. & ſeq ipſammet eſſe Ambram veram, probare conabatur, ſuſpicio quempiam tangere poſſet. Aſt nec Moſchi, viliori pretio comparandi, fraudulentam elaborationem Ambræ ſubſtantiam, ut longe cariorem, ſi genuina exſiſtat, adhiberi eſt credibile, nec Ambram agnoſcere dictos natales, ſed revera magis bituminoſos eſſe, ipſa ejus reſinoſa natura evincit, relationibus, quæ in contrarium adducuntur, nil quidquam ſolide comprobantibus, à meris tantum auritis & infidis, nullis oculatis teſtibus profectis.

Aſt muſcerdam ſæpe pro Moſcho, genuino ſcilicet immixtam, vendi, *Monachi in Meſuen commentantes* habent. Sic & Muſtelarum odorato excremento quoſdam pariter abruti, *Aldrovandus* animadvertit. Ubi ſane, prout in cæteris omnibus, jamjam recenſendis, ſi parce & caute heterogenea iſta ſint conjuncta, difficillime & vix unquam, niſi à peritiſſimo aliquo, in fuſci deprehenſionem pervenitur. Sed largius admixta ſcybala iſta odoris imminutio inprimis certius patefaciet.

Iſta materia, ſcribit *Fallopius* de Moſcho, *ſolet corrumpi, & ita apud Chymicos infinitæ habentur deſcriptiones conficiendi & multiplicandi moſchum. Accipiunt humanum ſanguinem, ſuſpendunt in cloaca in veſica, admiſcent poſtea moſchum.* Sed ni majori, quàm decebat, in Chimicos odio prolata fuerint, uti ubique, ſic & eos inter, qui Chimicorum adfectant nomen, deceptores dari nemo inficias ire poteſt. Nec tamen infinitæ illæ multiplicandi deſcriptiones in Chimicorum libris deprehenduntur, quin pleræque aliæ, paſſim obviæ, rudiores tantum & omnis pyrotechniæ expertes confectiones, ſimpliceſque mixturas exhibent. Prout & illa cum ſanguine humano, fœtores inter ſuſpenſo celebrata revera nihil artificii Chimici oſtendit. Imò credita hæc impoſtura, ſi unquam peracta, tam craſſa eſt, ut nec imperitiſſimum aliquem facile poſſet decipere. A ſimplici enim illa in cloaca ſuſpenſione non poteſt non ſanguis fœtidiſſimum in liquamen abire, cujus odorem addita, parciori inprimis manu, Moſchi portio obtundere gratumque reddere nullo modo valebit.

Alias ſanguinem diverſorum animalium hunc in uſum adhiberi, legimus, dubio procul ideo ei deſtinatum, cùm Moſchus vel ſanguis potius quaſi analogus quodammodo humor eſſe videatur.

Moſchum ſimulare maſſam quandam è ſanguine hœdino, pane aſſo, ladano ac moſcho conſtantem, *Auguſtani* mei in Pharmacop. Prolegom. cap. 2. admonent. Quod *Joh. Renodæus* lib. 4. Inſtitut. Pharmaceut. cap. 17. uberius proponens, *Moſchum*, ait, *ſimulat maſſa, quædam è ſanguine hædino, pane aſſo, & trito, atque ladano ſubacta, in pyxide aut alio vaſe idoneo ſervata, in quo diu moſchus verus aſſervatus fuerit. Fraus ſubtilius occultatur, ſi portio moſchi optimi commiſceatur. Sed detegitur non modò conſiſtentiâ & colore, ſed odore, qui in fictitio cito evaneſcit.* Quod etiam *Joh. Platearius* jamdudum lib. de ſimpl. medic cap. de muſco edixerat, Moſchi nempe parti unicæ tres quatuorve ſanguinis hircini modicè aſſi vel panis aſſi admiſceri. Confer. *Joh. Bapt. Porta* Mag. nat. lib. 11. cap. 11. Sanguinem columbinum impoſtores quoſdam aromatibus quibuſdam excipere, iiſque ſiccatis ad ſolem, iterumque triti, & aquâ roſaceâ moſchatâ aliquoties rigatis ſiccatiſque, tertiâ vel quartâ parte moſchi veri admixtâ, eundem adulterare, in *Guil. Van. de Boſche* hiſtor. med. animal. lib. 1. cap. 20. legimus. Quoſdam vero ſanguinem noctuæ eligere, ejuſque in tegula ad lentum ignem ſiccati ℥ ij. moſchi ℥ j. cum aqua roſarum permiſcere conſtat.

Præter ſanguinem hædinum & panem aſſum, carnem etiam columbinam ſiccatam huic fraudi opitulari, *Jacob. Sylvius* de ſimplic. medic delect. teſtatur. Verum panem aſſum cito frangi, vel reddere maſſam friabilem nimis, & ſanguinem hircinum lucidam ac claram, *Platearius* ſtatuit. Sed ſplendorem iſtum ſuppeditare incertum admodum ſignum, in Ann. VIII. Miſcell. Germ. Curioſ. obſ. 53. oſtendi, ſicciora genuini Moſchi granula ſplendidam intus faciem aliquando mihi exhibuiſſe, adnotans. *Renodæus* vero, ut dictum conſiſtentiâ non modo & colore, ſed & odore, qui cito evaneſcit, fucum detergere laborat; quem ultimum, odorem nempe, omnium optime huc accerſiri; non dubito, non tantum cito evaneſcentem, ſed & antea non eo, quo alias pollet, acumine nares ferientem; qui optimus etiam index erit, ubi jecore hædino arefacto quo alios uti *Alex. Benedictus* refert; vel lupino, juxta *J. J. Manlium*; aut bubulo, ex *Lindſchotano*, fuerit permixtus. Nam licet cum hepate v. g. bubulo facta fraus odoris qualitatem, uti bene notat *Baldus Baldus* in Rom. opobalſ. propugnat 3. non immutet, cùm illud odore careat, fragrantiæ tamen magnitudinem multum imminuit.

Boymius cum ſanguine draconis Moſchum miſceri, ſicque ex uno pappo ſive utriculo duos aut tres alios fieri ſcribit, quæ tamen mixtura cognoſcatur, ſi ab adusto tali carbonis inſtar aliquid remaneat; quanquam & ſelectiſſimus Moſchus, igni commiſſus, nunquam evaporare omnimode obſervetur, ſed carbonem quaſi quendam relinquat. Aſt ſi neque nares, neque lingua dolum iſtum manifeſtarent, oculis certe rubicundo colore ſuo, in vero Moſcho nunquam, quod ſciam, deprehenſo, mox ſeſe proderet.

Semine angelicæ Moſchi pondus à quibuſdam augeri, fictitiumque diverſis modis, vel ex N. M. maci, cinnamomo, caryophyllis, ſpicâ nardi, vel è benzoë, cera, carie fraxini, vel ſtyrace, ladano & xylaloë parari, *Porta* & *Geſnerus* recenſent. Quo & quartum illud Moſchi genus à *Marino* proditum reponemus, Mixturam ſcilicet ex ſuccino & Zibetho, dum ſcribit: *Un' altra ſorte di muſchio ſi compone, che vienne in Europa in piu abondanza, che non viene il vero; la ſua miſtura è parte quell' ambra, che à certa ſtagione ſi peſca intorno alle ſpiaggie di alcuno Iſole dell' India Orientale, e parte il ſucco, che ſi cava dal corpo del gatto detto di Algalia, e rieſce con tal temperamento più grato l' odore, che non ſarebbe quello della ſemplice ambra, che da ſe il manda aſſai forte, e poco grato alle narici;* nec non Bautſchnerianum ſuperius expoſitum. Sed omnes has impoſturas quilibet, qui emunctæ naris eſt, & genuini aliqualem habet cognitionem, haud difficulter deterget.

Plumbi quoque particulas, atque argenti limaturam, ut ponderoſior fiat, jam olim admiſcere conſueviſſe quoſdam, ex *Elluchaſem* diſcimus, quod & poſtea *Mendoza* &c. tradidit, neque hoc etiam tempore eſſe inſolitum, *Tavernierius* conſentit. Idem alii cum arena attentant. Qui ſanè licet non minus haud leve committant ſcelus, præ aliis tamen tolerabiliores ſe præbent, non ipſam utpote Moſchi ſubſtantiam corrumpendo, ſed ponderis tantùm adventitii augmento, nummos emtori ſuffurando. Rapax vero hæc avaritia, ſi nimium limaturæ plumbeæ vel argenteæ admiſcuerit, pondere notabili ſeſe ipſam eſt proditura, dum genuinus Moſchus, trutinâ examinatus, levem ſatis exhibet ſubſtantiam. Quod ſi extra folliculos venalis exponatur, metalli limatura vix oculos ſubterfugiet, arenulas autem maſticatio abſque mora manifeſtabit.

Tandem ſalis ammoniaci ſpiritu conſperſum, & à vagabundo Myropola aliquando oblatum memorat Excellent. *Dom. Ludovici*, qualem etiam paucis ante annis ad nos, tanquam electiſſimum tranſmiſſum à quodam fuiſſe, recordor; quem tamen exoletum eſſe corpus, pauco odore nativo imbutum, comperii, particula ejus per noctem aeri liberiori, ſuaſu meo, cùm expoſita fuiſſet, ſic enim avolante urinoſo ſpiritu, qui antea moſchato junctus odore acuto nares fallebat, parum odoratum corpus remanſerat, quod itaque Moſchi opprobrium mox ad Poſſeſſorem remiſſum fuerat. Haud diſpari admodum ratione celebris quondam apud Neapolitanos Pharmacopæus, *Joſeph Donzellus* in Theatr. Pharmaceut. cap. de Elect. Alkerm. Mel. idem cum ipſa urina quoſdam tentare adnotat: *Falſificano i truffatori il muſchio in diverſi modi, e ſpecialmente non ſi vergognano alcuni temerarii humettarlo coll' urina, per augmentarli il peſo.* Quæ fraus ſi Moſchus cæteroquin ſit bonæ notæ, non facile deprehendetur, niſi quis emunctiſſimarum narium homo fuerit, & veri adcuratiſſimam habuerit notitiam, idque eo facilius, ubi largâ adfuſione liquoris iſtius lucrum majus impoſtor quæſiverit. Quid cum exoleto Moſcho alii, latrinarum fœtoribus eum exponendo, faciant, inferius inquirendi & diſcutiendi anſa dabitur. Verum ſatis de fraudibus.

De Moſchi Electione.

Adulterini Moſchi cognitionem merito nunc genuini ſigna excipiunt, quæ plurima paſſim adducuntur. Cùm tamen non æque omnia ſatisfaciant, ſingula percurrere, & quantum iis fidendum ſit, inquirere neceſſe eſt.

Et ut primus iterum de folliculis ſermo habeatur, bonum ſe poſſidere Moſchum nonnulli credunt, modo folliculos integros ſibi comparaverint. Quo intuitu Tebeticum *Maſudius* apud *Serapionem* præferebat Sinenſi, eam quoque ob cauſam, quòd Tebetienſes non ſoleant eum è veſiculis ſuis eximere, ſecus ac Sinæ factitent. Si tamen *Monachos*, qui in *Meſuen* commentati ſunt, cum *Geſnero* & *Porta* ſequi velimus, folliculis iſtis integris fides ſtatim adhibenda non eſt, cùm impoſtorum etiam manus ſimillimos, variiſque rebus impletos, & interpoſito Moſcho vero, odore ejus imbutos, ſupponere non ignorent. Et Saracenos ex pelliculis genuinis inciſis legitimum Moſchum auferre, eaſdemque adulterino infarctas iterumque, conglutinatas divendere, *Platearius* memorat. Quod & ruſticos Butanenſes, nec non Sinas, folliculos genuinis ſimiles efficiendo, probe callere, *Tavernierius* & *Lindſchottanus* admonent, atque ſuperius jam *Fuchſius* pag. 21. nos edocuit. Aſt quòd *Platearius* Moſchum hoc modo depravatum cum pelle ſua duplo pondere graviorem fieri, addit, cum ſincero ſi conferatur, nullius roboris eſſe poteſt. Uti enim fictitius non ſemper in pondere genuinum ſuperat, ſi nempe ex rebus levioribus componatur: ita folliculi iſti repleti graviores minime redduntur. Imò diverſitas ipſa ponderis in genuinis veſiculis ſufficienter illud revellit, dum modo majores, minores modo exſiſtunt, Moſcho quoque magis minuſve, eoque vel humidiore vel ſicciore turgere deprehenduntur. Conglutinatio autem venditata, adcurati emtoris in manus ſi inciderit, vix latere eum poterit. Neque ex alia hujus alteriuſve Animalis pelle unquam naturalibus adeo ſimiles effingentur utriculi ut non, veros qui probe inſpexerit, abſque ulla difficultate ab eis dignoſcere tales valeat, id quod, inprimis, pili adhærentes, in folliculo longe aliam faciem & ſitum, quàm in reliquo corpore nacti, nec non meatus in acumine veſtigium prompte ſuppeditabunt.

Aſt integris nihilominus folliculis, & nullâ prorſus exterius labe comparente, fidem abſque ulla hæſitatione minime adſtruerem, cùm (ut de Moſcho in odore langueſcente, qui intus latitare poteſt, nihil dicam,) ex recentibus illis veſiculis Moſchus naturaliter inibi collectus & adhuc liquidior dubio procul per meatum falciformem exprimi, perque dilatatum eundem tum paſta alia aliqua, tum & plumbi &c. particulæ intrudi queant. Quam fraudem, exſiccato præſertim poſtea folliculo, contrahente ita ſe meatu dicto, nemo oculis aliove indicio cognoſcere poterit.

Quod ſi tamen integrum iſtud receptaculum aperiatur, ſuppoſititiæ maſſæ omne periculum evitabitur, ſi nempe conglobatus in eo Moſchus, & pellicula illa tenuis per ſubſtantiam reptitans, conſpiciantur. Quod ſanè Naturæ artificium per iſtas meatus anguſtias nulla fraus humana facile imitabitur.

Prout etiam Veſiculas arte conglutinatas non ſimpliciter rejicere decet, quæ optimum nihilominus poſſunt continere moſchum, qualem beatus *D. Dan. Ludovici* Eph. Germ. Cur. Ann. IX. obſ. 38. memorat, doctaque conjecturâ dilucidat.

2. Collectionis & præparationis modum qui attendunt, modò vi abrepto, aut ex ſanguine etiam, teſticulis vel carne præparato primum locum tribuunt. Ubi, quæ mea ſit opinio, ex ſuperioribus abunde conſtat, qui, purulento plane, ceu imaginario, valere juſto, primatum ſemper folliculario illi humanâ ope exemto, adſtruo, reliquis dummodo bene ac decenter parati fuerint, & quod magis eſt, fabuloſi haud exſiſtant, non omnino damnatis, parum tamen à me æſtimatis, raro utpote ad nos adportari ſolitis; id quod forte (ne nugarum quenquam reum faciam,) Mercatorum Europæorum, aut aliorum Moſchum ad nos deferentium, ſolertiæ in dignoſcendo ac conquirendo illo acceptum ferre poſſumus.

3. Magnum reſpectum Autores habent regionum, in quibus Moſchus provenit. Eatenus quidem conſentiunt omnes, quòd Orientalis ſit nobiliſſimus, viribuſq; ſuis Occidentalem longe poſt ſe relinquat. Cujus rei cauſam reddere conatur *Amatus Luſitanus*, Ulyſſiponam per mare ſex menſium advectum ideo alteri illi, terreſtri itinere Venetias delato, bonitate, & conſequenter etiam pretio cedere, ſcribens, quia diu in mari permanens plurimum ſuæ amittat generoſitatis, ejuſve nimiâ contractâ humiditate hebetetur. Cui patrocinari videtur Nob. *Dom. Joh. Joach. Beccherus* Phyſ. ſubterr. lib. 1. ſect. 5. cap. 2. pag. 409. Vino &c ſi pauci inſint ſpiritus, ex ♀eis & ⊖nis partibus conſtantes, facile ab inhalantibus aquæ fluvialis vel marinæ atomis & corpuſculis ſuperari eos perhibens, ut potus omnino vappeſcat ac deficiat, addens: *Et clarâ experientiâ videmus, ea aromata, quæ per terram ex Oriente Venetias afferuntur, fortiora eſſe, quam quæ magno iſto itinere marino per Belgas mari, Hollandiam uſque vehuntur.* Quod equidem de vino, cinnamomo, pipere, ſimilibuſque

libuſque aromatibus haud negaverim: aſt idem ad Moſchum quoque extendere ſi quis vellet, non parùm fortaſſe erraret. Dum enim hic adcuratiſſime utplurimum, in plumbea etiam pyxide, reconditus adfertur, eo ipſo ab humidioris aëris adpulſu ſatis immunis remanet; cùm econtra dolia vinaria, ſaccoſque aromatibus condendis deſtinatos longe promtius ſubire eum, ſpirituoſaque corpuſcula abducere ſecum valeat. Unde Occidentalem aut negligentius cuſtoditum, aut additamentis quibuſdam depravatum pronunciare mallem, alias eodem in pretio cum Orientali eum habiturus, cui etiam non cedere, plus vice ſimplici expertus fui.

In ſpecie verò *Ebn Sina* meliorem ſequentibus verbis determinat: *Optimus eſt ſuæ fodinæ* (i. e. originis) *ratione Tebetienſis*. Atque ita pateſcit, quam longe à ſenſu textus Arabici vetus aberret Interpres, qui: *Melior eſt ſecundum mineram ſuam Antebium*, reddidit. Idem apud *Serapionem* confirmat *Maſudius*, Tebeticum nempe Sinico meliorem eſſe, tum, quod antea dictum receptaculi conjuncti causâ, tum pabuli melioris intuitu. Atque illa ipſa haud dubie cauſa *Geographum* etiam *Nubienſem* impulit, ut in fine clim. quarti: *Moſchus Tubienſis præſtat reliquis ex India & Sina*, ſcriberet. *Proinde*, verba ſunt *Bocharti* huic loco addita, *quamvis etiam in India proveniat muſcus, Tubetienſi tamen Indi lubentius utuntur, tanquam ſuo præſtantiori; utpote quem Damir cap. de caprea, malum adpellat*. Quod inprimis de Indico maritimo verum eſſe. *Ebn Sina* perſuadet, Sinenſi tamen idem bonitatis encomium non denegans, quod & *Paulus Venetus* eidem largitur, atque non minus Indico *Tavernierius* pluresque alii. Incertiſſimum itaque ex hoc capite indicium deſumitur. Quod & nobis mediterranea & remota adeò loca inhabitantibus parum emolumenti dare queat, qui per tot Mercatorum manus antequam ad nos perveniat, eundem pervagari ſcimus, ut de patrio ejus loco non niſi infida utplurimum fides nobis ſuperſit.

4. Victus Animalis differentiam parit, quàm *Ebn Sina* exponit: *Ratione pabuli fragrantiſſimum dant Moſchum ea animalia, quæ utrumque behmenum & nardum, deinde quæ marrubium paſcuntur*; cui etiam *Maſudius* conſentit, Moſchum Sinicum ideo deteriorem eſſe Tebetienſi, judicans, quòd alia animalia ſpicâ odoratâ aliiſque herbis aromaticis non æque paſcantur. Licet autem victus determinatus ſit admodum incertus, & merè potius imaginarius, ſi tamen ejuſmodi fuerit, quin odoratis ſuis particulis Moſchum præſtantiorem reddere valeat, non eſt dubitandum. Attamen hac ratione nec Sinicus, nec etiam Indicus, vel ipſe maritimus, ultimo loco ponendus erit, cùm & ibidem vel nardum iſtam, vel alias odoratiſſimas plantas, quæ in pabulum cedere queant, creſcere, ſit certiſſimum. Omiſsâ itaque & hac minus ſolidâ electionis notâ,

5. Ipſa Moſchi ſe offert ſubſtantia quam ſiccam eſſe debere contendunt. Sed qui ſiccitatem non niſi ab aëris liberiori acceſſu, ætatiſque incremento oriri, humidum verò ſic ſatis utplurimum in folliculis Moſchum contineri, eumque præſtantiſſimum, obſervavit, palmam huic potius, quàm illi tribuet. Ego cæteroquin nec humidum ſimpliciter laudarem, extra folliculum inprimis exhibitum, cùm ab extraneo aliquo humore illum contrahere madorem, & vel urinoſo conſpergi liquore potuerit; nec etiam ſiccum eapropter præferrem, utpote non exiguo odoratarum atomorum effluxu quodammodo depauperatum. Ob idipſum tamen ſiccus non omnino rejiciendus erit, qui licet cum humidarum particularum exhalatione odoratarum etiam aliquam fecerit jacturam, potiores tamen & potentes admodum nihilominus in ſinu ſuo abſcondit.

Neque 6. quem meliorem judicat *Alex. Benedictus*, conglobato ſidem ſimpliciter habeo, qui & manuali operâ facilè talis effingi poteſt, nec etiam maximè licet genuinus, in ipſo folliculo talis ſemper omnis occurrit.

Neque *Platearius* mihi probatur, eum dilaudans, qui *non omnino clarus* vel ſplendidus ſit, ſed cujus grana ſint lata, perque totum æqualia, *ad modum xilocaractæ*. Verùm nec ſplendorem iſtum adulterini præbere indicium, Cap. præced. jam fuit dictum, nec abſentia ejuſdem quidquam commendat, cùm utramque in Moſcho ſincero, ex unica etiam veſicula deprompto, quandoque poſſe deprehendi, ipſa experientia me edocuerit. Grana verò modo latiuſcula, modo rotunda, æqualia, moda inæqualia eſſe, eâdem operâ didici, ita ξυλοκέρατα (*xilocaractæ Plateario* ineptè, aliis imò multo obſcurius: *xiloceraunia* dicta,) ſive ſiliquæ, aut earum ſeminula in pulpa latentia cum Moſchi granulis comparari adeo generaliter non mereantur.

7. Multis probatur *Sim. Sethi* in exploratione εὐπόειςον: δοκιμάζουσι δὲ τινὲς τοῦτον οὕτως ἐν κατυγρασμένῃ λεκάνῃ, ἢ χερνίβῃ μετὰ τὸ ςαθμῆσαι τιθέασιν αὐτὸν, εἶτα πάλιν ςαθμῶσι, καὶ εἰ μὲν τῷ ςατμῷ ὑπερέξει, ἀνόθευτον αὐτὸν ἡγοῦνται, εἰ δὲ μὴ, νενοθευμένον λογίζονται; *id eſt. Quidam eum probant: poſtquam ipſum ponderarunt, in pelvim humidam aut gutturnium injiciunt, & iterum aquâ lance expendunt, ſi verò pondere præſtat, genuinum ipſum æſtimant, ſi ſecus, adulteratum pronunciant* : *Martini Bogdani* verſione. τὸ ὑπερέξει itaque *Bodganus* : *pondere præſtare*, vertit *Gyraldus* etiam, qui legit : ὑπερέξει, *pondere ſuperat*, habet; cui accedit *Geſnerus*, ὑπερέξει tamen legendum judicans, licet τὸ ὑπερέξει MSStorum plurium fide nitatur. *Ruellius* econtra, *Fuchſius* & *Sylvius* eum, qui ſuperfertatur, leviorque evadat, præferunt. Nec fortean adeò male, cùm τὸ ὑπερέξει tot MSStorum, iſtorum etiam, quibus Bodganus fuerat uſus, autoritate polleat. Quamvis revera omnia hæc nullius ſint utilitatis, ſive iſtam, ſive illam quis verſionem amplectatur; cùm probandi hanc rationem queî admittere queamus minime videam. Uti enim diverſæ ſunt Moſchum corrumpendi artes, ita quædam earum modò reſolubilem magis, modò reſolutioni diutius reſiſtentem producunt; unde illum in pondere imminui, equidem non negandum, alterum verò ob adhærentes aqueas particulas creſcere potius neceſſe eſt. Imò ipſe genuinus ſi humidiuſculus adhuc è folliculo depromtus fuerit, aquæ præſentiam expertus dein quaſdam ſui partes facilius dimittit, & inprimis ſi paulò diutius aquæ junctus fuerit, abſque ullo dubio aliqua ex parte ſolvitur, ſicque per conſequens, lance expenſus, levior poſtea comparet, & adulterati ſuſpicionem hoc modo præter meritum incurreret.

Ubi illorum etiam meminiſſe licet cum *Plateario* laudem iſti deferunt, qui neque citò ſolvitur, neque multum reſiſtit. Id quod in legitimum Moſchum cadere poſſe, equidem haud ibo inficias, aſt nec ſemper id eſt neceſſarium, ſiquidem humidus magis qui eſt, promtius etiam ſolvitur, ſiccior verò & in granula probè compactus diutius reſiſtit. Ut taceam, eandem ſolutionis qualitatem in fictitium non minus quandoque cadere. Humidâ idcirco exploratione non ſuccedente, quid

8. Ignis δοκιμασία valeat, diſpiciamus. Quoſdam enim prunis ardentibus eum exponere, & ſi liquefiat olei in modum, tenuiſque veluti pellicula aranei figurâ relinquatur, pro ſinceritatis ſigno habere, ſin infletur tumeatque, ac veluti calcis maſſæ ſimilis reddatur, ſpurii notam eſſe, *Aldrovandus* memorat. Aſt ſi terreſtres multas in Moſcho (quas ipſa ejus origo teſtatur) commixtas eſſe partes, quis conſideret, tenuem ſaltem pelliculam ab ignis violentia relinqui, nemo amplius ſibi perſuadebit. Unde etiam in genuino ſi experi-

experimentum capiamus illum prunis ardentibus impoſitum intumeſcere, corpuſque aliquod craſſum relinquere videbimus. Liquefactio autem iſta & tenuior reſtitans pellicula longè certius à fictitio, qui v. g. ex reſinoſis effingitur, ſunt ſeparanda. Unde neque hæc bonitatis nota attentionem merebitur.

6. Plurimi ex colore ſigna deſumunt, in eo tamen determinando diſſentientes. *Ebn Sina* citrinum cenſet optimum. *Nos autem, Braſavoli* deciſione, *hujus coloris moſchum nunquam vidimus, niſi per citrinum, ferrugineum colorem habentem intelligat.* Et *Jacob. Sylvius* lib. de ſimpl. medicam. nat. ſubflavum meliorem judicat, quàm nigricantem; ex Cathai tamen nigrum præſtantiſſimum hodie adferri, & noſtrum ferè eſſe ferrugineum, *non quem Avicenna probat, citrinum,* ſubjungit. Sic quoque ſubnigrum odoratiſſimum apud Mercatorem, qui ex provincia Cathai ſe attuliſſe eum fatebatur, vidit *Braſavolus* Venetiis. Nigrum etiam pro ſincero habet *Alex. Benedictus.* Omnino tamen nigrum non probat *Platearius,* qui eidem ſubnigrum præfert, optimum tamen & laudatiſſimum ſubrufum eſſe pronuncians, omnino accedentem ad colorem ſpicæ nardi, qualis habeatur ex capreis, quæ ſpicam nardi depaſcuntur, & vix (ſed quæſo : Cur?) adulterari poſſit. Subnigrum etiam (*deſſen Farb auf ſchvvartz oder dunckelbraun fallet,*) planè rejicit *Conr. Kunrath* part. 2. Medull. deſtill. tract. 7. cùm effœtus ſit & virium expers, qui viciſſim ſubluteum commendat, inprimis qui madefactus manui adfricatus luteo eam colore tingit. Quod κελτὸν Illuſtr. *Regia Societas in Anglia* perpendens, alias inter quæſtiones in Indiam miſſas, hanc quoque repoſuerat: *An verus moſchus diſcernatur à falſo per ſuam flavedinem, ſi manus fricetur, & per conſtantiam ejuſdem coloris & odoris?* uti videre eſt in Actis Philoſoph. A. 1667. 11. Martii. Qua in animorum fluctuatione, à cauſis tum internis, tum externis colorem Moſchi ſuas intenſiones & remiſſiones ſuſcipere omnium primò eſt quod moneam; non ſecus atque Ambra, quæ primò album, deinde gryſeum, citrinum, fulvum nigrumque colorem, ſecundùm aliquos, ſuſcipere, vel quod certius, ex gryſeo in albeſcentem ſenio confecta tranſire dicitur, aut prout Zibethum initio albidum, ætate verò procedente melleum, leoninum, & ſubfuſcum colorem oſtendit; quod idem quoque in Vino, Balſamo, aliiſque liquorum generibus, juxta eorum ætates, puritatem, impuritatem, locum maturitatem, cruditatem, corruptionem, adulterationem, præparationis varietatem fieri, experimur quotidie. Sic nempe in Moſcho, ejuſdem ab ætate, loco natali, in hoc illove anni tempore generatione, adulteratione, præparatione, Animalis victu, ætate, ſanitate &c. admodum variare poſſe colorem, non eſt dubium. An itaque cum *Laur. Catelano* cap. 11. de Confect. Alkerm. coloris in electione magnam non eſſe habendam rationem, dicemus? qui cæteroquin obſcuritatem & nigredinem hunc ferè commendare addidit. Certè obſcurum illum & ferrugineum colorem utplurimum in Moſcho (loquor autem unice de eo, ex ipſis folliculis deprompto, ſincero & genuino) occurrere ſcio, nigrum tamen propriè dictum videre mihi nunquam contigit, prout nec luteum, aut qui colorem paleæ habeat, quem ut meliorem commendat *Guil. Placentinus* de medic. flaveſcentem tamen quodammodo vel potius ſubrufum non unicâ vice obſervavi, imò utriuſque præſentia in uno eodemque folliculo aliquoties ſeſe oculis meis exhibuit, qui tamen in odore ſibi erant perſimiles, ideoque nullus præ altero prærogativam aliquam vindicare ſibi poterat. Hinc neque ad flavum colorem qui accedit, neque etiam ſubnigrum negandum aut omnino rejiciendum puto. Imò inſuper à nulla re heterogenea admixta defœdatum, ſed maximè genuinum, eque folliculo ipſo à me exemtum, ſubfuſcum, albicantibus, nonnunquam etiam rufis quaſi atomis ſuperficietenus conſperſum unâ alteraque vice obſervavi. Quo intuitu nec certum à colore bonitatis indicium ſubminiſtrari, nec tamen ullam ejus in electione habendam non eſſe rationem, adfirmo. Flavedinem autem illam, à fricatione in manu excitatam, in omni, quem eapropter examini ſubjeci, Moſcho conſpexi, ut ita eandem in vero folliculario adeſſe debere penitus mihi perſuadeam; ita tamen, ut præſentia ejuſdem infallibile ſinceritatis indicium neutiquam præbeat, cùm & in factitio impoſtorum manus eandem imitari valeat, quæ aliàs flavedo tam conſtans eſt, ut etiam à ſicco & diu jam adſervato Moſcho, ſi manui vel chartæ adfricetur, impetrari queat; quam ideo odori nativo & conſtanti junctam ad genuini certitudinem cognoſcendam aliquod adferre momentum nullus ambigo.

10. Amaritiem, vel ſubamarum potiùs ſaporem in genuino requirunt tantùm non omnes, *Platearius, Catelanus, Donzellus &c.* Ipſe etiam ſubamarum eſſe, uti *Sal. Albertus* in Orat. de moſch. vocat, vel leviter amarum, ceu *Alex. Benedictus* loquitur, ſemper hactenus deprehendi. Ut ſanè *Dominic. Auda,* de folliculario agens, erraſſe dicendus ſit, dum in Prattica de' Speciali illum judicat eſſe meliorem, qui non ſit amarus. Alias ſi ex ſolo ſanguine vel carne paratus ſcrutinium hoc ſubeat, quin amaritudo iſta abeſſe queat, minùs dubito. Sed nec amarus ſapor ille quidquam ſolidi largitur à fraudulentis artibus facilè eidem conciliandus. Cum itaque Moſchus ſelectior ſit amaricans, quid de *Galeni* credita poſitione, lib. 4. de ſimpl. medic. facult. cap 22. amarum nunquam odoratum eſſe, dictitante, ſentiendum ſit, vel ex ſolo perſpicere quilibet poteſt; quamvis mendum ſubeſſe ibidem, alii jam notaverint, unde etiam mox, in odore ſuaviſſimis, veluti roſa &c. amaritudinem non paucam adeſſe, ipſemet ſubjungit. Majori itaque probabilitate, amarum ſaporem eſſe principium grati odoris, odoratumque, quod non ſit amarum, difficilè reperiri, *Theophraſtus* lib. 6. de cauſ. plant. cap. 13. eduxerat, vel ut *Plinius* lib. 21. Hiſt. nat. cap. 7. loquitur: *Odorato ſapor raro ulli non amarus, è contrario dulcia raro odorata.* Odorata tamen dulcia dari, vel ſolum aniſi ſemen comprobare valet.

11. Adduci meretur *Scaligeri* ſententia, exercit. 21. de ſubtil. conſignata *Adulterationem aut ſinceritatem ita vel deprehendunt vel probant: Sincerum naribus admotum illico ſanguinem elicere.* Et exerc. 211. §. 6. *Ejus excellentiam probant Perſæ, ſi odorantibus ſanguis è naribus proliciatur; ſed ita demum, ſi periculum jejuni faciant.* Quod & antagoniſta ejus *Hieron. Cardanus* lib. 10. de ſubtilitat. his verbis exponit: *Ipſum moſchum è Perſide advehitur: ubi ſi recens fuerit, & neque adulteratum, tam vehementis odoris eſſe fertur, ut jejunis naribus admota veſica, ex eo ſtatim ſanguinem proliciat. Quod Vartomannus quatuor viris uni poſt alium contigiſſe adfirmat.* Quam explorationem tanti faciebat *Fallopius,* ut fuerit auſus ſcribere: *Probatio in nulla ratione conſiſtit, niſi in hoc: quum aperitis veſicam, admovete naribus, ſi excitat ſanguinis fluxum, bonus eſt; hoc facit etiam; ſi quis in toto vitæ curriculo ſanguinem non emiſerit.* Et *Tavernierius* in Itiner. certum putat, veſicas genuino Moſcho inſtructas, ſi naribus admoverentur, odoris vehementiâ ſanguinem eſſe elicituras; *Franc. Alexander* verò ſincerum ori incluſum, ſanguinem è naribus ciere, vel æſtum vehementiſſimumque calorem, aut ſi præſtanti proximus, ingentem capitis dolorem. Cui itaque grave illud ſanguinis ſtillicidium, quod ex frequenti Confectionis alkermes uſu cuidam accidiſſe *Amatus Luſ.* retulerat inque lapidem lazuli culpam rejecerat. Excel. *Dom. Freder. Hofmannus* in Calv. pharm. Schroderus pag. 181. adſignare rectius maluit. At cur, qui ad nos adfertur, virtute illâ ἀναϛομωτικῆ haud polleat, cùm raro, aut etiam nunquam ſanguinem eliciat, ſi

quæ

ſi quæratur? *Sal. Albertus* eundem non tam ſanguinem eſſe in tumorem ſub ventrem collectum, reſpondet, quàm cruorem potius, hirudinum ſuctu, poſt folliculi avulſionem admotarum, detractum, & perpauxillâ quantitate illius efficaciſſimi, è folliculo depromti, conditum. Quod tamen haud ita eſſe, ex antedictis jam clarum eſt. *Cardanus* verò non niſi adulteratum ad nos deferri, idcirco credit; ad quod tamen ut confugiamus, nulla nos cogit neceſſitas. Aliter ſtatuit *Franc. Perla* de Opobalſ. Orient. *Perrarò*, ſcribens, *eâ felicitate naturalia agunt, quæ à Scriptoribus prædicantur; nec tamen, ubi aliquid non exactè reſpondet, ut falſum repente proclamandum eſt.* &c. *Moſchum eadem ratione rejiciemus, naribus namque admotus, nunquam ferme ſanguinem odoris vehementia elicit, ut Scriptores de ipſo inſinuarunt. At hoc eſt nimis ex ſyngrapha agere: neque enim Scriptorum verbis ita inhærendum eſt, quin eorum mens potiùs ſpectetur, & quod dicunt, cum ſalis mica accipiatur, aut ſi quid deterius, aut perperam annotatum ab iis ſit, ad veritatis normam redigatur: Scriptores etenim, licet graviſſimos non omnia ex propria ſcientia literis conſignaſſe putandum eſt; ſed multa ex imperitiſſimorum etiam hominum relatione.* Mihi equidem de aliorum fide ſcrupulum hoc in paſſu movere, non eſt animus, ita ut aliquibus Moſchum proliciuiſſe ſanguinem, minimè contradicam, aſt indubitatum boni id habendum eſſe requiſitum, neutiquam credam. Præſertim vero in loco ipſo natali, paulò poſt Animalis necem, è folliculo aperto exhalantem odorem oſcula vaſorum, in cavitate narium deliteſcentium aperire, vel ſanguinem potius vicinum in motum rapidiorem, & ita per laxiora vaſa eruptionem concitare in quibuſdam poſſe, non adeo eſt incredibile; quod & in Opobalſami, recentiſſime è cortice ſcarificato prolecti, odore acutiſſimo quandoque contingere, *Proſp. Alpino* cap. 14. de plant. Ægypt. & cap. 3. Dialog. de Balſ. debemus, quæ tamen odoris acuties ac vehementia tempore obtundatur. Licet nihil obſtet, quo minus noſtris quoque in regionibus aliquando hæmorrhagiam talem efficere queat Moſchi odor excellentior, ſi ſubjectum ad illam diſpoſitum, ſanguine nempe in motum rapidiorem prono, laxioribuſque vaſorum oſcillis in naribus præditum, tempore etiam calidiori, inveniat; prout viciſſim ex contrariis cauſis, recentiſſimus quoque in loco natali fluxum illum ut excitet, haudquaquam opus eſt. Ut itaque hic bonitatis adſit index infallibilis. Eadem de capitis dolore dicta velim, quem à Moſchi, non quidem præſtantiſſimi, ſed boni etiam odore oriendum dixit *Alexander* ſupra citatus; cùm multi abſque tali eventu eundem hauriant, multi etiam vel leviſſimam ejus fragrantiam abſque eo minimè perferant.

Tandem 12. Odor quam maximè conſiderari meretur, quem *Ebn Sina*, Moſchi delectum proponens, colori adjungit, ſcribens: *Quod ad colorem attinet & odorem, qui malis eſt æmulus ac luteus optimus cenſetur*, ſecundum *Plempii* verſionem; vel aliorum: *pomalis citrinus*. Ubi per *pomalem* communiter odore pomi præditum intelligunt. Quem tamen nares captare meæ nunquam potuerunt. *Alex. Benedictus*, ſolitudinis odorem habere, aut anguium quorundam ſtatuto tempore, aut cujuſdam avis fimi, perobſcurè enunciat. Aliis melius, proprii illius odoris determinatione omiſſâ, fragrantiſſimus olfactui ſi occurrat, optimi notam præ ſe ferre creditur. Cuncta enim odorata, quo odoratiora ſunt, eo meliora etiam reputari ſolent.

Cui fundamento *Donzelli* experimentum inſiſtit, his verbis ab eo l. c. conſignatum: *Si paſſi un aglio con aco, e poi queſto aco ſi paſſi per un pezzetto di muſchio. ſe la punta dell' aco ſentira d' odor d' aglio, il muſchio non ſarà del perfetto; mà ſe odorerà di muſchio, è ſegno certo eſſer bono.* Verùm non ſuccedere hanc explorationem, expertus ſum, ſiquidem cum acu, poſtquam bis terque eam allio intruſeram, eaque fœtore illius potenter exinbuta fuerat, mox glebulam moſchatam ſelectiſſimam, & quidem ſemel tantùm compunxi, ac neque in glebula, fateor, neque in acu ullum percipere allii odorem potui, ſolo prævalente moſchato; id quod tamen etiam ſucceſſit, quamvis non cum pura è Moſcho maſſa, ſed æquali ſanguinis hircini parti commixta experimentum hoc tentaverim.

Conſueviſſe, refert *Platearius*, quoſdam Mercatores Moſchum emturos, naribus obturatis & reſpiratione cohibitâ ad medium jactum lapidis currere, indeque aërem ore (cur non naribus?) attrahentes, ſi Moſchi odorem ſentiant, eundem emere atque probare. Plurimum tamen hic refert, quo in loco reſpiratio iſta inſtituatur. Si enim in aëre liberiori, & vento adverſo, aut apud Myropolam, aliorum etiam aromatum copiam venalem exponentem, illa fiat, vix ſuccedet, effluviis nempe moſchatis aut nimium in ſpatioſo aëre huc illuc delatis ac divulſis, aut alio rſum abreptis, aut denique confuſione aliorum obliteratis vel obtuſis. Quin & clauſo in conclavi Moſchum, ex genuino odoratiſſimo & alia aliqua re non admodum largè additâ commixtum, ſatis potentem largè diſpergere odorem, compertum habeo. Ut ita facilè bonus rejici, adulteratus autem eligi queat.

Nec ſileri debet *Hieron. Cardani* monitum lib. 17. de rer. variet. cap. 97. Moſchum per ſe odoratum, ladani &c. tamen parti permixtum, ſi hujus odore moſchatus obtundatur, falſi indicium præbere. Quod ſanè ita ſe habere facile crediderim, ita ut Moſchus exiguæ, vel etiam pari ladani quantitati mixtus, ſi hujus odor alterum illum occulet, merito falſus aut effœtus reputari queat; cùm econtra tamen ladani magna portio addita odorem moſchatum in genuino etiam quodammodo obtundat, ſicque infidum ſuppeditare poſſet judicium.

Cæterum bonitatis ab odore petitum argumentum tantopere placuit *Wolfg. Höfero*, ut ſolâ fragrantiæ excellentiâ dignoſci eam poſſe, certum judicaverit: *Tot enim*, addens, *fraudulentorum hominum ſunt deceptiones, ut neque ſapor, neque calor, neque gravitas, vel levitas, ſoliditas, vel friabilitas dolum detergere ſufficienter poſſit.*

Qua in fragrantia, eaque nativa & propriâ adquieſcere, ſtat ſententia, ita ut illa confertim nares ſubintrans, graveolentiam potius præ ſe ferat, eminus tamen ob latè diſperſos ſuaveolentes ſpiritus, qui cominus erant concentrati, ſingulari gratiâ olfactui blandiatur. Cui odori ſi ex reliquis ſupra adductis ſignis aliqua notatu digniora, veluti integritas folliculi, ſapor amaricans &c. reſpondeant, eo majori certitudine Moſchi puritas eluceſcet ac demonſtrabitur.

De qualitatibus Moſchi.

Qualitatum & temperierum doctrinam à *Paracelſi, Helmontii*, aliorumque vilipendio vindicaturus Excellentiſſ. *Dom. Wedelius* noſter in Doctiſſ. ſuo de Medicament. facult. tractat. lib. 1. ſect. 1. cap. 1. citra ejuſdem cognitionem impoſſibile judicat, partibus humani corporis ſolidè poſſe ſi ccurri, utpote quæ calido innato inſtructæ ſubjectum ſint Medicinæ, quod ideo à medicamentis vel intendatur vel deprimatur. Quo ipſo tanquam indeſtructibili fundamento innixus de Moſchi temperie & qualitatibus agere jam inſtituo.

Calidum autem eſſe eum & ſiccum cunctorum unanimis eſt confeſſio. *Calidum eſſe nemo dubitat, & etiam caliditate inſigni, quod ſanguinis concoctio indicare poteſt, præter experientiam, quæ rerum magiſtra eſt. Si enim corpori noſtro adplicetur, manifeſtiſſimè calefacit:* uti *Braſavolus* loquitur. Ut verò de ſanguinis dicta concoctione, inſignem caliditatem indicante, revera tamen dubia multa invol-

involvente, nihil dicam, de experientia tamen non eſt dubitandum, *quâ*, ex *Galeni* ſententia lib. 2. de aliment. facult. cap. 61. *ſi quis ipſam cum propriis limitationibus fecerit, facultas ipſa planè invenitur*, ubi etiam odore atque ſapore plantarum temperamentum omne ſtatim oſtendi edocet; lib. 4. de ſimpl. medic. facult. cap. 22. odorata omnia calida demonſtraturus, eorum ſubſtantiam eſſe vaporoſam, vaporum autem copiam à calore provenire, determinat. Licet idem lib. 2. cap. 3 non quidquid bene redolet, calidum eſſe vel calefacere adſtruat; quod tamen lib. 4. cap. 23. explicat, ſcribens: *Odorata tenuia utique ſunt quadantenus & calida: verùm ejus tenuitatis caliditatiſque quantitas haud etiam indicatur. Porrò maxima potiſſimaque cauſa, quamobrem in odoratis nihil evidens de temperatura indicari queat, inæqualitas eſt ſubſtantiæ*; id quod poſtea Roſæ exemplo illuſtrat. Scilicet quaſvis particulas odoratas eſſe calidas, nec Galenus, nec alii negant, adjunctas tamen frigidas præpollentes vigorem iſtarum quaſi enervare, & quo minus calefacere vel poſſunt, vel ſentiantur, efficere, haud vane creditur. Id quod de Moſcho dici nentiquam debet, in quo particularum calidarum exuperantiam odoris fragrantia conſtans, inſignis & quaſi vehemens abunde oſtendit. De cujus itaque caloris gradu non neglectâ alterâ illâ paſſivâ, eâque, omnium conſenſu, ſiccâ qualitate, jam potius diſpiciamus; in quo adſignando diſpares admodum fovent ſententias.

Ebn Sina calidum & ſiccum ordine ſecundo (licet in lib. de Medicin. cordial. eidem adſcripto, tract. 2. cap. 3. tertius ei gradus adſignetur,) conſtituit, quem *Conſtantinus Afr.* lib. de grad. medic. *Platearius* &c. ſequuntur. Plurimis tamen aliis ab eo recedentibus, & tam activam, quàm paſſivam qualitatem aliter proponentibus. Illas enim in tertio gradu collocant *Aali Ebn Aabbaſus* ſive *Haly Abbas* theoric. lib. 5. cap. 33. *Iſaacus*, Medicus Hebræus, *Iſraëlita* ideo dictus 5. theor. cap. 104. *Meſeha* apud *Serapionem*, & *Sim. Sethus* l. d. cumque iis *Joh. Prevotius* de remed. mat. &c. Quos poſtea ſiccitatis ratione ſequebantur *Amatus Luſ. Petr. Andr. Matthiolus*, *Joh. Jac. Weckerus*, *Joh. Renodæus*, *Joh. Schroderus*, & *Joh. Georg. Macaſius*. Quæ opinio nec *Ebn Sinam* latuit, nonnullos (confer *Serapio*,) ſiccitatem ejus intenſiorem perhibere, ſcribentem. Eſt tamen & qui primi gradus ſiccitatem adjudicat, videlicet *Joh. Guintherius Andernac.* de Medic. vet. & nov. comm. 2. dial. 5. Ubi difficile ſatis videtur negotium, tam differentes circa κρᾶσιν Moſchi verſantes conciliare velle ſententias. Veruntamen componi forſitan poterunt, ſi tum varii eum colligendi & parandi modi, ætatiſque differentiæ, tum multivariæ ejuſdem adulterationes &c. perpendantur, pro quorum omnium diverſitate diverſos quoque eum ſortiri temperaturæ gradus ſatis eſt probabile. Purus enim qui ex folliculo Animalis depromitur, procul dubio majorem caliditatis & ſiccitatis gradum obtinet illo, qui ex reliquis ſimul partibus admixtis concinnatur, cùm præſertim majori odore polleat, & minori in doſi operationes ſuas perficiat. Ætatis ratione vires ejus & calorem multum immutari, probatione ullâ haud indigebit, evincitque illud cùm aliorum ſimplicium, tum ipſius Moſchi quotidiana inſpectio, ita ut antiquiori, præſertim non exactiſſimè cuſtodito, multas odoriferas & ſimul calorificas deceſſiſſe particulas, comperiatur. De Moſchi etiam adulteratione teſtem adduco *Ul. Aldrovandum*: *Adparet variare autores in deſignatione temperamenti propterea, quod diverſimodè corrumpitur atque vitiatur.* Quæ ipſæ nempe fraudes in cauſa eſſe poſſunt, ut modò calidior, modo in calore remiſſior occurrat; illius, cum aromatibus acrioribus, maci, caryophyllis, &c. hujus cum ſanguine columbino, &c. permiſtione exemplum ſuppeditante. Mihi itaque, puro & ſelectiſſimo ſecundi gradus finem, cum *Averrhoe*, adſignare libet, quia ſenſibiliter quidem, ſed citra manifeſtam læſionem calefacit; ita tamen ut ad temperatum maximè corpus, ceu fieri æquum eſt, habeatur reſpectus, ſi enim periculum in calidiori fieret, abſque ullo dubio ad tertii gradus medicamina calida foret referendus, cùm notum ſit, quantas in tali ſubjecto moleſtias & læſiones, dolorem capitis &c. inferat. Unde *Haly Abbatem*, & qui cum eo ſentiunt, vel hujus phænomeni conſiderationem habuiſſe, dicendum eſt, vel, quod pro conciliatione reliquorum commodius dici poſſet, finem gradus alicujus ſæpe à Medicis initium ſequentis, & ita finem ſecundi initium tertii adpellari. Ita ut *Ebn Sinam* &c. finem ſecundi gradus innuere voluiſſe credamus, quem ſanè *Averrhoës* lib. 5. Collig. expreſsè denominat; reliquis ad tertii gradus principium reſpicientibus. Idem ſiccitati ejus adplicare ſi velimus, fortè non errabimus.

In ſecundis qualitatibus ejuſdem λεπτομέρεια inprimis, ſive tenuitas partium conſideranda eſt, quam & *Ebn Sina*, & *Sim. Sethus*, pluresque alii ipſi adſcribunt.

E quibus jam attenuandi & diſcutiendi, ſecundùm *Schroderum Macaſium* &c.; diſſolvendi & conſumendi juxta *Platearium*; pituitam præparandi, ex *Primeroſio*, *Riverio* &c. vires eluceſcunt; quæ tamen omnia prolixius deducere ac demonſtrare ſuperſedeo, cùm de iiſdem in ſeqq. ubi de viribus facultatibus ejus in ſpecie agetur, commodior paſſim ſeſe offerat occaſio.

Utrum adſtringendi aliquam habeat virtutem merito hîc inquiritur, quam utpote haud obſcure quidam eidem tribuunt. *Tradunt, ambram & muſcum, ſtypticam habere virtutem*: verba ſunt *Marſilii Ficini* lib. de vit. cap. 9. Aſt vel muſci vegetabilis vim adſtringentem, & nominis ejuſdem in Moſchum noſtrum derivationem induxiſſe erroneam hanc opinionem, eſt credibile, vel etiam virtus Moſchi corroborans paſſim decantata, ut tale quid fingeretur, anſam præbuit, dum multi cum antiquis illis Methodicis, à *Galeno* de opt. ſect. cap. 51. memoratis omnem confortandi vim unice adſtrigentibus adjudicare ſolent; quanquam veritati minus hæc eſſe conſona, alii jam oſtenderint, imò nec tenuitas partium, quæ in eo præpollet, facultatem ejuſmodi admittat, nec terreſtres, quæ eidem commiſtæ ſunt; ullum adſtrictorium ſaporem præ ſe ferant, terræ mortuæ & evanidæ prorſus inſtar hac ex parte ſe habentes, quin & ipſe effectus contrarius repugnet, quo ab ejus uſu ſanguinem alioſque humores in motum majorem concitari, atque, ut quâ datâ portâ erumpant, agitari ac ſtimulari, experimur.

Præter manifeſtas vires, nobiliores atque occultas ſi ita loqui cum nonnullis liceat, eundem obtinuiſſe, vel inde colligere quis poſſet, quòd Alexipharmacorum numero adjungatur, & quidem non ſaltem ſpecialiorum, ſed & generaliorum vocatorum claſſi, prout paulo poſt pluribus diſputabitur.

De Odore Moſchi.

Licet ordinis ratio, in præced. Cap. de Moſchi odore ut ageretur, requirere utique videatur, cùm tamen excellentia ejuſdem diligentiorem inveſtigationem mereatur, cujus utpote beneficio eum, in quo nunc reſidet, gloriæ thronum occupat, ſingularem ei locum tribuere æquitas poſtulabat. Imò non tantùm odoris ob præſtantiam id fieri decet, ſed & unice eidem vitam ſuam cùm debeat.

Quod *Philipp. Theoph. Paracelſus* clarius expreſſit, Moſchi vitam non in alio, quàm ſuavi ejus odore conſiſtere innuens, quo amiſſo, mortuus & evanidus reddatur. Sic enim lib. 4. de vita rer. natur. loquitur: *Der Aromatiſchen Dinge Leben, als da iſt der Byſem, Ambra, Zibetha, und was da einen ſtarcken lieblichen Geruch hat,*

iſt

iſt nichts anders, als ihr guter Geruch, dann ſo ſie denſelben verlieren, ſeyn ſie todt, taugen noch ſollen nichts mehr. Cui adſtipulatur *Joh. Bapt. Helmontius* tract. Tria prima Chim. princip.&c. §. 84. *Muſcus* ſcribens, *& aromata moriuntur, ſi craſis abſceſſerit, licet corpus in ſe ſoſpes manſerit*; Craſin autem optimam rerum partem, & in ſpecie aromaticorum ipſum odorem aromaticum eſſe, in præcedd. innuerat. Quamvis nec in terreſtriore corpore illo, particulis odoriferis caſſo, omnis propterea virtus Medica exulet; prout ſanè vix ullum Caput, quod Chimicis ita dicitur, mortuum omni virtute medicâ deſtituitur, ſed reſpectu tantum ad priorem, quam in vita ut ita loqui liceat, poſſidebat, facultatem habito, cadaver adpellari meretur. Sic Moſchus, à quo temporis edacitas odorem abſtulit, ſapore adhuc amaricante pollet, & in ignem ſi conjiciatur, fœtidum eructat fumum ſigno ubique evidentiſſimo, non ſimplicem evanidam & damnatam eſſe terram, ſed revera adhuc ſale & ſulphure aliquo imprægnatum; cui illud Clar. *Bernhard. Svvalbii* competit, in Diſquiſit. therap. general. prolatum: *Spiritus ſoles natura non produxit; etiamque ex fece remedium exſurgit.*

Cæterum Moſchus, dictante ſubtiliſſimo *J. C. Scaligero* exerc. 21. *rerum omnium odoratiſſimus, ſimul earundem omnium acutiſſimus eſt.* Acutiſſimus quidem, quòd odor omnis cito penetrans, & fortiter celeriterque ſine faſtidio ſenſum feriens, acuti nomen apud quoſdam mereatur; idque Moſcho competere, nemo, qui experientiæ non repugnaverit, negabit. Odoratiſſimus vero, cùm nullum ex Simplicibus in Naturæ regno ampliſſimo detur, quod odoris ſuavitate, magnitudini junctâ, eum ſuperet, adeo ut ejuſdem intuitu ipſa Ambra, Zibethum, & Opobalſamum inferioris conditionis eſſe reputentur. Ita *Joh. Cuintherus Andernacus* l.c. Moſchum odoratiorem quàm Ambram eſſe diſſertè profitetur. Et *Haly Abbas* d. l. Actionem hujus odoriferam, Moſchi actioni eſſe proximam, ſcribit, ita tamen ut ei in actione ſubjaceat. Sed non opus eſt, plura congerere teſtimonia, cùm nares cujuslibet ſibi ipſis teſtes ſint omni exceptione majores; unde Ambræ odorem ſine noſtro odoramento debilem admodum eſſe, communiter edicitur. Neque etiam Ambræ ſuavitatem, qua talem, ſimpliciter conceſſerim, ſi nempe diſperſæ magis Moſchi atomi cum ea conferantur. Licet concentratarum odor ſi expendatur, facilius accedam *Fallopio*, de Moſcho ſcribenti: *Superat omnia aromata: adeſt quoddam aliud cui cedit ſuavitate, ſed nullam habet ſe majorem vehementiam junctam ſuavitati; quædam vehementiam, non ſuavitatem habent; ſed nullum eſt, quod æque juncta hæc habet. Reperitur odoramentum, & eſt ambra, ſed non ita validium eſt.* Ubi tamen diverſorum nares diverſum quoque de ſuavitatis prærogativa judicium ferre poſſe ſcio, cùm, uti in aliis, ſic in his etiam non omnibus æque placeant omnia. Hoc interea certum eſt, tam gratum, amicum & deſideratum eſſe utriusque odorem, ut duo iſta Simplicia conjungi in compoſitionibus medicis utplurimum experiamur, particulis eorum ita ſe invicem permiſcentibus ac temperantibus, ut gratiſſima inde proſurgat fragrantia, & unum videantur eſſe Simplex, unamque etiam ſpirent εὐωδίαν, nec omnimodè divellere iſta ullâ arte ſit poſſibile. Quo forte *Huſeinus fil. Manſoris*, à *Muctadiro* Bagdali Ann. Hegit. 309. ſive A.C. 921. crucifixus reſpexit in verſu, cujus aliorumque ſimilium causâ mortem ſubiiſſe, *Georg. Elmacinus* refert:

Ligatus eſt ſpiritus tuus cum ſpiritu meo, ſicuti ligatur ambra cum moſcho puro.

Siquidem mox ſubjungit:

Cumque prehendo quidquam, ecce tu ego non ſeparamur.

Hoc enim arctiſſimam & fidelibus ſuaviſſimam Divinitatis cum humanitate conjunctionem, ſive Chriſti ſalutiferam incarnationem exprimere ubique adplicare unà voluiſſe eum, reliqua ab *Elmacino* prolata haud obſcure indicant.

Porrò Zibethum recens tetris & horribilis eſſe odoris, poſtea vero ſucceſſu temporis ex ſe non minorem, ac Moſchum, ſpirare, non adeo tamen ſuavem, *Amatus Luſit.* bene decernit.

Opobalſamum Orientale odorem efflare ſuaviſſimum, cum *Alpino* concedit *Joſeph. Donzelinus*, ſed intra ſuum proprium Reſinarum genus, ita ut illas inter ſit odoratiſſimum, ideoque Opobalſamum Moſcho ſuavius olere, negat in Apolog. ad ſuam de Opobalſ. ſynopſ. cap.3. Et Cl. *Joh. Veslingius* in Opobalſ. Vindic. pag.20.21. contra *Petr. Servium*, laudatis hoc ævo præcipuis Odoribus illud præferentem, hoc modo perorat: *Diſſuadebit rem omnem, quiſquis diſcernendis odoramentis, non tantùm rationis trutinam, ſed bene temperatum quoque ſenſum attulerit: Mihi quidem ſelectius Opobalſamum odoranti (odoratus autem ſum frequenter) eximiam ſemper fragrantiam ingeſſit, optimi olibani, myrrhæque* εὐωδίᾳ *ſuperiorem. Non ea tamen, quam ſimplicis vel ambræ, vel moſchi eminus perceptis odoribus prætulerim; quos geſtantium corpori, aut veſtimentis conciliant.* Et: *Habeat Opobalſamum, limatiſſimo Theophraſti judicio, præſtans quid, & odore excellens, ſed inter* ὑγρότητας δακρυώδεις, *lachrymales humiditates, quales abietis, pini, terebinthi, lentiſci, olibani, myrrhæ, & ſi quas hujus ordinis alias Ereſia Suada recenſet, longe retro actis ſeculis cognitas*; quibus non diſſimilia pag. 47. contra *Stephanum de Gaſparis* innuit. Confer. ejuſdem *Veslingii* annotat. 19. propulſ. phyſicar. oppugn. dicti Stephani; & *Baldi Baldi* Rom. Opobalſ. propugnat. 1. & 3.

Unde vero odoris hujus natales deducendæ ſint, nunc inquirendum venit. Ubi tamen controverſiam illam: An odor mediante corporeo aliquo halitu à re odorata emanet? prius tangere utique neceſſe erit. Id quod cum *Galeno* plures adfirmant, & noſtro tempore tantùm non omnium ritè philoſophantium eſt ſententia, ita ut qualitas odorifica ad ſenſorium odoratus cum corpore delata ſenſationem iſtam ibidem efficiat. Contradicentibus tamen Peripateticorum plurimis, omnem odorem, ſicque etiam moſchatum, nudam ſolummodo eſſe odoris ſpeciem regerentibus, à re odorata plane ſpiritualiter, ſive uti, obſcurius & termino intellectu vix concipiendo loquuntur, intentionaliter prodeuntem. Quamvis autem ipſe odor, in propriiſſima ſua ſignificatione, & quatenus à ſenſorio percipitur, revera non ſit ſubſtantia, ſed qualitas potius dicenda, hæc ipſa tamen qualitas nunquam merè ſpiritualiter ſive intentionaliter, ſed mediante corporeo aliquo ſubjecto, odoratus organo, à Nobil. *Dom. D. Conr. Vict. Schneidero* in libello de Oſſ. cribriform. præ aliis dilucidato, imprimi poteſt; quod ſcilicet ſubjectum ita comparatum eſſe debet, ut qualitatem illam ſenſui communicare queat. Sive, ut verbis *Anton. Santorelli* lib. 9. de ſanit. natur. cap. 16. loquar: *Odor etſi non ſit exhalatio, fundatur nihilominus in vapore*; aut cum *Joh. Magiro* lib. 6. Philoſoph. Peripath. cap. 9. dico: *non me ſtatuere, odores ipſum defluxum corporis & ſubſtantiam eſſe, ſed ſubſtantiali & corporeo ſubjecto ineſſe ipſos in aëre.* Neque obſtant, quæ hiſce communiter olim objiciebantur, videlicet: 1. ab effluxu illo ſubſtantiæ vaporoſæ, ſive, ut alii vocant, fumoſæ, neceſſario ſubjectum odoratum imminui debere & contabeſcere; id quod non fieri, ipſius Moſchi exemplo confirmare nonnulli nituntur, quos inter præcipuè eſt *Sylv. Rettray* de ſimp. & antipath. Imò ob vaſtiſſimum, quod ſæpe, & quidem diutiſſime, implent ſpatium Odorata mole perexigua, tantæ corporali expletioni imparia futura, etiamſi tota in vapores reſolverentur. 2. Si corporeus eſſet ille vapor, fieri non poſſe, ut per quinginta milliaria, ſi nonnullis credere volumus,

ex odoratu multorum cadaverum vultures eo avolaſſe compertum ſit; prout etiam *Plinius* lib. 10. Hiſt. natur. cap. 6 ex *Umbricio*, Aruſpicum illius ævi peritiſſimo, triduo aut biduo antea advolare eos notet, ubi cadavera futura ſunt. 3. Piſces quoque in aqua odores percipere, dum verò odoris natura in ſicco à calore elaborato conſiſtat, atque exhalationes ſurſum adſcendant, neque ad fundum aquæ pervenire eum poſſe, neque integritatem ſuam in aqua conſervare, cùm alias res odoratæ, ſi humectentur, odorem amittant. Quæ ſpecioſa equidem ſatis adparent, facili tamen operâ enervari poſſunt. Nam 1. Moſchum odoris ſui exhalatione non imminui, licet quidam ſtatuant, ſunt tamen viciſſim alii, contrarium qui adſerunt. Et quidem perceptibilem ac valde viſibilem eam in Moſcho deprehendi, Illuſtr. Com. *Digbæus* in Orat. de pulv. ſymp. tradidit. Id quod oculati etiam fide comprobatur. *Reſpondemus* ſcribit *Sanctor.* *Sanctorius* Comm. in art. med. Gal. quæſt. 57. *odorabilia ſemper reſolvi & pondere diminui: Si enim pomum hodie ponderaveris, die ſequenti illud invenies minoris ponderis: Similiter muſcus non occluſus citius minuitur.* Et: *Si hodie perpendamus lance exquiſitâ muſcum, cras erit ponderis minoris.* Conferatur Ill. *Boyle* de Atmoſph. corpor. conſiſt. Audire quoque hac de re lubet *Horat. Augenium* tom. 1. Epiſt. med. lib. 3. ep. 2. ubi ſubſtantiæ à rebus odoratis effluxum aliquando admodum eſſe ſenſibilem, aliquando verò ſenſu imperceptibilem, ſcribens, addit: *Si tenuior eſt materia, magiſque ignea, effluvium fit inſenſibile, ut in moſco, ambra, & reliquis, quòd ex his exhalet quædam ſubſtantia, hinc videre licet, quod ſi hæc odorata aliquo tempore teneantur ſub dio, odor amittitur, ac ab illis rebus evaneſcit: ſi verò clauſa retineantur, ut non reſpirent, longiſſimo tempore odor conſervabitur.* Et licet ob vaſtiſſimum ſpatium, quod Moſchi granulum exiguum odore ſuo adimplet, impoſſibilis ſubſtantiæ corporeæ (quam *Helmontius* voce: *Gas*, exprimit, uti tr. Magn. Oport. §. 36. *Odor non diſpergitur ſine odorabili, quod eſt Gas rei*) reſolutio, cumque odore præſentia videatur, ſi tamen rerum aliarum in minutiſſimas atomos, cæca corpuſcula *Lucretio* eleganter dicta, diviſionem contemplemur, non incredibilis adeo adparebit amplius. Sic *Digbæus*, omne corpus, etſi minimæ ſit quantitatis, in infinitum dividi poſſe, ſcribens, non quidem quòd actu infinitas partes habeat, ſed poſſit ſemper in novam partem dividi, nec tamen ad diviſionis finem perveniatur, exemplo ℥ j. auri comprobat, quam bractearius in mille vel longè plura folia attenuat, è quibus folium dimidium ad deaurandam ſuperficiem maſſæ argenteæ trium vel quatuor unciarum ſufficiet, hancque ipſam deauratam maſſam illi, qui aurum & argentum nere ſolent, in fila ducunt tam longa & ſubtilia, quantum quidem fieri poteſt; qua tamen in longitudine nullum reperietur vel unius atomi ſpatium in ſua ſuperficie quod non ſit planè deauratum; *Imò autem*, ſubjungit, *in quot atomorum decies centena millia inaurata hæc linea diſcindi forficulâ poſſet?* Idem de ſtupenda Auri extenſione experimentum, cum plurimis aliis, in libello, quo miram effluviorum ſubtilitatem evincit, Nob. *Boyle* protulit. Quò pertinet, quòd *Joſeph. Gallaratus* Syſtem renov. phyſiol. medic. lib. 1. cap. 7. pag. 62. in thuris grano combuſto, pili magnitudinem non ſuperante, *Magnenum* ſagacitate ſuâ demonſtrare referat, fuiſſe atomos elementales ad minimum 77760000000000000000. (quâ calculi certitudine, oculatiores diſpiciant.) Conſul. etiam magnus *Dan. Sennertus* Hypomnem. phyſ. 3 cap. 2. Quamvis de relatione illa, vultures, quingenta licet milliarium ſpatio diſſitos, multorum ad cadaverum odorem advolâſſe, dubitari utique poſſet, ut tamen hac in re faciliores ſe præberent alii, volatilia iſta non ab odore allecta, ſed aliâ occaſione impulſa illuc veniſſe, aut altè volantia, cum ſint acuti viſus, corpora iſta interfecta vidiſſe, aut denique etiam evaporationem ex iiſdem cadaveribus elevatam à vento in diſſita loca fuiſſe impulſam, vultureſque odoris præſtantiâ commendatos, juxta tritum, quamvis non per omnia adeo verum, verſiculum:

Nos aper auditu præcellit, aranea tactu,
Vultur odoratu, lynx viſu, ſimia guſtu:

allicere ſuſpicantur. Id quod ſanè prælaudatus *Digbæus* illuſtri exemplo clarum ex parte reddidit, dum odorem roriſmarini, qui ex parte Hiſpaniæ efflatur, maxima intervalla penetrare refert, ſeque ipſum ter vel quater has oras præternavigando ſemper obſervaſſe, quòd nautæ ad unguem quaſi teneant, quando 30. vel 40. milliaribus ab hac regione abſint, idque ex fragrantiſſimo roriſmarini odore illinc efflato. *Imò*, ſubjungit, *ego etiam ipſemet odorem hunc aquè validè percepi, ac ſi avulſum roriſmarini ramum manibus tenerem; accidit autem hæc nobis res duobus vel tribus ante diebus, quàm in conſpectum terræ proveheremur*; tandem adverſo tum temporis vento ſe fuiſſe uſos, fatetur. Et *Boyleus*, ingenioſi cujuſdam viri, in Indias Orientales profecti relationem cap. 4. de Natur. determin. effluv. adducit, quâ ad littus inſulæ *Ceylonis*, cinnamomi & fragrantium gummi copia famigeratæ, appropinquantibus ventum tum fortè à littore reflantem, advexiſſe ab inſula aërem omnino odoriferum, narratur, quanquam complura milliaria (fortè viginti aut viginti quinque,) à littore adhuc diſtarent. Et hæc ipſa odoris in hanc illamve partem à ventis agitatio ſubſtantiæ alicujus præſentiam evincit; qualitates enim ſic dictas intentionales à ventis non moveri aut impediri, ſunt qui animadvertunt, dum ex. gr. medio in eorum furore qualitatem viſibilem nihilominus perfectè ad oculum deferri obſervant, ac ſi tranquilla forent omnia, cùm econtra vento adverſo odor quidem ad nares feratur, in oppoſitam verò plagam tendente, planè non perſentiatur. *Plinii* autem omnino nihil huc facit autoritas, partim ex aliena fide illud memorantis, partim meram aruſpicinam, ideoque inſignem vanitatem involventis, imò de odoris natura nil quidquam inſinuantis. Vid. quæ hoc de effato Pliniano diſſerit *Jul. Caſſerius Placentinus* lib. 3. Anatom. ſect. 2. cap. 10. & *Ulyſſ. Aldrovandus* lib. 2. Ornitholog. cap. 1. 3. Licet odoris naturam in ſicco eſſe fundatam, concedatur, ſiccum tamen illud cum humido abſque ſui deſtructione commiſceri vel confundi poſſe, nemo, qui ſenſuum integritate pollet, negare poteſt, quod vel numeroſa aquarum ex rebus odoratis deſtillatarum ſeries ſufficienter evincit; imò exigua ſatis Moſchi particula in magna aquæ quantitate diluta odore ſuo eandem egregiè imbuit. Exhalationes etiam ſurſum utplurimum adſcendere, conceditur, ſi nempe ſibi relinquantur, & tranquillo in aëre placidè evaporent, ubi tamen hunc ventus &c. agitaverit, tam ſurſum, quàm deorſum, & quaquaverſum impelluntur, quod in aqua, piſcium ferace, nunquam omnino immobili, nullo modo negari poteſt. Res autem humectatas odorem amittere, omnem eſt contra experientiam, ut etiam plurimæ antea quaſi inodoræ, ab ejus irrigatione odoratas exhalationes ſpargant, ſic ipſa Salia volatilia, omni phlegmate orbata atque ita eleganter fixata, quamprimum liquore aliquo humectantur. Piſces tamen, ut hoc quoque moneam, non tam odor rerum, hamo junctarum quàm earundem ſpecies, per aquam diaphanam ad oculos eorum delata ſæpius allicere videtur. Quod ſi immaterialis vel intentionalis tantummodo eſſet qualitas, ablato corpore odorato, ſtatim etiam odorem ceſſaturum eſſe, meritò opponitur, cùm tamen contrarium fieri, facili negotio deprehendatur; Moſchus quippe vaſculi alicujus fundo impoſitus, bambacem in ſummitate, ita ullum non attingat, locatum odore ſuo imbuit, tamque conſtanter, ut ab omni Moſcho dein remotiſſimus diu nihilominus eandem fragrantiam exhi-

exhi-

exhibeat, id quod abſque corporali molecularum odoratarum communicatione fieri, nemo imaginari ſibi poterit. Alia plura, quæ pro hujus adſerti confirmatione paſſim adducuntur non omnino contemnenda, brevitatis cauſa omitto.

Cæterum odoris ſuavitatem à ſiccitatis exacta cum humiditate proportione, aut ſecundùm alios, ex aëreis partibus ab igneo calore exactè mixtis provenire, illi ſtatuunt, qui olim primis qualitatibus nimium tribuere conſueverunt; à qua optimè temperata & elaborata ſubſtantia dein corpus aliquod vaporoſum *Galenus* &c. fumoſum *Heraclitus & Plato*, intentionalem ſpeciem *Ariſtoteles* emanare docebant. Quam exactam mixtionem vel proportionem à coctione, cujus inſtrumentum eſt calor proficiſci, communior eſt adſertio. Namque per coctionem ſuaviora omnia & odoratiora fieri, cùm ex oppoſito imperfectam coctionem fœtida deſignent, tam à Medicis, quàm à Philoſophis plurimis hactenus fuit creditum. Et hanc in Moſcho à calore externo. Solis ſcilicet aëriſque peragi, *Serapio & Sethus* exiſtimant, quorum veſtigia magnus Scriptorum numerus etiamnum premit, Moſchum, per ſe & naturâ ſuâ fœtidum, tractu demum temporis ab aëris bonitate digeſtum, Soliſque calore coctum & elaboratum in ſuavem mutari, perſuaſus. Alii verò internum calorem reſpiciunt, quem inprimis explicare conatur *Sal. Albertus* Orat. de Moſch. eundem in Animali noſtro eſſe maximum, adſtruens.

Cùm verò à qualitatibus his primis odoriferarum particularum ortum deducere, multis improbetur, in alias atque alias ſubinde ſententias itum fuit. Sic putredinem *Helmontius* tractatu, quo tria Chimicorum principia, neque eorundem eſſentias de morborum exercitu eſſe, docet, §. 81. *Sunt*, inquit, *plura ſimplicia, quæ fragrantiam, quam ante ſua in ſpecie non habebant, inveniunt in ſinu putredinum, qualia ſunt Moſchus, Zibetta, ambarum, ſtercora quædam brutorum, atque ligna putrentia. Fracedo quippe varia illis ſuboritur, unde ſemina fragrantiam ſibi hauriunt, transplantantque in novam generationem. Aroma ergo balſamo vitæ mediæ alligatum, per partium ſeparationem, in putredine non ſuperatur, commodiuſque è corruptis ſequeſtratur.* Quam putredinem in folliculario Moſcho ego quidem agnoſcere minime poſſum, utpote quem ſanguinem eſſe putrefactum haud facile conceſſerim, ſed alium potius humorem à maſſa ſanguinea ſegregatum, ibique collectum ac innatâ folliculi virtute ſive fermento in odoratum iſtud liquamen elaboratum; non ſecus ac bilis in veſiculam felleam, & ſemen in vaſcula ſpermatica congeritur quorum neutrum à putredine ullus hactenus deducere uſus fuit. Scilicet in folliculis his ſanguis convertitur in ſuccum odoratum *naturæ neceſſitate*, *Bartholino* Volum. I. Act. med. Hafn. obſ. 58. adſtipulante. De putredine autem cogitandi anſam præbuit erronea illa de præternaturali & apoſtematis in modum facta Moſchi generatione opinio, quâ jam deſtructâ, altera etiam ſponte corruit. Si tamen putredinis vocem latius quis extenderit, ita ut mutationem ſolummodo ſeu alterationem deſignet, faciliorem is cenſuram merebitur.

Aſt ex ſanguine etiam, vel carne &c. Animalis ſi paretur, modis nempe ſupra propoſitis, quin primas putredo quam maxime partes teneat, nullum eſt dubium, quâ nempe particulæ odoratæ, antea in ſanguine, carne &c. deliteſcentes & ſubjugatæ, in libertatem vindicantur, nôn ſecus atque in vegetabilibus etiam inodoris Spiritus ardentes odorati, & Salia volatilia per putrefactionem ſive mixti reſolutionem in actum deducuntur, atque à fixioribus inodoris ſecernuntur. Quam ſane volatilium cum fixioribus arctiorem connexionem ipſum Animal moſchiferum oſtendit, quod vivum, & antequam ſeparationem iſtam ſubeat, odore Moſchato prorſus deſtituitur. Licet enim *Cardanus* illud, quod Mediolani mortuum viderat, totum jucundo admodum odore præditum referat, ob veſicam tamen connatam id accidiſſe, nec ipſe diffitetur, & Exc. *D. Dan. Ludovici* pellem odore magis forinſeco fragrare exiſtimat; cui meum etiam qualemcunque calculum adjicio. Imò ſi totum odore tali tantoque præditum foret, antequam per putredinem aliam naturam indueret, certè pro cibo vix inſervire caro ejus poſſet, cùm tamen à Sinis uſui iſti adhiberi *Martinius* teſtetur. Tanti hoc argumentum fecit *Chioccus* in deſcript. Muſ. Calceol. ut *Amati Luſ.* ſententiam de Moſcho ex carne & oſſibus Animalis parabili exſibilaturus, utriuſque Indiæ incolas carnem iſtam tanquam eſcam optimam in delitiis habere, *M. Pauli Veneti* teſtimonio, ex fide *Catelani*, memoret, quanquam tale quid à *Veneto* ſcriptum reperire ego nequeam.

Putredinis etiam magnam hoc in paſſu vim ipſa Moſchi exoleti à nonnullis credita per fœtores reſuſcitatio arguere poſſet, ſi vera eſſent, quæ eum in finem paſſim à nonnullis cum admiratione decantantur. Nam, ſcribente, *Plateario ſi odorem, ſive aromaticitatem amiſerit, poſitus ore aperto ſuſpendatur in cloaca, & recuperabit odorem.* Atque odoris amiſſi vim in fœtoribus atque latrinis recipere, contra fœtorem eluctando, & ſic quaſi luctando reviviſcere, ex *Iſidoro* habetur. Multorum id experimento comprobatum, *Joh. Bravus* de ſapor. & odor. cap. 17. addidit. Cautior *Jacob. Sylvius* ſimilem odoris reſtitutionem proponens: *Si Platero credimus*, concludit. Ego ſane, ut candide fatear, minime illud credo, nec etiam *Renodæo* lib. 4. Inſtitut. pharmaceut. cap. 12. credibile videbatur. Quin &, cum naribus meis hac in parte plenam ut adhibeam fidem, nihil prohibeat, ipſemet Moſcho aëri liberiori per longum temporis ſpatium expoſito, ſicque omni odore ſpoliato, craſſum iſtud artificium nihil ſuavitatis reddidiſſe comperi. Quod autem illud multorum experimentum attinet, quinam iſti ſint, ignoro, apud *Bernh. Deſſennium* tamen cap. 6. de medic. compoſ. ſequentia verba invenio: *Odorem deperditum cloacæ fœtore recipere dicitur, quod ego uſu verum comperi.* Ne itaque mei experimenti veritatem infringam, fortè Moſchum tractu temporis exſiccatum ideoque conſtipatis quodammodo & arctatis porulis atomos odoratas pauculas reſtantes arctius complexum, raraſque emittentem, accedentibus receſſus humidis & volatilibus vaporibus recluſum, atque idcirco copioſiori exhalationi aptum fuiſſe redditum, dicere licebit; cùm alias idem hîc valere mihi perſuadeam, quod *Lindſchottanus* notat, Moſchum videlicet tempore corruptum, & odoris expertem, urinæ pueriliis adſperſione reviviſcere, *ſi modò aliquis vigor ſubſit*, uti *Salmuthus* interpretatur. Certè ſi omnes odoratæ moleculæ avolaverint, ſuperſtes corpus effœtum nunquam prioris fragrantiæ ne minimum etiam gradum recipiet, niſi ab externo aliquo adminiculo novæ denuo in illud inducantur, quæ ſane à volatili iſto fœtore nunquam ſperari debent.

Chimici ut omnis odoris præcipuam originem à ſulphure deducunt, ita in ſpecie boni odoris, & conſequenter ſuaveolentiæ moſchatæ cauſam in purioris ſulphuris particulas referunt; quas tamen, ſi terminis eorum conſuetis uti liceat, non ſine ſalis & mercurii connubio eſſe, autumo, cùm eorundem præſentiam & volatilitas & acrimonia abunde oſtendant. *Chimicis ortus ſuaveolentiæ ſive odoris aromatici acceptus ſolet referri ſulphuri puriori, ritè ac ſingulari concentu cum ſale ac mercurio miſto* &c. ſcribit Exc. D. *Herman. Grube* Comment. de modo ſimpl. medicam facult. cognoſc. ſect. 3. art. 2. Confert. Celeb. *D. Wedelii* Phyſiol. med. ſect. 4. cap. 4. Ejuſdem eſt ſententiæ *Joh. Rudolph. Glauberus* part. 3. Furn. philoſoph c. 26. Zibethum & Moſchum fortem illum gratumque odorem à ſubtiliſſimo felium iſtorum ſpiritu urinoſo (*durch der Katzen ſubtileſten Urin-Geiſt*)

Geiſt) adquirere ſtatuens, quo nempe ſingularis in corporibus eorum pinguedo digeratur, inque odoratam ejuſmodi materiam redigatur. Ut jam erroneam illam de moſchato Animali, Catorum familiæ inſerentem, perſuaſionem non reprehendam, num Moſchus à pinguedine deſcendat, ſolùm eſt tangendum. *Cæſalpinus* ſanè lib. 1. de medic. facult. cap. 13. *Multitudo*, ſcribit, *exhalationis odoratæ magis reperitur in pingui ſubſtantia* &c. *Moſchus & Zibethum non ſine pinguedine ſunt animalium illa ferentium*; quod & jamdudum *Theophraſtus* lib. 9. Hiſt. plant. cap. 1. docuerat, quæcunque nimirum aliquâ pinguedine conſtant, odorata eſſe, econtra pinguedine carentia ſine odore provenire. Licet autem ex pinguedine propriè ſic adpellata, tanquam ex materia, Moſchum follicularium (ut de altero illo ex ipſo Animali corpore elaborato nihil dicam,) generari, neutiquam mihi perſuadere queam pingues tamen & unctuoſas, variaſque alias ſanguini partes ineſſe conſiderans, eaſdem compoſitionem ejus ingredi non penitus negaverim. Quod ſi ſulphur & pinguedo à Chimicis pro uno hîc accipiantur, prout ſulphuri pinguedinem, & pinguedini ſulphur tribui, non eſt ignotum, tanto facilius locum pinguedo inveniet. Accedit ipſa natura Moſchi, quæ cum bile non parvam convenientiam oſtendit, quinimo ex ſanguine bilioſo Cl. *Nathan Highmoro* Exerc de p. ſſ. hyſt. cap. 6. generari dicitur, hancque multum oleoſi & pinguis in naturali ſtatu continere Celeberr. *D. Franc. de le Boë Sylvius* inprimis edocuit. Moſchus etiam violentiori ignis examini ſubjectus, ut alia ex animalibus, oleum quoque fœtidum eructat. Hoc itaque ſulphur, vel hanc pinguedinem à ſale volatili, omnibus animalibus concreto, ſolutum, cumque eo unitum ac digeſtione exaltatum, in odoratum ſuccum converti non eſt incredibile.

Tandem corpuſculari Philoſophiæ addicti moleculas figuratas mira quadam harmonia, uti Cl. *Grubius* loquitur, à natura inter ſe mixtas adducunt quam Exc. *D. Joh. Ant. Lindanus* Meletem medic. Hipp. part. 1. §. 126. dilucidat, odoratorum effluvium eſſe halitum quaſi ſulphureum ſtatuens, qui ſi ſuavis exſiſtat, corpuſcula habeat lævia, utpote quæ organo dum inſeruntur, amicabiliter ſe gerant, ideoque illud demulceant. Et *Anton. le Grand* Hiſt. nat. part. 2. art. 6. ſuavem ex Moſcho odorem ideo emanare refert, quoniam halitus, qui ab eo proficiſcitur, filamina ſubtilia & flexibilia habet, quæ facile cerebri appendices penetrant, & abſque ulla aſperitate ſe ipſis inſinuant, ita tamen ut corpuſcula illa ſulphure ac ſale contineri certum reputet. Diverſitatem autem effectuum non ſolum à movente materia ſubtili, verum etiam à motarum particularum figura & quantitate ſive magnitudine pendere, *Cornelius ab Hoghelande* in Oeconom. anim. admonet, unde fiat, ut aliter Moſchus, aliter Ambra, aliter Roſa naſum adficiant. Confer. elegantiſſimus *D. Nehem. Grevvii* diſcurſus de natura, cauſ. & virib. mixtion. Eph. Cur. Anno X. additus.

Nec illi ſunt prætereundi, qui remotiora tantùm principia ſpectando, in locis, ubi nardus aliæque odoratiſſimæ plantæ naſcuntur, Animal hoc reperiri, illiſque pro cibo uti obſervantes, odorem Moſchi præſtantem ab illis ipſis rebus aromaticis provenire exiſtimant. Unum omnium loco teſtem nomino *Joh. Bapt. Portam*, qui Phythognom. lib. 2. cap. 8. Moſchi capreolum herbis odoratis paſci fatetur, ſpicâ nardi & myrrhâ, obque id ſanguinem ejus in umbilico collectum evadere in Moſchum; quæ ex *Elluchaſem* Tabulis primò eſſe deſumta, nullus dubito; in quibus Animalia moſchifera, in maritimis locis commorantia myrrhâ, remotiora verò loca incolentia ſpicâ paſci traditur, quamvis quod de Myrrha refertur, vix apud me fidem inveniat.

Nonnulli ad occultas qualitates confugiunt, quibus præcipuè *Andr. Libavium* & *Sal. Albertum* adnumero, quorum ille Singular. part. 3. lib. 4. cap. 7. *Natura*, inquit, *inſita iſta proprietas eſt*: hic verò d. l. ἰδιοσυγκρασίαν Animalis moſchiferi neceſſario cauſis reliquis, temperamento nempe victus bonitati &c. adjungendam eſſe putat.

Mihi neque abſque ullo diſcrimine cuncta hæc jam prolata admittere libet, neque etiam penitus rejicere, habito nempe reſpectu tum ad materiam, odoratis iſtis effluviis emittendis atque conſtituendis, aptam, tum ad cauſam, ad tale conſtituendum opus pro eadem requiſitam. Quoad illam, ſingularem ſiccarum, humidarum, aërearum & ignearum particularum mixturam & harmoniam non omnino damnare volo, utpote quas adeſſe, ipſi ſenſus noſtri, natura & effectus Moſchi nobis inculcant, ita tamen, ut earum inſufficientiam & obſcuritatem nemo non, præconceptis antiquioribus opinionibus nimium non addictus, fateri cogatur; quàm itaque Chimici ſulphure ſuo ac ſale, nec non Cartheſiani atomorum gratâ levitate, evidentiorem haud inani conatu reddere laborarunt, ut itaque Moſchum, præter cæteras heterogeneas partes, quatenus nempe eſt odoratus, moleculis temperatis, ſulphureis & ſalinis, iiſque levibus conſtare tandem concludere queamus.

Neque negandum eſt, nardum, aliaque vegetabilia, ſive actu ipſo odoratas exhibeant particulas, ſive potentia tantum tales contineant, ventriculi demum aliorumque viſcerum digeſtione vel fermentatione evolvendas & in actum deducendas, in Moſchi odore augmentando aliquod conferre poſſe momentum, odoratas nempe atomos ſuas moſchatis jungendo, vel in moſchatas tranſmutandas ſuppeditando. Prout ſanè alimenta magnam in corporibus animalium alterandis poteſtatem habere, nemo, qui vel à limine œconomiam animalem contemplatus fuit dubitare poteſt. *Compertum eſt idiotis omnibus animalium carnes mirabiliter mutare colorem, odorem, ſaporem, conſiſtentiam, gratiam, bonitatem, pro alimentorum, quibus veſcuntur, natura varietate. Nam calidiores, frigidiores: duriores, molliores: denſiores, laxiores: ſuaviores, inſuaviores: ſalubriores, inſalubriores: minuſve incoctibiles, & ad nutrimentum habiles: pro paſtionis diverſitate effici, ita notum eſt, ut neminem id lateat*; & quæ plura habet *Thom. Eraſtus* de Auro potab. Et memorari inprimis meretur, quod Exc. Medicus Tigurinus, *D. Job. de Muralto*, non ita pridem per literas mihi recenſuit, vaccas nempe & capras in Alpibus Helvetiorum. Muttelinam Paſtorum, ſive Meum alpinum umbellâ purpuraſcente Cl. *Caſp. Bauhini*, edentes, non ſaltem butyrum, ſed & carnes ſtyracis inſtar fragrantes præbere; Confer. ejuſdem *Bauhini* addit. ad Matthioli Dioſcoridem lib. 1. cap. 3. & *Conr. Geſneri* hort. German. Quamvis ſoli pabulo fragrantiam hanc Moſchi non eſſe adſcribendam, *Libavius* & *Albertus* ſufficienter demonſtraverint. Ut in ſpecie non urgeam, de ſpicæ nardi & behmeni paſtu relationem non planè extra omne dubium eſſe poſitam, quas ſanè plantas in omnibus iſtis regionibus provenire, quæ Capreolos moſchiferos alunt, adhuc probandum eſſet. Imò & aliis plantis inodoris eoſdem inhiare, Tavernierianæ relationi debemus, quâ eos fame preſſos tritici & oryzæ novam ſegetem depaſcere conſtat, & ſupra jam cap. 9. percepimus.

Cauſam vero materiam hanc odoratam reddens, calor poteſt conſtitui. Præterquam enim quòd idem generatas jam & explicatas odoratas particulas movendo & agitando ad exhalationem impellit, eaſdem etiam, antea cum reliquis mixti crudioribus, fixioribus & figentibus particulis connexas, in libertatem ac volatilitatem adſerit. Iſque eſt potiſſimum, quem internum vocant, ab externo tamen adjutus, quandoque & in actum deductus, qui coquendo, digerendo, alterando, odorataſque particulas à cæteris ſeparando

&

& extricando, officio ſuo defungitur; non quod fœtida quævis imperfectam coctionem deſignare, cum quibuſdam, autumem, cùm v. g. Aſa fœtida, Opium, ingrato odore imbuta, interno igne illo coquente quam maximè abundent, externo etiam calore in calidioribus utpote regionibus provenientia, nullo modo careant, & naturalis ac propria cujuſque rei perfectio, quæ tam ſuaveolentiam, quàm ἀοσμίαν, fœtorem & graveolentiam complectitur, finis ſit perfectæ concoctionis. Iſte autem calor non tantum mitis & temperatus, ſed & maximus interdum ut ſit, requiritur, prout nempe materia magis minuſve reſiſtit, & ad emittendas particulas odoriferas diſponitur. Moſchum tamen maximo calore indigere vix credo, quem temperatus potius & blandus generare valebit, neque enim ipſa Moſchi ſubſtantia maximum calorem, ſi guſtu &c. expendatur, oſtendit, neque etiam folliculi ſitus & conformatio tam fervidi temperamenti ſuſpicionem præbent, quæ potius blando fotu digerendo operam ſuam promittunt. Quod & in aliis Moſchi ſpeciebus, putrefactione inprimis productis, obſervatur, putredinem enim abſque caloris interventu dari, nemini unquam in mentem veniſſe puto, quæ tamen qua ratione hîc concurrat, ſuperius jam oſtenſum fuit. Quod ſi calorem quoque externum ſpectare libet, non aëre tantùm ſub calidiori, ſed & temperato Animal noſtrum reperiri conſtat, provinciis Sinicis: Yunnam & Xenſi illud confirmantibus, iſtam enim, Lineæ æquinoctiali vicinam, præ reliquis Provinciis longè calidiori, hanc ſuavi mitique aëris temperie gaudere, conſtat. quo de v.g. videndus *O. Dapperus* in deſcript. regni Sinici.

Aſt etiamſi hæc omnia ita ſeſe habeant, nihilominus intellectui noſtro occulti quid ſubeſſe, tandem dicere haudquaquam vereor. Licet enim iſtis occultarum qualitatum, quas ſibi nonnulli olim finxerunt, tenebris immergere me non laborem, revera tamen aliud adhuc, præter, jam dicta, ſupereſt, quod nec Peripateticorum elementa, nec Chimicorum ſulphur, nec Corpuſcularis hypotheſis hactenus ſatis explicuerunt; idque eſt ipſe odor moſchatus proprius, quo talem ſuavitatem, nec aliam fragrantiam aliquam, qualem Ambra, Zibethum &c. impreſſionem organo odoratorio exhibet; quod interea, uſque dum commodius aliud ſuggeratur, ſeminale principium, ſpecificam virtutem & poteſtatem, à Summo rerum Creatore impreſſam, vocare lubeſcit. Quod cùm non minus obſcurum ſit & intellectu non ſatis comprehendi queat, præſtabit tamen, humani ingenue fateri, quàm manifeſta, ſine omni luce, crepando, culpam quamcunque incurrere.

De Moſchi adverſatione.

Cum in Cap. præcedente vitam Moſchi in odore ejus conſiſtere, dictum fuerit, & revera potiores ejus virtutes hinc deſcendant, quidquid ablationem & mortem ejuſdem minatur, ſtudioſe cavendum eſſe, ſponte eluceſcit. Unde etiam de commodo eum adſervandi modo nunc quædam ſubjicienda veniunt, ne præſtantis medicaminis & odoramenti loco depravatum, evanidum aut languidum concrementum emergat. Idque non tantum hanc ob rationem, nec ſc. aëri libero, in perpetuo motu conſtituto, negligenter expoſitus continuam ſubinde moleculatum odoratarum exhalationem patiatur & langueſcat, ſed &, quod negligentius cuſtodito alieni quoque odoris moleculæ, non ſine nativi aliquo detrimento, ſeſe adſocient, id quod à lavendulæ oleo ipſi accidere, *Petr. Andr. Matthiolus* Comm. in Dioſc. lib. 1. cap. 6. & *Anton. Mizaldus* in Alexikep. camp. 3. areâ 11. tradunt, tum quoque liberius ita exhalando, vicina quæ ſunt ex Simplicibus aliis vaſis & utenſilibus, quòd inficiat, non ſine tædio & noxa illorum, qui ſuaveolentia iſta averſantur, ceu plerunque ex mulieribus hyſtericæ ſunt, ex viris, qui debile cerebrum habent. Unde accidit quandoque, ut quidquid ex pharmacopolio adlatum eſt, ægroti nauſeent, quia, uti aiunt, ἀποθνήκ-ζει, juxta *Libavium* l. c. vel aliud periculum incurrant, quale ſtrangulationis uterinæ perpeſſa fuit Venetiis Nobilis quædam à Sirupo, manibus odore Moſchi & Ambræ fragrantibus parato, apud *Vict. Trincavellium* de compoſ. medic. lib. 2. c. 3. Quare provide ſatis in *Statutis Medic. & Pharmaceut. Paſſav.* Anno 1586. edit. §. 12. Pharmacopœis injungitur, ut Moſchum &c. ſeparatim & ſedulo adſervent, non alia inter medicamenta repoſitum.

Idem tamen adverſandi modus non omnibus probatur. *Haly Abbas* Pract. lib. 2. cap. 57. medicamenta jucundi odoris in vaſis argenteis, aut vitreis, quorum capita diligenter obturanda, adſervare præcipit. *Saladinus de Aſculo* in compend. aromatarior. omnes Species aromaticas in vaſis aureis, vel argenteis deauratis, aut in porcellanis, vitreiſve conſervandas eſſe inculcat. Vitreum vas, ſpiſſum ſive denſum & cerâ diligenter oblitum, vel potiùs plumbeum, ut frigidâ & humidâ hujus metalli qualitate eo magis ſalvus perſiſtat, eligit, vel ſaltem duo aut tria plumbi fruſta adponi jubet, & quo minus odore ſuo ſpolietur, cavendum eſſe monet *Platearius*, ne quid aromaticum addatur. Pyxidum quoque plumbeam *Alex. Benedictus*, eamque cerâ obturatam *Fuchſius*, *Sylvius*, & *Weckerus* commendat. Ad hoc ipſum pariter reſpexit *Henr. Smetius* lib. 9. Miſcell. medic. pag. 466. dum pixidulam plumbeam huic conſervationi optimam judicavit, quia ſit materia non tantum frigida, ſed & denſa, & quæ contenta non nimis exſiccari permittit, quâ nempe exſiccatione non exigua effluviorum odoratorum deperditio contingeret. Plumbeorum econtra vaſculorum uſum *Libavius* prolixâ diſputatione rejicit, cujus ipſe compendium his verbis proponit: *Si moſchus debet cerebrum & cor defendere, rectius in pyxide ex auro, argentoque ſeu electro & ſuccino conſervabitur, quàm in plumbo, quod hydrargyri ſimiles halitus exſpirans, cor cerebrumque offendit.* Verum inanis hîc adeſſe metus videtur. Licet enim plumbeos halitus ab omni noxa eſſe exemtos, minime adſtruam, eoſdem tamen, niſi vehementer calore plumbum liquetur, & liquefactione hac poruli ejus aperiantur, ſpirituoſæque noxiæ particulæ una expellantur, neutiquam emittit. Neque tamen ſuperſtitioſos adeo nos eſſe decet, ut Moſchum neceſſario in plumbeum talem carcerem (de addendis plumbi fruſtulis, ceu plane ſuperfluis, ut taceam,) eſſe detrudendum credamus, cùm & alia ex materia elaborata vaſcula ſcopo eidem optime inſerviant modo ita comparata ſint, ut nec poroſa admodum effluviorum moſchatorum nimium in ſe recipiunt, eumque ita ſenſim depaſcantur, nec proprias particulas eidem communicent. Hinc neque argentea, cuprea, ferrea, ſi minima quævis curare animus eſt, pro recondendo Moſcho electiſſimo probare admodum poſſum, metu, ne humidæ, acres, quodammodo & urinoſæ Moſchi particulæ ſubſtantiam eorundem corrodendo, atque æruginem dein vel rubiginem ipſo Moſcho adfricando, qualemcunque labem & impuritatem imprimant. Aurea vero reconditoria ad pompam magis, quàm neceſſitatem faciunt; Cui tamen facultates ſuppetunt, pretioſo theſauro pretioſum tale adaptare receptaculum, per me eſto liberum. Majorem tamen inde in corde roborando ſibi ne ſpondeat efficaciam, quâ ne hilum quidem ei cedet alius, in viliſſimo etiam plumbeo adverſatus Moſchus. Vitrea quoque divitum, pauperiorumque facultates non deſpiciunt, ſi pura ſint, orificio non uſque adeo ampla donata, cerâ diligenter obſirmata, veſicâ & chartâ conſtricta, inque locum ab aëre calidiori, humidiori vel liberiori, àque ventis ſatis alienum repoſita. Sed cur *Platearius*, aromaticis quid ne addatur, vel ne cum aromatico ſervetur, cavendum eſſe mo-

monuerit, cauſam ſubjungit, ***quia aromaticitatem ſuam amitteret***, id quod in *Quirici de Auguſtis* Lumin. Apothec. diſtinct. 1. deſcript. 19. vel, qui ſub Theſaur. Aromatar. ſimilem librum iiſdem penè verbis edidit, apud *Paul. Suardum* etiam ex eo monitum invenimus, quaſi ſcilicet vim ſuam & odorem amitteret, ſi cum ſpeciebus aromaticis conſervaretur, recuperandum, ſi in cloacam ponatur. Licet autem aliorum Aromatum viciniam & contactum Moſchi odorem auferre, nemo facile conceſſerit, eidem tamen aromaticas alias atomos commiſceri, ſicque genuinum obtundere quodammodo, haud eſt negandum, ut ita vel hoc intuitu ſeparatim inſtituta ejus repoſitio attendi utique mereatur. Nec ſimpliciter negaverim, eum peregrino tali odore imbutum, in cloaca odorem ſuum proprium recuperare, vel potius denuo purum exhalare, avolantibus nempe in aere liberiori & ampliori heterogeneis aromatum moleculis, quæ ſuperficietenus tantùm Moſchi ſubſtantiæ adhæſerant, quibus idcirco evaneſcentibus, altius radicatæ moſchatæ atomi nares dein ſolæ iterum ſubeunt, ita tamen, ut Moſchus una cum aromaticarum cæterarum fuga propriarum etiam non exiguam jacturam perpetiatur.

Cæterum Moſchum ſuo adhuc folliculo incluſum melius ſervari, quod præfati *Quiricus de Auguſtis*, nec non *Paulus Suardus* volunt, non eſt dubium, modò ipſe etiam folliculus alio in vaſe, plumbeo &c. abſcondatur, cùm ſolus alias odoris effluvium cavere ſufficienter.

Quamdiu verò abſque virtutis ſuæ odoriferæ deperditione ſervari queat Moſchus, ſi *Hieron. Cardanum* de rerum variet. lib. 17. cap. 97. conſulamus, centum annos eundem durare, percipiemus. Quamvis alii terminum hunc ad decennium ſaltem conſtrinxerint. Mihi hac in re nihil certi definire libet, aut licet. Etiamſi in vaſe probè occluſo, & ab omni aëris atque caloris acceſſu, qui odoratas particulas in motum concitare & expellere queant, ſi conſervetur, plurimorum annorum ætatem ſuſtinere poſſe, nullus ambigam. Ut itaque generali *Renodæi* deciſione præſtet adquieſcere, quâ medicamenta, tam ſimplicia quàm compoſita, ſedulo ſerventur, diutius durare: ſi negligenter, celerius ſeneſcere edixerat.

De Incommodis Moſchi.

Difficillimum eſſe, invenire remedium, quod citra ullam læſionem & noxam magnificè proſit, jam olim *Galenus* 11, Meth. Med. cap. 12. pronunciaverat. Vel ut *Ovidius* lib. 1. Triſt. eleganter expreſſerat:

> *Nil prodeſt, quod non lædere poſſit idem.*
> *Eripit interdum, modò dat Medicina ſalutem.*

Idque ſua etiam ex parte eſſe veriſſimum, ipſe pariter Moſchus ſufficienter oſtendit, cujus immenſas virtutes licet omnis deprædicet Orbis, ſalutaris tamen omnibus medicina nequaquam exſiſtit. Quapropter de incommodis, uſum ejus haud rarò inſequentibus, pauca quædam prælibare neceſſe erit, quo prudenter eodem eſſe utendum eluceſcat.

Antequam verò id adgrediar, principio *Franc. Perlam*, Odoramentorum noxam in genere proponentem, audire juvat. Sic enim adnot. 8. Propulſ. phyſ. oppugn. Steph. de Gaſp. de Opobalſ. *Odores*, ſcribit, *non modò quidquid proſunt, ſed ſi quid præterea obſunt, id ratione ſubjecti eſt, exhalationum nempe, quæ aut nimis copioſæ ſunt, aut nimis calidæ & tenues; nam copiâ quidem caput implent, ejuſq; membranas diſtendunt, calore alterant & accendunt, vehementique tenuium partium appulſu irritant; ex quo ſternutamenta commovent, excitantque dolores à diſtentione atque intemperie, & ad deliria uſque interdum compellunt.* Non admodum diſſimile de Moſcho ferendum eſt judicium. Ut itaque odoriferæ ejus atomicâ, quâ pollent tenuitate, vel, ceu Moderni loqui amant, volatilitate, eâque non ſimplici ſali volatili urinoſo, ſed & ſulphureo quam maximè explicato atque activo adſcribendâ, non ſanguinem tantum bilioſum in efferveſcentiam pronum, ſpirituſque agitent, & magis accendant, ſed & tenuiores alios vitioſos humores in ὀργασμὸν cieant, à quibus dein variorum ſymptomatum ortus eſt pertimeſcendus.

In ſpecie calidum offendere caput ac dolorem excitare, *Ebn Raſæi*, vulgò *Rhaſis*, *Sim. Sethi*, *Jac. Sylvii* aliorumque eſt opinio. Unde etiam cephalalgiæ inter cauſas Moſchi &c. ſuavi odore alteratus aër ſæpius à Medicis nominari ſolet, cujus ſpecimen habemus in Celeber. *D. Guern. Rolfincii* lib. 2. de dolor. cap. ſect. 2. art 1. part. 1. c. 25. Quò ideo nonnulli referunt aphoriſmum 18. *Hippocratis* ſect. 5. aromatum ſuffitum, ſive uti quidam interpretantur, aromatum odorem καρηβαρίας inducere innuentem; & *Galenus* clarè in lib. de arte Med. cap. 14. de calidi cerebri ſignis agens, calidis cibis, potibus & odoribus caput impleri & gravari ſcribit. Quod inprimis in bilioſis ac cerebro imbecillo præditis contingere *Joh. Fernelius* lib. 5. Meth. Med. cap. 21. atque moſchatum odorem vehementiâ ſuâ & copiâ caput offendere *Joh. Placotomus* pag. 15. Pharmacop. monuit. Non ſecus ac *Strabo* lib. 16. in Arabia felice eam odorum circumfluere copiam refert, ut faſtidium & καρηβαρίαν inferat incolis Sabæis odoris adſiduitas. Quo intuitu hìc quoque illud: Omne ſenſile excellens lædere ſenſus, valere judicat Exc. *D. Wedelius* de Medicam. comp. exemptor. ſect. 3. cap. 5. Interdum tamen & abſque copia iſta eandem læſionem inducit, ſi debile caput intraverit, & ſanguinem bilioſum vel mobilem admodum, ſpirituſque, facilè irritabiles offenderit, qualis conſtitutionis fuit Generoſus ille ſexagenario major, qui ex Moſchi &c. vel levi etiam odore ſtatim de capitis dolore, non ſine narium hæmorrhagia leniendo, conquerebatur, apud *Nathan. Highmorum* diſſ. cit. Et *Rob. Boyle*, hominem egregium, firmæ, ſed perquam ſanguineæ temperiei ſe noviſſe cap. 6. de inſigni effic. effluv. ſcribit, qui violentos ex odore Moſchi percipiat dolores, eundem ad functiones ſubeundas aliquo modo ineptum reddentes. Ipſe quoque Pictorem ſatis egregium, nativâ tamen capitis debilitate laborantem, ejuſdem mox dolore, non ſine lipothymiæ præludiis, correptum vidi, cùm vix vel levem moſchifici folliculi, aquis antea immacerati, odorem hauſiſſet, ut ita abſque mora eundem denuo reconderе delineationemque, huic Operi deſtinatam, ab alio depoſcere cogeret. Ubi ſane cerebrum fragrantiæ moſchatæ minus adſuetum impreſſionem odoratarum atomorum eò promtius perſentiet. Quale inſuetudinis nocivæ exemplum habet *Auger. Gislen. Busbequius* epiſt. 1. Narciſſus & Hyacinthis abundare Græciam, miro fragrantibus odore, referens, ſic ut, cùm multi ſint, odorum hujuſmodi inſuetis caput offendant. Hinc & adſuetis odoribus fœtidis haud difficulter quandoque curantur, qui ſuavibus penè fuerant enecti; quales depingunt. *Levin. Lemnius* lib. 2. de occ. nat. mir. cap. 6. *Henr. Smetius* lib. 12. Miſcell. Medic. epiſt. 6. *Zacutus Luſit.* lib. 3. Prax. admir. obſ. 99. *Philip. Salmuth* cent. 3. obſ. Med. 71. & *Pet. Borellus* cent. 3. obſ. Med. phyſ. 70.

Ex eodem fonte oritur, quòd Moſchus catarrhos ſuſcitare dicatur. Unde odoramentorum uſum frequentiſſimum diſſuadet *Dominic. Leonus* Art. Med. ſect. 2. lib. 3. cap. 4. ne læſo cerebro catarrhus excitetur. Nobiliſſ. quoque *Henr. Ranzovius* cap. 4. de conſerv. valet. odores nimis calidos improbat quia caput repleant & catarrhum generent. Quam repletionem à Moſcho induci, credidit *Sanctor. Sanctorius* Comm. in art. Med. Gal. quæſt. 57. tum per ſe, exhalatione ſcilicet calidâ corporea, tum per accidens, quatenus cerebrum ratione caloris

caloris, nova attrahat excrementa. Quamvis nec corporea illa repletio magni adeo momenti eſſe queat, cùm paucis ſæpe minimiſque exhalatio iſta conſtet corpuſculis, nec excrementorum attractio probari admodum poſſit, quam fuſionem humorum potius adpellabimus, prout Cl. *Dan. Sennertus* lib. 1. Medic. pract. part. 1. cap. 10. res vehementer odoratas itidem caput replendo, atque humores fundendo nocere ſtatuit.

Atque cauſæ huic paralytica quoque adfectio & tremor adſcribi poſſunt, quibus unguentarios eſſe obnoxios, *Guil. Rondeletius* Meth. cur. morb. lib. 1. cap. 23. advertit, ob Moſchi nempe & Ambræ, vel aliorum odoratorum continuum uſum, cerebri & nervorum ſubſtantiam, uti is loquitur, exſolventium.

Quam humorum à Moſcho &c. fuſionem etiam in Septentrionalibus populis, & frigidas regiones qui incolunt, agnoſcit *Caſp. à Rejes* Elyſ. jucund. quæſt. camp. quæſt. 84. quorum corpora eſſe corpulentiora, humidiora, & excrementoſis cruditatibus referta putat, unde ab Aromatum ſumtorum vel odoratorum calore crudi illi & excrementitii humores attenuentur, agitentur & conturbentur, motique vapores craſſos excitent, vertiginem & animi deliquia inducentes.

Et talis vertiginoſa adfectio atque καρηβαρεία Hippocratica non admodum diſtat ab ebrietate, quâ nempe, uti *Juvenalis* ſatyr. 6. canit:

Vertigine tectum
ambulat, & geminis exſurgit menſa lucernis.

Non mirum itaque, quod κεφαλαλγίαν excitare Moſchus dicatur *Libavio*. Poſtquam enim ejus & Ambræ odorem fortiorem caput gravare perhibuiſſet, ſubjungit: *Ideo inebriantur citò, qui ſuper ambra & moſcho bibunt, vel ex vaſis ambram & moſchum olentibus*. Modicum etiam Galiæ moſchatæ in vino poſitæ ſuaviter inebriare, *Guilelm. Gratarolus* cap. 4. de vino prodidit, aut ut *Porta* Mag. natur. lib. 14. cap. 12. loquitur: *Moſchum in vinum additum ebrietatem exaſperat*. Spirituoſa quippe ſpirituoſis juncta, caput dum adſcendunt, citius replent feriuntque, & ſanguinem plus juſto rarefaciendo vaporeſque excitando, tum in reliquo corpore, tum in capite cumprimis turbare valent omnia, ac ſpiritus animales modò inordinatos in motus & confuſiones compellunt, modò halituum è ſanguinea maſſa elevatorum blandiorum copiâ quaſi obruunt, & ad quietem componunt. Ut ideo narcoticum aliquod ſulphur vel poteſtatem aliam in Moſcho fingere, nequidquam opus ſit. De Ambra eundem effectum præſtante vid. Exc. *D. Juſt. Fid. Klobii* hiſtor. de ambr. quæſt. 2.

Epilepſiam porrò producere in nonnullis, quorundam eſt ſententia. Sic *Joſeph. Quercetanus* frequenti ſe experientiâ didiciſſe tract. Tetr. graviſſ. capit. effect. cap. 18. de epilepſia agens teſtatur, ejuſmodi calefacientibus & odoratis remediis auctos potius & excitatos fuiſſe hos adfectus, quàm imminutos aut ſuperatos. Cauſam quoque in eo ſitam eſſe ſuſpicatur, quòd Moſchus & ſimilia odorata ſint καρηβαρικὰ ſive caput gravantia, & cerebrum opplentia, cauſaſque plethoricas augentia. Licet verò rationem hanc non omnino rejiciendam putem, inſufficientem tamen eſſe, quilibet judicabit, ſi epilepſiam non à ſimplici inanitione vel repletione oriri poſſe conſideraverit, cùm neceſſe ſit, & aliam aliquam irritantem cauſam una addeſſe; quam itaque hoc in caſu ſanguini bilioſo, à moſchatis atomis in fervorem acto & quaſi excitato, ſuaque dein acredine, ab ipſis Moſchi ſulphureis particulis accedentibus adauctâ, nervoſum genus debile & ad epilepticas convulſiones jam antea pronum irritanti adſcribere præſtat. Quin & immediato contactu ſuo nervis odoratoriis ſeſe inſinuantes illæ Moſchi particulæ, non omni, uti dictum, acredine deſtitutæ, membranoſas maximeque ſenſiles partes cerebri pungere, ut & intemperatos animales ſpiritus in motus irregulares compellere valent.

De lypothymia Moſchi odori adſcribenda paulò ſuperius jam actum fuit; & quilibet etiam ſibi imaginari effectum illum poterit, ſi non tantùm vim ejus in rarefaciendo ſanguine, ſed & bilioſis ejus particulis exacuendis ruminaverit, quæ nempe in animi deliquio producendo non minus locum habere Celeb. *D. Franc. de le Boë Sylvius* lib. 1. Prax. Med. cap. 35. inprimis edocuit.

Huc commodè uteri ſic dictam ſuffocationem referemus, quam ſi non ipſam eſſe ſyncopen, ſaltem haud multum ab eadem diſtare, Viri quidam doctiſſimi oſtendere conati fuerunt. In quo uti plenum merentur adſenſum, ita ab utero tamen ſymptomata illa horrenda, in morbo iſto occurrentia, & ſpeciatim ſuffocationis metum quandoque ſumere originem, ideoque uterinam cognominari tunc poſſe, haud abſonum videtur. Non ſecus ac alii quoque adfectus: epilepſia, cephalalgia &c. uterina adpellari ſolent. Quâ verò ratione ſymptoma hoc à Moſchi aliorumve ſuavi odore naribus hauſto inducatur, plurimæ paſſim adferuntur opiniones, multis uterum ſingulari quadam proprietate & ſympathiâ eodem delectari, & eapropter ad jucunditatem iſtam plenius percipiendam ſurſum moveri atque adſcendere, ſtatuentibus, aliis verò in uterum male adfectum culpam referentibus, ita ut caput ab odore perculſum, uterum in conſenſum trahat perturbet, & humores pravos in eo agitet, vaporeſque inde ſuſcitet, aut etiam vaſorum obſtructiones augeat, aliis autem aliter ſentientibus; quæ tamen cuncta adducere, aut quid in eis placere queat oſtendere, nimiæ prolixitatis culpam hoc in loco incurreret. Mihi præ omnibus ingenioſa Cl. *Nath. Highmori* ſententia hic probatur, ſanguinis tenuioris, ſeroſi & flatuoſi, in feminis præcipue cholericis, ebullitionem ac fermentationem, à Moſchi tenuioribus, bilioſis & igneis particulis admixtis concitatam, ejuſdem in pulmonibus reſtagnationem, vaſorumque diſtentionem & infarctionem, ac conſequenter ſuffocationis periculum inducere, innuens; quam ipſam ſanguinis rarefactionem & commotionem, ſpirituum quoque animalium à tenuiſſimis Moſchi effluviis agitatorum impetuoſior in illum inſinuatio & commixtio inſigniter valet intendere; à qua etiam turgeſcentium ſpirituum influentia fibras nervoſas, & in ſpecie cordis, multum diſtendi, contrahi, & ſanguinem vehementius in arterias & pulmones prop llere, aut etiam ob inordinatum & furioſum quaſi adventum in motus irregulares ac convulſivos, ex *Williſii*, doctrina concitare poſſunt. Quàm crebertime autem adfectus iſte à moſchato odore ſoleat deſcendere, vel aniculis paſſim notum eſt. Memorari tamen meretur, quod *Relationes* ſive *Novellæ* quas ita vocamus, publicæ A. 1667. Menſ. Februario indicarunt, Antverpiæ nempe trium vel quatuor menſium ſpatio puerperarum plus quam 120. ob ſacchari uſum cui Moſchus admixtus, vel ſaltem adpoſitus fuerat, Libitinæ cenſum ingreſſas fuiſſe, quod num verum ſit, meum non eſt dijudicare, qui multis ſæpe fabulis tales Novellas conſperſas eſſe novi; ſaltem tamen non eſt impoſſibile, præſertim cùm Antverpianas feminas magis, quàm alias, eundem averſari, *Caſp. à Rejes* l. c. teſtetur. Et cùm majori feminarum numero noxam hanc odor ille minitetur, rariſſime, imò nunquam Medicus eundem medicamentis conciliat, niſi probe ipſi prius, hanc illamve ab eo minime lædi, conſtiterit.

Ab uſu etiam moſchatorum, uti conf. alkerm. in diſpoſitis non minus ac à melle, naſturtio &c. pollutionem nocturnam certo abortiri, monuit in literis ad me ſcriptis Celeber. *D. Wedelius* noſter, ſero in ὀργασμὸν inde magis concitato, hujuſque hinc flori, ſemini, cauſam tribuens.

In hæmorrhagia inſuper qualibet, ubi ſanguis ſiſti debet

Moſchum fugiendum *Wolffg. Höferus* lib. 2. Hercul. med. cap.3. admonet vehementiâ odoris, tenuitateque eximiâ ſanguinis fluxum adaugentibus. Oculum huc dixerit *Hieron. Mercurialis* lib. 1. de comp. medic. cap. 15. dum Moſchum, omnium corporum odoratiſſimum; venenum eſſe exiſtimat, ſi ut medicamentum intus capiatur, hac adductus ratione, quòd ſincerus naribus adpoſitus ſtatim proliciat ſanguinem, hinc & internè vi quadam inſigni, quâ pollet in aperiendis vaſis, ob tenuitatem & acrimoniam ſubſtantiæ, pariter ſanguinis exitum eſſet procuraturus. Cui adſtipulari videtur *Paracelſus*, lib.2. de Tartar. cap.3. in Comment. omnia, quæ generantur ex elementis, ſpiritum in ſe habere mineralem, ſuo more ſcribens, qui ſit venenum: *ſicut anthos, muſcus &c. non tam nobilis, qui non in ſe etiam habet venenum: nam bonum & malum conjuncta ſunt in omnibus rebus, quas producunt elementa.* Quod & *Helmontius* tract. Pharmac. ac Diſpenſat. modern. §.44. confirmat, vix aliquid immune Naturam habere ſcribens, quod ſuum toxicum ſibi clanculum admiſtum non habeat, ipſaſque roſas & violas ſub tanta odoris fragrantia veneni contagia occultare. Quamvis nihil in rerum natura dari, ſponte concedatur, quod, juxta cum ſalutari effectu, nocere nequeat, ob idipſum tamen venenum mox adpellare, nimium reputo, niſi quàm latiſſime nomen id acceperis. Non habet Moſchus in ſe venenum, niſi eodem tu abuſus fueris. Virgulam ideo cenſoriam *Joh. Domin. Sala* lib. de aliment. cap 17. ſuſtinere coactus fuit *Mercurialis*, quâ divites & delitioſi homines cibi ac potui Moſchum innoxie, Medici etiam cordialibus medicamentis cum fructu miſcentes opponuntur. Imò exterius tam facilè & frequenter hæmorrhagiam excitare, *Sala* rectè pernegat. Et *Caſp. à Rajes* l. c. mala illa forſan cauſare potuiſſe reſpondet, niſi adſumti vis in corpore ſtatim frangeretur, aut major juſto illius quantitas ſumta fuiſſet; *Sed*, pergit idem, *quando in minima datur, ideò minus offendit, & miros tamen præſtat effectus, quia in exigua licet portione maximam obtinet efficaciam.*

Porrò ob ejus odorem in tabem ſive corporis extenuationem quoſdam incidiſſe, ſcribit *Joh. Guintherius Andernacenſis* de medic. vet. & nov. comment. 2. dial. 5. Quod à frequentiori uſu, præcipuè in habitu corporis ad caliditatem & ſiccitatem naturâ inclinante, contingere poſſet, virtute nempe ejus calefaciente atque ſiccante roridas corporis partes depaſcente, ſicque tandem ad marcorem deducente.

Pallore etiam corpus inficere, ex *Sim. Sethi* relatione habetur. Cauſam verò *Sal. Albertus* reddere conatur, quòd videlicet ſanguinem adurendo, ulteriorem bilis in corpore proventum acceleret, à qua corpus lurido poſtea colore offundatur. Quam tamen bilioſarum partium in ſanguine evolutionem vel augmentum colorem iſtum eſſe daturum, non, niſi copioſior uſus & in corpore bilioſo accedat, eſt credibile. Nec admodum probare poſſum *Joh. Bapt. Porta* lib. 3. Phytognom. cap. 4. ſententiam, dum flavi coloris plantas in alimentum adſumtas flavam bilem augere, icterum inducere, & membra decolorare, ſcribens, Moſchum, utpote qui colore eſt ſubflavus, membra utentium pallore decolorare, ſimul notat. Signaturas etenim illas adeo certas, aut tincturam Moſchi flavam tam conſtantem eſſe, perſuadere mihi nequeo, cùm illæ in utramque ſæpe partem inclinent, ita ut tam bonum, quàm malum effectum exin imaginari ſibi quis valeat, hæc autem à tot digeſtionibus in corpore ſubeundis pariter immutari diverſimodè queat.

Quapropter catum & cautum in rebus, odore ejuſmodi quæ ſunt imbutæ, exhibendis decet Medicum, ne malum malo adgravet, & leviori ex morbo periculoſiorem, vel ex periculoſo letalem omnino efficiat. Quem in finem etiam Sirupum de corticibus citri, Confectiones, Species aromaticas &c. tam completas, quàm incompletas, id eſt cum, & ſine Moſcho paratas bene conſtituta Pharmacopolia exhibent, id quod in ſpecie *Auguſtani* mei, in gratiam inprimis mulierum hyſtericis paſſionibus obnoxiarum, claſſ.11. Pharmacop. cap. de Aromat. caryoph. Meſ. diligenter adnotarunt. Nec inutile eſt *Guil. Rondeletii* Pharmac. offic. hac in parte datum conſilium, quo in multis compoſitionibus odorata ejuſmodi auferenda cenſet, quia in multis morbis, uti adfectibus uterinis, qui per conſenſum fiunt, dolore nempe capitis, epilepſia, vertigine & ſcotomate, non conveniant, tum quia ægri odoratis offendantur, tum remediorum pretium intendant; Medicus autem ſi imperet, facile iſta addi à pharmacopola poſſint.

Et ita de Moſchi uſu in certis ſubjectis vitando cautela omnium optimam ſuppeditat ejuſdem correctionem, atque ne noceat, præſervationem, ut iſtâ non indigeamus animadverſione, quæ in libello *Ebn Sina* adſcripto, de medicam. cordial. tr. 2. habetur, caliditatem nempe ejus cum camphora, & ſiccitatem cum oleis humidis, violaceo, roſaceo &c. reprimi. Ut taceam, frigidam in Camphora creditam qualitatem eſſe commentitiam, jam dudum penitus exploſam, Moſchi autem ſiccitatem tantam non eſſe quæ correctionem depoſceret, neque in parva, quæ in uſum trahi ſolet, doſi quidquam nocere poſſe.

De horum autem incommodorum omnium curatione ſpeciatim agere, longius à ſcopo meo eſſet poſitum, quam unuſquiſque, ſi cauſam iſtorum perpenderit, abſque magna difficultate deprehendet. Temperatis itaque, vel etiam fœtidis, narcoticâ virtute aliqualiter præditis odoribus, qualibus ad gravedinem, à florum & fructuum fragrantia contractam, ex aſphalto & tragopogone, vel potius barbæ hircinæ pilis Sabæos fuiſſe uſos, *Strabo* autor eſt dum ſcribit: Καρούμενοι δ' ὑπὸ τῶν εὐωδιῶν, αἴρουσι τὸν κάρον ἀσφάλτῳ θυμιάματι, καὶ τράγου πώγωνος: *ubi fragrantia carum induxit, bituminis ſuffitu & hirci barbâ eum abigunt*, aliiſque remediis fervorem ſanguinis compeſcere, ſpiritus feroces in ordinem redigere, & ſi quæ vitioſorum humorum abundantia, fluxuſve ad hanc illamve partem contigerit, eoſdem educere, conveniet.

De Moſchi virtute alexipharmaca.

Medicas inter virtutes, quibus Moſchum eſſe donatam creditur, alexipharmacam primo recenſere loco libet, quem nempe Arabum ille Princeps, *Ebn Sina*, antidotum adverſus venena, vel ex eo *Chriſtoph. Georg. de Honeſtis* ſuper Antidot. Meſ. theriacam venenorum adpellat. Quo etiam nomine à *Johan. Georg. Macaſio* Prompt. Mat. Med. lib. 2. ſect. 10. cap. 1. aliiſque Alexipharmacorum generalium in catalogo fuit collocatus. Id quod de interno ejus potiſſimum uſu prædicare videntur, de externo tamen & alii ſimilia teſtantur. Hinc *Ranzovius* cap. 48. de conſerv. valet. *Quidam ferunt*, ſcribit, *ambram, muſcum, vel lapidem bufonis geſtantes à venenis tutos præſtare:* Quod encomium num Moſcho jure imponatur, ne credulitate nimiâ errori patrocinari videar, nunc merito diſquiritur. Quamvis autem diffiteri nequeam, cum Excellent. *Dom. Simone Paulli* claſſ. 3. Quadripart. botan. cap. de coriandr. ab omnibus Autoribus, qui de venenis commentati ſunt; veram & adcuratam definitionem veneni hucuſque me deſiderare, & ideo non minus ejuſdem etiam remedium ſive alexiterium eadem obſcuritate involvi neceſſe ſit, ſi tamen communiori loquendi modo venenum omne id vocare libuerit, quod peculiari facultate cordi eſt infenſum ac deleterium, Moſchum alexipharmaca naturâ eſſe prædictum, non omnino negari poſſet, cùm eundem cordi & ſpiri-

ſpiritibus ejus quàm maximè gratum, amicum & ſalutarem eſſe, nemo non fateatur, ideoque iſtâ cum corde & ſpiritibus ſympathiâ, tutelâ atque medelâ, irruentes in illud qualeſcunque nocivas turmas abigere poſſe videatur. Aſt cùm venenorum maxima in effectu ſit differentia, ut modò figendo, modò reſolvendo, corrodendo &c. partes vel humidiores, vel ſolidiores vel ſpirituoſas deſtruendo ac corrumpendo; operationes ſuas peragant, omnibus iſtis vitæ noſtræ hoſtibus efficaciter reſiſtere poſſe Moſchum, nemo, qui rem adcuratius expenderit, facilè perſuadere ſibi patietur.

Hinc etiam, ſi cum *Ebn Sina* lib. 3. tract. 1. cap. 4. illud alexipharmacum eſſe remedium diceremus, quod ex ſua proprietate conſervat ſanitatem & virtutem in ſpiritu, ut veneni noxam à ſe repellat, facilius rem conficeremus. Aſt Cl. *Sennerti* hîc utique prævalet deciſio lib. 6. Medic. pract. part. 5. cap. 6. Cordialia nempe omnia in morbis venenatis eſſe utilia, quia corroborant, ut veneno fortius reſiſtere poſſit, ipſum tamen venenum non adeo expugnare, ſicut alexipharmaca propriè dicta, iſtoque reſpectu ipſum quoque Moſchum in morbis venenatis curandis utilem eſſe poſſe, ibidem concedit.

Generale itaque propriè cùm non ſit Alexipharmacum, an aliquibus tamen venenorum ſpeciebus, ceu adpropriata Antidotus, opponi queat, nunc pariter inveſtigabimus.

Ubi inprimis immaniſſimum Napelli venenum ſingulari quadam proprietate profligare, cum *Ebn Sina* plurimi teſtantur, dummodo tempeſtive adhibeatur. Quàm ſæva autem napellus excitet ſymptomata, curationemque reddat difficilem, paſſim in Libris recenſetur. Sed determinare, in quo venenum ejus propriè conſiſtat, meum ſuperat ingenium. Tenuiſſimæ quidem inhærere ſubſtantiæ, quâ etiam leviculâ in apice linguæ deguſtatione, ceu *Helmontio* contigit, (Vid. tr. Demens Idea §. 12.) vel ſolo odore, juxta Nob. *D. Joh. Georg. Greiſelium* in Ephem. Germ. Curioſ. Ann. II. obſ. 78. umbrâ ſecundùm R. P. *D. Athan. Kircherum* in Mund. ſubterr. lib. 9. ſect. 1. c. 1. & lib. 4. Latii antiq. & nov. part. 2. c. 6. vel contactu nocet, ex relatione *D. Paterſon. Hainii* Ann. III. dd. Ephemer. obſ. 233. & *Petr. Andr. Matthioli* Comm. in lib. 4. Dioſc. cap. 73. extra controverſiam eſſe puto, quæ non ſine generis nervoſi noxa, magnam in ſanguine & ſpiritibus agitationem vel fermentationem, imò deſtructionem, atque ab hiſce labiorum, linguæ & totius faciei intumeſcentiam, oculorum prominentiam, ſyncopen, cordis compreſſionem, partium tremorem, horrorem, vertiginem, lethargum, aliaque ſymptomata, pro ſubjecti ſcilicet, cujus interitum molitur, inprimis diverſitate, efficiat. Aſt cujus naturæ ſit ſubtiliſſimus ille viroſus ſpiritus, in tam parva etiam mole tam magnam, quale corpus humanum eſt, molem, & breviſſimo quidem temporis ſpatio peſſundans, quis nobis ſufficienter explicabit? Certè nec ſola caliditas, nec etiam ſalino-alcalica volatilitas rem ſufficienter expedient. Symbolum quidem addere aliquale poſſunt, verum neceſſario aliud aliquod eſſe conjunctum, arbitror, quod ſi à 🜂co, omnibus mixtis ingenito principio ſperare quis velit, equidem non repugno, aſt diverſitatem ingentem ejuſdem, pro maxima videlicet corporum mixtorum varietate, nec non abſtruſas proprietates conſiderando, in eo ipſo occultum aliquid ſubeſſe, fateri cogimur. Licet enim occultatum qualitatum, eo modo, quo olim à plurimis obtrudebantur, incertitudini mancipare me nolim, reſpectu tamen ad noſtrum intellectum habito, revera occultas iſtas dari, & ita, omnia ad manifeſtas velle reducere, non quidem cum nonnullis dementiam, ſed impoſſibilitatem hucuſque eſſe, adſero. Et quamvis ex corpuſcularis Philoſophiæ fundamentis res clarius proponi poſſit, quâ ſanè ratione in ſuæ Cicutæ aquaticæ hiſtoria curioſiſſima Celeb. *D. D. Jo. J. Wepferum* egregia nuper præſtitiſſe nemo diffiteri queat, ita ut Napellum etiam, ſucco acri, & mordaci præditum, aculeos ejuſmodi continere dici poſſit, qui nervoſum genus ubi attigerint, pungere illud, vellicare, ſicque ad convulſiones irritare & ſymptomata illa horrenda ſuſcitare ſoleant, cùm tamen & alia, ſi non longè acriora & mordaciora, ſaltem non inferiora, guſtum ubi conſulere volumus, uti piper &c. dentur, quæ tamen ſymptomata iſta haud inducunt, eo ipſo vel aliud aliquid una lateie, vel ſaltem in ipſis corpuſculis iſtis aculeorum hactenus imperveſtigabilem diverſitatem occurrere neceſſe eſt. Unde etiam, ſi Moſchus tam ſpecificum contra Napellum ſit venenum, (id quod experientiæ confirmandum relinquo,) nec tantum, naturalem ſanguinis & ſpirituum κρᾶσιν conſervando & intendendo, aut ſpiritus animales ſyſtematis nervoſi præſidem demulcendo, eidem contraiietur, occultam pariter in eo opitulandi virtutem hîc producere cogimur; cùm certè, quâ ratione ſpicula illa pungentia extrahere aut obtundere &c. valeat, intelligere hucuſque nequeam.

Porrò Coriandri ſuccum venenis adcenſeri debere, nonnulli *Dioſcoridem* lib. 3. de mater. med. cap. 62. & lib. 6. cap. 9. ſequuti adſtruunt; de quorum ſententia quid ſentiendum putem, prolixius in Pharmacop. Auguſt. Reſtit. claſſ. 20. pag. 425. & ſeq. exhoſui. Propriè non eſſe venenum, quod minima in doſi magnam nocendi potentiam oſtendat, extra omnem eſt controverſiam, & inprimis à *D. Simon Paulli* l. c. egregiè fuit oſtenſum; largius tamen ſumtum mentem turbare, & alia quandoque ſymptomata, vertiginem, ſomnolentiam &c. inducere, itidem conſtat. Quam itaque noxam cerebro illatam Speciebus diamoſchi & ambræ expugnari monſtrat *Matthiolus* Comm. in lib. 6. Dioſc. cerebrum nempe & ſpiritus animales confortandi, eorumque δυσκρασίαν frigidam corrigendi vi præditis; quin & cùm narcoticum vel ſtupefactivum aliquod 🜂r Coriandro viridi ineſſe, incommoda nimium ejus uſum inſequentia, tum & ipſe odor fœtidus perſuadeant, tali quoque intuitu Moſchus ob 🜂r ſuum contrariâ qualitate donatum, ſuavi & maximè mobili ſuâ volatilitate poros cerebri apeiiendo, ſpirituſque animales reſolvendo & ſuſcitando, priſtinam capiti ſerenitatem conciliare valet.

Quo reſpectu etiam Moſchus à plurimis Opiatorum medicamentorum compoſitioni adjicitur, non tantùm ut tetrum odorem iſtum, ſed & venenum, aut, ceu nonnullis videtur, frigiditatem nimiam Opii emendet, virtuteque ſuâ confortante à noxis pertimeſcendis præſervet. Hinc in Philonis antidotum quoſdam Moſchum recipere *Meſue* in Antidot. monuit, ſuoque in Anodyno ſpecifico *Paracelſus*, in Laudanis *Crollius*, *Agricola*, *Poppius*, *Beguinus*, *Freitagius*, *Poterius*, *Mynſichtus*, *Hartmannus*, *Tillingius*, *Auguſtani*, pluresque alii, in Tabulis vel Trochiſcis narcoticis *Plateras* locum eidem aliquem conceſſerunt. Opium tamen ab iſta veneni labe eſſe immune Exc. inprimis *D. Georg. Wolffg. Wedelius* lib. 2. Opiolog. ſect. 3. cap. 4. nec etiam tantam ineſſe frigiditatem lib. 1. ſect. 1. cap. 5. erudite oſtendit. Quamvis frigidum id eſſe, ab effectû demonſtrare placuerit nuper Celeberr. *D. Ol. Borrichio* in tr. de ſomno & ſomnif. Doctiſſimorum itaque hac in re Virorum ἐπιχείρησις nullatenus diſplicet, opiata nempe medicamenta, prudenter adminiſtrata, ſatis per ſe eſſe innoxia, nec, ut Moſcho aliove additamento corrigantur, opus habere. Interea tamen non negaverim, ſi quæ ab inconſiderato uſu noxa contingat, à Moſcho præſidium aliquod ſperari quandoque poſſe, prout ſanè *Dioſcorides* veternoſos ab epoto papaveris ſucco factos odoratis excitandos eſſe admonet, quæ inter *Matthiolus* in Comment. Moſchum in ſpecie commendat.

Præ-

Præterea ſub umbra Juglandis arboris ſi quis diutius verſetur aut dormiat, ingenti capitis dolore, vertigine, apoplexiâ, vel epilepſiâ corripi, ideoque plantam illam oſtendere venenatam naturam, tum alii tum *Dan. Sennertus* lib. 6. Med. pract. part. 7. cap 17. innuit, atque exemplis *Bald. Timæus* lib. 7. Caſ. medic. 8. illuſtrat. Quale quid etiam de juniperi umbra *Virgilius* Eclog. 10. cantare voluit; Vid. tamen Illuſt. *D. Febrii* noſtri Scorzonera curioſ. pag. 123. Ipſam quidem umbram malorum adeo effectuum ream non eſſe, merito cum Ill. *Boyleo* cap. 5. de nat. determin. effluv. dicitur, vicinæ tamen arboris nuciferæ effluvia noxia ſatis capitis eſſe poſſunt, cujus dolorem ſibimetipſi in æſtuantibus regionibus induxiſſe, ibidem fatetur. Satis enim efficacia eſſe iſta effluvia, ipſe odor, quem graviter olentem (ſive quod *Cluſius* lib. 1. rar. plant. hiſt. cap. 10. de Lentiſco habet, cum quadam gravitate jucundum) *Matthiolus* vocat, evincit. Nocere itaque nonnullis, ratum habeatur, quoſdam tamen, inculpatæ qui ſunt valetudinis, ſeu vigilantes, ſeu dormientes, impunè ſub arbore iſta morari, atque ut noceat, corporum diſpoſitionem certam requiri, *Timæo* non minus adſentior, quæ ſcilicet 🜁 rearum iſtarum improportionatarum atomorum impulſu, ſanguinem & ſpiritus inordinatum in motum concitari, & energiam earum corpori imprimi faciliùs patitur. Quibus tamen incommodis Species diambræ, diamoſchi dulcis, & Trochiſcos galiæ moſchatæ opitulari, *Sennertus* tradidit, quibus nempe naturæ amicis priſtina tranquillitas reducitur.

Compertum etiam eſſe ſcribit *Arnoldus Villanovanus* de doſib. theriacal. Moſchum ſingulariter obviare letali veneno, quod dicitur Cornu ſpicæ, id quod ex *Ebn Sina* adſcripto libello de Medic. cordial. ab eo latinitate donato, ubi idem adſeritur, dubio procul hauſerat. Eſſe autem hoc Cornu fructum ſeu additamentum quoddam, in Spicæ cujuſdam ſpecie horribilis odoris enaſcens, *Sant. Ardoynus* lib. 3. de venen. cap. 2. prodidit. Cùm verò ſatis naturam Vegetabilis hujus perſpectam habeam, commemoraſſe iſta, ſufficiat.

Felis cerebrum qui hominem dementare obſervarunt, hi, exigente neceſſitate, ſingulo mane diamoſchi Confectionem, tribus vel quatuor horis ante cibum ægrotanti offerunt, quinimo Moſchum per ſe ad ℈ß. cum vino, antidotum veluti excellentem, abſorbere præcipiunt. Similiter felium adverſus pilos deglutitos, earundemque halitum naribus attractum commodè uſurpari eum, autor eſt *Matthiolus*, atque cum ipſo *Macaſius*. Et quidem felis cerebrum eſſe venenatum, vel potius noxium, nemo amplius dubitat, idque exemplo ſtoliditatis, ab eo comeſto inductæ *Henr. Salmuth* cent. 1. obſerv. Med. 47. & cent. 3. obſ. 09. confirmat. Cerebrum enim felinum ſiccum valde eſſe *Ferdin. Ponzettus* lib. 2. de venen. cap. 26. ſtatuit, ſi cùm hominis temperie conferatur, unde meatus cerebri obſtruendo, tranſitum ſpirituum animalium ad ventriculum poſteriorem prohibere autumat, addens: *Tunc prohibetur memorari, ideo reputatur ſine mente* Quamvis hîc ſola illa ſiccitas (ut non tangam reliqua) inepta planè ſit, quæ tantum efficere defectum queat, nec ipſa etiam cura à *Ponzetto* tradita, per aromatica, Diamoſchum & Vinum clarum, ſiccitatem iſtam admittat, à medicamentis taliſmodi, ſiccandi virtute præditis, potius adaugendam. Meatuum verò vel pororum cerebri aliqualem (non univerſalem; apoplexiam minantem,) obſtructionem probabilius defendere potuiſſet, qua nempe ſpirituum animalium naturalis tranſitus, & in debita quantitate prohibita generatio ac diſtributio metuenda eſt, ſicque mentis quandam imbecillitatem accerſere valet. Licet hîc potiorem culpam in ipſis ſpiritibus ſitam eſſe, credere malim, qui à cerebri felini in caput delatis particulis nonnihil figantur, & in torporem conjiciantur, vel alio modo turbentur aut corrumpantur. Idque eò magis fieri, credibile eſt, ſi felis, antequam neci tradatur prius in furorem concitetur, qua ratione ipſa etiam ejus caro, comedentibus eam, noxia evadit, quod egregio exemplo *Athan. Kircherus* ſect. 2 cap. 2. de peſt illuſtrat, quam alias abſque omni periculo devorari Ill. noſter Præſes *D. D. Joh. Michaelis Febrius* in Anno VI. Miſcell. Germ. Curioſ. obſ. 88. *Bald. Ang. Abbatius* cap. 6. de viper. & *Henr. Salmuth.* cent. 1. obſ. 47. ſcribunt. De pilis felinis, utrum venenatæ æmulam vim poſſideant, non parum dubito, qui, ſi laryngi illapſi ſuffocationis metum non inducant, vix alio modo nocere poterunt. De halitus etiam noxa major fortè in plurimis metus ſubeſt, quàm periculum, cùm, ut *Sennerti* verbis loquar, ſæpe videamus infantes geſtare feles, & ſecum in lectis cubantes habere ſine damno. Quibuſdam tamen, cæteroquin ſanis, ſingulari & explicatu vix poſſibili proprietate halitum iſtum naturalem felium nocere poſſe vix dubito, quâ ratione etiam multis magnam cum felibus eſſe antipathiam paſſim eſt notiſſimum, ita ut eorum vel in obſcuro latentium præſentiam iidem mox exhorreſcant. Maraſmum tandem vel tabem nonnullos à crebrius attracto in pulmones felium halitu incidere non omnino negabo, ita ut ſanguini ibidem mixtus tandem à naturali eundem dimoveat, temperiem & conſiſtentiam ejus debitam immutet, ſicque nutritias in eo particulas enervet, quo tamen, venenum ſubeſſe, minime evinci poteſt.

Fel denique viperinum perniciosum adeo depingit cum aliis *Matthiolus*, ut animi deliquium ſtatim adferat, id quod de felle deglutito eſſe intelligendum, vomitus, ab eodem ſummopere commendatus, evincit, poſt quem Moſchum &c. exhibitum eſſe ſaluberrimum, pronunciat. Id quod etiam jam dudum *Raſes*, *Albucaſes*, *Avicenna* & *Guilelmus Placentinus*, à *Sant. Ardoyno* lib. 3. de venen. cap. 14. citati tradiderunt. Aſt hoc remedio non eſſe opus, ipſa fellis viperini natura evincit, in qua venenum in corpori illatum non conſiſtere, Excellent. *D. Franc. Redus* præcipuè & *Moſ. Charas* expoſuerunt.

Idem dubio procul judicium Fel. Leopardi, cum Cerebro Urſino merebitur.

Ad ipſum porrò venenum peſtiferum debellandum, ſive id præſervando, ſive curando fiat, utiliter adhiberi Moſchum, ſunt qui ſtatuunt. Hos inter *Jul. Palmarius* lib. 7. de morb. contag. cap. 18. de ſimplici materia, in febre peſtilente in uſum trahenda agens, Moſchum odore ſuo ſuaviſſimo ac fragrantiſſimo peſtilentem aëris perniciem repellere, diſſipare, atque extinguere poſſe, vires præterea cordis recreare, ſpiritus omnes erigere, diſſipatos colligere ac reſarcire, cerebrum ſenſuſque omnes roborare, & partium omnium, maximeque cordis languorem diſcutere, decantat. Unde & apud ipſum, alioſque tot paſſim eum in finem, pro interno pariter & externo uſu, variæ extant conſcriptæ formulæ, Moſchum recipientes, v. g. apud *Job Cratonem* Conſil. à *Laur. Scholzio* collect. 266. 275. 276. 277. *Dan. Sennertum* lib. 4. de febr. & Faſcicul. medicament. contra peſt. *Philipp. Höchſtetterum* decad. 7. obſ. Med. cap. 2. *Matth. Untzerum* lib. 2. de lue peſtifer. *Thom. Jordanum* de peſt. phænom. tract. 3. cap. 2. 7. *Jac. Theod. Tabernæmontanum* de peſt. *Gerbrandum Hai* Medic. peſtifug. mixt. var. *Theodor. Turquetum Dom. de Mayerne* conſil. Medic. *Laurent. Joubertum* de peſt. *Ambroſ. Paræum* lib. 21. Oper. *Nicol. Maſſam* de febrib. peſtilent. *Marc. Anton. Florum* de morb. epid. &c. Quin & ſuaves odores jam olim ſcopo huic inſerviſſe, *Hieronym. Mercurialis* lib. de peſt. cap. 22. ex *Herodiano* docuit. Et ipſum *Hippocratem* (quod & ante eum

Acronem Agrigentinum feciſſe ſcribitur,) peſtem ex Æthiopia ad Græcos venientem non alio præſidio repuliſſe *Galenus* cap. 16. de theriac. ad Piſon. autor eſt, quam aërem ignibus, tum è ſimplici materia, tum beneolentibus coronis floribuſque accenſis purificando, addens: *Talia ſiquidem ignibus alimenta ſubminiſtrari conſuluit, & ut unguenta quàm pinguiſſima infunderent, & id genus alia bonum odorem fundentia, ut hoc pacto cives bonum odorem inſpirantes ab imminente lue tuti forent.* Unde etiam à Senatu populoque Athenienſi magno honore privilegiiſque ornatus fuerat, ceu Athenienſium Senatuſconſultum, *Hippocratis* Operibus additum, edocet.

Hanc verò odoratam in aërem inducere qualitatem multi eum in finem laborant, quo putredinem ejuſdem, in qua contagii peſtilentis ideam conſiſtere arbitrantur, ſiccando deleant, fœtoremque ejus obtundant atque emendent, incertiſſimâ tamen hypotheſi innixi, cùm non tantùm putredo ejuſmodi ſæpe nulla adſit, ſed etiam nec fœtor ullus percipiatur. Id quod ipſe *Jacob. Trunconius* lib. 4. de peſt. cap. 4. ex parte fateri cogitur, dum peſtilenti aëri fœtorem quidem adeſſe, inde colligit, quia putrefactus ſit, per olfactum tamen pravum illum halitum non adficere, mox concedit. Licet alias ſpeciatim Moſcho quoque in corporibus à putredine præſervandis non omnem laudem adimam, aſt num excitatam jam reprimere ſufficienter valeat, admodum dubito, quin & ipſius ſubſtantia ab eadem omnino ſeſe vindicare nequit, odor autem ſolus corporum tam violentam reſolutionem vix poteſt ſiſtere. Hinc alii, quos inter *Joſeph. Quercetanum* lib. 2. peſt. alexicac. cap. 5. & *Athan. Kircherum* ſcrutin. peſt. ſect. 3. cap. 8. nominare libet, Moſchum virtutis tantùm, quâ pollet, corroborantis ratione prodeſſe in peſte adfirmant, quâ nempe cor, vel potius ejuſdem ſpiritus, cum ſanguine, primario à virulentia impetiti, ſuſcitari, augeri, inque lætitiam, pavori peſtilentiali contrariam, deduci queant. Id quod paucis expoſuit *D. Nicolaus Ellain*, Medicus Pariſienſis, tract. de peſte, ſuaves odores ad aëris noxii ſuſceptionem impediendam opportunos eſſe exiſtimans, *eo quod facultatem animalem vitalemque confortent, ob eamque cauſam cuilibet corruptioni facilius obſiſtant.* Conferatur etiam noſter *Raym. Mindererus* cap. 16. de peſtilent.

Hiſce tamen alii ſeſe opponunt, & Moſchum non tantum non juvare, ſed & nocere in dira lue, acriter inſiſtunt. Ita Clar. *Joh. Rhodius* Analect. in Septal. lib 5. eum, ut nimis acrem & calidum, aëris in peſte mutationem non convenire, ſpiritus enim levioribus odoramentis refici, gravioribus diſſipari, vel etiam evocari, unde promtius inficiantur, & cum odore grato tanquam vehiculo venenum crebrius inſpiratum, cor promtius ſubire, ex *Th. Graſſio* aliiſque oſtendit. Sic & *Angelus Victorius* conſult. medic. 69. valde odorata rejicit, à quibus ſpiritus confundantur, calidum innatum exterminetur, proinde & putredo accerſatur. Clar. *Paulus Barbette* tract. de peſt. quanquam medicamenta inter peſti contraria Moſchum ſub Aromatum titulo denominaverit, & in Julapium etiam ipſa in febre peſtilenti præſcriptum reperit, poſtea tamen, cùm de remediis prophylacticis ageret, eundem non ſolum malignitatem non corrigere, ſed venenum magis attrahere, &, experientiâ juxta cum ratione id confirmante, valde nocere, adſtruit. *Johan. Zwelferus* etiam claſſ. 13. Pharmacop. Reg. contagium peſtiferum cuilibet naturali corpori, unico excepto Sulphure, (id quod ex *Helmontii* Tumulo peſt. deſumpſerat; licet & ipſum Sulphur in ſe conſideratum pro inſonti haud facilè reputaverim, accenſione tamen reſolutum aliam rationem habere conceſſerim, prout & alia quædam corpora in actum deducta miaſma potius enervare, quàm proprie ſuſcipere, dicendum eſt,) ipſi proinde Moſcho ſeſe adglutinare, animadvertit, adeo ut, unde ſibi panacæas homines compromittant, arcanas inſidias ac deleterium virus experiantur, moſchata etiam ambrata, delicatiora inventa, nonniſi ſpecioſos titulos alexipharmacos mentientia, (qualia tamen ipſe claſſ. 12. pag. 132. & 133. Trochiſcos nempe ſublinguales, & claſſ. 17. Unguentum cordiale, propoſuerat,) plus palato, quadris aut bellariis, quam cordi in malignis tuendo, dedicata ſint, virulenta autem effluvia nolentibus etiam ac ſponte ingruant, ut odoris fragrantiâ allicere eadem non opus habeamus. Sed, omnibus hiſce quodammodo ut ſatisfaciam, odorata iſta, ad aërem purificandum & alterandum adhibita, tantæ caliditatis non eſſe, *Trunconius* l. c. reſpondet, ut ſcilicet tenuior ab illis exhalans materia ambientis caliditatem adaugere valeat; vel, ceu *Pius Æneas Caprilius* lib. 2. de febrib. putr. habet, non tam caliditas quàm virulentia conſiderari debet; aut, quod alii obſervant, Medicus prudens temporis, frigidioris nempe vel calidioris, diverſitatem hîc perpendere non intermittet, imò & temperamentorum in individuis, ætatis, ſexus, conſuetudinis, & mediocritatis, nunquam non ipſe ſponte recordabitur. Et quamvis cum odoratis atomis ipſæ quoque malignæ inſpirentur, harum tamen ab ingreſſu per nares, os, poros, etiamſi odoratis non utaris, minimè te vindicabis, cùm perpetuâ aëris inſpiratione corpus vivum carere nullo modo queat, præſtabit itaque, cum hoſtili turba auxiliatrices etiam copias, ſpiritus animales atque vitales ad certamen quaſi provocatos confortatas, ingredi, quàm ſine his majorem nocendi libertatem illi relinquere. Aſt adpropriata magis & certiora odorifera Alexipharmaca haberi poſſe, ſi quis inſtet, non nego equidem, hæc tamen illorum uſum propterea non omnino tollere, regero. Imò, ſi omnibus corporibus, Sulphure excepto, malignæ atomi adhærere queant, nec Acetum, nec alia quævis alexiteria, ore, naribus, poris hac ratione haurienda forent; quanto cum fructu, ſimiles Cenſores per me experiantur licet. Moſchum autem pravas moleculas iſtas attrahere, hiſque veluti analogum & homogeneum eſſe, neutiquam *Zwelfero* concedere poſſum; poſtquam enim ipſe pag. 140. Amuletum ex pulvere bufonum, ſerpentum, ſuccino citrino, ladano, pane trito, Moſcho, & Zibetho parare docuiſſet, atque egregie commendaſſet, pag ſeq 144. Amuleta hæc talibus conſtare debere, neceſſe arbitratur, *quæ veneno ſint veluti analoga & homogenea*, ſive quæ ratione ſymboli venenum ad ſe alliciant & attrahant. Quis verò unquam attractivam illam in Moſcho vim obſervavit quonam certo ratiocinio fundatur? Ut virulentas aporrhœas à moſchata paſta copioſe attractas, una cum hujus continua exhalatione copioſius etiam ad nares adſcendere & conſequenter promtius inficere debere, contra *Zwelferum* jam non urgeam. Imò ipſum in corpus admiſſus non ſaltem venenum illud non attrahet, ſed & virtute ſuâ quâ ſanguinem rarefaciendo, ad diaphoreſin laticem ejus diſponit, per poros ut eliminetur, compellet quam nempe vim ſudoriferam ratio ei ſatis vindicat, non repugnante omnino experientiâ, quâ verbi gratia, quartanam in Aromatario quodam perfectè curatam, apud *Lazar. Riverium* obſerv. medic. cent. 4. obſerv. 35. legimus. Conferantur *Gabriel. Falopius* lib. 1. Sectet. & *Andr. Libavius* epiſt. 248. Ciſt. med. Hoanung.

Ego cæteroquin in hiſce trepide ſatis in hanc illamve ſententiam flectere me patiar. Poſtquam peſtiferi veneni naturam exactamque cognitionem noſtrum intellectum adhuc latere, & revera τὸ θεῖον, ſive divinum Hippocraticum imitari, omnes fateri cogimur. *Si*, verbis Barbettianis loquor, *ex aliis quæras, quæ in re contagium illud conſiſtat, multa quidem reſpondebunt, ſed negry quidem*

quidem digna ſunt. Accedit & ejuſdem morbi diverſitas, quâ mutabili ſemper hucuſque facie ſeſe oſtendiſſe eum, hiſtoriarum ex collatione diſcimus. Quo in labyrintho conſtituti ſolo experientiæ filo ad remedii impetratio- nem deducimur. Multa ſane paſſim remedia propo- nuntur antiloimica moſchata, quæ utiliter fuiſſe in uſum ducta, fide digni Practici adnotarunt. Econtra *Isbrand. Diemerbrœk* lib. 2. de peſt. cap. 5. Suffitus ſua- veolentes in peſte Noviomagenſi, quam deſcribit, non tantum parum profuiſſe plurimis maximè noxios exſtitiſſe, aëreque calidiore inprimis caput tentâſſe, il- los etiam, qui gratis adſueti erant odoribus, ſi forte malum quendam fœtorem alicubi perſentiſcerent, ma- gis ab eo exterrefactos & gravius adfectos fuiſſe, & an- notat. 15. ad lib. 3. cap. 5. Moſchum hoc tempore æ- grotos omnes, viros æquè atque mulieres, ægerrimè tuliſſe, & poſt ejus uſum ſe multò pejus habuiſſe, ob- ſervat. Neque id mirum, cùm ſymptomata inter fe- brem malignam, æſtum internum magnum, ingentes capitis dolores, hæmoptyſes, narium & uteri hæmor- rhagias &c. frequenter adfuiſſe, referat, quorum ſanè intuitu Moſchus, inprimis liberaliori in doſi & cre- brius adhibitus, non adeo prodeſſe poterat. Si itaque natura ægri & ſymptomatum admitteret, ſuaveolentia non planè proſcriberem, ita tamen, ut ea alexiphar- macis longo uſu adprobatis non anteferrem, nec ſola, ſed hiſce commixta in uſum traherem, quâ ratione ſpiritus vegetiores redditos alacrius ſeſe & fortius hoſti eſſe oppoſituros, haud vana magni *Sennerti* eſt ſenten- tia. Nec damnoſum adeo eſſe moſchatorum in peſte uſum, dira quæ nuper Lipſiam invaſerat lues oſtendit, confectione Alkermes completâ ad vires ſudore ac vomitu fatiſcentes inſtaurandas utiliter ibidem in uſum ductâ, teſtante id ex autopſia Exc. *D. D. C. W.* in tract. german. de ea emiſſo §. 19. Quinimo & corpuſcula moſchata peſtiferis non ex ipſa natura ſua eſſe contra- ria, eademque haud interimere & deſtruere, nondum eſt comprobatum, neque enim *Helmontio* ſimpliciter crediderim, qui venenum hoc aromaticis junctum, ab iiſdem ſaturari tantùm, vel ſimpliciter ſeſe eis commiſ- cere, eaque comitari tradiderat. Imò ſi in dicta mo- dò Lipſienſium peſte alcalica medicamenta, tum fixa, tum volatilia, palmam aliis præripuiſſe, ſaniorum Pra- cticorum experientiâ edocto, amiciſſimo meo *D. D. Gabrieli Claudero*, ut &, quod in nuperis ſuis ad me li- teris ſtatuebat, cauſa mali in acido volatili conſtiterit, credere, uti quidem Vir optimus meretur, velimus, Moſchi inde virtutem antiloimicam divinare facile poterimus.

Moſchi virtus confortans, in genere.

Egregiam in confortando opem corpori præſtare Moſchum, quis neſciat? Cujus intuitu omnibus odorife- ris confortantibus ab *Averrhoë* lib. Collig. anteponitur Et aromatico odore ſuo vires & ſpiritus corporis om- nes, idque momento, propter partium tenuitatem, cor- roborare, *Geſnero* dicitur. Spiritus autem proximum animæ inſtrumentum, & vehiculum facultatum animæ nonnullis audiunt, *cùm*, notante Nob. *D. J. Theod. Schenc- kio* Schol. part. ſect. 1. part. ſect. 1. part. 1. c. 2. *ſine illis hu- mores & partes ſolidæ non ſufficiant; quin tantum fortior quis altero habetur, quantum ſpirituoſior exſiſtit.* Atque hæc roborandi intentio eo magis obtineri ab ipſo poteſt, cùm immediatum cum ſpiritibus odores habere con- tactum non ineptè *Helmontius* adſerat, nec Moſchi, alio- rum quorundam more, citò reſolvatur vis odorifera, ſed tenuiſſimas ſuas apotrhœas longo ſatis temporis tractu ſenſim, liberali tamen, ut ita dicam, manu emit- tat, modò violentiori igne non omnino deſtruatur.

Quam blandiſſimam poteſtatem ſuam non externè ſolùm, ſed & internè in corpus exercet. Sic *Aben Meſuai* apud *Serapionem* ſcribit: *Fortificat cor & membra interna, quando bibitur aut ponitur exteriùs in emplaſtris.* Hinc Ambra moſchata minimâ etiam in doſi deglutita om- nium viſcerum confortativum maximum paſſim ſalu- tatur. Interna verò, quæ ſpiritus quantitate deficientes regenerant, ex odoratis, Moſchi granum unum plus fa- cere, quàm dimidium Ambræ ſcrupulum, *Joh. Walæus* in Meth. medediſſerit. Ideo etiam variis remediorum generibus adaptatur, qualia ſub pulveris, Unguentorum, & Maſſæ forma *Joh. Renodæus* lib. 5. Inſtitut. pharm. ſect. 3. c. 26. ad ſpirituum robur parare edocet. Et *Geſnerus* Cataplaſmatis in formam redactum non modò cor & viſcera omnia roborare, ſed membris etiam omnibus, quin ipſis oſſibus quoque vires copioſè largiri profite- tur. Quod, ſi ſpirituum in toto corpore, adeoque ipſis non minus ſolidiſſimis in oſſibus præſentia, & omnium partium communis conſpiratio perpendatur, non in- credibile omnino videri poteſt.

Hanc ipſam virtutem reſpexiſſe *Aëtium* credidit *Geſ- nerus*, dum medicamento ex Hermodactylis purganti, Arthriticis dicato, Moſchum quoque intulit tetrabibl. 3. ſerm. 4. cap. 46. *reſtaurandi nimirum causâ particulas vi pharmacorum debilitatas.* Quam ejus cum catharticis commixtionem & aliis non diſplicuiſſe, Electuarium ro- ſatum *Meſues*, quòd Galiam moſchatam recipit, & apud *Petr. Joh. Fabrium* Pilulæ mercuriales Myrothec. ſpag. lib. 7. cap. 1. antimoniales cap. 2. vitriolatæ cap. 3. ebu- linæ cap. 4. & agarici cap. 6. nec non Sapient. univerſ. lib. 3. cap. 5. Extractum helleborinum teſtantur. Ad- modum etiam liberalis hac in parte fuit *Leonard. Flo- ravantius* lib. 2. Cogitat. variar. ſive Capricc. medicin. cap. 8. 12. 13. 15. 35. 59. & 70. variis compoſitionibus eundem adjungens. A quibus tamen diſcedit *Andr. Ten- zelius* Exegeſ. chimiatr. part. 3. ſect. 3. Moſcho, ut ve- hementer odorato, nullum cum catharticis conſortium eſſe debere ſtatuens, cùm inde medicamentum in hu- mores directum, cor, caput & uterum ſimul impetuo- ſius feriat, ſpiritus reſolvat, & quandam moleſtiam in- tolerabilem inferat. Et *D. Frid. Hoffmannus* lib. 1. Meth. med. cap. 7. particularia alterantia & confortantia ex Moſcho &c. purgantibus addere, riſu ac ſibilo di- gnum judicat; quæ ipſa ex *Joh. Zwelfero* hauſiſſe vi- detur, qui in primis Animadverſ. in claſſ. 4. Phar- mac. Auguſt. de Elect. roſat. Meſ. parum tamen urba- ne, Galliæ moſchatæ additionem perſtrinxerat, Spe- cies etiam cordiales purgantibus miſcere, rationi non conſonum eſſe claſſ. 5. edixerat. Verum roborantia, & in ſpecie odorata, purgantium compoſitionem intra- re, poſſe, *Hippocratis*, *Galeni*, aliorumque Medicinæ Procerum exemplo, rectius dicemus, quos prætereà neque experientia, ſalubriter id fieri confirmans, ne- que rationis robur deſtituunt, ſcilicet non tantùm in- ſuavitatem medicamenti ut emendent, ejuſque tardita- tem ſtimulent, ſed & noxiam qualitatem quamcunque corrigant. Quo in cenſu itaque Moſchus etiam tolerari utique poterit, qui odorem ingratiorem cathartici gratiâ ſuâ occultare, tardiorem ejus operationem calore & te- nuitate ſuâ promovere, ſimulque ſpiritibus, tum à mor- bo vim paſſis, tum ab ipſo pharmaco labefactandis ſub- venire valet. Sic *Gabr. Fallopius* de medicam. purg. ſimpl. c. 27. inſuavitatem purgantium quatenus olfactui talia adpareant, Moſchi admiſtione removeri ſcribit. Tur- bethum, quoniam ventriculum & totum turbet, tarde- que operetur, Galiâ moſchatâ corrigi *Jul. Caſ. Claudinus* li 2. de ingr. ad infirm. ſect 2. c. 11. admonet, & *Caſp. Mar- cutius* in Quadripart. melanchol. part. 4. c. 12. confor- tantia ejuſmodi, in melancholicorum inprimis curatio- ne, purgantibus ſumma cum ratione ſociari oſtendit. Tenzelianam quidem objectionem in quibuſdam ſub- jectis locum habere aliquem, non penitus negabo, quo- rum nempe natura eundem etiam alias præferre ne- quit, ceu in anteced. fuit dictum, aut morbi ratio prohibet, quibus utique non ſolum purgantibus,

ſed

ſed & quibusvis aliis medicamentis, odorem ejus exhalaturis, permiſtum exhibere nullo modo addecet. Aſt uſu ejus propterea nō omnibus eſt interdicendum, quem tamen moderatum ſemper, & ex arte commenſuratum eſſe debere, præſupponitur, qua ratione nec cor, nec cerebrum &c. impetuoſiùs feriet, ſpiritusque reſolvet, ſed ſuaviter potiùs adficiet & confortabit. Fundamentum etiam, cui *Tenzelius* opinionem ſuam ſuperſtruxiſſe videtur, incertiſſimum eſt, quo nempe hujusmodi certis partibus adpropriata credita Simplicia (v. g. Moſchum cerebro, cordi, utero,) reliquorum in compoſitis additorum Pharmacorum vires ſecum ad partes iſtas adducere ſtatuuntur, id tamen qua ratione fieri queat, ego quidem capere nequeo, multò minùs concedere, quòd adpropriata iſta ad loca tantùm illa ſua abeant, & non æqualiter in totum corpus diſtribuantur, licet in hac vel illa parte virtutem ſuam exſerere magis valeant. *Zvelfero* autem pag. 88. 91. & 92. Pharmac. Auguſt. Reſt. cùm abunde, nemine hactenus contradicente, reſponderim, eadem hìc repetere nil attinet. Et certè illum Moſchus rigorem ſi mereretur, penitus videlicet à catharticorum conſortio excludendus, nihil prohiberet, quò minùs aromatica quævis eadem ſententia damnanda forent; quod tamen nec ab ipſo *Tenzelio*, *Hoffmanno* & *Zvelfero* facilè conceſſum fuiſſet, utpote qui omnes odorata & aromatica purgantibus jungere neutiquam intermiſerunt.

Ubi non poſſum non illorum Globorum, majorum minorumque, facere mentionem, in plurimis Pharmacopoliis proſtantium, & ſaccharo, amylo & moſcho confectorum, àque noſtris: *Byſen*-vel *Wind Kugeln* vocatorum, qui inter ἐκκοπρωτικὰ locum communiter inveniunt, dum in anum immiſſi, feces emolliendo, faciliorem excretionem earum procurant, de quibus Nobil. *D. Melch. Sebizius* Manual. medic. pract. part. 1. ſect. 1. cap. 1. videri poteſt. Quin & ſtimulando aliquid conferre, & ubi flatuum in cavo inteſtinorum dominatur ſævitia, diſcutiendo, imò & in debilioribus ſubjectis ſimul confortando, nullus dubito: Sic puellæ 5. ſeptimanarum, præ torminum magnitudine continuò ejulanti, abdomine diſtentæ, tandemque lipothymiâ correptæ intruſum hujusmodi globulum, alvo copioſiſſimè deturbata, ſanitatem reddidiſſe, Excell. *Joh. Nicol. Binningerus* cent. 2. obſerv. 70. recenſet. Verùm ſatis de ſolutivis.

Nunc qua ratione illam roborandi facultatem Moſchus exſerat, diſpiciamus, ne & ipſe cenſuram illam *Henr. Smetii* incurram, quâ nihil quidem magis in ore Medicorum, & nihil magis uſitatum, interim tamen etiam nihil minùs apud Practicos eſſe cognitum, quã roborantium naturam, lib. 1. Miſcell. med. epiſt. 4. ſcribit. Ubi præter reliquos *Jul. Caſ. Claudinus* l. c. cap. 2. monſtrare id laborat, dum Moſchum, Galiam moſchatam &c. quantitatem ſpirituum illico reſarcire perhibet. Latius illam extendit *Andr. Cæſalpinus* lib. 1. de med. facult. cap. 14. odores nempe ſuaves, ratione temperamenti naturalem ſpiritus qualitatem conſervare, ratione verò ſubſtantiæ familiaris eundem nutrire, utriusque autem ratione vires collapſas utiliſſimè reſtituere. Mihi non tantùm ſpirituum frigidiorum attemperatio, deficientiumque aliqualis tum ab ipſarum Moſchi volatilium particularum, natura ſua, vel ſale volatili animali, ſpiritibus noſtris analogarum acceſſione, tum ſanguinis & ſeri fixioris ab iiſdem in ſpirituoſitatem vel volatilitatem deductione, reſtitutio, ſed & languentium eorundem excitatio hìc locum habere poſſe videtur. Ut ideo *Joh. Veſlingius* in Paræneſ. ad rem herbar. jucunditatem ex cultu plantarum exponens, odoris in eis ſuavitati non deeſſe eximium uſum, ſive bonam valetudinem, ſive adverſam ſpectemus, optimè peroraverit; utpote qui hominis ſpiritus recreet, & inſpirato purioris conditionis halitu, vitæ flammulam blandè excitet, ſubjungens: *Atque hæc potiſſimùm cauſa eſt*, ut tradit *Juſtus Lipſius*, *quòd veteres illi Sapientes in hortis habitârint; Eruditi hodie doctique Viri delectentur hortis, & in iis divina illa pleraque ſcripta procuſa, quæ miramur, quæque nulla temporum ſeries, aut ſenectus abolebit.* Hinc etiam Platonicos quatuor inter ſpirituum alimenta odorem etiam, juxta cum cantu, ſono, & lumine, eleganter repoſuiſſe novimus.

Moſchi virtutes cephalicæ, in genere.

Moſchum inſignem obtinere virtutem cephalicam, extra omnem eſt controverſiam, quàm in ipſa capitis tum ſanitate integra defendenda, tum vacillante eadem reſtituenda præclarè oſtendit. Hac ſanè ratione ipſum etiam animum reficere Suffimigia & Odoramenta perhibentur, quorum nempe finem eſſe *Lubert. Eſthius* de formul. tract. ſcribit, qui ſeſe in animum intendat; & θυμιάματα ſint quaſi θυμῶν ἰάματα, *præſidia animos reficientia.* Unde etiam ad vitæ longævitatem non parum præſidii quandoque adferre valent, qua ratione *Marſil. Ficinus* lib. 2. de vita cap. 15. maximum vitæ ſibi vindicare adjumentum putat, quicunque inter res Medicorum arte laudatas potiſſimùm eas eligit, quæ corpori ſimul & ingenio proſunt, in quarum dein numero Moſchum quoque collocat.

Cæterùm quamvis ſimilia, juxta tritum axioma, conſerventur ſimilibus, cerebrum autem communiter frigidas inter & humidas corporis partes recenſeatur, num Moſchus dici cephalicus mereatur, dubitari poſſet. Sed fruſtrà, cùm Cerebro aliarum quarundam partium, & cordis inprimis, reſpectu tantùm temperies iſta adjudicetur, quod aliàs reverà in ſe, atque ut vita præditum, calidum dicemus, ſanguine utpote, caloris vehiculo, abunde perfuſum. Hac ideo naturali temperie ſi fruatur, Moſchum non planè reſpuit, cujus nempe ab effluviis moderatiſſimè advenientibus in ſtatu iſto faciliùs conſervatur. Ut eapropter ab *Ebn Sina* temperatum cerebrum confirmare rectiſſimè perhibeatur. Siccandi autem in Moſcho virtus, ob exiguam, in qua is propinatur, doſin, tanti momenti haud eſt, ideoque ut magnopere hic attendatur, minùs requirit.

Sin verò à mediocritate illa recedat, & frigidam humidamque temperiem, cui ſatis frequenter eſt obnoxium, induat, à Moſcho magnum experitur præſidium. Τονοῖ τὴν κεφαλὴν τὴν ψυχρὰν, *frigidum corroborat caput*: ſcribit *Sim. Sethus.* Et ante ipſum ad frigidos in capite adfectus omnes perquam utilem *Rhaſes* lib. de ſimpl. pronunciaverat.

Quam laudem utramque ipſi competere dicemus, quatenus atomi ejus odoratæ cùm animalibus ſpiritibus magnam habere adfinitatem creduntur, ideoque etiam facilè in eorum conſortium admittuntur & in eoſdem convertuntur. Sunt enim tenuiſſima, ſubtiliſſima & puriſſima corpuſcula, non ſale tantùm animali volatili, quale mitiſſimum in ipſis quoque dictis ſpiritibus hoſpitari, doctorum fert ſententia, ſed & ſulphure ſuaviſſimo prægnantia, quo æthereas illas ſubſtantias mirum in modum illuſtrare, demulcere, inque ſui amplexum & connubium concitare poſſunt. Quin & torpidiores ſi exſiſtant ſpiritus, hac ratione eoſdem excitant, inque motum celeriorem adigunt; aut impuris obnubilatos halitibus priſtinæ ſerenitati, diſcuſſis iſtis, reſtituunt. Nec ſpir. tantùm ſed & ſanguinem ipſum, ſerumq; tam cum ſanguine adfluens, quàm nervoſa corpora irrigans, nō minùs reſpicit, hujus incraſſationem tenuitate ſua præcavendo & emendando,

ac ſuperfluitatem exſiccando, illius verò *κρᾶσιν* conſervando, atque intemperiem, paupertatem & coagulationem partculis ſuis calidis, ſulphureis, homogeneis atque ſpirituoſis emendando, ſupplendo ac tollendo. Quo facto, robur debitum capiti non poteſt non ſuppetere, ita ut actiones ſuas nobiliſſimas abſque ullo impedimento facillimè obire valeat.

Idque tum internè, tùm externè adhibitus operatur. Ibi quidem, dum ori immiſſus quibuſdam ſuis particulis ſeſe mox nerveis in lingua papillis inſinuat, & hinc (ſi Recentiorum nonnullorum ſententiæ accedere liceat,) per nervos ad ipſum cerebrum abripitur. Etſi enim nervoſum ſuccum ſpirituſque conjunctos à cerebro potiùs & plerunque promanare admodum ſit credibile, aliquando tamen retrorſum quoque tendere, Clariſſ. Viri, *Franc. Gliſſonius* Anat. hepat. cap. 45. *Thom. Willis* cap. 20. Anat. cerebr. *Marcell. Malpighius*, & *Carol. Fracaſſatus* in Epiſt. de lingu. adſerunt, ideoque etiam alimenti ingeſti tenuiores quaſdam particulas in illos recipi ſuſpicantur; quod & alibi in corpore fieri, *Williſius* non dubitat, filamenta nervoſa, non tantùm quæ guſtus ſenſorium, ſed viſcera quoque coctioni inſervientia obducunt, libamina quædam ab ingeſtis alimentis & cardiacis immediatè excipere ſtatuens, quibus in magna inedia & ſpirituum exolutione ipſi cerebro ſuppetiæ citiſſimæ ferantur. Nec ſanguinea venoſa vaſcula planè excluſerim, quorum oſculis in nerveam ventriculi & inteſtinorum tunicam dehiſcentibus ſeſe inſinuare facilè poſſunt moſchatæ moleculæ, atque ita ſanguini immediatè confundi. Si enim, quod prælaudatus *Willis* part. 1. Pharmac. ration. ſect. 1. cap. 2. habet, chyli ſubtilior portio in illa valet irrepere, multò magis ſubtiliſſimæ iſtæ odoratæ atomi illuc pertingere & penetrare poterunt. Patentiori autem, certiori, & quaſi regia via in venas lacteas receptæ, atque hinc thoracicum ductum permeando, tandem in vena axillari & ulteriùs in corde cum ſanguine confuſæ, poſteaque per carotides arterias ſurſum delatæ, cerebrum attingere quòd valeant, longè eſt certiſſimum. Quod & de Moſcho exterius in uſum ducto dici debet: ita ut & nervoſa, & venoſa, imò & ſeroſa vaſcula intromiſſas per cutis poros ſubtiliſſimas Moſchi aporrhœas ſuſpiciant. Quam inſpirationem Clar. *Guil. Harveius* cap. 16. de motu cord. & ſangu. exteriùs ſcilicet adplicata medicamenta vires intrò exercere ſuas, ac ſi intrò ſumta fuiſſent, intuitus, conſtare hinc poſſe arbitratur, non eſſe irrationabile, dicere, venas per orificia ab extra admotis abſorbere aliquid, & intrò cum ſanguine deferre. Sed hæc per ſanguinea & lymphatica vaſa ad cerebrum virtutis moſchatæ adductio licet per longiores fiat ambages, non tamen omnino nulla eſt. Evidentior tamen & celerior longè, per nervos quæ abſolvitur. Atque ad hoſce etiam cephalica Moſchi naribus objecti vis meritò refertur, dum odoratæ ejus atomi inſpiratione ad earum membranam internam derivatæ, fibras nerveas proceſſuum mammillarium in eam extenſas attingunt, penetrant, inque cerebri interiores receſſus ſeſe inſinuant.

Diverſimodè autem hunc finem impetrare communiter laborant Practici, varia ſub forma Moſchum offerentes, qua omnes hîc recenſere ſuperſedeo, duobus ſaltem, tam internis, quàm externis, uſus exemplis adductis. E quibus primi ſint Trochiſci cephalici *Timæani*, ab eodem in fine Caſuum med. deſcripti, ex Magiſt. ſucc. alb. Spec. diambr. diam. dulc. ā. ʒiij. cardam. min. ℈iij. ambr. gr. v. moſch. gr. iij. cum trag. in aq. apopl. ſolut. conficiendi. Tincturam cephalicam ambratam in Append. Ann. VI. Ephem. German. Curioſ. Nobil. *D. Martin. Bernhard à Bernitz* communicavit, ℞ Spec. diambr. ℥ß. lign. aloës, carpobalſ. ā. ʒij. ambr. ℈j. moſch. ʒß. ſacch. Can. ℥j. cum Elix. Matt. aq. carb. ā. ℥ij. ſpir. roſar. & aq. ſpir. cinn. comp. ā. ℥j. extrahendam. Balſamum pro cerebri corroboratione, occipiti & cervici inungendum, ex Balſ. major. ſuccin. ā. ʒj. Ol. N. M. expr. ℈iij. Ol. ſtil. ſalv. caryoph. ā gt. iiij. moſch. ambr. ā gr. iij. deſcripſit *Aug. Thoner.* conſ. med. 12. Præter alia, Odoramentum ad cerebrum frigidum confortandum, mirabilis effectus, ſolutis in aq. majoran. ℥ij. moſchi gr. v. inter Empirica *Epiphanii Conr. Geſnerus* expoſuit. Quæ omnia, pro varia Medici intentione, voluntate, & neceſſitate, mutari, emendari, minui, vel augeri poterunt. Id quod ſanè unicuique perito Medico, artem componendi & præparandi pharmaca edocto longè erit facillimum.

Moſchi vires cephalicæ, in ſpecie, ad certos adfectus determinatæ.

Quamvis cephalicum Moſchi uſum in genere conſideratum qui cognoverit, facilè, ad quos capitis adfectus in ſpecie conferat, perſpecturus ſit, cùm tamen hinc indè in plurimis ejus paſſionibus ab Autoribus commendetur, in ſpecie eaſdem adduxiſſe, non planè erit ſuperfluum.

Inprimis verò Dolorem ejus abigere, multorum conſtat teſtimonio. Ubi quidem mox *Hippocratis* autoritas, experientia crebra confirmata, obſtare videtur, qua Aromatum ſuffitum vel odorem capitis inducere gravitatem perhibetur. Quod tamen ſuperiùs à nimia tantùm copia atomorum in caput admiſſa, vel ſanguine bilioſo, & ejus in debili capite mobilitate nimia, ſpiritibuſque facilè irritabilibus fieri, adeoque non in omnibus locum habere, reipſa pateſcit. Scilicet

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines.

Sic & in dolore capitis ex pituita oriundo medicamẽta calida & odorata nocere poſſe, benè animadvertit *Alex. Maſſaria* Pract. med. lib. 1. cap. 7. ſi quis ante univerſi corporis & capitis evacuationem illis utatur, poſt celebratam verò iſtam, eadem diſſolvere materiam, nullumque dolorem, tum internè, tum externè uſurpatum, inducere. Unde communiter etiam in illa tantùm Cephalalgia, quæ ab intemperie frigida ortum habet, laudari ſolet. Sic *Ebn Sina* Moſchum unà cum croco & modica camphora naribus inditum, capitis dolorem ex frigiditate ortum lenire ſcribit; quinimo ſolum quoque præſtare id poſſe, quia diſcutiendi & roborandi facultate polleat. Scilicet non cerebri tantùm dyſcraſiam frigidam calore ſuo emendat, ſed & ſpiritus à triſti ſenſatione agitatos ad quietiorem ſtatum blanditiis ſuis componit, vapores conjunctos tenſivos & gravativos tenuitate ſua reſolvit, atque ſeroſam vel pituitoſam materiam ab evacuatione antecedente reſiduam attenuat ac diſcutit, imò & punctoriis doloribus, ab acore præternaturali excitatis, ſale ſuo volatili eundem enervando, contrariatur. Quem in finem commendari poteſt Cucupha à *Joh. Coſtero* Tabul. med. 2. præſcripta. Et *D. Petrus à Caſtro* in Pract. MS. inunctionem ex ℥j. Ungu. dialth. cum gr. ij. moſchi ſubtiliſſimè triti ultimum remedium in ejuſmodi forti dolore capitis adpellat. *Joh. Agricola* animadverſ. in Popp. medic. chim. part. 2. tr. de laudan. Aquam verbenæ à flor. roſar. &c. in B. abſtractam, & ambra ac moſcho imprægnatam vocat incomparabilem in cephalalgia, non tantùm externè, ſed internè pariter in uſum trahendam. Et *Zacutus Luſit.* in Conſervam, contumaci & rebelli cephalææ utiliſſimam, qua ſola per menſem oblata juvenis quidam, per biennium graviter adflictus, fuerit perſanatus, moſchi etiam ℈j. receperat, lib. 1. Prax. hiſt. cap. 3.

Ob eandem roborandi, calefaciendi & ſiccandi facultatem, in ipſis etiam Catarrhis paſſim præſcribitur, ideoq; Pulveri nicotianæ non abſq; ratione Moſchum &c. admiſceri, *Greg. Horſt.* Probl. med. dec. 1. quæſt. 4. arbi-

arbitratur, & lib. 2. obſ. med. 4. eundem Trochiſcis pro fumo adjungit, nec non Pulveri pro ſuffitu *Dan. Sennertus* lib. 1. Med. pract. part. 2. cap. 34. unà cum Errhino ex aqua majoranæ conflato. Oleum auribus nariburſque inungendum, Saponem pro capite abluendo, Ceratum commiſſuræ coronali & ſagittali adplicandum, cum Moſcho proponit *Joh. Bapt. Montanus* conſ. med. 144. Lixivium moſchatum profert *Adr. à Mynſicht* Armament. med. chim. ſect. 9. Pomum odoriferum *Arnold. Villanovanus* tr. de catarrh. cap. 5. Pilulis quoque internè uſurpandis eadem intentione inſeritur, quales in Theſ. Pharm. Hoff. ſect. 20. leguntur.

Ubi Hydrocephali etiam aliqua mentio facienda, cui ob vim confortandi, calefaciendi, exſiccandi, reſolvendi, & diſcutiendi opem ferre non omnino recuſat. Atque idcirco à *Sennerto* lib. de infant. curat. par. 2. cap. 6. Balſamo naribus illinendo, necnon à *Jac. Primeroſio* de morb. pueror. part. 2. Oleis aurium & narium cavitati immittendis admiſcetur. Confer. *Petr. Foreſtus* lib. 3. obſ. 6. Ipſe quoq; *Paracelſus* lib. 2. de Tart. cap. 6. ſeptem hydropis genera recenſens, Pulveri internè in cerebri hydrope ſumendo eum adjecit. Quò tumorem referre liceat, infantium recens natorum in capite quandoque conſpicuum, & frequenti Italorum experimento, goſſypio moſchato impoſito curabilem, memorante noſtro *G. H. Welſchio* cent. 2. Micto mim. obſ. 32.

Porrò memoriæ defectui opitulatur, quatenus illa cerebri frigidam vel humidam quoque intemperiem, ſpirituumque animalium defectum, debilitatem, impuritatem, vel obfuſcationem pro cauſa agnoſcit. Hinc *Floravantius* l. c. lib. 2. cap. 11. Moſcho tale tribuit encomium: *Fà la memoria quaſi incorruttibile*, i. e. *memoriam quaſi incorruptibilem efficit.* Cui non minimam idcirco laudis partem debet Diamoſchi confectio, quam inter remedia ad memoriam ex morbo deperditam utilia commendat *Zacutus Luſ.* l. c. cap. 9. *Guil. Gratarolus* in lib. de memor. præter Oleum auribus inſtillandum, vel Unguentum naribus illinendum cap. 2. deſcriptum, Catapotia inſuper ad memoriam efficacia Moſchi additione cap. 5. perficit. Cui jungendum Oleum *Fumanelli* in *Geſneri* Evonymo pag. 221. delineatum, nec non Peſſulum errhinum *Chriſtophori à Vega*, de quo agit lib. 3. de art. med. ſect. 1. c. 10.

Nec minùs in Fatuitate ſalutariter adhibetur. Unde *Lælius à Fonte* conſult. med. 129. Nobili Veneto, poſt diuturnas animi curas moleſtiaſque, necnon immoderatam Venerem Moroſi adfecto, præter alia remedia, Odores quoque conducere plurimum poſſe arbitratus fuerat, quos inter Moſchum præcipuè denominaverat, ut qui internè & externè uſurpatus prærogativa quadam cerebro opituletur, exuberantem ipſius humiditatem exſiccans. Magnam nempe ſpirituum animalium exolutionem ab immoderata Venere contingere, extra dubium eſt, qui ita imminuti ac debilitati, quin & conſequenter à liquore nerveo inertiori reddito impediti, in naturali ſuo motu & operatione admodum turbantur atque impediuntur. Quin & violentas animi paſſiones ſpiritus cerebrales plurimùm diſſipare atque ab invicem diſtrahere, ut priorum motuum ſuorum veſtigia repetere poſtea nequeant, ingenioſa *Th. Williſii* de anim. brut. lib. 2. cap. 13. eſt ſententia. Quare Moſchus ſpiritus iſtos confortando, augendo, demulcendo, ſuperfluumque humorem exſiccando vel volatiliſando non poterit non plurimùm prodeſſe.

In ipſa Phrenitide *Penoti* Epithema cephalicum celebratur, quod ex Moſcho, camphora & aqua roſarum tinctura ſantalina impprægnata paratur. Id quod ſomnum conciliando & cerebrum confirmando præſtare *Laz. Riverius* Prax. med. lib. 1. c. 11. autumat. Maxima tamen hîc opus eſt cautione, ne febrilis, qui adeſt, calor magis indè exacerbetur; ideoque temperatis magis remediis qui inſiſtet, majori cum ſecuritate medebitur.

Nec ſatis video, quomodo in Mania idem medicamentum, ceu à nonnullis deprædicatur, utilem certò præbere operam queat. Quæ nempe licet ſine febre exſiſtat, revera tamen, omnibus id atteſtantibus, non ſine ſpirituum animalium exæſtuatione & fervore ſubſiſtit. Unde vel omnino non proderit, vel, ſi proſit, ſpirituum fervorem amica ſua præſentia compeſcendo, aut etiam ſucci nervei & ſanguinis qualemcunque dyſcraſian emendando, illud fiet. Quin & confortantia cardiaca in hoc adfectu eſſe neceſſaria judicans, iiſdem Moſchum in ſpecie adnumerat *Sebizius* l. c. part. 2. ſect. 2. cap. 6. Licet *Williſius* d. l. cap. 12. in hoc morbo analepſi opus non eſſe, & nec vires reſumtivis reſtaurandas, nec ſpiritus cardiacis reficiendos voluerit. Sed quòd *Paracelſus* tr. 2. de morb. ament. cap. 2. duplicem maniæ curam exponens, in priori materiam peccantem refrigerari & congelari ſcribit, hoc etiam addito medicamento, ex Ol. camph. ℥j. (vel, ut alii legunt, ʒj.) & Ol. moſch. ʒj. mixtis, dimidiæ drachmæ pondere ſumendo, aut etiam fronti temporibuſque illinendo, quod mirabiliter maniam auferre, calorem corporis extinguere, fervorem ſanguinis tollere, & materiam non ſecus, ac in glaciem à frigore aqua cogitur, coagulare teſtatur, id, inquam, mihi ingens eſt paradoxum. Quis tantam ſibi à tam fervido medicamento refrigerationem ſpondere audeat? niſi frequentiori & liberali nimis uſu, ipſius caloris naturalis ſuffocationem, & conſequenter frigidam mortem adducere voluerit.

Quid in Melancholia valeat, *Ebn Sina* ediſſerit, hilaritatem ab eo induci, triſtitiamque melancholiam diſpelli ſcribens, cui conſentit *Averrhoës* lib. Collig. melancholiam eum abigere teſtatus. Quem in finem etiam dubio procul *Joh. Meſue* divinum ſuum Electuarium, quod confectio Alkermes dicitur, & *Actuarius* Linctum lib. de medic. compoſit. territis & atrâ bile vexatis dicatum, Moſcho exornaverant. E Recentioribus etiam, ut reliquos taceam, *Honor. Heringius* ſect. 1. de Melanch. cap. 9. eundem commendavit, & *Balth. Brunnerus* ex medicamentis interioribus Melancholiæ hypochondriacæ adcommodatis Moſchum & Ambram præcipua eſſe Conſil. medic. 7. pronunciavit, necnon Pilulas ex Ambra & Moſcho, cum Extr. Alkerm. & gumm. ladan. huic ſcopo idoneas *Joh. Hartmannus* in Prax. chimiatr. Electuarium verò & Aquam perlatam *Claud. Deodatus* Panth. hygiaſt. lib. 3. cap. 21. propoſuit. Externè inſuper Pilas odoriferæ, ac Linimento odorem illum jungere libuit *Hieron. Mercuriali* de adfect. capit. lib. 1. cap. 10. Cerebri nempe confortandi cauſa id fieri inprimis ſolet, cùm ſpiritus animales in hoc adfectu maximè lædi credantur, quantenus & impuriores redditi ſunt, atque variè in tranquillitate ſua ac temperie impediuntur & depravantur; ut maſſam ſanguineam in acorem pronam & ſulphure ſuo depauperatam à Moſcho correctionem exſpectare hîc non urgeam.

Præterea Paralyſi contrariatur. Nervis enim dicata eſt medicina, qui frigidis offenduntur, calidis verò ſiccisſque delectantur. Videlicet iſta in nervorum reſolutione cùm ſpiritus animales motui dicatas partes ſufficienter irradiare ceſſent, ſive nervoſos funiculos frigidus craſſior humor, lympha, vel pituita obſtruens, tranſitum ipſis liberum deneget, ſive etiam qualiſcunq; frigidior adflatus aut narcoſis torpidiores reddiderit, & quaſi coagulaverit, Moſchum reſolvẽdo, attenuando, diſcutiendo, exſiccando, calefaciendo, exci-

excitando, conducere mox eluceſcit. Quocirca ſi naribus cum aliqua croci parte inferatur, prodeſſe dicitur *Haly Abbati* Theor. lib. 5. cap. 33. & *Iſaac. Iſraëlita* lib. pantechn. 5. theor. cap. 104. Quem etiam Balſamo, Cucuphæ, & Rotulis addidit *Auguſt. Thonerus* lib. 5. conſil. medic. 5. Et membra paralytica à Moſcho cum petroleo mixto roborari *Euchar. Rôslinus* Herbar. part. 3. perhibuit. Nec ſileri debet Melicratum vel Claretum à *Joh. Anglico* in Prax med. lib. 1. pag. 89. deſcriptum, atque ex vini, mellis ā. ℔ij. cinnam. ℥v. ſpic. aromat. ℨj. Zingib. ligni aloës, macis. ā. ℥ ij. ſalv. ℨij. croci ℨ ſs. moſchi ℈j. concinnatum.

Dum verò Paralyſi maxima cum Caro, Lethargo, & Apoplexia eſt adfinitas, &, judicio *Pauli Barbette* Prax. lib. 1. cap. 3. gradibus ſaltem differunt, eandemque partem adfectam & cauſam agnoſcunt, vel potiùs, uti *Laz. Riverius* tom. 1. Prax. med. lib. 1. cap. 2. habet, pro majori tantùm vel minoris humoris copia, plures aut pauciores cerebri partes magis aut minùs adficiente differunt, ideoque iiſdem remediis omnes hi adfectus curari poſſunt, Moſchi virtutem ad illos quoque ſeſe extendere, nemo dubitabit.

Sic in Lethargo, qui vel à ſpiritibus animalibus narcoſi perculſis, vel etiam extra corticales cerebri debilis, humidi nimis aut frigidi poros ejecti, docti *Williſii* ſententia, oritur, proderit. Unde tum in ipſo paroxyſmo, tum extra eum utiliter odorata adhiberi plurimi obſervarunt, Balſamum eapropter & Morſellos Ill. *Guerner. Rolfincio* in Ord. & meth. medic. ſpec. conſult. lib. 2. conſ. 5. Pulverem ſternutatorium, Electuarium, Cucupham, Balſamum *Joh. Coſtero* Tabul. med. 3. Moſcho exornantibus.

In Caro etiam, qui Lethargo major cenſetur adfectus, paulò altiùs verſus cerebri meditullium penetrans, eapropter conducit, atque à *Valeſco de Tharanta* lib. 1. medic. pract. cap. 4. externè & internè commendatur. Quin & præter alios utendi modos, ſæpiùs vel continuò ad odorandum eſſe porrigendum *Joh. Stephanus* paraphraſ. in 1. fen Avicenn. lib. 3. tr. 4. cap. 3. & *Dominic. Leonus* art. med. ſect. 1. lib. 2. cap. 3. admonent. Hunc tamen ipſo in paroxyſmo neutiquam, ſed fœtida potiùs convenire, ne humores in caput trahantur, poſt acceſſionem tamen & capitis expurgationem demum ex uſu eſſe *Benedict. Silvaticus* cent. 1. conſ. med. 75. ſcribit, præeunte *Hier. Mercuriali* l. c. cap. 7. Quod monitum licet omnino non ſit inutile, limitationem tamen aliquam pati, ſi adfectiones has ab humoribus, non tam quantitate, quàm qualitate, eaque narcotica tantùm lædentibus, aliquando excitari, conſideretur. Videantur etiam, quæ hac de materia Nob. *D. Conr. Vict. Schneiderus* lib. de morb. capit. tract. de Caro cap. 7. diſſeruit.

Nec Apoplexia, interna cerebri penetralia obſidens, eundem planè reſpuit, laudatum ideo à *Joh. Wittichio* in Conſil. apoplect. inque varia medicamenta illatum. Quibus accenſere etiam licet Pilulas ab *Abrah. Scyllero* in *Laur. Scholzii* Epiſt. med. 8. deſcriptas, eaſdem ferè cum illis, quas *Riverius* l. c. in adfectuum ſoporoſorum, apoplexiæ &c. curatione, ad caput roborandum exhibuerat, & Exc. *D. Joh. Dan. Majori* in Delic. Hybern. ſive Trib. nov. invent. med. cap. de inunct. vertic. recenſitum pretioſiſſimum Magni Ducis Hetruriæ Linimentum, vertici in apoplexia inungendum, ex oleo moſchi Orient. ambr. N. M. expr. & balſ. Peruvian. concinnatum. Hinc tot porrò Balſamorum & Aquarum apoplecticarum occurrunt deſcriptiones, Moſcho nobilitatæ. Quas tamen Aquas, (quibus & Balſama odorifera moſchata &c. jungemus) licet ob vaporum humorumque frigidiorum diſcuſſionem & diſſolutionem, caloris nativi & facultatis ſopitæ excitationem, cerebri roborationem, ac ſpirituum animalium conſervationem vel à natura ſua degenerantium in priſtinum ſtatum reductionem, in minima etiam quantitate maximam vim obtinere, ac ſubitò penetrare, inque apoplexia à vaporibus narcoticis, & ſpirituum animalium vitio, aut pituita ſine ſanguinis permixtione inducta, frigidæ conſtitutionis & ſenilibus ſubjectis commodiſſimè poſſe exhiberi, *Sennertus* Med. pract. lib. 1. part. 2. cap. 33. qu. 4. concedat, in apoplexia à ſanguine ortum habente, vel etiam ubi ſanguini humores jam permiſti abundant, mox in principio non ſatis tutò uſurpari monet, cùm humores fundendo & caput replendo morbum augeant. Qua de materia non minùs legi meretur *Phil. Hôchſtetterus* noſter Obſerv. med. dec. 9. caſ. 5. & Ill. *D. Paulus de Sorbait* obſerv. medic. cap. 7.

Quamvis autem in ſoporoſis iſtis adfectibus Moſchus conducat, & ipſe tamen in Vigiliis compeſcendis, ſomnoque blandiori corporibus frigidioribus & humidioribus inducendo, aliquid confert; quem in finem Celeb. *D. Joh. Crato* in conſ. 118. apud Scholz. Pilulas ex Specieb. diambr. diamoſch. dulc. &c. necnon Electuarium cum eo parare edocuit, medicaminum horum calida atque odora virtute vaporum in Senibus contemperationi ſtudens; quo de elegantiùs diſſerentem conſulere juvabit Exc. *D. Wedelium* lib. 1. de medic. facult. ſect. 3. cap. 1. necnon Cl. *D. Simonem Pauli* Quadripart. botan. claſſ. 2. cap. de Iride.

In Epilepſia debitè adhibitus laude ſua non caret. Quo itaque varii Pulveres antepileptici exornantur, quales delineant *Matth. Untzerus* ἱεϱνοσολογ. chimiat. lib. 2. c. 11. *Pet. Joh. Fab.* Sap. univ. lib. 3. c. 15. *Laz. Riv.* l. d. c. 8. *Guern. Rolfincius* Chim. in art. form. redact. lib. 5. ſect. 5. *Diſpenſat. Noric. ult. edit.* claſſ. 1. ſect. 5. pag. 38. & *Achill. Gaſſer.* in Syllog. obſ. à *Welſchio* edit. obſ. 7. Inter externa quoque occurrit Emplaſtr. in *Frid. Hoff.* Theſ. Pharmac. ſect. 10. pag. 63. Moſchum recipiens, id quod *Joh. Cratonis* inventum eſſe, ex Scholz. Epiſt. 161. conſtat, tam in pueris quàm ſenibus bono cum ſucceſſu adhibitum. Cæterùm in ſpecie puerorum in epilepſia eundem commendat *Jac. Primeroſius* part. 2. de morb. puer. Eamq; Moſcho cum vino ſubtili curatam refert *Th. Carth.* in *Welſchii* Chil. 1. exoter. obſ. med. 562. Quod ipſum remedium etiam ex *Georg. Küfnero Joh. Georg. Schenck.* exoter. exper. cent. 5. obſ. 85. laudaverat. Ubi præfatus *D. Hoff.* in Clav. Pharm. Schrôd. lib. 2. c. 76. de Crolliano odorifero verba faciens, odoratis talibus multos excitari animadvertit, non quòd planè morbus indè tollatur ſeu curetur, ſed quòd via præparetur: per virtutem enim odoris corpori communicatam ſanguinem moveri, & cor ſupra modum refocillari. Aſt ſi epilepſiæ cauſam, & Moſchi naturam perpendere velimus, in ipſo etiam morbo iſto tollendo Moſchum poſſe quandoq; efficacem eſſe, fateri cogimur, utpote quē, ſi non ſemper, ab acido tamen aliquo heterogeneo, nervoſas cerebri partes irritante & vellicante ſæpe oriri, tum apud plures eſt in confeſſo, tum & curatio per acorem illum hoſtilem abſorbentia volatilia, quibus Moſchus jure adnumeratur, & fixa oſtendit.

Unde non minùs in Convulſionibus & Motibus convulſivis, parùm ſcilicet à morbo ſacro differentibus, conducit, prout Balſami, in tremore manuum, jectigatione, ſpaſmo, tortura, ſtupore, à *Petr. Foreſto* lib. 10. obſ. med. 99. & *Nicol. Piſone* lib. 1. de cognoſ. & cur. morb. c. 21. pro ſpinæ & nuchæ inunctione commendati, virtutem acceſſione ſua exaltat. Et in ſpecie Caninam ſic dictam convulſionem citò, tutò, & jucundè Bolo moſchato, l. c. cap. 12. exſtante, curari *P. J. Faber* proponit.

Nec in Vertigine debellanda, dū cerebrum infirmū roborat, & vaporum, ſpiritus animales in motū perverſum concitantium, diſcuſſionem promovet, auxilium depe-

denegat. Cui nempe opitulari, capiti & naſo illitum, *Conr. Kunrath* Medull. deſtill. part. 2. tract. 17. & *Franc. Fogeroles* de ſenum affect. part. 2. cap. 5. conſentiunt, exemplisque ſalutarem uſum teſtantibus comprobant *Martin. Rulandus* cent. 2. curat. empiric. 66. atque *Geo'g. Hier. Welſchius* in obſerv. med. Reuſner. 10. & Hecatoſt. 2. obſerv. med. 28. quibus meritò jungitur *Fidejuſtus Reineccerus* lib. 1. theſaur. chim. experimenta inter uſu probata Linimentum ex oleo N. M. lil. convall. vel ſuccin. ambra, moſcho, & Zibetho adducens.

Moſchi uſus ophthalmicus.

Ingentibus & variis caſibus oculi noſtri patent. Qui cùm magnam partem ad vitæ ſimul & uſum, & dulcedinem conferant, ſumma cura tuendi ſunt: ut *C. Celſus* lib. 6. de re med. cap. 6. loquitur. Ubi nec Moſchus ſalutarem denegat operam, cujus vires ophthalmicas tum recentiores, tum antiqui Medici nobis proponunt.

Hos inter inprimis *Ebn Sina*, robur oculis illum addere, eorum humiditates exſiccare, & tenues Albugines extergere fatetur. Quod & *Hachim Ebn Hunaim* pronunciat, Interpretum verbis ſic apud *Serapionem* locutus: *Adminiſtratur in medicinis oculi, & abſtergit albuginem ſubtilem, & deſiccat ejus humiditatem.* Hinc Aqua fœniculi eundem ſolvere, oculisque immittere *P. A. Matthiolus* lib. 1. Herbar. cap. 15. præcipit. Et *Nicolaus Myrepſus* Aquæ ſuæ, ſect. 24. de comp. medic. deſcriptæ immacerat, quam, præter alios uſus, etiam ad albugines craſſas & nubeculas oculorum probatam deprædicat. Albugo autem docente *Sennerto*, vel ab humore pituitoſo, vel ſero craſſiori corneæ impacto, vel, quam major Autorum pars vulgò tradit, à cicatrice, cùm oritur, in hac poſteriori ſpecie curanda tantopere prodeſſe vix poterit, quæ emollientia, qua virtute is deſtituitur, potiùs requirit. In priori tamen vi ſua reſolvendi, attenuandi & diſcutiendi, ut & abſtergenti locum utique inveniet, præcipuè cùm volatili ſua tenuiſſima exhalatione denſam corneæ tunicæ ſubſtantiam penetrare, ejuſque lamellis ſeſe inſinuare egregiè valeat. Nec tenues ideo tantùm caligines iſtas, ſed & craſſiores paulò ſeri ſtagnantis concretiones & nebulas diſſipandi robore pollet.

In conſtrictione etiam pupillæ ab humiditate orta Collyrium præſcribit *Hieron. Mercurialis* l. c. cap. 35. cui Moſchum adjungit. Cùm enim uvea tunica pupillam conſtituens ob humiditatem laxatur, & quaſi enervata in ſe ipſam collabitur, vel ab ejuſdem humoris nimio adfluxu, aut etiam humore flatuoſo intumeſcit, Moſchus eadem virtute, qua ſeroſos humores diſgregare, & juxta cum flatibus diſcutere, ſicque partem exſiccare poteſt, hîc etiam operabitur, & naturalem parti temperiem reſtituet.

Quapropter in ipſo quoque Suffuſionis principio medelam aliquam conferet, atque ita non incongruè à *Joh. Bapt. Montano* conſ. med. 84. & 101. Mixturæ cephalicæ, necnon Saponi, pro lotione capitis compoſito, fuit additus; aut alio modo adminiſtrari poterit.

Pelliculam ab eodem detrahi *Conr. Kunrath.* l. c. autor eſt, quæ oculis ſupercreſcere ſoleat, quâ dum procul dubio πτερύγιον ſive Unguem oculorum, quem nervoſam membranam vocat *Celſus* lib. 7. cap. 7. innuit, num utilis in eo eſſe queat, meritò dubitatur, quia exſiccando quidem ulteriori ejuſdem incremento obſiſtere, generatam autem vix tollere, nedum detrahere potens eſt. Licet aliquem faciliùs inveniat locum, ſi Pterygium nihil aliud eſſe dicamus, quàm carunculam in angulo interno oculi extenſam, dum humore viſcido, ut cum Cl. *Anton. Molinetto* loquar, imbuta caro illa, expandens ſe adinſtar membranulæ, multam oculi partem obnubit, vid. ejus Differt. anat. pathol. de ſenſib. c. 6. Quo certè in caſu humoris iſtius viſcidi fuſionem, rarefactionem & diſſipationem particulæ Moſchi volatiles promittunt.

In Lippitudine porrò, ſive Lachrymis involuntariis curandis locum invenit, non ſiccandi tantùm, & ita lachrymalia vaſa conſtringendi vi quadam effluxum illum moderando, ipſumque abundantem humorem diſcutiendo, ſed & cerebrum parteſque nervoſas ac glanduloſas calefaciendo & roborando, ſicque nimiam ſeri generationem & ſeparationem præcavendo. Unde ita dictas Pleres cum moſcho & ambra Species pro uſu interno commendat *Piſo* l. c. cap. 27. Moſchum ipſum odorandum *Chriſtoph. Wirſungus* Medic. part. 1. cap. 7. §. 7. conſulit, & Collyrio *Joh. Meſue* de morb. intern. curand. immiſcet.

Nec humiditates ſolùm morboſas, verùm & flatuoſos oculorum adfectus, ceu *Conſtantinus Africanus* ſcribit, eadem efficacia diſpellit; imò ſpirituum animalium vigorem & augmentum procurando, viſoriis unà eundem fructum impertitur, ſicque præſtantiſſimam illam actionem, quam viſum adpellamus, variis modis adjuvat atque emendat.

Moſchi virtus in Aurium morbis.

Quàm miſeranda Surdorum, & tædioſa Surdaſtrorum ſit conditio, neminem, qui divini illius ſenſus, Auditus nempe, uſum perpendit, latere poteſt. Illis autem medelam ſæpè Moſchus adferre promtus eſt. Quod jam olim *Averrhoes* tradidit, Surditati eum mederi teſtatus. Et *Hieron. Mercurialis*, *Galeni* doctrinæ innixus, qua medicamenta adfectibus iſtis adcommodata calefacientia, incidentia, extenuentia, & altè penetrantia eſſe debere monet, hiſce tract. de aurium affect. Moſchum adnumerat. Proderit autem, ſive in tympano, ſive in remotioribus magis partibus cauſa mali lateat. Illud enim ab humoris frigidioris adfluxu humectatum incraſſeſcit, àque naturali ſua tenſione remittit; hæ verò vel craſſiore humore obliniuntur, implentur, ac ita allidentis æris percuſſionem non, vel imperfectè ſentiunt; vel denique ipſi ſpiritus animales cerebri intemperatioris culpa pauciores geniti parce admodum communicantur. Unde Moſchus humores illos attenuans & diſcutiens, calorem torpidum ſuſcitans, & ſpiritus adaugens, debitum ſiccitatis ac tenſionis gradum, cavitatum puritatem, meatuum libertatem, ſpirituumque copiam abunde ſuppeditando, κώφωσιν & βαρυκοΐαν quamoptimè debellabit. Majorem hinc virtutem Oleum illud auri inſtillandum nanciſcitur, quod ex *Alexandro Benedicto Joh. Georg. Schenkius* obſ. atq; exper. cent. 3. obſ. 50. & cent. 7. obſ. 67. adducit. Id quod, ſed paulò, Moſchi inprimis duplicato pondere, mutatum, magnoperè extollit *Bart. Montagnana* conſ. 65. canon. 12. ſuum id inventum adſerens. Aliud ſimplicius habet *Dom. Leonus* l. d. lib. 5. cap. 2. aliudq; cap. 5. Trochiſcos etiam, uſus tempore raphani &c. ſucco ſolvendos, cum Moſcho parant *Joh. Zecchius* conſult. 43. & *Fel. Platerus* Prax. tom. 1. lib. 1. cap. 8. Aurem inſuper, poſt liquoris inſtillationem goſſypio, quod Moſchum conſervaverit, occludere jubet *Reiner. Solander* ſect. 1. conſ. medic. 4. idque aliàs etiam aëre frigido, humido, & nebuloſo obſervandum præcipit conſ. 10. & 11. Non minùs in gravi auditu Liquores auribus dicatos eodem imbuere ſuadet *D. Bernhard. Verzaſcha* obſ. med. 91. Moſchum goſſypio involutum auribus noctu indere *Rod. à Fonſeca* t. 1. Prax. med. 14. idem etiam ad boreale & Aquilonium frigus arcendum *Aloyſ. Mundella* Epiſtol. medicat. 20. conſulit. Tale remedium per-

perpetuò uſurpatum Viduam quandam Delphenſem à ſurditate ſatis diuturna liberaverat, apud *Foreſtum* lib. 12. obſerv. 15. Vid. quoque ejuſdem obſerv. 7.

Similis remedii adplicatio depravato auditui, ſive aurium tinnitui medetur, commendata propterea ab *Hier. Mercuriali* tom. 1. conſult. med. 48. *Benedicto Silvatico* cent. 2. conſ. 22. *Thom. Mermanno* lib. 1. conſult. med. 33 aliiſque. Cui & aliàs diverſimodè opponitur; inprimis verò cum aliis diſtemperatus & mixtus auri inſtillatur, uſui huic inſerviente Aquâ à *Petro Bayro* Enchirid. pract. diſt. 4. cap. 4. recenſita. Vel Moſchus cum aliquot olei fœniculi guttis, notante *Gregorio Horſtio* lib. 2. de ſanit. tuend. cap. 4. de bambace exceptus cavitati auris imponatur; ut plurima alia paſſim notata prætercam, quæ ab odoramento noſtro non minimam virtutem mutuata flatulentos illos & vaporoſos halitus, aërem aurium internum replentes & agitantes, verſuſque ſenſorium impellentes, valent diſpellere.

In aurium dolore non minùs utiliter adhibetur, ſive à flatulento ſpiritu, vehementer membranas tum in auribus internis, tum præcipuè in exteriore earum cavitate diſtendente, ſive ab humoribus frigidis ſimulque acribus, & acore præſertim mordacibus ille proficiſcatur. Hinc oleum moſchelinum ab *Arnoldo Villanovano* Breviar. pract. lib. 1. cap. 31. Oleum chamæmelinum, vel Caſtoreum Moſcho permixtum à *Petr. Andr. Matthiolo* lib. 1. Herbar. cap. 15. laudatur; & goſſypio etiam moſchato auris occluſio à nonnullis præcipitur.

Idem dolor, & quidem utplurimum à pure circa partem illam coacervato ac generato oritur, in quo caſu Moſchus pariter conferre creditur, teſte *Theodor. Corbejo* Pharmacop. bipart. lib. 2. claſſ. 1. ſect. 2. cap. 7. Et *Foreſtus* multos, quibus auris ſanie longo tempore madueràt, ſola impoſita bambace, in qua is reſervabatur, curaſſe ſe l. c. teſtatur. Si enim ſeroſi humoris collectio in aure, ob partis hujus intemperiem accidat, longiori dein in anfractu illo mora in purulentum quid ejuſmodi faceſſens, vel etiam excrementitia iſta humiditas ab aliqua cerebri humiditate p. n. vel imbecillitate generetur, & illuc deſcendat, corroborante virtute ſua cephalica, & vi ſeroſos humores diſcutiendi ac ſiccandi, ulteriori puris productioni poſſe Moſchum reſiſtere exiſtimo.

Moſchi vires in narium vitiis.

Cùm naribus inprimis dicatus videatur Moſchus, quas benè temperatas, odoris ſui ſingularem ob præſtantiam, mirè adficit & demulcet, indignum laude ejus foret, malè adfectis iiſdem opem ſi denegaret. Odoratus ſanè nocumentis ſive impedimentis, ſi ab intemperie frigida, utplurimum contingente, dependeant, alia inter etiam Moſchum naribus hauſtum proponit *Joh. Meſue* lib. de morb. intern. Poteſtate itaque ſua calida id præſtabit; quamvis & alio modo langueſcentem, vel obliteratum ſenſum illum ſuſcitare ac reſtituere valeat. Cùm enim ejuſdem diminutio vel abolitio non organi ſolùm, quod odorabilium atomorum tum receptioni, membranæ videlicet narium internæ, nervoſis à proceſſibus mammillaribus & tertia nervorum conjugatione fibrillis copioſè inſtructæ, tum ad ipſum τὸ πρῶτον αἰσθητήριον delationi & diſpenſationi inſervit, ſive nervorum jam nominatorum intemperiei ſimplici, ſed & obſtructioni ſit adtribuenda, reſerationem horum particulis ſuis penetrantiſſimis utique promovet, pituitoſos humores incidendo, ad exitum vel in vaſa receptionem diſponendo, organum roborando, ſicque & atomis odoriferis ad nervoſas fibrillas, ſpiritibuſque animalibus, earundem vectoribus, ad ipſum cerebrum liberam viam ſternendo. Quod agnoſcens *Platerus*, ad olfactum excitandum ſæpe Moſchum ei eſſe offerendum ſtatuit tom. 1. Prax. lib. 1. cap. 8. Ideoque etiam non inutiliter Pulveribus ſternutatoriis eum in finem adhibendis permiſcetur, cujus exemplum delineat *Franc. Oſwald. Grembſius* Arb. integr. & ruin. hom. lib. 2. c. 1. §. 11.

In Fœtore quoque narium paſſim adhibetur, quem non tantùm odoratiſſimis ſuis moleculis palliando vel obfuſcando quaſi, ſed & ipſa in cauſæ remotione operam ſuam conferendo, emendat. Cùm enim ſemper alicui partis intemperiei humidæ, imò putredini etiam debeatur, unde exhalantes fœtidæ moleculæ ad ſenſorium delatæ graviter illud inficiunt, Moſchus vi ſua exſiccatoria, balſamica & aromatica intemperiem corrigit, & putredinis fomitem ac ſubjectum alterat atque extinguit. Quapropter *Guil. Rondeletius* lib. 2. de compoſ. med. in Unguentis ad Ozœnas præparandis odorata, Moſchum &c. admiſcendum, & *Riverius* tom. 2. Prax. ſect. 3. cap. 4. ad fallendum tetrum iſtum odorem Galiam moſchatam in vino odorato diſſolutam ſæpe eſſe attrahendam monuerat. Quod ipſum etiam remedium in *Geſneri* Evonymo, & *Sennerti* Medicina practica producitur. Meſue quoque Pilulas oleo nardino, vel aqua roſarum ſolvendas, aliaſque naribus inſufflandas, huic uſui deſtinatas l. c. deſcripſerat.

Uſus Moſchi in oris fœtore, & odontalgia.

Cùm perquam moleſta ſit adſtantibus ex ore fœtida quorundam exſpiratio, imò ipſis etiam ſymptomate hoc adfectis noxia, continua nempe inſpiratione pulmonibus & conſequenter vitali ſanguineo liquori ſpiritibuſque vitalibus, nec non ipſis quoque animalibus communicata, rectè omnino Medici emendationi ejuſdem omni tempore ſtudium & operam impenderunt. Cui fini Moſchum noſtrū dicare non omiſerunt. Id quod *Ebn Sina* docere verbis Arabibus voluit: Quæ licet ab aliquibus: *Animam reddit fœtentem*, vel: *facit oris fœtorem, quando porrigitur in cibo*, vertantur; alii tamen: *Animam pellit fœtentem*, legunt, nonnulli verò ſimpliciter interpretantur: *evaporat*, & præciſo fœtore, quem quidam tunc generari perſuaſum habent, ne quidem in rebus coctis eum vim ſuam amittere cenſent: Prout hæc ſupra laudati *F. Friſchmuthii* benevolæ communicationi debeo. Ubi ſanè alteram verſionem eſſe præferendam exiſtimo. *Ebn Sina* utique textui illi titulum *Decorationis*, uti *Gerardus Carmonenſis* vertit, præpoſuit, eo ipſo, de Moſchi virtute, quæ ad corporis, & in ſpecie oris decorem conciliandum efficax eſt, ſeſe acturum innuens. Neque experientia aliud perſuadet, quæ cibis odore forti alio non præditis recenter injectum odoris ſuavitatem, non fœditatem conciliare oſtendit, indeque ori ingeſtos cibos hoſce fragrantes atomos ei inſpirare, ac tetros reliquos ſupprimere, conſequitur. Namque fœtorem radicitus tollere licet rarò ſoleat, egregiè tamen ſulphur illud impurius atomis ſuis puriſſimis ſulphureis emendat atque obnubilat. Hinc parum Moſchi ſi manducetur, oris fœtorem palliari, *Joh. Platearius* perhibuit. Quo ſenſu etiam eum à rebus fragrantem odorem ſpirantibus obſcurari, Moſcho nempe, Trochiſcis bechicis albis cum eo paratis, Moſchardinis, Confectione alkermes, Aquâ roſarum cum Moſcho odoriferâ, Nob. *Melch. Sebizius* Spec. med. pract. part. 2. ſect. 4. cap. 25. tradidit. Nec alium in finem Aquæ oris collutioni dicatæ à *Guintherio Andernacenſi* de Med. vet. & nov. com. 2. dial. 8. immiſcetur. Quibus ſelectiora addantur, quæ ex Moſcho parata exhibet remedia Ill. *Guern. Rolfincius* Ord. & meth. medic. ſpecul. comment. lib. 7. ſect. 2. cap. 11. Licet in ipſa inſuper mali hujus cauſa tollenda

non

non omnem operam deneget. Uti enim gemina cura ejus vel in ſordibus circa dentes & gingivas hærentibus emundandis, vel in putredine, ſi quæ partibus quibuſdam in ore ſubeſt, tollenda conſiſtit, ita Moſchus ſulphureis ſuis, calidis & ſiccis particulis ejuſdem exſiccationi opitulabitur, quin & ventriculi cruditates, aut pulmonis ulcera cùm ſæpe in culpa verſentur, idem virtute ſuâ ſtomachicâ, caloris naturalis confortationi debitâ, pulmonibuſque amicâ, quâ de inferiùs diſcurrere dabitur, ne generari tam promtè queant, anſam præſcindet. Quò reſpexiſſe puto *Alexandrum Benedictum*, Tragematum mixturæ additum oris halitum commendare, ſcribentem, quibus jungere licebit Vinum & Electuarium, à *Bened. Victorio* lib. I. cap. II. tanquam experta remedia ſingulariter commendata. Sed hujuſmodi ad odorata nonniſi poſt ipſius cauſæ ſive putredinis remotionem eſſe deveniendum *Joh. Bapt. Montanus* advertit, cùm aliàs fœtor magis adaugeatur, quem tamen metum eſſe inanem ipſe uſus demonſtrat, modò particulis odoratis in decente quantitate oris cavitas imbuatur, atque mephitis exhalans ſummo in gradu non ſit fœtidiſſima.

Quid in dolore dentium præſtare queat, ex relatione laudatiſſimi *D. Wedelii* conſtare poteſt, qui in Marchia ſuperiori Belgam militem vidit, odontalgiam miro cum adplauſu in plebeiis grano uno vel altero piperis in cochleari aquæ leviter cocto, in divitibus autem grano uno moſchi, ſaltem in cochleari ſuper prunas calefactione facta, curantem, dum liquorem iſtum tepidum in aurem lateris adfecti injiciebat. Cujus medelæ rationem ex Anatome patere, ejuſdem *Wedelii* eruditum eſt judicium, ſuccedente ſcilicet, ob conſenſum meatus palatini & nervorum, eorundem roboratione, ac diſcuſſis humoribus ſeroſis frigidis ac dolorificis. Similes innuit vires *Georg. Bertinus* lib. 18. medic. cap. 16. dum frigidum dentium dolorem mitigare perhibet, non determinato tamen ejuſdem operandi vel utendi modo, quem tamen ad normam prædictam Wedelianam poſſe exigi, ſufficiat.

Moſchi vires pectorales & pneumonicæ.

Miſſis jam ſuperioribus corporis partibus, ad medii ventris conſiderationem progredior, ibique Pulmonibus prodeſſe Moſchum deprehendo. Ut ideo Thoracicis calefacientibus, attenuantibus internis rectè eum adcenſeant *Mich. Schonbornius* pag. 60. Manual. med. Pract. & *Joh. Tilemannus* ſect. 2. de mat. med. ac inter ſpecifica Arteriaca reponat *Gothofr. Môbius* Synopſ. epit. medic. pract. tab. 18. Idque nec Sinenſes latere Medicos, ex *Mich. Boymii* Flora Sin. diſcimus, qui pectori malè adfecto prodeſſe, & humores abigere malos ſtatuunt.

Quapropter in Aſthmate inprimis, ut ſingulare adpropriatum, paſſim adhibetur. Sic in Trochiſcos pectorales ab *Auguſtanis* meis, in Elixir pectorale aſthmaticum à *D. Guern. Rolfincio* Chim. in art. form. red. lib. 4. ſect. 2. cap. 3. in Tragema pectorale Differt. chim. de 🜍. cap. 13. recipitur. Trochiſcos ſuos, Aliptæ moſchatæ nomine deſcriptos *Nicolaus Alexandrinus* pueris aſthmaticis & pectoris anguſtiâ, vel anhelitûs difficultate preſſis commendat tr. de comp. medic. cap. 368. nec immeritò, non ſtyracis tantùm & ladani, ſed & ipſius Moſchi intuitu, ut ideo haud obſtare queat, quòd *Johannes de Sancto Amando* in expoſit. ob odorem ſolùm, non virtutem pectoralem, hunc eſſe additum voluerit, quæcunque enim *Nicolai* fuerit intentio, ſufficit, quòd virtus iſta Moſcho ratione nullâ denegari poſſit. Celebre autem inprimis, atque à plurimis laudatum eſt medicamentum, de quo *Joach. Camerarius* in Hort. med. & philoſ. cap. de croc. pag. 50. ſequentia habet: *Crocus adeo eſt thoracis affectibus amicus, ut ſint qui ad ℈ß. atque etiam unum, cum dimidio moſchi grano & vino optimo calido, propinando aſthmaticos curaverint. Ad reſpirationem ex nimio frigore prohibitam eodem modo plurimum conducit.* Quod ipſum, paulò tamen immutatum, ab aliis quoque recenſetur, prout *Oſvald. Gabelkhoferus* lib. med. part. 1. ſect. 2. croci ſcrupulo moſchi grana duo, vel croci granis novem moſchi grana tria miſceri admonet, & Nob. *D. Joh. Ferdin. Hertodt* cap. 7. Crocolog. in Moſchardinos crocatos croc. ℈j, & moſchi ℈ß. cum ſacch. & tragacanth. decoct. rad. ireos ſolut. redigit, atque in magna morbi iſtius ferocia Pilulam ex croci gr. iij. opii gr. iiij. moſchi gr. j. *Petr. Poterius* curat. & obſerv. cent. 3. cap. 22. exhibet. Conferantur quæ hoc de remedio *Welſchius* Exoteric. curat. & obſerv. med. chiliad. I. obſ. 144. memorat. Vid. etiam *D. Dan. Sennertus* Med. pract. lib. 2. part. 3. cap. 2. Nec tantùm hac ratione deglutitus, ſed etiam in vaporem reſolutus ad pulmones detruditur. Quale ſuffumigium, ut vocant, humidum ex Moſcho in decocto ſeminis ocymi ſoluto proſtat apud *Jul. Cæſ. Claudinum* conſult. med. 120. & *Joh. Freitagium* Autor. med. lib. 2. cap. 25. Scilicet cùm Aſthma ſæpe ab humore craſſo & viſcido, bronchia pulmonum obſtruente oriatur, Moſchus virtute ſuâ attenuante eundem reſolvet, & faciliorem ad ejectionem diſponit. Quin & dum à tenuium ſeroſorum copia non minùs quandoque inducitur, illam quoque calidâ ſuâ potentiâ diminuere valet. Quod ſi in ipſis veſiculis, aut venoſis, nervoſis, vel lymphaticis pulmonum vaſis cauſa mali lateat, inque iis vel ſanguis vel ſerum coagulationem paſſa fuerint, vaporeſve aut flatus ea diſtenderint, rarefaciendo, reſolvendo, diſcutiendo non parum emolumenti promittit.

Ex quo inſuper vis ejus auxiliatrix in Tuſſi pateſcit, quem ideo *Joh. Crato* in Oxymel conſil. 79. deſcriptum immiſcuit, & Pulvere cum Trochiſcis galiæ moſchatæ parato feliciter in quodam infantulo ſe uſum fatetur *Phil. Gruelingius* cent. I. curat. 45.

Nec dubito quin & in ipſa Phthiſi aliquando conducere queat, cùm *Galenus* ad exſiccanda pulmonis ulcera Hedychroum, ſpicata & foliata Unguenta aſſiduè naribus admota laudaverit, & *D. Chriſtian. Langius* Miſcell. curioſ. med. cap. 9. penetrantem Odoramentorum fragrantiam phthiſicis ſummum ſolamen adferre perhibuerit; id quòd non tantùm exſiccando ulcus, & expectorationem promovendo, ſed & ſanguinem inſigniter corruptum reſtituendo præſtare *D. Hermann. Grube* de ſimpl. med. facult. cognoſc. ſect. 3. art. 4. commentatur. Et ſecundùm *Williſium* part. 2. Pharmacent. rat. ſect. I. cap. 6. Vaporationes & Suffitus in Phthiſi nondum deplorata plus quàm alia quævis remedia interdum prodeſſe ſolent, quatenus pulmonem ipſum attingunt, adeoque adfectione immediatâ materiam impactam ſolvunt, expurgant, exſiccant, aciditates p. n. deſtruunt, à putredine vindicant, corroborant, ejuſque ductus aperiunt.

Tandem & à *Sennertò* l. c. part. 2. cap. 17. memoratum aliorum ἐυπόριςον in Pectoris vulneribus penetrantibus (quorum in curatione, ſanguinis etiam, qui in thoracem effuſus eſt, evacuationem indicari prædixerat,) adduci meretur, nimirum: *Si accepto vulnere nullus ſanguis effluat, iſque in pectore detineatur, æger granum unum moſchi ſub lingua teneat. Ita enim ſtatim ſanguis fluere incipit; quod nonnulli pro ſecreto habent.* Licet verò in ſanguine commovendo Moſchi virtus negari nequeat, utrùm tamen in exigua adeò mole, & tam repentè ſanguinem, eumque vel ob extravaſationem jam grumefactum, expellere queat, nonnihil dubito; & ſanguinem, ſi quis ab ejus uſu efflueret, ex ipſis potius vaſis in labia vulneris dehiſ-

centibus prodituum, ſuſpicor; ſicque uſus iſte Moſchi tantopere probari haud deberet. *Höferus* tamen Herc. med. lib. 2. cap. 3. remedii hujus aliam paulò rationem adſignat: *Ubi in pectoris vulneribus*, ſcribens, *ſanguis nullus profluit, ne in cavitatem ruat, immitte ori ſub linguam gr. j. moſchi*, &c. Sed neque hoc modo ſatisfacit. Sanguinis enim è thorace ſic perforato effluxus ſiſtetur, ſive quod vaſa ſponte cruorem ſtillare intermittant, ſive quòd vulneris labiis concidentibus exitus ei denegetur: Si illud, Moſchi exhibitione vitalis liquoris non neceſſaria, imò periculoſa expulſio tentatur: ſin hoc, niſi labia vulneris arte dilatentur, & æger ſitu conveniente locetur, fruſtraneus erit Moſchi conatus, ſanguine aliàs facilè non minùs in ipſam cavitatem penetraturo.

Moſchi virtus cordialis.

Quàm inſigne in corde roborando, illudque à quamplurimis malis vindicando robur inſit Moſcho, tum crebra experientia, tum infinita penè Medicorum docent teſtimonia. Sic *Haly Abbas* Theoric. lib. 5. cap. 33. confortandi ejus facultatem proponit, eamque in cordis intemperie frigida, mediante Sirupo pomorum, cum moſcho, ſpica & aromatibus condito, vel per Confectionem Diamoſchi dulcis cum vino, in Pract. lib 6. cap. 16. propinat. Simile eum mactat encomio *Ebn Sina*, epotumque & illitum *Matthiolus* omnibus cordis adfectibus opem præſtare adfirmat. Cor etiam confirmare *Setho* dicitur. Et in *Raym. Lullii* lib. 3. Secret. medicamenta inter cordialia Galangam, Meliſſam, & Moſchum eſſe mirabilia, ſcribitur. Idem innuere voluit *Marſil. Ficinus* lib. 3. de vit. long. cap. 1. dum ſolaribus medicamentis eum adpoſuit, Solem verò cor vitalemque ſpiritum ſignificare, tum alii, tum idem *Ficinus* cap. ſeq. 6. adnotat. Et quidem calefacientia eſſe, quibus Mars & Sol dominantur, in Iatromathematicis *Pſeudo-Hermetis* legitur, quæ inter πάντα τὰ εὐώδη, *omnia grati odoris* in ſpecie recenſentur. Hinc liquorem exornat cardiacum apud *Angel. Salam* tract. 2. de var. Chimic. & Galen. errorib. Spiritum in *Andr. Tenzelii* Exeg. chim. part. 1. ſect. 1. Aquam apud *Joh. Agricolam* animadv. in Poppii chim. part. 2. Sirupum in *Diſpenſatorio Norico Novo*, claſſ. 2. ſect. 2. & Londinenſi pag. 100. Nec decantatum illud cordiale magnum Anglicum *Walteri Rawlichii* inter præcipua ingredientia eundem reſpuit, cujus examen *D. Albert. Otho Faber*, Reg. Maj. Angel. Medicus & Chim. Prof. publico ſcripto edidit, Germanicè etiam nuper *Medicinæ experimentalis Digbæana* parti ſecundæ, Noricis typis excuſæ, adnexum, ſed falsò *D. N. de le Febvre* adſcriptum. Hinc porrò externè Balſama cordialia ingreditur, quale eſt illud *Schonbornii* Manual. pract. pag. 98. memoratum. Hinc Peruanos etiam ad Epithemata cordis uſurpare, in *Joh. Fabri* Hiſt. nat. Mexic. recenſetur. Quâ verò id ratione peragat, lib. 2. Meth. ad prax. clarum quodammodo facere laborat *Joh. Heurnius*, & Simplicia quædam ſpiritus lætiores reddere ſcribit, totâ, ut ajunt, ſubſtantiâ, quædam autem apertâ & occultâ potentiâ permixtis, iſtis Rubinum, Sapphyrum &c. his Moſchum &c. adnumerans. Quam tamen à multis creditam occultam confortandi proprietatem rectiùs alii non admittunt. Genuinam rationem in compendio exhibuit Nobil. *D. Wedelius* Theorem. med. part. 5. ſect. 7. theor. 15. *Cardiaca vel rarefactionem ſanguinis ſecundùm naturam reſtaurant, vel præternaturalem impediunt, vel reſolutionem ſanguinis auferunt, vel grumeſcentem reſolvunt*, & theor. 16. *Rarefaciunt tum ſulphurea ſpirituoſa &c. tum ſalina &c. volatilia*, nec non theor. 19. *Quæ ſtatum ſanguinis in motu, calore, conſiſtentiâ reſpiciunt, ſunt Cordialia.* Moſchus autem cùm ſulphure ſpirituoſiſſimo & ſale volatili abundet, his mediantibus, ſanguinem ad grumeſcentiam pronum reſolvere, ac partes ejus in debita unione conſervare, frigidum, effœtum ac torpeſcentem particulis activis calidis inſtruere, rarefacere, ac conſequenter etiam ſpiritus languidos ſuſcitare, deficienteſque reſtituere aptus eſt; ſive jam per poros corporis cutaneos intret, ac externè admotus ſanguini & lymphæ præterlabenti ſeſe adſociet, ſive cum aëre per fiſtulam pulmonariam ad pulmones deferatur, ſive ſtomacho oblatus, venis vaſiſque lymphatis & chyloſis ſe inſinuet, ubique ad ſanguinis vivifici miſcellam tandem deportandus. Et ſic vigore ſanguini aucto vel reddito, ipſum etiam cor roborare dici poteſt, quatenus motus ejuſdem à ſpirituum vitalium, h. e. partium ſanguinis ſubtilium defectu impeditus, ab alterato ac mirificè correcto ſanguine corrigitur ac immutatur. Conf. Cl. *Grubius* l. c. ſect. 7. art. 2. Quin & cephalica Moſchi virtus, quâ nervorum incolas, animales ſpiritus, grata ejus fragrantia demulcet, ſuſcitat, auget, cordi non exiguum addere robur, dici debet, ita ut ſpiritus iſti copioſi & vegeti influentes actionem cordis in ſanguine elaborando, vigorando & circumpellendo egregiè adjuvent, quo de uberiùs agit *Thom. Willis* Pharmac. ration. part. 1. ſect. 6. cap. 1. Quàm potenter verò odorata ejuſmodi confortandi virtutem ſuam exſerere queant, cùm viribus ſic ſatis integris ad ipſum cor penetrent, ſingulari obſervatione docuit Exc. *D. Joh. Sigiſm. Elsholzius* in Ann. VII. Ephem. Germ. Curioſ. obſerv. 225. Unde etiam virium per odores reſtaurationem meritò tantopere extollit *Helmontius*, quos contactum immediatum cum ſpiritibus vitalibus ſervare, tract. Complex. atque miſtion. elem. figm. §. 34. ſcribit, & tr. Imag. ferm. imprægn. &c. §. 18. & 19. odore ſpiritus delectari adſerit, eò quòd odor illos, etiam abſtractos, immediatè attingat, ac penetret.

Moſchi uſus in quibuſdam cordis adfectibus.

Nunc famoſiſſimis cordis paſſionibus, Palpitationi, Lipothymiæ & Syncopi quàm eximiè conferat, ſpeciatim inquirere adlubeſcit.

Et Palpitationi imprimis mederi, *Ebn Sina* ſcripſerat. Quod ad illam tantùm alii reſtringunt, quæ vel flatibus, vel intemperiei frigidæ ortum debet. Quamvis non deſint, qui & in cauſa calida eundem non planè excluſum velint, ceu *Marc. Gatinaria* Prax. med. cap. 30. in ſimili caſu aërem ad frigiditatem per odores frigidos, aceti, roſarum, camphoræ, alterandum, ſemper tamen odoriferum aliquod & aromaticum calidum, Moſchum &c. eis jungendum eſſe ſcribit, *ut faciant frigida penetrare*; Supervacaneâ prorſus curioſitate, cùm & frigida iſta credita odorifera per ſe ſatis ſuperque in corpus penetrare valeant, ipſaque experientia edoceat, nec oleum igni addere conveniat. Adfectum autem hunc humoribus, ut & vaporibus frigidis utplurimum deberi, quandoque etiam à ſanguinis craſſi multitudine, vaſa ſanguifera & cordis ventriculos nimiùm gravante, aut lymphæ in pericardio magna copia concitari, communior jam olim fuit ſententia Cl. *Franciſcus de le Boë Sylvius* lib. 1. Prax. med. cap. 35. humoribus flatibuſve multùm viſcoſis ſimulque acribus, & præſertim acidis potiorem cauſam tribuit. *Williſius* verò vitium hoc maxima ex parte aut ſanguini, aut vaſis cordi adpenſis l. c. cap. 3. imputat, ibi nempe ſanguinem aquoſum, particulis ſegnioribus & non ſatis activis conſtantem, ideoque ad efferveſcentiam minùs aptum, è cordis finibus non liberè & expeditè ejici, unde ſtagnando adcumulatus, à corde ſummo niſu propellitur, aut etiam grumeſcens, ſanguinis exilitionem liberam & totalem impediat: hîc verò cauſam merè convulſivam adeſſe, quâ nervi arteriæ aortæ trunco circumligati, eum coarctando ſanguinem è corde non niſi per minutas portiones

ctiones exſilire permittant. Sanguinem itaque in concretionem iſtam abeuntem, ſero craſſo, viſcoſo mixtum, aciditate inimicâ contaminatum, vaporibus flatibuſve turgidum, innatis activis particulis depauperatum, Moſchus egregiè ad ſtatum naturalem reducere poteſt, dum ſulphureis ſuis & ſalinis tenuiſſimis atomis maſſæ ſanguineæ debitam fluiditatem tribuit, principii ejus activa evehit, multiplicat, craſſos humores attenuat, acorem hoſtilem extinguit, vapores & flatus diſcutit, ſicque naturalem ſanguini motum reſtituit; imò ſpaſmodicas etiam adfectiones fugat virtute ſuâ, quâ cerebro nervisque gratus adeo exſiſtit, ſpiritus nempe tumultuantes ſuaviter ad tranquillitatem deducendo, ut & irritantem cauſam enervando. Hinc ſpiritum ſuum, quem ita vocat, regium, Moſcho imbutum, in ejuſmodi pathemate maximè proficuum ſe deprehendiſſe *D. Frid. Hoffmannus* Meth. med. lib. 1. cap. 19. ſcribit. Et præter alia, Trochiſcos inprimis moſchatos deprædicat *Jacob. Hollerus* de morb. intern. lib. 1. cap. 29. Salutare Electuarium *Epiphanius Ferdinandus* obſerv. medic. hiſt. 22. quo, ut & Confectione alkermes, Diamoſcho dulci, nec non Pomo odorifero, Epithemate, ac Sacculo cordialibus, moſchatis, Viduam quandam à magna cordis palpitatione cum animi deliquio liberaverat. Et Unguentum exhibet *Laz. Riverius* tom. 1. Prax. med. lib. 7 cap. 2. ex Ung. roſ. ol. cinnam. & caryoph. moſcho & ambra confectum; quamvis Unguento roſato axungiam gallinaceam, ob majorem penetrantionem (quæ tamen hîc neceſſaria tantopere haud eſſe videtur) *Joh. Crato* in conſil. Scholz. 104. præferat. Videatur etiam *Euſtach. Rudius* lib. 1. de hum. corp. affect. cap. 54.

Porrò ἐκλύσεως & λειποψυχίας, exolutionis & deliquii animi Moſchus præſentaneum eſt remedium, prout in defectione cordis ex frigore & membris deficientibus confortantem ejus vim recenſet *Iſaac Iſraëlita* lib. Pantechn. 5. theor. cap. 104. Utilem quoque eum ad revocandos animo deficientes viriumque reſolutionem *Sethus* pronuntiat. Atque præter experientiam ratio idem dictitat, à vi ejus rarefaciente penetrantiſſima petita, cùm uterque adfectus à ſanguinis circulatione, ob hujus coagulationem, & ſpirituum influxum imminutum vel inhibitum proveniat. Tenues itaque atomi illæ corpus ingreſſæ non ſanguinem ſolùm torpentem craſſiorem alterant, attenuant, eique volatilia ſua effluvia confundunt, ſed & languentes animales ſpiritus excitant, ſicque continuato itinere ipſam etiam cordis regiam invadunt, priſtinam ei ſerenitatem motumque reſtituentes; ſive jam per ſe, aliis ſolidioribus, liquidioribuſve corporibus permixtus ori immittatur, naribus objiciatur, aut alibi cutaneis poris adponatur. Prout eum in finem internè & externè adhiberi poteſt Elixir vitæ, nec non naribus & ori inſufflari Pulvis, à *Guil Fabricio Hildano* lib. de gangr. & ſphac. cap. 20. deſcripta.

In ipſa tandem Syncope eum auxiliari, *Averrhoës* lib. de reb. marin. tradidit, quæ cum gradus ſaltem magnitudine à Lipothymia & Eclyſi differat, eundem juvandi modum pariter obtinet. Atque virtutem hanc tam in acceſſione, quàm extra ipſam exſerit, quare eundem per ſe, aut in Sacculis vino odorato conſperſis admoveri debere *Chriſtophorus à Vega* de arte med. lib. 3. ſect. 6. cap. 9. monuit, cùm vitali & animali ſpiritu per illos recreato, vires quoque ſubitò recreentur; *Nam*, addens, *quandoque vidimus imminentem acceſſionem ſyncopes bonis odoribus naribus admotis, propulſatam.* Moſchum ſimiliaque jucundè odorata non ſaltem ægrotantis naribus admovenda eſſe, vult *Dionyſ. Fontanonus* de morb. intern. curat. lib. 1. cap. 2. atque ex eo *Nicol. Piſo* de cogn. & cur. morb. lib. 1. cap. 17 ſed & tenuiſſimum in pulverem redacta naribus inſufflanda. Et in Pract. theor. empir. *Joh. Marquardi* in paroxyſmo Aqua roſarum cum pulv. caryoph. & moſcho remixta circa infirmum ſpargenda; extra tempus verò illud Sacculus moſchatus geſtandus proponitur. Internè autem conducit medicamentum, quod ex quodam Hugone *Petrus Aponus* addit. in lib. Meſ. de Morb. int. cur. adducit, integram Moſchi drachmam recipiens, Pulvis item cum Aqua perlata *Claud. Deodati* lib. 3. Panth. hygiaſt. cap. 33. nec non Electuarium *Petri Hiſpani* (qui poſtea, cùm Pontifex Romanus eſſet creatus, *Johannes XXI.* dictus fuit, Vid. *Platina* de vit. Pont.) in Theſ. paup. cap. 23. deſcriptum.

Moſchi virtus hepatica.

In hepate curando Moſchum aliquod ſymbolum conferre, *Albertus M.* de rer. propr. exiſtimat, dum in ejus imbecillitate illum commendat, & *Zacutus Luſit.* Medic. princ. hiſt. lib. 3. hiſt. 9. hepar. frigidum ab eo ſanari, edocet. Unde etiam à *Petro Joh. Fabro* tr. inſign. curat. var. morb. cap. 69. in curatione juvenis hydropici, anaſarcâ laborantis, ad hepar & ventriculum roborandum, Electuarium moſchatum per menſem felici cum ſucceſſu uſurpatum fuerat. Quibus ſanè contradicere vix quiſquam ſuſtinebit. Si enim varias ſanguinis dyſcraſias, & in ſpecie, quam frigidam vulgò vocant, conſideremus, ſanguis autem copioſè ad hepar feratur, eo ipſo frigidam ei intemperiem vel hac ratione communicari, nemo diffiteri poteſt, à qua etiam imbecillitas ejuſdem, ob contingentem unà ſpirituum paucitatem & inertiam, ortum habet. Hisque poſitis; cùm ſanguis craſſeſcens & effœtus promtè ſtagnare, inque viſcere cumprimis illo, tot minutiſſimis vaſis copioſè inſtructo, obſtructiones parere ſoleat, imò nec bilem inertem & viſcidam ſufficienter colare & à ſanguine ſeparare hepar valeat, talique in rerum ſtatu hydrops facilè producatur, Moſchus ubique remedium adfert, calorificis ſuis particulis intemperiem frigidam corrigendo, ſpirituum defectui ſuccurrendo, ſanguinem attenuando, atque ad motum majorem incitando, imò iiſdem ſulphureis ſuis & alcalicis ſpirituoſis ac revera bilioſis atomis inopiam bilis ſupplendo, viſciditatem reſolvendo, inertiamque ſtimulando.

Moſchi vires ſplenetica.

Nunc, quid in morboſo liene curando efficiat Moſchus, paucis inſuper indicandum erit.

In melancholia quidem hypochondriaca, lieni utplurimum (utpote quod viſcus ſæpe hîc coadfici certum eſt) adſcriptâ, ejuſdem uſus ſupra jam fuit oſtenſus, ubi de Capitis morbis agebatur, cùm tamen hæc non aliam tunc, niſi qua ejus capitis vel cerebri ſobolem, animales, ſpiritus, læſam reſpicit, conſiderationem ſubierit, meritò hîc etiam in adfectum illum, hypochondriacum dictum, melancholici quid ferè ſemper habentem, inquiritur. In quo Moſchum confortantis præcipuè vicem ſubire paſſim docetur. Prout *Malachias Geigerus* tract. de melanch. hyp. cap. 12. & 28. ejuſdem uſum externum, & cap. 27. internum quoque commendat. Et in Elixirio citri cordiali *Rolfinciano* Moſchum vires cordis in tali caſu graviter laborantes mirum in modum reficere in *D. Herm. Grubii* Analyſi mal. citr. cap. 2. art. 1. Cuchunde etiam confectionem ſingulariter prodeſſe apud *Paul. Zacchiam* lib 1. cap. 32. de affect. hypoch. legitur. Verùm & in ipſa morbi cauſa, ſive melancholico humore præparando, *Riverii* judicio lib. 5. Inſtit. medic. part. 2. ſect. 1. partic. 1. cap. 4. conducit qui equidem, cùm frigidus, ſiccus, craſſus & terreſtris eſſe ſtatuatur, talia potiùs, quæ juxta cum calefaciendi, attenuandi & incidendi virtute humectandi unà vim obtineant, requirere creditur; impoſſibile tamen judicat *Riverius*, aliquod reperire medicamentum, quod calefaciat &, attenuet

attenuet, ſimulque humectet, unde effectum hunc aliorum admixtione, quæ peculiarem humectandi vim præ ſe ferant, eſſe obtinendum. Quæ cuncta nunc rigoroſiùs diſcutere non lubet; mihi ſufficit, quòd Confectionem alkermes & Diamoſchum dulce præparantibus iſtis adjunxerit. Cæterùm ſi in hoc quoque viſcere copioſa & minutiſſima vaſa ſanguifera, adeoque faciles in iis à ſanguine & humoribus junctis craſſioribus, tartareis ac evanidis obſtructiones & inflationes, ut & humoris ſeroſi, naturaliter ibi, ſecundùm quoſdam, ſegregandi in acorem vitioſum, humori melancholico Veterum reſpondentem, pronitatem perpendamus, quid Moſchus hîc præſtare queat, ex ſæpiùs jam dictis principiis ſponte eluceſcit, quibus nempe ſanguinem ejuſque ſerum attenuat, vigorat, in motum liberiorem agitat, ab acore inimico liberat, flatuſque exortos diſſipat.

Uſus Moſchi ſtomachicus.

Ventriculo Moſchus ſalutares inſpirat atomos, eundem confortantes, coctionemque ciborum promoventes. Ad ipſum enim non minùs, quàm ad alia prioris ævi odorifera pertinet, quod *Galenus* lib.8.de comp.med.ſ.l.cap.3. quemadmodum ſcilicet graveolentia omnia ſtomachum ſubvertere ſoleant, ſic odorifera confortare, ſcripſerat. Ut ideo benè ſtomachica inter medicamenta ſimplicia à *Joh. Georg. Macaſio* lib.2.Prompt.mat.med.ſect.10.cap.9.fuerit relatus, & à *Ioh. Guintherio Andern.* de medic.vet.& nov.comm. 2.dial.5. ventriculum corroborare & exſiccare, nec non humores in eo pituitoſos à putredine vindicare perhibeatur.

Hinc ad intemperiem ejus frigidam alterandam Moſchus à *Sebizio* laudatur part.4.Manual.pract.ſect. 1.cap.2. atque Sirupo, ad ventriculi frigidi ac phlegmate vitioſo laborantis curationem deſtinato, à *Conſtantino Africano* lib.de ſtomach.cap.11. ut & Diaromati ad frigiditatem ſtomachi ex phlegmate præſcripto permiſcetur. Externè etiam, inter ventriculum calefacientia, Ceratum *D. Ioh. Tilemannus* ſect.2. de mat.med.eodem exornat, Scutumque ſtomachicum, mediante cotone moſchato, autore *Caſparo Bravone de Sobremonte Ramirez* ſect.6.Tyrocin.pract. cap. 9. effingitur.

Eam ipſam ob cauſam & ventriculi inflationi ſuccurrit. In hoc ſiquidem ſymptomate, *Sebizii* judicio l.c.cap.8. flatus diſcutiuntur & ventriculi calor augetur iiſdem remediis, quæ in frigida ejus intemperie proſunt. Sic *Arnoldus Villanovanus* Pulverem huic ſcopo optimum, cum vino vel cibo ſumendum, lib.2.Breviar.Pract.cap.13.& *Thom. Fienus* lib. de flatib.cap.18. Unguentum, regioni ventriculi inungendum, deſcribunt.

Nec minùs dolori viſceris illius idcirco medetur, prout contra ſtomachi dolorem ex frigiditate Moſchum ſimpliciter cum vino, vel aliis exhibendum eſſe *Platearius* cum *Iſidoro* præcipit.

Sic in Cardialgia, purgato priùs ventriculo, Electuarium Moſcho conditum proponit *Petr. Ioh. Faber* Sapient.univerſ.lib. de morb. ventr. cap. 3. Et celebre, nec inelegans eſt Emplaſtrum ex ambra, alypta moſchata, & ſtyrace concinnatum, à *Nicol. Monardo* ſimpl. med. hiſt. cap. 7. delineatum. Quam ipſam quoque Maſſam in Pilulas redactam flatus diſcutere, adpetentiam excitare, & concoctionem juvare, idem Autor perhibet. Debili nempe ciborum digeſtioni juvandæ Moſchus non minùs conducit, ideo Pulveri aromatum in *Meſues* Antidotario, Spiritui vini aromatizato *N. de le Febvre* part 2. Chim. nec non Aromatico roſato Gabrielis additus, in quo Moſchum cum Ambra &c. ut baſin eſſe conſiderandum, *Gabr. Fallopius* de comp.med.cap.30. ſtatuit. Externa inter præcipuè memorandum eſt Ceratum ſtomachicum, Monardiano illi ferè ſimili, quòd Regi Hiſpaniæ ejuſque Proceribus eſſe familiare, in *Ioh. Pravotii* Hortulo med. pag. 15. refertur, ab Exc.etiam *D. Caſp. Theoph. Bierlingio* Adverſ. Curioſ.append.cap.23.pag.144. ſed paululum aliter enarratum.

Et in ſpecie Puerorum debili ſtomacho convenire medicamenta moſchata *Sebaſt. Auſtrius* cap. 36. de puer. morb, ejuſque Commentator *Nicol. Fontanus* conſentiunt.

Nauſeam inſuper abigere, & adpetitum reſtituere, *Ebn Raſæus* autor eſt, prout & Trochiſcos aliptæ moſchatæ Pilularum formâ tranſglutitos adpetitui proſtrato conferre *Ioh. Platearius* in addit. Antidot. Nicol. teſtatur. Sic Juvenis quidam toto anno cibi faſtidio laborans Pilularum cum Moſcho paratarum uſu fuit reſtitutus, apud *Zacutum Luſ.* lib. 5. Prax. hiſtor.cap.1. Videantur etiam Pilulæ lib.2.cap.12.obſ.1. exſtantes.

Quamvis autem eam hîc Moſcho laudem adſignare nolim, quâ laudatiſſimis aliis ſtomachicis præferri aut conferri queant, virtute tamen ſuâ calidâ, tenui, volatili & alcalicâ non ſanguinem tantùm, & conſequenter calorem ventriculi confortare, languidoſque in nervis ſpiritus excitare & roborare poteſt, ſed phlegma etiam, ſalivam, vel pituitam viſcidiorem, gravantem, aut fermentum obtundentem, aut fomitem flatibus præbentem incidit & attenuat, aciditatemque p.n. deſtruit, atque ita inflationes morboſas diſcutit, dolores abigit, nauſeam diſpellit, adpetitum auget, fermentum libertati reſtituit, coctionemque promovet.

In Bulimo denique à nonnullis uſus ejus adducitur, licet utplurimum ad ſymptomatis tantùm conjuncti, i. e. lipothymiæ curam & præſervationem ille dirigatur, quâ ratione ægrum odore Moſchi, Ambræ &c. excitari, ipſique pullum aſſatum & aquâ roſarum moſchatâ adſperſum odorandum & comedendum offerri debere, monet *Leonellus Faventinus* Pract. med. cap. 35. Ipſam tamen etiam cauſam morbificam ex dictis fundamentis enervare poteſt, tum in morbi principio, ſpirituum eſurinum acidiorem quaſi dulcificando, tum in ejuſdem progreſſu, cruditates viſcoſas incidendo & corrigendo. Hinc minùs adquieſcere poſſum in *Vict. Trincavellii* judicio lib. explan. in lib.1.Galen.de art.cur.ad Glauc.cap.14. dum pro curando animi deliquio in bulimo non quoſcunque, vel etiam gratos Moſchi &c. odores, ſed eſculentos offerri ſcribit; cùm delectando tantùm illi, non alendo ſpiritus confortent. Ut enim ſcrupuloſius hæc jam examini non ſubjiciam, ſufficit, quòd Moſchi odor ſpiritus deliquium paſſos ſuſcitare & vigori ſuo reſtituere queat, requiſitam enim ſimul in adfectu iſto nutritionem prout Moſchi, ita vini quoque toſtarumve carnium nidor haudquaquam præſtabit. Aliud itaque erit: lipothymiam in bulimo abigere, aliud: ventriculi & partium aliarum indigentiam neceſſario commeatu inſtruere.

Moſchi virtus anticolica, & anthelmintica.

In torminibus ventris, coliciſve doloribus Moſchum facultate calefaciente, diſcutiente & abſorbente prodeſſe aliquando poſſe, nullum videtur eſſe dubium, ſive jam frigida aliqua intemperies inteſtina adfecerit, ſive flatus illa diſtenderint, aut infeſta vel acrior acide unà materia vellicaverit. Quin & cùm colicam ſæpius ab humore nerveo impuro in meſenterio congeſto, craſſiore, viſcoſo, & in lymphæductus excipi, aut in cavitatem inteſtinorum deponi minùs apto, generari, facilè Cl. *Williſio* credere debeamus, hâc quoque ratione Moſchus conveniet, dum vitioſam iſtam lympham attenuabit, alterabit, atque reſolvet. In

colica

colica ſanè craſſos inteſtinorum flatus ab eo reſolvi, jamdudum *Averrhoës* tradidit, cum quo, præter multos alios, facit *Georg. Bertinus* lib. 18. de nat. medicam. cap.16. colicum dolorem ab eo diſſipari ſcribens. Et tanti hanc poteſtatem fecit *Paracelſus*, ut in quibuſdam colicis doloribus tanquam ſpecificum & arcanum quoddam extulerit. Unde Paragran. tract. 1. morbos ab arcano ſive remedio denominandos eſſe docens, colicam Zibethinam, colicam muſcatam ſive moſchatam, non ventoſam, bilioſam eſſe vocandam adſtruit. Hunc in finem Aquæ ſuæ carminativæ procul dubio eundem addidit *Ang. Sala* append. ad hydrelæolog. cap.14. & Bolo anticolico *P. I. Faber* d. l. de morb. inteſt. cap. 2. nec non in colico dolore, à craſſa lentaque pituita orto, ad noxii humoris à purgatione reliquias, frigidamque ventriculi & inteſtinorum intemperiem emendandam, alvumque roborandum Diamoſchum conſuluit *Nicol. Abrah. Frambeſarius* Conſult. med.lib.5. tit.5. conſ.2. Externè non minùs conducit. Eapropter in ventris torminibus Olei moſchelini inunctionem ſuadet *Jac. Theodorus Tabernæmontanus* de therm. & acid. c.6. & Moſchum oleo rutaceo ſolutum *Jacob. Hollerius* de morb. intern. lib.1. cap. 41. laudat, non ſolùm parti dolenti inungendum, ſed & cum clyſteribus injiciendum. Quare ipſum etiam Elixir vitæ *Matthioli*, ſcilicet tum aliorū, tum Moſchi ob acceſſum, in clyſteribus colicorum, præſentaneo auxilio, ubi à flatu aut frigiditate morbus provenit, addi, *Auguſtani* mei claſſ. 15. Pharmacop. ſuæ teſtantur.

Vermibus inſuper, in inteſtinis communiter ſtabulantibus, eum reſiſtere, eoſque in corpore necare, in *Conr. Künrathi* Medull. deſt. ll. legitur. Quare in Pulveres anthelminticos à *Barthol. Montagnana* cap. 10. Antidot. receptus, & Compoſitioni ad vermes commendatæ *Joh. Bapt. Montano* conſ. med.222. additus. Nam dum balſamica ſua & amaricante virtute putredini reſiſtit, eamque quodammodo tollit, eo ipſo vermes, in putredine, vel cum ea perſiſtentes enecat, atque ne ampliùs generentur, prohibet. Ut ſymptomatum graviſſimorum, verminantibus familiarium, àque Moſcho debellandorum nullam mentionem faciam, quale exemplum apud *D. Joh. Nic. Binningerum* cent. 2. obſ. 83. invenire dabitur.

Moſchi vires uterinæ.

Utero Moſchum eſſe pergratum, à pluriṁis paſſim adſeritur, medicamentis idcirco hyſtericis adjunctus à *Macaſio* in ſuo Prompt. mat. med. *Licet Moſcho & Zibetho nihil videatur vilius & abjectius, inter odoramenta tamen utero indenda principem habent locum*: verba ſunt *Zacuti Luſit.* Med. princ. hiſt. lib.3. hiſt. 9. Inque inprimis ex illo phænomeno communiter ſibi perſuaſum olim habuerunt, quòd ab ejuſdem odore naribus hauſto feminæ utplurimum in ſuffocationem dictam hyſtericam, ſive uteri adſcenſum incidant, ab eodem autem infernis partibus admoto iterum reſtituantur, ita ut ad ejuſdem exhalationes captandas uterus motu aliquo ſurſum deorſumve feratur. Imò tanti hoc nonnulli fecerunt, ut animal aliquod eſſe uterum confinxerunt, *Platonis* autoritate ita perſuaſi, ζῶον ἐπιθυμητικὸν τῆς παιδοποιΐας, *animal generandi avidum*, in Timæo; nec non *Aretæi*, σπλάγχνον γυναικεῖον ἄγχιστα ζωῶδες, *muliebre viſcus, animalis fermè naturam adeptum*, & ὁ κοῖον τι ζῶον ἐν ζώῳ, *velut animal in animal*. lib.2. de cauſ. & ſign. acut. cap. 11. vocantis. Hoc autem ſuaveolentium deſiderium & concupiſcentiam *Franc. Perla* lib. de loc. ex benè elaborati ſeminis grato odore deducit, quod ſemen cùm naturali inſtinctu uterus avidè adpetat, alia quoque odorata quælibet analogia quædam ſub ſeminis ſpecie eum deſiderare putat. Verùm nonnullæ feminæ ex Moſcho graviter interdum cùm adficiantur, opinionem hanc minùs adprobat *Joh. Bened. Sinibaldus* Geneanthr. lib. 10. tr. 3. cap. 2. idque eò magis, cùm uterus odores, quà tales, percipere nequeat, organo utpote odoratorio deſtitutus. *Aretæo* verò uterum non eſſe animal, ſed cum animali quandam ſaltem habere ſimilitudinem, ipſa ejus verba evidenter edocent; apud Platonem etiam duntaxat ſecundùm analogiam aliquam ſic dici, benè animadvertit *Melch. Sebizius* Manual. med. pract. part. 5. ſect. 1. cap. 8. Conferatur quoque *Joh. Langius* lib. 1. Epiſt. med. 23. Iſte autem uteri adſcenſus, præſertim qualis olim ad præcordia uſque venditabatur, uti merè eſt imaginarius, ita etiam Moſcho nullam vim uterinam hîc adſtruere poteſt. Quanquam aliàs virtute ſua, qua cerebrum & cor, eorumque humores nativos, ac nobiliſſima contenta, ſpiritus, reſpicit, utero tum ſanitate prædito, tum etiam quandoque morboſo egregiè prodeſſe queat.

Licet itaque Moſchi odor hyſtericam dictam paſſionem in multis, ceu Cap. XVII. oſtenſum fuit, producat, eandem tamen curare quoque poſſe, communiter ſtatuunt, *Averrhoëm* ſecuti, Collig. lib.5. de reb. nat. ſuffocationi matricis eum ſubvenire, ſcribentem, idque inprimis, partibus inferioribus ſi admoveatur. *Quibusdam mulieribus*, inquit *Jac. Sylvius* meth. medic. comp. ex ſimpl. lib.1. cap. de animal. *uteri prævocationem adfert, aliis in peſſo contra hanc mirè prodeſt, utero valde gratus.* Maximum ideo ejus uſum in Peſſis *M. A. Braſavolus* Exam. Sirup. monet, quales paſſim plurimi proponuntur, inferius Cap. XL. explicandi. Quin & inunctio cum eo facta laudatur, qualem ex oleo de behen cum moſcho conſuluit *Rodericus à Fonſeca* tom.1. conſult. med.35. & lanam xylinam oleo moſchelino, in quo Moſchus fuerit reſolutus, madentem ſuadet *Plateärius*, ſummeque utilem inunctionem iſtam deprædicat atque exemplis confirmat *Petr. Foreſtus* lib. 28. obſerv. med. 26. & 33. nec non *D. Joh. Schröterus* in Conſ. med. à *Joh. Wittichio* collect. conſ.54. & 55. Emplaſtra etiam huic malo, ſed præcipuè ad præſervationem deſtinantur, quæ modò ipſi imponere umbilico præcipiunt, quale eſt Ceratum *Joh. Bapt. Spuntoni*, inter Selecta remedia recenſitum, ad retinendum videlicet uterum furentem, Tacamahaca item in emplaſtri formam cum Moſcho ac Ambra redacta *Nic. Monardi* in Hiſt. med. ſimpl. & ſimile *P. Fr. Berardini Chriſtini* cent. 1. obſ. med. 2. & 16. nec non cent. 4. obſ. 26. modò infra illum, umbilicum nempe inter & pectinem, adplicant, cujus exemplum in *Dion. Fontanoni* lib. 3. de morb. int. cur. cap. 20. & *Guil. Rondeletii* meth. cur. morb. lib. 3. cap. 69. habetur. In fumum quoque reſolutus in uterum immittitur, uti ſpecimen ejus proferunt *Joh. Agricola* animad. in Poppii part. 1 tract. de Vitriolo, & *Horat. Augenius* Epiſt. med. lib.12. ep.7. Aut inter coxas tantùm adligatus conſulitur, ceu videre eſt in *Horat. Guarganti* re ponſ. var. tract. 4. Quæ dum fiunt, graveolentia ſimul naribus adplicare, corpus verò reliquum diligenter munire, Practici præcipiunt, ne ſua-veolentia ſua caput petat, morbumque adaugeat. Verùm, ut liberè, quid hîc ſentiam, edicam, iſte Moſchi & conſimilium ſuaviter fragrantium, circa inferiores corporis partes, uſus ex falſa illa, de uteri è loco ſuo verſus ſuperiora motione & adſcenſu, nec non ſingulari erga odorata illa ſympathia & adpetitu, hypotheſi enatus, iſtis in corporibus, quæ à gratè odoriferorum halitu naribus admiſſo ſuffocationis periculum incurrunt, neutiquam convenire poteſt, cùm enim & ibi moſchatæ atomi nervos uterinos, arteriaſque & venas penetrando, ſpiritibus ac ſanguini morboſam illam rarefactionem & agitationem inducere valeant,

eo ipſo ſanè adfectum fovebunt potiùs & contumaciorem reddent, quàm profligabunt. Quod ſi tamen ab ejuſmodi adplicatione ceſſare quandoque videatur, partim rerum fœtidarum & graveolentium eodem tempore naribus majori quantitate objectarum, validiori operationi, qua ſulphureis ſuis & narcoticis quaſi atomis ebullitionem præternaturalem ſopiunt, ſpiritusque animales compeſcunt, partim etiam, quòd ab alia cauſa, quàm ſanguinis tenuitate & caliditate, eodem nempe craſſiore & flatuoſo, ortum trahat. Cœterùm nec planè rejecerim *Ludov. Septalii* animadverſionem lib. 7. §. 161. conſignatam, qua Cerata prædicta ex tacamahaca, cum duobus aut tribus Moſchi granis medietati horum impoſitis, facta felici cum ſucceſſu imponi negat, cùm ex calore corporis & lecti elevati benè olentes vapore præfocationes potiùs concitent, ſi nempe ex omni parte cuti arctè non adhæſerint. In ſuffitu porrò dum Moſchus in uſum venit, ſuaviter odoratæ ejus moleculæ ab ignis violentia combuſtæ & in fœtidas converſæ ſpiritus animales non ampliùs demulcere, & in tripudia quaſi concitare, aut ſanguinem admodum rarefacere, ſed coërcere poſſunt. Imò ſi Linimentorum & Peſſorum adplicationem conſideremus, non tam ab iſta, quàm juncta vel jungenda ei confricatione & titillatione adfectum, à genitali humore oriundum, ceſſare, fateri cogimur, quàm ſcilicet confricationem ſtudioſè nonnullos, & vel *Ebn Sina* lib. 3. ſect. 21. tr. 4. cap. 18. talem ſpurcitiem conſulentis, autoritate permotos, præcipere ſcimus, ſic e. g. *Fontanonus* l. c. obſtetricem duobus digitis, indice & medio, Linimento moſchato inunctis, os vulvæ oblinire, ac intrinſecè fricare tantiſper jubet, dum humor corruptus è vulva excidat, quod & religioſæ Virgini conſuluit *Nic. Abr. Frambeſarius* Can. & conſ. med. lib. 5. tit. 14. nec non Juvenculæ cuidam venereæ è ſuo conſilio benè ceſſiſſe *P. Fr. Berardinus Chriſtinus* cent. 1. obſ. med. 2. refert, & *Anton. Guainerius* Pract. de ægrit. matr. cap. 6. *Sæpiſſimè*, ait, *corruptum ſperma ſeu humor alius venenoſus ex confricatione tali egreditur, & præfocata ab ægritudine ſolvitur.* Qua ratione etiam *Galenus* lib. 6. de loc. adfect. c. 5. Viduam quandam à gravi adfectu hyſterico liberatam fuiſſe recenset, cùm à manibus obſtetriciis titillatione obſcœna inter curandum ſuborta, ſemen craſſum plurimumque excreviſſet. Unde ipſum coitum paroxyſmo tali mederi, Practici notant; nec tamen neceſſarium adeo eſt aut utile, membrum genitale mariti priùs oleo moſchatelino, aut alio quovis, in quo Moſchi granum fuerit diſſolutum, illinire, ceu hujuſmodi uſus meminit *Joh. Riolanus* in Inſtit. medic. de morb. curand. Illam titillationem tamen & perfricationem à Chriſtiano homine omnino ablegandam, præter alios, meritò judicat *Septalius* l. d. §. 159. eamque ob cauſam Peſſos non minùs odoratos, cùm tentiginem maximam promoveant & ſatyriaſin ſæpe inducant, in iſta ſuffocationis ſpecie, ex retento, quæ fit ſemine, non ita tutò in uſum duci, §. 160. concludit. Licet etiam hac methodo uſurpatus Moſchus, dum vaſa aperit ac ſanguinem fundit, hyſtericis, quas menſtrua ſuppreſſa tales efficiunt, non poſſit non conducere. Ubi ſanè *Galeni* conſilium lib. 1. de arte cur. ad Glauc. cap. 14. locum invenit, dum in defectu animi ex utero, parti huic odorata, & ea, quæ laxare ac calefacere poſſunt, medicamenta offerre ſuadet. Confer. Cl. *Franciſcus Bayle* probl. phyſ. med. 78.

Nunc quid de interno Moſchi uſu in hac uterina credita adfectione tenendum ſit, pariter diſpiciendum. Ubi ſuum maximopere commendat experimentum *Augenius*, quo moſchi gr. v. cinn. caryoph. N. M. ā. ℈j. vino odoratiſſimo diſtemperata propinat; & *Bened. Victorius* lib. 1. Empir. cap. 35. moſchi gr. ij. cum Spec. aromat. roſ. Sir. cort. citr. & Aq. roſar. deglutire præcipit. Aliam porrò ex *Solenandro* potionem magnoperè extollit *Laz. Riverius* tom. 1. Prax. Med. lib. 9. cap. 6. & cent. 1. obſ. med. 65. moſchi nempe & ſanguinis drac. ā. gr. xiij. in aq. flor. aurant. ℥iij. ſoluta, adſtipulante ipſi Ill. *D. D. Paulo de Sorbait* tract. 1. Med. pract. cap. 78. Pilulas quoque ſuas proponit *Barth. Montagnana* conſ. 226. quas de muſco nominare ſolebat, ab *Augenio* etiam, paululum tamen immutatas, immenſa laude decoratas. Et *Joh. Zvelferus* Pharmacop. reg. claſſ. 6. cap. de Pil. de cynogloſſ. anodyn. Moſchum intrò propinatum ſummo eſſe emolumento ſcribit, cavendo tamen, ne nares feriat. Videatur etiam lib. 3. obſerv. *Nicol. Cheſneau* cap. 14. obſ. 1. Aſt malum hoc muliebre ſi à ſanguine tenui, bilioſo & igneo dependeat, minùs moſchata ejuſmodi convenire, etiamſi odor eorum naribus non hauriatur, ex dictis jam eluceſcit, cùm & in ſtomacho ac inteſtinis ſanguineos, lymphaticos atque nervoſos ductus intrare, & ſanguinem in motum concitatiorem inſtigare valeat. Unde ſi tali in caſu cum fructu adſumatur, ille reliquis admixtis gravi odore præditis, & volatiles bilioſas Moſchi particulas obtundentibus ac contemperantibus debebitur, vel ſaltem adfectus ab alia cauſa, uti ſanguine ad fuſionem non ita proclivi, ſed craſſiori, obſtruente vel flatuoſo fovebitur.

Quæ morbi etiam diverſitas in cauſa eſſe poteſt, quòd dentur hyſtericæ, à ſuaveolentibus in ipſo paroxyſmo odoretenus ſummum levamen, à graveolentibus autem majorem potiùs adflictionem percipientes. Quamvis conſuetudinem quoq; multum hîc conferre poſſe, negare omnino nequeam, quæ ſanè, quò minùs in motus inordinatos ſanguis & ſpiritus rapiantur, ſed potiùs retrahantur, efficere valet. Nec traditam à quibuſdam ἰδιοσυγκρασίαν, ſive ſingularem & inexplicabilem penè certorum ſubjectorum naturam, qua iſto ab odore minimè offenduntur, ſed ſummoperè delectantur, penitus explodere velim: *Dantur*, inquit *Sennertus* Med. pract. lib. 4. part. 2. ſect. 1. cap. 4. *quæ nullo modo moſchi, ambræ vel ſimilium odore offenduntur, ſed eos benè ferunt: quales multæ reperiuntur in gynæceis Principum & Nobilium, quæ veſtibus moſchi vapore, & fumo infectis utuntur.* Conferatur *Franc. Moræus* de maligñ. febr. parox. tr. 1. cap. 13. obſ. 6. Graviſſimi adfectus hyſterici exemplum adnotat *Greg. Horſtius* obſ. med. part. 2. lib. 1. obſ. 24. in Matrona ab adhibitis medicamentis adpropriatis fœtidis graviora ſymptomata perpeſſa, à Moſcho autem & Ambra feliciter reſtituta, & obſ. 38. nobilem Virginem religioſam in ipſo paroxyſmo ab odoratiſſimis, Moſcho &c. mirè refectã adducit; idem & ſe obſervaſſe *D. Guern. Rolfincius* Epitom. meth. & cur. partic. corp. affect. lib. 3. cap. 24. *D. Thom. Bartholinus* cent. 3. hiſt. anat. 28. & *Nicol. Cheſneau* l. c. teſtantur. Matronas à fœtidis valdopere læſas, beneolentibus verò itidem ſanatas *D. Simon Paulli* cl. 3. Quadrip. botan. cap. de angel. & *D. Caſp. Theoph. Bierlingius* Adverſ. cur. 54. Virginem etiam adfectibus hyſtericis ſpaſmodicis exagitatam, & Ambræ odore mirè refectam *Phil. Höchſtetterus* dec. 9. obſ. med. caſ. 1. recenſent. Et hæc veriſſima eſſe, in praxi ſua ſæpe expertus fuit, hancq; diverſitatem A. 1680. deprehendit in duabus Virginibus illuſtribus Magnificus noſter *D. Febrius*, quarum altera 26. annos nata ex diuturna hæmorrhoidum & menſium obſtructione ſubitò in convulſivos dolores lateris ſiniſtri ad collum deſcendentibus abripiebatur cum metu ſuffocationis, ſyncope, palmo cordis & levi delirio modò cum riſu, modò cum lachrymis, cum pavore continuo, præſertim noctu, & aphonia interpolata: Præcedebant nauſea, vomitus, ventris inflatio, murmura, ſternutationes crebræ in tres & quatuor horas (quod rarum & mirum) continenter exploſæ, dolor item dorſi & lumborum, capitiſque quandoque intenſiſſimus, à quo plerun-

plerunque graviſſimi paroxyſmi exortus, qui non niſi ſuaviſſimis moſcho & ambrâ prægnantibus remediis ſiſtebatur, cùm econtra caſtorium ipſi adverſiſſimum eſſet, quod tamen illuſtri Sorori natu majori nuptias penitus averſanti, ideoque ſæpius hoc malo correptæ in hoc adfectu Panacea unica, & à ſuaveolentibus tantus horror, ut nec aquam roſarum aut cinnamomi perferre potuerit. Prior autem illa meliori ſidere afflata paulò poſt febri tertianâ correpta cum ſternutatione ſemper incipiente, duplici hoc irritamento concuſſa, menſibus confertim prorumpentibus, evaſit.

Ad uteri porrò prolapſum ſive deſcenſum, aut, ut ipſe loquitur, matricis præcipitationem, conducere Moſchum, ſi naribus odor illius attrahatur, ex *Plateario* patet. Ambram, Moſchum, Galiam moſchatam, Aliptam moſchatam, & his ſimilia naribus continuò admovenda, uſque dum in ſuam redeat ſedem. *Lud. Mercatus* de mulier affect. lib. 2. cap. 11. ſuadet; inguinibus etiam Unguenta, Cerata, & Emplaſtra moſchata tum ad retrahendum, tum retractum in ſede ſua conſervandum uterum, ibidem proponit. Ad quem poſteriorem ſcopum etiam in *Roderici à Caſtro* lib. 2. de morb. mulier. ſect. 1. cap. 16. duo Emplaſtra, è regione umbilici utrique lateri admovenda, recenſentur, quorum unum ℈ß. alterum ℥ß. Moſchi recipit, quamvis typographicum hîc ſubeſſe mendum, nimia Moſchi doſis perſuadere queat. Et *Amatus Luſit.* cent. 1. cur. med. 14. in juvencula, uteri procidentiâ adflicta, Moſchum & Galiam moſchatam naribus, econtra graveolentia pudendis, nec non Ceratum moſchatum pubi feliciter adplicitum memorat. Verùm hæc ipſa in ſymptomate illo Moſchi adminiſtratio priori illa erronea opinione nititur, quâ uterus odoratis, quà talibus, delectari, atque ad ea motu locali ferri putatur, quæ odoris inſectatio cùm ſit fictitia, non minùs omnis ille uſus ejuſdem valoris erit æſtimandus. In *Amati* ſanè exemplo niſi manuali operâ facta repoſitio acceſſiſſet, neque ſupernus, neque infernus Moſchi uſus quidquam conduxiſſet. Interea tamen, ne omnino fruſtraneam hanc & frivolam adhibitionem proclamare velle videar, (licet minoribus ſumtibus, remediiſque magis adpropriatis hîc rem peragi poſſe non diffitear,) Moſchum roborando cerebrum & nervos, ſanguinem porrò emendando, & ſpirituoſis ac calidis particulis inſtruendo, ſymbolum aliquod ad curam faciliùs abſolvendam quandoque contribuere arbitror, cùm plerunque procidentia iſta nimiâ partis illius & vicinarum à laxitate, ob frigidam humidamque intemperiem producta, deſcendat, ſive jam ipſe uteri globus propendeat, quod licet à *Theod. Kerckringio* Spicileg. anat. obſ. 20. & 53. *Henr. Roonhuſio* lib. 2. obſ. chir. & *Jobo Mekerano* obſ. chir. cap. 51. impoſſibile judicetur, interdum tamen, & præcipuè poſt partum, fieri poſſe, non omnino negaverim, ſive vaginæ tantummodo rugoſa tunica ampliata & dilatata illum ementiatur.

Menſtruum inſuper proritate fluxum, non immeritò ſtatuitur. Cùm autem Emmenagoga triplici communiter ſub capite proponantur, debilium nempe vel mitiorum, mediocrium, & validorum, mediis adcenſere Moſchum conſueverunt, quos inter eſt *Jacob. Sylvius* comm. de menſ. mul. *Lud. Mercatus* l. c. lib. 1. cap. 9. *Rodericus à Caſtro* d. l. lib. 1. ſect. 1. cap. 4. & *Joh. Prevotius* de morb. uter. cap. 4. Quin & ad ipſum pertinet, quod Hippocrates ſect. 5. aphor. 28. ſcriptum reliquit: *γυναικείων ἀγωγὸν ἡ ἐν ἀρώμασι πυρίη: Suffitus*, vel odor *aromatum*, rerum benè olentium, *muliebria*, menſtrua *educit*. Quo ipſo vim expultricem uteri excitari, atque venarum, quæ uterum attingunt, obſtructiones aperiri, compactiorem uterum rarefieri, algioſum recreari, & materiam lentam incidi, *Joh. Heurnius* aliique interpretantur. Scilicet Moſchus virtute ſua attenuante non pituitoſos tantùm humores, obſtructiones vaſorum uterinorum concitantes fundens atque reſolvens, ſed & ſanguinem ipſum craſſiorem & ad motum tardiorem rarefaciens inque ὀργασμὸν concitans deprehenditur. Idque tum internè, tum externè in uſum ductus efficit: Sic proſunt Pilulæ de moſcho, ſive ut corruptè vocat, de dyamoſco, *Barthol. Montagnana* in Antidot. cap. 20. Pilulæ & Pulvis *Prevotii* l. c. Morſelli *Anton. Cermiſoni* in Conſil. med. cap. de ægrit. matr. cap. 6. Cum Moſcho, qui miram habeat ſanguinem eliciendi facultatem, pro ditioribus confici Peſſarium, in *Joh. Varandæo* de morb. mul. lib. 1. cap. 2. legitur, quales Peſſi & Naſcalia paſſim plura deſcribuntur, v. g. in *Jacob. Hollerii* lib. 1. de morb. int. cap. 58. *Fel. Plateri* Prax. lib. 2. cap. 14. *Cermiſoni* cap. de ægrit. pect. conſ. 13. cap. 7. *Zacuti Luſ.* Prax. hiſt. lib. 3. cap. 10. Feminam, quæ ex ſolo Moſchi odore menſes ſuppreſſos provocaverat, Neapoli inviſit *D. Thom. Bartholinus*, ceu refert cent. 2. hiſt. anat. 87. In Suffitus etiam utero dicatos, qui capite munito, ne fumus ad nares pertingat, excipiendi ſunt, adſciſcitur; qualem ex pulvere aromatum & Galiæ moſchatæ, carbonibus accenſis injecto, convenire *Jul. Caſ. Claudinus* de ingr. ad infirm. lib. 2. ſect. 2. cap. 26. arbitratur. Neque negandum, ſatis efficaces hos eſſe poſſe, cùm penetrantiſſimi eorum ſalino ſulphurei halitus ipſum uterum immediatè attingant, craſſitiem vel lentorem humorum egregiè incidant, ſi quod acidum oſcula vaſorum conſtringat, illud abſorbeant, ſanguinem ut moveatur exagitent, ſicque vaſorum ſanguiferorum extremitates reſerare valeant. Aſt Moſchi pretioſum corpus effumationi huic deſtinare, opus haud eſt, cùm leviori pretio aliud aliquod comparandum facilè eundem præſtare queat effectum, Moſchus autem carbonibus vivis injectus ſuavitate exutâ, ingratum potiùs in fumum abeat & deſtruatur.

Sed quòd nonnulli immoderato in Menſium fluxu itidem eum adhibeant, non ſemper probari poteſt. *Prevotius* quidem l. d. cap. 5. medicamenta fluxum iſtum ſiſtentia interdum cum vehiculo exhiberi notat, quando nimirum vaſa uteri conſtringere conſilium eſt. Aſt cùm medicamentorum, ſimplici ingredientium mixtura vel confuſione paratorum tanta non ſit unio, ut unum nexu indiſſolubili alterum ad hanc illamve partem comitetur aut dirigat, ſed magis reſolubilia, qualia inprimis Moſcus eſt ſtomacho exhibantur, non exſpectata cæterorum fixiorum, uti adſtringentium, actuatione & diſtributione, vinculi iſtius infirmitas abundè elucet. Imò Moſchum eſſe ſpecificum uterinum, ita ut partem hanc magis, quàm aliam quamcunque, nervis aliiſque vaſis abundantem, & neſcio quâ occultâ proprietate reſpiciat, magnum adhuc eſt dubium. Licet fortaſſe in uſum venire aliquando poſſet, ſi fluxus ille uterinus à frigida humidaque uteri intemperie, eundem debilitante, oſculorumque laxitatem efficiente produceretur, ubi virtute ſua roborante, calefaciente, &c. exiguum illud ſi attendendum, ſiccante aliquid contribueret; vel ſi grumeſcens unà ſanguis, juxta cum adſtringentibus, diſſolventia requirat.

Cæterùm facultate, quâ menſtruum remorantem ſanguinem propellit, Lochia non minùs ſegniùs prodeuntia exterminat.

Prout & Secundinas abigere, fœtuſque exitum hac ratione urgere vel facilitare creditur.

De Secundinis retentis teſtatur *Kunrathus* in Medull. deſtill. quod carbonibus injecti Moſchi fumus per infundibulum corpori immiſſus citò eaſdem expellat.

Ex Sinis didicit *Boymius*, facilem partum reddere doloreſque abigere parturientium. Id quod interno pariter & externo uſu efficit. Sic Trochiſcorum

Galiæ moſchatæ pulverem cum vino albo datum difficulter parturientibus accelerare partum, fœtum quoque mortuum & ſecundinas exterminare, *Gualth. Ryffius* Enchir.med.lib.2.cap.3.§. 89. ſcribit. Roborando inprimis hoc præſtare, clarè ſatis *Varandaus, Rondeletius, Platerus*, & *Sennertus* innuunt, Confectionis ideo alkermes, & Pulveris diamoſchi exhibitionem laudantes. Ipſis imbecillis parturientis naribus Moſchum admovere præcipit *Dion. Fontanonus* l.c. cap. 25. addens: *Nec verendum, matricem, quæ bonis odoribus delectatur, ſurſum revocari, ſi quæ partum impediri. Nam fœtûs gravitas uterum deprimit ſurſumque aſcendere prohibet, atque interim bonis illis odoribus parturientis vires & ſpiritus roborantur valdeque juvantur.* Quod & *Zacutus* Prax.hiſt.lib. 3. cap. 18. nec non *Joh. Wittichius* Conſil.pro gravid. & partur. monuerunt. Aſt feminis adfectui iſti hyſterico obnoxiis moſchatorum ejuſmodi uſum minùs commodum eſſe poſſe, nullus dubito, quem ſanè fœtûs gravitas nullo modo inhibet, cùm creditum illum adſcenſum eſſe commentitium, ex ſuperioribus pateat, inque gravidis & parturientibus eadem ſanguinis & ſpirituum diſpoſitio eſſe queat, quæ à Moſcho excitari, ſymptomatumque iſtorum productionem cauſare valeat: Prout viciſſim feminæ, aliàs adfectui huic ex ſuaviter odoratis minimè obnoxiæ, præſtans inde remedium in partu facilitando ſibi polliceri utique poſſunt. Quales fuiſſe ſuſpicor, quarum inter parturiendum defectionibus moſchata plus vice ſimplici ſecurè exhibita memorat *D. Dan. Ludovici* Pharm. mod. ſec. adplic. pag. 646. Quin & in Suffimigiis uſus ejus ab *Ebn Sina* lib.3.ſect.21.tract.2.cap.23.&c. commendatur, quâ ratione magnum iterum encomium meretur Galia moſchata à *Joh. Plateario* addit.in Antidot.Nicol. & *Hier. Mercuriali* de morb. mul. lib. 2. cap. 3. Ipſe quoque Moſchus &c. prunis ardentibus impoſitus partum facilem procurare, locos muliebres aperiendo, & ad inferiora trahendo, dicitur *Joh. Guintherio Andern.* in Gynæc.comment. Et difficili admodum in partu Linimento moſchato uteri collum frequenter illinire docet *Johannes le Bon* cap.2.therap.gravid. Videlicet cerebrum & nervos cùm roboret, eoipſo etiam uteri, ut corporis maximè nervoſi, vires egregiè adauget, ita ut expulſionem fortiùs peragere valeat, imò totius corporis vires ad actum illum concurrentes firmando prodeſt, ſpiritus etiam conturbatos & inordinatè ſe moventes doloriſicos compeſcit, ac ſuavitate ſuâ demulcet. In fumum autem reſolutus acribus ſuis effumationibus uterum ad expulſionem ſtimulat.

Aliàs etiam, ubi tempus maturitatis fœtûs nondum advenerit, uſurpatus, moderatè tamen, ne nimio uſu ſanguis juſtò commotior abortum potiùs acceleret, gravidas confortat, abortumque inhibet, Mixturæ ideo à *Roderico Caſtrenſi* l.c. lib. 3. ſect. 1. cap. 22. pro fœtu roborando præſcriptæ (pro cordis etiam cæterarumque partium in gravidis confortatione à *Zacuto* cap. paulò tamen aliter propoſitæ,) additus. Emplaſtra quoque vel Cerata hîc trahi in uſum ſolent, quale ex *Claudino* deſumtum ſibi multâ experientiâ & uſu familiariſſimum deprædicat Nobil. *D. Franc. Ignat. Thiermairius* lib.conſil.med. 1. cap. 13. uteri regioni admovendum. Sin ex humiditate aliqua aut frigiditate præternaturali uteri metuendus ſit abortus, Suffimenta, Linimenta, Emplaſtra *Rodericus à Caſtro* lib. 4. cap. 4. Peſſaria cum Moſcho parata *Arnoldus Villanovanus* in breviar.pract.lib. 3. cap. 3. proponunt.

In Uteri dolore, ſi à ſanguine craſſo & coagulato ſuſcitetur, Paſtillorum moſchatorum ſuffitum deſcribit *Rodericus* modò nominatus, quo grumoſum diſſolvi ſanguinem, atque tenuiorem reddi, veriſſimè pronunciat, Aquam theriacalem etiam & Laudanum opiatum contra affectum hunc internè ſumenda adjungens. In eodem à flatuum copia orto Emplaſtrum odore iſto imbutum maximi ſemper fuiſſe momenti *Ludov. Mercatus* lib.2.cap.14. perhibet.

Unde non minùs in Uteri inflatione fumum ex Trochiſcis moſchatis ei immittendum præcipit *Balth. Brunnerus* conſil.med.67. & Moſchum ac Zibethum ſingulariter uteri tumoribus conducere, cum modica lana ſuppoſitum, *Joh. Guintherius Andernac.* de vet. & nov.comm.2.dial.6. arbitratur.

Ex quibus jam ſponte eluceſcit, quòd in Uteri debilitate, intemperie frigida, vel humida utiliter adhiberi queat; quales remediorum formulæ tum apud dictum ſæpius *Caſtrenſem*, tum alios pro lubitu videri poſſunt.

Moſchi vires venereæ.

Moſchum inſigne pharmacum eſſe aphrodiſiacum, omnibus in confeſſo eſt. Quod ex Veteribus jam olim Averrhoi notum fuit, dum coitum augere docuit. Unde etiam pollutionem nocturnam producere in nonnullis ſolere, ſupra jam percepimus.

Zibethum in folliculis animalis ſui abundans, quia ad excretionem ſui ipſum irritat, Naturam nobis per id vim ipſius ad coitum incitandum ſignificaſſe putat *Caſtellus* cap. 10. de Hyæn. odor. Idem de Moſcho dicere poſſemus, quem abundantem in folliculo ſuo, dum venereis ſtimulis agitatur, animal magis ſtimulare non omnino negabimus; modò naturales illæ ſignaturæ & indicia aliquod in Natura fundamentum haberent, ingeniique figmenta non exſiſterent.

Hinc Indi, ſi in venerem procliviores eſſe volunt, ex Bangue, plantâ cannabi haud abſimili, nec non Moſcho & Ambra, cum Saccharo Electuarium conficiunt, referente *Chriſtophoro à Coſta* libr. Aromat. cap. 55. Hinc & apud alios frequens in Electuariis ejus uſus ſolet eſſe, quale magnopere dilaudat ſuum lib. 2. Prax.med.admir.obſ. 120. deſcriptum *Zacutus Luſit.* aliudque ſub Confectionis magnanimitatis nomine *Hadr. Mynſichtus* ſect.13. Armament. med. chim. Elegans eſt, quod tum *Bald. Timæus* lib. 3. caſ. medic. 51. tum juxta cum Morſulis delineat beatus noſter *D. Phil. Jacob Sachſius* lib.2. Gammar.ſect.2.cap. 6. ſect. 6. ut & Spiritus radicum ſatyrii Ill. *Guerneri Rolfincii* Chim.in art.form.redact.lib.3.ſect.1.art.2. cap. 7. Tabellæ *Riverianæ* cent.4.obſ.med.70. & Pilulæ obſ. 79. aliæque *Cardani* obſerv. 5. inprimis verò *Wedeliana*, ſæpius expertæ, quas ſect.2. de medicament. compoſ.8. pag.117. deſcribit, ex ambra, moſcho, reſina xylaloës, & laudano opiato (quod concentrando ſpiritus prodeſſe ſtatuit,) compoſitas. Porrò Aqua vitæ diaſatyrionis *Ang. Salæ* cap. 8. App. hydrel. Rotulæ, Pulvis & Aqua *Thom. Mermannus* lib.5.conſult.med. 29. propoſita. Pretioſi & regii ſunt Trochiſci viperini confortantes in App.Ann.VI.Eph.Germ. Curioſ. à Nobil. *D. Mart.Bern. à Bernitz*, juxta cum aliis medicamentis huc facientibus, tit.20. memorati. Sexagenario, ut ſe virum oſtenderet, Moſchi grana aliquot cum olei ex pini nucleis ℥i. bibenda ſuaſit *Henricus ab Heer* obſ. med.9. Ova quoque alioſque cibos eo conditos *Balth. Brunnerus* conſ.med. 64. Externum pariter ejus uſum ex Medicis Perſicis tradit *Serapio*, ſi nempe cum oleo cicino reſolutus virgæ illinatur, cùm ſit in eo humiditas quædam, per quam coitum excitet. Cum oleo verò ſambucino femoribus vel ventri inungere, quoſdam, *Conſtantinus Africanus* autor eſt. Cum Balſamo diſtemperatum laudat *Barth. Montagnana* conſil. 65. canon. 12. Et Regum impenſam eſſe ſcribit *Petr. Foreſtus* lib.26.obſ.19. virilitatem Opobalſamo, & renum partes cum mero diluto Moſcho inungere. Quē cum

vino

vino diſtemperatum Moſchum, & membro virili adpoſitum, in veneris impotentia ex *Gilberto* quoque laudat *Petrus Hiſpanus* cap. 45. Theſ. paup. Nec nominari recuſat Linimentum à *Rein. Solenandro* ſect. 4. conſ. med. 17. præſcriptum, alterumque *Riverii* l. c. obſ. 70. parum ab illo differens, ſed ob Ambræ acceſſum multò pretioſius; ut & Balſamum *Timæanum* loc. cit. ac Linimentum *Mermannianum* conſult. 30. Quæ inunctiones non virili tantùm membro, ſed & vicinis partibus, ſcroto, perinæo, lumbiſque deſtinantur. Aſt quòd à nonnullis ipſæ etiam plantæ pedum, aut dextri pedis pollex, ceu illius exemplum apud *Guaiverium* tr. de ægrit. matr. cap. 24. hujus apud *Mynſichtum* Armam. ſect. 34. proſtat, inungi præcipiuntur, partim ſuperſtitioſum, partim ſupervacaneum, aut non uſque adeo valde proficuum eſt cenſendum. Licet prodeſſe nonnihil queat, cùm & ſuavis exhalans odor ipſas etiam nares feriat, ſicque cerebro &c. communicetur, & per poros cutaneos ſubſubtiliores quædam atomi penetrent, ſanguini ac lymphæ mox commiſcendæ. Quâ ratione non minùs aliqualem uſum præſtabit, ſi goſſypio inſperſus in Sacculo cordis regioni adpendatur, prout tales *Mermannus* conſ. 28. & *Claudinus* conſ. 12. & 103. conſuluerunt; vel Unguenti formâ pectori inungatur; ceu exemplum habetur apud *Brunnerum* l. c. vel ſi cum eo in ſpirituoſis liquoribus ſoluto cordis regio foveatur, qualem fotum profert *Rod. à Fonſeca* tom. 1. conſ. med. 10. Quam Moſchi energiam, jucundo halitu genium titillantem, libidinemque vellicantem ponderans, eandem ob cauſam, antiquâ conſuetudine, nuptiales thalamos floribus & jucundiſſimo thymiamate perfundi ſolitos, ac *Commodum* Imperatorem, graſſante peſte, Unguentis cùm eſſet uſus, majores ad libidinem flammas concepiſſe, ex *Niceta* refert *Joh. Bened. Sinibaldus* Geneanthrop. lib. 2. tract. 2. cap. 11.

Cùm verò ad actum illum, propagationi generis humani dicatum, non partium tantum ſolidarum, vel pudendarum, ſed & ſeminis inprimis, ſanguinis atque animalium ſpirituum vigor requiratur, Moſchus quàm commodè hîc operetur, facilè colligitur. Utpote qui ſanguinem activis calidis, ſpirituoſis particulis non ſufficienter inſtructum, iiſdem exornat, agitat, & impellit, ſpiritus animales torpidiores excitat & quaſi vivificat, ſuccum nerveum vel potiùs ſerum attenuat atque emendat, ſemini turgeſcentiam conciliat, eique acrem nonnihil ſtimulantem virtutem imprimit, ſicque genitales partes calefacit, inque debitam tenſionem deducit. Utrum verò ſemen ipſum adaugeat? quod *D. Joh. Tilemannus* & *Joh. Georg. Macaſius* innuunt, ſi materiam ſeminis ſpectemus, negatur, ſin ejuſdem perfectionem, haud gravatim admittitur. Aſt flatuoſam in eo humiditatem, quâ πρὸς τὰ ἀφροδίσια φάρμακον creditur, cum *Sal. Alberto* adſignare ei nequeo, quia neque flatuoſa ei ineſt ſubſtantia, niſi vocabulo hoc ad ſpirituoſam denotandam abuti quis velit, neque humiditas ſingularis aut aphrodiſiaca in corpuſculo ejus ſicco dominatur.

Ipſas denique feminas in venerem irritare valet. Qualem prolis quidem cupidiſſimam, ſed veneris deſiderio nullo modo laceſſitam enarrat *Petr. Pachequus* in obſ. Riverio commun. 19. cui Electuario, Confectione alkermes & Moſcho exornato, ſtimulos iſtos ſopitos voluptatemque reſtituit. Pariter cum oleo liliaceo moſchato perunctum veretrum mulieris ignaviam ad venerem diſcutere, immiſſo etiam in dormituræ ſinum Peſſario *Joh. Hucherus* lib. 1. de ſteril. pag. 8. ſcribit. Mulieribus porrò, quæ minus propenſæ ſunt in venerem, Moſchi externum uſum ſuadet *Foreſtus* lib. 28. obſ. 58. quem noctu ſub pulvinaribus habere debeant, aut, ſuffocationi uterinæ ſi obnoxiæ ſint, coxis adligatum.

Virtus Moſchi in ſterilitate muliebri.

Licet variæ conceptionis impeditæ ſint cauſæ, in uteri tamen intemperie aliqua frigida aut humida, vel etiam vaſorum & ductuum uterinorum obſtructione ſæpius conſiſtere certum eſt, quod *Hippocrates* ſect. 5. aphor. 62. his verbis expreſſit: *Quæ frigidos & denſos uteros habent, non concipiunt. Et quæ humidos uteros habent, non concipiunt: Extinguitur enim in ipſis genitura.* Quam ſpiſſitudinem etiam ab humorum craſſorum & frigidorum copia prodire arbitratur *Lud. Mercatus* lib. 3. de mul. aff. cap. 3. Uteros verò, ſi humidiores, quàm eorum naturæ conveniat, exſtiterint, ſiccandos, iiſque ſuffitum eſſe admovendum *Hippocrates* lib. 1. de morb. mul. prodidit. Quibus conſideratis, poſſe Moſchum huic malo mederi, concluditur, dum ſanguinem & ſerum frigidiora calefacit, craſſiora diſſolvit, juſtò humidiores partes exſiccat, pituitoſos & mucoſos humores attenuat; ſicque obſtructiones tum vaſorum, tum aliorum meatuum & pororum aperit, quò nempe ſemen virile immiſſum nec obtundatur & enervetur, nec ab ulteriori penetratione prohibeatur, ſed calore moderato foveatur, actuetur, atque ad muliebre ovarium abſque impedimento deferatur, ſicque fœcundatis ovulis, eadem liberum nacta tranſitum in uteros temperatos recipiantur. Quem in finem *Dom. Leonus* in arte med. ſect. 3. lib. 6. cap. 13. Electuarium in multis expertum profert, cum Moſcho compoſitum. Et ovum recens excluſum, unico illius granulo admixto abſorptum, ad conceptionem juvandam optimum ſe reperiſſe *Joh. Bapt. Porta* refert lib. 8. Mag. natur. cap. 7. Suffitus & Peſſus moſchatus legitur in *Roderici Caſtrenſis* lib. 3. ſect. 1 cap. 11. Pluresque alias hujuſmodi Pulverum, Confectionum, Injectionum, Suffimentorum, Peſſariorum, Linimentorum &c. formulas tum alii, tum *Platearius*, *Sennertus* lib. 4. Med. pr. part. 2. ſect. 4. cap. 2. *Platerus* Prax. tr. 1. 1. lib. 1. cap. 17. 19. & obſerv. lib. 1. *Bened. Silvaticus* cent. 4. conſ. 23. 34. 36. 46. *Riverius* Pr. med. tom 1. lib. 15, cap. 15. *Wittichius* de ſteril. mul. *Hucherus* d. l. lib. 2. *Rocheus* de morb. mul. cap. 20. *Ruffus* de generat. hom. lib. 6, cap. 7. conſignarunt.

Moſchi uſus arthriticus.

In malis arthriticis Moſchi nonnulli medicamentis permiſcere conſueverunt: Qualis eſt Aqua illa, quam *Conr. Geſneri* Evonymus pag. 430. contra omnes morbos frigidos, epilepſiam præcipuè, membrorum mollificationem, podagram & articulorum dolores producit, nec non altera Aqua vitæ, arthriticis & contractis pag. 454. dicata. Quibus addantur, ex Conſiliis medic. *Scholzianis*, conſ. 229. Pilulæ, quas in arthriticis multis ſaluberrimas fuerat expertus *Hieron. Donzellinus*. Licet cæteroquin cujuſvis arthritidis curationem omnem à Moſcho poſſe abſolvi, nequaquam adſtruam, aut præ infinitis aliis remediis ſingularem prærogativam habere eum credam, quandoque tamen in ejus perfectiori curatione ſymbolum poſſe conferre arbitror, cùm eadem cerebri ſæpe vitio, ſeroſas, & vel per ipſos nervos, fluxiones ad articulos concitantis, oriatur, quo itaque fonte non exſiccato, conſtans & firma medela haud eſt ſperanda. Unde ad cerebri corroborationem, frigidos humores generantis, Specierum diambræ, diamoſchi &c. uſum tum alii, tum unà cum Balſamorum moſchatorum temporibus, vertici, & naribus inunctione *Martin. Panſa* cap. 14. Conſ. antipodagr. non ineptè propoſuit. Imò ipſis quoque membris dolentibus commodè quandoque adplicatur, iiſdem, ſi ab humore calido & bilioſo non occupata fuerint, virtute ſuâ attenuante, reſolvente,

ac diſcutiente ſuccurrens, cujus etiam intuitu, non grati tantùm odoris causâ, in Pulverem antipodagricum *Cnoffelianum* in Append. Anni VI. Miſcell. Germ. Curioſ. tit. 22. cap. 4. fuiſſe receptum ſuſpicari liceat. Ut xoris hoſtilis, in arthriticis ſæpe furientis, à Moſchi ſale volatili qualemcunque mitigationem, haud improbabilem, pluribus non perſequar.

Moſchi virtus contra fœtores.

Tædioſus admodum & abominabilis adeo quorundam è toto corpore, ejuſve partibus, alis præcipuè pedibuſque (de narium & oris fœtore ſupra jam fuit actum) exhalans eſt odor hircoſus, ut paſſim exprobrare eundem Poëtæ non omiſerint. Prout peſſimum illum Poëtam, *Mævium* à *Virgilio* quoque Eclog. 3. inculpatum, *Horatius* Epod. 10. cùm naufragium ei imprecaretur, ſatis mox in principio ſe perſtrinxiſſe credidit, olentem *Mævium* ipſum adpellans, & Epod. 12. Anum libidinoſam increpans, gravem hirſutis cubare hircum ſub alis &c. objecit. *Plautus* porrò in Mercator. Act. 3. ſcen. 3. Seni venereo ſic accinit:

Jam plenus ætatis, animaque fœtida,
Senex hircoſus, tu oſculere mulierem?
Uti ne adveniens vomitum excutias mulieri.

Catullus etiam *Rufum* hoc epigrammate irridet:

Lædit te quædam mala fabula, quâ tibi fertur
Valle ſub alarum trux habitare caper.
Hanc metuunt omnes; nec mirum, nam mala valde
Eſt beſtia. &c.
&: *crudelem naſorum interfice peſtem.*

Quàm graphicè *Thaidis* fœtorem exagitet *Martialis*, lib. 6. Epigr. 93. videre eſt.

Cùm verò mephitis illa non naribus tantùm ſit execrabilis, converſationi humanæ contraria, & conjugalem ſæpe amorem ſupprimens, (exemplum præbentibus apud *Antigonum* cap. 13. rer. mirab. Lemniis mulieribus,) imò quorundam populorum, præſertim Græcorum conſuetudine, *Joh. Iac. Pontani* in rer. Danic. hiſtor. indicio, ſufficiens divortii cauſa, ideoque artes inter amandi ab *Ovidio* munditiarum ſtudium inculcetur:

Nec malè odorati ſit triſtis anhelitus oris,
Nec lædat nares virque paterque gregis;

ſed ipſi etiam corpori non parùm noxia, ſanguinem & ſpiritus inficiens, omneſque corporis partes pervadens, meritò ejuſdem quoque curationi operam navant Medici. Quam equidem ipſius cauſæ eradicatione omnium convenientiſſimè tolli, facilè conceditur, antequam tamen id impetretur, ſuaviorum odorum uſu ut obſcuretur, non minùs requiritur. Quo in paſſu Moſchi odor nobiliſſimus prima inter remedia facilè locum inveniet. Quantumvis enim humiditatem illam corruptam & putreſcentem diſcutere & exſiccare quodammodo valeat, debilior tamen hîc ad perfectam curationem abſolvendam, aut magnopere adjuvandam vis ejus competitur, ita ut palliativam, quam vocant, curam potiùs peragat.

Hoc igitur reſpectu contra virus axillarum, ſi eo inungantur, atque diligenter confricentur, commodum judicavit *Platearius*; quod in earundem, nec non interſtitii mammarum fœtore cum eo in olei caryophyllorum & cinnamomi guttulis aliquot, vel quæ Moſchi intuitu, ob odoris, quæ relinquitur, libertatem, commodior eſt, lavendulæ aquâ ſoluto, peragere *Kunrathus*; & *Sennertus* lib. 5. Med. pract. part. 3. ſect. 1. cap. 9. Linimenta moſchata alia conficere, aut etiam Pilam odoratam ſub alis geſtare edocuit.

Quamvis ea ſæpe ingratarum ejuſmodi atomorum ſit multitudo & efficacia, ut nec validiſſimi odores eundem obfuſcare, ſi loqui ita liceat, valeant. Quales ſanè fuiſſe certum eſt in Literato quodam, quem beati *D. Sachſii* ſcholion obſ. 191. Ann. II. Miſcell. nat. Curioſ. indicat, quibus nec penetrantiſſima tot odoratorum ingredientium effluvia, in Theriacæ magna mixtura contingentia prævaluerant, quod & in *Thaide Martialis* notaverat hoc diſticho:

Cùm benè ſe tutam per fraudes mille putavit,
Omnia cùm fecit, Thaida Thais olet.

Scilicet major odor, ſive jam ille fœtidus, ſive ſuavis exſiſtat, obſcurat minorem. Prout nempe in cujuſvis pharmaci operatione, ſi ſcopum præfixum attingere debeat, proportionata ejuſdem quantitas, quæ morbo major ſit, eumque debellare conſequenter valeat, requiritur: ſic & in hoc paſſu eadem requiſita proportio eſt attendenda, ita ut ſuaviter odoratæ exhalationes & numero & virtute ſuperent fœtidas, quæ ingratum aliàs odorem acceſſione ſuâ potiùs adaugerent. Quâ ſanè explicatione problema *Ariſtotelicum* commodè ſatis reſolvitur, quo: Cur unguentorum magna pars ſudori permixta malè oleat, quædam verò ſuaviter aut non pejus? quæritur.

Hæc Moſchi fragrantia in aliis etiam fœtoribus ſupprimendis eapropter utilis eſſe poteſt, cujus idcirco uſum in Pomis, Aquis, Balſamis & Chirothecis, ad Anatomicos fœtores fallendos tangit III. *Bartholinus* Conſil. de Anat. pract. qui ipſe tamen nunquam, cùm ſacra hæc tractaret, Unguenta placuiſſe ſibi teſtatur. Nimiùm ſanè delicatæ nares ad Sacra iſta utique minùs quadrant, inprimis ſi manus unà ſectioni admovere lubeat, ubi ſemel remotis iſtis deliciis odoratis, continuò naribus objici inter ſecandum cùm nequeant, fœtor cadaveroſus eò potentius nares feriet, quo aliàs ſemel imbutæ magnopere poſtea eundem haud perſentiunt, aut ab eo contriſtantur; quinimo, ſi neceſſitas urgeat, ab alio aliquo, juniperino &c. fumo penetrantiſſimo &c. longè feliciùs præſervantur.

Eadem fœtoris tollendi intentio in Cadaverùm vulgata conditura Moſchum admittit, quem ſæpius ſcopo huic adaptari novimus, exempla ſuppeditante *Petr. Foreſto* lib. 29. obſ. med. 29. in ſchol. *Wolffg. Hoſero* Herc. med. lib. 5. cap. 2. & *Georg. Hier. Welſchio* obſerv. Reuſner. 200.

Idem fallendi artificium conſiderantes Practici, in Scabie etiam Moſchum adhibent, dum topicorum quorundam ingratum odorem ab eo obtegi vident. Multi enim, teſte *Petr. Borello* cent. 2. obſ. med. 7. ob Unguentorum fœtores ſæpe curare ſcabiem renuunt, quod non facerent, ſi aliquod jucundum, facile & non fœtidum exſtaret remedium, cujus deinde formulam ſubjungit; quamvis hæc, quoad Moſchum, ab unctuoſo corpore reliquo obtuſum, voto minùs reſpondeat.

Quod in Fonticulis quoque *Caſp. Bauhinus* lib. 1. de remed form. cap. 63. obſervat, linteolum vel piſum in aqua roſarum moſchata humectatum iis, ſi fœteant, imponendum monens.

Talis etiam ejus uſus in Lue venerea quibuſdam arridet, quem Unguentis & Suffitibus mercurialibus, ob fœtorem concomitantem, adjungunt. Quamvis nonnulli, ut hydrargyri, morbi iſtius alexipharmaci quaſi ſpecifici, corrigens addere, aut etiam ut per ſe ſingulare remedium ipſi opponere ament, qualem nimirum curandi & Moſchi exſorbendi integram drachmam pro doſi requirentum modum *Leonh. Floravantius* lib. 2. Theſ. vit. hum. cap. 20. habet, ſiccandi, tumores gummoſos reſolvendi, atque ſudorem provocandi vim Moſcho tribuens, prout *Rondeletius* pariter eundem Pilulis ad tophos digerendos, doloris materiam abſumendam &c. deſtinatis admiſcet lib. de morb. Ital. hancque vim hydroticam in fumum quoque reſoluto *Alex. Maſſaria* Med. pract. lib. 8. & *Gabr. Fallopius* cap. 74. de morb. Gall. adjudicant. Quam operandi

randi potentiam negare etſi minimè velim, cùm tamen ſiccandi illa & ſudorem eliciendi vis violenta admodum ſit, & ſanguinis atque humorum aliorum violentam nimis agitationem includat, adpropriata verò alia tutiora ac certiora plurima proſtent, pretioſa iſta prodigalitate rectiùs omnino abſtinebit Medicus. Nec cinnabaris, corporis utpote mercurialis, virulentiam à Moſcho corrigi *Paracelſus* lib. 1. de morb. Gall. objicit, quod uti de uſu ejus in ſuffitu, à *Paracelſo* propriè indigitato, haud gravatim admittitur, ita inunctione, vel deglutitione adſumti malignos effectus, nervis adverſos, emendare quodammodo poſſe, nullus dubito. Hinc quoque *Rondeletio* lubens acceſſerim, qui cinnabarinis iſtis ſuffumigiis, (aliàs tamen omnino à Clar. *D. Godofr. Schultzio* trig. cinnabr. membr. 2. c. 4. & 10. necnon membr. 3. cap. 4. non ſine ratione damnatis,) ad odorem ingratum retundendum, Moſchum rectè addi pernegat, non quidem ob rationem ab ipſo adductam, qua ſudorem virtute ejus adſtrictoria retardatum iri credit, ſed quia accenſus odoris gratiam cum fœtore commutat, cæteroquin nec ſingularem adſtrictionem oſtendens, nec ſudorem prohibens.

Lapidis tandem Bononienſis, qui vehementiori igne calcinatus redditur fœtidiſſimus, & ob cauſticam inductam poteniiam, pſilothrum per opportunum præbet, Moſchi additione odor ingratus corrigitur, ceu cum *Petro Poterio* lib. 2. Pharm. ſpagir. *Fortun. Licetus* cap. 23. de lap. Bonon. admonuit.

Id quod ad alios etiam fœtores retundendos perquam commodè adplicabitur.

Doſis Moſchi.

Pondere vendi non minùs in foro civili, quàm in medico diſpenſari Moſchum, mos eſt vetuſtiſſimus, juſtitiæ & æquitati, naturæque conſentaneus.

Mercatorium quidem, ponderis ratione variantem, aut etiam ex folliculorum numero dimetiendum, hîc non tangam, qui medicam ſaltem, hodie uſitatam, per uncias drachmis octo, ſingulis tres ſcrupulos, vel ſexaginta grana continentibus, circumſcriptas, methodum ſectabor.

Miſſo libræ pondere, quod rariſſimè à Medicis, in ſimilium pretioſorum & efficaciſſimorum medicamentorum ſimplicium uſu, præſcribi ſolet, nec etiam, quantum ego memini, ſi unicum ex antiquis *Aëtium* tetr. lib. 1. quo Νάρδε σκιλλιτικῆς tradit, integram Moſchi libram ei admiſcentem; atque inter recentiores *Petr. Joh. Fabrum* Myrothec. ſpag. lib. 1. cap. 26. Moſchi libram unam aut dimidiam, pro Quintæ Eſſentiæ præparatione, denominantem excipias, in ullo Diſpenſatoriorum, Practicorum, imò aliarum quarumvis profeſſionum libro reperitur; rariſſimè unciali pondere compoſitionem Pharmacorum intrat, frequentiùs drachmis, frequentiſſimè autem ſolis granis diſpenſatur, cui nempe ſæpiſſimè *Ant. Guinth. Billichii* judicium, lib. 2. cap. 2. obſerv. & paradox. chimiatr. de oleorum vegetabilium ſtalacticorum doſi prolatum, adcommodare liceat, ut nimirum doſin non granulis, ſed granula doſibus dimetiri æquum ſtatuatur. Quò reſpexiſſe videtur *Paul. Suardus* in Theſ. aromat. Moſchum in modica quantitate magnæ eſſe qualitatis & operationis, parumque ejus in compoſitione ſufficere pronuncians, ne in magna quantitate noceat, aut reliquorum operationes corrumpat aut occultet, quod pariter *Euſt. Rudius* lib. 1. de hum. corp. affect. cap. 54. advertit, eum nempe, aut alia valde aromatica, Antiquorum exemplo, in parva doſi, comparatione facta ad alia, permiſcenda eſſe.

Aliquam tamen hîc parit differentiam Medicamentorum diverſitas, quæ officinalia & magiſtralia (vid. *Petr. Morelli* Meth. præſcrib. form) exiſtunt. Illa enim quovis tempore, abſque ſpeciali Medici præſcriptione, in Officinis proſtantia, multorumque uſui adcommodata, majorem utique: hæc verò extemporanea diſpenſatione, à Medico in rem præſentem utplurimum pro uno ægroto ordinata, minorem, hancque pro una pluribusve doſibus, intenſiorem vel remiſſiorem recipere ſolent quantitatem.

In ſpeciali quoque hoc uſu non uno ſemper præſcribi & ægris offerri pondere poſſe, morborum diverſitas, ægrorum temperamentum ætas, ſexus, conſuetudo, anni tempus, regio abunde oſtendunt. Nec ipſa medicamenti raritas, ideoque carioris pretii æſtimatio hîc negligenda, cùm indiſtinctim præſcriptus, non habita ſimul ad facultates ægrorum ratione, Medici famam facile ambiguam reddere, pauperiorum verò ægrotorum crumenam nimium offendere valeat. Sed & cum aliis ejuſdem, quæ in Moſcho quæritur, virtutis ſimplicibus vel compoſitis permixtum, minori in præbio ſufficere, ſatis per ſe eſt notiſſimum. Internus porrò vel externus adhibendi modus doſin variare poteſt, cùm hîc plurimæ ejus particulæ quò minùs inutiliter in auras evaporent, prohiberi ſæpe nequeat, ibi verò integræ corpus ingrediantur, ideoque, jactura iſta ut reſarciatur, major copia requiratur. Quanquam etiam externus ille uſus non unus exſiſtat, naribus enim in Balſamis, Errhinis, Suffumigiis &c. dicata, cùm potentiori effectu ſe exſerat, & facilè καρηβαρίας aut alia mala inducat, minor paulò doſis ſufficit, cordi autem, pulſibus &c. adplicitus majorem admittit. Quin & præſcriptionis finis rem variat, qui ſi medicus verè ſit & primarius, morbi natura cum cæteris coindicantibus perpendatur neceſſe eſt, ſin ad odoris gratiam medicamento conciliandam potiùs tendat, præter ægroti deſiderium & voluptatem, ingredientium reliquorum natura potiſſimùm rem determinat; quæ ipſa ingredientia præterea vel per ſe ſuaviter odorata, vel fœtida, vel inodora deprehenduntur, hiſce, inodoris nempe, exigua acceſſione contentis; iſtis diffuſiorem, ſi odoratarum quædam harmonia, aut etiam longè majorem, ſi moſchatarum eminentia quæratur, depoſcentibus. Ut itaque Medicus in hiſce & ſimilibus ubique tempori & occaſioni ſeſe adcommodare debeat, eoque ipſo prudentiam ſuam, à Medicaſtrorum indocto vulgo eum diſcernente, oſtendere queat.

In genere tamen, ut aliquid certius determinetur, à dimidio grano ad ij. iij. & x. uſque Medici communiter adſcendunt. Quam dimidii ſcrupuli doſin ultimam eidem quoque tribuit Cl. *D. Gerard. Blaſius* pag. 408. Medic. general. Licet alii, notante *Geſnero* & *Aldrovando*, doſin ejus quatuor aut quinq; ad ſummum grana faciant; prout grana ij. iij. iiij. vj. pro interno uſu *Phil. Grulingius* part. 11. cap. 1. Florileg. Hippocr. Galen. chim. itidem poſuit, alii verò etiam dimidium transſcendere ſcrupulum non dubitent, id quod cuilibet patere ex anteced. poteſt.

De Medicamentis è Moſcho liquidis.

Magna cùm ſit medicamentorum compoſitorum varietas, ad neceſſitatem pariter & jucunditatem comparata, Moſchus autem rariùs in ſubſtantia & per ſe exhibeatur, quibuſnam admiſceri potiſſimùm ſoleat, aut mereatur, vel in quam redigi formam queat, nunc ut diſpiciatur ordo depoſcit.

Ubi liquida inter pharmaca primò omnium Aquæ deſtill. ſeſe offerunt, quarum connubium ſæpius obtinet, ita ut vel cucurbitæ immittatur, ſicque odoratas ſuas aporrhœas calore reſolutas cum aqua in alembicum elevari permittat, in vaſe excipiente recolligendas: vel ipſius alembici roſtro impoſitus à ſenſim adpellentibus halituoſis, atque adfluentibus aquoſis guttulis paulatim reſolubiliore ſui parte dimittat: vel

etiam deſtillatæ jam aquæ immerſus eandem ipſi communicet.

Hinc Aquas inprimis odoriferas, ob gratæ fragrantiæ eminentiam, tam narium oblectamento, quàm corporis refectioni deſtinatas exornat. Cujuſmodi deſcribunt *Auguſtani* claſſ. 15. Diſpenſ. *Thom. Bartholinus* Conſil. de Anat. pract. *Frid. Hoffmannus* Theſ. Pharm. ſect. 2. *N. de le Febvre* Chim. part. 2. *Ang. Sala* Hydrel. app. cap. 3. & 4. *Joh. Carol. Roſenbergius* Rhodolog. part. 2. cap. 22. *Claud. Deodatus* Panth. hygiaſt. lib. 1. cap. 14. *Joh. Erneſtus* tr. de oleis chim. deſtill. *Joh. Bapt. Porta* Mag. natur. lib. 11. *Alexius Pedemontanus* de Secret. part. 1. lib. 2. *Dominic. Auda* in Secret. *Andr. Furnerius* lib. de decorat. nat. hum. Inprimis verò Aqua moſchata dicta eſt celebratiſſima, quam modò ſimplici Moſchi odore, modò etiam ambraceo & Zibethico ſimul imbuunt. Qualem ſimpliciſſimam *Bulcaſes* profert, Aquæ nempe roſaceæ libras ij. à Moſchi aureo j. abſtractas, aliamque *Ferdin. Epiphanius* in Empir. Zibethi ſcil. & Moſchi ā ʒj. cum Aqu. roſar. ℔ij. infuſionem. Et *Lubert. Eſthius* de formul. tract. part. 1. ſect. 8. cap. 8. ex Moſchi ℈ß. ambr. & Zibeth ā. gr. v. cum aq. roſar. ℔j. infuſis, Soliſque calore digeſtis, vel etiam ſimplici deſtillatione, aut quod ipſi placet, nodulo moſchato alembici probo:cidi immiſſo, ſimilem proponit. Eadem *Roſenbergius* paucis indicat, Pharmacopœos nonnullos Moſchum & Ambram pro placito in aqua roſarum fragrantiſſima diſſolvere, eamque infuſionem Aquæ roſar. moſchatæ nomine venalem habere ſcribens.

Multi adjectâ Lachryma odorifera Javenſi, ſub Benzoini nomine vulgò cognita, idem tentant, Aquam indè odoriferam, cum ſimplici fontana multiplicandam conficientes. Quos inter *Leonh. Floravantius* lib. de Capricci medic. cap. 20. Moſchi in mortariolo aurichalceo contrit, & cum ſaliva ſoluti grana decem, benzoini verò unciam unam in aq. roſar. opt. ℔vj. uſque ad hujus quartæ partis conſumtionem decoquit, remanentem verò cum aquæ communis, priùs per horam dimidiam ebullitæ ℔xl. commiſcet, hac inſuper addita cautela: *Auvertendo, che ſe tale acqua commune non foſſe bollita, e calda, quando s'accompagna con l'acqua roſa, e muſchio, che l'odore non penetraria: e perciò ſi bolle.* Aſt præterquam quòd iſtud multiplicationis encomium omnibus quoque cæteris Aquis odoriferis ritè paratis, aliquibus etiam in excellentiori gradu competat, Moſchi cum ſaliva vel ſputo ſolutio ſorditiei vituperio digna eſt, & ſuperfluam curioſitatem redolet, elegantiùs multò & commodiſſimè in aquæ roſarum particula inſtituenda, Benzoinum quoque, licet paucas aliquas odoratarum ſuarum atomorum inſpiret, penitiùs tamen in aqua roſarum non diſſolvitur, ſuaque reſinoſitate vel vaſis adhæret, vel aliàs conglobatur: Aquæ verò moſchatæ ad quartæ uſque partis conſumtionem ebullitio (quam *Deodatus* in vaſe *probè clauſo* peragendam eſſe monens, impoſſibilitatem adjungit,) excuſationem nō admittit, tum quia abſque illa, ſimplici tantùm digeſtione, eadem moſchatarum & benzoinarum particularum per univerſam aquam diſperſio obtinetur tum coctio maximè damnoſa exſiſtit, ita ut, quæ odoratiſſima poterat eſſe Aqua, maxima ex parte fragrantiſſimis atomis, unicè hîc deſideratis, in auras propulſis, orbata compareat. Neq; etiam aquæ fontanæ per dimidiam horam ebullitio eſt neceſſaria, quia ſola, breviori multò tempore impetranda, ejuſdem calefactio odoratorum effluviorum motum, inque auras ſeceſſionem abunde promoveret. Imò ipſam frigidam adhibere præſtaret, cùm omnis illa maxima quātitas non pro una vice in uſum trahatur, ideoque poſt mixturam etiam, Autoris monitu, (*laſcia ſtare coſi, e ſi raffredderà*) refrigerationem ſubire debeat, facilè, ſi in uſum veniat, excalefacienda. Magis ergo placet *Gabr. Fallopii* proceſſus lib. 2. Secret. quo aquæ roſar. Menſuræ iiij. à Moſchi ʒj. & benz. ℥j. in Balneo abſtrahuntur, quòd tamen deſtillatam hanc Soli per 15. dies exponi vult, & aquæ font. Menſuras xij. remanentiæ adfuſas, per inſolationem pretioſum pariter odoriferum liquorem præbere putat, ibi ſuperfluum, hîc voto non benè reſpondentem laborem requirit.

Ubi tamen meritò diſquiritur: An Moſchus deſtillationi dicatus rectiùs ipſi cucurbitæ, vel Alembico, vel vaſi recipienti, i. e. liquori deſtillando, deſtillanti, vel deſtillato imponatur? Mihi, pro varia intentione, modò hunc, modò alterutrum modum eſſe eligendum, videtur. Si enim ſolus odor, & quidem in liquore pellucido non colorato deſideretur, omnium optimè ipſi cucurbitæ Moſchi corpus injicitur; ſecus, ſi unà terreſtriores vel fixiores ejus partes expetantur, nec color flaveſcens, in his ſubſiſtens, diſpliceat. Ubi tamen, ſive alembico, ſive receptaculo immittatur, nihil refert, ubique eadem partium ſalutarium extractione ſuccedente. Unde *Ang. Sala* (Vid. etiam *Joh. Agricola* com. in Popp. part. 2.) minùs conſentire poſſum, rectiùs eum facere judicanti, qui Ambram & Moſchum vel in ſubſtantia, vel in ſpiritu vini, aliove liquore adpropriato ſolutum, ad uſum eligit, quàm qui alteri horum adfuſum ſpiritum, aut aquam deſtillatione iterum abſtractam uſurpat: *quandoquidem precipua & balſamica, ac inprimis, ambræ ſubſtantia, perpetuò in fundo vaſis deſtillatorii hæreat.* Quod equidem ratione Ambræ adeo impugnare nolo, de Moſcho tamen inanis metus eſt reputandus; quanquam etiam jam deſtillatum ſpiritum aut aquam aliquam, ob unicam Moſchi extractionem, denuo deſtillationi ſubjicere velle, inutile laboris augmentum foret. Hinc non minùs jam patet, quid de *Joh. Zvelferi* ſententia ſtatui debeat, dum in Animadverſ. claſſ. 15. Diſp. Auguſt. Moſchi nodulo incluſi pro extractione in deſtillato liquore ſuſpenſione neglecta, eundem capitello deſtillatorio imponere præceperat, ut & in ipſam cucurbitam conjicere, claſſ. 15. Pharm. Reg. pag. 252. prohibuerat. Abſurda quidem, in Arte Pharmaceut. *Jacob. Primeroſii* pag. 173. cap. de Aquis, proclamatur Moſchi & Ambræ in roſtro alembici repoſitio, vel cum liquore permixtio, *non enim*, uti verba ipſius habent, *virtus ejus cum aqua miſcetur, aut exhalat*, ſed revera, ſi Moſchum ſpectemus, ipſo ſenſuum teſtimonio, judicium hoc abſurditatis convincitur. Conferatur hiſtoria de aliquot Chimicis à Moſcho alembici roſtro, ipſis inſciis, indito & aquam prodeuntem ſuo odore imbuente, egregiè deluſis, ab Exc. *D. Joh. Georg Elsholzio* Deſtill. curioſ. cap. 6. recenſita.

Huc etiam Liquores Spirituum nomine inſigniti commodè reducuntur, dum ille præcipuè, è vino vel roſis prolectus Moſchi virtute imprægnatur. Quales in *Rolfinciana* Chimia in art. form. red. lib. 5. ſect. 1. art. 2. cap. 7. & 25. exhibentur. Huc porrò ſpectant: Spiritus vini ambratus *Ang. Sala*, in quo tamen (alia ut taceam) S. V. doſis, ʒij. deſignata, typographi fortè errore, nimis conciſa eſt, faciliimè tot unciis deſignanda: Spiritus ambratus in part. 2. Medic. experim. Digb. Spiritus regius *D. Frid. Hoffmanni* in Meth. med. lib. 1. cap. 19. ut & Clav. Pharm. Schröd. pag. 337. atque Theſ. Pharm. ſect. 26. pag. 102. necnon Aqua odorans potentiſſima *Joh Bapt. Beſardi*, in Antr. Philoſoph. part. 4. part. 155. deſcripta.

Paucis quoque hic tangenda ſunt Fermenta, i. e. Hydroſacchara & Hydromelita prædicti *Sala* in Saccharol. part. 2. propoſita, è quibus compoſitum c. 7. ſpirituoſum cap 8. & cordiale cap. 11. Moſcho exornantur. Licet verò Moſchus per ſe ſatis jam liberas & reſolubiles partes contineat, ſimplici mixtura liquoribus

bus promtè communicandas, quin tamen fermentatione accedente magis eædem exaltentur, atque per minima cum reliquis miſceantur, nullus ambigo.

Potionem muſcatam in Diſpenſat. habet *Nicolaus Præpoſitus*; quam etiam exhibet Antidotarium *Arnoldi de Villa nova*, variarum rerum mixturam continentem, quæ tamen pulveres ſolo roſaceo Sirupo excipi jubens qua ratione titulum iſtum ſibi vindicet, neſcio, cùm potiùs Linctus vel Electuarium dici queat. Magis nomen illud tuebitur Claretum moſchatum *Mynſichti* Armament. ſect. 22. cui jungendum Vinum Hippocraticum *Digbaanum* l.c. *Alex. Pedemontani* part. 1. lib. 2. de ſecret. & *Joh. Bapt. Porta* Mag. nat. lib. 14. c. 11.

De Vinis moſchatis ſive moſchatelinis dictis, aliisque Potuum moſchatorum generibus ad delicias comparatis, inferiùs agendi locus erit.

Nunc ad Olea deveniendum; quæ inter antiquitate ſe commendat Oleum moſchatum *Nicolai Myrepſi*, Moſchelæum, ab aliis etiam moſchelinum, muſcelinum, muſcatellinum &c. corruptè adpellatum, quod nam à Moſcho, vel à Nuce moſchata nomen impetraverit, ſcire, parum quidem referret, à Moſcho tamen id nominis habere, faciliùs credo. Cujus compoſitio mirè variat, ita ut conſilio hîc opus eſſe judicaverit *Caſp. Hofmannus* lib. 2. de medic. offic. cap. 162. §. 125. Alia ut prætere am, Moſchum nonnulli ab eo excludunt, arboreum muſcum à *Nicolao* indigitari, ideoque ab hoc, non illo, nomen mutuari ſomniantes, quorum tamen error, cùm Græcis muſcus ille βρύον dicatur, *Nicolaus* autem τὸν μόσχον ponat, mox pateſcit. In ipſa quoque Moſchi doſi plurimùm variant: Si *Nicolai* textum conſulamus, ejus ℥vj. comparebunt. Minùs tamen errant, qui eandem quantitatem pro varia intentione auctam vel diminutam ſumunt, prout *Auguſtanis* quoque doſis minor placuit; modò enim Medicus ipſius deſcriptionis, in hoc vel illo Pharmacopolio uſitatæ, notitiam habeat, errare minùs poterit, efficax in qualibet deſcriptione Oleum habiturus, cui dein, ſi lubeat, aliorum, ipſius etiam Moſchi, additione vires intendere, perquam erit facillimum. Utut hoc ipſo Oleo, prout pluribus aliis paſſim uſualibus, ad pompam magis, quàm ad uſum idoneis pharmacis, carere Officinas poſſe credam. Modum ideo præparationis tum *Veterum*, tum *Zwelferianum* excurere, & quid utrinque erratum fuerit, diſpicere hîc, vel illam ob cauſam ſuperſedeo.

Per additionem materiæ cujuſdam oleaginoſum quid, pretioſum & ſuaviſſimum exprimi poſſe *Kunrathus* innuit, modum tamen ipſum ſilentio involvens. Favere ei videtur *Caſalpinus*, cui Moſchum non ſine pinguedine animalium eſſe illum ferentium, ſupra jam adnotavi. Quod ſi certo modo admittatur, tantùm tamen pinguedinis aut oleoſitatis in eo nemo deprehendet, multò minùs adeo liberum à cæteris terreſtrioribus &c. particulis, ut, relictis iis, in oleoſa forma ſua tam facili negotio conſpiciendum ſe præbeat. Licet addito cuidam corpori oleoſo particulas quaſdam ſui Tartareas communicare, adeoque olei proprii formam ludere poſſe non contradicam. Id qua ratione fieri queat, (*Kunrathus* ſecretum ſuum, ſi aliud fuerit, ut ſibi reſervet,) vel ex antiquiore, quàm ipſe eſt, Scriptore jam videbimus, videlicet *Alexio Pedemontano*; qui lib. de Secret. fructus Ban in quatuor partes diviſos & cribro injectos, ſuppoſitis in vaſe amplo terreo Moſcho & Zibetho, aqua roſarum ſolutis, & igne ſubtus locato incaleſcentibus, vapore odorato imbuere docuit, torcularis ope poſtea exprimendos; vel amygdala in duas partes diſſecta & aquâ roſarum Moſcho imbutâ uſque ad mollitiem macerata, in Sole demum exſiccanda, tandemque labore hoc quinquies vel ſexies peracto, exprimenda propoſuit. Faciliorem etiam alium modum commonſtravit idem, pretioſo florum aurantiorum oleo, ex amygdalis dulcibus, priùs per ſtratificationem cùm dictis floribus odore iſto amœniſſimo imbutis, expreſſo Moſchum admiſceri, perque octiduum Solis radiis exponi volens. Id quod Oleo è Balano myrepſica expreſſo, cùm rancori magis reſiſtat, fieri commodiùs poſſet, aliove aliquo conſimili, ceu *Porta* lib. 10. Mag. nat. cap. 5. Oleum è ſemine citri hoc modo prolectum ad extrahendum è Moſcho odorem, optimum menſtruum judicat. Nec ſileri debet modus, lib. 11. cap. 3 ab eo propoſitus, quo Moſchus cum amygdalis repurgatis, inque ſenas vel octonas partes conciſſis, pixidi plumbeæ per 6. dies includitur, atque per expreſſionem poſtmodum oleum odoratiſſimum educitur; licet hac ratione moſchatæ atomi parciùs nucleos iſtos ingrediantur, unde etiam ab operatione iſta Moſchum non admodùm deteriorem reddi, *Porta* benè ſuſpicabatur. Imò ſi de omnibus prædictis modis experimentum ſumamus, parum profectò Moſcho decedere comperiemus, illudque ipſum, quod fortè cum eo copulatur, à viſcoſis vel unctuoſis olei particulis ita obtunditur, ut gratiam ſuam omnino deperdat. Id quod ſanè mihi, cùm hæc experiri laborarem, contigit. Num alii exercitatiores & feliciores inſuper hac in parte ſint, me latet. Interea uti prædictos Scriptores multas præparationes alias, ſolius ingenti immaturos quaſi partus, ſucceſſu omnino carentes, audacter ſatis tradidiſſe, nemo negare poteſt, ita quoque his in Oleis calamum eos ſolùm exercuiſſe, nec manus ipſas operi admoviſſe, ſuſpicari mihi liceat. Ut ita alia, quæ in proceſſibus iſtis cenſuram depoſcerent, excutere lubentius ſuperſedeam.

Qualiter verò ſe habeat Oleum moſchi Orient. Florentinum, cujus ex Deliciis Hybernis Nobil. *D. D. Jo. Dan. Majoris* ſupra Cap. XXI. fecit mentionem, & an prædictorum cenſuram mereatur, hactenus me latet.

Per deſtillationem inſuper parare odoratiſſimum & pretioſiſſimum Moſchi oleum, ſunt qui intendunt, modumque, Balnei calore abſolvendum, prolixiùs demonſtrat l. 10. c. 9. *Porta*; qui ſanè Balnei calor, ſi tantum oleoſarum particularum, deſtillatione expellendarum, in Moſcho luxuriaret, non eſſet ſpernendus, cùm revera tenuiſſima quidem ei inſit eſſentia, blando ſolùm calore impertanda; olei tamen forma nunquam eſt proditura. Et ſi auctiori ignis gradu oleiforme quid tandem obtineatur, nonniſi fœtidiſſimo combuſtionis nidore infectum erit. Moſcho enim non inique aphoriſmus chimiatr. 18. ſect. 2. *Ang. Sala* adplicatur, quo impoſſibilis eſſe decernitur Oleorum è ſanguine & carnibus quorumcunque animalium ſine aduſtione deſtillatio. Videatur etiam ejuſdem tractatus de erroribus Pſeudochimicorum, ubi falſitates eorum, circa Oleum quoque Moſchi commiſſas cap. de Balſ. aromat. perſtringit. Nec verè Oleum Moſchi eſt dicendum, quod, additis aliis quibuſdam rebus oleoſis vegetabilibus, mitiori igne propellitur, cùm ſaltem quædam Moſchi ſubtiliores particulæ, oleo vegetabili miſtæ, eidem odorem qualemcunque impertiantur: cujuſmodi Oleum in *Ioh. Bapt. Beſardi* Antro philoſ. part. 4. pag. 157. legitur. Et tale etiam foret, nimiæ Ambræ & Moſchi prodigalitati junctum, quod in lib. 1. cap. 18. Secretor. *Mich. Noſtradami* legitur, ſi tueri ſeſe ab empyreumatis labe poſſet.

Tandem ſe Tincturæ, Eſſentiæ, & Elixiria ſiſtunt, quæ medicamenta equidem aliquam inter ſe diſtinctionem licet patiantur, ſæpiſſime tamen eorum nomina confunduntur, unumque pro altero accipitur. Mihi itaq; præcipuè dum curioſior illa diſtinctio parum utilitatis importat, iſtis, quibus ab Autoribus ſuis proponuntur, nominibus inſiſtere, eſt conſtitutum.

Tincturam Muſci *Paracelſicam Gerard. Dorneus* Faſcicul. Parac. medic. tract. 2. ex lib. de virib. membr. cap. 4. deſumtam exhibet, eundem in vino vitæ in ſuccum inſtar ſtyracis liquidæ coquendo, quam ipſam Extracti Moſchi titulo dignatur *Andr. Libavius* lib. 2. Alchim. tract. 2. cap. 2 & cum infuſione Meliſſæ, vini ſpiritu facta, parare edocet.

Quintam Moſchi Eſſentiam per Spiritum vini terebinthinatum extrahit *Kunrathus*, eamque Moſcho in ſubſtantia exhibito, utpote penetrantiorem ſi que efficaciorem præfert. Spiritumque illum tanquam pro Moſchi proprio diſſolutivo *Joſeph. Quercetanus* de medicam. ſpagir. præpar. ſect. 2. cap. 4. reputat, quem equidem nonnullas ab eo partes extrahere vel à craſſioribus ſeparare, negari nequit, aſt proprium ejus propterea vocare diſſolutivum vel menſtruum, nimis libera eſt adſertio, cùm idem encomium cæteri quoq; liquores omnes, in quibus Moſchus diffluere quaſi amat, veluti quivis alius Spiritus, Aqua deſtillata &c. imò & acetum, (vid. Exc. *D. Phil. Iac. Sachſii* Ampelogr. lib. 2. ſect. 8. cap 3. pag. 572.) mereantur, quin & eorum nonnullos magis proprios dici poſſe, certū eſt, ſi nempe menſtrua intentioni medicæ, aut cuivis alteri magis reſpondentia, extractioni adhibeantur.

Paracelſus Archidox. lib 4 Moſchum oleo amygd. dulc. macerat, donec inſtar paſtæ fiat, cui expreſſæ Spiritum vini adfundit, eumque eſſentia Moſchi imprægnatum, poſt 6. dierum digeſtionem, calore cinerum deſtillando ſeparat, relicto in fundo amygdalorum oleo, ipſum autem Spiritum vini in B. denuo abſtrahit, remanente in fundo oleiformi quinta Moſchi eſſentia. Quem modum *Joh. Bapt. Porta* lib. 10. Mag. nat. cap. 13. à Paracelſo mutuatum paulò aliter deſcribit, oleum balaninum pro maceratione etiam admittens, decem dierum digeſtionem præcipiens, & vini ſpiritui aqu m fontanam ter quaterve deſtillatam jungens. Quem *Portæ* proceſſum pariter *Andr. Libavius* part. 3. Singular. lib. 4. cap. 9. & lib. 2. Alchim. tr. 2. cap. 6. repetit.

Petr. Joh. Faber lib. 1. Myrothec. ſpag. cap. 26. Ambram, Moſchum & Zibethum tota ſua ſubſtantia, modò pura ſint, in eſſentiam converti, (quod tamen de Moſcho pernego,) aliquam tamen indigere ſcribit, ut partes heterogeneæ, non ſolùm à natura, ſed etiam impoſtura adjunctæ ſeparentur. Moſchum ergo in Arcanum ſive Quintam Eſſentiam redacturus, ſpiritu vini alcooliſato ſolutum, in vaſe vitreo oblongo, optimeque clauſo, igni leniſſimo, pro penitiori partium ſolutione & heterogenearum ſeparatione exponit, ſpiritumque per inclinationem depletum, in alio vaſe vitreo oblongi colli per 15. ♂. ad partium reſolutarum ulteriorem depurationem in MB. digerit, toties laborem hunc repetendo, uſque dum omnimode à fecibus depuratus ſit, tandem lentiſſimo igne ad conſiſtentiam mellis deſtillans.

Superiùs citatus *D. Faber*, Anglus, in Examine Cordial. magn. Ravvlich. Moſchi Eſſentiam hac ratione parandam edocuit, eum nempe in mortario marmoreo cum pauco ſaccharo cantho albo pulveriſatum, & Pelicano inditum in B. vaporoſo cum ſpiritu vini circulandum, ſpiritumque dein calore blandiſſimo in eodem Balneo uſque ad Sirupi conſiſtentiam eſſe abſtrahendum perhibens.

Hieron. Reuſnerus in ſuo tract. MS. de Pollinct. cadaver. Q. Moſchi Eſſentiam idem exhibet, eundem cum ſpiritu vini ad iij. vel iij. digitorum eminentiam ſuperfuſo, in vitro Sapientiæ luto occluſo & panis medullæ indito, calore fornacis piſtorii ſolvendo atque poſt filtrationem ſpiritum in M. B. abſtrahendo, remanente ſic in fundo Moſchi extractione.

Sed ut jam non urgeam abuſum epitheti Tincturarum, aut Quintæ Eſſentiæ nomen labili admodum fundamento inniti; quod inprimis *Joh Bapt. Helmontius* tr. Aſthma & tuſſ. §. 44. & 79. oſtendit, has ſaltem jam recenſitas omnes inter *non Entia* refero, Anonymum autorem ſequutus, qui Q. E. Moſchi, in qua odor & virtutes incredibili modo ſint auctæ & exaltatæ, & quæ extractione ſubtiliſſimarum partium paratur, pro non Ente reputat. Si enim præparationes iſtas ſpectemus, inutiles revera labores, & magno cum conatu præſtantiorum atque eſſentialium Moſchi atomorum diſperditionem ubique inveniemus. Quid enim, quæſo, opus erat Moſchi cum oleo amygdalino impaſtatione, cùm ipſe vini ſpiritus ſubſtantiæ Moſchi adfuſus eundem mox ſatis ſuperque diſſolvere vel extrahere poſſit, oleum econtra ejuſdem actioni admodum reſiſtat; Quid tot dierum, & vel in clibano ac paſta frumentacea digeſtione, cùm vel intra horulæ unius ſpatium Moſchus contritus menſtruo ſuccum ſuum ſimplici labore impertiatur? Quid ſacchari canthi additione, quæ laborem, quo partium terreſtrium inodoratarum ſegregatio intendebatur, ſuo exigui hîc valoris corpore irritum reddit? Ultima autem ubique requiſita ad extracti liquidiuſculi conſiſtentiam abſtractio præcipuarum odoriferarum atque eſſentialium atomorum cum ſpiritu vini ſeparationem procurat, quamvis enim leniſſimo tantùm igne hujus evocatio quæratur, Moſchi tamen atomos odoratas præ illis, quæ vini ſpiritum conſtituunt, eſſe fixiores ut credam, nemo me adeo facilè permovebit, ita ut hæ ſolæ, relictis illis, in alembicum elevari nequeant, quin magnam moſchatarum unà copiam ſecum abripiant, id quod Spiritus vini ſic deſtillati odor abundè docebit. Unde quotquot hac ratione odoratæ aporrhœæ ex Moſcho cum ſpiritu vini junguntur, tot neceſſariò Eſſentiæ remanenti deceſſerint.

Quo itaque intuitu vel ipſum Moſchum in ſubſtantia exhibere, vel ſimplicem ſolutionem & filtrationem ſuadere, plurimùm præſtaret. *Cùm Moſchus ſit ſanguis animalis concretus & calore Solis cœlique bonitate ſatis elaboratus, non indiget ulteriori extractione aut præparatione chimica. Cùm enim odor iſte in tenui atque aërea ejus ſubſtantia conſiſtat, affuſione aquarum aut liquorum ad extractionem utilium, odorata qualitas diſſipatur ac diminuitur:* (ſcilicet accedente poſtea inſuper eorundem liquorum abſtractione aut exhalatione,) *hinc vel in ſubſtantia ad ſolidiores compoſitiones aſſumitur, vel odor ejus in aquas cephalicas aut cordiales, ut eſt aqua carfunculi & alia, transfertur:* verba ſunt *Laurent. Euchſtadii* cap. 13. de confect. alkerm. Hinc ſanè etiam *Petr. Poterius*, multos ſpiritus perire, Moſchum verò ipſum veluti quintam quandam eſſentiam eſſe, conſiderans, meritò à ſordibus eo tantummodo repurgato nos uti lib. 1. Pharmac. ſpagir. ſect. 6. ſubjungit, & lib. 3. ſect. 3. Ambram & Moſchum adeo à natura eſſe exaltata, ſcribit, ut præparatio eorum fruſtranea videatur. Atque pro Arcani *Lulliani* compoſitione, quam Cl. *D. Joh. Gerardus*, Profeſſor olim Tubingenſis, cum tractatu Medic. univerſ. defenſ. edidit, requiſita Quinta Moſchi Eſſentia, ſimplici ejus in vini ſpiritu ſolutione paratur, optima ſanè intentione, quàm tamen ſubſequens dein in ipſius Arcani mixtura deſtillatio non parùm enervat. Ut ideo hac quoque ex parte veriſſima ſit *Helmontii* ἐπίχεσις § 45. Nat. contrar. neſc. ſcribentis: *Ut Spagyria deducit multa ad gradum majoris energiæ, quatenus ens novum ſuſcitat: ſic aliàs rurſus multa clam ſuffurando debilitat. Naturam ſcilicet ignaviæ atque imperfectionis accuſat, quisquis eandem citra ignem nil expoliv ſſe autumat.*

Et cum hac inutili menſtrui abſtractione Moſchi quoque decoctio quodammodo convenit, non exiguam

guam utpote odoriferarum partium jacturam urgens, cujus exemplum præbeat Oleum *Fioravantii*, quod *Oglio eccellentiſſimo per far buona memoria* vocat, cujus præparatio uti plura animadverſione digna, ita etiam in ſpecie Moſchi coctionem inutiliſſimam continet. Genuina namque & hîc eſt *Helmontii* cenſura §. 40. tract. Pharmacop. ac diſpenſat. modern. *Cum Aromatum vis genialis atque præcipua ſit in odorabili, hæc ſi ultro evaneſcat, & ſponte odoratum feriat, qui tandem bulliendo & aſſando non fiet, præcipuè ubi gradus acceſſerit? quod noſtræ nos docent odoriferorum deſtillationes.* Id quod perantiquus ille Scriptor, *Arnoldus Villanovanus* cap. 9. Antidot. jam innuerat: *Sciendum*, inquiens, *quòd ſunt, quæ non ſuſtinent decoctionem, ut moſcus.* Et *Jacob. Sylvius* lib. 2. de medic. ſimpl. præpar. Moſchum ab igne depoſitis, & jam tepentibus Decoctis eſſe injiciendum monuit. Idem & de Emplaſtrorum præparatione *Jac. Primeroſius* in Art. Pharmaceut. & *Joh. Heurnius* Meth. ad prax. med. lib. 1. nempe Moſchum &c. cum Emplaſtrum jam refrixit, eſſe admiſcendum, perhibent, id quod tamen non de omnimoda refrigeratione adæquatam mixturam prohibitura, vel difficilem admodum redditura, intelligi debet. Cui convenit ipſius *Galeni* quoque ſententia, qui lib. 6. de comp. med. ſ. l. Myrrham & Crocum in fine coctionis, aut ollâ jam in terram poſita, adjicienda voluit, cùm ampliori coctura aromaticorum medicamentorum facultas deſtruatur. Qui utique, ſi Moſchum habuiſſet cognitum, id multò magis de eodem monuiſſet. Unde nec parvam cocturam abſque quarundam partium ſubtilium deperditione Moſchum admittere, certum eſt, ſecus ac *Quiricus de Auguſtis* & *Paulus Suardus* in ſuis Diſpenſat. voluerunt, qui medicamenta in illa, quæ multam, parvam. & mediocrem ſuſtinent decoctionem, dividentes, mediis illis Moſchum adpoſuerunt.

Huc ſpectat etiam Magiſterium Moſchi, inter Selecta remedia à *Joh. Bapt. Spuntono*, cùm de Pulvere viperino egiſſet, recenſitum, dum à Moſchi recentiſſimi ℥ii. per retortam vitream in B.M. tota humiditas, tanquam pars mercurialis, evocatur, atque à remanentia Spiritus roris majalis abſtrahitur, eidemque poſtea ſuper porphyriten tritæ redditus, denuo calore cinerum inſtar aquæ croceæ deſtillatur, tandemque per B. M. ſpiritus, pro hujus ipſius laboris iteratione adhibendus, ſeparatur, remanente in fundo Moſchi eſſentia ſulphurea, feces autem tredecim dierum ſpatio calcinantur, cumque priori ſpiritu ſal elicitur, ſolutionibus & coagulationibus depurandum, cumque mercuriali liquore, & ſulphureo extracto permiſcendum. In quo ſanè proceſſu magnas conatu magno agi nugas, ſeverior aliquis Chimicus exclamaret. Ut enim labores plurimos omnino inutiles & penè ridiculos taceam, Spiritus ille roris majalis, qui tamen mixturam illam ultimam non ingreditur, potiores Moſchi odoriferas particulas continet, Sal autem ex fecibus vel nullum, vel tantillum, & imò hoc ipſum nullius virtutis ſingularis præ quolibet alio, ex viliſſimo etiam ligno &c. collecto, ſpectari debet.

His ſanè omnibus judicium *Ang. Sala* l. c. cap. de Extr. quadrat, quo extractiones iſtas rerum aromaticarum peragere, perinde eſſe innuitur, atque cùm evolavit avis, caveam claudere; quamvis reſiduum illud non niſi ſpiſſitudinem terreſtrem, omni potentia & virtute exſpoliatam eſſe, propterea cum *Sala* decernere nolim, qui aliqualem, ſatis tamen caſtratam, ei denegare nequeo.

Hîc etiam Eſſentiæ ambratæ, quæ aliquando ob majorem Moſchi, quàm Ambræ doſin, nomine moſchatarum, vel utriuſque, quorundam imitatione, eſſent dignæ, tangendæ ſunt, quales nobis *Miſcellanea Naturæ Curioſ.* Append. Ann. VI. Ill. *Collegium Noricum* Diſpenſat. ſui A. 1666. ſtudio nunquam ſatis laudandi *D. D. Joh. Georg. Volckameri* editi pag. 165. & *Hafnenſe* claſſ. 20. Nobiliſſ. *D. Guerner. Rolfincius* Chim. lib. 4. ſect. 1. art. 2. cap. 3. Exc. *D. Joh. Lud. Hannemannus* Id diſpenſ. ſui, *Mindererus* noſter in Diſpenſ. Auguſt. Mantiſſ. hermet. *D. Chriſtophor Glaſerus* Manuduct. ad Chim. lib. 2. cap. 21. *D. N. de le Febvre* part. 2. Chim. *Joh. Zwelferus* Animad. Pharmaceut. aliique exhibent. Quibus conſimiles qui parare voluerit, diverſis pro lubitu in ſ. q. adfuſis menſtruis & prævia vel paucarum horarum digeſtione, abſque ulla deſtillatione impetrare facilè poterit.

Elixiria denique huc ſpectant, quorum ſpecimen Elixir vitæ *Matthioli*, in Officinis noſtris Auguſtanis proſtans, Elixir vitæ *Fioravanti*, Elixiria citri *Rolfincianum, Feburianum*, necnon *Barth. Pielat* in Laborat. Ceylon. pag. 114. & 115. ſuppeditabunt.

De Medicamentis è Moſcho ſiccioribus.

In ſicciorum claſſe primò de Pulveribus agere, non erit inconveniens. Quos tamen exornare neutiquam poſſet, ſi *Monachos*, qui in *Meſuen* commentati fuerunt, ſequi vellemus, utpote non conteri debere eum, opinatos. Id quod ob virtutis, dum pulveriſatur, evaporationem eſſe omittendum *Quiricus de Auguſtis* & *Suardus* admonent. Nonnulli tamen ſententiam hanc mitigantes, trituram quidem, ſed minorem, quàm aliis Aromatibus, ei deberi ſtatuunt, prout *Joh. Bravus* de ſapor. & odor. cap. 20. de Moſcho, Ambra &c. verba faciens, *hæc aromata*, inquit, *teruntur quidem, quanquam minus, quàm alia &c. quia cùm tenuia raraque exſiſtant, & facultatem ſuperficiariam ſint adepta, violento, aut magis quàm par ſit, diuturno ictu facilè exolvuntur, celerrimeque languent, meliore illarum parte in tenuiſſimum pollinem abeunte: accedente etiam & calore, ex attritu corporum durorum genito, imbecillam medicamenti facultatem diſſipante.* Et *Hier. Mercurialis* lib. 3. de comp. med. cap. 5. Moſchum craſſo modo eſſe conterendum, arbitratur, *quia, cùm ſit rariſſimæ ſubſtantiæ, facilè evaporat; imò qui volunt conſervare muſci facultates, inter conterendum addunt ſaccharum, quia, ſi per ſe ſolus conteratur, facilè ejus facultas tota moritur.* Alii verò, uti *Joh. Renodæus* lib. 2. Inſtit. pharm. cap. 6. ſi terendus ſit, humectationem ejus ſuadent, ne ſubtiliores partes ac magis odoratæ diſſipentur: vel, quod *Jac. Primeroſius* Art. pharmaceut. pag. 55. habet, ne vis odora exhalet. In qua tamen opinionum varietate nulla eſt, quæ mihi placeat, qui trituram Moſchi nullatenus rejicere ſuſtineo. Quamvis enim, recens ſi fuerit, in pulverem, ob humiditatem nativam conjunctam, conteri per ſe nequeat, tractu tamen temporis exſiccatus, aut ſiccioribus aliis admixtus, cur redigi in pulverem non debeat, ſufficientem cauſam haud video. Aëri quidem libero expoſitus, interno inprimis agitante ſpiritu, quaſdam odoratas ſui atomos ſubinde emittit, eaſque calor externus tritura inductus eò promptiùs expellit, necnon corpus ejus in minutiores particulas divulſum, plura etiam quaſi emiſſaria nanciſcitur, tantùm tamen in operatione illa non decedit, ut propterea eandem ſæpe neceſſariam omnino omittere, aut facultatis notabilem exſolutionem, diſſipationem vel languorem pertimeſcere debeamus, præcipuè quia compactæ adeo non eſt ſubſtantiæ, quæ violentam nimis ac diuturnam trituram requirat, facilè à piſtillo in corpuſcula minutiora diſcerpenda, multò minùs autem pollinem ejus tenuiſſimæ adeò texturæ eſſe ſcio, ut melior illa pars pulverulenta avolare queat, ac ita aquæ roſarum &c. pulveriſationem potiùs inhibituræ, (quam quidem à vini aut aquæ irroratione facilitari, *Primeroſius* pag. 59. credidit,) atque ob humidas ſuas exhalationes moſchatarum quoque fugam aliquam promoturæ, aſperſione indi-

indigeat. Moſcho autem ſuperficiariam aut imbecillam facultatem adjudicare, experientiæ repugnat, quâ tam potens & altè radicata illa comperitur, ut etiam magnam aquæ quantitatem exigua ejus particula odore ſuo imbuere valeat, remanentique corpus terreſtrius quaſdam nihilominus odoratas ſibi reſervet moleculas. Ratum ergo ſit, Moſchum conteri omnino poſſe, idque vel per ſe, ubi ſiccior fuerit, aut in liquore hac ratione diſſolvi debeat, vel, ſi humidior præſertim exſiſtat, cum aliis, qua ratione ſaccharum, ubi medicamenti deſiderati forma & operatio non reluctatur, neutiquam rejecerim, non quòd ipſam Moſchi facultatem artificio hoc à morte præſervari credam, cùm ob majorem partium à ſacchari interventu diſgregationem major etiam odoratarum atomorum (ſi minutias iſtas cum Autoribus illis attendere velimus,) exhalatio potiùs contingat, quia Moſchus, dictante *Dan. Sennerto* de conſ. & diſſ. Chim. cum Ariſtot. & Gal. cap. 11. quò in minores partes diſſolvitur, eò plus odoris ſpirat, ſed quia partes ejus hac ratione, uti dixi, meliùs divelluntur, ſicque copioſiora odoris effluvia impetrantur, vel ſaltem humidiores in pulverem ut abire queant, diſponuntur.

Varii itaque Pulveres Moſcho, non odoris ſaltem ob gratiam, ſed etiam virtutem, ſicque ut baſi, adjuvante, corrigente, aut dirigente, nobilitari paſſim ſoliti, omnino hîc recenſendi ſunt, quos partim in ſubſtantia, ut dictum eſt, partim &, quod nonnunquam meliùs, roſarum aquâ &c. diſſolutus ingreditur.

Hos inter Species aromaticæ vulgò in Officinis dictæ plures eundem recipiunt. De quibus ut Diarrhodon, Diambræ, Diamoſchi &c. *Guil. Rondeletii* cenſuram, quâ, unum eorum medicamentorum qui habet, altero carere poſſe tract. Pharmacop. offic. innuit, non omnino rejecerim, nec omnino adprobaverim. Ut jam plurimas ſimilium Specierum huic vel illi parti, morbo, aut aliæ indicationi magis minusve competere non urgeam, multas earum virtute convenire, nemo ſanus inficias ibit. Meritò autem, ſi unus tantùm Medicus in loco aliquo praxin exerceat, aut plurium conſenſus obtineri queat, carere tot deſcriptionibus Officinas poſſe adſtruitur. Aſt ſæpe, imò, ubi plures degunt, tantùm non ſemper idem, quod contra *Zvelferum*, multitudinem Pilularum reformantem, in Pharmacop. Aug. Reſt. pag. 96 dedi, judicium, quot capita nimirum, tot eſſe ſenſus, huic Medico hanc, illi aliam compoſitionem magis arridere atque in uſu eſſe, varietatem inſuper delectare, eſt decernendum. Licet cæteroquin nec omnino damnanda ſit illa *Aſclepiadis* à *Scribonio Largo* adducta, & huc quadrans ſententia, qua ultimæ ſortis eſſe Medicum contendit, qui non ad ſingula quæque vitia binas ternaſve compoſitiones & expertas protinus paratas habeat. Ut verò reliquas jam miſſas faciam, ſolas Diamoſchi dulcis Species attingam, quarum plures equidem apud *Meſuen*, *Raſeum* ad Almanſ. lib. 9. cap. 69 *Iſaacum Iſraëlitam* Pantech. lib. 10. pract. cap. 42. *Actuarium* de medic. compoſit. *Nicolaum Myrepſum*, *Joh. Renodaum* Offic. pharm. lib. 3. ſect. 1. cap. 4. deſcriptiones proſtant, Meſuanæ tamen illæ, in noſtro etiam Diſpenſatorio Auguſtano propoſitæ, in Officinis frequentiores exſiſtunt, quas abſinthii, roſarum, aloës, caſtorei & leviſtici additione amaras & efficaciores præterea reddere *Meſue* laboraverat, ob omnimodam tamen gratiæ jacturam ex Officinis jamdudum proſcriptas. *Rondeletius* tamen (confer etiam *Renodæus*) & alterum illud, dulce vocatum, medicamentum relegandum putat: tum quia ob paratum jam Diambræ pulverem, qui ejuſdem ſit facultatis, & Moſchi in eo doſis augeri facilè queat, carere eo poſſimus, tum varia ſit ejuſdem deſcriptio, tum & multa parùm probanda recipiat. Cui, cæteris paribus, refragari admodum nollem. Licet enim diverſæ deſcriptiones ſcrupulum hîc movere nullum debeant, à determinata earum una, Medici rationalis judicio facta, electione mox eximendum, reverà tamen Diambræ Species eundem effectum ſpondent, aliqua etiam abſque ulla hæſitatione omitti poſſunt, imò, veluti ſericum crudum toſtum, ſi minutiſſima quævis proſequi opus ſit, debent.

Cæterùm communiter cum & ſine Moſcho paratæ Species iſtæ adſervantur. Cauſam ſuperiùs, cùm de Moſchi incommodis agerem, attuli. Unde cum *Joh. Ant. Lodetto* Pharmacopœos fraudis accuſare ſimpliciter nolo, ſi in Aromatico roſato aliiſque compoſitionibus Moſchum excludant, Medici intentioni, & ægrorum neceſſitati ita attendentes, prout tamen, ſi qui ſolius lucri cauſa incompletas ejuſmodi Species pro completis diſtrahere præſumant, reprehenſionem pœnamque ſeveram utique merentur. Aliàs, quanquam ſimiles Pulveres, negligentiùs præcipuè adſervati, multorum annorum ætatem vix perferant, ſed ſenſim exſolvantur, ideoque rectè eos facere meritò ſtatuatur, qui ad mentem *Hier. Mercurialis* lib. 3. de comp. medic. cap. 13. in exigua ſemper copia parantes, eôque ſæpius elaborationem eorum iterant, ne fine optato Medicus fruſtretur, eoſdem tamen propterea planè rejicere, quod fecit *Fallopius* de medic. comp. cap. 30. 31. cùm de Aromatico roſato, & Diambra ageret, nimis rigoroſum foret. In Electuarii quidem formam, Meſues exemplo, effingi Diamoſchum &c. commodè poteſt, tanti tamen autoritas illa non eſt efferenda, ut eapropter non etiam Pulveris ſub ſpecie, aut etiam ſacchari &c. acceſſu, Rotularum forma proſtare queat, præcipuè cùm hæ, benè adſervatæ, citæ corruptioni non fiant obnoxiæ, ille autem quovis tempore, addito melle aut Sirupo aliquo commodo, Electuarii faciem induere valeat. Interea tamen, res mei ſi foret arbitrii, *Rondeletii* judicium tract. Pharm. offic. prolatum amplecterer, quo, conſimiles Species ſine odoratis iſtis ſi pararentur, nec Medicis, nec Pharmacopolis, illis nempe imperare, hiſce exequi, moleſtum fore ſtatuit, ubi ea ex tempore, uſu exigente, jungerent.

Pulveres hoſce Ambra moſchata *Mynſichti* ſect. 1. Armam. med. chim. excipiat, qua cum magnam adfinitatem habent: Ambra eſſentificata vel rectificata, Auguſtiſſimi RUDOLPHI II. CÆSARIS, & Seren. Anglorum Reginæ ELISABETHÆ medicamentum, à *Joh. Hartmanno* in Prax. chimiatr. & not. in Baſil. chim. Croll. deſcriptum, atque à *Guil. Maxvello* lib. 2. de medic. magnet. cap. 15. Zibetho auctum, necnon Ambra moſchata & Elæoſaccharum cordiale compoſitum Appendic. *Ann. VI. Ephemer. Germ. Curioſ.* pag. 92. 97. Eſſentia ambræ ſicca *Diſpenſatorii novi Norici* pag. 166. *Hafnienſis* claſſ. 20 Diaromaticum eſſentiale ambræ-moſchatum *Rolfincianum* Chim. lib. 4. ſect. 1. art. 2. cap. 4. Elæoſaccharum moſchardinum, ambratum ſect. 6. cap. 2. ut & cephalicum Ejuſdem Meth. med. ſpec. comment. lib. 7. ſect. 1. cap. 4. Diaromaticum eſſentiale *Ang. Salæ* deſcrip. Antid. pret. ejuſdemque Pulvis ambræ aut Saccharum ambratum deſcrip. Aq. ſudorif. Diamoſchum ad Magnatum corda roboranda *Andr. Tenzelii* Exegeſ. chim. part. 1. ſect. 1. & Diamoſchum dulce ſect. 3. ut & Spiritus roſarum compoſitus *Chriſtoph. Glückradtii* not. ad Joh. Beguin. tyrocin. chim. lib. 2. cap. 2. Tinctura confortans *Tob. Dorncreilii* Diſpenſat. nov. part. 1. cap. 6. aliaque, facili opera, ſubtrahendo quædam, vel adjungendo ingredientium doſi, aut numero, imitanda, ita tamen, ut requiſitam à quibuſdam Ambræ & Moſchi &c. cum roſarum ſpiritu repetitam irrorationem, ceu inutilem & aliquo modo damnoſam, aliamve juſto curioſiorem digeſtionem minus neceſſariam, aut deprædatoriam evaporationem haud ineptè omitti poſſe, obiter animadvertam.

Taba-

Tabacinos, ſive ſternutatorios Pulveres odoris ſui gratia & virtute non minùs commendat. Licet enim caput, uti Exercit. 8. §. 5. de Tabaco loquitur, replere potiùs Moſchus, quàm ei exonerando prodeſſe, ſi ad certa quædam individua id reſtringatur, *Joh. Chryſoſt. Magneno* ſponte largiar, omnibus tamen præcipuè viris, quorum deliciis ille magis inſervit, eundem effectum minimè cauſare, ſed caput potiùs quibusdam roborare, craſſorumque excrementorum attenuationem promovere paſſim vidimus. Ipſum tamen Moſchum eſſe caputpurgium, vel ſternutatoriam vim poſſidere, quam nonnulli ei tribuunt, haud obſervatur, cùm tam acres non exſerat particulas, attactu ſuo vellicationem iſtam in narium membrana quæ ciere poſſent, niſi tenui & calida ſua facultate ferum attenuando & agitando aliquid præſtet, aut etiam ſalino ſuo principio ſenſibiles admodum nares offenderit. Tot autem inter deſcriptiones unicam *Auguſtanorum* claſſ. 9. Diſpenſ. loco ſecundo exhibitam indigitaſſe ſufficiat, vel, ſi potentior Pulvis deſideretur, *Rolfincianam* ſect. 2. de purgant. veget. art. 1. cap. 30. propoſitam.

Suavitatem etiam odoris, in delicatiorum præſertim uſum, dentifriciis Pulveribus conciliat. Quos inter ad dentes dealbandos pumice pulveriſato nihil eſſe præſtantius *Alexius Pedemontanus* part. 1. Secret. lib 4. putat, quem Moſchi & Ambræ momento conditum tanquam pretioſam rem quandam nonnulli divendant, qui etiam granorum chermes, vel ſantali tinctura imbutus, alumine auctus, & Moſcho roſarum aqua ſoluto ornatus in *Ioh. Bapt. Zapata* Secretis dilaudatur.

Pulveres itidem, craſſiores utplurimum, Cucuphis parandis deſtinati, non bambace tantùm moſchato excipiuntur, ſed ipſam etiam Moſchi ſubſtantiam ſæpiuſculè admittunt. Cui uſui inſerviunt Pulveres violacei odorati in *Diſpenſatorio Auguſt.* & à *Joh. Freitagio* lib. 2. Auror. medic. cap. 25. propoſiti.

Cum quibus Sacculi cordiales, aut veſtibus interponendi, necnon Scuta ſtomachica coincidunt.

Tandem non indicti abire debent Pulveres dicti Cyprii, ornatui præcipuè non ſolùm capillorum, ſed & capitis interdum exſiccationi ac munditiei, imò ægrotantium utilitati dicati. Qualem moſchatum *Vidus Vidius* de curat. membr. lib. 2. cap. 3. deſcripſit. Cæterùm hi utplurimum (ut de aurea ſcobe, quam *Verum Antoninum, Commodum,* & *Gallienum*, Imp Romanos, comis adſperſiſſe referunt, nihil dicam) ex muſco aliquo arboreo, querno &c. variatum rerum, Moſchi præcipuè odore, tum per effumationem, tum ſtratificationem, tum ſubſtantialem admixtionem imbuto, parantur. Aliis pulverem reſinoſum è muſco terreſtri clavato collectum, oſſa ſepiæ, ovorum cortices, lignum carioſum, aut etiam amylum uſui huic inſervire novimus. Bononienſes pigmentarios marmoris vel alabaſtri pulverem cum Moſchi portiuncula uſurpare *Petr. Poterius* Pharmacop. ſpag. lib. 3. ſect. 3. refert, qualem marmoreum, aut etiam ex concha margaritifera paratum *Joh. Bapt. Beſardus* Antr. Philoſoph. part. 2. pag. 60. delineat, eundem quò antiquiorem, eò meliorem eſſe pronuncians. *Alexius Pedemontanus* ſtercus vaccinum in menſe Majo collectum, exſiccatum & pulveriſatum, Moſchique &c. odore exaltatum part. 2. Secret. commendat. Alii verò aliter procedunt. Quamvis ſi intentionem medicam, capitiſque corroborationem reſpiciamus, pulverem aliquem ex herbis cephalicis concinnatum omnibus reliquis eſſe præferendum, vix ſuperſit dubium, pro exſiccando tamen capite muſcus inprimis commodiſſimè inſervire poteſt. Aſt ſolius voluptatis, aut artificioſæ canitiei cauſa qui eam frequentant inſperſionem, quid eligere debeant, parùm curo. Nemo autem niſi vanitati iſti impensè deditus ultimo in modo ſciens volenſque delicias facilè capiet. Moſchus cæteroquin omnium optimè in aqua aliqua odorata ſolutus fragrantiam ſuam per illos pulveres diſpergit; id quod etiam de aliis rebus, ſive corporeitenus, ſive in liquorem fragrantem reſolutis dictum velim, cùm in effumatione & ſtratificatione nimiùm de odoratis particulis diſperdatur, ſatiſque tædioſus labor ſit ſubeundus.

Plures Pulverum ſpecies ut jam ſicco pede tranſeā.

Nunc ad aliud medicamenti genus me converto, Morſellos nempe, Moſchi itidem præſentia ſæpe condecoratos, quorum ſelectiores formulas Ordo & methodus med. ſpec. comment. *Rolfinciana* lib. 8. ſect. 2. cap. 4. Exc. *D. Wedelius* de medic. compoſ. extempor. ſect. 2. cap. 12. & *D. Ioh. Tilemannus* ſect. 2. de mat. med. ſuppeditant.

Quò ſpectant etiam Rotulæ, quales elegantes Imperialium nomine inſignitos *Hadr. à Mynſicht* ſect. 7. Armam. ut & alios *Roſenbergius* part. 2. Rhodolog. cap. 22. deſcribunt.

Quibus Tabulæ, Manus Chriſti vulgò dictæ, jungendæ, ab *Ang. Sala* de var. Chim. & Galen. error. tr. 2. *Roſenbergio* l. c. *Claud. Deodato* Panth. hygiaſt. lib. 2. c. 2. necnon Tabellæ à *Riv.* cent. 4. obſ. med. 70. & Tragea magiſtralis à *Zacharia à Puteo* clav. medic. ration. ſect. 20. deſcripta.

Qua ratione verò Moſchus medicamentis hiſce receníitis commodius adjiciatur, *Joh. Schröderus* Pharm. med. chim. lib. 2. cap. 69. docere volui: *In morſulis parandis olea deſtillata ſi occurrerint, in fine ea inſtillare oportet, vel paratis morſellis illinire. Idem judicium de Moſcho ac Ambra, quæ in aqua roſarum diſſolvuntur, atque paratis tabulis illinuntur.* Verùm quod illinitionem hanc concernit, cùm ſuperficiaria illa Moſchi cum Morſulis Rotuliſve unio non diu duret, ſed juſto citiorem odoratarum aromorum exhalationem admittat, niſi adcuratiſſimè in vaſe aliquo recondantur, ſimulque brevioris tantùm uſui dicata ſint, non adeo commoda eſſe poteſt. Cui merito itaque ipſa cum ſaccharo cæteriſq; ingredientibus incorporatio præfertur, ſive jam cum ſacchari particula aliqua, aliiſque pulveribus probè tritus, inque minutiores particulas diſgregatus, ſive, quod ob pellicularum aut etiam pilorum mixturam, ad medicamenti elegantiam impetrandam neceſſariò ſeparandorum, imò Moſchi ipſius meliorem diſgregationem, eſt convenientius, in portione aliqua roſaceæ alteriuſve adpropriatæ aquæ diſſolutus, in fine demum coctionis, ſaccharo jam ad debitam conſiſtentiam deducto, pro minori fragrantiæ jactura, admiſceatur. Pro minori, inquam, fragrantiæ jactura; omnem enim, minimam etiam, præcavere velle, non eſt poſſibile, nec adeo neceſſarium. Sed quòd *Zacharias à Puteo* Moſchum & Ambram non eſſe commiſcenda ſeriò hortatur, antequam ſaccharum caliditatem dimiſerit, *quoniam*, ut verba ejus habent, *omni eorum præſtantia & odore facillimè ſpoliarentur*, ſed ejuſdem ſacchari tepiditatem expectandam eſſe, non ſatis capio. Saccharum enim adhuc calens, fluidum, & antequam intepeſcat, eſſe in requiſitam formam effundendum, omnibus Pharmacopœis eſt notiſſimum, cùm aliàs mox, concreſcendo, nec Moſchi aliorumque pulverem ampliùs recipere, nec debitam in formam effundi queat.

Hiſce ſubjungo Paſtam regiam, panis dulciarii genus, cui interdum Moſchum addi poſſe *Caſp. Bauhinus* de remed. form. lib. 1. cap. 27. & *Joh. Heurnius* Med. ad ad prax. med. lib. 1. monuerunt.

Ejus ſpeciem quandam conſtituunt Moſtaccioni, ſive Muſtazzuoli, Italis ita dicti, aut etiam Muſcardini à Moſcho, ab eodem *Heurnio* deſcripti. Confer. *Th. Jordanus* de peſt. phæn. tract. 3. cap. 6.

Nec

Nec multùm differt Maſſa illa, quàm Panem Martium, Mazam panis &c. Italicè Marzapane, (vid. Celeberr. *D. Octavii Ferrarii* Origin. lingu. Ital. pag. 200.) Latinè autem Diamygdalatum, vel Pineolatum vocant, cujus cum Moſcho parandi rationem expoſuit *Joh. Renodæus* lib. 5. Inſt. pharm. ſect. 1. cap. 0.

Accedant & Marmeladæ, (vid. laudatus *Ferrarius* pag. 199.) qualem cordialem, ac cephalic. moſchat. *D. Barth. Pielat.* pag. 88. & 89. Labor. Ceyl. exhibuit.

Trochiſcos inter Galia moſchata eminet, vulgò Galliæ moſchatæ nomine nota, de cujus etymo *Renod.* lib. 3. Antidot. ſect. 3. cap. 5. evolvi poteſt. Sed tali ſub titulo duplex diverſæ deſcriptionis medicamentum in Antidotariis cum proponi ſoleat, unum à *Meſue*, alterum à *Nicolao Alexandrino* delineatum, probè hæc eſſe diſtinguenda *Joh. Jac. Manlius* in com. Lumin. maj. ſect. 1. & *Laur. Joubertus* Pharmacop. ſect. 3. rectè monuerunt. Ideoque in nonnullos *Pharmacopœos*, hac in parte impoſturam committentes, *Joh. Anton. Lodettus* meritò paſſim in ſuo tract. de fraud. pharmac. invehitur.

Galia itaque Meſues xylaloës part. v. ambr. part. iij. moſch. part. j. recipiens, cum mucilag. trag. in aq. roſ. ſolut. conficitur, prædicta nempe tria ſimplicia per ſe pulveriſata & trita, vel &c, quod alios facere *Meſue* notat, Ambram in vaſe vitreo cum pauco oleo de been priùs diſſolutam, cum glutine iſto in trochiſcos compingendo. Id quod verno tempore, manè, aëre ſereno, in aureo, marmoreo, vel vitreo mortario peragere jubet *Arnoldus Villanovanus* Antid. cap. 14. hyemali & humido tempore medicamenti corruptionem, calido verò multam virtutis exhalationem veritus, cupreum etiam vel ferreum vas Moſchum & Galiam corrumpere, aureum contra virtutis ſuæ aliquid communicare ipſi autumans. Aſt vana admodum perſuaſione, præcipuè ſi glutinis tragacanthini nimium non fuerit aſſumtum, ſed tantum, quantum ad uniendos pulveres unicè ſuffecerit, nec parati Trochiſci aëris libertati omnino ſubtrahantur, aut fervidioribus Solis radiis exponantur, quo in paſſu neque corruptio, neque corruptio, neque fragrantiæ nimiæ exhalatio, quocunque tempore parentur, eſt metuenda. Quò dubio procul reſpexit *Guil. Rondeletius* Pharmac. offic. in pauca quantitate conficiendos eſſe notans, quia *ſemper* liceat eoſdem parare.

Hanc ex Oriente adferri, ſed non benè præparatam, *Joh. Manardus* annot. in comp. Meſ. eandem tamen facilè pariri poſſe, lib. 18. Epiſt. monuerat. (Vid. etiam *Gualt. Ryffius* Pract. part. 1. cap. 3.) Ex quo jam, *Hier. Reuſneri* in obſerv. à *Welſchio* edit. 98. deciſio quouſque locum invenire queat, perſpicimus, qua nempe Galiam moſchatam veram haberi vix poſſe innuitur; Sive enim ex Oriente ſolùm olim adlata, mangonii metum, ob pretioſitatem ſuam, incuſſerit, ſive Ambræ & Moſchi, prout ad nos adfertur, adulterationi quàm maximè, & nonnullorum ſententia, ſemper obnoxiam ſubſtantiam perpenderit, magnopere ipſi ſuccenſere haud poſſumus. Licet cæteroquin Welſchiana animadverſio minimè excludenda ſit, qua veram Galiam iſtam nos habere aut parare cur nequeamus, cauſam nullam fingere licere adnotat, cùm certè ſimplicia iſta apud nos genuina inveniri ſit certiſſimum.

Ex iſtis autem jam eluceſcit, doloſè agere eos, qui Ambræ gryſeæ loco nigram illam minoris pretii, fragrantiæ, & virtutis ſumere, aut etiam largo ſacchari additamento quantitatem augere conſueverunt, eandem dein iſto, quo legitimè paratam, pretio divendentes.

Cæterùm Meſuanæ huic ſuam præfert, ac maximopere commendat *Leonh. Floravantius* lib. 5. de Secret. cap. 27. dum ligni aloës ℥iiij. ambr. gryſ. ʒiij. Moſchi Orient. ʒij. N.M. cinnam. ā. ʒj. in ſpiritu vini aniſato, inque hoc poſtea tragacanthum diſſolvit, mixturam iſtam poſt debitam evaporationem in Trochiſcos compingens. Verùm licet major additio Moſchi efficaciores hos utique reddere queat, Ambræ tamen minor, cæterorum reſpectu, doſis unà occurrit, Nux moſchata verò & Cinnamomum tantum eis encomium minimè conferunt, aut præparatio ſingulare quid oſtendit, quamvis enim ſpiritus vini aniſatus Ligni aloës inprimis extractioni, & Ambræ diſſolutioni ſatis quadret, ſcire tamen vellem, an ſpiritus vini tantum, quantum ad integram iſtarum rerum extractionem ac ſolutionem requireretur, ſit adſumendum? Hoc enim ſi fiat, cùm ultimò ejuſdem exhalatio ſit inſtituenda, magnam unà partium utiliſſimarum ac ſubtiliſſimarum copiam in auras ſecum abripiet, ſicque medicamentum longè deterius efficiet. Sin parciori manu adfundatur, parum etiam pro extractione & ſolutione conferet, imò cùm trochiſci exin, abſque ſacchari alteriuſve ſicci corporis ſufficientis additione, ſint compingendi, neceſſariò omnis penè iterum exhalare debet, ſicque reſinoſarum partium prægreſſa ſolutio parum utilitatis contribuit.

Nicolai verò Galia moſchata (quàm rectiùs maſtichinam vocari poſſe *Joh. Steph. Strobelbergerus* in Maſticholog. pag. 67. & 69. arbitratur) nobis minùs uſitata, minoris etiam, quàm illa *Meſues*, valoris, præter Moſchum, inſuper maſtichis ℥j. gum. Arab. ℥j. camph. ℈j. caryophyll. cinnam. N. M. ā. ℥ß. aquam roſarum moſchatam, & oleum ſambacinum ſive jaſminum recipit, cujus ultimi quidem communiter ℥iiij. præſcribere ſolent, cùm tamen *Amati Luſit.* cenſura, (ut alios taceam,) cent. 6. curat. med. 83. rectiùs quartam tantùm unciæ partem ſumendam eſſe, ipſa ingredientium ſeries commonſtret. Prolixiori autem à *Nicolao* oſtenſa præparatione haud indigemus, dum ſimpliciori mixtura gummi Arabico priùs in aqua moſchata, & camphora in oleo ſambac. ſolutis, commodiùs fieri poteſt.

Sequuntur ejuſdem Autoris Trochiſci aliptæ moſchatæ, vel potiùs moſchati aliptarum τροχίσκοι ἀλειπτικοί, literatiſſimi *Welſchii* noſtri Variar. lect. lib. 2. M S. judicio dicendi, quorum parandorum modus fuit antiquiſſimus, ut diebus canicularibus Ladanum & Styrax in catino, tenui linteolo adverſus pulviſculos illapſuros cooperto, Soli exponerentur, cujus vi remollita, in mortario æneo, Sole excalefacto, cum piſtillo ferreo itidem calido validè conterenda, donec nigreſcant, addito dein Xylaloës pulvere, Ambra, & Camphora, ac tandem Moſcho in tribus aquæ roſarum unciis diſſoluto. Solari tamen illi calori ſtrictè nimis inhærere non eſt neceſſe, cùm vel *Dd. Hafnienſium* exemplo, Diſpenſat. claſſ. 11. lenis Balnei calor, vel, quem *Renodæus* Antidot. l. c. cap. 6. & *Phil. Guibertus* in Med. offic. innuere mihi videntur, alius quivis idem præſtet, adeoque non tantùm canicularium, ſed alio etiam tempore confici queant. Tanta autem roſaceæ aquæ additio minùs probari poteſt, quia neceſſaria ejuſdem exhalatio multorum ſimul odoratarum particularum fugam ex reliquis procurat, cui itaque longè minor, & quæ ſufficiat pro Moſcho ac Camphora diluendis, ſubrogari poteſt.

Tandem ſe Trochiſci moſchardini ſiſtunt, quos aliàs etiã, cùm non ſemper Paſtillorum forma eis concilietur, ſed in oblongiora, vel rotunda granula, aliamve figuram quandoque, modò cum tragacanthi mucilagine, modò ſolius caloris & manuum beneficio, compingantur, moſchardinam vel moſchatam Confectionem, imò Corpus ſine anima nimis licentioſe adpellare ſolent Officinæ, cùm revera ſatis nobilem animam ſpirituoſiſſimæ Moſchi atomi eidem inſpirent. *Paſtilli ſunt*, inquit *Petr. Morellus* Meth. præſcrib. formul. lib. 1. ſect. 3. cap. 6. *ab odore, quẽ à moſcho habent, ſic*

dicti

dicti &c. Componuntur vel ſimpliciter ex ambra, moſchi gr. iij. iv. &c. ut volueris, & ſacchari ſoluti in aq. roſ. q. ſ. cum amyli tantillo ; vel fiunt compoſitiùs ex pulv. rerum aromaticarum ſuavis odoris, ut cinnam. ſandali ℥j. *moſchi, ambræ gr. iij. iv. pro lubitu, ſacch.* &c. *Joh. Schroderus* Pharm. lib. 2. ad Moſchi aq. roſ. diſſol. ℈j. ſacch. albiſſ. ℥vi. amyli ℥v. recipit, & maſſa cum mucilag. tragac. facta grana inſtar hordeaceorum conficiens, *Petr. Poterius* verò Moſchi ℈j. cum ſacch. alb. ℔j. & amili ℥iv. in trochiſcos effingit. *Petr. Andr. Matthiolus* Comm. in Dioſc. Sanguinem draconis ſuperaddit. Alii etiam plura illi adjungunt, quales in libr. Secretor. paſſim cum & ſine Amylo, cum Sandalo rubro, albo, Cinnamomo, Maſtiche conficere edocet *Pedemontanus*, cum Ammoniaco gummi & Terra ſigillata *Joh. Hucherus* lib. 1. de ſteril. cum Ireos Florent. radice *Auguſt. Thonerus* lib. 2. obſ. med. 14. Quæ ſanè pro varia Medici intentione variè mutari abſque ulla difficultate poſſunt. Hanc ipſam, ſimpliciorem tamen, confectionem Saponeæ nomine, à ſaporis ſuavitate orto, inter Condimenta retulit, atque elaborare edocuit *Joh. Manardus lib.* 20. epiſt. medic. 1.

Pilulas inſuper, utero dicatas, alicubi eſſe monet Cl. *Caſp. Hoffmannus* ſect. 3. Paralip. officic. c. 38. quibus nomen Pilularum Moſchi ſit impoſitum, *κατ' ἀντίφρασιν*, cùm hircum oleant. Illas autem *Georg. Melichius* Diſpenſat. ſui ſect. 9. ſub titulo Pilularum muſcatarum magiſtralium inſeruit. Nihilominus tamen Moſchus, ſive triturâ, ſive liquore diſgregatus, Catapotia ingredi utiq; aptus eſt, variis adfectibus, & vel ipſis uterinis adhibenda, ceu illud Pilulæ ſuperiùs jam recenſitæ, quas *de muſco* nominare ſolebat *Barth. Montagnana*, nec non alteræ ejuſdem *de dyamuſco* teſtantur. Alias ut jam ſilentio præteream.

Prout & aliorum Globulorum ſtructuram non reſpuit, quales ſunt illi pro alvo cienda ſupra memorati, nec non Lapides badzohardici artificiales à *Spuntono* deſcripti.

Sic & Maſſæ illæ, vulgò Pomambræ, vel Poma ambræ dictæ, tum in aliis morbis, tum peſte præcipuè uſualia, ſive jam nudis tractentur manibus, ſive involvantur ſindone, ſive capſulis aureis argenteis &c. includantur, Moſchum frequenter recipiunt, quæ itaq; & Poma moſchata non minùs dici poſſent, vel ſaltem Poma odorata, cùm ſæpè nihil vel parum Ambræ, plurimum autem Moſchi aliorumq; aromatum adjunctum habeant, unde etiam Germani *Byſemapffel*, vel *Byſemknopff* ea vocare conſueverunt. Componuntur igitur ex pulverib. odoratis (terrâ ſigillatâ, bolo Armen. coraliis &c. à quibusdam præſcribi ſolitis, ut planè inodoris, penitus excluſis,) addito utplurimum Moſcho, Ambrâ, vel Zibetho, interdum & Oleis deſtillatis, ac modò cum reſinoſis, uti Ladano, Styrace, Balſamo Peruviano, Terebinthina, modò cum cera, oleis, aquis, ſuccis, tragacanthi mucilagine, gummi Arabico, modò ſeorſim, modò uno alterove permixto, in maſſam compinguntur. Solum Ladanum cum Styrace calamita, non alio nominato excipiente, habet *Arnoldus Villanovanus* de ornatu. mul. ut & cum Benzoë, Maſtiche, Olibano *Joh. Schroderus* Pham. l. 2. c. 75. Ladanum cum roſarum aqua *Joh. Fernelius* l. 4. Meth. med. c. 21. & *Bern. Deſſennius* l. 10. de medicam. compoſ. Ladanum cum ſucco meliſſ. bugloſſ. & aq. roſ. *Arnoldus* prædictus c. 3. de conſerv. juvent. Styracem & benzoen cum aq. roſ. *Jacob. Sylvius* comm. in Meſ. antidot. Styracem liquidam cum majoranæ aqua *Gualt. Ryffius* par. 1 pract. c. 3. cum ejuſdem ſucco *Dom. Leonus* ſect. 1. Art. med. l. 1. c. 9. Balſamum Indicum vel Peruanum *Ang. Sala* tract. de peſt. Eundem cum aqua roſarum *Joh. Schroderus*, Terebinthinam idem *Schroderus*, & *Gerard. Blaſius* in Medic gener. nec non eandem cum tragacanthi mucilagine, vel aqua roſacea *Diſpenſatorium Auguſtanum* claſſ. 13. Ceram *Paul. Suardus* in Theſ. aromat. *Pius Æneas Caprilius* l. 2. de febb. putr. *Rein. Solenander* ſect. 2. conſ. med. 19. & ſect. 5. conſ. 23. additâ à quibuſdam vini portiunculâ. Oleum amygd. dulc. præter Aquam Damaſcenam *Jul. Palmarius* de morb. contag. l. 6. c. 13. Oleum florum aurantiorum & caryophyllorum *Hier. Mercurialis* lib. de peſt. c. 22. Mucilaginem tragacanthi *Alexius Pedemontanus* part. 2. de Secret. Eandem cum gummi *Joh. Guintherius Andernac* de medic. vet. & nov. comm. 2. dial. 8. Quis verò jam modus, Moſchi noſtri reſpectu, melior ſit ſtatuendus, meritò quæritur. Solum excipientis loco adhibitum Ladanum, aliæve duriores reſinæ, licet calore liquatæ Specierum receptioni ſic ſatis faveant, mox tamen iterum obdureſcunt, & ſic conglutinatis poris, exhalationem odoriferarum, præcipuè etiam moſchatarum atomorum admodum impediunt. Sin cum aquis ſaltem Ladanum cæteræq; Species ſubigantur, friabiles nimiùm relinquunt maſſas. Peruvianum balſamum & Styrax liquida Moſchi odorem glutinoſis & oleoſis ſuis particulis admodum obtundunt. Tragacanthi mucilaginem (quod & de Gummi Arabico intelligendum voluit *Joh. Heurnius* l. 1. Meth. ad Prax.) improbat præfatus *Sala*, quia maſſa cum ea elaborata ſæpe ita induratur, ut odorabilium rerum qualitas ſuffocetur & exhalare nequeat, quam citam indurationem, atque ab ea odorabilium effluviorum aliquam quaſi fixationem, ſi ſola illa, quod rariſſimè fit, adhibeatur, nemo utique negare poteſt, à Terebinthina quidem &c. ſi, quod crebriùs fit, unà accedat, præcavendam, quæ ipſa tamen reſina, ſi aquoſæ mucilaginis partes exhalaverint, viſcoſitate ſuâ Moſchum involvendo ejus odorem ſupprimit. Quare non minùs Oleū amygdalinum &c. unctuoſo lentore ſuo moſchatos poros obviſcans, gratiamque odoris imminuens, excludendum videtur. Quæ ſanè incommoda me facilè permoverent, ut Moſchum ab harum Maſſarum odoris gratiâ expetitarum mixtura omnino exterminandum cenſerem. Ut itaq; hoc reſpectu, ſi tantopere ejus conſortium expetatur, eum non admiſcendum, ſed Pomi ſuperficiei ſæpius tantùm oblinendum eſſe, *Heurnio, Solenandro & Morello* promtiùs adſentiar. Ubi, foraminula etiam maſſæ inſculpta Moſcho repleri poſſe, nonnulli admonent, exemplum præbente *Chriſtoph. Wirſungo* par. 1. Medic. c. 2. §. 1. & par. 2. c. 2. §. 1.

Huc Odoriferum *Crollianum* pertinet, Baſilic. chim. cap. 7. propoſitum, nec non Specificum odoriferum *Paracelſicum* l. 7. Archidox. deſcriptum, quod equidem, licet ob longas, ſed minimè neceſſarias digeſtiones animadverſionem mereatur, non prorſus rejici poteſt, ut omnibus tamen cæteris Odoriferis palmam præripere, cum *Claudio Deodato* l. c. lib. 1. c. 14. dicamus, nullam cauſam video. Referre etiam hunc licet Ambram factitiam *D. D. Joh. Pontani, à Joh. Wittichio* conſil. medic. 77. &c. memoratam.

Ad Pectorum inſuper ut & Naſcalium dictorum compoſitionem frequenter cùm Moſchus adhibeatur, de illis quoque commodè hic aliquid dicendum eſt. Bambax itaque moſchatus, ſive odore Moſchi imbutus, idem Moſcho perfuſum, Galia moſchata, Alipta moſchata, ab *Hollerio* l. 1. de morb. intern. cap. 59. indicata hîc conducunt. Sic lanam xylinam Moſchelæo madentem, & in quo reſolutus fuerit Moſchus, *Platearius*, atque petiam tenuem Galiâ moſchatâ ad caſtaneæ quantitatem infarctam *Leonellus Faventinus* cap. primo. de matr. adfect. commendant. Idem etiam Moſchus aliaque aromata &c. non ſaltem cum oleo & bambace, ſed & terebinthina, cera, melle, balſamo, ſtyrace liquida, ladano, vitello ovorum, coagulo leporino, adipe, vino, aquâ roſatum &c. excipitur, & ita in digitalem formam faſtigiatus, immediatè & per ſe, ſi fuerit ſolidior, vel, quod præſtat,

linteolo tenuiori ac molliori, aut rarioris texturæ ſindoni incluſus, in ſinû pudoris imponitur, vel ipſi uterino collo intruditur. *Sunt qui majuſculum ficum findant, inverſumque ambrâ, cinnamomo, moſcho, aut alio convenienti pulvere farciant, deinde faſtigiatum in orbem circumdent ac conſuant, ſiccatum demum compungant, ut concluſum aroma poſſit tranſpirare* : verba ſunt *Lubert. Eſthii* de formul. tract. par. 1. ſect. 8. cap. 1. Sed exſiccatio iſta ut fiat, non opus eſt, quam itaque *Heurnius* non determinavit, dum ficum inverſum diambrâ, cinnamomo, & Moſcho implendum, filo ſericeo orbem conſuendum, & tandem ſæpe pertundendum eſſe prodidit. Ubi etiam non poſſum non Peſſarii ſaccharini mentionem facere, quod *Balth. Brunnerus* Conſil. med. 64. propoſuit, Morſellum nempe in formam peſſarii, vel veretri efformatum, in impotentia aphrodiſia devorandum, qui ut Ambrâ, ita & Moſcho perquam aptè condiri poſſet, & non tantùm virtute ſuâ medicâ confortationem partium generationi inſervientium reſpicit, ſed & formam iſtam ob externam, facultatem imaginativam conſopitam, cùm objecta moveant ſenſus, quodammodo excitare potens eſt. Quamvis ex figuratis illis pharmacis nemo fortè alius, quàm laſcivior aliquis delectationem capere, & Medicus abſque honeſtatis macula, ſimilia coordinare vix poſſe, videri queat.

Nec Sapones tandem moſchati, tum capiti in remedium cedentes, tum odoris, in lavando & mundando capite, manibus &c. gratiâ expetiti, hic ſunt tacendi, quorum varias deſcriptiones, majoris minoriſve adparatûs, *Fallopio*, *Auda*, nec non *Diſpenſatorio Auguſtano*, claſſ. 13. Exc. *D. Caſp. Theoph. Bierlingii* Adverſ. curioſ. append. cap. 24. *Joh. Bapt. Portæ* Mag. natur. lib. 11. cap. 7. *Lub. Eſthio* l. d. ſect. 9. cap. 6. *Greg. Horſtio* de tuend. ſanit. lib. 2. cap. 1. *Joh. Agricola* in Popp. chim. part. 2. *Hadr. Mynſichti* Armament. chim. ſect. 9. *N. de le Febvre* Chim. par. 2. *D. Ioh. Helf. Iunken* cham. exper. cur. ſect. 2. cap. 11. aliiſque. Hiſce jungere liceat Unguenta ſaponaria, Saponis Neapolitani nomine, qualem plurimùm laudatum noſtro hoc tempore Monachi Olivetani vendere Neapoli ſolent, inſignita, quorum parandi rationem *Alexius Pedemontanius* par. 1. lib. 2. de Secret. & par. 2. edocuit, cui aliam addere libet, ab *Hieron. Reuſnero* in ſuo tract. MS. de pollinct. cadaver. recenſitam, àque *D. Simone Simonio*, Profeſſore quondam Lipſienſi acceptam, qui Sapo ex ℔iij. pingued. cerv. & ℔j. lixivii acris cum calce viva facti, invicem lento igne permixtis, ſenſimque Solis vel fornacis calore ad debitam conſiſtentiam redactis, ſive quouſque inter agitandum quaſi fila ducere incipiat, conficitur, admixtâ tandem aquæ roſaceæ librâ dimidiâ, in qua priùs ſtyrac. calam. ℥ii. cinnam. caryophyll. ā. ʒß. N. M. ℈j. ambr. moſch. ā. gr. x. trifol. odorat. ℥ii. in M. B. vaſe benè clauſa infuſa fuerat. Quæ ipſa ab artis perito facilè mutari inque elegantiorem formam redigi poſſunt.

De Candelis fumalibus, Aviculis Cypriis vulgò dictis, ſæpe cum Moſcho componi ſolitis, nihil dico, quia ingratum potiùs fœtorem, dum comburuntur, iiſdem adfricat, cùm tamen odoris ſe gratiâ commendare debeant,

De Medicamentis Moſchatis mediæ conſiſtentiæ.

In medicamentorum, mediæ quæ ſunt conſiſtentiæ, ſerie primum locum Electuariis, tribuo, interque illa nobiliſſimo, ab *Ebn Maſvia*, ſive ut communiter vocatur, *Ioh. Meſue*, Damaſceno, invento, ex granis tinctoriis ſive Kermeſinis, aut Cocco baphica parato, quod ſub Confectionis Alkermes nomine in Officinis ubique ferè locorum proſtare ſolet. Cujus tanta eſt dignitas & præſtantia, ut *Ioh. Schyronio* lib. 2. Meth. med. cap. 44. mortuorum vita audiat, iis nempe, quibus auro conſperſa oculos paſcit, odoris ſuavitas ſpiritus recreat, & dulcamara ſaporis amœnitas vires inſtaurat, ſicque virtutum ſuarum gratioſâ & immenſâ congerie vix ulli cedens remedio. Nec, alios ut prætercam, conſenſus dandus *Ioh. Manardo* annot. in compoſ. Meſ. *in hac*, ſcribenti, *nunquam jactarem pecunias*, cum neque in ſerico, neque in cocco aliam niſi vim adſtringentem agnoſcat, rubrique coloris ratione cor potiùs lædat, quàm juvet, ſpiritus nempe & ſanguinem, propter ſimilitudinem trahendo, cyaneus verò lapis vomitum & ſeceſſum proriret quidem, præ exigua tamen ejus quantitate non promovendo magis noceat. Sericum equidem magnum compoſitioni momentum addere non credo, ita ut abſque hæſitatione ulla omitti poſſe facilè largiar, ob id ipſum tamen compoſitum totum rejicere, nimis rigoroſum eſt judicium, cyanei vero lapidis & cocci innocentiam Nob. *D. Guerner. Rolfincius.* Ord. & meth. ſpec. com. lib. 8. ſect. 2. cap. 31. ſatis vindicatam exhibuit. Prout nec audiri meretur *Ioh. Zvelferius* in Vindic. contra Vernium, odoris ſaltem gratiâ Moſchum additum perhibens, cùm revera cordialem inprimis, propter virtutem huc accedere dici queat, quam rectiùs inſinuant *Ioh. Ludov. Bertaldus* tract. de conf. alkerm. & *Ioh. Bapt. Corteſius* Miſcell. med. dec. 9. epiſt. 4. non quidem ob reliquorum ingredientium virtutis ad cor deductionem, ſed propria ejus ab energia ſperandam ſanguinis & ſpirituum refocillationem. Et ab eo, non ſecus ac granis coccineis, ambrâ, xylaloë & cinnamomo medicamenti efficaciam, gravis aliàs ejuſdem cenſor *Ang. Sala* de Chim. & Galen. error. tr. 2. deducit. Hinc ſanè minùs improbandum erit conſilium, quod olim *Ioh. Falco*, Univerſitatis Monſpeliacæ Profeſſor, dederat, ſuorumque Collegarum conſenſu, Moſchi pondus auctum, ab aliis dein multis pariter adprobatum, voluerat. Quamvis enim Ambræ doſin ob majorem tantùm, quàm nobis conveniat, à *Catelano* creditam, & bituminoſæ ſulphureæ, ad inflammationem propenſæ naturæ adſcriptam caliditatem, imminuere haud deceat, cùm tantus ipſi calor non inhæreat, qui in parvula illa doſi magis, quàm auctum Moſchi pondus nocere queat, qui Moſchus utique caliditate Ambram facilè ſuperat; neque etiam altera à *Catelano* adducta ratio, quâ Moſchum occidentalem, quo nos hodie uti cogimur, orientali, Veteribus quondam uſuali, puritate & perfectione longè inferiorem eſſe, multiſque modis adulterari ſolere ſcribit, multum evincat, dum uterque orientalis & occidentalis, impetrari hactenus haud difficulter potuit, imò hunc alteri illi bonitate minimè cedere, ſuperiùs jam demonſtratum fuit; & utrumque eidem adulterationis periculo, imò Orientalem, ut cariorem, magis quàm illum, eſſe obnoxium, eſt certiſſimum. Nihilominus ipſius Confectionis virtutum, cordis ſpirituumque confortationi ac ſerenitati dicatam, auctiori pondere egregiè adaugere poterit. Cur autem *D. Falco* Ambræ doſin immutare voluerit, *Laurent. Ioubertus* ſect. 3. Pharmacop. veroſimilem cauſam adſignaverat, videlicet: *ut minùs carum eſſet medicamentum*, Moſchi econtra adauctam: *ut ſatis odoratum maneret medicamentum*. Quâ verò ratione Compoſito huic is admiſceri debeat, peritum pharmacopœum latere nequit, atque ex ſuperioribus, Aquæ roſatæ, vel etiam ipſius Sirupi chermeſini particulâ ſolutum commodiſſimè eidem uniri, facilè colligitur. Qui modus etiam *Catelano* placuit; in pulverem tamen redactum adde-

addere quòd veritus fuerit, ne in vapores evaneſceret, ſupervacaneum ejus fuiſſe timorem, meritò adſtruitur, illis, quæ antea de pulveriſatione ejus fuerunt dicta, abunde id teſtantibus. Ut ignorantiæ idcirco maculam, quam Auguſtanis ipſe, circa ambræ admixtionem, inurbaniùs voluit inurere, ſi retorquere lubeiet, haud foret difficile. Licet enim Confectionem alkermes raro eſſe in uſu, propter *operoſam* ejus compoſitionem, ſcripſerint, *operoſum* tamen illud ad Ambræ artificium difficile reſtringere non docet, cum operoſum eſſe, & difficile eſſe, non parùm differant, Ambræ autem in Sirupo Kermeſino facilem liquationem jam antea *Auguſtani*, vel ex ipſo *Meſues* textu, ſatis cognitam habuerint. Cæterum omitti olim potuiſſe & benè etiam poſteriori in editione omiſſa fuiſſe verba iſta in noſtro Diſpenſatorio, præfractè non negaverim.

Ipſam deſcriptionem lib. de antid. *Meſue* tradidit, quam tum alii, tum *Auguſtani* Diſpenſatoriis ſuis inſeruerunt. Mutatam quodammodo illam in uſu habent *Monſpelienſes*, jam in antecedenti diſcurſu ex parte indicatam, ſed peculiari ſcripto à *Laurent. Catelano* Gallicè publicatam, Latinè poſtea per *Stephan. Strobelbergerum*, omiſſis inutilibus, edito notiſque illuſtrato. Aliâ longè & duplici quidem facie eam exhibuit *Herc. Saxonia*, dulcis & amaræ nomine inſignitam, àque *Phil. Müllero* lib. 5. Mirac. chim. & *Johann. Prevotio* de remed. mat. deſcriptam. Eandem non minùs aliâ facie indutam produxerunt *Nicolaus Myrepſus* in Diſpenſat. ſub titulo Antidoti è lapide radiante; nec non *Noſtradamus* in ſingulari libello.

Chimico etiam labore, vulgari rejecto, concinnatas delineant *Laurent. Eichſtadius* tract. ſpecial. de conf. alk. *Petr. Joh. Faber* Myrothec. ſpag. lib. 9. cap. 6. *Ang. Sala* de Chim. & Gal. error. tract. 2. & *Petr. Poterius* lib. 3. Pharm. ſpag. ſect. 3. Quæ tamen, ſi examinare cuncta eſſet animus, cenſuram non effugerent. Placet, magni Viri *D. Sim. Paulli* judicio, huic vel illi magis minuſve competente, in claſſ. 2. Quadrip. botan. p. m. 69. ſtare: *Ex confectione alkermes extractum parare velle, quid aliud eſt, quam actum agere, cùm ipſa per ſe ritè parata ſatis ſit elegans medicamentum, quod hac arte ſolùm pretioſius, non efficacius redditur.*

Quid *Zvelferus*, & quo ſucceſſu immutaverit, pluribus in claſſ. 14. Pharm. Auguſt. Reſt. pag. 246. & ſeqq. oſtenſum fuit.

Imò ipſis in *Meſues* operibus, tract. de Simpl. c. de lap. ſtell. alia ponitur ejus deſcriptio, tum cæterorum ingredientium quantitate diverſa, tum lapidis inprimis Lazuli doſi auctâ conſpicua, quam cùm fortè *Herc. Saxonia* vidiſſet, illam priorem improbare part. 2. Prælect. c. 1. ſuſtinuit, licet ℥xii. errori Scriptoris *Jacob. Sylvius* not. in Meſ. adſcribere maluerit, quam litem tamen meam non faciam, cùm utraque, pro diverſa intentione medica, locum habere queat.

Uſum attamen ejuſdem non omnibus convenire, præcipuè ob Moſchi odorem, plures adnotarunt, & rectè quidem, unde etiam nonnullis in Pharmacopoliis incompleta, i. e. ſine Moſcho & Ambra parata, proſtare ſolet.

A quibuſdam, ut & hoc memorare hîc liceat, in formam ſiccam transmutatur, quod jam olim *Annt. Foëſius* ſect. 1. Pharmacop. adnotaverat, quam ipſi conſiſtentiam largior ſacchari additio facilè conciliat, ut plurimùm verò in Trochiſcos, mucilagine tragacanthi inſuper, pro firmiori partium unione, accedente, compingitur, Moſchi etiam & Ambræ augmento ſacchari moles compenſatur; qualis v. g. præparationis modus nonnullis *Auguſtanorum* Officinis probatur ſequens: ℞. Conf. alkerm. Meſ. compl. ʒi. ſucci Kermes ʒii. moſchi gr. viii. ambr. gryſ. gr. vi. ſacch. Tabarz. penid ā. ℥ix. cū mucilag. tragac. aq. roſar. fact. q. ſ. F. Trochiſci. Aliis verò: ℞. Cōſ. alkerm. ℥iß. ſacch. alb. ℥xvi. moſchi, ambr. gryſ. ā ℈ß. mucilag. tragac. c. aq. roſar. fact. q. ſ. F. Trochiſci: Quam utramq; compoſitionē à *D. Parente* meo communicatam Exc. *D. D. Caſp. Theoph. Bierlingius* Adverſ. curioſ. append. c. 18. p. 91. nuper inſeruit. Quales Ampliſſ. *Collegium Medicum Noricum* in uſu habeat, in Diſpenſ. novi claſſ. 1. ſect. 4. tit. Trochiſcorum ſublingualium monſtravit. Color ſaturatior non ſucci tantū Kermes, ſed & particulæ Laccæ Florentinæ melioris, aut ipſius Cochinellę ope tuto cōciliari, Ambræ quoq; & Moſchi doſis pro cujuſq; lubitu augeri poteſt.

In Tabellas tamen, & ita conſequenter etiam Trochiſcos efformatam multò eſſe inefficaciorem *Bertaldus* admonet, id quod ob largum ſacchari additamentum negari nequit, niſi aucta poſtea Moſchi &c. doſis iſtum defectum ſuppleat.

Plura porrò Electuaria alia moſchata apud *Meſuen* inveniuntur, nempe Aromaticum moſchatum, ſimplicitate pariter & virtute ſe commendans, Electuarium dulce è Moſcho, Tryphera moſchata, Tryphera falsò Galeno adſcripta, pluraque alia. Nec inelegans, ſed minùs uſuale Electuarium moſchatum apud *Ebn Sinam* lib. 5. ſum. 1. tract. 3. invenitur. Aliquot Antidotorum è Moſcho nominatorum compoſitiones habet *Nicolaus Alexandrinus* in ſuo Diſpenſat. Confectio porrò hyacinthina, paſſim nota, eodem exornata eſt, cujus tres ſpecies diverſæ apud *Petr. à Caſtro* ſect. 8. de febr. punct. malign. aph. 17. 18. & 19. exſtant. videatur in *Pharmacop. Auguſt* & prolixiſſima apud *Zachariam à Puteo* ſect. 10. clav. med. rational. Moſchi quoque largam ſatis quantitatem medicamentum illud Sinicum, Cachunde adpellatum, à *Zacuto Luſi.* lib. 1. de Med. princ. hiſt. 36. & lib. 2. Prax. admir. deſcriptum, atque ex eodem tractatui de Adfect. hypoch. à *Paulo Zacchia* inſertum, recipit.

Conditis etiam quandoque Moſchi odor conciliatur, quorum exempla in Citriis pomis, Aurantiis, Perſicis, & Cydoniis habentur in cit. *Pedemontano* p. 112. & *Franc. Alexandro* Apoll. rad. 7. &c.

Conſervam citri moſchatam profert *Joſeph. Quercetanus* Pharmacop. dogm. reſt. lib. 1. c. 21.

Nunc ad Unguenta progrediamur, quæ equidem non aliud quàm Olea apud Antiquos fuerant, à quibus odoris ſaltem ratione, non craſſitudine differebant, Vid. *Vidus Vidius* lib. 8. de medicam c. 12. Qua ratione *Paulus Ægineta* lib. 7. cap. 20. Unguenta inter, quibus ad gratum duntaxat odorem utuntur, Moſchelæa quoque recenſet. Licet Romanorum quoſdam Unguenti craſſitudine maximè delectatos, *Plinius* jam lib. 13. Hiſt. natur. cap. 3. ſcripſerit, qui illini jam, non ſolùm perfundi Unguentis gaudebant. Quale etiam, moſchati ſub epitheto, habet *Aëtius* tetrabibl. ſerm. 4. cap. 115. ξυρόμυρον i. e. *Unguentum ſiccum* illud, ad differentiam alterius, Olei conſiſtentiam fluidam habentis, adpellitans. Aliud moſchatum *Joh. Georg. Schenckius* in lib. 4. paternar. obſervat. cap. de uteri ſuffoc. delineat, ex Zibethi gr. iii. Ambr. & Moſchi ā. gr. j. cum ſuccini oleo incorporatis, compoſitum. Simile ex iiſdem tribus odoramentis, æquali in doſi, cum oleo amygdalino dulci ſubactis, invenitur in Secretis *Pedemontanis*, quod etiam *Joh. Guintherius Andernac.* de Med. vet. & nov. com. 2. dial 8. protulit, iiſdemque verbis recenſuit *Joh. Heurnius* Meth. ad prax. med. lib. 1. pag. 57. Cui amygdalino *Ioh. Bapt. Beſardus* Antr. philoſ. part. 2. pag. 162. oleum jaſmini & florum citri ſubſtituit. Alii aliam doſin obſervant, prout Moſchi ʒiii. Ambr. ʒii. Zibethi ʒi. cum oleo amygd. ſubactas, ex *Iſabella Corteſia Ioh. Iacob. Weckerus* lib. 5. de Secret. cap. 5. exhibet. & Ambræ gr. x. cum Zibethi ac Moſchi ā. gr. iij. interventu aliquot ſucci limoniorum ſpirituſque roſati guttularum, in

Unguentum componit *D. Otto Tackenius* cap. 9. Hippocrat. medic. clav. Plura alia ut prætercam.

Hiſce meritò adnumerantur Balſama odorifera, Linimentorum nomine quandoque proſtantia, exempla ſuggerente *Matth. Untzero* lib. 2. cap. 7. ſect. 2. part. 1. de lue peſtifera, Moſchi additamento nobilitata; atque *Tentzelio* Exegeſ. chim. part. 2. ſect. 1. ſuperiùs traditam ex Moſchi, Ambræ, & Zibethi partibus mixturam, cum roſarum oleo inſtitutam, Balſamum odoriferum adpellante. Inprimis verò Cephalicis Balſamis compoſitis, Apoplecticorum nomine paſſim exſtantibus, ſæpe utiliter admiſceri ſolet Moſchus, qualia deſcribuntur à Celeb. *D. Dan. Sennerto* Med. pract. lib. 1. part. 2. cap. 33. Magnif. *D. Guern. Rolfincio* Chim. lib. 4. ſect. 5. cap. 3. *Auguſtanis* in Mant. hermet. Cl. *Georg. Hier. Welſchio* obſ. med. Reuſner. 10. *Oſw. Crollio* Baſil. chim. *Hadr. Mynſichto* Armam. med. chim. ſect. 34. *Joh. Pharam. Rhumelio* in Balſamotechn. *P. Fr. Bernhardino Chriſtino* in Arcan. River. atque nuper à Cl. *D. Joh. Helfric. Jünken* chym. experim. cur. ſect. 6. cap. 7. Quibus adnumerandum & illud, quod in Aula Brandenburgica Olei apoplectici (Aulicis *Schlag-Salbe*) nomine in frequenti olim uſu fuiſſe ſcripſit *Franc. Hildesheim* de cerebr. & capit. morb. intern. ſpicileg. 6. & quod Elixir balſameum ad apoplecticos vocatur in *Andr. Libavii* lib. 2. Alchim. tr. 3. cap. 1. Celebre apud plurimos eſt, quod Romanum adpellatur, in Collegio Romano S. I. parari ſolitum, à Nob. *D. Mart. Bern. de Bernitz* in Faſciculo 2. medicam. Cnoffel. communicatum, nec non *Michaëlitanum*, celeberrimo quondam Medico Lipſienſi uſuale, cujus deſcriptionem dederunt Viri clariſſimi, *D. D. Frid. Hoffmannus* Theſ. pharm. ſect. 4. & *D. Caſp. Theoph. Bierlingius* l. c. pag. 54. Licet paululùm in Ambræ doſi eædem invicem differant, prout & ipſe ab Amicis acceptas alias duas habeo, utramque Zibethi non ineleganti acceſſione, ut & aſphalto, pro nigredine inducenda, conſpicuam, alteram etiam in quantitate ingredientium, ol. N. M. ℥viii. moſchi, ambræ. Zibethi ā. ℈ii. ol. cinnam. ℈ii. caryoph. ℈iii. lign. rhod. ℈vi. Balſ. Peruv. ℈vi. requirente, admodum variantem, licet, ob plurium teſtimonium, priorem illam genuinam magis eſſe faciliùs crediderim. Nec ſileri debet *Wedelianum*, inter prima facilè collocandum, quod tum *εὐοσμίας* cauſâ, tum pro vertice, naribus, temporibus & lingua inungendis, uſui ejus inſerviens, mecum tamen, imò occaſione hac ferente, Tecum etiam, Lector benevole, communicare voluit, olei nuc. moſch. expr. ℥ß. caryophyll. cinnam. ligni rhod. ſuccin. rutæ, ſpicæ, ſalv. ambræ liq. ā. ℈j. moſchi, Zibethi, ambræ ā. ℈ß. balſ. Peruv. ʒj. gum. aſphalt. ʒß. vel j. recipiens; id quod, addendo particulæ, v. g. ad ʒj. guttas aliquot olei C. C. fœtidi, hyſtericum ex tempore reddere ſolet. Ubi ſanè nulli horum ſuavitatis eximiæ laudem denegare, aut unum alteri præferre ſimpliciter aut pertinaciùs vellem, cuilibet proprium ut placeat judicium, permittens; qui nonnullis Zibethi, Cinnamomi alteriusve à prævalente odore gratiorem comparere mixturam, haud ignoro. *Ut enim*, verba ſunt *Joh. Heurnii* Med. ad prax. ubi de Pomis odoratis medicinalibus agit, huc maximè adplicanda, *variæ hominum facies ſunt, ita ferè nihil commune habet cum alio, cujusque ſuaviſſimi odoris judicium; his moſco fragrantius eſt cinnamomum: illis utriusque caryophyllus: adeo ut nulli ſit de odoris dulcedine judicium idem.* Quod & in ſaporum judicio, ut reliquos ſenſus prætercam, aliis in ſacchari dulcedine, aliis in abſinthii amaritie delicias palati quærentibus, obſervatur. Nihilominus tamen, ut quid mihi videatur, edicam, confuſam obtinuiſſe fragrantiam, ita ut diſtinctorum ex ingredientibus effluviorum, in ſuo per aërem meatu ſe adſociantium, coalitio unam in ſenſorio, ut Ill. *Rob. Boyle* de nat. determ. effluv. cap. 3. loquitur, *εὐωδίαν* pariat; ſive, ceu *Caſ. Cremoninus* lect. 16. de ſenſ. extern. habet, novum aliquem odorem faciat, artificii laudiſque palmam mereri, credibilius videtur. Quam tamen harmoniam non certa ingredientium quoad pondus determinatio infallibiliter ſpondere valet, ob eorum in vigore, modò validiori, modò remiſſiori, maximam diſcrepantiam, vel in ſolo Zibetho, olea ut taceam, à Nob. *D. D. Claudero* cap. 4. meth. balſ. corp. hum. pag. 89. & 90. luculenter oſtenſam, ſed ipſa potiùs mixtura providè inſtituta, & ſincero narium judicio comprobata. Quanquam cæteroquin ullius ſuavitatis laudem in majori Unguentorum horum parte, ſi præſcriptum methodum ſimpliciter imitari quis velit, à Moſcho conciliari, ob excipientis, quod totum oleoſum eſt, unctuoſitatem moſchatarum atomorum exhalationi reluctantem, minimè perſuadere mihi valeam, atque ita, moſchata fragrantia ſi deſideretur, fruſtra hac ratione eandem exſpectari, Moſchumque inutiliter profundi arbitrer; niſi Spiritus roſati, alteriusve alicujus humidi aquoſi conſortium, quocum Moſchus ante mixturam teratur, acceſſerit, odoriferis ejus particulis ab oleoſarum penitiori obviſcatione hoc modo præmunitis, & liberiùs ita exhalantibus.

Moſchi uſus ſacer.

Odor divina res eſt: inquit *Jul. Caſ. Scaliger* Exerc. de ſubtil. 104. §. 4 *Divinam eſſe rem, priſcis ceremoniis Veteres prodidere. Suffitibus enim profitebantur aëris locorumque naturam aptam reddi ad Numina ſuſcipienda.* Quibus honorem cultumque eis ſacrare, ſicque & iram eorum, ſi quæ impenderet, placare, & in vota ſua DEUM trahere ſuperſtitioſi laborarunt. Hinc ſanè tura priſcos Ethnicos adolere frequenter conſueviſſe, proditum eſt. Et magnus ille *Alexander, Macedo*, in pueritia ſine parſimonia aris tura cùm ingereret, à *Leonide*, præceptore ſuo, idcirco reprehenſus, utque illo modo ſupplicaret, admonitus, tùm turiferas gentes deviciſſet, poſtea Arabiâ potitus, onuſtam thymiamate illo navem ei miſerat, exhortatus, *ut largè DEOS adoraret*, ceu loquitur C. *Plinius* Hiſt. nat. lib. 12. c. 14. Hunc in finem Cypheos odore templa quotidie in DEORUM honorem ſuffumigâſſe Ægyptios, & ad ſimilitudinem ejus *Andromachum* dein illud Cyphoidis medicamentum, pro elaboratione Theriacæ requiſitum, compoſuiſſe notat *Galenus* lib. 8. de comp. medic. ſec. loc. cap. 7. Neque hodierno adhuc tempore Paganorum in Indiis quidam Deaſtros ſuos odoratis venerari fumis intermittunt. Id quod ex quodam *Ludovico*, de Sumatræ inſulæ incolis apud *Joh. Langium* lib. 1. epiſt. med. 62. in ſpecie recenſetur, quorum nempe Sacerdotes, Dæmonum cultores, fragrantibus ſuffimentis plurimùm in ſacrificiis utantur.

Scilicet ſuperbus ille Spiritus, divinos adfectans honores, hac quoque ex parte DEI ſimiam agere voluit; CUI ſuavia placuiſſe thymiamata, àque Populo ſuo in Veteri Teſtamento religiosè accendi, imò & Sacerdotes, Templum, & Suppellectilem ſacram odorato Unguento perfundi juſſiſſe, non ignorabat. Vid. *Exod.* cap. 28. 29. 30. 40. & *Levit.* 8. 16.

Quin & hodierno adhuc tempore Odorum in templis quorundam Chriſtianorum frequentatum uſum perſpiciens *Scaliger* exerc. 103. §. 1. laudatiſſimam illam vocat conſuetudinem, ſpirituſque hominum ad mentis ſuſcitationem eos diſponere concludit. Quæ equidem examinare, mei non eſt fori. Hoc tamen indubitatum habeatur, ſuffitus illos, licet pretioſiſſimos, nihil omnino valere, ſi cordis puri ac pii fragrantia non concurrat; Atq; Divinæ Majeſtati hos potiùs eſſe abominabiles, ex

Pro-

Prophetis, *Eſaia* cap. 1. v. 13. ac *Jeremia* cap. 6. v. 20. colligimus. Ut ideo commendari mereatur illud Arabum proverbium, quod *Mahommedi*, peſti illi Chriſtianæ Eccleſiæ alias pernicioſiſſimæ, adſcribunt:

Gravcolentia oris jejuni gratior eſt DEO, odore moſchi.

Quæ ut hîc adducam, Medici illius Cæſarei, *D. Petr. Andr. Matthioli*, *Senenſis*, verba, Comm. in lib. 1. Dioſc. cap. 20. ſcripta, me permovent, qui & Moſchum in orbiculos à quibuſdam componi, eiſque funiculi trajectis, angelicas ſalutationes, ut ipſe loquitur, in cœlum eructari, notat, ut DEIparam Virginem odoris ſuavitate concilient. Quamvis nec DEUS ipſe, nec Cœlicolarum ullus hiſce adficiatur, niſi, ut alia taceam, Animas illas beatas corporeas dicere, atque Creatorem impiè quis creaturam proclamare vellet.

Ipſæ Preces pio corde effuſæ verum illud ſunt Incenſum vel Suffimentum (*Pſalm.* 141. verſ. 2. & *Apocalipſ.* cap. 5. verſ. 8. cap. 8. verſ. 3. 4.) quod Divinam nobis gratiam conciliat, à corporali iſto fumo ſuaveolente & alta petente quaſi adumbratum, ideoque etiam, *Zaccharia* adolente, Populum adoraſſe, uti *D. Lucas* cap. 1. verſ. 9. habet, memorari meretur.

Moſchi uſus politicus.

Suavia Odoramenta & Aromata priſcis jam temporibus fuiſſe Regiis in deliciis, vel ex Sacro Codice novimus, Theſauros utpote inter Judaicos Regis *Hiſkiæ*, 2. Reg. 10. verſ. 13. 2. *Paralip.* 32. verſ. 27. & *Eſaia* cap. 39. verſ. 3. Babylonico Legato ambitioſè oſtenſos, repoſita; & Regibus digna inter donaria reputata, qualia Reginam illam Arabicam Sapientiſſimo *Salomoni* obtuliſſe, 1. *Reg.* 10. & 2. *Paralip.* 9. legitur. Moſcho autem noſtro quamvis vilior ortus Magnatum ad Aulas adſpirare vix conceſſiſſet, odoris tamen nobilitas, virtutis excellentia, ipſaque ejus raritas, ut magno habeatur in pretio, efficit. Hinc & dona inter Regia locum invenit, quibus tum fœdera confirmantur, tum Principum gratia ſollicitatur. Sic non ita dudum Sereniſſimis Saxoniæ Ducibus à Magni Moſcoviæ Ducis Legatis Folliculorum quoque moſchiferorum donaria fuiſſe oblata, ex Cl. *D. Dan. Ludovici* relatione in Ann. V. Ephem. Germ. Curioſ. obſ. 205. percepimus. Et Auguſtiſſimo CÆSARI, MATTHIÆ, Ann. Chr. 1615. Turcicum Legatum, alia inter munera, Moſchum quoque attuliſſe, ex *Metterani* lib. 22. Hiſt. Belg. *D. Juſt. Fid. Klobius* in ſua Ambræ hiſtor. jam notaverat. Quem & Sacratiſſimæ Cæſareæ Majeſtati, LEOPOLDO noſtro, ad Cujus Auguſtiſſimos Pedes Theſauros, Victoriæ ſigna, ſupplex ut Oriens deponere porrò cogatur, Cœlum devotè veneramur! à regnante hodie Turcarum Tyranno tranſmiſſum Ann. Chr. 1665. fuiſſe recordamur, inque *Theatr. Europ.* To. 9. pag. 1510. videri poteſt.

Moſchi ſanè pretioſitas in cauſa eſt, ut theſauros inter regios eum reponere Peguani ſoleant, teſtante id *Caſp. Balby*, *Veneto*, in Itinerar. Orient. Vid. & Nobil. *D. Eraſmi Franciſci* pars. 3. *des Oſt-und Weſt-Indiſchen Luſt-Gartens*. Quod etiam apud Turcas obſervari *Tavernierius* in libello: Relation del' interieur du Serrail du grand Seigneur cap. 8. perhibet.

Quàm proficuus ſit Moſchi proventus Sinarum Imperatoris ærario ditiſſimo, ex *Joh. Mendoza*, lib. 3. deſcript. regn. Sinic. cap. 4. notum eſt, cùm priſcis temporibus vectigal, à Moſcho contributum, ſubſequenti tempore etiam longè auctius decies centena & triginta quinque millia Taës annuatim addiderit, quæ noſtræ monetæ æquiparata, ſummam Imperialium tredecies centena & viginti unum millia, octingenta & nonaginta quatuor, cum tribus unius partibus conſtituit; Monetâ utpote illâ Sinicâ Taës trecentos ſexaginta quatuor Martevadis Hiſpanicos; Imperiali verò ducentos octuaginta quinque Martevadis adæquante.

Moſchi uſus OEconomicus.

Hîc primò ad Culinas divertere animus eſt, in quibus ſæpe, pro condiendis cibis, Moſchus conſumitur. Licet autem Cl. *Joh. Bapt. Montanus* conſil. de febb. 23. perſpectiſſimum illud eſſe judicaverit; res nullas ſibi invicem magis adverſari, quàm egregium coquum, & præſtantiſſimum Medicum, cùm contraria penitus ſint eorum inſtituta, hoc utilitatem & ſanitatem, illo delectationem & adulationem pro fine habente, ideoque Moſchi etiam odor à Medico aliiſque ſanitatis avidis coquorum manibus ſubducendus videri queat, id quod aliquando non improbaverim, interdum tamen & prodeſſe, & delectare ſimul cibus ita conditus valet. Unde *Joh. Dominic. Sala* lib. de aliment. & eorum rect. adminiſtr. ſect. 1. cap. 8. de alimentorum condimentis agens, ſæpe eſſe ea neceſſaria ſtatuit, ut cibi indè vires aliquas adquirant, nocumenta amittant, atque ideo ad ſanitatem magis conducant. Quæ inter etiam, ut benè oleant, requirit, *atque tanti equidem*, addens, *facio hanc conditionem; parum abſit, quin odorata tanquam alteram condimentorum differentiam à ſapidis proponam*, Moſchum deinde iiſdem adnumerans. Scilicet cùm alimenta vix dentur ſimpliciter talia, quæ non medicamentoſa ſimul exſiſtant, & alterandi aliquam vim poſſideant, cur Moſchus admiſceri iis nequeat, nullam cauſam video, hinc ab eodem *Sala* alimentis, attenuandi, diſcutiendi, venerem ſtimulandi, & cor roborandi virtute præditis Moſchus quoque adcenſetur cap. 15. & 16. Quæ alterandi potentia licet Odoramento noſtro denegari nequeat, ipſe tamen an benè alimentorum ſolidioribus corporis partibus dicatorum in catalogo reponatur, diſquiri poteſt? Si non aliud, quàm ſanguis, caro, renes, aut teſticuli animalis moſchiferi foret, aliquam nutriendi vim utique poſſidere non dubitarem, ſi tamen eædem partes putrefactionem, antequam in odoratum iſtud liquamen abirent, paterentur, cùm hac ratione gelatinoſæ illæ, fibroſæ, craſſæ, & concreſcibiles particulæ nutritivæ attenuentur, ac quaſi deſtruantur, nutriendi poteſtatem retinuiſſe, dici ampliùs vix poſſent. Aſt dum ſingularem aliquam ſuccum in folliculo collectum eſſe ipſum innuitur, nec ſero nutritivo, glutinoſiore ſcil. fortè omnino deſtituetur, à quo etiam compactiora illa granula in folliculo qualitatem iſtam, trituram nonnihil difficiliorem reddentem, nanciſci autumo. Cùm tamen minima in mole, quâ famelicus venter nullo modo ſaturatur, in uſum venire ſoleat, eo ipſo magna nutritivæ, in eo facultatis conſideratio haberi haudquaquam debet. Utrùm verò, quatenus odoratas continet particulas, nutriat, magnâ vix opus eſt diſquiſitione? Licet problema hoc de odore nutriente tot alii ad nauſeam uſque pertractaverint. Paucis: Nutritio quatenus & evidens eſt, & ſolidiores corporis partes reſpicit, odori moſchato, ſubtiliſſimo cuidam & quaſi incorporeo Gas aut exhalationi, nullo modo competere poteſt, quatenus autem ſubtiliores corporis partes, Spiritus, una ſpectat, revera eoſdem nutrire, augere & reſtaurare, non inconcinnè adſtruitur. Quò ſpectat *Hippocraticum* illud lib. de alim. *Quicunque celeri adpoſitione indigent, humidum medicamentum ad reſumendas vires optimum: quicunque celeriori, per olfactum.*

Miſſâ idcirco nutritivâ illâ, ut & medicatâ potentiâ, alteram iſtam, quâ odoris gratiâ cibos, tum fami ſedandæ, tum gulæ demulcendæ deſtinatos, perfundit,

pauliſper intuebimur. Moſchum ſanè primas inter hominum in cibis delicias haberi, *Anton Fumanellus* cap. 4. de peſt. ſcribit, & à *Georg. Bertino* lib. med. 18. cap. 18. alimentorum inter odoramenta & condimenta reponitur. Hinc in Gallia aliiſque locis aves eodem, cujus tandem odorem referant, enutriri, *Burrhum* etiam Ambrâ & moſcho gallinas cibâſſe, ovis earum indè odorem iſtum ſuſcipientibus, *D. Gregor. Horſtius* in Geſnero ſuo aucto, lib. de quadrup. prodidit. Quanquam curioſa hæc ſint, & moſchum adſumtum in fœtorem non commutari, quod innuere videtur *Ioh. Bapt. Helmontius* §. 46. tract. de flatib. adprobent, ſi culinarium tamen ſaltem ſpectemus uſum, prolixitate illâ haud opus eſt, cùm ipſe moſchus cibis immixtus odorem facilè ſuum eiſdem largiatur. Hac ratione quoſdam ſalaciores, ut potentiùs in venerem ruant, ovis ſorbilibus vel frixis veſci cum multo moſcho, *Ioh. Renodæus* lib. 2. Inſtit. pharmac. c. 28. teſtatur. Iſtâ tamen ipſius moſchi immixtione, haud exiguo cum emolumento, carere liceret, ſi artificium ab *Hier. Cardano* lib. 13. de ſubtil. pag. 696. propoſitum, eventu reſponderet; hæc autem ſunt ejus verba: *Modus alius in his Apitii ad compendium rei familiaris, quo odor & ſapor manet, ſemunciaque cinnamomi in totum annum ſufficit. Cinnamomum tenue odoratum, diviſumque in fruſtula ſemunciæ pondere inter 12. aut 26. amygdalas excorticatas reponito, ac conſtringito: his pro uſu ſublatis, alias reponito. Sic etiam parvâ impenſa edes omnia moſchi odore fragrantia.* Quæ licet aliquo modo ita ſe habere, negari nequeat, nimiùm tamen ὑπερβολικῶς eſſe dicta, nemo non facilè deprehendet.

Quàm prodigi ſint Peruani in moſcho pro ciborum conditura abſumendo. *F. Gregorius de Bolivar* apud *Ioh. Fabrum* in Hiſt. natur. mexic. retulit, apud quos ſine eo parari vixpoſſe cibus creditur, ſive pulmenta fuerint, ſive illinctus, intrita, aut panis dulciarius, cruſtulata, liba, placentæ, aut artocrea coquantur.

Convivium Regis Peguani coronatione dicatum cibos moſchatos & ambratos exhibere, in *D. Eraſmi Franciſci* Horto Ind. & Sin. pag. 1526. memoratur.

Splendorem etiam ex eo conviviis ſuis Turcæ conciliant, quod inprimis *P. Paulus Tafferner* teſtatur, Illuſtriſſ. *D. Comitis de Leſlie* Legationem ab Auguſtiſſimo LEOPOLDO noſtro demandatam recenſens, Convivium etenim à Turcarum Imperatore Adrianopoli factum deſcribens, ferculorum pompam potiſſimùm è ſaccharo, & ambrâ confecto fuiſſe pag. 60. effatur.

Quod & aliæ paſſim Nationes; ipſique Germani noſtri variis ſuis in Conditis & Confectionibus, ſaccharatis, amygdalinis &c. obſervant.

Patavini Lucanicas parare ſolent Moſchi odore non ingratas. Mixturam, quam Diaſynapin, vulgo Moſcardam ſive Muſtardam vocant, Itali inſtar Electuarii conficiunt cum moſcho ſuaviſſimam, in noſtram etiam hanc Urbem quandoque Venetiis advehi ſolitam, ſapore & odore egregiè ſe commendantem, cujus mentionem quoque facit d. l. *Ioh. Dom. Sala.*

Quamvis autem *Franc. Valleriola* lib. 1. Enarrat. med. 4. odores ſuaves, non alimentares, qualis eſt moſchatus, ſi alimentis miſceantur, ingratos plerunque eſſe ſolere, perhibeat, ita ut locum fecerint proverbio: ἐν φακῇ μύρον: *in lente unguentum*, idem tamen de moſcho edici nequit niſi ab ejuſdem odore, cuicunque rei aliæ adjuncto, naturâ ſuâ, vel aliàs etiam ſimplicitati victûs ſtudens quis abhorreat, vel adplicari debeat illud *Senecæ* in Conſol. ad Helviam cap. 9. dictum: *Quod diſſolutus deliciis ſtomachus vix admittat, ab ultimo portatur Oceano.*

In potu inſuper locum invenit. Quod itidem de Peruanis Autor antea ex *Fabro* adductus refert, eo nempe in ſingulis ferme poculis potûs ſui non tantùm ſolvere & abligurire Moſchum, ſed integris etiam vinorum in doliis compoſitionem ex caryophyllis, cinnamomo, citri & aurantiorum corticibus, cum plurimo moſcho in ſacculos congeſtam ſuſpendere. Et præfatus *Tafferner*, apud Proto-Vezirium, ſiti attemperandæ, frequentius Schorbetum, potum ex delectis liquoribus confectum, ſaccharo, ambrâ & moſcho redundantem, fuiſſe admotum, pag. 70. memorat. Qualem non minùs delicatiſſimum innuunt *Petrus della Valle* part. 1. Itinerar. epiſt. 2. & *Ioh. Bap. Tavernier* loc. antea cit. cap. 3. Idem de Ægyptiis eloquitur *Proſp. Alpinus* lib. 4. de medic. Ægypt, c. 3. qui maximè & frequenter delectentur tum Potionis genere, itidem, ut ipſe pronunciat, Sarbet (de qua voce videri poteſt *Ioh. Veſlingius* not. ad Alpin. cap. 34.) ſive Potu per excellentiam vocato, ex ſaccharo cum magna aquæ quantitate diſſoluto, limonumque ſucco, quantum ad acidiuſculum ſaporem aquæ inducendum ſufficit confecto, & à Nobilibus modico moſchi & Ambræ condito: tum & Anguriarum aquâ, dum optimam eamque amplam Anguriam perforant, Moſchumque & Ambram, cum modico roſaceæ aquæ diſſoluta, per foramen injiciunt, ſicque cum aqua permiſcent. Conferatur ejuſdem Cap. 38. de plant. Ægypt.

Qui odorata cum potu miſcendi modus antiquitus etiam apud Romanos invaluerat, teſtante id *C. Plinio* Hiſt. natur. lib. 13. Cap. 3. & : *Quum perfuſa merò ſpumant unguenta Falerno*, canente *Juvenali* ſat. 6. Vid. *Hier. Mercurialis* lib. 2. Variar. lect. Cap. 19. & inprimis incomparabilis *Octav. Ferrarius* lib. 2. Cap. 3. cum Nob. *D. Thom. Bartholino* hypomn. 2. de cruce Chriſti, §. 3. Ipſoſque etiam Græcos, ceu *Ælianus* lib. 2. de var. hiſt. & *Athenæus* lib. 15. Cap. 15. referunt. Quod tamen Potionis genus, præſertim repleto jam ſtomacho, oleoſas innatantes guttulas, tantam gratiam haudquaquam obtinuiſſe potuit, quantam Moſchi commodior mixtura noſtro tempore promittit.

Fructus inſuper odoratiores & ſuaviores ut fiant, Moſchi beneficio quidam tentant efficere, exemplum ſuggerente Rev. *P. Athanaſio Kirchero* Mund. ſubterr. tom. 2. lib. 12. ſect. 3. Cap. 4. pag. 3[illegible]9. Quod in ſpecie cum Melonibus inſtituendum artificium in *Alexii Pedemontani* Secret. part. 1. lib. 3. *Joh. Bap. Porta* Mag. natur. lib. 3. Cap. 16. *Hieron. Rubei* diſp. de melonib. pag. 3. &. *Iacob. Theodori Tabernamontani* Herbar. lib. 2. ſect. 3. Cap. 42. edocetur, ſemina nempe illa in cacumine aperta & aquâ moſchatâ macerata, poſt exſiccationem terræ mandando: vel etiam, quod *Ul. Aldrovandus* innuit, ſemina primò è terra germinantia, eâdem aquâ irrigando. Sic & Pruni ſurculos Moſcho intinctos, fructus odore illo imbutos ſpondere, ex *Coſtæo Aldrovandus* adnotat. Idem cum Vitis ſurculo, Moſcho deliniendo, & aliquantiſper in aqua roſarum moſchata macerando, prædictus *Porta* à *Paxamo* commonſtrat. Pyra etiam moſchata ſimili arte provenire, ſe expertum id credere innuit *Carol. Stephanus* lib. de re hort. taleæ nempe in parte inferiore fiſſæ Moſchi granum immittendo, ſicque inſerendo; alios autem vel trunci fiſſuræ eum imponere, vel taleam in fiſſura, ut dictum, eo inſtructam, ipſam in terram defigere perhibet. Idem inſitionis artificium tum in aliis, tum Ceraſo arbore inſtituendum tradit *Euchar. Röſlinus* Herbar. part. 4. pag. 72. vel etiam Moſchum arboreo trunco perforato imponendo.

Quod cum Floribus itidem quomodo impetretur, eleganter modum peroravit *Ioh. Bap. Ferrarius* lib. 4. de flor. cult. Cap. 7. Ubi ſanè in minutioribus iſtis ve-

ge-

getabilibus experimentum ſumenti facilius negotium ſuccedere poteſt, quàm in majoribus, & ad arboream expanſionem ac magnitudinem accedentibus. Licet hæc ipſa nonnunquam præ illis gratam imbibiti odoris moſchati exhalationem magis promoveant, ſi cæteroquin notabili per naturam odore deſtituantur; adeoque in minimis atomos per poros earum diffuſa Moſchi particula ſuum eò liberiùs odorem exſerere queat, cùm econtra ſæpe in minoribus plantis, qualis Vitis & Pruni reſpectu eſt Caltha Africana, abundans odor graveolens moſchato multùm reluctetur, antequam ſuperato ingrato ſulphure, ſuave illud ſeſe oſtendere liberè valeat. Me ſanè experimentum ſimile in Calendula ſtudioſè ſumentem ſperatus eventus deſtituit, nullaque vel minima nativi odoris in flore & herba iſta mutatio contigit.

Ad Veſtimenta etiam à tineis præſervanda *Paracelſus* lib. 3. de conſervat. rer. natur. Zibetho, Ambrâ, & Moſcho &c. nihil inveniri poſſe præſtantius, innuit. Ipſas Moſchi veſiculas ad veſtes à tineis & corruptione vindicandis apud femineum ſexum magno eſſe in uſu, *Laur. Eichſtadius* Cap. 13. de Conf. alk. ſcribit. Id quod dubio procul ex *Fabr. Fallopio* hauſerat, qui Com. in lib. 1. Dioſc. Cap. 24. idem edixerat, addens: *Nam hoc opportunum eſt, & omnia etiam odoramenta corrumpunt tineas, & ſunt in cauſa, ut dentes earum pereant.* De quo tamen quid ſentire debeam, ferè hæreo. Veſiculas quidem per ſe, ut tales conſideratas, virtute hac eſſe inſtanctas, nemo facilè ſibi perſuadere poterit, cùm odori potiùs eis adhærenti mereatur adſcribi. An tamen ipſe etiam Moſchus efficere id queat, dubium adhuc ſupereſt, præcipuè ſi modus operandi à *Fallopio* indigitatus attendatur. Quamvis enim tineis dentes denegare, ipſa, quam moliuntur, corporum, ſolidiorum ſæpe, corroſio prohibeat, capere haud poſſum. Nec aromatica illa odoris vis hîc ſimpliciter attendenda eſt, cùm & membranas ſæpe, ſive veſicas bubulas &c. quibus vitra oleis aromaticis aut ſimilibus plena muniebantur, corruptas ab eis viderim. Unde ſi non ſingularem aliquam cum hoc odore antipathiam, creditu perquam difficilem, quâ ſubtiliſſimus Moſchi ſpiritus flammulam vitalem in animalculo iſto perpuſillo minimam exſtinguere poſſit, fingere velimus, virtutem iſtam revera omnino commentitiam, & mundatum beneque elaboratarum veſtium diligentem ac convenientem repoſitionem, cui delicatæ iſtæ feminæ, deliciarum talium odoratarum ſtudioſæ, maximam utplurimum curam impendere novimus, omne hîc complere punctum, aut etiam odoris quæſitam conciliationem ſpecioſior hâc larvâ excuſari à quibuſdam, mallem dicere. Imò minùs hæc credibilia reddit ipſa folliculorum à me obſervata nuper corroſio, quam vermes exteriùs advenientes, atque per membranoſocarneam illorum ſubſtantiam in ipſam uſque cavitatem, Moſcho laudabili turgidam, penetrantes effecerant.

Paucis tandem hîc tangenda eſt Electuariorum & Maſſarum pilularium per Moſchum quæſita conſervatio, à *Leonh. Floravanti* lib. 5. Secret. Cap. 29. deprædicata, quâ nimirum fiat, ut medicamenta iſta, perſe corruptioni obnoxia, nunquam putreſcant, aut vires deperdant. Id quod ſanè nunquam à Moſcho impetrabitur, niſi medicamentis ex ſua natura æternitatem ferentibus id adſcribere quis ipſi præter meritum velit. Certum itaque apud me eſt, ſi aquoſis & putredini facilè obnoxiis abundent, balſamicis verò careant partibus, qualia ſolent utplurimum eſſe Decocta, à *Floravantio* etiam circa finem memorata, Moſchum tam egregiam operam præſtare nequaquam poſſe, præcipuè cùm & ipſe humido aquoſo ſolutus à putredine diu ſe vindicare minimè valeat.

Moſchi uſus Coſmeticus.

Quàm prodigi in odoribus diſperdendis Antiqui fuerint, vel ex *Plinio* abunde colligimus, cùm & pedum veſtigia Unguentis tingere, ſolia iis temperare; parietes balinearum adſpergere, pulverulenta imò illa & cuſtodiis horrida ſigna, Romanas aquilas, inungere quòd conſueverint, loc. ſuperiùs cit. ſcripſerit. Quæ tamen, licet odoratiſſima, ideoque etiam commendatiſſima, (juxta illud *Catulli*:

Unguentum dabo, quod meæ puellæ
Donarunt Veneres Cupidineſque;
Quod tu cùm olfacies, Deos rogabis,
Totum ut te faciant, Fabulle, naſum.)

Magna ex parte exoleviſſe poſtea, conſtat, cùm Moſchus, Ambra, & Zibethum, illis utpote longè ſuaviora, innoteſcere atque ad nos adferri cepiſſent. Ita ut Moſchi uſum ad luxuriam uſque hodie frequentari, ac plus de eo voluptatis, quàm ad ſanitatis cultum abſumi videamus. Unde *Alex. Benedictus* l. 13. Pract. C. 16. *Animalis vitium ſeculo noſtro placet, & in vitium vertitur:* rectè ſcripſiſſet, ſi, quod putabat, ejus generatio apoſtematis inſtar ſe haberet.

Collo ſanè, auribuſque ſuſpenditur, veſtimentis interponitur, chirothecis illinitur, crumenis includitur, ore circumfertur, barbæ & ſuperciliis inungitur, ordine hæc enumerante *Matthiolo* Comm. in Dioſc. Tales moſchatos globulos, tanquam monilia, collo mulierum vel carpis adpendendos *D. Caſp. Bauhinus* lib. 1. de comp. medic. Cap. 59. delineat, ac mulieribus in Hiſpania & Italia eſſe familiares *Joh. Guintherius Andernac.* de med. vet. & nov. comm. 2. dial. 5. *Amatus Luſ.* comm. in Dioſ. lib. 1. text. 20 atque *Aldrovandus* l. c. teſtantur. Sacculos odoratis rebus, ipſoque Moſcho impletos, veſtibuſque interponendos habet *Alexius Pedemontanus* part. 1. & 2. Secret. Paſtam ad barbæ inunctionem Quadripartitum botan. *D. Simon. Paulli.* claſſ. 3. Cap. de Gelſemino. Chirothecarum aliarumque pellum odoratarum conficiendarum artificium, præter alios, inprimis *Joh. Bapt. Beſardus* in Antr. philoſoph. *Joh. Bapt. Porta* Mag. natur. & citatus *Alexius* in Secr. tradiderunt; quanquam illos modos, cum jaſmini oleo, aliiſve hujuſmodi unctuoſis quos inſtituunt, Moſchi intuitu minus adprobare queam, cujus utpote odori pinguia illa reluctari ſupra oſtendi, & ſi quam pelles iſtæ fundant gratiam, additæ potiùs Ambræ, Zibethi, Styracis & Benjouini, florumque odori eam deberi, nullus dubito, ut itaque magis commendem, licet & pretioſiorem, modum, quem illi ipſi cum ſolius Ambræ, Moſchi, & Zibethi mixtura proponunt, illiſque prioribus ipſimet præferunt, quâ ratione quoque Linimentum *Tackenianum*, pellibus adfrictum, incredibilem ſpirare odorem, Autori facilè adſentior, præcipuè cùm ſpiritus roſarum & limoniorum ſuccus eidem jungantur.

Sed & plures inſuper alii Moſchum conſumendi dantur modi. Hinc induſia, ſtrophiola, aliaque menſæ & lecto inſervientia linteamina, ut & veſtes, ipſaque triclinia & cubilia odoratis guttulis vel ſaltem halitibus imbui novimus, dum aquâ roſaceâ &c. ſolutus, lenique carbonum igne ſuppoſito, in cocula, ſic ex *Pompejo* à *Joh. Renodæo* dictâ, æneâ vel argenteâ, quam etiam aliàs Caſſoletam adpellant, attenuatus, ſubtiliores & odoratas ſenſim atomos ſuas cum aqua exhalat, atque obviis quibuſvis inſpirat, qualem Aquam, ut reliquas multorum prætercam, exhibet *N. de le Febvre* in ſua Chim. Ipſis Aquis coſmeticis, propriè ſic dictis, non infrequenter additur, taleſque plures delineavit *Dom. Auda* in Secret. Aliis tamen ſiccior exhalatio magis arridet, quem in finem Pulveres, Candelas, Trochiſcos & Paſtas frequentant, de quibus

in ſuperioribus jam actum fuit; inprimis verò Maſſas Hiſpanicas, Italis Paſtiglia di Spagna, Bacillos pro fumo aliàs dictas commendant, reverà à Pomis odoratis non differentes, eo ipſo commodiores, fornaci tantùm calenti adfricentur, ſicque calore iſto reſinoſæ partes eliquatæ, cæteræque etiam excalefactæ odorem ſuum blandè dimittant, cùm omnes illi Suffitus, vivo carbonum igne excitati, mixturam Moſchi inutiliter recipiant, qui utpote violento igne combuſtus empyreumaticum ingratum odorem eructat, ideoque rectiùs in compoſitione tali planè omittitur, niſi hujuſmodi Trochiſci laminæ potiùs alicui, argenteæ, ferreæ &c. calenti impoſiti, ad emittendas aporrhœas odoratas mitiori violentiâ reſolvantur. Quam mitem ſuffumigandi rationem propoſuit *Angelus Sala* Myrothec. ſect. 7. §. 34. de Trochiſcis xylaloës agens, non ſubito eos carbonibus exponendos, ſed batillo excalfacto ſuperimponendos eſſe dum monuit, & beat. *Sennertus*, Med. pract. lib. 1. part. 2. Pulveres iſtiuſmodi & Trochiſcos accendi non debere ſcripſit, cùm ſine flamma ſuaviorem ac fortiorem ſpirent odorem; imò ipſum *Ariſtotelem* id non latuit, Cur acutiùs ac diutiùs oleant aromata cinere ſuffita, quam igne? idcirco in Problematibus diſquirentem. Hinc etiam ad ignes artificiales excitandos fruſtra Moſchus, quem nonnullis hac ex parte laudatum ſcio, conſumeretur, quamvis enim muſcoſo alicui, v. g. in terreſtri illo Muſco, Perſic. Moſchis &c. teſte Clar. *Adam Oleario* Itinerar. Perſic lib. 4. cap. 24. familiari, occurrenti pulveri mixtus, non ingratum quandoque odorem in deflagratione ſpargere deprehenderetur, vel additi Moſchi exiguam ob quantitatem fœtor nares haud feriret, vel gratus odor muſcoſæ potiùs reſinæ deberetur, quem accenſum odore ſuo oblectare poſſe, vel Larignus ille, cujus *Matthiolus* in Comm. lib. 1. Dioſc. cap. 20. mentionem facit, luculenter oſtendit. Sic & fruſtra ob odoris gratiam indè quæſitam eundem conſumerent Peguani, ſi, quod *Caſp. Balby* in Itiner. memorat, ad Regis ſui cadaver comburendum adhiberent, odorque talis ſuavis benzoino potiùs aliiſque junctis odoriferis debetur. Quin & in durum Martis corpus odorem moſchatum transferre tentarunt, quales cultros gladioſque odoriferos nonnunquam curioſi aut delicatuli oſtendere ſolent, prout Exc. *D. Thomas Bartholinus* in Diſſert. epiſt. de tranſplant. morbor. ferrum in fornacibus accenſo igne excandeſcens bonos odores poris ſuis recipere perhibet, quem modum, ut & leniorem alium, ac, ex meo quidem experimento, ob reſolutas quaſdam inter fricandum Moſchi, præſertim recentis & humidiuſculi, particulas, per linei noduli poroſam texturam penetrantes, ſicque ferreo corpori ſe adglutinantes, meliorem *Beſardus* l. c. par. 1. pag. 227. delineavit. Quin & vaginarum interiores partes moſchato odore imbutæ ferrum reconditum vicinitate ſuâ valent inficere. In Practica manuſcripta Celeb. *D. Peſtri à Caſtro* hauriendi fumum tabaci modum invenio, ingenioſi atque jucundi encomio inſignitum, quo nempe fumus per aquam roſarum moſchatam deductus miro odore imbui ſcribitur. Sed quantumvis fœtoris tabacini vehementiam ipſa ſimplex etiam aqua fontana, oleoſas, fuliginoſas, empyreumaticas quaſdam abſorbendo, quodammodo emendet, nunquam tamen Moſchi in ea ſoluti odor in præpollente fumo percipietur. Aliàs & Perſas interdum, quibus fumum iſtum hauriendi modus ille eſt familiaris, aquæ odoratas alias admiſcere, teſtis eſt præfatus *Olearius* libro quinto cap. decimo ſeptimo. De Saponibus & Pulveribus Cypriis in præcedentibus quædam dicta fuere, obiter tantùm itaque hîc memorandis.

Nec Europæos tantùm noſtros hoc odorum faſcinavit deſiderium, quod cumprimis & remotiſſimas quaſdam gentes occupat, quales regni Siam incolas *Strauſſius* in Itinerario memorat. Frequentiſſimus in India Betre ſive Betele uſus apud opulentiores Moſchi etiam mixturam, pro commendatione oris, admittit, referentibus id *Garcia ab Horto* Aromat. & ſimpl. hiſt. lib. 1. cap. 18. *Arnoldo Montano* Legat. Batav. in Japon. & *Joh. Neuhofio* deſcript. regn. Sinic. cap. 15. Quos noſtri ſucco Catechu cum Moſcho & Ambra in cylindrulos &c. efformato imitantur. Imò in India quoſdam adeo odoribus eſſe deditos idem *Garcias* l. 2. c. 1. ſcribit, ut plerunque abſtineant cibo, quo habeant, unde odores ſibi comparare poſſint. Peruanorum in Moſcho prodigalitatem *F. Gregorius de Bolivar* apud *Fabrum Lynceum* enarravit. Quam turpiter & laſcive mulieres Ægyptiæ Odoramento hocce laudatiſſimo abutantur, referente *Proſp. Alpino* de med. Ægypt. lib. 3. cap. 15. nec quidem commemorare libet.

Tot ergò aliiſque modis odore Moſchi ſe exornare & oblectare amat hominum voluptas. Sed quàm benè, pauliſper diſpiciamus. Ubi ſanè mox agmine denſo hiſce voluptuariis odoribus ſeſe opponere multos novimus, in partes ſuas Poëtas, plurimoſque alios pertrahentes. Mollitiei ideo vitioſæ, laſciviæque notam ſuaviter fragrantibus inurunt, aut etiam innati fœtoris ac turpitudinis ſuſpicione eos onerant. Unde *Martialis Poſthumum*, & *Coracinum* reprehendens, de illo lib. 2. epigram. 12. canit:

Hoc mihi ſuſpectum eſt, quod oles benè, Poſthume, ſemper,
Poſthume, non benè olet, qui benè ſemper olet.

de hoc verò lib. 6. epigr. 55.

Quod ſemper caſiaque, cinnamoque
Et nido niger alitis ſuperbæ
Fragras plumbea Nicerotiana,
Rides nos, Coracine, nil olentes;
Malo, quàm benè olere, nil olere.

& lib. 3. epigr. 63. *Cotilum* laſciviæ addictum hiſce perſtringit:

Balſama qui ſemper, cinnama ſemper olet.

Imò meretricia ideo Unguenta iſta aliquibus dicebantur, *quorum*. ut Plinius loquitur, *ſumma commendatio, ut tranſeunte fœminâ odor invitet etiam aliud agentes.* Hinc *Themiſtii* patrem, cum *Epicurum* è Philoſophorum choro exturbaret, Unguento ſupra caput effuſo, exprobrare ei voluiſſe legimus, quòd toto corpore proſecutus fuiſſet voluptatem, & *Diogenem* cuidam Unguento delibutos habenti capillos, cave, ne capitis εὐωδία vitæ δυσωδίαν adducat, dixiſſe. Hinc *Heliogabalus*, qui præter alia libinis & ſcelerum genera, ſemper, ut ait *Lampridius*, aut inter flores ſedit, aut inter odores pretioſos, tam malè ubique audit. Luxum *Nomentani* & *Apicii* contemnens *L. Ann. Seneca* cap. 12. de vita beat. loci etiam, in quo luxuriæ parentarunt, variis odoribus infecti meminit. *Hinc Veſpaſianum* Imperatorem dilaudant, qui, referente Suetonio, juvenem Romanum, pro data Præfectura gratias agentem, quia Unguenta olebat, non contentus manu rejeciſſe, contumeliam hoc verbo ante præfatus: Mallem allium oboluiſſes, literas quoque datæ Præfecturæ revocavit. Hinc laudes inter Lacædemoniorum reponunt, quod, narrante *Athenæo* Deipnoſ. lib. 15. Unguentarios Spartâ ejecerint. Hinc *P. Licinium Craſſum*, & *L. Jul. Cæſarem*, Cenſores, ne quis Unguenta exotica venderet, rectè pœnis inhibuiſſe, ex *Alexandro ab Alexandris* Genial. lib. 3. cap. 11. & *Plinio* ſtatuunt. Hinc *C. Plotium Plancum*, à Triumviris proſcriptum, in Salernitana latebra ab Unguenti odore proditum, cùm ex *Valerio Max.* lib. 6. cap. 8. perſpiciunt, & *Muleaſſes*, Rex Tuneta-

neranus, ex infelici prælio, ſcribente *P. Iovio*, profugus, ſimili occaſione è latebris quòd fuerat protractus, infortunii proprii autores fuiſſe, meritoque periiſſe judicant. Neque Succos hîc præterire debeo, quamvis enim hyperboreas gentes omnes, & præſertim Sucones ac Gothos, hoſpitalitate eſſe inſignes *Olaus Magnus* lib. 16. de gent. Septentr. Cap. 13. teſtetur, non diu tamen gratam retinere ſtationem hoſpites Cap. 14. perhibet, qui graves odores, veluti Moſchum, in veſtibus aut ſarcinis ſecum deferunt, quia feminæ abortiant eo odore hauſto; imò ob tales peregrinos odores, incolis ſuſpectos fieri, ne proditores ſint regni; unde plerunque accidat, tales odoriferos ſatellites, præcipuè collimitaneos Ruſſos, ſeu Moſchos, aut Danos, ruſticorum, quibus ille diſplicet odor, ferocitate fuſtigari.

Aſt cùm abuſus monetarum non tollere debeat uſum, neque moſchatam illam fragrantiam, elegantiæ obtinendæ causâ quæſitam, ob inſignem quorundam luxuriam & libidinem vitioſam, tanto ne antiquam cum contemtu eliminare convenit. Ut enim Principum, & quos Terrarum Deos ac Dominos Cœleſtis Favor eſſe voluit, actiones hac ex parte non attingam, nec de virtute Moſchi odorifera, quâ ſanitatem fœtoriſque emendationem, in antecedd. prolixius expenſam, reſpicit, quidquam hîc repetam: in communi ſanè vita, quidquid hominis, quem elegans & mundum vocat animal *Seneca* Epiſt. 92. ad ornatum facere poteſt, retinendum potiùs, quàm eliminandum eſſe videtur. Pulchritudinis enim ratione in ipſa etiam odoris gratia conſiſtere, *Auguſt. Niphus* lib. de Pulchro. Cap. 39. facilem apud me conſenſum meretur. Quantumvis etenim in *Plauto* in Moſtell. act. 1. ſcen. 3. quæ nihil olet mulier, rectè olere dicatur, mediumque illud, in quo naturalis corporis temperati non ingratus odor conſiſtit, fœtido non tantùm, ſed oppoſito quoque eidem ſuaviter ac fucatè fragranti, haud dubiè ſit præferendum, ſicque *Horatius* in utrumque Serm. lib. 1. ſatyr. 2. benè luſerit:

Paſtillos Ruſillus olet, Gorgonius hircum:
Nil medium eſt.

Et magnus *Thom. Bartolinus* diſſ. 7. de medic. Danor. domeſt. fucum ſe in corpore odiſſe prudenter conteſtetur, quod ſuâ pulchritudine ſe commendare poteſt. Cùm tamen hominum non eadem ubique ſit mens atque voluntas, & non nobis ſolis nati ſimus, ſed & Amici aliique vitæ noſtræ partem ſibi vindicent, quod vel horum in gratiam tales odores amicos quandoque admittamus, nemo jure culpare poteſt. Hoc inprimis femineo in ſexu, quod pulchrum & delicatum eſſet, atque ita ad generis humani propagationem ſtimulum virili adderet, ipſa Natura voluit, minùs culpandum erit. In ipſis Conviviorum ſolemnitatibus, cùm non linguâ ſolùm ſaporum deliciis, aures jucunditate ſonorum, oculi totius adparatus ſplendore demulceantur, nemo, niſi auſterior aliquis Stoicus, nares hac odorum, Moſchi inprimis, ſuavitate ut careant, condemnabit. Sint itaque moſchati illi halitus luxurioſi, venerei & impudici animi in quibuſdam argumenta, ſint in quibuſdam incitamenta, commendent Philoſophi, ad vitæ neceſſitatem, ſimplicem utique & frugalem, quæ faciùnt, proſcripta olim fuerit ars unguentaria, repulſi calamiſtrati, ad vincula deducti profugi unguentati, alii ob fragrantiam fuſtigati &c. nondum hæc Moſcho cæteriſque univerſale exilium è cultiori Regno & Republica indicunt. Philoſophi non omnem, qui jucundiorem & ornatam magis reddit, integram tamen ſceleriſque puram relinquit vitam, odoratorum uſum damnabunt. Faceſſat ruſticæ gentis inurbanitas, quam ipſe nobilior locorum iſtorum Sanguis ipſo facto improbat, & ipſa cultior temporis ætas emendat! Severiorem nimiâ odoratorum profuſio animadverſionem ſubeat! Supervacanea cultura & faſtus, inque ipſis miſeriis luxuria pœnam exigat! Moderatus uſus triumphet!

Tandem an Medico licitum ſit odore Moſchi ſe inficere? ubi quæritur, negativè utplurimum reſpondent, viro gravi indecorum eſſe rati, muliebrem quaſi odorem iſtum redolere, multos ægrotantium eundem minimè perferre poſſe, feminaſque cumprimis in ſtrangulationis periculum conjici, alia verò plura, quibus uti queat, odorata tutiora ſuppetere; quos inter nomino *Rodericum à Caſtro* Medic. Polit. lib. 3. cap. 4. *Zacutum Luſ.* Introit. ad prax. præcept. 11. *Ludovicum von Hornigk* part. 1. de medicaſtro apella cap. 6. &c. Obſtare tamen his videtur *Hippocrates*, qui vario modo gratificari ægrotis debere Medicum lib. 6. Epidem. ſect. 4. præcipit: introitu, ſermone, habitu, veſtitu, unguibus, & *odoribus*. Multos autem dari, quos odor Moſchi oblectatur, crebra oſtendit experientia; quibus itaque Medicus, ſeipſum odore illo exornans, gratioſiorem ſe reddere valet. Nec contrarium dictitat ratio, cùm in morbis utplurimum vires debilitentur, quas ut reficiat, atque reſtauret, Medicus omnem omnino occaſionem captet neceſſe eſt, id autem Moſchum, quocunque adhibeatur modo, præſtare, extra omnem controverſiam verſatur. Imò interdum ipſa id requirit neceſſitas, Medico corporis aliquâ graveolentiâ laborante, quâ ægro ne ſe inviſum reddat, inque nova & gravia pericula conjiciat, meritò præcavet, hujuſque odoraminis beneficio commodè impetrat. Verùm mediâ qui incedit viâ, eum minùs aberrare poſſe exiſtimo. Abuſus utique vitandus, moderatus uſus tolerandus. Ut laudari nequit, qui nunquam non & ullo abſque diſcrimine Moſcho ſe oblinit, ita nec commendari debet, qui eundem Medicorum propriæ utilitati & uſui omnino eripit. Non placent, quos odorata ſemper ubiq; comitatur aura, & qui graviores, v.g. cadaverū odores nimiùm nauſeant, carbonum & chimicorum laborū fœtores fugiunt &c. juſtè à *Gerard. Dorneo* in epiſt. dedic. Faſcicul. med. Paracelſ. & noſtro *Raym. Minderero* præfat. de chalcanth. propterea reprehenſi: nec tamen placent, qui nihil olere unquam volunt, monitumque illud Hippocraticum prorſus negligunt; quod tamen generalius l. c. poſitum, in libro Medico (ſi modò Hippocraticus is fuerit) ad certos magis odores cùm reſtrigat, an hoſce inter Moſchus reponi queat, meritò ulteriùs inquiritur? *Unguentis*, itaque, ex *Foëſii* verſione, ſcribens: *utatur beneolentibus, citra omnem odoris ſuſpicionem*; (vel, ut *Heurnius* habet: *ſecurum odorem ad omnia habentibus*,) *iſtud enim jucundum eſſe ægrotantibus ſolet.* Securum ideo odorem ad omnia habentibus utendum eſſe unguentis, admonet; talibus nempe, quæ morbum non excitent aut exaſperent. Tales verò inter odores, minùs ſcil. ſecuros, cùm revera ſit Moſchus, viris æquè nonnullis ac feminis adverſus & ſuſpectus, à Medico admodum frequentari haud debebit, præſertim ubi ægrotos, quorum huc in paſſu naturam vel cognitam nondum habet, vel lædi prænovit, curandos habuerit. Aliàs etenim nec Medicum iſto orbari prorſus æquum foret, quo intuitu *Leonh. Botallus* de medici & ægr. munere §. 25. in ægro, cui Moſchus eſt adverſus, abſtinere eo debere Medicum dicernit, *quoad ſaltem ægrum reſtituerit.* Si verò luxuriæ ſtimulo actus, aut vano aliquo faſtu inductus, odore illo fragrare, aliorumque, ſanorum etiam, naribus eum immittere ſtudeat, culpam meritò incurret. Cæterum ingrati odoris occultationi quammaximè eſſe ſtudendum Medico, vel ex *Hippocrate* notum eſt, qui lib. de decenti ornatu, ipſi circa ægrum verſanti ſtrepitus quoq; & odores vinique præcipuè fugiendos eſſe & permutandos, monuit; odorūq; nomine, tum aro-

aromatum qui ſunt, tum & *fœtorum* ſubintelligi debere, *Heurnius* animadvertit, quo reſpectu etiam *Galenus Quintum*, Medicum, aliumque Aſiaticum in lib. 6. Hipp. de morb. vulg. comm. 4. text. 9. reprehendit. Ubi ſanè nec Moſchi uſus prorſus damnari debet, niſi aliud quid ex antedictis obſtiterit, quo in caſu nec alia plurima, vitium illud efficaciter emendantia, deeſſe poterunt.

Moſchi uſus Emblematicus.

Pauca hîc ſunt, quæ ex aliis poſſunt adduci, plurima, quæ poſſent excogitari, ſi inſtituti ratio prolixitatem admitteret. Solus Cl. *D. Joach. Camerarius* Symbolor. & Emblem. cent. 2. embl. 45. Capreoli moſchiferi figuram (licet non admodum cæteroquin adcuratam) hac cum inſcriptione: *Munera digna feram*, exhibet, tali inſuper additâ ſubſcriptione:

Munera quæ Dominis fuerint data, tempore fiunt
Uberiora, velut Moſchus odore placet.

Deſumtâ occaſione ex illorum ſententiâ, qui pretioſum hunc ſuccum ex odoratarum herbarum paſtu, ſanguini odorem illum conciliantium, generari exiſtimant. Unde imago ſit Principis, qui ſubditorum ſuorum opibus & ſumtibus ſuſtentatus, majora illis vice verſâ, ſecuritatem largiendo, reddere cupit.

Nobil. *Henricus Ranzovius* cap. 34. de conſerv. valet. Liberos ſuos allocutus: *Mementote familiaritates inire eorum, quibus gratia cœleſtes affluunt. Quod ex bonis animi, corporis & fortunæ cognoſcetis. Sicut enim odor ex muſco, ſic ex bono vicino boni nonnihil exhalat in proximum ac perſeverat infuſum*, hoc quaſi Emblema depingere voluit, Moſchi nempe folliculum in vitro bambace contectum, tali cum epigraphe: *Vicino fragrat odore*, & cui ſequentia ſubnecti poſſent.

In ſocium ſocii virtutis gratia tranſit;
Vicino inſpirat bambaci Moſchus odorem.

Mihi *Ill. S. R. I. Academiam Naturæ Curioſorum* aperto mochifero Folliculo comparare, ſicque depingere liceat, ut aureæ pateræ impoſitus in vicinum äerem libere odorem ſuum exhalet, cui inſcribatur: *Latere neſcius*, & ſubjungatur:

Fama latere nequit, meritorum gloria complet
Orbem, ceu Moſchus ſuavem diffundit odorem.

Vel, inſcripto *Naturæ Curioſorum* ſymbolo Academico: *Nunquam otioſus*, legatur:

Naturæ claros, fugientes otia, Myſtas
Semper fragranti Moſchus odore refert.

De rebus naturalibus Moſchatis.

Reſtat, quarundam rerum ut faſciculum adnectam, quæ vel odorem Moſchi ſimilem emittunt, aut emittere creduntur, vel etiam ob ſuavem magnamve fragrantiam moſchatorum epitheton obtinuerunt. Talia autem in omni Naturæ regno inveniuntur, vegetabili nimirum, animali, & minerali.

Vegetabilia inter non repetam, quæ arte illum adquirere odorem paulò ſuperius monſtratum fuit, ad naturalem ſolùm fragrantiam attendens.

Ex Herbis itaque Floribusque percelebre eſt Geranium moſchatum, ſive Acus moſchata, quod Moſchi odorem adprimè referre *Joh. Renodæus* lib. 1. de mat. med. ſect. 4. cap. 61. ſcribit, idque circa veſperam inprimis & manè contingere *D. Joh. Jonſtonius* Thaumatogr. natur. claſſ. de admir. plant. cap. 28. animadvertit. Unde *Joh. Bap. Porta* lib. 1. Phytognom., cap. 17. ubi ex actionum ſimilitudine cognoſci poſſe plantarum vires, demonſtrare intendit, Geranium illud, aliaque ſimilia, non ſecus ac Moſchum, ob æmulum ejus odorem, cordi ac cerebro ſubvenire concludit. Huc referendum Geranium triſte *Jacobi Cornuti*, in Hiſt. plant. Canadenſ. cap. 44. & Act. medic. Hafnienſ. Volum. 2. obſerv. 26. deſcriptum, nocturno tempore moſchato odore pollere creditum, quem ſuavem equidem, moſchatum tamen haud judicare potui, cùm idem in Horto medico Patavino olim luſtrâſſem.

Non minùs notiſſimi ſunt utplurimum in hortis Jaceæ montanæ moſchatæ flores albi vel purpuraſcentes, ſuaviter ac Moſchum nonnihil redolentes, qua de, præter cæteros, *Jac. Theodorus Tabernamontanus*. lib. 1. Herbar. ſect. 5. cap. 11. conſulendus.

Plantula etiam invenitur, Moſchatelle communiter adpellata, cujus folia odorem ſpargere Moſcho ſimilem putat *Valer. Cordus* lib. 2. Hiſt. plant. cap. 184. atque inde nomen inveniſſe. Quam Fumariæ bulboſæ ſeu tuberoſæ minimam ſpeciem facit *Tabernamontanus*, alii verò Ranunculis, Thalictris, vel Dentariis adnumerant. Planta Sylveſtris eſt, quæ ſibi relicta multò majore Moſchi odore, teſte *Joach Camerario* in Hort. med. pollet, quàm in hortum tranſlata.

Ivam ſive Chamæpithyn moſchatam, ob ſuaveolentiam Moſchi æmulam, ſic dictam idem *Tabernamontanus* l. 2. ſ. 2. c. 30. aliique deſcribunt. Quo ipſo Ivæ moſchatæ nomine etiam Polii quoddam genus montanum dari, ut & Tanaceti, ac Antyllidis, ex *Dalechampio Ul. Aldrovandus* lib. 1. de quadrup. biſulc. cap. 20. admonet, qui etiam in Alpibus Apenninis Ocymum quoddam odore ſuaviſſimum ſe inveniſſe memorat, moſchatum ideo dicendum, quo etiam nomine, loco Alſengemiſch, à *Monachis Meſues Commentatoribus* proponatur.

Nec ſilentio prætereundus Hyacinthus botryoides moſchatus, colore varius, Moſchus Græcus etiam dictus, & Moſcari vel Muſcari Turcarum, ſuavi vocabulo, ut elegantiſſimus *Joh. Bapt. Ferrarius* lib. 3. de Flor. cult. cap. 9. loquitur, aliàs dictus, cujus flores quidem odoratiſſimi ſunt, vel, ceu laudatus *Ferrarius* habet lib. 2. cap. 4. mera in florem collecta ſuavitas, propriè tamen Moſchumm inimè redolent.

Satyrium moſchatum *Aldrovandus* commendat, nec non ex *Joh. Rhellicano* noſter *Gregor. Hier. Welſchius* diſſert. 1. de Ægagrop. pap. 38. atque Orchidem odoratam moſchatam, ob inſignem odorem, inviſam hyſtericis plantam exhibent Viri celeberrimi, *D. Simon Paulli* Quadripart. botan. claſſ. 2. c. de Satyr. p. m. 146. & claſſ. 3. p. 203. atque *D. Ol. Borrichius* Act. med. Hafn. Volum. 1. obſ. 60.

Andr. Caſalpinus lib. 13. de plant. c. 47. de Carduo benedicto agens, florem ejus è medio ſpinarum erumpentem, luteum, Moſchi odorem referre judicat. Nec ſanè diffitendum, moſchatuli aliquid eundem naribus objicere. Quod & *D. Sim. Paulli* claſſ. 3. c. de C. B. placuit, fragrantiſſimum florem Pyrorum moſchatellinorum odorem æmulare enuncianti; ubi & aliorum Carduorum floridam fragrantiam inſinuat; quo ergo etiam ſpectat echinopus ille, à *D. Joh. Bauhiro* in Hiſt. font. & baln. Bollenſ. lib. 4. c. 1. p. 181. nominatus. Vid. quoque Nob. *D. Chriſtoph. Georg. Petri* Card. ſanct. c. 5. p. 58. & Celeb. *D. Caſp. Hofmanni* lib. 2. de med. off. c. 30. §. 32.

Muſcum ſuper ſaxa enatum ſuaveolentem, ideoque verè βρύον ἀρωματικὸν, odore ad Moſchum parumper accedentem profert *Joach. Camerarius* in P. A. Matthioli Herbar. lib. 1. c. 15. Qualem etiam in quadam Muſci clavati ſpecie notavit Exc. *D. Joh. Sigiſm. Elſholzius* in Horticulr. lib. 6. cap. 4. atque

in

in Muſco alpino *Conr. Geſnerus* lib3.. Epiſt.med.pag. 89. alios ut ſicco pede tranſeam.

Roſæ moſchatæ reliquis Roſarum generibus, ob odorem inprimis nobilem & delectabilem, regio hocce epitheto palmam præripiunt. Quo tamen ſub nomine plures Roſarum differentias contineri, ex Botanographis novimus, videatur cumprimis *Ioh. Carol. Roſenbergius* par. 2. Rhodolog. Cap. 6. De his Damaſcenis roſis agens *Carolus Stephanus* in libello de re hort. pag. 31. odore eas Moſchum referre putat, ab inſitione potiùs, quàm à natura. Verùm cùm exiguum, vel imò nihil ſit, mearum quidem narium judicio, quod moſchatum in Roſis iſtis odorem exhibeat, ab odoris tantùm excellentia ſic vocari, rectiùs cum *Andr. Cæſalpino* lib. 3. Cap. 10. ſtatuemus. Si tamen vel unquam tales odores ſeſe probaverint, utique & ipſe Arti id adſcribendum eſſe non contradicerem.

De Agerato, Lilio convall. Majorana, Viola &c. moſchatis quiddam dicere, brevitatis causâ, ſuperſedeo.

Radices inter Mexicana illa herbæ Coapatlis vel Thamacazquipan, nec non alterius Coapatlis, Teoitztlæ dictæ, Moſchum redolere narrantur à *Franciſco Hernandez* in lib. 2. rer. medic. Novæ Hiſpan. N. A. Recchi Ca. 1. & 2. Suaviſſimo quoque hoc odore imbuta radix Curutzeti laudatur Cap. 13.

Ex Seminibus ſe commendat Hab el moſch Arabum. Ipſa planta, cujus ſoboles ſunt, ſub Bamminiæ, uti *Alpinus* & *Veſlingius* habet, vel Bamiæ, ceu *Welſchius* noſter Cap. 7. pag. 164 Exercit. de Ven. Medin. ſcribendum putat, moſchatæ nomine venit, ad Malvas pertinens, à qua *Ioh. Veſlingio* obſerv. & not. in libr. Proſp. Alpin. de plant. Ægypt. pag 65. deſcripta, additâ ſimul plantæ florentis icone. Ipſa autem ſemina ta fragrantiâ ſuâ ad Moſchum accedunt, quem ſatis manifeſtè ſimulant, non tamen adæquant, ideoque Hab el moſch, *granum moſchi* nuncupantur, & à multis Ægyptiorum, quibus ſumtuum tenuitas Moſchi uſum denegavit, illius loco, inprimis ad Sorbetorum condituram, nec non membrorum putorem reprimendum, uſurpantur.

Ex Arborum familia flores iſtius Indicæ, cùm noctu duntaxat hi ſeſe expandant, triſtis cognomen adeptæ, Moſchi odore fragrare, *Aldrovandus* refert, de quo tamen apud *Garciam ab Horto*, *Chriſtophorum à Coſta*, *Carolum Cluſium*, & *Iacob. Bontium*, qui ejusdem aliàs hiſtoriam præcipuè conſcripſerunt, altum eſt ſilentium, licet odoratiſſimos, & Jaſmini florum ab odore haud multùm diſſimiles eoſdem fateantur. Si tamen Arbor illa cùm Frutice moſchato, ſive Bidmisk *Petri della Valle* coincidat, odorem moſchatum ei planè denegare fortè non liceret. Vid. Itinerar. par. 2. epiſt. 1. & par. 3. epiſt. 14.

Quin & aliud arbuſculum ſive fruticem, ab Arabibus Alcanna ſive Henna adpellatum, quem etiam Cyprum Græcorum vel Liguſtrum Latinorum vocant, reperitur, in Ægypto præcipuè, cujus folia arida, magno cum incolarum quæſtu, fucis inſervire *Petr. Bellonius* lib. 2. obſerv. Cap. 74. flores autem à Turcis & Mauris, ob odoris ſuavitatem, ad Moſchum accedentem, magni fieri, noſter *Leon. Rauwolfius* par. 1. Itiner. Orient. Cap. 4. additâ lib. 4. ejuſdem figurâ, teſtantur.

Alium porrò in Americæ inſula Montſerrato moſchatum fruticem exhibet *Dapperus* lib. 2. deſcript. Americæ. Cap. 11.

Lignum ſantalum album moſchatum in Practicorum libris quandoque legitur, *quod tam ſuave ſpirat, ut muſcatellini cognomen invenerit*: ſcribente *I. C. Scaligero* exerc. de ſubtil. 104. §. 12. Quo tamen elogio Sandalum flavum potiùs alii coronant, id ceu præſtantiſſimum & fragrantiſſimum reliquis præferentes, cùm album exilem admodum odorem ſpiret. Licet ſint, qui utrumque pro uno & eodem ligno habeant, quæ tamen aliqualis in colore differentia, & odoris inprimis major minorque præſentia ſatis diſterminant.

De Agallocho ob magnam fragrantiam moſchatellino dicto videatur Ill. *Guern. Rolfincius* de purg. vegetab. ſect. 1. art. 2. Cap. 2.

Arboris Tolutanæ balſ. miſtræ liquorem odore Moſchi fragrantem ſiſtit *Aldrovandus*, addens: *Si quis volâ manus eo illinat, is non aliter, quàm ſi Jaſmino Catalonico, quod Moſchum ſimiliter redolet, oblitus foret, delicatiſſimo odore fragrabit.* Verùm ut Jaſminū illud odorem à moſchato longè, ſi me nares meæ non fallunt, diverſum, & ſui generis expirat, ita & Tolutanum, quod ad nos nomine iſto defertur, Balſamum ab eodem recedit. *Nic. Monardus* ſanè Cap. 10. Simpl. medicam. hiſt. eundem ſuccum adcuratiùs exponens, odorem quidem excellentiſſimum, ſed qui Limonum quodammodo aut Jaſmini fragrantiam tantùm referat, in eo agnoſcit.

In Fructuum numero primatum hîc potiſſimùm obtinet Nux moſchata, cujus in *Wormiano* Muſeo lib. 2. cap. 30. tria dantur genera: mas, femina, & regia. Femina eſt notiſſima, aromaticam propter virtutem ſuam Pharmacopolarum non tantùm, ſed Coquorum etiam manus frequenter exercens, ob ſuavitatem odoris moſchata dicta, non quòd Moſchum oleat, ſicut benè notat *Renodæus* lib. 1. de mat. med. ſect. 3. Cap. 11. *Aldrobandus* tamen recentem in patrio ſolo Moſchum egregiè referre ſcribit; incertum tamen, quo id autore vel teſte perſuadeat, aliis Scriptoribus omnino tacētib.

Inter innumera Pyrorum genera, præcocia illa minima, moſchatellina, ſe commendant, nonnullis ſuperba Pyra, ob odoris, ſaporis & coloris, jucundo quaſi certamine in parvulo corpore confuſorum, eminentiam, adpellata. *Moſchatula à gratioſo ſapore, moſchum referente, nominant*: ceu modò citatus *Renodæus* loquitur ſect. 6. Cap. 2. vel, ut *Valer. Cordus* lib. 3. de plant. Cap. 9. ediſſerit: *ſaporem habent ſuaviſſimum & aromaticum, veluti modico moſcho condita eſſent, unde etiam nomen ſortita ſunt.* Quæ encomia, nec non virtutes præſtantes medicæ, quas habere creduntur, & lib. 2. de art. med. *Chriſtoph. à Vega* alibique recenſentur, ut reliquis Pyrorum generibus præferantur in Officinis, faciunt.

Melonibus inſuper nonnullis Moſchi odor aliqualis innaſcitur, quos Cordus & Dodonæus recenſuerunt & moſcatellos ſive moſcharellos ab odoris ſui præſtantia dici *Aldrovandus* adnotavit. Nec ſilentio involvendi parvuli illi Perſarum melones, Schammame ipſis vocati, Pomorum aurantiorum magnitudine, non quidem ſapore, ſed odoris amœnitate gratiſſimi, deſcripti à Cl. *Adam. Oleario* lib. 5. Itiner. Perſ. Cap. 5.

Hiſce jungendi Cucumeres moſchati, Galiam moſchatam mirâ ſimilitudine odoris, ſed fugacis, referentes, à *Nard. Ant. Reccho* l. c. lib. Cap. 61. deſcripti, nec non alius fructus Cap. 86. expoſitus.

Quis porrò Uvas moſchatellinas ignorat? utpote quarum non tantùm expreſſus liquor ſeu Vinum, ſed ipſa etiam Vitis eodem inſignita nomine commendatur. Sic *Ioh. Manardus* Vina moſchatula à Moſcho, ſuaviſſimo aromate, nuncupari judicat lib. 8. epiſt. 1. & nativum ea Moſchi habere odorem epiſt. 2. ſubjungit. Nonnulli tamen hoc in dubium rectiùs vocant, nec Uvas moſchatelinas, ſed muſcatelinas dici debere contendunt, eò quòd à Muſcis ſummopere impetantur, idcirco etiam *Plinio* Apianas vocari, quia Apibus ſint gratiſſimæ. Sic à Muſcarum telis, quibus impetitur, potiùs quàm à Moſcho cognominatam benè arbitratur *Guid. Pancirollus* l. 1 rer. memorab. tit. 17. conſentiente Ill. *DN. Præſide noſtro* apud meritiſſimum *Philipp. Jacob. Sachſium* append. Ampelograph. pag. 21. Conferatur hujus lib. 2. ſect. 2. Cap. 2. pag. 102. & 103.

& 103. Nec ſanè, linguæ nariumque judicio ſi ſtare lubeat, quidquam in hiſce occurrit, quod Moſchi odorem repræſentet. Sufficit aliàs, quòd grato odore, & jucundiſſimo ſapore præditæ deprehendantur, quarum ideo fragrantes dulceſque ſapores inſectentur apes, veſpæ, non ipſa tantùm animalia perfectiora. Rectiùs itaque nomen illud donabimus Vinis, ſimplici Moſchi additamento, odore ejus nobilitatis, quialia Hiſpanos cum Vinis patriis, & cum Vino Græco per infuſionem parare perhibuit laudatus *Sachſius* Ampl. pag. 399. quorum elaborationem quoque monſtrat *Guil. Gratarolus* de Vin. c. 20. Moſchum nempe cum vini particula, (aut, quem modum habet *Porta* Mag. nat. lib. 14. c. 11. cum vini ſpiritu) ſolutum vaſi infundendo.

Nec Fungi denique abibunt indicti, valde odorati & Moſchum redolentes in Piſanis collibus & Pyræneis inveniendi, ex *Laur. Eichſtadii* teſtimonio c. 15. de confalkerm. Quales etiam ex Columella notavit Celeb. *D. Morhofius* diſſ. de paradox. ſenſ. c. 1.

In Animalium claſſe Homines inprimis dari moſchatos, vel ſuavem odorem qui de ſe ſpargant, traditur. Ita mihi à Nobiliſſ. *D. Wedelio* relatum olim fuerat, nuperque per literas confirmatum, noviſſe ſe Studioſum, cujus corpus Moſchi odorem, & quidem æſtate magis, atque poſt corporis motum, de ſe ſparſerat; non diſſimilem fortè ille *Alexandri M.* Macedorum Regis, quo de ferunt Hiſtorici, *Plutarchus* inprimis ex *Ariſtoxeni* commentariis, in vita ejus, & lib. 1. Conviv. quæſt. 6. per os & membra ipſius jucundos admodum exſpirâſſe halitus, ut & interiores tunicæ mirabili fragrantiâ complecterentur. Animal enim quodcunq; licet odorem aliquem emittere jam olim *Theophraſtus* lib. de odorib. rectè edixerit, in homine tamen ſano ab aliis hominibus ille vix percipitur, ut ideo rariſſimum quid, vel ſaltem præternaturale ſit, ſuavem fœtidumque ab eo emitti. De hoc quidem nemo eſt qui dubitet, cùm frequens admodum exſiſtat, ille autem rarior eſt, ita ut vel in dubium vocare celebratam iſtam de *Alexandri M.* odore gratiſſimo, quam aliqui moſchatum abſque ullo tamen fundamento venditant, relationem, & ſi quis fuerit, adventitium magis ab adſumtis, atque fucatum ab externo odoratorum uſu, proclamare haud fuerint veriti. Sic *Ezechiel à Caſtro* lib. 1. de ign. lamb. cap. 5. *Indiæ Reges*, ait, *continuo hauſtu odorati pharmaci odoratos exhalant vapores, quod forſan & magnus operabatur Macedo, ut tetros frequentis crapulæ nidores arte vinceret & obtunderet.* Similia de *Abdollaho Ebn Zobair*, ex *Saido* refert Cl. *D. Georg. Hier. Welſchius* lib. 2. variar. lect. cap. 10. MS. Matrem nempe ejus libram Moſchi bibendam ei dediſſe, cumque in prælio occiſus eſſet, homines multis diebus è corpore ipſius Moſchi odorem olfeciſſe; licet hîc vel ſola Moſchi inſignis quantitas fabulæ aliquam ſuſpicionem movere queat. Adulationis quid latere in illa de *Alexandro M.* relatione potuiſſe, non immeritò ſuſpicabatur beatus *Sachſius* in ſchol, ad obſ. 191. Anni II. Ephem. Nat. Curioſ. Quam ſanè erga Regem illum maximum maximam etiam fuiſſe novimus, quod vel ſolùm divini illi, quibus colebatur vivus, & coli volebat, honores oſtendunt. Hinc non minùs dubitandum, an cadaver quoque ejuſdem aromaticum emiſerit odorem, quo de neque *Plutarchus*, neque *Q. Curtius* quidquam prodiderunt, *Curtio* potiùs, cùm ab Ægyptiis pro ſepultura corpus conditetur, odoribus fuiſſe repletum, lib. 10. hiſt. ſuæ fidem faciente. Quamvis aliàs impoſſibile minimè arbitrer, cadavera gratum, quacunque demùm ex cauſa id fiat, effundere poſſe odorem, quod *Leonh. Donati* Venetorum Ducis, *Olai* Regis Norvvegiæ, & *Wilhelmi* Epiſcopi Roëſkildenſis exuviæ perſuadent, de quibus Exc. *D. Thom. Bartholinus* ſect. 3. de hepat. exautor. deſper. cauſ. nec non cent. 4. epiſt. med. 87. videndus. Ubi tamen & has ipſas relationes hyperbolen quandam ſapere, Rhetoribus condonandam, aut artificium quoddam aliud à conditura acceſſiſſe *Welſchius* l. c. arbitrabatur. Aliàs, quantùm ad *Alexandrum* attinet, nihil obſtat, quò minùs ſuaves exhalationes ab eo prodire vel tum ſaltem potuerint, cùm victricibus Orbem pervadens armis, temperantiæ primò intra limites ſic ſatis ſeſe continuerit, id quod *Plutarchus* ferventi corporis temperiei, humorum digeſtione ſuavem gignenti odorem, adjudicat; optimâ, ut aliqui explicant, humorum concoctiones & ſuperfluorū expulſione ſubſequente, qua nempe ſulphureas odoratas atque volatiles in ſanguine particulas digeri, evolvi, explicari ac perfici potuiſſe, nullum videtur eſſe dubium. Quanquam majori jure dubitetur, num diu, perque totam vitam ita continuaverint, ſi victorum hoſtium ad exemplum, in omnem tandem luxuriam & intemperantiam pronùm, fœdis potiùs putidiſque halitibus obnoxium evadere potuiſſe, conſideretur. Licet & in ipſa putredine ac corruptione odoris gratia quandoque hoſpitari videatur, dum inſita principia per putredinem è carcere ſuo liberata virtutem ſuam produnt, cui itaque fragrantiam illam *Olai* Regis &c. *Bartholinus* adſignaverat. Ut jam nil dicam de *Iſidis* mira fragrantia, apud *Plutarchum*, nec non *Tzetzis*, cujus corpus aromatibus oluiſſe, ipſe in expoſit. dier. & oper. Heſiod. memorat.

Hominem excipiat animalium quadrupedum vaſtiſſimum, Elephas, cujus odorem moſchatum ſuaviſſimum enarrat *F. Gregorius de Bolivar* in Joh. Fabri Expoſit. animal. Mexic. fol. 564. *Si quis*, *autem*, addens, *ſudorem illum conchyliorum teſtis, quod Indis facere conſuetum eſt, detergat, & in vaſcula corrivet, moſchi odori minimè cedentem & ſuaveolentem naribus ſuccum lucratur.* Quâ ſtante relatione, mirum, tot diligentiſſimos aliàs de India Orientali Hiſtoricos nihil de odorato hoc ſudore literis conſignâſſe, niſi fortè & hîc quibuſdam tantùm eundem Natura conceſſerit.

Non minùs Crocodili Moſchum redolentes obſervantur, de quibus videndus Exc. *D. Thom. Bartholinus* cent. 6. hiſt. anat. 52. & conferendus *Nard. Ant. Recchus* in hiſt. nat. Mexic. lib. 9. C. 3. *Joh. Jonſtonus* Hiſt. nat. lib. 4. tit. 1. C. 8. *Joh. Petr. Maffejus* Hiſt. Indic. lib. 2. pag. 47. *P. Joh. Euſ. Nierembergius* lib. 12. Hiſt. nat. C. 5 Fluvium Tambahujam in Braſilia ab *Elia Herckmanno*, ob odorem moſchatum à Crocodilis exſpirantem, Moſchi nomine fuiſſe donatum, GAP. I. dictum jam fuit. Eundem in Inſularum Americanarum aquis dulcibus reperiundos Crocodilos poſſidere, *Philipp. Baldæus* C. 52. deſcript. Malabar. & Coromand. ex *D. Rochefort* refert, homineſque eo ipſo, ut ſibi caveant, admoneri ſuſpicatur. Quin & in ſpecie excrementa eorum benè olere, *Plinius* jam. lib. 28. Hiſt. nat. Cap. 8. tradidit, duo Crocodili genera recenſens, atque de altero, *in terna tantùm*, inquiens, *odoratiſſimiſque floribus vivit: ob id inteſtina ejus diligenter exquiruntur, jucundo nidore farcta, Crocodileam vocant.* Conf. *Joh. Rhodii* not. in Scrib. Larg. compoſ. 14. Cl. etiam *D. Olaus Borrichius* lib. 1. Herm. Ægypt. Cap. 10. pag. 277. non omnes gratum illum ſpargere odorem obſervavit.

Ex Cercopithecis Braſilianis quoſdam ſuavem, Moſchi quodammodo inſtar, ſpirare odorem *Car. Cluſius* in Auctar. ad Exotic. lib. teſtatur. Eodic. Et coincidunt cum Cercopithecorum genere à *Jul. Cæſ. Scaligero* memorato, *quod nihilo inſuavius, quàm quodvis Moſchum fragrat. Mediocriter tamen, ac ſine faſtidio*, exerc. 211. de ſubt. §. 2.

Lepores dari, cum *Geſnero Aldrovandus* ſcribit, qui ab odoris vehementia, Moſchiæ dicantur, quorum veſtigia tanto ſpirent odore, ut, dum ea perſequun-

quuntur canes in furorem quaſi ab eo agantur. Quod ſi non mera ſit fabula, impoſſibilia tamen haud eſſe iſta effluvia facilè conceſſerim.

Buffalinam vulvam exſiccatam Moſchi odorem ſpargere, centuriæ 1. epiſtola Bartholin. 49. indicat, quam itaque ſervant, eâque in Unguentis utuntur Myropolæ Neapolitani.

In caudæ vulpinæ ſuperiori parte pilos flavos tenuiſſimos enaſci monet *Caſp. Schvvenckfeldius* l.2. Theriotroph. Siles. violam martiâ odore ementientes. Quem etiam Moſchi æmulum ab Ill. Barone quodam fuiſſe creditum, in Volum. 3. obſ.21. proferuntur.

In Italia Muris genus, Moſcardino vulgo nuncupatum, ſive Murem corylinum, Moſchi odorem præ ſe ferre legimus, & qui ipſe eſt exiguus ille Muſculus, totus gratiſſimè Moſchum ſpirans, *Aldrovando* à *Ludovico Gozadino*, Patritio Bononienſi, communicatus, atque à *Joh. Fabro* in Recchi Hiſt. natur. Mex. fol. 586. deſcriptus. Murem etiam moſchatum in Germania, rariùs tamen occurrere *Caſp. Schvvenckfeldius* fatetur. Porrò in India alicubi Mures eſſe Moſchum olentes, ex aliorum fide refert *Andr. Libavius* Singular. p.3. l.4. Cap.1. qui fortè iidem ſunt, quos in orientali India *Dapperus* in deſcript. regni Magni Mogolis, vel in Virginia & Inſula Tabaco reperiri odoratiſſimos, idem l.2. deſcript. Americ. Cap. 4. & ſ. memorat. A quibus non multùm recedere videntur Ruſſici illi mures vel Sorices, quorum exuvias trinas in ſplendidiſſimo Muſeo Septaliano me vidiſſe recordor, indigitatas etiam ab Exc. *D. Paul. Mar. Terzago* in ejuſd. deſcript. c.30. Ipſeque talem poſſideo pelliculam, aliquot per annos admodum odoratam & verè moſchatam, nunc verò diuturnitate temporis ferè totam exoletam. Tantâ aliàs odoris in iſtis fragrantia excellit, ut ex Moſcho compacta videatur, ceu in *Muſeo Kircheriano* pag. 29. deſcribuntur. Videatur quoque *Ol. Wormii* Muſeum l. 3. c. 23. Imo vulgarium Murium excrementum nonnunquam olere Moſchum, cum *Ruellio* plurimi fatentur, eoque Moſchum adulterari.

Utrùm ſimile animalculum innuerit *S. Hieronymus*, ceu quidem vult *Aldrovandus*, incertum eſt, dùm nempe lib. 2. adverſus Jovinian. *peregrini muris pelliculam* inter diſſolutorum & amatorum odoramenta reponit, & in Vita Marcellæ faſtum Romanarum Matronarum deſcribens, ſolere eaſdem *fragrare muſco mure*, innuit, nec non Epiſt. ad Demetriadem Virginem *cincinnatulos pueros & calamiſtratos, & peregrini muris olentes pelliculas* reprehendit. *Geſneri* tamen aliorumque magis placet ſententia, folliculos Animalis moſchiferi ob eo innui, hariolantium, cùm in illis piloſis Moſchus adferri ſoleat, ut fortè Muris genus eſſe putaverit, piloſâ eorum ſubſtantiâ, nominiſque vicinate deceptus. Potuiſſe autem *Hieronymo* innoteſcere odoramentum hoc, ſatis eſt credibile, quamvis enim prioribus, uti *Hippocratis & Galeni* tempore, nihil de eo Græcis & Latinis conſtiterit, ſubſequenti tamen à Chriſto nato Seculo quarto ejuſdem uſus jam increbuit, unde etiam in *Pauli Æginetæ*, qui Anno Ch. 4[illegible]0 floruit, & *Aëtii*, qui Anno Chr. 455. vixit, Scriptis mentionem ejus fieri notum eſt; *Hieronymum* autem circa Sæculi quinti initium à Chriſto nato mortuum, Hiſtorici referunt.

Nec indictum abire debet venenoſiſſimum animal, Aldofarcad vel Algeborum à quibuſdam nominatum, cujus ex *Megiſeri* deſcript. inſul. Madagaſc. meminit Nob. *D. Juſt. Fid. Klobius* in hiſt. Ambr. cui ſæpius prope umbilicum apoſtemate gravato avis illa, Aſchibobuch dicta, ſaniem exſugat odoratiſſimam, à qua deinde feces alvinæ in ſubſtantiam pretioſam, Ambræ nomine ubique notam, abeant. Verùm uti Ambræ natales illi meritò fictitii reputantur, ita etiam de altero animali facta relatio idem mereretur judicium, & quòd præconcepta ab opinione de moſchi ex abſceſſu origine ortam fabulam redoleat.

Vulgatiſſimum inſuper eſt quoddam genus Muſtelæ ſilveſtris, ob ferocem atque rapacem naturam Martis nomine (German. *Marter*) notum, cujus excrementum Moſchi odore nobilitatum à multis expetitur, & ſub Moſchi nomine inter plebejos ſæpius ſuperbit. Licet primò fœtere, & poſtea demum ſuaviter olere à nonnullis tradatur. *P. A. Matthiolus* com. in Dioſc. lib. 2. Cap. 24. Muſtelæ cujuſlibet fimum nonnihil Moſchum redolere ſcribit, quod tamen non ſemper contingere conſtat. Confert. *D. Joh. Jonſtoni* hiſt. natur. de quadrup. Hinc ſanè alimenti devorati diverſitati, & in ſpecie Uvis comeſtis, ſuaveolentiæ cauſa à quibuſdam adſignatur, quos irridet *Andr. Libavius* Singular part. 3. lib. 4. Cap. 7. cùm ab homine Uvas comedente ejuſmodi excrementum non proveniat; alii odorato è fruticibus ac herbis cibo adſcribunt; alii aliter ſentiunt. Quamvis verò alimenta odorata multùm conferre valeant, in præcedentibus tamen digeſtionibus, antequam in ſcybala vertantur, multùm immutari ea neceſſe eſt, ita ut odoratæ etiam particulæ eandem ſortem experiantur, atque ſulphureum illud volatile figi quandoque ac inverti queat; ſicut viciſſim è rebus actu non odoratis, accedente ſeparatorio aliquo principio, latentes in eis odoratæ partes extricari, atque emergere poſſunt. Quo intuitu tum à bile ſcybalis permiſta, tum etiam ab alimentis diverſis, odoratis & inodoris, Muſtelarum illam fragrantiam commodè derivabimus.

Imò in ipſo humano excremento alvino hujuſmodi latere ſuaveolentiam & Moſchum, Chimici non dubitant, quem illi, quibus myſteria hæc placent, mediante digeſtione educere, & Carbon *Paracelſi*, ſeu Zibettam occidentalem adpellare ſolent, quo de inprimis videndus *Joh. Hartmannus* not. in Baſil. chim. Croll. Quod & cum ſtercore vaccino tentare inſtituunt, ex quo, trium menſium digeſtione &c. pinguedinem odoratiſſimam ad *Paracelſi* doctrinam lib. 7. Archidox. *Joh. Agricola* unâ alteraque vice ſeparaverat, uti teſtatur part. 2. not. in Joh. Popp. medic. chim. Quam ſuaveolentiam ab immixto felle dependere Exc. *D. Frid. Hoffmannus* Clav. pharmac. Schrod. lib. 2. Cap. 76. arbitratur, cùm bilis, præviâ digeſtione, deſtillata & ipſa Moſchi æmuletur odorem. Non minùs Nob. *D. A. H. Cummunius* 1668. Hannoverâ ad beatum *D. D. Joh. Theod. Schenckium*. in Martis ſuaveolentis veſicula fellea bilem optimi inſtar Moſchi odoratam ſe reperiſſe ſcripſerat, quæ goſſypio excepta per duas ſeptimanas fragrantiam conſervaverat, uſque dum ſenſim ſenſimque deficeret, *Excrementorum*, addens, *odorem fœtidum itidem emendari poſſe, nullum dubium, cùm illa bile copioſiſſimè ſint perfuſa & ab illa ſulphur ſuum & ſal volatile haud parva in quantitate acceperint.* Idem vult Cl. *Nathan. Highmorus* differt. de paſſ. hyſter. Cap. 6. bilem nempe, ſi deſtilletur, aut concoctione ulteriùs elaboretur, odore Moſcho æquiparari. Similem in Tinctura fellis lupini aliquando ſe obſervâſſe laudatus *D. Schenckius* mihi adfirmaverat, cùm in gratiam illuſtris cujuſdam Perſonæ, doloribus colicis oppreſſæ, eandem præparâſſet. Quò referre liceat aromaticam illam tincturam ex lapide porcino Ceylonico bilioſo à *D. Barth. Pielat* paratam, inq; Laboratorio ejus Ceylonico deſcriptam. Imò abſq; digeſtione illa longiori ſtercus quandoq; vaccinum, Majali inprimis tempore collectum, odorem gratum adquirere, certum eſt, ut ideo *Alexius Pedemontanus* ex eodem ſiccato Pulverem Cyprium odoratú conficere edoceat, & Officinæ noſtræ aquâ ex eo odoratâ,

nomine Aquæ florum omnium notam, eliciant.

In volatilium numero Avem quandam in Umbria, Muſcardo vulgò nuncupatam, nobis recenſet *Aldrovandus*, incertus tamen, num à Moſcho nomen id acceperit, licet Moſchum avis cujuſdam excremento adulterari conſiderans quodammodo eò inclinet.

Anates moſchatæ peregrinæ, in noſtra Germania ſatis jam notæ, Moſchum in vertice redolent, de quibus adeundus noſter *Georg. Hieron. Welſchius* Hecatoſt. obſer. ephyſ. 71. *Caſp. Schvvenkfeldius* lib. 4. Ther. Sil. pag. 196. & 197.

Quin & ipſis in nodis moſchata circumnatant animalia. Sic piſcem Braſilianorum Ougri deſcribens *Dapperus* l. c. lib. 3. Cap. 4. pag. 404. in fluminibus reperiundum, Moſchum olore eum ſcribit.

Polypum moſchatum nominat. *I. B. Porta* lib. 6. Phythognom. Cap. 6. Græcis recentioribus quoque μοσχίτην, à moſchato odore, Italis verò muſcardinum vel muſcarolum vocitatum, qui vivus mortuuſque Moſchi odorem, & quaſdam ejus virtutes referat, *Aldrovandi* monitu, Alias Oſmylus, vel etiam Ozœna, ab ὄζω, *oleo*, audit, conſentiente *Schvvenckfeldio* lib. 5. pag. 408. quem tamen non ſuavem innuere videtur *Plinius*, dum à *gravi capitis odore*, ab omnibus Mariniis expetito, Ozœnam eſſe dictam lib. 9. Hiſt. nat. Cap. 30. prodidit, eundem tamen à quibuſdam exſiccari, ibidem ſcribens, *ut veſtibus fragrantiam in aquis conciliet*. Imò adeo benè olere eum, tradit Nob. *D. Joh. Jonſtonus* Hiſt. nat. de exanguib. aquat, l. I. tit. 2. Cap. I. ut *Gyllius* nihil moſcoſius ſe ſenſiſſe etiam tum, cùm mortuus eſſet, ſcripſerit. Utrùm itaque diverſa hìc dentur Polypi genera, tam ſuaviter nempe, quàm graveolentia? vel an fiſtula tantùm illa, cirros inter & caput locata, è qua tetrum emittere odorem *Pollux* memorat, ingratum: reliquum verò corpus ſuavem emittat odorem? quibus hæc ſcrutari occaſio datur, judicent.

De Achkari piſcis ovis ex *Ulrico Fabro* narrat. *Jo. Euſ. Nierembergius* Hiſt. nat. lib. II. Cap. 6. quòd Moſchi ſaporem (an potiùs odorem?) habent.

Hic etiam Unicornu illud Helveticum, ſi, ut reliqua, dens belluæ marinæ, è genere cetaceo fuerit, commodè memorandum venit, quod ad oram fluvii Arulæ prope Brugam A. 1520. inventum, Moſchi odore, igni præſertim vicinum, excellere traditur. Id vel fictitium quid, vel diuturnâ odoratorum viciniâ ſic imbutum credere maluit *Th. Bartholinus* Cap. 27. obſerv. de Unicorn. Quæ etiam ſententia eſt *Andr. Baccii* de Monocer., hoc Cornu ſcil. olim præparatum, cum ejuſmodi rebus odoriferis ſepultum fuiſſe, quarum ratione odorem aliquem ſibi adquiſiverit. Cùm aliàs ſibi relictum inodorum eſſe, tum alii, tum Auguſtani mei apud *Ol. Wormium* lib. 3. Muſ. Cap. 14. innuant. Niſi fortè volatilia ejus principia longiori in aquoſo loco morâ, ſoliſque calore ſoluta & digeſta, aut etiam vicinarum quarundam ad ripam fluvii putreſcentium &c. herbarum à contactu quandam fragrantiam vel odoris gratiam adquiſiverint.

In Serpentum genere Biſſa angela vulgò Italis dictus reperitur, aliàs Serpens *Æſculapii* creditus, qui non modò Moſchum redolere, verùm etiam loca, in quibus latuit, eodem odore imbuere fertur. Sic & Serpentes in orientali India, inter Calicutum & Cananor, dari, tum ex aliis, tum *Hieron. Cardano* lib. 9. de ſubtilit. conſtat, quibus ſpiritus adeo procul redolet, ut Moſchus videatur. Nonnulli Serpentem venenoſum magnumque, Aſpidis ſpeciem, dari volunt in Cyro, Cuffo patriâ voce dictum, qui moriturus odore Moſchi fragret. Et Celeberr. *D. Ioh. Rhodius*, cùm in Petr. Caſtelli Cap. 2. de Hyæn. odorif. Serpentium quorundam recrementa dictum odorem fundere legiſſet, idem in monte Baldo, immensâ Viperarum frequentiâ abundante, ſe deprehendiſſe cent. 3. obſerv. med. 98. refert, quamvis deluſos fuiſſe eos credere maluerit *Redus* obſerv. de Viper. pollicem ei prëmente *J. C. Scaligero* exerc. 189. de ſubtil. §. 2. contra Cardanum, ſtercus Serpentum quorundam benè olore ſcribentem, ſic decertans: *Ubi tu Serpentum Muſcerdam odoratus es? An perſuaſerunt agreſtes operæ tuæ, aut paſtores, propter ſepes ambulanti tibi, atque odorem bonum naribus haurienti: Angues ibi ſtabulare? Hoc enim nobis quoque adoleſcentibus occinebant. Cùm tamen & indè halaret aura illa odorata propter frutices, & muſcoſum ſolum, quod in ſylvis frequenter evenit, quoties humi mucor à Solis radiis ad virgultorum pedes elaboratus eſt: & è cavis, ubi ſerpentes vitam agitant, quod experti ſæpe ſumus, aut odor nullus, aut teter exeat.* Quod equidem utplurimum eſſe veriſſimum, haud eſt negandum, qui & ipſe in Collibus Euganeis circa loca Viperarum feracia obambulans, nullum, neque moſchati, neque ſuaveolentis alterius exhalationis veſtigium, multotieſque in Viperis Patavium magna in copiâ delatis, vel eorum excrementis, aut nullum, aut tetrum ſaltem odorem deprehendi. Licet interdum pro Serpentum varietate, & vario eorum alimento, jucundo excrementa odore poſſe imbui, haud planè negaverim. Ut ideo *Cardanus* ſimpliciter hac in parte animadverſionem meritus non fuerit, qui de omnibus Serpentibus id nequaquam adfirmaverat, ſed *plerunque* tantùm ſtercus illud benè olere edixerat; quamvis, ſi unquam, rariùs tamen id contingere, rectiùs omnino dicendum videatur.

Limacum etiam quoſdam in horto domeſtico collectos ſuaveolentiam quaſi moſchatam, ſed fugacem ſatis, præ ſe ferre, aliquoties expertus eſt Collega & Amicus meus honoratiſſimus, *D. D. Vit. Riedelin*, cauſâ fortè in quarundam herbarum hortenſium odoratarum paſtum referendâ; ſicuti etiam *Matthiolus* Comm. in lib. 2. Dioſc. Cap. 9. Cochleas ſerpillum, pulegium &c. depaſtas odoris gratiâ commendari notaverat.

Ex Inſectorum cohorte parva vaginipennia obſervavit *Petr. Caſtellus*, quæ contrectata ſuaviſſimum ſpirabant odorem, quales in floribus Dipſadi percipitur. Vid. Cap. de Hyæn. odorif.

De Muſcis Piſanis odoratis exſtat Epiſtola *Val. Chimentellii* in fine libri: Marmor Piſanum de honore Biſellii, quarum odor inter Moſchum & Zibethum fragrans, validus, perdurans in vivis & mortuis, integris & contritis, deprehenditur.

Tandem ſe Mineralia ſiſtunt, & quidem Lapis ille Mariæbergicus, in Vena Divi Fabiani & Sebaſtiani reperiundus, quem Moſcho olere *Joh. Kentmannus* Nomenclat. rer. foſſil. p. 37. & *Anſ. Boëtius de Boodt* Hiſt. gemmar. & lapid. l. I. Cap. 6. & l. 2. Cap. 292. prodidit. Id quod Muſco, ſaxis iſtis adnato deberi, ex Agricolâ oſtendit *Gul. Laurembergius* deſcript. Ætitis.

Caraben vel Succinum moſchatum, ſive Moſchum redolens *Balth. Brunerus* conſ. 40. & 48. præſcribit, quale tamen nec ego unquam obſervavi, nec apud ullum alium deſcriptum reperio; ideoque ſi tale detur, rarum adeo eſſe, neceſſe eſt, ut in Officinis pro uſu medico proſtare nequeat.

Ex frequentiori Sulphuris uſu excrementa alvina moſchatam induere fragrantiam, referunt. Quod *Athan. Kirchero* tom. 2. Mund. ſubterr. lib. 9. ſect. 3. Cap. I. mirum non immeritò videbatur, cùm Sulphur cæteroquin putidi & intolerabilis ſit odoris. Quem ſingularem etiam digeſtionis animalis effectum *Joh. Rudolph. Glauberus* agnoſcit, dum p. 2. Furn. Philoſoph. Cap. 97. Sulphur in liquore Silicum vel arenæ ſolutum, atque coagulatum, dein cum Spiritu urinæ extra-

tra-

tractum, & hoc abſtracto, cum Spiritu vini digeſtum, tandem odorem adquirere docet, nec Moſchi nec Ambræ odore inferiorem.

Neque ſileri denique debet, quod *Paracelſus* lib. 7. Archidox. de Aquâ ⦶li cum ⊖e ammoniaco deſtillata monuit, eandem nempe Moſchi referre odorem digeſtioniſque opus id eſſe, innuens.

Eodem modo Vitrioli ſpiritum roridum per cohobia paratum vapores, Moſchum gratiſſimè redolentes, per vaſorum commiſſuras ſpiràſſe, in Faſciculo 2. Medicamentor. Gnoffel. Miſcellaneis Curioſ. addit, tit. 7. pag. 59. adnotatur.

Hiſce ob Deſtillatoriæ artis cognationem addere liceat, quòd poſt ſalis volatilis plantarum, Coxiano modo putrefactarum deſtillationem, in vaſe odor Moſchum ferè redolens conſtans ſe offerat. Vid. Exc. *D. Georg. Wolffg. Wedelii* Experim. chim. de ſale volat. plant. cap. 3.

Magis curioſum eſt, quod Nob. *D.D. Andr. Hueberus*, Archiater Friſingenſis, in literis, A. 1681. 19. Auguſti ad me miſſis retulit, eſſe nimirum ibi Chimicum quendam, omnia Salia fixa volatiliſantem, & citra Moſchi additionem, ad Moſchi fragrantiam exaltantem; quæ tamen, uti dein 10. Septembr. me monuit, ob nimiam volatilitatem ultra quatuordecim dies non perduret.

Cortices ceraſi minutim inciſi, perque deſcenſum igne forti deſtillati ineunte vere liquorem Moſchi odore ſtillare, ex Cl. *D. Frid. Hoffmanni* Clav. pharmac. Scroder. pag. 434. colligitur.

Sulphurum nempe particulæ uti pro varii ſitûs & commixtionis ratione modò hoc ſe colore exhibent viſendas, modò alium oſtendunt, ceu id in Violarum Sirupo cœruleo, à Spiritu vitrioli, nitri, ſalis ammoniaci variè colorando, eſt notiſſimum; ita & odoris reſpectu, dum aliæ à ſalinis exaltantur, aliæ præcipitantur aut expelluntur, nonnullæ antea omnino ſopitæ ſuſcitantur, magnam ſubire diverſitatem, ac differentes ordine odores ſiſtere poſſunt.

Utrùm verò recenſiti hactenus odores Moſchum verè referant, inexpertus equidem de multis adfirmare nequeo, nullus tamen dubitans, quin, prout aliàs gratum aliquem odorem moſchato æquiparari, novum quid haud eſt, licet revera attentiùs examinatus talis non compareat, magna hîc quoque in nonnullis attendi poſſet differentia, ceu revera Vinum quoque illud guajacinum apud *Amatum Luſ.* cent. 1. curat. med. 32. inter ebulliendum aliquam ex ſe fragantiam ſpirans, ita ut Moſchum ibi eſſe Adſiſtentes dixerint, moſchatum tamen odorem minimè exhalaverat.

Et hiſce meum quoque hunc Moſchum lubens adſcribi patiar, qui, Lectoris genium æmulâ moſchatæ fragrantiæ poteſtate licet ſuaviter aut utiliter non adfecerit, aliqualem tamen odoris grati ſenſum ei ſi impreſſerit ſufficiet.

MOTACILLA.

Paſſim nota eſt hæc avicula; corpore oblongô; pondere ſex drachmarum; longitudine à noſtri cuſpide ad finem caudæ digitorum 7.¾; latitudine inter extrema alarum expanſarum undecim. Roſtrum tenue, digitô brevius, acutum nigrum. Lingua bifida & tanquam lacerata. Os intùs nigrum. Oculorum irides avellaneæ. Pedes, digiti, ungues longiuſculi & ex atrô fuſci. Poſtici digiti unguis prælongus, ut in Alaudis. Extimus digitus ad ſui exortum medio adnaſcitur. Superiorem Roſtri mandibulam & deinde oculos plumæ albæ circumambiunt, utrinque ad alas ferè productæ. Vertex, collum pronum & ſupinum ad ſternum uſque & dorſum nigra ſunt: venter & pectus alba: medium dorſi ex nigro cinereum: Uropygium nigrum. (in alia ave ad imum gulæ ſemicirculare ſpatium nigrum obſervavi, cornibus ad maxillas ferè productis.)

Alæ expanſæ figuræ ſunt ſemicircularis: Remiges in utravis 18. è quibus tres ul imæ in acutiores mucrones deſinunt; mediarum apices obtuſi ſunt & crenati; ultimæ anguſtis lineis albis decorantur. Tegetes primi ordinis nigræ, apicibus & marginibus albis: ſecundi ordinis tegetum apices tantùm albent. Cauda prælonga, digitorum 3½. quam continuè motitat, undè ei *Motacillæ* nomen impoſitum. Pennæ duodecim, quarum mediæ duæ reliquis longiores & acuminatæ, cæteræ æquales; extremæ ferè totæ albæ ſunt, reliquis nigris. Color plumaginis in hoc genus avis ſubinde variat, aliàs magis cinereus, aliàs nigrior. Hepar coloris pallidi. Circa aquas verſatur, ubi muſcas & vermiculos captat: quin & aratrum, vermium causâ, quos verſat & exhibet cum gleba, ſequitur; ut cum Aldrovando noſtrates etiam agricolæ obſervârunt mihiq; retulerunt. In Septentrionali Angliæ parte hyeme non apparet, eſtque rarior etiam in Meridionali, ſeu quod frigoris minus patiens ſit, ſeu cibi penuriâ quòd muſcæ aliaque inſecta pennata, quibus præcipuè victitat per hyemem non inveniantur. Ventriculo diſſecto inſecta farinariis ſimilia exeminus. Cucullis pullum ab hac avicula enutriri Geſnerus aucupes apud ſuos obſervaſſe ſcribit. Albertus quoque & noſtra etiam experientia (ut alibi retulimus) idem confirmat.

Hujus ollæ obſtructæ incluſæ & in furnô toſtæ unâ cum pennis, pulveris drachma una vel altera cum aqua Saxafragiæ aut vino albo generoſo ad calculum renum præcipuè utiliter propinari dicitur. Alexander verò Benedictus exiſtimat Recentiores quibus hoc medicamentum commendatur pro Motacilla per errorem paſſerem troglodyten intelligere, quaſi Motacillæ vis lapides frangendi non ſit. Geſnerus [cui & nos libentes aſſentimur] parùm referre putat, quænam avis comburatur, cùm cineris propè omnium vis eadem videri poſſit. Prætulerim tamen, inquit ea avium genera quæ inſectis veſcuntur, ut muſcis, formicis & ſimilibus. *Willughbejus.*

MOXA.

Quod de Africâ in proverbio olim erat, illam ſemper aliquid novi apportare, & duobus hiſce ſeculis de Indiis reverà valuit, id imprimis de medicina hodiernâ verum eſt. Nova quærimus, nova exhibemus, & venditamus. Sordent vetera, non cordi habentur unicè. Anni ſunt non ita multi, cùm innotuit orbi pariter & medicis Europæis *Moxa Sinenſis*: novum nomen, nova medicina, eo maximè deprædicata nomine, quòd medeatur podagræ, morbo Magnatum incurabili creditò, vel ſaltim, ſi quis alius, rebelli. Celebrata primitus fuit *ab Hermanno Buſchovio*, Seniore, Trajectino, edito de eâdem Tractatu Belgicô & Germanico idiomate, ſubjecta experimentis hinc illinc, felici partim, partim infelici ſucceſſu, mirantibus pleriſque quale ſit, & cujus origini novum hoc & inauditum medicamentum.

Abblandiuntur ſanè peregrina omnia magis, & gratiam applauſumque merentur majorem, quàm antè fores nata, præcipuè apud noſtrates, qui geniô ſuo modeſto inducti aliena præ ſuis æſtimare conſueverunt. Nec caritas precii deterret, modò curioſum quid, & quod maximum eſt, utilitatem cum novitate præ ſe ferat.

Duo ergò potiſſimum occaſione Moxæ Sinenſis hujus inquiſitu digna ſe obtulêre: morbus cui medetur, & remedium, quo morbū non ſolum podagram, ſed omnes in univerſum quaſi dolorificos inſultus, debellare poſſe viſum eſt. Et hoc quidem tāto magis ſalivā movit curioſis inquiſitorib. quò minus notum fuit hactenus. Ignota enim magni facimus, nota vilipēdimus; cōmuni-

ter, ipſa quotidiana aſſuetudine velut familiaritatem indeque contemtum poſt ſe trahente.

Non noſtrum eſt, alios jam laudare, qui publicis Scriptis in Moxam inquiſivêre. Quot capita, tot ſententiæ. Unus quiſque hoc ſcire ſatagit, ac inquirere; una tamen eſt & ſimplex veritas, una Moxa, licet plura ſuccedanea. Habeant ergo pro Moxâ Sinenſi herbam exoticam, quicumq; velint: alii mollugine m pappoſam quam clematis ſepium, ut nos vocare ſolemus, offert; utrumq; bonum eſt, noſſe, quid profit, & quid itidem æque profit, idemque præſtet effectu, licet non idem ſit ſpecie.

Audiamus *Autorem* ipſum, qui *l. de Curat. Podagra, par. 2. c. 4 p. m.* 91. quid Moxa ſit, & ubi reperienda, quærens, reſpondet, eſſe Moxam lanuginoſam & mollem ſubſtantiam, artificiali præparatione, ex certâ paratam cujus nomen & præparatio ipſum quidem Autorem lateat, certum tamen, nobiliſſimam omnium eſſe plantam, optimoque jure matrem herbarum vocari poſſe. Habere in arcanis, addit, Sinas & Japones Moxam parandi hunc modum, licèt magnâ copiâ haberi poſſit.

Suo linquimus loco, reverâne neſcierit. Autor herbam, modumq; parandi, an ſtudio id finxerit, ut autoritatem medicamento conciliaret majorem. Satis nobis ſit, ipſum illum nominaſſe eandem ſatis ſapientibus. Id verò ne nobis venditemus, jubet candor & gratitudo, magni à nobis æſtimatæ virtutes, ſi reperiantur in Medico.

Detexit nempe nobis & herbam & parandæ Moxæ modum Vir excellentiſſimus, nobiſq; præter meritum faventiſſimus *Johannes Hartmannus Kornmann, ab Hornsbach. Phil. & Med. Doctor, Conſiliarius & Archiater Haſſiacus,* plurimorum arcanorum naturæ calentiſſimus. Moxa, undècunque nomen traxerit, mollugo arthemiſiæ eſt.

Recipiantur folia artemiſiæ, quantum lubet, exſiccata probè & caule ſuo decerpta conterantur manibus eo uſque, donec excuſſo pulvillo viridi lanuginoſæ interiores fibræ, velut ſubtegmen ſubſtratæ, remaneant. Sin madefiant udore manus, repetendum opus eſt, ad deſideratam teneritudinem.

Innotuit ipſi ἐγχείρησις hæc indè quòd cùm ex Belgio non nemo, dives æque ac curioſus, magnam quantitatem Moxæ afferendum curaſſet, ipſique ad examinandum miſiſſet, foliola deprehendit, lanugini adhærentia, quæ microſcopii ope inſpecta penitius artemiſiam exhibuerint. Experimento hæc ſubjecta reſpondit ex voto, ut ovum ovo, ſimillimam lanuginem, ſeu Moxam potius largiens.

Eandem quoque excoluit ulterius, carminando, ad inſtar lanæ, ut flexa adhuc tenerior meliorque reddi & variari poſſit magis. Quod ſi igitur non æque ſtatim reſpondeat, huic Sinenſis illa dicta, & cum bacillis ſuis aromaticis, [quoad exteriora quidem, non interiora] recondita differre videatur paulum, tenendum eſt, in culpâ eſſe partim herbam non unâ ætate collectam, partim leviorem, vel curatiorem parandi modum. Quin facilè eſt, vel affuſo ſp. vin. virorem extrahere, eoque evocato, folia inſtrumento lanæ aliàs pectendæ debito aptare operi, vel eadem præparata aquæ aluminoſâ depurare & albidiora reddere, ipſove fumo ſulphuris id tentare.

Geminum hunc proceſſum eſſe, duo evincunt extranea argumenta, ſenſus & affectus, quorum uterq; Moxam Moxam eſſe teſtatur; unumque domeſticum, Autoris confeſſioni innixum, licèt non primâ fronte obvium legenti. Vocat enim l. c. *matrem herbarum,* matrem Moxæ. Aſt hoc nomine venire Botanicis artemiſiam latifoliam vulgarem, teſtimonio *Lobelii, Dodonæi,* aliorumq; eſt quàm clariſſimum. Ut adeò non opus ſit, trium vel quatuor imperialiam pretio Moxæ ℥j quantum nimirum ſcatula oblonga capit, redimere, ſed facillimo negotio eandem liceat comparare.

Ut vero hæc illuſtremus magis, notamus 1. *lanuginem plantarum duplicem eſſe, aliam exteriorem,* qualis in tuſſilagine, gramine lanigero, clemati ſepium, aliiſque obſervatur; *aliam internam,* qualis in radice tuſſilaginis pro ὑποκαύματον laudatur *à Scaligero Exerc.* 180. *n. 2. p. m.* 585. & in notiſſimo lino occurrit. Talis eſt & artemiſiæ dicta Moxa.

2. *Non novum eſſe, hunc ipſum, curandi dolorem, modum, per inuſtionem actualem,* quod tamen nil derogat commendationi, ſed pondus potiùs addit. Laudabimus hanc in rem unum *Hippocratem,* antiquiſſimum Medicinæ parentem, qui *libro de Affection. c. 30. t. 12.* Si in unum aliquem locum incubuerit dolor, & conſtiterit, & medicamentis non fuerit exactus, καῦσαι, *inquit,* καθ' ὁκοῖον ἂν τόπον τυγχάνῃ ἐοῦσα ἡ ὀδύνη· καίειν δὲ τῷ ὠμολίνῳ, *urito, quocunque loco fuerit dolor: urito autem lino crudo.* Non potuiſſet ſanè ipſius Moxæ tam decantatæ meliorem deſcriptionem dare, & quoad materiam, & morbum, cui debetur, ipſamque medendi methodum. Quod ut magis pateat, tenendum eſt, per linum crudum non intelligere ipſum ſine ullâ præparatione tale; ſed nondum in fila aptatum. *Proſper Martianus Comm. in l. de Affect. ſ. 2. v. 25. p.* 170. proceſſum integrum doctè & nervoſè his deſcripſit. accipiatur linum crudum, & arctè conglobatum, reducatur in formam pyramidis, cujus baſis latior in anguſtum coarctetur. Magnitudinem ſeu latitudinem baſis indicabit locus inurendus: non ignorato, uſtionem aliquanto latiorem fieri, quàm ſit baſis pyramidis. Hæc igitur in ſummitate accenſa loco inurendo apponatur, ibique reſideat, donec tota materia abſumpta ſit; nam ignis ſerpendo ad cutim perveniens uſtionem facit; Et quod mirum videtur, ferè inſenſibiliter, & ſine dolore. Extincto igne porrum elixum imponebat Hippocrates, donec, quod exuſtum eſt, decidat. Noſtri butyrum cum caule adhibent; indeque ulcus apertum ſervetur ad libitum.

Hæc tranſcribere, viſum fuit operæ pretium, cum per omnia concordet cum recentiori hâc inurendi materiâ, Moxâ. Quæ verò ſubjungit alia, quibuſcum alii laudatas uſtiones parârint, videantur apud ipſum l. c. Præſtant nempè eundem effectum ſicciora filamentoſa, vel lanuginoſa & poroſa corpora quævis, telæ aranearum, [quibus eodem modo adhibitis, Vir ſupra laudatus celeberrimus verrucas in manibus multis etiam inſignibus Viris ſive dolore abſtulit, poſt inuſtionem ablatâ verrucâ & impoſito emplaſtro, undè intra unum alterumque diem res peracta eſt] fungi arborum, medulla junci, ſambuci, & alia ſimilia.

3. *Inuſtionem per Moxam factam prodeſſe magis in doloribus profundis, nec cum ardore & rubore conjunctis.* Obſervatum eſt, aliis profuiſſe eandem eximiè, aliis nocuiſſe, quin periculum gangrænæ intuliſſe. Diſtinctione ergò opus omninò fuerit eâdem, quæ communis eſt cum veſicatoriis vel cauteriis etiam actualibus. Parti afflictæ ipſi dicto modo non addenda eſt afflictio; tutò verò profuerit id remedii genus magis, ubi humor ſeroſus frigidus conſiſtens, nullo contrà indicante ad exitum invitandus, vel abſumendus eſt. Quod ſi verò promiſcuè eandem applicueris, exacerbari malum facilè poteſt, & in deterius verti, cùm contrà ea datâ ichori portâ proficuum eſſe poſſit præ aliis, factâ ſimul diſcuſſione,

factâ

factâ velut partis ipſius quadam per ignem hunc roboratione WEDELIUS, *in Miſcellan. Curios.*

De Moxa ulteriùs.

Ad quæſtionem propoſitam de *Moxa* Rev. *D. Buſchovii*, cujus in *libello de ea conſcripto* meminit, an ſcilicet ipſa ſit Artemiſia, utpotè quæ priùs præparata eandem cum Moxa in urendo vim exſerit; vel an hæc illi falſò ſubſtituatur? Scias 1. præparationi hujus herbæ, Artemiſiæ, quæ in lingua Japonica proprio nomine *Moxa* appellatur, multum deberi, cùm ſubindè alius præparationem ejus elegantiùs præ alijs inſtituat; 2. herbam Japonicam, *Moxam*, nihil eſſe aliud quàm Artemiſiam; quamvis negare nolim, plures dari herbas, eundem effectum, atque ad urendum commoditatem daturas. Præparatio verò communiter hunc in modum peragitur; Artemiſia, & præcipuè, quæ præſtant, ejus cymæ in umbra benè exſiccantur, ligneo inſtrumento vel cylindro conquaſſantur & manibus tam diu agitantur, uſque dum cortex exterior ſeparetur, ac præter internam lanuginem nihil ſuperſit; quæ dein elegantiùs, pectinis ope, pro lubitu carminari poteſt, ut ex Artemiſia eſſe confectam, vix credere queat, qui ipſe parantem non viderit, aut ſaltem ab eo edoctus haud fuerit.

Cùm in Itinere meo ad urbem Jedo & Aulam Cæſaream Japanicam plures tranſcendere montes debuiſſem, multas ibi plantas Europæas obſervavi, *Moxam* quoque ubique conſpexi, ipſis etiam ſcopulis adnaſcentem. Cujus in præparationem accuratiùs inquirens, nullum aliud diſcrimen offendi, præter quod jam olim indicavi. Lanuginem illam albidiorem & nitidiorem quandoque eſſe, præparationi debetur, majori ſtudio inſtitutæ; qua ratione etiam ſericum, linum, cannabem & lanam non parum differre ſcimus. Abſinthium eidem huic uſui, ac Artemiſiam, inſervire, non vidi; quamvis Ponticum vel Romanum in hunc finem eligere mallem, quod levitate & ſiccitate præpollens, in montibus arenoſis Japanenſibus plurimum deprehendi; nullibi verò in itinere illo meo vulgare alterum vidi, aut licet ut obtinerem illud ſolicitus fuerim, impetrare potui. CLEYERUS *in Miſcellaneis Curios.*

Experimentum circa MOXAM.

Experimento ſequenti infortunium meum anſam dedit. Cùm enim Ann. 1682. Menſe Octobr. præcipiti de ſcalâ caſu ruerem, accidit, ut dorſum meum, & brachium ſiniſtrum, licet exterius nulla vel inflammatio, aut ſugillatio, contuſiove animadverteretur, adeò conuderim, ut quidem dolores inde orti hoc tempore ultra biduum his in locis me non infeſtarent, anni tamen ſequentis Menſe Martio acerbiſſimo, & ſpaſmodico punctionis ſenſu, nihil tale animo præſumens, in dorſo ſuperiori, cervice, occipite, ſcapulis, & brachiis, ut vel immobilis ſedere cogerer, vel motu etiam minimo acutiſſimos ſentire cruciatus, neque declivis in lecto jacere, aut ſomnum capere poſſem, quo per dies noctesq; aliquot coactus carui, quin potiùs, quoties caput in pulvinar reclinarem, quaſi pondus appenſum eſſet occipiti videbatur, & caput non niſi manu opitulante attollere poteram. Dolor iſte ferè intolerabilis primâ vice per ſeptimanas quatuor durans, ſingulis annis bis, Vere, & Autumno, inprimis circa æquinoctia vel ſolſtitia magnâ cum ferociâ, & quoties curru vel motu citatiori veherer, mitior quidem, rediit, meq; afflixit muneris mei expeditioni ineptum me reddens, ſimulq; ſenſus etiam internos turbans, ut adeo, nihil levaminis percipiens, ex omnibus, artis præſcripto adhibitis internis & externis, fomentatione, linimentis, balneis, veſicatoriis, paregoricis, tandem & fonticulo, de aliquo remedio præſervativo maximè ſollicitus evaderem. Incidit autem commodè An. 1687. circa Solſtitium brumale, decumbenti iterum mihi morbo iſto contumaci, *Moxa*, quam præter alias Autorum commendationes illuſtrem mihi reddiderat feliciſſimus eventus, quo Fœmina quædam non ita pridem ab ejus inuſtione in pede doloribus nulli alii remedio cedentibus, & incoercibilibus, ad incitas redacta, fuerat mactata. Experimentum & in meo affectu facturus in præſent a duorum Medicorum, Amicorum meorum, d. 19. Decembr. *Moxam* loco primum affecto, vertebræ nempe dorſali, in quam caſu alliſeram ad ſcalam, applico, & in ipſo urendi actu quaſi fulmen curioſiſſimo ſenſu percipio quoddam, omnes partes dolore affectas in momento tranſire, & dolorem extemplo omnem evaneſcere, ut ligatus ante viſus nunc motu liberrimo gauderem, ſurgens. Anno elapſo leniter redeunti ſtatim eodem remedio obviatus, tantum per Die gratiam obtinui, ut per biennium nihil ejus quicquam ampliùs me infeſtaverit. BURGIUS *in Miſcell. Curioſ.*

MUCAGO, MUCILAGO.

Mucago, ſeu *Mucilago*, liquor eſt glutinoſus, in gelatinam quaſi coactus, ac propterea ad *Gelatinas* forſan non male referendus, qui è radicibus althææ, Symphiti &c. è ſeminib. lini, fænigræci, cydoniorum, pſyllii; è gummi tragacantho, Arabico, ceraſorum, prunorum, item ex ichthyocolla ac ipſis pellibus aquæ incoctis extrahitur. *Mucilaginum* autem uſus in emolliendis tumoribus duris, ac acrimoniis humorum obtundendis & demulcendis, item in hæmorrhagiis ſiſtendis &c. pro varietate ſimplicium unde extrahuntur, adhibetur.

Mucilagines variæ ex D. LEMERY.

Mucilago emolliens ordinaria.

℞. Radic. alth. ℥iv. ſem. lini & fænugræci ana ℥i. Infund. calide per 12 horas in aq. com. ℔ iv. deinde coquant. igne lentò ad medias, & coletur mucilago cum expreſſione.

Duritates remollit, dolores mitigat, ſi ea pars affecta calidè foveatur.

Mucilago Gummi Tragacanthi.

℞. Gummi tragacanthi alb. & pur. ℥ß. infund. calidè in aq. comm. ℔ ß. per duas aut tres horas & fiat Mucago.

Valet in acrimoniis pectoris, in tenuiori ſero per pectus exſcreando incraſſando, ac propterea ſyrupis admiſcetur pectoralib. Non minus item fructuoſè applicatur fiſſuris mammarum, labiorum ac manuum. Conſiſtentiam præterea præbet paſtis unde trochiſci conficiuntur. Pro varietate indicationum hæc mucilago ex variis etiam extrahi poteſt aquis ſtillatitiis.

Mucilago ad Hæmorrhagiam ſiſtendam.

℞. Sem. pſyll. & cydonior. ana ℥ß. infund. calidè per xii. horas in aquar. deſtillat. plantag. & roſar. ana ℔ ß. Deinde coquant igne lento ad conſumptionem tertiæ partis, colentur & exprimantur.

Siſtit hæmoptyſim ac alias hæmorrhagias, in quem uſum ſyrupis cydonior. & roſar. rubr. commiſcetur, ac cochleatim ſorbillatur.

Mucilago Ichthyocollæ

℞. Ichthyocollæ minutim inciſæ ℥i. infund. in aq. com. ℔ i. F. Mucilago ſ. a.

Durities emollit ac propterea varia ſubingreditur emplaſtra. Varii autem ſucci pro varietate indicationum, locô aquæ comm. poſſunt adhiberi. Si humiditas nimiùm conſumatur, nec ejus ſatis ſuperſit pro ſolvendâ ichthyocolla, poterit addi aquæ calidæ q. ſ.

Mucilago Pellis Arietinæ.

℞. Pellem unam arietinam recentem cum ſua lana in partes diſſectam, coq. igne moderato in aq. ſ.q. donec pellis omnino in aq. diſſoluta fuerit, coletur decoctum lanaque fortiter exprimatur.

Remollit ac etiam corroborat & propterea in emplaſtro pro herniis adhibetur.

Pellis anguillarum, ac aliorum etiam animalium eadem prorſus ratione in mucilaginem coquitur.

His adde Mucilaginem Nephriticam è Pharm. Bateana.

℞. Gumm. Tragacanthi ℥iß. Arabici ʒiii. ceraſor. ℥ß. aq. roſar. rubr. ℥xx. aq. plantag. portul. *ãã*. ℔i ß. Macereht. in frig. horis 48. colaturæ adde ſacchar. cand. alb. ℥iv. M. D. ℥iv. bis in die cum aq. lactis hauſtu, præmiſſô balſam. Peruani ℈i. in pilul. cum glycirrh. pulvere redacto.

MUGIL.

Mugil à *Mucô* dicitur; Græci nempe μύξωνα dixere, quaſi *Mucoſum* ſeu *Muconem*: ſiquidem βόσκεται τὴν μύξαν ἀφ' αὑτῆς mucô ſuô veſcitur, ut explicat Ariſtoteles. Ejus quinque ſunt ſpecies, ſcil. *Ceſtreus*, *Cephalus* cognomento Labeo, *Cephalus* cognomento Percas, ſeu Tranſlitoranus, *Sargus*, ſive *Sargo Myxo*, ſeu *Meuco*. Charleton.

E Mugile ſeu ex ejus ovis ſalitis *Boſtargum* hôc modô paratur. Folliculos ovorum exemptos ſale tritô aſperô operiunt per quatuor aut quinque horarum ſpatium; deinde inter duos aſſeres ſeu tabulas ligneas opprimunt per diem & noctem, poſtea lavant, tandem tredecim aut quatuordecim diebus continuis in ſole exſiccant, noctû ſub tectum recipientes. Alii ad fumum ſuſpendunt procul tamen flammâ, ne vehementem calorem ſentiant. Dejectam appetentiam excitat, ſitim proritat, vinique guſtum jucundiorem reddit. *Willughbejus* à *Rajo* illuſtratus in *Icthyologia*.

Ejus ventriculus deſiccatus ac pulveratus vomitum ſiſtit, & ventriculum corroborat. Lapis qui in capite reperitur aperitivus eſt & attenuando veſicæ calculo aptus.

MULLUS.

Mullus à *mollitie* forſitan, eſt enim carnis teneræ, ſeu potiùs ut aliis placet, à colore mulleorum calceamentorum quibus priores Albanorum Reges, poſtea Patricii uſi ſunt dictus: τρίγλη item denominatur quòd ejus fæmina ter unô annô pariat. Quadruplex eſt, ſcil. *Barbatus major*, *Barbatus minor*, *Mullus imberbis*, & *Mullus aſper*. Charleton.

Colicos dolores ſedat, fluxum hæmorrhoidalem provocat, imò, ut quidam volunt contra omnem veriſimilitudinem, venereos coercet ſtimulos. Ejus ova vehementer purgant.

Mulsa, vid. *Hydromel.*

Multipedes, vid. *Millepedæ.*

MULUS.

Circa hujus animalis deſcriptionem vid. quæ adducimus ſub titulô *Equus*. Hic rurſus

Officin. nat. ex *Mulô*

1. *Ungula*. 2. *Urina*. 3. *Stercus*. 4. *Cor*. 5. *Epar*, *&c.*

Vires. 1. *Ungula* ſuffitu menſes nimium fluentes ſiſtit. *Cinis potus* ſteriles reddit; *illitus* alopeciæ ſubvenit.

2. *Urina* cum luto ſuo pedum clavos curat.

3. *Stercus* Menſium fluorem ſiſtit & Dyſenteriæ opitulatur (*combuſtum, tuſum, cribratum & potum*,) dolori Lienis ſubvenit.

4. *Cor*, *Epar*, *Renes*, *Uterus*, *Teſtes*, *Spuma oris*, ſingula hæc ſterilitatem inferre dicuntur. *Schroderus*.

Mumia, *vid.* ſub titulô *Homo*.

MUREX.

Piſcis eſt teſtaceus cujus ſanguis purpureo inficit colore, ſic dictus quòd ejus teſta muris figuram aliquatenus referat.

Facultatis eſt aperientis & ejus teſta pulverata urinas provocat, diarrhæas ſiſtit & vi ſuâ alkalicâ acidos humores reprimit. à ℈ß. ad ℈. ij. Adhibetur itidem pro mundandis dentibus.

Muria, de ea *vid.* ſub titulô *Sal* item, & præcip. *Garum*.

MUS.

Circa *Muris* deſcriptionem generalem vid. quæ ſub titulô *Lepus* tradidimus. Jam ad

Officin. Nat. è *Mure Domeſticô*

1. *Mus ipſe*. 2. *Stercus*.

Vires. 1. Mus vivus diſſectus & impoſitus extrahit aculeos, ſpicula, ſagittas, &c. curat ictus ſcorpionum, extrahit venenum. Cinis mictioni involuntariæ ſ. nocturnæ medetur, (*potus*) alopeciæ ſuccurrit (*illitus*,) tuſſi refractariæ medetur, (*cinis*) *vide Foreſt.*

2. *Stercus* movet alvum infantum (*exhibitum ad gr. tria, quatuor, quinque, ſex, vel ſubditum*) inſervit clyſteribus & glandibus, alopeciæ ſuccurrit, furfureſque capitis abſtergit (*illitum*.) Calculos renum & veſicæ, atterit: Condylomata omniſque generis verrucas, ficus mariſcas & mora ani tollit cinis cum vinô coctus & applicatus. *Schroderus*.

Pellis detracta & impoſita Ganglio, opitulatur. Stercus murium majorum non ſolùm in menſium obſtructione, ſed & difficultate partus commendatur N. 9. *Hofmannus*.

Sanguis muris minoris ex animale per medium diſſecto calide ſtrumis aliquoties affricatus, collo deinde appenſô filô eodem ſanguine infectô, tandiu donec filum hoc per ſe decidat, ſtrumas aliquando curâſſe narrat *Clariſſ. Hagendornius in Miſcellan. Curios.*

MUS ARANEUS.

The Shrevv, or Shrevv - mouſe, or Hardy Shrevv. Colore (deſcribente Geſnero) partim fuſco, partim ruffo eſt, inter ſe mixtis: Venter albicat: Pedes poſteriores planè in poſtrema parte corporis hærent. Totus graviter olet, & vel odore venenum ſuum prodit. Caudæ breviſſimis pilis obſitæ longitudo digiti duo; reliqui corporis tres, vel inſuper dimidius: Ocelli nigri & minimi ſunt, paulò majores quàm talparum; magnitudine capitis minimæ aciculæ, ut non mirum ſit ferè cœcum eſſe hunc murem. Dentes ut minimi ſunt, ita ſitu figurâque ab aliorum tum Quadrupedum, tum murium dentibus differunt, componente quodammodo ſerpentium & murium dentes in unum animal naturâ. Anteriores bini oblongi, non ut aliis muribus ſimplices ſunt, ſed aliis binis aut ternis denticulis enaſcentibus exaſpe-

aſperantur, tantillis ut niſi diligenter inſpicias aut non appareant, aut dentes per ſe videri poſſint: Hoc etiam differunt à cæteris muribus, quòd bini illi oblongi non ſeparati ſint à cæteris interioribus ſpatio aliquo medio, ſed unus omnium continuus ordo eſt. Aſperi planè & acuti ſunt ſerræ inſtar, quidam binis, alii ternis cuſpidibus; tam exiguis ut ferè viſum lateant, laterentque magis niſi extremæ partes cuſpidum quarundam ruffo colore notarentur. Dentes circiter quini ſunt utrinque [in reliquis muribus quaterni tantùm] & inſuper duo longiores ſupra, infraque totidem. *Geſner.* Notabilis eſt in hoc animalculo maxillæ ſuperioris ultra inferiorem producti longitudo. Cæco inteſtino caret. Murem araneum feles capiunt quidem & occidunt, ſed tanquam venenoſum non edunt.

In omnibus ferè terris inveniuntur, & apud nos in agris frequentiſſimi ſunt.

A mure minore domeſtico (*D. Willughby* adnotante) differt Primò. Quòd minor. 2. Quod roſtro porrectiore ſit Porci inſtar. 3. Numero digitorum in pedibus, qui huc tam in anterioribus quàm in poſter. quinque ſunt. 4. Oculis minoribus. 5. Auriculis brevioribus. 6. Colore nigriore. 7. Unguibus longioribus albis, ſed pedibus brevioribus. 8. Quod dentes inciſores à molaribus non diſtent. *Rajus in Animalium Quadrupedum Synopſi.*

Vires in Affectibus Sedis peculiari commendantur experimentô, ſi nimirum uſtus illinatur cum axungiâ anſerinâ. *Schroderus.*

Venenoſa iſtius animalis qualitas non tantùm in eô vivô reperitur, vidimus enim non ſemel equos & boves ab ipſo commorſos, nihil proficientibus medicamentis, paulò ſeriùs adhibitis occiſos fuiſſe. Sed præterea etiam in animali mortuô aut ejus partibus, ſiquidem aſſertum nobis eſt à fide digno *muris aranei* ſanguinem deſiccatum ac in pulvere nefariè propinatum, phthiſim inducere.

Mus Terrenus, vid. *Talpa.*

MUSA ARBOR.

Muſa Arabibus dicitur: *Pala*, ut putamus, Plinio à voce *Bala*, quâ hodiernum, ut olim, Malabaribus innoteſcit.

Cæterum quamvis ab omnibus Botanicis arboribus accenſeatur, vix tamen fructex, nedum arbor, cenſenda eſt, cùm caule annuô ſit.

Oviedo aliiſque Platanus dicitur; à quô fonte nomen noſtrum Anglicum (*the plantaintree*) profluxiſſe videtur: ni potiùs à plantagine, ob folia nervoſa plantagineis ſimilia ita dicta fuerit.

Nomina. Muſa Arbor *J. Bauh. Park.* Muſa Serapionis *Gerard.*

Palma humilis longis latiſque foliis *C. Bauh.* Pacoeira *Piſon. Marggrav.* Bala *H. M.*

Hujus *radicem* Horti Malabarici Autores ſic deſcribunt; craſſa eſt, duas aut tres ſpithamas longa ambitu rotundo, pluribus fibris intus lignoſis callata; exteriùs nigricans, carne intus albicante, quæ ſaporis aquei, ſubdulcis & ſubaſtringentis eſt, & inciſa humorem albicantem non nihil unctuoſum, ſubdulcem & valdè aſtringentem extillat, brevi in ſubrubrum Perſicum colorem abeuntem. Intervallo ferme pollicari ab ambitu annullo ſeu circulo tenui & parum lignoſo ac etiam molli in orbem pertexta conſpicitur, ex quo fibræ radicis filamenta accipiunt, ac plurima filamenta lignoſa, tenuiſſima verſùs corticem hinc indè deducuntur, rariſſima autem ac brevia verſùs interiores annuli partes.

Reliquam deſcriptionem è *Marggravii hiſtoria* mutuabimur.

Ex radice propagatur: hoc modo, Primò erumpunt *folia* duo aut tria, in fiſtulam convoluta, (ad modum foliorum Cannæ Indicæ, quibus ſimilia ſunt) paulò poſt ſecundò ſe produnt ad quodlibet latus unum, in medio eſt fiſtula foliacea, & ſic ſenſim planta trium aut quatuor Menſium ſpatio in quinque ſex, ſeptem pedum altitudinem adoleſcit, caudice tibiam humanam craſſo aut paulò craſſiore, ſpongioſo, foliis convolutis ſimilis, & uno ictu facile deſcindi poteſt; ſuperiùs octo, novem, etiam duodecim folia expandit, quodlibet quatuor, quinque interdum & octo pedes longum, quatuordecim aut quindecim digitos latum; in utraque extremitate paulò anguſtiùs, nervo ſecundum longitudinem digitum humanum craſſo; qui etiam ſex aut ſeptem dig. craſſus per ſex aut ſeptem digitorum longitudinem ſe exſerens è folio pediculi vice fungitur. Nervus hic in ſuperiori ſuperficie tanquam canalis excavatur, & tranſverſim lineæ ſubtiles à nervo ad latera extenduntur: ſuntque folia eleganter viridia, ad tactû levia & ſolida, inſtar chartæ membranaceæ, & eodê modo crepitant: ideo non diu integra manent, ſed à vento agitatæ dilacerâtur ſecundùm ductû ſtriarû, & ſtrepitum excitant commota.

Ex ſummitate caudicis hujus ſpongioſi ſeu è medio foliorum prodit ramus ſeu brachium, qui primò cùm quaſi ſemipedem longus eſt, tener & pollicem humanum craſſus, in extremitate ſua continet corpus turbinatæ figuræ, magnitudine ſtrobili majoris, circa quinque digitos longum, conſtans è foliis latis ellipticæ figuræ, brunei coloris obſcuri, ſtriatis, quibus quaſi pulvis cinereus aſperſus: hæc complicata invicem conſtituunt illud corpus turbinatum: ſingulis autem diebus unum, duo aut tria folia ſe pandunt, ſurſum verſùs ſe convolvendo. Subter foliis hiſce expanſis apparent ſex, ſeptem aut octo *flores*, ordine juxta ſe poſiti, ex albo flaveſcentes, quilibet duos circiter digitos longus, ſcapus autem ſimilis parvæ ſcaphæ, cujus pars quæ inſidet exortui ſuo ſit prora, altera extremitas puppis, ex qua prominent quinq; foliola anguſta, figuram habentia illius inſtrumenti quo utuntur nautæ in humectandis velis: eminent autem è puppi floris digiti longitudine, ex albo flaveſcentia, & in ambitu lateritio colore fimbriata: in medio porro eorum ſtamen lu eum craſſiuſculum inſidet, figurâ baculi cum nodo in extremitate, quali incedunt Nigritæ: Dimidia autem parte ſcapha tegmine ſubtenditur à prôra incipiendo, ut in ſcaphis noſtris luſoriis: ſub hoc tegmine intus in ſcaphis manna ſeu lentus humor continetur, ad tactum frigidus, ſaporis mellei, conſiſtentia & colore ſimilis albumini ovi recentis: in hoc humore ortum ſumunt quinque illa foliola cum ſtamine: delectantur valdè formicæ illo nectare.

Flores hoſce ſequuntur *fructus*, ordine in quibusdam quaſi verticillis, arctè inter ſe poſiti, quilibet brevi pediculo nitens, & oſtentans primò in umbilico ſuo florem, qui poſtea decidit, fructus autem indies augetur. Continentur plerunq; in uno ramo 10. 12. 14. aut 16. nu. (imò 18. aut 20.) ita ut una planta profert 70. aut 80. (imo 100. 150. aut 200) Fructus autem juſtam magnitudinem nactus Cucumerem noſtratem æquat, oblongus & trilaterus quaſi, ſcaphoides, corio craſſiore tectus, quod facillimè in tres partes ſe dividi ſinit deorſum caulem verſus nutans. Pulpa mollis eſt inſtar butyri, medullam quaſi cucumeris per mediam longitudinem habens. Boni eſt ſaporis, & frequentiſſimè comeditur vel ſolus, vel cum farina Mandiocæ; vel coctus & frixus in oleo aut butyro.

Ramus autem ille fructibus onuſtus interea dum ille matureſcunt augetur,& ad duorum pedum aut majorem longitudinem excreſcit,floreſq;ſemper extrudit ex corpore illo foliaceo,ſed qui decidunt ſine ſpe fructûs: Nam una planta non facit plus fructuum quàm nutrire & ad augmentum perducere poteſt.

Maturis porro fructib.ramus cum illis abſcinditur,ut & tota planta, nam unum tantùm vivit annum, & ſemel tantum facit fructum. Sæpiſſimè autem accidit ut antequam fructus maturi ſint planta cadat ac pereat ni fulcris ſuſtentetur;ſive autem cadat,ſive præcidatur perindè eſt; nam antequam ſeneſcat plantæ filius unus aut alter ex radice natus eſt,& adſtat parenti,morientique ſuccedit, & ſic in infinitum propagatur. Toto anno habetur fructus venalis.

Ita *Marggravius*, & quidem prolixe ſatis, hanc plantam deſcribit, & tamen *Horti Malab. auctores* in ea deſcribenda multò ſunt prolixiores, quos conſulat cui nondum ſatisfactum eſt.

Fructus hi in deliciis habentur, nec ad ſatietatem comeſos ullam unquam noxam cuiquam intuliſſe ajũt. *Linſchotanus* eos guſtu farinam & butyrum dulci mixtione repræſentare ait,ideo panis ac lacticinii loco ſerviunt, ſimplici victu,quo corpus hominis abſque alio cibo facilè poſſit ſuſtentari. Varios modos eos præparandi ad eſum vide apud *Garciam*.

De Viribus ſic *Alpinus*, Fructûs ſubſtantia mollis, lenta,pinguis, dulcis,atq; apprimè ſuavis eam comedere aſſuetis, multum nutrit, ſed ſtomachum gravat, difficulter concoquitur, ſuccum generat craſſum ac lentum quo viſcera obſtruuntur, præſertim hepar. Opitulatur tamen tuſſientibus & ſuſpirioſis ex calore factis.Ejus decocto utiliter utuntur Ægyptii ad tuſſim ex calidiorum humorum deſtillatione genitam,atq;ad pleuræ & pulmonum inflammationem,atq;ad inflammatos renes, & ad urinę difficultatem: ajunt & commanducatum vel decoctum Venerem incendere.

Horti Malabarici Auctores hæc habent, *Radix* contrita ac epota in lacte vertiginem ſedat;ejus aqua cum ſaccharo mixta proficuè bibitur pro ardore renum; quin & eadem aquam ſimpliciter epota pro doloribus ex urina ortis confert, daturque proficuè iis quorum corpus argento vivo infectum eſt. Corculum arboris ſeu medulla albicans quæ fructum fert, tritum & cum melle intus ſumptum malis oculorum convenit, ad quod etiam ſervit butyrum, in quo fructus ſeu fici in fruſta ſecti toſti ſunt, epotum.

Pro diverſitate fructuum varias dari hujus arboris ſpecies ajunt:verùm has varietates non ſufficere putamus ad diverſitatem ſpecierum inferendam,non magis quàm in Pyris & Pomis, quorum fructus figurâ, magnitudine, colore, ſapore, florendi & matureſcendi tempore immenſùm variant, nec tamen ob id ſpecie differre concedimus.

In omnibus Indiæ Orientalis ut & Occidentalis provinciis inveniuntur, nec non in Africa.

Ficum Indicam *Linſchotani* Muſæ varietatem eſſe opinamur, non ſpeciem arboris diſtinctam. Eandem certè eſſe quam *Horti Malabarici Auctores* deſcribunt ex Synonymis colligitur,ut & à locis natalibus. Malabarenſibus enim *Palan*, Bengalenſibus *Quelli* dictam ſcribit quę nomina ad *Bala H.M.& Keli* accedunt:inter ſpecies etiam ſeu varietates tum in Hort. Malab. tum apud Linſchotanum unam invenio *Cadalin dictam*.

Folia hujus quæ ulnam longa,tres ſpithamas lata (Lapathia qualici,ſex pedes longa,duos lata Lerio) in variam ſupellectilem Indis in Goa cedunt, quibus & Turcæ papyri loco utuntur.Surculus ſæpè 100.ficubus prægnans eſt,uvarum modo in ſe compreſſis: Acini ex quibus dependent ſæpè in tantam molem grandeſcunt, ut à binis bajulis tranſverſâ perticâ vix geſtari poſſint. Toto anno fructifera eſt, & Indis commeatum quotidianum largitur. RAJUS.

MUSCA.

Muſca inſectum bipenne,ſive binis advolans alis,ſic dicitur,vel à Græcô μυῖα,quod idem ſignificat, intertoS.more antiquô & hinc deducit *Voſſius*;vel à *Muſculô* quia detractis muſcæ alis, caput nervoſum, corpus molle & cauda tendinoſa muſculum non malè referunt. Hoc inſectum fungis muſcariis dictis, lacte vel melle pertritis, facilè enecatur, ſi eos guſtaverit. CHARLETON.

Muſcæ, vel potiùs earum capita Alopeciis ſubveniunt. Ex iis præterea aqua deſtillatur, vel per ſe, vel cum melle, quæ capillorum proventum promovet, & prædicatur ad oculorum affectus. SCHRODERUS.

MUSCULUS PISCIS.

Muſculus & *Mytulus* magnitudine & rotunditate tantùm differunt: Hic ſcilicet majore eſt, ille minor. Ex Norvvegiâ magnitudinis ſtupendæ adferuntur mytuli; ſed eorum caro palato minùs grata & delicata. In Scotiæ littoribus qui capiuntur, Margaritis ſcatent, ſed impuris, immaturis, nulliuſque pretii. CHARLETON.

Teſtæ Muſculorum, ut & Concharum omnium vim habent exſiccandi, ſudorem movendi, abſtergendi &c. Hinc uſus earum internus præcipuè eſt in febribus, quibus interveniente ſudore medentur. Externè conveniunt in dentifriciis, in mariſcis & condylomatis ani reprimendis, ſi earum calx aplicetur.

Adhibentur autem Conchæ, tum pulveriſatæ ſolum modo, tum calcinatæ & pulveriſatæ, vel & ſimul lege communi, cum aquâ cardui bened. & ſim. lævigando præparatæ

E teſtis Concharum vulgarium fit famoſum illud Antifebrile Crollianum hôc modô.

℞. Teſtas prædictas, affund. acetum quod ſtet per noctem, unde extrahitur mucor, quô abraſô teſtas calcina ad albedinem & pulverem ſerva.

Ciet ſudorem ſat largiter, adeoque inſtante paroxyſmô, præcipue tertianô, exhibitus febres ſolvit, maximè ſi vice ſecundâ, vel tertiâ iteretur. Doſ. ℈ß. ad ℈i. Crollius autem exhibet in hauſtu cereveſiæ calidæ cum tantillô butyri.

Caro Concharum, ideſt ſubſtantia edulis, culinaris potiſſimum eſt, & in cibo quartanis convenire dicitur. SCHRODERUS.

Ex hiſce teſtis magiſterium etiam conficitur cordiale cum acetô diſtill. vel ſpir. vir. æris. HOFMANNUS.

MUSCULUS ANIMAL QUADRUPES, *vid.* de eô ſub titulô *Mus*, *Mus Aquaticus*.

MUSCUS.

Muſcos terreſtres hôc capite comprehenſos voco quamvis & horum plerique arboribus interdum aut ædium tectis innaſcantur, quoniam in terra maximam partem oriuntur.

Muſcus pyxioides Saxatilis I.B. C.B.

C.B. Tubulis eſt longe minoribus, copioſioribus, nec ita candidis qui petris ſaxiſve latiſſimis innaſcitur, eaque obtegit quemadmodum in via Telamontium verſus videre eſt inquit.

Vires

Vires. Muſci pyxioidis vulgaris pulvis in Zythogalo, Cereviſia tenui, alióve convenienti vehiculo per aliquot dies exhibitus tuſſim convulſivam puerorum, non nullis catarrhus ferus ſeu ferinus dictam, ſpecifica proprietate lenire & ſanare dicitur.

MUSCUS ARBOREUS.

Nomina. Muſcus Arboreus: Uſnea officinarum C. B.

Muſcus arboreus vulgaris & quercinus *Park.*

Muſcus quernus *Ger.* Muſcus arboreus villoſus I. B.

I. B. Ex arboribus adultis, inprimis verò ſenio confectis, niſi frequentem ſenſerint putatoris falcem, villi dependent incani, lignoſi, tenuibus contexti filis, guſtu adſtringente.

Varius eſt, unus tenuior, craſſior alter, quidam brevior, alius prolixior: omnes candescentes, pauci rutilantes, quandoque nigri, Reperitur potiſſimum in quercu, populo, ulmo, betula, pomo, pyro, pinu, picea, Abiete, cedro, larice & aliis quamplurimis: verum primæ nobilitatis, & odorati ſunt Cedrinus, lariceus, pineus & abietinus, ſecundum locum tenet populneus: candidus præſtat, nigricans improbatur, rutilans medium locum tenet: viliſſimus quernus C. B. è Dodonæo.

In annoſis quercubus & ilicibus Valenæ ſylvæ reperitur non longe Monſpelio, unde pharmocopœis defertur, eſt enim pulvis ejus baſis pulveris Cyprii Monſpelienſibus dicti, & vulgò ibi dicitur *Corps de Cypre Gris.* Botan. Monſp.

Apud nos in Anglia rariſſimum eſt hoc muſci genus, nec mihi, quod ſciam, unquam conſpectum; forte in exteris regionibus frequentius, quamvis & ibi rariſſimè nobis in conſpectum ſe dedit. Semel in Bavaria in Abietum vetuſtarum Sylva copioſiſſimum obſervavimus muſcum è ramis dependentem, Muſci arborei villoſi Dod. deſcriptioni egregie reſpondentem, qui à nobis collectus & inter chartas repoſitus eas colore ex flavo rubente, ac ſi igne torreri inciperent, tinxit: imo ſæpius translatus novas adhuc chartas eodem colore infecit, etiam poſt multos annos; quocirca niſi abundet magis circa Monſpelium quam alibi, minime ſufficeret pro baſe tantæ pulveris Cypri quantitati, quanta quotannis ibidem præparatur & divenditur, quin ſi quercubus & ilicibus innaſcens inſerviat pro corpore famoſo illi pulveri odorato Monſpelienſi, non adeo vilis ſit oportet ut vult C. Bauhinus, niſi forte ob melioris penuriam eo uti coacti ſint, quod non videtur veriſimile, quoniam pulvis Cyprius Monſpelienſis in hac genere nobiliſſimus cenſetur: ego, ut verum fatear, ſuſpicor.

Monſpelienſes pro corpore pulveris ſui cyprii adhibere ſeu aſſumere Muſcum arboreum, ramoſum nobis cum I. Bauhino dictum, nec non promiſuè muſcum arboreum pellatum & ſcutellatum ejuſdem, [eum intellige qui quercubus & ilicibus innaſcitur] partim quia hi ubique inveniuntur maxima quantitate, partim quia Fer Impetatus utrumque hunc muſcum odoramentis admiſceri ſcribit, effectu pari, Imperatus autem, pharmocopæus ipſe cum fuerit, hujuſmodi pulverum odoratorum Compoſitionem ingredientia optime novit, hæc ex conjectura ſcribimus, non tamen negamus muſcum arboreum in hunc etiam uſum aſſumi, ſi quando offeratur.

Muſcus capillaceus longiſſimus C. B. non videtur à deſcripto ſpecie diſtinctus; vel ſi differat ex ſolo titulo ſatis innoteſcit.

Vires. Muſcô arboreô pulveriſato extrinſecus Sanguinem è vulneribus effluentem compeſcere ſolere Chirurgos in Germania ſcribit D. Sachs. Ephemer. Germ. An. 2. pag. 92.

MUSCUS PULMONARIUS.

Nomina. Muſcus arboreus pulmonarius *C. B.* Muſcus pulmonarius ſive lichen Arborum *Park.* Lichen arborum *Ger.* Lichen arboreus ſive pulmonaria arborea *I. B.*

Licheni ſive hepaticæ fontanæ ſimilis, ſed major per omnia ſquamato foliorum incubitu, ineffabili laciniarum variatione, profundiorum quam in hepatica, quæ qua matri ſuæ hærent albicant, altera vero parte virent, rugoſa, lacunis eminentiiſque inæqualia ſapore amaricante non ſine adſtrictione.

Annoſis rimoſiſque caudicum quercus, fagi aliarumque arborum corticibus innaſcitur, in opacis ac denſis ſylvis. Dod. obſervavimus etiam in ſaxis coacervatis in umbroſis jacentibus: apud nos quercui plerumque, raro aliis arboribus adnatum invenies.

Vires. Siccat & aſtringit, unde ſanguinem profluentem compeſcit, vulnera recentia glutinat, alvum ac menſes ſiſtit; utuntur ea vulgo ad pulmonum affectiones, aſthma, tuſſim, ſuſpiria, noſtrates etiam ad phthiſin & tabem, confecto ex eo pulvere, ſyrupo, aut aqua deſtillatâ, non ſine ſucceſſu.

Eum qui quercui innaſcitur in ictero omnium medicorum ſolertiam eludente efficax remedium expertus eſt Andreas Golius Mercator. De hoc autem muſco accepit manipulum additâ libra cereviſiæ ſecundariæ, quam in olla fideliter occluſa ad dimidium decoxit, poſtea tredecim cochlearia tepida mane atque veſperi imbibit. Ephemer. Germ. ann. 3. obſ. 290.

MUSCUS CRANIO HUMANO INNATUS.

Non videtur nobis ſpecies muſci ab omnibus aliis diſtincta, ſed muſco arboreo cruſtaceo congener. Celebratur ille à plurimis autoribus in hæmorrhagia, præſertim à Chymicis uſneæ titulo. Ingreditur autem compoſitionem famoſi illius unguenti Armarii dicti, vide Ephemer. German. An. 2. p. 100. & ſequentibus.

MUSCUS CLAVATUS.

Nomina. Muſcus Clavatus, ſive Lycopodium *Gerard. Parkinſ.* terreſtris repens, ſive clavatus *C. B.* terreſtris repens à Tragô pictus *I. Bauh.* Plicaria & cingularia *Polonis.*

Longe lateque per terram ſerpit, ſubindeque à tranſverſis ramis demiſſis fibris longis, lignoſis craſſiuſculis radicatur; ipſi vero rami variè in multos ſurculos diducuntur, funiculi inſtar habens craſſiuſculi, foliis amicti occultatique confertiſſimis, camphoratæ ferè niſi latiora eſſent, adultis plantis ſuccreſcunt.

Pediculi aliquot, ex ramis poſtremis producti, ſe-

ſeſquipalmares, tenues foliis ferè nudi, ſinguli in geminam, teretem, ſextantalem, mollicellam, imbricatam clavam deſinentes, coloris ſulphurei, quæ autumnali tempore digiti percuſſu pulverem ſubtilem copioſum de ſe ſpargere ſolent.

In Hampſtedienſi Ericeto non procul Londino invenitur, eſtque in montibus Wallicis, Eboracenſibus, Derbienſibus, aliiſque in Septentrionalibus Angliæ frequentiſſima, hæc planta: nec minus in tranſmarinis, ut patebit herbarios conſulenti.

Vires. Vino decoctus & potus calculos comminuit & educit experimento certiſſimo, ut plerique teſtantur Trag. Contuſus aut in vino decoctus dolorem aut inflammationem ſedandi vim obtinet; ideóque podagræ calidæ impoſitus prodeſt, pulvis ejus drachmæ pondere ſumptus cum vino rubro cohibet fluxum alvi & dyſſenteriam, & ſi decocto abluatur os, tremulos dentes confirmat.

Vino pendulo impoſitus intra paucos dies illud reſtituit.

Menſæ Auguſto & Septembri collectus pulverem dat ſubtiliſſimum flavum, qui vi fulminante gaudet; Perſis non ignotà, uti notat Olearius itiner. Moſcovit. Perſic. Lib. 4. cap. 24. Perſæ enim ut & Moſcovitæ pulverem Auguſto colligunt, in fornacibus ſiccant, & ignibus artificialibus ſub nomine *plaven* inſtar pulv. pyrii adhibent, pulvis recens dum eſt & probe exſiccatus majus concipit incendium præ illo qui dudum collectus eſt, prunis injectus non tonat, ſed flammæ, puta candelæ accenſæ immiſſus aut inflatus [pulvis reſinæ idem præſtat, teſte Oleario] huic pulveri ſi aliquid addatur de thur. maſthic. ſuccin. & Benzoe pulv. & per flammam ſufflетur, non ſolum fulgur edit, ſed & odorem ſuaviſſimum excitat inſtar pulveris pro ſuffumigio. Si folia betulæ pulveriſata ſimul miſceantur ſtrepitum majorem edet. Commendatur hic pulvis in Epilepſia præcipuè infantum, inque Cardialgia eorundem & torminibus ventris flatulentis. Egregie urinæ facilitat exitum, ſi quantum cuſpide cultelli contineri poteſt propinetur. Ephem. German. Acad. Natur. Curios. Anno primo obſervat. 97.

Poloni & maximè Rutheni ac Lituani ob conſuetum & jam quotidianum hujus plantæ uſum in extirpanda & curanda plica, morbo ſibi familiari, plicariam & Cingulariam eam nominare ſolent. Accipiunt autem plantam hanc ſeu muſcum, quem prius cultello aliquo ſurſum verſus diſſecare ſolent, poſtea infundunt decocto Brancæ urſinæ, prius optime calefacto, & poſt unam aut alteram leniſſimam adhuc ebullitionem adiiciunt aliquid fermenti [panis ſiliginei] illudque reponunt poſtea ad fermentandum propè fornacem, decoctum hoc vel per ſe, vel cum ovis recentibus, in forma juſculi quotidie bibunt & comedunt, exterius cum illo decocto prius excalefacto, & aliquando ad majorem potentiam ſeu virtutem ſecunda vice cum recenti muſco incocto inſtar lixivii obſcurè rubri coloris, lavant caput his in ſeptimana, nullo amplius adhibito pectine &c.

Unguentum ad plicam. ℞. plicariæ & radicum bryoniæ partes æquales, adipis erinacei quod ſufficit, ex his tribus optime commixtis in vaſe vitreo bene obturato & coctis in B. M. per horam fiat unguentum ſ. artem, cum quo radices capilli ti in capite complicati bis in die inunguntur: oleum ex erinaceo quod ad confectionem hujus unguenti requiritur, parare ſolent in olla nova foraminata igne circulati per deſcenſum more conſueto.

Mulierculæ ruſticæ in Ukrania in nimio fluxu menſtruorum & doloribus ac ſtrangulationis uterinis cingulum ex illo faciunt circa nudum corpus applicandum: pariter ad hœmorragiam narium caput eo cingunt ceu corona Ephemer. Germann. Ann. Secund. obſerv. 52.

Semen hujus plantæ à gr. xii ad ℈i. præſentaneo cum ſucceſſu exhibitum erat in epilepſia cum iſchuria complicata ex obſervatione Wedelii Ephemer. German. Ann. 3. p. 21. *Rajus.*

Muſcus Marinus, vid. *Corallina.*

Muſcus Saxatilis, vid. *Lichen.*

MUSTELA ANIMAL QUADRUPES & ſub eô MUSTELINUM GENUS, ac *Vermineum*

Hoc genus Muſtelinum à Muſtela Animali notiſſimo & ubique ferè obvio dicimus. Ab aliis Quadrupedum rapacium & carnivororum generibus differunt. 1. Parvitate ſua. 2. Corporis figura gracili longa, capite parvo ſublongo, pedibus brevibus, unde in cuniculos & foramina anguſta ſeſe inſinuandi, & irrependi facultate præditæ, & ad id veluti naturâ factæ videntur. 3. Inteſtinorum brevitate & ſimplicitate; nullum enim in his colon, nullum cœcum, nulla tenuium & craſſiorum diſtinctio evidens. 4. Dentium numero qui in canino genere ad quadraginta aſcendunt, in hoc 32. non excedunt.

Muſtela vulgaris, *the Weaſell or Weeſel.* Eboracenſibus, *the Foumart or Fitchet.* Græcis, γαλέη. Animal eſt parvum, Putorio minus, dorſo & lateribus rutilis, gutture & ventre albo, Albedo à ſummo mento ſeu angulo inferioris maxillæ per guttur & ventrem ad poſteriores uſque pedes extenditur. Roſtrum Caninum: maxilla ſuperior ultra inferiorem procurrit. Myſtacem ſetæ ornant. Dentes primores in ſuperiore maxilla manifeſtè ſex, parvi, erecti, ſibi mutuò proximi, pectinis dentes referentes; in inferiore maxilla quantum diſcernere potui, totidem, verùm minimi erant & breviſſimi. Dentes canini in utraque maxilla prælongi & validi. De molarium numero conſtat, nec enim cuſpides à dentibus diſtinguere potui; erant autem tres quatuorve in utroque latere. Oculi parvi, nigri. Auriculæ breves ſed latæ, ſubrotundæ, pilis brevibus, denſis tamen tectæ; & quod præcipuè notabile eſt, ima parte duplicaturâ quadam velut geminatæ. Interior auris cavitas ampliſſima cum aliquot protuberantiis. Corpus gracile, ſpithamiææ plus longitudinis (in catulo quem deſcripſi) à ſummo roſtro ad extremam caudam. Cauda 2½ uncias circiter longa paulatim in acumen tenuatur. Crura brevia; Pedes lati, in quinque digitos ſinguli, tam anteriores quàm poſteriores diviſi, unguiculis parvis muniti. Quod ad partes internas attinet. Cor pro Animalculi magnitudine ampliſſimum: Pulmones in plures lobos diviſi: Hepar etiam ampliſſimum, in ſeptimo lobos fiſſum, cyſtis fellea ampla in lobo parvo pro

pè

pè ſupremam Hepatis partem : Lien etiam longum, grande. In hoc Animali ventriculus multas habuit plicas ab œſophago ad pylorum excurrentes. Glandula meſenterii media perampla ; Renes maximi.

Gula ſ. Oeſophagus (deſcribente *D. Grevv*) in Muſtelâ ab auriculis ad caudam decem digitos longâ, quinque erat digitorum, diametro $\frac{1}{4}$ dig. æqualiter ubique latus & tenuis. Ventriculus tres uncias longus, diametro ad ſuperius orificium unciali, ad $\frac{1}{4}$ unc. versùs inteſtinum flexuram habens, tenuis & lævis abſque plicis, ut in aliis Rapacibus.

Inteſtina tenuia plana, perpaucis glandulis, ex iis præcipuè quæ in aliis pleriſque carnivoris Animalibus conſpicua ſunt ; ulnam circiter longa, ſemunciali diametro ; abſque ulla notabili contractione, aut differentia magnitudinis aut ſubſtantiæ à ventriculo ad anum uſque ; adeò ut præter normam aliorum, quæ ego quidem diſſecui, Quadrupedum, unum & ſimplex inteſtinum eſſe videatur.

Ad anum folliculorum par inteſtino adnaſcitur, utrinque unus, Piſi majoris hortenſis magnitudine ; liquore flavo craſſiuſculo fœtidiſſimo, odorem Animali proprium & peculiarem gradu intenſiſſimo expirante, repletus. Folliculis hiſce unà cum ano ſuperextenditur Sphincter muſculus, qui eoſdem & anum ſimul comprimendo ad contemporaneam egeſtionem compellit. Folliculi hi, quantum hactenus obſervaverim, Quadrupedibus omnibus carnivoris communes, & ſolis proprii ſunt *D. Grevv. Imo aliis præterea Animalibus conceduntur* ut Cuniculo, Lepori, *&c.* Serpentibus etiam id adnotante *D. Tyſon.*

Viverra Indica *Quil* & *Quirpele* dicta Garc ab Hort. Aromatum Hiſtor. Libro primo cap. quadrageſimo quarto. Animal omni ſerpentum generi inimiciſſimum. Quotieſcunque (inquit *Garcias*) cum Serpente congreſſurum eſt hoc Animalculum, iſtam [Ligni Colubrini] radicem (quæ multa illic [in Inſula *Ceylon*] naſcitur) ea parte quæ extra ſolum eminet præmordet. Præmorſa radice, pedibus anterioribus ſalivâ conſperſis, caput primùm, deinde reliquum corpus ſibi demulcet : poſtea Serpentem aggreditur ; nec eum dimittit donec occiderit, *&c.* Hujuſmodi pugnarum ſpectatores plerique fuerunt Luſitani. Reliqua apud Garciam vide loco citato.

Viverra Indica ex gryſeo rufeſcens, *Mungo* Luſitanis ; *Mungathia* Zeylonenſibus. *Muſ. Leyd. Cat.*

Muſtela candida ſ. Animal *Ermineum* Recentiorum. *The Ermine or Stoat.* Muſtelæ eſt figura, toto corpore candidum, extremitate tantùm caudæ nigerrima. Circa oculos fulva eſt ſeu griſea, ejuſdem coloris macula in medio capite cernitur, item inter humeros & ſupra caudam. Verum color pro ætate aut anni tempeſtate variat. Circa fluvios & prata verſatur : Mures & talpas vorat. Ungues huic albi. *D. Willghby.*

Muſtela Sylveſtris Viverra dicta, *The Ferret*, nonnullis Furo ſeu Furunculus, Græcis Ἰκτὶς, His noſtrates in cuniculorum venatione utuntur, nom meatus ſubterraneos & foramina ingredientes animantes expellunt. Cum eas in foramina dimittunt, labio conſuunt, nè cuniculos morſu petant, & dilanient. Cuniculos unguibus ſcalpunt donec eos fugere & exire cogant. Lacte, carne avium, canum, *&c.* aluntur. Facilè cicurantur, cœunt, & fœtus educant, qui ſponte naturæ cuniculos venantur.

Putorio minus eſt hoc animalculum, muſtelâ paulò majus : capite parvo depreſſo, reliquorum hujus generis more ; auriculis arrectis magnis patulis, at brevibus ; roſtro acuto longo, Porci, inſtar ut in toto hoc genere : oculis rubicundis.

Figura corporis tenuis longa ; color ex albo buxeus, prona in parte ſaturatior. Digiti in pedibus tam anterioribus quàm poſterioribus quinque. Africæ incola eſſe dicitur, indéque ad nos tranſlata. *D. Willughby.*

Putorius, *The Polecat or Fitchet*, odore fœtido inſignis, Muſtela vulgari major eſt & nigrior. Tota oris circumferentia alba ; paulò ultra angulos oris incipit cingulum, quod in principio & medio capitis fulveſcit, partibus intermediis albidum eſt. Pili longiores nigri ſunt, breviores flaveſcunt, ſed guttur, pedes, cauda reliquis partibus nigriores ſunt Superior maxilla ultra inferiorem prominet. Auriculæ latæ breves, fimbriis albicantes. Digitorum, intimus minimus extimus & ab extimo quartus æquales : ungues ima parte albi, ſummâ fuſci.

Cæterùm longitudo totius à ſummo roſtro ad extremam caudam 22 erat digitorum ; caudæ $6\frac{1}{2}$. Pedum anteriorum à ſecundo articulo $3\frac{1}{4}$. Poſteriorum $5\frac{1}{2}$. *D. Willughby.*

Hujus gula & ventriculus Muſtelinis ſimiles ; inteſtina differunt ; ut in quatuor diſtingui poſſint Primum $\frac{3}{4}$ ulnæ longum, ſemunciam latum, tenue admodum, & planum ſ. æquale.

Secundum $\frac{1}{4}$ ulnæ longum, $\frac{1}{4}$ digiti latum, præcedente multò craſſius ; glanduloſum glandulis minimis aciculæ parvæ capitelli magnitudine : unaquæque tamen orificium habet, unde mucus quidam manifeſtè exprimi poſſit.

Tertium ſeſquipedale, latitudine ſemuncialis Circa hujus mediam partem glandularum agmen ſ. area, duas uncias longa, $\frac{3}{4}$ unciæ lata ; ad extremam etiam inteſtino quarto viciniam alia ſimilis area duplo latior habetur : ſingulæ glandulæ ſeminis Sinapeos magnitudine ſunt, ſuâque orificiâ habent ; non ductum communem ut in Pancreate, quod aliàs magnitudine excepta referunt. De glandulis hiſce notandum, quod eo inteſtini latere ſitæ ſint, quod vaſorum inſertioni directè opponitur.

Quartum à præcedente contractio ſ. anguſtiâ quædam ſeparat, longitudine eſt propemodum quincunciali, propè anum diametro $\frac{3}{4}$ unciæ.

Folliculi ad anum ut in reliquis hujus generis liquorem continent ſupra modum fœtidum : unde Anglis in Proverbium ceſſit, Fœtet ut Putorius. Gallinas & ova rapiunt.

Martes aliis Foyna, *A Martin or Martlat.* Duum generum ſunt, Aliæ Abietum dicuntur, Aliæ Fagorum, Gallis *Foynes.* Hæ magis fuſcæ ſunt, majoréque cauda & nigriore quàm Martes Abietum ; gutture etiam albo, cum illæ flavò ſint ; nec ſylveſtres tantùm ſunt, ſed circa domos etiam & ſâxa verſantur. Martis flavæ ſeu Abietum pellis triplo vel quadruplo pluris vænit quàm albæ. Miſcentur tamen inter ſe hæc genera.

Cæ-

Cæterùm Marti magnitudo quæ Felis, ſed paulò longior, crura verò habet breviora, itemque breviores ungues. Totum ejus corpus pilis in fulvo ſubnigris veſtitur, excepto gutture, quod candidum eſt in Marte Fagorum ſeu domeſtico, flavum in ſylveſtri ſeu Abietum. Dentes peralbi ſunt, inæquales & aſperi: Canini infra ſupraque oblongi eminent, inter quos tranſverſi lineâ rectâ ſex parvi inciſoriorum loco habentur, quorum illi perexigui ſunt quos inferior maxilla continet. Molares ſerrati, & quidam ex iis trianguli ſunt, octoni infra, & totidem ſupra, ſumma 32.

Geſnerus Martem prorſus cicurem aliquando habuit; canis quo cum nutriebatur amantiſſimum, quem in itinere etiam faciendo ſequi ſolebat. Soluta vinculo circa ædes & tecta vicinorum, & longiùs quandoque vagabatur, ſemper reverti ſolita. Morſicatim ſæpe cum cane & hominibus ludebat, & unguiculis ſupinâ, ut Cati ſolent, nec lædebat aut minimum.

Muſtela ZIBELLINA, *The Sable.*

Agricola paulò minorem Marte facit, obſcuro colore fulvam, præter guttur, quod cinereum eſt. Hujus pellis omnium eſt pretioſiſſima. Apud clariſſimum virum *D. Charlton* Medii Templi Animal ipſum vidit *D. Tancred Robinſon* M. D. Ei magnitudo Felis Cyprinæ, obſcuro colore fulva; anterior pars capitis & auriculæ ex albido cinereæ, pili ad ſupercilia, naſum, & os longiſſimi. Dentes peralbi, inæquales, aſperi, canini productiores, molares ſerrati, ſicut in marte.

GENETTA vel *Ginetta*, eſt Beſtia paulò minor vulpeculâ, colore inter croceum & nigrum, maculis interdum nigris ordine in pelle diſpoſitis, manſueta ſatis niſi laceſſatur. Ardua non aſcendit, ſed in humilibus locis, & juxta rivos degit, & ibi victum quærit.

Scaliger in Hiſpania generari hoc Animal Cardano conſentit. Conſtantinopoli per domos cicures vagari ſinunt, tanquam catos. *Bellon.* Genettæ pellem Geſnerus deſcribit & depingit. Caudæ circuli nigri octo, & totidem cani vel albicantes. Bene olet pellis, moſchum quodammodo. Quærit an ſit genus aliquod Thois, vel Pantheris minoris *Oppiano.*

ICHNEVMON. Omiſſis veterum fabuloſis de hoc Animali narrationibus, Deſcriptionem ejus è Bellonii αὐτόπ]ν obſervationum libris mutuatam dabimus. Melis eſt corpore, eodemque pilo. [Corpus quàm feli longius & compactius eſt.] Roſtro nigro & acuminato inſtar Viverræ, abſque barba; nare prominula; Auriculis brevibus & rotundis. Color leucophæus ad ſubflavum inclinans, quemadmodum Cercopitheci. [h. e. in ſuperficie; nam pilis, quos iratus ſurrigit, duos tribuit colores, albicantem ſeu ſubflavum & cinereum per intervalla.] Crura ei nigra ſunt, digiti quinque in pedibus poſterioribus, quorum calcar interius breve eſt. Cauda longa & craſſa ab ea parte qua lumbos attingit. Lingua & dentes Felis. Hoc ei peculiare, unde Scriptores tam mares quàm fæminas concipere putaverunt, quod meatum peramplum habeat undique pilis cinctum, extra meatum excrementi, genitali muliebri non diſſimilem, quem per magnos æſtus aperit, (clauſo interim excrementi orificio) ut ejus cavitas appareat. Teſticulos felis habet, & à vento admodum formidat. Exiguum eſt Animal & valdè mundum.

Animoſus & agilis eſt, ut cum magno Cane confligere non vereatur; ſi Catum invenerit tribus dentium idibus ſtrangulat. Et quoniam roſtrum ei nimis acutum eſt, ægrè craſſiuſculum aliquod mordere poteſt, & nè hominis quidem pugnum clauſum. Vafer eſt in præda occupanda: erigit enim ſe in pedes poſteriores, & obſervata præda, ſumma tellure adrepens magno impetu ſeſe in eam vibrat. Veſcitur a. indifferenter quibuſvis viventibus, limace, lacerto, chamæleonte, quovis ſerpente, rana, muribus & aliis hujuſmodi. Aves imprimis appetit, & præ cæteris gallinas ac pullos. Magnus eſt Ægypti Serpentium depopulator. Quamobrem hujus loci vulgus Ichneumonem in privatis domibus, ut & nos Feles educat, muremque Pharaonis appellat. Catellos ruſtici Alexandriam venales inferunt.

Ova Crocodili Ichneumonem contererè non tamen ea comedere Diodorus ſcribit. RAJUS. *in Animal. Quadrup. Synopſi.*

Hactenus Muſtelinum genus ex Clariſſ. Rajô deſcripſimus. Supereſt jam ut de Muſtela in ſpecie ſic dicta viribus aliquid addamus.

Muſtelæ cerebrum & *hepar* in Epilepſiâ conducere creduntur; *ventriculus* & *caro* contra morſus ſerpentum valent, ſi in pulvere aſſumantur, aut extùs parti demorſæ applicentur. *Fel* oculorum nebulas ac maculas conſumit, ſi aquæ fæniculi immiſtrum ſæpius inſtilletur. *Partes genitales* retentis urinis medentur, ſi in pulvere aſſumantur. Doſis autem omnium hujus animalis partium eſt à ℈j. ad ʒj. *Stercus* reſolutivum eſt ac glandulis durioribus remolliendis aptum. *Sanguis* in doloribus podagricis conferre reputatur, ſi parti afflictæ inungatur.

Vires illius Muſtelæ ſpeciei, quæ Gallicè *Hermine* vocatur, eædem ſunt quæ alterius.

MUSTELA PISCIS.

Muſtela piſcis eſt de fluviatilium genere. Mediolanenſibus *Botta* dicitur, tum quod utri ſimilis ſit, ut Cardanus deduxit; tum etiam quòd capite ranas referat. *Charleton.*

Officinalia ex Muſtela fluviatili ſunt 1. Epar. 2. ventriculus. 3. ſpina. Hepar in vitro ſuſpenſum, caloríque expoſitum in liquorem liqueſcit flavum, admodum utilem oculorum hebetudini, ac nubeculis. Ventriculus commendatur ſummè ad affectus uterinos, præcipuè autem fertur ſecundinas pellere, colicoſque dolores abigere, ſi intus aſſumatur. Spina pulveriſata caducum abigere fertur. *Schroderus.*

Lapides Muſtelæ piſcis malo epileptico medentur. In ſpinæ initiô inveniuntur, hi annulô incluſi & geſtati, ita ut nudam attingant cutim contra ardorem ventriculi mirè opitulantur, & qui crurum vel pedum ſpaſmo vexantur, eos ab inſultibus crebrioribus præſervant. *Hofmannus.*

MUSTUM, *vid.* VINUM & præcipuè *Vitis Vinifera.*

MUTICA.

Spica dicitur quæ ariſtis caret, quaſi *mutila.*

MYAGRUM.

Myagrum nomen accepit quod inſidentes vel prætervolantes muſcas lentore ſuo implicet, retineat, nec non capiet.

Nos hoc in loco Myagrum habemus pro herba tetrapetala ſiliculoſa capſulis tumidioribus, floribus luteis, ſeminibus oblongis aut ſubrotundis.

Nomina. Myagrum *Ger.* Sativum *C.B.* Sylveſtre ſeu *Park.* item Myag. Sativum ejuſdem.

J.B.

Ex uno caule cubito altiore rami tenues, teretes, recti, ſubhirſuti, fungosâ medullâ farcti, ramoſi prodeunt; quibus alternatim latiore baſi adnaſcuntur folia drabæ, oblonga, mollia, non aſpera & Rubiæ cui Myagrum Dioſcorides comparat, pallida, pinnis caulem amplectentia, leviter in ambitu ſerrata, ſapore oleraceo. Ex pediculis ſatis longis flores puſilli, luteoli, quadrifolii quorum ſingulis ſingula ſuccedunt, pericarpia, gigartis uvarum aliquatenus ſimilia, turgidula, oblonga, cum quatuor angulis vel coſtis, ſemina continentia, multa, oblonga, triangula, naſturtio minora, coloris ferè fænugræci, Sapore naſturtii, quæ in ore retenta contrahunt mucilaginem quandam. Radix ubi adoleverit lignoſa nonnihil & fibroſa inter ſegetes lini non raro invenitur.

Non eſt cur Parkinſonus pſeudo Myagrum Matthioli à ſeſamo Tragi diverſam ſpeciem faceret, cùm C. Bauhinus qui in phytop. & Matthiolo à ſe edito ea ſeparaverat in pinace iterum conjungat, & errorem illum emendet. Vide I. Bauhinum in hac planta, qui fratrem notat, quòd ea in phyt. & Matth. diſtinxerat.

Aliquibus in locis (inquit C.Bauhinus) ſeritur olei cauſa, & latioribus foliis eſt, multis locis ſponte provenit, & hoc ſtrigoſius: hinc figurarum varietas, ut in Matthiolo noſtro videre eſt. Raius.

Vires. E Myagri ſemine per expreſſionem educitur oleum cutis aſperitatibus remolliendis ac mitigandis cumprimis dicatum.

Myositis, vid. *Auricula Muris.*

Myrica, vid. *Tamariſcus.*

Myriophyllon, vid. *Millefolium.*

Myrmæcium, vid. *Formica.*

MYROBOLANI.

Myrobolanus Arabum inventum eſſe putatur, à quibus ad Græcos recentiores, ut Actuarium, ejus cognitio derivata videtur, ex ſententia Arabum, ut oſtendit J. Bauhinus, quatuor duntaxat earundem genera ſunt; poſteri verò chebulas & citrinas differentes fecerunt: quales tamen vix eſſentialiter differre, (ſaltem ut in offic. hoc nomine habentur) quis exiſtimaverit, qui eas inter ſe exactè contulerit, hujus ſententiæ ſunt Monachi in Meſuem, qui chebulas & citrinas veriſſimè ex una & eadem arbore eſſe affirmant citrinas immaturas, Chebulas vero maturas; Joubertus Cordus in Dioſc. Pena & Lob. in Adv. aliique quibus ſe opponit Garcias, inquiens, falluntur tam ii qui omnia Myrobal. genera in eadem arbore naſci putant, quam qui flava & Chebula tantum. Nam quinque ſunt diverſa arborum genera, & quod magis mireris in regionibus 60 aut 100 leucis inter ſe diſtantibus naſcuntur. De reliquis facilè illi aſſentior. Diverſas arbores eſſe illarum productrices de citrinis & chebulis ἐπέχω.

Balanus Myrepſica Græcorum Veterum ab his diverſa videtur.

Officinis quinque habentur Myrobolanorum ſpecies; quæ hoc diſticho comprehenduntur.

Myrobolanorum ſpecies ſunt quinque bonorum
Citrinus, chebulus, bellericus, Emblicus, Indus,

Cæterum Myrobolani dictæ quamvis nomine conveniunt, non ſunt tamen omnes ejuſdem generis. Emblicæ enim ſaltem in methodo noſtra, ad Myxæ ſive Sebeſten genus pertinent.

Myrobolani à reliquis prunis differunt coſtis aliquot elatis ſecundum longitudinem ductis & oſſiculis majoribus craſſioribuſque nucleis minoribus.

Vires. Myrobolani omnes refrigerant, ſiccant & aſtringunt, ut vel ſapor indicat, acidus cum tantilla acrimonia, ut in Sorbis. Propterea uſus eſt ipſarum in affectibus oculorum (inquit C. Hofmannus) qui cum frigidi ſint, facile laborant morbis frigidis, in defluvio capillorum, in dentium mobilitate (quos tamen denigrant) in ventriculi hepatis. Omnium adeo viſcerum ἀτονίαις, in quibus tantopere & Meſue commendantur, ut dicat corpus floridum & juvenile ſervare, exhilarare, colorem cutis, odorem oris & ſudoris commendare. Sunt etiam è numero purgantium. Purgant autem chebulæ bellericæ & Emblicæ pituitam: citrinæ bilem flavam; Indæ atram.

Myrobolani ſeorſim & in ſubſtantia exhibitæ (qui modus exhibendi cum purgare volumus, nunc non eſt in uſu, minimum purgant, ſed vehementiſſime aſtringunt, & hoc eo magis qui tenuius pulveriſantur, ut Meſue, vel longius decoquuntur, ut Melichius in diſpenſatorio Toſtæ (quomodo quidam in dyſenteria dant, Ut & rhabarbarum) exiguum purgant, ſed validè adſtringunt, (imo aſtringunt tantum C.Hofm.) hoc amplius faciunt uſtæ. In infuſo felicius purgant & parcius aſtringunt quam in decocto. Tamen, ut Garcias ſcribit, Indi in purgationibus utuntur tantum in decocto, ſed in doſi majori quam nos. Conditæ etiam minus purgant, imo aſtringunt. Condiuntur autem vel recentes ſi fructuum eſt facultas, vel ſiccæ & induſtrici humectatæ. Illæ valdè activæ ſunt, hæ contra languidæ. Chæbulæ etiam præferuntur Emblicis: hæ conditæ, Autore Meſue, ventriculum firmant appetentiam invitant, coctionem promovent, rationalem animæ partem vegetam reddunt, viſum acuunt &c.

Tria ſunt quæ in Myrobolanis correctione indigent 1. vis adſtrictoria qua obſtructiones faciunt, ob quam exhibendi non ſunt iis qui obſtructionibus obnoxii. Corrigitur hoc incommodum admixtis aperientibus acribus & diureticis, ut ſunt ſemina odorata. 2. acrimonia quâ hærent ventriculo ita ut non deſcendant, ſed nimis tardè operentur. 3. quòd corrugent ſubſtantiam ventriculi & inteſtinorum: quæ duo incommoda corriguntur per pinguia, inungendo ſci. Myrobolanos ipſas oleo Amygdalarum dulcium vel butyri dum atteruntur & comminuuntur, vel miſcendo cum ipſis paſſulas aut caſſiam fiſtulam. Hæc è Meſue.

J.B.

C. Hofmannus à Myrobolanorum uſu libenter abſtinet etiam in iis febribus in quibus obſtructionum metus nullus. Dubitat inſuper Annon Myrob. etiam conditæ in d. febribus habeant aliquid malefici? neque modicum earum uſum ſecurum putat.

Quoniam in ſubſtantia minimè purgant, Medici ita non dant, niſi cum aliis, v. g. in elect. eleſcoph. hamec tryphera Perſica, &c. idque propterea ut retundant vim aliorum purgantium.

Fallopius infuſi & decocti (utriuſque eandem vult eſſe rationem) ſummam doſim eſſe ait ʒiv. ad quam nunquam aſcenderit, contentus ʒii ad ʒiii Raius.

Eligendi ſunt Myrobalani carnoſiores, recentiores, ponderoſiores.

Vires. *Myrobalani citrini ſeu flavi bili flavæ educendæ apti nati ſunt. Indi ſ. nigri, bili atræ, chebuli, pituitæ ac poſtea bili, Emblici ac Bellyrici, itidem pituitæ.*

Doſis à ʒvi. ad ℥iſs.

OFFICIN. NAT. è *Myrobalanis.*

[1. *Myrobalani conditi.*]
2. *Pilulæ de 5 generibus Myrobal.*
3. *Extractum Myrobalan.*

♃. Genus Myrob. quodcumque volueris exemptis nucleis, tere partem carnoſam ſubtiliſſ. Macera dies aliquot cum ▽, dein exprime & inſpiſſa. *Sala.*

N. *Alii adhibent ſuccum pomorum redolentium, indeque conficiunt Extractum Myrobalanorum pomatum.*

[N. *Emblicorum Mel officinale eſt. Vires.* Vid. Diſp. Aug.] SCHRODERUS.

Myrobalanus Mauritanorum ſeu *Arabum* eſt inventum, à quibus Græci acceperunt. Iſti tamen ut *Dioſcorides & Galenus* διὰ τῦ μυροβαλάνυ vocabulum *Nucem unguentariam* intellexerunt, nec in uſu habuerunt fructus eos, quos *Avicenna & Serapionis* interpres vocat *Myrobalanos* ut qui rectiùs ad pruna referuntur.

Quinque ejus genera figurâ & viribus diſcrepantia à Scrodero afferuntur. *Bellirici & Emblici* naſcuntur in Javâ ac præter dictas *Myrobalanorum* ſpecies *Jacobus Bontius* l. a. in Javâ naſci vidit hactenus Noſtris incognitas, figurâ rotundâ, ac quæ ſine ſtriis ac inciſuris ſint, leves planè ac æquales, cæterum trunco, foliis ac ſapore reliquis *Myrobalanis* ſimiles ſunt, in primis *Belliricis*, niſi quod de purgativâ cæterorum *Myrobalanorum* virtute non participent, ac magis adſtringentem vim obtineant. *Unde conditi* dyſenteriæ, choleræ ac bilioſis febribus ac putredini egregiè reſiſtunt.

Naſcuntur in Arboribus magnitudine Prunis ſimilibus, ſed ut fructu, ita foliorum diverſitate diſcrepantibus. *Flava* Sorbi profert folia, *nigra ſeu India* foliis eſt Salicis, *Bellirica* foliis Lauri, ſed pallidioribus & ſubcineritiis. *Chebula* folia habet perſicis ſimilia.

Magnitudine & colore quoad formam externam diſtinguuntur, in eo autem conveniunt, quòd manifeſtam poſſideant qualitatem tonum viſcerum roborandi & ſimul alvum ſolvendi.

N. *Citrinam ex Indâ* fieri ſtatuit *Cordus*, relictâ *Indâ* in Arbore, uſquedum matureſcat, *Citrinam* oriri. *vid. Dominic. Chabræus in hiſtor. ſtirp. univerſal. & in Sciagraph.* p. 13. HOFMANNUS.

Myrrha.

Myrrha Græcis Σμύρνα & Μύῤῥα at Μύῤῥα pro Σμύρνα Æolicum eſt, à quibus Latini mutuati ſunt. Myrrhæ nomen (ut Poëtæ fabulantur) accepit à Myrrha Cinaræ regis Cypriorum filia quæ nefando patris amore capta, cum aliquot noctes auxilio nutricis cum illo concubuiſſet, tandem illato lumine agnita, cum illam pater occidere vellet, noctis beneficio elapſa in Arabiam confugit, ubi in arborem ſui nominis eſt converſa. Vide Fab. Ovid Metamorph. 10. Verius Etymon eſt à μύρον unguentum. De Myrrhæ arbore nihil certi traditur, nec à veteribus nec à recentioribus Theophraſtus Myrrham quam Thuriferam Arborem & Minorem & humiliorem eſſe dicit, fruticoſioremque caudice duro contortoque juxta terram, craſſioremque ſura hominis; folium habere thuris, aculeatum tamen & non læve ut illius. Dioſcorides Myrrhæ arborem ſimilem ſpinæ Ægyptiacæ eſſe dicit. At Diodorus Thuriferam Arborem ſpinæ Ægyptiacæ ſimilem facit; Myrrham autem Lentiſco cui Dioſcorides Thuris Arborem comparat. Quod de Bellonio 2. obſ. 8. recenſent quidam (inquit Caſp Hofman) quod viderit Ramæ in Palæſtina mane eſt. Hariolatur tantum (ut Scaliger loquitur) ex vicinia cum Acacia Ægyptiaca, cui comparari audiverat à Dioſcoride l. 1. c. 78. interim non contemno ſpinoſam arborem Penæ Adv. f. 428. quod & Acacia ſpinas habeat in trunco, licet alio modo. At Theveti Arborem, quam Hiſt. Lugdun. etiam dat, rideo.

Myrrham ſic deſcribit J. Bauhinus. Glebæ Myrrhæ aliæ pugillares ferè, aliæ Avellanæ magnitudine & minores, colore fulvo, ruffo, aut ferrugineo, aliæ pellucidæ, aliæ minùs, ſubinde etiam unguibus eximiis albis præditæ ſapore amaro, ſubacri: odore nares ferit acriter, ubi adoletur, nam flammam concipit. Dentibus attritæ friabiliores apparent quàm quod pro bdellio exhibent nec aquæ immerſæ diſſolvuntur ut gummi, ſed diutius in ea relictæ limi inſtar difluunt & flaveſcunt, digitis etiam facilius confringuntur, teruntur que. Quibus notis (inquit) facile diſtingues ab admixto adulterato gummi & ſuppoſititii glebis.

Myrrham officinarum legitimam non eſſe ſuſpicatur Fuchſius, quòd notæ Myrrhæ apud Dioſcoridem illi non conveniant. Quin ipſi bdellii indicia magis reſpondere videntur. Concludit autem ſiquidem Myrrha ſit eam eſſe ſpeciem quæ Caucalis & ergaſine Dioſcoridi cognominatur.

Braſſavolus aliique Myrrham officinarum pro bdellio habuerunt: & revera tanta intercedit inter bdellium & Myrrham ſimilitudo, ut facilè ab incautis & minus expertis unum pro altero accipi poſſit. Verum Myrrha facile diſcernitur, quod impensè amara ſit, non autem bdellium, præterea pallidior, pinguior, fragilior, odoris acrioris & magis pungentis, minus denique pellucida quam bdellium.

Langius & alii benzoinum dictum omnes Myrrhæ electæ proprietates habere ſcribit, at ipſius confeſſione deſiderat ut amaritudo, quam Dioſcorides in Myrrha requirit. Plerique Myrrham officinarum improbant, & pro genuina & optimæ notæ Myrrha non habendam ſtatuunt, ſed vel Ergaſinem Dioſcoridi dictam, vel Indicam à Plinio vocatam. Verum J. Bauhinus, Parkinſonus aliique in ſimplicibus medicamentis examinandis verſati veram Myrrham ad nos adferri ſtatuunt, quamvis ſæpius adulteratam cum gummi, & argumentis in contrarium allatis reſpondent.

Notæ optimæ Myrrhæ Galeno ſunt, quod ſit mundiſſima & tactu aſpera quidem, & arida, & fragilis & levis, & globulis puſillis, extrinſecus uno colore, intrinſecus deinde ſubruffa, & veluti venulas habens albicantes, odore ſuavi, guſtu amara & excalfaciens. Adde ex Dioſcor. quod ſit recens πρόσφατος. Hæc dubio procul (inquit Caſp Hofm) illa eſt quam vocat λιπαρὰν & λιπαρωτέραν ob copioſum ſtacten.

Omnibus autem præfertur quæ à loco unde convehitur Troglodytica appellatur, colore palleſcens ſeu ſubviridis, ſplendens ac mordax.

Pro ſecunda nota ut ſit friabilis ψαθυρὰ Caſp. Hofman ponit ὐ ψαθυρὰ non friabilis, cujus rationes apud ipſum vides nobis non ſatisfaciunt. Nam eadem nota habetur apud Plinium qui Dioſcoridi vel coævus erat, vel antiquior, & apud Galenum. Aliarum notarum explicationes vide apud C. Hofmannum prædictum.

De Myrrhæ generibus non attinet dicere, cum nihil certi ſit, & omnia mercatorum fraudibus conſtent, uti nec de Myrrhæ adulteriis. At vero inquiret fortaſſe Lector quid ſit Opocalpaſum ſeu Opocarpaſum, à quo maximè cavendum jubet Galenus ne Myrrhæ admixtum ſit. Opocarpaſum ex ſententia Caſp. Hofm. eſt Myrrha Indica Plinii, quæ ibidem quadam è Spina colligitur? ſiquidem hac Plinius fallaciſſimè adulterari Myrrham ſcribit. Galenus autem Opocarpaſum mentiri poſſe optimam Myrrham ait: at quei poſſit eſſe major fallacia. Mera hæc eſt conjectura, nec noſtro judicio valde probabilis, cui tamen refutandæ immorari operæ pretium eſſe non ducimus. Opocarpaſus certe ſuccus erat venenatus, ſoporem & ſtrangulationem præcipitem inducens. Et Galenus in ætatis ſuæ decurſu ſe multos vidiſſe refert mori, quòd Myrrham cui Opocarpaſum admiſtum eſſe neſciebant, ſumſiſſent. Cujuſnam autem plantæ arboriſne an herbæ ſuccus eſſet Opocarpaſum dictum nemo veterum nos docet, nec recentiorum quiſ-

quam

quam novit. Adjuvantur autem qui hunc hauſerunt epotæ cicutæ remediis.

Stacte in genere nihil aliud eſſe videtur quam myrrha liquida. Duplex autem ejus colligendi modus apud veteres occurrit 1. Sponte ex arbore non vulnerata exudat, Sudant (inquit Plinius) arbores myrrhæ ſponte priusquam incidantur Stactem dictam, cui nulla præfertur 2. exprimitur ex myrrha cum modica aqua confuſa, ut docet Dioſcorides. Hoc modo Cordus ex electa myrrha ſe ſtactem expreſſiſſe aſſerit: qua vix aliqua reperiatur quæ diutius & latius oleat, odore aromatum modo jucundo, & Valerandus Doures è myrrhe trita & calefacta eo modo quem præſcribit Dioſcor. ſtacten præparabat: quam ſane ſatis jucundi odoris & peramaram experiebatur. J. B. hoc modo & oleum liquidam è reſina ejuſdem nominis exprimitur.

Stacten Arabes Styracem vel Storacem liquidam appellarunt, quos ſecutæ officinæ & medicorum vulgus. At vero quicquid ſit de Arabum Storace liquida, officinis ita dictam Stacten non eſſe oſtendit Cordus.

Vires. Myrrhæ Dioſcorides has vires tribuit, vim habet calefaciendi, ſoporem inducendi: (non in omnibus inquit Caſp. Hofman) ſed in Capitibus, aut frigidis naturæ aut alioqui pituitæ occupatis, in quibus aromata id faciunt. At cordus Stacten propter gravitatem aliquam ſenſoriis irrepentem facile ſomnum conciliare ſcribit) glutinandi, ſiccandi, adſtringendi, (alii myrrham adſtringere negant, cum menſes & partus celeriter ejiciat) mollit etiam uterum concluſum & aperit. Ducit item menſes & fœtus celeriter cum abſinthio, aut lupinorum cremore, aut rutæ ſucco appoſita. Myrrha etiam nunc dierum à multis commendatur in partu difficili, (quod menſes interdum ſiſtat, id fit ſiccando & ſerum abſumendo) ſumitur etiam pro Catapotio magnitudine fabæ ad tuſſim veterem, & orthopnæam & laterum ac thoracis dolorem alvique ſolutionem & dyſenterias (hoc efficit non adſtrictoria vi, qua caret, ſed quatenus ſiccat & digerit humores acres & rodentes. Caſp. Hofman.) ſolvit quoque rigores ante acceſſionem cum pipere & aqua magnitudine fabæ pota. Arteriæ etiam aſperitatem & vocis raucedinem corrigit, Lingua ſuppoſita, & ſucco inde deglutito. Necat & lumbricos amarore nimirum, & ad oris graveolentiam manducatur. Ad Alarum dolores illinitur cum Alumine liquido. ſi vero cum vino & oleo colluatur gingivas & dentes corroborat: inſperſa quoque vulnera in Capite glutinat. Et contuſas aures & denudata oſſa cum Cochleæ carne impoſita ſanat. Et pure fluentes inflammataſq; aures cum papaveris ſucco, Caſtoreo ac glauco illita. Ad varos autem cum caſſia & melle illinitur & impetigines deterit cum aceto. Defluos item capillos cum ladano & vino myrteo oleo illita corroborat. Mitigat quoque diuturnas deſtillationes naribus cum penna illitis. Replet ulcera in oculis ac ea quæ pupillis tenebras offundunt & aſperitates deterit.

Exſiccatoria & abſtertoria vi pleraque hæc præſtat, unde & olim inſignis ejus uſus erat in conſervandis cadaveribus eſt inquit J. Bauhinus, myrrha non ex omni parte beata eſt. Scimus enim cum Galeno myrrhæ odorem plurimis etiam ſanis capitis dolorem inducere. Et Galenus, citante Caſp. Hofman. 5. ſimpl. 19. Myrrham habet inter ea quæ ob copiam humiditatis, ſi largius ſumantur quoſdam dementant, quibuſdam etiam mortem inferunt.

Recentiores nonnulli myrrham hydropicis conducere ſcribunt, Matthiolus cum agrimonia potam.

Schroderus extrinſecus prodeſſe ait in igne ſacro gangræna, tumoribus, vulneribus inveteratis ac recentibus, præcipue capitis, unde in emplaſtris ſticticis, ut vocant, uſus ejus creberrimus eſſe ſolet.

Myrrha Bœotica Dioſcor. quam dicit arboris cujuſdam in Bœotica naſcentis radicem eſſe, & calefaciendi, emolliendi vim habere, utilitet etiam in ſuffitus admiſceri. Hodie prorſus incognita eſt.

Ægyptii hodie tempore peſtis myrrham maſticare dicuntur. RAIUS *in Hiſtor. Plantar.*

Delectus Myrrhæ.

Laudatur friabilis, levis, undiquaque concolor, minutis glebis, amara, acris, odorata, & quæ confracta, venas unguium modo candidas & leves oſtendit. Omnibus autem antefertur, quæ à loco unde convehitur, Troglodytica nuncupatur, colore paleſcens, ſubviridis, ſplendens ac mordax. Inutilis eſt ponderoſa & coloris picei ſeu nigra, hæc (myrrha) animinea; Amati.

N. *Stactem nihil aliud eſſe quàm myrrham liquidam, teſtatur Dioſcorides. Ejus autem colligendi diverſos deprehendimus modos. 1. Sponte ex arbore non vulneraria exudat. 2. Exprimitur ex myrrha, ut oleum Liquidambar ex Reſina ejuſdem nominis.*

Vires. *Myrrha calf. & ſicc. 2. (al. 3.) aperit, ſubaſtr. atten. maturat, diſcutit, putredini reſiſtit. Uſus præcip. in uteri obſtructione, fœtu expellendo, in pulmonum & inteſtinorum mucilagine, ac inde nata raucedine, tuſſi & angina, pleuritide, colica, lumbricis: compeſcit diarrhœam ac dyſenteriam, febrium rigorem, præcipuè quartanæ arcet. Extrinſecus prodeſt in igne ſacro, gangræna, tumoribus, vulneribus inveteratis ac recentibus, inprimis capitis, unde in Emplaſtris ſticticis, ut vocant, uſus ejus creberrimus eſſe ſolet. Maſticata ac ſubinde deglutita halitus fœtorem emendat, coryzamque curat, &c.*

Doſis à ℈ß. ad ℈ii vel ʒi.

PRÆPARATA *ex Myrrhâ.*

1. *Myrrha Depurata.*

Depuratur more ſolito: Myrrhæ ſubtiliſſ. tritæ affunde expreſſum ſuccum, decoctum, vel infuſum [intentioni tuæ appropriatum,] vel vinum ad eminent. digit. 2. digere in MB, ut molleſcat, dein calida exprime & inſpiſſa lentè. *Vide, Quercet. Pharm. Rest. cap. 15.*

2. *Myrrha Extracta.*

Extrahitur cum 🜍 rectificatiſſ. ſ. a abſtrahitur 🜍, inſpiſſaturque extractum ulterius in vitro, vel vitreato vaſe ad conſiſtentiam olei

3. *Oleum Myrrhæ.*

Deſtilla per ☊ m. ex Arena.

N. 1. *Sunt qui Myrrham cum ſerratura abietina macerant, ac poſtmodum per Veſicam oleum eliciunt. Verum id aliqua ex parte abietinum eſt.*

N. 2. *Alii liquori myrrhæ* 🜍 *affundunt, digerunt, ac per* XX-*Qant.* M. ed. deſtill.

N. 3. *Alii digerunt Myrrham pulveriſat. cum* 🜔 *atque hinc Qant.*

N. 4. *Neque per ſe, neque cum ſilicibus, arenâ, bolo aut farinâ laterum, Ol. profundit, ſed ſolum* -^-*um gravem & acidum aq. fœtentem. Fiat igitur utroque modo, ut dixi de Maſtiche S. Cloſſ.*

4. *Liquor Myrrhæ.*

Impone Myrrham pulveriſ. albumini ovi cocti adhuc calido, ac repone in cellam ad liqueſcendum, vel mixtam cum eodem albumine repone ſupra tabulam vitream ut liqueſcat, deſtillet in vitrum ſuppoſitum.

Vires.

Vires. *Abſtergit maculas cutis, ſtigmataque ex lue Venerea.*

[Oleum Myrrhæ per deliquium dicitur.]

5. *Trochiſci de Myrrha. de quibus vid. ſub titulo* Trochiſci. Schoderus.

Myrrha. Græc. Σμύρνα. Bola Indis. Eſt gummi reſinoſum Arboris naſcentis in Arabia, Ægyptiacæ ſpinæ ſimilis, quę inciſâ in ſubſtratas tegetes deſtillat, pars verò citrà caudicem concreſcit. *Theophraſtus* 9. *hiſtor. Plantar. cap.* 4. Arborem dicit minorem eſſe & fruticoſiorem arbore thuris caudice duro, contorto, cortice lævi, folio aculeato, criſpo, ſpina horridulo.

Myrrha alia ἡ διάσιμος ſeu *campeſtis*, quæ expreſſa deſtillat & excipitur *Stacte*. Quamvis quidam *ſtacten* putent eſſe rorem, qui ante corticem ferro ſolutum ſponte & ſine plaga quaſi ſaliva quædam exſudat. Alia χαβιλέα Inter ejus verò ſpecies primas tenet τρωγλοδιτικὴ, à loco natali denominata, quæ ſubviridis, pellucida & mordax. *Deinde tenuis, Bdellii modo lenteſcens. Tertiò,* καυκαλὶς, *nigra & retorrida. Quartò* ἐργασίμη, *quæ aſpectu gummi refert.*

Eligenda eſt friabilis, lævis undiquaque concolor, quæ confracta intrinſecus lineas candidas intercurrentes habet, Unguium ſpeciem præ ſe ferentes; minutis glebis, amara, odorata, acris, ponderoſa & picei coloris inutilis. Non hîc poſthabenda utiliſſima *Galeni obſervatio lib.* 1. *de Antidot. c.* 14. ubi ait: Myrrham tranſmutari in Opocarpatum, ſuſcipiendo non ſolùm ejus figuram, ſed venenatam etiam qualitatem. Si igitur in Myrrha animadverterimus multas eſſe glebas diverſas, quoad odorem & ſaporem differentes à vera, non abſque ratione judicabimus eam mutatam in opocarpatum. Ita etiam obſervatum Galbanum mutari in Sagapenum & caſſiam in cinamomum.

Vires. Calefac. & ſicc. aperit, ſubadſtring atten. maturat, diſcutit, putredini reſiſtit &c.) Unde hujus præcipuus eſt uſus in uteri obſtructionibus, menſium ſcilicet ſuppreſſione, partus difficultate aſthmate, tuſſi, febribus malignis &c. quæ cauſa, quod ingrediatur *Elixir Proprietatis & Tincturam bezoardicam* &c. Externè prodeſt in eryſipelate, vulneribus &c.

Præpar. 1. *Myrrha depurata &c.*) Quamvis vinum Myrrhæ genuinum ſolvens non ſit, ſed ſp. vini, ſufficit tamen hoc loco, quod ita in vino ſoluta & calide colata per linteum à ſordibus depuretur, & cum reliquis ſpeciebus neceſſitate exigente intimus permiſceri poſſit.

2. *Myrrha Extracta &c.*) ſcil. cum ſp. vini extrahitur rectificatiſſimo, & inſpiſſatum redigitur in extractum beneficio MB. Ex hac deſtillatur etiam oleum per retortam ex Aren. poteſt autem ei ante ♌ationem addi arena, bolus vel calx viva &c Hofmannus.

MYRRHIS.

Veriſimile eſt à Myrrhæ odore dictum eſſe Myrrhida & Myrrhim, inquit Marcellus Virgilius. Nullus tamen, quod invenerit, aperte id teſtatus eſt e Græcis aut Latinis J. Bodæus plantam quam Dioſcorides μυῤῥὶν vocat nomen recepiſſe ait διά μυρέιτον ἢ ἐυ δη ειναι,) quod odorata ſit quaſi unguentum redolens. Quod ſi verum eſſet μυρὶς ſcribi deberet cum ſimplici ρ Jo. Bod in Theophr. hiſt lib. 7. p. 809.

Nomina. Myrrhis magno ſemine, longo ſulcato, *J. B.* major vel cicutaria odorata *C. B.* major vulgaris, ſive cerefolium majus *Park* cerefolium magnum ſive Myrrhis *ger.*

J. B.

Myrrhis radicem habet inſigniter craſſam, adnatis plurimis & craſſis donatam, albam, ſapore dulci, ſubacri, grato aromatico qualis eſt ſeminis aniſi ſapor. Caules ſurrigit aliquot proceros bicubitales & tricubitales, hirſulos fiſtuloſos: folia magna, pinnata, cicutæ foliorum facie, magis albicantia, & albis maculis ſubinde reſperſa, tactu mollia, nervis averſa parte piloſis, ſapore aniſi pediculis. Flores in umbella gerit candidos, leviter odoratos, quorum ſinguli foliis quinis conſtat bifidis ſeu cordatis, extimo intimis duobus oppoſitis ſimul utriſque majore, lateralibus binis, medio modo ſe habentibus, bifulcato ſtylo albo cum ſtaminulis albis medium occupante. Particularium umbellarum baſin ſuſtinet ſenum radiorum Stella. Succedit ſemen notatu dignum, magnum, longum, anguloſum, ſulcatum, ſapore aniſi dulci jucundo. Aiunt apud Germanos in pratis alicubi naſci, ut in Haſſia circa Caſellas referente Gillenio J. B.

Hujus folia filicina quodam modo referunt unde noſtratibus filix dulcis appellatur. Raius *in Hiſtor. Plant.*

Valet hac planta in provocandis fœminarum menſtruis & accelerandô partû, item in Cachexiis, phthiſi, aſthmate, epilepliâ, venenis.

MYRTILLUS *ſeu* Vaccinium.

Vaccinium Latinum ab Hyacintho deducit Salmaſius in præfat. ad Synon. Hyles. latricæ, nam pro diminutivo ὑακίνθιον Æoles ſcribebant ϐακίνθιον & ϐακίννιον Literam υ. per. ϐ. efferentes ut φϐσα & φὸς & φῦσα, θϐγάτηρ pro θυγάτηρ & ſimilia, & ſanè vaccinium Virgilii, Theocriti Hyacinthum eſſe, & de flore dici luce clarius eſt: unde ineptè id nomen hujus fruticis fructui attribuitur.

At neque vitis Idææ Theophr. deſcriptioni ſatis aptè reſpondet ulla hujus plantæ ſpecies, ut oſtendit poſt Dodonæum J Bodæus à Stapel. Verum cum veteres in deſcribendis plantis non valdè accurati erant, hæc autem planta ad vitem Idæam accedat. Non video cur ad id genus non poſſit referri, eodemque nomine generico inſigniri. Myrtilli autem dicuntur hi fructus ab eorum ſimilitudine cum Myrti baccis.

Vires. Baccæ hæ, Dodonæo tradente, frigidæ ſunt & cum manifeſta adſtrictione ſiccant. Ventriculo æſtuanti conveniunt, ſitim ſedant, ardentium febrium calores mitigant, alvum reprimunt, vomitum ſiſtunt, dyſenteriam à flava bile ortam curant, adverſus choleram morbum proſunt. Sed ad hos uſus Rob ſive ſuccus cum ſaccharo vel melle inſpiſſatus ipſis baccis longe præferendus, quoniam frigidæ cum ſint, crudæ ſi edantur ventriculum debilem & frigidum offendunt, alvumq; perturbant potius quam adſtringunt Caſp. Hofman. Myrtillos loco aprico natos cum bene maturos nullatenus eò frigiditatis aſcendere putat ut alvum frigiditate ſua perturbent &c.

Idem Myrtillos nigros rectè & ex ordine myrtis ſubſtitui poſſe putat cum his conditionibus. 1. Si ſumantur Septentrionales non Italici & Hiſpan. 2. Si non exactè maturi 3. Non virides ſeu recens decepti, ſed exſiccati. 4. non ſuccus crudus, qui ob aquoſitatem multam multum refrigerat, adſtringit parum, ſed in Rob denſatum.

Partes tenues huic ſucco ineſſe, eumque etiam vehementer adſtringere oſtendunt notæ pæne ineluibiles manibus & ori manducantium impreſſæ. Hinc eo utuntur tinctores ad inficienda linteamina & chartas cæruleo colore.

Paſtores & montana plebs baccis hiſce libenter veſcuntur: nam ſuavitate ſua cum aliqua aciditate conjuncta guſtui placent.

Myrtillorum vires & uſus in ſcorbuto apud Norvvegos vide apud Sim. Pauli. quadrip. Botan. Cluſ. 3. p. 406. 407 Raius *in Hiſtor. Plant.*

MYRTUS.

Myrtus, Græcis μυρσίνη & μυῤῥίνη à *Myrtine* Athenienſi puella, pulchritudine & robore inſigni, amica Palladi, quam juvenis ab ea curſu & palæſtra ſuperatus interemit, invidià ductus, quod elegantia cæteriſque naturę dotibus reliquis virginibus præſtaret: arbuſcula in demortuæ locum ſucceſſit, ſemper Minervæ ut olea chara. Sunt qui velint ſic vocatam propter myrrhæ quandam æmulam odoris gratiam, qua pollent bacculæ, ut annotant

tant adverſaria: quamvis dubium adhuc ſit. Utrum Græcis innotuerit prius Myrtha an Myrtus. Nobis ſanè (inquit Jo Bauhinus) longe petita videtur nominis derivatio, & Myrthæ odorem longe diverſum à Myrti baccis agnoſcimus.

Myrthum Veneri ſacram dicatamque Camerarius ideò judicat. Quia multos habet uſus in morbis muliebribus: Sane in quibuſcunque fluxionibus rite adminiſtrata plurimum poteſt. Jo.B. nos potius iis aſſentimur qui ob odoris ſuavitatem Veneri dicatam putant: Veneri enim conciliandæ odores & unguenta plurimum valent: Ut è contra ad appetitus venereos refrænandos & extinguendos nihil efficacius eſt odoribus tetribus & ingratis.

Myrthus foliis perpetuis, ſuaveolentibus: baccis umbilicatis cum pluribus intus ſeminibus albis incurvis ab aliis arboribus congeneribus diſtinguitur.

Plures ejus ſpecies ſeu varietates habentur. Cluſius annotat ſe in Hiſpanica ſua peregrinatione, aliiſque locis multa genera Myrtorum obſervaſſe, nec dubitare quin ex ſatione major adhuc varietas oriri poſſit. Nos pro ſpeciedistinctis agnoſcimus Myrtum communem Italicam, Myrtum Bæticâ latifoliam Cluſ. & Myrtum Tarentinam dictã: reliquæ an diſtinctæ ſint necnè dubitamus.

Vires. Vis tum ipſi Myrto, tum etiam fructui adſtrictoria. Galeno valenter deſiccat. Tum folia, tum germina, tum fructus, tum ſuccus non parum inter ſe in aſtrictione diſſident. Folia arida viridibus plus deſiccant. Reſtringendi tamen omnia vim habent tum foris impoſita, tum intro ſumpta in corpus, unde in cibo dantur ſanguinem excreantibus. veſicæque eroſione laborantibus virentibus baccis ſuccus expreſſus ſtomacho utilis eſt, & urinam ciet. Prodeſt cum vino à phalangio demorſis & à ſcorpione ictis. Fructus quoque decoctum capillos tingit, is ipſe cum vino ſubfervefactus & impoſitus ulcera in extremitatibus corporis nata ſanat. Cum tenuiſſimo verò polente polline impoſitus oculorum inflammationes lenit, quin & ad ægilopas illinitur. Vinum porro Myrtites, quod expreſſo & aliquantulum fervefacto fructu fit (aliter enim paratũ aceſcit) præſumptum crapulam arcet & ad eadem ad quæ fructus valet. Utile quoque ipſum in deſeſſionibus vulvarum & ſedis procidentia, itemque fœminis fluxione vulvæ laborantibus, detergit etiam furfures. ulcera capitis manantia & papularum eruptiones, fluentes quoque capillos continet. Additur & in emplaſtris lenibus quæ Liparas vocant, veluti etiam quod ex ipſius foliis conficitur oleum. Quin & foliorum decoctum ad inſeſſus convenit: eoque laxati & ægre ſolideſcentes articuli, itemque fracta quæ non conferbuere utiliter foventur vitiligines quoque emaculat. Ad aures purulentas & capillos denigrandos infunditur. Sed & eorum ſuccus eadem efficit. Ipſa verò folia trita & ex aqua illita humidis ulceribus & partibus omnibus fluxione laborantibus, cœliaciſque proſunt, Si quidem admiſto oleo omphacino, aut exiguo roſaceo cum vino valent ad herpetas, Eryſipelata, teſtium inflammationes, epinyctidas & condylomata. Arentia verò folia trita paronychiis & pterygiis, itemque alis ſeminibuſque humentibus, adeoque tetrum virus ſpirantibus, utiliter inſperguntur, & cardiacorum ſudores prohibent. Cæterum cremata aut etiam cruda cum cerato, ambuſtis, pterygiis & paronychiis medentur. Exprimitur & foliis ſuccus affuſo vino vetere aut aqua Cœleſti, cujus recentis uſus eſt, nam exſiccatus ſitum contrahit, vireſque amittit.

Myrtidanum magis quam Myrtus aſtringit, tuſum vero vino auſtero addito coactum in paſtillos, ſiccatumque in umbra reponitur. Efficacius porro eſt tum fructu, tum foliis ceratis, peſſis, inſeſſionibus & cataplaſmatis admixtum, ubi conſtringendum aliquid eſt. Hæc omnia Dioſcorides.

Quæ præterea habent Plinius, Galenus, Sethi, aliique vide apud J.Bauhinum. Hiſt. Plant. lib.5.c.1.

Uſus internus foliorum aut baccarum nunc dierum rarior eſt, adhiberi tamen poſſunt in diarrhæa & expuitione ſanguinis.

Syrupi uſus eſt ad catarrhos calidos, tenues præcipue cum pectus occupant.

Oleum duplex eſt in officinis, alterum fit ex baccis myrti, alterum ex foliis oleo communi infuſis; atque ut differentia ſit, quod ex baccis fit myrtinum vocatur; quod ex foliis myrtillorum. Ego (inquit Caſp. Hofman) non magni facio, & ſicubi opus eſt illo extrinſecus, in fluxibus alvi, ambuſtis, intertriginibus debilitate generis nervoſi &c. utor potius melino.

Facultates myrti omnes dependent à vi ſiccandi, adſtringendi, & ſuavitate odoris. Myrtuſque emendat odorem oris. Seren. Aqua è floribus myrti deſtillata ob odoris ſuavitatem Myropolis plurimum expetitur.

Plinius apud antiquos, antequam piper reperiretur myrti baccas illius obtinuiſſe vicem tradit. Quodam etiam generoſi obſonii nomine inde tracto, quod etiam nunc Myrtatum vocatur. eademq; origine Aprorum ſapor commendatur, plurumq; ad intinctus additis myrtis.

Varios modos faciendi vinum myrtites, & oleum myrtinum apud Veteres vide apud Plinium, Columellam, Dioſcoridem, Catonem, Palladium. Conſule etiam de his & eorum viribus ſi placet, J Bauhinum loco modo citato. Bellonius refert Illyricos myrti foliis coria perficere, quemadmodum Macedones Rhoe; Ægyptios Acaciæ ſiliquis: Aſiæ minoris incolas glandium Æſculi calicibus; Gallos quercus libro; Phryges Sylveſtris pini corticibus. Cluſ. hiſt. lib.2. c.12. in myrtis coccum naſci unico animali vivo veſicula incluſo præditum obſervavit Bellonius. RAIUS *Hiſtor. Plant.*

MYTULUS, vide *Muſculus Piſcis*.

MYXA *ſeu* MYXARIA, vid. *Sebeſten*, imò etiam *Myrobalanus*.

LIBER XIII.

Continens ea quæ incipiunt à Literâ

N

NACRA, vid. MATER PERLARUM, præcipuè ſub titulô *Margarita*.

NAPELLUS, vid. ſub titulô *Aconitum*.

NAPHTHA.

& ſub ea

PETROLÆUM, OLEUM TERRÆ, ASPHALTUM. quia ſcilicet horumce omnium ſubſtantia non multum eſt diverſa.

Aſphaltos eſt vel vera, vel ſubſtititia; quæ Aſphaltos communis Officinarum audit, & proprie *Piſſaſphaltum* dicitur: compoſitum, ſeu factitium quid ex Pice & Bitumine unde nomen accepit.

Ἀσφάλτος vera, Ἀσφαλτον eſt *Bitumen*, (ſevum, reſina,) Macrocoſmi, picis inſtar durum, &c. Supernatare primum aquis conſpicitur, ſeu lacubus, hinc ad littora propulſum concreſcit, denſatur, tenaci ſlimumque redditur.

Præfertur reliquis Judaicum Bitumen, quod mortui maris [Ἀσφαλτίτης propterea dicti,] genitura, German. *Jude pech*, Bitume ou limon glutineux de Judée, *Jews pich, A fat clay or ſtime, of the nature of brim ſtone, Jode-pik, een vette kley brandende geliik Solfer.*

Ejus verò probatio eſt, ut purpuræ modo ſplendeat, [ſcilicet in nigrore] ſitque ponderoſum, & validum odorem vibret; nigrum autem & ſordidum vitioſum eſt.

N.1. *Quia rariſſimum eſt, noſtratibus ejus loco Piſſaſphaltos in uſu eſt quam vide lib.4.*

N.2. *Oleum illius Qatur ut Succini.*

Naphtha eſt colamen bituminis Babylonii; conſiſtentia liquidum, ignis rapaciſſimum.

N. *Nec & hæc noſtratibus uſitata, ſed loco ejus Petrolæum uſurpare ſolent.*

Petrolæum, Oleum Petræ, *Steinœle*, du Petrole, ou huyle de pierres. *Stone-oyl, a fat liquor flowing from rocks and other ſtones. Steen-oly, van rotzſteenen een andere ſteenen vloeyende.* Eſt liquamen [axungia Macrocoſmi.] pingue, liquidum, è petris & ſaxis effluens.

Vires. *Calfac. & ſic. tenuium partium eſt, digerit, & reſolvit, cerebro ac nervoſo generi confert.*

N. 1. *Petrolæum in Italiæ regione Mutinenſi ſtillat candidum & ruffum. In Sicilia fontibus innatat. Apud Mejanum pagum in tractu Parmenſi album eſt. Babylonicum autem in ſuo fonte flagrare dicitur, ſecus Italicum.*

N. 2. *Rectificatio Petrolei fit in Capella vacua, ita habebis limpidiſſimum ♎m. & in fundo ☉ vernicem ſeu Colophoniam nigram, ſolidandis vulneribus aptiſſimam, Spiritus autem pernionibus ulceratis confert, nervoſque illitu cum V roborat.*

Oleum terræ oleum eſt pellucido-rubicundum, odoris fortis petrolæum æmulantis, ſed gratioris.

Ante paucos annos nobis innotuit ex India Orient. aſportatum, ubi ex monte quodam effluere dicitur.

Vires. *Arthritidi vagæ maximo eſt ſolamini innunctum.* SCHRODERUS.

De *Oleô Terræ Franciſcus Hernandez Lib.x.Cap.2.* ita commentatur Purpureo ſplendet colore, ac trifolii Aſphaltitidis, rutæve gravem quendam ſpirat odorem & eiſdem pollet facultatibus. Septentrionali ſcaturit Oceano, & liquidum fluens ſtatim in hujus Hiſpaniæ novæ littora decurrit. In laminas cogitur, bina (paſſuum) milliaria quandoque longas, craſſas verò duas tréſve ſpithamas. Vili ob copiam in his regionibus venditur pretio. Utuntur eo Mulieres Mexicanæ commanſo ac paſſim non ſine voluptate quâdam ore retento ad extergendos & priſtino nitori reſtituendos dentes. Aliàs uſum internum non agnoſcit.

Bitumen Judaicum dicitur *Juden-Pech*, eò quod in Lacu Judææ naſcatur, & adeò lentum eſſe fertur, ut avelli nequeat, præterquam filo, quod menſtruum mulieris infecerit.

Noſtratibus ejus loco *Piſſaſphaltos* in uſu eſt; Hoc picem bitumini miſtam redolet, & in Apollonio Epyri invenitur, quia fluminis impetu ex montibus devolvitur Ceraunìis & in glebas cogitur, idque nativum eſt. Aliàs datur & factitium compoſitum ex pice ac bitumine, unde & nomen accepit; Nonnulli etiam *Piſſaſphalton mumiam Arabum* vocant, de quo *Libro V. de Mumiâ.*

Naphtha, *Petrolæum* non eſſentiâ, ſed accidentibus tantum ſecundum magis & minus differunt: ita ut pars ſpirituoſior ſit Naphtha, huic proxima Petrolæum, & oleum terræ, craſſior & feculenta Aſphaltum.

Præter hæc nobilis etiam *Naphthæ* ſpecies ex Sumatrâ affertur, Javæ regno è regione in conſpectu ſita. Quam Miniac Tannah Indi vocant, quod oleum Terræ ſignificat, & non ſecus ac nobis cognata Naphtha, ſeu Petrolæum è terra erumpat, vel ex rupibus in ſubjecta flumina præcipitetur. Hoc oleum à Barbaris in tanto habetur pretio, ut Rex Achinenſis, qui potentiſſimus iſtius Inſulæ tyrannus eſt, ſub capitali pœnâ iſtud evehi inde prohibeat, ita ut incolæ nocte intempeſtâ, ſi quæ Batavorum aut Anglorum navis eorum littoribus appellat, ad hoc iſtud furtim deferant. Hoc oleum partibus paralyticis illitum miraculi inſtar ſolvatur, odore eſt gravi, ſed minus faſtidioſo. *Jacobus Bontius in not. ad Garc. ab Ort. Hofmannus.*

NAPUS vid. *Bunias.*

NARCISSUS.

Narciſſus, non à *Narciſſo* adoleſcente, nimium ſeipſum adamante [ut Poëtæ fabulantur] ſed à vi ſtupefaciendi, quam νάρκωσιν Græci vocant, dictus eſt: ſeu, ut Plinius, à *Narce*, quam vim Narciſſo ineſſe l.21.c.19. teſtatur: hinc Plutarcho in ſympoſio quaſi nervos hebetans, & torpidas gravitates efficiens, dicitur. C.B.

Narciſſus à reliquis bulboſis tunicatis certiſſimâ notâ, calyce in medio flore diſtinguitur, ut plures addere non ſit opus.

Narciſſi dividuntur in *latifolios* & *anguſtifolios* ſeu *juncifolios*, latifolii iterum ſubdividuntur in *monanthes* ſeu unicum in uno caule florum gerentes & *polyanthes* ſeu pluribus in eodem caule floribus donatos. Monanthes denique ſubdividemus in eos qui calice, ſeu tubo longiſſimo prædici ſunt, in eos qui calice mediæ longitudinis & in eos qui calice brevi donantur. RAIUS *in Hiſtor. Plantar.*

Narciſſus, ut in Etymologia à Clariſſ. *Raio* mox adducta, facultatis eſt ſoporiferæ ſi vel diutius odoretur, vel intus aſſumatur. Verùm radix ſeu bulbus extùs adhibitus, deterſivus eſt, anodinus, imò & agglutinans.

Narciſſus Sylveſtris pallidus, calice luteo, vomitorius eſt & nervis inimicus; extrinſecus tamen ambuſtis prodeſſe dicitur, ut & vulneribus ac herniis Vomitio autem huic narciſſo ita non eſt peculiaris quin etiam omnes hujus plantæ ſpecies eâdem vi polleant, unde Lobelius ruſticam plebem narciſſorum radicibus vomitiones ciere aſſerit Folia præterea contuſa in Eryſipelate conducunt ex D.Hermannô.

NARCOTICA, vid. *Anodyna.*

NARDUS, vid *Spica.*

NARDUS MONTANA CELTICA. vid *Valeriana.*

NARDUS SYLVESTRIS, vid. *Aſarum.*

NARES VITULI, vid *Antyrrhinum.*

NASALIA, vid. de iis ſub titulô *Errina.*

NASCALIA, vid. ſub titulô *Peſſus.*

NASTURTIUM.

Naſturtium κάρδαμον Dioſcoridi, l.2.c.15. Theophr. 7.hiſt.1. vel quaſi καρήδαμον quia κάρα δαμᾶ caput domat. h.e purgat acrimoniâ ſuâ. Nam id quod nigrius eſt capitis vitia purgare ait Plinius, l.20.13. vel eſt id nomen à καρδία, quod cordatos facit. Nam dicunt τοὺς ἐσθίοντας κάρδαμον ὀξυτέρους τὴν διάνοιαν γίνεσθαι. hinc proverbium in pigros & deſides κάρδαμον ἔσθιε, naſturtium comede. Quo Plinius reſpexit, cum verbis ante allatis ſubjungit: & inde vigoris ſignificatio proverbio id vocabulum uſurpavit, veluti torporem excitantis. Naſturtium autem quaſi naſitorium dictum eſt, quod naſum torqueat, odore & ſeminis acrimonia ſternutamenta provocans. Plin. Varro. Iſidor.

Naſturtii *notæ characteriſticæ* ſunt ſapor acris, odor acutus & nares feriens, folia plerumque variè inciſa.

NASTURTIUM SYLVESTRE.

Vires. Spiritus Naſturtii [neſcio an de hoc intelligat] exhibetur à Danicis Medicis maximo cum ſucceſſu. Sed hic ſpiritus fermentatione elicitur circulatur, & unitur cum proprio ſuo ſale fixo & oleo. Modus præparationis extat in Tho Bartholini act.med. An.1671. Obſ.184. hæc nobis ſuggeſſit D Tancredus Robinſon.

Caſtra ego in Germania ſecutus obſervavi complures meorum commilitonum hydrope vel dyſenteria laborantium priſtinæ ſanitati eſſe reſtitutos, quibus ſuaſu Chirurgi Caſtrenſis ſingulis vicibus ſeminis Thlaſpeos ʒß. propinabatur S.Paulli quadrip.Bot Claſſ.3 p.505.

NASTUR-

NASTURTIUM HORTENSE.

Vires Acris & calida eſt tum herba, tum præcipue ſemen: unde atten. aper. abſtergit: uſus præcip. eſt in tumido liene, menſibus obſtructis fœtuque mortuo expellendo: tartaream mucilaginem pulmonum incidit, & ſcorbuto confert. Vulgo quidem ad expellendos morbillos inſervit ſemen. Extrinſecus uſu venit in apophlegmatiſmis, errhinis, phœnigmis: furfures ac ſcabiem fœdum capitis, aliarumque partium ſanat tritum aut frixum cumque porci axungia illitum. *Schrod.*

Uſurpatur paſſim ad ciborum condimenta & intinctus. Venit quoque vere & per æſtatem cum Lactuca atque aliis herbis oleo, aceto & ſale, in menſas. Lactucæ frigiditatem attemperat, ventriculum calore ſuo refocillat, & concoctionem promovet.

Belgæ naſturtio cum pane & butyro Maio menſe frequenter utuntur, facit ad grave illud malum quod ſcorbutū appellant: nec minor eſt hujus quam vel cochleariæ, vel naſturtii aquatici in hoc morbo vis & facultas.

In affectibus Comatoſis ſeu Lethargicis nil præſtantius eſt quam naſturtium tam coctum, quam in acetariis ab experientia P. Foreſti obſerv. med. lib. 10. obſ. 39.

Ex Paræo obſervat Sim. Paulus ad fœdam cruſtoſam puerorum ſcabiem nihil tam promptum eſſe & efficax, quam naſturtium hortenſe tritum aut frixum cum porci axungia: nam intra viginti & quatuor horas cruſtæ ut decidant perficit, quin etiam ſi eo quis utatur diutius perſanat, ut ille experientia cognovit.

NASTURTIUM AQUATICUM

Radicis vicem ſupplent capillares fibræ candidæ, quas intra aquas è geniculis demittit. Cauſes oblōgi, procidui fere, ſatis craſſi, concavi, ſtriati, glabri, ramoſi, ex viridi nonnihil rubentes. Folia viridia & atrovirentia. Erucæ facie, è duab. tribuſve pinnarum conjugationibus compoſita, cum impari in extremo, glabra, ſapore naſturtii hortenſis mitiore. Flores in ſummis caulibus & ramulis parvi, albi, quadrifolii, apicibus in medio luteis, qui quoniam ſenſim aperiuntur, in longas velut ſpicas procurrunt. Succedunt ſiliquæ in pediculis ſemuncialibus unciales fere, à caule extantes, ſurſum nonnihil incurvæ, bene habitæ, duobus ſeminum exiguorum fulvorum ordinibus repletæ.

In aquis vadoſis circa piſcinas & rivulos frequens Julio & Auguſto præcipue menſibus apud nos in Anglia floret, interdum etiam maturius.

Uſu. In acetariis utuntur, & juſcula ad ſanguinem purgandum verno tempore ex eo conficiunt noſtrates.

Naſturtium aquaticum ſpecificum contra ſcorbutum medicamentum cenſetur: ad calculum etiam valere creditur: urinam ciet, menſes educit, hydropicos juvat.

Septentrionales, (ut vere Lobelius) in quadrageno veris jejunio multum in acetariis vorant ad ſanguinem purgandum ac potionibus ad calculum admiſcent, nec male cedit, juſculis etiam incoquunt.

Viribus cum naſturtio hortenſi convenit, ut plura addere non ſit opus.

Hoc modo Sennertus ſpiritum naſturtii aquatici comparavit, ♃ magnam capiam naſturtii aquat. Contunde in mortario marmoreo: exprime manibus ſuccum, in quo portio aliqua fermenti ſolvatur, ut ſuccus conſiſtentiam ſapæ dilutioris acquirat, ex hoc ſucco & naſturtio manibus expreſſo, ſeu glebis aut pilis naſturtii fiat quaſi SSS. pinſentur omnia fortiter manibus aut piſtillo, reponantur in convenientem locum per octiduum: deinde l. a. per B. deſtilletur ſpiritus. Doſis c. 1. aut 1. hybernis menſibus ſcorbuto laborantibus ad hunc modum Sp. Chelidon. Beccabung. Cochlear. Trif. fibrini elici poteſt. Sim. Paullus. Ex notis Cl. Viri D Edv. Hulſii.

Modus præparandi ſalem volatilem e naſturtio Aquatico, Cochlearia &c. extat Ephemer. German An. 6. & 7. ex obſerv. D. Belovv. obſerv. 21.

NASTURTIUM INDICUM.

J. B. Peregrinæ elegantiæ eſt ex Indiis delatum naſturtium, cui cum noſtri orbis naſturtio præter odorem & ſaporem nihil eſt commune: folia peltata, circinatæ fere rotunditatis, ſæpe latiora quam longiora, nonnunquam & hederæ modo anguloſa, superne glabra, inferne brevi lanugine hirſuta; medio fere ut in cotyledone, unde radii in ambitum porriguntur, pediculum excipiunt palmarem & ſeſqui palmarem ſubrubentem, tortilem & capreolorum ritu, bacillo depacto ſe ſe circumvolventem: quo etiam complexu nituntur cum ramis caules. Cæterum ex foliorum alis undatim tortiles pediculi rubentesque extorti florem ſuſtinent, delicias artificii arguti plenas, poſtica parte productum corniculum, ſextantem circiter longum, ex flavo puniceum, in quinque lacinias digitatas concolores, ſtriatas quâ reliquo folio committuntur faceſſens, quarum ternæ duo ſuprema florum foliola ſurſum explicata à tergo ſuffulciunt, colore luteo prædita, miniatis lineolis ad baſin ſtriata, per ſupremam oram ſubrotundam mucrone breviuſculo donata; id quod in reliquis tribus eſt videre, minoribus licet & rotundioribus ac veluti cordatis radiatim digeſtis, quorum tamen baſis non virgata, ſed Rhomboide maculâ, miniata inſignis, utrinque barbitio comans. Semen tricovum, accedens ad Heliotropion tricoccum, rugoſum, mediocris magnitudinis.

Peruviæ indigena eſt hæc herba, unde non modo in Europam, ſed & in alias Indiæ Occidentalis regiones tranſlata eſt. Per totam fere æſtatem & in multum Autumnum floret, donec tandem frigore, cujus minus patiens eſt, corrumpitur. In calidioribus regionibus toto anno viret, floreſque producit, niſi hyems aſperior ejus luxuriam coerceat. Ex ſurculis depactis & ſemine deciduo in hortis facile provenit. Semina quamprimam maturuere ſtatim decidunt.

Vires & uſus. Adhibentur flores acetariis quæ ex oleribus parantur, gratiamque ita & ſaporis & aſpectus addunt. Ventriculo ex frigida cauſa imbecilli aut ex flatu dolenti ſubvenit.

Aliam hujus ſpeciem habet C. Bauhinus naſturtii Indici minoris titulo, foliis rotundis, lenticulæ paulo majoribus, videtur etiam floris colore variare, vel aureo, vel luteo dilutiore, vel ſulphureo.

☿ Singularis & ſui generis planta eſt, nec quicquam cum naſturtio præter ſaporem habet commune.

Recordor à quopiam fide digno ex America reduce, inſtar horribilis ſecreti mihi fuiſſe communicatum adverſus contumacem & malignam ſcabiem itemq; vulnera recentia præſtans oleum è naſturtio Indico per ſimplicem infuſionem paratum S. Pauli quadr. Bot. Claſ. 30. p. 44. RAIUS *Hiſtor. Plantar.*

NENUPHAR, *ſeu* NYMFHÆA.

A Nymphis dicta putatur. Δοκεῖ ἢ ὠξομᾶθος Νυμφαία διὰ τὸ ἔνυδρον φιλεῖν τόπον, quia aquoſa amat loca. Plinius deducit à Nympha Zelotypa erga Herculem mortua, quæ in eam transformata fuit; unde inquit Heraclion vocant aliqui, alii Ropalon à radice clavæ ſimili; ideoque eos qui biberint eam duodecim dies coitu geniturâque privari, lib. 25. c. 7.

NYMPHÆA LUTEA.

Nomina Nymphæa lutea *Ger. J. B* major lutea *C. B. Park.* nenuphar luteum *Brunf.*

J. B. Haud temere herbam Aquaticam invenias, quæ majore radice nitatur, quam Nymphæa, quippe quæ humani cruris craſſitudinem nonnumquam aſſequatur. Harum quæ lutea eſt radicem habet foris virentem; intus albam, fungoſam & poroſam, ſapore ſubamari præditam cum quadam adſtrictione cui multa appenſa, adnata, craſſitudine digitali, foris nigricantia, fibriſque multis capillata, folia aquæ innatant Spithamam aut ſeſquipalmum longa. Latitudine palmari, formâ Soleæ equinæ, propemodum rotunda, Paulo oblongiora quam Candidæ, pinguia, lentoque virore ſplendentia, ſuperiore parte glabra & lævia, inferiore verò fibris aliquot diſtincta pediculis digitali craſſitudine, cubitos duos aut tres longis, aut etiam longioribus, teretibus, medullâ fungoſâ, crebèrrimis rectis caniculis pervia: quibus ad exortum inter-

interdum concurrentib. plurib. pediculis lanugo candidiſſima, quæ & folia nondum explicata haſtæ mucronem æmulantia exteriore parte obveſtit; flores pediculis conſimilibus inſident, Sapore cum dulcedine aliqua ſtrenue adſtringente odore Symbrii Cardamines, quinque foliis craſſiuſculis conſtantes, colore lúteo prædici, exceptis unguibus, qui externa parte viteſcunt: intra verò ſeptum foliorum quinque duplex eſt corona prior minutiſſimorum foliorum, quæ externis appreſſa rugoſa conſpiciuntur, & ſimiliter lutea, quo etiam colore prædita eſt interior, ſed dilutiore, ex compluribus ligulis retroactis & apicibus priorem coronam contingentibus, medium occupat pericarpii rudimentum ex luteo viride; quod delapſis coronis foliiſque florum, totis jam viridantibus, ſaturo virore, ſed nitente fingitur, papaveracei capitis magnitudine, ſed formâ urceum affabrè exprimens, turgido ventre in anguſtam cervicem deſinente, quæ ſenſim dilatata margines urcei effingit ſtriis extantibus aſperatos & orificii loco aliquo uſque pertuſos in his ſemen continetur, ſplendens, majus quam albæ, triticeo grano minus.

Flos hujus ſpiritum illum ardentem ſeu liquorem deſtilla quem aquam vitæ vulgo vocant, odore referre nobis viſus eſt.

In fluviis & foſſis paluſtribus majoribus inque aquis ſtagnantibus majoribus crebro reperitur.

NYMPHÆA ALBA.

Nomina. Nymphæa Alba *Gerard. Joh. Bauh.* Alba major *C. Bauh.* Luteæ ante floris productionem ſimillima eſt, rotundioribus tamen foliis. *Radix* craſſiſſima cortice tegitur nigriore intus candida & fungoſa, unde plurimæ exeunt fibræ quibus in fundo hæret: *Flores* autem longiſſimis aquas trajicientibus pediculis hærentes, candoris immaculati, nonnihil odorati, liliaceis floribus ſimiles multiplici foliorum agmine ſtipati; verùm extima folia exteriore parte ex albô viteſcunt, ut Ornithogali: medium occupant *ſtamina* numeroſa Dodoneo Autore, poſt florem *capitulum* prodit rotundum in quo *ſemen* nigricans, ſplendens, miliô majus.

Nymphææ utriuſque albæ & luteæ radix, folia, flores, ſemen in uſu ſunt adverſus fluxus, præcipue vero gonorrhæam & pollutiones nocturnas, ſeminis acrimoniam ſanguinis æſtum & tenuitatem; extrinſecus ſæpe adhibentur folia flores ad febriles æſtus & vigilias ſopiendas (in lotionibus pedum, in impoſitione foliorum ſcil. lumbis, temporibus plantis pedum) Schrod.

Multi hujus plantæ uſu cavent, eo timore nè iis coeundi tum vires, tum deſiderſum minuantur: compertum enim aiunt uſum ſeminis atque radicis homines reddere ad venerem valde frigidos & tardos. Plin. lib. 25 c. 7 coitur genituraque privari ſcribit qui biberint eam duodecim diebus.

Radix Nymphææ candidæ vino nigro decocta & pota menſium muliebrium abundantiam ſiſtit efficaci remedio, etiam iis qui de omni auxilio deſperarunt. Item de ſemine intellige Trag.

Henricus Petræus radicem Nimphææ albæ vino coctam & potam commendat in nimio menſium fluxu, è Dolæi lib. 3. c. 4. ſect. 18.

Turcas perhibent per noctem flores Nymphææ in aqua macerare, qua ſi nares inungant, vel eandem bibant, putant ſe à multis graviſſimis morbis immunes futuros, & ſe ab iis præſervari poſſe. Nos ex floribus albis conſervam & ſyrupum conficimus quæ ſomnum conciliant, ſegnius tamen papaver. Sim Paul. quadrip. Botan. Claſſ. 2. p. 94. 95.

Experientia ſcio in excoriatione palati vel vulvæ & Linguæ à materia calida aduſta aq. nenupharis cum caſura conducere ex obſervationibus Marcelli Cumani ab Hieronymo Velſchio editis Raius *in Hiſt. Plant.*

NEPENTES, vid. *Laudanum*.

NEPETA.

Nepetam à *Nepa* Scorpius deducit Martinius, quia contra eos & alias venenatas beſtias facit.

Mentha Cattaria dicta eſt recentioribus hæc Planta, Antiquis forte incognita, peramœni ſpectaculi argumento (inquit J. Bauhinus, vix dum enim conſpectum ubi olfactarit catus, amplexatus & diſſuaviatus fuerit, laſciviendoque jam illi accedendo, jam recedendo ſe ſe utriſque pedibus diu & multum affricuerit, colludendo tamen miris geſticulationibus, univerſam avidè liguri t.

Foliis urticæ incanis ex odore menthæ graviore, floribus in ſpicas habitiores digeſtis à congeneribus differt.

Vires. Nepeta calf. & ſicc. partium eſt tenuium; uſus præcip. in morbis uterinis (ſcil. obſtruct.) ſterilitate, fætu pellendo, tum quoque in tartaro pulmonum incidendo &c. extrinſecus in balneis pro utero. Schrod. decoctum ejus in ſuffocatione uterina non minus utile eſt quàm meliſſæ. Idem in ſcabie ſingulare experimentum eſt ſi manus ei imponantur. *C. Hofman.*

Nepetæ odor felem murilegam repræſentat & pleriſque omnibus ingratus eſt. *C. Hofman.* at nobis nepetæ majoris odor non ita ingratus videtur. Hanc herbam ex agris in hortos translatam à felium ore & toto immiſſo ad volutandum corpore conteri & penitus confici ſæpius vidimus. Adeo ut etiam locum in quo comminutam plantam triverint oſtendat humus eorum corporibus compreſſa & lævigata; nec in alia quacunq; planta ex agris in hortos translata ſimile quidquam hactenus obſervare potuimus. Omnes enim quas tranſtulimus à felibus intactæ ſunt hac una exceptâ, quæ ſemper niſi ſpinis contecta dicto modo corrumpebatur. Ut multoties experti ſumus, idque diverſis in locis. Si vero aliquandiu in horto deffendatur donec coaleſcat & floreat, in poſterum intacta manebit, ſicut & eæ quæ ex ſemine deciduo ortæ ſunt plantæ: adeo ut videantur feles languidam & marceſcentem appetere. Vegetam non curare. Raius.

NEPHRITICA.

Cum non ſolùm toto die experiamur, ex arthritide fieri nephritin, & vice versâ, prout loco variat materia morbifica, & hypochondriacos quoque idem fatum experiri, ratione conſentiente meritò ſtatuitur, convenire tres hoſce morbos calculum, arthritidem ejuſque ſpecies, & affectum hypochondriacum quoad cauſam materialem; Generalem verò tanquam matrem eſſe affectum hypochondriacum, ex quo ceu fonte proximè ſcaturiunt. Neque differunt niſi coagulo, ſeu quod illud ipſum materiale tartareum, minori in reliquis, majori in calculo quantitate adeſt; in illis fluidum, in his concretum; in illis potentiâ, in calculo actu magis cohærens.

Tres verò claſſes *Nephriticorum* conſtituimus, neque enim plures indicationes circa hæc loca præcipuæ dantur, neque materia amplius patet. Reſolvunt coagulum, ſeu materiale calculi; mitigant dolorem conjunctum & acrimoniam; pellunt, ſeu excluſioni calculi vacant, laxando vias & pellendo ſerum.

Optima & præcipua ac univerſalia quaſi ſunt reſolventia. I. *Reſolvunt*, quæcunque materiam tartaream disjiciunt, & coagulum fieri non permittunt, exturbando ſabulum & ſalinum vinculum quæ ipſa ſunt genuina lithontriptica.

Coagulum ergò hoc reſpiciunt reſolventia, ſeu in fieri conſtitutum, & materiale antecedens, qualia ſunt amurcam venarum & ſanguinis tartaream hypochondriacam defecantia, aperientia, anthypochondriaca & abſtergentia, de quibus hactenus abundè diximus; ſeu concretionem & ſeparationem in renibus ſubiens, ſalis & terræ, interdum & pituitæ ſymboliſatione.

Præſtant illud principaliter *ſalina*, prout diffuſa vel modificata aliter ſunt, magis vel minus activa. Adeoque etiam reſolvunt impropriè paulò aquoſa, diluendo & abſter-

& abſtergendo; quæ quò magis vel minus charactere ſalino ſigillata ſunt; ita quoque magis vel minus reſolvunt, latitante ſæpè ſale, attamen ſatis efficaci. Talia ſunt aqua alkek. cereſol. petroſel. fragor. portulac. onon. urtic. noli me tangere, nephriticæ aquoſæ compoſ. ut lithontr. & antinephrit. *Mynſ.* ſuccus betulæ & exinde parata cereviſia, quod quidam fieri curarunt, it. juſcula, decocta, infuſa varia.

Reſolvunt κατ' ἐξοχὴν ut diximus, *ſalina* omnis generis, ſive ſal illud magis ſit latens, ſeu patens & productum; Latens in ſimplicibus, patens in præparatis magis. Sic lithontriptica ſunt rad. 5. aper. maj. & min. onon. quæ in herniâ quoque carnosâ eſt experta, rad. allii, pro arcano habita, ſi ſingulis vel noviluniis ſaltim vel quadris particula ſumatur, externè item; rad. pimpinell. ſaxifragæ hinc dictæ, rad raphan. ruſtic. & ſaxifrag. albæ granulata, quam ſemen in officinis vocant, it. filipendulæ. Ex herbis reſolvunt petroſel cereſol. ſaxifragia omnis, quò & ſaxifrag. aurea *Dodanie* ſpectat, heder. terreſtr. virga aurea, herba thee.

De virgâ aurea non dubitamus inſigniſſimum ac elegantiſſimum locum ex *Barclaji p.1.p.51.ſeq.* totum laudare tranſcriptum. Spondet enim calculoſo triduanam curationem. Cui cum adnuiſſet æger, in proximo monte, vota faciens Æſculapio, virgam auream offendit, herbam ſcilicet quæ calculo bellum indixit multò felicius, quàm aut veratrum amentiæ, aut vulneribus aſcyron. Hæc laciniatis foliis piloque ita brevi, ut penè in obtuſam ſpeciem oras ſecantibus, mediocriter aſſurgit. Radix cauliſque lignea ſubtiliorem ſuccum in herbam transferunt. Planta ad ingenium terræ nunc cubitalis, plerumque eminentior, inſigne faſtigium floribus ad examen turgentibus cingit, & virgæ aureæ eſt nomen, ſive quoniam aureæ ac penè divinæ virtutis eſt, ſive quod præſtantis metalli colorem exigui floris venuſtas æmulatur. Cæterum contuſum in renibus calculum in innoxium pulverem ſolvit. Non in latere, non in veſica dolor; adeò ut tam facili remedio pudeat calculum timuiſſe. Etenim in hyemem ſiccatur æſtivis umbris planta, & ubi gravitas lateris coeuntem morbum præſagit, aureus pulvis ad drachmam mero delibutus ſumitur, ſive ovo leviſſimè cocto permixtus. Recenſet verò obſervationem, quod ubi recentem plantam adhibere coactus fuiſſet autor, primo die nil viſum ſit ad morbum feciſſe medicamentum: ſed biduo deinde repetitum ſupra fidem eſt, quàm egregiè refellerit acerbiſſimum morbum: ſordidus pulvis abundè veſicam exoneravit, cœnoſumque ſaccharum penè ſanguinis imagine pinxit.

Pulveris ejuſdem virgæ aureæ mirabilem ſucceſſum, à ſeptimò divulgatum, felici ſucceſſu nobilem matronam comprobâſſe in innumeris nephriticis ſcribit *Car. Piſo l. de ſeroſ. colluv. p.388.* item probarum dicit *Solenander conſil. p.66.* Decocto verò herbæ thee utentes Sinenſes calculum neſciunt, quod abſterſivâ ſubamaricante vi egregiè exitum facilitet generato ex neceſſitate materiæ calculo.

Porrò omnia oſſea & lapidoſa, è vegetabili & minerali regno, ſunt lithontriptica. Sic baccæ alkek. acac. atilli cynosbati, oſſa dactylorum, nuclei ceraſorum, meſpilorum, perſicorum, lap. ♋ percarum carpionum, ludus humanus, lap. judaicus, lyncis, nephriticus, piſolithus huc faciunt. Item lignum nephriticum, aquas inficiens, millepedes præparati, ob ſal nitroſum volatile, quo pollent, ex compoſitis troch. de alkek pulv. lithontripticus A. ex acidis crem. & cryſt. ♀ ri, ♎ us ⊖ lis ſimpl. & coagul. clyſſ ☿ ii uterque, Tinctura aperit. ex ⊕ ſis ⊕ ⊖-lat. *Mynſ.* arcan. duplic. ejuſdem, ex alcalinis ſal ſuccini vol. liquor & magiſt. ocul ♋, Tinctura ♀ ri ſimpl. & compoſ. it. liqu. nephrit. animal & mineral. *Mich.*

Reſolvunt ergò *ſalina* omnia, ſeu *Acida* ſeu *Alcalia*, ſeu *media*, ſingula diverſo reſpectu & ſuo agendi modulo; ſalia verò volatilia, ſi ſal ſuccini ſulphureum & unctuoſum ſimul exceperis, in hoc cenſu fixis minus ſunt efficacia, facilius quippe diſſipabilia, nec operationem ſuam illuc differentia.

Reſolvunt etiam *ſalina-ſulphurea*, tum temperantia, præpollente ſulphure magis roſcido & aquoſo, ut rad. glycyrrh ſemen dauci *Helmontio* celebratum, lithoſpermi, ſeu milii ſolis, violarum, cujus in iſchuriâ uſum expertiſſimum deprehendimus, laxatâ ſimul alvo, (quod in nephriticis pro beneficio eſt;) it. ſemen lycopod. ſeu anthera muſc. terreſtr. clavar. Ex animalibus ſeu marinis celebre eſt ſperma ceti, cujus uſus reſolvens & in aſthmate, caſu ab alto, tuſſi & aliis caſibus notiſſimus, & in calculo quoque eximius, cum ocul. ♋. v.g. & ſale vol. ſuccin. mixti. Tum magis activa, ſulphure volatili reſinoſo & ſale magis fœta, ut terebinthina ſuccinum, baccæ junip. rob & malv. juniper. ol. junip. ſpir. & ol. tereb. ſpir. nephriticus compoſ. Violaceo odore urinam tingunt hæc ipſa oleoſa, inprimis terebinthinata. quatenus intimè in ſero reſolutam reſinoſitatem ſuam ſulphuream balſamicam in ſero, & conſequenter urinâ expandunt & explicant.

Reſolvunt *mixta*, quæ utroque principio fœta & mixta inter ſe ſunt ex diverſis particulis, duplici fine ſatisfacientia. Sic pulvis commodus reſolvens eſt ex ♀ ro ⊕-lato, lap. ♋ cryſt. ♀ ri & ſem. lycopodii, aliiq; ſimiles. Singula hæc ſalis tartarei eminentiam, ſeu ſalis & terræ ſimboliſationem enervant, arenulas & ſabulum cum urinâ educunt, archeum renum confortant, coagulum & fermentum calculi disjiciunt eumque atterunt, pituitoſum verò mucum attenuant & liquant.

II. *Mitigant* dolorem & acrimoniam, vellicationem & tenſionem ſpaſmodicam plexûs nervoſi & membranoſi attendentia. Hæc ipſa ut maximè ſunt neceſſaria, ita id præſtant in genere, quæcunque ſpicula acuta, triangularia, ſalina edomant, & ad frugem reducunt, ſeu pondere & mole conjuncta ſint renibus oneroſa & moleſta, ſeu ſolâ roſione.

Mitigant (1) *aqua pulpoſa* & gummoſa, quæ inviſcant quaſi & obtundunt ſalium vim illam, ut rad. alth pulpa caſſiæ &c.

Mitigant (2.) *aquea oleoſa*, ut emulſiones, lac & ſemina in emulſionem liquata; quæ & ſtranguriam reſpiciunt, & cantharidum ſunt antidotus. Exemplum tale annotavit *Langius l.1.ep* 47. & nos conſimile quoque obſervavimus, Refrigerando hæc & temperando ſimul ſtimulum ſeminalem ὀργασμώδη temperant.

Mitigant (3) *traumatica, nervina, balſamica* & pro re natâ leniter adſtringentia. Inter traumatica plantago, ejuſque eſſentia, extractum, ſirupus, laxitatem renum, inprimis diabeticam, egregiè corrigunt; eſſentia item traumatica, pulvis ſtypticus. Sic & cinnabarina in paroxymo cum oc. ♋. ſeu reſolventibus & anodynis ſunt laudatiſſima.

Mitigant (4.) acrimoniam ſimplicem, ſeu cum fervore & ὀργασμῷ ſaltim, non item cum roſione conjunctam, *acida*, quorum inſtar omnium, præter dicta alia, eſt hepaticum rubrum.

Mitigant (5) *anodyna*, unicum naturæ laborantis & afflictæ ſolatium. Hæc quippe non remoram injiciunt viis, vel obſtruunt, ſed urgentes dolores ſopiunt, unaque roborant naturam, ut non tendatur membranoſum genus nimis, & induciis conceſſis fortius inſurgat, quin ita juvetur, ut tolerare poſſit, aut vincere. Ut enim pellentibus ſumma noxa infertur nephriticis; ita à ſedantibus ſumma virtus expectanda.

Profunt illa tum aliis in caſibus, tum in calculo paroxyſmante, & mictione cruentâ potiſſimum. Opiata verò magis in renibus primariò affectis & lancinatis, non item in ſeminis æque vitiis.

III. *Laxant* vias & educunt partim *aquoſa*, ut præter alia laudata, thermæ, acidulæ, & potus ipſe; niſi enim

enim hic ſuppetat , non æquè & commodè eductioni aptatur calculus,nec viæ per quas,renum tubuli, ureteres , & ductus urinarii è veſicâ , æquè expediuntur quæ in actu præſervationis & curationis officium faciunt.

Inter hæc laxando mitigantia & mitigando laxantia ſunt optima , breviter , oleoſa liquida vel quaſi talia,internè & externè optima,v g. ol. amygd. dulc. tum ſolum, tum cum vino malvatico hauſtum. Hæc ipſa ſanè in iſchuriâ & præcluſione exitûs à ſabulo vel calculo majori inſigniter proſunt.Adeoque & in paroxyſmo nephritico cum reliquis , inprimis reſolventibus, quæ anima quaſi ſunt lithontripticorum,maritata,plurimam opem præſtant;præcipuè illa,quæ utrumque præſtant, & emolliunt ſcilicet & reſolvunt, at ſperma ceti, aliaque,& dolores ipſos leniunt.

Exteriùs huc faciunt *clyſteres* ex emollientibus & nephriticis; *balnea* ex iiſdem,*linimenta* ex ol. ſcorpion ſ.& Matth junip ſuccin.chamæm aniſ &c. parata;item *unguenta* ex unguent dialth c. oleis deſtillatis remixto , & *Cataplaſmata*, quibus omnibus curatio calculi abſolvitur reverâ , unà cum ſymptomatibus ipſum comitantibus.

Circa hæc verò, non minus ac in aliis,cautelæ quædam habent locum : 1. *Quæcumque renibus , eadem & veſicæ conveniunt.* Officium enim habent mutuum & ſororians , mireque ſibi conſentiunt & connectuntur Unde non alia ſunt medicamenta pro veſicæ calculo, quàm pro renali ; non differunt niſi loco,qui ſolus tamen attendendus probè eſt. cum & iſchuria alia veſicâ plenâ,alia vacuâ fiat.Neque obſtat,in veſicâ quoque calculum augmentum capere & concreſcere poſſe , uti ad aliquot uncias ſæpè exciſus fuit,qui à renibus nunquam potuiſſet ſalvâ vitâ detrudi ; à renibus tamen materiale calculi ſuppeditatur, quod ab archeo veſicæ læſo,quatenus ibi fit ſegregatio major, quam fieri non debebat, in coagulum ibi fatiſcit,non quod ſpiritus lapidificus ſit in renibus,ſit in veſicâ, ſed in ipſâ materiâ coagulabili,ſalino tartareâ.Conveniunt utraque generali illo magmatis tartarei obice,differunt ſpecialibus ut morbis, ita & remediis, habito tamen ſemper ad ſe invicem reſpectu , id quod etiam de mictu cruento,diabete & aliis valet.

2. *Quælibet remedia nephritica debentur ſuo indicanti ſpeciali.* Felix,qui hæc tum in his,tum aliis quoq;noverit. Noverit enim reverâ ſpecifica morborum omnium remedia.Hinc ipſa dicta nephritica inter ſe non ſunt confundenda Singula nempe ſunt nephritica,ſed non omnibus æquè nephriticis proficua ; non ſunt ergò temerè confundenda inter ſe, ne doloribus pellentia pellentibus anodyna ſubſtituamus. Diſtinguenda ſunt tempora diſtinguendi ſunt affectus , diſtinguenda etiam remedia. Cumque inprimis pellentia noxia eſſe poſſint & ſoleant, pellentia urinam , pellentia cum urinâ calculum, de iis ſeorſim dicemus Duplicia hæc ſunt diuretica, calida & frigida,quæ utraque nocere poſſunt,partim,licet per accidens,quatenus compactionem calculoſæ materiæ juvant,factâ in decenti ſeparatione eorundem uſu. Adeoque calculum in fieri compingunt magis , ablatâ v. g. portione aqueâ,relictâ tartareâ;partim ,quatenus præſentem calculum, eumq; quietum,intempeſtivè ad pelvim è loculis & tubulis ſuis præcipitant,unde iſchuria promptè conſequitur Inter calida ſunt olea deſtillata nephritica,ſuccin junip.tereb.& cum his præparata,balſ. 🜍is v.g.largiori etiam quantitate hauſta. Vidimus inde non rarò iſchuriam,vel dolores ſaltim auctos,quandoque & mictum cruentum exortum.Inter frigida ſuccus betulæ, & acidulæ inprimis hac vice memoranda;à quorum primo diabeten vidimus factam,ab altero iſchuriam lethalem in B.Wigando cum in paroxyſmo nephritico, medico inconſulto, bibiſſet acidulas,unde ab ipſo illo momento urina ſubſtitit,ad mortem uſque per xi.dies.

3. *Videndum in ſingulis,quid magis urgeat, quid contraindicet.* Hinc licet reſolventia κατ' ἐξοχὴν ſint nephritica,expediant obſtructiones & coagulum tartareum ac pituitoſum , ut urinæ ſecretioni & collectioni liber detur tranſitus,adeoque calculoſi ,infarctui renum & ureterum , eductioni arenularum , iſchuriæ unicè conveniant , archeumque renum debilem ſollicitent; attamen dantur caſus , ubi ſtant poſt principia & nociva potiùs quàm proficua ſunt. Quando nempè vel eroſio adeſt, ubi non niſi temperatiora ex his ſimul proſunt , ut oc. ♋. ubi aſperitas viarum lenienda eſt in ſcabie, calculo, exulcerationibus,ardore à cantharidibus doloribuſque inde productis quod & de κ.ςικοῖς valet omninò, ſed & mitigantia nervina , roborantia , paregorica , anodyna, proſunt,roborando, conſolidando & mitigando debita; Vel excretoria actio nimis citatur,ut freno egeat,in dictis partim, partim verò & præcipuè in diabete, mictu cruento,viarum laxitate, & ſuo modo quoque in pollutionibus & gonorrhœâ , incontinentiâ urinæ. Proficua tunc potiùs ſunt temperantia,mucilaginoſa,terrea, glutinantia,traumatica, leniter adſtringentia, remorantia & refrigerantia, intus & extus adhibenda, quæ ſopiendi & demulcendi uſu naturæ ſuccurrunt.

4. *Nephritica,ſi quæ alia, vehiculo egent humido.* Et eo quidem tum alimentario,tum medicamentoſo. Cum enim perpetuum ibi fiat ſtillicidium illud nullo modo intertumpendum , ſed juvandum potiùs potu & humectantibus.Hinc calculoſi, cum non poſſit niſi mediante urinâ provolvi ſabulum & calculus , à potu manifeſtè juvantur.Neque verò onerandi etiam renes nimis ſunt, quod in ebrioſis fit,unde & veſica plus juſto extenditur ſæpè,& renes debilitantur in excretione.

5. *Topica internorum vim juvant, illi loco applicanda, ubi penetrare vel juvare magis per acceſſum poſſunt.* Juvant vim internorum, ſeu laxandum , ſeu mitigandum, ſeu reſolvendum fuerit, quæ tria præcipua diximus circa lithontriptica.Quin in genere topicorum magna vis eſt in toto corpore , quod vis eorum à calore actuetur, per poros communicetur , & morbo ejuſque cauſis ſit contraria. Sic,præter balnea & clyſteres emollientes,paregoricâ vi conſpicua , unguenta lumbis applicata laxant & mitigant, non obſtante vallo oſſium, accedente calore ſacculorum externorum cumprimis. Variant verò & pro diverſitate locorum.

6. *Renibus pro re natâ & calefacientia & refrigerantia topica conveniunt,horum verò ſelectus notandus.* Calefacientia ex oleo tereb. deſtillat. & aliis etiam in ipſo mictu cruento vi balſamicâ ſuâ proſunt;item in calculo,iſchuriâ,abundè jam expoſita.Refrigerantia verò inprimis in diabete,de quo legi meretur *Cardanus lib.de Curat.admir.cur.*27.ubi ſcribit ex urinæ profluvio feliciſſimè & ſæpè unâ die ſe ſanâſſe, abſtinendo à purgantibus medicamentis , abſtinendo à pinguibus, dando uvas paſſas, lentes , calidis utens; renibus verò adſtringentia imponendo. Meminit etiam ſe inveniſſe remedium ad diabetem ſpecificum,quod inter ſecreta retulerit. Addimus verò,unguentis ad gonorrhœam & pollutionem nocturnam fidendum minus eſſe , quod vi unguinoſâ laxent,terreâ non penetrent. WEDELIUS.

Sequuntur

ANTINEPHRITICA

Specifica è Faſciculo Medicamentorum ſingular. Clariſſ. CNOEFFELII.

Specificum Antinephriticum,
ſeu
Medicamentum Cryſtallinum
S. Reg. Maj. ULADISLAO IV. &c. uſibus dicatum à Cl. & Excell. Dn. D. Andrea Cnœffelio.

℞. *Magiſter. cryſtall. montan. lithontriptici* ana ℥i. ♀ii ⊖-l[illegible]ti *cryſtallizati* ʒß *ſpir.* ⊖-*li coagulati & fixi , ſcandal.rub.pulv.* ana ʒi.

Miſce.

Miſc. probè ſubigendo in mortario vitreo in alcool. Sign. *Medicamentum cryſtallinum pro S R. M aj. Vlad. IV.* Summum & arcanum in frangendo, atterendo, radicituſque pellendo calculo, cujuſcunque ſpeciei, & loco, ideo in arthritide aliiſque morbis ♀reis ſumitur, omnem enim imputritatem limoſam, per utinam expellit, & gonorrhœam curat. Doſ. à ℈i. ad ℈iß. & ℈ii. in brodio, vino, vel alio aliquore deſtillato, bis, ter quater in ſeptimana.

Magiſterium Cryſtallorum montan.

℞. *Cryſtallorum pellucidarum* ℔i. *ſpir. ⊕-li non dephlegmat.* ℔ii. Cryſtallus igniatur, extinguaturque in ſpir ⊕-li, qui labor decies repetendus eſt, tandem ſuper porphyritem redigatur in ſubtiliſſimum alcool. Sign. ut ſupra. Vires hujus magiſterii ſunt ad calculum totius corporis atterendum Prodeſt & podagricis, & aliis quampluri mis morbis. *Petræus diſſert.*40. *Noſologia ſua:* Cryſtallus eſt medicina calculi, qua non præſtantior alia. Et *Paracelſus in annot. ad cap.*1 *tract.*3. *lib.* 1. *de tart.* In lapillo duro (ſcilicet reſolvendo) non eſt præſtantior medicina cryſtallo, felix ille qui poſſit præparare.

Spiritus ⊕-li, poſt præparationem cryſtallorum relictus, filtretur per chartam & reſervetur interim, ſigneturque ſpiritus ⊕-li cryſtalliſatus. Vires cenſetur habere diureticos Doſ gtt. vii. ad x. in juſculo carnis, decocto petroſelini, aquis deſtillatis ſpecificis, vel alio vehiculo idoneo.

Tartarus vitriolatus cryſtalliſatus.

℞. *Spir. ⊕-li cryſtalliſati*, part. i. *ſalis ♀li liquidi* part. ii.
Affunde guttatim ſpir. ⊕-li, ſuper liquorem ſalis ♀ri tamdiu, donec ſtrepitus ceſſet, idque in vitro capaci; ſic fiet coagulum, ſedatâ ebullitione, & evaporatâ humiditate, & quidem lento calore ad ſiccitatem, reſiduum ſervetur pro ſpecifico antinephritico, vel per ſe ad alios uſus.

Eſt inſigne digeſtivum, quod in omnibus obſtructionibus viſcerum exhibetur Doſ. à ℈ß. ad ℈i. in conveniente liquore.

Magiſterium lithrontripticon.

℞. *Spir. ⊖lis opt. rectificati* ℔i. Solvantur in illo *lap. Judaic. lyncis ſpongiæ, aquilæ* ana ℥ß. *oculor. cancri* ʒvi. Infundantur lapides (prius contriti & pulveriſati) ſpiritu ⊖lis, ſtent per aliquod tempus in digeſtione, donec plane ſint ſoluti. Solutiones claræ & flaveſcentes decantentur, & filtrentur, & cum ſpiritu ⊕-li cryſtalliſato, guttatim inſtillato præcipitentur in butyrum dulce. Pulvis præcipitatus exſiccetur aſſervetur in vitro puro.

Not. Præcipitatus pulvis & cum ſpiritu ardente baccarum juniperi circulari poteſt, quo iterum abſtracto remanebit in fundo vitri coagulum, inſtar butyri, eſt medicina diſſolubilis in omni liquore.

Vires habet lithontripticas Doſ. à ℈ß. ad ℈j. & ℈iß. per ſe vel cum diuretico aliquo alio, præcipuè verò dicatur componendo ſpecifico noſtro antinephritico, ad quod etiam requiritur.

Spiritus vitrioli coagulatus.

Fiat prius ſal fixum nitri, cum frequentiſſima ſulphuris in crucibulo ignito injectione, ut ſcis. Secundò à ſale hoc fixo in MB. identitem abſtrahe ſpiritum ⊕-li rectificatum, eo uſque quo ſal hoc nitri fixum, nihil amplius receperit.

Pilulæ in calculo renum & veſicæ.

℞. *Magiſterii noſtri lithontriptici* ℥ii *diaphoret. reſol.* ana ℈iß. *ſalis ſuccini*, ℈ß gr. v. *extr. noſtri ſodutivi* gr. iii. *ſucc. glyeyrrh. inſpiſſ.* gr. xii.
Miſceantur & fiat maſſa, ex qua formentur pil. n. 21. pro tribus vicibus, pro qualibet doſi n. 7.

Sumuntur circa ☍ ſuperbibendo bonum hauſtum aciduli vegetabilis.

Aqua antinephritica.

℞. *Fragorum rec. menſur. Pol.* n. iv. (4. ſtoff) *baccarum alkikengi* ℔iß. *rad. raphani radula conciſa* ℔ii. *ſem. dauci vulg.* ℔ß. *ſucci betul. menſ. Martio coll.* ℔xxiv.
Mixta per B.V. ſ. art. deſtillentur. Liquor projectus inde ſervetur ad uſum deſtinatum attenuando, incidendo, & detergendo, urinam movet, renes, ureteres & veſicam ab omni ſaburra Tartarea liberat, calculum frangit, & educit, ejuſque efficientes antecedentes omnes tolli cauſas. Doſis aquæ hujus ℥i ad ℥iii. per ſe vel cum ſir. dialthææ vel alio idoneo.

Sorbetta anti-nephritica.

℞. *Sorbit* [*ſeu ſcerbe tTurc.*] *inſpiſſat.* ℥viii. *liquoris betul. clarificat. menſ.* i. ℔ii.] *eſſent. curi ex cort. rec. extr. ad placitum.* M. & fiat potus gratus.
In defectu ſorbet. Turc. (quæ ab Armenis Leopoli, ac Varſaviæ, tempore comitiorum facilè venalis invenitur) fiat.

Limonada antinephritica. S.R.M.

℞. *Liquoris betulæ fermentati ac clarific.* ℔i. ſucci expreſſi acidi citri tantum, quantum tria poma citria in ſe continent. Poſt in alio vitro
℞. *Succi ſeu liquores betulæ* ℔i *ſacch. albiſſimi* ℥viii. Miſce tamdiu donec ſaccharum penitus ſit diſſolutum.
Miſc. liquorem ſuperiorem acidum, cum liquore ſaccharato invicem ſæpiuſcule tranſvaſando; poſtea limonada tali modo parata, ſubtiliſſimo colo trajiciatur, & ad uſum aſſervetur. Si placet, limonada tandem cum eſſent. citri, ex corticibus rec. extr. ſ. q. aromatiſari poteſt, quod unum erit cum ſorbet, ſeu ſcerbet Turcic. In Italia, Hiſpania aliiſque regionibus calidis vilioris conditionis homines aquæ fontanæ tantum permiſcent, ſucci citri ſeu limonum, quantum pro grata aciditate ſufficit, qua potione abſque ſaccharo non ſolum æſtivo tempore, verum etiam in febribus ardentibus pro extinguenda ſiti ſæpius utuntur; beneficio ſalis & nivis etiam congelari ſolet, qui potus glaciatus, vel glacie infrigidatus, minimè approbatur, rationes inquiret B.L in tract. curioſo ac utili *Cl. Dn. D. Bartholini, de uſu nivis.*

Conciliatur & ſcorbettum ſeu limonada apud nos hiemali tempore (ubi ſcilicet poma citria & limones non ſemper recent. haberi poſſunt) beneficio pulveris acidi & grati, cujus deſcriptionem expoſuit *R. P. Ferrarius in lib.* 3. *cap.* 34. *de malorum aureorum cultura.* qui talis eſt.

Pulvis acidus ex ſucco Limonum.

℞. *Limones minuſculi*, in fruſtula circulatim ſecantur, & filo tenui tranſſuuntur, ita, ne inter ſe contingant Deinde in ciſtella componuntur; & caldaria cella, furno impoſita, diebus decem pluribuſve habentur, donec leni calore perareſcant. Tum aridæ medullæ cultro continguntur, ut ſolvantur in pulverem. Collectus hic in lapidea pila ligneo piſtillo minutiſſimè conteritur & ſeponitur in uſum, nempe ut aquæ potio jucundè mordax, utque dulcacida compoſitio, quam ſorbettum vocitant, concinnetur.

Primum

Primum Ens Betulæ & liquor ſeu ſuccus betulæ quid ſit, & quomodo colligatur.

Liquor ſeu primum ens betulæ nihil aliud eſt, quam ille ſuccus Mercurialis, qui menſe Martio, accreſcente Luna, ſub cortice vulneratæ betulæ colligitur, ingentem enim dat copiam liquoris, ſeu ſucci aquoſi limpidiſſimi, in Ruſſia atque Livonia, ubi in magnis doliis ſingulis annis colligitur; ſoli prius exponitur, & poſt peractam fermentationem, repoſitus, per totum ferè annum, poſtea conſervatur pro potu ipſis gratiſſimo. Ferunt Tartaros circa menſem Martium, hunc tantum liquorem potare, ſeque hoc potu ab omni morbo præſervare. Hîc annectere ſequentia ex Cl. *Helmontio de lithiaſi cap.* 1. operæ pretium eſſe duxi: Olim obſervavi (inquit Helmont.) principibus Germaniæ fuiſſe vernaculum, quod contra lithiaſin quotannis in Majo biberent quotidiè hauſtum liquoris è cortice vulneratæ betulæ. Quem liquorem præſervabant à corruptione aëris, illi affundendo oleum olivarum. Vulnerata arbor Germanis *ein Biaczenbaum*, noſtratibus vero Beerkenboom dicitur. Vulneratur enim cortex betulæ, propè terram in trunco, menſe Martio, circa tempus, quo ſolet vulnerata vitex plorare novellum liquorem, è terra hauſtum. Sed is liquor betulæ eſt totus aqueus, ac penè inſipidus. Sin autem ramus aliquis, ſpiſſitudinis trium digitorum, ad ſemidiametrum vulneretur, inditaque lana repleatur, ſtatim flet liquorem non ingratum, at ſubacidulum, qui etiam in ipſo lithiaſis tormento ſolatur afflictos, tribus quatuorve cochlearibus aſſumptus. Meracior ergo eſt, qui ſupernè à ramis, quàm qui infernè à trunco fluit. Aquoſus autem planè, qui propè terram effluit. Hucuſque circa modum colligendi citatus Author: plura adhuc de betula & ejus liquore atque virtute & uſu, ibidem.

Huic poſtea jungo illa, quæ Cl. *Dn. D. Andreæ Cnœffelius* circa uſum & virtutem, in obſervationibus ſuis, ſibi annotaverat, hoc ſenſu: Certo quidem conſtat experimentum hoc ex tractatu *Helmontii de lithiaſi*, ſed & experientia propria idem confirmat, *primò* in caſu, quem illuſtriſſimo Palatino Pomeraniæ, *Domino Dænhoff* contigiſſe memini, cui primo balneum, deinde internus uſus acidularum vegetabilium è ſucco betulæ, comminutis & ejectis tam calculis, quam ſaburra mucaginoſa, quaſi cruenta, cæteris nihil proficientibus, notabiliter profuit: *ſecundò* in affectu *Illuſtriſſ. Dn Palatini VVeiheri* Marienburgenſis, qui, uti mihi faſſus eſt, à pluribus annis, quam primum leviori ſaltem frigori ſe expoſuiſſet, moleſtam urinæ nigræ excretionem paſſus eſt. Ex eo vero, quo familiariter mulſum tenue ex ſucco betulæ loco aquæ ſimplicis præparatum bibit, jam raro, & non niſi occaſione magna irritante, talis comparet urina.

Itaque quotannis ſuccum in magna quantitate comparare decrevi, ut poſtea cum ſaccharo & pomo citri, limonadam, ſeu acidulas vegetabiles in æſtate parem. *Huc uſque Cnoffelius.* Vide & *Diatr. de lithiaſi Gualt. Charleton. cap.* 3. à quo & ſuccus betulæ cum ſem. dauci fermentatus, pro Illuſt Cancell. Regni p m. præſcriptus fuit.

Meminit & hujus liquoris betulæ Clar. *Dn. D. Simon Schultzius*, (*in tertio Anno Miſcellaneorum curioſorum obſ.* 155. de calculi remediis) & adhuc alii plurimi.

Electuarium contra calculum Dn. D Cn. pro Generoſo Dn. Colonello Geiretzki.

℞. *Sanguinis hirci, ſecund. Helmont. præpar.* ʒiii. *magiſt. noſtr. lithontriptici butyr.* ℈vi. *conſ. petroſelini. hederæ terreſtr.* ana ℥iß. *elæoſacch. citri ex recent. extim. cort. extr.* ʒi. *ſir. malvæ compoſ. n. præp.* q. ſ. M. F. electuarium.

Uſus. Manè à lecto ſurgenti, ſumitur quantitas nucis caſtaneæ, per aliquod tempus.

Eſſentia lithontriptica & antiarthritica.

℞. ∽ *juniperi, hederæ terreſt.* vel quod melius ∽ *noſt. lithontriptici* ana ℔ß *extr. rad. ſaxifrag. bacc. juniperi* ana ʒii. *ſol. hederæ terreſt. alkekeng.* ana ʒi ⊖*is* ♀*ri* ʒi ℈i. °° *juniperi* ʒi. *carvi, aniſi* ana ℈i.
Commixta digerantur in vitro optimè clauſo tamdiu, donec perfectè uniantur, poſtea filtretur per chartam emporeticam eſſentia uſuique aſſervetur. In omni calculorum genere. Doſ cochl. ſemis ad i. & ii.

Nota. Lachryma vitis viniferæ menſe Martio collecta in calculo renum & veſicæ eſt remedium ſæpè probatum. Doſ. ℥iii. bis in die.

Miſtura lithontriptica & antiarthritica.

℞. TRæ ♀ri ℥iii. [*per* ∽ *ſcil. lith. fact.*] ∽ *Tartari ſaſſafrati* ʒiii. *extr. lithontript.* ʒi. *eſſent. cort. rec. citri* q. v.
Stent per ♂ & ℘ in digeſtione, poſtea filtrentur per chartam Doſ à ℈ß. ad ℈i. & ʒi. in liquore appropriato deſtillato ſeu vino Rhenano.

Tinctura Tartari.

℞. *Cremoris* ♀*ri albiſſimi, &* ♀*ri in furno figuli opt. calcinati* an. ℥iii °° ♀*ri per deliquium facti* ℔ß.
Mixta ſtent in loco calido tamdiu, donec leni exhalatione humiditatis totum iterum ad priſtinam ſiccitatem redactum ſit. Ex relicta maſſa prius in pulverem redacta, extrahatur beneficio ▽ lithontriptici opt. ardentis, & quidem repetita affuſione, TRa rubicundiſſima; ſpiritus tincti, & prius filtrati, in MB. iterum ad juſtam TRæ conſiſtentiam abſtrahantur. Vires habet aperiendi, incidendi & reſolvendi craſſos tartareos humores. Hinc in obſtructionibus hypochondriorum, arthritide, calculo & morbis aliis diuturnis & chronicis, inſignes habet virtutes. Datur à ℈i. ad ℈ii. & ʒi. in juſculo vel vino, ſeu alio liquore, inde & à ſæpè nominato D. D. M. L. pro Regia Maj. fuit præſcripta. Maximè in colica nephritica, ſub hac formula:

℞. *TRæ* ♀*ri* ʒii. ∽ *carminativi, lithontript.* ana ℥ß. ʒii. *elæoſacch. citri ex cort. extim. & recent. extr.* q. v.
M. Fiat miſtura, pro S. R. Maj. Doſ. cochl. ß. ad cochl. unum, ſed parvum.

Spiritus vini Lithontripticus Officinæ Regiæ Warſavienſis, tempore Uladislai VI.

℞. *Fol. hederæ terreſt.* m. iv *ſem. dauci* m. ii. *rad. petroſelini, raphani maj.* ana ℥iß. *fruct. cynosbati* m. ii *nucl. Perſic. contuſ.* m. i. ∽ *avenacei* ℔viii.
Stent in infuſione per octiduum, poſtea deſtillentur in MB ſeu VB. ∽us in prima deſtillatione prolectus, tingatur cum fol. hederæ terreſtris q. ſ. in colorem viridiſſimum. Vel

℞. *Hujus ſpiritus* ℔i. ſirupi *violacei* ℥iii. ⊖*lis* vel °°*i* ♀*ri* gtt. aliquot. Et erit ſimili modo ▽ lithontripticus viridiſſimus.

Emulſio Nephritica D. D. B.

℞. *Sem. 4. frig. maj. excortic. non rancid.* ana ʒii. *papav.* ʒi. *nucleor. perſicor. purgat. ceraſor. amygdalo. amar. decort.* ana ℥iii. *decoct. hordei cum ſem. dauci præparat.* ℥iv. *aq. petroſelini. liquor. betulæ ſtill.* ana ℥i. Fiat emulſio. Adde *ſir. ſeu julap. è ſucco betulæ, de althæa Fernelii* ana ʒiii. *oculor.* ♋*i præparat* ʒi. *ſpir. fragor.* gtt. aliquot. M. Sig.

Milch auf die Nacht auf 2. mahl.

Infuſio

Infuſio Ligni Nephritici.

℞. *Ligni nephritici veri & in particulas parvas prius conciſi* ℥ iv. *liquoris betulæ purificati* (*ſeu vini Rhenani* ℥ xxxij.

Macerentur ſimul & tamdiu, donec liquor infuſus colorem cœruleum dilutiorem contraxerit. Adde *ſacchari citrati* ad placitum in difficultate urinæ, & dolore nephritico, mirabiles experiuntur effectus ex hac infuſione ij. qui aſſidue eâ utuntur.

Doſis ℥ iv. manè tribus horis ante prandium, per 14. dies. Sunt qui potum ordinarium atque vinum ea diluunt.

Hanc infuſionem, (quæ gratiſſimi eſt ſaporis) per aquam fontanam ſeu acidulàs Egrenſes, ſibi ipſamet parare ſolita eſt Regia Majeſt. p. m. Uladislaus IV. Dominus meus clementiſſimus.

Ludum Cnœffelianum Com. Secreti præparatio Paracelſi & Helmontii.

Nemo miretur, me oleum Ludi *Cl. Cnœffelii*, cum illo, quod ab *Helmontio lib. de lith. cap.* 3. §. 28. & ante illum à *Paracelſo lib. de morb. tartareis, edit. Germ. cap.* 20. *p. m.* 314. & *tractat.* 2. *cap.* 1. *p.* 485. deſcribitur, ſub uno titulo, & una præparatione, hîc comprehendere, cum tamen Medici inſignes & quamplurimi Paracelſi & Helmontii ludum ex ſolo & uno ſubjecto, extrahi velint. Sed incidit in mentem, quod Author noſter quandoque *mihi* & Cl. Dn.D. *Paulitio p.m.* narravit; cum nobis lapidem quendam pallidi coloris, magnitudine pollicis & formæ tabulatæ monſtraret, dicens, *hic eſt verum ludum Helmontianum, mihi ex Brabantia tranſmiſſum.* Sed non ſolum hic lapis talem habet virtutem, calculos in corpore humano comminuendi, ſunt & plures lapides ſaxifragi, qui eandem habent facultatem. Et uti Helmontio conceſſum erat, eligere ſibi ſaxifragum, in territorio Antvverpiano, quem Paracelſus fortè nunquam vidit, neque in illis terris fuit, ſic & mihi poteſtas permiſſa eſt hoc faciendi, & eligendi ſaxifragum, qui in Pruſſia & mea villa, non procul ad ripam fluminis Nagot invenitur. Hîc ſolum agitur de præparatione, quæ primò beneficio liquoris alicujus alkaheſtini inſtituitur, prout ludo meo compoſito fieri ſolet, & cum Helmontiana una eſt. *Hæc erant verba Domini Authoris noſtri.* Jam ſequitur ergo ejus compoſitio.

℞. *Lapid. lyncis (alias ludum noſtr. vocatum,) Judaici, ſpongiæ, cancrorum & aëtitis* ana q. pl. Pulveriſatis & opt. contritis, & in alcool quaſi redactis affunde ∽ ⊖*is noſt. ad ſupereminentiam trium digitorum.*

Stent in digeſtione tamdiu, donec videris ſpiritum aſſumpſiſſe, quod potuit, tunc modica inclinatione, quod clarum eſt, effunde; affunde novum ſpiritum, donec vel totum, vel magnam partem ſolveris. Celerius expeditur extractio, ſi iſta prius fuerint calcinata, quod alias omittitur. Solutiones ſeu extractiones in vitrea concha coagula, ſi liquorem vis perdere, ſin minus deſtilla, & abſtrahe ∽ ⊖is, ad ſiccitatem uſque. Coagulum contritum, exactiſſimeque levigatum, ſolve deliquio, in cella, vel alio loco humido; coagula denuo & ſolve, idque dum nolit amplius cogi & ſicceſcere. Oleum hoc per deliquium paratum hermetice claudatur in ovo philoſophico, & obſervato ignis regimine, ſtet tamdiu in digeſtione, donec abeat in formam pinguedinis inſtar liqueſcentis, Doſis hujus olei ludi eſt gutta una uſque ad vi. & x. ex vino albo præbita. Frangit & atterit omnem calculum totius corporis, hinc convenit & podagricis. Plura de virtute hujus quære in Helmontio de lithiaſi.

Præſentiſſimum hoc remedium à Paracelſo primò inventum, (*lib. de morb. Tartar. cap.* 20. *tom.* 1. *pag.* 314. & *tom.* 2. *de Tart. fol.* 485. *German. edit.*) & ab *Helmontio lib. de lithiaſ. cap.* 3. item in *Libavii Syntag. arcan. chim. tom.* I. *lib.* 3. *cap.* 24. *Untzero de lith.* & *Cunrado Kunrad. in medulla deſtillatoria p.* 148. deſcriptum, vocavit Clariſſ. D. D. A. Cnœff. *Oleum lithontripticon*, quod in S. R. Maj. Subcamerario, Illuſt. Dom. Theodoro à Cœhnoff expertus eſt, in dolore renum & inguinum & hærente urina, quam mox copioſiſſime cum uno & altero tophulo ejecit, ſub hac formula:

℞. ☍*i hujus lithontriptici* ℥ ß. ∽ 🜍*ris & meliſſæ an.* ʒ j. ▽*æ noſt. arthritic. intern. in forma julapii ſeu acidularum abſque ſir. violaceo ſ. q.*

Doſis hujus mixturæ ʒ iij. primis diebus, mane & à meridie in juſculo carnis ſeu cereviſia calida ſumendæ, uſque dum dolores remiſerint, reliquis diebus tribus vel quatuor ſumitur ſaltem mane, & ſemel in die.

Liquor Lithontripticus.

In defectu hujus medicamenti antea præſcripti, Cl. Dn. D. A. Cn. aliquando & ſequentem ſubſtituit liquorem.

℞. *Ocul.* ♋, *lap. judaici, lyncis, ſpongiæ, aëtit.* ana q. v. ſcilicet ʒ j. Pulveriſatis affunde ∽ ⊕*li philoſophici* ℥ i ß.

Stent in digeſtione ad totalem quaſi diſſolutionem. Solutioni filtratæ poſtea addantur ∽ ⊕*li rectificati ord.* ʒ *ij.* Miſce.

Doſis gut. ix. uſque ad x. in brodio vel vehiculo convenienti.

Arcanum ſanguinis hirci contra calculum.

Aliud adhuc medicamentum ſpecificum contra calculum poſſidebat p. m. Cl. Dn. D. A. C. ex ſanguine nempe hircino prius præparato, quod

℞. *Sanguinis hirci, ſecundum Helmont. præparati, magiſt. lithontriptici noſtr. deſcript. ana* ℥ ß. *ſacchari albiſſim. pulv.* ℥ j. *eſſent. citri ex cort. extim. rec. extr.* ad pl. M. F. pulvis. Doſ. ℈ ij. ad ʒ j.

Sanguinis hircini & capræ paſſim apud Authores fit mentio, de quo vid. *Henr. Petræi Noſolog. Diſſert.* 40. Meminit & hujus *Vidus Vidius l.* 10. *cap.* 20. *Joh. Arculanus, Heurnius, Sanctorius lib.* 15. *cap.* 4. *Rondeletius in Conſil. Craton. Conſil.* 150. *Lælius à Fonte, in Conſult.* 84. *Cæſalpinus lib.* 3. *cap.* 29. *Pract. Foreſt. in ſchol. ad Obſerv.* 25. *lib.* 24. *Mich. Paſchalius lib.* 1. *meth. cur.* 47. *Renodæus lib.* 3. *cap.* 3. 15. *Borellus Cent.* 2. *Obſervat.* 88. *R. P. Athan. Kircherus, lib.* 3. *de magnet. Kyperus in Inſtit. Phyſ. lib.* 5. *cap.* 2. §. 7. & alii quamplurimi: præſertim verò ille magnus Medicus *Helmontius*, qui & in pleuritide hoc remedium commendat. Et *Oſvvaldus Gabelkofer. in lib. Medic. Wurtenberg* medicamentum quoque egregium ex ſanguine hircino contra calculum renum conficere docet. *Scaliger Exerc.* 344. *nu.* 8. ait: Hircinum ſanguinem frangere in renibus ac veſica lapidem, tam verum eſt, quàm ſolem meridie lucere: quamplurimos enim ejus vi comminuimus. Verum ita ſimpliciter fieri nequit, niſi hircus ſeu capra lithontripticis herbis prius fuerit paſtus.

Præparationem ſanguinis hirci inveniet B. L. apud *Helmont. in tr. Pleura Furens* §. 32. item apud *Zvvelfer. in animadv. in Pharm. Aug. p.* 419.

Lapis Nephriticus factitius Internus.

℞ *Magiſterii cryſtal. montan. n. deſcr. lithontript. noſtri ana* ʒ ß. *ocul* ♋. *cum infuſ. lign. nephrit. præpar.* ℥ j. *petroſelini adhuc humidi & recenter facti adtingendum colore viridi* q. ſ. Miſceantur, & cum mucilagine tragacanthæ per infuſionem ligni nephritici facti q. ſ. Fiat maſſa, ex quâ poſtea formentur lapides ſignati inſtar terræ ſigillatæ, vel alterius cujuſdam formæ.

Hic lapis omnem calculum in corpore humano atterit, & cum urinâ expellit.

Doſis à ℈ j. ad ℈ ij. vel ʒ j. in liquore convenienti prius diſſolutus, vel in pulverem redactus.

Lapis Nephriticus factitius externus.

℞. *Vitri ♃ni, ex minii* part. ij. & *ſilicum fluviatilium pulveriſ.* part. j. *parati*, *☽ri purificati* ana ℥ iv. Uniantur fuſione in ✠bulo, materia adhuc liquida effundatur ſupra tabulam cupream calefactam, à lateribus argillâ munitam; & ſic habebis lapidem vitri inſtar ſplendentem, qui lumbis & regioni renum applicitus, eundem cum lapide nephritico naturali præſtabit effectum: de quo Auctores inſpiciendi. Omnem enim intemperiem calidam renum emendat, & in gonorrhœa virulentâ auxilium eſt rarum: quod etiam tabula ex ☽ o ſolo fuſa aliquando præſtare ſolet. Sunt qui vitrum ♃ni pulveriſatum & ſacculo incluſum regioni lumborum applicant, ſicque eundem ſentiunt effectum.

Nerium, vid. *Oleander.*

Nerprunum, vid. *Rhamnus.*

Nicotiana, vid. *Tabacum.*

NIDUS AVIS.

Nomina. Orobanche affinis Nidus avis *I. B.* Orchis abortiva rufa ſive Nidus avis *Park.* Satyrion abortivum ſive Nidus avis *Ger.* Orchis abortiva fuſca *C. B.*

I. B. Caulem ſurrigit modo ſingularem, modo duos vel tres, pedales aut cubitales, albicantes; foliis veſtitos concavis, pellucidis, ſtriatis, neutiquam acutis, ſed obtuſis, ſuperna parte quodammodo cordis formam exprimentibus: quorum ſumma florum thyrſus orchidum modo & forma occupat coloris helui aut pallidi, qualis & foliorum tabidorum? ac occluſi quidem è brevibus pediculis, ad quorum exortum foliola parva, ſingula ſeſe exerunt: ubi vero ſe aperiunt, orchidum modo hiant. Galea exigua ſub qua piſtillum breve cum apiculis albicantibus, quod utrinque ad latus bina foliola cingunt: Labellum magnum, ima floris occupans, cavum intus: nullus odor notabilis Dehiſcentibus floribus utriculi pulviſculorum ſuccedunt ſtriati, anguloſi, reſiduis florum petalis marcidis inſigniti. Radix craſſis fibris, ſucculentis, fragilibus tota perplexa, nidorum avium ſtructuram imitans quorum extrema obtuſa obſervavimus. Sapor, radicis ac totius plantæ amarus horridus.

In Sylvis & opacis invenimus in Cantio prope Maidſton oppidum, inque Suffolcia non longe ab Aldeburgo: in tranſmarinis etiam montibus & ſylvis opacis reperitur. *Raius.*

Deterſiva & vulneraria hæc reputatur planta, ſi extus applicetur.

NIDUS AVIS ESCULENTUS.

Nidus avis eſculentus qui ad Europæos à Siamenſibus ac variis peregrinatoribus demandatur, figurâ ſuâ craterem rotundum non malè exprimit, eſt autem ſubſtantia ſicca & alba quam credunt in nidos ſic congeſtam ab Alcedine Indicâ, è cujus roſtro ad modum ſalivæ ſpumoſæ, eo tempore quo mares & fœminæ invicem coïre appetunt, eructatur, ac ſolis calore induratur. Sapor horumce nidorum nullus prope eſt, ſubſtantia glutinoſa. Chinenſes eorum ſunt avidiſſimi, ac cum Zingibere decoctos comedunt. Idonei creduntur pro ægris convaleſcentibus reſtaurandis, ac ventriculo corroborando.

Hæc è vulgari de *nido avis* opinione, at verò de iis aliter Nobiliſſ. D. Rhedi in ſuis *Experimentis Naturalibus.* Antiquis in uſu fuiſſe nidos avium quarundam notiſſimum eſt, ejuſque rei mentionem faciunt Hiera Cappadox, nec non Andromachus & Aſclepiades apud Galenum: at verò, ut cibi loco inſerviérint hi nidi, id vero non memini me unquam legiſſe, vel audiviſſe: atque adeò exiſtimo, ingenioſam hanc inventionem, ſoli hodiernorum ingluviei deberi, quæ novitatis ſemper avida, tantò cuncta magis æſtimat, quantò locus ex quo ad nos deferuntur magis diſtat. Dantur aviculæ hirundinibus non multum abſimiles quæ in ſcopulis mari Coccincinæ imminentibus nidos ſtruunt exiguos, coloris ſubalbi, ex materia ichthyocollæ non abſimili. Hi nidi à rupibus illis avulſi quamplurimo veneunt, ad nobilitanda convivia; minus ſolennia, adeoque vilia futura, niſi hoc novo genere ferculi condirentur; illecebroſi ſanè ſaporis, ſi ab ingenioſo coquo ex præſcripto artis præparetur. Modus præparandi hic eſt: Nidos in jus vituli vel capi probè decoctum mittunt, uſque dum macerati emolliantur, inde in hoc jure illos decoquunt, & poſtea butyro, caſeo, & vario genere aromatum condiunt; & hactenus quidem nihil quod dicam habeo. At vero ubi hunc cibum efficaciſſime & tuto prodeſſe volunt illis qui cum Petroniano Polieno *neque puero neque puellæ bona ſua vendere poſſunt, lorumque in aquâ non inguina habent*; dicere cogor. *Nugæ profectò majores fabulis & nugis quas aniculæ ad focum fila ducentes narrarunt unquam.* Nimis profectò ſibi blandiuntur qui in hoc tali medicamento ſpes ſuas ponunt: quod ſi mihi non credunt, periculum ejus rei faciant, ut jam antea in ſimili occaſione fecerunt nonnulli.

NIGELLA.

Melanthium, Gith Plinio, recentioribus *Nigella* à ſeminis colore nigro dicta, foliis tenuiter diſſectis, flore magno, conceptaculo itidem ſeminis magno, membranaceo, in plura loculamenta quinque plurimum, diviſo, ſingulis loculamentis ſumma parte corniculatis, à reliquis pentapetalis diſtinguitur.

Vires. Semen nigellæ præcipue in uſum Medicum venit: in mucilagine ſcil. pulmonum reſolvenda & expectoranda lacte augendo, urina ac menſibus ciendis, morſibus venenatis corrigendis. Specifice, in febribus quartanis & quotidianis. Extrinſecus crebri uſus eſt in cephalalgia ſedanda catarrhis exſiccandis, in cucuphis, epithemat.&c. applicatum. *Schrod.*

Radix ſiſtit proprietate ſua hæmorrhagias, ſi dentibus maſticetur, naribuſque imponetur. *Idem.*

Exprimitur ex ſemine iſto oleum, quo imperiti pharmacopæi plerique pro oleo nardino non abſque gravi utuntur errore.

Viride excrementum etiam humiditatem plurimam habet, ob quam non niſi cum periculo intus ſumitur, ut Tragus monet, ideo (inquit Caſp. Hofmannus) ut ſemen carvi poſt ablutionem laborioſe ſiccari debet: ita Melanthium quoque, quam ob cauſam frictum potius quam crudum in catarrhis & coryzis uſurpatur, frixa aut uſtulata incredibili ſucceſſu in catarrho aut coryza uſurpatur: in his caſibus commendo hunc nodulum.

℞. Sem. nigellæ toſt. ſtyrac. calamit. ana ℈ j. ambræ griſeæ gr. ij. m. ac inde ſyndoni rubræ F. l. a. nodulus ſubinde naribus admovendus *Sim. Paulus.*

Ad amiſſum odoratum, ℞. Nigellæ romanæ q. ſ. redigatur in pulverem, & cum oleo veteri ſubigatur in mortario. Ex hoc liquore, capite ſupino & ore aqua pleno immitte in nares attrahendo ſpiritum. Galenus.

Nobi-

Nobiliſſimam Dominam à gravi coryza liberavi, poſtquam ei illud errhinon cujus in hiſtoria majorana facta eſt mentio commendavi hunc nodulum.

℞. Sem. nigellæ toſti ℥ i ß. abelmoſch. carvi, foliorum majoranæ ana ʒ ij. ſtyrac. calamit. tabac. ʒ j. ambræ griſeæ gr. vii. olei ligni rhodii gut. iij. m. f. ſ. a. Nodulus, quo poſtea catarrhis valde obnoxia ſe ab eis præſervavit. *Sim. Paullus.*

Nigellæ flores, quamvis cærulei ſint ſi manibus chartæ aut linteo eos affrices colorem pulchre viridem reddunt, D. Merret. Obſerv. in Anton. Neri. p. 388. *Raius.*

NIGRICA FABRILIS.

Nigrica Fabrilis, ſeu *Plumbum Nigrum* officin. invenitur in fodinis; mollis eſt, ſed tamen conſiſtentiæ firmioris, lævis & ſplendens, non petroſa, in fruſta variæ magnitudinis diviſa. Refrigerat, ſiccat, repellit. Uſus præcip. adverſus Strumas, tumoreſque, frigidos & phlegmaticos. Optima cenſetur quæ in Anglia invenitur, quæ in Hiſpania adfertur fragilis eſt, peſſima quæ ex India Orientali advehitur.

Nitrum de eo vid. ſub titulo *Sal.*

NOCTUA.

Noctua (quod noctu canat & volet) γλαύξ, Minervæ ſacra, (à glauco oculorum colore.) *Charleton.*

Ejus *Caro* curat paralyticos & melancholicos. *Cinis* noctuæ integræ nec deplumatæ in fauces immiſſus anginæ apoſtema generabiliter aperit. *Fel* ad maculas oculorum valet. *Pinguedo* aciem oculorum acuit. *Schroderus.*

Nucamentum, vid. *Iulus.*

Nuces cupressi, vid. *Cupreſſus.*

Nucista, vid. *Nux Moſchata.*

Nuclei pinei, vid. *Pinus.*

Nucula terrestris, vid. *Bulbo Caſtaniis*

NUMMULARIA.

Nummularia à foliorum figura rotunda nummi æmula dicta, flagellis reptatricibus, floribus è foliorum alis exeuntibus, loco natali in aquoſis, ab aliis hujus generis diſtinguitur.

Nomina. Nummularia *Germ.* vulgaris *Park.* major lutea *C. B.* num. ſive centimorbia *J. B.*

Longis ſed tenuibus viticulis anguloſis, è geniculis fibras longas demittentibus proſerpit: quibus ex brevioribus intervallis folia bina oppoſita adnaſcuntur, ſubrotunda & nonnihil criſpa guſtu vehementer citra morſum ſiccante adſtringenteque: ex quorum alis, flores ampli, flavi, quinque foliis acuminatis compoſiti (quæ tamen ad unguem juncta ſunt, ut flos integer decidat) totidem in medio ſtaminibus cum ſuis apicibus luteis ſtylo tenui non capitato vaſculo ſeminali inſidente, pediculi florum ſemuncialis aut longiores, ex alis foliorum ſingulis ſinguli exeunt, ut ad ſinguli genicula bini plerumque flores ſint. In nonnullis ramulis terna folia & totidem flores ad ſingula genicula obſervavimus. Delapſo aut marceſcente flore calicis folia connivent ut in convolvulis, & vaſculum ſeminale rotundum, admodum exiguum, ſemine intus minutiſſimo & vix conſpicuo refertum occultant.

Juxta ſcrobes & fluenta, aliaque ſigua loca provenit, ſubinde & in humidis reperitur ſylvis, ut recte J. Bauhinus, à Maio Menſe in multam ætatem ho. ret.

Vires. Sicca eſt & adſtringens, vulneraria è præcipuis. Flores & folia trita & impoſita vulnera & ulcera quævis glutinare valent.

Eadem cum vino ſumpta dyſenterias, ventris imbecillitates, fluxuſque ac humiditates ſanant. Conducunt & ad ſanguinis rejectiones, profluvia muliebria, & ad omnia interaneorum vulnera & ulcera, potiſſimum pulmonis. Commendatur & in Scorbuto. Præcipuam autem vim ejus eſſe dixit Matthiolus ad puerorum enterocelas tum illitæ, tum in pulvere hauſtæ. *Raius in Hiſt. Plant.*

NUTRITIO

In Præparatione Medicamentorum.

In *Nutritione* duo concurrunt, 1. *Nutriens*, id eſt liquor aptus ſcopo quem imbibere debet recipiens ſeu Nutriendum, unde & inſuccatio, imbibitio, impregnatio, inebriatio audit. 2. *Nutriendum* ſeu quod poris ſuis recipere uniendum intime liquorem debet, atque vi legum nutritionis, cùm fiat per ſimilia, etiam hic requiritur ut liquor ſit ſimilis, homogeneus, unde hoc fundamentum eſt etiam Pharmaceuticæ: ſimilia ſimilibus nutriuntur, ſolida humidis pro diverſis uſibus.

Sic enim *nutritio* (1.) *corrigit*, ut vis quædam ſeu viroſa, ſeu alia mitigetur, quem in finem ſemen coriandri & radix ari imbibuntur aceto, ut & ipſa radix angelicæ, vel carlinæ, item cortex radicis eſulæ, quæ omnis præparatio uſibus internis eadem magis aptat. Sic & vulgatiſſimum eſt & exemplum, ut amylum cum ♈ i imbibatur aliquoties, ut eo magis hinc lævigari & impalpabile reddi in pulvere cyprio poſſit. Sic etiam vitrum ♀ii corrigitur à nonnullis imbibitione cum ſpiritu vitrioli.

(2.) *Nutritio lævigat.* Qui uſus eſt mechanicus, ſolidis proprius, non pulverisatis. Sic in uſu eſt Germanis *das Oeltrancken* dictum, ſive charta imbibatur oleo, ſive lignum ipſum, quod in pavimentis ſolent nonnulli, ut alia taceamus. Par ratio eſt in officinis chartæ inceratæ pro operculis electuariorum &c. Ita enim partes oleoſæ complanant magis particulas hiſpidas, minuſque firmiter cohærentes.

(3.) *Nutritio viribus imbuit.* Sic ſtercus aſini imbibitum ſucco urticæ ad hæmorrhagias & ſputum cruentum prodeſt. Sic aloe roſata, violata, vires laxandi impetrat majores, eaſque correctas; & hâc præſtantior longè ſennata martialis. Sic ſarcocolla vires demulcendi accipit à lacte. Imò id quoque valet de perfumatione, quando ſtratum ſuper ſtratum fit in perfumandis ſeu odore grato imbuendis chirothecis, beneficio olei jaſmini & odoratorum aliorum. Sic linteamina ſpermate ranarum aliquoties imbuta & exſiccata vires acquirunt ad eryſipelas tollendum. Lintea mina ſanguine aſini imbuta ad melancholiam, ſanguine leporino ad dyſenteriam ſiſtendam uſurpantur. Tacemus ſparadrapa varia, imbuta efficaci vi medicamentosâ hâc illâ.

(4.) *Nutritio tingit*, ſeu tincturam impertit. Spectat huc torna ſolis, ſeu linteamina ſucco heliotropii imbuta; par ratio eſt, ſi cum ſucco mororum aliiſve inficiantur, intincta & exſiccata. Sic & hepaticum rubrum nil aliud eſt, quàm pulvis cryſtallorum tartari, nutritus ſeu imbibitus Tinctura ſandali rubri. Par ratio eſt roſæ vitæ mineralis, lapidis prunellæ tincti, & ſimilium è chimicis.

(5.) *Nutritio miſcet & diffundit*, ſeu *diſſociat.* Hujus rei exemplum inſigne præbent varia chimicorum opera, inprimis præparatio mercurii dulcis, ubi mercurius ſublimatus quaſi nutritur & imbibitur mercurio vivo

vivo ana, additâ ad moderandam ſiccitatem & impaſtationem urinâ, vel aquâ ſimplici potius. Sic etiam miſcet & diffundit Olea expreſſa, exemplo olei olivarum, deſtillari enim minus poteſt, niſi imbibatur lateribus fruſtulatim diſcuſſis & candefactis; ita verò hæc fruſtula imbibita oleum hinc penetrans præbent. Par ratio eſt ſpiritus ſalis, in globulis, aliiſque ſimilibus, ubi terreæ particulæ deglutiunt quaſi & intimè ſibi applicant partes ſalinas, mediante impaſtatione, quæ alias fluorem nanciſci renuunt.

6. *Nutritio ſolvit*; quod exemplo amalgamationis ad oculum clarum eſt, ubi mercurius ad leges ſolutionis, majori doſi, v. g. octuplâ, receptus, ℥ij. auri quaſi deglutit, devorat, atque cum eodem ſoluto per intima miſcetur. Pertinet huc etiam mercurius coagulatus, id eſt, plumbum imbibitum mercurio, quod & in proceſſibus alchimiæ locum non rarò habet, ubi nutrire jubent Philoſophi aurum, argentum &c. Ut taceamus elæoſacchara, balſama & ſimilia, quæ itidem nutritione gaudent.

In ſingulis formalis quaſi ratio illa quoque adeſt, ut id fiat aliquoties, ſeu repetitis vicibus, ſucceſſivâ imbibitione, & exſiccatione, cum aliquâ tamen latitudine, quod ex dictis claret. *Wedelius.*

NUTRITUM vid. *Unguentum.*

NUX JUGLANS, vid. *Juglans.*

NUX MEDICA.

Sic dicitur quod ad Medicos uſus apud Indos non parum adhibeatur eſt fructus magnitudin. caſtaneæ, duriſſimus oblongus, coloris ex flavo rubeſcentis ex inſularum Maldivarum deciduus. Partum accelerat, ſecundinas educit, cerebrum corroborat, & epilepticis confert, intus aſſumtus.

NUX METELLA.

Nomina. Nux vomica *Ger. Park.* vomica in officinis *C. B.* vomica vulgo offic. compreſſa, hirſuta *I. B.*

I. B. Nux vomica perperam vocatur hic fructus cùm vomitum non moveat. Eſt ea orbiculata, nummo aureo quem ſcutatum vocant æqualis, ſubinde minor, compreſſa, calamum ſcriptorium vix craſſa, tenera & tactu molli ſuperficie, villum holoſericeum imitata, coloris ex cæſio cinerei, & vario lucis objectu renidente, umbilico utrinque medium occupante, ſed altera facie expreſſiore. Villus deraſus comminuto adianto ſimilis quodammodo Cordo teſte. Fiſſa in geminas abit cruſtas duritie fere corneâ; coloreque ex fulvo candicante, ſapore inſigniter amaro. Ipſa ſubſtantia tritu & contuſu contumax, adeo ſolida lentaque eſt, nec niſi probè ſiccata fruſtula, & ea quidem vix ac ne vix contundi ſeu in pulverem redigi apta. Cum in duos orbiculos finduntur uterque in orbis circumferentia exiguum foramen habet, quo continetur (ut annotat Cordus) germinaturæ & ex ſemine hoc ſato exituræ plantæ rudimentum, exiguo pediculo & veluti parvo Tiliagineo aut hederaceo, venoſo, duplicique folio conſtans, tam exquiſita perfectaque figurâ, ut cum veri folii conſummata forma de perfectione certet. Ejus unica tantum pars, hoc eſt, pediculus prædicto foramine vel caverna continetur foliola vero duplicis fructus commiſſurâ clauduntur.

Reperitur ſed rarius forma oblonga.

Nonnulli nucem vomicam radicem eſſe opinati ſunt, ſed erronee: at neque fungus eſt, ut aliis videtur: fructum eſſe ex deſcriptione patet, verum an arboris, an herbæ incertum.

Nucem Metel Arabum nonnulli cum nuce vomica eundem eſſe, volunt, verum deſcriptiones ei non conveniunt.

Vires & uſus. Nux vomica narcotica eſt, virulenta & vel opio deterior, in pulverem redacta & cum cibo exhibita canes & feles interimit; exempla habes apud & Geſnerum & J. Bauhinum. Quibus addemus ea quæ nobis communicavit D. E. Hulius, excerpta ex Antonii de Hude centuria obſervationum obſ. 50. duas (inquit ille) nuces vomicas, in fruſta inciſas, pani butyrato mixtas cani appoſui, qui ea avide devorabat? poſt ſemihoram ingurgitabat ſe oſſibus & cartilaginibus coctis ſed alterâ elapsâ ſemihora tremebat totus, de loco in locum diſcurrens: erectus ſtare haud potis erat niſi fulcro innitens: rigore & convulſionibus crura afficiebantur: tertia ſemihora finita ut mortuus corruit? brevi poſtea reſpirare cæpit celeriter, & adjutus pedibus inſiſtebat: ad minimum rumorem horrere videbatur, & celerius reſpirare. Hoc in ſtatu per quartam ſemihoram ſuperſtes manecanis, & tandem ſubito moritur. Diſſecanti mihi canis cadaver hæc occurrere phænomena. Stomachus ingurgitato cibo refertus erat admixtis nucis vomicæ ſegmentis, quæ nullam mutationem paſſa videbantur, quam quòd molliora eſſent: idem acciderat ſegmento per idem temporis ſpatium in aqua calida detento porro ſtomachus, œſophagus & inteſtinum naturali conſtitutione gaudebant chylo: pulmones ſolito rubicundiores, & cordis ventriculi ejuſque auriculæ debito tumidiores erant. Ex diſſecto cordis ventriculo dextro, vena cava aſcendente ſtricta magna ſanguinis copia effluebat, in thoracis cavitate ſtatim coagulans. Circa cerebrum nihil præter naturam notare potui, felis ab aſſumpta nuce vomica aliquandiu in aqua macerata, & partim excoriata iiſdem ſymptomatis impetebatur ac prædictus canis, ut & alius canis, qui tantum reliquias à fele prætermiſſas devorabat. Defuit occaſio inveſtigandi doſin hujus nucis vomicæ requiſitam ad animal interimendum. Ex obſervatis patere putem hanc nucem virulentam potiſſimum inficere fluidum cerebrum nervoque irrigans: hinc enim, inquietudo, rigor convulſiones, horror, tremor & reſpiratio inordinata facile derivantur. Prædicta ſymptomata me ab uſu hujus nucis in homine abſterrent. Licet beſtiis non hominibus eam noxiam ſtatuant quidam. At ſtatuant illi quid velint, mihi minime dubium eſt quin eoſdem in homine haberet effectus? avibus certe non minus pernicioſum eſſe conſtat quam beſtiis: noſtrates enim ejus pulvere carnibus inſperſo corvos, cornices aliaſque aves noxias ineſcare & perdere ſolent. Adolphus Occo in ſua Pharm. teſtatur Julium Alexandrin. ad ſe ſcripſiſſe. Nucem vomicam ablegandam, nec ad compoſitionis illius uſum admittendam quippe adverſaturam ſemper naturæ humanæ, nec quicquam tamen interea unquam commodi allaturam, quæ doctiſſimi viri Sententia (inquit J. Bauhinus) nobis perplacet: nec quenquam hactenus vidimus, qui ſuo experimento aliquid laude dignum illorum uſu perfeciſſe prodiderit. Hinc non immerito nuperi Medici in Pharmacopæis ſuis in electuarii de ovo (quod olim ingrediebatur) deſcriptione eam omiſerunt.

Si pulverem nucis vomicæ velis ea radula deterenda eſt, nam in pila tundendo ob corneam ſubſtantiam comminui nequit. *Raius.*

NUX MOSCHATA.

Nux moſchata ſive myriſtica recentioribus dicta veteribus incognita, nonnullis (ut C. Bauhino) creditur. J. Bauhino, ut & Gallandino, Comacum Theophraſti, Cynnamum & Caryopon Plinii eſſe videtur. Idem & Chryſobalanon Galeni eſſe ſuſpicatur.

Ob

Ob florem fructui contiguum, & fructum lanugi-noſum, pulpa denſa aliaſque convenientias, arborem hanc ad pruniferas potius quam nuciferas referendam cenſeo, & malo perſicæ non nuci juglandi ſubjungendam. A reliquis autem hujus generis diſtinguitur triplici fructus integumento, nucleo ovato, exterius rugoſo, pulpa interiore venis flavo rubentibus varia, aromatica.

Vires. Nux moſchata ſubaſtringit, ſtomachica eſt, cephalica & uterina: flatus diſcutit, coctionem promovet, halitum fœtidum oris emendat, fœtum recreat, lipothymiæ ac palpitationi cordis ſuccurrit, lienem minuit, alvi fluores compeſcit, vomitum ſiſtit, urinas ciet, viſum etiam acuit, Ætius pulmonibus officere ſcribit.

In dyſenteriis aliiſque fluxibus nux moſchata merito celebrari poteſt, quandoquidem diverſas facultates, omnes in hoc affectu neceſſarias continet. Ejus oleoſa ſubſtantia illinit inteſtina, ne radantur ab acribus humoribus, & dolores lenit: aromatica qualitas, in aereo ſpiritu conſiſtens, partes nobiles penetrat, & mirifice corroborat: terreſtris pars adſtringit & exſiccat ulcera cicatricemque inducit. Fab. Hildanus lib. de dyſenteria cap. 10.

Nuce moſchata ſaccharo condita utuntur Brachmanes in omnibus frigidis cerebri morbis, paralyſi & aliis nervorum & uteri affectibus, quin & cardiaca cenſetur. Jam à multis annis ad nos adferri cæperunt ex Indiis nuces moſchatæ ſaccharo conditæ pro bellariis ad epulas lautiores. Delicatiores etiam nucamento ſeu exteriore cortice viridi delectantur ſolo, eumque ipſi nuci præferunt, dum plane eſt immaturus, tam propter odoris ſuavitatem, quam propter ſaporis adſtringentis, atque ob id ſtomacho amici jucunditatem. Docuit interea uſus non omnino innoxias eſſe iſtas delicias, neque tantum quando ſine, ſed quando cum ſuis nucibus ſumuntur, pollent enim, eaque inſigni facultate narcotica, qua frequentiore aut largiore uſu ſoporoſos invehunt affectus. Hinc non diſſimile veri eſt quod tradit Dom. Tavernier, nimirum, cum hæ nuces matureſcere incipiunt Aves paradiſiacas harum veſcendarum avidas magnis gregibus ad Moluccas inſulas convolare, non ſecus ac turdos vindemiæ tempore in Galliam; nec tamen deliciis ſuis impune fruuntur, nam cum fructibus hiſce ad ſatietatem ſe ingurgitarunt, vertigine correptæ in terram velut ebriæ decidunt, ubi jacentium crura formicæ brevi comedunt.

Nuces ipſas ſiccatas (immoderate ſumptas) eadem facultate donatas eſſe comprobat Hiſtoria quam narrat Lobelius: nimirum ſe in Anglia vocatum ad generoſam Matronam prægnantem, quæ cum ſummo deſiderio avide duodecim nuces moſchatas tanquam panem commanducaſſet, incidit in delirium vel potius ebrietatem, ſed poſt impetratam quietem & ſomnum copioſum, repellentibus capitis admotis, convaluit.

Vulnus cujuſdam militis cito conſolidatum ab uſu nucis moſchatæ interne ſumptæ refert Tachenius in lib. de morborum principe p. 110. hic fructus etiam celebratur à le Febvre & à Wedelio in vulneribus conſolidandis. J. Bauhinus cum in Apenninis montibus frigidam avidius bibiſſet ſubito incidit in inſignes veſicæ dolores flatibus in ſcroto vexantibus accedente tumore, ſine tamen ulla hernia præcedente. Cum exiſtimaret ſe in monte præ doloribus periturum, itineris ſocius Oſvvaldus Gabelckover amice obtulit nuces moſchatas, quas ſecum habebat. Devoratis quatuor ſubito per D. g. & hoc remedio liberatus fuit à doloribus, atque iter perfecit ſoſpes & incolumis. Memorabile in primis experimentum ad paralyſim partium deglutitioni inſervientium nux moſchata maſticata & deglutita eſt egregia. *Etmull.*

Exprimitur ex nucibus recentibus contuſis & in ſartagine fervefactis Oleum 1. communi, ad multa utile verbi gratia, ad ventris tormina & dolores nephriticos (in liquore calido exhibitum) ad tormina infantium umbilico inunctum, ad nervorum articulorumque diuturnos dolores à frigore excitatos. Extrinſecus conciliat blande ſomnum temporibus illitum.

MACIS.

Macin ſeu ſecundum involucrum nucis myriſticæ cum macere Græcorum confundunt è recentioribus Botanicis non pauci, vicinitate nominum, ut veriſimile eſt, inducti: cum tamen hæc dio multum inter ſe differant. Macer enim cortex eſt radicis in Malabar naſcentis ſubſtantiæ frigidioris & terreſtrioris, & ob id ſiſtendis alvi fluxibus deſtinatus. Macis è contra tegumentum nucis indicæ, & quidem egregie aromaticum eſt, multoque & ſpirituoſo calore plenum, unde & adverſus frigidos affectus, itemque venenatos ſolet uſurpari.

Macis autem ille priuſquam ex pleno maturuit, & adhuc colore eſt elegantiſſimo coccineo, condiri apud ſuos ſale & aceto ſolet, & inferri primæ menſæ ad excitandum appetitum. Poſteaquam vero maturuit macis, adimitur nuci & exſiccatur ad Solem; collectuſque cum cura reponitur, ſervaturque Odore ſemper quidem grato eſt, ſed recens mire jucundo: ſapore aromatico & ſuaviter amaro, & qui quandam à ſe ſiccitatem ori relinquat. Eaſdem vires quæ nuci ei adſcribuntur; quia tamen partium tenuiorum exiſtit, ideo & operando efficacior, & magis penetrans habetur.

Macis oleum ut oleo nucis quantitate cedit ſic qualitate antecellit: magiſque commendatur in nervorum affectibus & aliis frigidis morbis: quin & podagram (mirabile dictu) pedi oblitum ſanare Cronemburgius refert.

Ad ventum utero incluſum, Accip. Nucem moſchatam non vitioſam decid. in partes IV. projice unam ſuper carbones accenſos, & fumum accipiat mulier per infundibulum, terque id faciat. Hoc remedio Bonnæ mulierem juvenem curavit *Hartmannus.* Communicavit *D. Hulſe.* Raius

Nux Pinea, vid. *Pinus.*

Nux Pontica, vid. *Avellana.*

Nux Regia, vid. *Juglans.*

Nux vomica, vid. *Nux metella.*

Nycticorax, vid. *Noctua.*

Nymphæa, vid, *Nenuphar.*

LIBER XIV.

Continens ea quæ incipiunt à Literâ

O

Obolus vid. ſub titulo *Menſura & Pondera.*

Ocellus cervi, idem quod *Elaphoboſcum.*

Ochra, vid. ſub titulo *Terra.*

Ocimum, vid. *Baſilicum.*

Ocularis Planta, vid. *Eufraſia.*

OCULI in *Phythologia.*

Oculus ſeu *Gemma* eſt tuberculum in arborum ſurculis unde fit germinatio, unde *inoculatio* inſitionis ſpecies. *Schroderus* oculos exponit florum prodromos, inque flores explicabiles, nimis reſtrictè, nam oculus æquè latè patet ac gemma.

OCULUS BOVIS, ſeu *Buphthalmum* idem quibuſdam eſt quod *Bellis Major.* Verùm

Buphthalmum Vulgare aliud eſt & ejus hæc ſunt

Nomina. Buphthalmum vulgare *Gerardi.* Dioſcorid. C. *Bauh.* Matthioli, ſive vulgare millefolii foliis *Parkinſ.* Chamæmelum Chryſanthemum quorundam *J. Bauh.*

Caulibus cubitalibus & majoribus, tenuibus, & incanâ lanugine obductis pluribus, propter terram rubentibus, ex lignosâ *radice* obliquè exortis, ramoſis *folia* adnaſcuntur itidem lanuginoſa, millefolii, denticulata, pinnataque, multò minora, quippe quæ non temerè unciam longitudine ſuperent, odore chamæmeli. In ſingulorum ramorum faſtigio *flos* unicus, chryſanthemi, totus luteus, ſive quæ in ambitu ſunt folia ſpectes, ſive diſcum, qui rigidulis apicibus aſper eſt: *Calyx* porrò cui inſidet incanus, chryſanthemi inſtar ſquamoſus eſt.

Variis Germaniæ in locis hanc plantam obſervavimus ſpontaneam; circa Florentiam quoque Italiæ in alveis Torrentum & alibi. *Raius.*

Planta hæc multum continet olei, ſed ſalis eſſentialis modicum. Detergens eſt, vulneraria, emolliens ac reſolvens.

Oculus cati, vid. ſub titulo *Lapis.*

Oculis utilia, vid. *Ophthalmica.*

Ocymastrum Tragi, vid. *Scrofularia.*

Ocymum, ocimum, vid. *Baſilicum.*

ODONTALGICA, ſeu ODONTICA.

Sunt Medicamenta Dentibus, tum mundificandis, tum firmandis &c. dicata, qualia ſunt cinis è variis plantis, oſſa deſiccata, oculi ſeu lapides cancrorum, cornu cervi, ac concharum omne genus, pumex, lapis ſpongiæ, alabaſtrum, lapis ſpecularis, dactylorum myrobalanorum & olivarum nuclei, corallium, ſal commune, ſal gemmeum, alumen, nitrum, ſal, alkali & axungia vitri, tartar. alb. cruſta panis. Hiſce autem omnibus rite pulveratis admiſceri poſſunt aromata varia, lignum v. g. aloës, rad. ireos, muſcus, ambra, maſtiche, thus & myrrha. In doloribus dentium valent olea ſtill. caryophyll. baccar. juniperi, item oleum camphoræ ut & ſpir. vini laudano opiato imprægnatus.

Atque hactenus de Odonticis in genere, jam de iis in ſpecie quatenus in Faſciculo Medicamentorum ſingularium Clar. Cnoffelii reperiuntur.

Pulvis ad Dentifricia moſchatus Sereniſſimæ *Cæciliæ Renatæ* Reginæ Poloniæ.

℞. *Oryzæ finiſſ.* ℥ iij. *pumic. calcin. & aliquoties in lacte extincti, corallior. rubr. tritor. lapid. ſilic. calcin. & nuc. moſch. in pulver. redact. ana* ℥ j. *rad. ireos pulver.* ℥ j. ʒ ij. *alumin. uſti, ſal. comm. ana* ʒ j. *moſch. & ambr. ana gr.* vj. *olei roſar. ver. ſtill. gut. iij. fol. auri num.* IV.

Fiat omnium pulvis non admodum ſubtilis. Mucoſos dentes à ſordibus purgat, & omnem tartarum corroſivum abſtergit, dentes quoque dealbat, & vacillantes firmos reddit.

Pulv. ad Dentifricia alius Ser. Reginæ Ex ord. Dn. D. Teuberi, Medici Ord. Ser. Reginæ.

℞. *Lapid. pumicis pulv.* ℥ ß. *corall. rubr. & alb. ana* ʒ ii ß. *aluminis* ʒ i ß. *rad. ireos flor.* ℥ j.

Fiat pulvis non admodum ſubtilis. Cui adde *ambræ & moſchi or. ana gr. v. ol. roſar. ſtil. ver. ex floribus gut. iij.* Miſceantur probè, pulvis in ſcatula munda ſervetur ad uſum ad dentes purgandos & dealbandos remedium excellens eſt. Cujus quotidianus uſus adhuc in Polonia apud multas matronas obſervatur.

Not. Ex pulvere præſcripto, cum mucilagine tragacanthæ (per aq. ſalv. facta) fit maſſa tenaciſſimæ conſiſtentiæ, ex qua formantur ſtyli dentifricii in umbra lentè exſiccandi. Omnem nigredinem & colorem vitioſum abſtergunt, & dentes de novo albos & politos reddunt, ſi quotidie his fricentur.

Tinctura perbella Ser. Reginæ Cæciliæ ad gingivas tumentes & ſanguinolentas.

℞. *Aq. fol. ſalviæ, quercin. ana* ℥ vi. *phlegmat.* ⊕ *-lis Onis ana* ℥ iij. *gummi lacc.* (in bacillis) *pulver.* ʒ vj. *aluminis* ʒ i ß.

Mixta ſtent in digeſtione per diem & noctem, poſtea filtrentur per chartam. Tinctura rubini inſtar ſervetur uſui. Vires titulus indicat.

Tinctura Odontalgica D. D. C.

℞. *Rad. pyrethri, lign. ſaſſafras ana* ʒ ij. *ſem. hyoſcyami, caryophyll. maſſæ pil. de tribus ana* ʒ j.

Inciſa & contuſa infundantur, in *ſp. n. ſedativi ſimpl.* ℥ vj.

Stent per dies tres in digeſtione vel diutius, filtratæ TRæ adde *extracti ſedativi liquidi citrati*, ſeu *tinct. granorum quietis* ad plac

Dentibus dolentibus ſummopere medetur, ſi dimidium cochlear hujus TRæ in ore per dimidium quadrantem horæ contineatur, poſtea iterum exſpuatur, & ſi opus eſt,

eſt, ſecunda & tertia vice uſus reiteretur. Idem præſtat & ſeq.

Balſamum Odontalgicum.

℞. *Ol. ſtil. caryophyllor. camphor. buxi ana* ℈j. *nuc. moſch. expreſſ. q. ſ. pro conſiſtentia balſami*, adde *extr. opii* ℈iß. *fuliginis ſplendentis q. ſ. pro tingendo in nigredinem.*
Fiat balſamum. Omnem dolorem dentium (goſſypio exceptum & cavernis impoſitum) ex quacunque cauſa ortum, tollit.

Balſamum aliud Odontalgicum.

℞. *Ol. caryophyllor.* ʒ ij. in quo diſſolve *camphor.* gr. xxiv. adde *ol. nucis moſchat. expreſſ.* q. ſ. pro conſiſtentia tandem admiſcentur *extr. granor. quietis* gr. xv. *fuliginis ſplendentis* q. ſ. pro tingendo. M. F. Balſamum. Odontalgiam ſubito aufert, quòd ipſe ſæpius expertus.

Balſamum Puerorum dentientium.

℞. *Butyri majalis non ſaliti* ℥ iv. *pinguedinis gallin. anatis ana* ℥ ß. *ſucci expreſſi cancrorum fluviatil. ſedi majoris ana* ℥ iij.
Coquantur in diplomate ad conſumptionem humiditatis, in fine adde *ſanguinis extracti ex criſtis galli* ℈ v. & poſt unam & alteram reiteratam ebullitionem exprimantur, ubi adhuc admiſcere poteris *ſacchari canti* q. ſ. pro dulcedine. M. F. Linimentum pro gingivis infantium.

Maſſularum aliquot genera in Odontalgia.

1.

℞. *Opii correcti, fuliginis ſplendentis ana* ℈j. *ſem. hyoſcyami, camphor. ana* ℈ß.
Cum *ol. nuc. moſchat. expreſſi* q. ſ. Fiat maſſa pro dentibus dolentibus.

2.

Vel ℞. *Gum. tacamahaca, laudani opiati ana gr. iij. camphor. gr. ij.* cum *ol. caryophyllor.* q. ſ. Fiat. maſſula.

3.

Item ℞. *⊖-li uſti* ʒ j. *opii correct.* ℈ ij. *cort. mandrag. ℘ philoſophor. ana* ℈ ß. *maſſ. pil. Ruffi* q. ſ. pro conſiſtentia. Fiat maſſa.

4.

℞. *Extr. granor. quietis* ℈ j. 🜂 *⊖-li anod.* ℈ß. *camphor. gr.* vi. (in ol. caryophyll. q. ſ. diſſol.) ℘ *nuc. Moſch.* ʒß. *pulv. caryophyll.* q. ſ. M.
F. Maſſa duriuſcula, cavernis dentium imponenda.
Granum piperis in 🜄 maceratum & accenſum, ſubitò dolores dentium ſiſtit, ſi cavernis imponitur.

Linimentum ad gingivas tumentes & putridas Cl. Dn. D. And. Cnœffelii.

℞. *Sang. draconis, myrrh. maſticis ana* ℈iß. *croci* ♂*is, aluminis an.* ℈ j. *mellis roſati* q. ſ. M. F. linimentum pro dentibus vacillantibus. Adde *ol. jaſmini* guttas aliquot.

Remedia quædam pro Dentibus ex Pharmac. Bateana.

Dentifricium Dominarum.

℞. *Cryſtall. præparati* ʒ i ß. *pulver. laterum, lapid. pumic. ana* ℥ ß. *oſſis ſepiæ, corallii utriuſque ana* ʒ ij. *margarit. caryophyllor. ana* ʒ j. *moſch. gran. iv. M. F. pulv. ſubtilis, cui adde rhodomelitis q. ſ. ut f. paſta mollis,*

Dentifricium infantum.

℞. *Butyri recent.* ℥j. *Anaphromelit.* ʒ vj. *corall. rubr. præparat.* ℥ ß. *f. mixtura ſ. a.* qua fricentur gingivæ bis vel ter in die ad dentitionem facilitandam.

Dentifricium Scorbuticum.

℞. *Sal. cochlear. macis ana* ʒ j. *ſalviæ* ℈ iv. *aluminis uſti* ʒ ij. *ſal. decrepitati* ℈ ij. *f. pulv. ſubtilis cui adde rhodomel. q. ſ. f. mixtura* pro dentibus fricandis ante uſum lotionis ſequent.

Dentifricium Scorbuticum.

℞. *Radic. biſtort. ſem. cochlear. ana* ʒ ij. *alumin.* ʒ jj *maſtich.* ʒ iij. *coque in aq. font. q. ſ. ad* ℔ j. *colat. adde rhodomelit.* ℥ ij. *M. f. Lotio.*

ODORAMENTUM, vid. *Suffitus*.

OELUROPUS, vid. *Piloſella.*

OENANTHE.

Οἰνάνθη, τὸ ἄνθος τῆς ἀμπέλου, quod colore & quadantenus odore non ſit viti diſſimilis vel potius quod cum vite floreat, & in flore ejus odor qualis in pubeſcente vite ſentitur.

Radicibus tuberoſis, è multis glandulis compoſitis, & loco natali, paluſtri ſcilicet & aquoſo, ab aliis quibuſcunque umbelliferis plantis facile diſtinguitur.

Nomina. Oenanthe aquatica C. B. paluſtris ſeu aquatica Park. item aquatica major ejuſdem, Filipendula aquatica Ger. Oenanthe ſive Filipendula aquatica I. B.

Vires, Sapore eſt amariuſculo cum levi adſtrictione, calidæ & ſiccæ naturæ, aperientis & adſtringentis facultatis. Movet urinam & arenulas extrinſecus & intrinſecus uſurpata: aperit obſtructiones & expurgat meatus urinarios. *Raius.*

OESYPUS.

Oeſypus, Officinis *Iſopus* humida, eſt ſuccidarum lanarum arte detracta & concreta pinguitudo, à quâ emplaſtrum quoddam à Philagrio deſcriptum *Oeſypatum* dicitur: quod ad lienis dolorem, ſtomachi & hepatis duritiem, & aliarum partium nodoſitates commendatur. Emollit enim Oeſypus & explet præſertim ulcera ſedis ac Vulvæ cum melle & butyro. Sine exceſſu calfacit, & dolorem lenit.

Conficiendæ autem *Oeſypi* ratio hæc eſt; lanæ ſuccidæ è collo, fæminibus, & femoribus ovium ſumuntur, aquâ ferventi horas octo macerantur, commiſcentur, & radiculâ aut baculo agitantur, deinde fervefiunt quousque in aquam depoſuerint totam pinguedinem.

Tum expreſſis & ſemotis lanis, aqua illa pinguis ac ſordida ex alto in aliud vas ita infunditur ut multum ſpumeſcat. Spuma denuo accipitur, atque adhuc tamdiu agitatur in aquâ, donec amplius nullam ſpumam emittat.

His ita peractis pinguedo collecta in aquâ purâ lavatur, & manibus agitatur, donec œſypus admota linguæ leviter tantùm aſtringat, nec mordeat & candida ſpectetur: tum in fictili debet vaſe reponitur. Verùm omnia ſub fervido ſole fieri debent. Nonnulli addunt ad lotionem aquam marinam; ſed dictus modus uſitatior & melior judicatur. *Renodæus.*

OLEA ARBOR.

Olea Græcis *ἐλαία*, Latinum nomen à Græco factum eſt, *αι* diphtongo in *e* abeunte, ſic ab *ἔλαιον* oleum. E'λαία autem à *λεῖον*, i. e. læve vel lubricum deducitur, aut à *λειῶ* lævigo, lubrico, quòd producat id quod lævigat lubricatque, videlicet oleum.

Olea prunifera arbor eſt foliis perpetuis, fructu racemoſo, pulpa liquore pingui ſcatente, oſſiculo duro ſcabro.

Ex eadem oliva differunt ſucci: primum omnium è cruda atque nondum inchoatæ maturitatis, omphacinum vocatur. Hoc præſtantiſſimum; quin & ex eo prima unda præli laudatiſſima, ac deinde per diminutiones. Quanto maturior bacca tanto pinguior ſuccus, minuſque gratus.

Optima autem ætas ut jam diximus ad decerpendum inter copiam bonitatemque incipiente nigreſcere bacca, Amurcæ color eſt qui olivam cogit nigreſcere, ideo incipiente nigritia minimum amurcæ, ante eum nihil. *Plinius.*

Olivam collectam in tabulatis ſervandi nec prius quam ſudet premendi, morem improbant Cato, Plinius aliique, cum omni mora oleum decreſcat Amurca augeatur, addit oleum non tantum minui, ſed & deterius fieri. Oleum quidem inde deterius fieri non denegaverim quod oleæ in acervo concaleſcant prævia quadam ad putredinem alteratione, & amurca forte ſi in bacca remanſerit olei ſaporem corrumpat; at vero mora in tabulato oleum minui, amurcam augeri neutiquam conceſſerim, cum amurca aqueus ſit humor & calore facile evaporet; oleum autem cum ſit ſuccus pinguis & tenax, non item; ſed magnam caloris vim exigit ut elevetur & aſcendat, aut diſſipetur.

Quapropter (inquiunt) dubitare non debemus, olivam lectam primo quoque tempore premendam. Ergo ut primum diſtricta fuerit oliva, ſubſtratis tegetibus aut pannis expandi debet, quo aquoſitas ex ipſa reſiccetur, & à foliis ac virgulis repurgetur; hæc enim commixta olei diuturnitati obſunt. Tum diligenter mundata protinus in torcular deferri & integra in fiſcinis novi includi, præloque ſubjici, ut quantum poſſit paulisper exprimatur. Poſtea reſolutis corticulis emoliri debebunt, adjectis binis ſextariis integri ſalis in ſingulos modios. Quod defluxerit in labrum protinus decapulator depleat, & in fictilia labra, huic uſui præparata defundat; hoc enim ſuaviſſimum eſt & tenuiſſimum. Nam æneis & plumbeis vitiatur oleum. Longe melioris ſaporis eſt oleum quod minore vi præli quaſi lixivium defluxerit. Nam ſi nuclei confringantur olei ſaporem vitiant. Deterius eſt quod ex reliquis fracibus premitur, ſed paulo graviore pondere. Hoc tortivum non male dixeris oleum ſed tertiatione multo deterius oleum exit.

De Vitiis olei emendandis conſule R. R. ſcriptores.

Olivas condiendi ſoliciti fuerunt veteres (verba ſunt *Charleri*) quanquam revera nihil aliud ſunt quam palatus blandimenta. Tam ingenioſus fuit venter ut & amara, nec ab ipſa natura percocta ſuæ quoque voluptati placere coegerit. Quid quæſo guſtu horridius oliva ſive matura, ſive immatura, at ſuavitatem invenit ars, quam non potuit natura. Plurimos eas condiendi modos tradiderunt Columella & Palladius, quos apud ipſos requirendos omittimus. Nam nunc dierum unico tantum, eoque ſimpliciſſimo modo, muria ex aceto & ſale parata conditæ ad nos ferè adferuntur.

Olivæ quamvis per maturitatem nigræ ſunt, ſapore quoque acri, amaro & nauſeoſo, oleum tamen quod inde exprimitur, fere pellucidum eſt, nonnihil flavicans, ſapore dulci & grato, unde patet ſaporem hunc & odorem parti aqueæ ſeu amurcæ inhærere. Laudatiſſimum apud noſtrates habetur oleum quod coloris omnis & ſaporis maxime expers eſt.

Olivæ maturæ ex veterum ſententia temperate calidæ ſunt: verum facile corrumpuntur, ventriculoque oculis ac veſicæ nocent: torrefactæ tamen & illitæ nomas ſiſtunt & carbunculis emarginant: immaturæ exſiccant. Colymbades adſtringere, ventriculum roborare, appetentiam excitare dicebantur. Quæ ad nos adferuntur conditæ ſunt antequam maturuerunt, intelligo tamen Italos maturas & nigras etiam interdum condire.

Olearum folia refrigerant, exſiccant & aſtringunt, uſus externus & præcip. in fluxu alvi, menſium, in herpetibus & ſimilibus, oculi medicamentis (autore Dioſcoride) ob vim ſuam mitiorem convenientiora ſunt oleaſtri foliis. Quod intra fructus nucleum eſt cum adipe & farina ſcabros ungues excutit. Succus fruticis accenſi recentis deſtillans ſanat lichenas, furfures, manantia ulcera, plures foliorum uſus vide apud *Plinium.*

Oleæ materies præcipuæ commendationis eſt apud operarios pictores & ſtatuarios, à quibus ad præſtantes operas deſideratur, cum ebeno, propter denſam & tractabilem ejus ſubſtantiam, & colorem ſubruffum & varium (quem tamen aqua forti affusâ inducunt) quem ductus & nervi intorti referunt. Ad nos allata non menſura ſed pondere venditur Lampadibus, aliiſque uſibus mechanicis inſervit.

Olei uſus adeo multiplex eſt, tum in cibo, tum in Medicina, ut omnes explicare plus temporis & olei requireret quam inſtituti noſtri operis ratio patitur. De his conſulendus Galenus, tum Dioſcorides, Plinius aliique tum è veteribus, tum è neotericis.

Pollionem Romulum, referente Plinio cùm centeſimum annum excedentem Div. Auguſtus hoſpes interrogaret, quænam maxime ratione vigorem illum animi corporiſque cuſtodiret, reſpondiſſe intus mulſo, foris oleo. Cardanus etiam tria præcipuè ad longævitatem facere affirmat, nimirum lac, mel, oleum: intelligit autem non foris inunctum, ſed intro aſſumptum & in cibis uſitatum. Oleum & ſalem emere oportere Ariſtoteles autumavit, utique quòd utrumque ad prorogandam vitam quàm maxime conduceret.

Oleum naturæ aereæ particeps eſſe videtur, unde aquæ innatat nec cum humidis aqueis permiſcetur, ſed quamvis ſimul cum illis agitetur, ob levitatem ſuam brevi ſe expedit & ſurſum aſcendit. Ejuſmodi autem humida (oleoſa & aquea) ſimul agitata, conquaſſata & per minima miſta colorem album contrahunt & lactis ſpeciem exhibent.

Oleum ad uſum per ſanitatem optimum (inquit Dioſcorides) quod ex immaturis olivis exprimitur, unde omphacinum dicitur; excellit in hoc genere recens, minime mordax atque odoratum; tale ad unguentorum compoſitionem utile. Quinetiam propter adſtringendi vim ſtomacho accommodatum. Ore ſi contineatur, gingivas contrahit, dentes firmat, ſudores cohibet. Refrigerat, ſiccat, aſtringit, adeoque multas compoſitiones ingreditur.

Oleum ex olivis maturis expreſſum calfacit & humectat moderatè (vetus calidius eſt recenti) emollit, digerit, vulnerarium eſt, alvum laxat, (cum cereviſia calida aſſumptum ℥ j.) ariditatem pectoris corrigit, tormina ventris mitigat, meatus urinarios laxat, eroſos abſtergit & conſolidat. Extrinſecus creberrimi uſus eſt in clyſteribus, tumoribus calidis &c. cum aqua tepida aſſumptum movet vomitum, unde exhiberi ſolet contra venena.

In patria mea Weſtphalia (inquit Schroderus) uſitatiſſimum eſt vulneratis quotidie exhibere oleum olivarum cum cereviſia calida, quo adeò large utuntur, ut quoque ſudor oleum redoleat.

Ad alvum laxandam ſegmentum panis toſti oleo intinctum

intinctum & bene madidum quotidie mane comedendum commendatur: quod præcipuam ſuavitatis gratiam nobis habere videtur, inquit Charletus. V. P. Borelli obſervat.

Oleo odores maxime conſervari teſtatur Plinius. Oleum etiam membra recreare eidem dicitur. Et membra recreans olei liquor. Et ſane veteribus uſitatiſſimum erat oleo corpus inungere, quod vigorem & robur ei addere exiſtimabant, & tonum conſervare. Verum hic mos jamdudum obſolevit, nec immerito noſtra ſententia partim quod ejuſmodi inunctio res ſordida nobis videtur, partim etiam quòd cutis poros obſtruat & tranſpirationem impediat, qua nihil ſanitati corporis tuendæ utilius magiſque neceſſarium ſit.

Oleo quidem non Apes tantum, ſed & omnia inſecta exanimantur. Plin. lib. 2. cap. 19. quod Clariſſ. Vir. M. Malpighius in bombyce aliiſque experiundo verum invenit. Ratio obvia eſt, quia ſci. oleum meatus ſpiracula ſive poros quibus aer attrahitur & redditur, obſtruit, ob cujus defectum Animalculum illico moritur. Nec enim minimis hiſce inſectis reſpiratio minus neceſſaria eſt ad vitam quam majoribus animalibus, quin potius magis, cum vaſa in his aeri excipiendo deſtinata majora proportione, plura, magiſque per omnes corporis partes diſperſa in his ſunt quam in perfectioribus illis.

Oleum picem è pannis extrahit, quod aqua non facit, Plin. vulgatum eſt (inquit Sennertus) ut ſi quis manum pice inquinaverit, eam aqua non mundet, ſed oleo aliquo aut pinguedine quæ picem liquefaciat.

Olei ſuprema regio melior eſt, nam ima ab amurca turbatur, ſummum vero optimum, quòd remotiſſimum ſit à nociva parte, nec ſua ſpiſſitate ab aere læditur Plutarch. Sympoſ. idem legitur apud Macrob. in Saturnal. qui & vini mediam regionem, mellis imam optimam eſſe ait.

Oleum dealbandi modum vide apud Dioſcoridem: item modum parandi oleum Sicyonium dictum.

Oleum etiam ex olei ſurculis paratum ad multa utile meminerunt Dioſcorides & Galenus: quanquam ille ex oleæ ſurculorum pinguedine illud oleum fieri dicat, hic in oleo illo conficiendo tantum addi ſolita germina illa ſcribit.

De amurca quid ſit ſuperius diximus. Multiplex ejus uſus deſcribitur à Catone, Varrone, Plinio, Galeno, Columella; amurca ſubigi areas terendis meſſibus, ut formicæ rimæque abſint, & ne curculio noceat, neve mures lædant. Quin & lutum paritum ac tectoria & pavimenta horreorum frumenti, veſtiarium etiam contra teredines ac noxia animalia amurcâ aſpergi. Commendatur maxime ad ulcera inveterata. Reliqua vide apud Autores citatos. Cum enim rarioris hodie in Medicina uſus ſit, nec à nobis facile parabilis, non erit operæ pretium de ea dicere. *Raius.*

OLEANDER *ſive* NERIUM.

Frutex hic ad Apocyni genus pertinet quocum partibus præcipuis ſiliquis & ſeminibus convenit. Verum quia locis nonnullis fruticis modum excedit & in arboream magnitudinem excreſcit, nec ſucco lacteo turget, Apocyni in modum ab herbis ſeparandum & cum arboribus conjungendum credimus.

Nomina. Nerium ſive Oleander *Ger.* Nerium ſive Rhododendron flore rubro & albo *J. B.* Nerium floribus rubeſcentibus, & Nerium floribus albis *C. B.* Oleander ſive laurus roſea *Park.*

I. B. Arborea eſt planta, caudice recto, rectiſque ac firmis ramis brachiata, croceis ſeu ex viridi palleſcentibus, in quibus folia multa acuta, longa, unciam circiter lata, utplurimum terna ſimul Orientia, interdum bina, ubi rami dividuntur, tranſverſum fere digitum invicem diſſita, rigida, dura, craſſa, ſuperiore parte atrovirentia ut lauri folia, interne magis aſperſas hinc inde maculas, albida, ex ſucca. Supremi rami in ſurculos aliquot divaricantur: quibus inſident flores multi ſimul juncti, odori, pulcherrime rubentes, quali fere colore roſæ incarnatæ conſpiciuntur, aut albi, diviſurâ quinque partita Clematidis Daphnoidis: ſinguliſque diviſionis partibus interne adnata quædam triſulca appendix: in medio apices quinque ſimul juncti, albi, piloſi, floris vero longi velum calycis imum extrinſecus obvollant foliola intenſe rubentia: Siliquæ marcidis floribus ſuccedunt qualis Apocyni vel Aſclepiadis ſurſum ſpectantes. Papposo ſemine plenæ.

Naſci in maritimis & juxta flumina Autor eſt Dioſcorides, & experientia confirmat. Paſſim ad aquarum fluenta in Creta reperitur: Autores Anguillara & Camerarius: quin & in Sicilia ad rivos è monte Ætna delabentes: ad Benaci ripas, & in Argentario promontorio in maritimis Senenſibus. Matth. in tractu Alpino & Montuoſo Liguriæ inter Nicæam & Genuam cum ſiliquis copioſiſſime Lugd. in montis Baldi parva inſula Monachorum Minorum Franciſcanorum ex Saxis nudis prope aquam pullulans abundanter provenit floribus rubris & albis. Pona.

In nonnullis Cretæ inſulis ad ædicularum trabes conficiendas aptum eſt, cum alibi parvum ſit. Vide lib 1. cap. 27. p 51.

Vires. Dioſcorides & Plinius Nerei flores & folia mulis, aſinis, canibus, ovibus, & quadupedum plurimis venenum eſſe tradunt: hominibus vero, contra ſerpentium morſus conferre è vino pota, & magis rutâ additâ, imbecilles etiam animantes, ut pecus & capras, ſi quam bibant in qua folia ea maduerint mori. Aſt Galenus, cui magis credimus, Nerion foris quidem illitum digerendi vim obtinere, intro vero in corpus aſſumptum pernicioſum ac venenoſum non ſolum hominibus, ſed pleriſque etiam pecudibus eſſe.

Cæterum nerion Jo. Bodæo à Stapel dicitur hic frutex a νὴ particula privata & ἔραμαι amo quaſi inamabilis herba: alii à nymphis nereidibus nomen impoſitum ſcribunt. Alii ἀπὸ τῦ νηρεῖν. Quod corpus minime fluidum reddat, ſed potum repente intolerabiles excitet anguſtias: intumeſcit enim venter, & ſubſequitur univerſi corporis inflammatio, omniſque humidi extinctio. Rododaphne dicitur à flore roſæ ſimili & foliis laurinis: Rhododendron i. e. roſea arbor, quod alicubi in magnitudinem arboream excreſcat, & roſeo flore ſit.

Ob florum elegantiam & perpetuæ frondis honorem in hortis noſtris ſtudioſe colitur. *Raius.*

OLEUM.

De *Oleis* notandum.

1. *Olea ſunt liquores inflammabiles, unctuoſi & leves.* Liquores ſunt, quatenus & ſulphura alia ſunt ſolida ſive ſicca, alia ſpiſſa ſeu mollia, alia fluida, pro diversâ conſiſtentiâ quam obtinent. Ad liquida verò ſpectare olea, ſenſus teſtatur, alieno enim termino ſive ſpatio contineri debent. Sunt inflammabiles liquores, τὸ φλογιστὸν enim de eſſentiâ eſt ſulphuris. Quodcunque itaque oleum inflammabile non eſt, olei nomen non meretur, ut tum acida, ita dicta dicta, olei ⊕-li, ⊖is exemplo (qui ſpiritus ſunt ſaturati & concentrati magis,) tum alcalia & media, exemplo olei tartari p. d. Et quæcunque olea magis ſunt inflammabilia, præ aliis etiam ſulphur eminens & purius ac ſibi relictum poſſident. Unde decantata eſt priſtinis temporibus naphtha, quod ignem ad ſe quaſi rapiat, & petroleum, quod naphtha creditur, oleaque deſtillata reſpectu aliorum id latè demonſtrant. Unctuoſi ſunt

liquo-

liquores, ut ſic diſtinguantur à ſpiritibus. Spiritus enim ſunt liquores & quidem maximè inflammabiles, neque tamen unctuoſitate pollent, ſed illam potius attenuatam & excuſſam gerunt. Hinc fruſtra ſunt, vel *ἀκύρως* tulò loquuntur, qui 🜍i oleum vini appellant; differunt enim omnino ſpiritus & oleum, vel ideo quod inter ſe non miſcentur. Quæcunque verò inter ſe coire renuunt, nec miſcentur illa non ſunt homogenea, non ſub uno eodemque genere militant. Unde & oleum vini diverſum longe à 🜍i obtinere & oſtendere licet. Leves denique etiam ſunt liquores olea, ad differentiam balſamorum liquidorum, v. g. balſami Peruviani &c. quæ liquores ſunt itidem unctuoſi & inflammabiles, non tamen leves reſpective, ſed ad olea relati longe graviores.

2. *Olea ſulphur liquatum unitum magis minuſque attenuatum exhibent.* Viitur ſulphur aliud concretum aliud diſperſum; concretum itidem non unâ occurrit facie, inprimis verò notæ ſunt hoc nomine pinguedines, bitumina, & reſinæ mediæ quaſi inter reliqua. Dum itaque olea ſulphur fluidum, liquidum, ſive liquatum dicimus, conſectarium eſt, olea, cum concreta eſſe deſinunt, convenire cum alterutro ex dictis ſtatum talem obeuntibus. Cumque iterum olea vel expreſſa ſint, vel deſtillata, vel media, exprimi & deſtillari apta, exemplo olei N. M. commode inferre poſſumus, convenire inter ſe magis, reſpectu ſtatus illius ſolutionis & coagulationis, pinguedines & olea expreſſa; bitumina & balſama; reſinas & olea deſtillata. Quamvis enim latius hæc pateant paulo, & bitumina, exemplo ſuccini, fundant quoque oleum per alembicum, revera tamen maxime inter ſe conveniunt, & ſubſtantia & viribus quoque, unde ex ſuccini per retortam deſtillati ℔ j. oleum ad ℥ ix. haberi poteſt, at ſi rectificatione balſamica craſſior pars ſeparetur, circiter dimidium dicti ponderis reſultat. Hinc olea pro diverſo reſpectu dici poſſunt *pinguedines liquidæ*, uti id manifeſto etiam patet in pinguedine animalium per ignem liquatâ, humanâ, taxi, balænæ, aſciæ piſcis, ſerpentum, viperarum &c. Idem in ſuo genere obtinent vegetabilia, ut oleum olivarum, lini, papaveris, hyoſcyami, licet alio principio ſeminali, ut fas eſt, ſingula fœta ſint. Eadem porrò dici poſſunt optime *bitumina liquata*, exemplo petrolei, olei ſuccini & ſimilium, quod ipſum quoque prædicatur merito de balſamis, tum nativis, tum arte factis oleis balſamicis & velut bituminoſis, ut oleo tartari, & C. C. fœtido, ℅ ſuccin. ſpiſſo &c. Nec minus tertio olea ſunt quoque & dici merentur *reſinæ liquatæ*, exemplo reliquorum. Redditum hoc modo velut ductile eſt ſulphur & tenuatur unitum, de quo ulterius videndum eſt.

3. *Olea copioſius immerſa expreſſione, parcius diſperſa, vel magis coalita igne uniri & tenuari geſtiunt.* Unit eadem expreſſio, ſive unguinoſa ſolùm ſint, ſeu aromatica ſimul. Et ſenſu namque & ratione certum eſt, nunquam poſſe exprimi olea, niſi copioſius inſint. Hinc olivæ ſtatim de ſe id monſtrant, non minus ac amygdala, ſem. lini, cannab. pap. pav. in minima etiam quantitate comminuta. Id cum ſenſus ſuggeſſiſſet, inventa eſt expreſſio. Sic & nuciſta bonæ notæ vel acu intruſâ oleoſitatem atque una bonitatem monſtrat, ut alia non allegamus. Nec obſtat, ignem quoque obſtetricari expreſſioni, potior enim ratio eſt hujuſdem. Non expreſſio fit propter ignem, ſed ignis adhibetur propter expreſſionem, ut ſic utroque tortore exigatur contentum in corpore oleum. Enimvero vis unita fortior eſt diſperſâ, colligi minus aptâ. Quod ſi enim particulæ ſulphureæ terreis cumprimis, ſalinis aqueiſque ipſis magis ſint immerſæ, parcius hinc inde latitantes & diditæ non invenit locum expreſſio, ſed alio opus eſt artificio, ut in apricum prodeant, & *διάκρισει* factâ *σύγκρισιν* nanciſcantur olea, imò & liquefactionem ipſis debitam.

4. *Olea alia ſunt atherea, ſubtilia, alia aquoſa, lenta; alia media.* Dicendum de oleis in genere eſt, quod non ſolùm præparanda ſint abſolutè, ſed & nativa ſcaturiant, vel ſe offerant varia. Optimè verò dividuntur pro diverſitate naturæ ſuæ. Ætherea duplici dicuntur ſenſu: uno generali, quæ ſuper alembicum vehi poſſunt, altero ſpeciali, quæ ſimul tenuiora quoque ſunt in ſubſtantiâ atque texturâ ſuâ. Primâ ſignificatione omnia olea deſtillata ſunt ætherea, quia evehi apta ſunt, & actu evecta, quo à reliquis diſtinguuntur. Secundâ non item; magis nempe ætherea ſunt, quæ (1.) ſunt volatiliora. Æthereum notat volatile, ſublime, & utraque vi ſubtile. Ut aër ab æthere, ſive aurâ differt, quæ utraque tamen ſunt ſubtilia & rarefieri apta nata: ſic differunt olea ætherea primi ordinis, à ſecundi ordinis. Quæ (2.) citius exhalant, in auras abeunt, quod ipſum quoque eſt indicium volatilitatis & tenuitatis majoris deprædente longè magis eadem præ aliis, aëre. Quæ (3.) penitius penetrant, ita ut illita cuti citius diſpareant & pereant; media quaſi inter olea & ſpiritus, neque enim tantam habent unctuoſitatem, ut reliqua. Quæ (4.) (quod tanquam *κειμήλιον* oculare & præſentaneum notari poteſt,) cum ∼u ⊖is ✱ci vinoſo, vel terrâ ♁ii, tartari duplicatâ vel conſimili intimius, citius & penitius miſcentur. Sic verbi gratia, oleum majoranæ delicatiſſimum eſt præ reliquis, & omnia illa dicta poſſidet, minus oleum ſuccini. In quo verò illa volatilitas conſiſtat, latius dicetur. Quæ his oppoſita evolare ſuper alembicum renuunt, aquoſa magis & lenta ſunt. Aquoſa, quoad mixturam & vires, lenta quoad viſcedinem, quam occulunt, citiuſque contrahunt. Licet enim omnia olea diuturnitate temporis ſpiſſeſcant & lentorem, ſpiſſum concrementum, è quo liquata ſunt, recipiant; alia tamen ſerius, alia ocyus id præſtant, pro diverſa ſulphuris & admixtorum natura. Sic oleum hyoſcyami, ol. terebinth. ol. juniperi lenteſcunt ferè facilius, medio modo ſe habent alia.

5. *Sulphur in oleis liquatur cum aqueis, intervenientibus particulis ſalinis.* Aqua principium primum eſt omnis humidi, ergo etiam ſulphuris liquidi, qua talis; ſeu corporaturam liquidam ſulphuri oleoſo largitur aqua. Patet id tum aliis experimentis, tum præſertim gemino illo, (1.) quod aqua *γλισχρότητα* ſeu unctuoſitatem recipiens partim à terra, partim à fermento plantæ, adde & animalis, conſtituat materiam nutrimenti & augmenti ſimilis, reſinoſi, oleoſi, bituminoſi. Exemplo ex innumeris aliis roſmarinus, planta reſinoſa, quæ ſolâ aquâ nutritur, & quoad fruticem ſeu ramulum decerptum ſolâ ejus affuſione propagatur. (2) Quod in præparatione oleorum per expreſſionem manifeſtò conſpiciamus vehit deglutiri & abſorberi aquam. Sit exempli loco oleum hyoſcyami, laudatiſſimum & revera polychreſtum. Si ipſum ſolum contundatur, (contundi enim prius debet, ut partium oleoſarum à terreis fiat ſejunctio,) & fortiſſimè exprimatur, pauciſſimum fundit oleum, quia nempe extricari terreis non poſſunt, ſed ſic magis immerguntur & implicantur citra corporaturam expetitam liquidam, particulæ unctuoſæ. Tantum nempe olei exprimi poteſt, quantum adeſt liquidi. Aſt ſi affundatur aqua, vel quod melius eſt, vinum, ad unam alteramque menſuram, ſatiat expectationem & inſignem quantitatem olei largitur. Maritat verò eadem calor ignis & expreſſio ipſa, quæ utraque poros aptant, velut extrinſeca copulantia media. Intrinſecum verò vinculum conſtituit ſal, perpetuus interpres ſocietatis aquæ & ſulphuris. Unde addi poteſt experimentum tertium, olea ſale volatili magis fœta imbibere aquam & ſibi concorporare, modò proportionatim addatur Ita, ut exemplum demus, ſi oleo caryophyllorum

non

non adulterato aliquot guttulæ aquæ ſubinde inſtillentur, paucorum dierum ſpatio incorporatur & imbibitur eadem. Poſſumus etiam ſtatuere, ubi deſinit aqua, ibi incipere ſulphur; ſeu rudimenta prima ſulphuris conſiſtunt in lentore groſſo ſubtiliſando hinc, digerendo & exaltando calore & adjunctis. Ut terra gignit ſal, ita aqua gignit ſulphur, quæ duo gignentia ſunt materia prima, & univerſalis genuina communis omnium corporum mixtorum. Sal vero & ſulphur gignunt mercurium, tanquam evaporabile principium, quæ ſingula γένεσιν rerum illuſtrant magis & ſunt curioſiſſima, addenda illis quæ alibi de principiis rerum commentati ſumus.

6. *Salia ſulphura oleoſa liquata modificant, acida, urinoſa, vel neutra.* Adſtites cum ſint individui ſulphuris ſalia, etiam liquidi ſeu oleorum, meritò diverſitas præcipua oleorum, & affectiones ac phænomena alia ex hoc fonte ſunt arceſſenda. Acida bituminum conjugium magis amant, ut propriè loquendo bitumina vocanda hoc ſenſu, & teſte experientiâ ſint, quæ ſulphuri copulatum habent acidum; exemplo bituminis ipſius ſeu gummi aſphalti, quod ſi deſtilletur, oleum copioſum cum ſpiritu acido fœnerat; exemplo ſulphuris ipſius communis, ubi acidum fere ſuperat ſulphur, vel ita nexum eſt intime, ut facilius ſeparari poſſit acidum à ſulphure, exemplo ſpiritus ſulphuris, quàm ſulphur ab acido, beneficio ignis. Volatilia reſinis magis junguntur, exemplo camphoræ, & plantarum roſcidarum. Sane verum quidem eſt, reſinas non paucas ſtipatas eſſe acido ſale, ut reſina gialapæ, ſcammon. ligni ſancti &c. Aſt id fit ob diverſitatem mixturæ & reſinarum ipſarum. Satis interim nobis ſit, acidum fixioribus reſinis combinatum eſſe magis, & ipſa verò bituminoſa ſunt reſinæ; urinoſum alcalinum volatilioribus, & prout hæc ſe invicem ſuperant, acidum ſulphur, acidum urinoſum alcalinum, vel vice verſa, vel ſe temperant, moderantur & ſuſtinent, ſic & variare revera olea. Neutra autem vocavimus, quæ ſenſum ferè fugiunt, neque ſeparari ita queunt, fixa tamen magis ſunt, & ad acidum refractum inclinant, exemplo pinguedinum quarumcunque liquidarum, unde dulcia ſunt olea recenter expreſſa, olivarum, butyrum ipſum è ſpiſſis oleis, &c. aſt temporis ſucceſſu ranceſcunt & acrimoniam ſalinam extra vertunt, unde nuces vetustæ rancidæ tuſſim & raucedinem excitant, cum tamen recens oleum eandem potius deliniat. Imò ſal illud etiam in recentibus nucibus juglandibus obſervatur, ſi enim largius comedantur, inducunt linguæ quandam manifeſtam aſperitatem, ob abſterſionem continuatam.

7. *Olea maximè è ſeminibus plantarum & fructibus, hinc floribus, foliis, radicibus & lignis proliciuntur.* In ſemina vis plantarum omnis tandem decumbit & tranſit, unde in iis vis oleoſa pro novi germinis vitali ſulphure, reconditur. Hinc ſemina largiſſimè omnium largiuntur olea, tum exprimenda, tum deſtillanda. In illis, verbi gratia; ſeminibus 4. frigidis ſulphur aquoſum lentorem quaſi contraxit, unde ibi perſiſtit; in aromaticis verò ſale volatili ſulphur embryonatum viſitur. Ad ſemina merito referuntur nuclei, tanquam ſemina arborum, ut & acini, atilli aliaque ejus generis. Ex fructibus ſeorſim olivæ inſtar omnium ſunt. In quibuſdam verò corticibus magis immerſa pollent olea, ut in citriis & aurantiis pomis. Adeoque, mirè diſperſa eſt vis oleoſa, ſive ſulphur plantarum, ut, inſtar regulæ, in quibus partibus plantarum ſeu vegetabilium ſulphur roſcidum hoſpitatur copioſius, ex iis quoque olea κατ' ἐξοχὴν eliciantur. Indicio hujus rei tum alia ſunt dicenda, tum quoque præcipuè antheræ. Hinc poſt ſemina & fructus conſimiles huc faciunt flores unà cum antheris ſuis. Antheræ enim plantarum nihil aliud ſunt, quàm ſulphur effloreſcens ſubtilius. Hinc conſultum eſt eaſdem in deſtillatione oleorum ex floribus non abjicere, ſed retinere. Sic v. g. flores roſarum utique parco proventu largiuntur oleum, ſed ut hoc habeas atque acquiras, non ſolùm folia, verùm quoque antheram aſſumas oportet, illa enim oleum continet, quod monitum non eſt de nihilo. Utque floribus antheræ, ſic ſemina ipſa obſtetricantur floribus ad parturiendum oleum, unde ſi oleum rutæ parandum fuerit, niſi ſemen una cum folliculis contuſis remiſcueris, vix ac ne vix quidem quid olei obtinueris, ſed operam perdis, verba ſunt *Simonis Paulli in quadrip.* Idem dicendum de majoranâ & aliis. Operæ ergo pretium eſt, κειμήλια quædam notare de obtinendis & parandis oleis.

8. *Quæcunque ſunt magis unctuoſa, roſcida, odorifera, gelatinoſa, reſinoſa, illa etiam copioſius largiuntur oleum.* Omnia quidem mixta pollent principio hypoſtatico, ſulphure, non omnia verò oleum largiuntur, nec eâdem quantitate. In quibus ſulphur minus poteſt liquari, ob vincula intimiora, in iis quoque olei ſeparatio, etiamſi maximè ſit reſinoſum, difficilior eſt, exemplo laudati ſulphuris communis, & camphoræ, & contra. Duplex verò potiſſimum medium patefacit olei præſentiam, ſeu ad oleum præparandum aptitudine, (1.) odor. Ubicunque ſulphur magis panſum eſt; inde quoque cæteris paribus oleum elicitur magis. Odor, inquam, teſtis ſale volatili remixti ſulphuris, adeoque reſinæ volatilis æthereæ, & conſequenter olei conſimilis exin impetrandi. Odor contradiſtinctus ſapori. Unde è contrario, in quibuſcunque ſapor præeminet præ odore, etiamſi volatili acrimonia conſpicuus, illa reſpectivè parcius & minus oleum fundunt. Valet id imprimis de iis, quæ alterâ dicenda qualitate non ſimul ſunt conſpicua. Atque hinc patet, quare ex cochleariâ, naſturtio, lepidio, omnibuſque antiſcorbuticis plantis oleum non niſi parciſſimè deſtilletur, cum tamen ſal volatile copioſum largiantur, quare piper, cubebæ & ſimilia minori quantitate itidem & vix deſideratâ quantitate idem exhibeant, imò quare oleum piperis vix acrimoniam illam aſſequatur, quam offert piper in ſubſtantia. Utut enim & ſal volatile maximè panſum ſulphur junctum habeat, prædominatur tamen ſal, & ſulphuris texturam in ſe mutat & abripit. Excipiuntur vero, quod innuimus, illa, quæ ob intimiorem texturam aqueæ ſubſtantiæ acceſſionem excludunt. (2.) Subſtantiæ modus & textura, unctuoſitas, undecunque emergens & demonſtranda, ſeu viſu, ſicubi ſe offerat reſinoſitas, pinguedo, bituminoſitas, ſeu tactu, verbo, unctuoſitas & huic connexa inflammabilitas ibi oleum impetrare licet magis per artem, laudatis proceſſibus; id quod cum in ſeminibus extet magis, hinc enim præ reliquis oleis pollent. Eadem ratio eſt gelatinoſitatis; unde oſſa omnia copioſiſſimum largiuntur oleum. Eadem reſinoſitatis ſolius, citra odoris eminentiam, quamvis ſi emineat magis id valeat, exemplo ligni rhodini, quod oleum abundè fundit. Contra in lignis aliis fixior eſt paulo reſina, ut in ligno aloës, ſancto &c. unde &, neſcio quâ credulitate perſuaſi, nonnulli fruſta oleum ligni ſancti inter non entia retulere, quod tamen jamdudum ipſe *Scaliger ex.* 161. in lue venerea interius etiam commendavit; idemque cum oleo caryophyl. & camph. odontalgicum conſtituit probatiſſimum. Idem de lignis omnibus valet, unde ad alendum ignem magis expetuntur, & in fuligine quoque abundantiſſimum oleum, quod ignis injuriam prætervectum eſt, oſtendunt. Imò communiter ſegmentis ligni pini vel abietis (ligna enim reſinoſa magis oleoſa) proventus quorundam oleorum, ut chamomillæ, facilitatur. Ut non adducamus, ex lignis quoque omne genus oleorum & picis, velut bituminis, poſſe demonſtrari toto die. Et ſolent oleo pini vel pineſtri

quo-

quoque, inprimis Auſtriaci, *Krumholtz* vocant, pro panacea vulgò uti, imò & balſamum ſulphuris vili pretio in copia cum eodem parare in quibus verò (3.) utrumque concurrit, odor & unctuoſitas reſinoſa, ea copioſiſſimum præ aliis præbent oleum, exemplo olei nuc. moſch. imò & radicum, ut angelicæ, baccarum, ut juniperi &c.

9. *Liquationi ſulphuris ſicci & diſperſi in plantis prius maceratio & ignis inſervit.* Diximus quidem jam de liquatione ſulphuris intrinſecâ, quod eandem fœneret aqua, tanquam primum liquidum, interprete ſale; aſt hoc ipſo nondum emergit oleum, ſeu ſulphur liquatum, niſi quoque accedat liquatio extrinſeca; qua utraque demum obtinetur oleum. Sulphur ſiccum liquandum eſt, aqueis enim diſtemperatur potius ſæpe, ut minus elutriari poſſit. Obſervavit idem quoque *Fernelius*, ſpecies, è quibus oleum fuerit deſtillandum, ſiccas eſſe debere innuens, ut humoris alimentarii & aquei excrementitii minuatur portio. Secundario etiam huc facit conciſio & contuſio, ut exigi ſic magis ſulphur & in liquidam aſſeri formam poſſit. Illud quippe eſt neceſſarium & primum requiſitum macerationis inſtituendæ; alterum conſtituit aqua, affundenda & per unum alterumque diem ſic relinquenda. Videmus ſane aquam alluvione ſuâ & beneficio motus, & cumprimis partium ſalinarum, ſenſim vel è lignis elutriare & ſuffurari reſinam oleoſam, teſte ligno aquâ vecto, *Floßholtz*, quod poroſius & reſpective minus igni fovendo aptum, ac ſibi extra elementum aquæ relictum, & terrâ aſſervatum. Aſt ſi tertium accedat, longe melius id ſuccedit, id vero eſt ſal commune & tartarus. In quibus ſcilicet diſperſæ ſunt magis particulæ unctuoſæ ſulphureæ, ex iis non, niſi magnâ quantitate deſtillentur, oleum acquiritur; & vice verſâ. In utriſque talis maceratio convenit & neceſſaria eſt ad melius. Tacemus ſic etiam digeri & quaſi fermentari ex parte plantam; unam ſufficit nominaſſe macerationem. Macerationem dico, nam putrefactio minus concinna eſt. Quamvis ergo ſint, qui ex corticibus citri vel aurantiorum corruptiſſimis per putredinem optimum oleum deſtillari velint; recentius tamen recentes aut ſaltim non corrupti exiccati aſſumuntur. Vegetius enim & magis ſeminale ac genuinum oleum citri & aurantiorum fit, ut in prioribus ſal volatile oleoſum mirum quantum immutatum eſt. ℞. Igitur ad deſtillationem herbarum verbi gratia, majoranæ, vel florum, ut chamomillæ, & ſeminum, ut carvi &c. ⊖ comm. M j. vel alterum, pro quantitate materiæ deſtillandæ, & tartari contuſ. unam alteramque unciam. Affusâ aquâ ſtent in digeſtione per aliquot dies. Hinc l. a. deſtillentur. Ita enim ignis liquationem ulterius juvat, & liquatum oleum cum aquâ evehit, vitro hypocleptico hinc ſeparandum.

10. *Æthereis oleis deſtillatio humida magis convenit per veſicam; reliquis magis ſicca.* Duplici ἐγχειρήσει liquatur ſulphur. Ex quibus liquari poteſt viâ humidâ, affuſione aquæ & digeſtione, melius longe eſt & conſultius eam eligere præ ſiccâ ob neceſſarium nempe empyreuma. Poſſunt ſane impetrari olea ex plantis quoque, ex corticibus & reliquis ſolo ignis impulſu & liquatione, exemplo olei rutæ; verum illud ſimul immutatur & empyreuma contrahit, narcoticum etiam ſimul, & vaporoſum evadit. Cum itaque & ob ſubtilitatem aſcendere poſſint ac evehi, ob diſperſionem verò & ſalis volatilis admixtionem evaporatione humidâ liquari & reſolvi, regulâ deſtillationum generali gaudent, quæ hiſce ſolum competit. Eligitur verò ignis veſicæ, tum quia fortior eſt, talis enim requiritur ad ſufficientem propulſionem, cautius tamen in volatilioribus & per gradus adminiſtrandus; tum quia capacius hocce vas & copiâ opus eſt plantæ, ex quâ deſtillandum oleum. Quod ſi vero in extantiori ſulphure viâ ſiccâ uti placeat, & verbi gratia, ex caryophyllis, ex cinamom. oleum propellere, eligendum fuerit MB. licet magis id in recentibus ſuccedat in Indiis, apud nos enim minus in uſu eſt. Tale etiam empyreuma in oleis ſecundario deſtillatis fine occurrit, ut o°o tartari fœtid. ſerpent. lumbric. C. C. &c. Empyreuma enim aduſtum ſulphur notat, magis quandocunque verò ſulphur vel minus ſubtile eſt, vel aquæ non obtemperans ob copiam & cohæſionem, aliaſque remoras, in oleum non niſi viâ ſiccâ faceſſit. Liquatum verò ſemel per alembicum rectificatur. Exemplo ſit oleum ſuccini, quod fruſtra per alembicum pellas, propulſum verò per retortam ex alembico ſeu veſicâ vehiculo aquæ ſeparatur, ut pars ſubtilior aſcendat, reliqua ſub olei nigri ſpiſſi ſeu bituminis concremento remaneat. Singula hæc illuſtrat terebinthina Cypria, ex quâ oleum paratur viâ utraque, affusâ aquâ & ſine eâ per alembicum, ex reſiduo groſſiori etiam per retortam. Variant enim olea, utpote ſulphuris liquidi fœtus, pro hujus vario modulo. In quibus ſulphur eſt aquoſius, terreæ ſubſtantiæ immerſum, ex iis olea craſſa expreſſione conſurgunt, nec deſtillari exin eadem integrum eſt, via humidâ, exemplo ſeminis hyoſcyami, vel ſimilium. In quibus vero ſulphur ſale volatili embryonatum eſt, adeoque æthereum magis, illa olea deſtillata &ætherea fundunt, licet, quod jam diximus, & media dantur, exemplo o°o nucis moſchatæ, quod ipſum tamen magis eſt æthereum, & magis ob copiam quam aquoſitatem exprimi gaudet. In quibus autem ſulphur medium eſt, ſubtile quidem acido tamen magis ſigillatum, exemplo ligni ſancti, ſuccini tartari ipſius, illa fundunt quidem oleum, ſed non æque ſuper alembicum, præterquam quoad partem ſubtiliorem, evehendum.

11. *Olea viâ ſiccâ deſtillanda diſſocianda ſunt prius, exceptis bituminoſis etiam per ſe deſtillabilibus.* Sulphura ab igne patiuntur præcipuum impetum, concreta & ſicca funduntur vel aduruntur, (concluſa vaſis hoc loco,) liquida agitata ſpumaſcunt & ὀργασμὸν patiuntur mirum quantum. Hinc ſibi relicta nec aliis particulis diſſociata plicatilibus ſuis ramis ſe invicem detinent, ut concatenata non tàm in oleum abeant, quàm integra liquata conſocientur. Cum itaque fluorem ſubire debeant ſulphura, ut liquidâ formâ ſe conſpicienda præbeant, & quæ liquida jam ſunt, deſtillatione attenuentur ac ſubtiliſentur magis, facilè efficitur eò magis eſſe diſſocianda, quo magis ſunt liquida. Hinc (1.) *olea expreſſa deſtillanda maximè omnium ſunt diſſocianda*, exemplo olei laterini, ſeu philoſophorum dicti, quod fit, ſi fragmentis laterum prius calefactis aliquo modo, ad meliorem imbibitionem, affundatur ſucceſſive oleum olivarum, è quibus imprægnatis deſtillatio fit in recipiens capacius per retortam. Ita enim particulis terreis incarceratum ſpumaſcere neſcit, uti igni appoſito, exemplo coctionis pro emplaſtris, pro pigmento typographorum, *Farbe ſieden*, id apparet toto die, ſed liquatur & in oleum ſtillat pacate, cœteroqui mox retortam tranſiturum eadem facie in receptaculum (2.) *Pinguedines & quaſi tales, aliaque molliora his analoga deſtillanda, optimè diſſociantur terreis & ſalinis*, ſ. q. commixtis. Exemplo ſint adipes, pinguedo humana ſapo, cera ipſa. Poteſt quidem pinguedo humana ad inſtar olei laterini deſtillari, ſi oſſibus humanis, ut nonnulli eligunt, in fruſta g. m. contuſis imbibatur, ſed citra illum apparatum aliis minori ſumtu id peragitur alcalinis quibuſvis, (α) cineribus. Si cineres dictis illis, igne liquabilibus corporibus, quibus addi etiam poſſunt lumbrici, facile per ſe deſtillati ſpumaſcentes, in retortam vitream poſitis ſuperingerantur ſ. q. ad ipſum quaſi collum, & ſic per ∴am deſtillentur, non indiga ſic fere rectificatione ulteriori (β) Globulis vel ☠ à

deſtill,

deſtill. ♒us ⊖ s reſiduo. Id ſanè obſervavimus longè optimum & ad diſſociandum, & compeſcendam effervescentiam, (etiam in ſpiritibus ex talibus proliciendis,) ut in cera & aliis. Ex quibus patet unà, ℘ ſaponis nihil aliud eſſe quàm oleum pinguedinis, è qua coaluit ſapo, deſtillatum & ſubtiliſatum, unde in contracturis magis quàm podagra locum habet; laterinum nil aliud eſſe, quàm ol. oliv. ex imbibitione laterum deſtillatum & ſubtiliſatum, quod reſolvens eſt egregium. Pertinet huc & oleum ad ſcrophulas *Langii in epiſtolis*, ex quo idem mutuatus eſt *Helmont. l.* ♀ *non in pot. p. m.* 205. Succinum verò, & alia bitumina huic affinia, poſſunt deſtillari in oleum & per ſe, quod oleum æthereum & oleum fixum, craſſum, bituminoſum, phlegmate acidulo, ſale volatili & terra hæc ſingula ſuſtinente conſtet. Per ſe inquam, v. g. ℔j. & ex retort. vitrea per ∴am deſtillatur; ſed cavendum eſt, nè ignis primitus ſubdatur fortior, ad præcavendam ebullitionem, ſecus inſtar picis profluit in recipiens, hinc verò perfectè deſtillandum ſub finem fortiori igne. Poteſt etiam fieri eodem modo cùm 🜍 ♒us ⊖is, utrobique rectificando, ex veſica cum aqua, oleo flavo vel albo. Quæcunque enim, (ut in ſpirituum quoque deſtillatione exemplo, ⊕li, &c.) terram diſſociantem jam ſecum poſſident, minus egent hujus additamento.

12. *Color oleorum deſtillatorum prò varia ſulphuris ab igne & ſale expanſione variat.* Viſa ἐγχειρήσει, curioſum erit attendere & affectiones reſultantes, & primum quidem colorem. Occurrit inprimis color albus, flavus, nigricans, & cœruleus. Hæc ut ſeorſim in aliis viſuntur, ſic conjunctim quaſi in ſuccino occurrunt, quod omnes iſtos colores exhibet, adeoque inſtar omnium eſſe poteſt. Album oleum ex albo magis ſuccino habetur, quod ſubtilius eſt, & terreis partibus magis diſſociatum firmiuſque. Uti aliàs quoque album colorem obtinent olea magis ætherea, blandiori calore propulſa, ſale volatili ſubtiliori remixta, qui ipſe tamen color non æquè conſtans & permanens eſt, ſed ab expandente magis magiſque ſale volatili ſenſim & ſenſim in flavum declinat. Flavus ille color medius & magis ordinarius eſt. Hinc ætatis oleorum duo cumprimis ſunt indices: color albicans, privativè puta, magis aqueus, tenuis, reliquis carens, & fluiditas major, utriſque conjuncta ſubtilitate. Quò magis verò ab his duobus deflectunt, eò majoris ſunt ætatis. Et mirum eſt, quomodo olea caryophyllorum, cinamom. & aliorum ſale magis fœtorum tincturam illam auream aſſumant & expandant, inſenſibili omninò motu. Albus color quò magis fuerit, eò oleum eſt magis æthereum, flavus mediat, nigricans bituminoſorum oleorum ferè proprius, exemplo ℘ ſuccini nigri, pæon. deſtill. lign. ſanct. Tartari, &c. Picis ille eſt æmulus, fixiori balſamo gaudens. Præcipuè verò curioſus eſt color cœruleus, qualis reſplendet κατ᾽ ἐξοχὴν in chamomilla. Cœruleo ſplendore pulcherrimè enitet, qualis aliàs eſt ♀is expanſæ, unde prima facie videri potuit vaſis cupreis deberi, ſed fruſtra, ſiquidem aliis oleis æquè ſubtilibus idem non obtingit, & ſi inſtrumentis ſtanneis vel vitreis paretur, idem obvenit. Eundem colorem etiam obſervavimus ordinariè in oleo ſuccini per retortam perfectè deſtillato, priusquàm rectificaretur. Eundem videre toto die in infuſo ligni nephritici, cujus affectio propria eſt, quod aquam cœruleo colore inficiat, eâ tamen notabili differentia, quod variet hic color, pro diverſo lucis oppoſitu. Cœruleus apparet à latere, transverſis magis radiis oculo obverſantibus; flaveſcens, ſeu ex flavo ruber, ſi medius inter lucem & oculum verſetur liquor. Præter rationem verò hanc, ex luminis poſitu petendam, deducere id intimius licebit ex ſulphuris, tanquam matricis lucis, textura diverſa ſeu peculiari. Illuſtrabimus id experimento mechanico, quod rem totam & genuinam rationem patefaciet magis: miſcendo nempe v. gr. eſſentiam ligni aloës cum ♒i ⊖ is ✻ci, ubi extemplo idem color cœruleus, qualis eſt ligni nephritici, habetur ad oculum. Ex quo arguere licet, colorem cœruleum adſcribendum eſſe ſali volatili cum reſina expanſa ſaturatiori combinato, ita, ut ſe invicem ſubpræcipitent. Confirmat hoc exemplum laudatum infuſi ligni nephritici, & alia. Atque hinc quoque oleum ſuccini & chamomillæ nervinum & paregoricum eſt egregium.

13. *Conſiſtentia oleorum deſtillatorum, concreſcentium vel fluidorum, pro proportione ſalis volatilis & ſulphuris commixtorum itidem variat.* Dignum admiratione eſt, olea quædam deſtillata butyroſa, vel potius ad inſtar ſpermatis ceti velut coagulata ac cryſtalliſata apparere, frigori expoſita. Sic ℘ aniſi præ aliis ad frigidi aëris appulſum mox gelatur quaſi, & ſolidam fingit formam, exu â fluiditate omni. Idem viſitur in oleo roſar. deſtillato, imò & in oleo fœniculi & cinamomi minori quantitate aſſervato vidimus, haſtulis cryſtallinis egregiis ſe efferentibus. Sic & oleum ceræ ordinariè ad mediocris frigoris appulſum butyroſum eſt, ſeu eodem modo, ac dicta, ſe habet in ſuo genere. Non verò id fit tam ob coagulum aquei inexiſtentis, uti aliàs frigore urgente videmus ſpiſſari oleum olivarum, quàm ob proportionem ſalis & ſulphuris tenuati, quando ſcilicet ſalis volatilis vel quaſi talis conſimilis proportio excedit aqueo-oleoſi σύςασιν, ita ut quando frigore concentrantur pori, mox expandat alas & ſui reddi juris geſtiat ſal volatile, unde conſurgit talis concreſcentia.

14. *Oleorum levitas ſulphuri æquabili & fluidiori, gravitas & ſubſidentia ſali ponderoſo, & ſulphuri concreto magis debetur.* Duplex hoc loco attendi meretur ratio, quare olea miſceri aquæ renuant, & quare quædam ſeu plurima ſupernatent, quædam ſubſideant potius ſive fundum petant. Prius fit ob diſcrepantiam pororum & figurarum: particulæ oleoſæ ſunt rotundæ ad intra, & ramoſæ, plicatiles, viſcidæ; aquoſæ non rotundæ, niſi ad extra, & apparenter, ſubrotundæ magis unaque laxæ, unde diffunduntur facilius, neque ſibi invicem ſic inhærent. Alterum ob levitatem vel gravitatem. Omne leve fluido non miſcibili junctum, ſeu fluidum, ſeu ſolidū, ſi fluido illo fuerit magis leve, ſupernatat, quantum nempe occupat ſpatii dimenſum. Omne gravius è contrario, ſive fluidum, ſive ſolidum, fluido commiſſum, cui ob atomorum diſcrepantiam miſceri renuit, fundum petit. Non dicemus de fluidis aliàs ſibi homogeneis, quæ ob motum tranſmiſſions diverſum non è veſtigio ſe invicem ſubire deprehenduntur, ſed inſigni ſæpè ſpatio ſub vel ſubter feruntur, exemplo quorundam fluminum concurrentium, ſed de quietis aliàs. Exemplo ſit argentum vivum, cui omnia metalla ſupernatant ſolo auro excepto. Exemplo olea, quorum alia ſupernatant aquæ, alia ſubſident. Cum itaque certum ſit, non omnia olea ſupernatare aquæ, licet plurima id præſtent, quin quædam potius fundum petere, ratio diverſitatis hujus inveſtigatu curioſa eſt. Illuſtriora hoc cenſu ſunt ol. cinamom. & caryophyll. quæ, ut communiter proſtant & deſtillantur, tantùm abeſt ut ſupernatent & emineant, ut potius ad fundum mox præcipitentur, vel hoc ſigno quoque bonitatis notam exerente. Idem verò non novum eſt obſervare in aliis, ut vel in ol. tartari fœtido patet, cujus

cujus pars ſumma petit, pars in imum detruditur. Imò idem rectè oleo aniſi tribuitur à *Guiſſonio epiſt. apud Poterium*, oleo ligni ſaſſafras, teſte *Sala*, item & benzoes ab aliis. In quibuſdam enim vegetabilibus præ aliis manifeſtum oleum deſtillatum duplex habetur, [1] aëreum, volatile, ſubtile & ſupernatans, [2.] ſaturatius & ponderoſius fundum aquæ petens. Cum igitur indubiè ponderi debeatur majori ſubſidentia, ſal verò gravitatis ſit principium, unde ligna quo plus habent ſalis eò ponderoſiora, exemplo quercus, & contra, exemplo ſuberis; & digeſtione oleorum cum ſalibus idem impetrari poſſit, ut quæ in ſublimi innatabant prius, jam fundum petant; concludere rectè licet, id contingere à ſalis volatilis majori vel minori conſociatione. Hinc ol. caryophyllorum & cinamom. acrimonia & caliditate majori gaudent, unde & in ſphacelo præ aliis eliguntur, & illita cuti ardorem & rubedinem, ſalibus propriam, inferunt. Hoc ipſum ut de æthereis & per veſicam vel XXcum deſtillatis præcipuè valet, ita altera ratio in aliis addenda eſt, conglobatio ſeu ſpiſſitudo particularum oleoſarum major. Quæcunque olea etiã deſtillata magis ſunt viſcoſa, ea facilius ſubſident, nõ aliter ac balſama quoque fluida ſeu mollia id faciunt, cohæſione enim illa ſua gravitatem acquirunt majorem. Exemplo ſit oleum tartari & ſimilium, ex acido juncto vel bituminoſo propulſorum magis: item, quod experimenti inſtar eſſe poteſt, oleum juniperi. Hoc ipſum recens deſtillatum, aëreum, tenue, tenerumque eſt, & ſupernatat aquæ; aliquot verò annorum ſpatio lenteſcens & ſpiſſius redditum aquæ inſtillatum, modò plures guttulas inſtillare pergas, mergitur. Ex gemina verò allata cauſa una & prima ſtabilitur gravitas & ponderoſitas major, ſeu improportio molis ſe ſuſtinentium corporum.

15. *Olea expreſſa, coctione vel infuſione varianda, viribus emolliendi potiſſimum pollent.* Vires oleorum dum expendimus, commodè diſpeſci poſſunt [1.] ratione ſubjectorum in genere, aliæ nimirum longè ſunt expreſſorum aquoſiorum, aliæ deſtillatorum. [2.] aliæ ſunt in utriſque genericæ, aliæ ſpecificæ & ſeminales. [3] aliæ quoad uſum & applicationem ipſum internæ, aliæ externæ. Quod itaque expreſſa olea attinet, in genere virtute emolliendi omnia conveniunt; æmulantur quippe pinguedines, unde laxant, leniunt, lubricant, & duritiem, tenſionem, ſiccitatem corrigunt. Habent enim in ſe humidum copioſum, habent mucilaginem. Hinc oleum amygdalorum dulcium, tanquam mage polychreſtum, in colica, in ardore faucium, ad citandum vomitum, in calculo cum vino malvatico, vel ſucco citri, ad leniendam alvum in infantibus cum ſaccharo penidio, ad abdomen illinendum in gravidis, in clyſteribus, in doloribus tenſivis &c. locum invenit. Idem ſuo modo valet de oleo olivarum, ovorum, quod in fiſſuris mammillarum, hernia, nævis variolarum, & aliàs prodeſt, lini, quod in pleuritide & dyſenteria leniendi illa vi commendatur à *Rulando* & aliis. Præ aliis etiam polychreſtum eſt oleum hyoſciami, pro externo uſu inſtar omnium. Singula hæc, inquam, æſtimanda præcipuè ſunt ex virtute generali, unde & oleum nucum juglandium & papaveris ipſum huc ſpectat. Cum verò olea illa expreſſa de virtute ſeminali non æquè participent, diſtingui poteſt [4.] inter olea expreſſa aquoſa & aromatica: hæc magis ſpecifica, magis ſeminalia ſunt, exemplo olei macis expreſſi, olei nuciſtę expreſſi, olei laurini expreſſi olei juniperi expreſſi, quæ virtutem ſuorũ ſimplicium ſequuntur, imò exhibent genuinam. Addi etiam poteſt oleũ ſinapios ipſum. Et hinc factum eſt, quod olea illa viribus ſeminalibus vacua ars exaltare ſuſtinuerit, parando olea per infuſionem, coctionem & expreſſionem, tum ſimplicia, tum compoſita, exemplo olei abſinthii, menthæ, anethi, cheirini, verbaſci, momordicæ, ad partum inter alios uſus difficilem, oleum ſcorpionum ſimplex & compoſitum &c. His per aliquot ſecula uſi ſunt medici, priùs, quàm deſtillata invenirentur. Sed ut verum fateamur, parum virtutis ſeminalis expectandum eſt ab hiſce ſolis; ſiquidem prędominans vis oleoſa emolliens deprehenditur in ſingulis, unde cavendum eſt, ne dum roborare volumus, hiſce ſolis utamur, v. g. in affectibus ventriculi; robur enim ex robore villorum & fibrarum juxta ac caloris dependet, debilitas ex flacciditate. Hinc ſatius eſt, vel balſamis uti mollibus, vel oleis expreſſis liquidis coctisve, acceſſione oleorum deſtillatorum roboratis, ita enim optimè res ſuccedit, correcta laxitate & torpore expreſſorum, & retuſa exhalatione volatili deſtillatorum. Sic in paralyſi poſſumus quidem uti oleo cheirino, caſtorino, coſtino, irinò, ſatius autem fuerit, olea deſtillata, ſuccini, lauri, roſmarini, majoranæ, ſpicæ addere, quæ ipſa per ſe illita brevi temporis ſpatio exſpirarent. Ita verò coercita & longius & efficacius operantur. Idem valet de reſinis inibi liquatis, uti oleum bezoardicum ex camphoræ p. j. in olei amygdalorum dulcium parte tripla vel quadrupla, calore arenæ ſoluta, fit, addito momento olei citri, & tinctura ab alkannæ radice, quod in anxietatibus præcordialibus & febrilibus eximiè medetur, in febribus malignis, pleuritide, dyſenteria optimum, externè quoque oleum renovativum ingreditur, addito oleo amygdalorum amarorum & pinguedine viperina. Hinc etiam oleis adſtringendi fine fidendum non eſt, ut & unguentis.

16. *Olea deſtillata calorem & ſpiritus roborant, balſamica, traumatica, carminativa, diuretica, reſolventia, ſpecifica.* Calor oleis deſtillatis intenditur manifeſtè, interius cumprimis, quod particulis gaudeant & adaugentibus oleoſis, & rarefactivis, ſalinis, volatilibus. Ubicunque ergò intendendus eſt idem ſeu in toto, in cachecticis, frigidis, paralyticis, olea deſtillata eximia ſunt, ſeu in parte, frigiditate ventriculi, nervorum, ligamentorum. Singula virtutibus genericis, balſamicis, calefacientibus conveniunt. Utque balſamum ſanguinis vitale deficiens reſtituunt; ita cavendum eſt, ne exacuent id ipſum, unde in doſi parcius mercandum eſt. Ob eandem virtutem balſamicam ſunt quoque *traumatica*, exemplo olei terebinthinæ, olei tartari fœtidi, quod expertiſſimum eſt, &c. ſtatim enim ſic condiuntur, vulneratæ partes, ut abſque omni ſuppuratione promptiſſimè coëant. Hinc ut deſtillata traumatica ſunt, ita expreſſa & infuſa, præterquam balſamica, vulneribus & ulceribus ſunt inimica. Sic oleum ceræ in fiſſuris papillarum & dyſenteria experimentum eſt egregium. *Carminativa* ſunt, quod & calorem roborant & reſolvunt, unde in colica, inflationibus, aliquando & in ipſis clyſteribus, aliàs verò & interiùs & exterius proſunt. *Diuretica* ſunt, quia fundunt ſanguinem magis, atque ad vias urinarias hinc impellunt, addito calore, motu & ſtimulo. Hinc largius aſſumpta facilè diabeten cauſantur, quod à balſamo ſulphuris vidimus factum. *Reſolvunt*, ſeu διαφορ humorum & ſpirituum promovent, ubicunque demum ſit remora; ſunt enim ſummè activa, ſunt ex chimiæ præparatis præcipua, & vires velut concentratas habent, in minima mole maximam virtutem exerentia. Hinc etiam ſunt genuina anodyna & paregorica, diſſipativa, promptè ſubveniunt interius cita reſolutione, exterius penetranti virtute. *Specifica* demum ſunt duplici nomine, tum determinata magis virtute, tum indicationibus ſpecificis appro-

appropriata. Sic oleum ſuccini catarrhale eſt, antepilepticum, oleum majoranæ odoratum roborat, oleum caryophyllorum in febribus intermittentibus, cardialgia, frigore, odontalgia expertiſſimum, oleum cinamomi & caryophyllorum cordiale, ſtomachicum, angelicæ bezoardicum eſt. Tacemus alia, & ipſum balſamum vitæ confortativum inſigniſſimum.

17. *Oleorum ſibi ſimilium commoda aliquando permutatio; adulteratio dignoſcenda eſt.* Sunt quæ inter ſe odore conveniunt ſimplicia & eorundem conſequenter olea, quæ hinc ſubſtituũtur non rarò, tanquam ſuccedanea genuina. Valet id notiſſimo exemplo olei ligni rhodini & roſarum, quod tanto magis licet, imò neceſſarium eſt, quod parciori hoc proventu, illud largiori & minori pretio proveniat. Magis tamen id valet de uſu externo, quàm interno. Alio enim charactere ſeminali pollent, oleum ligni rhodini magis reſinoſum eſt, ſpiſſius reſpectivè, oleum roſarum ſubtilius & tenerius, puta quoad texturam intrinſecam. Solet tamen & in hoc conſulto notari, ſi oleum roſarum præſcribatur, ut addatur: veri. ℞. 🝆 roſar. ver. &c. Ipſo verò ſulphure roſeo longè adhuc ſubtilius eſt violaceum, quod fugax eſt, volatiliuſque, unde nec deſtillari ex violis oleum poteſt. Neque enim reſinoſum eſt, nec liquabile æquè. Sic & in aliis ſimilibus ſe res habet, lignum ſaſſafras & fœniculum ſibi videntur odore homogenea, ut & olea eorundem, differunt tamen omninò, unde & delicatiſſimum & elegantiſſimum oleum ligni ſaſſafras commendandum venit, quod præcipuum eſt inter deſtillata ex lignis. Cum itaque non per omnia conveniant, nec pro interno uſu ſibi ſubſtitui queant olea deſtillata alioqui conformia, longè minus cum fructu adhibentur olea deſtillata adulterata. Poſſunt adulteria hæc concedi in aliis quoque externis, ut oleo chamomillæ, modò id ſciamus, neque adeò noxia ſunt, ſed cæteroqui indemnia, aſt ſcopo minus apta. Sic olea roſmarini, citri, ſpicæ, cum oleo terebinthinæ vel pinaſtri adulterata confortandi finem parum aſſequuntur, licet & ipſa hac reſinoſitate ſua ſubſtantiali illis ex parte accedant. Sic oleum cinamomi cum oleo been vel amygdalorum dulcium adulteratum tum aliis artificiis deprehendi poteſt, tum infallibilibus illis κριτηρίοις, odore, ſapore & lentore, præcipuè in mixturis.

18. *Olea deſtillata & cum ſiccis quibusvis imbibi, & in liquida concentrata & diffuſa didi amant.* Miſceri cum ſiccis ſolent, tum ſui gratia, tum additorum. Illud fit, ut ne ob activitatem vel caliditatem noceant, ſed diffundantur latius, quod & de aliis in genere valet. Hoc, ut pulveres v. g. terrei & aliàs ſegniores vel gravantes quoque ſic correctionem inveniant. Quis neſcit oleum pulveribus purgantibus eo fine remiſceri toto die, non minus ac confortantibus, ſtomachicis, cordialibus, abſorbentibus & præcipitantibus? Sanè ſolo oleo caryophyllorum, cum conchis remixto, obtudimus ardores, ſingultus & cardialgias in dyſenteria & aliàs extra febrim. Omittimus pulveres febriles eodem acuendos præprimis & roborandos unicè, ut & pulverem abſorbentem, in lipothymia præcordiali, aliiſque & ſyncope ipſa probatiſſimum. Elæoſacchara ad ſe nos invitant, quibus olea vel ſimplicia deſtillata, vel compoſita excepta intelligimus cum ſaccharo, forma ſicca. Ita verò & disjunctio impetratur, ut guttulas doſibus metiri poſſimus pro lubitu; & miſcendi olea cum liquoribus etiam aliis commoditas, ut vel ſic vina etiam medicata haberi poſſint, quatenus ſaccharo incorporatum oleum meliſſæ vinum meliſſatum & ſic in aliis quoque præſtat, citra ullam difficultatem. Elæoſacchara ergò parantur tum pro intentione primaria, v. g. roborandi ventriculum, diſſipandi flatus; tum, quòd ferè frequentius, ſecunda ria, modò ſeligantur & illo fine olea magis ætherea, recentia, non rancida; nec majori doſi remiſcenda, ne ingrato ſapore nauſeam cieant, v. g. ad ℥j. ſacchari ℈ß. ad ℈j. vel ad ℈ß. ſacchari gutt. j. licet & minuere id adhuc poſſimus.

19. *Olea ſalinis, aromaticis & mollibus mediantibus præcipuè & frequentius alia ſubeunt,* Salina quidem juvant, ſi acceſſerit unà ſpiritus vinoſus. Ex his, præter jam laudatum ſaccharum, tanquam ſal ſui generis, duo potiſſimum memorabimus, fixum & volatile. Cum tinctura tartari ſaturatiori, vel antimonii tartariſata, oleum deſtillatum hoc illud, pro re nata, v. gr. ſaſſafras, aniſi, fœniculi, citri &c. remiſceri poteſt optimè. Salia recipiunt olea ſolvendo & uniendo, tum cum ſpiritibus velut magis affinibus, tum etiam cum aqueis ipſis, ſi id opus fuerit, licet hæc dimittant facilius, vel non admittant conſortium. Exemplo ſi ſpiritus ſalis ammoniaci, aquoſus non recipit olea, vinoſus recipit, ſed, quod ex ſuperioribus patet, ſaltem ætherea ac ſubtiliora magis. Sic ſpiritus ſalis *ci cum oleo majoranæ in odoratus difficultate, fœtore vel coryza, cum oleo rutæ in epilepſia infantum officium facit. Idem verò in aromaticis valet quàm maximè, quo fine commendabimus elixir proprietatis oleoſum duplex, ſive v. gr. cum eodem miſceatur oleum caryophyllorum, quod promptè abſorbet, ſive, (unde fit volatile oleoſum,) cum oleo deſtillato quocunque, tertio interveniente ſimul ſpiritu ſalis *ci, qui aliàs nec ipſe ferebat illam mixturam, cum hoc verò facilius, addito etiam pro lubitu liquore ♂li ipſo. Idem valebit ſine dubio de eſſentiis & elixiriis aliis aromaticis, item de ſale volatili oleoſo Sylvii, de quo inferius. Frequentius etiam idem accidit intermediis mollibus. Ita non ſolùm, beneficio ſacchari incorporantis, oleum caryophyllorum in febribus adhibuimus in potionibus, ut oleum febrile non laudemus, ſed & molliora id præſtant feliciter, exemplo potionum quarumcunque ferè, quibus alium atque alium largiuntur effectum, teſte *Sylvio* paſſim, & aliorum. Exemplo ſit liquor balſamicus ſeu mixtura cordialis balſamica, ſæpè à nobis in palpitatione cordis, ſyncope, virium debilitate &c. uſurpata. Ita diſtemperantur magis olea & miteſcunt, unaque coæquantur, ut illini vel bibi ſubſtantiatenus æquata poſſint. Fieri id poteſt etiam ex ſolis oleis & ſpiritibus ſine molli intermedio, conquaſſatione facienda mixtura. An verò, ut hoc tangamus, odorifera hujuſmodi oleoſa poris ferri vel chalybis intimius inſinuari poſſint, valdè dubium eſt, ſi non impoſſibile. Aliis potius artificiis occulitur intus moſchus, zibethum, & ſimilia, qualem cultellum elegantem poſſidemus, Româ ab amico allatum, ubi parietibus ferri ſepultus odor per ſubtiliſſimos commiſſuræ poros exſpirat, ſatis tamen & ſic mirando artificio. Olea ergò ſunt liquores inflammabiles, unctuoſi, leves, à ſulphure vel cum aqueis, acidiſque, vel ſalinis volatilibus particulis variè liquato, pro uſu emolliendi & roborandi. *Wedelius.*

Hactenus de oleis in genere, jam eorundem variis præparationibus & compoſitionibus in ſpecie. Schroderus Pharmac. Illuſtrata & aucta reperiuntur.

Olea propriè ſic dicta, triplicis generis in Officinis veniunt. 1. Deſtillata. 2. Expreſſa 3. Infuſa cocta.

Olea deſtillata.

Olea ſtillatitia ex ſingulis ſimplicium familiis parari poſſunt, mineralium, vegetabilium, ac animalium.

MINERALIA, quæ Oleum fundunt, maximè ſunt ex genere ſulphureorum; ut ſuccinum, carbo Petræ & ſimil.

Deſtillatio illorum eadem eſt, quæ reſinarum vel gummatum.

VEGETABILIA primaria, ex quibus olea deſtillantur, ſunt *herbæ, flores, fructus, ſemina, radices, ligna, cortices, aromata.*

Secundaria ſunt *olea, reſina, gummi.*

Modus deſtillandi olea ex primariis, eadem opèra perficitur, qua Aquas ac ſpiritus deſtillari diximus, & utplurimum per veſicam.

N. 1. *Felicius oleum aſcendit*, 1. *Si nonnihil Sal. com. vel Tart. immiſceatur.*

2. *Si digeſtio fermentatiovè præmittatur, cujus promovendæ gratia nonnihil fæcum cereviſiæ, vel & Sal. com. Tart. addi poterit.*

3 *Si oleum præcipuè expetatur ſtatim auctiore igne deſtillatio incipi poteſt.* Schrôderus.

Felicius oleum aſcendit.) additio Sal. com. vel Tartar. ſupervacanea eſt, modò regimen Ignis obſervetur, quem æqualem eſſe convenit.

Fermentationis promovendæ gratia.) ad fermentationem promovendam faciunt fæces Keuterlingii, vini, item Saccharum factoS S S.

Auctiore igne.) Intenſiorem Ignis gradum requirunt nonnulla olea graviora, ut Cinamomi, caryophyllorum &c. quàm quæ leviora, ut ol. d. Citri, chamemel. ſapphirin. Majoran. Menthæ. Spicæ &c. *Hofmannus.*

I. Ex herbis.

♃. Herbas virides, vel ſiccas, q. v. contunde ac affunde Aquam, [additoque Sal. com. manipul. uno ac altero, colloca ad putreſcendum] hinc deſtilla per veſicam.

N. *Herbæ ſiccæ plus olei ſuppeditant quam virides.* Schrôderus.

Hinc deſtilla per veſicam.] Veſica cuprea ſtanno ſit obducta, nec nimis alta, capitello ejus amplius efformato ad formam capitelli vitrei; Et ſi etiam capitellum vitreum fuerit, ad olea deſtillanda præſertim ex lignis & corticibus fuerit conducibilius. *Hofmannus.*

II. Ex Floribus.

[Siccis præcipuè] olea ad eundem modum deſtillantur, præcipuè ſi contuſi dies aliquot [14.] adjecta parte Sal. com. ¼ [vel hujus loco ſacchari.] cum Aq. fuerint macerati. Sic fiunt oleum chamæmillæ, lavendulæ, roſarum, &c.

III. Ex ſeminibus.

♃. Semen e. gr. fœniculi groſſè contuſi, ℔r. affunde Aq. fontr. ferventem, q. ſ. addendo Sal. com. M. 1. [vel inſuper ſi libet Tart. ℥j. aut ij.] digere dies [8. 9. 10.] hinc deſtilla Ign. mediocri per Veſic.

IV. Ex fructibus.

E. g. baccis juniperi, lauri, & ſimilibus, ſimili ratione, uti dictum, oleum educitur.

N. *Fermentatio promoveri poteſt addito tantillo fæcum cereviſ.*

V. Ex radicibus.

♃. Radices, conquaſſa ac digere cum Aqua aliquamdiu, hinc deſtilla per veſicam.

N. 1. *Præſtant ſiccæ uti & quæ collectæ fuerunt, antequam in ſtolones abierint.*

2. *Majorem olei copiam ſi expetas, deſtillationis reſiduum cum Aq. illa deſtillata macera ac deſtilla iterum.*

VI. Ex corticibus.

Non lignoſis oleum ad eundem cum radicibus paratur modum, v. gr. ex cort. arantior. citri.

N. *Præſtant cortices nondum exiccati.*

VII. E lignis & viſcis.

♃. Segmenta lignorum arida, q. v. imple retortam terream, [lutatam,] ac deſtilla in excipulum ſat amplum, igne nudo gradatim adhibito, ſic extillat primum liquor clarus, continuato hoc igne poſt horas [4. 5.] ſequentur ſpiritus nebuloſi, tandem auge ignem, ut fundus retortæ candeſcat, ſic aſcendit oleum nigricans & fœtidum, quod à liquore ſepara ac rectifica. Sic fiunt olea è ligno guajaci, agallochi, buxi, coryli, ebeni, juniperi, ſantali, ſerpentariæ, ſic & viſcorum coryli, querni & ſimil.

N. *Fieri quoque poſſunt per deſcenſum, ſed noſtratibus inuſitatum eſt, oleumque craſſius exhibet.*

2. *Caute procedas, nec nimium properes, ſpiritus enim impetuoſi receptaculum disjicere proclives ſunt.*

3. *Elici quoque poſſunt olea hujus ſortis ex reſinoſis lignorum Extractis, ad modum reſinarum aliarum deſtillatis. Keſl. cent. 86.*

4. *Sunt & ligna, ſed pauca, quæ oleum ſuum, [quod ſubtilius ac volatilius eſt,] per veſicam cum Aqu. fontana deſtillata tarde licet, profundunt, ut ſaſſafras, lignum rhodium, cypreſſinum. Videlicet lignum ſerratum vel minutim inciſum, maceretur in Aq. aliquamdiu, dein deſtilletur per veſicam; deſtillatione dies aliquot continuata, prodit tandem oleum.*

Rectificantur olea, tùm ex cucurbita, tùm èx veſica cum Aquæ copioſa quantitate deſtillando. Nonnunquam tamen, ſi ponderoſiora ſint, arenæ immixta per retortam rectificari opus habent.

VIII. Ex aromatibus.

♃. Aromata groſsè contuſa, [pulveres minus olei fundunt,] macerentur cum menſtruo idoneo, per aliquot dies, [4. 5. 6.] hinc deſtilla per veſicam, ſic prodit oleum & Aq.

N. 1. *Poterit itidem & aliquid Sal. com. vel Sal. nit. vel Tart. admiſceri.*

N. 2. *Alii in ejuſmodi oleis eliciendis amygdalas rebus addunt, ut majorem copiam nanciſcantur, ſed fraudulenter; etenim partem majorem ejuſce olei amygdalæ ſibi merito vendicant.*

N. 3. *Alii digerunt primo aromata in ſpiritu Terebinthinæ cohobato aliquot vicibus ſupra al. com. calcinato. Verum nec hi purum oleum aromaticum nanciſcuntur.*

N. 4. *Separatio olei ab Aq. fieri poteſt* 1. *Subſidendo. Nimirum ſi aliquandiu [♂ 14.] deſtillatum immotum in cella ſteterit, ſubſidet oleum.* 2. *Filtrando per chartam* 3 *Per goſſypium. Vid. l. 1. c* 14. Schrôderus.

Ex Aromatibus.] Sic v. g. Recip. caryophyll. lib. j. fecum vini cochl. IV. Tartar. calcinat. M. ij. Aq. betonic. ſ. q. miſce in vaſe vitreo, ſtent in fermentatione per 8. ♂♀ & finita illa deſtilla per Alembicum ſimili modo ex aliis etiam olea parantur. *Hofmannus.*

IX. Ex reſinis.

♃. Reſinarum ℔ 2. vel 3. affunditur Aquæ quantitas copioſa, deſtillenturque per veſicam.

Sic prodibit Oleum, quod primo clariſſimum ſtillat Aquæ ſupernatans [dicitur vulgò Spiritus.]

Hinc incipit paulatim flaveſcere, muta itaque receptaculum, & ſuſcipe flavum hoc oleum, (ſi placet ſeorſim,) continuando deſtillationem, donec nihil olei amplius extillet, [dicitur Oleum.]

Tandem exime materiam in veſica reſtitantem,

(quæ

(quæ colophonia dicitur,) eamque deſtilla ex retorta in arena, & extillabit oleum craſſum rubrum, (Balſamus vulgò.)

N. *Poſſunt quidem Olea hæc & Balſamus una eademque deſtillatione per retortam elici, igne ſcil. gradatim adhibito, verùm enimvero p æſtat per veſicam priora illa elicere, tum ut præcaveatur* ἐμπύρευμα, *tum quoque ne eorum æſtu labor irritus reddatur, quod alias facilè accidit. Si nihilominus volupe ſit per retortam ea ſimul deſtillare, exæſtuatio præcaveri poteſt, ſi arenam reſinæ liquefactæ immiſcueris.*

Sunt autem reſinæ uſitatæ Lentiſci, (Terebinthina cypria,) Laricis, id eſt, (Terebinthina vulgaris,) pini. *Schrôderus.*

Ut præcaveatur ἐμπύρευμα.) Hoc eluitur ſequenti modo. Scilicet Recip. Acet. diſt. & olei deſtillati, quod aduſtionem ſapit ana q. ſ. deſtilla ſimul in MB. & habebis oleum multum ſine graveolentia, quæ cum Acet. diſt. commixta receſſit. Et licet etiam graviori odore prædita ſint olea per retortam deſtillata & empyreuma ſpirent, minus verò fœteant olea cum aqua rectificata, nihilominus tamen non tam ad odorem magis gratum, quàm ad efficaciam ſalubriorem Medicamentorum proſpiciendum eſt.

N. Omnia olea deſtillata præter ſalia ſua volatilia concentrata in ſe etiam habent occultum quoddam acidum, quod unctuoſitate ſua ſalia hæc oleorum volatilia detinet, quo minus cùm aquis aliorum ſalium ritè miſceri queant. Horum beneficio ſalium alkalium volatiliſatio peragitur, dum iſtorum acidis particulis ab alkalibus partes terreſtres ſeparantur, & ita volatiles redduntur. vid. Acutiſſ. Helmont. cap. 4. de febr. & accuratiſſimus David von der Beck, in Experimentis & meditat. circà rerum naturalium principia. *Hofmannus.*

Ex gummi reſinis.

℞. Gummi reſin. ℔. i. inde retortæ vitreæ, (ventre capaci) ut ſaltem tertia pars impleatur, deſtilla per arenam in receptaculum, aliquota parte Aquæ adimpletum, primo Igne lento, & prodibit oleum, dein auctiori, & extillabit Balſamus.

N. 1. *Ut ferveſcentiam præcaveas, arenæ aliquid admiſcere poteris: Alii loco arenæ addunt triplum ſilicum groſſe contuſorum; vel ſalis aliquid, quo aſcenſionem olei promoveant.*

N. 2. *Rectificari poteſt hoc oleum per cineres cum Aq. deſtillando, vel & laterum fragmenta ignita eo imbibendo, atque ita deſtillationem peragendo non ſecus, ac deſtillatur oleum de lateribus.*

Sic fit oleum è Gum. Anime, Elemi, Tacamahaca.

XI. Ex gummatis. (Præcipuè ferulaceis) Olea elici poſſunt ad eundem modum quo ex reſinis. Nimirum oleum ſubtilius per veſicam cum Aq. deſtillando elicitur, craſſius ac ponderoſius per retortam. Vel ſi mavis deſtillatione una eademque utrumque per retortam elicere, deſtilla initio calore leniori, ac ſuſcipe oleum ſubtilius ſeorſim, dein collige craſſius igne auctiori. Præſtat tamen per veſicam, ut de reſinis dictum.

N. *Felicius eliciuntur hæc olea ex Extractis reſinoſis, ad modum quem in reſinis dedi.* Schrôderus.

Nimirum oleum ſubtilius per veſicam cum Aq. deſtillando elicitur.) gummata reſinoſa minus dextrè ejuſmodi humidis deſtillationibus committuntur, cùm potius deſtillatione per retortam egeant, pro oleis eorum eſſentialibus eliciendis, moderato tamen Igne cum & ſine additione. *Hofmannus.*

Reliquorum oleorum præparationes, ſi qua ab hiſce diſcrepant, ſpecialius in ſingulis edocebimus.

EX ANIMALIUM familiâ exhibent Oleum, *cornua, medulla, cerebra, oſſa, ungulæ, pinguedines, ſanguis, ſtercora,* (*vide de Aquis.*)

Cornua, oſſa, ungulæ, igne nudo per retortam (terra lutatam) petuntur, funduntque uno ac eodem labore liquorem ſeu ſpiritum acidum, (phlegmate commixtum,) oleum ac ſal volatile. Oleum id rectifica.

Medulla cerebri ac ſpinæ fundit oleum, ſi admiſto Sal. com. per retortam vitream ex arena deſtilletur.

Pinguedines, (*axungia, ſevum, butyrum, cera,*) deſtillantur aliis rebus commixtæ, ex cucurbita vel retorta vitrea, idque per cineres aut arenam; commiſcentur autem, vel cum lateribus pulveriſatis, vel cum ſilicibus calcinatis, vel cum cinere arenavè, ut eò faciliùs oleum aſcendat.

N. *Quantitatem rei adjiciendæ edocebit pinguedinis deſtillandæ conſiſtentia, quæ in aliis mollior, in aliis durior, plerumque autem ſumitur pars tertia vel quarta, interdum pondus æquale.*

Sanguis deſtillatur igne nudo ex cucurbita figulina altæ ac ſpatioſa, ad remanentiam terræ nigræ, levis ac ſpongioſæ. Deſtillatum liquorem filtra per chartam, & tranſibit liquor, remanente in charta oleo fœtente, (in parva quantitate,) Liquor hic exhibet ſpiritum, Salque volatile hinc inde vaſis deſtillatoriis adhæreſcit.

N. *Præſtat ſanguinem calentem recipere,* (*metretas ſcil.* 2. *vel* 3.) *eumque in MB. clauſo vitro digerere* (♂ 9. *vel plures*) *hinc per gradus deſtillare.*

Olea deſtillata uſitatiora.

Oleum Abſinthii.	phorum. Aq.
Anethi.	Lavendulæ.
Angelicæ.	Lauri ex bacc.
Aniſi.	Leviſtici.
Aurantiorum.	Macis.
Benzoin.	Majoranæ.
Butyri majalis.	Maſtichis.
Calami aromatici.	Meliſſæ.
Camphoræ.	Menthæ.
Cardamomi.	Myrrhæ rectific.
Carvi.	Nucis moſchatæ.
Caryophyllorum.	Origani.
Ceræ rectificat.	Piperis.
Chamæmeli.	Pulegii.
Chærefolii.	Roriſmarini.
Cinamomi.	Roſarum.
Oleum Citri cort.	Rutæ.
Coriandri.	Salviæ.
Cornu cervi.	Saponis.
Cranii humani.	Savinæ.
Cubebarum.	Serpilli.
Cymini.	Smegmatis.
Euphorbii.	Spicæ.
Fœniculi.	Styracis Calam.
Fuliginis.	Succini albi.
Galbani.	flavi.
Guajaci.	Tartari.
Hyſſopi.	Terebinthinæ.
Juniperi è baccis.	Thymi.
ex ligno, Auguſt.	Zedoariæ.
LaterinumPhiloſo-	Zopiſſæ.

Olea expreſſa.

Exprimuntur Olea ex ſeminibus ac nucleis nonnullis oleoſis.

Modus.

℞. Nucleos ſiccos (exempli gratia, amygd.) non rancidos, excortica ac contunde in mortario lapideo min-

minutiſſimè, hinc inde ſacculo, ac exprime fortiter ſub prælo.

N. 1. *Præſtat ut plurimum maſſam illam tritam in ſartagine torrere, vel vapore aq. calidæ tepefacere. Exemplo ſit vulgaris ille modus exprimendi olea ex ſemine Lini, papaveris, & ſimil.*

N. 2. *Eliciuntur quoque Olea, ſed pauca, per decoctionem rei in aqua quâ decoctione pars oleoſa ſupernatat, ſic fit Balſamus peruvianus, oleum lauri, & ſimilia.*

N, 3. *Olea ſine aq. expreſſa ſunt ſaporis gratioris.*

Uſitatoria ſunt.

Oleum amygdalarum amararum, dulc.
Avellanarum, A.
Balanium è balano myrepſica.
Cannabis.
Oleum Carthami, A.
Ceraſorum, ex nucl. A.
Citri è granis, A.
Erucæ ſem.
Hyoſcyami, ex ſemin.
Juglandium, ex nucleis.
Lauri, A.
Lini ſem. A.
Macis.
Nigellæ, ex ſem.
Nucis moſchatæ, A.
Olivarum ex olivis maturis.

N. *Hoc Oleum intelligitur, quoties Olei ſimpliciter mentio ſit.*

Omphacinum ex olivis immaturis.
Ovorum ex vitellis.
De Palma, ſ. de palla.
Papaveris.
Perſicor. nucleor.
Pinearum.
Piſtaciorum, A.
Raparum ſem.
Ricinum, ſ. de Cherva.
Seſaminum, A.
Sinapios.

Olea per infuſionem & coctionem, &c.

Olea per infuſionem & coctionem.) In horum præparatione cautè ac circumſpectè agit Autor noſter, quòd digeſtionem & inſolationem coctioni anteponat, hæc enim indifferenter adhibita in omnibus non locum habet, niſi ingredientium, in primis ſpirituoſorum, vires velimus perditas. Nam herbarum balſamicarum, florum & aromatum vis in volatilibus & ſubtilibus eorum partibus reſidens levi coctione quàm citiſſimè æthera petit, ut adeò rectè ſimplex digeſtio aut inſolatio commodior ſit. *Hofmannus.*

Olea hæc cum ſimplicia, tum compoſita officinis uſitatiſſima ſunt.

Modus parandi.

1. *Simplicia* recentia inciſa coquuntur oleo mixto aquæ, vino, aliivè liquori convenienti, idque tantiſper donec humiditas aquea exhalarit.

2. *Sicca ſimplicia* in oleo mero macerantur.

Commodior modus hicce eſt.

Herbis exiccatis ac pulveriſatis affunde oleum, digereque in MB. horas [12.] dein exprime fortiter, expreſſionem expone calori leni, ut fæces ſubſideant, quas ſepara.

N. *Oleum communiter adhibetur olivarum, interdum omphacinum, vel aliud, de quo peculiaris ſemper occurrit admonitio.* Schrôderus.

Donec humiditas aquea exhalarit.) Ne olea infuſa aut inſolata rancorem contrahant ob humiditatem extraneam admixtam, optimè expreſſa per inclinationem ab aquoſitate ſubſidente, quæ fundum ſemper petit, ſeparanda, & ſubſidentia aquoſa cum pauco oleo, quod illi adhæret ad omnimodam humiditatis abſumptionem coquenda, & colatura ſuperiori oleo per inclinationem ſeparato addenda eſt. Sic v. g. Recip. fl. roſ. r. rec. vel lil. alb. tunic. &c. ſ.q. infunde in lib. ij. olei puri, macerentur aliquandiu & radiis ſolaribus aut calori tepido exponantur, & ſi lubet, coquantur parum in cucurbita appoſito alembico, illud quod adſcendit balſamicum, ſeorſim ſervetur, & quod in fundo remanſit, per inclinationem à ſubſidente aquoſitate ſepara & colatum ſuperiori balſamico commiſce. Vel ſi ſimplicem velis infuſionem Recip. olei olivarum rec. lib. iij. immerge ſummitat. majoranæ recent. inciſ. ℥xij. factâ maceratione loco calido in vitro probè clauſo die una, fiat poſtmodum colatura cum expreſſione forti. Oleo expreſſo denuô ſummitat. majoran. recent. inciſ. ℥xij. infunde & digere in calore die uno & altero, facta colatura & forti expreſſione iterata. Repetatur tertiò eadem infuſio ac macerati. Quibus peractis exprimatur oleum, & ſi qua humiditas remanſerit per decantationem ſegrega. *Hofmannus.*

Uſitatiora Olea inſolata ſimplicia.

Oleum Abſinthii, cum Oleo Omphacino.
Abrotani.
Anethi.
Chamæmelinum.
Cheyrinum.
Cydoniorum, c. Omphac.
Enulæ, cl. Ol. Seſamin.
Euphorbii, c. Ol. Cheyrino.
Febrifugum. 1.
Formicarum.
Hederæ terreſtris.
Hyperici comp. Gôleri, 2.
Ellenberg. 3.
Jaſminum.
Irinum.
Liguſtrinum, Cyprinum de alcanna.
Lilinum.
Liliorum convall.
Lumbricorum, c. Ol. Omph.
Maſtichinum, c. Ol. Omph.
Menthæ, cum Omph.
Melilot. ex fl.
Momordicæ, ex fruct.
Myrtillorum, cl. Ol. Omph.
Myrtinum, c. Ol. Omph.
Nardinum ſimpl.
Nicotianæ.
Nimpheæ alb. c. ol. Omph.
Peſtilentiale. Bartol. 4.
Populeum.
Purgans comp. 5.
Ranarum.
Roſatum vulgare.
Omphacinum.
Rutæ.
Sambucinum.
Scorpionum ſimpl.
è Styrace.
Verbaſci.
Verniſum. Vernix, ex Ol. Lini.

Vide libr. 4. Juniper.

Violarum ex fl.

N. *Huc pertinet & Balſamus Sulphur. Lithargyrii, & ſimil. quæ nihil aliud ſunt quam Oleum ſ. ſpiritus Terebinthinæ mineralibus illis impregnatus.*

Olea

Olea cocta compoſita.

Oleum de Capparibus.
Caſtorei.
Coſtinum.
Croci.
Hyperici.
Liliorum.
Majoranæ, ſ. Sampſuchinum.
Mandragoræ.
Moſchellinum.
Nardinum comp.
Papaverinum.
de Piperibus.
Reſolutivum.
Roſarum Meſuæ.
Scorpionum compoſitum magnum.
Stomachale Cratonis.
Vulpinum.
Zanerinum Melichii.
Cord. in append.

1. *Oleum febrifugum Strobelbergeri.*

℞. Ol. Nympheæ unius ſaltem anni. Lumbricor. Roſar. Hyperic. Amygdal. am. ana. ℥j.

Mixtis impone ſcorpiones vivos N. IX. Exponantur ſol (paretur ſi poſſibile in ingreſſu ſolis in ſignum Scorp. vel Canc.) donec moriantur ſcorpiones, tunc etiam adde Theriac. Andr. opt. opt. ℥ß.

Relinquatur inſolari per ♂. 14.

Vires. *Eaſdem vires cum aliis ſcorpionum oleis lib. 5. deſcriptis obtinet. Inprimis tamen inſervit Emplaſtro febrifugo conficiendo.* Schroderus.

Oleum febrifugum Strobelbergeri.) Cùm hoc oleum per ſimplicem infuſionem & inſolationem præparatum ſit, & ingredientia etiam magnarum virium, ſuam meretur laudem. *Hofmannus.*

2. *Oleum Hyperici compoſitum ſ. Balſamus Hyperici, Nobiliſſ. Georg. Gôleri à Rabenſtein. Balſamus Magicus etiam dictus.*

℞. Olei Hyperic. opt. ℔ I. Vini generoſ. ſextar. tres. Ol. Terebinth. Laterin. Lumbricor. ana. ℥ ij. Ceræ ℥j.

Pinguedin. human. deſtillat. Ol. de medulla (hum. vel cerv.) deſtill. ana. ℥ iij. Theriac. Andr. Mithridat. ana. ʒj. Viſc. querc. Til. Coryll. ana. Mj. Fol. Perſicar. Rut. murar. Pyrol. an. M. iij. Flor. Antirrhin. M. VIII. Hyperic. M VI. Verbaſc. M ij. Betonic. Centaur, min. Prunell. Conſolid. aureæ Ptarmic. Auſtriacæ. Chelidon. ana. M. I. Sem. Antirrhin. ʒß. Hyperic. ℥iß. Rad. Dracuncul. maculat. Ariſtoloch. rot. Symphyt. ana. M ß. Scrophular.

Fabariæ ſ. Craſſul. maj. ana. Mj. Bulliant ſive coq. In diplomate vaſe optimè clauſo ad conſumptionem Vini. Exprimantur fortiter; poſtea imponantur

Croc. ♂. Mumiæ. Maſtich. Thur. Myrrh. ana. ʒ ij.

Denuo coq. leviter, dein pro circulatione ponantur ad ſolem, hyeme ad fornacem.

N. *Non opus eſt prædictum oleum vel Balſamum de novo ſæpius conficere, ſiquidem Balſamus iſte ad ſolem collocatus facilè ex novis floribus, ſuperius annotatis & foliis Perſicariæ & Pyrolæ, nec non de ſemine Hyperici augeri poteſt, & de novo reſtaurari, & tantum injiciendo & ad tempus aliquod in ſole digerendo, poſtmodum hyeme colando & ad fornacem collocando. Quo enim vetuſtius hoc oleum fuerit, eò efficacius & nobilius evadet.*

Uſus & *Applicatio*: id eſt, *Hoc oleum ſive Balſamus excellentiſſimus ex ſtit contra hauſta venena, introſumptus: Hac tamen conditione, ut prius concitetur Vomitus per lixivium vel oleum olivarum calidè bibitum, vel quod melius per aq. Nicotianæ ſ. Tabaci.*

2 *Calculum & arenas pellis, ſæpius in ovo cocto aſſumptum.*

3. *In magna quantitate exhibitum vermes ventris necat & expellit, præſertim ſi aq. Perſicariæ exhibeatur.*

4. *Prædicto modo uſurpatum, corpus ab omni corruptione & multis ulceribus præſervat, ut planè nulla in corpore humano ſive interius ſive exterius naſci queant.*

5. 6. *Auriginem quoque & Hydropiſin diſcutit.*

7. *Interna itidem vulnera & quæ contuſa ſunt mirabili effectu curat.*

8. *Vomitum ſanguinis & Dyſenteriam vi compeſcit atque conſtringit.*

9. *Vulnera omnia externa, qualiacunque ſint etiam ea quæ Venenatis armis inflicta fuerunt, mirâ celeritate Balſamicâ vi contrahit atque conglutinat, omnia alia vulnerum ſymptomata prohibens ac tollens, ſi linteola raſa in eo madefiant & vulneribus imponantur, illa ſæpius lavando & extergendo. Poſſunt inſuper hoc oleo omnia Emplaſtra Stictica, quemadmodum & reliqua in ſua virtute & efficacia ſolâ malaxatione confortari, ut majoris inde virtutis & energiæ ſint.*

10. *In capitis vulneribus ubi cranium quoque ad duram vel piam matrem læſum fuerit optimè & ſtud eſè cavendum, ne prædicta linteola nimis humida vulneribus ſupponantur, ſed antea perquam bene expreſſa ſint: Si vel una gutta ſola ſuper duas illas membranas caderet, jam de vulnerato actum eſſet & inſaniam incurreret.*

11. *Præterea omnes impreſſiones magicas, ab imaginatione, jaculatione, imprecationibus & laniarum præſtigiis inflictas ſtupendo planè modo irritas facit, & perſanat, tam interius aſſumptum, quam exterius illitum, applicatumvè.*

12. *Quod ſi alicui cultri, ligna, vitra, ſetæ, panni lacerati, fila, acus, crines, teſtæ & quæcunque alia intra corpus & ſtomachum vel & gulam, unde ſuffocationis periculum incurrat per incantamenta & præſtigias impactæ fuerint, ſique nullis aliis medicamentis cedere velint, hoc oleo inungantur, ac ipſis quoque ad bibendum exhibeatur, quantitate trium cochlearium, admirabilem vim experieris: Vel enim prædicta omnia, per aliquod magnum ulcus exiccatum, tanquam aliquod emunctorium protrudet, vel per vomitum rejiciet, aut tandem per infer ora coget, ac tandem æger penitus incolumis citra omnem perditionem evadet: Balſamum hunc mecum communicavit Clariſſ. Dn. D. Johan. Chriſtophorus* Eiſenmenger. *Phyſicus Imperialis, Reip. Heilbronnenſis, Amicus ac Fautor meus honoratiſſimus.* Schroderus.

Oleum hyperici compoſitum &c.) Hoc oleum commodius per inſolationem conficitur, quàm per coctionem dum virtus quorundam ingredientium balſamica non levem inde patitur jacturam, ut etiam Dominus Autor monet l. c. Quemadmodum etiam 3. illud D. Erhardi Ellenbergi, longè compendioſiori modo paucioribus infuſionibus ac breviori tempore confici poſſet. Cur non ſex vel octo manipuli fl. hyperici in ol. Scorpionum ſ. lib iij. infundi poſſent & in MB. coqui, donec ſanguineum acquiſiverit colorem? Cui poſteà colato per tres vel quatuor infuſiones iteratas reliqua ingredientia nihil illis demendo conjungenda forent, multò efficacius hoc oleum emergeret. *Hofmannus.*

3. *Oleum Hyperici compoſitum D. D. Erbardi Ellenbergii.*

℞. Fol. Hyperic. recent. M. iij. Contunde modicè, deinde ſuperfunde. Ol. de Scorpion. ſimpl. ℔ iij. Ponantur in ſole per ♂ 4. poſtea in MB. per hor. 24. coque & fortiter exprime. Cola oleum per Colatorium vino albo lotum. Deinde adde Flor. Hyperic.

recent. contuſ. M. iij. Relinquito denuo ad ſolem ♂ 4. & mox coquito in MB. cola ut ante. Idem repetendum cum floribus ſemper recent. bis tervè, donec oleum ſanguineum acquiſiverit colorem. Hinc.

℞. Cymar. (ſemin.) Hyperic. immaturarum, modico vino albo generoſo madefactarum ℔ iij. Coque in MB. per ♂ 3. poſtea exprime ut ante, & hoc reiterandum quater, ſemper cum cymis recentibus. Poſt hæc,

℞. Card. ſancti (benedict.) Meliſſ. Verben. Scabioſæ. Betonic. Chamædr ana. M ß. Contunde modice & coq. in MB. per triduum: deinde cola. Colaturæ injiciantur Sum. Galeg. Scord. rec. an. M. I. Centaur. min. Diptamn. Cret. Roris marin. ana. M ß. Coq. in oleo prius herbis contuſis per ♂ 3. in MB. F. colatura. Deinde.

℞. Rad. *Zedoar.* Diptamn. alb. Angelic. gummoſ, Ariſtoloch. utriuſque. Carlin. Valerian. Gentian. Tormentill. Vincetoxic. Cort. citr. ana. ʒ ß. Contuſa infundantur & coq. per ♂ 4. in MB. exprim. fortiter ac interim injiciantur. Caryophyllor. Macis. Schœnanth. ana. ʒ iß. Santál. rubr. ℥ß. Bacc. Junip. Laur. an. ℥ij. Cinam. ac. ℥j Benzoin. Storac. cal. an. ʒvi. Contuſa & hæc ponantur in MB. per ♂ 3. dein colentur. Poſtea.

℞. Bufon. N. ij.

Natricem N. I. { Serpentem, nobis *Unck* dictam, ſeu boam. Une maniere de Serpent d'eau, où un' eſpece de Serpent venimeux. V. intra. *A Water-Snake. Een Water ſlange.* }

Aranear. viv. N. CC.

Injiciantur in oleum prædictum & coque per ♂ 2. poſtea abjiciantur & imponantur.

Rhabarb. el. Myrrh. fin. Aloës Epat. an. ʒiij. Croc. ʒj. Spic. nard. ʒiß. Theriac. Andr. Mithridat. an. ʒvi.

Coque in diplomate per ♂ 4. nec amplius coletur, ſed conſervetur pro uſu.

Uſus. *Valet præcipuè contra omnia venena. Illinitur arteriis manuum, pedum & cordis, repetitur illitio tribus alternis horis Peſtem tam curat, quam præſervat Febriles inſultus arcet (inunctum dorſo, & metacarpis manuum, pedumque plantis.) Dolores colicos demulcet. Urinam provocat. Vermes per ſeceſſum expellit (illitum umbilico.) Valet ad vulnera venenata quæ vel animali venenato, vel ferro infecto ſunt inflicta. In paronychia nihil præſtantius, ſi ſtatim ab initio, antequam inflammatio venenoſa ſupervenerit, facta fuerit inunctio.*

Hoc oleo fruere ex communicatione Jacobi Holtzapffel *Pharmacopæi noſtratis diligentiſſimi, Affinis mihi dilectiſſimi.* Schroderus.

Oleum Hyperici facilius è *Pharm. Colleg. Reg. Lond.*

℞. *Vini albi generoſi* lib. iij. *flor. recentium hyperici cum ſuis ſeminibus* m. iiij. *Tere, & macera in vitreo vaſe arctè clauſo; biduoque exacto, coque in* MB. *& validè exprime: in colaturam novas injice ſummitates, tertioque idem facito. Tertiæ autem colaturæ ſingulis libris affunde olei veter.* lib. iiij. *terebinthinæ* ℥vj. *olei abſinthii* ℥ ij. *dictamni gentianæ, cardui benedicti, tormentillæ, carlinæ, vel cardui mariæ, calami aromatici; tritorum ana* ʒij. *lumbricorum, pluries in vino albo lotorum,* ℥ j. *Inſolentur quinque aut ſex ſeptimanas, & bene obturata reponantur.*

4. *Oleum antipeſtilentiale Bartol. Bonacurſii Itali.*

℞. Flor. Hyperic. ℔ j. Rad. tormentill. Carlinæ. Ariſtol. rot. Centau. maj. an. ʒvi. Sant. omnium. Spic. nard. Celt. Dictamn. Bacc. juniperi. *Zedoar.* Gentian. Imperat. Card. ben. an. ℥ß. Carpobalſ. Doronic. Cort. citri. Fol. perſic. Artemiſ. Rutæ. Beton. Scord. Chamædr. an. ʒiiij. Radic. Pimpin. Valerian. major. Vincetox. Been utr. ana ʒiiß. Anthor. Scorzon. Biſtort. an. ʒvi. Moſchi. Macetis an. ʒij. Caryophyll. ʒ ß.

Macerentur per 3. dies in vini malv. ℔ v. coq. exprim. expreſſo adde recentes ſpecies ſupra dictas, adde

Bufonem magn. vivum. Viperam vivam. Ranam. Lacertas. Cochleas ana v. Scorpion. L. Ligni aloës ʒß. Theriac. Mithrid. an. ℥ ij. Benzoin. Galbani an. ℥ ß. Laudan. Succini. Myrrh. an. ℥j. Ol. hyperic. ℔ j. Oliv. vet. ℔ v.

E Cineribus deſtillentur omnia, fiatque ter cohobatio, tandem oleum decantetur, quo inungitur cordis regio ſub axillis, & inguine ad arcendam peſtem. *Schroderus.*

Oleum antipeſtilentiale Bartol. Bonacurſii Ital.) Hujus præparatio nullius etiam eſt momenti, coctionè enim iſta tota deſtruitur nonnullorum ingredientium ut fl. hyperici, ſantal. omn. Spic. Nard. celtic. dictamn. bacc juniper. Zedoar. Moſchi &c. vis balſamica & ſpirituoſa, & licet recentes ſpecies denuò addantur, tamen per deſtillationem ex cineribus cum reliquis additis iterum eunt perditum. Ideoque ſeq. modo commodior fiet hujus elaboratio:

Recip. radic. tormentill. carlin. ariſtol. rot. cent ur. maj. an. ʒvj. pimpinell. ſcorzoner. biſtort. ana. ʒ iij. ol. hyperic. lib. ij. olivar. veter. lib. v.

Macerentur & coquantur, poſtmodum exprime, expreſſo adde fl hyperic. lib. j. Santal. omn. Spic. Nard. Celtic. dictamn. noſtr. bacc. juniperi. *Zedoar.* gent. an. imperator. carpobalſam. cort. citri. fol. rut. betonic. ſcordii chamædr. ana. ℥ß. radic. valerian. vincetoxic. anthor. ana ʒiij.

Stent in infuſione vaſe clauſo in loco tepido per 8. ♂♀, poſteà colentur; Colaturæ adde ol. d. benzoi. galbani. Ladani. ſuccini. Myrrh. ana ʒß. Sal. viperarum volatilis ʒiij. M. *Hofmannus.*

Oleum antipleuriticum Petri à Caſtro in Miſcell. curioſ. German.

℞. *Cucurb. longiores, (quæ Italis ſtorti & Zucchè vocantur & ſemina habent quaſi quadrata) ſuſpendantur in loco concluſo quò ſolis radii non pertingunt, diſcindantur, & pulpa abijciatur, cortex aſſervetur, & à cortice caro ſeparetur, itaut cortex craſſitiem majorem non habeat quàm Patavinorum moneta Juſtina dicta, quæ 26. ſolidos valet.* ℞. *hujus cortic.* ℔j. *olei olivarum vetuſtiſſ.* (10. 20. *imo ſi poſſibile* 100. *annorum*) ℔ iij. *huic oleo incoque corticem, donec humiditas corticis omnis ſit abſumta Signum abſolutæ coctionis quando culmus ſtraminis, huic oleo intinctus, candelæ ardenti applicatus & oleo impregnatus accendatur, ſine ſtrepitu ardet, & cortex quoque apparet fere combuſtus, & in carbonem quaſi redactus; tunc ceſſa à coctione, cola oleum per manicam. Denique accipiatur ſartago ferrea, geminum aut ad minimum unum habens orificium in latere, ut oleum poſſit tranſire: fac ut candeſcat ſartago & per candentem ſartaginem oleum transfunde, itaut per unum orificium infundatur, per alterum rurſus exeat in vaſculum ſubjectum pro inunctione lateris dolentis.*

Explicatio altera rationis parandi olei antipleuritici deſcripti.

℞. *Cucurb. longas quas tromboni (tubas) vocant, quando ad debitam magnitudinem excreverunt, idque, ideo, ne fiant nimium duræ. Raduntur iſtæ (totæ) ad modum quo raphani, ſed advertatur, ne mundentur ad modum pomorum, ſed ſolum radantur & inde auferatur pellicula illa ſubtilis, quæ illas contegit, unde permanent virides Hoc facto ſecetur cucurbita per longitudinem fimbriatim circumcirca, ut ſingulæ fimbriæ non magis latæ fiant quàm eſſe ſolet latitudo cultri Genuenſis, & abiiciatur, aut ſaltem coquatur reſiduum cucurbitæ,*

quòd

quod eſt album (pulpa alba) quoniam nihil pro noſtro uſu confert. Hoc peracto, ponderentur omnes illa ſtria ſive fruſtula, qua exciſa ſunt è cucurbita, ipſam intrinſecus mundando à dicta pulpa, & ſumatur tantum olei olivarum (quò id præſtantius, tantò magis inſerviet) quantùm pependit cucurbita. Etſi cortices cucurbita pendent duas libras, duas pariter libras olei oportet ſumere, ſi quatuor, quatuor, & ſic conſequenter tantum eſſe oportet pondus olei, quantum eſt cucurbita. Hoc facto immittatur oleum & cucurbita, in ollam figulinam ſatis validam & novam, ob rationem infrà dicendam, & coquatur ad ignem carbonum vel lignorum (modo non adſit flamma) cucurbita in fruſta conciſa, uſque dum reddatur omnino ſicca, & ita loquendo, aduſta. Peracto hoc, eximatur cum cochleari ex oleo cucurbita arida & exſiccata & abiiciatur, quia nullius uſus eſt. Poſtmodum oportet tranſmittere ferrum (non chalybem ſed ferrum) nullis antea uſibus adhibitum; ſedecim aut octodecim vicibus calefactum & bene fervens per dictum oleum. Procedi poteſt modo ſequente. Olla cum oleo mandetur deferri in officinam fabri ferrarii; iſque in ignem jubeatur mittere ſex fruſta, paulò grandiora dimidio palmo, ferri virginei, ſc. uſum nullum experti, & quando candefacta ſunt & bene fervent, unum poſt alterum ſubmergatur cum vulſella, & extinguatur in dicto oleo, deinde iterum in ignem conliciatur, & quando hæc opera ter repetita fuerit, ferrum (quia ſunt ſex ferri fruſta) octodecim tunc vicibus tranſivit, & tantum ſufficit ad perfectionem olei. Sed quoniam dum ferrum immergitur candefactum & fervens per dictum oleum, quandoque oleum inceditur, oportet habere ad manum operculum pro contegenda olla, ut ſuffocata flamma extinguatur; ſed quia poteſt accidere ut ſuppreſſa flamma rumpat ollam, ob id ſuprà monitum, ut adhibeatur olla validior, & quo magis ſecurus eſſe queas, antequam ferrum ignitum in ollam demergas, oportet illam reponas in aliud vas terreum; ne ſi in dicta operatione olla frangeretur, oleum profundatur; id refrigeratum in vitream lagenam infunditur & pro uſu neceſſario aſſervatur.

Modus utendi hic eſt. Accipiatur parum hujus olei in patella (in qua ova tremula apponuntur) & bene incaleſcat, quoad (tactu) perferri poſſit, & infundatur oleum; poſt accipiatur mappella immunda, quæ uſurpata fuit & complicetur in quadruplum, pariterque calefacta, in quantum perferre poteſt patiens, ponatur ſuper ſtupam, & cum ligamento adalligetur, ne motu oleum à parte affecta recedat. Quoniam quandoque dolor etiam alteri lateri communicatur, ſimili etiam ratione alterum inungitur, imponitur ſtupa & mappella, & quoniam dolor interdum ab una coſta in aliam ſerpit, inungatur perſequendo dolorem quocunque proceſſerit. Quando patiens inunctus eſt dicto modo, ſi non incipiat ſputare, poſt quinque horas, renovetur inunctio ſed rarenter opus erit repetitione, cum experientia comprobatum ſit, quod intra paucas horas, apoſtema rumpatur, pro argumento eſt, quòd multi exteri fere agonizantes, poſt adhibitum in noſocomiis remedium potuerint iter ſani & liberi proſequi.

5. Oleum purgans compoſitum S. Cloſſæi.

℞. Ricini American. & vulgar. an. ℥ ij. Sem. cataput. minor. Ebuli mundat. ana ℥ß. Rhabarb. pulverif. ℥j. Santal. citrin. ℥ß.

Contund. fortiter, donec abeant in paſtam, ex quâ per expreſſionem forte eliciatur Oleum.

Doſ. gut. vj. in juſculo pingui, alias ardorem in gutture excitat, quamobrem à nonnullis, pilula unica ex micâ panis duabus guttulis hujus ol. inebriatâ fingitur, vel inter duas oblatas concluditur. Purgat ἄνω καὶ κάτω hydrope affectos Schroderus.

Oleum purgans compoſitum S. Cloſſæi.) Hoc oleum licet ad olea expreſſa ſpectet, tamen cum ſemina ricini American. & noſtrat. cum cataput. minor. ob vim eorum cauſticam & colliquativam ſuſpecta ſint interne uſurpanda, ſatis eſt hoc oleum planè omitti. *Hofmannus.*

Oleum contra Surditatem. D. CHARRAZ.

℞. *Olei expreſſi ſem. porror. amygdalar. amarar & laurini ana ℥ ij. ſpicæ nardi, caſtorei & colocynth dinciſor. ana ℥ j. ſucci rutæ & vini albi ana ℥ ß. Omnia maceratio obturato excepta in MB. tepido hor. 24. digerantur, deinde aucto calore B. ad humidi conſumptionem coquantur; poſtea colentur & exprimantur; oleumque ad uſus ſervetur, poſtquam in illo moſchi optimi gr. vj. diluta fuerint.*

Hoc oleum in aures intromiſſum ſurditates à nativitate non perdurantes, mirum in modum diſſipat.

Olea varia ex variis.

Oleum Abrotoni *Pharm. Auguſt.*

℞. *Abrotoni recentis inciſi & contuſi* ℔ ij. *Macerentur in Olei clariſſimi libris tribus per triduum, deinde coquantur, donec prunis inſperſum non ampliùs ſtrepat oleum, quod colatum uſui ſervetur.*

Adhibetur ad producendos pilos, & in eorum defluvio cum Ladano & urſi pinguedine Glabris locis illinitur.

Oleum abſinthii *ex eadem Pharmac.*

℞. *Olei olivarum* ℔ ij. *Comarum abſinthii pontici recentis Contuſarum* ℔ j. *roſarum rubrarum* ℥ ß. *Macerentur per triduum in loco calido, deinde coquantur, uſque dum prunis injectum non amplius ſtrepat oleum, quod colatum ſervetur.*

Calefacit & roborat, præſertim ventriculum, adpetitum excitat, obſtructiones aperit, lumbricos necat, & ventriculi flatus diſſipat.

Oleum Acouſticum Ambratum *ex eadem Pharm.*

℞. *Olei Amygdalarum amararum* ℥ iiij. *nardini Comp. lilior. alb an.* ℥ ij. *ſucci origani, majoran. rutæ, porri, raphani, caparum an.* ℥ j. *mixta coquantur ad ſuccorum conſumptionem, poſtea oleo colato adde*

℣. *Mille pedibus prius impragnati, aceti vini accerr. an.* ℥ ß. *Ambræ griſeæ, flor ſerpilli, bac. ſabinæ, ſem. Cymini, macis an.* ʒ j. *cubebarum, Hellebori alb. maſtichis, ladani, ſtyrac. calam an.* ʒ ß. *Caſtorei veri, piperis longi, croci or. nitri præpar. an.* ℈ j.

Omnia per ſe pulveriſata, & diligenter conquaſſata denuò in B. aquæ magnificè bullientis ad conſumptionem humiditatis coquantur, permittendo refrigerari, poſtea oleo expreſſo & bene colato immisceri.

Oleum Amygdalorum amarorum *ex eadem Pharm.*

℞. *Amygdalorum amarorum ſiccorum, non tamen rancidorum, à cortice membranoſo mundatorum quantum voles. Contundas minutiſſimè, poſtea ſecundum artem prælo exprimas.*

Primo ordine calidum eſt, in humido & ſicco temperatum; unde calefacit, attenuat, incidit & digerit, aurium tinnitus ac flatus è craſſa & frigida materia ortos diſſipat, auditumque hinc obtuſum reſtaurat, obſtructa aperit, cutis maculas, & aſperitates tam reliquarum partium, quam faciei (quas ephelidas & panos vocant) delet, manantia capitis ulcera furfureſque detergit, nervorum affectus frigidos, duros, & dolentes calore tenuante ac digerente ſanat, amarore lumbricos necat, & frigidis uteri malis prodeſt, cujus dolores, ſtrangulatus, inflammationes ſanat: capitis dolores inſtillatum ſedat, urinæ difficultati pubi illitum, calculoſis renum vitiis, ſtranguriæ in fiſtulam urinariam immiſſum medetur, ſuſpirioſis, ilcoſis, jecineroſis & tabidis ſubvenit.

Oleum

Oleum Amygdal. dulc. *ex eadem Pharm.*

Fit ut oleum amygdalorum amarorum.

Eo utimur ad Gutturis,faucium, & bronchiorum aſperitatem leniendam, vel per ſe, vel adjecto ſaccharo, præſertim Cantio violato; duritiem omnem ac ſiccitatem articulorum corrigit, cutem erugat, ſcabra & aſpera polit, denſa emollit, phthiſicis & atrophiâ laborantibus ac conſumtis utile, alimentum enim humidum & lentore mediocri diuturnum præſtat, extenuatum corpus reficit ac impinguat; calore eſt temperatum, humidoque ſecundum ordinem attingit, quo nomine omnem intemperiem ſedat, ac ſemen genitale promovet, uteri, veſicæ, & urinæ ardores mitigat, colicos ac nephriticos cruciatus cum pari portione olei amygdalorum amarorum mirifice levat, partium difficultates & labores torminoſos diſcutit, & lenit, nephriticis & loci acrimoniâ laborantibus per ſyphonem injectum tepidum mirè confert.

Oleum Anagallidis ex *eadem Pharm.*

Oleum Anagallidis paratur ut oleum abrotoni.

Præſentaneum remedium eſt variis puerorum doloribus in infimo ventre exſuſcitatis, à flatulentis, ſabuloſis, bilioſis & pituitoſis contentis; ſive enematibus admiſtum injiciatur, ſive exterius adplicetur.

Oleum Anethinum ex *eadem Pharmac.*

Oleum Anethinum fit ex floribus & foliis Anethi, ac oleò claro, eodem modo, quo oleum abrotoni.

Anodynum eſt, tumores concoquit, & reſolvit, ſomnum conciliat, rigorem febrilem ſpinæ & partibus nervoſis acceſſionis initio illitum tollit, Cephalalgiam mitigat, uteri duritiem emollit, menſtrua provocat, laſſitudines diſcutit, dolores articulorum levat, calefaciat & emollit, nervis gratum ac convulſionibus medetur.

Oleum Antapoplecticum Cephalicum *Zvvelferi.*

℞. *Olei ex ſtyrace, cum oleo majoranæ parati* ℥j. *olei ſtillati ſuccini albi* ʒiß. *Coriandri, Lavendulæ, majoranæ, roriſmarini, ſalviæ nuc. moſch. an.* ʒj. *miſceantur pro uſu.*

Eſt oleum cephalicum efficaciſſimum, roborat cerebrum, & principium nervorum, vertici capitis, temporibus, nuchæ, & ſpinæ dorſi, ad os ſacrum uſque, inunctum: ſedat & compeſcit defluxiones à Capite ad partes interiores. Quare in Catharris ſuffocativis ſalutare exiſtit; ut & membris paralyticis, contractis, doloribus colicis, à frigidâ causâ exortis ventoſitatibus, & uteri debilitatibus; auxilio eſt.

Oleum Aranearum Mindereri, è *Pharmac. Auguſt.*

℞. *Olei nymphææ, Lumbricorum terreſtrium an* ℥vi. *hyperici* ℥ij. *foliorum rutæ, florum ſambuci ana recentium* M.iß. *aceti roſacei, Calendulæ an.* ℥iij. *Aranearum craſſarum magnarum numero quadraginta quinque, decoquantur omnia ad humiditatis conſumtionem, colentur & exprimantur; in hoc colato infundantur rurſus Araneæ craſſæ numero viginti quinque, ac addatur Camphoræ cum ſpiritu roſarum d lutæ* ʒß. *digerantur & reponantur ad uſum.*

Proderit hoc oleum ad inunctionem regionis Cordis & arteriarum, in febre maligna petechiali, ad venenum evocandum.

Oleum Balaninum ex *eadem Pharm.*

Fit è Balano Myrepſica vel glande unguentaria, quam granum Ben vulgò vocant; terendo, oleumque exinde exprimendo.

Tergit, expurgat, obſtructa liberat, auri injectum tinnitui & ſurditati confert, ſtrumas, hepatis & lienis Scirrhum emollit ac digerit, affectibus frigidis nervorum & juncturarum, ſpaſmo & arthritidi medetur, alphos, lentigines, varos, maculas, cicatrices nigras, & reliqua fæda cutis vitia corrigit, alvum potu ſolvit, ſed ſtomacho adverſatur.

Oleum Balſamicum.

Variæ dantur ejus præparationes de quibus vid. ſub titulo Balsamus.

Oleum Benedictum è *Pharmac. Londin.*

℞. *Rad. Cardui benedicti, valerianæ an.* ℥j. *florum hyperici,* ℥j. *tritici puri ſeſquiuncium, olei vetuſtiſſimi* ℥iiij. *Terebinthinæ Cypriæ* ℥viij. *Thuris pulverati* ℥ij.

Radicibus & floribus contuſis affunde tantum vini albi quantum iiſdem mergendis ſufficiat. Poſt bidui in olla macerationem, injice eum tritico comminuto oleum, & ſimul coque, donec vinum evaneſcat. Hinc exprime, additiſque Thure & terebinthina, parùm rurſus ut coquantur ſine, & ſerva.

Oleum ad Calculum è *Zvvelferi Pharmac. Reg.*

℞. *Amygdalarum amararum, nucleorum perſicorum ſiccat. & excorticat. ãã* ℔j. *ſem. Cæparum, naſturtii, Thlaſpios, urticæ an.* ℥iiij.

E contuſis omnibus exprimatur, lege artis, leni calore, oleum, quod pellendo calculo, illique comminuendo, ac proprietate ſubſtantia reſiſtendo, non parvæ operationis eſt. Doſis ℈ß. ad ʒj. & ʒ j.

Oleum de Capparibus *Pharm. Auguſt.*

℞. *Corticis rad. Capparum* ℥j. *Tamariſci, florum Tamariſci, ſeminis agni caſti, ceterach, cyperi an.* ʒij. *rutæ* ʒj. *Trita & cum aceto irrigata, cum olei olivarum* ℔j. *coquantur ad humiditatis aqueæ conſumtionem, colentur & exprimantur.*

Lienis Tumoribus duris ac ſcirrhoſis, ejuſque obſtructionibus medetur.

Oleum Carminativum anticolicum, *è Pharm. Reg. Zvvelferi.*

℞. *Olei olivarum recent.* ℔ij: *cui immergantur ſequentia, craſſiuſculè inciſa, & contuſa: utpote, herbæ recent. Anethi, cum ſummit. roriſmarini, menthæ criſpæ, pulegii floreſcent. an.* ℥iiß *flor. Chamomillæ recent.* ℥iiij. *Cortic. Arant or. recent. & extim.* ℥iß. *Baccar. Lauri, recent. Juniperi virid. an.* ℥j. *ſem. carvi, Coriandri, aniſi an.* ʒvi. *opii Thebaici* ʒ j.

Stent in infuſione die una, factaque poſt una a que altera ebullitione, in alembico vitreo, ſuo capitello munito, ut id, quod ebulliendo, tranſit, reaffundi poſſit, colentur dum adhuc parùm calent, & exprimantur ſpecies fortiter: oleo expreſſo adde & in eo liquefac, leniſſimo calore.

Camphoræ ʒvi. *ol. ſtill. carvi, fæniculi an.* ʒij. miſceantur & ſerventur pro interno æque, ac externo uſu, verum Anodynum, & Carminativum oleum; colicis & hyſtericis affectibus perquàm ſalutare eſt.

℞. *Amygdalar. amararum excorticat.* ℔j. *ſem. carvi ſiccati* ʒv. *fæniculi* ℥iß. *Coriandri* ℥j. *& ſi libuerit, macis* ʒvi. *vel* ℥j.

Ex mixtis & contuſis omnibus exprimatur, ſ. a. oleum præſtans, ad flatus diſcutiendos, Tollendos, ſedandos, vel internè, ad ʒj. in vehiculo convenienti exhibitum; vel externè, linteolis eo irroratis, & regioni ſtomachi, ac una umbilici applicatum.

Oleum Carthami è *Pharm. Aug.*

Fit ex ſemine Carthami Trito, aſſato & expreſſo.

Obſtructa

Obſtructa liberat, tergitque, ideo morbo regio, ventriculo dolenti, & colo confert, Thoracem ac pulmonem expurgat, & clariorem vocem reddit.

Oleum De Caſtoreo Jacobi de Manliis è *Pharm. Aug.*

♃. Caſtorei, ſtyracis calamitæ, Galbani. Euphorbii, Caſſiæ ligneæ veræ, croci, opopanacis, cubebarum, ſpicæ nardi Indicæ, coſti an. ʒ j. *Cyperi Schœnanti, piperis longi, nigri, Sabinæ, pyrethri an.* ʒiiß. *olei* ℔ iij. *omnia calore arenæ conjunctim digerantur in vaſe clauſo, poſtea colentur.*

Valet ad omnes nervorum & Cerebri affectus frigidos, tetanum, convulſionem, tremorem, ac paralyſin, rigoreſque febriles ſedat, ſpinæ dorſi illitum.

De Caſtoreo Compoſitum *Zvvelfferi.*

♃. Olei puri & recentis olivarum ℔ j. *huic immergantur ſequentia inciſa & contuſa: caſtorei pinguis recentis* ℥j. *rad. pyrethri* ℥ ß. *herb. recent. roriſmarini, ſabinæ, ſalviæ an.* ℥iß. *cubebarum, piperis longi an.* ʒvi. *caryophyllorum* ℥ß. *croci opt.* ʒij. *ſtyracis calam.* ℥j. *opopanacis, galbani an.* ℥ß.

Facta maceratione breviſſima, die circiter una, additaque duntaxat vini albi ℥j. vel ij. fiat, in alembico vitreo, ſuo capitello munito, una atque altera ebullitio: id autem, quod ebulliendo tranſit, reaffundatur Oleo; coletur, dum omnia paulis per refrixerint, & exigua humiditas adjuncta, prægreſſa aliquali digeſtione, per reſidentiam tandem, decantationem, aut filtrum, uti ſuprà notatum, ſeparetur; addendo ultimo.

Olei lavendulæ ſtill. ℈iß. Servetur uſui hoc præſtans oleum, ad omnes nervorum & cerebri frigidos affectus, Convulſiones, tetanum, tremorem & paralyſin: contra atrophiam, & maraſmum, perquàm utile accidit.

Oleum Catellorum, è *Pharm. Londin.*

♃. Olei olivarum ℔ iiij. *Catellos nuper natos n. duos, vermium terreſtrium vino albo ablutorum* ℔j.

Coctis catellis ad oſſium compaginis diſſolutionem, injiciantur vermes & paulo poſt exprimantur. Dein cum terebinthinæ Cypriæ ℥iij. ſpiritus vini ℥j. perficiatur oleum ſ. a.

Oleum Chamæmelinum, è *Pharm. Aug.*

Oleum Chamemelinum fit ex floribus chamameli recentibus, & oleo claro, ut oleum de abrotono.

Phlegmonas mitigat, moderatè reſolvit, fluxiones vi ſuâ modicè adſtringente cohibet, ideoque colicis, arthriticis, aliorumque dolorum initiis ſalubre eſt; laſſitudines juvat, hypochondria tenſa laxat, febres diſcutit, præſertim quæ à ſtipata cute proveniunt.

Oleum Cheyrinum Meſuæ è *Pharm. Aug.*

Oleum cheyrinum fit ex leucoiis luteis, hoc eſt, ex cheyris citrinis, & oleo claro, ad modum præcedentis.

Attenuat, lenit, ac digerit, dolores ex flatibus à materia frigida & pituitoſa mitigat, ventris torminibus ſuccurrit, nervorum & juncturarum dolores levat, thoraci, pectori, veſicæ ac renibus confert, menſes provocat, uterique ſuffocationi medetur, lumbricos interimit, partum facilitat, arthriticis etiam ac reſolutis auxiliatur.

Oleum Chryſomelinum, è *Pharm. Londin.*

Paratur per expreſſionem, ex nucleis mali armenii: quo modo etiam fiunt olea ex nucleis ceraſorum, mali perſici, pineis, piſtaciorum & prunorum: nec non ex ſeminibus Aurantiorum cannabis, Carthami, dictum cnicinum, citri, cucumeris, cucurbitæ citrulli, ebuli, Hyoſciami, lactucæ, lini, melonum, papaveris, petroſelini, raphani, rapi, ricini, dictum oleum cicinum, recininum & de Kerva; ſeſami, dictum ſeſaminum; ſinapi & ex uvarum acinis &c.

Oleum è Granis citri è *Pharm. Aug.*

Grana citri teruntur, torrentur, & exprimuntur. Arthritico dolori ac ſuccedenti tumori conducit, calculum veſicæ & renum expellit. In peſtilenti ſtatu Alexiterium optimum; lumbricos enecat potum aut illitum.

Oleum Diacolocynthydos è *Pharm. Aug.*

♃. Olei abſinthii, rutæ an. ℥j. *Fellis bubuli, agnini an.* ℥ß. *pulpæ Colocynthidis, hellebori nigri an.* ʒij. *coquantur ad humiditatis aquoſæ conſumtionem, & colentur.*

Umbilico vel inferiori ventri illinitur, quando alvus eſt obſtructa, vermes enecat, aliiſque inſuper uſibus inſervit. vid. Philipp. Grulingius in Florileg. Hipp. Galen. chym. part. 6. cap. 30.

Oleum Coſtinum Meſuæ è *Pharm. Aug.*

♃. Coſti amari ℥ij. *caſſiæ ligneæ veræ,* ℥j. *ſummitatum ſampſuchi* ℥viij. *olei ſeſamini* ℔ iij. *trita macerentur biduo, deinde colentur.*

Calefacit, ideoque nervorum ex frigore injurias propellit, paralyſi confert, nervos roborando, ventriculum, muſculos, tendines & ligamenta confirmat, ſpinæ illitum mitigat febrilem rigorem, capillorum defluvium prohibet, ac mucoſa humore canitiem accelerante conſumto, eam moratur.

Oleum De croco Meſuæ è *Pharm. Aug.*

♃. Croci ℥ß. *myrrhæ electæ* ʒij. *Cardamomi* ʒ iiiß. *olei* ℥ix. *digerantur omnia leni calore, colentur & exprimantur.*

Nervos ac uterum roborat, eorum dolorem ſedat, convulſionique & uteri noxis confert.

Oleum Cydoniorum Meſuæ è *Pharm. Aug.*

♃. Cydoniorum non excorticatorum ℔ ij. *olei olivarum* ℔ iij. *poſt factam macerationem fiat coctio ad humidi aquei exhalationem, colatura & expreſſio.*

Melinum Dioſcoridi dicitur, ſtringit & refrigerat, ad ventriculi & jecoris imbecillitates utile, ventrem totum inferiorem ac nervos laxos roborat, ſtomacho in vomitiones effuſo, lienteriæ, diarrhææ, ac dyſenteriæ medetur; ſpinæ illitum & thoraci, ſudores immodicos cohibet.

Oleum De Enula Meſuæ è *Pharm. Aug.*

♃. Radicum enulæ recentium contuſarum ℔j. *ole ſeſamini* ℔ß. *coquantur ad humiditatis aquoſæ conſumtionem: colatura ſervetur uſui.*

Calefacit, tenuat, digerit, ob id affectibus nervorum, uteri & veſicæ frigidis prodeſt. Febrium quoque rigori, & colo à flatibus dolenti medicatur.

Oleum Antepilepticum *Zvvelfferi* ex ejus *Pharm. Reg.*

♃. Nucleor. perſicorum excort. ℔ß. *ceraſorum* ℥iiß. *ſem. pæoniæ excort* ℥ j. *bardanæ majoris, Baſilici an.* ℥j. *cubebarum, caryophyllorum aa.* ʒvi.

Ex contuſis & mixtis invicem exprimatur oleum, ſ. a. quod præſtat in affectibus cerebri frigidis, Epilepſiâ, apoplexiâ, lethargo; non ſolùm externâ inunctione temporum verticis & nuchæ; verùm etiam ab intra receptum, & ori immiſſum.

Oleum de Euphorbio Meſuæ, è *Pharm. Aug.*

♃. Euphorbii triti ℥ß. *olei cheyrini* ℥v. *coquantur & colentur*; in frigidis cerebri noxis, hemicrania, cephalalgia & Lethargo adhibetur; epiſpaſticis medicaminibus utiliter admiſcetur; alopecias & capillorum

rum

rum defluvia ſanat, in coxæ aliorumque articulorum doloribus inveteratis, laudatiſſimum remedium; aſt cautè & nonniſi vehementer frigidis vitiis adhibendum: in aurium tinnitu, ſibilo, & hebetiore ſenſu ex frigiditate contracto tepidum adhibet Galenus 2. compoſ. medic. localium.

Oleum Exceſtrenſe è *Pharm. Lond.*

℞. *Herbarum Abſinthii, centaurii minoris, Eupatorii, fœniculi, Hyſſopi, lauri, majoranæ, meliſſæ, nepetæ, pulegii, ſabinæ, ſalviæ, thymi an.* ℥iiij. *abrotoni, betonicæ, camæpityos, lavendulæ, an.* ℥vi. *roriſmarini* ℔j. *florum chamæmeli, geniſtæ, liliorum alborum, ſambuci, ſem. cymini, fœnugræci, rad. ellebori albi, nigri, corticum fraxini, limonum an.* ℥iij. *Euphorbii, ſinapeos, caſtorei, pyrethri an.* ℥j. *olei* ℔xvi. *vini* ℔ij.

Herbis, floribus, ſeminibus & Euphorbio contuſis; inciſis radicibus, corticibus, & caſtoreo; maceratiſque horas duodecim, affuſo vino & oleo, ad balnei calorem; & coctis demum lento igne ad vini & humoris abſumptionem; coletur oleum, & ſervetur.

Oleum formicarum Nicolai è *Pharm. Aug.*

℞. *Formicarum* ℥ij. *olei* ℔ß. macerentur æſtate ad ſolem, vel alio calore, diebus quadraginta, poſtea colatum oleum reponatur.

Eo partes generationi dicatas ab venerem concitandam & imprægnationem promovendam inungunt.

Oleum Hæmorrhoidale Faventini è *Theat. Pharm. D. de Scobbis.*

℞. *Olei ſem. lini & nucleorum mali armeniani ana.* ℥iiij. *aſellorum vivor. lumbricor. terreſtr. mundat. ana.* ℥j. *vini alb. q. ſ.*

Coquant. in MB. ad conſumptionem humidit. aquæ, & poſtea oleum colatum uſui aſſervetur.

Mitigat dolores hæmorrhoidales, tumidiſque hæmorrhoidibus dum medetur, durities etiam earum non parum remollit.

Oleum Hirundinum ex *Pharm. Londin.*

℞. *Hirundines integras n. ſedecim, Chamameli, rutæ, plantaginis majoris, minoris, foliorum, lauri, pulegii, anethi, Hyſſopi, roriſmarini, ſalviæ hyperici, Balſamitæ an. m. j. olei communis* ℔iiij. *vini hiſpanici* ℔j. *confice ſecundum artem.*

Si verò tantum butyri majalis accipiatur quantum olei, & prædicta cum eo coquantur; unguenti & nomen & conſiſtentiam acquiret.

Oleum Hyoſciami è *Pharm. Aug.*

Semina hyoſciami contunduntur, torrentur & exprimuntur. Dioſcorides ex ſemine hyoſcyami albi recentis, & ſiccati, aquâ calidâ conſperſo, tritoque hoc oleum parare docuit. In phlegmone & exulceratione partium pudendarum utriuſque ſexus præ reliquis locum habet.

Oleum Hyperici è *Pharm. Aug.*

℞. *Florum hyperici ad maturitatem ſeminis ferè accedentium contuſorum* ℔iij. *croci* ℈iiij. *olei clari* ℔ij. *poſt factam trium dierum macerationem, bulliant ad humiditatis aquoſæ conſumtionem, poſtea exprimantur, & expreſſum commiſceatur cum terebinthina clara* ℔j.

Calefacit & ſiccat, eſſentiæque eſt tenuis, unde ad omnes dolores à frigido contractos adhibetur, & anodynum exſiſtit, iſchiadicis præterea & varicibus utiliter adhibetur, contra dentium dolorem, podagram, chiragram, articulorumque dolores ſalubre remedium, nervorum puncturis & vulneribus efficax eſt, & illitu ac fotu convulſiones prohibet, ambuſtis cicatrices ducit, & vulnera glutinat.

Oleum Hyperici compoſitum è *Pharm. Londin.*

℞. *Vini albi odori* ℔j. *ſummitatum hyperici, cum floribus & ſeminibus* ℥iiij.

Trita macerentur in vaſe vitreo, obturato ejus orificio, totum triduum, in olei olivarum veteris ℔j. *ad ſolem, vel balnei calorem, & exprimantur. Fiat eodem modo, vino non addito, ſummitatum hyperici ſecunda infuſio & tertia. Tertium demum, poſt vinum coctione ferè abſumptum, exprime; additiſque terebinthinæ* ℥iij. *croci* ℈j.

Rurſus parum coque, & repone.

Hyperici magis compoſitum ex *eadem Pharm.*

℞. *Vini albi generoſi,* ℔iij. *florum recentium hyperici cum ſeminibus m* iiij.

Tere, & macera in vitreo vaſe arctè clauſo; biduoque exacto, coque B. M. & validè exprime: in colaturam novas injice ſummitates, tertioque idem facito, Tertiæ autem colaturæ ſingulis libris affunde.

Olei veteris ℔iiij. *Terebinthinæ* ℥vi. *olei abſinthii* ℥ij. *dictamni, Gentianæ, cardui benedicti, tormentillæ, carlinæ, vel cardui mariæ, calami aromatici, tritorum an.* ʒij. *lumbricorum, pluries in vino albo lotorum,* ℥ij. *inſolentur quinque aut ſex ſeptimanas, & bene obturata reponantur.*

Oleum Hypnoticum *Zvvelfferi*, ex ejus *Pharm. Reg.*

℞. *Olei nymphea, juxta n. modum facti* ℥ij. *ſeminis papaveris expreſſi* ℥iß. *Hyoſcyami expreſſi* ℥ß. *his mixtis oleis immergantur ſequentia inciſa & contuſa: utpotè, croci Auſtriaci* ʒij. *majoranæ recentis* ℥ß. *ladani optimi* ʒij. *opii Thebaici* ʒiß. *vini albi boni* ℥j.

Facta maceratione brevi, fiat, in alembico, ſuo capitello munito, una ſaltem atque altera ebullitio: ea, quæ tranſit, paucula humiditas, reaffundatur, cum omnia refrixerint: fiat pòſt colatura, cum forti expreſſione; expreſſum à pauxilla humiditate, prægreſſa aliquali maceratione, per reſidentiam ſeparetur: Cui ultimo adde, & in eo liquefac. *Olei nucum moſchat. expreſſi* ℥ß. *ligni rhodii ſtill.* ʒiß.

Reponatur uſui in vaſe benè clauſo. Præſtans eſt oleum ad ſomnum conciliandum, fronti temporibus, ac naribus illitum; inflammationibus capitis, & podagricis doloribus ſedandis, perquàm ſalutare eſt. Doloribus etiam colicis, dyſenteriæ, lienteriæ, cùm externè inunctum, tum clyſteribus immixtum, cum ſummo emolumento ſubvenit.

Oleum Jaſminum è *Pharm. Aug.*

Fit ex floribus Iaſmini, & oleo nucleorum Ban, *vulgò* Ben *dictorum, vel etiam oleo amygdalorum dulcium: goſſypium nempe carptum oleo imprægnando, & cum floribus Iaſmini recentibus aliquoties ſtratificando, tandemque exprimendo.*

Uſus ejus potiſſimum nobis eſt ad odoris gratiam; quamvis nec medicas ei vires denegemus, quas cephalicas & cordiales poſſidet.

Jaſminum aliud ex *eadem Pharmac.*

Fit ex floribus Jaſmini, & oleo veteri claro, ut eſt oleum cheyrinum.

Frigidis affectibus adfert remedium, unde partibus calefactionem & relaxationem deſiderantibus utiliter adhibetur, chamæmelino aut cheyrino viribus proximum.

Oleum irinum Meſuæ è *Pharm. Aug.*

℞. *Radicum ireos* ℔iij. *florum ejuſdem* ℔vi. *macerentur in decocto aliarum radicum ireos quantum ſufficit;*

ſufficit; poſtea addantur olei veteris ℔ j. *coquantur & exprimantur.*

Vim habet calefactoriam & emollientem, roborat, tenuat, reſolvit, tergit, & maturat, convulſionibus efficax, aurium ſonitus tollit, quæ in Thorace ſunt & pulmone concoquit, aſthmaticos juvat, tuſſim compeſcit, ſtrumas diſſipat, alioſque Tumores duros hepatis & ſplenis, articulorum dolores & durities emendat; facit ad inteſtinorum tormina ac ilei cruciatus, naribus illitum deſtillationibus & ozænis medetur. Datur iis qui cicutam, coriandrum, aut fungorum venenum hauſerunt, ut præſentiſſimum Alexipharmacum.

Oleum Irinum aliud ex *Pharm. Londin.*

℞. *Radicum Iridis Florentinæ* ℔iij. & ℥iiij. *florum liliorum alborum, abjectis unguibus flavis,* ℥xv. *radicum cyperi recentiorum* ℥vi. *helenii* ℥ij. *Anchuſæ* ʒij. *cinnamomi, ſpicæ nardi, aſæ odoratæ, ſive Benzoini an.* ʒj.

Contuſa, ut decet, omnia, in ſole, calidove loco, macerentur in olei veteris, ℔xv. aquæ fontanæ ℔iiij. & ß. poſt quartum diem coque in B. M. & abſumptâ aquâ, cum refrixerint, premendo cola, & repone.

Oleum Lacertarum contra hernias *Zvvelfferi* ex ejus *Pharm. Reg.*

℞ *Olei nucum Jugland. recenter expreſſi* ℔iij. *cui immergantur lacertarum viridium num. xxv.*

Et in eo ſuffocari & emori permittantur. Digerantur in vaſe vitreo, per diem integrum; coquantur deinde in alembico vitreo, appoſito capitello, affuſa humiditate, quæ pertranſiit, ubi omnia refrixerint. Fiat dein colatura, abjectis lacertis: oleum ſervetur ad curandas hernias præſtantiſſimum: ſecretum ſane, non-niſi magnorum Principum; qui cur id multa annorum ſerie latere voluerunt, ignoro. Inungitur eo locus affectus, ubi inteſtinorum eruptio ac provolutio deprehenditur, prius repoſitis inteſtinis, ſuperimpoſita dein particula omenti cujuſque animalis, hoc oleo illita, ac inſperſis pulviſculis adſtringentibus, fit ligatura apto cingulo, ad prohibendam ulteriorem inteſtinorum irruptionem & verò, licet (prout ſecreta hujus olei deſcriptio fert,) lacertarum maceratio, uno menſe inſolando, peragi deberet, ad conciliandam, ipſa mora, infuſo efficaciam; eam tamen non approbo. Tanto enim tempore lacertæ, quæ à primæ, qua deſcendunt, geneſi, corruptioni vel maximè obnoxiæ ſunt, (utpote è putri generatæ) cooperante cùm ſolis, tum olei, calore, & fluida omnium ſubſtantia, ad ſummum putredinis gradum, & cadaveris peſtilens miaſma, deducerentur; ut unde remedium, & ſecretum præſtolaremur, arcano nos toxico & peſtilenti fracedine, periclitari deprehenderemus. Accedit, quòd ſpiritus vitæ, ſeminalis lacertarum, tam diuturnâ maceratione fatiſcat, & diſpereat: cùm tamen (me ita philoſophante) ejus præſentia, ad effectum talem producendum, unicè deſideretur. Hæc enim conſolidatio, & cura, nequaquam ſenſibili, materiali, aut conſpicua, actione perficitur; ſed influxu purè ſpirituali, ac actione ſympathetica; quatenus activitas terroris alieni, & ſpiritus mumialis lacertarum, per ejuſmodi imagines, ac phaſmata, ſpiritus vitales microcoſmi, vel ipſas partes operativas viſcerum, & partium, determinant, ut, juxta connaturalem, ac propriam ſibi impreſſionem, ſe contrahant, & claudant, ac peregrinum ſpiritum arceant; unde naturaliter dein ſolidatio partis, & optata ſanitas exoritur: quod non contingeret, ſi ſpiritus hic lacertarum, prævia animalis corruptela, migraret, aut formæ cadaveritatis ſuccumberet. Quare, ut hæc peritonæi conſtrictio, ac herniarum cura, felicius ſuccedat, brevem lacertarum macerationem ſuaſerim. Sufficiat, te ſpiritum, ſuffocato in oleo inſecto, ſuperſtitem, compendioſo labore nactum; nec ſalubrius quid à cadaveroſo miaſmate præſtolere & licet ſcorpius (qui tamen ſolidior lacertis eſt, & non facile putreſcit) diu in oleo, uti & ſcarabæi, ſupereſſe videantur; ſuadet tamen ratio, & eos maturius eximere, ut tantò purius oleum nanciſcaris, vitam, & ſpiritus ipſius animalis poſſidens.

Oleum Laurinum è *Pharm. Aug.*

℞. *Baccarum lauri recentium electarum maturarum & contritarum quantum voles. Ea in aqua coquantur, colentur & exprimantur; cui expreſſo, poſtquam refrigeratum fuerit, oleum ſupernatat.*

Vis ejus calefactoria vehemens, molliens, tenuans, aperiens, diſcutiens, exſiccans, intemperiem omnem partium frigidam ſolam, aut cum pituita & flatibus ſanat, cerebri, nervorum, articulorum, ventriculi, inteſtinorum, præſertim coli, hepatis, lienis, renum, & uteri affectibus frigidis medetur, ac dolorem his ſuccedentem abolet, rigori febrili ſpinæ dorſi illitum, paralyſi, nervorum vitiis, algoribus, iſchiadicis, capitis doloribus inveteratis ac deſtillationibus auxiliatur, auribus illinitur; renum morbis frigore contractis ſuccurrit, laſſitudines diſcutit, ſcabie infeſtatis, & aſpera impetigine laborantibus in balneo inunctum medicatur. Fugiendum tamen in ſcabie, aut impetigine inflammationem minante, & calidis ac bilioſis naturis, vermes & pediculos enecat, capitis furfures, ophiaſim, & alopeciam delet, capiti tamen calido non admovendum.

Oleum Liguſtrinum Meſuæ è *Pharm. Aug.*

Fit ex floribus recentibus liguſtri, cum oleo, ad modum olei chamamelini.

Arabibus de Alcanna dicitur, nobis liguſtrinum, quod ex liguſtri floribus fiat. Calefacit & moderatè adſtringit emolliendi vim habet; vulvæ ac nervorum affectibus ſubvenit, pleuriticis, opiſthotonicis, & angina laborantibus ſuccurrit, capillos à canitie vindicat.

Oleum Liliorum alborum ſimplex è *Pharm. Aug.*

℞. *Liliorum alborum florum, abjecto quod croceum eſt, olei an.* ℔ ij. *macera & inſola per dies octo, poſtea coque & exprime.*

Dicitur & crininum, lilinum, ac ſuſinum, reſolvit, digerit, concoquit, dolores à frigore, Thoracis, ventriculi, coli, uteri, renum, veſicæ, & nervoſarum partium ſedat, ac mitigat, convulſionibus prodeſt, colicis item doloribus inunctum aut ſuppoſitum confert, utile eſt cum primis muliebribus malis, uteri ſuffocationes & durities ſolvens, gravidis ad facilem partum auxilio eſt, ulcera capitis manantia, furfures, varos, fervidaſque eruptiones ſanat, vibices, cicatriceſque celerrimè ad colorem reducit, & omnem inflammationem cum vitellis ovorum inunctum diſcutit.

Liliorum compoſitum Meſuæ ex *eadem Pharm.*

℞. *Maſtiches, calami aromatici, coſti, carpobalſami an.* ℥j. *caryophyllorum, Cinnamomi an.* ℥ß. *croci* ʒiij. *omnia poſt ſufficientem macerationem in olei liliorum alborum ſimplicis* ℔ij. *colentur.*

Oleum Liliorum convallium è *Pharm. Auguſt.*

Fit ex floribus liliorum convallium, & oleò claro, ut oleum liliorum ſimplex.

Spaſmo, convulſioni ac tremori, aliiſque frigidis nervorum noxis ſuccurrit, puerulorum item tormina mitigat.

Oleum Seminis lini è *Pharm. Aug.*

Lini ſemina contuſa & aſſata exprimantur.

Viribus proximum chamæmelino & Anethino, Anodynum eſt, convulſionem curat, articulorum, muſculorum, nervorum, ac cervicis duritiés mitigat, ani affectibus confert, abſceſſus ejus, fiſſuras & hæmorrhoidum dolores curans. Manardus pleuriticis linctu aut potu exhibebat; quod magnopere probavit Geſnerus, qui in epiſtola quadam ad Clar. Adolphum Occonem hunc in modum ſcripſit; jam quater aut quinquies feliciter propinavi, primùm bis antè ſeſquiannum in pleuritide cruda & maligna, jam deſperatis fere virgini & mulieri, quarum unaquæque mox magna admiratione mera reſtitui cæpit. Poſtea juveni in morbo quodam interiore incognito fere nec ſatis jam memini, etſi annotavi. Quartò in tuſſi ac dipſnæa ante paucos dies mulieri Gutturoſæ, quæ heri ad me venit, & pro hoc conſilio gratiàs egit. Omnibus paulò poſt ſoluta alvus eſt ſatis copiosè. Tres aut quatuor uncias una vice bibi jubeo. Odoris quidem ejus gravitas pleriſque adeo moleſta eſt & faſtidioſa, ut ſecundo ſumere nollent, ſed nullum periculum, nullum incommodum ſequitur, & medicus neceſſitatem in graviſſimis morbis, non voluptatem ſumentium, ſpectare debet. Si ritè pureque paretur, & medicus domi haberet, confidentius dari poſſet, etſi Braſſavolus non admodum laudet; ego pro cognita feliciſſima, & admiranda ejus facultate Deo gratias ago. *Hactenus Geſnerus.*

Oleum Lucatelli è *Pharm. Londin.*

℞. Ceræ citrinæ opt. ℔j *liqueſcat miti igne in pari quantitate vini canarini. Dein adde olei olivarum opt. Terebinthinæ ven. in aqua roſarum ad albedinem lotæ an. ſeſquilibram. Bulliant leni foco ad vini evaporationem. Demum ab igne ſemotis inſperge ſantali rubri ſubtil. pulv.* ℥ij. *continuo agitando donec refrixerint.* F. balſamum.

Oleum Lumbricorum ſimplex è *Pharm. Auguſt.*

℞. Lumbricorum terreſtrium ℔ß. *laventur in vino, deinde immittantur in olei roſati* ℔ij. *coquantur ad humidi aquoſi conſumtionem.*

Anodynum eſt, & cujus fotu nervi recreantur, unde in nervorum vulneribus, eorundemque reſolutionibus utile illud experimur.

Lumbricorum compoſitum ex *eadem Pharm.*

℞. Olei lumbricorum ſimplicis ℥iij. *Florum hyperici* ℥j. *ſtillatitii roriſmarini* ℈j. *miſce. Servetur ad uſum.*

Viribus cum ſimplici convenit, ad ſupradicta tamen majoris efficaciæ compertum habemus.

Oleum Mandragoræ è *Pharm. Aug.*

℞. Corticum rad. Mandragoræ ℔j. *capitum papaveris nigri* ℥vi. *contundantur & coquantur, in aqua ſufficienti, colato decocto addantur ſuccorum Hyoſcyami albi* ℥ij. *cicutæ teneræ* ℥j. *olei violarum* ℔ij. *opii, ſtyracis calamitæ an.* ℥ß.

Succi cum oleo coquantur ad humiditatis aqueæ conſumtionem, & colentur, addendo tandem ſtyracem & opium.

Commendatur ad omnem inflammationem extinguendam, ſomnum conciliandum, capitis dolores ſedandos, phreneticis, febricitantibus, & vigilantibus conveniens, fronti, temporibus, ac naribus illitum.

Oleum Maſtichinum Meſuæ è *Pharm. Aug.*

℞. Olei roſati ℔j. *in qua diſſolve Maſtiches* ℥iij. *fiat colatura.*

Mediocriter calefacit, adſtringit, & emollit, ventriculum firmat, illitum in lienteria & intemperie frigida ſicca ſalubre exſiſtit, ad cæliacorum, ſtomachicorum ac dyſentericorum cruciatus utile, tumores duros lenit cerebrum, nervos, & juncturas roborat, phlegmonis gingivarum, linguæ & totius oris medetur.

Oleum Meliloti è *Pharm. Londin.*

Oleum meliloti, ex herbæ ſummitatibus, eodem modo, ut chamæmelinum, paratur.

Oleum Menthæ è *Pharm. Aug.*

Fit ex mentha domeſtica criſpa, cum oleo, ut oleum de abrotono.

Ventriculo imbecillo & refrigerato adhibetur, eum namque calefacit, roborat, nauſeam abigit, vomitionem ſiſtit, adpetentiam excitat, & concoctionem promovet.

Oleum Momordicæ.

Oleum momordicæ, & pomorum amoris fiunt; ſi poma infunduntur in oleo amygd. dulc. vel hyperici, ac inſolatur.

Oleum Moſchelinum Nicolai Alexandrini è *Pharm. Aug.*

℞. Olei puri ℔vi. *macis, nardi indicæ, coſti, maſtiches an.* ℥iß. *ſtyracis calamitæ, croci, myrrhæ, cinnamomi, caſſiæ ligneæ veræ an.* ʒvi. *carpobalſami, caryophyllorum, Bdellii an.* ℥ß. *nuc. moſchat. numero duas.*

Omnia poſt biduam macerationem in vaſe probè tecto, leni arenæ calore factam colentur, & addatur moſchi in particula ſpiritu roſarum ſoluti ʒj.

Μοσχέλαιον potius dicendum à moſcho, qui ejus compoſitionem ingreditur. Frigidis affectibus eſt præſtantiſſimum ventriculo præſertim debili, quem roborat & calefacit, dolorem lateris illitum ſanat, ſtrangurioſis, colicis, ac nervorum omnibus propè vitiis confert, pomis odoratis cogendis eſt aptiſſimum.

Oleum idem ex *Pharm. Londin.*

℞. Nuces moſchatas numero duas, moſchi ʒß. *folii ſeu macis, ſpicæ nardi, coſti, maſtiches, an.* ʒvi. *ſtyracis calamitæ, caſſiæ ligneæ, myrrhæ, croci, cinnamomi, caryophyllorum, carpobalſami vel cubebarum, Bdellii an.* ʒij. *olei puri* ℔iij. *vini generoſi* ℥vi.

Terantur ex arte & confusè miſta, ſenſim, dum vinum evaneſcat, bulliant; admiſto ſ. a. moſcho, poſt colaturam.

Oleum

Oleum Mucaginum è *Pharm. Amſtelodamenſi.*

℞. *Rad. althææ recentium inciſarum* ℥iiij. *ſcillæ recentis contuſæ.* ℥j. *ſem. fœnugræci, lini, integrorum an.* ℥iß.

Macerentur in ſ.q. aquæ: deinde leniter coquantur, donec remittant craſſam & viſcoſam mucilaginem, cui adde.

Olei anethini, chamæmelini, liliorum alborum an. ℥xvi.

Coquantur ſimul ad humiditatis aqueæ conſumtionem, ſubindè agitando ne adurantur.

Oleum Myræleum ſeu pigmentatum ex *Renodæo.*

℞. *Summitatum botryos herbæ granulis onuſtarum m. iij. baccarum botryos fruticis* ℥viij. *vini albi optimi* ℔ß. *olei boni* ℔iß.

Miſce, & ſeptem dies inſolа: deín in balneo mar. ſimul tandiu totum incaleſcat, ut vinum vaneſcat: expreſſum oleum ſervandum.

Oleum Myrrhæ è *Pharm. Londin.*

Ova aliquot recentia coquantur donec induruerint; per mediam longitudinem incidantur, vitelli eximantur, cavitates myrrhâ tritâ impleantur, & denuo conjungantur albumina, filoque parum conſtringantur, & craticulæ inter duas paropſides collocatæ imponantur. Tum in cella vinaria, vel alio loco ſubterraneo & humido ponantur. Sic enim myrrha liquatus humor in paropſidem inferiorem deſtillabit.

Oleum Myrtillorum è *Pharm. Aug.*

℞. *Olei olivarum* ℔iij. *myrtillorum* ℔j. *myrtilli contundantur, atque ſi exſiccati fuerint, vino conſpergantur, poſtea cum oleo ad humiditatis aqueæ exhalationem coquantur & colentur.*

Adſtringit & refrigerat, cerebrum, nervos & ventriculum roborat, viſcerum phlegmonis utile, gingivis, dolori dentium, dyſentericis, cæliacis, vulvæ exulceratæ, ulceribus vetuſtis vel manantibus, cum ſquama æris & cera medetur, attrita, furfures, rhagades, condylomata, articulos luxatos, & omnia quæ adſtrictionem deſiderant. Hæmoptoicis, & ſanguinis ex pectore rejectioni confert; & ad arcendam phlegmonem in ulcere pulmonis Gal. illinit, capillorum defluvium prohibet, adjecto præſertim ladano, Galen. I. de comp. med. ſec. loc. cap. 2.

Oleum Myrtinum è *Pharm. Auguſt.*

Oleum Myrtinum fit ex foliis myrti, ut myrtillorum oleum.

Eaſdem ferè vires obtinet, quas oleum myrtillorum; adſtringit enim & roborat.

Oleum Narciſſinum è *Pharm. Londin.*

Fit ex floribus recentibus narciſſi albi, & oleo, ut roſaceum.

Oleum Nardinum ſimplex è *Pharm. Aug.*

℞. *Olei ſeſamini* ℔iß. *ſpinæ nardi aromaticæ* ℥iij. *poſt factam digeſtionem colentur.*

Calefacit, tenuat, digerit, modice adſtringit, quocirca auxiliatur ſtomachicis, cæliacis, deſtillationi ac Thoracis vitio obnoxiis, ventriculum firmat, & coctionem procurat, viſcerum phlegmonis, jecoris inflammationi, ac pulmonum ulceribus medetur, cerebri & nervorum frigidos affectus ſanat, ac aurium dolores mitigat, Tremulis & paralyticis ſummum eſt remedium, uteri præfocationes, & Tumores ſuppoſitum diſcutit, aut etiam injectum veſicæ dolori, renumque calculis opitulatur.

Oleum Nervinum *Zwelfferi* ex ejus *Pharm. Regia.*

℞. *Olei olivarum recent. non rancidi* ℔iij *cui immergantur, ſucceſſu temporis, inciſa & contuſa ſequentia.*

Gemmar. populi arbor. recent. ℥vi. *ſummitatum Abietis, vel laricis arb.* ℥iij. *vel* iiij. *herb. recent. calaminth. mont. majoranæ, meliſſæ, ivæ arthriticæ, origani, ſalviæ min. Thymi, flor. recent. chamomillæ, lavendulæ, ſpicæ an.* ℥ij. *baccarum lauri, Juniperi virid. an* ℥. ß.

Macerentur ſeptimanâ unâ, vel alterâ, donec omnia collecta & immerſa ſunt. Poſtmodum ebulliant parùm, in alembico vitreo, capitello ſuo munito, ut particula, quæ prodit, humiditatis reaffundi queat. Tum fiat colatura, & fortis herbarum expreſſio; oleo autem expreſſo ulteriùs adde.

Lumbricorum terreſtrium vivorum & lotorum ℥viij. *& facta adhuc unica ebullitione, in alembico, uti anteà ſuo capitello appoſito; denuo coletur: colato vero oleo ſuperadde.*

Olei ſtill. majoranæ, ſalviæ an ʒij.

Fiat oleum nervinum efficaciſſimum. Si ipſa hujus olei nervini, ut & aliorum præcedentium & ſubſequentium oleorum, ingredientia & præparationes, inſpiciantur, & accuratè conſiderentur, ſuſpenſa hedera revera opus non fuerit; quamobrem, in encomiis recenſendis non eſt, ut longus ſim, ſufficit hic, dixiſſe, quòd hoc oleum ſit præſtantiſſimum in omnibus nervorum affectibus frigidis: quod tamen, tantum abeſt, ut nimiopere calefaciat, ut potius virtute roborante, confortante, & penetrante, egregiè polleat.

Oleum Nervinum Slotani.

℞. *Olei olivarum* ℔vi. *catulorum junior. n. ij. ranarum viv. n. xii. lumbricorum* ∇ *loter. m.* iv. ∇ *juniperi abſque vino deſt.* ℔iij.

Coquantur omnia leni igne, donec caro catulorum ab oſſibus ſeparetur, & humiditas omnis fere conſumpta ſit. Tum colato oleo adde.

Axungiæ human. olei ſcorpion. amygd. d. muris alpini an. ℔ß. *m. & in olla capaci inditis adde recent. gemmar. populi nigr.* ℔iij. *flor. prim. veris. Tuſſilag. Bethonic. Geniſt. hiſp. Chamom. rom. violarum, lilior. Conv. lavendulæ, ſambuci, Anethi, ſalviæ, cheiri, rutæ, ſerpilli, Anthos, cent. min veronicæ, origani, Tanaceti, liguſtri, Agrimon. pulegii, meliloti, verbaſci, Abſinth. vulg. roſar. r. an. m. j. hypericonis nondum penitus apertorum* ℔iij.

Flores omnes ab herbis ſeparati oleo immittantur, alias videſcet & oleum, quod alias rubicundum eſſe debet ex flor. hyperici: flores ſucceſſive prout per æſtatem florent oleo immittuntur, vaſe interea clauſo, donec omnia probe infuſa ſteterint: Tum oleum tandem decantatur & aſſervatur.

Oleum Nardinum compoſitum Meſuæ è *Pharm. Aug.*

℞. *Spicæ indicæ* ℥iij. *majoranæ* ℥ij. *ligni Aloës, Enulæ, macis, calami aromatici, foliorum lauri, cyperi, ſchænanthi, cardamomi an.* ʒiß.

Contundantur omnia craſſiuſculè, deinde cum olei ſeſami ℔ iij. aliquandiu macerentur & colentur.

Oleum Nicodemi è *Pharm. Londin.*

℞. Seminum, ſeu ſummitatum hyperici, Terebinthinæ veteris an. ℔j. *lithargyri* ℥vi. *Aloës hepaticæ, tutiæ Alexandrinæ an.* ℥iij. *croci* ℥j. *vini albi optimi* ℔ iiij. *olei veteris* ℔ ij.

Abſumptâ quartâ vini parte per lentam omnium in balneo coćturam; alicubi, in arena, ſoli caniculari exponantur & per pannum candidum poſt decimum diem, colentur, ſeorſumque à vino ſerventur oleum.

Oleum Nicotianæ ex *eadem Pharm.*

℞. Succi nicotianæ ſive Tabaci aut peti. Olei communis an. ℔j. *macerentur & coquantur ad ſucci abſumptionem* item.

Fit Oleum nicotianæ, ex ſucci nicotianæ, & olei communis, an. partibus æqualibus, in balneo ſ.a. coctis.

Oleum Nucum juglandium.

Conficitur ut oleum Amygdalorum amarorum.

Flatus craſſos diſſipat, tumores diſſolvit, nervis punctis cum calce lota utiliter adhibetur, ſcabiei medetur, & variis vitiis cutaneis.

Oleum Nucis moſchatæ.

Nuces moſchatæ radula attritæ, aut conciſæ, & diligenter contuſæ, aquæ calidæ vapore irrigantur, ex quibus poſtmodum, dum adhuc calent, oleum exprimitur.

Ori ventriculi inunctum mirè eum roborat, deglutitum calefacit mediocriter, & Anhelitum commendat, illitum Veneris tentiginem excitat, ſtomachicis quoque frigida & humida intemperie laborantibus conducit.

Oleum Nucis Indicæ.

Paratur ut oleum nucis moſchatæ.

Nervorum dolori confert, Thoracem & pulmones lenit, clariorem vocem facit, impinguat, ac genitale ſemen auget. Hodie ferè uſurpatur ad conceptus procurationem nec non ſeminis incrementum.

Oleum Nucleorum perſicorum.

Præparatur ut oleum Amygdalorum amarorum.

Obſtructa aperit, aurium & ſedis ab hæmorrhoidibus dolores ac tumores ſanat, lumbricos enecat, in renum affectibus injectum & epotum valere adſerit Manardus.

Oleum Nymphææ è *Pharm. Aug.*

Fit ex floribus Nymphææ, ad modum olei de Abrotono.

Refrigerat, cephalalgiam ex febrium incendio, indeque enatum delirium. Papaverino mixtum, mitigat, inſomnium abigit, urinæ ardori, intemperiei calidæ renum, eorumque ulceri, & veſicæ commodum, illitum aut injectum, gonorrhœam arcet, & tentiginem propellit, genitalibus illitum.

Oleum Olivarum commune.

Exprimitur ex olivis maturis; ſed è carne ſive pulpa, non è nucleis.

Oleum Omphacinum.

Fit ex pulpa olivarum, ſed ante maturitatem.

Oleum Othalgicum D. *Le Mort.*

℞. Ol. Amygd. amar. papav. alb. Terræ an. ℨij. *petræ* ℨj. *roriſmarini ſtill.* ℈ij. *camphor.* ℨß.

Dolores aurium ſedat, ſurditati confert, nervorum affectibus frigidis ſuccurrit.

Oleum è granis Pæoniæ è *Pharm. Aug.*

Præparatur ut oleum è granis citri.

Uſus ejus tam intra corpus quàm extra in epilepſia & ſimilibus morbis præclarus exſiſtit.

Oleum Papaverinum, è *Pharm. Aug.*

℞. Capitum papaveris, foliorum papaveris, florum ejuſdem an. ℔j *contuſa infundantur in olei* ℔ iij. *poſtea ſufficienter coquantur & colentur.*

Intemperiem calidam ſanat, febrium ardores ac inſomniam mitigat, fronti, auribus, naribus, & temporibus illitum, ſomnum conciliat, aſperam arteriam lenit, renumque doloribus ex intemperie calida medetur.

Oleum è Papaveris albi ſemine ex *eadem Pharm.*

Præparatur ut oleum ſeminis hyoſcyami.

Utile eſt anodynum ad ardorem febrium mitigandum, fronti & temporibus adpoſitum ſomnum conciliat, & dolores capitis tollit.

Oleum Antipeſtilentiale Ludovici de Leonibus ex *Weikardo.*

℞. Ol. Terebinth. laurini, Abietis an. ℔ß. *Gummi elemi* ℥ij. *hederæ* ℥iß. *Thur.* ℥j. *ligni Aloës* ℥ß. *maſtich. myrrh. ladan. ſagapen. caſtor. an.* ℥iiß. *galang. cinam. caryoph ll. nuc. moſch. cubebar. Zedoar. an.* ℥j. *opoponac.* ℥j. *reſinæ pini, picis navalis an.* ℥ß.

Terantur terenda, & in vaſe vitreo poſita ſtent per menſem in putrefactione, poſtea lento igne deſtillentur, hoc ſi indicium peſtis appareat non ſolummodo corrigendum, ſed etiam pulſus regio ſcilicet temporum, brachiorum & pedum. Quod oleum Ludovicus practicus magni nominis Bononiæ, Regi Matthiæ Hung. mille nummis aureis Ungaricis acceptis præſcripſit, cujus tamen uſus cum valde ſit calidum non omnibus convenit.

Oleum de Piperibus Meſuæ è *Pharm. Aug.*

℞. Piperis longi, albi, nigri, an. ℨiij *myrobal. chebulorum, emblicorum, indorum an.* ℨ *. radicum apii, fœniculi an.* ℨiiiß. *Turbith.* ℨij. *Zingiberis* ℨiij. *ſummitatum hyſſopi, rutæ viridis an. m j.*

Coquantur in quantitate aquæ ſufficienti ad tertias. Colaturæ adde *olei Amygdalorum dulcium* ℔ j. Recoque ad conſumtionem aquæ, in fine addendo ſequentia Gummia in aceto diluta: *ſagapeni, opopanacis, ammoniaci an* ℥iiß.

Cerebri & nervorum frigidas noxas propellit, quia calefacit, tenuat, abſtergit, diſcutit, aperit, eoque nomine calculo medetur; ad paralyſin, ſpaſmum, tremorem, epilepſiam, uteri, coli, renum ac veſicæ affectus frigidos & articulorum dolores adhibetur, menſes evocat, & ventriculum imbecillum firmat.

Oleum

Oleum ex Piſtaciis & Pineis è *Pharm. Aug.*

Exprimuntur ut alia olea è ſeminibus & nucleis expreſſa.

Hepatis & renum dolores potenter leniunt, impinguant, ſemen augent, ventriculo non ingrata, Tuſſim & Thoracis dolorem compeſcunt, ac intemperiem emendant.

Oleum Polychreſtum è *Pharm. Londin.*

℞. Spiritus vini ℔ ißs. *ſarſæ parillæ albæ & medulloſæ inciſæ* ℥v.

Infunde in vaſe vitreo, donec ſpir. v. colorem aureum induerit, tum colaturæ adde Gum. Guajaci, leni calore in eadem (agitatione ſubinde facta) ſolvendi ℥viij. demum adde Balſami Indici, ſive Peruani, cochlear unum. M. F. Balſamum.

Oleum Populinum Nicol. Alexandrini è *Pharm. Aug.*

℞. Olei communis ℔vij. ℥j. *Gemmarum populi arboris recentium, veris initio collectarum* ℔iij.

Gemmæ populi terantur & macerentur in oleo, poſtea coquantur ad conſumtionem humiditatis aqueæ, colentur & exprimantur.

Emollit, Tenuium eſt partium & calidum, arthriticis ac podagricis utile.

Oleum purgans *Zvvelfferi* ex ejus *Pharm. Reg.*

℞. Olei lini recenter expreſſi ℔ißs. *huic immergantur ſequentia minutim inciſa & contuſa.*

Rad. recent. brioniæ, aſari, cucum. aſinini an. ℥ißs. *rad. recent. hormodact. ireos noſtrat. eſulæ an.* ℥j. *herb. recent. Anethi, gratiolæ, malvæ, mercurialis, Tanaceti, an.* ℥ij. *corallinæ* ℨvi. *flor. recent. roſarum pallidarum, myrthæ rubræ, Aloes hepaticæ an.* ℥j. *pulpæ colocynthid. ſem. Cynæ, cataputiæ, Ebuli an* ℨvi.

Facta maceratione, die una vel altera, bulliant leniter, ad conſumtionem ferè humiditatis; colentur poſtea, exprimanturque ſpecies fortiter: ſeparetur oleum purum per reſidentiam: quod ad uſum ſeponatur; addendo tamen ultimo *Camphoræ* ℈ißs.

Solvit alvum, umbilico inunctum, vel petia in eo intincta, & umbilico, aut toti ventri, ſuperappoſita: enecat vermes, eoſque expellit, delicatis, purgantia interna abominantibus, puellulis, à ſymptomatibus vermium quaſi inſenſibilibus, aut medicamenta intrinſeca reſpuentibus, proficuum.

Oleum aliud purgans ex *eodem.*

Conficitur & aliud purgans oleum, per expreſſionem, ſumendo nimirum ſemin. cataputiæ ℥ij *carthami, cucumeris aſinini an.* ℥iij. *ebuli* ℥iiij. *lini* ℥iiij, *vel* v.

Ex his ſimul conquaſſatis, & contuſis exprimatur, modo uſitato, oleum per prelum, fortiter; quod pro uſu ſervetur. Potenter alvum movet, umbilico illitum; educit vermes intantùm, ſi cum linteolis, in eo madefactis, ventri imponatur.

Oleum Ranarum è *Pharm. Aug.*

℞. Ranarum fluviatilium ℔ßs. *olei ſeſamini* ℔ißs. *coquantur uſque ad ranarum diſſolutionem, poſtea colentur.*

Refrigerat, ob id podagram & alias Arthritidis ſpecies calidas mitigat, ac incendium febrium ardentium compeſcit; fronti & temporibus illitum ſomnum conciliat.

Oleum Reſolvens vulgo reſolutivum è *Pharm. Auguſt.*

℞. Radicis cucumeris Aſinini, Bryoniæ, Althææ an. ℔iij. *olei communis* ℔x.

Macerentur aliquandiu, coquantur poſtea ſecundum artem, & exprimantur.

Reſolvit, digerit, mollit, alta penetrat, ac frigidos & contumaces dolores mitigat.

Oleum Roſatum, è *Pharm. Aug.*

℞. Olei communis, roſarum damaſcenarum nondum penitus apertarum & contuſarum an. ℔iiij.

Macera & inſola per dies octo, poſtea cola & exprime. Nonnulli tres inſtituunt infuſiones, pro ſingulis ℥xvi. roſarum recipientes, in ultima verò infuſione roſas relinquentes.

Vim habet repellentem, mitigatoriam, concoquentem, & diſcuſſoriam, inflammationes extinguit, refrigerat, roborat, rheumatiſmos ſiſtit, alvum ſolvit, ventriculo æſtuanti, uteri inflammationi, capitis & meningum cerebri vulneribus ſuccurrit, dolores mitigat, ac ſomnum inducit, in dolore dentium inter initia utiliter adhibetur, ulceribus in capite manantibus, & fervidis eruptionibus illinitur, lumbricos & aſcarides potum deturbat, podagricis doloribus ac inflammationibus, & hæmorrhoidibus commodè illinitur.

Roſatum omphacinum, ex *eadem Pharm.*

℞. Olei omphacini, id eſt, olivarum immaturarum, roſarum rubrarum nondum penitus apertarum an. ℔j. fiat ut oleum roſatum ſuperius deſcriptum.

Roſatum compoſitum Meſuæ ex *eadem Pharm.*

℞. Olei olivarum vulgaris, roſarum rubrarum apertarum & contuſarum an. ℔j. *infuſi roſarum* ℔ßs.

Coquantur ad humidi aquoſi conſumtionem, colentur, & exprimantur.

Oleum Rutæ ex *Pharm. Aug.*

Præparatur ex ruta, & oleo vulgari, eodem modo, quo abrotoni oleum præparare docuimus.

Calefacit, tenuat, & digerit, illitum & cum clyſteribus injectum colicum dolorem ſedat, vitreum phlegma ejiciens, Icterum, renum, veſicæ ac uteri dolores à cauſa frigida juvat, nervorum & ſpinæ reſolutioni, convulſionibuſque medetur & flatus diſſipat.

Linæleum rutaceum ex *eadem Pharm.*

Ex foliis rutæ recentibus & oleo ſeminis lini expreſſo, ſumendo amborum æquales partes, coctione & expreſſione paratur.

Singulare admodum eſt adverſus lienis ſchirros, & duritiem, tumores enim emollit, ratione olei lini, eoſdemque diſcutit ac digerit, ratione rutæ. In enematibus, ubi flatus diſcutiendi, antecedenti præferendum; variis inſuper aliis uſibus in morbis accommodatum exſiſtit.

Oleum Sabinæ.

Fit oleum ſabinæ ſimiliter ut rutaceum.

Oleum Sambucinum è *Pharm. Aug.*

Oleum Sambucinum fit ex floribus ſambuci & oleo clariſſimo, ut oleum Abrotoni.

Lenit, abſtergit, cutim mundificat, ictero & hepati obſtructo confert, articulorum & nervorum doloribus utile,

utile, eos namque roborat, epotum aut injectum alvum irritat, ſeroſaque excrementa per interna educit. Fit quoque ex medio ſambuci cortice ſimiliter macerato oleum, quod ad ambuſta Italis uſui eſt.

Oleum Sampſuchinum; Id eſt majoranæ, è *Pharm. Aug.*

℞. *Foliorum ſampſuchi* m. iiij. *ſerpilli* m. ij. *foliorum myrthi* m. j. *Abrotoni, ſiſymbrii, ſeu menthæ aquaticæ an.* m. ß. *caſſiæ ligneæ veræ* ℥ij. *olei omphacini* ℔ j.

Concidantur & contundantur omnia, poſtea addendo olei olivarum ℔ iij. in vaſe optimè clauſo macerentur ad ſolem, vel alio calore diebus octo; dein exprimantur, &c. expreſſum oleum infundatur, recentibus ſpeciebus, & hoc etiam tertiò faciendo.

Σαμψύχινον acopum eſt, & laſſitudinibus utile, frigidis cerebri & nervorum vitiis prodeſt, ſpinæ in balneo inunctum paralyſin juvat, & ſpaſmum Cynicum naribus immiſſum, aut ore detentum; ſternutamentum leviter ciet; in opiſtotonicorum, & convulſorum cataplaſmata additur, auribus immiſſum tinnitum à flatu diſſipat, menſes, ſecundinas ac partus expellit, uteri ſuffocationi, & ſcorpionum morſibus medetur.

Oleum Sarcoticum D. *Le Mort.*

℞. *Olei lini* ℥ j. *ceræ* ℥ß. *Balſ. craſſ. flor. hyperic.* ʒiij. *ſarcocoll* ℈iij. *Aloës* ℈ij. *Camphor.* ʒß. *ſacch. Saturn.* ʒj. *M. digerantur ſimul in fimo equino per* 14. *dies. Colatura poſtmodum uſui ſervetur.*

Vulnera quæcunque recentia vel mundificata citiſſimè conſolidat.

Oleum Scorpionum ſimplex Meſuæ è *Pharm. Aug.*

℞. *Scorpionum numero triginta, olei amygdalorum amarorum* ℔ij. *macerentur in vaſe vitreo ſtricti orificii per dies triginta, in loco calido, poſtea colatum ad uſus reponatur.*

Veſicæ ac renum calculum diſſolvit, lumbis, pubi, perinæo in ſolii egreſſu illitum, & in porum urinarium immiſſum venenis præcipuè à ſcorpione ictis, ac peſtilentiæ adeo reſiſtit, ut ejus ſolo uſu quendam cum famulitio à peſtilentiæ contagio ſervatum ſcribat Manardus, & ex ſola inunctione aliquos eſſe liberatos, qui ſæviſſima venena biberant.

Scorpionum compoſitum Meſuæ ex *eadem Pharm.*

℞. *Ariſtolochiæ rotundæ veræ, Gentianæ, cyperi, cortic. radicum capparum an.* ℥j. *olei amygdalorum amarorum* ℔ß.

Macerentur in oleo contuſæ radices ad ſolem fervidum, vel alio calore, deindè coquantur aliquantulum, injectis tandem Scorpionibus numero viginti: poſtea excolatum oleum reponatur.

Scorpionum compoſitum Matthioli ex *eadem Pharm.*

℞. *Olei olivarum vetuſtiſſimi* ℔ iij *florum hyperici virentium ac modicè conquaſſatorum* m. iij. *inſolentur ſimul in vaſe vitreo probè obturato, recondita per dies decem vel duodecim, dehinc in calente balneo mariæ macerentur horis viginti quatuor, tum vero colentur & exprimantur.* Hoc facto.

℞. *Flor. hyperici recent. Chamædryos, calaminthæ, cardui benedicti an.* m j. *flor. & herb. prius contuſa oleo admiſceantur, macerenturque in balneo per triduum, poſtea colantur & exprimantur.* Poſt hæc.

℞. *Florum hyperici à caulibus repurgatorum, ac modicè contuſorum* m iij. *ſubmergantur in eodem oleo, ac per triduum itidem in balneo macerentur, colentur & exprimantur, eandem infuſionem readſumptis ſemper recentibus floribus ter vel quater reiterando, donec oleum ſanguineum colorem adquirat.* His peractis.

℞. *Granorum viridium hyperici quod defloruit, in cacumine plantæ natorum in quibus ſemen continetur m. iij.*

Contundantur & vino albo meraco perfuſa in prædictum oleum immiſſa per octiduum inſolentur, poſtea verò tridui ſpatio in balneo macerentur, colentur & exprimantur, laborem hunc novis ſemper readſumptis ſeminibus ter vel quater ſic repetendo, ut oleum obſcuri ſanguinis colorem referat: tunc verò

℞. *Scordii recentis, calaminthæ, centaurii minoris, cardui benedicti, verbenacæ, dictamni cretici an.* mß. *tuſa ac in oleo priore demerſa, per biduum in balneo macerentur, colentur & exprimantur ut ſupra.* Poſtea

℞. *Zedoariæ, rad. dictam i, Gentianæ, tormentillæ, Ariſtol. rotundæ an.* ℥ ij. *ſcordii* m j. *hæc omnia tuſa ut prius in balneo adfuſo priore oleo per triduum rurſus macerentur, colentur & exprimantur: expreſſo & colato huic infunde denuò.*

Styracis calamitæ, laſeris ſeu benzoini an. ʒvi. *baccarum juniperi* ℥ß. *melanthii* ʒj. *caſſiæ ligneæ vel cinnamomi odoratiſſimi* ʒviij. *junci odorati, ſeu ſchænanti, cyperi rotundi an* ʒiß. *ſandali albi* ℥ß.

Contuſa in oleum immittantur, rurſuſque ut antea per triduum in eodem rorido balneo macerentur, tum colatum ac expreſſum oleum calens ſuperinfundatur trecentis ſcorpionibus vivis diebus canicularibus lectis, qui prius vitreo vaſe concluſi, ac calidis cineribus ſuperimpoſiti in iram exarſerint, & ſudare inceperint. Hi unà cum hoc oleo tridui ſpatio in balneo macerati exprimantur, oleumque abjectis ſcorpionibus percoletur.

In hoc rurſum infunde *rhabarbari ſelectiſſimi, myrrhæ, Aloës hepaticæ an.* ʒiij. *ſpicæ indicæ* ʒij. *croci* ʒj. *Theriacæ, Mithridatii an.* ℥ß. *Tundenda contundantur, ac cum cæteris oleo prædicto immergantur, macerenturque ſic ſimul omnia in balneo calente per Triduum, poſtea abſque colatura reponantur in uſum.*

Viperarum, aſpidum, ac venenatorum animalium morſibus auxilio eſt. Pulſibus ac extimæ cordis parti ad ſiniſtram mamillam inunctum, repetita per ternas horas illinitione, omnibus venenis per os ſumtis, ſi modò ea erodentia non fuerint, efficaciſſimè ſuccurrit, quin etiam peſtiferis morbis ſic adhibitum medicatur, nec non ab iiſdem præſervat.

Oleum Scorpionum magnum Auguſtanorum.

℞. *Olei olivarum* ℔ iij. *ſummitatum hyperici* m. x. *ſcordii* m iß. *calaminthæ, cardui benedicti an.* m j. *herbæ contuſæ & in oleo maceratæ coquantur ad humiditatis aqueæ exhalationem. In colatura infundantur*

Rad. Zedoariæ, dictamni albi, gentianæ, Ariſtolochiæ rotundæ an. ʒiij. *Baccarum juniperi* ℥ß. *cinnamomi* ʒvi. *ſchænanti, croci an.* ʒj. *ſtyracis, benzoi. myrrhæ, Theriacæ, Mithridatii an.* ℥ß. *ſcorpionum vivorum numero trecentos. Macerentur per triduum in balneo, vaſe bene tecto, poſtea colentur & exprimantur.*

Cum alterum illud oleum ſcorpionum Matthioli, verè,

verè, ſi compoſitionem & præparationem ſpectes, Magnum dictum, magnos requirat ſumtus & longum pro elaboratione tempus, nec omni cenſura careat; eidem præſens hoc contractius ſubſtituere voluimus; cujus uſus inprimis in febribus malignis externè ſi inungatur, eſſe poterit.

Oleum Seſaminum è *Pharm. Aug.*

Fit ex ſemine Seſami eodem modo, quo oleum papaveris.

Olim ex Alexandria Ægypti Venetias, & inde ad nos comportabatur ſincerum; adulteratur oleo nucum & papaveris. Hodie apud nos paratur ex ſeſamo; clarum eſt & candidum, guſtu in cibis ac dulcedine delicatiſſimum.

Vires. Habet impinguandi, ſemen genitale augendi, aſperitates & duritiees leniendi, ſiquidem aſperam arteriam emollit, ac clariorem vocem reddit, aurium dolores ſanat, & ulceribus quæ ſerpunt, ac mali moris ſunt (cacoëthe vocant) medetur, pectori & pulmonibus confert, pleuritidi adcommodatum, puerorum tuſſim ſedat, cum ſaccharo cantio paulatim deglutitum.

Oleum Sicyonium è *Pharm. Londin.*

Oleum Sicyonium ex radicum contuſarum cucumeris agreſtis, & ſucci ejusdem, an. parte dimidia, olei maturi parte una, coctis in duplici vaſe ad ſucci exhalationem, paratur.

Oleum Solani ex *eadem Pharm.*

Paratur Oleum ſolani, ex baccarum ſolani maturarum parte una, coctarum in olei maturi, vel roſacei, partibus tribus.

Oleum Spermatis ranarum è *Pharm. Noriberg.*

℞. *Olei communis q.v. coquatur cum dimidio ſpermatis ranarum pondere, donec ſtridere deſinat.*

Oleum ſtomachicum Cratonis è *Pharm. Aug.*

℞. *Olei Abſinthii* ℔j. *ſummitatum abſinthii* mj. *caryophyllorum, ſandali citrini an.* ʒij. *roſarum rubrarum, macis an.* ʒß. *maſtiches* ʒiß. *macerentur aliquandiu in vaſe optimè clauſo, & poſt lenem ebullitionem. colentur.*

Hoc oleum Crato mirificè prædicat in ventriculi doloribus & infirmitatibus, maximè verò frigidis, quod cùm nobis crebro uſu ſerviat, meritò huic Pharmacopæiæ noſtræ inſerendum eſſe cenſuimus; prout & ſequens:

Oleum Stomachicum Florentinum ex *eadem Pharm.*

℞. *Maſtiches* ℥vj. *nucis moſchatæ, caryophyllorum, an.* ℥iiij. *Schœnanthos, macis an.* ℥j. *ligni aloës* ℥v. *olei maſtichini* ℔ii. *Coquantur in vaſe benè cooperto, & colentur.*

Oleum hoc, ſub epitheto Magni Ducis Hetruriæ notum, & Florentia etiam ad nos adferri ſolitum, in Joh. Prevotii Hortulo medico deſcribitur, in calefaciendo & roborando ventriculo, flatibuſque diſcutiendis ſeſe commendans.

Oleum Stomachicum *Zvvelfferi* ex ejus *Pharm. Reg.*

℞. *Olei olivarum recent. & clari* ℔ij. *cui immerge ſequentia minutim conciſa, contuſaque, ſcilicet herb. recent. Abſinth. noſtr. menthæ criſpæ, roriſmarini, ſalviæ an.* ℥iij. *rad. recent. calami Aromat.* ℥ij. *baccar. juniperi virid. lauri, ſtyracis calamitæ, an.* ℥iß. *cinamomi opt.* ℥j. *caryophyllorum* ʒvj.

Facta digeſtione brevi, ebulliant parum, in alembico vitreo, ſuo capitello munito, ut pauca, quæ tranſit, humiditas reaffundi queat reſiduo; coletur. Tandem oleum, dum adhuc parumper calent, ſpecieſque exprimantur: expreſſo, colato, & à reſidentia poſtquàm aliquandiu quiete ſteterit, ſeparato, vel decantato oleo adde, ac in eo liquefac.

Maſtichis electæ ℥j. *ol. nuc. moſchatar. Expreſſi* ℥ß. *vel unam integram: Miſceantur exactè, leni in calore: fiat oleum ſtomachicum, nobile, cùm externo, tùm interno uſui deſtinatum, confortat enim ventriculum, concoctionem adjuvat, & flatus pellit, atque diſcutit.*

Stomachicum aliud *ejuſdem.*

℞. *Amygdalar. amarar. decorticat.* ℔i. *ſem. carvi* ℥iij. *macis, nuc. moſchatar. caryophyllorum an.* ℥ii.

Exprimatur ex omnibus, mixtis & contuſis, oleum; quod præſtat in affectibus ventriculi frigidis; quem roborat, digeſtionem promovens, & nauſeam, cum vomitibus ſpontaneis, compeſcens.

Oleum ex Styrace è *Pharm. Aug.*

℞. *Styracis* ℥iij. *olei communis* ℔j. *coquantur in duplici vaſe, & colentur.*

Calefacit vehementer & emollit, ob id confert dolentibus à frigore renibus, veſicæ, utero, muſculis, juncturis, tendinibus, eorumque duritiees inſigniter emolliens, ad nervorum injurias, & vulnera fotu commodum, ob id Chirurgis expetitum, ac ad ſcabiem efficax, ut ſcribit Manardus, addita hellebori albi octava portione.

Oleum contra venena Magni Ducis Hetruriæ à D. *de Scobbis* in ſuo Theatro Pharm. deſcriptum.

Illud quandoquidem ab oleo ſcorpionum compoſito Matthioli, aut potius ab Oleo Scorpionum magno Auguſtanorum ſupra allatis parum admodum differt, huc adducere ſuperſedebimus.

Oleum è floribus verbaſci è *Pharm. Aug.*

Fit ex verbaſci floribus, ut oleum è floribus liliorum alborum.

Ad podagricos & alios dolores præſertim calidos laudatiſſimum, commendatur etiam in hæmorrhoidibus.

Oleum Verbenaceum è *Pharm. Londin.*

Oleum verbenaceum, ex herba & oleo, ut oleum menthæ.

Oleum Violaceum è *Pharm. Aug.*

Oleum violaceum ſeu violarum fit ex floribus violarum ac oleo olivarum ſicut roſaceum.

Frigidum ac humidum eſt, tenuium partium, leniens & modice aperiens, ad inflammationes idoneum, intemperiem calidam extinguit, phlegmonas omnes ſedat, fiſtulæ pulmonariæ aſperitatem, pulmonem & thoracem lenit inuncto Thorace, unde & Tabidis & hecticis præſenti eſt remedio: in phreneſi ac vigiliis fronti & temporibus impoſitum ſomnum conciliat, hepati ac præcordiis adhibitum febrium ardentium æſtus mitigat, renumque ac jecoris immoderatum calorem extinguit.

Oleum è vitellis ovorum ex *Pharm. Aug.*

℞. *Ova recentia numero centum coquito, donec penitus indurentur. Poſtea vitellos ovorum exime, & comminutos aſſa in ſartagine donec ruffeſcant, & pinguedinem quandam emittant: deinde adhuc ferventes & forti ſacculo incluſos exprime.*

Cutis fœditatem mirè auffert, cicatricibus decorem addit, iis præcipue quæ in ambuſtis relictæ ſunt, aurium, dentium, ſedis doloribus, ejuſque reliquis affectibus convenit, pilos auget, impetiginem, ſerpiginem,

piginem, & alia cutis vitia eluit, lentigines & fœdas oris maculas detergendi, ac reſolvendi videlet, rhagadiis utile, fiſſuras manuum, pedum & ani ſanat, dolores ulcerum, articulorum, omniumque locorum nervoſorum ſedat, ad aurium quoque dolores ac ulcera facit, ambuſtis utile, & in membranis cerebri partes contuſas à ſanis feliciter ſeparat.

Oleum Vulnerarium Mindereri è *Pharm. Aug.*

℞. *Terebinthinæ Venetæ* ℥jß. *Gummi Elemi quantum in ea ſolvi poteſt, olei hyperici* ℥j. *olei ceræ deſtillatæ* ℈ij. *miſce.*

In vulneribus recentibus ſingulare remedium eſt, ſi lintea eo medida imponantur.

Oleum Vulnerarium aliud Weichardi.

℞. *Ol. roſat.* ℥x. *rhabarb. minutim contuſi* ℨvi. *hæc firmiter contecta in lagena ſtannea per tres dies ſtare facito. Deinde lagenam una cum p adictis in Ahenum ferventis aquæ immitte, & ad hora medietatem prope bulliant, hiſce ſic decoctis adde.*

Maſtiches pulveriſati ℨvi. *Thur. bdellii, opopanac. camphor. an.* ℥ß.

Coquantur iterum parum, poſtea per pannum mundum laneum excolentur, itaut omnis virtus prædictorum ſpecierum inde exprimatur, & habebis ol. præſtantiſſimum ad vulnera, non autem capitis, ſed quæ reliquis corporis partibus inflicta.

Oleum Vulpinum Meſuæ è *Pharm. Aug.*

℞. *Vulpem integram exemtis interaneis aquæ fontanæ* ℔ j. *olei veteris clari* ℔ iij. *ſalis* ℥vi. *coquantur & inter coquendum adjiciatur Anethi, Thymi* ℔j. *coctionem continuando, donec ab oſſibus recedat caro, & aqua conſumatur, deinde coletur oleum ac reponatur.*

Potentiſſimæ in digerendo & diſcutiendo facultatis eſt, quo nomine ad nervoſi generis injurias frigidas & articularios affectus præcipuè valet.

Vulpes benè habita & vegeta, non ſtrigoſa, ætatis mediæ, non juvencula, aut recens nata eſto.

Sequuntur Olea Deſtillata quædam ex PHARM. AUGUSTANA.

Oleum Abſinthii.

℞. *Summitatum Abſinthii ad maturitatem ſeminis accedentium quantum vis. Incidantur atque cum aqua fontana deſtillentur per veſicam, & exibit aqua cum Oleo; ſeparetur Oleum per bombacem, vel vitrum quod communiter ſeparatorium dicitur.*

Uſus hujus Olei idem eſt cum Vegetabili ſuo, è quo extractum eſt: ſicut etiam ſubſequentia plura naturam æmulantur eorum, è quibus profecta ſunt; vires tamen longè potentiores & in minima quantitate exſerunt.

Hac ratione paratur:
Oleum *Menthæ.*
Rutæ,
Salviæ.

Oleum Angelicæ:

℞. *Seminis Angelicæ contuſi quantumlibet.*

Cum Aquæ fontanæ ſufficiente quantitate infundatur, poſtea deſtilletur per Veſicam, & Oleum ſeparetur ab Aqua.

Eodem modo fiunt.
Oleum *Aniſi.*
Carvi
Cumini
Fœniculi
Baccarum Juniperi.

Oleum Aurantiorum.

℞. *Corticum exteriorum recentium, non putridorum Pomorum Aurantiorum ſufficientem quantitatem.*

Incidantur & abſque præcedente fermentatione vel maceratione, copioſius quidem, ſed tamen deterius Oleum datur, cum aqua fontana deſtillentur per veſicam; Oleum poſtea ab aqua ſeparando.

Eodem modo fiat.
Oleum *Citri.*

Oleum Caryophyllorum.

℞. *Caryophyllorum aromaticorum ſufficientem quantitatem.*

In pulverem craſſiuſculum contuſis affundatur aqua tepida, & poſt quatriduanam digeſtionem, ex veſica deſtillentur, ſepareturque Oleum modo ſolito.

Modum conficiendi eundem habent.
Oleum *Cinnamomi,*
Macis,
Nucis Moſchatæ,
Piperis,
Zedoariæ.

Oleum Chamæmeli Romani,

℞. *Flores Chamæmeli Romani ſiccos, contunde, & cum aqua calida parum maceratos deſtilla per veſicam, ac Oleum flaveſcens ab aqua ſepara.*

Ita etiam paratur.
Oleum *Flor. Chamæmeli vulgaris Cœruleum.*
Lavendulæ,
Majoranæ,
Roriſmarini,
Roſarum,
Spicæ.

Oleum Ligni Rhodii.

Lignum Rhodium in ſcobem redactum in vaſe capaci cum magna aquæ quantitate maceretur per quatuordecim dies, poſtea ex veſica, igne moderato deſtilletur, & Oleum ab aqua ſeparetur.

Oleum Camphoræ Sennerti.

℞. *Camphoræ libram ſemis,*
Argillæ libram unam ſemis.

Miſceantur diligentiſſime, & ex retorta in arena lento igne deſtillentur, aſcenditque cum phlegmate Oleum, quod ſeparandum eſt.

Oleum Maſtiches.

℞. *Maſtiches libram unam,*
Silicum calcinatorum libram unam ſemis.

Mixta deſtillentur ex retorta, in arena, igne moderato, poſtea limpidum Oleum à phlegmate ſeparetur.

Oleum Succini, & Sal Volatile.

℞. *Succini craſsè contuſi libras tres.*

Fiat ex retorta capaci, igne arenæ gradatim adhibito deſtillatio, vas recipiens cum aqua calida, ut ſal volatile in ea ſolvatur, eluatur, quæ per chartam emporeticam priùs aquâ madefactam ab oleo ſeparetur, & poſt factam ejus exhalationem ſal colligatur. Oleum verò cum duabus partibus cinerum mixtum ex retorta lento igne rectificetur, Oleum limpidum primò exſtillans ſeorſim aſſervando, alterum verò ſubſequens coloratius aliis uſibus deſtinando.

Inſignes vires tam Oleum, quàm ſal volatile obtinet, quas inter cephalicæ, Alexipharmacæ, nephriticæ, & uterinæ eminent.

Oleum, ſive Butyrum Antimonii.

℞. *Mercurii ſublimati corroſivi,*
Antimonii electi ana libram unam.

Pulve-

Pulveriſata in mortario marmoreo optimè miſceantur, cavendo à fumo exhalante, & retortæ, tertiam circiter ejus partem vacuam linquendo, injiciantur, ſuperinfuſo uno alterove aquæ ſimplicis cochleari; poſtea ex arena fiat deſtillatio in liquorem craſſum inſtar butyri, quem dein CINNABARIS, ſenſim ad latera colli retortæ adhærens, inſequitur; quæ fracta retorta colligatur, & aliquoties aqua fontana abluatur; butyrum verò per reſidentiam depuretur.

Butyrum Antimonii cauſticum inſigne eſt. Si ejus v. g. uncia una cum aqua frigida unciis decem miſceatur pulvis albus, MERCURIUS VITÆ *dictus, emeticam vim habens, ex eo præcipitatur; liquor autem reliquus acidulus, ſi rectificetur, ſub nomine* SPIRITUS VITRIOLI PHILOSOPHICI, *aliorum Spirituum acidorum, ſalis præcipuè, naturam habens, notus eſt. Cinnabaris autem epilepſiæ, vertigini, hyſtericis, arthriticis, aliisque malis egregiè medetur.*

Oleum Antimonii Sennerti.

℞. *Antimonii libram ſemis,*
Sacchari cantii uncias ſex.

Pulveriſata miſceantur & deſtillentur in arena.

Oleum Ceræ.

℞. *Ceræ flavæ puræ libram unam.*

Huic in retorta capaci liquatæ ſuperinjice largam cineris cribati quantitatem, ut retorta eo impleatur, poſtea igne per gradus aucto, ex arena deſtilletur.

Reſolvit, diſcutit, & articulorum doloribus confert.

Oleum Saponis.

℞. *Raſuræ Saponis Veneti libram unam,*
Arenæ mundæ libras tres.

Mixta ex retorta igne arenæ deſtillentur in Oleum, quod cum cineribus rectificetur.

Reſolvit imprimis & diſſipat frigidos tumores, necnon paralyſi & podagræ conducit.

Oleum Philoſophorum, ſive de Lateribus Meſuæ.

Lateres in pulverem contuſi & calefacti miſceantur cum Olei Olivarum clari ſufficiente quantitate, ſive quantum imbibere poſſunt; poſtea ex retorta, igne aperto & per gradus adhibito, ſecundùm artem deſtillentur; Oleumque prolectum ſuper cineres rectificetur.

Eſſentiæ tenuitate penetrat, digerit, materiam excrementitiam conſumit. Aurium tinnitui à flatu craſſo, iisque verminantibus medetur, paralyſi, ſpaſmo cynico, ischiadi, gonagræ, podagræ, cæteriſque articulorum affectibus prodeſt, ſplenis tumores ſolvit, comitiales naribus inunctum excitat, cerebrum calefacit, memoriam firmat, dentium dolorem ſedat, injectum utero menſes provocat, fœtum vivum aut mortuum educit, calculum veſicæ pellit, ora venarum aperit, & ſanguinem concretum diſſolvit, pulmones purgat ab humoribus craſſis & viſcidis, oculorum ſuffuſiones delet, vermes interficit, venenis inſuper frigidis potenter reſiſtit, ad ſcorpionis ictum conducit.

Oleum Saturni.

Sal Saturni cryſtallinum tere, & in phiola adfuſo Spiritu Terebinthinæ, in arena digere, tincturamque extrahe, ut è Floribus Sulphuris fieri ſolet: quam ex retorta igne aperto deſtilla, primò lento igne, quoad Spiritus Terebinthinæ exierit; deinde mutato recipiente, paulatim auge ignem, quoad totum Oleum exierit.

Habebis Oleum, quod viribus naturale Balſamum excedit, malignis & excedentibus ulceribus, cancro, polypo, inunctum egregiè medetur.

Oleum Terebinthinæ.

℞. *Terebinthinæ pellucidæ quantum volueris.*

Deſtilletur lento igne ex veſica, in cucurbita, vel per retortam, & prodibit, præter phlegma acidulum, primò Oleum album, quod Spiritus nomine vulgò donatur, poſtea flavum, & ultimò rubrum, quod fortiori igne erit extrahendum, hæc Olea ſeparata reſerva; rubrum in arena poteſt rectificari.

Olea varia Eſſentialia è vegetabilibus elicienda prout in Clar. D. LE MORT *Chymia Medico-Phyſica deſcribuntur.*

Illa *vegetabilia*, quæ *ſucco auſtero-acido ſalino* gravida ſunt, nunquam vel raro *Oleum eſſentiale* præbent. Ratio eſt *denſitas pororum ramoſorum*, qui replentur acido fixiori, prout videre eſt in Oleo terebinthinæ ſubtili cum Oleo vitrioli combinato: ibi enim, non ſolum *fluiditas*, ſed & *volatilitas* perit; utpote quod ante præcedebat in deſtillatione ipſum phlegma, jam ſubſequitur, & violento quidem adhibito igne. *Craſſities* partium ab iiſdem cauſis dependet, unde plerumque vel pauco vel nullo *odore* prædita exiſtunt.

Odorifera autem ex *inodoris* evadunt, ubi magis *extricata* ſalia leviſſimæ *terræ* junguntur per motum inteſtinum, & *preſſionem* violentiorem in tubulis *anguſtioribus*: ut in *maceratione* & *putrefactione* patet. Hinc ſæpius ſalia attenuata, plurimas ſecum rapientia particulas *terreſtres*, quibus arctius uniuntur, *olea* etiam *deſtillata* præbent, quæ alias fixiora jacebant ſub forma *gummi-reſinæ*. Tanta enim in pleriſque corporibus eſt partium *viſcidiorum intricatio*, ut nullum tale *Oleum* præbeant, niſi poſt *torturam ignis immediati* adhibiti, vel poſt *ſolutionem continui putridam*, quæ prior in mineralibus, attamen paucis tantum, admittitur, in *Animalibus* autem utraque locum obtinet ob copiam *aquæ*. Ideoque hæc *Olea* è *Vegetabilium* familia fere ſola eruuntur. *Animalium* enim internæ partes, quamvis ſcateant *ſale volatili*, attamen tam *viſcoſis* & *mucilaginoſis* particulis incarceratum *hoc ſal* eſt, ut ſeſe extricare, nonniſi ſumma cum difficultate, ex iis queat: hinc prius *diſſolutionem* & læſionem continui requirunt, antequam ullum divortium ineant; unde raro vel nunquam inde tale quid ſperandum, niſi *fœtidum* & *corruptum rectificatione* ſæpius repetita eouſque ſubtiliandum, donec *phlegma* ſuum ſeu *aquam additam* præcedat: ut ulterius in *Oleis empyreumaticis* declarabitur.

Olea hæc dicuntur *Eſſentialia* reſpectu aliorum, quæ magis ab eſſentia ſui ſimplicis degenerarunt, id eſt, quæ à nativo ſuo *odore* & *ſapore* deſcivere, haud leviter immutato & concuſſo pororum *ſitu* & *figura*, quæ hic, quantum poſſibile, *integra* ſervatur. Extrahuntur mediante *vehiculo aquoſo*, quod *ignis* ferociam lenit, & integram totalemque *deſtructionem texturæ corporis* præſervat. Vario modo tractantur *Vegetabilia*, ut inde non ſolum *Oleum* eliciatur, verùm, ut & in ſatis magna *copia* illud exhibeant. Primum ergò exemplum *ſequens* eſto:

Oleum Seminis Fœniculi.

℞. Sem. Fœnic. groſſo modo contuſi ℔vj. Salis communis M.iv. Tartari crudi M.ij. Aq. pluv. ℔xxx. Macerentur ſimul per ſex vel octo dies, dein deſtillationi committantur in veſica: tamdiu abſtrahe liquorem, donec nullum amplius *Oleum* in ſuperficie appareat. Aquas omnes deſtillatas ſepara per tritorium, ut *Oleum* ſupernatans, & *aqua* ſeorſim aſſervari queant.

No-

Notæ

1. Loco *ſeminis*, etiam *viridis Fœniculi folia & flores* in uſum adhiberi queunt.

2. *Macerationis* tempus non nimis diu protrahendum eſt in *ſeminibus calidis*: quoniam cito avolare ſolent, & jacturam admittere *Olei*, itaque etiam *recentia & viridia* in uſum adhiberi poſſunt, utpote plurimo *ſale ſpirituoſo* referta.

3. Separatio *Olei* facilè etiam perficitur cum *panno aqua humectato*, quæ *in* ipſo *vitro* partim propendet, *extra vitrum* alia parte delabente, ſic guttatim continuò emanat *aqua*, reſtante *Oleo*, ita ſimul & ſemel deſtillatio & ſeparatio fieri queunt.

4. Omnia ramoſa, *ſale* proprio vel extraneo gravida, vehementius cum *aqua* ſimplici agitata, mixturam qualemcunque ineunt, ut apparet diverſis experimentis, in *ſapone, balſamis Chymicis* &c. Hæ etiam in deſtillatione particulæ *ſalinæ ramoſæ & aqueæ*, valido illo motu incitatæ & concuſſæ, *turbulentam albicantem* efficiunt mixturam, quæ ſenſim denuo à ſe invicem recedunt motu vehementiori ceſſante. Hinc ſatius eſt, ſi per *tritorium* ſeparandum veniat *Oleum*, ut illud unà cum aqua propria per viginti quatuor horas quietè in cella perſtet, ſic nempe omne *Oleum* ſurſum elevatur, & facili modo ſeparatur.

5. Sal & tartarum *ſeparationi Olei* à particulis terreſtribus, interveniente vehiculo aquoſo accelerandæ, adduntur, nec metus eſt, ut *figantur ſalia volatilia oleoſa*, cum non ſemper ingreſſus ad interiora pateat ſali externe accedenti, præcipue multo ſero diluto; corticem enim *externum* hic denudare eſt animus, ut *interni* contentis facilior pateat exitus; quod *ſemel pro ſemper* monuiſſe ſat ſit.

6. Deſtillationes haſce per *veſicam*, *non* vero per *Mariæ Balneum* proponimus, ut in *majori copia* ſimul & ſemel deſtillari poſſint, & ut quantitas *Olei* multo *abundantior* obtineatur. Hæc duo ſiquis in *MB.* obtineri poſſe credat, per me licet, quamvis experientia 24.imo plurium annorum me contrarium docuerit, attamen illis, qui *pompæ & pretio* medicamentorum in immenſum augendo indefeſſe ſtudent, iſta via multo *generoſior* videbitur, nihil æſtimantibus *viliori labore* acquiſita. Si enim per *MB* ℥j. Olei eliciatur, per *Veſicam* ℥ j. vel ℥iij. elici poterunt, &c.

Vires. *Flatus diſcutit, colicis doloribus ſuccurrit, ventriculi concoctionem adjuvat, & ventris tormina ſedat. Notiſſima ejus eſt aqua & familiariſſima plebeis pro infantibus. Doſis Olei à gutta una ad guttas ſedecim, in vehiculo convenienti.*

Eodem modo ſemina *calida* omnia deſtillantur, ut ut ſemen carvi, dauci &c. Seminis *aniſi Oleum* autem, cum facile concreſcat in ipſa ſerpentina ob refrigerium externum, vel in *recta* deſcendente *ſerpentina*, non vero in *gyros* circumflexa, deſtillandum venit, vel *auctiori igne* propellendum eſt, nulla recenti frigida affuſa, ſic incaleſcens ſerpentina *Oleum liquidum* evomit; quod in cella repoſitum induratur poſtea à liquore eximendum.

Vegetabilia *Cephalica & Uterina* Medicis dicta, *gradu* in ſuo ſalino conſortio diverſa, quæ plurimo *ſale tenui volatili*, paucioribus ramoſis particulis juncto, prædita ſunt, videntur mixturam duplicem obtinere ſuarum partium: *prima & præcipua* eſt *ſalina ſpirituoſa*, quæ pauciſſimis *aquoſis* & *ramoſis* implicita particulis, ejus celerem motum alias retardantibus, extempore *halituoſis* & *odoriferis* ſuis vaporibus vires ſat manifeſtas & ſæpius mirandas edunt inſtar *ſalium mere volatilium*; hinc odore cæteras herbas præcedunt: ut in maro Syriaco, thymo, lavendula &c. patet. *Secunda* conſtat ex *craſſioribus ramoſo-ſalinis* partibus, quarum textura ſolidior reſpuit facilem in altum elevationem, ſed prout *auſteræ* omnes particulæ *fixiores* exſtunt, ita ut aliarum ope indigeant ad ſuam *ſubtiliationem* & exaltationem. Has rationes videntur 1. confirmare maſticatio iſtarum herbarum, quæ primo tenui *odore* & levi *ſapore* nervos linguæ afficiunt, poſtea *auſtero* guſtu ingratæ evadunt. 2. *deſtillationis* diverſimode inſtitutæ *effecta*; ſic ex: gr. herba *recens*, cum pauca aqua deſtillationi commiſſa in M.B. ne aduratur, nil niſi roridam *aquam* præbet, cum exigua portiuncula ſubtilioris *Olei*: Eadem herba dein *exſiccata*, duplo imo triplo plus *Olei* exhibet, hic autem cum differentia; *prima aqua* erit multo gratior *ſecunda*, ut & *ramoſa* pars erit graveolentior & fœtidior præcedenti.

Exſiccationis neceſſitas in acquirenda *Olei* copia (quoniam dantur, quæ ullum *Oleum* ſtillare negant *recentes humidæ*) duobus à rationibus dependet. *Prima* eſt fuga particularum *ſalinorum*, *craſſiores ramoſas* in hoc motu vehementiori deferentium, aëreum chaos penetrante *ſpiritu*. *Secunda* eſt dilutio leviorum ramoſarum partium in liquore aqueo, quarum fere nulla fieri poteſt ſeparatio, & per conſequens fruſtranea eſſet collectio. *Duplex* ergo commodum (ſi utrumque ſaltem pro *Oleo* acquirendo ita nominare liceat) fuga ſpirituoſioris ſalis parit exhalando. Nam, ut antea diximus, *dilutionem* & *ſpirituoſitatem* liquoris promovet, quod hic noxium: ſublato illo *motu nimio* dein conjunctio intima fit ſalis reliqui *volatilis* cum ramoſis particulis: quæ unitæ poſtmodum, ut ſequitur *deſtillationi* ſubjiciuntur.

Oleum Sabinæ.

℞. Fol. Sabin. exſiccat. conſciſſorum q. v. Salis communis Mß. pro ſingula libra Aqua communis q. ſ. ut ei innatare poſſit.
Macerentur per duas vel tres ſeptimanas, dein deſtillentur more vulgari, & Oleum ſeparatum uſui repone.

Notæ.

1. Quo *ſicciores* & *tenaciores* herbæ exiſtunt in recenti ſtatu, eo *diutiori maceratione* indigent: quoniam *non facile* admittunt aquam, & texturam *pertinacius* conſervant. Hinc facile liquet, *roſmarinum*, & *thymum longiori* infuſione egere, quam *lavendulam*, *mentham* & *rutam*, minus adhuc *meliſſam*, *hyſſopum*, *pulegium* &c. quarum textura *mollior*, & *raritas* major.

2. Aqua deſtillata *jam fere repleta* particulis ramoſo-ſalinis *recenti herbæ deſtillandæ* affundatur, unde major copia *Olei*, & *aqua* ſpirituoſior obtinetur.

Vires. *Menſtrua promovet*, *urinam pellit*, *arthritidi commendatur. Doſis à guttis ij. ad xx.*

Eodem modo omnia *hujus generis* vegetabilia deſtillantur, *macerationis* tempore debito obſervato, prout ſuperius innuimus: ut origanum matricaria, ſalvia, hyſſopus & ſimilia.

Aromata ſtrictè ita *dicta*, ſunt corpora *denſiora*, in quibus præter *ſalinas ſpirituoſas* particulas, *duplex corpus ramoſum* non raro conſpicitur; *Liquidius unum*, aliquando itidem *duplex* ſcil. *levius* aquæ ſupernatans, alterum *gravius* ad fundum deciduum: In aliquibus fluidum Oleum *deſtillatione* elicitur: *ſolidum* vero præli tortura expreſſum prodit. In aliis levi *deſtillatione ſubtile Oleum* producitur: vehementiori autem calore, & iteratis ignis examinibus *gravius* extorquetur. Ex his concludere poſſumus *duplex effectum* illarum partium: *Primo leves* illorum *Aromatum* particulæ ilico feſtinantes ad ulteriorem progreſſum *fluidioribus* noſtri corporis halituoſis *liquoribus*, qui *ſpiritus* à Medicis dicun-

dicuntur, ſe permiſcent, & odore grato demulcentes *nervos odori* deſtinatos; cerebrum & cor exhilarant, etiam blande *fermenta* noſtra & *ſpiritus* exaltant: *Secundo graves*, diutius in *fermento ventriculi* perſtantes, illud ſi *debile* ſit, particulis ſuis *ramoſo-ſalinis fixioribus* augent, & *acrius* efficiunt: Unde *major concoctio* ſubſequitur. Fermenti enim noſtri vis in levi *acredine*, id eſt, in particulis mediæ conſiſtentiæ fluidis, conſiſtit: ubi nempe *ramoſo-viſcoſæ* partes, cum *ſalinis* non nimis fixis, nec volatilibus particulis, & *aquoſis* conſortium inierunt. Illud enim *muriaticum* quaſi *ſal blandum volatile* ineſſe, varia experimenta demonſtrant in *Medicina* & *Chymia*: ſic *ſaliva*, quam *fermenti ſpumam* quaſi dixeris, hiſce duabus abundat particulis leviter *acido-ſalſis*, quod demonſtrat *Analyſis Chymica*. Sic plurimi, & ſæpius diverſi morbi diverſis hiſce, contrariis vel congruis humori morbifico *ſalibus*, ſanantur, ita ut in uno eodemque ſimplici verum poſſit eſſe, quod contraria contrariis, ſimilia ſimilibus curentur. *Acetum deſtillatum*, quod proxime *huic*, prout & *fermento ſpecifico* accedit, cum acido & alcali luctam init. Imo rarius vel nunquam aliquod *fermentum* conſpicitur, è ſalibus vel fæcibus confectum, quin in ſua expanſione *duplici* dotetur *ſale*. Ratio ſat eſt manifeſta, ſi expendamus, nullum dari corpus, quod non *diverſas* edat particulas *ſalinas*, arte *Chymica* tractatum. Cauſa eſt *diſcrepantia pororum & meatuum* ſecundum extenſionem & ſitum; *meatus* enim *ſunt interſtitia majora inter diverſas ſuperficies*, quæ ab *aëris* nitroſo ſale *ſubacido* occupantur, *minima* tantum cum *immutatione* ſuæ *figuræ*: econtra vero ad *intimiores receſſus* perductæ illæ particulæ majori intricationi & *immutationi* deſtinantur, ubi ipſos *poros minores* ſubire coguntur in *valde exilia* ramenta dividendæ, & *terræ conglobatæ* arctius permiſcendæ, in *ſal volatile ſulphureum* convertendæ. Ubi igitur *motu vehementiore* totum corpus agitatur, *confunduntur* ſæpius partes in *acrem* quandam *mixturam*: ex hac *acredine* ſæpius etiam malus ſucceſſus oritur, ſi particulæ *ferociores* factæ ſua *copia & fluiditate corroſivæ* fiunt.

Hæ particulæ *duplices ramoſæ*, prout majori copia *ſalium* dotatæ ſunt, eo liquorem magis *albicantem* reddunt: ſic *cinamomum* rite tractatum *aquam* plane *lacteam* reddit, Oleum autem in *minori copia* exhibet, quam fere *ullum aliud* aroma: ſic & piper &c. Ut *vires* & *copia* ergo particularum extrahendarum debito modo reſpondeant, *exemplum unum atque alterum* proponemus.

Oleum Caryophillorum.

℞. Caryophill. ℔i. Spiritus ſalis cum oleo Vitriol. præpar. ℥ß. Salis communis ℥j. Aquæ pluv. ℔xx. Macerentur per 14. dies, dein deſtillationi committe in veſica cum alembico & ſerpentina ſtanneis inſtructa: aquam prolectam ab Oleo in fundo ſubſidente ſepara, eamque iterato iiſdem Caryophillis ſuperfunde, & deſtilla denuo, idque tertiò repete, vel quamdiu *Oleum* aſcendere videas. Omnia conjuncta aſſerva, & cum aqua ſpirituoſa ſupernatante tam diu relinquantur, donec rubedinem ſatis intenſam acquiſiverit, deinde ſepara ad uſum.

Notæ.

1. *Cohobatio* illa fit, quoniam *Oleum* illud gravius aſcendere, & conſortium corporis ſui ægre derelinquere ſolet.

2. Spiritus *ſalis* & *ſal* commune egregium in illis exiſtunt *vehiculum*, & ſimul *odorem empyreumaticum* præcavent.

3. *Color Olei intenſior* redditur, ſi *diutius* in aqua propria ſtillatitia detineatur, unde *craſſior* ejus evadit conſiſtentia *duas* ob rationes. *Primo* ob *effluvia aquæ*, ſenſim ſeſe inſinuantia in ipſas particulas *ramoſas*; *motum celeriorem* ibidem *retardantia*: *Secundo* ob *ſpirituum* diverſitatem, in aqua ex Oleo contentorum: hos enim in *mutuo concurſu* aliqualem inire *præcipitationem*, &c. varia experimenta edocent, ut in *Oleo terebinth*: poſtea latius, ut & in *oleo & ſp. vitrioli*, & ſimilibus patet. Hæc ergo mixtura *ſalino-aquoſa* in cauſa eſt, cur *ſpiſſius & magis tinctum* appareat *Oleum*: ſi verò citiùs ab *aqua* ſeparantur *Olea*, *diluti* coloris & tenuia exiſtunt ob *motum* ſummum internum, illas particulas imminuentem, & variis modis diſponentem.

Vires. *Ventriculo corroborando, cephalalgiæ, odontalgiæ, vertigini & ſimilibus ſuccurrit, febribus intermittentibus è pituita & flatulentis humoribus ortum ducentibus prodeſt, ſudores movet. Doſis à gutta 1. ad guttas vj.*

Eodem modo deſtillantur Oleum *cinnamomi*, *piperis* & ſimilium.

Oleum & Aqua ſpirituoſa Caſſiæ ligneæ.

℞. Caſſiæ ligneæ ℔iiij. Sacchari albi ℔j. Sal. communis ℔ß. Aq. calent. ℔xxx. Fæcum cereviſiæ cochlear. ij.

Fermententur ſimul per 3. ſeptimanas, vel eo-uſque, donec viſcoſa conſiſtentia aquæ perierit, dein deſtilla per veſicam, & ſerpentinam ſtanneam, quamdiu aquam albicantem præbet. *Oleum*, poſt ſecundum diem in fundo *aquæ* deliteſcens, ſeparetur per tritorium. *Aqua* & *Oleum* ſeorſim ad uſum reponantur.

Notæ.

1. *Fermentatio* hic requiritur, ne tantas elevationes viſcoſus nimis liquor in *coctione* ſuſtineat, ſæpius cum *jactura olei & operæ* conjunctas, niſi valde caute procedat *Artifex*.

2. *Sal muriaticum* hic additur ad incidendam *viſciditatem* mediante *motu inteſtino*, & conſervandum à *putredine* liquorem &c.

Vires. *Cardiacum eſt gratiſſimi odoris & ſaporis; earundem eſt virium cum cinamomi Oleo, & aqua, ſed mitius eſt. Doſis Olei ad gtt ij. Aquæ ad ℥ij.*

Oleum ligni Saſſafras.

℞. Rad. major. ligni Saſſafras ℔iiij.

Recenter conſciſſas deſtilla cum decupla quantitate aquæ communis per veſicam. *Oleum* fundum aquæ petens ſeparetur poſt plenariam ſubſidentiam, ut in præcedenti diximus, quod in vitro accurate clauſo ſervetur ad uſus.

Notæ.

1. Ob rariorem ligni texturam & *volatilitatem ſummam* partium, nulla *maceratione* opus eſt, & extempore in uſum trahi debet *conſciſſum lignum*.

2. Nullum *additamentum* requirit ob eaſdem cauſas: hic enim magis officeret, quam proficeret.

3. Si *ſpirituoſa* expetatur *Aqua*, immittatur lignum *muſto*, in *vinum* jam fere exaltato, ibidemque per duos dies vaſe clauſo reſervetur, poſtmodum addita parva quantitate *ſalis alcali* deſtilletur lento igne.

Vires. *Antiſcorbuticum eſt gratiſſimum, menſes aperit, obſtructiones pleraſque reſerat, ventriculum roborat, ſpiritus confortat. Doſis ad gtt. v.*

Oleum Macis.

℞. Macis ℔j. Spirit. Sal. communis ℥j. Aq. com q. ſ.

Mace-

Macerentur ſimul per 14. dies, dein in retorta magna vitrea ex arena deſtilla: ſic limpidum & tenue prodit *Oleum*, inſtar ſpir. terebinth. quod ab aqua ſeparandum. Fæces in retorta reſiduas calide per prælum exprime, ſic nanciſceris Oleum craſſum, expreſſum dictum, quod ab aqua tincta eximi poteſt, hoc in unam maſſam mediante calore funditur.

Notæ.

1. Nullum hic additur *ſal*, ne inquinet *Oleum Balſamicum*.

2. In *retorta* peragitur operatio, 1. ut nullibi adhæreat *Oleum tenue*, & nulla fiat fuga partium *tenuium*, quod & in aliis obſervari poteſt, *minorem Olei copiam* præbentibus. 2. Ut præcaveatur *corroſio ſpir. ſalis*, qui *vaſa ænea* aggreditur, & *Oleum* reſtans *viridi* inficit *colore*.

3. Fæces *calentes* è retorta vitrea effundantur, ne *Oleum Balſamicum* hic illic latera occupet frigefactum, & jacturam hujus Artiſta faciat.

4. Hoc in omni genere hujuſmodi deſtillationum *obſervandum*; *faces*, denuò cum *vino aduſto*, vel *ſp. vini* rectificato permixtas & maceratas, plurimis *viribus* illum imbuere è reſiduis particulis *ramoſis fixioribus*, ſeſe cum *ſp. vini* unientibus: quæ manifeſto odore & ſapore prodeunt: ſic *omnis vis* extrahitur relicta *inutili* parte.

Vires. *Cardiacum*, *ſtomachicum*, *diureticum*, & *carminativum eſt*, *unde frigidis in morbis ſummi uſus. Dos ad gtt. xij.*

Eodem modo *nux moſcata* & *bacca lauri* tractantur, ut *Oleum duplex* fundant &c.

Radices, *Cortices*, & *Ligna*, quæ *ſolidiori* firma conſiſtentia, & *cohæſione* tenaci gaudent, *diuturnum macerationis* tempus deſtillationi ſubjicienda requirunt: vehiculo enim *aqueo* prius ſejunguntur & elevantur. Ubicunque ergo *aqua* ingreſſum nullum obtinet, inde nullum ſperandum eſt *Oleum eſſentiale*. Differunt autem *Ligna* &c. à præcedentibus, ut reſina ſolida ab oleo fluido. Concludimus igitur brevitatis cauſa, hujus generis vegetabilia, quo *magis reſinoſa* & *ſolida*, eo *infuſionis* tempus magis protrahendum eſſe, donec *molliora* evadant, niſi quis contentus eſſe velit *minima Olei ſubtiliſſimi quantitate*, ut ſatis ſuperque antehac diximus, ut his duobus exemplis demonſtratur:

℞. Rad. Calam. Aromat. ℔x. Sal. communis ℔j. Tartar. crud. ℥iij. Aq. communis q. ſ.
Macerentur, donec pulpa albicans interior mollis fiat; attamen abſque putredine: dein, addita majori aquæ copia, fiat deſtillatio in veſica ſ. a. Oleum ab aqua ad uſum ſeparetur.

Notæ.

1. Non opus eſt iterato dicere, *ſalia duplicem fructum in maceratione* exhibere: Nempe in *putredine præcavenda*, & in *aqua acuenda*, cum hæc ſæpius ante dicta ſint.

2. Cave ab ulteriori *maceratione*; nam ſtatim diſſolutio integra continui fieret, & fœtore ingrato *Oleum* imbutum prodiret.

Vires. *Particulas obtinet ſat acres*, *ventriculi fermentum ſtimulantes: unde à nimio ejus uſu abſtinendum*, *flatus diſcutit*, *febribus intermittentibus*, *è pituita & ſeroſis humoribus oriundis*, *medetur. Dos. ad gtt. x. in vehiculo.*

Oleum Ligni Rhodii.

℞. Ligni Rhod. raſi q. v.

Maceretur in ſufficienti quantitate aquæ ſalſæ per duos menſes, dein fiat deſtillatio, addito manipulo uno vel altero tartari crudi, *Oleum* ab aqua ſeparetur modo prædicto.

Notæ.

1. Omnia *recenter deſtillata Olea* & aquæ *empyreumaticum* redolent *odorem* ob materiæ ſubtilis nimiam ibidem exiſtentiam & *concuſſionem irregularem* illarum partium in deſtillatione factam, & quoniam nullo modo ferè *præcaveri* poteſt, quin aliquæ ſaltem vicinæ particulæ in *fundo* & *lateribus* veſicæ *immediatè ab igne* attingantur, & uſtionem aliqualem recipiant, unde reliquis particulis *odorem aduſtum* communicare ſolent; ceſſat verò ille odor & ſapor *temporis tractu* motu vehementiori ſedato, unde genuinus iis *odor* & *ſapor* redeunt.

2. Non opus autem eſt, ut aquæ &c. *vaſe aperto* ſoli exponantur, ut quidam volunt: cum *non ſolum* hoc modo *ſpiritus empyreumaticus*, *ſed* & *nobilior* fugam petat, reſtante liquore, *penuria ſpirituum* ſuavius olente. Sic enim exempli gratia *moſcus*, *ambra* & ſimilia, fortiorem halitum ſpirantia moleſta & *fœtida* nobis videntur ob nimiam *exhalationum ſalino-aerearum* copiam, nervos noſtros vellicantem, & ſpiritus nimis moventem, unde *Cephalalgia*, *Vertigo* &c. At vero, ſi hæc odora ſimplicia *in minori quantitate* diſperguntur in liquoribus, pulveribus & ſimilibus, ſtatim *odor* fit *gratus*, non, quoniam *fœtor* ſublatus, ſed, ut diximus, ob *penuriam partium*; ſufficit ergo, ut *vaſe clauſo* ferocia ſedetur.

3. Groſſo modo *conſciſſa* vel *contuſa* eſſe debent, ne vehiculum aquoſum ullibi arceatur ob coagulum & facilem *cohærentiam pulveris ſubtilioris*, unde minorem præberent quantitatem *Olei*, ut &, quoniam ad fundum vaſis pertinaciùs adhærere ſolent *pulveres ſubtiliores*, *unde fœtidum* conciliarent *odorem*.

Vires. *Odoriferis plerumque inſervit hoc Oleum*; *rariùs internè aſſumitur*, *niſi pro diuretico*.

Olea varia è Pharmac. BATEANA.

Oleum Aloëticum.

℞. Aloë pat. ℔i. myrrh. ℥ij. thuris ℥ß. m: ac ſ. a. in ∴. l. △. *Illitum umbilico purgat*, & *vermes necat*.

Ol. Antim. Saccharatum.

F. ex ♁ris ℥ij. crud. & ſacch. ã. ex 🜊 △e fortiſſ. ſ. a. ſ. a. *Utile eſt tum ad externos*, *tum internos morbos. Doſ. à gut. iij. ad vi. in Quartanis ante paroxyſmum.*

Ol. Balſami. v. *Balſam. Paralyticum.*

Ol. Balſamicum.

℞. Anchuſ. ℥ij. 🝆 olivar. ℔j. coq. ad colorem rubicundum. colat. adde Tereb. Cypr. in ∇ Viol. lot. ℔ß. 🝆 Bacc. lauri, 🝆 Hyper. ã. ℥j. 🝆 Junip. & Petræ, ã. ℥ß 🝆 Rhod. & Spicæ, ã. ʒj. 🝆 ſt. è ſem. Angel. & Aniſ. ã. ʒj. m. f. a. *Omnibus affectibus frigidis ſubvenit*; *flatuſque diſſipat. In Paralyſi*, *Surditate*, *Otalgia*, &c. *Multum facit. In Spaſmo*, *Colica*, *Hydrope*, &c. *internè* & *externè uſurpatum præſtans eſt Remedium. Doſ.* ℈j. *ad* ʒj. *in vehiculis appropriatis.*

Ol. Bufonum.

Coq. Bufones 4. vivos in 🝆 oliv. ℔ij. per horam, vel ad crepaturam, colatumque ſerva. *Confert in Puſtulis labiorum*, *cancroque mammarum. In Hydrope valet ad urinam ciendam inungendo renes.*

Ol.

Ol. Camphoræ.

℞. Camph ℥ij. argillæ ℥vi. ♃ in ∴ ex 🝭 vitreâ ſ. a Vel, fieri poteſt ſolvendo camph. ℥ij. in Sp. ⊕ ℥iv. in loco tepido. *Diaphoreticum, & Hyſtericum. Doſ. ad gut. x. &c.*

Ol. Chartæ.

Accende Chartam ac impone laminæ ♃is, ut comburatur. Sic adhæreſcet ♃i oleum colligendum. *In Alopecia, Herpete, Impetigine, &c. mira præſtat. Anodynum eſt, & Odontalgiam ſedat.*

Ol. Coſmeticum.

℞. ☍ Amygd. amar. ℥iv. ☍ tartari p. d. ℥ij. ☍ Rhod. gt. 4. m. ſ. a. *Ad cutem detergendam & erugendam.*

Ol. Cremoris.

℞. Cort. intern. virid. rec. Sambuci, m iij. Crem. lactis opt. ℔ij. coq. bene, donec in ☍um effluatur cremor. f. expreſſ. adde cort. rec. alior. Sambuc. miv. coq. iterum ad cortic. ſiccitatem. f. expreſſio. *In Hæmorrhoidibus, combuſtionibus, eryſipelate, &c. optatiſſ. Remedium.*

Ol. Heracleinum.

Fit ex ligno Coryli Septemb. aut Martio collecto, in taleolas ſecto, & gradatim per 🝭 in ∴. ♃ ato. ☍ m ab ▽â ſeparetur ſ. a. *Calfacit, incidit. Anodynum, Epilepticum ac præcipuè Odontalgicum eſt, Guttæ 2. 3. 4. &c. aſſumptæ cum mica panis lumbricos in inſtanti necant, & per ſeceſſum educunt.*

Ol. Linteorum.

F. ex Linteis accenſis & ſuffocatis in laminam ♃is ſ. a. *Optimè valet ad Ophthalmiam curandam cum gutta una ſalivæ mixtum.*

Ol. Ludi.

Materiam tartaream matulæ inhæreſcentem calcina, & ſolve p. d. ſ. a. *Ad tartarum in omnibus corporis partibus, imò ad calculos etiam grandiores reſolvendos, & expellendos, adeoque ad obſtructiones inde ortas reſerandas mirificè conducit.*

Ol. Lumbricorum.

Deſtillatur in ∴ ex Lumbric. terr. V. Hiſpan. lotis ſ. a. *Ad Paralyſin curandam mira præſtat.*

Ol. Martis.

Fit ex Rubigine ♂tis per ▽am Stygiam irrigatam contractâ, abluendo ▽a, filtrando, & exhalando ad oleaginoſitatem ſ. a. *Summum eſt obſtructivum. Doſ. gr. 4. 5. &c.*

Ol. Milvinum.

℞. Milvum è nido, vel antiquiorem, exenteretur deplumatus, cum Picis num. 4. coq. in Aq. ceraſ. n. q. ſ. (adjectis Rad. Pæon. ℥iij. caſtor. ℥j. rutæ m iij. Flor. roriſm. lavend. an. m ij. Hyperic. ℥j. Rad. Valerian ℥ij.) ad putrilaginem cum ☍ olivar. ℔ij. f. expreſſio. ☍ innatans auferatur pro uſu. *Inſtante Paroxyſmo epileptico inungantur plantæ pedum nares, & nucha cum ſeq.*

℞. *Ol. Milvin. dict. ℥j. ol. ſt. rutæ, & ſuccin. an. ℈j. m.*

Ol. Paralyticum.

℞. Sem. ſinap. ℔iij. Caſtor. ℥ß. caryoph. ℥ij. nuc. m. ℥iij. Sp. V. ℥iv. contuſa opt. macer. in MB horis 24. Deinde valenter prelo exprime ol. *Spina nucha, cum partibus affectu ſæpe inungantur.*

Ol. Polypodii.

F. ex Radic. ſiccis per 🝭 ex ∴ deſtillatis ſ. a.

Inſervit piſcibus capiendis.

Ol. Pomoſum.

℞. Fol. ſtrammon. pomoſi rec. ℔j. contuſ. adde ☍ olivar. ℔ijß. coq. ad ſucci conſumpt. expreſ. adpreſ. adde Fol. rec. ℔ß. Inſolentur ♂ 14. poſtea coq. ad ſucci conſumpt. & exprime. *Ad miraculum omnes inflammationes, omneſque combuſtiones, ſive ab igne, ſive ab aqua fervida, plumbo fuſo, pulvere bombardico, vel à fulgetris contractas, ſubitò ſanat.*

Ol. Ranarum.

Coq. Ranas vivas num. 12. in ☍ oliv. ℔iß. per horam, & exprime. *Faciei Ruborem & Impetigines curat. Eryſipelati & Gangranis ſubvenit. In cancro eſt ſpecificum.*

Ol. Sacchari ſimp.

Fit ex ſacch. cand. & Sp. V. ā, adurendo Spiritum ad Syr. conſiſt. ſ. a.

Ol. Sacchari comp.

℞. Dactyl. inciſ. ℥ij. ficuum ℥iij. hyſſop. m j. glyc. ſem. aniſ. bombac. an. ʒvi. Rad. irid. flor. ℥j. V. ℔ij. coq. adurendo ad conſumpt. dimid. f. colat. per manic. Hippocr. adde ſacch. cand. q. ſ. *Ad Aſthma, Tuſſim, &c. confert.*

Ol. Saponis.

Fit ex Sapon. Venet. raſpat. & Sp. V. ā, per 🝭 ♃ atis, primò l. △. dein fortiori gradatim urgendo. ☍m innatans ▽æ viridi ſeparetur. *Ad Convulſiones, Cephalalgiam, &c. illinantur cum iſto Tempora, nucha, & nares. Ad Tineas, Contuſiones, Podagram, &c. Ungantur loci affecti, tegendo poſtea braſſicæ folio.*

Ol. Saturni v. *Balſ. Saturninum.*

℞. Rad. Raphan. ruſtic ℥vi. fol. cochlear. miv. flor. lavend. m ij. ☍ ex pedibus bovinis ℔j. coq. l. △. ad ſucci conſumpt. expreſſ. adde Sp. ⊖is ʒiij. Sp. cochlear. ʒj. ☍ cinnam. & caryoph. an. ʒß ☍ origan. ℈iv. m. *Cum iſto inungantur partes affecta per horam ſemis ſemel in die calidiſſime.*

Ol. Silicum v. *Liquamen Silicum.*

Ol. Tabaci.

F. ex fol. ſiccis per 🝭. Vel ex ſem. contuſis & expreſſis. *Uſus in doloribus Podagræ, Arthritidis vagæ, Odontalgiæ, vermibus, &c.*

Ol. Talchi p. Deliq.

℞. Pulver. Talchi, tartari per ⊕ calcinat. ā f. S. S. S. ac cementa in ✚bulo clauſo horas vi, ut ✚bulum candeat. exime & edulca. extrahe cum ✱ filtra ac coagula: edulcora ac reponè poſtea in cella ad liqueſcendum. *Coſmeticum cenſetur præſtantiſſimum. Lentigines, maculaſque faciei aufert.*

Ol. Tartari purg. v. *Mag. Tartari.*

Oleum Τελχοφυές.

℞. Abrotani rec. contuſ. ℔ß. ☍ veteris ℔iß. V. rub. ℔ß. coq. ad ſiccit. herbæ. f. expreſſio. Repet. hoc opus ter cum novo abrotano. Colat. adde Axung. Urſin. ℥ij. m. exactiſ. *Ad Alopeciam curandam maximè commendatur.*

Ol. Tritici.

Fit valenter exprimendo Triticum contuſum inter laminas candentes, ut oleum effluat. *In Rimis manuum, Ulceribus pedum, Fiſſuris labiorum, Herpete, cutis ſcabritie, &c. Mirificè proficuum.*

Oleum Viperarum.

℞. Viperas viventes largas & pingues num. 3. Vin. Hiſpan.

Hiſpan. ℥ ij. ♂ Hyperic. ℥viij. coq. in MB vaſe anguſti orificii ad conſumpt. humiditatis, fiatque expreſſio. *Cutem extergit. Impetigines, &c. ſanat. Podagra tophos tollit. Lepram curat.*

Ol. Viridis æris.

♃. ⊕ ℥ ij. Ⓓ ℥ iij. ponantur in catillo, & incend. carbone, donec deflagrarint. Tum ſolve p. deliq. in cella. *Cauſticum eſt. Ad Puſtulas ♀ reas, & verrucas abſumendas conducit.*

Ol. Vitrioli Dulce.

♃. Ol. ⊕-li rectif. p. j. Alcoh. V. ℔4. Digere ♂ 30. vel 40: & poſtea ex ◯ cum 3 vel 4 cohobiis ϑa ad uniendum ſ. a. *Proficuum in calculo, morbis tartareis, Catarrhis, &c. Doſ.* ℈ *j. in liquore idoneo.*

Olea deſtillata varia ex Frider. Hofmanni Theſauro Pharmaceutico.

Oleum Anti-Podagricum D. Ch.

Rec. raſur. Ligni Guajac. Chin æ. Saſſafras, ana ℔j. ♌ tilla per retortam optimè lutatam liquorem, oleum Spiritu & phlegmate impragnatum & in recipiente capaci collectum, ſemel atque iterum per cucurbitam rectifica. Quater rectificatum liquorem, phlegmate per deſtillationem ſimplicem remoto, ſepara, & in diſtinctis recipientibus collige, tam Spiritum, quam oleum. Spiritum, phlegmate leni deſtillatione in cinere abſtracto, ad uſum bene munitum & tanquam arcanum in multis affectibus ſummâ cum utilitate applicandum reſerva. Oleum indiget viciſſim diligenti rectificatione, quæ fit per cucurbitam in MB. Facta rectificatione ol. in cucurbita, remanet fuliginoſa materia indurata & inſtar ſpeculi recipiens objecta viſibilia, niſi hoc fiat, olei rectificatio non ritè facta eſt: ſed denuo repetenda in cinere & tandiu continuanda, donec materia remanens in cucurbita indureſcat, & ſpeculi inſtar ſit pellucida & apta ad recipiendam quamvis formam viſibilem. Hoc modo rectificatum oleum collige in cucurbitâ vitreâ, & ℥ v. adde Laudani opiati ℥ ij. ʒij. olei Ligni guajaci ℥ iij. ol. d. ſuccini albi rectific. ℥ vi.

Stent in digeſtione per menſes duos in loco calido vel Sole meridiano, poſtea deſtilla in ∴ per 24 hor. Oleum Nigrum anti-podagricum, quo locus dolens inungendus ante fornacem, ſubitò penetrat & dolorem ſiſtit.

Spiritum ſupra dictum in ∇ card. ben. ſcabioſ. Pimpinell. ana ſ. q. ad gutt. xii. tempore curationis propines.

Tempore autem præſervationis una atque altera gutta ſemel in ſeptimana in hauſtu vini aſſumat cubitum iturus, cui ſubjungat olei inunctionem pauca manu.

Oleum Saponis.

Rec. Spirit. vini ardent. ſaponis opt. trit. ana impone retortæ & ♌la lento △ne, urge ſub finem △nem, ut materia egredi poſſit; ol. ſubruffum innatabit ∇æ viridi ab ea ſeparandum, & rectificandum.

Uſus & Vires. Illitum antiquas ſanat convulſiones, contuſiones, tineam, ulcera maligna, cephaleam, ſi temporibus illinatur.

Oleum Carminativum.

Rec. ol. ſuccin. alb. aurant. chamomill. an. ʒ ij. cymini. aniſi. corni. ana ʒiß. anethi ʒ j. M. & ad uſum reſerva.

Vires. In omni flatulenta affectione colica, hyſterica, &c. notabilis eſt effectus. Doſis eſt à gutt. iij. ad iv. vel v.

Oleum Nephriticum.

Rec. Ol. d. juniperi. Succini alb. rectif. ana ℥ i ß. Terebinthin. ℥ j. Sal. tartari albiſſ. fermenti panis ana ℥ ß. Sal. commun. ʒvi. Aq. petroſelin. heder. terr. ana ℔ ij. deſtilla per ⅩⅩ, ſepara oleum & pro uſu reſerva. Doſis eſt à gutt. v. ad vi. in vehiculo appropriato.

Oleum ad defluxiones externum.

Rec. Gummi galban. carann. an. ʒß. Opii Th. an. ʒvi. ol. hyoſciam. Laurin. an. ℥ iij. ſaponis venet. ℔iß. deſtilla per retortam. Rectifica una cum ∇a per ⅩⅩ ex arena, & ſepara oleum.

Uſus & Vires. Externè inunctum lenit dolores à defluxionibus ortos.

Olea infuſa & cocta ex eodem.

Oleum Antepilepticum probatiſſimum.

Rec. radic. ariſtoloch. long. rec. & optim. mundat. ℥ j. Caſtorei. Euphorbii. ana ʒ j. ol. olivar. ℥ iij. vel ℥ iv. circiter.

Radix ariſtoloch. inciſ. prius cum oleo olivarum coq. & demum reliqua addenda ſunt ingredientia invicem mixta tecta operculo coquenda & demum per linteum colanda.

N. Oleum hoc inſultu Epileptico & ſingulis Lunæ quadraturis ſpinæ dorſi à nucha incipiendo uſque ad coxendicem inunctum mira præſtat, in ipſo paroxyſmo & extra paroxyſmum, manè ac veſperi, ex comm. amici.

Oleum Vulnerarium D. à C.

Rec. Myrrhæ el ℥ j. thuris Maſcul. ℥ ß. ol. d. terebin. ℔ ij.

Lento △ne ferveant in vaſe fictili vitreato, tum remove ab △ne, & paulò poſt pulver. Myrrh. & thuris cavendo ne faciem comburas, quapropter citò. cooperiatur, poſtea iterum parum ferveat.

Vires. Valet ad omnia vulnera & ulcera præcipuè in partibus nervoſis.

Oleum admirandi effectus in Pleuritide & quovis dolore cujuſcunque partis.

Rec. Fl. cyclaminis q. v. mundentur à pediculis. Olei olivarum optim. ad eminent. duorum digitorum, bulliant in olla vitreata △ne lentiſſimo, poſtea exprime, & in hoc oleo expreſſo infunde denuò tantundem florum prædictorum & inſolentur per menſem, poſtmodum cola & pro uſu ſerva.

Olea varia è Clariſſ. Theophili Bierlingii Collectione.

Oleum tartari per deliquium.

♃. *Tartar. ad albedinem calcinati q. ſ.* inde veſicæ bubulæ, atque in aquam ſimplicem injice, ſic brevi reſolvetur in liquorem, quem filtra, & habebis oleum tartari per deliquium.

Oleum probatum contra matricem.

♃. *Rad. petaſitid.* ℥ *ij.* ♂ *olivar.* ℔ß. macerentur per menſem in loco calido, colentur, adhibeatur oleum ad gutt. 6. vel 7. in cereviſia vel vino calido. Ex MSS. *D. Gregor. Horſtii.*

Oleum terræ ſigillatæ.

♃. *Terræ ſigillat. Strigenſ. rudis nondum præparat. q. v.* affunde aquam pluvialem deſtillat. ſtent. per aliquot ſepti-

ſeptimanas in loco temperate calido & incipiet fermentari, & ſupernatabit pingue quid, quod deſtilla per retortam, & prodibit oleum aurei coloris, materiæ pingui affundatur alcool vini, & deſtill. oleum ſupernatans per tritorium ſeparetur. Relinquitur in fundo retortæ inſtar peciatum materia alba, dura, extrahe per aquam pluvialem ſal, idque miſce & digere cum ſuo oleo, vel ipſam materiam relictam citra ſalis extractionem miſce & digere cum ſuo oleo, iterumque deſtilla per retortam, habebis antidotum contra omnes venenatos morbus, peſtem, febres malignas, dyſenteriam contagioſam, morſum canis rabidi, naturalem balſamum reficiens, vires reſtaurans, cor inſtar oo potabilis confortans.

Oleum ſive Liquor ſanitatis.

♃. ⊖ *Commun. ſiccat.* ⏀ *crud. an.* ℔ *j.*
inde ollæ vitreatæ in igne aperto, ut fluant, ſi fluunt, imponantur ollæ ſublimatoriæ & accendatur materia carbone ignito, tunc aſcendunt flor. ⏀ i elegantiſſ. Materia in fundo relicta minutiſſime pulveriſata, & ſupra tabulam ſperſa, inque cellam translata reſolvitur in oleum, quod in calculo & aliis affectibus mirè commendatur à quibuſdam.

Oleum contra Podagram.

♃. *Mellis* ℔ *j.* ⊕-*l. calcinat.* ℔ *j. Spir. vini rectif.* ℔ ß. *Later.* ℔ *j.*
deſtilla per retort. primo egredietur phlegma, dehinc aucto igne ſpir. prodibunt & oleum, membrorum affectum inunge hoc oleo.

Oleum Arthriticum *D. Arniſæi.*

℞. *Rad. pyrethr. nucis moſchat. caryophyll. an.* ʒ *ij flor. ſalv. beton. anthoſ. ſtæchad. arab. ſpic. noſtrat. celtic. an.* ʒ *ij rad. Ariſtol. rot. ver. hermodactyl. an.* ℥ *j. baccar. juniper.* ℥ *ij. laur.* ʒ*j.*
M. contuſis omnibus affund. aq. vitæ ℥ vi. terebinth. ℔ j. ſtent. in digeſtione per p. dies, deſtill. in ∴ per. XX

Oleum Cordiale.

♃. *Ocul.* ♋. *raſur. ebor. corall. perlar. matr. perlar. an. q. v.*
Stoſſe es alles mit einander klein, geuß darauff ſpir. ſalis *und ſetze es in Keller, daß es ſich* ſolvire, *geuſs wiederumb* ſpir. ſalis *drauff ſo lauge biſs die* lapides *gantzlich* ſolviret *ſind; als denn thue es in einen Kolben, ſetze es in Sand, zeuch den* ſpiritum ſalis *heruber, nud treibe daſſelbe ſo lange, biſs es* ad ſiccitatem *getrieben iſt, alsdenn ſetze das ruckſtandige in Keller, ſo* ſolviret *es ſich, und wird* in oleum *vervvandelt, vvelches du* filtriren *muſt.*

Oleum ⊕-l. dulce *Orthelii.*

Solve tartar. ⊕-*l. bene prius ignitum cum* ✱ *abſtrahe aliquoties, donec acetum conſumatur, ſolve deinde in ſpir. vini correcto, quo etiam aliquoties abſtracto, reſolve id quod in fundo manet ſuper marmore vel per deliquium.* Hoc reſolutum deſtilla per retort. & exibit oo ⊕-l. dulce ut ſaccharum, & rubicundum inſtar ſanguinis.

Oleum contra venena *Magni Ducis Hetruriæ.*

♃. *Olei vetuſt.* ℔ *vj. ſcorpion. purgat. per 4. dies cum baſil. ſicc.* ℔ *v.*
pone in bocia Hermetice clauſa per 30. dies in ⊙. Tunc bulliant in MB. per 6. horas, exprime, adde
Rad. biſtort. gentian. tormentill. vincetoxic. imperator. an. ℥ *ij.*
bulliant per 4. horas, exprim. colatur, adde
Rhabarb. elect. myrrh. aloës, xyloaloes, croci an. ℥ *iß.*
iterum per 6. horas bulliant, exprime, cola, adde
Theriac. mithridat. ana ℥ ß.
M. Inungatur pulſibus exterius ſingulo triduo ad minimum ſemel. Interne datur cum ✱ in febribus ma-

lignis ad gut. IV. pro aliis venenis cum ▽. citri.

Oleum ex pomis amoris.

♃. *Succ. pomor. aureor.* ʒ VIII. *fol. eorund.* ℥ *iij. pomor. integr.* ʒ VI. *fol. hyoſc. recent. Solatr. recent. an. m j. olei olivar.* ℔ *j. vini odorifer.* ℥ *iij.*
Macerentur ſimul in vaſe vitreo clauſo in loco calido per 12. dies, coq. lento igne ad conſumptionem ſucci, adde opii Thebaici ʒ ij. Commiſceantur, digerantur iterum per biduum, & colentur pro uſu.

Oleum mirabile *Caranitæ Medici Papæ Clementis VII.* contra omnia venena non corroſiva.

♃. oo *veter.* ℔ *xx. in quibus infunde flor. hyperic. tritor. minutiſſ.* ℔ ß. *mitte in vas vitreum amplæ capacitatis; ſigillatum benè colloca in urna ad* ⊙ *octo dies, aut in putrefactionem in balneo 3. dies, & 12. horas in* MB *cola & exprime ſubinde. In expreſſione hac in eodem quidem vaſe infunde parem novorum florum quantitatem, id quod ter facito.* Hujus expreſſioni ℔ j. adde.
Terebinth. ℥ *j. vernic. euphorb. caſtor. an.* ℥ *ij. croci* ʒ *iß. lumbric. terreſtr. in vino albo lavator. m j.*
Miſta ſingula infunde in dicto ſuo vaſe per 6. horas in MB Cola poſtmodum & exprime. Cuilibet libræ expreſſionis adde Scorpion. num. 120. in diebus canicularibus capt. & 12. dies in oleo probe maceratos, & fol. baſilic. pone ſimul in vaſe munito & accommodo per 8. horas in loco calido, hinc cola, fortiter exprime. Tunc pro qualibet libra expreſſi olei.
♃. *Zedoar. tormentill an.* ℥ *j theriac. mithridat. rhabar. ſemin. papav. errat. an.* ʒ *ix. ceræ novæ* ʒ *v.* ℈ *j. ſpicar. allii ſylvat. num.* XV. *rhapontic.* ℥ß. *rad. ſerpent. major.* ʒ *j. Ariſtol. rot. myrrh. elect. aloes epatic. ſpicæ nardi an.* ʒ *iij.*
Inciſa & contuſa groſſo modo irrora vino Malvatico, & cum antedicta expreſſione pone ſimul in MB. per hor. 24. obſervato calore competente, poſt cola, exprime. Colaturam bene obturato & ſigillato vitro inditam ſerva diligenter, poneque per menſem ad ⊙. ut clareſcat. Vires. Quivenenum (modo non corroſivum) aſſumſit, cor, pulſum tempororum, manuum & pedum inungat hoc oleo, & ſpatio 6. aut duodecim horarum pro quantitate veneni ſalvabitur. Notandum etiam, quod talia loca fæti & generoſo vino ſæpius lavanda, Malvatico, Græco &c. Morſibus quorumcunque animalium venenoſorum & rabioſorum medetur, ſi ungatur locus affectus modo obſervetur ne tangatur cutis pars læſa, ſed regio circumvicina cuti. Præſervat à morbis contagioſis, ii qui cum morbidis verſantur, multum conducibile. Ileuſin ſanat, vermes necat. Qui comedit herbas, fructus, fungos venenatos, aut vulneratus fuit cum armis venenatis, ei ſublevabitur ſalubertime. Ubique tamen notandum quod non ſit ipſa rupta cutis, & locus affectus inungendus (eſſet enim lethiferum, ſi oleum in ipſam partem influeret) ſed regio circumjacens, & primo omnium cor præmunire convenit, ut inde venenum extirpetur. Iſchiatici cor locum dolentem & pulſus ungant, poſt cubitum abeant, & ſudent, quo plus, eo melius. Secunda vice ad ignem ungant ſe; quod fuit probatum ab aliquo, qui 13. annos iſchiate vexatus fuerat. In omnibus febribus continuis & malignis debite adhibitum excellentiſſimum remedium deprehenditur.

Oleum contra vermes, iſchuriam, hydropem, egregium.

Fratum D. Juſtinæ Patav.

♃. *Medull oſſium perſicor. amyg. amar. ſpicæ hortenſ. alii, lumbric. terreſtr. ſalonior. an.* ʒ *vj rad gentian. diptam. alb. fraxin. gramin. bib. imperator. pæon. moror. vel foliis croci calam. aromat. caryophyll. aloes, Galban. colocynth. zingib. nucis. cinamom. macropiper. thuris, carpobalſ. corall. rubr.*

rubr. an ℥ij. theriac. opt. ℥vj. menth. abſinth. abrotan. centaur. minor. fol. perſicor. pyrol. piloſell. apii, pulegii rubr. rutæ origan. plantag. marrub. laur. thym. ſalv. chamædr. aneth. roriſmar. an. m. ß. abrotan. fœm. major. betonic. cort. pomor. aurant. granator. acid. m ß. ſem. apii, portulac. raphan. caulium, plantag. porror. ſancti, cydonior. fœnic. petroſelin. piloſell. lupinor. ſegalin. phaſeol. bacc. lauri an. ℥vj. C. C. uſt. ℥iij. fell. taur. ℥ß. aceti albi ℔. ℥vj. olei maſtic. petrol. laurin. ſpicæ an. ℥vj. vetuſt. optim. ℔xxv.

Contuſa & inciſa macerentur in oleo ad ſolem per xv. dies, ebull. in M.B. & colentur, in fine addatur Theriac. in aceto ſolut. bene miſceantur, obturentur, & ſerventur ad uſum. In vermibus profligandis tempora, naſi foramina, larinx, præcordia, pulſus, & umbilicus inungantur, breviter operationes edit ſtupendas. Iſchuriam & calculum ſublevat. In hydrope efficaciæ admirabilis.

Oglio per li Vermi nella Speciar. Vecchia Venetiana.

℞. *Rad. gentian. diptamn. alb. an. ℥j. abſinth. m ij. centaur. minor. m j. aloes elect. ℥vij. C. C. uſt. ʒij. ſem. ſancti ℥ß. fell. taur. n. i. vini alb. acerrim. ℥ viij. ſem. colocynth. ℥ ij. olei commun. ℔ ij.*

Contuſa groſſo modo bulliant ad conſumptionem vini, adde picis navalis liquid. ℥iij. bulliant parum, facta forti expreſſione adde ☍ ſpic. odorat. ℥iß. M.

Oleum ad ſtrumas. *D. Coci.*

℞. ☍ *bacc. laur. ℥vj. philoſoph. ℥iij. thur. alb. gumm. arabic. an. ℥ ij. maſtich. terebinthin. an. ℥ iij.*

M. ac deſtill. lento igne per alembicum vitreis organis ℞. primi deſtillat. liquoris quantum perfluxerit, adde ciner. quercin. dimidiam partem, commiſce, indatur alio vitro atque deſtilla ſecunda vice. Hic liquor deſtillatus ſervetur uſui.

Oleum peſtilentiale *D. Coci.*

℞. *Olei terebinth. ℔ v. cinamom. opt. ℥j coc. integr. ℥ß. ſucc. alb. mac. an. ℥j. ſulphur. viv. ℥iv. rad. pſnitii ℥ j. nuc. moſchat. n. vj. zedoar. ℥j. polypod. ʒvj. deſtill. ſ. a.*

Oleum vulnerarium.

℞. ☍. *commun. ℔ j. ſemin. lin. ℥iv. hipric. ℥ij. roſac. ℔ ß.*

Hiſce omnibus commiſtis adde ſucc. ſq. herbarum expreſſum ſimul contuſarum & perfuſarum

Aceti ℔j. herb. plantag. ſanic. alchimill. ubac. millefol. conſolid. ſarrac. artemiſ. rubr. fol. quercin. a. m j.

Coq. ſimul, donec ſuccus pene evoporet poſt adde

Virid. æru ʒiß. gumm. ammoniac. galban. bellii ſolut. acet. calid. an. ʒj. myrrh. thuris aloes, Maſtich. ſrcocoll. an. ℈ij. colophon. ℈ iv. pic. naval. ʒiß. terebinth. ar. ℥ iij.

Coq. ſimul & excola balſamum.

Oleum ♁. dulce.

℞. ♁. optim. q. v. pulveriſ. imbibe cum ☍. ⊖-l. ut fiat quaſi paſta, manda digeſtioni per 14. dies, ut f. maſſa ferè pulveriſ. poſtea adde ſacchari candi ℔. ij. M. affunde ∀. rectific. p. iij. pone per diem unum in locum calidum, deſtilla deinde lento △ per retortam videbis oleum rubicundiſſimum, hoc ſerva, *das* ☿. *zrreibe, geuß vvieder das* ☍. ⊖-l. *druber, und.* procedir *vvie vor, und das thue* cohobando 4. *mahl. Magſt-auch einen* ∀. *allezeit zugieſſen.* Uſus: In podagra gt. vi. in vino, ſudet per 3. horas, & repetatur uſus per triduum In apoplexia inſtilletur linguæ guttula una, & intra). horas melius habebit. Si manus, pedes, aut brachia arthritide correpta fuere, propinentur. 3. gtt. in vino calido. Contra phthiſin in ▽. borrag. gtt. 3. manè per octo dies. In morbo gallico manè gtt. vi. jejuno ſtomacho in ▽. deſtillat. lign. ſaſſafr. per 14. dies. In peſte gut. 3. in vino abſinth. Annoſis & anheloſis propina initio veris & autumni per 3. dies v. gut. in vino, & ſingulis menſibus, videbiſque mira. Hoc ☍ experientiſſimus Chimicus *Thomas Lindlerus Medicus Dantiſcanus* ſæpius uſus eſt, & multis eo auxilio fuit.

Oleum contra calculum

Landgr. Wilhel.

℞. ☍ *Spic. juniper. petrol. amygd. amar. roſar. chamomill. lilior. albor. ſcorpion. an. ʒ ij.*

M. & inungatur regio pubis ex MSS. A. G.

Olea varia Compoſita ex Hadriani à Mynsicht Armamentario Medico-chymico.

Oleum Otalgicum.

℞. *Rad. hellebori nigri ℥ ß. pulp. colocynthid. ʒ iij fol. ſenæ elect. lauri an. ʒj. millepedum vivor. aliptæ moſchatæ, caryophyllorum ana ℥ i ß. herb roriſmarin. auricul. muris, majoranæ, Sabinæ ana m ß.*

Coq. in vino & ℞. Colaturæ ℥ iij. *ol. amygdalar. amar. ℥ ij. bac. juniperi, petræ ana ℥ ß formicarum ʒ i ß.*

Denuò coque ad conſumptionem humiditatis & oleum ad uſum reſerva.

Vires & Uſus.

Auditus difficultati confert & tinnitum tollit. Mane autem & ſero pauculæ guttulæ prudenter auribus inſtillentur, vel madefiat goſſypium imponendum.

Oleum Acouiſticum ambratum.

℞. *Ol. amygdalar. amar. ℥ iv. nardi comp. lilior. alb. ana ℥ ij. ſuc. origani majoran. rutæ, porri, raphani, caparum ana ℥ j.*

Mixta coquantur ad ſuccorum conſumptionem, poſtea oleo colato adde.

Sp. vini Mille pedibus prius impragnati aceti vini acerr. ana ℥ ß. ambra griſea, flor. ſerpilli, bac. ſabinæ, ſem. cymini, macis ana ʒj. cubebarum, hellebori alb. maſtichis, laudani, ſtyrac. calam. ana ʒß. caſtorei veri, piperis long. croci or. nitri prap. ana ℈ j.

Omnia per ſe pulveriſata, & diligenter conquaſſata denuò in B. aquæ magnifice bullientis ad conſumptionem humiditatis coquantur, permittendo refrigerari, poſtea oleo expreſſo & bene colato immiſceri.

Ol. formicarum aniſi ana ʒ j. galliæ moſchat. ſubtiliſſimè pulveriſat. ℈ j.

Miſce & ad uſum repone.

Vires & Uſus.

Contra ſurditatem & gravitatem auditus nec non tinnitum ab humore & vapore, vel etiam à flatu expertiſſimum eſt: Aurium etiam dolores ſiſtit. Apoſtemata rumpit, & ulcera manantia curat. Uſus eſt, ut aliquot guttæ in aures manè & veſperi ſtillentur, claudendo cottone moſchato; Sic tribus aut quatuor diebus ſæpe auribus medetur.

Oleum Carminativum.

℞. *Ol. ſem. cymini ℥ ß. fœniculi, aniſi, carvi ana ʒ j. aneti, aurant. chamomill. ana ʒ ß.*

Miſc. & ad uſum repone.

Vires, Uſus, Doſis.

Medicamentum verè anodynum eſt: Diſcutit enim flatus, Hyſteralgiam & omnes morbos ex ventoſitate ortos curat. Tum quoque dolores Pectoris, Ventriculi, Lienis, inteſtinorum, renum & veſicæ lenit atque placat. Melancholiæ flatuoſæ ſeu hypochondriacæ auxilio eſt. Doſis à gutt. iv. ad v. in vehiculis appropriatis.

Oleum

Oleum Nephriticum.

℞. *Succini alb. rect. terebinthinæ juniperi ana ℥ iv. fermenti panis cibar. ſal. communis tartari alb. an. ℥ ij. aq. hederæ ter. petroſelini ononidis, ana ℔ iij.*

Miſc. & per alembicum deſtilla: poſtea ſepara oleum, & ad uſum reſerva.

Vires, Uſus, Doſis.

Virtuoſiſſimè & potentiſſimè calculum Renum & Veſicæ frangit, & per urinam expellit; Inſuper Colicos dolores ſedat. Uterum roborat & partum facilem reddit, ſi ex aq. Verbenæ parturienti propinetur. Cum aq. Tiliæ ſumptum Capitis affectibus, nervorum reſolutionibus, morbo attonito & Comitiali ſuccurrit; nec non naribus inunctum ab omni veneno & aëri peſtilenti præſervat. Doſis manè à gut. v. ad vi. in vehiculis ſpecificis.

Oleum ſeptem florum.

Paratur ex oleo Olivarum per multas repetitas infuſiones florum, Violarum, Sambuci, Roſarum, Chamomillæ, Liliorum alb. Verbaſci, Malvæ arbor. rub. infundantur autem flores in oleo, & quilibet ſuo tempore, dum haberi poteſt, recens & ſeorſim, digerantur in Sole, & poſt debitam macerationem quilibet flos ſeorſim quoque, & fortiter exprimatur, & hic labor cum aliis & recentibus floribus aliquoties repetendus &c. Sic tandem Oleum anodynum & verè Balſamicum accipies, in omnibus tam frigidis quam calidis doloribus appropriatum, quod uſui repone.

Vires, Uſus, Doſis.

Adonydum eſt. Capitis dolores & Cephalalgiam mitigat. Phreneticis & vigilibus fronti ac temporibus impoſitum, ſomnum conciliat. Hypochondriorum tenſionibus prodeſt. Dolores Thoracis, Ventriculi, Coli, Uteri & nervoſarum partium ſedat. Pleuriticis, Tabidis & Hecticis præſenti eſt remedio. Febrium ardentium æſtus intolerabiles placat. Jecoris & Renum immoderatum calorem ſedat. Omnem Intemperiem calidam extinguit. Uteri duritiés emollit, & multos alios vulvarum caſus componit, omnes tumores calidos vel maturat. Laſſitudines diſcutit. Valet etiam ad ambuſta cum albumine Ovi mucilag. Sem. Cydoneor. mixtum. Per clyſteres denique injectum dolores ventris ſiſtit, alvum irritat, ſcroſaque excrementa per inferna educit.

Oleum Sabinæ Croceum.

℞. *Ol. ſtil. ſabinæ ℥ iij. croci orient. ʒ iij.*

Miſc. & affunde ſpir. vini ſuper Artemiſ. Centaur. min. & Cinamom. rectif. Unc. iij. Coq. ad ſpiritus conſumptionem. Poſtea ſepara oleum, & ad uſum reſerva.

Vires, Uſus, Doſis.

Ad cienda muliebria probatiſſimum. Doſis manè & veſperi à gut. v. ad vi. & vii. in aq. Artemiſiæ, pulegii &c. Item in vino Malvatico vel alio generoſo & forti in decoctione noſtra contra Menſes ſuppreſſos commodiſſimè offertur. Tempore autem, quo menſtrua fluere conſueverunt, exhibendum, ut ſic adjuvante natura eò efficacius operari poſſit.

Oleum Balſami.

℞. *Ol. olivarum ℔ j hyperici, bac. lauri an. ℥ j. gran. juniperi, petræ ana ʒ ß. lig. rhodini, ſpicæ, ana ʒ ij. ſem. angelicæ, aniſi ana ʒ j terebinth. cypriæ in aq. violar. lotæ ℔ ß.*

Miſc. & cum ſ. q. Rad. Anchuſæ f. l. a. Oleum ſeu Balſamum rubicundum.

Vires Uſus Doſis.

Calefacit aperit, diſcutit, tenuat, atque penetrat. Hinc omnibus affectibus frigidis auxiliatur. Flatus egregiè diſſipat: In paralyſi, nervorum origini inunctum, multum facit. Surditati, ſibilo, & dolori aurium, à frigiditate, medetur. Dolores & rigores Febrium, ſpinæ dorſi illitum, tollit, & Febres abigit. Putredini & peſti reſiſtit. Calculos comminuit atque pellit. Sudores provocat. In ſpaſmo, Colica, Hydrope, Tympanite, contracturis, Suffocatione Matricis, ſanguine coagulato, ſtomacho debilitato, &c. internè & externè uſurpatum, præſtans eſt remedium. Doſis à ℈ j. ad ʒ j. in vehiculis morbum reſpicientibus.

Oleum Formicarum.

℞. *Formicarum vivar. ſem. erucæ ana q. v.*

Miſc. & contunde, ut fiat quaſi paſta: Hanc vitro inde, & ſub dio ſoli tamdiu expone, donec oleum accipias, quod per expreſſionem ſepara, & ad uſum, pro Balſamo noſtro Venereo reſerva.

Vires & Uſus.

Si hoc oleo plantæ pedum & regio pubis ac perinæi ungantur, mirabiliter torpentes excitat, etiam à maleficio tales.

Oleum Lignorum.

℞. *Raſ. lig. ſancti ℔ iij. ſaſſafras rhodini ana ℥ viii.*

Mixta deſtillentur, ut eſt artis, & accipies Spiritum & Oleum, quæ ſeorſim aliquoties rectificentur, & ad Uſum ſerventur.

Vires & Uſus.

Spiritus habet vim diaphoreticam, & per ſudorem expellit, quodcunque in corpore noxium. Doſis à ʒ ß. ad ʒ j. in vehiculis ſpecificis. Oleum vero Experimentum eſt in Gonorrhœa; Contagioni etiam & putredini maximè reſiſtit: Eâ enim ratione morbo Gallico mire ſubvenit: Cujus ulcera, puſtulæ, cruſtæ, veſiculæ &c. nec non ſerpigines & ſcabies ex Oleo hujus illinitione, curantur Doſis interne à gut. vi. ad gut. iij. in liquore convenienti & appropriato.

OLIBANUM, vid. *Thus.*

OLIVA, vid. *Olea.*

OLLA, vid. *Inſtrumenta Pharmaceutica.*

OLOR, vid. *Cygnus.*

OLUS.

Olus, Oleris, denotat quamcunque herbam eſculentam, & ab olla nomen ſortitur, quòd ſcilicet in cibum veniat. Scaliger nomen *Olus* ab *Oleo* creſco deducit, quòd olera in hortum translata ex agreſtibus culta fiant, ſicque adaugeantur & excreſcant.

OLUS ATRUM, vid. *Smyrnium.*

OMASA.

Sunt propriè interanea animalium ruminantium ab *Omaſo* uno ex ipſorum ventriculis ſic dicta, unde decoctum omaſorum vocamus decoctum interaneorum animalium ruminantium, eoque in clyſteriis, balneis & fotibus quibuſdam utimur.

OMPHACIUM.

Omphacium, Gallicè *Verius*, eſt ſuccus uvarum immaturarum, coloris viridis, ſaporis acidi, ſtiptici ac adſtringentis, continens multum ſalis eſſentialis ac phlegmatis, parum olei.

Deterſivum eſt & adſtringens, ſiticuloſis confert, bilem præcipitat, cor exhilarat, humorum acrimoniam alkalinam temperat, cutim mundificat. Uſus ejus internus eſt & externus.

Omphacium autem ab ὄμφαξ uva acerba vocatur, quia ſcilicet ut jam diximus ex uvâ immaturâ ac propterea acerbâ exprimitur.

ONAGER.

Eſt Aſinus ſylveſtris cujus vires non multum differunt ab iis quas in Aſino domeſtico deſcripſimus.

ONAGRA.

Onagra, ſeu *Lyſimachia lutea corniculata, Virginiana &c.* Planta eſt exotica, quæ adſtringens, deterſiva, vulneraria, ac ſanguinem ſiſtere creditur.

ONOBRYCHIS.

Onobrychis nonnullis ab ὄνος Aſinus & βρυχὶς quaſi Aſini palmes dicta putatur: aliis ab ὄνος βρύχω frendeo, ab aſini ruditu, quòd eo depaſto fremant Aſini, nec injuriâ, ſiquidem cum ſemen jam maturuit depaſcantur: ſemen enim rigidis ſuis aculeis eorum palatum & os compunget.

Notæ ejus *genericæ* ſunt floris ſpicati, ſiliquæ aculeatæ monococcæ.

Nomina. Onobrychis ſive Caput gallinaceum *Ger.* Onob. vulgaris *Park.* foliis viciæ, fructu echinato major *C. B.* Polygalon Geſneri *I. B.* & nunc hodie vulgo nota nomine *Saint foin.*

I. B. Multarum notarum argumento polygalon indigitabat Geſnerus herbam è radice mediocriter craſſa longa, vivaci, cortice obtecta, nigro, intus alba, ramos proferentem multos, palmares vel etiam cubitales, rubentes, in terram reclinatos; è quibus orti pediculi folia conjugatim diſpoſita ſuſtinent lentis, inferius magis albicantia & piloſa, ſuperius viridantia magis, plurima, cum impari in extremo, mucronata; & foliorum alis exeunt pediculi prælongi, florum ſpicas ſuſtinentes in longum excurrentes unde &, ſentina non coacervata ſunt ſed rarius diſpoſita. Flores pulchre rubent ſupremo folio (quod plerunque reflectitur) lineolis ſaturatioribus eleganter ſtriato, è calice hirſuto. Sequuntur ſeminum conceptacula ſubrotunda, modice compreſſa, ſpinulis aſperata, & per ambitum gibba, criſtam ſerratam, membraneam erigentia, ſemina ſingularia reniformia continentia.

Ad latera collium Gogmagog dictorum prope Cantabrigiam, inque ſatorum ibidem marginibus nec non campeſtri planitie prope Novum mercatum, inque ejuſmodi planitie montoſa Salisburienſi, ut & alibi in Anglia ſponte provenit, ſemper tamen ſolo cretaceo & ſicco, locis apricis, ut circa Royſton oppidum. In tranſmarinis prope Genevam copioſe provenientem obſervavimus in pratis, ubi & J. Bauhinus.

Hæc eſt quæ non ita pridem ſeri apud nos cœpit pro jumentorum pabulo *Saint foin* i. e. *Sancti fœni* nomine, ſemine è Gallia petito, maximo multorum emolumento. Multam enim ex ejus eſu Vaccis & aliis animalibus lactis copiam contingere compertum eſt, unde polygalon & merito Geſnero dicitur: præterea ſolo gaudet ſterili & cretaceo, aut ſicciore, nec graminis neque frumenti admodum feraci; unde à quo ſeri cæpit hujuſmodi agrorum annui reditus ſoli Dominis multoties iterantur.

Dienſibus Allobrogum, ubi pratorum copia non eſt in aſperis & lapidoſis locis, pauculâ terrâ tectis, bidente tantùm ſcalptis, injecto fimo & diligenter comminuto ea gens ſerit, & humo inſperſo ſtercore operit. A ſatu imber ſi ſubſequatur facillime comprehendit, & optime proficit diſperſis huc illuc cauliculis, ſic veſtiens & operiens ſolum ut in jejuno & ſqualidiſſimo ſolo latiſſimi prati ſpeciem oſtendat. Secatur ſingulis annis ter, cum adolevit & corroborata eſt, & pecori gratiſſimum pabulum eſt. Gaudet præcipue locis aridis & ſabuloſis, in quibus floret æſtate & ſemina perficit Autumno. *Moris.*

Ingenioſiſſimus vir & rei herbariæ peritiſſimus D. Sloane exhibuit nobis ramulum ſiccum Onobrychidis cujuſdam quam majorem non deſcriptam vocat. Vulgarem Onobrychidem foliis & ſpica refert; ſed florum color videtur eſſe cæruleus. *Raius.*

ONONIS.

Nomina. Anonis ſpinoſa flore purpureo *C. B. Park.* An. ſive reſta bovis *Ger.* An. Sive reſta bovis vulgaris, purpurea & alba ſpinoſa.

I. B. Longè lateque radices ſpargit albidas, fractu contumaces: ramis verò lignoſis, ſimplicibus & frequentibus fruticat, cubitum unum aut alterum longis tenuibus, rotundis, hirſutis, rubeſcentibus, lentis, ſpinis longis & rigidis armatum, interdum vero nullis priuſquam decidant folia. Folia ſpinis ferè proximo ortu, incondita, ſublonga ciceris ſingularibus foliis ſimillima, nigricantia, hirſuta, in ambitu crenata, ſapore leguminoſo, tactu glutinoſa, odorataque (imo fætida) flores coluteæ ſed colore purpureſcente vel carneo, rarius albo. Siliquæ parvæ rotundum ſemen continent, viciæ formâ & ſapore.

Anonis ſpinoſa lutea major *C. B.* ſpinoſa montana lutea major *Park.* foliis paulo majoribus & longioribus, floribus luteis, ejus quæ ſpinis caret ſimilibus à deſcripta differt, aliam adhuc ſpeciem ſeu varietatem proponit Parkinſonus quam ſpinoſam luteam minorem vocat, quæ non alia in re quam brevitate & parvitate ſua à præcedente differt.

In paſcuis ſterilioribus paſſim.

Vires. Cortex radicis, ut & radix ipſa, urinam ciet, calculos renum & veſicæ atterit, carnoſam ramicem abſumit, dentium dolores mulcet, hepatis infarctus liberat, vel in pulverem redactus, & vino albo tenui infuſus, vel in poſca decoctus, & aliquandiu bibitus, hujus radici, aut potius radicis cortici (inquit Sim. Paulus) vix ſuppar remedium reperitur, quod cum eo componi queat, tam in veſicæ quam renum calculo. Matthiolus in Dioſcorid. notat, ſe noviſſe quendam, qui radicis hujuſce pulvere duntaxat pluribus menſibus ſumpto carnoſum ramicem abſumit, licet à Medicis nullo alio modo quam ſectione uſtioneve curari poſſe ſtatutum eſſet.

Hæmorrhoidibus cæcis mariciſve diſcutiendis infuſum aliquandiu bibitum prodeſt.

Antequam ſpinas produxit conditur cum ſale pro cibario *Schrod. Raius.*

Onyx, vid. ſub titulo *Lapis.*

Opalus, vid. ſub titulo *Lapis.*

OPHIOGLOSSUM.

Nomina. Ophiogloſſum *I. B. Ger.* Ophiog. ſive lingua Serpentina *Park.* Ophiogloſ. I. ſive vulgatum *C. B.*

I. B. Ophiogloſſo floris arguta cuſpis (inquit I. Bauhinus

hinus) linguam ſerpentis exertam imitata, nomen impertivit, fictum quidem ex Germanico: veteribus indictum eſſe nonnulli exiſtimant; certe quo nomine illis innotuit inter Botanicos non convenit.

Multis & ſatis craſſis fibris in faſciculum velut collectis cirratâ, ellebori modo, ſi præſertim pinguius nanciſcatur ſolum, radice donatur, poſt dulcedinem quam primum linguæ ingerit, caloris & acrimoniæ nonnihil in palato relinquens & paululum amareſcens Cam. huic ſurgit pedicellus palmaris folium ſingulare ſuſtinens, betæ parvæ quodam modo, pinguius tamen & carnoſum, minimeque nervoſum, modo anguſtum & longiuſculum, modo latum & ſubrotundum, læve, erectum, ſapore dulciuſculo cum viſcoſitate & viroſitate aliqua; è cujus ſinu qua pediculo committitur ligula exit bifurcata, non tamen ſecta, in acumen ſenſim deſinens, citra extremitatem utrinque denticulata, ſcobinæ aut limæ aurifabrorum effigiaturâ. Seminis loco (inquit Camerarius) ei tenuis quaſi pollen in linguæ inſectionibus adeſt, iiſque per maturitatem dehiſcentibus excidit.

In pratis & paſcuis humidioribus frequens invenitur. Aprili vel demum Maio menſe prodit, & adusque Junium viget, paulo poſt tota ſuperficies marceſcit, radice in terra ſuperſtite; quæ profunde demergitur, ut extirpatu difficilis ſit.

Vires. Vulnerarium eſt inſigne; tum intus ſumptum in potionibus, tum extrinſecus applicatum. Recentia folia vulnera conglutinant & enterocelas ſanant. Datur potanda ex aqua equiſeti ad intrinſeca vulnera. herbæ pulverem aliquot diebus exhibitum ramices omnes curare poſſe affirmat Baptiſta Surdus.

Verum non modo ad vulnera recentia ſed & vetera ulcera & ramices præcipuæ æſtimationis eſt oleum quod ex foliis ejus in oleo olivarum vel omphacino ad ſolem diutius maceratis, vel brevius ad ignem decoctis donec inareſcant & exſucca evadant, deinde expreſſis conficitur, præſertim, inquit Parkinſonus, ſi gemmæ terebinthinæ tantillum in eo diſſolvatur.

Ophiogloſſa ratione magnitudinis inter ſe differre deprehendit Mentzelius circa oppidum Furſtenvvaldiam. Minimum ultra unciam cum ſua lingua & foliolo non aſſurgit. Medium vero bis uncile folium habet longius & lingua ultra tres uncias excreſcentem: Majus autem folium obtinet quatuor uncias longum, & unum cum dimidia latum, lingua in altum ſatis ſe erigente.

Ibidem quoque trilinguia ophiogloſſa, nec non bilinguia reperit idem. *Raius*.

OPHIOSCORODON, vid. *Victorialis*.

OPHITES Lapis ſerpentinus, vid. ſub titulo *Lapis*.

OPHRIS.

Sub *Ophridis*, ſeu *Ophrios* nomine duæ veniunt plantæ, quarum prima quæ Gallice *Double fueille* vocatur, Bifolium, latinè, & Pſeudo orchis dicitur. Secunda eò quòd tria gerat folia, *Ophris trifolia* nuncupatur. Utraque autem vulneraria eſt, conſolidans, ac vulneribus apta.

OPHTHAMICA MEDICAMENTA.

Vulgata eſt parœmia: non patitur luſum fama, fides, oculus. Non patitur luſum ob teneritudinem, & artificium ſtructuræ ſummum, tum à nocentibus quibuſvis extraneis, tum à juvantibus vel quaſi medicamentis.

Sunt hæc ipſa ad inſtar aliorum (1) vel *communia* vel *propria*. *Communia* ſunt, ut auribus quoque ſimul debita, emollientia, paregorica, repellentia, adſtringentia, traumatica & ſimilia; communia, non quidem reſpectu membri affecti, cujus ratione ea ipſa ſunt & dicuntur propria potius, verbi gratia, adſtringentia in uveæ dilatatione, repellentia in influxionibus, traumatica in vulneribus; ſed ratione materiæ medicæ. Præcipuum illorum exemplum præbent veſicatoria, & his affinia ſetacea, quæ in affectibus paulò gravioribus unice oculis opem ferunt, ad nucham applicata. Tacemus purgantia ipſa, quæ in ipſis quoque his affectibus ſæpe omne ferunt punctum; utraque evacuandi ſcopo adhibita, & quidem ſeri, oculis copiâ, motu & influxu, ut & acredine moleſti. Virgo viginti annorum debilitate viſus laborans, & maculas obverſantes ſibi in oculis ſentiens, unico purgante dato melius habebat.

Sunt itaque (2) ophthalmica vel *interna* vel *externa*, utraque ab uſu ita dicta, & quoad partes læſas, interius vel exterius obvias, diviſa. *Interna* uno nomine dici poſſunt ὀξυδερκικὰ, ſeu *viſum acuentia* & roborantia, (id quod tamen adæquatè & externis competit, ut hæc ipſa ſint quaſi ophthalmica præcipua & ſpecifica,) proficua, ubicunque actio oculi ceſſat vel debilis eſt, tum in ſenſu præcipuè, tum etiam in motu. Sunt ſcilicet hæc ipſa cephalica ferè, nervina balſamica, quæ conjunctim ſpiritus, humores, nervos & caput horum fontem reſpiciunt; verbi gratia, præter cephalica jam expoſita radix valerianæ, helenii, herba nepethæ, euphraſia, verbena, fumaria, ut cephalicas roriſmarinum, meliſſam, non laudemus denuò. Item cubebæ, ſemen aniſi, fœniculi, etiam inſpiratu utilia, lignum aloes, ſuccinum &c.

Externa licet pleraque polychreſta ſint & mixta, paucis exceptis, poſſunt tamen ſub certis quoque claſſibus ſpeciatim recenſeri, quibus ipſa velut certis quibuſdam terminis abſolvuntur. Sunt nempe partim *extergentia*, ad motum humorum promovendum, ςάσιν diſpellendam & coagulum removendum, in unguiculis, excreſcentiis, cataractis, & puſtulis utilia; eaque tum *terrea* exſiccantia, ut perlæ præparatæ, flores zinci, ſaccharum ſaturni, vel potius magiſterium, unguentum nihili, tutia præparata, margaritæ troch. M. ſief album, pompholyx; tum acriuſcula ſalinâ qualitate ſigillata, ſaccharum canarienſe, ⊖-lum album, aloe, fel lucii piſcis, ejuſque eſſentia, pinguedo aſciæ piſcis, ſerpentum & viperarum delicatiſſima, quæ ad roborandum viſum & affectus oculi plurimos laudari ſatis nequit. *Vid. Ephem. Germ. Ann. II. obſ.* 125. *p.* 206. Pertinet huc aqua ſaphirina, parata ex lixivio calcis vivæ, ſalis ammoniaci acceſſione paucâ roborato, in pelvi æneâ virorem infuſione indepto.

Partim *defendentia*, *demulcentia* & *traumatica*, ipſum cumprimis bulbum ejuſque concamerationem reſpicientia, quod in ophthalmiâ, variolis & morbillis, vulneribus & punctionibus ipſis pro ſuffuſione tollendâ valet, ut *mucilaginoſa*, auricula Judæ, albumen ovi, alumen, mucilago ſeminis pſyllii, cydon. emplaſtrum de pomis dulcibus, apud *Scultet.* aqua frigida, chelidoniæ majoris, euphraſiæ, roſarum verbenæ, eſſentia Veneris &c. Faciunt huc, quæ, ad reſtitutionem humorum extravaſatorum communiter, vel ſeorſim commendantur.

Legi meretur hanc in rem obſervatio elegantiſſima apud *Heerium obſerv.* 4. *p.* 71. *ſeq.* qui ſucco veſicularum ulmi tempore verno reperibili, primùm humorem oculi in gallinis, hinc & in homine reſtituit, citra tamen viſionem ſalvam reſtitem.

Hinc *Burrhus in epiſtolâ ad Bartholinum* hoc ipſum tetigit, quâ de edidit hic conſiderationem phyſiologiam occurrentium quorundam in epiſtolis duabus Fr. Burrhi de cerebro & oculis. In harum poſteriore *p.* 36. *ſeq.* agit de artificio oculorum humores reſtituendi, quo multoties diſſectos profundè ac tranſverſim brutorum hominumq; oculos ad priſtinum ſta-

tum tam feliciter reſtituerit Amſtelodami, ut nec litura cicatricis minima ſupereſſet. Quem in finem inſerviiſſe ſibi *pag.* 37. pronunciat aquam laudatis aliis jam autoribus adhibitam, deſtillatam per MB. ex foliis chelidoniæ, (majoris,) addito tantillo camphoræ ad arcendam putrefactionem, vel etiam ex fimo ejuſdem chelidoniæ, ſeu herbâ in putrilaginem reſolutâ, ſpontaneâ effervescentiâ prolectâ in alembico, concluſo inibi, aquâ. Hâc reſtitui ait citiſſimè oculos exſectos avium, & tantâ cum venuſtate micare in eis iridem & fulgorem radiorum, ut longè ſuperet pulchritudinem oculorum naturalem; imò in iis, qui bis diſſecti fuerint, levigari tanto ſplendore renatos oculos, ut niteant, quaſi eſſent perlæ orientales. Cautelam tamen addit, ut ſummâ diligentiâ vitetur nervi optici læſio, profundioribus quippe hujus fibris læſis, curationem difficilem aut infelicem fore, de quibus tum ipſe tum *Exc. D. Major.* noſter in curioſo dicto commentario legi latius meretur, laudans etiam fel humanum deſtillatum. Notabile verò eſt, jamdudum *Crollium* aquam chelidoniæ compoſitam pro oculorum vulneribus in uſu habuiſſe, quod deſcriptum & explicatum exhibet *Tenzel. Exeg. Chim. pag.* 669.

Si ab his duobus abierimus, *Th. Kerckringius Spicileg. anatam. Obſ.* 100. *p.* 198. proponit ſe noſſe artificium, quo oculus cryſtallino cæteriſque humoribus ſpoliatus viſum recuperare poſſit, non artificio illo Burrhiano, quo ipſe quidem viderit canem reſtitutum, cœcum illo oculo manentem, ſed alio, quod tamen revelare non dignatur, tanto minus admirandum, quò obſcurioribus tenebris obvolvitur, tantò magis verò, ſi ad poſteritatis & communem uſum propalare illud ſuſtineat vir celeberrimus.

Candidus & in hoc & laude digniſſimus eſt *A. Sala*, qui in *ſeptem planet. terr. ſpagir. recenſ. Operum p.* 211. ophthalmicum admirandarum virium tradit, deſcribit & experimento comprobatum exhibet, ex ♀ bracteat. ℥iij. vini malvat. ℥xviii. ſeu ℔iß. circulentur ad ſolem, vitro bene clauſo, donec liquor viridis & tranſparens inſtar ſmaragdi fiat. Qui uſum noverit, præter alia addit, miranda efficiet. Imò, ut ex hiſtoriâ additâ patet, humores reſtituit, 1610. ait, Noribergæ Juvenis quidam lithothomus ex urbe Baſileâ luſu gladiatorio ſerio oculum dextrum effoſſum habuit, ita ut ex capſulâ ad longitudinem nucis propenderet. Concionatoris uxor in locum repoſuit oculum propendulum, & talis adjumento liquoris fixum reddidit & ſanum intra 14. dies, viſum tamen amiſit, nam ex ictu exciderat pupilla.

Novimus etiam pinguedinis viperinæ beneficio vulnus oculi conſolidatum, & ex albuminibus ovorum conquaſſatis vel deſtillatis quoque credibile eſt tale quid effici poſſe, vel ex ipſis etiam humoribus oculi bubuli, utpote maximè affinibus.

An verò & cryſtallinus exemptus reſtitui poſſit, & ſic cœcitas vel ſaltim confortatio oculi curari, dubium eſt maximum, nam de humoris aquei regeneratione res clara eſt. In læſione oculi conſimili *B. Rolfincius* aquam calcatrippæ unicè adhibebat. Sufficiat, nulla alia ratione reſtitutionem fieri poſſe, quàm principaliter quidem à natura, morborum cumprimis horum medicatrice; adjuta medicamentis traumaticis, oculi archeo amicis & ſpecificis, prohibita inflammatione & ſuppuratione. Unde aqua chelidoniæ vel conſimilis ob vim aquoſam repellit & roborat; ob vim nitroſam terream refrigerat, diſcutit, & optima eſt inter omnes ophthalmicas; ſuccus etiam flavus æmulatur bilem abſtergendo inſignis.

Partim *diſcutientia* ibi conſiſtentes ſeu vapores & halitus, ſeu humores in coagulum abituros. Patet id inprimis in ſugillatis, vexatos vocant Latini alias, ubi radix ſigilli Salomonis ſpecifica eſt; & hinc quoque in humorum impurorum affluxu, extravaſatione. Faciunt id ὀξυδερκικὰ interna, aperitiva item & cephalica; Exterius verò laudata ophthalmica, illa ſcilicet quæ polychreſta ſunt, & ſingulis ferè hiſce indicationibus ſingula proficiunt, eadem cum extergentibus.

Referri huc etiam merentur fotus & ſuffimenta, parcius tamen & cautè adminiſtranda, fumus enim lædit oculus nimia morficatione, modica non nocet. Nocent quippe & pulverulenta oculis, indicata tamen commodè inſperguntur, ut perlæ, ſacchar. magiſter. ſaturni & lapis ſimilis ipſe, cum quo novimus cœcitatem aſinorum corrigere molitores. Nimio verò calore concretionem humoris albuginei in cataractam promoveri poſſe, notavi in ſtudioſo, qui in pueritia fotibus taliſmodi intempeſtivis, ſuaſu medici, utens eandem reportavit. Notabile enim eſt, leni acrimonia extergente & diſcutiente ſigillata eſſe debere ophthalmica, quod oculus in ſe pars ſit ſpermatica, excarnis, frigidior, membranoſa, moderanda tamen pro affectuum modulo, cujus rei exemplum præbere poteſt pinguedo viperina, nunquam ſatis laudata; hæc recens magis demulcet, vetuſtior magis extergit & diſcutit. Vidimus unâ nocte ejus beneficio unguiculos curatos.

Pertinet diſcutientia etiam lenis palpebrarum frictio, inprimis cum ſuccino, ſmaragdo, ſapphiro, quod in variolis pro defenſione oculorum cum ſucceſſu ſuaſimus ſæpius.

Tacemus ex dictis *mixta*, ſeu in uno, ſeu in pluribus vis illa emineat. Taliſmodi etiam ſunt crocus metallorum uterque, vitriolum album, & ex his parata & mixta alia, ut unguentum nihili, collyrium Plateri, & alia deſcripta apud *Rolfincium in O. & M. Comment.*

Notabile eſt hepar bovillum vel hirci à *Coo* & aliis commendari in nyctalopia pro ſpecifico, cujus experimentum felix in famulo ſuo fecit *Mœbius*, idemque experimentis comprobatum notat *J. Th. Schenckius hiſtor. humor. general. c.* 2. *p.* 36. Vim ſuam exſerit incraſſando, unde ſpiritus animales quoque non tam effusè influunt. Meminimus & opiatis curatum affectum.

Valent verò de his cautelæ obſervandæ (1) *in oculis affectis non ſolùm locus, ſed & fotus ſpectandus eſt.* Locus quidem eſt oculus, fomes tum caput, tum hypochondria, tum M. S. acris, ſeroſa, catarrhoſa, ſcorbutica.

(2) *Repellentia repellant, non impellant, ſeu impingant.* Inprimis nimis frigida, debent enim hæc ipſa defendere & reprimere, munitis poris, humores ſeroſos, non in quiete detinere. Præſtat utplurimum revellere in his caſibus, quàm repellere.

(3) *Suppuratio oculis funeſta*; omnibus modis arcenda, idq; frigidiuſculis & diſcutientibus, V. S. revulſione &c. Timenda hæc eſt in ophthalmia inſigniſſima, ubi ipſa ſalus ſæpe ſi ſervare oculum velit, non ſervabit. Hujus verò nota pus eſt. Studioſus graviſſimam talem ophthalmiam patiens ad ſe nos vocat, oſtenſurus oculum cum linteamine pus oſtendit, deſperato cum prognoſtico. Non verò intelligitur tam ſuppuratio exterior, levior & palpebrarum, qualis nonnunquam fit, quàm interior, & ipſius oculi inflammationem patientis, quæ neceſſario corruptionem partis poſt ſe trahit. Addi hinc poteſt ſuperius traditis de emollientibus, hæc non convenire tum oculis promiſcuè, ſed magis frigide quàm calide, ut diſcutientia, (contrario modo,) tum nervis vulneratis, quod exemplo illo Galenico adoleſcentis *l.* 1. *de compoſ. med. per gen. c.* 7. patet, ubi ab emollientium uſu putrilago ſecuta eſt. Vid. *Hiſt. Gal.* 74. apud *Sylvatic. p.* 371.

(4) *Emplaſtica & anodyna medicamenta oculis inflammatis tantum abeſt ut proſint, ut potius noceant.* Et inter hæc opiata, fruſtra in collyria recipi ſolita. Præſtat mulcere & defendere, quàm anodynis his curam tentare, morſicant magis, quàm ut dolorem ſopiant. Confer. *Galen.* 6. *aphor. comm.* 31.

(5) *Acriuſcula in tempore exhibita optima ſunt ophthalmica*

mica; tum quia humores ibi ſubſiſtentes in motum cient, tum quia oculus frigidus & membranaceus eſt, unde leviora quæ ſunt archeum ejus minus movent; quæ vero acriora, lædunt. Id tamen non facile fit, quod caſu & formâ innotuit; quæ enim partibus tam delicatis nocitura videbantur, non nocuerunt ob robur tunicarum, quod ex anatome patet. Ex eo tamen non inferendum, promiſcuè oculis inferenda acriora, irritantia quippe, unde errant, qui ſeu ex vulgo, ſeu ex medicis camphoram, qui ⊖-lum album & alia ultra moderationis terminos collyriis jungunt, unde inflammatio augetur, citato affluxu, & morſicatis fibris.

(6.) *Unctuoſa-aquoſa oculis amica; unctuoſa etiam quædam oleoſa*; exemplo pinguedinum viperarum, & huic ſuccedanearum; alia verò ſeu calidiora, ſeu tenaciora non item: unde abſurdum fuerit oculis emplaſtra apponere.

(7.) *Quæcunque affluxum cient oculis, cavenda.* Et inter hæc ptarmica, totum caput concutientia, unde & ſani compatiuntur oculi, comprimuntur, illachrumantur productâ ſternutatione, & ſollicitantur. Longè magis id in ægro & debili bulbo timendum eſt. *Wedelius.*

Hactenus de Medicamentis Ophthalmicis in genere, ſequuntur jam formulæ quædam eorum ſpecificæ ex Faſciculo Medicamentorum ſingularium Clariſſ. Cnœffelii.

Vinum Medicatum Polychreſtum, primariò quidem & principaliter directum ad vitia oculorum, ſive ad viſus obſcuritatem ex humoribus frigidis cauſatam: ſecundariò autem ad oppilationes venarum & omnis generis venena, S.R. Maj. Sigiſmundi III. Pol. Pol. & Suec. Regis.

℞. *Herb. & flor. euphraſiæ m. x. roriſmarini m. v. betonicæ m* IV. *botryos, ſalviæ ana m. iij. chelidonii, verbenæ maris man. i ß. cardui benedicti m. ij. flor. calendulæ man. j. ſtœchad. Amb. ſem. fœnic. ſileris montan. ana m. ij. cort. citri man.* IV. *ligni ſaſſafras conciſi* ℥ x. *rad. zedoariæ* ℥ *j. diptami albi, ireos flor. ana* ℥ *ij. cardamomi* ℥ *j.*
Conſcindantur herbæ paululum exſiccatæ, demptis ſtipitibus, & cum reliquis ingredientibus craſſiuſculè contuſis miſceantur, & in tres partes æquales diviſæ; ſacculiſque oblongis immiſſæ, ac in vini Rhenani recentis, ſeu muſti vaſculo, quod Amam vocant, immergantur, macerenturque per tres vel quatuor ſeptimanas, ut hoc pacto vinum illud cum herbis efferveſcat, & vis illarum extrahatur, cumque vini ſubſtantia uniatur. Poſtea ſacculi extrahantur è vaſe, ut feces ad fundum reſideant, & vinum clareſcat, atque ad uſum accommodari poſſit.

Dotes & vires. Vinum hoc medicatum licet propter ſua ingredientia præſtantiſſima variis polleat viribus, tum ob herbas ophthalmicas, præcipuè euphraſiam quæ baſis hujus compoſitionis eſt, valet mirificè ad omnes affectiones oculorum, ex frigidâ & humidâ cauſâ ortas: utpote ad incipientes cataractas ſeu ſuffuſiones, lippitudines, aliaſque viſus debilitates tàm avertendas, quam profligandas, eò quod cerebrum debile roborat, & defluxiones ejus frigidas exſiccat; imagines, culices, muſcas, aliaque corpuſcula oculis obſervantia diſpellit, oculoſque caligantes emendat, ſpiritus viſivos reficit, roborat & auget.

Secundariò autem propter alia ingredientia cephalica, ſtomachica, hepatica, cordialia & alexiterica compoſitioni huic inſerta, hepatis oppilationes aperit, ictericiam ſanat pectoris & pulmonum vitiis ſuccurrit, aſthmati & orthopnœæ medetur; paralyſin, epilepſiam, vertiginem, colicam, & alios morbos ex frigida cauſa exortos extirpat: uteri ſuperfluitates ac intemperiem frigidam & humidam tollit. Venenis ac præcipuè lui peſtiferæ præſtantiſſimum eſt remedium, tàm præſervativum, quàm curativum.

Quod ſi autem vinum illud medicatum ad ſolam viſivam potentiam roborandam, & organa ejus conſervanda, dirigi debeat, tunc ſequens compoſitio ſeu recepta accipiatur, quæ ut ſimplicior, ita etiam gratior erit palato:

℞. *Fol. & flor. euphraſiæ, betonicæ, ſalviæ, chelidonii ana m. ij. roriſmarini m. iij ſem. fœniculi* ℥ *iv. ſiler. mont.* ℥ *j. ligni ſaſſafras conciſi* ℥ *iij.*
Incidantur herbæ remotis ſtipitibus, & miſceantur, ſacculoque oblongo, ex tela munda, aut ſindone alba immittantur, & ſic muſto ſeu vino recenti rhenano immerſæ, macerentur per tres aut quatuor ſeptimanas, ut vis herbarum eo melius extrahatur, & cum ſubſtantia vini uniatur.

Hanc deſcriptionem, S. R. Maj. Uladislaus IV. ad examinandum, Collegio ſuo Medico obtulit, quam adhuc à Parente ſuo p. m. Ser. Pol. & Suec. Rege, Sigiſmundo III. recommendatam habuit.

Aqua Ophthalmica D. D. C.

℞. *Aq. ſtill. ſpermatis ranarum* ℥ XVI. *phlegmatis ⊖-li* ℥ VIII. *ſpermatis ceti* ℈ *ij. eſſent. roſarum* gutt. aliquot. TR*æ coſmet. myrrhiſat. pro pauca lacteſcentia* q. ſ. miſceantur.
Hanc compoſitionem in duplo Cl. Dn. D. Cnœffelius Anno 1656. d. 29. Junii ſibi præparavit, pro futurâ ægrorum & ſufficiente proviſione.

Vires ſunt in amblyopia, amauroſi & ſuffuſione.

Aqua Ophthalmica alia D. D. C.

Qua curatus fuit Dn. Præcopius, Theol. in Xenodochio ap. S. Elizabetam Dantiſci, & Thomas Sarabanda, obcœcatus è cataracta.

℞. *Mucag. aquat.* ♌ *l. per* XX ℔ *iij. crudæ, tranſcolat. phlegmatis ⊖-li ana* ℔ *j. aq. nivis ſeu glaciei menſ. Mart. collectæ* ℔ iß. quibus adde, ad ſingulam liquoris ℔ ß. *ſpermatis ceti* ℈ j.
Miſceantur probè, ſtent in loco temperato per aliquot dies, poſtea filtrentur per linteum purum. Patiens de hac mixtura inſtillet decies, ſeu vigeſies, pluribus & paucioribus pro commoditate vicibus in dorſo decumbens, uſque ad meliorationem & totalem recuperationem viſus.

Collyrium Cl. Dn. D. Joan. Felveri.

℞. *Phlegmatis ⊖-li & aluminis* ana p. æqual. ſcilicet ana ℥ iß. *croci metallorum, ſacchari ♄ni ana* ℈ *iß. tutiæ præparatæ quàm ſubtiliſſime* ℈ *j.*
Stent per menſem in digeſtione, poſtea filtrentur; cum extremitate ſubtilis penicilli, hac mixtura imbuti, oculus ſubtiliter abſtergatur, vel ad canthum externum una & altera guttula inſtilletur.

Aqua Ocularis externa.

℞. *Succi ex amput. palmitibus vitis, ſpermatis ranar. reſervati ana* ℔ *ij. phlegmatis ⊖-li* ℔ *j.* Quibus immergantur ſuo tempore *flor. calendulæ, cyani, cichor. roſar. herb. chelidoniæ, euphraſiæ, fœniculi* ana q. ſ. Stent per dies aliquot in digeſtione, poſt adhuc adde *cancrorum contuſor. num. vij. hepata muſtelæ piſcis*, prius in clibano in liquorem reducta nu. xxx.
Mixta deſtillentur in B. vaporoſo ad ſiccitatem fermè totalem florum & herbarum. Liquor ſtillatus ſervetur in vitro bene clauſo.

Magnarum virtutum eſt, ad omnem viſus infirmitatem, inflammationes & oculorum ruborem nempe aufert, ſordes detergit, lachrymas exſiccat, ulcera ſanat, ſuffuſionem & cataractam curat & impedit, inſuper ad claritatem oculis augendam & robur tunicis conciliandum, eſt aqua efficaciſſima.

Erthi-

Errhinum Cnœffelianum, in ſuffuſione oculorum.

℞. *Flor. lilior. convall. in alcool redact.* ʒ ij. *rad. ireos flor.* ʒ j. *cœniotomii noſtr. pro conditione morbi q. ſ. eſſent. roſ. ſeu ol. Rhod. gut. iij.*
Miſceatur in mortario lapideo & F. pulv. ſubtiliſſimus, in ſcatula munda ſeu pyxidula aſſervandus.

OPIUM.

De *Opio* præterquam quòd aliquid adducitur ſub titulo *Papaver*, Hic rurſus præcipua quædam è Clariſſimi Viri Georgii Wolffgangi *Wedelii Opiologia* exſcribemus.

Opium Græcam agnoſcit originem, dictum ὄπιον, ἀπὸ τῦ ὀπῦ, *à ſucco*, unde Latini ſibi mutuati ſunt nomen, opium vocantes, licet *Bantius animadverſ. in Garc. c. 4. p. 42.* credat, Græculos, à vetuſtiſſimo populo, Indis & Arabibus vocabulum opii derivaſſe, cum ab omni memoriâ illi eo uſi ſint.

Per ὀπὸν ſuccus non intelligitur quivis, in generaliſſimâ loquendi conſuetudine, ſed vegetabilis. Humorem in venis, totaque plantâ contentum ſimpliciter *Meneſtor* appellavit ὀπὸν, *ſuccum*, alii in quibuſdam ſuccum, in aliis verò lacrymam. Vid. *Spigel. Iſagog. in rem herbar. l. 1. cap. 3. p. 24.*

Succus hic cum variet in plantis tum *ſubſtantiâ*, cùm alius ſit *reſinoſus*, ut in pino arbore, lentiſco & aliis, alius *aqueus*, ut in betulâ, vite, &c. alius *lacteus*, ut in papavere, eſulâ, ſcorzonerâ & cæteris ſimilibus;

Tum *accidentibus* & extrahendi ſeu eliciendi modo: Quidam *ſponte* extillat, ut reſinæ, gummata: quidam *fiſſurâ*, ut betula, vitis: quidam *exprimitur*, ut in floribus roſarum, violarum &c. herbis, plantagine, rutâ, fructibus, uvis, pomis, pyris, cydoniis;

Hinc varia ſortitus eſt nomina: ὀπὸν, χυλὸν, δάκρυον, quæ, quid ſignificent proprie, dignum videtur diſquiſitione.

Κυλὸς itaque in noſtris hiſce terminis denotat humorem ſeu liquorem, qui ex contuſâ herbâ exprimitur aut elicitur, ſeu ſuccum expreſſum ex herbâ tritâ & contuſâ, adeoque differentia τῦ χυλῦ à reliquis conſiſtit in expreſſione, unde id, quod ex herbis exprimitur, proprie dicitur χυλὸς.

Δάκρυον ſeu lacryma vocatur ſuccus, qui ab inciſione facta, vel ſponte dimanat, & defluit, ſub ſe comprehendens & reſinas, & gummata & gummi-reſinas.

Ὀπὸς denique eſt quaſi vox omnium communis, & generalius aliquanto vocabulum eorum, quæ ita ſtiliant, & appellatur ὄνομα κοινὸν τῆς ὑγρότητος οἰκείας τῶν φυτῶν, *nomen commune humoris proprii plantarum*, teſte *Theophraſto l. 9. hiſt. plant. c. 1.* Communiter itaque deſignat qualemcunque liquorem vel humorem, vel ſuccum, qui alicunde emanat, ſive id fiat mediante expreſſione, inciſione, vel etiam ſpontaneâ protruſione, luxuriantis ſubſtantifici ſucci, ut adeo modo ſuccum, modo lacrymam ſignificet. Vid. *Gorræus defin. med. & J. B. Sylvat. lib. 1. de ther. compoſ. p. 143. ſeqq.*

Hæc tria diverſa, ut ſub unum certum genus redigeret *Galenus*, quæcunque ex alio effluunt, ſive ſucci, ſive liquores, ſub humoris appellatione comprehendi debere præcepto generali ſtatuit, *comm. 6. in l. 6. epid.* Et hæc quidem generalis eſt nominum notio.

Specialiter vero ὀπὸς deſignat qualemcunque liquorem, non ſponte, ceu reſinæ & gummata nonnulla ſolent, ſed μετ̀ κατασχασμῦ, *ſcarificatione*, caſtratione, terebratione, vel alio quovis modo facto vulnere effluentem, ut ſunt opobalſamum, opopanax, galbanum & alia. Inter hæc duobus ὀπῦ nomen præ reliquis uſu & eminentia ſingulari obtigit I. ſucco ſilphii, ſeu laſerpitii, latinis laſerpitium, & aliâ fœtidâ dicto, unde *Galen. in Lexico Hippocr.* ὀπὸς ὁ τῦ σιλφίυ καθ᾽ ἐξοχὴν, *dicit*, ὥσπερ ἡ καυλὸς, *ſuccus ſilphii dicitur* ὀπὸς *per excellentiam quemadmodum & ejuſdem caulis*; *& l. 8. de facult. cap. 24.* ὀπὸν titulotenus pro aſa eadem ponit, ubi, *quamplures*, ſcribit, *habentur ſucci*. Quavis enim radice inciſa aut caule, quod ex vulnere craſſum ac lentum effluit, ſuccus eſt: cæterum ſpecialius, & veluti per excellentiam quandam Cyrenaicum ita nuncupant & Medicum & Syriacum. Opon verò Cyrenaicum hunc aſam fœtidam expreſſis verbis inter alios interpretatur *Petr. Pichot. l. de rheumatiſm. p. 136. Maſſaria l. de febr. c. 27.* & *Matth. Sylvat. in Lex. ſeu pandect.* licet alii per Jaſer Syriacum eandem denotari malint.

II. Idem nomen καθ᾽ ἐξοχὴν ab antiquis attributum fuit ſucco papaveris, qui ex ejuſdem capitibus vulneratis exudans dictus eſt ὀπὸς & ὄπιον, utpote ad ſtupefaciendum doloreſque ſiſtendos longè valentiſſimum.

Itaque, ut rectè ſcribit *Spigel. l. c.* in quibuſdam plantis propria ſunt indita herbarum ſuccis ſeu liquoribus nomina: nam in papavere, qui in capitibus inciſis emanat humor, *opium* nuncupatur; qui ex reliquis partibus, præcipue caule & foliis tuſis, exprimitur, *meconium*, quo de paulo poſt.

Hinc cum opium frequentius apud veteres miſceretur antidotis, opiatæ nomen ab ingrediente potiſſimum opio, impropriè tribuitur electuariis. Sic opiata Salomonis deſcribitur à *Renodæo*. Sic tales opiatas ſæpe deſcribunt autores Practici alii, quorum exempla videri poſſunt apud *Horſtium Weckerum*, *Hartmannum in praxi chimiatr.* & alios.

Arabibus opium dici amfiam vocalibus illis inter ſe commutatis, quod Ariſtoteles ἀντιμεταλλάττειν dixit, prolixe tradit *Scaliger exerc.* 175. Mutata eſt hæc ipſa pronunciatio opii in amphionem & offium. De quo *Fragoſus tract. 4. med. Indor. c. 12. p. 111.* Quod Luſitani dicunt amfiam, ab Arabibus (quos Indi ſequuntur) dicitur ofium, deducto à Græcorum opio nomine. Pleraque enim nomina à lingua Græca acceperunt Arabes, mutando Plin F. quod ſint literæ multum affines, ut pro Pœonia, Faunia, pro opio ofium. Parallela loca videri poſſunt apud *Garciam l. 1. Hiſt. arom. cap. 4.* qui modò citata verbotenus etiam tradit, & *Olearium in deſcript. itin. Perſic. l. 5. c. 17. p. 597.* Verum nomen Arabicum eſt Afiun (& ita in toto Oriente vocatur) i. q. *Lac ſeu ſuccus papaveris*, & quidem nigri, id eſt, ὀπὸς *opium vulgò cognitum*. Gol. in Lex. Arab. p. 128. (2.) i. q *deliquium mentis & torporem afferre*, potius *Narcoticum*: & hinc *opium* dictum eſſe volunt. Sed prior eſt habenda etymologia Græco ἀπὸ τῦ ὀπῦ & poſterior ſignificatio Narcotiſmi. *Caſtellus in Lexic. Heptaglotto p. 200.* & *Golius in Lexico Arab. l. c.*

A *Paulo* nominatur τῦ μήκωνος ὀπὸς papaveris ſuccus *l. 5. c. 42.* quod ipſum cum adjuncto ſubjecto apud *Galenum* & alios frequenter occurrit.

Synonymum eſt *meconium*, autoritate *Pergameni l. 1. de antidotis c. 34.* ubi papaveris liquorem & meconium & opium vocant, licet recentiores *Dioſcoridem* & *Plinium* ſecuti ea diſtinguant.

Interdum ſimpliciter *narcoticum* pro opio ponitur, unde *luminare majus ſect. 1. p. 22.* rectè monet: quando ſimpliciter ponitur narcoticum, forte vel aliud, opium debet intelligi. *Sopio* antiquis dictum fuiſſe pro opium, annotat *Rhodius in not. ad Scribon. Largum compoſ. 21. p. 60.* unde *Galeottum Martium de promiſc. doctrin. c. 5.* apud *Catullum carm. 38.* pro *ſcipionibus* legere ſopionibus tradit. Audit & *lacryma papaveris Thebaici*.

Germanis dicitur *Mohnſafft*, *Oelmagenſafft*, *Schlaffſafft*

Duplex eſt opium ratione collectionis. Quod ſcapo

Duplex eſt opium, ratione collectionis. Quod ſcapo decuſſatim inciſo emanat, καῖ' ἐξοχὴν & propriè opium vocatur: quod verò ex capitibus & foliis ejuſdem conciſis, expreſſis, vel, ut in ſucco glycyrrhizæ fieri ſolet, decoctis colligitur, μηκώνιον, *meconium* propriè dicitur, & quidem *paſſum*, ſi exſiccatum ſit. Differentiam hanc annotavit, uti jam innuimus, ipſe *Dioſcorides*.

Qualenam noſtrum hodie ſit opium, quæritur, an ὀπὸς καῖ' ἐξοχὴν λεγόμενος, *ſuccus per excellentiam dictus opium, an verò meconium*?

Quod ſolùm meconium ad nos feratur & in uſu ſit, plurimorum eſt ſententia, 1. ob copiam & abundantiam. Commentator Dioſcoridis *Maranta* docet, cum opium ad nos in tanta feratur copiâ, veriſimilius eſſe, non verum opium, ſed potius meconium illud eſſe.

2. Propter parandi modum. Unde idem ſentit *Matthiolus* idem *Scaliger*, premi in uſum familiarem innuens: τὸ premi enim nil aliud notat, quàm expreſſionem ſucci tenuioris ſimul & craſſioris. Sic & *Nardius Noct. genial. 8. cap. 7. p. 578.* opium vulgare confici ait ex ſucco expreſſo à totâ plantâ, ſoleque indurato.

3. Ob feſtucas & folia, quæ in ejus maſsâ confractâ quandoque reperiuntur, (quæ quidem nos externè eidem circumvoluta plerumque, in maſsâ verò ipſa non facilè invenimus) quæ evincere creduntur, extractum illud eſſe, & torculari expreſſum ex capitibus & frondibus papaveris. *Ol. Worm. l. 2. Muſæi cap. 34. p. 228.*

4. Ob additamenta, quæ genuino licet & verè parato addunt mercatores, teſte *Bellonio*, qui obſervat, compingi in Natoliâ ſeu Aſiâ minori opium ad pondus ℥ iv. mercatores dimidium addere, & quod Venetias apportatur, ℔ j. ſæpe ponderare. Addunt alii, Turcas non permittere exportari verum opium, imò alii cum *Cratone* planè dubitant, an noſtrum opium cum veterum congruat.

Sed, utut oculari hæc quàm optimè decidi debeant teſtimonio, & experientiâ accuratiori, ſi tamen licet à viribus ſeu poſteriori concludere, videtur opium noſtrum conſtare partim ex opio, partim ex meconio, tum propter ſigna, quæ opio vero adſcribuntur, ardet enim, tum maximè propter vires, quibus pollet maximis. Incidunt procul dubio papaverum capita, & opium eliciunt, ſed partem ſucci expreſſi fortè un miſcent. Cum ergo conceſſum ſit, μηκώνιον ἀδρανέςερον εἶναι τῶ ὀπῶ *meconium viribus longè inferius eſſ. opio*, noſtrum autem opium viribus iſtis omnibus, quæ opio attribuuntur abundè inſtructum ſit, neceſſum eſt ut ſtatuatur opium noſtrum non eſſe purum putum meconium.

Cum vero quæritur, *an differat opium à meconio?* Reſp. utique, quia hoc expreſſione conficitur ex totâ plantâ, & χυλὸς eſt, illud caſtratione & vulneratione capitum effluit, χυλόσαγμα ὀπὸς genuinus. Illud fortius, hoc ignavius operatur, unde ſecundum magis & minus differunt. ſunt enim uti in animalibus, ſic in plantis, triplicis concoctionis, velut effectus quidam, χυλὸς, χυμὸς, ὀπὸς, uti loquitur *Zuvingerus apud Craton. l. 3. epiſt. 28. p. 241.*

Viliſſimum verò meconium eſt, teſte *Bontio*, *animadverſ. ad cap. 4. Garcia p. 42.* quod Indi Orientales infimæ ſortis ex ſucco foliorum & ſtolonum papaveris parant & excoquunt, & hinc ſoli indurandum exponunt.

Hippocrates opii expreſſe non meminit in ſcriptis ſuis, quæ extant. Ingreditur tamen antidotum ejuſdem, deſcriptam à *Nicol. Alexandr. 1. de comp. medicam. 378.* Et ipſe *l. 6. epidem. ſect. 6. text. 46.* meminit ὑπνικῶ *ſoporiferi*, ſeu, ut ex contextu patet, narcotici.

Aſt *Dioſcorides* & *Galenus* illius uſum noverunt & largè ſcriptis expoſuerunt. Inde *Arabes* frequentiorem illius uſum in forum medicum introduxerunt, varia illo exornantes compoſita.

Dictum eſt, confieri opium ex papavere. Hoc cum vel *ſativum* ſit, vel *ſylveſtre*, & utriuſque ſpecies plures dentur, in quatuor tamen quaſi ſumma genera diſtinguitur Vid. *Dioſc. l. 4. c. 65.*

Primum eſt *hortenſe*, quod Græcis θυλακίτης fuit dictum, tres alias ſpecies ſub ſe comprehendens, (α) oblongum habet capitulum & ſemen candidum. (β) Caput habet inſidens demiſſumque, ſemen verò nigrum, à nonnullis πιθίτης vocatum, hoc Dioſcorides *ſylveſtre* papaver appellat. Dicitur tamen & ῥοιὰς quòd ex ſcapo illius ſuccus *emanet* lacteus. (γ.) tertia ſpecies quaſi magis ſylveſtris, multo his longior & capitulo productiore.

Alterum genus papaveris eſt *erraticum*, quod ῥοιάδα vocant, quod flos ejuſdem protinus defluat, ſeu decidat, inter ſegetes in arvis plurimum naſcens, oblongo capite ſemine rufo.

Tertium eſt *corniculatum*, ſeu μήκων κερατῖτις, dictum, ſemine ſub calyculo inflexo puſillo & nigro recondito.

Quartum eſt *ſpumoſum*, ſeu Heracleum, ἀφρώδες, totum candidum. Quibus pungi poteſt & *Spinoſum*, flore flavo, & ſemine nigro.

Opium prognaſcitur ex genere primo. Hoc verò cum duplex, ratione ſeminis ita diſtinctum, detur: *album* & *nigrum*, quodnam horum fundat de ſe & præbeat opium, diſquiſitionem meretur.

Plinio l. 20. c. 18. & *Avicenna lib. 2. c. 526.* autoribus, non abnuente *Dioſcoride l. c.* olim parabatur ex papavere nigro, quibus adſtipulantur *Renodæus*, *Wormius*, & alii complures licet *ille*, ex albo quoq; papavere vulnerato optimum haberi opium à recentioribus ſtatui, ſcribat.

Alii indiſcriminatim ex papaveris capitibus, cortice inciſo in Thebaide & aliis locis calidioribus opium ſtillare aſſerunt.

Alii ex ſolo albo fieri contendunt. Retulit illuſtri *Scaligero* Nicolaus Brixianus, præfectus ſtabulis Regis Navarræ qui in Ponto, Bithyniâ, Ciliciâ diu egit, opium fieri ex alio papavere; ſeri paſſim multos agros, longè lateque, præmique ad uſum familiarem, qui etiam Turcis ipſis ſit frequentiſſimus. *Exerc. 175.*

Adſtipulatur *Bellonius l. 3. obſ. c. 15.* ex albo papavere opium Turcas parare perhibens.

Addi his poteſt, quod *Garcias* refert, totâ Indiâ non facilè provenire papaver nigrum.

Nil tamen obſtat, quin dicamus, ex utriſque opium parari poſſe. Sed an valentius ex nigro, quàm albo, ſi quæras; ℞ ex nigro valentius fieri probabile quia hoc vaporibus excrementitiis ſylveſtribus, vel ſi mavis ſulphure magis abundat.

Modum præparandi exhibet *Dioſcorides l. 4. c. 65.* ex quo alii autores omnes eum tranſcripſere. Cùm enim meconii faciendi primum docuiſſet modum, ſubjungit: Ὀπίζοντας δὲ δεῖ μετὰ τὸ τὰς κέρσας ἀνικμαδῆναι, περιγράφειν μαχαιρίῳ τὸν ἀστερίσκον, ὡς μὴ εἰς τὰ ἐντὸς διεῖρσαι, ἐκ πλαγίων δὲ τῆς κωδίας ἐπ' ἐυθείας ἐκτέμνειν ἐξεπιπολῆς, καὶ ἀποψᾶν τὸ δάκρυον ἐπερχόμενον δακτύλῳ εἰς μύακα. *At opii faciendi ratio hæc eſt: Cùm ros exaruerit ſtellulam* (quæ in ſummo papaveris capite viſitur) *cultello ita ſcarificare oportet, ut ne penitus intrò adigatur, & à capitis lateribus per directum ſummam cutim incidere, & erumpentem lacrimam digito in conchulam abſtergere.* Addit, redeundum eſſe non ita multò poſt, & poſtero quoque die, repetendamque denuo condenſatam ex vulnere pridem facto lacrymam. Hæc in pilâ teri jubetur, & in paſtillos coacta reponi.

Cauto tamen opus eſſe, concludit, ne liquor veſtium affrictu deradatur & pereat, unde retrocedendum eſſe monet.

Ex dictis efficitur, fieri Opium ex inciſione capitum papaveris ferè matureſcentium, & Tempus, quo colligitur, ab autoribus nominatur *Majus* & *Junius*, à *Quercetano*, *Weckero* & aliis.

Locus Natalis Opii eſt diverſus. Olim plurimum & optimum mittebat non tam urbs Thebarum ſola, quàm regio Thebaica, unde ſicuti ſena & rhabarbarum Alexandrinum, terebinthina Cypria &c. pro optimis habentur; ita Opium Thebaicum, ceu genuinum & optimæ notæ cenſebatur, quod & hodierno die uſu receptum eſt.

A Regibus Ægypti dicitur *Thebaicus*, teſte *Iſidoro*, ſed à Thebis Cadmi dicitur *Thebanus*.

Thebæ fuerunt Ægypti oppida inſulæ, urbſque: licet commune nomen ſit variarum urbium, non procul à ſe invicem ſitarum, ſeu conterminarum; recenſent quippe Autores Theſſalicas, Bœoticas, Ægyptias, Troadas, Phthiotidas, *autore Plinio l. 4. cap. 3. & 8. l. 5. cap. 19. l. 36. cap 8. Homer. l. 9. Odyſſ. Solin. c. 13. p. 61. & c. 12. p. 58. Strabon. l. 9. & 17. Geograph.* ubi Ægypti Thebas prope Alexandriam ſitas memorat. Ab hac verò urbe & hodie varia tum aliarum mercium, tum præcipuè medicamentorum ad nos feruntur genera, utut nonnulli Theſſalicam & Bœoticam inſulas longo ab Ægypto diſtare intervallo contendant. Et Thebas ipſas Ægyptias numero portarum fuiſſe nobiles, & ad eas commercia Arabes undique gentium ſubvexiſſe, autor eſt *Solinus polyhiſtor c. 45. p. 151.* addit: hinc regio Thebaica.

Bellonius l. 3. obſ. c. 15. in Paphlagoniâ, Cappadociâ, Ciliciâ, aliiſque orientalibus opium parari largo proventu docet integris jugeribus inter incolas diviſis, ex quibus quilibet majorem vel minorem copiam colligit. Nominat idem in ſpecie Acharan, Caracharan, Spartadam, Emetelindam. Alii in genere è Turciæ confini Aſiâ & Natoliâ, Indiâque in Europam opium adferri ſcribunt.

Hinc cum mirari quis poſſit, quomodo in tantâ copiâ pareturopium, huic dubio ſatisfit, dicto *Bellonii* loco. Cum enim integri agri, ut apud nos quibuſdam locis cnico, glycyrrhizâ, & glaſto contingit, ſerantur papavere, quid obſtat, largâ meſſe provenire opium?

Accedit *ejusdem* teſtimonio, quod non ſolùm tanta papaverum ibi extet copia; ſed & quod ſingulari diligentiâ magnoque legentium numero tantus conſurgat proventus, ut quinquaginta cameli opio onerati inde in Perſiam, Indiam, Europam, imò varias Turciæ regiones ipſas educantur, qui locus ſane meretur legi integer.

Alterum verò, quod huc facit, perquam notabile eſt, quod *Garcias lib. 1. c. 4.* prægrandi capite papaver in Indiâ creſcere perhibet, quod Cacax (aliis Calchas) vocant, adeò ut binos ferè ſextarios in ſe continere poſſit, id eſt, uncias XXXV. ſeu ut alii vertunt, uncias LX. ut hinc *Renodæus* ſcribat, ejus capita ſingula ovi ſtruthiocameli magnitudinem æquare *ſect. 10. de mat. med. p. 278.* Quanta ex his capitibus cultello læſis opii dimanet ubertas, cuivis dijudicandum relinquimus.

Optimum eſſe è Cairo allatum, *Garcias l. c.* inquit, cujus varia dentur genera: 1. *Albicans*; hoc Thebaicum ipſi eſt; 2. quod ex Aden advehitur, aliiſque locis Erythræo mari vicinis, *nigrum & durum*, cujus pretium pro regionum varietate aut intenditur, aut minuitur; 3. quod in Indiâ Cambajâ, Mandou, Chitor cogitur, *mollius* eſt, & magis *flaveſcit*, quo vulgò nos, ipſius ſunt verba, utimur,

In Ægypto adhuc hodie magnâ provenire opium quantitate confirmat *Wansleb. relatione dell' Egitto p. 3. cap. 6. p. 61.* ubi: ſono parimente in grand' abondanza le Droghe, comme opio, papaveri &c. &, *Bontio* teſte, *hiſt. nat. l. 2. c. 4. p. 20. & not. ad Garc. c. 4. p. 41.* opium electiſſimum dicitur *meſeri*, contractè *miſri*, (Miſri verò eſt Ægyptus) & antiquorum eſt Thebaicum. Conferri meretur *P. Alpinus*, qui *l. 4. cap. 11. de med. Ægypt.* hunc ſuccum, *ait*, quo omnes utuntur, opium puta, ex locis Sajeth, ubi olim Thebarum urbs erat præclariſſima, deferunt; ibi etenim nigra papavera copioſiſſimè proveniunt, cæteriſque omnibus facultate præſtant, ex quorum capitibus ſuccum exprimunt, quem ſole ſiccant, atque ad uſum ſervant.

In Javâ majore inſulâ orientalis Indiæ copioſe provenire offium affirmat *Georg. Andreas, itinerar. Ind. l. 1. cap. 10. p. 13.* item ex civitate Amadabath idem copioſè efferri ibique dici theriacam offium, ſcribit idem *l. 1. cap. 19. p. 32.*

Ex Apuliâ Venetias afferri, non exiguâ copiâ, ait *Amatus Luſitanus l. 4. in Dioſcor. enarrat. 68. p. 416. l. B. Silvat. lib. 1. de comp. ther. cap. 6.* Et *Wecker. antidotar. l. 1. ſ. 16. de liquoribus p. 135.* credit papaver, quod in Apuliâ creſcit, regione ſiccâ & aridâ, in quâ rarò pluviæ cadunt, perfectiſſimum eſſe ad lacrymam parandam, modò diligenter ſecundum doctrinam Dioſcoridis colligeretur, cùm ibi ſeratur admodum copioſè album, unde lacrymam colligunt, maximè in Ducatu Barcenſi.

In noſtro climate an præparari poſſit opium, digna ventilatu eſt quæſtio. Pro affirmativâ ſtat. *Quercetanus*, qui *Pharmac. dogmat. reſtit. cap. 25. p. 830.* docet, ut ait, juxta eandem normam & rationem ex noſtro quoque papavere opium educere, quod ſuâ præſtantia ac viribus veterum opio longè lateque ſit anteferendum, ſeu, ut paulò poſt *p. 832.* loquitur, quod proprietatibus & effectibus ſuis vulgari iſti, quantumvis longiſſimè advecto, reſpondeat. Deſcriptionem verò ipſam eodem capite *p. 838.* ſubjungit.

Sed licet negandum non ſit, & noſtrum papaver gaudere particulis ſulphureis & ſoporiferis, anodynis, narcoticis, unde diacodium vulgare uſus ſuos habet non contemnendos; vim tamen illam tantam eſſe, quanta in opio hactenus uſuali peregrino, experientia refellit. Accedit calor, qui in Indiis & Aſiâ longè major eſt, præ noſtrate frigido Jove, hinc etiam magis coquitur illud ſeu gummeum ſeu ſulphureum in papavere, ut de prærogativa papaveris Aſiatici peregrini, quam habet in magnitudine, nil amplius repetamus.

Circa opium *electio duplex* obſervanda, 1. *reſpectu ſui*, 2. *reſpectu aliorum*.

Reſpectu ſui conſideratum opium 1. à natali loco maximè commendatur, uti jam delibavimus, Thebaicum. Ἐκ τῶν θηβῶν τῶν αἰγυπτίων ὀπὸς ἰσχυρότατός ἐστιν *Ab Ægyptiis petitum Thebis opium eſt potentiſſimum*, verba ſunt *Galeni l. 1. de antid. cap. 3.* unde licet interdum Hiſpanicum laudet, interdum Libycum; ſæpius tamen commendat Thebaicum.

Aëtius interdum Aſianum, aliquando & Achaicum nominat; *Avicenna* Ægyptiacum. In hunc uſque diem officinæ noſtræ & ſeplaſiarii uno ore eligunt & commendant Thebaicum, ubi verò præparatum ſit, non ſemper æquè norunt. Thebaicum ergò hoc ſi præſcribitur, illud ſemper intelligitur, quod nobilius eſt aliis.

2. Notæ opii Dioſcorideæ attendi merentur. Κράτιστος δὲ ἐστιν, *inquit*, ὁ ὀπὸς ὁ πυκνὸς καὶ βαρὺς, ἐν δὲ τῇ ὀσμῇ καρωτικὸς, πικρὸς ἐν τῇ γεύσει, εὐχερῶς διειμένος ὕδατι, λεῖος, λευκὸς, οὐ τραχὺς, οὔτε θρομβοειδὴς, οὔτε συστρεφόμενος ἐν τῷ διηθεῖσθαι ὡς κηρὸς, ἐν δὲ τῷ ἡλίῳ τεθεὶς διαχεόμενος, καὶ πρὸς λύχνον ἐξαπτόμενος οὐ ζοφώδει φλογί. φυλάσσων τε μετὰ τὸ σβεσθῆναι τὴν ἐν τῇ ὀσμῇ δύναμιν. *Præſtantiſſimum eſt opium denſum & grave, odoratu ſoporiferum, guſtu amarum, quodque facilè aquâ diluitur, læve candidum, neque aſperum, neque grumoſum, quodque inter colandum non uti cera coit, denſaturve, ſed*

ſoli

ſoli expoſitum diffunduntur, & ad lucernam acceſum, minimè atrâ obſcurâve lucet flammâ: quod denique poſtquam extinctum fuerit, ſuam odoris vim etiamnum conſervat.

Hæc meritò ceu normam proponimus nobis ante oculos, cum reliqui autores, veteres præſertim, pauca præter hæc ipſa Dioſcoridea ponant κριτήρια.

Ex recentioribus audiatur *Bellonius*, qui *l.c.* optimum pronunciat opium, quod amarum, guſtu calido, fauces incendens, flaveſcens, leoninorum pilorum modo.

Color in noſtro opio hodiè probatur, ad aloen ferè accedens hepaticam, ex nigredine ruffeſcens, cum frangitur, ſplendore quodam nitens. Nec obſtat, quod *Dioſcorides* candidum illud requirat, (quod cum prima ſpecie Garciæ albicante convenit) cum procul dubio is vel ad lactea reſpexerit primordia, vel recens adhuc collectum ſtatim, prius, quàm color & aër ambiens illud alteret, innuat, latius paulò vocem candoris extendens.

Odor adeſt vehemens, graveolens, nauſeabundus, papaveraceam redolens proſapiam, uno verbo, *καρωτικός*.

Sapor ineſt acris & amaricans, qualis itidem eſt papaveris, ſi guſtetur, lactei liquoris. Primo guſtu non omnem ſimul de ſe ſpargit ſaporem, ſed ſenſim magis magisque illum in lingua explicat.

Conſiſtentia compactum eſt, & grave, facilè aqua, accedente ſimul calore, diſſolvitur, non tamen inſtar ceræ & mucaginis cujuſdam lenteſcit. Non rarum eſt & friabile, non aſperum, nec grumoſum, ſed ponderoſum, denſum, ſolidum.

Quoad alia accidentia maximè eligitur *purum*. Licet enim quoad extimam veſtem admixta interdum habeat ſedimina; ſi modò interiora integra ſint viſcera, opium pro puro habetur. Solet utplurimum foliis propriis quaſi tegi, quæ, ſi ad uſum vocetur, facilè removeri poſſunt.

Flammæ objectum opium *accenditur*, nec atra obſcuraque nec ſplendida lucidaque exardet flamma, plus tamen ad obſcurum vergente. Extinctum eandem vim odoris non retinet integram eodem gradu, uti prius, ſed ex parte, papaveraceam videlicet. Accenditur, teſte *Plinio l.* 20. *c.* 18. difficiliùs, & crebrò extinguitur.

Varia hæc inflammabilitas ſecundum ſiccitatem adjunctam, quæ iterum pro aëre externo variat.

Accenſum laudanum ſeu extractum noſtrum opii luculenta candidaque exarſit flamma, facillimè tamen ſeu ſtatim extinguibili, & terreum relinquens pulverem. Contra extractum aloes noſtrum puriſſimum licet, ea promptitudine, ut opium, non accenditur, & plures relinquit feces, ceu cineres, ob fixum ſal, & terrenum magna magis in eo abundans; minorem verò quantitatem τοῦ φλογιστοῦ ſulphuris.

Meconium nec accidentibus modò dictis, nec inflammabilitate cum opio, niſi perquam remoto gradu, æquiparandum eſt, ſed particulis multis heterogeneis, aqueis præſertim, terreſtribus & ſimilibus, ab opio diverſis, pollet.

II. *Reſpectu aliorum* admiſtorum conſideratum opium, veterum teſtimonio ſæpius fuit adulteratum, quò majori lucro cederet mercatoribus, magno cum damno humani corporis.

Dioſcorides l. c. meminit variorum mangoniorum, v.g. 1. glaucii, 2. gummi, 3. ſucci ſylveſtris lactucæ, quem, quod viribus papaveri aliquatenus ſit ſimilis, nonnullos olim meconio permiſcuiſſe confirmat *l.* 2. *c.* 166. 4. adipis, quibus omnibus variè de-

turpatum dignoſcendum benè monet, vitiari enim colorem à glaucio, quatenus aqua ſolutum & colatum croceum tunc reddit colorem; odorem, conſiſtentiam viresque à reliquis, unde fiat invalidum, inodorum, pellucidum, aſperius, ut hinc liceat quaſi generale axioma formare, illud opium, quod ſupra recenſita non habet, ratione coloris, odoris, ſaporis, conſiſtentiæ, & conſequenter, virium, pro genuino neutiquam eſſe habendum.

Garcias l. c. ſcribit, à nonnullis ſtatui adulteratum opium Indicum, quod odorem thymaleæ referat, ſubinfert tamen, nec in Cambaja, nec tota India, quoad ſibi viſum, provenire illam plantam.

Amatus Luſitanus comm. in Dioſc. l. c. amaritudinem in opio repertam adſcribit glaucio, vel ſucco agreſtis lactucæ, quibus plerumque adulteretur, fatente id Dioſcoride. Si enim opio, *addit*, naturalis illa ineſſe amaritudo, dubio procul calidum eſſet dicendum, non verò frigidum. Tantum poteſt præjudiciis occupata mens.

Per ſmicroſcopii adhibitionem luſtratum opium, apparuit nobis, integrum quidem, ut ♉ium, vel minera ejus, ſtriatum; fuſcum cum candore, particulis tamen reſinoſis refertum. Deraſæ verò particulæ inſpectæ reſinoſum flaveſcens aliquid præ ſe ferebant, inſtar ſuccini, reſinæ pini &c.

Elementa opii quænam ſint, chimici omnium optimè curioſa indagant manu.

Paracelſus anatomiam opii ex profeſſo non inſtituit, ſolummodò papaver eſſe anodynum vi compoſitionis, quàm obtinuit, perhibet *libr.* 7. *archidox. p.* 813.

Petrus Severinus Danus in idea medicinæ philoſophicæ cap. 7. *p m.* 71. ita de opio: Diu multumque de opio dubitatum eſt, qua ratione in tanta amaritudine ſtupefaciendi virtus excelleret. Nos ſubſtantiarum facta ſeparatione, 🜍 vel ∘∘ſum quippiam deprehendimus, planè narcoticum: Ejuſdem naturæ ſulphura ante conſpexeramus, eadem induſtria, in multis naturæ partibus, in ⦶-lo, ⊖, ⊖libus ferè omnibus, in 🜍e vulgari, in herbis plurimis. Itaque nec calori, nec frigori, nec humiditati, nec ſiccitati, nec tenuitati, nec craſſitiei, hanc opii proprietatem adſcripſimus, ſed tali corpori, i. e. 🜍ri narcotico.

Unum hoc eſt elementum opii, detegens ipſi, unde ſit narcoticum. *Pergit* jam & producit & alterum: Eadem ſeparatione, anatomia, analyſi, in opio ſal quoddam diaphoreticum deprehendimus, quod ſubtili reſolutione penetrando ſudores movet: cujus ſimilitudinem in multis naturæ partibus ſimiliter demonſtrare poſſumus.

Joh. Bapt. Helmont. in Duumvirat. §. 8. *p.* 211. deprehendiſſe ſe, *ſcribit*, in opio ſalem acrem ſudorificum, & amarum oleum, longè ab opii odore recedens, attamen ſoporiferum. Quod *Tr. de lithiaſi c.* 9. §. 87. *p.* 63. reperit, ubi ſulphur amaricans, & ſal acre ac ſudoriferum ex opio recenſet.

Conformia his ſunt illa *Quercetani l.* 1. *defenſ. c.*20. quod in papaveribus, *dicentis*, atque opio narcoticum eſt, id nihil aliud eſt, quàm pars quædam oleoſa ac ſulphurea, flammam concipiens.

Subjectum à nobis Vulcano ad torturam opium exhibuit, per ○⌒ vitream illud per ſe ex ∴ ♌do, 1. *Phlegma*, 2. ∽*um volatilem, ſeu* ⊖*le volatili refertum, urinoſum*, qui cum ∽u ⦶-li aliiſque acidis commixtus efferveſcit, odore reſtante fœtido. 3. *Oleum* nigricans, ex quo patet vis agendi opii, mox pluribus delibanda. Ineſt 🜍 copioſum, ſeu ſubſtantia oleaginoſa, inflammabilis, ineſt ☿ius, ſeu ⊖ volatile vaporoſum, ſeu halituoſum, præter aqueas & terreas paſſivas, & ſalinas fixas in ⊗ reſiduas partes. Hæc certo

modo invicem mixta ſunt elementa opii & ſomni effectiva, quæ fundamentum nobis præbent, de activitate ejuſdem uberiùs diſſerendi.

Ut vis ſoporifera opiatorum perſpicuè & penitiùs pateat, paulò altius videtur arcesſenda ſomni origo.

Tres diverſos ſomnus habet gradus, prout vel major, vel minor, ſeu prout profundior, diuturnior, breviorve & placidior contingit. Hinc eleganti diviſione, 1. alius eſt abſolutè naturalis, 2. alius non abſolutè naturalis, & 3. præter naturam. De quibus tamen non agemus h.l. niſi quantum ad ſcopum noſtrum attinet.

Somnum naturalem omnes concedunt producere ſuaviores & blandas ἀναθυμιάσεις, ſeu vapores primum αἰσθητήριον demulcentes, qui cum ſpiritibus animalibus mixti torpidos quaſi illos reddunt. Aſcendunt nempe à coctione probè peracta in caput vapores non ingrati, utpote primi rores ciborum, ut loquitur *Verulam. Hiſt. vit. & mort. p.*252. & ſic, ut loquamur cum *Ægineta l.*1. *c.*97. ob χρηςὴν ὑγρότητα ἐπιτέγξουσαν τὸν ἐγκέφαλον ſuccedit ſomnus.

Præter hanc quotidianam & naturalem ſomni viciſſitudinem, idem variis ex cauſis producitur & extenditur. In genere ſomnus augetur ab omnibus iis, quæ poros cerebri obſtruere, &, ut concidant, efficere apta nata ſunt, ſive id poſitivè faciant, vaporoſis ſcil. effluviis, ſeu privativè, abſumptis ſpirituum particulis, quæ dilatabant eoſdem. Sic illud fit v. g.

1. A laſſitudine, nimia exercitatione, laboribus, quibus cerebrum ipſum fatigatum & ſiccatum, ſpiritibus animalibus multum abſumptis, & requie ſimul & refectione eget, unde pro indigentia hac animali diutius protrahitur quies, & hos altior tunc ſomnus premit. Sic & à morbis exantlatis præſertim calidioribus, circa declinationem ferè continuò dormiunt ægri, quod ſub febrium inprimis continuarum abitum, cum aliis ſignis bonis, ſemper ſalutare obſervavimus.

2. A ſanguinis profluviis, venæ ſectione, præcipuè largiore, ut quotidiana teſtatur experientia, vulneribus &c. Vidèmus hinc admodum pronos in ſomnum labi ægros.

3. Ex caſu, percuſſione, contuſione capitis, maximè muſculorum temporalium.

4. Ex præcedentibus vigiliis diuturnis. Sic ipſe *Galenus* vidit in ægris quibuſdam, qui tres vel quatuor dies vigiles egerant, difficilem excitatu ſomnum ſupervenientem, qui prorſus nocte dieque perſeverans magnum attulit auxilium. Idem & infantes hoc modo non unum ſolùm, ſed duos ex ordine dies abſque ullo incommodo dormientes obſervavit, *in* 1. *prorrh. comment.* 2. *aph.* 29

5. Ab humiditate in cerebro exiſtente copioſa, ut in hydrocephalo, hinc & infantes magis & crebrius dormiunt.

6. Ab humidis & humectantibus cum quadam energia adſumptis. Ut enim videmus, vigilias contumaciſſimas oriri v. g. in ſtatu p. n. in febribus ardentibus, abſumpto quaſi omni ſero, à nimia ſiccitate; in mania; in quibus morbis ſanguis V. S. eductus vix micam ſeri ſæpe exhibet; in ſtatu etiam naturali ipſo, in bilioſis & temperaturis ſiccioribus, in ſenibus; ità etiam tum ab humiditate abundante in corpore, tum ab humectantibus largius propinatis ſubſequi ſomnum, & vigilias corrigi quotidiè obſervamus. Pertinent huc emulſiones, & aquæ hypnoticæ, quæ ſanè parum vel nihil de opio participant, effectu tamen omni non deſtituuntur, ob id ipſum, quod humectant.

Quod veteres ſomnum & ſoporoſos affectus frigori adſcripſerint, inde reverà ortum primitus videtur, quod ea vidiſſent ſomnum movere, quæ humectarent largiùs, &, ut ſic loquamur, ſubſtantialiter. Hæc cum ſimul crederent frigida, uti quidem non nulla ſunt, activæ magis qualitati, frigori, quàm paſſivæ, humiditati id acceptum ferre voluerunt. Concedunt enim, & paſſim id ſcribit *Galenus* & alii, à potu vini, & quidem modicè diluti, non meraci, non antiqui, ſomnum fieri, cum tamen optimè noſſent, omne vinum calefacere, & calidum eſſe. Hinc vinum omni quaſi aqueo phlegmate orbatum, ſi in corpus bilioſum ſiccum recipiatur, tantum abeſt, ut ſomnum procreet, ut potius vigiliæ contumaciſſimæ inde oriantur, quo de vide elegantiſſimum exemplum apud *Galenum l.*2. *de loc. aff. c. ult. circà fin.*

7. A vaporoſis aſſumptis liquidis, liberali vini, cereviſiæ, maximè loliaceæ, V, tum veri tum frumentacei potu. Spectant huc illa *Theophraſti l. de laſſit. pag.* 271. Ὁ ὕπνος μᾶλλον γίνεται ἀπὸ τοῦ πλείονος ὑγροῦ καὶ θερμοῦ, καθάπερ τοῖς μεθύουσιν. *Somnus verò multus fit à calidi & humidi copia, ut ebriis accidit.* Ea enim cum particulis oleoſis ſeu 🜍eis, & volatilibus conjunctam habent aquoſitatem.

In ſpecie à V non ſomnus ſolùm profundiſſimus, ſed & ſtupor maximus ſequitur. Hos, qui V, aquam vitæ communiter dictam, immoderatè ſumpſerant, primùm ſummoperè accendi, poſtea attonitos ſtupere, ac ſi opium bibiſſent, & ſtertere ad mortem uſque, multoties obſervavit *Platerus l.*1. *obſ. p.*17. Vidimus hujus exemplum inſigne menſe Julio anno 1672. in tertianario. Hic morbi & medicamentorum pertæſus, cum ob corporis cacochymiam voto diutiùs affligere febris, ut illam abigeret, ante paroxyſmum bibit V frumentacei ultra ℥ix. Hinc in ſomnum delatus profundiſſimum per duodecim horas abſque ſenſu & motu, oculis apertis decubuit, nullo modo excitabilis, cum ronchis. Noctu ad illum vocatus juſſi teſtibus applicare lintea, oxycrato imbuta, & cum natura ſe ab hac farragine (comederat enim multum unà panem) ſpontaneo vomitu ex parte liberaſſet, magno labore vix excitato propinavimus elixir cephalicum c. ~urinoſo ✱ci fortiùs acuatum. In ſomnum relapſus per 8. vel 10. horas adhuc dormivit. Die ſequenti acida & refrigerantia dedimus, calebat enim cum ſumma ſiti, & ſic à ſomno quidem & ſtupore liberabatur, febris tamen nihilominus ſtata hora rediit, cum per unum & alterum diem ſolùm vi 🜍ei medicamenti vis ejus obtuſa eſſet.

8. A croco. Unde communiter mulierculæ infantibus pro corrigendis vigiliis ſolent ſupponere ſacculum, quo crocus fuit adſervatus. Referenda huc alia ſpirituoſa. Sic, doctè id obſervante *Simone Pauli, quadripart. Botan. par.* 71. & 145. hypnotica ſæpe præpoſterè in ſenibus ad ſomnum provocandum præſcribuntur, qui ſpeciebus diambræ & diamoſchi in forma electuarii & ſimilibus ſæpe moleſtas abigunt vigilias.

9. A purgantibus. Sæpiſſimè obſervavi, vigilias infantum, cum clamoribus, torminibuſque conjunctas, abſque diarrhœa tamen, omnium feliciſſimè ſublatas, data mechoacanna, vel gialapa. Mirum eſt, quàm ſubitò obdormiverint, in quietem dati, non aliter, ac ſi opiatum ſumpſiſſent. Et, ut hoc obiter addamus, notandum eſt, infantes facillimè ferre purgantia, & ipſa etiam correctiora emetica. Dedi ſæpiùs infantibus duorum vel trium ſaltim dierum laudatum modò gialapium, ad duo, tria & quatuor grana, feliciſſimo cum ſucceſſu, hoc modo & ſomnum concilians inquietis, & humores leniter educens; quod ipſum à variis ſymptomatibus eos præſervat. Et quod majus eſt, certiſſimum eſt, infantes hæc ipſa purgantia reſpectivè & proportionaliter lõgè commodius & in majori doſi quàm adultos ferre.

Neque hæc eatenus ſolum ſomnum conciliant, quia vapores & humores, à quibus ſpiritus laceſſuntur, expugnant, quæ ratio eſt *Thomæ Eraſti Diſput. de ſomno* §. 79. ſed & aliis de cauſis, quæ ex ſequentibus colligi facilè poſſunt, cum jam prolixiùs de iis agere non ſit locus.

10. A capitiluviis, & pediluviis. Hoc modò ſæpius cum ſucceſſu juſſimus ad vigilias tùm alias, tùm melancholicorum, caput lavare cum decocto lactucæ, aliarumque herbarum humectantium. De pediluviis verò videantur longè elegantiſſima apud *Rolfin. in m conſult. med. lib. 2. conſ.* 1. quàm ſub illius ductu elaboratam ventilavimus, & *Lang. l. 2. epiſt.* 45.

11. Poſſemus hîc recenſere exempla eorum, qui à vapore *muſti*, quale ipſimet novimus, ab exhalatione *ardentium prunarum*, ab evaporatione *calcis tectoriæ*, & ſtupore & morte correpti fuerunt, aliaque plura; niſi jam opinione amplius eſſemus digniſſi. Videri interim de his exemplis poſſunt apud *Plater l. 1. obſ. p.* 17. & 19. *Solenandr. conſil. med. ſect. 5 conſil. 6. p.* 461 *Camerar. oper. ſubciſiv. cent.* 1. *c.* 27. *p.* 137. *Mœb. Epit. Inſtit. l. 2. part 2. c 6. p.* 121. & alii. De eo ab odoriferis nimis producto *vid. Strabo l. 16. geograph. p.* 535.

12. Adduci poſſent & illi, qui in nive & intenſiſſimo gelu lethali ſopore obruuntur. Sed hæc & præcedenti paragrapho receptita, magis videntur inſidiari ∽ibus vitalibus, ejuſque concernere præcedentem, vel ſimul aneam diſſolutionem, unde cerebrum quoque eclipſin patitur, & pori ejuſdem lethali torpore ſubſident.

Agendi opii vis ſoporifera ad nullam claſſem aptius referri poſſe videtur, quàm ad effluvia vaporoſa, quibus ſcatere & abundare opium, præter alia, patefacit odor gravis, ater, penetrans, item exhalatio vaporum ſulphureorum, quibus abſumptis, nihil lethiferi, nihil ſomnolenti in illo remanet.

Elegans hanc in rem extat locus apud *Philoſophum l. de ſomno & vigil cap.* 3 ubi, ἐκ ἔςιν, *inquit*, ὁ ὕπνος ἀδυναμία πᾶσα τῦ αἰσθητικῦ ἀλλ' ἐκ τῆς περὶ τροφλὼ ἀναθυμιάσεως γίνεται τὸ πάθος τῦτο διὸ μάλιςα γίνονται ὕπνοι ἀπὸ τῆς τροφῆς, ἀθρόον γὰρ πολὺ τότε ὑγρὸν καὶ σωματῶδες ἀναφέρεται σημεῖον δὲ τύτων καὶ ΤΑ ΥΠΝΩΤΙΚΑ. Πάντα γὰρ καρηβαρίαν ποιεῖ, καὶ τὰ ποτὰ, καὶ τὰ βρωτὰ, μήκων, μανδραγόρας οἶνος, αἶραι. *Non eſt omnis impotentia qual bet ipſius ſenſit vi, ſed ex evaporatione circa alimentum paſſio fit hæc. Et ideo maximè fiunt ſomni à cibo, nam repente tunc multum humidi & corpulenti ſurſum fertur. Signum autem horum & SOMNIFERA, omnia enim gravedinem capitis faciunt, & potabilia & eſculenta, ut papaver, mandragora, vinum, lolium.*

Soporifera cuncta ſuavi quadam evaporatione ad cerebrum aſcendente, ſive per nares ſive per os, ſive per carotides venas & arterias, ſive per gulam, quàm ſtomachum vocant, ſomnum movent, inquit *Spigel Iſag. l. 2. cap.* 9.

Ab opio ſumpto caput aliquandiu aggravatur, manifeſto indicio, ab inſigni fermentandi, ſeu inhalitus vertendi opii vi plurimum horum ſe ſpirituum animalium viis inſinuaſſe, ac eas aliqua ex parte oppilaſſe, ut loquamur cum *Wepfero Tr. de apopl. p.* 252

Modus itaque hic agendi opii conſiſtit in ἀναθυμιάσει ejuſmodi, quæ porulos cerebri à vigiliis nimiis apertos & dilatatos obſtruit, ſpirituum animalium effrenum influxum impedit, eoſdem quaſi coagulat, & addenſat, adeoque ſuaviſſimam corpori conciliat quietem. Confer *Hippocratem l. de flatib. c.* 20. *t.* 8. *ſeq.*

Neque interim negamus, nervos ipſos ſtomachicos ſtatim in ſe una recipere vaporoſum illud. Non intelligimus vapores ejuſmodi craſſos, qui in caput ex ventriculo immediatè ferantur, & tum demum operationem ſuam exerant, ſed blandam ſpirituum ligationem, quam nervi ſtomachici & ductus alii, cum chylo, communes ſtatim cum capite & ſanguine communicant. Hinc mirum non eſt, etiam nondum egreſſo è ventriculo opiato, effectum ſentiri. Ipſe ſic cibus à famelico aſſumptus ſtatim famem ſiſtit, cum vix in chylum mutandus ab ore aſſumptus eſt. Offerret ſe hoc loco latiſſimus campus, de hoc ipſo modo diſtributionis chyli è ventriculo, & inde reſultantis refectionis pluribus diſſerendi, ſed ne extra oleas vagemur, aliò id diſcutiendum differimus, hîc verò de opiatis ſolùm diſpicimus.

Neque moramur nonnullos, ut *Helmontium, Duum-vir. §. 6. ſeq. p.* 210. & *Grembſium l. 1. c.* 7. §. 7. qui negant, ob effluvia vaporoſa agere opiata, quod 🜍 ⊖-li anodynū fixum ſit. Conceſſum itaq; eſt à poſteriori, dependere ναρκωσιν à ∽uum animalium libero influxu & reditu agili ceſſante, ſive obiter ſtitui, denſentur, conſtipentur, & quaſi coagulentur & figantur: ſive quovis modò meatu ſeu pori cerebri blandè claudantur.

Sed plus ultra! Nondum ſatisfactum eſt curioſitati. Quæramus porrò, & inſiſtamus viæ, donec ad exoptatam veritatis metam detur acceſſus.

Eleganter *Helmontius* virtutem ſomniferam adſcribit phantaſiis formarum mixti, & proprietates ejuſmodi formales manare à phantaſiis forma unitrium principiorum, Salis, Sulphuris, & ☿ii, *de magnet. vuln. curat.* §. 153

Negari nequit, qualitatem ſeu vim illam anodynam & ſtupefactivam τρόπον τῆς μίξεως, *modum mixtionis* ſequi, in qua mixtione elementa non modò æqualiter vel inæqualiter miſcentur, ſed etiam proxima eriæ ſecundæ diſpoſitione variè patiuntur & agunt.

Expoſita ſunt ſuprà elementa opii, & per Vulcanum in apricum collocata; Eminere in eo dictum eſt inprimis 🜍 copioſum, & ⊖ volatile ſeu ☿ium, adeoque hæc quaſi à priori, ita ſe habere, quàm certiſſimè demonſtratum eſt. A poſteriori tria potiſſimum idem evincunt:

Primùm *odor.* Hunc ſulphuri unicè deberi, in confeſſo eſt; partium enim 🜍earum effluvia ☿alium ope volatiliſata & ſubtiliata interventu aeris ad nervos olfactorios delata odorem efficiunt, quorum mixtio ut variat, ita diverſi generis exurgere odores neceſſe eſt.

Deinde *ſapor* amarus, qui eoſdem agnoſcit natales, ſalino adſcriptus principio, primariò puta, & plerumque in iis videndus eſt, ubi cum 🜍 & ☿io penitius terra commixta eſt.

Tertiò *inflammabilitas*, quam ad 🜍 referendam, ex vulgatiſſimo axiomate Paracelſico: *quicquid ardet, ſulphur eſt*, palam eſt.

Hinc quæſtio exoritur, an vis narcotica 🜍i primariò, an ☿io ſeu ſali volatili ſit adſcribenda, præſuppoſito hoc, & reliquorum quodvis ſymbolam ſuam conferre.

Argui poſſet pro ſale volatili 1. activitas, agit enim in minima quantitate, & virtutem ſuam quàm ocyſſimè in corpus vibrat, 2. quia figitur acidis, quæ ipſa in genere ſoporoſis affectibus proſunt. 3. quia in ∽tione, non minus quam 🜍, apparet, & oculotenus ſe ſiſtit.

Verùm enimverò plurima ſunt, ex quibus ſal volatale copioſum educi poteſt, & quorum vires ab illo ipſe ⊖le volatili dependere creduntur, quæ tamen longè diverſos ab opio effectus in corpora noſtra edunt. Nunquam talis effectus à ſale volatili antiſcorbuticorum, quæ id eminenter poſſident, obſerva-

tus eſt ; nemo id à volatilibus cephalicis unquam evenire notavit. Quin contrarium potius viſum eſt. Obſervavimus in quamplurimis ſcorbuticis volatilia ejuſmodi varia ſymptomata potius excitaſſe, niſi in quibus fixi humores volatilia indicarunt. Et, quod palmarium eſt, vidimus in ſoporiferis affectibus longè præſentius ſe gerere urinoſa volatilia, quàm ulla alia medicamenta.

Veriùs ergò & rectiùs narcoticum illud omne in 🜍re principaliter quæritur. Plerique chimici ſulphur narcoticum pro genuina cauſa habuerunt hactenus, neque id ſine cauſa, modò rectè explicetur res, aliàs enim paulò aliud vocabulum, quam occulta qualitas obtruditur, res verò nullo modo explicatur.

Conſtant nimirum & abundant non minus 🜍re, v.g. caſtoreum, & camphora, quæ tamen vigilias potius quàm ſomnum inducunt, unde opii genuina antidota habentur, ut infra patebit; in quo ergò conſiſtat ſulphur hoc narcoticum, diſquirendum eſt.

Nobis, ut, quæ hæreat ſententia, explicemus, videtur opium conſtare 🜍*RE* blando, *FACILE RESOLUBILI*, idque potiſſimùm, quod in quolibet menſtruo ſolvitur, abſque deperditione ſaporis, & conſequenter virium, hinc acidis, aqueis, & ∾oſis ſeu oleoſis extrahi poteſt, ipſiſque ſalinis. Ita pariter in corpore noſtro omnibus aut plurimis humoribus lubenter obſecundat, inprimis verò ſeroſis, aqueis.

Notum eſt ex Chimicis, quodlibet mixtum proprium ſibi depoſcere menſtruum, præcipuè verò præ omnibus 🜍ea. Sulphur commune nunquam ſolvitur aqueis, nunquam obſecundat, & vincitur acidis, nec ipſi cedit aquæ forti, aliiſque ſtygiis, licet ſalinis fixis intimius remixtum ſit particulis. Nullum oleum cum acido, vel aqueo per ſe combinatur; nullum ſulphureum, neque ſpirituoſis 🜍ea æquè parent. Aſt opium, ut ſuo loco latius docebitur, omnia æquè amat menſtrua.

Hoc ergò opiatum 🜍 in corpore reſolutum ſpiritus vaporoſos & ſulphureos cum ſanguine, & cerebro communicat, qui cerebri conceptacula oppilantes, ut loquitur *Kircherus de peſte ſ.3. c.3. p.* 103. cerebri ventriculos opplentes, juxta *Quercetanum Pharmac. dogm. cap.* 24. ſeu poros potius, ſecundum *Carteſium*, ſoporem inducit.

Combinatur hoc cum ſulphure vitali noſtro, & facillima reſolutione evaporationes halituoſas ſuas cum ipſo jungit. Sal ſanguinis volatile cum ſero reſolutionem hanc ſulphuris multum adjuvat, hinc particulis ſuis viſcidis, oleoſis, balſamicis poros cerebri & nervorum leniter obſtruit, ſanguinem verò blandè concentrat, adeoque ſomnum efficit. Opium, quod *Theophraſtas* de odoribus dicit *l. de odor.* διὰ τὴν κυφότητα, μάλιςα διικνεῖται ϗ συμπληρῦ τὺς πόρυς, ὥϑ᾽ ἡ αἴσϑησις καταλημμψῆ, ϗ πλήρης ὗσα, κρίνειν ἀδυνατεῖ. *Ob levitatem* (ſulphuris cum ☿io juncti) *penitus pervadit, poroſque obſidet, ut nimirum ſenſus oc. upatus & oppletus judicare non poſſit.*

Ubi ſulphur exuperat ⊖ volatile, & in ſe eſt reſolubile, opio effectus conſimiles deprehuntur in aliis. Ita ▽, vinum ipſum, crocus, carbonum vapor & alia ſupra delibata, eodem 🜍e reſolubili pollent, unde effectus edunt quàm ſimillimos. Contra verò ſi abundet in mixtis ⊖ volatile præſulphure, & ſulphur reſolubile non ſit, ſive ſua natura, ſive ob defectum laticis in ſanguine, vigilias potius inducunt, ut exemplo camphoræ & caſtorei inprimis docuimus. Habent hæc copioſum ſulphur, ſed non reſolubile, unde evaporationes quidem faciunt, ſed non halituoſas blandas, viſcidas, ſed ſubtiles penetrantes, meatus & poros aperiendi potiùs, quàm occludendi vi præditas.

Imò ipſum opium, ſi effectus ejus contrarii & velut extraordinarii nonnunquam ſpectentur, idem evincit. Veriſſimum eſt, & in praxi tota die occurrunt caſus, ubi exhibitum opium, etiam in magna ſatis quantitate, tantum abeſt, ut ſomnum inducat, ut potius vigilias augeat. Siccat enim magis, niſi humor aqueus ſeroſus ſufficiens ſit in ſanguine, qui ipſum poſſit reſolvere, qualia ſubjecta ſupra nominavimus, unde neceſſarium colligimus axioma, opium quidem omnibus facilè ſolvi liquoribus, ut verò ſomnum conciliet, opus eſſe ſufficienti humore, qui ipſum & reſolvat, & didat. Unde nobis certò ex praxi & creberrima obſervatione innotuit: *Opium non operari, niſi ſerum ſit in ſanguine proportionatum.* Ut ſerum eſt ὄχημα τῆς τροφῆς, *alimenti vehiculum*, ita & medicamenti tum hujus, tum aliorum: quo vectore ſi deſtituatur ſanguis difficillimè obtinetur ſopor, ſin debito modo abundet, facillimè.

Videas hîc mirum quantum ſæpe peccari. Dentur in iſtis caſibus humectantia, & quidem ſubſtantialiter, vel cum his miſceantur opiata, & voto damnabitur æger juxtim ac medicus.

Patet hinc, quibus opium magis conveniat, & quibus magis ſomnum moveat; ut enim id denuò repetamus, qui ſeroſis abundant humoribus, ſeu in ſtatu ſ. n. ſ. p. n. ab opio eminentiores perſentiſcunt vires, unde datum hoc hiſce faciliùs ſomnum affert. Contra qui bilioſiores ſeu ſecundum naturam, ſeu præter naturam, minus ſubiguntur, quo de & inferius dabitur dicendi locus.

Equidem, ut verum fateamur, nullum vidimus affectum ſoporoſum, verè talem, ubi non adfuerit ſimul calor p. n. cujus unicum ſolùm recenſebimus exemplum. Villici cujuſdam filia anno 1671. tempore autumnali per unam & alteram ſeptimanam prius torpore, laſſitudine & ſomnolentia correpta, hinc & aliquali diarrhœa, horruit, hinc calore continuo laborabat, cum perpetuo ſomno, ut ægerrime excitari ſolùm pro cibo vel potu aſſumendo potuerit, idque per integros ferè decem dies duravit, Obviam itum febri alterantibus & cordialibus, mixtis acidiuſculis. Nil verò magis ſopori debellando profuit, quàm ∾ ⊖ ✱*ci volatilis* cum *aq. lil. convall.* ∾*uoſa* ritè adminiſtratus internè. Externè inunximus nares, tempora, & præcordia, oleo ſuccini, & camphoræ, cum pinguedine caſtorei, & in ſacculo appendimus camphoram, nigellam & caſtoreum, quibus probè applicatis præter omnium ſpem evaſit.

Quin paralyſin univerſalem, omnium conſenſu affectum frigidum notavimus ſemper ferè anteceſſiſſe calorem, cum torpore. Hinc licet obiter aſſerere, quandocunque ſomnus copioſior adeſt, ibi ſanguinis 🜍 à ſero copioſiori reſolutum eſſe, & hinc poros cerebri obſtrui, ita quidem, ut ☿ius ſeu ſal volatile activitatis humanæ, ſeu vitalitatis inſtrumentum à 🜍re ſuperetur. Ubi verò acidis v. g. ſegregatio & præcipitatio horum fit, uti mechanica demonſtratione in chimicis notiſſimum eſt, ſulphura à ſalibus liquidis reſoluta, acidis præcipitari; vel urinoſa propinata cùm morbo confligant, ut ſulphureæ partes iterum ſui fiant juris, & obtuſum ⊖ volatile ſibi reſtituatur; vel ſulphura non ſolubilia, ut camph. caſtoreum, nigella, ſanguinis ſulphur adaugeant, ut vinci & ſubigi tàm facilè non poſſit, omnia iterum vegetantur in œconomia animali, & ſplendent.

Obſervavimus ſæpius, ſoporoſos & apoplecticos magis excitari urinoſis, quàm aromaticis, vel ſulphureis, tum internè, tum externè applicatis, quo caſu vel ſolùm ⊖ ✱ cum in quodcunque lixivium infuſum & naribus objectum feliciter ſe geſſit.

Objectum quidem ſæpius fuit chimicis, quod narcoticæ virtutis in opio cauſam 🜍ri adſcripſerint, 1. quod id nihil ſit aliud, quàm dicere, commune eſſe particulare, & viceverſa, 2. quod in aliis maximam partem 🜍eis id non deprehendatur, vid. *Gregor. Martin. Tr. contr.* 11. *cap. de conſenſ. & diſſenſ. Sennerti*, *p.* 69. Quis ergò hinc evadat doctior? quis animus ſolidæ ſcientiæ cupidus ſaturetur? quis non ſentiat, ſibi fucum fieri petitione principii & verba dari? inquit *idem*, *l. c. p.* 151. Gemina his ſunt illa *Thomæ Eraſti diſp. contr. Paracelſ. p.* 2. *p.* 81. ubi, quid enim, quæſo Te, *inquit*, in cauſa eſt, ut oleoſa pars in opio ſtupefaciat, non item, quæ in aliis rebus ineſt? Si ad mixtionem partium referant, eodem recident, ut plura, quæ ibi acriter contra aſſertum hoc diſputat, non allegemus. Sed ex dictis jam facilè lis dirimi poteſt, modò ipſi ad meliorem inclinare velint mentem.

Neque hoc pacto aſſenſum merentur illa, quæ *Glückradius not. ad tyroc. chim. l.* 2. *c.* 6. *p.* 162. ſcribit, narcoſin tantùm craſſo & feculento 🜍ri competere, non item illi, quod per anatomiam eſſatam emergit purum & ſpirituoſum.

Memorandum hoc loco eſt *Williſii*, viri celeberrimi, de opiatorum virtute judicium. Hic libro, *pharmaceuticæ rationalis* inſcripto *ſect.* 7. *cap.* 1. *p.* 285. *ſeq.* ſtatuit, opiata conſtare 🜍e fœtido, hoc eſt, è 🜍e, cum ⊖le fixo & materia terreſtri ſimul combinatis, & ad efferationem evectis, adeoque vires ſuas exercere, ſpiritus animales perimendo, profligando, debellando, conſternendo, & extinguendo, idque, ſi in juſta doſi ſumantur, quibuſdam ſolùm accidere, quaſi in prima acie collocatis, unde cœteri conſternati aut interius compulſi, aut ſaltem ab effluxu in partes nervoſas ſolito revocati penſa ſua derelinquant aut aliquantiſper remittant; ſin verò in magna nimis doſi dentur, eoſdem planè, prorſus & omninò peſſundare. *Addit*, maximè eadem adverſari ſpiritibus animalibus, eorumque extinctoria ſeu potiùs VENENA eſſe, venenare ergò eoſdem & in maxima copia deſtruere; ſanguinem tamen non vitiare, nec huic ipſi ſimul venenoſas eſſe opii particulas, ſed potius alexiterias, immiſcibiles nihilominus & heterogeneas prorſus, nec aſſimilari eidem, ſed expelli quantocyus è ſanguinis confinio.

Aſſentiri his poteſt, qui volet, nos mentem noſtram ſatis explicuimus, & per totum hoc opus expoſuimus, neque jam noſtrum eſt ἀντίθεσιν in alterius viri docti præjudicium aggredi ſed id omne cordato lectori committimus. Interim certum eſt, nimia opiatorum doſi pericula quidem vitæ imminere, ſed id ipſum non tam fieri extinctione ſpirituum, quam obnubilatione, ut ſui juris amplius non ſint, adeoque functionibus ſibi demandatis præeſſe nequeant, ceu id ipſum exemplo 🜅, copioſius hauſti, aliorumque ſimilium eſt quàm evidentiſſimum.

Claudat agmen opinio, quam fovet *Anton. le Grand hiſtor. natur. part.* 7. *artic.* 9. *p.* 369. narcoticam vim papaveris aliorumque adſcribens *uliginoſo* humori, quo hujuſmodi plantæ abundent, unde oppleti choroidis plexus *pori* ſpiritus à corde venientes ad cerebrum tranſmittere nequeant, adeoque ſomnifera ſtatuit humectando & refrigerando agere. Sed uti de humectantibus ἐνεργητικῶς id verum eſt, ita vix illud licebit applicare ad opium.

Quod *Galenus* ait *l.* 11. *meth. medend. c.* 11. difficilè eſſe, ejuſmodi aliquod auxilium inveniſſe, quod citrà ullam noxam magnificè proſit, illud etiam in opio vel maximè locum habet.

Magnificè prodeſt, ſi ritè præparatum ſit, & circumſtantiæ in doſi, indicationibus &c. obſerventur. Nocet, ſi temerario & vano auſu, præcipuè crudum &, ut vocant, incorrectum porrigatur, non abſque vitæ inſtantaneo detrimento.

Utut enim vis major quibuſdam ſimplicibus inſit, quàm eorum eſſentiæ, approbatore *Helmont. in trib. princip. chim.* qui etiam *pharm. ac diſpenſ. nov. p.* 458. ait: Credo ſimplicia in ſua ſimplicitate eſſe ſufficientia pro ſanatione omnium morborum; nihilominus tamen repagula, ex ſententia chimicorum, demenda, auferenda noxia, addenda corrigentia, ut omnibus modis certè poteſtate dotali medicamen voto nos damnet.

CORRECTIO opii occurrit duplex: 1. *ut adſumendi*, 2. *ut adſumpti.*

De priori ſi quæratur 1. *an corrigendum ſit opium?* ℞. quod ſic, probatione deſumpta, tum ἀπὸ τῶν ἔξωθεν, *autoritate*, tum ἀπὸ τῶν ἔσωθεν, *ratione* ac *experientia*.

Autoritas adeſt omnium adeò medicorum, veterum & recentiorum, ut ſuperfluum ducamus, adducere teſtimonia.

Correctionem inprimis urgent *Chimici*, παῦρα γὰρ ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρὰ, *pauca enim immiſta eſſe bona, multa verò noxia*, unde homogenea ab heterogeneis ſeparanda cenſent.

Ratio ſubſequitur. Cum redundent in opio halituoſæ excrementitiæ particulæ, quæ chimicis lentum & fœtidum ſulphur audiunt, utique correctionem aliquam expoſcere videtur. *Experientia* idem confirmat, teſtata, non æquè proficuum eventum ex incauto & incorrecto uſu ejus promanaſſe. Felix, ait *Helmont jusduumv.* §. 64. æger, cujus auxiliator medicus novit lethalia è papavere ſeparare, retento auxilio. Alioqui ſanè nocuum cum proficuo ſimul aſſumuntur, unumque impedit alterius profectum.

2. *Quid & quomodo corrigendum?* Aliter corrigunt Galenici, aliter chimici. Veteres, cũ frigidum in quarto gradu ſtatuerent, calidis id præſtare annitebantur, pipere, zingibere &c. Succo papaveris admiſcebant euphorbiũ, mandragoram, aliaſq; herbas conclamati frigoris pipere temperabant, *Macr. l.* 7. *Saturn. c.* 5. *p.* 522.

Hinc in compoſitionibus illa opiatis perpetuò addebant, duplici de cauſa, 1. uti jam innuimus, quò frigiditatem hanc intenſam corrigerent, obtunderent, adeoque ne corpori humano adeò nocere poſſent, efficerent. 2. ut vires ſuas mediantibus calidis penitius in dolentes partes vibrarent. Utrumque conjungit & eleganter declarat *Pergamenus l.* 8. *de comp. κατὰ τόπ. c.* 4. ubi: quò ſtupefactio non cum magno detrimento fiat (ſtatuit verò narcotica frigida) & ut per altum dolentium corporum frigiditas penetret, calefacientia miſcentur, quæ refrigerantium ſtupefactionem deducere poſſunt, cum illa ipſa per ſe tardi tranſitus exiſtant.

In ſpecie verò *idem l.* 8. *loc. tit. c.* 3. ſcribit, oppoſitum fermè opio facultate eſſe caſtoreum. Sed tum hoc ipſo loco, tum *l.* 3. *præcedente c.* 8. manifeſtis verbis innuit, caſtoreum opio admixtum eſſe ab Apollonio & Aſclepiade, ut videlicet vehementiam refrigerandi facultatis in eo obtundat. Hæc hypotheſis cum hodiè per ſuprà dicta ſit falſa deprehenſa, non neceſſum eſt, ea de cauſa correctorio hoc uti, niſi forte dicere velimus, caſtorei vires in affectibus ſoporoſis tollendis eſſe notiſſimas, adeoque etiam ſoporiferis corrigendis nõ deſtitui virtute ſingulari. Sed quantum de eo accedit, tantũ virtutibus opii decedit.

Idem caſtoreum *Abuali l.* 4. *fen.* 6. *tr.* 1. *ſum* 3. *c.* 1. opii theriacam, quod ſuccurrat corruptioni opii, & nocumento & veneno ejus *l.* 3. *fen.* 13 *Tract.* 5. *c.* 13. *Guainerius de venen. cap.* 9. opii bezoar adpellant.

Caſp. Hoffmannus, *animadverſ. in Montan c.* 7. §. 16. *p.* 81. ejus antidotum dicit eſſe malvaticum, quod ipſum jam *Pergamenus* ſcripſerat *l.* 3. *de ſimpl. med.*

facult. c. 19. ubi vinum calidum ebibitum, ſed vetus, generoſum, polyphorum, præſentiſſimum opio ſumpto remedium eſſe & docet, & experimento confirmat. Sic etiam *Rondeletius*, *Grevinus*, *Conrad. Kuhnrath.* & alii alexipharmacum opii ajunt eſſe vinum, & præſertim meracum, generoſum, unde in compoſitionibus opiatis diſſolvi jubetur eodem, ceu ſolutivo & correctivo, itidem ob hypotheſin, opium eſſe frigidum & ſiccum. Quo de obſervationem habet *Chriſtoph. à Coſta l. arom. p.* 236. ubi Turcus Adenſis in penuria opii vinum ſibi & ſociis dandum petiit, aliàs ne biduum quidem ſupervicturos; id quod tamen ob analogiam potiùs, calefaciendi & roborandi, quàm opium obtundendi, factum eſſe facilè patet. Et vinum ipſum ex hac opinione adſumpto magis, quàm adſumendo opio prodeſt.

Prædicantur & alia opii corrigentia ab autoribus. Ita præter caſtoreum corrigi id ſcribit croco *Fernel. l.* 4. *meth. med. c* 7. myrrha *idem l.* 6. *meth. med. c.* 5. ſalibus *Dioſcorides l.* 5. *c.* 126. *circa fin.* ubi: contrà hauſtum opium & fungos ſalia cum oxymelite bibuntur; unde & inter recentiores *Helmontius*, ſopores tàm morboſos, quàm artificiales ſeu opiatorum optimè debellari per lixivia cenſet, *jus duumvir.* §. 31. *p. m.* 188.

Hæc potiora ſunt, quibus opii tum malignitatem, tùm ſoporem ab eo incauto uſu, & doſi excedente, nimis longum inductum corrigere medici ſunt ſoliti.

Jungi his queunt illa, quæ in affectibus ſoporoſis à Practicis adhibentur, inter quæ non immeritò locum tuetur ſuum camphora.

Nos in ejuſmodi caſibus eſſentiam caſtorei, elixir noſtrum cephalicum cum ♁ ✻ci, ♁um formicarum volatilem, potiſſimum laudamus, quæ tum externè, tum internè, non omiſſis quandoque acidis, profuiſſe novimus. Acida enim ſulphura tum ſalium, tum alia, obtundunt, præcipitant, invertuntque, ac exhalationem & reſolutionem remorantur, quod infinitis experimentis chimicis demonſtrari poſſet, ſi id hujus eſſet loci. Nec vomitoria pro re nata omittenda ſunt, ut quaſi vecte quodam extrudant, quicquid in ventriculo hærens naturam gravat.

Si nimium opii præbium humores adeò incraſſaverit, ut alvus officii ſui obliviſcatur, *Platerus* leniens adſumendum ſuadet. *Walæus* contrà *meth. medend. p.* 154. optimum judicat, ſi validum exhibeatur purgans, ut attenuentur humores incraſſati; nec eſt, *inquit*, quod ſuperpurgationem timeas, nunquam enim illa in hoc caſu à pharmacis fit. Refert *idem*, binos medicos de cauſa mortis accuſatos: alterum, quod valido purgante ſuperpurgationem excitaverit, alterum, quod hanc ſiſtere volens exhibuerit narcoticum, ægro mox mortuo.

Nos, ſi ab adhibitis opiatis alvus officii ſui obliviſcatur, in praxi noſtra feliciter ſolemus interponere pilulas aloeticas noſtras, quas eodem cum opio menſtruo paramus.

Baccius l. 7. *de thermis c* 23. *p.* 474. uſum balnei aquarum temperatarum ad eos commendat, qui ex opio adſumpto gravi ſopore ſubmerſi, & quaſi commortui jacent, ingenti pruritu interdum cruciari ſoliti. Eadem etiam commendat *Grevinus l.* 2. *de venen. cap.* 16. *pag.* 208. ob maximam frigiditatem medicamenti, quæ cutim denſiſſimam reddidit, & illarum partium ſanguinem in grumum ferè redegit, aut certè ob eroſionem, quam excitare potuit. Balnea cum ſint calida & humida, cutim extendunt, partes refrigeratas & exſiccatas corroborant, & per inſenſibilem transſpirationem exhalare faciunt id, quod inter carnem & cutim relinqui potuit, ſanguinemque priſtino vigori ſuo reſtituunt. Locum hæc habent, ſi ad ſanum ſenſum redigantur.

Notiſſima in ſcholis chimicorum eſt correctio opii per ignis mediatum contactum, quæ fit leni △ris fœtidi, φλογιςȣ, immaturi, evaporatione, & creditur hoc modo cogi, ut maleficium quod in ſe habet, exſudet. Hermetici enim quamplurimi, è quibus nominamus *Quercetanum*, *Hartmannum*, *Brendelium*, *Zvvelferum*, aliique moderni id corrigunt toſtione ſuper lamina ferrea ſeu patella. Scinditur in minuta fruſtula opium, & in laminam, orbemve appoſitè collocantur ſegmenta, ne ſe tamen arctius attingant invicem particulæ, ſubdito moderato carbonum igne ſenſim exhalare ſinitur ſulphur dictum vaporoſum, donec odor papaveraceus teter exſpiret, & in pulverem facilè teri poſſit, ad ſiccitatem inſtar aloes redactum. Expectant quidam, donec aromaticum de ſe ſpiret odorem, quem inde ſibi pollicentur.

Inprimis celeberrimus *Zvvelferus append. ad animadverſ. p.* 79. opium *inquit*, per exhalationem narcotici ſui ſpiritus ſuper patellam ferream igne leni paratum, laudano cuicunque ferè eſſe æquiparandum. Nonnulli ad præſcriptum *Severini in vipera Pythia part.* 3. *c.* 6. *p.* 460. ſimul tantillum ſucci arantiorum acerbiorum inſpergunt, & ferro ſubinde eouſque verſant, dum abſumpto pauxillo & refrigerato videas, num ita induruerit, ut pulveriſari poſſit, cavendo ſedulò, ne amburatur.

Alii toſtionem hanc eò uſque procraſtinant, ut planè calcinetur opium, cineréſque propinant, qui tamen omnes penitus vires amiſerunt, avolantibus narcoticis & ſoporiferis particulis omnibus, & eſſentia per ignem deſtructa.

Mirum enim eſt, quod autores nonnulli liberare opium contendant à ſulphure ſuo narcotico, cum tamen illam ipſam intendant, quærantque & expectent virtutem ex opio. Non caſtrandum eſt opium virtute narcotica, non ſulphur narcoticum ſeparandum, aliàs evanidum fiet & nullarum virtutum. Sed heterogenea ſunt ſemovenda. Nam opium ſi torreatur ſuprà carbones, unde flamma excitetur, quomodo ero certus, quod non vis illis illa, quæ operationem narcoticam efficere debet, torrefactione pereat, & ſaltem noxa abeat; hac illæſa, ut illa *M. Meieri de ſeptim. mont. Planet. cap.* 1. *part.* 69. huc applicemus, ubi & mirandum eſſe, *ait*, quoſdam promittere horum à ſe præparatorum medicamentorum, aliàs fortiſſimorum, doſes duplices aut triplices, imò ut pro ſaccharo tutò aſſumi poſſint abſque noxa, cum tamen ab innatis virtutibus multum ſpolietur & deſtruatur. &c.

Excuſari tamen poſſe videntur, ſi diſtinguatur inter ſulphur hoc anodynum, quod ab effectu eſt & dicitur narcoticum. Duplex enim eſt hoc ipſum, ut innuit *Quercetanus tetrade cap. affect. cap.* 16. *p.* 213. aliud putidum ac narcoticum, aliud mitigativum. Sed ſi rem penitius introſpiciamus, differunt ſolùm magnitudine, ſeu gradibus, jam magis & minus non variant ſpeciem. Exceſſivum illud ſylveſtre & capiti grave ſulphur, ut in terminis loquendi maneamus, ſeparatur, ne nimia evaporatione noceat cerebro & ſpiritibus animalibus, & ad eum gradum redigendum, qui temperamento animalis hujus œconomiæ ſit appropriatus, unde cum opium narcotico △re nimium tinctum ſit & infectum, eatenus correctio quædam & concedi poteſt & neceſſaria videtur, de qua tamen jam plura. Sed cavendum eſt, ne, dum vitia vitantur, toſtione in contrarium fiat tranſitus, & virtus unà pereat.

Hinc non ſolùm ex recentioribus *Poterius*, Chimicus non infimi ſubſellii, hoc ſuffumigatum laudanum minus virium obtinere obſervavit, unde tantùm probat ♆, *pharmacop. ſpagyr. p. m.* 251. Sed & dudum

id culpavit *Galenus* (neque enim præparatio hæc nova eſt) qui de hac ipſa *l. 3. de compoſ. med. κατ. τόπ. cap.* 8. prolixè agit. Ibi enim diſquirens, quàm ob rem non modò Apollonius, ſed alii etiam quidam celebres viri opium (loquitur ſimul etiam de caſtoreo, quod verò hujus loci non eſt) torrefacere juſſerint, duas potiſſimum ob cauſas illud factum *ſcribit*, 1. quò vehementia virium ipſius minueretur. 2. ob ejuſdem malignitatem. His fuſius reſpondet, & binis vicibus repetit, & inculcat, torrefactum hoc modo opium efficaciam perdere, & id ſe ſæpius eſſe expertum.

Ex hoc loco quoque *Bernhardus Deſſen. Cronenburg. l. 1. de compoſ. medic. p.* 8. torrefactionem opii damnat.

Mentionem hujus præparationis facit & *Abuali l. 2. tr. 2. cap.* 526. quam ſubtilem videtur affirmare, opium, *inquit*, aſſatur ſuper laminam ferream ignitam, & fit rubeum.

Conſultius exiſtimamus, aut omittere hanc præparationem, aut leviſſimo ſaltim calore ita tractare medicamentum, ne vires perdamus, quas tam ſolicitè quærimus, idque eò magis, quod ipſimet hujus correctionis patroni fatentur, dicto modo torrefactum opium vix flammam concipere, manifeſto indicio, illud ſulphure, adeoque viribus narcoticis exutum eſſe.

Par ratio eſt, ſiquis inſtar ſcammonii ſulphurati fumo ſulphuris id præparare ſuſtineat, ut præter calorem & acor accedens majus pondus addat correctioni. Veremur enim, ne tantum virtutis amittat, quantum aciditatis admittit.

Si fateri volumus, quod res eſt, correctio opii conſiſtit in ejus depuratione, quod habet commune cum aliis, v. g. attende aloen, ſcammonium, ladanum; Hæc ſi cruda quis intrò dare velit, uti olim illud toto die factum eſt, tormina, & quæ ab aloe præſertim & ſcammonio timentur incommoda alia, conſequi, facilè colliget is, qui hæc præparavit manu ſuâ, vel ſaltem præparari vidit. Remanent ſcil. longè magis, quàm in opio ipſo arenoſæ & aliæ excrementitiæ partes, quæ corpori nocent. Et id certiſſimum habemus, nunquam ab opio ulla timenda eſſe incommoda, ſi benè depuratum ſit.

Depuratio fit ſolutione & ſeparatione. Solutione, mediante calore & digeſtione facta, pars inſtar ſpumæ ad ſuperficiem fertur, pars in fundo ſubſidet, media purior & deſiderata eſt, prior verò utraque per lacinias, vel filtrum ſeparari poteſt, & remanet, optima verò perfluit & ſeorſim colligitur. Hinc de accommodo & appropriato genuino menſtruo ſoliciti ſimus, neceſſum eſt.

Ut verò ſub tribus ſolventium tota familia continetur generibus, & menſtrua ſunt vel aquea, vel ſulphurea, vel ſalina; ita & triplex hoc opium extrahendi datur menſtruum.

Frequentius hactenus in uſu fuere menſtrua ſpirituoſa & acida, diſceptantibus tamen inter ſe autoribus, quænam harum præparatio ſit melior.

Sub acido militant, acetum tum ſimplex, tum deſtillatum, ſuccus citri, cydoniorum, limonum, ✝ tum ♀ is ſulphureum, quo opium extraxit B. D. Ausfeld. teſte *Nob. D. D. Vollgnad noſtro, Diſp. de Hemicrania*, ſpiritus ⊖, ⊕li, aliaque, quæ nuper *exercitatione de menſtruis* latius expoſuimus.

Hinc alii ſolum acet. ſuperfundunt aliquoties, exiccant iterum & pulveriſant, cujus loco iterum alii ∽um ⊕li ſummè rectificatum, alii ſuccum citri affundunt, ſæpeque irrorant & exiccant.

Apud Indos, teſte *Bontio l. 2. de meth. med. Indor. cap.* 4. *p.* 10. etiam per acetum corrigitur, ubi utiliſſimum & ipſi laudatiſſimum extractum croci Indici, per quem intelligit curcumam, ſeu potius laudanum opiatum deſcribit.

Alii opio pulveriſato affundunt acetum, deſtillant per XX igne forti, donec opium in fundo ad ſummam ſiccitatem perveniat, idque cohobant tertiâ vice.

Plerique verò, qui acida eligunt, opium groſſo modo conſcindunt, affundunt ✱ ad aliquot digitorum eminentiam, digerunt, filtrant, & leniter inſpiſſant in extracti formam. Inter hos primarios nominamus *Quercetanum, Horſtium, Sylvium, Langium*, &c. Sunt tamen, qui opium leniter torrefaciunt prius, quàm illud affuſo aceto deſtillato extrahant. *Glauberus furn. Philoſ. part. 3. c. 24. p.* 56. recludit opii ℥ v. ∽us ⊖lis. ℥ iß. & ♀ purgati ℥ j. hinc extrahit cum 🜄.

Elegans compoſitio eſt Chimiatri excellentiſſimi *Dn. D. Joelis Langelotti*, quam primò ad *Bartholinum cent. 3. epiſt. 15. p.* 188. & hinc longe fuſius ad Academiam curioſam, deſcripſit, vid. *Ann. III. Ephemerid. German. obſ. 59. p.* 100. ubi ſub titulo novæ opium præparandi rationis veræque ejus eſſentiæ deſcribitur. Fit 1. ex *opii* Thebaici ℔ i. ſucci cydoniorum ℔ x. ⊖♀ri puri & ſicciſſ. ℥ j. 2. addendo, cum per diem unum & alterum ſtetit, ſacchari ℥ iv. 3. Blando calore promovetur fermentatio. 4. Hinc medius purior liquor, à ſuperiori ſpumoſâ, & inferiori terreſtri parte cautè ſeparatus, filtratus ad mellaginem inſpiſſatur. 5. Denique 🜄 alcohol. hæc diſſolvitur, digeritur, & ad juſtam conſiſtentiam abſtrahendo ſervanda vera opii eſſentia.

Ad ſalinum menſtruum pertinet & lixivum. Cum enim ex ſuprà dicta Helmontiana hypotheſi ſoporeſ nimii per lixiva optimè debellentur, & ⊖lia *Dioſcorides* contra opium commendet, hinc multi credunt, opium optimè corrigi & extrahi poſſe cum lixivioſis v. g. ♀eis. Sic *Glauberus* per alkaheſt miteſcere air. *oper. mineral. p. 1. p.* 61. *D. D. Ettmüllerus in chirurgiâ infuſoriâ c. 3. concluſ. 2. §.* 7. ⊖le alkali fixo inprimis ♀ri cum terebinthina debitam opii fieri per digeſtionem correctionem, *ſcribit*, & fieri ſic opium tutum & mirabile in magnis quoque morbis remedium. Sic cum tinctura ♀ri etiam id ipſum non infeliciter quidam moliuntur, unde conſiunt eſſentiæ elegantes & ſplendidæ.

Rationes, quibus acidorum extrahentium patroni utuntur, potiſſimæ ſunt. 1. quod acetum venenis adverſetur, & in hyoſcyami opiique adſumptorum correctione optimè ſe gerat, quin & contra ſerpentum etiam venenatiſſimorum ictus faciat, teſte *Celſo*, *l. 6. cap* 27. 2. acrimoniam & caliditatem opii corrigit. Ut miteſcunt ⊖lia volatilia ab acidis & quaſi fixantur, ut rad x ari c. aceto præparata non amplius linguam ita mordicat, ſinapi, raphanus ruſticanus, naſturtium & alia cum aceto appoſita miteſcunt, ita & ⊖lis volatilis opii fixationem quàm optimè præſtat, in quo correctionem ejus genuinam conſiſtere credunt. Contra ea 🜄 tantùm 🜍 extrahere, ⊖ verò intactum relinquere (quod pro extrahendis ⊖libus particulas non aptas obtineat) acetum verò utrumque, & malignitatem inſimul edomare, perhibent.

Eadem ratio eſt ſuccorum aliorum è vegetabili regno acidorum. Accedit 3. quod ſuccus cydoniorum acidaque recenſita, ſtomachum, cui opiata non æquè proſunt, confortent. Præparatio hæc cum ſucco cydoniorum Helmontiana quoque eſt, quam *Helmontius* filius eaſdem obtinere virtutes, cum eâ, quæ fieret per Alcaheſt, & medicum felicem, qui opium ita præparet, aſſeruit apud *Tacheniumep ſt. de liq. alcaheſt. pag.* 27.

Nos, ut breviter ἐπίκρισιν noſtram exponamus, in genere quidem libenter concedimus, ab acidis obtundi opiata, figi eorum ſal volatile, & hinc tutius ea

adſumi poſſe,ſed an id fiat virtutibus & qualitatibus, quas tamen exin elicere eſt animus, illæſis, de eo mirum quantum dubitamus. Hinc,ut illa ex *Glaſero* vertamus *Traitté de la chymie l.2.c.11.p.322.* qui conſiderant in opio partem 🜍eam volatilem, & ſalinam internam,quibus primariò ſuam debet virtutem,ea verò cum acidis habent contrarietatem,tantum abeſt, ut correctionem illis perfici credant,ut potius multum, ſi non totum, deſtruatur,& caſtretur. Deinde, qui præparavit opium, ſeu ejus extractum confecit cum ✳to, negare non poterit,remanere multum de ſalinis acidis aceti particulis, quæ nares odore conſtanti abundè & mordicant & feriunt,ut adeò imminui ex parte ſaltem, ſi non maximè, vim leniter demulcendi ob acres, acidoſve humores dolentes partes, & poros cerebri occludendi, certo fit certius. Quamvis tamen ſenſu ſuo abundare libenter patimur.

In ſpecie conſultius videtur, acetum ſimplex ob partes craſſiores,♀eas admiſtas,quas in Ωtione videre eſt, planè omittere,ne ſubtiliori parte ejus per evaporationem ablata,excrementitiæ,liceat has ita nominare,cum opio jungantur, & feces cumulentur fecibus.

Quoad ſuccos expreſſos alios acidos vel his confines, egregias inde conſurgere compoſitiones, fatendum eſt,ſed id tamen monere videtur operæ pretium, ſalvâ manente cujuſvis agendi libertate, & neminis in præjudicium, quod neceſſariò, ſi cum eis extrahatur opium, horum extractum proprium, forte paris, ſi non majoris,cum extracto opii ponderis,ſimul emergat,quod ipſum tamen vires non auget,ſed imminuit, diditis inter ea opiatis particulis,& fit v.g.rob.cydoniorum opiatum,extractum cydoniorum opiatum.

Sin addantur ⊖lia, v.g. ol. ♀ri per deliquium, vel cryſtallinum, ſiccum, verenda eſt & fermentationis annihilatio, quæ interdicitur tamen,& ne extracti forma, ob humidi attractionem, ſalibus familiarem, ad pilularem conſiſtentiam aliaſque compoſitiones opiatas ſibi relictas fiat aliquo modo inconveniens, ut alia, quæ in contrarium dici poſſe norunt naturæ periti, ſilentio involvamus. Judicium *Tachenii* ſincerum eſt, *loc. cit.* non aliam minorem virtutem ab ejus exhibitione deprehendi, quàm ex ſolita & ſimplici correctione.

Cum oleoſis aromaticis extrahendi modus hactenus uſitatus non fuit, cum ſpirituoſis verò non infrequens.

Quidam illum opii corrigendi modum amplectuntur: Decoquunt illud in vino Hiſpanico dulci,& benè maturo, idque tamdiu leniſſimo igne continuant ad evaporationem vini Hiſpanici, iterando etiam affuſionem,& coctionem priori modo, donec acquirat conſiſtentiam mellis,addendo tunc pro lubitu alia mollia vel ſolida,quæ deſcriptio eſt *Lindenii in not.mſſ. ad praxin.Hartmanni Tit.de anodynis.*

Illuſtri etiam *Boyleo* opii ea videtur optima præparatio,ut in vino cum æquâ parte puriſſimi ſalis ♀ri digeratur, teſte *Hamelio l.2. de corp. affection.c.5.t.8. p.* 488.

Thomſonus epilogiſm. chim. 130 *p.* 76. ∾um ⊖lis vinoſum, quem *pag.ſeq.*deſcribit,pro menſtruo commendat,cui hinc ⊖ tartari jungit, & 🜍atis, hinc cum ∇ alcaliſato extrahit.

Sennertus,Poterius, *Billichius, Zwelferus*, & alii opium per ∇ corrigunt,eſſentiam eliciunt, extractoque ad juſtam conſiſtentiam redacto, tincturas ſpec. diambræ, diamoſchi d.cum magiſteriis & oleis cordialibus,vel extractum croci, corallinum pulverem & guttulas aliquot ∾us ⊕li &c.jungunt.

Mediâ viâ incedunt,qui primum ✳to, hinc ∇ extrahunt, ut Londinenſes, vid. *Pharmac. Londin.p.* 130. & qui *Beguinum* ſecuti opium extrahunt ∇, cum ∾ibus acidis, ⊕li, 🜍is, acuto.

Rationes pro ∇, quò pertinet & frumentaceus,item ∾us ſambuci,citri, theriacalis, aliique, ſunt,non quod opium reputetur frigidum, cum omnis iterum ∇ per evaporationem, vel Ωtionem avolet, adeoque à calore hujus correctionem realem expectare non poſſit, ſed 1. quia opium abundat 🜍e, ſeu reſinoſitate,jam verò ∇ his eſt homogeneus, cum iis ſymbolizat, & genuinum reſinoſorum eſt menſtruum. 2. quia vapidas & halituoſas opii particulas naturæ amicas reddit,neque vires obtundit.

Nec timendum eſt, quod ſuperius modò tactum fuit,∇ ⊖ intactum relinquere,neque extrahere, cum experientiâ chimicâ conſtet, illum ipſum non ſolùm non reſpuere conjugium volatilium ſalium, (qualia in opio eminent) ſed ex parte ipſorum etiam vulgò dictorum fixorum, quo de vid. *Specim experim. noſtri de* ⊖ *vol.plant.c.5.p.36.& exerc.de menſtruis cap.3.*

Nec ſufficiens eſt altera objectio, ∇um ſe unire intimius cum partibus narcoticis, ſulphureæ ejuſdem naturæ ſymbolicis,illas elevare ſecum in evaporatione vel abſtractione, quod verò in fundo reſtat, tantùm eſſe ſubſtantiam terreſtrem, dotibus ſuis principalibus orbatam. Si enim praxin & experientiam ſequamur,tantum abeſt,ut ∇i opiatus, ſeu ab opio abſtractus ſit narcoticus, anodynuſve, præter propriam ipſius agendi ſphæram,ut potius τῆς μίξεως τρόπος non dimittat hancce opii virtutem,ſed eandem ſartam tectam relinquant ∾noſa hæc menſtrua.

Quod verò quidam dicunt, intendi à corrigentibus hiſce ſpirituoſis vim narcoticam, & exaltari deleterias qualitates, non videtur admittendum, cum, ut dictum jam fuit,omnis ∇ iterum avolet.

Notanda eſt curioſa obſervatio,quâ conſtat, extractum opiatum,cum ∇ paratum,majores exercere narcoticas vires,quàm quod cum aceto deſtillato factum fuit. Hoc ergò modo ℞. *opii Thebaici,puri ſuccoſi,pulveriſati* q.v.*partem* verbi gratiâ j. ∇ *probè rectificati partes vj.* Digerantur leni calore,extracta tinctura decantetur, vel filtretur, & abſtracto ∇, ſi in majori copia præparetur extractum,vel evaporato, ſi in minori, pro lubitu tamen,ad conſiſtentiam deſideratam redigatur.

Dictum eſt notanter,requiri ∇ probè rectificatum & dephlegmatum,aliàs enim feces,quas ſecum vehit, cum opio relinquit, ventriculo & toti corpori nauſeabundas, inutiles,quod ex chimicâ praxi etiam de vino Hiſpanico notum eſt. Neque incommodum eſt, ſed longè optimum,ſi quis ∇ tartariſatum loco communis recipiat.

Reſtat, ut & de aqueis dicamus ſolventibus, ut ſunt aqua ſimplex vel Ωta, ros majalis Ωtus, & alia.

Sic *Martinus Rulandus* junior *in excuſſ. apolog. Oberndorfer.p.*89. refert, Muſcagliam Cæſareæ Majeſtatis medicum opium contuſum lavaſſe, & affuſa aqua coxiſſe, reſtibili ſucco mellito addendo ſpec. diambræ. Cujus nepentheos,*addit*,& opiati ſimplici filo parati uſum tutum nos plerique experti ſumus, admirantes ſimplici coctura opio malignitatem illam narcoticam demi,& adeò benignum fieri & innoxium.

Ita & *Glaſerus l. c. p.* 310. *ſeq.* opii extractum præparat cum ∇roris majalis,&,ut eum in latinum traducamus ſermonem, ceu omninò meretur proceſſum ponit ſequentem: 1. jubet opium conſcindere in partes minutas, 2. hinc illud explicatum in patinâ terreâ vernificatâ,aliquo modo torrere, donec fiat friabile digitis, vitando interim effumationes nocentes, à 🜍e narcotico provenientes. 3. ſuperfundere huic ſic præparato rorem majalem Ωtum,q. ſ. digerere per 4. ☍ in MB.liquorem tinctum decantare, reaffundere

men-

menſtruum dictum, donec ſufficienter fuerit extractum. 4. filtrare totum id, & evaporare in MB. ad conſiſtentiam extracti. Ita habebis, *concludit*, opium benè præparatum & liberatum à 🜍e ſuo narcotico, & omni terreſtreitate.

Menſtruum hoc ob hanc rationem commendat *p.* 323. quod neque privet opium virtute ſalina, ut acida, nec illam ſecum auferat, ut 🜄, ſed cum leve & ſubtile ſit, facilè evaporetur, ſine ulla virtutis privatione.

Sunt, quæ moneri pauca circa proceſſum poſſint, ſed cum ſupra jam diſcuſſa videantur dubia, eo ſuperſedebimus. *Hamelius l.* 2. *de corpor. affectib. c.* 2. *t.* 9. *p.* 344. hanc præparationem viris doctiſſimis maximè probari ſcribit.

Certum verò eſt, aqueum hoc menſtruum pro extractione opii non ſuperficiarium, ſed maximè eſſe tum accommodatum, tum elegans, tum utile & proficuum.

Hoc pacto 1. odor nauſeabundus opii perit, ſine virium deperditione, nec alius eidem imprimitur, ut fit cum ⚹ 2. opium eſt quaſi medium quoddam, inter gummata & reſinas, hinc aqua facilè patet, & facillimè diſſolvitur, quod requiſitum eſt Dioſcorideum, ex quo ipſo loco probabile emergit, jam olim hanc ipſam extractionem per aqueum menſtruum fuiſſe uſitatam, cui enim bono aliàs id aqua diſſolverunt, niſi ut depurarent? quod ex eo etiam probari ulterius poſſet, quod idem *Dioſcorides*, diluitionis in ſequentibus verbis, loco ſupra citato, meminit. Sed hæc obiter.

Obſervatu dignum eſt, gummoſa ejuſmodi, cum aqueis extracta vires ſuas cum corpore noſtro melius communicare, quàm cum ſpirituoſis. Id e. g. de aloe eſt quàm veriſſimum, quam qui cum 🜄 extrahit leniendi alvum ſcoponæ ille egregiè fallitur. Quin vel ex *αὐτοψίᾳ* apparet, ſtatim totam quaſi ſubſtantiam aloes immutari, cum 🜄 affunditur. Opium agit potiſſimum ob 🜍 ſuum ſolubile, ut ſupra oſtendimus, quicquid igitur reſolutionem ejuſdem impedit, id cum natura ejus non adeò convenit, quàm quod eandem promovet. Faciunt verò hoc aquea.

3. Sumptibus hoc modo multum parcitur. Facilior jactura eſt aqueorum, quàm vel acidorum, vel ∽voſorum, licet ad alios uſus per XX cum poſſint recipi.

4. Quàm elegans verò emergat opium præ reliquis extractis, hocce menſtruo paratum, tum experientiæ cujuſvis relinquimus, tum pluribus in ſequentibus tangemus.

Ut de noſtra præparandi ratione mentionem faciamus, elegantiſſimum opium extrahendi modum invenimus cum phlegmate ⚹tri à præparatione arcani tartari reſultantis. Infunditur *opii Thebaici* pulveriſati pars j. cum partibus vj. vel viij. *aquæ ab arcano tartari reſidua*, mediæ, hinc vitrum calenti imponitur arenæ, agitatione cum ſpatula facta ſolvitur, ubi pars impurior ſpumoſa ſumma lambit, pars terreſtrior ima petit. Colatura per linteum facta evaporatur ad mellaginem, vel in extracti formam redacta adſervatur, laudano quovis etiam pretioſiori virtutibus par, ſi non major.

Quæ verò circa menſtrua hæc dici forſan latius debuiſſent, ea poſſunt huc peti ex *Diſſertatione noſtra, de menſtruis*, nuper edita.

Ingreditur opium, ceu baſis, plures compoſitiones in officinis uſitatas, theriacam, mithridatium, Philonium Romanum & Perſicum, Requiem Nicolai, Auream Alexandrinam, trypheram magnam, pilulas de cynogloſſa & multa alia, in quibus omnibus ferè peccatum pluralitatis eſſe, cum *Helmontio* ſtatuere nemo ambigit, qui vel tenuiter in chimicis inſtructus eſt. Quorſum, verba ſunt *Helmontii*, in aurea Alexandrina 65. ingredientium confuſio facit? Quorum ſimplicium nulla eſt cognatio cum opio & mandragora, columnis confectionis? *Pharm. ac diſp. modern.* §. 42. & 44.

Celeberrimum in foro Hermetico eſt *LAUDANUM OPIATUM*, ceu laudatum ex opio medicamentum, quaſi laudatum & ferè laudabile remedium dixeris, *Holzem. de eſſ. helleb. c.* 6 *p.* 42.

Laudanum, quaſi lauda non, miſochimicis audit, ut *Saguyerio ſchol. in pharmacop. Fernel.* unde *Libavio*, licet chimico, vocabulum eſt barbaricum & Paracelſicæ dementiæ conveniens *l.* 8. *ſyntagm. arcan. chim. c.* 44. *Billichio* barbarum & ineptum, *l.* 2. *obſ. & parad. chim. c.* 2. *p.* 110. ſine ulla cauſa & ratione in vacuum nomen detonantibus.

Laudanum, & non ladanum, eſt medicina Paracelſi, ex auro, coralliis, unionibus &c. compoſita; Eſt etiam materia perlata, ut tradit elucidator ejuſdem in *dictionar. Paracelſ. Gerhardus Dornæus p. m.* 133.

Nonnulli laudanum dictum eſſe putant ab articulo barbaro & anodyna, quaſi dicas L'anodyna; alii quod ladanum Cyprinum æmuletur. Vid. *Rivin. de agrypn.* §. *antepenult.*

Dicitur & Nepenthes opiatum, ita primitus à *Zwingero* nominatum, quod imitetur nepenthes Homericum, quo Helena omnem animi morbum, omnes animi languores & dolores abegit, hilaritatemque conciliavit. Eſt verò nihil aliud, quàm extractum opii, cum aliis confortantibus remixtum.

Laudani hujus deſcriptiones tot ferè reperias, quot autores illius meminerunt. Aliam deſcriptionem habet *Theophraſtus, Crollius, Quercetanus.* Pluresque colligit tales *Grülingius, Schroderus*, & plures alii, Aliam *Würtz part.* 3. *de vulner. cap.* 3. *p.* 663. imò penes ipſos pharmacopæos modernos in officinis mirum quantum variant. Quatuor deſcriptiones videre licet apud *J. P. Lotichium*, *diſſert. de febb.* §. 59. *p.* 103. *ſeq.* Ex quibus & aliis formulis vel abundè ſatis clarum eſt, *inquit*, quàm providum & perſpicacem eſſe oporteat medicum in præſcriptione *LAUDANI*, cum diverſam deſcriptionem præparationemque alius pharmacopœus ab alio exhibeat facilè, & contingere poſſit, ut in eadem civitate laudani uſum in plures officinas præſcribens medicus, pro diverſitate operationis medicinæ hujus opiatæ, aut deſiderata efficacia fruſtretur, aut reſpectivè pharmaco expeditius operante, culpam erroremque penes ægros incurrat, niſi ipſi uniuſcujuſque officinæ deſcriptiones apprimè cognitæ fuerint. Præſtaret igitur, regia iſthæc & exquiſita remedia, uno eodemque modulo, in officinis proſtare, ne error damnumque committatur inde, dum unum pro alio præſcribenti, neque ſemper adſtanti medico obtruditur.

Non opus eſt, Lectores prolixa deſcriptionum congerie onerare, quas auſim dicere ultra trecentas hinc inde proſtare, ſi quis omnes curioſè vellet colligere.

Notari verò circa hoc laudatum medicamentum poteſt, *primùm*, ſaniores chimiatros ab ipſius confectione excludere eſſentiam radicis hyoſcyami, ſuccumve, quæ admiſcet, ex deſcriptione tamen aliorum, *Theophraſtus Paracelſus, Crollius*, & alii. Neque enim vel vires adauget hyoſcyamus, quas intendimus, intendimus verò blandas naturæ, non inimicas, quibus opium jam per ſe maximè pollet & inſtructum eſt; neque id ipſum corrigit, ſed potius non dicam deleteriam vim, ſed dementationem, quam corrigere animus eſt, ipſi imprimit. Novimus doctiſſimum medicum, qui eſſentia hyoſcyami probè correcta & deſpumata feliciter utitur, ſed cui bono huc illam trahimus, & multiplicamus entia præter ne-

ceſſi-

ceſſitatem? *Deinde* cum divina hæc ἰάματα, quò ſimpliciora, eò perfectiora facilius finem ſuum adſequantur, ſi naturam, quæ ſimplicibus contenta eſt, multùm verò compoſitis non rarò gravatur, æmulantur, & compendioſiori commeatu vires ſuas exſerunt, quid attinet tot magiſteriis pretioſis, tot pulveribus cordialibus, tot oleis calidioribus aliiſque vel obtundere medicamenti vim, vel pretium & doſin augere?

Quæ junguntur opio pro laudani confectione, diverſis de cauſis junguntur, 1. ut vim narcoticam adaugeant, ut ſuccus hyoſcyami, eſſentia vel extractum croci, (quod alii loco corrigentis, & odoris gravitatem ac pravitatem obtundentis, addunt) &c. *Jac. Zvvinger. exam. princip. chim. c. 11. p. 174.* in conſortium opii admiſſos flores 🜍is præclarum, *ſcribit*, condere miræ virtutis remedium, τὸ νηπενθές, quovis Homerico præſtantius. 2. ut corrigant & remorentur vim narcoticam, ut caſtorium, camphora. 3. ut conſiſtentiam legitimam concilient, & ſimul confortent, ut perlæ, corallia, eorumque magiſteria, ambra moſchus &c. quæ juxta nonnullos 4. & grati odoris conciliandi gratia addi ſcribuntur.

Horum *primo* jam repoſuimus, non indigere opium juvante, ſed ipſummet omnibus indicationibus, quibus debetur, ſufficere. Ad *alterum* dicimus, ſi ſtrictè velimus loqui, &, ut in rei veritate ſe habet, opium conſiderare, correctione nulla indiget, niſi depuratione; qua ipſa ſola etiam ingratior odor infringitur. *Tertium* finem, ſeu conſiſtentiam pro maſſa pilularum, ſeu laudani ex ſolo obtinere poſſumus opio. Neque *odoris gratiam* tantum venerantur ægri, quàm auxilii promptitudinem. Laudanum noſtrum ſimpliciſſimum ita comparatum eſt, ut exemplo & in pulverem redigi, & in pilulas formari, &, ſi id quoque expetatur, facilè in liquorem ſolvi poſſit.

Non deficit hoc in neceſſario auxilio, neque excedit ulla violentia, neque aliorum luxuriat acceſſione. Si morbus vel ſymptoma indicet adjuvans vel dirigens, promptiſſimè & ſtatim miſceri quævis poſſunt. Sic pro electuario miſceri poteſt, ſi placeat, *confectio alkermes*, vel alia, *extractum croci* & alia.

℞. *confect. alk. incomplet.* ℥j. *extr. croc.* ℈ß. *laudan. opiat. liquor.* g. v j. cum *ſir. pap. rhœad* M. F. l. a. elect.

Doſis magnit. nucis avellanæ minoris. Sic ſi ad caput roborandum velimus præſcribere opium:

℞ *Mpil. de ladano* ℈j *extr. croc.* g. v. *laud. n. op.* g. iij. *pulv. cephal* ℈ß. vel plus, M. F. l. a. pilulæ. S. *Starckende Hauptpillen.* Et ſic in reliquis.

Dignum memoratu eſt hoc loco, quod inſtar omnium poteſt eſſe, SPECIFICUM ANODYNUM *Paracelſi ex l. 7. archidox. p. 815.* quod ſomnum non tam homini, quàm morbo conciliat, ſæpe, ait *Hermes hic*, in morbis nonnullis ſe deſertum fuiſſe ab omnibus arcanis, ſolum ſpecificum hoc anodynum miracula præſtitiſſe, extinguens morbos, ſicut ignem aqua.

℞. *Opii Thebaici* ℥j *ſucci arantiorum, cydoniorum* a. ℥vj. *cinamom caryophyll.* a. ʒß. M. Contuſa, indita vitro, appoſito coopertorio cœco, digerantur in ſole, vel furno per menſem. Poſt ℞ *digeſtum*, exprime, iterum impone, & digere cum ſequentibus.

℞. *moſch* ℈ß. *ambræ* ℈iv. *croci* ℥ß. *ſucci corall. magiſt. perlar.* a. ℈ß.

M. Digeſtione per menſem denuò facta adde *quint. eſſent.* ☉*l.* ℈ß. M. Tollit omnes dolores internè & externè.

Tueri hoc optimo jure poteſt nomen laudani opiati ☉ris, quod aliàs admixto bezoardico vel magiſterio ☉ri, obtinetur.

Ad mentem nonnullorum, ſc. *Galeni*, *Abuali*, *Guaineri* aliorumque ſequenti modo concinnari poteſt laudanum:

℞. 🜅 *ſimpl. rectificatiſſ.* vel ∽ *ſambuci*, *citri*, *croci &c.* q. ſ. parteni ſextuplam v. g. vel octuplam, *opii Thebaici* ℥j. *caſtorei* ʒ. vel ʒij. Extrahatur l. a. decantetur, inſpiſſetur, & ad uſum ſervetur. Si magis corrigere mens ſit, *camphoræ* parum in prædicto ſpirituoſo menſtruo diſſolvi poteſt, quod dehinc unà cum ∽ tu iterum avolat omne.

Notabile eſt, ſi Tinctura opii ſeu eſſentia liquida cum 🜅 facta ad medium circiter evaporetur, & dehinc reponatur, ut frigeſcat, conſurgere in vitri parietibus cryſtallulos, oblongos, elegantes, quos aliquoties obſervavimus, manifeſtiſſimo indicio, ⊖lis volatilis. Similes cum *D. D. Hagendorn.* collega honoratiſſimo obſervavimus in benzoe ante aliquot annos, vid. *Ephem. German. ann. II. obſ. 240. p. 342.* ubi ſenſim exſpirante hujus eſſentia elegantiſſima cryſtallorum ſpicula ſe nobis obtulerunt, quos unà viderunt mecum tunc D. D. *Keſnerus* & *D. D. Witte.* Vidimus idem ex cydoniis; quando enim paratur 🜄 cinnamomi cydoniata cum ſ. q. ſucci cydoniorum, in fundo cucurbitæ, ſi rite operatus fueris, neque ad empyreuma omne humidum evoces, remanet extractum cydoniatum cinnamomiſatum longè elegantiſſimum, in quo ſenſim & ſenſim concreſcunt cryſtalluli pulcherrimi.

Fit hoc quandoque in aliis quoque extractis, v. g. chelidonii majoris, plantaginis, & aliorum.

Egregii & multi uſus ſunt TROCHISCI vel TABULÆ NARCOTICÆ *Felicis Plateri tract. 2. prax. cap. 13. p. 549.* deſcriptæ, ubi & pilulari & electuarii forma plura habentur ex opio medicamenta.

℞. *Opii* ℥j. infund. in *vino malvat.* vel 🜅 ℥iij. & poſtquam diſſolutum ſæpeque agitatum fuerit, rurſuſque ſubſiderit, liquor clarus à fecibus effundatur & filtretur adde

ſacchar ℥ij. *cinam.* ʒij. *moſchi* ℈ß.

infuſ. gummi tragacanthæ in 🜄 *roſar.* fact. q. ſ.

M. inſtar paſtæ, ſiccetur que eò uſque, donec in tabulas formari queat.

Poteſt omitti moſchus, quod etiam de aliis compoſitionibus intellectum volumus. Dantur enim ſæpe caſus, ubi moſchata & odorifera ejuſmodi alia vel non æquè conveniunt, vel planè nocent, etiam in maribus ipſis, præſertim autem in fœminis hyſtericis, quæ vel maximè inde læduntur, à volatilitate eorundem agitatis levibus, vitioſis & excrementitiis humoribus. Hinc pro re natâ melius eſt admiſcere, quàm ſemel admixta promiſcuè propinare.

Locum habent trochiſci opiati ſeu narcotici, aſteriſco ſignati, tum in aliis affectibus, ubi opium adſumendum, tum maximè in hæmoptyſi, & catarrhorum acrium, & ſalſorum tenuium ad pulmones defluxu. Hos perpetuò ſecum geſtabat *B. Dn. D. Schenkius*, multis annis effectum eorum ſalutarem in proprio corpore expertus.

In forma pulveris opiata conficiunt nobiliſſima. Ita MAGISTERIUM ANODYNUM *Rolfincianum* ſplendore ſuperbit ſuo, deſcriptum *chim. in A. F. R. l. 5. ſ. 2. cap. 4. p 321.*

℞. *laudani opiati de tribus* q. v.

ſacchari canthii vel *ſolius*, vel *cum magiſterio matris*

perlarum miſti, vel etiam *ſolius magiſterii* q. ſ.

In mortario æneo terantur, miſceantur piſtillo diligenter & in vitro mundo ad uſum ſerventur. Doſis gr. v. vj.

Germinus huic eſt PULVIS ANODYNUS *confortativus B. Dn. D. Michaelis.*

℞. *magiſt.*

℞. *magiſt. cordial.* ℥vj.
laudan. op. ſicc. ʒj. M. F. pulvis, cavendo, ne laudanum aduratur. Doſis adulto ℈ß ℈j.

Magiſterium hoc anodynum,(ſeu pulvis anodynus, fieri etiam cum aliis accommodè poteſt. Omnibus enim pulveribus miſceri poteſt laudanum opiatum. Ita *noſtrum* confit ex *laudani opiat.* part. j. *pulveris febrilis ex conchis* part. x. ita ut v.g. ad ℈ß pulveris ſumatur g.j. vel g. ß. opii, ut hoc modo gr. j. ejuſdem in 10. vel 20. partes dividi poſſit, ipſis tenellis infantibus ſine omni periculo vel metu exhibendum.

Ita quidam miſcent cum C. C. philoſ. ppto. Cum cinnabari nativa mixtum laudatiſſimum fit medicamentum in arthritide vaga ſcorbutica, aliiſque gravibus affectibus, à ſero acri acidoque dependentibus Medicus quidam celeberrimus miſcuit quoque cum ⊕ ſuccini, poſt ℞tionem perfectam olei reſiduo. Toto die id miſcemus pro occaſione morbi & indicationum, cum pulvere cephalico, cum bezoardicis, cum adſtringentibus, v. g. coralliis, hæmatite &c. adeoque cum omnibus pulveribus miſceri aptum natum eſt, ubi id intentio vel primaria vel ſecundaria requirit.

Notandum verò eſt in præparatione, ut extractum opii vel adhuc paulò liquidius ſit, vel ſiccius, ut teri poſſit. Medio enim modo in mixtione conglobatur, & jungi renuit.

Concinnè datur, tum per ſe in forma ſc. pulveris, tum cum emulſionibus factis ex ſem. papav. alb. 4. frigid. major. &c. cum aq. endiv. lactuc. hypnor. Dorncrell. addito pulvere hoc anodyno, & ſaccharo perlato, vel ſir. pap. ſimpl. q. ſ. ad grat. Conſurgit inde medicamentum ſuaviſſimum & nectar anodynum, quod in melancholicis, maniacis, febribus quandoque ardentibus, ubi aquæ bezoardicæ temperatæ miſceri queunt, ut ſcorzoner. cordial. Herc. Saxon. frigida &c. præſentaneum edit effectum.

Sumitur hoc loco vox magiſterii latiùs, ſicut & quandoque pro ipſo laudano opiato ſcripta legitur. Sin *MAGISTERIUM OPII* ſtrictè, ſic dictum quis expetat, fit illud per præcipitationem tincturæ opiatæ menſtruo *acide*, ſi fuerit cum aqueo vel ſpirituoſo extracta; vel *ſalino* ſi cum acido parata ſit. Præſtat tamen ipſe pulvis, vel Tinctura per ſe data.

Mentionem jam ſuprà fecimus ℞tionis opii, unde conſurgit *SPIRITUS* & *OLEUM*.

Spiritus opii eſt volatilis, ſudorificus, qui admixtis acidis effervescit, ob ⊖ volatile, quo copioſè pollet & cum quo maritatus eſt. Si rectificetur, longè eminentior conſurgit, ſicut etiam ipſum *oleum* rectificatum ſplendidum eſt.

Præprimis memoranda venit *ESSENTIA*, ſeu *TINCTURA OPII*, quæ ſub *TRÆ ANODYNÆ* titulo nobis venire ſolet, vel eo nomine magni æſtimanda, quòd hoc pacto ſingulæ doſes in plures dividi guttulas, guttulæque doſibus menſurari poſſint. Imò cum aliis hoc modo liquidis commodè libita quantitate additur & miſcetur, pro varia medici intentione.

Fieri poteſt ea vel conjunctim, in præparatione laudani opiati, ut pars evaporetur, ad extracti conſiſtentiam, pars liquida adſervetur forma, idque cum variis jam delibatis menſtruis. Quæ enim apta ſunt ſolvere opium pro extracto, eadem quoque in liquido poſſe idem exhibere, in confeſſo eſt.

Ita v. g. cum eodem *phlegmate* ✳i extrahitur Ra. ℞. *opii Thebaici* ℥j. vel ij. pulveriſetur groſſo modo, infunde ∇*æ ab arc.* ♀ *reſid. mediæ, aquoſæ*, p. vj. vel viij. Digere in arena calida, agitando cum ſpatula, donec ſolvantur omnia. Solutum coletur per linteum, & evaporetur ad mellaginem, affunde ℣, plus minus, prout ſaturatior vel dilutior expetitur TRa, & in momento acquiritur eſſentia anodyna longè pulcherrima.

Eadem etiam conficitur commodè cum ▽ *temperata*; vel ℞. *opii electi* q. v. v. g. ℥j. extrahatur cum ℣ ℥vj. addendo ∽-⊕-l. ʒß l. ʒvj. item in leni calore ad ſufficientem extractionem. Elegans tale laudanum liquidum deſcribitur à *Schrodero l. 4. pharmacop. el. 2. c. 3. 14. p. 207.* licet ipſe optimè judicet *ibidem*, eſſentiam aliorum, & cariora omnia, quæ vulgariter laudanis adduntur, pretium potius, quàm virtutes augere.

Eſſentiam opii cum *ſucco citri* extractam commendat *Angelus Sala*, illamque antidoto peſtilentiali ſpecificæ jungit, deſcriptione ibidem quoque poſita, *tr. de peſte.*

Doſis harum Rarum vel eſſentiarum ſunt gtt. x. xii. xv. xx. Nos feliciſſimè utimur iiſdem in defluxionibus catarrhalibus, in tuſſi, raucedine, &c. præter alios uſus in variis affectibus infrà nominandis.

Nonnulli præ concentratiori præbio diffuſius amant, adeoque extractam eſſentiam cum lixivioſis præcipitant, v. g. cum ⊖le ♀ri, qualis eſt *ESSENTIA OPII LIQUIDA ANODYNA Zvvelfferi, Pharmacop. Reg. claſſe 7. p. m. 563. edit Batav.* quæ ad ʒj. ij. vel iij. in vehiculo convenienti exhibetur.

Alii cum ⊖ artemiſiæ, abſinthii, aliiſque eandem ▽rationem præſtare fatigunt.

Nos ſimpliciorem amamus viam; ſi enim hanc rectè calcemus, varia exinde pro lubitu & diffuſiori doſi poſſunt fieri compoſita.

DOSIS opii eſt vel *ORDINARIA*, vel *EXTRAORDINARIA*.

ORDINARIA opiatorum doſis eſt triplex; *infima, media* & *ſumma*, quæ pro præparandi opium modo admodum variant. Doſis enim opii conſideranda eſt duplici modo, vel ut *mixtum* eſt cum aliis, ſeu compoſitum, ut laudanum opiatum horum vel illorum autorum; vel ut *ſimplex* eſt extractum.

Si enim ſolum ſibi relinquatur, nec admiſceantur multa extracta cordialia, corrigentia, confortantia, utique minori præbio venit adſumendum. Hinc v. g. in adultis infima doſis ordinariè eſt pars quarta vel dimidia grani, vel gr. j. media gr. ij. vel iij. ſumma gr. iv. vel v. Sin, uti communiter fieri adſolet, illa opio abundè maritata fuerint, doſin excreſcere & aſcendere utique oportet,

Sæpe enim in ℈ß. vel gr. v. admixtionem ſeu totius compoſiti vix granum opii, plus, minus, in aliis combinatum eſt. Hoc modo *Horſtius* laudanum ſuum opiatum cum magiſteriis ſæpius ad viij. vel x. grana cum felici ſucceſſu propinavit. *vid. l 8. obſ. 16. p. 417.*

Exhibetur opium ad gr. ij. vel iij. Quatuor vel quinque non facilè exhibemus, niſi præcedentes doſes abſque effectu jam ſint exhibitæ. Correctum verò eſſe debet, utpote eſt laudanum opiatum, ait *Walæus m. m. p. 67.* Eſt enim minimo pondere narcoticum.

Avicenna doſin ejus dicit non extendi ſupra duos danich id eſt, ℈j. *l. & tr. 2. c. 526.* item potionem ipſius eſſe jubet quantitatem lenticulæ magnæ. Idem tradit *Serapio cap. de papav.*, Doſis ejus eſt, *inquiens*, ab uno danich ad duos, & quantitas occidens ex opio eſt ʒij.

Notandum verò eſt ex praxi medica, opium præſcribi vel *INTENTIONE PRIMARIA*, prout vel dolorem, vel vigilias, vel excreta, aliaque ſymptomata urgentia attendit medicus; vel *SECUNDARIA*; quando ob alium finem, v. g. roborandi tonum partium, ſanguinem nimis fluxilem concentrandi &c. aliis aperientibus, cephalicis, hyſtericis, aliiſque medicamentis ſpecificis, ipſiſque adeò purgantibus, additur, ut & quando prædicta ſymptomata, quibus primariò debetur, quaſi per ἀνάγκην, ob vires debiles, affectus ipſius qualitatem, aliaque circumſtantias tollere eſt animus.

Pr&

Primo modo in majori doſi ad gr. j. ij. iij. & ultra præſcribitur, in liquida, ſolida vel media forma. Poſteriori ita illud moderari fas eſt, ut pro doſi una quarta, tertia vel dimidia pars grani adſumenda veniat, præprimis, cum frequentior ipſorum indicatur uſus. Hoc modo recentiores ſæpius opiata in formulas ejuſmodi recipiunt, exemplo celeberrimi *D. D. Sylvii*, cujus in praxi talia exempla ubivis occurrunt, & eadem medendi ratione nos feliciter in praxi hactenus tota die utimur.

Ut purgantia ipſa ſæpe aliis medicamentis adduntur in ſolito minori quantitate, non ut purgent, ſed ut aliorum medicamentorum virtus intendatur, ut tum ad aperiendum, tum ad ſudorem aut urinam movendam fiant efficaciora, quo de vide locum longè elegantiſſimum apud *Proſp. Martianum comm. in l. 2. de morb. ſ. 2. verſ.* 214. *p.* 176. Ita qui opiata cum aliis, pro re nata, artificiosè miſcere noverit, næ ille feliciter rem ſuam geret. Talia exempla hinc inde præſertim in ſequentibus videre licet.

EXTRA ORDINEM doſis ſæpe extenditur, tum propter conſuetudinem, tum ob morbi urgentiam, tum denique ob temperamentorum diverſitatem.

Turcas, Perſas, alioſque orientalis plagæ incolas ad ℨß. & ℨj. aſſumere opium, notius eſt, quàm ut teſtibus egeat, quam doſin tamen non facilè tranſcendere eoſdem, ſcribit *Bellon l.* 3. *obſ. c.* 15. vulgatiſſimum nempe eſſe apud Mauritanos, Africanos, & Aſiaticos opii uſum, autor eſt *Chriſtoph à Coſta libr. arom. p. m.* 236. & ejus uſui ita adſuetos, ut etiam abſtinere eo nequeant ſine manifeſto vitæ diſcrimine, & graviſſimis ſymptomatibus, *Garc. ab Horto l.* 1. *hiſt. arom. c.* 4. Idem de Ægyptiis teſtatur *Proſper. Alpinus, l.* 4. *de med. Ægypt. c.* 1. & 2.

Apud Europæos non quidem niſi pro medicamento in uſu eſt, & in minori, ut diximus, doſi; unde ſi paulò liberalius ſumatur, damna manifeſta inde conſurgunt. Ita 22. grana in febri tertianâ nostrâ ad dolorem capitis & vigilias præſcripta in pilulis, eaque pro lubitu ſumenda brevi devorata, brevi morti ægrum dediſſe, annotat *Wepferus Tr. de apopl. p.* 256.

Medicaſter parochus ſæpe in doloribus capitis & dentium propinavit opium ultra ℈j. ignaris plebeiis, ſed cum detrimento maximo illud expertus pellio, qui eccentricitatem rationis inde paſſus ad amentiam fuit perductus, apud *Neſter. conſil. antidyſent. c.* 11. *p.* 249.

Attamen non rarò legitur ſine incommodo propinata & largior ſolito doſis. Ita *Zacutus Luſitanus l.* 1. *M. P. H. obſerv.* 45. *p.* 103. dedit incorrectum opium ad gr. xij. in vehementi dolore circa umbilicum, item *Dioſcorides*, unde nonnulli crudum imbecillioris operationis eſſe, quàm præparatum, volunt.

Dn. Charas in hiſtor. nat. ingredient. theriac. ſemetipſum aſſerit vel ſex ſumpſiſſe opii grana, neque tamen majorem inde ſomni vim ſenſiſſe, quàm conſueviſſet; Imò tantum abeſſe docet, ut inde debilitatus fuerit, ut potius mirum in modum ſe corroboratum ſenſerit. Addit inſuper, ſe noviſſe delicatioris etiam naturæ hominem, qui vel triginta ſex, id eſt ℨß. gr. vj. de eo ſumpſerit, nihil tamen inde mali ipſi accidiſſe, ſed ægrotum contrà adhibito illo medicamento tam benè ſe habuiſſe, ut in una ſeptimana eandem ſumere doſin bis vel ter continuaverit.

D. D. Welſchius, P. P. Lipſienſis celeberrimus, retulit *D. D. Geygero* noſtro, quòd ante paucos annos noverit ægrotum, ſummis doloribus in articulis è lue Gallica laborantem, cui Noribergæ præſcriptæ fuêre pilulæ ex mero laudano opiato, quibus uſus incipiendo à gr. v. uſque ad ℨß. cum euphoria, licet palliativa, dolores enim redierunt, & quod mirum, non rarò una die duabus vicibus iis fuit uſus & quidem in tanta doſi.

Teſtantur autores, quoſdam cotidiè ſupra ℥x. comediſſe opium, & doctiſſimè nihilominus de rebus omnibus diſputaſſe. Tantum poteſt conſuetudo.

Ab Rondeletio accepit *Hollerius*, militem in ſummo æſtu opii ℥ß. ſine noxa devoraſſe, *de morb. intern. p.* 54. vid. & *Mœb. Fundam. med. Phyſiol. p.* 160. & inprimis *Ephemer. Collegii noſtri Ann. II. obſ. n.* 9. *p.* 127. ſeqq. ubi *B. Dn. D. Sachſius*, collega etiam poſt fata honoratiſſimus, elegantiſſimè in rationem inquirit, cur apud Orientales largiori ſumatur doſi, quibus id ſolùm addimus, quod cùm orientales populi reſpectu ſeptentrionalium ſint bilioſiores, hi verò illorum intuitu ſeroſiores, ſulphur opii apud illos non tam benè reſolvitur, quàm apud hoſce, id quod ex ſuprà dictis elici pluribus poteſt.

Quis ergò noſtrum auderet eo aſcendere, quo orientales populi? Mirum eſt, quod refert *Monconnys Itiner. Angl. Tom. II. p.* 61. Legatum Galliæ Regis ad Angliæ Regem, cùm ægrotaret, ut dormire poſſet, *integras opii uncias* aſſumere opus habuiſſe.

Cum verò proportio debeat fieri inter agens & patiens, nec in indicationibus contrarium ſolùm, ſed & gradus attendi mereantur, hinc ſi adſit urgens indicatio, nec doſis minor juvet, aſcendi poteſt ad ℈ß. Memorandum hoc loco eſt, quod *B. D. D. Joh. Theodorus Schenckius*, præceptor & promotor noſter, ſæpius pro cathedra nobis retulit, ſe ſanctè teſtari & religiosè, quod ipſe ſæpius ad ℈j. aſſumpſerit opiatum laudanum ad inhibendum ſanguinis motum, (laborabat autem hæmoptyſi, & defluxionibus aliis acribus frequentius) ſine ullo notabili mentis ſtupore. Idem nos adhibuimus ſæpius in diarrhœis contumacioribus, dyſenteriis & urgentiſſimo dolore, aliiſque caſibus ad ℈ß. Si enim doſis minor non ferat levamen, repetita licet, quid obſtat, quò minus, urgentibus morbi ſtimulis, aſcendi ulteriùs poſſit? omnia tamen fieri debent μετ᾽ ἀσφαλείας, & prodigos nos eo caſu non eſſe oportet, ſufficit, eſſe liberales.

Apio eſt opus, veterum erat parœmia, quoties morbum capitalem innuebant, & vitæ periculum imminere. Nos rectius id de opio affirmamus. *OPIO EST OPUS* in quamplurimis morbis & ſymptomatibus.

Generalem opiatorum uſum declarat *Galenus l.* 12. *meth. med. c.* 8. Ait enim illa eſſe, χρήσιμα, 1. ὡς αἰσθήσεως ναρκωτικὰ, *utilia, ut ſenſui ſtuporem inducentia.* 2. ὡς συνίσαντα καὶ παχύνοντα τὴν τῶν ὑγρῶν λεπτότητα, *ut humorum tenuitatem cogentia & INGRASSANTIA.* 3. τὴν θερμότητα ἐμψύχοντα *Calorem REFRIGERANTIA.* De ultimo uſu non recepto jam ſuprà egimus. Narcotica vis eminet in doloribus & vigiliis corrigendis. Motus humorum inhibitio locum habet tum aliàs, tum potiſſimum in excretorum vitiis. Ut peramica naturæ eſt craſſioribus humoribus & ſpiritibus coagulatis diſſolutio: Sic non minus grata eſt diſſolutis reſolutiſve coagulatio.

Pro dolore tria medicamentorum genera proponit *Galenus l.* 1. *de ſimpl. med. facult. c.* 19. aliiſque locis. Primi ordinis communiter audiunt *paregorica*, qualia ſunt blandè calorem nativum demulcentia, emollientia, digerentia, & roborantia; ſecundi *anodyna*, *Scaligeri* judicio languida ac laxa voce, *exerc.* 348. Tertium *narcotica* conſtituunt, prout ſc. vel *cauſam*, vel *dolorem* ipſum, vel *partem* dolentem reſpicimus.

Inter propriè talia *SISTENTIA DOLORUM* primas tenet *OPIUM*, quod facultatem habet diſtrahendi & ſtupefaciendi, intuitu triſtis ſenſationis quoad perceptionem.

Locum

Locum potiſſimum invenit, cum citrà materiæ affluxum dolor partem occupat, vel ubi ſævitia ſua medicum, licet invitum, & aliis indicationibus ſatisfacturum, ad ſe trahit.

Delenit & ſopit dolores opium 1. *ſomnum procurando*. Hic domitor malorum, requies animæ, omniumque dolorum mirum ſopimentum. Hinc dolor inprimis urget, illiuſque faces magis accenduntur, quando ægri dormire nequeunt. Hujus blandâ effumatione demulcetur cerebrum, ut clamoſi dolores conquieſcant, quæ verba ſunt *Swalbii querel. ventric. p.* 251.

2. *ſpiritus figendo & demulcendo.* Si quæ pars dolet, ſanguis & ſpiritus impetuosè adfluunt, partem diſtendunt, diſtendendo continuum ſolvunt, ſicque dolorem majorem reddunt, quod *Helmontius* eleganter exemplo ſpinæ digito infixæ explicat, ubi Archæus ſtatim advocat in ſubſidium copias: opium verò materiam dolorificam ſeparat, ſpiritus obtundit, condenſat, coagulat, unde effrenis motus inhibetur.

3. *humorum ichorumque acrimoniam temperando*, quorum impetum retardat, mordacitatem contemperat, feritatem mitigat, eoſdemque quaſi concentrat, ἀταξίαν prohibet & ad ſtatum naturalem reducit, hinc ſenſum triſtem in his illiſve partibus inde exortum obtundit, & moleſtias tum contracturas & vellicationes, & fibrarum inæquales mordicationes, tentioneſque, tùm alia principalia vitia ſedat. Hoc *Helmontius* conſueta loquendi formula vocat Archæum furentem compeſcere, unde novo vigore armata natura fortiùs contra hoſtem inſurgit, eumque feliciter depellit & ſubigit.

A dolore ſæpe virtus adeò debilitatur, ut ſæpe hinc vitæ periculum ægroto immineat. Nihil tam contra naturam eſt, dictante *Tullio*, quàm dolor.

In centro detinet cauſam morbificam opium. Dolorum lethæam infert oblivionem, φάρμακα πρὸς πάντας ὀδύνας meritò dictum.

Ubi--*dolentem nec Phrygius lapis,*
nec purpurarum ſidere clarior
delenit uſus, nec Falerna
vitis, Achemeniumque coſtum;
Opiata exprompta ſuccurrunt opera.
Ridet vitalis perfuſa papavere virtus.

Nec mirum eſt, ſubjugari ab opio dolore, ὑγιάζονται αἱ ὀδύναι τοῖσιν ὑπεναντίοισιν, *ſanantur dolores contrariis, Hippocr. l. de loc. in hom. c.* 51. *p.* 394. Cum ergò dolores ab opio ſiſti ſit vel ipſis ſenſibus & experientia notiſſimum, contrarium id eſſe dolori, facilè licet concludere. Eſt verò eidem contrarium opium, cum & ſulphure abundet, & ⊖le volatili non careat. Quæ enim 🜍e pollent, dolores lenire deprehenduntur; ſic pyrethrum, lignum ſanctum, buxi, caryophylli & horum olea, in dolore dentium, optimè ſe gerunt. Sic dolores Gallici decocto lignorum quieſcunt; ſic oleum caryophyllorum in cardialgia eſt nobiliſſimum, ut alia plura, circa linimenta, unguenta &c. huc non trahamus. Ut acida corrigunt & obtundunt narcotica, ita narcotica & anodyna, acido & acri ſunt contraria, illudque temperant.

Quæ ⊖le volatili pollent, dolores itidem leniunt, quod vel ſolo exemplo ſpirituum volatilium, cornu cervi, ✳ci, lumbricorum, formicarum & plantarum patet. Vidimus à ſpiritu lumbricorum urinoſo volatili ſæpe in momento dolores arthritidis vagæ conticuiſſe, ubi alia prius debito modo ſecundum veram medendi methodum fuêre applicata.

Hinc igitur ipſe hic
ſæpe tulit laſſis ſuccus amarus opem,
congregat ſpiritus & in morbos quoſvis naturam armat.

Audiunt hoc nomine quibuſdam malè opiata, quòd torporem potius & hebetudinem ſenſibus inducant, quò minus illi ſentire poſſint, quàm quòd dolorem leniant, vid. *V. Trincavella l.* 12. *de rat. curand. affect. partic. c.* 4. *p.* 459. & *l.* 9. *c.* 7. *p.* 315. hinc illam rationem ad veram & propriam curationem non pertinere, quia non dolorem, non cauſam doloris, non læſionem tollunt; ſed ſenſum, ne læſio percipiatur, auferunt, unde non utendum ſit hac curandi ratione, niſi maxima cogamur neceſſitate, neque ſperemus alia via priùs ſedari poſſe dolores, quàm vires concidant. Modum hunc curandi membra relinquere plurimum labefactata, quantum ferè ad omnes operationes attinet.

Sed ut obiter hiſce reſpondeamus, reliqua in caput *de invectivis* differentes, proſcribenda eſt hypotheſis illa, qua aſſertum per aliquot ſecula fuit, opium eſſe narcoticum eo ſenſu, ut partibus externè applicatum illas quaſi indolentes reddat quatenus calorem nativum reprimat, extimamque corporis veſtem attonitam & imperceptibilem efficiat, non ſecus ac frigida actu talia torporem & ſtuporem ejuſmodi conciliant. Et hæc quidem de uſu externo, ad dolores. Internè verò cauſis dolorificis reſiſtere opium, per antecedentia jam aſſerta negari nequit.

Occurrit verò hoc ſæpius in praxi, ut urgentibus doloribus, (quod inprimis in dyſentericis arthriticiſque vel centies obſervavi) datum opium afferat dolorum lenimen, & ſeceſſuum levamen, ſed quando jam quaſi evanida redditur & definit medicamenti operatio, denuò deſæviant ſingula, quia quamdiu particulæ ejuſdem roſcidæ balſamicæ, 🜍eæ, temperant acres, ſalinas, acidas, vel lixivioſas humorum, hinc præpollentibus rurſum hiſce & ſui juris factis fieri aliter vix poteſt, quin denuò occipiant novas creare moleſtias, donec denuò tum his, tum aliis obtuſæ, abſorptæ, inverſæ genium ſuum mutent.

Alter generalis opii uſus conſiſtit in *VIGILIARUM* delenitione.

Sunt quoque quæ faciunt altos medicamina ſomnos,
victaque lethæa lumina nocte premant.

Cum exceſſus immoderatus omnium actionum animalium urget: cum hæ diutius, ac par eſt, exercentur, vel invito ægro, indicatio adeſt, ſomnum provocandi. Hoc apprimè expedit opium.

Quando vel vigiliæ ſuperfluæ dolorem excitant, nimis exſiccando: vel dolor vehemens vigilias parit, ſenſum triſtem efficiendo, una fidelia & dolorem & vigilias aufert opium, ut uno ablato cedat & alterum.

Vigiliæ immoderatæ vires corporis labefactant, ac perdunt, cruditates pariunt, cerebri & ſenſuum functiones debilitant, naturales autem imbecilles reddunt, univerſum denique corpus reſolvunt & ſiccant. Vid. *Fuchſ. inſtit. med. d. l.* 2. *ſect.* 4. *c.* 7. Ita celebrantur tricennales Mæcenatis vigiliæ, & *Livius* teſtatur, Hannibalem, itemque Philippum perpetuis vigiliis μονοφθαλμοὺς & coclites, ut *Plinius* loquitur, redditos fuiſſe. Quin & immoderatæ vigiliæ, ex ſiccitate inprimis provenientes deſipientiam vel convulſionem lethalem minantur 7. *aphor.* 18. Teſtatur enim experientia, ſæpiſſimè inde deliria concitari. Prohibet hæc omnia opium.

Non ceſſandum ergò in curatione, ubi urgent vigiliæ, ne ceu ex equo Trojano varia exſurgant ſymptomata.

Probè verò hîc obſervandum, quando & quibus in vigiliis opiata conveniant, deinde & aliæ circumſtantiæ benè ſunt attendendæ. Sæpe enim tantum abeſt, ut opium moveat ſomnum, ut potius ſumpto eo,

ægri minus ſolito dormiant, neque verò idcirco opium deſinit eſſe ſomniferum.

Tria requiruntur, ut quis placido ſomno obdormiat, 1. cerebrum temperatum, 2. vapores benigni, & 3. animus quietus, vid. *Heurn. comm. in l. 2. aph. 1. p. 29. & l. de morb. cap. c. 16. p. 132.*

Horum alterutrum ſi peccet, inprimis, ſi v. g. cerebrum ſit vel ob ætatem ſenilem, vel aliis de cauſis ſiccius, & animus curis plurimis & profundis cogitationibus diſtrahatur, accedente ob ſtomachum debiliorem, aliaque vitia vaporum & *ἀναθυμιάσεων* defectu, opium licet detur, tamen ex ſententia ſomnus non ſuccedit.

Ita quoſdam novit *D. Willis* ſcorbutica labe tactos, qui licet dolorum aut ſpaſmorum immunes fuerint, etiam animis aff. ctu quovis immodico liberi, per plures tamen ſeptimanas dies & noctes prorſus vigiles duxerunt, ac ſæpe opiatis, licet validioribus adſumptis, ne tantillum ſomni capeſſere potuerunt, *de ſcorbut. c. 5. p. 270.*

Ut tria ſunt purgationis requiſita. 1. diſpoſitio humorum. 2. diſpoſitio viarum. 3. facultas expultrix, hactenus uſitatè ita dicta, ſeu natura, unde ſi purgantia ad votum non operentur, ſemper impedimentum in hiſce tribus quærendum eſt: ita & ſuo modo ſe res habet in opiatis. Hinc & corrigere, quæ ſe offerunt vitia, debet medicus, & ægrum hortari, ut ſi ſomnum videre velit, ne ipſe ſibi vigilias, curis, mœrore, aliiſque animi affectibus procuret, & promoveat, adeoque obicem medicamenti ponat activitati.

Locum verò hic habent omnia ſuperius recenſita opiata, quæ recenſere & repetere ſuperſedemus.

In vigiliis ſenum miſcuimus ſæpe ⌒⊖li volatilem cum tinctura anodyna, feliciſſimo cum ſucceſſu. Vir cachecticus, aſthmaticus, cum aliquot noctes inſomnes moleſtiſſimè duxiſſet, ab eodem medicamento ſuaviſſimam ſentiebat quietem.

℞. ⌒⊖*l. volat. Parac* ʒj. *tinctura anod.* ℈ß. vel ℈j. Doſ. gtt. xx. xxv. xxx.

Memoranda hoc loco etiam eſt opii agendi varietas, interdum eum dolorem magis ſedat, quàm ſomnum facit, ut exemplo ceu ad imperium quoddam & monſtrato Gorgonis capite conquieſcant dolores, tormina, cruciatuſque, ut adeò non ſomno ſolo interprete illorum oblivio capiat ægros, ſed & abſque eo, propria opii acrimoniam temperandi & ſpiritus demulcendi, ac humorum ſalinorum impetum coercendi, virtute; interdum unà cum dolore & quidem utplurimum vigilias aufert, & ſomno inducto triſti ſenſationi intentum animum abducit & ſibi reſtituit.

Somniferum ergò tàm in opio, quàm alibi poteſtas eſt, donumque creatoris ſpecificum, *Helmont. de lithiaſ.* §. 87. *p.* 63. & ad omnia longè efficaciſſimum, *Fernel. l. 6. c. 1. meth. medend. p.* 377. quod ſpiritibus quietem conciliat, ut miſſis exterioribus, circa quæ abſtracti per vigilias occupabantur, ſecum habitent, & toti incumbant in id, quod ad ſalutem œconomiæ propriæ pertinet, ſive in digerendo, excernendove, ſive aliis modis, quibus morbo obviam iri poteſt.

Quidam diſtinguunt inter *SOMNIFERA & SOPORIFERA*, quæ differant, ut ſomnus & ſopor, ſeu ut magis & minus. *Illa* ſunt refrigerantia leniter & humectantia, ut lactuca, nymphæa, emulſiones ex ſem. 4. frigidis major. papav, &c. externè oxyrrhodyna, & quæ his ſunt confinia: *hac* ſtupefacientia, ut opium, neque ante ad hæc veniendum jubent, in vigiliarum exceſſu, quàm illa non ſint ſatis, & res urgeat. vid. *Valleſ. l. 2. meth. medend, c.* 8. *pag.* 88.

Poteſt & cum illis dari opium, & per ſe, pro medici intentione & variatione circumſtantiarum.

Cedit opium intentione ſomnifica, interdum in abuſum, uti exempla proſtant, ſemine ſtrammonii, opio, aliiſque ſimilibus à furibus ſopitos hoſpites, ut prædæ ipſis loco inſervirent.

Captivus quidam ob enormia delicta medicus petiit per literas ab amico, ut butyrum ad ſe mitteret, dimidia parte opio medicatum, altera impermixtum; Illevit pani, & ipſe comedit ſincerum, reliquum largè pani illitum propinavit cuſtodibus, qui profundiſſimo ſomno ſopiti anſam dedere evadendi.

Tertius generalis opii uſus eſt in *SYMPTOMATIBUS EXCRETORUM.* Si ea, quæ retineri debebant, vel ſi contrà, non *ἀθρόως* ϗ *βιαίως ſubitò & confertim*, ratione magnitudinis, violentiæ, copiæ, temporis, excernenda, opium fermentum placabile inducit, verbis utimur *Helmontii*, ut ſola reſtauratione & alteritatis Archæi reſtitutione, morbus conculcetur. Hîc locum habet & illud *Helmontianum: Pro* remedio reſtaurativo Archæi non requiritur unciarum & drachmarum quantitas, ſed pauca grana h. l. opii illud exequi norunt.

Opium enim quamvis humorum acrimoniam corrigit, *Sylvius l. 1. prax. c. 20 p.* 285. quamvis eorundem efferveſcentiam coercet præ omnibus aliis, *ib. l. 1. c. 19. p.* 271. affluxum remoratur, eccentricitatem & *διάχυσιν diſgregationem* prohibet impetum coercet, volatilitatem & citatum gradum figit, verbo, ad naturalem ſtatum quàm optimè perducit, & ad ſanguinis laudabilis productionem & motu inprimis peccantis correctionem, legitimè uſurpatum valet. Elegans eſt ſententia *Martiani comm. de loc. in hom. pag.* 76. & fontibus genuinis Hippocraticis conveniens, opium diſgregationem humorum ſiſtere & prohibere. Cùm, *ait*, ad omnes deſtillationes concurrat humorum diſgregatio, ſeu hæc concurrat ſub ratione cauſæ externæ, ſeu internæ & proximioris, patet ratio, propter quam opium concoquere dicatur Dioſcoridi, & quare medicamenta ſtupefacientia appellata deſtillationes miraculo quodam ſiſtant, & ex toto interdum etiam curent; cùm enim per hæc humorum & ſpirituum motus ſiſtatur, non modò fluxiones compeſcunt, quæ in motu humorum conſiſtunt; ſed etiam prohibent diſgregationem, quæ eſt fluxionis cauſa. Hinc opium *τῶν νοσημάτων τὰς σφοδρότητας ἀμβλύνει*, *morborum vehementes impetus obtundit. Hippocr. l. de arte c.* 4. § 5.

Pertinent huc *omnes fluxiones* tum ſanguinis, in hæmorrhagiis, & ſeri, in defluxionibus catarrhalibus, aliiſque excretionibus, tùm excrementorum aliorum, vel ſponte ſua & à natura inſtitutorum, vel ab arte, de quibus paulò poſt plura.

Ad generalem opii uſum referri quoque poſſe videtur *VIS SUDORIFERA.*

Qua autem ratione opium ſudorem moveat, & ſummum ſudoriferum ſit, indagatione dignum. Quæ ſudorem movent, non habent vim incraſſandi. Contrarium adeſt in opio, ideoque videntur hæc ſecum pugnare. Opium *διαχώρησιν* humorum ſiſtit & impedit, quomodo ergò ſudorem ciet?

Cauſa eſt opii compoſitio. ⊖ ejus volatile, cum 🜂re intimè combinatum, primariò ſudores efficit, quod aliàs in ⌒u C.C. viperar. ⊖lis ✳ci videre eſt. Sulphur ejus reſolubile humores figit, quod tenuius ſupereſt, à ſale volatili propulſum per cutim expirat, ut etiam hac ratione fixationem humorum meditetur opium. Adde, quod natura refocillata, (confortativa enim ipſius naturæ eſt Laudani ſotirella) excretionem per ſudores molitur, & quod ſomnus ipſe omnes fluxiones ſiſtit, excepto ſudore. Neque tamen ſolus ſomnus ad productionem ſudoris ſufficit, cum & vigilantes ex opio ſudent, & in ſomno non

non ſemper fiat ſudor, niſi corporis repletione præſente, 4. *aph.*41.

Confirmat propulſionem à centro ad circumferentiam, quòd, obſervante *Zvvingero*, in pueris ab ejus exhibitione exſerat ſe efflorescentia faciei, ſeu, quòd facies rubore ſuffundatur, apud *Cratonem epiſt.* 251.*p.* 470. ubi & de vi ſudorifera ſtatuit per accidens ſudorem ſubſequi, congelatis ſpiritibus malignis, ſed roboratis nativis.

Quin ita *interdum* perſpirabile redditur corpus ab opio, ut ſudor inde prolectus nonnunquam odorem ejuſdem referat, quod teſtatur *Dioſcorides l. 6. c.* 17. ὀσμὴ inquiens, τοῦ φαρμάκου δι᾽ ὅλου τοῦ σώματος ἐκδίδοται, *odor opii toto corpore expanditur*, quod iiſdem verbis repetit *P. Ægineta l.*5.*cap.*43.

In opio teter & viroſus odor cum amaritudine & acrimonia purgatricis potentiæ ſignum exiſtunt, teſte *Eraſto Tr. de occult. pharmac. poteſt. p.*181.

Confirmat id *Quercetanus l.* 1. *de medicina priſcorum philoſophorum mut. cap. ult. p.*79 ex ⊖le opii, *ſcribens*, à ſuo oleo ſeu 🜍e narcotico fieri purgans, haud minus ſanè, quàm ex omnibus amaris, ut gentiana, centaurio & ſimilibus, ſeparato nimirum, dextreque præparato eorum ſale.

Quod verò non purget ordinariè, ſubinnuit eo ipſo idem quod partes 🜍eæ impediunt ſalinas, quas præponderant. *Eraſtus l.c.* duas affert cauſas 1. vim ſtupefaciendi, quæ, ut ne ſentiatur mordicatio, efficit. 2. modicam ejus, quæ exhibetur, quantitatem. Accedere *ait* 3. quod plerumque aliis multis vim ejus hebetantibus miſcetur.

Purgantem vim in ſylveſtri papavere annotavit *Plinius lib.*20.*Hiſt. nat. cap.*19.

Alvum turbare, & vomitum ſæpe manè altero ab exhibitione laudani ſequi, teſtatur experientia, & teſtantur *Helmont. in jure duumvir. t.*62.*p.*192.*D. D. Rolfinc. chim. in A.F.R. l.*4.*ſ.*3.*c.*6.*p.*248. aliique.

Obſervavimus ſæpius à dato laudano opiato ſecutum vomitum, rarò diarrhœam, & quidem, ſi pilulari fuerit exhibitum forma; à pulvere enim anodyno, reliquiſque opiatorum formulis nil ejuſmodi unquam obſervare licuit.

Mirum hoc vidimus in Gallo quodam, qui cùm pilulas opiatas veſperi ſumſiſſet, laborabat autem hemicraniâ, vomitum ſequenti die expertus eſt, non manè, ſed poſt meridiem horâ quartâ, quod cum per accidens primâ vice factum videri poterat, alterâ & tertiâ vice idem adſumenti contingebat.

Cauſam alii rejiciunt in opii malignitatem, quòd natura id abhorreſcens ceu venenum, robore ſi polleat, exturbet. Relictum 🜍 fœtidum ventriculum relaxare & ad vomitum ſtimulare, ſigno perpeſſi per noctem ipſius laboris, ſcribit *Svvalve querel. ventric. p.*252.

Notandum eſt, in culpa quandoque eſſe ipſam præparationem. A laudano opiato cum 🜖 correcto ſolum ferè obſervavimus ortos vomitus, à noſtro verò, quod cum phlegmate ⚹ti fieri diximus, nunquam vomitum, vel nauſeam ſaltem, contigiſſe meminimus.

Deinde non parum confert cacochymicorum humorum in ventriculo præſentia, qui ἀναῤῥοπίᾳ ſuâ ἄνω vel κάτω viam affectant. Potiſſimum enim hæc vis emetica ab opio accidit in naturis bilioſis, & quorum ventriculus ſcatet amaris, acribus, vitioſis humoribus, præſertim, ſi rarior textura corporis accedat. In phthiſicis imprimis opiata ſæpe purgantis vicem obeunt.

Denique in principiis chimicis ſeu mixtione ipſa cauſa quærenda eſt. Certum enim eſt per experientiam, quod illa, quæ 🜍e copioſo pollent, cum ⊖le fixo acri, purgare, modò ἄνω ſeu per *vomitum*, prout 🜍 longè ſuperat ſal; modò κάτω per *alvum*, ſi ⊖ ſuo modo excedat, modò per ſuperiora & inferiora, modò vehementiùs, modò leniùs, prout miſtio horum variat. Ita, ut affinia ſolum opii conſulamus, tabacum, non ſolùm ratione infuſi purgans eſt, ſatis vehemens, quod, experientiâ teſte, vel illinitione ſolùm corpori applicatum in ſcabioſis, ex obſervatione noſtra, vomitus ſat enormes concitare ſolet; ſed etiam ipſius fumus per os hauſtus eundem edit effectum, & experimento Anglorum clyſteris inſtar per inferiorem gutturem inſpiratus purgat. Vid. celeberrimus *Bartholinus, cent.* 6. *hiſt.* 66. *pag.* 311. 312. *Simon Paulli quadripart. botan. p.*461. Sic mandragoræ ſuccus duorum duntaxat obolorum pondere hauſtus atram bilem ac pituitam inſtar veratri purgat, menſes quoque partuſque excludit, teſte *Thom. Eraſt. Diſp. de narcot.* Quin ſi paulò curatiùs in vires purgantium & emeticorum inquirendi hîc locus eſſet, idem pluribus demonſtrare poſſemus. Ita antimonium totum ferè in 🜍 converti poteſt, & niſi extravertatur hoc ipſum, ut eum ⊖le ſortiatur prædominium, vomitum non movet, uti conſtat, ♁ in ſubſtantiâ contra epilepſiam dari, vel per ſe, vel cum caſtoreo, aſâ fœtidâ & gummi ✱co mixtum, unde conſurgit pulvis niger dict. s, in epilepſiâ hyſtericâ magni uſus. Par ratio eſt ⊖li, aſari &c. unde concludere licet, cum abundant humores acres ſalini in corpore, adſumpto opio facilè poſſe acceſſu 🜍is opiati, & ⊖lis acris talem miſtionem oriri, ut vomitus vel alvi turbatio ſequatur.

Adſcribit hanc virtutem emeticam *Capucius* ſali ⊖lato, quod penitiori Vulcanico igne pateſcat, & enormes vomitus concitare aptum ſit, apud *Severin. viper. Pyth. in auctar. p.*516. Id verò in opio vix reperibile eſt, ſufficit tamen denuò, vomitoria pleraque ob acrimoniam ſalinam volatilem ſtimulantem, vel explicitam vel implicitam, præcipuè acceſſu 🜍is, ventriculum ſubvertere, ceu aſarum, ſedum minimum, raphanus ruſticanus, aliaque, ne tranſeamus ad alia regna ampliùs, ſunt emetica.

An in FEBRIBUS intermittentibus conveniant opiata, lis eſt inter autores.

Si veteres conſulimus, opiatis & ſoporem inducentibus ad febrium paroxyſmos tollendos eos uſos eſſe, certum eſt.

Sic *Hippocrates l.*2.*de morb. c.*39. ad quartanam ſemen hyoſcyami & mandragoram commendat.

Galenus eodem nomine paſſim dilaudat theriacam, inprimis *l. de theriac. ad Piſonem c.* 15. ubi propria id ipſum confirmat experientia.

Non minus *Trallianus l.*12. *c.* 8. varia ad quartanas præſcribit antidota, quarum plurima gaudent opio & alterco, cum aliis calidis & attenuantibus.

Cur opiata febrilibus miſta ſint, ſi quæratur, reſpondent *alii*, qui veterum ſententiæ addicti ſunt, ut refrigerando aliorum caliditatem obtundant; *alii*, ut virtutes ſimplicium in unum coactæ magis & diutius conſerventur. Eleganter *Proſper Martianus in l.*2.*de morb. ſ.*2.*p.*174. ſtatuit, ea peculiari virtute febri conducere, non ſolùm, quia refrigerant, quod tamen admittendum non eſt, ſed & quia humorum motum compeſcunt, unde diſgregatio eorum prohibetur, quam cauſam morborum *Hippocrates l. de nat. hum.* expoſuit.

Si convenirent autores in cauſa febrium aſſignanda, quo de *libro* 1. *praxeos clinicæ*, ſeu *de febribus*, propediem edendo plura dicemus, utique etiam magis conſtaret, utrum opiata ſint concedenda.

Conveniunt hæc in illa curandi febres methodo, quæ extraordinaria quibuſdam audit, (cum ordinaria per ablationem cauſæ ſtatuatur) & morbificæ cauſæ fixationem infert, impediendo ſcilicet, ne materia ex fomite ad cor deferatur, ſicque in centro ſuo detineatur,

neatur. Quin cauſam ipſam earundem ſuo modo reſpiciunt, quatenus humores peccantes corrigunt, ſudoremque movent.

Notandum tamen, quod hæc primaria intentione non promiſcuè uſurpanda ſint, niſi quid potenter urgeat, & præmiſſis univerſalibus materia ſit præparata & depleta. Tunc enim ſi reliquiæ quædam remaneant, rebelles tamen, & ſæviores inſultus, optimè proſunt opiata.

Adde, ſi minus cacochymici ſint ægri, & cum nimia ſanguinis ebullitione, maximè verò cum vitium reſolutione, dolore & vomitu conjungitur febris, tunc ſæpe nullo alio proficiente heroicum hoc medicamentum hoſtem ſuperat indomitum.

Metuunt quidam, paroxyſmorum initio exhibita opiata, cum materia ad cor jam ruit, facilè illud prorſus ſuffocari poſſe, ſi per narcotica motus ille inhiberetur. Sed metus eſt inanis, obſervatis modò dictis circumſtantiis.

Eleganter hanc in rem *Horſtius problemat. therapeut. decad.* 1. *quæſt.* 7. plurimas, *ait*, febres intermittentes, præſertim quartanas, poſt præparationes & purgationes debitas cum ♀ ⊕-*to*, *extr. helleb. nigr.* ♁ *diaph.* *&c.* auxilio laudani opiati ſublatas fuiſſe, duabus vel tribus horis ante paroxyſmum exhibiti.

Si experientiam noſtram conſuluerimus, non rarò hoc modo curatæ febres. Novimus ſtudioſum ex recidiva tertianarium, & quidem ſimplici tertiana in duplicem commutata, qui nullo ſpecifico antifebrili curari poterat, donec tandem tres pilulas ex laudano opiato propinaret illuſtris etiam poſt fata *Rolfincius*, quibus ſumptis indormiit patiens; forte expergefactus leviculè bis inhorruit, calor emanſit penitus, neque ulla amplius ſequentibus diebus ἐπισημασία febrilis ſeſe prodebat, quæ à prandio utplurimum ſe manifeſtabat anteà.

In uſu nobis eſt, pulveres antifebriles, ante paroxyſmum juſto tempore adhibendos ex ⦶ ⊕-*to*, ♁ *diaph. conchis* vel *noſtratibus*, vel *marinis, matre perlarum, lap.* ♋ *præparatis*, *C. C. uſto*, ⊖ *abſ. cent. min.* & ſimilibus miſcere cum anodynis intentione ſecundaria, addito olei antifebrilis noſtri, quod ex oleo caryophyllorum, piperis & camphoræ componitur, una vel altera guttula, qua ratione, interpoſitis pro ratione circumſtantiarum correctioribus emeticis, vel purgantibus, abſque V. S. feliciſſimè & breviſſimo tempore febres pleraſque curavimus, abſque ullo recidivæ metu.

Hæc enim ſi obſerventur, non metuendum eſt fulmen *Billichii obſ. & paradox. l.* 2. *cap.* 2. *p.* 113. ubi flagris dignam cenſet Paracelſiſtarum audaciam, qui febre periodica detento, hora ante ſuſpectam acceſſionem, pilulam exhibet opiatam, ſic jugulaturi febrim, quando reſiſtunt paroxyſmo. Cùm ſymptomatis fallace atque intempeſtivo fomento adulantur ægrotis, ſæviunt in naturam, hujus motum pervertunt, materiam peccantem viſceribus altius impingunt, infarciuntque tenacius; ad mala ipſa febre deteriora, cachexiam, arquatum, aquam inter cutem, abſceſſus, ſtabilem faciunt gradum. Vis horum ex dictis jam abundè patet. Confer *Plater. l.* 3. *Prax. Tr.* 2. *c.* 2. *p.* 148.

De *FEBRIBUS* verò *CONTINUIS*, inprimis malignioribus, major eſt controverſia.

Agnovere in opio vim alexipharmacam veteres, cum præter jam ſupra dicta contra morſus animalium venenatorum illud commendarint. Ita ex *Eraſiſtrato* morſis à baſiliſco præter caſtoreum etiam τὸν τῆς μήκωνος ὀπὸν commendat *Dioſcorides l. de venenat. animal. c.* 35. Confirmat idem *Avicenna*, qui, licet morſum illius immedicabilem aſſerat, conferre tamen maximè, ſi quid aliud, caſtoreum & ſuccum papaveris, eo enim loco ſemen pro ſucco papaveris perperam legi non abs re credit *J. Ant. Saracen. ſchol. in l. c. Dioſc. p.* 140.

Antidoti eorundem omnes ferè gaudent opio. Opium movet ſudorem, ebullitionem & fermentationem p. n. ſiſtit, poros cordis & ∽uum contra malignitatis atomos & ἀποῤῥοὰς munit.

Sed ſi in ullo affectu, certè in hiſce cautè cum opio mercandum. Latet anguis in herba, unde infauſtæ exhibitionis opiatorum in cauſo, & malignis exempla non rarò ab imperitis harum rerum exhibitorum occurrunt, qualia in ſpecie adnotavit præter alios *Ballon. libr.* 1. *conſil* 65.

Quando ægri de immodicis vigiliis conqueſti ſoporiferum à medico ſolicitant, non facilè parendum eſt, ne malignitatis vis cor penitus petat, ſicque ſubitò hominem juguler.

Si tamen neceſſitas hujuſmodi remedia ſuadeat, tutius alexipharmaca, bezoardica & cor munientia alia adjunguntur, ita ut minor ſemper ratio habeatur vigiliarum, quàm malignitatis. Hinc in pauciori opiata danda ſunt quantitate, v. g. ſi laudanum opiatum cum diaſcordio Fracaſtor. ad gr. j. præbeatur, ut h. m. ſudor, crebra corporis jectigatione prohibitus, commodè excitetur, naturaque vigiliis debilitata & morbo, robur acquirat valentius, ut taceamus delirium ita præcaveri.

Alii diſtinguunt inter tempora febrium. In principio & ſtatu non convenire *ajunt* opiata, quippe illic turbare magis humores, crudiores reddendo & retardando; hîc impedire criſin, & πέψιν à natura inſtitutam interturbare, utrobique verò malignitatem magis cum corde communicari. In declinatione verò tantum abeſt, ut noceant, ut potius prudenter adhibita magnum afferant emolumentum, pacata reddendo omnia, vires roborando, & ſanguinis tonum reſtaurando. Opportunè etiam dari poſſe in morborum incremento *l. c. Ballonius* obſervat.

Hanc in rem egregiè prodeſt electuarium mitigativum in febribus ardentibus, à *Zwelffero* deſcriptum *pharm. reg. claſſ.* 14. *p.* 588.

Eleganter de hoc ipſo differit *Riverius l.* 17. *Prax. med. cap.* 1. *pag.* 544. ubi in febribus malignis, ſi magna ſit vehementia ſymptomatum, non ſolùm recentem theriacam commendat, adeoque opium in ea adhuc vigens, ſed etiam, præcipuè morbi principio vel augmento, laudanum opiatum ad gr. ij. cum alexipharmacis permixtum, cujus rationes ponderoſæ ibidem videri queunt. Confer *D. D. Joh. Dan. Horſtium judic. de chir. infuſ. p.* 45. ubi inter alia, crede mihi, *inquit*, in febribus malignis petechialibus, variolis &c. opiata utramque paginam abſolvunt. Exempla etiam alia fauſtè adhibitorum opiatorum videri poſſunt ap. *D. D. Herm. Grubium l. de medic. ſimpl. cognoſc. p.* 148.

Nos quotidiano uſu obſervavimus, longè feliciùs operari v. g. tincturam bezoardicam cum tinctura noſtra anodyna combinatam, quàm ſolitariam, refracta tamen ſemper opiatorum doſi, ne nimis figendo ſanguinem ad receptionem veneni cor magis diſponant, quatenus ligant ferè tunc ipſius actionem, & contra id inſurgendi promptitudinem. Hac verò ratione ſalubrem opiatorum opem plus vice ſimplici experti ſumus, & hoc ipſo præcavimus alia timenda ſymptomata. Deinde, ubi nihilominus vigiliæ contumaciores ad ſe auxilium vocaverunt, cum temperatioribus bezoardicis & fixioribus non rarò miſcuimus opium, v. g. cum pulvere bezoardico, qualis eſt Sennerti vel noſter, illudque, interpoſitis præcipuè humectantibus & paucitatem acrimoniamque ſeri corrigentibus, non ſine ſucceſſu adhibuimus, idque tum, aliàs ſæpius, tum hoc ipſo anno ante paucos menſes in laborante continua maligna

febri

febri ſtudioſo experti ſumus proficuum, qui, aliàs tamen ſerofior, per aliquot dies delirabat, & jam floccos legere videbatur, cum ſignis inſtantium motuum convulſivorum, nihilominus tamen feliciter evaſit.

Nec temerè in his ſe gerere oportet medicum nec timidè. Nos ſemper loco regulæ in his obſervavimus & reſpeximus ſerum, ut defectu ejuſdem reſtituto humorum ſub confœderationis jugum reſtituatur exorbitantia.

Sin ſolitaria opiata & in majori doſi indicent & cogant quaſi circumſtantiæ, per ſe tamen ex ſpeciali medendi methodo liquet, & ante & poſt illa bezoardicis vel fixis vel volatilibus, & inter illa v. g. ⊕ lis, eſſe inſiſtendum, opium verò ut colophonem quendam accerſendum, qui urgentiora debellet ſymptomata, motus furibundos compeſcat, orgaſmum humorum ſiſtat, & quæ alia indicantia attendi merentur.

Quando verò cum febribus junguntur dolores intenſi, vel excretiones humorum quæcunque impetuoſiores, in ſpecie catarrhi, tuſſes, vomitus, diarrhœæ, &c. tutius longè & præſentius ex crebriori noſtra experientia opiata officium præſtant; quod infra exemplo pleuritidis & dyſenteriæ reddemus clarius.

Inſtante criſi vel die critico non temerè dandum opium ne natura à conatu ſuo impediatur.

Idem ferè dicendum venit de *PESTE*: ubi methodus non ordinaria; ſed extraordinaria & coacta quaſi locum habet, pariter non tàm ſolitaria, quàm cum alexipharmacis ſociata in uſum vocanda opiata.

Pulcrè hanc rem *D. D. Gieſelerus de peſte Brunſvicenſi obſ.* 36. opiata, *ait*, cum ſudorem ſoleant movere, etiam initio turgente materia quandoque cum fructu adminiſtrantur, tunc ſcilicet, ubi recta medendi methodo progredi non licet, ut in deliriis & vigiliis efferis, verùm pauca quantitate, & admixtis alexipharmacis, uti ipſe non ſemel in peſte ill. fuit expertus.

Huic geminum eſt teſtimonium *Joh. Hennemanni Reiſingii*, qui in *ideâ loimode pag.* 38. ſe expertum ſcire, *ſcribit*, quid opium poſſit, ſi alexipharmacis miſceatur, in fervore hoc ſpiritali extinguendo. *Addit*, quando expulſivis miſcetur in recta doſi, tunc ſpiritus illius contagioſi motum ſiſtere, ubi expulſivum medicamentum poteſt illum unà cum corrupto humore facilius à corde arcere & ad cutem propellere.

Hinc, uti jam ſæpius diximus, opium antidotis & aliis medicamentis contra venena, & maximos quoſque morbos rectè miſcetur, ut conjunctim cum iiſdem pluribus ſatisfaciat indicationibus. Hinc, quæ verba ſunt *Geſneri l.* 1. *epiſt. p.* 45. ipſa theriaca plurimum habet opii, non quidem, ut fervorem aut acrimoniam aliorum mitiget, corrigatve, (frigidum enim non eſt) ſed propter vim ſuam peculiarem, quâ tollit dolores, & ſubtiles ac penetrantes humores vaporeſque venenoſos coercet ac ſiſtit, ut alia prius via evacuentur, quàm ad cor pertingant, tum quia ſudorem movet. *Addit* idem vir doctiſſimus his loco epiphonematis: His antidotis opium aut ſimilia aufer, animam abſtuleris hoc eſt, baſin & vim præcipuam earundem. Confer. *Bonet. animadverſ. in Garc. c* 4. *p.* 42.

Confirmant opiatorum in peſte uſum *Rondeletius*, *Platerus*, *Angelus Sala*, *Mindererus*, aliique. Videtur huic aſſerto contrarius *Rhaſes l. de peſtil. c.* 6. & *Diemerbrock l.* 3. *de peſt. c.* 8. *p.* 233. qui lethalis eventus ab adhibita potione narcoticâ meminit *l.* 4. *hiſt.* 49. *p.* 302. Sed mitiganda eſt ſententia. Verum eſt, non principaliter & ſolùm ſomnum provocandum, omiſſa malignitate, ſed non efficitur eo ipſo, nullum planè locum habere in peſte opiata.

Par ratio eſt in *VARIOLIS* & *MORBILLIS.* Licet enim in his pro negativa contra opiatorum uſum adduci poſſit, quòd ſpiritus quaſi figat, & torpidos reddat, ſtuporemque inducat opium, ideoque eo abſtinere ſatius ducatur, ubi expellere animus ſit; Nihilominus ſi convulſionum advertantur indicia, ſi vigiliæ vel dolores graviores adſint optimo conſilio pulverem bezoardicum cum *ZZ.* nativa ſelectiſſima, vel ♁ii, & ♁ diaph. & paucis granis magiſterii anodyni feliciter eo in caſu miſcuimus. Accedit quòd hoc pacto materia ſubtilis aliquo modo reddatur ad expellendum aptior, & alvi fluxus, uti aliàs à natura benè agente tunc ſtudioſè ſolet adſtringi, præcavetur.

In *PHRENITIDE* ſpiritus effervеſcentes indomitos demulcet & coagulat laudanum opiatum ad iij. iv. vel plura grana datum. Sic Principi cuidam Germano phrenitide cum febre acutiſſima laboranti laudani gr. v. propinavit *Paracelſus*, quorum uſu ſex integras horas dormivit, & ſtatim febris abiit, ceu videre eſt in ejuſdem *obſervatione* 106. & apud *Finck. enchir. dogmat. hermet. c.* 3. *p.* 13. Exempla alia videri poſſunt apud *Horſtium libr.* 2. *obſ.* 25. *pag.* 92. & alios.

Quamvis febre vigente in phrenitide narcotica non omninò proſint, neque deſtinatum à medico ſcopum feriant, tamen opportunè & in declinatione morbi adhibita præclaros effectus edunt. Rationes curioſas adducit *Thom. Sydenham. meth. curand. febr. ſect.* 2. *p.* 52.

Certiſſimum *idem ibidem* pronunciat, laudanum vel alia narcotica quævis in principio, augmento vel ſtatu morbi ad ſymptoma hoc (phrenitidem) levandum vel non prodeſſe omninò, vel, quod ſæpe accidit, etiam obeſſe. Verùm in ejuſmodi morbi declinatione eadem mediocri doſi exhibita, v. g. die 12. vel, quod melius, 14. non ſine ſucceſſu uſurpari. Si per vires ægri liceat, decem vel duodecim horis ante narcotici uſum purgans præmittit. Sed quis neſcit, poſt 14. diem utplurimum morbos tales acutos extra periculi aleam poſitos? Aſſeri omninò poteſt, etiam h. l. cum bezoardicis & aliis morbo debitis ſuam manere opiatis laudem, etiam in initio; ſi inquietudines magnæ moleſtæ ſint, & vigiliæ laborioſæ vires infeſtent, & febrim augeant, vid. *Hartm. prax. chim. c.* 8. *p.* 60. ne quid tamen nimis.

Supervacaneum eſt adducere teſtimonia, adhibitorum feliciter opiatorum in *DOLORE CAPITIS* & ejuſdem ſpeciebus, maximè hemicrania. In hac aliquoties poſt præmiſſa, quæ addecet, ſudorifera; inprimis verò non omiſſo veſicatorio, omne tulit punctum laudanum opiatum ſuaſu noſtro adhibitum, vel in *liquida* forma, cum ⊕-li cephalico, vel in *ſolida* cum mineralibus anodynam habentibus & cephalicam vim, v. g. cum ſpecifico cephalico remixtum. In cephalalgia urgente *Euſtach. Rudius* dat gr. ij. vel iij. opii correcti cum croco *l.* 1. *de hum. corp. affect. c.* 1. *p.* 9. maximè à cauſa calida, à qua dolores pertinaces fiunt.

Uſus opiatorum non minimus eſt in *VERTIGINE*, autore *Tralliano lib.* 5. *cap.* 4. ubi diacodium commendat illis, quibus vertigines ob calidos vapores ex ventre, aut corde, aut jecore aſcendentes oboriuntur. Laudanum opiatum ſacra ſæpe eſt anchora, figendo humores & ſubtiles ſpiritus, ſive in capite ipſo proprio vitio extra ordinem in circulum motos, ſive, quod frequentius contingere vidimus, ab hypochondriis illuc derivata labe.

Hypochondriacus vir magnificus, cùm inter alia ſymptomata pateretur vertiginem adeò, ut in ſublime trahi & hinc rotari videretur, non ſine metu lapſus ſubi-

ſubitanei in terram,feliciter curabatur ♂libus l quidis, Tinctura v. g ♂ cum arcano ♀ per infuſionem parata,eſſentia ♂⊕ta antiſcorbutica, combinatione ⊖l ✳ci & terræ Japponicæ extracta elegantiſſima, & pilulis confortantibus cephalicis ex ladani extracto, ſpecifico cephalico & laudano opiato confectis, quarum uſum plus vice ſimplici experti ſumus & in aliis ſalutarem. Profuiſſe in vertigine opiatum hoc laudanum,experientia ſua confirmat *B.Rolfincius* noſter *Diſſert.VI.de affect.capit.p.*34.

An in *MANIA*, aliiſque deliriis, opiata conveniant,lis eſt inter ſcriptores medicos.

Taxavit eo nomine ſuo jam tempore ſectæ ſuæ contrarios *Cœlius Aurelianus l.*1. *tard. paſſ. c.* 5. quod cupiant certis medicaminibus maniacis ſomnos altos efficere, papavere foventes, & preſſuram potius atque gravationem capitis, non ſomnum ingerentes.

Advertant, *Helmontius* inſurgit, qui amentes per ſoporativa ſanare intendunt. Nam narcotica vix ſomnum conciliant amentibus quadrupla doſi, ſed amentiam inſuper augent *l. retenta pag.* 382. Confirmat idem *jus duumvir.* §. 56. *p.* 191. ubi *ait*, ſæpe per immania ſoporifera maniæ ſuccurrere fruſtra eſt tentatum. In quadruplo ſui nempe vix ſomnum conciliant: ideoque terrore plena eſt eorundem exhibitio. At non minuitur furor per ſopores aut vincula. Narcotica namque dant ſomnum ſomniaque moleſta.

Et *libro de lithiaſ.cap.*9.*text.*84.qui maniam opiatis compeſcere ſatagunt, inſigniter errare docet, 1. cùm omne opiatum in ſe ſit amens,quia amentia nil præter ſomnium vigilans.2. vix decupla opii doſis ſomnum amenti conciliet,minori autem doſi efficiatur nihil. Ergò,innuere *vult*,vel fruſtrà adhiberi,vel cum ſomno periculo.3.differre, *ait*, ſomnum ſponte propria amenti obvenientem, illum enim, ut ex cauſa bona provenit,ita & ſanitatis præcurſorem indicem, amentiam ſolutum iri,ſpondere, ſomnum verò ab opiatis excitatum laborem adferre, & conſequenter malum eſſe.4.addit,quòd in opio ſit connexum aliquod virus, unde lethalia papavera ſomno decantata.

Ipſe verò extollit in 🜍e⊕li deliteſcens ſomniferum ſaccharinum, quod ſuavem apportet ſomnum, cum facultatum principum inſtauratione.

Omnia hæc hypotheſi innituntur illi, dari verum 🜍⊕li anodynum, cujus præparandi ratio legitima vulgò in Paracelſo, aliiſque deſideratur. Neque enim proceſſus à *Quercetano*, *Penoto*, *Hartmanno &c.* propoſiti expectationi æquè ſatisfaciunt. Alii in ⊕lo vim talem ſoporiferam & anodynam planè negant. De proceſſu verò Helmontiano 🜍is hujus pluribus agemus in *Diatr. noſtra de ⊖✳co.*

Concedimus utique Helmontio, medicamentum à ſe ſub 🜍is hujus ⊕li nomine commendatum prodeſſe poſſe maniacis, edocti experientiâ, in ⊕lo & ⊖le ✳co vim cephalicam inſignem, in melancholicis & maniacis ſæpiſſimè nobis comprobatam,deliteſcere. Verùm eo ipſo non tollitur opiatorum in deliriis uſus.

Si Helmontium rectius attendimus, videtur ſeipſum explicare *l. c. jus duum vir.* §. 57. *innuens*, mentem ſuam fuiſſe,non,quod omninò opiata non danda ſint maniacis & melancholicis, ſed ſolùm,non ut medicamentum primarium, non ſolum; ſed cauſam eſſe attendendam, quæ in hypochondrio ſedeat plerumque. Quin ipſe paulò ante dixerat §. 40. opiata ſuſpendere lienem ab operoſa phantaſmatum ſeriorum exercitatione. Jam verò delirantes diverſimodis phantaſmatibus continuò quaſi urgentur, operosè & ſeriò in abſurda labuntur,emota ex orbita ſua, ut ſic loquamur, ratione.

Obſervarunt *alii*, dato opiato laudano ægros maniacos & melancholicos evigilantes majores inſaniæ perſenſiſſe ſtimulos, quibus urgentibus in proximos furunt.

Sed non ſola opiata adhibenda ſunt. Præmittenda ſunt univerſalia, V. S. purgatio, alterantia, humectantia, & refrigerantia. Seri enim defectus præcipuè in cauſa eſt, quòd opiata non poſſint vires ſuas exerere, quod 🜍e balſamico opii gravidum eo ipſo irrigare poros cerebri, & ſpiritus demulcere ſupra evincimus. His non juvantibus, quid obſtat, quò minus opiatis ſanguinem fervidiorem atque inordinatè motum ſiſtamus, ſomnum, cujus defectus præ reliquis urget,provocemus,cum à vigiliis non interpolatis delirium augeatur, ſicque ſpiritum effrenem & inordinatum impetum ligantes ægrum liberemus? Volatilitas ergò bilis obtundenda v.g.acidis & figenda opiatis, quibus ſolummodo ſæpe maniacos curatos novimus, non neglecta ſeri reſtitutione proportionata.

Non agere opiata in his,niſi auctiori doſi,non obſtat.Si enim mediocri doſi datum non profit, aſcendendum ulterius,ut indicatum indicanti reſpondeat.

Delirare quoſdam magis à dato opio, concedi poteſt,& veriſſimum eſt,in iis, quibus ſerum parcius eſt, & 🜍 ſanguinis prædominatur,idem tamen non valet in omnibus. Reliqua ulteriori diſcuſſione non opus habent. Somnus itaque,elogio *P. Æginetæ l.*1. *cap.* 97. divinam illam auræ particulam, mentem ſcilicet furentem,emendare conſuevit.

Scribit *Petr.Victor.l.*4. *var. lect. p.* 46. tigrim, quæ catenis etiam vincta,tutò tractari non potuiſſet, opio in ſtuporem conjici neceſſum fuiſſe,(quod tamen cum ſucco mandragoræ omnino videtur confundere,) ne per urbem ad ſpectaculum deducta læderet. Ferinum furorem maniacorum ligat opium,ne irruant, & lædant obvios.

Eleganter *Paracelſus l. de morb. ament.Tr.*2.*c.*2.*p.*501. remedia maniæ dividit in alterantia,& figentia materiam peccantem.Utrorumque exempla proponit plura, figentia verò conſtituit opiata, eademque de meliori commendat.

Exempla feliciter adhibitorum opiatorum in mania, cum cordialibus & humectantibus, videri poſſunt apud *Hildan.cent.*4.*obſ.*9.*p.* 293. in melancholia ad maniam vergente *Horſt.l.*10.*obſ.*3.alioſque.

Nos in iiſdem caſibus aliquoties utiliter in uſum vocavimus opiata,præmittentes vel emetica,vel purgantia, & præter alia appropriata interponentes modò acida,modò urinoſa,in furore uterino bezoardicum ♃le, *Zzrin* nativam,alia.

In *EPILEPSIA* ſedativa ſeu narcotica, & in ſpecie opium,ritè tamen præparata *Paracelſus l. c. cap.* 1. *p.* 499. commendat. Hæc,doctiſſimè *ait*,mirabilem contra caducum habere efficaciam, ſi cum volatilibus miſceantur. Repetit idem præconium & dicit, ſi v.g. cum arcano ⊕li miſceantur opiata, prodeſſe in epilepſia,ultra quàm credi poſſit.

Neque id immeritò, ſive id fieri credatur, quia acrimoniam humorum vellicantium ſiſtant, ſive eorundem viſciditatem incidant, ſive ligent in centro, & partem roborent, adeoque vapores & ſpiritus morbificos congelent,diſſipent & confortatis viſceribus propellant, & epilepticum ſpaſmum inhibeant.Hinc eadem antepilepticis, ∽ ⊕li volatili, elixirio cephalico cum ∽ urinoſo,in forma liquida, eſſentia v. g. anodyna, pulveribuſque cephalicis in forma ſicca cum fructu miſcentur, præcipuè, ſi v. g. in infantibus ipſiſque adultis tormina & partium membranoſarum vellicationes adſint, quod internam epilepſiam vulgò vocant, quod multis probare poſſemus experimentis. Hinc, monitore *Sennerto*

l. 1.

l. 1. prax. part. II. cap. 3 p. 594. ubi paroxyſmi epileptici inſtantis ſigna præſenſit æger; pilula una laudani opiati, cujus partibus quatuor una olei camphoræ admixta fuerit; aſſumi poteſt.

Hinc *Quercetanus tetr. aff. cap. c. 16. p. 214.* nepenthes ſuum epilepſiæ promptiſſimum ac ſingulare afferre ſubſidium, *ſcribit.* Exemplum hujus rei obſervatum in puella bimula trium horarum convulſione laborante, nepenthe opiato curata; extat apud *Cratonem epiſt. p. 251.*

Videndum tamen hîc, ne, ſi natura ad exteriora contendit materiam morbificam depellere, motu hoc inhibito reſtitans circa cor materia ſuffocationem excitet; quale exemplum contigiſſe ante aliquot annos novimus.

Si *CATARRHI* depluì à capite, ex ſententia veterum, ſeu ſolutum quaſi in cloacam ſanguinis excrementum negotium faceſſat, & tenuitate ſua acredineque moleſtet, opium opem fert, tum cauſæ radicalis reſpectu, tum producti poſterioris intuitu. Si ad unum vel alterum granum detur laudanum opiatum, ad miraculum uſque catarrhos ſiſtit, eoſque ita ad πεπασμὸν deducit, ut ſine noxa & periculo excerni facilè poſſint.

Celebris medicus, cùm catarrhis tenuibus ſeroſis affligeretur frequenter, trochiſcos narcoticos Plateri ſemper pro comitibus ſecum habebat. Nos in iiſdem caſibus feliciter ſæpenumerò ſuaſimus opiata, quæ ob hanc ſuam ἐνέργειαν merentur, ut κατ' ἐξοχὴν nominentur anticatarrhalia medicamenta, *Fluſz-pulver, Fluſzpillen, Fluſzeſſentz*, & hoc ipſo nomine lubentius ab ægris adſumuntur.

In *TUSSI* optimè ſe gerunt opiata, præcipuè, ὅταν λεπτὸν ἐστὶ καὶ δριμὺ τὸ ἐπιῤῥέον, καὶ ὁ θώραξ οὐκ ἔστιν ἔχων περιττώματος πλῆθος, *quando id quod influit, tenue eſt & acre, thoraxque recrementi copiam non habet*, & quibus fluxio tenuis à capite in aſperam defluit, quæ propter inſequentes tuſſes dormire non permittit. Πάνυ γὰρ ἐστὶ συμμέτρως διδόμενα κάλλιστα, καὶ ὠφελιμώτατα, καὶ παλαιὰς βῆχας ὑπὸ λεπτοῦ ῥεύματος γινομένας ἰώμενα. *Nam cùm moderatè offeruntur, præſtantiſſima ſunt utiliſſimaque, & veteres tuſſes à tenui fluxione concitatas perſanant.*

Hoc ipſo modo in ſuffocationem molientibus catarrhis inſigniter proſunt, tuſſim tollunt, materiam peccantem coquunt, & ad naturalem ſtatum deducunt, ut & excerni poſſit, & ſine moleſtia id fiat.

Sunt verè ὑγεία καὶ μυστήριον. Quin nulla tuſſis ſine opiatis feliciter tàm citò, tàm jucundè & tutò tollitur.

Licet enim, ubi viſcoſi, craſſi & glutinoſi humores in bronchiis pulmonum continentur, & abundant, minus conveniant, & ſuffocationem intentare queant; eſt tamen illis & in hoc caſu ſuus locus, refracta, ſecundaria doſi, ſi δεόντως *decenter* cum incidentibus vel maritentur vel interponantur, cum & ipſa inciſionem & attenuationem hoc modo juvent, & impetum ſiſtendo, naturam roborent, ut feliciùs excerni poſſint.

Meritò igitur in tuſſi hæc commendat præter veteres, inprimis *Trallianum l. 5. c. 4. Helmontius libro jus duumviratus inſcripto §. 61.* faciunt enim non ſolùm, ut melius longiuſque aut quietius dormiant, ſed, obſervante *eodem*, etſi inſomnes nihilominus urgent noctes, tuſſim tamen pacant, & copioſa fluva compactaque ſputa compeſcunt, ut materia vitioſa imminuatur, & πεπασμῷ præcedente in melius mutetur. Commendat in ſpecie laudanum opiatum Paracelſi, ut, ſecundum ejuſdem principia, indignatio archæi ſopiatur.

In priori caſu etiam ſola dari poſſunt, ut acredo humorum ſalſorum & ſeroſorum corrigatur, illorumque ἐπίῤῥυσις in pulmones cohibeatur, in altero remixta, ut cum elixirio pectorali, &c. Hæc, verbis *Octavii Horatiani, lib. 2. part. 2. cap. 7.* (ubi pro apium, rectius videtur legi opium) & coagulare valent phlegmata; & ſomnos invitant; hæc ſui natura & ſoluta conſtringunt; & beneficio præſtanti, tuſſire minus faciunt dormientes.

An verò in *ASTHMATE* opiata convenire poſſint, non immeritò diſquiritur. Vulgò quidem paſſum de uſu contra hunc affectum conſtat, quin prohiberi potius ſolent, ut quæ reſpirationem potius difficiliorem reddant, quàm facilitent.

Nos in aſthmate præcordiali, præmiſſo emetico, utiliter dedimus tum fomitem in hypochondriis reſpicientia, ♂lia, præſertim ⊕-lata, tum eundem ſedantia, opiata, quæ & reſolvunt in grumos aptum ſanguinem, & prohibent a vapores, ne vel ad diaphragma vel ad pulmones ferantur, & hoc modo feliciter invenere auxilium ſuſpirioſi, quibus etiam elixir pectorale noſtrum cum ♌ ✱ci volatili, vel gummi etiam ✱ci commodè interpoſuimus, cum aliis reſolventibus ex ſpermate ceti, minera ⊙ri, lacte ♁, ☿ diaphor. cum præcipitantibus aliis.

Laborabat aſthmate ſæpiſſimè & per intervalla primum, ultimis annis verò prope continuò vir primarius, cum ſputo purulento, aliàs arthriticis quoque paſſionibus frequenter afflictus, hic verò à nullo medicamento majorem ſentiebat opem, quàm ab opiatis, quibus circa noctem datis, manè alteroctam aliquantò materiam excernebat & liberius ſpirabat. Poſt mortem à nobis apertum corpus exhibebat pulmones undique & undique firmiſſimè adnatos, & aqua purulenta plenos.

Cum itaque certum ſit, ſæpe aſthma fieri etiam à fluxili materia, quæ apta nata eſt pulmonum bronchia obſtruere, quod hoc loco latius probare inſtituti noſtri non eſt, cur non utiliſſimè illi opponantur opiata? Cùm ex hypochondriis tantum non ſemper eleventur hi vapores ac halitus ad thoracem, & motum diaphragmatis juxta ac pulmonis interturbent, quidni ligata per eadem & fixata primigenia labe, opiata debeantur aſthmati? Taceo virtutem, quam habet reſolvendi & disjiciendi humores, quo nomine theriaca etiam non rarò commendata fuit etiam apud veteres ſuſpirioſis & anheloſis, modò ἀβλαβῶς omnia fiant, & benè conſideratis circumſtantiis, ſicuti ineptum foret, in aſthmate hydropicorum, ſicubi reſtagnans ichor, ſpiritualibus jam intentat periculum, aliiſque ejus generis ſpeciebus, opiatis uti.

In *PLEURITIDE* narcotica opiata fugienda eſſe, ſedulò inculcat *Trallianus l. 6. c. 1.* φεῦγε δὲ *inquit*, τὴν διὰ κωδειῶν καὶ τὸ φιλώνειον, καὶ ἄλλο τι τῶν παρηγορικῶν φαρμάκων. κινδύνους γὰρ μεγίστους ἐπιφέρουσι δυσανάγωγα πάντα τὰ ὑγρὰ ἐργαζόμενα, μετὰ τοῦ μεταβάλλειν καὶ νεκροῦν ἡ τὴν δύναμιν. *Fugito autem diacodium, & Philonium, aut aliud quoddam leniens medicamentum, maxima namque pericula inducunt, dum omnes humores eductioni contumaces reddunt, præterquam quod etiam vires proſternant, reddantque emortuas.*

Idem tamen *ibidem* ipſe hoc limitat, eademque concedit, εἰ δὲ ἡ ὀδύνη σφοδρὰ καὶ ἀκαρτέρητος, ἤγρυπνία πολλὴ τῆς δυνάμεως ἐῤῥωμένης, *ſi dolor vehemens & intolerabilis urgeat, vel etiam vigilia multa viribus robuſtis torqueant.*

Nos non dubitamus ſpecificis antipleuriticis accenſere opiata. Si enim in principio morbi opponantur bezoardica volatilia, v. g. Tinctura bezoardica, cum eſſentia anodyna noſtra remixta, parciùs ſcil. ſub dictum initium, ſuccedente verò tempore, præſertim circa declinationem magis eadem maritentur ſpecificis fixioribus, ut cum *dent. apr. philoſ.*

ppt. lapid. ♋. *mandib. luc. piſc.* ♁ *diaph. ZZ. nat.* ana ℈j. *laudani opiati* gr. j. vel ij. dici non poteſt, quàm promtè morbus auſcultet medico. Expectoratio hinc melior ſuccedit, vires confortantur, & ipſe morbus felicius longè ad finem decurrit, & hoc pacto ſæpiſſimè, etiam abſque ulla V. S. reſtituimus pleuriticos. Omittimus alias rationes, quæ ex præcedentibus colligi poſſunt, ne eadem toties repetamus. Adeoque effatum Apollineum *Gabrielis Fontani medic. antihermet. p.* 418. minus tale eſt, narcoticorum & ſoporiferorum remediorum uſum in pleuritidis dolore etiam urgentiſſimo eſſe nocentiſſimum.

In pleuritide epidemia & peſtilentiali ex ſero ſcorbutico, laudanum opiatum commendat *Dravvitius Tr. de ſcorbut ſect.* 7. *p.* 242. etiam in vulgari ſeu ſimplici *ibid. pag.* 252.

Hoc ipſo noſtro pulvere dato mirandos ſæpius effectus vidimus non ſolùm in vera pleuritide, verùm etiam in aliis pectoris apoſtematibus, adeò, ut aliquoties præſentaneo cum levamine per alvum purulentam materiam inde evacuatam viderimus. Et hic ipſe longè excellentior eſt, quàm alii etiam ſecretiſſimorum nomine hinc inde commendati. Notavi etiam ⦶ta & 🜍rata talibus caſibus antipleuriticis remixta paulò gravius ægros affeciſſe, unde hactenus majori cum fructu eadem his excluſimus, non ignari nihilominus, quantoperè & proſint aliàs & commendentur.

In *PHTHISI* optimum eſt opium, ſi proveniat morbus à καταῤῥοῇ humorum acrium, ſalſorum ad pectus, vel à ſputo ſanguinis; ſublatis enim hiſce, ceu cauſis, tollitur conſequens, ſeu producendum.

In phthiſicis verò ab ulcere pulmonis, annotante *B. Rolfincio ch m. l. A. F. R. l.* 4. *ſ.* 3. *c.* 6. inhibet & ſiſtit ſputum. Inde periculoſa ejus exhibitio. Suffocantur inde ægri non rarò, qui unum aut alterum diem ſupervivere potuiſſent.

Reſpiciendum eſt ſemper ad expectorationem facilem, quamdiu illa benè procedit, prorogatur vita phthiſicorum. Sin ſupprimatur, opiatis doſi ordinaria adhibitis, noxa præſto eſt. Doſi verò minori refracta, quæ diſtinctio quàm maximè attendi meretur, commodè in uſum vocari & cum aliis miſceri poteſt.

In *CORDIS* affectibus quidem non primariò & ſolitariè prodeſt opium, unde inter cardiaca propriè & ſtrictè dicta locum non obtinet, nihilominus, ubi virium exolutione ſpiritus deficiunt, aliquoties profuit opii grani unius tertiam partem cordialibus reficientibus admiſcere, & maximam præſtitit utilitatem. Hoc enim modo non ſolùm ſpiritibus materia ſuppeditatur, ſed & eorum diſſolutio prohibetur, unde maximus virium lapſus dependet, ceu optimè alicubi obſervat *Kyperus*, adeoque ſuo modo confortat quoque opium ſpiritus.

Debetur opium grumeſcentiæ ſanguinis, quam lipothymiæ, ſyncopes & palpitationis cordis cauſam adduximus *Ephem. Germ. ann. II. obſerv.* 197. *p.* 298. craſſiores partes ejuſdem reſolvit, tenuiores alterat & diſſipat, acriores verò temperat & corrigit.

Hinc in ejuſmodi ægris, lipothymia ſc. ſyncope & cordis palpitatione loborantibus, quæ ſymptomata ſanè in hypochondriacis ſæpiſſimè obſervavimus, ceſſantibus etiam in prioribus omnibus operationibus animalibus & vitalibus ad ſenſum, nil præſentius invenimus & conſultius, quàm reſolventia & præcipitantia opiata per vices adhibita. Abegimus affectum & illum præcavimus his ſolis.

In uſu nobis eſt eum in finem *pulvis abſorbens* dictus ex ⊖-lo ♂, cum ♁ diaph. vel in mulierib. bez ♃. conchis, lap. ♋. coralliis & cinnabari compoſitus, ita, ut ſingula doſis conſtet grano uno ſolùm vel altero ⊖-li ♂, & tota compoſitio recipiat ſimul opium. v. g.

℞. ⊖-*li* ♂ g. vj. *conch. ppt. lap.* ♋ *ppt corallior.* ♁ *diaph. ZZ. nat.* ā. ℈ß. gr. xv. ℈j. *laud. op.* gr. j. *ol. caryoph.* gtt. j. M. F. pulvis. D. in charta *S. auff* 6. *mahl.*

Poteſt dari pro circumſtantiarum urgentia ſingulis horis, cum aquis cinamomi, meliſſ. aliiſque ſpirituoſis, vel ſolum cum vehiculis domeſticis, cereviſia vel vino. Addere etiam licet pro ditioribus, ſi cui id libeat, perlas, lap. bezoar, ol. cinam. & alia.

Non poſſum ſatis deprædicare effectus, quos ab hoc uno pulvere vidi, quàm citò omnia conquieverint inde ſymptomata, quàm feliciter tono ſuo reſtitutus ſanguis, quàm optimè etiam ſymptomata hyſterica huic ipſi morem geſſerint, ſubſecuto ſæpius vomitu cum maximo juvamine, uti ab ejuſmodi reſolventibus novum non eſt in praxi, & alvum & vomitum quandoque cieri, licet effectu æquivoco. Præferendus eo nomine hic meritò tot ſirupis, ſpeciebus & compoſitionibus cordialibus.

CHOLERA humida, à phlogoſi ventriculi, ſedanda eſt laudano & adſtringentibus refrigerantibus, non pulveribus ſtomachicis calidis, ait *Riolan. enchir. anat. pag.* 123.

Cavendum tamen eſt, ne intempeſtiva opera vomitum in illo morbo opiatis cohibere ſatagentes, eo cohibito, non minus periculoſam malorum catervam invehamus. Permittenda acribus humoribus corruptiſque tantiſper evacuatio, donec ſufficienter depletis iis, viribus ſuccurri poſſit roborantibus & ſiſtentibus.

Sin autem urgeat ſymptoma, abſque omni metu cordatè iis uti licet ſtatim. Ita *Riverius cent.* 3. *obſ.* 85. tertiana maligna media æſtate laboranti, cum tertia acceſſione tanta conjungeretur humoris bilioſi malignitas & ferocia, ut concitaretur vomitus, ac alvi fluxus frequens cum ſummo ægri periculo & maxima virium jactura, cum felici ſucceſſu propinavit laudani opiati gr. iv.

Nos eſſentiam theriacalem cum anodyna conjunctam feliciter eo caſu adhibuimus ſæpiſſimè, dando eandem vel miſcendo cum ▽ cinam. c. v. aq. menthæ, aliiſque, unde ſtatim ſimul & ſemel ſæpenumerò omnia conquieverunt.

CARDIALGIAM ſolantur opiata. Urgente *dolore inflammatorio*, cum lenientibus ea admiſceri poſſunt in pauca quantitate: ſic enim neque actionem ventriculi impedient, dolori ſuccurrent, & intemperiem imminuent, verba ſunt *Ludov. Septal. l.* 7. *animadverſ.* § 3. *p.* 221. Hinc *Albucaſis* non revelandum remedium in dolore ventriculi vocat deſtillatum opii cum capitibus allii apud *Holler. l.* 1. *de morb. intern. c.* 32. *p.* 532. juxta alios cum decocto fl. chamæmeli datum laudanum ſtatim juvat. Miſcuimus eo caſu lubenter opium 1. cum *carminativis.* Viètor cardialgia laborans, cum ſumma anxietate, adſumpta doſi eſſentiæ carminativæ cum anodynæ paucis guttis extemplò levabatur, magno cum nominis incremento, initio quippe praxeos id contingebat noſtræ. 2. cum *præcipitantibus & oleoſis.* Fœmina, coriarii conjux, 46. ann. dyſenteria graviſſimè decumbebat anno 1669. accedebat ſingultus, & cardialgia cum tanto ardore oris ventriculi, ut prunam ſe ibi ſentire quereretur, ſpe vitæ ferè omni abjecta; dedimus pulverem ≂tem ex conchis & lap. ♋. c. pulv. Bezoard. ol. caryophyll. & opii parum. Dictum factum omnis conquievit ardor, omnis dolor, omneque periculum evanuit.

In *SINGULTU* quovis curando præ aliis omnibus conducere opiata, veriſſimè ſcribit *Sylvius lib.* 1. *prax. c.* 23. *p.* 325. §. 19.

Uſi

Uſi ſumus egregio cum ſucceſſu opiatis in ſingultu tum alio, tum inprimis convulſivo, aliquoties. Commiſcu mus ex caſtoreo parata in liquida vel ſolida forma, neque unquam nos fruſtratus eſt eventus.

VOMITUS ſiſtunt opiata, ſive ab hypercatharſi eveniant, ubi vel ſola eſſentia theriacalis cum aq. cinamomi ſufficit, vel præbitum opiati alius medicamenti, ſive ab aliis cauſis irritetur ad *ἀνακάθαρσιν* hanc & ſupinitatem ventriculi natura. Hîc illud obſervavimus ſingulare; quòd ſæpe à propinata laudani opiati una vel altera pilula unicus rediit vomitus; quaſi confortata natura reliquum omne ejicere moleſtum ſatagat, dehinc verò quievit prorſus. Notabile & illud eſt, ſolidam pilularem formam aliis omnibus eſſe in hoc affectu præferendam; niſi quid impediat. Soliti ſumus dein pilularem quandoque theriacæ miſcere & confectioni alkermes, ſicque forma boli felicem eundem obtinuimus effectum. Addi etiam poſſunt ol. menthæ vel cinamomi gtt. j. vel altera.

Rationes horum ex ſupra dictis de uſu generali patent.

In *APPETITU NIMIO* aliquot vicibus ſuppetias nobis tulit opium. Vir nobilis hypochondriacus, delatis ad ventriculum humoribus acidis & acribus, eumque *εὐαίσθητον* aliàs ſolicitantibus, laborabat fame immodica, quæ nullis ſedari poterat cibis. Dedimus ol. Tartari per deliquium & ſub noctem paucas doſes opiati pulveris abſorbentis, & ſublatus fuit moleſtus ille affectus penitus. Hinc in aucto appetitu, ſi malum ſit contumax, ad opiata confugere licet; quod præcipuè in *βουλίμῳ* propriè dicto locum habet.

Huc adeſte *HYPOCHONDRIACI, SCORBUTICI*, qui in dies novis affligimini ſymptomatibus, doloribus, vigiliis, aliiſque; promtum habete remedium, opium.

Lubet hæc illuſtrare non tàm noſtra frequenti experientia, quàm celeberrimi viri, & non ſolùm de Principum & Electorum aulis, urbibuſque primariis, ſed potiſſimum de medicina noſtra longè meritiſſimi *Dn. D. Johannis Danielis Horſtii*. Ita verò laudatiſſimus vir in literis ante aliquot menſes ad me datis: Singularem caſum hiſce diebus notavi hypochondriaci cujuſdam, opiatis reſtituti. Is à cachexia ſcorbutica varia paſſus ſymptomata: ſtupiditatem, vigilias, anorexiam, tremorem & tetras convulſiones epilepticas, præmiſſis præmittendis, opiatis feliciter reſtitutus eſt, præter omnium ſpem & expectationem. Tàm ſæva, multiplicia & gravia ſymptomata & mihi & adſtantibus animum ita turbarunt, ut actum putaverimus. Tandem poſt reiteratas & ſæpius exhibitas opiatas medicinas incidit in ſomnum x. horarum, ex quo expergefactus totus mutatus erat, & ab enumeratis ſymptomatibus planè liber, non ſine adſtantium ſumma admiratione. Affinis ejus illuſtr. Wilhelmus Curtius, Regis Angliæ Conſiliarius & Eques Baronettus, nobis jam præſens, licet de mœrore, vigiliis & ſervitiis laſſus, neſcio qua hilaritate compulſus ad carmen eſt, idque paucis horis condidit, tradiditque filio adhuc ſcilicet prætextato, qui id mihi primo mane tanquam ſuos labores porrigeret:

Hippocrates quæ ſparſa dedit prognoſtica fati
in Fago erant tremulo conſpicienda ſimul:
Sex ſoles Lunæque exſomn es, trux epilepſis
& pulſus nullus, nulla ſalutis avis.
Præfica jam planctu diras placaverat umbras,
& dederant anceps murmura roſtra VALE.
Fortior at Parcis certamen ut Horſtius intrat,
jam laſſâ Lacheſis projicit arma manu,
Cardiacis, opio nequiens obſiſtere Clotho,
nec purga-cerebro Cerberus helleboro.
Rem gratam liceat ſaltem laudare modeſtè:
Gratior eſt nobis Horſtius Hippocrate.

Rectè hinc in ſcorbuticorum quibuſdam affectionibus, inquit *Williſius Tr. de ſcorb. c.* 10. *p.* 323. ſe malle quovis præter à medicamentorum genere, quàm opiatorum uſu deſtitui, nec enim ſolummodò contra dolores & vigilias pertinaces, verùm in paroxyſmis aſthmaticis, in vomitu, diarrhœa, quin etiam in vertigine & pathematis convulſivis, quoties natura ſuprà modum irritata inordinationes immaniores concipit, nullum præſtantius remedium ſæpius expertus eſt, quàm ut narcotico tuto adhibito ſomnus concilietur.

Et licet in doloribus v. g. ſcorbuticorum non intermiſſio totalis, infallibiliter tamen inſignis mitigatio ſequitur, teſte *Dravvitio de ſcorb. ſ.* 8. *p* 330.

In *COLICA* quibuſdam malè audiunt opiata, tùm, quod ſolùm errore relevationis fallant, ob præſentis temporis perditum ſenſum, hebetudine partium ſuffecta, quæ verba ſunt *Cœl. Aurel. tard. paſſ. l.* 4. *c.* 7. tum, etſi mox omnem dolorem tollant, pleiumque tamen eorundem uſum contractura membrorum ſequatur, & hinc vitanda eſſe præcipit *Muſſaz. in prax. Mſſ.*

Quin ipſe *Pergamenus* antidota ex opio, mandragora, alterco & ſtyrace, cautè uſurpanda ait in inteſtini laxioris doloribus *com. in 6. epid. & 5 aph comm.* 13. iſta enim membra circumfrigerantia, ut iterum ab iiſdem cauſis offendantur, paratiora efficere.

Neutrum tamen argumentum tanti eſt, ut uſum opiatorum in colicis excludere omninò poſſit, modò non fœcum in inteſtinis adſit infarctus, cui prius medendum eſt. Opium binis rationibus colicis auxiliatricem præbet operam, 1. *per ſe*, quando efferatò dolores perſiſtunt freno, aliiſque cedere renuunt medicamentis, quo paſſu poteſt dari laudanum opiatum, vel magiſterium anodynum, cum oleis carminativis. Nos uſiliter ſolemus uti eſſentia noſtra carminativa cum anodyna in aq. aneth. cort. aurant. &c. Eſt verò hæc:

℞. *Rad. zedoar.* ℥j. *carlin. galang.* ā. ʒß. *cort. aurant. ſem. aniſ. carv. fl. chamæm. Rom.* ā. ℈j. *caryophyll. aromat. bacc laur. acor. ver.* ā ℈iß. *macis* ℈j. M. Extrahantur contuſa & conciſa g. m. cum ~ *cort. cur.* acidulato ſatis ~u ⦶, qui extractione per aliquod tempus facta addi debet. Doſis gtt. xx. xxx. Inde obſervavimus ſæpius præſentaneo cum effectu ſublatum omnem dolorem.

Præcipuè verò convenit opium in colica biliosa, calidiore temperie præditis & ob tenuem acremque dolorem dolentibus. His enim non ſolùm non nocent talia anodyna, ſed magis opitulantur, dum tenuem, acrem & biliosum humorem craſſum reddunt, ad concoctionem perducunt, ad bonamque temperiem convertunt, non refrigerando, ſed acrimoniam corrigendo, & flatus diſcutiendo. Vid. *Trallian. l.* 10. *c.* 1.

2. Opiata colicis conferunt cum *purgantibus* mixta. Hæc enim purgantia ægrè ſæpius retinent colici, *ἀναῤῥοπίᾳ* humorum ad ventriculum facta, ideoque vel acida addenda, ~⊖, ⊕li &c. vel laudanum opiatum refracta doſi miſcendum. Non enim ſufflaminat tunc operationem purgantis medicamenti, ſed juvat, & ſimul dolores ſedat. Cum enim natura hoc modo roboretur, fortius exurgit, ut medicamentum *κατωτερικὸν* in actum deducat, hoſticamque exturbet materiam. Vid. *River.* paſſim *in obſ. Thoner. l.* 3. *obſ.* 5. & alios, inprimis *Eraſtum diſp. contra Paracelſ. part.* 4. *p.*248. ubi in colica ʒj. ſpec. hieræ vel aloës adjicit opii & caſtorei a. g. j. vel ſeſquigranū, interdum etiam duo, quod facere ſe *addit*, ne diutius quàm par eſt intra corpus maneant, *pag.* 249.

Quidam

Quidam tunc purgantia in majori doſi danda eſſe volunt, ſi opiata miſceantur. Imò etiam cum emeticis, ſed quantitate parva, jungi poſſunt opiata. Vid. *Sylv. prax. l.* 1. *cap.* 15. *§.* 29. *p.* 187.

In *ILEO*, ubi implacabilis dolorum ſævitia torquet, anchora ſacra & extremum ſunt ſolatium opiata; laudani e. g. granum unum vel alterum per ſe dari poteſt, vel, ut in colica annotatum, unà cum purgantibus, ut una tollatur fidelia & dolor & materia morbifica, vel quod nos facere conſuevimus, primò opiato nepenthe doloribus ſuccurratur, hinc purgante exſtimulentur alvinæ feces & vitioſi humores.

Utut verò ratio utique conſulenda ſit, ne fortè agoniſanti & deſperato jam iliaco propinetur, indeque ſiniſter eventus conſequens vel medicamento, quod multos juvit, vel medico imputetur; In his binis tamen, purgantibus ſcilicet & opiatis, unica verſatur iliacorum ſalus.

Exemplum hujus rei dedimus & conſignavimus *ann. II. Ephemer. German. obſ.* 238. *p.* 340. quod ibi videri poteſt, neque enim huc tranſcribere animus fuit.

In *DIARRHOEIS* ἢ ἀπὸ τῶν φαρμάκων, ἢ ἀπὸ τῶν χυμῶν ἐλαλνείων ἢ μοχθηρῶν, ſive *à purgantibus fortioribus*, ſive *pravis vitioſis humoribus* inductis, ſtatim ſæpe ſedant fluxum opiata, magna cum ipſius ægri & adſtantium admiratione.

In *DYSSENTERIA* malè quibuidam audiunt narcotica. Specioſus hanc in rem extat locus apud *Trallianum l.* 8. *c.* 6. ubi imperitos medicos mox inter initia narcotica dare aſſerit, eò quod ſomno dolorem levare videantur, falli autem ipſos, dum ægros accepta potione tota nocte dormire & ventrem retineri conſpiciunt. Cum enim, *addit*, dies illuxerit, inutilis labor deprehenditur: quia humores in unum collecti ſine intermiſſione dejiciuntur, & capite gravató, viribuſque labefactatis ventrem reddunt deteriorem, & majus cibi faſtidium inducunt, & ideò nunquam ea medicamenta dari debent, niſi fortè neceſſitas urgeat.

Minadous Doctor Patavinus obſervavit, omnes illos dyſentericos, qui de conſilio medicorum opiatis uſi ſunt, mortuos eſſe. Additurque ratio, quod ulcera inteſtinorum ab opio putridiora & ſordidiora reddantur, citante *Hoffmanno de uſu & abuſu med. chim. p.* 30.

Ut verum fateamur, pace plerorumque Practicorum ſcriptorum, negativam ſtatuentium, & opium in dyſenteria vel damnantium, vel timidè admodum exhibentium, dicere aliter non poſſumus, quàm ſine opio nullam veram dyſenteriam curari commodè poſſe, oleumque & operam cum aliis adſtringentibus ſæpenumerò perdi.

Bone Deus! vidimus in dyſenteria, ſtatim in principio 40. 50. 60. intra ☍, (incredibile dictu) ægros fuiſſe maceratos, dejectoſque ſedibus. Dato convenienter opio, ſtatim pacatiori rivo mali ſentina effluxit. Nec fluxum tàm ſiſtit opium, quàm moderatur, quàm corrigit, dolores minuendo, morbumque, quod ſæpius repetimus, in centro detinendo, aut affluxus & effluxus ſit moderatior. Sanctè teſtor, me omnibus dyſentericis, quorum ultra quadringentos curandos habui, cui feliciſſimo ſucceſſu propinaſſe opium, & pleroſque illos evaſiſſe feliciter notavi, qui non vel morbi vel malignitatis vi, vel aliarum circumſtantiarum ratione abrepti, in tempore, quod rerum omnium eſt primum, auxilium petierunt.

Dantur in dyſentericis optimè opiata cum bezoardicis, tum volatilibus in principio, ſeu mediis potius, tum fixioribus, in fine. Hac methodo feliciſſimè permultas dyſenterias expugnavimus. Utut enim nonnegemus, poſſe quandoque in dyſenteriis benignis, quæ à ἀναστομώσει vaſorum Potius oriuntur, quà irritatione & eroſione, quæ item ab ingeſtis, turgentibuſve vitioſis humoribus negotium faceſſunt, poſſe, inquam, initiũ curationis fieri à rhabarbaro ſeu toſto, ſeu ſibi relicto, junctis abſtergentibus, & dehinc adſtringentibus curationem perfici. Sed ubi mali moris eſt morbus, ſeu aeris vitio epidemio, ut plures decumbant, ſeu domeſtico pravorum humorum, acrium puta, ſalſorum, aut in graviori ſtatu arſenicalium, in corpore putredinoſa fermentatione ortus, uti quidem plerumq; obſervavimus, tutiſſima & nobis hactenus frequentata eſt ſupra laudata methodus. Dedimus initio Tincturam noſtram bezoardicam cum anodyna remixtam, ita enim miaſmata maligna diſcutiuntur, corrigũturque, febris incrementum prohibetur, (quæ tantum non ſemper adeſt, ut ſæpiſſimè petechias ipſas conjunctas viderimus,) putredo arcetur, adeoque acrimonia humorum ſopitur. Hoc ſolo medicamento decenter dato & repetito, morbo huic ferali ſæpe in principio frenum injecimus, ut præſentaneum ægri ſenſerint auxilium.

Si dolor & fluxus urgeat, majori doſi opus eſt, ut proportio ſit inter morbum & medicamentum.

Conſentit *Hœferus l.* 3. *Herc. med. c.* 5. aſſerens, per laudanum opiatum, præmiſſis præmittendis, ſe olim ſalinarii cujuſdam ſecretarii liberos omnes, & inter hos ſemeſtrem puellam, à dyſenteria feliciter ſanaſſe.

Eleganter idcircò *Jacob. Bontius in not. ad cap.* 4. *Garc. ab Horto pag. m.* 41. ſcribit: Certè laudes hujus ſucci ex papavere expreſſi, ſi vellem referre, viderer chimicis velle ſuum honorem præripere; hoc ſaltem dico, ſi nobis hic de opio ac opiatis non eſſet proſpectum, fruſtra in calidiſſimis Indiæ Orientalis regionibus medicinam faceremus dyſenteriæ, choleræ, febribus ardentibus, ac reliquis bilioſis affectibus orgaſmo turgentibus. Idem ſua experientia probat & laudat *Horſt. conſil. dyſenter. c.* 3. *p.* 226. *illuſtris Boyleus* rhabarbarum cum grano uno laudani conſulit; tum enemata ex lacte bubulo.

Exemplum lethiferi ſucceſſus habet *Thoner. lib.* 3. *obſ.* 8. *p.* 167. ſed à medicaſtro dato laudano.

Illud tamen notandum, quod in dyſenteriis indolentibus cautius ſit adhibendum ſacrum hoc medicamentum, ibi enim bezoardicorum vis debet eſſe fortior, licet omnes hoc modo affectos mortuos eſſe, nec ullis vel generoſiſſimis remediis ſervari potuiſſe *anno II. Ephem. German. obſ.* 43. *p.* 82. adnotaverimus. Et hîc valet illud *Tullianum*: carere omni ſenſu doloris miſerius eſt, quàm dolere.

In *HÆMORRHOIDIBUS* immodicis, valdeque dolentibus, præſertim ſi mali vehementia nimis urget, & vix expultrix irritata eſt, laudantur opiata.

Maxima tamen in horum adhibitione requiritur circumſpectio, ne *Horatianum* illud incurrat medicus:

Stulti dum vitant vitia, in contraria currunt.

h. e. ne alvus conſtringatur, & vaſis occluſis, ſicque caloris διαπνοῇ *ventilatione* prohibita, accendatur febris, qui metus eſt *Sennerti l.* 4. *prax. part.* 2. *ſ.* 2. *c.* 6.

Conſultum verò eſt, cum hæmorrhoides maximam cognationem habeant cum affectu hypochondriaco, unde & cacochymiæ & imperfectæ ſanitatis indicium præbere ſolent, præter opiata ☍lia & aperientia alia generoſa adhibere. Obſervavimus aliquot ægros, qui fluxum hæmorrhoidalem aliquoties experti, cum per aliquod tempus uterentur Tinctura ♂ aperitiva temperatiori, illas non ſenſere amplius.

Vidimus etiam binos immorigeros, qui dolore cœcarum hæmorrhoidum vexati ab opio & amuleto noſtro,

hoſtro, fabaria, opem tulére, (cujus ſanè effectum præter noſtra experimenta continuata plurima, præter alios *D. D. Bartholini l. de transplant. morbor. pag.* 18. & *D. D. Schœckiorum*, Haffniæ & Auguſtæ Vindelicorum teſtimonia, exceptione majora comprobant,) cum verò non curarent ea, & internis viſceribus illuc ceu ad ſentinam humorum confluxum amandantibus non proſpicerent, redeunte malo putredinem ibi paſſos, & degeneraſſe morbum in cancrum quaſi occultum, unde νεκρώσει interaneorum ſubſequente miſerrimè periére.

Neque inconveniens eſt ſæpenumero, interponere purgantia, eo potiſſimum caſu, quando bilis copioſius inteſtina lata fluentium hæmorrhoidum curſum continuat. Vir primarius per aliquot menſes fluentibus hæmorrhoidibus moleſtatus, aſſumpto leni purgante aliàs ipſi familiari, plurimis evacuatus eſt ſedibus per biduum, nec poſt feces aliud ſubſecutum eſt, quàm liquor planè bilioſus unde illicò hæmorrhoides ſubſtitére, nec per plures ſeptimanas poſt vel minimum de illis ſenſit amplius.

An in *CALCULO* conveniant opiata, dubium occurrit. Sunt qui omnes eos, quicunque opiata nephriticis exhibent, ſiniſtrè exhibere credunt, ſiquidem illis facultas expultrix ſopiatur & ligetur quaſi, cum tamen eadem potius roboranda ſit, & ad expellendum inſtiganda.

Sed ſi v. g. dolor urgeat, calculus ſit magnus, vigiliæque inde & denique forſan lipothymiæ oriantur, propina, quæſo, expellentia, ſtimulantia, facultatem expultricem roborantia, ipſamque vitam cum gemitu expelle. Non poſſunt expelli calculi, ut lumbrici. Quin ſæpe, cum calculus jam intravit ureteres, inſigneſque ciet cruciatus, neque tamen expelli poteſt, adhibitis aliis externis, quæ eundem retrahunt, ceſſant dolores.

Contra ea, obſervatum eſt à nobis ſæpius, datis ejuſmodi demulcentibus facultatem longe magis roborari. Neque ſopitur eadem hoc modo in totum, ut nil amplius agat, ſed dolores ſopiuntur, ut facultas expultrix eò valentius inſurgere poſſit. Ita pulvis ex lapidibus ♋ cinnabari minerali, & opio, conſtans ab *Excell. Dn. Ludovici*, fautore & compatre noſtro colendo, *Diſſert. I. Pharmac. modern. pag.* 448. commendatus, crebriori noſtra experientia longè optimus eſt, cui reſolventia alia ex ſpermate ceti, aliiſque quandoque non inutiliter miſcuimus.

Ita *Unzerus* laudanum opiatum, reliquis medicamentis in caſſum adhibitis, feliciſſimo cum ſucceſſu ad placandos nephriticos dolores non ſemel in uſum duxit, quando ſcil. calculus nondum renibus fuerit egreſſus, aut ſaltem leviter inde emotus. Eo autem egreſſo, alteque ipſis ureteribus impacto, tum inefficax hoc remedium deprehendit. *lib. I. de nephrit. c. 7. p. 986.* & quamvis exhibitum tunc nonnihil levaminis initio viſum fuerit attuliſſe, tamen momentaneum tantùm illud fuiſſe obſervavit, recrudeſcente nimirum paulò poſt eodem dolore, ſæviusque quàm anteà affligente.

Exemplum feliciter in nephriticis cruciatibus uſurpati opii, vid. apud *Horſt. l.* 10. *obſ.* 3. quæ tota de viribus laudani opiati agit. *Confer. Barthol. cent.* 3. *epiſt.* 46. *p.* 192. ubi in *teneſmo* & calculo proficuus opii uſus deprædicatur. *Hœchſtetterum decad.* 6. *caſ.* 1. *p.* 675. ubi plura ex Veteribus adducuntur loca, huc non tranſcribenda.

In *PODAGRA*, præcipuè ſi dolor cauſæ veſtem induat, & urgendo ad ſe curationem trahat, ad opiata confugiendum, ceu ad aſylum.

Arthritidem vagam ſcorbuticam unicè ferè debellare poſſunt eadem. Conſueta nobis hanc curandi methodus, in quam plurimis feliciſſimo ſucceſſu probata, maximè in mulieribus, quas in Thuringia noſtra frequentius viris ea affici videas, eſt 1. antiſcorbuticis & ♂libus. 2. univerſalibus, tum purgantibus, tum ſaluberrima in his affectibus venæſectione. 3. ſpecificis opiatis in pilulari vel alia forma adminiſtratis. Qui enim præmiſſis hiſce noverit 🜍 metallicum ſolare cum opio maritare, & prudenter adhibere, næ feliciſſimè hunc perdomare noverit & alios morbos.

Exterius in articulari hoc morbo quandoque etiam opium adhiberi ſolet, cum aliis mixtum. Nos ea intentione adhibere ſolemus linimentum noſtrum nervinum ex ∽ formicarum, lumbricorum volatili & ⊖lis ✱ci vel C. C. vel utriſque, addito interdum liquore opiato, vel ipſo ∽ opii.

Notandum tamen, ne opiatis ipſis liberaliore uſu hoc pacto inſiſtentes, quàm ut doloris ſævitiam aliquo modo leniant, magis noceamus, quàm proficiamus, viam parantes humori peccanti ad tophaceam duritiem. Opiata enim articulis adhibita incautè, nocent.

Obiter hoc loco illorum culpandus venit mos, qui in arthritide externis oleoſis, unctuoſis, & pinguibus, modò his, modò illis, prout dolor jubet, utuntur, vel ſolis vel cum opiatis remixtis. Vidimus hæc utplurimum plus nocumenti quàm commodi poſt ſe reliquiſſe, & id ipſum inter cauſas tophorum & nodorum omninò referendum judicamus.

In *AFFECTIBUS HYSTERICIS*, ſuffocatione, hyſteralgia, menſibus immodicis, fluore albo, aliiſque, opium divinum eſt auxilium, ſive additis caſtorinis aliiſque laudanum hyſtericum inde confiat, ſeu pro re nata cum appropriatis miſceatur, qualia exempla plura apud autores, inprimis *Hartmannum*, *Paracelſum*, *Platerum*, alioſque proſtant. Et nos ipſi frequenti experti ſumus experientia, quantum utilitatis ad uterum redundet ab opiatis. Ita pulverem abſorbentem ſuprà citatum invenimus in hyſtericis accidentibus utiliſſimum; elixir uterinum cum anodyna tinctura mixtum facit officium; ſi cum ebore ppt. ſuccino, caſtoreo & magiſt. lap. ♋. miſceatur opium, in fluore albo conſurgit egregium medicamentum, modò rectè quis eo utatur. Extant hujus rei veſtigia apud Coum ipſum, qui *lib. 2. de morb. mulierum c.* 87. *p.* 610. in affectibus hyſtericis *τὸν μήκωνος ὀπὸν papaveris ſuccum* cum aliis præſcribit.

Hinc rectè à *Paracelſo l. de morb. ament. tr.* 2. *cap.* 4. *p.* 503 inter confortantia matricis refertur quinta eſſentia opii. Exemplum laudano opiato feliciter curati furoris uterini in nobili fœmina ſanguinea refert illuſtris *Bartholinus centur.* 5. *hiſt.* 85. *p.* 165. Alia exempla ad ſymptomata hyſterica videre eſt apud *Decker. meth. medend. p.* 118. & alios.

An aphrodiſiacum ſit opium, & ♀em excitet, autorum non una mens eſt.

Cardanus, *Scaliger*, & *Nicol. Monardes* Amphionem illum, quo ad venerem ciendam utuntur Indi & Turcæ, nil aliud eſſe, quàm opium teſtantur.

Confirmat id ipſum relatio *Joh. Jac. Suar. itiner. Ind. Orient. p.* 11. qui expreſſis verbis ſcribit, parare Indos in Bantam electuarium ex opio, quod Affion vocant, coloris cineritii, ſaporis dulco amari, cujus uſu feroces fiant; Chinenſes verò in Batavia eo uti ad excitandam venerem, ejus uſu adeò veneris œſtro incitantur, ut per totam noctem venerilitent, ſæpe aufugientibus, nec ulteriorem vim ſuſtinentibus ſcortis. Vid. de hoc latius *B. D. D. Sachs*, etiam poſt fata celebratiſſimus *Tom. II. Ephem. Germ. obſ.* 69. *p.* 126. ubi & alii citantur.

Garzias è contrario *l. c.* non ſolùm aphrodiſiacum

eſſe

eſſe negat opium, ſed & uſu ipſius ſteriles factos ſe obſervaſſe memorat. Sic & *Renodæus l.* 1. *de mat. med ſ.* 10. *c.* 2. *p.* 279. experientia conſtare ſcribit, opium libidinis œſtrum potius coercere, atque ignavos carnis reddere motus.

Utut verò variet tum aliorum medicamentorum, tum opii noſtri effectus, pro diverſitate regionum, temperamentorum, individuorum, & utendi modorum, adeoque opium in aliis venerem excitet, in aliis frænare eandem queat, probabilior tamen videtur prior ſententia, non obſtante, quod immodico & quotidiano uſu ſterilitas exinde ſubſequi poſſit.

Qui verò venereum opium eſſe negant, videntur falſa niti hypotheſi, ſtimulos nempe ♀is infringi ab opii frigiditate, & vaſorum ſpermaticorum conſtrictione.

Univerſale aſſertum eſt *Macrobii*, omnia calida ♀em provocare, & ſemen excitare, & generationi favere, *l.* 7. *Saturn. c.* 6. *p.* 525. quod quidem generaliter huc non applicabimus, neque probabimus in totum, experientia tamen ſæpius deprehendimus, ab aſſumpto opio in calidioribus, præcipuè verò diſpoſitis, ortas fuiſſe Pollutiones nocturnas cum tentigine, cujus rei plura exempla poſſemus in medium afferre, niſi nomina ægrorum propalare religioni nobis duceremus. Hinc ſi cum ambratis maritetur, ſive in ſubſtantia, ſive in eſſentia, aphrodiſiacum conſurgit non contemnendum.

An in amputatione crurum *σφακελοδέων* narcotica ſint adhibenda? quæri ſolet. Hæc enim reciſio & extirpatio putridæ & corruptæ partis, ubi *ἡ συμπεπληρωμένη νέκρωσις τῆς ὅλης οὐσίας*, *conſummata mortificatio totius ſubſtantiæ adeſt*, ut loquitur *Galenus*, 7. *aph. com.* 50. omninò requiritur. Hoc cum ſine dolore vehementi utplurimum peragi nequeat, quidam pro remotione hujus narcotica in uſum trahunt, ſtupefacientia ſenſus & ſpiritus animales, adeò ut multum dormiant, nec dolorum faces accendi adeò ſentiant.

Negat quæſitum *Fallopius Tr. de tumor. c.* 26. quoniam, cum dolor ſit adeò intenſus, oporteret ut eſſet ſomnus mortis. Si ſoporifera ſint levia, *inquit*, non juvabunt; ſi valida, ſunt valdè periculoſa.

Guilhelm. Fabritius Hildanus l. de gangræn. & ſphacel. c. 19. itidem negat, quod perquam periculoſa ſint iſta narcotica, propter graviſſima, quæ inducunt, ſymptomata, imò & mortem. Citat pro negativa etiam *Guid. de Cauliac. tr.* 6. *doctr.* 1. *c.* 8. *Joh. de Vigo l.* 4. *tr.* 7. *cap. ult. Petr. Pigray. in. c.* 9.

Gre. Horſtius l. 10. *obſ.* 3. meminit quorundam chirurgorum, arte ſua celebrium, qui in magnis operationibus v. g. quando membrum aliquod enſe reſcindendum eſt, ne pars ſincera trahatur, ægris per biduum nullum ſomnum concedant, donec ex ſumma virium debilitate ſomno corripiantur, ne convulſiones graves per ſomnum oriantur. Ipſe vero conſultius ſuadet, mox prima nocte laudano ſomnum provocare, qua ratione non tantùm vires colliguntur, ſed ſimul etiam ſanguinis motus & fervor inhibetur.

Idem ibidem quoque meminit, chirurgum doctum & peritum graviter vulneratis mox exhibuiſſe doſin laudani, tam quietis conciliandæ cauſa, quàm etiam eam ob cauſam, ut inflammatio partium læſarum minor expectanda ſit. *Alibi* ſc. *l.* 8. *obſ.* 8. *p.* 409. addit & illam rationem, fieri id poſſe ad hæmorrhagias præcavendas, & affluxum ad læſas partes inhibendum.

Semper ad circumſtantias alias accuratè *ϛοχασμὸς* medicus dirigendus. Nil obſtat, quò minus præcedente operationem nocte ægro opiatum propinetur moderata doſi, ita enim & animo alacriori patietur uri & ſecari membrum, & varia præcavebuntur ſymptomata.

Par ratio eſt in ſectione calculi, de quo vid. *Horſt. l.* 9. *obſ.* 31. *conſil.* 2. *p.* 457.

Ut medicamenta opiata in actum deducantur, opus habent vehiculo, quo mediante in corpus adſumantur.

Dividi hoc poteſt in *GENERALE* & *SPECIALE*. *GENERALE* conſtituunt alimentoſa, domeſtica & corpori amica, vinum, cereviſia, juſcula, quibuſcum ordinariè & optimè quidem propinari ſolent. Imò lubentius ægri pauxillum hoc medicamenti in ſolito ſibi quotidiano liquore adſumere conſueverunt, quàm aliis. Valet hoc præcipuè, ſi opiata per ſe adhibeantur, propriò & principali fine.

Sin tamen *SPECIALE* vehiculum eligere ſit animus, appropriata cùm opio combinari amant. Facem præbet hac in parte *Mynſichtus*, qui *ſect.* 3. *armament. chim. p.* 72. *ſeq.* aliquot foliis varias in omnibus ferè affectibus, quibus opium confert, formulas congeſſit, excepta pulverum, & opiatorum liquidorum forma. Inter tot enim egregias mixturas nil aliud occurrit, quàm mixturæ & boli, maximè tamen commendanda, unde lectorem eò amandamus.

Cum verò conſuetudine recentiorum ſæpius quoque in pulvere vel Tinctura dari ſoleant opiata, facilè cuivis pulveri, qui communem cum opio habet intentionem, miſceri poteſt laudanum, vel ℥ anodynus, facile etiam cum quolibet liquore conjungi poſſunt eadem anodyna liquida, qui non diverſo extractus eſt menſtruo.

Exterius variis dolorum generibus auxiliatur opiũ. Ad leniendos dolores acerbos v. g. capitis, extrinſecus moderatè appoſitum, omnium efficaciſſimum opium pronunciat *Fernel. l.* 5. *m. m. c.* 17. quod vel naribus illitum odore ſolo conferat, hac tamen cum cautela, ne ejuſmodi externa actuali frigiditate excedant, ſicque materiam repellant. Alibi, nempe *l.* 6. *m. m. c.* 5. *p.* 398. deſperatis duntaxat levioribus auxiliis admovendum in ardore ſummo & intolerabili cruciatu, cum exquiſito ſenſu, concedit.

Sic & in mania & phrenitide externè opium in unguentis, narium foraminibus & temporibus inungendis præſcribitur, ut & aliis caſibus, ubi non tam dolores quàm vigiliæ urgent.

Unguentum expertiſſimum ad dolorem capitis commendat *Valentinus Polidamus libro de dolorib. capitis p.* 78.

℞. *Opii Thebaici*, *camphoræ ā.* ʒß. fortiter tere & diſſolve cum *oleo roſarum*, quo ungantur *PLANTÆ PEDUM*.

Ingreditur eo fine, ſcil. pro ſopiendis doloribus capitis & vigiliis coercendis frequenter unguenta, linimenta, epithemata, balſama, aliaque externa, qualia exempla apud omnes practicos innumera occurrunt, ut iis colligendis ſtudio ſuperſedeamus.

Nos in vigiliis, doloribus capitis, & dentium ſæpe ſolùm extractum opii, vel cum extracto opii combinatum applicavimus temporibus, inſtar emplaſtri. Sicuti vel ſola theriaca eodem modo emplaſtrata, vel etiam ſimul pone aures applicata utiliter ob opium ſomno proliciendo juvamentum præbet.

Sic etiam opium commodè miſcetur cum ol. nuc. moſch. expreſſo, & ol. nucl. perſicor. itidem per expreſſionem parato, prout id in quotidiano talibus urgentibus caſibus nobis eſt uſu.

Ad podagram opium lacte muliebri dilutum commendat *Scribon. Largus compoſ.* 158. *p.* 87.

Pertinet huc monitum è textu *Galenico l.* 2. *de comp. med. κατ. τόπ. c.* 2. collectum, ne opiata applicentur ſuturæ coronali, neque parti poſteriori propter principium ſpinalis medullæ, ideò admovenda fronti, ut ipſe trochiſcos cum opio applicabat. Vid. *Euſtach.*

Rhud.

Rhud. l. 1. *de hum. corp. aff.ct. c.*1.*p.*9. Attamen *Langius l.*1. *epiſt.* 10. *p.* 47. arteriis carotidibus & temporibus rectius medicum peritum medicamenta ſoporifera, quàm fronti illinere ait. Poteſt utrumque locum habere, potiora tamen ſunt tempora.

Quæritur, quomodo opium externè applicatum dolorem ſiſtat? Hic ſanè ſi, quæ externè præſcripta à variis autoribus ſunt, attendantur, illa utplurimum ad eorum opinionem potius, quàm ſecundum rationem poſita eſſe, res ipſa evincit. Veterum enim hypotheſis, opium dolores ſiſtere ſtupefaciendo partem dolentem præ nimio frigore, ut ſenſum omnem quaſi amittat, hodie penitus expirat, quam non ſolùm Experimentum *Plateri* refutat, quod *tract.* 1. *prax. lib.* 1. *cap.* 5. *p.* 156. recenſet, ubi nunquam ſe deprehendere potuiſſe refert, quod ab *externo nocturno narcotico cuti applicato*, ea *ſtupida* aut *indolens* reddi queat, licet, ut certi aliquid cognoſceret, maſſam *opii* emollitam *parti podagricæ* dolenti, ſed ſine fructu applicarit; ſed & nos itidem nunquam ſtuporem partis ab impoſitione opiatorum obſervare potuimus. Agunt itaque opiata, quatenus per poros ſubtilior pars 🜔eæ & ☿ialis cum ſanguine communicatur, & hinc vires ſuas ordinarias, licet remiſſiori longè gradu & refractè exerit, cerebri & nervorum vi ſimul obtusâ.

Modus applicandi quorundam notari meretur. Ita *Joh. Langius l.* 3. *epiſt. p.* 911. *ſcribit*, ubi ſomni conciliatione opus eſt, medicum quendam celebrem aliquando etiam ſanguiſugas poſt aures accommodare, & remotis ſanguiſugis granum unum opii vulneribus imponere felici ſucceſſu ſolitum eſſe.

Notandum tamen, ſæpe ab autoribus huic vel illi cauſæ adſcribi effectus, qui tamen nihil minus ſunt. Sic eundem medicum ſcribit item *Langius*, in phthiſi arſenico commodè uſum. Quis hoc auderet hodie?

Idem memorat *Joh. Mich. Savonarola de febrib. cap.* 8. *rub.* 10. *p.* 177. eo ſolùm diſcrimine, ut angulis oculorum applicatio fiat.

Confirmat *Geiger. microcoſm. hypochondr. c.* 32. *pag.* 472. prodeſſe ad vigilias corrigendas & ſomnum conciliandum granum opii admotum puncturæ hirudinis, pone aures admotæ.

Credibile eſt, utut opio ſuas vires neque hoc pacto denegemus, ſæpe hunc effectum adſcribendum potius hirudinibus, quàm opio.

Idem *Geigerus* ibidem pilam odoriferam componit pro eadem intentione ex ℈ ß. opii cum cort. rad. mandragoræ, ſem. hyoſc. papavere, ſtyrace, laudano & cerâ, cum carbone ſalicis.

Tales *Pilæ* ſoporiferæ etiam ab aliis commendantur pluribus, imò à quibuſdam habentur pro ſecreto.

Exempla videri poſſunt apud *Savonarol. l. c.* ubi & talia *ſuper umbilicum* ponere jubet. Memorabilis de hoc ipſo applicandi ☍, umbilico, locus *Octavii Horatiani libro* 4. *pag.* 99. ubi deſcribit unguentum ſomniferum mirabile, ex opio, myrrha, ruta, thure & cerâ, quod jubet pro chalaſtico umbilico imponere: Tam *Somnum Præſtat*, addit, quàm etiam *Ventrem Movet*.

Ita & *Balſamum* ex eodem confieri poteſt, uti modò diximus, commiſcendo corpus pro balſamis ordinarium, & ol perlic. expreſſ. vel opii ♌tum quoque. Neque emplaſtris jungi renuit, uti ingreditur *emplaſtrum carminativum Sylvii* & alia; diſcutit enim & vehementer emollit tophos nodoſque, unde & in ſcirrhis lienis commendatur.

Locum habent externa hæc maximè in teneri oribus, quibus facilè ad hunc vel illum effectum recipiendum aptum eſt cerebrum.

Hæmorrhagiam contumacem ab arteriâ vulneratâ, quæ reliqua remedia penitus eluſerat, ad miraculum uſque mox reſtinctam, appoſito pauxillo magiſterii opii ad arteriam vulneratam, obſervavit *Horſtius Tom. II. l.* 9. *obſ.* 12 *p.* 446.

Narium hæmorrhagiam deſperatam curatam refert *Crollius* è gr. xvi. laudani duas pilulas formando, & utramque narem pilulâ unâ occludendo, *baſil. chim. p.* 235.

Curaverat ſibi dentem evelli vir militaris celebris in maxilla ſuperiore, inde verò ſanguis non poterat ſiſti, licet varia fuerint adhibita; dato à nobis interius opiato pulvere cum lap. hæmatite parato, & externè alio ex ⊕-l. ulneâ, ſangu. dracon. & opio, qui cum linteaminibus carptis imponebatur, omnis ſtatim ſubſiſtebat ſanguis. Idem in Juris candidato obſervavimus, qui ferè exanimis jacebat mediâ nocte, cum ab eadem cauſâ hæmorrhagia copioſior ipſum affligeret.

An in vulneribus ſclopetorum conveniat, disquiritur. De eo ſic *Felix Würtz part.* 2. *de curat. vuln. cap.* 16. *p.* 294. *Andere vverden gefunden, die das* gumm. opium *in die Brandſalben brauchen; aber ſo viel als ich mich darauf verſtehe, mit ſchlechtem Nutz. Solches* gummi *iſt in keinen Wunden nützlich: denn es kühlet keine Wunde auſſerlich, ſondern brennt in den Wunden und Schaden, als ſolches die Erfahrung ſelber bezeuget: darumb es denn keinen Brand von Büchſenpulver loſchen kan.*

Binis ſententia hæc affirmantium nititur hypotheſibus falſis: *Prima* eſt, opium refrigerare. Altera, communior propemodum, ardorem à pulvere ſclopetario in vulneribus excitatum extinguendum eſſe.

Optimè ait autor citatus, non convenire ex hypotheſi primâ opium, quod non refrigeret, ſed potius uredinem inducat.

In Ulceribus uteri *Hieron. Mercurialis l.* 4. *de morb. mul. cap.* 7. *p.* 281. ubi dolor eſt conjunctus, in extremis neceſſitatibus addit aliis opium, nec id timendum eſt, *inquit*, propterea quod uteri mala ſæpe ad mortem mulierem deducunt, præſertim dolores. Opiata utero infuſa poſſunt quidem ſterilitatem facere, mortem nequaquam, ſi prudenter adhibeantur.

Non deſunt, qui in *Cauteriis* adhibent opium non quidem actualibus, ſed potentialibus. Inſpiſſatâ materia ſalinâ acri, corrodente, ſive ex calce vivâ, ſeu aliâ, paratâ, ſi cauteriis faciendis utamur, & opii addamus modicum, opus ſuum ſine dolore perficere, annotat *D. Franciſc. Hildesheim. ſpecil.* 1. *de affect. cap. p.* 14. Idem tamen paulò ante dixerat, licet dolori (à cauterio excitato) opiatum permiſcendo occurrere poſſimus, tamen non ſemper eſſe tutum uti opio; vidiſſe enim ſe, quod talia potentialia cauteria cum opio adminiſtrata tandem gangrænam induxerint.

Ita & cauterium potentiale ſeu ruptorium *Vigonis l.* 8. *cap.* 13. recipit opii ℈ j. *Melchioris Welandi*, opii lixivio ſoluti ℥ iij. quæ videantur apud *Glandorp. gazophylac. polyplus. c.* 4. *p.* 24. *ſeqq.*

Ad extinguendum coitum ungere jubet membra genitalia & renes pectinem aquâ, in quâ opium Thebaicum ſit diſſolutum, *Franciſc. Hildesheim. ſpicil.* 2. *de maniâ p.* 151.

In pruritu partium genitalium idem *ibid. p.* 152. commendat ſequens: ℞ ceruſſæ ℥ vi. 🜔 citrin. ℥ ii. opii ℥ j. M. cum aq. & applica partibus genitalibus. In eundem uſum cum unguento refrig. Galeni & populeo miſcet opium *Hartmann. prax. chim. c.* 275.

Nos in moleſtiſſimo hoc affectu obſervavimus pleraque externa fruſtraneam navare operam. Juvenis plethoricus 24. ann. à tribus annis ſenſerat pruritum intolerabilem ferè in ſcroto, cum tenſione, titillatione & pollutionibus nocturnis. Medici ipſi præſcripſerant emulſiones internè & externè, epithemata item ex acidis, camphorâ & aliis. Pinguibus exaſperatus fuerat

ſemper affectus. Conſuluimus præter univerſalia uſitata, V. S. purgationem &c. aquam calcis vivæ, ſed levi cum fructu, hinc cum omnia ferè externorum genera ab aliis jam ordinata fruſtrà fuiſſent, conſului veſicatorium in femore, à quo cum levamen ſentiret manifeſtum, applicato fonticulo in parte domeſticâ tibiæ in hunc diem liberrimus ab iſto malo vivit.

Opium prohibet pilos naſci juxta *Savonarol. pract. tract. 6. rubric. 29. p.* 85. ex hypotheſi, quia ſtupefacit & infrigidat locum, qui tamen uſus ob ſuperius dicta vix attendi meretur. Poſſet hîc latius deduci externus opii uſus in dyſenteriâ, podagrâ aliiſque affectibus, ſed cum ille partim ex dictis pateat, partim paſſim receptus ſit, eo ſuperſedere jam lubet. In dyſenteriâ commodè adhibuimus theriacam cum oleis ſtomachicis remixtam & ſtomacho impoſitam, quòd & cum ⊕ lo ♂ & terrâ ſigillatâ fieri poteſt.

In *dentium dolore* pilula ex laudano opiato denti dolenti excavato intrudi commodè poteſt. Sic & *pilula Herlicii* in ore detenta omnem dentium dolorem mirificè ſedare ſcribitur *à Sculteto armam. chirurg. obſ.* 28. *p.* 89. quæ conficitur ex ſemine apii, hyoſcyami, opio & ſirupo papav. ubi quidam ſedato dolore os eluere jubent decocto roſmar. ſalv. major. ſpicæ, hyſſopi & ſimilibus, ut noxam ab opiatis impreſſam tollant. Locum habet balſamum odontalgicum:

℞. *Laudan. op.* ℈ *j. ol. camphor. carioph. an. gutt. v. corp. pro balſ.* ʒ ß. M F. balſamum, cum bombace dolenti denti applicandum. Nos frequentius uti ſumus ſeq.

℞. *Tinctur. odontalg noſtr.* ʒ *ij. anod.* ℈ ß. Teneatur in ore, & cum humor ſatis attractus fuerit, exſpuatur. Temperat acrimoniam, odontalgiam excitantem, Cum attenuantibus his felicius quàm per ſe uſurpatur, imò bene reſpicienda eſt cauſa, cum ſæpe tutius ſit & melius interius eadem propinare, ſæpe dolorem non tollant, ſed magis & violentius inſuper provocent, quale exemplum videri poteſt apud *Hippocr. l. 6. epid. ſect. 6. t.* 46.

An citius & tutius in actum ducantur opiatorum vires clyſteribus immiſtorum, quàm per os exhibitorum, quæri poteſt.

Savonarola Tr 6. c. 1. *rubr. 9. de vigiliis*, ſecurius eſt multum, *ait.* opiata per exterius quàm per interius approximare, unde eadem in clyſteribus & ſuppoſitoriis quoque commendat. Sic & *Eraſtus* audacius per clyſteres infundi juſſit opium, cum ſapâ in colicâ, quod non diu inhæteat. *part.* 4 *contr. Parac. p.*249.

Alii quoque affirmativam tuentur, præcipuè cum in acutis & aliis gravioribus morbis vigiliæ vel ex doloris vehementiâ, vel humorum nimio æſtu adeò invaleſcunt, & vires frangunt, ut opiata amplius tuto ventriculo committi nequeant. Ne itaque natura omni auxilio deſtituatur, authores ſuadent immiſcere opiata clyſteribus. Sic *Sennertus l.* 1. *med. pract. part.* 2. *p.* 334. *cap.* 7. in phrenitide, in ſummo virium lapſu, ubi opiata non commode interius aſſumuntur, clyſteribus ea admiſcenda monet. Affirmat id ipſum quoque *Mercatus l.* 1. *de recto præſidiorum art. med. uſu c.* 3. *p.* 58. & 63.

Pro negativâ vero facit 1. quia remotior locus eſt à nervorum origine & primo αἰσθητηρίῳ. 2. Facilius à principio nervorum ad ulteriores propagines mittitur medicamentorum vis, quàm vice verſâ, uti in ſimili exemplum eſt in clyſteribus nutrientibus dictis, & aliis.

Utroque modo officium faciunt, melius verò & præſentius ἄνω aſſumpta, quàm κάτω inferiori gutturi infuſa.

Imò uſus internus tutior longè eſt quandoque externo. Admirandum, quod opium crudum dentibus applicatum, quod nonnulli affirmant, clyſteribuſque infuſum homines necaverit.

Clyſteres tales anodyni bene componuntur ex paregoricis, cum emollientibus mixtis in lacte vaccino, vel jure vervecum coctis. Hinc colaturæ addi poteſt opium, ſi extremi urgeant dolores, ſed non in magnâ doſi, v. g. philon. Rom. vel theriacæ recentioris ʒ j. vel laudani opiati gr. v. vel IIX. Vid. *Regner. Graff. Tr. de clyſter. p.*188. vel requies Nicolai ad ʒ *ij. Drawitz. de ſcorbut. ſ.* 8. *p.* 330.

Ut ubique, ita & h. l. cautè agendum; cum enim gummata v. g. *ſagapenum ammoniacum* &c. per clyſteres infuſa mortem intulerint, quia adhærent, nec repelli poſſunt, ceu annotat *Schenckius ex Rondelet. tom.* 1. *l.* 3. *obſ.* 250. pari modo opium, cum viſcedinem quandam inſtar prædictorum in ſe contineat, pariter inſinuando ſe plicis inteſtinorum moram trahere, ſuique exterminium impedire poteſt.

Ita Monſpeſſuli pharmacopæi cujuſdam uxor, cum atrociſſimis coli doloribus laborans, opii ʒ j. clyſtere recepiſſet, in coma incidit, ut habet *Salmuth. cent.* 2. *obſ.* 97. *p.* 109. quod curatum fuit clyſtere alio ex vino malvatico injecto.

Hinc ſolvendum prius eſt & benè diluendum, ſi cum clyſteribus id applicare ſit animus.

Par ratio eſt ſuppoſitoriorum. In collyrio, quod Avicennæ interpretibus eſt ſuppoſitorium, adhibitum opium mortem acceleraſſe teſtatur *Abuali l.* 3. *fen.* 16. *Tr.* 1. *c.* 4.

Exemplum ſimile conſignavit *Gattinaria in comm.* 9. *ad Almanſ. c. de ſodâ cholericâ* & ligato ſermone id ipſum refert *Bouſſuetus l.* 2. *de art. medend. p.* 32. Plures autores de utroque caſu ex *Galeno, Rhaſi, Marcello Donato, Alexandro Benedicto*, & aliis collegit *Sennertus l.* 6. *med. pract. part.* 7. *c.* 1. *p.* 291. Videatur & *Sinibald. geneanthrop. l.* 3. *tr.* 2. *cap.* 10. it. *Zacut. Luſit. M. P. H. l.* 1. *hiſt.* 60. *p.* 426. Hæc proinde exempla quemvis cautius mercari nec opium temere per guttur inferius intrudendum doceant.

Tutius erit ſomnum per enemata procurare corrigendo hypochondriorum & viſcerum ſiccitatem, mitigando humorum æſtum, vel ſedando dolorem. Eligi queunt mitiora, ut Philonium Romanum, Perſicum, aliaque jam dicta. Neque tam opium crudum, quàm bene præparatum eligendum, ut laudanum opiatum, confectio opiata, ut & narcotica Mynſichti. Notandum etiam, ut doſis ſemper ſit minor. Non diu præterea ejuſmodi enemata retineantur, nec corrigentia negligantur, qualia ſunt oleum caſtorei, anethi, chamomillæ, de baccis lauri. Tandem, ſi opus videatur, rejecto clyſtere opiato malvaticum infundendum.

Sin caute adhibeatur, in exulcerationibus inteſtinorum & doloribus convenire ſuppoſitum poteſt opium. Ita *Franciſc. Joel. l.* 4. *pract. ſ.* 3. *p.* 337. ſuppoſitorio ex opio facto ſæpiſſime dyſentericum fluxum cohibuit, quod experimentum bis adhuc in operibus ſuis commendat. *Addit*: crebro autem glans ex opio ano inſeratur, ſed ultra quadrantem horæ in inteſtinis non eſt dimittenda, ſed rurſus appenſo filo eximenda, quod ipſum quoque monet *Guainerius*.

Neque novum illud eſt, ſed jam à *Tralliano* dudum commendatum. quem *vid. l.* 8. *c.* 6. *p.* 357. ubi varia ejuſmodi ſuppoſitoria deſcribit.

Cautelæ circa Opiatorum uſum.

Cum cautelâ opium dari debet, inquit *Petr. de Creſcent. l. 6. commod. oper. rural.*

Divinum medicamentum eſt opium, δεῖται δὲ ἀσφαλείας καὶ μετριότητος, *circumſpectione verò & moderatione opus habet.*

Sacra vitæ anchora eſt opium, bene & circumſpectè agentibus: cymba autem Charontis in manu imperiti, &

& ceu gladius in manu furioſi. Cavendum ego, ne ναρκωτικὰ fiant νεκρωτικά.

Temerarius hypnoticorum uſus quantum pariat damni explicat *Ballonius lib.* 1. *conſil.* 65. & *lib.* 2. *hiſt.* 4. *p.* 123.

Quantumvis igitur opiata in infinitis morbis inſignem & egregium præſtent uſum, imprudens tamen & indiſcriminatus eorum uſus mortem multis intulit, licet exempla talia rarius annotentur, exitus enim felices diligenter colligimus, ἀποτυχίας autem & mortes nec animadvertimus.

Vires ut ſemper primatum obtinent in indicationibus, ita & hoc loco circa uſum opii. *Primò*, ne morbo, cui contra ire animus, atterantur, *deinde*, ut pares ſint huic medicamini, quod propinandum venit.

Circa illud tenendum, ut maturè ſuccurratur; circa hoc, ne agoniſanti & in extremis verſanti ægro, viribus penitus eccliplſantib., præbentes medicamentum, quod multos juvit, illi notam malignitatis inuramus.

Nec ſolum præſentes ſpectandæ & attendendæ ſunt vires, ſed & futuræ.

Eleganter *Trallianus l.* 1. *c.* 13. εἰ δὲ, *inquit*, καὶ ἀσθενὴς ἡ δύναμις ἦν παρέστω τότε μάλιστα ἐκκλίνειν τι τῶν ναρκωτικῶν. Ἐπὶ γὰρ τῶν ἀσθενῆ τὴν δύναμιν ἐχόντων οὐχ ἡ τυχοῦσα βλάβη τῇ πόσει τῶν τοιούτων παρακολουθεῖ, ἀλλὰ θάνατος ἔσθ᾽ ὅτε. *Sin vires quoque imbecilles fuerint, tunc maximè vitabis, ne quid de narcoticis exhibeas. Nam in his, qui infirmas habent vires, non vulgaris noxa talium potionem comitatur, imò mors inde ſequitur.*

Et l. 6. *c.* 1. εἰ δὲ ἀσθένεια δυνάμεως εἴη, φεῦγε παντελῶς τὰ ναρκωτικὴν ἔχοντα δύναμιν. *Si virium imbecillitas adſit, vitato prorſus narcotica.* Conſultius eſt, autore *Lindano*, non expectare tamdiu in exhibitione ejuſmodi medicamentorum, donec ſpiritus jam planè conſumpti ſint, ſed in tempore uſurpanda, ſi adhuc vires conſtant. In rebus deſperatis ad opium non eſt fugiendum, ſed antequam ad deſperationem perventum ſit.

Falli poteſt medicus in exhibitione medicamenti, ob defectum neceſſariæ talis conditionis, quâ rectè non adſumitur, præcipuè *Ratione Temporis.* Exemplum lucidiſſimum præbet laudanum opiatum, probatiſſimum medicamentum.

In tempore cum erat medicus exhibendi, & porrigit ægro extremè debilitato, vel in ſummo ſenio, vel in agone, vel phthiſicâ ulceroſâ diſpoſitione, dum ſputum ſupprimitur, viaticum eſt ad vitam æternam, dictante laudatiſſimo *B. Rolfincio*, *commentar. in aph. Hipp.* 1. *cap.* 10. *p.* 20.

Medicus quidam Practicus in uſu habebat, in agone verſantibus, ut minori defungerentur mortis anxietate, ſed facilius reſiduum quod eſſet lampadis vitalis jam extinguendæ, minori cum nixu extingueretur, propinare laudanum opiatum. De eo in certa quadam perſonâ in agone conſtitutâ noſmet moniti, maluimus abſtinere, quàm famæ ſubire diſpendium.

Hollerius l. 1. *de morb. intern. c.* 27. *p.* 278. Nunquam utendum eſſe ſcribit narcoticis recens paratis, ſed ſemeſtre ſpatium eſſe exſpectandum, aut eo plus. Cautela hæc ab ipſo etiam *Tralliano* jam propoſita *l.* 3. *c.* 4. δῆλον δὲ, *inquit*, ὅτι τὸ ὄπιον ἐκλέγεσθαι δεῖ τὸ παλαιὸν, οἷς τὸ φεύγειν ἡμᾶς τὸ πάνυ ναρκωτικὸν αὐτοῦ. *Conſtat autem opium deligendum eſſe vetus, eò quod nos magnam ipſius in torpore inducendo facultatem vitamus.*

Tanti tamen hic metus non eſt; recentiſſimis licet opiatis uti, modò id μετ᾽ ἀσφαλείας *cum cautione* fiat. Quò recentiora eò efficaciora quidem ſunt, neque tamen vetuſtum inefficax, κρᾶσιν quippe obtinuit non ita facilè diſſipabilem, utrumque tutum eſt, & ſine ullo periculo datur.

Nonnulli danda cenſent narcotica calido ſemper ægro, & cum cætera fruſtra ſunt, quinque horis à tenui cœnâ.

Poſt cœnam opiata danda monet *Hercul. Saxon. prælect. pract. part.* 1. *c.* 10. *§.* 6. *p.* 37. Saltem quinque horis ab accepto cibo: & cœna ſit parca, ait, ne opium, quod replet caput, impensè concurrente vapore cibi copioſo, apoplexiam inferat. Rectius tamen id limitat *Cæſalpinus*, & duabus vel tribus horis à cœnâ dari ſcribit. *l.* 1. *art. med. c.* 13. *pag.* 33.

Diſtingui & hîc poteſt 1. inter doſin ordinariam & extraordinariam, ſi primariâ intentione dentur, tempus nocturnum optimum eſt, 3. vel 4. horis à cœna. Sin ſecundariâ, etiam manè & poſt meridiem. 2. Inter tempus electionis & neceſſitatis, quod quidem per ſe patet.

Arragoſius apud Cratonem epiſt. 55. *pag.* 78. Periculoſam ſcribit exhibitionem laudani opiati, ubi 1. vires ægri non ſunt firmæ, 2. Corpus non eſt evacuatum, 3. & humores craſſi ſunt. Teſtatur etiam ipſe *Crato epiſt.* 158. *p.* 241. Quod impuris atque crudis corporibus nocere re ipsâ compertus ſit.

Quæritur ergò non immeritò, an prius, quàm adſumantur opiata, purgandum ſit corpus? *Galenus* & alii affirmant. Nos, inquit *Prosp. Martian comm. in l. de morb. mul. ſ.* 4. *poſ.* 171. *p.* 274. veſtigia Hippocratis ſequentes, in curatione eorum morborum, in quibus aut dolores vigent, aut humorum importunus motus, aut eorum acris qualitas viget, ſymptomatibus ſtatim ſuccurrimus prius, quàm ad purgationem deveniamus, idque ſi urgeat dolor, per aliquod medicamentum, quod opium recipiat, verbi gratia, theriacam, aut pilulas de cynogloſſâ, aut requiem Nicolai aut Philonium, prout res exigit, & Deum teſtor, hunc curationis modum mihi ſucceſſiſſe feliciter, nec quicquam incommodi ſemel quidem ægrotanti contigiſſe novi.

Si licet, præmiſſis præmittendis, Venæſectione vel purgatione, ſi morbus ea indicet, poſt principia dari poſſunt opiata; ſin circumſtantiæ methodum variant, etiam citra hæc.

Caſpar. de Calderâ de Herediâ, Tractatu tribunal medicum inſcripto ait, poſt narcoticum aſſumptum, altero die venam non ſecandam, illud enim eſſe lethale. Nos, ſi valdè adſtringentia præbeantur, ſanguinis motum impediri novimus, ut venâ ſectâ nullus elabatur ſanguis, unde utique cauti eſſe debemus, ne inſcitiæ acculetur medicus.

Hæmoptyſi laborans, tinctura opiatis adſtringenti & opiatis diu uſus, curabat medici ſui juſſu aperire venam; ſanguis verò ſtetit inſtar glaciei, ne guttâ quidem exeunte.

Ne in paroxyſmis ipſis, verbi gratia, hemicraniæ, febrium, epilepſiæ dentur opiata, multi quàm maximè cavendum jubent, idque non immeritò, ne natura hoc modo à pugna ſuſcepta revocetur, & devinctæ quaſi arma exuantur, Strategemata morbos hos fugandi & abigendi latet in tempore, debent enim dari medicamenta ante paroxyſmum, præcipuè ſi periodum juſtam obſervet morbus. Limitari tamen hoc ipſum quoque poteſt ab urgentibus circumſtantiis quandoque, & concedi tunc opiata ſucciſa doſi.

Tam provida ſolet eſſe in paroxyſmis quoad illa medicamenta, quæ retrahere illam ullo modo queunt, ut illorum actuationem differat, pugnæ ſuæ intenta, ſic datum purgans durante paroxyſmo ſæpe interpolatur, poſt illum demum officio ſuo fungens. Quando itaque opium ea doſi in paroxyſmis pro re nata datur, ut naturam non interturbet, non liget ſed juvet, eatenus etiam tunc locum habere poteſt.

Par ratio eſt in motibus ſpontaneis ſeu à natura inſtitutis, per quemcunque locum expellat materiam natura, ut in diarrhœis, morbillis, variolis, aliiſque motibus criticis, in quibus narcoticorum fortiorum uſus plerumque funeſtus fuit obſervatus. Melius eſt, debilitari ægrum & inſomnem ad aliquot dies perſiſtere,

quàm protinus extingui. Idque adeò in omnibus malignis locum habet, uti ſupra jam innuimus, ut cautiſſimè in uſum vocentur opiata.

Memoranda hoc loco illorum conſuetudo, qui in uſu habent inſtante partus tempore laudanum opiatum exhibere, ſpe certâ confiſi, ſi juſtus adeſt terminus, naturam inde roboratam iri, ſin minus, dolores immaturos ſiſti. Quæſiti in ſimili & quidem illuſtri caſu, an conſultum eſſet, eo uti, abnuimus, præcipuè cum obſervationibus nobis conſtaret, dato hoc modo opio, ſæpe dolores, parturientibus neceſſarios, inhibitos fuiſſe, & difficiliorem nixum inde ortum.

Refert *Foreſtus l.* 9. *obſ.* 14. de cacochymico, cui imperitus medicus in dolore calculi ſtupefaciens exhibuit opium, quo deglutito nec amplius evigilavit æger, atque ita, quem dormire voluit, excitare poſtea non potuit, quod *Celſus* cavendum monet *lib.* 3. *cap.* 14.

Ita & novimus viduam, cum menſes reſtitantes per os viam quærerent, ſanguineo vomitu ſubſequente, obſtructis viis inferioribus, ab imperito chirurgo ſumſiſſe poculum adſtringens, cui admixtum erat opium. Sana & ſalva quæ videbatur, & modò cibum ceperat, de ſubito extincta eſt. O cœcitatem, ô temeritatem tonſoriam!

In frigidis affectibus, aut ſubjectis, minus de opiatis exhibemus, quàm in calidis; humoribus craſſis pituitoſis & viſcidis minus eadem conveniunt. Hydropici unius grani opii exhibitione moriuntur, notante *Walæo Meth. med. p.* 153. Conſummati ſcilicet, ubi liberè vibrari nequit diaphragma, nec flabellum ordinarium ventilationem ſuam præſtare, inde ab opiatis primariâ intentione datis facilè tota ſufflaminatur actio, alias enim, pro re natâ, etiam hydropicis quandoque ex uſu eſſe poteſt, ceu à *Scribonio Largo comp.* 126. *p.* 75. opium in hydrope inter alia commendatur. Ubi roboranda eſt natura, magis quoque convenit, & quibus ab ejus aſſumptione alvus movetur. Exemplum hujus rei egregium vid. apud *Barthol. Centur.* 3. *epiſtol.* 46. *pag.* 192.

Opium & opiata in omnibus *ventriculi affectibus*, niſi urgente *dolore inflammatorio*, fugienda eſſe manet *Septal. l.* 7. *§.* 3. Cavendum eſt ab ejus uſu in iis, quibus debilis eſt appetitus, qui facilem habent alvum, & infirmum ventriculum, in iis enim utplurimum alvum ſolvit, & appetitum proſternit.

Diagoras & *Eraſiſtratus* uſum opii damnarunt in aurium doloribus & oculorum lippitudinibus, quod & viſus aciem hebetaret, & ſoporiferum eſſet, teſte *Dioſcoride l.* 4. *c.* 65. quod ex eodem repetit *Plinius.* Addidit Andreas, protinus excæcatum iri, qui eo illineretur, niſi adulteraretur.

Confirmat idem *Pergamenus l.* 2. *de compoſ. medic.* κατὰ τόπ. *cap* 7. ubi: Rarò cogimur pharmacis ex opio uti cum videlicet præ doloris vehementiâ homo de vitâ periclitatur, quanquam & tunc ſolidæ partes ex ejus uſu offendantur, adeò ut poſt hæc correctione opus habeant Sic & ex opio collyria multis detrimento fuerunt, adeò ut debilem oculum reddiderint, & viſus hebetudinem, amblyopiam Græcis vocatam, induxerint, velut etiam auditus gravitatem inducunt, quæcunque ad vehementem aurium dolorem ex opio compoſita ſunt, ſeu, ut *l.* 8. *c.* 4. *ejuſdem Tractatus* loquitur, ea ad immedicabilem frigiditatem particulas deducunt.

Idem pluribus, quænam collyriorum ex opio uſum damna ſequantur, exponit *l.* 3. *m. m. c.* 2. *&* *l.* 13. *cap. ult.* ac proinde ſubjungit, ſi quando illis uti nos cogat neceſſitas, non ita multo poſt ad illa tranſeundum, quæ vim opii maleficam corrigere valent.

Avicenna l. 2. *Tr.* 2. *cap.* 526. in doloribus oculorum & ulceribus concedit uſum opii, cum lacte mulieris, alibi tamen non utendum eo cenſet, niſi in acerbiſſimo dolore, ex materia ſubtili & corrodente, ubi ſyncope & extrema dejectio virium metuitur. Videatur hanc in rem *Chriſtoph. à Vega art. med. l.* 3. *ſect.* 2. *c.* 1.

Hinc in *ophthalmiâ* opii uſus neque frequens eſſe debet, nec multus, animadvertente *Septalio l.* 6. *§.* 93. quia ob amarorem mordet & dolorem auget. In ſummo ergo dolore interdum opiata miſcenda, ſed in minima doſi.

In *otalgiâ* quoque cautè utendum opiatis. Nihil enim magis auditum reddit difficiliorem, quàm narcotica faciunt. Sæpe & in *odontalgiâ* præſtat ea interius aſſumere, quàm dolentibus partibus applicare, quod jam dictum.

Ratione *Ætatis Infantibus* & *pueris* opiata rarius & parcius danda. Ita ſolet vulgò iiſdem quandoque exhiberi theriaca, quod ſi in paucâ doſi fiat, adeò incommodum non eſt. Sin ſecus, debilitatur facilè ingenium, & memoriam obtundunt opiata, quin ipſi cerebro nociva creduntur. Vid. *Septal. l. c. l.* 3. *anim.* 46. *I. I. Scharandæus l. de rat. conſerv. ſan. c.* 12. *p.* 103. An verò tenellæ ætati, atque anguſto pectori juxta pernicioſum ſit, juxta monitum medicum *Tulpii* 39. abſolutè, nemo facilè affirmaverit. Si enim & tenellâ ætate conſtituti malè habent infantes, ut indicetur opium, doſi ipſis proportionata, utique tutiſſime dari poteſt, quod feliciſſime in praxi experti ſumus vel millies ſucceſſiſſe ex voto.

Senibus non adeò conveniunt ac aliis ætatibus. Quin præpoſterè ſæpe his ad ſomnum provocandum præſcribuntur, qui ſpec. diambr. & diamoſch. in forma elect. & aliis calidis ſæpe moleſtas abigunt vigilias, teſte *Sim. Pauli Quadrip. Botan. p.* 71. *&* 145. Verum eſt, vaporoſa ejuſmodi, calidum nativum roborantia, convenire ſenibus in moleſtiſſimo ipſis pervigilio, uſus tamen opiatorum ſimilibus moderatè admixtorum tutiſſimus eſt. Cauſa autem, quod interdum perperam adhibeantur in ſenibus, interdum non tutò frequenter, eſt partim ſiccitas, & defectus humorum; partim metus ne in apoplexiam diſpoſitio præſens augeatur. Nos cum ſpirituoſis & humectantibus ea feliciter eo caſu adhibuimus, inprimis miſcendo tincturam anodynam cum ♈-⊖-li cephalico volatili.

Habent ſecum hoc vitii narcotica, quod plerumque exſiccent corpus, unde nunquam ſine humectantibus offerenda, aut ſi hoc non liceat cum ipſis, ante tamen vel poſt iſta danda, præcipuè iſto caſu, uti diximus, cum ſufficienti ſeri quantitate ſanguinea maſſa deſtituitur, unde reſolubilitas opiatorum impeditur.

Tacemus hîc alia, quibuſcum miſceri poſſint opiata, utpote de iis jam ſupra diximus.

Ratione *uſus & applicationis* quædam etiam dicenda occurrunt.

Jam olim Mneſidemus apud *Dioſcor. l. c.* uſum duntaxat olfaciendi probavit ad conciliandum ſomnum: alioqui ceu noxium damnavit. Rectè verò ſubjungit *Dioſcorides* tum huic aſſerto, tum præcedentibus modo citatis, ἅπερ δεῖ ψευδῆ, ὑπὸ τῆς πείρας ἐλεγχόμενα, διὰ τὸ ἐπιμαρτυρεῖσθαι τοῖς ἔργοις τὴν ἐνέργειαν τοῦ φαρμάκου *Quæ quidem omnia commentitia eſſe, experimento deprehenditur, ſiquidem effectus virium hujuſce medicamenti fidem facit.*

Hercules Saxonia l. c. prælect. pract. part. 1. *c.* 10. *pag.* 36. quem & alii ſequuntur, extrinſecus prius adhibenda innuit, ubi ſi nihil effecerint, intrinſecus quoque præbenda.

Imò etiam externè à quibuſdam cautelæ adduntur, præcipuè quoad caput. Externis cephalicis urgente rei uſu non rarò adduntur opii aliquot grana. Admonet tamen *Franciſc. Hildesheim ſpicil.* 1. *de dol. cap. p.* 16. dum illo extra uti volumus, ne admoveamus illud commiſ-

ſuræ

ſuræ coronali, ſed fronti. Cerebrum enim minime tolerare poteſt opium citra noxam, commiſſura autem, quia eſt pars capitis rarior facile opium recipit, quod non contingit, ſi fronti applicetur, quo de ſupra jam actum fuit.

Quoad *Doſin*, quidam à levioribus ſemper incipiendum ſuadent. Vid. *Fabrit. Hildan. lib. de gangr. & ſphaceli c.* 24. *p* 826. Generalis h. l. repetenda eſt cautela, ſemper tutius eſſe ſubſiſtendum infra ſummam doſin, & præſtare, repetita potius vice ut voti compos fiat medicus, quàm extrema ſtatim tentando opprobrium ſibi accerſat. Peccatur hîc magis in exceſſu, quàm defectu. Sic narcotica ſi immoderatius aſſumantur, etiam ſola apoplexiam effeciſſe non raro obſervatum fuit, teſte *Wepfer. de apopl. p.* 25. Neque valet, quod olim methodici gloriabantur, cum uſu narcoticorum ſublato dolore, quamquam mors ſequeretur, ſe tamen morbum abegiſſe, teſte *Galeno lib.* 2. *ad Glauc. cap.* 2.

Ex ſupra dictis etiam fluit, ut bene & fideliter ab exercitato artifice ſint præparata, quod allegato loco *Hildanus* quoque monet.

Non vero ſtatim deſperandum, ſi legitima obſervata methodo, datis opiatis æger per longum tempus dormiat, præſertim ſi vigiliæ præceſſerint continuatæ.

Retulit nobis venerandus *Rolfincius*, ſe aliquando collegæ ſuo medico, Dn. D. Zachariæ Brendelio, Lipſiâ reduci, ubi per plures noctes inſomnis commoratus erat, & hinc aliquo modo ſenſibus perturbatus, propinaſſe laudani opiati gr. VI. cujus uſu cum indormiiſſet, 24. horas & amplius, evigilans ſanitati redditus fuit integerrimæ.

Plures cautelæ, eæque elegantes videri poſſunt apud ſæpe citatum *Septalium l.* 3. *animadverſ.* 43. *& ſeqq. Neſter. Conſil. antidyſenter. cap.* 1. *p.* 248. *Grubium de med. ſimpl. cognoſc. p.* 147. *Crollium Baſil. chim. p.* 235. & alios.

Atque hæc ex Clariſſ. VVedelii doctiſſimo de Opio Tractatu hactenus forſan paulo fuſius

OPOBALSAMUM.

De eo abundè ſatis actum ſub titulo *Balſamum*, ubi ſcilicet de *Balſamo vero*. Hic tantùm uno verbo de ejus ſelectione ex Auguſtanis.

Balſamum genuinum eſſe indicat odor thuris & terebinthinæ æmulus; ſapor ſubamarus, adſtringens & modicè mordens; calor ſi mediam ætatem attigerit, aureus, vel in ſenio, melleus; lactis ab eo infuſi aliqualis coagulatio; & reſinoſa in panno adhæſio, quem non olei inſtar intimius penetra, aut maculam indelebilem adfricat.

OPOPANAX.

De eo vid. ſub titulo *Panax*. Hic tantùm de *Opopanacis* ſelectione ex Auguſtanis.

Commendatur puriſſimus, amarus, interne albus, aut ſubfulvus, foris ad aureum colorem inclinans, lævis ſi frangatur, pinguis, galbani inſtar lenteſcens, tener, ſtatim in aquâ eliqueſcens, & lacteſcens, gravique odore præditus. Improbatur niger ac mollis, nec non ammoniaco aut cerâ fucatus; dolus agnoſcitur, ex eo quod in aqua digitis fricatus non reſolvitur, nec lacteſcit.

OPUNTIA.

Quamvis frutex hic Theophraſti & Plinii Opuntia non ſit, cum illa, ab Opunte oppido circa quam provenit nomen ſortita, herbula ſit non frutex nedum arbor, merito tamen Opuntia Indica arborea, aut fruticoſa dici poſſit, quia inſigni proprietate è folio radices emittendi cum Opuntia Theophraſti convenit, nec alia quævis præter eam, quod hactenus audivimus, arbor aut herba. Quinetiam Opuntiam hodie (ut puto) in Locride fruſtra quæſiveris.

Cùm dico illam è foliis radices agere apparentiam potius & opinionem vulgarem ſequor, quam rei ipſius veritatem. Quæ enim folia videntur revera non ſunt ſed potius rami. Nam 1. folia non germinant, aliaque ex ſe folia emittunt, ſed rami 2. folia intra annuum ſaltem ſpatium in juſtam magnitudinem extenſa poſtea non augentur. In hac autem ſtirpe quæ dicuntur folia quotannis augentur & incrementum capiunt, & in nonnullis ſpeciebus ligneſcunt. 3. Addit Gul. Piſo, folia contigua tantum eſſe arbori, è contra omne quod rami vicem ſubit continuum: ſe autem in quibuſdam ficubus diſſectis radices immediate continuatas vidiſſe frondi. Tandem, 4. Folia pleriſque omnibus plantis, etiam virentibus, tandem decidunt; at in hac proprie loquendo perpetua ſunt. Verum argumentum hoc non concludit, quoniam dantur nonnullæ v. g. epiphylloſpermæ in quibus folia durant quandiu caules: ut neque quod hæc fructum è foliis dictis emittat; nam epiphyllos ſpermæ quoque idem faciunt.

Forma tamen externa lata & compreſſa cum foliis conveniunt, & à ramis differunt, qui in omnibus aliis ſtirpibus teretes ſunt.

Dicitur autem hic frutex Botanicis ficus indica, ob aliqualem fructus cum fico ſimilitudinem.

Vires. Tum fructus tum folia refrigerant & humectant, ſalivoſaque ſunt, quo fit ut eorum ſuccus expreſſus febres ardentes maximè extinguat, & ſitim expleat. Grana ſicca & adſtringentia ſunt: hinc poma cum granulis loco cibi ſumpta alvum ſiſtere dicuntur: gratum præbent alimentum refrigeranſque, etſi flatuoſum & corruptioni obnoxium ſi largius ſumantur, quemadmodum alii horarii fructus, æſtuantibus jucundiſſimum, ſuccus plantæ aut aqua ſtillatitia admirabilis eſt adverſus bilioſas febres. Auxiliantur radices ejus cum Hieracii quadam ſpecie enterocelis, & eryſipelatis medentur. Indi ſucco expreſſo pro aqua utuntur; & D. Hughes ſe fructibus hiſce in inopia aquæ perſæpe ſitim ſedaſſe refert.

Experientia conſtare aiunt folia eorumve ſuccum vulnera recentia mirabiliter ſanare. Tumores etiam & apoſtemata, quæ nautis plerunque accidere ſolent in Americam trajicientibus, potenter diſcutiunt. D. Hughes folia chartâ madefactâ involuta, & ſub cineribus toſta ejuſmodi apoſtematis cataplaſmatis formâ applicare ſolebat, ſucceſſu ſupra ſpem & expectationem proſpero, ut nullum vel præſtantiſſimum medicamentum compoſitum ad hunc uſum æquè commodum & proficuum fuerit. *Raius.*

ORBICULARIS.

Nomina. Fungus pulverulentus, crepitus lupi dictus *J. Bauh.* Crepitus lupi, ſive fungus ovatus *Park.* Fung 3. ſive Orbicularis *Ger.* Fungus noxius 42. ſive rotundus Orbicularis *Caſp. Bauh.* Fung. nox. prima ſpecies *Cluſ.*

Cluſius. Nullo ferè cum picuo pediculo nititur, glomeratæ rotunditatis, juglandis magnitudine & majoris & minoris, primò albâ cute & medullâ itidem albâ conſpicuus, poſtea ex albidâ vel lividâ; medulla cùm corrumpitur in tenuiſſimum ſicciſſimumque pulverem abeunte. Calcatus crepitum edit & fumum pulverulentum emittit. *Nobis obſervati dum juniores adhuc eſſent, cute quidem albâ ad cinereum tamen tendente, eaque non lævi & æquali, ſed velut granulatâ tecti erant, eorum autem pulpa interior mollis interdum,* initio candidus, inde vireſcens.

In paſcuis & pratis ſiccioribus, ubique ferè autumno invenitur. Hujus pulvis gravem & fœtidum ſpirat odorem. *Imper.*

ſiccat admodum & aſtringit, unde vulneribus inſperſus ſangu nem ſiſtit, ulcera inveterata deſiccat, hæmor h idum fl uxum cohibet: oculis tamen inimicus, imò perniciofus cenſetur. *Raius.*

Quòd oculis ſit inimicus ſatis ſuperque conſtat ex obſervatione Clariſſ. *Joh. Muys*, qui ex ejus pulvere in oculum ſuſcepto enormem ophthalmiam enatam vidit, ut in ſuâ *Chirurgiâ* habet *Rationali.*

Alia *fungi orbicularis* datur ſpecies quæ capitis humani quandoque magnitudinem æquat, quo Chirurgi Germani cum fructu ad ſiſtendas hæmorrhagias in membris amputatis utuntur, eo ſcilicet velut pileolo ſeu cucuphâ extremam partem unde facta eſt amputatio, & in qua vaſa ſunt aperta, obvolventes.

ORCHIS.

Orchis i. e. teſticulus, cur dictum ſit hoc plantæ genus, neminem qui ejus radices unquam eruerit latere poteſt: quod ſi quem forte lateat, Spigelium attendat in Iſagoge ad rem herbariam, rationem reddentem his verbis. Cunctæ herbæ quæ bulboſas binas aut ternas habent radices inſtar teſticulorum, ſemen humanum quodammodo redolentes, orchides cenſentur.

Satyrium à Satyris dicitur ob incendium libidinis, quòd veneris incentivum, ut vocant, eſſet præ reliquis bulbis. Satyria dicuntur quibus unicus eſt bulbus, orchides quibus geminæ, autore Dioſcoride. Spigelius, neſcio quo autore, ſatyrium proprie dici ait quod ternas habet radices, orchidum radicibus ſimiles, unam quæ ſurſum erigitur virilis membri formâ, duas alias inferius, ex eodem initio teſticulorum modo dependentes. Quod ſi verum ſit, nulla fortaſſe, certe pauciſſima erunt ſatyria.

Vires & Uſus. Orchis calf. & hum. ſaporis eſt dulcis. Uſus præcip. (ex ſignatura laſciva) ad viridem fortitudinem reſtaurandam: hic & uterum confortare creditur & ad conceptionem diſponere. *Schrod.*

Ad conceptionem juvandam ℞. Sal. ſatyrion. ʒ ß. cum vino malvatico aut aq. vitæ mulieri ſæpius poſt menſtruorum fluxum. Multas fœminas hoc remedio curavit Hartmannus. D. Hulſe. *Raius.*

Datur Orchidis quædam ſpecies minima flore purpureo ſaturato & non parum odoro, in montibus nobis vicinis admodum familiaris, è cujus flore, ſeu ſpica non ſemel elegantem concinnavimus conſervam in debilitata virilitate non mediocris ſanè uſus.

Orchidem autem vulgarem quod ſpectat ex ejus radicibus bulboſis vulgò teſticulis vocatis remedium vidimus pro herniis concinnatum non inefficax, ſcilicet earum certus quidam numerus in vino albo per noctem maceratus mane jejuno ſtomacho per aliquos dies continuos potandus exhibebatur.

Oreoselinum, vid. *Daucus Apii folio* ſub titulo *Daucus.*

Orichalcum, vid *Aurichalcum.*

De eo conficiendo vid. ſub titulo *Æs.*

Origanum, vid. *Majorana.*

Oriza, vid *Oryza.*

Orminum, vid. *Horminum.*

Ornithoglossum, ſeu *Lingua avis*, vid. ſub titulo *Fraxinus.*

Ornithopodium, vid. *Polygala.*

OROBANCHE *ſive Limodorum.*

Orobanche dicta eſt ἀπὸ τῦ ἄγχειν τὺς ὀρόβυς, quia vicia ſtrangulat ſ. iſtum ſigura ad orchidem accedit, foliorum viridium & herbaceorum carentia, differt tum ab Orchide tum ab aliis plantis. Eſt autem vel radice ſimplici non repente ſquamoſa, Orobanche ſimpliciter dicta; vel radiculata repente dentaria; vel radice multis fibris craſſiuſculis implexis compoſita, nidus avis.

Vires Orobanches vulgaris. Herba condita aut ejus ſyrupus ad ſplenicos & hypochondriacos affectus uſus eſt eximii; unguentum ex eadem cum axungia ad tumores duros & ſchirroſos. *D. Bowle.*

Orobanche flore minore I. B. adeo parum differt à præcedente, ut ſpecie diverſum eſſe mihi perſuadere vix poſſum. *Raius.*

OROBUS.

Orobus dicitur παρὰ τὸ ἐρεπτέσθαι ἀπὸ τῶν βοῶν quòd boves eos veſcantur & ſaginentur Dioſcor. Lib. 2. cap. 131. βῦς δὲ λιπαίνει ϖαρατιθέμϑυος boves autem ſaginas ſi elixum apponatur.

An *Orobus* vulgò creditus ſeu *Mochus* Italorum ſit verus antiquorum Orobus ambigitur: non eſſe arguit quod nulla huic inſit amaritudo nullusque ingratus ſapor, ſed leguminoſus & piſorum vulgarium: inter legumina præter lupinum nullum amarum inveni, inquit *J. Bauhinus.* Orobus ergo antiquorum huic ævo incognitus videtur. Adde ſiliquam non eſſe cylindraceam ut Orobi Theophr. è contra Honorius Belli ex Cydonia Cretæ J Bauhinum miſit ſemen (ut ipſi videbatur) Orobi vulgaris, hac addita inſcriptione Orobus ὄροβος ſive ῥόβος, quod ruſtici ſerunt ſingulis annis & boves eo ſaginant antiquorum more.

Hujus *nota* eſt ſiliqua nodoſa, torulis ſeminum protuberantibus velut articulata.

Nomina. Orobus ſive ervum multis *J. B.* Or. receptus herbariorum *Ger.* vulgaris herbariorum *Park.* ſiliquis articulatis, ſemine majore *C. B.*

Cauliculis infirmis, ab eadem radice pluribus aſſurgit, pedalibus aut altioribus, anguloſis glabris, ab imò ſtatim ramoſis. Folia longa decem aut duodecim, aut etiam pluribus pinnularum obtuſarum extremo crenatarum conjugationibus ad medium nervum ſeu ῥάχιν adnexis, compoſita, nullo in extremo impari pinnâ, neque vero claviculâ, è foliorum alis ut in hujus generis reliquis, exeunt pediculi flores in ſummo geſtantes nunc ſingulos, nunc binos, exiguos, quam lentis tamen majores, folio clypeiformi exterius purpuraſcente, interius albo, purpuro cæruleis lineis ſtriato. Floſculis ſuccedunt ſiliquæ unciam longæ, tenues, cylindraceæ, per maturitatem albentes, articulatis torulis, in quibus ſemen rotundum (anguloſum redditur ubi ſiccum) leguminoſo duntaxat guſtu, non amaro.

In agris circa Monſpelium & Genevam vulgaris eſt, *Raius.*

Vires. Semen Orobi deterſivum & reſolvens reputatur.

ORYZA.

Oryza ut ſemen ex India primum fuit allatum, ſic & indidem nomen Lobelio aſcitum videtur.

Oryza gluma ſeu cortice craſſiore arcte adhærente granis, ſpica laxa, è pluribus compoſita à reliquis frumentaceis diſtinguitur.

Nomina. Oryza *I. B. C. B. Ger. Park.* & aliorum omnium.

C. B. Radicibus eſt triticeis, culmis bicubitalibus, ſtriatis triticeis & hordeaceis, craſſioribus ac robuſtioribus, geniculatis: foliis longis, arundinaceis, carnoſis, porraceis haud abſimilibus; in culmi cacumine non ſpica, ſed juba milii autem panici modo, in ramulos diviſa, in quibus ſemen utrinque impari ortu & alternatim provenit, cortice ſubflavo, aſpero, & angu-

anguloſis ſtriis in longitudinem donato, ſupernè villoſo, ovi figura, tectum, & aſpera ariſta armatum eſt, quo exuto granum quovis præſtantiſſimo Tritico candidius, pellucidum durum, Avenâ brevius & craſſius conſpicitur.

Flores ut in milio purpureos eſſe, & eodem tempore flores & ſemen proferre dicunt.

Oryza præcipua omnium Indiæ Orientalis regionum annona eſt, indeque primum allata in Græciam & Italiam. Hoc etiam ſeculo in univerſa India frequentiſſimus ejus uſus eſt, ut in omnibus fere ejus regnis, Provinciis, inſulis copioſiſſime ſeratur & colatur, ut Bengala, Pegu, Cambaia, Ceylon, &c. quinetiam in Ægypto magno proventu ſeritur, alicubi etiam in Syria, & fortunatis inſulis: inque Hiſpania & Italia ubi nos in Ferrarienſis ditionis locis paluſtribus ſatam obſervavimus.

Humidis locis delectatur, & in ipſis aquis creſcit. In inſula Zeilan aquas in ſtagnis reſervant ad oryzæ ſata irriganda: & ibidem, (aiunt) terra pinguis perpetuis exundationibus ita mollescit, ut Oryzæ meſſem facturi ad dimidium genu in aqua verſentur; ſic autore Porta, in Salernitano agro, ubi patenti, uda planitie maximo proventu ſeritur, euripis & ilicibus & fluviis ductis quoties opus eſt rigant, alias nullam aut caſſam ſegetem laturam: ita ut mirum ſit tam ſiccum & exſuccum granum tam humidum requirere ſolum: terramque humidam uliginoſam tam præſtantis ſoporis & ſalubris nutrimenti tamque ſiccum frumentum procreare: matureſcit æſtivis ſolibus, ejuſque meſſis ſerotina eſt circa æquinoctium autumnale: quare Septentrionales regiones, licet humentes magis, tamen ut algoſas reſpicit, nec ibi ad frugem pervenit.

Vires & uſus, in cybis Oryza admodum eſt familiaris, apud omnes nationes Orientales præcipue apud Indos; concoctuque facilior evadit & ori gratior, ubi ex lacte bubulo amygdalarum cremore, aut carnium pingui jure decocta fuerit, datur utiliter in cibis dyſentericis, cœliacis & diarrhœa affectis, præſertim ubi prius torrefacta, in lacte, in quo igniti calculi fuerint extincti, decoquatur. *Matth.*

Oryza Indis panis loco eſt, variis modis præparata: præparandi modos vide apud C. Bauhinum Theat. Bot. lib. 1. ſect. 4. cap. 29. potum quoque in multis Indiæ locis ex Oryza conficiunt. Vide C.B. loco citato. Turcæ quoque ex Oryzæ pultes efficiunt, & multa ex ea fercula parant. Varios Oryzam ad cibum præparandi modos in Europa, ubi triticum in panem venit, vide apud prædictum autorem loco laudato.

Vulgi animos opinio pervaſit Oryzâ frequenter veſcentes, obeſiores reddi; quare in quibuſdam locis fœminæ graciliores & macilentiores ea frequentius utuntur ex lacte & largiore ſaccharo aſſumentes. Sed veterum medicorum ſententia contradicit: ut qui inter ὀλιγότροφα ſeu leviter alentia & δύσπεπτα ſive quæ difficulter conficiuntur eam retulere. Nobis aliter videtur, & vulgi potius opinioni accedimus, nec audemus damnare edulium tot gentium, tot ſeculorum uſu approbatum: alvum modice aſtringere concedimus: unde & in hepatico fluore & mictione ſanguinea, inque tuſſi utile eſſe aliis aſtringentibus additis non abnuimus. Farina etiam cataplaſmatis repellentibus admiſcetur, & iis quæ mammarum incipientem inflammationem arcent, floribus chamæmeli & roſarum additis. In hæmoptyſi laudat Helmontius Oryzam in vel lacte chalybeato coctam. Dol. lib. 3. c. 8. ſ. 6. *D. Soame.*

Oryzæ tenuis decoctum, in aqua, uſitatiſſimum eſt apud Indos multorum medicamentorum vehiculum.

Liquorem vinoſum ex Oryza extractum *Arak*, aliquid vocant. *Raius.*

Orvietanum, vid. *Electuarium.*

Osmunda Regalis, vid. *Filix florum.*

Os de corde cervi, vid. ſub titulo *Cervus.*

OSSIFRAGUS LAPIS

Idem quod

OSTEOCOLLA,

De quo vid. ſub titulo *Lapis.*

OSTREA.

Oſtrea (vel ἀπὸ τοῦ ὀστρέου, vel quaſi ὄστρεα, quod teſta veluti oſſea tegantur) quorum differentiæ, à loco & colore deſumtæ, variæ ſunt. Ratione loci celebrantur.

1. *Pelagia*, quæ in alto mari naſcuntur, parva & rara.

2. Λιμνόστρεα, ut Ariſtoteles vocat, quæ in ſtagnis marinis degunt; cujus fortis ſunt apud nos Colceſtrientia dicta, quæ puteis & ſtagnis, quæ mare ſingulis æſtibus inundat, aluntur; indeque pinguiora & ſalſedine gratiora evadunt.

3. *Littoralia*, quæ in littoribus inveniuntur; nec non inter ſaxa, limi & aquæ dulcis expertia. Parva ſunt dura & acria.

4. *Britannica*, quæ omnibus præferuntur.

5. *Santonica*, quæ magis ſalſa & acria judicantur.

6. *Burdegalenſia*, inter quæ Medokina (ab oppido vicino *Medoch*, dicta) ſuavitate præcellunt.

7. *Circæa*, quæ ab Horatio Satyr. 4. commendantur.

8. *Abydena*, quæ olim à ganeonibus celebrari ſolita Clemens Alexandrinus in pædagogo prodidit.

9. *Lucrina*, (à Lucrinio Campaniæ lacu, in ſinu Bajano, prope Puteolos, ita dicta) quæ à Plinio celebrantur.

10. *Brunduſina*, de quibus ita Plin. gaudent peregrinatione, transferrique in ignotas regiones. Atque ita Brunduſina in Averno compaſta, & ſuum retinere ſuccum, & à Lucrino adoptati creduntur.

11. *Cumana*, quæ Strabo præſtantiſſima facit.

Quid? Oſtrea illa, inertiſſimam carnem cœno ſaginatam nihil exiſtimas limoſæ gravitatis inferre? Senec. Epiſt. 95.

Quoad colores; *ruffa* ſunt in Hiſpania; *fuſca* in Illyrico; *nigra* & carne & teſta ſunt Circæa, quibus palma menſarum diu tributa eſt; in mari rubro *flammeis* illuſtrantur *zonis*, hiſce demum ſubjunguntur.

Gaideropoda (quaſi pes aſini, apud Græcos, qui gaideron hodie Aſinum vocant) *Charleton.*

Oſtrea peſtiferos bubones loco transferunt & virus omne ad ſe trahunt: ſunt autem agglutinanda brachii parti quâ axillaris decurrit, videlicet ſi bubo in alis ſit, ſin vero inguen obſederit lineamentis femoris quæ vena cruris deſcribit Schrodetus ex *Hollerio.*

Oſtreorum teſtæ vim habent exſiccandi, ſudorem movendi, abſtergendi &c. Hinc uſus earum internus præcipuè eſt in febribus, quibus interveniente ſudore medentur. Externe conveniunt in dentifriciis abſterſoriis, in mariſcis & condylomatis ac reprimendis. *Dale.*

Ostrites, vid. *Oſteocolla* ſub titulo *Lapis.*

Ostrutium, vid. *Imperatoria.*

OTIS.

Avis eſt grandior quæ Gallicè vocatur *Outarde* cujus ſtercus reſolutivum ac in ſcabie conducibile reputatur.

OTICA MEDICAMENTA.

Ut delicatiſſimum membrum eſt oculus ad extra, ita delicatiſſimum quoque eſt auris ad intra, unde natura intra petras microcoſmi eandem abdidit, ne tam facile injuriis externis eſſet obnoxia.

Dividi & Otica ad inſtar ophthalmicorum poſſunt in *interna* & *externa*. Internis & externis communia ſunt (1) *Roborantia*, quæ ſpiritus vigorant, ut influant, nec ſtationem ſuam deſerant, ſeu ab intemperie capitis frigida, ſeu defectu ſpirituum, ſeu obſtructione pororum nerveorum influxus vacillet, ut in auditus gravitate, difficultate & ſenſus læſionibus aliis. Inprimis huc faciunt, quæ volatili ſubtilitate id præſtant, ut ipſiſſima cephalica recenſita pleraque, ſalvia, roſmarinus, ſtœchas arabica &c. Deinde & præcipitantia cephalica omne tollunt punctum, præcipuè & principaliter cinnabarina. Vix in illo affectu capitis tam inſignem hæc edunt effectum, quàm in aurium his affectibus. Unde & in febrium continuarum & ardentium declinatione omnium optima ſunt, iis in caſibus, quod ſæpius experti revera teſtari poſſumus.

2. *Aperientia & diſcutientia*, partium itidem volatilium & ſpirituoſarum, ſale volatili oleoſo inprimis pollentia, cum dictis concidentia. Sunt verò & alia hujus claſſis. Sic inſtar regulæ practicæ commendandum eſt: in affectibus aurium quibuſcunque, non à cauſâ ſolâ externâ oriundis, medicamenta ſplenetica & hypochondriaca eſſe optima. Reſtituimus hoc pacto ſæpius δυσηκόους, ſolis vel potiſſimum adhibitis martialibus & aperientibus aliis.

Sic *diaphoretica* in affectibus aurium, inprimis in otalgiâ unicè proſunt. Lympha enim plerorumque, ſi non omnium, affectuum aurium eſt cauſa, quæ omnibus modis corrigenda, diſſipanda, in ordinem redigenda eſt.

Sic *carminativa* auribus quoque ſpecifice medentur, tum internè, halituoſitatem ex primis viis & conſequenter ex M S. quoque tollentia. Neque enim ſonitus, ſibili & tinnitus aurium niſi ab exhalatione peregrinâ ſeu ſubſiſtentis lymphæ, ſeu ceſſantium ſpirituum, ſeu heterogeneis particulis halituoſis inductis oriuntur. Unde *carminativa* & *roborantia* inter Otica optima ſunt, v. g. ſemina carminativa, baccæ lauri, ☍ ♌ ta aniſi, carvi, anethi.

Inter externa verò laudanda apprimè, præter polychreſta roborantia, ex aquâ apoplecticâ, Anhaltinâ, acoviſticâ Mindereri eſſentiâ ad auditum Michael. ambrâ, moſcho, (qui ſolus impoſitus quoque egregiè juvat) ♅ otalg. Mynſicht. ſunt (1) *Extergentia*, quæ obſtructiones reſerant & mundant, ut acriuſcula, raphanus ruſticanus, cepæ, porrum, & amara, ipſaque purgantia, ut radix hellebori, colocynthis, flores perſicorum, ut abſynthium in lacte coctum, aſarum, plantæ cephalicæ roſmarinus, chamomilla, oleum amygdalorum amarorum, velut baſis omnium oticorum externorum &c. in ulceribus, vermibus, ſordibus proficua. Utraq; ſimul vias & parietes meatuum præſtant liberos. Sic & vapor ſeu ſuffimentum ex farinâ fabarum huc ſpectat.

(2) *Exſiccantia*, nihil enim auris archeo tam alienum eſt, quàm humor peregrinus vel quaſi talis; auris enim, ut ſonus quoque, ſiccis gaudet, ex thure, maſtiche, ſuccino, g. ſandaracæ. Hinc & fumus tabaci inſpiratus confert. Præcipuè verò in fluxionibus, quæ chronicæ & moleſtæ eſſe ſatis conſueverunt, hæc ipſa proſunt.

Anthelmintica ipſa, quæ quidem cum dictis coincidunt, ut non opus ſit ſeorſim de iis plura dicere.

Inter hæc ipſa vero notandum: (1) *In affectibus aurium ſemper magis ad caput, imò & alia viſcera, quàm ad aurem ipſam eſt reſpiciendum.* Hinc cum tinnitus ipſe quoque ſit ordinarius præco & anteambulo apoplexiæ, eo potiſſimum caſu abſurdum foret, topicis illi mederi, neglecta ſpirituum debilitate. Hinc ſemper eo caſu, ut obiter hoc addamus, attendendum eſt, an tinnitus proveniat ab infimo ventre, inquinato ſero & ſpiritibus, inprimis à flatibus; an à ſpirituum defectu, an ab aſſiduâ eorundem rarefactione & agitatione, ex quo etiam curatio moderanda & varianda eſt. Extat hanc in rem elegantiſſima de tinnitu aurium epiſtola apud *Scaligerum ep. 66. p.* 194. ubi poſt alia: empiricorum, *ait*, atque methodicorum olim fuit hoc, affectæ parti illico adhibere τοπικά. Nos aliter faciendum natura docet, quæ ut certis conſenſionibus commiſit atque aptavit partes animatas, alterius ſæpè noxam ex alterius incommodo pendere deſignat. Quamobrem non neglecto cerebro, ventriculi, jecoris, lienis, matricis prius ineunda ratio eſt. Nec minus ad ea, quæ φροκαταρκτικά vocant Græci, reſpiciendum.

2. *Quæcunque ſpiritus vel obtundunt, vel confundunt, cavenda ſunt.* Confundunt inprimis ſternutatoria, unde & caput turbant, & varie agitant materiam halituoſam, ac humoroſam ibi contentam. Obtundunt verò frigida, actu vel potentiâ talia, quæ idcirco tutius omittuntur. Hinc

3. *Nec frigida, nec calida, ſed tepida debent eſſe ὦτικα indenda*, quæ blande demulceant, non lædant verò. Valet enim & hîc, frigida eſſe nervis & nervoſis partibus adverſa; tepidis blandis gaudent aures.

4. *Topica auricularia vel auri ipſi induntur admittunturvè, vel pone aures illinuntur.* Illa vias requirunt patulas, unde ſordes removendæ prius, quæ ſæpe etiam ſolæ, in plebejis præſertim, in cauſâ ſunt, quare auditus ſit difficilis, quibus expurgatis hinc empirici ſæpe plus efficiunt, quàm medicamentis ſuis aliis. Hæc vero priorum ſunt ſubſidiaria, ad diſcuſſionem quoque egregie facientia ex ſpirituoſis, ▽ Anhalt. ol. petrol. eſſ. caſtor. volat. &c.

5. *Topica ipſa quoque inter ſe diſtinguenda ſunt, quæ quibus magis conveniant, in qualitate & quantitate.* Suffitus magis exſiccant, vaporoſa humida magis demulcent, oleoſa & ſpirituoſa magis diſcutiunt & roborant. In ſingulis cavendum eſt ſemper: Ne quid nimis. Inprimis aquea facile obruunt & laxam membranulam vaporoſa quoque & alia frequentius continuata partem debilitant. Imo nec auris patitur luſum, pars inter omnia ſenſoria ſubtiliſſima & delicatiſſima. Hinc etiam injectiones aqueæ decocta & alia, ad inſtar clyſterum vulgò commendata, minus locum habent, ſed omittere præſtat. Quando emolliendum eſt & demulcendum, immediate quoque inſtillantur v. g. ☍ amygd. dulc. quando roborandum, cum bombace.

6. *Actuationi topicorum velificandum eſt & corporis poſitu*; inprimis ſi ea immitti profundius ex uſu ſit. Hinc in aurem oppoſitam cubandum eo caſu, inprimis in otalgiâ.

7. *Quæcunque meatum obviſcant, exulent.* Pertinet huc & pinguedo caſtorei, cujus potius eligenda eſt eſſentia. Eſſentia fellis perdicis, lucii piſcis ob inciſoriam virtutem commendantur in ſurditate & vermibus aurium, quo caſu & urinoſa quidam laudant. Item cataplaſmata huc non quadrant.

8. *Quæcunque partem membranoſam & teneram lædunt & erodunt, cavenda ſunt.* Hinc olea deſtillata quædam acriora & calidiora conſultius omittuntur, alia bombace excepta; cum hoc modo non immediate feriant membranulam, tolerantur bene. Optimum verò eſt oleum amygdalorum amarorum, vel nucleorum perſicorum, eligere loco excipientis, cumque eo remiſcere ☍ ea carminativa alia, ſubtriplà circiter parte, additis pro re nata & ſpirituoſis, ut ſpiritu liliorum convallium, ▽ apoplecticâ, eſſentiâ caſtorei factâ concuſſione albeſcentia.

9. *Immiſſis topicis maſticare conſultum eſt.* Videantur de hoc meatu ab aurium regione ad os eunte anatomici, & *Heerius obſ. 28. p.* 315. qui plura inde phænomena explicat & dilucidat. Hinc ſuaſimus id utiliter ſæpius, ut & magis pene-

penetrare poſſet medicamentum, & ſeroſum phlegma educi, & caput roborari, in ſuſurris aurium & affectibus aliis. Hinc illud quoque phænomenon addendum venit, quod otalgia vel inflammatio aurium ſi paulò profundior ſit ordinarie quaſi ſoleat terminari ad ſalutem, facta puris ſucceſſivâ ad fauces eructatione, quod vidimus non ſemel. Sin minus profundè hæreat malum, ſed ad exteriora vergat, ſolet per meatum auditorium exſudare, non negligendum ullo modo, ſiquidem facile, niſi exſiccantibus ſedula cura adhibeatur, aliiſque & diætâ ipsâ, in longum tempus durare ſolet fluxus. Imò verò ſingulare aliud experimentum ex eodem fundamento lucem acquirit, nempe auribus adhibita topica, non ſolùm prodeſſe in aurium affectibus; verum etiam in partium vicinarum morbis aliis, & ſpeciatim in doloribus dentium. Novimus quendam militem Belgam, qui in curandis illis magnum ſibi acquiſiverat nomen infuſo auribus liquore, quem pro arcano retinebat ſibi. Converſatus vero aliquandiu nobiſcum eodem hoſpitio, ſub diſceſſum communicabat id ipſum, nihil aliud eſſe ſcilicet; quàm aquam ſimplicem, cui pauca grana piperis in cochleari ſuper ignem intepuiſſent. Pro divitibus verò recipiebat g. j. moſchi. Conferri merentur quæ de hoc applicandi loco etiam *Strobelbergerus* memorat *Tr. de Podagra dentium.* Wedelius.

OTICA Medicamenta ſpecifica ex Faſcic. Medicam. Cnoffelianorum.

Clariſſ. D. D. Gablovitki, Ser. piè defuncti Epiſcopi, Caroli Ferdin. Princ. Pol. & Suec. Medicus ordinarius, in ſymptomaticâ ſurditate cum dolore Sac. Reg. Maj. anno 1648. menſe Januario, auri ſiniſtræ ſupervenientes, commendabat *colocynthidis pomum, cum calefacto oleo amygdalarum amararum impregnatum, poſt fortiſſime expreſſum.* De expreſſo hoc oleo colocynthinato cum bombace excepto, ponatur in aurem bis vel ter in die.

2. Ex conſilio autem *Dom. D. Cnœffelii* obſervavi, auditum S. Reg. Maj. brevi poſt reſtitutum fuiſſe, ∽ tartari ſaſſafrato, leviter tepefacto, & bombace excepto, atque in aurem poſito, ſuppoſitis ſtatim linteaminibus probè calefactis ad extra per dimidiam horam.

3. Anno 1649. rediit dolor, cum ſurditate, ſtrepitu & fluxu excrementoſo, ubi *Cl. Cnœffelius* denuo præſcriptum remedium repetiit, ſed abſque levamine, inde & *balſamum* hoc adhibuit, quod

℞. *∽us tartari rectificatiſſ. & ſaſſafrati, elixir. propriet. ſine ∽ 🜍ris ana* ℥ß. *ol. hypericornis, ſuccini ana* ℈ß. ſimili dicto modo fuit adhibitum, & S. R. Majeſtas ex reiterato uſu per tres dies iterum convaluit.

4. Juvenis ſtudioſus à ſeptennio aure dextra difficulter, & aliquando vix audit. Cura ejus ſic fuit inſtituta. Primò purgatus fuit pilulis arethinis, poſt ſcarificationes factæ ſunt circa ſcapulas & cucurbitula admota. Poſtea uſus eſt hoc topico, quod

℞. *∽ Formicarum, tartari rectif. ſaſſafrati ana* ℥ß. *extr. caſtorei* ℈j. *Eo ſuccini, ſeu ſpiritus* gutt. x. M. Mixturam cum bombace exceptam intrudat in aurem, & illibi per diem & noctem ſervet, applicato ſemper preſſius linteamine intensè calefacto, pro impoſita Medicina in actum tranſpirationis intimioris promovenda.

Arcanum in Surditate.

Clariſſimo Dn. D. Luberto Erbenio à quodam mercatore Gedanenſi communicatum, huc annectere etiam placuit.

℞. *Raphanum unum vel plures* pro pl. Præſcinde capitulum vel taleolum, excavato infunde *aq. majoran.* quantum capiet, taleoloque præciſo, iterum tege foramen ſuperius ipſius raphani, defodendo illum intra terram, per dies tres vel plures, exempto raphano, *aqua majoran.* tot diebus detenta, effundatur & ſervetur pro uſu. Hujus nempe liquoris cochlear in dies bis mane ſcilicet & veſperi, vel ſæpius immittatur in aures.

OVIS,

Et ſub eâ Ovinum Genus.

Ovis Animal eſt lanigerum, roſtro quàm Bos anguſtiore; cornibus rugoſis, recurvis, & in ſpiras interdum convolutis; papillis binis. Bove magnitudine plus quadruplo minus, timidum & imbelle.

Cæterum lana componitur è plurimis tenuiſſimis & prælongis filis, huc illuc reflexis, criſpis, contortis, varieque implexis; quæ quamvis ſoli (quod ſciam) Ovi convenit, non tamen omni: vidimus enim Oves ex Africa allatas pilis hirtis Canis fere inſtar veſtitas.

1. *Ovis Domeſtica*, cujus mas *Aries* dicitur, fœtus *Agnus.* Animal eſt notiſſimum, mite & placidum, plurimi uſus in cibo, veſtitu & medicina, cujus hiſtoriam integram vix unum volumen caperet. Verùm cùm viri longè celeberrimi *Conradus Geſnerus* & *Ulyſſes Aldrovandus* quæcunque de eo ab aliis ſcripta ſunt, quæque ipſi obſervarunt, aut ore tenus prolata ab Amicis, Opilionibus & ruſticis acceperunt, in unum congeſta, ampliſſimis ſuis Animalium Pandectis inſeruerint, omnem noſtram in hac parte induſtriam omnino ſupervacuam & inutilem reddiderunt. Liceat duntaxat addere, (quod etiam ſuperius attigimus) glandulas illas utero adnaſcentes, ex quibus fœtus appenditur, *cotyledones* dictas, non ut in Bovino genere gibbas eſſe & convexas, ſed cotylarum ſeu acetabulorum in modum concavas, ut nomen innuit.

2. *Ovis Laticauda*, Arabica πλατύκερκος, *Geſn.* Cauda huic generi craſſiſſima eſt & ponderoſiſſima, triginta interdum librarum. Spectaculi causâ in Angliam illatas aliquoties vidimus; non quales *Joan. Caius* apud Geſnerum deſcribit, caudâ ſe leniter in deſcenſu coarctante, quouſque tandem deſinat in eam figuram, quâ eſt aliarum ovium cauda; ſed ſimpliciter marſupii ſeu peræ alicujus inſtar lata, ita ut non attenuaretur deorſum, ſed è contra à ſummo ad imum paulatim magis magiſque lateſceret: Hoc genus fort eſſe caudatum eſt quod *Ælianus* cubitali latitudine eſſe dicit. In *Africa* & *Ægypto*, nec non in Syria & in Arabica inveniuntur hoc genus oves. Rauvvolfius circa Halepum eas obſervavit.

Alterius generis meminit *Herodotus* cujus cauda longitudine eſt inſolita & mirabili, ut dimetienti tribus cubitis brevior non ſit, quæ ſi trahatur, omnino ad terram atteritur & exulceratur. At paſtores ploſtella fabricant ad quæ ejuſmodi caudæ alligatæ nituntur & ſuſtinentur. Hujus iconem ad Geſnerum miſit *Jo. Caius*, cui titulus inſcribitur Ovis Arabica altera, Græco cognomine μακρόκερκος.

3. *Ovis Strepſiceros Cretica Bellonii.* Arietum genus eſt in Creta (inquit *Bellonius*) cujus magni greges aliis haud minores vulgo conſpiciuntur, præſertim in monte Ida, quos paſtores *Striphoceri* nominant, noſtris in hoc diſſimiles, quòd noſtri cornua inflexa & contorta geſtant, illi verò erecta ut Unicornu, in ambitu canaliculata, & cochleæ in modum contorta.

4. *Ovis Africana* pro vellere lanoſo pilis brevibus veſtita. Hoc genus vidimus in vivario Regio Weſtmonaſterienſi *S. Jacobi* dicto; quoad formam corporis externam ovibus vulgaribus perſimile, verum pro lana ei pilus fuit. Hujuſmodi ovium fit mentio apud

varios autores. Specie à noſtratibus differre non fidenter affirmaverim. Fortaſſe quemadmodum homines in Æthiopia & Nigritarum regionibus pro capillis lanam quandam obtinent, ita vice verſa pecudes hæ pro lana pilos.

5. *Ovis Guineenſis ſeu Angolenſis, Marcgrav.* Magnitudine eſt Arietis noſtratis, occipitio magis prominente; auribus pendulis, cauda uſque ad ſuffragines; ſcroto magno, pene in medio ventre; cornibus parvis, deorſum uſque ad oculos incurvatis, & quaſi tortis; jubâ ex longis pilis ad collum inferius pendula; pro lana pili breves hircini. Grandiores ſunt noſtratibus, & paleari pendulo inſtar Bovis.

Pacos Animal Peruvianum quamvis huic generi ab Hiſtoriæ Animalium ſcriptoribus accenſeri ſoleat, ad Camelinum tamen pertinere nobis videtur.

Muſimon Animal *Sardiniæ* & *Corſicæ* peculiare, Veteribus memoratum, an hodie in rerum natura inveniatur dubium eſt. Ophion Plinii eſt, ex ſententia *Geſneri*. Interiiſſe quidem ſuſpicari, ut Plinius abſurdum dixerim (inquit *Geſnerus*) cùm Natura rerum genera & ſpecies omnes ſedulò ſemper conſervet. Ego cum *Geſnero* planè ſentio, nullam omnino Animalis (initio creati) ſpeciem penitus interiiſſe: Verum *Muſimo* fortaſſe (ut voluit Albertus) ſpurium quoddam genus fuit ex capra & ariete natum, quod deficere potuit. Verùm Geſnerus & effigiem Muſimonis exhibet à *Th. Beza* communicatam: & Sardum quendam, virum non illiteratum, ſibi affirmaſſe ſcribit, *Sardiniam* alere Animal quoddam, quod *Muſlonem* vulgo vocant, quod nuſquam alibi in *Europa* reperitur, Pelle & pilis cervo ſimile, cornibus Arieti, non longis, ſed retro circa aures reflexis, magnitudine mediocris Cervi: herbis tantùm vivere, in montibus aſperioribus verſari, curſu velociſſimo. Tragelaphus Bellonii perparum à Muſimone differre videtur. *Geſner.* Raius *in Synopſi Hiſtor. Quadruped.*

OFFICIN. NAT. ex OVE.

1. *Cerebrum.* 2. *Fel.* 3. *Oeſypus.* 4. *Lana ſuccida.* 5. *Sevum.* 6. *Pulmones.* 7. *Omentum.* 8. *Stercus.* 9. *Urina.* 10. *Veſica.* 11. *Caput & Pedes.* 12. *Pediculi.*

Vires. 1. *Cerebrum* arietis prodeſſe aiunt in ſomno immoderato arcendo in morbis Epidemiis, (*frixant cerebrum cumque pinguedine in placentam redigunt, addendo Cinam. Nuciſt. & hinc exhibent. Conradin. de Morb. Ungar.*) Facilitat dentitionem, (*illitum cum melle.*)

2. *Fel* [*lanâ ſuſceptum, infantumque umbilico impoſitum*] ſolvit alvum, carcinoma exterius ſanat [*illitum*] auribus putulentis auxilio eſt, [*inſtillatum cum lacte muliebri.*]

3. *Oeſypus* (ſuccidarum lanarum pinguedo, vulgo Iſopus humida dicta) conficitur hac ratione. (Sed non è ſcabioſis.)

Lanæ ſuccidæ è collo, feminibus ac femoribus ovium macerantur aliquot horas (6. 7. 8.) in aqua ferventi, hinc ferveſiunt iterum, agitanturque bacillo, donec pinguedinem in aquam depoſuerint. Aqua hæc, ſemotis lanis, magno impetu lignea rude agitatur, aut ex alio in aliud vas effunditur, ut ſpumeſcat, ſic ſordes ſpumæ inhæreſcentes ſeparari poterunt. Reiteretur hæc depuratio, donec nihil ſpumæ amplius, extet, collecta pinguedo lavetur aquâ purâ, [*alii malunt marinam,*] manibuſque agitetur, donec candida evadat, nec aquam amplius inficiat, admotaque linguæ leviter tantum adſtringat. Et hæc omnia ſub fervido Sole fieri convenit. *Matthiol. & Dioſc.*

Vires. *Emollit, reſolvit, calefacit, dolores ſedat, luxatis, contuſis, & ſimil. convenit.*

Lana ſuccida, Ἔριον, ἔρεον, *ſchmutzige Schaafs, Wolle, Greaſy* or *Sweaty Scheeps Wool, Smoutige Schaeps-Wolle.* Colligitur Æſtate è collo feminibuſque, eaque mollis & ſudore referta.

Vires. *Calfacit, emollit, lenit, convenit optimè contuſis, luxatis, caſis, & ſimil.* (*cum aceto, oleo, vino impoſita.*) *Cremata vim habet calfac. ſiccitantem, acrem, mordacem, diſcutientem: Ea propter, confert humidis, mollibus, tumoribus, ulceribus inveteratis; excreſcentias cohibet, ulcera ad cicatrices perducit, fiſtulas aureſque ſuppuratas ſanat.*

5. Sevum datum ex vino rubro, ſanguinem ſiſtit, diarrhæam, dyſenteriam, & tormina ventris curat (*in clyſmate.*)

6. *Pulmones*, (ut & aliorum animalium carnoſa viſcera) capiti impoſiti dolores & æſtum mitigant, feroceſque ſpiritus ſopiunt.

Hinc uſus præcipui in phrenitide, vigiliis, &c.

7. *Omentum* calidum colico medetur dolori (*impoſitum.*)

[N. Lactis deberet hîc fieri mentio, in ulceribus internis proficui, præſertim in dyſentericis.

8. *Stercus* vim habet refrigerandi, exiccandi, aperiendi, diſcutiendi.

Hinc maximi uſus in aurigine, (*ſumptum cum petroſelino, &c.*)

Extrinſecus convenit in tumore ſplenis, in thymis, calvis, verruca, tumoribus cutaneis, &c. Maximi itidem ſolaminis eſt in ambuſtis, (*pulveriſatum & inſperſum.*)

9. *Urina* (nigræ vel rubræ ovis) ſumpta, aquam intercutem abigit; (*idem facit & deſtillata.*)

Doſis ℥ v. vi.

10. *Veſica*, (ut & capræ veſica,) cremata & exhibita, iis qui urinam inviti reddunt ſuccurrit.

11. *Caput & pedes* vervecis in ▽ fluente optime decocta, atrophiæ & contracturæ ſubveniunt, (*in balneo.*)

12. *Pediculi*, mira præſtare dicuntur in arthritide vaga curanda. Exhibiti N. 9.

Præparata.

Emplaſtrum de pelle arietina in Herniis, fracturis oſſium uſuale. Schroderus.

Lana ſuccida infantium collo appenſa dentitionem ſublevat. *Caput & pedes* vervecis in brodio carnis vitulinæ optime decocta atrophiæ puerorum ſubveniunt in inſeſſu.

N. Teſticulus Arietis nondum venerem experti adſumptus venerem ſtimulat. *Hoffmannus.*

OFFICIN. NAT. ex AGNO.

1. *Pulmones*, (cùm recentes, tum ſiccati.) 2. *Fel.* 3. *Lana.* 4. *Oſſa incinerata.* 5. *Coagulum.*

Vires. 1. *Pulmo* attritus à calceamentis contractos, ab inflammationibus tuetur (*impoſitus.*) *vide Ovis.*

2. *Fel*, ad morbum comitialem exhibetur.

3. *Lana* (*cum corio*) anginæ, aliiſque colli tumoribus leniendis ac molliendis confert, (*impoſita.*)

4. *Oſſa incinerata*, conſolidationem vulnerum, etiam eorum, quæ difficilioris ſunt conſolidationis, conſolidant.

5. *Coagulum* valet ad venena, ad Lac coagulatum, ad morſus venenatos (*cum* ✠ *potum.*) Schroderus.

Ἀμνός, Ἀρνός. *Ein Lamm, Schaf. Officin.* ſunt 1. *Pulmone.* 2. *Fel.* 3 *Lana*, 4. *Oſſa incinerata.* 5. *Coagulum.*) Hujus *Pulmones* tum recentes, tum exſiccati in uſum veniunt: præferuntur ex agno pingui & robuſto. Siccantur exempta a pera arteria in vaſe figulino impoſita clibano, & refrigerati reponuntur

in

in loco ſicco. *Fel* non ſolùm ad epilepſiam, ſed & cachexiam exhibetur Eſſentiæ chelidonii aſſociatum. *Lana* cum corio Anginæ non ſolùm & aliis colli tumoribus, ſed etiam dentitioni infantum difficili leniendæ collo appenſa confert. *Oſſa incinerata* in omni alvi fluxu notabilem præſtant effectum. *Coagulum* contra Aconiti potum in vino & Lac concretum in aceto convenienter adhibetur. *Hofmannus.*

Ovum, vid. ſub titulo *Gallina.*

Oxalis, vid. *Acetoſa.*

Oxyacantha, vid. *Berberis.*

OXYLAPATHUM.

Nomina. Lapathum acutum ſive oxylapathum *I.B.* acutum majus *Park.* folio acuto plano *C. B.*

Folia huic quàm Lapatho folio acuto criſpo ſunt breviora, inferiora à lato principio in acutum mucronem ſenſim anguſtantur, minora quàm penultimi aliàs colore ſubluteo ſimilia caules in parem altitudinem attolluntur, ſunt tamen gracilliores & minores, rigidi & interdum tortuoſi; rami à caule magis extant, ſeu obtuſiores cum eo angulos efficiunt. Florum verticilli rariores, ſeu longius diſtantes appoſito interdum ad ſingulos foliolo ligulæ inſtar. Floſculi minores cum præcedentibus; ſemina plus duplo minora, extimo foliolorum quæ ſemini pro vaſculo inſerviunt tuberculum ſeu netvea rubens grandis innaſcitur, cui & ſimilis in præcedente lapato cernitur ſed multo minor.

In humidioribus, ad aquarum margines, interdum etiam in ipſis aquis, nec minus frequens ad foſſas & ſepes.

Cum hac ſpecie convenire nobis videtur lapathum acutum minimum J. B. C. B. Ger. Park. Siquidem J. Bauhinus omnibus partibus minus oxylapatho vulgato, cætera ſimillimum ſcribit: interim (pergit) hoc peculiare habere videtur, quod ſtatim à radice fere caulis in alas incipit dividi, in quibus flores ex certis intervallis verticillatim naſcuntur, muſcoſi, luteoli, ſingulis fere verticillis oppoſito foliolo ligulæ inſtar, quo verticilla tamen extrema carent. Notæ hæ non ſufficiunt ad differentiam ſpecificam arguendam, nam & lapatho acuto vulgari ubicunque provenit flores verticillati fere ſunt, oppoſitis foliolis ad ſingulos verticillos: quod autem caulis ſtatim à radice in alas incipiat dividi, natalibus imputandum cenſeo.

Vires. Simon Paulus in ſcabie & prurigine plurimum laudat decoctum radicum oxylapathi cum vel ſine decocto ſtercoris galli gallinacei, ſi pars affecta eo abluatur.

Ad hujuſmodi affectus duo ſequentia remedia proponit, ut inſignia 1. 2. ſucci oxylapathi, rhabarbari monachorum, rad. chelidoniæ maj. ana ʒ j. pingud. lactis ℥ iv. miſtâ quoque ad ſucci fere conſumptionem adde diapompholigos ℥ j. ceruſſæ ʒ ij. aluminis ʒ j. thuris ʒ ß. ſulphuris ℈ j. miſta deinde diu multumque agitentur in mortario piſtillo ligneo vel plumbeo. Quòd ſi inter agitandum ſiccius fiat, addatur ſemper pinguedo lactis, ut fiat linimentum mollius.

2. Rad. oxylapathi, althææ an. ℥ ß. helenii ʒ ij. herb. ariſtolochiæ, ſcabioſæ, nummulariæ, plantag. an. m. ß. coque ad putrilaginem in ſ. q. aquæ fluviat. Trajiciantur per ſetaceum rarius: addatur deinde flor. ſulphur. ℈ ij. balſami Peruviani parum F. l. a. linimentum ad ſcabiem.

Backmeiſterus mihi & aliis certiſſimum ad ſerpigines tollendas remedium communicavit, pulverem radicum oxylapathi plani cum aceto miſtum. *Simon Paulus.*

Sola fricatio radicis lappaii (id eſt lapathi, forte de hac ſpecie intelligit) delet impetiginem expertum à me ſæpius. Ex obſervationibus Marcelli Cumani ab Hieron. Velſchio editis excerpſit & ad me tranſmiſit D. Barn. Soame.

Lapathi acuti radix cereviſiæ infuſa laudatiſſimum Antiſcorbuticum habetur. *Willis de Scorbuto.*

Oxylapathi radices decoctæ vel ſeorſim, vel cum aliis ſpecificis mixtæ, in ictero ſanando eximii uſus ſunt. N. B. caro quæcunque quantumvis vetus & dura, ſi cùm lapatho cujuſcunque generis coquatur, mollis & tenera evadit. Langham. hort. ſanitat.

Pulvis ſeminum lapathi hepar roborat & fluxus alvi quoſcunque ſiſtit. Eſt medicamentum obvium, & ubicunque parabile, verum uſus non contemnendi: ego ei interdum admiſceo pulv. rad. tormentillæ, ſacch. roſ. & pulv. putaminum ovorum D. Bovvle.

OXYMEL.

Eſt medicamentum ex acidis cum melle vel ſimpliciter, vel additis etiam aliis ingredientibus confectum, cujus varias compoſitiones hic trademus.

Oxymeli, ſimplex Galeni & Meſuæ, è *Pharm. Auguſt.*

℞. *Mellis deſpumati & ad craſſam conſiſtentiam debitè cocti* ℔ *ij. aceti acerrimi* ℥ *x. M.*

Magna huic vis eſt craſſa tenuandi, loca incidendi, viſcida detergendi, obſtructa aperiendi: quo nomine febribus diuturnis & nothis ex craſsâ bile ac pituitâ enatis convenit, humidis naturis & frigidis, crudam, craſſam & pituitoſam ſuccorum copiam coacervantibus aptum; nervos tamen & uterum lædere, tuſſim excitare, ac ſputum acidum potius ſiſtere quàm provocare creditur, unde hic duo caſus occurrunt ejus uſum non admittentes; nimirum in morbi principio, cruda exſiſtente materia, quòd propter aceti acrimoniam tuſſim provocet: deinde ubi virtus debilis & non ſufficiens ad expellendum exſiſtit, ibi fruſtra virtute decreſcente humor irritatur. Vide 3. de ratione victus in morb. acutis, cap. 27. & 28. Componendi rationem docet Galenus 4. Salubrium.

Oxymel de Calamintha Meſuæ ex *Weckero.*

℞. *Rad. apii, rad. fænic. rad. intybi ana* ℥ *j. ſchænanthi* ʒ *ij. ſem. apii, ſem. fænic. ſem. aniſi ana* ʒ *vj. calaminth. montan. & domeſtic. ſpicæ, aſari, caſſiæ, maſticis, dauci, petroſel. ana* ℥ *ß. caryophyll. liguſtici, zingiber. galang. ana* ʒ *ij. aceti* ℔ *ix. aquæ* ℔ *vi. coque ad duarum partium conſumptionem; adde mell. deſpum.* ℔ *v. Coque.*

Datur ab ℥ j uſque ad ℥ ij. Calefacit, incidit, terget humores craſſos, lentos, putres: ob id intemperiem frigidam ventriculi & epatis corrigit, ſcirrhum lienis & aliorum viſcerum diſſipat, febres diuturnas juvat.

Oxymeli compoſitum Meſuæ, è *Pharm. Auguſt.*

℞. *Corticum mundat. & inciſor. rad. apii, petroſelini, rusci, fænic. aſparagi ana* ℥ *ij. ſem. apii, fæniculi, petroſelini ana* ℥ *j. aceti* ℔ *i ß. aq.* ℔ *vj. mellis* ℔ *iij.*

Cortices radicum & ſemina horis viginti quatuor macerentur in aceto, & aquâ: tum coquantur ad tertiæ partis conſumptionem: colato addatur mel, & lento igne ex arte percoquatur.

Efficacius eſt Oxymelite ſimplici, ac morbis diuturnis magis opportunum: potentius enim materiæ craſſitiem incidit & tenuat: facitque ad affectus ex bi-

bile craſsâ, ac pituitæ lentore natos; melancholicis malis, quartanæ & ſplenis duritiei, inclinante potiſſimùm morbo, ut & quotidianis febribus ſuccurrit, urinas & ſudores coctâ jam materiâ prolicit.

Oxymeli Diureticum è *Pharm. Aug.*

℞. *Mellis deſpum.* ℥xv. *aceti acerrimi, aq. font. an.* ℔ ij *rad. raphani recent.* ℥j. *fœnic.* ʒx. *apij, petroſel. geniſtæ, aſari, leviſtici an.* ʒ iij. *ſem. fœnic. petroſel. aſparagi, ruſci ana* ʒ ij. *coriandri præpar. cumini ana* ʒß. *coquant. ſ.a.*

Potenter impeditam urinam & renum calculos propellit: cujus uſus olim D. D. Ambroſio Jungio, aliiſque etiam noſtris Medicis familiaris fuerat.

Oxymel Diureticum aliud ex *Joh. Michaelis*

℞. *Herbar. hederæ terreſtr. parietar. ſaxifrag. ana m j. rad. reſtæ bovis, petroſel. fragar. vincetox. urticæ an.* ʒix. *ſem. milii ſol. geniſt. lapp. maj. an.* ʒ j. *granor. alkekengi* ʒ iij. *mell. colati* ℔ j. *aceti* ℔ ß. *aq. font.* ℔ iv. *Stent in infuſione, poſtea cola, & colaturæ infunde flores cyani, calcatrippæ, geniſtæ an. p. ij. poſtea iterum cola & ſerva pro uſu.*

Vel ſpecies prius coquuntur in aq. & aceto, & ſub finem additur mel. Si alvum ſimul movere velis, adde agaricum.

Oxymeli Elleboratum majus Juliani ex *Pharm. Aug.*

℞. *Fol. rutæ, thymi, dictamn. Cretici, hyſſopi, pulegii, praſii albi, card. bened. ſpic. Celticæ, cortic. ſambuci inter. ana m. j. calaminth. mont. p. ij. ſem. aniſi, fœnic. ocymi, urtic. Rom. anethi an.* ʒ ij. *rad. angel. althææ, ari, ſcillæ præparat. turbith, ariſtol. rot. & long. irid. vulgar. coſti, polypod. an* ℥j. *ellebori alb. nigri præp. ana* ʒiij. *eſulæ præp.* ʒ ij. Infund. triduo in ℔ vii. aceti acerr. & ſapæ ℥ij. in vaſe vitreato bene obturato ad ſolem vel ad fornacem: deinde in eodem vaſe decoquantur ad medias; ſub finem decoctionis addendo *Agarici electi* ʒij. Coletur & cum mellis roſati cirrati & ſacch. ana ℔ j. fiat ſyrupus qui ſub finem aromatiſetur cum aromatibus ſequentibus, utpote *caryophyllor. croci, zingiberis, galang. macis an.* ʒ j.

Medicamentum hoc Geſnero maximopere quondam celebratum fuit, de cujus compoſitione, viribus & uſu prolixiorem diſcurſum poſt autoris obitum, in lucem edidit Caſpar. Wolphius, lib. 3. Epiſtolar. Geſnerianarum, Tiguri anno 1577. excuſarum adnexum; ubi etiam ejuſdem Oxymeli minus Elleboratum deſcriptum legitur.

Oxymel Julianiſans è *Pharm. Londin.*

℞. *Corticum rad. capparum, radicum ireos, fœniculi, petroſel. ruſci, cichorii, aſpar. cyper. ana* ℥ß. *herbar. ſcolopendr. ſchœnanthi, tamariſci an. m.ß. ſem. fœniculi dulc.* ℥ß. Perfundantur poſcæ paulo acidioris ℔ iij. poſtea coque ad medias. Ex colaturâ cum mellis & ſacch. deſpumati ana ℔ ß. f. ſ. a. ſyrupus melleæ conſiſtentiæ.

Oxymel de Liguſtrico Meſuæ, ex *Weckero.*

℞. *Rad. apij, fœnic. petroſ. calaminth. dauci ana* ℥j. *zingiber. ſemin. liguſtici, apij, fœnic. aniſi, carvi, eupator. aſari, abſinth. ana* ℥ ß. *caryophyllor. galang. an.* ʒ iij. *ſpic. nardi* ʒ ij. ℔ x. *Coque ad dimidias: adde mellis* ℔ v. *Coque iterum ad ſyrupi conſiſtentiam.*

Valet ad pituitam craſſam, lentam, putrem, obſtructiones epatis & ſplenis aperiendas, urinam movendam.

Oxymeli Scillitieum Meſuæ ex *Pharm. Aug.*

℞. *Mell. deſpum.* ℔ iij. *aceti ſcillit.* ℔ ij. *Coq. lente igne ad perfectam conſiſtentiam.*

Ad Cerebri, pulmonis, ventriculi affectus pituitoſos, aut melancholicos etiam contumaces utile eſt. Eo utimur in Epilepticorum inſultibus, ipſoque paroxyſmo; aſthmaticis quoque plurimùm confert, venarum obſtructiones inveteratas reſerat, craſſoſque humores potenter incidit.

Oxymel Scylliticum compoſitum è *Pharm. Londin.*

℞. *Origani, hyſſopi, thymi, liguſtici, cardam. min. ſtæchad. an.* ʒv. *Coque in tribus aq.* ℔. *ad unam. Colaturæ admiſce mell.* ℔ ij. *mellis paſſulati* ℔ ß. *ſucci bryon.* ℥ v. *aceti ſcillitici* ℔ ß. Percoque deſpumando.

OXYRHODINUM.

Oxyrhodinum vi nominis ſignificat medicamentum ex aceto & roſis factum. Communiter vero à practicis uſurpatur pro eo, quod capiti, fronti, & collo adhibetur.

Componitur ex oleo roſ. & aceto, cum hac proportione ut ad ℥iv. olei ſit ℥ i ß.

Uſus eſt

Primò, In febribus, dolore capitis, inſigni delirio vel præſente, vel imminente, lethargo, comate vigili, & ſimilibus, in quibus æſtuat cerebrum.

℞. Olei roſ. ℥ iv. aceti roſ. ℥ iß. Fiat oxyrhod. admovend. deraſo ſincipiti, & fronti cum ſtupis cannabis tepidè bis terque noctuque.

Loco olei roſati ſumi poſſunt oleum violar. de nymph. de pap.

Vel ℞. Olei roſati ℥iij. aquæ roſ. & plantag. an. ℥ j. aceti roſ. ℥ i ß. Fiat oxyrhod. &c.

Debet mutari dum incaleſcit, aut refrigeratur per ſex aut ſeptem vices.

Oportet ut præmittantur univerſalia, non ſunt enim admovenda topica repellentia corpore adhuc pleno. Quando adeſt inflammatio, non eſt perſeverandum ultra principium & augmenti initium, tunc enim miſcenda ſunt reſolventia, ut oleum chamæmel. cum prædictis repellentibus.

2. Adhibetur in diarrhœa, dyſenteria, quando adeſt phlogoſis, aut inflammatio, tepide ab umbilico ad pubem, cum ſtupis cannabinis.

OXYSACCHARUM.

Hoc nomine denotatur compoſitum quid ex aceto & ſaccharo in ſyrupi conſiſtentiam redactum cujus ſequentes adducimus præparationes.

Oxyſaccharum ſimplex è *Pharm. Aug.*

℞. *Succi granator. acidor.* ℥ viii. *aceti* ℥ iv. *ſacchar. alb.* ℔ j. Saccharum clarificetur & cum aceto ſuccoque granatorum in ſyrupi formam reducatur.

Humori ferventi refrigerando, craſſo autem incidendo, putredini arcendæ, ſiti ſedandæ, nec non viſcerum inflammationi mitigandæ conducit.

Oxyſaccharum Compoſitum Nicolai Præpoſiti è *Pharm. Auguſt.*

℞. *Capill. vener. aſplenii, ſeu ceterach. ſcolopendr. ſeu linguæ cervinæ, lichenis, ſeu hepaticæ, violarum, polytrichi, rad. fœniculi, aſparagi, ruſci, graminis ana* ℥ j. *ſucci granatorum acidorum* ℔ viii. ß.

Omnia

Omnia in granatorum acidorum ſuccô per triduum macerentur, deinde poſt modicám ebullitionem exprimantur & colentur: tandem cum ſacchari ℔. iv. ad formam ſyrupi ſ. a. percoquantur.

Febribus tertianis nothis, omnibuſque affectibus ex ſanguinis ac bilis fervore & craſſitie natis ſubvenit, jecoris, lieniſqne obſtructionibus confert & calefacta viſcera juvat.

Oxyſaccharum Emeticum Salæ vid. ſub titulô *Syrupus.*

Oxyſaccharum Emeticum *Ludovici.*

℞. *Croci metall.* ℥iij. *aceti communis* ℥x. Infunde per triduum in locô calidô, tunc ſæpius interea agitatus liquor filtretur, eique addatur ſacchari albi ultra tabellarum conſiſtentiam cocti ãã & vitrô clauſô in calido detinendo ſponte ſolvatur ſaccharum atque ſervetur.

Oxyſaccharum Emeticum *Mynſichti.*

℞. *Croci metallor. abſinthiaci* ℥ß. *caſſiæ ligneæ* ℥ij. *ligni aloes, rad. angelicæ ãã* ℥i. *roſar. rubr.* ℥ß. Mixta infundantur in acet. flor. tunic. ℥xv. ſtent in infuſiono in locô calidô per 24. horas, poſtea filtrentur, ſacchari alb. cand. tantundem addatur, & ad uſum reponatur.

In dolore capitis, melancholiâ, epilepſiâ, qualicunque anginâ, peſte, pleuritide, tuſſi, aſthmate, ventriculi affectibus, præſervatione à podagrâ, dyſenteriâ, morbô Hungarico & venereo, coagulatione ſanguinis &c, excellens eſt. Dos. ab ℥ß. ad ℥vi. in vehiculis ſpecificis vel per ſe exhibit.

OXYTRIPHYLLUM, vid. *Trifolium Acetoſum.*

LIBER XV.

Continens ea quæ incipiunt à Literâ

P

PÆONIA.

Παιονία ἡ γλυκυσίδη, quibuſdã Πεντόροβον, cujus radicem aliqui Ἰδαίους δακτύλους vocant, *Pæonia* dicta eſt à medico *Pæone*, qui ea Plutonem ab Hercule vulneratum, Homero Odyſſ. 5. fingente, curaſſe perhibetur. Pæonia vetuſtiſſima inventa eſt, nomenque autoris retinet, quam quidam Pentorobon appellant, alii Glycyſiden. Plin. l. 25. Cap. 4. fortè (inquit Bodæus à Stapel) à παίων vel παιωνίζω hymnos cano, quòd ob inſignes virtutes multum laudaretur; nam pæonias omnes herbas veteres pro ſalutaribus habuerunt. Pæoniæ *nota generica* ſunt flores roſei maximi, ſemina majuſcula rotunda, per maturitatem nigra, radices craſſæ vel tuberoſæ; folia compoſita.

Eſt autem *Mas*, vel *Fœmina*, quarum illa eſt flore roſeo ſimplici, cui ſuccedit ſemen rotundum nigrum, durum, Piſo majus. Hujus verò flos eſt plenus.

Vires. In uſum medicum veniunt radices & ſemina.

Uſus eorum præcipuus eſt in affectibus Cephalicis, epilepſia, incubo, &c. uterinis, menſibus obſtructis, lochiis purgandis, doloreque poſt partum mitigando, hepatis obſtructione, extrinſecus ſuſpenduntur grana ac radix de collo pro arcenda epilepſia. *Schrod.*

Vidi (inquit Galenus) puellum quandoque octo totis menſibus morbo comitiali liberum, ex eo quo geſtabat radicem tempore, ubi autem forte fortuna, quod à collo ſuſpenſum erat decidiſſet, protinus morbo correptus eſt; rurſuſque ſuſpenſo in illius locum alio inculpatè ſe habuit, viſum ergo eſt mihi, ſatius eſſe denuo id certioris experientiæ gratia, detrahere: id cum feciſſem, & puer iterum eſſet convulſus, magnam ac recentem radicis partem ex collo ejus ſuſpendimus, ac deinceps prorſum ſanus effectus eſt puer nec poſtea convulſus, experimentum hoc Galeni confirmant Montanus, Fernelius, Apollonius Menubenus lib. de Alce, cap. 7.

Qua hoc qualitate ſeu proprietate effecit ambigitur, quacunque tandem (inquit Julius Alexandrinus à Neuſta in ſuis in Galeni de ſimplicium. medicam. facult. librum notis) ſucceſſus hujus ſpe fruſtrantur hodie, vel igitur tam efficax non eſt noſtra hæc pæonia quam aliarum regionum aliquarum, vel leviora erant illius temporis mala hæc quam noſtris hujus ſunt, ob immutatam in deterius forte victus rationem: alii in effoſſione ſub certo ſyderũ poſitu totum negotium conſiſtere aſſerunt, quæ opinio magica aut ſuperſtitioſa vanitate non vacat, an (inquit Caſp. Hofmannus) Galeni radix non fuit natura ſua talis, ſed quia τετελεσμένον, adjurata, ut ſic vertam. Diabolus enim in multis aut juvat naturam, aut impedit. Sylvius nihil grandis (inquit) hactenus ab hujus radice & ſemine ſæpiſſime à me uſurpatis vidi præſtitum D. Soame. *Rajus.*

PALEA CAMELORUM, vid. *Schœnanthum.*

PALIMPISSA.

Eſt picis quoddam genus quod in fundo vaſis poſt deſtillatum terebinthinæ oleum, reſtitat. Seligi debet nigrum, ſplendidum, ſiccum quod facile frangatur. Deterſivum eſt, reſolutivum, ſuppurativum, digeſtivum. Adhibetur in emplaſtris, ceratis, ac unguentis, eoque non pauci utuntur artifices.

PALIURUS.

Eſt Rhamni quædam ſpecies folio ſubrotundo & fructu compreſſo, de qua non opus eſt ut hic multa dicamus; etiam ſi ejus folia ac radix facultate adſtringente prædita, ſemen verò acrimoniæ pectoris mitigandæ, urinæ ciendæ, calculo comminuendo, aptum, &c reputentur.

PALMA.

Palmas inter ſe conferenti, quibuſque in rebus & inter ſe convenirent & ab aliis arboribus differrent conſideranti occurrit illico, id genus omnibus commune, & ſolis ferè proprium eſſe, caudice ſimplici & individuo ſeu non ramoſo aſſurgere, & gemmam una vice unicam, eam tamen ingentem, concipere, quocirca hanc proprietatem pro palmæ characteriſtica, natura ipſa dictante, adhibendam cenſui.

At inquies, Botanici uno ore palmas ramoſas eſſe pronunciant, agnoſco: verum eorum autoritas me non multum movet, cum re non ſatis perpenſa, vera & genuina folia pro ramis ab iis habita fuiſſe noverim:

ramos autem illos quos vocant revera folia compoſita eſſe,non difficile eſt demonſtrare.

1 Nam primo,deciduum eſſe folio non ramo convenit: Ramus enim utpote ipſius trunci diviſi quædam productio,pars eſt ſtabilis &perpetua;rami autem illi dicti, ſeu ramaſtri in pleriſque ſaltem ſi non omnibus palmis ſtatis temporibus decidunt : proinde rami genuini eſſe non poſſunt;ſed mera folia ſunt.

2. Secundò,partem pronam à ſupina diverſam obtinere folii nota eſt,nō trunci.Ramus enim teres & undiq; uniformis eſt. At in palmarum frondibus Coſtæ mediæ ſupinæ canaliculatæ ſunt aut planæ, pronæ,convexæ.

3. Tertiò,nunquam germinare ſeu gemmas protrudere folium arguit,non ramum. Ramus enim quotannis ſemel aut ſæpius germinat & ſurculos producit. At ramaſtri illi palmarum cum ſemel expliciti ſunt nunquam gemmas edunt,aut partes aliquas aggenerant.

4. Quartò , in folium deſinere ſeu terminari folii compoſiti proprium eſt,à rami natura alienum.At ramaſtros palmarum in folia terminari notum eſt.

5. Quintò,accedit levitas inſignis,quæ ramaſtros hoſce ligneæ naturæ,(quæ plerunque ſolidior eſt & ponderoſior) minime participes eſſe arguit.

Nec quem ab hac ſententia deterreat ingens illa & ramorum æmula magnitudo: nam in palma folia flabelliformi, quæ folia & ſunt & ab omnibus vulgo habentur,nihilo minora reperiuntur.

Objicies, palmas nonnullas (id tradente Theophraſto) bifidas exire, ut in Ægypto, ſtareque ita bifurcatas. Tradunt & Cretenſium plures bifidas eſſe quaſdam & trifidas:in Lapæa vero genus quoddam quinqueceps naſci. Obſervatum etiam eſt ab Horti Malabarici auctorib. in palma Japonenſi Toddapinna dicta , ex uno trunco quatuor aut quinque vertices interdum enaſci.

Reſpondeo , rarum illud & inſolitum eſſe,& ſingulis arboribus ſimplicem plerunque eſſe verticem:undenon datur genus hujuſmodi palmæ bifidæ aut trifidæ,quæ ſemine ſata ſpeciem ſuam conſtanti naturæ lege propagat. Sed ut palma multiceps ſit præter ordinem & inſtitutum naturæ accidit,& quodammodo monſtroſum eſt.

Notandum tamen folia decidua obtinere palmis omnibus commune non eſſe,ſi Theophraſto & J. Bauhino fides. Nam Dactylifera vulgaris inter ἀείφυλλα à Theophraſto recenſetur,& Jo.Bauhino obſervante in nonnullis arboribus in Gallia Narbonenſi à ſe conſpectis,folia ſponte non decidunt,ſed præcidenda ea ſunt à cultorib ut arbor ad ſcandendū opportuna ſit;alioqui ſi derelinquātur impenetrabili vallo ſcandentibus aditum intercludunt.

Palmam dictam eſſe quòd ramis ſit expanſis in modū palmæ hominis tradit Iſidorus. l.17.c.7. palmæ humili id nominis initio impoſitum videtur,cujus folia palmā humanam cum digitis extenſis referunt: φοίνικα Græci & arborem,& fructum ſimul dixerunt à colore pomi facto utroque nomine: φοινικοῦν enim & φοινίσσεσθαι puniceo colore rubere eſt,quo maturi in hac arbore fructus videntur.Phœniciæ autem regioni à palmarū multitudine & præſtantia nomen inditum volunt. Palma apud Latinos ſæpe etiam victoriam ſignificat Cicero orat.pro Roſcio Amerino,alter plurimarum palmarum vetus ac nobilis gladiator habetur. Cauſſa locutionis eſt,quòd victori certaminis daretur corona ex palma.Rationem ejuſmoris aperit ex Plutarcho Gellius,lib.3.c.6 propterea in certaminibus palmam ſignum eſſe placuit victoriæ , quoniam ingenium ejuſmodi ligni eſt , ut urgentibus opprimentibuſque non cedat.

Palmæ fructus antiquis Latinis palmulæ dicti ſunt, poſterior ætas dactylos appellavit,quoniam eorum nonnulli oblongâ gracilitate curvati humanis digitis ſimiles eſſent.

Vagina flores & fructus obvolvens & protegens adverſus Cœli injurias ἐλάτη & Σπάθη dicitur.

Dioſcoridi palmula ſeu dactylus immaturus, τόμα & πῶμα dicitur. Maturus recens φοινικοβάλανος , ſiccatus τράγημα.

Palmæ fructus reſpectu dividi poſſent in eas quarum fructus pericarpio ſeupulpa molli oſſiculū ambiente cōſtat,& eas quarum fructus materia ſicciore nucem includente componitur.Nos potius foliorum reſpectu dividemus in eas quæ folio ſunt compoſito , eoque vel pinnato.vel ramoſo;& eas quæ folio ſunt ſimplici,plicatili & flabelliformi.

Palmarum autem notæ præter caudicem ſimplicem non ramoſum reliquis hujus generis communem, ſunt folia habere ſtriata & velut arundinacea,flores tripetalos, ſpathiferas etiam eſſe omnibus convenit,ni forte Coddapanna excipias

Uſus & Vires Palmæ majoris vulgaris.

Palmæ folia,Plinii ſeculo cum primum novellas demonſtravere gemmas,ad funes vitiliumque nexus,& capitū levia umbracula findebantur. Ad ſtorearum & ſportarum texturā ut alba & idonea fiant viridia adhuc à ramis avellenda ſunt,& ſub tecto deponenda ad quatriduū, & poſtea rurſus roribus expoſita , ad quatriduum compluі ſinenda,& à Sole reſiccari donec alba evadant.

Fiunt & è palmæ foliis ſcopæ , quæ vero ad nos ex Hiſpania adferuntur,& in præcipua æſtimatione ſunt, è palmæ humilis non è dactyliferæ foliis fiunt,quæ tamen forte non minus commoda ad hunc uſum forent, ſi haberi poſſunt Flabella etiam & ſportæ ex iis texuntur , e caudicis autem cortice funes pro navibus.

Palmulæ bene maturæ non nimium pingues ventriculo gratæ ſunt , plurimum nutriunt & corpus pinguefaciunt,verum concoctu difficiles eſſe; & capitis dolorem inferre medici veteres pleriquе omnes conſentiunt.Unicus Aretæus omnia bellaria caput dolore infeſtare ſcribit præter palmulas,ficus & uvas.

Veteres vinum è palmulis aquæ infuſis faciebant,cujus præparandi modum vide apud Dioſcoridem.

Palmæ fructus,eodem tradente,acerbus eſt atque adſtringens & contra alvi profluvia fluxumq; muliebrem in vino auſtero bibitur:hæmorrhoidas quoq; ſiſtit,& vulnera illitu conglutinat,recentes autem plus ſiccis aſtringunt,ſed capitis dolorem afferunt,& copioſiores in cibo ſumptæ inebriant. Siccæ autem ſanguinē excreantes ſtomachicos ac dyſentericos eſitatæ juvant:necnon & tritæ cum cydonio &cerato œnantino veſicæ vitiis utiliter illinuntur , maxime vero caryolæ ſi comedantur faucium aſperitati medentur.Thebaicorū decoctum potū cauſonē ſedat,& cum hydromelite vetuſto ſumptū vires recreat: quin & ipſæ cibo idem præſtant. Fit etiam ex iis vinum ejuſdem cum fructu facultatis.Decoctum earum per ſe potum &gargariſatum vehementer adſtringit &cohibet.

Palmarum nuclei cæterorum omnium more in fictili novo cremantur,deinde reſtincti vino lavantur,&tanquā ſpodii vicem ſupplentes ad ornandas decorandaſve palpebras conducunt.Vim habent adſtringentem,&ſpiracula cutis obſtruentem , ad oculorum puſtulas, ſtaphylomata ciliorumque defluvia addit nardo efficacem. Supercreſcentem carnem cum vino reprimunt , & ulcera ad cicatricem perducunt,&c.

Palmæ ſpathâ unguentarii in unguentorum ſpiſſamenta utuntur. Optima habetur odorata,adſtringens,ponderoſa, præcluſa, interna parte pinguis.Vis ei adſtrictoria, quæ ulcera depaſcentia ſiſtit,laxatoſq;articulos cōmittit, ſi trita malagmatis &cataplaſmatis admiſceatur.Prodeſt & præcordiis,& ſtomacho imbecilli, necnon & jecinoris affectibus convenientibus miſta cataplaſmatis.

Ejus decoctum ſubinde affrictum capillos denigrat. Potui vero datum renum,veſicæ,aliorumq; viſcerum vitiis confert;alvi uteriq fluxiones ſiſtit:ipſa vero ſcabiem ſanat, diebus viginti , ſi adhuc tenera cum reſina & cera decocta imponatur. Ad eadem etiam valet fructus intus contentus Elate & Boraſſus dictus præterquam quòd ad unguenta non ſit utilis.

Quæ de viribus & uſibus palmæ ejuſque partium habent Plinius , Galenus aliique veteres apud ipſos vi-

de, aut etiam apud J. B. hiſt. lib. 3. cap. 159.

E recentioribus Alpinus fructuum in Medicina apud Ægyptios uſum enarrat his verbis, ex fructibus tria ſunt præcipuè quibus ſanitatis gratia utuntur, quippe ſpatha, pulvis ſpatha contentus, atq; dactyli. Spathæ igitur membranâ tum pulvis factâ utuntur, tum ex ea parato decocto. Pulvis maximum uſum habet per os ſumpta ad diarrhœam, Lienteriam atq; dyſenteriam; nec minus ad omnes alias vel ſanguinis vel alterius humoris non naturales rejectiones ſiſtendas; præcipue verò ad hepaticum fluxum, hœmorrhoidum atque uteri cruentam vacuationem, atque ad ſputum ſanguinis. Hoc pulvere quoque utuntur ad firmanda ulcera depaſcentia, ad uvæ relaxationem atque ad dentium commotionem. Decocto ad omnia prædicta quoque utuntur, ſed ſæpe cum eo miſto prædicto pulvere. Articulos debiles aptoſque fluxionibus mirum in modum ipſum juvat, eos firmando & roborando. Pulvere vero albo in involucro veris tempore invento, quando ſc. palmæ florere incipiunt utuntur familiariſſime ad faucium raucedinem tuſſim & ophtalmias cum ſaccharo miſto; eſtque ipſe dulcis ſubaſtringens: mulieres eum habent familiariſſimum ad firmandos menſes retinendumque fœtum.

Eundem quoque uſum habent Dactyli immaturi, tum in cibum uſitati, tum eorum decoctum; ad ſputum ſanguinis & quamcunque ſanguinis vacuationem cohibendam, & ad lienterias, diarrhœas & dyſenterias, ad vomitum ſanguinis, hœmorrhoidas atque ad ulcera vulneraque ſimplicia perſananda: in frequentiſſimo uſu ad nuper dictos affectus habent Syrupum è Dactylis immaturis confectum. Iiſdem dactylis utuntur probe maturis, qui tunc admodum dulces exiſtunt, cum obſcura adſtrictione; ideoque eas frequentant ad faucium raucedinem, tuſſim, dyſpnæam, pleuritin ac perineumoniam; nec minus ipſorum decoctum frequentant ad adjuvandas variolarum in pueris excretiones. Hactenus Alpinus.

Cæterùm palma, oſſiculo ſeritur, feruntur autem, docente Theophraſto oſſicula plena (Plinio bina juxta ſe compoſita & ſuperne totidem) juxta ſe in eodem foramine depoſita, bina ſuperius totidemq; inferne colligata, quoniam infirma ſingulis Planta eſt. Horum radices mutuo amplexu connectuntur, & ſtatim primæ germinationes ita coaleſcunt, ut unus ex omnibus ſtipes gignatur.

Officulata ſata etiam apud nos in Anglia facile germinant foliumque emittunt unicum, nervoſum & arundinaceum; quod hyemes etiam noſtras non raro tolerat, & ſequenti anno alterum vel etiam tertium edunt, non tamen multum proficit, nec diu durat enata Planta, ſed poſt duos, treſve annos tabeſcit & interit.

Notandum autem quòd non ex fiſſura ſed ex oppoſita ſeu gibba parte ubi Ocellus ſeu umbilicus cernitur Germen emittat, quodque unico & ſingulari prodeat folio, cum aliæ pleræque Plantæ (non tamen omnes ut perperam exiſtimavit J. Bodæus à Stapel) bina primo ortu folia è ſemine producant.

Plinius in palmæ foliis olim ſcriptitatum tradit Verum palmæ vulgaris dactyliferæ folia ob aſperitatem, duritiem & nervos crebros huic uſui inepta videntur. Hoc ergo vel de palma Indica coccifera, vel de palma Lantor dicta accipienda ſunt, in quorum foliis etiamnum hodie ſcriptitari teſtantur rerum Indicarum ſcriptores.

Annotavit Plinius Elephantes palmas excelſiores fronte proſternere, ac ita jacentium fructus abſumere.

Vires & uſus Palmæ Indicæ Coccifera.

Ex hac arbore elicitur liquor Suri dictus, qui potus ut vinum inebriandi vim obtinet. Saporis grati, ſubdulcis, ſubſalſi & ſubacidi cum primum exceptus eſt majori dulcedine, cum vetuſtior acidior, coloris ex albicante ſubcærulei & pallidi, &c. ex eo deſtillatur aqua ardens ſeu ſpiritus. Acetum etiam & ſaccharum quod Jagra vocant ex eo fit. Modum educendi hunc liquorem accurate deſcribunt Horti Malabarici auctores: capſæ floriferæ ſeu fructiferæ, quam mammam arboris vocant, cuſpidem incidunt, eique ollam appendent: atque infra cuſpidem intervallo quatuor digitorum corticem Capſæ oblique ſecant, ſectumque verſus cuſpidem elevant, barbam, ut aiunt, efficientes, ut liquor ex cuſpide inciſo per corticem Capſæ dimanans, ex barba in ollam appenſam infundatur, cuſpidem autem inciſum, &c. reliqua quia nimis longa ſunt, omitto, apud auctores ipſos requirenda.

Bis de die, mane & veſperi, ollas cum Suri detrahunt, interdum etiam meridie. Qui medio die detrahitur in ollis mane appenſis dulcis eſt, qui veſperi ſubacidus, altero die aceſcens, tertio autem die liquor acidus redditur, ſuam dulcedinem prorſus amittens, ut acetum ex hoc liquore conficiatur, ollas in quibus exceptus eſt in calce per ʒj. dies imponunt quo ad fermentationem vehementiorem excitatus, multam ſpumam ebulliendo, ac in fundum ollæ materiam albicantem ſeu cinereum demittendo, mutatur in acetum.

Saccharum Jagra dictum hoc modo conficiunt: ollis indunt momentum calcis, quantum ſufficit ad liquorem inſtillatum rubedine tingendum, nec plus, nec minus debito ob rationes ab auctoribus dictas: dehinc hunc liquorem coquunt continue cum cochleari movendo donec inſpiſſetur, habeturque tum ſaccharum rubrum, quod album iterata ſolutione ac coctione reddunt: modum vide; è villoſa materia tegumenti hujus nucis exterioris rudentes & funes navibus neceſſarii fiunt, auctore Garcia, qui incorrupti manent in aqua marina. Sed ex iis villis fiunt nodoſa ſingula magni uſus inter omnes ferè tenuioris fortunæ mulierculas Ulyſſipponenſes.

Exterior hic cortex circa initia, edulis eſſe dicitur, & Cinaræ ſpiniferos reſipere aculeos, verum dulciorem eſſe, aptiſſimumque cohibendis diarrhœis, ſatietati curandæ, & ventriculo inſtaurando.

Ex eadem materia ſtupæ loco naves obturantur ac ſtipantur, ipſiſque adeò ſtupis præſtat quod putredini minus ſit obnoxia, & aquâ marina imbuta infletur denſeturque. Oſſeus Cortex diligenter politus, & argento decoratus apud plurimos hodie ſpecioſi poculi vice in convivia venit, ſed vim antiparalyticam ei denegat Garcias.

Liquorem ſeu vinum Suri phtiſicis mirè conferre aiunt & valde opportunum eſſe urinæ, renumque vitiis laborantibus è nucleis contuſis atque expreſſis lac extorquetur citra ignis operam, lumbricis enecandis utiliſſimum ad ℥viii. addito ſale, mane potum, præſertim in pueris.

Quin ex ramentis nuclei (additâ aquæ opportuna menſurâ,) fervefactis ac multum agitatis oleum ſupereminere ſolet, dulce, liquidum, ſplendidum, & oleo Amygdalarum dulcium non diſſimile guſtu. Quod ſex aut octo unciarum menſura potum, additâ aquâ in qua tamarindi aliquandiu maduerint ventriculum inteſtinaque leviter purgat, humores præcipue melancholicos & pituitoſos evacuans, cum tamen nucleus dicatur alvum coercere; at recens extractum ſit oportet; vulneribus mirè opitulatur, nam & ſanguinem ſiſtit & ſaniem exterget, coercetque dolorem, & tandem cicatricem inducit, quin ex fruſtulis exſiccatis nuclei, quæ in longinquas regiones transferri ſolent, extrahitur oleum utile lucernis, oryxæ parandæ, nervis contractis laxandis, & necandis lumbricis.

Liquor nucleo contentus ſiti febribuſque extinguendis, caloríque contemperando idoneus eſt, medendis extergendiſque oculis & emundandæ mulierum cuti. Emundat ſanguinem, ventriculum

& vias urinæ purgat, medetur pectori, ac pergrato conſtat guſtu, plurimum præbet nutrimenti, & adverſus bilioſas febres eſt potio mirabilis. Hernandes.

Multæ præterea vires & uſus in medicina aliarum hujus arboris partium habentur in Horto Malabarico, ad quem Lectorem remitto.

At non reticendum quod de medulla hujus arboris habet Jo.Linſchotanus,nimirum eam (palmito vocant) magno in pretio loco muneris ad opulentiores, potentioreſque mitti. Chartæ autem tenuitate ac candore formâ plicatili creſcit,ut ſubinde 50. aut 60. plicas habeat togæ muliebris inſtar,ex hac Indi chartam & libros inſtaurant; ex ea etenim charta tenuis ducitur. Virentibus inſcribunt plicis,quæ tum ſiccatæ literas indelebiles habent,ſtilo ferreo ante notatas.

Indis ollam vocari refert ſupradictam chartam; conſtantque ex eadem materia omnes gentis annales,libri & volumina, quam & ſignare norunt in epiſtolarum uſus. Idem tradit & confirmat D. Mandelslo in relatione Peregrinationis ſuæ in India Orientali.

Maffeus folia cum librariis pro papyro eſſe ait, (de quo tamen dubito, eumq; per errorem folia Lantor pro hujus foliis habuiſſe ſuſpicor)tum etiam in veſtes forma facili ſimul ac ſpiſſo contextu necti.

Idem unam hanc arborem omnia prorſus ad rem nauticam inſtrumenta ac materiem præbere ſcribit: quippe truncum & ramos in malum, aſſamenta, clavoſque: comam in vela; Cuyrum in funes omnium optimos, filaque ad laterum ſaturas; poſtremo cocum ipſum,quæque ex eo conficiuntur in onera.

Quibus ſi addamus, præbere eam & vinum, & lac & oleum,& ſaccharum & acetum, & cibum ſolidiorem,& filum,& acus,& lintea,& veſtimenta,& pocula,& cochlearia,aliaqua vaſa, & ſtoreas & ſportas, & umbellas, & chartam;omnino fatendum eſt arborem eſſe πολύχρηστον, cuique ſimilem, & æquiparandam vix in toto terrarum orbe reperies.

Quod attinet ad ſpecificam qualitatem promovendi partum difficilem, & reſiſtendi inſultibus Epilepticis ejus non unam experientiam habent ſpectatiſſimi aliquot apud nos Medicinæ Coryphæi,& teſtari de feliciſſimis ſucceſſibus queunt, inquit Gul.Piſo: apud quem plura vide in Mantiſſa Aromat.c.19 Raius.

Palma Christi, vid. *Ricinus.*

imò etiam

Orchis, ſeu *Satyrium.*

Palu dapium, vid. *Apium.*

PALUMBUS.

Palumbus torquatus *Aldrov.* The Ring-Doue. φάσσα *Ariſtoteli*, aliiſque Græcis.

Uncias 20. pendet. Longitudo ab apice roſtri ad extremam caudam 18. digitorum: alis in contrarium extenſis maximæ pennæ 30. digitorum intervallo diſtabant.

Roſtrum ſubflavum, cute rubra vel purpurea,in qua nares,aliquouſque obductum. Supra nares furfures albicantes. Lingua acuta, canaliculata,minime bifida. Irides pallidè flavæ.

Pedes nudi, rubicundi, ungues nigri. Digitus extimus medio ad primum uſque articulum membrana junctus. Crura ad digitorum exortus fere plumoſa.

Colli pars ſupina ſemi circulo albo velut torque quodam exornatur tam ſupra quàm infra torquem colores varii apparent pro vario ad lucem objectu. Caput & dorſum obſcurè cinerea, collum inferius, pectoriſque ſuperior pars purpurea vel ruffa cum cinerei quadam mixtura. Venter ex albo cinereus.In mare colores hi ſaturatiores.

Pennæ alarum remiges 24. è quibus ſecunda longiſſima, priores ſeu exteriores decem nigræ: ſecunda & ſequentes ad ſeptimam fimbriis ſeu oris extremis albent. Reliquæ è fuſco cinereæ. Ad alæ nothæ radicem macula alba deorſum tendens remiges nonam,decimam, undecimam,duodecimam obveſtit.Cauda 7 digitos longa 12.pennis integratur,ſummitate ad 2.digitos nigra, inferius cinerea.

Hepar in duos diviſum lobos; Cyſtis fellea nulla, verum porus biliarius amplus.

Hæ aves hyeme gregatim volant: in arboribus nidificant, nido è paucis viminibus & fuſtucis compoſito: glandes avide devorant, nec non fruges & hederæ atque agrifolii baccas Willugbeius.

Viribus cum Columbâ convenit, exuſtæque plumæ ictericos reficere,& calculoſis, urinæque difficultatibus ſubvenire dicuntur Schroderus.

Palus Sanct. vid. *Guaiacum.*

PANACEA.

Hoc nomine denotatur apud Chymicos Medicamentum morbis omnibus debellandis aptum, paratur autem ut credunt è variis mineralibus, metallis, aliiſque, ut è vitriolô, aurô, mercuriô, rore æquinoctiorum, ſeu flore cæli, ſanguine humanô &c. quorum aliquot proceſſus ſatis curioſos jam ſubjungeremus, ni longius hoc foret. Hic tantum earum quamvis minus propriè ſic dictarum præparationes duas è Pharmac. Bateana, & Clariſſ. Jungken Lexicô Pharmaceuticô, adducemus.

Panacea Harthmanni.

℞. Sulphur. antim. combuſtibil. ℥i. olei vitriol. vel ſulph.rectific.℥iii. regul.antim. ℥i. digere calidè ad dies 10. dein deſtilla per retort.vitr.ex arena ter ad minimum cohobando.Ignem urge ſub finem & materiam in fundo per horas 5.reverbera.Tandem exime,lava cum aquâ roſar.& ſicca. ℞. Hujus pulver.℥i. ſal. corall.ʒii. m. exactè ſ. a.

Remedii eſt inſtar univerſalis: habet nimirùm in ſe vim diaphoreticam ac ſanguinem mundificandi, ideoque quibuslibet morbis per ſudorem ſanabilibus inſervire poteſt præcipuè Lui venereæ cutiſque fœditatibus. Doſ.à.gr.x.ad xx.

Panacea Anvvaldina *Volkameri.*

℞. Cinnabar. nat. mercur. dulc. aa ℥ß. magiſter.corall.margarit.aa ʒii. croci ℈i. M. Vires ſunt inſignes in Epilepſiâ,vertigine ac coagulationibus pituitoſis.Doſ.gr. ii.& iii.ad ℈i.

PANAX.

Panax quaſi πᾶσιν ἄκος omnibus remedium afferens.Plin.lib.25.c.4.Panaces ipſo nomine omnium morborum remedia promittit. Theophraſt hiſt.lib.9. c.12. quatuor genera proponit, Syriacum,Chironeum,Æſculapeium & Herculanum. Cæterum Panacis Heraclei dicti, de quo agimus, notæ ſunt folia lata paſtinacæ, verùm magis compoſita ſeu ramoſa, flores lutei, radix gummifera ſeu ſuccifera. Hæc Planta Dodonæo aliiſque ipſiſſimum Panes Syriacum veterum habetur.

Nomina. Panax herculeum majus *Ger.* panax paſtinacæ folio,an Syriacum Theophraſti *C.B.* idem panax coſtinum ejuſdem ex ſententia fratris & noſtra, Pan. heracleum alterum,ſive peregrinum Dodonæi *Park.* Itemque panax coſtinum ſeu pſeudocoſtus Matthioli ejuſdem. Sphondylio vel potius Paſtinacæ Germanicæ affinis. Panax vel pſeudocoſtus flore Luteo. *J.B.*

J.B. Foliis viget interdum ſeſquicubitali longitudinis, latitudinis cubitalis, aſperis hirſutis, atrovirentibus cum nitore quodam, in alas diviſis ex adverſo

adverſo ſitas, eaſque ruſus pinnatim ſubdiviſas in folia paſtinacæ Germanicæ foliis ſimilia ſerrata, tres, quatuorve uncias longa, binas lata, in obtuſum mucronem deſinentia, pediculo admodum hirto & aſpero. Caules aliquot cubitorum bracchiati: umbellæ inæqualis longitudinis muſcariis peucedani in morem conſtant florum luteorum. Semina majora quam paſtinacæ Germanicæ ſphondilii ſeminibus paria, compreſſa, lata, fimbriam albam habentia cum in medio nigricent, acria & linguam mordicantia.

In Sicilia non longè à Caſtello Puzallis ſponte natam obſervavimus hanc Plantam.

Ex hujus vulnerato, præſertim circa radicem, caule ſuccus æſtivis menſibus manat, Opopanaci ſimilis, ſponte concreſcens, odoris quidem exigui, ſed guſtu excalfaciens: idque æſtate, fervida etiam in Belgio. Ex ſemine in Opopanacis grumis reperto hæc primum in Belgio enata ſtirps eſt Dod. hinc & rectè quidem, colligit Dodonæus Plantam hanc ipſiſſimum eſſe panaces Syriacum. Veterum: idem confirmat Paulus Boccone his verbis, è Caule hujus Plantæ inciſo extillat gummi quoddam flavicans, quod Balſami ſpecies eſt, ad omne genus vulnera & plagas ſanandas, experientia teſte, longe utiliſſimum, ſi forma emplaſtri parti affectæ applicetur. Gummi autem quod ex hac Planta emanat genuinum antiquorum opopanax cenſendum eſt, quandoquidem ex omnibus panacis ſpeciebus in Europa hucuſque cognitis nulla obſervatur quæ ſimilem reddit ſuccum. Quin affirmat idem Paulus Boccone panax iſthoc ſemine hirſuto Siculum [quamvis non in Sicilia tantum ſed etiam circa Monſpelium in Gallia Narbonenſi oritur] panaci Syriaco è quo Opopanax elicitur, idem prorſus eſſe, cum utrumque primo tria edit folia, poſtea in quinque diviſa ex adverſariis D. Tancredi Robinſon.

Oritur etiam cum Libanotide Cachryophora in elato colle prope Molendinum dictum juxta fluvium La Mauſſou. Botan. Monſp.

Vires. Præſtant [ut referunt qui important] pſeudocoſti radices ad omnes cerebri & nervorum frigidos affectus, ad pectoris vitia, & ad ventriculi cruciatus, & viſcerum omnium obſtructiones, & ad renum, veſicæ & uteri morbos. Ideóque auxiliantur diutino Capitis dolore affectis, vertiginoſis, Comitialibus, Stupidis, veternoſis, convulſis, reſolutis, aſthmaticis, tuſſientibus, ictericis & hydropicis, eædem flatus pellunt, vermes necant, urinam ducunt, calculos ejiciunt, menſes & partus cient; infunduntur earundem decocta ad coli cruciatus, & coxendicum dolores J.B. è Matth.

Cæterum Opopanax [quem hujus Plantæ ſuccum concretum eſſe non eſt cur Dodonæo fidem denegemus] emollit, digerit, flatus diſcutit, purgat pituitam craſſam & lentam à partibus remotis, cerebro nervis, ſenſoriis, juncturis thorace. Uvulæ delapſæ opitulatur [ſuffitu intus immiſſo] Schrod.

Signa bonitatis ſunt color extus flavus, intus albus aut ſubflavus; ſapor valde amarus, odor gravis, conſiſtentia pinguis, facile in aqua ſolubilis, levis, tenera, friabilis, &c. Raius.

Panchymagogum, vid. *Extractum.*

PANICUM.

Panicum, Græcis ἔλυμος καὶ μελίνη, etymon Plinius adfert, lib. 18 cap. 7. Panicum inquit, à Paniculis dictum. Ac paulo poſt ait, quoddam panici genus eſſe à pano parvis racematum paniculis. At panicum non ἀμέσως à panicula dicitur, Ἀναλογία enim repugnat, ſed à panus cujus diminutivum panicula, ut panicum & panicula ejuſdem ſint originis: panus autem à πῆνος pro quo Dores & Æoles πᾶνος: à πῆνος autem πηνίκη ἡ θρὶξ καὶ κόμη Voſſ. Etymolog.

Panicum ſpica laxiore, & velut è racemis compoſita, granis minoribus à reliquis frumentis ſpicatis differt.

Vires. Guſtu, qualitate & viribus milio reſpondet, quare in cibo, pane & medicina ut milium uſurpari poteſt; unde magni per univerſam Germaniam, Ungariam & Bohemiam, perhibente Cluſio, uſus eſt: etenim in alimentum cedit ac pultes ex ejus ſemine deglumato fiunt non ingrati ſaporis. At inquit C. Bauhinus ex veterum ſententia, mali ſucci eſt, difficulter in ventre conficitur, flatus parit, alvum aſtringit, ſiccat atque refrigerat. Ideoque milium panico ad omnia præſtantibus. Lac ei admiſcere (in pulte) ſalutare inventum fuit, tollit enim aut ſaltem minuit prædicta mala.

Puls cum lacte in capitis doloribus à bile cauſatis, hæmoptoicis & pollutione nocturna commendatur. Ventris fluxus ceu ipſum etiam milium, nonnihil ſiſtit Galeno; in lacte caprino coctum & bis die hauſtum: Plinio, cui & ſic prodeſt ad tormina foris in cataplaſmate illitum exſiccat & refrigerat.

Apud Italos ad Gallinarum, Columbarumque ſaginam potius quam ad hominum alimentum ſeritur. Nos etiam non dico cum C. Bauhino, illud ruſticis foſſoribus & meſſoribus, ſed jumentis avibus cortalibus comedendum relinquamus, & melioribus frugibus Dei gratiâ repertis utamur. Raius.

PANIS.

De Pane in genere ſic dicto vid. ſub titulô Triticum. Hic tantùm de Panibus duobus compoſitis ex Pharm. Bateana.

Panis Diaſarſæ.

℞. Pulver. ſarſapar. ℥iij. Chinæ ℥j. ſem. carvi integr. ʒj flor. tritici puriſſ. ℥xvj. vitell. ovor. N. ij. Barmii aliquantulum, cum lactis ſ.q. f paſta, ex quâ fiant panes in clibanô coquendi pro pane ordinariô in Lue Venereâ &c.

Panis de Viperâ.

℞. Carnis viperarum pulver. ℥i. Sarſaparill. ℥iii. farin tritici opt. ℔.i. vitellum ovi unius, cum flor. cereviſ. & lact. ſ. q. f. panes N iiii. coquendi in clibanô ſ. a. pro pane comm. in Lue Vener. ſcorbutô, leprâ, cachexiâ. &c.

Panis Cuculi, vid. *Trifolium Acetoſum.*

Panis Porcinus, vid. *Cyclamen.*

PAPAVER.

Papaver dictum cenſet Voſſius à *papo*, quomodo *cadaver* à *cado*. Nomen ex eo fuerit, quòd inderetur papæ ad conciliandum ſomnum. Papa (pro quo vulgò minus rectè pappa ſcribunt gemino pp) puerorum eſt cibus, quem & nos hodie *pap* appellamus: unde verbum *pappo* apud Perſium, pappare minutum poſcis, &c.

Græcis μήκων & μηκον dicitur, (utroque enim modo ſcribitur) παρὰ τὸ μὴ κονεῖν à non miniſtrando dicitur. Quod veſcentes eo ſuis muneribus fungi non poſſint.

Ex his aliud Rhæas dicitur à ῥέω fluo, quod ab eô liquor emanet, ut aliqui volunt. Gaza fluidum vertit, quia flos ſtatim defluit poſtquam ſemel explicatus fuerit.

Nota. Papaveris *characteriſtica* ſunt florum petala ampla tenuia, fugacia; ſuccus lacteus aut flavus acer; vis narcotica; & in pleriſque ſpeciebus calyx bifolius ſeu bivalvis, caducus.

Papaveris duo ſunt genera, alterum conceptaculo ſeminis breviore & craſſiore in plurimas

cellulas diviſo, operculo ſtellato tecto; idque vel foliis integris majus; papaver ſativum: vel foliis diſſectis minus, ſeu flore minore, & in nonnullis ſpeciebus capitulis hiſpidis, in Argemonis dictis, ſeu flore majore, in papavere rhœade.

Alterum ſiliquoſum, papaver corniculatum: cujus revera ſpecies eſt chelidonium majus dictum, ſiquidem ſucco flavo acri turget, calycem habet bivalvem caducum & florum petala tenuia, fugacia.

Vires Papaveris & Opii ex eô educti.

Succus papaveris inſpiſſatus *opium* dicitur: eſt autem ſuccus ille qui ſponte emanat vulnere in capite facto, nam qui è tuſo papavere exprimitur *Meconium* appellatur (cum capita ipſa & folia decoquuntur ſuccus Meconium vocatur, multùm opio ignavior. Plin.)

Eſt autem cum aqua papaveris deſtillata, tum oleum, tum maxime opium narcoticum & anodynum, ſoporem utique conciliat, & ſenſum doloris aufert. Hoc efficit, non frigiditate ſua, ut nonnulli volunt (ſiquidem ſapor amarus, viroſus odor, inflammabilitas, & vis exulcerandi planè contrarium arguunt) ſed qualitate hactenus incomperta. Uſus eſt eximii in diarrhœa, dyſenteria, catarrhis, tuſſi, &c. verum in eo ſumendo ſumma cautio adhibenda eſt.

Quæ Bellonius de opio habet merentur legi, ideoque huc transferemus: Opium nunc fit in Turcia, maxime in Achara, Carachara, Spartada, Emetelinda, & aliis urbibus vicinis Paphlagoniæ, Cappadociæ, & Ciliciæ. Conſerunt agros papavere albo ut nos tritico. Serendo obſervant, ut unuſquiſque ruſticus tantum ſerat, quantum putat ſe habiturum homines qui colligant. Ubi papaver capita produxit leniter diſſecant, unde effluunt aliquæ lactis guttæ, quas concreſcere ſinunt: nullus autem eſt Turca qui non coemat, etiam pauper, & ſecum circumferat, tum tempore pacis, tum belli. Mercator quidam Judæus ex Natolia certo nobis affirmavit nullum elabi annum quin efferantur ex Paphlagonia, Cappadocia, Galatia & Cilicia onera quinquaginta Camelorum, ut transferantur in Perſiam, Indiam & alias regiones longinquas, atque in univerſum dominium Magni Turcæ. Dicebat præterea in majori adhuc uſu eſſe apud Perſas quam Turcas: Semel experiri voluimus qua doſi exhiberi poſſet una vice ſine nocumento, invenimus quendam conſuetum quotidie comedere, qui nobis præſentibus comedit pondus ℥ß. ſequenti die dedimus ei unâ vice drachmam unam, nec ullum ei detrimentum evenit, niſi quod quaſi Ebrius videretur. Turcæ commendant qui ſibi perſuadent ſe magis ſtrenuos & minus timidos periculorum belli reddi, ita ut Turca exercitum colligente ita conſumatur, ut regio vacua eo remaneat.

Nos opium experti ſumus, verum nullum ſymptoma animadvertimus, niſi quod excalefaceret pectus & nonnihil caput turbaret, & inſomnia pareret. Credimus quod ſi in Europa, ut Gallia, Germania & Italia ea diligentia adhibeatur quam adhibent, poſſet etiam fieri ſicut in Aſia. Natoliæ Clima eſt æque frigidum atque Galliæ.

Optimum opium valdè amarum eſt, guſtu calidum, ita ut os inflammet. Coloris eſt lutei inclinantis in colorem pilorum leonis, ſimul coacervatum maſſa velut ex multis parvis granis diverſi coloris. Odor gravis eſt & vehemens.

Quamvis autem verum ſit Turcas, Perſas aliaſque nationes Orientales opio, uti ad ſpiritus recreandos, addendos animos, audaciamque in bellicis conflictibus augendam (inebriat enim non ſecus ac vinum, aliique generoſi liquores) potiſſima tamen cauſa cur illud aſſidue ingerunt, eſt ad appetitus venereos excitandos; ut in ſecretis colloquiis iis fatentur quibus familiarius utuntur. Et D. Sachſius in Ephemer. German. Ann. 2. obſerv. 69. plurimorum teſtimonio ſibi relatum narrat quod poſt pugnam in Hungaria ad Levenz oppidum commiſſum Chriſtiani milites Turcas occiſos ſpoliantes pleroſque erecta haſtâ & priapiſmo fœdatos invenerunt, quod ex ſumptione opii ante prælium proculdubio contigit. Quod vero Sachſius opium in quibuſdam, puta Orientalibus, Venerem ſtimulare, in aliis vero ut Occidentalibus aut Septentrionalibus, eandem frænare exiſtimet, mihi non probatur: in utriſque enim ſtimulare minimè dubito.

Ex opio (inquit. Job. Jacob. Saar novennali Indiæ peregrinatione celebris) parant Indi electuarium, quo Chinenſes utuntur ad excitandam Venerem, cujus uſu adeo Veneris œſtro irritantur ut per totam noctem ei litent, ſæpe aufugientibus, nec ulteriorem vim ſuſtinentibus Scortis. Apud Perſas & Indos ad eoſdem uſus crebrò adhiberi opium teſtis eſt Olearius in itinerar. Perſic. l. 5. cap. 15. & 18. & cum Mandelſlo apud Cham in urbe Amadabat convivio intereſſet, variæ oblatę fuerunt opii præparationes in ciſta aurea; de qua convivæ ad Venerem irritandam ſumpſerunt. Papaveris ſemen olim, ut ex Dioſcoride, Plinio, & Apuleio liquet, in ſanitatis uſum compinſebatur panibus, quod & nos etiam novimus ab aliquibus factitatum (inquit P. Gaſſendus) ſcribit Matthiolus Gentes Alpinas quæ Tridentinas valles, Stiriam, ſuperioremque Auſtriam incolunt, ſemine papaveris placentulis miſto veſci, oleoque expreſſo in cibis continuè uti, nec tamen ob id veternoſos fieri, aut diuturniore ſomno capi. Et Wagnerus Hiſtor. Natural. Helvetiæ p. 262. in Argovia inquit, papaver ubertime ſatum provenit, ac oleum è ſemine ejus exprimitur, cujus uſus in lampadibus præcipuè loco olei olivarum: nonnulli etiam id butyri loco in cibis adhibent, cum farina etiam ſubigunt, laganaque conficiunt, quæ ſine noxa comedunt (D. Tancred. Robinſon hiſtoriolam miſit) utcunque uſum ejus ſine neceſſitate nemini inaſſueto conſulerem. Siſtit enim ſpirituum motum & in morbis acutis concoctionem impedit: adeoque materiæ peccantis ſeparationem & ſanguinis depurationem.

Ad dolorem acerbiſſimum opthalmiæ ♃. emulſion. factam ex ſem. papaveris cum lacte, aqua lactucæ & decocto fœnugræci: eſt efficax remedium Sennertus.

Laudanum opiatum eximii uſus eſt in medicina ad dolores leniendos, humorum orgaſmos ſeu motus effrænes & inordinatos ſedandos & coercendos.

Vires Papaveris Rhœados.

Hujus flores præcipue officinis in uſu ſunt, refrigerant validè, ſomnum conciliant, dolorem ſedant; uſus præcip. in febribus, pleuriſi (cui ſpecificè proſunt) angina, aliiſque morbis (imprimis pectoris) refrigeratione opus habentibus; inordinato menſium fluore (infus. Florum in ſp. vini.)

Extrinſecus ſunt qui herba hepati impoſitâ hæmorrhagiam narium ſiſtere conantur: quam vim & radici aſſcribunt, in uſu ſunt pulvis florum, aqua ſtillatitia, ſyrupus & conſerva eorundem. Schrod.

Aquam deſtillatam florum ſi eorundem colore phœniceo tinctam deſideras, cum aqua inter deſtillandum in vas recipiens incipit defluere, ſublato alembici capitello in ejus roſtrum florum manipulum immittas, qui ob humorem roridum roſtri lateribus adhæreſcentes ibidem manebunt. Reponatur deinde capitellum, Aqua deſtillata elegantem rubini colorem contrahet. Hoc modo aliorum quoque florum aquæ deſtillatæ eorundem coloribus imbui poſſunt D. Hulſe.

Decoctum corticis median. Sambuci vel ebuli cum ſyrupo papaveris ad ſudores movendos efficaciſſimum eſt. N. B. Narcotica addita diaphoreticis vel diureticis, ſudores magis promovent, ut patet in Theriaca & mithridatio cum opio D. Bovvle. RAIUS.

PAPY-

PAPYRUS.

Papyrus niſi nomen peculiare ſortita eſſet,ob caulem triquetrum cypero potuiſſet accenſeri.

*Nomina.Ger.*Papyrus Nilotica *J.B.*Antiquorum Nilotica *Park.* Nilotica ſive Ægyptiaca *C.B.*item papyrus Syriaca vel Siciliana ejuſdem & *Park.* nos enim non diſtinguimus.

Hanc ita deſcribit eruditiſſ. Veslingius : aſſurgit ab arundineis fibroſiſque radicibus (Cæſalpinus radices lignoſas, craſſas arundinis modo geniculatas , numeroſa ſobole in obliquum tendentes , ſapore & odore Cyperum æmulantes , ſed infirmius , ſubrufas papyro Sicilianæ attribuit) circa Nili ſtagnantis ripas caule numeroſo triquetro , non raro ſeptem cubitorum menſuram ſpecioſa proceritate cùm æquante , tum ſuperante. Folia circa utrumque ſcapi extremum,inferius ampliora Sparganii Cyperive inſtar repanda. Superne minora, quæ radiatum veluti calycem innaſcenti jubæ ſubjiciunt.Denſo ſtaminum ordine ſtipatum caulis faſtigium Cæſariem exprimit,& circa ſummum hujus prominuli florei apices obligatum circumplicata hedærâ thyrſum effingunt. J.B.ſc .floream comam deſcribit Floribus eſt perquam ſpecioſis & luculentam in ambitu Cæſariem effigiantibus, numeroſis gracilibus,thyrſulis , denſo & æquabili Comarum ſtipatu,& apicibus prominentibus, ferulæ in modum collectis, non ut Cyperi ſparſis : nimis ornatè & minus clarè. Cæſalpinus comam latam , ex numeroſis parvis juncis triangulis conſtantem in quorum ſummo flocci ruffi ei aſcribit ; magis perſpicuè.

Papyrus , quam Cæſalpinus in horto Piſano aluit , ex Siciliæ paluſtribus delatam, quam, eodem autore, in Sicilia vulgo piperum vocant: quam J Bauhinus in horto dicto Cæſalpini benevolentia vidit: nobis non aliter differre videtur à papyro nilotica veterum quam magnitudine aliiſque accidentibus à loci diverſitate ortis: J.Bauhinus aut etiam Cæſalpinus ipſe diſtinguunt aliter quam magnitudine.

Vires & uſus. Ex papyro olim Chartæ fiebant ad ſcribendi uſum , conficiendi modum vide apud Plinium lib.13.cap.11.12. hæc ante repertas fruges Ægyptiis alimentum (omnes enim Ægypti incolæ & crudam & elixam & aſſam manducabant , & ſuccum devorabant, manducamentum autem expuebant) ſtragulas , navium contextum, vaſorum utenſilia , florem ad coronandos deos, & calceos horum Sacerdotibus præbebat,radix in uſum ligni cedebat. Chirurgi, referente Alpino, foliorum medulla utuntur ad ulcerum ora dilatando. Ex ſcapique combuſto cinere recentia ulcera curant,qui etiam maligna augeri (ſi ſæpe aſpergatur) non ſinit.Ex ſcapis recentibus aquam deſtillant ad oculorum ſuffuſiones,caligines & obſcuritates maxime proficuam.

Chartæ ex papyro in deſuetudinem obierunt ; novo chartarum artificio circa annum 1470. (quo tempore ex Gallicia duo viri Antonius & Michael in Germaniam & Baſileam venerunt,& ſecum artem illam antea Germanis ignotam attulerunt) invento; lintea ſcilicet uſu detrita & flaccida tandiu tundunt machinis aquâ motis donec in ſuccum diſſolvantur : hunc optime aqua diſſolutum , non ſine glutine , & conturbatum , cribris excipiunt , qui ſucci craſſitiem retinentes, paginam reddunt ſuper ſtramenta ad uſum parata , quæ ad prioris imitationem papyrus quoque nominatur, eo quod eundem nobis uſum præſtet quem olim Ægyptiis papyrus præſtabat. RAIUS.

PARALYTICA MEDICAMENTA , vid. ſub titulô *Cephalica.*

PARALYTICA HERBA, vid. *Primula Veris.*

PAREGORICA, vid. *Anodyna.*

PARIETARIA.

Parietaria dicitur hæc herba quod in parietinis exeat , item muralis : *Helxine* quod aſperâ foliorum hirſutie, aſperoque ſemine, tenaci nexu veſtibus adhæreat:*perdicium* à perdicibus , quæ eam eſitare ſolent: *Vitriaria* & *urceolaris* quod ob nitroſitatem ſuam tergendis urceolis vitreiſque vaſis efficax ſit.

Calycum & totius Comæ hirſutie aſpera & veſtium tenaci: ſeminibus ſplendentibus quibus floſculi ſunt pro vaſculis à reliquis dignoſcitur hujus familiæ Plantis.

Nomina Parietariæ vulgaris.

Parietaria *Ger. Joh. Bauh.* Vulgaris *Park.* officinarum & Dioſcorid. *Caſp. Bauh.*

Vires. Parietaria abſtergit & leviter adſtringit refrigeratque. Uſus internus rarior eſt ; ſunt tamen qui ad tuſſim commendant ; calculoliſque & iis qui difficultate urinæ laborant ſuccum ejus utiliter propinari dicunt , multi hodie uſus in enematis ad ventris , uteri & renum dolores. Extrinſecus ad tumores, eryſipelata, ambuſta &c. conducit, Schrod. ejuſdem leviter tuſæ & impoſitæ vis magna ad recentia vulnera ſananda eſſe dicitur.

Herbæ exſiccatæ pulvis vel melle exceptus,vel cereviſia aut zythogalo potus ad tuſſim inveteratam & tabem pulmonum mirificè conducit experientia teſte. Quin & à veteribus adverſus tuſſim & aſthma exhiberi ſolita eſt. Idem efficit vel decoctum ejus in vino aut aqua mulſa, vel aqua deſtillata: verum pulvis efficacior eſt.

Salem nitro ſulphureum præbet hæc planta non ſecus quàm borago & bugloſſum. D. Boyl. de utilitate Philoſoph.Nat. quod ſale nitroſo abundet. Vis ejus deterſoria oſtendit : urceolaris ſiquidem dicta eſt , quòd urceolis vitreiſque vaſis detergendis & mundandi efficax ſit,ut ſuperius monuimus. RAIUS.

PARONYCHIA.

De Paronychia herba ejuſque in morbô eôdem nomine denotato tractatum integrum conſcripſit Clariſſ. *Gordonius.*† De hac autem planta ambigitur qualiſnam demum ſit Clariſſ. *Raius*, eam pro Burſæ Paſtoris ſpecie quâdam habet,alii verò, ut Nobiliſſ. Boyle pro Sedo Tridactylite tectorum accipiunt , cujus Nomina hæc ſunt.

Sedum Tridactylites tectorum *Caſp. Bauh.* Tridactylites tectorum flore albô *Joh.Bauh.*

Paronychia rutaceô foliô *Gerardi* Paronychia foliis inciſis *Park.*

Hæc autem plantâ radice tenui , ſimplici, ſurculoſâ nutrimentum haurit. Caule plerunque unicô aſſurgit tereti, tenui & infirmo, ramoſo,rubente, altitudine palmari , aut paulo humiliore , altioreve pro locô in quô naſcitur.Folia priora, oblonga, ſimplicia , alia verò ſine pediculis cauli appoſita, pinguia, ſive ſucculenta , pallida, hirſuta, tactu glutinoſa, in tria ſegmenta, ſeu digitos diviſa , & interdum in quina : verùm quæ in ſummis caulibus ſunt,iterum ſimplicia & indiviſa ſunt, alternatim poſita. In ſummis caulibus & ramulis longis pediculis inſidunt floſculi parvi , albi , pentapetali petalis ſubrotundis, minimè fiſſis, è calicibus oblongis, hirſutis, quinque partitis. Vaſculum ſemina in ſummô bicorne,infra calicem floris in ventrem rotundum turgeſcens oxyacanthæ fructum refert.Tota planta ad tactum viſcoſa eſt.

In muris & tectis,locis ruderatis & ſiccioribus copioſè provenire ſolet. Floret menſe majô & brevî ſemen perficit,inde radicitùs exareſcit.

Herba infuſa in cereviſia tenui ſeu leptomera , & per aliquot dies pota,abſque ulla evacuatione ſenſibili ſcrophulis

phulis medetur, humorem abſumendo, dolores mitigando, tumores diſcutiendo & ulceroſos exſiccando. D. *Boyle* de utilitate Philoſ. Nat. ad Medic. p. 203.

Alii etiam *Paronychiam* ad Gramina referunt. Verùm ſatis fuerit ea quæ indicavimus & exſcripſimus, indicaſſe atque exſcripſiſſe, & in utili admodum plantâ ut Nobiliſſ. creditur *Boyleo* ſubſtitiſſe.

PARUS.

Paros vocamus aviculas quæ circa arbores plerunque verſantur, deque inſectis quæ ibi inveniunt præcipuè victitant. Turnerus non ſolum vermibus veſci, ſed & cannabino ſemine & nucibus delectari aſſerit, eaſque roſtris ſuis acutioribus perforare. Harum nonnullæ in arborum foraminibus nidificant: aliæ nidos ſibi extruunt figuræ ovalis, foramine ad latus per quod ingrediantur relicto. Irrequietæ ſunt & certo aliquo loco reſidere neſciæ, at modò hanc, modò illam arborem petunt. Roſtra his brevia, ſed majora pro corporum mole quam avicularum ſuperiorum: corpuſcula exigua; caudæ longæ. Pleræque Canoræ ſunt. Omnes autem plurima ova pariunt. Cæterum pari Ar[illegible]teli Αἰγίθαλοι dicuntur: noſtratibus & Germanis mice, i. e. mures, an quia murium inſtar arborum foramina ſubeant, an quia (ut Geſnerus ſcribit) muribus veſcantur detracta cute objectis: quod tamen minus veriſimile videtur. Horum quinque in Anglia obſervavimus ſpecies, nimirum. 1. Majorem fringillaginem dictum. 2. Atrum Geſn. 3. Paluſtrem Geſn. 4. Cæruleum. 5. Caudatum criſtatum & ſylvaticum Geſn. nondum invenimus. WILLUGBEIUS.

Efficax prædicatur *Parus major*, adverſus renum calculos & colicos cruciatus, in cibo vel cinere exhibitus. SCHRODERUS.

PASSER.

Granis frumentorum & vermibus veſcuntur. Roſtra eis brevia, craſſa, nonnihil incurva, color teſtaceus, terreuſve; admodum ſalaces, & propterea brevis ævi eſſe perhibentur.

Paſſer domeſticus Aldrov. The Houſe-ſparrovv.

Avis hujus notiſſimæ & paſſim obviæ pondus 1½ unc. longitudo ab initio roſtri ad finem caudæ 6½ digit.

Roſtrum craſſiuſculum, mari nigrum, ad angulos oris infra, oculos luteſcens, fœminæ fuſcum, medium vix digitum longum oculorum irides avellaneæ. Pedes ex carneo fuſci: ungues nigri. Extimi digiti imum internodium medio adnaſcitur.

Caput ex fuſco cinereum: mentum nigrum. Supra oculos duæ utrinque maculæ parvæ albæ. Linea lata ſpadicea ab oculis: aurium tegetes plumulæ cinereæ. Gula albo cinerea. Sub auribus magna utrinque macula alba. Venter, pectus alba. Quæ dorſum & collum diſterminant plumæ ex parte ſcapi exteriore ruffæ, ex interiore nigræ; at fundum verſus aliquid alboris ruffum terminat. Reliquum dorſum & uropygium ejuſdem cum turdis coloris, ex viridi, fuſco & cinereo quodammodo mixti.

Fœmina barba nigra, nec non colli & oculorum maculis albis caret, capite & collo uropygio concoloribus, prona, parte ſordidè alba, vice lineæ albæ ad alas plumas habet nigras apicibus albo ruffis: in univerſum colores per totum corpus minus vegeti.

Pennæ remiges in utravis ala 18. fuſcæ, marginibus ruſeſcentibus ab ala notha linea lata alba ad articulum proximum porrigitur. Supra hanc lineam alæ veſtitrices coloris ſunt ſpadicei: inferius mediis partibus nigræ, marginibus exterioribus ruffæ. Caudæ pennæ omnes ex fuſco nigricant, marginibus, præcipuè poſterioribus ruffeſcentibus.

Teſtes grandes; eſt enim ſalax admodum. Inteſtina 9. digitos longa; Appendices breviſſimæ. Fœminæ uterus magnus. Ventriculus carnoſus, granis, frumento, hordeo, &c. veſcitur, fel habet.

An adeo brevis ævi ſit ut fertur merito quis ambigat.

Hoc genus avis, ut & aliæ multæ, colore interdum variat: Aldrovandus enim tum album, tum flavum paſſerem exhibet, quorum icones & deſcriptiones apud ipſum videri poſſunt. Ornithologiæ lib. 15. cap. 11. & 12. WILLUGHBEIUS.

Paſſer Troglotites idem cum regulô Schrodero creditur, aut ſaltem viribus cum eo convenire.

Vires. *Paſſer troglotites maximoperè commendatur ad calculum atterendum & expellendum, ſive integer evulſis pennis ſale conditus crudè devoretur, ſive incineratus aſſumatur.*

Paſſer vulgaris, quia avis ſalaciſſima eſt commendatur ad venerem, comeſtus, præcipuè cerebella.

Stercoris grana aliquot exhibentur infantulis ad ciendam alvum.

Imò & adultis ſubducit alvum, inprimis collectum ex moro.

Paſſeris oſſa pulverem Epilepticum in Hiſpania Regi commendatum ingrediuntur. SCHRODERUS.

Paſſer Troglotites.

Hujus præparatio diverſimodè traditur. Alii deplumatum prius abjectis viſceribus ſalis ac piperis aſpergine condiunt, & crudum ægrotantibus in totum devorandum exhibent. Ut mumia hæc medicinalis ſarta tecta conſervetur. Ferculum ſanè canibus dignum. Alii elegantiori coquinâ palato magis indulgentes paſſerculum nec deplumem, nec eviſceratum adjecto Salis & piperis modico in vitreatam conjiciunt & addito operculo ad cinefactionem uſque torrent, toſtum in ſubtiliſſimum pulverem in hauſtulo melicrati drachmatim propinant. Alii Avem citra minimam ſanguinis effuſionem occiſam, plumis & extimis vacuam, ac petroſelino, Sale & baccis juniperi pulveriſatis planè refertam decocto Ligni Nephritici ex vino Rhenano facto immergunt, ita, ut liquor duos latos digitos in vaſe ſupereminveat, maceratione unicæ noctis factâ in diplomate arctiſſimè occluſo blandè ac ſenſim coquunt, ſummè cavendo, ne minimum vaporis erumpat, coctam ſufficienter ab igne procul amovent, uſque dum refrigeſcat, refrigeratam unà cum liquore comedendam jejunè calculoſis exhibent, renovando quotannis Vere & Autumno. HOFMAN.

PASSULÆ, vid. *Uva Paſſa.*

PASTÆ VARIÆ.

Paſta regia ſeu panis martius, è *Pharm. Auguſt.*

℞. *Amygdalorum dulcium contuſorum* ℔ß *Sacchari tenuiſſimè pulveriſati* ℔j. *cum aqua roſarum fiat paſta.*

Paſta regia compoſita, ex eâdem *Pharmacop.*

℞. *Pinearum mundatarum, piſtaciorum præpar. ana* ℥iiii. *Sacchari albiſſimi* ℥viii, *quinque lapidum pretioſorum ana* ℈ii *corall. rubr. præpar.* ʒiß *cinnamomi acuti* ʒi. *ſpecierum de Gemmis frigidis* ʒii. *nucis moſchatæ* ʒß. *macis grana quinque, Corticum citri conditorum, conſervæ borraginis ana* ℥iß. *margaritarum præpar.* ʒiß. *cum aqua bugloſſi, inciſis raſſiuſculè incidendis, Aromatibus reliquis contuſis, fiat paſta ſaccharo & cinnamomo incruſtanda.*

Plurimum nutrit ac roborat; eâ, qui è diuturnis morbis emerſerunt, & macilenti commodè reficiuntur.

Paſta pro placentulis ſtomachalibus, *Zwelferi.*

℞. *Amygd. dulc. decort.* ℥ii. *piſtach. decort.* ℥iß. *contundantur probè & minutiſſime in mortario ad pultis formam,*

formam, affundendo paulatim portiunculam aquæ roſarum fragrantiſſ. vel cinamomi, poſt adde

Sacch. pulv. albi ℥viii. cort. arantiorum, citri ana cond. ℥i. farinæ triticeæ ℥iii. pulv. cinamomi acuti ʒvi. caryophyllorum, nuc. moſc. ana ℥ß. paperis longi, zingiberis ana ʒiii. Fiat paſta ex qua formentur Placentulæ parvæ ad lubitum, & in fornace, vel ſartagine occluſa, moderato calore pinſentur.

Paſta odorata vilior pro mulieribus, *ex eodem.*

℞. *Reſinæ ladani, ſtyracis calam. ana ʒvi. quibus in mortario calido nonnihil liquatis adde pul. Gum. benzoës, Animæ ana ℥ß. pulv. caryophyllor. ʒvi. macis, nuc. moſch. ana ℥ß. ligni aloës opt. odor. cinamomi. rad. ireos flor. ana ʒiii. ol. ſtill. cinamomi, caryoph, ana ʒß. nuc. moſch. expreſſi ʒi.* miſceantur exacte fiatque paſta odorata, bullis replendis.

Paſta odorata Tempore peſtis, ex *eôdem.*

℞. *Cort Arantiorum recent. & extim. radulâ comminut. ℥i. cort. citri recent. & extim. radulâ pariter comminut. ℥iß. rutæ recentis herbæ, bacc. juniperi, ligni ſeu rad. juniperi ſubtiliter raſpat. ana ℥i.* contundantur & contundantur minutiſſime in mortario ad pultis formam: quibus porrò adde.

Reſinæ ſtyracis calam. ladani ana ℥i. Bals. indici de Peru ʒiii. camphoræ ʒii. ol. ſtill. rutæ ʒß. caryoph. ßii ligni Rhodii, ſuccini albi ana ʒß. nuc. moſch. expreſſi ʒiß pulv. Aſæ dulcis ʒß. ligni cupreſſi, aloës, rhodii, ſantali citrini ana ʒi. miſceantur in mortario calido, & contundendo fiat paſta odoris grati.

Alia vilior, ex *eôdem.*

℞. *Camphoræ ℥ß. ſolvatur in ol. ſtill. Angelicæ, rutæ, ſuccini, caryoph. ana ʒi. addendo pulv. benzoës, ladani ligni juniperi raſpati, cupreſſi, Rhodii ana ʒiii. ſalis urinæ volatilis ʒv. miſceantur* & fiat paſta ſeu pomum Antipeſtilentiale odoriferum.

Nota: cum veriſſimè peſtilens contagium ac virus, cum exhalationis fracedine, quæ ſymbolum continet maligni fermenti ac miaſmatis, tum etiam animatis effluviis ac atomis virulentis, cuilibet naturali corpori (uno exempto ſulphure) ipſi proinde moſcho & Ambræ, cæteriſque multum fragrantibus, ac pro pomo Ambræ vulgo uſitatis, viſcoſitate ſua adhærere ac commigrare ſoleat, adeo, ut, unde ſibi panacæas homines compromittant, arcanas inſidias ac deleterium virus experiuntur; conſultum judico ejuſmodi amuleta, non tam genio & odoris illecebris grata deligere, quam ſecurioribus, minus licet arridentibus qualitatibus dotata, certo vitæ adminiculo procurare. Hinc nodulum tornatilem è juniperino ligno, requiſitis per circuitum foraminulis affabre paratum geſtent, cujus una pars goſſipium ſeu ſpongiam ſale urinæ imbutum capiat, toties renovandam, quoties odorem ſpirare deſierit. Tale quid exhalant cloacæ, quando ſtatis temporibus ad motum aëris, acutiſſimum ſalis volatilis urinæ reddunt odorem; altera verò parte recludatur, ſpongiæ aceto alexiterio imbutæ particula, naribus iterato admovenda, ſive domo egredi opus habeas, ſive domeſtica munia obire velis, adeò ut, ſi mane ſimul aſſumatur cochlear aceti boni alexipharmaci plus inde ſubſidii ac præſervandi virium præſtolati poteris, quam ex moſchatis, ambratis, delicatioribus inventis, nonniſi ſpecioſos titulos alexipharmacos mentientibus, plus palato, quadris aut bellariis, quàm cordi in malignis tuendo, uti cætera antiloimica aſſolent, dedicatis. Et ſanè diſpar longè ratio eſt, odoris fragrantia & rebus balſamicis, vitales ſpiritus demulcere, aliud verò, peſtilens miaſma è corpore proſcribere, aut arcere. Odor bonus ſpiritus allicit, atque reficit; peſtilens autem contagium & virulenta effluvia, ſive aporrhœæ, quæ vel in peſtiferis corporibus, aut corruptiſſimis exhalationibus animantur, adeò ut inſtar minimarum atomorum in vitam ſuſcitatæ, infinito propemodum numero undique oberrent, inſpiratione hauriuntur, poros penetrant, noſque inficiunt ac contaminant, licet ſub ſenſus & viſum non cadant, ſicut olim Platonis ideæ, niſi microſcopio utaris, quod objecta centies & ultra auget, tunc in aciem incurrunt millena vermiculorum corpuſcula, ac virulentæ atomi; hæc inquam effluvia odoris fragrantiâ allicere opus non habemus nolentibus ac ſponte ingruunt, ſed potius appropriatis ac ſpecificis odoribus fugare, ac interimere competit.

PASTILLI, vid. *Trochiſci.*

PASTILI pro FUMO, vid. ſub titulô *Suffitus.*

PASTINACA.

Paſtinaca, Σταφυλῖνος, à paſcendo dicta videtur, nam radices ejus cibus ſunt vulgaris, quæ corpus abundè alunt ſaginantque. Turnebus autem in Adverſar. lib. 8. c. 23. ex eo dici putat quod referat & quaſi habeat paſtinum. Quomodo vocatur inſtrumentum quo vineæ fodiuntur. Voſſ. Etymolog.

Staphylinus (inquit C. Bauhinus) forte à colore uvæ nigricantis dicitur, cujus coloris unius radix eſt. Sunt qui à ſimilitudine radicis bryoniæ.

Paſtinacæ latifoliæ *notæ generica* ſunt radices carnoſæ eſculentæ, flores lutei, folia pinnata potius quam triangulata

Elaphoboſcum dicitur hæc herba, quoniam fama eſt hoc pabulo cervos reſiſtere ſerpentibus.

Ex Dioſcoridis Plinii, Galeni & Columellæ de Siſere verbis colligere conatur Columna hanc Plantam antiquorum ſiſer eſſe abſque dubio ullo. Radicem namque paſtinacæ ſativæ ſimilem forma & ſapore, verum amariore atque odoratiore, omneſque paſtinacæ generi adſcripſiſſe, atque paſtinacam vulgarem ſive domeſticam appellaſſe. In hac radice nervum ineſſe longitudine, qui eximatur poſtquam elixata fuerit radix. Non ſolum dulcedinis cauſa, ſed quia tenerior ſit pars reliqua exterior, ciboque aptior atque gratior. Hoc & in paſtinaca ſativa vulgari, & in raphano proſpici, præſertim cum radices ſint bene adultæ, duriorem enim tum continere nervum, cibo ineptum.

Vires. Radices hujus dulces ſunt & palato gratiſſimæ, multum nutriunt, & corpus pingue faciunt præ rapis aut carotis, unde & venerem excitant: flatulenti quoque aliquid obtinent. Eduntur coctæ cum butyro conditæ, quadrageſimali tempore, tunc enim ſucco per hyemem concocto maximè dulceſcunt & tum ſaporis tum ſalubritatis gratia præcipuè expetuntur; nec enim adeo commendabiles ſunt antequam frigoris inſultum ſenſerint.

Refert Cæſalpinus ex his radicibus cum ſaccharo electuarium confici ad vires recreandas convaleſcentibus & puerperis, communiſſimum ruſticorum remedium: appetentiam quoque præſtare.

Incidendi, attenuandi, detergendi, obſtructiones aperiendi facultatem ineſſe ſapor odorque demonſtrant. J.B.

Dodonæus ſemen calidius & ſiccius eſſe, urinam movere & flatus diſcutere aſſerit.

Qui hyeme colligunt radices (inquit J. Bauhinus) caveant à cicuta vel cicutaria. Dum eram Montbelgardi vidi duas familias in quibus qui decepti edebant pro paſtinaca pœnè extincti erant, ſed ſublevati vomitu Theriaca & Saxonico pulvere, itemque purgantibus ſalvi evaſerunt.

At noſtrates aſſerunt paſtinacas ipſas vetuſtiores & annoſas delirium & inſaniam inducere, unde & eas paſtinacas inſanas vocant.

PAVO.

Pavo The Peacock. Græcis *Ταώς*.

Avis hæc paſſim nota, vel ſola caudæ longitudine & gemmantibus oculis ab aliis omnibus abundè diſtinguitur, adeo ut ſupervacaneum omnino foret prolixâ verborum ſerie eam curioſiùs deſcribere.

Mas (deſcribente Aldrovando) capite, collo & pectoris initio coloris eſt intensè cærulei: caput pro corporis portione exiguum; at quodammodo (ut annotat Albertus Serpentinum, maculis ornatum duabus, oblongis candidis, quarum una oculos ſuperequitat, altera brevior at longe craſſior ſubjacet; quam dein alia nigra excipit, cætero (ut dixi) cæruleum. & in vertice apicem, non ut in quibuſdam aliis avibus integrum, at è nudis quodam modo ſcapis tenerrimis virideſcentibus, in ſummitate ejuſdem coloris veluti liliorum flores ferentibus, conſpicuum. De quo pulcherrimo apice loquens Plinius, pavonis apicem, inquit, crinitæ arbuſculæ conſtituunt: & revera non pennæ videntur, ſed erumpentia primum Plantarum germina. Roſtrum candicat & inſigniter hiat in extremo aliquantulum recurvum, quale fere eſt omnibus granivoris; & in eo nares ſatis patulæ. Collum longiuſculum, & proportione magnitudinis admodum tenue & exile. Dorſum ex albo cinereum eſt, maculis quam plurimis atris tranſverſalibus conſperſum. Alæ clauſæ (apertas videre non datur mihi, qui depictum ad vivum in libris meis deſcribo) ſuperius quâ dorſum ſpectant nigræ, inferius quâ ventrem, atque intus pariter ruffæ. Cauda ita diſpoſita eſt, ut quaſi in duas dividatur. Nam quando eam in rotam extendit, minores quædam pennæ, integram veluti per ſe caudam conſtituentes, & alterius etiam coloris nempe fuſci, non ut longiores rigent, ſed ut in reliquis ferè avibus extenſæ conſpiciuntur; adeo ut longiores indubitanter alii muſculo inſeri neceſſe ſit, cujus beneficio ac operâ ita erigi & extendi queant. Haſce longas Petrus Bellonius ex ſuperiori dorſo propè podicem oriri hoc eſt Uropygio tradit, minoreſque alias à natura factas ut longiores ſuſtineant. Uropygium intensè viret, quod unà cum cauda longa erigit: cujus pennæ breves ſunt atque ita diſpoſitæ ut tanquam Draconis Æthiopici ſquamas æmulentur, & partem pennarum caudæ longarum obſcurent ac conſpectum eripiant. Pennæ longiores extenſæ omnes caſtanei ſunt coloris, lineis aureis elegantiſſimis ſurſum repentibus decoratæ, in extremitate vero intenſiſſimi coloris viridis plumas eaſque bifurcatas & hirundinum caudam æmulantes deſinunt. Orbiculi, vel, ut Plinius vocat, pennarum oculi ex viridi quaſi Chryſolithi ſplendore & Auri & Sapphiri coloribus diſtinguuntur. Ejuſmodi oculi 4 circulis conſtant, aureo primo; ſecundo caſtaneo, tertio viridi, medium locum cæruleus ſeu Sapphirinus obtinet, figura quodammodo ac magnitudine phaſeoli. Coxæ, tibiæ, atque pedes cinerei ſunt maculis nigris conſperſi, & calcaribus more Gallinaceorum armati. Venter prope ventriculum ex cæruleo viridis, prope podicem nigreſcit aut ſaltem fuſceſcit.

In fœmina pauca admodum colorum conſpicitur varietas. Alæ totæ, dorſum, venter, coxæ ac pedes coloris ſunt fuſci ad cinereum vergentis. Capitis vertex & apex ejuſdem coloris, in vertice tamen aliquot maculæ exiguæ velut puncta vireſcentia interſeruntur. Maculæ illæ candidæ, quas etiam in Mare annotavimus, in fœmina longe ſunt majores. Oculorum iris in Mare luteſcit, in hac plane plumbea. Mentum totum candidum. Colli pennæ undatim poſitæ virides, propè pectus in extremitatibus albæ ſunt.

Iiſdem quibus Gallinæ veſcuntur: hordeo autem imprimis delectantur. Albertus ſerpentes à pavonibus edi dixit. Unde non mirum ſerpentes eorum voce terreri. Peregrinas origine aves eſſe, & in Europam ex India olim invectas veriſimile eſt nunc dierum ubique frequentes ſunt.

Huic avi, & quidem Soli præter Gallo-pavonem convenit caudam in orbem expandere, quaſi radiantes ejus oculos ſpectari gauderet: quod verò laudatus id faciat, quodq; eam mox conſpecta ſemel pedum ſuorum deformitate deponat, & in acervum quendam contrahat, ac ſi rationis non omnino expers eſſet, proculdubio falſum eſt.

Caro ejus durior, frigidior, ſiccior, & difficilioris concoctionis cenſetur: coctam non putreſcere, ſed integrum etiam annum, aut eo diutius incorruptam ſervari & vulgo creditum eſt, & Auguſtini experimento comprobatum, qui lib. 21. de civ. Dei c. 2. hæc habet. Quis niſi Deus Creator omniū dedit carni pavonis mortui nè putreſceret: quod cū auditu incredibile videretur, evenit ut apud Carthaginem nobis cocta apponeretur, hæc avis: de cujus pectore pulparum quantum viſum eſt, ſervari juſſimus: quod poſt dierum tantum ſpatium, quantum alia caro quæcunq; cocta putreſceret, prolatum atq; oblatum nihil noſtrum offendit olfactum. Itemque repoſitum eſt, poſt dies amplius quam triginta, idem quod erat inventum eſt, idemque poſt annum, niſi quod corpulentiæ aliquantulum ſiccioris & contractioris fuit. Verum nobis non adeo mirum videtur carnem pavonis ex ſe ſatis duram & ſolidam, à coctione aridiorem factam, in regione calida diutius incorruptam durare, præſertim ſi caveatur ne humorem aliquem uvidâ tempeſtate bibat: nec dubito quin & Gallo pavonis carni atque etiam Gallinaceæ coctæ idem accideret. Caveant (inquit Aldrovandus) à pavoninarum carnium eſu, qui quiete fruuntur, ſiquidem conveniunt aut ſaltem minus nocent multum ſe exercentibus, iiſq; tantummodo juniorum pavonum, utpote teneriorum; hepaticis & ſpleneticis omnino noxius eſt earum uſus, & quos hæmorrhoides crebro vexant. Ego vero pavonum ſaltem juniorum carnem teneram & delicatam, meritóque ſuo Romanis olim in præcipuo honore & æſtimatione fuiſſe judico, nec Gallinaceam ei aut perdicinam prætulerim.

Ariſtoteles pavones duodecim ova parere ſcribit, apud nos quinque aut ſex, rariſſimè plura antequam incubant edunt.

Maximam hortis peſtem inferunt, & tegulas tectorumque culmos evertunt. Pavo (inquit Aldrovandus) etſi avis viſu pulcherrima ſit, oculorum tamen voluptas iſta plurimo aurium tædio compenſatur, quæ ſæpe tartareæ vocis ſuæ horrore fatigantur: unde vulgo (Italorum) dicitur, plumis veſtitus Angeli, vocem habere Diaboli, & inceſſum latronis, vitam ad centum uſque annos, (quod facilè credimus) producere dicitur. Maſculus pavo, inquit Columella Gallinaceam ſalacitatem habet, atq; ideo quinque fœminas deſiderat: imò, ni adſit alia quacum coeat, incubantem fœminam invadit & ova frangit; cujus rei conſcia fœmina, nidum quantum poteſt occultat. Amare munditiem dicitur. Colore albo interdum locis Septentrionalibus præcipuè, variat hæc avis. WILLUGHBEIUS.

OFFICIN. NAT. ex PAVONE.

1. *Integer*. 2. *Adeps* 3. *Fel*. 4. *Stercus*. 5. *Penna*. 6. *Ova*.

Vires.

1. Jus pavonis pleuriticis ſpecificè fertur prodeſſe, præcipuè ſi ſit pingue.
2. *Adeps*, cum ſucco rutæ & melle colicos affectus optimè ſanat.
3. *Fel*, oculorum hebetudini, fluxionibus, aſperis item ſuperciliis medetur.
4. *Stercus*, proprietate vertiginem & Epilepſiam ſanat, *in dies multos exhibitum*, nimirum exiccatum & pulveriſatum (ʒi.) maceratur per noctem in vino:

vino: Hinc trajectum per linteum exhibetur, continuando à novilunio uſque ad plenilunium aut amplius, ſi opus ſit. *Crato miſcet cum ſacchoro & exhibet.*

[Ex hoc Syrupus Antiepilepticus paratur]

5. *Pennæ*, adhibentur in ſuffitu, adverſus uteri aſcenſum, *Quercetan. in Pharm. Reſt.* imponuntur etiam in Eryſipelate & inflammationibus mammillarum.

6. *Ova*, exhibentur ad curandam arthritidem vagam dictam.

[Ad affectus mammillarum utilia] SCHRODER.

Hujus *Stercus* ſpecificè vertigini medetur, ſi cum ſp. vini ſ.q diſtemperetur, & tribus vicibus matutinis abſumatur drachma una pro doſi hujus fimi in dicto ſp. vini. Pulveriſatum etiam adhiberi poteſt habitâ ſexu ratione. *P. Borellus Centur. 3. obſerv. 98.*

PECTORALIA.

Hæc præ reliquis plura ſortita ſunt nomina, audiunt enim *bechica* quod tuſſi medeantur, *pneumonica*, quod pulmoni, *expectorantia, arteriaca, anocathartica*, & quæ alia ſunt nomina.

Reſpiciunt verò vel *vias*, aëri immittendo & emittendo neceſſarias, quas expediunt, & bronchia pulmonum ab infarctu liberant, uti ſunt tùm *incidentia & attenuantia*, ſale volatili ſimplici, ut *arum, ſir. de eryſ. Lobelii* vel oleoſo balſamico pollentia, ut *mel*, quæ conveniunt in humoribus craſſis, viſcidis, lentis, pituitoſis, aſthmate, tuſſi creperâ, tùm lenientia & lævigantia, eclegmata, ſirupi pectorales, &c. quæ in raucedine inprimis ex uſu ſunt, & tuſſi quoque in genere.

Vel *humores*, ſive *craſſos*, qualia ſunt jam dicta, incidentia & detergentia, ſive *tenues, acres ſalſos diſtillantes*, uti ſunt terrea mucilaginoſa, opiata, bolus Armena, maſtiche, thus, theriaca, quæ in catarrhis ſalſis, tenuibus, hæmoptyſi &c. conveniunt: ſeu *ad putrilaginem & ulcus declinantes*, uti ſunt putredini reſiſtentia, balſamica, terrea, præcipitantia, nunquam omiſſis lævigantibus jam recenſitis, & pro re natâ traumaticis; conſolidantibus, quorum in phthiſi uſus eſt.

Vel *expanſionem præpeditam*, idque tum aliis caſibus, tum inprimis, ubi affluxus irruptioque humorum inflammationem & abſceſſum intentat, quo caſu præter univerſalia, *diaphoretica*, in ordinem ſanguinem redigentia, conveniunt *reſolventia*, & *coagulationem disjicientia*, uti ſunt antipleuritica pleraque præcipuè ♁iata item in caſu ab alto proficua. Hæc ipſa ſæpe naturæ aliam monſtrant viam, ut quod ordinariè per tuſſim expectoratur, per alvum ſoleat deponi.

In ſingulis vero his expectoratio nunquam negligenda, ſed in omnibus etiam ſua laus hanc promoventibus manet.

MATERIAM conſtituunt, ut diximus, 1 *volatilia acria*, ſale vol. pollentia, ut radix ari, ſcylla marina, ſinapi, eryſimum, item *amara*, ſcordium. *Sulphure blando volatili vel oleoſo conſtantia*, ut radix irid. fœnic. helen. ros ſolis, ſem. aniſi, ſaſſafras, ſuccinum, benzoe, olea deſtillata. 3. *dulcia & roſcida mucilaginoſa*, ſaccharum cantum, ſirupi, looh omnis generis, mel, glycyrrh. quæ duæ claſſes bechica maximè abſolvunt, non omiſſis reſolventibus quandoque 4. *reſolventia*, & partim leniter exſiccantia partim expectorationem promoventia, ut lapides ♋. ſperma ceti, dens apri. ♁ diaph. gummi ammon. ſuccinum, △æ aſthmaticæ chærefolium. 5. *terrea* præcipitantia, abſorbentia, conſolidantia, ut tuſſilago, ſcabioſa, veronica, ♁ diaphor. antihect. Poterii. Pertinent huc & 6. *mucilaginoſa temperatiora* althæa, coſta, jujubæ, ſebeſten, gummi Arab. tragac. bol. Armena. Reliqua ut 7. *aquea diluentia*, & 8. *adſtringentia* ex dictis patent, & quædam eorum communia ſunt, &c. item 9 *opiata*, diacod. &c.

Priora incidentium poſteriora incraſſantium generali titulo gaudere queunt; media quaſi ſunt aquea.

APPLICANDI verò MODUS legitimus probè eſt obſervandus, tùm intrinſecorum, tùm topicorum.

1. *In affectibus pulmonum ordo thoracicorum* incraſſantium & incidentium *non eſt confundendus; nec invertendus*, i. e. non danda ſunt incraſſantia, ubi viſcoſi, tenaces, pituitoſi peccant humores; nec incidentia & attenuantia, ſicubi tenues, ſalſi & acres deſtillant. Sic etiam

2. *Non confundenda ſunt bechica cum reſolventibus, miſceri tamen pro re natâ commodè queunt*, e. gr. in pleuritide & aſthmate magis reſolventia in tuſſi, phthiſi magis bechica conveniunt. Qui verò pleuriticos ſolis bechicis inprimis linctibus curare præſumit, ægrum interimet: qui aſthmaticum, periculo magno non minùs exponet.

3. *In affectibus pectoris non adſtringendum ſine reſolventibus*, ut nempe ſanguini grumato ſimul proſpiciatur, ut in hæmoptyſi id præſtant *lapides* ♋; licèt ſecundariâ ſolùm doſi receptis; idem utrumque expediunt *coralla, bolus Armena, terra ſigill.* &c 2. ut tonus pulmonum qui laxior naturaliter eſſe debet, h. m. attendatur, neque expanſio impediatur.

4. *Nimis quoque exſiccantia in thoracicis vel vitanda, vel cum humectantibus miſcenda* v. gr. ♁ diaphoreticum Poterii, magis exſiccant ut & 🜍ra ipſa commune, flores 🜍ris, 🜍♁ii purum, &c. Hinc etiam plantæ pectorales recentes, quando magis humectandum & abſtergendum eſt, v. gr. in phthiſi & aliàs, magis proſunt, ubi verò conſolidandum, ut in hæmoptyſi, magis ſiccæ.

5. *Vitanda ſunt item nimis laxantia, tùm internè tùm externè.* Illa enim & tonum debilitant, & ventriculum dejiciunt, ac inappetentiam ipſi conciliant, unde bechicis linctibus in magnâ copiâ & continuò uti non eſt conſultum; hæc verò poros ampliando magis & dilatando ad affluxum recipiendum magis diſponunt, unde in unguentis etiam pectoralibus cautio eſſe debet.

6. *Bechica ſenſim magis ac pedetentim, quàm unâ vice deglutiendæ, pitiſſando, ſorbendo*, ut ſcilicet pars ad aſperam arteriam feratur & derivetur magis, cujus aſperitatem & inæqualitatem corrigere ſuſtinemus. Neque enim in ventriculo hæret malum, ſed ipſe, ut modò diximus, exinde, ſi excedatur, noxam ſentit. Valet id in pulveribus cum ſaccharo canto edulcatis, looch item & electuariis.

7. *Frigida pectori inimica*, unde decocta & infuſa magis calidè interiùs proſunt; externè verò licet adſtringendi intentio adſit, tamen non conveniunt, quia deſtruunt tonum partis, quæ calido gaudet, & tuſſim, quæ vel à ſolâ frigiditate ſæpe fieri obſervatur, excitant. WEDELIUS.

Bechica remedia dicuntur quæ ſputum movent, thoracica etiam vocantur & pectoralia à parte evacuanda.

Sunt enim bechica medicamenta quæ pulmoni & cæteris thoracis partibus familiaria exiſtunt, & contentos humores in pectore aptos redduntur, ut tuſſi facilè excerni poſſint.

Ut humores in pectore contenti facilè excludantur, non debent eſſe nimis craſſi, quia eludunt vim moventem, neque nimis tenues; quia impulſi diſſiliunt in partes; ſed mediocris conſiſtentiæ, ob id duo genera remediorum conveniunt.

Primum Eſt eorum, quæ craſſos humores calefaciunt, attenuant, detergunt, & incidunt.

Secundum Eſt eorum, quæ humores calidos, tenues, acres refrigerant, humectant, incraſſant, & demulcent.

Forma

Forma remedii ſub qua utraque adimpletur intentio, eſt apozema, julep, emulſio, juſculum, looch.

Apozema præparans craſſos humores in omnibus frigidis pectoris affectibus, aſthmate, pulmonum infarctu, catarrho pituitoſo, & ſimilibus.

℞. Radic. bruſci, apii enulæ campanæ ana ℥. j. fol. tuſſilag. hyſſ. ſcab. hed. terreſtris, cichor. totius ana M. j. liquir. raſæ & contuſæ ℥. ß. paſſul. purgat, ℥. j. ſemi. alth. melonum ana ʒ. ij. florum cordial. ana p. j. Fiat decoct. ad ℔. j. ß. pro quatuor doſib. Adde cuique ſyrup. de tuſſilag. vel oxymel. ſimpl. ℥. j.

Vel in forma julepi.

℞. Aquar. ſcab. tuſſil. ana. unc. ij. aquæ cinnam. drach. j. oxymelitis ſimpl. vel ſyr. capill. ven. ℥. j. fiat julepus.

Cùm remedii forma erit mutanda, parari poteſt juſculum ex aliquot radicibus, & herbis præcedentis decocti.

In qualibet doſi addi poteſt aliquod ex chymicis ſequentibus.

Oleum aniſi arte chymicâ extractum ad gutt. IV.

Tinctura ſulphuris ad gutt. VI.

Lac aut magiſterium ſulphuris ad gr. x.

Flores benjoini ad gr. IV,

Tinctura ex vitriolo antimonii ad gutt. VI.

Poſſunt eadem ſumi cum remedio in alia forma præſcripto, nempè cum opiata, tabellis, &c. præmiſſis tamen ſufficienter univerſalibus.

℞. Flor. benjoin. gr. iij. magiſt. ſulph. gr. VI. Miſce & ſumat ſingulo manè per quindecim dies cum ovi vitello, vel cum opiata appropriata.

Nota primò, quòd ſi febris adſit, vel calor ſanguinis & viſcerum, abſtinendum ſit remediis prædictis calidis, conveniunt venæ ſectio, purgatio quantum ſuadet indicatio. Alterantia ſiut refrigerantia, lenientia, in forma emulſionis, julepi, decocti ex incraſſantibus bechicis, iiſque quæ ſunt tenuium partium.

Nota ſecundò, Miſcenda ſemper eſſe calidioribus ea quæ leniunt, humectant, & modicè refrigerant, ne pituita ab intenſiori calore exſiccata contumaciùs adhæreſcat, ob id addenda ſunt cichor. liquiritia, paſſulæ, ſemina melon. alth. & ſimilia.

Nota tertiò, Dum reſpicimus pituitam præparandam in pectore, ſemper habendam eſſe rationem viſcerum, & capitis, & omni judicio aſſequendum eſt nùm diſcraſſiâ calidâ, obſtructione, aut imbecillitate laborent, aut reliquæ abdominis partes infarctu; tunc enim pariter iis proſpiciendum, quia fruſtrà ſtudemus pectori ſuccurrere, ſi cauſis antecedentibus, aut complicatis affectibus non opitulamur.

Nec te decipiat ſputum craſſum, viſcidum in gracilibus & ſiccis conſtitutionibus, cæteriſque aſthmate convulſivo, tuſſique detentis, quibus ineſt ſanguis fervidus, lympha craſſa; in quo caſu præmiſſis univerſalibus evacuantibus, alterantibus prout expedit; ſemibalneum, cremor hordei, lac & ſimilia ex uſu ſunt.

Bechicum bilem & tenues humores incraſſans, leniens, humectans, & refrigerans ſputum quoque tenue ad mediocrem conſiſtentiam deducens in phthiſicis, peripneumonicis, & ſimilibus.

℞. Fol. cich. totius, capillor. ven. pimpin. pulmon. utriuſque bugloſſi, ah. M. j. ſemin. quarto frig. maj. lact. & papav. albi ana drach. ij. liquir. & paſſul. purg. ana unc. ß. jujub. par. IV. hord. integ. & flor. cord. ana par. Fiat decoct. pro quatuor doſ. veſperè & manè ſumendis: Adde cuique ſyrupi. jujub. violati, vel capill. ven. unc. j.

In Empyemate ad coctionem, maturationem materiæ, & expectoratum, ſic præſcribitur.

℞. Radic. conſol. maj. & alth. ana unc. j. fol. agrim. cichor. cum toto, capill. ven. ſcab. tuſſilag. ana M. j. quatuor ſemin. frig. maj. ana drach. ij. liquir. raſæ & contuſ. paſſul. mund. ana unc. j. hord. integ. flor. cord. ana part. j. Fiat decoct. pro quatuor doſ. Adde cuique ſyr. de tuſſil. vel. capill. ven. ℥. j.

Contra ſputum ſanguinis, & dyſenteriam ſingulare eſt ſequens decoctum.

℞. Rad. pentaph. tormentil. ſymphyti maj. ana unc. j. fol. cich. ſylveſtris cum toto, portulac. plantag. tenellæ, hederæ terreſt. milleſ. an M. j. ſemin. lact. portul. papav. albi ana drach ij. flor. roſar. rubr. p. j. Fiat decoct. Colaturæ ad ℔. j. ß. adhuc ferventi iniice conſervam roſ. rub. & papav. rhæad. āā. unc. ß. ſpir. vitr. ℈ß. infundantur vaſe coopetto ſuper calidos cineres per tres horas, deinde fiat colatura pro quatuor doſibus. Adde cuique ſyr. de roſis ſiccis vel de coralliis drach. VI. capiat manè & veſpere *Tencke*.

PEDICULARIS.

Pedicularem Lobelius ſcribit vocari hanc herbam, quòd facultatibus ſit viroſis, praris infeſta, & pediculis hoſtis. Contra Dodonæus pedicularem ab effectu nominat, quod pecori ac jumentis, quæ in pratis ubi hæc provenit paſcuntur pediculorum copiam gignat, mihi hujus herbæ folia pediculi tergo rugis ſuis perquam ſimilia ſunt, & inde forte nomen.

Notæ hujus generis ſunt præter flores galeatos & vaſculum bicapſulare, florum calyces tumidæ & velut inflatæ folliculos ſeminum occultantes, ſemina compreſſa.

Nomina. Pedicularis ſive criſtá galli lutea *Park.* pratenſis lutea vel criſta galli *C.B.* Criſta galli *Ger.* galli fœmina *I. B.*

E radice parva, alba ſimplici, ſurculos vel ad latera emittente, non altè in terram demiſſa caulis, aſſurgit plerunque ſingularis, pedalis, rigidus, lævis, quadratus, rectus, tenuis, inanis nigris non raro maculis & lituris varius, & verſus ſupremam partem purpuraſcens, in ramos aliquot diviſus, quos adverſo ſitu poſita bina ſemper ambiunt folia, ſine pediculis, lata baſi, exinde ſenſim anguſtata ad apices uſque, longitudine digitali, acuta, per margines dentata, criſtam galli imitantia, *venis inſignibus* à medio ad ſingulos dentes hinc inde excurrentibus, è foliorum ſinubus ramuli exeunt per paria ſeu duo adverſi: in ſummis caulibus & ramulis conferti & ſpicam mentientes floſculi è foliorum pariter ſinubus ſinguli ſingulis exeunt, brevibus admodum pediculis; Calicibus turgidis, Compreſſis, in quatuor acuta ſegmenta ſummo margine inciſis, flores monopetali, flavi, cucullati, ſtylum tenuem & quatuor ſtamina cum ſuis apicibus occultant, delapſo flore calix in majorem longe veſicam intumeſcit, & vaſculum ſeminale amplum, compreſſum intus continet, in duo loculamenta per medium diviſum. & ſemina plura, compreſſa, margine membranaceo cincta, colore pulvereo continens,

tinens, ſeminibus maturis illico dehiſcunt vaſcula membranea, & cum exſiccantur lucida fiunt.

Floret Junio & ſemen brevi maturat, quod ſtatim effundit, & mox radicitus exareſcit ante fœniſecium.

In paſcuis præſertim ſterilioribus exit, non raro & in arvis, utrobique inutilis & vitioſa, ut rectè I. Bauhinus. *Rajus.*

Apta creditur hæc planta ſiſtendis hæmorrhagiis omnis generis ſi in decoctô ſumatur. Reputatur præterea vulneraria, ac in fiſtulis ſanandis proficua.

PEDICULUS Animal.

De Pediculô animali, ſeu ejus virtutibus *vid.* ſub titulô Homo, nec opus eſt hic plura addamus.

PENTAPHYLLUM.

Foliis venoſis, in ſingulis pediculis quinis, aut interdum ſeptenis, flore pentapetalo, ab aliis omnibus hujus generis, primo ſtatim aſpectu facile diſtinguitur, ut plura addere non ſit opus.

Valdè prolixas habet radices, & fœcundo repratu luxuriantes, lignoſas, fibras aliquot emittentes, albas, aliàs rubentes, pluribus fibrillis capillatas (radix in aquoſis exterius nigricat; non rubet ut vult Jo. Bauhinus) folia quina vel ſeptena pentaphylli vulgaris, ſed non eo ordine ſita, verum ceu in alam diſpoſita, ſubtus incana, ſupremâ parte viridantia vel glabra, vel lanugine vix conſpicua hirſuta, profunde per ambitum ſerrata, pediculis non admodum longis nixa, quorum ima in vaginas amplas caulem amplectantes degenerant. Caules glabri, rubentes, in terram reclinati, foliis per intervalla alternis veſtiti: in ſummis caulibus flores in ſurculis è foliorum alis egreſſis conſiſtunt duo treſve ſimul, pediculis brevibus, ſatis grandes, è quinque latis mucronatis rubris calicis ſegmentis & totidem peranguſtis petalis compoſiti, pluribus intus apicibus concoloribus, & turbinato capitulo fragi æmulo, tam figura, quam magnitudine.

In paluſtribus putridis multis in locis occurrit.

Vires. Vulnerarium eſt & aſtringens. Siſtit fluxus alvi & hæmorrhoidum, nariumque hæmorrhagiam, utile eſt in ſpuitione ſanguinis, & tuſſi. Commendatur etiam ad paralyſin, phthiſin, arthritidem, icterum, prodeſſe dicitur & in calculo & eroſione renum, hernia & febribus, extrinſecus in oculis inflammatis ſuccus inſtillatus, in oris putredine, laxitate dentium; abſtergit etiam ulcera maligna. Schrod. Præcipuè notanda eſt vis ejus adſtrictoria, quâ mediante agit quicquid agit.

Pulvis radicis drachmæ unius pondere ſumptus paulo antè paroxyſmum in febribus intermittentibus inſigne febrifugum eſt. D. Needham ex relatione D. Ballard. Hujus facultatis mentionem invenio etiam apud Tragum, quin & multis ſeculis ante Tragum Hippocrates ad febres fugandas hac planta uſus eſt; (ut nos monuit eruditiſſ. vir Edv. Hulſius M. D.) qui Lib. de morbis ſecundo pag. 64. editionis Vander-linden, hæc habet. Si tertiana febris tenuerit, ſiquidem non omiſſis tribus invaſionibus quarta corripiat pharmacum deorſum purgans bibendum dato: Si verò pharmaco non opus habere ſibi videatur, radicum quinque folii tritarum acetabuli menſuram ex aqua bibendam dato, in quæ verba D. Spon. Lib. de febribus & febrifugis hæc habet; Pentaphyllum eſt planta nonnihil amara, & valde adſtringens, unde proprietatem obtinet roborandi fibras ventriculi à febre relaxatas & acidum ipſius edulcorandi & figendi: nec dubium eſt quin in Græcia, ubi Hippocrates vixit, efficacior fuerit quam hic loci, quando quidem pleræque plantæ melius proficiunt viribus in locis calidis quam in frigidis, præcipue illæ quæ aliquantulum aromaticæ ſunt, nihilominus novimus nonnullos è plebe Gallica literarum omnino rudes, traditione ſola à majoribus accepta edoctos, pentaphylli decoctum ad febres intermittentes ſanandas propinare, adeóque minime ejus conſcii, Hippocratis diſcipuli fiunt. D. Hulſe.

Ab experientia commendo decoct. radicis pentaphylli in aphthis, quo Thomas Thomaſius mirabili cum ſucceſſu & artificio oris ulcera ſine alia ulla re ſanavit. Jac. Cæſ. Baricellus hort. genial. pag. 148.

Pentaphyllum, tormentilla, argentina, Fragaria ut genere ſic viribus convenire videntur. *Rajus.*

Peplus, *vid.* ſub titulo *Tithymalus.*

PEPO

Peponem dictum volunt ἀπὸ τοῦ πεπαίνεσθαι maturеſcere, eò quod maturitate flaveſcant. C. B.

Pepo à reliquis pomiferis diſtinguitur totius plantæ foliorum, florum, fructuum, magnitudine; ſed præcipue ſemine rhomboide lineâ circa margines elatâ cincto.

Vires. Eſt, inquit Dodonæus, omnium peponum natura frigida cum copioſa humiditate: habent autem vim quandam abſtergendi, cujus beneficio urinam cient, & deorſum expeditius quam cucurbitæ aut melopones permeant, ut Galenus ſcriptum reliquit, editur autem caro peponum haud quaquam cruda, ſed cocta: deſcendit autem ſic omnino faciliter, alvum facilem & quodammodo lubricum reddens. Alimentum autem confert exiguum, tenue, humidum frigidumque (vitioſum inquit Galenus) idque potiſſimum cùm probè concocta non fuerit: quo caſu choleræ morbo obnoxios efficere ſolet.

Noſtrates pulpam in fruſta conciſam vel in jure carnium decoquunt, vel in lacte; atque ita vel cum ipſo lacte, vel exempta & cum butyro condita ſeorſim eſitant, alii exemptis ſeminibus & humidâ interiore pulpa, pomis conciſis cavum replent, & operculo tectos in furno coquunt, adeoque pulpam cum pomis miſtam & probè ſubactam, butyroque conditam libenter comedunt: vulgus etiam in deliciis habet.

Semina ſunt è numero quatuor frigidorum majorum; eorumque uſus eſt in emulſionibus ad contemperandum febrilem calorem: urinas promovent & renibus calculo infeſtatis utilia ſunt, videntur autem renibus prodeſſe non tam abſterſione quàm lenitione, ex ſententia Caſp. Hofmann. quam præſtat, inquit unctuoſitas eorum: hæc ipſa faciunt opus ſuum in tuſſi calida & acri, in exulcerationibus & inflammationibus internis; quamvis in his ſuſpecta ſit oleoſitas *Rajus.*

PERCA.

Perca minor, quibuſdam Cernua, Trago Aurata (quod extra aquam educta, ac ſuo humore viſcido liberata, aureo fulgore in cœruleum abeuns

abeunte inſignis ſit:) Cajo noſtro Aſpredo, (quia Aſper eſt pinnis ſpinoſis) ob uberrimum horum piſcium proventum, apud nos percelebris fluvius quidam non procul Nortmico in Norfolcia fluens; ut à Camdeno noſtro in hiſt. Norfolciæ olim notatum. *Charleton.*

Officin. Nat. ex Perca.

Lapides in capite reperti juxta ſpinæ dorſi initium: Hi viribus conveniunt cum reliquis lapidibus teſtaceis, adhibenturque in calculo atterendo, renibus abſtergendis.

Extrinſecus in dentifriciis, vulneribus exiccandis. *Schroderus.*

Hujus *Lapis* præparatus in calculo tam puerorum, quàm adultorum in aq. petroſelini vel in emulſione quâdam propinatus ſummæ eſt efficaciæ. *Hofmannus.*

PERDIX.

Perdix cinerea Aldrov. *The common partridge.*

Mas quatuordecim ¼ uncias pendebat; fœmina tredecim commenſurata à ſummo roſtro ad ungues quatuordecim digitos æquabat, ad extremam caudam duodecim & tres ad angulos oris, aliis in contrarium extenſis longiſſimæ pennæ 20. digitorum intervallum relinquebant.

Roſtrum in junioribus fuſcum, in provectioribus ætate albicat: oculorum irides luteſcunt: in mare pectus maculâ ruffa ſemicirculari vel ſoleæ equinæ æmula inſignitur: ſub oculis excreſcentiæ quædam rubræ, mentum & capitis latera crocea primo, deinde cæruleo-cinerea lineis tranſverſis nigris velut irrorata, ad lineam modo dictam ſemicircularem: ſub linea idem color in cinereum ſordidum ſeu flaveſcens degenerat.

Pennæ laterales longiores magnam maculam ruffam tranſverſam obtinent, ſcapis albis. Supina facies ruffo, cinereo & nigro varia eſt.

Remiges pennæ in utravis ala 23. è quibus priores fuſcæ ſunt, maculis ex ruffo ſeu flavo albis. Tegetes interiores & ſcapulares pennæ longiores ſcapos obtinent ex flavo albos, cauda tres digitos longa duodecim pennis conſtat, mediis quatuor corpori concoloribus, reliquis utrinque ſeptem ſordidè croceſcentibus, apicibus cinereis.

Tibiæ infra articulos nudæ, calcaris veſtigium nullum, pedes ſubvirides, ætate provectioribus albent, digiti membrana connectuntur ut in Tetraonibus.

Ingluvies magna; ventriculus muſculoſus. Cyſtin felleam habent, carnis ſapore & ſalubritate avibus omnibus merito præferenda eſt, formicis earumque ovis ſeu aureliis frumentorum granis atque etiam foliis virentibus veſcitur, verum per hyemem, cum tritici, &c. folia depaſcitur, carnis ſapor minus commendabilis eſt quàm æſtate & autumno, cum ipſis granis victitat.

Multipara eſt hæc avis, ova ſexdecim etiam aut octodecim ponens: apud nos in Anglia frequentiſſima, Italis *Starna* quaſi externa dicitur; (& alicubi etiam *Pernice*;) apud quos rarior eſt, & pluris etiam venit quàm ruffa.

Perdix (quod de omnibus ſpeciebus dictum intelligatur) ob corporis gravitatem, brevitatemque alarum neque in ſublime evolare, neque volatum diu continuare poteſt: velocem tamen atque etiam impetuoſum volatum exercet.

Hyberno tempore gregatim volant, ſunt enim iſtiuſmodi naturæ, ut quindecim aut ſexdecim pullos uno incubitu excluſos educent, hique tota hyeme cum parentibus unà degunt, ſed vere, cum mas femellæ ſe jungit, binatim volant, tunc enim pullos à ſe abigunt, hæc Bellonius; quæ non modo de reliquis hujus generis avibus, ſed etiam de Tetraonibus vera ſunt: perdicum cantus certiſſimum appropinquantis diei ſignum eſt (inquit Bellonius) nos vero poſt occaſum ſolis veſpertino crepuſculo caccabantes ſæpius audivimus.

Perdices, cùm ad nidum quis acceſſerit, inquit Ariſtoteles, & ex parte etiam experientia confirmat, provolvunt ſe ante pedes venantis quaſi jam poſſint capi, atque ita alliciunt ad ſe capiendum hominem; tum ipſæ avolant, & poſtea revocant pullem, quæ matrum voce audita & agnita ſtatim ad ea accurrunt.

Perdix ruffa Aldrov. Venetiis & alibi in Italia coturnice ſeu coturno. *The redlegd partridge.*

Mas tredecim uncias pondere ſuperabat. Longitudo ei à ſummo roſtro ad extremos ungues octodecim digitorum. Alæ diductæ ad digitos viginti duo extendebantur, oculorum irides rubeſcunt: roſtrum digitale ferè, rubrum, pedes quoque rubri, ungues fuſci; digiti ad primum uſque articulum membrana connexi: Calcaria parva (aliis nulla, forſà hæ juniores fuere) pedum plantæ ſordide flavæ.

Caput, collum, dorſum, uropygium cinerea; ut & femorum exterior pars, collum infimum vinaceo colore tingitur, maxillæ ſub oculis, & mentum ad medium uſque gulæ alba: in ipſo tamen mandibulæ inferioris angulo macula exigua nigra, album hoc ſpatium torquis nigerà naribus inchoatus & ſupra oculos productus cingit, ingluvies infra torquem cinerea, pectus dilutè è flavo ruffum. Laterum tegetes pennæ pulcherrimis coloribus pinguntur. Nonnullarum enim apices ſummi nigricant, nigrori ſuccedente areola tranſverſa, in brevioribus & capiti propioribus plumis albidâ in longioribus & remotioribus flava, cui tandem ſubeſt alia nigra: aliarum ſummi apices rubent, ſuccedentibus ordine quos diximus coloribus: fundi omnium cinerei ſunt.

Pennæ alarum remiges numero viginti quinque, quarum exteriores fuſcæ, interiores ex fuſco cinereæ: verum tertiæ & ſequentium uſque ad decimam quintam margines exteriores ſuperius ex albo ruffeſcunt. Cauda quatuor digitos longa; mediis duabus pennis cinereis, quinque hinc inde exterioribus ſuperiore medietate ruffis, inferiore cinereis.

Ingluvies ampla, ventriculus muſculoſus, in quo erucas & limaces invenimus.

Fœminæ dorſum non uſque adeo cinereum eſt, quin potius ad ruffum vergit mediis plumarum partibus nigris. Linea ſupra oculos excurrens nonnihil ruffa, maxillæ dorſo concolores. Cætera non multum differt, hæc ſpecies Angliæ noſtræ ignota & peregrina eſt: ajunt tamen eam in inſulis Jerſey & Guernſey Regi noſtro ſubjectis inveniri, ingenii eſt manſuetioris quam cinerea, & facile cicuratur.

Avem hanc limacibus veſci Ariſtoteles tradit & experientia noſtra confirmat, nec limacibus tantum, ſed erucis, granis, frumentorumque ſeminibus: perdices (ut in genere de iis dicamus) aves ſalaciſſimæ habitæ ſunt; ob maſculam venerem, nefarioſque & naturales coitus infames, plurima de eis à veteribus fabuloſa traduntur, ut v. g. quòd maſculæ ova,

ova, ne fœminæ illorum incubatu detentæ ad coitum non ſint paratæ, frangant, eamque ob cauſam fœminæ quantum poſſunt clanculum pariant, quod mares cùm femellæ deſunt, nempe quando ad incubandum ſeſe ſubduxerint, inter ſe non vocibus tantum & pugna procacitatem teſtentur, ſed promiſcuè ſe coitu illo nefario, hominibuſque cum internecionis pœna interdicto, conſpurcent, quæ Plinius ſcitè admodum & eleganter paucis complexus eſt, Illæ (i. e. fœminæ) quidem & maritos ſuos fallunt, quoniam intemperantiâ libidinis frangunt earum ova, ne incubando detineantur, tunc interſe dimicant mares deſiderio fœminarum: victum ajunt venerem pati.

Quòd duo ovorum conceptacula faciant, in quorum altero fœmina, altero mas incubat; utraque autem ſua excludat & educat; quod fœminæ abſque maris coitu; ſi adverſæ tantum maribus ſteterint, ventuſque inde afflet, concipiunt ova etiam fœcunda; cujus rei rationem, antequam de facto conſtaret, recentiores quidam ineptè reddere conati ſunt: quod fœminæ libidinis intemperantiâ, ne incubantes quidem, contra aliarum avium morem, & coitu ſibi temperare queant, hæc etiam Plinius breviter & ingenioſè ſuo more ita ediſſerit, neque in ullo animali per opus libidinis: ſi contra mares ſteterint fœminæ, aurâ ab his flante prægnantes fiunt. Hiantes autem exertâ linguâ per id tempus æſtuant, concipiuntque ſupervolantium afflatu, ſæpe voce tantum auditâ maſculi, adeoque vincit libido etiam fœtus charitatem; ut illa furtim & in occulto incubans, cùm ſenſit fœminam aucupis accedentem ad marem recanat, revocetque & ultro ſe præbeat libidini, quod mas in pugna devictus nunquam in conſpectum amatæ ſeu conjugis audeat venire: quòd perdix ovis ſuis corruptis aut perditis aliena furetur, iiſque incubet & pullos excluſos foveat, qui tamen ubi adoleverint, materna voce commoniti ad eam advolant, alieno parente relicto; quòd ſæpe ſe reſupinet & glebis aut feſtucis integat, adeoque aucupes eludat & evadat, his refutandis non opus eſt, ut immoremur.

Cæterum aves hæ in Principum epulis, inquit Aldrovand. principem locum obtinent, ſine quibus ignobiles habentur, vulgares & nullius exiſtimationis: Galli certe perdicum carnes tanti faciunt, ut ſi hæ defuerint inſtructiſſimas etiam menſas & laudatiſſimos conviviorum apparatus nihili ducant: cumque, inquit Bellonius, perdicis caro delicata admodum ſit, pelatoque gratiſſima, ita pariter maximopere laudatur, quod multum nutriat, facilique admodum negotio digeratur, atque optimum in corpore ſanguinem generet: majoris generis caro ſolidior & durior eſt, non tamen dura; minoris tenerior, proinde & tenuioris alimenti & reſolubilis difflabiliſque citius, ſimul. & coctionis facilioris, cæterum non æque candida ac majoris: qui circa gulam exercitati ſunt homines ii potiſſimum alas in perdicibus prædicant; nam coxæ ſeu cruſcula non æque laudabiles ſunt, hinc rhythmus ille Anglicus.

If the partridge had the Woodcoks thigh.
Tmould be the beſt bird that ever did fly.

Plura de qualitate & temperamento carnis perdicinæ qui deſiderat Aldrovandum adeat. *Willughbejus.*

Officin. Nat. ex Perdice.

1. *Caro.* 2. *Medulla.* 3. *Sanguis.* 4. *Jecur.* 5. *Fel.* 6. *Penna.*

1. *Caro* comeſta ſemen atque lac auget, Venerem excitat.

2. *Medulla ut & Cerebrum* propinatum, ictero juvare dicitur.

3. *Fel*, ad affectus oculorum præfertur aliis.

4. *Sanguis*, oculis cruore ſuffuſis & recentibus eorum vulneribus illinitur.

5. *Jecur*, ſiccatum ad ignem & pulveriſatum, morbo regio reſiſtit, ſingulariſque fertur antidotus contra febrem, ſi aliquoties in aqua millefolii aſſumatur. *Crato.*

6. *Pennæ*, inſerviunt ſuffocationi uterinæ (*ſuffitus naribus admotus*) doloribus colicis, aliiſque mitigandis, diſcutiendis,) *fomentationis formula adhibita*,) & hinc cum mentha ac abrotano in forma ſacculi infantibus familiare remedium exiſtunt, ad tormina ventris compeſcenda. *Schroderus.*

Hujus *Fel* quotidiè temporibus inunctum juvat & promovet memoriæ uſum. *Hofmannus.*

PERFOLIATA.

Perfoliata I. Bauhini judicio tam Dioſcoridi, quam aliis veteribus indicta eſt. Perfoliatam recentiores ex eo appellant, quòd caulis ejus ſinguli folia pertranſeat, penetret atque diſſecet, Διάφυλλον græce dicitur Schvvenckfeldio, quod nomen an aliquis ante ipſum legerit nos latet J B.

Vires. Inter eas numeratur quibus ſolidandi ac ferruminandi vis eſt, datur decoctum herbæ ex vino paratum, aut folia in pulverem trita internis affectionibus, ruptis & ex alto delapſis, ad ramices inteſtinorum, præſertim puerorum (imprimis autem umbilici. Schrod) commendatur, ſive intriſecus ſumpta, ſive extrinſecus cum farina & vino recens tuſa & impoſita, ſtrumas etiam hoc modo adhibita reſolvit, ad fracturas etiam hernias & eryſipelata magni uſus eſſe perhibet Schvvenckfeldius.

Exompalon ſeu umbilici prominentiam uſu ſeq. remedii ſolide conſolidavi (inquit Simon Paullus) ♃. herbæ perfoliatæ cum toto μ. i. Auriculæ muris, herniariæ, plantaginis, muſci, Acaciæ noſtratis an. μ ſs. quæ in ſufficienti quantitate vini rubri l. a. cocta loco affecto applicabatur, ex excerptis D. Hulſe. *Rajus.*

Perforata, vid. *Hypericum.*

Periammata, vid. *Amuleta.*

Perianthium, vid. *Calyx.*

Periclymenum, vid. *Matriſylva.*

Perlæ, vid. *Margarita.*

Persica, vid. *Malus Perſica.*

PERSICARIA.

Perſicaria Latinis à foliorum forma haud dubiè dicta eſt, quod folia perſicæ mali foliorum æmula obtinet: Hydropiper Græcis à loco & ſapore: in aquis enim aut circa aquas oritur, eſtque valdè calidum & acre inſtar piperis: quamvis non omnis perſicaria acris ſit, imo pleræque mites.

Perſicaria floſculis tetraphyllis in ſpicis ſummos caules terminantibus à reliquis hujus familiæ

Zz 2 di-

diſtinguitur, ſpeciatim à biſtorta radicibus non intortis: forma quoque ſeminis à reliquis non parum differt, quod non adeò concinnè & exactè triquetrum eſt; uno latere reliquis duobus fere pari, adeo ut Angulus iis contentus valdè obtuſus ſit, reliqui duo acuti.

Hujus quinque ſpecies nobis cognitæ ſunt, nimirum.

1. Perſicaria vulgaris acris ſive Hydropiper I. B.
2. Vulgaris mitis ſeu maculoſa
3. Puſilla repens Ger. emac.
4. Fruteſcens maculoſa Virginiana Park.
5. Salicis folio, potamogiton anguſtifolium dicta.

PERSICARIA VULGARIS.

Nomina. Perſicaria vulgaris acris ſive Hydropiper *I. B.* vulgaris acris ſive minor *Park.* p. urens, ſive hydropiper *C. B.* Hydropiper *Ger.*

Radice parva, lignoſa, alba, ſimplici, pluribus fibris capillata alimentum attrahit. Caules plures pedales aut cubitales, ſolidi, teretes, glabri, pluribus geniculis nodoſis intercepti, in apricis rubentes, aliàs luteo virides, ramoſi, folia ad genicula ſingularia, membraneis appendicibus caulem amplexa, pediculis brevibus inſident, pallide viridia, non maculoſa, glabra, per margines æqualia, perſicæ foliis ſimilia, unde & nomen impoſitum in ſummis caulibus & ramulis flores in ſpicas digeſti longas, laxas & ſtrigoſas, perexigui, è quibus alii inutiles ſunt, nullo ſuccedente ſemine, & in quatuor petala panduntur, alii perpetuo connivent, & ſemina ſingula majuſcula triquetra, ſplendentia, & per maturitatem nigricantia, continent, ipſi exterius rubent, ſapor plantæ acris & mordax: annua eſt.

Ad rivulos, foſſaſque, & in aquoſis naſcitur.

Ajunt folia huic interdum maculoſa eſſe: quod tamen nobis nondum obſervatum.

Vires. Facultatem habet evidenter calidam & ſiccam, uſus præcip. extrinſecus, in vulneribus, tumoribus induratis, ulceribus inveteratis &c. *Schrod.* aqua hujus ſtillatitia efficax eſt ad comminuendum calculum etiam veſicæ, experimento cujuſdam nobilis noſtratis, qui quotannis in uſum pauperum magnam ejus quantitatem deſtillare ſolebat. D. *Boyl.* de utilitate philoſoph. nat. part. 2. pag. 65.

℞. Piper aquaticum, indatur de eo in dentis cavum hoc remedio ſanavit mulierem I. Heurnius.

Expellendis muſcis vix quicquam efficacius reperias: nam quæcunque in pecoribus vulnera vel ulcera ſucco perſicariæ oblita fuerint, ea ab injuriis muſcarum tuta manent, etiam ferventiſſima æſtate. *Trag.*

PERSICARIA MACULOSA.

Nomina. Perſicaria maculoſa *Ger.* mitis *I. B.* vulgaris mitis ſeu maculoſa *Park.* mitis maculoſa & non maculoſa *C. B.*

Hæc ab urente perſicaria differt, caulibus brevioribus & ramoſioribus, intus concavis, ramulis caulem ipſum longitudine excedentibus; foliis latioribus & pro latitudine brevioribus, maculâ nigrâ majuſculâ circa mediam partem notatis, obſcurius etiam quam illius virentibus: florum ſpicis brevioribus, denſioribus & habitioribus multo; floſculis confertis, colore plerunque purpureo nitentibus interdum albidis.

Hujus ſpicis nullum apponitur folium, verùm paulo intra eas floſculi aliquot pediculis earundem adnaſcuntur, ſapor huic non acris, ſed adſtringens & acerbus.

Ad rivulos, inque aquoſis & humidioribus arvis & hortis abundè provenit.

PERSICARIA SALICIS FOLIO

Nomina. Perſicaria ſalicis folio, potamogiton anguſtifolium dicta, potamogiton anguſtifolium *Ger.* 2. ſive ſalicis folio *C. B.* potamogiton ſive Fontalis perſicariæ foliis *I. B.* Fontalis minor longifolia *Park.*

Folia huic perſicariæ maculoſæ foliis ſimilia ſed majora, venis obliquis & tranſverſis in marginem à nervo, qui unicus ſecundum longitudinem decurrit, exporrectis; alioquin etiam non ita ſunt obtuſa, ſed in acumen deſinentia, & pro loci ſitu (extra aquas) nonnunquam hirſuta, aquis plurimum innatantia, pediculo ſeſcunciali aut ſextantali ex caulium geniculis orto: inter quæ palmo ſæpe brevior pediculus exit, in ſpicam congeſtos floſculos perſiccariæ gerens ex albo rubentes, guſtu eſt ſubacido.

In paludibus, lacubus, ſtagnis, nec non in rivulis & aquis fluentibus ubique frequens reperitur, cum extra aquas creſcit, (quod non raro fit, vel aquis exſiccatis eum deferentibus vel ipſius radicibus in foſſarum aggeres ejectis) folia obtinet hirſuta, aſpera, & perſicariæ in modum maculoſa, unde tunc à nonnullis pro nova perſiccariæ ſpecie à potamogitone anguſtifolio diverſa habita eſt: quin in eâdem individuâ (ut loqui amant) plantâ folia nonnulla, nimirum extra aquas naſcentia, obſervavimus aſpera & hirſuta, alia, aquis ſcilicet innatantia, lævia & lucida.

Hæc ergo planta perſicaria acida peculiaris Cat. Altdorf. nobis videtur, perſicaria hirſuta radice perenni Cat. Lugd. Bat. perſicaria longiſſimis & anguſtis foliis ſeu fol. ſalicinis D. Merret, quam pro ſpecie à potamogitone anguſtifolio diſtincta errorem habuerunt, quamvis rectè eam perſicariis annumerarunt, nos etiam, (nec pudet fateri) in eodem errore aliquandiu hæſimus, nimirum hanc perſicariæ ſpeciem fuiſſe à potamogitone anguſtifolio dicto diverſam.

PERSICARIA SILIQUOSA.

Nomina. Perſicaria ſiliquoſa *Ger.* Noli me tangere *I. B.* Mercurialis ſylveſtris, noli me tangere dicta, ſive perſicaria ſiliquoſa *Park.* Balſamina lutea, ſive noli me tangere *C. B.*

Col. J. B.

Summo cæſpite radices agit fibroſas, àquibus caulis ſurrigitur cubitalis, tenerior, dilutiſſime virens, etſi in imo purpuraſcat, lævis, inanis, tranſlucidus, copioſum ſuccum inſipidum preſſu remittens, per intervalla geniculis, ad quæ tophorum podagricorum æmula ſunt tubera, interceptus folia alternatim poſita, mercuriali hortenſi ſimilia, majore parum, latiora, & circa petioſum longioribus acutioribus dentibus ſerrata, magiſque lunata, baſi latiore: ex ſingulis foliorum alis petioli exeunt longi, tenues, in terram inclinati tribus vel quatuor ramis diviſi, ex quibus flores, cum parvi & inexplicati virides, & balſaminæ floribus ſimiliores dependent, per dorſum binis foliolis viridibus colligati, maritimum monſtrum magno hians ore repræſentantes, parvo corpore, & cauda tenui, brevi, recurva, & acuta, bu-

bubulino cornu ſimili, ad fumariæ bulboſæ flores accedentes, quadruplo majores & magis ſanguineis guttis reſperſi cavi, inanes, hiantes, diviſuris ſive barbulis ſex diſtincti, ſed inferioribus longioribus I. Bauhino naſturtii Indici floribus aſſimiles, minores, ex flavo rubentes, punctulis rubris ſaturatioribus guttati, in quorum medio exalbida ſtamina; his ſuccedunt ſiliquæ duas uncias longæ, tenues, nodoſæ, ex albo vireſcentes, lineis virentibus ſtriatæ, in terram nutantes, quæ cum perfici incipiunt, diſrumpuntur, etiam ante maturitatem, vel vento impulſæ, vel manu tactæ, & ſemina ejaculantur etiam imperfecta, quæ oblonga, compreſſa virentia primum, deinde cinereo & fuſco colore evadunt. Autumni initio floret & illius fine perficitur: annua eſt planta.

Umbroſis, humentibus, uliginoſis locis oritur: in Anglia varius occurrit, ad ripas lacus Urinandermere dicti propè Ambleſide oppidulum in Weſtmorlandia obſervavimus, in tranſmarinis ſylvoſis & umbroſis udis ad latera montium ſecus Rhenum in Germania ſæpius invenimus.

Vires. Miram hujus herbæ vim in cienda urina pluribus experimentis confirmat Geſnerus: aqua deſtillata in hac parte adeò efficax eſt, ut ſi copioſiùs bibatur diabeten inducat: hanc Uratislaviæ in calculo renum mirificè prædicant: nonnulli herbam hanc per vomitum & ſeceſſum purgare ajunt. Cuti impoſita eam φοινίσσει, facultate fertur pernicioſa; ac inter deleteria habenda. *Dod.* Rajus.

PERSONATA, vid. *Bardana.*

PERVINCA, vid. *Vinca Pervinca.*

PES CATI, vid. *Gnaphalium.*

PES COLUMBINUS, vid. *Geranium.*

PES CORVINUS, vid. *Ranunculus:*

PES LECTI, vid. *Clynopodium.*

PES LEONIS, vid. *Alc hwilla.*

PES LEPORIS, vid. *Lagopus.*

PES LUPI, vid. *Muſcus Terreſtris Repens.*

PES VITULI, vid. *Arum.*

PESSARIUM.

Peſſarium eſt remedium formâ ſolidum, oblongum & rotundum, ad figuram & molem digiti compoſitum, quod in vulvam muliebrem immittitur.

Componitur ex variis remediis ſecundum diverſas intentiones, fitque tribus modis.

Primò Vel ex goſſypio in prædictam figuram concinnato; oleis vel unguentis convenientibus perunctto.

Secundò ex panno lineo aut ſericeo, in quo includitur materia remedii.

Tertiò ex ipſis pulveribus, cæteriſque in formam ſolidam compactis. Debet peſſario filum appendi, ut extrahi poſſit.

Numquàm virginibus immittendum, ne frangatur virginitatis clauſtrum; cœteris nuſquam, niſi quando maximè neceſſarium ob pudoris & pollutionis periculum.

Priuſquàm immittatur, alvus ſubducenda eſt, & excludenda urina: oportet etiam ut præmiſſa fuerint univerſalia.

Uſus eſt

Primò ad purgandos ſeroſos humores & pituitoſos, quandò his ſcatet uterus; & ad menſes movendos.

℞. Hieræ picræ & benedict. laxat. ana ℥. i. pul. diacarth. & myrrhæ ana. ʒ. ß. Terebinth. ʒ. iii. ſucci mercurial. q. ſ. Excipe cotone moſchato, & panno ſericeo, cum filo pendulo fiant duo paſſaria.

Secundò Ad ſecundinas expellendas.

℞. Pul. ariſtoloch. dictamni, & ſabinæ an. ʒ. i. pul. hieræ picræ ʒ. ii. caſtor. gr. ii. Cum melle cocto fiat peſſarium.

In præfocatione ab utero à cauſa frigida.

℞. Ladani ʒ. ii. galliæ moſch. ʒ. i. macis & cinam. an. ℈. i. moſchi gr. i. terebinth. q. ſ. Excipe bombace, & fiat peſſarium.

Tertiò ad exſiccandum & roborandum uterum humidiorem, pro faciliori conceptu.

℞. Ladani & benjoin. an. ʒ. ii. ſtyracis calam. & maſtich. an. ʒ. i. reducantur in pulverem, & cum mucilagine gummi tragacanthi extracta cum aqua flor. arantior. fiat paſſarium, &c.

In gracilibus, & calidis quæ fluxum menſtruorum largiorem patiuntur, utendum frigidis exſiccantibus, & roborantibus, ut.

℞. Maſtich. roſar. rubr. & gran. kermes an. ʒ. i. ß. Cum mucilagine gummi tragacant. extractâ cum aqua roſar. fiat peſſarium.

Pro utero calido & laxiori cervice ſuperadde prædicto peſſario, trochiſc. de terra ſigillata, boli armen. an. ʒ. i.

Pro ulceribus uteri, colli & cervicis ad tergendum.

℞. Unguenti Apoſtol. ℥. i. mellis roſ. q. ſ. Cum panno ſericeo fiat peſſarium.

Vel.

℞. Mellis roſati ℥. ſ. terebinth. ℥. ß. pul. rad. ireos Florent. ʒ. i. farinæ hordei ℥. i. Cum ſucco apii, & panno lineo raro fiat peſſarium.

Quartò ad exſiccandum, & cicatricem inducendam.

℞. Tuthiæ lotæ ℥. ſ. ceruſæ ſarcocoll. lithargyr. auri an. ʒ. ii. ſyrup. de roſis ſiccis q. ſ. Fiat peſſarium.

Naſcale eſt remedium, quod pro peſſario ori vulvæ virginibus admovetur.

Fit ex medicamentis ſimplicibus, vel compoſitis, appropriatis, quæ goſſipio, vel linteo excipiuntur in plumaceoli modum, & ori vulvæ pro ulceribus, aliiſque ipſius affectibus admovetur. *Tencke.*

Peſſi varii ex WEICKARDO.

Peſſus Menſtrua movens.

℞. *myrrh. elect.* ʒiij. *aloes ſuccotrinæ* ʒii. *ſagapeni* ʒiß. *caſtorei* ʒi. *baccarum lauri, nigell. rad. dictamn. gentian. ãã* ʒß.

Trita in pollinem leviſſimum cum elect. bened. laxat. q. ſ. addendo parum ſucci rutæ excipiantur, fingaturque peſſus ad formam digiti majoris, qui ſyndone rubrâ ac rarâ obductus, filóque duplici appenſo, vulvâ quando opus eſt noctû indatur.

Vel.

℞. *myrrh. rubr.* ʒiß. *ſpecier. hieræ picræ compoſ. bened. laxat. ãã* ʒi. Cum melle ad ſpiſſitudinem cocto f. Peſſarium. Obducatur pannô raro, addito pauco bombace, ac noctu ſubiiciatur.

Alius Pituitam educens.

℞. *Specier. bened. laxat.* ʒiii. *agarici trochiſcati* ʒii. *mell. ad ſpiſſitudinem cocti* ℥ß. *ſucci mercurial. vel abrotani q. ſ.* cui parum tragacanthi infuſum ut in unitatem craſſiorem coëant, formetur peſſarium ad formam ſuppoſitorii, quod panno raro involutum cum filo alligato utero immittatur.

Idem præſtat radix rhapontici, vel gentianæ viridis, ſi à ſordibus bene purgata eôdem modô in mulieris pudendum ponatur. Efficax quoque eſt radix betæ ſimili ratione uſurpata.

Peſſus emolliens.

℞. *Pinqued. anſer. & gallin. ãã ʒj. medull. cervin. ʒiß. buтyri non ſaliti ʒii. flor. melilot. ℈iv. malvæ ʒß. maſtiches ℈ii. ſem. lini & malvæ ãã ʒj. fænugr. ʒiß. vitell. ovi n. I. unguenti roſat. q. ſ.*

F. l. a. peſſus & ſyndone rubr. contegatur adjectô filô duplici. Si mulier ſit adulta & ſæpius peperit, ex prædictâ maſſâ f. unum peſſarium; ſi verò ſit juvencula duo conficienda & alternatim intrudenda: Virginibus autem ejuſmodi localia, uti & clyſteres uterini, non adhibenda, quia virginitatis clauſtrum lædunt.

Alius Menſes & lochia retenta provocans.

℞. *Sabinæ ʒj. arthemis. dictamn. ãã ʒiß. rutæ virid. p. j. myrrh. rubr. ʒj. baccar. laur. ʒß. nigell. ℈ij. caſtor. ℈j.*

Conquaſſata miſceantur cum electuar. hier. pier. q. ſ. addendo olei cheyrini parum, fiatque peſſus juſtæ magnitudinis, & ſyndone munitus adjectô filô geminô applicetur.

Vel.

℞. *Folior. merc. virid. nepet. abrotani ãã part. æqu.* Conquaſſata in mortariô excipiantur pannô linteô rarô, fiatque peſſarium quod naturalibus imponatur veſperi & dum tempus ſomni appropinquat, & ſex aut ſeptem horis in uterô relinquatur, ac ſubinde extrahatur, quod & de reliquis peſſis præſertim calidioribus intelligendum, quia facilè uterus hiſce inflammatur.

Alius adſtringens, ne læſa virginitas animadvertatur.

℞. *Gallar. ʒiij. balauſtior. ʒvj. roſar. ſiccar. & acaciæ ãã ℥j. cornu cervi uſti, thuris, ſangu. dracon. ãã ʒß. alumin. crudi ℈iſ.*

Hiſce minutim contuſis cum oleô cydonior. f. maſſa, ex qua formentur tria peſſaria quæ lanâ involuta & ſindone obducta ut moris eſt pudendo muliebri indantur, quorum primus ſit in formâ magnâ, ſecundus in formâ mediocri, tertius in formâ minimâ, & hâc ratione ita conſtringitur pudendum ne fraus etiam exercitatiſſimo innoteſcat.

Peſſus menſes ſiſtens.

℞. *Cornu cervi uſti & ppt. ʒij. ſangu. dracon. ʒiſ. acaciæ, hypoc ſtid. gland. quern. exſiccat. balauſt. roſar. rubr. rad. torment. ãã ʒi.*

Tuſis & cribratis omnibus pulvis ponatur in ſacculô oblongô confectô ex pannô ſericô rubr. rarô, fiatque peſſus cum filô duplici ad juſtam craſſitudinem, qui antequam naturalibus intrudatur madefiat in aq. plantag. tepidâ in quâ parum aluminis ſit diſſolutum.

Vel excipiantur ſuccô plantag. aut prunor. ſyveſtr. & linteolis deligata fingantur peſſi qui genitalibus admoveantur.

Huc & pertinent glomera filorum cerâ albâ vel flavâ obducta, filôque alligatâ; quæ miris modis ad uteri præcipitationem faciunt, ſi noctu diuque geſtentur. Annuli etiam ex ebore confecti habentur peculiares, qui licet matrici ſubjiciantur coitum tamen atque conceptionem non impediunt, qui tamen globuli atque annuli pro amplitudine cervicis uteri formandi, aliàs ſi juſtô minores ſuâ ſponte facilè excidunt, nec uterum in ſuô locô retinent.

Hæc de Peſſis WEICKARDUS, quibus nos addimus circa eos qui pro uteri prolapſu præpediendo concinnantur, commodè ex ſuberis cortice ad juſtam magnitudinem ac formam effingi poſſe, ac cerâ alba quàm exquiſite veſtiri; advertendo ſemper ut per medium ſint tubulati quô ſcilicet partis evacuationes naturales non cohibeant.

Peſſus pro hæmorrhagia uteri ſiſtenda ex *Anthonii* DE SGOBBIS *Theatrô Pharm.* Italice conſcriptô.

℞. *Stercoris aſinini deſiccati & pulver.* q. v. involvatur pannô ſerico raro eôque peſſus conficiatur.

Peſſus pro hæmorrhagia uteri provocandâ ex *eôdem.*

℞. *Succi expreſſi radic. ciclaminis ʒij. caſtor. opt. moſchi ãã gr. iij. trochi. cor. de myrrhâ ʒiij.* cum pannô ſerico conficiatur peſſus.

Peſſus ad cienda menſtrua ex *Zvvelferô.*

℞. *Myrrh. rubr. pulver. & gumm. ammoniaci ãã ℥ß* ſolvantur in q. ſ. vini alb. ad pulticulam, cui addε, *camph. ʒß. pulveris rad. hellebori nigri, pyrethri, galangæ, herb majoran. ſem. caparum urticæ ãã ʒij.* F. l. a. maſſa, è qua formentur peſſi, zendalô rubrô obducendi.

Vel.

℞. *Pulver. hellebori nigri, calam. arom. galang. ãã ʒj. pyrethri ʒi. herb. major. ʒj. cantharidum ℈ij. camphor. ʒi.* f. ex omnibus pulvis, ex quô cum zendalô rubrô fiant peſſaria competentis magnitudinis.

Solvunt menſtrua mulierum obſtructa, extrahendo è matrice humores ac ſemen corruptum, & quicquid vapores ſurſum elevare poteſt.

Nota. Helleborus niger apud Salam, mirabili præ aliis vegetabilibus trahendi virtute pollet, ad eo ut ſi linteolô, vel ſacculô acuminatô, peſſi inſtar, ejus pulvis imponatur, propendente ad retractionem filô, & locis muliebribus intrudatur, primo quidem miram faciat artuum veluti contracturam, paulò poſt verò retentum menſtruum, aliaſque uteri impuritates, cum alleviatione & conferentiâ protrahit.

Peſſi varii ex Hadriani à MYNSICHT *Armamentario Medico-Chymicô.*

Peſſus Aperiens contra Menſes ſuppreſſos.

℞. *Rad. Artemiſiæ rub. Dictam. alb. aſari, hellebori alb. rubiæ tinct. ana ʒij. ſcammonij, majoranæ ſabinæ, croci orient. ana ʒj. bac. lauri excort. myrrhæ rub. caſtorei veri, ſagapeni, aloes hepat. ana ℈j. ſem. ſtaphid. agriæ. nigellæ, naſturtii, rutæ ana ʒß.*

Hæc omnia incorporentur cum ſucco Artemiſiæ rub. vel Terebinth. & f. peſſi ad longitudinem medii digiti, craſſitudine digiti unius; inter incorporandum ad medium longitudinis involvatur filum, cujus extremitas maneat, excedat ad palmam unam, ad extrahendum; aut pulvis ponatur in ſacculo, confectο ex panno raro, addito pauco bombace: Fiat ad craſſitudinem digiti majoris, indaturque.

Peſſus Adſtringens contra Uteri hæmorrhagiam.

℞. *Farin. volat. molend. ℥ß rad. tormentillæ, biſtortæ ana ʒij. ciner. ranarum, croci martis, Gallarum Turc.*


Petasites

Turc. ſang. dracon. boli armeni, corn. cervi uſti ana ℥i. hypociſtidis, roſarum rub. balauſtiarum, acaciæ, olibani maſtichis ana ʒß.

Miſc. & cum ſucco plantaginis & albumine ovorum f. l. a. Peſſi, qui in mulieris pudendum inſerantur.

Peſſus contra Suffocationem & præcipitationem uteri.

℞. *Rad. Ireos florent. roſarum rub. ana ℥iij. ſtyracis cal. bentzoin. ana ℥iß. caryophyllorum, ſpicæ indicæ, gallia moſchat. ana ßi.*

Miſc. & fiat l. a. Peſſus ad formam ſuppoſitorii, qui filo obligatus, noctu ſubjiciatur.

Si Mulier propter Pinguedinem vel humiditatem eſt ſterilis, valet ſequens peſſus.

℞. *Sem. lolii, quod in frumento vel ſiligine reperiri ſolet, ℥ß. coag. leporis, aluminis uſti, caſtorei ſtyrac. liquid. ana ʒij. myrrhæ rub. opopanacis, galbani, piperis rot. ana drach. j. moſchi & ambræ ana ℈ß.*

Optimè ſimul incorporentur & f. peſſi, horumque unum mulier teneat in Vulva à meridie uſque ad veſperam.

ANNOTATIO.

1. Si poſt peſſos acutos, dolor relinquatur in vulva, ſtatim ſubmittatur licinium cum ol. Violarum, quod etiam poteſt diſtemperari cum mucilagine pſyllii, ne fiat exulceratio.

2. Si ſunt fortes, non retineat eos ultra horam, debiliores verò, per integram noctem.

3. Peſſi communiter poſt Balneum ſunt immittendi, quemadmodum licinia per lanam involuta, & ſuccis madefacta.

PESTIFUGA MEDICAMENTA.

Nimii ſane foremus ſi quæcunque demùm exquiſitiora medicamenta à Doctiſſimis viris hac in parte excogitata & cum fructu adhibita hic exſcriberemus. Satius itaque putamus lectorem ad ipſos fontes remittere, illique Angeli Salæ, Athanaſii Kircheri, Iſbrandi de Diemerbroech, Thomæ Sydenham, &c. tractatus experientiâ multa refertos indicare.

PETASITES.

Vid. Tab. XVIII.

Petaſites à foliorum amplitudine & forma petaſum ſeu galerum referente dicitur.

Notæ ejus *diagnoſticæ* ſunt flores folia antevertentes, in eodem caule plures in thyrſum diſpoſiti, nudi, brevi unà cum caulibus exareſcentes: folia ſubrotunda Bechii, ſed majora.

Nomina. Petaſites *Ger.* vulgaris *Park.* major & vulgaris *C. B.* vulgaris rubens rotundiori folio *C. Bauhin.*

I. B.

Caules primò omnium erumpunt dodrantales plus minus, concavi, lanuginoſi; foliis anguſtis acuminatis veſtiti, qui in thyrſum faſtigiantur florum purpuraſcentium, nudorum in pappos tandem evaneſcentium, quorum delapſui ſuccedunt, marceſcente, caule, folia ampliſſima, Tuſſilaginis figurâ, ſed duplo triplove majora, ad pediculum falcata, rotunda ferè & in ambitu duntaxat ſerrata, non anguloſa, ut petaſitidis albæ, infernè lanugine incanâ pubeſcentia, ſupernè obſcurè virentia, nec penitus tomenti expertia: radix craſſa amareſcit, & reptando ſe propagat.

In humidis propè fluviorum ripas, juxta lacuum ac ſtagnorum margines ac vicinos aggeres libenter nec raro provenit, ut rectè Dodonæus.

Circa calendas Aprilis ſpica cum floribus viget, ſequuntur deinde folia in hyemem uſque permanſura, novis ſubinde ſubnaſcentibus. J. B. in calidioribus regionibus, atque etiam frigidioribus vere blando, & temperato martio menſe aut februario exit.

Vires. Radix inſigniter amara eſt, ſed non perinde acris. Germanico vulgo peſtilentialis radix dicitur, quia experientia comprobatum eſt mirificè eam conducere peſtilentialibus febribus, radices cortice exutas aceto indunt quoad viribus imbutum fuerit, exque illo cum rutæ ſucco & Theriacâ propinant: commendatur etiam in lipothymia uterina, ſpiritus difficultate, tuſſi, aſthmate, facit & ad latos ventris lumbricos: urinam etiam & menſes ciet, extrinſecus ad bubones & ulcera maligna prodeſſe dicitur.

Eſt locus (inquit C. Hofmannus) non procul oppido ex adverſo monaſterii Gnadenbergici ultra nigrum flumen, ubi folia excreſcunt in humanam altitudinem, ut quaſi inter arbores ambules. *Rajus.*

Petroloeum, *vid.* ſub titulo *Naphta.*

PETROSELINUM.

Nomina. Apium hortenſe *Ger.* hortenſe ſeu petroſelinum vulgò *C. B.* hortenſe multis, quod vulgo petroſelinum, palato gratum *I. B.* petroſelinum vulgare *Park.*

Radicem albam, ſimplicem, craſſitudine interdum pollicari, paucis fibris donatam, altè in terram demittit: caules plerunque ſingulares in ſolo lætiore plures ſurrigit, pollicem itidem craſſos, teretes, glabros, ſtriatos, bicubitales & altiores geniculatos, inanes, ab imo ſtatim ramoſos, ramulis inferioribus ſingulatim è foliorum alis exeuntibus, ſuperioribus binis oppoſitis aut etiam pluribus ſimul ex eodem geniculo, folia ima quæ è radice exeunt longis pediculis, binis plerunque alarum paribus & impari in extremo folio compoſita: folium autem quod coſtam terminat in tria dividitur, eaque ſingula in tres lacinias & ipſas dentatas acutioribus denticulis, in ſummis caulibus & ramulis florum umbellæ plurimis radiis compoſitæ pediculis longis inſidentes floſculi ipſi pallidi, quinque petalis ob parvitatem vix conſpicuus conſtantes quibus ſuccedit ſemen ſtriatum, breve, craſſiuſculum.

Folia in hac planta interdum in lacinias anguſtas & longas dividuntur, utquis meritò diverſam ſpeciem putet: certè inſignis eſt varietas, ſapor plantæ acriuſculus & non ingratus: odor pariter.

Nulla in hac ſpecie neque umbellæ totalis baſin ſeu radiorum exortum foliola in circulum ambiunt, neque partialium ex quibus totalis componitur, ad eam tamen apponitur unum vel alterum foliolum.

Folia hujus plantæ interdum rotundiora, fréquentiora, pulchrè crenata & criſpa videntur pulcherrimo aſpectu, quæſtio eſt an petroſelinum criſpum ſit ſpecies à vulgari diverſa, an accidentalis duntaxat varietas, Columna criſpum in Sardania ſpontè naſci ait, unde ſemen ejus in alias regiones diſperſum.

Vires. Radix & herba potiſſimum ad culinas ſpectant, utileſq; ſunt in omni cibo: nam inflationes ſtomachi deprimunt, urinam & menſes cient; jecur & lie-

nem ab obſtructione liberant, hydropicis & ictericis conducunt: ſolent noſtrates herbam cum omne genus carne in ſartagine unà frigere pro condimento; & in cavum corporis inditum cum avibus aſſare, quin & crudum cum butyro comedere, & acetariis immiſcere, & certè quod ad ſaporem attinet, nullum olus novi palato gratius & delicatius: ajunt tamen oculis eſſe inimicum & viſui nocere; quod nos inviti credimus.

Semina medico uſui utiliora extenuant, aperiunt, urinas cient, calculos diſſolvunt flatus diſcutiunt, conveniunt hydropicis, menſes promovent, ſecundas & fœtus mortuos expellunt: commendantur & contra veterem tuſſim eclegmatis permixtta aut incocta: venenis etiam adverſantur, atque idcirco theriacis admiſcentur. Dod.

Extrinſecus herbæ omnes partes reſolvunt tumores calidos, imminuunt lac mammis impoſitæ, adeoque mulierculis noſtratibus in uſu ſunt in ablactatione infantium. Schrod. *Rajus.*

PETROSELINUM MACEDONICUM

Petroſelinum Macedonicum, ſeu *Apium Macedonicum*, planta eſt petroſelino vulgari non multum abſimilis, in Macedoniâ familiaris, cujus ſemen inde ad nos defertur; eſt autem illud ſemine Petroſelini vulgaris tenuius, oblongius, ex altero extremo acutius, & ſaporis magis aromatici. Seligatur recens, bene nutritum, mundum, coloris ſubobſcuri, odoris & ſaporis grati, ac vere aromatici. Multum continet olei ætherei ac ſalis volatilis; compoſitionem theriacæ ingreditur. Aperitivum eſt, urinas & menſtruas mulierum purgationes ciet, veneno reſiſtit ac flatus diſcutit.

Petum, vid. *Tabacum.*

PEUCEDANUM.

Πευκέδανον ἀπὸ τῆς πεύκης, id eſt, *pino* nomen accepit, quod pino folium ſimile habeat: qua de cauſâ ab Apuleio pinaſtellum, id eſt parva pinus vocatur; alii nomen inveniſſe putant à fætore: amarorem enim & fætorem πευκεδανῦ, vox apud Poëtas ſignificat. Homerus Il. x. πολέμοιο μέγα στόμα πευκεδανοῖο, πευκεδανοῖο Scholiaſtes exponit πικρῦ, ὀλεθρίυ Heſych. πευκεδανὸν ἐχεπευκὲς πικρὸν Io. Bodio in Theophr. hiſt. p. 1086.

Peucedani notæ ſunt folia tenuiter diſſecta laciniis tamen latioribus quam Anethi, tripartito diviſa & ſubdiviſa.

A coma quæ ſupra radicem cernitur *Baarſtrang* dictum eſt, (Germanis) hæc herba, qua appellatione pilorum ſetis ſignificatur: à foliis & facultatibus id eſt taniculum porcinum vel ſuarium: à croceo illo ſucco, ſeu à ſulphureo radicis odore ſulphur mort vocant. J. B.

Peucedani radicem herbamve vi purgandi donatam fuiſſe veteres prodidere, ſed propter fœtorem utriuſque minus in uſum deducta.

Expectorat mucilaginem tartaream, bilemque educit: ulus præcip. in affectibus pectoris, tuſſi, inflationibus, in obſtructione hepatis lienis, renum, ciet urinam & calculoſis prodeſſe creditur, extrinſecus in hemicrania aliiſque generibus renitentibus, ulceribus inveteratis mundificandis, &c. Schrod. Veteres affectibus omnibus circa nervos conſiſtentibus, ut lethargo, phreneſi, epilepſiæ, vertigini, paralyſi convenire ajunt.

Gelatina ſive conſerva radicum pectorale inſigne eſt & hyſtericum. *Rajus.*

Phænigmus, vid. *Sinapiſmus*,

PHALANGIUM

Phalangium ſic dictum eſt Galeno 8. de ſimpl. facult. quòd demorſis à phalangiis (Aranei genere) auxilietur, cui ut & Plinio lib. 27. cap. 12. phalangites.

Ab Aſphodelo radicibus fibroſis differt.

Hujus plures ſunt ſpecies, nos hic de ſolo veterum Phalangio verè uſuali, cujus

Nomina. Phalangium flore lilii *I. B.* Allobrogicum *Park.* Allobrogicum majus *Clus.* magno flore *C. B.* Phal. Antiquorum *Ger emac.*

Clus. Quina vel ſena producebat (Cluſio) folia, carinata, latis firma, ſurrecta, viridia, ſumma parte mucronata, inferna ſe ſe invicem amplectentia inſtar aliorum phalangiorum: inter quæ prodibat caulis pedalis aut amplior, viridis, teres, firmus, ſummo faſtigio inter ſingulares appendices denos aut plures geſtans flores, prorſus niveos, majores quàm in majore phalangio vulgari, in anteriorem partem propendentes, (ternis interioribus petalis paulò latioribus & criſpis, exterioribus vero viridi mucrone præditis) florum parvi lilii formam quodammodo referentes, odoratos, è quorum umbilico ſena gracilia prodibant ſtamina unciam longa, terna tamen aliis paulò longiora, extima parte curva, & flavis apicibus donata, oblongiore gracili in medio ſtylo, ut commodius mea opinione comparari poſſe non videantur quam parvo lilio albo: floribus ſuccedebant trigona capitula, fuſcum ſemen & inæquale continentia: radix in multas, craſſas, candidas & longas fibras, aliorum phalangiorum radicibus non diſſimiles dividebatur, & adnatis ſe propagabat.

In Alpibus Allobrogicis prope maximum Carthuſianorum cænobium ſponte oritur. J. Bauhinus reperit florentem Junio in pratis montis Septimi Burmii Rhætorum prope Kafeſt: atque etiam, Genevæ cum eſſet, in monte Thoiri. *Rajus.*

Liliaſtrum quibuſdam dicitur hæc planta, cujus præter virtutes in Phalangiorum monſibus à veteribus enarratas, habemus quòd radix ſit attenuans, & incidens, flatuum diſcuſſiva ac urinas cieat, quodque flos ſit emolliens & reſolutivus.

PHALARIS.

Spica è ſquamis compactili; culmo tenui; granis lucidis à reliquis frumentis ſpicatis differt.

Phalaridis nomen accepit ἀπὸ τῦ φαληρίζειν, quod ſemen ſplendidum candidumque reddat; ſpicam ſpuma alba obductam eſſe non ſemel obſervavi. Bod. à Stapel. in Theophr. hiſt. lib. octavo Cap. tertio.

Nomina. Phalaris *I B. Ger.* vulgaris *Park.* major ſemine albo *C B.* gramen Canarienſe, quia ex inſulis Canarienſibus delatum eſt, & paſſeribus canarienſibus alendis inſervit.

J. B.

Culmo adoleſcit ſeſquicubitali, Hordeaceo (*C. B.* Zeæ non diſſimili, graciliore tamen) quatuor aut quinque geniculis nodoſo: foliis hordeaceis (parvæ Arundini aut tritico ſimilibus C. B) radice habitiore (parva, multifida & fibrata C. B.) unicuique culmo (qui ex una radice plures pronaſcuntur) ſpicæ ſingulæ inſident, ſeſquiunciam aut unciam longæ, turbinatæ, foliaceis glumis ſtriatis ſquamatim ſcandularum ritù compactiles, è quarum ſinu, tremula floſculorum pallidorum filamenta promuntur,

iiſdem-

iiſdemque poſtea loculis ſemen reconditur lubrico nitore milii, candidum, forma lini, ſed magnitudine ſuppar. Sponte oritur non in canariis tantum inſulis, fortunatis olim dictis, ſed & in Hetruria, autore Anguillara, inter ſegetes, & in Hiſpania, & in Gallia Narbonenſi circa Monſpelium.

Vires. Phalaridis ſemen, & herbæ ſuccum, & folia pota ad veſicæ dolores & cruciatus commendant veteres.

Alimento eſſe & nonnullos panes ex eo pinſendos curare, eſitareque ad calculum farctuſque veſicæ perhibet Lobelius. *Rajus*.

PHARMACIA.

Saluberrimum Medicinæ promptuarium eſt PHARMACIA, ad quodvis morborum genus arma miniſtrans. Hæc, authore *Pergameno Introd. cap.* 8. nudis medicamentis interiores affectus & exteriores ſanat; adeoque θεραπείας ſeu medicinæ κατ' ἐξοχὴν dictæ, curatoriæ ſcilicet, pars eſt præcipua.

Θεραπείας hujus *materiale* conſtituit materia medica; *formale* intrinſecum, *methodus medendi*; extrinſecum abſolutè tale, medicamentorum *præparatio*, reſpectivè tale eorundem *compoſitio*, quæ ipſa eſt uno nomine vocata Pharmacia, ſingula illa complectens ſuo ambitu.

Pharmaciam diximus Potius, quàm Pharmaceuticam, tum veterum, ut *Galeni loc. cit.* autoritate, tum recentiorum. Ita quoque in concreto quaſi aptius vocatur, quàm Pharmaceutica ars. Non enim tam occupatur circa ποίησιν ipſam, ſed ποιήσεως modum & rationem ſcientificam. Sic pharmaciam ſcripſit *Fernelius*, quæ cenſum ſaltem medicamentorum continet, qualia etiam tradunt *luminare majus* & *minus*, *antidotaria*, *diſpenſatoria*, *pharmacopœa*, *armamentaria* & quæ vocabula unicuique arrident alia. Sic Pharmaciam moderno ſeculo applicandam ſcripſit *Ludovici* noſter p. m. cum ſelectu præparationem, diſpenſationem & taxationem medicamentorum comprehendens.

Pharmaciam diximus, ut & Galenicam & Chimicam præparationem unâ fideliâ abſolveremus. Quid aliud enim eſt Chimia, quàm pharmacia ſelectior, ſi finem ejus æſtimemus? Chimia nempe non tam *ſpecialis*, quæ circa regnum ſolùm minerale occupatur, ut ſeparatione factâ metalla habeantur, unde metallurgia, fuſoria, vel docimaſtica ſeu probatrix aliàs audit; non *ſpecialiſſima*, quæ lapidi Philoſophorum, ut vocant, ſeu tincturæ univerſali, arti tingendi metalla reliqua in aurum, invigilat; quàm *univerſalis*, ratione objecti, quatenus ſingula naturæ regna ſcrutatur, centra reſerat, & medicamina ad uſum humanum exinde quærit. Licet enim in contrarium potius inclinent alii, invertendo duas poſtremas claſſes, nobis tamen ex rei fundamentis hoc potius videtur aſſerendum.

In artis formam redacta nominari poteſt, quando non tam proceſſus tradere animus fuerit, quàm eorundem rationes; conceptum ſcientificum fundamentalem artis tradendo, omnibus quaſi exhauſtis eſſentialibus requiſitis.

Artis forma duplex ſtatui poteſt, prima, quæ rudimenta tractat, ab ovo omnibus requiſitis traditis, τὸ ὅτι, ut quis noverit deſtillare aquam, ſpiritum, vel proceſſum alium, exoterica quaſi, ſi Philoſophi diſtinctionem huc applicemus in methodo docendi; Altera, quæ illa quidem ſupponit, vel ſecundariò tractat, primariò verò genuinos operandi fontes & principia, ut v. g. aquarum parandarum ἐγχείρησις abſolvatur præceptis univerſalibus; quod & de aliis quibuſvis valet. Non primam; ſed ſecundam tradere animus fuit, vel traditam inſtitulare. Atque hæc eſt Pharmacia acroamatica, ut exhauriamus ſic operationis cujuſcunque fundamenta; & ſtabiliamus inventa, novaque ſubinde inveniamus, viâ ad ſolidiorem cognitionem & ſcientiam factâ.

Ponamus, architectum dogmaticum & practicum velle docere alios artis ſuæ fundamenta. Suppoſitò ergò, noſſe jam vel noſſe debere auditorem; domum conſtare ex cellâ, baſi laterali, hypocauſto, cameris, feneſtris, areâ, tecto, ut alia mittamus, non opus eſt his immorari, vel ſaltim aliunde & prius id ſcire; ſed his poſitis, quomodo regulari formâ undique artificioſè exſtruenda ſit, ut omnia illa ad leges fiant, & ſtruantur, hoc demum artis; hoc excellentius fuerit.

Ut ſelectus neceſſarius eſt materiæ medicæ, quem hactenus pro virili inſtituimus, ut diſtinctione adhibitâ non tam multa, quàm probata contra morborum exercitum inſumamus, virtute magis quàm mole niſi; ſic meritò quoque ſelectus in formâ dictâ eſt omninò, imò magis neceſſarius; neque enim cruda vel ſimplicia per ſe benè ſuffecerint, ſed præparata & ad uſum aptata, vel etiam inter ſe mixta noſſe & ſeligere oportet.

Præparatio ergò medicamentorum decet medicum, non dedecet, ſaltim quoad artem, ut judicare penitius de iiſdem jam factis vel faciendis poſſit. Qualis præparatio, talis effectus ſperandus eſt. Quis hinc vitio verterit medico, quod ſciat, vel potius illi non exprobaverit, quod neſciat parandi modum? Dux bellicus non feliciter hoſtem impetere & vincere hinc valet, niſi calleat exactè, quæ arma quibus opponenda, quomodo apparanda, vel apparata hinc, ut ex voto ſcopum feriant, non fruſtra ſint. In laude habetur, ſi dux belli tormenta explodere, aciem ſtruere, unaque manu ſuâ oppugnare hoſtem noverit; ſi navarchus ad malum ſedeat, & ipſe quoque, re ita ferente, remiges adigere, vel vela contrahere, anchoram levare, ſaltim præceptivè, noverit. Quis itaque vitio vertat medico, nec potius in parte gloriæ ducat, quod ipſe præparare ſciat medicamenta, nec cœco ductu credere cogatur?

Atat, dica ſcribitur hodiè non raro medicis, qui præparare, &, quod conſectarium eſt, diſpenſare hinc ſuſtineant medicamenta pharmaceutica, variis additis hanc in rem rationibus utrinque. Si antiquos luſtremus mores, non puduit medicinæ primos antiſtites & parentes, αὐτοχείρως hæc præſtare, unde licet hinc ſenſim ſenſimque diverſa officia cœperint eſſe miniſtrorum & directorum, illorum vice chirurgis, pharmacopœis & aliis fungentibus; ideò tamen non deroganda eſt libertas hæc ipſa. Neque id indignum ejus munere fuerit, cum & magnates in eo gloriolam non rarò hodiè quærant, vel ſaltim ipſos deceat hoc ipſum, non dedeceat. Idem quoque eſt neceſſarium, præcipue in caſibus fortuitis; imparatum offendi medicum turpe eſt, & emendicare ſæpe prius longo tempore remedium, quando periculum in morâ eſt, ægro haud rarò moriente, qui ſervari potuiſſet. Imò hodiè, licet non ſine abuſu, & matres familias ſæpe magis inſtructæ ſunt deſidioſis medicis. Convenientiſſimum ergò hoc videtur, & tutius & citius omninò eſt, adde & jucundius.

Sæpe ſanè, qui pharmacopœi eſſe debent, quoad hoc ſunt repoſitores, ignari remediorum Chimicorum parandi modi. Qui verò remedium activum præſcribit vel propinari poſſit tutò alienâ fide? Dubitandi habet occaſionem & timendi, ne anti-

antimonio diaphoretico, ☿io dulci, cinnabari ♁ii, ut factum eſt hinc inde, triſtibus exemplis, præſcriptis, anxietas, cardialgia, hypercatharſis, mors inſequatur. Exemplum de ♁io diaphoretico habet *Author, in antilogio*, aliud de mercurio dulci in actis medicis noſtris extat, quod Tubingæ contigi, alibi à nobis laudatum, de cinnabari ♁ii novimus, eandem cum arſenico adulterato mercurio ſublimato factam. Sin ſuâ manu fecerit eadem, optimè conſtat, elaborata eſſe veris menſtruis, genuino modo, decenti διακρίσει. Fraudes verò infinitæ ſunt, quibus in pharmacopœis vel utuntur, vel uti poſſunt lucri cupidi, medico perſuadentes aliud, vel imponentes potius, cum riſu.

Habet & hoc pacto ipſe occaſionem erogandi eleemoſynas, & pauperibus gratis mederi. Medici ſunt eleemoſynarii plublici, nemo magis homo occaſionem habet benefaciendi, viſitandi ægros, dandi medicamenta, juvandi, conſulendi & ſolandi φιλανθρώπως. Contrario verò poſito omnis decollat occaſio, quin ipſa aliorum vivere gratiâ quaſi cogitur, ſi in propriâ domo vel corpore affligatur morbis.

Quin & hic unus vetus eſt modus, incrementa medicinæ promovendi, ſeu inventis novis remediis & arcanis, ſi ipſe centra mixtorum referet, & indies plus ultra tendat quærendo nunquam otioſus naturæ miniſter. Id verò quàm jucundum, quàm utile & neceſſarium ſit, vix dici poteſt; ſeu ſtabilitis experimentis & obſervationibus novis, iiſque certis, non fucatis, vel farragini receptarum involutis; ſeu certis cognitis viribus remediorum horum vel illorum. Non prius cœpit novâ ſuperbire facie medicina, quàm, prævio *Paracelſo* aliiſque chimicis & medicis, hæc præparatio domeſtica & diſpenſatio fieri conſuevit.

Nihilominus tamen intereſt reipublicæ, ut pro ſalute urbis & vicinorum officinæ publicæ proſtent tanquam promptuaria perpetua. Non poſſunt tot officinæ, quot Medici in urbe, tolerari, ſine detrimento vel medici, vel reliquarum, vel publicæ rei. Diſtincta ſunt officia medici & pharmacopœi.

Non unus ſufficere omnibus medicus valet, ſeu uberior praxis ipſi contingit, ſeu morbi epidemii & cum primis peſtis urbem invaſerit. Nec exhauriri poteſt praxeos ambitus ſolis euporiſtis, non carere poteſt medicus miniſterio pharmacopœi, in parandis & adhibendis clyſteribus, decoctis, electuariis, emulſionibus, unguentis, aliiſque, multò minus in antidotis majoribus, theriacâ, mithridatio, confectione alkermes. Pharmacopolia naturæ ſunt reconditoria perpetua & gazophylacium; unde vaſto ſatis apparatu egent. Verbo, neceſſariæ ſunt abſolutè officinæ publicæ; ſi neceſſariæ, conſervandæ ſunt, ſi conſervandæ, medicus præſcribere debet medicamina, deque eo proſpicere. Accedit, quod non tam privatæ, quàm publicæ officinæ ſæpe ſunt & eo nomine, quod à magiſtratu conſtitutæ, ſumtibus publicis, quod reditus inde in ærarium publicum, urbis, academiæ alicubi ipſius, ad pias cauſas impendantur.

Supereſt igitur, ut medici & pharmacopœi opera ſint mutua. Non debet medico præſcindi omnis diſpenſatio eorum quæ didicit, quæ parata optimè applicare novit, uti nec chirurgis prohibetur emplaſtra, unguenta, pulveres aliaque domi parare & adhibere, non vendere. Selectiora euporiſta quædam, in varios caſus, ſeu in urbe, ſeu extra urbem, pro pauperibus aliiſque, conciſâ methodo adhibere & diſpenſare juſtiſſimum eſt. Ita ſanè nec

Permittitur aliquando Medicis parare, ac dispensare medicamenta.

ægros ſumtuum magnitudo deterrebit, nec medicus damnoſam exercere praxin cogetur, nec omne, nec nullum lucrum manebit pharmacopœis.

Tres hi neceſſariò concurrunt, & medius inter medicum & pharmacopœum eſt æger, dives, pauper, mediocris fortunæ. Divites pauciores in mediterraneis his locis & medico & pharmacopœo ſolvere poſſunt, non ſemper tamen ſolvunt præ avaritiâ, ſorditie, ingratitudine. Pauperes, quorum maximus eſt numerus, ſolvere neutri poſſunt, pro eâ quidem proportione ac requirebatur, pro purgante v. g. medico ob præſcriptum duos circiter groſſos, pharmacopœo pro pulvere parato, cui labor incluſus eſt, itidem duos circiter, vel ad minimam unum groſſum. Quæritur, annon conſultius ſit conſcientiæ & conditioni ægri, ſi unâ fideliâ duos dealbare poſſit parietes, aliàs egenus? Mediocris fortunæ inter hos medii ferre quidem ſumtus aliquos, non tamen ita multos queunt. Ergò cum pro modulo ægri habeant ſua fata & pharmacopœus & medicus, contentum eſſe oportet unumquemque ſuâ ſorte, nec invidere alteri, nec nocere.

Id verò argumentum eſt potiſſimum, quare Sereniſſimi Saxoniæ Duces diſpenſationem medicis indulgent; ita enim proportio ſervatur, quæ juſti norma eſt, ut ſuum cuique tribuatur, nemo lædatur, non multiplicentur ſumtus præter neceſſitatem, nullus defectus, nullus exceſſus ſit, ſed omnia moderata & pacata.

De Formâ Pharmaciæ & diviſione.

Occupatur Pharmacia duobus officiis, circa objectum ſuum, præparat & componit. Præparatio eſt generalior, compoſitio ſpecialior. Diſtincta igitur cum ſint, diſtinctè quoque melius, noſtrâ opinione, tractantur & traduntur, contra ac in inſtitutionibus communiter, imò & in aliis obſervatur. Utraque eſt neceſſaria, maximè tamen præparatio, neque enim & compoſitio, tanquam præparatio ut ſic, citra illam fieri poteſt. Neceſſaria eſt præparatio, ut fiat ſelectus particularum utilium ab inutilibus duplex, groſſior & ſubtilior, quorum illud Galenicis, hoc Chimicis tribuitur magis. Præſtat & hæc conjungere potius, uni eidemque fini debita 1. ob modum tractandi diverſum. Non omnia æquè ſubtilius tractari geſtiunt, multa etiam groſſiori vilo modo. Eſt & pulveribus vegetabilibus ſolis, ſirupis, conſervis ſua laus, non minus ac extractis vel oleis. Quin ſæpe dum nimis curioſè ſeparare contra intendimus mixtorum, æmulamur hoſpitem publicum, qui conviviis ſuis mera bellaria, nullos cibos apponit. Naturam ſequi præſtat, non omnia extrahere, vel ſolvere, ſed ſaltim neceſſaria. Ubi ceſſat finis, ibi ceſſant omninò media. 2. Ob ſelectum diverſum & uſum hinc inſtituendum. Non omnia chimica bona ſunt, quædam non neceſſaria, quædam ſuperflua, ut non dicam hyperbolica. Inflant ſæpe hominum ſpes & deſtituunt. Non omnia Galenica mala.

Si conſideremus rationem formalem pharmaciæ, Galenicæ & Chimicæ, utraque ſanè conſiſtit in συγκρίσει & διακρίσει, quod vulgò *ſolutionem & coagulationem* vertunt, reverà tamen potius unicè ſeparationem utilium ab inutilibus notat. Nulla præparatio eſt, ſeu Galenica ſeu Chimica, quæ non in hâc formali ratione conſiſtat, niſi quod Galenici ſæpe à ſcopo aberraverint, vel ſaltim non ſufficienter eundem attigerint. Non confundenda ergò & hîc forma, & finis, quæ maximè differunt. Hinc ut hæc magis pateant, liceat nobis ſtatuere, quod in pharmaciâ, quoad præparationem ſtrictius ſpectatâ, fiat ſeparatio utilium ab inutilibus ex triplici regno

regno petitorum ſimplicium, eaque tum groſſior, tum ſubtilior, ad obtinendum medicamenta conciuna. Uti id ipſum quoque quadrat & applicari facilè poteſt & componenti parti ejuſdem. In illâ magis *διάκρισις*, in hâc *σύγκρισις* magis habet locum & viſitur.

Quiſnam primus hanc rationem formalem Pharmaciæ aptaverit, non ſatis patet. Non incommodum verò erit, ipſi *Philoſopho* id ſcribere, qui *libro* I. *Metaphyſicor. capite ſeptimo, τὰ μὲν γὰρ* ait, *συγκρίσει, τὰ δὲ διακρίσει, ἐξ ἀλλήλων γίνεται. Quædam enim conjunctione, quædam verò disjunctione ex ſe invicem ſunt.*

Separatio fit, neque enim ſimplicia dicta medicamenta, quæ ſubjectum conſtituunt ejuſdem, omnia per totum & omnes adeò partes in uſum vocari poſſunt. Ergò neceſſum eſt, ut fiat quædam *διάκρισις*, *ſecretio*, diſtinctio proficui à ſuperfluo, excrementitii à medicamentoſo, utilis ab inutili. Separatio eſt diviſiva, à priori, ut non ſolùm in medicamentoſas & minus tales, verùm quoque in compoſitas & ſimpliciores velut elementares partes fiat diviſio, ſeu *διάκρισις*.

Separatio hæc eſt collectiva, à poſteriori; facta enim ſecretione, id quod ſecretum eſt, unitur, in unum colligitur locum, ut impendi poſſit. Per mechanicam hæc contradictio apparens facilè patet. In arte metallicâ formalis ratio eadem militat, ſeparare nempe partes metallicas à ſcoriis, eo ipſo verò dum fit ſeparatio, neceſſariò fit collectio, imò illa ob hanc inſtituitur ſolùm & unicè. Hinc non tam duæ diſtinctæ operationes ſunt *σύγκρισις* & *διάκρισις*, quàm affines & uno ex fonte oriundæ. Paradoxum igitur licet hoc videri poſſit, certiſſimum tamen eſt, ubicunque eſt *σύγκρισις*, ibi quoque eſſe *διάκρισιν*; & ubicumque *διάκρισις*, ibi *σύγκρισιν*. Una eſt propter aliam, *σύγκρισις* ſeu conſociatio propter *διάκρισιν*, & *διάκρισις* ſeu diſſociatio propter *σύγκρισιν*.

Hinc, ut hæc repetamus breviter, materiale, ſeu cauſa materialis, (ſubjectum medicis,) Pharmaciæ ſunt remedia ex triplici regno. Cauſa formalis eſt ſeparatio & ſelectio, diſcretio collectiva boni & utilis, Efficiens eſt Medicus, ſeu miniſter illius Pharmacopœus; finis eſt obtentio medicamentorum, in variarum formarum genere & claſſe, aptorum & convenientium.

Modus ergo, ſeu forma, quæ dat eſſe rei, non unus eſt, ſed multiplex, unde quæritur haud immeritò, quænam diviſio operationum Pharmaceuticarum ſit melior & commodior. Variant ſanè (1.) ratione ſubjecti generalis, alia præparatio eſt vegetabilium, alia animalium & mineralium ſimplicium; variant ratione ſubjecti ſpecialis, licet ſimilium eadem ſæpe ſit ratio, unde non commodè ex hoc capite diſtingui queunt, modus enim ſingulorum non unus eſt.

Nec (2.) ratione conſiſtentiæ, vel finis eaſdem dirimere licet, multò minus (3.) confuſaneo ordine Alphabetico eaſdem tractare, non præmiſſâ illâ diſtinctione, unde ex parte idem in progreſſu ſpeciali ſecuti ſumus; vel confundere præparationem cum compoſitione conſultum eſt. Reperiri quidem hoc modo commodè poſſunt, non item concipi ad genium naturæ. Meritò itaque illam diviſionem pro omnium habemus optimâ, quæ exhaurit (1.) ipſa omnia ſubjecta, ſeu materiale, ut quodlibet ex his præparatum ſub hâc militet; (2.) exhaurit omnem modum ſpecialem, quorum unuſquiſque ſub generali contineatur non minus. Atque hæc ratio eſt, quare omnem apparatum Pharmaceuticum ad tetractyn reduxerimus: præparationem, ſolutionem, deſtillationem & calcinationem. Nulla eſt operatio, noſtrâ quidem opinione, quæ non huc quadret, Wedelius.

PHASEOLUS.

Phaſeoli nomen acceperunt ab effigie & longitudine ſiliquarum aut fructus, qui lintrem lembumque naviculam phaſelum dictum exprimunt, hinc etiam *δόλιχοι* dicuntur: phaſeolum autem à phaſelo diverſum eſſe monet Galenus: phaſelum enim inquit Lathyrum eſſe vel illius ſpeciem.

Phaſeolorum *notæ* ſunt caulibus ſcandere, trifolios eſſe, ſemina habere reniformia, ſiliquas ſimplices.

Hæc Planta emolliens eſt & reſolutiva 1. ſeminiſque farina in cataplaſmatis adhibetur.

Phaſeolus Zurratenſis ſiliquâ hirſutâ, cujus ſiliquæ ad nos ex Indiâ advehuntur Orientali variæ magnitudinis, quæ hirſutie ſuâ pruritum confrictæ excitant. Non infimarum ſunt virium in Hydropicis, nempe.

Hujus Plantæ ſiliquas duodecim & in duobus cereviſiæ ſextariis infunde, & infuſum propina, ad ſextarii 4 ſingulis matutinis: certiſſimum eſt hydropis remedium. Communicavit D. Samuel Husbands Eques auratus, qui in Inſula Barbados aliquot annos vixit, ejuſque in ſervis ſuis Æthyopibus experimentum fecit. Raius.

PHASIANUS.

Phaſianus à Phaſide Colchidis fluvio dictus,
The Pheſeant.

Pro obeſitate aut macie corporum pondere pluriſmum variant. Mas quem appendi fecimus alius 50 uncias, alius 45. fœmina 33 pendebat. Longitudo à roſtro ad ultimam caudam 16. erat digitorum, ad imos pedes 24. ſpatium inter extremitates alarum expanſarum 33. roſtrum ut in granivoris, ab apice ad Angulos oris digitum 1. longum ætate provectioribus albidum; membranam habet utrinque carnoſam tuberoſamque qua capiti ſupra conjungitur, ſub qua nares velut occultantur. Oculorum irides flavæ. Color ruber ſeu coccineus (punctulis nigris reſperſus ſecundum Aldrovandum) oculos latè circumquaque cingit. In ſyncipite ad baſin ſuperioris roſtri mandibulæ plumulæ nigricant cum purpureo quodam ſplendore. Vertex & ſupra pars colli viroie obſcuro ſerici inſtar ſplendente imbuuntur, qui color tamen in vertice dilutior eſt, (Aldrovandus verticem eleganti colore cinereo ferè micare ſcribit, ad latera & prope roſtrum viridi, & admodum, vel in Sole, vel in umbra varii, qui pariter color elegantiſſimus totum collum ſuperius occupat. D. Willughby verticem ex cæruleo ſplendere cum quadam ruffi mixtura reliquit, atque tam caput quam collum, ſuperius modò cæruleum, modò viride apparere) habet præterea ab utraque capitis parte è regione aurium pennas elevatas, quas Plinius cornicula vocavit.

Auribus adnaſcuntur in inferiori earum angulo pennæ cæteris longiores nigricantes. Colli latera & gula colore purpureo ſplendent. N.B quòd tam viridis quam purpureus color marginibus tantum plumarum ineſt; reliquum in vertice fuſceſcit, in collo nigricat. Sub mento & ad angulos oris plumæ nigricant marginibus ſeu fimbriis viridantibus.

Infra virorem collum reliquum, pectus, ſcapulas, dorſum medium, latera ſub alis veſtiunt pennæ pulcherrimæ fundis nigricantibus, marginibus colore pulcherrimo, qui prout variè luci objicitur, vel niger vel purpureus apparet, tinctis. Purpuræ ſubjiciuntur (in ſingulis pennis)

pennis) area tranſverſa coloris aurei ſplendiſſimi ; huic deinde fulvus color ſubeſt , qui ad nigrum quem diximus fundum extenditur. Colores tamen hoſce (aureum & fulvum) linea anguſta ſplendide purpuraſcens diſterminat, in collo ſupino pennarum extremitates maculâ nigrâ paraboliformi pinguntur. Scapi omnium fulveſcunt : pennæ ipſæ circa ſcapum in infima ſupini colli parte macula ovali in nigro quem diximus fundo notantur: pennæ ſcapulares & medii dorſi veſtitrices his coloribus variegantur. Primò margines fulvæ ; deinde linea anguſta purpuraſcens , tum linea latiuſcula nigra , ad margines pennarum extremos parallela , cui includitur linea alia latiuſcula albicans : hanc lineam ovalem vocat Aldrovandus : ſpatium interius comprehenſum & reliquum pennæ ad imum uſque nigricat , in medio tamen dorſo ſpatium comprehenſum varium eſt è fuſco & nigro , ſcapi pennarum fulvi luteive : quæ ſubſequuntur tergoris pennæ totæ ferè ferrugineæ ſunt ad ruffum vergentes albâ illâ maculâ carent , longiores ſunt & velut in exigua filamenta deſinunt , hoc tamen cum prædictis commune habent, quod ad lucem in medio ſui viridem illum colorem edere videantur cum alioqui non ſit , quod caules earum ad aureum accedant , totæque in radicibus fuſcæ ſunt. Cauda ſi longiores pennarum medium occupantes metiaris, duos dodrantes cum duobus palmis explet ; eſt autem ejus figura ferè organi pneumatici ; nam ut in eo cannæ ab utraque parte paulatim magnitudine aſcendunt , & majores medium locum occupant , ita quoque in hac cauda evenit ; nam binas quas dixi illas longiſſimas ſedecim aliæ, octo nimirum utrinque lateribus cingunt ; omnes diverſæ magnitudinis ; ſunt autem coloris cineritii , ad latera ferruginei , prope caules nigreſcentibus maculis invicem in longiſſimis oppoſitis , in minoribus ab uno latere tantummodo, aut minus ſaltem apparentibus decoratæ. Alæ clauſæ dodrantem longæ ſunt , expanſæ duos dodrantes latæ , harum pennæ ubi corpori annectuntur , coloribus iiſdem quibus dorſi principium variegantur : quæ vero has ſequuntur poſteriora dorſi imitantur : coſtæ tamen ut in perdice cinereâ , quarum item colorem pennæ remiges ad unguem fermè exprimunt , ex cinereo nimirum fuſceſcentes , & albicantibus ubique maculis diſtinctæ ; pectus venterque ubi ventriculus eſt, & quam ejus partem alæ operiunt , iiſdem quibus collum coloribus ſed obſcurius coruſcant, pennæque hic multo majores ſunt, prope anum & in femoribus ex ferrugineo fuſceſcit. Tibiæ , pedes & digiti atque ungues coloris cornei , digiti tamen & ungium color magis fuſceſcit : digitis membrana majuſcula , qualis quod ſciam in nulla alia pulveratrice reperitur , ad natandum fortè non inepta, intexitur. Tibiæ ſubalbidæ, calcaria habent quam in gallo breviora quidem, attamen acuta, coloris nigri.

Fœmina mare per omnia deformior eſt, coturnicis ferè colore.

In ſylvis degit , glandibus, baccis, granis, ſeminibuſque veſcitur.

Phaſianum avem omnium Libri decantant , quem primum ferè in menſis eſſe judicant propter carnis bonitatem , à qua Medicinæ profeſſores veluti à ſcopo de temperamentis ciborum judicia auſpicantur. Longolius apud Aldrov. Aldrovandus Phaſianos in cibo meliores eſſe quam gallinaceum genus multis probat , quæ apud ipſum vide , tandemque ſic concludit , phaſiani itaque cum quia rari ſunt , tum quia ſapore jucundiſſimi & tale quale diximus alimentum edentibus præbeant , ditiſſimorum menſis duntaxat nati videntur : fuerunt enim ſemper in ſupremo honoris culmine habiti.

Phaſiani , perdices , coturnices & aliæ quædam aves magno numero capiuntur reti quod expegatorium vulgo vocatur , auxilio catuli ad hoc inſtructi ; qui aves inveſtigat , quas cum viderit ſubſiſtit , nec ad eas progreditur ne depellat ; ſed ad aucupem dominum ſuum reſpiciens caudam movet ; vel etiam in terram procumbit ; unde auceps cognoſcit aves eſſe prope canem, & tunc ipſe ac ſocius rete trahunt, atque aves unà cum catulo cooperiunt.

Omnes volucres , ſeorſim vero phaſianos , perdices & coturnices , ſi ab Accipitre fuerint occiſæ, longe ſapidiores ac delicatiores eſſe multi tradunt quàm ſi laqueis aut alia fraude interceptæ fuerint , & quidem quod earum caro hac ratione tenerior evadat minimè dubium eſt ; nam violentus ille Sanguinis motus & fervor à curſu excitatus , carnem macerat & ad putredinem diſponit , quòd verò ſapidior & delicatior indè fiat , non omnes nunc dierum conſentiunt, verum de guſtibus non eſt diſputandum.

Cæterum Aldrovandus Phaſiani nomen ab Hæbræo potius quàm à Phaſide fluvio deductum putat.

Boterus Hiberniam phaſianis & perdicibus carere prodidit. *Willughbejus.*

PHILANTHROPOS, vid. *Aparine.*

PHILONIUM , vid. *Electuarium.*

PHLEGMAGOGA. MEDICAMENTA.

Idem propriè ſunt ac HYDRAGOGA, de quibus *vid.* ſub titulô *Purgantia.*

PHLOMIS, vid. *Verbaſcum Salvifolium.*

PHOENIX, vid. *Palma.*

PHOSPHORUS.

Phoſphori nomine primò veniebat *Lapis* ille *Bononienſis* certô artificiô præparatus , qui in tenebris lucebat , & de quo abundè edifferuere Philoſophi : Jam verò eô intelligitur materia quædam factitia & ſolida & liquida flammâ cæruleo rutilante in obſcurô ſe commendans , ac è variis , ut credunt , ſanguine nempe , ſtercore , carnibus , urinâ , imò etiam herbis ipſis fermentatis ac putrefactis parabilis. Proceſſus non paucos in hoc argumentô apud varios legere eſt. v. g. in Muſæô Regali Societatis Londin. annô 1681. impreſſ. è Cretâ calcinatâ ſpiritu nitri ſolutâ , filtratâ & evaporatâ ad ſalis conſiſtentiam , & ſub tegula fornicata rurſus cum debita encheireſi calcinatâ phoſphori exhibetur præparatio , Autore D. D. Fr. Slare Anglô. E Stercore , urinâ , ſpiritu vini , tartarô & acetô, debitô modô præparatis conficitur ex methodô à D. D. Roſino Lentiliô in Miſcellaneorum Curioſor. German. Decur. ij. Annô v. Tandemque ut alios plures prætermittam ,

No-

Nobiliſſ. D. Boyle de Phoſphoro Tractatulum integrum experimentis curioſiſſimis refertum, conſcripſit, unde ſatis ſuperque innotuit ex qua demùm materia & quo artificio tam elegans præparatio commodiùs confici poſſe. Nos verò quia forſan accuratiorem quàm hactenus alibi videre licuit hujus encheireſim poſſidemus, ubi ſcilicet addito carbonum è ligno pulvere faciliùs ac certiùs, ex urina extrahitur; Lectori ingratum minimè fore credimus ſi brevitatis cauſa aliis omnibus omiſſis proceſſum noſtrum, ſeu quem in noſtris Adverſariis contentum habemus, hic tradamus.

℞. Urinæ hominis ſani q.v. reponatur in vaſe clauſo per 6. vel 8. ſeptimanas ad putrefactionem, uſque dum ſyrupum violarum viridi colore tingat: Hinc cacabum ferreum grandioris amplitudinis igni vehementiori ſuperimpone. Infunde cacabo urinæ putrefactæ primò cantharum unum, (Gallice *un pot*, *une pinte*) quo materia ebulliens ſatis habeat ſpatii, nec cacabi margines ſupergrediatur. Quando hæc ad ſapæ, ſeu rob ſpiſſitudinem redacta fuerit, infunde cantharum alium, ſic per vices continuando, uſquedum urinam omnem ad ſiccitatem ferè inſpiſſaveris, materiaque ſua conſiſtentia fuliginem referat, interea temporis illam diligenter agitando, ne ſcilicet vaſis fundo adhæreſcat.

℞. Hujus materiæ urinoſæ ℔ij. arenæ ℔. itidem ij. carbonum ligni groſſo modo contuſorum ℔ß. indantur retortæ terreæ, vel vitreæ luto probè munitæ, & ei adaptetur recipiens vaſtius aqua ſimplici ita repletum ut retortæ collum illam ferè attingat. Hinc deſtillatio inſtituatur ad modum aq. fortis per 24. horas. Vaſis refrigeratis decantetur aqua in recipiente contenta ad ſeparationem craſſæ mellaginis quæ illi innatat, quæque eſt ipſa materia quam quæris.

℞. Itaque hanc materiam, & inde retortulæ, adaptando ut antea recipiens aqua plenum, hinc deſtilla arenæ igne, principio leniori, ut retorta ſaltem caiſiat, & videbis materiam guttatim ſe retortæ collo applicare, Quo viſo ignem paulatim auge, & materiæ quæ primò adhæreſcebat collo, in recipiens tranſibit, relicto tantum oleo luteo in prædicto retortæ collo. Refrigeratis rurſus vaſis materiam inde ollæ minori terreæ ut ſuper ignem colliqueſcat in maſſam pro lubitu deinde formandam.

In rectificatione præmemorata materia in guttulas abit maſtiches lachrymis non abſimiles, eaque propter ultima adhibetur fuſio ut in maſſam cogatur, unde formatur ea ratione quæ uſui commodior & aptior videbitur. Verùm ut in vaſe terreo fundatur adhibendus venit ignis admodum lenis, ſeu potius lampadis calor, ne ſcilicet inter fundendum nimiùm agitetur, ac turgeat.

Hæc materia in maſſam, eamque variè etiam pro lubitu, formatam ſic coacta, phoſphorum in forma ſicca præbet è cujus fruſtulis per contritionem lux educitur in tenebris non parum ſplendens, imò per eundem parietibus affrictum caracteres, & variæ figuræ luminoſæ effinguntur, quarum cum ſplendor remittit ſubinde per reaffrictionem excitari de novo poteſt, donec tota materia prima oblitione parieti affixa, abſumpta fuerit: verùm pro tali inunctione multò commodius credimus phoſphorum parare liquidum, diſſolvendo ſc. in oleo caryophyllorum, vel tartari ſtillat. prædictam materiam, ad abſolutam ſaturationem, eoque figuris luminoſis pingendo quodcunque demum corpus libuerit.

Hactenus Phoſphori accurata præparatio è propriis Adverſariis, ſubjungimus jam compendioſam ejuſdem conficiendi Methodum quæ in Pharmac. exſtat Bateana.

Paratur *Phoſphorus* ex reſiduo poſt deſtillationem ſpir. urinæ cum ſalis armoniaci tantillo, deſtillando per gradus ex retorta vitrea in recipiens aqua ſemiplenum. Diureticus autem ac Diaphoreticus eſt. Doſ. ad ℈ß.

PHU, vid. *Valeriana.*

PHYLLIREA.

Phyllirea eſt arbuſcula ad hominis altitudinem excreſcens, ramos multos emittens & folia gerens non abſimilia illis oleæ; in hortis ad ornamentum ſatis eſt familiaris.

PHYLLITIS, vid. *Scolopendrium.*

PHYLLON, vid. *Mercurialis.*

PHYTHOLOGIA.

Hoc nomine apud Pharmacologos venit pars illa ſuæ Artis quæ de plantis agit.

PICA.

Pica varia Caudata. *The Magpie or pianet.*

Octo aut novem uncias pendet. Longitudo à ſummo roſtro ad imos pedes duodecim digitorum & dimidii, ad extremam caudam octodecim. Roſtrum ſeſquidigitale, nigrum, craſſum, validum; ſuperius mandibulum incurvum, acutum, prominens. Lingua bifida, nigricans, picæ glandariæ linguæ ſimilis. Fiſſuræ palati latera pilis hirta. Nares rotundæ, ſetis reflexis obſitæ. Dempto albore & caudæ longitudine monedulæ ſimillima eſt hæc avis. Oculorum irides pallidè avellaneæ; in nictitantibus membranis macula lutea cernitur.

Caput, collum, gula, dorſum, uropigium, infimus venter coloris atri, ima pars dorſi prope uropigium cineraſcit. Pectus & latera alba, ut & plumæ quæ primum alæ internodium tegunt. Alæ minores ſunt quam pro corporis magnitudine. Cauda & remiges alarum, coloribus pulcherrimis viridi purpureo & cæruleo confuſis ſplendent; ſed pinnulis tantum ſeu talis exterioribus. Numerus remigum 20. Quarum extima dimidio brevior eſt ſecundâ, ſecunda itidem tertiâ brevior, & tertia quartâ, verum non æquo defectu: quarta & quinta longiſſimæ. Priores undecim mediis ex parte ſcapi interiore albent, exteriores latius, interiores anguſtius, albore ſenſim ſe contrahente, donec in decima penna in maculam majuſculam anguſtetur, cauda 12. pennis compoſita ſingularis eſt ſtructuræ, ſiquidem mediæ duæ longiſſimæ ſunt, & ad novem digitos accedunt, iis proximæ digito breviores, ut & reliquæ omnes exteriores interioribus ad extimas uſque eadem proportione, maximæ duæ hoc eſt mediæ caudæ pennæ inferius vireſcunt, deinde purpuraſcunt, ſummitatibus cæruleis.

Pedes & ungues atri. Imum digiti extimi internodium medio jungitur. Inteſtina 24. Digitos longa: appendices ſemidigitales. Cyſtin felleam habet. Lien oblongus. Ventriculus non admodum craſſis muſculis inſtruitur, & echinum habet.

Reperiuntur interdum & picæ albæ ſed rarius, in vivario regio S. Jacobi dicto fuſcas ſeu ſubruffas vidimus.

Sermonem humanũ optimè addiſcit hæc avis. Nos quoque plures novimus, qui voces articulatas adeò exactè formare didicerint, ut integras etiã ſententias ſimul

ſimul proferrent, tanta ſæpe ſimilitudine, ut niſi avem vidiſſes hominem loquentem jurares.

Nidum in arboribus, magna ſolertia conſtruit, eum foris in circuitu intra ſupraque horridis ſpinis muniens, unico duntaxat foramine eoque arctiſſimo ſibi pro introitu relicto. Exactam nidi deſcriptionem qui deſiderat Aldrov. conſulat: apud nos in Anglia adeo frequentes ubique ſunt, ut iis deſcribendis diutius immorari minime neceſſarium duximus: ova parit una vice quinque vel ſex, interdum etiam ſeptem, vix unquam plura, minora pallidiora quam corvini generis, maculis creberrimis picta.

Victus huic idem qui cornici & monedulæ: paſſeres aliaſque aviculas invadit & devorat: imo vidimus nonnunquam quæ merulam aggrederetur & feriret. Cæterum pica in genere Græcis Κίσσα ſeu Κίττα dicitur *Willughbeius*.

Vires. Avis hæc maxime commendatur ad oculorum obſcuritatem, ruborem, dolorem *comeſta vel incinerata, oculiſque indita, vel quocunque modo appoſita.*

Convenit & Maniacis, Epilepticis, Melancholicis, *cinis exhibitus.*

Præparata.

Aqua Picar. Antepileptica de qua ſuo loco: Schroderus.

Commendatur etiam *hæc Avis* ad uteri paſſiones, *Hofmannus.*

Picatio, vid. *Dropax.*

Picea, vid. *Abies.*

Piger Henricus, vid. *Furnus in Inſtrumentis Pharmaceuticis.*


PILA MARINA.

Quàm incertus ſit *Pilarum Marinarum* ortus, nemo Medicorum ignorare poteſt: aliis è ſordibus, neſcio quibus, ſpumarum marinarum craſſeſcentibus: aliis à feſtucis herbæ cujuſdam ipſis innominatæ & ignotæ eum derivantibus: quibuſdam cum Halcyoniis confundentibus &c. Vid. *Muſeum Calceolar. ſect.* 1. *pag.*25. & *Ferrantis Imperati Hiſt. natur. lib.* 27. *cap.* 8. &c. Omnium tamen, quas videre hactenus mihi contigit, optima eſt conjectura noſtri *Georg. Hieron. Welſchii Hecatoſt.*1.*obſ.*18. ex Algarum & Arundinum familia eaſdem prodire ſtatuentis. In hoc tamen rem neutiquam adſecutus, quod lanuginem ſive flores papposos eſſe putaverit, nec qualis ſit Alga vel Arundo illa, edicere potuerit. Aſt Arundinis eſſe progeniem, & quidem foliorum ejuſdem, allatæ huc Pilæ ejuſmodi quamplurima ante triennium fidem mihi fecerunt: quæ nempe intus plantam ipſam tanquam circumvolutionis principium & fundamentum, continuerunt. Talem itaque cum ad amiciſſimum meum *D. D. Volckamerum*, Botanicum Excellentiſſimum, tranſmiſiſſem, à ſe olim in marinis littoribus ſimiles fuiſſe obſervatas, atque ad *Dalechampii* Arundinem epigeam ſive quartam referri poſſe, reſpondit. Et quidem optime: Quamvis enim magnam undarum vim perpeſſæ fuerint iſtæ à me repertæ, ac ita elegantia illa, à tot calamorum vel ſurculorum ex aliis multipliciter prodeuntium congerie enata, non adeo conſpicua fuerit; qualem nempè in ſaccis magnis Coſto Arabico & Zingibere plenis repertæ, atque veluti raræ à *Dalechampio lib.* 9. *Hiſt. Plant cap.* 5. delineatæ, in loco fortè non adeo undarum continuo appulſui expoſito enatæ, vel etiam, dum in vigore adhuc erant, evulſæ oſtenderunt: ipſa nihilominus deſcriptio & figura ſatis cum hiſce coincidunt, ita tamen, ut, quod ille corticem fulvum, ſquamoſum appellat, ego foliola eſſe ipſius plantæ ſibi invicem ſtrictè ſuperimpoſita exiſtimem. Ipſos verò cauliculos in quibuſdam plantis alios multos utrinque emiſiſſe, in quibuſdam verò plurimos invicem contortos & varia flexura unitos deprehendi; cæterùm non nihil nigricantem magis minuſvè colorem oſtendunt, cavi & fiſtuloſi ſunt, aliarum Arundinum modo, fibrillarum tamen ex foliis enatarum congeriem in ſe recondunt. Iſta autem foliola plana & recta, nulla inciſura prædita, & in faſtigium lunatum ſive ſemirotundum deſinentia, coloreque ad flavum vel ſpiceum, eumque ſplendentem accedentia, duplici imprimis ſubſtantia ſunt inſtructa; una fibroſa exteriùs ab utraque parte locata; altera interna medullari, quaſi papposa & lanuginoſa, itidem ſplendente & ſpicei coloris, cui tamen obſcuriores atomi intermiſcentur; quæ ipſa cultelli acie à reliqua fibroſa facilè abradi & ſeparari poteſt; cum è contra prior illa ex meris fibris minutis, eleganti per microſcopium ſpectaculo, invicem cohærentibus & recto tramite in longitudinem excurrentibus, inque ipſum dein caulem, non quidem ſingulis ſeparatim, ſed in certos quaſi faſciculos collectis, ſeſe immergentibus componatur. Undè continuata fluctuum marinorum alliſione, vel etiam aquæ paludoſæ à ventis agitatione conquaſſata foliola, præſertim ſi ætate provectiora in ſui reſolutione ipſa propendeant, ſenſim fatiſcere, fibroſam eorum ſubſtantiam à medullari paulatim ſeparari, atq; ita fibrillarum ſuarum divulſionem pati autumo; quæ fibrillæ dein ulteriori undarum commotione & circumgyratione in corpora illa piloſa, modò rotundiora, modò aliam variè depreſſam & faſtigiatam figuram pro loci varietate, in quo ſubſiſtunt, aut etiam allidentis aquæ varia commotione, habentia abeunt. Eſſe autem hanc veram corporum iſtorum originem, evincit: 1. fibroſarum in eis invicem connexarum vel confuſarum particularum cum fibris foliorum accuratiſſima ſimilitudo; 2. Ipſius plantæ in illis involutio, & in quibuſdam etiam intimior obſervata conjunctio; 3. foliorum ferè omnium in ſuprema parte ab undis modò levior, modò altiùs penetrans in ejuſmodi dictas fibrillas jam facta diviſio; 4. in aliis quoque Pilis marinis quibuſdam interſperſarum particularum à medullari ſubſtantia, aut etiam foliolorum, obſervatio, quæ feſtivarum ſuſpicionem nonnullis præbuiſſe potuit. Eandem plantam videtur *Plinius* innuiſſe *lib.*16. *hiſt.nat.cap.*36. ſcribens: *Eſt & obliqua arundo, non in excelſitatem naſcens, ſed juxta terram fruticis modo ſe ſpargens, ſuaviſſima in teneritate animalibus. Vocatur à quibuſdam Elegia*; fortaſſe ab ἕλος, *palus*, & ἕλειος, *paluſtris*, quod in locis maritimis paludoſis ortum ſuum inveniat. Ut ita etiam corpus ex ea productum Pila ſtagnalis dici poſſet; qualem *Wormianam* illam fuiſſe arbitror, quam in ſtagno prope Soram inventam in *Muſ. lib.*2. *cap.* 2. deſcribit. Vid. etiam *Caſalpinus lib.*4. *de Suffrut. & herb. cap.* 59. & *Geſnerus de hort. Germ.* Cæterum de viribus, quæ ad ſcrophularum curam facere creduntur, hoc unicum addo, eas in uſtis tum ſali marino, verè ſalſo, ſive ex acido & alcali miſto, in Pilis iſtis, ſi linguæ judicium ſequamur, inveniendo: tum Alcali ſive lixivioſo ſali, ex uſtione nato, atque per effervescentiam imprimis cum acidis facile dignoſcendo, tribui debere, quorum intuitu lympham craſſiorem incidere, acoremque ejus vitioſum abſorbere, & ita liberiorem ei per glandulas colli tranſitum conciliare valent.

Hæc de Pila Marina ex Dom. Schröckio Miſcell. Curioſor. Decur. II. *Ann.* I.

Vires Pilæ Marinæ quod ſpectat, illa creditur lumbricis enecandis ac capillis innutriendis, ſi extùs applicetur, apta.

Pilo-



Pileolus, vid. *Cucupha.*

PILOSELLA.

Piloſella à pilis rigidiuſculis quibus folia ejus obſita ſunt nomen ſortita eſt, auricula muris à foliorum ſimilitudine dicta.

Flagellis reptatricibus à pulmonaria, (qua cum ſemine parvo, nigro convenit) reliquiſque Hieraciis diſtinguitur, unde definiri poteſt, Hieracii genus ſemine parvo, nigro, flagellis reptatricibus.

Vires. Auricula muris aſtringit vehementer & ſiccat, unde & ovium gregibus noxia cenſetur. Sternutatoria eſt & vulneraria, unde additur utiliter tum in potionibus vulnerariis, tum in emplaſtris & unguentis: vi etiam præſentiſſima eſſe dicitur ad calculum. Ob adſtrictoriam facultatem, dyſenteriam, reliquoſque alvi & uteri fluxus ſiſtit, biliofas vomitiones compeſcit, hernias (infantum præcipue) curat: ſunt & qui ad icterum incipientem hydropem & lienis tumores eam commendant.

Extrinſecus medetur ulceribus oris (in Collutionibus:) hæmorrhagiam narium ſedat (pulvis inditus.)

Succus herbæ inditus herpetem miliarem efficaciter compeſcit & ſanat. *D. Hulſe.*

Succus decoctumve aciem ferri vel chalybis ſæpe meriam indurare creditur. *Raius.*

Piloſella Major Alpina cujus iconem hic Tabula x. x. exhibemus, quæque in montibus excelſioribus nobis vicinis ſatis familiaris eſt, eaſdem quas prior vires poſſidet, ſed in multo nobiliori gradu; & in ſpecie vulneraria eſt inſignis.

PILULÆ.

De Pilulis in genere.

Notiſſima in foro medico eſt formula Pilularum, antiquis quoque jam cognita & uſitata, quod *Zacutus Luſitanus M P. H. l.* 1. *t.* 1. *p.* 8. & 9. rectè contra *Mercurialem* affirmat.

Nomen nactæ ſunt, ut plurima alia, à conſiſtentia & figura externa, quaſi dicas, parvas pilas, pilas enim rotundas eſſe notum eſt, unde & reliqua occurrentia quandoque nomina huc referenda, v. g. quando dicuntur granula, coccia, globuli, & à *Q. Sereno c.* 55. glomeramina, à cohæſione; aſt hæc paulò minus ſunt uſitata nomina, frequentius verò catapotiorum eſt, deſumptum ab aſſumendi modo, quòd deglutiantur integræ. Hinc definiri poſſunt, quod *ſint medicamentum internum, ſiccum, ſolidum, & rotundum, ex cohærere aptis efformatum, pro purgandi vel alterandi uſu.*

Internum dicitur, utut enim in fonticulis aſſervandis apertis globularis hæc & ſphærica figura uſurpetur quoque, illa tamen ſaltem externa convenit forma, adeoque impropriè hoc nomen ſuſtinet.

Siccum, ſolidum & rotundum eſt, quo ipſo differt maximè 1. à *bolis*, illi enim magis ſpiſſæ ſeu mollis ſunt conſiſtentiæ, ut in figura variari poſſint ac elongari. 2. à *trochiſcis*, cum quibus in materiali maxima pilulis eſt convenientia, unde facilis trochiſcorum in pilulas, & vice verſa, eſt tranſitus, niſi quod in trochiſcis majorem gratiam oporteat eſſe, unde & ſeorſim de iiſdem vix tractabimus; differunt verò formali, tum magnitudine, tum planitie & convexitate, quo & ſtellarem aliaſve licet referre figuras iiſdem impreſſas.

De *magnitudine* nil addimus, variat enim illa pro doſi ingredientium, de quo inferius plura. Sufficit hoc loco alias eſſe majores, alias minores, alias minimas. De priori claſſe notabile eſt, tradi ſeorſim à *Morelli*, & quibuſdam aliis, confectionem globulorum ſeu pilularum majorum inſtar globuli, v. g. plumbei, quas *hypoglottides* ab uſu nominant, ſiquidem in peſte, tuſſi, phthiſi, & ſimilibus eaſdem præſcribunt; hodie verò hæc forma majorum pilularum, ob deglutiendi difficultatem, (cujus tamen facilitandæ gratia pilulæ inprimis inventæ ſunt & laudandæ,) minus uſitata eſt, ejuſque loco commodiùs trochiſci inſerviunt, præterquam uſu externo, ad odorem gratum concilianдum, coſmeticen, barbam &c. quò & *poma ambræ* ſpectant. Reliquæ verò uſitatæ ſunt magis, illa definitæ regulâ generali, ne ad deglutiendum ſint ineptiores, quod ſuo hinc loco preſſius explicabimus.

Quod itaque compoſitionem pilularum, (ut omnia hæc, hoc loco tractamus, ſunt compoſita,) ſpectat, abſolvitur illa itidem *materiali & formali.* Materiale in genere conſtituunt *viſcida, cohærere & in ſphæricam verſari apta figuram*, quò & gummoſa, & reſinoſa, & cum pulveribus compingi promptа referenda, ſive ex eis ſolis efformentur, ſive excipienti talismodi alia miſceantur, ex iiſque combinatis talis maſſa, fini huic apta, reſultet, ſeu denique pulverum ipſorum mucago intrinſeca, alio liquido vel ipſo gummoſo & mucilaginoſo promovenda, eidem inſerviat. Hinc in pilulas recipiuntur *primariâ intentione* potiſſimum duo medicamentorum genera.

1. *Maſſæ*, ſeu *magdaleones*, & *paſtæ*, jamdum in hunc finem in officinis aſſervari ſolitæ. Notabile eſt, ad qualcunque pilulas ſemper requiri maſſam, ſeu corpus aptum, cui hæc figura rotunda imprimatur, quocunque tandem modo & variatione fingantur pilulæ, adeòque ſtrictè loquendo & altera jam dicenda claſſis huc ſpectat; notat verò maſſa præcipuè & propriè combinata jam ad pilulas medicamenta.

Recipiuntur verò excipientis loco ipſæ etiam maſſæ jam uſuales, eâ latitudine & libertate, ut alia adſciſcere in earundem conſortium integrum ſit medico, v. g. tales maſſæ pilularum ſunt recenſitæ uſitatiores aloëticæ, de fumariâ, tartareæ, de ſuccino Cratonis, &c.

2. *Extracta ſpiſſa*, non liquida, quo & ſucci inſpiſſati, extractiformes, gummata depurata, electuaria; reſinæ liquidæ, vel ſolidæ, magiſteriorum nomine, e. gr. galapii, ſcammonii, &c. referri debent, qualia in omnes uſus & intentiones plurima in officinis itidem proſtant, & præſentem in uſum aſſervantur.

Referri huc queunt duo alia, itidem aliquando in uſum vocari ſolita; nam.

3. *Trochiſci* quoque reformari cum aliis in pilulas queunt, licèt paulò rariùs.

4. Ex eodem fundamento commixti *cum mucilaginoſis* e. gr. mell, tragacanthâ, pulveres in utramque figuram pro lubitu effingendi.

Secundariâ intentione, ut nempe occulendo ingrata, moleſtiam, vel noxam per ſe adſumendi vindicemus, in pilulis recipiuntur v. gr.

Amara, vel *acerba* quoque aliuſve ſaporis ingratioris medicam. na, illa quippe intimius ipſum guſtum afficiunt, unde aloëtica, colocynthiaca, terebinthinata & ſimilia commodè hac forma dantur.

Fœtida, ut aſa fœtida, caſtoreum, ſic enim minùs explicata & expanſa minus quoque nauſeabunda ſunt & moleſta.

Reſinoſa ipſa, quæ quippe pulverum forma inter aſſumendum, ſiquidem largiori doſi recipiantur, conglobantur & dentibus adhærent: in pilulis verò hanc moleſtiam amittunt penitus, quod de terebinthinatis, ſcammoniatis, &c. valet.

Mercurialia, ut mercurius dulcis, hæc quippe maſticando vel alia forma dentibus, quibus inimica maximè ſunt, itidem magis negotium faceſſunt; ſic verò minus.

Notandæ tamen circa hæc itidem quædam veniunt Cautelæ, quandoquidem.

1. In genere *in pilulis multa ingredientia non commiſcean-*

tur, farragine ſcilicet immodicâ, quæ facilè confuſionem parit, & majorem, quam pro formæ hujus ratione, quantitatem maſſæ fœnerat.

2. *Aloe in pilulis commodè datur, omnium tamen baſis fruſtrà ſtatuitur.* Fuit hæc hypotheſis veterum, quam ipſus adhuc *Morellus* aſſerit, & ex fundamento natum eſt, quod maſſæ pilularum, purgantium inprimis, omnes de aloe plurimum participent, & conſequenter effectum infidum poſt ſe relinquant. Quid? quòd pilulæ non amaricantes per ſe quoque gratiores ſint, & effectus commodus, cui ſæpe aloe ipſa eſt contraria, ab aliis quoque ſperari poſſit.

3. *Maſſæ exoletæ conſultiùs omittuntur.* Tales ſunt plurimæ, exauctorandæ, & meritò in diſpenſatoriis obeliſco notandæ; etiam illæ, quæ uſita iores à *Morello* & aliis habentur, v. gr. pilulæ lucis, *Licht-Pillen*, ad viſum acuendum, ſine quibus, aſſajeret, de quinque myrobalanis, &c. quæ à nobis quoque notatæ ſunt ex parte. Siquæ etiam maſſæ pilularum cenſum hunc merentur, ut aſſerventur, præſtat eaſdem eſſe recentes, non annoſas, vetuſtas, aridas, ſitu corruptas, uti ſanè in officinis tales ſæpe reperire licet.

4. *Quò cencentrationes pilulæ, eò meliores; quò diffuſiores, eò ſtomacho moleſtiores & ingratiores*, unde & hinc inde commendatæ pilulæ plurimæ exoleſcunt, ſiquidem partes terreſtres, feculentæ, & inutiles ſimul ſunt remixtæ. Hinc etiam præſtat, aloen extractam recipere quam crudam, & conſequenter in aliis quibuſcunque, ſelectiora ſaltim & virtuoſiora.

5. *Salia in pilulas non recipiuntur*, *lixiva* inprimis, tùm, quòd facilè liqueſcant, & hinc formam rotundam perdant; tùm, quòd particulis ſuis fiſſis & acuminatis rotunditati harum ſint adverſa; ſi tamen, quod quandoque fit, remiſceantur, duo ſunt notanda, tum, ut minori quantitate recipiantur, tum, ut citò poſt præparationem aſſumantur.

Ut itaque hæc vidimus, ita FORMA rotunda expetita materiæ ſeu maſſæ divi æ inducenda eſt, quæ adeo opus ut, ut præ aliis remediorum formulis de pilulis prædicetur, illas *reformari*.

Sunt verò quædam etiam hic notanda, v. gr.

1. *Maſſa nec nimis mollis, nec dura nimis eſſe debet. Prius* corrigitur, ſi quidem id per intentionem licet, vel admixtione corporis ſolidi alterius, vel leni exſiccatione in aere vel loco calido, cavendo empyreuma. *Poſterius* verò additione liquidi, vel ad unam ac alteram guttulam, vel quantum ſufficit, v. gr. aquæ, etiam ſimplicis ſirupi, eſſentiæ, elixirii, tincturæ Tartari, ♂tis, &c.

2. Inprimis *forma pilularum rotunda apta eſt additio olei*, ſive deſtillati pro intentionis variatione, ſive etiam expreſſi, ut olei amygdalorum dulcium, aniſi, &c. gaudent enim & hæc particulis rotundis conſimilibus, unàque præſtant, ne digitis adhæreat maſſa, unde, ſi quid aliud, formationem pilularum id maximè promovet, quin imò hinc reſolutionem in ventriculo tantum abeſt, ut impediat, ut potiùs procuret; &, quoad purgantia, eadem unà corrigat, ut ſine torminibus minori cum moleſtia operationem ſuam exequantur.

3. *Attendenda* quoquè in hoc eſt *earundem quantitas.* Veteres alii ex ʒj. faciebant tres, alii ſex vel octo, quo pacto ſingulæ reſpectivè ℈j. ℈ß. vel gr. viij. pendent. Præſtat eas dividere in majores, medias, & minimas. Majores definiuntur quantitate ciceris vel piſi uſitatiùs; mediæ, grani piperis, vel lentis; minimæ, ſeminis ſinapios, vel lentium circiter, vel minores adhuc compinguntur. Quo fine quoque in officinis inſtrumenta adhibent, quibus & hanc expetitam molem & ſimul æqualitatem reſpectu ad ſe invicem procurant & metiuntur. Indecens enim eſt, ſi altera major, altera minor viſatur efficta. Communiter verò major figura ſolet fieri in purgantibus, minor in lenientibus pilulis aloeticis; media autem in opiatis & alterantibus uſitatior. Et notabile porrò eſt, quò diutiùs debent permanere in ventriculo, eò debent eſſe grandiores; quò minus, eò minores, unde & pilulæ cephalicæ & ſtomachicæ, ſeu pro hiſce viſceribus ordinatæ, commodiùs & conſultò præſcribuntur majores. Si pondere id determinandum fuerit, non facilè majores pendeant ultra gr. ij. mediæ ultra gr. j. minores gr. ß. Quin id hodiè obtinet, ut in parvitate pilulæ inveniant gratiam, ſeu, quò minores, eò gratiores exiſtant, quia hoc ipſo minus negotii faceſſunt ventriculo; unde non tam ſpectare debemus quantitatem in hiſce vel præparandi tempus, quàm adſumendi facilitatem. Exemplo inprimis ſint pilulæ illæ benedictæ ſeu Angelicæ, hodiè frequentiſſimi uſus, v. gr. Glaſſianæ, ſeu ex extracto aloes gummoſo ſimplici exaratæ, ubi ex gr. j. ſæpe pilulæ quatuor vel quinque parantur; quin minori hac ipſa forma effectum ſortiuntur efficaciorem, ut hoc pacto gr. ij. vel iij. aloes ſic præparatæ plus præſtent, quàm ℈j.

4. *Quandoque* etiam, & ſatis uſitatò quidem, *deaurantur*, quod facilè eſt, modò molliuſculæ cum foliis auri in pyxide conquaſſentur; idque tum ad gratiam, ſive adſpectum, ſive ſaporem, ita enim minus ſentitur amarities, tum inprimis ad id quoque eximiè conducit, quòd conſiſtentiam in utrumque extremum facilem & mutabilem ſartam tectam hoc modo ſervare liceat, ne confluant ſcilicet, vel in pulverem fatiſcant, hæc duo enim præcipua ſunt pilularum ſymptomata, quibus utrique optimè ſatisfacit, præter cætera, deauratio. Neque obſtat, illas ſic tardiùs reſolvi, ſi cogitemus, quantillum id ſit auri foliorum, cujus facilis iterum eſt ſeceſſus, accedente ſufficienti vehiculo.

5. Ob alterutrum horum, ne confluant nempè, uſitatum quoque eſt, *adſpergere pulvillo* pilulas, pro lubitu, ut purgantes cremore tartari, roborantes cornu cervi uſto, lapidibus cancrorum præparatis, vel aliis reſperguntur, ne contactu ſuo vel incubitu coeant.

6. Et hoc ipſo etiam illis *colorem* fœneramur, quem quidem aliàs in pilulis non uſque adeò attendimus. Illud ſolùm notari meretur, ex reſinoſis puris fieri pilulas pellucidas, v. gr. ex reſina ſcammonii vel gialapii ſolâ, citra additionem aliorum.

Illuſtrabimus hæc ipſa paucis aliquot EXEMPLIS.

Pilulæ purgantes: ℞. *Extr. panchym. Croll.* g. xv. *reſin. ſcammon.* g. vj. *ol. aniſ.* gt. j. M. c. Tinct. ♀ri F. l. a. pil.

℞. *Extr. cathol. Andern. mag. gialap.* ã. gr. viij. *eſſent.* ♂. *aperit.* vel *elix. propr.* parum. M. F. pil.

℞. MP. *Cathol. M.* ℈ß. *troch. alb.* g. iij. *ol. citr.* g. j. M.

℞. MP. ♀ear. *Qu.* vel *Schrôder.* ℈j. *extr. helleb. n.* g. iv. *reſin. ſcammon.* g. v. M. F. l. a. pil.

℞. *Galap. nigr. reſin. ppt. reſin. ſcammon.* a. g. xii. *ol. amygd. d.* & *aniſi* parum, *Tinctura* ♂*ii* ♀*ſat.* q. ſ. M. F. pil.

Pilulæ anodynæ generales: ℞. *laud. op.* g. ij. F. l. a. pil. ij. l. iij. D.

Pilulæ catarrhales. ℞. MP. *de ſuccin. Crat.* ℈j. *extr. zedoar.* g. xv. *mag. ſucc. corall. ſmaragdi ppt.* a. ℈ß. *extr. op. ambr.* g. iij. M. F. pil.

Aphrodiſiacæ: ℞. *ambr. moſch. reſin. xyloal.* a. g. iij. *laud. op.* g. ij. *eſſent. ſatyr.* parum. M. F. pil.

Contra hypercatharſin vel dyſenteriam: ℞. *Extr. theriac.* gr. vj *torment.* ℈ß. *laud. op.* gr. ij. M. F. pil.

Emet. ℞. *Coag. aſar.* MP. *aloet.* a. g. vj. ♀ *emet.* g. iij. M.

Uterinæ: ℞. *extr. zedoar. ſplen. bov. caſtor.* a. ℈ß. ⊕-l. ♂. g. iij. ℞. g. vj. c. *elix. uter.* M. F. pil.

Febriles: ℞. *extr. card. ben. cent. min.* a. g. x. *bez. min.* g. xii. *ol. febrif.* gtt. ij. M. f. l. a. pil.

Mercuriales in lue ♀rea. ℞. *extr. ſcorzon.* ℈j. *ligni ſancti* ℈ß. ☿. *dulc.* ʒß. *d. amygd. d.* q. ſ. M. F. pil.

Occurrit

Occurrit verò circa UTENDI MODUM etiam obſervatio in variis circumſtantiis.

1. Ratione *ætatis*; non conveniunt pilulæ *infantibus*; cum enim ſolidiores ſint, requirunt unà quandam proæreſin animalem, ſeu opem muſculorum, quam infantes ignari & liquidis ſaltim adſueti adhuc adferre nequeunt: minùs etiam *ſenibus*, utpote ſiccioribus, id quod præcipuè de uſu continuato & grandioribus valet. Hinc infantibus ſi pilulæ aloëticæ ſint dandæ, præſtat eaſdem in liquore, potu, cerevisia inprimis, reſolvere, eædem verò & ſenibus non nocent.

2. *Pilulæ facilius operantur, quoad habitum corporis, in obeſis, ſucculentis, toroſis, carnoſisque*, quia humidiores. E contrario verò in genere, quicunque habent inteſtina ſicciora, iis pilulæ minus benè cedunt, quia egent reſolutione, unde & in his pilulæ aloeticæ parum vel nihil operantur; quin obſervatum quoque fuit, in cereviſiam bibentibus plus operari has ipſas, quam vinum. Attamen, ſi de humoribus ſit ſermo, non ſolùm pituitoſis, verùm etiam biliosis commodè in uſum cedunt, modò aliàs benè ordinentur.

3. *Poſitâ* itaque *deglutiendi commoditate*, quam inter ſolida inprimis ſibi vendicant pilulæ, & ubi faucium vitio ea non eſt integra, pilulis abſtinendum eſt, adſumuntur eædem integræ, citra diſſolutionem, non tamen ſine vehiculo ſubjungendo: unde & ſunt, qui diluens hinc ſubjungunt non ineptè, pro facilitanda reſolutione, cæteroquin ſtomachus in iis ſugendis plus ſuſtinere cogitur laboris.

4. *In gravidis* ſunt, qui *pilulas quoque dari* prohibent, quòd turbent corpus, & aloen recipiant, quæ facilè vaſa reſerare queat; verùm ut benigniſſima in ſe eſt pilularum forma, ita quoque in his commodè concedi queunt; aſt de maſſis pilularum vulgatis & δραστικοῖς quoque id quam maximè verum eſt, quia eædem & tormina gravidis maximè adverſa excitant facilè, ipſæ verò aloeticæ benedictæ pilulæ iis tutò exhibentur.

5. Ratione *temporis aſſumendi*. Ordinariè & in genere, more aliorum medicamentorum, ſumuntur matutino tempore, jejuno ventriculo, ut vacare earundem actuationi commodè poſſit ventriculus, & ſequuntur in hoc pilulæ aliàs quoque tempus aſſumendi illorum medicamentorum, quæ earundem forma veloque præſcribuntur, ut mercuriales v. gr. manè, opiatæ circa noctem, hyſtericæ, febrifugæ ante paroxyſmum in uſum vocantur commodè. Nihilominus tamen *de lenientibus & purgantibus* duo notanda: *Prius*, quòd lenientes pilulæ, & aliàs quoque lenientia alia, commodius exhibeantur ante cœnam vel prandium, ſeu cum cibo; ita enim, cùm minùs moleſtæ ſint, naturæ opus, chylificationem, non interturbant, eandem verò blandè diſponunt & ſtimulant, ut manè ſequenti v. gr. una vel altera ſedes ſequatur, id quod hodiè in tantum invaluit, ut vix alio tempore hæ ipſæ pilulæ angelicæ, Francofurtenſes, & conſimiles propinentur. *Alterum* experimentum eſt, quod è praxi nobis innotuit. Cum enim obſervaſſemus, in pilulis purgantia commodè dari, eas verò infidum ſæpè edere effectum, & utplurimum vel non purgare penitus, uti ſunt tardioris operationis, vel nimis, cum tamen intereà totum huic rei demus quaſi diem. Hinc ſtrategema excogitavimus, quo huic vitio ſuccurri poſſit, nempè deprehendimus, conſultum eſſe, *partiri purgantes pilulas*, ut ipſæ ſibi quaſi viam ſternant, unde veſperi ſub lecti ingreſſum, ſi v. gr. doſis integra ſint g. xxiv. vel pilulæ xij. propinamus pilulas 3. 4. vel 5. hinc, prout hæ ſe geſſerint, manè altero de reliquis diſponimus. Si enim jam aliquot ſedes cauſatæ fuerint, quod fit in mobilioribus, & quidem ſine ulla moleſtia, omitti poteſt reliqua pars; ſin minùs, omnis adſumi, ſin medio modo, facile quoque erit, hanc alteram doſin mutare, & propinare ſaltem iterum dimidiam partem, qui ſanè modus eſt quàm commodiſſimus & probatiſſimus.

6. Quoad *modum* verò *aſſumendi*, quilibet pro ſuo genio alium eligit, in quo relinquendus ægris ſuus mos. Quidam nebulis involvunt ſingulas, ſed id tædioſum admodum eſt; quidam cum paſſulis exacinatis deglutire malunt. Præſtat verò, ope liquidi alicujus, vel linguæ impoſitas, vel cochleari exceptas, promovere in ventriculum, vel eaſdem deglutire per ſe, & deſuper liquidum ſubjungere. Hoc ipſum verò magis facilitabitur, Si

7. *Doſi non excedatur.* Non enim hodiè amplius facilè ad ʒj. vel amplius adſcendimus, ut olim; ſed ſatius eſt, concentratiora recipere, vel acuentia addere. Quod enim

8. *Numerum* concernit, gaudent quidem pilulæ, neſcio quo recepto more, impari numero, verùm cum quantitatis quà talis nulla ſit efficacia, & ex ℈ß. v. g. pilulæ x. vel xi. parari queant, facilè patet, in hoc numeri obſervationem parum conferre, neque experientia vel ulla ratio momentum addit, niſi aliquid mori innoxio citra ſuperſtitionem dare velimus.

Reſtat, ut de uſu quoque quædam dicamus in utramque partem.

1. *Pilulæ ſiccioribus non tam benè cedunt*, tum ſua natura, quòd exſiccent magis, tum etiam, quòd pro reſolutione ſui egeant humore; hinc uti in cachecticis, phlegmaticis, hydropicis & laxioribus magis ex uſu ſunt, ita in omnibus morbis, ubi ſiccitas prædominatur, & humectatione opus eſt potius, minùs conveniunt, unde tabidis, hecticis, febribus ardentibus, ictericis, melancholicis, maniacis minùs commodè propinantur, reſpectu aliorum inprimis, & quando hiſce dantur, id tamen non ſine humectantibus fieri par eſt.

2. *Alterandi fine rariùs, purgandi verò frequentiùs uſurpantur*; in activis potiſſimùm qualitatibus, nam exſiccare eaſdem, & adeò in colluvie ſeroſa prodeſſe, jam innuimus. Unde, quæ pro alteratione præſcribuntur tamen, fere poſt principia ſtant, & interpolantur aliis, non verò iis ſolis primaria demandatur agendi gloria.

3. *Pilulæ tardiùs operantur*; hinc ubi citiori ope opus eſt, liquidis cedunt, v. gr. in lipothymia, anxietatibus, debilitate virium, &c. exceptis opiatis, illæ enim, quod mirum eſt & peculiare, priuſquam è ventriculo egrediantur, ſæpè jam placant archeum. Unde inprimis, quod diximus; valet de purgantibus & confortantibus. Cæterùm hoc iterum boni habent, ut porrò dicemus, quòd tarditatem actionis efficacia hinc compenſent.

Nam è contrario 1. *pilulæ diu manent in ventriculo, & eidem ſunt acceptæ*, adeoque intimiùs ibi vires ſuas explicant, & hinc in ſtomachi quoque affectibus quampluribus præcipuè expetuntur. Pilulæ efficaciſſimè ſedant vomitum, neque enim præ aliis omnibus facilè rejiciuntur iterum, quo ipſo tamen non excluditur, non poſſe etiam dari pilulas vomitorias, quin optimè etiam hac forma operantur emetica. Sed in ſingultu, vomitu, cholera, &c. optimè inprimis ſe gerunt.

2. *Pilulæ capiti ſunt proficuæ*, hinc pro roborando capite apprime inſerviunt, tum purgandi, tum alterandi fine, quam in rem pilulæ de ladano Hartmanni inprimis ſunt laudandæ, maximè in vertigine &c. uſus; hinc & in oculorum affectibus, & inprimis ſomnum ciendi gratia in pervigiliis eximiis habent uſum. Quin ſæpe vix in ventriculum delatis pilulis opiatis paucis, obrepit ſuavis ſomnus, & dolores con-

conticeſcunt. Neque etiam opiata præſentius in genere, quàm pilulari hac forma, agunt, niſi quòd ſæpè altero manè vomitum quendam parturiant, quod habent peculiare.

3. *Pilulæ è partibus remotioribus trahunt.* Aſſertum hoc eſt veterum inprimis medicorum, unde in podagra, arthritide, iſchiade &c. has commendarunt inprimis, nos eatenus quoque id retinemus, quod diutiùs & in ventriculo & corpore remanendo, modo non ſint irreſolubiles nimis, moram concedant, ut fermentatione ipſius maſſæ ſanguineæ ſegregari & expelli magis queant vitioſa ſedimina. *Wedelius.*

Hactenus de Pilulis in genere, ſequuntur jam variæ earundem compoſitiones in ſpecie è variis Auctoribus.

Pilulæ de Agarico Meſuæ è *Pharm. Auguſt.*

℞. Agarici ʒij. *iridis, marrubii an.* ʒj. *Turbith* ʒv. *ſpecier. Hieræ picræ Galeni* ℥iiij. *colocynthidos, ſarcocollæ an.* ʒij. *myrrhæ* ʒj. *ſapæ quantum ſatis eſt. Fiat maſſa.*

Thoracem à pituita putri & craſſa purgant, ob id antiquæ Tuſſi & aſthmati, aliiſque Thoracis vitiis à craſſis ac pituitoſis humoribus ortis auxiliantur.

Agaricum in compoſitionibus pilularum à nobis ſemper ſumitur trochiſcatum.

Aggregativæ majores Meſuæ, ex *eadem Pharm.*

℞. *Myrobalanorum citrinarum, rhabarbari an.* ʒiiij. *ſuccor. inſpiſſator. Agerati, abſinthii an.* ʒiij. *dacrydii* ʒvi. *myrobalan. chebularum, indarum, agarici, colocynthidos, polypodii an.* ʒij. *Turbith. aloes an.* ʒvi. *maſtiches, roſarum, ſalis Gemmæ, Epithymi, aniſi, zingiberis an.* ʒj. *cum ſyrupo roſato ſol. fiat maſſa.*

Polychreſta catapotia dicuntur, quòd ad multos affectus corporis præter naturam ſint utilia, ac omnes humores purgent; ad varios enim capitis, ventriculi, Jecoriſque morbos, ut & diuturnas ac complicatas febres ſunt efficaces.

Quidam dacrydii ʒ. tantummodo V. legunt, potior tamen Medicorum pars ſex drachmas adſcripſit. Ubi ſuccus Abſinthii in pilulis ſumendus eſt, vulgaris ſive noſtratis Abſinthii ſuccum ſtatuimus intelligendum.

Cæterùm hic aliive ſucci inſpiſſati, ſi nimium indurati fuerint, pro pilularum maſſa conficienda, prius in liquore (uti hic in ſyrupo roſ. ſol.) ſolvendi ſunt, antequam reliqua addantur.

Aggregativæ minores Meſuæ, ex *eadem Pharm.*

℞. *Myrobal. citrinarum, indarum, emblicarum an.* ʒiij. *maſtiches, aniſi, ſuccor. inſpiſſatorum Agerati, abſinthii, roſarum, an.* ʒj. *Rhabarbari* ʒv. *ſpecierum Hieræ picræ Galeni* ʒxij. *cum ſucco apii formetur Maſſa.*

Pituitam & bilem utrámque è ventriculo, & capite purgant, obſtructiones hepatis aperiunt, ipſumque cum ventriculo roborant, febres antiquas, pruritum & ulcera maligna juvant.

Melichius in diſpenſatorio ſuo, non aquarum tantùm, ſed etiam ſuccorum uſum in conficienda maſſa pilulari planè excludit, eorundemque loco mel, aut ſyrupum aliquem tenuioris conſiſtentiæ ſubſtituit: quem tamen viciſſim alii rejiciunt. Nos dictorum nullum improbamus, cum rationes in contrarium partim adductæ exigui ſint momenti.

Pilulæ Alephanginæ ſeu Aromaticæ Meſuæ, ex *eadem Pharm.*

℞. Cinnamomi, cubebarum, ligni aloës, calami aromatici, nucis moſchatæ, macis, cardamomi, caryophyllorum, rad. aſari, maſtiches, ſchænanti, ſpicæ indicæ, galangæ an. ℥j. *abſinthii ſicci, roſarum rubrarum an.* ʒv.

Dimidia pars horum aromatum craſſiuſculè contuſa infundantur in aquæ ℔iiij. coquantur lento igne ad mediæ partis conſumtionem, deinde exprimantur & colentur. In colatura diſſolvatur Aloës ſocotrinæ cum aqua pluviali elotæ, id eſt, depuratæ ℔j. & ulteriori coctura ad juſtam conſiſtentiam perducatur, ut cum reliqua aromatum parte ſubtiliſſimè trita, nec non pulveris, myrrhæ, maſtiches an. ʒv. croci ʒiij. fiat maſſa.

Ventriculum, cerebrum, & ſenſoria omnia ab humoribus craſſis, putribus, & pituitoſis mundificant, ac inde natos dolores tollunt, ſtomachi robur augent, coctionem promovent, adpetitum inſtaurant, cruditates abolent, ac nutritioni dicatas partes pleraſque à noxiorum humorum, frigidorum præſertim, adcumulatione tuentur.

Medicamentum hoc, quod Meſue à Lampone Peluſiota mutuatus eſſe videtur, uti adparet ex Galeno lib. 8. de comp. med. ſecund. lot. cap. 2. utpote quod cum Hiera Lamponis ferè concordet, ab Auctore potiùs ad corroborandum ventriculum & cerebrum, quàm alvum ducendam eſt inſtitutum. Dicuntur autem hæ pilulæ Aromaticæ, eò quòd multis conſtent aromatibus; itemque pilulæ ſolis, quod in ſole ſeu inſolando, ſine ulla tamen neceſſitate, olim à quibuſdam confectæ fuerint.

Pilulæ de Aloe roſata, è *Pharm. Auguſt.*

℞. Aloës optimæ, quæ ſuccum roſarum tertia vice imbiberit, atque reſiccata fuerit, ℥j. *ex qua cum vino formentur pilulæ pro lubitu.*

Minus quidem purgant, magis tamen roborant, cruditates abſumunt, adſtrictam alvum ſolvunt, ac humorum putredinem arcent.

Eodem modo cum infuſione violarum paratur aloë violata, quæ, plurium judicio, pilulas ſic dictas Francofurtenſes conſtituit.

Pilulæ de Aloe lota incerti Autoris ex *eadem Pharmac.*

℞. Aloës cum ſucco roſarum lotæ ℥j. *Agarici trochiſcati* ʒiij. *maſtiches* ʒij. *ſpecierum diamoſchi dulcis* ʒß. *cum vino malvatico fingatur Maſſa.*

Ventriculum, cerebrum, uterum, & alia viſcera à putridis & pituitoſis humoribus expurgant concoctionemque promovent.

Pilulæ de Aloe, & maſtiche Nicolai Myrepſi, ex *eadem Pharm.*

℞. Aloës ℥j. *maſtiches* ℥ß. *caryophyllorum, roſarum rubrarum an* ʒj. *croci, dacrydii an.* ℈ij. *cum ſucco abſinthii formetur maſſa.*

Ventriculum ſine moleſtia purgant, ex eoque bilem & pituitam eliciunt, ac nutritioni dicatis partibus robur præſtant.

Pilulæ de Aloe violata, *Pharm. Norimberg.*

℞. Aloës puræ ℔j. *muchari violar. è flor. integr* ℔iij. *reſinæ ſcam.* ʒvi. *maſtichis* ʒiij. F. l. a. Maſſa.

Pilulæ Diambræ è *Pharm. Londin.*

℞. *Gummi guajaci recent. Aloës roſatæ an.* ʒiij *ſpecier. Hieræ ſimpl. ſeſquidrachmam, maſtiches* ʒj. *Ambræ griſeæ* ʒß.

Fiat

Fiat omnium pulvis ſubtilis, qui excipiatur ſ. q. balſami Peruani nigri, ut F. maſſa pilularis.

Pilulæ de Ammoniaco Quercetani, *è Pharm. Auguſt.*

℞. Balſami Aloëtici ℥iiij. *gummi ammoniaci puri in aceto ſcillino diſſoluti* ʒvi. *myrrhæ electæ* ℥ß. *maſtiches, ſpecierum diatrionſandal. an.* ʒiß. *croci, ſalis fraxini, Abſinthii ana* ℈ij. *cum ſyrupo de ſtæchade fiat pilularum maſſa.*

Ad omnem totius corporis fæculentæ materiæ abundantiam educendam, cachexiam, febres inveteratas, & diuturnas tollendas, maximè conducunt, citra omnem etiam moleſtiam & perturbationem exhibentur.

Pilulæ Angelicæ ſeu de Aloë & rhabarbaro, ex *eadem Pharm.*

℞. Aloës ſocotrinæ ℔j. *quam diſſolve in ſuccor. depuratorum cichorii, endiviæ, bugloſſi, borraginis, lupulorum fumariæ an.* ℥iiij. *roſarum damaſcenarum* ℔j.

Lento igne ad juſtam conſiſtentiam deducantur, ut cum ſequenti pulvere.

℞. Pulveris Rhabarbari electi ℥j. *Agarici trochiſcati* ℥ß. *cinnamomi electi* ʒij. fiat maſſa pilularis.

Virtus harum pilularum admiranda & nunquam ſatis laudanda exſiſtit, quoniam ad omnium viſcerum nobiliorum corroborationem commendantur, pravorum inſuper humorum correctionem, & blandiſſimam evacuationem promovent, ut nullum planè ſit dubium, quin citâ & jucundâ ſuâ operatione omnibus abunde ſint ſatisfacturæ.

Pilulæ Anodynæ Corteſii.

℞. Laudani opiati, ſeu extracti opii ℥ß. *piperis Indici in aceto per noctem infuſi & ſiccati* ℥j. *croci* ℈iiij. *myrrhæ* ℈ij. *moſchi gr. vj.* Cum vino Hiſpanico F. maſſa.

Dolores colicos ſedant, & ſomnum provocant. Doſ. eſt à gran. ij. ad gr. viiij. maſſæ autem earum grana tria granum unum opii & paulò amplius continent.

Pilulæ Arabicæ Nicolai ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Aloës optimæ ℥ij. *radicis bryoniæ, myrobal. omnium maſtiches, dacrydii, Aſari, roſarum an.* ℥ß. *caſtorei* ʒiß. *croci* ʒß. *ſucci fæniculi quantum ſatis eſt formetur maſſa.*

Omnes humores purgant: auditum amiſſum reparant, vertigini, hemicraniæ, ac dolori capitis ſuccurrunt.

Pilulæ Arthriticæ Nicolai ex *eadem Pharmac.*

℞. Hermodactylorum, Turbith. Agarici an. ʒij. *caſſiæ ligneæ veræ, ſpicæ indicæ, xylobalſami, carpobalſami, Galangæ, caryophyllorum, macis, aſſæ fætidæ, Zingiberis, maſtiches, ſem. fæniculi, Aniſi, ſaxifragiæ, aſparagi, ruſci, milii ſolis, roſarum, ſalis gemmæ an. gr. xv. dacrydii* ℥ß. *Aloes optimæ ad pondus omnium, ideſt.* ʒxiiiiß. *ſucci fæniculi quantum ſufficit.* fiat maſſa.

Ad Arthriticos dolores & podagræ inſultus, nec non frigidorum humorum in articulos procubitus aut defluxiones adhibentur.

Notandum, ex aſparagi & ruſci ſeminibus pulpam ſolùm carnoſam, abjectis granis in meditullio contentis, ſumi debere, cum in iis vix ulla vis huc expetita reſideat. Idem judicium eſto de berberibus ac ſimilibus.

Pilulæ Arthriticæ Herbipolenſes.

℞. Rad. Ariſtoloch. long. ℥ß. *rotund.* ℥ij. *polipod. q.* ℥ß. *cranii human. præp.* ʒij. *cum gumm. Tragacant.* ℥ß. *aq. roſ. ſolut. & ſyr. roſar. ſolut. fiant pil. quæ* per annum ſingulo mane ad ʒß. aſſumtæ, ad podagram curandam à multis pro arcanis habitæ fuerunt, ſed infauſtus ſucceſſus bonam eis famam ademit apud plures, intermediari verò debet ſingulis menſibus poſt plenilunium purgans aliquod conveniens.

Pilulæ Arthriticæ Norimbergenſium.

℞. Pulv. chamæpityos, chamædr. ver. an. ʒij. *centaur. minor. rad. Ariſtol. rot. rh. pont. ver. gentian. ſem. hyper. cran. human. ſpagir. præparat. an.* ʒiß. *rad. cichor. ſantali rubri an.* ʒj. *incorporentur cum ſ. q. ſucci Chamæpyt. addendo nonnihil Therebint. cypr. pro meliori unione, fiant pil. pro lubitu.* Vires titulus indicat.

Pilulæ Arthriticæ Schefferi ex *Pharm. Schrod.*

℞. Reſin. Jalapp. ʒß. *eſſent. rhabarb.* ℈j. *Ariſtoloch. rot.* ℈iv. *gentian. Tartar. vitriolat. an.* ℈j. *Diagrid. roſat.* ℈iv. *mag. chalyb.* ℈j. *M. F. cum eſſent. folior. ſenn. pilulæ numero xxx. pro* ʒj. *& deaurentur.*

Hæ pilulæ apprimè conveniunt in catharroſis defluxionibus, inprimis iis quæ ad artus decumbunt, pituitam & ſeroſos humores blandè educunt, & viſcera obſtructionibus liberant. Doſis v. vi. vii. vel ix.

Acuuntur interdum Troch. Alhandal. mag. Gutt. Gemn. &c.

Pilulæ Aſſajeret Avicennæ, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Specierum Hieræ picræ Galeni ℥ß. *maſtiches, myrobalanorum citrinarum an.* ℥ij. *Aloës optimæ* ℥j. *cum ſyrupo de ſtæchade formentur pilulæ.*

Bilem flavam & pituitam leniter purgant, eam præſertim quæ ventriculo inſidet, ideoque ventriculi affectibus, quibus Hiera remedio eſſe ſolet. Et capitis doloribus à vitioſis ſtomachi ſuccis obortis, auxiliatur; propinatur in tenuibus & acribus capitis fluxionibus, ut liquidam materiam facile decumbentem ſiſtant. Deſcribuntur ab Avicenna Fen. 1. lib. 3. cap. 29.

Pilulæ Aureæ Nicolai, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Aloës, dacrydii an. ʒv. *roſarum rubrarum, ſem. Apii an.* ʒiiß. *ſem. Aniſi fæniculi an.* ʒiß. *maſtiches, pulpæ colocynthidos, croci an.* ʒj. *mellis roſati ſolutivi quantum ſatis eſt.* Fiat maſſa.

Caput expurgant, ſenſus omnes, præcipuè oculorum aciem exacuunt: flatus ventriculi & inteſtinorum diſſolvunt, ac citra moleſtiam deiiciunt alvum, ad ſtomachicos, colicos, nephriticos, & inflatos valde probantur.

Pilulæ de Bdellio majores Meſuæ, ex *eadem Pharm.*

℞. Bdellii ʒxii. *myrobal. chebularum, indarum, belliricarum, Emblicarum, concharum venerearum uſtarum, charabe an.* ʒiiß. *Ammeos parum toſti* ʒiij. *maceretur Bdellium in ſucco foliorum porri, & formetur maſſa.*

Ad fluxum hæmorrhoidum, & ulcera ex eis provenientia necnon menſes immodicos utiliter exhibentur.

Concha venerea deſcribitur à Geſnero de cruſtatis ordine xv. fol. 254. Tota intus candida eſt, foris corticæ lævis, atque varietate colorum & macularum inſperſarum inſignis.

Pilulæ de benedicta ex *Pharm. Auguſt.*

Fiunt ex ſpeciebus benedictæ ſolutivæ, incorporatis cum melle roſaceo.

Humores pituitoſos potiſſimum ad Articulos decumbentes eliciunt; à renibus quoque & veſica purgant.

Pilulæ Benedictæ è *Pharm. Schrod.*

℞. Aloës roſar. ℔ß. *Gumm. ammoniac. in guttis, S. puriſſimi*

puriſſimi ℥ij. *ſucc. card. benedict. inſpiſſat.* ℥j. *m. cum vino albo vel aq. card. benedict. rectificata.*

N. aloë ſuccotrina puriſſima ſubtiliſſimè teritur, ſuccus roſarum incarnatarum ad pultis conſiſtentiam permiſcetur, ſiccatur, teritur.

Uſus ante & poſt paſtum, imo ejus initio ac fine. Doſis gran. xv. ℈j. &c.

Hæ pilulæ quatenus recipiunt aloen roſatam, & Gummi ammoniacum; quarum illa eſt ſuccus, qui ex aloë & ſucco roſarum vel infuſione illarum dilutus ſæpius, iterumque exſiccatus fuit, & crebrioris eſt uſus; ideoque nec iſtæ pilulæ ſua laude ſunt defraudandæ ob ſimplicem illam præparationem, quæ omnibus aliis compoſitionibus præripit palmam. *Hofmannus.*

Pilulæ Cachecticæ D. *Charras.*

℞. *Trochiſcor. alhandal.* ℥ß. *aloës electæ, myrrhæ, Galbani, ammoniaci an.* ʒiij. *præcipitati mercurii cum auro præparati* ʒij. *ſcammonii, jalappæ, agarici albiſſ. an.* ʒß. *olei nucis moſchatæ expreſſi* ʒj. *ſuccini, cinnamomi & caryophyllorum an. Gutt.* VI. *extracti juniperi q. ſ. F. ex ea maſſa pilularum.*

Multum commendantur hæ pilulæ in cachexiis, febre quartana. Hydrope, ictero, & in menſtruorum ſuppreſſione; ſumuntur hora una antequam cubitum eatur. Doſ. à gr. iiij. ad gr. IX. repetendo earum uſum pro exigentia.

Pilulæ de Caſtoreo Avicennæ, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Caſtorei, doronici, Zedoariæ, nucis moſchatæ an.* ʒj. *ſem. Apii, Anethi, matris perlarum an.* ℈iiij. *hyoſcyami gr.* iij. *formetur maſſa cum mucilagine Tragacanthi in aqua Artemiſiæ ſoluta.*

Uterinis doloribus conferunt, craſſos flatus diſſipant, ac impeditas menſtruas purgationes eliciunt.

Pilulæ Extracti Catholici è *Pharm. Amſtelod.*

℞. *Pulpæ colocynthidis* ʒVI. *agarici albi, hellebori nigri, pulveris diarhodon abbatis an.* ℥ß.

Ex his extrahatur tinctura per ſpiritum vini: cui percolatæ adde pulverum Aloës lucidæ ℥j. ſcammonii præparati ℥ß. evaporent in extracti conſiſtentiam.

Pilulæ pro Chloroſi *D. Charras.*

℞. *Extracti martis cum muſto parati* ℥j. *extracti aloës ſuccotrinæ cum ſucco cichorii parati* ʒVI. *extracti rhabarbari* ℥ß. *extracti croci* ʒij. *olei ſtillati cinnamomi gutt.* VI. *ex ſimul miſtis fiat ex a. maſſa pilularum ad uſum.*

Exhibentur hæ pilulæ mane jejuno ſtomacho, ſuperbibendo vini Abſinthitis ℥ij. aut iij. ſtatimque per horam dimidiam ambulando. Doſ. ℈j. uſus debet in plures dies continuari.

Pilulæ Cholagogæ de Centaurio Quercetani è *Pharm. Schrod.*

℞. *Succor. optimè depuratorum centaurii minor. roſar. pallidar. Eupator. Meſuæ. rad. oxylapathi an.* ℥iv. *quibus adde aloës præparat. (ad modum Quercet. vide lib. 4.)* ℥vi.

Digerantur MB. hor. duodecim, ut fiat perfecta diſſolutio & mixtio, dein omnia coagulentur ad mellis conſiſtentiam cui adde *pulv. rhabarb.* ℥j. *xylo Aloës, myrrhæ an.* ʒij. *croci, cinamomi an.* ʒß. *ſpec. Diatr. ſantal. Tro hiſ. Diarhod an.* ʒj. M. F. maſſa.

Proſunt in omnibus febribus bilioſis, arquato morbo, & cachexia. Jecoris itidem cæterarumque partium nutritioni dicatarum, obſtructionibus mirificè auxiliantur. Doſis à ʒß. ad ʒj.

Hæ pilulæ virtutem ſuam ſatis etiam exſerere poſſent cum ſucco tantum centaurii minoris ſæpius imprægnatæ, & iterum exſiccatæ, licet ſuccus roſarum pallid. eupator. Meſ. Radic. oxylapathi & reliquorum, pilularum iſtarum virtutem antifebrilem potius impedientium, planè proſcriberetur; Aloës enim præparatio non melius peragitur, quàm cum paucis ejuſmodi balſamicorum ſuccis, ut alibi uberius docebimus. *Hofmannus.*

Pilulæ Cochiæ Rhaſis, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Specierum Hieræ picræ rhaſis* ʒx. *pulpæ colocynthidos* ʒiij. ℈j. *dacrydii* ʒiiß. *ſtæchadis, Turbith an.* ʒv. *ſyrupi de ſtæchade quantum ſatis eſt. Fiat maſſa.*

Cephalicæ rectè dicuntur, eò quòd caput magna efficacia expurgent, ideoque à nervis craſſos, pituitoſos & frigidos humores evacuent. Deſcribuntur à Rhaſe 9. ad Almanſorem cap. I.

Pilulæ Cochiæ aliæ.

℞. *Aloës lucidæ, ſcammonii puriſſimi, pulpæ colocynthidos an.* ℥j.

Trita excipiantur ſufficienti quantitate, & æqualibus partibus ſyrupi Abſinthii, & de ſpina cervina. F. maſſa ſ. a. addendo olei ſtillat. Caryophyllorum ℈ij.

Pilulæ pro Colico morbo D. d'Aquin, è *Pharm. D. Charraz.*

℞. *Aloës ſuccotrinæ electæ in ſucco roſar. pallidar. dilutæ & inſpiſſatæ* ℥iij. *agar. electi* ℥iß. *extracti rhabarbari* ℥j. *hepatis lupi prepar.* ʒVI. *ſummitat. Abſinthii* ℥ß *pulver. diarrhodonis abbatis & ſalis abſinthii, nucis moſchatæ an.* ʒiß. *cum ſyrupo de cichorio compoſito cum rheo F. maſſa.*

Benigne purgant humores bilioſos & ſeroſos, quorum etiam præveniunt & impediunt accumulationem & fermentationem, & ea ratione curant morbos colicos præcipuè illum qui Pictonum dicitur. Sumuntur alternis diebus continuato uſu pro exigentia & ratione intentionis morbi curandi Doſ. ℈j. ad ʒj.

Pilulæ de Colocynthide Meſuæ è *Pharm. Auguſt.*

℞. *Pulpæ colocynthidos* ʒVI. *myrobalan. indarum, citrinarum ſagapeni, bdellii, ſarcocollæ an.* ʒv. *aloës* ʒvii. *nigellæ, cumini carmanici orientalis, origani cretici, naſturtii albi ſativi, ſalis Gemmæ, Abſinthii romani an.* ʒj. *ſucci porri quantum eſt.* Fiat maſſa.

Articulorum doloribus proſunt, pituitoſos quoque & melancholicos affectus profligant, unde etiam alphos curatu difficiles ad ſanitatem perducunt: Cautè tamen iis utendum, magna enim colocynthidis quantitas compoſitionem hanc ingreditur, unde ad alias ſolùm pilulas acuendas quandoque adhibentur.

Lachrymæ ſeu Gummia ad conſtitutionem harum pilular. requiſita in ſucco porri ſeorſim diſſolvantur, ac tum demum reliquis ſpeciebus addantur, & in maſſam cogantur.

Pilulæ Cordiales & Cephalicæ *Zvvelfferi.*

℞. *Ambræ gryſ. opt.* ʒj *ſolvatur in olei cinamomi* ℈j. *caryophyllor.* ℈ß. *nuc. moſch. expr.* ʒj. *quibus invicem bene mixtis adde pulv. Cardamomi, nuc. moſch. an.* ʒiij. *croci Auſtriac.* ʒiß. *ſem. carvi, Aniſi an.* ʒiß. *extracti ligni aloës n. reſinæ ſtor. cal. an.* ʒij.

Miſceantur exactè ac cum ſ. q. mellis noſtri citrati, vel Anthoſ. Fiat maſſa, ex qua pilulæ efformandæ, vel in alia aliqua medicamenti forma propinandæ: caput, cerebrum, ſenſuſque omnes, ventriculum inſuper, & totum corpus roborant, Anhelitum putridum & fætidum emendant, ſpirituſque animales & vitales recreant.

Pilulæ

Pilulæ de Cynogloſſo Nicol. Præpoſiti, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Rad. cynogloſſi ſiccarum, ſem. hyoſcyami albi, opii depurati an.* ℥ß. *myrrhæ* ʒvi. *Thuris* ʒv. *caryophyllorum, cinnamomi, ſtyracis calamitæ an.* ʒij. *cum ſyrupo ex ſucco violarum, & ſucco cynogloſſi, lege artis formetur maſſa.*

Has Nicolaus à Meſue mutuatus eſt, qui eas ſub titulo pilularum ad omnes morbos catarrhoſos hoc modo deſcripſit

℞. *Opii, cynogloſſi, hyoſcyami an.* ℥ß. *myrrhæ puræ* ʒvi. *olibani* ʒv. *croci* ʒiß. *fiat maſſa.*

Nobis etiam alia compoſitio in uſu eſt, quam caſtoreum ingreditur, quod ſingulari vi opii qualitatem noxiam emendandi pollere creditur.

Pilulæ de Cynogloſſo cum caſtoreo ex *eadem Pharmac.*

℞. *Opii, radicum cynogloſſi, ſeminum hyoſcyami an.* ℥ß. *myrrhæ puræ* ʒvi. *olibani* ʒv. *ſtyracis calamitæ* ʒij. *croci Auſtriaci, caſtorei genuini electi an.* ʒiß. *cum ſucco cynogloſſi, & ſyrupi è ſucco violarum partibus æqualibus. Fiat maſſa.*

Catarrhos tenues ſiſtunt, ac tuſſim inde natam ſedant: omnibus quoque defluxionibus, ſive in Thoracem, ſive in pulmones, dentes, aut aliò ferantur, conferunt, ſomnum conciliant, ac omnis generis dolores placant.

Pilulis iſtis Benedictus Faventinus, medicus Bononienſis celeberrimus, in catarrho ſalſo, magno ſucceſſu cum ſucco glycyrrhizæ & Aloë lota ſecundum hanc deſcriptionem utebatur:

℞. *Succi glycyrrhizæ* ʒj. *Aloës lotæ* ʒj. *pilul. de cynogloſſo* ʒß. *cum ſyrupo violato fiat maſſa.*

Pilulæ Diaphoreticæ, è *Pharm. Schroder.*

℞. *Cinnabar. Antimonii rectificat.* ℈j. *præſervativi ex croco, myrrh. & aloë* ʒß. *cryſtall. ſulph.* ℈j. *ol. guajac. q. ſ. ad corporationem.*

F. pil. duæ, exhibeantur ſuperbibendo cochl. 1. acidi guajac. mixti cum tribus partibus vini alb.

Cinnabar. Antimonii rectificat. minus dextre in pilularum maſſa traditur, virtute ejus diaphoretica & antiepileptica ſpecifica à reſinoſis aliis ingredientibus ſuppreſſa, id quod cryſtalli ſulphuris cum oleo guajacino non corrigent. Ideoque commodior harum pilularum fiet præparatio, ſi cinnabari excluſa, ſolum ex croco, myrrha & aloë cum cryſtall. ſulphuris & ol. d. guajacin. ſ. a. pilulæ dictæ componantur.

Pilulæ Diureticæ ex *eadem Pharmac.*

℞. *Tereb. venet. vitrioli albi, an. part. æq. m. in mortario marmor. terendo diutiſſimè, uſque dum ſimul incorporentur, quod difficultate non caret. Doſ. eſt à* ʒj. *ad* ʒij. *Tereb. vitriolo addita vim ejus vomitivam refrænat & diureticam conciliat.*

Si vitrioli albi vis emetica cum Terebinthina in diureticam degenerare debet, ſatius duco, dimidiam partem vitrioli albi ſumere, & Terebinthinæ duplum ſubſtituere, ſic enim hujus vis diuretica illius emeticam vincens & refrænans ambæ in diureticam convertentur, & melius etiam incorporabuntur. *Hoffmannus.*

Pilulæ ex Duobus, è *Pharm. Londin.*

℞. *Colocynthidos, ſcammonii an.* ℥j. *olei caryophyllorum q. ſ.*

Ut optimè malaciſſentur, & ſubigantur unà: mox cum momento ſyrupi de ſpina cervina; fiat maſſa.

Pilulæ Anti-Epilepticæ S. Cloſſæi, è *Pharm. Schroder.*

℞. *Præcipitati ſolaris per ſe in matratio ign. fabrili continuo parati* ʒj. *cinnab. mineralis* ℈iv. *ol. Antimon. febrifugi (ut dicitur capite de Mercurio) gutt. xx. Extracti caſtor. per ſpir. vin. evaporando facti. Succini an.* ʒj. *de paeon. mare cum ſpir. vini facti, paeon. ſæmin. bryon an.* ʒiiß. *fol. helleb. nigr. ſubtiliſſ. triturat.* ℈j.

Fiat pulvis & cum ſucco porri maſſa pilularum, cui admiſce ol. Angelic. ſativ. ſpiritus vitrioli an gutt. x.

Uſus: cape antè paroxyſmos aut poſt quadram lunæ pill. duas ℈j. ponderantes, ſumendo poſtea juſculum carnium acido vitrioli conditum.

Hæ pilulæ tam ob egregiam compoſitionem, quàm ſummas vires, quas ad virus epilepticum abigendum exercent, non ſatis dilaudari poſſunt. *Hofmannus.*

Pilulæ de Eſula Fernelii è *Pharm. Schroder.*

℞. *Cortic. rad. eſulæ minor. macerata hor.* 20. *in aceto & ſucco portulacæ* ʒij. *gr. ricini expurgata & torrefacta numero* XL. *mirobalanor. citrinor.* ʒiß. *Chamædryos, chamæpityos, ſpicæ nardi, cinnamomi an.* ℈j. *omnia tenuiſſimè trita excipiantur Tragacanth. aq. roſar. ſolut.* ℥j. *F. maſſa.*

N. Eſula non ſit recens, ſed ſaltem ante menſes octo collecta.

Vires, Valde turbant, ſed ſunt efficaces in corporibus robuſtis.

N. Minus exiccabuntur, ſed & minus efficaces erunt, ſi excipiantur ſyrupo roſarum ſolutivo, non mucilagine Tragacanthi. Doſis à ℈j. ad ℈iß. &c.

Pilulæ de Eupatorio majores Meſuæ, è *Pharm. Auguſt.*

℞. *Myrobalanorum citrinarum, ſuccor. inſpiſſatorum agerati, Abſinthii ana* ʒiij. *rhabarbari* ʒiiiß. *maſtiches* ʒj. *croci* ʒß. *Aloës* ʒv. *ſucci endiviæ quantum ſatis eſt, fiat maſſa.*

Viſcerum obſtructionibus, atque ictero medentur febribus periodicis, complexis & diuturnis, perutiles: lienis & jecoris obſtructiones reſerant; biliosos, tenues ac craſſos humores educunt.

Pilulæ de Euphorbio Meſuæ, è *Pharm. Auguſt.*

℞. *Euphorbii, colocynthidos, Agarici, Bdellii, ſagapeni an.* ʒij. *Aloës* ʒv. *cum ſucco porri fiat maſſa.*

Pituitam craſſam à partibus remotiſſimis potentiſſime educunt: nervorum item reſolutioni, ſiderationi, paralyſi, articulorum malis à nimia humiditate profectis, ac hydropicis conferunt, lumborum quoque doloribus, iſchiadi, & podagræ à frigidis ac pituitoſis humoribus ortæ opitulantur; ſed non niſi robuſtis exhibendæ.

Modus componendi hic eſt: ut euphorbium adcuratè tritum cum Agarico trochiſcato & Trochiſcis Alhandali in pulverem redactis, gummibus vino prius diſſolutis jungatur, cum quibus in mortario tepefacto; piſtillo calido tam diu ſubigatur, donec in maſſam coëant: cui Aloe unà cum ſufficienti quantitate ſucci porri addita permiſceatur, ac probè ſi cuncta ſimul unita pilularis paſtæ formam lege artis adipiſcantur.

Pilulæ de Euphorbio Quercetani, ex *Pharm. Schroder.*

℞. *Euphorb. præparat. (ad modum Quercet. vide lib. 4.)* ℥j. *ſpic. nardi, maſtichei an.* ʒvi. *opoponac. ſagapeni præparat. Bdellii an.* ʒß. *Agaric. Troch. Troch. alhandal. an.* ʒiij *ſyrupi violati aciduli q. ſ. F. maſſa.*

Vires, mirabiles ſunt contra omnis generis febres chronicas, intermittentes atque quartanas, nec non contra omnes cachexias, hydropiſin & colicos dolores. Doſis à ℈j. ad ℈ij.

Pilulæ Fœtidæ majores Meſuæ, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Sagapeni, Ammoniaci, opopanacis, Bdellii, colocynthidos,*

cyathidos, ſeminis rutæ hortenſis ſiccæ, Aloes, Epithymi an. ℥v. *hermodactylorum, eſulæ præparatæ an.* ℥ij. *ſcammonii præp.* ℥i.j. *cinnamomi, ſpicæ indicæ, croci, caſtorei an.* ℥j *Turbith* ℥iij. *Zingiberis* ℥ʒ ß. *Euphorbii* ℈.j *ſucci porri depurati quantum ſatis eſt. F. maſſa.*

Pituitam craſſam, lentam ac tenacem evacuant, ob id affectibus inde natis: Arthritidi, podagræ, gonagræ, ſpinæ quoque ac juncturarum, nec non ventriculi & coli doloribus proſunt, alphos, elephantiaſin, & cutis vitia emendant, menſes movent, ac impurum uteri mucum emungunt. Cum autem ſint admodum valentes, conſiderate eorum uſus ineundus erit, unde in morborum principiis cruda adhuc exſiſtente materia vix unquam, nec niſi robuſtis exhibendæ: purgantium enim vis minimè in iis ſuppreſſa, non modo ſuſpectas, verùm etiam parùm tutas eas reddit.

Nota: lachrymæ, ſeu Gummia in ſucco porri calefacto ſolvantur, quibus deinde Euphorbium per ſe tritum unà cum cæteris addatur, ut lege artis in paſtam pilularum abeant.

Pilulæ Febriles S. Antimoniales Hartmanni, ex *Pharm. Schroder.*

℞ *Vitri Antimonii (juſto tempore ſi fieri poteſt, & diligentiſſimè) præparati, prætereaque cum ſpiritu vitrioli albificati & tenuiſſimè pulveriſat.* ℥ ß. *ſacchar. candi* ℥ ij *Farin. tritic.* ℥ iv *croci electi* ℈j.

Coque cum Aq. commun. l. igne ad conſiſtentiam pultis, cavendum tamen ſtudioſè, ne in fine maſſa aduratur, ſed ferè panis formam habeat. Aſſervantur in integritate ſua quadriennium: poſtea tandem ſcabritiem contrahunt, minus deinde utiles.

Vires. Mirificè febriles mineras, aliaque ſymptomata exhauriunt. Exhibentur ante paroxyſmi inſultum, cum veſtigia horroris gliſcunt.

Doſis à ℈ß. in pueris; ad ℈i. in adultis fortioribus.

Hæ pilulæ ob vim draſticam emeticam, quam vitrum antimonii ſpiritus vitrioli additione non deponit, admodum ſuſpectæ ſunt, inprimis in febribus, in quibus ab Autore ante paroxyſmi inſultum commendantur. Cum Antiquartio Cl. Riverii compoſitæ pilulæ melius voto reſpondent, hujus deſcriptionem infra habebis. *Hofmannus.*

Pilulæ Febriles aliæ ex *eadem Pharmac.*

℞ *Extr. card. bened.* ʒß. *centaur. min.* ℈j. *c. c. uſt. præparat. ſal. abſinthii an.* ℈ß. *cum ſyrupo de card. bened. F. num. xx. Uſus: Exhibeantur ante paroxyſmum expecteturque ſudor.*

Hæ majoris erunt efficaciæ, ſi loco CC. uſti ſal CC. volatile cum ſale abſinth. & cum Extract. Card. bened. & centaur. min. liquid. ſubordinatum in pilulas ſubigeretur, omiſſo ſyrupo Card. bened. *Hofmannus.*

Pilulæ aliæ ad Quartanam Sennerti, ex *eadem Pharmac.*

℞. *Ol. Antimonii ſaccharati* ℥j. *Aloës ſuccotr.* ℥ß. *Ambr. gryſ.* ℈j. *croc.* ʒ iß. (*vel eſſent. croc.* ʒj.) *F. maſſa pilularum.*

Vires. Purgat per inferiora, nonnunquam per ſudorem. Doſis ℈ß. ante paroxyſmum, cum conſerva v. g. roſarum &c.

Aliæ Schefferi, ex *eadem Pharm.*

℞. *Sp. hier. picr. reſin. Jalap. an.* ʒij. *Fecul. Aron. eſſent. rhabarb. lign. colubr. gentian. centaur min. roſar. rub. diagrid. roſat. tartar. vitriolat. an.* ℈j. *ol. citri. g.* vi. *m. F. cum eſſent. Fol. ſen. pilulæ n. xxx pro* ʒj.

In omnibus febribus intermittentibus admodum utiles ſunt, & in ventriculi compreſſionibus, ejuſque cruditatibus à bile & pituita ortis, vermes quoque expellunt. Doſis iij. iv. v. vi. vii.

(Pilulæ Glaſſii Archiatri Gothani, quæ cum angelicis certare putantur, ex Aloë ſuccotrina aq. ſimpl. extracta & depurata, inque MB. vaporoſo coagulata, & ſucco violarum ſæpius nutrita, adjecta inter extrahendum ari non præparati, vel ſcyllæ, particula, & cum Elixir proprietatis, vel eſſent. Abſinth. alkaliſata, conſtant ſec. Hofm. Doſ. 4. 7. 9. ante vel poſt cœnam formatæ inſtar Angel car.)

Celebrantur in ventriculi cruditatibus, affectibus hypochondriacis, & pro præſervatione ab Arthritide.

Pilulæ Francofurtenſes, è *Collectan. Chymic. Leidenſib.*

℞. *Aloës ſuccotrinæ q. p. contunde in pulverem tenuem. Fiatque extractio ex hoc pulvere cum ſucco violarum depurato, lenique evaporatione ad conſiſtentiam extracti redigito. Hoc bis, terve, repete, ultima vero vice fac extractio cum ſpir. vini, quam per deſtillationem ad formam extracti cogito. Formentur ex maſſa hac pilulæ ad libitum* Ex ʒ.i.f. pil. LXXX. Doſ. ſit pil. VIII. X. XII. ad XV. uſque.

Quòd ſi tantum in depuranda Aloë deſumere nolueris, ſequenti modo corrigito.

℞. *Aloës ſuccotrinæ, q. p. conterito in pulverem tenuem, eique affundito aq. pluvialem, & ſimul terito. Aquam, ubi Aloen impregnatam obſervaveris, effundito: hocque continuato, quouſque Aloë tincturam ſuam aquæ communicare ulterius recuſet. Tunc adde Aloë duplum arenæ lotæ, & ſimul fortiter, conterantur ita enim ſucceſſivè tradit Aloë omnem ſuam tincturam, nihilque in fundo remanebit, niſi fæces abiiciendæ. Aquam vero tinctura Aloës impregnatam evaporato ad conſiſtentiam extracti: ita enim obtinebis Aloën verè lotam & correctam blande purgantem abſque ulla moleſtia.*

Hoc extractum, ſi de novo miſcere volueris, cum ſucco violarum vel roſarum, Aloën obtinebis verè violatam, vel roſatam.

Pilulæ de Fumaria Avicennæ, è *Pharm. Auguſt.*

℞. *Myrobal. citrinarum, chebularum, indarum an.* ℥v. *Aloës* ℥vii. *ſcammonii præp.* ℥v. *ſucci fumiterræ quantum ſatis eſt.*

Omnia in pulverem redacta ſucco fumiterræ jam dicto comprehendito, ſiccarique poſtea ſinito: dehinc rurſus trita novo ſucco excipito, rurſuſque ſiccato, & ſic tertium iterato, ac poſtmodum in Maſſam formato.

Pituitam ſalſam, bilioſos itidem, acres ac aduſtos humores, à quibus pruritus & ſcabies oriuntur, ſolvunt & ſanguinem mundificant. Deſcribuntur ab Avicenna lib. 4. Fen. 7. cap. 7. in cura pruritus & ſcabiei.

Pilulæ ad ſiſtendam Gonorrhæam *D. Charras.*

℞. *Rad. biſtortæ, tormentillæ, nymphææ, baccar. hederæ, ſem. lactucæ, rutæ agni caſti, ſuccini, ſanguinis hirci, maſtiches, olibani, lachrymarum ſanguinis drac. nucis moſchatæ, an.* ℥ß. *cum terebinthina veneta fiat maſſa.*

Debent tantum exhiberi hæ pilulæ cùm jam omnis gonorrhææ malignitas victa eſt. Sumuntur mane & veſperi longe à paſtu, earum uſum per plures dies continuando præcipue ſi vaſa valdè debilia facta ſint. Doſ. à ʒß. ad ʒj.

Pilulæ Gummoſæ Cloſſæi, è *Pharm. Schroder.*

℞. *Gumm. ammon. galban. in aceto ſcyllit. liquat & per linteum traject. an.* ʒi j. *aloës in veſica, myrrh. an.* ʒij. *maſtich. croci orient an.* ℈ j *Turbith. Agar. trochiſc. an.* ℈iv. *trochiſc. Alhandal.* ʒj. *ſcammon. præpar. in ſpir. vini*

vini ℥iß. *Balſam. Peruv. tepidi* ℥iij. *m. omnia ſimul, & adde* ☿ *cum* ☉ *præcipit.* ℈j.

F. maſſa pilularum in aluta ol. amygdal. dulc. involvenda; coquenda ſunt lento igne Acet. paulatim evaporato (ſpatula ſemper agitando) materia in maſſam reducatur, Doſis cap. ij. aut iij. inſtar baccarum juniperi hora prima ante cænam & in ingreſſu lecti.

Vires. Dupliciter agunt in morbis quartanariis, hydrope, cachexia, chloroſi, menſtruis provocandis, ictero utroque; primo per vim attenuantem & emoll. materiam præparant cathartīcis expellendam; ſecundo humores liquatos fluxileſque redditos blandè expurgant.

Has pilulas ob compoſitionem & præparationem corrigere nequimus, monentes ſaltem, ut medicus in illorum uſu ſit cautus & circumſpectus, ne viribus ægroti jamdum exhauſtis adhibeat, ſi illis uti efflagitet neceſſitas. Non enim ſine colliquatione humorum operationem perficiunt. *Hofmannus.*

Pilulæ de Gutta Gamandræ, è *Pharm. Londin.*

♃. *Aloës opt.* ℥iiß. *Reſinæ guttæ Gamandræ* ℥iß. *ſcammonii* ℥j. *Gum. Ammoniaci* ℥iß. *tartari vitriolati* ℨß. *cum ſyrupo roſarum ſolutivo. Fiat maſſa pilularis.*

Pilulæ de Hermodactylis majores Meſuæ, è *Pharm. Auguſt.*

♃. *Hermodactylorum, myrobalanorum citrinarum, Aloës, turbith, colocynthidos, Bdellii puri, ſagapeni an.* ℨvi. *caſtorii, ſarcocollæ, Euphorbii, opopanacis, ſem. rutæ ſativæ, Apii an.* ℨiij. *croci* ℨß. *ſucci braſſicæ, ſive caulium quantum ſatis eſt. Formetur maſſa.*

Craſſos, frigidos, & viſcidos humores ex remotiſſimis partibus educunt; quo nomine Arthritidi conveniunt.

Modus confectionis eſt: ut liquores concreti, ſeu Gummia in ſucco calefacto braſſicæ ſive caulium diſſolvantur, atque his per ſeraceum trajectis, euphorbium & caſtorium ſimul, trita jungantur: his deinde addantur reliqua & fiat maſſa.

Hermodactylorum bulbi veri eligendi ſunt, qui reſiccati ad nos feruntur, albidi, non rugoſi, modice duri, qui contuſi in candidum pulverem abeant. Cavendum Colchicum ſtrangulatorium, cujus radices ſeu bulbi ſiccati rugoſi evadunt, & foris intuſque nigricant, vel obſcurè rubeſcunt.

Quidam ſimplicius ſic componunt.

♃. *Hermodactylorum benè purgatorum & pulveriſatorum, dacrydii an.* ℨx. *cumini, caryophyllorum, Zingiberis. coſti an.* ℨv. *Aloës hepaticæ* ℥iij. *fiat maſſa cum aqua fœniculi.*

Pilulæ hæ non minoris ſunt efficaciæ quàm priores, quarum deſcriptionem clariſſimus Vir Dn. D. Georg. Heniſchius, Medicus quondam Auguſtanus, olim diſpenſatorio inſeri curaverat.

Pilulæ de Hiera cum Agarico, è *Pharm. Auguſt.*

♃. *Specierum hieræ picræ Galeni, Agarici trochiſcati an.* ℥ß. *aloës* ℥j. *mellis roſati quantum ſatis eſt, fiat maſſa.*

Stomachicis, aſthmaticis, aliiſque ventriculi & Thoracis vitiis, à craſſis & pituitoſis humoribus ortis ſubveniunt.

Pilulæ de Hiera picra Galeni, ex *eadem Pharm.*

♃. *Specierum hieræ picræ Galeni* ℥ij. *mellis roſati quantum ſatis eſt. Fiat maſſa.*

Ventriculi noxis, ex humoribus plilioſis & pituitoſis natis, proſunt.

Pilulæ de Hiera compoſitæ Nicolai Myrepſi, ex *eadem Pharmac.*

♃. *Cinnamomi, ſpicæ indicæ, croci, ſchœnanti, xylocaſſiæ, xylobalſami, carpobalſami, violarum, rad. Aſari, Abſinthii, Epithymi, Agarici, roſarum, turbith, colocynthidos, maſtiches an.* ℈ij. *Aloës optimæ ad pondus omnium. Fiat maſſa cum ſucco endiviæ.*

Capitis & nervorum vitiis à pituitoſis nervorum natis opem ferunt, ac noxios ventriculi humores, frigidos præſertim & tenaces exturbant.

Pilulæ de Hydrargyro, ex *Renodæo.*

♃. *Hydrargiri in ſucco limonum primum extincti, & poſtea in ſucco ſalviæ nutriti* ℨvi *Aloës optimæ* ℨv. *rhabarbari* ℨiij. *diagridii* ℨj. *agarici* ℨj *ſtoracis calamitæ, cinnamomi, macis, ſantali citrini, ſarſaparillæ, ſaſſafras, moſci an.* ℨß. *mellis in decocto guajaci deſpumati & ad aqueæ humiditatis exolutionem cocti, quant. ſuff. fiat maſſa digitis pauco oleo terebinthinæ delibutis contrectanda: ac ducenda: tum uſui reponenda.*

Commentarius.

Antidotario noſtro quicquam deeſſe nolumus, & medicamenta non ſolùm ex veterum monumentis omnia depromimus, ſed etiam ex neotericorum tabernis nonnulla ratione inventa, & eventu felici probata probamus & admittimus: cujuſmodi ſunt Pilulæ de Hydrargyro, quas recentiores ad recentis morbi expugnationem uſurpant. Æquum enim eſt, novo morbo nova dare remedia, ex ratione inventa, & debita arte parata, cùm inutilia ea eſſe multa eventus indicet, quæ ab antiquis in lucem edita ſunt.

Novum autem morbum Luem veneream eſſe it inficias nullus: antè ſiquidem annum 1493. in Europa nunquam viſa eſt: ſed primum à Chriſtophoro Columbo, ejuſque ſociis, vel ſervis Italis ex India redeuntibus advecta, & Italis communicata mulieribus; quæ cùm in obſidione Neapolitana militibus Gallis copiam ſui feciſſent, ſua ſimul & pudenda, & pudendum morbum communicarunt; quem poſtea ipſi Galli ex exercitu, urbe ſcilicet capta redeuntes aliis mulieribus Italis, quas ſubierant innumeras, dedere. Ad quas poſtea mariti accedentes, ac debitum matrimonii perſolventes, à propriis uxoribus acceperunt, quæ ipſæ à Gallis, ut Galli ab aliis mulieribus Italis, & hæ à commilitonibus Chriſtophori Columbi.

Hinc Itali in Gallos turgidi & irati, ſuum morbum, in victimam, Gallicum vocant: atque ridiculam eorum libri præ ſe ferunt ultionem, cum maritos ignorantiæ, & uxores meretritii notent: illos quod, venereæ luis originem neſcierint: has, quod à Gallis inire cupierint.

Forſan hujus injuriæ in parentes illatæ memor Braſſavolus libellum quendam de ſuo morbo, quem Gallicum vocat, conſcripſit, in quo ejuſdem 234. differentias aſſignavit. Certè ſi eo loci ineptire non viſus eſt bonus vir, credo tot ejus affines aut vicinas, primo Italici morbi adventu à militibus Gallis compreſſas: Atque ut harum nuptiarum ſignum aliquod in æternam memoriam relinqueret, ejuſmodi Hieroglyphica poſteritati reliquit. Sed hæc obiter dicta ſunto, & citra Nationis, quæ Viros percelebres alit, injuriam. Nunc ad propoſitum redeo, & dico, varias eſſe de hydrargyro præparationes. Singuli enim ferè Aromatarii, Chirurgi peculiares habent deſcriptiones, quas velut arcana non revelanda apud ſe ſervant: quarum nonnullæ bis tantum iteratæ ſalivationem movent. Aliæ tantum alvum ſubducunt, quæ frequentius uſurpantur; cujuſmodi ſunt vulgares de Barbaroſſa vocatæ. Omnes tamen ſæpius iteratæ ſputationem creduntur movere, nervos lædere, & ſtrangulatio-

gulationem interdum adferre, propterea non tutus eſt illarum frequens uſus, niſi hydrargyrus optimè præparetur & aliorum medicamentorum admiſtione caſtigetur, ut oleo Terebinthinæ, vel his, quæ in hac noſtra deſcriptione continentur. Cujus parandi modus ex formula ſatis patet. Aliæ verò ſunt hydrargyri præparationes de quibus poſtea.

Pilulæ de hydrargyro, ſeu mercurio panchymagogæ ſunt, ſeu catholicæ & ſimul Alexiteritæ: univerſos ſiquidem humores una purgant, & qualitatem luis Indicæ malignam evincunt, illiuſque veſtigium partibus impreſſum radicitus evellunt.

Pilulæ Hydropicæ Bontii, è *Pharm. Schroder.*

♃. *Aloës opt.* ʒiß. *Gumm. gut. gam. ſubtiliter pulver. & cum malvatico diſſoluti & lævigati* ʒiß. *diagryd. eodem modo parat.* ʒj. *Gumm. Ammoniac.* ʒß. *Tart. vitriolat.* ʒß. *cum ſyrup. roſar. ſolut. Fiat maſſa.*

N. hæ ſunt illæ pilulæ, ex quibus una cum Tartareis, infra deſcriptis, Bontius Principis Auriaci medicus maximam ſibi famam acquiſivit. Educunt aquas potenter Doſ. ℈ß. ad ℈j.

Pilulæ Hydroticæ, è *Pharm. Auguſt.*

♃. *Aloës electæ, Dacrydii, caryophyllorum an.* ℈iiß. *colocynthidis, fol ſenæ, Gummi Arabici an.* ℈j. *gr. v. Euphorbii præparati, nucis moſchatæ an. gr. xv. ſucci cort. mediani ſambuci & abſinthii an. quantum ſatis eſt. Fiat maſſa.*

Hydropicorum aquas, ac tenue ſerum evacuant, earum deſcriptio à clariſſimo Dn. D. Tobia Cneulino collega quondam noſtro communicata fuit,

Pilulæ Hypochondricæ, *Pharm. Noriberg.*

♃. *Gummi Ammoniaci in aceto ſcyllitico* ℥ij. *Aloës ſuccotrinæ* ℥iiß. *myrrhæ, maſtichis, Aſæ dulcis an.* ℥j. *croci, ſalis abſinthii an.* ʒß. *hyperici* ʒj. *cum ſyrupo de Abſinthio. Fiat maſſa.*

Aliæ *Sylvii.*

♃. *Gumm. galb. aceto ſcill. ſolut.* ℈ij. ⊖*-li* ♂ *ad albed. calcin. blando igne maſtich. el. an.* ℈j. *caſtor. opt. myrrh. r. an. gr. xv. croci. or.* ℈ß. *Troch. alband.* ʒj. *reſ. jal. ſcammon. an.* ℈j. *ol. cort. citr. gutt.* vi. *m. fiant pill. numero* 30.

Harum pilularum tres, pluresve ſumat ſubinde æger, cubitum iturus, quo ſic lente vitioſi humores educantur.

Eadem ingredientia addito ſuccino & olibano conſtituunt maſſ. pil. de Galbano Sylvii.

Pilulæ Hyſtericæ *Zwelfferi.*

♃. *Rad. valerianæ, imperatoriæ an.* ℥j. *herb. recent. Artemiſiæ, matricariæ, meliſſæ menthæ criſpæ, roriſmarini, ſalviæ, cort. Arantiorum recent. & extim. an.* ℥iß. *opii per exhalationem ſpiritus narcotici parati* ʒvi. *croci Auſtriaci* ℥j.

Inciſa & contuſa craſſiuſculè, ac cucurbitæ vitreæ immiſſa, extrahantur cum ſ. q. ſpiritus vini, repetitis vicibus affuſi, quouſque ſpiritus non amplius tingatur; ſpiritus tincti omnes in B. M. ad extracti conſiſtentiam abſtrahantur; cui extracto reſiduo ſpiſſo adde,

Olei ſtillat. ſuccini, ſalviæ, roriſmarini, menthæ criſpæ, cort. Arantior. ex recent. cort. ſtill. an. ʒß. *coriandri* ℈ß. *pulv. ſuccini alb. præp.* ʒvi. *rad. valerianæ, doronici veri, cort. Arantiorum ext. recent. ſiccat. myrrhæ rubræ, nuc. moſch. an.* ℥ß. *macis* ʒiß.

Mixtis omnibus fiat maſſa pilularum in affectibus hyſtericis & uterinis, à ℈ß. ad ℈j. porrigenda.

Pilulæ aliæ Hyſtericæ de Ladano Horſtii, è *Pharm. Schrod.*

♃. *Ladan.* ℥ß. *maſtich.* ʒj. *caleſiant in mortario & diſſolutis adde Troch. Alband.* ʒiij. *El. de ſucc. roſar.* ℥ß. *cum ſyrup. roſ. ſol. q. ſ. Fiat maſſa.*

Vires. Subducunt alvum, mucilaginemque tartaream emolliunt & expurgant, uſuſque ſunt inſignis in dolore colico. Doſis à ℈j. ad ʒi. Greg. Horſt. obſ. part. 1. l. 4. obſ. 11.

Aliæ D. *Charras.*

♃. *Fæcularum bryoniæ, myrrhæ electæ, vitrioli martis, ſalis arthemiſiæ, an.* ʒij. *caſtorei electi, rutæ, camphoræ, an.* ℈ij. *extracti mollioris Aloës cum ſucco arthemiſiæ parati* ʒx. *F. S. à maſſa.*

Hæ pilulæ ſunt ſpecificæ, non tantum pro ſupprimendis vaporibus ab utero elevatis, ſedandis agitationibus & ſymptomatibus inde enatis; ſed etiam pro repurgando ab impuritatibus utero & provocandis menſtruis ſuppreſſis; in quem finem debet earum uſus in aliquot dies continuari. Sumuntur mane, jejuno ſtomacho, ſuperbibendo aq. arthemiſiæ ℥iij. aut iiij. & lento paſſu ambulando per horam integram, atque cibum minime aſſumendo ante duas, ab ipſis aſſumtis, elapſas horas. Doſ. ʒß.

Pilulæ Iliacæ Rhaſis, è *Pharm. Schroder.*

♃. *Colocynthidos ſagapen. ad.* ʒvi. *diagryd.* ʒij. *cum ſucco porri F. maſſa.*

N. Alii omiſſo ſucco porri, ſolvunt ſagapenum in vino, eoque reliqua ſuſcipiunt.

Vires. Solvunt paſſionem iliacam ac colicam, cephalalgicis, hemicranicis ſalubres ſunt. Verum cum judicio uſurpandæ; dantur à ℈ß. ad ʒß.

Pilulæ Immanuelis è *Pharm. Auguſt.*

♃. *Aloës ſuccotrinæ* ℥j. *myrrhæ electæ* ℈j. *croci orientalis,* ℈ß. *cum mithridatio Damocr. Fiat maſſa.*

Frequentiſſimi apud nos ſunt uſus in ventriculo & inteſtinis à vitioſis humoribus liberandis, quæ unà confortant, flatuſque diſſipant.

Pilulæ Imperiales incerti Autoris, è *Pharm. Auguſt.*

♃. *Cinnamomi, Amomi, Aniſi, maſtiches, cardamomi minoris, Zingiberis, Zedoariæ, macis, nucis moſchatæ, caryophyllorum, croci, cubebarum, ligni aloës, turbith, mannæ, Agarici, foliorum ſenæ, ſpicæ indicæ, myrobal. omnium an.* ℈j. *rhabarbari* ℥j. *Aloës* ℥ij. *cum ſyrupo roſaceo fiat maſſa.*

Parùm admodum purgant, ſed plurimùm roborant, ventriculum, & omnia viſcera, refrigerata calefaciunt, ſicque facultatis naturalis robur tuentur & augent ac ſanguinem ſpirituſque purificant.

Pilulæ Indæ Haly, ex Meſue, *Pharm. Auguſt.*

♃. *Myrobalanorum indarum. hellebori nigri præparati, polypodii an.* ʒv. *Epithymi, Stœchadis an.* ʒvi. *Agarici, lapidis lazuli, colocynthydos, ſalis indi, aut gemmei an.* ʒiij. *ſucci Eupatorii inſpiſſati, ſpicæ indicæ an.* ʒij. *caryophyllorum* ʒj. *hieræ picræ Galeni* ʒxij. *Fiat maſſa cum ſucco Apii.*

Utiles

Utiles ſunt ad cancrum, elephantiaſim, alphos nigros curatu difficiles, & complura alia vitia ab humore melancholico procreata; unde etiam melancholiam, indeque natum inanem metum, ac mœſtitiam, propulſant, quartanariis, & ictero nigro fœdatis auxilio ſunt, lienis quoque tumorem ac dolorem auferunt.

Pilulæ de Lapide Lazuli Meſuæ, è *Pharm. Auguſt.*

℞. Lapidis lazuli abluti ℨvi. *Epithymi, polypodii an.* ℨviii. *Scammonii præparati, hellebori nigri præparati, ſalis gemmæ an.* ℨiiß. *Agarici* ℨviii, *Caryophyllorum, Aniſi an.* ℨiiij. *ſpecierum hieræ picræ Galeni* ℨxv. *ſucci endiviæ quantum ſatis eſt. Formetur maſſa.*

Vitia ex melancholico & aduſto humore nata, Cancrum nimirum, Elephantiaſim, & quartanam profligant, arquato conferunt, lienis obſtructiones, infarctus, tumoreſque reſolvunt.

Pilulæ Lucis majores, ſeu Opticæ Meſuæ, è *Pharmac. Auguſt.*

℞. Roſarum, violarum, Abſinthii, colocynthidos, turbith, cubebarum, calami Aromatici, nucis moſchatæ, ſpicæ indicæ, epithymi, carpobalſami, Xylobalſami, ſem. ſeſeleos maſſilioti ci, rutæ, aniſi, fœniculi, apii, ſchœnanthi, maſtiches, rad. Aſari, Caryophyllorum, cinnamomi, caſſiæ ligneæ veræ, croci, maris an. ℈j. *myrobal. omnium, rhabarbari an.* ℈ij. *Agarici, ſenæ an.* ℈iß. *Euphraſiæ* ℥j. *Aloës ſuccotrinæ ad pondus omnium, id eſt,* ℥j. ℨvii. *excipe ſucco fœniculi & formetur maſſa.*

Excrementa pituitoſa è cerebro & oculis evacuant: viſum conſervant & firmant, nervos opticos ab obſtructione viſcidi humoris liberant, atque ob id oculorum aciem intendunt.

Pro carpobalſamo cùm alioquin cubebæ ſubſtituantur, hæ autem per ſe compoſitionem hanc ingrediantur opportune hic cardamomum minus accipi, aut cubebarum pondus duplicatum ſumi poterit.

Pilulæ Lunares *Boylei.*

℞. Argentum ab omni cupro capellatum, aliàs vomitus creat, ſolve in puro ſpiritu nitri. Solutionem calore moderato exhalare ſine, donec in criſtallos abeat. Tum in arena calore magis moderato adhibito, fœtor omnis exhaletur, ſed cave ne fundantur criſtalli, hinc calor lenis ſit, & vas ſubinde moveatur.

Hos criſtallos è vaſe exemptos pondera; & tantundem adde criſtallorum nitri puriſſ. hos ſeparatim diſſolve cum aqua pluvia, poſtea confundantur ſolutiones, & in vaſe vitreo in arena exhaletur humidum, ut in fundo maneat pulvis albus. Si enim viridis eſt, tum ſignum eſt lunam ab omni cupro non ſatis eſſe depuratam: cave etiam ne pulvis fundatur: hinc leni calore utendum.

Et cum plerumque contingat ut ⊖. ab omni ſale haud ſit liberum, ac ſic ſpiritus ⊖i. ſimul imprægnatus ſpir. ⊖is. qui argentum præcipitat, hinc antea parum argenti ſpiritui ⊖i. iniicito quod ſpiritum ſalis præcipitat, ac ſibi jungit, & ſpiritus ⊖i. depuratur.

Cum mica panis formantur inde pilulæ magnitud. piſi minor. Quæ ſerventur in vaſe optimè clauſo. Doſis eſt una aut altera, cum pomo toſto, ſunt maximæ efficaciæ adverſus hydropem & alios morbos à ſero nimio exortos & nervos infeſtantes. Si verò fortè acciderit ut ex nimio pilularum uſu, quid leucophlegmatiæ ſimile oriatur, uſus aliquando earum intermittendus, & croco ♂. & extr. juniperi utendum.

Pilulæ Macri, è *Pharmac. Londin.*

℞. Aloës opt. ℥ij. *maſtiches* ℥ß. *fol. majoranæ ſicc.* ℨij. *Salis Abſinthii* ℨj. *pulverata omnia excipiantur ſ.q. ſucci caulium ſaccharatorum ut Fiat maſſa.*

Pilulæ Marocoſtinæ Mindereri, è *Pharmac. Schroder.*

℞. Mari veri croc. orient. an. ℨj. *Agar. trochiſci coſt. veri Indici, myrrhæ elect. an.* ℨiß. *Ammoniac* ℨij. *rhabarb. el.* ℨvi. *ligni Aloës* ℨß. *Aloës ſuccotrin.* ℥iii.

1. Solvatur ammon. in acet. ſcillit.
2. Diluatur myrrha lævigata, in acet. rutac.
3. Diluatur aloë lævigata in ſucco roſar. ℥vi. defæcetur coleturque.

Hinc miſtis his tribus affunde ſucc. limon. aut citri, ℥iiii. addeque Agaricum cum ſuccis Apii, fœnic. & abſinth. in pulticulam ſubactum. Accedente modica irroratione aq. cinamomi, ut & rhabarbarum ſimili modo cum ſuccis cichorii, pimpinellæ ac fumariæ ſubactum.

His ita mixtis terantur crocus, coſtus & lignum aloës, diluanturque cum aq. roſar. fragr. & ſucci citr. ana.

Tandem confunde utrumque & affunde aq. lupul. borrag. betonicæ an. ℥iv. Card. bened. Agrimon. Ju. Arthetic. centaur. min. roriſmarin. ceraſ. nigr. an. ℥iv.

Digerantur in MB. ♂♀. 3. dein decantetur, filtretur & abſtrahatur in MB. poſtmodum inſpiſſetur ad conſiſtentiam pilularum.

Ex fæcibus reſiduis fiat de novo extractio cum extillata illa & abſtracta aq. ſ.a. exprimatur leviter, coletur & inſpiſſetur pro pilulis.

Vires. Mucilaginem tartaream in ventriculo, meſenterio, liene, hepate collectam incidunt, paulatim educunt, viſcera eadem, ut & caput ſimul roborant, adeoque morbis quamplurimis inde ortum trahentibus ſuccurrunt; vide & pilulas tartareas Querc.

Doſis à ℈ß. ad ℈i. Extracti prioris; poſterius enim doſi exhiberi poteſt majori.

Hujus maſſæ pilularis animadverſionem vid. in Cl. *Zvvelferi* animadverſ. ad p. A. p. m. 137. & hujus animadverſionis examen in Pharmacop. Auguſtana reſtituta Dn. D. Lucæ Schreckii claſſ. 7. p. 130. Verùm quicquid contra Cl. *Zvvelferi* animadverſiones modo laudatus Schrœckius excipiat inconcuſſa tamen illius cenſura, nam ſi primo aquas illas deſtillatas examinamus compoſitioni huic adſignatas, planè nil quà corrigendo, quà extrahendo præſtant, quam aqua aliqua ſimplex; ſi ſpirituoſi quid habent, in extracti inſpiſſatione penitus exhalat, licet Dominus Schrœckius, contradicat & neget omne ſpirituoſum in illis contentum evaporare, cum pars aliqua extracto conjuncta remaneat, tamen ſenſibus hoc repugnat, ut ipſe fateri cogatur, magni momenti haud eſſe. Deinde negat Schrœckius aquas deſtillatas in hoc extracto recenſitas ad rerum reſinoſarum extractiones ſimpliciter inhabiles eſſe, ſcilicet, ſi res illæ reſinoſæ, præter reſinam, alias etiam aqueas partes contineant, ubi has tantum ab aquis deſtillatis extracti, non vero illas concedit. Jam dicit, enumeratæ in extracto iſto ſpecies reſinoſæ alias etiam virtute inſigni prædictas partes habent quas aquæ deſtillatæ promptè reſolvunt, & in ſe recipiunt.

Et probat ex ipſo Zvvelfero, ipſum etiam reſinoſarum rerum extractionem cum aqua aliquoties molitum fuiſſe, exemplo Agarici, mechoacannæ albæ, turbethi &c. Verum res reſinoſæ quatenus reſinoſæ in ſe nullas habent aqueas partes, ſed juxta ſe habere poſſunt; ſed tranſeant hæc. Jam videamus quænam partes maximè ad hoc extractum neceſſariæ appetantur, utrum reſinoſæ, an aqueæ? certe reſinoſæ (exceptis illis quæ ex Aloë, rhabarbaro &c. extrahuntur.) Gummi ammoniacum, myrrha, Agaricus, lignum Aloës &c. in totum reſinoſa ſunt, quid igitur aquei ex illis aquæ deſtillatæ extrahent virtute ſingulari præditi per ſimplicem infuſionem in loco calente? deinde Zvvelferum ipſum quod attinet, evolvantur quæſo paginæ citatæ & videbimus allegata cathartica non infundi, ſed coqui in aqua ſimplici quouſque omnes virtutes extractæ ſint; quis jam eſt, qui ignoret differentiam inter infuſionem & coctionem; deinde gummi ammoniacum & myrrha, licet aceto nonnihil diluantur, ab adfuſis tamen aquis deſtillatis iterum præcipitantur, & nihil ab illis diſſolvitur, quod per chartam bibulam tranſeat. Ad hoc excipit Schrœkius, ſit ita, quod myrrha & ammoniacum aceto diluta per aquas præcipitentur, at propterea non deſtruuntur quia ſaltem pars reſinoſa præcipitatur; aquea autem, quæ non omnis expers eſt virtutis, ab aquis deſtillatis ſolvetur & per chartam emporeticam tranſibit; verùm aquea pars probanda adhuc eſt, & ſi adeſt, manet quæſtio an talis ſit virtutis, quæ pro his pilulis marocoſtinis expetitur? de aloë ſuccotrina res certa, illam partem ſuam aqueã communicare ſucco roſarum cum ſucco limonum diluto & ſibi invicem permixto abſque ulla præcipitatione, relicta parte reſinoſa in fundo, quæ in his pilulis non eſt neceſſaria. Tertio Agaricus trochiſcatus ut reſinoſus, lignum Aloës, & coſtus verus ſuccis herbarum & aquis deſtillatis perfecte extrahi nequit. Et quamvis aliqua ſimplicium iſtorum pars extrahatur, tamen ab hac dictæ pilulæ ſuas non mutuantur vires. Unde ipſe Mindererus probè ſcivit, in illa prima extractione non omnes ingredientium partes diſſolvi aut extrahi. Hinc aquam à primo extracto abſtractam relictis fæcibus affundere, & quod in ipſis ſupereſt, levi per linteum expreſſione facta, per quam major reſinoſarum partium pars ſimul exprimitur, ſeparare jubet. Quod, ne ipſius, jactura fiat, vel cum priori extracto conjungi poteſt. *Hofmannus.*

Pilulæ Martiales ad imitationem Williſii, è *Lex. Pharm. Domini Juncken.*

℞. Limatur. ♂ pur. ♀ crudi ſubtil. pulv. an. ℥iiij. coque in ▽ font. ℔iiij. ad dimidias, tunc colatura infunde herb. Card. bened. Abſinth. Chamædr. Fl. cent. min. an. m. j. Rhabarb. el. ℥j. curcum. cinam. an. ʒiij. calam. arom. ʒvi. croci ʒj. coque leniter per horas VI, *tunc fiat colatura quæ evaporetur ad conſiſtentiam, unde fiant pilulæ.*

Vires Sunt ſatis Conſiderabiles in obſtructionibus hypochondriorum, hepatis, menſium, ictero &c. Doſis ℈j. ad ʒß.

Pilulæ Maſtichinæ Conciliatoris, ſive Petri Aponenſ. è *Pharm. Auguſt.*

℞. Maſtiches ʒiiij. Agarici optimi ʒiij. Aloës electæ ʒx. cum ſufficenti quantitate mellis roſati lege artis formetur maſſa.

Ventriculum ab omni morbo frigido & humido præſervant ejuſque dolorem à frigida cauſa ortum tollunt, cerebrum quoque oculos, & reliqua viſcera à noxiis ſuccis ſana præſtant, præcipuè verò uterum à putridis humoribus liberant & tuentur nec non alvum moderatè ſubducunt.

Pilulæ Matricales Schefferi, è *Pharm. Schroder.*

℞. Spec. hier. picr. ℥ß. extr. Aſar. gentian. Ariſtoloch. Helen. myrrh. d. Lamn. alb. rub. tinct. croc. an. ʒß. m. F. pil. cum ſyr. Artemiſ. inſtar piſorum.

Menſes cient & puerperia promovent, uterum ab impuritatibus liberant.

Cùm præter ſpecies hieræ picræ hæ pilulæ maximam partem compoſitæ ſint ex extractis omni ferè virtute balſamica orbatis, minus etiam adductis viribus reſpondebunt, melioribus præſertim hodie ſuccenturiatis, carere hiſce poſſumus. *Hofmannus.*

Pilulæ de Mechoacanna *Renodæi.*

℞. Mechoacannæ ℥ß. turbeth. ʒiij. foliorum thymelea aceto maceratorum atque ſiccatorum, ſeminis ebuli, agarici trochiſchati an. ʒij. radic. eſulæ præparatæ, maſtiches an. ʒß. macis, cinnamomi, ſalis gemmei an. ℈ij.

Fiat omnium pulvis, qui cum vino albo ſubigatur in maſſam ea ſiccata teratur, & cum ſucco ireo cæleſtis denuo coagmentetur. Arida rurſus teratur, & cum ſyrupo roſarum pallidarum fiat paſta, uſui reponenda.

Commentarius.

Ex ſingulis Antidot. (vulgus diſpenſaria vocat) tanquam ex horto fæcundiſſimo remediorum omne genus, ad morbos quoſvis delendos practici medici quæritant: maxima tamen illorum pars medicamenta ſunt nulla arte & ratione deſcripta. Quæ paucis morbis conveniunt; & ſæpe decem medicamenta iiſdem viribus prædita, & diverſis nominibus deſignata traduntur. Nos vero pro morborum & humorum diverſitate diverſa medicamenta damus, non modo ex diſpenſariis vulgaribus, ſed ex probatiſſimorum virorum lectione deſumpta: præter quæ & alia exhibemus nonnulla, quæ & optima compoſitionis ratio, experientia & fælix eventus ſalutaria eſſe confirmarunt, cujuſmodi ſunt pilulæ deſcriptæ ad hydropem, quæ à mechoacanæ illarum baſi cognominantur. Hæc enim ſingulis aliis ſimplicibus præpollet, & efficaciter aquas per ſeceſſum educit. Huic addita ſunt alia quinque hydragoga, quæ ſimul unita cum aliquot cardiacis, atque etiam ſtomachicis, ſine ventriculi læſione potenter ſeroſos, & aqueos humores non modo ex alvo ſed toto corpore ducunt. Semen kervæ, ſeu ricini, nec ſoldanellæ non libuit permiſcere, cum illa ſufficiant, nec parandi modum ſubjungere, cùm hic ſit perfacilis.

Pilulæ de mechoacana quod aqueos & ſeroſos humores efficaciter educant, hydropi & omnibus his affectibus ſanandis conveniunt, qui à pituita tenui originem ſortiuntur.

Pilulæ ad Memoriam, è *Pharm. Schroder.*

℞. Aloës ℥j. croci, myrrhæ, an. ʒj. rhabarbari ʒij. agarici ʒj. Zedoariæ, gentianæ an. ℈j. Theriacæ opt. quant. nuc. jugland. ʒß. fiant pilulæ magnitudine Francofurtenſium, quarum VII. *aut* IX. *plures pauciores deglutiendæ.* Extractum quoque ex iiſdem ſive Elixir cum ſpir. vini præparari poteſt ad gutt. VII. vel plures exhibendum.

Pilulæ Mercuriales d. *Charraz.*

℞. Rhabarbari electi, trochiſcor. Alband. diagridii, Mercurii, ſublimati dulcis an. ℥j. Terebinthinæ Venetæ, oleo proprio ſtillatitio diluta q. ſ. F. ex a. maſſa.

Hæ

Hæ pilulæ præcipuè deſtinantur curæ morborum venereorum : humores virulentos omnium corporis partium attrahunt & per ſedem eiiciunt; aliquando tamen ſalivationem in delicatulis excitant; itaque medici prudentia hic neceſſaria ut earum effectus vel retardet vel promoveat pro exigentia morbi naturæ inclinatione, & ægri temperamento. Doſ. à ℈j. ad ℈ij. & ʒj. pro validioribus. Sumuntur manè jejuno ſtomacho.

Pilulæ Meſentericæ Domini d'Acquin, ex *D. Charras.*

℞. Extracti aloës cum ſucco fumariæ parati, gummi ammoniaci electi an. ℥j. croci martis aperientis, diacrydii an. ℥ß. myrrhæ electæ, croci ſalis tamariſci an. ʒij. ſalis martis Riverii ℈ii. cum ſufficienti quant. ſyrupi de cichorio cum rheo. F. maſſa ad uſum.

Hæ pilulæ potenter deobſtruunt meſenterium ut & viſcera omnia, alia; materias tartareas fundunt, eaſque benignè eiiciunt, corroborando interim partes nutritivas; unde fæliciter adhiberi poſſunt in cachexiis, hydrope, febribus intermittentibus chronicis, virginum chloroſi, menſtruorum ſuppreſſione. Doſ. à ℈j. ad ʒj.

Pilulæ de Mezereo Meſuæ, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Foliorum mezerei in aceto per noctem maceratorum & ſiccatorum ʒv. myrobal. citrinarum, chebularum an. ʒiij. cum manna, & pulpa tamarindorum, aquâ endiviæ diſſolutis formetur maſſa.

Seroſum excrementum, ſeu aquas valenter expurgant, ob id hydropem aſcitem, & anaſarcam juvant.

Pilulæ de 5 generibus Myrobalanorum, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Quinque generum myrobalanorum, agarici, diacrydii, colocynthidos, ſenæ an. ʒiiß. Epithymi, turbith, aniſi, fœniculi, maſtiches, lapidis lazuli an. ʒj. gr. xi. rhabarbari ℈iij. aloës ʒiiij; cum ſucco fœniculi formetur maſſa.

Pituitam, & bilem utramque evacuant, podagricos, ſplenicos, ſtomachicos, & melancholicos juvant: cerebrum purgant, viſionem acuunt, ſanguinemque purificant.

Pilulæ Narcoticæ Plateri, ex *Pharm. Schroder.*

℞. Opii puriſſ ℥j. infunde in aqua vitæ ℥ß. diſſolv. lento calore, eodemque exicca. Deinde alia affuſa Aq. vitæ molleſcat, additis ol. cinam. gr. ij.

Poſtea.

℞. Cinam. ſacchar. cand. ℥j. piper. ʒj. ſem. coriandri ℈ij. croci ʒß. ſubtiliſſimè pulveriſatis adde opium diſſolutum ſenſim opio pulveres miſcendo. Poſtea cum ſyr. de papav. rediganiur in maſſam pilularem addendo moſchi ℈ß.

Maſſa hæc diu in mortario agitetur, & ne exiccetur, ol. de Been parum ſubigatur. Servetur in loco humido.

Vires. Dolores ſopiunt, ſomnum conciliant. Doſ. gr. 5. 6. Sennert. in inſtit.

In his non opus eſt piperis additione, ut opii corrigentis, (quia opium non eſt frigidum) nec ſaccharo indigemus; ſed ſufficiunt opium cum ſucco cydoniorum per fermentationem correctum, extract. croci cum ol. d. cinamom. coriandri gutt. aliquot & moſch. gr. aliquot pro pilulis formandis. *Hofmannus.*

Pilulæ de Nitro, Alexandro Tralliano diacolocynthidis dictæ, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Aloës, colocynthidos, ſcammonii præparat, bdellii, hellebori nigri præparati, gummi arabici an. ʒij. Euphorbii præparati, nitri an. ʒj. cum ſucco braſſicæ & melle roſato ſolut. F. maſſa.

Pilulæ hæ (quas Alexander Trallianus ſub nomine pilular. diacolocynthydos lib. 1. cap. 12. de hemicrania deſcribit) efficaces ſunt ad craſſos, frigidos, lentos, & glutinoſos humores è remotioribus partibus educendos: frigidis nervorum affectibus ſuccurrunt, quo nomine cerebri & capitis pertinacibus affectionibus, articulorum morbis, comitiali ac reſolutioni conveniunt; eas Manardus lib. 13. Epiſtola 6. in Epilepſia mirificè commendat; ſtomachicis porro & iſchiadicis auxiliantur, Hieræ vires æquant, vertiginoſos juvant, pituitæ lentorem diſſipant, utramque bilem deturbant, unde earum uſus in humoribus aduſtis, & morbo gallico qui non niſi vitioſorum ſuccorum vehementi purgationi cedit. Vide Fæſii Pharmacopæam fol. 240.

Pilulæ de octo rebus, ſeu octomeræ Nicolai Præpoſiti, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Aloës, diacrydii an. ʒij. Epithymi, colocynthydes, Agarici, maſtiches, dauci cretici, myrobalanorum chebularum, abſinthii an. ʒj. cum ſucco ſolani formetur maſſa.

Craſſos humores à capite purgant, viſum acuunt, & ſuffuſiones oculorum arcent.

Aloë in formandis pilulis numerum non tenent, ut neque mel neque ſaccharum in electuariis; alias ex novem hæ conſtarent rebus, prout Fœſius & Fuchſius notarunt.

Pilulæ Odontalgicæ *Zwelferi.*

℞. Opii Thebaici per exhalationem lenem ſulphuris narcotici parati ʒij. ſolvatur in ſpiritus n. veneris ʒvi. & per cribrum ſaltem ſetaceum cogatur, cui adde.

Pul. rad. pyrethri, mandragoræ an. ʒiß ſem. hyoſciami, ſtaph ſagriæ, urticæ minoris, coriandri an. ℥ß. caryoph. ʒj. reſinæ Abjetis ʒiij. gummi animæ ʒij. camphoræ ʒj.

Miſceantur. Fiatque maſſa, ex qua poſtea formentur pilulæ oblongæ, alterutra ſui parte in acumen nonnihil deſinentes, cavernis dentium imponendæ.

Pilulæ de Opopanace Meſuæ, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Opopanacis, hermodactylorum, ſagapeni, Bdellii puri, Ammoniaci, colocynthidos an. ʒv. croci, caſtorii, myrrhæ, Zingiberis, piperis nigri, longi, caſſiæ ligneæ, myrobal. citrinarum, emblicarum, Belliricarum an. ʒj. ſcammonii præparati ʒii. turbith ʒiij. Aloës ʒxii. ſolve lachrymas in aqua caulium, poſtea addendo pulverem reliquorum, forma in maſſam.

Pituitam craſſam, bilem, & melancholicam à cerebro nervoſiſque partibus evacuant; efficaces ſunt in doloribus Articulorum à pituita productis: reſolutionem nervorum & incontinentiam, ſpaſmum cynicum, gonagram, podagram articulorum dolores, morbosque partium nervoſarum frigidos levant.

Pilulæ Panchymagogæ *Zwelferi.*

℞. Agarici albiſſimi, rhabarbari ſelecti an. ℥iß rad. hellebori nigri ℥j. Aſari ℥j. mechoacæ albæ, hermod. an. ℥ß. fol. ſenæ el. ſine ſtipit. ʒiij. pulpæ colocynthid ℥j. ſem. ebuli ℥ß.

Inciſa & contuſa coquantur in aq. ſimplicis ſ. q. ad totalem dictarum rerum virtutum extractionem, ter quaterque aquam recentem affundendo; decoctiones colatæ & expreſſæ album ovorum clarificentur, & ad ℔ ij. circiter evaporent, cui adde, & in eo reſiduo diſſolve Aloës hepaticæ ℔j. facta colatura per cribrum ſetaceum reducantur leni calore cinerum ad extracti ſpiſſioris conſiſtentiam, in fine ſuperaddendo magiſterii Gialappæ, ſcammoneæ ana, Amygdal. dulcibus probè ſubactor. ℥ß. pulv. maſtiches electæ ʒvi. ol. nuc. moſch. expr. ʒiß.

Fiat maſſa pilularum, è qua pilulæ paratæ omnes humores purgant; vertigini, Hemicraniæ, ac capitis dolori ſuccurrunt; pro univerſali igitur carthartico meritò habendæ, Doſ. ℈ß. ℈j. ad ʒß.

Pilulæ Panchymagogæ Quercetani, è *Pharmac. Auguſt.*

℞. *Aloës optimè præparat.* (*modo Quercetan. vide lib. 4.*) ℔ß. *affunde ſuccum violarum optimè per digeſtionem depuratum, atque ad mellis conſiſtentiam inſpiſſatum, expone calori ſolis vel ſimili, ſingulis diebus rudicula lignea agitando, ſic exactè paucis diebus commiſcebuntur mixtioni ſuo tempore* (*prout habere recenter poteris.*) *adde ſuccorum* (*optimè per digeſtionem depuratorum & ad mellis conſiſtentiam inſpiſſatorum.*) *ſic*

Fiorum primulæ veris. perſicæ arboris, roſar. pallidar. cichorii, bugloſſi, Hyperici an. ℥iiij. *his cum aloë perfectè mixtis,* (*erit maſſa* ℔ij.) *adde extract. ſennæ, Agarici, rhabarb. an.* ℥ij *cinamomi, pulv. fænic. Aniſi an.* ʒj. *ſpec. diatr. ſantali* ℈iiij. *fiat maſſa.*

Pilulæ Papales.

Pilulæ Papales Italis dictæ, conveniunt cum Imperialibus: uſurpantur à cœna vel ante, numero 3. 4. 5. 6. 7. 8. ad x. & ultra quotidie vel alternis diebus, continuando dies aliquot ſummam doſin, hinc quotidie deſcendendo formantur pondere granorum 2. paulove majores.

Pilulæ Peſtilentiales Avicennæ ſeu communes ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Aloës electæ* ℥j. *myrrhæ, croci, an.* ℥ß. *confice cum vino claro odorifero.*

Adverſus peſtiferæ luis contagia populariter graſſantia miræ ſunt efficaciæ: internas putredines fugant, & humores ventriculo infarctos extergunt, eorundemque corruptionem prohibent.

Aliæ Rufi, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Aloës, Ammoniaci an.* ℥j. *myrrhæ* ℥ß. *cum ſucco limonum fiat maſſa.*

Medicamentum hoc, cujus antiquiſſimus ac famoſus Medicus Ruffus inventor exſtitit, petitum eſt ex Paulo Æginata lib. 2. cap. 36. fuiſſe tamen id Ruffi temporibus potionis forma propinatum conſtat, quod componebatur ex aloës & ammoniaci ana, partibus duabus, & myrrhæ parte una, omnibus in ſufficienti quantitate vini albi odoriferi diſſolutis; verùm quia amara nimis hæc erat potio, ideò ut facilius medicamentum hoc aſſumeretur, poſteritas id in pilularum formam, non minorem effectum habituram, effinxit.

Sunt qui rhabarbarum, Agaricum, bolum, Terram Lemniam, & Theriacam addant, ideoque valentiores putant ſed componendorum pharmacorum modus eſt infinitus.

Aliæ Plateri, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Aloës* ℥iij. *rhabarbari* ʒiß. *Agarici trochiſcati* ʒj. *myrrhæ electæ, gummi ammoniaci in aceto diſſoluti an.* ʒii. *croci* ʒß. *Camphoræ* ℈i. *olei Zeodariæ guttas tres. Cum ſyrupo ſcordii fiat maſſa.*

Ejuſdem cum ſuperioribus ſunt efficaciæ, & tempore graſſantis peſtis feliciſſimè uſurpantur.

Aliæ compoſitæ, è *Pharm. Schroder.*

℞. *Aloës hepatic. puriſſ.* ℥j. *croci, myrrh. an.* ʒj. *Zedoar. gentian. an.* ℈j. *rhabarb. el.* ʒii. *Agaric. alb.* ʒj. *Theriaca Andr. nucis jugland. quantit. ſpecies pulveriſentur ſeorſim, dein miſc. in mortario. Ex maſſa F. pilulæ inſtar piſorum.*

Vires. Memoriam roborant, viſum acuunt, omnia membra confortant, tormina ventris ſedant, alvum laxant, cruditates tollunt, putredinem, peſtilentialeſque morbos arcent, quin & ſudorem cient, adeoque panaceæ inſtar nonnullis habentur.

Prophylaxeos cauſa ſumitur pil. n. i. ſingulis diebus: curationis vero VIII. vel x. cum aq. ægerque bene tectus ſudet.

N. ſunt qui pilulas Jeſu vocant, ſecretaſque ſic habent.

Hofman. Peſtilentiales compoſitæ) hæ omiſſis licet rhabarb. & agaric. tamen viribus ſuis adſignatis gaudebunt, & laudem retinebunt. Sunt, qui pilulas Jeſu vocant, & pro arcano reſervant. Vocantur etiam pilulæ Emanuelis, ſi juxta noſtras animadverſiones compoſitæ ſint.

Aliæ *Diemerbroeckii.*

℞. *Rad. petaſitidis, carlinæ, dictamni, angelicæ, helenii an.* ℥ß. *gentianæ* ʒiß. *rhabarb. opt.* ℥iß. *agarici albiſſ.* ℥ß. *herbar. ſcordii, centaurii minor. rutæ an.* ℥ß. *cardui bened.* ʒvi. *flor. Stæchados* ʒiß. *ſem. citri, aurantior. Zedoariæ an.* ʒj. *ex his omnibus fiat pulvis groſſus qui maceretur per biduum vel triduum in vini albi* ℔iiß. *vel iii. deinde coquatur per horæ quadrantem, fiatque colatura cum forti expreſſione in torculari, quæ colatura coleiur rurſus per chartam emporeticam ſeu bibulam rariorem, in hac colatura tunc diſſolve, aloës opt.* ℥iiiß. *myrrhæ claræ in guttis* ℥iiiß. *in ſcutella porcelana fiat evaporatio humiditatis, uſque dum maſſa pilularis fieri poſſit, è qua formentur pilulæ, quæ tempore peſtis utiliſſimæ compertæ. Duæ tres, quatuorve piſi magnitudine ſemel aut bis in ſeptimana, vel alternis diebus, mane vel veſperi deglutiendæ exhibentur.*

Pilulæ Polychreſtæ, ex *Pharm. Schroder.*

℞. *Extract. aloës cum cichor. præpar.* ℈iv. *colocynth. per aq. fumar. parat. Reſin. ſcammon. ſubtil. pulveriſat. an.* ℈ii. *croci Ang. pulver. ſalis Tartar. myrrh. troglod. flor. ſulph. benzoinat. an.* ℈j. *Fiat maſſa ſ. a.*

Doſis ℈j. jejuno ſtomacho mane ſumenda, aut tribus poſt cænam horis. Omnis generis humores purgant.

Pilulæ de Rhabarbaro Meſuæ, ex *Pharmac. Auguſt.*

℞. *Rhabarbari* ʒiii. *ſucci glycyrrhizæ, Abſinthii, maſtiches an.* ʒj. *myrobalanorum citrinorum* ʒiiiß *ſem. Apii, fæniculi an.* ʒß. *trochiſc. Diarrhodon Rhaſis* ʒiiiß. *ſpecierum hiera picra* ℥x. *ſucci fæniculi & mellis una quantum ſatis eſt. Fiat maſſa.*

Humores educunt craſſos, lentos, multum putres, & indè ortas febres diuturnas, ac ex aliis humoribus natas tollunt: jecoris item dolorem, obſtru-

ctionem, duritiem, ac hydropem incipientem ſanant. Manardus iis utebatur in tertianarum exitu; Muſa in febribus pituitoſis. Vide Foëſium.

Pilulæ Rudii è *Pharmac. Londin.*

℞. *Colocynthidos* ʒvi. *Agarici*, *ſcammonii*, *rad. Ellebori nigri*, *turpeti an* ℥ſs. *aloës ſuccotrinæ* ℥j. *cinnamomi, macis, caryophyllorum an.* ℈ii.

Colocynthis à ſeminibus purgata minutim inciditur; agaricus radula comminuatur; Elleborus, turpetum & aromata craſſiuſculè terantur: affuſoque ſpir. vini opt. q. ſ. ut digitis ſex ſupereemineat, blando calore quatriduum integrum macerentur, tum facta colatura & expreſſione valida, ſolvantur in eadem ſcammonium & aloë, priùs ritè mundata. Mox indatur liquor, Alembico vitreo, ut ſeparata (per deſtillationem) humiditate remaneat materia denſa, inſtar mellis; ex qua F. maſſa.

Pilulæ de Sagapeno Meſuæ, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Sagapeni*, *ammoniaci*, *opopanacis*, *bdellii an.* ʒiiſs. *ſem. Apii*, *ammeos*; *Aniſi*, *rutæ agreſtis an.* ʒj. *calami aromatici*, *lepidii*, *calaminthæ*, *folii*, *vel ejus loco ſpicæ indicæ*, *centaurii minoris*, *polii*, *coſtis*, *ſalis gemmæ an.* ʒs. *colocynthidos* ʒv. *aloës* ʒvi. *excipiantur ſucco porri*, *marrubii aut matricariæ. F. maſſa.*

Ad podagram, iſchiadem, & reliquorum articulorum quin imo & uteri dolorem faciunt, menſes evocant, viſcera emolliunt, eorundemque obſtructiones reſerant, ac inveteratas ſplenis oppilationes tollunt.

Pilulæ de Sagapeno Quercetani, è *Pharmac. Schroder.*

℞. *Sagapeni. gummoſ. depurat.* ʒvi. *Ammoniac. depurat.* ʒiij. *Extract. trochiſc. Alhand.* ʒj. *Diagryd.* ℥ſs. *ſalis gemm.* ʒiſs. *cum ſyrupo violato acidulo & tincto*, *F. maſſa*, *ex qua conficiantur pilulæ in piſi vel ciceris formam.*

Vires. Admirandi ſunt effectus in febribus quartanis, diſſolvunt nimirum fæces gummoſas, & tenaciter corpori noſtro adhærentes.

Doſis, unica pilula initio paroxyſmi, continuando aliquot dies. Sed uſum earum præcedat præparatio, v. g. cum decoctis præparantibus melanagogis & ſimilibus.

Pilulæ de Sarcocolla Meſuæ, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Sarcocollæ* ʒiij. *turbith* ʒiiij. *colocynthidos*, *Zingiberis an.* ʒiſs. *ſalis gemmæ* ʒj. *ſyrup. roſarum ſimplicis quantum ſatis F. maſſa.*

Pituitam lentam evacuant, atque ob id pituitoſis affectibus conducunt.

Pilulæ Sine quibus eſſe nolo Nicolai, è *Pharm. Auguſt.*

℞. *Aloës lotæ* ℥xiiii. *quinque generum myrobalanorum rhabarbari, maſtiches abſinthii, roſarum, violarum, ſenæ agarici, cuſcutæ an.* ʒj. *Dacrydii* ʒviſs. *ſucci fæniculi quantum ſatis pro maſſa ex arte paranda.*

Efficaciſſimæ ſunt hæ pilulæ ad purgandos omnes humores, partium ſuperiorum, quo nomine ſuffuſionibus oculorum, caliginibus ac viſioni conferunt, aurium dolorem ſanant, caputque à pituita, bile flava & atra purgant, iliacos denique juvant.

Pilulæ Spadanenſes deſcriptionis Dni de Maets, in *Collect. Chymic. Leydens.*

℞. *Mart. cum ſulphure præparati part. ii. Gum. Ammoniac. ſcammon. ſulphurat. an. part. i. fiant, ut artis eſt, cum ſyrupo roſarum ſolutivo, vel ſyrupo roſarum cum rheo, pilulæ Doſis à gr. vi. ad x. vel xii. pro ratione patientis.*

Suaviter purgant humores: obſtructiones tollunt: & ſpecifice exhibentur in morbis chronicis.

Pilulæ Splenericæ *Zvvelferi.*

℞. *Succorum cichorii ſylveſtr. endiviæ*, *cochleariæ naſturtii*, *abſinthii ana depurat.* ℥vi. *decocti ex recenti ſcolopendrio* ℥viii. *in his macerentur per biduum, agarici trochiſcati, rhabarb. ſelecti*, *rhapontb. veri an.* ℥ſs. *rad. helleb. nigri*, ℥iij.

Facta poſt una atque altera ebullitione, fiat colatura cum expreſſione, in colato hoc liquore diſſolve *Aloës ſuccotrinæ* ℥viii. qua ſoluta & per cribrum ſetaceum colata, leni calore cinerum, aquoſitates ad conſiſtentiam ſpiſſioris extracti evaporent, addendo tamen *pulv. gummi ammoniaci in modico vino ad pultis formam ſoluti* ℥j. *guttæ gammandr* ʒß. *myrrhæ tranſlucid.* ʒvi. *vitrioli martis ritè parati cum ſpiritu vitrioli* ʒß. *miſceantur, fiat leni calore maſſa pilularum debita conſiſtentiæ, quæ olei ſtillat. Aniſi* ʒiß. *aromatiſanda.*

Præſtans in morbis hypochondriacis, ſpleniticis, obſtructionibus, meſenterii ac pancreatis remedium exiſtit, & ſuppreſſa menſtrua ſolvit. Doſis ℈j. ad ʒß. in forma pilularum.

Pilulæ Stomachicæ Alkindi, è *Pharm. Auguſt.*

℞. *Myrobal. citrinar. indar. chebular. an.* ʒiij. *roſarum, maſtiches an* ʒij. *cardamomi*, *ligni Aloës*, *ſandali citrini, cubebarum*, *ſchænanthi, nucis moſch. an.* ʒj. *rhabarb.* ʒß. *Turbith* ʒvii. *Aloës ad pondus omnium. Fiat maſſa cum ſyrupo de abſinthio.*

Bilioſos ac pituitoſos humores, eos præſertim qui caput, jecur, & ventriculum firmant; coctionem juvant, & adpetentiam excitant.

Pilulæ Stomachicæ cum Gummi, è *Pharm. Londin.*

℞. *Aloës puriſſ.* ℥j. *fol. ſennæ mundat.* ʒv. *gummi ammoniaci in aceto ſambucino liquati*, ʒß. *maſtiches*, *myrrhæ an.* ʒiß. *croci*, *ſalis Abſinthii*, *an.* ʒß. *cum ſyrupo de ſpina cervina, fiat maſſa ſ. a.*

Pilulæ Stomachicæ Balſamicæ *Zvvelfferi.*

℞. *Pulv. ſuccin. alb præp.* ʒj. *olibani*, *maſtich. myrrhæ gummi animæ, ligni aloës pond. nucis moſch. an.* ℈ij. *croci Auſtr* ʒß. *rad doronici veri* ʒß. *reſinæ ſtoracis calamitæ* ʒj. *Balſami indici de Peru, olei nuc. moſch expreſſi an.* ℈ij. *opobalſami veri orient. q. ſ. pro maſſa juſtæ conſiſtentiæ efformanda, addendo ultimo ol. ſtillat. cinamomi* ℈j. *fiat maſſa.*

Eſt ſaluberrimum medicamentum confortativum cerebri atque ventriculi: in diarrhæa, lienteria, fluxu hepatico; gonorrhæa virulenta, fluore albo mulie-bri, colica paſſione, & nephritico dolore, emolumento eſt. Doſis, 5. vel 6. pilulæ juſtæ magnitudinis, ad inſtar piſorum ante vel poſt cænam ſumendæ.

Pilulæ de Styrace, è *Pharm. Auguſt.*

℞. *Styracis calamit.* ʒij. *ladani, olibani, myrrhæ ana* ʒj. *ſucci glycyrrhizæ* ʒß. *Ambræ griſeæ* ℈j. *Extracti opii, cum aceto deſtill. parati* ʒj. *croci cum ſpiritu vini facti* ℈iiij. *miſceantur cum ſyrupi de corticibus citri incompl.* ʒij. *& fiat maſſa.*

Siſtunt pertinaciſſimam tuſſim & catharrum ferinum prægnantibus non ſine abortus diſcrimine tuſſientibus multoties cum ſucceſſu datas fuiſſe, notat Schroderus.

De Styrace aliæ *Sylvii.*

℞. *Styrac. calam ſucci liquirit. depurat. & inſpiſſat. olibani, myrrhæ, opii, an.* ʒß. *croci or.* ℈j. *cum ſyrup. papav. alb. fiat m. p.*

Præ aliis omnibus ſerum ſalſum corrigunt,& pertinacem tuſſim ſedant, Schroderus notat has vel ſimiles, etiam prægnantibus cum metu abortus tuſſientibus, multoties cum ſucceſſu datas fuiſſe.

Pilulæ de Succino Cratonis, è *Pharm. Auguſt.*

℞. *Pulv. ſuc.ini præp. maſtiches an.* ʒij. *Aloës ſuccotrinæ* ʒv. *Agarici Trochiſc.* ʒiß. *Ariſtolochiæ rotundæ veræ* ʒß. *cum ſyrupo de betonica formentur pilulæ.*

Billioſos & pituitoſos humores è capite expellunt, ad catarrhos, & inde provenientes oculorum, aurium, & dentium dolores propulſandos fæliciter uſurpantur.

Pilulæ de Succis, è *Pharmac. Noriberg.*

℞. *Foliorum ſenæ S. ſtip.* ʒiß. *Turpethi gummoſi, agarici trochiſcati an.* ℥ß. *rad. hellebori nigri præparat. hermodactylorum an.* ʒij. *ſpicæ indicæ* ℈ß. *Zingiberis albi* ℈j. *cubebarum, aniſi, fæniculi an.* ʒß *inciſa minutim infundantur in ſucci camæpityos, primulæ veris, betonicæ, ſpirit. vini rectif. an.* ℥viii. *ſtent in digeſtione per noctem; poſtea coquantur, exprimantur & clarificentur.*

Deinde, ℞. *ſucci roſarum inſpiſſati* ℥ij. *chamæpityos, Agrimoniæ, Taraxaci, Betonicæ an.* ℥iij. *Boraginis, fumariæ, an* ℥ij. *Aloës ſuccotrinæ* ℥viii. *diſſolvantur ſimul, & colata inſpiſſentur ad conſiſtentiam; cui addantur rhabarbari electi* ℥iiij. *fiat maſſa.*

Pilulæ Sudoriferæ *Domini Le Mort.*

℞. *Gumm. guajaci* ℥ij. *contrahyervæ* ʒiß. *extracti croci* ʒj. *myrrhæ* ℈iiij. *camphoræ* ℈j. *laudani opiati* ℈ß. M. F. Maſſa.

Febribus malignis conducunt, dolores leniunt, acrimoniam temperant, venenis reſiſtunt, ſudores movent. Doſis à ℈ß. ad ʒß.

Pilulæ de Tartaro Quercetani à Sennerto correctæ. *Pharm. Auguſt.*

℞. *Polypodii querni* ℥ij. *radicum Aſari, ſeminum geniſtæ, an.* ℥ß. *paſſularum minor.* ℥iß. *fumariæ, ſcolopendrii an. m. j. Tartari albi* ʒvi. *florum bugloſſi, borrag. an. m. ß.*

Coquantur in aqua pura ſufficienti quantitate ſecundum artem. Decocti clarificati ℔ij. *adde ſucci pomorum* ℔j. *in his infunde foliorum ſenæ* ℥ij. *folliculorum ſenæ* ℥j. *Turbith electi & gummoſi, radicum hellebori nigri, ſtyracis præparati an.* ℥ß. *macis, caryophyllorum, cinnamomi, Epithymi an.* ʒß.

In vitro clauſo macerentur, & digerantur per quatriduum in B. M., poſtea colentur, colaturæ adde *cremoris vel cryſtallorum tartari* ℥iij. *Aloës præp. ſeu extractæ* ℥iiij. *myrrhæ in vino ad ignem diſſolutæ & percolatæ* ℥j.

Omnia iterum diebus tribus vel quatuor in B.M. digerantur, & hinc inſpiſſentur, & coagulentur ad lentum ignem ſub finem, dum materia ferè refrigerata eſt, adde

Specierum diarrhodon Abbatis, lætificantis rhaſis, Trochiſcorum de lacca an. ʒj *ſalis Abſinthii, Fraxini an.* ʒij. *eſſentiæ croci* ℈j. *reducantur in maſſæ pilularis conſiſtentiam. Si libet, & res poſtulat, ſcammonii, rhabarbari, Trochiſcor. Alhandali extractum, & ammoniacum addi poſſunt.*

Utramque bilem purgant, omnes humores craſſos, tartareos, ſalſos, & mucilaginoſos à partibus profundiſſimis eliciunt, totam maſſam ſanguinis purificant, inde maniacis, & melancholicis affectibus opitulantur.

Pilular. harum à Quercetano primò deſcriptar. poſtea à D. D. Dàn. Sennerto immutatar. præparationem minore labore qui ſubire velit, poterit ingredientia omnia decoctioni & infuſioni primæ deſtinata, præter ſtyracem, aromata & tartari cryſtallos in ſufficienti quantitate aquæ & ſucco pomorum coquere & colare, colaturam ad juſtam conſiſtentiam inſpiſſare, tandem liquando in ea Aloën, atque addendo pulverem ſtyracis, myrrhæ, aromatum, ſpecierum, trochiſcor. ſalium & cryſtallor. tartari in maſſam redigere.

Pilulæ de Tartaro Bontii, è *Pharm. Schroder.*

℞. *Aloës ſuccotr. el.* ℥iij. *gumm. Ammoniac. (cum aceto ſquill.) depur.* ℥iß. *Tart. vitriolat.* ℈iß. *F. S. A. maſſa.*

Vires. Prioribus ſubſtitui poſſunt. Maximi enim ſunt levaminis in morbis tartareis, quales ſunt affectus hypochondriacus, obſtructio lienis meſenterii &c. incidunt enim tartaream mucilaginem, imprimis quæ in prima ventris regione collecta eſt, eamque per dejectionem expurgant.

Doſis à ℈j. ad ʒj. manè; vel ante cænam. ℈ß.

Pilulæ de Tartaro *Schroderi.*

℞. *Aloës lucid. fragrat. id eſt, cum ſucco fragorum inſuccatæ.* ℥j. *reſin. Ammoniac.* ʒiiß. *Sal. & ſubdulc. eſſent. croci orient. an* ʒj. *magiſter. Tart. purgant. in aq. bugloſſæ aliquoties ſoluti & coagulati.* ʒij. *Extract. gentian.* ʒiß. *cum tinctura tart. Fiat maſſa.*

Vires. Saburram tartaream & mucilaginoſam ex infimo ventre inprimis educit lienem, uterum & Epar infarctu liberat, morboſque inde prognatos feliciſſimè curat.

Doſis ℈ß. veſperi antè cænam aſſumpta; Quippe die ſubſequenti leniter dejectiones aliquot cauſantur.

Pilulæ de Tartaro aliæ, è *Pharmac. Londin.*

℞. *Cryſtallorum Tartari* ℥iij *polypodii quercini* ℥ij. *uvarum corinthiacarum* ℥iß. *flor. bugloſſi, borraginis nymphææ ana p. j.*

Coque in l. q. Aq. fumariæ & ſcolopendriæ ad dimidii abſumptionem. Recipe *hujus decocti* ℔ij. *ſucci pomorum redolentium depurati* ℔j. *iiſque adde fol. ſenæ mund.* ℥ij. *Turpeti, rad. Ellebori nigri veri an.* ℥iß. *myrrhæ electæ* ℥j. *macis, caryophyllor. cinnamomi, Epithymi an.* ℥ß.

Macerentur in vaſe vitreo clauſo in B. M. quatriduum integrum; tum fiat expreſſio; in qua diſſolve *aloës præp.* ℥iiij. & igne lento reducantur ad debitam ſpiſſitudinem: dein ferè refrigeratis adjunge *ſpec. lætificantis, Dialaccæ an.* ʒj. *ſalis Abſinthii, fraxini an.* ʒij. *Eſſentiæ croci* ℈ij. *olei aniſi guttas aliquot* F. maſſa pilularis.

Pilulæ de Terebinthina ſimplices d. *Charraz.*

℞. *Terebinthinæ venetæ in aq. raphani vel baccar. Alkekengi ad duritiem coctæ* ℥iiij. *liquiritiæ mundatæ ſubtiliter pulveratæ* ℥j. *F. S. a. maſſa.*

Hæ pilulæ maximo ſunt in uſu in urinæ ſuppreſſionibus, quarum cauſa vel in pituita, vel in calculoſa materia, vel in malignitate quapiam venerea adhibentur etiam gonorrhæis ineuntibus quo commodius fluant. Sumuntur mane jejuno ſtomacho. Doſis à ʒj. ad ʒij. earumque uſus poteſt continuari in plures dies.

Pilulæ

Pilulæ de Terebinthina compoſitæ contra Gonorrhæam virulentam *Zvvelferi.*

℞. *Pulv. Antimonii diaphoret. ritè ac recenter jam jam parati* ℥ß. *cinnabaris nativi rubicundi , terræ ſigill. Sileſ. rad. liquir. raſa , ireos florent. ſuccini albi an.* ʒiij. *oculor. cancr. præpar.* ℥ß. *maſtich. electæ , olibani, myrrha rubra, croci Auſtr. an.* ʒij. *miſceantur ac cum ſufficient. quant. terebinthina claræ efficiatur maſſa,* ex qua pilulæ mediocres efformandæ quarum quatuor, quinque vel plures pro doſi una exhibeantur.

Pilulæ de Tribus, è *Pharmac. Londin.*

℞. *Maſtiches* ℥ij. *Aloës* ℥iiij. *Agarici , ſp. Hieræ ſimpl. an. ſeſquiunciam, rhabarbari electi* ℥ij. *cinnamomi* ʒij. *cum ſyrupo è cichorio, F. maſſa ſ. a.*

Pilulæ Turbith. aureæ Meſuæ, è *Pharm. Auguſt.*

℞. *Turbith.* ʒxvi. *Aloës* ʒxii. *myrobalanorum citrinarum* ʒx. *maſtiches , roſarum an.* ʒvii. *croci* ʒiij. *cum ſucco abſinthii fiat maſſa.*

Stomachicis, colicis , nephriticis , ac inflatis proſunt, valentiores verò ſunt propter magnam turbith copiam.

Pilulæ de Vermibus, Anti ictericæ & Deoppilativæ *Domini de Mayerne.*

℞. *Gumm. Ammoniac. in vino Hiſpan. vel alio generoſiſſ. diſſoluti , trajecti & inſpiſſ.* ʒvj. *vermium terreſtr. vino albo lotor. & in clybano ſiccator. rad. chelidon. maj. ana* ℥ß. *radis. enulæ , gentian. ariſtoloch. rot. curcumæ ana* ʒii. *croci* ʒj *ſal. abſinth. artemiſ. cardui bened. tartari alb. ana* ʒß. *animæ hepatis* ʒv. *ſpec. hieræ picræ* ʒvj. terantur terenda ſubtiliſſ. atque excipiantur ſ. q. oxymelitis compoſiti & f. Maſſa pilularis, cujus doſis ſit à ℈j. ad ʒj. gradatim procedendo , alternis diebus augendo quantit. gr. v. donec perventum erit ad doſin ʒj. in qua perſiſtendum uſque ad abſolutum decurſum , qui minimus erit dierum xxx. ſed utilior dierum xl. Superbibatur autem pilulis juſculum, vel hauſtulus vini abſintitis.

Pilulæ variæ è Pharmac. Bateana.

Pil. Æthiopica.

℞. Æthiop. miner. ℥ij. ceruſſ. ♂ ℥j. gum. guajac. ℥ß. extract. Sarſæ comp. q. s. ut f. maſ. *D. ad* ℈ij. *bis indies per dies* 40. *vel* 50. *continuos. In Hydrope. Scorbuto, Lue* ♀*rea, &c.*

Pil. de Ammoniaco magiſtrales.

℞. Gum. Ammon. ✠ ſcilic. præp. ℥ij. aloës opt. ℥iß. myrrh. maſtich. benz. ana. ℥ß. croc. ⊖s abſ. ana. ℥j. Syr. de Abſ. q. s. f. maſ. *Inſigniter purgant tartarum, omnemque fæculentam corporis materiam. Magnopere conferunt adverſus omnes defluxiones , cachexias , oppilationes lienis, ejuſdemque duritiem & ſcirrhum. Febres quartanas inveteratas, &c. Doſ.* ℈i. ʒß. *&c.*

Pil. Angelica.

℞. Senæ mund. ℥vi. rhab. myrrh. agar. ana. ʒiij. benz. ʒß. croc. ʒij. Fl. Viol. borrag. ana. mi. ſuccor. depurat. cichor. ℔ß. fumar. borrag ana ℔iiß. macer. in MB. ad horas 48. f. expreſ. adde aloë opt. ℥xij. exhal. ad Pil. conſiſt. addendo Balſ. Peruan. ℈ij. ℘ ſt. nuc. m. gr. 20. ⊖ is abſ. ʒij. m. *Blandiſſimam evacuationem promovent. eximii uſus ſunt ad omnium viſcerum nobiliorem corroborationem, & pravorum humorum correctionem. Doſ.* ʒß. *& ultra.*

Pil. Anticolica.

℞. ☿ ris Rutæ, ♉æ, ana mel. q. s. ut f. maſ. *Doſ.* ʒß. *hora ſomni & manè per* ♂4. *in ſingulo menſe. Probatiſſima in Colica curanda.*

Pil. Antimoniales.

℞. Vitri ♁ij. (cum Sp. ⊕ præp. & albificati) ſubt. ☿ at. ℥ſs. ſacch. cand. ℥iij. Aleuri ℥4. croc. ℈i. coq. in ▽ ont. ad ſpiſſitud. (cavendo tamen ne aduratur) inſtar Paſtæ. ex qua f. Pil. *Verum. hoc cenſetur Febrium curativum Doſ.* ℈ſs. *ad* ʒj *in ipſo paroxyſmi frigidi initio.*

Pil. Antipodagrica.

℞. ☿ Caſtor. opt. ℥ſs. ſuccin. alb. chamædr. chamæpit. ana ʒvj. ⊖ ſuccini , ceruſſ. ♁ij. Balſ. Toiutan. Opanac. ana ℥j. Rad. petaſitid. ʒiij. Tereb. Chienſ. ℥ij. Balſ. △ris terebinthinat. q. ſ. ut f. maſ. Pilularis. *Doſ.* ʒſs. *bis indies per menſes ij. vel iij. bibendo interim pro potu com. Decoct. rad. petaſitid. ſarſæ , chinæ, cum uvis paſſis, &c.*

Pil. Balſamicæ.

℞. Extract. Euſtachii ʒv. Troch. Alhand. ʒj. croc. ℈i. ☿ crud. per alutam tranſcolati ℥i. Tereb. Ven. q. ſ. ut f. maſ. ſ. a. *In Lue venerea, Lepra. Podagra, &c.*

Pil. Caſtitatis.

℞. ☿ Rad. nymph. ℥ß. ⊖is ♄ni ʒij. oſſ. ſepiæ ʒvj. camph. ʒix. Syr. de Nymph. q. ſ. ut f. *maſ. Doſ.* ʒß. *bis in die per dies aliquot, optimè valent in Gonorrhæa, priapiſmo, &c. curandis, præmiſſis præmittendis. Doſ.* ℈i. ʒß. *&c. bis in die.*

Pil. Catarrhales.

℞. Extr. Glyc. ℥i. Rhodaloës ℥ß. Pil. de cynogloſ. ʒij. m. *Doſ.* ℈i. *ad* ℈ii. *in Catarrhis, Tuſſi. &c. hora ſomni per dies* 4. *vel* 5.

Pil. Crapulariæ.

℞. Diagryd. Spec. Hier. ſimp. ana ʒvi. aloës opt. ℥iß. ol. ſt. caryoph. ʒß. Sp. V. q. ſ. ut f. maſ. ſ. a. *D.* ℈i. *hora ſomni poſt crapulas.*

Pil. Cretacea.

℞. Cretæ albiſ. ſantal. alb. nuc. m. ana p. æ. cum Tereb. Chienſ. q. s. f. maſ. *Proficua in Profluvio albo, &c. Doſ. ad* ʒi *bis in die , ſuperbibendo ſerum cereviſiale foliis conſolidæ alteratam.*

Pil. de Creta Palmarii.

℞. Aloës opt. ℥i. cretæ albiſ. ſuccin. alb. gentian. myrrh. Rad. fraxinel. ana ʒi. Mithridat. ℈iv. tereb. lotæ ʒij. Syr. de Alth. q. s. ut f. maſ. *Sunt , qui addunt calomelan.* ℥ß. *vel* ʒvi. *Cum Calomelan. Dentur ad* ℈ij. *vel* ʒi. *hora ſomni omni nocte per dies* 15. *Ad Gonorrhæam curandam nil æquale. Idem præſtant in Profluvio albo.*

Pil. Hydropica.

℞. Reſin. zialap. ſcammon. rhab. guttæ gamb. calomel. ana ℥ß. Ammoniac. in ſucco irid. nr. præp. ʒij. ♀ ⊕-lat. ʒij. gum. Lentiſc. ʒi. croc. ℈i. Sp. tereb. gt. 40. cum Syr. de Spin. cerv. q. ſ. f. maſ. *D. ad* ℈ij. *vel ultra in fortioribus.*

Pil. Hyſterica.

℞. ☿ Sem. Viticis ℥i. rutæ, aſæ, fœtid. Camph. ana ʒ j. caſtor. ℥ß. ♁ ſuccin. gt. 40. Syr. de Artemiſ. q. ſ. ut f. maſ. *Doſ.* ℈ß. *ad gr.* 15. *ſecunda vel tertia quaque hora*

in paroxyſmo hyſterico; & præterea hora ſomni ſingulis noctibus extra paroxyſmum.

Pil. Lithontriptica.

℞. Sem. geniſt. bardan. Lap. Judaïc. ā ℥j. Tereb. è Chio ℥iij. m. f. *maſſa Doſ.* ℈ i. ad ʒi. *per dies* 20. 30. *&c.*

Pil. Maſticatoriæ.

℞. Sem. ſinap. ſtaphiſagr. pyrethr. ā ʒß. maſtich. ʒ i. m. f. ☿. adde mell. & ceræ ā q.ſ.ut f.*maſſa* v.*Maſticatoria.*

Pil. Matthæi, aliàs Starkii.

℞. Opii Thebaïc. opt. à ſordibus purgat. ℥ij. ☿ris ſubt. glyc. helleb. alb. & nig. ā ℥ij. Sapon. Tartarei (v. ſuo loco.) ℥vi. m. exactit. addendo 🜕 Terebinth. q. ſ. ut f.*maſſa* pilularis, quæ toties humectetur 🜕o Tereb. quoties ſiccefcit. *Aliqui nolunt Helleb. nigrum. Diuretica, diaphoretica, nephritica, lithontriptica, hydropica, bechica, anodyna & paregorica habentur inſignes. Felici cum ſucceſſu dantur in Febribus omnibus, præcipuè Tertiana, & Quartana. Catarrhis omnibus, Doloribus ventriculi, Cephalalgiæ, Odontalgiæ, Tuſſi, Crapulis, Arthritidi, Diarrhæis, Dyſenteriis, Ulceribus & Apoſtematis internis, &c. mirificè ſubveniunt.* Doſ. ℈ß. ad ℈i. *ſuperbibendo hauſtum alicujus convenientis.*

Pil. Melanagogæ.

℞. Fibrar. helleb. n. veri ℥ij. pulp. colocynth. ℥iij. coq in Phlegm. 🜕li ℔v. ad conſumpt. dimid. f. expreſſio, quæ coaguletur ad mellagin. l. △. Tum adde Reſin Scammon. ℥i. ut f. *maſſa* Pilularis.*Doſ.* ℈ß. *ad* ℈i. *&c.*

Pil. Pacifica.

℞. Opii opt. ſupra laminam ferri èxiccat. & ☿ t. ℥ij. benz. albiſ. ʒij. croc. nuc. m. ā ʒiij. 🜕ſt. Aneth. & nuc. m. ā ℈i. Sapon. ♀rei q. ſ.ut f.*maſſa* ſ.a.*Virtutes æmulantur Pil. Matthæi.*

Pil. Pavii.

℞. Spec. Hier. ſimp. ʒß. galban. in Tinct. Caſtor. præp. ʒij. ♂ præp ʒ ij. Diacurcum. (Quidam Diacinnam.) ℈iv. Syr. de ſtæch. q. ſ. f. Pil. num. 21. ex ſing. ʒi. *D.* num. 10. *aut* 20 *manè & ſerò per dies* 40. *Ad Melanch. Hyp.*

Pil. de Pice.

℞. ☿ Glyc. ℥j. Rad. irid. Flor. ʒiij. Pic. liquidæ, & Balſ. Peruan. ā ʒß. vel q.ſ.ut f.*maſſa* Pil.*Efficaciſſimæ habentur in Phthiſi, Tuſſi, purulenta Excreatione, ſuſpiriis & pectoris humoribus, qui difficilè extuſſiuntur. Doſ.* ʒß. *bis in die, ſuperbibendo hauſtum Decoct. Pector.*

Pil. Reſtringentes.

℞. AB. corall. r. gum. Lentiſc. ā ʒiiß. oſſ. ſepiæ ʒ ß. gum. guajac. ℥ß. croc. ♂tis reſtringent. ʒiijß. Tereb. Cypr. ℥iß. Syr. de Nymph. q.ſ.ut f. *maſſa* Pil. *Dentur* ʒß. *vel* ℈ij. *bis indies, ad Gonorrhœam, &c.*

Pil. de Sagapeno.

℞. Sagapen. pellucid. ʒß. Troch. Alhand. agaric. ā ʒijß. Diagrid. ʒj. ♉æ ʒß. 🜕 chym. Fœnic. ℈i. Syr. de Eupator. q. ſ. f. *maſſa Proficua in Iliaca, Colica &c. ad* ʒß. *Admirandæ in Febribus Quartanis. Doſ.* ℈ß. *initio paroxyſmi, continuando aliquot dies.*

Pil. Sinapina.

℞. Sem. ſinap. ☿ar. ℥iij. glyc. ℥ij. Syr. cap. ♀. q. ſ. ut f. Pil. hypogloſſidæ, *frequenter in ore tenendæ. Magnopere valent in Tuſſi, Aſthmate, &c.*

Pil. Styracinæ.

℞. Styrac. cal. colat. ℥ij. Fl. 🜍 ℥j. Benz. alb. ʒij. m. f.*maſſa Efficaciter ſuccurrunt Aſthmati, Dyſpnœæ, Catarrho ſuffocativo, &c. Doſ.* ℈i. *ad* ʒi. *ſemel aut bis in die. Prujean.*

Pil. Vaticanæ.

℞. Calam. arom. aniſ. zz. maſtich. cinnam. cardamom. min. zedoar. mac. nuc. m. caryoph. croc. cubeb. lign. al. turpet. mann. ſenæ, caſ. lign. myrobal. omn. ā ℈j. Fol. cardui ben. ſcord. ā ʒß. rhab. opt. ℥j. ℈ij. aloës opt. ℥ij. ℈iv. Syr. Roſ. ſol. & Viol. ā q. ſ. ut f. Maſſa ſ. a. *Cephalicæ ſunt ac Stomachicæ, omnia viſcera fartu liberant, purgant, roborant, & humores quoſvis noxios & obvios educunt: omniumque partium nutritiarum œconomiam juvant. Doſ.* ℈i. ʒß. *&c.*

Pil. Vermifugæ.

℞. Pil. Ruffi ʒß. 🜕 chym. Sabinæ, vel Tanaceti gr. 24. m. *D. ad* ℈ß. *vel* gr. ij. *in Pil. x. format. ſumend. per* 3 *dies contin. in Plenilunio, vel Novilunio in Syr. Limon.*

Pil. Vomitoriæ.

℞. Gillæ Theophraſti ☿ar. ℥i. Medullæ lactis inſulſæ ʒi. vel q. ſ. contund. opt. in maſſam Pil. *D.* ℈iv. *vel v.*

Pilulæ variæ è Pharmac. Perſicâ.

HAB VASSEL.

Pilulæ ad Strumas.

Sic vocatæ, quia ad ſtrumas item ad parotidas, ad apoſtemata glanduloſa proſunt.

℞. *Spicæ, caſſiæ ligneæ, opobalſami, aſari, xylobalſami, maſtiches, cinamomi, croci; ana dr.* 2. *aloes ſocotoræ, dr.* 16. *ſtœchados, pulpæ colocynth. ana dr.* 5. *turbit. albi, dr.* 7. *ſalis Indici, dr.* 2. *ſcammonii, dr.* 4.

Diſpoſitis medicamentis, addenſentur pilulæ, doſis, dr. 4.

HAB GEHET ATESCHEK.

Pilulæ aliæ ad morbum mahometanum; quem Mahometani Gallicum vocant.

℞. *Hieræ picræ, m.* 1. *turpeti albi, dr.* 1. *agarici, lapidis lazuli abluti, corticis mirobal. citrin. galangæ, hermodactylorum, an. dr. ſ. ſcammonii, dung.* 1.

Fiat trituratio, cribratio, & ex roſacea catapotia formentur.

HAB. ESTESQA.

Pilulæ ad hydropem.

℞. *Turbit albi, rheibarbari, chinæ, dr. ſ. agarici, ariſtolochiæ rotundæ, & longæ, ana dung.* 1. *ſ. bituminis Judaici, ſem. urticæ, ana dung.* 2. *euphorbii oleo roſato frixi, dung.* 1.

Piſtis medicamentis & incerniculo lævigatis, fiat maſſa ad pilulas ex aqua ſimplici.

HAB REIA.

Pilulæ Spei.

Utpote ad obſtinatos podagricorum angores ferme infallibile ſolamen.

℞. *Tur-*

℞. *Turbit dr.* 1. *ſem. agarici, hieræ picræ, epithymi ana dung.* 4. *centaureæ minoris, ſeminis pegani, ſeu harmel Arabum, vel verbaſci. Succi abſinthii, ana dung.* 2. *Pulpæ colocynthidis, ſcammonii, ana grana hordei*, 6. *Bdellii. Aniſi, ana dungum* 1.
Fiant Pilulæ ex aqua fœnicul.

HAB BER JOUMA.

Pilula ipſa die.

Sic dictæ quod ipſa die artuum dolores compeſcunt.
℞. *Aloës ſocotoræ, turpethi fœminæ, ana dr.* 8. *corticis myrobal. citrinarum, buzidan. Hermodactylorum, ana dr.* 2. *aniſi, ſcammonii. ana dr.* 1. *Bdellii, dr.* 1. *ſ.*
Ex aqua porrorum fiant pilulæ, doſis dr. ʒ. ex aqua calida.

HABB EL MELOUK.

Pilulis Regiæ.

Ad colicam, & ad flatuum importunitatem, & pertinaciam.
℞. *Aloes ſocotoræ, dr.* 5. *turbit, dr.* 10. *corticis myrobal. citrin. & nigrarum, ana dr.* 3. *ſalis Indi, dr.* 2. *maſtiches, zaffarani, folii Indici, coſti, caſſiæ ligneæ, rheibarbari Chinici, ſpicæ, zingiberis, aniſi, ſeminis apij hortenſis, caryophyllorum, piperis, Cardamomi minoris, cinamomi, tragacanthæ, cardamomi majoris, ana dr. ſ. ſcammonii, m.* 2. *moſchi, dungum.* 1.
Curiosè terantur, & per ſetaceum purificentur, tum ex roſacea pilulæ fiant. Doſis dr. ʒ.

Pilulæ variæ ex Ioh. Michaelis.

Pilulæ Catholicæ.

℞. *Extr. Cathol. Andernaci panchym. Crollii ana* ʒß *ſcammon.* ♁*rati gr. v. cum Eſſ. fum. vel Tinct.* ♀ ♁*atæ* F. l. a. Pilulæ. S. *Blutreinigende Pillen.*
℞. *Extract panchymag Crollii gr. xvi.* ☿ *dulc. rite par. gr. x. vel xii. ſcammon.* ♁*rati gr. viij. cum eſſent. fum. F. l. a.*

Pilulæ in Morbis Melancholicis.

℞. *Extract. cholagog. Quercet.* ʒi. *trochiſc. alband. gr. iij. Cum Elix. Propriet. vel alio liquore appropriato.* F. l. a. Pilulæ. S. *Pillen auf ein mal*, in affectibus pituitoſis.

Pilulæ Cephalicæ.

℞. *MP. cochiarum* ℈i. *ſcammon.* ♁*rat. gr. vj. cum Eſſent. flor. anthos. vel* ♁ *deſtill. majoranæ* F. l. a. Pilulæ. S *Pillen auf ein mal.*
℞. *Extract. cathol.* ℈ß. *ſcammon.* ♁*rat. reſin. jalappæ ana gr. v. vel vi. extr. cephal. gr. iv. c. ſ. q.* ♁ *fœnic.* F. l. a. Pil. S. *Augenpillen.*

Pilulæ Catharrales.

℞. *MP. de ſuccino Craton.* ℈i. *ſcammon.* ♁*rati gr. vj cum eſſent. ſuccini vel flor. anthos* F. l. a. Pilulæ. *S. Pillen auf ein mal.*
℞. *Extr. Cathol. Andernaci* ℈ß. *Mag. ſeu reſin. ſuccini jalappæ ana gr. vj. ſcammon. gr. v. cum* ♁ *majoranæ.* F. l. a. Pilulæ. S. *Sonderliche Fluſzpillen.*

Pilulæ Hepaticæ.

℞. *MP. de rhabarb.* ℈i. *ſcammon. roſ. gr. viij. cum eſſent. hepat. vel agrimon.* F. l. a. Pilulæ. S. *Pillen.*

℞. *Extr. Rhabarb.* ℈ß. *rad. cichor. gr. vj. ſcammon. roſati gr. viij. cum Eſſent. abſinth.* F. l. a. Pilulæ.

Pilulæ ſpleneticæ.

℞. *MP. de ammon. Quercet.* ℈i. *Extract. helleb. nigri gr. vj. ſcammon. roſ. gr. viij. cum eſſent. ſplenis bovis vel ſcolopendr.* F. l. a. Pilulæ.

Pilulæ hypochondriacæ.

℞. *MP. de ammon. Quercet.* ℈i *Extr.* ♂ *ſcammon. roſ. ana gr. vj. cum Tinctura* ♀. F. l. a. Pilulæ.
Egregias pilulas hypochondriacas deſcribit Schrödenus.
Hæ pilulæ & antecedentes poſſunt etiam in ſcorbutô uſurpari, ſi cum ⁓ antiſcorbutico compoſ. vel elix. ſcorbut. vel etiam pro ditioribus cum ♁ ſtillat. cochl.

Pilulæ Matricales.

℞. *MP. fœtid.* ℈i. *Reſin. jalappæ ſcammon.* ♁*rati ana gr. v. cum Eſſent. caſtor. vel elix. uterino cid.* F. l. a. Pilulæ. S. *Purgierende Mutterpillen.*
℞. *Extr. cathol.* ℈i. *caſtor. gr. iij. Fæcul. bryon. gr. v. Cum Eſſent. caſtor. vel Elix. Vterinô Crollii.* F. Pilulæ.

Pilulæ ad Menſes ciendos.

℞ *MP.* ♀ *Quercet. de ammon. ana* ℈ſs. *extr.* ♂ *gr. vj. caſtor. gr. iij. Cum Elix. uterinô Crollii.* F. l. a Pilulæ. S. *Sonderliche Pillen.*
℞. *Extract helleb. nigri* ℈ſs. (*ſingulare arcanum hic* ♂ *gr. viij. troch. alband. gr. iii. Cum Elix. uterinô Crollii* F. l. a. Pilulæ, adſpergantur Fæcula bryoniæ. S. *Sonderliche Pillen auf* 1 *mal.*
℞. *MP. de ammon. Quercet.* ♀*rearum ana* ℈ſs. *Reſin. jalappæ gr. vj. Cum Eſſent. arthet.* F. l. a. Pilulæ. S. *Sonderliche Glieder-Pillen.*

Pilulæ in Lue Venerea.

℞. *MP. de fumar.* ℈i. ☿ *dulc. rite præp. gr. xii Extr. trochiſc. alband. gr. ij. Cum* ♁ *ſtillat. ligni ſancti vel Eſſent. perſic.* F. Pilulæ. S. *Sonderliche Blutreinigende Pillen.*
℞. *Extract. cathol. Andernaci* ℈i. *arcani corallini gr. iij. trochiſc. alband. gr. ij. c.* ♁ *lign.* F. l. a. Pilulæ.

Pilulæ Hydropicæ.

℞. *Extr. elaterii gr. viij. mag. gummi de Peru gr. iv. troch. alband. gr. j.* F. l. a. Pil. adſperg. ſpec. diatrion ſantalon.
℞. *Extract. elat. gr. vii. Mag. gum. de Peru gr. v.* ☽ *hydragogæ gr. ij.* F. l. a. Pilulæ, adſperg. pulv. jalappæ.

Pilulæ contra Gonorrhœam.

℞. *Tereb. Cypriæ cum* ▽ *menth. lotæ* ʒij. ☿ *dulcis* ʒj. *extr. cathol.* ℈ij. F. l. a. Pilulæ inſtar Piſi. S. *Sonderliche Pillen zu den Nieren auf etlich mal.*
℞. *Terebinth. Cypriæ* ʒi. *extr. cathol.* ℈ij. ☿ *virid. præcip. gr. v. ij. c. ſ. q. Terebinth.* F. l. a. Pilulæ S. *Pillen auf zvveymal.*

Pilulæ Hyſtericæ appropriatæ.

℞. *Extr. caſtor. rad. angelic. ana gr. v. bez.* ♃*alis gr. vj. Cum elix. uterino Crollii.* F. l. a. Pil. inſtar Piſi. S. *Sonderliche Pillen.*

Pilulæ in Gonorrhœa, non purgantes, ſed conſolidantes.

℞. *Terebinth. Cypriæ, veræ* ʒi. *extr. contra Gonorrhœam* ʒi. *mag. oſſis ſepiæ* (*ſing. ſpecif.*) ℈i. *Croc.* ♂ *adſtr.* ʒi. *c. ſ. q.* ⁓ *Terebinth.* F. l. a. Pil. inſtar piſi minoris. S. *Pillen* 19. *oder* 21. *auf ein mal* bis in die.

Pilulæ contra exulcerationem Renum.

℞. *Terebinth. Cypriæ opt.* ℥ii. *Extr. agrimon. flor. hype-*

hyperici ana ℈*i. croci* ♂ *adſtr.* ʒj. *c. balſ.* 🜍. *Tereb.* F. l. a. Pilulæ. S. *Sonderliche heilende Pillen* 19. *auf einmal.*

Pilulæ febriles.

♃. *Extr. febr.* ℈i *flor.* ⊖ ✱ *gr. v.* F. l. a. Pilulæ Aſperg antur pulvere cinamomi. S. *Fieberpillen auf einmal.*

♃. *Extr. cardui bened. centaur. min. ana gr. vj. flor.* ⊖ ✱ *gr. iv.* F. l. a. Pil. cum Syr. C. B.

Pilulæ Diaphoreticæ in Lue Gallicâ.

♃. *Extr. lign.* ʒi. *Cinnab.* ☿ ℈*ii.* F. l. a. Pilulæ. S. *Schweißpillen.*

Quidam pro magno arcano habent.

Pilulæ contra nimiam obeſitatem.

Videri poſſunt apud Mynſicht in Armamentario.

In Dyſenteria.

Ex extract. tormentillæ & aliquot granis laudani opiati.

Pilulæ Pectorales in Catharrô à capite ad pectus optimæ:

♃. *MP. hieræ cum agar.* ℈*i. ſcammon.* 🜍*rat. gr. vij. c* ℘ *ſtill. hyſſopi.* F. l. a. Pilulæ. S. *Purgierende Bruſtpillen auf* 1. *mal.*

Pilulæ Stomachales.

♃. *MP. Hieræ cum agar.* ℈*i. ſcammon.* 🜍*rati gr. iij. cum* ℘ *ſtill. menth. vel calam. arom.* Pilulæ. S. *Magenpillen auf einmal.*

Pilulæ articulares.

♃. *MP. Arthet.* ℈*i. Reſin. jalappæ gr. vi Mag gummi de Peru gr. iv. vel v cum eſſent. arthet. comp. ſ. vel chamædr. aut chamæp.* F. l. a. Pilulæ. S. *Gliederpillen.*

Pilulæ antipeſtilentiales.

♃. *Pil. Peſtil. Ruffi* ʒ*ii. Extract. theriac.* ℈*ii cum* ℘ *peſtil. Heinſi.* F. l. a. Pilulæ. S. *Sonderliche* Præſervativ-*Pillen.*

Pilulæ Viſum roborantes.

♃. *Aloës ſuccotrinæ* ʒ *aut* 4. *ſuccô roſ. pallid. imprag. ite umque exiccat.* ʒ*i. agarici trochiſc.* ʒ*i. rhab. electi* ℥*i. conf. alkerm.* ℈*v.* ℘ *cinam. fœnic. ana* ℈*i. vel* ʒß.

Poſt 2. horas à cœnâ modicè purgant clementerq;.

Ad Gonorrhœam.

♃. *Gummi Arabici, tragacanthi, Carab. mum. boli Armeni Orient. mand. lucii piſc. ana* ʒ*i. c. Syr. de roſ. ſiccis l. myrt.* F. l. a. Pil. Dos. ℈j.

Ad Hemicraniam.

♃. *Aloës optim.* ℥ß. *ſpec. è gemmis, diatrion ſant. extr. roſarum ana gr. vi. cum ſyr. abſinth. & viol.* F. Pil. Dos. ℈j. Bis in ſeptimana, horis duabus ante cœnam.

♃. *Pil. de ſagapeno Camilli gr. xii.* ℘ *caryophill. g. ii. cum ſyr. viol.* F. Pil. N. vj. involvantur ♀ro rubificatô.

Pilulæ Riverii in Morbis deſperatis.

♃. *MP. Ruffi* ʒ*i. gummi guajaci* ʒß. ☿ *diaphoret.* ℈*i. c. bals Peruviano.* F. Pilulæ.

♃. *Gummi gutt. gr. xii. extr. helleb. nigr. gr. ij.* ⊕ *g. ii.* ℘ *cinamom g. j c. ſyr. viol.* F. Pilulæ N. vj. Involvantur ♀. rubificato.

Pilulæ variæ ex Hadriano à Mynſicht.

Pilulæ Aloëphanginæ noſtræ.

♃. *Fol ſenæ elect. ſ. ſtip.* ℥*iv. rad. polypodii,* ℥*j. hellebori n g.* ℥*j. troch. albandal cort. arantiorum, ſem cymini, ana* ℥ß *herb. abſinthii Pont. card. bened. & chamæpytios, veronicæ, ana m j. flor. cordialium, ſtæchad. arab. cent. min. chamomillæ.*

Craſſiuſculè contuſa infundantur in vini Malvat. ſ. q. coquantur igne lento ad remanentiam tertiæ partis, deinde exprimantur fortiter & colentur; in Colaturæ lib. j. ſolve.

Aloes ſuccotrinæ optimæ & perlucidæ. ℥ *xvj.*

Agitentur continue in loco calido, uſque dum inſpiſſentur; poſtea adde:

Spec. Diamoſch. dulc. diambræ, ana ℥ß. *mag. myrrhæ rub. maſtichis, croci Oriental. ana* ʒ*iii. ol. Chamomillæ Rom. ſuccini alb. rect. roſmarini, cymini & carvi, ā* ʒß.

Miſc. & incorporentur, ut fiat juſtæ conſiſtentiæ M ſſ. pilularum.

Vires, Uſus, Doſis. Ad omnia Capitis vitia & dolorem, Vertiginem, Hemicraniam, Epilepſiam, Apoplexiam, &c. propriè conferunt. Viſum roborant. Mentis vigorem conſervant. Auditum amiſſum reparant. In Melancholia Hypochondriaca cæteriſque Melancholicis affectib s, Cancro, Elephantiaſi, Quartana, Ictero nig o, &c. omnes tam Jecoris quàm Lienis obſtructiones reſerando, ſanguinemque mundificando; quam maxime valent. Stomachum quoque à craſſis flatibus vitioſiſque humoribus concoctionem juvando ſuaviter leniterque purgant, & omnia membra interna à putredine præſervant. Doſis à Scr. j. ad Drach. j.

Pilulæ Catholicæ.

♃. *Maſſ pil ſine quibus, aurearum, cochiæ, ana* ℥ß. *Ext. hellebori nigri, colocynthid. ana* ʒ*vj. tartari vitriolati, Scammonii roſat. ana* ʒ *ij ſp. vitrioli,* ℈*j.*

Miſc. & cum Ol. Sem. Fœnicul f. l. a. Maſſa pilularum: Et ſi adhuc eſſentia extractorum nimis liquida, fac ut Spiritus vini ſufficienter lento calore ab illis evaporet; hoc etiam in reliquis compoſitionibus æque obſervandum eſt.

Vires, Uſus, Doſis. Magnificè & citra moleſtiam alvum dejiciunt. Caput, Cerebrum, Ventriculum & Senſoria craſſis, putridis, pituitoſis, bilioſis & tartareis humoribus & ventoſitatibus repleta, magna efficacia expurgant. Valent quoque ad Febres diuturnas, ad Podagram aliosque articulorum dolores, ad cataractam, tinnitum aurium, &c. Viſum clarificant & cuſtodiunt, aciem oculorum exacuunt, eorumque obſcuritati mire conferunt. Doſis à Gran. xij. ad Scr. j.

Pilulæ Benedictæ.

♃. *Troch. albandel cum ſp ſulphuris prius irrorat. & iterum exſiccat. ext. pil. aloephang. noſt. ſcammonii roſati, ana* ʒ*j. ſp. vitrioli, ſcr. i.*

Miſc. & in mortario lapideo & cum piſtillo lapideo & cum aq. Benedict. Serpilli noſt. fiat. Maſſa; Ex qua poſtea cum ol. Chamomillæ Rom. ex quolibet Scrupulo formentur pilulæ Nr. v.

Vires, Uſus, Doſis. Omnes humores implicatos à Capite, Ventriculo, Hepate, Splene, Viſceribus & nervis, ſufficienter evacuant. Doſis à pil. 3. ad 4. 5. vel 6. præſertim in robuſtioribus.

Pilulæ Familiares.

♃. *Maſſ pil aloëphang. noſt* ℥*ij. rad. jalappæ reſin.* ℥*j. acidi tartar.* ℥ß. *mag. ſcammonii, ext. rhabarbar. ā* ℥*j. ſpir. ſalis rect.* ʒ*j.*

Miſc. & cum vino Malvatico f. Maſſa Pilularum; ex qua poſtea cum ol. aniſi vel alio conveniente formentur Pilulæ parviſſimæ in modum Aloephang. quæ deaurentur fortiter.

Vires, Uſus, Doſis. In Catarrhis exſiccandis, & obſtructionibus reſerandis, valde illuſtres, necnon ad varios Capitis, Stomachi, Lienis, &c. affectus, effica-

ces

ces ſunt. Cerebrum, Ventriculum, Senſoria omnia, Viſcera, pedetentim, leniterque purgant, & ab humoribus craſſis, putribus, pituitoſis, bilioſis, & tartareis liberant. Inſuper Sanguinem & Spiritus purificant. Concoctionem juvant, & appetentiam excitant. Doſis à Scr. j. ad Drach. s. quotidiè continuando, donec operationes deſideratæ feliciter ſequantur.

Pilulæ Proprietatis.

℞. *Maſſ. pil. aloephang.* ℥iiij. *tart. vitr.* ℥j. *lact ſulph.* ℥ß. *ext. lig. aloes.* ʒj.

Miſc. & cum vino Malvatico f. Maſſa; ex qua cum Ol. Sem. Fœnic. conficiantur pilulæ in modum Aloephang. videlicet, quantitate majores vel minores, & ſic quoq; numerò plures vel pauciores, prout occaſio eſt; poſtea fortiter deaurentur & ad uſum ſerventur.

Vires, Vſus, Doſis. Caput, Pectus, Hypochondria & Stomachum humoribus craſſis, pituitoſis, & putridis repleta, pedetentim quidem, ſed radicitùs expurgant: Imò humores tartareos & corruptos in ventriculo immerſos evacuant, & omnia membra principalia confortant & à putredine præſervant. Præterea omnes fluxus ſeu catarrhos à cerebro ad ſubjectas partes delabentes exſiccant & conſumunt. Concoctionem juvant. Appetentiam excitant. Virtutes naturales muniunt. Sanguinem & Spiritum clarificant. Mirificè adverſus peſtiferæ luis contagia populatim graſſantia pollent; necnon Lumbricos tam in pueris quam adultis necant, ſuffocant atq; deturbant. In Epilepſia, Apoplexia, Tuſſi, Aſthmate, Phthiſi, Hectica, Lue Venerea, Convulſione nervorum, Arthritide, Podagra, Schiatica, Venarum, viſcerumque obſtructionibus ſummoperè conducunt & à me ordinatæ ſunt, potius ut confortent, quam ut alvum ducant: poſſunt tamen pro lubricitate alvi ad libitum ſive manè, ſive ſerò, ſive quavis hora diei, poſt cibum, ante cibum, in omnibus ferè morbis, præcipuè autem phlegmaticis & corroſivis uſurpari. Tum quoque in omnibus febribus continuis & intermittentibus, ægris feliciſſimo ſucceſſu offeruntur: Non ſolum enim alvum aliquo modo ſolvunt; ſed etiam corporis vires reſtaurant atque refocillant. Doſis eadem obſervatur, quæ in pilulis Aloephanginis noſtris.

Pilulæ Anodynæ.

℞. *Ext. pil. aloephang. noſt.* ʒiij. *tartari vitriolat. laudani Opiat. ana* ʒj.

Miſc. & cum Conf. Alkermes in aq. Hypnotic. noſt. diſſ. f. maſſa pilularum.

Vires, Vſus, Doſis. Ad dolores acutos mitigandum & ſedandum, torſiones placandum, ſomnum conciliandum, in Colica, Nephritide, Arthritide, Pleuriſi, cæteriſque morbis omnibus ſolùm excellunt; Et ipſo Laudano opiato longè tutiores ſunt: Quia ratione Ext. pil. Aloephang. & Tartari vitriolat. additorum, non admittunt conſtipationes, quibus poſt uſum Laudani opiati per ſe exhibiti, ægrotantes communiter afficiuntur. Doſis à Gran. xij. ad xv. Scr. j. & à Gran. xxv. ad Drach. s. Harum enim pilularum Gr. xv. Laudani opiati Gr. 3. Scr. j. Laudani Gran. 4. Gr. xxv. Laudani Gr. 5. Drach. s. Laudani Gran. 6. in ſe continent. Et ſumuntur veſperi eundo cubitum.

Pilulæ Narcoticæ.

℞. *Opii Thebaici Spagyricè præp. atque extract.* ʒiij. *ſpec. diambræ,* ʒj *ſal. margar. or. corall. rub. ana* ʒß. *ext. flor. papav. errat. croci orient. ana* ℈j. *lap. bezoar. orient. oſſ. de corde cervi, ana* ℈ß *moſchi laudatiſſ. gr. v. ol. caryophyllorum, cinamomi, majoranæ, ſuccini alb. carvi, ana Gut. iiij.*

Miſc. & cum Conf. Alkermes in aq. Narcot. noſt. diſſ. fiat maſſa pilularum.

Vires, Vſus, Doſis. In defectu Laudani opiati, pilulis hiſce feliciſſimè utimur; quibus etiam honorem frequentiſſimè conſecuti ſumus. Doſis à Gran. iij. ad iv. v. vel vj. hora dormitionis.

Pilulæ Cephalicæ.

℞. *Scammonii roſat.* ʒiij. *ext. pil. cochiarum, hellebori nigr. ana* ʒiß. *tart. vitriolat. ſpec. diambræ, ana* ʒß. *ol. ſuccini alb. majoranæ, ana* ℈ß.

Miſc. & fiat. l. a. Maſſa pilularum; Ex qua poſteà, cum Ol. Fœniculi formentur pilulæ.

Vires, Vſus, Doſis. Caput, Cerebrum, ſenſuſque omnes, Ventriculum, Uterum & alia viſcera à frigidis, craſſis, ſeroſis, pituitoſis & putridis humoribus mirificè expurgant, & articulorum & Colicis doloribus, &c. valdè celebres ſunt. Doſis à Scr. j. ad Drach. s.

Pilulæ Senectutis.

℞. *Ext. meliſſæ.* ʒiij. *ſpec. Diamoſch. dulc.* ʒjß. *ſuccini alb. præp.* ʒj. *margar. trochiſcat. noſt. ambræ griſeæ, ana* ℈j.

Miſc. & cum conf. Alkermes in aq. Lil. Convall. diſſ. f. Maſſa pilularum; ex qua poſtea cum Ol. Caryophyllorum & Majoranæ ana ſ. q. formentur pilulæ ad quantitatem Cicerum, quæ deaurentur.

Vires, Vſus, Doſis. Vigiliis ſenum & illorum, qui in ſummis curis verſantur, medentur: Animi tranquillitatem ac hilaritatem præſtant; necnon ad pellendas curas valde utiles ſunt. Doſis à pil. 3. ad 4. vel 6. ſub noctem.

Pilulæ Smaragdinæ.

℞. *Smaragd. præp.* ʒiß. *ſulph. Lunæ ſicci,* ℈j. *hyacinth. præp.* ʒß. *mag. perlar. orient. corallor. rub. ana* ℈j.

Miſc. & cum Syr. Cort. Citri Moſchat. f. Maſſa pilularum; ex qua poſteà cum Ol. Aniſi formentur, pilulæ parvæ, quæ argento puro obducantur.

Vires, Vſus, Doſis. Somnia gravia & terribilia (quæ aliàs valdè debilitant) arcent & ſomnum inducunt; Venenis reſiſtunt, & in confortandis ſpiritibus vitalibus totiuſque corporis plurimùm valent. Doſis hora ſomni ſcr. j.

Pilulæ Odontalgicæ.

℞. *Opii Thebaici,* ʒj. *camphoræ, ſem. ſtaphid. agriæ, zingiberis alb. piperis longi, gallar. Turc. cretæ albiſſ. aluminis uſti, ana* ʒß. *Rad. peucedani, hyoſcyami, urticæ min, ana* ℈j. *ſp. ſalis Nitriq. ſ. ad perfectam acetoſitatem.*

Miſc. diligenter, & cum Balſamo Odontalg. noſtro f. l. a. Maſſa pilularum; Ex qua poſteà cum dicto etiam balſamo formentur pilulæ oblongæ alterutra ſui parte in acumen deſinentes.

Vires & Vſus. In uſu quotidiano pro ſecreto habemus: perforatis enim & concavis dentibus impoſitæ, acutiſſimum dolorem confeſtim & ex tempore ſolvunt.

Pilulæ de Calce viva.

℞. *Calcis vivæ,* ʒj. *Farin. Siliginis, piperis longi cort. granator. gallar. turc. ana* ʒß. *ſem. hyoſcyami, caryophyllorum, opii thebaici, aluminis uſti. ana* ℈j.

Miſc. & cum ſuc. inſpiſſ. rad. Pyrethri fiat Maſſa pilularum; Ex qua poſtea cum Ol. Origani Cret. & Camphoræ ana ſ. q. fingatur pilulæ oblongæ.

Vires & Vſus. Dentibus dolentibus impoſitæ ſubitò medentur; firmiores eos reddunt, Vermiculos in eorum cavernis deliteſcentes enecant, necnon fluxiones omnes ad gingivas lapſas extrahunt.

Pilulæ Odoriferæ.

℞. *Styracis calamit.* ʒij. *aſſæ dulcis,* ʒj. *Rad. Ireos,*

Ireos. ʒß. *Galliæ moſchat. ſantali citrin. ana* ℈j. *ol. ſtil. roſar. veri*. ℈ß.

Miſc. & cum modico infuſionis tragacanth. cum aqu. Cinamomi fact. fiat Maſſa, de qua formentur pilulæ dentibus excavatis imponendæ.

Vires, Vſus, Doſis. Fœtorem dentium excavatorum relegant; nec non, immiſſæ & retentæ, ſuaviſſimum & dulciſſimum faciunt anhelitum.

Pilulæ de Origano Cretico.

℞. *Origani Cretici*, ℈j. *galiæ moſchat. veræ, caſſiæ lig. aloes, ſantali citrin. Ireos flor. ana* ʒß. *ſtyracis calamit. aſſæ dulcis, caryophyllorum, galang. min. nuc. moſchat. cubebarum, macis, ana* ℈j.

Miſc. & cum Conf. Alkermes in aq. Majoranæ diſſ. f. Maſſa pilularum, ex qua poſteà cum Ol. Stil. Roſar & Cinamomi ana ſ. q. formentur pilulæ ad quantitatem cicerum.

Vires, Vſus, Doſis. Facta purgatione, & præmiſſis univerſalibus, de his pilulis 3. vel 4. aſſumptæ, mirabiliter fœtorem oris & naſi, ſive per conſenſum à Cerebro, ſive à Stomacho ortum, emendant, corrigunt, & anhelitum gratiorem & jucundiorem reddunt. Inſuper ventriculum confortant & concoctionem juvant.

Pilulæ Roſatæ.

℞. *Scammonii roſat*. ℥ß. *Mag. Jalappæ, Turbethi ana* ℈ij. *Tartari vitriolat*. ℈j. *Ol. Stil. Roſar. veri* Scr. s.

Miſc. & cum Sp. Roſar. f. pilulę ex quolibet Scrupulo Num. 9.

Vires, Uſus, Doſis. Valentiſſimè bilem dejiciunt, quam à ſanguine exhauriunt: necnon craſſam lentamque pituitam vacuant, atque hanc à Ventriculo, Thorace, nervis ac remotioribus artubus educunt. Doſis à ſcr. j. ad Drach. s. & ſcr. ij.

Pilulæ Polychreſtæ.

℞. *Ext. polychreſt. noſt. ſcammonii roſat. ana* ℥ß. *tartari vitriolat*. ʒj.

Miſc. & cum ſpir. Aniſi f. l. a. Maſſa pilularum, ex qua poſteà cum Ol. Majoranæ fingantur pilulæ.

Vires, Uſus, Doſis. Quòd ad quam plurimos totius corporis affectus maximè ſint utiles, & omnes ferè purgent humores, polychreſtæ appellantur: Quapropter ad complicatas & diuturnas Febres, Quartanas, Melancholiam, Apoplexiam, Epilepſiam, variosque Capitis, Oculorum, Ventriculi, ſplenis, Jecinoriſque morbos valdè probantur: Ex iis enim pituitam & utramque bilem efficaciter expurgant. Adverſus Podagram & Arthritin etiam inſigniter proſunt. Doſis à ſcr. j. ad Drach. s. & ſcr. ij. præſertim in robuſtioribus.

Pilulæ Melanogogæ.

℞. *Maſſ. pil. Indarum*, ℥ß. *lap. lazuli præp. ſcammonii roſat. ana* ʒij. *ext. troch. alhandel, hellebori nigri, Jaloppæ, ana* ʒiß *eſſ fol. ſenæ Alexand. hyperici, ana* ʒj. *croci oriental. præp. epithymi, ana* ʒß. *ſpicæ Indicæ, caryophyllorum. ana* ℈ß.

Miſc. & cum Conf. Alkermes in aq. Roſarum diſſolut. fiat Maſſa pilularum; ex qua poſteà cum Ol. Citri formentur pilulæ.

Vires, Uſus, Doſis. Ut per has pilulas humanus intellectus quaſi deperditus reſtauretur, ſecretiſſimè teneantur: Propriè enim valent ad mentis alienationem, Maniam, Melancholiam, & inde ortum timorem. Item, ad omnia vitia ex humore melancholico nata; Cancrum nimirum, Lepram, Elephantiaſin, Quartanam, Icterum nigrum, ex vitio Lienis procreatum, conferunt. Sanguinem inſigniter defæcant, & ſeroſa excrementa ita largiter evacuant, ut omnes hiſce utentes ſemper tam mentis quam corporis ſanitatem recipiant. Doſ. à ℈j. ad ʒß.

Pilulæ Hydragogæ.

℞. *Turbith. mineral. veri*, ℥ß. *ext. hellebori nigri, colocynthid. ana* ʒiij. *Rhabarbar. elaterii, ana* ʒj. *mag. corallor. roſat. hyacinth. præp. ana* ʒiß. *croc. metallor. abſinthiac. gum. de Peru roſat. ſpir. vitrioli dulc.* ʒß.

Miſc. & cum Ol. Macis, Caryophyllorum, Cymini & Cinamomi ana ſ. q. f. l. a. Maſſa pilularum; Ex qua poſteà cum Ol. Chamomillæ formentur pilulæ.

Vires, Vſus, Doſis. In Cachexia, Hydrope, Scabie, Serpigine, Impetigine, Pruritu, &c. Catharticum eſt ſtupendum, imò ſpecificum: Craſſos enim & ſeroſos humores expurgat, & viſcera nutritionis corroborat. Præterea in Podagra, Icteritia, Lue Venerea, cujuscunque etiam ſpeciei gradus atque ætatis; necnon in omnis generis inveteratis & peſſimis ulceribus, Lupo, Cancro, Fiſtulis, & hujus ordinis aliis: Item in omnibus Febribus continuis & intermittentibus remedium eſt appropriatum. Doſis à ℈ſ. ad ℈j. plus minuſve. Exhibeatur autem bis in hebdomade, ſi vires ferant.

Pilulæ Spleneticæ.

℞ *Gum. Ammoniaci in aceto ſquillitico diſſolut. & ad juſtam conſiſtentiam coct*. ℥j. *chalibis cum aceto Tamarind. præp. ext. rad. filicis, ana* ℥ß. *tartari Vitriolat. aloes non lotæ. ana* ʒij. *mag. myrrhæ rub. maſtichis ã.* ʒj. *ſal. abſinthii, ſcolopendr. centaur. min. ana* ʒß. *ſem. fraxini, croc. orient. ana* ℈j.

Miſc. & cum Suc. Fumariæ inſpiſſ. f. l. a. Maſſa pilularum, quæ conſervetur in aluta madefacta Ol. Benzoin, poſteà tempore uſus cum Ol. Roriſmarini formentur pilulæ.

Vires, Vſus, Doſis. In omnibus deploratis Lienis & Jecinoris obſtructionibus & doloribus miranda præſtant; Splenem enim modeſtè aperiunt & confortant, necnon (præmiſſis tamen univerſalibus, videlicet, Medicinis attenuantibus & alvum ſubducentibus) ejus duritiem, tumorem & diuturnum ſcirrhum pedetentim & ſine moleſtia tollunt. Debent etiam ante & poſt harum pilularum uſum clyſteres & ſuper locum affectum fomentationes adhiberi. Doſ. à ℈j. ad ʒß. mane ſeu veſperi ratione morbi & complexionis.

Pilulæ Pectorales.

℞. *Sac. Glycyrrhiz. in aq. pector. noſt. diſſol. colat. & ad juſtam conſiſtentiam iterum coct*. ℥ß. *ſpec. diaſaturni noſt. diaſulphuris noſt. ana* ℥ß *ext. rad. myrrhidis, ſacchari candi alb. ana* ʒij. *flor. benzoin. ſem. cydoneor. ana* ʒj.

Miſc. & cum Diacodio crocat. noſt. fiat l. a. Maſſa pilularum, ex qua poſtea cum Ol. Aniſi & Fœniculi formentur pilulæ.

Vires, Vſus, Doſis. In Catarrhis & morbis pectoralibus, utpote Tuſſi, Aſthmate, Diſpnœa, Orthopnœa, Phthiſi, Hectica, Pleuritide, &c. commendare voluimus. Doſis à ℈j. ad ʒj. manè & veſperi.

Pilulæ Peruvianæ.

℞. *Mag. gum. Peruviani opt. ext. panchymag. noſt. ana* ʒvj. *acidi tartari*, ʒiß. *ſpir. vitrioli rect*. ℈j.

Miſc. & fiat ſ. a. Maſſa, ex qua poſtea cum Ol. Chamomillæ Rom. formentur pilulæ, ex quolibet ſcrupulo Num. v.

Vires, Vſus, Doſis. Ad humores ſeroſos & craſſos evacuandum in Cachexia, Hydrope, Arthritide, Scabie, Icteritia, obſtructionibus Hepatis & Lienis, &c. item in Febribus quotidianis & tertianis, hiſce quotidiè tanquam experta medicina utimur feliciſſimè. Doſ. à ℈j. ad ʒß. & ℈ij. præſertim in robuſtioribus.

Pilulæ Terebinthinæ.

℞. *Terebinthinæ Cypriæ in ſucco Limonum lotæ*, ℥iß. *ſuc. Portulacæ inſpiſſ* ʒvj *extr. rad. Glycyrrhiz. rhabarbari, tartari vitriolati, ana* ʒij. *ſpong. in arbuſt. roſ. ſylveſt.*

Sylveſt. natæ Off. Meſpilor. an. ℥ j ß. *ſal. ſuccini alb. nitri præp. ana drach. j. mag. lap. percar. piſc. oc. cancri ana drach.* ß.

Miſc. & f. l. a. Maſſa pilularum; Ex qua poſteà cum Ol. Citri rect. formentur pilulæ.

Vires, Uſus, Doſis.

Mirum in modum ad frangendum Renum calculum & ciendas urinas conveniunt, præcipueque calidioribus naturis conferunt; Tartarum enim & arenulam ad miraculum uſque expellunt, Gonorrhœam & id genus alia curant, nec non Hepatis Lieniſque obſtructiones liberant. Doſis longè à cibo à drach. ß. ad drach. j.

Pilulæ Stipticæ.

℞. *Suc. glycyrrhiz. ext. unc.* ß. *ſpec. diaplantaginis, diamartis ana drach. iij. laudani opiati drach. ij. fung. betulini, coag. leporis, camphoræ ana drach.* ß. *ung. equi uſta, ſandaracæ, olibani ana* ℈ j.

Solvatur ſuccus Glycyrrhiz. in vino granatorum, & f. l. a. Maſſa pilularum, Ex qua poſteà cum Ol. Nuc. Moſchat. & Caryophyllorum formentur pilulæ in modum cicerum, quæ deaurentur.

Vires, Uſus, Doſis.

Omne alvi profluvium à quacunque cauſa ortum cohibent & ſanguinem à quacunque parte emanantem coercent; nec non uterinos fluores omnes ſiſtunt, placideque compeſcunt, dolores mitigant, & ſomnum inducunt. Doſis à Scr. j. ad drach. ß. veſperi eundo cubitum.

Cicera Tartari.

℞. *Terebinth. Cypriæ, in aq. violarum lota & in eadem ad juſtam conſiſtentiam coct. unc. ij. acidi tartari unc. j. ſpec. dia-Ireos ſimpl. drach. ij. nitri præp.* ℨ j.

Miſc. & manus immittendo in aquam violarum frigidam, formentur pilulæ ad quantitatem Cicerum.

Vires, Uſus, Doſis.

Feliciſſimè utimur in omnibus ægritudinibus tartareis à craſſiore materia genitis: Hinc per experientiam cognoviſſe licuit, quoſdam harum pilularum uſu inſtantes dolores podagricos adeò præcaviſſe, ut iidem aliquot annis non vel tardius tardierint, aut in quibuſdam mitius ſaltem afflixerint, & citius deſierint. Commendabiles quoque ſunt in omnium viſcerum & venarum obſtructionibus, Hemicrania, Ictetitia, Contracturis, Hydrope, Febribus, Menſium retentione, &c. Calculos Renum & Veſicæ (ipſum Ventriculum & proximè vicina membra non ſolum levando, ſed & iiſdem ſingulare robur ſuggerendo) communiunt atque expellunt. In Aſthmate, Tuſſi, Phthiſi, &c. aliiſque morbis pectoralibus, harum pilularum uſus etiam valdè celebris eſt. Interdum per ſudores & urinas operantur, prout natura ægri in hanc vel illam pronior fuerit aut propenſior. In præſervatione Doſis ſingulis Lunæ quadris à ℨ ß. ad ℨ j. in curatione autem quotidie manè in aurora à ℨ j. ad ℨ j ß.

Pilulæ de Sandaraca.

℞ *Sandaracæ elect.* ℥ ß. *Ext. polypodii tartari albi ana* ℨ *ij. ſuccini alb. præp. piperis nigri aluminis rochæ ſarcocoll. rub. ana* ℨ ß. *laccæ ablutæ nitri præp. ariſtoloch. rot. ſem. rutæ. ſylveſt. petroſelini ana* ℈ j.

Miſc. & cum ſuc. inſpiſſat. Centaur. min. f. maſſa pilularum, & ex quolibet ſcrupulo formentur pilulæ duæ, quæ deaurentur.

Vires & Uſus.

Pingues extenuant, nec non omnem carnoſitatem præter naturam corpori humano additam attenuant. Detur autem omni die pilularum una, quando ſurgit à lecto.

Pilulæ de Sabina.

℞. *Sal. herb. ſabinæ p. j. ol. ſtil. ejuſd. p. j.*

Mixta hermeticè ſigilla, igne philoſophico coque, donec lapidis duritiem acquirant, poſtea.

℞. *Maſſ. Pil. Aloephang. noſt.* ℥ j ß. *lapidis hujus præparat.* ℥ j. *borrac. venet* ℨ *iij. ext. ſpec. dialaur. noſt. flor. centaur. min. herb. ſabinæ ana drach.* ß. *croci orient. ſcrup. j.*

Miſc. & cum Ol. Bac. Juniperi f. l. a. Maſſa pilularum, ex qua poſtea cum Ol. Cinnamomi & Macis formentur pilulæ.

Vires, Uſus, Doſis.

Adeò feliciter obſtructiones uterinas reſerant menſeſque retentos copioſe movent, ut meritò inter arcana medica, muliebria ſcientia, primas obtineant. Doſis manè & veſperi à ℈ j. ad ℨ ß.

Pilulæ Uterinæ.

℞. *Maſſ. pil. Aloephang.* ℥ j. *fæc. bryoniæ* ℨ j. *ſal. jovis Anglici, matris perlar. corallor rub. ana* ℨ ß. *ext. caſtorei veri, callor. equar. ana* ℈ j. *ol. angelicæ* ℈ ß.

Miſc. & f. l. a. Maſſ. pilularum, ex qua poſtea cum Ol. Succini rect. formentur pilulæ, quæ deaurentur fortiter.

Vires, Uſus, Doſis.

Specificum & peculiare medicamentum ad uteri ſtrangulatum: Fœminas enim hyſterico pathemate quaſi ſuffocatas feliciter excitat. Doſis à ℈ j. ad ℨ ß. auroris aliquot continuis.

PIMPINELLA.

Pimpinella recens vocabulum eſt (ut & Bipinella, à foliorum binis ordinibus pennatim ſeu plumatim, digeſtis ſumptum, vel à forma ancipitis ſecuris ſive Bipennis. Sanguiſorba dicitur, quòd ſanguineos fluxus ſiſtat & ſorbeat.

Hujus *notæ genericæ* ſunt folia pinnata, ſpicæ craſſiores è ſeminibus denſe ſtipatis ſemina tetragona, quibus floſculi inſident.

Vires. Quæ de hujus viribus traduntur ad duo capita reduci poſſunt. 1. Quòd ſit cardiaca & alexipharmaca. Hinc virens vino injicitur ad cor exhilarandum, eique gratiam conciliat communicato ſapore & odore aromatico. Melonis æmulo: præſervat etiam à peſte & morbis contagioſis. 2. Quod ſit aſtringens. Hinc uſus ejus in profluviis menſium eximius, in fluxu alvi, hæmorrhagia quacunque, in vulneribus & ulceribus ſiccandis glutinandis & ſanandis.

D. Bovvle pulverem herbæ aut radicis exſiccatæ cum ſaccharo roſato exhibere ſolitus erat in hæmorrhagia narium, ſputo ſanguinis aut tabe pulmonum, idem inſperſus (ſine ſaccharo) ulcera cancroſa compeſcit ne latius ſerpant.

In mictu ſanguinis laudat conſervam ſuperbibita aqua Solenander 3. Conſil. 27. Idem non repudiarit radicem conditam ſaccharove obductam.

An herba aſtringens utilis eſſe poſſit in arena & calculo, ut nonnulli volunt lectori conſiderandum proponimus: item an lieni indurato, a ↄ Aſciti incipienti conducat.

Henrici II. Galliarum Regis venator bona fide aſſeveravit Pimpinellam ad præcavendam hydrophobiam tantam vim obtinere, ut quicunque eam aliquot diluculis, vel in acetariis, vel alio quovis modo præparatam comederit, nihil inde incommodi ſentire poſſit. Palmar. de morſu canis rabidi.

Panchovius refert Regem Chabam, finito quodam prælio 15000. vulneratos uſu Pimpinellæ reſtituiſſe.

Pimpinella Saxifraga Hircina.

Nomina. Pimpinella ſaxifraga *Ger.* Sax. hircina major *Park.* Sax. major umbellâ candidâ *C.B.* Saxifragia hircina major *I. B.*

Radix alba, ſimplex, minimi digiti craſſitudine, recta in terram deſcendens, paucis fibris donata, ſapore fervido, folia longis inſident pediculis, pinnata, tribus aut quatuor pinnatarum conjugationibus ad mediam coſtam annexis: ſii odorati umbelliferi ſimilia, atrovirentia, ſplendentia, ſapore ignaviore multo quam radix, pinnis circa margines dentatis, & nonnunquam altius inciſis, averſa parte hirſutis, ſupinâ lævibus. Caules ſeſquicubitales & altiores teretes, ſtriati, glabri, inanes, ramoſi & geniculati, ſummis caulibus & ramulis inſident umbellæ floſculorum albentium.

Minutorum: quibus ſuccedunt ſemina pro plantæ magnitudine parva, brevia, ſtriata; nulla ad exortum radiorum umbellæ totalis aut partialium apponuntur foliola.

In ſylvis agro Cantabrigienſi & Bedfordienſi, Cantiano quoque & alibi etiam in Anglia obſervavimus.

In hoc genere folia interdum in lacinias diviſa nos quoque poſt Cluſium obſervavimus.

Pimpinella ſaxifraga major umbella rubente *C. B.* Saxifr. maj. flo. rubente *Park.*

Quomodo à præcedente differat inquirendum. Cluſius tantum ejus varietatem facit. *Raius.*

Hujus plantæ vis ex ipſo nomine ſatis patet, ſiquidem radix quæ hircum redolet, quæque multæ eſt acrimoniæ cùm deguſtatur, non parum valet in deturbandis arenis ac materiis pituitoſis renes obſtruentibus, ut & etiam in pulmonibus ab infarctu craſſo liberandis.

PINASTER.

Nomina. Pinus ſylveſtris *C. B.* Pynus ſylv. vulgaris Genevenſis & Tæda *I. B* an pinaſter Auſtriacus major, albus & niger ejuſdem? item Pinaſter, ſive Pinus ſylv. Hiſpanicus major Clus? *I. B.* id eſt, Pinus maritima altera *C. B.* Pinus ſylveſt. mugo *Ger. Ico.*

Caudicem habet interdum diſtortum, ſæpiſſime tamen rectum: cortex in inferiore arboris parte plenus eſt rimarum atque ſcaber, colore quodammodo cineraceus; in ſuperiore tamen parte plenus ſquamarum & rubicundus, in ramis tenerioribus lauri modo liveſcit. Surculos ramorum habet fragiles, qui ſi franguntur apparent inter corticem & corticem minuti pori, ex quibus reſina exudat. Adultæ arbores ramos minime rectos ſed ſinuoſos. Folia habent tenuia, rigida, multo longiora foliis abietis & piceæ, ſemper gemina ab uno veluti tubulo exeuntia, in ipſo exortu connexa, in interiore parte, quâ ſe ſe conſpiciunt, concava, acuta, pungentia, guſtu adſtringentia, undiquaque ramos veſtientia.

Coni ex compactili ſquamarum acervo ſunt turbinati; ramulis pediculi brevi, in nonnullis recto, in aliis adunco, ad latera ita firmiter adhærent, ut cùm novi erumpunt anniculi adhuc in ramis hæreant; quamprimum inaruerint dehiſcunt. Squamæ ſunt oblongæ, ſub quibus ſemen latet nigricans, magnitudine Aniſi, alatum, plenum albâ medullâ.

Arbor hæc optimam fundit reſinam.

Deſcriptio hæc in reliquis bene convenit Pinui Sylveſtri a nobis in Suevia, Bavaria, Auſtria, & alibi in Germania paſſim obſervata, ſola ſeminis parvitate differt. Noſtra folia habet longa, in viriditate nigricantia, conos ſatis grandes, minores tamen quam pini ſativi, oblongos, turbinatos, ramorum alas ſpectantes & reflexos, nucleis parvis, nec mali vulgaris nucleis multo majoribus, quibus è figura ſicca accedunt.

Habetur in viridariis noſtris frequens in Anglia, & ab hortulanis vulgo Pinus montana, dicitur. Excreſcit autem in magnitudinem & proceritatem eximiam, quamvis cum ſylveſtris & ſuæ ſponte ſit, plerunque pumila manet in Germania.

Hæc proculdubio eſt quam Bellonius libro Coniferarum deſcribit ſub piceæ nomine, caudice, cum in arborem excrevit, contorto, rubro cortice veſtito, rimis hiulco, ſinuoſis ramis, fragilibus, coma in latum expanſa, mediocri magnitudine, &c vide. Pinaſter Auſtriacus major Clus. Duorum eſt generum, adeò inter ſe ſimilium, ut pauci niſi materiæ cæſores diſcernere queant. Alterum tamen genus lætiore cortice, majore cono. Alterum verò craſſiore plerunque eſt caudice, ſcabriore cortice, foliis paulo craſſioribus ac minore cono.

Pinaſter ſive Pinus ſylveſt. Hiſpanica major Cluſio, in Aquitania, inque Pyrenæis & pleriſque aliis Hiſpaniæ locis frequentiſſima, quæ ipſo monente, à pinaſtro i. Auſtriaco albo parum & ſolis fortè natalibus differt, in Pini ſativi altitudinem excreſcit, interdum etiam ſuperat. Nobis obſervatæ quamvis ſatis grandes & proceræ, minores tamen erant ſativis.

Sunt ergo noſtrâ ſententiâ Pinus ſylveſtris vulgaris Genevenſis J. B. Pinaſter ſive Pinus ſylveſtris Hiſpanica major ejuſdem. Item Pinaſter Auſtriacus major albus, & niger, una eademque Pini ſpecies, ut & ipſe Joan. Bauhinus ſuſpicatur, Quamvis, ut verum fatear, deſcriptio Pini Sylveſtris Genevenſis Jo. B. huic arbori non bene conveniat: nec enim Coni in hac parvi & breves & non turbinati ſunt, ſed rotundiores, fragili & breviori pediculo adhærentes ramis, verum è contrario magni, & longi, & turbinati, ut ſuperius diximus.

Uſus. Ex hujus arboris inferiore parte, radicibus viciniore fiunt aſſulæ illæ pingues ad ignem accendendum, & lumen præbendum idoneæ, magni per multas Germaniæ Provincias uſus. Strangulat enim humor ad radices deſcendens ipſas arbores ſic ut in Thædam vertantur, de qua Aſſulæ. *Raius.*

Ex hâc arbore exudat lachryma illa quæ Reſina pini vocatur, quaque per combuſtionem ligni cui adhæreſcit, quod laminatim & per vices exſcinditur, in picem nigram convertitur.

De THÆDA.

Tranſeunt in *Thædam* quandoque picea & larix, ſed raro admodum: pini enim ſylveſtris proprius ac peculiaris morbus eſt. In Thædam autem arbor converſa dicitur cum non modo cor ejus, ſed & reliqua ſubſtantia

tia in pinguedinem mutata eſt. Hinc inquit J. Bauhinus) Plinius non abſque errore Thædam ſui generis arborem eſſe exiſtimavit, & ſextum coniferarum genus ſtatuit. Plinium pariter erroris inſimulant Matthiolus, Bellonius, Caſp. Hofmannus, Bodæus à Stapel, aliique. Ego potius cum Delechampio, Cluſio, Parkinſono ſentio, Thædæ vocabulum ὁμώνυμον eſſe, & nunc pini reſinoſum & pingue lignum (τὴν δᾷδα) ſignificare, quod Lucernæ candelæve loco utatur. Nunc arborem ſui generis Theophraſto ignotam.

Quoniam aſſularum Thædæ ad lucernas uſus eſt, hinc Thæda pro face quacunque, præſertim nuptiali, accipitur.

At tibi ignarus thalamos tædaſque parabam.

Ovid. Metamorph. 1.

Ex hoc genere in Aquitania, apud Cantabros & aliis Hiſpaniæ locis, indigenas reſinam colligere obſervavit Cluſius, & nos etiam nec in Aquatania ſolum ſed etiam in Gallia Narbonenſi, ubi arbores vulnerantur ejus rei cauſa, ſingulis annis novo vulnere ſupra annotinum inflicto, donec ad decem aut duodecim pedum altitudinem perveniente humor ab ea parte manare deſierit. Tum demum ſimili modo ex alia parte, ac deinde alia aperitur.

PINEOLATUM.

Pineolatum ſeu *Pignolatum* eſt paſtæ genus, quod paratur ex pineis mundatis in ſaccharum liquatum immerſis, & ad ſacchari roſati conſiſtentiam coctis.

Ut autem pinei rancorem omnem deponant, debent prius in aquâ diem integrum, aut ſaltem dimidium macerari, & ſaccharum in roſacea liquari: ſic enim confectura guſtui erit amicior, ut & olfactui ſi moſchi aliquot grana commiſceantur, ut in multis bellariis interdum fieri videmus, quæ in Principum menſis apponuntur. Uſitatior autem conficiendi pineolati formula hæc eſt.

℞. *Sacchari paulò infrà conſiſtentiam electuarii ſolidi in aquâ roſarum cocti* ℔ ß. *Miſce pinearum mundatar. & in aquâ ſubinde mutatâ per* XII. *horas infuſarum* ℥ ij. *dein rudicula agitentur ſimul ut probè tota maſſa ſubigatur, cui antequam planè refrixerit adde moſchi* ℈ j. *f. paſta.*

De ea formentur cylindri ſuper chartâ reponendi, & exſiccandi, ut indureſcant. *Renodæus.*

Pineolatum album è *Pharm. Auguſt.*

℞. *Pinearum mundat.* ℔ j. *Sacchari albiſſ. in ſucco limonum diſſol & albuminibus ovorum clarificati tantundem F. ut artis eſt.*

Pineolatum viride ex *eadem Pharmac.*

℞. *Piſtacior. præpar.* ℥ j. *nucleor. pineor. mundat.* ℥ ij. *cinnam. acuti* ℥ ß. *zinziberis* ʒ j. *caryophyllor. nucis moſchatæ ana* ℥ ß. *macis* ℈ ij. *ſacchar. alb. in ſucco betonic. diſſoluti* ℔ j. *f. ſ. a.*

Hæ compoſitiones valent in tabidis, conſumtis, extenuatis, & corporis refectionem exigentibus; plurimum enim roborant, ac nutriunt.

PINEI NUCLEI, vid. *Pinus.*

PINGUEDO, vid. *Adeps.*

PINGUICULA.

Pinguicula Geſnero dicitur quòd folia ejus ad tactum pinguia ſint, ac ſi oleo aut butyro oblinerentur.

Nomina 1. Pinguicula Geſneri *I. B.* pinguicula ſive ſanicula Eboracenſis *Ger. Park.* Sanicula montana flore calcari donato *CB.*

J. B. Fibris aliquot albis pro plantulæ modulo ſatis craſſis, non admodum altè in terram demiſſis radicatur. Folia per terræ ſuperficiem ſparſa ſex aut ſeptem, & interdum plura, pallidè ex luteo viridia, pinguiuſcula & nitida ac ſi oleo aut butyro oblinerentur, binas uncias longa, unciam circiter lata, per extremum nonnihil obtuſa, marginibus æqualibus & minime crenatis. (Supina folii ſuperficies brevi admodum lanugine curioſe intuenti obducta cernitur.) Inter hæc ſurgunt pediculi aliquot palmares aut altiores, quorum unicuique in ſummo faſtigio hæret flos unicus purpuro violaceus aut albus, violæ ſimilis, monopetalos tamen, calcari longo donatus, in quinque ſegmenta diviſus. (Noſtratis flos fere ſemper dilute purpuraſcit aut ex pallida purpura cæruleſcit.)

In paluſtribus humidis, & montoſis udis ubi aquæ ſcaturiunt ſæpius occurrit.

Nomina. 2. Pinguicula flore albo minore, calcari breviſſimo.

Hanc in ſummitatibus montis Juræ locis udis reperimus.

Nomina. 3. Pinguicula flore amplo purpureo, cum calcari longiſſimo.

Hanc unà cum priore iiſdem in locis obſervavimus. Floris colore ſature purpureo, ejuſdemque magnitudine & calcari prælongo, tum à præcedente, tum à vulgari noſtrate differt.

Nomina. 4. Pinguicula Cornubienſis flore minore carneo.

Folia huic circa margines reflexa ſunt & velut convoluta, pellucida ferè, & venis rubentibus ſtriata. Fores quam in vulgari noſtrate multo minores pallidiores & ad incarnatum colorem dictum accedentes.

In Cornubia locis paluſtribus obſervavi circa Kilkhamton & alibi.

Vires. Vulnera recentia & plagas curare dicuntur folia trita & impoſita. Succo ejus pingui & butyroſo illito tum manuum rimas, tum tumores & fiſſuras in uberibus vaccarum ruſtici ſanant. Hinc & ſaniculæ Eboracenſis ei nomen inditum. Plebs Wallica ſyrupum ex ea conficit, quo ſe ſuoſque purgant, quin & herbam juſculis incoquunt in eundem uſum. Purgat enim pituitam ſatis ſtrenue. Præterea unguentum ex ea conficiunt ad obſtructiones hepatis utiliſſimum.

Dalechampius aſſerit radicem piſtam & pro malagmate impoſitam tertio die curare iſchiadicos, eandem tritam & impoſitam locis dolore affectis quoſvis dolores ſanare, at radix nimis parva eſt quàm ut pinſi poſſit in hunc uſum. Camerarius teſtatur vulnerariam eſſe herbam, præſertim ad ramicem puerorum eximiam. *S. Paulus.*

Tingit crines flavedine, & inſervit inſtar gummi ad contorquendos mulierum capillos. Idem. *Raius.*

PINUS.

Pinus Arbor Latinorum quo nomine veteribus Græcis dicta ſit non levis eſt inter eruditos controverſia. Πεύκην veteres Græcos pro pinu uſurpaſſe J. Bauhino dubium non eſt. Idem videtur Caſparo fratri, Carolo Cluſio, Bodæo à Stapel. aliiſque doctoribus. mihi Turneri noſtri ſententia probatur, nimirum Theophraſtum πεύκην appellaſſe quam Latini pinum: Plinium autem πίτυν Græcorum pro pinu accepiſſe, quod Plinius pityocampas pinorum erucas vertat, non piceæ, Galeno etiam pityn pinum eſſe, ait enim pytin maximos ferre conos: veriſimile etiam putat Galeni tempore Græcos & qui eum ſecuti ſunt ſemper pityn pro pinu uſurpaſſe.

Πίτυς Theophraſto quæ arbor ſit nobis non conſtat, Joh. Bauhino pinaſtrum ſylveſtrem eſſe veriſimile videtur.

Nominum mutationis, & errandi anſam præbuiſſe videntur Arcades, qui (ut ſcribit Theophraſtus) quod cæteri πίτυν, πεύκην, contra quod πεύκην πίτυν vocarunt.

Vires & Uſus. Pini cujuſcunque cortices & folia refrigerant & aſtringunt, unde in dyſenteria & fluore menſium proſunt. Decoctum aut infuſum ſummitatum pinus in cerviſia aliove idoneo liquore ad calculum renum & veſicæ plurimum valere creditur, nec non ad ſcorbutum alioſque thoracis affectus, à turionibus pini mille hominum liberatos à ſcorbuticis affectibus refert Hofmannus in method. medendi.

Nuclei pinei ſaporis ſunt delicatiſſimi, ipſis etiam amygdalis præferendi: ideoque in Italia menſis ſecundis adjiciuntur. Caliditate temperati ſunt & humidi; maturant, leniunt, impinguant. Uſus præcip. in phthiſi & tabe, quia nutriunt bene, quamvis non omnino facile concoqui vult Dodonæus; in tuſſi & diuturnis pectoris vitiis per ſe aut cum melle aliove eclegmate, quoniam exaſperata leniunt; in nephriticis affectibus, ſtranguria, acrimonia urinæ &c. quos mitigant & dolores ſedant. Augent item & lac & ſemen genitale, ideoque venerem languentem excitant & naturam calefaciunt præſertim ſaccharo conditi. Totus conus ſeu ſtrobilus cum marrubio recenti decoctus (inquit Galenus) ſi poſtea addito melle modico iterum coquatur, donec ipſum decoctum mellis accipiat craſſitudinem medicamentum eſt ad thoracis pulmoniſque excreationes conveniens, veteri tuſſi & tabitudini conferens, ut Dioſcorides etiam teſtatur. Aqua ſtrobilorum aſtringit, ideoque utilis eſt ad faciei rugas delendas, mammarum incrementum impediendum, in procidentia matricis, &c.

Notatu dignum eſt quod obſervavit Cæſalpinus, & nos etiam ipſi, nucleos hoſce non bipartitos eſſe ut aliis plurimis, ſed velut in alveo novellum pinum continere, cujus radix interius ſpectat. *Raius.*

PIPER.

Earum quæ ambiguæ ſunt & incertæ ſedis principem locum ſibi vendicat famigeratiſſimum Aromaticum *Piper*, omnibus ſeculis, omnibus terris ad cibaria condienda expetitum. Cum enim qui plantam deſcripſerunt de floribus ejus altum ſileant, incerti ſumus an eos imperfectos & ſtamineos, an vero perfectos & petalodes obtineat, adeoque an ad genus earum quæ flore ſunt imperfecto, an potius ad earum quæ flore perfecto ſemine nudo ſolitario, referenda ſit.

Πέπερι vocem ἀπὸ τοῦ πέπτειν, id eſt, concoquere Etymologus deducit. Veriſimilius tamen eſt πέπερι peregrinum & barbarum vocabulum eſſe, ut χόμμι & κῦφι & pleraque in ι deſinentia: à Perſis profectum docet Galenus, qui proculdubio ab Indis hauſerunt, quibus (teſte Garcia) piper longum pimpilim dicitur.

Quæ de Pipere ejuſque ſpeciebus habent veteres Græci & Latini manifeſtè oſtendunt plantas piperiferas iis prorſus incognitas fuiſſe, eoſque rumores incertos & vulgi fidem ſecutos in ejus deſcriptione. Ruellius pro piperis ſpecie ſimilacem aſperam proponit, ut exiſtimat J. Bauhinus; Matthiolus Ribes nigrum. Nos incertis & ſuſpectis omiſſis deſcriptionem piperis è Clariſſ. Carol. Cluſii exoticis mutuatam dabimus.

Vires. Piper Dioſcoridi vim habet in univerſum calefaciendi, urinam ciendi, concoquendi, attrahendi, diſcutiendi, exterendi ea quæ pupillis tenebras offundunt. Commodum etiam eſt ad rigores per circuitum in febribus repetentes, tum ſi bibatur, tum ſi illinatur; & commorſis à beſtiis venenatis auxiliatur. Educit etiam fœtus, putatur & conceptionem impedire ſi poſt coitum apponatur: tuſſi quoque & omnibus circa thoracem affectibus commodum eſt tum ſi delingatur, tum ſi in potu accipiatur, Anginis item convenit illitum cum melle: tormina quoque diſſolvit cum teneris lauri foliis potum. Pituitam à capite detrahit cum uva paſſa manducatum. Dolores ſedat, & in ſanorum uſu multum eſt, ac appetentiam movet, & ad intinctus admixtum concoctionem adjuvat. At pice exceptum ſtrumas diſcutit. Deterget & vitiligines cum nitro.

Piperis radix coſto ſimilis eſt, calefacitque guſtum & humores provocat. Eadem ſi cum aceto bibatur ſplenem minuit; pituitam verò à capite detrahit cum ſtaphide agreſti commanducata. Hactenus Dioſcorides.

Uſus ejus præcipuus eſt in frigiditate & cruditate ventriculi. Magna differentia in eo eſt, ſi vel integrum ſumatur, vel in pulvere. Pulvis in ventriculo ſingultum facit, hepar autem & reliqua viſcera valde inflammat, qui ergo ventriculo conſulere volunt deglutiunt integra grana, ut rectè monet C. Hofmannus. Præſtat etiam carnes elixas & in furno coctas in artocreis &c. integro pipere condire quàm trito & comminuto, cum cibis enim coctum & maceratum ſatis acrimoniæ iis communicat, quod & facit integrum deglutitum, nec tamen ventriculo noxam aliquam aut moleſtiam: cum pulvis interiori ventriculi tunicæ muco oblitæ adhæreſcens aut in ejus rugas ſe inſinuans, vel cardialgiam, vel ſingultum in nonnullis conſtitutionibus excitet.

Extrinſecus in apophlegmatiſmis, gargariſmis, ſternutatoriis uſurpatur; ſedat odontalgiam, columellam tumidam imminuit, nervorum affectibus frigidis conducit. *Schrod.*

Vis piperis (eodem adnotante, & ante eum Galeno) volatilis valde eſt. Vitentur ergo, inquit, præparationes in quibus volatile evaneſcit, exempli gratia, extractorum.

Piper ejuſque oleum egregiè decantantur in febribus quartanis à Zacut. Luſitano, Langio, Kunrad. aliiſque.

Oleum piperis extrinſecus in paralyſi egregium eſt medicamentum C. Hofman.

Vulgus piper longum in paroxyſmo febrium exhibere ſolet: id quod non niſi in principio locum habere poteſt *Schrod.*

Non baccæ ſolum, quod proprie dicitur piper, acrimonia præditæ igneâ ſunt, ſed & tota etiam planta. Nam ex folia virentia, ſarmenta & radix, ſi maſticentur, prorſus linguam fauceſque urunt ac ſalivam, haud ſecus quam coſti pyrethrive radices movent.

Piper longum Indi linimentis addunt, quibus adverſus dolores artuum à frigore utuntur, & ita ut baſis hoc piper ſit, corpuſque addat ſantalum rubrum. Utuntur & contra venena, vertigines, catarrhos, oculorumque nebulas, & cum ſucceſſu.

Indorum plebs adverſus diuturnam ſtomachi languiditatem bibunt aquam cui infuſa eſt ſatis bona piperis copia: in eundem uſum quoque eliciunt ex pipere recenti ſpiritum mirè igneum. Utrumque cum adhuc viret, piper longum æque ac rotundum, condiri muria aut aceto ſolet, & condi in penum ad uſum

fami;

familiarem menſæque delicias. Ejus uſus frequentior menſibus pluvioſis & in phlegmatica corporis conſtitutione.

Piper longum intenta mordacitate præditum eſt, & ſubamarum, quoniam immaturum, antidotis item & theriacis medicaminibus opportunum. Dioſcorid. nonnulli ſtatim ab initio curationis uvulæ relaxatæ ab inflammatione pulvere piperis longi auxiliari conantur; quod quidem periculo non vacat J. B. *Raius.*

PIPER INDICUM ſive CAPSICUM.

Καψικὸν Actuario à κάπτω mordeo, quòd ſemen comeſtum mordeat, imò adurat. Siliquaſtrum Plinii eſſe vel inde conſtat (inquit Joh. Bauhinus) quòd Plinius Caſtore ſiliquaſtrum demonſtret caule rubro & longo, denſis geniculis, foliis lauri; ſemine albo tenui, guſtu piperis: & alio in loco, panax piperis ſaporem reddit, & magis etiam ſiliquaſtrum, ob id piperitidis nomine accepto. Plantam hanc ad ſolani genus referendam putamus ob folia & flores ſimiles, quamvis fructus non ſatis reſpondeat, nec tamen multum abludit, membranæ enim internæ quibus ſemina adnaſcuntur humidæ ſunt, & calloſæ, adeoque fructus de bacca participat.

Differentia in foliorum latitudine vel anguſtia: in fructus colore & forma colore qui in initio aliis viridis, aliis niger, in maturitate aut ruber, aut croceus, flavus, vel rarius albus: figurâ aliis longâ, eaque vel craſſa, vel gracili, vel incurvatâ: aliis brevis, eaque latâ cordula, vel rotunda ceraſi formâ vel anguloſa: & vel erecta, vel dependente: denique & caule piloſo, C. B.

Vires & Uſus. Eſt (inquit Gregorius Reg.) piper hoc Americanum tanta acrimonia præditum ut exulceret & puſtulas excitet ubicunque applicatur, neque ſolum id præſtat, ſed etiam ſiliquas tantummodo aperiendo & ſemen eximendo adeo acris exhalat vapor, ut per nares penetrans cerebrum ſubeat, & ex eo eliciat tantam eamque lentam & viſcidam materiam, ut admiratione dignum ſit, quin & guttur ingrediens tuſſim excitat, & adeo vehementem tonitum ut omnia viſcera rejici debere videantur; ſiliquas præterea & internas partes confringendo ſternutamenta valde excitat, & manibus confractas tractando tantam in iis inflammationem parit, ut aliquot horarum ſpatio aduri videantur, remediumque petendum ſit ab aquæ frigidæ aut vini lotione. Hæc omnia ſum expertus, inquit, dum ſemen è ſiliquis eximebam. Quinimo in ignem injectæ ſiliquæ gravem & tetrum excitant odorem qui nauſeam & faſtidium adſtantibus provocat. Imò ſi ſiliquæ particula prunis injiciatur intra triclinium aliudve conclave, fumus naribus exceptus omnibus quotquot in eo adſunt cerebri membranas vellicando immania & continua ſternutamenta movet, quæ non ceſſant donec vel fumus diffletur aere externo admiſſo, vel paulatim evanuerit, fuligine ſcilicet præcipitata, ut ſæpius experti ſumus.

Braſilienſes hæc Pimenta, ut vocant Luſitani, conferunt cum ſale, & mixturam illam vocant Inquitayu, eamque uſurpant ad cibos inter manducandum, ut nos ſalem: eandem quoque miſcent cum farina & piſcibus coctis exemptis ſpinis, ac mixturam illam appellant Pira-quya, quam uſurpant iter facientes. Bene ſapit & durat ad aliquot dies.

Modum præparandi hujus ſiliquas ad uſum docet frater Gregorius. In umbra primo ſiccant, deinde cum eis uti volunt, cum farina in vaſe ad id apto lento igne exſiccant: exſiccatas & à farina ac pedi ulis ſuis liberatas forcipe una cum ſeminibus ſuis minutiſſimè incidunt, & ad ſingulas ſic inciſarum uncias pollinis farinæ libram addunt & cum fermento panis inſtar pinſunt, maſſam probe fermentatam clibano coquunt, coctam in taleas ſcindunt, & denuo coquunt inſtar biſcocti tandem minutiſſime terunt & per cribrum tranſmittunt.

Admirabilis, inquit, eſt hic pulvis ad condiendum omne genus cibi: valenter enim ventriculi, & inteſtinorum flatus diſcutit, orexin excitat, cibis præſertim humidis & flatuoſis inſperſus bonum ſaporem conciliat, atque etiam vino; concoctionem juvat, urinam & menſes evocat, pituitoſos humores undecunque, potiſſimum coxæ adhæreſcentes articulis diſcutit & evacuat. *Raius.*

Piper aquaticum, vid *Perſicaria urens.*

Piperitis, vid. *Lepidium.*

PISCIS.

Generalis Aquatilium diviſio.

Omnia animalia aquatica, ſive in aquis degentia, ſunt, vel ſanguinea, vel exſanguia.

Sanguinea, Græcè Νήκτα ἔναιμα (quod natare ſit proprium aquatilium ſanguine præditorum,) Piſces Latinè, ſtrictim dicta, varias ſortiuntur differentias. Illuſtriores tamen eæ nobis videntur, quæ deſumuntur vel à locis, in quibus vivunt, vel à corporis integumento.

Pro aquarum in quibus degunt varietates, Piſces ſunt vel (1.) Θαλάττιοι, marini, qui in aqua marina, ſeu ſalſa vivunt, (2.) ποτάμιοι, Fluviatiles, qui in Fluminibus; (3.) λιμναῖοι, Lacuſtres, qui in Lacubus; (4.) Marini ſimul & Fluviatiles, qui in aquis tum ſalſis, tum dulcibus alternatim verſantur (5.) Piſcinarii, qui in divitum Piſcinis potiſſimum aluntur (6.) Τελματαῖοι paluſtres, qui in aquis deſidibus, præſertim paluſtribus reperiuntur.

Tegumentorum ratione, quidam ſquamoſi ſunt, quidam cute tecti, eaque vel aſpera vel lævi.

Præterea Piſcium alii ſunt ἀγελαῖοι, qui gregatim ſemper incedunt, ut Haleces, ſcombri &c. alii Σποράδικοι, qui ſolitarii natant.

Exanguia generalius diſpeſcuntur in (1.) mollia ſeu molliuſcula, (2.) cruſtacea, (3.) Teſtacea. *Charleton.*

Atque hæc pauca de Piſcibus in genere, quibus non ſanè opus eſt ut alia ſpecialiora impræſentiarum addamus,

PISUM.

Piſum à πτίσσειν tundere dictum exiſtimatur. Frangere legumina veteribus ſolenne fuit: aliis à Piſa quæ inter Oſſam & Olympum, in qua copioſè naſcitur. Gaſſend. verùm non memini uſquam de alia Piſa legiſſe quam quæ ſita erat ad Alpheum amnem in Elide Peloponenſi: aliis demum ἀπὸ τοῦ πίσειν quòd humi procumbat.

Notæ Piſi genericæ ſunt folia glabra, glauca, pinnis ampliſſimis caulem adeò arctè amplectentia, ut ab iis tranſadigi videatur, è paucioribus & majoribus in hoc genere lobis compoſita, caulis quàm congeneribus major & fiſtuloſior.

Piſi Deſcriptio generalis.

J. B. Generali quadam notione Piſa circumſcribemus, quorum differentias petet ſtudioſus Lector ex ſynonymis. In genere ergo hoc legumen, ſicuti alia brevis durationis, tenui eſt radice, fibroſa: caules fiſtuloſi, dum adhuc teneri ſunt fragiles, longi, alienæ opis indigi, & niſi palis ſuſtentententur procidui. Folia genicula adverſo ſitu ita complectuntur, ut ab eo tranſadigi videantur, quanquam in annatis ſurculis eorundem ſit pinnata diſpoſitio, eo quod ſurculi ſupereſt in capreolos tortiles, quibus proxima quæque arripit, abeunte. Flores ad genicula è foliorum ſinubus exeunt duo treſve ſimul in eodem ſurculo ſeu pediculo communi, formâ ad geniſtæ flores accedentes, ſed colore albo, vel purpureo, vel ex albo vireſcente, vel variegato. Siliquæ ſuccedunt binæ ferè, teriuſculæ, penſiles, bifores, ex carnosâ pulpâ, minus tamen multò quàm in faba, in quibus reclufis ad commiſſuram annectuntur piſa, aliàs majora, aliàs minora; nunc rotunda, nunc quadrata, aut alias inæquali ſuperficie, interdum alba, flava, rubra, fuſca, ſubcæruleа aut vireſcentia; color totius plantæ glaucus aut ex viridi caneſcens.

Vires & Uſus. Piſa cujuſcunque generis flatulenta ſunt, ideoque Turnerus omnibus quotquot ventriculum habent aut lienem flatibus obnoxium nimium eorum uſum quacunque ratione præparatorum fugiendum ſuadet, niſi addatur aniſum, aut cyminum, aut mentha, au aliud aliquid ἄφυσον.

Piſa alba & hortenſia, viridia adhuc, antequam plenam maturitatem adepta ſunt, in aqua cocta, & deinde butyro condita æſtivo tempore delicatiſſimum noſtratibus habentur ferculum, & nobilium menſis præcocia & verna inferuntur; nec valde flatulenta ſunt. Dodonæus medium quodammodo locum obtinere ait inter ea quæ boni ac pravi ſunt ſucci; multum ac parum nutriunt; facile ac difficile concoquuntur; tarde & cito deſcendunt, flatulenta ſunt & flatus expertia.

Eandem ſicca Tempore quadrageſimali juſculis incoquuntur, & ex iiſdem pultes fiunt, vulgo & etiam ditioribus acceptæ. Verum ſicca nobis multo flatu lentiora videntur quam viridia & recentia, palato & ventriculo delicatiorum minus grata.

Scholæ Salernitanæ piſa.

Sunt inflativa cum pellibus atque nociva;
Pellibus ablatis ſunt bona piſa ſatis.

Piſa nigricantia cum Avena mixta à noſtratibus pro equorum pabulo uſurpantur; in frequentiſſimo etiam uſu ſunt ad porcos ſaginandos. Dodonæus totâ ſubſtantiâ quandam cum fabis ſimilitudinem habere ſcribit, duobus ab eiſdem differre, tum quod non æquè ac fabæ ſunt flatulenta, tum etiam quod detergendi facultatem non habent, ideoque ſegnius quam illæ per alvum ſecedunt.

Piſa viridia cruda comeſta in ſcorbuto à piſcium & carnium ſalitorum eſu contracto inter navigandum, ſummopere commendantur.

Mart. Rulandus, referente J. Bauhino, in Balnear. lib. 1. claſſ. 3. cap. 1. ad ſcabiem, lepram, ulcera, & omnia cutis vitia balneo utitur ſæpius experto ex Piſis cum foliis quercus in aqua fluviali decoctis. *Raius.*

Pisa Artificialia *pro Fonticulis è Pharmac.* Bateana.

Piſa Lutea.

℞. Ochræ flavæ ℥ß. rad. iridis Florent. ʒ ij. ceræ ℥j. terebinth. q. ſ. ut formentur piſa diverſæ magnitudin. pro fonticulis apertis ſervandis.

Piſa rubra.

℞. Vermilii ℥ß. hermodactylor. ʒij. ceræ ʒvi. terebinth. q. ſ. ut f. piſa.

Piſa viridia.

℞. Virid. æris, hellebor. alb. ana ʒ ij. cantharid. ʒ j. rad. irid. Florent. ℥ i ß. ceræ ℥ vi. terebinth. q. ſ. vel fieri poſſunt ex cantharid. & viris æris ana ʒij. auripigm. ℈ß. ceræ ℥ ij. terebinth. q. ſ.

Pissasphaltum, vid. ſub titulo *Naphtha.*

PISTACIA.

Nomina. Piſtacia *Ger. I. B.* nux Piſtacia *Park.* Piſtacia peregrina fructu racemoſo, ſive Terebinthus Indica Theophr. *C. B.*

J. B Piſtaciæ arbor tradente Rauvvolfio trunco eſt craſſo, ramis expanſis, cortice obductis cinereo: in longa coſta è ramis propagata folia conjugatim diſpoſita habet, quanquam non uſque adeò exacte ſemper reſpondeant ſingulorum foliorum ortus. Sunt ea verò nunc ſubrotunda, nunc in mucronem acuminata, nervoſa, Terebinthi foliis, niſi iis majora eſſent ſimilia. Fructus officinis notiſſimi, Avellanæ magnitudine, oblongi, acuminati, una parte in gibbum criſtatum eminentiorem protuberantes, altera depreſſiori, in acutum faſtigiati, oppoſita parte, quà pediculi adhæſerunt veſtigium, obtuſi, lignoſo lento, fractu contumaci, ac propemodum inter oſſeum & cruſtaceum medio cortice, ſed tenui, lævi, candido tecti, cui rugoſus alius, ac fere aridus, coriaceus, tenuis & fragilis ſuperſternitur; colore ſupremo Amygdalæ putamini ſimilis, in exoletis niger, lignoſus cortex nucum modo in duas partes ſeparari ſolet, interdum ſua ſponte hians. Nucleum continent ruſâ pelliculâ conveſtitum in flavo vireſcentem, dulcedinis ſuaviſſimæ, pinguem, halitum etiam maſticatu commendantem, præſertim recentiores. Flores ramoſi, purpurantes Terebinthi.

Rauvvolfius folia rotunda huic arbori attribuit, & ſane iis quæ ex nucum ſatu nobis ortæ ſunt talia fuere. Sunt nobis (inquit Joh. Bauhinus, rami piſtaciæ in quibus folia acuta; & à Lobelio aliiſque folia acuta pinguntur, qua propter diligentioribus conſiderandum relinquimus an ſit aliqua inter piſtacias diverſitas.

Plerique Botanici hanc arborem pro Terebintho indica Theophraſti habent. Et ſane Terebinthi Indicæ deſcriptio apud Theophraſtum ſatis convenit Piſtaciæ. Verum cum in ipſa quoque India reperiatur arbor correſpondens, & quo nomine quoque conveniat, maluimus potius eò referre quæ de Terebintho Indica Theophraſtus ſcribit, quam ad piſtaciam, arborem autem illam demonſtrat Rauvvolfius, capite de Terebintho à nobis proponendam. Piſtacia Syriæ multis in locis reperitur, Rauvvolfius narrat, cum tenderet ex Tripoli in urbem Damand & Halepum, ſe vidiſſe circa urbem Sermin Sylvas arborum piſtachiorum, &c. circa Halepum quoque admodum vulgatam eſſe arborem.

Vires. Piſtacia ſtomacho grata ſunt. Eidem ſive edantur, ſive trita in vino bibantur, contra reptilium beſtiarum morſus opem ferunt Dioſc. Plin. alioqui eoſdem effectus habere quos pinei nuclei aiunt.

Galenus piſtacias tenuioris eſſentiæ eſſe ſcribit, ſubamari quid & odorati habentis: obſtructiones itaque liberare, maxime jecoris; verumtamen etiam thoracis, pulmoniſque, parum nutrire. Verum recentiores pleriquę apprime nutrire & venerem ſtimulare volunt. Quibus de cauſis Bellariis inſtaurantibus & reficientibus admiſcentur tum ab Hiſpanis, tum ab Italis & Gallis medicis; imò tantum illis tribuitur, ut vix ullum ſit medicamentum Analepticum ſine piſtacio. C. Hofmannus è contra fidenter affirmat falſam eſſe opinionem du πολυτροφίας, quinimo æſtuoſa eſſe ait calidioribus non minus quam Amygdalas. At venerem augent; & maximus earum uſus eſt in Italia, teſte Braſſavolo: quicquid faciunt flatuando faciunt ob excrementitiam humiditatem. Hactenus Hofmannus: cui ut & Galeno & ſequacibus oppono quotidianam experientiam & medicorum praxin; quibus plus tribuendum quam Hofmanni auctoritati, aut ipſius etiam Galeni

Oleum piſtaciorum potum internos dolores ſedare perhibet Matthiolus, quibus origo ſit à pituita viſcida & flatibus: idem prodeſſe contra ſpaſmum & paralyſin, & interno uſu facere ad generationem. *Raius.*

PYTIUSA, vid. *Eſula.*

PIX.

Pix non tantùm ex abietis, ſed ex Pinûs, & aliarum etiam arborum reſiniferarum lignis aſſulatim cæſis & in ſtruem compoſitis, eo quem ſupra explicuimus modo, rudi quadam per deſcenſum deſtillatione, vi ignis excoquitur.

Nonnulli ad uſus ſubitaneos è Pice liquida, ſiccam faciunt hoc modo; liquidam in cacabum ferreum infuſam ſuppoſito igne fervefaciunt eouſque ut flammæ concipiendæ apta ſit, deinde accenſam tandiu deflagrare ſinunt, donec abſumpto humore ſicca evadat, cujus cum in parva quantitate experimentum fecerunt, impoſito operculo flammam extinguunt.

Joh. Bauhinus Picis aridæ duo genera facit. Vel enim, 1. liquida eouſque tantum coquitur dum ad viſci craſſitudinem coacta ſit; atque hæc Βοσκὰς nominatur, fortaſſis quod in pellibus (τῶν βοσκημάτων) pecudum condeterur ac venderetur: aut quod pecudum ſcabiem ſanaret, aut quòd illitu greges privatim ſignaret. Officinis Pix navalis, quòd hac naves picantur: hæc ipſa cum pulveriſata injicitur aquæ ferventi & trahitur, ſive (ut loquuntur) malaxatur manibus ſevo inunctis fit ſutorum illa quâ fila cannabina inungunt, vel 2. Igne tam valido & tandiu continuato coquitur, ut abſumpto prorſus humore (per quem alias tenax eſt) fragilis ac raſilis fiat; hæc Græcis ξηρὰ πίσσα, Latinis Pix ſicca & arida, aut raſilis, dicitur.

Πισσέλαιον Dioſcoridi ſit è Pice ſeparato quod in ea aquoſum eſt, quòdque eidem velut ſerum lacti ſupernatat. Excipitur porro interea dum Pix coquitur expanſis ſupra eam mundis velleribus, quæ poſtquam halitu ex ea ſublato permaduerint in vas aliquod exprimuntur, iteraturque illud tantiſper dum Pix coquitur. Unde patet piſſelæum nihil eſſe quam ſerum picis ſeu aquam piſcis deſtillatam. Hoc Galenus piſſanthos florem picis vocat, piſſelæum autem picem liquidam cum Oleo permixtam. Ad eam facit ad quæ Pix liquida.

Zopiſſa eſt Pix navalis, ex cera & reſina conflata, deraſa ſcilicet ex navibus, quæ diu in mari verſatæ eſſent, ac (ut vult Plinius) velut vitam illuc peregiſſent: eaque per intentionem Zopiſſa, quaſi efficacior dicta, & quòd abjecto ſalis marini callo ſtimulata ſit, Ἀπόχυμα appellata fuit; multum digerentis habet facultatis. Doſ. in unguentis & emplaſtris ab ℥ß. ad ℥ j. & plures.

Picis uſum apud veteres duplicem fuiſſe rei ruſticæ ſcriptores tradunt: unum ad dolia & ſerias cæteraque vaſa ante quadrageſimum vindemiæ diem picanda: cujus uſus erat ad duratricem ſirmitatem vino præſtandam (inquit Plinius) ne corrumpatur, & ſicubi rimoſum vas ſit ne transfluat. Verùm cum hic mos dudum apud nos exolevit in vaſis ſaltem majoribus; qui modum ſcire deſiderat quo vaſa picabant, hunc ad eoſdem R R. ſcriptores remitto.

Picis alter uſus erat ad conditurás, ut vina infirma durare poſſent. Picis autem odor ſaporque Romanis olim fuit gratiſſimus in vinis, quæ ob id picata appellabant. De modo condiendi vina cum pice opportunior erit dicendi locus cum de vinis agemus. At neque ad vina condienda nunc dierum ullus, quod ſciam, Picis uſus eſt, unde nec de condituræ modis opus eſt, ut admodum ſolliciti ſimus.

Pice illita olim pilos avellere ſolebant è corporis partibus quas natura iis veſtitas eſſe voluit quod πιττοῦν & καταπιττοῦν Græci dicunt; qui mollium & effæminatorum mos erat.

Quin & pice corpora hominum torquebantur: unde καταπιττοῦν inter alia cruciatu & ſupplicio afficere ſignificat.

Vires. Facit pix liquida, tradent Dioſcor. ad lethalia medicamenta (venena Lugd) phthiſicos, purulenta excreantes, tuſſes, anhelationes, & humores intra pectus contectos ægre exſcreabiles, ſi cyathi menſura cum melle delingatur. Peruncta valet ad tonſillarum & uvæ inflammationes, & anginas, itemque ad aures purulentas cum roſaceo (Galeno concoquit duros & crudos tumores omnes cataplaſmatis indita) nec non & ad ſerpentium morſus cum trito ſale adhibita; pari vero ceræ admiſta ſcabiem detrahit (& impetigines Gal.) vulvæ tubercula ſediſque duritias diſcutit. cum farina hordeacea urinaque pueri decocta ſtrumas circumquaque rumpit. Cum ſulphure, pineo cortice, aut furfuribus illita quæ ſerpunt ulcera cohibet. Mannæ Thuris ac cerato permixta ſinuoſa ulcera agglutinat. Pedum ſediſve rhagadibus commode illinitur, ulcera replet & cum melle purgat. Quin & cum uva paſſa ac melle carbunculos putreſcentiaque ulcera emarginat. Septicis quoque ſeu erodentibus emplaſtris utiliter admiſcetur.

Calefactoriam vim habet Pix arida, mollit, pus movet, tubercula panoſque diſcutit, ulcera replet, ac utiliter vulnerariis medicamentis admiſcetur.

Pix liquida jumentorum & pecudum ulcera ſcabiemque illita ſanat. Noſtrates certe ovium & jumentorum ulceribus & vulneribus picem liquidam illinire ſolent, verum ad ea potiſſimum contra muſcarum injurias tuenda quæ locis crudis & ulceribus, ubicunque cutis deteritur & caro denudatur perpetuò inſidentes admodum moleſtæ eſſe ſolent, oviſque ibi depoſitis vermiculorum catervam ingenerare.

Norvvegici picem liquidam abiegnam cum cereviſia mixtam in febribus malignis magno ſucceſſu bibunt; iis etiam pix arida podagræ præſentaneum habetur remedium. Tho. Bartholin. Act. Med. An. 1675. Obſ. 131.

Pulverem inſuper & muſcum abietis vulneribus periculoſis inſpergunt. In affectibus ſcorbuticis medicamenta è pice præparata valde celebrantur à Claudero de Balſamandis Corporibus pag. 88. habui à D. T. R.

Oleum Templinum dictum fit ex conis viridibus piceaſtri per deſcenſum igne leni deſtiliat. Oleum hoc cum olei Roſacei partibus duabus mixtum ſolamen eſt in omnibus vulneribus, præcipuè capitis cum fractura oſſis, impetiginem quinetiam ſanat, verrucas conſumit. Wagnerus Hiſt. Nat. Helvet. p. 298. Tranſmiſit D. *Husle.*

Verum præcipuus picis uſus in quem ingens ejus copia quotannis abſumitur, eſt ad naves picandas earumque rimas & commiſſuras omnes obturandas & communicandas nequa ſe inſinuare poſſit aqua marina.

Cæterum reſina liquida quadruplex. Terebinthinæ nomine dicta officinis noſtri in uſu eſt.

1. Primò Terebinthina Cypria, Cyprius, Cyprus Turpentine, quæ genuina Terebinthi arboris lachryma ſeu reſina eſt, quam in capite de Terebintho deſcripſimus; Terebinthina è Chio ex eadem arbore.

2. Secundò Terebinthina Veneta, quæ laricis arboribus ad medullam terebratæ lata eſt.

3. Tertiò Terebinthina Argentoratenſis, quæ ex tuberculis Abietum novellorum colligitur. Vide cap. de Abiete fœmina. Hæc à multis Terebinthinæ Venetæ præfertur nec immerito, certè triplo pluris venit. In quibus à Veneta ſeu larigna differt Caſpar. Hofmannus docet. 1. Abiegna longe pellucidior eſt larigna; ideò quidam (ait Matthiolus) larignam colatam & ad ultimam claritatem perductam vendunt pro Abiegna. 2. Abiegna non tam lenta eſt & contumax. Sed ſubito abrumpitur ſi digito immiſſo attollatur. 3. Abiegna eſt odoratior, non larignâ tantum ſed ipſa etiam vera terebinthina: eſt autem odor Thuris. 4. Abiegna eſt amarior, & quodammodo refert ſaporem corticis mali Citrii. 5. Poſt annum incipit flaveſcere.

4. Terebinthina communis ſeu vulgaris. Hæc minus liquida & craſſior eſt reliquis nec pellucida, albicans, conſiſtentia ferè olei frigore nonnihil denſati; hanc Pinus montanæ ſeu ſylveſtris C. B. liquorem eſſe exiſtimo; ſiquidem à Maſſilia ad nos defertur; ipſe autem obſervavi non procul ab ea urbe montes hoc genus arborum ſylvis veſtitos, earumque plurimas deciſo non longe à radice cortice vulneratas ut reſinam funderent, eique excipiendæ fictilia truncis appenſa aut ſubjecta.

Thus vulgare officin. noſtrarum pineam reſinam eſſe affirmat Parkinſonus in terram defluentem & breviindureſcentem cui nos facile aſſentimur, quia ab eodem loco ad nos adfertur, nec aliæ ſint in vicinia arbores reſiniferæ.

Picem Burgundicam noſtratibus dictam idem Parkinſonus, Piceæ arboris reſinam eſſe exiſtimat, cùm primo effluit liquidam, tempore indureſcentem, ut tandem friabilis reddatur. Quod an verum ſit neſcio, necdum enim certi quicquam de ea comperi.

Suſpicatur Dom. Tancredus Robinſon, Thus vulgare officinarum non ſolum è pinu, ſed è picea, aliiſque arboribus reſiniferis effluere in terram, & ſaxa, ibique in micas indureſcere parte magis oleoſa evaporata; unde candida illa gemma cum reſinis ſæpe numero mixta, & à Plinio annotata inter mercatorum fraudes. Olibanum pretioſius, & rarius, hoc igitur ſit Arabicum, Thus vulgare Europæum. Atramentum illud fuliginoſum noſtratibus Lampblach dictum, nihil aliud eſt quam fuligo reſinæ vel picis concrematæ; propter quod officinas ædificant fumum eum non emittentes, olim ad attramentum ſcriptorium in uſu erat, & ad colorandum, adulteratur fornacum, balinearumque fuligine. Vide Plin. lib. 35. cap. 6. *Raius.*

PLANTA.

Planta (φυτὸν) definiente Jungio, eſt corpus vivens, non ſentiens, certo loco, aut certæ ſedi affixum, quod nutriri, augeri, ſe denique propagare poteſt.

Vita eſt unio ſeu conjunctio animæ cum corpore. animam voco principium illud internum, quodcunque tandem ſit, ſive ſubſtantia, ſive accidens, à quo operationes vegetabilium propriæ, uti ſunt nutritio, augmentatio, ſeminis productio, fluunt: quandiu enim principium illud intus corpori unitum manet, tandiu plantâ vivere dicitur.

Non ſentiens in definitione additur ad excludendum animalia, quæ non minus quam plantæ vivunt & vegetant.

Objiciet quiſpiam, plantas nonnullas æſchynomenas ſeu pudicas veteribus dictas, recentioribus vivas & ſenſitivas & mimoſas, haud obſcura ſenſus indicia prodere: Siquidem folia earum manu aut baculo tacta, & paululum compreſſa, pleno etiam meridie, ſplendente ſole, illico ſe contrahunt & veluti marceſcunt, quod idem ab aeris frigidioris appulſu patiuntur.

Fatemur equidem quomodo hæc fiant, ſi ſenſum omnem & motum ſpontaneum plantis denegemus, mechanicâ aliquâ ratione explicare perdifficile eſſe.

Herbarum folia & ſummitates avulſas aut decerptas brevi, flacceſcere & collabi experientia conſtat: cujus phænomeni ratio manifeſta eſt, nimirum ob ſucci eorum vaſa & poros replere & diſtendere ſoliti fugam & evaporationem, novo non ſuccedente. Quemadmodum enim animalium pulmones aere inſpirato repleri extenduntur & attolluntur, ſic pariter folia plantarum ſpiritibus & vaporibus per nervos influentibus, quemadmodum etiam è contrario iidem pulmones aere ſeu exſpirato ſeu per poros elapſo vacui, concidunt & collabuntur; ſic itidem folia ſucco evaporato exinanita. Cur, inquies, in decerptis expirat ſuccus, in matri hærentibus non item? imò in utriſque expirat: plantarum enim omnium partes humidæ in perpetuo fluxu ſunt, perque earum poros indeſinenter evaporant: at in matri hærentibus novæ jugiter in locum abſcedentium à radice ſubminiſtrantur, non item in avulſis aut decerptis, unde hæc flacceſcunt, illa etiamnum extenſa manent. Fieri ergo poteſt ut tangentis manus nervorum compreſſu ſucci vaporoſi influxum tantiſper impediat & retardet, unde eo qui nervos & vaſa replebat exhalante, folia neceſſario contrahentur & collabaſcant.

Præterea plantarum nonnullarum partes, (folia, ramuli, ariſtæ) ſiccitate etiam contrahuntur & interdum convolvuntur, humore iterum explicantur, & extenduntur, quod in ariſtis avenaceis inque planta illa, roſa Hierichuntina perperam dicta evidentiſſimè cernitur. Hæc enim poſtquam planè exaruit, imò per multos annos ſicca repoſita in globum coeuntibus ramulis contracta fuerit, ſi radice tenus in aquam tepidam immittatur, illico ſe explicat, & ramulos denuò in orbem expandit, humore ſcilicet in ramulorum poros ſeſe inſinuante eoſque extendente. Notandum etiam tam folia, quam ramulos plantarum ſiccitate ſurſum ſeu introrſum contrahi & curvari: cujus ratio eſſe videtur, quia partes internæ ſeu ſupinæ ſolaribus radiis expoſitæ, humore evocato prius & magis ſiccentur, unde neceſſario illorſum contractio fit, non ſecus ac in tabulis ſeu aſſeribus ligneis aut etiam librorum operimentis membranisve videmus, quæ ſi ſoli aut igni exponantur, in partem ſoli obverſam curvantur & inflectuntur. Verum contractio quæ fit ex ſiccitate hic, ut puto, locum non habet.

Datur adhuc & alia contractio ex frigore, quod corporum fluidorum præſertim in vaporem reſolutorum, motum illico ſiſtit, eaque in anguſtius ſpatium coarctat: atque ex hoc genere videtur eſſe contractio illa in foliis plantarum mimoſarum, quâ de agitur. Frigus nim ſeu digiti, ſeu ambientis, ſucci in nervis motum expanſivum cohibet, ejuſque influxum magna ex parte ſiſtit, unde ſponte ſe contrahunt fibræ, & foliorum lobos una adducunt; non ſecus ac idem frigus corporis noſtri cutem condenſare & corrugare, uti è contrario calor eandem extendere ſolet. Lobi autem foliorum introrſum ad ſe mutuo trahuntur, quoniam fortaſſe fibrillæ in nervis ſuperiores ſicciores ſunt adeoque promptius & citius contrahuntur, inferiores autem molliores, adeoque facilius cedunt & extenduntur.

Quod contractio hæc foliorum à frigore fit, argumento eſt leguminoſorum fere omnium quæ folia pariter lobata ſeu pinnata obtinent, ſimilis prorſus nocturno tempore contractio & diurno expanſio foliorum. Item florum nonnullorum interno ctu ſe claudentium compreſſio, ut verbi gratia, calendulæ, cichorii, convolvuli, &c. etenim Jacobi Cornuti experimento flos anemones, qui ex hoc genere eſt, decerptus & loco calidiſſimo reconditus, velut arcula exigua fideliter obſignata, illico præter tempus aperitur, ſi modo ejus pediculus aquæ tepenti immergatur.

Verùm in cauſis hujus phænomeni aſſignandis mihi metipſi non ſatisfacio. Valvulas autem, quas nonnulli comminiſcuntur in plantarum vaſis dari neutiquam conceſſerim.

Augeri dicitur planta quæ plus ſubſtantiæ ſibi reſtituit quam diſſipata eſt; planta autem non ſolum ſecundum omnes non ſatis adultas partes in omnes dimenſiones major redditur, verum etiam novas partes ſibi ſemper aggenerat, folia, flores, fructus; in quo ab animali differt, quod neque amittit ullas partes, neque aggenerat, niſi pilos plumaſque pro partibus accipias, quæ quotannis defluunt novis ſuccreſcentibus.

Excipiendum tamen hic videtur cervinum genus, in quibus cornua quotannis decidunt & regerminant. Cornua enim æquo ſi non potiori jure partes animalium quàm folia plantarum cenſeri poſſunt, nec obſtat quod ſentiendi facultate careant, cum & oſſa perioſteo denudata ſenſus expertia ſint; nec minus tamen animalium partes ab omnibus habentur. Fructus qui in plantis pro partibus reputari ſolent, non minus in animalibus quam in plantis à matre decedunt; an vero novi in animalibus perinde ac in plantis generentur, eſt cur dubitem.

Cum autem animalium ova plantarum fructibus adeò exacte reſpondeant, eodemque fere modo ex ovario germinent quo plantarum fructus è gemmis & racemis, cur nomen partis iis denegetur, his concedatur, rationem non video.

Plantæ perennes augmenti reſpectu, ab animalibus differunt quod partes illæ quæ perennant, quandiu planta vivit augentur; ut in arboribus quantumvis annoſis manifeſte cernitur, quibus quotannis novus accedit ligni circulus: animalia autem cum juſtum magnitudinis terminum aſſecuta ſunt augeri deſinunt.

Additur in definitione, certo loco, aut certæ ſedi affixum, quod tamen nec omnibus in univerſum plantis, nec ſolis convenit, non omnibus; ſiquidem ſtratiotes veteribus dicta, (Dioſcoride teſte) aquis ſupernatans ſine radice vivat, quamvis folium habeat Aizoo ſimile ac majus; quod & Proſper Alpinus in parte confirmat, pro radicibus, inquiens, exigua quædam & rara lanugo dependet: & eruditiſſ. Veſlingius, planta tota ſeſſili baſi nido incubat, aquis innatans citra radicem, quamvis radicum vicem demiſſa terram verſus tenuiſſima fibrarum veluti filamenta ſuſtineant. Tenuia autem iſthæc filamenta quæ verſus terram extendi, non terram attingere ſcribit, non videntur plantam ſtabilire poſſe aut ſiſtere quo minus huc illuc fluitet & locum mutet. At nec ſolis plantis convenit terræ aliive ſedi affigi; verùm id animalibus etiam nonnullis commune eſt, iiſque non imperfectis tantum aut an. ipitis naturæ quæ Zoophita appellare ſolemus. Sed etiam perfectioribus, ſunt enim ex genere teſtaceorum certæ ſedi affixa, quæ *μόνιμα*, id eſt, ſtabilia, Ariſtoteli ob eam rationem dicuntur; idque non caſu aliquo, ſed ex ipſius naturæ inſtituto; vidimus enim ipſi mytilorum ſpeciem funiculo è teſta egreſſo petris adnexum: quin & balnei illi conchæ anatiferæ dici ſoliti apophyſi quadam fiſtuloſâ, coriaceâ, rugoſâ, oblonga navium carinis aliiſque lignis vetuſtis in mari fluitantibus adhæreſcunt. Verùm terræ aliive ſedi ita adhærere ut alimentum inde attrahat ſeu exugat, id plantæ proprium eſt, nec ulli (quod ſciam) animali convenit. Nam quæ de Agno Scythico traduntur pro falſis & fabuloſis habeo.

De Diviſione Plantarum in genere.

Plantarum diviſionem inſtituere, cujus membra ſeu genera ſubalterna univerſas ſpecies complectantur, nulla adhuc anomala & ſui generis relicta, quæque ſingula genera notis ſuis caracteriſticis ita circumſcribat, ut non communicent invicem, hoc eſt, ut nulla poſſit inveniri ſpecies incerti (ut ita dicam) laris & ad plura genera revocabilis, difficillimum eſſet imò plane impoſſibile.

Nec enim primò id patitur natura rei. Cum enim natura (ut dici ſolet) non faciat ſaltus, nec ab extremo ad extremum tranſeat niſi per medium, inter ſuperiores & inferiores rerum ordines ſpecies nonnullas mediæ & ambiguæ conditionis, quæ utroſque velut connectant, producere ſolet, ut ad utrum pertineant omnino incertum ſit, ut v. g. inter plantas & animalia zophyta dicta. Deinde in uno quoque etiam ordine non paucas exhibet ſpecies ſingulares & anomalas ſui, ut vocant, generis tanquam exceptiones à regulis generalibus, ad libertatis ſcilicet ſuæ nullis legibus obnoxiæ oſtentationem.

At

At neque ſecundò, ſi natura rei id pateretur, humana conditio admitteret. Cum enim plantarum numerus ingens ſit, in his ætatis anguſtiis, memoriæ imbecillitate, intellectus inadvertentia & caligine; quis adeò univerſalem ſpecierum omnium notitiam, adeoque claram & diſtinctam ſingularum, ſe unquam aſſequi poſſe ſperat, ut tali incepto ſufficeret, quis adeò circumſpectus eſſe poteſt, ut ad omnes omnium convenientias & differentias attendat, eaſque ſub uno quaſi intuitu comprehendat, quod tamen ad eas inter ſe conferendas neceſſarium eſt.

Nos ergo methodum plantarum omnibus numeris abſolutam non pollicemur, cùm natura (ut diximus) intra limites methodi cujuſcunque coerceri repugnet: at neque quam patitur natura perfectam & elimatam: non enim unius eſt hominis aut ætatis; ſed quam potuimus accuratam pro ingenii noſtri tenuitate, & modica harum rerum peritia.

Methodos autem illas quæ plantas ſecundum locos natales, aut florendi tempus, vires & uſus diſponunt, rejicimus, quoniam omnes illæ cognatas ſpecies ſeparant, alienas conſociant. eam autem quæ à ſimilitudine & convenientia partium præcipuarum, floris ſcilicet & calycis, ſeminis ejuſque conceptaculi notas characteriſticas generum ſumit, amplectimur & uſurpamus.

De Diviſione Plantarum, in arbores, frutices; ſuffrutices & herbas: & ſingulorum in genera ſua ſubordinata.

Planta perfecta à Botanicis vulgò dividi ſolet in arborem, fruticem, ſuffruticem & herbam.

Arbor, (Δένδρον) definiente Joan. Bodæo à Stapel. cujus definitionem probamus, eſt planta lignoſa, craſſitudine & altitudine inter omnes maxima, cui caudex pro ſuperficie eſt, perennis & natura ſimplex, qui in multos ramulos majores, & deinde ramuſculos multiplices finditur, ut pyrus, Abies, quercus, &c.

Frutex (Θάμνος) eodem definiente, eſt ſtirps inter lignoſas altitudine & craſſitudine mediocris, cui pro ſuperficie ſtipes perennis natura multiplex, quique facile in natura arborum ſtolonum abſciſſione tranſcendit.

Suffrutex (Φρύγανον) eidem ex antiquorum ſententia ſic definitur; ſtirps minima inter lignoſas & craſſitudinis & altitudinis, caule perenni, interdum ſimplici, interdum multiplici & ſarmentaceo, folio minuto & tenui, ut roſmarinum lavendula &c. hæc definitio nullas continet notas quibus ſuffrutex à frutice certò poſſit diſtingui; ideoque nos paulo pòſt commodiorem dabimus.

Herba (πόα) eodem definiente eſt antiquorum ſententia, eſt ſtirps cujus ſuperficies eſt ex foliis tantum, ut phyllitis, &c. vel etiam ex caule, ſed illo annuo, carnoſo, & qui diutius durare nequit, lignoſuſque non eſt niſi cum exaruerit.

Diviſio hæc quamvis unicuique è vulgo nota, & populari uſu omnibus ſeculi recepta & frequentata fuit. Non tamen accurata & philoſophica cenſenda eſt.

Nam primò, plantæ nonnullæ inter duo genera ambiunt, ut ad utrum pertineant difficile ſit, judicare, aliis Botanicis uni, aliis alteri eas aſcribentibus. Sic verbi gratia, vitis Theophraſto. arbor eſt, reliquis Botanicis frutex, ut alias omittam. Natura enim tam in plantarum, quam in animalium genere, inter ſuperiores & inferiores ordines, ſpecies nonnullas mediæ & ambiguæ conditionis producere ſolet, quæ utroſque velut connectant, ut ad utrum pertineant omnino incertum ſit.

Secundò, Arbores nonnullæ recíſis cymis in frutices; frutices avulſis aut abſciſſis ſtolonibus in arbores facile tranſeunt, ſic verbi gratia, lentiſcus magnâ ſolùm ex parte fruticat; multis ab una radice ſtolonibus & virgultis aſſurgens; interdum verò quando non cæditur, ſed negligitur (ut pleriſque locis ad Anam fluvium obſervavi) in arborem juſtæ magnitudinis excreſcit, inquit Cluſius. Juniperus quoque apud nos in ericetis frequentiſſima, cæſa aut à jumentis depaſta plerunque fruticat; ſin permittatur nec violetur in arborem adoleſcit; idem dicendum eſt de buxo, & (ut nonnullis videtur) ilice coccifera, quæ in Galliæ Narbonenſi eiſdem de cauſis in fruticum ordine coercentur. Ex altera parte myrtus niſi ſæpius purgetur in fruticem tranſit. Theophraſt. Hiſtor. lib. 1. cap. 5. Comarus (Arbutus) ſuâ naturâ puſilla eſt, ſed ramis expurgata in magnam latitudinem aſſurgit, quemadmodum etiam malus punica. Belion. de negleƈt. ſtirp. cult. prob. 16.

Tertiò, plantæ nonnullæ in aliquibus regionibus fruticum modum non excedunt, in aliis arborum ſtaturam & magnitudinem aſſequuntur. Sic Ricinus quæ Lobelio in adverſar. annua nec rediviva planta dicitur. In Creta multos annos, & in tantam excreſcit altitudinem, ut nonniſi ſcalis admotis conſcindi poſſit, quod Bellonius tradit. Cluſius quoque in maritimis Bæticæ Ricinos craſſitudine humana, altitudine trium hominum, multis prægrandibus ramis brachiatos & multos annos durantes obſervavit, eoſque exactiſſimè congruentes deſcriptioni Dioſcoridis. Schol. in Monard. cap. 4. nos quoque in Sicilia Ricinum arbuſculam, ſambuci æmulam lignoſam & perennem, in ſepibus frequentem obſervavimus. Rhododendri nonnullis Cretæ inſulæ locis ad ædicularum trabes conficiendas aptæ, quæ alibi parvæ ſunt. Bellon. de neglect. ſtirp. cult. probl. 12. Idem obſerv. lib. 1. cap. 43. Rhododendri rubro flore, inquit, in monte Atho in ſummam celſitudinem attolluntur, earumque caudices craſſitudine ficubus non cedunt. Arbuti quoque, quæ in aliis locis plerunque duntaxat fruticant, in gentes illuc fiunt arbores. Bellon. ibid. Cornus fœmina, quam Galli Latinos imitati ſanguineum fruticem appellant, haud minor in monte Caſtagne, non procul Philippis Macedoniæ urbe naſcitur, quam majores noſtri corni mares. Idem obſervat. lib. 1. cap. 56. multis Auſtriæ locis naſcuntur etiam corni fœminæ arbores mare non minores. Clus. Annot. ad dictum locum Bellon. ſuffrutices quoque alicubi in fruticum aut etiam arborum altitudinem excreſcunt. Joſephus Rutæ cujuſdam Machærunte in ipſa regia plantatæ meminit, quæ à nulla ficu vel celſitudine vel magnitudine vincebatur. Nos quoque vidimus baculum tricubitale ligno ſatis duro & ſolido, è caudice Rutæ cujuſdam in Virginia naſcentis factum, uti retulit generoſus quidam ex amicis noſtris qui ſecum illud geſtare & circumferre ſolitus erat.

Quarto denique arbores nonnullæ cum fruticibus frutices & ſuffrutices inter ſe & cum herbis genere proximo conveniunt, eoſdemque characteres ſeu notas genericas & eſſentiales obtinent. Sic in genere Buxi alia reperitur arborea, alia pumila; in genere Amygdali alia pariter procera, alia nana; nec non in genere Ilicis, ut alias omittam. In ſambuco autem, Hyperico, Tithymalo, ſempervivo, malva, ſcabioſa aliiſque plurimis res eſt manifeſtiſſima. Ebulus

lus enim quæ herba eſt, cujuſque ſuperficies quotannis emoritur, eaſdem omnino cum ſambuco (quæ arbor Botanicis cenſetur) notas genericas & eſſentiales obtinet. Tragium quoque (quod frutex eſt lignoſus) cum Hyperico: Tithymalus dendroides cum vulgaribus herbaceis; ſempervivum arboreſcens, ſcabioſa arborea cretica, malva arborea, &c. cum cognominibus plantis notis genericis conveniunt, & primo ſtatim aſpectu ad eadem genere pertinere agnoſcuntur.

Verùm his non obſtantibus, quoniam diviſio hæc paſſim cognita & recepta, omniumque ferè ſeculorum uſu approbata eſt, non commodior occurrat, nos quoque jam retinebimus, certiores tamen inter fruticem, ſuffruticem & herbam diſtinctionis notas afferemus.

Plantas ergo initio, diviſione dichotomâ, partiemur in eas quæ caule ſunt annuo, vel ſi perenni non lignoſo, & quæ caule perenni lignoſo. Quarumcunque caules annui ſunt, herbas appellamus, ſive radices perennent ſive non; nonnullæ etiam caule perenni non lignoſo herbis accenſendæ videntur, ut verbi gratia, Braſſicæ ſpecies nonnullæ, nicotiana cujus caulis interdum perennat, malva arborea marina &c. quæ caule ſunt perenni vel gemmiparæ ſunt, & ſurculos ſimplices non ramoſos annuatim producunt, vel non gemmiparæ gemmina producentes eodem anno in ramos & ramulos interdum diviſa. Has ſuffrutices appellamus; illas adhuc in arbores & frutices ſubdividimus. Inter quas hactenus certas & ſtabiles diſtinctionis notas non invenimus, ideoque ſuperius in earundem definitionibus poſitis contentiſſimus oportet. Gemmas appello arborum & fruticum fœtus novellos quos quotannis autumno, aut interdum etiam æſtate, concipiunt, ſquamoſis tegumentis velut ſecundis obvolutos, in quibus per totam hyemem latitant, quâ exactâ; verè novo in ſurculos explicari incipiunt, ut ſuperius diximus.

Arbores ergo & frutices à ſuffruticibus diſtinguo quod illæ gemmiparæ ſunt, hæ autem minimè. Eſto ergo ſuffrutex nobis definientibus, planta minimæ inter lignoſas altitudinis & craſſitudinis, non gemmipara, caule perenni, ſeu planta caule perenni, lignoſo, non ſimplices tantum ſurculos annuatim producens, ſed ramos in ramulos & ſurculos diviſos & ſubdiviſos.

Verùm quoniam ſuffrutices pleriqùe cum herbis notis genericis conveniunt, nec admodum numeroſi ſint, eos herbis admiſcebimus adeoque tria duntaxat ſumma plantarum genera conſtituemus, arborem, fruticem, herbam.

Summis autem generibus conſtitutis ſequitur ut ſubalterna ſeu horum unicuique ſubordinata exquiramus.

Horum autem notæ characteriſticæ non tantum à ſemine ejuſque conceptaculo (quanquam ab his præcipuè) ſed & à flore ejuſque calice deſumendæ ſunt; non omnino neglecta radicis figura & conſtitutione, aut foliorum ſitu. Flores enim & perianthia nonnullorum generum certiores & magis conſpicuos characteres exhibent quam ſemina aut eorundem involucra. Sic verbi gratia, in genere leguminoſo flos papilionaceus character eſt inſignis, quem ſpecies omnes leguminum velut fronti impreſſum intuentibus oſtentant; cùm ex ſeminum eorumve conceptaculi numero, figura, ſitu, aliiſve accidentibus difficile eſſet notam generis indicem ſumere.

De arborum & fruticum diviſione inſtituenda, cum horum genera non admodum numeroſa ſint, non eſt cur multum laboremus. Herbæ autem cum numeroſiſſimæ ſint, in iis ritè diſtribuendis præcipua eſt difficultas. Nobis diu multumque conſiderantibus non alia prior aut potior differentia videtur quam quæ deſumitur à plantula ſeminali. Plantas ergo primo in loco dividemus in eas quæ plantulam ſeminalem habent bifoliam aut bivalvem, ſeu mavis, binis cotyledonibus inſtructam; & eas quæ eandem obtinent altero vel utroque folio cotyledone carentem; in his quæ primo è terra exeunt folia ſuccedentibus ſimilia ſunt.

Poſterioris generis omnes, paucis exceptis aſparago, pæonia, aro, cyclamino & ſi qua ſunt ſimilia, foliis ſunt gramineis; florum reſpectu dividuntur, in eas quæ floribus ſunt ſeu apetalis ſeu ſtamineis & eas quæ floribus petaliferis ſeu bracteatis. Quæ floribus ſtamineis ſunt dividuntur in culmiferas, hoc eſt, quæ caulem teretem, geniculatum & plerunque concavum edunt, ſingulis foliis ad ſingula genicula eum involventibus: & graminifolias caule, geniculis nodoſis non intercepto. Culmiferæ grano majore quarum ſemina hominibus in cibum veniunt frumenta & cerealia vocantur, reliquæ grano minore gramina. Quæ floribus petaliferis ſunt, vel conceptaculum ſeminale interna loculamenta diviſum obtinent, ſeu radice bulboſa proprie dicta ſint, hoc eſt, vel è pluribus ſquamis invicem incumbentibus, vel è pluribus tunicis exteriore interiorem ambiente contexta: ſeu radice tuberoſa, ut crocon, colchycum, aſphodelus, &c. ſeu radice fibroſa, ut phalangium; vel bacciferæ ſunt ut aſparagus, arum, Dracontium, &c.

Prioris generis herbæ, quæ ſcilicet plantulam ſeminalem bifoliam aut bivalvem obtinent, à floris conditione commodiſſime dividi poſſe videntur in eas quæ florem habent apetalon ſeu ſtamineum, hoc eſt, ſolis ſtaminibus cum ſtylo & calice compoſitum, foliis illis fugacibus, tenellis, coloratis, petalis nobis cum Columna dictis quæ vel decidunt vel marceſcunt ante ſeminum maturitatem, carentem: & ea quæ florem obtinent πεταλώδη ſeu bracteatum, foliis illis fugacibus coloratis inſtructum.

Not. ad petalum conſtituendum duæ conditiones concurrant oportet; 1. Ut ſit tenellum, & colore aliquo præter herbaceum inſigne. 2. Ut ſit fugax aut caducum, hoc eſt ut vel defluat, vel marceſcat antequam ſemen matureſcat.

Quæ florem habent petalis inſtructum ſeu bracteatum, vel ſunt eodem compoſito, vel ſimplici.

Florem compoſitum voco qui ex multis floſculis in unum totalem florem coeuntibus conſtat. Florem hunc unicum compoſitum voco potius quàm floſculorum agmen, quia unico pediculo donatur & unico calice includitur, & id multis ſpeciebus circulum in margine habet foliorum planorum radiatim medium diſcum ambientium, diverſæ à reliquis floſculis figuræ & magnitudinis.

Herbæ flore compoſito vel lacte̓ſcunt, ſuntque eodem planifolio plerunque naturâ pleno vel ſucco limpido ſcatent. Hæ autem vel ſunt flore diſcoide, h. e. ex pluribus brevibus, compreſſis confertis floſculis, in unam quaſi apparentem ſuperficiem digeſtis compoſito, ſuccedente ſemine vel pappo innaſcente alato cujus generis herbæ pappoſæ dicuntur, vel ſolido & pappo deſtituto, in corymbiferis dictis; vel flore fiſtulari: hoc eſt, ex pluribus concavis oblongis floſculis, ad margines in longas lacinias diſſectis compoſito,

poſito. In hoc genere floſculi etiam marginales fiſtuloſi ſunt. Hæ capitatæ vulgò dicuntur, quia calyx earum ſquamoſus in ventrem plerunque extumeſcit.

Quæ florem habent ſimplicem, hoc eſt, ex petalis, tantum cum ſtaminibus & ſtylo conſtantem. Seminum reſpectu dividi poſſunt in duo genera, primum eſt earum quæ ſeminibus ſunt nudis ſeu verè, ſeu apparenter tantùm, hoc eſt, nullo præter perianthium vaſculo aut tegmine donatis: Alterum earum quæ ſeminibus conceptaculo proprio, & aperianthio diſtincto tectis.

Quæ ſeminibus ſunt nudis pro numero ſeminum ſingulis floribus ſuccedentium dividi poſſunt, in eas quæ ſemina ad ſingulos flores obtinent. 1. Singula, 2. Bina, 3. Terna, 4. Quaterna, 5. Multa incerto numero. Quæ bina ad ſingulos flores ſemina obtinent in duplici ſunt differentia, aliis flores pentapetali in umbellas plerumque digeſti, & hæ umbelliferæ dicuntur: aliis flores monopetali, quadripartiti, folia caules ad ſingula genicula ſtellatim ambientia, multa, & hæ ſtellatæ appellantur.

Quæ itidem quaterna producunt ſemina poſt florem unumquemque duorum ſunt generum: aliis folia in caulibus ad ſingulos geniculos ex adverſo bina, flores labiati, quæ verticillatæ appellantur: aliis folia alterna, ſeu ſingulatim in caule ſita, quæ aſperifoliarum titulo innoteſcunt.

Verum quoniam ſemina, quæ videntur in nonnullis hujus generis plantis nuda, revera non ſint, ſed folliculis ſeu thecis incluſa, ideoque titulum hujus membri diviſionis ſic emendabimus.

Herbæ flore perfecto ſeminibus vel nudis, vel in ſingulis folliculis, à planta matre unâ abſcedentibus, ſingulis.

Nos equidem in methodo plantarum non ita pridem edita pro nudis habuimus verticillatarum ſemina, prout vulgo habentur, quamvis in nonnullis, ut libanotidis cacryophoræ, dari nucleum, à ſpongioſo cortice diſcretum non neſciremus, quoniam in pleriſque hujus generis cortex nucleo arctè adhæret, & Theophraſtus ipſe ſemina hujuſmodi nonnulla pro nudis habet, idem de reliquis hoc genus ſeminibus, ut verbi gratia, ſtellatarum, aſperifoliarum & polyſpermon dicendum ea à nobis nudis accenſeri quia folliculi quibus includuntur interiori nucleo in multis ſpeciebus adhærent, in omnibus (etiam malvis ipſis) unà cum ſeminibus incluſis à planta productrice abſcedunt, ideoque videntur & vulgo reputantur non conceptacula ſeu uteri ſeminum, ſed membranæ tantum involventes, & ſecundinis analogi.

Quæ ſemina ferunt in conceptaculis ſeu vaſculis propriis, à perianthio diſtinctis, diſtingui poſſunt, in eas quæ in pericacarpio ſeu pulpa humida aut molli ſemina incluſa obtinent: hæ duum generum ſunt, nimirum vel 1. Fructu majore, corticoſo, cui flos inſidet; quæ pomiferæ dicuntur: vel 2. Fructu minore membrana tenuiore veſtito, quæ bacciferæ appellantur: & eas quæ in conceptaculis ſiccioribus ſemina continent. Hæ autem in multa adhuc genera ſubdividuntur. Sunt enim vel conceptaculis pluribus & disjunctis eidem flori ſuccedentibus, quas multi ſiliquas dicimus, ut verbi gratia, aconitum, aquilegia, delphinium, &c. vel conceptaculis ſingulis, aut conjunctis, quas enim nos pro ejuſdem vaſculi cellulis habemus, Cæſalpinus aliique pro conceptaculis diverſis ſed conjunctis. Has autem pro numero foliorum in flore & eorundem figura dividimus in 1. Monopetalas, quarum ſcilicet flos unico & continuo folio conſtat, eoque vel uniformi, vel difformi. Florem uniformem ſuperius deſcripſimus, in capite de floribus plantarum. 2. Tetrapetalas, flore pariter vel uniformi; cui ſuccedit vaſculum ſeminale, ſeu oblongum, ut in Tetrapetalis ſiliquoſis, ſeu breve & curtum in Tetrapetalis capſulatis; vel difformi, quales ſunt papilionaceæ dictæ, quia earum flos papilionem alis expanſis quadantenus imitari videtur. 3. Pentapetalas, ſeu veras quarum flos quinque petalis diſtinctis conſtat, ſive apparentes, quarum flos revera monopetalos eſt, cùm laciniæ in quas dividitur ad ungues junctæ ſint, ſed pentapetalum refert ob profundas & ad unguem fere pertinentes ſciſſuras. *Raius.*

PLANTAGO.

Plantago à latitudine foliorum plantam pedis æmulantium dicta exiſtimatur, Ἀρνόγλωσσον à linguæ agninæ ſimilitudine.

Hujus *notæ genericæ* ſunt flores ſtaminoſi in ſpicas congeſti; floſculorum tubi in vaſcula ſeminalia elliptica (quæ per maturitatem horizontali ſectione in medio diſſiliunt) intumeſcentes; ſemina intus bina puliciformia.

Hujus generis aliæ caulibus ſunt nudis foliis vel latioribus & nervis inſignibus plantagines ſimpliciter dictæ, vel anguſtis, & in quibuſdam ſpeciebus dentatis aut laciniatis, coronopi & holoſtei nominibus notæ: aliæ caulibus ſunt foliolis, foliis anguſtis, binis oppoſitis, florum ſpicis è foliorum alis egreſſis, ut pſyllia.

Vires. Plantago (ut habet Galenus) aquoſum quiddam frigidum obtinet, & quiddam auſteri, quod terreum eſt, & ſiccum, ut refrigeret ſimul ac ſiccet, vulneraria eſt herba. Uſus præcip. in fluxionibus cujuſcunque generis, verbi gratia, alvi, expuitione ſanguinolenta, gonorrhœa, mictione involuntaria, menſium profluvio &c. extrinſecus in mundandis conſolidandiſque vulneribus & ulceribus. *Schrod.*

♃. Radicum ſymphyti majoris recentium uncias ſex, foliorum plantaginis manipulos duodecim, horum ſucco expreſſo una cum radicibus prædictis ſufficienti quantitate ſacchari exceptis, & in mortario lapideo aut ligneo contuſis fiat electuarium.

Adverſus vomitum aut expuitionem ſanguinis nullum certius & præſentius remedium. D. Boyl. de utilitate Philoſoph. nat. part. 2. p. 150.

Succus plantaginis vel merus, vel cum ſucco limonum mixtus inſigne eſt diureticum. Dom. Needham.

Ipſe recordor quendam ex impuro concubitu gonorrhœam cruentam ſibi paraſſe poſt univerſalium uſum ſolâ plantaginis eſſentiâ in decocto ſarſæ & ſaſſafras diluta reſtitutionem in integrum eſſe conſecutum, cum parum abeſſet quin neſcio cujus partis diminutionem pati coactus fuiſſet. *S. Paul.*

Radix lata, recens ex terra extracta tantillum cultro raſa, auris meatui indita obſervatur inſtar incantamenti quandoque dolores dentium ſiſtere. *Sim. Paulli.*

Heurnius videt in hydrope intumeſcentibus cruribus plantaginem aquaticam humorem in veſicas evocaſſe quæ maximam vim aquarum profundebant. Idem ad febrium chronicarum rigorem.

♃. Succi plantaginis q. ſ. bibatur cum aqua mellis eſt mirabile medicamentum inquit Bayrius.

In hernia & umbilici eminentia cataplaſma Joelis commendatur quod conficitur ex arnogloſſa & muſco qui ſupra frutices prunorum ſylveſtrium naſcitur: ſimul in vino cocta & contuſa inſtar cataplaſmatis imponantur.

Non

Non diffiteor æquè feliciter conſolidatam fuiſſe non ſolum puerorum, ſed etiam natu majorum, imò honeſtiſſimarum matronarum umbilicalem herniam a plantagine ſeu Arnogloſſa & muſco quercino quàm ab illo qui Acaciam German. ſeu prunum ſylv. inveſtit: ſed ille, qui tener & friabilis albicat, & qui non trunco ſed frondibus quercus innaſcitur, qui ἄοσμος eſt, nec terram ſapit, nec redolet. Simon Paullus. Ex excerptis D. Hulſii, hæc omnia. Mulierculæ Gallicæ toto geſtationis tempore ad abortum præcavendum ſingulis ferè diebus ſumunt ſem. plantaginis ʒß. in juſculo aut ovo & non ſine fructu. River. prax. p. 479.

Quidam cùm per menſem gonorrhæa laboraſſet, in fluxum ſanguinis è pene incidit; quapropter petiæ intinctæ in aq. roſarum & aceto applicatæ fuere; à quibus nihil fuit adjutus, tandem juſſimus ſuccum plantaginis per ſyringam immitti. Unguento Comitiſſæ renibus applicato. Ceſſavitque fluxus. D. Soame ex obſerv. Hieremiæ Martis.

Ego curo puellas impetigine laborantes butyro loto in aqua violarum. Poſt hoc butyrum miſceo ſucco plantaginis, eo linitur facies. D. Soame ex obſervationibus Marcelli Cumani ab Hieronymo Velſchio editis. obſerv. 21. *Rajus.*

PLANTAGO AQUATICA.

Plantago dicitur ob aliqualem foliorum ſimilitudinem loco natali, & flore tripetalo cum Sagitta convenit, foliis plantagineis ab eadem differt.

Vires. Refrigerare & ſiccare dicitur. Schvvenck felicius ani procidentiam curare, rubentem podagram, capitis dolorem à cauſa calida mulcere, cruento ſputo urinæque mederi tradit.

Summum ſecretum & experiiſſimum quo ſubitò lac in mammillis conſumatur eſſe ait Timotheus Rollin ſuccum hujus plantaginis illis applicatum. *Rajus.*

PLATANUS.

Platanus à πλατὺς dicta eſt, tum quod folia habeat latiſſima, tum quod ramis ſit patulis & latè diffuſis.

Notæ platani *characteriſtica* ſunt folia latiſſima, ſemina in pilulis lanigeris conglobata.

Vires. Tenerrima platani folia (& cortex Plin.) in vino decocta mox illita oculorum fluxiones ſiſtunt, ac cùm œdemata tum phlegmonas (viridia trita & illita Galen.) levant.

Cortex in aceto coctus ad dentium dolores colluitur, è vino ſcorpionum ictus reſtinguit Plin.

Sunt qui cum cortice combuſto medicamentum deſiccatorium & abſterſorium efficiunt, ut cum aqua lepras ſanet, per ſe ſe autem illitum ob humorem nimium ulcera vetera & ſordida.

Pilulæ virides in vino potæ ſerpentum morſibus auxiliantur, exceptæ autem adipe igni ambuſta ſanant, vel frigore addit Plinius: tuſæ autem cum aceto acri, magiſque ſcyllite, ſanguinem omnem ſiſtunt. & lentiginem & carcinomata, melanias quoque (melandriaſque) veteres addito melle emendant. Plin.

Foliorum pilularumque lanugo (in aures & oculos) illapſa auditum viſumque labefactat: aſperam etiam arteriam inſpirata offendit.

Hæc è veteribus Dioſcoride, Galeno, Plinio: hodie nullus ejus, quod ſciam, in Medicina uſus eſt. *Rajus.*

PLUMBAGO PLANTA.

Molybdæna Plinii nobis dicta videtur à plumbeo foliorum colore; aliis quia manus volam inficit plumbeâ maculâ radix parum detenta molybdæna Plinii cenſetur. F. Columna pro Tripolio Dioſcoridis habet, cujus rationes apud ipſum vide.

Sui generis planta eſſe videtur, ideoque non opus eſt ut aſſignemus *notas* generis *characteriſticas* cum eæ ex deſcriptione peti poſſint.

Nomina Plumbago Plinii *Ger.* Dentillaria Rondeletii *J. B.* Lepidium dentillaria dictum *C. B.* Lep. Monſpeliacum dentellaria dictum *Park.* Tripolium Dioſcoridis *Col.*

Col. Radix fibris longis, craſſis, carnoſis dividitur, odorata, guſtu fervida; folia glaſti, atrovirentia, latiora, pinnis caulem complexa, glaſti vel Drabæ modo, majora atque obtuſiora, ſemper in caule decreſcentia, per ambitum denticulis exiguis aſpera. Caules à medio ad ſummum in alternos ramos crebros diductos habet, purpuraſcentes (J. B. nigricantes ſtriatos, plures ab eadem radice, cubitales & ſeſquicubitales. Flores cacuminibus hærent, acervatim primo congeſti, calycibus viridibus, hirſutis craſſa, viſcoſa obſitis incluſi; cum aperiuntur quinquepartiti, colore ex purpuro cæruleo candicantes, deinde magis colore ſaturantur purpureo, ut variate videantur, ac poſtremò clauſi & marceſcentes puniceo, puniceus quoque color eſt in floris tubulo oblongo è calyce tantundem exerti: in quo deinde ſemen oblongum, tritici fere magnitudine, cortice vireſcenti, tenui, atque intus libro purpurocæruleo chartam inficiente affrictu, quod deinde ſiccatum in nigrum vertitur, medulla intus albâ & amarâ. Folia acri ſapore ſunt, at radix fervida; unde Rondeletius pro pyrethri radice ad dentium cruciatum mulcendum ea uti ſolitus, Dentellariam appellavit plantam.

Æſtatis fine & autumno floret circa Neapolin toto maritimo tractu à Neapoli ad Romam, item circa Syracuſas, in Sicilia, & Monſpelium in Gallia Narbonenſi copioſe provenit, locis ſemper meridiei expoſitis atque maris afflatu ſubjectis, quamvis à mari interdum remotioribus, obſervante. Columna, nunquam Septentrionalem plagam reſpicientibus, quamvis mari propinquis.

Tripolium dictum eſt quia ter variat ſeu vertit floris colorem Col.

Molybdæna Plinii nonnullis cenſetur, quia manus volam inficit plumbeâ maculâ radix parum detenta.

Uſus. Equorum dorſis ſellæ compreſſione ulceratis contuſam & appoſitam efficaciſſimè mederi pluriimos teſtatos eſſe ſcribit F. Columna, qui in propriis equis experti ſunt, nec vermes oriri, & quamprimum exſiccari ulcus atque cicatriſari aſſeruerunt.

PLUMBUM.

De *Plumbi* Mineris, ſeu Fodinis ac ejuſdem metalli purificatione vid. in genere ſub titulo METALLURGIA. Hic tantum de variis hujuſce præparationibus ac uſibus ex *Schrodero* ab *Hofmanno* annotatô.

Præparationes Plumbi ſunt

1. Purificatio. 2. Calcinatio. 3. Sublimatio. 4. Deſtillatio. 5. Extractio. quibus addi poſſunt Mercurificatio, Salificatio & Liquatio.

Plumbum Metallum eſt viliſſimum conſtans ex Sulphure indigeſto, Sale aluminoſo ac ☿io, naturam ♄ialem æmulante.

Dicitur Saturnus, quia tùm macrocoſmico tùm microcoſmico Saturno, id eſt, lieni conſecratū ſtatuitur.

Græcè Μόλυβδ@ Germanicè *Bley*. du Plomb. *Lead*. *Loot*.

(Eſt veluti ſapo ad abſtergendas ſordes ☉. ☽. & gemmarum.)

Vires. *Refrigerat, adſtringit, incraſſat, &c. libidinem reprimit, ulcera carnibus implet, cicatrices obducit, excreſcentiiſque liberat, ulceribus chroniis, qua vocant, malignis, cancroſis & putredinoſis; tum per ſe tum quibuſdam aliis permiſtum convenit. Schroderus.*

Plumbum Metallum eſt viliſſimum, conſtans ex Sulphure indigeſto, Sale aluminoſo ac ☿rio, naturam Antimoniale æmulante.) Verum eſt, hoc omnium Metallorum eſſe viliſſimum, & excepto Auro ponderoſiſſimum, quia imperfectum ac indigeſtum adhuc ſulphur metallicum, ac ☿rium habet, de quo tamen magis quàm de illo participat, ut ſuprà demonſtravimus. Loquimur tamen hic de Mercurio Metallico qui diverſus eſt à Mercurio vulgi, qui ex Antimonio & plumbo non difficulter extrahi poteſt, & facilius ex ejus mineris. Tere mineram, qualem ex Sabaudiâ nuper accepi Plumbi in pulverem minutiſſimum ac ſtylum aureum in illo move parumper & ſtatim adhærebunt auro particulæ quædam ☿riales, ſed hæ non ad ſubſtantiam Plumbi pertinent, nec radicitus illi immerſæ ſunt. Cum enim mirabilis ſit illa & imperceptibilis ☿rii hujus in minima diſſipatio, quæ fit in mineris per ignes ſubterraneos, facilè ſe Metallis inſinuat, ſed non conſtitutivè & radicitus. Quædam particulæ primâ metalli fuſione in auras evaneſcunt, quædam tenacius adhærent, ac remanent, & tandem ſalium reſuſcitativorum operâ eruuntur, & à reliquis ſeparant, vid. *C. Morhofii Epiſtol.* l.c. Hunc in ☉ facilè mutari poſſe, ſuprà aſſeruimus. Unde & ſæpius laudatus vir *Nobiliſſ. Robertus à Boyle in paradox* inquit: Vir quidam illuſtris, cujus Nomini peregrinationes Ejus & erudita ſcripta celebritatem conciliarunt, nuper Mihi aſſeveravit, ſe pluries ☿rium Plumbi in perfectum ☉ fixatum vidiſſe. Quod autem ad Sal Plumbi attinet, de hoc in Natura altum adhuc eſt ſilentium. Dicitur *Saturnus*, quia Macrocoſmico comparatur, unde & Microcoſmico Saturno Lieni prodeſſe creditur.

Vires. Libidinem reprimit. &c.) Utrum medicamenta Saturnina totaliter auferant Libidinem & ſterilitatem inducant, an ſecus, diſceptatur inter Doctores. Nos negamus ſecundum quid, ſi ſcilicet hujuſmodi Medicamenta Saturnina ſæpius uſurpentur, cum aliis autem Venerem reprimentibus mixta concedimus. Contra cancroſa ulcera & alia maligna felici etiam cum ſucceſſu Saturnina applicantur remedia.

N. 1. Plumbum ex Carinthiâ ad nos delatum cæteris Saturni mineris præfertur, cui tamen illa nequaquam cepit, quæ propè Freibergam Villach invenitur, atque hinc Plumbum Villachium dicitur, quod de ☽nâ participat Hinc etiam cryſtalli & omnia Medicamenta ex minerâ Saturni confecta in Capitis affectibus conveniunt. Minera Saturni in Vere & ☉le etiam exiſtente in Leone ☽nâ plenâ vel paulò ante effoſſa præ cæteris nobiliores virtutes poſſidere dicitur.

N. 2. De Plumbo Scriptorio *oder VVaſſerbley* ſciendum, vocari illud Molybditem Lapidem, de quo eruditè ſcripſit Cæſalpinus, & primam facit ſpeciem lapidis Plumbarii; Altera enim ſtibium eſt. Biſmuthi ſpeciem vocat in Sareptâ ſuâ *Iohann. Mattheſius*, Et *Georg. Agricola* de re metallica Ejus ſeorſim meminit ubi de fuſione Minerarum Metallicarum Argenti præprimis tractat. Multò levior ac friabilior minera Plumbi nigri parum aut nihil ferè Argenti in ſe habens. Exteri & in primis Itali hoc crudum à Nobis petunt, illudque expolientes denuò iterum ad Nos remittunt pro uſu ſcriptorio. Si tamen aliàs Ejus Uſus in Medicinâ aliquis eſt, cum Plumbo & Ejus recrementis maximè convenit virtute exſiccante, demulcente & diſcutiente Unde in eryſipelate Ejus uſus, itum in gangræna ulceribus humidis, phagædenicis non contemnendus, ſi fotus ex illo paretur. *Hofmannus.*

I. PURGATIO.

Funditur ♄, dumque fluit, injice aliquid ceræ vel axungiæ aurigarum (*VVagenſchmier*) Du vieiloing, *Coachgreas*, *VVagenſmeer*, ut efflagret; hinc affunde in aquam (calidam.)

II. CALCINATIO

1. *Incineratoria.*

Funditur plumbum, auctoque igne ut olla candeat, continuâ agitatione reducitur in cinerem, ſeu calcem cineream.

2. *Reverberatoria.*

Unde Minium officinarum.

Calx illa ♄ni continuâ agitatione reverberatur ulterius ut rubeſcat.

N. *In reverberatione cave ne iterum fluat, alioquin in Plumbum de novo convertetur.*

3. *Cementatoria.*

Unde Plumbum uſtum Offic.

Fiat S. S. S. ex ♄i bracteis & Sulphure pulveriſato, uraturque hac ratione ♄: poſt uſtionem ſæpius abluatur & reſiccetur. Et hoc eſt Plumbum uſtum Officinarum, quod lavari poteſt, ut Cadmia. *Dioſcorid.*

4. *Immerſiva.*

Etſi ♄nus beneficio cujuslibet liquoris acidi calcinari poſſit, quales ſunt: ♈, ⌒ Sal. communis, Sal. nitri, Vitrioli, ✳ in officinis contenti rariſſimis reliquis utimur.

Unde

1. *Saccharum ſive Sal ♄i.*

℞. Calcis ♄i, vel minii, q. v. affunde ✳, ſtent aliquamdiu, extrahaturque ſ. a. decantatos liquores filtra humiditatemque abſtrahendo coagula: ſic habes Sal ♄i, quod iteratis ſolutionibus ac coagulationibus, (primo in ✳, dein quoque in ▽,) purificari & tandem ad cryſtalliſandum reponi poterit, rejectis in operatione fæcibus.

N. *Quidam à Sale illo ♄i ✳ aliquoties (3) cohobando abſtrahunt, hinc affundunt Spirit. Vini, cohobantque itidem vicibus tribus.*

N. 2. *Simili modo & ex ♄ granulato ſal elici poteſt, quod præſtat priori.*

N. 3. *Si ✳ acuaveris ⌒u Vitrioli, vel Sal. nitri, facilius negotium perficietur.*

N. 4. *Sal. ♄i cryſtalliſatum ſi in cellam repoſueris, liqueſcet paulatim atque hac ratione ♂♀ ♄i per deliquium acquiri poteſt.*

N. 5. *Fit ex hoc Sale & Balſamus ♄i, quem vide in Lythargyrio.*

Aliter.

℞. Laminas aliquot ♄i tenuiſſimas, ſuſpende partim in cucurbita ſupra ✳, partim quoque ipſi ✳ immerge, Hinc deſtilla cum cohobiis: deſtillatum hoc, cum eo, quod in fundo remanſit filtra, addendoque ceruſſam, quæ laminis adhæret, digere aliquamdiu: tandem leniſſimo calore abſtrahe aliquotam ✳ partem, ſalis

reſiduumque repone ad cryſtalliſandum ſ. a. cryſtallos collectos purifica ſolvendo, coagulando. *Keſler. libr. 1. cap. 17.*

2. *Magiſterium ♄i.*

Solutioni ♄i inſtilla 🜔 Tart. p. d. & præcipitabitur.

Vires. *Saccharum & Magiſterium (utriuſque enim eadem ratio eſt,) intra corpus ſumptum, frigiditate ſuâ libidinem extinguit.*

Doſis gran. 4. 5. 6.

Extrinſecus, arcet libidinem, ſi umbilicus & priapus eo inungantur. (N. *Si viciſſim mederi velis, utere Balneo Laconico, & inunge, umbilico* 🜔 *nucis moſchatæ deſtillatum.*) *Mira quoque præſtat in ulceribus corroſivis, malignis, cancroſis, impetiginibus, ambuſtis ac inflammationibus. Diſſolvit tumores duros & ſcirrhoſos, applicatur commodè contuſionibus, confertque inflammationibus rubedinique oculorum, in* ▽ *roſarum & euphraſiæ vel ciliis quoque impoſitum. Croll. Beg. Senn. in Inſt.*

N. *Sal ♄i cum Sal. nitr. in Cryſtallos concreſcit aſthmaticis proficuos, vide cap. 23. ſub titulo Sal. nitri Saturniſati.*

3. *Aliud Magiſterium ♄i, Lac ♄i dictum.*

℞. Solve laminas ♄i in 🜖 Vitrioli rectificat. (vel 🜅, ex Sal. nit. & ☉ ana) decanta: ſolutioni affunde Spirit. Vini rectificat. vel aquam ſalſam, (i. e aquam in qua ſal ſolutum) & præcipitabitur ♄us inſtar nivis, præcipitatum edulcora & exicca.

4. *Liquor lacteus ♄ni ad ulcera S. Cloſſ.*

Imbibe ℥j. ſalis ♄ni cum ℈j. Ol. Sulph. campanarii, per aliquot ☍ in frigido, iterumque eâdem quantitate 🜔 irroretur & ſulphurati permittatur in phialâ quam reple ℥iv. aqu. comm. & agita ut lacteſcat.

Vires. *Hoc liquore lacteo imbuantur pittacia ſive ſplenia dupl. & applicentur bis aut ter in* ☍ *calidè ſuper ulcera dyſepulotica, citòque cicatrice obducentur.*

5. *Calcinatio Vaporoſa: unde Ceruſa; Bleyveiſſ.*

Suſpendantur lamellæ ♄i ſupra 🜊, ut vapores ab aceto elevati circumeant. Sic adhæreſcet paulatim Ceruſa, quam derade, &c.

N. *Sublimationem in Mercurificatione videre licet.*

(Vnguentum de Ceruſa uſuale)

(Oleum ceruſſæ quidam parant, ex macerata ceruſſa aceto forti, per 🝩.

(Ceruſſa lutea paratur per ♀) *Schroderus.*

2. *Calcinatio.* 1. *Incineratoria*) Hæc peragitur, dum Plumbum funditur, & aucto △ne continua agitatione in cinerem ſeu calcem potius cineream reducitur. Nam Metalla in cineres propriè redigi nequeunt, bene autem in calcem. Ex quibus enim Sal educi nequit, illa incinerari etiam non rectè dicuntur.

2. *Reverberatoria.*) Unde Minium officinarum. Ex hâc △nis operatione reverberatoriâ Acidum quoddam in flammâ eſſe innoteſcit, dum Minii pondus ſuperat ♄turni pondus, ex quo illud emerget. v. g. ♄ni ſumantur 100. ℔, exurantur aridis lignis in Minium, & cum illud in minium converſum, reperiuntur 110. ℔. quæritur unde minium acquiſiverit ℔ x? Hoc corpus ſcilicet, quod Plumbum auxit in flammâ, eſt acidi ſaporis, idque probat ſequens mechanica. Deſtilla ex retortâ vitreâ aperto △ne, de illo ipſo ligno cum quo Plumbum exuſſeris, & extillabit liquor acidi ſaporis, qui extra retortam in flammæ forma Plumbum lambit, eique commiſcetur & fixatur. Refunde Minium in Plumbum & habebis 100. libras, ut prius, & reliquæ 10. ex acido ex ligno expulſo. Hoc autem cum non ſit de Plumbi Natura, cum eo non colliquatur, ſed fugit in Gas. Inde decepti fuerunt Autores ſtatuentes hoc Sal, quod *Dominus Autor* etiam in *Plumbo* aluminoſum pronunciat, in Plumbo fuiſſe per putatitiam incinerationem inde productum, cùm tamen ex acido flammæ productum fuerit & in plumbo calcinato fixatum.

4. *Immerſiva.*) *Unde l. Saccharum ſive Sal. ♄turni ibid.*) Saccharum Saturni præparatur vel ex Minio, vel ex ceruſsâ, vel ex materia aliqua *Schieferveiſs* dicta: ſicuti in Hollandia hic præparandi modus viget. Aliàs *Domini Autoris* noſtri deſcriptio proba eſt modo ſolutio & coagulatio aliquoties repetantur, ut Sal. comm. illud eò perfectius & melius elaboretur, & purificetur. V. g. Rec. cryſtall. ♄turni ſolve in acet. deſtill. filtra, & rurſus abſtrahe, uſque dum concreſcere velle videantur, tunc affunde ſp vini rectificatiſſimum, digere & ſp. vini ad medietatem abſtrahe, ſic fiunt cryſtalli ſplendeſcentes.

Hic animi diverſi ſunt Nonnulli modernorum Naturæ interpretum ſtatuentes ex Minii, aliorumque pondere non probari poſſe ab acido flammæ eſſe, ſed id potius ab ejus alkali dependere; eò quòd acidum primò omnium evolet, non Sulphur △nis, non Sal. comm. alkali, fixa enim æquè ac volatilia △ne patulo abigi confuſa ſine ordine. Cur ergò per Deum! operationes, quæ ſunt alkalicorum tribuuntur acido? Quin poſt Cl. Helmontium omnes potius in vulneribus, ulceribus, gangræna acorem attendunt; illum alkalinis abſorbent & corrigunt. Nunc inverſo ordine acidum ſuperabundans id facere creditur. Verum, quid abſoni erit ſtatuere aliquid alkalicæ eſſe energiæ & tamen ex Acido productum eſſe, Minium alkalicum exercere effectum notum eſt, quid autem inde? Ergò non ex Acido flammæ? ſed ejus alkali. Neutiquam. ſalia alkalia annon & ipſa ex Acido? dum juxta Cl. Helmontium & rei veritatem ſalia volatilia in vegetabilibus arreptione ſui Sulphuris mutantur in alkali, quodnam eſt illud Sulphur, nonne illud quod in ipſis vegetabilibus exiſtit, ac acidus ſpiritus, eſt ut per mechanicam chemicam conſtat. Sic & acidum flammæ à lignis ſuppeditatum in ♄ni corpore peculiari ratione diſpoſito dulceſcit & alkalinam induit Naturam. Sed videtur, hanc dulcedinem ♄turno eſſe domeſticam, non aliunde petendam, nam & ex ♄no ipſo, ceruſsa, lithargyrio educi poteſt ſaccharum. Verum ſcientia non apparentis nulla eſt. Hæc enim in hâc Naturæ ſcientiâ, ut auguſtè Eam ſalutat *Cl. Febvre* Nos demum ſcire ſum perſuaſus, quæ manuali experientiâ addiſcimus, hæc ſi oſtendat dulcedinem ♄turno eſſe domeſticam, ſeu ex ♄ni Sale petendam, ſubſcribemus; aliàs manus noſtræ ſunt oculatæ, credunt quod vident. Sal ♄ni, inquit *Nobiliſſ. Anglus Robert. à Boyle* in parodox. chemic. ut & reliquorum metallorum neque unquam vel illud conſpicere Mihi datum, vel ex ullius fide digni autopræ teſtimonio coargui, tale quid unquam ſeparatum in Naturâ fuiſſe. Nam ſi ex ipſo ♄no, imò & ceruſsa, lythargyrio ſaccharum educi debet, per corporum ſalinorum acidorum interventum hoc emergit, ſanè dubium homini curioſo reſtabit, emergere Sal. comm. illud ex ♄turno ipſo, an ex corporibus aut ſpiritibus acidis ad id præparandum adhibitis. Quid enim in Marte, Venere, Jove, imò oculis ♋, corall. C C. uſto ſpiritus acidos edulcorat? forſan etiam in his peculiare aliquod in ſcenam pro ducendum erit Sal alkali domeſticum? Sed urgent ulterius, id fruſtrà videri ad △ne peti; Verum, unde alia? Ecce quæ o? Annon Sulphuris acidi

acidi vegetabilis manifeſtiſſima cernuntur veſtigia in carbonibus, ex quibus per alkalia, antequam in cineres convertantur, aurei coloris ſeparari poteſt, cujus, (& non alkalium) beneficio flammam evomunt, hoc Sulphure à carbonibus ſeparato non inflammari amplius poſſunt, ſed in cinerem convertentur, ex quo alkali, qui nunquam flammam concipiet, ſi carbones retortæ indantur, & △ne aperto deſtillentur in ſpiritum abeunt acidum. Sed regerunt: cur ergo & quomodò ♄nus tantum ſibi acidum per quandam abſtractionem metaphyſicam applicat, quod primò omnium evolat, non Sulphur △nis, non Sal comm. alkalinum? an quia fixius; quod negant, nam fixa dicunt æquè ac volatilia △ne patulo abigi confuſa ſine ordine. Verùm hæc abſtractio Acidi facta à Saturno ex flamma △nis non ſane metaphyſica, nec phantaſtica, ſed realis eſt, adeò ut 100. Libræ plumbi ſolâ calcinatione 10. libras ex △ne tueantur & Minium conſtituant, ut ſuprà oſtendimus. Cur autem Acidum hoc, inſtant ulterius, occultum colorem ex Metallo rubrum extrahit, cum notum ſit, quam ægrè acida ex metallis ruborem extrahere vel ſoleant, vel poſſint, etiam ex ipſo ♂te, ſed potius eundem pervertant. Cur eaſdem habet virtutes cum Saturno & non alias, cur alkalinas, an cur ille iners? Cur acida adita addita pervertunt hunc colorem & virorem etiam extrahunt, ut in Saccharo Saturni viridi? Verùm, quædam acida ex Marte ruborem vel flavedinem extrahunt, uti patet ex Croci ♂tis præparatione cum ſp. Sulphuris acido, vel vitrioli facta, nonnulla etiam pervertunt, ut docet præparatio Sacchari Saturni ex Minio cum aceto; quæ autem ratio? Si perpenderis quouſque mera texturæ mutatio facta vel ab Arte, vel Naturâ exporrigere ſe queat in novis qualitatibus in unâ eademque materiæ portione producendis, ſi, inquam, perpenderis, quodque variatio vel figuræ vel molis, vel motus. vel ſitus, vel nexus corpuſculorum, unde ullum horum corporum componitur, mutare fabricam ejus poſſit, fortaſſis unà mecum induceris ad credendum, non adeò neceſſarium eſſe, ut Natura ſemper in promptu habeat elementa, vel principia hypoſtatica, unde talia corpora, quæ mixta vocamus componat, neque adeò eſſe facile, ut chemici, aliique hactenus imaginati ſunt, dignoſcere, quænam exiſtimanda ſint excluſivè ad omnia reliqua inexiſtentia ingredientia elementaria multò minus determinare, quænam primogenia & ſimplicia corpora coiverint ad eam componendam Non dulceſcit, inſtant ulterius, Minium, nec acidum △nis dulceſcit in Minio, ſed acidum extraneum huic additum dulceſcit, quia Sal comm. alkalinum cum Sulphure mixtum exhaurit. Verum Minium omninò dulceſcit ob acidum ſcilicet extraneum à flamma Ignis ſuppeditatum, non ob Sal. comm. alkalium cum Sulphure mixtum, id quod adhuc melius ac evidentius probandum eſt. Neque acidum Ignis ſeu flammæ ullum Sal. comm. alkalinum cum Sulphure mixtum ex Saturno exhaurit, ſi ex Saturno debet Minium elici, quod dulceſſit, ſed ſufficit mera partium in Saturno figuræ, texturæ, nexus ac ſitus mutatio ab acido flammæ peracta, unde dulcedo ac rubedo. Quid? ſi Minium ab alkalinis dulceſcit, cur non Minium ex Saturno cum alkalibus pyrotechniæ ope emergit? Sed ulterius dubitant; An à ſolo acido pondus; annon ex particularum inverſione levibus ablatis Sulphuribus? Verum & hæc ratio admodum levis eſt, uſque dum per mechanicam inductionem ante oculos ponatur. Et ſi qua particularum adeſt inverſio, potius ad qualitatem; quàm quantitatem erit referenda. Quid enim corallis vulcani acori expoſitis dat ponderis augmentum? in his nulla levium Sulphurum eſt ablatio, nulla notabilis particularum inverſio.

Si acet. deſtill. acues Spir. Vitrioli &c.) Hâc ratione conficitur ex Saturno Anti peſtiferum dictum; Rec. Saturni calcinati q. v. affunde acet. deſtill. ſ. q. animam extrahe, reduc. in cryſtallos ſ.a. Hos imbibe cum ſp. vitrioli rectific. evapora ad ſiccitatem. Hunc laborem tertiâ vel quartâ repete vice & ſic magis magiſque corpus Saturni diſcontinuabitur. Hujus animæ Saturni Sp. Vitrioli turgidæ Rec. ℥iij. vel q. v. ſolve in Aq. deſtill. pluviali & per evaporationem iterum reduc. in cryſtallos albiſſimos. Horum doſis eſt à gr. ij. ad iij. cum ſp. Tartari volatil. ʒj. & ſp. Theriacal. ℈ij. in Aq. Card b. ℥j in febribus ardentibus etiam malignis & peſtilentialibus ſummo ſemper cum emolumento ægrotis meis obſervatis circumſtantiis certis offero, Movet ſudorem, pellit urinam & fermentum figit febrile. Nota Loco ſp. vitrioli ſ. ſubſtitui etiam ex tempore poteſt ſp. vitrioli coagulatus cum cryſtall. ſaturni mixtus. Item Rec. ☉ fulminant. Cryſtall. ſaturni & Cinnabar. Antimonii rectific. ana M. & philoſophicâ putrefactione radicaliter unias. Et ſic in deſperatiſſimis acquires remedium, quod Me rarenter deſeruit. In febribus malignis doſ. gr. iij. aut 4. pro pueris, gr. vj. ad 8. pro adultis.

N. 1. Solve liquorem cryſtall. ſaturni ſp. vini probè impregnatum, & miſce cum ſoluto vitriolo martis, quod etiam ſp. vini optimè ſit animatum, ſucceſſu temporis in digeſtione ſolutio rubeſcit, qui ſp. vini affundendus, circulandus & probè commiſcendus, per repetitam cohobationem deſtillando emergit Tinctura antiphthiſica D. D. Johannis Michaëlis, in ſputo ſanguinis maximis extollenda laudibus.

N. 2. Sciendum hoc Sal ſive Saccharum ſaturni non eſſe verum Sal ex cineribus plumbi extractum, ſed ſaltem vitriolum quoddam Plumbi eſſe, imò ipſum Plumbum ſolutum, tum quod ex ipſo crudo Plumbo nec quicquam calcinato eâdem operâ idem eodem aceto deſtillato confici poſſit, quod ex Plumbo calcinato, vel ejus ſcoriis, tum quod etiam in priſtinum plumbum ſit reducibile.

N. 3. Salis ſaturni iteratæ ſolutiones & coagulationes non ſunt rejiciendæ, ut ſupra præcepimus, ſed ejus edulcorationes, quas Nonnulli Authorum commendant, ridiculæ ac ineptæ ſunt, dum hoc modo Spiritus acidi eluuntur & in reſiduo nil niſi priſtinum manet metallum. Spiritus enim aceti in Sal duce coagulatur in calce ſaturni, manente formali ſaturni concreti proprietate, quemadmodum etiam patet ex ſp. vitrioli agente in martem, ſi enim ſp. vitrioli acidus corroſerit martem, acidum vitrioli fixatur in vitriolum, manente marte integro etiam in pondere. Adeoque ſunt proprietates ſingulares ſpirituum, non autem corporis patientis reactiones: quippe quod in ſui ſubſtantia, aut pondere, ſuſtinet, niſi meram unicamque ſui diviſionem: vid. Nobiliſſ. & Acutiſſim. Helmont. in tr. ignota Actio. Regiminis §. 11. pag. 265.

N. 4. In Saccharo ſaturni unio Salium acidorum cum nonnullis Plumbi partibus adeò ſtricta eſt, ut ſp. Acet. quâ talis videatur deſtructus cum corpuſcula ſalina penitus amiſere eam aciditatem, cujus nomine ille liquor Spiritus aceti vinoſi dicebatur. Nec poſſunt ullæ ejuſmodi partes acidæ, quales minio vel calci ſaturni apponebantur, à Saccharo ſaturni utriuſque ſobole ſeparari, ut non ſolum nulla planè aciditas, ſed mira dulcedo in concreto guſtetur: & ſi Saccharum ſaturni per ſe deſtilletur, liquorem valdè penetrantem & graveolentem nanciſcimur, nullatenus acidum, ſed odore & aliis qualitatibus æquè ac ſapore à Spiritu Acet. diſcrepantem. Verùm hæc ratio, ut admodum veriſimilis, mihi approbatur, quod cum in Acet. partes vini ſpirituoſæ tantùm ſint depreſſæ ſalinis Acet.

particu-

particulis cum calce plumbi unitis, Spiritus vinoſi adhuc ſuperſtites denuò liberantur. & ſui juris facti è latebris illorum vi caloris urgentur. Quemadmodum idem evenire videmus in deſtillatione Acet. deſtill. ſuper Sal. comm. Tartari quando terram foliatam Tartari conficimus.

Aliter. Rec. Laminas aliquot ſaturni tenuiſſimas &c.) Etiam ſuccedit; Sed hic modus admodum lubricus eſt, facilè enim accidere poteſt, ut laminæ decidant, & ita totum laborem irritum reddant.

2. *Magiſterium ſaturni.*) Hoc cum ol. ſulph. p. d. ▽tatum externe pro coſmetico uſurpari poteſt: item in ſcabie aliiſque affectibus ab humoribus ſalſis ac ſeroſis, item in ulceribus malignis, cancroſis, puſtulis, ophthalmiâ cum Aq. euphrag. ſcabioſ. &c. Alias magiſterinm etiam albiſſimum præparatur elegantiſſimum internè uſurpandum, ſi ſolutioni ſaturni cum acet. deſtill. factæ ad ▽ationem ſp. Salis vel vitrioli inſtilletur.

Vires.) Saccharum & magiſterium ſaturni internè adhibitum chyli & maſſæ ſanguineæ, lymphæque acidum mirificè compeſcit, fermenta febrilia extinguit & internis inflammationibus viſcerum medetur. Externè arcet libidinem priapo inunctum; miræ etiam eſt virtutis in ulceribus corroſivis acidum rodens abſorbendo malignis &c. item in variolis externè cum emplaſt. de ſpermate ranarum impoſitum, illis in vigore jam poſitis cum cutis inflammatione conjunctis, quæ ſalibus dependet actibus, hæc non repellendo, ſed mitigando ac edulcorando compeſcit, prout ſæpè fui expertus etiam in illuſtriſſimis Ducalibus ſubjectis. &c.

N. *Sal. ſaturni cum Nitr. ana.*) Cryſtalli ſaturni cum ſp. vitrioli non ſolùm, ſed & cum ſp. Nitri acui & in cryſtallos iterum redigi poſſunt. Commendantur in inextinguibili ſiti & calore febrili.

3. *Aliud magiſterium ♄ni, Lac ♄ni dictum.* Hujus rarus eſt uſus, unde & *Dominus Autor* ſupra innuit de ♄turni calcinatione immerſivâ, etſi ſaturnus, inquiens, beneficio cujuslibet liquoris acidi calcinari poſſit, quales ſunt Spiritus Vitrioli, Aq. fort. Sal. comm. & O &c attamen acet. deſtill. frequentiſſimum ſolvens eſt, & optimum. Solutio cum reliquis facta & cum Sale ▽tata mortuam quaſi terram excludit, ſeu calces nullius momenti.

4. *Liquor Lacteus ſaturni ad ulcera S. Clöſſ.*) Hic liquor chirurgicum ſuum agnoſcens uſum in ulceribus dyſepuloticis, ſpleniis duplicatis hoc ipſo imbutis & applicitis, mira præſtat.

5. *Calcinatio Vaporoſa: Unde Ceruſſa.*) Lamellæ plumbi ſuſpendantur ſuprà Acet. ut vapores ab Acet. elevati circumeant. Sic adhæreſcet ceruſſa, quam derade. Benè autem proſpiciendum eſt, ne lamellæ decidant, & vas ſubſtratum frangant, & ſic totum laborem fruſtraneum faciant.

N. Ex Ceruſsâ componitur Emplaſtrum Norinbergenſe S. I. vid. theſaur. pharmac. annex. ſ. x. n. xxv. *Hofmannus.*

III. DESTILLATIO.

Unde

1. 🜈 ♄i ardens.
2. 🝆 flavum.
3. 🝆 rubrum.

℞. Sacchar. ♄i (vel potius 🝆 ♄i) per deliq. deſtilla per retortam vitream lutatam in excipul. capacis juncturis bene clauſis, △ gradatim adhibito, donec rubræ guttæ cadant, nihilque amplius extillet.

N. *Deſtillatus hic liquor quatuor diverſa menſtrua exhibere aptus eſt. Spirituum ſcil. ardentem, 🝆 flavum, phlegma, & 🝆 rubrum quorum ſeparatio fit per retortam vitream in MB vel cinere, receptaculis ſcil. pro diverſitate liquoris extillantis, mutatis.*

Cognoſcitur autem diverſitas liquoris, 🜈 ardens prodit ſine ullis venulis in collo retortæ apparentibus, 🝆 flavum, cum venulis obliquis, ceu vinum ardens: phlegma cum venulis rectis: relinquitur 🝆 rubicundum in fundo: phlegma ſeparatur ab 🝆 flavo ſeorſimque ſuſcipiendum eſt.

Vires 🜈 *ſudorificus eſt, hinc prodeſt in Peſte, Melancholia Hypoch. Febribus ardentibus, Lue Venerea, & ſimil.*

Doſis gutt. 2. 3. Tentzel.

N. 1. *Venereum appetitum infringit.*

N. 2. *🝆 flavum ☍ aliquot digeſtum rubeſcit.*

N. 3. *Cum ſpiritu & phlegmate ſolvuntur & præcipitantur perlæ ad tincturam inde conficiendam. Vide tincturam Perlarum.*

Cum 🝆 flaveſcente fit ſolutio ⊙. vide de ⊙.

🝆 rubicundum mundificat ac ſanat vulnera, ſi illinatur.

⊖ mundificat itidem vulnera.

Vide Beguin. libr. 2. cap. 4. Hartmann. in Croll. Sennert. Inſtitut. Keſler, lib. 4. cap. 57.

4. *🝆 ♄i balſamicum.*

℞. Balſamicum ♄i Terebinthinatum, deſtilla per 🝭, igne nudo gradatim adhibito. Primo ſtillat 🜈 Terebinthinæ, tandem 🝆 ♄i balſamicum, ſuſcipe ſeorſim.

Vires *Maximarum eſt viriam in cancroſis, æſthiomenis & cæteris malignis ulceribus. Schroderus.*

3. *Deſtillatio. Unde 1. Spir. ♄ni ardent.*) Hic ſpiritus ardens nihil aliud eſt, quàm vinoſus in Acet. deliteſcens & à partibus acidis depreſſus, unde ſi Acet. ſalia cum calce ♄ni uniuntur, hic ſpiritus ardens vinoſus adhuc ſuperſtes denuò liberatur & ſui juris fit, unde à quibuſdam dicitur regeneratus, ut ſuprà jamdum monuimus. Iſte autem ſpiritus ardens nequaquam è ♄no procedit, nam ſi △nem vehementiorem adhibeas, calx ♄ni denuò in Plumbum liquatur. Præter hunc ſpiritum ardentem *Dnus Autor* etiam duplicis olei flavi & rubri mentionem injicit. Verùm ego hæc nunquam à ſaccharo ♄ni obtinui, licet ipſum deſtillatum ſine additamento aliquid olei largiri experientiæ non refragetur. Non deerunt, qui hoc ol. non niſi Sulphur ♄ni volatile redditum velint, hoc argumento, quod deſtillatione finitâ Cap. mort, valde nigrum reperiatur. Verùm, cùm ſaccharum ♄ni ſit genus quoddam magiſterii paratum duntaxat calcinando ♄num per ſe diſſolvendo illud id Acet. diſt. & ſolutionem ad cryſtallos redigendo, examine facto, deprehendes hoc ol. ex Cap. mort. deſtillatum ex Spir. Acet. diſt. productum, ulterius ad diſtinctas reſolvi poſſe ſubſtantias, vel quod quædam partes ſpiritus unà cum nonnullis ♄ni partibus hoc ol. poſſint conſtituere, quod proinde, licet videatur homogeneum, corpus valdè compoſitum eſt, vel ſaltem, quod Acet. diſt. & ſaturninæ calcis in ſe invicem actione pars liquoris ita alterari poſſit ut à Spiritu acido in ol. tranſmutetur.

N. Aliàs etiam ex cryſtallis ſacchari ♄ni cum Spiritu Vitrioli elegantiſſimus liquor deſtillari poteſt omnium morborum aſtralium, qui fixas egere radices & indomitos fomites habent, ſalutaris Hercules nullum heterogeneum in microcoſmo Aſtrum admittens, ſed inimicas & hoſtiles omnium morborum impreſſiones ſive ideas eliminans. Sequenti autem modo elaboratur.

Recip. Sacchari cryſtallini Saturni per Acet. diſt. parati qu. v. affunde ſpiritum Vitrioli rectificat. digere per aliquot ☍ & prodibit phlegmatica

Vi-

Vitrioli ſubſtantia, affunde recentem ſp. Vitrioli, iterum digere, deſtilla phlegma iterum, abjice, & hoc aliquoties repete, donec acidus iterum extillet: Ita corpus ♄ni ferè totaliter, deſtructum eſt, & ex vinculis ſuis liberatum, & in multò benigiorem planetam converſum, nempe ♂tem, & hæc ultima ſolutio cum ſpiritu Vitrioli apprimè eſt neceſſaria, nam Acet. ad ♄ni ſolutionem admodum inſufficiens eſt, aliunde igitur quoddam Acet. minerale ♄no admiſcendum. Hanc animam ♄ni accipe Acet. diſt. minerali imprægnatam, miſce cum bolo calcinato, & ♌ la per retortam ut moris eſt. Peractâ deſtillatione Recip. ſpiritum qui prius prodiit, ut & ol. rubrum, unumquodque ſeorſim rectifica, prius digerendo; ultimò conjunge ol. rectificatum cum priori ſpiritu & cohobando ſæpius in MB. deſtilla donec per reiteratas ♌ationes totaliter uniantur. Poſtremò △ne valido ex Aren. aut cineribus iterum deſtilla.

N. 3. Cum ſpiritu & phlemate ſolvuntur & ♎tantur Perlæ ad tincturam inde conficiendam.) Plures alii ſpectabiles chemici docent ſpiritum ♄ni ardentem perlas diſſolvere, quæ ejuſdem concreti ſpiritu præcipitatæ, eo ipſo, ut aiunt, volatiles reddantur. Verùm fides ſtet penes affirmantem, mihi adeò felicem eſſe, ut his ipſis meis viderim oculis, nondum licuit. Prout nec hoc, ex ol. flaveſcente ♄ni fieri poſſe ⊙ ſolutionem. Interim certum eſt, tam ſpiritum, quàm ol. externè applicitum in inflammationibu, combuſtis membris, vulneribus & ulceribus &c. maximarum eſſe virium.

4. *Ol ♄ni balſamicum*) Scilicet, ſacchari ♄ni ſ. q. cum Terebinth. miſcetur, ac igne nudo gradatim adhibito per retortam deſtillantur. Primò procedit Spir. Terebinth. tandem ol. ♄ni balſamicum. Maximæ eſt energiæ in ulceribus cancroſis, æſthiomenis &c Aliâ, balſamum ♄ni (ut vocant) unguentum eſt ex ſaccharo ♄ni in Acet. ſoluto & ol. roſaceo miſto, vocatur alioquin butyrum ſaturni. Ejus uſus etiam in inflammationibus & ambuſtis ſatis deprædicari nequit; Hunc balſamum Autor Noſter Libr. 2. deſcripſit.

N. Saccharum ſaturni in ol. Terebinth. ſolutum & leni calore Ciner. digeſtum, egregium & ferè divinum præbet in gonorrhœâ remedium, in primis ſi aliquid addatur camphoræ. Confici etiam poteſt cum ol. d. juniperi, ſi ſp. vini abſtrahatur. Placet nonnullis balſamum ſaturni appellare; commendatur etiam in pluribus affectibus externis. *Hofmannus.*

IV. SUBLIMATIO.

Unde

Sal. ♄i volatile.

℞. Min. ♄i. q. v. ſolve in ✳ ſolve quoque ſal fuſum in ▽. com. Utrumque confunde. Sic extemplo ≂bitur pulvis albiſſ. qui probè edulcorandus & exiccandus.

N. *Hoc Sal laminæ ferreæ candenti impoſitum liqueſcit inſtar ceræ neque effumat.*

Ex communicatione Cl. D. Joelis Langelot.

HOFMAN. 4. *Sublimatio. Unde ſal ſaturni volatile.* Hæc operatio potius ≂atio, quàm ♎atio appellanda venit, minium enim in acet. deſtill. ſolutum cum ▽ com Sale fuſo imprægnatâ in pulverem album ≂tatur, unde enim ♎atio? Aliàs certè ſolutio minii elegantius dat ≂tatum cum ſp. Salis rectificato, quàm cum Sale fuſo in ▽ comm.

N. Sal etiam ſaturni elegantiſſimum conficitur ex Spiritu O, qui fit ex O & Sal. comm. anatica parte cum boli ſextuplâ parte in ſpiritum ♌latis, qui Spiritus ſuper laminas Plumbi tenuiſſimas funditur uſque dum non amplius ebulliat, poſteà ≂tatur cum ▽â.

V. EXTRACTIO.

Unde

1. *Sulphur ♄i ſeu 🝆 ſupernatans.*

℞. Mannæ ♄i, circula aliquandiu cum 🜈 rectificatiſſ. abſtrahe 🜈 gradatim: ſic aſcendet tandem & 🝆 ♄i ſupernatans.

N. *Si 🝆 hoc cum 🜈 denuò circules, tandem fragrantiſſimo imbuetur odore.*

Vires. *Maximarum eſt virium in affectibus pulmonum, phthiſi, &c. Dn. D. Paulus Keſler.*

2. *Tinctura.*

℞. Cryſtall. ♄i cum ✳ fact. extrahe cum 🝆 juniperi, ac rubeſcet 🝆, abſtrahe, ſi placet, & ſerva, vel digere cum 🜈, iterumque abſtrahe.

N. *Remanet materia poſt extractionem ſali extrahendi idonea.*

3. *Alia.*

℞. Cryſtall. ♄ (cum ✳ factor. & edulcorator.) q. v. extrahe 🜈, filtra, digerendo defeca, ſubſident enim fæces; abſtrahe tandem 🜈, & remanet Tinctura in fundo rubra. *Keſler. lib. 4. c. 70.*

Doſis. 2. 3.

4. *Alia Tinctura ♄i elaboratior.*

℞. Sal ♄i cryſtallizat. q. v. affunde ▽ pluvial. ſæpius (8.) deſtillatam, ſolvéque quoad poteris, & decanta. Decantatos liquores deſtilla in MB. ad ſiccitatem. Hinc affunde ♈m mellis, circula per menſem, ac deſtilla cum cohobiis, multoties repetitis. Tandem abſtrahe mellis ♈m, remanentique Eſſentiæ adde Sal. com. ex ☉ ♄i extractum & cum 🜈 Tartariſato, per menſem unum ac alterum circula. Hinc 🜈 abſtrahe remanebitque Magiſterium ſeu Tinctura ♄ rubicundiſſima.

N. *Hic inſerere placet quæ Etzlerus de ♄ habet in Iſagoge ſua: Ex plumbo*, inquit, *conficiuntur medicamenta facientia ad longævitatem: Calcinetur plumbum per vappidi attactionem, & per menſtruum debitum extrahatur tinctura. Hæc poſtmodum abſtracto menſtruo per debitam calcinationem & circulationem convertitur in lapidem rubicundum pellucidum.*

Uſus. *Præſtantiſſima eſt Medicina in Mania, Melancholia, Quartana, Phthiſi, Lienem aperit, in melancholia Hypochondriaca apprimè conveniens eſt.*

5. *Alia Tinctura, Manna ♄i dicta.*

℞. laminat. q. v. extrahe Tincturam cum ♈u ♄i eſſentificato, filtra & abſtrahe.

6. *Cremor ♄ni S. Cloſſ. & inde Tinctura.*

℞. ✳ partes x♈ Sal. communis part. ij. mineræ ♄i in alcool redact. part. 1. Digere per octiduum in ♏, vel plus donec dulceſcat ✳, ſolutum filtra & inter exhalandum ſæpius cochleari vitreo ſubleva cuticulam ſeu Cremorem glaciatum nivis inſtar ſplendentem, dum ejus ſuffic. quantit. habeas reliquum cryſtallizetur & ad alios uſus ſervetur.

7. *Lapis & Tinctura.*

Cremorem hunc indito vaſi fixatorio H.S. in capellâ ♏da △ primo leviſſ. per 40. ♂. cavendo ne fluat materia (ut in ſale ♄ vulgari accidit inevitabiliter) quibus elapſis proba ſuper laminam candentem, an fluat cum fumo; ſi ſic, continua △ in eodem gradu, donec fumare deſinat, & citrinari incipiat, tùm △ auge dum croceſcat, auge fortius ad rubedinem uſque totalem pulveriſ. è quo Tinctura cum 🜈 non difficulter poſtea habetur.

Vires

Vires. *Valet ad morbos ♄inos.*

8. *Tinctura facilior.*

℞. Minii ♄i part. v. ſilicum calcinat. part. ij. terantur diutiſſimè, fluant in tigillo △ per gradus adhibito donec in lapidem Rubini æmulum colliqueſcat, qui tritus Tincturam ſuam in ∇ Tartariſatum deponit. Ex comm. S. Cloſſ.

N. *Hoc Rubino ♄i vel ſequenti vitro ♄ni videtur intelligendus Glauberus prima parte furnorum p. 80. ubi calcem politam ♄ni miſcet cum Sal. com. Tartari & inde deſtillat. Spirituum gradatorium, & liquorem viridem per deliquium ex 🜕 excipit. Vel fiat Rubinus ex calce ♄ni ſive minio, ut eſt in pag. 151. ſecunda partis Glauber.*

9. *Tinctura ex Vitro ♄ni.*

♄nus vi expreſſivâ △ follium ſuper teſtâ probatoria redigitur in gummi flavum coloris arantii, tranſparens, fuſile non vaporans in △, eſtque aqua illa viſcoſa mineralis quàm Rhodianus ait omnium metallorum colores, odores & ſapores ad ſe trahere, cum conſervatione facultatis vegetativæ (videſis Beguinum tit. de ſpiritu ardente ♄ni) quod ſic fit. Spiritus metallorum: Miſce calcem cujuſcunque volueris metalli cum hoc Gummate Mariæ, mixturam arte fuſoria redige in Encauſton ſive Smaltum opacum, quod in pulver. redactum facilè Tincturam ſuam, ✳ communicat, ſcil ☾, & ♃ ſubflavum colorem, ♄nus ex luteo virescentem, ♀ paraſinum, ♂ ſanguinem, ☉ hyacinthinum impertitur. Solvènte verò abſtracto reſtitans inde gummi mittitur in ☊ extillaturque fumus albus, opacus, tactu frigidus quod tandem in Oleum abit naturæ vegetativæ; *Baſil. Vigenerius. Schröderus.*

5. *Extractio. Unde 1. Sulphur ♄ni, ſeu ol. ſupernatans.)* Manna ♄ni ex cryſtallis ♄ni cum ſpiritu vini ♄ni conficitur per crebam cohobationem & circulationem, donec nil niſi phlegma ſuper alembicum adſcendat; Hæc cum ſpiritu vini de novo aliquandiu circulatur, & gradatim abſtrahitur, uſque dum ol. ♄ni unà elevetur. Si hoc ol. cum ſp. vini ſæpius circules, fragrantiſſimo tandem imbuetur odore. In affectibus pulmonum, phthiſi &c. ſummæ eſt efficaciæ, conveniens cum tincturâ antiphthiſicâ Dn. D. Johann. Michaelis, cujus etiam ſuprà facta fuit mentio.

2. *Tinctura)* Chryſtalli ♄ cum ol. juniperi extracti per digeſtionem præcedentem tincturam rubram excludunt, quæ cum ſpiritu vini circulari poteſt. In calculo renum & inflammationibus hæc admirandæ eſt virtutis.

3. *Alia)* Ex cryſtallis ♄ni ritè præparatis ſimiliter rubra prodit tinctura. Si cum ſp vini extrahantur, filtrentur, digerantur cum Vitriolo martis poſt digeſtionem defæcentur, aliquâ ſp. vini abſtractâ parte. Earundem eſt virium cum ſaccharo Saturni.

4. *Alia tinctura, ♄ni elaboratior.)* Recip. cryſtallos ♄ni ad ſuprà præſcriptum modum præparatos ſ.q. affunde ſpiritum mellis pone in circulationem per menſem, poſteà deſtilla cum cohobiis ſæpius repetitis, tandem abſtrahe ſp. mellis; reſiduo adde denuò cryſtallos ♄ni & cum ſp. vini Tartariſato vel arcano Tartari ſoluti per aliquot menſes circula. Hinc ſp. vini abſtrahe, & acquires tincturam ♄ni rubicundiſſimam. Hæc magni momenti eſt, prout & cremor ♄ni *S. Cloſſi*, item Lapis & Tinctura no. 6. 7. & 8. Sub his enim non minimi momenti latitant arcana, in Mania, Melancholia, Quartana, Phthiſi, Melancholia hypochondriaca apprimè conducentia.

9. *Tinctura ex vitro ♄ni.)* Hæc nullibi niſi ab Alchemiſtis, ad lapides conficiendos, quos ſæpiſſimè pro pretioſis divendunt, uſurpatur. *Hofmannus.*

V. *MERCURIFICATIO.*

Unde

1. *☿ius ♄i.*

℞. Sal. com. ♄i, q.v. °° ✳, p.d. ad emin. 2. digit digere in ciner. ♂ ♇ 14. Dein deſtilla & tandem auctiori △ ſublima. Flores tere optimè cum ✳ Saleque com. ac habebis ☿m currentem ♄i, *Kesler. lib. 1. cap. 29.*

2. *Aliter.*

℞. Calc. ♄i, (per ∇ ex Vitriolo & Sal. nit.) optimè edulcorat. Cryſtall. Sal. nitr purific. ana. ſublima per cucurbitam tabulatam, flores tere cum ✳.

N. *Antequam affundatur ∇, digerenda eſt limatura ♄ ♂ ♇ (14) cum lixivio ex ✳ Sal. com. Tart. & Calc. viv. in △ vel ✳ quo lixivio dein evaporato, ♄ terendus eſt ſupra Porphyr. Kesler. l. 4. cap. 82.*

3. *Aliter.*

Fiat lixivium ex ciner. clavell. ℔ 1. ciner. ſarment. vitis. ℔ iv Calc. viv. ℔ 1. ſilic. uſt. ℔ ij. cum ✳. In hoc lixivio ſolve ♄ limat. Et quando lixivium lacteſcit, injice Borrac. ʒ. (ſcil. reſpectu ♄i injecti) ut ſolvatur: dein deſtilla gradatim, extillabit tandem in receptaculum ☿ currens.

4. *Aliter.*

℞. aqu. ✳ci ſublimati & in cella reſoluti ℥ij. ol. Tart. ſpir. Sal. nitr. ana ℥iß. M. digere per biduum in lapidem.

℞. hujus lapidis pulveriſ. ℥j. laminarum ♄ni ℥ij. laminæ ſolvuntur in ℥iv. ⌒us Sal. nit. ſolutio projiciatur ſuper lapidem, putrefiat per menſem aut ultra, abſtrahatur ⌒us uſque ad liquorem cum cohobio terno tandem detur △ ♎atorius ut calx ♄ni aſcendat, quam digere cum ∇ fortificato ✳co & ſale Tart. per diem naturalem, agita inter digitos, & calx ad vitam excitabitur. *Schroderus.*

5. *Mercurificatio, Unde 1. ☿ius ♄ni)* Omnes Dni Authoris deſcriptiones non ſuccedunt; Interim tamen non dubito, quin & proceſſus mercurium ex ♄nio ſeparandi cujus infrà mentio fiet, & experientiæ reſpondet, etiam hìc accommodari poſſit ſi modò hæc tria probè obſerventur. 1. Ut ♄nus in aq. fort. ex Nitri p. ij. & Vitrioli p. 1. præparata ſolvatur. 2. Ut loco Urinæ ſalibus reſuſcitativis Acet. fortiſſimum addatur. 3. Ut digeſtio ad duos continuetur menſes. Hæc ex litteris miſſ. ad me datis *Excell. D. Ioelis Langelotti. Hofmannus.*

SALIFICATIO.

Sal ♄i verum.

℞. Materiam, quæ remanſit poſt extractionem cum °° juniperi peractam, ſicca optimè ut oleoſitas penitus conſumatur: extrahe Sal com. cum ✳ (ſic extrahitur Sal com. quod ante extractionem impediebatur, quo minus reſolvi poterat) abſtrahe ✳ ac repone ad cryſtalliſandum, Chryſtallos clarifica abſtrahendo ∇ ſerva. *Baſilius in Teſt. & hinc Tholdius.*

Vires. *Rifrigerat vehementer & exiccat, proinde ſemen extinguit.*

Doſis g. 4.

Extrinſecus medetur oculorum rubedini, ulceribuſque totius corporis.

N. *Si Oleum ſeu Liquorem expetas, per deliquium id ex ſale habere poteris. Schroderus.*

Salifi-

Salificatio. Sal ♄*ni verum.)* Hoc Sal. com. non ex ſaturno immediatè & per ſe, ſed etiam ex Acet. diſt. ortum eſt, unde & in cellam ſive aëream humidum repoſitum ſolvitur per deliquium in ol. à ſaccharo ♄ni non differens, ſed idem cum eo ſpecie eſt, unde & ejuſdem cum ſaccharo ♄ni energiæ. *Hofmannus.*

Plumbum Nigrum, vid. *Nigrica Fabrilis.*

Pneumonica, vid. *Pectoralia.*

POLIUM.

Πόλιον ſic dicitur propter caniciem, quæ in capitulis ſecundum Dioſcoridem, at ſecundum Plinium in foliis apparet. πολιὰς namque caniciem & canum ſignificat.

Polii ergo *nota Caractheriſtica* eſto foliorum & comæ Canicies, & tomentoſa lanugo qua obducuntur: quinetiam Polium ex humilioribus ſuffruticibus eſt, foliis oblongis, & in legitimis ſeu genuinis ſpeciebus circa margines crenatis.

Vires. Polium cùm acre ſit & amarum, urinam & menſes ciet; hydropicos & ictericos juvat; venenatis morſibus auxiliatur, Theriacam & mitridatium ingreditur.

Omnis generis Polii ramuli in terram depacti, præcipuè umbroſo, ſine difficultate radices agunt, ut in aliquot ejus generibus periculum fecit Cluſius.

Nos hujus generis ramulum in horto Oxonienſi collectum & in Libellum conjectum per triduum in loculis circumgeſtavimus, tandem Cantabrigiam reverſi in hortulo noſtro plantavimus, qui tamen brevi comprehendit & radices egit.

Sylvius inter medicamenta Antepileptica ſecundum locum Polio montano tribuit, ut quod volatili ſale abundet, D. Soame. *Rajus.*

POLYGALA.

Polygalon dicitur à copia & ubertate lactis quam vaccis & pecudibus depaſcentibus facere creditur. Eſt autem herba planè anomala, vaſculo ſeminali cum Thlaſpi conveniens, cui idcirco ſubjicienda, flore ſingulari & ſui generis.

Vires. Si manipulus ejus per noctem in vino maceretur, idque bibatur, bilem per alvum mirè dejicit nullo periculo; experientia Gesneri. *Rajus.*

POLYGONATUM.

Πολυγόνατον Dioſcoridi *Lib.4. cap.6.* quod radix crebro geniculata ſit: vulgò ſigillum Salomonis haud dubiè à veſtigiis pluribus radici ſigilli inſtar impreſſis. Foliis nervoſis cum Lilio convallium & monophyllo convenit; Magnitudine ſua, caule multis foliis veſtito flore cylindraceo ab eiſdem differt,

Vires. Polygonati vires ſummatim recenſet Schroderus his verbis.

Vulnerarium eſt & aſtringens, fluxiones quaſcunq; ſiſtit; oſſa fracta conſolidat. Radix in vino decocta & pota mira præſtat in contuſionibus & fracturis oſſium, in herniis, &c. extrinſecus faciei maculas abſtergit, cutim dealbat, &c.

Baccæ pituitam mucilaginoſam per vomitum ac ſeceſſum educunt. Dos. 14. aut 15.

Ad menſes albos, ℞ rad ſigilli Salomonis ſaccharo condit. eſt experimento probatum remedium ſæpius utentibus Matthiolus

In cerevisia forti coctum optime convenit in Arthritide. D Palmer dictante D. P. Hermanno adnotavit.

Sylvius *L. 2. c. 21. ſ. 131.* inter medicamenta antipileptica ſigilla ſexto in loco recenſet, cujus acetum & oximel infantibus epilepticis auxilio fuiſſe ſe noviſſe ait, & acrimoniæ ſua ſalem ſuum volatilem manifeſtare nemo negavit in arte peritus, inquit D. Soame. *Rajus.*

Polygonum, vid. *Centinodia.*

POLYPODIUM.

Πολυπόδιον Græcis dicitur hæc planta, quia in radice ejus ſunt tubercula, acetabulis iis ſimilia quæ in polyporum cirris apparent ῥίζα δὲ ὕπεσι δασεῖα πλεκτάνας ὥσπερεὶ πολύπες ἔχουσα. Dioſcor & Plinius radix, inquit, acetabulis cavernoſa ſeu Polyporum Cirri. Hæc tubercula ſive acetabula ſunt veſtigia foliorum annuatim abſcedentium ut Cæſalpinus loquitur.

Polypodium Vulgare.

Polypodii radix obliquè ſub terræ ſuperficie repeat. altius fibras ſuas ex tuberculis, quibus plurimis ſcatet, demittens, ad craſſitudnem ferè minimi digiti accedens, nunc tenuior, Colore foris buxeo, intus ferè herbaceo; ſapore dulci, tandem acerbo & adſtringente. Folia ex transverſa radice filicea, è foliis ſeu potius ſegmentis multis, guſtu adſtringentibus, non denticulatis, supernè virentibus, infernè ad nervi latera utrinque ordine quodam acervulis quaſi pulviſculi ruffi punctatis, etſi interim hoc non ſemper obſervetur, ad coſtam unam, media parte foliis viduam annexis, compoſita.

Hujus ſemina Microcoſpio inſpecta tum figura ſua, tum colore à reliquorum capillarium ſeminibus diſcrepare deprehenduntur; cœteris enim leucophæis aut rubentibus hæc lutea ſunt, & ad modum Medicæ ſeminum reniformia.

Naſcitur in muris antiquis & ædium tectis, in aggeribus terrenis ad radices aut truncos ad arborum vetuſtarum, inque capitibus cæduarum quercuum ſalicumve putreſcentibus & carie exeſis. Quod quercui innaſcitur reliquis in medicina præfertur & à nonnullis pro ſpecie diſtincta perperam habetur.

Hujus radix medicamentis purgantibus accenſetur: educit autem bilem aduſtam ac pituitam lentam. Hinc utiliſſimum in obſtructionibus meſenterii, hepatis ac lienis, & inde natis paſſionibus hypochondriorum ſcorbuticis. Raro autem ſolum datur, ſed aliis purgantibus ferè admiſcetur, & quia ſegniter purgat, plerunque in decoctis vel infuſionibus, rarò in aliis formulis adhibetur. Schrod.

Dodonæus Polypodium per ſe haud quaquam purgare ſcribit, ſed ex jure veteris Galli cum beta aut malva aliiſve lubricantibus alvum decoctum ad alvi lenitionem nonnihil tantummodo conferre. Nonnulli cumini ſativi ſeu romani, fœniculi ac aniſi ſemina, cum radice polypodii & Zingibere in minutas partes conſciſis, æquali pondere cum vetulo gallo gallinaceo decoquunt, poſteaque juſculum hoc colica paſſione laborantibus exhibent. Eſtque decoctio hæc medicamentum certè perquàm utiliſſimum torminibus ventris. Radicis pulvis drachmæ pondere ad minus ex aqua mulſa potus, ita tamen ut poſt tribus aut quatuor horis jejunes, iiſdem pollet viribus quibus & decoctio jam dicta: idem per aliquot dies exhibitus, addito, ſi placet, Cremoris tartari & caſſiæ ligneæ tantillo, ad lienem tumidum, icterum & hydropem remedium eſt præſtantiſſimum D. Bovvle.

Aqua deſtillata ad febrem quartanam, tuſſim, aſthma, & pulmonis affectiones adverſus melancholiam & gravia ac moleſtia inſomnia aliquot dies continuos bibita facit.

Trag. Turnerus ad quartanam & melancholiam magis probat decoctum radicum ex vino, Saccharo ac melle dulcoratum, quàm aquam ſtillatitiam, nec ſine ratione: imò tam hujus quàm aliarum plantarum efficacior Turnero videtur ſuccus aut decoctum quàm aqua ſtillatitia: cui & nos libenter ſuffragamur.

Decoctum Polypodii in cura Arthritidis univerſalis apud

apud Menapios aliiſque Rheni & Moſæ accolas in uſu ſcribit eſſe Dodonæus, quem conſule.

Polypodium Quernum.

Polypodium quernum Dioſcorides luxatis efficaciter imponi & adverſus rimas digitorum, (cubitorum & digitorum in pedibus Plinius) ſcribit, (radicem nimirum tritam.) aridæ radicis farinam naribus inditam polypum conſumere ſcribit Plinius. *Rajus.*

POLYTRICON, vid. *Adianthum.*

POMPHOLIX, vid. *Tuthia.*

POMUM in genere, vid. *Malum.*

POMA AMBRÆ

Hæc ita dicuntur, quod ambræ odorem æmulentur, licet ambra non ſemper illa ingrediatur, & ſunt ob odoris ſuavitatem & fragrantiam inventa. Conſtant ex fragrante aliqua reſina, vel balſamo Indico, ſtyrace liquidâ, ladano aut aliis ſpeciebus odoriferis cum mucilagine tragacanthi in maſſam redactis. *Hofmannus.*

Poma ambræ fiunt ex odoratis pulveribus, (addi & olea poſſunt,) qui cera, ſtyrace liquida, balſamo Indico, mucilagine tragacanthi, cum tantillo Terebinthinæ ad tenacitatem, ſi opus ſit, ſuſcepti, additaque Aq. roſarum vel ſimili optimè incorporati, in globulos, prout viſum fuerit, rediguntur.

N. *Nomen mutuantur ab Ambra, non quod ea neceſſariò & ſemper ingrediatur, ſed quia odorem ſuavem ſpirant, adeoque ambram æmulantur.*

Exemplo ſint,

1. *Odoriferum Crollianum.*

℞. Macis, Caryophyll. Cinamom. vel caſſ. lign. odorat. ana ʒij. Moſchi ʒß. Zibet ʒij. Gumm. arab. ʒj. Tragacanthi prius ſuprà fornacem ſiccati. ʒij.

Hæc duo gummata cum moſcho terantur.

Omnibus diligenter tritis, miſce Zibettam, & affunde aquam Naphæ. (ideſt, è floribus aurantiorum,) ſeu Damaſcenæ odoriferæ, pro libitu (ex odoratis ſpecificis & Aq. roſarum præparatæ, in qua prius per 8. dies in digeſtione modicum de Paracelſi carbon. vel Zibetta occidentali admixtum ſit,) atque incorpora.

N. 1. *Carbon ſeu Zibetta occidentalis, quantum ex Paracelſi archidox. conjecturari poteſt, nihil eſt aliud quam ſtercus ſeu Sulph. humanum, in digeſtione aliquamdiu poſitum, & ex fœdiſſimo illo odore, ſponte ſua longa digeſtione ſummam ſuaveolentiam nactum. Vide Hartmann. in Croll. ut lib. 5. Claſſ. 1. ut & Agricol. in comm. Popp.*

N. 2. Poterit & parari, ſi pulveriſata illa mucilagine Tragachanti (in Aquâ odorifera ſoluti) ſuſcipiantur.

Vires ac Vſus. *Adhibitum naribus odore ſuo ſanguinem movet, (quod moſchum efficere putant) & cor ſupra modum refocillat, in Apoplexia, Epilepſia, Colica, ſuffocatione matricis, peſtilentiali aura.*

N. *Miſceri poteſt tantillum cum oleo nuciſtæ expreſſo, ut fiat quaſi linimentum, & in ſupradictis morbis debito modo adhiberi. Croll. Schroderus.*

Carbon ſeu Zibetta occidentalis) Hæc mediante digeſtione conficitur ex ſtercore humano, zibettæ orientalis ſummam referens ſuaveolentiam. Et ſi cauſam hujus inquiras, experies ex ſcoriis ſtercoreis dependere, quarum materiale principium felli debetur, prout & Vrinæ unde fel prævia digeſtione deſtillatum moſchi vel Zibettæ æmulatur odorem. Moſchus viribus exhauſtus hanc ob rationem in locis urinoſis novas acquirit vires. Buffalina vulva exſiccata eâ etiam de cauſa Moſchum ſpirare arbitror, ſcoriis urinæ hanc imprægnantibus, unde Neapolitani illa in unguentis myropolæ utuntur.

Adhibitum naribus odore ſuo ſanguinem movet) Hic effectus eſt à Moſcho; ſi quis accepto vulnere in thorace nullum ſanguinem emittere queat, iſque pectore detineatur, granum ſaltem unum moſchi ſub linguâ detineat, ſanguis ſtatim cumulatum fluet, teſte experientiâ.

Suffocatione matricis) Sed partibus tunc genitalibus applicandum eſt, ne nares odorem percipiant, aliàs ſymptoma dictum potius exacerbabitur.

Peſtilentiali aurâ.) Verùm mumiale fermentum malignum magis benè fragantibus fovetur, quàm ut ſupprimatur, dum venenatum miaſma ſub benè fragrantium miaſmatum involucro citius auram penetrat vitalem & ita mortem intendit, ideòque alexiteria ſpecifica illis ſunt præferenda. *Hofmannus.*

2. *Aliud Pomum Ambræ.*

℞. Styrac. calamit. ℥iß. Benzoin Laudan ana ℥ß. Caryophyllor. ʒ. ij. Nuciſt. Macis ana ʒj. Rad ireos fl. Cyper rot. ana ʒiß. Fl Roſar. ʒj. Lavendul. Majoran. ana ℈ß. Storac liquid ʒj. Zibett. ʒß. Moſch. ℈j. Cum Balſamo Indico & Aq. roſar. ana qu. ſ. F. Maſſa.

3. *Aliud.*

℞. Laudani pur. ʒj Styrac. calam ʒij. Benzoin. ʒj. Nucis moſchat. *Fluxus inhibet.* Cinamom. Macis ana ʒß. Coriandr. Caryophyllor. ana ℈j. Maſtich. Oliban. ana ʒj. Lign. Aloës ʒß. Ambr. gran. v. Moſch. grad. x. F. Meſſa 4. *Aliud.*

℞. Styrac. cal. ʒij. Maſtich. Thur. maſc. Sandarach. ana ʒiß. Coſti. Spic. ana ʒj. Lign. aloës ping. ʒiij. Moſc. Ambr. an. gran. aliquot. Terebinth. parum. F. Pomum.

N. *Videſis & apud Auguſt. Pom. Ambræ* § 1. 2. *Schroderus.*

Pomum Ambræ è *Pharm. Auguſt.*

℞. *Styrac. Calamitæ, ſtyrac. liquidi, benzoi, galiæ moſch. veræ, aliptæ moſchatæ, ladani ana* ℥ß. *cinnam elect. caryophyllor. ſandali citrini ana* ʒij. *roſar. rubr. nucis moſchatæ, macis, ligni aloës, cyperi rotundi, majoranæ, gummi elemi, roriſmarini, ireos Illyricæ ana* ʒij. *gr. v. mucilaginis tragacanthi factæ cum aq. roſar. q. ſ.* F. Maſſa.

Cor ac cerebrum odoris ſuavitate ac fragrantiâ reficit, ſpiritus cùm vitales tum animales recreat, vertiginoſos juvat, ac capiti à frigidâ & humida intemperie opem præſtat.

Pro majori ſimplicium compoſitionem hanc conſtituentium unione quandoque nonnihil terebinthinæ Cypriæ admiſcetur, ac ob odoris gratiam pauxillum olei caryophyllorum additur. Divitibus ambra & moſchus, vel zibethum pro conſulentis Medici judicio aut expetitô odore adjiciuntur.

Pomum Ambræ aliud ex *eâdem Pharmac.*

℞. *Sandali citrini* ʒvi. ℈j. *lign aloes* ℥ß. *roſar. rubr. baſilici, lavendulæ, anthos, majoranæ, cinnam. nucis moſchat. macis, caryophyllor. coriandri, cardamomi ana* ℥ij. ℈. j. *corticum citri* ʒvij. *ladani puri* ℥viij. *ſtyracis calamitæ* ʒvj. ℈ij. *ſtyracis liquidi* ʒiij. *aſæ duldis* ʒx. *ceræ citrinæ* ℥ß. *terebinth. Cypriæ* ℥iiij. *moſchi Alexandrini, ambræ griſeæ, ana* ℈iiß. F. Maſſa.

Odore

Odore ſpiritus inſtaurat, & cordi robur addit. Uſui eſt maximè cùm aliqua aëris inquinati ſuſpicio viget, cui tunc temporis Angelica, Zedoaria, Ruta, & præſertim Camphora rectè adjicitur.

Pomum Ambræ pretioſum ex *Zvvelferô*.

℞. Reſinæ ſtyrac. calam. expreſſæ, Ladani ana ℥j. Iis parumper in mortario liquidô liquatis admiſce ambræ griſeæ ʒiß. vel ʒij ſuperaddendo moſchi orientalis ʒiß. vel ʒij. in portiunculâ aq. roſ. ſolut. Zibethi opt. ʒj. olei ſtill. cinnam. caryophill. ligni rhodii ana ʒß. pulveris ligni aloës opt. & ligni rhodii ana ℥ß cinnam. caryophyll. ana ʒv. M. exactè & F. Pomum Ambræ, ſeu Paſta odorata & fragrantiſſima, ad bullas replendas pro ditioribus & Magnatibus.

PONDVS, vid. de eo ſub titulo *Menſura*.

POPULUS.

Populus ἀπὸ τοῦ πολὺς ob frondium multitudinem nonnullis dicta putatur. Martinius ingenioſè à πιπάλλω Tremo, ob folia tremula deducit, quod tamen Libycæ proprium eſt.

Semine julis lanigeris incluſo cum ſalice convenit, foliorum forma lata & anguloſa ab ea differt. Græcis commune nomen non habet: nam nigra ἀίγειρ☉ privatim dicitur, alba λεύκη, tremula κερκὶς, ut peritioribus Botanicis videtur.

Vires Populi Nigræ.

Primum illud erumpens germen cujus in medicina uſus eſt, officinæ, oculos populi vocant, alii gemmam populi, Græcorum quidam σπέρμα, unde erroris occaſionem acceperunt, qui non prima illa germina reſinoſa, ſed julos in compoſitione unguenti ex populo accipienda temerè exiſtimant, in quibus nihil reſinoſum. J. B.

De temperie Populi nigræ ejuſque gemmarum, an ſcilicet calidæ ſint an frigidæ varia eſt ſententia, de quâ vide I. Bauhini hiſt. L. 7. C. 8. veriſimilior eorum ſententia videtur qui moderatè calidas faciant: nec obſtat quod unguentum populeon frigidum ſit. Autores enim in medicamenta acopa nonnulla calida immittere ſolent, non ad totam compoſitionem calidam reddendam, ſed ad frigidorum vim deducendam aut certè tamen retundendam. I. B.

Valet illud unguentum in omnibus calidis affectibus illitum, naribus inditum, & temporibus pulſantibuſq; arteriis ſomnum conciliat. Ejus quoque uſus eſt ad calidos dolenteſque tumores. Quidam & fæliciter podagris calidis illinunt. Sed nè inveteraſcat cautio eſt, alioqui eas vires perdit.

Oculi ſeu gemmæ adhiberi ſolent à ſexu muliebri ad capillos exornandos promovendoſque: utendi modum vide apud Matthiolum & Jo. Bauhinum. Noſtra obſervatione gemmæ ſeu ſurculi extremi poſt mediam æſtatem luteum, odoratum, pinguem & reſinoſum ſuccum exudant; non gemmæ tantum initio veris antequam in folia explicantur: quantumvis Jo. Bodæus à Stapel nullam æſtate reſinam in hac arbore reperiri fidenter aſſerat: & erratum exſcribentis eſſe putat in textu Aetii, ubi in deſcriptione olei ægirini legitur Συνάζεται δὲ ἐν τῷ θέρει, ὅτι πολλὴ περὶ τὸ σπέρματιο ῥεῖ ῥητίνη.

Uſus Populi Nigræ.

Annoſæ populi lignum pulchrè criſpante undarum diſcurſu peramænum eſſe ſcribit I. Bauhinus: ideòque artifices Germanici ex eo varia utenſilia, menſas, abacos, Lectorum ſpondas, Capſellas, oſtia, etiamque cochlearia, (quadras, trullas) aliaque plurima parant. Plinius materiam lentam, adeoque ſcutis faciendis aptam ſcribit. Scutorum hodie uſus in bello nullus, ex quo ſci. Bombardæ inventæ ſunt, uti nec arcuum & ſagittarum.

Quædam (inquit C. Bauhinus) floret & fructum non fert, quædam fructum fert ac non floret; id. oque arbor hæc eſt è ſexu diſtinctis: quod quanvis nobis nondum obſervatum, verum tamen eſſe minimè dubitamus. Quoniam in ſalice arbore congenere id dudum notavimus.

Vires Populi Albæ.

Quod ad medicas vires attinet, has ei Dioſcorides attribuit; Cortex unciæ unius pondere potus iſchiadicis & ſtranguriæ prodeſt; traditur & conceptum prohibere ſi cum mulino rene bibatur: ſed & folia poſt purgationes cum vino pota idem præſtare dicuntur. Tepidus foliorum ſuccus aurium doloribus utiliter inſtillatur. Pilulæ verò (σφαιρία) quæ primò foliorum germinatu erumpunt tritæ & cum melle illitæ oculorum habetudini medentur, Plinius foliorum ſuccum calidum aurium dolori conferre ait.

Populus alba humo tenus ſecta uſque ad radicem, & aqua calida in qua fermentum diſſolutum perfuſa fungos copioſos intra quatriduum edet, eſui quoque gratiſſimos. Matth. in Dioſcor. lib. 1. cap. 39. Dioſcorides utriuſque Populi cortice in fruſta conciſo & ſtercoratis areolis inſperſo vim fungos edules producendi attribuit.

Uſus Populi Tremulæ.

Materies candidiſſima eſt & læviſſima, tornatoribus expetita, ex eadem propter levitatem calopedia parantur, & in imagines exſculpuntur. Cortex arborum juniorum detrahitur à nonnullis pro facibus nocturnis I. B.

Gemmæ veris tempore digitis contritæ gratiſſimum odorem expirant. *Raius.*

PORCUS & PORCINUM GENUS.

Sus, ſeu *Porcus domeſticus*: Græcè ὗς: Mas Anglicè *a Boar* dicitur, fœmina *a Sovv*. fœtus *a Pig. Hog* Speciei nomen eſt utrique ſexui commune.

Animal eſt notiſſimum, nec deſcriptione indiget. Pilis rigidis, ſetas vocant, veſtitur. Roſtro eſt oblongo, in planum rotundum terminato, in quo nares præcipuè notabiles ſunt, in maribus maximè, dentes. Κατ' ἐξοχὴν dicti, magni, exerti, acuti, intus concavi, quibus ad pugnandum utitur. Pingueſcit mirum in modum præ alio quocunque animali. Adeps autem, inter cutem & panniculum carnoſum colligitur, ſecus quàm in ruminantibus. Inteſtinum cæcum & colon ampliſſima, & in cellulas diviſa ligamenti duplicis utrinque per longum ducti ope. Fæmina plurimas habet in ventre mammas duplici ordine ad 12. Porcellos autem viginti uſque una vice interdum parit. Quòd cæni volutabro gaudeat, immundum animal cenſetur, quamvis non præter rationem id faciat, ad inſecta & animalcula noxia & moleſta abigenda & interimenda.

In fæmina obſervavit D. *VVillughby* uteri cornua prælonga ſinum ſeu vaginam uteri ad medium uſque glabram, dein rugoſam, ultra rugas inæqualem & glanduloſam, tum ſatis arctè clauſam, ſed uno ſigillo, non 5. ut in Damis. Menſe Decembri proximè elapſo ſuis prægnantis circa medium geſtationis tempus uterum diſſecui, in quo non uſquequaque de ſitu fœtus ejuſque membranarum mihimet ſatisfeci; alium ergo partui viciniorem amiciſſimi & ingenioſiſſimi Viri D.

Bern-

Benjamini Allen Brantriæ in vicinia medicinam facientis, beneficio nactus, eodem aſſiſtente curioſiùs omnia rimatus ſum Cornua uteri iis in locis ubi fœtus jacebant inſigniter protuberant, in interſtiis fœtuum valdè anguſtabantur, ubi loci cavitas ſeu canalis internus materiâ mucilaginoſa ſordidè flava obturabatur. Chorion ſeu membrana fœtum & liquores membranaſque reliquas continens, farciminis figura, erat ventre ſeu media parte ampla, extremo utroque turbinato, non tamen penitus occluſo, ſed foramine mediocri pervio, per quod *allantoides* egreſſa in veſicam ſatis amplam dilatabatur. Veſicæ hujus collum ſeu apertura, quâ chorio jungitur, muſculatem vim habere videbatur, quâ facilè crumenæ inſtar contrahi & laxari poſſet. Liquor Allantoide contentus aërve eidem inflatus abſque ulla vi in veſicam egrediebatur, indeque retro repelli potuit. Chorion undique, exceptis partis extremis, ſubſtantia quadam carnea, molli, placentæ vice obducebatur. Hujus ſubſtantiæ ſuperficies perexiguis eminentiis granulata erat, granulis in cavitates ſuperficiarias vix viſibiles utero inſculptas ingredientibus, unde chorion utero leviter adhærebat; facilè tamen abſque ulla vi, ruptura aut laceratione vaſorum, ullove hæmorrhagiæ periculo detrahi & ſeparari potuit. Præter ſubſtantiam prædictam, tubercula ſeu noduli, duri, albicantes compreſſi, foraminulo pervii; ſatis crebri, & viſui & tactui obvii, per chorion diſſeminabantur, quos glandulas eſſe conjeci, (vaſa quippe ſanguinem habebant) ad humorem aliquem ſecernendum & in cavitatem membranarum derivandum. Verſus extrema utrinque, ut dixi, nulla hujuſmodi ſubſtantia chorio adnaſcebatur; verùm membrana ibi tenuior erat, plurima tamen vaſa ſanguinea per ejus ſuperficiem, &, quod mirum, rectis lineis extenſa, ad veſicarum extremarum initium excurrebant. Chorii cavitatem mediam ab uno latere occupabat amnios cum ſuo liquore & fœtu ei innatante; ab altero allantoides: amnios ergo tunica ab exteriore latere chorio adhærebat, ab interiori allantoidi, & allantoides pariter ab interiore latere Amnio adnaſcebatur, ab exteriore chorio; Erat autem allantoides longiſſima, ſiquidem flatu extenſa, ulnam noſtratem fere æquabat, & in cornua utrinque trans amnion procurrebat, chorio ubique præterquam à latere amnii adnata.

Chorion totum cum liquoribus intus contentis figura ſua arcum oblongum modicè tenſum cum nervo ſuo referebat. Vaſa quippe umbilicalia è fœtu egreſſa, quamprimum chorio occurrunt aut inferuntur, huc illuc ſtatim reflectuntur, & in longum utrinque canali magno velut arcus nervo ad extrema fere cornua extenduntur, ramulos obiter emittentes; qui verſus arcuatam ſeu curvam chorii partem procurrentes, totam ejus ſuperficiem perreptant & velut irrigant. Quis verò uſus ſit horum vaſorum, an ad aërem pro reſpiratione à matre ad fœtum derivandum, an ad alimentum hauriendum non auſim determinare: nam pro utraque ſententia argumenta ſatis valida militant.

Liquor allantoide contentus totius Amnii cum liquore ſuo & fœtu contento molem ſeu magnitudinem aliquoties ſuperabat. Vix autem credibile eſt tantillum fœtum tam brevi temporis ſpatio tantum lotii reddere potuiſſe, quod moleculam corpuſculi ſui toties excederet. Mihi ergo in præſentiarum veriſimile videtur, urinam cum liquore à chorio ſecreto à natura permiſceri, adeoque mixtos per amnion percolari ad fœtus uſus & forte alimentum; inutilem autem & urinoſam partem in veſicas ad extrema Cornua ſitas amandari, nam quis alius veſicarum illarum uſus eſſet niſi ad excrementitiam liquoris in Allantoide contenti partem reſervandam imaginari nequeo veſicæ illæ tenues erant, membraneæ & pellucidæ, neque ulla viſui expoſita vaſa ſanguinea obtinebant, earumque colla ſeu orificia, in fœtu præſertim juniore materiâ, mucilaginoſa qualem fœtum & fœtu interjacere dixi intus oppleta ſeu obſtructa fuere.

Obſervavi inſuper tubas Fallopianas, quæ extenſæ dodrantem minimùm longæ erant; ſuperiore parte verſùs teſticulum ampliores, rubentes & velut carneæ huc illuc reflexæ inferiore, verſus cornua anguſtiores, albicantes, & nervos ſeu vaſa deferentia in maribus referentes; intus concavæ & fiſtuloſæ, cornua uteri extrema perforabant, unde è tuba in cornu, & vice verſa è cornu in tubam ſtylus majuſculus nullo negotio abſque vi adigi potuit. Suprema parte ad teſticulum ſeu potius ovarium tuba in quoddam quaſi infundibulum dilatabatur, cujus margo ab una parte teſticulo adnaſcebatur, reliqua ſoluta & libera.

Sinus ſeu vagina uteri initio glaber, deinde rugoſus, poſt corporibus glanduloſis obſitus. Orificium interius uteri arctè clauſum, & velut ſigillatum, ut ſtylum tenuem ægrè admittat, verum unico tantùm ſigillo, non quinque ut in Damis, idque non ſolùm geſtationis tempore, ſed etiam cùm prægnantes non ſunt.

2. *Sus agreſtis* ſive *APER. The wild Boar, or wild Swine.* Hoc genus coloribus non variat Suis domeſtici in modum, ſed eundem ſemper ſervat; eſt autem is è nigro paulum caneſcens, (*a griſly or iron grey*) Roſtro eſt quàm Sus domeſt. multò productiore, Auriculis brevioribus & rotundioribus nigris, cujus etiam coloris ſunt & cauda, & pedes. Pili quibus veſtitur duum generum ſunt, alii longi, alii breves; ſecus quàm in Porco domeſtico: uſus pilorum brevium idem qui Fibro & Lutræ. In Italia invenitur, monte Appenino. In theriotropheo Magni Ducis Etruriæ vivum vidimus, in macello Romæ carnem venalem ſæpius.

3. *PORCUS Guineenſis Marcgr.* Figurâ eſt ut noſtrates, & ruffi coloris, Differt quod caput habeat non ita elatum; aures autem longas, & acutas planè, & prolongatis acuminibus; caudam longam uſque ad talos propendentem, pilorum expertem. Totum corpus tegitur pilis brevibus ruffis ſplendentibus, non ſetis, quibus & in dorſo caret, ſed tantùm verſus caudam in dorſo, & circa collum paulò longiores habet pilos. Planè cicur.

4. *Porcus Indicus BABYROUSSA* dictus Magnitudine Cervi ut & formâ corporis; roſtro & cauda Apri, pede Hirci. Quo præcipuè ab aliis quibuſcunque animalibus differt ſunt quatuor dentes exerti, longiores & incurvi, cornu Arietino ſimiles, quorum duo è maxilla inferiore prodeunt, duo verò ex ſuperiore, carnem roſtri perforantes; Hos ego cum Bartholino pro dentibus potiùs habeo quàm pro cornibus cum D. *Grevv*, quia dentium modo ſuos habent alveos è quibus enaſcuntur, & dentium conſiſtentiam non cornuum habere videntur. Reliquam deſcriptionem vide apud *Bartholinum*, *Piſonem* in Pontium, & D. *Grevv* in *Muſ. Soc. Reg.* In Inſula *Bouro* Indiæ Orientalis invenitur. Dentes primores in ſuperiore maxilla obtinet, unde eum non ruminare conſtat.

TAJACU ſeu *Aper Mexicanus moſchiferus* D. *Tyſon*, *Tajacu* & *Tajacu Caaigoara* Marograv. Piſo; Ler. Gomaræ. *Quauhla coymail* & *Quapizotl* Hiſt. Mexic. Recchi. *Zaino* Joſeph. Acoſtæ & aliorum.

Hoc Animal accuratiſſimè deſcribitur & depingitur à D. *Edw. Tyſon*. M. D. in *Act. Philoſoph. Angl.* N. 153. unde aliorum deſcriptionibus, partim imperfectis, partim erroneis, examinandis & refutandis non eſt cur immoremur.

Quem vidit & deſcripſit D. *Tyſon*. à D. D. Goadall;

Coll.

Coll. Med. Lond. Socio ſuppeditatus Porco noſtrate vulgari multò minor erat: A ſummo capite (inter aures) ad corpus extremum ſ. caudæ locum (caudâ enim carebat Animal) 2 pedes, & 2 inſuper digitos longus: à ſummo capite ad roſtrum extremum 11. erant digiti. Ambitus corporis 2. pedum colli 16. digitorum; capitis ubi craſſiſſimum 18. roſtri 12: quippe maxilla inferior magis protuberat, roſtrique figura minùs conica & producta erat quàm in porco noſtrate; & in ſceleto, Babyrouſſæ roſtro perſimile videbatur, niſi quod dentibus illis exterioribus careret. Collum breve admodum & craſſum: Color corporis è nigro caneſcens, ſeu è nigro & incano mixtus (*griſly* noſtrates vocant) corpus autem ſetis undique obſitum erat, Porcinis craſſioribus, Echini ſpinulis minoribus, annulis tamen albis & nigris pari modo variegatis: venter propemodum nudus. Setæ in imis lateribus breviores, paulatim longitudine augentur ad medium uſque dorſum ubi nonnullæ 5. digitos longæ. Medio capite inter aures λόφῳ quidam ſeu criſta ſeroſa exoritur, ſetis maximam partem nigris compoſita. Auriculæ erectæ & acuminatæ 2 uncias longæ: Oculi parvi: Roſtrum ſuillum: Pedes & ungulæ ut in Porcis vulgaribus: poſteriores tamen, ſeu exteriores binæ ungulæ præ aliis biſulcis longæ, ut quæ ad ſeſquidigitum accedebant, cùm anteriores quibus inſiſtit menſuram illam non excederent. Cauda, ut diximus, prorſus nulla. Nec mirum in Porcino genere alia caudata eſſe, alia caudis deſtituta, cum in Simiis idem evenire videamus.

Pergo jam ad partium internarum Anatomen, inter quas de iis, quæ diverſa à congeneribus in Porcis noſtratibus ſtructuræ ſunt præcipuè agam, quæque in iis ſingularia obſervanda occurrunt adnotabo. Diviſis ergo Abdominis muſculis; primò in loco *Ventriculorum* (tres enim habebat) figuram & conformationem obſervavimus: in horum medium inſerebatur *Oeſophagus*; quem idcirco *primum ventriculum* denominabimus. Ex hoc, ab uno latere meatus amplus in ſecundum, cujus extrema duo cornuum inſtar inflexa erant, aperiebatur; ab altero in tertium *ventriculum*, qui in *duodenum* ſe exonerat, aditus patebat. Ut externa horum uniuſcujuſque figura & connexio facilius concipi & exactiùs comprehendi poſſit, in triplici ſitu tribus iconiſmis eos repræſentari curavimus, qui formam eorum externam plenè & perſpicuè demonſtrant. In *Fig.* 5. *Tab.* 1 flexuræ ſeu curvaturæ extremitatum primi *ventriculi* diſtinctiùs cernuntur. In 2. *Fig. Tab.* 2. Tres *Ventriculi* in ſitu naturali inſertione *Oeſophagi* in primum ſeu medium, exhibentur. In 1. *Fig. Tab.* 2. *Ventriculi* omnes aperti repræſentantur: in quibus notatu dignum eſt, quòd venter primus membranâ intus albâ, craſsâ, durâ, pelliculæ internæ ventriculi avium, *Gigeria* dicti, propemodum ſimili, ſuccingebatur: cujuſmodi reliquorum neuter. Secundi etenim interior ſuperficies glabra erat & mollis; membranæ tenues, & ad carnivororum Animalium ſtructuram uſitatam accedentes: Tertius huic nonnihil ſimilis, plicis intus albis inæqualis.

Porcus noſter vulgaris unicum tantum ventriculum habere videtur, eumque *Tajacu* ventriculis longè diſſimilem. Ubi Natura plures creat, ob neceſſarios proculdubio uſus id facit.

Quæ tamen pars in *Tajacu* per albam pelliculam Ventris primi in tres ventriculos manifeſtè, in Porco etiam noſtrate vulgari in totidem obſcuris diſtinguitur. D. *Grevv* duos tantùm hiſce elargitur; *Ventriculum ſingulari & inſolita figura donatum, & in duos ſacculos quodammodo diviſum agnoſcens: Alter, inquit, & præcipuus* Venter magnus *appellari poteſt, carnivororum Quadrupedum ventriculis figura ſimilis, valdè craſſus & muſculoſus, præſertim circa collum ſuum, ſeu gulæ impreſſum, & ad* Pylorum. *Siniſtro* majoris *hujus* Ventriculi *extremo alter longè minor, diſtinctus tamen, appenditur: ad eundem ferè modum quo Reticulum in ovibus ventri primo, aut* inteſtinum cœcum *reliquis interaneis: quam ob cauſam* Ventriculus cœcus *non ineptè poſſit denominari, muſculari quodam ligamento ſemivalvulari à majore ſeparatus; ad ingreſſum ubi ei committitur, diametro eſt ſeſquidigitali, indè in longum ad duas uncias extenſus in intortum ſeu aduncum conum deſinit; non adeò craſſus & muſculoſus ac* Venter major, *ſed tenuis & membranoſus; interior etiam ejus ſuperficies plana eſt, nec plicis ullis inæqualis.* Poſterior hic ut ſecundo *Tajacu* noſtri Ventriculo reſpondere videtur, ità prior ille, quem *ventrem magnum* vocat, in duos poſſit diſtingui, cùm à dextro extremo ad medium uſque, varias habeat, ipſo obſervante, plagulas, quo *tertio* noſtri ventriculo reſpondet, altero extremo plano & æquali, ad *primi* noſtri modum.

Verùm quod in Porco noſtrate vulgari adnotat nimirum carunculam quandam rotundam, Avellanæ parvæ nuclei magnitudine, velut obturaculi loco Pyloro adſitam eſſe, quam partem Animali iſti peculiarem exiſtimat: hoc in *Apro* noſtro *Mexicano* non obſervavi. Conjectura quam facit de ejus uſu ſatis veriſimilis eſt, nimirum cùm Animal valdè vorax ſit, ad prohibendum nimis celerem & copioſam alimenti in Duodenum irruptionem; cui in Apro quo de agimus abunde cavetur eximia pylori coarctatione, & aſcenſu in ſublime quem facere tenetur cibus antequam egredi poſſit: Hanc etiam fortaſſe ob cauſam Natura Ventriculum in tot cellas & loculos diviſit, ad meliorem nempe cibi macerationem & digeſtionem. Cùm enim Animal hoc victu promiſcuo ſit, *frugivorum* ſcil. *graminivorum* atque etiam *carnivorum*, ventriculi ità comparati ſunt, ut Primus interiore ſua pellicula (in *hoc noſtro*) Avium quæ carpophagæ ſunt ventriculum nonnihil referat, reliqui Quadrupedum.

Cur porcus præ aliis Animalibus partibus ſuis internis hominem maximè referre dicatur, rationem non video. Fortaſſe clauſula quædam in libro *Galeno* adſcripto de *Anatome parva* errori huic paſſivo ortum dederit. Quicunque ea invicem contulerit, non poterit non obſervare ingentem intereſſe differentiam in multis nè dicam pleriſque partibus, ut ex hactenus dictis de ventriculo patet.

Fulcoburgius qui *Tajacu* Braſilia allatum diſſecuit cornuum quæ diximus ventriculi meminit, *Ventriculus* (inquiens) *duas habet Appendices velut cornua, alteram in ſuperiore, alteram in infima ejus parte*, nec plura de eo habet. Verùm ad inteſtina progredior.

Atque hæc non minùs notabilia invenio quàm Ventriculum. *Mirum & ſingulare* (inquit *F. Gregorius*, qui hoc genus Animalia ſæpius diſſecuerat) *eſt; quòd Inteſtina & Ventris viſcera contrario prorſus aliis Animalibus ſitu obtinent, renes versùs nimirum revoluta. Ità, ut quæ in ventris parte inferiore, ac prona eſſe annexa deberent, ſuperiori eadem potiùs ac ſupinæ, ubi ſpina excurrit, adhæreant, & quæ ſpinæ dorſi contigua eſſe nata ſunt, hæc eadem in inferiore parte ventris ſituentur.* Hoc totum (quantum conjicio) nihil aliud ſibi vult, quàm quòd inteſtina tenuia quæ in aliis Animalibus meſenterio latiori adnexa, inferiùs plerunque dependent, in hoc ob membranæ hujus brevitatem & anguſtiam arctius & ad ſpinam propiùs coacta ſint; colon autem quod in aliis magis ſuſpenditur, in hoc, peculiari conformatione, laxiùs jacet & propendet. Duodenum etenim à Pyloro exortum brevi flexu, unà cum reliquis inteſtinis tenuibus plurimas convolutiones & gyros efficit, & quamvis meſen-

meſenterii ſemidiameter ab exortu, qui ad ſpinam erat, perbrevis eſſet, nec peripheria quàm pro ejus ratione major videbatur; ejus tamen ambitui viginti ſeptem pedes inteſtinorum adnectebantur, tantundem enim ſpatii permetiebantur in longum extenſa, à pyloro ad colon menſurâ ſumptâ. Colon non ut vulgò margini ſeu peripheriæ Meſenterii adhærebat, verùm à centro, ſeu media ejus parte exortum in lineam ſpiralem convolvebatur, extremo laxè dependente, volutis autem membranatum interventu ſibi invicem arctè unitis. Erat inſuper, colon iſthoc valdè amplum, reliquorum inteſtinorum reſpectu, & 9. pedes longum. Cœcum habuit breve, mediocriter latum, & fæcibus repletum. Quod D. *Grevv* obſervat, nimirum peculiare eſſe Porci & Equi *Cœcis* eandem habere ſtructuram cum colo, hujus etiam Animalis cœco cum illis commune eſt; poteſtque pro Coli appendice reputari. D. *Grevv* ſeptem Inteſtina Porco attribuit. Totidem fortaſſe inteſtinorum differentias in hoc Animali obſervare potuiſſem, ſi ea curioſiùs examinare per otium licuiſſet. Verùm partim tempore excluſus, partim quòd cadaver diutiùs aſſervatum antequam nobis diſſecandum offerretur, talibus inquiſitionibus minùs aptum reddebatur, illud omittere coactus ſum. Structuram hanc coli pro ſingulari & extraordinaria habeo. Inteſtinum quoddam ejuſmodi in capra inveni ſpirales aliquot flexus in medio meſenterii efficiens, deinde circuitu prope marginem cui inteſtina minora adnectuntur facto, in Rectum tandem deſinens. Sic in Gallinagine Inteſtinum ſpirale pariter invenitur. Verùm in *Tajacu* noſtro non tantùm Ventriculus, Inteſtina, & Meſenterium ſingularia & inſolita erant, verùm etiam Meſaraica vaſa. In Homine enim, Cane, *&c.* in circuli ſegmentum prope medium Meſenterium incurvantur, exinde ramos aliquot magnos versùs inteſtina emittunt qui ut iis appropinquant mutuis anaſtomoſibus arcus minores aliquam multos conſtituunt, unde ramuli plurimi minimi ſeu ſurculi exeuntes ad inteſtina excurrunt. Verùm in *Apro* hoc *Mexicano* venam & arteriam amplam ad breve & æquale ſpatium decurrentes obſervavimus deinde ab iis exortum numerum propemodum infinitum vaſorum minorum ſed rectorum, ad inteſtina procedere tam concinno ordine tantaque multudine, ut jucundiſſimum ſpectaculum exhiberent.

Lien 10. uncias longus erat, æquali propemodum ſeſquidigiti per totum latitudine, plumbei coloris nonnihil maculoſi. *Lien palmas duas æquat transverſas vix digitum minimum craſſus, membranæ adipoſæ annexus,* inquit *Falcoburgius.*

Hepar in 4. lobos amplos dividebatur, colore rubro obſcuro. Erat autem manifeſtè glandulosum. Cyſtis fellea nulla, quod inprimis notabile, cùm Porcus noſter vulgaris amplam obtineat. Ductum tamen bilarium habuit ab Hepate ad duodenum exeuntem. *Hepar* (inquit *Falcoburgius*) *nullo ligamento ſuſpenſorio continetur, per membranam ſolam vertebris junctum.*

Pancreas 5 aut 6 dig longum, è pluribus glandulis componebatur. Verùm quoniam in partibus hiſce nihil inſolitum aut ab uſitata earundem in aliis Animalibus ſtructura & conformatione abludens occurrebat, ad organa generationis tranſibimus, in quibus aliquid ſingulare & notatu dignum ſeſe offeret.

Teſtes duos digitos longi, ſuperiori extremo quàm inferius ampliore, circa mediam partem digitum lati, ſeroto excepti, colore albo, ſtructurâ arcta & compacta, ut vaſa eos componentia minùs clarè & diſtinctè apparerent quàm in Apro vulgari. Nihilominus quin eorum compages tota vaſcularis ſit minimè dubium eſt: Quamvis arctiùs texta & coacta. *Vaudius Dathyrius Bonglarus* vaſcularem hanc teſtium ſtructuram decimo ante annos detexit quàm *Regnerus de Graef*, librum ſuum *De organis virorum* generationi inſervientibus edidit, eorumque laudabiles iconiſmos exhibuit. Verùm poſterior hic pleniùs & diſtinctiùs iis egit. Eorum uſus proculdubio eſt ad ſemen præparandum, quod exinde per *Vaſa deferentia* ad *Veſiculas ſeminales* derivatur. *Deferentia* autem prope imam teſtium partem exoriuntur, & ita inferuntur, ut ſeſe propemodum æqualiter poſſint exonerare, vel in *veſiculas ſeminales* vel in *Urethram*, in utrum enim non bene memini, ut neque an ullæ *epididymides* teſtibus incumberent.

Veſiculæ ſeminales ſeſquidigitum longæ erant, aliquibus in locis $\frac{3}{4}$ dig aliis $\frac{1}{2}$ latæ. Quamvis veſiculæ dicantur, in hoc tamen Animali magis glanduloſæ videbantur quàm membraneæ, neque interna cavitas magnitudine conſpicua erat. Communia iis cum vaſis Deferentibus orificia interiùs in Urethra protuberantiam efficiebant, quàm *Graeffius Caput gallinaginis* vocat: cui nomini imponendo in hominibus aliiſque Animalibus ob ſimilitudinem prætextus potior eſt. In iis etiam hìc loci ſitum eſt glanduloſum illud corpus, quod *Proſtatas* vocant, verum in hoc cùm veſiculæ adeò glanduloſæ ſint, Proſtatarum fortaſſe officium præſtare poſſint, ni potiùs earum uſum, glandulis duabus ad utrumque Urethræ latus ſitis, & duobus orificiis propè radicem penis in eam ſe exonerantibus attribuere velimus. Glandulæ hæ cylindricæ erant, ochroleucæ, ſeſcunciam longæ, diametro, ſubſtantia compactâ teſtium inſtar, nulla intus cavitate donatæ, exteriùs in longum ſecundùm ureterem ſitæ, à muſculis Penis erectoribus ad glanduloſas veſiculas ſuperiùs deſcriptas extenſæ.

Joann. Van Horn ſemen triplici materiâ conſtare credit, hanc *Teſtes*, illam *Veſiculas ſeminales*, tertiam Proſtatas conferre. Huic ſententiæ ſtrenuè ſe opponit *Graeffius*, nec aliam admittit quàm à *Teſtibus* præparatam, quæ in *Veſiculas ſeminales* transmittitur, in iis minimè generatur. Verùm in *Tajacu* noſtro, & in aliis etiam nonnullis Animalibus, glanduloſæ cùm ſint hæ veſiculæ, ſuccum aliquem neceſſariò ſecernunt, quem ad generationem utilem eſſe, ſi non neceſſarium, veriſimillimum eſt. Et revera in Porcino genere has partes valde notabiles eſſe obſervavi In *Apro veſiculæ ſeminales* duûm ſunt generum, aliæ membranoſæ, aliæ glanduloſæ In Echino terreſtri Veſicularum ſeminalium tria habentur paria, duo in cavitate Abdominis, tertium inter muſculos ventris & cutem. In Echino etiam fœmina, in interiore parte Vaginæ uteri, infra urethræ orificium glanduloſum corpus invenio, quod pro magnitudine ſua cavitatem intus hebet ſatis amplam, & orificium manifeſtum, ſe in urethram exonerat: de quo plura, cùm Anatomen iſtius Animalis exhibuero. In præſentiarum de partibus hiſce ulterius non diſſeram, duntaxat adnotabo, Penem *Tajacu* corpus longum tenue fuiſſe, è muſculis variis compoſitum, quorum duo prælongi erant.

Veſica urinaria rotundior in hoc quàm in aliis nonnullis Animalibus, in quibus plerunque oblongior eſt. Ureteres ad veſicæ collum inſerebantur, non ad ejus latera, ut in aliquibus. *Renes* quales fuerint non recordor, verùm nihil ſingulare & inſolitum oſtendiſſe credo, cùm in ſchedis noſtris de iis nihil adnotatum inveniam. Ad Thoracem ergo propero, in quo non multa obſervatu digna occurrebant, præter Arteriæ aortæ trunci deſcendentis ſtructuram; quam præmiſſis priùs quæ *Falcoburgius* de partibus hiſce habet, deſcribam. *Cor* (inquit ille) *à Diaphragmate diſtat palmam tranſverſam unam. Pulmones in ſeptem lobos diſtributi, quorum in utroque latere tres ſiti, ſeptimus verò circa cordis mucronem poſitus, tanquam utrique communis.*

Verùm quod ut novum & inſolitum nos præcipuè perculit, in admirationem rapuit, & ab aliis partibus, quæ nihil non vulgare & aliis Animalibus commune habebant, contemplandis avocavit, erat ea quam diximus inuſitata & anomala *Aortæ* conformatio: Ejus enim in aliis omnibus Animalibus truncus ſecundùm ſpinam deſcendens aquæ propemodum magnitudinis eſt, deorſum duntaxat nonnihil anguſtatus; at in hoc Animali inter cor & locum ubi in ramos iliacos divaricatur, duas amplas extuberantias invenimus, quarum maxima erat cordi proxima, quæ poſt brevem coarctationem in ſecundam ſe exoneravit, quæ quamvis priore paulò minor multo tamen major erat tertia, propè divaricationem *Aortæ* in ramos iliacos ſitâ. Ex hiſce protuberantiis ſeu extumeſcentiis duas aperui, & varias intus velut cellulas inveni: membranæ tamen hic loci [quantum obſervare potui] non minùs craſſæ erant, quàm ubi Arteria minimè extendebatur. Hujuſmodi Arteriarum extenſiones Galeno aliiſque omnibus medicinæ Autoribus *Aneuriſmata* appellantur, quemadmodum venarum, *Varices*, & accidere creduntur, cùm interior Arteriæ tunica diſrupta, exteriori ut extendatur locum cedit; quod plerunque contingit, cùm pro vena arteria cæditur aut pertunditur in phlebotomia. Verùm in apro noſtro quænam ejus cauſa fuerit difficile eſt determinare. Cùm enim Hic ſolus ſit quem hujus generis unquam diſſecui, an præternaturalis fuerit, an in aliis congeneribus occurrat me neſcire fateor. Si præternaturalis, in Arteria omnium totius corporis craſſiſſima & robuſtiſſima & in penetralibus corporis abdita, ut injuriis externis non ſit obnoxia, accidiſſe mirum. Sin *naturalis*, nihil novi cui aptiùs reſpondeat, quàm tumoribus illis protuberantibus in *Aortis* Bombycum, aliorumque conſimilium Inſectorum, quos D. *Malpighius* pro totidem cordibus habet. Quod utique concedendum eſt, ni eas ullum omnino Cor habere denegare velimus. Quidni autem negemus? In Hirudine enim Arteriæ duæ amplæ habentur abſque ullis hujuſmodi protuberantiis, ut hoc genus Animalcula vel duo habere corda fatendum ſit, vel nullum: nec enim ullam præterea partem in iis hactenus obſervare potui, cui nomen illud tribui queat, quamvis neque his propriè.

Quod ad reliquas partes attinet, de iis nihil ferè nobis dicendum ſuppetit: inopiâ temporis cerebrum inſpicere & examinare non vacabat. Apertura oculi ut in Porcino genere parva; pupilla rotunda: Membrana nictitans manifeſtior quàm in aliis ferè Quadrupedibus; non temere nec præter rationem, ſed ut meliùs ſcilicet detergat ſordes quaslibet ex creba in cœno volutatione oculis adſperſas & adhærentes. Nervus Opticus in Axe propemodum oculi conſtitutus, non ad latus interius, ut in aliis plerunque fit, vallecula illic depreſſa ceu excavata. Choroidis tunicæ color pallidè violaceus aut fuſcus: Muſculi minùs diſtincti, quàm in aliis nonnullis Brutis; hinc oculorum motus non adeò celer & expeditus, minuſque regularis & ordinatus quàm in illis.

Supereſt jam ut de parte illa agam, quæ huic Animali peculiaris cenſetur & maximè propria, nec cuiquam præterea alii [quod ſciam] communis, quæque omnibus qui de exotico hoc *Apro* ſcripſerunt, non ſine maxima admiratione commemoratur: nimirum glanduloſo illo corpore dorſo innaſcente. Hoc ni ab aliis notitiam ejus habuiſſem, cùm res ſit adeò inſolita, & inſperata, ego proculdubio inobſervatum præteriiſſem: imò fortaſſe, ſi unicum tantùm Autorem habuiſſet, [Umbilicum *Tajacu* in dorſo ſitum eſſe] id neglexiſſem; verum unanimi conſenſu id affirmantes animadvertens, quamvis forte in conjecturis ſuis de ejus uſu falſi fuerint, dari tamen nonnihil quod errori anſam præbuerit, minimè dubium exiſtimavi: cúmque id tandem invenerim & diligenter obſervaverim, primò deſcriptionem ejus prout oculis noſtris ſe obtulit exhibebo; deinde aliorum opiniones & conjecturas, quid ſit, quemque uſum habeat, tradam; tandem & ſententiam meam de ejus natura & uſu adjiciam.

In deſcriptione hujus Partis ad figuras quas ejus delineandas curavi, ſæpius reſpicio & Lectorem refero. Cùm enim adeò accuratè & ad vivum expreſſæ ſunt, formam ejus ex earum intuitu faciliùs imaginari & animo concipere poſſumus, quàm ex deſcriptione verbali quantumvis elaborata. In figura 1 litera *a* locum deſignat ubi *umbilicus* quem vocant ſitus eſt, nimirum in ipſo dorſi acumine ſupra pedes poſteriores non longè à caudæ loco. Setis oblongis ibidem naſcentibus adeò obvelatur, ut niſi difflatis illis aut manu amotis diſcerni nequeat. Quo facto ſpatiolum invenies propemodum nudum, paucioribus duntaxat, brevioribus & rarioribus pilis obſitum: in cujus meditullio orificium glandulæ protuberat, per quod liquorem intus ſecretum excernit & evacuat. Orificium hoc ſ. foramen quod *Tabul.* 1. *Figur.* 1. magnitudine ſua & figura naturali repræſentat, labiis erat aliquantulum reflexis, & ſupra cutis ſuperficiem elatis. Stylum majuſculum facilè admittebat, quem in varias glandis partes circumvertendo adigere potui. Levi compreſſione digitis facta apparuit liquoris pallidi ſeu ochroleuci, partim etiam obſcurioris, tantillum, jucundo admodum & grato odore, mihimet aliiſque aliquammultis olfacientibus moſchi aut Zibethi ſimili. Glans ipſa inter cutem & membranæ carnoſæ partem ſita erat, media enim pars ſuperficiei illius quæ dorſum reſpicit nuda erat, nec muſculo illo tecta, marginibus duntaxat eidem incluſis; adeò ut detracta pelle glans unà detraheretur, nec facile poſſit evadere, quin pellem plerunque ſequatur. Nihilominus Panniculus fortaſſe carnoſus vi ſua muſculoſa ad ſuccum exprimendum glandulæ ſuppetias ferat, quemadmodum ſphincter muſculis folliculis illis odoriferis, quæ ad inteſtini recti exitum in aliis animalibus collocantur. Glandulæ dimenſæ juſtam magnitudinem exhibet *Tabul.* 1. *Fig.* 4. Erat ea è conglomeratis dictis, è pluribus ſcil. minutis glandulis compoſita. Nullam intus cyſtim ſeu cavitatem notabilem habuit, verùm Pancreatis aut glandularum ſalivalium ad inſtar, ductus plurimos ſecretorios, in unum tandem truncum ſeu alveum concurrentes, & per orificium commune *Figur.* 3. *Tabul* 1 expreſſum, ſuccum ſeu humorem ſecretum evacuantes.

Orificium hoc ob aliqualem cum umbilico ſimilitudinem pleriſque omnibus, qui illud ſuperficie tenus duntaxat luſtrârunt abſque ulteriore examine, impoſuit, ut Umbilicum verum & genuinum eſſe crederent: quippe à ſententia illa deflectabant, nihilo feliciores erant in conjecturis quas de eo faciebant non minùs abſurdas & ἀλλοκότως. Has vel recitâſſe, quod ſecundo in loco me facturum promiſi, eſt refutaſſe; Recito autem ob hanc ſolam rationem ut oſtendam, Hiſtoriâ Animalium naturali hactenus traditâ nos minimè contentos eſſe debere: non quòd eos qui tantum præſtiterunt, laudem nullam meruiſſe cenſeam, quin potiùs plurimam eis deberi agnoſco; ſed quod nobis propudioſum foret, ſi majorum inventis adjuti, tótque & tantis præ illis adminiculis gaudentes, nihil promoveremus, nec eorum obſervata excoleremus, illuſtraremus, & ad majora, certioráque inveſtiganda gradum faceremus

F. Gregorius, qui ob diuturnam in regionibus *Americanis* peregrinationem & moram, egregiam opportunitatem habuit veritate meruendi, & ſibimet hac de re ſatisfaciendi, nihil tamen novi adfert, verùm vulgi opinioni ac-

ni acquieſcit, *Umbilicus*, inquiens, *exit per ſpinam circa clunes. Hieron. Benzonus Hiſpanos* in portu quodam *Panamæ* ab indigenis donatos fuiſſe refert pane, piſcibus, fructibus, & ſuilla carne; *Apri autem iſti Indici ſeu agreſtes ſues umbilicum in dorſo gerunt*: inque Annotationibus ad hoc Caput, de Porcis ſylveſtribus Novæ Hiſpaniæ idem affirmatur. *Gomara* etiam de Braſilianis eadem habet. *Oviedus* de iis quoque quæ in Continente ſeu Terra firma inveniuntur ſcribit, quòd *Umbilicum in medio dorſo gerant*: nec diſſentit *Joſephus à Coſta*, *Saynos*, inquiens, *Animalia ſunt Apriformia umbilicum in dorſo gerentes*. Ex his aliiſque omnium quos unquam convenire potuit *Joan. Faber* Naturalis Indiarum Occidentalium hiſtoriæ Autorum teſtimoniis firmiter concludit proque certa & indubia veritate habet, Sayno *eſſe Aprum cui Umbilicus non in ventre ſed in dorſo prominet*; quamvis enim in aliis nonnullis circumſtantiis eorum teſtimonia diſcrepent, in hoc tamen omnia conveniunt, Umbilicum circa dorſi ſpinam exiſtere.

In hoc autem nimis liberalis videtur *Faber* quod funiculum etiam umbilicalem oblongum (ita appellare liceat) ei largiatur. *Nard. Anton. Recchi* figurâ fortaſſe deceptus, in qua nonnihil valdè prominens apparet; ad locum potius (ut opinor) ubi imaginarius hic umbilicus ſitus eſt deſignandum, quàm ad figuram ejus naturalem repræſentandam. In deſcriptione verba *Fabri* hæc ſunt, *Sed quod maximopere admireris, at præter naturæ ſeriem contigiſſe dicere queas, nec ullis aliis in beſtiis animadvertas eſt; quod Animal hoc præeminentiam quandam in dorſo ſortitum fuerit, eminentem apprimè, & detruncati formâ inteſtini conſpicuam: & hanc in dextra quidem ſui parte, propè ſpinam dorſi ſitam, clunes ſcilicet verſus, perpendiculariter Genitalis maſculini potiùs quàm Umbilici regioni, in ventre adeſſe paucis ſoliti reſpondentem*. In Scholiis ad hunc locum de inſolito hoc Phænomeno diſputando paginas aliquot inſumit; nequicquam, cùm in τῷ ὅτι ſeu materia facti ut vocant erraverit. Quocirca & nos illum ulteriùs non ſequemur.

Proximo in loco *Falcoburgii* Medici *Leydenſis*, qui (ut diximus) Aprum Americanum *Braſiliâ* allatum diſſecuit, opinio ſuccedat: Ab Anatomico autem accuratius aliquid expectandum; Et hic quidem partem hanc umbilicum eſſe negat, mammam credit. *In dorſi externi medietate* [referente *Bartholino*] *ſive ſuper ſpinam dorſi prope vertebras lumbares, mamma eſt, cujus circumferentiam aureus ducatus metiebatur, quam porcellis lactandis deſtinatam eſſe ex glandulis ſubſtratis judicabat; in eas enim venæ variæ eaque ſatis magnæ inſerebantur. Papillarum in ſumine nullum uſum credebat, nulla enim glandula ſubjicitur, nec vaſa ſanguifera comparent pro lacte generando ſufficientia. Joannes* tamen *Laetius* quamvis in Porco vivo quem per ſemeſtre domi aluit humidis cibis, ut noſtros ſolemus, ex umbilico credito humorem aliquem lacti haud abſimilem ſæpius exire obſervavit, cùm tamen diligenter inquireret ab illis qui in Braſilia dudum vixerant, an catulos ſuos illa parte aleret, reſponſum tuliſſe, ſe nunquam illud obſervare potuiſſe, quoſdam etiam negaſſe ait, ſed ſugendas illis præbere papillas quas ſub ventre habet.

Tertia opinio eſt *Joan. Lerii* & *Theveti*, qui *ſpiraculum* illam faciunt per quod Animal aërem haurit & reddit. *Habet* [inquit ille] *à natura foramen in dorſo, quemadmodum in capite Suem marinum habere dixi, quo ſpiritum emittit admittitque. Gulielmus Piſo* ſententiâ hac brevi cenſura perſtrictâ, horum officiorum nullum huic parti convenire cenſet, verùm in *Franciſci Hernande* ſententiam potiùs propendet, qui Anatome facta eam duntaxat glanduloſam quandam & mollem pinguedinem eſſe nos certiores facit. Color, ut opinor, illum induxit ut pinguedinem diceret, nam revera ſubſtantia ejus tota prorſus glanduloſa eſt. *In illum* [inquit *Hernandez*] *ſe recipit humor quidam aqueus, qui digitis expreſſus fluit*. Mirum tamen nobis videtur quod quamvis animalia hæc viderit & diſſecuerit, nullam odoris quem fundit mentionem faciat.

Supereſt jam ut [quod tertio in loco promiſi] ſententiam ſeu conjecturam meam de hac parte interponam. Exiſtimo ergo glandulam hanc nulli aliorum Animantium parti aptiùs reſpondere quàm folliculis illis odoriferis, quorum ſuperiùs meminimus. Quamvis enim totum corpus perſpirabile ſit, & odorem undequaque difundat; peculiaris tamen ille fœtor, qui in omnibus grave-olentibus Animalibus obſervatur, in unam maximè partem colligi perpetuò animadverti, particulis quibus inhæret, quæque eum producunt, à maſſa ſanguinea peculiaribus glandulis ſecretis, quæ illum vel foras è corpore illico ejiciunt, ut in nonnullis; vel in folliculos ſeu veſiculas tranſmittunt, ut ibidem aliquandiu reſervetur, ut in aliis multis Animalibus.

Folliculos hoſce in *Putorio* Animali primùm obſervavi, ad *Recti* inteſtini extremum ſitos utrinque unum, liquore craſſo albicante repletos: cujus fœtor adeò vehemens erat, ut eum ferre nequiverim; at neque commodè in conclavi ubi cadaver ſitum erat manere antequam folliculos exſcidiſſem & amoviſſem; quo facto totum corpus reliquum, nullam nobis offenſam aut moleſtiam creavit. Eoſdem obſervavi in plurimis aliis Animalibus *v. g.* in Muſtelini generis omnibus, in *Fele vulgari*, *Leone*, *Vulpe*, *Canibus*, &c. At neque Folliculi illi *Felis zibethici* ſeu *Hyænæ odoriferæ*, ab his diverſi ſunt; vel Animalis *Musk-quash* dicti, cujus meminit D. *Joſſelinus* in hiſtoria rariorum *Novæ Angliæ*. Non enim Animalis iſtius teſticuli ſunt, ut Epiſtola illa *Dublino* miſſa, & in *Actis Phil ſoph.* N 127. pag. 653. edita innuere videtur, cùm etenim illud exanimavi tum pelles ipſius animalis, tum folliculos quos diximus odoriferos eſſe deprehendi. Sic *Caſtoreum* in Officinis noſtris venale, non eſt Caſtoris teſticuli ut olim & vulgo creditum, ſed ejuſdem omnino cum folliculis prædictis naturæ & conditionis.

Nimis longus eſſem ſi de folliculis hiſce fuſiori teſſera dilatarem: ſufficiat dixiſſe, in pleriſque omnibus Animalium ſpeciebus obſervari poſſe vel eoſdem, vel aliquid iis analogum, quod peculiares ſingulis ſeu odores ſeu fœtores continet & communicat. Sic in Reptilibus, *Angue* ſcilicet *crotalophoro, Vipera, Angue vulgari* noſtrate ſeu Natrice torquata, obſervari duos oblongos folliculos in cauda ſitos quæ prope marginem Inteſtini recti liquorem ſuum fœtidum fundunt. Nec tamen in omnibus Animalibus glandulæ hæ eundem hunc ſitum obtinent, verùm in nonnullis diverſum. In avibus [ut ſuperiùs memini] ad uropygium glandulæ duæ occurrunt, quarum canales ſeu ductus ſecretorii, in ſumma ejus parte ſupra cutis ſuperficiem eminent, liquorem fœtidum evacuantes. Glandulas haſce in *Anſeribus* & *Anatino* genere, quæ aquas frequentant iiſque innatant, ampliſſimas inveni; imò vel ad menſam appoſitam guſtando *Anatem*, quàm gravis & fetini odoris avis ſit quivis facilè poteſt percipere. In *Gallopavone* folliculus minùs glanduloſus erat, verum ampliorem intus cavitatem habebat. In *Struthione* uropygio non adhærebat, ſed aliquanto ſuperiùs in dorſo ſitus erat, [ubi duas efficit protuberantias ſub cute a cyſtin inveni concreto flaveſcente ſucco repletam] eumque proximè locum occupabat quem glandula in *Apro* noſtro *Mexicano* odorifera nobis dicta, ab odore quem gratiſſimum exſpiravit, [prout mihi aliiſque qui unà mecum illum olfaciebant videbatur] unde & animal ipſum *Aprum Mexicanum moſchiferum* denominavi.

Verùm quamvis *Aper* noſter *moſchiferus* glandulam ſuam odoriferam, à pleriſque omnibus pro umbilico hactenus perperam habitam, in dorſo ſitam obtinet, Animal tamen moſchiferum à quocunque tandem genere, ſive Caprino, ſive Cervino ſit, folliculum Moſcho prægnantem in ventre prope umbilicum gerit, ſitu plane oppoſito ſeu contrario.

Expectet fortaſſe Lector ut alias adhuc rationes proferam cur huic omnes qui de eo commentati ſunt, odorem quem reddit non ſuavem & jucundum eſſe prodiderunt, ſed è contra fœtidiſſimum & teterrimum. Ut vel inde patet, quòd ſi quod Animal ejuſmodi mactetur tam ſolicitè cavendum monent, ne pars hæc in corpore relinquatur, quin protinus eam excindi præcipiunt, nè reliquam omnem carnem corrumpat. *Joann. Faber* ſe multùm fatigat, in origine & cauſis fœtoris hujus inveſtigandis; &, ut eſt facilis ab uno errore in alium lapſus, Glandulam hanc pro Umbilico habens, nunc eum ab urina procedere, cujus virulenta effluvia per urachum derivata hîc exitum inveniant, ſibi imaginatur: aliàs ſe neſcire ait an inteſtinum aliquod hîc loci affixum odorem emittat. Verùm eò præcipuè inclinat ut credat, eum ab *Urinaculo*, ut vocat, provenire. Sic urinam Felium ubicunque ſpargitur teterrimum odorem efflare animadvertet, diutiſſimè etiam perſeverantem. Verum hîc diligenter advertendum, fieri poſſe ut cùm urinam reddunt Feles, folliculos ad *Rectum* ſitos unà evacuent, quorum humor urinæ admixtus fœtorem illum maxima ex parte ei communicet. Idem de muribus déque Vulpe, *&c.* dictum eſto. Quinetiam facile inducor ut credam, quòd folliculorum horum amotione potiùs quàm exciſione renum *Sarigoy* Animal edule factum ſit, quod antea eò uſque fœtebat, ut ab ejus eſu Barbari etiam Indigenæ abhorrerent, referente *Lerio*. Odor ergo *Tajacu* noſtri non aliunde venit, ſed hac in parte naturaliter ſeparatur: quemadmodum & *Moſchum* & *Zibethum* & *Caſtoreum*, *Vulpiſque* & *Putorii* odores, in propriis ſuis glandulis & folliculis. Nec quicquam moveor, quòd alii fœtorem vocent quem nos odorem fragrantem; nec dubito quin eorum æque ſagaces fuerint nares ac noſtræ: cum noverim præſtantiſſima odoramenta peſſimè interdum olere. Zibethum, imò Moſchum ipſum dum adhuc recens eſt & noviter extractum, & in magna quantitate naribus admotum, ſenſui noſtro ingratum admodum & odioſum odorem imprimere à multis obſervatum, tantum abeſt ut eum demulceat & titillet. Et quod plus eſt, ipſa etiam Ambra griſea initio graveolet ut *Gul. Piſo* nos certiores facit. *Quod equidem mirum*, inquiens, *cum omnis ante inſolationem, molle tantùm gluten ſit Ambra, intratoque adeò odore nares feriens, ut ab inexpertis planè reſpuatur.* *Tajacu* ergo noſtrum dum adhuc juvenis eſt, & exigua hujus liquoris quantitas à glandula iſthac ſecernitur, remiſſum forte vel nullum emittat odorem. Sic Vulpes antequam adoleverint non multùm fœtent: ſed poſtea cùm ſuccus ille copioſè excernitur, abundè. Qui tum à copia ſua, tum à conſiſtentia tenuiore & fluidiore adeóque magis vaporabili effluvia emittere poteſt adeò copioſa mobilia & activa, ut ſenſuum organa ictibus vehementibus & crebris feriendo dolorem creent; cùm particularum earundem, at rariorum, è corpore minore & concreto effluentium tardior appulſus voluptatem poſſit cauſare. Quemadmodum ignis ardentis jacula ferociora ſenſum dolore afficiunt cùm tepentis ſolis blandiores radii eundem recreent & delectent.

Tajacu ergo noſter quo tempore glandula hæc liquorem ſuum uberrimè effundit proculdubio malè olere credi poteſt: fœtorem tamen illum paulatim miteſcere & in odorem gratiſſimum diuturnitate temporis evadere poſſe, non minùs eſt credibile. Sic liquor ille fœtidus in folliculis Muſtelinis contentus ſuper chartam extenſus & aliquandiu repoſitus odorem gratiſſimum præbuit. Quod ergo nos cùm primùm glandulam hanc diſſecaremus nullum omnino fœtorem ſenſimus, quin potiùs è contra odorem ſuavem & jucundum, (ſi in regionibus ubi naſcuntur hujuſmodi Animalia aliter ſe res habet) indè fortaſſis evenit, quòd Animal aliquot ante dies mortuum eſſet quàm ego hanc partem examinarem, quodque liquorem tum incraſſatum inibi invenerim & in parva tantùm quantitate. Quamvis diſſimulandum non ſit, mihi narratum eſſe, quod dum adhuc viveret in domo ubi alebatur à domeſticis obſervatum fuerit, quocunque iverit gratum poſt ſe odorem reliquiſſe. Illud certè conſtat mortuum odorem fragantem emiſiſſe; ut à me aliiſque obſervatum eſt. Atque hæc ſatis idonea & ſufficiens ratio videtur cur hoc nominis ei impoſuerim.

Supereſt jam ut Sceleton breviter deſcribam, & finem faciam. Cranium integrum videbatur, abſque ſuturis. A naſo ad caput ſummum 8 digiti erant. Cranium hîc loci anguſtabatur, ſéque iterum velut triangulariter dilatabat, poſtica parte qua tergum reſpiciebat in cavum peramplum depreſſa; ubi muſculi robuſti inſerebantur, & ligamentum à Dorſo porrectum, quorum ope Caput dum Animal vivit adeò ſurrectum tenetur, ut collum vel nullum vel certè breviſſimum habere videatur. Porus auditorius id ſingulare habebat, ut prope verticem collocaretur, prout in Sceleti icone, litera (*b*) repræſentatur.

In ſuperiore maxilla inciſores erant quatuor: ulteriùs paulò dens exertus, amplus, compreſſus, acutus, extrorſum vergens, & pone eum utrinque molares ſex. In *Baby-rouſſa* quinque duntaxat ſunt. Excepta a. Dentis exerti in maxilla inferiore magnitudine, & cornibus illis (ut vocat D. *Grew*) quæ ſuperiori maxillæ exteriùs innaſcuntur, Oſſa capitis in hoc Animali & in illo omnia fere congruebant.

Maxilla inferior 6 digitos longa erat 1_2 lata ad primum Dentem duplicem ſeu molarem, quorum ſex erant utrinque. Os hoc in loco à molaribus ad Inciſores ſpongioſum & carie exeſum videbatur, dentéſque exerti corrupti & deperditi, ut & inciſorum unus vel alter, qui numero quatuor erant.

Colli vertebræ ſeptem, earúmque longitudo ſimul ſumptarum 4 digit. Prima ſive *Atlas* duos habuit proceſſus tranſverſos latos, ſpinatum nullum: Secunda ſpinam latam amplam: Tertia, quarta, & quinta ſpinis carebant: Sexta, & ſeptima amplas & acutas obtinebant. Dorſi vertebræ 19. erant, quarum tres anteriores ſpinas tres digitos longas habebant, exinde gradatim diminuebantur ſpinæ ad caudam uſque. Prima oſſis coccygis vertebra duos circiter digitos in longum extendebatur, quam primitus in plures diviſam fuiſſe exiſtimavi, quamvis nunc unum & ſimplex os eſſet: ſex circiter præterea vertebræ erant, quæ non ultra oſſis iſchii extremum procurrebant.

Coſtæ utrinque 15 erant. Os ſterni ultra commiſſuram primarum coſtarum ad digiti ferè ſpatium procurrebat.

Scapulæ 5 unc. longæ. Os femoris in pede anteriore $5\frac{1}{2}$ dig. longitudine æquabat: Os tibiæ in eodem æquæ circiter longitudinis; verùm ab articulatione cum oſſe femoris ad os metatarſi quatuor duntaxat digiti erant. Nam ab articulatione prædicta ulteriùs procurrebat, ut in Fig. apparet. Oſſa Tarſi 5. Metatarſi tria, duos circiter digitos longa. Digitorum oſſa 9. unicuique enim digito tria inerant, & unicuique pedi tres digiti.

Os femoris in pede poſteriore 6 propemodum digitos longitudine æquabat, & prope juncturam cum oſſe

oſſe tibiæ os parvum habebat patellæ in genu humano ſimile. Cruribus ſingulis duo inerant oſſa, *Focile majus & minus*, 2 digitos long. In pede anteriore unicum tantùm huic parti os datum eſt, contra quàm in *Cane*, *Cercopitheco*, aliiſque nonnullis animalibus, in quibus & hæc pariter duplici oſſe donatur. Os calcis duos prope digitos longum erat, quatuor autem præterea alia tarſo oſſa inerant.

Metatarſus ſive *Pes* 4 oſſibus componebatur, è quibus interiora duo reliquis longè majora, ut quæ ad 2 digit. extendebantur. Digiti quatuor erant, & in ſingulis oſſicula tria, quorum extremum ungue tectum.

Quod ad locum *Tajacu* attinet, *Hieronymus Benzonus* in *Panama*, inque *Nova Hiſpania* eum inveniri tradit: *Gomara* etiam in *Nicaragua*: *Oviedus* in *Terra firma*. *Lerius* & *Marcgravius* in *Braſilia*. Gregatim incedunt, inque montique & ſylvis verſantur. Porcorum more radicibus, glandibus & fructibus veſcuntur: &, ſi Fr. *Gregorio* de *Bolivar* apud *Joan. Fabrum* notis ad Animalia *Novæ Hiſpaniæ Nardi Anton. Recchi* fides, majore qua poſſunt ſollicitudine cujuſcunque generis ſerpentes & bufones venenatos indagant. Atque ubi horum Animal aliquod repertum, prioribus illud pedibus apprehendunt capiti morſum dentibus inferunt, & ungulbus pellem ſerpentis aut viperæ, quàm dexterrimè à capite ad caudam uſque dilaniando excoriant, cutem detrahunt, carnémque avidè vorant. Poſtea radicem aut certè arboris corticem ſibi notum quærunt, quem comedunt nè veneno inficiantur. Penes autorem fides eſto: mihi ſanè ſuſpectæ ſunt hujuſmodi narrationes.

Nec facilè fidem apud me inveniunt quæ de protuberantia in dorſo *umbilico* dicto habent tum alii tum etiam *Joſ. A Coſta*, nimirum quòd per ipſum graveolens quidam halitus tranſpiret: unde ſi quod Animal ejuſmodi mactatur, neceſſe eſt prorſus ut confeſtim ipſi umbilicus exſcindatur; quod niſi mediæ horæ ſpatio fieret, eſui haud amplius aptum Animal foret; tam teter enim indè fœtor efflatur, qui vix ſufferri poteſt & reliquam carnis maſſam omnem inficit. Nam D. *Tyſon* (ut vidimus) liquorem ex umbilico hoc digitis compreſſo effluentem, etiam recentem, gratum Moſchi aut Zibethi odorem exhalare expertus eſt: RAIUS *in Synopſi Hiſtoriæ Quadrupedum*.

Officin. Nat. ex Porco.

1. *Fel*. 2. *Pulmo*. 3. *Pinguedo*. 4. *Oſſa*. 5. *Talus*. 6. *Stercus*. 7. *Veſica*.

Vires.

1. *Fel ſuillum* contra aurium ulcera, reliquaque omnia magno ſucceſſu adhiberi ſcribit Dioſc. pilor. proventum impedit, (*cum lardo ſuillo ana ac* ¦ *parte* ✝ *acerrimi & Ol. Amygd. ana digeſtum & illitum*) [exiccatum ad ſuppoſitoria uſurpatur.]

2. *Pulmo* mirificè prodeſt impoſitus attritui à calceamentis contracto.

[Hepar & teſticuli porcelli pro arcano venereo habentur.]

3. *Pinguedo* (*Adeps abſolutè dictus*) calefacit minus, ideoque in unguenta refrigerantia infertur, inveteratos dolores lumborum & articulorum ſedat, *inuncta cum cinere ſtraminis fabacei aut calce*.

Lardum coctum & circumligatum oſſium fracturas feliciter conglutinat.

N 1. *Pinguedo quæ è ſue veteri fuerit, vel quæ ſale condita, calidior ac efficacior eſt illâ quæ tum è porcellis deſumpta, tum inſulſa fuerit. Sic & vetus axungia acrior eſt recenti.*

N. 2. *Sunt qui ſolâ axungiâ verris, vice Sympathetici unguenti utuntur.*

4. *Oſſa*, ajunt oſſa de collo ſuſpenſa quartanâ laborantibus eſſe auxilio, fides ſit penes expertum.

5. *Tali os* (*Aſtragalus*) commendatur ad fracturas oſſium; ut & ad colli capitiſque dolores (*uſtum & exhibitum*, ([item ad dyſenteriam & quamvis hæmorrhagiam.]

6. *Stercus* (*Jucerda*) emollit, diſcutit, hinc prodeſt in prurigine, exanthematibus, clavis pedum, aliiſque tuberculis duris, (*calidè impoſitum*) Ictibus medetur animalium venenatorum (*cum* ✠ *coctum*) Hæmorrhagiam narium ſiſtit, (*in* ▽ *tritum & illitum*) [ſufficiet etiam odor.]

(Vulvæ in hæmorrhagia uteri calidè adhuc, linteo incluſum, appoſitum. expertum eſt remedium.)

7. *Veſica* juvat eos, qui inviti lotium reddunt, *cocta vel uſta & exhibita*] Eadem præſtat pubi impoſita. Urinam ciere fertur. Plin.

[Lapis porcinus ſive Hyſtricus Malacenſis malignitati reſiſtere, & lapide Bezoar potior cenſetur, ab apoplexia & epilepſia præſervare. materiam calculi diſſolvere, & arthritidem curare. Imponitur aquæ, cereviſiæ & vino per horam, hinc bibitur. Ad choleram ex vino datur. Secundinas pellit, ad menſes movendos manu geſtatur. Prægnantibus non exhibendus, quia abortum facit.]

Præparata.

1. *Unguenta ex pinguedine fiunt varia.*

E. gr.

Roſatum, pomatum, *quæ ſuis locis attigimus.*

2. ▽ *ad Atrophiam.*

Fit è anguine è fibris repurgato atque cum herbis bechicis refrigerantibus & humectantibus in MB deſtillato. *Schroderus*.

In uſum veniunt *Fel, pulmo, pinguedo, oſſa, ſanguis, talus, ſtercus, veſica, uterus, Lapis*.

N. *Suilli ſeu porcelli ſanguinem* tanquàm egregium Medicamentum contrà phthiſin commendant; ſed vel ſpiritus ejus vivificus & virtus nativa ſpecifica per deſtillationem ſtatim ab initio ex recenti & adhuc calente ſanguine per MB factam colligendus, aut in liquorem & Sal volatile transferendus eſt, alias per ſe nihil præſtabit.

Pinguedo.) Ex porcello etiam *pinguedo antiphthiſica* ſequ. modo; Rec. porcellam ſatis pinguem quem mactatum à fetis purga & exentera, pinguedine ab inteſtinis & viſceribus ſtudioſè detracta, ut iterum cum aliis ſequentibus ſpeciebus mixta ventri porcelli eviſcerato injici poſſit. Huic ventri jam inteſtinis abjectis immitte Cor, hepar & pulmones ejus cum adipe ab inteſtinis anteà ſeparata, item radic. ſymphyt. maj. rec. q. v. herb. ſcabioſ. tuſſil. heder. terr chærefol. ana cancror. fluviatil contuſ. q. ſ. His omnibus minutiſſimè inciſis & ventri porcelli immiſſis, conſuatur venter arctiſſimè, poſtea in veru moderato aſſetur, ſuppoſita pro pinguedine excipienda ſartagine; tamdiu donec omnis humiditas & pinguedo exſtillarit, quam pinguedinem ab humiditate ſepara, ſerva pro uſu ad fercula condienda phthyſi laborantibus. Sumant hujus pinguedinis ægri ſingulo mane cochl. j. in juſculo.

N. Loco porcelli etiam caniculus ſaginatus ſumi poteſt.

N. *Uterus ſuillus* coctus & comeſtus cum braſſicâ capitatâ muriâ conditâ juvat eos, qui urinam continere nequeunt.

Lapis porcin. Hic valde pretioſus eſt, ſinguli veniunt centum, imò ducentorum interdum imperialium, & ultra, ratione magnitudinis. Reperiuntur in veſiculâ fellis aut etiam ventriculi oblongas & acutiſſimas pinnas habentium. & eorum ſolum altiſſima ſcandentium & herbam ſingularem depaſcentium. Hunc Luſitani *Piedra de Puerco* vocant. Mollis ac pinguis eſt atta-

attactu,ac ſi ſaponem Hiſpanicum tractares. Exſcinditur ex Apro & hiſtrice.

Vires. Calidum Nativum conſervat, viſcera roborat, humores crudos in toto corpore conſumit,nimiam inde pinguedinem prohibet, ab apoplexiâ & epilepſiâ præſervat,materiam calculi ſine dolore diſſolvit,arthritidem curat. Infunditur etiam in vino adverſus choleram. Prægnantibus tamen hic Lapis non benè datur,nam abortum provocare certum eſt, ut fœminæ Malicæ, ſi quandò menſtrua earum purgatio non benè procedat, dicant,ſi ſaltem hunc Lapidem manu geſtent, juvamentum ſe inde ſentire. Diaphoreticum etiam Medicamentum eſt, & datur in omnibus Morbis acutis. Hic Lapis ſcilicet injicitur aquæ, vino, cereviſiæ &c.per horulæ ſpatium & ſic infuſus liquor bibitur, qui quo amarior, eò etiam potentior erit.*vid.Jacobus Bontius l.cap.in not. ad Garc.ab Ort.Cap.46.Fragoſ.Medic. Indor. Cap X. Tulpius Libr.IV.obſerv* 51.

N Pulvis ex hepate & teſticulis Porcelli pro arcano habetur in venere ſtimulandâ HOFMANNUS.

PORRUM.

Porrum Latinis dictum volunt nonnulli quòd porrò eat & longè latéque graſſetur. Sed eſt (inquit Voſſius) à πράσον facta ſecundæ tertiæque literæ trajectione & quartæ mutatione in ρ, quomodo à τύρσις eſt turris, à κέλης celer.

Porri *Nota* ſunt radix anguſta, florum Corymbi magni ſeu floſculi plurimi in Capitulum ſphæricum grande conglobati.

Porrum Sectile in noſtra graveolentium diviſione ad aliud genus pertinet: foliis enim fiſtuloſis cum Cepa convenit.

Vires. Porrum ut guſtu ſic viribus cum allio & Cepa convenit,attenuat,aperit, incidit, reſolvit. Uſus præcip.in ſerpentum morſibus & uſtionibus, mucilagine pulmonum. Extrinſecus in aurium tinnitu & ſuppurationibus: in hæmorrhoidum tumore,&c.

Ad dolorem pleuriticorum. ℞.ex albedine porri minutim inciſi q.ſ. frige parum in ſartagine,& applica ſupra partem dolentem, multos juviſſe teſtis ſum, inquit Cheſneau D.Huſle.

Ad Polypum,℞.ſucci porri non ſectilis q.ſ.cum pauco tartari & Ceræ viridis F. ung.de quo aliquid ſæpius in naſum intromittatur. Alexis Pedemont.

Prævotius porrum confixum undique radiculis hellebori nigri coctum aliquoties jejunè menſibus inſtantibus eſitatum in eorumdem difficultate commendat D. Soame è Dolæo.

N. Frequens porri uſus ſomnos turbulentos inducit, viſuique officit

Nonnulli ad vocis claritatem & ſplendorem inducendum porri eſum commendant. Vitari tamen debet (inquit Jo. Bauhinus) aſſiduus aut multus ejus uſus, quia viſus obſcuritatem efficit, ſtomacho adverſatur, multaque alia incommoda facit: eapropter non niſi robuſtis admodum, decoctumque cum melle, vel in ptiſana erit exhibendum. RAIUS.

PORTULACA.

Portulaca Græcis Ἀνδράχνη & Ἀδράχνη Turnebus portulacam etiam portulatam dicendam exiſtimavit, quòd foliis portulatas imitetur; ſed exempla antiquorum voluminum deſunt. Aliorum ſententia eſt, portulacam appellatam eſſe quaſi porculacam nomine à porcis impoſito, idque quòd à Gallis porcelia, vel porcelina vocetur, (unde & Anglicum Purſlane) Apuleius etiam Porcacltrum appellatam ſcribit:& Græcis junioribus χοιρεσόζανον (quod porculacam ſonat) vocatur. Exempla vide apud Joan. Bod. à Stapel.

Portulacæ notæ Characteriſticæ ſunt vaſculum ſimplex, ſeu non diviſum in loculamenta, quod per maturitatem horizontaliter rumpitur, flos flavus, Calyce bivalvi incluſus folia craſſa, ſucculenta, lævia, extremis ſubrotunda.

Vires & Uſus. In ardore & dolore ſtomachi portulaca ejuſque ſuccus & Syrupus aut ipſa Planta recens comeſta experta eſt.

In acetariis frequens uſus eſt portulacæ: ſtomachi ardorem lenit, & bilis fervorem compeſcit, & hinc in febribus putridis ac malignis, ardore urinæ & ſcorbuto prodeſt: venerem inhibet, venereaque inſomnia. Dentium ſtuporem recens commanducata tollit, & mobiles dentes ſtabilit, verminantibus pueris cum ſucceſſu exhibetur. Verum ejus eſus nimius cavendus eſt,quoniam ob frigiditatem ſuam & humiditatem in ventriculo putreſcere apta eſt, ejuſque & reliquorum viſcerum tonum diſſolvere, ut in nobiſmetipſis non ſemel experti ſumus.

Solet apud nos cum ſale, aceto & aromatis condiri ad intinctus, eodem modo quo cappares, geniſtæ flores, lingua avis, Crithmum, &c. condiuntur, quomodo parata ventriculo magis grata & amica eſt quam cruda. RAIUS.

POTAMOGETUM.

Potamogiton quaſi fluminibus vicina, quòd in aquoſis & paluſtribus naſcatur: floribus eſt ſpicatis, quadrifoliis ſeminibus etiam quaternis nudis ſimul junctis, foliis ſimplicibus, integris in ramulis ſingulatim poſitis, niſi ubi ſpicæ exeunt ubi bina adverſa. Omnes ejus ſpecies aquis innatant, nec extra aquas durant. RAIUS.

Hæc planta refrigerat & humores condenſat; adſtringens eſt ac dyſenteriæ conducit intus in decoctô ſumta. Adhibetur itidem extus in herpetibus & cutis prurigine.

POTENTILLA.

Argentina ab argenteo foliorum ſplendore dicta eſt, Germani,genſerich,id eſt *anſerinam*,appellant,quòd hac anſeres in cibo delectantur. Quo nomine Græci & Latini hanc herbam appellant à nullo proditum eſt. Recentiores quidam *potentillam* ab eximiis viribus quibus pollet,vocant, nonnulli agrimoniam ſylveſtrem ob formæ affinitatem, Trag.

Nomina. Argentina *Ger.* potentilla *Park.C.B.* Potentilla ſeu Argentina J. B.

A foliorum molli & argentea lanugine nomen accepit hæc planta. Radicem habet nunc ſimplicem, cortice nigricante tectam, nunc fibroſam guſtu adſtringentem, unde plurima emergunt folia, in terram reſupina, agrimoniæ foliis ſimilia, majoribus hinc inde pinnulis, obtuſis, circa margines profunde dentatis, cum pluribus minuſculis intermediis conſtantia. Flagella undique ſpargit,quibus inſigniter ſe propagat,fragariæ inſtar. Ex alis foliorum quæ appendicibus ſuis flagella amplectuntur, exeunt flores, ſingulares, pediculis longis hirſutis fulti, flavi, quinque foliis ſubrotundis non crenatis compoſiti, cum plurimis in medio ſtaminulis & apicibus concoloribus, è calyce hirſuto, quinque ſegmentis acutis (quæ conniventia florem antequam aperiatur,& ſemine iterum flore dilapſo occultant) compoſito. Hæc autem folia alia quinque circumſtant, nonnunquam ſegmentata.

Frequens eſt circa ſemitas & loca aquoſa:amat enim loca uliginoſa & ubi per hyemem aquæ ſtagnarunt.

Vires. Ut genere ſic viribus cum fragaria, pentaphyllo,tor-

lo, tormentilla, convenit: quas ſummatim recenſet Schroderus his verbis.

Refrigerat moderate, aſtringit fortius, ſiccat, conſtipat, hinc Sanguinis expuitioni medetur, diarrhæam & reliquos tum alvi, tum uteri fluxus compeſcit: hæmoptoicis & hæmorrhoouſis ſubvenit: renum calculum inſigniter atterit: vulneribus inſuper & ulceribus admodum conducit; externa famoſa eſt in doloribus dentium mitigandis, putredine gingivarum arcenda, æſtu febrili ſopiendo quem potenter compeſcit, cum ſale & aceto contuſa plantis pedum ſupponatur, vel carpis applicetur.

Aquam hujus ſtillatitiam ad lentigines, panos & maculas, fuſcumque colorem ſole contractum delendum Angliæ mulierculæ adhibent.

Hujus radices, in agro Eboracenſi circa Settle oppidum hyberno tempore effoſſas pueri eſitant, ſunt enim ſapore ſuavi, nec minus grato quàm paſtinacæ, ut à pharmacopæo quodam fide digno, ibidem degente certior factus ſum, poſtea obſervavi etiam porcos radices haſce roſtro effoſſas libenter vorare.

Experimento egregio didicit Io. Agricola potentillæ ſuccum unà cum pulvere Colchici vulgaris mariſcis ani mederi. J. B.

Caſtor Durantes jubet ut dyſentericorum indatur calceis: atque hac arte non ſolum dyſenteriam, ſed omne genus p. n. fluxiones infimi ventris, ut nimios menſes, imò narium hæmorrhagiam dubio procul ſiſtere valebit. S. Paulus. Hartmannus eundem hoc modo uſurpatam valuiſſe ad dyſenteriam affirmabat, poſtquam medicorum opera nihil profuiſſet.

Hanc etiam pro Arcano celebrat Petr. Borellius cent. I. obſerv. 12.

Diuretica aliquando cum fructu in febribus exhibentur, inter quæ anſerina ſpecificè prodeſt, ſic etiam & ſal Anſerinæ, quod mihi pro ſpecifico eſt. D. Soame è Dolæi L. 3. C. S. 14. *Rajus.*

POTERIUM LOBELII.

Caulibus cubitalibus densè fruticat, multis in terram procumbentibus ramis: plerique verò omnes ſtolones ſtatim ex radice rubente ſaporis ſicci & nonnihil amaricantis oriuntur, cortice tecti exteriore incano, tenero, cui alius ſubſit rubens, folia tenella, longiuſculis in pediculis ordine ex adverſo poſita, ſuperna utrimque virentia, inferna cinerea, noſtræ pimpinellæ ſanguiſorbæ ſimilia, flores primo vere conſpiciuntur, herbacei coloris, ſtellati, parvi quibus ſuccedunt baccæ exiguæ, albicantes cum pauxillo rubore, ordine quodam ad ramos ſeſſiles, Ribes noſtri baccis haud abſimiles, conſpicuo adhuc in uniuſcujuſque baccæ umbilico flore. Rauvvoltii deſcriptio eſt à I. Bauhino latina facta.

[Planta hæc in Creta perpetuo viret & multos annos durat, adſtringendi vi pollet, vulgariterque in tota Gracia Στοίϐηδα appellatur, in declivi montis Libani parte naſci vidit Rauvvolfius: ſub fine mæſtaris floret; autumno ſemen matureſcit, cum folia primum erumpunt, quæ tum in ſe contracta, videntur, & Aſplenii folia quodammodo imitantur, ſed longè minora ſunt, quæ ſucceſſu temporis majora apparent, reliquam deſcriptionem Hon. Belli vide apud ipſum, Ep. 2. ad Cluſium, qui plantam hanc legitimam Dioſcoridis Stœben eſſe contendit: argumenta quibus id probare nitutur videſis loco citato.

Vires. In ſanandis alvi fluoribus indiſtinctæ à ruſticis Cretenſibus uſurpatur: nam ejus in aqua decocto jejuni bibunt, & è morbo ut ajunt liberantur. Bellus. *Rajus.*

POTIO.

Inter claſſicas remediorum formulas non infimum tenent locum POTIONES. Licèt enim ſub latitudine ſuâ omnia liquidorum genera magis diffuſa & potulenta contineant, unde & decocta & infuſa potiones ſunt; neque generali notione vel fine differunt: nihilominus tamen peculiarem ab iiſdem quoque claſſem rectè conſtituunt, ut mox dicemus.

Nomen à *potu* obtinent, potus quippe hic eſt medicus, poculo oblato ad ſanitatem utili. Et definiri poteſt, quod ſit,

POTIO *medicamentum liquidum diffuſus, vel ex decoctis cum aliis mixtis, vel potiùs ex mixturâ aquarum cum appropriatis conſtans; pro alterandi vel purgandi ſcopo.*

Videtur cum decocto & infuſo ſecundum quid coincidere; attamen, ſi fatemur, quod res eſt, & decocta & infuſa, ſicubi propriè dictarum potionum titulum expetunt, hoc loco quaſi miniſtras magis ſe gerunt & ſecundarias, quippe quæ alia adſciſcunt in conſortium. Potiones ipſæ ex mixturâ tali liquidorum cum aliis conſtant.

Quin ut reſpectu dictorum generale eſt potionum vocabulum, ita & ceu ſpeciem ſub ſe comprehendit JULAPIA, utpote potionem ſpecialem & ſui generis, licet non raró quoque confundi legantur, & pro ſynonymis planè haberi, quæ ſolo nomine, vel ne hoc quidem, niſi ex arbitrio medici, differunt; ſi tamen requiſita julapii, quæ omnium conſenſu adeſſe debent, reſpiciamus, de magis gratis, ut ſub formali addemus, prædicantur.

Inventum julapia, quæ & *julabia* & *julepi* audiunt, ſunt Arabum, unde recentiores Græci, Actuarius, Sethi & alii id mutuati in linguam ſuam detorſerunt, vocant verò ζυλάπιον & ἰόλαβον, quaſi *violarum infuſum*; vid. *Bauhin. de C. M. p.* 100. Verum autem etymon & nomen è Perſico Arabicum eſt q. d. *aquam roſarum*, à *roſa* & *aqua*, notat ergo nihil aliud, quàm aquam ſirupiſatam, ſaccharatam, ſeu cum ſirupo mixtam; ex quo facilè patet, etiam hoc ſenſu nomen iſtud latiùs patere, & omnibus quaſi potionum ſpeciebus tribui poſſe.

Quod itaq; MATERIAM EX QUA potionum concernit, parantur eædem 1. vel ex *decoctionibus*, ita tamen, ut liquidum hocce baſeos corporalis & dirigentis vice fungatur, (id quod & ſuo ſenſu de alterâ claſſe ſequente valet,) nec ſibi relinquatur, ſed acceſſu appropriatorum vel purgantium vel alterantium modificetur, unde etiam hìc decocta magis diffuſa, extemporanea, & minoris apparatûs in cenſum veniunt, ſeu decocta pro potione parandâ, intentione magis ſecundariâ, quàm primariâ præſcribuntur, in ſubſidium quaſi adhibita, v. g. decoctum hordei cum ſcorzonerâ & cornu cervi, decocta aperitiva, decocta florum & fructuum, &c. cum aliis pro ſcopo vario maritanda.

2. Vel liquorem & corpus huic compoſito fœnerant *aquæ deſtillatæ*, quæ & ipſæ quaſi ſuo modo jam coctæ, vel potiùs per coctionem evaporatæ ſeu ſublimatæ ſunt. Et hæ proprie potionem nomine ac κατ' ἐξοχὴν veniunt; quam in rem exſtant ſeligenda tum calida, in affectibus frigidis, pro reſtauratione virium, refectione cordis, & ſimilibus; tum frigida, pro domando calore peregrino p. n. & diluendo, utraq; doſi diffuſiori & majori, quo cum laudatis decoctis cõveniũt, differunt verò à cõcentratis, tincturis, eſſentiis, elixiriis &c.

Eadem ratio eſt juleporum; Si enim primam ſimplicem eorum originem ſpectemus, quæque adhuc in julepis roſarum & violarum receptis viſenda exſtat, confiunt communiſſimè ex aquæ (roſarum, violarum,) p. iii. & ſacchari p. ii. coquendo & deſpumando, ubi non poteſt non coctione volatile, quod ineſt, de roſis promtè aufugere, unde parum virtutis & gratiæ præterquam à ſaccharo, ſiquis intimè eos noverit, obtinere facile judicatu eſt.

Cum verò, ut FORMA potionis abſolvatur, aliorum quoq; acceſſione opus ſit, videbimus ſaltim prius in genere, quib. cũ CAUTELIS hæcce mixtura fieri debeat.

1. Enim *non miſcenda contrariis ſe excipientia frontibus*, & vel fermentationem vel effervescentiam excitantia; hinc acida cum alcalinis, tum liquidis tum ſolidis, v. g. ♁ ⊖li cum ſpiritu cornu cervi, ſale abſinthij, non benè miſcentur, præterquam, ubi refractâ doſi alterutrum recipitur, uti potio febrifuga Crollij ex aquâ cardui benedicti, ſale abſinthij & ſpiritu vitrioli ſatis eſt egregia; id quod ipſum etiam apprimè eſt intelligendum de implicitis hiſce in compoſitis latitantibus, uti v. gr. mixtura ſimplex non benè cum ſpiritu ſalis ammoniaci confunditur.

2. *Quæ mixta vel gratiam perdunt, vel è coitu hoc quaſi novum ens pariunt, corpori minus proficuum gratumve, vel intentioni adverſum*, ſeu, *quæ ſe vel intendunt minis, non miſcenda.* Sic notiſſimum eſt, & benè tamen obſervandum exemplum non miſcendorum ſpirituum vitioli & nitri, ex iſtorum enim coalitu exſurgit aqua fortis, id quod itidem in compoſitis notandum, quæ hæc duo vel alterutrum potiùs recipiunt, ut eſſentia carminativa cum mixtura ſimplici, &c. Sic etiam flores ſulphuris cum lixivioſis non bene miſcentur, item ſpiritus ſalis ammoniaci vel ſimilis cum ſirupo violarum purpureo, vertitur enim hic inde in virorem.

3. *Quæ ingrati ſunt ſaporis, nauſeabunda, amara, ſalina, non debent ingredi, præterquam refracta & correcta*, quod de ipſis acidis quoque intelligendum, ſiquidem immediatè & penetriùs fauces afficiunt potiones, adeoque, ſi unquam aliàs, certè in his, aucupanda eſt gratia, & præter hanc efficacia.

Illud verò in ipſo FORMALI jam obtinetur, ſiquidem inter ſe aſſocientur & miſceantur, tum *homogenea*, tum *ſelecta*, in unum eundemque finem conſpirantia. Hinc, hodierno quidem uſu, liquida jam dicta, ſive decocta, ſive aquæ deſtillatæ, quod frequentiùs obtinet, (ſeu baſeos, ſeu dirigentis & excipientis potius, quin vehiculi quoque quaſi loco,) primùm recipiuntur, ſive ad unum præbium præſcribere formulam animus ſit, ſive ad plura, ſiquidem commiſcenda alia ſæpè baſin ipſam formæ internæ conſtituunt, v.g. pulvis purgans, ſudoriferus. Hinc adjuvantium fit additio. Adduntur verò ijſdem in genere, quæ vel *ſolvi* vel *miſceri* poſſunt: *illa* (ſolvenda) primariò, potiſſimum, & aptiùs; hæc ſecundario ferè magis, quælibet ſuâ doſi, ita tamen, ut ſemper aquæ pondus prævaleat. Sic primi generis ſunt tum *liquida* varij generis, ſpiritus, ſucci, eſſentiæ, tincturæ, quorum omnium doſes regulandæ ſunt partim pro ſubjecti ipſius reſpectu, partim ingredientium aliorum, & qui ultimo ferè loco adduntur, ſirupi; tum *media ſpiſſa*, extracta, confectiones, electuaria; & referenda ex alterâ claſſe huc quoque *ſalia*, ut ſal abſinthij, cardui benedicti, doſi tamen refractâ magis, item *gummoſa*, gummi ammoniacũ, manna &c.

Secundi generis ſunt pulveres, ſpecies, & magiſteria miſceri quidem apta nata. Et hæc quidem omnia ſcopo obtinendo inſerviunt, ſeu virtuti. Gratiæ verò pro complemento quaſi debentur magis, quæ ſapori arrident, duo: *acidula* & *dulcia*. Notandum verò eſt de utriſque, minori eadem recipienda eſſe quantitate, inprimis acida, quin dulcia ſæpè conſultiùs omitti planè poſſunt, quia bilem & fermentationem humorum augent, & ventriculum debilitant, ſanguinem luculentum reddunt, obſtructiones augent, verbo, intentioni ſunt contraria, undè potiſſimùm in febribus, cholerâ, dyſentiâ, hypochondriacis & ſimilibus humoribus acidis & bilioſis abundantibus, quin & infantibus ipſis, & epilepticis conſultiùs omittuntur, quòd plus damni quam commodi exhibeant, & dum palato arrident, corpori hinc & fini magis noceant.

Hinc communiter quidem ad ℥iv. aquarum, ſeu pro unâ doſi, ℥ß. vel j. ſiruporum addere conſueverunt, quod implicitè efferunt ſæpè, quantum ſufficit, parum, facilè tamen excedente magis quàm deficiente pharmacopœo, id quod ipſum tamen liberum eſt medico; unde hactenus in febribus malignis ferè ſine ullo ſirupo mixturam abſolvimus.

Cùm verò de *julepis* dixerimus, eoſdem maximè cum potionibus convenire, latiùs quippe patere, nec ferè niſi nomine differre, in ſpecie de *formali* quoque horum pauca addemus. Uſus ſiquidem obtinuit, ut julepi ſe commendent magis, & propriè ac κατ' ἐξοχὴν hinc dicantur potiones, quæ.

1. *Gratiam habent majorem, colore*, v.g. rubello, *odore*, ſuavi & reficiente, & *ſapore*, dulci, vel ex dulci acidulo.

2. *Confortandi magis fine in uſum vocantur*, unde julepi cordiales, reficientes, ſitim ſedantes, ſunt frequentiſſimi, in quibus tamen, quod jam monuimus, magis ad virtutem intrinſecam medicamentorum, quam extrinſecam, ſacchari, & dulcium, quæ confortare ferè ſola vulgus, & unicè, putat, reſpiciamus.

3. *Magis limpidæ, quàm ſpiſſa, craſſa, electuariorum vel pulverum acceſſione commiſcendæ & turbandæ*, unde facilè patet, minùs hæcce in julepoium compoſitione locum obtinere.

Hinc tales poſſunt his cum cautelis ex jam dictis commodè parari, neque enim ulla eſt præparandi alia diverſitas, tum decoctis, tum aquis; tangemus tamen quoſdam etiam gratos & uſitatos modos, ſic v. g. fiunt julepi ex aquis deſtillatis, tincturis acidulis diffuſis, roſarum, violarum, quatuor cordialium, ſuccis acidulis, citri, &c. & ſirupis ſaccharove.

Sic ex aquarum propriarum vel aliarum, & conſervarum mixturâ, factâ colaturâ, & additione, inprimis tincturæ propriæ etiam conſurgunt.

Sic ſunt, qui ſirupos acidulos, berberum, ribium, citri, coralliorum, præſcribunt, ut hinc cum menſurâ unâ vel alterâ aquæ ſimplicis vel deſtillatæ, (ſcilicet ad p. iv. aquæ ſirupi p.j. recipiendo,) tranſvaſando miſceantur, & in uſum cedant.

Sequuntur jam methodo ſolitâ quædam horum EXEMPLA.

Potio epileptica.

♃. *Aq. epil. Lang.* ℥ii. *fl. til. prim. ver. beton.* ℥i. *pulv. epil. Lang.* ʒi. *elix. cephal.* ℈ii. ♁ ⊖li *ſtriat.* gtt. viii. *ſacchar. perl.* parum. M.

Potio cordialis in febribus.

℞. *Aq. ſcorzon.* ℥ii. *cord. Herb ſax. fr. bez. Rul. acac. endiv. ſamb.* ā. ℥i. *tinctur fl.* 4. *cord.* ℥ß. *conf. de hyac.* ʒi. *pulv. bezoard.* ā. ʒi. *M. S.* ʒi. *elect. diaſc. Frac.* ℈i. *bez. min. g.* xv. *ſir. de ſcorz.* par M.

Julepus ex decocto.

℞. *rad. acetoſ. ſcorz* ā ℥ß. *fol. acetoſ. acetoſell. endiv. fl. roſar. rubr.* ā. *m.* ß *ceras. exſicc. ſ. nucl.* ā. ʒvj. *hord. mundi* p ii. *C.C. raſp.* ℥i. *ſand rubri* ʒiii. *pom. citr.* n. i. *canell.* ʒi. coq. in ſ. q. ▽, colat. ℔iß. acidul. *clyſſ.* ℥ii. ♀*ata*, adde *ſirupi corall.* q. ſ. M.

Potio antipleuritica.

℞. *Aq. card. ben. mar. lact. cerefol.* ā. ℥ii. *ſcorzon.* ℥i. ♁✳︎*ci* ℈ß. ♁ *diaphor.* ℈j. *laud. op. g.* ß. M.

Aſthmatica.

℞. *Aq. hyſſop. ſcabioſ. farfar. veron.* ā. ℥j. *Aſthmat. Rud.* ℥iß. *elix pect.* ʒi. *oxym. ſquill.* ℥j. M.

Tales potiunculæ frequentiſſimè occurrunt apud *Sylvium*, quem ſequentes etiam ferè talibus unicè gaudent, ex aquis varii generis, inprimis miſcendo ♁ ⊖is ✳︎ci, laud. op. & ol. caryoph. quæ ferè in omnibus reperire licet; verbo, ſi materia medica in promtu ſit, facile eſt, quæcunque ſub hoc ſive velo, ſive vehiculo aptare in uſum.

Ratione UTENDI MODI, omnibus quaſi ex æquo poſſũt propinari potiones, indefinitâ tamen doſi magis infantibus, quàm definitâ; quod enim hanc concernit, dan-

dantur potiones vel quantitate continuâ, vel diſcretâ, de quo id notandum.

1. *Quæcunque definitum edere debent effectum, illa magis ἀθρόως, ſimul ac ſemel ſumuntur*, uti potiones purgantes, emeticæ, adſtrictoriæ, diaphoreticæ, antifebriles, unâ vice; alterantes, poculo.

2. *In debilibus, ubi ſucceſſivè alterandum, ad confortandum, & aliàs diſcreta, major tamen vel minor, locum habet quantitas.* Notabile eſt, *Sylvium* omnes ferè potiones alterantes cochleari ſolere præſcribere, quod & ipſius aſſeclæ imitantur. Locum id habet in dictis caſibus, non tamen univerſaliter in omnibus, ſiquidem & morâ eget ventriculus ad applicandum ſibi medicamentum, & ipſi ægri non æquè in hoc obſecundant.

3. *Ubi intimius humectandum, repetere commodè licet potiones*, non ſolùm in genere, ſed in ſpecie quoque, ubi ſopor inducendus, & ſuaviter ligandum cerebrum. Sic potiones, vel emulſiones quoque hypnoticæ ita commodè dividuntur, ut pars ſub lecti ingreſſum, pars ſub mediâ nocte, non conſequente effectu, ſumatur.

4. *Nunquam tamen nimis in doſi excedendum, ne lædatur ventriculus*, quin inprimis in potionibus non tam moles ingredientium ſpectanda eſt, quàm virtus; hinc, quæ cochleatim ſumuntur, non ulteriori egent cautelâ, ſed quę poculo, non debent facilè excedere ℥iii. quantum ſcilicet commodè hauriri unâ vice poteſt, id quod tamen intelligendum eſt pręter additamenta. Notandum & id circa uſum & doſin, non diu durare potiones, adeoque non eſſe præſcribendas nimis largo præbio.

Commodæ aliàs & in hoc ſunt potiones, quod & ipſæ non egeant vehiculo, ſed hoc ſecum gerant, & ex tempore in uſum cedere poſſint, & conſtituant commoda vehicula aliorum, modò ante aſſumtionem leniter conquaſſentur, unde ſolet addi, S. *vorm Branch wohl umzurutteln.*

Quoad Assumendi Modum, nihil ferè peculiare ulteriùs occurrit, præterquam, quod de calidis actu, vel frigidis agitari ſolet. Præſtat ſanè, purgantes potiones calidas aſſumi, ut faciliùs actuentur; aſt, cùm quidam nimis nauſeent, in delicatis & nauſeabundis quandoque indulgendum eſt potius, ut frigidas eas recipiant, id quod aliàs in genere de alterantibus etiam valet. Neque enim tanta eſt potûs calidi habenda ratio, ut illum quoque ad medicinalem trahere velimus, quippe alia eſt individuorum, regionum, climatum, & conſuetudinis ratio. Memoratu dignum eſt, quod mos ille quorundam, ſive hypotheſis, potum non niſi calidum, tum alimentarem, tum longè magis medicum eſſe hauriendum, tracta videatur à Sinis, qui omnia calidè bibunt, quod ad valetudinem rentur maximè proficuum. Sinæ, *ait Trigaut. de regn. Sinenſ. l.* 1. *c.*7. ſemper potu ferventi utuntur, quod ſtomacho non parum prodeſſe videtur, unde & longæviores putat; imò hinc quoque evenire arbitratur, quod Sinarum nemo calculari morbo laboret, qui noſtros Europæos ſæpè torquet, ex eo, quod perpetuò frigidam potent; id quod tamen, ſi fides habenda autori, longè aliis adſcribi poteſt cauſis, quæ hujus non ſunt loci.

Reliqua in his regulantur ab ingredientium ipſorum modulo.

Denique quoad Usum potionum, obſervandum eſt:

1. *Potiones non ad purgandum ſolùm adhibentur.* Utut enim purgantia hâc formâ egregiè dentur, & ſatis conſultò, nihilominus tamen per hodiernam experientiam eas ad ſolam purgationem reſtringere γελοῖον eſt: ex quo facilè patet, quantum in hoc ſit tribuendum *Morello* & aliis veteris ſcholæ ſectatoribus qui tam ſtrictis cancellis eaſdem includunt, parum chimiæ gnari.

2. *Potiones minus imbibendi, præcipitandi, adſtringendique fine adhibendæ*, oppoſitas in hoc vires nactæ pulveribus, de quibus in ſequentibus dicendi erit occaſio. Hinc in vomitu inprimis minùs uſitatæ ſunt potiones, præterquam aromaticæ confortantes. Sed cum vi oppoſitorum hæc faciliùs poſſint judicari, breviores hoc loco de iiſdem erimus.

Contra ea verò potiones

1. *Refrigerandi fine frequentiſſimè in uſum cedunt.* Quid enim, quæſo, magis in febrium æſtu ſolando proficuum & uſitatum eſt, quàm potiones? quæ quidem ex aquâ endiviæ, acetoſæ, lactucæ, acaciæ, &c. non omiſſis acidulis, commodiſſimè præſcribuntur.

2. *Diluunt, humectant, temperant.* Diluunt inprimis bilem, & acrimoniam humorum, eandemque conſequenter refrenant, humoribus præparandis, quin & purgandis, inprimis in ſiccioribus & melancholicis, ſunt aptiſſimæ; humectant ſitientia viſcera, & ſitim præſentaneâ ope ſedant, ariduram lymphæ reſtituunt, defectum ſeri corrigunt, unde in melancholiâ, phthiſi, obſtructionibus, potiones ſunt laudatiſſimæ. Temperando quin etiam ipſos alvi fluxus, diarrhœam, dyſenteriam moderantur, & mitigant.

3. *Confortant & penetrant*; in quo majorem ſanè prę ſolidis omnibus nactæ ſunt prærogativam, penetrant magis his ipſis, & citiùs evaporando ac in ſuccum & ſanguinem quaſi abeundo ſuppetias quoque celeriores ferunt. Hinc ad cor reficiendum, in lipothymiis, ſyncope, virium debilitate, quid, quæſo, frequentius potionibus? Hinc julepi vel ex hoc ſolo capite celebres ſunt redditi, ipſo communi quaſi conſenſu medicorum & vulgi, quòd confortent, in debilitate virium, & ubi alia, ordinariâ quidem methodo proficua, minus locum habent.

Tacemus alios tùm univerſales uſus & generales, tùm particulares, quos ab ingredientibus variis varios dari, in confeſſo eſt. *Wedelius.*

De Potionibus ex HOFMANNO *&* SCHRODERO.

Potiones hoc loco ſunt liquores, in quibus alia Medicamenta craſſiora, ut v.g. electuaria, extracta ſyrupi, pulveres & ſimilia cum aquâ d. vel infuſo aut decocto diluta ſunt, & in primis purgantia. Ubi notandum, in ejuſmodi potionibus fugiendam eſſe plurium ingredientium nauſeabundam mixtionem, quæ inutilis ſæpe, inepta & periculoſa eſt. Contrà autem uti debemus potionum ſuavium formulis, quales *Domini Schroderi* non ſunt; quibus barbæ ægrotantium propè inviſcari poſſunt.

Sequens potio *D. Managettæ Imperatoris Ferdinandi III. Medici Cubicularii* ſit inſtar omnium. ℞. Mann. el. ℥iv. fol. ſenn. ſ. ſ. A. ℥j. radic. polypod. q. Paſſul. min. an. ʒiii. ſem. coriandr. ʒii. fœnicul. cinamom. an. ʒiß. cryſtall. Tartari pulveriſ. ʒi.

Inciſ. & contuſ. ſuperfunde aq. fontan. calid. ℥xvi ſtent per noctem, poſteà colatura cum expreſſione, quæ clarificetur, & denique per chartam emporeticam filtretur. Doſis ℥ii. ℥iii. ad ℥iv.

Manna liquida Imperatoris Ferdinandi III. ejuſdem D. Managettæ.

℞. Mann. el. ℥ii. vel ℥iii. cremor. Tartari ʒi. vel ʒiß. ſolve in calore MB. benè muniti cum Aq. fontanâ acidulâ ℥iv. vel ℥v. adde parum ſucci citri rec. vel alicu us Spiritus mineralis pro grato hauſtu. Tandem cum albumine ovi clarifica & per chartam filtra, denique cum corticibus citri recentibus fiat odor ſuavis aut cum Eſſ. cinamomi. Doſis à ℥iii. ad ℥iv. vel ℥v.

Potio Sudorifera.

℞. Aq Theriacal. ℥ß. Card. b. ℥i. Tinctur. bezoardic. cum Eſſ. theriac. ſpirit. Tartari & Vitrioli parat. ʒß. M. f. potio pro unâ doſi. vel ℞. Aq. juniperi ℥i. Extract. juniperi ℈i. cum ol. d. ejus gutt. iii. probè ſuba-

ſubacti. Sal. Tartari volatil. ℈ß. Roob juniperi ʒii. M. pro unâ doſi.

Potio Vulneraria.

℞. Radic. conſolid. major. ℥i. ʒii. h. cherefol. millefol. Sanicul. ana M. j. Ocul. Canc. ℥ß. caricar. ping. dactyl. ana n. v.

Medioctiter inciſis & pulveriſat. affunde vini albi opt. ℔. III. vel IV. bulliant in diplomate, ebullitione factâ vitrum obtura, pone in locum calidum per 3. ☍, poſtea exprime & filtra. Doſis ℥III. ad IV. in hœmoptoë, & incipiente phthiſi. *Hofmannus.*

Potulentorum genera in Praxi uſitatiora diximus eſſe Apozemata ſeu Decocta, aquas, Emulſiones, Infuſiones, Potioneſque alias. De prioribus alias dictum, de poſteriori hic loci agendum.

Eſt Potio, de qua hic agimus, liquor, in quo alia Medicamenta craſſiora diluta ſunt, & præcipuè purgantia: Quin & ſolæ infuſiones nonnunquam ſufficiunt.

Modus ergò parandi, ſola ferè mixtio eſt, quam, ſi res diluenda ſeu diſſolvenda, viſcoſa, & tenax fuerit, in mortario abſolvere convenit.

Liquor adhiberi poteſt varius, uſitatiùs tamen recipiuntur Decoctiones, Infuſiones & maximè Aquæ deſtillatæ.

Res diſſolvendæ ſunt Syrupi, Electuaria, Extracta, Manna, pulveres, & ſimilia.

Exemplo ſint

1. Potio purgans.

℞. *Extr. fol. ſen.* ʒß. *rhabarb.* ℈ß. *cnicopharm.* ʒß. *Syr. diaſer.* ℥ß. *roſar. ſolut.* ʒv. *aq. cinã.* ʒj. *m. f. potio pro una vice.*
Vires. *Educit humores bilioſos & pituitoſos.*

2. Alia.

℞. *Fol. ſen.* ʒiiß. *epithy.* ʒii. *rhabarb. el.* ʒiſ. *ſpic. celt.* ℈j. Infundantur in decoctione pectorali, q. ſ. per noctẽ. *In colatura diſſolve Syrup. roſat. ſol.* ℥is. *confect. hamech.* ℥ß. *f. potio. Purgat humorem melancholicum.*

3. Potio ſudorifera.

℞. *Diaſcord. Fracaſtor.* ℈III. *aq. ſal. nit. ſulph.* ʒij. *mell. gran. juniper.* ℈j. *extr. card. bened.* ℈ß. *aq. card. bened.* ʒij. *m. f. Potus.*
Vires. *Sudorem movet, viriumque inſignium eſt in febribus malignis.*

4. Alia ſudorifera.

℞. *Liquor. lumbric.* ʒIII. *theriac. Andromach.* ʒj. *ſpir. tart.* ℈j. *aq. cinam.* ʒj. *mixtur. ſimpl.* ℈j. *aq. veronic.* ℥iß. *m. f. potus.*
Vires. *Admirandarum virium eſt in arthritide vaga, ſi ſemel ac iterum repetatur.*

F. Potio Vulneraria.

℞. *Herb. ſanicul. veronic. pyrol. an. m ij. conſol. ſarac. trichoman. an. m j. flor. borrag. bulliant in ſ. q. aq. hord. ſ. a. bugloſſ. an. p. j. ſem. aniſ. fœnic. an.* ʒij. *cinam.* ʒIII. *jujub. n.* VI. *dactyl. n.* III.
Vires. *Convenit in vulneribus præcipue pectoris; ubi & expectoratio neceſſaria eſt. Sumantur de die* ℥II. *cum* ℈II. *oculi cancri. Glandorp.*
N. *Plures vide apud Quercetan. & alios.*

6. Alia potio Vulneraria.

℞. *Herb. vinc. pervinc. millefol. betonic. ichi mill. an. m.* I. *rad. zedoar.* ʒII. *vincetoxic.* ℥j. *nuc. vomic.* ʒII. *macis* ʒß. *nuciſt.* ʒj. *galang* ʒII.
Coq. in aq. & vini ana menſ. ſ. ad caſum digitor. 2. tranſverſorum. Colaturæ exhibeantur ℥IV. mane ac totidem poſt meridiem. *Schroderus.*

Potiones è Pharmacop. BATEANA.

Potio Alba.

℞. *Terebinth.* ℥ß. *olei ſtill. nuc. m. g. j. vin. alb.* ℥IV. *viſell. ovi unius, ſyr. de alth.* ℥j. *m. f. a. f. hauſtus.* Purgat ſat bene ἄνω καὶ κάτω ad Gonorrhæam.

Potio Febrifuga.

℞. ⊖ *abſ.* ℈II. *ſp.* 🜍. ℈j. ▽ *cichor.* ℥IV. *m.* bibatur ante parox. ſuperſudando.

Potio Hydropica.

℞. *V. alb. generoſ.* ℥IV. *ſyr. de ſpin. cerv.* ʒij. *ſal. prunel.* ʒj. *m. f. potio.* Mayhern.

Potio Pleuritica.

℞. *Succ. è* 🜍*re animali expreſ. v. alb. ã.* ℥ij *ſyr. rhœad.* ʒj. ℥*oliban.* ʒs. °° *ſt. nuc. gt. iij. m. f. potio,* ſumenda ter vel quater in die poſt phleb.

Potiones ex Iôh. MICHÆLIS.

Potiones Purgantes cum Pulveribus.

℞. *Decoct. fumar. cum ſerô lactis* ℥ij. *ſyr. de fumar. compoſ.* ʒVI. *pulv. diaſenna montagn. vel ſenn.* ʒj. ▽ *cinamom.* ʒj. *elæoſacch. cinamom gr. v. m.*
S. *Purgier und bultreinigender Tranck. auf einmal*

In Affectibus Melancholicis & ſcorbuticis.

℞. *Pulv. panchym. Querc.* ʒj. *decoct. com.* ℥ij. *ſyr. de pantagog Horſtii* ʒß.
S. *Purgiertranck umzurütteln auf einmal.*

In Affectibus à ſeroſis humoribus præcipuè valet.

℞. *Pulv. cathol. purg.* ℈j. *ſyr. vel julep. roſ.* ʒij. ▽ *ap. propr. q. ſ.*
S. *Purgiertranck auf einmal.*
℞. *Pulv. cathol. purg.* ℈j. *eſſent. ophthalm.* ʒß. *ſir. de beton. q. ſ.*
S. *Purgierend Augenſäfftlein auf einmal.*
Si humores pelluntur ad oculos hoc confert.
℞. *Pulv. cathol. purg.* ℈j. *eſſent. arth.* ʒj *ſyr. de beton. q. ſ.*
S. *Purgierſäfft lein auf ein mal* in arthritide.
℞. *Pulv. cathol. purg.* ℈j. *eſſ. contra arthritid. vagam.* ʒj. *ſyr. ſcelotyrb. foreſti q. ſ.*
S. *Purgierſäfftlein auf einmal.*

Mirificè prodeſt in arthritide vaga ad eductionem humoris.

℞. *Pulvis arthet. Paracelſ. vel Ang. Sala* ℈ß. *vel* ʒj. *eſſent chamæd. chamæp. ana* ʒß. *ſyrup. de beton. q. ſ.*
S. *Sonderlicher. Purgierſafft. auf einmal.*
℞. *Pulv. cholalog. Querc.* ℈ij. *vel* ʒj. *ſyr. de cich. cum rhab.* ℥ß. ▽ *cich. q. ſ.*
Pro potiunculâ.
S. *Purgierſäfftlein auf einmal.*

In Affectibus hepatis bilioſis, & febre tertianâ &c.

℞. *Scammon. roſat. vel cholag. inſuccat. Ang. gr. x. vel xij. julepi roſacei* ℥ß. *hepat. rubr. gr. vj.*
M. S. ut ſuprà.

℞. *Pulv. melanagog. Quercet. ſyr. de pom. lax.* ʒß. *Aqua cinam. borrag. q. ſ. pro aliquâ dilutione.*
S. *Purgierſäfftlein auf einmal.*

In

In Affectibus Melancholicis & ſcorbuticis.

℞. Pulv. ſpecif. phlegmag. Ang. Sala, vel Quercet. ℈ij *vel* ʒj. *ſyr. phlegmag.* ℥ij. ▽ *appropr. parti affectæ q. ſ.* Pro potione.

S. *Purgiertranck.*

In affectibus phlegmaticis ac pituitoſis.

℞. Spec. diajalap. ʒß. *vel* ℈ij. *ſyr. flor. Perſic.* ℥iij. ▽ *flor. acaciæ q. ſ.*

S. *Purgiertrancklein auf einmal.*

In Affectibus ſeroſis convenit, pituitam, bilem, flatus ac reliquas ſeroſitas per inferiora ſine moleſtiâ educit.

℞. Spec. diajal. Mynſ. ʒß. *ad* ℥i. M. *cum* ▽ *& ſyr.*

Fiunt ita:

℞. Rad. jalappæ optim. vel reſinos. ℥iiß. *acid.* ♀ ℈xi. *☉ cinam.* ℈i. M. F. Pulvis. Doſ. à ʒß. ad ʒj. *vid. Mynſ. pag.* 125. Eſt elegantiſſimum, ait ipſe, purgans melancholicum, quod unuſquiſque maximè habeat commendatum. Præcipuè confert in ſerô educendô.

Potiones cum Eſſentijs.

℞. Eſſent. cathol. purg. ʒß. *l.* ʒi. *ſyr. roſ.* ℥ij. M. S. *Purgierſafft auf einmal,* in affectibus ſeroſis.

℞. Eſſent. elaterij ℈ij. *cathol.* ℈i. *vel* ʒß. *ſyr. de canella roſarum ana q. ſ.* M. F. Potio.

S. *Purgierſafft auf einmal vvol umzurutteln.*

Conducit quoque in affectibus melancholicis ac pituitoſis.

Sic quoque multæ aliæ Potiones cum eſſentiis fieri poſſunt proque diverſitate humorum peccantium variari.

℞. Eſſent. jalap. fol. ſennæ ana ℈iß. *ſyr. diaſereos cich. cum rhab. ana* ℥ß. *extract. diacitri* ℈ij. ʒij. *aq. agrimon.* ℥i. *cinamomi* ʒi. M. F. Potio.

℞. Syr. de cich. cum rhab. ʒvi. *roſ. ſolut.* ℥ß. *ſang. rhab.* ʒi. *reſ. jalappæ gr. i. crem.* ♀ *gr. v. aq. jaceæ* ℥i. *cinamomi cochl. i. M.*

Potiones cum Extractis.

℞. Extract. Rhabarb. gr. xii. ſcammon. roſ. gr. v. vel vi. Diſſolv. in ſ. q. ▽ *cichor. vel alia quadam appropriatâ, adde ſyr. de cich. cum rhab. q. ſ.* M. F. Potio.

S. *Purgierend Trancklein vvohl umzurutteln auf 1mal.*

Uſurpatur in affectibus bilioſis hepaticis.

℞. Extract. cholagog. ℈i. *ſcammon. roſ. gr. vi. diſſolv. in ſ. q.* ▽ *epat.* Adde *ſyr. de cich. cum rhab.*

S. *Gall-ausfuhrendes Trancklein.*

Poſſunt quoque addi Syr. de epat. nob. it. Species diatrion ſantalon aliaque.

℞. Scammon. roſ. gr. xi. ſacch. albi vel etiam man. chriſti perlat. ʒii. *ſucc. citri rec. expr. q. ſ.*

S. *Purgiertrancklein auf 1 mal.*

Poſſunt quoque addi gr. iv. vel v. elæoſacch. citri: Præparationem ejus vid. apud. *Myns. p.* 40.

℞. Extr. fol. ſennæ ℈i. *elleb. nigri gr. viii. ſcammon. roſ. gr. iv. c. ſ. ſeri lactis deſt. & ſyr. de pom.* F. Potio.

S. *Purgiertranck auf einmal* in affectibus melancholicis.

℞. Extract. melanagog. ℈i. *ad* ℈ii. *Diſſolv. in ſ. q.* ▽ *cinam. borrag. & ſyr. de pom.* F. l. a. Potio *cui addi poſſunt gr. ii. vel iii.* ☿ *per inf. purg.*

Prodeſt in Maniâ, febre quartana &c.

℞. Extr. diacarth. ℈ii. ʒi. *diſſolv. in* ▽ *cephal. ad intra & ſyr. de betonicâ q. ſ.* S. ut ſuprâ.

Eſt phlegmagogum & cephalicum.

In *affectibus thoracis* ſeu pectoralibus ortum à phlegmate trahentibus diſſolvi poteſt hoc electuarium in ▽ aſthmat. Imper. Rudolphi & addi Syrupus de jujubis vel alius appropriatus.

℞. Extract. diacarthami ʒß. *agarici gr. vi. diſſolv. in* ▽ *appropriatâ & ſyrup. pro Potiunculâ phlegmagogâ q. ſ.*

S. *Tranck auf einmal.*

℞. Extr. eſulæ gr. viii. reſin. jalappæ gr. vi. c. ſ. q. ▽ *flor. acaciæ & ſyr. flor. Perſic.* Fl. l. a. Potio.

S. *Purgiertranck.* Conducit in affectibus ſeroſis.

℞. Extr. eſulæ ℈ß. *elat. gr. vi. mag. gummi de Peru gr. iv. cum ſyr flor. Perſic. &* ▽ *appropr.* F. l. a. Potio.

S. *Waſſerfuhrend Trancklein auf einmal.*

Similiter prodeſt in affectibus ſeroſis.

℞. Reſin. jalappæ ſcammon. △ *ana gr. vi. magiſt. gummi gotte gr. iv. cum ſ. q. ſyr. de acacia* F. l. a. Potiuncula.

S. *Purgirender Tranck auf einmal.*

Poteſt quoque miſceri cum ſaccharô & addi ſuccus citri recenter expreſſus.

℞ Syr. de cich. cum rahab. roſ. ſolut. ana ʒvi. *aq. veron. naſturtii ana* ʒß. *agrimon.* ℥vi. *extract. diacitri* ℈iv. ♒ *cochl.* ℈ß. ▽ *cinamom.* ʒi. *M.*

Potiones cum Electuariis.

℞. Catharct. reg. Myns. ʒi. ℈iv. *diſſolv. cum ſ. q.* ▽ *& julepi roſati,* F. Potiuncula.

D. S. *Lieblich Lariertrancklein auf einmal.*

Vid. catharct. Reg. apud Myns. pag. 288. Convenit in affectibus bilioſis, caliditate hepatis aliarumque partium, ut & febribus.

℞. Catharct. roſ. Myns. ℥ii. *diſſolve in ſ. q.* ▽ *cichor. & ſyr. conſerv. rad. cichor. vel roſ. ſolut. M.*

S. *Lieblich Purgiertrancklein ruf 1mal.*

Prodeſt ſimiliter in affectibus hepatis bilioſis & præprimis in febre tertianâ, ſi cum ▽ taraxaci diſſolvatur.

℞. Catharct. Cæſar. Myns. ʒi. *diſſolve in ſ. q.* ▽ *appropr. vel ſyrup. in affectibus capitis frigidis uſitatis, ut* ▽ *carmin. Dorncrellii & ſyr. de cort. citri, vel* ▽ *cephal. ad intra & ſyr. de betonicâ. In affectibus pectoris cum* ▽ *appropr. vel* ▽ *aſthmat. & ſyr. pector. q. ſ.*

S. *Purgierſafftlein.*

℞ Catharctic. violat. Myns. ʒii. *diſſolv. in* ▽ *chamædr. vel artic. ad extra & ſyr. de betonicâ.*

S. *Purgiertranck.*

In arthritide dolore iſchiadicô & omnibus affectibus nervorum.

℞. Catharct. caryoph. ʒi. *ad* ʒiß. *diſſolv. in ſ. q.* ▽ *appropriat. in affectibus frigidis capitis, pectoris, aſthmate, affectibus articulorum, colica &c.*

Potiones quædam Purgantes veteribus uſitatæ.

Has potiones præſcripſerunt vel cum vel ſine colaturâ:

℞. Decoct. aperit. q. ſ. In quo diſſol. elect. diacathol. ℥i.

S. *Purgiertranck.*

℞. Conf. Hamech. ℥ß. *diſſolv. in ſ. q.* ▽ *fumariæ, adde ſyr. de fum. compoſ. unc. i. aqua cinam, borrag.* ʒii.

S. *Purgiertranck auf einmal.* In Scorbuto.

℞. De-

℞. *Decoct. pectoral. q. ſ. diſſolv. in eô elect. diacartham. unc. ß. ſyrup. diaſereos Andernaci unc. 1. ~ aniſi ʒ1.*

S. *Purgiertranck auf enimal.*

Pectoralis eſt hæc potio, ad aſthma & alios affectus conducibilis.

♃. *Decoct. pectoral. q. ſ. diſſolve in eô elect. diaphœnic. unc. 1. cola & colaturæ adde ſyr. viol. ſlout. ʒx. ▽ aſthmat. ʒ1.*

S. *Bruſttranck auf einmal.*

℞. *Aqua taraxaci, cichorei ana unc. ß. diſſolv. in illis electuarium de ſucco roſ. ℥vi. coletur. colaturæ adde ſyr. roſ. ſolut. unc. 1. ~ roſ. gut. v.*

M. D. S. *Purgiertrancklein auf einmal.*

In affectibus bilioſis, etiam in febribus.

♃. *Decoct. aperit. unc. iiß. diſſolv. in eô Elect. linitiv. unc. i. cola, colaturæ adde ſyr. roſ. ſolut. unc. ß. ~ roſ. gutt. v. ſyr. de pomis laxat. ℥vi. ▽ cinamom.* ʒj M. F. Hauſtus. S. ut ſuprà.

℞. *Fol. ſennæ ſine ſtip. elect.* ʒiii. *macis* ʒ1. *paſſul. min. unc.* 1ß. *Infund. in ſ. q. vini, manè ebulliant, colaturæ adde mannæ electæ unc.* 1ß. ▽ *cinnamomi parùm.* M. F. Potio.

♃. *Infuſi laxat vi unc.* iii. *mannæ electæ unc.* 1 ß. *chryſtall* ♀ʒ1. M. F. Hauſtus.

♃. *Rhab. elect.* ʒii. *raſ. CC. ex apice* ʒ1. *rad. pæon. zedoar. galang. ana* ʒß. *ſem. fœnic.* ʒ1. *antophyll cinamom. macis ana* ʒß. *croci integri* ℈1. *incid. ad Nodulum in ſynd. altô.*

S. *Kindbetter - Sacklein in Wein.*

♃. *Elect. cathol.* ʒ v. *diaprun. laxat.* ʒiii. *ſyr. roſ. ſolut. ſimpl. unc.* 1. *Aqua flor. acaciæ q. ſ.* F. Potio.

S. *Purgiertranck.*

♃. *Mannæ liquidæ unc. ſcrupul. eſſent. cort. citri drag.* 1.

S. *Laxier - Waſſerlin.*

Julepi cum Decoctis Præparati.

♃ *Decoct. hordei cum CC. libram* 1. *ſyrup. rubi id. unc.* iii. ~ *Vitrioli vel aceti rub. id. q. ſ. pro gratô acore.*

M. D. S. *Starck - Julep auf einmal.*

Prodeſt in febribus malignis, præſervat & roborat.

♃. *Decoct. hordei CC. & rad. ſcorzon.* ℔ 1ß. *ſyrup. rub. id. acetoſellæ. ſucci citri ana unc.* 1. ~ ⊕ *philoſ. q. ſ.* Pro gratô acore, M. F. Potio.

S. *Kuhl-und Starck-Julep* in febribus ardentibus malignis.

♃. *Aqua endiv. lactuc. ana unc.* iv. *decoct. alterant. unc. ſyr. de ſuccô ceraſor. nigr. unc.* 1. ~ ⊕ ♂ *q. ſ.*

S. Alterativ - Julep. In affectibus hepatis bilioſis.

♃. *Aqua flor. Nymph. lactucæ ſemperviv. ana unc.* ii. *melonum unc.* 1ß. *ſyr. de nymph. unc.* iii. *Tinct. violar. roſarum ana* ʒj.

S. *Kuhlend Starck - Julep.* Conducit in febre hectica.

♃. *Decoct. herb.* ℔ 1. *ſyr. de ſucco roſ. ceras. nigr. ana* ʒii. *berb. unc.* 1. *ſucci citri recenter expreſſi, vel* ~ ⊕ *q. ſ. pro grato acore.*

S. *Kuhl-und Starck-Julep.* Ubi alteratione opus eſt.

♃. *Decoct. hord. cum CC.* ℔ 1. *alter. uſit.* ℥iii. *ſyr. de ſucco citri* ℥ii. *tinct. viol. roſar. an.* ʒii.

M. S. *Kuhl-und Starck Julep.*

℞. *Decoct. hord. cum CC.* ℔ 1. *ſyrup. florum aquileg.* ℥iii. *tinct. flor. aquil.* ʒ ii. ~ ⊕ *Philoſ. ritè præp. q. ſ.* Pro grato acore.

S. *Julep auf. etlichmal.* In variolis & morbillis maximè prodeſt.

℞. *Decoct. alterant.* ℥vi. ▽ *endiv. cichor. roſar. ana* ℥iii. *ſyrup de ſucco citri berber. ana* ℥1. ~ ⊖ ♂ *q. ſ.* Pro gratô acore.

S. *Kuhl- und Leber- Julep auf. etlichmal.*

♃. *Decoct. hord. cum CC. lib.* 1ß. *in quô decoque rad. ſcorzon.* ℥ii. *col.* adde *ſyr. de ſuccô ribium, berberum, citri ana* ℥1. ~ ⊕ *q. ſ.*

S. *Kuhl-und Starck-Julep.*

In febribus malignis, quibus maximè medetur radix Scorzoneræ ſecundum Recentiores.

℞. *Hord. mundi man. j. Paſſul. min.* ℥ii. *coq. in ſ. q.* ▽ *ad crepaturam hordei, in colaturam calidam infunde flor. roſarum tunicâ borrag. bugloſſæ ana p.* ii. ~ ⊕ ℈j. Poſteà filtr. S. ut Suprà.

♃. *Decoct. alterant.* ℥vi. ▽ *cichor. endiv. tarax. lactucæ ana* ℥ii. *ſyr. de ſuccô frag. ribium ana* ℥1.

S. *Kuhl-und Starck-Julep.*

℞. *Aq. Cichor. roſarum ana* ℥iii. *julep. roſ.* ℥j. *tinctur. bell d. roſ. viol. ana* ℈j.

S. *Alterir-Julep.*

♃. *Decoct. CC. vel potius priapi C. menſuram ß. ſyr. cyd. Ferdinandi ſine ſacch.* ℥ii. *conf. alkerm. compl.* ʒß.

S. *Julep in* Dyſenteriâ.

Julepi cum Infuſione.

♃. *Flor. pap. rhœad. mi. affunde* ▽ *card. mariæ bened. flor. acaciæ ana* ℥iv. ~ ⊕ ⦶ *ana* ℈.

Spiritus ſenſim ac ſenſim inſtillentur, ſtent in infuſione per noctem, vel aliquot ſaltem horas, coletur, dein filtretur & edulcoretur, additô Syr. pap. rhœad.

S. *Julep gegen das Steitenſtechen.*

Mirè conducit in Pleuritide & aliis laterum affectibus.

♃. *Flor. roſ. miß. borrag. bugloſſæ tunicæ ana p. ij. infunde in ſ. q. decoct. hordei cum CC. aciduletur cum* ~ ⊕ *phil. ſtent. in infus. poſteà colentur, edulcora cum ſaccharô vel ſyrupis appropriatis : conducit in febribus malignis, imò in ipſâ peſte.*

♃. ▽ *ſcab. card. bened. ana* ℥ii. *ſyr. flor. aquileg.* ℥1. *de citrô comp.* ʒiii. *tinct flor. aquileg.* ℈ii.

S. *Starckend und. Treib-Julep.*

Convenit in variolis & morbillis; ſi adeſt metus epilepſiæ, poſſunt addi Syrupus & Tinct. florum Pœniæ.

♃ *Syr. viol. acetos. citri ana* ℥1. ▽ *flor. Sambuci cichorei ana* ℥iii. ~ ⊕ *gutt.* 40. *fontanæ limp. lib.* ii. F Julepus.

♃. *Julepi laxat.* ʒiv. ▽ *cinam.* ʒ1.

M. S. *Laxier-Julep.*

♃. *Julepi laxat.* ℥iv. *ſyr. roſ. ſolut.* ℥j.

S. *Laxiertrancklein.*

♃. *Tinct. roſar. ſyr. acetoſ. citri, rubi idæi ana* ℥j. *confect. alkerm. complet.* ʒj. ▽ *font. l ij* ~ ⊕ *g.* viii. *vel* ℈ß. M. F. Julepus.

♃. ▽ *flor. papav. errat. cardui mariæ an.* ℥iii. *ſyr. flor. pap. errat.* ℥ii.

S. *Trancklein offt davon zu trincken.*

Julepi cum Conſervis.

♃. *Conſerv. flor. tunicæ roſar. acetos. ana* ℥j. *Affunde ſ. q.* ▽ *hord. cum CC. vel aliis appropr. Diſſolve in marmoreô mortariô, vel indantur vitro benè clauſo ad unam vel alteram ebullitionem cola & filtra.*

S. *Hertzſtarckender Julep.*

Eſt cordialis in febribus aliiſque affectibus uſurpandus.

♃. *Conſerv. flor. pap. rhœad.* ℥ij. *contunde in mortariô marmoreô, affunde* ▽ *antipleuriticam card. mariæ ana* ℥iiß. Ebulliant, deindè in vitrô benè clauſô, cola,

la, colatura edulcoretur. *ſyr. flor. papav. ʒii. vel drach. iij.*

S. *Julep gegen das Seiten Stechen.* maximè conducibilis in pluritide.

℞. *Conſ. roſ. ℥iß. viol. ℥j. borrag. bugloſſæ rob. ribium ana ʒvi. diſſolve vel ebulliant in decoctô hordei vel appropriatis aquis, coletur. deinde, col. ♃. lib. ij.*

S. *Hertzſtarckender Julep.*

In confortatione cordis, aliorumque viſcerum.

♃. *Decoct. hord. ſimpl. lib. j. diſſolve in eo pulp. tamarind. q. ſ. ad gratum acorem & juſtam pelluciditatem.*

D. S. *Saverlich. Kuhl-Julep.*

In *affectibus* & *febribus bilioſis.* Poteſt etiam in Tertianâ pro potu ordinariò diſſolvi pulpa tamarindin. in ſerô lactis, refrigerat enim & alvum ſervat apertam.

℞. ▽ *Nymph. portulac. ana ℥iii. ſperm. ran. ℥iß. ſyr. de cor. Querc. ℥j. portul. ℥ß. ſacch. ♄ gr. vii.* M. D. In fictili.

S. *Julep gegen das groſſe Naſenbluten.*

♃. ▽ *plantag. portul. ſperm. ran. ana ℥iß. ſyrup. de portul. ℥j. ☽ tabul. ʒvi*

S. *Julep gegen das Naſenbluten.*

Elegantiſſimus Julepus pro Ditioribus poteſt præparari ex ▽ pulp. citri deſtill. ver. (non ex illa, quæ cum ∞ deſtillatur) cum ſyrupô vel ſuccô citri, ſi addatur quid de elæoſacchari citri, vel eſſentia ex totô citrô. Conducit mirabiliter in febribus malignis, ut & in Peſte. Suaviſſimi eſt ſaporis.

Potiones Variæ.

♃. ▽ *apoplectica ℥iß. ∽ lil. convall. ceras nigr. ana ℥ß.*

M. S. *Waſſer alle Stund ein Loffel voll.*

♃. *Oxymel. pector. ℥j. ∞ fœniculi gutt. iv. ∽ aniſi ℥ß. ▽ flor. acaciæ ℥j. M.*

♃. *Balſam. embryonis ▽ vit. mulierum ana ℥iß.*

S. *Waſſer.*

♃. *∞ amygd. dulc. rec. expr. ℥iß. ſyr. pap. errat. ℥j. ocul. ♋ præp. ʒj. ▽ ſcab. ℥ij. camph. gr. ij.*

M. D. S. *Trancklein auf einmal vvarm zu trincken.*

♃. *Fol. ſcabos. card. bened. verb. ana mß. fol. ſenn. ſine ſtip. ʒiij. rhabarb. ʒß. agar. troch. ʒj. ſem. fœn. ʒiß. ficuum dactylorum ana n. iij. coq. in ſ. q. ▽ card. bened ad ℥ij. in colaturâ diſſolve manna ℥j.*

S. *Trancklein auf einmal.*

♃. *Syr. pap. errat. ℥ij. de liquirit hyſſ. ana ℥j. ▽ ſcab. card. bened. vel Mar. ana ℥j.*

S. *Safft ſtundlich ein Loffel voll.*

♃. *Oxym. pector. ℥ß. ſyr. de hyſſop. ℥j. ▽ hyſſopi ʒij.*

M. S. *Bruſtſafft.*

♃. *Myv. cyos. arom. ℥j. ſyr. pap. ſimpl. ▽ plantag. ana ℥ij.*

M. S. *Magenſafft.*

♃. *Ciner. abſinth. vel artemis. m iij. ſummit. pini m ij. geniſtæ alth. ana mj. vin. generoſ. mens. iß.*

Fiat lixivium idque trajiciatur quinquies.

S. *Laugen taglich zu gebrauchen.*

Potiones aliæ.

♃. ▽ *cord. Herc. Sax. ʒiß. diaſcord. Fracaſtorii ʒj. confect. de hyacintho ℈j. ſyr. de citro comp. ℥ß.*

M. S. *Schvveiſztranck auf einmal.* In Peſte & febribus petechialibus conducit.

♃. ▽ *cord. Saxon. ℥iß. tinct. bezoard. ʒj. conf. de hyacinth. alkerm. ana ℈j. ſyr. de citro comp. ℥ß.*

D. S. *Hertzſtarckend Schvveiſztranck auf* 1 *mal.* Conducit in omnibus affectibus malignis, in Peſte & ejuſmodi aliis.

℞. ▽ *ſcordii ℥j. ſcorzon. galeg. ana ℥ß. CC. ſine ▽ ℈ij. ♁ diaphor. ℈j. ſyr. de ſucco ſcord. unc. ß.*

S. *Schvveiſztreibender Tranck vvol-umzurutteln.* Pro expulſione in Peſte & febribus malignis.

♃. ▽ *cord. Saxon. ℥iß. pulv. bezoard. Sennerti ʒß. vel ℈ij. bezoard. ☉ris gr. viij. ſyr. calend. ʒß.*

S. *Schvveiſztranck vvohl umzurutteln auf einmal.* Ad promovendum ſudorem in febribus malignis.

♃. ▽ *cord. Herc. Saxon. ℥j. ſcorzon. ℥ß. mag. CC. ſpin. viper. ana ℈ß. bez. ☉ris gr. viij. man. chriſti perlat. ʒij.*

S. *Krafftiger Hertz-und auſtreibender Tranck auf einmal,* pro ditioribus.

In Colica Secretum Cratonis.

℞. *∞ amygd. dulc. ℥iiß. vin. malvatici ℥ij ſpermat. ceti non rancidi ſed electi ʒß.* M. Ibidem.

℞. *∞ amygd. dulc. ʒj. cryſt. ♀ ℈j. ocul. ♋ ℈ß. vini ℥iiß.* F. Hauſtus tepidus, adde *∞ ſtillat. macis g. iv.*

M. S. *Tranckleim auf einmal.*

♃. *Corall. rubr. præp. margar. præp. ana ℈ß. bezoard. orient. gr. v. CC. phil. præp. an. ℈j. ſuccin. præp. ℈ß. ▽ fumar. ſcord. card. mar. ana ℥j. man. Chriſti perlat. ʒj.*

S. *Waſſer alle Stund ein Loffel voll zu nehmen.*

℞. *♁ diaphoret. ℈ß. ſyr. rub. idæi ℥ß. ▽ acetos ℥j.*

S. *Kuhlender Safft auf einmal.*

℞. *Vini malvat. ▽ cinnamom. ana ℥j. ∞ amygd. dulc. rec. expr. ℥j. ſyr. papav. ſimpl. ʒiij. ∞ anethi gutt. v.*

M. S. *Schmertzenſtillendes Trancklein.*

♃. ▽ *antepilept. Lang. apopl. Ejuſd. hirund. cum caſtor. ana ℥j. aſthmat. ℥ß. ſyr. acetos. citri ʒiij.*

S. *Schlagvvaſſer offt. ein Loffel voll.*

℞. ▽. *flor. aurant ℥ij. cham. comp. ℥iv. calaminth. ℥vi. ſacchari albi candiſati ℥j. eſſent. cort. citri ℈ij.*

M. S. *Waſſer vor die Schmertzen drey Loffel voll.*

♃. ▽ *fragorum, malvæ ana ℥viij. ∽ ⊖ ℈j. ſyr. fragor unc. j.*

M. S. *Waſſer.*

Potiones Confortantes poſt nimium ſudorem in Febribus Malignis.

♃. *Aquæ flor. borrag. bugloſſæ pulp. citri an. ℥ij. ſyr. flor. tunicæ ℥iß. conf. alkermes ʒj. mag. cord. ℈ß. ad ℈j.*

M. S. *Krafftig Hertzſtarckender Tranck auf etlichmal.*

♃. *Aquæ flor. borrag. bugloſſ. meliſſ. calendul. an. ℥ij. acetoſæ acetoſellæ ana ℥j. CC. ſine Igne, eboris ſine Igne, ana ʒj. ſyr. de ſucco citri ℥iß.*

M. S. *Starcktranck auf einmal.*

℞. ▽ *fumar. ſcabios. flor. aquileg. ana ℥iß. CC. ſine △ ʒj. ♁ diaphor. ʒß. julepi ſambucini ℥vi. roſarum ℥ß.*

S. *Auſtreibender Tranck auf etlichmal.*

Conducit hæc potio in Variolis & Morbillis expellendis.

℞. *Aqua cord. Hercul. Saxon. cordis cervi an. ʒj oſſ. de corde cervi gr. xv. ſyr. flor. borrag. bugloſſæ an. ʒiij.*

S. *Sonderlicher Tranck gegen das Hertzklopffen.*

In *palpitatione cordis* mirificè conducit & magnarum eſt virium.

℞. *Aqua card. Mariæ bened. flor. papav. rhœ ad. ana ʒij. dent. apri præp. ʒj. mand. lucii piſcis ℈ij. ſyr. de ſucco pap. rhœad. ℥j.*

S. *Starcktrancklein gegen das Seitenſtechen vvol umzurutteln auf etlichmal.*

Inſignis eſt hujus vis in Pleuritide. Doſ. 2. vel 3. cochlearia.

♃. *Aqua card. bened. Mariæ, flor. acaciæ pap. rhœad. ana ʒij. ∽ antipleur. ℈j. ſyr. flor. pap. rhœad. unc. j.*

S. *Starcktranck gegen das Seitenſtechen* 2, *Loffel voll auf einmal.*

Ad *Potiones* non immeritò referuntur illæ Potiones, quæ ex aromaticis conſtant pro ditioribus æquè ac pauperculis Mulieribus cum vel ſine ſpeciebus præparatæ & in quibuſdam locis uſitatiſſimæ, quæ imprægnationem veram conſervare ac roborare, falſam autem ejicere creduntur, *vid. Schroderus p.* 230. Dicuntur MORETA à Moris ſeu diamoro ingrediente. Hiſce tamen meritò præfertur Tinctura coralliorum, quæ tamen etiam miſceri poteſt cum ejuſmodi Moreto, & erit illud efficacius.

Ad Potiones etiam referuntur Fermentata.

♃. *Paſſul. min. lot.* ʒxvi. ▽ *fontan. puriſſ. canth. ij.* ♀ *crudi* ʒij. Digere in locô calido vel MB. per 3. aut plures horas in leniſſimô calore: Poſteà removeantur, indantur vaſculo quercino (In his enim vaſis optimè fit fermentatio) addatur in linteô fermenti optimi parum, ad magnitudinem nucis caſtaneæ, poſteà iterum tepidum; Abhinc per 24. horas ponatur in locum frigidum, ſic enim acquirit ſaporem muſti, ſique addantur ſpecifica in inflammationibus renum ac hepatis plurimum pollebit, v. g. *In affectibus hepatis* ſantali rubr. rad. & flor, cichor. hepat. nobilis. *In febribus malignis* rad. ſcorzoneræ, acetoſæ: Flor. roſarum, botrag. bugloſſæ, tunicæ, calendulæ, qui flores colorem huic vino impertiunt. *In affectibus renum* flores malvæ calcatrippæ. *In hydrope* rad. vincetox. flor. cichor. ſant. rubr. *In Dyſenteriâ* rad. plantag. tormentillæ. Pro acquirendo ſapore gratiore poſſunt admiſceri cortices citri recenter ab albedine liberati, & aromata, ut cinamonum, caryophill. &c.

In Affectibus pectoris Fermentata fieri poſſunt cum radice Chinæ & Sarſapar. vid. de hiſce *Angel. Salam in Saccarolog. part.* 1. *c. x. & ſeq.* Sumendæ autem ſunt radices tales ut & alia, quæ ingratum ſaporem non habent.

Ex rubi id. paratur elegantiſſimum fermentatum in febribus.

Ex lentiſcô flor. hypericonis in ulceribus Renum.

In catharris ſalſis ex lignô ſaſſafras & rad. Chinæ, caryophill. Flor. betonicæ, anthos.

℞. *Paſſul. min. lot.* ℥iv. *flor. roſ. rub. mj. cichor. p. iv. ſantal. rub.* ℥ß. *crem.* ♀ *albiſſ.* ʒiii. Macerentur cum ſ. q. ▽ font. vel ▽ Deſtill. MB. Poſteà coletur & addatur parùm fermenti, Elapſô triduô exhiberi poteſt.

Fermentata acquirunt Vini colorem, ſicut ex paſſulis poteſt fieri vinum factitium. *vid. Salam.*

PRÆCIPITARE & PRÆCIPITATIO.

Ut Præcipitatio etiam vulgatâ acceptione dicitur de eo, quod ex alto in fundum deturbatur, & quidem cum quâdam violentiâ; ita & in ſcholis pharmaceuticis eâdem ſignificatione prædicatur de ſolutis. Hinc not.

1. *Præcipitatio eſt ſeparatio ſoluti prius vel extracti.* Eſt ſcilicet ſolutioni utrique contraria, ejuſque quod ſolutum erat, à ſolvente disjunctio. Quæ ſolvuntur vel extrahuntur, uniuntur, ſubjugante altero alterum. Hîc verò quæ ad ſenſum priùs erant ſolvendo unita, iterum ſeceſſum patiuntur, excuſſo jugo detinente menſtrui, quo infirmato liberantur è poſſeſſione priſtinâ particulæ detentæ, & deturbantur, ſeu fundum petunt. Licet verò & aliis modis fiat hoc modo unitorum ſeparatio, latè, debilitato etiam aliunde menſtruo, ut inibi ſoluta ad fundum eant, eodem ſeu exhalante, unde eſſentia v. g. ligni aloës, exhalante ſenſim Vi, reſinam ad fundum mittit; ſeu evaporato, quod in extractis fit, & hinc quoque mercurius præcipitatus ruber καθ' ἐξοχὴν ita dicitur; ſeu nimis ſaturato, unde non omnia æquè detinere poteſt, exemplo 🜍ris ☉ti ♁ii, accedente inprimis frigore, loco unientis magis caloris; propriè tamen, & uſitatiùs magis prædicatur de confuſis binis liquoribus, magis vel minùs contrariis, quorum alter hoc reſpectu menſtruum ſeu ſolvens dicitur, alter præcipitans audit.

2. *Præcipitatio fit à contrario, ſi non ſoluto, ſaltim ſolventi.* Contrarietas adeſt, non ſimilitudo, quod nonnulli volunt, ſeu συμπάθεια quâ amicabiliter coëant ſolvens menſtruum, & liquor præcipitans, & complexu hoc ſuo dimittant quod ſolutum erat. Ubicunque nempe infringit alterum, vel etiam conflictus eſt & pugna manifeſta, ibi nulla apparet συμπάθεια, ſed ἀντιπάθεια potiùs. Qui facit, ut alter cadat, ſeu ſupplantando ipſum, ſeu vi dejiciendo, ſanè non amicum ipſi officium exhibet, vel favoris ſui teſtimonium. Et hinc Germanis etiam præcipitare dicitur *fallen*, quaſi dicas *fallen machen.* Similia inter ſe miſcentur, quæ non miſcentur, ſe præcipitant. Ergò ubicunque mixtio amicabilis & unitio non fit, reverà eſt contrarietas. Quo ipſo etiam patet, hanc ſeparationem non tam eſſe ſpontaneam, quod de aliquibus è ſupra dictis valet, ſed violentam; ſeu ſpontanea non eſt niſi reſpectivè, quando retinere nequit, violenta, quando, ut dimittat, cogitur liquor. Sufficit verò, ſi liquor liquori, ſolventi præcipitans, ſit contrarius. Quod ſi verò utrique inimicus ſit, tunc eò perfectior fit præcipitatio.

3. *Ut variat contrarietas, ita etiam præcipitatio.* Contrarietas hæc reſpicitur non tam in ſolvendo, licet & illa locum habere queat, quodlibet enim appropriato, non contrario, ſolvi debet; quàm in ſoluto & præcipitando. Seu omne ſolvens habet ſuum præcipitans. Contrarietas verò hæc eſt duplex, alia oppoſitiva, ſeu è diametro & exactè talis, alia diſparata, ſeu remiſſa. Hinc quæcunque ſibi perfectè ſunt contraria quantitate & qualitate, ea etiam perfectam præcipitationem præſtant; quæ ſubcontraria, imperfectam. Seu diſparia ſe præcipitant confuſè & imperfectè, liquorem ſaltem immutando & turbando; contraria perfectè. Id quod etiam aliàs in regulâ: contraria contrariis curantur, in M. M. obſervatur. Exemplis etiam idem magis illuſtrabitur.

4. *Quæcunque ſolvunt, eadem & præcipitant, ſed ſibi contraria*; ſeu quibuſcumque fit ſolutio, iiſdem & præcipitatio peragitur, modò liquor liquori opponatur. Non differunt ſcilicet liquores præcipitantes & ſolventes, niſi contrarietate illâ dictâ geminâ, unde ſubire ſe amicabiliter neſciunt. Hinc ſi menſtrua conſideremus, offendimus inprimis contrarietatem inter acidum & alcali, aqueum & reſinoſum. Uti enim ſal & aqua præcipuum ſunt ſolvens: ita etiam præcipuum præcipitans. Imò hiſce quatuor inprimis abſolvitur tota hæc operatio. Hinc

5. *A menſtruis acidis ſoluta præcipitantur per alcalia liquida; & contrà.* Exemplum prioris præbent magiſteria ♄ni, Lunæ, Auri & ſimilia alia plura; poſterioris Sulphur auratum Antimonii, lac Tartari. Speciatim verò hujus præcipitationis notanda eſt differentia, hinc reſultans; Aliquippe præcipitatio eſt impetuoſa & magis violenta, ſeu cum efferveſcentiâ; alia blanda, citra illam. Violenta magis eſt, quando æquim frontibus concurrunt acidum & alcali, ſive ta-

lis

lis effervescentia fiat à priori, vel ſub ipſâ ſolutione, ut quando ∽u Vitrioli Philoſophico ſolvuntur oculi cancr. corallia, &c. tunc enim non ipſum id fit ſub præcipitatione, quia acidum jam immutatum & ſaturatum eſt; ſive à poſteriori, ut in Sulphure aurato Antimonii, mag:ſt Solari &c. Singulare exemplum hujus præcipitationis viſendum eſt in Tartaro Vitriolato, ſi ſpir. Vitrioli affundatur ſali Tartari deliquato: ibi enim primò fit effervescentia, hinc etiam ſimul conſequens præcipitatio.

6. *A ſpirituoſis ſoluta reſinoſa, ab acidis verò ſaturatè terrea, præcipitantur ab aqueis.* Duo igitur inprimis præcipitant aquea: (1.) ex ſpirituoſis reſinas ſolutas, exemplo reſinoſorum omnium ſeu purgantium, ſeu alterantium, reſinæ ſcammonii, gialapæ, ligni ſancti, ladani, ligni aloës, & ſimilium. (2.) ex concentratis acidis terrea, exemplo Mercurii vitæ, ex butyro Antimonii affuſâ aquâ præcipitati. Præcipitantur utraque in minutiſſimas atomos velut confracta, qualis pulvis non expectari poteſt ab ullâ triturâ vel lævigatione. Et nominatim reſinoſa & terrea ab aquis præcipitata lacteſcunt, mox verò iterum coëunt, qui lacteus color in priori caſu indicium eſt diffuſi & ex ordine moti ſulphuris: ſimulac verò in fundo conglobantur particulæ, ille color perit iterum. In altero idem color indicium eſt ſulphuris obtuſi ab acido, quo abacto etiam immutatur albedo.

7. *Ab acidis ſoluta præcipitantur etiam à ſalibus diverſis, ab acidis & ab aqueis.* Fortiſſima quidem omnium ſolventia ſunt acida, ſed leviſſimè præcipitantur, ut omne violentum, ſi ad ſummum devenerit, ruinæ eſt proximum. Quæcunque igitur vel infringunt expreſſâ contrarietate eadem, ut alcalia, vel diſparitate ſaltim diſſociant unitas particulas, illa acidorum faucibus eximunt & præcipitant ſoluta. Valet & hîc cumprimis illud vulgatum: divide & regnabis. Simulac fit diviſio vitium menſtrui hujus, laxantur pori, & liberantur ſub flocculorum minutiſſimorum ſpecie particulæ. Imò hæc ipſa intermedia præcipitantia ſæpe ſunt meliora. Sic magiſterium Lunæ longè elegantius fit, ſi cum muriâ præcipitatur, quàm cum ſale tartari, quod ipſi colorem nigreſcentem ingratum infert, & ſaporem quoque conſimilem. Acidum verò ab acido præcipitari videri poſſet primâ fronte minùs verum, quod ſimile non agat in ſimile, (quæ ipſa regula quoque contrarietatem magis illuſtrat,) ſed tenendum eſt (1.) acida non iiſdem æquè gaudere poris, hinc ſi diſſimilia ſint vel leviſſimè quaſi, ſtatim teneritudo illa tyrannidis, ut ſic loquar, laxatur; (2.) acida in ſolvendo immutata præcipitari ab acidis, aliam nempe ſic ſortita figuram, aliam conformationem pororum, amiſſo priori non item à poſteriori, & contraria fiunt ſibi ipſi per accidens: De aqueis verò jam diximus: diſſolvunt nempe & illa vincula ſalium & in ſe derivant, unde ſolutum cadit.

8. *Ab acidis ſoluta quædam etiam præcipitantur per ſubintrantiam.* Præcipitationis hujus exemplum præbet ☽ in aquâ forti ſoluta, quæ præcipitatur, præter dicta, etiam lamina cupreâ inditâ. Eſt hæc quaſi ſupplantatio & deceptio, ut, dum duo petit ſolvens, ad inſtar canis Æſopici, perdat priùs jam obtentum. Eſt præcipitatio mediata, ſiquidem & hoc modo debilitatur acidum pluribus intentum, & contentum hinc liberatur quoque.

9. *Liquores plicatiles præcipitando minùs inſerviunt.* Tales verò ſunt ſulphurei. Sal eſt odii quaſi & heterogeneitatis ſymbolum, ſulphur amicitiæ. Unioni amicè velificatur, pugnæ eſt contrarium, unde & ipſa ſalia aliàs contraria, alcali & acidum, ſub hoc mediatore amicè coëunt, neque pugnam ſubeunt, quin amica ſunt & ſocia. Et ſpirituoſa quidem in ſpecie facilè ſociatur cum quovis, cùm aqueis, lixivis & acidis, unde etiamſi quandam heterogeneitatem inferant, illam tamen facilè componunt, & utrique ſe ſociant. Oleoſa verò intimè tutantur à ſe ſoluta & condita, nec acidis ingreſſum facilè concedunt, nec lixiva niſi amicè ſocianda admittunt. Seu ſoluta ab oleoſis ob intimiorem nexum cùm excludant aqueï & acidi ingreſſum, non facilè ab iiſdem præcipitantur. Adeoque fortior vis opus eſt, ſi id ipſum expectamus, laxius & tenerius ſulphur, acidum verò fortius, unde ℘ ⊖li aliudve oleis deſtillatis affuſum, dum ſal volatile figit, ceram ex in præcipitat, quo de ſuo loco. Hinc & camphora oleis ſoluta non præcicipitari commodè poteſt, vel ſeparari iterum, præterquam ſublimatione.

10. *Inter præcipitans & præcipitandum debet eſſe proportio.* Cùm enim ideò inſtituatur, ut ſeparet & liberet contenta & ſubjugata, vel ſuperare debet, vel ſufficere ſaltim pro debilitando menſtruo, pro privando eodem. Hinc diffuſum utplurimum debet eſſe magis præcipitans, concentratum, *in die enge getrieben*, præcipitandum. Hinc ubi arctiori & amicabili magis vinculo menſtruum detinet ſibi unita, quod de ſpirituoſis & reſinoſis quàm maximè valet, opus eſt abſtractione aliquâ, exemplo reſinæ ſcammonij, gialapæ, ligni aloës, &c. alioqui enim confuſio magis fit & imperfecta præcipitatio, non ſufficiens. Contra ea ſi hoc fiat, facillimè peragitur id ipſum. Quin imò eo pacto ſæpe partes reſinoſæ quædam conjunctæ manent cum liquore, à præcipitatione reſiduo, quod per evaporationem ad oculum patet.

11. *Ut calor ſolutioni, ita frigus magis præcipitationi favet.* Etſi enim calor quoque, exemplo evaporationis & exhalationis dictæ, ad fundum ut dimittat magis, menſtruum cogit, partes ſpirituoſas, vel detinendo ſufficientes, evocando; attamen dum ſalia magis acuit, poroſque magis laxat, ſoluti verò particulas attenuat, unit quoque utraque, contentum cum continente, magis, frigus verò conſtringit & contrarium præſtat, quod vel urinæ exemplo & cryſtalliſationis clarum eſt, adeoque in frigido major fit diſgregatio, ſi Tincturas ⊖-licas exceperimus.

12. *Præcipitatum totuplex eſt, quotuplex ſolutum.* Utut enim confuſum adhuc, nec dum plenariè ſeparatum participet aliquid de utroque, ſolvente & præcipitante; edulcatum tamen, adeoque liberatum plenariè naturam ſuam vel ex toto, vel maximâ ex parte recuperat, prout menſtruum ipſum vel ſolvens ſolùm, vel ſimul immutans fuerit. Hinc effecta præcipitationis generatim ſunt magiſteria dicta, vel ideò, quod ſingularem depurationis ſeu διακρίσεως exhibeant faciem, atque de artificis teſtentur excellentiâ, ſeu peritiâ ſaltim. Speciatim verò præcipitata ſunt *reſinoſa*, reſinæ, extracti, magiſterii communi hinc nomine gaudentia; exemplo magiſt. ſcamm. gial. lign. ſancti, lact. 🜍ris, 🜍is ☉ ♁ii &c. ſunt *alcalina*, exemplo magiſterii perlarum, matr. perl. corall. ſunt *enixa ſalia*, exemplo Tartari Vitriolati, quæ ſingula fundum petunt. Non digrediemur hîc ad virtutem ſeu effectum ſpecialem, quod ſulphurea & fixiora ſervent ſpeciatim naturam ſui ſimplicis, terrea omnia

exſiccent, plurimi ſint coſmetica, quippe de quo in parte alterâ ſpeciali dicendum erit.

13. *Pro diverſo præcipitantis unum idemque præcipitatum alium atque alium colorem adſciſcit.* Quædam præcipitata colorem proprium retinent, quædam perdunt, quædam, quod potiſſimùm theſis infert, alium atque alium reportant. Idque omne pro diversâ modificatione & immutatione ſulphuris, velut radicis colorum, evenit. Retinent colorem, imò ferè expanduntur magis, quæ ſoluta à ſpirituoſis præcipitantur à minùs immutante ſulphur liquore, exemplo reſinarum; quæ item intimiùs ſulphur habent maritatum, ut immutandi licet vi præditum, jus tamen inveniat nullum, exemplo magiſt. gumm. gott. ſolari & ſimilium. Perdunt, ubi ſolventi vel præcipitanti majus imperium in ſulphur conceſſum eſt, ut ejuſdem particulas lucidas variare queat. Solventis exemplum præbet magiſt. corall., quæ licet rubra ſint, ruborem tamen perdunt, à menſtruo acido ſolvente & obtundente unà ſulphur; præcipitantis lac ſulphuris, ubi ſulphur in ſe flavum, in ſolutione cum calce viva, vel ſale Tartari rubellum, ab infuſo præcipitante aceto alborem induit, unde lac ſulphuris audit; utrobique acido ſulphur invertente. Alium reportant, ubi præcipitantis diverſa eſt ad poros immutandos, alterandoſque vis, quod mirum eſt illuſtrari poſſe ſolis, vel potiſſimùm alcalibus, ſimilibus licet viſis. Exemplo ſit præcipitatio mercurij ſublimati, cujus ſolutio in Aquâ ſimplicis non ſolùm ab alcalibus ſalibus diverſis aliam atque aliam faciem acquirit, uti hoc *Tachenius in Hippocr. Chim.* fusè demonſtrat; verùm quoque ſeorſim in alcalia fixa & volatillia inter ſe comparata præſtant. Sic ſolutioni mercurij ſublimati infuſum lixivium quodcumque turpethum minerale vulgò dictum exhibet è flavô-croceum, vel rubeum, diſtinctis gradibus majoris, vel minoris radiationis conſimilis. Aſt ab alcali volatili, ut ſpir. ſal armoniaci &c. fit præcipitatum non flaveſcens, vel fuſcum, ſed niveum, lacteum, ſeu albicans. *Wedelius.*

De PRÆCIPITATIONE ulteriùs ex Clariſſ. Ioh. BOHNIO.

Ultimus, aſt frequentiſſimus, Secretionum Chymicarum modus eſt *Præcipitatio*, qua ex communi ſententia, illa, quæ per ſolutionem cum menſtruo coibant, & unum quaſi fiebant, iterum divelluntur, ut ſoluti particulæ à ſolvente, cujus amplexu hactenus detinebantur per adjectionem tertij, recedere, hincque ſolutionem claram turbare ac tandem ad fundum vaſis ſubſidere cogantur: ſuper quas tamen circumſtantias unum vel alterum monere mihi liceat.

Nimirum primò præcipitationis ſubjectum non corpora tantum ſolida, à fluidis ſoluta, exiſtere videntur, multo minus præcipitatum ſemper ſub forma pulveris ſimilive conſiſtentia ſpiſſiore concipiendum erit: Sed his combinare forſan conveniet fluida in partes heterogeneas, pariter fluidas, præcipitanda. Nolo hujus loci facere olea vegetabilium, quæ aquis ſpirituoſis hactenus intertexta temporis tractu ab his ſecedunt: Commodius ſiquidem exemplum ſuppeditat *Paracelſus, dum Archidox. 6.* Vinum poſt aliquot menſium digeſtionem in phlegma & Eſſentiam ſeu Magiſterium, mediante congelatione, dirimere docet. De cujus proceſſus veritate quamvis nonnulli, & inter hos *Dominus Boyle* quoque, dubitent, ipſi tamen fidem, ſub ſpiritus vini tartariſati præparatione, denuo conciliat, *Viganus in Medulla Chymiæ,* in diſſertationibus his aliquoties allegata, teſtaturque ejus ſucceſſum nuper in literis Amicus αὐτόπτης, qui vinum Canarienſe generoſiſſimum per frigus atmoſphæræ & mixturam frigorificam ita congelaverat, ut circa centrum ejus vix ſexta vini ſpirituoſa & oleoſa ſatis portio collecta fuerit. Quod ſane præcipitando contingere videtur, i. e. recedit fluidum hoc oleoſo-ſalinum ab aquoſo congelato, utpote non congelabile. Alterum præſenti aſſerto confirmando aptum phœnomenon erit Spiritus vini dephlegmatio, ſine deſtillatione & per alcali perficienda, quam ſane, quia liquorem in partes, ſubſtantia, colore & loco diſtinctas, ſedere jubet, præcipitationis ſpeciem appellare, fas eſt. Sc. Spiritui vini mediocriter dephlegmato ſalis tartari, in crucibulo probè calefacti, proportionata quantitas immittitur, vaſque mox obturatur: & poſt aliquot horarum ſpacium phlegma cum ſale diſſoluto in fundo vaſis comparet, ſpiritu ſupernatante & per decantationem ſeparabili.

Deinde nec ad præcipitationis formalitatem ita confert acceſſorium præcipitans, quaſi abſque hoc illa contingere haud poſſet: cum per remotionem ac evaporationem quoque certarum particularum idem fiat. Ut enim de liquorum ſubſidentia, quam digeſtio ijs præſtat, quaque hi in fœculentias craſſiores & ſubſtantiam tenuiorem ſecedunt, nihil dicam, ideò quod in illa exhalatio materiæ cujuſdam, in vaſe præprimis clauſo, non adeo commodè concipi queat: Reſina v. g. ſcammonii, à Spiritu vini ſoluta, quemadmodum ab aqua affuſa in grumum reſinoſum præcipitatur, ſic idem experitur, aliqua ſaltem menſtrui ſui portione volatiliore evaporata. Pariter aquæ aromaticæ & ſpirituoſæ, tàm ſimplices, quàm compoſitæ, quas cum ſubſtantia oleoſa aliquid ſalini volatilis involvere, aliàs conſtat, ſponte ſua & temporis tractu, ſi potiſſimum negligentius aſſerventur, pinguedinem ſuam ita dimittunt, ut hæc ſui juris facta ſuperficiei liquoris innatet: ſubſtantia nempe ſalino volatili exhalante hinc vinculo adæquato, quod oleum phlegmati combinabat, ſi non diſrupto, certè laxato. Simile quid in ſalium, præprimis alcaliſatorum, ſolutionibus obſervamus, quæ lenta aqueæ humiditatis exhalatione in ramenta ſeu ſquammas quaſi ſalinas præcipitantur, à ſummitate ad fundum deſcendentes, ſibique lamellatim incumbentes.

Tandem nec adeo inſeparabile præcipitationis requiſitum videtur, præcipitata ad imum vaſis deſcendere, ſed ad ſuperiora & ſuperficiem liquoris interdum illa evehuntur, aut certè medio ipſius innatant, exactè nihilominus à ſolvente ſequeſtrata. Evidens hoc eſt non tantum in oleis ab aquis ſpirituoſis recedentibus hiſque ſuperatantibus, ut modo indigitatum fuit: ſed in reſinis quoque, è ſpiritu vini præcipitatis, quæ inſtar ſublimamenti ſeu eneorematis in medio hujus aliquandiu fluctuant & quaſi ſuſpenduntur. Cum magiſterijs illis vegetabilium, quorum *Zwelferus* ac *Schroderus* meminerunt, eadem ratione res habet, quæ cum lixivio ſalis tartari aut calcis vivæ præparata & cum aqua aluminis præcipitata, non inferiora, ſed ſuperiora, petunt: & Camphora, ſive in aqua forti, ſive ſpiritu vini ſoluta, ad contactum aquæ ſimplicis mox menſtrui intimiores receſſus deſerit & ad ſummitatem liquoris effertur huicque innatat.

Quibus præmiſſis, pro formalitate Præcipitationis explicanda, *Nobiliſſimo Boyle* ante omnia condeſcendere jubet ratio ſana, illam haud à ſympathia menſtrui & reper-

repercutientis promanare : ſed videtur illam modò corporis menſtruati ſeu præcipitandi,modò fluidi ſeu menſtrui,ex cujus amplexu illud deturbari debet, modificatio patrare;quamvis utramque interdum in una eademq; præcipitatione concurrere,negari vix queat.

Præcipitandi modificatio in molis & ponderis augmento præprimis conſiſtit, quod à præcipitante ipſi accreſcit:ratione cujus à fluidis ſolventib.ulterius agitari & ſuſtineri haud poterat. Rem ita ſe habere,plura loquuntur præcipitata,horumq; pondus poſt lotionem quoq; reiteratam notabiliter præter propter ſuperant pondus vegetabilis ſoluti,it. præcipitatorum mineralium ac metallorum,v.g. magiſterij Argenti,Auri &c. dū hujus metalli drachma una ſcrupulos ad minimum 4.auri fulminantis cōſtituit.Ita quidē,ut non unum tātum ſcrupulum à ſalibus extraneis acceſſiſſe, augurari conveniat, ſed majorem adhuc auri fulminantis molē illa formare,hoc perſuadeat, quod in liquore filtrato poſt aliquot dierum moram ramenta quædā auri conſpicua fiant & ad fundum vaſis præcipitentur, incautioribus vel hoc nomine imponentia, quod auri nova augmenta credant,cùm tamen nihil aliud,quam prioris auri,mēſtruo intimis adhæreſcētis,reliquæ ſint,non, niſi diuturniori ſolventis ac præcipitantis ſalis actioni & reactioni,cedentia. Quantū E. auro deceſſit,tantum præter quartum ſcrupulum à præcipitante ſale ipſi denuo accreviſſe, probabile fit. Evidens magis redditur præcipitantis ac præcipitati connubium in illa phlegmatis à ſpiritu vini per ſal tartari cineresve clavellatos præcipitatione, quā ſuperius innui, utpote ſub qua illius aquoſitas horum ſubſtantiam alcalicam imbibiſſe ſibiq; adaptaſſe præter ſaporem & Tincturam lixivioſam pondus hujus ſenſibiliter auctum perſuadet.

Atq;hoc quidem mineralium ac metallorum acceſſorium non tantum à ſolvente ſed præcipitante ſimul,eſſe,evincit hoc, quod ejuſmodi magiſteria ſeu præcipitata,v.g.Corallorum,lapidum cancrorum, ante præcipitationem adhuc ſolubilia,poſtquam eandem perpeſſa,calcis inſtar emortuæ ſe habeant,neque à menſtruis corroſivis poſthac ſolvi poſſint.Quibus accedunt alia variorum præcipitatorum phænomena,pro diverſitate præcipitantium diverſa,v.g.dum autem cum aqua Regis ſolutum affuſione liquoris tartari aut ſpiritus ſalis armoniaci ſclopetandi virtutem induit, quam nec aurum per ſe, nec alia ejus calx poſſidet. Quippe,ſi cum Mercurio,ſpiritu vini,aqua aluminis &c.magiſterium hoc paretur,aut ſi ſolutio ſalis tartari præcipitanter nimis affundatur,ad detonationem ineptum obſervatur: quatenus in priore caſu alcali,ad fulminationem adeò neceſſarium, planè deficit, in poſteriore autem ſoluti repercuſſio cum vehementiore impetu ac celerius contingit,antequam ſufficiens alcali portio auri croco huicq;profundius immerſo acido combinari poterat; quod pariter fit,ſi punctum ſaturationis,ut loquuntur, haud accuratè obſervetur.i.e. plus aut minus liquoris alcalici ſuperaffundatur. Nec minorem lucem his fœneratur butyrum antimonij, diverſimode præcipitatum ; quatenus quod ſpiritus Nitri vim experitur pulverem diaphoreticum bezoardicum , ac ab omni cathartica violentia immunem,faceſſit, quod verò cum aqua communi ejicitur,Mercurium vitæ,ἄνω καὶ κάτω cum impetu evacuantem conſtituit.ut taceam.hunc in vitrum levi igne deliqueſcere,quod à bezoardico minerali vix expectandū.Sunt,v.g. *Glauberus*, qui eundē liquorem glacialem cum oleo-tartari per deliquium præcipitant, diaphoreticum pariter inde ſibi promittentes , hinc Panacææ ſolaris ſplendido titulo hoc ornantes : quibus quamvis per experientiam omnimodè adſtipulari haud valeam, Virulentiam tamen ejus hoc modo notabiliter fractam experietur quilibet ; quod pariter ſine acceſſorio ſalis lixivioſi haud fieri, ratio ſuadet, potiſſimum cum idem pondus ſenſibi-liter in præcipitato hoc auctum evincat.

Imò vix aliter in ejuſmodi præcipitationibus fieri poterat,quin particulæ quædam ſolventis acidæ, intimius paulo mineralibus cohæreſcentes, præcipitantis alcalici quædam minima imbibant, ſibiq;indiſſolubili magis nexu jungant:per quem nexumquoq;firmiorem impetus ille exploſivus contingit, vix expectandus ſi laxius ſaltem ſibi implicarentur hæc auri ſclopetantis ingredientia. Nec improbabile eſt ab accretione hac ſalis,hactenus ipſis exotici,præcipitatorum quoq;figuras immutari, cum color eorum utplurimum diſcrepet à colore & ſplendore metallico ſeu minerali priſtino: potiſſimū m cùm & hic pro præcipitantium diſparitate variet, Ita v,g.Mercurij ſublimati cum aqua communi, aut currentis cum Aqua forti, facta ſolutio ſi cum ſpiritu ſalis armoniaci præcipitetur, pulverem album dimittit, ſi cum calce viva, flavum, quod ſi verò oleum tartari ipſi inſtilletur, rubicundum ſeu mineum exhibet præcipitatum,&c,quod majus,ſi præcipitato rubeo ſpiritus ſalis armoniaci ſuperfundatur,candidum pariter illud evadit ; quod ſine figuræ particularum Mercurij harumque ſitus immutatione concipi vix poteſt.

Et, ſi nulla pro præcipitantis ac præcipitati concurſu & implicatione arctiore adſtruenda ſuppeterent experimenta, tali ſc. per quam & ſub qua hoc reliquam maſſæ ſubſtantiam deſerat, eam plus quam ad oculum demonſtrat encheiriſis, Vitriolum à cupro liberandi , dum nimirum ejus ſolutioni ferrum calens toties immittitur,uſq;dum nullam amplius inde rubedinem cupream acquirat,i.e.atomos cupreos omnes evocaverit ſibique illos adaptaverit.

Pergo nunc ad fluidi menſtrualis modificationem , per quam menſtruata illud deſerere jubentur : quæ in horum pororum aut arctitudine,aut laxitate,conſiſtit. Anguſtia pororum ſemper ab acceſſorio ſeu deturbante dependet, ſive hoc eos oppleat, ſive conſtringat.

Prius agunt cuncta, quæ ſolventis fluidi poris magis quàm ſolutum,figuræ præprimis ratione, concordant, ijs ideò facile ſe inſinuant,hincq;illud exterminant ac deturbant:qualem congruitatem ſalia alcalia & acida potiſſimum ad ſe invicem habent,& per eam quoque, quod ab alterutro eorum ſolutum,alterum præcipitat, nunquam ſine effervefcentia, ſeu ebullitione, utplurimum tumultuaria ſatis. Ita ſolutionem Oculorum Cancrorum,Coralliorum,Plumbi,Auri,Mercurij &c. per Acetum deſtillatum,Spiritum Nitri, Aquam Regis ſimiliaq;ſtagmata acida factum,Sal Tartari, Lixivium Calcis vivæ,Spiritus Salis Armoniaci &c.repercutiūt, cum acidis illorum menſtruorum particulis in arctiores congreſſus ruenta.Et ex eodem principio *Zwelfelferus* Sirupi Corallorum cum ſucco Berberum confectionem vulgarem taxat, quaſi *per coctionem cum ſaccharo Corallia ſuum retinaculum, quo, velut compede , erant reſtricta,mox deſerant,& loco Sirupi, Corallina eſſentia imbuti, gummoſum, à Coralliis plane deſertum ſuccum,ſaccharina dulcedine delinitum, exhibeant* : ideo ſc. quod *aciditas ſucci, à dulcedine ſacchari, quod velut ſal dulce, corallia præcipitans, more aliorum ſalium ſuperetur.* i. e. ſal hoc dulce ab acido berberum ſucco abſorbeatur, poroſque ejus repleat.

Idem fieri videtur in dejiciendis ſolutionibus lixivioſis per acida, v.g. ſi Solutioni Sulphuris communis aut Extractioni ſulphureæ Antimonij,cum Lixivio Cinerum clavellatorum, Salis Tartari, aut Decocto Calcis vivæ adornatis, it. decocto Scoriarum Reguli Antimonij verum,aut Sulphur auratum extermines Nulla alia ratione, quam quod liquores alcalici,ſulphureas moleculas hactenus excipientes, aceti particulas ſalinas, impetuoſius vibratas, promptius admittant, hinc illis divortium denuncient.

Spectat huc Salium quorumvis ſolutorum præcipitatio, à Spiritu vini rectificatiſſimo expectanda : quatenus

tenus aquæ cum Spiritu vini major, quam cum ſalibus, intercedere videtur congruitas, per quam, quantum hujus imbibit, tantum ſalis, (acidi æquæ ac alcalici & ſalſi) dimittit, ad fundum vaſis ſubſidentis, vel lateribus ejus ſub forma cryſtallina adhæreſcentis. Conqueſtos recordor Amicos de infido hujus experimenti ſucceſſu, aſt ſumma Spiritus Vini rectificatio ſeu Alcoliſatio veritatem illius propugnabit: unde ex hujus circũſtantiæ neglectu fatum ſuũ in poſterũ metientur.

Pariter hujus generis eſt exturbatio metallorum è ſuis menſtruis, quæ aliorum metallicorum concretorum, illis magis amicabilium, adjectione perficitur, v. g. dum Argentum in Aqua forti ſolutum per laminam Cupri, cupri ramenta, eadem menſtruo innatantia, per Ferrum, ac hujus demum ſolutio per Biſmuthum præcipitantur. Quamvis enim in hac operatione minima Argenti corroſi Cupro inſtar ſquammarum ſplendentium adhæreſcant, Cupri atomi rubicundæ ferrũ quaſi incruſtent: nihilominus illius ſeceſſus haud contingit, niſi quando Cuprum menſtruum colore viridi tingit, i. e. hoc illius metalli tantum recipit, quantum ad proſcribendas Argenti particulas neceſſarium; id quod de reliquorum metallorum mutua expulſione pariter obſervandum.

Denique eodem modo acida corpora, per acida ſoluta, ejicere, veroſimile eſt, ſive illa ſimpliciora, v. g. Spiritus Salis, ſive compoſita magis, v.g. Sal marinum, extiterint: quatenus Spiritus Salis Argentum & Cuprum, à Spiritu Nitri vel Aqua forti corroſa, proſternit, Stagma Vitrioli Corallia, cum Aceto deſtillato ſoluta, ęque ac Sal Tartari, & Spiritus Nitri, Butyrũ Antimonij præcipitant: Et ex eodem capite Lac à lixivioſo pariter, ac acetoſo ſale in coagulum caſeoſum & ſerum abit. Eo ipſo ſiquidem dum acida diverſa per congruitatem ſalinam ſibi magis, quam ejuſmodi metallica aut terrea concreta, commiſcibilia ſunt, Spiritus Salis v.g. Spiritum Nitri ad retinenda ulteriùs ramenta Argenti ineptum reddit; quod de reliquis acidis ſimili ratione concipiẽdum: & alcalia, non aqueã tantũ, ſed pinguiorem quoq; Lactis ſubſtantiã penetrantia, quas diſſolutas fovebat hæc, particulas caſeoſas peſſũ ire pręcipiũt.

Conſtringendo & quaſi comprimendo poros menſtrui præcipitantia nonnulla vim ſuam exerere, Frigoris quidam effectus teſtantur, dum v.g. Urina clara ad aeris frigidioris contactum mox turbatur, adeò ut heterogenea ipſius, ſive naturalia, ſive præternaturalia, cõtenta, quæ parti illius ſeroſæ hactenus juncta inextiterant, nunc ab eadem recedant; facile tamen illi denuo remiſceantur ut urina priſtinam pelluciditatem, recuperet, ſi blando tantùm & rarefacienti calori eadem urina exponatur. Simili ratione ſolutiones corporum reſinoſorum à Frigore ingruente notabiliter turbantur, menſtruo eorum condenſato, ſub aere verò tepidiore primum fluoris & diaphaneitatis culmen repetunt. Nec improbabile eſt, præcipitantia ſalina, magis ſtyptica, v.g. Alumen & Spiritum Vitrioli, pręter modum nunc explicatum, in ſolutiones condenſando, harumque minima ſolidiora quaſi exprimendo, agere.

Altera menſtruorum diſpoſitio, per quam ab his ſoluta ad ſeceſſum diſponuntur, pororum nimia Laxitas eſt, quam præcipitationem notabiliter juvare vel aquarum diſparitas docet, dum mollior, v. g. pluvialis aut quævis deſtillata ſalinas atomos, ſibi concreditas ſponte ac facilius dimittit, quam aqua fontana ſimiliſq; rigidior. Quæ enim atomos principiorum activorum quorumcunq; diſcontinuant, horum contiguitatem & viciniam turbant, faciunt, ut quas ulnis arctioribus hactenus complectebantur menſtrua, particulas, hæc ijs laxatis, dimittant & in earum ſubſidentia conniveant. Exempla hujus cauſandi modi pariter quotidiana ſunt, v. g. dum Mercurius vitæ ex Butyro Antimonij, item Cuprum ex Aqua forti, per aquæ ſimplicis affuſionem pręcipitatur: quę moleculas ſalinas, Antimonij corpus in minima diſcerptum ſuſtinentes, detergit, & cum his Spiritum Vitrioli philoſophicum conſtituit, Aquę fortis autem particulas rodentes diluit, harũq; contiguitatem & nervos ſolvit. Pari ratione in ſtagmata corroſiva Spiritus vini agit, eorumq; vim cauſticam domat, ut quæ in interaneis ſuis corroſa detinebant, motu horum tonico fracto evomere cogantur, licet conatu tardiore & vix ſenſibili, quemadmodũ in præcipitatione auri per dictum ſpiritum ſulphureum adornata, liquet: Laxat ſiquidem ille contiguitatem atomorum corrodentium, earum interſtitijs ſe ingerens, hinc, ſoluti particulis libertatem priſtinam reſtituit. In reſinoſorum v. g. benzoes, camphoræ & ſcammonij, à Spiritu vini diſſolutorum deturbationibus res eadem recidit; quas aquea quævis humiditas præſtat: quatenus illius retinacula ſulphureo-ſalina diſcontinuat ad retinendas ſuas prædas inhabiles reddit.

Paucitatem tandem pororum excipientium quod concernit, per hanc menſtrui defectum indigito, ſi nimirum hujus aliqua pars evaporetur, hincque ſolutum præcipitetur: quatenus cum partium ſolventium imminutione vis ſolvendi ſolutaque conſervandi ceſſat, proportione ſc. illarum turbata: cujus præcipitationis ætiologiæ exempla §. 15. ſuppeditabit. Paradoxum equidem videri poſſet, evaporationem ejuſmodi, per quam menſtruũ non ad omnimodam ſiccitatem, ſed quoad dimidium v.g. tantùm, abſumitur, præcipitationis modum dicere; aſt ex illis, quæ ſuperiùs de natura & formalitate hujus ſuppoſui, tertij ſc. ſeu extranei præcipitantis actionem haud ſemper neceſſariam eſſe, hoc meũ aſſertum non omni ratione deſtitui conſtabit, aut, ſi erravero, termini abuſum mihi condonabunt ſapientiores. Requiritur nempe ad corporum exactam ſolutionem determinata menſtrui ad hæc proportio: quicquid proin hanc deſtruit, ſolutioni contrarium, i.e. menſtrui ac ſoluti ſeceſſum, præſtat. Si inſtes, non cum impetu tali, quali pręcipitationes reliquę cõtingunt, hanc ſubſidentiam fieri: regero, nec hoc de eſſentia præcipitationis eſſe, cum ſeceſſus ille magiſterii auri lentus, qui ſpiritus vini contractum ſequitur, æq; præcipitationis titulo dignus judicetur, ac quem ſal Tartari movet. Pręterea nec hęc auri præcipitatio tunc conſummata dici poteſt, quando nihil ejus croci amplius deſcendere & liquor filtratus quam diaphanus cernitur: cum experiẽtia palam faciat, eundem diutius aſſervatum quotidie denuo turbari & novam calcem, lento ſatis motu, deponere, ut ut novi alicujus præcipitantis activitatem minimè experiatur. Nec ſeceſſus ille reſinæ v.g. gummi Peruviani, adeò lentus, & inſenſibilis, ſed interdum ſatis conſpicuus & præceps, eſt: ubi ſc. intenſiore paulo ignis calore fluidi ſolventis exhalatio maturatur. Imò dum ab hac ſimilive ſolutione reſinoſa aliquid ſpiritus vini, & à ſalinis portio aquæ avocatur, quid aliud contingit, quàm, dum illis aqua, his Spiritus vini, affunditur? utraq; enim ratione ſolventis activitas debilitatur ac hebeſcit, & una alterius torporem, ſi quis eſt, corrigere poteſt, quatenus ſolutionibus reſinoſis poſt aliquam evaporationem aqua communis affunditur.

Quamvis autem recenſiti hactenus modi pro ætiologia Præcipitationis exhaurienda ſufficere videantur: non rarò tamen eorum binos, & forſan plures, in operatione hac concurrere, circumſtantię cunctę, accuratius penſitatæ, perſuadent: ita ut idem præcipitans præcipitatum ęq; ac menſtruum afficiat, i.e. illi tendentiã, huic retinendi ineptitudinem, imprimat, v.g. Sal Tartari in auri fulminantis dejectione, aliud in ſolvens ęquidem tantũ, diſpari tamẽ ratione, agat, v.g. aqua aluminis & ſpiritus vitrioli corallia ex aceto deſtillato, poros hujus replendo ac conſtringendo, proſternens.

De cætero ex dictis conſtat, quædam his vel illis præcipitantibus facilius, quædam difficilius, cedere, & quidem non ſolum per diverſa præcipitantia ſuccuſſa, v.g. Aurum per Spiritum ſalis Armoniaci & Spiritum

Vi-

Vini, it. Cuprum cum ſpiritu Salis armoniaci ſolutum, per aquæ affuſionem vix unquã, per ſpiritum ſalis brevi, præcipitatur, ſed per eadem quoq; commota, v. g. Marcaſita & Mercurius, quorum illa ex Spiritu Salis per Spiritum Nitri promptius eliminetur, quam hic. Imò quædam unius ejuſdemq; generis metalli diverſæ particulæ ab eodẽ ſolvente per idem repercutiens citiùs, quædam tardius liberantur, v. g. in eodẽ Auro fulminante, cujus maxima equidem portio mox fundum petit, aliqua tamen poſt biduum ac triduum conſpicua fit. Quæ ſane diſparitas partim ſtrictiorem & laxiorem, ſeu ſuperficialem magis, menſtrui ac menſtruati connexionem ſequitur, ab atomorum congruitate & mole diverſa, dependentem: partim præcipitantium varietatem pro fundamento agnoſcit. Prioris exemplum eadem Cupri per ſpiritum ſalis armoniaci ſolutio erit, affuſione aquæ copioſioris in immenſam molem, abſq; turbatione Tincturæ extendenda, hinc ſummam exilitatem & congruitatem, ramentorum metallicorum oſtendente, qualem in ſolutione cum ſpiritu quodam acido concipere haud licebat, utpote ab aqua diluente in præcipitem agenda: Nec improbabile eſt, auri illud ſedimentum, quod longius demum poſt primum præcipitantis impetum obſervatur ſubtilioris indolis exiſtere illo, quod præcipitanter magis decidit, cum impalpabile magis hujus alcohol obſervetur. Præcipitans autem exturbationem maturat ac protrahit, vel quatenus ſoluti particulis molem ac gravitatem diverſam conciliat, v. g. Sal tartari & ſpiritus ſalis armoniaci Auro, præ ſpiritu vini: vel quatenus præ aqua ſimplici, ſolutioni cupri urinoſæ inſtillatũ. Quibus accedit, quod *Dominus Boyle* annotavit, dari præcipitantia, quæ alias ſolventis munere in eodem ſubjecto funguntur, i. e. quæ, etſi mutuam hoſtilitatem, aut ad minimum ſummam diſparitatem efferveſcentia notabili teſtentur ſuaſq; potentias ſalinas mutuò deſtruere videantur: eo ipſo tamen, dum liquor præcipitans pro ſolvendo pariter concreto ſingulari aptitudine gaudet, ebullitionem & conflictum illum nullam præcipitationem comitari, quatenus ſolutionem Marcaſitæ, per ſpiritum aliquem urinoſum factã ſpiritu acido repercutere fruſtra anniſus fuerit, & ſolutionem cupri per ſpiritum ſalis potentiorem ſpiritus ſalis armoniaci aut Urinæ haud præcipitem det, impetuoſiorem quamvis efferveſcentiam moveat.

Quod verò præcipitatorum nonnulla imum liquoris haud petant, ſed ad ſummitatem ejus evehantur, aut horum levitati ſpecificæ, qua eorum maſſulæ æqualem menſtrui molem antecellunt, ſive hanc à figura, ſive aliunde, habeant, aut aeris particulis ſub ſolutionis ac præcipitationis actu intertextis, deferendum erit: quæ tamen quia à *ſæpius laudato Boylo de Cauſis mechanicis Præcipit. Chym. c. 4.* prolixius & accuratius ſunt expoſita, brevitatis gratia nunc mitto, unicũ, Corrolarii loco de Regulis metallicis annexurus. Videtur nempe mihi horum confectionem non adeò abſurde præcipitationi accenſeri poſſe, quatenus, poſtquam metalla ab igne fuſa & in fluorem abrepta fuerunt, ut purior & homogenea magis eorum pars ſcorias leviores deſerunt, ac ſubſident, à præcipitante, ſeu, ut vulgo ajunt, fuſionem juvante, deturbari. Antimonij equidem regulum pariter huc referrem, niſi repetitam cum Nitro ac Tartaro deliquationem hujus totum tandẽ corpus in ſcorias convertere, conſtaret, adeoq; an per deſtructionem partium eſſentialium, an ſegregationem heterogeneitatũ, ille producatur, ambiguũ relinqueretur. *Bohnius.*

PRÆCIPITATA, vid. *Magiſteria.*

PRÆCIPITATA ex Mercurio, *vid.* ſub titulô *Mercurius.*

PRÆPARANTIA & DIGERENTIA.

Humores evacuandos reſpiciunt PRÆPARANTIA, ita dicta, quod eoſdem ad excretionem aptent & diſponant. Vocantur etiam *digerentia*, quaſi ad fugẽ eoſdẽ peccantes reducentia, coquentia quaſi & maturantia.

Digerentia itaq; ſunt duplicia in uſu medico: 1. *interna*, quæ jam recenſuimus, quæ non aliter ac digeſtio chimica ita diſponit & corrigit, ut calori hinc ſubſequa reddantur omnia. 2. *externa*, de quibus ſuprà diximus, quæ in ulceribus & vulneribus ad coalitionem aptos reddunt humores, & conveniunt ferè cum ſuppurantibus, niſi quod poſtquam jam ſunt aperta eadem, magis locum habent.

Ut verò meliùs hæc ipſa pateant, præter ea, quæ jam alibi de iiſdem diſſeruimus, notetur:

1. *Non omnes humores æquè facilè purgantur*, quatenùs vel non omnes fluxiles ſunt, ſive craſſi, viſcidi, vel nimis fluxiles ſeu tenues, vel acres ſimul, acidique, &c. adeoque licèt ſtimulum addant naturæ purgantia, non obſecundant tamen æque humores, nec ipſa natura illos ſubigere per ſe poteſt: ſeu

2. *Non promiſcuè proſunt purgantia, vel exhibenda ſunt.* Empiricorum id eſt, qui promiſcuè exhibent purgantia citra cognitionem vel attentionem humoris peccantis, ejuſdemq; qualitatis: vulgi id eſt & plebejorum, qui, quando appetitus deeſt, quando febri laborant, continuò purgans petunt, quo ſæpe ſi non moventur, aliud ſuperingerũt. Ut itaq; purgentur οἷα δεῖ καθαίρεσθαι, *quæ oportet purgari*, medici præſtant præparantibus dictis.

3. *Præparantia ſunt alterantia.* Uti enim omnium medicamentorum in univerſum duæ ſunt claſſes, alterantium & purgantium: ita etiam præparantia nullo modo differunt ab alterantibus, niſi hâc ſpeciali intentione, quod intuitu evacuationis præſtandæ, ut melior & ex voto fiat, purgationibus præmittantur, adeoq; duo præſtant: 1. alterant, 2. ad excretionem ſeu evacuationem diſponunt.

4. *Evacuantia enim & alterantia ſe modificant.* Non fieri probe poteſt alteratio, ſi copia vitioſorum humorum obſtet, qui ſui evacuationem, naturâ præeunte, urgent: nec evacuatio præſtari poteſt commodè, ſi humorum qualitates impedimento ſint naturæ. Hinc videtur ipſa experientia ſuggeſſiſſe præparantia, ut v. g. ponamus ſcabioſum vel melancholicum fruſtrà ſumere purgans; ſi ipſi per aliquot dies demus digeſtiva è Tincturâ ♂ pomatâ, & alijs aperitivis, res meliùs ſuccedit; & hæc ipſa ſanguinem purificantiâ ex voto non operantur, niſi humoribus purgatis.

5. *Modus agendi* igitur ut alterantium in genere, ita & *præparantium fit per contraria*; humorum qualitates, caloris nativi actioni reſiſtentes mutant, & in ordinem redigunt. Contrariorum enim contraria ſunt remedia. Obſtacula enim illa, quæ ineptum ad fluendum reddunt humorem, ſunt removenda, & qualitates exceſſivæ omnes domandæ.

6. *Alia præparantia ſunt univerſalia, alia particularia. Univerſalia* hoc loco vocamus non ſtricto & rigoroſo ſenſu, quòd omnib. omninò humorib. æq; conveniant; ſed, quæ ſunt polychreſta, & quæ cum communia & frequentiùs occurrentia ſæpiùs in uſum vocari poſſunt. Talia verò ſunt *aperientia, antiſcorbutica, antiheЀtica, hepatica & ſplenetica.* Frequentiores enim cauſæ, quę remorantur purgantiũ vim, ne operentur ex voto, ſunt obſtructio vaſorũ, humorũ ſiccitas, vel μίλασμα ſcorbuticum. Adeoq; nec ♀rus ⊕latus, nec cremor & cryſtalli ♀ri, vel ipſa miſtura ſimplex, alio nomine, quã hoc univerſalia digeſtiva dici merentur vel debent, niſiquod inſigni gaudeant reſerandi facultate, & plurib. indicationib. ſatisfaciant. *Particularia* verò ſunt *alterantia & aperientia,* vel *incraſſantia tenuiter*, ex ſingulorum remedio: ſi quoad partes digeſtorum fontib. depromta, modò ex cephalicis, quę ex uſu ſunt in affectib. capitis; modò ex uterinis, & ſic conſequenter, tùm calida, tùm frigida, varij generis, liquida, media & ſolida.

7. *Hæc ipſa* verò *vias vel ſimul diſponunt, vel iis expur-*

gatis

gatis meliùs operantur. Hinc communi praxi uſitatiſſimum eſt præmittere totâ die purgantibus vel lenientia vel præparātia. *Weichtranckhlein, lindpille,* ut vijs & humorib. aptitudo & paraſceve quaſi quædã addatur.

8. *Reſpiciunt cacochymiam ſive humores vel in vaſis adhuc contentos, & maſſæ ſanguineæ confuſos, vel extravaſatos.* Utroq; nomine faciunt officium. Uti enim certum eſt, in evacuatione per alvum per purgantia accidi quoq; partes extremè citias, ſeroſas inprimis & bilioſas, hinc & reliquas, ita alterando tonum ſanguinis, aperiendoque εὐεξα πάντα *omnia* perſpirabilia & *fluxilia*, præſtant. Imò frequentiùs ipſamet debentur humoribus cum maſſâ ſanguineâ adhuc confuſis, quãdo enim jam extravaſati ſunt, v. g. bilis reſtagnans in primis vijs, pituita collecta in inteſtinis, ut aptiora jam ſunt, ita & citra præparantia educi queunt.

9. *Conſtant magis humidis, aqueis, diluentibus.* Sed hæc ipſa inprimis præparant magis, quippe penetrant, ſubigunt, & ſiccitatem, quæ multum remoræ ſæpe addit, viarum unâ tollunt. Hinc practici eo caſu potiones, decocta, infuſa, miſturas, uſitatò præſcribunt, non ſine ſucceſſu. Reliqua verò, ſalina v. g. & in minori doſi magnæ activitatis, hîc quoq; egent vehiculo, uſuq; gaudent ſuo. Duplici enim hâc formâ maximè dari ſolent, vid *Virdungus tract.* 2. c. 11. p. 33.

10. *Non ſolis ſirupis & aquis abſolvitur præparatio.* In hoc communiter ſolent paullo largiores eſſe, & ſirupis ceu baſi quaſi uti præparantib. Aſt uti locum ſuum habent, & fermentationem humoribus inducendi virtutem poſſident; ita niſi leviori planè caſu præſtat ubivis appropriata ſimul jungere.

11. *Præparantib. non ſemper opus eſt,* propriè enim competũt & debentur morbis materialib. id eſt, humoroſis, ubi materia cruda eſt, & digerenda ſeu coquẽda quaſi, *juxta* 1. *aph.* 22. *Cocta enim purgare oportet, non cruda.* Hinc affectib. pectoris & febrib. præcipuè debentur intermittentib. Verbo: *Præparantia magis locum habent in morbis chronicis,* quàm acutis. Hinc non conveniunt v. g. in febrib. ardentib. & malignis, non in morbis immaterialibus ita vulgo dictis, qui nempe ſola alterantia requirunt, non item evacuantia. Hinc præparantia locum non habent, nec dicuntur niſi ubi evacuandum eſt; aſt locum quoque purgantia quandoque inveniunt citra præparantia.

Modus Applicandi ratione materiæ in liquidis, ratione temporis ante purgantia, ratione indicantis in morbis humoralibus.

Et hæc quaſi generalia axiomata ſunt: in ſpecie verò jam breviter quoque humores ipſos delibabimus.

1. *Bilis* tùm *excrementitia naturalis,* tùm *præternaturalis,* & *partes* 🜍*eæ* ☉*oſæ acres ſanguinis* excedentes, uno verbo *cacochymia biliosa,* quatenùs *caliditate* peccat, *aqueis diluentib. acidiuſculis,* & alijs temperatis digeritur: ſin *viſcoſior* ſit, etiã *incidẽtib. amaris,* ut in ictero, &c. ſi tenuior, acidiuſculis & mucilaginoſis terreis.

Uſum hæc habent in febrib. v. g. tertianarijs præparantis loco commodè dantur M. S. ſerum lactis caprini, anima rhabarb. Tinctur. viol. roſ. ⊖-lata, arcan. ♀ri, ♀ ⊖-latus, ut jam pluribus alibi diximus. Sic & in ictero, hepatis intemperie calidâ, &c.

II. *Pituita* ut ſerum concretum eſt ita *attenuantia, calefacientia, reſolventia,* ſeu *fluxilem reddentia,* cum *humectantib.* requirit. *Notandum* verò, ubi pituita peccat, nimis ſiccandum non eſſe, aliàs magis concreſcit. Hinc præter *aromatica* & *amaricantia acida*, ut ∾ ⊖-li, egregiè quidem conveniunt phlegmati, non tamen omiſſis calefacientibus & humectantibus,

Locum hæc & uſum habent in cachecticis, febribus quotidianis, catarrhis, paralyſi, ſterilitate, &c.

III. In *cacochymiâ melancholicâ* tùm *ſerum deficiens humectantib. reſtituendum,* tùm *blandus* ejuſdem *vigor* abſorbendo humores acidos auſtero, *calefacientibus aromaticis* reſtaurandus. *Acida* verò uti bilioſis & pituitoſis conveniunt, ita *melancholicis nocent,* ſulphur enim magis obtundunt.

Atrabilarij verò humores, ſive partes ſulphureæ ſanguinis intenſiores cum ſalibus acidis evectæ & acrimoniâ excedentes, majori diluitione & temperatione egent, unde *nitroſa* & *abſtergentia aquea* inter alia ſunt laudatiſſima, cumque viſcera malum hoc maximè foveant depurantia ſanguinem, *aperientia* & *abſorbentia* inprimis inſigniter proſunt.

Locum hæc habent v. g. in delirijs, melancholiâ hypochondriacâ, item, affectibus cutaneis, ſcabie, pſorâ, leprâ, &c.

IV. *Serum* ipſum ſolâ *quantitate peccans* præparatione non eget. *Wedelius.*

PRÆPARATIO & PRÆPARATA.

Præparata Officinarum communiter & in ſpecie ſic dicta, nihil aliud ſunt, quam ſimplicia nonnulla duriuſcula in tenuiſſimum pulverem, accedente aquâ aliquâ cordiali, redacta.

Talia ſunt: Terræ, Lapides, Perlæ, Corallia, Ungulæ, Cruſtacea, (teſtacea.)

Modus.

℞. Rem præparandam læviga ſuper porphyrite, lapide verſatili quam minutiſſimè, inter lævigandum aſperge aquam aliquam cordialem, (ut plurimum Aq. roſarum adhibetur, ut fiat inſtar pultis, (hanc expone loco tepido vel aëri, ut in umbra exiccetur.

N. *Quæ ſolidiora & duriora, adeoque minus lævigabilia ſunt, uſtione antegreſſâ calcinari friabiliaque reddi ſolent, ut cornua, oſſa, cruſtacea, & ſimil.*

Uſitatiora ſunt.

Præparat. Cinnabaris. Conchæ, marinæ. Coralla albæ. rubra. Cornu cervi, uſtum. Cranium human. Cryſtalli. Granati. Hæmatites. Hyacynthus. Lapis armenus. Judaicus. Lazuli. Magnes. Mandibula Lucij piſcis. Margaritæ. Mater perlarum. Ocul. Canc. Ova Struthij. Percarum, lapides. Rubinus. Saphirus. Smaragdus. Succinum. Tutia. Ungula, alcis. Schroderus.

De Præparatis, Cornu, Cervi, Alcis, Cranij, &c. *ex Hadriano à MYNSICHT.*

Spagyriea vel ſine igne calcinatio & præparatio.

Calcinatio hæc commodè in veſicâ perficitur coctione continua, mediante aqua dulci, per cujus vaporem cornu in collo veſicæ, qua parte maximè attingi & penetrari queat, ſuſpenſum, jucundo & miro modo ad perfectam albedinem abſque flammis violentis, vires alias exurentibus (ut in vulgari calcinatione fieri ſolet) calcinatur: Veſicæ autem quarta pars ſit vacua & ſi inter bulliendum aqua evaneſcit, affundatur, alia fervida, uſque dum fumigatoria hæc calcinatio (quicquid enim hac methodo calcinatur, non immeritò per fumigationem calcinatum dici poteſt) penitus abſoluta fuerit.

Vires, Uſus, Doſis. Cornu Cervi ita præparatum, vi ſua diaphoretica Unicornu æquiparandum; omnibus enim cordis affectibus confert, & contra omnia venena mirificè præſtat. Inſuper, morbo Regio, Dyſentericis, Cœliacis, ſanguinem exſcreantibus, Veſicæ doloribus, vulvæ fluxione laborantibus, &c. prodeſt. Cornu verò Alcis ejuſdem ferè efficaciæ eſt, cordiale nobiliſſimum, in febribus malignis, alijſque morbis quam pluribus ſecretum, & ſicut Cranium Epilepſiæ, Apoplexiæ, Vertigini, &c. ſingulariter medetur. Doſis à ℈. ß. ad ℈. j. & ʒ. ß. in vehiculo morbum propriè reſpiciente.

Opij

Opii Thebaici Spagyrica & vera præparatio.

Opium Thebaicum verum minutim conciſum laminæ ferreæ impone, & ſuper ardentibus prunis tamdiu agitando per ſe coque, donec omnes venenoſi & corroſivi halitus ſurſum evaporando diſpareant. Ubi circumſpecte cavendum, ne quem exhalando inficiant. His autem omnibus evaporatis, opium ſuper laminas relictum, odorem violarum referens invenies, id quod verum ſignum omnis jam depulſæ venenoſitatis: Poſtea Opium hoc ita præparatum vel aceto Vini deſtillato, vel ſucco citri extrahe, menſtruoque rurſus evocato, ad uſum repone.

Nitri Præparatio.

Recipe Nitri per flor. Sulphuris purificat. Lib. ſ. ſolve in Spir. vini & Vitrioli ana ſ. q deinde abſtrahe Spiritûs, donec cruſtam nanciſcatur, pone in loco frigido; tunc in fundo Nitrum in ſtirias deſidet: aufer humiditatem & ſicca cryſtallos concretos, & ad uſum reſerva.

Millepedum ſive Aſellorum præparatio.

Recipe Millepedum q. v. abluantur Vino Malvatico, & in vitro benè clauſo maſſa panis circumduct. in clibano exſiccentur; exemptis denuò affundatur tantum Vini Malvatici quantum poterit imbibere, rurſuſque exſiccentur, tertiò repetatur; quartò aq. Nephritica noſtra vitriolata imbibantur & macerentur per biduum vel triduum: poſtea exſicca; pulveriſa & ad uſum reſerva.

Hellebori albi præparatio.

Recipe Helleborum Album ſubtiliter pulveriſatum, affunde aliquoties acetum à ſolutione Corallorum rubr. rurſus abſtractum & vitriolatum, in quo tamen prius flor. cordial. & grana chermes maduerint, iterumque exſicca. Sic habebis Helleborum album optimè & Spagyricè præparatum, quod ſine ullâ formidine, in plurimis morbis intra corpus certa doſi & mixtura tutò exhiberi poteſt.

Cochlearum Teſtarum Præparatio.

Recipe cochl. oblongas teſtas, quæ propè piſcinas & lacus reperiuntur, affunde acetum deſtillatum, ſtent in infuſione per noctem, ad extrahendum mucorem, quem diligenter abrades; poſtea pulveriſa, & cum aq. Card. Benedict. in marmore præpara: volatilis enim illarum cinis per calcinationem alias factus, nullius eſt pretii nec operationis in uſu medico.

Silicum fluviatilium Calcinatio & Præparatio.

Silices fluviatiles, albicantes & nitentes, adeoque optimos tibi ſume, in igne forti fac candeſcere, eoſdemque ſemper, aqua in qua Sal Armoniacum diſſolutum, reſtingue & hos candefactionis & reſtinctionis actus aliquoties repete; ſic niveo tandem colore Silices apparebunt, & in pulverem facilè redigentur. Pulverem hunc deinde aq. Roſacea edulcora, & farinam hanc albiſſimam ad uſum reſerva.

Vires, Uſus, Doſis.

Pulvis hic, non ſolùm per ſe, dentifricium eſt efficax, quod ab omni tartaro corroſivo, aliiſque ſordibus dentes derepentè purgat, & candidos reddit; Verùm etiam à ferro, chalybe, & hinc fabrefactis armis omnem rubiginem ex tempore tollit, eademque pulchra & nitentia facit; ſi nempe rubigo antea collinatur & emolliatur oleo Templini, & tum demum hoc pulvere defricetur. Hoc modo expolita & ſuſpenſa arma, plurimos annos à rubiginis inſeſſu & roſione, pura & integra manent. Et hoc ſanè tum pro magnorum Principum tum urbium etiam celebriorum armamentariis medium eſt non contemnendum.

Lapidis Pumicis Præparatio.

Pumex ignitus extinguatur in lacte vaccino dulciter, & quartâ vice relinquatur, quouſque infrigidatur abſque alia extinctione; poſtea pulveriſetur & pro farina virginea noſtra præparatus eſt.

Terræ Vitrioli Dulcis Præparatio.

Recipe vitrioli viridis ad perfectam rubedinem calcinati q. v. pulveriſa & aliquoties aq. pluviali deſtillata edulcora, uſquedum terra rubra ab omni ſalſedine & acrimonia ſit libera: poſtea terram illam dulcem ſeu inſipidam exſicca & ad uſum reſerva.

Aluminis plumoſi calcinatio & præparatio.

℞. *Salis communis fuſi*	partes ii.
Aluminis plumoſi opt.	partem i.

Miſc. & ponantur in tigillo & reverberentur l. a. per 12. horas: poſtea reverberatam materiam exime, & aliquoties aq. calida ad ſalis admixti reſolutionem edulcora, donec pulverem abſque omni ſalſedine liberum habeas. Cui ad eminentiam 3. vel 4. digitorum Spirit. Vini Junip. affunde & ad ſuos uſus repone.

PRASSIUM, vid. *Marrubium*.

PRIMULA VERIS.

Primula veris dicitur hæc herba quòd primo vere floreat; Paralyſis quia Paralyſi morbo medendo adhibetur à peritis Medicinæ.

Notæ ejus *genericæ* ſunt caules foliis nudi, flores è tubo oblongo in folia ſeu potius lacinias quinque bifidas expanſi, eorumque calyces oblongi, concavi, laxi, ſtriati; folia rugoſa texturæ rarioris.

Vires. Radix hujus aquâ aut cereviſia cocta vertiginem ſanat, D. Palmer. Paralyſi, Vertigini & ſimilibus nervorum affectibus utilem eſſe hanc herbam vel nomen arguit.

Primularum folia & flores guſtu non ingrato in olere, placentis & acetariis ſumuntur, ſuntque admodum amica & utilia capiti & nervoſo generi. Adhibentur & in Apoplexia, Paralyſi & articulorum doloribus. Florum ſuccus maculas rugaſque faciei, & alia cutis vitia mirificè detergit aqua florum & conſerva nec minus ſyrupus anodina ſunt & hypnotica. Infuſa, decocta & extracta primularum veris cujuſque generis, anodyna & hypnotica ſunt benigna & innoxia, iis qui tenerioris ſunt ſeu ætatis, ſeu conſtitutionis apprimè idonea D. Tancredus Robinſon.

Decoctum radicum primulæ veris vulg. in Zythogalo aliòve idoneo vehiculo ſumptum ſingulare eſt & præſtantiſſimum remedium ad Vertiginem. D. Huſle. Succus foliorum & florum expreſſus cum pari quantitate lactis è vaccæ rubræ uberibus emulcti frequenter hauſtus cephalalgiam inveteratam perfectè curavit, cum alia medicamenta nequiquam tentata fuiſſent. Hujus mentionem & ad hunc effectum leniendum commendationem factam invenio in Horto ſanitatis Langhami. Idem.

Acetum radicibus impregnatum, ac loco errhini in nares attractum odontalgiam mirabiliter ſedat. Schrod.

Paralyſin lateris ſiniſtri curavit Tho. Bartholinus ſpiritu frumenti cui herba Paralyſis incocta erat, ut ipſe refert, Ephemer. German. An. 2. obſerv. 2. RAIUS.

Probatio Metallorum, vid *Docimaſtice Metallica.*

Projectio Metallica, de ea vid abundè in noſtra *Bibliotheca Chemica curioſa.*

Propolis, vid. *Cera*, ſub titulô *Apes.*

PRUNA.

Prunus Aſiaticæ originis eſſe videtur. Nam Prunus Sylveſtris in Aſia, auctore Galeno τρῦμν@ vocatur. Vel à Græco τρύνη dicitur, quæ vox occurrit apud Theophraſtum ſi modò eadem πρύνη καὶ κοκυμηλέα, ut veriſimile eſſe oſtendit J. Bauhinus. Κοκκυμηλέαν ἀπὸ τοῦ κόκκυγ@ καὶ μήλου dici perſuadet hemiſtichium illud Nicandri in georgic. μῆλον ὃ κόκκυγ@ καλέουσι, quòd cum floret hæc arbor cuculi è latebris ſuis prodeant: ut errent qui à κόκκ@ granum & μῆλον dictum volunt, ita enim κοκκυμηλέα malum granatum eſſet; quod naturæ repugnat; adde & κοκκυμηλέαν inde dici repugnare Analogiæ, nam non κοκκυμηλέα ſed κοκκομηλέα ſcribendum eſſet. Pruna Rhodiis & Siculis Βράβυλα vocantur.

Pruni fructus eſculentus eſt, ſed ventriculum malè afficit, alvumque ſolvit. Plinius pruna Stomachô utiliſſima eſſe ſcribit, ſed brevi momento. Alii ſucci mediocriter boni eſſe aiunt, facile corrumpi & egeri. Nos quidem pruna ſi præmatura ſunt & humida, in ventriculo corrumpi apta putamus, ideoque non ſine periculo copioſius ingeri; verum nondum plenè matura, dum acidi & acerbi nonnihil retinent, ventriculo grata eſſe, & ſine noxa edi poſſe, eſt etiam diſtinguendum de prunis, nam quò dulciora ſunt eo magis medicamentoſa ſunt, magiſque purgant, ſi plenè matura ſumantur. Hæc autem cum matureſcere incipiunt maxime alimentoſa ſunt & ventriculo gratiora commodioraque. Diſtinguendum & de conſtitutionibus: qui enim frigidiore ſunt ventriculo ſtatim offenduntur ab uſu prunorum; qui calido non item. Pruna recentia ſaccharo condita & aſſervata, ut moris eſt apud matronas noſtrates, præſertim ſi ex acidioribus ſunt, ventriculo convenire, & ægris vel febricitantibus permitti poſſe ſine ullo nocumento putamus.

Pruna omnia, etiam ſiccata, alvum ſolvunt, ſed magis recentia ex ſententia Galeni & omnium ferè Medicorum; quod tamen experientia noſtra in univerſum non confirmat. De plenè maturis & mollibus, ſucco dulci abundantibus id concedimus, non de acidis & acerbis, nec dum planè maturis. Priora quia abundant multa humiditate, & corrumpunt tonum ventriculi & flatus gignunt: quod & Damaſcena ſiccata faciunt, quod quivis in ſe ipſo facilè experiri poteſt, ſi ea copioſius ingerere velit.

Damaſcena paſſa aquâ decocta donec turgeſcant, & pulpa eorum tenera evadat modico ſaccharo aſperſa menſis ſecundis inferuntur. Frigefaciunt & humectant, alvumque leniter ſolvunt, unde & in febribus conducunt modo parce ſumantur, æſtum enim febrilem leniunt, & ſitim extinguunt.

E Prunis fit electuarium Diaprunum dictum, quod ad omnes calidas & ſiccas febres unice facit, quippe cùm humectandi & refrigerandi vi polleat.

Pruni folia, Plinio & Dioſc. tonſillis, gingivis, uvæ proſunt in vino decocta ut ſubinde ore colluto: in lacte decoctis cum lacte ad puerorum aphthas colluere præcipit Apollonius apud Galenum.

Ex floribus pruni Sylveſtris, (quidni etiam ſativæ) per iteratam infuſionem, ut in roſis, fit apud nos ſyrup purgans, quem audaculi quidam ſubſtituunt etiam ſyrupo roſarum ſolutivo ſimplici.

Gummi prunorum agglutinandi vim habet, & in vino potum calculum comminuit, auctore Dioſcoride, quòd nec Joann. Bauhino, nec nobis probatur. Ex aceto vero illitum lichenas infantium Sanat. Dioſc.

Pruni lignum vulgò operariis ad tornum, ad ſclopetorum thecas, & ad cultrorum manubria expetitur: idque pulchello mangonio præparare norunt, vel cum lixivio decoctum, vel cum calce viva & urina aut lixivio effuſo maceratum ad elegantem rubedinem, ſi natura non habeat, redigere.

Vires Prunorum Sylveſtrium.

Pruna Sylveſtria refrigerantem & adſtringentem vim obtinent. Ob immenſam acerbitatem edendo non ſunt, niſi vel aquâ coquantur, vel igne uſtulentur: nonnulla tamen gelu tacta miteſcunt adeò ut edi poſſint. Melle condita non tantum comeſſationibus nocturnis proponenda ſunt, ſed dyſentericis etiam & alvi profluviis laborantibus exhibenda: ad eadem facit & decoctum & vinum ex his fructibus confectum, quod ad Julium & Auguſtum uſque menſes diligenter adſervare convenit.

Aqua à floribus deſtillata & data, ad laterum dolorem ſingulari facit experimento. Ea vero efficacior fuerit, ſi flores recentes per noctem vino forti & optimo macerati in M.B. deſtillentur. Trag.

Adverſus vini penduli vitia nihil efficacius prunis Sylveſtribus reperitur. Pruna antequam flavo tingantur colore leguntur & in mortario tuſa, pro magnitudine vaſis multa aut pauca vino injiciuntur, cumque probè vino agitatione crebra commixta fuerint, obturatur vas per dies octo vel decem: tum intra paucos dies vinum reſtituitur. Cæterùm poſſunt pruna Syl. tuſa & in aëre ſiccato ad eos uſus per totum annum conſervari.

Flores cathartica vi pollent, unde ad alvum ſubducendam in vino macerati, aut in ſyrupo crebris infuſionibus parato, exhibentur.

Fructus ad ea valent ad quæ adſtrictione opus eſt. Conſule ſi placet Matthiolum, qui totam Sylveſtris pruni plantam adſtringenti facultate præſtare ſcribit, quo cum etiam conſentit Schvvenckfeldius. At flores excipere oportuit; folia, fructus, cortex refrigerant, exſiccant & adſtringunt, unde uſus eorum in hæmorrhagia narium, in profluvio alvi, uteri, &c. frequens.

Pruſſellorum ſuccus inſpiſſatus Acaciæ ſuccedaneum hodie habetur qui refrigerat, ſiccat, aſtringit non ſecus ac Veterum Acacia.

Germani nobiles & ditiores vinum prunellorum parant, ex prunis Sylveſtribus maturis, vel gelu fracidis in fornace coctis, & contuſis in muſtum conjectis, aromatico ſapore, quem à granis contuſis acquirit, haud ingratum, in fluxionibus & alvi profluviis ubi non admodum ſuſpectus ſit calor aut febris, probatum.

J. B.

Hujus arboris gummi quod ſponte exſudat in aceto ſolutum & illitum herpetas ſanat. Vide quæ de ſe ipſo narrat. D. Beale, Philoſoph. Tranſact. n. 43. Raius.

PRUNELLA HERBA.

Prunella vox originis eſt Germanicæ. Ita autem dicta eſt hæc herba, quòd uſus maximus ipſius ſit in Cauſo Ungarico (ardore faucium ac gutturis) quem Germani Die Braune vocant ſpicis brevibus habitioribus cum Betonica convenit, parvitate ſua & foliis circum oras æqualibus & non crenatis ab eadem differt. Quin etiam betonica infra ſpicam

ad aliquam diſtantiam unicum obtinet florum verticillum, quod in prunella non cernitur.

Vires. Prunella facultatibus cum bugula convenit. Abſtergit & conſolidat, uſus præcipuus in vulneribus imprimis pulmonum, in ſanguine coagulato, quòd grumos ſanguinis diſſolvat non credit C. Hofmannus, qui enim hoc facere poteſt cùm adſtringat & ſiccet? at neque viſcerum obſtructiones aperire, concedit, quod Dodonæus aſſerit ob eandem rationem.

Extrinſecus in vulneribus & crebertimè in angina aliiſque affectibus oris & faucium uſurpatur; ardorem eorum extinguendo, quem Germani *die Breune* vocant, ſi ex illius decocto aut aqua deſtillata colluantur & gargarizentur; unde nomen Brunellæ adepta eſt. Valet & in recentibus vulneribus, & in putridis ulceribus ſedis & pudendorum.

Obſervavi ruſticum quendam prunellam & veronicam vino incoquere, eoque mictum ſanguineum diuturnum perſanare, qui antea curari non poterat. Solenander Conſil. Med. 47.

Mirum dictu eſt quàm egregiè cauſis & hecticis febribus prunella vel cruda, vel cocta proſit, S. Paul. Raius.

Prunella Fructus, vid. *Pruna*, item *Acacia Germanica.*

PSEUDOMELANTHIUM.

Nomina. 1 Lychnis ſegetum major *C. B.* L ſive Lychnoides ſegetum & nigellaſtrum *Park.* pſeudomelanthium *Ger. J. B.*

Simplici & albâ radiculâ nititur. Folia ei in caule oppoſita, anguſta longa, per margines æqualia, latâ baſi caulem amplexa, & in acutum mucronem ſenſim deſinentia, longis albicantibus pilis hirſuta & incana, caules teretes, hirſuti, cubitales & altiores, geniculati, inanes, in ramos aliquot diviſi, in ſummitate geſtantes flores pentapetalos petalis bifidis, purpureos, circa umbilicum ſaturatioribus lineis ſtriatos cum punctulis in ſtriis nigricantibus, è calice oblongo, ſtriato, villoſo in quinque oblonga ſegmenta, flore altiore diviſo; ſuccedit vaſculum ſeminale oblongum, glandis ferè figura; in quinque partes per maturitatem dehiſcens ſemina magna, anguloſa, ſtriata, per maturitatem nigra, ſapore amaro in ſe continens.

Inter ſegetes paſſim obſervatur Maio & Junio menſibus florens, hujus ſemen microſcopio inſpectum echinum in ſe conglobatum non male exprimit.

Vires. Quidam folii facultates huic herbæ tribuunt, & hinc mirificè eam commendant in ſanandis impetiginibus, aliiſque ſcabiei generibus: item vulneribus glutinandis, ac fiſtulis curandis compeſcendoque ſanguine utilem eſſe tradunt. Fuchſ. quæ ut incerta in medio relinquimus.

Radicem nigellaſtri in ſiſtenda hæmorrhagia à D. Sennerto recordor commendatam fuiſſe diſcipulis ſuis, cujus uſus eſt, ut Linguæ ſubdita ægri ori aliquandiu detineatur. Hujus radicis ſtupendam vim expertus fui in hæmorrhagiis epidemicis per Daniam ſævientibus, adeò ut me magum aut dæmonem nonnulli ſuſpicarentur. S. Paul. quadrip. Botan. Claſſ. 2. pag. 93.

Nomina. 2. Pſeudomelanthium glabrum Siculum, lychnis foliis glabris, calice duriore Bocconi

Radice ei alba, lignoſa, unde plantam annuam eſſe colligimus, caulis nunc ſimplex, nunc multiplex, teres, gracilis, lævis, pedalis aut cubitatis, ab imo ſtatim ramoſus, magis minuſve pro ratione ſoli in quo creſcit, nodulus. Folia ad nodos ex adverſo bina, longa, anguſta, acuminata, graminis leucanthemi foliis nonnihil ſimilia, raris pilis hirſuta. Flores in caulis & ramulorum faſtigio pediculis longis inſident, ut in pſeudomelanthio, pentapetali, pallidè purpurei, pſeudomelanthii dicti ſimiles, circa umbili um vel ut calycem quendam habentes e foliolis ſeu petalorum appendicibus quinque ſurrectis, bifidis compoſitum, ut in lychnide coronaria, calix floris ſtriatus ſeu cannulatus pſeudomelanthii inſtar. Succedit pericarpium oblongum, ſemine minuto fuſco prægnans.

In lateribus montium Meſſanæ imminentium inque agris ad promontoriolum *Fumo cerciolo* dictum non longe à Puzallu obſervamus.

Huic eadem nobis videtur.

Lychnis ſegetum, nigellaſtrum minus glabrum dicta, flore eleganter rubello, Moris. Hiſt.

Nomina 3 Lychnis ſegetum rubra foliis perfoliatæ C. B. Lych. ſeg. vaccaria rubra dicta Park. vaccaria J. B. Ger.

Caule ſurgit ſingulari, cubitali & altiore, lævi, terete, concavo, glauco quodam polline, qui facilè detergi poteſt, obducto: qui ab imo ſtatim ramos emittit alternos, circa faſtigium in oppoſitos divaricantur, atque hi in alios ſitu ſemper contrario folia ad caulis genicula bina ex adverſo naſcuntur, ex glauco pallentia, oblonga, acuminata, lata baſi abſque pediculis alis ſuis ita caulem amplectentia, ut ab eodem tranſadigi videantur. Ex ipſis divaricationum angulis exeunt pediculi prælongi flores ſuſtinentes, qui extremis etiam ramis inſident parvi, dilutè rubentes, quinque foliolis bifidis compoſiti, paulum è calice prominentes qui canaliculatus, glaber, pentagonus angulis viridibus cæteroqui pallet. Pericarpium eodem obvolvi ut turbinatum ſemine plenum rotundo, nigro Sinapeos majore. Radix lignoſa, candida, recta fibras è latere ſpargit.

Junio & Julio floret, & brevi ſemen perficit quo perfecto radicitus exareſcit.

Ob coloris, ut puto, ſimilitudinem ſatidis ſpecies à nonnullis cenſetur, nam ad tingendum omnino inutilis eſt. Vaccaria dicta eſt quòd vaccæ eam libenter depaſcantur. Raius.

PSYLLIUM.

Pſyllium à figura ſeminum pulices referentium, magnitudine etiam parium dicta eſt

Nomina. Pſyllium vulgare *Park.* majus erectum *C. B. J. B.* Pſyllium ſive pulicaris herba *Ger.*

Radice alitur ſimplici alba, fibris tenuibus capillata, Caulis ab eadem radice exoritur nunc ſimplex, nunc multiplex, teres, hirſutus, erectus, ſolidus, ab imo ad ſummum uſque ramoſus, pedalis aut altior, foliis veſtitus ad intervalla ex adverſo binis, anguſtis, acutis, piloſis, hyſſopi aut Draconis herba foliis figurâ ſuâ non multum diſſimilibus, verum anguſtioribus, nervoſis & plantaginis, obiter nonnunquam dentatis. Summi caules & ramuli ad tactum pingues & viſcidi ſunt. E foliorum alis pediculi exeunt oblongi, tenues, ſpicas geſtantes breves è pluribus floſculis compoſitas. Floſculi autem in quatuor ſegmenta acuta totidem folia ſimulantia diviſi colore pallido; ſtamina oblonga, apicibus ſuis inſignia ut in plantagine, exſerunt. Floſculi cujuſque tubus turgeſcens in vaſculum ſeminale degenerat, ſemina intus bina, compreſſa, ſplendentia, pulici formia, unde herbæ nomen, continens, quod per maturitatem in medio horizontaliter rumpitur.

Sapor Plantæ amarus; odor nullus manifeſtus.

Circa Monſpelium in agris copioſe provenit.

Vires. Evacuat bilem flavam, mucilagineque ſua acrimoniam humorum obtundere aptum eſt. Hinc commendatur maximopere in dyſenteria & corroſione inteſtinorum.

Semen pſyllii hoc peculiare præ cæteris purgantibus habet, quòd qualitate refrigerandi ſit præditum.

Verùm enim verò non tamen extra reprehenſionem poſitum eſt, quam incurrit ratione virulentiæ ſuæ. Schrod.

Dubitat C. Hofmannus an ſit venenatum necne: interim inquit valdè me movent Ægyptii, de quibus ſcribit Alpinus 4. Medic. 1. uti illos pſyllio in febribus ardentibus.

Nimius uſus ſtomachum offendit & animi deliquium inducit, unà cum mortis periculo.

Ad ophthalmiæ dolorem, ℞ mucilag. ſem. pſyllii & cydoniorum in aq. roſ. & plantag factæ anæ ℥i album. ovi bene conquaſſat. tantundem camphoræ gr. v miſta in oculos inſtillentur à cauſa calidâ affectos Cheſneau. Ex collectaneis D. Hulſe.

Experientiâ ſcio in excoriatione palati vel uvulæ & Linguæ ex materiâ calida aduſta Aq. portulacæ vel pſyllii conferre. Ex pſyllii tamen ſemine præſtaret fortaſſis lentum illud & viſcidum humorem elicere mucilaginem officinis dictam. Excerpſit ex obſervationibus Marcelli Cumani ab Hieron. Velſchio editis, & ad me tranſmiſis D. Barnhamus Soame.

Dolores Capitis maximos ex cauſa calidâ subortos, quos alia remedia non mitigabant, felici ſucceſſu curabat Sebaſtianus medicus Argentinenſis applicito fronti epithemate ex ſem pſyllii cum aq roſarum infus. Extracta mucilagine & pauculo aceto mixta. Idem D. Soame ex obſerv. Hieron. Reuſneri. Raius.

PSILOTRA.

Rarioris in praxi ſunt uſus *Pſilothra* ſeu *Depilatoria*, unde ferè magis eam ob cauſam cognoſcere eadem utile eſt, ut ab iis cavere, vel læſionem eorum avertere & curare queamus, quàm ut in uſum vocentur. Solent tamen quandoque conſuli medici, ut pillos exſtirpent, licet utplurimum ſucceſſus non ſequatur conſtans. Hoc caſu uſitatiſſimum eſt ſimplex pſilothrum ex calce vivâ & auripigmento, vel *unguentum de calce vivâ Mynſichti*, quod apud ipſum videri poteſt.

Turcæ ſuum habent *ruſma*, nonnullis, ut *Schweigero*, quaſi χρίσμα *unguentum* dictum corrupte, quo ſe in balneis depilant. Hoc licet ſint qui mineralis ſpeciem peculiarem eſſe velint, ſcoriæ ferri perquam ſimilem, vel vitrioli de proſapiâ, vix tamen differre à recepto & noto hoc jam dicto remedio fidem facit αὐτόπτης teſtis *Troilo itinerarii Orientalis pag*. 630. vocans unguentum aurei coloris, (qui auripigmenti eſt) quod cum calce vivâ conſiat quo pudendas inungant partes, ut depiles, quas volunt, reddant, ſimul ac deſuper ſudare incipiant. Nihilominus tamen iterum ſuccreſcunt pili abraſi, ceu latiùs id deduci poſſet.

Sunt verò & hæc ipſa cauſtica; attamen mitiora, quæ & poros cutis circumfodiunt quaſi & deſtruunt, viſcidum pilorum nutrimentum fundunt, liquant, ſuffurantur. Experimentum *D. Fauſti* memoratur, inunctô *felle anguillæ* pilorum proventum inhiberi; ſed, licet & radicetenùs extrahantur pili, difficile fuerit, conſtans & infallibile, ac in omnibus ſuccedens reperire, quale quidem *Helmontius* ſibi notum fuiſſe ſcribit, liquorem ſcilicet, quo leniter intacta manus, & exſiccato, ſi mentum viri attingeret, paulò poſt excipere pilos barbæ, ſuperciliorum, ac totius capitis *l. Butler inſcripto*. Pertinent ad coſmetica. Wedelius.

Medicamentorum Depilantium aliquot formulæ ex Weickardo.

℞. *Calcis vivæ* ℔. *i. auripigmenti* ℔ ß. *nitr*. ʒii. *rad. pyrethri, ſtaphiſagriæ, piperis ana* ʒß. Pulveriſentur ſingula ſeorſim, poſtea cum lixiviô forti redigantur in formam linimenti, vel additô ſapore nigrô incorporentur. Hujus portio ſi affricetur locis piloſis in balneô ad fornacem, radicitus pilos extirpat; poſtea pars depilata unguentô roſatô inungenda.

Aliud ψίλωθρον, vel unguentum pilos ex quacunque corporis parte evellens.

℞. *Album. ovor. conquaſſ. Num. iiiß calc. viv.* ℥ *viii. auripigmenti* ℥*i*. Hiſce pulveriſatis atque permixtis affunde lixivii fortiſſimi tantum ut pultis craſſioris formam accipiant. Hâc mixturâ penna vel digito exceptâ pars cutis piloſa fotu ex aquâ calidâ præmiſſo inungatur, poſt quadrantis horæ ſpatium abluatur aquâ tepidâ; quòd ſi primâ vice non decidant, iterum circa fornacem illinatur, & abſque dubiô pili defluent, & licèt dolor aliquis inde ſuboriatur & rubedo, tamen non diu durant.

Aliud remedium Venetis Matronis conſuetum quo pilos evellunt.

℞. *Reſinæ lariceæ vulgaris cochlearia quatuor vel circiter, maſtiches ſubtiliſſ. trita inſtar. avellanæ*. Diſſolvantur ad ignem & parum coquantur continuò agitando; poſtea effunde in lebetem aquâ frigidiſſimâ, deinde manibus malaxentur, fiantque magdaleones rotundi & ſerventur ad uſum. Hujus partiuncula ſupra alutam ducta cuti piloſæ applicetur, & quando adhæſerit emplaſtrum iterum detrahatur, pili in dropace evulſi manebunt.

Hujus generis eſt ἡ ἀμπελολεύκη, hoc eſt vitis alba, quæ ideo à quibuſdam peculiari nomine ψίλωθρον vocata fuit, autore Diſcoride & Pliniô.

Ptarmica Medicamemta, vid. *Errhina*.

PTARMICA HERBA.

Ptarmica ex re nomen habet, quoniam Πταρμὸς, id eſt, Sternutamenta provocat.

Notæ ejus ſunt flores in umbella, barbulis diſco medico concoloribus; folia integra, ad margines duntaxat ſerrata.

Nomina. *Ger*. vulgaris *Park*. vulgaris, folio longo ſerrato, flore albo. *J. B.* Dracunculus ſerrato folio pratenſis *C. B.*

J. B.

Eſt ubi tres ſuperet cubitos, ſæpius minor, cubitalis, radice obliquè acta, & velut geniculata, fibris majuſculis & longiſſimis donata, ſapore acri & fervido: caule ſingulari, tereti, glabro, fiſtuloſo, gracili, ſatis tamen rigido; cui alterno aut potius nullo ordine poſita adnaſcuntur folia, ab imò ad ſummum, Draconis eſculenti, argutis aſperiuſculiſque denticulis circumquaque ſerrata, atro virore ſplendentia, ſapore fervido, pyrethri mitiore. Summus ſcapus nonnihil anguloſus & ſubhirſutus in ſurculos aliquot dividitur, qui umbellatim flores geſtant candidos (tam diſcum medium, quam petala eum undique radiatim cingentia) millefolii terreſtris, duplo aut triplo majores, odore non diſſimili, ſed remiſſiores, diſcus floris medius à plurimis floſculis arctè ſtipatis & in quatuor ſegmenta acuta diviſis componitur.

In pratis udis & paluſtribus Julio menſe floret.

Florum calices in hac planta quam millefolii breviores è pluribus ſquamis coagmentantur. Flores ut multo

majores

majores quam millefolii, ita minus crebri & conferti in ſummis caulibus longioribus pediculis inſident, nec adeò exactè ſimul umbellam efformant. Variat interdum flore pleno ſeu multiplici, hinc Dracunculus pratenſis flore pleno C. B. & aliorum.

Vires. Guſtu eſt acri & fervido, ſiccæ Pulvis naribus indutus, ſternutamenta movet, unde ei nomen.

Radix commanſa caput purgat & dentium dolores mulcet pituitam eliciendo. Herba cruda additur acetariis ad frigiditatem eorum temperandam & corrigendam. *Rajus.*

PTISANA.

Quod ab antiquis vocabatur Ptiſana, erat cibus ex hordeo perfectè coctо: apud recentiores ptiſana dicitur illud, quo in morbis utimur pro potu ordinario.

Componitur ex variis ſecundum intentionem Medici, vulgò non præſcribitur Pharmacopœis, ſed ægro miniſtrantibus.

Uſus multi ſunt.

Primò, Ad refrigerandum, & humectandum in febrientibus biloſis, ſanguineis, tuſſiculoſis.

℞. Hordei integ. M. ß. aquæ fontis ℔ vj. aqua fervefacta abjiciatur, nova addatur & fiat decoctio ad tertiæ partis conſumptionem, utatur pro potu ordinario.

Vel

Utatur hydroſaccharo pro potu ordinario.

Componitur ex duodecim aquæ partibus & duabus ſacchari, ut ſi ſit ℔ j. aquæ, debent eſſe ſacchari ℥. ij. plus minùs pro ægri voluntate, & morbi exigentia, ſæpè à vaſe in vas debet transfundi. Prodeſt in febribus ardentibus, tertianis, ſynochis, cholera morbo, cæteriſque putredine comitatis in quibus æſtus admodùm urget, ſi ſuccus limonum recenter expreſſus immiſceatur ad gratam aciditatem, & ſic fiet potus, qui vulgò dicitur *Limonade*; bilem præcipitat, ipſius coërcet motum, & temperat æſtum.

Secundo, Ad refrigerandum & aperiendum in calidis affectibus, in quibus adſunt obſtructiones.

℞. Hord. integ. M. ß. parum coque & aquam projice, deinde adde radic. graminis præparati & contuſi ℥ j. ß. aquæ fontis ℔. vij. Fiat decoctio ad tertiæ partis conſumptionem, colotura utatur pro potu.

Addi poteſt in ſingula doſi, æſtu & ſiti urgente, ſal prunellæ ad ʒ. ß. vel ʒ. j & ubi adeſt putredo aut malignitas, poſſunt etiam cum ſale prunellæ immiſceri iv. aut v. guttæ ſpiritus ſulphuris, & ad majus refrigerium addi ſyrupus aliquis intentioni aptus, ut ſyrupus limon. capill. ven. violatus, maximè ſi adſit æſtus pulmonum, tuſſis, in quo caſu prædicta acida minus competunt, quia tuſſim irritant.

In febribus verminoſis puerorum cæteriſque acutis, aut malignis.

℞. Hord. integ. p. ij. rad. acetoſæ & gram. an ℥. j. aquæ fontis ℔. viij. Fiat decoctio, colatura ponatur in phiala vitrea, in qua aliquot fruſta acidi limonum miſceantur.

Æſtivo tempore, & autumnali convenienter nive aut glacie ptiſana refrigeratur in omnibus affectibus calidis, etiam ſi adſit alvi fluxus à bile. Cave tamen ne obſtructiones & infarctus inſignes adſint, aut aliqua inflammatio interna hepatis, lienis, meſenterii, plevræ, pulmonum, uteri tunc enim potus glacie refrigeratus eſt toxico pejor, quia magis impingit materiam, & reſolutioni ineptam reddit, unde νέκρωσις.

In tertianis, quartanis, continuis, intermittentibus, cæteriſque morbis exacerbationes habentibus.

℞. Kinæ Kinæ craſſo modo tritæ ʒ ij. ſummit. centaur. minor. p. j aquæ fontis ℔ iij. infunde tepidè per vi. horas, ſæpè agitando vas colaturâ utatur pro potu ordinario.

In quartana & cæteris morbis melancholicis.

℞. Radic bruſci ℥. j. folior. ceterach. M. ß. Fiat decoctio cum aquæ ℔ vi. Colatura utatur per ſe vel cum vino tenui, ſi non repugnet febris.

In affectibus calidis pectoris, paratur ex hordeo integro, paſſul. mund. jujubis, & aliquot fruſtis pomi redol.

Tertiò, Ad exſiccandum in morbis frigidis & humidis cerebri, nervorum & ſimilibus.

℞. Radic. ſchinæ in taleolas ſectæ, vel ſalſæparillæ minutim ſectæ ℥. j aquæ fontis ℔. vi. Infunde tepidè per duodecim horas, deinde f. decoctio ad tertiæ partis conſumptionem, colaturâ utatur pro potu ordinario.

Quartò, Ad aſtringendum in dyſenteria vel alvi fluxu à cauſa calida.

℞. Raſuræ eboris & cornu cervi an. ℥. ß. aquæ fontis ℔. vi. Fiat decoct.

Vel

℞. Roſar rubr. ſicc ℥. j. aquæ tepidæ ℔. iij. ſpiritus vitrioli ʒ. j. Infunde tepidè per ſex horas, colatura per ſe utatur, vel addendo ſacchari albi ℥. iv. Hoc modo parata Ptiſana dicitur tinctura roſarum.

Diſſolvi poteſt in qualibet doſi exhibenda, aliqua quantitas ſyrupi cydonior. vel granatorum, vel parum conſervæ roſar. Genuenſium, vel ſequentis julepi Alexandrini.

℞. Aquæ roſar. ℥. x. ſacchari albi ℥. ij. Coquantur parum, & utatur per ſe ex cochleari, vel cum aqua pro potu ordinario.

Vel

℞. Aquæ roſar. ſucci cydonior. & granat. an ℥. iv. ſacchari albi ℥iij. Coquantur parum ad eundem uſum.

Quando adeſt febris, putredo, & alvi fluxus, ad leniendam tuſſim, nauſeam, bilis fervorem.

℞. Aquæ roſar. ſucci granat & limon. recenter expreſſi, an. ℥ vi ſacchari albi ℥. iij. Coque parum & eodem modo utere.

Valent prædicta in menſium, & hæmorrhoidum fluxu, hæmoptyſi, &c. ſequens etiam pro iiſdem affectibus decoctum utile eſt.

℞. Radic. conſolidæ maj. ℥. j. ß. aquæ fontis ℔. iij. Fiat decoctio, colatura utatur pro potu ordinar.

Vel

℞. Raſuræ eboris ʒ. j. aquæ fontis ℔. iij. Coquantur pauco tempore, colaturâ utatur per ſe, vel cum ſuccis prædictis, aut cum julepo Alexandrino.

Paretur ptiſana ex ſola infuſione millefolii & pimpin. æſtate frigidè, hyeme tepidè, per 4. horas.

Quinto, Ad refrigerandum, aperiendum, & aliquatenus nutriendum, cùm deliniendа eſt humorum acrimonia, obſtructiones reſerandæ, ulterior macies impedienda, ut in febribus bilioſis, lentiſque, tabe, gracilibus, quoque, & abhorrentibus juſcula.

℞. Hordei integ. M. j. rad. gram. ℥ ij. Fiat decoctio cum pullo gallin in ℔. vi. aquæ fontis ad medias, de colatur. capiat cyathum bis terque diù noctuque. *Tenke.*

Pugillus, vid. ſub titulo *Menſura.*

PULEGIUM.

Pulegium ita dictum creditur, quod ejus flos recens incenſus pulices necet odore: βλήχων Græcis quaſi balans herba, quia guſtatum à pecore cùm floret, acri ſapore balatum iis extorquet. Parvitate ſua, florum denſis verticillis, ſapore & odore acriore à mentha differt.

Vires. Pulegium, cùm reverà menthæ ſpecies ſit; iiſdem etiam viribus quibus & mentha pollere veriſimile eſt. Acrius tamen menthâ eſt, & proinde efficacius, partium tenuium. Uſus præcip. in menſibus ciendis, fluore albo, fœtu ejiciendo; Confert hepaticis ac pulmoniacis nauſeam & tormina ventris diſcutit, calculum & urinam pellit, ictero ac hydropi medetur: extrinſecus prodeſt Capiti, ſomnum arcet, vertiginem diſcutit, doloribus arthriticis convenit, dentes abſtergit, pruritum cutis curat. Schrod.

Succus hujus herbæ cochlearis unius menſura pueris exhibitus efficaciſſimum eſt remedium ad tuſſim illam clamoſam ſeu convulſivam quibuſdam catarrhum ferinum dictam, quæ teneram ætatem plurimum infeſtare ſolet.

Hujus notitiam D. Boyle acceptam refero, qui ad profligandum hoc Syptomata inter alia medicamenta primas ei tribuit, nec immerito, ut experientia nobis compertum eſt. D. Hulſe. Noſtrates botulis cruore diſtentis pulegium conciſum immiſcere & incoquere ſolent; unde &..... vocant.

Ad raucedinem, R. decoct. pulegii dulcorat. ℥vi. iturus cubitum, & Sanaberis. Cheſneau ex libro Arcanorum. Ex annotatis D. Hulſe.

Recens ſacculis incluſum, & in lecto poſitum pulices efficaciter abigit: ſed intra ſpatium ſeptimanæ ſacculi ſunt renovandi. D. Palmer nobis communicavit. *Rajus.*

Pulicaria, vid. *Pſyllium.*

Pulmo Vulpis, vid. *Vulpes.*

PULMONARIA.

Nomina I. Pulmonaria maculoſa *Ger.* latifolia maculoſa *Parck.* pulm. Italorum ad bugloſſum accedens *I. B.* ſymphytum maculoſum ſive pulmonaria latifolia. *C. B.*

Radice nititur albâ, fibroſa hellebori, ſed fibris rarioribus & quibuſdam craſſioribus, guſtu admodum lento & viſcido caulis anguloſus, purpuraſcens, hirſutus, unus interdum ſurrectus, reliquis primum germinantibus, aliàs plures ut in bugloſſo. Folia alia ſtatim à radice exorta, conferta, per terram ſparſa alia, caulem inæquali ſitu ſine pediculo amplectentia, oblonga, unciam lata; nervo medio per longum donata, in acuminatum mucronem deſinentia, lanugine ſupra infraque & in ambitu molli pubeſcentia; at adulto vere folia inſignem acquirunt magnitudinem, præſertim infima, quippe quæ latitudine palmum ſuperent, longitudine ſeſquipalmum teneraque illa lanugine rigeſcente hiſpida redduntur ſummitati caulis (qui brevis eſt, dodrantali altitudine) inſident floſculi ex pediculis ſemuncialibus & brevioribus multi ſimul juncti, interdum reflexi caudam Scorpionis æmulantes, ut Echii, è calicibus oblongis, ſtriatis, hirſutis, colore modò purpurante, modò violaceo, aliàs mixto purpuro violaceo, idque in uno eodemque ramo, in quinque lacinias diviſi: in calicis fundo ſuccedunt ſemina quaterna bugloſſi ſeminibus ſimilia.

Foliis variat (inquit C. Bauhinus) quæ aliquando albis punctis & lituris notantur, aliquando iis carent, & hæc pulmonaria folio non maculoſo Clus. hanc Cluſius pro diverſa ſpecie deſcribit, à præcedente tamen præcipuè differt foliis minus amplis, nullis albificantibus maculis ſuperne infectis: reliquæ enim notæ conveniunt.

Floribus eſt communiter ceruleo-rubentibus, rarius albis, pulmonariæ ſpeciem flore albo aliquot annos in horto alui, quæ omnibus ſuis partibus, ſed præcipuè foliis, majoribus erat quam deſcripta, & maculis pluribus majoribuſque notatis.

In Sylvis propè Coloniam Agrippinam hanc primò obſervavimus, poſteà in omnibus ferè montoſis dumetis propè Rhenum & circa Genevam.

Vires. Noſtratibus pro olere in frequenti uſu eſt, Salviam Hieroſolymitanam ac Bethlehemiticam appellant. Pneumonica & cardiaca cenſetur; conſolidat & glutinat, ſymphiti inſtar.

Uſus ejus præcipuus eſt in ulceribus pulmonum, aliiſque eorundem affectibus, phthiſi, expuitione ſanguinis, &c. extrinſecus in vulneribus.

Nomina 2. Pulmonaria anguſtifolia 2. *Cluſii Ger.* (potius 3.) anguſtifolia Cæruleo flore *I. B.* Symphytum maculoſum ſive pulmonaria anguſtifolia cærulea *C. B.*

Clus. huic folia ſunt anguſta & villis obſita, bugloſſi ſylveſtris, Echiive, aut Anchuſæ foliis non abſimilia, molliora tamen, neque tam aſpero villo hirſuta, nullo pediculo prædita, ſed medium caulem amplectentia, qui paulatim ſuccreſcens anguloſus & hiſpidus, interdum nonnihil purpuraſcens, in pedalem tandem altitudinem excreſcit, in cujus faſtigio multi pentagoni caliculi, in quinque purpuraſcentes lacinias diviſi & ſubhirſuti naſcuntur, continentes oblongos, concavos flores bugloſſi hortenſis aut pulmonariæ vulgaris floribus forma ſimiles, per oras in quinque orbiculares ferè lacinias diviſi, colore antequam aperiantur ex purpura rubente, deinde quando explicati ſunt, cæruleo adeò eleganti nitent, ut gentianellæ vernæ floris venuſtatem ſi non ſuperare, attamen proximè æmulari videantur, odore autem nullo grati: ii maturi decidunt integri, quemadmodum bugloſſi hortenſis & ſimilium flores, atque caliculum inanem cum ſtylo & quatuor ſeminum rudimento relinquunt, quod maturitate nigrum evadit, Echii aut bugloſſi vulgaris ſemini reſpondens. Adnaſcuntur deinde ſecundum caulis pedem alia hirſuta folia, anguſta, palmaris aut amplioris longitudinis Echii aut Anchuſæ foliis latiora mollioraque: inter quæ (licet ſicca ſint) ſubſequente vere prodit caulis, ſuis venuſtis floribus onuſtus. Radix craſſis carnoſiſque fibris prædita eſt, ut pulmonaria maculoſo folio, initio, candicantibus, deinde vetuſtate foris nigricantibus, dulci ſapore.

Naſcitur paſſim per Pannoniam & Auſtriam inferiorem in montanis & cæduis ſylvis, & diutiſſimè floret. Exilit primo vere, florumque congeſtorum thyrſum ferè ante folia promittit.

PULMONARIA LUTEA.

I. B. Huic radix geniculata, rubra, fibraque, lac manans ſapore amarum: à qua caulis ſurgit unicus (inter duo treſve) lacte ſimiliter prægnans, unico plurimùm folio circa mediam altitudinem donatus, cubitalis, tenuis, hirſutus, ſumma parte in aliquot ſurculos diviſus, quorum extremis flores inſident

luteï

luteï Hic acii, qui in pappos marcidi faceſſunt. Folia à radice ſtatim exoriuntur, ſinuoſa inæqualiter, præcipuè verſus pediculum, ſupernè virentia & hirſuta internè denſiore lanugine caneſcentia, maculis pulchris interdum notata, ſapore amaro & nitroſo, pediculis ſubrubentibus, villoſis, longis quibuſdam, aliis brevioribus. Semina parva nigra.

Naſcitur plerunque in Sylvis, muris antiquis & aggeribus umbroſis, floret Junio & Julio *Rajus*.

Morbis pulmonum medetur vi ſua vulneraria & conſolidante.

PVLMONARIA MEDICAMENTA, vid. *Pecto-alia* &c.

PULPA.

Eſt caro ſeu ſubſtantia fructuum ſucculentorum inter corticem ac nucleum comprehenſa, v g. pomorum ceraſorum & ſimilium. Primariò autem ſignificat partem carnoſam in corpore animalis. Inter Pulpas in Medicina uſuales exemplo ſint ſequentes.

Pulpa Caſſiæ ſimplex ex *Pharmac. Auguſt.*

℞. *Cannas, ſeu ſiliquas caſſia ponderoſas, & qua concuſſa non reſonant; aperi & contentam in eis pulpam, ſeu medullam cum laminis & ſeminibus diligenter excava: exemta projice ſuper inverſum & anguſtum cribrum ex ſetis equinis contextum & paulatim aqua calida irrora, averſoque cochlearis convexo medullam caſſia hinc inde ducito, ut per cribrum paulatim excernatur. Præſtiterit tamen ubi neceſſitas poſtulat recentes ſemper caſſia flores educere, cùm diutius repoſiti protinus aceſcant.*

Calfacit & humectat primò ordine, ſanguinem depurat, ejus acrimoniam temperat, ac ſitim coercet; ventriculum, bilem & pituitam educendo, mundificat, pectus & guttur lenit, ejus abſceſſus reſolvens: renum calori cum infuſo glycyrrh. confert & calculi generationem prohibet, ac in acutis febribus exhibetur: alvum enim blandè lenit, ac flavam bilem infernè deturbat, atque ex hâc natas febres mitigat.

Pulpa Caſſiæ compoſita, ſeu Caſſia extracta ex *eadem Pharmac.*

℞. *Violaria, malv. mercur. beta, parietar. flor. violar. an. m. j. F. omnium decoctio in aq. ſuff. quo decocto caſſia extrahatur & cauda ejus laventur: Deinde* ℞. *Pulpa caſſia cum hac decoctione extracta & ad ſpiſſitudinem cocta* ℔j. *ſacchari Thomæi* ℔iß. *Coque ad perfectionem, ut eſt artis.*

Hujus uſus eſt potiſſimum in enematibus, non raro tamen in bolo quoque exhibetur, cùm ipſo caſſiæ flore minus ſit flatulenta, ac magis emolliat & humectet.

Pulpa Prunorum ex *eadem Pharm.*

℞. *Prunorum magnorum vinoſorum, id eſt Damaſcenorum, ſive Hungaricorum recentium q.v. & exemtis nucleis in fictili vitreato magno percoquito: deinde per cribrum ſetaceum trajicito; expreſſam pulpam denuò lento igne ad perfectam & juſtam ſpiſſitudinem coquito, addendo ſacchari tertiam circiter partem, vel ad pulpa* ℔. *x. ſacch.* ℔. *iij. ita enim melius conſervatur; ne ſitu corrumpatur.*

Ventrem mollit, ac alvum facilitat, calorem febrilem extinguit, ſitiſque faſtidia permulcet.

Cum hac pulpa ferè convenit *Electuarium de Prunis ſimplex*, ita olim à nobis dictum niſi quod ad pulpæ ℔ij ſaccharum in majori quantitate nempe integra ejus libra fuerit adhibita.

Pulpa Tamarindorum ex *eadem Pharm.*

Extrahitur eodem modo quo Pulpa Caſſia.

Tamarindorum Pulpa refrigerat & ſiccat ordine ſecundo, bilem facilè ſolvit, ac valdè aduſtos humores lenit; unde arquatis, lienoſis, ſcabiem, lepram, vitiligines & lichenas patientibus commodè exhibetur; namque cutaneas exulcerationes omnes à ſanguinis aduſtione natas tollit, inſaniam inſuper ac furorem permulcere creditur.

PVLSATILLA.

Pulſatilla nominatur, quod ſeminum tremuli pappi leniſſimo flatu huc atque illuc agitentur, unde & herba venti.

Nomen Pulſatilla Italicum eſt, ſiquidem inibi ita vulgò dicitur hæc herba.

Eſt autem pulſatilla nihil aliud quàm Anemone ſeminibus, cincinnatis ſeu plumula caudatis.

Vires. Ab Empiricis id comparatum habet Brunfelſius, quòd pulſatilla vulneraria ſit herba, quod per alembicum deſtillata aquam vulneribus mundificandis curandiſque præſtet utiliſſimam. Quæ & putridam carnem erodat. Cum autem guſtu ſit acerrimo magis externis quam internis partibus corporis adhiberi debet ut rectè Tragus.

Matthiolus radicem ſubdulcem eſſe ait, unde non longè abeſt à temperato, ſunt qui eam maxime præferant contra peſtilentiæ contagia & pota venena & virulentorum animalium ictus, ſi cum vino bibatur drachmarum duarum pondere, quare in antidotis additur. Tragus radicem ſiccatam ſternutamenta ciere, crudam verò manſu pituitam elicere ſcribit, quæ arguunt eam procul abeſſe à temperie *Rajus.*

PVLVERISARE, & PVLVERISATIO vid. ſub titulo *Comminutio.*

PVLVIS.

Non immeritò PVLVERES omnium aliarum formularum quaſi baſis ſtatuuntur, adeò latè patent, & ex hoc elemento velut ſimplici innumeræ hinc fieri queunt compoſitiones.

Ut enim id præmittamus, pulveres vel *primariâ intentione*, ſeu ſui ipſius gratiâ præſcribuntur, vel πρὸς ἄλλο, *ſecundaria*, in morſulis rotulis, emulſionibus, bolis, potionibus, &c. unde ſi quis pulverum theoriam & notionem benè calleat, facilè hinc in omnibus aliis procedere poterit.

Dicitur pulvis communi acceptione, ab analogiâ aliorum pulverum ubivis occurrentium, à comminuendo & contundendo: & definiri poteſt, quod ſit.

Medicamentum ſiccum ex aliquot homogeneis, in plures minutas particulas redactis, pro eodem uſu, alterandi vel purgandi artificioſè mixtum.

Medicamentum eſt, latâ ſuâ acceptione, ſeu pro interno ſeu externo uſu præparatum, ut mox dicemus.

Aggregatum verò eſt ex *pluribus*, unde, licèt cornu cervi uſtum, corallia & alia pulveriſata reverà quoque ſint pulveres, attamen illa in officinis ferè alio nomine veniunt, farinæ v.g. & inprimis præparatorum.

Ex *homogeneis aliquot* conſtare debet pulvis, unde patet, propriè hoc ſenſu audire & ſtrictiùs pulveres compoſitos diſpenſandos. Utut enim, hodiernâ præſertim praxi, etiam præparata & pulveriſata, inprimis ſelectiora, poſſint ſuâ quælibet doſi erogari & propinari ſub forma hâcce pulveris, quod etiam omninò liberum eſt medico; nihilominus tamen, cum id per ſe quaſi pateat, hoc loco ſolùm de compoſitis ſermo eſt.

Homogenea hæc in eundem collimant uſum, ſuntque duplicis generis, vel mole & κατ' ὄγκον talia, vel δυνάμει & virtute; unde huc & corrigentia, & liquida immiſceri ſolita referri debent.

Vt verò melius pulverum generalis notio pateat, operæ pretium erit, horum differentias ſpectare, eſſentiales quaſi. Sunt enim pulveres.

1. Vel *diffuſi*, vel *concentrati*. *Diffuſorum*, ſeu majoris molis & in numero ingredientium, & quantitate ipſâ, præter alios, (nam de iis ſub materiali quoque dicendum) inprimis duæ quaſi ſpecies notandæ veniunt, v. g. (α) *Species*, *officinales* ſcilicet, ſeu pulveres officinales compoſiti, ut ſpecies diaireos, diatragacanthæ, diamargariton frigidæ, cordiales temperatæ &c. id etiam ita uſu obtinuit, ut hæc commixta ſpecies dicantur per ſynecdochen, quod ex ſingularibus conſtent pluribus, uti etiam de infuſis conſtat, materiam infundendam ita dici, S. Species *ins Bier*. (β.) *tragemata*, vulgò trageæ dicta, ſeu bellaria, quod nomen prædicatur de pulveribus aromaticis, diffuſis, gratis & confortantibus, quorum uſus potiſſimum & ſolus quaſi eſt in affectibus frigidis, Germanicè *Triſeneth*, ut tragea ſtomachalis Birckmanni, trageæ cephalicæ, &c. Illæ ergò ſpecies ſunt officinales, ſeu in officinis jam extantes præparatæ; hæ trageæ ſunt magiſtrales magis, in præſentem uſum ferè præſcribendæ, paucis exceptis.

Diffuſiores vero pulveres ſunt, tùm in ſe, tum acceſſione ſacchari, quod paulò poſt magis libabimus, unde & trageæ vel cum, vel ſine ſaccharo præſcribuntur;

Concentrati verò his contrarium obtinent ſtatum, minori numero, minori mole conſpicui, ſeu, ut aliter hanc diſtinctionem efferamus, pulveres alii ſunt *Galenici*, alii *chimici*, alii denique *medii*, ex his mixti.

2. *Pulveres ſunt vel groſſiores*, *vel ſubtiliores*. Illi multùm cum diffuſis conveniunt, & coincidunt, unde & trageæ groſſæ in uſu ſunt. Dicuntur verò ita à trituræ ipſius modulo, prout magis vel minùs lævigati ſunt. Inprimis verò groſſiores eliguntur pro affectibus ventriculi, & ubi maſticari pulveres ſimul magis volumus, unde huc pertinent pulveres peptici dicti, eſt, qui poſt paſtum, roborandi ventriculi, gratia & exhalationes flatulentas præcavendi, præſcribuntur ex coriandro, ſemine aniſi, fœniculi, cubebis, pane biſcocto, &c. ubi confecta ſæpè integra & non contuſa ſimul recipiuntur. Sic etiam id locum habet ad inhibendam acrimoniam & mitius operandum uti pulveres errhini paulò groſſiori forma uſurpari conſueverunt.

Subtiliores verò non tam à mole vel pondere dicuntur, ſunt enim & ſubtiliſſimi ſæpè & leviſſimi iidem pulveres, ut antheræ, ſed ab impalpabili ferè atomorum texturâ & ſubſtantiæ modo, ut eo præſentius operentur, id quod de pulveribus purgantibus maximè valet, quicquid etiam nonnulli de colocynthide velint, neque enim colocynthiaca in pulvere propinare fas fuerit. Et talia etiam ſunt medicamenta ſicca oculis inſpergi ſolita, unde ſolet addi: Miſce F. l. a. pulvis ſubtiliſſimus, ut alcohol, id eſt pulvis impalpabilis.

3. Pulveres alii ſunt *externi*, alii *interni*, ab applicandi loco dicti. Et iis quidem jam dicta differentia prima & ſecunda competit quoque *Externi* latiùs non minùs patent, ſive *inſtientur*, ut in oculos; ſive *adſpergantur*, quos *adſpergines*, Latini, πάσματα, καταπάσματα & διαπάσματα Græci vocant, v. g. in intertrigine, ulceribus exſiccandis, abſumendis excreſcentiis, qui *catheretici* audiunt, eriſipelate, ut pulvis eryſipelatodes Mynſichti; ſive *attrahantur*, ut ptarmici; ſive *affricentur*, ut pulveres dentifricii; ſive *immittantur*, ut vulneribus vaſorum, v. g. pulveres iſchæmi &c.

Notabile hoc loco eſt vocabulum Arabicum *Sief*, quod trochiſcos ophtalmicos officinarum pro collyriis pulverandos notat.

Interni hinc iterum varii, quibus recenſendis jam hic non diutiùs immorabimur.

Quod ergò Materiam pulverum concernit, latiſſimè illa patet, quippe ex omnibus pulveriſari aptis eoſdem parare licet, unde miniſtræ quaſi pulverum operationes ſunt, *contuſio* & *cribellatio*, materiâ ex ſingulis regnis & eorum claſſibus ubertimè ſuppetente. Parantur enim pulveres vel.

1. Ex ipſis *ſimplicibus crudioribus*, radicibus, foliis, floribus, ex omni vegetabilium genere, quibus pro externo uſu ſæpenumerò & mineralia, e. g. pompholix, ceruſſa, &c. admiſcentur, ubivis recipiendo homogenea, & hinc contuſa cribellando, ponderando & miſcendo in pulverem intentioni aptum, id quod difficile non erit callenti vires & facultates materiæ medicæ.

Vel 2. ex *præparatis*, in primis ſelectioribus, tum purgantibus, tum alterantibus, ex vegetabili, animali & minerali claſſe petitis, quò plurima pertinent, & in tabulis noſtris quaſi in ſynopſi recenſita, & aliunde petenda.

Vel 3. quos pulveres chimicis in primis miniſtrant, *ex ſalibus*, forma cryſtallina ſicca conſpicuis, & pulveriſari facillimè aptis.

Vel 4. ex *crocis*, *floribus*, *& magiſteriis*, quorum ſingula ſuum habent uſum & per ſe exhiberi prompta, & miſceri.

Uti verò ex hiſce quaſi ſimplicioribus variè inter ſe commiſcendo, quod quàm maximè licet prudenti medico, pulveres parare licet exproınptâ mixturâ, v g. non ſolùm ex præparatis ipſis inter ſe mixtis, modò ſint homogenea, ſed & ex præparatis & ſalibus, ex iiſdem & floribus, crocis &c Sic

5. Non minus in uſu eſt *decompoſitos reddere pulveres*, & recipere ſpecies in officinis jam extantes, miſcere has ipſas ſecum invicem, vel cum præparatis, ſalibus, floribus & ſimilibus, idque longè commodiùs & faciliùs, quò plures in ſingulos ferè caſus & uſus ſpecies jam in officinis, non obſoletæ illæ quidem, ſed ſelectiores, itidem ad manum habentur.

Si ullibi verò, certè in pulveribus etiam, quoad commiſcendas inter ſe ſpecies, & quoad ſelectum materiæ, obveniunt notandæ Cautelæ.

1. Enim *acria, amara, & ingratiora non commodè in pulvere dantur*, quod ipſum etiam ex parte de fœtidis valet. Sic aloen in pulvere, ſic colocynthidem, ſic piper non benè exhibere licet. Et licet ſint, qui tartarum aloeticum uſurpent & commendent ex cryſtallis tartari cum extracto aloes pro pulvere lenitivo; licet apud *Platerum*, *Solenandrum* & alios piper pro aphrodiſiaco pulvere commendetur, minùs tamen rectè & cum requiſitâ id fieri gratia poteſt. Et ob hoc ipſum pulveres ad ſcrophulas & ſtrumas, qualis v. g. eſt Helmontii, ingratiores ferè eſſe conſueverunt. Sic etiam rancida & vetuſta ſemina exeſſe debent, unde obſervavimus ſpecies Haly contra phthiſin, niſi recenter fuerint diſpenſatæ, potius nocuiſſe phthiſis, tuſſim, ut ſolent rancida, excitando majorem.

2. *Reſinoſa, gummoſa viſcida, non benè in pulvere præſcribuntur, niſi refracta*. Sic reſina gialapæ & ſcammonii per ſe exhibita, & inter aſſumendum in faucibus conglobatur, & facilè tormina inſignia excitat, quia reſolvi etiam facilè nequit. Sic ſperma ceti pulpoſos reddit pulveres, neque per ſe ita facilè propinari poteſt, attamen ſi immiſceatur aliis, v. g. lapidibus cancrorum ana, ſatis egregium præbet pulverem εὐπόριστον ad calculum, caſum ab alto, aſthma, &c. additis pro re nata aliis. Sic extracta v. g. opii, pro pulvere anodyno; confectiones, electuaria, ut theriaca, pro pulvere in pueris ſæpe neceſſario alterante, cum lapidibus cancrorum, coralliis, confectio alkermescum cornu cervi philoſophico, pro pulvere confortante cordiali, & ſimilia dilatanda ſunt magnâ quantitate reſpectivè pulverum. Notabile eſt ergò, formam pulveris eſſe probè obſervandam, ut integra ſit, non ſolùm in miſcendo & diſpenſando, ne ægro pro pulvere magna vel maſſam mediæ conſiſtentiæ offeramus; verum quoque

in

in aſſumendo, quod in primis de reſinoſis valet. Ut enim ſperma ceti hoc commodi habet, quod etiam in pulvere in vehiculo calido facile ſolvatur inſtar pinguedinis ità alia magis reſinoſa ob difficilem cum aqua mixtionem renuunt hac forma aſſumi, in ſpecie v. g. terebinthina, quorum tamen magnus in affectibus renum eſt uſus.

3. *Liquida* quoque *parce immiſcenda*, ſive *tincturæ & ſpiritus*, quod paulò rarius eſt, ſive *olea deſtillata*, quod frequentius, & in his quidem maximè obſervanda proportio, ne ullatenus excedant, alias enim non minus acrimoniam ipſi conciliabunt inſignem & faucibus moleſtam.

4. *Farrago confuſanea vitanda, nil temere repetendum, vel duplicandum.* Hinc receptæ trium ulnarum, tum actu, tum potentia tales magis ruditatem præſcribentis, quàm artificium denotant. *Illas* vocamus, quæ omne genus ſimplicium, ſeu quicquid eſt in Pharmacopolio, ut jocatur *Paracelſus*; *has*, quæ multa compoſita, quæ dia in ſpecie præfixum habent, recipiunt, ut, quid emergat, quæ ſint elementa & partes integrantes, ipſi ſæpè neſciant medici. Sic etiam huc pertinet unius ejuſdemque ingredientis duplatio, vel additio ſuperflua ejuſdem, quod jam in cenſum venit. Sic ſpeciebus diamargariton non facilè denuò perlas; ſic pulveri bezoardico Sennerti completo non facile lapidem bezoar denuò ſuperaddimus. Sic inprimis non æquè antimonium diaphoreticum & bezoardicum minerale aliudve ſimul præſcribimus, quia in effectu unum idemque ſunt.

5. *Quæ ſe invertunt contrarietate manifeſtâ, non miſcentur in pulveribus quoque.* Hujus rei in ſpecie exempla præbent duo, in quibus tamen facilis eſt lapſus. v. g. non vitriolata cum nitroſis, ut in liquida, ita & in ſolida forma ſunt miſcenda Ut enim in priori inde fit aqua fortis; ita in hac idem odor ſtatim emergit, id quod præcipuè in compoſitis eſt obſervandum, ne eodem ex fundamento vitriolum martis cum panacea Holſteinenſi, vel nitro vitriolato miſceamus; per inde enim eſt, ſub alia ſaltim forma. Sic aluminoſa quoque cum alcalibus non conjungenda, id quod in pulveribus febrilibus facilè obvenit, unde cavendum eſt, ne magiſterio aluminis ingrediente recipiamus ſal abſinthii, vel ſimile aliud. Alia verò longè ratio eſt eorum, quæ ſe invicem corrigunt, ut inprimis in purgantibus; imò notabile eſt, aromatica hiſce addita non tantum corrigere δρασικὴν qualitatem, verùm etiam actuare magis eadem, & promovere effectum eorundem.

Ex his jam præſuppoſitis facilè conſurgit Forma pulveris *externa*. Hanc tamen duo inprimis vel exornant, vel gratia acceſſoria mactant, in colore & ſapore Primum eſt *ſacchari additio*, ſive Canarienſis, vel loco hujus roſati tabulati, ſeu canti.

Illud in diffuſis potiſſimum, trageis, pulveribus pepticis & aliis vegetabilibus locum habet, ubi vel ana ad pondus omnium, vel tripla, vel dimidiata doſi id recipimus, pro gratia ſaporis obtinendâ. Pertinent eodem & elæoſacchara, parcius tamen recipienda. Hoc in pectoralibus forma inprimis ſiccâ reſolubili magis obtinet, ut flores ſulphuris etiam ſimplici anaticâ mixtione ſacchari canti, vel ſaltim additione olei aniſi diſpenſari à quibuſdam conſueverunt. Par eſt ratio magis compoſitorum ſimilium.

Ut autem hoc ipſum pro pectorali uſu facilè concedimus, illud vero in ſtatu magis neutro, vel ad præſervationem & confortandi fine; ita dulcium hæc acceſſio in pulveribus quoque non æquè eſt neceſſaria, neque licet palato videatur abblandiri, utilis, adeoque ſæpius præſtat extra dictos caſus illa penitus omittere.

Alterum ad formale pulverum aliquid conferens eſt *aurum foliatum*, ſive cultelli ſciſſura ſubigatur in tenellos flocculos, hinc inde poſtmodum emicantes, ſive tritura in mortario, unà cum pulvere, id enim facilè utrumque ſuccedit. Et conſuetudine inductum eſt id inprimis in pulveribus confortantibus, cordialibus & cephalicis, ita circiter, ut ad ʒj. vel ij folium auri n j recipiatur. Eſt quidem, quod contra hoc opponi ſolet, fruſtrà aurum ſic medicamentis groſſo modo immiſceri, niſi ut forſan, qui jocus eſt Scaligeri, deauret inteſtina, quod reſolvi à ventriculo nequeat, adeoque eidem potius negotium faceſſat. Nihilominus tamen, cum nullum exinde penitus damnum timendum ſit, nulla eſt ratio, cur hunc ornatum & gratiam demere pulveribus velimus.

Plurima hanc in rem poſſent adduci jam exempla, nihilominus tamen paucis erimus contenti.

Pulvis purgans polychreſtus: ℞. *ſpec. diagal. Mynſ.* ℥ß. D. in chartâ.

℞. *pulv. laxat. veget.* ℈j. *mag. ſcammon* g iiij. Tart ⊕*l.* g. vj. ♁ *diaph.* g. j. M. F. pulvis.

Pulvis ſudoriferus in ſcabie, febribus &c. ℞. *bez. ♂ial.* ℈ß. *c. c. phil.* ℈j. M.

Cephalicus in epilepſia: ℞. *pulv. epil. Marchion.* ʒj. *ſpecif. cephal.* ʒß. *ſmaragd. ppt.* g. vj. M F. pulvis.

In vertigine: ℞. *ſpec. diambr. diamoſch d.* a. ʒß. ♁*nat. rad. doron.* a. ℈j. *mag.* ☽ ℈ß. M. F. pulvis.

Febrifugus: ℞. *pulv. febril. Croll. vel Mynſ* ♁ *diaph. panac. Holſtein.* a. ℈j. ⊖ *abſinth. card. bened.* a. ℈ß. *ol. antifebr.* n. o. gtt. ij. M.

Bezoardicus in febribus malignis: ℞. *pulv. bez. Senn.* ʒß. *bez. miner.* g. xv. ⊖ *vol. C. C. fixat.* g vj. M. F. pulvis.

Anthypochondriacus: ℞. *pulv. cachect. Qv.* ʒj. *ſtomach. ejuſd.* ℥ß. *conch. ppt. troch. de eupat.* a. ℈j. *bez. ♂l. cachect* g. x. *ol. cin.* gtt. ij M. F. pulv.

In palpitatione cordis: ℞ *ſpec. cord. temperat.* ʒj. *pulv. abſorb.* ℥ß. *fragm. lap. ſ. pret.* a g. iv. M. F. pulv.

Hepaticus confortans: ℞. *ſpec. diarhod. Abb. diatr. ſand.* a. ʒj. *croc.* ♂ *aperit. cum* ⊖, *ebor. ſ.* △, a. ℈j. *ol. cinnam* gtt. j. M.

Partum facilitans: ℞. *borrac. ppt.* ʒj *ſecund. hum. ppt.* ℈j. *croc.* ℈ß. *troch. de myrrh.* g xv. *ol. cin. ſuccin.* a. gtt. j. M.

Et hi ipſi *nomen* ſortiuntur vel ab effectu, ſeu ab affectu, cui debentur, vel à loco affecto, unde præſcribimus, M. D. in ſcatulâ (id quod de diffuſis & confortantibus magis valet) S. *Hauptpulver, Schrectpulver*, vel *Fieberpulverlein. Alterierſark.*

Quoad utendi modum, ut baſin diximus eſſe pulveres omnium quaſi aliorum, ita ſanè illorum uſus quàm latiſſimus & univerſalis tum quoad omnes partes affectas meritò ſtatuitur.

Doſis ergò pulverum generalis quaſi aſſignata jam ſuprà fuit, non enim facile hodie ultra ʒß. vel ℈ij adſcendimus, licet diffuſiorum doſis, ſi quidem operari debeant, ex more Veterum ad ʒj. vel amplius extendatur.

Sumuntur verò pulveres vel *definitâ* magis vel *indefinita* doſi, v. g. *illud* de activioribus & uni certo fini debitis valet, ut in pulveribus purgantibus, *uff ein mahl, Fieberpulver uff 3. mahl, oſſ iena Pulver in 6. gleiche Theile zu theilen.* Quin id etiam ſæpè in præſcriptione monemus obſervandum, v. g M. F. l. a. pulvis Divid. in 4. partes æquales, S. *Haupt-Fieber, Starctpulver* &c. quæ quatuor partes chartâ hinc generali ferè includi conſueverunt.

Hoc ſeu *indefinita doſis* in diffuſioribus magis obtinet, v. g ſtomachicis, pectoralibus, inprimis ſaccharatis ut de iis ſumatur, quantum cuſpide cultelli capi poteſt, *ein Meſſerſpitslein voll uff.* 1. *mahl.*

Tenendum verò tum de pulverum, tum de aliorum doſi in genere: Doſis ingredientium regulatur doſin mixti. Prudentiæ verò medici committitur, velitne ad aliquot

aliquot doſes vel unam præſcribere; modò caveat, ne mole ægros gravet, ſive quantitate continuâ, ſeu diſcretâ.

Modus aſſumendi variat, interdum enim loco vehiculi ſimul peculiare in eundem uſum conſpirans præſcribimus Ş. *VVaſſer zum Pulver.* Frequentius verò vehiculis utimur domeſticis, juſculo, cereviſiâ, quæ facilè ſunt ad manum, & cuivis accepta ac nota. Trageæ cum pane toſtò & vino imbuto inſperſæ magis ſumuntur, vel ſaltim ſumi poſſunt. Sunt etiam, qui ſumuntur per ſe, non ſuperbibendo, v.g. pulveres peptici, pulveres pectorales ſenſim deglutiendi, quin alii quoque ſaccharati & gratiores. Non ineptè etiam quandoque ante & cum cibo ſumuntur; licet id in confortantibus magis, neque chylificationem interturbantibus, locum obtineat, aliàs enim vacuo ventriculo mane, veſperi, noctu pro diverſitate ſcopi ſumi queunt. In infantibus autem commodè cum lacte, modò non ſint ſalini, vel cum pulte, adhibentur.

Externorum uſum jam ſuprà tetigimus, ſi enim non inhæreant, cum linteamine applicantur. Tales confortantes & exſiccantes etiam pro capite ſunt pulveres Cyprii capillis inſpergendi. Reliqui quoad regimen ad ipſius medicamenti formam internam ſunt regulandi. Notamus etiam obiter, quod de martialibus notum eſt, ab aſſumptione eorum motum imperari, unde medici ſolent addere quandoque: *D. ſumatur cum regimine.*

Denique, quod uſum concernit.

1. *Pulveres minus conveniunt reſpectivè in deglutione difficili*, ut in angina & faucium tumoribus ac ardoribus aliis, vel ſaltim eo caſu largius ſunt diluendi.

2. *Minus etiam conveniunt ſiccis*, unde id melancholicis, hecticis & aliis id ipſum quoque valet; hinc de martialibus rectè monetur, illa in ſicciotibus hypochondriacis, metu ſcirrhorum, hepatis calidi & ſiccioris minus commodè, quàm in laxioribus malis conducere, de quo *Gilbertus l.1 de magnete c.15. Coringius de Hermet. medic.* & alii legendi. Hinc etiam ſunt, qui magis hieme, hoc forſan reſpectu quoque, eoſdem præſcribere jubent.

Contra ea verò pulveres præ reliquis quoque & inprimis liquidis, gaudent quibuſdam privilegiis, quorum pauca ſaltim & potiora tangemus. Pulveres enim

1. *Abſorbent, præcipitant, invertunt.* Hinc ubicunque id intendit medicus indicatum, optimè pulveribus id poteſt exequi. Hinc in ſolida, febribus intermittentibus præcipuè, ebullitionibus, fermentationibus, motu efferato humorum & turgeſcentia, hyſtericis, & paroxiſmis hypochondriacis aliiſque optimè inter alia res expenditur pulveribus.

2. *Pulveres adſtringunt & roborant.* Humidis quippe villis frenum injiciunt, motum remorantur, parietes viſcerum deliniunt, concentrant & figunt magis. Hinc in vomitu, diarrhœa, dyſenteria, fluore albo, hæmorrhagiis internis & externis, laxitatibus ventriculi, inteſtinorum, hepatis, egregiè, ſe gerunt, & primipilli ſunt. Cum enim vis adſtrictiora in terreis conſiſtat particulis, illa hoc pacto quàm optimè obtinetur, neque enim tam facilè humore præternaturali dilui vel vinci queunt. Hinc etiam hæc ipſa formula extrinſecus optimè valet, ubi exſiccandi, exedendi, mundandi, diſſipandi, adſtringendique fine ſunt uſitatiſſimi; ſic pulveres iſchæmi in uſu ſunt, pulveres cathæretici, abſumentes, eryſipelatodes, & alii, ex praxi noti *VVedelius.*

Hactenus de Pulveribus in genere earumque quibuſdam formulis ex Clariſſ. VVedelio; jam ad aliquid ſpecialibus deſcendentes, plures eorundem compoſitiones variis uſibus deſtinatæ è variis Authoribus adducimus.

Pulvis contrà Abortum.

℞. *Granorum chermes* ʒj. *Sandali rubri* ʒß. *caryophyll.* ℈j. *nucis moſchatæ* ℈ii. *radicis Tormenti.* ʒß. *margarit. præparatarum, corallii utriuſque præparati an.* ℈j. *folia Auri numero tria; ſacchari perlati* ʒiij. *Fiat Pulvis.*

Datur gravidis ad præcavendum abortum ex ovo ſorbili, vel vino odorifero, idque non unâ tantum vice, ſed ſæpius pondere Scrupuli dimidii, vel etiam unius; aut admiſcetur Trageis, prægantibus uſui futuris.

Alius *Zvvelfferi.*

℞. *Granor. Kermes legitim.* ℥ß. *margaritar. Orient.* ʒii. *Coralliorum rubr. præpar. lapid. Corneoli præparati* ʒiii. *lign. aloes gum.* ℥ß. *nucis moſchatæ* ʒvi. *Santali rubri, rad. Tormentillæ an.* ʒiii. *ireos florent. cyperi rotundi, ſuccini albi præpar. an.* ʒii. *Eſſentiæ citri Saccharinæ, Arantior. ſacchar. ana ex recentibus cort. par.* ℥i. *ol. nuc. moſch. expreſſ.* ʒj. *Fiat omnium Pulvis.*

Datur gravidis ſæpius, ubi abortus timendus, in juſculo horis matutinis & veſpertinis à ʒß. ad ʒi.

Pulvis Abſorbens *VVedelii.*

℞. ☿. *Diaph-corall.r. ocul.* ♋. *conchar. præp. Zinnab. nativ. an.* ℈ß. ⊖*li* ♂. *gr.* vi. *extr. opii gr.*1. *m.j. fiat pulv. qui dividatur in 6. part. æq.*

Effectum hujus pulveris non ſatis poſſe prædicari VVedelius aſſerit, in affect. hypochondr. & inde natis ſymptomatibus, lypotimicis palpitatione Cordis &c. ſæpè enim inde ſequitur vomitus optimo cum levamine, Singula doſis debet continere gr. 1. ⊖. ♂.

Pulvis adſtringens Galeni, ex *Parmac. Auguſt.*

℞. *Aloes, mannæ, Thuris, corticum pini, Terræ lemniæ, Boli armenæ, Lapidis hæmatitæ, ſucci Hypociſtidis, Croci, gallæ omphacit. ana* ʒj. *Fiat Pulvis.*

Pulvis Alexiterius Specificus Salæ, è *Pharm. Schroder.*

℞. *Pulv. viperini* ʒii. *extr. Bezoardici pretioſi, magiſterii margarit. an.* ʒß. *ol. ſem. Angel. deſtill.* ℈ß. *cinnam. gutt.* vi. *m. in mortario vitreo.*

Doſis ℈j. ad ʒß. cum vehic. appropriatis ſingulis quadris Lunæ, iis qui cum veneno infecti ſunt danda eſt ʒj.

Extractum Bezoardicum pro Pulvere Bezoardico mox deſcripto.

℞. *Ligni aloes reſinoſ. granor Kermes, ſantal. alb. odorif. caſſ. ligneæ, Zedoar. croci opt. ſchænanth. rad. carlin. vincetox. Doron. Angel. fol. dictamn. Cret. ſcord. cret. an.* ʒii. *ſpir. vini q. s.* F. *Extractum S. A. cui adde* ʒii. *magiſterii lapid. pretioſorum cum ſal. nitr. calcinat.*

Pulvis alexiterius ſpecificus Angeli Salæ propter extractum Bezoardicum minoris eſt virtutis; adeoque & vilioris æſtimii, ut quod omnibus balſamicis ingredientium virtutibus deſtitutum. nec dubito majoris fore energiæ s. m. præparatum.

℞. *Pulv. Zedoar. car. in. vincetoxic. doronic. angelic. an.* ℥i. *fol. dictamn. Cretic. Scord. cretic. an.* mii. *Ligni aloes reſin. caſſ. lign. an.* ℥ß. *m.* F. *pulvis. Cui addend. Sal. volatil. viperar. vel ſerpent. noſtrat.* ʒii. *ol. d. Angelic.* ℈ß. *d. cinam. gutt.* vi. *croci pulveris* ℥i. *Terr. ſigillat. q. v. pro magiſter. Lapid. pretioſor. cum nitr. calcinat.* Hofmannus.

Pulvis Alexiterius D. *Barbette.*

℞. *Rad. contrayervæ* ℥ß. *petaſitidis, tormentillæ, enulæ campanæ, an.* ʒij. *terræ ſigillatæ, boli armenæ an.* ʒiii. *raſuræ c.c. eboris an.* ʒj. *corall. rubr. præparat.* ℈iiii. *Cinnamomi acuti* ʒii. *antimonii diaphoretici* ʒß. *m.* F. *Pulvis.*

Pulvis Altheæ è *Pharm. Londin.*

℞. *Rad. ſiccat. Althææ* ʒv. *glycyrrhizæ Hiſpanicæ, oſſium meſpilorum an.* ℥ß. *ſem. milii Solis, petroſelini, digitalis an.* ʒiii. *oculorum cancr. cum ſucco limon. præpar.* ʒvi. *gummi Arabici* ʒii. *ceraſi, pruni an.* ʒj. *tritura accuratè habita* F. *pulvis ſubtilis.*

Pulvis Diambræ Meſuæ ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Cinnamomi, Doronici, caryophyllor. macis, nucis moſchatæ,* Folii *galangæ an.* ʒiii. *ſpicæ Indicæ cardamomi majoris, minoris an.* ʒj. *Zinziberis* ʒiß. *ligni Aloes, ſandali citrini, piperis longi an.* ʒii. Fiat. *pulvis quem completum facimus, addendo Ambræ* ʒj. *moſchi* ʒß.

Ad omnem Corporis imbecillitatem & noxam à frigida cauſa efficax eſt, viſcera omnia calefacit & roborat, vertiginem abolet, cerebri humiditates abſumit. Spiritus cum vitales, tum Animales adauget, & concoctionem adjuvat, affectibus item uterinis ex frigida & humida intemperie natis prodeſt, ſenibus ob id & mulieribus ſalubre Medicamentum.

Pulvis Analepticus frigidus, ex *Pharmac. Auguſt.*

℞. *Specier. Cordialium temperat. inc.* ʒii. *de gemmis frigid.* ʒj. *Ambræ griſeæ* ℈j. *ſpiritus roſarum guttas* Lx. *folia Auri num.* xii. *Argenti num. tria, Man. chr. ſimplic.* ℥iii. *miſce fiat pulvis.*

Pulvis hic, ad virium conſervationem & reparationem plurimùm conducens, celeb. noſtrum Mindererum Autorem agnoſcit; qui alium etiam rubeum dictum, Aromatica plura recipientem, in uſu habuit, cujus tamen apud nos non eſt uſus.

Pulvis Dianiſu Meſuæ ex *Pharmaceut. Auguſt.*

℞. *Semin. Aniſi* ʒiiß. *glycyrrhizæ raſæ; maſtich. an.* ℥i. *Sem. carvi, fœniculi, Galangæ, Macis, Zingiberis, cinnamomi an.* ʒv. *Trium piperum, caſſiæ ligneæ veræ, pyretri, calaminthæ an.* ʒii. *cardamomi, caryophyllorum, cubebarum, ſpicæ Indicæ, croci an.* ʒiß.

Ventriculo frigido & humido ſuccurrunt, ac cruditates à pituita lenta natas abſumunt, flatus quoque craſſos in ventre collectos diſſipant, quin etiam pectus à tenacibus humoribus repurgant, ac ob id diuturnæ Tuſſi medentur.

Pulvis Anodynus Ludovici.

℞. *Laud. opiat. Ludovic.* ʒj. *corallor. r. præp.* ʒii. *m. Fiat Pulvis.*

Qui in compendio & tutius id præſtat quod pretioſæ confectiones narcoticæ, vel antiquorum philonia, requies, aut ipſa Athanaſia magna promittunt, &c. vid. Ludovici *Pharm.* p. 537.

Pulvis Anonymus ee *Pharm. Auguſt.*

℞. *Sem. papaveris albi* ʒii. *portulacæ, cydonior. malvæ, Bombacis ana* ʒiß. *quatuor. frig. major excort. an.* ʒi. *gummi Arabici, Tragacanthi, Amyli an.* ʒij. *Hypociſtidis, boli armenæ, Orientalis præparatæ, Cornu cervi uſti, raſuræ eboris, cicerum rubrorum an.* ʒß. *cinnamomi* ʒij. *Sacchari penidii* ℥iß. *Sacchari Canarienſis* ℥vi. *Miſce Fiat Pulvis.*

Tabidis phthiſiciſque prodeſt, ulcera enim pulmoni lenit, abſtergit, & glutinat: tenues ac ſalſos catarrhos ſiſtit, & incraſſat, faucium aſperitatem mitigat, ac defluxiones acres ad pulmones ferri prohibet.

Nonnulli hic liquiritiam, roſas, ſemen Althææ, corallia, Species diatragacanthi frigidi, aut pulmonis vulpis præparati nonnihil addunt, verùm hæc pro medici prudentis intentione quocumque tempore adjici poſſunt.

Similis ferè Pulvis exſtat deſcriptus apud Valeſcum, *Pulvis Haly* dictus, eaſdem vires cum priore obtinens, cujus deſcriptio hæc eſt

℞, *Sem. papaveris albi* ʒv. *Gummi Arabici, Amyli Tragacanthi, an.* ʒiß. *ſem. portulacæ, goſſipii, Althææ, malvæ an.* ʒiß. *quatuor. frig. major. excorticator. cydonior. mundatorum an.* ʒiiß. *ſpodii præparati, ſuccini, liquiritiæ, vel potius pulveris ejus an.* ʒiß. *Sacchari penidii ad pondus omnium, m. Fiat Pulvis.*

Notandum, Pulverum horum ſemina frigida continentium, non nimiam una vice quantitatem præparari debere, ne Pulvis diuturniore mora evadat rancidus.

Pulvis Dianthus, ex *Pharm. Londin.*

℞. *Flor. roriſmarini* ℥j. *roſar. rubr. violar. glycyrrhizæ an. Caryophylor. ſpicæ Indicæ, nucis moſch. galangæ, cinnamomi, Zingib. Zedoar. macis, ligni Aloes, cardamomi minor. Sem. Anethi, aniſi an.* ℈iiij. *Fiat. Pulvis. S. A.*

Pulvis Contra Apoplexiam, ex *Pharmac. Auguſt.*

℞. *Succini albi* ʒß. *margarit. Smaragdi an.* ʒij. *ligni Aloes, Cornu cervi prap. rad. pæoniæ an.* ʒj. *cort. citri* ʒß. *ſem. ejuſdem* ℈j. *Tabulati de extracto ligni Aloes ſacchari perlati cum ol. cinnam. an.* ℥iß. *redigantur in pollinem; qui completus à nobis efficitur, Ambræ veræ* ℈ß. *moſchi Alexandrini gr.* 5.

Animalis Vitaliſque facultatis robur eximiè tuentur ac reficiunt, unde diuturnis capitis affectibus, præſertim frigidis opitulantur, ſpiritus redintegrant, obſtructiones meatuum cerebri recludunt, vertiginem auferunt, ac paroxyſmos tam epilepticos quàm apoplecticos antevertunt ſenibus ac infirmam ætatem degentibus, familiare & conſuetum medicamentum.

Pulvis Antapoplecticus *Zwelfferi.*

℞. *Rad. doronici veri recent. coll. & ſiccat.* ℥j. *coſti dulcis, ligni Aloes ponder. Cardamom. min. an.* ʒiii. *cubebar. coriandri, aniſi an.* ʒii. *nucis moſch. Succini albi an.* ℥ß. *caryoph.* ʒiß. *Ambræ gryſeæ* ʒß. *prius cum ſem. citri excort.* ℈j. *ſubacta ol. ſtill. cinnamom.* ℈i. *Fiat ex omnibus Pulvis.*

Mira ejus eſt in affectibus cerebri & Capitis efficacia, intemperiem enim ejus humidam corrigit, ideoque Apoplecticis, Epilepticis & vertiginoſis eſt emolumento detur à ℈j. ad ʒß. & ℈ij.

Pulvis contra Apoplexiam alius ex *eodem.*

℞. *Rad. Doronici veri* ℥j. *pæoniæ mund. mar. deb. t. coll.* ʒvi. *cyperi rotundi* ℥ß. *coſti veri* ʒii. *Flor. paralyſeos, Tiliæ, Tunicæ ana recent. (ſi Tempore verno parentur)* ʒvi. *piperis longi* ʒii. *ſem. Erucæ, Sileris montani an.* ℥ß. *craſſiuſcule inciſa & conquaſſata coquantur in s. q. aquæ ſimplicis ad ramanentiam circiter* ℥vi. *decoctum coletur & alb. ovi probè clarificetur, quo cum ſolvantur Sacchari Canarii* ℥iii.

Iterum ad Conſiſtentiam tabulati leniter coquantur: ac retro fornacem tandem ; chartæ incluſum, leni calore penitus hoc ſaccharum exſiccetur, ut in pulverem redigi queat, huic in pulverem redacto adde.

Ambræ griſeæ ʒß. *vel* ʒj. *prius cum ſem. citri excort.* ʒß. *probè ſubactæ, pulv. Bezoard. cervini, ſeu pulv. ex Typhis cervi pag.* 469. *Animadv. n. edocti* ʒvi. *ligni aloes opt. ponder. rad. Doronici veri, cardam. minoris, an.* ℥ß. *ſem. Coriandri, pæoniæ excort. an* ʒij. *caryoph.* ʒiij. *nucum moſchatar. ſuccini albi præp. an.* ℥ß. *ol. ſtill. Cinamomi, ligni rhodii an* ℈j. *miſceantur exactè, fiatque pulvis ſubtiliſſimus in vitro cuſtodiendus.*

Præſtans in Apoplexia & Hemiplexia, diuturnis capitis affectibus aliis frigidis opitulatur, ſpiritus vitales & animales reficit, Apoplecticos & epilepticos paroxyſmos antevertit. Doſis ʒß. ad ʒj

Alius *ejuſdem* contra Apoplexiam.

℞. *Rad. Doronici veri* ℥ß. *pæoniæ mar. d. t. coll.* ʒii. *coſti veri dulcis, Flor. Anthos ſeu roriſmarini, lavendulæ an.* ʒiß. *Sem. Sileris montani, ocymi, caryoph. an.* ℥j. *pæoniæ excort. aniſi, coriandri an.* ʒiß. *cardamomi min. cinamomi acuti, nuc. moſch. an.* ʒij. *caryophyllor. cubebar ligni aloës pond. opt. an.* ʒiß. *ſuccini albi præp.* ʒii. *ol. ſtill. ligni Rhodii* ℈j. *Fiat omnium pulvis ſubtilis.*

Hic cum prioribus ſpeciebus Antapoplecticis in effectu & operationibus coincidit adeoque omnibus cerebri affectibus frigidis opitulatur Doſis ʒß. ad ʒj.

Pulvis Radicum Ari Compoſitus, ex *Pharmac. Londin.*

℞. *Pulv. rad. Ari,* ℥ij. *rad. acori vulgaris, pimpinellæ, ſaxifragæ an.* ℥j. *oculorum cancri* ℥ß. *cinnamomi* ʒiii. *ſalis abſinthii, & juniperi an.* ʒj. *miſce Fiat Pulvis.*

Pulvis Aromaticus Caryophillatus Meſuæ, ex *Parm. Auguſt.*

Caryophyllor. ʒvii. *macis Zedoariæ, galangæ ſandali citrini, Trochiſcor. Diarrhodon. cinnamomi, ligni Aloes, ſpicæ nardi indicæ, piperis longi, cardamomi an.* ʒj. *roſar. rubr.* ʒiiij. *glycyrrhizæ* ʒii. *Folii indici, cubebarum an.* ℈ij.

Fiat Pulvis ſubtiliſſimus ; cui, ſi completum quis deſideret addatur: Galliæ moſcharæ ʒij. Ambræ gris. ʒj. moſchi ℈iß.

Cor, Ventriculum, & reliqua nutritioni dicata membra roborat. Nauſeam & vomitum reprimit, flatus diſſipat, putredinem humorum in ventriculo arcet, atque infirmæ coctioni opitulatur.

Notandum, Confectiones has Aromaticas Ambram, & moſchum, ac Galliam, vel etiam Camphoram recipientes partim cum, partim ſine his odoratis, in uſum præcipuè mulierum, quæ uteris ſuffocationibus obnoxiæ ſunt tum & aliorum, fragrantiam vel odorem ſimilium qui non ferunt, hactenus paratas, atque ita completas & incompletas proſtare apud nos debuiſſe; cum tamen horum meliores & fragrantiſſimæ partes facilè exhalent, & ita ſpecies minus efficaces relinquant, ut in poſterum illæ, quarum uſus non adeò frequens eſſe ſolet, incompletæ tantum pro uſu noſtro conficiantur, decrevimus; odoratorum iſtorum connubio, à medico conſimiles præſcribente, rectius quovis tempore imperando

Quod ſi quis ex his confectionem in forma ſolida parare voluerit ad ſingulas drachmas ſpecierum, pro earundem conditione, cum aliæ plus, aliæ minus ſacchari exigant) ſacchari optimi ℥j. vel ʒxii. vel quantum medico neceſſarium videbitur, adjiciat, paretque ut artis eſt.

Pulvis Aromaticus Roſatus Gabrielis, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Roſar. rubrarum* ʒxv. *glycyrrhizæ* ʒvii. *Ligni Aloes, ſandali citrini an.* ℥iij. *cinnamomi electi* ʒv. *caryophyllor. macis, an.* ʒiiß. *gummi Arabici, Tragacanthi an.* ʒii. ℈ij. *nucis moſchatæ, cardamomi minoris, galangæ an.* ʒj. *ſpicæ indicæ,* ℈ij. *Fiat. Pulvis. cui pro completo addantur Ambræ gris.* ℈ii. *moſchi* ℈j.

Frequentiſſimus ejus uſus in magno humidor. excrementor. Ventriculi proventu, coctionem juvat, putredinem cohibet, ſtomachi mollitiem corrigit imbecillitatem firmat, ventrem interiorem totum & nutritioni inſervientia viſcera roborat: ventriculum diſtendentes flatus diſſipat, adpetentiam excitat, nauſeam ſedat, & ſtomachicis mirum in modum confert, convaleſcentes inſuper ac è diuturno morbo emergentes plurimum recreat.

Pulvis Arthriticus Paracelſi, è *Pharm. Schroder.*

℞. *Hermodactyl. Turpethi opt. diagryd. fol. ſenn. el. raſur. cran. vel oſſium human. ſacchari, ana.*

Vires. Purgat ſecurè & blande omnes defluxiones podogricas Doſis ʒß. ℈ij. ex aqua Ivæ Artheticæ, fragatiæ &c.

Pulvis Auratus *Zvvelſferi,*

℞. *Raſur. eboris* ℥ß. *pulv. Marchion.* ʒiij. *ſcobis auri in ſubtiliſſimum pulv. redacti* ʒiiß. *Bezoar. Orient. veri* ʒij. *unicornu marin* ʒj. *m. F. Pulvis.*

Valet in Affectibus Epilepticis &c.

Pulvis Bezoardicus Nicol. Præpoſiti, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Boli Armen. cum aceto præparat.* ℥iij. *Terræ ſigillatæ, coriandri præparati, ſpecierum diamarg. frig. rad. Tormentillæ, Dictamni vulgaris, Angelicæ, Scabioſæ an.* ʒii. *Sem. Acetoſæ, citri mundati, rutæ, cardui benedicti, Cornu cervi uſti, Doronici, charabe an,* ℈iiij. *roſarum rubrarum, Coralli utriuſque, ligni Aloes, ſerici crudi, ſandalor omnium Margaritar. oſſis de Corde cervi an.* ʒj. *Smaragdorum, Ambræ an.* ℈ii. *moſchi* ℈iiij. *croci gr.* xv. *camphoræ gr. x. Fiat Pulvis, vel cum ſyrupo è ribibus fiat in modum opiatæ.*

Adverſus peſtiferæ luis inſultus efficax. cordis vires eximiè tuetur, ſpiritus vitales fulcit, internas putredines abolet, & contagioſis quibuslibet morbis adverſatur.

Pulvis Bezoardicus Magiſtralis, è *Pharmac. Londin.*

℞. *Sapphiri, rubini, Hyacinthi, granator Smaragdor. an.* ʒj. *Terræ lemniæ, boli veræ, corall. rubri præparat. Margar. præparatar. an.* ʒij. *Zedoariæ, cornu unicorn. lapid. Bezoardici Orient. & Occident. moſchi, Ambræ griſeæ, caphuræ, junci odorati, croci optimi an.* ʒß. *ſantali citrin. ligni Aloës, Benzoini an.* ℈ij. *Philonii Magiſtralis* ℈iiij. *oſſis de Corde cervi cort. citrii granor Kermes an.* ʒß. *ol. i cinnamomi chym. nucis moſchatæ Chym. an. gut. quinque Miſce, Fiat Pulvis ſubtiliſſimus. S. A.*

Pulvis Bezoardicus alius *Zvvelfferi.*

℞. *Bezoar. Occidental* ʒiij. *Unicornu veri marini, Unicornu foſſilis albiſſ. an* ʒvi. *boli armen. ſeu terræ ſigill. n. m. par.* ℥j. *croci Auſtriaci* ʒij. *ſem. citri excorticati* ʒiß. *nucis moſchatæ* ʒij.

His

His omnibus mixtis & in pulverem redactis imprimatur ſuccus oleaginoſus quotuor pomorum Limoniorum corticum & denuo per ſe in aëre exſiccentur: fiatque Pulvis bezoardicus præſtans in febribus malignis & peſtilentialibus, à ʒß. ad ʒj.

Alius ex *eodem*.

℞. *Croci noſtri Solis in mantiſſa edocti*, ʒii. *bezoardici mineralis n. m. legitimè & recenter parati* ℥j. *his mixtis & leniter invicem ſub tegula* (*vulgo muffel per horam unam calcinatis & ſpatula continuo commotis, adde cum refrixerint. ol. ſtill. cinamomi* ʒß. *levigentur denuò hora una ſuper porphyrite lapide, tandem ſuperadde Boli armenæ n. m. parat.* ʒvi. *croci opt. Auſtr.* ʒiß.

Quibus omnibus probè mixtis imprimatur ſuccus oleaginoſus, corticum trium vel quatuor pomorum limoniorum, & leniter tandem ſiccata ſerventur pro uſu in vitro probè clauſo, Tamque ſaluberrimum Alexipharmacum & Cordiale medimamentum, cujus Doſis ℈j. ad ʒß. pro ſudore eliciendo.

Alius *ejuſdem*.

Primò paretur Bezoardicum ſolare hoc pacto:

℞. *Auri puri per antimonium purgati* ℥ß. *ſolvatur in ſpiritus Salis optimi vel aq. regis ſ. q. porro accipe butyri antimonii* ℥iß. *cui ſuperaffundatur in Alembico parvo ſpiritus nitri legit. deſtill. q. ſ. pro diſſolutione, quouſque nimirum nulla ebullitio vel ſtrepitus amplius percipiatur; quo facto, conjungantur & commiſceantur hæ duæ ſolutiones auri & butyri antimonii, ac in arena igne leni abſtrahantur ſpiritus ad ſiccitatem: materia flava in fundo cucurbitæ relicta excipiatur, inque mortario vitreo teratur, cui porro cucurbitæ vitreæ im miſſæ.*

Recent. ſpir. nitri ℥iii. *vel iiij. ſupuraffundantur, factaque aliquanti digeſtione, rurſus per arenam fortiter abſtrahantur. hæc operatio, nimirum recentis ſpiritus nitri affuſio, ejuſdemque abſtractio bis tervè repetatur, materia relicta calcinetur leniter ad horas duas ſub tegula, uſuique reponatur.*

Jam.

℞. *Bezoardici hujus aurei, unicornu foſſilis albiſſimi, bezoar. occident. an.* ℥ß. *Fiatque omnium pulvis ſubtiliſſimus, cujus doſis* ʒß. *in peſte morbiſque Contagioſis.*

Pulvis Bezoardicus *VVedelii*.

℞. *Rad. contrayerv. Terr. lemn. unicorn. foſſ. corall. prap.* ♁ *diaphor. ſuccini albi prap. à* ℥j. *C. C. philoſ.* ℥ij. *lap. Bez. occid.* ℥ß. *ol. citri* ℈ß. *miſce fiat pulvis.*

Alius *Ejuſdem*.

℞. ♁. *diaphor. ocul.* ♋. *C. C. Philoſ. an.* ℥i. *extr. Scorzoner. mont.* ℥ß. *m. F. Pulvis.*

Pulveres hi alterandi & acidum malignum corrigendi fine ſunt utiliſſimi, in febribus malignis, varioliis, dyſenteria &c. Dos ℈ß. ad ℈j. cum cinnab. nativ. ⊖c vol. C. C. anodinis &c.

Pulvis Bezoardicus ſine Pretioſis, *F. F.*

℞. *Bol. armen. ver. cum aq. Scabioſ. præparat. Terr. ſigillat. Sileſiac. rad. dictamn. alb. Tormentill. an.* ʒvi. *Angelic. gentian. petaſit. Zedoar. C. C. uſt. præparat. off. de C. C. raſur. Eboris, cort. citr. corall. rubr. prap. an.* ʒß. *M. F. Pulvis ſubtiliſſimus. Doſis ad* ʒj.

Pulvis Bezoardicus cum Pretioſis, *Francofurt.*

℞. *Pulv. modo præſcripti*, ℥j. *margar. præparat gr.* xvi. *Hyacinth. præparat. rubin. præparat. granat. præparat. Bezoar. or. an. gr.* viii. *Fol. Argent. Auri an. num.* I. *F. Pulvis ſubtiliſſimus.*

Vires. Cordialis ac diaphoreticus inſignis eſt uſusque præcipui in morbis malignis. Doſis à ℈j. ad ℈ij.

Pulvis Bezoardicus ſine pretioſis F. F. & cum pretioſis laudem merentur quoad Compoſitionem & præparationem.

Fol. autem Argent. & Auri ad oculorum blanditiem, elegantiæ conciliandæ pulveri Bezoardico cauſâ & vulgi ingentem in aurum & argentum fiduciam collocantis applauſum adduntur, ut ipſius pulveris efficacia inde etiam augeatur. Confidentia enim ægri in medicamenta, quam multi Medicorum variis conquirunt Technis, abundantem in praxi Fœlici fructum promittit. Si folia illa auri in pulvere rubro Pannonico deeſſent, hunc certè fex Urbis populus ne ullius aſſis æſtimaturus, & Medicum & Pharmacopœum inſcitiæ, aut doli nomine ſuſpectos erit facturus. *Hofmannus.*

Bezoardicus Alius *D. Charraz.*

℞. *Rad. Angelicæ, contrayervæ, ſerpentariæ Virginianæ an.* ℥ß. *lapid. Bezoar. Orientalis, pulveris viperini, Bezoardici mineralis an.* ʒiij. *unicornu animalis, margaritar. prapar. an.* ʒii. *F. S. A. Pulvis ſubtiliſſimus, permiſtiſque oleorum ſtillator. Angelicæ, corticis citri, cinnamomi an. gutt. iij. Servetur ad uſum.*

Hic Pulvis præſtans eſt remedium contra omnia venena; nam corroborando partes nobiles, malignitatem per ſudores expellit Datur in vino Hiſpanico aut aq. aliqua Cordiali. Doſis à ℈j. ad ʒj.

Pulvis Electuarii de Bolo ex *Pharmacop. Auguſt.*

℞. *Boli Armen. præp. aqua roſarum* ℥ß. *rad. Tormentillæ, Angelicæ an.* ʒij. *corallii rubri, raſuræ eboris, cornu cervi, roſarum rubr. an.* ʒiß. *Sem. melonum, Acetoſæ, citri mundati, Bombacis mund. juniperi an.* ʒj. *Aniſi, fæniculi, Cinnamomi Xylaloës, macis an.* ʒß. *Fiat Pulvis.*

Alius ſimplicior ex *eadem Pharm.*

℞. *Boli Armen.* ℥ß. *rad. Tormentillæ* ʒii. *Angelicæ* ʒj. *Sacchari ad pondus omnium fiat Pulvis.*

Uterque febribus malignis, peſtiferis, ac contagioſis potenter reſiſtit, eorumque inſultus reprimit, Spiritus extingui prohibet, eoſdemque evanidos reparat: ſudores evocat, peſtilentiis ſuis noxas dejicit.

Pulvis Cachecticus Quercetani ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Limaturæ chalybis cum Sulphure calcinatæ* ℥j. *fæculæ radicum Ari, Ambræ griſeæ an.* ʒiß. *corallior. margaritar. præparat. an.* ʒij. *cornu cervi Philoſophicè præparati, Cinnamomi an* ℈iiij. *ſacchari ad pondus omnium. Fiat Pulvis.*

In curanda omnis generis cachexia, & depravatorum humorum colluvie educenda, præſentaneum eſt remedium, leucophlegmatiam, & morbum virgineum feliciter curat, pallorem vitioſumque colorem tollit, maſſam ſanguineam utriuſque ſexus purificat, & à variis corruptionis tutam præſtat.

Pulvis hic à Quercetano deſcriptus, et a n ſine Ambra, incompletus ideo dictus, in officinis noſtris proſtat:

ſtat, pro illis, quibus tenuiores facultates Ambræ uſum denegant; tum & odor ejus adverſus eſt.

Pulvis Cachecticus *Ludovici.*

℞. Pulv. Antimonii electi ℥vi. limaturæ martis puræ ℥iiij. nitri depurati ℔iiß. in crubibulo benè ignito fiat continuam inter agitationem, detonatio; materia exempta, rejectis circa oras crucibuli ſcoriis adhærentibus edulcoretur & exſiccetur.

Præſtans eſt medicamentum in Cachexia, ictero, dyſenteria maligna, & eriſipelate.

Pulvis Diacalaminthes Galeni ex *Pharmac. Auguſt.*

℞. Piperis ℥vi. Cardamomi ℥ij. comarum Thymi, ſem. Apii. an. ℥ß. ſeſeleos Maſſilienſis, pulegii montani ſem. petroſelini Macedonici, Calaminthæ montanæ an. ʒij.

Famoſum hoc Galeni medicamentum deſcribitur ab Autore Lib. 4. de tuenda valetudine, quo is utebatur in ulceroſo dolore, cùm crudorum ſuccorum copia extra venas & in corporis habitum recepta erat: utile eſt medicamentum ad Thoracis & ſtomachi vitia, tuſſim à frigido excitatam, ac præcordiorum & pectoris refrigerationem; ſenibus & quartanariis confert, difficulter coquentes adjuvat, craſſos & lentos humores tenuat, flatus craſſos diſcutit, urinam ac menſes movet, qui præcipuè ex vaſorum à craſſis & lentis humoribus oborta obſtructione retinentur.

Pulvis Diacalaminthes Meſuæ, ex *eadem Pharmac.*

℞. Cinnamomi tenuis ʒv. Caſſiæ ligneæ, rad. enulæ an. ℥ß. galangæ ʒvii. caryophyllor. piperis longi, Zingiberis, Cardamomi utriuſque, macis, nucis moſchatæ, ligni Aloes an. ʒiij. Croci ʒj. Sacchari albi ʒv.

Concoctionem juvant, pituitæ putredinem prohibent, ac alimenti in Corpus diſtributionem promovent.

Pulvis ad Calculum, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Radicum ſaxifragiæ albæ, petroſelini, pimpinellæ, liquiritiæ, ononidis an. ʒij. baccarum Alkekengi ℥ß. juniperi ʒj. ſemin. milii Solis, fœniculi, erucæ, dauci cretici, violar. purpurear. an. ʒj. lactucæ, papaveris albi, quatuor frig. major. excorticatorum, hyoſciami albi an. ʒß. herniariæ Hollerii ʒj. gummi ceraſor. nigror. ʒij. Tragacanthi ʒj. Terebinthinæ ad duritiem in aqua malvæ coctæ ʒij. Magiſterii oculor. cancri, Salis ſuccini an. ℈j. Lapid. judaici præp. ſpongiæ præparat. nephritici præpar. an. ʒj. Cantharidum gr. vi. ſacchari cantii ℥ii. miſce.

Compoſitionem hanc pulveris ad calculum multa ſibi experientia probati, D. D. Marcus Banſerus Auguſtanus, facultatis Medicæ in Illuſtri Academia VVitebergenſi olim profeſſor, Collegii Medici Decanus & Senior, Libro huic inſerendam quondam communicaverat.

Ad Calculum alius ex *eadem Pharm.*

℞. Sem. milii Solis, ſaxifragiæ an. ʒj. lactucæ, hyoſcyami, papaveris, albi an. ℈iiß. glycyrrhizæ ℈iiij. Trochiſc. de Halicacabo ʒiß. rad. pimpinellæ, ſem. geniſtæ an. ʒß. Sacchari ℥iiß. fiat pulvis.

Datur nephriticis & calculoſis ad renum arenulas exturbandas, & ureterum obſtructiones levandas ex aqua malvæ aut ononidis.

Pulvis Cardiacus Magiſtralis, è *Pharm. Londin.*

℞. Lapid. bezoart. Orientalis, oſſis de Corde cervi an, ʒiß. corallii albi, rubr præparat. ſuccini albi, perlar. præp. cornu cervini præparat. raſuræ eboris, Boli Orientalis, Terræ Germanicæ, ſamiæ, lemniæ, raſ. ungulæ alcis, rad. Tormentillæ an. ʒj. ligni Aloës, corticum citri, rad. Angelicæ, Zedoariæ an, ℈ij. fol. Auri num. viginti, Ambræ gryſeæ ℈j. moſchi grana ſex. miſce & fiat Pulvis.

Pulvis ad Caſum, è *Pharm. Auguſt.*

℞. Terræ ſigillatæ, ſanguinis Draconis, mumiæ an. ʒii. ſpermatis ceti ʒj. Rhabarbari ʒß. miſce, fiat Pulvis.

Propinatur præcipitatis, ruptis, contuſis, fractis, ex vino adſtringente, vel cui incocta fuerint, quæ ſtringendi vim habent, ut roſæ, balauſtia, cytini, malicorium, myrti & rubri cacumina, Sumach, & id genus alia, hoc in vino intincta lintea & expreſſa, calida laboranti circumvoluta, omnem ex ictu & præcipitio offenſionem curant. Quidam reliqua ſimplicia ex Avicenna ſubdupla Rhabarbaro faciunt, etſi æqualia quoque eſſe poſſint.

Alius ad Caſum Zvvelfferi.

Sanguinis dracon. opt. ℥ß. Hirci modo ſupra edocto parati. oculor. cancrorum præp. Terræ ſigillatæ ſeu boli armenæ an. ʒvi. myrrhæ rubræ ℥ß. nucis moſch. ʒiij. fiat Pulvis.

Prodeſt præcipitatis ab alto, & quibus ſanguis in corpore coagulatus hæret; ruptis item contuſis, fractis: vel in vino, vel juſculo aut aqua cherefolii, vel Card. mariæ propinatus. Doſis ʒß. ad ʒj.

Pulvis Cathæreticus pro Oſſibus Cloſſæi, è *Pharm. Schroder.*

℞. Rad. irid. Ariſtol. rot. Euphorib. an. ʒß ſabin. ſicc. alum. uſt. Mercur. præcipitati an. ʒj. ceruſs. myrrh. an. ʒii. olei garyoph. ℈j. M. F. pulvis quo aſpergatur os carioſum, carne denudat. & aq. aluminis prius ablutum.

Pulvis Cephalicus Francofurtenſium, è *Pharm. Schroder.*

℞. Cinamom. ℥ii. rad. pæoniæ, ſem. pæon. exc. citri exc. an. ʒx. ℈ii. Zinzib. Cubebar. caryophillor. macis an. ʒv. ℈ij. ſpec. cordial. Arom. garyoph. an. ℈viii. diamoſch. dulc. ſpec. diambr. an. ʒiß. gran. vi. nuciſt. num. ij. F. Pulvis.

Vires. Calefacit caput, exiccat catarrhos, ſpiritus animales & vitales purificat, corroborat, adeoque balſamo nativo inſigniter confert. Doſis à ʒß. ad ℈ij. vel ʒj.

Species Cephalicæ F. F. ſequenti modo compoſitæ majoris erunt virtutis. Recip. cinamom. el. ℥ij. rad. pœoniæ ℥iij. Zinziber. cubebar. an. ℥iß. ol. de caryophyll. macis an. gutt. xx. ol. expreſſ. nuc. moſch. ℈j. moſchi el. gr. xij. Ambræ gryſ. gr. xviii. M. F. Pulvis noſt. poſſunt etiam admiſceri illorum extracta. *Hofmannus.*

Pulvis Cephalicus *Zvvelfferi.*

℞. Ambræ gryſeæ ʒj. ſubigatur probe cum ſem. citri excort. pæoniæ excort. an. ʒß. moſchi opt. Orient. ℈j. ſoluti ad pulticulam cum aquæ flor. Arantior. particula in mortario ſubigendo, ol. ſtillat. Cinamom. ℈j. Caryoph. ℈ß. ligni rhodii ℈j. prius cum Sacchari albiſſ. pulv. ℥j. commixtorum, pulv. ligni Aloes opt. gum. rad. doronici veri, nuc. moſchatarum, Cardamomi min. ſucc. Albi præp. an. ℥ß. F. Pulvis ſubtilis in vitro probe clauſo cuſtodiendus. In virtute & Doſi cum aliis ſpeciebus apoplecticis & Cephalicis coincidit.

Pulvis è Chelis Cancrorum Compoſitus, ex *Pharm. Londin.*

℞. Margarit. præparat. oculor. cancri, coralli rubri

rubr. ſuccini albiſſimi, cornu cervini Philoſophicè præparati. Lapidis Bezoardici orient. an. ℥ß. pulveris ex apicibus nigris chellarum cancror. ad pondus omnium. Fiat Pulvis ſ. a. qui gelatinâ è viperarum noſtratium ſpoliis extracta excipi poterit, vel inde poma parva efformari, cautè ſiccanda & in uſum aſſervanda.

Pulvis hic eſt de pulverum Berzoardicorum familia, ſuper quo vid. rurſus quæ habentur in ſequentibus ſub titulo Pulveris Comitiſſæ de *Kent.*

Pulvis Granorum Chermes compoſitus, è *Pharmac. Londin.*

℞. *Granor. chermes* ʒj. *nucis moſch.* ℈ij. *rad. Tormentillæ, ſantali citrini an.* ʒiß. *caryophyll. margaritar. præpurat. corallii utriuſque præp. an.* ℈j. *Folia auri n. tria ſacchari Tabulati perlati, utendi Tempore addendi* ʒiij. *Fiat pulvis.*

Pulvis Cholagogus ſimplex, è *Pharm. Auguſt.*

℞. *Scammonii electiſſimi* ℥iij. *aut quantum vis.*

Craſſiuſculè tere & ſupra chartam bibulam tenuiter ac æqualiter expande, mox ſuperimpone crati, ſub quo carbo ſit vivus, in quem injice ſulphur ſuffumigetur ſcammonium, & charta tandiu teneatur ſupra fumum uſque dum ſcammonium liquefieri, & chartæ adhærere incipiat: cave ſolum nè comburatur; ideòque à fumo remove, ſicque calcinatum ſerva.

Pulvis Cholagogus inſuccatus ex *eâdem Pharm.*

Hoc ſcammonium modo dicto præparatum infunde in mucharo roſarum bis, & exſicca.

Pulvis Cholagogus Quercetani, è *Pharm. Schroder.*

℞. *Rhabarb. elect.* ℥iij. *Fl. violar.* ʒij. *roſar. pallid. hyperic. an.* ʒj *ſpec. diatron. ſantal. maſtiches, cinnamomi an.* ℈ß. *dyagrid.* ℈j. *ſacchar.* ℥ß. *m. F. Pulvis. Doſis* ʒj.

Pulvis è Cineribus Avicennæ, ex *Parm. Auguſt.*

℞. *Cinerum vitri, ſcorpionum, rad. braſſicæ, leporis, putamin. ovorum è quibus pulli fuerint excluſi, Lapidis ſpongiæ, Sanguinis hirci præparati, Lapid. Iudaici, gummi juglandis, Acori an.* ʒj. *petroſelini, dauci, pulegii, gummi Arabici, ſem. althææ, piperis nitri an.* ʒiß. *Terantur & ſimul miſceantur.*

Priore longe validior, urinas magis promovet & calculos potentius educit, nec niſi conſideratè uſurpandus.

Pro Gummi Juglandis, ceraſorum commodiſſimè ſubſtituitur.

Pulvis Diacinnamomu Meſuæ, ex *eâdem Pharm.*

℞. *Cinnamomi tenuis* ʒxv. *Caſſiæ ligneæ, rad. enulæ an.* ℥ß. *galangæ* ʒvij. *caryophyllor. piperis longi, Zingiberis, cardamomi utriuſque, macis, nucis moſchatæ, ligni aloës an.* ʒiij. *croci* ʒj. *ſacchari albi* ʒv.

Concoctionem juvant, pituitæ putredinem prohibent, ac alimenti in Corpus diſtributionem promovent.

Pulvis Comitis de VVarvvich è *Pharmac. Auguſt.*

℞. *Colagogi ſimplicis* ℥ij. ʒii. *Antimonii præparati, id eſt, diaphoretici* ℥ß. *cremoris Tartari cryſtallini* ℥ß. *fiat. Pulvis.* dos. ℈ß. ad ℈j ad ℈iv.

Pulvis hic ſumptus etiam ſi mole parvus ſit, virtute tamen maximus exiſtit, citò, tutò, & jucundè operatur, humores peccantes blande educit, vitia ventriculi, nauſeam, anorexiam corrigit, bilioſos affectus curat, febrili inprimis fomiti expurgando per quam idoneus; à Marco Cornacchino Profeſſore Medico Piſano, commentario doctiſſimo in lucem productus eſt.

Pulvis Comitiſſæ de Kent, alias Anglicus, *Lexic. Pharm. D. Iuncken.*

℞. *Apicum nigr. chelarum cancrorum, Junio captorum. & in pollin. redact. rad. contrayerv. an.* ℥ii. *margarit. corall. r. Alb. ocul.* ♋. *cum ſucco limon ſuprà marmor ſimul levigatorum, & ſiccat. ſuccini albi, cryſtallorum cum* ∇. *roſar. ſubtil. trituor. & ſiccat C. C. opt. calcinat. & cum ſucco citri levigati & ſiccati an.* ℥i. *Bezoar. Occident. Terr. lemn. an.* ℥ß. *ceruſſ.* ♉ ℥ii. *Ambr. gryſ.* ʒiß. *moſchi* ℈ß. *miſceantur omnia exactè & cum gelatina è ſpoliis viperarum & C. C. cum aquâ cardui facta, & croco leviter tinct. q. ſ. fiant globuli cautè ſiccandi.*

D. *Charas* hanc tradit ejuſdem deſcriptionem in ſuâ *Pharm. Regiâ.*

℞. *Extremitatum nigrarum pedum majorum cancrorum Marinorum,* ℥iiii. *ocul.* ♋. *fluviat. margaritar. Oriental, Corallorum rubr. præp. an.* ℥i. *ſuccini albi, radicis contrayervæ Virginianæ an.* ʒvi. *Lapidis Bezoar. Oriental.* ʒii. *oſſis de corde cervi* ℈iiii *croci* ℈ii. *omnia ſubtiliter pulveriſata irrorentur, ſpiritus mellis* ℥ß. *deinde excipiantur gelatina viperina, & fiant Trochiſci in umbra ſiccandi & uſus tempore pulveriſandi.*

Pulvis alius Comitiſſæ de Kent à D. Digby D de Monconis communicatus in hujus Itinerario Belgico deſcribitur qui cum priori ferè coincidit, ſcilicet in hoc tantùm differt quòd loco margaritar. & corallor. eorundem Sal adhibetur, quòdque extractum croci ipſi croco ſubſtituitur: Omnes autem hæ compoſitiones ſunt Alexiteriæ ac Bezoardicæ, ut jam ſupra in Pulvere è Chelis Cancrorum diximus.

Pulvis ad condienda Cadavera, vid ſub titulo *Balſamatio.*

Pulvis, ſeu Species Cordiales temperatæ ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Ligni Aloes, ſpodii ex ebore an.* ʒj. *cinnamomi, caryophill. oſſis de corde cervi, doronici, Been utriuſque an.* ʒiß. *margaritar.* ʒvi. *ſerici crudi toſti, corallorum rubrorum, alborum an.* ʒii. *Hyacynthi, ſmaragdi, ſapphiri an.* ʒß. *croci* ℈j. *folior. Auri, argenti an. numero x. miſc. quibus addimus Ambræ, moſchi an.* ʒß; *ut fiant ſp. completa.*

Cor roborant, animi deliquio medicantur, nec non in peſtilente lue commendantur.

Species Cordiales Alexandri Benedicti ex *eadem Pharmac.*

℞. *Margaritarum, granatorum orientalium, ſpodii de Ebore, cinnamomi, Tormentillæ, Boli Armen. an.* ʒiii. *Terræ lemniæ* ℈viii. *ſandalor. omnium, raſuræ eboris, unicornu an.* ʒii. *Hiacinthi, Sapphiri, Corallii utriuſq; ſuccini albi, valerianæ veræ, dictamni Zedoariæ, Ligni aloës an.* ʒi. *ſerici crudi toſti* ℈ii. *oſſis. de corde cervi* ʒß. *Been utriuſque an.* ℈ij. *foliorum Auri num.* 5. *in pulverem redigantur & miſceantur. Completa fiunt, ſi jungantur Ambræ, moſchi an. gr. x.*

Febribus peſtilentibus & malignis adverſantur, humores putreſcentes corrigunt, aut eos corrumpi prohibent; Spiritus vitales plurimum reficiunt, ac cordis vires tuentur; unde etiam nomen confectionis Cordialis obtinuit, ut quæ omnem penè noxam cordi adverſam disjiciat & expellat.

Pro unicornu duplum hic pondus cornu cervini uſti & præparati ex apicibus deſumti, pro oſſe verò de corde cervi ſicut in aliis quoque ejuſmodi compoſitionibus, margaritas præparatas ſubſtituere quondam conſuevimus; utrique tamen cornu cervi ſpagiricè præparatum ſubrogari poteſt.

Pulvis, ſeu Species Diacubebarum, ex *Pharm. Schroder.*

℞. Santal. trium an, ℥ß. Spod. præparat. raſ. ebor. an. ʒiij. Sem. Amomi, cubebar. an. ℥j. F. pulvis.

Vires. Aperit & confortat hepar.

Pulvis Diacuminu Nicolai, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Cumini prius per diem naturalem in aceto infuſi, & rurſus exſiccati ℥j. ℈j. Cinnamomi, caryophyllor. an. ʒiij. ℈ij. galangæ, ſatureiæ, Calaminthæ, Zingiberis, nigri an. ʒj. ℈ij. Ammeos, Liguſtici an. ʒj. ℈j. gr. vi. piperis longi ʒj. ſpicæ, nucis moſchatæ, cardamomi an. ℈iiß.

Thoracis præcordiorum, ventriculi, & viſcerum imbecillitati à frigida cauſa natæ, atque oxiregmiæ opitulantur, ſtomachicis conveniunt, inteſtinor. flatus diſſipant, hypochondrior. diſtentionem à nimia cruditate, & flatibus profectam auferunt, viſcera calefaciunt, & concoctionem miré juvant, difficultati itidem ſpirandi, & Tuſſi ex frigidis craſſiſque humoribus ortę, auxilio ſunt, nec non inflatis, colicis, & quartanariis plurimum proſunt.

Si quis ſpecies has præparare voluerit, cuminum abſque infuſione iſta præparatum, ſed in pulverem tantùm contritum ut ſumat, præſtabit; id quod etiam in Dioſpolitico Gal notandum erit.

Pulvis Diacurcuma Meſuæ, ex *eadem Pharm.*

℞. Croci, Aſari, ſem. petroſelini Macedonici, dauci, aniſi, apii an. ℥ß. Rhabarb. mei, phu, ſeu valerianæ majoris, ſpicæ indicæ an. ʒvi. ſcolopendrii ſeu ceterach ʒiiß. coſti, mirrhæ, caſſiæ ligneæ, ſchænanthi, carpobalſami, rubiæ, ſucci Abſinthii, Agerati, olei caryophyllor. an. ʒij. calami Aromatici, cinnamomi an. ʒiß. ſcordii veri, ſucci glycyrrhizæ an. ʒiiß. Tragacanthi ʒj.

Medicamentum hoc quod nonnullis διὰ κρόκου, aliis διὰ ἐρυθροδάνου inſcribitur, viſcerum internorum, ventriculi nempe, hepatis & lienis morbis frigidis ac diuturnis ſubvenit. Uſurpatur ad cachexiam, & hydropem, obſtructiones enim internas reſerat, colorem corporis fœdum, & totum ejus habitum frigidiorem corrigit, frigidam item & humidam ſtomachi intemperiem emendat, flatus craſſos diſſipat, humorumque corruptionem prohibet, renum quoque vitiis ab obſtructione craſſorum & viſcidorum humorum natis opem fert, urinam prolicit, ac frigidis veſicæ affectibus medetur.

Pulvis Diaconitem ſine ſpeciebus; ἄδηλον, ex *Pharm. Bauderoni.*

℞. Roſar. rubr. ℥ß. Trium ſantalor. & coriandi præp. an. ʒij. ſeminum Acetoſæ, portulacæ, berberis, corticc. granor. ſumach, gummium Arabici & Tragacanthi, an. ʒj. maſtiches, ſanguinis dracon. in lachrymis, ſuccini, vulgo carabe, & ſpodii Arabum an. ʒß. caphuræ gr. iiß. Fiat Pulvis uſui reponendus.

Pulvis Cyprius pretioſus *Zwelfferi.*

℞. Muſci vel uſneæ quercinæ electæ & ab omnibus impuritatibus lignoſis mundatæ ℔ii.

Immittatur ſacculo & per horæ quadrantem baculo diſcutiatur, ut ab omni pulvere ex ſordibus adhæſibus penitus liberetur; hinc ollæ immittatur, ſæpius aqua ſimplici ſuperfuſa lavetur, per duos dies, donec aqua limpida & pura, prout effuſa fuit, effundatur; ſiccetur, deinde in Sole ſupra linteum collocata, ut eo magis ſuo colore, odore & ſapore, vi nimirum attractrice Solis privetur. Porro hæc eadem uſnea ſuo colore viridi & omni odore jam privata, ac probè ſiccata cum floribus roſarum & jaſmini (vel floribus Arantiorum & citri ubi illorum eſt proventus) recentibus & integris ſexies velocties ſtratificetur, & junctim pondera aliquo in cribro comprimatur; ſingulis diebus floribus ab uſnea ſeparatis, & recentibus ſubſtitutis, donec flagrantiſſimo imbuatur odore. Poſt, leniter exſiccata uſnea & in pulverem ſubtiliſſimum redacta, denuò, ſi fortè odorem deperdat in leni exſiccatione, (quæ tamen nunc in Sole fieri non debet, ſed alio in loco tepido) linteo ſubtili vel ſacculo largo impoſita, intra ſupraque floribus ſupradictis recentibus conſpergatur, ac pondere aliquo in cribro nonnihil aggravetur. Huic pulveri tandem fragrantiſſimo pro quavis Libra una adde.

℞. Moſchi ℈j. vel ʒß. ſoluti in ſpirit. roſar. fragr. ſ. q. ad pulticulæ formam, Ambræ gryſeæ itidem ʒß. ſolutæ in ol. ſtill. roſar. veri ℈j; vel in ol. jaſmini aut arantiorum, prout ex Italia affertur, ʒß. item, ſi lubet pulv. rad. ireos, flor. Albiſſ. ℥iß. Cyperi rotund. ℥iß.

Fiat Pulvis fragrantiſſimus regius, qui quando capiti inſpergitur, odore ſuo grato inſigniter illud roborat, ſuaque adſtrictione, ſiccitate atque vi attractrice omnes ejus ſordes exſiccat: & cum nulla viſcoſitate polleat nec cuti, neque capillis firmiter adhæreat, facilè à capite & ejus capillis avelli poterit.

Pulvis de Cypero Odorificus, ex *Pharmac. Schroder.*

℞. Rad. ireos flor. ℥iß. cyperi rotund. Acor. an. ʒij. lign. ſantal. citr. ʒß. rhodii ʒj. ℈ij. ſpec. diambr. ʒij. Troch. gall. moſch. ℈ß. Ambr. gran. xii. Fiat Pulvis.

Vires. Pulvis eſt odorifecus, confortans ſpiritus vitales & animales.

Pulvis contra defluxiones Francofurt. ex *Pharm. Schroder.*

℞. Maſtich. Alb. ſuccin. in fragm. ſumm. ſabin. rut. oliban. ſem. cann. an. ℥iv. ſtæchad. citr. vii. m. F. Pulvis groſſus.

Pulvis ad Dentifricia Moſchatus, ex *Pharmac. Auguſt.*

℞. Pumicis ℥ij. oſſis ſepiæ, ʒvi, coralli rubr. præparati ʒj. radicis ireos ℥j. Moſchi, Zibethi an. ℈ß. olei ligni rhodii, nucis moſchatæ deſtillati an. gutt. iiij. caryophyllor. gutt. iij. miſce, lege artis.

Mucoſos dentes à ſordibus purgat, eoſque dealbat ac mundificat, gingivas quoque ſtringit, & dentium radices firmat.

Dentrifricius alius ex *Pharm. Schroder.*

℞. Silic. fluviatil. calcin. ℥iij. lap. pumic. præparat. ℥ß. rad. ireos flor. ʒij. ol. ſtillat. ros. ℈ß. vel ex lign. rhod. fiat pulvis ſubtiliſſimus.

Vires. Exterget dentes Fœtorem oris emendat.

Dentifricii pulveres fiunt potiſſimum ex pulveriſatis corallis, calcinatis oſſibus, Cornibus, Lapidibus cruſtaceis, radicibus ireos, cruſtâ panis toſta, ſalibus uſtis, cinerib.

Alius ex *eâdem. Pharmac.*

℞. Farin. laterum rubrorum ℥ß. imbibatur per vices Spiritus Sulphur. pari quantitate & fiet pulvis cui addes Tart. vini alb. ʒij. panis ad nigredinem uſti

uſti ʒij. *m. F. pulvis, quo dentes nigrore aut virore infecti confricentur, & vino calente abluantur.*

Pulvis Dyſentericus Joan: Langii, è *Pharmac. Auguſt.*

♃. *Maxillarum lucii cum dentibus, priapi cervi, corticum granatorum, cornu cervi uſti, Boli armenæ, ſeminum lapathi an. unc. j. Fiat pulvis.*

Ad omnes alvi fluxus, Diarrhœam, Lienteriam & in primis dyſenteriam magnæ eſt efficaciæ.

Dyſentericus alius *Zuvelfferi.*

♃. *Flor. ferri præpar. unc. j. oculorum cancrorum præpar. nuc. moſch. rad. Tormentill. an.* ʒß. *flor. roſar. rubr. balauſtior. croci Auſtr. an.* ʒij. *fiat omnium pulvis.*

Ad omnes alvi fluxus immoderatos, diarrhœam, lienteriam, præcipuè verò dyſenteriam, ſiſtendos, præſentaneum eſt remedium atque virtutis efficaciſſimæ. Doſis ʒß. ad ʒj.

Dyſentericus alius Crollii, è *Pharmac. Schrôder.*

♃. *Succin. ſang. dracon. lapid. hæmatit. corall. rubr. ſemin. portulac. plantag Anthor. radic. Tormentill. Terr. ſigillat. an* ℥ij. *balauſtior.* ℥j. *nuciſt. numer.* IV. *cinamom.* ℥ß. *croc.* ♂ *adſtringent. Talc. calcinati. matri. perlar. calcinat. ana.* ℥j. *lapides lævigentur, reliquiſque minutiſſimè tritis addantur.*

Vires. Valet in omnibus profluviis alvi, menſtruorum narium &c. Doſis ad drach. j. ad drach. iſs. vel drach. ij.

Pulvis Dyſentericus Crollii nihil animadverſione dignum habet; interim tamen ſequens Dom. D. Johannis Michaelis non minoris eſt ponderis.

♃. *Pulver. lapid. hæmatit. lib* I. *C. C Antimonio uſti. croci martis adſtring. an.* ℔ß. *magiſter. corall. cum ſucco citri* ℥ii. *medull. lapid.* ℥iii. *M. F. pulvis. Doſis* ℈j. *ad* ʒß.

N. In dyſenteria epidemica ſolitus eſt addere epata ſerpentum exſiccata. *Hofmannus.*

Pulvis ad Dyſtokiam; vid. *Pulvis Partum provocans.*

Species Electuarii Ducis ex Nicolao *Pharmac. Auguſt.*

♃. *Sem. Aniſi* ʒij. *gran.* XVI. *glycyrrhizæ, maſtiches an.* ℈ij. *gr.* 5. *chamædrios, cinnamomi, zingiberis albi, galangæ, ſemin. fœniculi, carvi an.* ℈j. *gran.* XV. *caſſiæ ligneæ, calaminthæ, pyrethri, piperis albi, longi, cyperi rotundi, ſchœnanthi, rad. ireos, Folii, Aſari, ſem. dauci, Amomi an.* ℈j. *ſpicæ indicæ, croci, gummi Arabici, Tragacanthi, calami aromatici, cubebar. caryophyllor. carpobalſami cardamomi, baccar. juniperi, rad. pentaphilli, Acori, rhabarbari, nucis moſchatæ, Xylaloës, Baſilici caryophyllati, ſem. Anethi, liguſtici, petroſelini Macedonici & noſtratis, ſeſeleos, Aſparagi, citri, Ammeos, milii ſolis, ſaxifragiæ ſeu pimpinellæ, ſcariolæ, quatuor frigidor. majorum, Been utriuſque, ſtyracis calamitæ ana.* ℈ß. *gran.* 5. *ſacchari penidii* ʒiii. ℈iiß.

Cruditatem, inflationemque ventriculi & inteſtinorum corrigunt, colicos etiam, ac iliacos curant; præterea calculos expellunt, & urinam remorantem potenter promovent.

Species Electuarii Juſtini ex Nicol. *Pharmac. Auguſt.*

♃. *Cinnamomi, Folii, coſti, ſpicæ indicæ, caſſiæ ligneæ, Ariſtolochiæ rotundæ, longæ, Enulæ, pentaphilli, hyſſopi, pulegii, Artemiſiæ, piperis albi, baccar. juniperi lauri, ſem. orobi veræ. petroſelini, leviſtici, petroſelini Macedonici, urticæ, milii ſolis, ſaxifragiæ, aſparagi, ſileris montani, apii, Anethi, rutæ, citri, fœniculi, Aniſi an.* ℈iß.

Ad dolorem renum minuendum haud incommodum medicamentum, calculos atterit, ac urinæ difficultati ſuccurrit.

Pulvis Antepilepticus de ſecundina, è *Pharm. Schrôder.*

♃. *Secundin. puelli primogeniti exiccat.* ℥ß. *cranii maris calcinat.* ℥j. *pulv. pullorum corvi,* ℥ij. *coagul. lepor.* ʒj. *raſur. C. C.* ʒj. *caſtor.* ʒß. *ſuccin. albiſſ.* ℥ij. *viſc. quern. lun. decreſc. collecti,* ʒß. *granor. & rad pæoniæ ante novilunium collect. an.* ʒß. *Ambr. gryſ. moſch. an.* ℈ß. *ſpec. Dianth. Diapleres Archont. lætific. Galen. margarit. præp. corall. præpar. an* ℈j. *F. pulvis ſubtiliſſimus.*

Hofman. Pulvis Antepilepticus de ſecundina.) hic in veneno epileptico domando & extirpando ſingularis eſt virtutis, unde pro arcano quaſi reſervandus fuiſſet, multiplici uſu illum probatum expertus fui.

Antepilepticus alius Diaphoreticus, ex *eadem Pharm.*

♃. *Cinnabar. Antimonii purificat. Magiſt. Corallor. perlar. cran. human. ana. F. pulvis ſubtiliſſimus.* Doſis à gr. 10. ad 16. bis in ſeptimana exhiberi poteſt. *Hartmann.* in pract. Sennert. inſtit.

Antepilepticus alius *Weichardi.*

♃ *Rad. pæon. decreſcent. lun. collect.* ℥j. *ſem. pæon. maſc. excort.* ℥ß. *ung. Alcis* ʒiij. *ſuccin. alb. C. C. uſt. præp. an.* ʒij *margar. præp. corallor. rub. præp. an,* ℥j. *ſtercor. pavon.* ℈iv. *Lap. Bezoar or.* ʒj. *unicorn. veri* ℈ij. *limatur.* ☉ *ungar.* ʒj. *croc.* ℈j. *manus chr. perlat.* ℥ß. *Fiat pulvis ſubtiliſſimus addendo ol. ſtill. macis* ℈ß. *Doſis à* ℈ß. *ad* ʒß.

Pulvis Epilepticus Weickardi, ob ſpecifica antepileptica ingredientia crebriori uſu experta non poteſt non ſummam mereri laudem, cujus virtutem etiam cardiacam exaltat limatura ☉ Ungarici, quæ etiam pulverem de Pozis ingreditur, & deſcribit Zvvelferus in Pharmacop. reg. pag. 317. magno extollens ob ☉ limaturam præconio, eo quòd vires exerat præſtantiſſimas. *Hofmannus.*

Antepilepticus alius *D. Charras.*

♃. *Secundinæ mulieris ſanguinei temperamenti, marem primiparæ, ſiccæ & membranis purgatæ* ℥i. *rad. pæoniæ flore albo & ſeminis ejuſdem an.* ℥ß. *raſuræ cranii hominis morte violenta perempti, raſuræ unicornu, & ungulæ alces, viſci quercini, radicis valerianæ ſylveſtris & vincetoxici an.* ʒiij. *margaritar. & corrallii rubri præpar. lapidis contrayervæ, ſuccini albi, ſem. galegæ an.* ʒii. *moſchi Orientalis, Ambræ griſeæ an.* ℈j. *m & Fiat pulvis ad uſum.*

Hic pulvis optimos producit effectus in paroxyſmis ut & in ipſa curatione Epilepſiæ. Datur in aquis cephalicis à ℈ß. ad ʒß. admiſcetur, etiam electuariis ſolidis & liquidis ut & compoſitionibus aliis, uſum pro exigentia continuando.

Hhb Pulvis

Pulvis Epilepticus minus pretioſus. è *Pharm. Noriberg.*

℞. *Rad. pœoniæ juſto tempore effoſſ.* ℥ij. *dictamni alb.* ℈iv. *viſci querni* ʒiß. *cubebar. coriandri præparati an.* ʒß. *nucis moſchatæ* ʒj. *Fiat pulvis.*

Epilepticus alius rubeus, ex *eadem Pharmacop.*

℞. *Cinnabaris nativæ præp.* ʒij. *Feculæ radicum pœoniæ*, ʒj. *magiſterii perlar. corallior. rubrorum, cornu cervi, raſuræ Eboris, cranii humani an.* ʒß. *lapidis Bezoar. Orientalis*, ℈ß. *moſchi gran. ix. Fol. Auri num. xii. Miſce fiat pulvis.*

Præparatur etiam ſine moſcho.

Epilepticus alius *Zvvelfferi.*

℞. *Pulv. ex Typhis cervis ritè juxta n. deſcript. in Animadv. pag.* 467. 468. *parati* ℥ß. *unicornu veri marini, cranii hominis ſuſpenſi raſpati, Bezoar. Occidental. lapid. carpion. ſublun. ſupra eorum oculos repertibil. an* ʒj. *vermicul. in ſpongiis cynosbat. inventorum* ʒß. *ol. ſtill. cinamom.* ℈j. *caryoph.* ℈ß. *magiſt. ſolub. matris perlar.* ℥ß. *fiat omnium pulvis ſubtilis.*

Prodeſt Epilepticis & Apoplecticis. Doſis ℈j. ad drach. ß.

Alius ex *eodem.*

℞. *Nucl. ceraſ. nigror.* ℥ß. *ſem. pæoniæ excort.* ℥ii. *citri excort. bardanæ an.* ʒiß.

Contundantur ſubtiliſſimè in mortario addita ſemper particula. Aquæ flor. Arantiorum, ad pultis formam, ut per ſetaceum tranſmitti poſſit: cui adde parum etiam conquaſſata ſequentia: nempe.

℞. *Rad. pæoniæ d. t. collect. doron. veri an.* ʒiij. *viſci quercini, nuc. moſchat. cardamom. min. croci Auſtr. an.* ʒj. *ſuccini alb præp.* ʒiij. *magiſt. ſolub. corall. rub.* ʒij. *cranii humani raſpat.* ʒiij. *ol. ſtillatit. cinamom.* ℈j. *ligni rhodii*, ℈j. *Fiat omnium pulvis ſubtilis.*

Efficax in epilepſia & aliis cerebri affectibus Datur à ʒß. ad ℈ij.

Alius ex *Eodem.*

℞. *Croci Auri cum Tinctura Antimonii fermentati drach. ij. unicornu foſſilis albiſſimi, unicornu marini ſcil. quod pro vero unicornu habitum fuit, nunc vero levi pretio venale proſtat tanquam maris ſoboles, an.* ℥ß. *cranii hominis ſtrangulati raſpati* ʒj. *pulv. ex Typhis vel ſaltem junioribus lanugineſis & mollibus adhuc cervorum cornubus, n. m. edocto parati* ℥ß. *magiſt. ſolubil. perlarum Oriental. matris perlar. corall. rub. an* ʒiß. *nuc. moſch.* ℥ß. *ol. cinamomi ſtillat.* ℈j. *vel* ʒß. *Fiat omnium pulvis ſubtilis.*

Remedium contra inſultus Epilepticos præſtans eſt, reſiſtit enim malignitati, & cor inſigniter roborat. Doſis ℈j. ad ʒß. & ℈ij.

Species Antepilepticæ *Zvvelfferi.*

℞. *Sem. pæoniæ excort.* ℥ß. *Bardanæ* ʒij. *contundantur minutiſſimè in mortario ad pultis formam, addita ſ. q. aquæ florum & radicum pæoniæ ſine addit. ſtillatæ, ac per cribrum ſetaceum cogantur: huic pulpæ adde Bezoard. n. deſcr.* ℥ß. *rad. pæoniæ d. t. coll. doronici veri, nucum moſchat. an. drach. ij. cranii humani ſubtiliter raſpati, ſuccini alb. præp. ana* ʒiij. *margarit. præp.* ʒiß. *viſci quercini, cardamomi an.* ʒij.

Quæ omnia leni calore denuo exſiccentur, & in pulverem tandem ſubtilem redigantur: qui ad inſultus Epilepticos inhibendos efficax eſt. à drach j. ad drach. ß.

Species aliæ Epilepticæ ex *Eodem.*

℞. *Bezoard. cervini ſimpl. ſeu pulv. ex Typhis cervi pag.* 467. *Animad. n. deſcripti* ℥vi. *cranii humani ſubtiliter raſpati* ℥ß. *raſuræ ungulæ Alcis* ʒij. *rad. pæoniæ mart. d. t. coll. doronici veri an.* ℥ß. *ſem. pæoniæ excort. bardanæ, nuc. moſchat. an.* ʒij. *mag. ſol. margarit. Orient. corall. rub. an.* ʒj. *Fiat ex omnibus pulvis ſubtilis.*

Ad ſupra dictos inſultus Epilepticos inhibendos efficax, Doſis ℈j. ad ʒß.

Nota: quòd huic intentioni, aut contra hunc affectum, diverſæ compoſitiones, vel pulveres Antepileptici, ex rebus quas auctores paſſim commendant, concinnari poſſent; utpote, ex cinnabari nativa, vel antimonii; magiſterio & bezoardico lunari; jecinoribus ranarum viridium paluſtrium ſecundinis exſiccatis mulieris primiparæ filium enixæ; item ex mercurio dulci, ſi vermium ſuſpicio ſubeſſet: verum hæc ſunt penes arbitrium cujuſque medici practici. Si quem verò amica rerum & naturæ unitas alliciat, ut ſolam quampiam ex appropriatis, ac jam recenſitis compoſitis rebus deligat; hujus conatum probo & ſuffragabor.

Pulvis, ſeu Species pro Epithemate cordis, ex *Pharmac. Auguſt.*

℞. *Flor. bugloſſi, borrag. meliſſæ an. mſs. ſandalor. omnium roſar. rubr. an.* ʒij. *corticum citri, ſem. Acetoſæ, ligni aloës, caryophillor. an.* ʒiß. *Doronici, Been utriuſque ſuccini an.* ℈v. *Trita omnia probè uſui reſerventur.*

Mira eſt ejus efficacia in affectibus cordis, ejuſque palpitatione, ſyncope, & dejectis propemodum vitalibus facultatibus: nobiliſſimum enim viscus ſopitum excitat, melancholicis, ſplenicis, triſtibus & deſperantibus ſuccurrit, in peſtilentia ſpiritus refocillat.

Si Camphora gr. 6. & moſchi gr. iij. addantur, dicitur completus.

Pulvis pro Epithemate cordis alius *Zvvelfferi.*

℞. *Herb. recent. roriſmarini, majoranæ, baſilici, meliſſæ citratæ an* ℥j *flor. recent. Arantiorum, roſar. pallid. an.* ℥iß. *cheiri, Tunicæ an.* ℥j. *Lavendulæ* ℥iß. *cort. recent. Arantiorum, citri ana extim flav.* ℥iß. *macis, nuc. moſch. an.* ℥ß. *ligni rhodii, Aloës an.* ℥ß.

Omnia ac ſingula probè commixta, tam herbæ recentes, flores ac cortices, quàm deſiccata Aromata & ligna (quæ tamen prius incidi ſeparatim ſuaſerim) minutim inciſa, exſiccentur in umbra cum cautela & charta deſuper operta: ex quibus ſic paratis ſpeciebus ſacculi poterunt formari, forma ac magnitudine competenti, ac ſerico filo interſui; qui poſtmodum cordis regioni ac pulſibus ſuperligantur, prius tamen aqua Cordiali, quæ arriſerit illi humectandi: idque toties repetendum, quoties etiam calor exæſtuans eos exſiccaverit, perelegans ſanè atque efficax modus hic eſt cor & tuendi, & ſpiritus vitales inſtaurandi. Namque dum ſpeciebus ſiccis, flores recentes, & fragrantiſſimos addimus. Supinos quaſi ac latentes ſiccorum ſpiritus excitamus, acceſſione novæ fragrantiæ intendimus, & multo efficacius temperamentum ac compoſitum ſuſcitamus, cum alioquin pronum eſſet; leviſſima exſiccatione etiam ſolutas haſce Atomos ſpiritu & odore turgidas

turgidas exhalare. Ulterius ſacculi ex zendalo conſuti, groſſioribus hiſce ſpeciebus oppleti ac cordiali quodam liquore imbuti inſigne robur Cardiacum addere poſſunt, cum hîc virtus unita fortior, ſpecies etiam proximius cordi adſtent, vireſque earum diutius perdurent, neque protinus, uti alias pulveres vel ſpecies cordiales aqua aliqua dilutæ ſolent, diffluant & diſſipentur, ſed diutius, viribus collectis conſerventur, & integris ſæpius etiam, ſi deficientur, madefactis ſacculis, unde demirari ſatis non poſſum Amethodum eorum, qui regioni cordis & pulſificis partibus, lapides & gemmas, coralia & margaritas, ut ab his naturæ ſubſidium feratur, ridiculè applicant; an ignorent, quod ejuſmodi ad cordis & corporis penetralia & abdita nequaquam admittantur, niſi ab acidulo noſtrate fermento actuentur & veluti ſolvantur: quid deforis amabo præſtabunt, dura & cruda, inodora, & omnibus oſſibus aridiora.

Pulvis pro Epithemate hepatis, ex *Pharmac. Auguſt.*

♃. *Sandali rubri, albi, citrini an.* ℥ſs. *roſarum* ʒj. *camphoræ* ℈j.

Hepatis inflammationi confert, ejuſque exæſtuationem temperat. Adhibetur cum aqua endiviæ, roſarum, Acetoſæ, & aceti parte aliqua.

Pulvis Febrilis, *D. Charraz.*

♃. *Cinnabar. antimon.* ℥j. *ſalis communis toſti* ʒij. *ſimul pulveratis, & cucurbita vitrea exceptis ſuperfundantur olei ſulphur.* ℥iij. *digerantur per biduum calore moderato in balneo cinerum, auctoque deinde igne evaporetur humiditas, reſiduaque maſſa lota, ſiccata & in pulverem redacta cum florum ſulphuris* ℥iij. *permiſceatur, lancique fictili ſuper carbones ardentes committatur; ubi accenſis & aſſiduè virga ferrea movendo combuſtis floribus, ſuper affuſoque ad trium digitorum tranſverſor. altitudinem, & ſuper conſumpto vin ſpiritu, pulverata maſſa ſuperſtes ad uſum ſervetur.*

Commendatur hic pulvis in omnigenis febribus intermittentibus; datur hora dimidia ante paroxyſmum, à gr. x. aut xij. ad gr. xv. aut xx. in ſyrupo quopiam aut aqua Cordiali.

Pulvis Febrilis ex *Pharmac. Schroder.*

♃. *Rad. dictamn. petaſit. zedoar. Fol. ſcord. an.* ℥ij. *ſemin. cardiac. bened. C. C. uſtion. præpar. an.* ℥j. *Antimonii diaphoret.* ʒiij. *Fiat pulvis ſubtiliſſimus.*

Vires. Eſt contra omnis generis febres, quas per diaphoreſin expellit. Doſis ʒj. Grunlingius.

Pulveri huic febrili ſi nuc. moſch. ℥j. & lumin. ℥ſs. ſuperaddantur, majoris erit efficaciæ; Doſis eſt ʒ ſs. vel ʒj. in aceto horâ unâ & circiter ante paroxyſmum injuncto ſudore per horulæ ſpatium. *Hofmannus.*

Pulvis Febrilis Riverii ex *Rolfincio.*

♃. *Auri* ℥ſs. *ſolve in aq. reg. vitri antimonii* ℥ſs. *ſolve in aq forti, mercurii vivi* ℥iij. *ſolve in aq. forti. Solutiones conjungantur & duodecies per Alembicum extillentur, iterata cohobatione. Pulveri in fundo relicto adfunde ſpir. vini rectificatum, abſtrahe ſexies à pulvere, ut intimius figatur, calcinetur ad ignitionem fere in crucib. Haſſiaco, igne rota, vel ſub tegula fornicata.*

Hæc deſcriptio ſecundum Rolfincium videtur optime competere ænigmati adumbratim propoſito, à D.D. Riverio in Appendice Centuriæ Tertiæ obſervationum. Non exhibetur per ſe, ſed cum ſcammonio miſtus hac proportione, & ultra, pro ratione ætatis, ♃. Scammonii gr. xij. Febrifugi gr. vi.

Pulvis Febrilis Riverii ex *D. Charraz.*

♃. *Mercurii dulc. duodecies ſublimati* ℥ß. *pulveris emetici vulgar. pro robuſtis, correcti pro delicatioribus,* ℥ß. *ſimul miſceantur, & Fiat pulvis Febrilis.*

Datur longè à paſtu ea die quæ paroxyſmum febrilem præcedit. Doſis gr. vi. pro puerulis in pomo cocto, deveniendo pro ætatis ratione ad gr. xx. ut & xxiv. in robuſtioribus.

Febrilis alius *Crollii.*

♃. *Cochlear. long. teſt. affunde Acetum, ſtet per noct. tunc extrahitur mucus, qui ſcopis æneis quibus aurifabri utuntur, abraditur; poſtea hæ teſtæ calcinantur ad albedinem & pulv. vel quod melius abſque calcinat. pulveriſantur, & ad uſum ſervatur pulvis.*

Vires. Præcipitat fermentum Febrile. Doſ. ʒß Crollius exhibet ad ℈j.

Diagalanga Meſuæ ex *Pharmac. Auguſt.*

♃. *Galangæ, ligni Aloës, an.* ʒvi *caryophyllor. macis, liguſtici an.* ʒij. *zingiberis, piperis longi, albi, Cinnamomi, calami Aromatici an.* ʒß. *calaminthæ ſiccæ, Cardamomi majoris, ſpicæ indicæ, ſem. apii, aniſi, fœniculi carvi an.* ʒj.

Ventriculi & jecoris intemperiem frigidam ſanant, ob id coctionem juvant, ructus acidos compeſcunt, flatus craſſos, atque ab eis natas inflationes diſſipant, oriſque halitum commendant.

Pro liguſtico cardamomum minus odoris gratia hîc ſubſtitui poteſt.

Species de Gemmis frigidæ, ex *Pharmac. Auguſt.*

♃. *Margaritar. præpar.* ʒij. *ſpodii de Ebore, raſur. eboris, corallii utriuſque ana.* ʒij. *Flor. roſar. rubr.* ʒiß. *hyacinthi, Smaragdi, ſapphiri, Sardæ, granati, ſandali albi, rubri, citrini, Flor. borraginis, bugloſſi, ſem. Acetoſæ, Baſilici, Been utriuſque an.* ℈j. *oſſis de corde cervi* ʒß. *folior. Auri, Argenti an. numero xv.*

In magno febrium æſtu, ut & jecinoroſis proſunt; inſuper adpetentiæ dejectæ, ſyncopi, cordis palpitationi, tuſſiculoſis, & Aſthmaticis auxiliantur.

Species de Gemmis calidæ Meſuæ, ex *eadem Pharmac.*

♃. *Trochiſcor. Diarrhod. ligni aloës an.* ʒv. *zedoariæ* ʒijß. *margarit. albar. Doronici, cortic. citri, macis, ſem. ocimi caryophyllati, Ambræ veræ an.* ʒij. *corallii rubri, ſuccini albi, raſuræ eboris an.* ℈v. *Sapphiri, hyacinthi, ſardæ, granatorum, ſmaragdi, Cinnamomi, galangæ an.* ʒiß. *Been utriuſque, caryophyllor. zingiberis, piperis longi, ſpicæ indicæ, Folii, croci, Cardamomi majoris an.* ʒj. *folior. auri numero xx. argenti num. x. moſchi* ʒß. *M. ſc.*

Ad frigidos affectus cerebri, cordis, ventriculi, hepatis, & uteri efficaciſſimum medicamentum, melancholicos, triſtes, ſine cauſa manifeſta timidos, ſolitarios juvat & exhilarat, lypothymias, cordis tremorem & ſyncopem emendat, ventriculum à frigida intemperie imbecillum roborat, & coctione cùm ejuſdem, tùm hepatis meliore reddita, corpus εὔχυμον præſtat, univerſi habitus refrigerationem corrigit, imbecillitatem reficit, uteri præfocationes ſanat.

Pulvis Griſeus contra Peſtem, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Rad. pimpinellæ, gentianæ, tormentillæ, ſerpentariæ, folior. rutæ, abſinthii, nucum juglandium, granor. juniperi, aceti roſati, theriacæ andromachi an, ℥i. miſceantur omnia.

In præſervatione & curatione peſtis plurimùm valet. Quidam addunt caſtorei ℥ß. aceti roſati ℥j. omitti poteſt.

Pulvis de Guttera Antepilepticus ex D. *Lemery.*

℞. Rad. pæoniæ maris. viſci quercini ā ā ℥ß. cranii humani nuſquam inhumati, ungulæ alces ā ʒ ij. ſem. ocymi & pæoniæ ā. ʒij flor. beton. & tiliæ ā. ℈iv. pulv. diambræ ſine moſcho ʒj. ſacch roſati ad pondus omnium, aut ℥ij. ʒvj. fol. auri num. x F. l. a. pulvis.

Hic pulvis variè in Pharmacopæis deſcribitur, & deſcriptio hæc noſtra è Pharmacopæa Lugdunenſi mutuata fuit. Inſervit autem affectibus epilepticis & hoc denotat nomen Guttera quod apud Occitanos Epilepſiam ſignificat. Dos à ℈ß. ad ʒß. in aq. betonicæ aut menthæ.

Pulvis contra Hæmorrhagiam *Zvvelferi.*

℞. Rad. Tormentillæ ʒvi. papav. errat. Terræ ſigill. ſeu boli Armen. lapid. ætitis nuclei interioris. hæmatitis præpar. corneoli præparati, magiſt. ſolub. corralliorum, nuc. moſchat. an ʒij ſang. draconis, olibani in granis, an. ʒiij. nitri puriſſimi cryſtall. ʒvi. Fiat pulvis.

Valet ad ſputum cruentum & fluxus ſanguinis narium ſiſtendos, & ad menſtruorum mulierum ſuperfluum, fluxum, dyſenteriam, diarrhœam, alvi ac uteri profluvia alba & cruenta curanda ſingularis eſt efficaciæ.

Contra Hæmorrhagiam alius. *D. Doct. Hertod.*

℞. Aluminis crudi quantum libuerit, laccæ pictorum donec pulvis incarnato colore ſaturetur. Inſufflatur hic pulvis in nares pro hæmorrhagia ſiſtenda; ejus uſu ab orci faucibus, Deo benedicente, multi liberati ſunt.

Pulvis Hæmorrhoidalis ex *D. Lemery,*

℞. Farinæ volat. ℥j. croci mart. ℥ß. boli Orient. ppti, radic. verbaſci ā. ʒij. hermodactylor. albor. per noctem in ſp. vini infuſor. & iterum exſiccatorum, flor. papaver. errat. ſacch. candi alb. ſanguin. dracon. olibani ā ā ʒiß. M. f. omnium pulvis ſubtiliſſ.

Fluxus hæmorrhoidalis ſiſtit hic pulvis, ac earundem hæmorrhoidum tumores diſcutit, ſi modò albumine ovorum exceptus, ſicque in ſtupis extenſus parti affectæ applicetur.

Pulvis Hepaticus rubeus, *Zvvelferi.*

℞. Cremoris Tartari ℥ij. Tartari vitriolati ſed Cryſtalliſati, ne in humido liqueſiat ℥iß. fæculæ ſeu ſalis eſſentialis Acetoſellæ ℥j.

Hæc mixta & in pulverem redacta humectentur ter quaterve cum Tinctura ex roſis ſiccis rubris & ſantalo rubro, beneficio aquæ roſarum & ſpiritus vitrioli parata, & toties leni in calore exſiccentur. Quibus tandem in pulverem denuò converſis ſuperadde ſacchar. n. citrati ℥iß. F. pulvis: ſervetur in vitro bene clauſo.

Hepaticus alius ex *eodem,*

℞. Cremoris Tartari ℥i. Tartari vitriolati cryſtalliſati ℥ ß. fæculæ ſeu ſalis eſſentialis acetoſellæ ℥j pulv. roſarum rubr. ℥ß. ſantali rubri ʒij. ſacchari citrati n. ℥j. M. F. Pulvis.

In calida hepatis intemperie, ejuſdemque obſtructione, & labefactatione perutile eſt remedium.

Species hepaticæ, ex *Eodem.*

℞. Succ. concret. ſeu inſpiſſat. agrim. cichor. ſylv. ex toto, hepaticæ nobil. abſinth noſtri ā. ℥iij. his ſuccis concretis impregnentur, & commiſceantur. pulv. roſarum rub. ℥iß. croci Auſtr. ʒij. rad pimpinellæ ℥ß. calami Aromat. Doronici veri, galangæ an. ʒii. ligni aloes optimi. ſantali citrini, ſantali rubri an. ʒiiß. nuc. moſchatar. cinamomi an. ℥ß. exſiccentur leni calore chartæ incluſa, ac denuò in pulverem ſubtilem conterendo redigantur, quibus adde fæculæ Acetoſellæ, ſeu ſalis eſſentialis, prout appellare malueris, ʒiij. cremoris tartari ℥ß. Fiat ex omnibus pulvis ſubtiliſſimus, uſui aſſervandus.

Hepar, & ventriculum roborat: proinde in cachexia, hydrope, icteritia ſalutariter exhibetur, à ℈j. ʒſs. ad ʒj.

Species Hepaticæ Quercetani, è *Pharm. Schrôder.*

℞. Corall. rub. præparat. ſpod. ſpec. diatrag. an. ʒij. flor. hepatic. ſem. Acetoſæ, portulac. an. ʒj. croc. ♂ optime præparati, ʒiſs. (cum aq ſimpl. vel cum ſulphure) croc. ♂ ex ol. ſulphur. parat. ℈ij. (vid. l. 3) ſacchar. roſat. pro libitu. F. pulvis.

Vires. Pulvis eſt admirabilis contra omnes obſtructiones, imbecillitates, ac intemperies hepatis, cui priſtinum robur reparat: ſingularis porro adverſus omnes fluxus hepaticos cachexias, hydropiſes, icterum &c.

Species hepaticæ Quercetani contra omnes affectus quos Dominus Auctor allegat, maximæ virtutis ſunt; loco croci ♂ tis etiam vitr. ♂ tis ſubſtitui commodè poteſt. Sequens etiam pulv. hepatic. ruber excellit.

℞. Cryſt. tart. ℥ſs. corrall. r. ppt. ſuccini alb. ppt. ā ʒſs. gr. xij. cryſtall. ſpir. vitr. coag. gr. xxiv. macis gr. v. ambræ opt. ℈ij. gr. iv. Hunc Illuſtr. Dux Saxoniæ I. Joannes Georgius p. m. in frequenti habuit uſu tempore matutino. Pulvis in 24. Doſes dividi poteſt. *Hofmannus.*

Pulvis contra Herbias Quercetani, è *Pharm. Schrôder.*

℞. Rad. conſolidæ major. ℥ſs. herniariæ pulveratæ ℥j. ſpongiar ſtipitibus roſæ caninæ adnaſcentium, pulveratur. ʒiij. magiſt. corallor. margaritar. an. ʒiiſs. magiſterii lapid. hæmatites ℈iv. ſpodii, terræ ſigillatæ, an. ℥ii. cinnamomi, ſem. fœniculi dulc. an. ʒj. ſacchari roſati q. ſ. ad pulverem gratum efficiendum.

Hic pulvis mane per plures dies exhibetur iis qui herniam patiuntur. Interim ligaturis convenientibus utantur.

Species de Hyacintho, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Hyacinthi prap. corallii rubri, Boli Armen. Oriental. terræ ſigillatæ Sileſiacæ an. ʒiſs. granor. chermes, rad. tormentill. dictamni albi, ſem. citri mundati, Acetoſæ, portulacæ, croci, myrrhæ, roſar. rubr. ſandalor. omnium, oſſis de corde cervi, cornu cervi uſti, raſuræ eboris an. ℈iv. ſapphiri, ſmaragdi, Topaſii, margaritarum, ſerici crudi Toſti ā ā. ℈ij. folior. Auri numero viginti, Argenti, numero x. P. pulvis qui completus redditur per Ambræ veræ, moſchi an. ℈j. camphoræ gr. 5.

Opitulantur Cardiacis & lipothymias patientibus, viribus exolutos reſtituunt, ſyncopas Arcent, peſtiferos morbos præcavent, eoſdemque jam factos expellunt, putredinem humorum corrigunt, ac in malignis febribus, cor è tetratum fuliginum & pravorum vaporum inſultu tuentur.

Pulvis Hydragogus *Zvvelfferi.*

℞. Cremoris Tartari ℥j. Mechoacæ albæ, gialapp. an. ʒvi ſem. Ebuli ℥ſs. gummi gamandræ, ʒiſs. nucis moſchat. ʒij. Fiat omnium pulvis.

Hydro-

Hydropicis ac veteri ictero fœdatis opitulatur; namque pituitam, bilem & aquoſas educit humiditates à ʒß. ad ʒj.

Hydragogus alius, ex *Eodem.*

℞. Rad. Aſari, mechoacæ albæ, gialappæ, hermodactyl. calami aromat. an. ʒ j. herb. gratiolæ, ſoldanellæ, an. ʒiiß. ſem. ebuli ℥ß. elaterii ℈ij. Diagridii roſati ſeu ſcammon. roſati ʒiß. millepedum n. m. præparat. ʒiß. gummi gamandræ drach. j. caryophyllorum Macis an. ʒiß.

Fiat ex omnibus pulvis ſubtiliſſimus cujus doſis ʒß. ad ʒj. ſingulis quaternis diebus in hydrope exhibendus.

Species Diahyſſopu Nicolai ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Hyſſopi, ireos, Thymi, piperis an. ʒxv. pulegii, ſatureiæ, rutæ, cumini, an. ʒx. dactylor. enucleator. Tragacanthi, glycyrrhizæ, caricar. paſſular. major. enucleatar. fœniculi, an. ʒv. zingiberis, aniſi, carvi, liguſtici an. ʒiiß.

Capitis frigidis vitiis conducunt, Columellam à frigido humore prolapſam vel tumefactam exſiccant, arteriam aſperam expurgant, omnia frigida Thoracis & ſtomachi vitia emendant, & coctionem promovent.

Pulvis hyſtericus ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Rad. dictamni albi ʒiij. zedoariæ ℥j. cort. citri ſicci, ſem. ejuſdem an. ℈ii. fragmentor. lapidum pretioſor. omnium an. gr. xij. ſpecier. diamarg. calidi ʒij. ſacchari albi ℥j. Fiat pulvis.

Uterinos dolores placat, ejuſque expurgat illuviem menſes quoque & ſecundinas moram trahentes propellit, animi defectiones ab utero ortas arcet, ac ejus ſuffocationem abigit.

Pulverem hunc multæ utilitatis, & in mulieribus prædictis morbis longo tempore expertum. D. D. Joan. Udalricus Rumlerus collega quondam noſter tradidit.

Hyſtericus Alius *Zvvelfferi.*

℞. Rad. pæoniæ, lun. decr. collectæ ℥ß. doronici veri, zedoariæ an. ʒij. cardopatiæ ʒiß. Anthophyllor. croc. Auſtr. vel Oriental. cort. arant. or. citri ana extim. recent. ſem. citri excortic. an. ʒij. ſalis jovis ſeu ſtanni Anglici ℥ß. Magiſt. ſolub. coralliar. matris perlar. an. ʒij. ol. ſtillat. cinamomi, meliſſæ ana ℈ß. Fiat pulvis.

Placat hic pulvis dolores uterinos, atque vapores ab utero aſcendentes reprimit, imo matris ſuffocationem abigit. Doſis ʒß. ad ℈ij.

Hyſtericus alius Quercetani, ex *Ph. Schröder.*

℞. Caſſiæ ligneæ, calam. aromat. ſem. agni caſti, paſtinac. rutæ, pæon. anis. ſacchar. anthoſati ad pondus omnium. m. fiat pulvis.

Vires. Prodeſt albo mulierum fluori & uteri ſuffocationi Doſis ʒiß.

Pulvis hyſtericus Quercetani in uteri ſuffocatione cum albo mulierum profluvio conjuncta maxime commendatur. Saccharum Anthoſatum ut utero hoſtile. Omitti, & ejus loco Bezoardicum joviale addi poteſt. *Hofmannus.*

Hyſtericus alius *D. Charraz.*

℞. Verrucar. ad genua equorum adnaſcentium, verno tempore avulſar. vel ſponte procidentium ℥j. aſſæ fœtidæ, cornu & ungulæ hirci an. ʒj. F. omnium pulvis, cujus ℈j. pondus prunis imponatur pro ſuffumigio, quod per infundibulum in vulvam introducatur.

Hyſtericus jovialis, è *Pharmac. Schröder.*

℞. Magiſterii Jovis Anglici aut bezoartici ejusdem, matris perlar. coralli rub. præparat. an. ʒj. olei ſtillatitii, ſuccini rectificati ℈j. m. & fiat pulvis ſubtiliſſimus ad uſum.

Hic pulvis medetur deſperatiſſimis icteri ſuffocationibus earumque regreſſum impedit. Doſ. ℈j. in aq. quapiam hyſterica, vigente paroxyſmo, datur verò tribus diebus continuis, mane jejuno ſtomacho pro præpediendo ejuſdem regreſſu.

Species Imperatoris, ex *Pharmac. Auguſt.*

℞. Cinnamomi opt. ʒx. zingiberis ℥j. caryophyll. ℥ß. galangæ, macis, nucis moſchat. an. ʒij. Miſce completæ fiunt per moſchi optimi ℈ß.

Species hæ induuntur potiſſimùm Tragematibus, cor & ventriculum frigidum, humidum ac flatulentum confortantibus; aut addito ſaccharo in morſellos aptantur, qui ad ſtomachi ſegniter cibum concoquentis vires augendas concinnantur.

Species Diaireos ſimplices è *Pharm. Auguſt.*

℞. Ireos ℥ß. ſacchari canthi albi, ſpecier. Diatragacanthi frigidi an. ʒij.

Ad omnem in fauces deſtillationem; idque initio, nondum invaleſcente impetu; feliciter adhibentur.

Species Diaireos Salomonis ex Nicolao Myrepſo, *ex eadem Pharmacopæa.*

℞. Ireos ℥j. pulegii, hyſſopi, glycyrrhizæ an. ʒvi. Tragacanthi, amyli, cinnamomi, zingiberis, piperis, amygdalor. amar. nucum pinearum an. ʒiij. caricar. paſſular. major. enucleat. an. ʒiiß. ſtyracis calamitæ ʒii. ℈j.

Faucibus exaſperatis, & columellæ fluxione tentatæ proſunt, diſpnoicis item, arteriacis, & tuſſiculoſis auxillio ſunt, necnon frigidæ capitis intemperiei & deſtillationi in fauces irruenti conducunt, ac vocis jacturam frigore contractam reſarciunt.

Species Diaireos uſitatæ, *ex eadem Pharm.*

℞. Specier. Diatragacanti frigidi ℥j. radicum ireos ℥ij. gummi Arabici, Tragacanthi an. ℥ß.

Harum in deſtillationibus ad fauces ac aſperam arteriam ruentibus uſus eſt, guttur probè leniunt, expectorationem facilitant, necnon acres deſtillationes contemperant.

Pulvis Dialacca major Meſuæ *ex eadem Pharm.*

℞. Laccæ lotæ, rhabarbari an. ʒiij. ſpicæ indicæ, florum & ſtipitum ſchænanti, maſtiches, myrrhæ, coſti, cinnamomi, croci, caſſiæ ligneæ veræ, Bdellij, hyſſopi, ſabinæ, amigdalor. amarorum. Ariſtolochiæ rotundæ veræ, gentianæ, aſari, ſem. ammeos, apii, fœniculi, aniſi, an. ʒiß. piperis nigri, zingeberis an. ʒj.

Uſurpatur ad ventriculi & jecoris frigidam intemperiem, hepatis obſtructiones, inflationes & durities aquæ intercuti medetur, menſes ciet, ſcirrhum diſſolvit, cachexiam depellit, urinas promovet, renum ac veſicæ duritiem diſſipat, & calculos atterit.

Pulvis pro Lacte generando *Zvvelferi.*

℞. Carnis uberis vaccæ juvenculæ ℥vi. rad. recent. rapunculor. cardui lactei, barbæ hirci ana. ℥j. ireos flor. ℥ß. liquiritiæ ʒvi. ſem. lactucæ, pæoniæ excorticat. an. ʒvi. lapid. lactei præparati, (eſt lapis mollis inſtar ſaponis tactu,) ℥iß. corallior. alb. præpar. oculor. cancror. præpar. an. ʒvi. magiſt. ſolub. matris perlarum ℥ß.

Caro mamilliar. rad. etiam recentes conſcindantur taſſellatim ac cum reliquis, pulveribus & præparatis conſperſa, immittantur alembico vitreo quibus ſuperaffundantur ſucci cydoniorum recenter expreſſi ℥iv. ac illicò in M.B. totaliter exſiccétur, (baculo quandoque illa in Alemb. commovendo, ut in pulverem ſubtilem redigi poſſint, cui pulveri adde *pulv ſem. erucæ, fœniculi an.* ʒvi. *cardamomi, min. macis an.* ℥ß. *piperis longi* ℥j. *Miſceantur exactè, Fiatque pulvis ſubtiliſſimus*; hujus detur pro doſi ʒj. vel ʒij. in juſculo Gallinæ, ſæpius in die.

Species lætificantis Galeni, ex *Pharm. Auguſt.*

℞ *Seminis ocimi caryophillati, aut florum ejusdem, croci, Zedoariæ Xylobalſami, Caryophyllorum, Corticum citri, galangæ, macis, nucis moſchatæ, ſtyracis calamitæ an.* ʒiiß. *raſuræ eboris ſem. Aniſi, thymi cretici, epythimi an.* ʒj. *cornu cervini, margaritar. an.* ʒß. *foliorum auri numero quinquaginta, argenti numero xxv. miſc. completæ fiunt addendo camphoræ, moſchi an.* ʒß.

Hæc compoſitio Galeno quidem falſò adſcripta, ſed magis ex Nicolai præpoſiti Antidotario excerpta, plurimum valet ad cordis affectus ejuſque palpitationem; ventriculi & hepatis intemperiem frigidam & humidam corrigit, coctionem adjuvat, & corporis malum habitum emendat, colori gratiam reddens, oris quoque odorem ac halitum gratum efficit: Vires debiles inſtaurat, melancholiam ſanat, ac involuntarios fletus compeſcit.

Species lætificantes Rhaſis, ex *eadem Pharmac.*

℞. *Meliſſæ, corticum citri, caryophyllor. maſtiches, croci, cinnamomi, nucis moſchatæ, cardamomi majoris, ſem. pæoniæ, been albi, rubri, zedoariæ, doronici, ſem. ocimi caryophillati an.* ℥ß. *folior. auri numero* 10. *argenti num. xxv. miſc. completæ fiunt ſi addatur Galiæ moſchatæ* ℥ß. *moſchi* ℈j.

Deſcribuntur à Rhaſe 9. ad Almanſorem cap. 13. de melancholia. Plurimùm verò faciunt ad affectus cordis, ventriculi & jecoris, quas partes etiam roborant, palpitationem cordis abigunt, valenter exhilarant, infirmæ concoctioni opem adferunt, coloremque corporis vividum efficiunt.

Pulvis Lenitivus *Pharmac. Noriberg.*

℞. *Rad. zedoariæ,* ʒij. *galangæ, calami aromatici, pimpinellæ, valerianæ, nucis moſchatæ an.* ʒß. *Fol. ſalviæ, rutæ an. p. ij. ſem. ejusdem* ℈j. *carvi, petroſelini, anethi an.* ʒß. *aniſi* ʒj. *ſenæ electæ* ʒiij. *ſacchari ad pondus omnium F. pulvis.*

Species liberantes, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Radicum tormentillæ, ſem. acetoſæ, endiviæ, coriandri, citri an.* ʒß. *ſandalor. omnium, dictamni albi an.* ʒi. *boli armen. præparatæ, terræ lemniæ an* ʒij. *margaritarum corallii utriusque, ſuccini albi, raſuræ eboris, ſpodii ex ebore, ſeu eboris, uſti, oſſis de corde cervi, Been utriusque, doronici, cardamomi, cinnamomi, macis, ligni aloes, caſſiæ ligneæ, croci, zedoariæ an.* ʒß. *ſacchari cantii, penidii, ſerici crudi toſti pulveriſati, ſmaragdi, hyacinthi, granati an.* ℈j. *florum nymphææ, bugloſſi, roſarum an.* ℈j. *miſc. completæ fiunt, additis camphoræ granis* vii. *moſchi, ambræ an. gr.* 3.

Harum uſus multiplex eſt in febribus malignis, ipſaque peſte, cor namque à veneni labe tuentur, præterea ſudores movent, & à peſtilentis luis contagio præſervant atque etiam liberant. Cordiale planè medicamentum, omni ferè naturæ, ætati ac ſexui adcommodatum.

Species Lithontripticæ Nicolai ex *eadem Pharm.*

℞. *Spicæ indicæ, zingiberis, xylobalſami, acori, cinnamomi, rad. peucedani, mei, trium piperum, ſaxifragiæ an* ʒiiß. *opobalſami, aut olei juniperini ex granis parati, caryophillor. coſti, rhapontici, glycyrrhizæ, cyperi rotundi, tragacanthi, chamædrios, ſem. oluſatri, apii, ammeos, aſparagi, ocimi, urticæ, citri an.* ʒj. *grana xv. amomi, ligustici, milii ſolis, petroſelini Macedonici, ſeſeleos, dauci cretici, anethi, cardamomi, folii, croci, ſchœnanthi, caſſiæ ligneæ, Bdellii, maſtiches, ireos, Euphorbii præp. lapidis lyncis, olei nardini compoſiti Meſuæ, moſchelini ana ſcrup. j. gran.* 4.

Nephriticis, necnon ſtranguriæ & dyſuriæ ſuccurrunt, iliorum, lumborum & renum gravitates ac obſtructiones, à frigidis & craſſis ſuccis ortas expediunt, veſicæ & renum calculos potentiſſimè expellunt, miram calculoſis utilitatem exhibentes.

Pulvis Mantuanus, *Pharmac. Noriberg.*

℞. *Lapid. Bezoar. Orientalis, Occidentalis, terræ ſigillatæ cinereæ an.* ʒij. *rad. contrayervæ, anthoræ, ſcorzoneræ an.* ʒiß. *lapid. pretioſorum præparator. Boli Armenæ præparatæ, cornu Rhinocerotis, corallior. rubr. præpar. margaritar. præparatar. an.* ʒj. *Miſce pro pulvere.*

Pulvis Marchionis ſeu epilepticus, ex *Pharmac. Auguſt.*

℞. *Radic. pæoniæ maris, decreſcente luna, effoſſarum* ℥ß. *viſci quercini, raſuræ eboris, ungulæ Alces, ſpodij, cornu cervi ex apicibus deſumti, corallior. rubror. albor. margar. præparatarum an.* ʒj. *Foliorum auri puri num. xx. Fiat pulvis.*

Prodeſt hic pulvis apoplecticis, epilepticis, ac incubo laborantibus, intemperiem cerebri humidam corrigit & nocturnos terrores fugat.

Species Diamargariti calidi Avicennæ ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Margaritar. Orientalium, pyrethri an.* ʒj. *zingiberis, maſtiches an.* ʒiv. *doronici, zedoariæ, ſem. Apii, cardamomi utriusque, nucis moſchatæ, macis, Been utriusque, piperis nigri, longi an.* ʒiij. *cinnamomi* ʒv.

Medicamentum ad univerſi corporis refrigerationem perutile, cardiacos, animo deficientes, mulieres uterum ferentes, præfocationes uteri, cordiſque ſyncopem patientes juvat, omnium virium imbecillitatem firmat; Triſtitiam ac omnium vitalium partium noxam diſcutit, aſthmaticis, tuſſientibus, tabidiſque ſubvenit, ventriculi faſtidia & imbecillitatem tollit, ejuſque coctionem juvat, uterinos meatus aperit: longo morbo dejectos & debilitate languentes recreat, atque ad priſtinum robur reducit.

Species Diamargariti frigidi, ex *eadem Pharm.*

℞. *Seminum quatuor frigidor. major. excorticator. portulacæ, papaveris albi, roſar. rubr. Florum nymphææ albæ, Borraginis, Baccarum Myrthi, ſandali albi, citrini, ligni aloës an.* ʒj. *corallij albi, rubri an.* ʒß. *margaritarum or.* ʒij.

Omnem virium imbecillitatem firmant, ſyncopen juvant, & aſthmaticos, tabidos, Tuſſientes, longo morbo extenuatos ac imbecillitate languentes reficiunt, & priſtino recuperando robori conducunt.

Pulvis Melanagogus Quercetani, è *Ph Schrôder.*

℞. *Fol. ſen.* ℥j *ſem. aniſi, fœnic. an.* ʒj. *cinamom.* ℈ij. *cryſtall. Tart.* ʒvi. *ſacchari* ℥iß. *m. doſis à* ʒj. *ad* ʒij.

Pulvis

Pulvis ad morſum canis rabidi, ex *Pharmac. Norib.*

℞. *Fol. rutæ, verbenæ, ſalviæ minoris, plantaginis, polypodii, Abſinthii vulgaris, menthæ, artemiſiæ, melyſſophylli, betonicæ, hyperici, centaurii minoris ana.*

Omnium æquale pondus in chartis incluſum in umbrâ exſiccetur & pulveriſetur.

Idem paulò accuratior ad methodum Palmarii ex *Pharm. Londinenſi.*

℞. *Fol. rutæ, verbenæ, ſalviæ tenui foliæ, plantag. polypodii, Abſinthii vulgaris, menthæ, artemiſiæ, meliſſophylli, betonicæ, hyperici, centaurii minoris, ana. p. æq.*

Legantur ſingula; quo tempore viribus pollent maximis, quod ad Junii ferè plenilunium aſſequuntur. In ſole fervido brevi ſiccentur, ſiccata ad uſus reſerventur, ea lege, ut quotannis renoventur.

Quum utendi neceſſitas incidet, ſingulor. æquale pondus in pulverem tenuiſſimum redigito.

Species diamoſchu dulcis Meſuæ ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Croci, doronici, Zedoariæ, ligni aloës, macis an.* ʒij. *margar. albarum, ſerici crudi toſti, charabe, corallior. rubr. an.* ʒiiß. *ſem. ocimi caryophillati, Zingiberis, cubebar. piperis longi an.* ʒiß. *Been albi rubri, Folii ſpicæ indicæ, caryophyllor. an.* ʒj. *miſc. completæ fiunt, immiſcendo galiæ moſchatæ* ʒiß. *moſchi* ℈ij.

Commendantur ad cerebri affectus frigidos, vertiginem epilepſiam, melancholiam, cordis palpitationem, irrequiete inſomnia, paralyſin, convulſionem, pulmonis noxas, & ſpirandi difficultatem, ſopitum calorem nativum recreant, cachexiam emendant; lienoſis jecineroſis ac ſtomachicis ſuccurrunt.

Species Diamoſchu amari, ex *Pharm. Londin.*

Parantur addendo prædictis Abſinthii, roſar. ſiccatur. an. ʒiij. *Aloës opt. lotæ* ℥ß. *cinnamomi* ʒiiß. *caſtorei, liguſtici an* ʒj. *Fiat pulvis.*

Pulvis ad naſalia ſeu Errhinus, ex *Pharmac. Auguſt.*

℞. *Calamithæ, majoranæ, rad. ireos, caſtorei, ſem. nigellæ, ſtaphidis agriæ an.* ℈j. *Hellebori albi, pyrethri, nucis moſchatæ, myrrhæ rubræ, Euphorbii an.* ℈ij. *miſce. ex hiſce cum ladani* ʒvi. *& melle modico formari poſſunt naſalia.*

Sternutationem potentiſſimè cient ac craſſa per nares phlegmata evocant, lethargo ac epilepſiæ proſunt, catalepticos & attonitos juvant; ſed cautè iis utendum, præſertim in corporibus nondum purgatis, nec ſubita humorum per irritationem tam fortem præcipitatio ſuffocationis repentinæ periculum inferat.

Pulvis nephriticus, ex *Pharmac. Amſtaledam.*

℞. *Ligni nephritici veri, rad. glycyrrhizæ raſæ, nucl. perſicorum, an.* ℥j. *ſem. milii ſolis, ſaxifragiæ, an.* ℥ß. *Apii, carvi, dauci, fœniculi, geniſtæ, lappæ majoris, leviſtici, petroſelini macedonici, ſileris montani, urticæ romanæ, rad. Aſari, Zingiberis an.* ʒij. *ſpicæ indicæ, ligni ſaſſafras, ſchœnanthi, ſuccini, oculorum cancri an.* ʒiß. *lapidis prunellæ, tartari vitriolati an* ʒiß. *Fiat pulvis.*

Nephriticus alius Quercetani, ex *Pharm. Schroder.*

℞. *Tunicæ interior. ventriculi gallinæ, ſtercoris albi gallin. an.* ℥ß. *pulveris pelliculæ interioris, quæ in putaminibus ovorum reperitur.* ʒiiß. *Herniariæ, cinnamomi an.* ℈iv. *nucleor. meſpilor.* ʒij. *ſem. fœniculi, Aniſi an.* ʒj. *F. pulvis ſubtiliſſimus.*

Vires Effectus pulveris hujus efficaciſſimi ſunt in alterando & expellendo calculo. Valet itidem ad colicam paſſionem, Doſis ʒß. ad ʒj.

Pulvis nephriticus Quercetani ſi contra calculum in uſum ducitur, addi poteſt magiſt. lapid. per car. cryſtall. tartari & ſal ſuccini volatile. Si contra colicam tunicæ interiores nucum juglandium pulveriſatæ admiſceri debent. *Hofmannus.*

Nephriticus alius *D. Charras.*

℞. *Oculor. cancror. fluviatil. oſſium petreorum percarum & aſellor. minor. millepedar. ſiccar. ſanguin. hirci præp. ſem. milii ſol. an.* ℥j. *F. omnium ex arte pulvis.* Doſis à ℈j. ad ʒj. datur in vino albo ejuſque uſus iterari & continuari poteſt pro exigentia, tum pro præpedienda calculi generatione, tum pro eodem ſi fieri poſſit diſſolvendo, atque per vias commodas eiiciendo.

Species Deoppilativæ ſpleneticæ *Zuvelferi.*

℞. *Gum. ammoniaci in granis, myrrhæ rubræ tranſlucidæ, rad. pimpinellæ, enulæ, galangæ, cinamomi acuti, nuc. moſchatar. an.* ʒii *ſem. Apii fœniculi, naſturtii, petroſelini, urticæ an.* ʒiß. *crem. tartari, tartari vitriol. cryſtalliſati, ſalis, eſſentialis naſturtii ex ſucco ritè parati, magiſt. n. ſolut. ocul. cancrorum an.* ʒiiß. *fiant ſpecies, ſeu pulvis ſubtiliſ.*

Valent ad lienis affectiones morboſas: in hypochondriaca igitur affectione diuturna, obſtructionibus hypochondriorum & mezenterii emolumento ſunt, menſeſque mulierum retentos promovent, Doſis ʒß. ad ʒj.

Pulvis partum provocans, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Cinnamomi* ʒj. *croci* ʒß. *caſſiæ ligneæ veræ* ℈ii. *ſuccini albiſſimi præparati* ℈j. *F. pulvis.*

Ad partus labores facilitandos utiliter exhibetur: eoſdem namque accelerat, & fœtus excluſionem promovet. Datur ex aqua liliorum alborum conſolidæ regalis aut alterius conſimilis.

Alius ad idem, ex *eadem Pharmac.*

℞. *Pulveris cinnamomi* ℥j. *ſuccini albi præparati* ℥ß. *Boracis Hippoſarcheos an.* ℥j. *croci* ℈viii. *omnia in pollinem tenuem redacta miſceantur.*

Pulverem hunc ad partum facilitandum, & ſecundin. expellendas experientia & multiplex uſus nobis commendant.

Alius ad idem ex *Pharm. Noriberg.*

℞. *Cinamomi optimi* ʒvi. *caſſiæ ligneæ veræ* ℥ß. *ſuccini albi* ʒiij. *croci* ʒij. *F. pulvis.*

Ad partum Helidei de Paduanis, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Cinnamomi, croci an.* ℈j. *Boracis* ℈iiij. *detur ex aqua Artemiſiæ.*

Uſitatiſſimus ac expertiſſimus quondam erat hic pulvis Helideo de Paduanis, Medico Bononienſi eximio, qui eundem ſecretum ſibi adeo habebat, ut non niſi fidiſſimis amicis aut prædilectis diſcipulis eum communicaret.

Augetur horum pulverum efficacia, ſi eis teſticulorum equinorum aridorum, aut julorum nucum juglandium pulvis admiſceatur, quod pro prudentis medici arbitrio & exigentis neceſſitatis occaſione fieri poterit.

Ad partum & ſedanda tormina poſt eum è *Pharm. Schroderianâ.*

℞. *Rad. meu atamanthici, conſolidæ majoris an.* ℥ij. *ſuccini præparati, nucleor. perſicor. mundator. an.* ʒiß. *cinnamomi, macis, croci an.* ℈ii. *m. & F. pulvis ad uſum ſervandus.*

In pretio eſt hic pulvis pro ſedandis torminibus quæ patiuntur puerperæ. Datur in juſculo à ℈j. ad ℈ij.

Pulvis Paſſavanticus, ex *eadem Pharmac.*

℞. *Flor. borraginis, violar. an.* ℈*ii. Zinziber. ſpici nard. an.* ʒj.*glycyrrhizæ,ſem. Aniſi an.*ʒ*ii. diagryd.* ʒ*iii. rhabarb.el.*ʒvi. *turbith.gumm.*℥*i.ſenæ* ℥*ii. m.F.pulvis.*

Purgat humores noxios maximè bilem.

Species Diapenidion Nicolai ex *Pharm.Auguſt.*

℞. *Sacchari penidii* ℥*ii. nucum pinear. Amygdalor. dulcium,ſem.papaveris albi an.* ʒ*iii.* ℈*j.cinnamomi, caryophyllor. ſucci glycyrrhizæ, tragacanthi, Zingiberis, gummi arabici,, Amyli candidiſſ.ſem. excorticat. quatuor frigid. major. an.*ʒ*iß. miſc.completæ dicuntur quibus junguntur camphoræ gr.*vii.

Tuſſiculoſis, pleuriticis, perineumonicis conferunt, omnem thoracis noxam,faucium aſperitatem, vocis raucedinem & jacturam ex frigido & ſicco contractant emendant, tabidis & purulenta reiicientibus opem ferunt, craſſos humores attenuant, eoſdemque expulſioni aptos reddunt.

Species contra peſtem, ex *eadem Pharmac.*

℞. *Boli armenæ prap.*℥*ß.cornu cervi præp.ſem.citri, aurantiorum,limonum an.*ʒ*iii.coriandri, perforatæ an.* ʒ*iß. aniſi.perfoliatæ an.* ʒß.*dictamni albi, cinnamomi electi,an* ʒ*ii. caryophyllor. roſar. rubr. raſuræ eboris an.* ʒ*iß.Xylaloës, nucis moſchatæ,majoranæ.granor.juniperi, oſſis de corde cervi,rad.tormentillæ, ſcabioſæ, bugloſſi, ſandal.omnium an.*ʒß.*ſapphiri, hyacinthi, ſmaragdi, rubini,granati præp.an.*℈*i.*

Adverſus peſtilentis luis malignarumque febrium contagia remedium præſtans ac efficax, cordis vires tuetur& auget,veneni malitiam ſudoris provocatione diſiicit,ac tam in curatione, quàm in præſervatione peſtis morborumque contagioſorum plurimùm valere creditur.

Pulvis Antipeſtilentialis. *Zuvelferi.*

℞. *Rad. contrayervæ* ʒvi. *Zedoariæ* ℥*j. doronici veri* ʒvi.*ſem.citri excorti.rutæ,aquilegiæ an.*ʒ*ii. cort. arantiorum, citri ana extim.& recenter ſiccat.* ℥ß.*myrrhæ tranſlucidæ,ſuccini albi an.*ʒ*iij. croci Auſtr.*ʒ*ii.maceris* ʒiß.

Fiat omnium pulvis ſubtilis: adverſus peſtiferæ luis inſultus efficax, & contagioſis quibuſlibet morbis adverſatur. Doſis ʒß. ad ʒj.

Alius *ejuſdem* ad idem.

℞. *Sulphuris crudi ſeu puri* ℥*j. nitri cum ſucco ſcordii ſoluti,& denuò cryſtalliſati* ℥*iß. terræ ſigill. vel boli armenæ, n. m.paratæ*℥ß.*myrrhæ rubr.tranſlucidæ,ſuccini albi præp.an.*℥ß.*croci Auſtriaci* ʒ*ij.nuc.moſch.* ℥ß. *miſceantur,fiatque pulvis omnium ſubtiliſſ.*

In febribus malignis & peſte ipſa validus; à ʒß. ad ʒj. pro ſudore eliciendo.

Alius *ejuſdem* ad idem.

℞. *Rad. Angelicæ,imperatoriæ,contrayerviæ,Zedoar. an.* ℥ß. *ſem.citri excorticat. aquilegiæ an.* ʒ*ii. myrrhæ rubr.* ʒ*iii. terræ ſigill. n.m. paratæ,nitri cum ſucco ſcordii ſoluti ac denuo cryſtalliſati an.*℥ſs. *croci opt.* ʒiſs. *nucis moſchatæ* ʒ*ii.*

Fiat ex omnibus pulvis ſubtilis, cui imprimatur ſuccus oleaginoſus corticum trium pomor. limonior. ſervetur uſui: Non minoribus cæteris hic pulvis pollet virtutibus Alexipharmacis; febribus enim malignis, peſtiferis & contagioſis reſiſtit, earumque inſultus reprimit.

Species Antipeſtilentiales *Zuvelferi.*

℞. *Succi ſcordii recenter expreſſi, depurati & ad conſiſtentiam mellis inſpiſſati* ʒvi. *decocti ex partibus æqual. rad. Angelicæ, morſus diaboli, ſcorzoneræ,imperatoriæ, paratu, atque ad extracti ſpiſſitudinem leniter exhalando abſtracti* ʒvi. *his mixtis imprægnentur ſequentes pulveres,nimirum, pulv.boli Armenæ cum ſucco ſcordii paratæ* ℥*j. ex typhis cervi ritè parati, rad. contrayervæ,Zedoariæ an.* ℥ß. *Bezoar. occidentalis, croci Auſtriaci vel orient.ſem. citri excorticat. rutæ hort. an.* ʒiiß.*cort.citri recenter ſiccator. & ext.nucum moſchatar. myrrhæ rub.tranſlucidæ an.* ℥ß. *& leniſſimo calore, chartæ incluſa,exſiccentur,ut in pulverem ſubtiliſſimum denuò conteri queant;qui aſſervetur.*

Præſtant hæ ſpecies in febribus malignis,contagioſis, ipſaque peſte,& à peſtilentis luis contagione præſervant Doſ. ʒß. ad ʒj.

Pulvis,ſeu Sal Philoſophorum,ex *Pharm.Schroder.*

℞. *Sal.com.fuſi.ſal.gemm.an.*ʒj.*galang.macis, cubebar.an.*℈j. *F.pulvis.*

Vires. Juvat concoctionem ventriculi, cruditateſque conſumit. Doſis gran.4.mane jejuno ſtomacho.

Pulvis phlegmagogus Quercetani & Salæ, ex *eadem Pharm.*

℞. *Specier. diacartham.* ʒ*ij. Agaric. trochiſc.* ʒß. *turbith. hermodactyl.an* ʒ*j.m. Doſis* ʒ*j.*

℞. *Cryſt. tart. hermodactyl. mund. an.* ℥*j. Turbeth. albi* ʒvi. *reſin.ſcammon.*ʒ*ij.* ☉ *caryophyll.cum ſaccharo, miſt.* ℈ß. *miſc.* purgat ſeroſos ac phlegmaticos humores ſine moleſtia, doſis ʒß.ad ʒj.

Pulvis Diatrion pipereon Galeni ex *Pharm.Auguſt.*

℞. *Trium piperum an.*ʒvi.*grana* xv.*Aniſi, Thymi, Zingiberis, an.*ʒ*j.*

Deſcribitur hoc medicamentum à Galeno 4. de tuenda valetudine, commendat id autem in crudorum ſuccorum & flatuum copia à cruditate, dandum iis qui malè concoquunt,& ſuccum plurimum pituitoſum in primis venis coacervarunt; ſtomachi refrigerationes,ructus accidos & jecineroſos juvat, nec non inflationes diſcutit.

Diatrion pipereon Meſuæ,ex *eadem Pharmac.*

℞. *Trium piperum an.*ʒv.*Zingiberis, thymi, Aniſi an.* ʒ*ij.ſpicæ indicæ,amomi an.*ʒ*j.caſſiæ ligneæ, radicum Aſari, enulæ,ſem. Apii,ſeſeleos an.*ʒß.

Ventriculi refrigerationibus, acido ructui, quartanariis, jecinoroſis, & inflationibus auxiliantur, ac fluxionibus quæ à capite ad thoracem deſcendunt, conducunt.

Pleres Arconticon Nicolai, ex *eadem Pharm.*

℞. *Cinnamomi,caryophyll.ligni aloës galangæ, ſpicæ indicæ, nucis moſch. Zingiberis,ſpodii,ſchænanthi,cyperi, roſarum,violar.an.*ʒ*j. grana xv. Folii maſtiches. ſtyracis calamitæ, majoranæ, balſamitæ, ſeu menthæ aquaticæ, ocimi,cardamomi; piperis longi, baccar.myrthi, corticum citri.an.*℈*.i. gr.5.margaritatum orientalium, Been albi, rubri,corallii rubri.ſerici toſti an.*℈*j.gr.*iiſs. *miſc. ſpecies hæ completæ dicuntur, ſi porro ingrediantur eas moſchi gr.* viiſs. *camphoræ gr. v.*

Cardiacis, triſtibus,melancholicis, cibum vomentibus, pulmonariis,ac epilepticis ſuccurrit, cerebri ſenſus interceptos liberat,ejuſque debilitatem aufert, imbecillo ventriculo & animi deliquio à corde nato confert; præter eos qui ex diuturno morbo extenuati ſunt,plurimamque inde imbecillitatem contraxerunt,admodum corroborat,aſthmaticis prodeſt.

Pulvis pleuriticus ex *Pharmac. Auguſt.*

℞. *Mandibularum lucii præparatar. dentis Apri uſti præp. an.* ʒ*ij lapidum percarum, talorum leporis, oculorum cancri præparator. lucii piſcis præparator. ſeminum*

ſeminum cardui benedicti, Artemiſiæ rubræ an. ʒj. *miſce Fiat pulvis.*

Contra omnes laterum puncturas in pleuritide tàm ſpuria, quàm exquiſita, etiam in epidemia illa, qua doloris vehementia multi jugulantur, ad dolores mitigandos, inflammationes reſolvendas, ſudoreſque eliciendos ſingulare eſt remedium.

Pleuriticus alius *Ludovici.*

℞. *Off. capitis lucii,* ℥j. *ſanguinis hirci, ſulfur. citr. an.* ℥ß. *m. Doſis à* ℈j. *ad* ʒß. *vel* ʒj. cum vel ſine tantillo opii, bis vel ter datus omnem expectationem explebit, modo ſi pleuritis ferocior & maligna ſit, mixtura ſimplex. Ceu efficax hic reſolvens præmittatur, & in majori niſu expectorans, quoddam in forma liquida interponatur: invertentibus verò & cancrinis atque corallinis, vel parùm vel non opiatis cura claudatur.

Species Diapraſiu Nicolai, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Praſii* ʒvß. *pinear. repurgatar. Amygdalor. dulcium, piſtacior. carnium dactylor. caricar. pinguium, paſſular. major. Tragacanthi an.* ʒiiiß. *cinnamomi, caryophyllor. nucis moſch. macis, ligni aloës, galangæ, ſpicæ indicæ, zingiber. Zedoariæ, glycyrrhizæ, rhapontici, Anacardii. ſtyracis calamitæ, galbani, Terebinthinæ, maſtiches, myrrhæ rubr. rad. ireos, Ariſtoloch. rotundæ, gentianæ, cort rad capparis, piperis nigri, ſem. Aniſi fæniculi, Anethi, apii, petroſelini macedon. ſaxifragiæ an.* ʒii. *hermodactylor. origani, peucedani, ſchænanth., cardamomi, piperis albi, carvi, liguſtici, vincetoxici an.* ʒiß. *gr. ij. balſamitæ, pulegii, dictamni cretici, coſti, pyrethri, thimbræ. ſem. baſilici, pæoniæ, amomi, ſeſeleos cretici, orobi veræ, piperis longi an.* ʒj. *gr.* 2 *Xylobalſami, caſſiæ ligneæ, corallii rubr. raſuræ eboris, carpobalſami, dauci cretici an.* ʒß. *oſſis de corde cervi, miſc. completæ fiunt per Ambræ moſchi an. grân. xij.*

Conferunt tabidis, tuſſientibus, & iis qui defluxionibus deſtillationibuſque frigidis è capite obnoxii ſunt, item hebetudini oculorum, & palati noxis, oris putredinibus, ac in univerſum omnibus affectibus frigidis tuſſim afferentibus opitulantur, calculos atterunt, ac iis qui difficulter mingunt, commodè exhibentur, ventriculi quoque & hepatis dolorem, ventriſque inflationes & torſiones ſedant, menſes educunt, ac pallidum corporis colorem crebro uſu vividum reddunt, inſuper etiam paroxyſmos quotidianarios & quartanarios reprimunt.

Roſata novella Nicolai ex *eadem Pharmac.*

℞. *Sacchari roſati Tabulati, roſar, glycyrrhizæ an.* ℥j. ℈iiß. *cinnamomi* ʒij. *gr. xxii. caryophyllor. ſpicæ indicæ, zingiberis, galangæ, nucis moſch. zedoariæ, ſtyracis calamitæ, cardamomi, ſem. Apii an. gr.* xxviii.

Ad ventriculi & cordis imbecillitatem efficax eſt, his præſertim, qui diuturno morbo conflictantur, uſu familiaris, vomitum & nauſeas compeſcit, cardiacis quoque & pulmonariis ſubvenit, ventriculi vires reſtaurat, ac longa ægritudine extenuatos plurimum reficit.

Species Diarhodon. Abbatis Nicol. ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Sandali albi, rubri an.* ʒiiß. *tragacanthi, Gummi arabici, ſpodii an.* ℈ii. *ſucci glycyrrhizæ, Aſari, maſtiches, ſpicæ indicæ, cardamomi, croci, ligni aloës, caryophyllorum, cinnamomi, rhabarbari electi, ſem. berberum, quatuor frigidor. major. Aniſi, fæniculi, baſilici, papaveris albi, intybi, portulacæ, lactucæ an.* ℈j. *margar. oſſis de corde cervi an.* ℈ß. *roſar. ſacchari cantii an.* ℥j. ʒiii. *miſc. completæ fieri poſſunt per galiæ moſchatæ* ℈j. *camphoræ gr.* vii. *moſchi gr.* iv.

Hepaticis, ictericis, cardiacis, phthiſicis & cæliacis, proſunt, defectionibus item animi è corde natis ſuccurrunt, ventriculum humidum deſiccant, à cerebro robur addunt. Dantur ſalubriter iis, qui è morbis diuturnis ac febribus emergunt.

Pulvis Rubeus Pannonicus, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Boli Armen. cum aqua roſarum & Acetoſæ præpar.* ℥iii. *terræ lemniæ veræ præp.* ℥ii *corallior, rubr. præpar.* ℥ß. *alborum præparat.* ʒvi. *lapidum pretioſor. ſcilicet ſmaragdi Rubini, ſapphiri, hyacinthi ana præparat.* ʒiv. *margarit præpar.* ʒv, *cinnamomi electi* ʒii *caryophill.* ʒj. *ſeminis Acetoſæ* ʒij. *corticum citri, ſandali albi an.* ʒiß. *rubri* ʒij. *ſpodii præpar.* ʒv. *raſuræ eboris* ʒij. *croci orientalis* ʒj. *cornu cervi philoſophicè præparati* ʒiv. *Folior. Auri puriſſimi numero quinquaginta. Fiat omnium pulvis.*

Adverſus peſtilentium febrium noxas, & contagioſorum ac venenatorum morborum invaſiones maximè potens eſt. Datur puerulis & infantibus, ubi variolarum aut morbillorum ſuſpicio adeſt, eos namque efficaciter expellit, ac cor à putridi vaporis aut humoris contaminatione tutum reddit. Medicamentum planè regium, unicuique ætati ac ſexui adcommodum, præbetur cum ſyrupo limonum, & aqua cardui, Acetoſæ vel borraginis.

Rubeus Pannonicus alius, ex *eadem Pharmac.*

℞. *Boli Armen. orient. præpar.* ℥ij. *terræ ſigill. veræ* ℥vi. *lapidum pretioſor. ſcilicet hyacinthi, ſapphiri, Rubini, ſmaragdi ana præp.* ℥j. *margaritar. præp.* ʒx. *ſpodii præpar. Raſuræ eboris an.* ʒv. *corallior. rubr. præpar.* ʒviii. *alborum præpar.* ℥iß. *rad. tormentillæ, dictamni an.* ʒiij. *cornu cervi philoſ. præp.* ʒvi. *ſandali alb.* ʒj. *rad. Doronici* ʒvi. *ſem. Acetoſæ* ʒij. *corticum citri* ℥iß. *camphoræ* ʒij.

Pulveriſentur ſingula per ſe, & miſceantur, addendo foliorum Auri numero 50. & fiat Pulvis.

Eaſdem quas prior vires obtinet.

Rubeus contra Peſtem, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Myrrhæ electæ, croci an.* ʒj. *oſſis de corde cervi* ℈j. *cornu cervi* ʒij. *dictamni cretici, tormentillæ, pimpinellæ, gentianæ an.* ʒij. ℈j. *zedoariæ, zingiberis an.* ʒiij. *ſulphuris vivi, boli armen. veræ an.* ʒiv. *Camphoræ* ℈iv. *theriacæ Andromachi, mithridatii optimi an.* ʒvi. *fiat omnium pulvis.*

Hic Anno Chriſti 1572. quo peſtis invaluit, apud nos frequentiſſimè fuit adhibitus, & D. Achilli Gaſſero noſtro p. m. familiaris.

Pulvis Sabaudicus ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Cinnamomi electi* ʒiij. *caryophyll.* ʒj. *maſtiches electæ, myrrhæ electæ, radicum tormentillæ ana* ʒj. *Zedoariæ, Anthoræ, contrayervæ, ſcorzoneræ, corallior. rub. præparat. margaritar. præparat. ſapphiri præparat. rubini præp. ſmaragdi præp. hyacinthi præp. lapidis bezoar. orient. unicornu veri an.* ʒii. *Boli Armen. præp. terræ ſigill. veræ an.* ʒj. *corticum citri* ℥ß. *Foliorum Auri n x. Antimonii diaphoretici ad pondus omnium Fiat omnium pulvis.*

Vires. Ejus ſunt Alexipharmacæ; unde in febribus malignis, expellendis variolis &c. magnopere laudatur.

Moſchi & Ambræ an. ℈ß. alias addi ſolitum, omiſimus, à medico, ſi expetat, uſus tempore rectius ſupplendum.

Pulvis ſeu ſal Sacerdotale duplex, ex *Pharm. Schroder.*

℞. *Sal. commun. torref.* ℥iij. *piper* ℥j. *cinnamom.* ℥ß. *Zedoar. zingiber. an.* ʒß. *ſem. cumin. carvi an.* ʒj. *Fiat pulvis ſubtiliſſimus.*

Vires.

Vires. Dolori capitis medetur ; ventriculum calefacit, cruditateſque & flatus conſumit, concoctionem juvat, colicum dolorem profligat. Doſis gr. VIII. ad gr. XV. &c.

Idem aliter.

♃. *Sal. commun.* ℥j. *cinnamom. cumin. an.* ʒiij. *Zinzib. amom. ſiler. mont. piper. ſatureiæ, hyſſop. origan. puleg. an.* ʒj. *Fiat pulvis ſubtiliſſimus.*

Vires. Eaſdem cum priori obtinet.

N. Dicitur ſal ſacerdotale, quia ſacerdotibus olim (tempore Eliæ) ad dolorem capitis & oculorum caliginem in uſu fuiſſe ſtatuitur.

Species diatrion ſantalon Nicol. Myrepſ. ex *Pharmac. Auguſt*

♃. *Trium ſandalor. an.* ʒij ℈ij. *rhabarbari. ſpodii ex ebore, ſucci glycyrrhizæ, ſem. portulacæ an* ʒij. *Amyli, gummi Arabici, tragacanthi, ſem. quatuor frigid. major. intyb. an.* ℈iiij. *violar.* ℥ß. *roſar. quantum reliqua omnia pendent, id eſt,* ℥iij. ʒij. *miſc. ſi camphoræ* ℈j. *jungatur, completæ dicuntur.*

Febrium bilioſarum ardoribus, & viſcerum fervoribus hepaticis, cardiacis, ictericis, phthiſicis auxiliantur, & intemperiem omnem calidam emendant. Præcipuus earum uſus eſt in febrium declinationibus, materia jam evacuata, ad reſiduum calorem extinguendum, & viſcerum tonum conſervandum.

Pulvis Sarcoticus *d. Charraz.*

♃. *Olibani, ſarcocollæ, maſtiches, myrrhæ, aloës, mumiæ, Ariſtolochiæ, longæ, rotundæ, an.* ℥j. *F. omnium pulvis ad uſum ſervandus.*

Hic pulvis mundificat vulnera, carneſque regenerat ſolus adſperſus, aut unguentis liquoribuſve idoneis admiſſus.

Pulvis Saxifragiæ compoſitus, ex *Pharm. Londin.*

♃. *Pimpinellæ ſaxifragæ* ʒß. *ſem. ſaxifragiæ, geniſtæ, milii ſolis an.* ʒj. *lactucæ, hyoſcyami, papaveris albi, quatuor frig. major. an.* ℈ij. *troch. Alkekengi* ʒiß. *glycyrrhizæ* ℈iiij. *ſacchari cryſtallini, quando uſus poſtulat addendi* ℥ij. *F. pulvis.*

Pulvis Saxonicus, ex *Pharm. Auguſt.*

♃ *Rad. valerianæ* ℥ß. *vincetoxici, urticæ an* ℥j. *polypodii querni, Althææ, Angelicæ ſylveſtris an.* ℥j. *Angelicæ ſativæ recentis* ℥iiij. *cort. rad. laureolæ ſive mezerei* ℥iʒ.

Pulvis hic in Saxonia primùm uſurpari cæptus, peſti ac venenis quoque aſſumtis egregiè adverſatur. Et deleteriorum vires frangit.

Quamvis has radices, eo tempore, quod XV. Auguſti & xiij. Septembris dies intercedit, effoſſas, & inciſas, in olla vitreata cum aceto acerrimo coquendas, & poſtea, aceto abjecto, exſiccandas eſſe, quondam ſtatutum fuerit ; cum tamen maceratione & coctione illa aliquas earum utiles particulas diſperdi, haud ſit negandum, laureolæ quidem radices aceto imprægnari, & ſic earum acrimoniam corrigi poſſe, arbitramur, reliquas ſimpliciter in pulverem tritas admiſcendo, & Acetum uſus tempore, ſi medico ita viſum fuerit, una propinando. Licet aceto utpote liquore alexipharmaco, & has imbuere ſi cui placeat, liberum per nos eſſe queat; qui pulverem hunc jamdudum in obſeletorum ordinem repoſuimus.

Pulvis ſenæ præpar. Montagnanæ, ex *Pharm. Auguſt.*

♃. *Folior. ſenæ* ℥iß. *Zingiberis, macis an.* ʒiij. *Cinnamomi, tartari an.* ʒß. *Fiat pulvis.*

Aduſtos humores, melancholicumque ſuccum hoc pulvere purgamus, ſeroſam aquarum colluviem exhaurimus, pituitam ſalſam & putrilaginem jam conceptam deturbamus, eoque nomine cutis fœditatem, ſcabiem, lepram, cæteraſque ejus generis ſordes eluimus.

Quidam Aniſum addunt ʒj. pondere, alii tartarum augent: prudenti cuique ſuum ſit hac de re judicium. Nos huic formulæ adſueti felix medicamentum experti ſumus.

Pulvis Senæ compoſitus major. *Pharm. Londin.*

♃. *Sem. Aniſi, carvi, fœniculi, cymini, ſpicæ nardi, cinnam. galangæ an.* ʒß *glycyrrhizæ, milii ſolis an.* ℥j. *ſenæ ad pondus omnium fiat pulvis.*

Pulvis Solutivus de tribus, ex *Pharm. Auguſt.*

♃. *Folior. ſenæ* ʒVI. *Turbith* ʒiiij *rhabarbari* ʒij *glycyrrhizæ, ſem. Aniſi, fœniculi an.* ʒj. *ſpicæ indicæ* ℈ß. *F. pulvis.*

Inſcribitur hic pulvis de tribus, ob tria ſimplicia purgantia, quæ ejus compoſitionem ingrediuntur. Rhabarbarum nempè turbith & folia ſenæ. Confert autem hepatis & venarum meſeraicarum obſtructionibus, hydropi incipienti, ac ventris inflationibus, crudorum quoque humorum frigidorum maximè, collectionem è ventriculo & meſenterio eiicit.

Solutivus Magiſtralis, ex *eadem Pharmac.*

♃. *Folior ſenæ Alexand. dacrydii, hermodactylorum, Turbith. cardamomi, galangæ, maſtiches an.* ʒß. *ſacchari* ℥iij. *Fiat pulvis.*

Hydropicis ac veteri ictero fœdatis opitulatur, pituitam namque & bilem purgat, deſcriptionem ejus vide in Valeſco.

Pulvis Sperniolæ è *Pharm. Noriberg.*

♃. *Myrrhæ ſelectæ, Thuris maſculi an.* ℥ij. *camphoræ* ʒiij. *croci triti* ʒß. *terantur omnia & miſceantur.*

Pulvis hic aqua ex ſpermate ranarum per ſaccum reſoluta imbibatur vigeſies, vel trigeſies, ita tamen, ut ſemper prius ſponte exiccetur : Tandem demum camphora ne exhalet, addatur & uſui aſſervetur.

Species dia-ſpoliticon Galeni ex *Pharm. Auguſt.*

♃. *Cumini aceto macerati & toſti, piperis longi vel nigri, folior. rutæ ſiccat. an.* ℥j. *nitri* ℥ß. *vel æquale cum reliquis pondus, ſi movere ventrem velis,*

Medicamentum hoc à Dioſpoli Ægypti oppido denominationem ſortitum, deſcribitur à Galeno δὶ ὑγιεινῶν ε. Flatus potenter diſſipat, & ventriculo infarctam pituitam efficaciter detergit.

Pulvis Stegnoticus Caſpari Gutmanni, ex *eadem Pharmac.*

♃. *Lapidis ætitis* ʒj. *hæmatitæ præpar. carneoli præparati, cornu cervi uſti præp. terræ ſigill. veræ an.* ʒß. *corallor. rubr. reſolutor.* ʒij. *omnia in tenuiſſimum pollinem redacta miſceantur.*

Ad omnes fluxus ſanguineos narium & hepatis ſiſtendos, imprimis menſtruam mulierum purgationem ſuperfluam, dyſenteriam, diarrhœam, alvi & uteri profluvia alba, curanda, ſingularis efficaciæ exſiſtit, à chirurgis etiam noſtris in ſupprimendo vulnerum ſanguine plurimum commendatur.

Pulvis Sternutatorius ex *Pharm. Auguſt.*

♃. *Majoranæ* ʒß. *betonicæ, pyrethri an.* ʒß. *hellebori utriuſque an.* ʒj. *pulegii* ℈j. *Fiat pulvis.*

Lentam pituitam ac phlegma craſſum, naribus inſufflatus, vel iiſdem adſtrictus provocat : cerebrum à tena-

à tenacibus humoribus purgat, & oſſis ethmoidis obſtructiones reſerat.

Sternutatorius alius ex *Pharm. Noriberg.*

℞. *Herb. pulegii, majoranæ, roriſmarini, ſalviæ an. ℥iſs. nicotianæ, rad. Ellebori alb. ſelecti, ſem. nigellæ an. ℥j. moſchi gr. v. miſce pro pulvere.*

Sternutatorius *Zvvelferi.*

℞. *Rad. doronici veri, pyrethri, hellebori alb. an. ʒj. herb. majoranæ, thymi, roriſmarini, Flor. liliorconvalium an. ʒß. ſem. Aniſi, coriandri, nigellæ, cardamomi macis, an. ʒß. caryoph ℈j Ambræ gryſeæ, ℈ſs. moſchi oriental. gr. viiij. ol. ligni rhodii ℈j Fiat ex omnibus pulvis ſubtiliſ.*

Sternutatorius Mart. Rolandi, ex *Ph. Schroderiana.*

℞. *Sem nigellæ, hellebori alb. an. ℈j. majoran. roriſmar. ſalviæ an. ʒſs. moſch gr. ij. m. caput roborat, pituitam elicit.*

℞ *F. Anthos, lavendulæ, ſalv., betonic. fol. majoranæ an. ℈j. macis, glycyrrhizæ, hellebor. alb. præp. an. ℈j. Tabac. opt. ℥j.*

Omnibus pulveriſatis & probe mixtis, adde ℈ ſtill. Anis. caryoph. macis, majoran. an. gr. iv. m.

Alius Johann. Nicol. Baumanni, ex *eadem Pharm.*

℞ *F. Tabac. Indic. ʒi. ℈j. rad. ireos Flor. ʒiß. lapillorum e. moſchi gr. ij fiat pulvis.*

Moſchus omittendus erit, ſi mulieri adhiberi debeat.

Pulvis Stomachicus Birckmanni, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Pulv. rad. Ari præparatar. ℥ij. Acori vulgaris, pimpinellæ, an. ℥j. ſacch. roſati ad pondus omnium, conficiatur pulvis guſtui gratus.*

Hic pulvis ad varia ſtomachi vitia & dolores conducit, cardialgiæ ſive oris ventriculi à ſuccis mordentibus affl[illegible]ti, & cardiacæ, à virulentis & venenoſis humoribus productæ medetur, & quia os ventriculi acutiſſimo ſenſu præditum, cum corde, cerebro, & primariis corporis partibus conſpirat, earundem etiam partium per conſenſum læſionibus prodeſt.

Stomachicus *Zvvelferi.*

℞. *Rad. calami Aromatici, galangæ, pimpinellæ, liquiritiæ, Zingiberis, piperis longi, caryoph. an. ℥ß. rad. doronici veri ℥j. nucum moſchatar. cardamom min. an. ʒvi. macis ʒj. ſem. aniſi, carvi, fœniculi an. ℥ß. cort. Arantiorum, citri ana extim. & recent. ſiccat. ʒiij. ol. cinamomi ſtill. ʒß. ſacch. can. albi ad pondus omnium. m. F. pulvis.*

Præſtans ad varia ſtomachi & cerebri vitia emendanda, vomitum, nauſeam, cardialgiam & concoctionem læſam; ventriculo item refrigerato cum emolumento exhibetur.

Pulvis ad Strumam Arnoldi de Villanova, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Spongiæ combuſtæ, pilæ marinæ toſtæ, oſſis ſepiæ, piperis longi, nigri, Zingiberis, cinnamomi, ſalis gemmæ, pyrethri, gallarum, lapidis ſpongiæ an ℥j. pulveriſentur & miſceantur.*

Ad ſtrumas abolendas, reiterata ſæpius ejus aſſumtione, feliciter exhibetur.

Ad Strumam alius, ex *Pharm. Noriberg.*

℞. *Spongiæ combuſtæ, pilæ marinæ toſtæ, oſſis ſepiæ, piperis longi, nigri, Zingiberis, cinnamomi, ſalis gemmæ, pyrethri, gallarum, lapidis ſpongiæ an. ℥j. pulveriſentur & miſceantur.*

Ad Strumam *Donzelli.*

℞. *Spongiæ marinæ, ſpongiæ ſtipitibus roſæ caninæ adnaſcentis an. ℥ij. ex his incineratis fiat pulvis, cujus ℞. ℥j. cineris chartæ bibulæ ʒij. cinnamomi ℥ß. corall. rub. pulver. ʒiß. m. F. pulvis.*

Hic pulvis remedium eſt ſingulare pro bronchocele: ejus autem uſus hic eſt. ℞. pulver. ℥j. aut ii. infund. in vaſe vino albo pleno, macer. dies iij. dein tempore plenilunii, ſumantur omni mane hujus liquoris ℥iij. donec incipiat luna creſcere, quo tempore eo abſtinendum, plenilunio vero ſubſequente reaſſumatur liquor ut prius.

Pulvis Sudoriferus, *D. Le Mort.*

℞. *Fol. card. bened. ʒiij. rad. Angelic. imperat. valerian. an. ℥ß. contrayervæ ʒv. oc. cancr. præp. conchar. præp. an. ʒij. camphor. ℈ij. croci ℈iiij. opii rite præp. ʒß. m. F. pulvis.*

Diaphoreſin egregiè movet, alexipharmacus eſt, febribus intermittentibus & contagioſis medetur, dolores è quacunque cauſa ortos ſedat. Doſis à ℈ß. ad ℈j.

Pulvis ad ſuppoſitoria *Pharm. Auguſt.*

℞. *Specierum hieræ picræ ℥iß. colocynthidos pulv. ʒi. hellebori albi pulver. ℥j. ſalis communis ℥ij. Farinæ frumenti ℥x. & viij. cum vitellis ovorum, & melle deſpumato quantum ſufficit, fiant ſuppoſitoria.*

Notandum, tametſi ſuppoſitoria hæc alvum ſollicitent, ac ſedes remorantes evocent, ea tamen mulieribus gravidis haudquaquam tuta exſiſtere, prout nec iis quibus hæmorrhoides moleſtæ eſſe ſolent; his enim vel leviſſima ex ſolo melle, vitello ovi, ac modico ſale confecta ſufficiunt: quibus acuendis nonnulli muſcerdam pauca quantitate indunt.

Ad ſuppoſitoria communia ex *eadem Pharmac.*

℞. *Aloës ʒij. cumini, rutæ, ſalis gemmæ, an. ʒj. Fiat pulvis qui ſubigatur cum ſufficienti quantitate mellis, & redigatur in glandes.*

Ad ſuppoſitoria alius acutior, ex *eadem Pharmac.*

℞. *Aloës ℥ß. hellebori albi, granor. colocynthidos, centaurii, cumini, rutæ an. ʒj. Fiat pulvis, qui melle ſubactus effingatur in glandes ſeu ſuppoſitoria.*

Ad ſuppoſitoria alius *Zvvelferi.*

℞. *Trochiſcor. Alhandal ʒij. Aloës hepaticæ ʒiij. ſalis gemmæ ℥ß. vel ʒvi. ol. ceræ ſtillat. ʒß. miſce F. pulvis.*

Pulvis Tartari cryſtallini ſolutivus, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Cryſtallor. tartari, Folior. ſenæ ſelectiſſimæ an. ℥j. cholagogi ſimplicis ʒij ſeminis Aniſi electi, cinnamomi acuti, galangæ minoris an. ʒj. caryophyllorum ʒß. Fiat pulvis.*

Pituitam & bilem, ſuccumque melancholicum, & aduſtos humores purgat.

Species diathamaron Nicolai, è *Pharm. Auguſt.*

℞. *Anthophyllor. Zingiberis an. ʒv gr. 36. cinnamomi, caryophyll. carnium dactyllor. an. ʒiiij gr. 36. galangæ, ſpicæ indicæ, Zedoariæ, coſti albi aromatici, pyrethri, coralli rubri, tragacanthi, rhapontici, ſpicæ celticæ, Anacardii, oſſium dactylor. carpobalſami, Aniſi, baccarum juniperi, trium piperum an. ʒj. gr. 48. margaritar. ℈iiij. Blattæ Bizantiæ, i. e. unguis odoratæ, ℈j. folior. Auri 125. Argenti 75. oſſis de corde cervi legitimi ℈iß. raſuræ eboris gr. 27. miſce ſi completa deſiderentur, addenda Ambræ gr. 27. moſchi grana tria.*

Tabidis,

Tabidis, tuſſientibus, ſtomachicis, difficulter ſpirantibus, & aſthmaticis proſunt, ac ad omnem corporis imbecillitatem levandam faciunt; renum præterea impotentiæ & debilitati ſuccurrunt.

Pulvis Thuraloes ex *Pharm. Londin.*

℞. Thuris ʒj. Aloës ʒſs. Fiat pulvis.

Utendi tempore, tantum hujus cum ovi Albumine ſubigatur, quantum mellis reddat craſſitudinem: hoc leporis molliſſimis pilis excipiatur; deinde cùm vaſi profluenti, tum vulneri toti liberaliter imponatur, adhibita ligatura convenienti.

Diatragacanthum frigidum Nicolai, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Tragacanthi candidi ℥ij. gummi Arabici ℥j. ʒij. Amyli ℥ß. glycyrrhizæ ſem. quatuor frigidor. major. an. ʒij. papaveris albi ʒij ſacchar. penidij ℥iij. miſc. camphora ſi cui arrideat, is ℈ß. immiſceat. nos eam expunctam volumus.

Uſus ejus frequens eſt in omnibus pectoris & pulmonum noxis à calida & ſicca cauſa ortum trahentibus, thoracis gravitatem allevat, & tuſſiculoſis ab intemperie calida opem fert; pleuriticis, peripneumonicis, tabidis & macie confectis, linguæ itidem & faucium aſperitati ſuccurrit, ac ſiti immodicæ, quam pulmonum calor invexit, confert.

Diatragacanthum calidum Nicolai, ex *eadem Pharm.*

℞. Tragacanthi ℥ij. hyſſopi ℥ß. pinearum, Amygdalorum utrorumque, ſem. lini an. ℥iij. fænugræci, cinnamomi an. ʒij. glycyrrhizæ raſæ, ſucci glycyrrhizæ, Zingiberis an. ʒj.

Confert pectoris affectibus frigidis, ægrè tuſſientes aſthmaticos & ſuſpirioſos relevat.

Tragea groſſa, ſeu ſpecies inciſæ, ex *Pharmac. Auguſt.*

℞. Confect. ſem. Aniſi ℔j. fœniculi, carvi, coriandri, Zingib. albi an. ℥viii. cinnamomi electi ℥ij. calami Aromatici, ℥j. nucis moſchatæ ℥ß. concidantur craſſo modo & miſceantur.

Speciebus his inciſis adduntur quandoque tabulata ſpecier. Aromatici, diambræ, de extracto ligni aloës, ſaccharum perlatum cum oleo cinnamomi, in fruſtula confracta, pro varia prudentis medici intentione. Manduntur præſertim manè ad cerebrum & ventriculum roborandum, aut etiam poſt cibum ad ventriculi flatus diſſipandos, & oris halitum commendandum.

Tragea groſſa cum Tabulatis, ex *eadem Pharmac.*

℞. Confect. ſem. Aniſi fœniculi, coriandri, carvi an. ʒvi. Aquilegiæ, erucæ an. ʒv. cubebar. ʒij. tabul. Aromat. roſati ʒvi. contra apoplexiam ʒv. de extracto ligni Aloës ℥ß. ex ol. cinnamomi ʒvi. caryophyllorum ʒiij. aniſi fœniculi an. ʒiiß. cort. citr. condit. ſiccorum ℥j. nucis moſchatæ Luſit. majoris condit. ſiccæ, ſpecierum Imperatoris an. ℥ß. craſſiuſculè conciſſa miſceantur.

Tragea groſſa, ſeu ſpecies inciſæ ſaccharo obductæ, ex *eadem Pharm.*

℞. Cinnamomi elect. ʒvi. zingiberis ʒv. ℈j. calami Aromatici ℥ß. macis, nucis moſchatæ an. ʒij. ℈ij. galangæ, caryophyllor. an. ʒij. cubebar. ℈iiij. ſem Aniſi ℥iv. carvi, fœniculi, coriandri an. ℥ij. conficiantur omnia cum ſaccharo ut eſt artis.

Tragea groſſa Aromatica uſitata, ex *eadem Pharm.*

℞. Cinnamomi acutiſſimi ʒvi. nucis moſchatæ ʒj. macis ʒß. galangæ, caryophyll. an. ʒß. zingiberis albi ℈iiij. ſem. coriandri ℥ß. Flor. roſar. rubr. ℈ij. ſacchari albi ℔ij. miſce Fiat tragea tenuis.

Pulvis Trithemii, ex *Pharm. Schroder.*

℞. Calam. Arom. gentian. cymin. ſiler. montan. Aniſi, carvi, leviſt. petroſelin. ſpic. nard. an. ℥ß. Zinzib. albi, Chamæpyt. Fol. ſenæ el. cryſt. tart. an. ʒvi. macis, cubebar. an. ʒij. caryophyll. ʒvii. miſce Fiat pulvis ſubtiliſſimus.

Vires. Sunt qui hujus laudes ſummè commendant, ad memoriam confortandam. Videlicet, poſt purgationem convenientem. ℞. Hujus pulveris ʒj. aq. magnanimitatis gutt. XII. & vini nonnihil, ſumuntque mane & veſperi per totum menſem; altero menſe, mane ſolum; tertio bis vel ter ſingulis ſeptimanis, idque mane, quarto menſe bis qualibet ſept. & poſtea ad dies vitæ ſingulis menſibus ſemel, creſcente luna, ſed crapulam vitare monent, ebrietatemque.

Pulvis Trithemii ad memoriam confortandam maxime celebratur ad D. autoris noſtri præſcriptum adhibitus: ſed qui illo utuntur, ſubducere ſe veneri & baccho debent. *Hofmannus.*

Pulvis diaturbith cum rhabarbaro *Pharmac. Noriberg.*

℞. Turpethi optimi hermodactylor. an. ℥j. rhabarbari ʒx. diagrydii ℥ß. ſantali albi, rubri, violar. Zingib. an ʒiß. maſtiches, Aniſi, cinamomi, croci an. ʒß. ms.

Idem Pulvis ex reformatione *D. Lemery.*

℞. Turbith gummoſi ℥ij. rhei elect ʒx hermodactylor. ℥j. diagridii, chriſtall. tart. & ſem. violar. ana ℥ß. Fiat pulvis ſ.a. cujus doſ. à gr. xviij. ad ʒj.

Pituitam cerebri, bilem & melancholiam purgat, menſtruum fluxum provocat, ac præterea ventriculum, ut credunt, ipſumque etiam hepar corroborat.

Pulvis contra Tuſſim *Pharm. Noriberg.*

℞. Sacchari albiſſimi ℥iij. ſpec. Diaireos ℥j. rad. pæoniæ ʒij. pulv. liquiritiæ ʒj. lactis ſulphuris, croci oriental. an. ℈ij. cranii humani ſpagyrice præparati, ſuccini albi præp. an. ℈j. ms. F. pulvis ſubt.

Alius contra Tuſſim *Zwelferi.*

℞. Sem. papaveris albi ℥j. melonum excort. ℥ß. pæoniæ excort. ʒij. pinear. mundatar. decort. an. ℥ß. Benzoes pulv. ʒß. contundantur probe in mortario ad pultis formam, cum ſ. q. aquæ roſar. hinc pulpæ adde.

Pulv. Ireos Flor. ℥iß. pæoniæ ℥ß. croci orient. vel Auſtriaci ʒij. Flor. ſulphuris ʒiſs. ſacchari penidii ℥vi.

Exſiccentur in leni calore, fiatque omnium denuò pulvis ſubtiliſ. adde olei ſtill. aniſi ʒj. vel ʒſs.

Præſtans in tuſſi & defluxionibus à capite ad pectus tenuioribus incraſſandis & maturandis remedium, ſæpius lambendo uſitatum.

Pulvis ad vermes, ſeu lumbricos ex *Pharmac. Auguſt.*

℞. Sem. ſancti ℥iiij. Foliorum ſenæ ℥j. coriandri præpar. cornu cervi an. ʒ s. Fiat pulvis.

Vires. Ex nomine patent, in enecandis & expellendis lumbricis longo uſu comprobatæ.

Semen ſanctum qualem plantam pro matre agnoſcat, nondum certo conſtat, ſi tamen non ad abrotana, ſaltem Abſinthia referri poſſet: prout etiam Abſinthii Seriphii, quod alias ſantonicum dicitur, ſemen eſſe, plurimis creditur. Officinæ ſemen hoc paſſim vocant ſemen lumbricorum, quod ipſum vulgus Vurmſamen adpellat, eò quòd id vermes & lumbricos expellere ſit aptum.

Alii duo *Zuvelferi.*

℞. *Sem. ſancti ſeu cynæ,℥i. corallinæ, mechoacæ albæ an. ʒii. mercurii dulcis rite & dextre parati ʒiß. magiſterii gialappæ Amygdalis probè ſubacti ʒi. ſem. Aniſi ʒiß. ſacchari albiſſimi ℥ß. Fiat ex omnibus pulvis.*

In vermibus & lumbricis expellendis tum puerorum tum adultorum efficax, mediante doſi ℈i. ʒß. ad ʒi. in lacte vel mulſo exhibendus.

℞. *Sem. cynæ ℥i. corallinæ ℥ß. myrrhæ rubræ ʒi. mercurii dulcis legitimè parati ℥ß. raſuræ cornu cervi, Turbith albi an. ʒii. ſacchari albi ℥i. macis ʒi. Fiat pulvis.*

Cujus doſis ʒß. ad ʒi. in vermibus expellendis.

Alius d. *Charraz.*

℞. *Sem. contra vermes, citri mundati, geniſtæ, portulacæ, caulium rhei electi, ſcordii, centaurii minor. rad. gentianæ, raſuræ c. c. an. ℥i. Fiat omnium pulvis tenuiſſimus, ad uſum ſervandus.*

Cui, uſus tempore, mercurii dulcis grana aliquot admiſceri poterunt.

Datur à ℈ß. in vino, aq. ſcordii, portulacæ, flor. Aurantiorum pomo cocto, ſyrupo quopiam, aut condito: admiſceri etiam poteſt opiatis & potionibus, advertendo, cum in liquidis exhibetur, mercurium non eſſe admiſcendum. Poteſt etiam pro exigentia addi huic pulveri aliquid reſinæ ſcammonii aut gialappæ.

Pulvis Violarum odoratus, ex *Pharmac. Auguſt.*

℞. *Ireos Florentinæ ℥vi. roſar. rubr. ℥iiii. cyperi ʒß. majoranæ, caryophyll. ſtyracis an. ℥i. Benzoi, ſandali citrini, an. ℥ß. violarum dr. iii. moſchi dr. j. Fiat pulvis.*

Pulvis hic tametſi ad odoramenta potiſſimum expetatur, caput tamen extrinſecus adhibitus eximiè roborat, necnon cordis palpitationi medetur.

Paratus etiam proſtat ſine moſcho.

Pulvis pro Ulceribus Gutturis, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Sulphuris vivi ℥iiij. myrrhæ rubræ, Aluminis ſaccharini an. ℥ij. maſtiches, Thuris an. ℥i. pyrethri ʒvi. Fiat pulvis.*

℞. *Hujus pulveris ℥i. vini ſublimati ℔j. miſce.*

Pulvere hoc, in noſocomio Gallico ad gutturis antiqua & fœda ulcera ſananda, utebantur quondam D. D. Adolphi Occones, Auguſt. medici, ac ſubſequentes illuſtrium ac generoſorum D. D. comitum Fuggerorum Xenodochiis præfecti, quibus in locis, ex pia & munifica prædicti ſtemmatis fundatione, plurimi lue iſta laborantes uſque ad planam ſanationem ſuſtentantur.

Pulvis vulnerarius *Zuvelferi.*

℞. *Maſtichis electæ, myrrhæ, olibani, ſangu. draconis, oculor. cancr. prap. nucis moſch an. ʒii. Boli Armenæ n. m. parat. rad. tormentillæ, an. ℥ß. croci Auſtr. ʒß. Fiat omnium pulvis.*

In vulneribus internis & externis, nervorum, præcipuè, ubi meliceria (vulgo das Bliedmaſſer) è vulneribus ſtillati, opem præſtat, à ʒß. ad ʒj.

Species diaxilaloës Meſuæ, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Ligni Aloës electi, roſarum ana ℥i. caryophyll. ſpicæ indicæ, macis, nucis moſchatæ, cubebar. cardamomi utriuſque, cinnamomi, maſtiches, cyperi rotundi, ſchænanthi, Zedoariæ, Been utriuſque, Folii, ſerici crudi toſti, margar. corallii rubri, charabe, foliorum citri, corticum citri, ocimi caryophyllati, balſamitæ, menthæ ſiccæ, majoranæ, piperis longi Zingiberis an. ℥ß. miſc. complentur per galiæ moſchatæ ℥ß. Ambræ ʒiß. moſchi ℈i.*

Ventriculi, cordis, & jecinoris malis frigidis, animæ defectioni, concoctionique auxiliantur, oris fœtorem abigunt, lætitiam pariunt, & ſpiritus plurimum exhilarant.

Diazingiber Nicolao adſcriptum, ex *eadem Pharm.*

℞. *Zingiberis, galangæ, caryophyll. cinnam. nucis moſchatæ, cardamomi utriuſque, piperis longi, macis, ſpicæ Indicæ, rhabarb. roſar. rubr. an. gr. xv ſem. Aniſi, fœniculi, glycyrrhizæ, croci an. ʒß. piſtacior. ʒii. pinear. mundat. ℥ß.*

Ventriculum frigidum roborat, & confirmat, necnon craſſos in eo flatus diſſolvit.

Pulveres varii, ex Baldaſſare Timæo.

Pulvis Solutivus.

℞. *Reſin. gialapp. ʒii. ſem. melon. excort. ℈iiii. miſceantur exactiſſimè in mortario lapideo, add. cremor. ♀ri ℥ß. confect. Alkerm. ʒi. miſce, denuo Fiat pulvis.*

Pulvis Cholagogus.

℞. *Reſin. ſcammon. ʒii. ſem. citrull. excort. ℈iiii. miſc. in mortario marmoreo, add. rhabarb. elect. Acidi ♀ri an. ℥ß. m. iterum Fiat pulvis.*

Pulvis Phlegmagogus.

℞. *Magiſter. Agarici, ℥j. reſin. turpethi ℥ß. ♀ri ⊕lat. ℈j. ol. cinam. gutt. vii. m. F. pulvis.*

Pulvis Hydragogus.

℞. *Magiſter. gummi de Goa ʒii. fœcul. bryon. ʒi. mechoacan. albiſſ. ʒvi. ol macer. gutt. vii. m. F. pulvis.*

Pulvis Melanagogus.

℞. *Reſin. Gialapp ʒii. extract. ellebor. n. ʒiß. fol. ſennæ ſ. ſ. ℥i. cremoris tartari ʒß. ol. citri gutt. vii. m. F. pulvis.*

Pulvis Panchymagogus.

℞. *Fol. ſen. ſ. ſ. ℥i. mechoacan. albi ʒvii. hermodactyl. elect. Turpethi gummoſ. an. ℥ß rad. gialapp. ʒiii. rhabarb. ℥ß. Agarici Trochiſcat. ʒv. reſin. ſcammon. ʒiß. tartari ⊕lat. ℈ii. ol. cinnamom. citri an. gutt. ix. caryophyll. gutt. v. m. F. pulvis.*

Pulvis Cephalicus.

℞. *Succin. alb. prap. ℥i. magiſter. lun. ʒiii. coralliorum rubr. ʒii. fœcul. pæoniæ ʒiß. Ambræ gryſeæ ℈iiii. ſacchar. roſat. Tabul. ʒvi. m. F. pulvis.*

Pulvis Epilepticus magiſtralis.

℞. *Magiſter. lun. ʒiii. perlar. oriental. coralliorum rubr. oculor. cancr. ſuccin. alb. matris perlar. an. ℥i. cran. human. ℈iiii. corn. Alcis phil. calcin. ʒii. cerv. abſque △ calc. ʒiß. fœcul. pæoniæ ℈v. m. Fiat pulvis, Affund. ſpirit. ceraſor. nigr. q. ſ. ut fiat quaſi paſta.*

Teratur in marmore, poſtea iterum exſiccetur, laborem hunc ter repetendo ut fiat pulvis ſubtiliſſimus. Efficacior redditur, ſi addatur aliquid caſtorei.

Pulvis contra Somnia horribilia.

℞. *Magiſter. ſmaragd. hyacinthi, perlar. oriental. coral. rubr. an. ʒi. laudan. opiat. ℈i. miſc. in mortario lapid. exactiſſimè F. pulvis.*

Pulvis Cordialis pretioſus.

℞. *Magiſter. perlar. coralior. rubr. an. ʒii. hyacinthi, ʒi. Apices corn. cerv. abſque △ calc. ʒii. oſſ.*

oſſ. de corde cervi ℈i.ii. unicornu veri, lapid. Bezoar. an. ʒi velleꝛ. aurei Weidneri ℈iiii. mixta terantur in marmore affuſis ſpiritibus rubi idæi & roſarum an. q.ſ. ut fiat quaſi paſta, quæ iterum exſiccetur & in pulverem redigatur.

Pulvis Au[illegible] ex Taleolis.

℞. *Taleol. lepor. ℥i. capreol. ʒvi. c. cerv. philoſoph. calc. ℥ß. oculor. cancr. præp. ℥iii. corall. rub. præp. margarit. præp. an. ʒi. ſpec. de hyacintho, de Gemm. frigid. an. ʒii. m. F. pulvis ſubtiliſſimus.*

Pulvis Bezoardicus.

℞. *Scordii veri ʒvi. rad. dictamni, Scorzoner. contra-ierv. an. ʒß. Zedoar. ʒii. ſem. citri, card. bened. acetoſæ an. ʒiß. corn. cerv. phil. calc. ℥ß. oſſ. de corde cervi ʒiß. magiſter. oculor. cancr. ʒii. ſuccin. alb. ʒiß.*

M. F. pulvis ſubtiliſſimus, cui pro conditione ægri addi poteſt lapis Bezoar.

Pulvis Pleuriticus.

℞. *Raſur. dent. apri ℥ß. mandib. lucii præpar. oculor. cancr. præpar. Taleol. lepor. pr. lapid. percar. præp. corn. cerv. abſque △ calc. an. ʒii. m. F. pulvis.*

Pulvis Stomachalis.

℞. *Ol. cinnamom. gutt. xv. caryophyll. gutt.* IX. *citri roſar. an. gutt. v. Ambræ gr. iii. moſch. gr.* I. *Sacch. cand. alb. ℥iiij. m. F. pulvis.*

Alius.

℞. *Acid. ♀ri ℥i. tartari ⊖lat. ʒi. fæcul. rad. Aron. ʒii. ſal. Abſinth. cryſtall. ℈ii. m. F. pulvis.*

Pulvis Hepaticus.

℞. *Crem. tartari ℥i. croci martis aperitiv. ℥ß. magiſter. coral. rubr. ʒii. Santal. rub. ʒiß. ſal. cichor. cryſtall. ʒi. m. F. pulvis.*

Pulvis Spleneticus.

℞. *Limatur. chalybis in ſubtiliſſimum pollinem redacta ℥iß. ſpec. trochiſc. de capparib. fæcul. rad. Aron. ʒii. caſſiæ ligneæ acutiſſ. ʒiiß. ol. cinam. gutt.* VII. *m. F. pulvis.*

Pulvis Carminativus.

℞. *Ol. ſtillat. carvi, aniſi, fœniculi, an. gutt.* XI. *ol. ſtillat. cort. aurant. citri an. gutt.* IX. *cinamom. gutt.* VI. *caryophyll. nucis moſchat. an. gutt. v. ſacch. cand. alb. ℥*VI. *m. F. pulvis.*

Pulvis Nephriticus.

℞. *Magiſter. ocul. cancer. ℥i. ſuccin. alb. præpar. ſang. hirci præpar. an. ℥ß. ſal. ſuccin. volatil. ℈iiii. m. F. pulvis.*

Pulvis Hyſtericus.

℞. *Fæcul. bryoniæ ℥i. magiſter. ſuccin. matris perlar. an. ʒii. caſtorei ℈iiii. m. F. pulvis.*

Pulvis Menſtrua provocans.

℞. *Apic. flav. lil. albor. Flor. cheiri, calendulæ, croci orient. an. ʒi. ſpec. Trochiſc. de myrrh. ʒii. ſuccin. alb. præp. ℈iiii. caſtorei, ſabinæ, fæculæ bryoniæ an. ʒi. ol. ſtillat. ſuccin. gutt. xv. m. F. pulvis.*

Pulvis Menſtrua ſiſtens.

℞. *Rad. urticæ mortuæ, cort. rad. mori, Acin. granator. an. ʒii. lapid. hæmatit. ʒiiß. laudan. opiat. ℈j. m. F. pulvis.*

Pulvis contra Fluorem album.

℞. *Magiſter. oſteocoll. ℥ß. carneol. ʒiii. coral. albor. ʒii. ſmaragd. ʒi. m. F. pulvis.*

Pulvis contra Dyſenteriam.

℞. *C. cervi uſti, tormentill. an. ℥ß. Terr. ſigill. Strigens. ʒi. Boli Armen. lapid. Hæmatit. præp. corall. rubr. præp. cort. granatorum, Balauſt. roſar. rubr. an. ʒi. maſtich. ℈iiii. tragacanth. albiſſim. m. F. pulvis.*

Pulvis contra Lumbricos.

℞. *Sem. ſancti ℥i. hyperici ʒii. citri ʒiß. rad. Filicis, Flor. Tanaceti an. ʒiii. ⊖li calcinat. ʒii. m. F. pulvis.*

Pulvis Antifebriticus perlatus.

℞. *♁ii Diaphoret. ℥ß. margarit. præpar. ℈iiii. oculor. cancr. præpar. corn. cerv. uſt. præpar. an. ʒi. m. Fiat pulvis.*

Pulvis contra Variolas & Morbillos.

℞. *Sem. aquilegiæ, naſturtii, ana ℥ii. Card. bened. napi an. ʒi. rad. Scorzoner. Dictamni an. ʒiß. Terr. ſigillat. c. cerv. abſque △ calc. ʒii. m. Fiat pulvis.*

Pulveres varii ex Pharmac. Bateana.

Pulvis Æthiopicus.

℞. Bufones viventes n. 30. vel 40. comburantur in olla nova ad cineres nigros. f. ꝫ ſubt. *D.* ʒß. *vel ultra in Variolis, &c. Vel in moribundis auxilio certè fuit. Sunt qui mirè hunc commendant in Hydrope curando.*

Pulvis Albus.

℞. Bezoar. Animal. ſuccin. alb. corall. r. margarit. ana ℥i. ocul. & chel. 69. ana ℥ii. m. f. ꝫ ſubt. *Vires æmulatur Pulv. è Chelis comp.*

Pulv. Anticardialgicus.

℞. Cretæ albiſ. ℥vi. ocul. & chel. 69. ana ℥iß. ſacch. albiſ. ℥ß. ☍ chym. nuc. m. gr. vi. m. f. ꝫ. addi pt. AB. ʒvi. *Doſ. ʒi. in hauſtu frigidæ largo.*

Pulv. Anticolicus.

℞. Cretæ albiſ. ſubt. ꝫat. ℔i. humecta cum ſucco Fol. rutæ & chamæmel. ut f. inſtar pulmenti: exicca lento calore & f. ꝫ. Repet. hoc opus cum ſuccis rec. ad quartam vicem. ultimò f. ꝫ ſubt. *Doſ. ℈i. ad ʒi. quarta quaque hora.*

Pulv. Antipyreticus.

℞. Lap. Manat. ℥ii. Draconthæmat. ʒi. m. f. ꝫ ſubt. *Tertianam vernalem curare rariſſimè fallit. Doſ. ʒi. horâ ante paroxyſmum, ſuperbibendo ▽Roſ. rub. ℥iii. ſucc. aurant. ʒvi. cum ſacch. alb. ℥ß. ad 3. vices.*

Pulv. Arthriticus Turneri.

℞. Turpet. hermod. ſenæ, ſcammon. ſem. ebul. ana p. æ. m. f. ꝫ. *Doſ. ℈i. ad ʒi. &c.*

Pulv. Aſthmaticus.

℞. Chartam. Rad. ari, Fol. card. ben. ſenæ, ana ʒii. aniſ. ʒß. piper. l. ßi. Diagryd. ℈ß. m. f. ꝫ. *Doſ. ʒi. bis in die per dies vi. contin.*

Pulv. Baſilicus.

℞. Diagryd. ceruſ. ♁ii. crem. tartari, ☿ d. ana m. f. ꝫ. *Eaſdem vires obtinet quas Pulv. Cornachini Doſ. ℈i. ad ʒi.*

Pulv. ad Calculum.

℞. Fl. Cardui ſtellati ℥i. Rad. & ſem. petroſel. ana ʒii. ſeparatim ſiccentur ac ꝫentur: dein m. *D.* ℈ii. *in V. alb. aut Juſculo. Mayhern.*

Pulv.

Pulv. Cantianus.

℞. Apic.nigr.chelar.69. Junio captor. in pollinem redact.Rad.contrayerv.ana ℥ii. margarit. corall. rub. alb. ocul. 69. (cum ſucco limon. ſupra marmor ſimul lævigator & ſiccator.) ana ℥i. ſuccin alb. & cryſtall. cum ▽Roſ. ſubtritorum & ſiccat.ana ℥i.c.c. ad ſummam albed. calcinat. & lævigati cum ſucco citri Spu ⊖-li probè acuato, & ſiccati, ℥i Bezoar. occid. Terra Lemn. ana ℥ß. Ceruſſ. ♁ fixi ℥ii. Ambr. griſ. ʒiß. moſch. ℈ß. miſceantur omnia exactiſ. & cum Galatinæ è ſpoliis viperar. & c.c. in aqua cardui factæ, & croco leviter tinctæ q. s. f. Globuli diverſæ magnitudinis, caute ſiccandi. Si prædictis addas coccinell. è Mexico ℥ſs. dicitur *Pulv. Cantian. ruber:* ſi verò cinerum Phyſalor. ℥ii. vocatur *Niger. Uſus eſt egregii in omnibus morbis contagioſis, Peſte, Variolis, &c. Doſ.* ℈ſs. *ad* ʒſs.

Pulv. Cardiac. Corallatus.

℞ Coral. rub.præp.ſacch.opt.ana ℥iii. ⊙ cinnam. gt.vi.m.

Pulv. Cardiac. Eboratus.

℞. Magiſt. ebor. cinnam. ana ℥ii. ſacch. opt. ℥ii. m. f. 🝫 ſ. a.

Pulv. Cardiac. Perlatus.

℞. 🝫 Rad.chinæ ℥iii. margarit. præp ℥ii. Aleuri puriſ. ℥viii. ſacch.opt. ℥vi. coq. in clibano vaſe terreo; dein de novo f. 🝫 *Inſpergendus omnibus cibis, juſculis, panatellis, &c. Magnum reſtaurativum habetur in Tabe.*

Pulv. Cardiacus rubeus.

℞. Cretæ albiſ. ℥viij. Ocul.69. ℥ij. AB. ℥i. nuc. m. ℥ß. m.f. 🝫. *Doſ.* ʒii. *pro vice in Cardialgia, &c.*

Pulvis ad Caſum.

℞. Terra ſigil. ſang. dracon. Mumiæ, ana ℥j. Sperm. ceti ℥ß. rhabarb. ʒiii. m.f. 🝫. *D.* ʒi. *pro vice poſt Phleb.*

Pulv. Cibarius.

℞. Summit. euphrag. ℥iij. ſem. fœnic. cinnam. mac. ana ʒi. f. 🝫. adde ⊖ alb. ℥viii. m. *ſumatur cum omni cibo. Ad viſum acuendum ac præſervandum apprimè utilis. Oculorum ſuffuſiones, caliginem, memoriam debilitatam, &c. juvat.*

Pulv. Cinnabaris comp.

℞. ♁ nativ, ℥ii, ſuccin. alb. ℥i. Rad. pæon. mar. corall.r.an ʒx. m. f. 🝫 ſ. a. *D.* ʒß *quotidie manè. Ad Epilepſiam. Doſ.* ℈i. *ad* ʒ s. *&c.*

Pulv. Cornachini.

℞. Diagryd. 🜍rat. ʒx. ♁ diaphor. ʒvi. crem. ♀ri ʒiiß. m. f. 🝫. *Ad omnes ferè morbos (qui purgatione opus habent) curandos commendatur. Doſ.* ʒß. ℈ii. *&c.*

Pulv. Coronatus.

℞ Epythym. ℥ß. agar. Lap. Lazul. præp. ana ʒii. ſcammon. ʒi. caryoph. n. 20. m. f. 🝫. *D. ad* ℈iv. *Mirè laudatur in Melancholia ad dementiam uſque curanda.*

Pulv. Crinalis.

℞. Rad. Cyper. long. calam. arom. roſ. rub. ana ℥iß. benz. ℥i. xyloal. ʒvi. coral. r. ſuccin. ana ℥ß. farin. fabar. ℥4. Rad. irid Fl. ℥viij. m. f. 🝫 ſubt. adde moſch. zibeth. ana gr. v. *Uſus præcipuè ad pilos renaſcendo, & radices eorum confirmandas (capiti inſperſus.) cerebrum inſuper, & memoriam recreat, confortatque.*

Pulv. Cucuphalis.

℞. Macropiper. majoran. ſuccin. ana ʒiij. nuc. m. mac. ana ʒi. m. f. 🝫 pro cucupha, *Qui goſſypio ſuſceptus inſuatur pileolo ſerico, interpaſſando. Inſignis ad dolores capitis frigidos diuturnos, Catarrhos abſumendos, &c.*

Pulv. Epidemic. aureus.

℞. Sacch. cand. alb. ℥iv. Balſam. 🜍ris ʒß. croc. gr.vi. m. f. 🝫 *Doſ.* ʒi *manè, & hora ſomni in hauſtu poſſeti vinoſi. Gliſſon.*

Pulv. Epilepticus.

℞. Rad. Fraxinel. viſc. querc. contrayerv. ſerpentar. Virgin. pæon. mar. Magiſt. c.c. Magiſt. ungul. Alcis, ana ʒii. Rad. Valerian. ſylv. ℥i. corall. rub. cran. human. ana ʒiij. Lap. Hyacinth. ʒi. Bez. occid. ʒiß. orient. ℈i. m. f. 🝫 ſubt. ſ. a. adde moſch. gr. v. Fol. Auri n. 30. m.

Pulv. Febrifugus Certus.

℞. Rad. Serpent. Virg. ʒij. contrayerv. gentian. zed. ſem. citri, card. b. bez. occid. ana ʒi. Specific. vegetabil. ℥iv. m. f. 🝫 *Doſ.* ʒi. *quarta quaque hora ſpatiis intermediis paroxyſmi cum Vino, &c.*

Pulv. Griſeus.

℞, Ocul. cancr. ſalv. ana ℥ii. cretæ alb. ℥i. nuc. m. ʒi. f. 🝫. *Inſignis in Diarrhœa. Palpitatione cordis, Aciditate ſanguinis, calculo, &c. Doſ.* ℈i. *ad* ʒi.

Pulv. Hæmoptoïcus.

℞. AB. ℥ß. amyl. ʒiii. Rhodoſacch. ℥ſs. ⊙ Aniſ. gt. ii. m. f. 🝫. *D.* ʒiſs. *ter in die vel ſæpius. In Hæmoptyſi nil æquale.*

Pulv. Hermodactyl. comp.

℞. Off. human. calcinat. hermodact. ſcammon. turpeth. ſenæ, ſacch. alb. ana p. æ. m. f. 🝫 *Lentam pituitam, ac alios humores viſcidos, etiam ab articulis, efficaciter trahit. Podagræ, Chiragræ, ac omnibus juncturarum doloribus ab iiſdem humoribus natis conducit Doſ.* ʒi.

Pulv. Hyſtericus.

℞ Pellic. interior. ventric. capon. ℥iv. flaved. cort. aurant. ʒi. m. f. 🝫. *D.* ʒi. *in paroxyſmo, & 4ta quaque hora opt. Remed.*

Pulv. Ictericus.

℞. Chenocopri verno tempore collect. in ⊙e ſiccat. & 🝫 at. ℥ii. croc. opt. ʒi. ſacch. cand. alb. ℥ii. m. f. 🝫. *D.* ʒii. *bis indies in V. Rheen. per dies* vi. *Aliter.* ℞ Rad curcum. ♀ alb. ♂ præp. ana ℥ß. lumbric. terr. elect. ana ℥ii. m. f. 🝫. *Doſ.* ʒi *in hauſtulo vini albi.*

Pulv. Lateralis.

℞. Gland. quercin. decort. ℥vi. nuc. m. ℥i. ſacch. alb. ℥ii. m. f. 🝫 Vocatur & *Pulv. Iliacus*, & *Colicus. Doſ.* ʒi. *pro vice bis vel ter in die, in Iliaca, Colica, Lateris dolore, Flatu, Podagra, &c.*

Pulv. Liliaceus.

℞. Rad. lilior. alb. ſiccat. ℥iiß. ceruſ. ♁ij. nuc. m. tereb. Ven. ad friabilitatem coctæ, ana ʒii. Rhodoſacch. ℥i. f. 🝫 ſ. a. *D. ad* ʒ ß. *bis in die cum Syr. de Nymph. ad* ▣*æ acredinem in Lue Ven. &c.*

Pulv. Martialis comp.

℞ ♂ præp. ℥vi. xylocaſ. nuc. m. à ℥ß. caryoph. mac. ā ʒiii.

ſacch.alb. ℥ii. m. f. 🝫 *Ad Cachexias tam Virginum, Mulierum quàm virorum juvenum, ac ſenum, Remedium præſtantiſſimum. Doſ.* ʒj *ad* ʒii.

Pulvis Odoratus.

℞. Rad. irid. Fl. ℥xiv. Lign. Rhodii ℥ii. Fol. majoran. ʒiii. caryoph. arom. ℥i. cort. limon. ʒv. Rad. cyperi ℥i. calam. arom. ʒvi. Fl. roſ. Dam. ℥4. roſ. rub. ℥ii. benz. ſty ac. cal. ā. ℥i. labdan. ℥ſs. m. f. Pulv. craſſus, *Veſtimentis inſpergendus, ut à tineis præſerventur.* Si prædicta omnia cum cerev. fortiſſ. in organis Roſac. diſtillaveris, (ſuſpendendo in Recipiens moſch. gr. vi. in ſindone ligata) hebebis Aquam Odoratiſſimam, Funeralibus apprimè inſervientem.

Pulv. Ophthalmicus.

℞. Summit. Euphrag. ℥iii. ſem. fœnic. com. ℥i. ſem. rutæ ℥ſs. mac. ʒii. ſacch. opt. ℥vi. f. 🝫 ſ. a. *D. coch. inter in die. v. Vires Pulveris Cibarii.*

Pul. Oxytocius.

℞. Croc. caſ. lign. myrrh. leuceleƈtri ā ℥ii. chryſocoll. ℥i. m. f. 🝫 ſubt. *D. ad* ℈iv. *cum Aq. Artemiſ. vel Sabin. Præſtantiſſimus eſt* 🝫 *ad partum accelerandum, menſes provocandos, &c.*

Pulv. Pannonicus rubens.

℞. AB. cum 🜄 Roſ. & acet. præp. ℥iii. Terra Lemn. ℥ii. Lapid. Smaragd. Rubin. Sapphir. Hyacinth. off. de corde cerv. corall. r. ā ℥ſs. corall. alb. ʒvi. ſpod. i margarit. ā ʒv. cinnam. ſant. rub. ſem. acetoſ. ā ℥ii. caryoph. croci, ā ʒ. cort. citri, ſantal. alb. ā ʒiß. ebor. ʒiii. m. f. 🝫 ſubt. ſ. a. cui adde Fol. ☉ n. 50. m. *Febribus peſtilentialibus, contagioſis, ac venenatis optimè conducit, Doſ.* ℈i. *ad* ʒi.

Pulv. Pectoralis.

℞. Partium albar. benz. ℥iſs. 🜍 viv ℥ii. ſem. aniſ. ʒi. Rodoſacch. ℥ii. m. f. 🝫 *D. ad* ʒiſs. *bis in die cum ovo tremulo.*

Pulv. Pepticus.

℞. Flaved. cort. extern. aurant. candefact. & minutiſ. incis. ℥iv. Confectionum ſem. coriand. ℥iv. aniſ. carvi, fœnic. ā ℥ii. Aromat. Roſat. ℥ſs. ⊖ abſ. ʒi. menth. 🝫 at. ℈ii. ſacch. cand. ad pond. omnium. f. 🝫 groſſus. *Doſ.* ʒi. *poſt ſingulos paſtus.*

Pulv. Pleuriticus.

℞. Fl. 🜍 ℥ii. Dent. Apri, mandib. Lucii piſc. ā ℥i. Flor. papav. rhœad. ℥ſs. m. f. 🝫 *Doſ.* ʒi. *Stupendum habetur Antipleuriticum cum Rhodoſaccharo.*

Pulv. Purpureus.

℞. C. c. c. ſuccin. alb. corall. r. perl. præp. ā ℥i. ocul. & chel. 69. ana ℥ii. croc. ℈ſs. coccinel. ℈ii. m. f. 🝫 adde Gelatin. ex c. c. & raſ. ebor. in aq. Aniſ. factæ q. ſ. f. Globuli ſ. a. *D.* ℈i. *ad* ℈ii. *in Variolis, morbillis, &c.*

Pulv. ad Rachitidem.

℞. 🝫 Rad. Oſmund. Regal. ℥v. ſacch. ℥ii. m. *Inſperge hujus aliquantum pulti, cibiſque omnibus liquidis, ut ad minimum* ʒii. *vel* iii. *in dies abſumantur.*

Pulv. ſine Pari.

℞. Aur pig. ⊕ ā ʒ i ☉ uſt. ℥i. colcothar, ℥ſs. m. f. 🝫 *Inſperge hujus parum ſuper loca ulcerata, applica deſuper Ung. de Minio ſuper linteum, & ibi circumcirca maneat, donec ſponte eſchara decidat, vel ſeparari poteſt Bibatur interim Decoct. guajac cum glyc. & uvis paſſis pro potu communi.*

Pulv. Solearis.

℞. Cumin. ℥iii. caryoph. ℥i. ⊖ decrepit. ℥4. m. f. 🝫 *Pro ſoccis interbaſtandis Podagricorum ſemper ad plantas geſtandis.*

Pulv. Sternutatorius.

℞. Majoran. roriſm. beton. Fl. lilii conval. ana ʒiii. nuc. m. ʒ i. ✱ volat. ℈i. m. f. 🝫 ſubt. *Valet in omnibus capitis doloribus; in Lethargo, Podagra, &c.*

Pulv. Stomachicus.

℞. Pellic. interior. ventricul. capon. ℥4. nuc. m. mac. ſem. coriand. aniſ. fœnic. ana ʒiii. menth. ℥i. glyc. ʒii. Rhodoſacch. ℥ii. m. f. 🝫 *ad Tormina Ventriculi, &c. Doſ. à* ʒi. *ad* ʒii.

Pulv. ad Strumas.

℞. Lap. ſpong ʒiii. ♉æ ʒii. ♀ri ⊖ lati ʒi. m. f. 🝫 *Doſ.* ℈ii. *bis in die per dies xii.*

Pulv. Sympatheticus.

℞. Fit calcinando ⊖ Roman. radiis ☉aribus per Vitrum cauterizans, & 🝫 ndo. v. *Vires Ung. Sympathet.*

Pulv. Vermifugus.

℞. C. C. rhab. corallin. ſem. ſanton. ana p. æ. m. f. 🝫 *Doſ* ℈i. *ad* ʒß. *per dies 3 continuos circa novilunium, & plenilunium.*

Pulv. Uvularis.

℞. Balauſt. Rad. biſtort. tormentil. ana ℥ß. ☉ ʒii. m. f. 🝫 *Quo uvula cum palato tangatur digito, vel linteo excepto, ſæpe in die.*

Pulveres varii ex Hofmanni Theſauro Pharmac.

Pulvis ant-Epilepticus D. G. M.

℞. *Cinnabar.* ♁ *nii optim. rectific. Nativ. ungarica vel Armen. ana* ʒß. *ſmaragd. Or. ppt. CC. ſ. igne Cornu Alcis ſ. igne Viſci corylin, ana* ℥i. *M. doſis à* ℈i, *ad* ʒi.

Alius Epilepticus D. F. H.

℞. *Pulv. Marchion.* ʒiii. *Off. de corde cervi* ʒiß. *unicornu veri* ʒi. *cinnabar.* ♁ *nii rectif. Nativ. ana* ʒi. *M. f. Pulvis. Doſ. à* ℈i. *ad* ʒi.

Alius Epilepticus I. R.

℞. *Cinnabar. nativ.* ℥j. *unicornu veri* ʒj. *CC. uſt. & ppt.* ʒii. *viſci quern. in* ♌ *decerpti* ʒii. *Terræ ſigillat. ver.* ʒiii. *Magiſter. perlar. Corall. ana* ʒß. *Cinamom. el.* ℈j. *M. doſ. à* ℈ß. *ad* ʒß.

Alius Epilepticus P. H. D.

℞. *Cranii humani ſ. igne calcin. Cornu alcis ſ. igne Cryſtall ppt ſmaragd. Or. ppt. ana gr. vi.* ♁ *nii diaphor.* ℈j. *Magiſter. CC. ſuccini. Corall. r. perlar. Or. ana* ℈ß. *Sal. ſuccin. volatil. cranii human. volatil. ana gr. ii. fecul. radic. pæon.* ʒß. *M. Doſ. à* ℈ß. *ad* ʒſs.

Pulvis Antiphthiſicus D. G. R.

℞. *rad. ireos Fl. Seorzoner. ana* ʒj. *Sem. 4. fr. major. excortic. papav. alb. ana* ʒiß. *Portulac. Malv. alth. Citri cydon. ana* ʒi. *Amyli gummi A. Tragacanth ana* ℈ii. *Terr ſigillat.* ʒii. *Boli Armen. Succi hypocyſt. ana* ʒj. *Pulmon. vulp. ppt.* ʒ ß *Pulveriſat. adde Sacchar. alb.* ℥iii. *candi* ℥j. *ol. d. aniſi* ℈j. *Spec diarrhod. Abb.* ʒj. *M.*

Alius Antiphthiſicus D. D. E.

℞. *Viſci pyrorum, fol. Salviæ ana* ℥j. *pulmonar. veronic. ſl. farfar. ana* ℥ß. *Pulmon. Lupi ppt. enulæ. ana dr. ii.*

Sacchar.

Sacchar.candi albiſſ. ℥ij. M.f.Pulvis. Doſis ʒj.ad menſem unum.N.Vis & baſis rei conſiſtit in viſco pyrorum.

Alius Anthiphthiſicus D. E. L.

℞. Pinear. ʒj. Piſtac. amygdal. dulc. ana ʒß. Sem.4.fr.major.ana ℈ v. cydonior.Malv. Lactuc. portulac. Endiv. ana ℈iiß. gummi Arabic. Tragacanth. ana ℈j. gr.v.Spodii ppt.Margarit.Or.ppt. ana gr. xiv. CC. ppt.Corall.r.ppt.ana gr.vij. Limatur.chalyb.ppt. gr. v. Succi liquirit. ℈ii. Pulmon. vulp.ppt.℈ii. ſpec. diatragac.fr. Diatr. Santal.Diapenid.Elect.reſumptiv. ana ℈ii. Diamargarit. fr. Diarrhod. Abb. ana ℈ß. Sacchar.Penid. alb. ana ℥iij. M. Doſ. à ʒß. ad ʒj. ʒ j. ʒiij.

Pulvis ad Hæmoptyſin.

℞. radic.liquirit. conſolid.maj.alth. ana ʒiij.Sem. 4.fr.maj.excortic.non rancid. hyoſcyam. ana ʒj. fol. equiſet.ſicc.ʒß.gummi Arabic.tragacanth.Sarcocoll. thuris ana ℈ij. Boli Armen.ocul. ♋ ppt. ana ʒj. Succi liquirit.ʒ j.M.f.Pulvis Doſ.eſt à ß ß.ad ʒj.vel ʒiß.

Pulvis Pectoralis balſamicus D. G. R.

℞. Balſami 🜍ris cum ol.d. fœnicul. ʒiij. Sacchar. cand.alb.℔j.M.ſupra △uem leniter,add.ol.d.aniſi ℈ij. incorporentur omnia.

Alius Pectoralis balſamicus D. V. S.

℞. balſam. 🜍 cum ol.d.juniperi ʒiij.ſpec. diatragac.fr.ʒij.ſl. 🜍ris cum Myrrh. & aloë ♎at. ʒj. ol. d. aniſi ʒj.Sacchar.candi.℔j.M.f. Pulvis.

Pulvis anti-Pleuriticus. D. D. B.

℞. raſur.dentis apri ℥ß. radic. bardanæ Semin. Cardui Mariæ Lign.viſci quern. ana ʒij. fl. papav. rh. ʒß.thuris el.ʒj.ocul.♋. ppt. ʒiß. Lapid. Percar.℈ j. croci or.℈ß.Sal.Card.b.ʒj M.f.Pulvis.Doſ.à ʒß.ad ʒj.

Alius Anti-pleuriticus D. D. S.

℞. raſur.dentis apri ʒiiiß.viſci quercin.radic.Bardan.ana ʒiß.M.f.Pulvis.doſ. à ʒß. ad ʒj.

Alius Anti-pleuriticus Ejuſd.

℞. ocul.Lucii piſcis recent.exempt.& torrefact.♋ ppt.ana ʒj.Mandibul.Lucii piſc. raſur. dent. apri ana ʒii.Lapid.percar.ppt. talorum Leporis Semin. Card. Mariæ.Artemiſ.rubr.ana dr.ii. M. F. Pulvis ſubtiliſſimus. Doſ. à dr.ß.ad dr.j.

Pulvis probatiſſimus ad Cordis palpitationem D. G. M.

℞. Ebor.ppt.℥ß.Corall.r.ppt.dr.j.Margarit.Occid. ppt.℈ſs.ol.d.rec.Citri gutt.x.M.Doſis quantum ſingulo mane in brodio calido tribus cultelli cuſpidibus ſumi poteſt.

Pulvis Cordialis in Saxonicis & Brandenburgicis Officinis Aulicis uſitatus.

℞. Hyacinth.ppt.Margarit.Or.ppt. Corall. r. ppt. CC.ppt.Terr.ſigillat.ana dr.vi.Sapphir. Or. ppt. dr.ii. Smaragd.Or.ppt.Succini alb.Unicorn.marin.ver. ana dr.i.Oſſ.de Corde Cervi Ocul. ♋ ppt. Lapid. percar. ppt.talor.leporis.Oculi luciorum ana dr. j. zedoariæ (ſi placet) ʒj.fol.☉ num xv.M. f.pulvis ſubtiliſſimus. Doſ. à ℈ſs.℈j.ad ʒſs. vel ultra.

Alius Cordialis D. D. B. B.

℞. Margarit.Or.ppt.ʒj,CC.uſt.& ppt. ʒvi. Oſſ. de Corde Cervi num.xv.Santali Citrin.℈iv.Lapid. Smaragd.Or.rubini,granator.ana ℈j.M.f. Pulvis ſubtiliſſimus. Doſ. à ℈j.ad ʒj.

Pulvis Cordialis Bezoardicus D. D. S.

℞. CC.ſ.△ ppt ʒ ß.Terræ ſigillat.ſtrig.Ocul.♋ppt. Boli Armen.radic. tormentill. Succini ppt. Margarit. Or.ppt.Corall.r. ppt. ana ℈j. Oſſ. de Cord. Cervi ℈ß. Smaragd.Or.ppt.Sapphir.ppt.Lapid.Bezoar. Or. ana ℈j.M.f.Pulvis. Doſ. ℈j.vel ʒß.

Alius Bezoardicus D. G. R.

℞. CC.ſ.△ppt.ʒiß.Ocul.♋. ppt. Terr.ſigill. Succin.alb.ppt.Margarit. Oſſ. de Corde cervi. ſmaragd. Or.ppt.hyacinth.ppt.ſapphir. ppt. ana ℈ß. lapid. bezoar.Or.℈j.Corall.r.ppt.ana ℈j.M.f.Pulvis.

Alius Bezoardicus Ejuſdem.

℞. CC.uſt.& ppt.ʒii.Oſſ.d. Corde cervi num. ii. Bezoardic. mineral. ʒß. chryſolit. ppt. hyacynt. ppt. ſmaragd.Or.ppt.rubin.ppt.ana ℈i.Ocul. ♋. ppt.Corall.r.ppt.Margarit.Or.ppt.ana ʒß.Succin.alb.ppt.ʒi. Terr.ſigillat.ʒij.lapid.bezoar. Or. ʒß. fol. ☉ num. v. M. f. Pulvis.

Alius Bezoardicus D. Ch.

℞. ♁nii diaphoretic.ſexies cum ♁ crudo in 🜍 calcinat.albiſſ.℥j.magiſter.corall.r.ʒii.margari Or.ʒj. CC.ſ.△ʒiiß.unicornu veri ʒß.raſur. Eboris ʒiß. M.f. pulvis ſubtiliſſ.Doſ à gr.vj.℈ß.ad ʒß.

Vires & uſus. Eſt medicamentum tutum,jucundum ac utile in affectibus tam malignis, quàm aliis ſudorem indicantibus,ſummè calidis,in quibus tutò alexipharmaca calida,ut Theriaca,Mithridatium &c.exhiberi non poſſunt.Cum primis in peſte exhiberi poteſt cum Theriac.℈j.vel cum Lapid.bezoar.gr.vj. vel cum terra ſigillat.ſtr.vel bolò Armen.ʒß.vel ſine his ſimpliciter.In febre cephalica ungarica,petechiali,variolis,Morbillis,Lue ♀ nerea,elephantiaſi,aſcite, tympanit de , tumoribus particularibus aliis brachiorum, pedum,maxillæ,femorum,ſcapulæ,eryſipelate, deſtillationibus jam dicta membra obſidentibus , imò in omnibus vitiis p.n.quæ per ſudorem diſcuſſionem & medelam requirunt,optatiſſimum.Ex comm. D,D.E.

Alius Bezoardicus D. F. H.

℞. Cornu alcis ſ.△.CC.ſ.△.ana ʒj. Ebor. ſ. △ ʒii. Magiſter.Spinar.viperar.℈iv.Dent.equi marini.Ocul. ♋ Matr.perlar.ana ʒiß. bezoard. ☉lar. ♂tialis. ana ʒß. Oſſ.de Cord. Cerv. ℈ii. Cinnabar. ♁ nii rectific. Nativ. Armen.ana ʒii.fol. ☉ num.v.M.f. Pulvis , adſperge Spirit.bacc.ſambuc.q.ſ.Doſ.eſt à ℈ß. ℈j. ʒß. ad ʒj.in appropriato vehiculo.

Pulvis Alexiterius Viperinus.

℞. Linguar.viperin. num. ix. Cordium earundem num.ix.annulorum ex ſpina nonum quemque in ordine incipiendo à primo,qui eſt ad caput:exſiccata redigantur in pulverem;adde Lapid.bezoar. Or. ad pondus omnium. Miſce & ſubjunge Oſſ. de corde cervi. unicorn.ver.ana ℈j.Nuc.vomic.℈ß Caſſ. Lign. gr. iij. Boli Armen.Terr.ſigillat.Spodii ppt.ana gr.vi. Xyloaloës gr.iv.M.f.Pulvis ſubtiliſſ.Doſ.à ℈ß℈i. ad ʒß.

Pulvis Antifebrilis A. G.

℞. Sal.Card.b.Centaur.min.⊖lat.ana ℥j.Tinctur. ſicc. ♁ nii ʒſs.M.f.Pulvis.Doſ. à ℈ſs. ℈j. ad ʒſs. in aqua card.b.antè paroxyſmum.

Alius Febrilis D. D. S.

℞. ♁ fixi ℥ſs.fl. ✱ ʒj.fl.🜍ris ʒiii.Santal.r.℥j.M.f. Pulvis Doſ.à ʒſs. ad ʒj.

Pulvis Dyſentericus D. F. H.

℞. Croci martis adſtr.℥j.CC.uſt & ppt.℥ſs. radic. biſtort.tormentill.ana dr.ii.cinnamom.el.℈j. Sacchari ♄ turni. ℈ii.M.f.Pulvis.Doſ.℈j.ad dr.ſs.

Alius Dyſentericus Ejuſdem.

℞. pulver.prædicti ℥j. Unicorn. foſſil. raſur.dent. equi

equi marin. ana ʒij. bezoardic. Martial. ʒiij. ♁nii calcinat. cum raſur. CC. ʒiij. cruoris leporis in Martio per canes venaticos interempti ʒij. Cord. & Epat. ſerpentum. num. iij. rad. rubr. ſanicul. alpin. ʒiß. M. f. Pulvis cujus Doſ. eſt à ℈ß. ad ℈j. vel ʒß. ad ʒj.

Alius Dyſentericus.

℞. Summitat. tenell. quercus ʒiiij. Terræ ſigillat. ſtr. boli Armen. radic. biſtort. ana ʒj. Nuc. Moſchat. raſur. dent. equi marin. Corall. r. ppt. Lapid. hæmatit. ana ʒß. M.f. Pulvis, Doſ. à ℈j. ad ʒſs. vel ʒj.

Pulvis Carminativus ſeu Anti-Colicus.

℞, Caſtorei el. ʒij. Semin. cymin. Cortic. aurant. ana. ℥ß. M.f. Pulvis, Doſ. ʒj. in vino.

Alius Carminativus D. S.

℞. Cortic. aurant. ℥ß. dent. infer. auratæ. ocul. lucii piſcis. ♋ ſuccini alb. ppt. talor. leporis zedoar. ana ʒii. M.f. Pulvis, doſ. à ʒß. ad ʒj.

Pulvis Cachecticus D. D. S.

℞. Limatur. ♂tis q.v. irrora aq. abſynth. vel fraxin. in qua earundem ſalia diſſoluta; relinq. tamdiu donec rubiginem contrahat.

℞. hujus croci ℥iij. CC. ppt. ℥ſs. Magiſtér. perlat. Or. Corall. r. ana ʒiſs. Cinamom. ʒſs. Cryſtall. tartar. ʒj. M.f. Pulvis, doſ. ana ʒſs. ad ʒj.

Alius Cachecticus P. H. D.

℞. Croci ♂is cum ſp. ⊕-ol. parat. ℥j. Santal. r. ℥j. rhabarb. opt. ℥iſs. M. f. Pulvis ſubtiliſſ. Doſ. à ℈j. ʒſs. ad ʒj.

Pulvis Epaticus Ruber. Dreſd.

℞. Cryſtall. tartar. albiſſ. ℔j. imbuantur in marmore ſp. ⊕-oli rectificat. ℥iv. continuè miſcendo, donec omnis ſpiritus abſumptus fuerit; deindè ℞, ſantali rubr. el. ſubtiliſſ. in marmore pulveriſat. ℥iv. Imbuatur ſp. vini optim. ℥viiij. per vices immiſcendo, ut fiat inſtar paſtæ, & ad aërem ſiccando, iterum miſcendo, & exſiccando, donec omnem ſpiritum abſumpſerit. Poſteà Cryſtall. tartar. cum ſp. ⊕-oli & ſantal. cum ſp. vini ſ. q. imbutum miſce ſuper marmore exquiſitiſſimè, exſicca & ad uſum reſerva.

Pulvis Aperitivus Spleneticus D. D. K. R. P. M.

℞. Cryſtall. tartar. tartar. ⊕-lat. ana ℥ſs. ſolut. corall. r. ocul. ♋ ana ʒſs. fecul. aron. bryon. ana ʒj. ♁nii diaphor. ʒij. Myrrh. rubr. ℈j. ol. d. Ligni Rhod. gutt. v. M. Doſ. à ℈j. ad ʒſs.

Pulvis Anti-Nephriticus Ejuſd.

℞. acidi tartari ʒiij. ocul. ♋ ppt. ʒij. Lapid. percar. Lyncis judaic. Santal. r. Spirit. ⊕-ol. coagulat. cum ⊖le proprio ana ʒj. M. Doſ. à ʒſs. in liquore appropriato.

Pulvis Hyſtericus.

℞. radic. pœon. debito tempore collectæ ℥j. ahrophyllor. ʒiij. Croci A. Caſtor. ana ʒij. Succin. alb. ppt. Magiſter matris perlat. M.f. Pulvis doſ. à ℈j. ad ʒſs. vel ʒj. Corall. r. ppt. ſalis Jovis ana ℥ſs. ol. d. ſuccin. alb. ℈j.

Pulvis Laxativus vegetabilis D. G. R.

℞. gialapp. reſinoſ. ʒiij. pulv. polychreſt. ʒſs. Lapid. bezoar. Or ℈j. M.f. Pulvis, doſ. ℈j. ad ʒſs. N. Pulvis polychreſtus ſeu rubinus vegetabilis conſtat ex reſina ſcammon. tincta cum ſantal. rubr.

Pulvis Laxativus completus D. V. S.

℞. Cremor. tartari ʒx. pulv. gialapp. ℥ſs. reſin. Scammon. fecul. aronis ana ʒiſs. ſp. ⊕-ol. coagulat. ʒſs. ol. d. Citri gutt. xxi. M.f. Pulvis. Doſ. ℈j. ad ʒſs. vel ℈ij.

Pulvis Hydragogus D. D. I. M.

℞. Cryſtall. tartari ℈j. pulv. epatic. rubr. ℈ſs. Magiſter. gummi de Peru gr. viiij. Sal. geniſt. gr. vi. ol. d. aniſi gutt. ii. M.f. pulvis. Doſ. à ʒſs. ad ℈ij. vel ʒj.

Pulveres varii è Pharmacop. PERSICA.

SEFOUF MOUGOULIATSA.

Pulvis de Naſturtio.

Turgentes hæmorrhoides ſanat, & cœliacos dolores; diarrhæam veterem, & tenaſmum eliminat: ab omni quoque infirmitate ventriculi liberat.

℞. *Sem. Naſturtii, dr.* 20. *Cumini caraman. aceto correcti, ſiccati, frixi, m.* 5. *Seminis lini, Seminis porrorum. Myrobal. nigrarum, Oleo olivarum frixatum, ana m.* 2. *Maſtiches, m.* 1.

Omnia comminuantur in pulverem, excepto naſturtio; doſis dr. 2. cum aqua frigida.

SEFOUF JOUHOUDI.

Pulvis Judaicus.

Probatus ad ophthalmiam.

℞. *Sem. Naſturtii frixi, Sem. Pſyllii frixi, Sabinæ frixæ, ana dr.* 2. *Cumini caramân. Seminis porrorum, Seminis anethi, Papaveris, Aniſi, Sem. Petroſ. Macedon. Sem. hyoſcyami an. dr.* 2.

Ex his pulvis fiat pollinis lævorem æmulans.

SEFOUF.

Pulvis

Proficiens ad ſputum cruentum.

℞. *Spodii, Boli Armenæ, Terræ lemniæ, Lapidis hæmatitis, Figuræ lenticularum, loti, Seminis portulacæ, an. dr.* 5. *Corallii, Succini, Margarit. imperfor. Papaveris albi, Succi liquiritiæ, Acaciæ, Succi hypociſtidos, anà dr.* 3. *Sem. Pſyllii, dr.* 20. *Opii, dr.* 2.

Paretur pulvis cum aqua pluviali, aut cum ſucco portulacæ ſumendus; niſi autem nimius æſtus obſiſtat, addantur mixtioni, thuris, dr. 3.

SEFOUF SARTOUN.

Pulvis de Cancris.

Ad Phtiſim efficaciſſimus eſt.

℞. *Cancrorum marinor. aduſtor. dr.* 2. *Vitrioli Romani, Gummi Arabici, Papaveris albi & nigri, Medul. ſem. peponis, ana dr.* 5.

Terantur, & fiat pulvis: doſis m. 1. ex ſapa granatorum dulcium, aut aqua papaverum; ſic enim calculum è veſica, & è renibus pellet.

SEFOUF BOUL EL DEM.

Pulvis ad cruentam Vrinam.

Hæc mixtio eſt diuretica, & lithontriptica; & ad ſuum peculiarem effectum probata.

℞. *Lapidis hæmatitis, Sanguinis draconis, Corallii, Succini, Aluminis Arab. ſeu rochæ, Balauſtorum, Sem. portulacæ, Boli Armenæ, Cuparoſæ, ana q. u.*

Piſta, & comminuta trajiciantur cribro ſetaceo; doſis dr. 2. cum aqua ſumaci, ſeu Rhois.

SEFOUF LOULOVI.

Pulvis de Margaritis.

Confert in fluoribus hepaticis; ventriculo, cordi ac hepati

hepati conſentaneus; æſtum, ac ſitim ſedat.

℞. *Margaritarum imperfor. dr. iv. Corallij uſti, balauſtiorum, ſpodii, ſiliquæ nabatheæ, vel ceratoniæ, boli armeniæ, cuparoſæ, ſive vitrioli cyprii, ſeminis roſarum, ſantali, ſem. torrefacti lapathi ſylveſtris, ſive boni Henrici, Baccarum Myrti, fructus loti arboris cum nucleo, farinæ zizipharum albar. perſidis, coriandri ſicci, & frixi, gummi Arab. frixi, ſem. pſyllii, ſumaci, berberis, corallij, juglandium frixar. an. dr. iij. terræ ſigillatæ, maſtiches, ana dr. iij. ſuccini, acaciæ lotæ, an.* ʒij.

Omnibus ritè contuſis, præter ſemen lapathi, ac pſyllij, fiat pulvis ad uſum.

SEFOUF DIABENT.

Pulvis ad Diabetem.

Eſt inſtitutus nempe ad fluorem urinæ, quo æger ſemper ſitiens, ſubindeque bibens, ſtatim etiam reddit quod biberit à qualitate ſua non mutatum.

℞. *Gummi Arabici, boli armenæ, balauſtorum, ſumaci, glandis, ana* ʒv. *amyli, gummi tragacanthæ, ſeminis lactucæ. Semin. portulacæ, ãã* ʒiij. *Santali albi*, ʒI.

Fiat pulvis; doſis ʒiij. cum ſucco granatorum acidorum.

SEFOUF.

Pulvis.

Corpus enormiter impinguatum extenuat; gracileque, & macilentum reddit.

℞. *Cancami loti, ammeos, ſeminis rutæ, cumini caramam. ãã* ʒiv. *majoranæ, nitri Armeniæ, ãã. drach.* I.

Fiat pulveratio technica, & magiſtralis. Fiat autem quotidianus hauſtus meſc. I.

SEFOUF.

Pulvis.

Præcedenti ſubſtituendus; ad extenuandos pinguedinis ſarcinâ incraſſatos ventres.

℞. *Laccæ lotæ, ſandaracæ mineralis ã.* ʒiv. *majoranæ,* ʒß. *aluminis, ariſtolochiæ rotundæ, gentianæ, ana dung.* I. *ſ.*

Contritio cauta, & diſcreta fiat: tum pollinario traducta pharmaca ſerventur ad uſum in forma pulveris: doſis dung. 2.

Pulveres varii ex Ioh. Michaelis.

℞. *Lapid. ceraunii.* ʒiij. *ſpol. ſerpent. drach.* ß. Pulveriſata ſimul accuratè dividantur in 4. Doſes. S. *Pulver.*

NB. Hic. pulvis eſt Specificum in Ictero D. D. Mich.

℞. ⊖ *Abſinth.* ▣ *ſum. geniſtæ, corall. plantag. ã.* ℈i. M. D. in 4. Doſes. S. *Saltz.*

℞. *Sem. aquileg. urtic. ãã* ℈i. *ſterc. anſerin.* ʒiij. *ſpec. diarrhod. A.* ʒiß. M. F. Pulvis. S. *Alle morgen 3. Meſſerſpitzen voll.*

℞. *Fol. ſennæ ſine ſtip. el.* ℥ij. *Cryſtall.* ♀ ʒi. *M. S. Pulver.*

℞. *Flor.* ♀ *comp.* ℥ß. *ſacch. roſ. tabul.* ℥i. ♄ ʒi. M. F. Pulvis.

D. Ad ſcatulam. Doſ. ʒß. in phthiſi.

℞. *Pulv. Haly recent.* ℥iij. *ſpec. diair. diatrag. ana* ℥i. *ſacch. roſ. tabul.* ʒx. M. F. Pulvis.

NB. Pulvis Pectoralis refectivus Mynſichti

℞. *Pulv. Pannon.* ℈j. ♁ *diaphor. gr. iv. bez. Orient. gr. iij.* S. Bezoar-*Pulver auf einmal.*

℞. *Pulv. antifebr. Crollii* ℈i. ⊖ *abſinth. cent. min. C. B. ana. gr. vij.* ♒ ⊕ *g. iij.* S. *Fieber-Pülverlein in warmen Bier einzunehmen.*

℞. *Ocul.* ♋ ℈iß. *ſang. hirci* ℈i. *camph. gr. ij. opii gr. j.*

M. F. Pulvis propinandus in ſequenti aquâ.

℞. *Aq. card. bened.* ℥ß. *flor. pap. errat.* ℥ß. S. *Waſſer zum Pulver.*

℞. *Corall. rubr. in ſubtiliſſ. alcohol. redactorum, raſ. ebor. eodem modo alcoolis ãã* ʒij. *cryſt. Tartarum* ʒj. ⊖ *abſinth.* ℈i. *fol.* ☉ *N. viij. cum ſaccharo benè trito & conf. alkerm. exſiccat.* ʒj. F. Pulv. S. *Sonderlich Pulver.*

℞. *Lap. hæmat. præp.* ℈iß. *ſang. dracon.* ℈ſ. M. S. *Pulver auf einmal.*

℞. *Lap. bezoar. gr. vij. unicornum veri gr. ij.* S. *Hertzſtarckend Pulver.* D. in ſeq. aq.

℞. ♒ *Terræ ſigill. aq. card. bened. ãã* ℥i. S. *Waſſer zum Pulver.*

℞. *Gummi gotte gr. ix. Tartarum rub. gr. x.* ♒ ⊕ *g. i.* 🜔 *cinamom. gutt. j.* M. F. Pulvis.

℞. *Panis ſaccharati* ʒii. *coriandri* ✠ *præp.* ʒiiiß *ventric. gallin. leniter exſicc.* ʒij. *garyophil.* ʒj. *cinamom. fol. roſ. rubr. ſantal. albi rad. angel. ãã.* ʒß. *ſalviæ cruc.* ʒß. *ambræ, moſchi ana gr. iij.* 🜔 *cinamom.* ℈ß. *ſacchari candi* ℥iij. F. Pulv.

Pulveres Digeſtivi.

℞. *Croc.* ♂ *aperit. cum* ⊖*bus* ʒj. *fæcul. bryon. gr. vij.* S. *Pulver auf einmal.*

D. in duplo, in obſtructione menſium.

℞. *Croc.* ♂ *ſacch. gr. xii. fæcul. bryon. gr. vj.*

D. in duplô. S. in obſtructione menſium.

℞. *Pulv. cachect. Quercet.* ʒj. ⊖ *fraxini, geniſtæ ana gr. v.*

D. In obſtructione Lienis.

℞. *Cryſtalli Tartarum albiſſ.* ℈j. *epar. rub.* ℈ß. ⊖ *cichor. gr. v.*

D. in duplô. Valet in obſtructione hepatis & lienis.

℞. *Tartarum* ⊕*lati* ℈i. ⊖ *abſinth. fumar. ã. gr. vj.*

D. In duplô. S. ut ante. Prodeſt in hepatis & lienis obſtructione.

℞. *Pulv. cryſt. Tart. albiſſ.* ʒj. *fæcul. Aronis gr. viij.* ⊖ *abſinth. cryſtall. gr. v.*

D. In Duplo. In affectibus ventriculi.

℞. *Succini præp,* ℈ii. *fæcul. aronis* ℈ß. *cryſt. min.* ♄ *gr. viij.*

Divide in 2. p. æ. D. In affectibus capitis.

℞. *Fæc. Aron. ireos ãã.* ℈j. *ſpec. diair.* ℈ß.

Divid. in 2. p. æ. D. in affectibus Pectoris.

Pulveres Purgantes.

℞. *Pulv. Melanagog. Quercet.* ℈j. *ſcammon.* ♀ *gr. v.* ☿ *per infer. purg gr. iij. vel iv.*

℞. *Pulv. Cathol. purg.* ℈i. ☿ *per inf. p. gr. iij.* M. S. *Purgierpulver auf einmal.*

℞. *Pulv. Cathol. purg.* ℈i. *cryſt. min.* ♄ *gr. iij.* S. *Purgierpulv. das Haupt zu reinigen.*

℞. *Pulv. cathol. purg.* ℈i. *gummi de Peru gr. iv. fæci ireos noſtr. gr. iv.* D. in Hydrope.

℞. *Pulv hydragog. Querc. vel Ang. Sal.* ℈i. *mag. gummi de Peru gr. v.* 🜔 *ſtill. aniſi g. ij.* S. *Purgier pulver auf einmal.*

℞. *Pulv. ſennæ Montagnanæ* ℈i. *ſcammon.* ♀*rati g. vj.* 🜔 *ſtill. caryoph. g. ii.* D. in Lienis affectibus.

℞. *Pulv. rhabarb.* ℈i. *cryſt. tart. albiſſ. gr. xij. ſcammonii* ♀*rati gr. vj.* 🜔 *ſtill. caryoph. g. ij.*

D. In affectibus hepatis.

℞. *Pulv. rhab. electi* ℈j. *epat. rub.* ℈ß. ⊖ *cichor. cryſtall. gr. vij.* S. *Purgierend Leberpulver.*

℞. *Pulv. hermodact. jalapp. ãã* ℈j. *oſſ. microcoſmi ſine aq. præp.* ℈j. *ſcammon.* ♀*rat. gr. xij.* 🜔 *ſtill. macis g. ij.*

M. Div. in 3. partes æquales.

℞. *Pulv. phlegmagog. Quercet.* ℈i. *ſcamm.* ♀*rati g. vi. oleo ſtil-*

oleo ſtillat. aniſi gutt. ij. S. *Purgier pulver auf einmal.*

℞. *Cryſtall. tart. albiſſ.* ʒß. *reſin. jalap. gr. viij.* ∞ *ſtillat. aniſi g. ij. vel caryoph.* S. *Purgierpulver auf einmal.*

℞. *Cephal. purg. Trithemii* ʒß. *cryſt. min.* ♄ *gr. iv.* D. in affectibus capitis.

Pulveres Confortantes & ſpecifici.

℞. *Specif. cephal.* ʒij. *ſuccini cathar.* ʒiij. D. *Haupt-ſterckend Pulver gegen die Flüſz.* Doſ. ʒſs. ad ℈.j.

℞. *Pulv. apopl. Aug.* ʒij. *ſpecif. cephal.* ʒiß. *ſuccini præp.* ʒj. ∞ *ſtill. ſalviæ majoranæ ā ā g. vj.* S. Præſervativ. *und* Curativ. *Pulver* in apoplexia.

℞. *Specif. cephal.* ʒij. *Pulv. Marchion.* ʒiſs. S. Præſervativ. *und* Curativ- *Pulver*, in Epilepſia.

Datur inſtante mutatione ☽ in ∇ appropriata.

℞. *Pulv. rad. Doron.* ʒij. *ſpecif. cephal.* D. S. *Schvvindelpulver.* Doſ. ʒſs. ad ℈ij.

Pulverem nigrum ſeu de ſecundina primi fœtus maſculi quidam valdè in epilepſia commendant.

Pulvis Sternutatorius.

℞. *Spec. diatabaci Mynſ.* ʒij. *pulv. flor. lil. convall.* ʒi. *Nicot.* ʒſs. *eſſent. ambræ g. vj.* D. S. per ſe.

Pulvis pro fumo in Catharris.

℞. *Pulv. ſuccini* ʒiſs. *Gummi junip.* ʒiij. *thuris, maſtich. ā ā* ʒi. D. S. *Rauchpulver gegen die Flüſſe.*

Pulvis externus pro inſperſione in Catharris.

℞. *Succini* ʒii. *thuris, maſtichis ana* ʒiſs. *pulv. roſ. rubr.* ʒi. *ras. ligni rhod.* ʒiſs. D. S. *Euſſerlich aufzuſtreuen.*

Caput prius irrorari debet S. V. vel, quod melius ∽ vel ∇ ∽ uſa appropriata in vertice, vel ubi eſt futura coronalis.

Pulvis Ophthalmicus externus.

℞. *Tut. præp.* ʒi. *marg. præp.* ℈ii. *farinar. fabar. ſacch. albiſſ. ana* ʒiſs. S. *Euſſerlich Augenpulver einzublaſen.*

Pulvis Dentifricius.

℞. *Silic. fluviatil. calcin.* ℥ſs. *lap. pum. præp.* ʒij. *CC. uſti rad. ireos florentinæ ana* ʒi. ∞ *ſtillat. ligni Rhod. gr. iv.*

Poteſt tingi ſanguine Draconis vel ſantalo rubro.

℞. *Radic. biſtort. tormentill. ana* ʒii. *nuc. moſch.* ʒiſs. *pulv. rad. ir. florent.* ℈ii. O *uſti* ʒß.

M. D. In vacillatione Dentium.

℞. *Pulv. flor. aquileg.* ʒiii. *fol. ſalviæ* ʒiß. *adſperg.* ∽ *antiſcorb.* D. S.

Pulvis Pectoralis.

℞. *Pulv. Haly contra Phthiſin* ʒiij. *elæoſacch. balſ. Peruv. veri* ʒiß.

℞. *Flor.* 🜍 ℈ii. *M. mag. benz.* ʒi. *croci Orient. veri* ℈i. D. S. *Lufftpulver* in aſthmate.

℞. *Ras. dentis apri mandib. lucii piſcis ana* ʒi. *ſem. cardui lacti* ʒiß. *flor. pap. rhœad.* ʒj. M. D. In pleuritide.

℞. *Sem. papav. albi* ʒij. *hyoſcyami albi* ʒß. *croci* ♂ *adſtring* ℈ij. *lapid. hæmat. præp.* ʒj. *pulv. anodyn. gr. viij.* M. F. Pulv. in Hæmoptyſi. Doſ. ʒß.

℞. *Lapid. hæmat. præp.* ʒj. *uſneæ cran. hum. gr. viij. pulv. anod. gr. xij.*

M. Divid. in 2. partes æquál. D.

℞. *Sem. fœniculi, card. lactei ana* ʒiß. *cryſtall. præp. lact.* ☽ *ana* ʒi. D. S. *Sonderliche-Milch* ad generationem lactis.

℞. *Pulv. ſtomach. Quercet.* ʒiij. *fæcul. aron.* ʒi. *panac. Holſat.* ℈ij. D.

℞. *Pulv. ſtom. Quercet.* ʒiii. *ſtomachi Galli præp.* ʒiß. ∞ *ſtill. calami arom. g. iv.* D.

℞. *Panis ſaccharati* ℥i. *conf. ſem. coriand.* ℥ß. *calami arom.* ʒvi. *diacydon. teſſulatim inciſ.* ℥ß. *ſpec. pro morſ. Imp.* ʒß. F. l. a. Tragææ groſſæ poſt cibum ſumendum.

℞. *Cretæ albiſſ. cum* ∇ *portul. præp.* ʒiij. *ocul.* ♋ *præp. eboris ſine* △ *nucis moſch. ana* ʒi. S. *Sonderlich pulver gegen den Sood.*

℞. *Eboris ſine* △ *ſpec. diatr. ſant. fæcul. aronis, hep. rubri ana* ʒi. S. *Leber und Magenpulver.* Doſ. ʒß ℈ j.

℞. *Ebor. ſine* △ *fæcul. aron.* ā. ʒi. *croci* ♂ *aperit. cum* ⊖ *libus* ʒiij. M. D. vid. in 4. part. æq.

℞. *Pulv. cachect. Quercet. q. v.* D. S. *Eröffnend pulver* in cachexia & affectibus hepatis.

℞. *Lapid. ceraunii præp* ʒi. *pulv. cachect. Querc.* ʒij. M. Divid. in 3 p. æ. D. in deſperatis ictericis in ∇ appropriatis. Certiſſimũ remediũ eſt lapis ceraunius.

℞. *Croci* ♂ *adſtring.* ʒii. *lap. hæmat. præp.* ℈ii. *ſem. plantag.* ℈i. M. *Divid. in 4. p. æ.* S. *Anhaltend Pulver* in Dyſenteria.

℞. *Sem. viol. lappæ maj. milii* ☉ *ana* ʒiß. *lap. nephrit. præp.* ʒiß. *pulv. glomorum cynosbati* ʒi.

M. F. Pulvis ſubtiliſſimus. Doſ. ʒß. ad ℈ij. in calculô.

℞. *Pulv. ſtipticus Crollii* ʒi. *anod.* ℈i. *Divid. in 3. p. æ.* D. S. *Anhaltend pulver,* qui prodeſt in Dyſenteria.

Pulvis ad Partum.

℞. *Glaciei Paradiſi, borracis, caſſiæ ligneæ veræ ana* ʒi. *Div. in 3 p. æ.* S. *Pulver auf den Nothfall.*

In hyſterica Paſſione.

℞. *Fæcul. bryon.* ʒi. *mag. matris perlarum* ℈ij. *bezoard.* ♃. ℈i. Doſ. 2. *Meſſerſpitzen voll.*

Pulvis Manualis.

℞. *Magmat. amygd. dulc.* ℥iv. *farin. fabarum lupini, oryzæ ā ā* ℥i. *flor. roſ. alb.* ℥ß. *benz.* ℥iij. ⊖ *tart. albiſſ.* ʒii. S. *Sonderlich Handpulver.*

℞. *Specier. diacumin.* ʒiij. ⊕ *depur.* ʒi. D. S. In Colica.

Pulvis Ophthalmicus internus.

℞. *Flores euphras. Mj. ſem. fœn.* ʒii. *Valerianæ* ʒiii. M. F. Pulvis ſubtiliſſimus. Adſpergatur ∞ ſtill. fœniculi.

℞. *Cinnab.* ♁ ʒii. *redig. in alcohol.* & *irroretur* ∞ *fœnic. angel. chamom. an. gr. x.* adde *CC. uſt.* ʒi. *mag. perlar.* ℈ß. *corall.* ℈i. *ſuccini præp.* ℈ij. *cran. hum. præp. viſci querni præp. ana* ʒß. ⊖ *ſtercoris pavonis gr. xv.*

M. D. Ad Scatulam in Epilepſiâ, Apoplexiâ aliiſque affectibus frigidis.

Ad Gonorrhœam.

℞. *Menth. ſiccæ* ʒiij. *ſem. viticis rad. irid. ana* ʒij. *ſem. rutæ* ℈iß. *lactucæ* ʒß. *ſacchari* ℥i.

F. Pulvis. Doſis cochl. j. ante prandium.

℞. *Tart. rubificati* ℈i. *reſin. jalappæ gr. xi. conf. alkerm. gr. v.* ∞ *cinamom. g. ij.* M. S. *Purgierpulver.*

℞. *Cryſt. Tart.* ℥ß. *fæcul. aronis, bryoniæ ana* ℈i. ⊖ *abſinth.* ʒj. M. D. ad Scatulam. S. *Pulver alle Morgen ein gute Meſſerſpitz einzunehmen.*

℞. *Dentis aprugni præp. unicornu foſſ. ocul.* ♋ *præp. CC. phylos. calcin. ana* ℈i. M. F. Pulvis. Divid. in 3. partes æq. S. *Pulver auf 3. mal.*

℞. *Pulv. bez. Sennerti, March. an.* ℈i. S. *Pülverlein alle 6. Stund eine gute Meſſerſpitz.*

In Dyſenteriâ, Diarrhœâ aliiſque fluxibus.

℞. *Pulv. nuc. moſch. macis an.* ʒi. *rad. conſolid. maj.* ʒii. *corall. rubr. præp.* ℈i. *ſacch.* ℥iii. M. S. *In Bier kalte Schale zu thun.*

℞. *Cryſt. Tart.* ʒiß. *croci* ♂ *aperit. fæc. aron. rubif* M. F. Pulv. S. *Leberpulver.*

℞. *Margarit. præpar. unicornu ana* ℈ß. M. S. *Hertzſterckend pulver auf 1 mal.*

℞. *Sem. fœnic. rad. liquirit. valerian. pulver ā.* ℈i. M. F. Pulvis oculis inſufflandus.

Pulveres varii ex Collectione Theoph. Bierlingii.

Pulvis in angina laudatiſſimus *Augerii Cluſii.*

℞. *Flor. borrag. bugloſſ. violar. roſar.* ā ℈j. *matr. cort. citri. aurant.* ā. ʒj. *rad. bugloſſ. margarit. non perforat. ſmaragd. hyacinth. rubin. ſaphir. granat. oſs. de cord. cerv.* ā. ℈ſ *fol.* ☉. *n. iv. f. pulv. ſubtiliſſ.*

Pulvis Bezoarticus albus *Rolfincii.*

℞. *C. C. uſt.* ʒij. *oſs. de cord. cerv. n. ij. bezoard. miner.* ʒß. *chryſol. ppt. hyacinth. ppt. ſmaragd ppt. rubin. ppt.* ā. ℈j. *ocul.* ♋. *ppt. corall. rubr. ppt. perlar. ppt.* āā, ʒß. *ſucc. ppt.* ʒj. *terr. ſigill. Sileſiac. rot. n. ij. lapid. bezoard. Orient.* ℈ß. *fol.* ☉. *n. v. f. l. a. pulvis.*

Pulvis confortans *Muffatii.*

℞. *Elæoſachar. c tr. roſar. cinamom.* ā. ℥j. *magiſt. dentis Hippotam. perlar. corall. off. cord. cervi. monocerot.* ā. ℥ß. *eſſent. ambr.* ℈ſ. f. l. a. pulvis.

Pulvis ſuaveolens.

℞. *Moſch. gr. ij. ambr. gr. iiß. zibeth. gr. iß. fum. Hiſpanic. gr. iv.* 🜔 *roſar. cinam.* ā. *gutt. j. ſacch. cand* ʒ ij. Omnia contundantur in maſſam, & exiccentur, iterum terantur in mortario marmoreo & in vitro ſervetur pro uſu. Si granum unum in menſuram vini injiciatur, totum vinum exinde contrahit ſaporem.

Pulvis cauſticus *D. Caſſeri.*

℞. *Pulv. iſatid:* ℔j. *calc. viv.* ℔ß. *aq. pluvial. menſur. x. f. lixivium adde ſalis uſt. M. j.* f. l. a. lapis.

Pulvis pepticus.

℞. *Panis ſacchar. morſulor. imperial. ana* ℥iij. *corall. rubr. ppt.* ʒj. *aromat. roſat. tabulat.* ℥ii *ſem. coriandr. ppt.* ʒß. *aniſ.* ʒj. *cinamom. elect.* ʒ j. *maſtich ſelect.* ʒß. *pellicul. ſtomach. gallin.* ʒj. *ſacch. cand. q. ſ.* F. Pulvis.

Pulvis Buxtehudenſis.

℞. *Fol. ſenæ.* ℥ ij. *cumin. zedoar. petroſelin. citri, anthos* ā. ℥j. *zingiber.* ℥ß. *caryophyll. nuc. moſchat. calam. aromat. galang. pimpinell. ſalv. rut. valerian. aniſi ana* ʒij. *ſacchar.* ℥ij. *l. iv.* M. F. pulvis.

Doſis ʒj. in omnibus affectibus ventriculi à cauſa frigida ortis.

Pulvis pro ſtomacho.

℞. *Sem. cumin. carv. utriuſque aceto ppt. an.* ℥iß. *zingib. albiſs.* ℥j. *croc. optim.* ʒj. M. F. l. a. pulv. ſubtilis. detur in ſcatula S. *Suppen-pulver.*

Pulvis ſtomachi *Bertoldi.*

℞. *Pulv. cinamom.* ℥ß. *zingiber. piper. long. galang. an.* ℈j. *cardam. macis. caryophyll. nuciſtæ,* ā. ℈ß. *Sacchar.* ℔ß. *zingiber.* ʒij. *ſem. eruc. caud. ſtinc* ā ʒ ß. *ſem. urtic. been utriuſque an.* ℈ß. *piper. long.* ℈j. *ſpec. diambr. diamoſch. dulc. ana* ʒj. M. F. Pulvis.

Alius.

℞. *Sem. eruc.* ʒiß. *ſinap. naſturt. rad. pyrethr. cinamom. zingiber. piper. ana.* ʒß. *croc.* ℈ß. *borac.* ℈ij. *ſtinc, ppt.* ʒß. *moſch. gr. iv. canthar. n. ij. abſciſs. capit. & alis.* M. F. Pulvis Doſ. ʒß.

Pulvis ſtomachalis.

Rec. Rad. aaron. ppt. ℔ij. *panac. holſteinienſ.* ℔j. *ſal. abſinth.* ℔ſ. *rad. calam. aromat.* ℥ii. *cinamom.* ℥iſs. *caryophyll, macis, piper. long. zingiber. cubebar. cardamom. granor. paradiſ. zedoar, coriandr.* ā. ℥j. M. F. l. a. Pulv.

Pulvis contra Fluxum menſium *D. Agricolæ.*

℞. *Sangu. dracon. corall. rubr. ppt. ſem. portulac. an.* ʒ j. *balauſt.* ℈iv. *bol. armen. ppt.* ℥ſs. M. F. l. a. Pulv.

Pulvis præſervativus gravidarum *D. Pleiſneri.*

℞. *Spod.* ℥j. *raſ. ebor.* ʒij. *ſem. fœnic. zedoar. cardamom. an.* ℈ij. *marg. ppt.* ℈j. *corall. ppt.* ℈ſs. *fol.* ☉. *n. ii addi etiam poteſt oſſ. de cord. cerv.* ℈ſs.

Pulvis contra Cancrum felici uſu ſæpè probatus *Dn. Andrigethi.*

℞. *Auripigment.* ʒvj. *arſenic. alb.* ʒiij. *rubr.* ʒi. ℈ij. Temperentur cum ſucco appropriato & exiccentur in furno, ut fiat pulvis. Poſtea addantur cantharides torrefactæ ſed minimè nigræ, & fiat pulvis, qui adhibeatur loc. petiis madefactis ſaliva & chartis. *ex M. SS. Burſeri.*

Pulvis antidyſentericus.

℞. *Ebor. ſ. a.* ʒiij. *magiſt. terræ ſigillat.* ʒiſs. *alumpulver.* ʒj. M. F. Pulvis.

Pulvis contra pleuritidem.

℞. *Therebinth. pulv. pulv.* Haly *recent. diſpenſ.* ā. ℥ſs. *flor. papav. errat. tuſſilag. enul.* ā. *p. j. herb. heder. terreſt. pulmon. an. p. ij. ſem. card. benedict. card. mar. paſtinac. an.* ʒj *ſpec. de praſſ. diapenid. de liquir. de tragacanth. an.* ʒii. *flor.* ♁. ʒj *benzoes* ʒ ſs. *ſcob. dentis apri* ℥ſs. *priap. taur.* ʒij. *ocul.* ♋. ℥ſs. *maxill. luc. piſc.* ʒiij. *ſtragul. lepor.* ʒij. *ſem. 4. frigid. major.* ℥j. M F. Pulvis.

Alius *D. Schalleri.*

℞. *Ocul. lucii recent. exempt. & torrefact. cancr. ppt. an.* ʒj. *mandib. lucii piſcis, raſur dentis aprugn. an.* ʒij. *lapid. percar. ppt. talor. lepor. ſem. card. bened. mariæ, artemiſ. rubr. an.* ʒi. M. F. l. a. Pulvis.

Alius.

℞. *Raſ. dentis apri* ʒiiiſs. *viſc. quercin. rad. bardan. an.* ʒiſs. M. F. Pulvis.

Alius *D. Belzeri.*

℞. *Cryſtall. ſalis nitri* ℈iv *flor. papav. errat.* ℈ij. *violar. croc. an.* ℈j. *myrrh. rubr.* ℈ j. M. F. Pulvis.

Alius *D. Banzeri.*

℞. *Raſ. dent. apri* ℥ß. *rad. bardan. ſem. card. Mariæ, lign. viſc. quercin. an.* ʒij. *flor. pap. errat.* ʒß. *ebur. elect.* ʒj. *ocul.* ♋. *ppt.* ʒiſs. *lap. percar.* ℈ij. *croc.* ℈ſs. *ſal. card. bened.* ℥j. M. F. pulvis.

Pulvis in lienis & Epatis ſchirro *D. Fabritii.*

℞. *Pulv. tamariſc. rad. cappar. aaron. ppt, ceterach, fumi terræ. an.* ʒiiſs. *ſem. acetoſ. cichor. an.* ʒij. *galang. cumin. ſalis fraxin. an. drach. ſs. redacta in pulverem miſc. cum pari pondere ſacchari pro tragæa.*

Pulvis laxativus completus *D. Schneideri.*

℞. *Cremor. tartar. dr. x. gialap.* ℥ſs. *reſin. ſcammon. fæc. rad. aaron. an. dr. iſs. ſpir.* ⊕*l. coagulat. dr. ſs.* 🜔 *citr. gutt. xxj fol.* ☉. *ſin. n. iv.* M. F. Pulvis.

Pulvis Polychreſtus *Ejuſdem.*

℞. *Scammon. pur.* ℥ij. *ſantal. rubr.* ℥j. *cum ſpir. vin. ſolv. ita ut emineat digiti altitudinem, evaporet ſpir. in* ⁖. *pulvis in fundo relictus ſervetur uſui.*

Pulvis Polychreſtus nobilis *Ejuſdem.*

℞. *Pulv. polychreſt.* ℥ſs. 🜔. *cinam.* ℈ſs. *moſch, Ambr,*

ambr. ã. gr. ij fol. ☉. *optim. l. pur. an. num. ij.* M. T. Pulvis.

Pulvis *Oſvvaldi* pulveri *Weinlini* haud abſimilis.

℞. ♁ ℔. ☿. ℔ſ. *deſtilla.* ℞. 🜅. *adde* ⊖ *gemm. deſtilla donec ſpir. prodeant, & tamdiu ut ſal in cucurbita fluat,* 🜅. *fortis erit impenſè rubra. Inde* ☉. *huic* 🜅. *ac deſtilla per retort. tunc tubulus retort. totus erit floribus* ☉ *repletus, exime hos, & præcipita, erit rubeo virideſcens pulvis, inde phiolæ, ac digeratur per dies nonnullos, donec mutetur in rubicundiſſimo purpureum pulverem, quod erit diaphoreticam & medicina inſignis.* Ex M. SS. L. Bilgeri.

Cremor. Tartar. purgans *Arniſæi.*

℞. *Cremor. Tart.* ℥i. *rad. mechoacann. alb.* ℈ij *nigr. gumm. gotte, reſin. ſcammon. ana gr. viij. ſpecier. diamoſch. dulcedin. diambr. aromat. roſat. ana* ℈iſs. Pulveriſa omnia & miſcendo exactè dividatur in 4. part. æqual.

Pulvis purgans *Scott. Manchreni.*

℞. *Fol. ſenæ Alexandr. ſ. ſtipit. gr. xx. rad. turpeth. gummoſ. gr. xxv. ſcammon. gr. xvj. ambr. gryſ. gr. iv.* ☍. *aniſi* ℈i. M. F. Pulvis.

Purgans ex Sulphure.

℞. 🜍r. *viv. g. v. affunde lixivium ſapon. fortiſſimum, pelle per retort. lixivium ignis forti, poſtea guttatim in lixivium inſtilla* ✳. *& pulvis quidam albus fundum petet, purgat per ſeceſſum, Doſ. gr. i. ad ij.* Ex. M. SS. A. G.

Pulvis purgans ex ♁ per ſeceſſum.

℞. *Spir.* ⊕l. optim. ℔j. *dieſes thue in einen groſſe* recipienten, *denn treibe einen* ſpir. ⊖, de tribus libris ⊖ communis, *ſo lange biſz keine* ſpir. *mehr gehen, denn laſz die Vorlage erkalten.* ℞. *Die beyden* ſpir. & cohobire *ſie drey oder mehrmal, daſz ſie ſich recht mit einander vereinigen, daſz* phlegma ſeparire *alsdenn davon.* ℞. Flor. ♁. albor. vel XX. ♁. *die* ſolvire *in dieſen* ſpiritibus, *zeug dann das* phlegma per retortam *davon, biſz es beginnet ſauer zu vverden, denn geuſz friſchen* ſpiritum *darauff, zeug ihn aber davon, diſz thue ſo offt, biſz er ſo ſauer davon gehet, als er auffgegoſſen, denn ſo lege ein* ℞ *vor, ſo gehet ein* ☍ *herüber, vvie das* butyrum ♁, *ſo mit* ☿ ♎. *gemacht vvird, dieſes* ☍. rectificire *noch einmahl, ſo vvird es ſchön reine. Denn ſchlage es* cum ☍ *Tart. nieder, und ſüſſe es vvohl aus, ſo bleibt ein vveiſz Pulver* in fundo, *das purgiret* per ſeceſſum *gar gelinde*, Doſ. 3. 4. gran. *Sie müſſen aber noch einmahl* cum ⊕l. præpariret *vverden.*

Pulvis ad fœtorem anhelitus.

℞. *Menth. criſp. pulv.* ℥j. *fol. ſalv.* ℥ſs. *m.* Doſ. ℈ſs. vel ℈ij. cum parte in vino madefacto jejuno ſtomacho.

Pulvis Laxativus mineralis ſimplex G. H.

Rec. Vitri ♁. ℥i. *pulv. & affunde ſpir.* ⊕*l. dr. digeratur & ſiccetur levi calore, reiteretur affuſio ſepties poſtea ter cum ſpir. v n. humectetur & viciſſim exſiccetur. Doſ. à gr. iij. ad x.*

Pulvis *Electoris Saxoniæ.*

Rec. Cryſtall. Tart. ℥ſs. *ſpir.* ⊕*l.* ℈i. *gr. iv. ſuccin. ppt. dr. i. mac. gr. vi. m. Divid. in 24. part. æqual. S. Stærck Pulver.*

Pulvis diaphoreticus ad morbum Gallicum

Rec. Argent. viv. ℥iij. 🜅. ℥viij. *thue es zuſammen in glæſerne Kolben, ſetze es in eine Sand Capellen ziehet das Waſſer ab, den findet ihr* in fundo *eine gelbe* præcipitat, *vvie* auripigment. n. j. ℞. ⊕l. Roman. alumin. ã. ℥iv. ✳. deſtillat. vini albi ã. q. ſ. *davon* deſtillire *ein Maſz aq.* n. 2. *Reſp. denn das aq.* n. ij. *thue es zu der Materie in Kolben* n. j. deſtill. *aber, geuſz vvieder darauff,* deſtillire *vvieder, das* reiterire *ſo lange, biſz* materi n. j. *das Waſſer* n. 2. *alles verzehret hat, dann höret auff* n. iij. *Denn gieſſet über die* materiam num. 1. 2. 3. ſpir. vin. opt. *ſo viel daſz es nur bloſz die* materiam *bedecken kan, und ziehet es abe, das thut zum 9. mahl, allevvege nehmet andern* ſpir. vini n. 4. *Wenn es nun 9. mahl mit dem* ſpir. vini *abgezogen, ſo muſz es auch 9. mahl mit dem aq.* roſar. *geſchehen.* n. 5. *Darnach* maceriret *man die* materiam *unter* ℥ij. vel ℥v. ☉. *ſo hat man das rechte* diaphoret*iſche Pulver, das ſoll man eingeben Abends vven er vvill ſchlaffen gehen, 2. Stunden nach dem Eſſen.*

℞. *Pulv. diaph. gr. v. elect. de ſucc. roſ.* ℈j. ☍ 🜍. *gut. iij. Des Morgens vvieder in* electuario de ſucc. roſar. gr. viij. pulv. gr. vj. *den andern Tag.* gr. ix. *den 3. 4. 5. 6. auch* 11. gr. *Wenn er es zum andernmahl hat eingenommen, muſz er einen vvarmen* gargariſmum *brauchen, ſo oft er vvill, ſo zeucht es ihm den Schleim gevvaltig aus. Wann er vvieder geſund iſt, macht man ihm zvveymahl ein trucken Schvveiſz Bad, und gibt ihm ehe er ſich drein ſetzet,* ☍ 🜍r. *gutt. vj.*

Pulvis contra calculum. *D. Roſæ.*

℞. *Rad. enul. eryng. petroſ. ã.* ʒij. *ſiquirit.* ʒiij. ℈j. *ſem. ſaxifrag. milii ſolis apii. petroſelini ã.* ℈iv. *malv.* ʒiij. ℈j. *aniſ fœnicul. ſacch. pulveriſ.* ʒvj. *ſpec. lythontript.* ʒij. M. F. Pulvis.

Pulvis contra calculum P. H. D.

℞. *Pulv. rad. omnid. pimpinell. eryng. filipendul. ã.* ʒij. *ſem. alkekeng. milii ſolis, raphan. urtic. petroſelin. ã.* ʒß. *lapid. percar. ppt. ocul.* ♋. *ppt. ſuccin. albiſſ. ppt. lapid. nephrit. indici ppt. ã* ℈j.

Aſperge omnia minutiſſime pulveriſata ſpir. ⊖, ut madefiant, & iterum lento calore exiccentur, poſtea redigantur iterum in pulverem ſubtiliſſimũ, adde ⊖. *Ononid. ſaxifrag. cort. fabar. pimpinell. juniper. ã.* ℈j. *ſpir. vitriol. coagul.* ℈j. ♀*r. vitriolat.* ʒß. M. F. Pulvis.

Alius.

℞. *Cryſtall. Tart. q. v. contere, irroraque ſpir. Tart. therebinth. & mellis, ita ut ſæpius areſiat, & denuo hiſce ſpiritibus humectetur (non inconveniens eſſet etiam ſpir.* ⊕. *) poſt* ☍ *Tart. & mellis ã.* ʒij. *inde cucurbita, & leni cinerum ignis committe vaſe optimè clauſo, brevi ſic tempore materia indureſcet, fracto vitro eximenda & pulveriſanda. De hoc pulvere quotidie* ʒß. *in vino exhibeatur, maximarum eſt virium, in calculo & potiſſimum renum.*

Pulvis contra calculum *Plateri* ex Experientia *D. Arniſæi.*

℞. *Rad. liquirit. laur. ã* ʒj. *ononid.* ℈ß. *ſem. alkekeng. paliur. milii ſolis ã.* ʒß. *apii. petroſelin. fœnic. naſturt. ã.* ℈j. *gumm. ceraſor. ſucc. ã.* ℈j. *reſin. laric. cort.* ʒij. *ciner. fabar.* ℈j. *ocul.* ♋. *gr. xv. cinamom.* ℈j. *ſacchar.* ℥v. M. F. Pulvis.

Mitior *Ejuſdem pro Rege Daniæ.*

℞. *Rad. Ononid. laur. liquirit. apii ã.* ℥ß. *ſem. alkekeng. paliur. milii ſolis ã.* ʒiij. *apii. petroſelin. fœnicul. naſturt. ã.* ʒj. *nucleor. ceraſor. perſic. ã.* ℥ß. *avellanar.* ℥j. *ſem. 4. frigid. major.* ℥ij. *cinamom. cort. fabar. ã.* ʒij. *ocul.* ♋. *ppt.* ℥ß. *terebinth. coct.* ℥j. *ſantal. rubr.* ʒj. *ſpec. lythontript.* ʒiij. M. F. Pulvis.

Fortior *Ejuſdem.*

℞. *Pulv. milleped.* ℥ß *ciner. paſs. triglat. teſtar. ovor. lumbric. ã.* ℥ß. *cremor. Tart.* ℥j. *ſal. ſucc.* ʒj. *oſſic. meſpil. cynosbat. an.* ʒiij. *lap. judaic. ſpong. an.* ʒij. *vitri uſti* ʒiij. *ſem. milii* ☉. ℥ß. *dauc.* ʒij. *althææ* ʒiij. *flor. chamomill. rom.* mß. M. F. Pulv.

Pulvis contra Colicam *D. Arniſæi* in arc. itiner. *R. Dan.*

℞. *Rad. pyrethr.* ʒij. *calam. aromat.* ℥ß. *zedoar. angelic. ā.* ʒij. *cort. aurant.* ℥j. *bacc. laur.* ʒv. *ſem. aniſ.* ʒij. *cumin. carv. dauc. ſeſeleos, fœnic. ā.* ʒj. *ſpec. diacinam. dianis. an.* ʒij. *diatrion. piper.* ʒi. *inteſtinor. lup.* ℥iij. *zingiber.* ʒij. *caryophyll.* ʒj. M. F. Pulv.

Alius.

℞. *Cort. citri, aurant. ā.* ʒi. *calam. aromat.* ʒiß. *ſem. card. bened. rad. diptamn. C.C. uſti an.* ʒij. *glycyrrh.* ʒß. *ocul. lucii piſcis* ℈j *lap.* ℈i. *anis. gutt. v.* Pulveriſata miſceantur. Doſ. ʒj. cum cerevitia aut vino.

Alius *D. Schalleri.*

℞. *Succ. alb. ocul. vel mandib. luc. piſc. lapill.* *talor. lepor. poſter. dentium inferior. rutæ, zedoar. optim. ā. part. aqual.*

Pulveriſatis & miſtis adde cort. aurant. ab omni pulpa liberat. & pulveriſ. ad pondus omnium. F. Pulvis tenuiſſimus.

Pulvis Pulmoniacus Altenburg.

℞. *Flor.* ♁*r.* ʒij. *oliban. maſtich. an.* ʒi. *hyſſop.* ʒß. *ſacchar.* ℥iß. ʒii. M. F. Pulv.

Pulvis Antipodagricus *D. Anderſoni Angli.*

℞. *Turbith. gummoſ. præſtant. herm: dactyl. recent. à cortic. ſuper. mundat. fol. ſenæ Alexandr. mund. Dagrid. laudatiſs. ā.* ℥ß. *C. C ppt. oſſ. de cord. cerv. ā.* ʒj. F. pulv. ſubtiliſſim. & probatiſſ.

Doſ. ʒj. in vino vel juſculo carnis non ſalito, ſingulo menſe, (excepto cane torrido) vel ſæpius utatur, ratione tamen ægri habita, tam ad præcavendam, quam ad curandam podagram.

Pulvis ſternutatorius *Ejuſdem.*

℞. *Lolii, ſemin. nigell. helleb. alb. an.* ℈j. *roriſmar. majoran. ſalv. an.* ʒß. *moſch. gr. ij.* M. F. Pulv. ſubtiliſſ.

Pulvis Cephalicus *D. Arniſæi Reg. Dan.* præſcriptus.

℞. *Succ. ppt.* ʒj. *ungul. alcis ppt.* ℈j. *cran. human. ppt.* ℈ij. *granor. pæon.* ʒß. *ſpod. ſemin. major. rut. ā.* ℈j. M. F. Pulv.

Pulvis Capitalis *D. Agricolæ.*

℞ *Pulv. ſenæ ppt.* Montagn. ʒß. *agar. trochiſcat.* ʒß. *ſpec. elect. de ſucc. roſar. an.* ℈j. *dagrid. gr. iv. m. pro una doſi.*

Pulvis ad reſtaurandam Memoriam deperditam *D. Anderſoni Angli.*

℞. *Calam. aromat. gentian. cymin. ſyler. montan. amei, carvi, ſem. petroſelin. macis an.* ʒi. *corall. rubr. perlar. non perforat. an.* ʒii. *zingib. alb. chamæpyth. fol. ſenæ mundat. cryſtal. tart. an.* ʒiiß. *caryophyll.* ʒiij.

Ex his omnibus fiat pulvis ſubtiliſſimus, de quo ſumat ℈ij. manè jejunus in juſculo carnis, & tantundem per horas 2. ante cœnam, id faciat per menſem primum. Secundo menſe manè tantum capiat. Tertio menſe ter in hebdomade manè ſumatur. Quarto menſe bis in menſe ſumat manè. Singulis quatuor diebus utatur ſternutatorio jam prius deſcripto. Decreſcente Luna caput lavetur ſequenti lixivio:

℞. *Chamomill. ſalviæ, origan. majoran fol. ſenæ ā m. j.* M. conſcindantur craſſiuſcule F. lixivium pro capite.

Alius *D. Rollfincii.*

℞. *Tinct.* ♁. *ſicc.* ʒi. *magiſt. perlar. corall. ā.* ℈ß. *C.C. uſti* ℈ij. *ol. rutæ, cinamom. roriſmar. ā. gutt. vii.* M. F. Pulvis.

℞. *Spir. lil. convall.* ℥ii. *aq. flor. tiliæ* ℥i. *tinct. roſar. jucundiſſ.* ℥iß. S. *Waſſer zum Pulver.*

Pulvis Epilepticus *Peuceri.*

℞. *Marg. ppt. corall. rubr. ppt. C. C. uſt. ppt. ſpec. diapl. archontic. ā.* ʒj. *ungul. alcis* ℥ß. *fol.* ☉. *finiſſ. n. xxxvj.* M. F. Pulvis.

Pulvis Puerorum.

℞. *Rad. torment. zedoar. C.C. uſt. ppt. ā.* ℥ß. *C. C ſ.* △. ʒiſs. *mag. cran. human.* ʒij. *fol.* ☉. *no. xxij.* M. F. Pulvis.

Pulvis Epilepticus *Regis Daniæ.*

℞. *Rad. pæon.* ʒij. *pyrethr.* ʒi. *calam. aromat. diptamn. ā.* ʒij. *ſal. volat. cran. human. C. C. hirund. an.* ℥j. *coſtar. percar. minor. uſtar. & pulveris.* ℥ß. *mag. corall* ʒiß. *perlar.* ʒi. *ſucc. alb.* ʒii. *ungul. alc. ppt.* ʒi. *pulv. priap. cervi, caſtor. an.* ℈iv. *cinabar. ſublimat. vitriol. vener. an.* ʒii. *ſem. pæon.* ʒi. *ocym.* ʒiß. *rutæ* ℈ij. *coriandr. ppt.* ʒiii. *flor. pæon. tilior. convall. anthos, lavendul. an. p. j. ſumm. major. ſ. hœnanth. ſtœchad. an p. j. ſpec. diamoſch. dulc.* ʒii. *pleris archont.* ʒi. M. F. P. ſubtiliſſimus.

Alius.

℞. *Pulv. Marchion.* ʒiß. *raſur. ungul. alcis. cranii human. ppt. ſucc. alb. ppt. an.* ℈ii. *ſmaragd. ppt.* ℈i. *lapid. bezoard. gr. xv. ſacchar. cand. albiſſ.* ℥ß. M. F. Pulv.

Pulvis Antepilepticus P. H. D.

℞. *Cran. human. ſ.* △. *ungul. alcis ppt. cryſtall ppt. ſmaragd. ppt. an. gr. vi. antimon. diaphor.* ℈i. *mag. C.C. ſuccin corall. perlar. an.* ℈ß. *ſal. volat. ſuccin. cran. human. an. gr. ii. fœc. rad. pæon.* ℈iß. *fol.* ☉. *n. xii.* M. F. P. Doſ. ℈j.

Alius *Timæi.*

℞. *Mag. lunæ* à Senn. *in inſt. deſcript.* ℥ß. *mag. cran. human. corall. perlar. an.* ℈ij. *fœc. pæon. ung. alc. ppt. corn. alc. ppt. lapid. carpion. ppt. an.* ʒiß. *viſc. quercin.* ℈ij. M. F. Pulv.

Pulvis Carminativus.

℞. *Rad. pimpinell. zingib. zedoar. acori, ſem. coriandr. ppt. anis. carvi, cinam. cort. aurant. caryophyll. an.* ʒj. M. F. Pulvis.

Pulvis Uterinus.

℞. *Fœc. bryon. antihect.* Poter. *an.* ℥iv. *bezoard.* ♃*al.* ʒi. *mag. matr. perlar.* ℥ß. M. F. Pulvis.

Doſ. ℈i. in ▽. artemiſ.

Pulvis Cordialis uſitatus in offic. aul. Sax. & Brand.

℞. *Hyacinth. ppt. margarit. ppt. corall. rubr. ppt. C.C. terræ ſigillatæ an.* ʒvi. *ſapphyr. ppt.* ʒii. *ſmaragd. ppt. ſucc. alb. unicorn. ver. an.* ʒi. *oſſ. de cord. cerv. raſ. ungul. alc. an.* ℈i. *lap. percar. ocul.* *lucior. calcan. lepor. an.* ʒi. *zedoar. ſi placet* ʒi. *fol.* ☉. *puriſſ. n. xv.* M. F. Pulv. ſubtiliſſ. ex *MSS. Burſeri.*

Pulvis Cordialis *D. Nymmanni.*

℞. *Rad. contrayerv. ſcorzoner. hiſpid. ana.* ℈iiß. *pæon.* ℈i. *gran. kerm. terr. ſigill. Strig. corall. rubr. ppt. an.* ℈iiß. *C. C. uſt. ppt. margar. ppt. hyacinth. ppt. ſmaragd. ppt. an.* ℈j. *lap. bezoard. Orient.* ℈ij. *ſucc. alb. ppt.* ℈i. *fol.* ☉. *puriſſ. n. v.* M. F. Pulvis.

Pulvis antidotalis.

℞. *Colubrum ſive ſerpentem, venenum aufer & excoria, ut anguillæ excoriantur, tolle ſplenem & cor, hinc cape novem primas coſtas à capite inchoando & ſpina dorſi, poſt adde carnem hujus ſerpentis ad latitudinem 4. digitorum à capite ſemper incipiendo, ebulliant, quo ſpinæ melius ſeparari poſſint. Ad has ſpinas & coſtas pulveriſatas adde ventriculi ciconiæ pulver. quantum duobus cultri mucronibus capi poteſt, unicornu q. ſ. & gratum conciliando ſaporem varia adde,* F. Pulv.

Pulv. ſubtiliſſ. cujus pars minima cum cochlear. vino generoſ. ſumatur.

Pulvis Dentifricius. D. J. M.

℞. *Pulv. ſilic. optim. calcin.* ℥*iii. lapid. pumic. 4. vicib. ignit. & in lacte extinct. poſtea ſubtil. pulver.* ℥*iß. rad. ireos florent.* ʒ*iii. lign. rhod.* ʒ*iß. gall. moſchat. ver.* ʒ*j. corall. albor. C. C. uſt. an.* ℈*iv.* ⚱*ſtillat. lign. rhod. gtt. ii. m. exactiſſimè.*

Pulvis contra vacillationem Dentium *C. V. Schneideri.*

℞. *Rad. biſtort. nuc. moſchat. an.* ʒ*i. cort. caſſ. lign. recent.* ℈*iv. flor. roſar. rubr. balauſt. extr. ſarcocoll. thur. ariſtol. rot. maſtich. ſumach. alum. uſti, myrrh. rubr. an.* ʒ*ß. lap. hamat. ppt.* ℈*j.* M. F. Pulvis.

Pulvis Dentifricius.

℞. *Silic. calcin. & ſubtil. pulv. cum ſpir.* ⊕*-l. ter imbibit. & exiccat.* ℔*j. pulv. rad. ireos* ʒ*vi. cryſtall. Tart. C. C. uſt. ppt. an.* ℥*iß. alum.* ℥*iij. corall. rubr. ppt.* ʒ*iiß.* M. F. Pulv. ſubtil.

Pulvis Dyſentericus J. A. mitior.

℞. *Rad. tormentill. ſanguiſorb. ſerpent. plantag. nymph. conſol. an.* ʒ*ii. herb. trifol. herniar. millefol. gnaphal. an. p. ii. ſumach.* ℥*ß. offic. ſorb. meſpilor. cynosbat. corniger. an.* ʒ*i. rhabarb. toſt.* ℥*ß. flor. roſar. rubr. m. ß. balauſt.* ʒ*ii. carn. cydon. ſiccat.* ℥*ß. maſtich.* ʒ*v. caſtan. n. iij. glandul. n. iii. nuc. cupreſſ. n. v. m. & contund.*

Fortior *Ejuſdem,*

℞. *Alumin.* ℥*ß. vitriol. alb.* ʒ*ij. bol.* ℥*ß. terr. ſtrig.* ʒ*ii. acac. ſucc. ſanguin. dracon. an.* ʒ*i. lapid. prunell. troch. de ſacchar.* ℥*iij. cynosbat.* ʒ*ii. gallor. n. v. cinam.* ℥*ß. corall. ppt.* ʒ*ii.* M. F. Pulvis.

Pulvis contra Vermes *Ejuſdem.*

℞. *Rad. dictamn. paeon. an.* ʒ*iii. ras. ebor. cran. human. C. C. an.* ʒ*iſs. corall.* ʒ*iii. ſemin. ſanct.* ℥*i. portulac.* ʒ*i. cnici* ʒ*ii. flor. tanacet. p. ij.* 🜍*r.* ʒ*j. rhabarb.* ʒ*vi. cinamom.* ʒ*iſs. ſacchar.* ℥*iv. lumbr. terreſtr.* ℥*ſs.* M. F. Pulvis.

Pulvis contra Febrem *Sennerti.*

℞. *C. C. ſ. uſtion. ppt.* ℥*ſs. off. d. cord. cerv.* ʒ*ſs. terra ſigillat. boli armen. an.* ʒ*i. rad. angelic. zedoar. an.* ʒ*ii. tormentill. pentaphyll. herb. acetoſ. ſcord. card. bened. an.* ℥*iſs. ſem. citri excort. acetoſ. aquileg. an.* ʒ*i. ocul.* ♋*. ppt. ſantal. citrin. an.* ʒ*ſs.*

Radices per 24. horas macerentur in ⚹ ſcordii, poſtea exſiccentur & pulveriſentur ſingulæ ſeorſim. M. F. Pulvis.

Alius probatus.

℞. *Calam. aromat.* ℥*i. rad. gentian. ariſtol. rot. zingiber. an.* ℥*ſs. ſalis centaur. minor. card. benedict. abſinth. an.* ʒ*iii. C. C. ſ.* △*. ppt. ſem. calendul. camphor. an.* ʒ*i. ſacchar. cand. albi,* ℥*iſs.* M. F. Pulv. Doſ. ʒſs. ad ʒj.

Alius *D. J. Arniſæi.*

℞. *C. C. ppt.* ℥*i. bezoart. miner.* ℥*ſs. ſpec. diatr. piper.* ʒ*ii. ſal. volat. cran. human.* ʒ*i. zingiber.* ʒ*iii. rad. pyrethr.* ʒ*ii. camph.* ʒ*iſs. caryophyll.* ʒ*i. cord. lepor. uſt. & pulv.* ℥*ſs.* M. F. Pulv.

Pulvis Jeſuitarum Memoriæ conſecratiſſimus.

℞. *Major. ſalv. beton. meliſs. an.* ʒ*i. bacc. laur. ſem. paeon. excort. meliſſ. an.* ʒ*iſs. ocym. ſeſel. an.* ʒ*ſs. zedoar. cimin. ppt. an.* ʒ*i. cubeb. nuciſt. macis, caryophill. piper. alb. long. nigr. rad. liquir. raſ. zingib. alb. ana* ʒ*ij. myrobalan. citrin. indic. an. dr. iſs. thur. maſtich. an.* ℈*ſs. ſacchar. albiſs.* ℔*ſs.* M. F. Pulv. ſubtiliſſ.

Pulvis pro Fumo.

℞. *Benzoin.* ℥*xxiv. ſtyrac. calamit.* ℔*ii.* ℥*iv. ſantal. citrin. lign. rhod. an.* ℥*iv. laudan. pur.* ℔*j. thur. maſtich. caryophyll. an.* ℥*viii. cinamom.* ℥*vi. flor. roſar.* ℔*j.* M. F. Pulv. groſſus.

Alius.

℞. *Santal. citrin.* ʒ*j. lign. aloes* ʒ*ß. gumm. benzoin, ſtyrac. calamith. ā.* ʒ*ij. ſandarach.* ʒ*iß. maſtich. thur. ā.* ʒ*j. laudan.* ʒ*j. flor. roſar. lavend. ſpic. indic. anthos. ſquinanth. ā. p. j. balſ. Indic.* ℈*j.* M. F. Pulvis.

Pulvis Ptarmicus *Reineſii.*

℞. *Rad. pyrethr. acor. cyclam. ā.* ʒ*ß. nicot. dr. ij. agaric. trochiſc.* ʒ*iß. major.* ʒ*j. caryophyll. ſpec. diambr. diamoſch. ana* ℈*ß. caſtor. mac. ana gr. xv.* ⚱*. aniſ. dr. j.* M. F. Pulv.

Pulvis Diaphoreticus *Ejuſdem.*

℞. *Sal. fraxin. dr. iij. ſpec. confect. de hyacinth. off. de cord. cerv. ſmaragd. ppt. ana* ʒ*ß. Divid. in 4. part. aq.*

Pulvis ad Strumas.

℞. *Rad. ſcrophul.* ℥*iij. lap. pumic. ſpong. off. ſepiæ an.* ℥*ß. agaric. albiſs.* ℥*ß. C. C. uſti* ℥*ij. panacea Holſtein.* ℥*ii. mag. ſpin. viperar.* ℥*j.* M. F. Pulv.

Pulv. Dentifricius D. J. M.

℞. *Rad. ireos florent.* ℔*ß. ſang. dracon.* ℥*ß. olei lign. rhod.* ʒ*j. pumic. calcin. & lact. ablut.* ℔*ij. ſilic. opt. calcin.* ℔*vi.* M. F. Pulvis.

Pulvis Manualis *ejuſdem.*

℞. *Salis Tart. oryz. rad. ireos ā.* ℔*j. cretæ* ℔*ß. benzoin.* ℥*iv.*

Adde reſiduum amygdalar. miſce optimè.

Pulver zu vergülden.

Nimm ein 🜄*F. und* ſolvire *ſo viel* ☉ *darin, als es* ſolviren *kan, wan es kein* ☉*. mehr* ſolviret, *als denn ſchütte auch ſo viel* ſal ⊕ *daran als es* ſolviren *kan, ſolche* ſolution *gieſſe klar abe, nimm ein ſauber leinen Tuch, ſtecke das in die* ſolution, *daſz es ſich einzeucht, henge es auff, daſz es trocken wird, jedoch ſetzet man was drunter, wenn was abtreifft, das es nicht ümkomme, wen ſolches Tuch trucken, tuncke es wieder ein, und laſz es wieder trucken werden, dieſes ſo offt wiederholt, biſz keine* ſolution *mehr vorhanden, ſondern alle in das Tuch gezogen, wann das Tuch nun trucken, ſo brenne es zu Pulver. Mit dieſem Pulver kan man alſobald ein Silber vergülden, welches beſtandig bleibet, und die Probe helt.*

Pulvis ſolaris & acidulæ *D. Dietrici.*

℞. ♉*.* ⊕*. ā.* ℔*j.* 🜍*r.* ℔*j.* ℥*ii. m. huic mixturæ adde terram ſigillatam, vel bolum Armenam, vel ſilices tuſos vel arenam optime ſiccatam, vel quod melius exiſtimo, limaturam* ♂*t. vel* ℞*. materiæ mixt. part. j. limat.* ♂*t. p. ij. inde retortæ terreæ, & igne aperto vel per arenam, ſecundum gradus deſtilla, ſi vis, irroretur hæc tota mixtura cum phlegmate* ⊕*-l. ex* ⊕*-lo crudo per ſe per alembicum deſtillato. In vas recipiens præſuppone* 🜄*. frigidam fontanam ad* ℔*j. circiter, cui immiſce dimidiam vel quartam partem phlegmatis* ⊕*-l. ſicque deſtilla ut noſti. Liquorem exſtillantem per M. B. rectifica, quod in fundo manet filtra. Poteſt iterum materia prior per tubulum in retortam injici &* 🜄*. candenti exturbari.*

℞. *Bu-*

℞. Butyr. ♉ clarum, huic affunde ſpir. ⦶, & abſtrahe per XX Cum hoc ſpiritu abſtracto ſolv. ⊙. q. v.

℞. Poſtea ſolut. hanc ⊙rem. v. gr. ℥iij. & affunde illi butyri ♉. rectificat. (ſeorſim in cucurbita aperta in loco aperto collocata) ℥iij. vel ℥iv. hoc facto, etiam affunde guttatim ſpir. ⦶. rectif. tantum, ut emineat ad 2. vel 3. digitos, poſtea digere per aliquot dies, deinde in ∴. per alembicum abſtrahe, ſed non ad omnimodam ſiccitatem, ſaltem ut materia inſtar pulvis flavæ quodammodo ſiccatæ remaneat. Huic quod exſtillavit redde, addito novo ſpiritu nitri ad ℥ ij. circiter digere & miſce prius cum piſtillo parvo ligneo, poſt digeſtionem iterum deſtilla, hunc laborem repete decies & quater, ſic ⊙. perfectiſſimè unitur cum ſua maſſa, & fit pulvis fixus, à quo ſpir. vin. rectific. combur. potes, ſi vis vel abſque hoc calcina in crucibulo, ut reſidui ſpir. nitroſi prorſus exhalent, probetur calcinatio ſub tegula. Uſus eſt in omni morbo repentino.

Pulvis antepilepticus *Rudolphi II. Imperatoris.*

℞. Ambr. ʒ j. unicor. ver. ℈ ij. ungul. alc. lapid. percar. an. ʒ i ß. corall. albor. rubr. an. ʒ ij. margar. pellucid. viſc. quercin. an. ʒ j. ſang. turtur. ʒ i ß. cord. ranar. num. iij. ungul. ſciur. ʒ i ß. cornuum ſcarab. ʒ j. C. C. ʒ ij.

Pulveriſentur omnia minutiſſimè, exhibeatur pro doſi tantum quantum duabus vicibus cuſpide cultri capi poteſt in aq. ceraſ. nigr. fl. tiliæ, lilior. convall. vel fl. betonic. propinetur bis vel ter, ſæpiſſimè probatus dicitur.

Alius multoties probatus in Gallia Narbonenſi.

℞. Sem. & rad. pæon. dictam. alb. viſc. quercin. an. ℥ ij. raſ. ebor. marg. præp. an. ʒ vi. moſch. optim. gr. xii. fol. ⊙ num. x.

Fiat ex omnibus pulvis ſubtilis. Doſ. eſt à ʒß. ad ʒ j. cum liquore appropriato.

Alius *Dn. Heidleri.*

℞. Cinabar. nativ. ℥ j. C. C. uſt. ʒ ij. crud: ʒj. terræ ſigillat. ℥ iij. unicor. ver. ʒj. ſal. perlar. corall. corn. rhinocer. viſc. quercin. an. ʒ j. cinamom. acut. croci Anglic. an. ʒ ß.

Sacchar. albiſſ. pro lubitu. M. Fiat pulvis ſubtiliſſimus, exhibeantur infanti gr. iv. v. hominis profectioris ætatis ad ſummum gr. xii. in aq. fl. pæoniæ.

Alius *Illuſtr. Baron. à Wallenſtein.*

℞. Talp. maſcul. combure,

℞. Hujus pulveris vel ſalis talpæ ℥ j. adde æris ſolaris rubri ʒ ij. viſc. quercin. ʒiß. mag. corall. ℥ß. C. C. uſt. ʒ v. M. F. l. a. pulv.

Pulvis Cyprius *Comitis à Solms.*

℞. Rad. ireos Florent. ʒ vi. cyper. rot. acor. ana ʒ j. ſant. citrin. ʒ ij. ſpec. diambr. ʒiß. lign. rhod. ℈iiß. gall. moſchat. ℈ß. moſch. gr. iij. ambr. gr. iv. M. F. Pulv. ſubtiliſſimus.

Alius violato-roſatus.

℞. Rad. ireos florent. ℥ iv. flor. violar. recent. exſicc. ℥ j. rad. cyper. rot. ʒ ij. ♂. ſtillat. roſar. ʒiß. M. F. Pulvis ſubtiliſſ.

Alius moſchatus.

℞. Styrac. calamit. ℥ v. rad. ireos florent. ℥ iij. flor. roſar. rubr. opt. anthoſ. an. ℥ ij. benzoin. caſſ. lign. an. ℥ j. ladan. pur. calam. aromat. caryophyll. ſem. coriandr. an. ʒ vi. lign. aloes ponderoſ. ſantal. citrin. rhodii an. ℥ß. cort. aurant. citri, cyper. rot. an. ℥ iij. origan. cretic. majoran. an. ʒij. fol. laur. nu. iij. flor. lavend. violar. an. ʒiß. moſch. ʒ ß. ambr. gryſ. ℈ j. M. F. pulv.

Pulvis cachecticus.

℞. Limat. chalybis puriſſ. q. v. ſuperaffunde aq. pluvial. q. ſ. ut chalybs imbuatur inſtar pulmenti, exſiccari denique ſinito, iterumque cum nova aqua imbue, & hunc laborem toties repete, donec chalybs fit impalpabilis.

℞. Hujus chalyb. ℥ j. caſſiæ ligneæ ℥ ij. ſacchar. alb. ℥ iij. M. F. Pulvis.

Pulvis pro collyrio *Dn. Andreæ.*

℞. Tutiæ præp. ſacchat. cand. alb. an. ʒ ij. ſarcocoll. marg. præp. an. ʒß. M. F. pulv. ſubtiliſſ.

Pulvis phlegmagogus.

℞. Tartar. ⊖ lat. ſcammon. 🜍r. an. ℥ j. hermodactyl. non carioſ. turbeth. an. ℥ ß. elæoſacchar. cinnam. caryophyll. an. ℈ ij. M. P. pulv. ſubtiliſſ.

Pulvis contra calculum *Patr. Capucini Wirtzburg.*

℞. Rad. apii ℥ j. ſem. violar. milii ⊙l. an. ʒij. ocul. ♋. ʒ j.

M. F. Pulv. quem propinabis in ſequent. decocti ℥ iij. ℔ iij.

℞. Sem. card. bened. ℥ ij. & vin. boni menſ. j. idque ad med. part. conſumpt. coq. Hic pulvis manè canè capiatur in prædicto decocto, poſt horam unam, de hoc decocto iterum hauſtus ſumatur ſine pulveris additione, jejunium ſervetur uſque ad meridiem. Doſ. an. ʒ j. ad ʒ i ß.

Pulvis antepilepticus *D. Lujæ.*

℞. Cran. human. præp. ʒiß. pulv. Marchion. rad. pæon. an. ʒ j. cinabar. ℈ ij. Stercor. leon. ʒß. ungul. alc. ſpod. unicor. ver. an. ℈j. C. C. ſ. igne. ℈ ij. fol. ⊙. nu. iv. M. F. Pulv.

℞. Aq. ceraſ. nigr. ℥iij. flor. tiliæ, antepilept. *Lang.* ℥ ij. ſyr. flor. pæon. ☽ decreſc. collect. ℥ iij. mixtur. ſimpl. ℥ j. M. f. aq. *cum Pulver.*

Pulvis peſtilentialis *Imperatoris Ferdinandi II.*

℞. ⦶ cum 🜍r. præp. ʒ iij. zingiber. ʒ ij. cinamom. ʒ j. M. F. pulvis. Doſ. à ℈ ij. ad ʒ j. in aq. convenienti.

Pulvis ⊙. metalla tingens.

℞. Farin. later. ℥ iv. ſal. uſti ℥ ij. ⊖. calcin. ℥ j. M. cum ▣. puer. q. ſ. f. maſſa, quæ exiccetur & groſſo modo pulveriſetur. Cum hoc pulvere cæmentetur aurum Ungaricum optimum prius in ▣. aliquoties extinctum, per 9. horas; igne primum moderato, poſtea fortiori, ita tamen, ne ⊙ fluat, poſtea exim. ⊙. & ablue, deinde

℞. ⊙. ita purificat. ℥ ij. ⊖. marin. purif. ℥ß. inde in XX. affunde de ſpiritu balſamico optimè in M. B. rectificato ʒ xx. ſtent per aliquot horas in calore levi uſque dum totum ⊙ ſolutum ſit, ſolutionem inde in vitrum capax, inſtilla pedetentim liquorem tartar. per deliquium ex ⊖. tartar. in cella factum, donec nullum fervorem amplius ſenſeris, poſtea adde adhuc liquoris tartar. puriſſimi ℥ iv. M. optimè, ſtent ita per aliquot horas, poſtea affunde menſtruum, & pulverem nigrum in fundo reſidentem aliquoties cum aqua pura calida ad conſumptionem omnis ſalſedinis edulcora.

Pulvis in expulſione fœtus mortui *D. Krauſens.*

℞. Borrac. ℈iiß. trochiſc. de myrrh. ℈ j. M. pro duabus doſibus.

℞. Aq. puleg. artemiſ. an. ℥ i ß. lilior. albor. borragin. an. ℥j. cinamom. ʒ j. M. S. aq *Zum. pulver.*

Pulvis alexipharmacus *Caroli Ducis Mantuæ.*

℞. Mag. perlar. corall. an. ʒij. C. C. philoſ. præp. ℥ß.

Rad. contrayer. ʒv. ſem. card. bened. off. de cord. cerv, an. ʒ j. lap bezoard. ʒß. raſur. corn. rhinoceros. ℈ij. fol ⊙. ℈ß. M. F. pulvis.

Species pro Epithemate Capitis calidæ *D. Salicai, Phyſici Gratienſis in Styria.*

℞. Aloes epatic. ℥j. lign. rhod. cubebar. myrrh. ſpec. diamoſch. dulc. an. ʒ j. croc. ℈ j. M. Species frigidæ.

℞. Aloes epatic. ℥j. ſpec. diarrh. *Abbat.* lign. rhod. an. ℥ß. myrrh. ʒj camph. ʒß. M. F. pulv.

Pulvis Perfumatorius.

℞. Moſch. ℈ ß. ambr. gr. iij. zibeth. gr. x. benzoin ℈ ij. ſtyrac. calamith. ℥ j. lign. aloes, juniper. an. ℥ iv. irid florent. ℥ iv. flor. roſar. ſpic. lavend. major. an. p. ij. ſtæchad. arabic. ʒ j. cort. citr. ʒ iß. M. F. pulv.

Pulvis ad Gonorrhœam ex Anglia.

℞. Succin. ℥j. raſur. ebor. ℥ß. corall. rubr. margarit. an. ʒ j. lapid. dactyl. ʒß. maſtich. ℥ß. bol. veræ, terræ ſigillat. an. ʒj. ſantal rubr. cinam. ʒß. terebinth. coct. ℥j. M. F. pulv. doſ. ℈ j. ad ʒß.

Pulvis Epilepticus viridis.

℞ Fol. beton. hyſſop. quinquefol. herb. paral. an. ℥ j. rad. pæon. bryon. ering. gentian. an. ℥ j. lign. viſc. quercin. corylin. coriand. præp. ſem. pæon. excort. an. ʒv. ℈ j. C. C. præp. ℥ iß. ungul. alc. ʒß. raſ. C. C. ʒvi. flor. pæon. lil. conval. violar. purpur. tiliæ an. ℥ß. fol. ⊙. num. xii. corall. albor. rubor. margarit. præp. an. ʒ ij. chamædr. ℥ß. Unguium anteriorum pedum mediorum leporis ℈ j. off. de cord. cerv. nu. viii. ungul. aſini. præp. ℥ß. ʒ ij. ℈ ij. raſur. cran. human. ℥ j.
M. F. pulv. ſubtiliſſ.

Pulvis vitæ *Comitis de Salburg.*

℞. Fol. ſenn. elect. ʒvi. herb. ſalv. domeſt. rutæ, valerian. an. ʒß. pulmonar. card. bened. agrimon. an. ʒj. rad. zedoariæ ʒij. zingiber. ʒj. calam. aromat. galang. pimpinell. an. ℥ß. liquirit. valerian. an. ʒj. ſem. carv. petroſelin. aneth. an. ʒij. aniſ. ʒß. fœnic. ʒj. eruc. coriandr. præp. rut. an. ʒj. nuc. moſchat. ʒß. oliban. elect. cubebar, cinamom. granor. paradiſ. macis an. ʒj. ſacchar. cand. alb. ℥iv. ʒiß. M. F. pulv. ſubtiliſſ.

Alius.

℞. Fol. ſenn. elect. ℥ iß. zedoar. ſem. carv. petroſelin. aneth. an. ℥ß. zingiber. caryophyll. nuc. moſchat. calam. arom. galang. rad. aron. pimpinell. valerian. herb. ſalv. hort. rutæ hort. ſem. aniſ. an. ʒj. ſacchar. albiſſ. ℥ iv. M. F. pulv. ſubtiliſſ.

Pulvis Pectoralis.

℞. Herb. card. bened. veronic. pimpinell. meliſſ. ſalv. pulmonar. an. ʒj. rad. liquir. ʒij. enul. ʒiß. ireos florent. ʒj. calam. zingiber. an. ʒ i ß fol. ſen. ſ. ſt. ʒvi. rhabarb. opt. ʒ ij. cinamom. mac. nuc. moſchat. an. ʒj cubeb. cardamom. maj. an. ℈ß. pulmi vulp. præp. ʒij. confect. aniſ. fœnic. an. ʒiß. ſacch. cand. rubr. ʒj. M. F. pulv. ſubtiliſſ.

Pulvis Sternutatorius ſeu Tabacæ.

℞. Tabac. opt. ℥ ij. major. ʒ iij. fol. roſar. ʒ ij. ſem. nigell. flor. lavend. lilior. convall. an. ʒiß. rad. pyrethr. ellebor. alb. an. ʒi. Olei caryophyll. cinamom. an. gut. x. lign. rhod. gut. xx. citr. gut. viii. moſch. ambr. an. gr. vi. cum ſpir. roſ. diſſ.
M. F. pulv. ſubtiliſſ.

Alius.

℞. Sem. nigell. ʒ i ß. ſtæl. ʒvi. lign. aloes ʒ iij. Caſſ. lign. ʒ ij. caryophyll. cubebar. cardamom. ſem. carv. aniſ. fœnic. coriandr. an. ʒ j. herb. major. ʒ ij. ol. ſtillat. menth. major. anthoſ. aniſ. fœnic. an. gut. vi. moſch. ambr. an. ℈ ij. Tabac. per ſe pulveriſ. ad p. o. vel ℥ j.
M. F. pulv. ſubtiliſſ.

Pulvis Alexicacus *D. Laurentii.*

℞. Rad. Angelic. ver. ſerpent. zedoar. ſucciſ. pimpinell. gentian. ſcabioſ. olsnit. ſcorzon. imperator. an. ʒ ij. carlin. diptamn. alb. tormentill. an. ʒ iij. oſtrut. phu veri, petaſitid. vincetoxic. doronic. Roman. enul. campan. galang. pæon. zingib. alb. calam. aromat. an. ʒ j. fol. ruta, verben. ſcord. ver. meliſſ. diptam. cretic. card. bened. ſalv. menth. chamædr. flor. roſar. rubr. calendul. ſambuc. hyperic. an. ʒß. bacc. juniper. laur. cubebar. nuc. moſchat. cortic. citr. an. ʒß. mac. cinam. ʒ ij. ſem. ſanton. aurant. citr. ocym. acetoſ. card. bened. coriandr. præp. an. ʒß. boli armen. præp. ʒiij. croci oriental. myrrh. elect. an. ℈ ij C. C. uſt. & præp. ſucc. albiſſ. Terr. ſigillat. ſantal. alb. citrin. rubr. unicorn. ver. Been. utriuſque, Off. de cord. cerv. Fragment. pretioſ. omnium, corall. rubr. præp. ebor. uſt. marg. præp. an. gr. xv. fol. ⊙. num. vii. F. l. a. pulv. ſubtiliſſ.

Irroretur gutt. aliquot acet. vin. & ſcord Nota Radices in ⋇ per biduum macerentur & rurſus exſiccentur.

Pulvis Bezoardicus *Ejuſdem.*

℞. Raſ. dent. elephant. C. C. ſine uſt. præpar. Corall. rubr. præp. hyacinth. præp. margarit. præp. ana ʒ iij. off. de cord. cerv. raſur. ung. alcis ana ℈ j. ſem. acetoſ. citri an. ʒ j. ſaphir. præp. ſmaragd. præp. an. ℈ j. carab. albiſſ. præp. unicorn. ver. lap. bezoart. an. ʒß. ocul. ♋. præp. ℈ ß. fol. ⊙. an. num. ix. Manus Chriſti c. perlis ℥ j.
M. F. pulvis.

Alius *D. Landgravii.*

℞. Rad. Valerian. tormentill. an. ʒ vi. oſtrut. petaſitid. an. ʒ iij. boli armen. ver. terr. ſigillat. ſileſiac. C. C. præp. an. ℥ ß. ſantal. rubr. corall. rubr. rad. pimpinell. diptamn. alb. an. ʒ ij. fragment. pretioſ. præp. an. ʒ j. cort. citr. zedoar. an. ʒ i ß. margarit. præp. matris perlar. præp. an. ʒ j. fol. aur. argent. an. num. vi.
M. F. pulvis.

Pulvis aureus pretioſus *D. Doreri.*

℞. Margar præp. ʒ j. corall. rubr. præp. ʒij. rad. pæon. ℥ j. viſc. quercin. ungul. alcis an. ʒ j. C. C. uſt. præp. ℥ ß. raſ. C. C. ʒ ij. croc. ℥ ii ß. ſacchar. cand. ℥ j. fol ⊙. num. xxiv.
M. F. pulvis ſubtiliſſ.

Pulvis contra Calculum *Ejuſdem.*

℞. Saxifrag. ſem. apii, milii, mandib. lucii piſcis, nucl. meſpil. an. ℥ ß. ſem. petroſelin. cicer. rubr. an. ʒ vi. liquirit. ℥ j. cinamom. ʒ vi, ocul. ♋. ʒ ij. ℈ ij. ſacchar. ℥ viii.
M. F. pulv. ſubtiliſſ.

Pulvis contra Colicam *Ejuſdem.*

℞ Spec. diacymin. ʒ ij. diagalang. ʒ j. pulv. caſtor. ʒ ij. cort. aurant. ʒ iij.
M. F. pulvis.

Pulvis contra Dyſenteriam *Ejuſdem.*

℞. Pulv. cydon. drach. vi. corall. rubr. terr. ſigillat. bol. armen. ſem. plantag. coriandr. C. C. uſti &

præp.

præp. chalyb. ſpodii, mac. an. ʒ ij. ſem. apii, carab. cymin. torrefact. an. ℥ ß. menth. ʒ iij.
M. F. pulv. ſubtil.

Pulvis contra Epilepſiam *Ejuſdem.*

℞. Fol. betonic. hyſſop. quinquef. l. primul. ver. an. ℥ iij. rad. bryon. pæon. eryng. gentian. an. ℥ ij ling. viſc. quercin. corylin. ſem. coriand. præp. pæon. excort. an ℥ j ʒ j. ℈ ij. C. C. uſt. præp. ℥ ivß. ungul. alcis ℥ j. raſur. C. C. ℥ i ß. flor. pæon. lilior. convall. viol. tiliæ an. ℥ j. fol. ☉ num. xxiv. corall. albor. rubr. margarit. an. ℥ ß. chamædr. ℥ ij. genic. lepor. ℥ ß. coagul. hæd. ℥ i ß. oſſ. de cord. cervi. num. xv. ſanguin. agni alb. præp. ℥ j. ungul. aſin. ʒ v. ℈ j. raſur. cran. human. ℥ i ß.
M. F. pulv. ſubtiliſſ.

Pulvis partum provocans *Ejuſdem.*

℞. Myrrh. gr. iv. ſabin. ℈ ß. borrac. gr. v. cinamom. ℈ j. caſtor. gr. ij.
M. F. pulv. ſubtiliſſ.

Pulvis Dentifricius rubeus *D. Belzeri.*

℞. Pulv. lap. ſilic. calcinat. & cum acet. vin. ablut. lapid. porcar. an. ℥ ß. coral. alb. ʒ ij. rubror. ʒ iij. margarit. ʒ ß. rad. ireos ʒ ß. q. mattich. ʒ i ß. flor. roſ. alb. ʒ ij. moſch. Alexandr. ver. gr. vij.
Irrorentur cum infuſ. ſantal. rubr. & exſicc.

Pulvis pro fumo tempore Peſtis *Dom. Leuſchneri.*

℞. Summit. abſinth. M. v. fol. quercin. M vi. diptamn. Cretic. M i ß. rutæ M ij. meliſſ. ʒ j bacc. laur. juniper. an. ℔ j. ſuccin. ij. cort. citr. ℥ i ß. roſ. rubr. M ij. thur. ℥ j. camphor. ʒ j.
Inciſ. craſſiuſc. ſervetur pro uſu.

Pulvis pro fumo ædium infectarum *Dom. Mochingeri.*

℞. Bacc. juniper. M iv. corn. hirc. raſpat. pilor. è corio hirci, cort. exter. betul. baccar. laur. an. M ij. rut. ſcord. tanacet. roſar. rubr. abſinth. fol. quercus. an. Man. i ß. rad. angelic. valerian. ariſtoloch. long. oſtrut. an. ℥ j.
Concidantur craſſo modo.

Pulvis pro fumo cum vitriolo tempore peſtis.

℞. Myrrh. ℥ iij. bacc. juniper. ℔ j. laur. ⊕ l. commun. ʒ xvi. alum. crud. ℥ i ß. fol. rut. M. vi.
F. Pulv. groſſ. modo.

Pulvis Pretioſus *D. Brenneri.*

℞. Margarit. præp. ʒ iij. C. C. præp. ʒ ij. oſſ. de cord. cerv. num. iv. ſantal. citrin. ℈ ij. fol. ☉. nu. iv.
M. F. pulvis.

Pulvis Reſumptivus. *L. Beieri.*

℞. Pinear. ʒ ij. amygd. dulc. piſtac. an. ʒ j. ſemin. 4. frig. major. excort. an. ʒ ii ß. cydon. malv. lactuc. portulac. endiv. an. ʒ i ß. papav. alb. an. ʒ ii ß. tragacanth. gumm. arabic. an. ʒ j. ſpod. præp. ℈ iv. margarit. præp. ℈ j. C. C. uſt. præp. corall. rubr. præp. an. ʒ ß. limat. chalyb. præp. ℈ ß. liquirit. ℈ iv. pulmon. vulp. præp. ſpec. diatragac. frig. diatrion ſantal. diapænid. elect. reſumpt. an. ℈ iv. diamarg. frigid. diarrhod. *Abbat.* an. ℈ j. ſacchar. cand. albiſſ. penid. ana ℥ vi. fol. ☉. num. vi.
M. F. Pulv.

Pulvis contra Vertiginem viridis.

℞. Sem. coriandr. præp. fœnic. aniſ. nigell. herb. menth. ſerpill. nuc. moſchat. cubebar. cinamom. zedoar. galang. macer. liquir. granor. paradiſ. maj. caryophll. an. ℥ j. ſacchar. alb. ℥ ix.
M. F. Pulv.

Pulveres varii, ſeu ſpecies ex Hadriano à MYNSICHT.

Pulvis Bezoardicus.

℞. *Corn. cervi & Alcis Spagyricè calcinator. terra ſigillata an. ʒ i ß. lap. bezoar. or. diaphoret. mineral. bezoart. jovial. an. ℈ ij. mag. perlarum or. corallor. rubr. ſuccini alb. prap. an. ʒ ß. unicorn. ſolaris, animalis oſſ. de corde cervi ana ℈ j. galla moſchat. vera gr. xi. ol. cinamomi citri ana ℈ß.*
Miſce & fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

Vires, Uſus, Doſis.

In omnibus Epidemicis & Peſtilentialibus morbis, Eryſipelate, Venenis hauſtis; nec non in Aſthmate vel periculoſiſſimis Pectoris anguſtiis, arcanum eſt: Cor enim tuentur à labe veneni, & ab illo omnia noxia per ſudorem expellunt, ejuſque vitiis mirè opitulantur. Doſis à ℈ ß. ad ℈ j. in aq. Card. Benedict. Flor. Sambuci, Theriacali vel aliis appropriatis.

Pulvis Bezoarticus Imperialis.

℞. *Corn. alcis & cervi ſpagyricè calcinatorum ana ʒ iij. boli rub. or. prap. bezoart. jovial. an. ʒ ij. lap. bezoart. jovial. an. ʒ ij. lap. bezoar. or. terra ſigillat. an. ʒ i ß. flor. ſulphuris comp. unicorn. animal. an. ʒ j. mag. perlar. or. corallor. rub. ana ʒ ß. cinnab. nativ. prap. oſſ. de corde cervi, ſuccini alb. prap. an. ℈ j.*
Miſc. & fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

Vires, Uſus, Doſis.

In omnibus morbis peracutis, Febribus ardentibus, malignis & Epidemiis, &c. Diaphoreticum inſigne eſt: Omnes enim venenoſos & vitioſos humores, à corde & cæteris membris principalibus, per ſudorem egregie pellit. Doſis à ℈ß. ad ℈ j. in appropriatis ſudoriferis, vel in aq. ſeu decocto raſuræ cornu cervi.

Spec. Dialunæ.

℞. *Rad. & Sem. Paonia debito tempore collect. corn. alcis ſpagyricè calcinat. mag. cranii ana ℥ ß. anima Luna vera in form. pulv. bezoart. lunaris ana ʒ iv. cin. nab. nativa prap. viſci quercini ſquilla prap. ana ʒ ij ſecundina exſic. mulieris primipara filium enixa, ſtercoris pavonis prap. ana ʒ i ß. ſal. perlarum orient. corallorum rub. ana ʒ j. caſtorei veri piperis longi cubebarum ana ℈ j. moſchi laudatiſſ. ambra griſ. an. ℈ ß.*
Miſc. & fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus, cui adde:
Ol. cornu cervi rectif. ſuccini albi, nuc. moſchat. ruta, ana ʒ ß.
Denuò miſce & ad uſum repone.

Vires, Uſus, Doſis.

Miraculoſè Lunaticis, Epilepticis ſeu Comitialibus, Vertiginoſis, Lethargicis, Subethicis, congelatis, maliſque cerebri frigidis conferunt, & illis quibus tumultuoſa inſomnia obverſantur & incertis timoribus corripiuntur, ſuccurrunt. Doſis in curatione à ʒ j. ad ʒ ß. in aq. Epileptica ſeu Apoplectica noſtra vel alia conveniente, in ipſo paroxyſmo. In præſervatione autem datur in omnibus lunæ quadris & in humida & minus conſtanti aëris tempeſtate à ℈ ß. ad ℈ j. in aquis ſupra dictis.

Pulvis Epilepticus Mirabilis.

℞. *Cranei hominis ſtrangulati & ſine igne calcinat. ℥ j. viſci quercini, cinnabaris factit. ung. alcis. an. ʒ ß.*

Miſce & fiat Pulvis, cujus ℈ ß. pueris ſtatim poſt paroxyſmum datur, adultis verò ℈ j. iteretur, certiſſimè liberat.

Pulvis Ophtalmicus.

♃. *Sacchari cand. alb. tutiæ præp. an.* ʒ *ij. margaritæ præp. ſarcocollæ an.* ʒ ß. *fabarum marin. præp.* ℈ *j.*

Miſc. & fiat pulvis ocularis ſubtiliſſimus.

Vires, Uſus, Doſis.

Hic pulvis in multis oculorum affectibus mihi valdè ſecretus eſt: Imprimis autem habentibus oculis & eorum maculis medetur, nubeculas detergit, nec non aquam eò defluentem abſumit. Viſum acuit. Claritatem facit. Sanitatem oculorum conſervat. Tempore autem uſus, exigua pars hujus pulveris ex canaliculo pennæ in oculos manè & veſperi inſtillatur, vel collyriis admiſcetur.

Spec. Diamartis.

♃. *Rad. Tormentillæ nuc. moſchatæ, gallar. Turc. ana* ℥ ß. *mag. corallorum, rub. berberiſac. noſt. croci hæmatit. croci martis per calcinat. fact. ana* ʒ *iij. zedoariæ electæ, calami aromatici, ſuccini alb. præp. quinque folii radic. caryophyllorum ana* ʒ *ij. ciner. ſpongiæ, boli rub. or. præp. terræ ſigillatæ acaciæ ana* ʒ *i* ß. *ſem. plantaginis, antheræ, roſarum ana* ℈ *iij. corn. cervi, & oſſ. microcoſmi hermetice calcinator. ana* ʒ *j. aluminis plumoſi calcinat. animæ vitrioli ana* ℥ ß.

Miſc. & fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

Vires, Uſus, Doſis.

Stomachi mollitiem corrigunt; & Dyſentericis, Cœliacis, purulenta & ſanguinem excreantibus mirabiliter auxiliantur. Gonorrhææ, Hæmorrhoidibus, urinæ incontinentiæ lotioque cruento medentur. Fœminarum menſtruam purgationem perfectiſſimè morantur & inhibent. Hæmorrhagiam variam & ſanguinem denique undecunque emanantem, ſiſtunt & ſupprimunt. Doſis à ℈ j. à ʒ ß. ad ʒ j. in convenienti liquore.

Spec. Diamercurii.

♃. *Sem. cinæ opt.* ʒ XIII. *mercurii dulcis* ʒ v. *rhabarb. elect. rad turbith. gum, corallinæ ana* ʒ *ij. raſ. cornu cervi, myrrhæ rub. ana* ʒ *j. ſum. centaurii min. tanaceti camphoræ veræ ana* ℈ *j. ol. lig. avellan. per deſcenſum diſtillat. ſp. vitrioli opt. an.* ℈ ß.

Miſc. & fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

Vires, Uſus, Doſis.

Exhibentur vermibus ſeu lumbricis ſcatentibus luna decreſcente à ℈ j. ad ʒ ſ. & ʒ j. pro ætatis ratione in lacte, quod unà cum pulvere ſume, tum illis, non nutrimentum, ſed venenum erit; Mercurius quoque dulcis eis maximè peſtis eſt: Simul enim interficit lumbricos & fomitem eorum per ſeceſſum expellit. Propterea eſt Medicina experta, adverſus omne genus Vermium. Offertur etiam in aq. Abſinthii, Centaurii min. Tanaceti, Urticæ. Item in oxymelle Squillitico, Melle deſpumato, Syr. Acetoſ. Citri, Hydromelle, aut in alia quavis materia, qua pueri magis delectantur.

Spec. Diajovis.

♃. *Facul. rad. bryoniæ* ℥ ſ. *ſal. jovis, Anglici, matris perlar. corallor. rubi ana* ℥ *iij. rad. dictamn. alb. pæoniæ ana* ʒ *ij. ſuccini albi præp. croci orientalis viſci quercini antophyllor. an.* ʒ *j. caſtorei veri* ℈ *j.*

Miſce & fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

Vires, Uſus, Doſis.

In vehementiſſima & deſperatiſſima ſuffocatione & ſtrangulatione Uteri medicamentum eſt benedictum, & tanquam donum Mulieribus à Deo cœlitus demiſſam: Non enim ſine admiratione hunc atroeiſſimum affectum tollit. Pro quo divino auxilio nomen Domini ſit benedictum. Doſis à ℈ j. ad ʒ ſ. tribus aut quatuor auroris continuis vel tempore neceſſitatis in aq. Hyſterica noſt. vel aliis vehiculis appropriatis.

Spec. Diaveneris.

♃. *Sulph. vitrioli Veneris ſublimati & ſpagyrice præparat.* ℥ ß. *borracis venet.* ʒ *ij. ſem. linguæ avis erucæ ana* ʒ *ij. Paſtinacæ, urticæ, Porri ana* ʒ *i ſ. rad. pyrethri Piperis albi, boleti cervini ana* ℈ IV. *galangæ min. zingiberis alb. cinamomi ana* ʒ *j. Scinc. marin. præp. mag. perlarum or. croci orient. ana* ʒ ß. *cantharid. abſciſſis gelis & aliis tenuioribus ambræ griſeæ ana* ℈ *j. moſchi optimi ol. macis ana* ℈ ß.

Miſc. & f. omnium pulvis ſubtiliſſimus, cui Sacchari candi albi ℥ j. immiſce, & ad uſum repone.

Vires, Uſus, Doſis.

Contra actus venerei defectum efficaciſſimum, immò omnium validiſſimum & extremum experimentum eſt: Propterea qui amicæ ſuæ placere cupit, & ſe virum ſtrenuum vult probare, capiat poſt cœnam, vel ſi ſtatim effectum quærit, eundo cubitum, aut ſi ſucceſſive operari debet, manè à ℈ j. ad ℈ ij. & ʒ j. in lacte tepido vel vino generoſo. Præparantur etiam ſine cantharidibus.

Spec. Diaſaturni.

♃. *Mag. ſaturni* ℥ *j. ſuc. glycyrrhiz. purgat. lact. ſulphuris comp. rad. chinæ elect. ana* ʒ *iij. ſal. margaritar. orient. corallorum rubeorum panis tritici ana* ʒ *ij. boli rub. orient. præp. benzoin, ſublimati, olibani ana* ʒ *j. croci orientalis, caſſiæ ligneæ ana* ʒ ß.

Miſc. & fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus, cui adde: Sacchari candi albi ℥ iij. & pulverem & bene mixtum ad uſum reſerva.

Vires, Uſus, Doſis.

Neſcio, quibus verbis hanc incomparabilem compoſitionem extollam! Phthiſis enim, quæ alias humana manu curari non poteſt, curatur, ſæpe hac Medicina. Doſis manè, & veſperi à ʒ ſ. ad ʒ j. in aq. noſtra ſpecificâ contra Phthiſin, vel in aliis vehiculis appropriatis.

Spec. Diaſulphuris.

♃. *Lact. & flor. ſulphuris comp. ana* ℥ *i ſ. ſuc. glycyrrhiz. purgat. cardamomi min. terræ ſigillat. ana* ʒ *vj. ſem. urticæ rom. cydoneorum, cinamomi acut. zingiberis albi, nuc. moſchatæ, croci oriental. piperis longi. macis ana* ʒ *iij. tragacanth. alb. rad. Ireos florent. flor. papav. errat. maſtichis electi, crem. tartari an.* ʒ *i ſ.*

Miſc. & fiat pulvis, cui adde: Ol. Hyſſopi, Fœniculi, Salviæ, Aniſi, Chamomillæ Rom. ana ℈ j. & ad uſum repone.

Vires, Uſus, Doſis.

Tuſſi diuturnæ, difficultati Spirit. & Aſthmati chronico ſuccurrunt. Humores in pectore diverſos & craſſos incidunt & extenuant. Præſervant & curant abſque omni alia Medicina Phthiſin, Aridaram, Pleuritidem, omneſque putrefactiones, & Apoſtemata, & in affectibus thoracis miranda præſtant, vociſque jacturam ſemper reſarciunt. Conſumunt etiam & exſiccant fluxus capitis, & parvos humores in corpore exiſtentes, è quibus Podagra, Iſchiada, & Arthritici dolores exiſtere ſolent. Prophylacticon eſt in Epilepſia, Apoplexia, Lepra, Lue Venerea, Convulſione nervorum, Colica, Hydrope, &c. Doſis à ℈j. & ʒſs. ad ʒj. manè & veſperi in vehiculo convenienti. In Hydrope autem offeruntur cum ana Mag. Croci Martis, corpore prius evacuato, & neminem fallunt. In affectibus thoracis utimur in forma

Trageæ

Trageæ, addito Sacchαro cando albo, vel cum Syrupis pectoralibus mixtis in forma Electuarii ſeu Lambitivi.

Pulvis Refectivus.

℞. Sacchari candi in ſyr. violar. concreti ℥j. lact. ſulphuris ʒ ſs. flor. ſulphuris comp. conf. alkermes an. ʒ ij. mag. perlar. orient. corallor. rub. ſaturni an. ʒ j.

Miſc. & fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

Vires, Uſus, Doſis.

Vires reficit. Cor & totam naturam confortat. Multum nutrit & impinguat. Fluxus Capitis exſiccat. Cerebrum roborat. Tuſſim ſedat. Aſthma, Phthiſin & Tabem curat. Doſis ℈j. in aq. Pulmonis Vituli, vel Caponis, vel alia ſpecifica. Vel miſcetur tantum pulveris, ut vehiculum qu ſi albicante colore tingatur; de quo liquore mixto, Doſis manè & veſperi cochl. j. vel duo.

Pulvis excellens contra Tuſſim infantum.

℞. Sacchari penidii ℥ iij. ſpec. diatragacant. frig. dia ireos ſimpl. an. ℥ ſs. rad. peoniæ ʒ ij. ſuc. glycyrrhiz. ext. ʒj. lact. ſulphuris, croci orient. an. ℈ ij. cranii humani ſ. igne calc. ſem. papaveris alb. an. ℈ j.

Miſc. & fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

Spec. Diavitrioli.

℞. Galangæ min. ℥j. mag. vitrioli, rad. acori aquat. an. ℥ ſs. piperis longi, ſem. ameos, zedoariæ an. ʒ ij. cinamomi acut. calami aromat. macis an. ʒ i ſs. cardamomi min. zingiberis, albi caryophyllorum an. ʒ j. croci orient. ſpicæ indic. lig. aloes an. ʒ ſs. moſchi laudatiſſ. ambræ griſ. an. ℈ ſs.

Miſc. & f. pulvis.

Vires, Uſus, Doſis.

Eſt Medicina ſalubris ad frigidam humoroſitatem ventriculi & putrefactionem in partibus ejus: Ob id phlegma digerunt. Digeſtionem & concoctionem juvant. Nauſeam & vomitum ſedant. Calorem naturalem conſervant, & membra nutritionis calefaciunt. Flatus craſſos diſſipant, & acidos ructus compeſcunt. Exſolutis & Jecineroſis auxiliantur. Convaleſcentibus ac è diuturno morbo emergentibus proſunt. Fœtorem oris & naſi, qui per conſenſum à Stomacho oritur, emendant & gigni prohibent. Doſis à ℈ j. & ʒ ſs. vel addito Sacchαro fiat Tragea. Nota: Hæ & aliæ compoſitiones, Moſchum in nimia quantitate recipientes, poſſunt etiam ſine eodem parari.

Spec. Diacinnabaris.

℞. Cinnabaris nativ. præp. ℥ ſs. lap. ſtellaris præp. corn. Alcis, ſpagyricè calc. an. ʒ iij. raſ. cranii partis ant. viſci quercini an. dr. ij. rad. & ſem. pæoniæ an. dr. i ſs. ſpec. diamoſchi dulc. diambræ an. dr. j. mag. perlarum orient. corallorum rub. ana dr. ſs. croci orientalis, ol. ſuccin. albi ana ℈ j. fol. auri num. XIII.

Miſc. & fiat omnium pulvis.

Vires, Uſus, Doſis.

Miram vim & efficaciam habent in Epilepſia & omnibus morborum capitis periculoſorum generibus, ſuntque tam certiſſimum, quam ſecretiſſimum experimentum, quô Deo aſpirante innumeros ceterorum Medicinæ incurabiles hactenus quantumvis eorum non paucos ad 9. 10. 12. immò 18. pluresque annos tali abominabili affectu laborantes, priſtinæ ſanitati perfectè feliciterque reſtituimus. Doſis in curatione à ℈ j. ad dr. ſs. & ℈ ij. plus minuſve pro ætatis & virium patientis diſcrimine in vehiculis appropriatis & ſpecificis omnique manè reiterandis, uſque dum integram conſequatur ſanitatem.

Spec. Dianitri.

℞. Cryſt. Nitri cum ſp. vini & vitrioli præp. ℥ j. ſal. lap. percarum piſc. oculor. cancri, ſuccini alb. dr. ij. rad. filipendulæ. glycyrrhiz. an. dr. i ſs. ſem. urticæ min. lappæ major. ſaxifragiæ, milii ſolis geniſtæ an. dr. j. bac. lauri excort. juniperi an. ℈ IV. *cinamomi acut. zingib. albi, croci orient. piperis long. macis an. ℈ ij. leporis combuſti ſang. hircini præp. pul. ceterach. ſantali rub. an. ʒß. millepedum. præp. ℈ j. ſachari albiſſ. ℥* IV.

Miſc. & fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

Vires, Uſus, Doſis.

In frangendo & expellendo calculum Renum & Veſicæ, experimentum valde illuſtre eſt. Doſis à ℈j. ad ʒß. ſummo manè in vehiculis ſpecificis.

Spec. Diatartari.

℞. Tartari vitriolati mag. ſcammonii an. ℥ ij. turbith. albi & gum. hermodact. albor. an. ℥ß. ol. caryophyllorum cinamomi an. ℈ ß.

Miſc. & f. pulvis, quam ad uſum reſerva.

Vires, Uſus, Doſis.

In univerſo corpore tartarum coagulatum decenter reſolvunt, reſolutumque cum omnibus defluxionibus podagricis, ſecurè & leniter, in quocunque etiam ſint membro, per ſeceſſum educunt. Flavam bilem & pituitam copiosè deturbant. Aqua intercute laborantibus mirificè conferunt. Cutis etiam fœditatem Scabiem, Lepram, ceteraſque ejus generis ſordes eluunt. Inſuper Scorbutum curant, & juncturarum dolores mitigant; Doſis à ʒ ß. ad ʒj. præſertim in robuſtioribus.

Spec. Diacryſtalli.

℞. Carnis mammillarum vaccæ pinguis ruffæ, juvenculæ, in vino coctæ & in furno exſiccata, ℥j. piperis longi ʒ v. cryſtallorum præp. ℥ ß. margaritar. præp. ʒ ij. ſem. borraginis, fœniculi, lactucæ, nigellæ an. ʒj. rad. hirci barbulæ, cardui lactei, rapunculor. an. ʒ ß. ſacchari albiſſimi ℥ iij.

Miſce, & fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

Vires, Uſus, Doſis.

Matrum & nutricum lactantium medicamentum eſt ſpecificum: Lac enim in illis adeò augent ac emendant, ut omnis inde aſſumptus cibus ferè lacteſcat. Propterea ad lactis ubertatem præſtandum ſecretum eſt. Doſis à ʒ j. manè, meridie & veſperi, in cibo, juſculo, ſeu in aq. Card. Mariæ, vel in aliis convenientibus vehiculis.

Spec. Diaſuccini.

℞. Succini albi præp. ℥ ß. mag. corallorum rub. roſat. nuc. moſchat. toſt. boli rub. oriental ſmaragd. præp. an. ʒ ij. croci martis per reverberationem fact. ſang. draconis an. ʒ iß. ſtyracis calamitæ, cornu cervi uſt. præp. laudani opiat. an. ʒj. antheræ, roſarum ſem. plantaginis flor. papav. errat. ana ʒß. caryophyllorum croci orient. cinamomi macis an. ℈ j.

Miſc. & f. pulvis ſubtiliſſimus.

Vires, Uſus, Doſis.

Viſcoſos & tartareos Sales, inteſtina erodentes, & alvi fluorem ſolicitantes, compeſcunt & obtundunt. Hinc omnibus Dyſenteriis ſanguiniſque profluviis maximè medentur. Doſis à ℈ j. ad ʒ j. in vehiculis appropriatis.

Spec. Diacretæ.

℞. Cretæ albæ cum aq. roſar. præp. ʒ iij. nuc. moſchat. ʒ i ß. rad. glycyrrhiz. ſem. cydoneorum an. ʒ j. boli rub. orient. præp. an. ʒ ß. lap. carpionis cum aq. plantag. præp. macis parum toſti, maſtichis electi. croci orient. an. ℈ j. ſacchari albiſſ. ℥ iij.

Miſce, & f. pulvis ſubtiliſſimus.

Vires, Uſus, Doſis.

Catholicon eſt in orexi ſeu ardore ventriculi: Hæ enim ſpecies hanc dynamin habent, ut adverſentur ebullitioni flavæ bilis & ſublimato in orificium ventriculi tartaro, quem efficaciter reſolvunt & præcipitant. Doſis à ʒß. ad ʒ j. in paroxyſmo: Medicamenta enim in hoc caſu ſunt adhibenda, quandocunque orexis urit, tamdiu donec ceſſet.

Spec. Diaborracis.

℞. *Borracis Venet.* ℥ß. *caſſiæ ligneæ, croci orient. ana* ʒj. *raſ. lig. ſabinæ, ſuccini alb. præp. an.* ʒß. *oſſ. de corde cervi, viſci quercini, flor. cheiri an.* ℈j.

Miſc. & fiat pulvis ſubtiliſſimus.

Mulieribus, quæ nequeunt parere; ſeu quæ in partu periculosè laborant, feliciſſimè offeruntur: Ad partum enim facilitandum, ſecundinas retentas & fœtum mortuum ejiciendum, præſentiſſimum eſt remedium. Doſis à ℈j. ad ℈ij. & ʒj. in aq. Cinamomi, vel flor. Cheiri, vel Artemiſiæ, ſeu in vino albo generoſo.

Spec. Diaterebinthinæ.

℞. *Terebinthinæ in aq. citri bis lotæ* ℥ij. *mag. ſcammonii* ℥j. *turbith. alb. & gum.* ʒvj. *tartari vitriolati, hermodact. alb. an.* ʒiij. *ſpec. lithontript.* ʒij. *croci orient. macis an.* ℈j. *ſacchari violat. tabulat.* ℥iv.

Miſc. & fiat omnium pulvis, cui adde Ol. Aniſi, Aurantior. Caryophyllor. Cinamomi, Fœniculi, ana ℈ß. Denuo miſce, & ad uſum repone.

Vires, Uſus, Doſis.

In Arthritide, Colica, Gonorrhœa, Dyſuria, Stranguria, Renum & Veſicæ calculo, aliiſque meatuum urinalium vitiis, &c. præſtantiſſimum eſt catharticum, & experimentum mirabile. Doſis à ʒß. ad ʒiß. in jure Caponis, vel gallin. vel carnis bub. vel cicerum, aut in cereviſia, vel vino calido. Mulieribus offertur in aq. Meliſſæ, ſeu bac. Juniperi.

Spec. Diamuniæ.

℞. *Mumiæ tranſmarinæ, mag. lap. percar. an.* ʒij. *ſang. hircini præp. caryophyllorum, ſpermat. ceti ana* ʒiß. *rad. rubiæ tinct. hirundinariæ, tormentillæ ana* ʒj. *ſuccini albi præp. ſal. corallor. rub. boli rub. or. an.* ʒß.

Miſc. & f. omnium pulvis ſubtiliſſimus.

Vires, Uſus, Doſis.

Hæ ſpecies valdè mirabiles ſunt ad caſum: Sanguinem enim coagulatum diſſolvunt. Præcipitatos ruptos, contuſos & fractos juvant, vulneraque interna glutinant, & prohibent apoſtemata ex caſu ab alto. Doſis à ℈j. ad ʒj. in aq. Chærefolii, vino generoſo, vel in aceto vini.

Pulvis Stipticus, cjuſdem ferè efficaciæ.

℞. *Rad. hirundinariæ* ℥j. *rhabarbari electi, mumiæ tranſm. an.* ℥ß. *laccæ rub. ſper. ceti an.* ʒij. *boli armen. præp. terræ ſigillat. an.* ʒj.

Miſc. & fiat pulvis. Doſis eadem.

Alius Pulvis Stipticus valde efficax.

Sper. ceti ℥j. *terræ ſigillat.* ℥ß. *bol. armen. ſang. dracon. lap. hæmatit. an.* ʒij. *Oc. cancri præp.* ʒj. *rad. angelicæ odorat. rhapontic. rhabar. elect. an.* ʒß.

Miſc. & f. pulvis. Cujus Doſis eſt ʒß. in vino calido, expectando ſudorem, ſic per vulnera exit, & operatur.

Spec. Diaolibani.

℞. *Rad. pæoniæ debitè collect. ireos florent. an.* ʒiij. *olibani optimi* ʒiß. *corn. alcis ſ. igne calc. mag. cranii microcoſmi, croci oriental. viſci quercin. an.* ʒj. *ſacchari pendii* ℥ij.

Miſ. & f. pulvis ſubtiliſſimus.

Vires, Uſus, Doſis.

In metu Epilepſiæ, Apoplexiæ, Catarrhi ſuffocativi; Tuſſi, Cardiaca, & in omni ſubito morbo & periculoſo aliquo accidente, infantibus & pueris offeruntur. Cerebrum enim & Cor confortant, ab iiſque omnem irruentem & peccantem materiam longè propellunt. Doſis à ℈ß. ad ℈j. per ſe vel in lacte materno, aut alio conveniente liquore.

Spec. Diatabaci.

℞. *Tabac. Ind. cum ol. aniſi præp.* ℥ß. *rad. hellebori alb. lilior. convall. pyrethri an.* ʒß. *gran. pæoniæ mar. flor. lavendulæ, roriſmarini, majoranæ, origani ana* ℈j. *piperis longi gum. Peruviani, agarici trochiſc. galliæ moſch. an.* ℈ß.

Vires, Uſus, Doſis.

De his ſpeciebus parum per nares attrahitur, tunc ſtatim frequentiſſimis ſternutationibus cerebrum benignè expurgant, & in omnibus capitis doloribus, Catarrhis, Vertigine, Epilepſia, narium exitura & obſtructionibus, quam maximè valent: Excrementa enim tam craſſa quam putrida copiosè educunt, cerebroque robur reddunt. Doſis manè Stomacho jejuno quantitas unius ciceris, quæ naribus attrahatur.

Spec. Diamajoranæ.

℞. *Flor. liliorum convall.* ℥ß. *herb. majoranæ cum proprio oleo prius irrorat.* ʒij. *lig. aloes ponderoſ.* ʒj. *cubebarum opt.* ℈j. *ambræ griſeæ* ℈ß.

Miſc. & fiat pulvis ſubtiliſſimus.

Vires, Uſus, Doſis.

In omnibus morbis & affectibus, ubi ſternutatione opus, ſpeciebus hiſce feliciſſimè utimur: Supra modum enim totum Caput à craſſis & pituitoſis humoribus liberant, cerebrumque ſimul & organa ſenſuum mirè confortant. Doſis manè in aurora Piſi magnitudo naribus attrahenda.

Spec. Diabalauſtiæ.

℞. *Balauſtiarum* ʒvj. *rad. caryophyllatæ, cyperi rotund. maſtichis elect. terræ ſigillat. caryophyllorum, ſandaracæ, cort. citri, roriſmarini* ℥ß. *corallorum præp. ſuccini albi, flor. pæoniæ, roſarum rub. olibani ana* ʒiij. *nuc. moſchatæ, ſem. myrtillor. coriand. præp. ſantali citrin. lig. ſaſſafras, cubebarum an.* ʒij.

Miſc. & fiat pulvis, ſuturæ coronali inſpergendus.

Vires, Uſus, Doſis.

In Phthiſi Hectica, Febribus aridis & dolore capitis, purgato alvo, ad ſiſtendum, exſiccandum catarrhos & confortandum cerebrum, tutò capitis ſummo vertici, vel in loco ſuturæ coronalis noctu ante ſomnum inſperguntur. In cauſa autem frigida & humida caput prius inunge opt. Spir. Vini ſalviato, & poſtea inſperge pulverem, & mira videbis: Quia impediunt deſcenſum aquoſitatis à cerebro ad nares, oculos & ſubjectas partes.

Spec. Diabugloſſæ.

℞. *Corn. rad. bugloſſæ* ℥j. *eleoſacch. citri* ℥ß. *roſarum rub. exſic. ſantali citrin. lign. aloes ana* ʒiij. *mag. Perlarum or. corallorum rub. an.* ʒj. *oſſ. de corde cervi, croci or. præp. an.* ʒß. *gallæ moſchat. veræ, auri potab. noſt. ſpicæ indic. an.* ℈j. *ol. roſarum veri, cinamomi an.* ℈ß. *man. Chriſti ſimpl.* ℥iij.

Miſc. & f. pulvis ſubtiliſſimus.

Vires, Uſus, Doſis.

Summa eſt medicina, ubi aliquis quaſi ad deſperationem ex nimia triſtitia venit: Propterea valdè efficax eſt contra affectus melancholicos, cardiacos, &c. Medicamentum enim eſt Cordi amiciſſimum. Omnia membra, ex quibus virtutes animales & naturales manant confortant nec non Cordis tremorem & ſyncopen emendant. Malas cogitationes compeſcunt. Solitarios juvant. Bonos mores gignunt. Falſas imaginationes abolent. Lætitiam afferunt. Doſis à ℈j. ad ʒß. & ʒj.

Spec. Diaplantaginis.

℞. *Suc. glycyrrhiz. ext. terræ ſigillatæ an.* ℥j. *rad. plantaginis ſerpentariæ tormentill. an.* ʒvj. *mag. croci martis per reverberationem fact. corn. cervi uſti & præp. cort. granator. an.* ℥ß. *lap. hæmatitis, nuc. moſchatæ, flav. cort. aurant. caryophyllorum an.* ʒiij. *fol. ſalviæ acut. viſci quercini, balauſtior. an.* ʒij. *mag. corall. berberiſati noſt. ſem. plantaginis, priapi cervi an.* ʒiß. *pellic. inter. ventriculor. gallinar.*

nar. præp. ſang. draconis, hypociſt.

Miſc. & fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

Vires, Uſus, Doſis.

Cibum faſtidientibus, ſanguinem mingentibus & exſpuentibus, nec non mulierculis urinæ incontinentia poſt partum correptis miraculosè auxiliantur. Dyſentericis, Cœliacis, Menſibus ſuperfluis, Inteſtinorum, Renum, Veſicæ fiſtulæque urinariæ exulcerationibus mirè ſubveniunt, & inde omnia nata ſymptomata tollunt. Doſis à ʒß. ad ʒ j. manè ſtomacho jejuno, vel ante prandium & cœnam, cum unciis duabus vel tribus liq. Stil. plantaginis.

Pulvis Polychreſtus Imperialis.

℞. Sacchari candi alb ℥vj. croci martis cum aceto tamarindor. præp. ℥ iß. ſem. fœniculi, roſ. eboris, tali leporin. oc. luciorum, cardamom. min. zingiber. alb. nuc. moſchat. rad. glycyrrhiz. an. ℥ j. cinamomi acut. cubebarum, caſſiæ ligneæ, ſpicæ nardi, rad. & ſem. pæoniæ, viſci quercin. acidi tartari an. ℥ i ß. mag. lap. carpionum, oc. cancror. lap. percar. piſc. croci oriental. ſem. petroſelini, apii, caſtorei veri, caryophyllorum, myrrhæ rub. lig. aloes, herb. hyſſopi, ol. aniſi an. ʒ ij. mag. perlar. or. corallor. rub. macis elect. an. ʒ j. fol. auri Ung. num. xxxiij.

Miſc. & f. omnium pulvis ſubtiliſſimus.

Vires, Uſus, Doſis.

Ex Stomacho & inteſtinis flatus, ventoſitates omneſque peccantes humores expellit, illumque confortat, & à putredine præſervat. Cerebrum roborat. Memoriam auget. In Epilepſia, Tremore & debilitate Cordis, difficultate Pectoris, Tuſſi, Aſthmate, &c. multum præſtat. Mœrores mulcet. Triſtes exhilarat. Timidos animat, Hepati & Lienis obſtructiones reſerat. Tympanitem, à cauſa frigida ortam, & multos alios morbos longos & obfirmatos curat. Hæmorrhoides fluentes ſiſtit. Sanguinem purificat. Vividum colorem procreat. Matricem frigidam calefacit. Uteri intemperiem corruptam emendat. Renes & Veſicam purgat. Calculos, arenulas & ſaburram ejicit. Meatus aperit, & Stranguriæ auxiliatur. Doſis omni manè, Caſtaneæ quantitas per ſe, vel in liquore appropriato morbum propriè reſpiciente.

Pulvis Dyſentericus.

℞. Corn. cervi ſpagyrice calc. ℥ i ß. ſem. ſanguinariæ, plantaginis an. ℥ j. cretæ alb. præp. nuc. moſchat. viſci quercin. nitri præp. an. ℥ ß.

Miſce & fiat pulvis ſubtiliſſimus, qui in omnibus fluxibus ventris etiam valdè efficax eſt. Doſis ʒ j. in vehiculis appropriatis & ſpecificis.

Spec. Dialauri.

℞. Bac. lauri, maſsâ panis circumducti & in clibano debitè excoct. exſiccat. & pulveriſat. ℥ j. flor. centaur. min. ʒ iij. rubiæ tinctor. myrrhæ rub. croci or. ariſtoloch. rot. cardamom. min. an. ℈ ij. ſal. cinamomi, ſabinæ an. ʒß.

Miſc. & fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

Vires, Uſus, Doſis.

Obſtructiones in utero egregiè aperiunt, nec non ſuppreſſos menſes mirificè cient ac largiter movent. Doſis à ʒß. ad ʒ j. in decoct. Sabinæ cum croco or. aut vino vel cereviſia bis de die, manè jejuno ventriculo, vel veſperi ante ingreſſum lecti, hocque continuetur, donec menſes prorumpere incipiant.

Spec. Diajalappæ.

℞. Rad. jalappæ opt. & reſinoſæ ℥ ijß. acidi tartari ℈ xj. ol. cinamomi ℈ j.

Miſ. & f. pulvis ſubtiliſſimus.

Vires, Uſus, Doſis.

Per inferiora ſine moleſtia purgant, & ſanguinem mundificant. Pituitam ipſam atramque bilem, flatus ceteraſque impuritates omnes è toto corpore educunt, & obſtructiones tollunt: Ob id doloribus articulorum & hypochondriorum proſunt. Doſis à ʒ ß. ad ℈ ij. & ʒ j. præſertim in robuſtioribus.

Spec. Diaeſulæ.

℞. Rad. eſulæ min. præp. rot. diarrhod. abb. an. ℥ i ß. hellebori alb. præp. an. ʒ iij. ſuc. glycyrrhiz. ext. ſantali rub. an. ʒ j. cinamomi acut. ireos florent. zingib. alb. an. ℈ ij. mag. perlarum orient. corallor. rub. an. ℈ j. elæoſacch. caryophyllor. nuc. moſchat. maſtichis an. ℈ß.

Miſc. & fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

Vires, Uſus, Doſis.

Valent in omnibus Febribus quotidianis, tertianis ardentibus, omniſque generis infirmitatibus Ventriculi, defluxionibus ſalſis, lumbricis, doloribus dorſi, Synovia, Peſte, morbis epidemicis, Venenorum hauſtorum ſymptomatibus, per alvum enim & ſuperiora noxia quæque, ſine moleſtia, expurgant. Doſis à ʒß. ad ʒj.

Spec. Stomachicæ.

℞. Acidi tartari ℥ iij. galang. min. zingiberis alb. piperis long. an. ʒ i ß. cardamom. min. nucis moſchat. caryophyllorum, zedoariæ an. ʒ j. rad. glycyrrhiz. raſ. fol. ſalviæ acut. ſem. rutæ, carvi, olibani an. ʒ ß. ol. cinamomi ℈ j. mentæ criſp. aurantior. aniſi an. ℈ ß. ſacchari candi alb. ℥ viij.

Miſce & fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

Vires, Uſus, Doſis.

Collapſam appetentiam excitant. Tormina, vomitiones & ſingultus ſanant. Aſthmaticos juvant. Crapulam arcent. Flatuoſitates expellunt. Ventriculum corroborant, & alimenti diſtributionem accelerant. Doſis manè & veſperi à ʒ ß. ad ʒ j. ex vino malvatico vel alio generoſo.

Pulvis Stomachicus nobilis.

℞. Cremoris tartari albiſſ. & ſpir. vitrioli aliquoties irrorati & iterum exſiccati ℥ ij. corn. cervi, ſpagyricè calc. ℥ ß. ſal. lap. percar. piſc. oculor. cancri an. ʒ ij. mag. perlar. orient. corallor. rub. an. ʒ j. ol. caryophyllorum cinamomi an. ʒ ß. ſacchari candi alb. ℥ viii.

Miſc. & fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

Vires, Uſus, Doſis.

Uti nobilis eſt, ita quoque Cor, ventriculum & reliqua nutritionis membra nobiliter confortat. Stomachi cruditatem & mollitiem corrigit, pituitæque putredinem prohibet. Nephriticis, Lienoſis cibumque vomentibus ſummopere ſuccurrit. Præterea illos, qui ex diuturno aliquo morbo penitus extenuati ſunt, plurimamque inde imbecillitatem contraxerunt, admodùm corroborat. Doſis à ʒ ß. ad ʒj. in vehiculo appropriato.

Spec. Pleuriticæ.

℞. Sulphuris ſublimati ʒ ij. ſem. card. mariæ, bac. lauri excort. Viſci quercini, rad. zedoariæ, olibani an. ʒ i ß. raſ. dentis verris aprugni dent. lucii acut. flor. papav. errat. ana ʒ j.

Miſce, & fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

Vires, Uſus, Doſis.

Magnum ſecretum eſt contra dolores pleuriticos, ſive puncturas laterum, ubi præ vehementia ægrotantes ferè examinantur. Doſis à ʒ ſs. ad ʒj. in aq. Hyſſopi & Fœniculi, vel in aq. flor. papav. errat. manè, meridie & veſperi, vel ſint ad minimum quinque horæ inter quamlibet doſin. Offeruntur etiam in aq. Scabioſæ, &c. Deo favente, certiſſimè liberant.

Pulvis Pleuriticus ſecretiſſimus.

℞. Flor. ſulphuris comp. ℥ ſs. raſ. dentis, Verris aprugni, mand. luciorum an. ʒ ij. flor. papaveris rhad. ʒ j.

Miſc. & f. pulvis ſubtiliſſimus, qui uſui reponendus.

Vires, Uſus, Doſis.

Curat, non ſine adſtantium ſtupore, pleuritidem, omnes putrefactiones, Apoſtemata, &c. Doſis à ʒ *ß.* ad ʒ j. cum aq. è flor. chamom. & Papav. errat. ana ſ. q. Efficacius remedium non datur, & certè hic ſolus hauſtus ſaccharo cand. alb. parum edulcoratus & aliquot vicibus exhibitus admirabile præſidium eſt, quo ſæpiſſimè ipſe ſum uſus, & ſemper poſt Dei providentiam, integræ ſanitati reſtitutus.

Spec. Febrifugæ.

℞. *Cochlear. long. teſtar. præp. corn. alcis. ſ. igne calc. ana* ℥ *j. ſal. centaurii min. card. benedict. abſinthii an.* ℥ *ß. tartari vitriolati. mag. vitrioli ana* ʒ *iij. calami aromat. nuc. moſchat. an* ʒ *i ß. ſem. hyperici, caryophyllorum, piperis longi, camphoræ ana* ʒ *j. rad. tormentillæ, ariſtoloch. rot. zedoariæ, oſtrucii ana* ʒ *ß.*

Miſc. & fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

Vires, Uſus, Doſis.

Abigunt ferè omnes Febres, præcipuè autem quotidianam, tertianam, & ſæpe quartanam curant. Dantur inſtante paroxyſmo vel paulò ante in aq. Card. benedict. & Centaur. min. vel in hauſtu cereviſiæ calidæ: Sed patiens in lecto ſe contineat & ſudet. Doſis à ℈ j ad ʒ j. habita ratione virium ſumentis.

Pulvis Febrilis probatus.

℞. *Calami aromat.* ℥ *j. rad. gentianæ, ariſtoloch. rot. zingib. alb. an.* ℥ *ß. ſal. centaur. min. card. bened. abſinthii ana* ʒ *iij. corn. cervi ſ. ign. calc. ſem. calendulæ, camphoræ ana* ʒ *j. ſacchari cand. alb.* ℥ *i ß.*

Miſc. & f. pulvis ſubtiliſſimus, doſis à ʒß. ad ʒ j. in vehiculis appropriatis & ſpecificis.

Spec. Nephriticæ.

℞. *Cryſt. tartari* ℥ *j. mag. lap. percar. piſc. ocul. cancri an.* ℥ *ß. ſal. ſuccini alb.* ʒ *j. ol. aniſi* ℈ *j. ſacchari cand. alb.* ℥ *iv.*

Miſc. & f. pulvis ſubtiliſſimus.

Vires, Uſus, Doſis.

Nephriticos oculariter juvant, tartarum enim & lapidem Renum & Veſicæ, cæterorumque membrorum frangunt, atque inde mirabiliter expellunt Iſchuriam, Dyſuriam, atque Stranguriam citra moleſtiam ſolvunt: Propterea pro ſecreto magno, contra omnia calculorum genera habeantur & meritò exiſtimentur. Doſis in præſervatione ℈j. ſingulis Lunæ quadris in aq. Nephritica noſt. vel alia convenienti. In curatione autem doſis à ʒß. ad ʒj. in aq. jam dictâ, vel in aq. Ononidis, Petroſelini, Hederæ ter. &c.

Spec. Cholagogæ.

℞. *Mag. ſcammonii* ℥ *j. ſpec. diarrhod. abb.* ℥ *ß. acidi tartari* ʒ *ij. roſar. rub. vitriolat. flor. centaur. min. an.* ʒ*j.*

Miſc. & f. pulvis ſubtiliſſimus.

Vires, Uſus, Doſis.

Flavam bilem citra moleſtiam educunt, ut ſimul obſtructiones liberent. Præterea calori, dolori & ſiccitati Stomachi, Cordis, Hepatis, Pulmonum, articulorum & viſcerum conferunt, ipſorumque robur augent & conſervant. Cardiacis, Tabidis, morboque Regio correptis maximè ſubveniunt. Propinantur etiam feliciſſimè ſenibus & debilibus in febribus ardentibus & tertianis &c. Doſis à ʒ ß. ad ℈ ij.

Pulvis Carminativus.

℞. *Sem. cymini cum aceto præp. carvi, aniſi ana* ℥ *iij. zingib. albi* ʒ *vj. macis* ʒ *iij. croci orient.* ʒ *j.*

Miſc. & f. pulvis &c.

Vires, Uſus, Doſis.

Flatus inteſtina diſtendentes, & acrimonia ſua tormina concitantes, egregiè diſcutit quotidie, vel tempore neceſſitatis, per aliquot dies continuando, & in prima menſa, cum jure aliquo, vel cum aq. Fœniculi, aut Aniſi, ſeu Carminativa noſtra calidè ſumptus. Doſis à ʒ j. ad ʒ i ß. *Iſt ein gut Suppen pulver.*

Farina Virginea nobilis.

℞. *Silicum fluviat. calcinat. & pulveriſat.* ℥ *vj. lap. pumicis præp.* ℥ *j. rad. ireos flor.* ℥ *ß. galiæ moſchat. veræ* ʒ *j. ol. ſtil. roſarum* ℈ *j.*

Miſc. & f. omnium pulvis inſtar farinæ, quem ad uſum repone.

Vires, Uſus, Doſis.

Ad dentes in una quaſi hora dealbandos, & à tartaro corroſivo purgandos medicina nulla excellentior eſt, ſi quotidie hoc pulvere ſæpè hinc inde cum lacinia lanea diligenter fricentur atque terantur: Propterea tam gynæceis, quam reliquis omnibus, hunc de ſilicibus ſuaviſſimum & venuſtiſſimum pulverem commendare volui.

Pulvis Hæmorrhoidalis.

℞. *Farin. volatilis* ℥ *j. croci martis* ℥ *ß. boli or. præp. rad. verbaſci an.* ʒ *ij. hermodact. alb. per noctem in ſp. vini infuſi & iterum exſic. flor. papav. errat. ſacchari cand. alb. ſang. draconis olibani an.* ʒ *i ß.*

Miſc. & f. omnium pulvis ſubtiliſſimus, qui tactum effugiat.

Vires & Uſus.

Sanguinem hæmorrhoidalem ſuperfluè emanantem citò reſtringit, vehementemque dolorem mirè ſedat: Tempore autem uſus, ex albumine ovi & ſtuppa cannabina, vel ex lana typharum & butyri veteris ſale, f. cataplaſma, cui de hoc pulvere parum inſpergatur, & ita hæmorrhoidibus apertis & fluentibus apponatur.

Pulvis de Verbaſco.

℞. Herb. Verbaſci viridis q. v. infer crucibulo, quantum capit, ad ſummum uſque infarciendo, deinde alio contege crucibulo, luto bene muni, igne impone, ut nigreſcat eo, non verò in cineres abeat, cumque videbitur ſatis eſſe, crucibulum fac refrigeſcere, atram illam materiam exime, & in ſubtilem pulverem redige. Poſtea

℞. *Hujus pulveris nigri* ℥ *j. rhabarbari elect.* ʒ *ij.*

Miſc. & f. pulvis ſubtiliſſimus.

Vires & Uſus.

Certum hic pulvis eſt experimentum contra condylomata & hæmorrhoidas cæcas. Cujus uſus eſt, ut ægrotus de induſio viri trito ſumat particulam, eamque in uno latere paululum propria ſua ſaliva humectet, de pulvere hoc aſpergat, & ita ſuperimponat toties repetendo quoties opus donec condylomata & hæmorrhoides illæ cæcæ diſpareant, quod brevi tempore evenit.

Pulvis probatus,

Ad exſiccandum, conſolidandum, & ſanandum variolas.

Farin. lentium, fabarum, orobi, ana ℥ *ß. lithargyrii ceruſſæ lotæ, tutiæ præp. nihil. alb. an. dr. ij. conch. marin. præp. rad. arundinis croci metallor. an.* ʒ *j.*

Miſc. & fiat pulvis ſubtiliſſimus.

Vires, Uſus, Doſis.

Variolæ quando maturæ ſunt, poſt ſeptimum diem rumpantur cum acu aureâ ſeu argentea, auferatur humiditas, ne corrodat carnem, & faciat foveas, vel ſcindantur cum forcipe, ne iterum claudantur; deinde aſpergantur prædicto pulvere, qui etiam ſpargetur in lectum patientis.

Pulvis

Pulvis Cyprius, Violato-Roſatus.

℞. *Rad. ireos florent.* ℥ IV. *flor. violar. recenter. exſic.* ℥ *j. rad. cyperi rotund.* ʒ *ij. ol. ſtil. roſar. veri* ʒ *i ſs.*

Miſc. & f. omnium pulvis ſubtiliſſimus, qui tactum effugiat.

Vires, Uſus, Doſis.

Ex hoc ſuaviſſimo & valde delectabili pulvere replentur pulvilli, quibus variè utuntur in gynæceis. Per ſe etiam crinibus, veſtibus, pellibus, linteis, &c. Inſperſus, longe lateque jucundiſſimum ſuum odorem, cerebrum & omnes Spiritus recreando, eructabit. Invenimus pro iis, qui à Moſcho, Ambra, Zibetha, & aliis valentioribus odoriferis planè abhorrent.

Pulvis Cyprius Moſchatus.

℞. *Styrac. calamit.* ℥ *v. rad. ireos florent.* ℥ IX. *roſarum rub. opt. anthos ana* ℥ *ij. benzoini, caſſ. ligneæ an.* ℥ *j. laudani puri, calami aromat. caryophyllorum, ſem. corian. an.* ʒ VI. *Lign. aloes, ponderoſ. ſantal. citrin. rhodini an.* ℥ *ſs. corn. aurantior. & citri, cyperi rotund. an.* ʒ *iij. origani cret. majoranæ an.* ʒ *ij. flor. lauri numer. iij. flor. lavendulæ, violarum ana* ʒ *iſs. moſchi, laudat.* ʒ *ſs. ambræ griſ* ℈ *j.*

Miſce & fiat pulvis veſtimentalis; cujus uſus jam dictus.

Pulvis Manualis Odoratus.

℞. *Magmat. exp. amygdal. dulc. & amarar. an.* ℥ *iij. farin. fabarum* ℥ *ij. oryzæ albiſſ. lupinor. an.* ℥ *i ſs. rad. ireos florent.* ℥ *j. roſarum alb. exſic. benzoin. an.* ʒ VI. *ſal. tartari alb. cretæ alb. præp. ſpodii præp. ſper. ceti rec. an.* ℥ *ſs. ol. lig. rhodini* ℈ *j. caryophyllorum lavendulæ an.* ℈ *ſs.*

Miſc. & f. omnium pulvis ſeu mixtura.

Vires & Uſus.

Hic pulvis manus albas ac nitidas, cutimque mollem reddit, ſi frequenter eo laventur & fricentur.

Pulvis Eryſipelatodes.

℞. *Farinæ volat.* ℥ *vj. plumbi uſti, boli rub. ana* ℥ *ij. maſtichis elect. olibani, ceruſſæ an.* ℥ *j.*

Miſc. & fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

Vires & Uſus.

Hic pulvis chartæ cæruleæ inſperſus. & in Eryſipelate, ſive igne ſacro, per ſe, loco affecto applicatus, vix dici poteſt quàm huic malo ſit ſingulare remedium: præmiſſis tamen univerſalibus, nec non venæ ſectione præcedente, præſertim in robuſtioribus.

PULVIS PYRIUS.

Pulvis Pyrius eſt compoſitum quid ex ſale nitro, ſulphure & carbone ſaligno aut alio levi ligno confecto, certo modo præparatis, cum aceto in certa proportione mixtis, per cribrorum variè foraminatorum trajectionem in grana variæ magnitudinis efformatum. Hoc artificium jam anno 1280. *Rogiero Baconi* celeberrimo illi Monacho Anglo notum fuiſſe credibile eſt, dum in ſuo *de Secretis Operibus Artis & Naturæ*, ac de *Nullitate Magiæ* tractatu ſic habet; Soni velut tonitrus & coruſcationes poſſunt fieri; immò majore horrore quàm illa quæ fiunt per naturam. Nam modica materia adaptata, ſcilicet ad quantitatem unius pollicis, ſonum facit horribilem, & coruſcationem oſtendit vehementem, quibus civitas aut exercitus deſtruatur. Mira ſunt hæc, ſi quis ſciret uti ad plenum in debitâ quantitate & materiâ. Quis etenim cum *Joh. Dee Londinenſi* Doctiſſimo Rogerii Baconis Tractatus Commentatore, non videt hiſce hujus verbis pulverem pyrium ejuſque in variis tubulis concluſi, & inde per flammam conceptam exploſi, effectus deſignari, quem tamen ideo homines celaverit quòd illis multa exinde mala ominaretur. Verùm cùm forſan penes monachos ejuſmodi confectio per traditionem quandam ſecretius traducta fuiſſet ad annum uſque 1354. hoc tandem tempore *Bertholdus Szvvartzius* Germanus, Goslarienſis Monachus, Ordinis Sancti Benedicti, illam abundè vulgavit, utendique methodum verè pernicioſam edocuit, ut apud *Athanaſium Kircherum* Mundi Subterranei Tom. 2. pag. 487. videre eſt.

Pulvere pyrio quidam in Medicinâ utuntur dum ſcilicet illum aliis admixtum carpis pro febribus profligandis applicant, militare præterea eſt medicamentum quod in vino aut alio in liquore largiori diſſolutum doſi intus in febribus etiam malignis milites adhibent. De effectibus in variis pyrotechnicis præparationibus celebratis hic tacemus dum toti in Medicis, aut Medicæ ſaltem Arti affinibus verſamur.

PUMEX, vid. ſub titulo *Lapis.*

PURGANTIA MEDICAMENTA.

Ut ut purgantium nomen latiſſimè tribui poſſit non ſolùm evacuantibus per alvum, ſed & omnibus iis, quæ quocunque modo & ratione excrementa educunt, ita ut & particulariter evacuantia, errhina, apophlegmatiſmata, bechica, diuretica, menſes moventia & alia hujus generis purgantia dici queant; Uſus tamen obtinuit, ut ſpecialiter & pro eo ſolùm *καθ' ἐξοχὴν* medicamento accipiatur, quod latè per vomitum & alvum, & ſtrictè per alvum ſolùm purgat.

Definitur purgatio à *Galen. 2. aph.* 1. & *2. aph. comm.* 17. quod ſit humorum ſuâ qualitate moleſtantium evacuatio. Ut verò eò magis pateat ratio purgandi à medicamentis in corpore, operæ pretium eſt conſiderare 1. ipſa medicamenta, quæ id præſtant, 2. phænomena potiora ab aſſumptione evenientia; adde 3. partium, quas evacuant, rationem & diſpoſitionem.

Quoad illa notabile eſt, 1. magnam eſſe purgantium latitudinem, maximam differentiam. Sic (1.) ab effectu, leniori vel moleſtiori, alia ſunt *benigna*, benedicta aliàs vocata, quæ tuta ſunt, blandè & leniter purgant, nihilque maligni in ſe continent, ut caſſia, manna, tamarindi, de quibus *Galenus* ſcribit *l.3. ſimpl. c.* 24. ſi operatione ſuâ fruſtrentur, ea concoqui & in alimentum converti. Ex propriè dictis purgantibus talia ſunt ſena & rhabarbarum, laudatiſſima medicamenta. Alia *media* ſunt: ut gialapa & ſcammonium. Alia *fortiora*, maligna, ſeu potius *δραστικὰ*, quæ violenter purgant, v.g. colocynthis, helleborus, laureola. Unde eodem *Galeno* autore *l. 5.* in ſubſtantiam veneno finitimam mutantur, ſi nihil purgent; id quod tamen & rationi & experientiæ eſt contrarium. Si enim non præſtant minus, ſtimulum, irritationem, quomodo præſtabunt majus?

(2.) Alia à modo actionis, ſeu gradu, primas duntaxat vias expurgant, *lenientia*, hactenus expoſita, alia ultra primam corporis regionem penetrant, & penitiores remotioreſque partes evacuant, quæ propriè *purgantia* & *ſolutiva* nuncupantur.

(3.) Ab humore, quem educunt, audiunt & diviſa communiter ſunt in *phlegmagoga, cholagoga, melanagoga, hydragoga*, imò juxta quoſdam etiam hæmagoga.

(4.) A viâ, per quam purgant, alia *ἄνω* purgant, *emetica* dicta; alia *κάτω, purgantia*, dejectoria.

(5.) A partibus, quibus appropriata ſtatuuntur, alia v.g. *ventriculum*, ut aloe, alia *jecur*, ut rhabarbarum, alia *renes*, ut caſſia & terebinthina, alia *nervos* & *articulos*, ut hermodactyli, alia *thoracem*, ut agaricum, purgant; quod quomodo locum habere poſſit, ſuo loco, ubi de ſpecificis diximus, diſcuſſimus.

(6.) A ſapore, alia ſunt *amara*, ut aloe, colocynthis, alia *acria*, ut euphorbium & mezereum, alia *dulcia*, ut polypodium, manna, alia *inſipida* ferè, ut mechoacanna, antimoniata.

(7.) Ab accidentibus aliis, ut ab *odore*, *colore*, *corpu-*

corpulentiâ, texturâ, quibus mirum quantum variant; ſingula verò reſinoſis & ſalinis, paucioribus vel majoribus particulis conſtare deprehenduntur, variis terreis, aqueis, remixtis.

(8. A rebus unde petuntur: alia ex *animalium* genere, ut ſerum caprinum, hepar picæ, quod in aulis quibuſdam tanquam jocoſum purgans habetur; alia ex *vegetabilibus*, alia ex foſſilibus ſeu *minerali* regno, ut ſpeciatim, radices, flores, fructus non recenſeamus.

(9.) A modo applicationis, alia ſunt *interna*, quæ ore aſſumuntur: alia *externa*, quæ ventri applicantur; vis enim horum ſubtilis tranſmittitur, ut purgetur corpus à tranſſumptis particulis, ſtimulum intus vibrantibus.

Præter hæc verò 2. notabile eſt phænomenon, purgantia omnia eſſe ſternutatoria, id quod experimur non ſolùm, ſi hoc fine applicentur, uti helleborus albus inde nomen obtinuit, & unice fere hodie hoc uſu celebratur; ſed & in pulveriſatione gialapæ, & aliorum. Hæc verò ſtimulant membranam teneram narium, eliquant glandulas, fundunt humores, & omnium optime, factâ comparatione effectus, purgantium agendi modum explicant.

3. Purgantia pleraque acrimoniam pungentem & fundentem ſerum ſenſui manifeſtare, ſi vel maſticationi ſubjiciantur, vel aliis modis examinentur; omnis verò acrimonia eſt à ſale.

4. In iiſdem reſinoſam ſeu ſulphuream vim viſi & deprehendi, quâ ablatâ vis purgandi abit omnis. Reſinoſa verbi gratia, eſt gialapa, unde & ardet, reſinoſum ſcammonium, euphorbium, gummi guttæ, & alia, unde cum ſpiritu vini extrahuntur commode. Inprimis verò duo hæc elementa deprehendi in antimonio, quod hinc pro diverſâ immutatione purgat, ſudorem ciet, præcipitat, imò antimonium crudum loco pulveris epileptici quidam ſecreto propinant. Et legi de hoc poteſt locus inſignis apud *Gordonium in philonio c. de epil. pag.* 99. ubi ex opopanace, caſtoreo, ſanguine draconis & antimonio crudo pulvis deſcribitur, idque ex Varignanæ ſecretis & libro ſecretorum Tubingenſi commentator illuſtrat.

5. Acida obtundere purgantia quatenus acrimonia ſalina & ſulphurea hoc pacto infringitur.

6. Quoad corpus, obſervamus aſſumpto purgante medicamento pulſum, ſiquidem operaturum ſit, immutari, laſſari aliquo modo corpus ſomnolentum reddi & incaleſcere paulò, nauſeam aliquam oboriri, (quod tamen non perpetuum eſt,) βορβορυγμὸς excitari, à ὑπογαστρικοῖς paulò, imò & mediis tormina fieri, hinc feces alvi excerni aquoſas primò, liquidas ſaltim, hinc mucoſas, idque aliquot vicibus; poſt verò, quàm operationem ſuam finiêrunt, alvum per aliquot dies obſerari, quæ ſingula fuſionem humorum & agendi rationem explicant ac innuunt.

7. Non minus verò, præter hanc purgationem arte inductam, motu proprio naturæ diarrhœas fieri ſæpius, præſertim verno vel autumnali tempore, ſeu ſalutariter & cum εὐφορίᾳ, quod criticè fieri dicitur, ſeu cum virium debilitate, quod ſymptomatice contingit, idque inprimis, ſi à causâ occaſionali, in aëre motu, cibo & potu quidam ſtimulus acceſſerit.

8. Bilem eſſe clyſterem naturalem, ſeu ſtimulare tum in ſtatu naturali, ut alvus expediatur, tum præternaturali, ſi acrior reddita inteſtina laceſſat. Gaudet enim acrimoniâ ſalinâ, abſterſivâ & ſulphureâ & in cholerâ, dyſenteriâ & ſimilibus fluxibus manifeſtò peccare deprehenditur, imò & rejici frequenter ἄνω & κάτω, non tamen id fieri niſi ſimul fluxilis ſit, unde natura & ob hanc cauſam videtur ſuccum pancreaticum ſociâſſe bili, ut dilueretur & fluxilis aliquo modo reddita promptius fermentaret & ſtimularet ad exitum ſcybala.

9. Ventriculum & inteſtina plurimis præcipuè pollere fibris nerveis, glandulis miliaribus infinitis; Confluxu item perpetuo humoris pancreatici biliofi & recrementorum ordinariorum. Fibræ nerveæ ſenſus teneritudinem, glandulæ & ductus patentes dicti humorem largiuntur & fœnerant, qui evacuatur.

Cum itaque in alvi fluxu ſeu à naturâ, ſeu ab arte facto, obſervetur humorum quædam liquefactio, motus fermentativus & ſtimulus ad expellendum; cumque totius quaſi corporis cloaca ſint inteſtina, facile patere poteſt & univerſale eſſe præcipuum medicamentum eadem, & quomodo purgatio fiat, tum in genere, tum inprimis à ſelectioribus purgantibus medicamentis. Id verò ut diſtinctius eluceat, tres notamus potiſſimum eſſe hypotheſes autorum, quibus ad explicandam actionem purgantium utuntur, innixas ſympathiæ, antipathiæ, & fermentationi.

Prima hypotheſis eſt: purgantia agere ob magnetiſmum, ſimilitudinem totius ſubſtantiæ, ſeu, quod idem eſt, ob occultam aliquam ſpecificamque virtutem à formâ ſubſtantiali, tanquam principio nobiliori, proficiſcentem, non aliter ac plantæ convenien-nientem ſuccum ex terrâ fugant; ut ſingulæ corporis partes familiare alimentum ex maſsâ ſanguineâ prolectent; ut magnes ad ſe ferrum moveat, ut ſuccinum paleas adducat. Eodem modo purgantia humores naturæ ſuæ congruos trahere. Adeoque agere eadem ἕλξει, *attractione* quam eximiè juvet calor tractionis comes, non minus ac alias quoque dolor hunc cenſum ſubit, *Gal. l.* 5. *ſimpl. c.* 17. addit.

Per ſimilitudinem ſubſtantiæ intelligunt non identitatem, ſimile enim non eſt idem, ſeu ſimile & idem differunt; ut non ferrum à ferro, ſed à magnete trahitur; non ſimilitudinem in accidentibus, ut in colore, craſſitie, denſitate, tenuitate aut raritate, quandoquidem in aliis, ubi eadem accidentia reperiuntur, non æque vis purgandi viſitur ineſſe, neque talis convenientia in purgantibus compareat; ſed ſimilitudinem idealem, ſpecificam, ſeu, ſi mavis, incognitam; unde alii in genere trahendo agere volunt ſimilia, alii ſpecialius exprimunt illam ſubſtantiæ ſimilitudinem, quod debeatur quibuſdam ſpiritibus.

Hinc ex hâc hypotheſi aſſumptum pharmacum à calore corporis noſtri in actum deducitur, ejuſque vapores & ſpiritus in totum corpus diſperguntur, qui, cum purgatrice facultate ſint prædìti, humores ſibi familiares deinde ad ſe alliciunt, atque à maſsâ ſanguineâ reliquiſque humoribus utilibus ſeparant; quod ubi fit, natura tertio loco inſurgit, & quia tum à pharmaco, tum à noxiis humoribus ſtimulatur, expultricis facultatis ope utrumque ſtimulum tandem exturbat.

Contra hanc ſympathiam ſeu magnetiſmum diximus, eum non probari poſſe, nec dari revera: Quæcunq; enim inter ſe nec ſubſtantiâ nec qualitatibus conveniunt, illa inter ſe ſympathiâ vel magnetiſmo non gaudent. Non in ſubſtantiâ, humores evacuandi ſummatim vel bilioſi ſunt ſeroſi, & cum his affines alii, quomodo vero ſimilitudo ſubſtantiæ concipi poteſt v. g. ut alia taceamus, in vitro antimonii, in ſcammonio, in aliis? Et poſito hoc, non tamen conceſſo, veriſſimum eſt contradictoria eſſe nec ſimul ſtare poſſe: attrahere & propellere. Neque diſtinctio valet nonnullorum attrahere per ſe, propellere per accidens quatenus naturam unà irritant. Non in accidentibus, niſi merè per accidens; neque enim rhabarbarum vel aloe bilem expurgat, quod amara ſint, vel flava, cum abſinthium, cum crocus & alia id non præſtent, quod ipſi aſſerentes concedunt.

Tolerari aliquo modo & mollius explicari poteſt hæc hypotheſis, ſi purgantia concipiamus eſſe velut fel artifi-

artificiale, quod junctum bili naturali ad excretionem citet archeum inteſtinorum.

Altera hypotheſis eſt, purgantia agere ob antipathiam, *ὦσιν, propulſionem*, ab abhorreſcentiâ & contrarietate inductam. Contrarietatem hanc duplicem ſtatuunt & explicant, alii reſpectu naturæ ſeu archei, quorſum illi ſpectant, qui venena eſſe purgantia criminantur, ut natura aſſumpto purgante velut contra hoſticam turbam inſurgat,& nolens volens exturbet tali impetu non tam humores, quàm medicamentum, quocum peſſundati humores exitum inveniant.

Pares his ſunt, qui cum Aſclepiade apud *Galenum l. de purg. med. fac. c. 1.* ſtatuunt humores per purgantia eductos non fuiſſe in corpore tales, quales poſt evacuationem conſpiciuntur, verùm alterius generis à cathartico autem mutatos & in naturam ſibi ſimilem converſos, i. e. corruptos, bilem v. g. à cholagogo excretam non fuiſſe bilem, ſed humorem in bilem mutatum. Hinc tria juxta Aſclepiadem in purgatione humorum accidentia concurrunt: generatio humoris, ſtimulatio naturæ, & generati humoris aſſumptique expulſio. Præter ea verò, quæ *Galenus l. c.* & alibi rectè huic ſententiæ opponit, nullitas ejuſdem monſtrari poteſt, ſi tum medicamentum, tum humores educendos conſideremus. Medicamenta purgantia diverſa ſunt, inter ſe differentia, unum tamen præbentia effectum. Hi ergò non unus idemque à diverſis & diſtinctis inter ſe omninò expectari poteſt. Neque humores eidem item auſcultarent promiſcue.

Alii verò eandem antipathiam agnoſcunt in purgantibus verſus humorem excernendum. Ita *Laur. Jubertus* loco citato catharticum e corporibus noſtris minime attrahere vult, ſed potius fugare & expellere, atque antipathiâ veriùs, quàm ſympathiâ opus ſuum perficere, ejuſdemque cum alexipharmacis conditionis eſſe. Ut enim hæc venenis inimica ſunt, eaque non ἕλξει, ſed ὤσει è corporibus eliminant; ita, *inquit*, purgantia vitioſis humoribus adverſari & naturali quadam antipathiâ eoſdem expellere. Sed alia omninò ratio eſt alexipharmacorum & purgantium, ac conſequentia nulla eſt; ſi bezoardica reſiſtunt veneno, ergo & purgantia agunt eodem pacto ab antipathiam. Differunt quàm maxime inter ſe purgantia & alexipharmaca; quomodo ergo ſub eodem genere & conditione locari queunt? Referenda hinc & ipſa hæc antipathia eſt ad ignorantiæ aſylum, ad occultam qualitatem. Non pellunt purgantia ob antipathiam, unde rectè aſſeritur purgantia non eſſe venena, vel quaſi venena, ab effectu hoc ipſo ſuo, multò minus è medicinâ exturbanda. Effectus enim hic ſalutaris eſt; cujuſcunque verò effectus eſt talis illud pro medicamento non veneno æſtimandum eſt, à fine enim actio æſtimanda. Quo loco obiter repetimus, diſtinctionem ſimplicium inter alimenta, medicamenta & venena non tam ſtrictam eſſe, ſed generalem & latiorem, quæ mediam agnoſcit ſubdiviſionem & claſſem in omnibus. Hinc ut dantur alimenta medicamentoſa & venenoſa, ita & inter medicamenta & venena datur medium, quod de purgantibus fortioribus dici poteſt.

Tertia hypotheſis eſt, purgantia agere vi fermentativâ, adeoque eorum actionem fermentatione abſolvi. Solent hinc, qui de fermentatione ſcripſere, in ſolenne exemplum laudare fermentationem, unde purgantia vocant, quæ quocunque modo adhibita à calore corporis noſtri in actum deducuntur, reſolvuntur, occultâ vi humores ſibi cognatos turbant, agitant, fermentant; quâ turbatione natura irritata inutiles humores ſegregat & expellit.

Ut clarius pateat, & quomodo fermentatio concurrat, & vim cauſæ habeat in excerenda purgatione, liceat ex metaphyſicis inter alia diſtinctionem huc mutuari inter cauſam, uti communiter dicitur, quæ, & quâ. Fermentatio non eſt cauſa, quæ, cui agendi provincia principalis & ſola adſcribi queat, illa enim eſt irritatio, de quâ mox; ſed eſt cauſa quâ, requiſitum ſecundarium ſeu neceſſaria conditio ex parte cauſæ, ut tamen genuina cauſa, ſalvâ veritate, cenſeri non poſſit.

Utut ergo adſit in omni purgatione fermentatio; illa tamen non ita concurrit, vel influit, ut cognitâ hâc & admiſsâ ſatiari intellectus & omnia phænomena, omnis agendi modus clarere poſſint. Seu, ut alias dicitur, fermentatio eſt cauſa ſine quâ non, unde hâc non eveniente fruſtra eſt irritatio, fruſtranea medicamenti aſſumptio, quia potentia illa non traducitur in actum. Adeoque purgantia non ſolâ fermentatione abſolvuntur vel explicari poſſunt, ſeu per ſe ſola adſumatur, ſeu occultâ vi comprehenſâ.

Reliquum eſt, ut dicamus, quomodo agant, quæ quarta eſt hypotheſis, irritatione. Conveniunt ſinguli ferè in hoc, fieri in purgatione irritationem, illud tamen paulò latius eſt. Alii inde in irritatione generali acquieſcunt, ut *Thom. Eraſtus l. de purg. med. facult.* docet, cathartica non peculiarem aliquem humorem prolicere, ſed naturam ſaltem ſtimulare & laceſſere, quæ irritata ſponte vitioſos humores exturbet. Idem ferè ſentit *Jac. Schbeckerus*, qui ſimiliter non ἕλξιν, ſed ὦσιν purgationis cauſam ſtatuit; medicamentum enim & noxios humores expultricem facultatem acrimoniâ ſuâ ſtimulare ait, quæ ſtimulata utrumque poſtea expellat. Hæc ipſa verò generalis irritatio non ſatiat omnium ſciendi avidum, id enim & vulgus novit. Hinc etiam qui electivam agendi vim in purgantibus agnoſcunt, irritationem in genere rejiciunt, quòd illa ſola non poſſit noxios humores ab inutilibus ſecernere & extrudere; quod poſito irritante promiſcuè quilibet humor expurgari queat; quod idem expectandum foret ab omnibus calidis & acribus, utpote quæ non minus naturam ſtimulare apta nata ſint.

Agunt itaque purgantia irritatione, ſeu nulla purgatio fit ſine ſtimulo; omnis enim irritatio ſupponit acrimoniam quæ à priori ſenſu, à poſteriori effectu ſatis conſpicua eſt. Hinc dependet illa actio principaliter ab *ἐρεθισμῷ ſtimulatione* archei inteſtinorum, quando tunica eorundem membranacea & glandoſa acriorem characterem ſentit, & magis quàm ordinarie contrahitur ac ſollicitatur.

Acrimonia hæc ipſa in aliis magis explicata & panſa eſt, unde, quod diximus, purgantia illa ſimul ſunt ſternutatoria, & corroſiva alia venenoſa, ☿♎tus, ⊖-O, cum immanibus torminibus potentiſſime ſæpe purgant; in aliis magis latens eſt, ut in antimoniatis, non prius ſe exerens, quàm in ventriculo, cujus hinc delicatior longè æſtimandus eſt ſenſus. Unde & acida illud ſal figunt & ſtimulum illum obtundunt.

Acrimonia illa principaliter debetur principio ſalino activiori, humores ad ὀργασμὸν, naturam ad excretionem citans. Quicquid acre eſt, ſali adſcribitur non immeritò.

Iſta porrò acrimonia ſalina modificata principio ſulphureo, quod perinde eſt, an reſinam, an ſapam, vel aliter vocemus, cum matrice acidâ conſociato, unde & facilior fermentatio & ſtimulatio conſurgit. Acor ille manifeſtè viſitur in deſtillatione gialapæ, hellebori aliorumque, cum copioſo oleo, ſeu ſulphure, quo de in *diſſert. de gialapâ* egimus. Neq; tamen purgandi actio acido tribuenda eſt, quin potius notum eſt ex analyſi & conſideratione ſimilium, illa ipſa ſimplicia, quæ acidum cum ſulphure condunt, vel ipſius ſulphuris communis exemplo, alcalinos magis æmulari effectus. Sufficerit nobis cognoſcere in purgantibus principia hæc diverſa, ut ſic prudentiſſime à creatore mixta, quæ liquationi & fuſioni humorum indeque conſequente irritatione effectum purgantem edant, aptiſſima ad fermentationem ſeu ὀργασμὸν citandum.

Patet id ulterius, ſi cogitemus, non ſolam acrimoniam ſalinam, adeoque nec irritationem ſufficere, qualis

qualis in torminibus verbi gratia, in Colicâ ſine alvi fluxu, ſatis inſignis eſt; ſed bilioſam quaſi,ſeu ſulphuream, cujus idea in dyſenteriâ & diarrhœis aliis viſitur. Neque enim in dyſenteria eſt niſi hypercatharſis ſpontanea, ſeu à principio intrinſeco facta, ut alias à purgantibus fortioribus, colocynthiacis cumprimis, dyſenteria non rarò evenit & producitur.

Purgantium igitur vis omnis ab acrimoniâ ſalino-ſulphureâ videtur unicè arceſſenda, ſeu agunt irritatione ob acrimoniam ſalino-ſulphuream, unde ſale & ſulphure ablato, vel non vel debiliſſimè purgant.

Actimonia denique illa ſalino-ſulphurea magis vel minus volatilis eſt. Fixior & minus volatilis ſi fuerit, κάτω purgatur magis natura inde admonita, ut à ſennâ, rhabarbaro, colocynthide. Sin volatilis magis ἄνω, quod de vomitoriis valet & dicetur infra latius; in quibus verò medius ſtatus mixturæ eſt ἄνω & κάτω, ut in gummi guttæ & aliis. Ordinarie, puta & medicamento ſibi relicto, extraordinarie enim, prout ipſa hæc dicta fixitas vel volatilitas in humoribus prædominatur, etiam vomitoria fiunt κατωτερικὰ, & purgantia ἀνωτερικὰ, per accidens & extraordinarie.

Poſitâ verò acrimoniâ, eaque irritativâ & fermentativâ, liquantur & funduntur humores, natura verò ſtimulatur, ut collecti & adducti excernantur. Liquantur, ſpiculis ſalinis ſe inſigentibus & ſerum concretum fundentibus, non aliter, ac ſuo modo ptarmica & errhina papillas narium eliquant, unde humor aquoſus exit copioſè. Unde ſi hoc ſenſu attractionis vox ſumatur, habet omninò locum. Fit in purgatione & ἕλξις & ὦσις, *tractio & pulſio*, modò rite res intelligatur. Liquatur è glandulis inteſtinalibus, prolecto humore ſeroſo. Hinc non tantùm ab irritatione continuatâ ſequitur quandoque ipſe ſanguis, ſed & ſpaſmus extremorum. Verum id eſt, elogio *Hippocratis*, non ſaltem de helleboro, nominatim albo, ſed & aliis quibuſvis purgantibus. Quid benignius gialapâ? Ab illa tamen taliſmodi ſpaſmum obſervavimus, conſignato exemplo *Ann.* 10. *Ephem. Germ. obſ.* 75. *p.* 204.

Ordine hinc ſe conſequuntur ὀργασμὸς, *turgeſcentia* ſeu fermentatio; ἐρεθισμὸς *irritatio*, & ἔκκρισις *excretio* humorum irritantium & fermentantium, ſingula acrimoniæ ſalino ſulphureæ aptiſſime quadrantia. Irritatio verò & antecedens eſt & conſequens adeoque omne abſolvit punctum, quandoquidem purgantia obvios humores exſtimulant, ſcybala, bilem, ſuccum pancreaticum & glandoſum inteſtinalem, indeque conſecutione quadam totum corpus evacuant, ſortita differentiam & à præſentiâ illorum & copiâ, ac à diverſâ modificatione texturæ.

Quæ cum ita ſint, irritatio hæc non eſt determinata ad unum ſolum, hunc illum humorem; ſed determinata ſecundùm quid, ad partem quam evacuant, inteſtina, limitata quoad humores ibi contentos & excernenda. Hinc eſt, quod *Cous* ſcribit *ſ.* 4. *aph.* 2 purgantium medicamentorum uſu talia è corpore educenda, qualia ſponte etiam prodeuntia juvant, contrario vero modo exeuntia, ſiſtentia. Sponte enim prodeuntium titulo intelligenda non alia, quàm quæ diximus. Hinc abundantes hi & præſentes tolluntur accurate à purgantibus, quæ indicant. Sanis verò corporibus, ubi dictæ hæ ordinariæ quiſquiliæ non excedunt, non peccant, nocent purgantia, argumento 4. *aph.* 16. Helleborus periculoſus ſanas carnes habentibus, convulſionem enim inducit.

Hæc cùm objectum ſint purgantium, omnia æquè purgant omnes humores obvios promiſcuè, ſed diverſo effectu. Non uno eodemque modulo peccant humores, non uno eodemque modulo agunt purgantia, modificata diverſo modo utraque. Perpetua enim inter agens & patiens eſt proportio. Cumque evacuanda potiſſimum ſint bilis, ſerum & ſcybala, non tamen uniuſmodi, meritò ex hoc fundamento diſtinctio omnis petenda.

Argumentum univerſale eſſe poteſt hoc: Si differunt inter ſe humores evacuandi, differunt & medicamenta evacuantia, meritò ſequitur, non omnia agere uno eodemque modo, ſed alia magis hunc, alia illum magis reſpiciunt, non omnes omnia tam bene, generali nihilominus fermentationis & fuſionis, præcipuè verò irritationis regulâ promiſcuè evacuatis quibuſvis.

Cumque in his ipſis recenſitis minera & nidus morborum variorum reſideat unicè, meritò purgantia judicantur tollere cauſam morbificam, idque potiſſimum in principio, prius, quàm fermentum morboſum collutulare reliquum ſanguinem magis ſuſtineat, prius, quàm vires dejiciantur.

Coronidis loco dicendum aliquid adhuc venit de diſtinctione eſſentiali & electivâ illâ purgantium vi. Differunt ergo etiam purgantia ſpecialiter 1. operandi gradu, alia ſunt mitia, alia mediocria, alia fortiora. Sunt qui extraordinarie difficillime, ſunt contra ea qui facillime moventur; difficillime, in quibus irritatio ſeu ſtimulus ſalinus vim fermentativam comitem non conſequitur, qui dicuntur ſicciores; quibus item mucus inteſtinorum viſcoſior eſt & ſpiſſior; facillimè verò, quibus & fluxiles acreſque humores & membrana inteſtinorum ac ventriculi nudior eſt, & tantum non papyracea. Medium tenuere beati, hinc doſes ipſorum purgantium hinc inde communiter annotatæ ad uniuſcujuſque ſubjecti conditionem ſunt limitandæ.

2. Differunt ſecundùm texturam ſpecialem partium ſalinarum & ſulphurearum, ut pro & majori vel minori reſolvendi potentiâ. Hinc alia ſunt, reſpectu humorum, magis ſeriduca, cholagoga & melanagoga, à diverſis humoribus peccantibus & diverſâ materiâ. Cùm verò ſimilium eadem ſit ratio, brevius & concinnius noſcemus rem omnem, ſi dicamus cholagoga & melanagoga minus differre, in melancholiâ enim omni bilem peccare, vel nomen innuit. Non differunt hi humores, bilis flava & atra, radice, ſeu ſubſtantiâ, ſed differunt qualitatibus. Unde cùm melancholia ſit duplex, una quæ ſero debetur acido, altera quæ bili; de his potiſſimum dicimus, quòd quæ bilem evacuent, illa quoque melancholiam, uti priori illi ſpeciei convenit cum hydragogis. Hinc commodum utrorumque eſt connubium.

Conveniunt etiam quæ pituitam liquant, & hydragoga. Eadem enim horum eſt ratio, unde affinitas purgantium & hinc elucet.

Innixa verò ſingula hæc præſidia eſſe debent ſuis indicationibus, etiam in quantitate & qualitate, ut ſelectus inſtituatur inter purgantia, ſelectus pro praxi Clinicâ neceſſarius, ut doſi non excedamus, alias quippe non tam id quod quantitate & qualitate excedit, adeoque morbiferum eſt, evacuabitur, ſed & humores boni, cum manifeſto corporis detrimento, licet vulgus aliter cogitet, numero ſedes æſtimans potius, quàm ἀφαίρεσιν. Hinc ex methodo medendi ſupponimus & hîc, in omni inſtituendâ purgatione reſpiciendum eſſe & morbum, qui lædit ac purgationem indicat, & ſubjectum quod læſum eſt, & medicamentum quod prodeſſe debet.

De Purgantibus non uſitatis.

Ut igitur ſelectus inſtituatur, operæ pretium eſt conferre inter ſe purgantia, &, quæ in praxi horum titulum mereantur, quæ minus, diſpicere; præſtat enim paucis ſelectis adſueſcere ingenium, quàm confuſis pluribus inerrare. Qui bene diſtinguit, bene docet, & diſcit, & medicatur. Qui verò bene cognoſcit medicamenta, bene curat.

Sermo vero eſt inprimis de purgantibus primariis & baſeos

baſeos vicem ſuſtinentibus, adeoque omnia & ſingula non in exilium mittuntur reliqua, ſatis eſt, non demandandam hiſce primam purgandi provinciam, idque paulò rigoroſius, ut tantò magis ad ſelectum invitentur diſcentes

Sic *Terebinthina* non tam Veneta, quàm Cypria vera vires quidem habet purgantes, ad ℥ß. doſi ab autoribus protracta, qui tamen uſus & doſis paulò eſt rarior, imò inuſitata in praxi ſelect & purgandi fine. Adhibetur verò, abſtergendi & ſanandi uſu, utiliter in affectibus renum & genitalium, ut calculo, gonorrhœâ, &c. vel in bolo cum caſſiâ, vel in coloſtrum cum ovi vitello redacta. Audit κακοςόμαχ☉ unde tenerioribus minus convenit. Conſultabamus aliquando tres medici de calculo Sereniſſimæ perſonæ, unà ventriculi debilitate conjuncta inſigni. Medico uno ſuadente terebinthinam, illo cum ſymptomate, diſſenſimus, præſertim in ſubſtantiâ, & delicati palati ægrà. Aliàs etiam MP. de terebinthinâ commodè uſurpantur.

Polypodium, ab electione quernum, leniens quidem eſt melancholico humori dicatum, unde decocta & infuſa aperientia melanagoga ad ʒii iii. ℥ß. ingreditur, inprimis in affectibus pectoris, tuſſi, melancholiâ hypochondriacâ & ſcabie, magis tamen eſt ſecundarium & alterans, quàm purgans.

Semen Pſylli mucilaginum baſis, ad linimenta pro linguâ fiſsâ & aridâ, ad ulcera & dolorem, à lacte eſulæ oriundum, conſtituit antidotum, de quo vid. *Rolfinc. l. de purg.* Interno pro uſu, inprimis purgante, exultat hodiè.

Viola quoque relata inter purgantia, procul dubio à primoribus artis inventoribus ad temperandam purgantium caliditatem & acrimoniam addita, unde & fl. cord. commodè infuſa ingrediuntur purgantia; inde in claſſem ipſam purgantium irrepit. Præparata exin ſirupus vel mel viol. in clyſteribus conveniunt. Trochiſci diaion, ſeu è violis ſolutivi exoleti ſunt, vim purgandi mutuantes à turpetho, ſcammon. & mannâ. Semen in emulſione quidem purgat, attamen magis pro remedio efficaciſſimo ad iſchuriam commendatur.

Florum acaciæ & perſicorum eadem ferè eſt ratio. E *ſambucinis* turiones primo vere germinantes acetarium conſtituunt purgans, ſed ruſticum, & utplurimum emeticum ſimul, quam vim variare quidem volunt pro decerpendi modo, prout ἄνω vel κάτω id fiat, magis tamen aſcribendum id omne diſpoſitioni humorum. Reliqua etiam memorata, ut & ☍ ſambuci virideſcens, quod in philtris commendat pro emetico, conſultius omittuntur, & pro uſu alterante, traumatico &c adhibentur. De vehementiâ ſucci radicis ſambuci vid. *Minder. med. milit. cap. 6 p. 225 ſeq.* De ſambuco in genere *Blochwiz Anat. ſambuci.*

Aſarum potens eſt medicamentum purgans & emeticum, quo poſteriori fine locum adhuc obtinet. Ante aliquot annos civis hujus loci, vir quadratus difficulter mobilis, ſumit ſuaſu aniculæ pulverem aſari ſol. & rad. ad integrum cochlear, inde verò hypercatharſin patiebatur lethalem.

Myrobalani, prunorum peregrinorum ſpecies, ab Arabibus in ſcholam medicam introductæ, quarum quinque genera ſunt, *chebulæ*, omnium maximæ; *citrinæ*, à colore dictæ; *bellirica* gallam vel nucem moſchatam æmulantes figurà & colore: *Emblica* ſubnigricantes exoſſatæ & conciſæ; & *Indæ*, nigræ, nucleorum corni æmulæ, oſſe carentes. Conſtituunt purgans lene, ut citrinæ bilem, Indæ melancholiam, non tam ob colorem quàm dulcedinem, reliquæ pituitam purgare ſtatuuntur. Hæc tamen vis lenitiva ſeu purgandi adeò exigua eſt, ut dubitetur ferè, num inter laxantia vel adſtringentia potius ſint referendæ, præcipuè cum, *Fragoſo* teſte, *med. Ind. Tr. 3. cap. 22. p. 54.* Indi ipſi iis non utantur ad purgandum, ſed ad retinendum fluxum ſanguinis & ſeminis. Temperant & alterant potius humores peccantes, bilem obtundunt, ejus motum refrænant & leniter educunt, & poſt ſe adſtrictionem relinquunt.

Euphorbium, ſuccus arboris ſeu plantæ potius ferulaceæ, C & S. quarto gradu, ob vires cauſticas veſicatoria & rubefacientia ingreditur. Purgat quidem vehementer humores pituitoſos & frigidos aquoſos, unde olim in apoplexiâ & aliis affectibus frigidis, ut & hydrope inprimis, commendabatur. Sed cùm acerrimum ſit, ut & fœtum abigat & ventriculum erodat, quò nomine, rectè an injuriâ, Helmontium empirici nomine culpat *Heerius obſ. 25. p. 287.* & tormina immania cieat unde virginem, à pharmacopœo eodem propinato, ad mortem ferè laboraſſe novimus, conſultius eodem hodiè, purgandi quidem fine, abſtinemus, licet vel acidis, ut ſucco citri, vel frigidis aliis, ut ſucco portulacæ, vel oleoſis, ut ol. amygd. d. corrigere id vulgô laborent, & ad gr. vii. vel ℈ß. ſaltim dare jubeatur.

Opopanax, ſagapenum, bdellium, gummi ammoniacum, quæ ſingula in pilulis de opopanace reperiuntur, gaudent quidem inſigni vi deterſivâ & humores fundendi, unde & à *Sylvio* in pilulas præſcriptæ commendantur; verùm notavimus ab illis ipſis facillimè teneſmum hæmorrhoidalem oboriri, quòd rodant quaſi inteſtina, inprimis cum colocynthide mixta. Præſtat eadem ad emplaſtra ſeligere, vel internè alterandi & incidendi fine, unde & ingrediuntur theriacam; vel, ſi purgantibus ea addere placeat, minori doſi, in obſtructionibus tenacibus pituitoſis.

Lapis Armenus, à patriâ dictus, licèt in Bohemiæ & aliis argenti & auri fodinis reperiatur copioſè, tàm rarus eſt in officinis, ut vix decima quæque illum oſtendere poſſit. Ut lapis Lazuli cœruleo, ita hic viridi magis colore, ſeu ex cœruleo viridi conſtat, unde cum chryſocollâ nativâ affinitatem habet. Relatus ob acrimoniam veneream, quam ſecum gerit, inter purgantia & melanagoga olim fuit, lotus & propinatus; verum à recentiorum nemine amplius hoc nomine in praxi æſtimatur.

Lapis Lazuli coloris veneti, ſtriis & maculis ſolaribus interſtinctus micans, cum lapide armeno judicatur convenire & de ære participare, quo de pluribus legi poteſt *Exc. Pechlinus noſter leg. de purp. p. 186.* Hinc etiam multos experitur adverſarios, qui ipſum diffamant, & pravas nocentes ac exulcerantes, lotione non corrigibiles, ejuſdem facultates incuſant, unde etiam ex confectione alkermes expungere eundem geſtiunt, quàm & hoc nomine aliquando purgare aſſerunt, quòd tamen per accidens ſæpe fit, quam in rem vid. *Dodon. obſerv. med. c. 54 p. 90.* Aſt reverà innoxius eſt lapis, & vires, quas habet purgantes, leves poſſidet, unáque maſſam ſanguineam purificantes egregias. Si enim corrigatur lotione acrimonia metallica, quam levem habet, tutò cum purgantibus melanagogis dari poteſt, unde ipſum ad ℈i. cum ana gialapæ dedimus ſæpius, interdum etiam in robuſtioribus citra effectum purgationis ullum. Sunt etiam, qui huic lapidi plus fidendum rentur, quàm helleboro, in affectibus melancholicis, & in deſperatiſſimâ elephantiaſi illum experimentis ſuis nobilitatum commendat *Scaliger exerc. 272.* Pilulæ de lapide Lazuli, in pharmacopœis deſcriptæ, itidem ſunt exoletæ.

Helleborus duplex eſt, differentiâ à radice deſumptâ, non à floribus, albus & niger. *Albus* inter purgantia exolevit, ob vehementiam, unde inter μοχθηρὸς primum locum tenet, & varia quidem educit, ſed potentiſſimè & ſummâ cum violentiâ. Hic tempore *Hippocratis* potiſſimum fuit in uſu, unde ubicunq; hellebori mentionem facit, idem ſimpliciter, ſine additamento,

ibi album intelligit, teſte *Galeno 5. aph. comm.* 1. Helleborus albus hic potentior longè nigro, unde & à *Paracelſo* dicitur junior, quòd juniores, i. e. valdè ferocientes, vires poſſideat. Et vomitus quoque potenter ciet, minus ſedes, de quo experimentum conſignavit *Smet. miſcell. p.* 565. ubi refert quendam pulverem hellebori albi, in ſacculis coriaceis paſſim etiam hodie venalem, ad pondus ʒß. (tantum enim pulveris ſinguli continent,) idque ex modico aquæ hauſiſſe, à quo vomitus proruperunt, aquoſi primùm, hinc aliquid flavi continentes, infra dejecit ſemel. Hodie igitur cum ſacculis ſuis pro ſternutatorio ſolùm adhibetur.

Non æque hinc patet, quare helleborus ferulaceus dicatur helleborus Hippocratis, ſiquidem admodum ſegnis eſt, undè ad ℈j. illum dedit *Rolfincius.* Si dicere volumus quod res eſt, experimenta ferè circa helleborum fieri hodie deſiêre, proſtantibus melioribus.

Iris noſtras non minus, ac alia exoleta, ob acrimoniam calidiorem minus frequentatur, novimus tamen cochlearis quantitate cum ſucceſſu hydropicis propinatum ſuccum; proſtant potentiora, & ſimul mitiora. *Florentina* verò mitiſſima pro infantibus vulgò uſitata eſt, ſeu ſola, ſeu cum aliis miſcenda.

Mezereum utut frutex ſit, primo vere in ſylvis florem, & quoad corticem cumprimis commendatus, corrigendum cum aceto; minus tamen in uſu ſelecto eſt. Medicina enim ruſtica eſt, & ſæpe febres ſymptomaticas inducit, unde tanti non æſtimatur, ut aliis præponatur. Sin in uſum vocanda fuerit, magis in extracto vel infuſo id fieri poteſt. Empirica quædam nobilis pro hydrope curando exhibebat in ſubſtantiâ pulverem corticum laureolæ cum ſucceſſu felici. Par ratio eſt pil. de mezereo.

Sic & *rob ebuli* ex baccis prolectum laudatiſſimum quidem eſt ὀρεξγωγὸν, vel diureticum & diaphoreticum, cortex verò & ſemen ventriculo inimica adeoque exauctoranda ſunt. Radix decocta cum vino hydropicorum aquas expurgat.

Bryonia quidem non immeritò in hydrope commendatur ab *Helmontio in hydrop. ignot.* §. 40. tum quia aperit, tum quia ſerum hydropicorum evacuat; convenit & in aliis ſeri acris vitiis, ſed purgandi ſcopo ipſa quoque ſtat poſt principia.

Rhamnus ſolutivus, ſeu ſpina cervina, vix nomen retinuit, ſeu uſum ſpectemus, ſucco viridi nauſeabundus & minus frequentatus, vel fundamentum in re habens.

Grana tilli & *ſemen ricini* unius ejuſdemque quidem ſunt proſapiæ, illa ſiquidem nihil aliud ſunt quàm ſemina ricini, pro diverſis tamen aſſignantur, quòd grana tilli ſint ſemina ricini ex Indiâ allata, & forſan alius ſpecie; ſemen verò ricini apud nos quoque haberi queat. Sive pro uno eodemque, ſive pro diverſis habeantur, perinde eſt, neque enim in uſu ſunt ſeu in praxi adhibentur à medicis, ob vehementiam & acrimoniam, quod uredinem moleſtiſſimam habeant, quæ in pelliculâ intimiori medio loco reſidente inprimis conſpicua eſt. Adhibent ea adhuc empirici & balneatores, & memini civem quendam numero tria adſumſiſſe, indeque fortiter purgatum. Qui verò vim agendi noſſe velit, guſtet ſaltim particulam, inde enim fauces accenduntur quaſi ſummo ardore & intolerabili. Par ratio quoque eſt *nucis catharcticæ*, quæ cum dictis convenit effectu, differt magnitudine, eſt enim major, de quo præter *Cluſium* alioſque legi poteſt *Sim. Pauli quadrip. bot. in. p.* 548. & 552. ubi & de granis tilli plura habentur.

Epithymum cuſcutæ eſt ſpecies, ſiquidem quod apud nos in lupulo, urticâ & aliis plantis eſt cuſcuta, id in thymo eſt epithymum, licet & odore, qui thymum refert, & nodis ac filamentis à cuſcutâ differat, Creticum & Narbonenſe eligendum. Fatentur autores omnes corrigendam eſſe ejuſdem tarditatem & ſiccitatem, unde reverâ ſi examinentur ſingula, purgantibus ſociatum hinc in claſſem ipſorummet relatum fuit. Præſtat corrigentis & alterantis loco in affectibus melancholicis ad ʒij. iij. ℥ß. infuſis & decoctis addere, ſiquidem ſpiritus blandè reficit, acorem infringit, ſerum corrigit, ſubtilitate ſuâ penetrat & aperit.

Cortex frangulæ in balneis & unguentis euporiſtis contra ſcabiem etiam vulgo uſitatus magis. Eadem ratio eſt *cort. ſambuc. ſem. & cort. ebuli*, item *rhabarbari monachorum*, quod debilius longè evacuationem præſtat, unde in duplâ doſi præſcribendum cenſent; in clyſteribus habere locum poteſt.

Patet ex dictis, eſſe & in his minus uſitatis quandam differentiam, nec tam negatam purgandi vim & efficaciam, quàm ſelectum, & quod iis primariò purgandi fine non facilè utamur.

De Purgantibus rarius Uſitatis.

RARIUS & DETERMINATE USITATA vocamus, quæ in praxi quidem locum habent, ſed iidem non quotidianum, primarium & catholicum, ſed magis in his vel illius caſibus & circumſtantiis, ſi quidem ſelectum attendamus.

Caſſia, ad differentiam ligneæ, *ſolutiva* dicta ſeu fiſtularis, à formâ, in cannis enim videnda eſt ſiliqua, ex Ægypto & Indiâ afferri ſolita, unde Alexandrina audit. In uſu eſt non tota, ſed quoad pulpam recens extractam, quæ & *flos Caſſiæ*, item *extractum* audit, ſemen verò & cortex, & interſtitium membraneum non ſunt purgantia ſeu uſualia, quin adſtringunt potius.

Temperatæ eſt naturæ, & blandâ, ſubdulci, mucilaginoſâ vi humorum acredinem mitigat, acredinem ſanguinis, ſeri & ſeminis: & ſiccitatem corrigit. Hinc *pectoralis* eſt, in tuſſi infantum & adultorum, pleuritide; *nephritica*, in calculo & renum ardore, ciens urinam & vias leniens; in gonorrhœâ item ſimplici & virulentâ, ut & pollutione nocturnâ conveniens. Benigna eſt, unde Italis maximè frequentata, & gravidis ipſis conceſſa, ſed lenior, flatulenta & ventriculi, fermentatione humorum, flatibus, ut in colicâ, hypochondriacis.

Pollet verò in receſſu inſigni ſtimulo, unde eâ & ob hoc non abutendum eſt, vel promiſcuè in calculo utendum: ſiquidem obſervarunt autores inde ſæpe ardorem urinæ ejuſdemque copioſum profluvium ſubſecutum. Videri de hoc præter *Zacut. Luſitanum* meretur *Hildanus l. de Lithotomiâ veſic. p.* 759. Hinc in mictu cruento & quibus calculus ſectus fuit, in diabete & ſimilibus urinæ vitiis non æquè prodeſt, ſed cavenda eſt. Datur ad ℥ß. ʒvj ℥j. & amplius.

Tamarindorum pulpa cum Caſſiâ convenit quoad laxandi effectum, differt, quòd acidula ſit, & non tàm laxitatem quàm adſtrictionem poſt ſe relinquat; ſeparata itidem à villis ſeu filamentis & nucleis. Frequenter cum Caſſia miſcetur, eâdem gaudens doſi, ut alteram quaſi corrigat.

Acidulâ ſuâ qualitate ſimul fermentativâ laxat quidem, ſed ſimul acrimoniam bilioſam mitigat, unde in febribus, hæmorrhoidibus fluentibus, gonorrhœâ, ictero, hydrope &c. convenit, ſitim ſedat, quin & Tincturam ♂is extrahit, quod *Mynſichtus* inprimis commendat, vim aperitivam & roborantem adaugens.

Manna, cum epitheto *Calabrina*, à patriâ, vel *electa*, id eſt, candida, duriuſcula, dulcis, facilè liqueſcens

malti-

maſticatione, dicitur, licet etiam inter *folioſam* ſeu granulatam, & *ramoſam* ſeu mannâ corporis, & *maſtichinam* diſtinguant, reſpectu partium arboris, ex quibus clolecta eſt, & bonitatis. Non tamen eſt lachryma arboris, v.g. fraxini, quod *Donatus ab Alto mari* & *Cluſius* contendunt; ſed mel arboreum concretum, ex iiſdem principiis ac mel compoſitum, cum quo maximè convenit, à coagulatione ſalinâ firmiorem conſiſtentiam ſortita, participans de rore & arbore. *Magnenus l. de Manna c.* 12. *p.* 66. ejus principia ponit: ceram primigeniam, mel primigenium, halitum roridum, ☽ & ⊖ ✱cum. More dulcium condit ſal acidum, hinc fermentativum & abſterſivum.

Prodeſt laxandi virtute in infantibus, ita tamen, ne adſit diſpoſitio epileptica, in aliis quoque per ſe data ab unc. ß. ad unc. j. ij. Prodeſt ſcilicet, ubi dulcibus locus eſt; nocet, ubi eadem non proſunt, Hinc pituitam liquat, & ad alvum blandè divertit fluidiorem redditam, demulcet acrimoniam, lenit & abſtergit inprimis pectus & brochica & arterica, unde in tuſſi, raucedine & aliis aſperæ arteriæ vitiis prodeſt.

Convenit & in obſtructâ alvo à ſiccitate, unde & conſerva roſarum mannata commendatur, deſcripta à *Sennerto in Inſtit.* item in morſulis datur, tabulata ſeu in morſulos redacta, de quo vid. *Schroderus.*

Minus prodeſt in febribus acutis & ardentibus, ut & peripneumoniâ & pleuritide; minus etiam ventriculo debili & picrocholis, nec variolis, morbillis, diabet. &c.

Turbith, ſeu turpethum, itidem ex Arabum invento clarum, cortex eſt albus, lignoſus & reſinoſus ſeu gummatoſus, radicis exoticæ, juxtà nonnullos Thapſiæ, cùm pro unâ eâdemque exhibeatur, plantæ lactefcentis ſui generis. Eſſe nucleum interiorem radicis ſcammoneæ, vel ſaltem ipſi ſimillimâ tradit *Stapel. comm. in Teophr. p.* 1054. qui latius de eo videri meretur.

Communiter in electionis ſignum album præſcribitur, magis tamen gummoſitas prævalet; calidum eſt & acre, unde humores pituitoſos validè purgat, neque etiam niſi in humidioribus & fortioribus, ubi humores liquandi fuerint, æquè locum habet, præprimis in pulvere, unde cum zingibere in Indiâ condit. in ſcrophulis commendat *Scultet. obſ.* 31. *p.* 90. Per ſe rarò vel nunquam datur, ſpecies verò diaturbith cum rhabarb. more aliarum confuſæ ſunt, & licet ſtomachicis, zingibere, maſtiche, cinamomo, aniſo corrigantur, ventriculo tamen inimicum eſt medicamentum & tormina facilè excitans. Alii cum aceto corrigunt & ſic in uſum vocant, quod commodius, vel etiam extractum parari inde poteſt. Verbo, vel in infuſo, vel in extracto, mitiori & retuſâ ſic reddita acrimoniâ, tutius uſurpari poteſt. Ad vermes dilaudat *Heerius obſ. p.* 293. qui lumbricis ejiciendis aptiſſimum ſemper invenit.

Cnicus ſeu Carthamus, crocus ſylveſtris, *Safflor* ad differentiam croci genuini dictus. Dicitur Carthamus ab Arabico...., non verò, niſi abuſivè, ἀπὸ τῦ καθαίρειν, *à purgando.*

Eliguntur purgandi fine ſola ſemina eaque recentia, albicantia, ſucculenta, medullâ candidâ & pingui referta. Mite eſt medicamentum, cum leni amaritie in oleoſis partibus acrimoniam lenem ſalinam condens, unde humoribus ſeroſis coagulatis incidendis aptatur. Speciatim in affectibus pectoris, aſthmate, tuſſi, hinc & anaſarcâ, colicâ, quartanâ convenit.

De *matalıſtâ*, minus notâ aliàs radice, latius egimus & ſententiam noſtram tulimus *diſſ. de Gialapâ*, quod nempe ſit gialapæ ſpecies tertia, quàm matlaliztic Indi nuncupant, ex quo facilè Europæus matalıſtæ vocem formaverit. Primus ejus meminit *Joh. Bauhinus hiſt. plant. l.* 15. *c.* 26. qui Duci Wirtenbergenſi nomine radicis purgativæ Indicæ matalıſtæ miſſam ſcribit, procul dubio à ſeplaſiario, advecta ex Americâ, ſucceſſivè innoteſcente mechoacannâ, gialapâ & hâc ipſâ, ſed quod gialapa palmam præriperet, minus hinc curata. Nonnulli putant, eſſe hanc eandem cum rad. de Quimbaya Hiſpanis dictâ, deſcriptâ ab iiſdem, & nominatim *Fragoſo fin. cap. de rhabarb.*

Æmulatur radix formâ bryoniam aut mechoacannam albam, quâ tamen villoſa ſeu fibroſa & conſiſtentiâ magis dura eſt, fibris quaſi ligneis conſtans. Guſtu quoque convenientiam aliquam cum mechoacannâ demonſtrat, extracta cum 🜄i eſſentiam flaveſcentem præbet, mediæ virtutis inter gialapam & mechoacannam, eâdem doſi danda.

Hermodactyli licet à *Foreſto* rejiciantur *l.* 1. *p.* 797. nec iis utendum putetur niſi in valdè robuſtis corporibus; attamen inter δραςικὰ à nemine, quod ſciam, referuntur, quin mitiores potius ſunt & ſegniores. Radix ex Colchici non venenati, cordis figurâ ferè conſpicua, non acris, mordax, ſed farinaceum pulverem largiens. Determinantur verò communiter ad affectus arthriticos, item luem Veneream adſtrictione inde conſequente ob partes terreas. Sero debitum eſt medicamentum, uti radices ferè bulboſæ omnes eidem vel demulcendo vel acuendo faciunt, præterea etiam omnes ferè tales radices nauſeam cient. Præſtat eandem vel in pulvere dare cum aliis, cùm tardè operetur, & nauſeam ventriculo creet, vel in infuſo pro vino ad ʒij. vel ℥ß. Pil. de hermodact. crudiores ſunt. Pulvis hermodactylorum compoſitus deſcribitur in *pharmac. Londinenſ. p.* 177. ſociatus pulvere oſſium human. calcin. qui ipſi communiter eodem fine commendantur in podragrâ, alcalinâ ſcilicet vi, non alìâ.

Infamium medicaminum, ſeu fortiorum & violentorum potius exemplum præcipuum præbet *colocynthis*, fructus ſeu pomum excorticatum cucurbitæ ſylveſtris, aloë contra amara, unde etiam contractu & affrictu ſaporem hunc cum cultris, orbibus & manibus communicat.

Noxæ, quæ inde producuntur, inprimis ſunt cum reliquis δραςικοῖς communes, raſio inteſtinorum, tormina immania, ſanguinis profectio ſeu dyſenteria ipſa. Quem in finem antiquitus antidota & correctoria oppoſuit viſcida & glutinoſa, unde trochiſci alhandal. i. e. de colocynthide enati ſunt, quod ipſum quoque non penitus contemnendum eſt, cùm impediat ac obtundat paulò acrimoniam. Oleoſa verò commodum eo caſu eſſe remedium, obſervatione inſigni probat *Tulpius l.* 4. *obſ.* 26. *p.* 318. referens bibiſſe quendam trium pomorum colocynthidis decoctum, inde tormina & ſanguinis profluvium vehemens paſſum periculum vitæ ſubiiſſe, evaſiſſe tamen epoto multo oleo eodemque infrà copioſius infuſo, unde dictum factum refrænata fuit effera medicamenti orodentis vis.

Neque tamen ob hoc ipsum vel colocynthis vel alia in genere ſimilia violenta penitus ſunt rejicienda, quin & de iis in univerſum valet: ubi virus, ibi virtus. Duro nodo durus quærendus ſæpe cuneus. Non minus rebelles & indomiti dantur morbi, nec minus & humores viſcidi, glutinoſi, vix mobiles, qui levioribus non auſcultant; morbis igitur taliſmodi chronicis ac rebellibus, humoribus craſſis & immorigeris meritò opponuntur & inter alia colocynthiaca. Hinc convenit in hydrope, colicâ, à pituitâ vitreâ, aſthmate, maniâ, melancholiâ, leprâ, ſcabie, apoplexiâ & affectibus aliis ſoporoſis. Unde & ipſe *Helmontius l. diſpenſ. mod. t.* 48. colocynthidem vocat chronicorum curatricem egregiam, ob vim reſolutivam extraverſam, ſi ſale circulato corrigatur.

Ut itaque inter agens & patiens requiritur proportio,

tio, ita tum in his caſibus, tum etiam corporibus robuſtioribus & integris viribus, quin ubi vires quaſi accidendæ ſunt, in maniâ, habet locum; in debilibus verò, hæmoptyicis, phthiſicis & rarioris texturæ aliis, item pueris, ſenibus, puerperis, prægnantibus, inadæquatum fuerit & inconveniens remedium.

Factâ etiam correctione & acciſâ vehementiâ tuta ſunt δραςικὰ hæc magis. Correctio fit plenior quidem in extracto, cùm acidis quoque ipſis; tutius ergò præcipuè eſt extractum, retuſior item vis eſt in infuſis, in clyſteribus, neque enim in ſubſtantiâ dare conſultum eſt. Spectat huc confectio Hamech. de quo videatur *Solenander in conſil.* ubi pluribus contra colocynthidem invehitur, ut & ∽ vitæ aureus Rul. factâ extractione troch. cum ♈︎i, ſed ingratior. Mitiora quoque ſingula oportet reddantur, doſi acciſâ & minori, ut contra ea ſi trochiſci quoq; ipſi dentur in formâ pulveris, majori præbio, exinde ſæpius convulſiones ſecutæ fuere. Hinc δραςικὰ ipſa hæc ſi non per ſe, tamen cum aliis & inprimis in extractis panchymagogis locum habent eximium. Imò & ipſâ quoque partium diverſitate variat in vi colocynthis; Semina enim ipſa pulpâ mitiora ſunt. Memini chirurgum quendam egregiè purgaſſe plurimos lue venereâ laborantes ſolo infuſo ſeminum colocynthidis cum cereviſiâ facto. Bibitum infuſum colocynthidis à ſtudioſo ſcabioſo multos humores aduſtos evacuabat.

Fortiora mediæ hujus claſſis ſtimuli loco commodè & magis inſerviunt reliquorum, ut mitiora lenientium, & inprimis in pilulis. Hinc ſi indicatio ſit, præter alia dicta, menſes citare, vermes necare, commodè purgantibus pilulis addere licet trochiſcos & extractum troch. alhandal. Obſervavi aliquando g. v. trochiſc. horum cum gialapæ gr. xv. loco ſtimuli data nil exfeciſſe tamen. Inter epomphalia exterius adhibenda δραςικὰ mitiora quoque ſunt, unde ♂ diacolocynth. inter illa locum habet.

Helleborus niger inter purgantia olim communiſſimus fuit, unde & in proverbium abiit, helleborum capere, ire ad Anticyras; radix fibroſa, quo ipſo ab albo etiam commodè diſtinguitur. Licet verò ex obſervatione *Manardi l. c.* & aliorum non tam vehemens ſit ſine dubio, & noxæ exinde ortæ communes videantur cum aliis omnibus; cùm tamen mitiora in uſum introducta, ſenſim viluit, & morbis gravioribus capitis, epilepſiæ, apoplexiæ, melancholiæ, maniç, vertigini & atrabilariis aliis, lepræ, ſcabiei &c. deſtinatus magis fuit. Legi meretur de eodem *Timæus l. 7. caſ. 6. p.* 312. ubi tamen Andreæ Knophelio minus favere videtur, odioſè recenſens, à præſcriptâ potiunculâ cum extracto hellebori nigri mixtâ intra ſeptem horas mortem ſecutam.

Valent de eo quoque plurima jam ſub colocynthide dicta, adeoque certum eſt & uſitatum in praxi, præſcribere fibras hellebori nigri in nodulis ad ʒij. vel ℥ß. quoque innoxiè. Extractum quoque commodè miſcetur pilulis. In libello Germanico empirico recenſetur remedium curandæ maniæ, ſi extractum hellebori nigri per decoctum cum Aqua ſimpl. factum & deſpumatione depuratum quotidiè ad g. j. vel alterum detur. Nempe helleborus acuit non ſolùm purgantia reliqua, verùm & alterantia. Exempli loco ſit oxymel helleboratum, quod plenis buccis dilaudat *Hoffmannus l. de med. offic.* ingreditur verò in id uterque helleborus, fibræ integræ nigri ad ʒj. & cort. albi radicis ad ℥ß. ut taceam dauram Paracelſi, qui heroem vocat ad quatuor morbos cardinales, & pulverem fol. helleb. nigr. cum ſacch. contra vertiginem.

Eſulam maximè *Rulandus* celebravit uſu ſuo. In uſu eſt cypariſſias, ſucco lacteo acri, verrucas delente & exulcerant, acrimoniam ſuam probans, & quidem magis quoad cortices ἐξεπτερυζομένη, minus in ſubſtantiâ. Licet enim quidam conſervam ex floribus parent purgantem, alii verò pulverem corticis commendent, tùm ſolùm, tum cum aceto correctum; eſt tamen id omnino rariùs, unde & ſpec. diaeſulæ Mynſ. minus receptæ ſunt in uſum, quas in febribus intermittentibus & infirmitate ventriculi commendat. Frequentius præ reliquis eſt extractum eſulæ, ſeu ex ſucco paratum, ſeu ex cortice. Eſt velut Europæorum ſcammonium, neque enim dubito, ſi quis ſuccum lacteum reſinoſum extrahere & depurare hoc pacto cum ♈︎i velit, habiturum illum remedium ſcammonio par, & ſtimuli loco commodè inſerviens, præcipuè in morbis à ſeroſâ colluvie oriundis, ut hydrope &c.

Elaterium, aliàs pro omni vehementi agitatorio ſeu purgante ſumptum, ſtrictius paulò & καὶ ἐξοχὴν notat ſuccum cucumeris aſinini, hodierno uſu non tam crudior & ſponte effluens colligitur, quàm coctione cum aquâ, unde extracti formam magis æmulatur. Seridicum eſt excellentiſſimum, humores tenues ſeroſos etiam extravaſatos & ſubſiſtentes purgat, præcipuè ſi ab errore externo vel acidulis id ortum traxerit. Datur itidem loco ſtimuli & in pilulis magis; extractum quidem ſpiſſum an gr. iij. iv. v. liquidum verò ad ℈ß.

Gratiola, hyſſopo affinis magis quàm centaurio, quod *Bauhinus* vult, amaricante ſuâ & laxante virtute in morbis itidem chronicis, tertianâ, quartanâ, cachexiâ, maximè verò in hydrope uſitata eſt, item in vermibus, magis tamen in infuſo, extracto, & cum aliis.

Soldanella ſeu braſſica marina, licet nihil præter nomen cum braſſicâ habeat commune, foliis aſari, ſmilacis ſpecies, ſeu convolvuli, aperit, abſtergit & purgat humores ſeroſos violenter, quod pleraque alia ὀρεγαγωγὰ faciunt, etiam ſoli ferè hydropi hodiè debetur, præſcribenda in infuſo vel decocto ad unam vel alteram drachmam.

Elegans verò locus de ſoldanellâ alpinâ extat apud *Ruland. jun. apol. contra Obernd. p. 67.* ubi ad hydropem & ictericos ſummè laudat, contra Oberndorferum, qui ſcripto ſuo contrario latè etiam de eâ agit, ſed illam reiicit. Grates omninò debentur *Rulando*, qui experimentis nobilitatas vires primus detexit publicè, & meritò ſodanellæ marinæ ſubſtituit. Ipſam verò plantam deſcribit *Camerar. in Epit. Mathioli.*

De *Gummi Gutta* integrum librum ſcripſit Lotichius. nihil tamen peculiare quoad experimenta chimica diſquirit, contentus curioſè nota de eodem colligere, item *Roſenberg. rhodolog. p. 2. c. 22. & Reuden.* cit. à *Jonſtono* & *Hochſtettero dec. 3. caſ. 1. p. 180 ſeq.*

Pluribus gaudet nominibus, ſingulis tamen ferè cum guttæ & gummi additamento. Frequentiſſimum nomen eſt gummi guttæ, vel g. g. laxativum, quod ad podagram, barbaris gutta dictam, proſit, exprimâ commendatione; item gutta Cambodia. Innotuit itidem ſub hujus ſeculi initium circiter ex utrâque Indiâ, ut communiter ſtatuitur, advehi ſolitum, unde alii ex Sinâ aſportari adfirmant, alii ex Peru, unde gummi de Peru ſeu Chryſopus Peruanus audit, id quod conſtanter ſed fruſtra forſan negat *Hochſtetter. l. 1. p. 183.* Cùm verò in aquâ & ♈︎i ſolvatur, meritò eſt gummi-reſina, ſuccus ſeu lac citrinum ex flavo rubens, vel ſubaureum & ultra ſulphureum adſcendens, unde & ad pigmenta adhibetur.

Sed cui vegetabili debeatur, (falſò enim de antimoniatis participare ſcribitur,) incertum quidem, vix tamen ex ricino Indico, quod *Bauhinus* vult, neque enim color vel ſapor reſpondit. Rectius è tithymali ſpecie arceſſitur, quod *Bontius* ſcriptor Indicus egregius aſſerit, lacteo colore per crocum Indicum

cum vel curcumam verſo. Sunt qui è Beidelſar Arabum parari aſſerunt. Artificiale taliſmodi eſſe, etiam figura oſtendit.

Notabile eſt de hoc, (1.) quod, licet colorem ſaturatum poſſideat tingentem, inde tamen feces non tàm tinctæ, quàm ſeroſæ excernantur. (2.) quòd *ἄνω* & *κάτω* purget, quod mediam inter fixam & volatilem habeat acrimoniam ſalino-ſulphuream, inprimis crudum, vel non correctum, vitriolatum enim & magiſterium præcipuè in pilulis minus id facit. Hæc enim, ut & ſandalinum, roſatum, ſupinare ventriculum minus ſolent. (3.) quòd ♁-li quidem habeatur corrigens genuinum, additus verò eidem virorem ingratum conciliet, ut taceamus, alios quoſdam cum vino malvatico vel præparare, vel exhibere; hincin potionibus minus commmodè, niſi in ſirupis ſolis, unà præſcribitur.

Exhiberi quidem poteſt g. g. etiam per ſe, ſeu doſi primariâ, ad g. VI. VIII. X. inprimis in magiſterio, tanquam correctiori, neq; enim ulterius niſi robuſtiſſimis facilè aſcendimus, id tamen magis determinatè, in morbis à ſeroſâ colluvie oriundis, nominatim in hydrope, arthritide, ictero, febrib., aſthmate & primis viis pituitâ obſeſſis, item in ſcabie humidâ, leprâ, pruritu &c. experimentis hanc in rem dudum facts & receptis hactenus, quod autores primi, *Bauhinus*, *Lotichius*, *Hochſtetterus* aliiq; ut & *Simon Pauli*, qui ancillam hydropicam hoc pacto curavit, affatim demonſtrant. Frequentius verò in & extra illos caſus datur ſecundario fine, ſtimulandi ſcilicet, cùm gialapâ, ſcammonio, in extracto panchymagogo & aliis.

Quando *mercurius dulcis* inter purgantia memoratur, probè curandum eſt, ut nomini ſuo ſit conveniens, i. e. acrimoniâ corroſivâ omni exutus, unde genuinus præparandi modus niſi obſervetur, necare poteſt hominem, vel triſtiſſima excitare ſymptomata. Triſte hujus rei exemplum anno 1669. contigit propè Tubingam Sueviæ. Conſulitur medicus celebris pro valetudine filioli Paſtoris cujuſdam nondum bimuli, qui per aliquot hebdomadas malè habuerat, cum calore p. n. & epilepſiæ uno alteroque inſultu; inde reſtituitur, præter phlegma pectori impactum, &, ut videbatur, nidum verminoſum. Educendis his præſcribitur ſequens medicamentum: ℞. ☿d. ſexies ſublimati gr. xii. g. g. mag. gialap. ana g. iii. M. F. pulv. Aſſumendo hoc cochlear argenteum ſtatim nigrore affectum intus & extus, os verò infantis albidum & exulceratum ſeu puſtuloſum redditum; inde anxius ſtatim ſudor, vomitus pituitoſus & hinc cruore mixtus ſecutus, cum roncho & raucedine, morte eâdem die circa veſperam ſecutâ. Poſt mortem, factâ ſectione, eroſus ferè ſiniſtrâ ſuperiori parte ventriculus, præter alia, repertus fuit. Inquiſitione factâ Pharmacopœus, doctus & pius habitus, juxta ſequentem deſcriptionem medicamentum præparatum edicit: ℞. ☿ purif. ⊕-l. ex'cc. ⊖ torref. ana: ⩲entur. ℞ hujus ⩲ti ℔ß. ⊖ torrefact. unc. VI. Vitriol. ad rub. calcin. unc. ii. ſublimetur ſecundâ vice. Tertiò cum ⊖ torref. ℥vj. tritum ſublimetur. Hinc ſublimatum hoc modo per ſe ter vel quater rectificatur. Conſulta ſuper hoc Facultas noſtra à Senatu Academico Tubingenſi reſpondit meritò, ☿ium hunc non fuiſſe dulcem, (oblato etiam ſimul ſpecimine,) ſed potius ☿ium ⩲matum ſimpliciter, adeoque venenatum. Tanti eſt noſſe ſinceram præparationem! Nullus ſcilicet ☿ dulcis hunc titulum meretur, niſi qui ex ☿⩲to cum ☿ vivo ana fuit evectus, intermortuis hoc pacto particulis acuminatis ſalinis.

Determinatur ☿ dulcis, his poſitis conditionibus, ad *ςάσιν* ſeri qu mcunque, ejuſque acrimoniam & ichoreſcentiam, tùm in hydrope, quo titulo etiam à *Paracelſo* fuit commendatus, & feliciter adhibitus non rarò; tum in ſcabie, lue ♀eâ & aliis, ſive ſalivandi fine perfecto, ſive laxandi & dirigendi ſolùm, unde & in gonorrhϾâ & vermibus abigendis inſumitur. Præſtat verò eundem minori paulò doſi exhibere, neque enim vel fortis eſt adeò, quin ſegnis & à reliquis extimulandus; vel ſoli purgationi debitus, ſiquidem tunc ſalivandi potius ſcopo prodeſſe poteſt, repetitâ per aliquot dies doſi, gr. v. vi. vii. cum extract. ſcorzon. lign. ſanct. &c. in pil. redactus. Præſtat verò in infantibus tenellis vel abſtinere omninò ab eodem, quòd tenerius ſit ipſorum ſerum, vel doſi non excedere, nec temere ipſum propinare.

De Purgantibus Uſitatioribus & ſelectis.

Decantatiſſima eſt inter Lenientia *Aloe*, ſuccus herbæ cognominis, ſed non Americanæ, quæ amara non eſt, ſed Indiæ orientalis, quam & Græcam vocant, cujus ſuccus & flaveſcens & amaricans etiam in noſtris aliquando hortis viſitur.

Differentia ὀπῦ, χυλῦ & δακρύα differentiam etiam præparationis & conſequenter ejus velut ſpecierum patefacit. Lacryma enim eſt ſponte exſudans & concreſcens gummi, reſina, vel gummi-reſina, χυλὸς, ſuccus, qui inciſione exſtillans concreſcit; ὀπὸς, qui exprimitur, participans de purioribus & impuris paulò particulis. Hinc *ſocoterina* aloë optima eſt, magis de χυλῶ participans, ſuccus depuratior, ſubtilior & quaſi flos ejuſdem ſucci, dicta ab inſulâ Indiæ orientalis, Socotera, è Geographicis tabulis benè nota, non quaſi ſuccocitrina, juxta *Fuchſium*, vel ſuccocedria, quod utrumque *Salomon Albertus* opinatur, *orat. de anat*; uti à patria quoque dicitur opium Thebaicum, manna Calabrina, myrrha Orontea.

Poſt hanc altera quoque *hepatica*, à colore & figura, quibus hepar æmulatur, dicta in uſum vocatur; *Caballina* verò tanquam recrementum ultimum pro caballis meritò veterinariis relinquitur, neque in officinis extat.

Cùm ergò purgans ſit eximium, & fel quaſi externum, quod fellis defectum optimè reſarcit, juxta has ſuas qualitates etiam modificatur. Ratione etiam partium amaricantium ventriculo eſt amica, vermibus, lumbricis & putredini omni inimica, tantoque magis putredini reſiſtit, quo magis unà eſt emplaſtica & balſamica. Vulpes verò, lupos & canes necare ſcribitur, forſan quòd, cum ſicciora ſint hæc animalia, vis irritativa magis cum nervis communicetur & archeum exturbet. Experimentum cum vulpecula fecit *Scaliger. exerc.* 278. §. 12. qui vidit illam aloë cum carnibus devoratâ extinctam.

Ob partes reſinoſas emplaſticas dictas exterius adſtringit, ſiccat, conſolidat, in vulnere arteriarum à *Galeno* ipſo commendata.

Ob partes acres reſolubiles gummeas ita diſpoſitas ſtimulat, aperit, purgat, detergit, adeoque feces ad exitum diſponit, unaque bilem & pituitoſas partes educit. Prodeſt ergò ubicunque ſanguinis particulæ balſamicæ ſunt reſtaurandæ, & volatiles in motum citandæ, in cruditatibus cumprimis acidis & pituitoſis à crapula & aliunde ortis, cachexia, chloroſi, menſium & hæmorrhoidum ſuppreſſis laborans duobus curabatur remediis, pulvere cachectico, & elixirio propriet. Prodeſt humidioribus tum quoad totum, tum quoad inteſtina, ſiccos verò, niſi teneriori textura villorum & ſenſu polleant, vix movet. Prodeſt in nauſea, ipſarum quoque prægnantium, & vomitu.

Nocet verò ſiccioribus & ſenibus, niſi præſentia humorum in primis viis ſtabulans id urgeat, ventriculo calido & ſicco, hecticis, tabidis. Nocet, ubi

ubi acrimonia ſanguinis exitum affectat, in hæmophyſi, menſium & hæmorrhoidum fluxu, & ſimilibus.

Refert *Beza in vitâ Calvini*, ipſum ex crebro ejus uſu in hæmorrhoides ulceroſas & ſanguinis excreationem incidiſſe, Et ab uſu adulto pilularum Francofurtenſium quarta ferè pars eorum, qui ijs uſi ſunt, obſervata fuit hæmorrhoidibus correpta. Experiri id quivis poteſt, ſi continuare uſum ejuſdem per aliquot dies ſuſtineat, teneſmum ſaltem hæmorrhoidalem excitari. Unde fruſtra eſt *Fuchſius l. 1. parad. c. 1.* ubi id negat, confundens externum uſum cum interno. Facit id (1.) ob acrimoniam cum purgantibus alijs communem; (2.) quia pituitam detergit, adeoque nudat magis vaſa; (3.) quia bilem unà promovet, & ad partes inferiores derivat, quæ ibi ſubſiſtens ſtimulat. Obſervatumque à nobis eſt alibi, hæmorrhoidum immodicum fluxum à copiâ bilis obortum, dato quippe purgante ex gialapâ, eâdem manifeſtò excretâ id ad oculum patuit, ceſſante hinc fluxu.

Aloë etiam ſomnum citat, non ſolùm mediatè ex ventriculo educendo quicquid turbare illum crudorum humorum poſſet ſed etiam alia ratione, quatenus partibus ſulphureis reſolubilibus gaudet.

In uſum vocatur non tàm cruda, nec in pulvere, quàm præparata & in pilulis; ita enim amarities occultatur, quam *Muſa l. de herb. beton. in præfat.* averſatur, unde aloës & abſinthi, *ait*, non eſt tantum ſentire auxilium, quàm ut amaritudinem ſentias Lotam verò, propriè ſumta voce, jamdudum *Galenus* notavit *l. 3. ſimpl. c. 15.* aut debiliter aut planè non ventrem ſubducere. Optimè verò menſtruis aqueis extracta, quorſum & ſuccus roſarum vel violarum pertinet, vel melius adhuc cum martialibus alijſque confermentata, unde dotes ejus optimè venari & quaſi clave quadam licet eruere.

Minus aloëticis favent *Scaliger* & *Hoffmannus*. Ille Ebuſinam & Meſuen ſecutus, loco ſuprà citato, plurimos ſe exemiſſe ſcribit à pernicie manifeſta, in quam conjecti erant aloës uſu à medicis & empiricis. Hic verò *l. 1. de med. offic. c. 3. p. 8.* negat ante cibum vel cum cibo adſumenda aloëtica, & vidiſſe ſe addit, in iis, qui de nocte capiebant, obortas cacochymias degeneraſſe in febres malignas, quarum finis mors. Abuſus reverà nunquam tollere debet uſum.

Æmulatur aloë bilem ſapore, qualitatibus & effectis: balſamum eſt bilis corporis, balſamum naturæ aloë. Unde æmulari rectè jubet *Simon Pauli quadrip. p. 146.* chirurgorum ſolertiam, qui cavendum ſuadent, ne nimis extergantur vulnera, aliàs cambium quaſi tollitur; ita aloëticis non extergamus mucum inteſtinorum plus quàm par eſt. Tantum abeſt, ut lædatur hepar commodo uſu, & lympha non deſtitutum, ut aloëtica cum cibis data noxas dictas excitent; ut potius contrarium toto die experiamur. Facit hunc, quod olim majori doſi eandem dabant, à ℥ß. ad ℥j quam doſin & *Jonſtonus in ſyntagm.* retinet, unde facilior læſio, hodiè verò obſervatum eſt, minori quantitate aſſumptas pilulas, pro reſolutionis modulo, efficacius operari, quàm majori doſi, minus reſolubili Eſt igitur lenientium apex, indemnis & innoxia, ipſis quoque & inprimis utilis infantibus, in febribus, & aliàs; unde hodie pilulæ Francof, Claſſianæ & aliæ magni nominis ſunt, hypochondriacis ipſis utiliſſimæ, modò non viſcera areſcant & caleant ſalina acrimonia. Ubi bilis abundat, minus prodeſt, contra vulgatam hypotheſin, citra humorem nempe ſeroſum, unde hecticis hæmoptyicis &c. minus convenit.

Ex fungis medicis nobiliſſimum eſt *agaricum*, à patria prima, ut putant, Agaria Sarmatiæ regione, Aſiæ confini, dictum, licet à quibuſdam radicis nomine veniat. Dicitur agaricum ſine additione alia, præterquam albi epitheto, qui electionis character eſt, uti ad ſimilitudinem hujus lac Lunæ audit agaricum petræum. Fungus verò eſt laricis, quæ & Terebinthinam Venetam ſeu reſinam lariceam fundit, quando in carioſa arbore ſal volatile fatiſcit, deviat ex archei ordinario jugo, & occaſione humoris extranei cum particulis terreis efflorеſcit, ex Alpibus, & vicinis locis aliis adferri conſuetum.

Optimum hinc *album*, quod, communi contradiſtinctum, hinc electum dicitur, ſapore eſt γλυκύπικρο à dulcedine ſubamaricans, (quod utrumque acrimoniæ ſalinæ reſolubilis ſignum eſt,) leve, raro ac friabili corpore; noxium nigrum lignoſum.

In ſubſtantia quidem non datur, præterquam trochiſcatum partim ob ſegnitiem, unde & nauſea retundi & acui debet, tum purgantibus, tum aromaticis. Reverà enim aromatica, calore excitato, menſtruo ventriculi obedientiora reddunt medicamenta purgantia.

Vi texturæ laudatæ ſerum in coagulum abituriens fluxile reddit, & in motum citatum excretioni aptat, morborum catarrhalium remedium; hinc in coryza, defluxionibus catarrhalibus, aſthmate, tuſſi, febribus quotidianis & lentis, à cruditate fotis prodeſt; item in hydrope cachexia, fluore albo, menſium ſuppreſſione; ut taceamus communem cum purgantibus aliis vim anthelminticam, & attributam vim alexipharmacam, unde theriacam ingreditur, quam & *Galenus* ipſe confirmat *l. 6. de ſimpl. c. 6.*

In uſu habemus præſcribere agaricum trochiſcatum, vel ſibi relictum in nodulis ad ℈j. ʒj. ij. in decoctis quoque & clyſteribus, in quibus in petia, recepto uſu, ligari ſolet, tum propter levitatem, tum, quæ ratio videtur præcipua, ut exprimi hoc modo poſſit. & vis purgans tanto magis cum decocto communicari In extracto quoque datur commodè cum purgantibus miſcendum; ut in extractis panchymagogis Electuarium hieræ cum agar. in clyſteribus, pro dicto ſcopo uſitatis, quoque locum habet.

Mechoacanna, ſeu ſola ſine epitheto nominata, κατ' ἐξοχὴν, ſeu ad differentiam gialapæ, quam nigram vocant, Mechoacanna *alba*, dicta eſt à patria, provincia Americæ, item rhabarbarum album à virtute. Præter ſcriptores Indos videri de ea poteſt *Oberndorff. contra Rulandt. p.* 58. ubi radicem hanc anno 1524. primùm celebrem factam eſſe & longo tempore poſt ad nos allatam *ait*. Scripſit etiam ante centum ferè hoſce annos de eadem cum aliis *Joh. Wittich. p.* 113. ubi refert ex Indicis relationibus inventionem ejuſdem adſcribendam medico Indo, qui ægrotanti monachorum provinciali, ut vocant, propinatâ hac radice ſanitatem reſtituerit, unde famâ ad alios perlata, Hiſpanis, Luſitanis, indeque reliquis Europæis innotuit.

Conſentiunt plerique radicem hanc teſſellatim ſectam, interius & exterius albeſcentem, inſipidam, inodoram, [reſpectivè] cortice cinereo, eſſe convolubilis ſpeciem, unde à *Bauhino* refertur ad bryoniam, cujus tamen radix multum differt à radice Mechoacannæ.

Ob benignitatem applauſum merita eſt inſignem, diu ante inventam gialapam, in ſolium quaſi evecta, atteſtante uſum experientiâ. præcipuè in delicatis, infantibus ipſis, hinc & in hydrope ſeorſim, ictero, colica, aſthmate & catarrhis: idque tantò magis, quòd adſtrictionem poſt ſe relinquat vel potius nullâ heterogeneâ inimicâ qualitate ſit ſigillata.

Dari poteſt tum in ſubſtantiâ, minori tamen poſtus doſi à ℈j. ad ℈ij. præſtat enim acuere aliis; tum etiam frequentius quaſi in infuſis & decoctis, ad ℈ij. ʒj. ij. iij. præſcribi ſolita.

Rhabarbarum laudatiſſimum pluribus ſeculis fuit in ſcholis medicis, adhuc parum notum quoad plantam, indicio manifeſto difficiſſimæ patriæ. Utut enim *Kircherus in Sina illuſtrata* plantam depingat, quam vulgo & botanici in hortis colunt, rhabarbari veri nomine, non tamen vel qualitates vel vires reſpondent, ut bonus ille Pater, qui aſſeveravit Kirchero genuinum id eſſe, procul dubio minus in hoc certus fuerit, niſi velimus dicere alio ſub ſole calentem herbam differentem producere radicem, contrà ac alia faciunt, quæ apud nos jam indigenatum accepere.

Notare hinc operæ pretium eſt nomenclaturam. Rha vel Rhei vox Dioſcoridi & Galeno nota eſt, additâ hinc, ad differentiam rhapontici, barbari voce.

Communiter creditum fuit, dici rha à fluvio cognomine, qui hodiè Volga dicitur in Tartariâ. Ita *Ammianus Marcellin. l. 2. p.* 232. Tanai *ſcribit*, rha vicinus eſt amnis, in cujus ſuperciliis quædam vegetabilis ejuſdem nominis gignitur radix, proficiens ad uſus multiplices medelarum. Hodiè verò innotuit, omne rhabarbarum ex Sinis ferri, ſive maritimo itinere per Belgas, Hiſpanos alioſve eò navigantes, ſive pedeſtri itinere per Tartariam & Muſcoviam. Adeoque conſtat rheum Barbaricum dici, non quod in Barbariâ creſcat, ſed quòd à Sinenſibus in Indiam, inde per Barbaricum ſinum aliaſque regiones ad nos adferatur, ut ait *Stapel. comment. in Theophr. l. 9. p.* 1018. Videatur idem latius *l. c.* & *Bellonius* aliique omnes id confirmant. Alexandrinum verò dicitur, ut & ſena Alexandrina, præcipuè ab emporio commerciis celebri Alexandriâ, unde olim afferebatur ſolùm, hodie verò etiam ad differentiam rhabarbarimo monachorum dicti, quæ radix eſt lapathi paluſtris majoris.

Affertur rhabarbari electi radix magna & craſſa, funis veſtigia præferens, ad exiccandum uſurpati, cortice exterius nigricante deraſo ſtriis ubertibus flavedini intertexta, odore ſui generis, ſapore ſubamaricante, cum leni adſtrictione, maſticata ori offerens quaſi particulas glutinoſas, cum terreis confringibilibus remixtas, quod etiam *Septalius* jam notavit *l. 9. animadv.* 125. ubi confracto eodem ſolis radijs expoſito aliquid gummoſum & ſplendeſcens ſe vidiſſe ait; cæteroquin non lignoſa, non verminoſa, ſed ponderoſa tamen & minus compacta.

Ex his, ſeu textura particularum & effectu, conſtat, acrimoniam ſalino ſulphuream condere rhabarbarum ſub amaritie terrenâ & viſcedine lentâ, adeoque ob diverſitatem partium geminum edere effectum, laxantem quidem ſeu purgantem benignum, ratione partium acrium ſalinarum, & adſtringentem ob commiſtas partes terreas & auſteriuſculas, illas modificantes.

Prodeſt hinc ut *purgans* ſelectum benignum & catholicum generatim, ubi laxandum fuerit, etiam per ſe maſticatum vel in pulvere adſumptum, neque enim correctione eget niſi aromatica, ſchœnanthum, ſpicam & alia ad meliorem actuationem jungere placeat. Ipſis etiam infantibus ad expurgandum meconium, puerperis ad promovenda lochia & purgandum uterum, imò gravidis innoxium & convenientiſſimum.

Speciatim verò eſt *hepaticum & bilis correctorium* egregium, unde & anima hepatis audit, q. d. fel externum, quod de aloë diximus, commodiſſimum, bilis enim eſt anima hepatis; modò, quod cum aliis commune habet, & ſeorſim ob ſiccitatem deſiderat, humorem ſufficientem offendat, ad reſolutionem, nam aliàs præſertim in ſubſtantiâ minus prodeſt, unde ſunt qui, eo caſu puta, mortem potius hepatis vocent. Prodeſt in ictero, quod explicatâ acrimoniâ ſua ſenſim & ſuaviter cunctantes bilis particulas proliciat ad inteſtina, unàque amaritie ſua roboret, fel, ut tartareis liberetur. In omni enim ictero cœnoſus ſulphureus impurus tartarus in urina viſitur. Laborabat ictero perſona quædam illuſtriſſima, quam curavimus brevi ſingulo mane ℈j. rhabarbari ſolius, veſperi martialia, intermedio tempore Tincturam aperitivam propinantes. Idem in aliis quoque feliciter experti ſumus. In ſiccioribus in infuſo cum alijs ſpecificis prodeſt.

In hydrope rhabarbarum proficuum eſſe *Th. Eraſt. ep.* 9. comprobat, ſi rhabarbarum, *ait*, ſumere queat, & ab eo leniter tenuè exerceri ſolitus ſit, hoc ſolo ſæpius repetito, curabitur. Etenim, *addit*, non ſe ſolùm, ſed & alios ſolo rhabarbaro hydropicos percuraſſe. Contrarium verò defendit *Sanctorius comm. in* 1. *a.* 22. *quæſt.* 75. *p.* 213. Galeni illud ſecutus, medicamentum cholagogum in morbo pituitoſo eſſe tanquam venenum, & Ebnſinæ, rhabarbarum, quod evacuet bilem in hydropico, eſſe tanquam venenum, quia in hydrope bilis deſideretur, & *Septalius l.* 7. *caut.* 54. quod talia non evacuet, quæ evacuari debebant.

Notabile verò eſt (1.) in genere, non omnem hydropem fieri à bilis defectu, quin non rarò ab ejuſdem acrimonia, unde vaſa lymphatica erodit. In cadavere ſtudioſi hydropici invenimus bilem copioſam, ruffeſcentem & quaſi oleoſam, cum hepate omni ſanguine carente, vacuis quaſi vaſis. (2.) convenire in hydrope rhabarbarum multis nominibus, modò ejus & ægri temperamentum obſervemus. Hinc legi meretur quoad hoc *Baccius l.* 3 *c.* 3. *de thermis*, qui aliquot hydropiceos curavit ſolo poculo urinæ puerilis 10. ann. per 30. dies continuos manè, & rhabarbaro pro purgante adhibito, hinc & per intervalla fabæ magnitudine commanſo, quod pluribus exemplis confirmat.

In febribus tertianis utimur non ſolum anima rhabarbari, quæ ipſa & in ictero prodeſt, verùm & infuſis alijſque. Genuina enim methodus curandi febres conſiſtit in amurca bilis & obſtructionibus expediendis, hæc quippe fermentum febrile unicè vel fabricat vel fovet. Sic & in hypochondriacis, ſcorbuticis, impuritatibus ſanguinis, ſcabioſis prodeſt, unà urinam colore croceo tingens ob ſulphur reſolutum & in ſerum diffuſum; adeoque eſt ſimul diureticum & nephriticis ſalutare.

Deinde & ſpeciatim prodeſt *roborandi* intentione, quando temperatius purgare & poſteà adſtrictionem fœnerari intentio eſt, ut in diarrhœis, dyſenteriis, fluxu hepatico. Quin adſtringendi fine hoc toſtum rhabarbarum in uſu practico eſt, reuſtis ſic magis ſulphureis & aqueis ablatis, unde adſtrictoria prævalet, purgans verò aboletur ex parte.

Denique & *reſolvendi* virtute in grumeſcentiâ, caſu ab alto, lochiis reſtrictis, & amaricante *anthelmintica* eximium eſt. Vacuat igitur irritando, roborat adſtringendo, tonicum laudatiſſimum, minori doſi verò alterat. Unde uſi ſumus eodem cum ſucceſſu in vomitu cruento, alvo adſtrictâ, item in hæmoptyſi, ob indicationes puta convenientes. Integrum de eo librum ſcripſit *Tillingius*; aliàs verò plura legi etiam poſſunt apud *VVittich. l. c. Rhodium in analectis*, & alios.

Doſis quidem ordinaria eſt ʒj. quæ ſi ob diffuſiorem molem minus arrideat, minor dari poteſt, & ſtimulans addi, inprimis etiam ♀ea, cremor vel cryſtalli ♀ri, & alcalia. Hæc enim ſunt genuina clavis ad centra ejus reſeranda, unaque experimenti loco ad elementa dignoſcenda, alcalina enim ſunt menſtruum ſulphureorum & aqueorum genuinum. Imò exinde etiam patet, quare *Crollius Baſilic. Chim. p. m.* 308. ſcribat, levi elixatione vim purgandi amittere quod & in *luminari majori* confirmatur *p.* 102. 1. ubi *Suardus* commentator ſcribit, rhabarbarum parùm ſuſtinere decoctione, adeoque in ſirupo de citro debere addi, quando ſirupus jam mediocriter fuerit coctus. De-

cepti fuerunt exinde, quod putaverint, avolaſſe virtutem catharcticam exinde, quod ſegnius decoctum eſſet, cùm tamen vis purgans non in volatili parte conſiſtat, cœteroqui extractum rhabarb. planè eſſet iners, quin ne exprompta quidem fuerit menſtruo ſolo aqueo.

Quod de lapatho unctuoſo dicitur, illam totam bonam eſſe, illud potiori jure tum de ſelectis purgantib. omnibus, tum in ſpecie de *Sena* dici poteſt: Tota bona eſt. Sena recentiorib. ſeculis celebrata eſt, diſquirente in epiſtolis *Mundella*, an veterib. fuerit agnita nec ne.

Dicitur itidem *Alexandrina*, quòd Alexandriâ ad Europæos vehatur, licet illuc ex Perſiâ & aliis locis afferatur, cenſente *Stapelio comm. in Theophr. p.* 1818. 1. ad differentiam nempe (1.) Italicæ, quæ minus eſt efficax; unde ſignum pathognomonicum Senæ Alexandrinæ præbent folia acuminata. (2.) ad differentiam quoque coluteæ veſicariæ, fruticis vel ſcorpioidis, vel ſylveſtris, apud nos quoque creſcentis. Licet enim ſuccedanea hæc ſtatuantur, & eſſe poſſint, uti in defectu Alexandrinæ folia coluteæ veſicariæ Danis ſuis ſuaſit, & felicem ſucceſſum expertus eſt *Bartholinus cent.* 5. *obſ.* 60. *p.* 130. citans etiam Mizaldum, qui de Sena ſcripſerit tractatum, ſenæ tamen non æquipollent.

Dicitur etiam alio epitheto ſena *electa*, ſeu *ſine ſtipitibus*, *ausgeleſene Senet Blätter*, ſ.ſ. & folliculis. Hæ ipſæ enim partes magis flatulentæ ſunt, & molem augent, non amaricant, minus purgant, adeoque ventriculo negotium præbent. Neque enim aliàs adeò flatulenta deprehenditur Sena, quod vitium ab omnibus quaſi tribuitur.

Nomen ipſum *Hippocrati*, *Galeno*, *Paulo* aliiſque ignotum ſine dubio Mauritanis debetur, quod *Ruellius l.* 1. *de nat. ſtirp. c.* 70. *p.* 147. aſſerit, coluteam eodem notari afferens, quam in hortenſem & ſylveſtrem dividit, quod & *Meſue* facit loco jam dicendo. Ut ut verò non unum idemque eſſe coluteam omninò & ſenam ſtatuamus, revera tamen non levis eſt, ſed intimior convenientia; (1.) enim purgat utraque, (2.) folliculos habet utraque, quis enim neſcit folliculos Senæ, quos ipſos *Meſue l.* 2. *c.* 15. foliis efficaciores conſtituit, forſan quoad ſemen. (3.) folio conveniunt, ſolo excepto acumine, ut ita Colutea ſit quaſi ſena arboreſcens, ſena colutea folio obtuſo, & herba. Neque abſonum eſt, plantam herboſam efficaciorem arboreſcente, exemplo ſedi minoris, reſpectu arboreſcentis, buxi & aliorum.

Amaritie gratiâ & tonicâ ventriculo amica eſt, purgat vero univerſaliter, leniter & tardè quidem, ſed efficaciter humores omnigenos, præcipuè tamen, juxta communem hypotheſin, idque non ineptè, melancholicos, aduſtos & pituitoſos, idque ſine ullâ exceſſivâ qualitate noxiâ. De flatulentiâ cum omnibus purgantibus communi jam diximus. Benignam hanc Senam quibuſdam caput offendere ſcribit *Hochſtetter. obſ. med. dec.* 3. *p.* 185. id quod ſine dubio factum fuit per accidens.

Prodeſt quinimò univerſali uſu in morbis quibusvis, poſitâ indicatione laxandi, interpres eſt quaſi generalis omnium purgantium & omnium morborum, adde & individuorum, ſicubi purgatio fuerit neceſſaria. Purgantium quidem, quatenus ſæpe ipſis fortioribus operatur felicius, quam in rem non tam *Walæi* obſervatio notabilis eſt, practicum quendam melancholico terve quaterve purgans exhibuiſſe, nec tamen alvum vel minimum moviſſe; acceſſiſſe verò vetulam & ſuaſiſſe, ut folia ſenæ, cum prunis decocta, adſumerentur, idq; quod non addit, cum ſucceſſu; quàm experientia domeſtica, in vulgus nota, multò magis verò medicis notanda. Quo magis enim eſt reſolubilis ſena, tanto magis purgandi ſcopo apta. Notandum hoc loco obiter, & ſennam dici rectè præeunte *Sylvio*, interprete & commentatore Meſues, & *Walæo* & aliis; & ſenam juxta alios, exigua differentia.

Morborum vero itidem, Quicunque enim purgante indigent, ſi nullum admittant aliud, ubi quidem id indicatur & licet, ſenam admittunt, acuti, chronici & medii. Individuorum denique omnium, ſiquidem cunctis eſt eadem, benigna ſcilicet & indemnis, ſemper juvans, nunquam nocens, ſi rite adhibeatur.

Speciatim morbis illis prodeſt, ubi ſerum acetoſius, vel bilis eadem qualitate peregrina ſigillata eſt, ut in incubo, melancholia, mania, lepra, ſcabie, quartana aliiſque morbis ab atræ bilis & impurioris ſanguinis proſapia oriundis, in ipſis quoque febribus ardentibus, in quibus toto die eandem cum ſucceſſu uſurpavimus, in gravidis & puerperis quoque, in quibus ordinariè alvus ob prægreſſum opus per aliquot dies obſtructa eſt.

Eandem quovis modo uſurpatam viſum & auditum firmare aſſerit *Meſue l. c. p.* 102. ex quo etiam *Platerus* oculis appropriatam judicat, Aſt in genere purgantia in membrorum horum affectibus prodeſſe in praxi ſelectiori innotuit, quoniam ſerum vitioſum alterant & educunt.

Datur (1.) quod ſatis commodum eſt, à ℈j. ad ʒj. in pulvere, ſeu per ſe, ſeu in intrito cum pane, (2.) in pulvere compoſito, ex quo uſus confirmatur frequentior. Datur (3.) in decoctis & infuſis ad ʒij. iij. ℥ß. ʒvj. ℥j. unde ſpecies laxativæ polychreſtæ eſſe queunt nobis uſitatæ ex rad. acetoſ. ſcorz. cich. a ʒj. ſummit. fumar. cent. min. ana. mſs. fl. 4. cord. a. p. j. fol. ſen. ſ. ſ. ℥ſs. rhab. el. ʒiis. coſt. ver. ℈j. crem. ♀ri ℈iv. M. pro nodulo; cujus ingredientia variari poſſunt facilè, additis appropriatis, ut in menſibus movendis aliiſque. Conſtituit (4.) egregium vinum purgans, ſi cum muſto confermentetur, quod experimento anonymi confirmat *Meſue l. c.* Sociari amat (5.) cum prunis, paſſulis, aliiſque emollientibus, quod uti in vulgus innotuit, ita à *Meſue* dudum memoratum fuit. Sunt, *inquit*, qui decocto ejus cum prunis & ſpica feciliter purgant. Taceamus extractum in pilulas ſociandum & ſirupum egregium.

Inter reliqua inventa nova Indica celeberima ſine dubio eſt *Gialapa*, à Gelapo Americæ provincia dicta, variantibus quidem in ſcriptione autoribus, omnibus tamen liberè & in eundem finem procedentibus. Aliàs *mechoacanna nigra* audit, ad differentiam albæ, cui ſub hujus ſeculi initium ſucceſſit, & ita quidem ut ejus laudes ferè obſcuraverit, & parem vix inveniat.

Affertur & in uſu eſt ſola radix, teſſellatim, ſeu in taleolos rotundos, ſeu circulares inſtar calculi ferè aleatorii inciſa, ut eo longius ætatem ferre poſſit, tum majores, qui ferè albent magis, tum minores, qui magis nigricant. Electionis juxta ac bonitatis, nota eſt *nigredo* & *reſinoſitas*. Nigra præſcribitur, intenſivè talis, ad differentiam albicantis, quo major enim albedo ineſt, eo minor reſinoſitas & conſequenter vis purgans.

Nigricat aliàs inprimis cortex, ipſi tamen reſinæ id quoque tribuitur, laxiori ſignificatione, aliis ruffeſcens, ſcilicet ex nigro, color dicitur. Reſinoſa, vero ob particulas & maculas roſcidas ſulphureas, quarum ratione etiam ardet ſeu flammam concipit. Interſtincta eſt reſina, & tum circularibus ſtriis, tum, ſi confringatur, ſplendore micante conſpicua; lacteſcente ſine dubio radice recenti. Cæteroqui etiam non carioſa eſſe debet, (quod humiditatis eſt conſequens) odore ſubacidulo levi, ſapore acri prædita, ſaltim in receſſu.

Affer-

Affertur ex Americâ non minus ac mechoacanna, contra ac quibuſdã placet, illam ex Indiâ Orientali, hanc Occidentali afferri, neque, quod *Cloſſæus* apud *Horſtium* vult, floris admirabilis de Peru radix eſt, neque enim cum illa viribus vel aliis convenit.

Quoad uſum generalem reverà catholicum & panchymagogum purgans eſt gialapa, omnibus iis in morbis, ubi purgatione electivâ, ut vocant, ſeu perfectâ opus eſt, officium faciens, inprimis verò, cùm calida & ſicca ſit ſecundo gradu, magis in ſubjectis frigidis & ſeroſis, quàm calidis & ſiccis, vel ſaltim non febribus acutis æque detentis; ſeu ubi ſimul in motum citandi ſunt humores, aperiendum, incidendum, diſcutiendum. In ſiccioribus enim more aliorum purgantium non operatur æque. Speciatim etiam convenire judicatur in hydrope, ab aliis in colicâ, ictero à colicâ oriundo, de quo vid. *Rolf. in diſſert. de* 🜍*ro*, item in cachexiâ; ſed reverâ eſt catholicum, omnibus morbis, niſi quid obſtet, ſatisfaciens, ut hoc obtento remedio divino non diffuſam abhorrere debeamus amplius doſin, non effectus timere ſiniſtros. Catholicum etiam eſt, quod ipſa ſibi ſufficiat. Sin ſtimulo reſinoſo alio opus fuerit, præſtò eſt ſcammonium, quam in rem examinanda ſunt corpora, prout ſunt ſeroſa, vel prout bilioſo, acido, viſcido humore ſcatentia.

Et quoad hæc acceſſoria, correctione quidem non eget ob benignam & mitem ſuam naturam, in omnibus quippe ſi non mitis, tamen mediocris eſt; duo tamen circa ejus uſum ſunt attendenda; ut unum eundemque εὐφορίας finem collimantia, [1] ut ne excitet tormina, quod faciunt δραστικοτέρα alia, & ab eâ quoque aliquando obſervatum eſt factum, tenſione illâ ſuâ & irritatione, [2.] ut reſolvatur & actuetur in corpore.

Hanc in rem conſultum eſt, juſtam attendere doſin, eamque ex ſubjectis metiendam. Non audiendi ſunt, qui ad ℈ii. ʒi. vel ℈iv. adſcendunt, unde cum ad ſcrupulos duos aſſumſiſſet illam *Fonſeca*, inde mirum non eſt tormina ſenſiſſe colica; & præfectus copiarum apud *Barthol. cent. obſ. p.* 140. ferè ad mortem purgatus fuit, hauſtâ à Chirurgo miniſtrante ʒi. Non patiuntur luſum purgantia. Ordinariè ſcilicet in adultis datur à ℈i. ad gr. xxv. xxvi. ʒß. vel ſolâ, vel cum alio ſtimulo acuata.

Extraordinariè verò doſin majorem aliquando efflagitat corpus quadratum, deſes, unde podagricus taliſmodi nodosâ arthritide captivatus à ℈ii. vix movebatur. Par ratio eſt militum, nautarum, gregariorum, quibus ad ʒß cum ☿ii vitæ vel 🜍 emet. g. j. cum ſucceſſu datur. Minorem autem corpora tenerioris texturæ & ſeroſiora, quæ ſæpe à ℈ß. imò leviori præbio hypercatharſin patiuntur. Exemplum utriuſque extraordinarii hujus effectus præbent hypochondriaci, unde facilis error eſt. Quicunque nempe inteſtina habent ſicciora, acido figente fœta, ii majorem doſin requirunt, vel illâ ne moventur quidem: quicunque verò humidiora & fluida ſimul ſalia, illi facillimè moventur & hypercatharſin patiuntur, quibus, ut loqui ſolemus, papyraceus unà eſt ventriculus, quod pluribus exemplis probare poſſemus, ſi id opus foret.

In his igitur qui ſtimulum jamdum habent in corpore, vel quorum fibræ nerveæ facilius irritantur, facilis etiam fit purgatio, & contra. Hinc ut reliqua purgantia quædam ſola quidem dari poſſint, ut rhabarbarum, ſena; conſultò tamen à veteribus jam conſtitutum & expertum eſt, melius operari eadem, ſi dentur cum aliis, quæ activitatem illam explicant. Adeoque id ipſum etiam valet & loco exempli generalis quaſi de gialapa. Non ſola propinatur, non quod non ſit benigna, quòd violenta, ſed quia reſinoſa eſt & ipſa, adeoque indigens apprimè adjuvantibus, illam ipſam ſcilicet reſolutionem, & calorem temperantibus pro re natâ. Optima hinc ex ſalinis ſunt tartarea; tartarus ſanè ejuſque cremor & cryſtalli claves gerit genuinas ad recludenda centra purgantium in corpore, ut cum tartareis data in genere & benignius, & minori doſi agant purgantia. Adjuvat fermentationem, ſub caloris & menſtrui ventriculi catholici moderamine, & ſic reſolutionem, quam & ipsâ diſſociatione ſuâ perficit. Ut enim pulvis gialapæ v. g. quò minor ob expanſas ſalinas diſſociatas terreas particulas, eò efficacior; ita tartarea huic rei velificantur eximiè. Hinc ſolitus ſum ſæpè gialapam ad ℈i. ana cum crem. tartri propinare cum ſucceſſu. Faciunt etiam huc ⊖ſa, ut ⊖ ♁iatum arcan. duplic. ♁ium diaph non edulcatum, tart. ⊖-l. quæ ipſa abſterſivâ ſuâ naturâ blandè ſtimulant, & reſolutionem promovent, aſt minori doſi præ tartaro addita, ad gr. iii. iv. v. Tacemus ſalia alcalia ipſa, abſinthii, cent. min. fumar. aptiſſima huic ſcopo, item ♁ium diaph. ipſum quod carminativum eſt ſimul, & temperans humores non minus quàm fluxiles reddens, de quo ſub ſcammonio dicemus plura.

Omnium frequentiſſimè & optimè adduntur tartarea, ut pulvis laxativus vegetabilis dici & propinari optimus poſſit, toto die à nobis ita diſpenſatus, qui è ℈i. gr. xxv. &c gialapæ cum ℈ß. gr. xii. cremoris vel cryſtallorum tartari conficitur.

Adduntur verò non minus aliquando etiam olea ♌ta, vel elæoſacchara, aniſi, citri, macis, eodem fine. Notum enim eſt ab oleis reſinoſa reddi fluxiliora, ſeu ad motum aptiora notum, ipſum quoque calorem inde roborari unaquaque diſplodi torminificos ſimul flatus, unde optimo conſilio adduntur, ne quid tamen nimis, ſufficit una guttula.

Neque enim perpetua & neceſſaria æque eſt oleorum additio, ſed illud quoque eget cautel & limitatione. Obſervavimus quippe multos ægros eligere potius inodora ac inſipida purgantia; ab oleoſorum verò additione nauſeam concepiſſe, illaque hinc averſatos. Deinde & hoc notabile eſt, olea quædam, inprimis cinamomi, virtute ſuâ exuperante aromaticâ & obtundente ſalinas particulas facilè evertere vel imminuere, unde cavendum in his utrumque eſt, & ne nauſeabunda fiant, nec actio inde impediatur. Exemplum hujus mixturæ præbent inſigne ſpec. diagialapæ *Mynſ.* ex gialapa, cr. tar. & ol. cinam conſtantes.

Hoc modo datum benigniſſimum eſt medicamentum gialapa, nec niſi per accidens noxam ullam creans. Per accidens, inquam, ob ſtimulum urgentiorem in corpore, ob externa accidentia; ſiquidem à gialapâ inprimis, niſi corpus teneatur calidum & tranſpiratio ſit unà expedita, tormina oboriri poſſunt. In mentem venit h. l. obſervatio à *Reineſio* notata *Chimiatriæ ſeu orat. de Chimia p.* 42. puerperæ aliquando propinatam à medico rationali & lege artis mannam lethalem hypercatharſin induxiſſe.

In infantibus & aliis miſcuimus quoque commodè gialapam cum cinnabari nativâ, quòd fundendi humores vi gaudeat, unaque invertendi & corrigendi acidum bili adjunctum irritativum, ut lapidem lazuli jam adductum non memoremus denuò.

Habet verò gialapa hoc peculiare in infantibus, [1.] quòd reſpectivè doſin majorem optimè ferant. Propinavimus h. m infantibus trium dierum gr. ii iii optimo cum ſucceſſu, quæ doſis comparata ad adultum per regulam proportionalem eſt omninò major; (2.) quod ab illo aſſumto, etiam prius, quàm ullum effectum purgantem ediderit, indormiant utplurimum ſuaviſſimè, non aliter ac ſi aſſumpſiſſent anodynum. Illud fit ob copioſum humidum diluens; hoc ob ipſum blandè reſolvens. Quin in adultis quoque tum ab hoc, tum ab aliis purgantibus ſomnolentia ſeu ad ſomnum capeſſendum inclinatio accidit, quod ipſum phœnomenon ad ſulphur expanſum & reſolutum referendum eſt, quatenus ſpiritus inprimis occupati quoad inferiorem corporis illam regionem, à ſero, vehiculo ſuo, ſulphur illud in ſe recipiente,

piente, blandè irretiuntur & obvolvuntur; unde facilis ſit ſomnus.

Sed cum hàc occaſione ad ſe nos vocet reſina, alia quædam præter dicta non minus memoratu digna occurrunt, inprimis 1. axioma illud nobiliſſimum, reſinas non agere niſi ſolutas. Valet id ipſum generaliter quaſi de quovis medicamento, exceptis forſan, quæ irradiatione luminari agere debent, valet de ſalibus, quod *Tachenius* hinc inculcat; inprimis verò de reſinis ſeu purgantibus, ſeu ut exemplum alterum demus, opiatis. Cùm enim ſerum ſit menſtruum univerſale, unde ipſam ſalivam hinc natura ori indidit, quicquid ab eodem non ſolvitur, accedente calore & hujus quoque (ſeri) producto fermento ventriculi, illud didi & virtutem exercere ſuam non poteſt. Hinc nec opiata majori doſi eo caſu ſomnum cient, neque enim ſolvuntur, ſed irreſolubilia manent, nullum vel alium effectum ſortita, nec purgantia reſinoſa. Hinc gialapa in bolos, pilulas, morſulos &c. formari poteſt, non verò æque in decoctis & infuſis locum invenit, niſi addatur clavis, neque enim obſecundat menſtruis aqueis, cerevisiæ ac vino, niſi ſegniter, inſufficienter, quem in finem ſi addere placeat eandem nihilominus iiſdem irrotanda prius fuerit 🜈i per noctem. Hinc quæcunque reſinæ ſolutionem quovis dicto modo adjuvant & promovent, cum gialapâ purgandi fine, ceu genuina adjuvantia, miſcentur, imo hinc reſinæ ipſæ non benè dantur in pulvere, ſolæ ſcilicet, non diſſociatæ, aliàs calore juſculi conglobantur, & ne deglutiri quidem ſatis benè poſſunt. Hinc rectè *Zvvelfferus* ſcribit *animadv in Pharm. Aug. cap.* .p.m 138. Si, intellige non factâ ſolutione, vel integram drachmam aut plus etiam reſinæ, liquidæ nimirum, ſeu ſcammoneæ ſeu gialapæ cuidam propines, nil ferè operatur, quod tot experimenta jam teſtatum fecêre. Hinc optimam cautelam addit, ut ad facilitandam reſolutionum: ſeu ſolidâ ſeu liquidâ formâ præſcribantur reſinæ, eædem prius cum amygd. d. vel ſemine melonum nonnihil contundantur vel ſubigantur, monendis de eo Pharmacopœis, ſecus enim parum aut nihil operabuntur.

2. Seorſim verò gialapa purgat vel in ſubſtantiâ, reſinâ diſpersâ fœtâ, vel in reſinâ. Reſina novum quaſi ens conſtituit, novum ex priori purgans, idque concentratum, non minus ac ſcammonii reſina, quâ cum exactiſſimè convenit, in pulvere & liquidâ formâ propinanda. Licet enim ſint, qui extracta & reſinas non efficaciores ſed pigriores eſſe ſtatuant, id tamen non niſi cum grano ſalis ſeu ipsâ hâc præviâ cautelâ intelligendum eſt; ſiquidem fieri poteſt omnino ut ʒi. gialapæ plus purget, quòd particulæ reſinoſæ ſint diſperſæ, adeoque magis ſubjugabiles, quàm ʒß. reſinæ, non reſolutæ.

3. Reſinam quidem, quâ talem, non purgandi vim ſuſtinere ſolam, neceſſariò tamen inter elementa ſeu particulas purgantes recenſeri. Seu, purgantium vis omnis, per ſupra dicta, reſidet in acrimoniâ ſalino ſulphureâ. Commodus hic locus eſt laudare *l. de ætiologiâ facultatis purgatricis Nob. D. Hannemanni*, quâ oſtendit, contra *VVilliſium*, ſi reſinoſis particulis non eſſe collocandam catharſin. Statuit, ut breviter delibemus, quæ ad ſcopum noſtrum faciunt; (1.) ex figurarum modificatione catharſin derivandam eſſe §. 3. quod in ſpecie ad irregulares figuras aculeatas refert §. 10. (2.) Non ſolum purgationis, ſed omnium adeò corporum unicum eſſe principium, videlicet nitrum; unde & fermentationis §. 3 & chylificationis, §. 6. quod fermentum ſtomachi ſit nitroſum ſcilicet, phænomena deducenda cenſet. §. 4. quod juxta diverſarum particularum, particularumque pororum modificatas figuras omnem medicamentorum efficaciam & energiam exerat; inprimis verò (3) particulas reſinoſas non ſuſtinere purgandi provinciam, quod illæ in ſe ſpectatæ ſint particulæ viſcidæ, pingues ſeu unguinoſæ, quæ ob viſcidam glutinoſitatem arctiſſimè ſibi invicem cohæreant, & licet inflammabiles ſint, revera tamen ab ipſo vero ſulphure eſſe diſtinctas. Dari verò purgantia, v.g. mineralia, in quibus reſinoſæ particulæ vel nullæ omninò vel admodum paucæ reperiantur §. 5. ut alia plura non laudemus. Sufficit verò nobis 1. figurarum modificationem extrinſecam effectum hunc nullo modo præſtare poſſe. 2. Non tam ſpeciem individualem ſalis, ſeu Nitrum, quàm ſal eſſe principium rerum materiale, aliàs enim eodem jure vitriolum, vel alumen, vel ſal commune pro principio unico haberi poſſet. 3. quicquid ardet, ſulphur eſſe, nec obſtare, quin & particulæ viſcidæ unctuoſæ poſſint eſſe fermentativo charactere ſalino fœtæ; neque ſulphur commune cum 🜍e, uti eſt chimicorum principium, eſſe confundendum; adeoque ut ſic mixtas & diſpoſitas ſeu à ſalinis particulis modificatas huic rei aptiſſimas eſſe. Quocunque enim poſito fit purgatio, & quocunque remoto, non fit eadem, illud ſine dubio vel principaliter, vel minus principaliter purgandi vim confert. Illud verò de reſinâ verum eſt. Tolle reſinam de ſcammonio, gialapâ, turpetho, iners & inefficax reliquum erit remedium, non purgans. Par ratio eſt 🜍is metallici, ut in ♁io.

Tandem & ad *Scammonium* devolvimur, exoſum quibuſdam medicamentum, qui ſcammoniata inter δραστικὰ & vehementiora promiſcuè referunt, cùm tamen circuratum ſit benigniſſimum. Eſt verò ſuccus denſatus & reſinoſus ſcammoneæ, quæ ex convolvulorum eſt genere, non minus ac de mechoacannâ diximus. Dicitur *dacrydium*, vulgò diagrydium, q. d. lacryma, ſcilicet ſcammoneæ, & purgans. Lacryma enim eſt reſina ſponte exudans. Hodiè verò uſu inoluit, ut dacrydium dicatur ſcammonium in pomo cydonio coctum, qui modus à *Galeno* memoratus optimus omninò eſt locum etiamnum habens, ſi purum fuerit ſcammonium. Optimè de ejuſdem præparandi modis, & patriâ, & viribus agit *Meſue l. 2. de med. ſimpl. purg. cap.* 1. Ad modum opii parandi, & aliarum plantarum lacteſcentium, vel ſponte exudat, vel incisâ radice, lacteus ſuccus, vel exprimitur. A patriâ etiam dicitur ſæpe *pulvis Syrius*, naſcitur enim & fit circa Antiochiam, unde & Antiochenum ſeu Syriacum præſtantiſſimum olim habitum fuit, hinc & in Armeniâ, & Arabiâ, & aliis Aſiæ locis.

Noſtrum ſine dubio per expreſſionem paratum eſt, id quod per αὐτοψίαν patet, ſi reſina paretur; quod ſi noverimus, ut & dictum præparandi modum, omninò facilè eſt colligere, quare *Dioſcorides* ſignum bonitatis lacteſcentiam abſolutè eſſe neget, noſtro tamen ſeculo lacteſcens habeatur optimum. Nimirum textus Dioſcoridis agit de ſcammonio optimo, per exſudationem ſeu ἰδισμὸν, & extillationem inciſione factâ collecto. Hinc probat ſuccum hunc pellucidum, taurino glutini ſimilem; à coagulato quippe lacte. Lacteſcentia verò, ad contactum ſalivæ vel aquæ, quæ in optimo illo erat quidem, ſed pelluciditati poſtponenda, in noſtro probatur, quòd ſit ſignum reſinoſitatis. Optimum nempe eſt hodiè reſinoſum, cum ſplendore quodam ſubnigricans, præſertim ſi frangitur, ex albo v.g. gryſeum, ſi pulveriſetur, ad ſalivæ contactum lacteſcens, putum & φλογιστὸν. Subſtantia eſt gummea & reſinoſa, unde in menſtruis ſpirituoſis & aqueis, in quibus lacteſcit, ſolvitur.

Hàc quaſi clavi patet, quare crudum non æquè conveniat, & officinales pilulæ aliæque plurimæ minus ſint commodæ, neque enim eſt facta ſeparatio puri ab impuro; quare item lacteſcat. Solutio verò cum aqueis menſtruis v.g ▽cichor. fumar. &c. in lac ſcammonii dictum, & quibuſdam commendatum, non eſt genuina, neque lacteſcentia illa aliunde fit quàm ob ſemi præcipitationem partium reſinoſarum, diſperſarum cum terreis.

Calidum & ſiccum eſt ſecundo gradu, licet quidam

ad

ad tertium uſque adſcendant, & inprimis *Meſue* igneam caliditatem in eo agnoſcat. Odorem habet ſui generis cum gialapâ multum convenientem, qui & in reſinâ ſupereſt, acidulum. Purgat bilem & pituitam ſatis validè, ſed reverà innoxiè in febribus intermittentibus, cruditatibus & ubi uno verbo purgante opus eſt. Non deterius, nec vehementius eſt gialapâ, ſed maximè conveniens, ſi non planè idem. Datur verò magis in robuſtis & ætate conſiſtente, minus in infantibus, puerperis, gravidis, febribus ardentibus & aliis calidis morbis, ſtomachi & inteſtinorum debilitate, hæmorrhoidum fluxu vel dolore & eroſione vaſorum, ut hæmoptyſi laborantibus. Hæc quidem vera ſunt, attamen ea omnia quoque cum purgantibus aliis ſunt communia.

Tormina excitat duplici ratione ſpeciali, tum ob viſcedinem, quando non benè reſolvitur, ſed inteſtinorum plicis ſe agglutinat; tum inprimis ob impuritates terreas, quæ ad oculum in extractione & copioſè quidem viſuntur; quibus duobus ablatis vel correctis benigniſſimum eſt medicamentum, heroicum, & planè divinum.

Solum igitur non exhibendum, ob hanc ipſam rationem, nec in pulvere, niſi dicto modo. Datur enim vel ut baſis, vel ut adjuvans, ſeu ſtimulans. Ut ſtimulans, refractâ doſi præcipuè ſolet commendari & frequentari, ad gr. iii. & plura cum gialapâ & aliis. Neque verò ſolâ ſtimulandi vi adhibendum, metu majoris acrimoniæ & fulmine *Meſues, Galeni, Fernelii* aliorumque, ſed laudatiſſimum quoque eſt per ſe, doſi primariâ datum, ſed benè præparatum. De præparatione cum pomo cotoneo jam diximus, ea verò licet etiamnum hodiè retineatur, non eſt genuina, præterquam ſtimuli loco, vix à nobis adhibita. Eadem ratio eſt ſcammonii ſulphurati, quæ ratio præparandi per ſuffumigationem cum 🜍e obſervatur vulgò in pulvere Comitis de Warvvick, ſeu cerbero tricipite, horrendo nomine, rectè verò rejicitur ab *Helmontio*. Quamvis enim acida caſtrent purgantium vim, quia acrimoniam ſalinam infringunt & ſulphur obtundunt, attamen hoc ipſo parum corrigitur vel depuratur, quin, quod *Helmontius* rectè ait, tantum virtutis amittunt, quantum aciditatis admittunt. Eſt igitur præparatio partim ſuperficiaria, partim caſtrans virtutem, impuritates verò relinquens. Scripſit de dicto pulvere integrum tractatum *Marchus Cornachinus*, & aliquando Romæ ejus diſpenſatio eſt prohibita, teſte *Velſch. in obſ.* imò variæ ſatyricæ invectivæ contrà eundem hinc inde reperiuntur legendæ; ſed reverà eſt probatiſſimus, & inſtar panaceæ in febribus, modò ritè præparetur. Noxæ exinde ortæ omnes non niſi eruditori præparationi ſcammonii & ☿ii ſunt adſcribendæ. Dedimus olim eundem cum ſcammonio ſulphurato ægris, robuſtis quidem cum ſucceſſu, cùm verò tormina inde immania quidam ægri experientur, exceſſe juſſimus, & reſinam ſcammonii cum ☿ d. & cr. tartari adhibemus toto die feliciſſimè, imò gialapæ contra hic pulvis ſuaviſſimè purgat.

Genuina enim præparatio eſt per ℣i, parando inde reſinam, quam & extractum & magiſterium vocant, ſiquidem ℣i eſt verum omnium reſinarum menſtruum, quâ ipsâ ἐνχειρήσει corrigitur optimè, ut adeò & hîc non aliâ correctione, quàm verâ præparatione ſit opus. Memorari & h.l. meretur locus alter *Zwelfferi Pharm. Reg. el. 4. p. m. 536.* qui cùm elegantiſſimus ſit, dignus eſt qui legatur & cordi habeatur: jubet nimirum reſinam ſcammonii æque ac alias omnes cum amygd. dulcibus ſubigere & in pulverem redigere, ita enim diſponi optimè ad reſolutionem, nec tormina vel hypercatharſin ullam ciere, hanc etenim ſolam tenacitatem reſinoſam, præcipuè ſi frigida ſuperbibatur, eſſe cauſarum dictarum & aliarum omnium noxarum, quæ ſanè longè ſunt veriſſima.

Præter pulveris hanc formam è ſcammonio optimè parantur 2. pilulæ, quæ nunquam nos deſtituerunt etiam deſperatis caſibus in ileo v.g ſæpius & aliàs, idque tum purgandi, tum alvum ſaltim laxandi fine. Laborabat ſereniſſima Princeps fortiſſimâ obſtructione alvi, non cedente decoctis, non clyſteribus, nam hi certas ob cauſas applicari non poterant. Propoſuimus benedictas illas pilulas, ut reſina ſcammonii cum gialapâ ana ad gr. v. daretur in hanc formam redacta; brevi poſt aperta feliciter alvo magnum id famæ addit incrementum

3. Etiam in liquidâ formâ reſina ſcammonii & gialapæ datur commodè in ℣i: ℞ reſin. ſcamm. q.v.v.g. gr. ℈ß. ℣, aniſ. cochl. ſambuc. ſextuplum & amplius, v.g. ʒj. vel q.ſ. ad ſolutionem, additur julepus roſ. q.ſ. vel ſirup. de cichor. c. rhabarb. roſ. ſolut. de ſena &c. ℥ß. vel q.ſ. remedium inde fit efficaciſſimum & gratiſſimum. Pertinet etiam huc cautela ex ſuperioribus fluens, tum pilulas ſcammoniatas, inprimis ſolas, tum ſpeciatim reſinam in ℣i ſolutam in corporibus calidioribus & ſiccioribus minus prodeſſe, magis in ſeroſis & frigidioribus.

Ex memoratis hactenus uſualibus & ſelectioribus facile jam eſt compoſita varia parare, quorum farraginem per omnia formularum genera *Rolfincius O. & M. comment.* exhibet. Sunt tamen etiam velut claſſica quædam & recepta ex compoſitis, ut ſp. diagal. *Mynſ.* niſi quod loco olei cinam, vel alia quoque ſubſtitui, vel ea omninò omitti queant. Hoc pacto eſt inſtar omnium aliorum pulvis laxativus vegetabilis *Rolf.* Olim quidem acceſſione parlarum aliquâ gaviſus eſt, reverà autem nomen hoc eſt gialapæ, quæcunque demum addantur; Item pulvis catholicus *Michaëlis*, & mechoac. & gialap. p. j. ſcamm. 🜍rat. p. ß addito ol cinamom. & caryoph. Pulvis Comitis de Warvvik jam laudatus eſt, ritè præparatus. Reliqui verò, ut & ſpec. diaturb. cholag phlegmag. melanag. Quercet. & ſimilia plura minus ſunt recepta. Imò ex his quoque patet, ſufficienter cognito ſelectu, ad leges præſcribendi formulas compoſita fieri poſſe infinita; tum quoque cognitâ hâc materiâ medicâ, quæcunque venditentur arcana hujus vel illius, poſſe dijudicari, vel ſaltem à medico exprimi. Exemplo ſint pilulæ Francofurtenſes, toti Germaniæ cognitiſſimæ, quarum deſcriptio habetur pro arcano, non quòd tanti ſit, ſed quòd lucroſa ſit venditoribus. Medicus verò naturalis eaſdem exprimit aloë roſatâ violatâ, extracto aloës ſolutivo cum ſcammonio aliiſque pro re nata mixtis. Tacemus alias conſimiles. Pro pilulis extracta catholica, panchymagoga, cholagoga variorum autorum recepta & vulgata ſunt. Nos etiam hîc à ſimplicibus ad compoſita, à notis ad ignota facilem dedimus viam. Valent tamen & proſunt etiam compoſita talia, quatenus intellectum diffuſum ad certum remedium dirigunt, quæ verò diſtinctius commendatur, noſcuntur & uſurpantur, ea etiam certius hinc juvant.

De Purgantibus aliis.

Quo autem magis pateat hæc ipſa purgantium agendi vis & electionis doctrina, quæ à quibus purgentur, id regulis paucis complexi ſumus.

1. *Reſolubilia purgantia magis* ὀῤῥαγωγὰ *ſeu ſeriduca*; illa experimento, quòd hoc pacto & ſeri coagulum magis liquetur, & aqueis ipſis menſtruis hæc ſulphura magis pandantur, promptè admiſſa. Par ratio eſt melanagogorum quorundam, hellebori ipſius &c. Ponamus igitur corpus eſſe ſeroſius, commodius agent hæc ipſa, quia promptè ſolvuntur, ſolutæ verò optimè agunt reſinæ.

2. *Magis reſinoſa magis cholagoga*; itidem per mechanicam. Ut enim per vitellum ovi v.g vel alia ejuſmodi unctuoſa reſinam ſcammonii optimè liquabilem reddimus, uti & terebinthinam h m in coloſtrum abire diximus; ita bilis in corpore tale vitellinum corpus æmu-

latur-

latur, cujus concurſu magis cum ſero combinatur reſoluta reſina, adeoque in actum deducitur. Serum verò in omni purgatione actuandâ, tanquam menſtruum univerſale, requiritur; Poſito ergò corpus eſſe biliofum, non deficiente omni ſero, hæc ipſa optimè bilem educunt.

3. *Quæ reſinam habent diffuſam, vel partibus gummeis implexam, magis ſunt catholica*, in utrumque enim humorem ingreſſum inveniunt.

4. *Lenientia* verò *nec ſerum, nec bilem æquè educunt, ſed alvi ſaltem ſcybala promovent ad exitum.* Hoc illi notare debent ægri, qui pilulis aloëticis adſueti putant iis jam ſufficienter ſe defungi poſſe, nec opus habere purgante medicamento electivo. Uti ſe ajunt pilulis Francof. &c à quibus moveantur. Ubi igitur in ſero vel bile vitium hæret, hæc ipſa primis viis ſaltem debita longè ſunt debiliora, quàm ut rem omnem abſolvant, prætterquam in tenerioribus quibuſdam, qui aliis læduntur.

Pertinent etiam huc alia, quæ effectu cum purgantibus conveniunt, tum univoco, & ſemper vel utplurimum tali, tum æquivoco, ſeu per accidens tali. Illorum exempla præbent *acidulæ* & *Thermæ*, remedia catholica, ſiquidem & omnes quaſi purgant humores, & per omnes excretionum vias, non ſaltem per alvum, ſed urinam ac ſudores quoque; remedia verò empirica quoque ſæpe, ad quæ mittuntur ægri non ſemper conſultâ operâ, ſed conjecturali quandoque, inprimis non examinatis per medicum circumſtantiis, ſi proprio auſu & fortunâ ægri ad ea concedant.

Habent omninò acidulæ & thermæ ſuos inſignes uſus, tum medicos abſolutè, tum medico-politicos. Medicos quidem, quatenus aquæ ſunt medicatæ, principiis activis fœtæ. De thermis ſuperius egimus & earundem elementa ad unguem quaſi recenſuimus, unde hâc vice ſaltem dicimus, purgare eaſdem, & quicquid agunt, agere ob ſal alcalicum, ſeu nativum ſeu ignis ſubterranei calcinatione in terrâ productum, cum aqueis particulis dilutum, unde abſtergendo purgant & in morbis acidis proſunt, eorumque ſunt remedium; alcalinis nocent. Sit v. g. æger ſcorbuto frigido laborans, incipiente cachexiâ laxitate viſcerum, ςάσει humorum, acore prædominante, nervis ab humore frigido, ab acido contractis & malè habentibus, præſtò ſunt exiccandi & alterandi, quin & purgandi virtute thermæ. Aſt uti laxis, humidis, ichoreſcentibus malis & ſubjectis ſimilibus proſunt; ita ſicciorìbus & ſcorbuto calido laborantibus nocent, quin ſæpe impingunt hinc magis partibus materiam tartaream, & ex hoſpite incolam faciunt. Hæc ut ſummatim de thermis aſſerimus; ita certum eſt de acidulis, per experimenta varia nota, odore, ſapore & effectibus aliis, inprimis quod cum gallis pulveratis mixtæ in momento quaſi atramentum exhibeant, & feces nigricantes reddant, quicquid agunt, agere inprimis ob ſal acidum, vitriolicum, martiale, copioſo aqueo dilutum. Hinc acidulæ ſunt remedium morborum alcalinorum, ſcorbuti calidi v. g. in laxitate & φλωγώσει viſcerum, in ſiccioribus, ita ut, quibus nocent thermæ, iis proſunt acidulæ hoc ſenſu, & vice verſâ. Peccant tamen facile in utriſque ægri & exceſſus hinc etiam in effectu ſentiunt, ſic ut thermis uſi violento illo calore & ſale deterſivo exiccentur nimis, indéque pejus potius habeant, ſero blando diluente abſumpto, contractutis vel factis vel auctis, quàm auxilium ſperatum reportent, quod ſæpius vidimus. Adeoque ſerum nimis abſumunt ferè thermæ, & contra ea ſerum nimis adaugent acidulæ, facile inde intumeſcentibus pedibus & ventre, unde medium tenuere beati, ſique ita uſurpentur utraque, ut non excedatur, moderamine medico optimè ſanitati profuerint. In utriſque purgandi vis eminet, & ob heterogeneitatem & ſal deterſivum ac fermentativum, diverſo licet

Medico-politico verò uſu non minus commendandæ ſunt aquæ hæ medicæ, quatenus ſæpe immorigeri ægri in adhibendis medicamentis, in obſervandâ diætâ, hoc ipſo ſtrategemate rediguntur ad frugem, quatenus diæta tenuis & ſtrictior, receptâ univerſali obſervantiâ locorum iſtorum, quo multi magni morbi curantur, his ipſis imperatur & impetratur ægris; quatenus copioſo diluente ſalia efferata temperantur & educuntur è corpore, nauſeantibus aliàs ad ampullas & potiones largiores, ſæpe tamen neceſſarias ægris; quatenus mutatio aëris, victûs, loci multum ad ſanitatem confert, unde in epilepſiâ & aliis morbis chronicis ac rebellibus hæc à *Coo* præcipiuntur.

Novimus hujus rei aliquot exempla, v g. epilepſiam tum in aliis, tum in nobili virgine aliàs minus perfectè curabilem, mutatione loci conquieviſſe magis. Ut taceam, animum à ſeriis abſtractum novitate loci, converſatione variorum peregrinorum aliiſque componi & demulceri, quod ipſum quoque ad ſanitatem non minimum confert; nec dicam, aliquid etiam conſuetudinem & communem omnium quaſi hominum hypotheſin conferre, cùm domi aliàs balneum formicarum & nervinum exterius, interius verò alcalia idem ſæpe præſtare queant ac thermæ; cùm acidulæ artificiales Tincturæ & ♒us ♂iales, modò cætera ſint paria, æquare acidulas poſſint. Quo ipſo tamen laude ſua non defraudabimus divina hæc remedia.

Et acidulas quidem artificiales vitriolum vel ſulphur reſolutum in ſtagma acidum & ♂te alteratum præbent, ut ♒ ⊖-li cum ⊖-lo ♂is alteratus, factâ ſolutione facilè hinc diluendus, ut alia non memoremus. Sic & clyſſus ☿ii 🜍atus eas optimè exprimit, modò non ſulphur minus bonæ notæ ſubamaricantem & nauſeabundam ipſi affricuerit qualitatem, unde conſultius eſt 🜍 ſtibiatitium purius, vel cryſtallinum, ſtatim ſuum, arenarium ad ☿ium & ⦶ recipere. Laxant hæc alvum, unaque vias ſudoris & urinæ expediunt; neque abſurdum eſt, acida hæc irritativà virtute gaudere & purgare alvum. Laxant & ⦶oſa quælibet ſicca, inæqualibus ſuis ſalinis particulis, licet ſenſui potius æquales offerant.

Horum verò quæ effectu æquivoco; ſaltim reſpectivè, purgantia æmulantur, itidem nonnulla in praxi occurrunt. Sic purgat quandoque cinnabaris nativa, non minus ac ſalivationem etiam citat aliquando. Hanc efficit, ſi continuetur ejus uſus in tenerioribus, ratione partium mercurialium, ſerum potenter fundentium. Purgat verò ratione itidem ſalis mercurialis ſulphurei, humoribus ad motum citatis ob ἰδιοσυγκρασίαν, à fermento ventriculi reſolutione factâ.

Adeoque acidum ſal concurrit ad purgantium vim, quod exemplo gialapæ & aliorum ſuprà diximus, attamen acidum, quà tale, non purgat, nec effectus hic acido adſcribi meretur, cùm cinnabaris & ſulph. commune habeant v g. in ſe ſal acidum, effectus tamen edant acido contrarios, in tuſſi v. g ulceribus &c.

Purgatio etiam fit à reſolventibus, ſtimulum inde nanciſcente naturâ, quæ actuat medicamenta pro humorum diſpoſitione & ſuo modulo. Pulvis abſorbens ordinariè vomitus non movet, neque enim gr. i ⊖-l. ♂is ad vomendum ſufficit, ſed quando lipothymiæ præcordiales ob acidum vel biliofum ὀργασμὸν patiens inſtant, cum pallore & frigore extremorum, vidimus inde ſecutum vomitum nonnunquam ſummo cum ſucceſſu. Fœmina pallens hoc modo & vertiginem patiens ſubitaneam, datâ unicâ doſi pulveris abſorbentis, vomitu ſequente curabatur; ordinariè verò citra ullum vomitum lipothymias certiſſimè curat. Mittebamus aliquando hunc ipſum pulverem pro matronâ aulicâ, ad σκλύσεις præcordiales proniſſimâ; medicus metuit eundem nominatum ipſi quid eſſet dare, quod vomitum citare poſſet. Malo verò non ceſſante ipſi accedentes ſtatim propinavimus illum ipſum, brevi ſequenti effectu meliori. Poteſt verò & fieri aliquando citra ⊖-lum ♂tis quoque. A pulveribus pleuriticis & quaſi talibus alvi fluxus fieri poteſt, quando ab alcalinis conſiſtentes & quieti humores in motum

motum citantur, & natura, quâ viſum fuerit commodius, viâ expurgat eoſdem.

Quod autem à pulveribus bezoardicis quandoque alvi fluxus ſecutus eſt, id omne per accidens fit, ſunt enim hi pulveres adſtringentes ferè ſimul, vel roborantes; ſitque illa diarrhœa potius à fervore & uredine acri bilioſi exuperantis humoris, futura etiam magis citra bezoardica. Adeoque & hîc attendendum eſt, an dato tali caſu à medicamento, an merè per accidens id evenerit, idque in bonum & malum.

Neque de venenis corroſivis opus eſt plura addere, illa quippe ſunt deleteria. Tale verò exemplum ante aliquot annos eveniſſe novimus, ubi per errorem miniſtri medici loco purgantis ☿-ius propinatus fuerat, brevi ſequente morte cum ſumma diarrhœa & torminibus.

Illud coronidis loco addendum eſt, ab opiatis, maximè pilulari formâ & doſi integrâ majori datis, tum vomitum ſequi ſæpe mane ſequente, tum in quibuſdam alvi fluxum ſeu diarrhœam. Viſum id fuit nonnunquam in phthiſicis quorum inteſtina teneriora erant, & glandulæ inteſtinales obſtructæ, unde ut nec chylus invenit aditum, ita nec medicamenta promptè; conſequente hinc facili fibrarum nervearum irritatione, bile inprimis, ut fit, unâ concurrente & fermentante.

Quod purgantia alterantibus interdum addita ipſorum vim & efficaciam augeant, alibi jam dictum abunde eſt. Ipſa etiam ut & vomitoria, exuta illâ ſuâ vi catharticâ optima evadunt tum alterantia, tum diaphoretica. WEDELIUS.

PURPURA.

Purpura, Græcis πορφύρα, *Politiano Concha Herculea* (quod tincturæ auctor *Hercules* credatur) *the Purple-fish.* Cujus Concha, parte turbinata pluribus mucronibus ſeu extuberantiis horrida eſt, ſuperficie exteriore modo candicans, modo flaveſcens, interiore modo violacei, modo rubicundi coloris; in anfractus in mucronem deſinentes contorta. Animal cornua duo Limacum modo attollit, atque eodem ritu ſerpit, iiſdemq; cornibus viam prætentat. Aquam marinam hauſtam aſſervat, qua pluribus diebus fovetur & ſuſtentatur. Hepar habet viſcidum tenaci lentore præditũ quod *Ariſt. Papaver* vocat, alii *Cor*; ad cujus latus exiſtit *mucus Purpureus*, in recentibus Purpuris illico extorquendus cùm totus in demortuis pereat. Hoc ſucco olim tingebantur lanæ. *Differunt* Purpuræ magnitudine & aliis circumſtãtiis Præcipuæ autẽ ſpecies ſunt.

1. *Magnæ*, quæ ad *Sigæum & Lectum Ida* promontoria gignuntur.
2. *Parvæ*, quas *Euripus* fert & *Caria.*
3. *Pelagiæ*, quæ magnæ, & ſcabræ ſunt, quarumq; *Flos* magna ex parte niger, ſed nonnullis puſillùm rubidus.
4. *Littorales*, quæ parvæ & colore rubro ſunt.
5. *Echinata*, quæ vel pluribus ſpinis maximè in poſticâ parte horrent, vel rarioribus, minoribus & brevioribus.
6. *Rubra*, ut in Auſtrinis partibus.
7. *Nigra*, in Aquiloniis.
8. *Livida*, in Occidentalibus & Orientalibus.
9. *Marmorea*, quæ longis undique tuberibus, at minimè acutis, ſed obtuſis plenæ.
10. *Pentedactyla*, qualem *Geſnerus* deſcripſit, ex *Adriatico* mari acceptam CHARLETON.

Purpura *Offic.* violacea *Lob.* Violacea Fab. Columnæ *Liſt. H. Conch. lib. 4. Sect. 15. c. 1.* Ex Tarentino ſinu allata, *Bonannn. The Purple Fish.* In mari Mediterraneo frequens.

Uſu. In Officinis teſta valida, rugoſa, ſtriata, tuberculis brevibus inæqualis, inter Mechanicos Sanies Purpurea ad tingendum olim in uſu fuit, *Vires* Alkali eſt, & cum reliquis teſtis viribus convenit.

In Purpura deſcribenda adeò breves & obſcuri fuere Veteres, ut quodnam Conchylium ſit Recentioribus litigandi occaſionem dederint, à quibus variæ producuntur ſpecies, purpureã ſaniem gignentes. Verum *Fab. Columna* litem determinavit, veram Purpuram demonſtrando. Quamvis autem hodie purpura genuina Officinis noſtris vix cognita ſit, purpurei tamen ſucci cognitio adnotante ingenioſiſſimo illo & eruditiſſimo viro jam antea laudato, *D. Martino Liſter*, ab antiquis uſq; temporibus ad ſeculum noſtrum traditione ſaltem tranſmiſſa & derivata eſt. In hiſce etiam Inſulis; inter Arcana tamen habita & ſtudioſè celata; donec *D. Guil. Cole* eam arripuit, & publicò exhibuit, *Actis Philoſ. N.* 178 *p.* 1276. quo Lectorem refero. Quin etiam *D. Robertus Sulthvvell*, E A. Regiæ Societatis nunc Præſes digniſſimus, multos ante annos *D. Liſtero* retulit, Matrem ſuam in *Hibernia* celebrem eſſe ſudariis piſcis cujuſdam ſucco indelebilibus notis, quæque elui nequirent, ſignandis. Quin & *Bedæ* temporibus Ars purpuram tingendi in *Anglia* uſitata ſummoque in pretio erat habita. *Variis Conchyliorum generibus* (*inquit* Hiſt. Eccleſ. Gentis Angliæ lib. 1. c. 1.) *exceptis: in quibus ſunt &* Muſculæ, *quibus incluſam ſæpè Margaritam omnis quidem coloris optimam inveniunt, id eſt, & rubicundi, & purpurei, & hyacinthini & praſini ſed maximè candidi. Sunt &* Cochleæ *ſatis ſuperq; abundantes, quibus Tinctura coccinei coloris conficitur; cujus rubore pulcherrimus nullo unquam ſolis ardore, nulla valet pluviarum injuria palleſcere; ſed quo vetuſtior, eò ſolet eſſe venuſtior.* DALE.

Duo *littoralia buccina*, exeunte Martio, diſſecui.

Ipſa tota clavicula in utroque buccino ex viridi flaveſcit.

Alia autem viſcera in præſentiarum omitto; in iis verò illud peculiare animadverti; nempè in media membrana dorſali, à latere inteſtini recti, ductum quendam anguſtum ac rugoſum, ex flavo virideſcentem, ſulphuris inſtar aut citrini coloris. Hic autem ductus vel eodem exitu, cùm ano gaudet, vel valdè propè ſuum ſuccum effundit.

Is verò *ſuccus* in hoc ductu contentus, craſſus tenaxque, & ad mellis ferè conſiſtentiam ſe habet. *chartæ* verò *illitus* illico ex flavo pulchrè *virideſcit.* Hinc intelligitur illud Plinianum, at Tyrius color Pelagio primùm ſatiatur, *immatura viridiq;* cortina; mox permutatur in Buccinum.

Purpuræ (inquit Plinius) alio nomine Pelagiæ vocantur. Et alibi. Buccinum per ſe damnatur, quia ſuccum remittit. Pelagio admodum adligatur. Horum autem verborum hic ſenſus eſſe videtur, nempè in cortina ubi *ſanies* Buccini *viridis* excoquitur, primum immergitur vellus: tandem in aliam cortinam, ubi alia *ſanies purpurea* [Purpuræ, puta, Pelagiæ] torretur; idemque adeo vellus, jam ex viridi ſanie ſemel infectum, altera immerſione in Coccum perficitur. Atque hæc ratio *Dibaphi* Veſtimenti Purpurei fuiſſe videtur. *Conchyliata* autem Veſtis, eodem teſte *Plinio*, ſine Buccino fiebat, ex duplicato purpura ſucco, in Urina humana excocto.

Succi verò Buccini libra nummo veniebat; Pelagii ſive Purpuræ quinque nummis. Sic Buccinum fuit longè purpuræ vilius.

At Conchyliatam *abſolutam* melius in Tyriam tranſire putant. Sic, ut opinor, intelligendum eſt. Conchyliatam purpuram abſolutam, id eſt ex Urina coctam ſaniem viridem purpuraſcere, & ſic Buccino perfici, iterùm immerſam uno eodemque buccini ſucco.

Atque hæc de interpretatione Plinianâ.

At ille ſuccus è Buccino noſtro altero, ore dentato, alterò longè pulchrior eſſe videbatur.

De ipſius verò ductus venæve loco ſic rectè olim Ariſtoteles perhibuit. Purpuræ *Florem* ſuum inter meconium & cervicem continent (quem locum malè vertit Plinius *ipſis faucibus*) textu ſpiſſiore, aſpectu veluti membranæ candicantis, quam detrahunt: tingit hæc *expreſſa*, & inficit manum, diſtenditur autem ut vena, atque in hâc quidem eſt flos purpuræ; reliquum animal exſuccum (ſterile vertit Plinius) purpuræ eſt.

Equidem verò nondum obſervavi noſtra buccina ſuccum hunc ſuum, vel laceſſita effudiſſe. At iſte ſuccus nulli (centúmque de induſtria diffregi) defuit.

Aliter autem Fabius Columna de ſua Purpura innuere vide-

videtur, illa nempè quæſtione, cur non omnes purpuram fundant ejuſdem generis, & eodem tempore captæ, inter quamplurimas, quæ toto anno capiuntur, & ſemper aliquæ colorem habent, huc uſque ſe ignorare dicit.

Inſuper ex his Buccinis alia diu coxi ex aqua communi, quo color ipſeq; ductus ferè diſparuit, ut vix amplius diſcerni potuerit talia verò forti muria frigida, côduvi, eaque poſt duos menſes diſſecui; venamq; purpurâ fœcundâ eodē ferè modo, ac in vivis ſe habuiſſe reperi; ipſumq; illum antiquis tantopere expetitum humorem, & fluidum, ac in aëre ex illitu virideſcentem expertus ſum.

Buccinus (tamen cujus generis ſi non ipſiſſimæ cum Antiquorū buccinis ſpecies, noſtra animalia ſint, quod *rotunditate oris* ad marginem inciſa, & non *roſtrata* ſunt, item quod noſtris, quantum ſcio, aculei ſive Promuſcides (an Sypho plicatilis) non ſunt, quod deniq; petris adhærēt, circaq; ſcopulos leguntur; quæ omnes ex Plinio Buccini notæ ſunt) per ſe damnatur, quoniam fucum remittit.

Item illud apud eundem, ibid. ſcriptum non prætereundū eſt; Purpuras, cum fœtificavêre, fluxos habere ſuccos, hoc eſt, liquidiores & tenuiores, tincturæque adeò minus aptos.

Illud verò clarè liquet ex noſtris diſſectionibus, Buccinorum noſtrorum ductum peculiarem, ut & purpurarum antiquorum; cum; eodem ductu in Sepiâ convenire, ideſt, cum *Buccino pedato nudo*.

At hic humor ut peculiaris eſt, ita unus ex excretis ſive naturaliter ejectis humoribus eſt, adeoq; ſanguini aut ſucco iſtorum Animalium vitali malè à Plinio comparatur.

Imo de noſtris certè Buccinis illud alterum Plinianum, nempè Purpuras cum vita ſua ſuccum evomere minus verum eſt.

Si quæras, cur æſtimata eſt Purpura apud Antiquos, reſpondeo, id non fuiſſe ob raritatem, nec ob tincturæ artificium: ſed propter *durationem*, & *non delebilem* qualitatem, ut Lucretius olim ſcitè innuit. *lib.* 6.

Purpureuſque colos Conchylii jungitur unà
Corpore cum lanæ, dirimi qua non queat unquam;
Non, ſi Neptuni fluctu renovare operam des.
Non, mare ſi totum velis eluere omnibus undis.

Idem atteſtatur *Beda noſter*, Hiſt. Eccleſ. Gentis Angl. l. c. 1. Sunt & *Cochleæ* ſatis ſuperq; abundantes, quibus tinctura coccinei coloris conficitur, cujus *robur pulcherrimus*, nulla valet *pluviarū injuria* palleſcere, ſed quo vetuſtior, eo ſolet eſſe venuſtior. Atq; hæc à Beda dicta ſunt de bonitate Tincturæ Purpuræ *apud Anglos confectæ*, poſt mille annos à Lucretio.

Durationis autem purpuræ, præ herbarum quarumlibet tinctura, ratio in illo conſiſtere videtur, quod hic animalis, falſo mari orti, ſuccus infectorius eſt, ac in vaſis ſuis excretoriis putredinoſa quadam coctione in ſuam perfectionem digeſtus; neq; enim alia ulla concoctionis animalis, extra venas habitumq; corporis, notitia eſt. Ex concoctione autē putredinoſa *ſal urinoſus* conficitur, illoq; *naturaliter* & multum intenditur ſuccus baphicus, imò verò ad fidē huic rei amplius conciliandam, omne infectorum Artificium hodiernum in eo verſatur, ut herbæ tinctoriæ vel putreſcant vel ex urina coquantur; neq; tamen illam permanentiam acquirūt, qualem in purpuris buccinisque naturaliter fuiſſe ab antiquis proditum eſt.

Item ad purpuras propter eandem rationem proximè accedunt *Cocheinel*, hoc eſt, *Scarabæi Indici* Infectorii, item coccon baphicon Antiquorum, quod id quoq; alicujus Inſecti artificium eſt, à me olim oſtenſum.

Cur itaque non amplius in uſu ſunt, quæratur? audiendus eſt Fabius Columna. Purpurarum, inquit ille, uſum, ſicuti Buccinorum non tantum propter inſcitiam, ac magnum impenſum, ac moleſtiam, neglectum putamus, ſed ob maximam fuci *Rocella* dicti copiam, quo nunc Infectores pulcherrimam purpuram conficiunt. LISTER.

PUTREFICARE ET PUTREFACTIO.

§. 1. Eam mixtorum diſſolutionis & immutationis ſpeciē, à tendentia molecularum intrinſeca emergētem, Putrefactionem ſc. nunc evolvere convenit, Fermētationi quoad nonnullas circumſtantias analogam, multùm quoq; ab hac recedentem. Extiterunt ſiquidem nō pauci Philoſophi, qui aut fermentationem (quam coctionis termino innuebat) putrefactionis notione exprimebant, dū v. g. *Empedocles*. Vinum aquam in vite putrefactam definivit, *Plutarchus* idem putreſcentem ſub cortice lymphâm pronunciavit, aut qui putredinem fermenti inſimulant, fermentumque per putrefactionis modum agere ſuſpicantur, v. g. *Mercurialis* ac *Fernelius*; aut qui tandem Putrefactionem & Fermentationem notionibus diſtinxerunt, re ipſa verò fundunt ejuſdemque naturæ & unam plane operationem Chymicarum utramqum autumant, v. g. *Sennertus*, *Duncan. Bornettus* & *Davíſonius*: Sed hos omnes egregiè cœcutiviſſe, ex inſequentibus conſtabit.

§. 2. Errorem hunc vulgarem *Billichius* jamdum, acutum ſatis videns, in *Anatome Fermentationis Platonica*, detegere conatus fuit: an verò differentiam inter Fermentationem & Putrefactionem veram & adæquatam evicerit, aliis judicandum relinquo, his tantum rationes dubitandi in præſentiarum expoſiturus. Quippe *primo* eſſentiam putredinis cum Zabarella aliisque Ariſtotelis interpretibus ſeparationem humidi & ſicci ſupponens, in fermento ſeu fermentatione ejuſmodi ſecretionem non tantùm haud obſervari, ſed inſtar glutinis ambo illa conæreſcere & intimiùs coire, ait: Cū nihilominus in fermētatione ac putrefactione inchoata partes humidæ ſiccioribus quidem aliquantum evolvantur, haud tamen plane recedant: in utraque verò conſummata fluidarum quædam in auras abeant, quædam remaneant, rarius cunctæ, niſi longiore temporis mora & calore intenſiore, perdantur. *Deinde* ſicut proprii naturaliſque caloris deſtructionem in putrefactione iiſdem Peripateticis Noſter concedit, ita contra illum in fermentatione potiùs exacuari ac intendi, putat: haud animadvertens, putreſcentia ſenſibiliter ſatis & ad deflagrationem uſque excandeſcere; imò forſan ſubſtantias per putrefactionem ſecretas, ſpiritum ſcilicet urinoſum & oleum vegetabilium, cum Ariſtotele non minus calidas & igneas, quàm ſpiritum ſulphureum, interveniente fermentatione productum, dixiſſet, ſi de illorum confectione ipſi conſtitiſſet. *Tertio* quamvis Billichio largiri deceat, per fermentationem non rarò novellam mixti ſpeciem exoriri, v. g. ex ſucco terræ uvarum ſuccum, ex muſto vinum, ex frumento & aquâ panem: Obſervantur tamen (1.) fermentationes mixto interitum inferentes, v. g. pharmaceuticæ illæ, ſpirituum inflammabilium aut acetorum confectioni litantes; imò (2.) frumentum in panem aut cereviſiam abiens re verâ ſui interitum patitur, i. e. formam perdit; ut (3.) taceam, ſalia volatilia & olea per putrefactionem educenda, ſecundum Peripateticorum pariter ac Modernorum hypotheſin, haud elementa & corpora ſimplicia, ſed elementata & ſatis compoſita eſſe; miror verò denique & (4.) Billichium ſui oblitum axioma illud Scholarum, *unius corruptio eſt alterius generatio*, ac vermes, ut novam miſti ſpeciem per putrefactionem genitam, non attendiſſe. *Quarto* haud conſtat, quo jure ſoli putredini, fermentationi nentiquam, calorem ambientem favere aſſerat: quatenus utramque illarum actionum à tepore externo notabiliter juvari, tyronibus etiam innoteſcit; quoque fermentationis ſpecimina â Calcis vivæ, alcalium & acidorum, aquarum ſtygiarum & metallorum exæſtuatione cōmemorat ad effervelcentiarū potius claſsē erant referenda. Quæ *quinto* inter illas ratione ſubjecti idem Billichius concipit, diſparitas, quaſi ſcil. nihil putreſcibile, niſi quod humidum, fermentationem autem humor non qua talis, ſed qua partibus terrenis abundat, concipiat, verborū fluidorum potius luſui, quā experientiæ firmæ, inniti videtur: dum non niſi humidiora, utramq; hāc mutationem experiuntur, ad fermenteſcendum plus fluoris quam ad putreſcendum exigitur, fluida verò, v. g. muſtū, eodem jure fermentari ac urina & ſanguis putreſcere, dici poſſunt. Quando *ſexto* pergit, putredinem ad ſola mixta præcisè alligari, fermentationem verò liberè tam ad miſcibilia, quàm ad mixta, excurrere, i. e. dū in ipſam mixtione elementa cōgrediuntur ac in ſe mutuò agunt, fermentari: facilè ipſi concedi poſſet, modò idem concederet, miſcibilibus non ſeparatis, ſed combinatis demum aliquomodo, talem actionē ac reactionem cōtingere: quæ mixtum inchoatum & imperfectius, ſimili ratione ac corpus putreſcens mixtum declinans, tidemque imperfectum, appellare liceret. Quæ verò *ſeptimo* atque *octavo* loco ponit, argumēta, quaſi nimirum quædā concreta ad fermenteſcendū potius, quàm putreſcendum, & vice verſa, prona ſint, itē, quodne differant hæ corporū mutationes, applauſum utiq; merentur: quāvis prioris aſſerti exempla, ab eodē producta, incōgrua videantur, efferveſcentiis potiùs, quàm fermentationes, evincentia, ratione poſterioris autem nemo Chymicorum noſtri temporis ipſi largietur, putredinis finem ſeu effectum, præter fimum, terram, ſordes &c. nullum eſſe, multò minùs fermentationem ſemper vel formam recentem vel nobiliorem tantùm qualitatem, introducere, quatenus hujus contrarium diſſertatio antecedens monſtravit, illius vero præſentis contextus declarabit.

§. 3. Re vera autem diverſiſque phænomenis putrefactionem ac fermentationem inter ſe differe, ipſa noſtra ſēſoria, minus oſcitanter applicata, & primò quidem Nares ac Lingua, nobis perſuadent: quatenus vegetabilia ſive fermentationi, ſive putredini ſubjiciantur, quæ in principio utriuſq; odorem & ſaporem aliquādiu ſibi ſpecificum ſervant, ſucceſſivè cum peregrino quodam immutant, ita tamen ut ille ſub putredine fracidus, nauſeabundus & urinoſus,

urinoſus,ſub fermentatione acidulus magis minuſque ingratus percipiatur, odoremque alium ſpiret abſinthium, mentha & chelidonium fermentatum , ac putrefactum; Animalia verò horumque partes , quia fermentationi nunquam,ſed ſoli putrefactioni, auſcultant, putreſcentibus etiam vegetabilibus modò ſimilem , modò peculiarem,fracedinem olent.

§.4. Ex communi equidem præjudicio graveolentia atque ſapor abominandus individuus putredinis comes pronunciantur, quaſi de eſſentia hujus ſit,ut ipſi expoſita illa aſſumant,imò vulgus ſub putrefactione dictarū qualitatum,odoris præprimis, depravationem enormen ſibi concipiens,per hanc illam è fermentatione diſtinguit. Verùm quoniam pro diverſa ſenſoriorum noſtrorum texturâ & habitudine,præconceptarum opinionum & conſuetudinis varietate,concreta modò benè,modo malè,olentia,item ſaporis modo ſuaviſſimi,modo plus minus abominandi,eſculenta nobis comparent, dum v.g. caſeus & caro ferina ad putrilaginem corrupta verminantia & graveolentia, quæq; ideo tàm à vulgo, quàm à philoſophis pro putridis habentur,illis nihilominus, quorum palato arrident,delicata,gratiſſima & ad bonitatem ac perfectionem majorem evecta creduntur difficile erit,putredinem per odorem atq; ſaporum mutationem determinare. De cætero quam mutationem illam,quæ carnes & cruorem animalium corrumpit, quaq; maxima alimentorum ſolidiorum,ab his aſſumptorū , portio in ſcybala ſtercorea faceſſit,putredinem dicamus,illa tamen,quæ in Moſchiferi capreoli carnibus contuſis ſub Moſchi generatione & in Martis ſtercoribus contingit,alteratio haud ingratū ſed fragrantiſſimum odorem poſt ſe trahit,ut taceam ejuſdem Moſchi activitatem & ſuaveolentiam per lotii & latrinarum exhalationes,ſi his per tempus ille exponatur, aut putreſcente urinâ frequentius irroretur, augeri, & emarcidā reſtaurari.Imò quamvis pleraq;vegetabilia putreſcendo fœteant,eorum tamen quædam,aromatica magis,v g mentha,ſalvia,lōgiori quamvis putrefactioni hujuſq; intenſiori gradui conceſſa,vix aliquid fracedinis,ſed odorem ſatis aromaticum adhuc , inter fermenteſcendum nihilominus aliquid olidi ſui generis,ſpirant: quod de graveolentibus pariter *Dominus Cox* annotavit, v.g. A triplici olida , quod per putredinem aut inodora magis,aut minus graveolentia,evadant,cùm contrà magis inodora cadaveroſum plane fœtorem induant,ut elapſa æſtate in chelidonio ſimilibuſque expertus ſum.

§.5. Manus ſi putreſcentibus vegetalibus admoveas, præprimis humidioribus arctiúſq;compreſſis aut denſiùs cumulatis, ſine calore ſenſibili illa vix deprehendes, qui interdum in urentem & luculentum ignem , ut in fœno humidiore contingit , degenerat : aut ſi forſan manibus palpare illum haud liceat,quod lenta nimius ſit putredo, obſtetricante thermometro, (in fermenteſcentibus vix) eum experiri licebit, evincitque inſuper modus ille ſalia vegetabilium ſine igne educendi , quem *Celeberrimus VVedelius* in peculiari libello deſcripſit,ubi ſanè ignis calorque intrinſecus,per motum minimorum putrefactorium concitatus, ſimile quid præſtat,particulas urinoſas elevando & propellendo,quod ab igne fornacis aliàs expectamus.

§.6 Præterea & hoc putredo ſibi peculiare facit,quod ſine ulla molis expanſione & rarefactione fiat:Fermentatio contrà cum turgeſcentia notabili & receptacula frangente. Aliud quidem perſuadere videntur animalia, quarum interanea & ventres non tantùm,ſed artus quoq; ſub principium ſuæ putredinis, interdum mirum in modum & ad crepaturam uſque,intumeſcunt:aſt inflatio & intumeſcentia hæc non à putredinis formalitate , ſed ab exhaltationibus per illam ſecretis ac agitatis , dependet, quæ commotæ per denſiora & craſſiora animalis integumenta evolare nequeunt,hincq;eorum fibras diſtendunt, uſque dum per remoratum illarum rupturas liberior exitus iis concedatur hincque,putredine quamvis increſcente,cadavera hæc ſubſideant & turgeſcere ceſſent. Accedit & peculiare quid in nonnullis animalibus præſtat ſummus humorum lentor ac viſciditas, v.g. in Lumbricis,ut pote qui eadem fere ratione in putredine,ac plantæ in fermentatione,turgeſcunt, ut aut oras vaſis tranſcendant,aut huic occluſo rupturam minentur; nulla alia de cauſa, quàm quod præter integumenta denſiora interius viſcidum mobiliorum particularum ſeceſſum moretur.

§.7. Imò quemadmodum fermentanda frequentius fermento indigent , quod eorum particulas torpidiores aut firmiore nexu ſibi implicatas exagitet ac divellat: ita ſine ejuſmodi motore externo putredinem perfectam concipere poteſt quodvis mixtum ad putreſcendum aliàs aptum. Quamvis & hoc largiri deceat, actu putridum corpus aliis integris ac recentibus admotum & vicinum hæc facilius in putredinem abripere : ſine dubio, quod miaſmata putrilaginoſa in motu exiſtentia compactiora & nexu firmiore adhuc combinata integrorum concretorum minima impulſu ſuo exagitent & in motum ſimilem vindicent.

§.8. Tandem ſi effectus Putredinis intueamur, ſane nec vulgus latet,è rebus hanc expertis vermes varii generis exurgere ſeu prodire : ſecus ex fermenteſcentibus, ſi illa excipias , quæ de progenie verminoſa in acetis nonnullis conſpicua in fine diſſertationis ſuperioris adjecta.Magis autem paradoxum ejus productum eſt,quod olim nemo , noſtraque demum ætate deprehenderunt quidam ſingularis experientiæ Chymici,ſalia ſcilicet volatilia & olea craſſa ad quæ, blandiore furni calore fundenda,per putrefactionem vegetabilia æque ac animalia horumque partes diſponuntur: dum fermentatio moderata ad ſpiritus ardentes, deſtillatione pariter eliciendos, vegetabilia tantum præparat,nimia verò horum ſuccos acetoſos reddit.

§.9.Econtra quorundam phœnomenorum in fermentatione ac putredine identitas notabilem ſatis utriuſque convenientiam & affinitatem arguit.Quippe primò quid notius eſt, quàm neutram illarum ſine aëris appulſu cōtingere,ſed hoc excluſo utriuſq;potentiam mixta, etiam alioquin facilè alterabilia, illudere. Deinde tàm per fermentationem,quàm putrefactionem corporum odor,ſapor aliæq;facultates ſpecificæ magis pereunt ita ut abſinthium amaritiem,ſaccharum dulcedinem, roſæ fragrantiam deponant,vis purgans in rhabarbaro monachorum lacteſcens & cauſtica in tithymalo,tinctura aurea in chelidonio pereat:hinc inter ſpiritus urinoſos & ſulphureos diverſorum vegetabilium , ſufficienter fermentatorum aut putrefactorum & poſteriorum olea nulla obſervetur ſenſibilis differentia , prout *Cox Tranſ Philoſ. Anglor, No.*101. *&* 108.

§.10. Quoniam E.quædam communia,quædam propria fermentationem & putrefactionem ſibi habere, per recenſita fateri cogimur , maximè Chymicum Philoſophum ſolicitum eſſe decet de utriuſque convenientiæ & diſcrepantiæ ratione.Ubi quoad priorem probabile fit, ambas has corporum immutationes ſub uno genere, motus ſc.partium conſtituentium, ſtare, quatenus eo ipſo,dum per putredinem æq;,ac fermentationem,ſucceſſivè qualitates non modò ſenſibiles , ſed , ut Peripathetici loqui amant,forma quoque intrinſeca , ita deſtruitur, ut concretum texturam naturalem & ſpeciem priſtinam tandem totaliter deponat hoc ſine minimorum translocatione,ſeu ſitus mutatione,fieri nequit; accedente præprimis putreſcentium calore , interdum ſatis intenſo, quem ſine motu partium velociſſimo atq; impetuoſiſſimo concipere haud licet Quoad differentiam autem formalem,quæ fermentationem atq;putredinem intercedit, hanc determinare,res ardua magis videtur,& Scriptores, qui negotium hoc in ſe ſuſceperunt diſcrepantes pleriq; tamen in eo concordantes,reperiuntur graduale ſaltem illas intercedere diſcrimen:i e.Fermentationem ejuſmodi particularum integrantium motum eſſe, quo hæ in ſe agendu compagē totius laxiorem reddunt,volatilioribus

tamen non exhalantibus; per putrefactionem autem ille partium motus eouſq; intendatur, quò volatilioribus recedentibus fixiores aciditatem contrahant, vel ab illis nõ amplius temperatæ aciditatem ſ. acrimoniam naturalem exerant. Quod alii fermẽtationis perfectivæ ac deſtructivæ notionibus indigitare contendunt: ita ut per priorem muſtum in vinum exalterur, per poſteriorem in acetum degeneret interveniente illâ fructus acerbi & auſteri dulcedinem ſuavem induant, eadem autem protractâ ac diutiùs continuatâ putreſcendo aceſcant.

§. 11. Verùm gradualis hæc differẽtia vix ſufficit pro formalitate utriuſq; intrinſeca exhaurienda, quatenus primò non ſemper temporis ratione diſcrepant, ita ut fermentatio quædam quaſi via ad putrefactionem, ſeu hujusquoddam inchoamentum ſit, ſed quæ putredinem experiuntur iis hæc ſine illius interventu contingit, & idem vegetabile intra paucos æquæ dies, imo pauciores non raro, putreſcit, ac fermenteſcit, imò in animalibus tempus & ſtatum fermentationis putredini præcedaneum, nunquàm concipere licet. *Deinde* quæ vegetabilium fructus & ſucci ultra maturitatem ordinariam & palato noſtro gratam evehuntur, hincque molitiem putrilaginoſam induunt aceſcũt, & haud putreſcere dici valent, ſed ulteriùs tantum fermentantur, quatenus ad putredinem propriè dict. ut inferiùs cõſtabit, inhabiles ſunt. Potiſſimum cum *tertio* putrefactio vera & abſoluta in aciditatem minimè terminetur, ſed hanc potius corrigat ac immutet: ita ut minus ſufficiẽter putrefacta herba præter ſal volatile urinoſum multũ ſimul phlegmatis acidi fundat, quod in omnimodè putrida non obſervatur. Quibus *Deniq;* accedit quod, quãvis ſub putrefactionis initio aliqua ſubſtantiæ volatilis portio, ſub naturali & totius concreti odore ſpecifico, poſtmodum ſub urinoſo, exhalet: nunquam tamẽ omnis, niſi forſan in cõſummata plane, pereat, adeoq; non tantùm privatio, ſed modificatio ſimul particularum volatiliũ putredo videtur, quatenus annotante ſæpiùs à me laudato & vix ſatis laudando *Dn. Boyle of. Mens great Ignorance*, non ſaltem aqua ex Thameſi hauſta & ad Climata fervidiora traducta ac putreſcens, poſt aliquam vel in his, l. calidioribus etiam, locis, moram, in iiſdem vaſis, putredinem deponit, ut mittam, quæ *in diſſert. nona* ex *Tranſ. Phil. Angl.* §. 8. de eadem Thameſi aqua adduxi. Imo per putrefactionem ſubſtantiam concreti volatilem ſeu activam vix omnem conſumi & in auras propelli, ſpiritus ac ſal urinoſum cum oleo craſſo copioſiore teſtantur, ad quorum comparitionem & egreſſum vegetabilia per putrefactionem diſponuntur, ſimili circiter ratione, ac per fermentationem ſub ſpiritus ſulphurei forma illa prodit. De alia proin differentia utriuſque hujus commutationis inteſtinæ formali erit cogitandum.

§. 12. Quod ut commodiùs fiat, attendendæ prius erunt circumſtantiæ putredinẽ juvantes & ſufflaminantes, hinc phænomena & effectus ſub eadem obſervabiles. Ubi ratione illius, ante omnia ſupponendum, tàm vegetabilia, quàm animalia putredinis ſeminia in ſinu ſuo fovere, ita tamen, ut cum vegetabilia ſimul fermẽteſcendi aptitudine polleant, animalia horumq; partes putredo tantum afficiat, vixq; ulla arte ad fermentandum, i. e eo uſq; diſponi queant, ut ſuccum acetoſum forment aut ſpiritũ ſulphureum ſeu inflammabilem ſuppedirent, quamvis ſæpiùs & à multis chymicis edecumatæ dexteritatis atq; experientiæ hoc tentatum fuerit. Sine dubio hujus rei cauſa eſt nimia animalium texturæ laxitas, qua fluidiores & volatiliores horum particulæ ſolidioribus minus arcte implicantur, ſed ſuperficialiter tantum adhæreſcuut paucioreſque fixas, à quibus inviſcari & detineri queant, inveniunt, hinc per pyrotechniam facilius à ſe invicem divelluntur, minuſque violentiæ & apparatus requiritur phlegma, oleum & ſal volatile animalis proliciendi ac eaſdem ſubſtantias ex vegetabilibus educendi.

§. 13. Quam ipſam laxitatem denſitatemve diverſam diſparitatis pariter iſtius matrem augurari licebit, qua quædam vegetabilia præ aliis, itemque nonnullæ eorum partes, magis minuſve putredinis vim eludunt, illique ſe ſubmittunt. dũ humidiora præ ſiccioribus, gramen mollius præ quercus foliis ſolidioribus, aquoſa præ oleoſis, reſinoſis & aromaticis, cunctorum ſubſtantia mollior præ eorum ſtaminibus ligneis, putreſcunt. Quod autem pinguedines animalium, butyrum & olea minus aromatica expreſſa temporis tractu ranceſcant: id à particulis aqueis habent, hinc adipes per deliquationem, olea per coctionem, i. e. ambo per aqueæ ſubſtantiæ aliqualem exhalationem, à corruptione hac præſervantur. Pariter acida & auſtera, utpote quorum moleculæ ſalinæ & fluidiores terreis minimis arctiùs involutæ, ad fermenteſcendum potiùs, quàm putreſcendum, concreta diſponunt. Compoſita quoque, v. g. vegetabilium decocta, quia ratione multifariæ heterogeneitatis minùs intime cohærent, præ ſimplicioribus, quorum particulæ ſibi magis congruæ & contiguæ, faciliùs putreſcunt. Imo ipſorum animalium partes diverſæ, prout atomos laxiùs aut arctiùs combinatas fovent. v. g. urina præ ſanguine, ambo & cerebrum præ carnibus muſculoſis, putreſcunt, ligamenta vero, cartilagines & oſſa vix aut non, niſi ſucculenta admodum, deſtructionem hanc experiuntur. Propter eandem compactiorem firmioremq. texturam in mineralia putredini nullum conceditur jus, niſi in aquas ſimpliciores ſtagnantes: quarum nulli adeo ſimplicem & elementarem naturam decernere poſſumus, quin ratione heterogeneitatũ laxiùs cohærentiũ putredinem freqnentiùs concipiat, rariùs fermenteſcat. Et qui metallorum per rubiginem corroſionem putredinem vocant, aut in notionibus imponendis valdè luxuriant, aut craſſiorem Philoſophiam colunt. Succi interim herbarum & florũ quia præter aqueam ſubſtantiam tantillumq; terræ parum admodum ſalinarum ac ſulphurearum, utpote magis activarum, partium ſecum vehunt, vappeſcunt potius aut ſuperficialiter tantum putreſcunt: quemadmodum in ſucco graminis ac chelidonii majoris expertus ſum, qui ex partibus horum ſex vel octo expreſſus & putredini expoſitus vix drachmas duas ſpiritus leviter urinoſi exhibebat, quorum nihilominus concretorum pars una unciam ferè ſpiritus ejuſdem volatilioris fundebat.

§. 14. Cur verò herbæ ac flores ſucculenti per ſe conquaſſatæ promptiùs putreſcant, copioſiore affuſa humiditate aquea à putredine aliquantum vindicentur, contra ſine humiditate ejuſmodi ſatis diluente non fermenteſcant, problema ſatis intricatum videtur, cujus nihilominùs reſolutionem hac ratione tentabo. Copioſior nempe aqua non tantùm aëris uberiorem ac intimiorem acceſſum excludit, quem tamen ad putredinem magis, quàm ad fermentationem, neceſſarium ex ſequentibus augurari convenit, ſed eadem aqua circumflua particularum ſulphurearum evolutionem, ſine qua nulla putredo contingit, ſimul inhibet: cujus utriuſque habitudinis intuitu, probabile fit, ligna ſimiliaque ſub aquis tardiùs, quam ſub aëre liberiore & intra terram, poris latioribus inſtructam putreſcere. Fermentationem autem aqua facilitat, concreti texturam laxando, imo, quia herbæ & flores ſine fermento externo vix fermenteſcunt, hujuſque particulæ non niſi ſufficienter diſcontinuatæ ac attenuatæ, penitiores illorum receſſus ſubire nequeunt, aqua diluente, tanquam vehiculo, erat opus.

§. 15. Quia interim nobis de putredine potiſſimum artificiali, ſeu quam mechanicus moderatur, ſermo eſt, quoad modum operandi, & in ſpecie vegetabilia reponendi, obſervandum, tempore verno aut æſtivo, quo ſcilicet herbæ floreſve ad perfectionem adæquatam pertigerunt, hac à ſtipitibus lignoſis majoribus liberantur, ſi ſolidiora, aliquantum conquaſſantur, ſin ſecus, mox in vaſe firmo, patulo tamen, probè comprimuntur, hinc in locum calidum reponuntur, donec incaleſcant & putrilagine in pultaceam maximè ſubſtantiam, odoris urinoſi & graveolentis abeant.

§ 16. Sunt equidem nonnulli, qui ex abſinthi ſimilibuſque plantis præter ſpiritum urinoſum oleum viride &

ſpecifi-

ſpecificum concreti odorem ſpirans, it. ex floribus liliorum convallium, anthos &c. ſpiritum urinoſum penetrantiſſimum ſimulque fragrantiſſimum ſibi præmittunt, ſi in cella, adeoq; ſub atmoſphæra frigidiore, aliquot ſeptimanarum aut menſium digeſtionem ac putrefacti onē illa ſuſtinuerint. Aſt notari meretur, (1) tardius lōge hanc contingere in loco ſubterraneo & frigido, quam in aëre tepidiore. (2) minus centralem, ſed ſuperficiariam tantum, eam eſſe, qua ſub maceratione hac, ad quam humiditas ſubterranea non parum confert, quædam particulæ concretorum oleoſæ eſſentiales integræ minuſq; immutatæ ſal quaſi volatile oleoſum cum ſalinis, per putrefactionem reſolutis, ſeu urinoſis, conſtituunt. i. e. his odorem & fragrantiam ſpecificam affricant, ſimili modo, ac ſpirituum mere urinoſorum, v. g. ſalis armoniaci, Cornu Cervi &c. fœtorem & empyreuma per olea aromatica aliquantulum ſubigere & frangere tyrones quoque norunt, ac vegetabilia eadem in loco calido leviter tantum minuſque totaliter putrefacta ſpiritus urinoſos, de ſpecifico odore adhuc participantes, exhibent.

§. 17 Animalium horumque partium reponendarum eadem ratio eſt, imò & hoc his cum vegetabilibus commune manet, ut ſine aëris concurſu neutiquam putreſcāt, quem ſanè efficienter in negotio hoc concurrere, vel exinde inviti concedere cogimur, quod cuncta illa, qua aëris affluxui obicem ponunt, putredinem quoq; arceant, nec in vacuo vaſe aëre exhauſto eadem fiat, ut in *Diſſ.* 4. adduxi. *Mariette* equidem *de la nature de l'air* hoc negat & aërem liberum paſſivè, i, e ideo, putredini maturandæ inſervire, ait, quod exhalatiouibus putreſcentium aptū exiſtat receptaculum. Cui tamen præter illa, quæ *loco alleg.* contra ipſius aſſertum fuerunt prolata, regeri poterit, ex illius hypotheſi in Vacuo putredini potiorem locum eſſe, utpote quod pluribus exhalationibus excipiendis capax, ita quidem ut, niſi hæ quotidie, aut aliquoties de die, per machinam pneumaticam exanthlentur, odore ſe prodentes, aërem novum & artificialem quaſi forment, qui Mercurium intra barometrum, ejuſdem machinæ Recipienti incluſum, ſimili modo comprimit & per tubum aſſurgere facit, ac ſi aër ab extra fuerit immiſſus: cum nihilominus contrarium experientia confirmet, quatenus, quo inane magis machinæ recipiens vas, eò tardiùs & ſegniùs putredine afficiatur putreſcibile non tantùm planè integrū adhuc, ſed quod jam dum illius inchoamētum ſenſit ab ulteriore corruptione ſartum tectumq; manet. Uno verbo quemadmodum animalia ſine aëre & in vacuo haud ſubſiſtunt, ſed mox ſuffocantur, nec plantæ quæ aliàs intra vas aquâ repletum ſub libero aëre vegetantur, in eodē vacuo nulla ampliùs incremēta capiunt: ſimili modo utraq; aëre deſtituta non adeò facile corrumpuntur, ſed fixatæ magis hac ratione eorum particulæ corruptionem morantur.

§. 18. Imò quod de aëre ambiente externo obſervamus idem de artificiali illo, quem intra recipiens evacuatum generari modò dixi, aſſerendum, nam & hic proprii corporis & cujus pars integralis modò extiterat, devaſtator evadit, hoc eſt, in putredinem illud abripit, ut ſecundum manuductionem *D. Boilii* infinitis experimentis evincere licet. Sc particulæ fluidiores ſeu aër concreti, vacuo incluſi, quamdiu intrinſecus huic eſt & intra ſpiſſiora corporis repagula concentratus hæret, ſine aëris externi auxilio ad vibrationes illas corruptivas præſtandas minùs aptus exiſtit, hinc nihil putrilaginis ſuo receptaculo & corpori inſpirare valet: ſtatim ac vero ſub exhalationum involucro emanat & ab æthere ambiente novam elaſticitatem atq; impetum recipit, niſi mox extrahatur concreti ejuſdem poros denuo ſubiens hujus minima divellit, diſlocat, expellit, i. e. ad putredinem diſponit. Unde etiā contingit, ut à piſcibus in vacuo aſſervatis putredo vix arceri queat, quatenus hi laxioris, ac aliorum animalium carnes, texturæ, extra medium ſuum craſſiùs, aquam nempe, conſtituti, ac tenuiori multo, ſc æthteri ſeu aëri rarefacto illati, copioſiores mox exhalationes ſpargunt, adeoque celeriter & luxurioſè admodum vacuum aëre novo & craſſiore replent & ſui corruptorem ſibi pariunt.

§. 19. Phænomenorum in putrefactione notabiliorum bina ſunt, quorum prius calor eſt, quem vegetabilia ſub principium ſtatim illius exerunt, animalia ſecùs aut certè non adeò ſenſibiliter, & quidem forſan triplici de cauſa. Nam *primò* illorum compages firmior motum particularum ſulphurearum ſeu calorificarū ad extra variis modis reflectit ut tàm inter ſe, quàm cum aliis, colliſione calorem ſenſibilem concitent, ita quidem, ut quo arctiùs illa compreſſa denſiuſque congeſta fuerint, hic intenſior & flammigerus evadat: dum laxior animalium textura ejuſmodi remoras repercuſſivas minimè præſtat, ſed minima volatiliora & activa liberiùs à centro ad & ultra periphæriam dimittit. *Deinde* quemadmodum in vegetabilibus nonnullis copioſiorem humiditatem aqueàm putreſcendi impetum non leviter obtundere, §. 14 dict.: ſic in animalibus, utpote quib. uberiùs phlegma contigit, particulas ſulphureas diluvio ejuſmodi intrinſeco extingui aut notabiliter refringi, non improbabile eſt. Nec *tertiò* in vegetabilium putrefactione omnis efferveſcentia excludi poterit, utpote quæ, ſibi relicta, acido abundant, in quod per putredinem ſenſim evolutæ particulæ urinoſæ impingentes luctam ejuſmodi, æſtus productricem concitant; qualem in animalibus acido potentiore deſtitutis expectare haud licet.

§. 20. Altera ſenſus incurrens putreſcentium mutatio in eo conſiſtit, quod prout ſuperiùs annotatum, omnes qualitates tùm ſenſibiles, tùm ſpecificas, illa deponāt, præprimis tamen fœtida maximè evadant, quamvis eorū etiam quædam, v. g aromatica, odorem ſuum vix mutare, imò nonnullorum graveolentiam naturalem per putredinem temperari ac corrigi, eodem loco monuerim. Atq; hujus rei ratio ut feliciùs pateſcat, ſuppono[ ] omnem odorem, ſive gratum, ſive ingratum, à ſulphure, cōcreti ſale acuato ſeu exaltato, emanare, ita quidem ut ſalia volatilia graveolentia maximè, quibus vulgò elementarem ſimplicitatem nuncupant nullò modo educi aut educta concipi queant, niſi ſulphur copioſum ſecum vehentia, utpote in quod, ipſis obvium, nunquam non agere poſſunt, ſed ejus particulas ſemper delibant ſecumq; abripiunt. Nihilominus quo ſulphur ſubtilius ac parcius, eò ſuaveolentiora, quo craſſius impurius & copioſius, eò graveolentia magis, concreta reddit, quatenus v. g. ſulphuris communis cum oleo communi, facta ſolutio per ſe, aut cum lixivio adornata ab inſtillato aceto, graviſſimū ſpargit odorem, olea ſanguinis humani tartari, Cornu Cervi &c. ſulphure craſſiore turgida, inſigniter fœtent, imò Zibethū & moſchus, haud diſcontinuata, quod ſulphur qs. coadunſatum gerant, naribus eorumq; ſpiritibus minus grata exiſtunt, econtra aliis diſcontinuata & attenuata, item olea aromatū eſſentialia, utpote ſulphure magis digeſto ætheredo ac diluto gaudentia, iiſdem ſuaviora contingunt fercula. Quoniam E. per putrefactionem tota concreti cōpages diſſolvitur, hinc cum ſale ſulphur copioſū & craſſum, & quidem cōfertim valde, eructatur, ſine fœtore rara admodum avis illa erit: dum autem in aromaticis attenuatū & digeſtum magis idem ſulphur eſt, ac lento magis gradu eorum ſuccedit corruptio, illa vix aliquid: graveolentiæ ſpirat; imò quia attritione illa quam ſub putrefactionis motu particulæ ſulphuris craſſioris experiuntur, has aliquantum diſſolvi æthereaſque magis fieri non omni probabilitate caret, nonnullorum mixtorum graveolentiam per putredinem aliquantum miteſcere, non impoſſibile eſt. Quod idem confirmare videntur flores præ herbis inter putreſcendum minimè fœtentes, imo ſal non adeo graveolens exhalantes quatenus, ut pars vegetabilis ſubtilior, hinc odorifera magis, ſulphur ſubtilius & exaltatum magis fovent.

§. 21 Effectus putrefactionis diſtinguere conveniet in mere Phyſicum & in Chymico Phyſicos: illum dicendò varia vermium genera, quæ ex diverſorum putredine emergunt; hos vero ſal volatile & oleum craſſum atque fœtidum, deſtillatione demum à mediocriter, ſufficienter

tamen, putrefactis ſecernenda. Ratione priorum (à quibus illi, qui nullum ſal volatile vegetabilibus educi poſſe ſupponunt poſteriorum alterum, nempe ſal urinoſum, prodire augurantur) Philoſophi ſemper magno cum ſtrepitu altercati fuerunt, an ex materia putri, ut tali, ſeu per generationem æquivocam, an ex ſemine potius in illo recondito, naſcantur: & priorem ſententiam potiſſimi ex Peripateticis, paucis forſan exceptis, amplexi fuerunt, poſterior vero non tantum hoc noſtro, ſed antecedaneis quoque jamdum ſeculis, ſuas obſervavit aſſeclas, maximè tamen pariter inter ſe diſſentientes. Cum eorum nonnulli ſeminia hæc à fœmellis inſectorum impragnatis in terram aliaque corpora profundi, ajunt, in quibus eo uſque ſopita latitarent, donec vel à calore ſolis vel putrefactione in actum prorumperent ac remotis impedimentis corpus ſibi congruum fabricarent: alii verò v. g. Platonici, hæc viventium ſemina in ſpiritu univerſali ſparſa per elementa volutari opinabantur, donec in adæquata, hinc putreſcente quoque, materia pro ea, quæ ab Omnipotente ipſis impreſſa, idæa, ſpecies has vel illas formarent.

§.22. Quibus quantiſq; cunctæ hæ opiniones præmantur difficultatibus, referre, per inſtituti rationem mihi haud integrum relinquitur cū ſpeculationibus ejuſmodi diſſolvendis ſufficiant experimenta *Franc. Redi* ſatis probabiliter evincentia, vermes, quos ex plantis ac animalium partibus putreſcentibus quotidie prodire obſervamus, ex ſemine ſimilium inſectorum generari: illarum verò hoc in negotio non alias eſſe partes, quàm ut locum vel nidum commodum ſimulq; pabulum ſubminiſtrent ovulis, cuicunque vermium ſemini, aut horum proli, ita ut, niſi à matribus eorum illa huc delata fuerint, nullum ibi inſectū ſimileve naſcatur. Sc. Vaſis vitreis carnes, fructus, imò ipſum caſeum, ita incluſa, ut nullum inſectorum circumvolitantium aut externorum ſubintrare & illa ſeminio ſuo conſpurcare potuerit aër nihilominus penetrarit, putreſcendo nunquam verminare aut muſcas proferre, obſervavit, iiſdem ſpeciebus in vaſis minus obturatis in verminoſam putrilaginem abeuntibus. Quibus accedit, quod cauſæ externæ ſeu æquivocæ ſolitariæ aut vis quædam plaſtica per univerſum agitata, animâ & vitâ carentes tam congruè & accuratè concurrere & convenire nequeant, ut animalium vitalia fabricent organa atque machinas, quorum ſtructuram nulla mentis acies comprehendere hactenus potuit: unde animalia etiam viliſſima & minima cuncta ab aliis ejuſdem generis animatis procreari veroſimilius fit.

§.23. Chymico-Phyſicos vero affectus quod concernit, ſalis volatilis prolixiùs examen alteri cuidam occaſioni reſervandum erit indigitando ſaltem hoc loco, illam ipſam ſubſtantiam ſalinam, quæ poſt incinerationem vegetabilium ſub alcali fixi nomine extrahitur, in putrefactione volatilis ſpeciem induere: dum quæ vegetabilia incinerata plus ſalis lixivioſi habent, putrefacta ſal quoque volatile copioſum promunt, horumque caput mortuum, quod exiliſſimæ molis, vix tantillum ſalis alcaliſati ſuppeditat. Et quamvis ex eadem planta putrefacta copioſiùs ſemper ſal volatile, quam ex ſimpliciter incinerata alcali fixi educatur, haud tamen diſpar ideo erit utriuſque ſubſtantia: quatenus quod ejus ſub fuliginis tegmine in incineratione avolat, hic detinetur, imò volatile aliquid ſibi combinatum gerens etiam hoc modo molem majorem nanciſcitur. Cujus vero generis, ſc. an acidæ, an alterius & cujus, naturæ hoc ſal urinoſum in cōcreto integro fuerit, nondum determinare mihi præſumo, ut ut mihi probabile videatur, ſub hac, quà prodit, formâ, illud haud inextitiſſe: quoniam nulla arte, niſi quam aut putrefactio, aut ignis, moderatur, tale educi valet, quorum tamen utrumq; corpora non tantum in partes diſtinguere, ſed has quoq; variis modis combinare, hinc diverſa decompoſita formare, præter illa, quæ aliàs adduxi, vel ſolum oleum craſſum, quod ignis æque comburens ac putrefactio cū moderatione calore, promunt, credere jubet.

§.24. Hoc enim tanquam alter putredinis effectus Chymico Phyſicus, poſt ſpiritum & ſal volatile urinoſum, nigricans, fœtidum, ac balſami ſpiſſitudinem æquans, auctiore paulo ignis arenæ gradu propellitur, copioſiùs longè quàm quod, eſſentiale dictum ex plantis non putrefactis & cum aqua ex veſica aut cucurbita deſtillatur: ſub hac nihilominus conditione, ut, quò abundantius hoc illis inexiſtit, eò in majore quantitate etiam craſſum hoc prodeat, &, ſi putredo non omnes æque vegetabiles partes penetrarit, ſub fluiditate, diaphaneitate, ſapore ac odore, eſſentiali oleo magis ſimile compareat.

§.25. Quibus cunctis ita ſe habentibus de Fermentationis & Putrefactionis diſparitate, hujuſq; formalitate & eſſentia, ita ſuſpicor. Nempe (1) per putrefactionem omne ſulphur ac ſal à mixto ſeparatur, ita ut poſt deſtillationem aut diuturniorem ſub aura libera putredinem nihil horum in capite mortuo reperiatur: in fermentatione verò moderata aliquid tantum ſalis plus verò ſulphuris ad receſſum diſponitur, in nimia & ad acorem vergente ſal omne repagula frangit, & olei maxima pars huic involuta figitur. Unde etiam fit, ut ex fermentatis ſemper adhuc aliquid ſalis fixi elici queat, ex ſufficienter putrefactis ne granulum quidem. (2) In fermentatione ſulphurea ſubſtantia attenuatur, & quæ antea ſub olei eſſentialis conſiſtentia apparebat, nunc in ætheream & ſubtiliorem magis in ſpiritu evehitur: quæ in putrefactione craſſeſcit i. e. partes terreſtriores ſibi adaptat (3) Per hanc ſal à ſulphure maximam partem ſeparatur, aut utriuſque cohæſio notabiliter laxatur; fermentationis verò motu ambo ſibi arctiùs implicantur, ſive in ſpiritum ardentem, ſive in ſuccum aceroſum, ille terminetur (4) In putrefactione plus particularum volatilium exhalat ut odor præprimis teſtatur, & ex hoc colligere licet, quod ſalis volatilis aliàs eliciendi quantitas, illâ diutius continuatâ imminuatur: cum per fermentationem nihil aut parum exhalet, i. e. non particularum receſſus, ſed nixus tantùm quidam; contingat. Deniq; (5) ſal in putrefactione potiùs volatiliſatur: in fermentatione in fluorem abit qui in ſpiritu ſulphureo inſenſilis valde, in aceto manifeſtus magis. BOHNIUS.

PYRACEUM.

Eſt vinum confectum è ſuccô pyrorum fermentatô, ut *Pomaceum* præparatur è ſuccô pomorū itidem fermentatô. Pyraceum etiam vocatur ſuccus pyrorum, & pomaceum ſuccus pomorum ad extracti ſeu Sapæ conſiſtentiam per evaporationem ſeu lentā coctionem deductus.

PYRETHRUM.

Pyrethrum ab igne nomen habet ob radicis ejus fervorem igneum C. B.

Ab anthemide ſeu chamæmelo flore majore & radicis acri fervidoque ſapore differt.

Nomina. Pyrethrum flore bellidis *C. B.* vulgare officinarum *Park.* officinarum *Ger.*

Dod.

Pyrethro folia ſunt multipliciter diſſecta diviſaque ſimilitudine ferè foliorum fœniculi, ſed tamen minora, dauci Sylveſtris & carotæ æmula: cauliculi dodrantales aut paulò latiores; in quorum faſtigiis flos amplus, latus, Anthemidis ſimilis, ſed tamen major, medio orbe ſubluteus, anguſtis oblongiſque circum ambientibus foliolis, ſupina parte albicantibus, prona vero nonnihil purpuraſcentibus. Semen inter diſci ſive orbis ſtamina gignitur, tenue & longum. Radix digitalis ferè eſt craſſitudinis, longa, ſubruſſo colore nigricans, guſtu acri & admodum fervido.

Ex Orientis partibus infertur. Naſci in quibuſdam Italiæ montibus, ſed minùs acre, ſcribit Matthiolus.

Optimum remedium habetur in Paralyſi Linguæ cum vocis amiſſione. Ad dentium dolorem radix maſticata in uſu eſt. RAIUS.

Pyrethrum Italicum eſt Pyrethri umbelliferi B. P. radix oblonga digitum craſſa, foris ferruginea, intus candida, ſapore acri ferventiſſimo, unde etiam nomen obtinet, videlicet à πυρ, ignis.

Nota


pyrola minor
pyrola major

Nota generica eſt eſſe plantam umbellatam.

Eaſdem facultates obtinet ac exteræ plantæ umbellatæ, ſed omnes omnino ferventi ſapore excedit, ideoq; valdopere incidit, aperit, in quantum nempe conſtat parti culis tenuiſſimis in remotiſſima loca penetrantib. Hoc peculiare habet quòd ſalivationem promoveat, & quòd non tantum ut manducatorium in catarrhis frigidis, ſed etiam ſpecificum ſternutatorium vaſa cerebri obſtructa aperiens. Optimè convenit in Paralyſi linguæ, ubi quis obſtrictis linguæ nervis obmutescit; ſcil. ſi exigua ejus quantitas linguâ inſpergatur, ſtatim ab illa nervorum ligatione, eam liberat. Eâ etiam in odontalgia à frigiditate orta circumforanei utuntur. Datur in decoctis aperientib. Apoplecticis hæc decocta inclyſteribus dantur.

Pyrethrum Germanicum eſt Pyrethri bellidis foliô B.P. radix oblonga, Italicô tenuior, foris fuſca, intus albicans, ſaporis pyrethrô Italicô ferventioris. *Nota generica* eſt eſſe plantem corymboſam, ſeminibus ſolidis. Eadem vires habet ac Pyrethrum italicum. HERMANNUS *in Materia Medica manuſcripta*.

PYRITES, *vid.* ſub titulô *Lapis*.

PYROLA.

A foliorum cum *pyri* foliis ſimilitudine nomen ſumpſit.

Florum ſpica & ſemine pulviſculi inſtar minutiſſimo cum hoc genere convenit, radicibus fibroſis & foliis ſemper virentibus à reliquis ſpeciebus differt.

Nomina, I. Pyrola *Ger. I. B.* noſtras vulgaris *Park.* rotund folia major *C. B.*

I.B. Quinq; aut ſex folia humi ſpargit, ſubrotunda, pyraceis paria, craſſa, atrovirentia, glabra, nitidaque facie ſuperna, pediculis palmaribus ferè inhærentia: inter quæ caulis naſcitur dodrantalis, anguloſus, parvis & acutis foliis aliquot donatus, nullam ramorum diviſionem agnoſcens, thyrſum gerens amænorum florũ pentapetalorum, albidorum, orchidum fermè modo, upernis duob. (petalis) galeam, imo verò labellum bifidum referentium, multis umbilicum obſidentib. apicibus croceis, ex quib. piſtillus recurvus prodit, & ima verſus reflexus, & quandam veluti proboſcidem referens. flores capitula ſequuntur anguloſa, pulviſculo minuto plena, ſapor totius plantæ amarus, non ſine inſigni aſtrictione.

Hæc, obſervante Cluſio, flore eſt vel ampliore mollique, vel minore & duriore, nos etiam in flore differentiam obſervavimus in Septentionalib. Angliæ variis in locis invenitur, prope Halifax oppidũ copioſè oritur.

In montoſis propè Genevam collegimus; inq; ſylvis montoſis, plurimis Germaniæ in locis, apud nos in ericetis muſcoſis inter Ericas ſæpius occurrit quam in ſylvis.

Vulneraria eſt uſu interno & externo celeberrima, Vide chirurgiæ Scriptores.

Nomina. 2. Pyrola folio ſerrato *I.B.* folio mucronato ſerrato *C.B.* tenerior *Park.* ſecunda tenerior Cluſij *Ger.*

I.B. Tenerior eſt altera, radice repente, caule breviore, infimi miore foliis circa imum ornato, dimidio minorib. tenuiorib. oblongis, acuminatis, tantillum in ambitu crenatis, flores per caulem tyrſoides, præcedenti ſimiles, minores, capitula relinquunt anguloſa, ſtylum ex umbilico proferentia.

In montibus Genevæ vicinis, inque ſylvis montoſis non longè à Conſtantia urbe Schaphuſiam verſus nobis inventa & obſervata eſt.

Hanc eſſe ſuſpicor quam in ſylva Haſelvvood in Comitatu Eboracenſi naſcentem obſervavit nobiſque oſtendit D. Witham, nam & folia minora erant quam in pyrola vulgari & mucronata & circum oras leviter crenata, & in umbroſis oriebatur. *Rajus*

De virtutib. Pyrolæ utriuſq; majoris & minoris, ſeu folio rotundiori, aut oblongiori, plura vide ſub titulô VULNERARIA, ubi ſcilicet de Plantis noſtris vulnerariis ſeu Traumaticis quædam dicimus. Hic earundem icones Tabulâ xx. expreſſas tantùm addicimus.

PYROTICA, ſeu CAUTERIA.

Utut cauteria potentialia, quæ non actuali igne, ſed potentiali eſcharoticâ vi agentia de quib. etiam quoad materiam hanc albi diximus, ſingula ſua obtineant nomina; attamen juxta methodum vulgarem, cum calcinata, cineres & lapides ſub eodem titulo communiter à ſcriptorib. venire ſoleant, nos quoq; eam ſequemur.

(1.) *Cauteria potentialia debentur ſalib. ſuntq; vel alcalina, vel acida.* Corroſio nempe fit à ſale & hujus effectus eſt. Hinc duæ claſſes ſunt eorundem. Ex primo ordine vulgatiſſimus eſt lapis corroſivus, qui nempe fit ex lixivio ſaponariorum, coagulato in vaſe ferreo vel figulino, adeoque nihil aliud eſt quàm ſal, cujus materia κατ' ἐξοχὴν eſt ſal fraxini & quercus. Hoc ceu ſimplici elemento cognito, facile eſt de additamentis aliis judicare, qualia ſunt v.g. ſalx viva, ſtercus lupi, & quæ alia ut plurimum citra rationem vel uſum jungi à nonnullis conſueverunt, adeóque ſalia alcalia fortiora coagulata cauterium potentiale evadunt. Alterius exemplum eſt tùm butyrum ♁ij, promptiſſimum & potentiſſimum cauterium, quod ex ♁io & mercurio ſublimato paratur, ſed cum liquidius ſit, cum pennæ anſerinæ parte ſolet applicari. & cerato defendi, ne longius quàm par eſt diffluat; tùm cryſtalli ☽æ, quod quidam cauterium indolens vocant, ſi v.g. imperialis Philippicus in aquâ forti ſolvatur & ſolutum ex parte evaporet, hinc in cellâ emergentes cryſtalli magnitudine ſufficienti applicantur, ubi id opus eſt. Ex quo ceu poriſma iterum notari poteſt.

(2.) *Quò magis activum eſt cauterium, eo magis indolens.* Tollit enim ſtatim ſenſum ipſum deſtructione partis, non aliter ac ignis ipſe ſi ſenſum tollat certæ partis, eatenus ſine dolore fingi poteſt agere. Utraque verò hæc dicta claſſis ſufficit, ſive jam ▽F, ſpiritum nitri, vel vitrioli philoſophicum loco butyri ♁ii recipiamus, ſive globulos his imbutos applicemus, res eodem recidit, butyrum enim ♁ii nihil aliud eſt, quam ſpiritus corroſivus ſaturatior & concentratior propulſus, nam mercurius cum his ipſis ⦶, ⊖-lo & ⊖ : ſublimatur, unde etiam butyrum hoc ipſum ♁ii ſine additione mercurii cum his ipſis ſalibus parari poteſt. Hinc & illud notamus quò concentratiora ſunt ſalia & ſpiritus acidi, eò activiora & magis corroſiva, unde oleum ſalis, ol. vitrioli (impropriè dictum) longè potentius eſt quàm ſpiritus.

(3.) *Cauteria ad erodendum ſeparandum, conſumendum faciunt.* Spiculis ſuis ſalinis ipſam pellem invadunt aggrediunturque, donec ſyſtaſin ejus demoliantur, fundant, liquent; ſive enim ſicca applicentur, uti in lapide corroſivo fit, à ſubſtantifico ſucco ſolvuntur & cum eo miſta pervertunt particulas, ſive humida, effectum ſuum ſortiuntur, & quidem liquida potentius, ſicca remiſſius agunt. Hinc erodunt, & pervadendo cutim ulcus pariunt, quod, quia apertum hinc ſervatur, fonticulus audit. Abſceſſus quoque rumpunt, adeoque eâ proportione ponderis & temporis applicanda, ne altius quàm par eſt & ad ipſum carnium clima pertingant, & malè corpus habeant. Separant inprimis acida, unde nobilis uſus eſt butyri ♁ii ad partes ſphacelo correptas, ut vivum à mortuo ſeparetur, de quo vide *Hartmann in praxi chimiatr.* Conſumunt excreſcentias p.n. ubi id tutò licet, v.g. verrucas & ſimilia, quæ tamen omnia cum grano ſalis ſunt applicanda, quia maximè ſunt activa, & conſequenter facilè damnum inferre apta.

(4.) *Cauteria actualia eſcharam inducunt nigricantē, acida albicantem.* Tacta quidem hæc theſis jam alibi

eſt, hîc verò loci ſpecialius de eâ dicendum venit. Licet enim facile hoc ex noſtris hypotheſibus deducere; prius ſcilicet contingit,eſchara puta nigra,quia ſal adſociatur ſulphuri ſanguinis,jam extra ſphæram activitatis per cauterium poſito,uti notum eſt, lixivis ſalibus lubenter admodum maritari & occultari ſulphura. Acida verò albicantem inducunt, tùm per accidens, tùm per ſe.Per accidens, quatenus atomos ℥iales ſecum abſorpſit butyrum ℥ij.quæ appulſu alius liquoris cujuſcunque diverſi,maximè verò aquæ ſimplicis præcipitantur & viſendas ſe offerunt.Per ſe,quia communi nobis axiomate acidum obtundit ſulphur. *Wedelius*.

Cauterium Potentiale ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Cineris clavellati, calcis vivæ ãã q.v. cum aq. font. aliquandiu macerata filtrentur, & coctione inſpiſſentur; poſtea in vitrô optimè clauſô ab aere, ne in eô liqueſcat, ſal hoc ſervetur.

PYRUS.

Pyrus à πῦρ, id eſt ignis dicitur, quod fructus ejus flammæ inſtar è lato in oblongum faſtigietur, υ in ι tranſit,ut à φύω eſt fio,verùm quomodo ſcribendum ſit pyruſne cum y,an pirus cum i.inter eruditos non convenit: optima Plinij exemplaria ubique pirum habent cum i.alij pirum à græco Ἄπιος deducunt, truncato capite,ut in multis alijs,& inſerto r. quomodo è κορίαννον eſt coriandrum, à φλέγω flagro, πύθω putreo, ſed unde Ἄπιος an ab Apia regione, id eſt,Peloponneſo, an hæc ab Ἄπιος, quod veriſimilius videtur.

Ut mali ita pyri unam duntaxat ſpeciem agnoſco ob rationes in Capite de Malo dictas.

Eſt autem pyrus ſativa,(deſcribente I.Bauhino)craſſo eoque recto & ſimplici caudice, altius quam malus aſſurgit,ſed minus ſit patula,ramis,iiſq;plurimis,ſurrectis potiùs quàm laterorſum extenſis, Cortice quam mali ſcabriore eſt,materie firma ſatiſq;tractabili,præſertim ad typos & ſculpturas apta,item ad tornum & alia, ex pallida ruſeſcente, quæ ſiccata magis etiam rutila fit.Folia circinata ferè,vel ex circinato oblonga, marginibus æqualibus ſeu minime inciſis aut crenatis, eorum figura pro ſpecierum diverſitate variante, longiuſculo pediculo hærentia, ſupernè lævia, ſplendentia, infernè aſperiuſcula, albicantia, alternatim poſita: flores ferè quales malo,pentaphylli, albicantes, apices purpurei,fructus,hoc eſt,pyra pœne omnia, turbinata, circa pythmena craſſiora, & velut in pyramidem faſtigiata, in qua tamen figura multum variant, (imo non omnes eam obſervant) carne quàm malorum denſiore,ſatis ſuccoſa,ſed plerunque aceroſa, præſertim circa media,ubi ſemina foris nigra,intus alba,qualia mali,cellulis coriaceis diſtincta continentur; pediculo fere quàm pomorum longiori. Colore multum variant, quemadmodum & ſapore; in genere non tam vividus his color quàm malo;neq; cute tam lævi contecta, ſed aliàs virenti, aliàs araneoſâ, aliàs ſuflava, rarius ruſeſcente, ut plurimum obſoleta, & leviter ſcabra, ſapor vel dulcis, vel acidus, vel auſterus, vel acerbus, arbor caret ſpinis, radicem habet profunde actam (ut ſcribit Theoph.)

Pyrus in ſenectute fœcundior, autore Theophr. & experientia teſte. Παραβλαςικὴ dicta eſt h. e. è radice emittens pullum: huic enim longò etiam ſubter terram productis radicibus ſtolones enaſcuntur. Salſis offendi ajunt.

Pulpa in hoc aliiſq;frutib. eſculentis quib. data eſt, non tantum ut animalib. in cibum cedat à natura conceſſa eſt;ſed etiam ad ſeminum præſidium:quæ etſi coriaceo amictu donata ſint,melius tamen & felicius intra pulpam, vel putridam etiam, totâ conſervantur hyeme quàm exempta.

Pyra pleraque calculoſa ſunt, ideoque à nonnullis calculo in humano corpore generando idonea putantur & ob id in cibis damnanda.

Pyrorum non minus quàm pomorum genera, ſeu differentiæ numeroſiſſimæ ſunt,aut veriùs novis quotannis productis & æternum producendis infinitę:nec tamen omnes quæ etiam nunc etant varietates enumerare cuiquam facile nè dicam poſſibile fuerit, cùm unuſquiſque ferè pagus quædam genera peculiaria habeat, ſunt quædam fateor in unaquaque regione aliis celebriora & paſſim cognita, in Gallia ſcilicet Hiſpania, Germania, Italia, Anglia quæ recenſuere Curtius, Dalechampius, Ruellius. Mathiolus, Cæſalpinus, Aug. Gallus, Cordus, I. B. Parkinſonus, Hortulani gallici auctor, aliique ad quos lectorem qui eaſcire deſiderat remitto.Duo autem genera inſigniora non apud Anglos duntaxat,ſed & Gallos,& Italos &Germanos dudum celebria,nec minore in pretio & honore hodie etiam habita, indicta præterire nequeo: ea ſunt.

1. Bergomatia,a Bergamo Italiæ urbe denominata, ſucco ſaporeq;egregia, rotundiore formâ,colore herbaceo,qui nec dotem referat,Autumno appetente matureſcunt, verùm non diu durant, niſi paulo ante plenam maturitatem colligantur, & commodè reponantur,ſive cocta ſive cruda edantur utriq; eſui jucundiſſima ſunt, inquit Curtius; verum inutilem operam navant,qui ea coquunt,ſiquidem crudorum ſuccus omnium non dico pyrorum, ſed fructuum in Anglia naſcentium, palato noſtro ſapidiſſimus eſt, & ut ita dicam, ditiſſimus.

2. Boni chriſtiani dicta, ſerotina hæc uti in autumnum durent, ampliſſima, cucurbitæ figura, herbaceo colore, ſubnigro, ſucco dulciſſimo, ut etiam cum ſenuerint crudæ per orbiculos, in latum tenuiter diſſecta,additâ aquâ roſacea & ſaccharo edantur,per ſummos enim colores refrigerare perhibentur, ut ægris etiam contra ardores præbeantur. Curtius.

Pyrus loca temperata amat;in calidioribus,ut Ægypto referente Theophraſto, pauca oritur: læto ſolo gaudet,nec tamen glareoſum aſpernatur,ubi mali non proficiunt, nihil frequent ui Germaniæ, Galliæ, ſed præſertim Septentionis plagis, Belgio,Northmanniæ, Angliæ.

Pyrus, ut rectè Tragus, ante malum plerunque cum ceraſo florem edit, Aprilis menſe aut tempeſtate frigidiore etiam Maij initio, æſtate & autumno fructus matureſcit.

Pyrorum vires ex ſaporum generibus metiendæ ſunt, dulcia emolliunt potius quàm aſtringunt acida & acerbo adſtringunt.

Vires. Pyra eſu ſtomacho grata ſunt,& ſitim extinguunt,etiam cruda,utiliora,autore Matthiolo,ſi poſtrema in paſtu comedantur,unanimi tamen conſenſu medicorum cocta crudis præſtant, decocta mirè ſalubria ſunt & grata. Plin.crudis ſemper cocta utiliora, & ad corporis nutritionem meliora. Matth.

Cruda gravant ſtomachum, relevant pyra cocta gravatum. Schol. Salern.

Nos pyra cruda bene matura, boni ſucci & melioris notæ,non inſalubria putamus: ejuſmodi enim multoties copioſè ad ſatietatem uſque ingeſſimus, nec tamen unquam vel leviſſimum inde nocumentum aut incommodum ſenſimus;non tamen receptæ ſententiæ adverſamur,nec cocta crudis ſalubriora eſſe negamus, ad coquendum tamen aptiora ſunt nonnihil acerba & auſtera;& à coctione ſapidiora & palato gratiora evadunt, quam dulcia & mitiora: arida & reſiccata pyra ventris fluxus ſedant, & ſanguinis quoque fluores ſiſtunt, cum fungis cocta eorum malignitatem corrigere dicuntur.

E Pyris non ſecus ac pomis fit vini quoddam genus. Apiites veteribus dictum, Latinis pyraceum, noſtratibus Perrp. dulce admodum eſt, & palato mirè blanditur, verùm apud vulgus noſtrum malè audit quod

quòd aſſiduè eo utentes pro potu ordinario ſcabioſos efficere ſolere credatur; quod an verum ſit nec ne nobis incompertum: non diu durat, ſed primâ æſtate aceſcit.

PYRASTRUM, ſeu PYRUM SYLTESTRE.

Pyrus Sylveſtris (deſcribente I. Bauhino) minus procera ferè eſt arbor quàm ſativa: verùm ſurculoſa admodum, & ramorum extremis ſpinoſis, caudice rimoſo, & hiulco cortice, materie rutila & quam ſativa duriore, ideòque diſcos & tabellas ex eo conficiunt: primum emergunt flores inſtar umbellæ, ex eodem ſurculo ſeu nodulo multi, lanuginoſis pediculis inſidentes, pentapetali, petalis albis, rotundis, cochlearis modo concavis, inter quorum ſingula intercedit ſubjecti hirſuti umbilici radius, in viridi caneſcens: apices in medio multi purpurei: folia florente arbore ſubtus & in ambitu cana lanugine obſita, foliorum cotonei inſtar, ſuperne virentia, ſplendida, aliàs utrinque glabra, lucida, ſubrotunda, craſſiuſcula, fructus non uniformes, ſed aliàs rotundi & modice compreſſi, aliàs ex rotundo leviter turbinati & longiuſculi, auſteri & acerbi valdè, nec edules donec fraceſcant, quod ferè fit Octobri, ſemen intus continentia pomorum ſeminibus ſimillimum, extima alioqui facie pyri ſpeciem facile repræſentat, à radice numeroſos emittit ſtolones, valde ſpinoſos, cortice rubicundo veſtitos: copia & rigiditate ſpinarum facile diſcernuntur à ſtolonibus malorum ſylveſtrium.

An pyrus ſylveſtris cultu mutari poſſit in mitem ſeu hortenſem quæſtio eſt. Theophraſtus diſertis verbis id negat. Scaliger affirmat pyrum feris tranſlatam locis adhibito cultu deponere agreſtem illum habitum ſimul cum aculeis quos adulta tuliſſet, ſimulque & laxatur illa denſitas quæ videtur in ejus popularibus, unde tranſportata fuit ad naturam meliorem, quod an verum ſit nec ne vix ipſum Scaligerum expertum credo.

Pyrorum ſylveſtrium non minus quam ſativarum plurimæ ſunt differentiæ; paſſim occurrunt in ſylvis & ſepibus, locis præſertim montoſis: loca calidiora refugiunt, unde in Ægypto nullum prorſus ſylveſtris pyri genus; mitis etiam rara.

Florent ſimul cum ſativis, ſed fructus tardius perficiunt, viz. non ante Octobrem menſem.

Vires. Pyrum ſylveſtre (Ἀχερδὸς) ſiccat & aſtringit validè, longeque efficacius quam ſativum: conciditur (inquit plinius) ſuſpenſumque ſiccatur ad ſiſtendum alvum, quod & decoctum ejus potum præſtat, decoquuntur & folia cum pomo ad eoſdem uſus.

Veteres & recentiores nonnulli pyraſtri fructum adverſus fungorum venenum commendant, vel ſimul cum fungis coctum, vel à fungis comeſis confeſtim ſumptum, his refragatur I. Bauhinus, & eruditis conſiderandum proponit an tutus ſit uſus pyrorum ſylveſtrium cum fungis: cum pyra valide aſtringant vomitumque & alvi fluxum compeſcant, adeòque impediant, ne fungi per vomitum rejiciantur aut per alvum promptè deſcendant, fungi autem, cujuſcunque tandem generis ſunt, quò citius à natura dejiciuntur & extra corpus pelluntur eò ſalubrius, cum ventriculum gravent, aut lancinent vexentve, reliqua apud ipſum vide. *Rajus.*

LIBER XVI.

Continens ea quæ incipiunt à Literâ

Q

QUERCULA; vid. *Chamædrys.*

QUERCUS.

Δρῦς Græcis generale nomen eſt, omnes arbores glandiferas complectens, quas una voce comprehendi poſſe latino ſermone negat Plinius, quercus enim inter δρυὸς differentias ab eodem recenſetur, Verum quoniam quercus nomen à vulgo extenditur ad omnes glandiferarum ſpecies ſignificandas; nos non inviti, cum I. Bauhino, (nè quid novi ſapere velle videamur) quercum loco genericæ vocis uſurpabimus. Quercus Jovi ſacra erat, quòd vitæ cauſa in hac primum arbore mortalibus fuit, qui primum glande veſcerentur.

Et quæ deciderant patula Jovis arbore glandes.
Ovid.

Hujus enim fructu ſuos populos primum aluiſſe dicitur ante fruges inventas.

Civica corona, militum apud Romanos virtutis inſigne clariſſimum, è querna fronde fiebat, de qua diſſerentem lege Plinium, civica dicta eſt quoniam dabatur ob civem ſervatum.

Quercus vox vel primitiva eſt, vel ignotæ originis, Voſſius fortè à κερκαλέος, quod valet durus, aſper, dictam putat; eſt enim ligni duri & corticis aſperi: quod non veriſimile nobis.

Vires & Uſus. Δρυὸς materies, autore Theophraſto, ſpiſſa, dura, adeoque flexum nullum recipit tam navibus quàm domibus commoda; nec non in terra obruta durat.

Hujus foliis præ reliquis omnibus conſervatum debemus melleum liquorem roremve ex aere deſcendentem, ex quo apes mella conficiunt, Butler. Tract. de apibus, cap. 6. n. 40. & Theophr. lib. de melle. Plinius etiam lib. 16. C. 8. conſtat, inquit, rores melleos è cælo cadentes non aliis magis inſidere frondibus.

Aliquando idem præſtant acer minus & corylus; ſed parcè, idem Butler. ibidem mirum ſanè melleum rorem harum tantum arborum non aliarum foliis inſidere, an quòd harum folia denſiora ſunt, adeòque rorem facilius reflectunt & condenſant, qui in aliarum arborum folia, (quæ rariora & ſpongiora ſunt) facile penetrat & ſe inſinuat? adde quòd ſuperficies horumce foliorum glabra & velut polita eſt, adeoque conducit ad humorem incidentem ſiſtendum & congelandum: quemadmodum videmus ſpeculi ſuperficiem afflantis habitum ilico denſare, & guttulas brevi cogere, an forte ſimilitudo quædam & quaſi cognatio intercedat inter particulas foliorum hujus arboris, eorumve poros & roris mellei, quo hic iis facilius & promptius adhæreſcat.

Mirum etiam nobis videtur quod apud Cordum legitur conſtare omnibus, qui uſque ad extremam ſenectutem apum naturam ſcrutati ſunt ruſticis, apes ipſas melliſicaturas tantum è floribus collectum liquorem

is

in favis reponere, rorem verò melleum cum decidit haud quaquam ad favos convehere, quod ipſi quoque (inquit) verum eſſe deprehendimus: hinc quamvis mellito rore delapſo ad eum frequentes convolant apes, minimè tamen ut eum in alvearia convehant, ſed tanquam ad cibum & paſtum, quo adeò ſe replent, ut prorſus inertes & ignavæ reddantur, multæque moriantur, itaque ruſtici dicere ſolent, mellitos rores bonum quidem paſtum apibus præbere, ſed ad mellificandum minimè conducere: hæc Gordus, nobis tamen plane contrarium videtur, iiſque qui apum naturam, rationes, totamque œconomiam diligenter & curioſe obſervarunt ingenioſis & eruditis, quibus plus fidendum quàm ruſticorum vulgo, qui receptas majorum traditiones ſine examine ſequi & amplecti, iiſque mordicus adhæreſcere ſolent. Obſervavimus enim rore melleo delapſo integra ferè apum examina, Pauciſſimis domi relictis, evolare, miráque induſtria & maxima feſtinatione ſeſe melle onerare, & ad alvearia convehere, multoties eundo redeundoque donec calor ſoloris rorem vel diſſipaverat vel condenſaverat.

Folia quercuum naſcentium circa ripam rivuli percelebris ad oppidum Smolnicium in provincia Hungariæ Zepuſienſi, non procul à monte Carpatho ſiti, autumni tempore delabuntur in rivum, & ſic metamorphoſi quadam in æs mutantur, ſicut ferrum in hac aqua infuſum in cuprum tranſmutatur, ex obſervatione Wolfangi Wedelii Ephem. German. ann. 6. & 7. & itinerar. D. Brovvn. communicavit D.T.R.

Quod ad vires attinet, quercus omnis (poſſis & dicere omnibus ſuis partibus) autore Dioſcoride, adſtrictoriam vim habet: maximè verò aſtringit membranacea tunica quæ corticem & caudicem ipſum interiacet, ſimiliter & ea quæ circa glandem eſt ſub putamine: harum autem decoctum datur cœliacis, dyſentericis & ſanguinem exſcreantibus. Eædem tritæ fluxione laborantibus fœminis in peſſis ſubduntur, ſed & glandes eoſdem effectus habent, urinam quoque cient (miratur Io. Bauhinus qua id facultate præſtant. Reſpondeo adſtrictoriâ, quâ ſanguinem velut coagulando ſerum ab eo ſeparant, adeoque illud copioſius per nares excernitur, non alia fere ratione quàm alumen aliave adſtringentia pituitam ex ore eliciunt, nam partes ſolidiores conſtringendo & comprimendo humorem in iis contentum exprimunt.

Si comedantur capitis dolorem inducunt, & flatus gignunt, difficilis ſunt concoctionis, tardius deſcendunt, & crudos humores gignunt: propterea eas porcis ſaginandis relinquimus, hoc enim pecus diffuſum & grandiſſimum faciunt, ut Varro ſcribit, & teſtatur experientia.

Glandium & corticis decoctum contra toxica prodeſt ex lacte vaccino potum, non probat hoc I. Bauhinus contra toxica aſſumpta, potiſſimum in principio: ſi tamen vomitus vel alvi fluxus multum vexent, rejecto toxico per vomitum vel alvum, prodeſſe tunc poſſe exiſtimat, crudæ ac intritæ inflammationes illitu leniunt; vulneribus etiam recentibus utiliter imponuntur Galeni experimento.

Aqua è foliis quercus juvenis deſtillata præſcribitur ad album mulierum profluvium, ad dyſenteriam peſtilentem, &c.

Quidam glandes aridas adverſus calculum exhibent, neſcio quo ſucceſſu, inquit I. Bauhinus.

Bartholinus de Medicin. Danorum domeſtic. refert Norvvegos alioſq; ſeptentrionales in inopia frumenti conficere panem è glandibus quercinis.

Folia tenera & rubicunda, vino decocta, colluta ac gargariſata dentium dolorem ſedant à fluxionibus ortum, ſed ſæpe hoc decocto calido os colluendum; quo experimento nos ſæpe feliciſſimè uſos fuiſſe teſtantur, etiam in inveteratis dentium doloribus. I.B.

Ut verbo dicam, quercus partes omnes, cortex, folia, cupulæ, glandes, ac etiam lignum ipſum ad fluxum omnem alvi, uteri, ſeminis ſanguinis ſiſtendum utiles ſunt, & ad omnia quibuſcunq; adſtrictione opus eſt.

Lithotomi ad vulnus urethræ inflictum ſanandum & conſolidandum utuntur balneo è cortice quercus in aqua decocto.

Corticis in ſcobem commoliti inſignis & frequentiſſimus uſus eſt coriariis ad coria præparanda: & ad hunc uſum aliis omnibus adſtringentibus antecellere nobis videtur. Coria enim Anglica, quæ eo denſantur, reliquis Europæis ſoliditatis & durationis reſpectu palmam præripiunt.

Carbones optimos è quercu tánquam materia ſpiſſiſſima fieri, auctor Theophraſtus, ſolidiſſimos etiam eſſe ait & firmiores cæteris.

Ligni uſum nemo facilè declaraverit, vix enim aliud habeas in hoc noſtro orbe perennius, quoq; ad plures uſus neceſſarios accommodari poſſit ac ſoleat, ut ad ædificia, naves & inſtrumenta tam ea quæ in terra, quam aquis uſui eſſe poſſunt, fiunt ex eo dolia vinaria cæteris omnibus præſtantiora, & ſola fere bona, hactenus I. Bauhinus.

In ædificiis immenſum durat, modo ab humore nimio deffendatur, imo vetuſtate ita indureſcit, ut Chalybis aciem retundat, imò ipſius propemodum ferri ſoliditatem & renitentiam acquirat, at nec aliud lignum adverſus viciſſitudines humoris & ſiccitatis magis firma & pertinax, & ab iiſdem difficilius corruptibilis.

Navigiis extruendis præ alia quacunq; materie idonea eſt, quòd tenax & flexuræ patiens, quòd firma nec tamen nimis ponderoſa, quòd aquam difficulter admittat, quòd percuſſa aut globis tormentariis trajecta non facilè findatur aut rimas agat.

Quercus autem Anglica ad naves fabricandas præcipuæ æſtimationis eſt, aliiſque omnibus præſtare cenſetur.

Quamvis autem alia nonnulla ligna, ut v. g. buxus cornus, Ebenus, Lignum Braſilianum, aliaque Indica, duriora, ſolidiora & ponderoſiora ſint, pleraque tamen fragiliora, nec ponderibus incumbentibus ſuſtinendis adeo apta & commoda obſervantur.

Nulla eſt arbor quæ præter genuinum tot ſpurios & excrementitios producit fructus ac quercus.

Hi à Theophraſto enumerantur, hiſt. plant. lib. 3. cap. 8. item à Plinio. vide Verulamii nat. hiſt. cent. 7. exper. 635. Hi fructus arboris non ſunt, ſed excreſcentiæ quædam & tumores præter naturam infectorum morſibus, lancinationibus aut afflatibus venenatis originem ſuam debentes, inſecta enim hujus arboris gemmas, folia, ſurculos teneriores pungentes, humorem aliquem venenoſum per vulnus inſtillant, qui tumorem præter naturam excitat, fortè etiam ova duntaxat venenato & fermentativo humore delibuta, nullo vulnere inflicto ibidem deponunt, qui ſufficit contagio ſolo ſucco nutritio alterando & in motus irregulares compellendo. Hi autem tumores & excreſcentiæ quamvis arboris reſpectu præternaturales ſunt; à natura tamen deſtinantur, ut ſint veluti matrices & uteri, inſectorum eorundem ovis excipiendis, tuendis, fovendis, fœtibus excludendis, editiſque alendis inſervientes.

Horum autem excrementorū notiſſima & utiliſſima ſunt gallæ, græcis κηκίδες dictæ, harum multæ ſunt ſpecies, magnitudine, colore, lævitate aut aſperitate ſuperficiei, pondere, figura, differentes de quibus prolixius agere magis curioſum eſſet quàm utile, placet tamen gallæ officinarum deſcriptionem è I. Bauhini hiſtoria petitam ſubiungere.

Gallæ officinarum vulgatiſſimæ rotundæ ſunt leves, foraminulis pertuſæ, læves, paucis interdum tuberculis

lis aſperatæ, interdum multis & anguloſæ, magnitudine variæ, unciam amplæ, quamvis magna ex parte infra ſubſiſtant; ſunt etiam majores, rotundæ, interdum turbinatæ ac pyriformes, colore ruffo, levi mallei ictu fragiles, intus ungue friabiles, cavernoſæ, fungoſæ, guſtu adſtringente & acerbo.

C. Bauhinus has ſpecies recenſet. 1. Gallam maximam orbiculatam, quæ duplex orientalis quæ fortaſſe galla maxima exotica J. B. ovi gallinacei magnitudine, & Provincialis aut Illyrica. 2. Gallam oblongam, 3. Gallam minorem, 4. Gal. galericulatam, 5. Gal. anguloſam, 6. Gal. Braſilianam quinquangulam: alias adhuc varietates habet I. Bauhinus, quas apud ipſum vide: variant enim hoc genus excreſcentiæ pro natura arborum è quibus oriuntur, inſectorum quorum matrices ſunt, & forte etiam locorum in quibus inveniuntur: quod Theophaſtus & Plinius ſcribunt gallam confertim & ſubito oriri, unaque die augeri nobis non videtur veriſimile.

Quæ glandem ferunt (inquit Plinius) omnes & gallam, alii Robori duntaxat proprium eſſe volunt, Gallam proferre, nos potius Plinio aſſentimur quercum nimirum omnem gallam producere, at non omnibus in locis: in Anglia enim nullus unquam auditus eſt gallarum proventus: quòd in ſecta illa quibus ortum debent in Anglia non inveniantur, ut nobis quidem videtur, Gallas enim quercui latifoliæ noſtrati ſimili, & ſpecie (ut putamus) eidem in exteris regionibus adnaſcentes vidimus.

Gallæ tinctoribus magni uſus ſunt ad pannos atro colore inficiendos: ex his etiam cum calchantho, gummi, & vino atramentum ſcriptorium optimum paratur hoc modo.

℞. Gallarum ℥ iv. calcanthi ℥ ij. gummi arabici ℥ j.

Gallas craſſiuſculè contritas in vini gallici rubri, (quod Claretum noſtrates vocant) ſextarijs duobus (a quart) infundas per novem dies, vas prope ignem collocando & liquorem quotidie rudiculâ agitando aut commovendo, deinde calcanthum & gummi immittas; & cum unum amplius diem ſteterit, uſui idoneum erit atramentum, literæ hoc atramento exaratæ in charta diuturnitate temporis colorem non mutabunt.

Gallæ vehementer adſtringunt: tritæ, autore Dioſcoride, gingivarum & columellæ fluxiones inſuperque oris ulcuſcula cohibent, quod verò in earum medio eſt, dentium cavernis inditum dolores ſedat, cæliacis & dyſentericis in aqua aut vino tritæ, ſeu illitæ, ſeu bibitæ, conveniunt, nec non obſoniis additæ; item crematæ & in vino aut aceto extinctæ, quomodo & menſes ſiſtunt & vulvæ procidentiam, in ſumma, ubi quid adſtringere, ſiſtere aut ſiccare opus eſt, uſurpandæ ſunt;

Tritarum pulvis intus aſſumptus in vino auſtero aliove conveniente vehiculo certo experimento diarrhœam ſiſtit.

Ad bubonocelen, epiplocelen & enterocelen quidam pharmocopæus utebatur liquore ſtillato ex gallis orientalibus, & multos licet ætate provectos ſanabat: liquor non eſt oleum, ſed aqua cum qua ſal quoddam volatile aſcendit. D. Hulſe è Cheſneau præter gallas alia etiam multa excrementa ſeu tumores præter naturam in quercubus obſervantur, ut v. g.

1. Pilulæ foliorum quercus J. B. aquoſæ C. B. quæ averſæ ſeu terram ſpectanti foliorū parti plerunq; adnaſcuntur, læves, fungoſę, pallidę aut parte ſoli oppoſita rubentes ſapore ſubacido & adſtringente molles, exquiſitè plurimùm rotundæ, piſo non multo majores, & exiguam gallam rarò æquantes, vetuſtateque corrugantur, vermiculum intus alunt, qui in muſcam figuratur, de quo conſulendus D. Malpighius: hæ in foliis quercuum frequentiſſimæ inveniuntur in Anglia ex adſtrictionis argumento iiſdem viribus quibus gallæ præditas eſſe non malè quis dixerit I. B.

2. Excrementum quercuum fungoſum I. B.

Quercuum vulgarium frondibus verno tempore etiam ſine pediculo adnaſcuntur excrementa fungoſa, rara, laxa, ſucculenta, acida, inſigniter adſtringentia; magnitudo nucis juglandis aut circiter, ſuperficie inæquali, tuberoſa, pulcherrimo rubore plurimum ornata, reliqua parte albida, aut pomorum inſtar luteoſa, in quibus vermiculi hoſpitantur, qui in iis multas cellulas calloſas ſibi pro domiciliis effingunt.

Inveniuntur Majo in quercubus glandes cum longis pediculis ferentibus: in Anglia frequentiſſima ſunt & nemini è vulgo non nota, nec minus copioſa in arboribus nonnullis quam fructus ipſi: Botanicis tamen noſtratibus, ut Parkinſono, ignota fuiſſe videntur, adeò confuſè de illis ſcribunt, & cum pilulis foliorum confundunt; quòd & C. Bauhinus etiam facit. An pilulæ in alis ramorum natæ Plinio?

3. Uva quercina, quam J. Bauhinus ſic deſcribit.

Radicum quercûs fibris ſub terra adnaſcitur, & circumnaſcitur, juglandis magnitudine, ex pluribus velut acinis racematim cohærentibus (unde & uvæ nomen) compacta, ſubſtantiâ durâ, intus rubentis ſeu ferruginei coloris meditullio nonnihil albo, ſapore inſigniter acerbo & adſtringente.

Hujus pulvere nullum præſentius remedium in dyſenteria & in omni alvi fluxu.

Præter has à nobis obſervatas, & à quoquam facilè obſervabiles quercuum excreſcentias aliæ adhuc enumerantur à J. Bauhino & Caſparo fratre, v. g. coccus quercuum Dioſc. 2. nuculæ facie album quercus excrementum, J. Bauhino obſervatum & deſcriptum, 3. excrementum lanatum quercuum J. B. pilulæ lanatæ C. B. 4. quercuum capitula ſquamoſa J. B. pilulæ è foliis convolutis C. B. 5. quercuum ſquamæ candidæ, caducæ ejuſdem, 6. excrementum quercus tuberoſum ejuſdem 7. foliorum quercûs gemmæ foraminulentæ J. B. C. B. 8. nodi ſeu verrucæ quercuum J. B. C. B. 9. quercus albumen eorundem, excrementum Tauri caput referens C. B. Joannes frater gallis annumerat, his adde è C. B. Pinace, 1. excrementum moro ſimile, ſed durum admodum, & fractu difficile, è Theoph. & Plin. 2. excrementum pudendi virilis effigie è Theoph. 3. pilulæ capillatæ ex iiſdem. 4. pumex quercinus, ex iiſdem: hoc etiam in loco agunt de muſco quercuum & aliarum arborum, quem quercus excrementum villoſum appellat C. B. de quo nos libro ſecundo inter alios muſcos egimus: hic etiam de agarico quercuum aliiſque fungis tractant; de quibus nos inter reliquos congeneres: hic denique de viſco quercus & aliarum arborum, de quo nos inter bacciferas. *Rajus*.

QUINQUINA.

Arbor febrifuga Peruviana *china china* & *quinquina* & *gannanaperide* dicta, Hiſpanis *palos de Calentura*, cortex arboris, cortex Peruvianus vulgo dicitur, inque pulverem redactus pulvis Patrum (ſcil. Jeſuitarum) & pulvis Cardinalis de Lugo.

Hujus arboris ramuli iconem ex Italia ad regiam Soc. Lond. miſſam nobis communicavit Cl. Vir. D. Goodall. M. D. quæ vera & genuina videtur; maximè quod conveniat cum deſcriptione D. Badi, qui ſe iconem arboris exactam Romæ, è collegio Romano Jeſuitarum nactam refert; videtur (inquit) hæc arbor aliquam habere ſimilitudinem cum noſtratibus, nam folia ejus videntur ſimilia cum his quæ ſunt prunorum rubeorum, ſcil. nec nimium patulis, nec acuminatis, præterea filamentis intertexuntur ambo, & per lineas finduntur, in floribus videtur mihi convenire cum floribus malorum punicorum, qui caliculum coronatum referunt, hanc aliquando unà cum

alijs

aliis in æs inciſam, deo volente, publico exhibere cogitamus.

Antonius Bollus Mercator celebris, honeſtus vir, qui multos annos in Peruvia commoratus eſt, & hiſtoriam arboris Italice conſcriptam publicavit, referente Bollo, naſci eam ait in regno Quitenſi, peculiari quodam loco, qui patrio Indorum ſermone dicitur Loxa ſeu Loia, diſtatque 60. leucas ab urbe Quito: locumque obtinere inter montium coronam.

Vires. Corticis pulvis debita doſi exhibitus adverſus febres omnes intermittentes tutum, certum & minimè fallax eſt remedium, etiam experientiâ noſtra. Egregius vir D. Thomas Sydenham M.D. Summum ad febres intermittentes ſpecificum vocat. Cujus ope nos nunc temporis tum humores illos in quorum redundantia febrium eſſentiam collocabant medici priores, tum etiam diætam & regimen quodcunque ſuſque deque habentes, ac nihil niſi methodum pulveri exhibendo debitam obſervantes, ſcopum rectà attingimus, vix ab illo aberrantes unquam niſi ægrum lecto nulla neceſſitate addicimus dum in ejus uſu eſt: tanta tamen hujus remedii vis eſt, ut non obſtante eo incommodi, quòd ſci. febris à lecti calore plus quam erat opus intendatur, ægrum nihilominus ad ſanitatem ut plurimum reducat.

Pulverem hunc ante tringinta annos, cum primò in Angliam invectus eſſet, ad febrium intermittentium curationem, in magna exiſtimatione & frequenti uſu fuiſſe memini, verum animadverſo eum, quòd ſc. nimis parca doſi exhiberetur, paroxyſmum tantum unum vel alterum aut fortè plures avertere, nec febrem penitus expugnare, verum ægrotum plerunque recidivam pati; ob ſuſpiciones neſcio quas in crimen adduci cæpit, & paulatim in deſuetudinem abire: donec nuperis annis D. Robertus Tabor, doſi ejus valde aucta, non minus felici ſucceſſu quam incepto audaci, febribus omnibus profligatis, uſum reſuſcitavit, hinc enim non intra ſcrupulos ſubſiſtebat, ſed ad drachmas & uncias aſcendebat, indeque voti compos factus, magnam & ſibi & pulveri famam conciliabat.

Vinum Gallicum à cortice Peruano intra breve tempus rubore pellucido tingitur, ut & pluvialis aqua, ſed diluto magis rectificatus autem vini ſpiritus multo intenſiore; hinc ut pateat hunc ſpiritum corticis Peruanæ tincturæ extrahendæ genuinum menſtruum eſſe, notatu dignum tincturam ad febres ſedandas æque efficacem eſſe ac corticem, qui extracta tinctura viribus deſtitutus reperitur. Antonius de Heide in centuria obſervationum Obſ. 70. verùm quicquid dicat hic auctor, ego (D. Hulſe) aliique medici quibuſcum conſuetudinem habui corticis pulverem in ſubſtantia exhibitum efficaciſſimum eſſe ſemper comperimus, etiam adverſus contumaciſſimas febres & quæ infuſi ejus minimè cedebant, quin & inſigniſſimus vir D. Martinus Liſter M.D. mihi aſſeruit infuſum nihil valere, totamque ejus operationem ſubtilioribus pulveris partibus in liquore adhuc à defæcatione reſiduis deberi.

Ab eodem etiam edoctus ſum pulverem corticis vetuſtioris experientia propriâ non minus efficacem eſſe ad profligandas febres quàm recentis, aliquo etiam reſpectu commodiorem, ſiquidem diuturnitate temporis vis illa cathartica quæ in recenti obſervatur, & aqueæ ut veriſimile eſt parti inhæret, paulatim evaneſcit.

D. Spon in libro obſervationum ſur les fievres & febrifuges ſe accurata & diligenti inquiſitione habita comperiſſe ait corticem Peruvianum dictum non trunci aut ramorum arboris eſſe, ſed radicum; illorum enim, ut in particulis quibuſdam ad ſe miſſis expertus eſt, minime amarum eſſe, quæ obſervatio alicujus uſus eſſe poteſt iis qui in noſtro orbe hujus corticis ſuccedaneum quærunt, ego (inquit) nonnullarum periculum feci, radicum perſicæ cortex aſperitatis multum obtinet, parum amaroris; unde apparet conducere eum ad diarrhæam: radicum fraxini pariter aſperitatis plurimum & acredinis pungentis ob copiam ſalium quam continet, quæ febrifugam ſuam vim ei confert: denique ceraſi nigræ radicum cortices & aſperitatis & amaroris participes ſunt; earum itaq; pulvis in febre quartana exhibitus illam quidem diminuit, non tamen plane ſuſtulit; ut non dubitem eum debito modo uſurpatum, & juſta doſi exhibitum ad febres ſanandas utiliſſimum fore, qui plura de hoc cortice velint, conſulant medicos qui de eo ex profeſſo ſcripſerunt.

Nos commonefecit D. Tancredus Robinſon M. D. iconem folii arboris febrifugæ in muſæo cl. viri D. G. Courtine aſſervatam non benè quadrare figuræ D. Goodall, & D. Redi, quia folium non uſque adeò acuminatum, ſed acutius & ſubrotundum eſſe videtur, quale ferè cernitur in Ponnâ & Tſierou Ponnâ Hort. malab. quæ in India appellatur, Kina ab indigenis ex obſervatione ejuſdem amici, ſunt qui dicunt eandem ſemini arboris (quod Hiſpani patrio ſermone pipitas de Quina vocant) fugandarum febrium vim ineſſe; eſtque ſimile (ut ajunt) ſemini cucurbitæ: alii dicunt pipitas fructum eſſe illius arboris; addunt etiam reſinam quoq; ineſſe arbori, neſcio an ejuſdem virtutis cum cortice, ſed nulla amaritie aut viribus donantur: obſervavit Bollus arbores febrifugas Peruvianas plerunque omni cortice ſine noxa ſpoliatas cerni, quod & ſuberi commune eſt quod ſic potius juvatur exuta, ut ſcribit Plinius. *Rajus.*

Hactenus de Quinquina Clariſſ. RAIUS, Nos quædam rurſus de eadem Arbore ejuſque Cortice, & Febrifugis Medicamentis inde parandis huc adducemus.

Arbor unde cortex febrifugus, Ganna - napeſidæ Ditionis Peruvianæ Incolis dicitur, & ut ſcribit Clar. Morton, nec non Clariſſ. Joh. Rajus in ſua hiſtoria Plantarum magnam habet ſimilitudinem cum quibuſdam è noſtratibus, ſcilicet ejus folia non parum accedunt ad folia arboris pruna rubea ferentis. Illorum iconem exhibet Nobiliſſ. ac Curioſiſſimus Rhedi in ſuis Experimentis circa res diverſas naturales, illaſque ſpeciatim quæ ex Indiis adferuntur: verùm adnotante D. Tancredo Robinſon apud præcitatum D. Rajum hæc non benè quadrat cum icone quæ in muſæo Clariſſ. Viri D. G. Courtine aſſervatur. Hactenus creditum fuit corticem qui vulgò in officinis proſtat è ramis ipſius arboris detrahi; verùm Clariſſ. D. Carolus Spon in tractatu de Febribus ac Febrifugis Gallicè conſcripto, ſe accurata & diligenti inquiſitione habitâ comperiſſe ait, Corticem Peruvianum dictum non trunci aut ramorum arboris eſſe, ſed radicum; illorum enim, ut in particulis quibuſdam ad ſe miſſis expertus eſt, minimè amarum eſſe. Quæ obſervatio, ut habet Clariſſ. Rajus, alicujus uſus eſſe poteſt iis qui in noſtro orbe hujus Corticis ſuccedaneum quærunt. Quô autem jure id aſſeratur à Clariſſ. Viro hactenus non ſatis perſpectum eſt, dum alii omnes, tum in quorum manibus frequens eſt admodum ejuſmodi Cortex, aut ii etiam qui in Regno Peruviano, (in quo ipſius natales) per annos commorati ſunt, nihil ſimile afferunt, ac potiùs unô ore pronunciant, è ramis eximi. Cortices autem iſti ſunt craſſitie mediocri, forti ſcabri, paululum

lulum caneſcentes, ſæpe muſco obducti; intus læves, colore ferrugineo, ſeu cinnamomio; ſaporis acris & amari. Hiſce patet quomodo differant ab alio Cortice, qui etiam nomine Kinkinæ, ac Corticis Peruviani nobilitatur, eſt enim hic tenuior, foris cinereus ac caneſcens, intus ex fuſco aut obſcuro ferrugineus, ſaporis acris, amaricantis, ſubpinguis, odoris fragrantis. Ipſius arbor ſua ſponte naſcitur in Regno Peruviano. Cortex hic à plurimis præfertur Kinkinæ veræ, quia major vis aromatica ei ineſt, & etiam à Clariſſ. Morton videtur præ alio ſeligi, dum in China Chinæ præter alios characteres odorem aromaticum exquirit, quo alius cortex omnino deſtituitur. Pro ejus vi febrifuga quidam acriter militarunt, dum alii nobile hoc medicamentum totis impugnarunt viribus, donec tandem ultimis hiſce annis ab omnibus prope Medicinæ Cultoribus, Ægrorum ſuorum ſolatium verè expetentibus, non tantum amicè excipitur, ſed etiam, ut videre eſt apud Clariſſ. Morton & alios, pro panaceæ quadam quaſi ſpecie non immeritò ſalutatur. De methodo illum exhibendi in Notulis ad Tractatum de Febribus Clariſſ. Dom. Piens hæc ſcripſeram. Ego ſæpiùs Corticem Peruvianum in febribus profligandis ſic uſurpavi.

℞. Cortic. Peruvian. ſubtiliſſ. triti ℥j. Salis Tartar. Armoniaco fixo adjuncti ʒij. pulveris viperini, antimon. diaphoretic. ana ℈v. cum rob. juniperi, vel ſyrup. granorum Kermes q. ſ. F. Electuarium de quo tres bolos ter de die, temporibus à paroxyſmo liberis, & longè à paſtu, ſumat febricitans, donec totum fuerit abſumptum, ac etiam poſt aliquot dies iteretur. Uſurpavi etiam in aliis vinum febrifugum ſequens.

℞. Cortic. Peruvian. ſubtiliter triti ℥j. irroretur ſpirit. vini rectificatiſſ. ℥ v. ac olei ſulph. per campan. ʒiij. Digerantur in vaſe bene clauſo per horas aliquot; poſt adde vini bene maturi ac tenuis pintas duas. Digere rurſus per dies aliquot, ac cola. Sumat mane & veſperi ℥ v. corpore priùs expurgato. Quandoquidem verò hæ ut & aliæ omnes hactenus deſcriptæ Corticis Peruviani præparationes, minùs erant tutæ, ac dum in aliquibus bene cedebant, in plurimis aliis intentum non explebant, niſi ad tempus, aliam ipſius exhibendi rationem excogitavi, & per experimenta repetita ita confirmavi, ut de ea aſſerere poſſim; primò febrem intermittentem qualemcunque, ſine ullo recidivæ metu ſupprimere. Secundò, die prima qua exhibetur corpus ſatis bene expurgare, ſubſequentibus alvum ut plurimum liberam facere, urinas in largiſſima quantitate pellere, tranſpirationem promovere, ciborum appetentiam ac digeſtionem, etiam in ventriculis debiliſſimis, & cibos maximè averſantibus, reſtituere, vultui colorem, toti corpori vires, reddere. Tertiò, ſymptomata plurima febribus aliquando adjuncta profligare; quod inter alia teſtari poſſum de Tuſſi ſicca, Hæmoptiſi & totius tumefactione in juvene annos 22. nato, & febre tertiana duplici afflicto; de doloribus infimi ventris & delirio in puerpera, tertiana laborante; de doloribus gravativis & lancinantibus orificii ventriculi ſuperioris: de vomitu perpetuo & totali inappetentia; de doloribus etiam arthriticis paroxyſmos exquiſitè concomitantibus; de moroſitate, taciturnitate, catalepticis affectibus, cephalalgiis, aliiſque ſymptomatibus penè innumeris febres quartanas, itemque alias intermittentes, conſequentibus. De quartana in ſpecie, non cum Clariſſ. Franc. Piens 12. tantùm ægros, aut cum Celeberr. Riverio 30. ſed plures etiam centenos, cujuſcunque demum ætatis & ſexus, tam hic locorum, tum alibi, ſcilicet, tùm me præſente, tum abſente etiam, per deportatum medicamentum cum præſcriptionibus neceſſariis, citò curatos adferre quàm faciliimum foret. Illic rurſus addidi alia quædam de febrifugis quæ hic adjicere non pigebit. *Hæc autem ſunt.* Clariſſ. Viri, Johan. Petr. Faber, Chriſtianus Langius, Michaël Ettmullerus aliique, in febribus intermittentibus quibuſcunque maximè commendant remedia emetica, tanquam curationis veras radices, eaque iteratis vicibus in febribus rebellioribus, aliquot ante paroxyſmum horis, exhibent. De ſale cichorii, ut & centaurei minoris ejuſque extracto, de radice plantaginis, Zedoariæ, Chelidon. major. imperator. gentian. angelic. valerian. garyophyll. violarum, aſari, item de tormentilla, vermiculari, de myrrha, alumine, ſulphure, imò febrifugo illo militari pulvere pyrio, aliiſque innumeris, quæ Autores multi celebrarunt, quibuſque vim ſpecificam pro febrium curatione inſidere aſſeruerunt, nihil hic addimus. Non etiam moramur varia medicamenta compoſita tantopere à ſuis decantata Inventoribus, aquam v. g. febrifugam Poterii, ut & duplicem aquam, calidam unam, temperatam alteram Doctiſſim. Dom. de Mayerne, quarum parandi methodus à Clariſſ. Carolo Sponio in ſuo de febribus & febrifugis tractatu, aperitur. Pericardia item non adducimus, quæ ex allio, ſabina, ranunculo ardente, theriaca terebinthinæ & mercurio adjuncta, camphora, araneis, imò etiam ovi pellicula; ut neç compoſita ad eundem uſum varia, apud Joh. Michaëlis, Schröderum, alioſque paſſim reperibilia; quia ſcilicet illis, tanquam ex parte admodum futilibus, minùs fidendum credimus, quicquid demum de ipſorum viribus garriant aliqui; unde etiam Artis noſtræ quidam Myſtæ, inter quos Celeberrimi Williſius, atque Jones, occaſionem ſumpſere, operandi rationem, & exquirere, &, quod arbitrati ſunt, manifeſtum facere. *Hæc in Notulis ad Clariſſ. Piens.* Jam de febrifugis hæc à me ipſo non ſemel experta adjicio, cortices fraxini, mali perſicæ, ceraſi, ac illius præcipuè quæ nigrum profert fructum, berberis, ſive in ſubſtantia, ſive in extracto, ſive in decocto, aut tinctura aliterque ea exhibuerim, parum opis attulere; Radices gentianæ, ſuccîſæ, violariæ, caryophyllatæ, ac præcipuè viperinæ aut ſerpentariæ Virginianæ, in ſubſtantia, aut tinctura convenienter extracta, propria quæque doſi propinatæ, magno fuere auxilio, non tamen ſemper pro voto ceſſerunt, ut nec etiam mercurius præcipitatus albus per digeſtionem longam in ſpiritu vini rectificatiſſimo edulcoratus, cujus vires quamtumvis eximiæ, non ſemel interim me fefellerunt: nunquam verò Arboris Chinæ Chinæ cortex probè ſelectus ac ſecreto hactenus modò à me præparatus. Antequam autem de hac præparatione explicatiùs eloquar non inutile fuerit ſi quædam ex iis quæ ab aliquot Autoribus, iiſque ſane Celeberrimis ac mihi non parum ſuſpiciendis, de modo & ratione operandi hujus corticis, afferuntur pro meduſo expendam. Quidam totam vim Chinæ Chinæ in parte hujus corticis volatili repoſuere: Verùm non ſemel totam tincturam atque etiam amaritiem corticis, per iteratas, eaſque longas tum coctiones, tum macerationes, in ipſo ſpiritu vini, aut aqua ſale Tartari, vel Abſinthii, centauri, minoris, aliiſque acuata, extraxi, non ſic tamen minus quod reſtabat corporis illius corticis, inſipidum prorſus, ac tanquam caput mortuum febres reſtinguebat,

guebat, dum illud larga exhibebam doſi, imò minùs moleſtiæ ſæpius creabat ſtomacho quàm ſi crudum corticem obtuliſſem, quia ſcilicet, coctione, ac digeſtione ſolutus ſuccis ventriculi faciliùs obediebat. Tincturæ autem omnes quas ſive per coctionem longiſſimam, in aqua ſali Tartari acuata, ſive per digeſtionem in vino ſpiritu vitrioli, aut ſulphuris animato, ſive per ipſum vini ſpiritum ſale armoniaco impregnatum, aliæque plures quas elicui, effectum ſuum ad tempus tantùm præbuere. Quidam in amaritie illam collocant: Verùm, ut jam diximus, capite mortuo hujus corticis, omni prorſus amaritie ſpoliato, febres exulaſſe ſæpiùs æquè certò vidimus, ac ſi corticem integrum vorandum dediſſemus. Quidam tandem dum pro parte corticis terreſtriori ac fixiori militant omnem volatilium miſcelam non parum extimeſcunt: Verùm ſanctè aſſerere poſſum me in millenis ægris exhibitionem corticis nunquam ſatis tutam obſervaſſe omnique prorſus recidivæ antevertendæ aptam, ni volatilia, etiam in largiſſima doſi admiſcuerim. Quæ praxis non malè reſpondet Ideæ quam plures Viri Celeberrimi, ſibi de febribus faciunt, dum ſcilicet eas generi nervoſo inſidere non immeritò credunt: nam quis neſcit ſpiritus volatiles nervis eſſe quàm maximè amicos, ſpiritibuſque animalibus ac ſucco nerveo excitandis non parum aptos, ſicque fermentis febrilibus iiſdem innidulantibus, impugnandis verè comparatos; idque cum exagitatione ſanguinis ſatis modeſta ut nihil inde turbarum in ipſo cieatur. Credimus itaque partem fixiorē ac terreſtriorem corticis in febribus profligandis primas omnino tenere, non tamen alias qualitates, amaritiem ſcilicet, aut aliud quodcunque quod per ſpiritus aut alios liquores affuſos, imo per coctiones præmemoratas elicitur, flocci faciendas volumus, dum toti ſuo cohærent; Sed ab eodem ſeparatas parum admodum virtutis poſſidere experti aſſerimus. Corticem autem ipſum quod attinet præterquàm quòd, vix genuinum illum reperias, cujuſque propterea doſis ad minimum duplicari non debeat, unde non parum gravatur ſtomachus; ni vel per coctionem longam vel alia ratione aperiatur, ut particularum ipſius pori ſuccis ventriculi excipiendis magis pateant; quandoque per vomitum, quandoque per ſeceſſum, ejicitur, imo iners quandoque in ipſis ventriculi rugis, vel inteſtinorum cellulis reſtitat, aut ſaltem ſi aliquid virium exerat, illæ infirmiores ſunt quàm quæ ad longum tempus febrem arcere valeant, ac propterea tot recidivæ de quibus v. g. Clariſſ. Morton in majori ſuarum hiſtoriarum parte, ac etiam de quibus querelæ apud omnes propè Medicos. & præcipuè apud ipſum vulgus increbuerunt, unde multum de Nobiliſſimi, nunquamque ſatis laudandi corticis fama derogatum eſt; non unicuique enim datum eſt ægros ita faciles invenire quales illos habuit Empiricus ille Talbot, ſive Tabor, qui neſcio qua fortuna dum febrifugum ſuum ex Anglia ad Gallos deportavit, eò auctoritatis devenit, ut Chinam Chinam tum in ſubſtantia, ſi ita rebellior febris cogeret, tum præcipuè in infuſo, quod ordinarium ipſi erat, ad libras integras per iteratas vices hauriendam dare potuerit. Vidi tamen ego aliquot qui ipſius remedio febrifugo tantopere decantato, uſi fuerant qui recidivam paſſi ſunt, inter quos recenſebo fortem quendam Capitaneum Cohorti Helveticæ in Galliis Præfectum, qui abſumpto toto medicamento quod ipſi magno cum faſtu præbuit prædictus Empiricus, per tres menſes omni febre liber quidem vixit, verùm illa poſt hoc intervallum revireſcens per tres alios menſes ipſum afflixit, quibus elapſis rurſus per alios tres diſparuit, ſicque per duos annos integros, & recedebat & recrudeſcebat ſtatis periodis ac intervallis, donec tandem Virum Fortem, nihil proficientibus novis remedii doſibus, ad inſcitas redigeret. Quo tempore curam ipſius tanto cum ſucceſſu habui, ut brevi vires recuperaverit, miniſteriiſque ſuis gnaviter abſolvendis, noviſque magno ſuo merito adipiſcendis, omnino par fuerit. Præparationem jam ipſam quod attinet eam hic, bono publico, ut credo explicabo.

℞. Corticis Peruviani probè ſelecti ℔vj. Viperinæ, ſeu Serpentariæ Virginianæ ℔j. Diaphoretic. martial. albiſſ. ℔j. deſtilla deſuper ſpiritus vini ſale armoniaco acuati q. ſ. ad eminentiam trium circiter digitorum, poſt infuſionem 30. dierum decantetur liquor, ac ſeorſim aſſervetur, maſſa verò Corticis Peruviani ſpiritu prædicto imbuta, partim cum rob. juniperi, addito pauco ejuſdem oleo ſtillatitio, in formam electuarii redigatur; partim in umbra ſiccetur in pulverem, qui in vaſis probè clauſis poſtea aſſervetur, quo ſcilicet pro exigentia, vel forma pulveris cum ſaccharo, vel forma pilularum cum mucilagine gummi tragacanthi confectarum, vel alia etiam forma exhiberi queat. Doſis remedii varia eſt pro ratione febrium; pro Quartanis rebellioribus eam ingredi debent tres Corticis unciæ, pro Tertianis autumnalibus, aut quæ poſt ſolſtitium æſtivum accedunt, uncia una cum dimidia; pro Tertianis vernis uncia una ſufficit. In Febribus horrificis quales ſunt Hemitritææ, dummodò cum inflammatione viſceris alicujus principis illæ non fuerint complicatæ, quod aliquando accidit; imò in omni lentarum genere, quòd cum exacerbationibus ac remiſſionibus, duriſque ſymptomatis, divexat, tutum prorſus eſt hoc remedium, ſed ipſius doſim, ut in Quartanis, Corticis unciæ tres ingredi debent. Exhibetur autem ter de die temporibus à paroxyſmo, aut febris exacerbatione vacuis, longe à paſtu abſumendo una quaque vice corticis drachmam ad minimum integram. In maximè rebellibus febribus, liquoris ſpirituoſi per decantationem ut mox innuebamus ſeparati, ſeorſim aſſervati, ac oleorum menthæ criſpæ, caryophyll. & cinnamomi particula aromatiſati, aliquot guttulæ poſt devoratum medicamentum, in vino ſemper propinantur. Cùm verò integræ doſis cuique febri neceſſariæ dimidia circiter pars abſumpta eſt, à medicamenti reliquiis ad dies 8. 10. aut 12. ſuperſedendum, iiſque tantùm elapſis ad remedium redeundum, continuando tum ſine interruptione bis de die ad totalem abſumptionem. Nec expectandum unquam pro abſumenda ultima dimidia parte, (quæ ad dies præſcriptos poſt primam abſumptam differtur) donec febris de novo caput exeruerit, ſic enim renovanda veniret tota medicamenti doſis, quaſi de eo nihil hactenus voratum fuiſſet. Antequam febrifugum exhibeatur, & venæſectiones neceſſariæ, & purgantia viribus febricitantium accommodata, ſunt adminiſtranda, nam in eo vix cum Clariſſ. Morton convenimus, quòd fermento febrili venenato, antidotum ſuam, Corticem ſcilicet, ſine ulla præliminari præparatione, ut plurimùm opponat: Hoc ſiquidem nobis feliciter non ceſſit, indeque recidivas non infrequentes atque perniciosiſſimas enatas vidimus, cujus ratio eſt ſanè in propatulo, ſcilicet fermentum febrile quantumvis ſubtile ac ſpirituoſum, ex humorum

ſabur-

ſaburra ac colluvie facilè aſcendit ac perpetuatur, unde etiamſi ipſius vis per exhibitum corticem pro tempore dometur; exſuſcitatur facilè de novo febris, imò tandem cortici omnino ſurda fit. Præſtiterit itaque, tum in febribus plurimis, ſanguinis miſſionem celebrare pro totius maſſæ exagitatione, fermentiſque profundiori, & ut ita dicam, ſecretiori loco, innidulantibus, in propatulum quaſi proferendis, ut ſic medicamento expugnanda faciliùs ſe offerant; tum purgantia medicamenta propinare, quò & humorum effumantium abundantiæ aliquid ſubtrahatur, ac antidoto aptæ via aperiatur ac expeditior fiat. Itaque in primis bolis, pilulis, &c. purgantia accommodata admiſcemus. Hic non mihi regerat aliquis ſpiritum vini ſale armoniaco acuatum parum præcipuè profuturum in eo cortice qui poſtea exſiccatur, ut ſub forma vel pulveris, vel pilularum exhibeatur; per mille enim experimenta edoctus aſſero vim ipſius aliam prorſus eſſe poſtquam hoc ſpiritu ſaturatus fuerit, imò etiam majorem fieri quo pluries iterabuntur affuſiones ac deſiccationes, ſi modò in ſecundis nihil liquoris decantetur, ſeu potius ſi ſpiritus ad materiarum ſaturationem, non verò ad ſupereminentiam aliquam deſtilletur. Sic etiam Bolus Armena, ſulphur, variaque alia mineralia per ejuſdem ſpiritus affuſiones facultatibus multò nobilioribus donantur, quàm quibus antea inſigniebantur, ſive quòd ſic reſeratis mineralium horumce poris commodiùs in ſe fermenta morbifica recipiant, ſive quòd ab incarceratis particulis ſalinis ac volatilibus motus promptiores acquirant, quibus particulis heterogeneis ſanguinem de tono ſuo diſturbantibus, obviam eant, ipſaſque efficaciùs impugnent. Quæ cùm ita ſint quis in Medicina tam hoſpes fuerit qui non videat, dum in omnibus prorſus febribus tam bene cedit hoc medicamentum, per viperinam Virginianam (remedio verè antiſpaſmodico) volatiliaque, quibus ſaturatur, maximè nervinum, febrium fomitem in nervis exquirendum, ſive demum eò è ſanguine humoribus inquinato, ut cum Veteribus loquar, aſcendat, ſive in ipſo ſucco nerveo degenere formetur. Atque hæc ſatis de febrifugis in genere, noſtroque, hactenus ſecreto, in ſpecie. Unde abundè ſatisfactum credimus iis qui ipſius præparationem noſce avidè exoptarunt, inter quos recenſere poſſem beatæ jam memoriæ, Celeberrimum Dominum Carolum Sponium Medicum Lugdunenſem, alioſque, ſed inter eos unicum ſeligam Nobiliſſimum ac Ampliſſimum Virum D. Joh. Chriſtianum Tralles S. C. M. Medicum Aulicum qui me ſuis literis Freiſtadii Sileſiorum die 23. *Decembr.* Anno 1689. datis ſuper hoc me non parum honorificè compellavit propriis hiſce verbis. Mentionem feciſti in illis tuis additamentis ad tractatum de febribus D. Piens, de febrifugo quodam, tantùm non infallibili in febribus quibuſvis intermittentibus debellandis, cujus-te unicè exiſtas pater & poſſeſſor. Fateor ingenuè, Me perlecto hoc temperare Mihi haud potuiſſe, quin in effuſiſſima diffluerim gaudia, dari ſcilicet Herculem, qui ſit Hydræ iſti Lernææ detruncandæ. Nec potui coërcere intra Præcordiorum anguſta hanc ipſam lætitiam; ſed ſtatim arripui calamum, gratulaturus tibi de tam nobili invento, & tibi, alterius inſtar Æſculapii Hecatomben oblaturus. Cùm verò te haud fugiat omne bonum eſſe communicativum ſui, hinc à te ſummopere peto, per iſtam quidem neceſſitudinem, quæ invicem Medicos probos atque integros animi arctè conglutinat, digneris Mihi hanc gratiam exhibere, & non ſaltem pretium unius alteriuſve unciæ ſignificare, verùm etiam methodum utendi illo deſideratiſſimo remedio candidè perſcribere. Sic tua pace faxo, ut copiam tam egregii medicaminis obtineam, cùm religioni ducam ejus deſcriptionem integram precibus millenis emendicare. Quem enim tibi vel leviſſimi favoris indicem exhibui, ut in immeritum, tantum beneficium, veluti redhoſtimenti loco derives? Ni tibi grave, reſponde quantocius, num tibi arriſerit, mihi vociſque meis aſſurgendi. Oro te quàm qui maximè, digneris ſervulo tuo id pauxillum amicitiæ dare, tibique de Me reciprocè officia quævis polliceri. Et ruſus in aliis 8. *Januar.* 1690. Nuper audacior juſto literas ad te dedi, Num advolarint nec ne anceps hæreo. Utinam expertæ ſint Deos viales propitios! Vir equidem cui tradidi illas Berolini, ſanctiſſimè juravit ſe omnem operam daturum, ut ſalvæ ad te perveniant. Hinc ad illas in dies ſummo cum deſiderio reſponſoriam tuam gratiſſimam exſpecto; quam tantò promptiorem Mihi polliceor, quanto faciliùs è ſcriptis tuis ſolidiſſimis colligere potui, in te humanitatem cum eruditione pari ambulare paſſu. Quòd ſi præter ſpem Mea prior Epiſtola fuerit deperdita, hæc te edocebit illius contenta. Scilicet cùm in primis in nuper editis tuis notis ad Piens tract. de febrib. *pag.* 674. legi, te poſſidere febrifugum fidum & infallibile per has ipſas literas denuò rogatum te venio, digneris Mihi perſcribere num poſſim copiam tam egregii illius remedii habere? Adde ſi placet pretium & ſimul modum & doſim utendi ſufficienti explicatione amicè mihi trades. Rem facies Mihi gratiſſimam, nullo non tempore præconiis debitis à me mactandam, &c.

LIBER XVII.

Continens ea quæ incipiunt à Literâ

R

RADICULA SYLVESTRIS.

Radix craſſa, ſurculoſa, repens, ſapore ferviдiſſimo, Caules ſingulares, bicubitales, concavi, ſtriati, recti & rigidi, folia inferiora antequam caulem proferat ampla, lapathi, rugoſa; ubi autem caulem profert, in eo folia palmum longa unciali latitudine aut paulo majore, in ambitu profundè ſatis ſerrata guſtu minus fervido quam radix, ex quorum alis ſurculi tenues prodeuntes flores ſuſtinent poſitu & forma naſturtii paluſtris cum apicibus luteis. Succedunt ſiliculæ parvæ, breves pro plantæ magnitudine.

Gaudet ſolo humido. Copioſum obſervavimus ſponte natum in foſſis & ad rivulos in Northumbria circa Alnevicum & alibi. D. Martinus Liſter ad ripas rivuli Skiptonenſis & alibi in Bolland in ea Eboracenſis Comitatus parte quæ Craven dicitur.

Vires. Eaſdem cum raphano ſativo facultates obtinet, ſed fortiores. In condimentis appetitum facit, ac caput lædit. Urinam & arenulas violenter pellit. Commendatur & ad tuſſim & phtiſin. Specificè ſcorbuticis prodeſt. Ciet vomitum ſi ſuccus vel infuſio in aceto cum melle tepida aſſumatur & aqua ſuperbibatur. *Schrôd.*

Hujuſce radices in aqua prius maceratas ad acrimoniam tollendum Lemovicenſis plebs oleo conditas eſitat, tum freſſas, tum elixas, tum aliis modis præparatas. Le Jardinier François.

Raphani ruſticani vires in calculo ab experimentis deprædicat Tho. Bartholinus, Ad. Med. An. 1676. obſerv. 38. 39. affirmát ſuccum raphani reſolviſſe calculoſam ſubſtantiam è corpore humano exemptam E collectan. D. Tancr. Robinſon.

Radix armoraciæ merito commendatur à Gabelcofero centur. 1. cap. 14. ad anorexiam. D. Hulſe ex Ettmulleri Praxi. *Raius.*

RADIX.

Radix (definiente Jungio) eſt pars plantæ inferior, quæ intra corpus ſolidius, quod plantæ ſedem præbet (ſive illud terra ſit, ut plerunq; ſive ſaxum; ſive calx, ſive arena, ſive lignum, ſive quodcunque aliud) abdita, & alimento attrahendo deſtinata eſt.

Radices dividi poſſunt in fibroſas & craſſiores, fibroſas voco quæ plurimis fibris ſeu filamentis è plantæ fundo ſeparatim exeuntibus conſtant.

Craſſiores quæ corpore pro plantæ modo craſſiore ſunt vel in ſurculos diviſo, vel fibras emittente. Hæ vel carnoſæ ſunt, & in latum extumeſcentes, vel in longum extenſæ, plerunque ſtrictiores & lignifiores.

Carnoſæ & in latum extumeſcentes ſunt vel bulboſæ, vel Tuberoſæ.

Bulboſas voco quæ unico conſtant Tubere ſeu capite, eoque vel ſquamato vel tunicato, fibras plurimas ex ima ſede ſeu baſi emittente.

Bulboſæ ergo ſtrictè dictæ ſunt vel tunicatæ, hoc eſt ex pluribus corticibus in orbem ſe amplexantibus compoſitæ, cujuſmodi ſunt cepa, allium, Hyacinth. Tulipa, &c. vel ſquamoſæ, h.e. è pluribus ſquamis imbricatim fere diſpoſitis coagmentatæ, ut liliū & Martagō.

Notandum autem bulboſas ſtrictè dictas fibroſis rectiùs accenſeri, fibræ enim è bulbi fundo exeuntes proprie duntaxat radices ſunt; Bulbus ipſe nihil aliud eſſe videtur quam gemma grandior ſubterranea, ut rectè eruditiſſimus & ingenioſiſſimus Vir, D. Nehemias Grev. M. D. ob præclara ſua inventa, & obſervata, in Anatome plantarum, reliquaque earundem Hiſtoria meritò Celeberrimus.

Tuberoſæ ſunt quæ carne ſolida continua conſtant, ſuntque vel ſimplici tubere ut in rapa, croco, &c. vel multiplici, ut in Aſphodelo, pæonia, &c.

Not. plantæ nonnullæ duum generum radicibus donantur tuberoſis & fibroſis, ut orchis.

Radices in longum extenſæ quæ plerunque ſtrictiores ſunt & lignoſiores, vel ſarmentoſæ ſunt & tranſverſim progredientes ſeu reptantes, ut glycyrrhizæ, cardui viarum, Acetoſæ ovillæ, &c. vel cauliformes & in altum deſcendentes.

Notandum autem, in plurimis reptatricibus propagines ſub terra reptantes, geniculatæ cùm ſint, & è geniculis fibras emittant, ut in gramine canino offic. mentha, piloſella aurea, ptarmica, &c. Caules potius ſubterraneos videri quam radices.

Radices cauliformes & in altum deſcendentes ſunt vel ſimpliciores, fibras tantum è lateribus emittentes, vel ramoſæ: hæ autem ad modum caulium vel ab exortu ſtatim ramoſæ ſunt, vel ſimplici ſcapo aliquouſque deſcendunt, deinde in ramos; rami in ſurculos & fibras ſpargūtur: nonnullæ etiam plantæ plures è fundo emittunt radicūm truncos.

Poſſent & aliæ radicum differentiæ, à coloribus, ſapore, odore, facultatibus ſumi, quas hoc in loco proſequi noſtri non eſt inſtituti; alibi fortaſſe earum Catalogos daturi ſumus.

Radices nonnullas bulboſas ut v.g. tuliparum annuatim in terram deſcendere à Botanicis dudum obſervatum eſt: idem nuper in aliis plurimis & quidem diverſorum generum radicibus obſervavit D. Grev. ut v.g. Ari, Valerianæ, ſcrophulariæ, hellebori nigri, Tanaceti, Lychnidis, crithmi, primulæ, caryophillatæ, Acetoſellæ, Iridis, &c. quarum omnium, eodē obſervante, radix quotannis ex trunco ſeu caule ipſo renovatur; aut potius particulatim reparatur. Baſis ſci. ſeu ima pars caulis, ſenſim infra ſuperficiem terræ deſcendens, ſeque in ea occultans in naturam genuinæ radicis tranſmutatur, ejuſque locum occupat, & officium præſtat. Ad motum autem Caulis radix etiam una deſcendit, & pro durabilitate ſubſtantiæ ſuæ brevior aut longior evadit, vetuſtiore & inferiore ejus portione iiſdem gradibus putreſcente quibus ſuperior è caule deſcendente, & tranſmutato augetur. Sic in Scrophularia v.g. ſed præcipuè ſucciſa, quæ ab radice præmorſa apparet, ima pars Caulis gradatim ſubſidens donec terræ immergatur ſuperior radicis pars efficitur, & deſcenſu continuato, ſequenti anno, inferior ejuſdem pars evadit, proximo deinde anno corrumpitur & evaneſcit; nova ſcilicet quotannis è Caule acceſſione facta, prout inferiores & vetuſtiores partes putreſcunt & abſumuntur. Ita pariter in dracontio, croco, gladiolo, &c. Ubi bulbus geminus eſt ſuperior & inferior, baſis caulis anno ſequenti fit ſuperior radix, proximo inferior, tertio interit & abſumitur.

Hujuſmodi deſcenſus Caulis & transformatio in radicem in nonnullis plantis evidentius cernitur & clarius demonſtratur quam in aliis, ut in tranſverſis & tuberculoſis radicibus primulæ & acetoſellæ. Harum enim plantarum foliis ſucceſſivè marceſcentibus & abſcedentibus baſes eorundem copioſiore ſucco nutritæ in totidem nodulos craſſiores turgeſcunt. Idem in aliis nonnullis colligi poteſt ex ſimili vaſorum & partium lignoſarum ſitu in trunco & in radice, ut v.g. Helleboraſtro, ſed præcipuè Iride tuberoſa, in quamvis folia proxime juxta Caulis ſuperficiem decidunt, poſtquam tamen Caulis deſcendit & in radicem intumuit foliorum delapſorum ſedes ſeu veſtigia unà cum vaſorum iis inſervientium extremitatibus non obſcurè apparent, radice ſci. annulis quibuſdam, & lineis punctatis variegata, annulis foliorum ſedes, punctis vaſorum orificia demonſtrantibus.

Deſcenſus hujuſce cauſa proxima & viſibilis ſeu manifeſta ſunt radices fibroſæ, quas ejuſmodi Caules emittunt: hæ enim in terram rectà deſcendentes, velut totidem funiculi truncum poſt ſe rapiunt: hinc radicū nonnullarum figura veluti invertitur. Nam cum pleræque inferius in ramos aliquot ceu totidem crura divaricantur, nonnulla ſupernè in plures veluti cervices ſeu cornua (capita vocant Botanici) dividuntur ut in dentes Leonis aliiſque nonnullis cernitur, hæ enim radices è ſummo capite plures protrudunt gemmas, quæ in totidem Caules abeunt. Gemmæ hæ ſeu germina nova ſucceſſivè folia emittentia, vetera abjiciunt, adeoque paulatim continuo deſcendentia, in totidem tandem cervices, 3. 4. 5. aut etiam plures uncias longas, abeunt.

Hinc intelligitur quomodo radices nonnullæ præmorſæ videntur ut in ſucciſa, perenneſque evadunt, nimirum ſucceſſiva aggeneratione novarum portionum in locum earum quæ quotannis corrumpuntur & intereunt, ut in plantis de quibus egimus, ex parte trunci quotannis deſcendente annua ſua damna reparantibus, inque Orchide, Battata, Napello,

pello, chelidonia minore aliiſque tuberoſis in quibus, vetuſtioribus radicibus ſeu tuberibus marceſcentibus, novæ earum loco aggenerantur. Cum his conſentiunt Tulipæ aliæque radices bulboſæ: tunicæ enim ex quibus præcipuè bulbi conſtant quotannis exareſcunt, & in tenues membranas ſeu cuticulas exiccantur, novis aſſiduè in medio ſuccreſcentibus foliis & corticibus. Ad eundem modum fibroſæ earum radices aliæ aliis annuatim ſuccedunt; unde poſt aliquot annos bulbus, quamvis idem perſeverare videtur, alia omnino revera res eſt, nulla ejus particula primitiva reſidua.

Partes radicis uti & caulis ſunt cortex, lignum aut in herbaceis pars ligno reſpondens, & medulla.

Cortex componitur ex cuticula & ſubſtantia interiore.

Cuticula à cortice originem habere videtur, & nihil aliud eſſe quàm corticem veterem exareſcentem & contractum, novo quotannis ſubnato; quemmadmodum ſpolium ſerpentis quod quotannis exuit ejuſdem cutis exarefacta eſt. Cuticula in radice iiſdem partibus componi videtur quibus & in caule, nimirum utriculis ſeu vaſiculis velut parenchymate, ligneis aliquot vaſis ſeu fibris fiſtuloſis intermixtis.quæ quamvis etiam Microſcopio ægrè viſibiles ſunt, adeſſe tamen colligit D. Grevius ex eo quod cuticula multo difficilius finditur aut dilaceratur tranſverſim quam ſecundum longitudinem, aliiſque argumentis, quæ apud ipſum vide.

Corticis ſubſtantia interior craſſitudine plurimum variat, in nonnullis enim radicibus ut flore ſolis pyramidali, Tragopogone, & arboribus plerisque prætenuis eſt, in aliis craſſa admodum, longè maximam radicis partem conſtituens, ut in fibris aſparagi; quin cortex radicis in plurimis plantis multo majorem obtinet proportionem ad lignum, quàm caulis; atque hac in re radix à caule inſigniter differt, corticis nimirum craſſi ie.

Cortex in radice iiſdem ferè partibus componitur quibus & in caule, nimirum, I. Utriculis ſeu veſiculis ceu parenchymate ſphæricis plerunque, interdum tamen oblongis, minimè perviis ſeu in ſe mutuo hiantibus, ſed undique clauſis, & aquæ bullarum inſtar pellucidis, adeò ut corticis parenchyma, quoad compoſitionem ſuam, ſpumam cereviſiæ aut ovorum conquaſſatorum proxin è referat, aut panis probè fermentati medullam. Veſiculæ hæ adeò parvæ ſunt ut abſque Microſcopio ægrè ſint viſibiles; magnitudine tamen differunt, tum in eadem, tum præcipuè in diverſi generis radicibus. In rectas lineas ſeriatim non raro diſponuntur tam ſecundum longitudinem quam ſecundum latitudinem radicum. Liquore limpido ſeu pellucido ſemper turgidæ ſunt, qui per earundem membranarum poros ſe inſinuat. Nec enim datur patentior janua qua intret. D. Malphighius Utriculos in ſe mutuo hiantes & pervios facit.

Utriculos hoſce in nonnullis plantis duum generum eſſe obſervavit D. Grevius: præter deſcriptos enim alii dantur albidiores & tranſparentes, ſicciores etiam nec liquore turgidi, unde verè repletos eſſe opinatur. Pleniorem horum deſcriptionem videſis apud laudatum autorem in Libro de Anatome radicū.

2. Præter, Utriculos fibræ etiam ligneæ ſeu vaſa ſuccifera, plura pauciorave: corticis compoſitionem ingrediuntur, ut ex faciliore dilaceratione corticis ſecundum longitudinem quam tranſverſaliter; ex ductu earundem fibrarum ſecundum longitudinem viſibili, tenuem filamentorum ſpecie; & ex aſcenſu ſucci cortice tranſverſim ſecto, iis in locis ubi filamenta iſthæc terminantur, patet.

Reticulares plexus eodem modo componunt fibræ hæ quo in cortice caulium. Quamvis tamen ad ſe invicem accedant, & iterum reflectantur nullæ omnino (obſervante Grevio) dantur inter eas Anaſtomoſes, ſed unumquodque filamentum unicum & ſimplex vas eſt ab imo ad ſummum continuum, non ramoſum, cavitate ab imo ad ſummum æquali. At neque alia aliis circumvolvuntur, aliterve implicantur. Sed ſibi mutuò duntaxat contigua ſunt. Plexus hi in variis plantis numero & figura variant, in aliis rariores, in aliis crebriores. Notandum autem ſingula filamenta, non ſingula vaſa eſſe, ſed vaſorum paralellorum faſciculum ſeu congeriem, quæ tamen nec in ſe mutuo pervia ſunt, nec ſibi invicem in faſciculo ſuo convolvuntur alſterve implicantur, ut de filamentis diximus. Eadem de tracheis ſeu vaſis aerem deferentibus quæ in lignea parte occurrunt dicta ſunto. Eſt tamen cur ſuſpicemur dari in hujuſmodi vaſis Anaſtomoſes, nec Dom. Grevii ſententiæ penitus acquieſcamus, præcipuè quod ad fibras ligneas attinet, partim ab Analogia venarum & arteriarum in animalibus quarum propagines manifeſtè in ſe mutuò perviæ ſunt & reticulariter inoſculatæ, partim à foliorum, quæ ſunt ligneæ expanſiones, ſtructura, in quibus fibræ ſibi mutuo occurrentes inoſculatæ & reticulariter implexæ videntur; partim denique ab experimento de ſucci motu deorſum in ſectione tranſverſa inferius proponendo.

Color radicum in pleriſque plantis albus eſt, in nonnullis flavus, in paucis ruber aut atro rubens, ut Anchuſa, erythrodano, paſtinaca tenuifolia.

Vaſa hæc diverſorum generum eſſe ex diverſitate liquorum quos continent colligit D. Grevius, quem conſule: alia enim lympham continent, alia lacteum ſuccum, alia in plantis nonnullis rorem ſeu vaporem. Verùm vaſa hæc iis quæ in caulium corticibus obſervantur Analoga eſſe, & ſuccos congeneres deferre opinamur, atque idcirco plura de iis dicere ſuperſedemus.

Lignea radicis pars eiſdem ferè partibus conſtat, eodemque modo contextis quo in caule. nimirum, I. Parenchimate ſeu Utriculis in radios diametrales à circumferentia ad centrum tendentes diſpoſitis, ut in tranſverſa ſectione patet.

2. Fibris ligneis ſeu vaſis ſucciferis, quæ etiam ut in cortice duum generum ſunt nimirum vel lympham deferentia, vel ſuccum lacteum, aliumve plantæ peculiarem, ſeu ut vocant ſpecificum.

3 Fiſtulis aeri excipiendo & derivando deſtinatis ſeu tracheis de quarum textura ſeu compoſitione infra dicemus. De earum magnitudine, numero, ſitu, quæ in variis plantarum generibus variant, vide Grevii lib. de Anatome radicum, cap. 4. Has autem in radicibus majores plerunque eſſe & magis patentes quam in trunco ac ramis annotat Malpighius.

Medulla plantarum omnium radicibus communis non eſt; nonnullæ enim ut v. g. Nicotianæ, Stramonii, &c. ea carent. Aliæ quamvis parte inferiore nullam habeant, supernè tamen ſatis conſpicuam obtinent, ex Utriculis componitur ut in caule, iiſque etiam magnitudine & figura diverſis, quibus vaſa aliquot ſuccifera interdum admiſcentur.

Notandum autem Utriculos ſeu veſiculas haſce ex quibus medulla componitur, non meras & rudes mēbranas eſſe, ſed ex plurimis ordinibus ſeu ſeriebus tenuiſſimarum fibrarum ſeu filamentorum ab imo ad ſummum veſicularum, & à veſicula ad veſiculam tranſverſim (ut in ſubtegmine à ſtaminis filo ad filum) decurrentium compoſitas; adeò ut medulla nihil aliud ſit quàm recte quoddam mirabile, ſeu infinitus fibrarum minutiſſimarum mirabili ordine complicatarum numerus. Quinetiam fibræ

hæ non ſimplices ſunt, ſed ex pluribus ſimul conjunctis compoſitæ, fibrillis etiam tranſverſis (quæ ſimplices eſſe videntur) contextæ.

Qua ratione alimentum radices ſubingrediatur meos adhuc ſenſus fallit (inquit Malpighius) ut probabiliter tamen conjectari licet; aqueæ particulæ ſolutos ſales, & reliqua mineralia per terram diſperſa ſibi aſſociant ac fluida reddunt, appellenſque hujuſmodi heterogeneum corpus ad plantarum radices, veluti per cribrum trajectum, in ligneas fiſtulas exprimitur; ſeu per pilorum, qui circa tenellas radices copioſe luxuriant, orificia intret; ſeu per exteriorem ambientem cuticulam percoletur, adeoque vel ſenſim utriculis communicetur & ab his in contiguas fiſtulas derivetur, vel per extrema fiſtularum ora intro excipietur, & ab iiſdem tranſverſalibus utriculis miniſtretur; ut in minimis radiculis quæ fibræ appellantur probabiliter accidit, in quibus ad extrema uſque fiſtulæ deducuntur, tranſverſalibus utriculis parum luxuriantibus. *Raius.*

Radix eſt pars ima vegetabilium, quaſi primæ concoctionis officina. Eapropter cùm concoctio ſit nutrimenti fixioris volatiliſatio & ſpiritufatio (πνευματωσις) radixque nutriatur nutrimento minùs elaborato, quàm partes reliquæ, ſequitur ſubſtantiam radicum eſſe naturæ præ reliquis fixioris.

Uſitatiores Radices Officinales ſunt.

Radix Acetoſæ (excorticata) *Saurampſſvvurtz.*
Acori vulgaris, Pſeudo-acori, *Schvvertelvvurtz.*
A. veri, calami aromatici: *Calmus.*
Allii, *Knoblauch.*
Althææ, ibiſci, *Eibiſchvvurtzel.*
Angelicæ, *Angelickvv.*
Anthoræ veræ, *Heilgifft, Gifftheilvvurtz.*
Apii (vulgaris,) *Eppichvv.*
Ari, *Aaronvvurtzel, Teutſch Ingvver.*
Ariſari, *klein Aaronvv.*
Ariſtolochiæ longæ, *lang vvelſch Oſterlutey.*
Ariſtoloch. veræ rotundæ, *vvelſch rund Oſterlutey.*
Ariſtoloch. vulgaris, *gemein lang Oſterlutey.*
Ariſtoloch. fabaceæ, *rund gemeine Oſterlutey.*
Aromaticæ, raphani ſylveſtris, *vrüll Merretig.*
Aſari, *Haſelvvurtz.*
Aſparagi, *Spargenvv.*
Bardanæ, *groſſe Klettenvv.*
Biſtortæ, Serpentariæ, *Natternvv.*
Borraginis, *Borreſvv.*
Bryoniæ, *Stickvv. Zannrüben.*
Bugloſſæ, *Ochſenzungenvv.*
Cardopatii, Carlinæ nigræ, *Ebervv.*
Caryophyllatæ, *Benedictvv.*
Centaurei majoris, Rhapontici Offic.
Chelidonii majoris, *Schöllvv.*
Ch. minoris, *Schorbocksvv.*
Chinæ, *Chinevv.*
Cichorei, *Wegvvartvv.*
Conſol. majoris, Symphyti, *Beinvvelle Wallvvurtz.*
Cucumeris, aſinini, *Eſelkürbisvv.*
Curcumæ, *Beelſuchtvv.*
Cyclaminis, Arthanitæ, *Schvvinbrodvv.*
Cynogloſſæ, *Hundszungenvv.*
Cyperi longi, *langer vvilder Galgan.*
Cyperi rotundi, *rund vvild Galgangervv.*
Dictamni albi, Fraxinellæ, *vveiſſer Diptamvv.*
Doronici, *Gemſenvv.*
Ebuli, *Attichvv.*
Ellebori albi, *vveiſz Nieſzvv.*
E. nigri veri Stiriaci, *ſchvvartz Nieſzvvurtz.* præp.
E. nigri vulgaris, *gemein Chriſtvv.*

Endiviæ, *Endivienvv.*
Enulæ Campanæ, Helenii, *Alantvvurtz.*
Eryngii, *Mannstreu.*
Eſulæ minoris, *klein Wolffsmilchsvvurtz.*
Filicis, *Farenvv.*
Filipendulæ, Saxifragiæ rubeæ, *roth Steinbrechvv.*
Fœniculi, *Fenchelvv.*
Gentianæ, *Entzianvv.*
Glycyrrhizæ, Liquiritiæ, *Süſzholtz.*
Graminis, *Queckengrasvv.*
Hermodactyli, *vveiſſe Zeitloſen.*
Hirundinariæ, Vincetoxici, *Schvvalbenvv.*
Hyoſciami (excorticati,) *Bilſamvvurtz.*
Imperatoriæ, Oſtrutii, *Meiſtervvurtz.*
Iridis Florentinæ, *vvolriechend Violvvurtz.*
I. Noſtratis, *Schvvertelvv.*
Juniperi, *Wacholdervv.*
Lapathi acuti, Oxylap. *Mengelvv.*
Leviſtici, *Liebſtockvv.*
Liliorum alborum, *vveiſz Lilienzvvibel.*
Malvæ, *Pappelvvurtz.*
Mandragoræ, *Albraunvv.*
Mechoacannæ, Mechoacæ albę, *vveiſſe Rhabarbara.*
M. nigræ, Gelapæ, Chelapæ, Chiolappa, *ſchvvartz Rhabarb.*
Meu, *Behrvvurtz.*
Mezerei, Laureolæ. *Seidelbaſt, Kellershals.*
Morſus Diaboli, Succiſæ, *Abbisvvurts.*
Nympheæ albæ, Nenupharis, *vveiſz Seeblumenvv.*
N. luteæ, *gelbe Seeblumenvv.*
Ononidis ſeu Anonidis, *Heubechelvvurtz.*
Paſtinacæ ſylv. *Paſtinackvv. Vogelneſtvvurtz.*
Pentaphylli, quinquefolii, *Fünfffingerkrautvv.*
Petaſitis, *Peſtilentzvvurtz, Neunkrafftvvurtz.*
Petroſelini, *Peterſilienvv.*
Peucedani, *Haarſtrangvv.* fœm. maſc.
Pœoniæ, *Peonienvv.*
Pimpinellæ Germanicæ, *Bibenelvvurtz.*
P. Italicæ, ſanguiſorbæ, *Blutkrautvvurtz, vvelſch Bibenell.*
Plantaginis, *Wegbreitvv. Wegerichvvurtz.*
Polypodii quercini, *Engelſüſz.*
Pyrethri, *Bertramvv.*
Rapa, *Rüben.*
Raphani domeſtici, ſ. vulgar. *Rettich.*
R. Marini, *Meerrettich.*
Rhabarbari veri, *Rhabarbar.*
R. Monachorum, *Münch Rhabarbar.*
Rhapontici veri, *Rhapontick.*
Rhodiæ, *Roſenvvurtz.*
Rubiæ tinctorum, *Ferberrôthe.*
Ruſci, Bruſci, *Mauſzdornvv.*
Sarſæ parigliæ, Saſſaparillæ, *Sarſaparill.*
Satyrii, *Stendelvvurtz, Knabenkrautvv.*
Saxifragæ, ſemen ſaxifragiæ; *Steinbrechvv.*
Scabioſæ, *Apoſtemvv.*
Scyllæ crudæ & præparat. *Meerzvvibel.*
Scorzoneræ, *Gifftvvurtz.*
Scrofulariæ, Scrophulariæ, *Braunvvurtz.*
Sigilli Salomonis, Polygonati, *Weiſzvvurtz.*
Siſeris, Secacul, *Zuckermohren, Zuckervvurtz.*
Taraxaci, *Pfaffenrôhrleinvv.*
Tormentillæ, *Tormentillvv.*
Turpethi albi, *Turbith.*
Tuſſilaginis, Farfaræ, *Brandlattich, Hufflattichvv.*
Valerianæ majoris, *groſz Baldrianvvurtz.*
V. minoris, *klein Baldrianvv.*
Verbaſci, *Wollkrautvv.*
Urticæ, *Neſſelvv.*
Yerva, *Gifftvvurtz.*
N. *Ex his uſu crebriori famoſiores ſunt.*

5. Radices aperientes majores: apii, fœniculi, aſparagi,

peragi, petroſelini muſci.ſ....minores, graminis, rubiæ, eryngii, capparis, Ononidis.

Præparata: Quod de herbis diximus & ſimilibus nativis, idem de radicibus dicendum: promptuarium nimirum radices eſſe, unde ad omnia generis medicamenta, tam interna quàm externa depromi poſſunt. Hoc tamen de radicibus notare expedit: Partes fixiores præ reliquis in radicibus contineri, aptiores itaque eas eſſe ad exhibenda medicamenta parte fixiori celeb ia, veluti ſunt; Extracta, Salia, Decocta, &c. *Schroderus*.

RADIX BRASILIENSIS, vid. *Ypecacuanha*.

RADIX DULCIS, vid. *Liquiritia*.

RADIX YERVÆ, vid. *Contrayerva*.

RANA.

Ranæ dividuntur in aquaticas & terreſtres.

Rana aquatica, Græcis Βάτραχος, Angl. *a Frog or Forsh*, Animal eſt amphibium, cute nuda tectum, cujus pars prior ſeu anterior carnoſa latitudine caret, natura portionem carnoſam poſteriori parti in qua poſteriora, craſſa & oblonga, validis muſculis ad ſaltum comparata, addente. Digitos habet quinos oblongos, membrana interveniente connexos, ut commodiùs natare poſſit.

Ranæ pulmones nihil aliud ſunt quàm membraneæ quædam veſicæ, hinc inde una, figura ſua & extimis protuberantiis conum pineum æmulantes, intus inanes in cellulas favorum ferè cellulis ſimiles diviſæ. Hi non ut in cæteris Animalibus illico flacceſcunt, ſed tenſi ad Animalis libitum perdurant.

Rana Animal eſt vivaciſſimum, & ſub aquis diu durare poteſt abſque aëris uſu, ut olim expertus eſt celeberrimus Vir *Domine Thomas Brovvn* M. D. Norvvicenſis, Rana funiculo pedi alligato ſub aquis detenta per aliquot dies: unde patet frigida hujuſmodi Animalia non multo aëre ad vitam indigere.

Aperto abdomine & thorace, & viſceribus omnibus unà cum corde exemptis, Animal nihilominus per aliquod tempus ſaltat, nec quicquam de motibus ſolitis remittit, ac ſi nihil prorſus mali paſſum eſſet. Quod ſi nervus ad pedem quemvis deſcendens diſſecetur, motum illius membri illic amittit.

Hoc genus Animalis ſingulare & anomalum, generationis præcipuè reſpectu: quo quamvis cum piſcibus oviparis convenire videatur, in nonnullis tamen ab iiſdem differt. Ovum Ranæ puncti ſeu globuli nigri forma apparet, liquore quodam albicante mucilaginoſo & viſcido, membrana valdè tenui veſtito, circumfuſi. *Jacobæus* pro ovo Ranæ habet aggregatum, ex liquore circumfuſo, & globulo prædicto, qui centrum ejus occupat: globulum autem nihil aliud eſſe quàm fœtum raninum, cui liquor pro alimento inſervit exiſtimat.

Verùm quicquid ſit de nomine Ovi, ego cum perſpicaciſſimo *Svvammerdammio* globulum illum nigrum pro ovo habeo, eique fœtum raninum incluſum eſſe ſuppono; qui ovo illo aperto ſeu diſrupto Gyrini forma exit. Gyrinus autem recens excluſus liquore illo viſcido globulo circumfuſo aliquandiu fortaſſe nutritur, totum tamen non abſumit. Brevi enim, partibus ejus aquæ paulatim ſeſe inſinuantis interventu à ſe invicem ſeparatis; nubeculæ formam induit, & in ſummis aquis fluitat, nec gyrino alendo ampliùs idoneus eſt, ſed ſeceſſus aut diverticuli tantùm uſum ei præſtat, quò cùm natando laſſus eſt ſe recipiat & ad quietem componat; obſervante *Svvammerdammio*.

Globulus ergo niger piſcis ſpinoſi ovo reſpondet aut potiùs Inſecti alicujus; Fœtus enim raninus è globulo non exit Ranæ forma, ſed Gyrini, & poſtea ranæ figuram paulatim acquirit, ad morem erucarum aut vermiculorum. Piſcis autem (ut puto) ex ovo primitus piſculi forma exit, nec poſtea ſpeciem externam mutat. Verùm ovum iſthoc raninum tum à Piſcis tum ab Inſecti ovo differt, quòd gelatinæ quam diximus viſcoſæ undique illud ambienti, quæ pro primo alimento fætui edito inſervit, includatur.

Aliquandiu poſt quàm hæc ſcripſeram incidi in obſervationes de ſpermate Ranarum ſeu ovis Raninis ab eruditiſſimo ſimul & ingenioſiſſ. Viro *Dom. Richardo Waller* Armigero factas & in Actis Philoſophicis Londinenſibus *N.* 193. editas, in quibus præter alia curioſa invenio. 1. Globulum illum rotundum nigrum de quo diximus duplici liquore circumfuſum fuiſſe, interiore globulum proximè, claro & pellucido, exteriùs membrana undique cincto & contento: exteriore magis turbido & mucoſo. Liquor ille pellucidus interior gyrino pro alimento aliquandiu inſervit, & albumini in Avium ovis reſpondere videtur. 2. Gyrinos excluſos ſeu ovis ſuis egreſſos (è quibus rodendo exitum ſibi feciſſe opinatur) exteriori eorum ſuperficiei arctè adhæſiſſe ea parte quam os eſſe poſtea comperit, ſolutos autem ad aquæ fundum illico ſubſidiſſe, nec potuiſſe iterum in ſummas aquas aſcendere.

Præterea Rana cum Piſcibus ſpinoſis in eo convenit, quod mas cum fæmina coitu non miſceatur, nec ſemen genitale in uterum ejus injiciat; ex ſententia Autoris modò laudati, ſed piſcium more lac ſuum ſeu ſperma ovis jam editis inſpergat. Nam *Jacobæus* nullum in maribus penis veſtigium repetit.

Objicies, cur ergo mas fæminam inſcendit, eamque verno tempore per 40. dies pedibus utrìſque arctiſſimè amplectitur & retinet. Reſpondet, ut ſemper præſto ſit, ut quamprimum ova peperit genituram in ea effundat, quæ aliàs fortaſſe non fœcundarentur. Ego tamen non de nihilo eſſe ſuſpicor, quòd mas fæminæ tandiu inſideat: quin ovorum color in utero de albo in nigrum mutatus (ut obſervavit ſagaciſſimus noſter *Needhamus*) ſuſpicionem mihi injicit, fœtum jam tum in ovo formatum per teſtam tralucere, ut in Erucarum ovis videmus, quæ maris ſemine fœcundata colorem mutant, Erucula nimirum per teſtam tranſparente: quod cuivis facilè obſervatu eſt in Bombycum ovis, ſiquidem ſubventanea & irrita, ſine maris congreſſu edita, alba ſunt; à coitu fœcundata cœruleſcunt, eruculæ nigræ colore per teſtem aliquatenus pellucidam apparente: quòd exinde etiam confirmatur, quòd poſtquam erucula ovo egreſſa eſt, teſtula alba remaneat.

Clariſſimi Viri *D. Georgii Entii* opinio, quòd ſcil. Ranæ ore coeant & pariant, mihi neutiquam probatur: quamvis me nondum ejus rei experimentum feciſſe in Ranis fateor, ille autem ad experientiam provocat.

Clariſſ. *Needhami* verba, quoniam Ranarum generationem valdè illuſtrant, non pigebit huc transferre. Cornua uteri longiſſimi ſunt ſub diaphragmate orta, quæ indè multis plicis convoluta, oviſque hactenus albicantibus terga ad inferiorem abdominis partem pergunt. Primò marſupium quoddam griſei coloris attingunt, ubi prima coloris mutatio apparet, indè ad corpus nigrum tendunt, ubi teſtæ jam ſaturata nigredine tinguntur, ſimulque tenaci glutine obducuntur. Hinc tandem per duplicem vaginam continuato funiculo exeunt, eos invicem conjugente glutine prædicto,

dicto, quod perperam à vulgo ſperma ranarum nuncupatur. Ego non rarò Ranæ parturienti obſtetricavi, funiculum illum jam prodeuntem manu trahendo in pluſquam Ulnæ longitudinem. Sic elapſa ova in unum acervum colliguntur, & quaſi nido ex hoc muco conſtructo, Solis incubantis beneficio paulatim emergunt gyrini.

Præcipuus Ranæ cibus ſunt muſcæ, aſelli aliaque inſecta, ſed & cochleas terreſtres minores ingerunt, ut eorum ventriculos diſſecando obſervavimus.

RANA arborea ſeu *Ranunculus viridis. The ſmall Tree Frog or Green Frog* Parvitate ſua, colore viridi quo undique perfuſa eſt, quodque arborum foliis inſideat, ab aliis facilè diſtinguitur. In Germania & Helvetia frequentes obſervavimus Arborum & Fruticum foliis inſidentes & veſpertino tempore coaxantes ſeu potiùs cantillantes, ut aviculas eſſe crederemus.

Chirurgus quidam Uratiſlavienſis per integrum ferè octennium hujuſmodi Ranulam aluit intra vitrum cylindriforme reticulo tectum; cui tempore æſtivo graminis recentis, hyberno verò fœni madefacti nonnihil immittebat, muſcis per vices injectis, quas ore hiante, venari peritiſſima erat. Hyeme, qua ſpatio quatridui vix una alterave muſca ſolicitè quæſita ſuſtentabatur, macreſcebat, valdeque attenuabatur. Æſtate vero cùm muſcæ culiceſque uberius ſuppetebant, habitiore rurſus erat corpore. Totas verò hyemes viva & ad captandam prædam alacris perſtabat, eò quòd intra hypocauſtum detenta frigoris inclementiam minimè perſentiſceret------Tandem 8va hyeme cùm muſcæ penitus deficerent ipſa contabeſcens interiit.

Hinc patet, ſatis vivax eſſe hoc Animalculum, diutiùs fortaſſe ſuperfuturum, ſi alimonia neceſſaria ſuppetiiſſet; nec hoc tantùm, ſed hujus generis reliqua frigida, ut *Teſtudines, & Serpentes.*

2. Ranas, ſi non alia omnia animalia, quæ mortuorum inſtar ſine vita & ſenſu in cavernis deliteſcunt, non quadam naturæ ſuæ neceſſitate, ſed potiùs ob alimoniæ defectum frigoriſque vehementiam ſeſe condere; quod confirmant etiam relationes eorum, qui in calentium aquarum fontibus media etiam hyeme viventes ranas ſe vidiſſe perhibuerunt. *Miſcellan. Curioſ. Germ.* An. 16. Obſerv. 157.

Inter Animalia venenata & noxia hæc Ranæ ſpecies recenſetur. *Raius in Synopſi Hiſtor. Quadrupedum.*

OFFICIN. NAT. ex RANA.

1. *Ipſa Rana.* 2. *Cor.* 3. *Epar.* 4. *Fel.* 5. *Pinguedo.* 6. *Sperma Ranarum.*

Vires. 1. *Dioſcoridi Rana ipſa* contra omnium ſerpentium venena pro antidoto ſunt, ſi ex ſale & oleo, vel butyro edantur, juſque earum itidem ſorbeatur. Valent & adverſus inveteratos tendinum rigores.

Inducit etiam vini faſtidium, ſi vinum in quo viva rana viridis ſuffocata eſt, propinetur: Viva Anthraci peſtilenti impoſita, donec moriatur, venenum elicit. Viva integra alligatur ad cauſonum æſtus: articulor. & juncturar. dolores mitigat, igneſque ſacros reſtinguit, (*viva ſcil. vel contuſa impoſita*) Odontalgiam ſedat, (*cocta & in gargariſmo adhibita.*)

N. *Si ventri torminoſo adhibeatur, in ipſam vitium tranſire confeſtim fertur.*

2. *Cor Ranarum* (maximè fluviatilium) [Antiepilepticum] febricitantium ſpinæ alligatum, febriles algores minuit. Sunt qui cordis regioni admoveant ad mitigandos cauſonum æſtus & incendia. Mizald.

3. *Epar* exiccatum & pulveriſatum in febrium quartanar. (& aliar.) acceſſione cum ſucceſſu aſſumi, ajunt. *Crato exhibet in ▽ millefolii.*

N. *Epata ranar. viridium in paludibus degentium, ceu peculiare ſpecificum ad Epilepſiam commendant.*

Exhiberi jubent ſub conjunctione Luminarium, ☾ *in* ♋ *exiſtente. Petræus Noſolog.*

4. *Fel* peculiariter oculis convenit, quartanamque curare dicitur incineratum & ad ʒß. exhibitum.

5. *Pinguedo* aurib. indita dolorib. medetur.

6. *Sperma ranarum*, (ſperniola) *Froſchleich. Frogs-Spawn*, or *Frogs teddars*, *Het Saet* of *Slym van de Vorſchen*, refrigerat, conſtipat, incraſſat, dolores mitigat, manuum ſcabiem curat, (*ſi menſe Martio in eo laventur;*) paronychia & herpetes interficit, eryſipelati & ambuſtis, aliiſque inflammationibus ſuccurrit, (*impoſitum*) Faciei ruborem curat, fluxui menſium & hæmorrhoidum medetur (vulvæ vel ano inditum.)

N. *Linteum hoc ſpermate aliquoties madefactum & exiccatum pro uſu ſervant. Alii idem ſperma in fictili recondunt in terram, loco ſcil. aprico, quo in ▽ cum tempore convertitur.*

PRÆPARATA.

1. Cinis inſperſus ſanguinem profluentem, (e. gr. vulnerum, nariumque) ſiſtit. Uteri hæmorrhagias ſuffitu reprimit, alopeciis ex liquida pice illinitur.

Internè gonorrhœam cohibet (aſſumptus ʒj.)

2. *Aqua ſtillatitia è Ranis.*

Fit è Ranis vivis ſub finem Martii, vel initio Aprilis captis, per XX.

3. ▽ *ſtillat. ex ſpermate.*

♃. Fit per XX. è ſpermate collecto Martio.

N. *Sal addere ſolent.*

Vires. *Ex præcedentibus parent; præter quas Veſicæ ab humorum acrimonia exulceratæ egregia medela eſt. Facit & ad repellendum & ſiſtendum ſanguinis profluvium & faciei ruborem, impetigines curat, eryſipelati ac gangrænis ſuccurrit.*

4. *Oleum.*

Fit coquendo ranas cum ∞o communi vel Roſac.

Vires. (Commendatur in vehementiſſimis articulorum doloribus.)

(Paratur Unguentum ad atrophiam ex Ranis butyro infarctis igne circuli.)

5. *Pulvis ſperniolæ compoſitus.*

Vide lib. 2. in Pulveribus.

N. 1. *Ubi ranæ, ſpermaque earumdem aut limaces, lumbrici, cancri & ſimilia animalia veniunt ▽anda, includenda eſſe linteolo mundo & in medio cucurb. ſuſpendenda, ut velut per vaporem ſtillent, aliàs aqua putoris erunt participes. In linteis autem remanebit pulvis animalium iſtorum opt. præparatus, cui majoris correctionis ergò ▽ guttulas aliquot inſtillabis & rurſus exiccabis, vel cum eodem ▽ tincturam elicies.*

N. 2. *Fabricius de Gangr. pulv. laudat ad Ulcera maligna & inflammationes omnes compeſcendas.*

6. *Emplaſtrum à ranis cum & ſine* ☿. *Vigonis.* Schroderus.

Prima ranæ materia à *Th. Paracelſo* ſub ænigmate glutinis de aquatico deſcripta in cancri medela plurimùm valere dicitur teſte *CL. Helmontio de Formarum ortu*, §. 56. Et accidit, quando rana ſub plenilunio, atrociſſimo hyemis borea effoditur, abluitur & baculo alligatur, in agro ſequenti mane reperitur alba quædam ac tranſparens mucilago, liquatum tragacanthum referens & ranæ figuram.

N. *Sperma Ranarum* in Novilunio collectum ſemper fœtet, etiam vicies deſtillatum. Et ex ſpermate ranarum cum mercurio ♎to aquam deſtillatam ad puſtulas faciei Gallicas, vide in Theſauro meo Pharmac. *Hofmannus.*

OFFI-

OFFICIN. NAT. ex RANUNCULO VIRIDI.

1. *Ipſe Ranunculus.* 2. *Sanguis.*

Vires. 1. *Ranunculus ſylveſtris* convenit viribus cum rana aquatica, ejuſque cinis vulneribus inſperſus mirificè ſanguinem cohibere dicitur, *Clariſſ. Dn. D. Arn. Weickard. in Theſauro.*

2. *Sanguis* peculiariter pro Philtro commendatur. *Schroderus.*

Hic totus exſiccatus in clibano & in lacte materno quantum cuſpide cultelli ſumi poteſt, exhibitus infantibus recens natis, antequam alium ſumant cibum, ab epilepſia præſervat.

Sciuri hîc etiam mentio facienda eſt, quia uſui inſervit Medicinali.

Eſt autem animal puſillum, quercuum amantiſſimum, caudaque præditum totum corpus obtegente & pedibus agilibus.

N. Ex hoc Animalculo funambulus quidam pro ſingulari arcano pulverem habuit contra vertiginem, quem pretio & precibus vix ab eo extorquere potuit *D. D. Johann. Michaelis* p.m.

N. Funambulus quidam Smalcaldicus vertiginem etiam fortiſſimam ac inveteratam curavit cerebro *Sciuri* quocunque modo comeſto, protinus enim juvat & vix redire permittit. Ac non ſolum cerebrum, ſed carnes etiam *Sciuri* venatores in Alpibus Penninis Uxoribus gravidis edendas apponere, ut mares, ſi quos uteri tulerunt, rupicapris per avia & juga montium ſectandis alacriores, minuſque vertigini obnoxios enitantur. *Hofmannus.*

RANUNCULUS Planta.

Ranunculus Βατράχιον à ranis dicitur, vel quod ranarum more humidis limitibus, opaciſque marginibus lætetur; vel quòd ranæ inter ejus frutices frequenter inveniantur.

Floribus plerunque pentapetalis unà cum calice caducis; ſeminibus ſuccedentibus unicuique flori plurimis in globulum aut ſpicam & plerunque aſperum ſeu echinatum congeſtis, ab aliis congeneribus plantis diſtinguitur.

Vires Ranunculi in genere.

Ranunculi plerique (non tamen omnes) vim habent exulcerandi & cruſtam cum dolore inducendi: unde & ſcabros ungues & ſcabiem removent, & ſtigmata & puncta delent; fornicarias item ac penſiles verrucas & alopecias ad breve tempus impoſita tollunt. Radix arida trita naribus admota ſternutamenta movet.

Vires Ranunculi Bulboſi in Specie.

Tragus hanc ſpeciem Ranunculum ſceleratiſſimum vocat: & c. Hofmannus mendicos hac planta cutem exulcerare ait, ut miſerabiles videantur.

Aquam radicum hujus deſtillatam, aut infuſionem cum ſpiritu vini factam contra peſtem extollunt herbilegæ Noricæ, Cat. Aldt.

Radix hujus herbæ omnium conſenſu adurit & exulcerat efficaciſſimè, puſtulas excitat, unde nonniſi externis corporis partibus adhiberi debet: quare, inquit, Tragus, erodendis & exſiccandis duris tumoribus mirifice conducit, verrucas penſiles ſeu fornicantes & id genus vitia tollit.

Monet Camerarius radicem, ſi recens ſit cauſticam eſſe ac admodum urere, exſiccatam autem poſt unum menſem dulcem effici.

Nicolaus Cheſneau Maſſilienſis M. D. in cephalalgia ſuccum Ranunculi (bulboſi ut puto) commendat; qui (inquit) cùm dolor parvum locum occupat, ad miraculum eum tollit. Eligitur ſpecies quæ foliis Anemone aſſimilatur, & linguam mordet quàm maximè maſticata, cujus folia contunduntur in mortario ligneo aut marmoreo, factoque emplaſtro perforato ut in applicatione pyrotici ſolet fieri, & loco dolenti impoſito, applicantur ſupra foramen folia ranunculi contuſa, & multo ſucco madentia, non tamen ut diffluat, emplaſtroque non perforato ſuperimpoſito, duarum horarum ſpatio cutem aperit in teneri loco & depilato, præcipuè ſi colligatur herba in loco ſoli expoſito; in capite vero ubi pili naſcuntur non facile aperit; ſed parte in tumorem elevata dolorem ſedat. Hic unum advertendum, ut circa oculos ponatur in parva quantitate propter palpebrarum & partium circumjacentium inflationes quas gignit ſtupendas, nullius tamen periculi. Multa adducit exempla cephalalgiæ hoc medicamento curatæ. Eodem etiam cum ſucceſſu utitur in Arthritide: ſacerdos, inquit, quidam cum ex reliquiis podagræ per tres annos integros detineatur in lecto, incedere non valens; loco magis dolenti impoſuit Ranunculum eo modo quo doloribus capitis diximus, & ſanatus eſt: quod eſt ſpecies quædam curæ quam ex Paracelſo apertam vocavimus, qua craſſus humor cutem penetrare non valens hoc modo educitur.

Quidam peſte correptus & in magno periculo conſtitutus ſervatus eſt duobus fonticulis factis in inguine bubonem habente. Applicavit ſci. folia ranunculi contuſa in parte interna carnoſa coxæ, veſicaſque & ulcera excitavit; quæ tantam materiæ venenatæ quantitatem emiſerunt, ut ſervatus fuerit.

Alius in axilla bubonem habens applicavit in medio muſculi bicipitis brachii ejuſdem lateris fol. ranunculi contuſa ad nucis magnitudinem, circum inungendo nutrito, & more veſicatorii ulcera aperta ſervando. Qui hæc exempla retulit fuit teſtis ocularis. Erudiriſſ. vir D. Edv. Hulſe excerpſit, & inter alia multa ad nos tranſmiſit.

Vires Ranunculi Aquatici.

℞. Summitatum ſeu turionum alni, fol. ranunc. aquat, hederacei, ſalviæ, ana mj. infundantur per noctem in vino albo, & infuſum propinetur. Ad hydropem & ſcorbutum mirificè conferre dicitur. Habui à D. Mapletofft. *Raius.*

RAPA, vid. *Rapum.*

RAPHANUS.

Ῥάφανος, ἀπὸ τοῦ ῥᾶ i. e. ῥαδίως φαίνεσθαι, auctore Athenæo, i. e. quod facile appareat, ſib: nomen aſcivit: nam tertio à ſatu die proſilit, & revera nullam hactenus plantam novimus, quæ citiùs à ſemine germinat.

Radicis nomen, ut autor eſt Varro, è Græcia venit in latinum, cùm veteres Græci radicem dixerint, quam nunc raphanum, à radice autem nomen Anglicum deducitur, non à colore hujus radicis rubro, ut nonnulli perperam imaginantur, quoniam corruptè pronunciatur & ſcribitur, quaſi rubida aut ſubrubra.

Hujus *nota* ſunt ſiliquæ craſſæ, fungoſæ, membranâ non interceptæ, at neque manifeſtè bivalves, in nonnullis ſpeciebus articulatæ ſeu nodoſæ.

Vires. Raphani radix culinaris potiſſimum eſt, rarioris in medicina uſus: ex iis quibus aſſiduè veſcimur (inquit Galenus) & obſonium potius quàm medicamentum. Acrem & calidam eſſe ſapor evincit: unde nos iis potius aſſentimur qui vim roborandi ventriculum concoctionemque promovendi ei attribuunt, quam Galeno aliiſque contrarium aſſerentibus, ob eam maximè (ut puto) rationem quia ructus movet; unde

unde cibus illiberalis Plinio dictus eſt.

Utilis eſſe putatur ad calculos atterendos, urinaſque & menſes ciendos: ad tuſſim prodeſt cum melle. Salutaris eſſe traditur adverſus fungorum, & Hyoſcyami venena: elixa ſi ſumatur valet ad eos qui tuſſi diuturna infeſtantur, quique craſſiores ſuccos in pectore cumulant (auctore Dioſcoride:) cui libenter aſſentior, nam raphani cocti (ut recte Plinius) dulceſcunt & in raporum vicem tranſeunt. In tuſſi & aſthmate infantum ſuccum raphani cum ſaccharo paratum per vices exhibendum præſcribit Dolæus, lib. 5. c. 4. ſ. 18.

Raphanus domeſticus eſculentus (ait Fernelius) ſine offenſione ulla vomitione purgat, atque ventriculum blande exinanit.....nulli ætati, neque prægnantibus infenſus, teruntur autem radices ejus conciſæ unciæ duæ, affuſaque mulſa ſuccus exprimitur tepidus offerendus. Seminis (quod efficacius eſt) ſemuncia vel ℥iii. ſimiliter teruntur, addita mulſa aut ſero lactis, aut aqua hordei.

Radicem cum ſale tritam in malignis febribus ſub pedibus ligari teſtatur Schvvenckfeldius.

Aqua raphani per triginta dies manè ac veſperi pota ſingulis vicibus tribus aut quatuor unciis medetur calculo, facitque ad aquam inter cutem.

Non temnendus eſt raphani uſus adverſus pedum clavos, quippe qui decreſcente luna poſt pedum lotionem eò uſq; raſi ut doleant quidem ſed non cruententur, plerunque evaneſcunt ſi cubitum iturorum clavis corticis raphani id latus aut ea parte applicetur quæ à raphano reſecatur ſaucia.

Qui plura de raphani viribus velit I. Bauhini hiſtoriam adeat.

Ad calculum, ℞. ſucc. radic. raphani ℥iv. mel ℥ſ. F. potio, tribus vel quatuor matutinis iteranda valde probatum remedium. Liber arcanorum: vel ℞. radic. raphani in taleolas inciſæ q.s. mellis quantum neceſſe eſt ut lento igne coquantur. Effluet inde aqua, quæ ad ℥iv. data mirabilem præſtat effectum. Cheſneau. has duas formulas inter alias multas à ſe ex variis autoribus collectas ad me tranſmiſit ingenioſiſſimus & eruditiſſ. vir D. Edv. Hulſius, M. D. vetus amicus noſter: item ſequentem ad nephriticos affectus.

℞. Cortic. acerr. raphani ℥j. oſſium meſpilorum ʒij. blandè conquaſſat. infund. horas octo in vini albi ℥iv. & modice calens propinetur. Eſt ſecretum quod vocant rhaphaninum ex Corbei pharmacia, autore Antonio Mizaldo multis probatum experimentis. *Raius.*

RAPHANUS RUSTICANUS, vid. *Radicula Sylveſtris.*

RAPISTRUM.

Hujus radix ſimplex eſt, alba, lignoſa (digitali craſſitudine, longitudine palmari & ſeſquipalmari, multas, longas è lateribus fibras obliquas emittens. I. B.) caulis cubitalis aut ſeſquicubitalis & altior interdum ramoſus, hirſutus, inanis (I. Bauhino duos aut tres cubitos altus craſſitudine pollicari: verum in noſtris agris eam ſtaturam & magnitudinem non aſſequitur ſæpius infra cubitum ſubſiſtit) folia rapæ, profunde ſinuata ſeu laciniata, præſertim inferiora, pilis ſpinulisve ſupra infraque donata, flores lutei, rapiſtri vulgaris præterquam quod longioribus pediculis inſideant, ſuaveolentes quibus ſuccedunt ſiliquæ à caule extantes hirſutæ, & ſeminibus protuberantibus quodammodo nodoſæ, in latum tenuem, & oblongum mucronem deſinentes, qui excidentibus duabus ſiliquæ partibus remanet appenſus cum interjecta membrana lucida ſemina ſeparante tria vel quatuor hinc inde, quam rapiſtri majora, alba, rotunda, quàm ſinapeos minus acria.

Quod in agris noſtris abundat, & frumentorum vitium eſt, ſemen habet ruffum & plena maturitate fuſcum, aliter non differre videtur à deſcripto. *Raius.*

RAPUM.

Rapum, Græcis γογγύλη, γογγυλὶς item ῥάφυς & ῥάπυς rapa quod ex terra rueret, quaſi Ruapa, Varrone teſte, dicta eſt. Alii quod paſſim rapiatur nomen inditum eſſe putant à Græcis tamen traxiſſe id nomen facilè videri poteſt, qui Raphin & Rapyn, auctore Athenæo dicunt I. B. à reliquis hujus generis radice carnoſa, dulci in grandiſſimum tuber excreſcente facilè à congeneribus diſtinguitur.

Vires, Radix culinaria eſt, modicum nutrit, inflationem parit, humentem ac laxam carnem generat.

Quamobrem (inquit Bauhinus) ut id vitium emendetur, ſolent nonnulli eam cum lacte decoquere, ut palato magis arrideat, & efficacius nutriat. Noſtrates decoctæ ſucci aquei partem exprimere, deinde butyro & pipere condire ſolent; urinam ciet, & genitale ſemper auget: ventrem nec ſiſtit, nec movet.

Seminis uſus præcip. eſt in antidotis. Venerem excitat, variolaſque & morbillos expellit ſemidrachmæ pondere potum Matth.

Raporum ſuccus & juſculum in quo decoquuntur commendantur ad febrem quartanam abigendam.

Raporum crudorum comeſtorum in ſcorbuto ſanando efficaciam experti ſunt noſtrates. Qui primi in terra nova dicta Americæ inſula ſedes fixerunt.

Raporum longorum aſſatorum ſuccus cum ſaccharo ad tuſſim infantium uſus eſt non contemnendi. Schvvenck.

Rapi orbiculati, ſub cinere calente aſſi infimus orbiculus calidiſſimus, poſt aures applicitus magna efficacia revellit, capitiſque & dentium dolores citiſſimè ſedat, magno ſecreto, Idem.

Rapum extrinſecus adhibetur in ulceribus crurum &c. optimo ſucceſſu, ut in mammarum tumoribus, alibique in tumoribus ſcrophuloſis & ſcorbuticis. D. Needham.

Deſperata tuſſis orta ab aſſiduo uſu ſucci limonum tandem curata erat ab uſu decocti raporum Tulpii obſerv. p. 3ii.

In aphthis plebs noſtra (de Hollandis loquitur) uſu & medicorum præceptis edocta, poſthabitis omnibus operoſioribus & ſumptuoſioribus medicamentis, tutiſſime utitur vel ſolo raporum juſculo ſaccharo edulcorato, vel ſi tempeſtas anni id negat, ſola cereviſia tenui ſaccharata. Quæ duo ubi inceperunt, omnes oris partes alluendo, & in imas fauces deſcendendo, non modo aphtharum acrimoniam, ſi quæ ſit, placant, ſed omnes etiam qualitates exceſſivas mitigant, atque hoc pacto maturationem perficiunt, Ketelaer in commentario medico de Aphthis. Habui inter alia multa à Cl. viro D. Edv. Hulſio M.D.

Raparum decoctum, tam crudarum quàm prius aſſatarum copioſius hauſtum eſt laudatum in Ileo: item juſcula decoctionis raparum quæ & leniunt, & blande ſimul abſtergunt ab eodem ex Ettmulleri prax. cap. de Ileo. *Raius.*

RAPUNCULUS ESCULENTUS.

Rapunculo vulgari radix alba eſt nunc ſimplex, nunc ſurculoſa: caulis ſeſquicubitalis, gracilis, hirſutus, anguloſus & ſtriatus, nunc unus, nunc plures, foliis cinctus, nullo ordine poſitis, anguſtis, acutis, pediculorum expertibus, cauli adnatis baſi latiuſcula, ſenſim anguſtioribus ad apices uſque, per margines crenis

crenis vix conſpicuus leviter inciſis, in ſummo ramoſus, ramulis è foliorum ſinubus exeuntibus.

In ſummis caulibus & ramulis longis pediculis inſident flores campanulati, in quinque lacinias acutas profundè diviſi: ſingulæ autem laciniæ tribus ſtriis purpureis inſignes ſunt. Stylus in medio flore trifidus in tria cornua reflexa; quem ſtamina quinque tenuia breviora circumſtant. Floris color ex cæruleo purpuraſcens: calix ex quinque anguſtis acutis foliolis componitur. Infra florem ad imum calicem vaſculum eſt ſeminale tribus loculamentis diſtinctum, Semine repletum copioſo, exiguo, lucido. Tota planta lacteo ſucco turget aliarum campanularum inſtar.

Uſus. Vernis acetaris (inquit I. Bauhinus) expetitur hujus radix minimi digiti fere craſſitudine, napi parvi ſimilitudine alba, dulcis, cum longo pipere devorata, lactis ubertatem facere perhibetur.

Eſtur non cocta tantum, ſed & cruda in acetariis, quòd maximè guſtui placeat, & appetentiam excitet; longe quam rapi aut raphani delicatior. Lob.

In aggeribus foſſarum, inque arvis non cultis naſcitur; in hortis etiam ad acetariorum uſum ſeritur & colitur, ut grandior evadat, æſtate floret. *Raius.*

In hoc genere eſt Rapunculus Alopecuros, à ſpica caudam vulpinam aliquatenus referente ſic dictus. Eſt autem folio maculato vel non maculato, ac uterque radicem habet dimidium digitum craſſam, ſaporis non parum grati, ac facultatis aperientis.

REALGAL, vid. *Auripigmentum.*

RECTIFICARE ET RECTIFICATIO.

Ut in depuratione quacunque mechanica, ſi, ſeparatis ex parte impuris, adhuc plus ultra videatur procedendum, non ceſſatur, donec finem aſſequamur deſideratum, & v. g. frumentum, lana carpta, ſinum præparatum, deſiderato niteat ſplendore; ita etiam in pharmacia longè magis ſe res habet. Valet & in hac illud gladiatoribus olim adclamari ſolitum: repete, repete. Hinc nota.

1. *Rectificatio eſt deſtillatio vel ſublimatio iterata & repetita jam evectorum ſeu propulſorum.* Non differunt nempe à priori: operatio eſt eadem, ἐγχείρησις non alia; ſed à poſteriori, ſeu fine & effectu. Modus etiam & ordo idem eſt, non diverſus. Competit rectificatio primariò humidis; ſecundariò & adæquatè ſiccis, ſublimatis. Utraque conſtituunt hujus ſubjectum. Poſteriora tamen reſpectivè parcius paulo hanc ſubeunt torturam, vel eadem opus habent. Communis eſt omnibus per ignem evectis, liquidis, ut aquis, ſpiritibus & oleis; mollibus, ut butyro antimonii, oleo ceræ; & ſiccis, ut floribus ſulphuris, mercurio dulci, cinnabari antimonii. Singula jamdum propulſa, pro re nata, denuò igni ſubjiciuntur, idque ſemel, vel bis, quouſque finem aſſequamur ultimum, ex arte præfixum & debitum. Hinc deſtillatio vel ſublimatio quoad hoc conſtituit actum primum, rectificatio actum ſecundum.

2. *Rectificatio debetur heterogeneis ſeparandis.* Prima deſtillatio eſt magis confuſa adhuc, vel revera, & ad ſenſum quoque, vel in receſſu ſaltim. Rectificatio eſt magis diſtincta. Hinc inſtar regulæ & fundamenti principalis hoc eſt, hic medius terminus, quare, & quando, & quouſque, & quoties rectificatio ſit inſtituenda: quæcunque nempe deſtillata vel ſublimata adhuc ſunt heterogenea, ſecundum quid, illa egent rectificatione. Sic ſpiritus vini primus confusè procedit cum aqua ſimul, ergò ut ſeparetur & diſtinctim habeatur, opus eſt rectificatione. Adeoque ſeparat (1.) rectificatio ſpirituoſa & aquoſa. Sic confuſus, vel quaſi talis, procedit ſpiritus cornu cervi, eboris & ſimilium, cum ſale volatili. Rectificatione verò, ſi id lubeat, ſeparantur quoque, licet conſultiùs in liquido aſſerventur, ſoluta. Adeoque ſeparat quoque (2.) rectificatio ſalina ab aquoſis. Sic & ſpiritus acidi rectificantur, ut à phlegmate liberentur, unde ſeparat quoque (3.) aquea ab acidis. Sic & partes (4.) oleoſæ huc quadrant & aliæ ſeparandæ. In deſtillatione enim evehuntur partes humidæ vel ſiccæ evaporabiles colliguntur que in unum. In rectificatione verò, ſeu deſtillatione hac iterata, evectæ unà terreæ, groſſiores, minus ſubtiles, utileſque removentur, aqueæ, terreæ, oleoſæ impuræ. Sic ⁓us ⊕li philoſoph. rectificatus non emeticus eſt.

3. *Rectificatione exaltantur deſtillata vel ſublimata.* Duos hoſce habet fines primarios & generales, unum primarium ſeparandi jam expoſitum, alterum conſectarium, quatenus exaltantur hoc ipſo ſingula illa. Seu deſtillatio ad ſolutionem ſpectat, & ſeparationem genericam, rectificatio depurationem & exaltationem pro fine habet. Exaltantur partim, quando ſeparatio illa facta eſt, unde ℣i rectificatus, dephlegmatus, exaltatus & alcoholiſatus ſunt ſynonyma; partim quatenus ſubtilius ſic alterantur, quando v. g. olea ſubtiliſantur, & empyreumate exuuntur, ut odorata magis & aptiora reddantur. Utroque modo concentrantur vires magis. Facit huc commodè diſtinctio oleorum deſtillatorum in craſſiora & ſubtilia; cujus rei exemplum egregium præbet oleum ſuccini. Hoc per retortam deſtillatum, hinc rectificatum per alembicum, mole quidem paucius, aſt purius longè & ſubtilius fit; ut quod ex ℔j. v. g. ad ℥ix. & ʒvij. ſeu ℥x. completè perfecta deſtillatione prodierat, hinc ad ℥ ij. circiter ſaltim rectificando redigatur. Non enim tam quod multum eſt, quàm quod melius intendimus. Adeoque rectificatio pro ſcopo habet partes magis activas, relictis & ſeparatis ſpiſſis & paſſivis.

4. *Rectificatio gaudet ſuis gradibus & terminis.* Non una ſæpe vice poteſt perfici, ſed iteratis quandoque opus eſt, ut rectificati fiat rectificatio; atque ſic tandem rectificatiſſimus v. g. obtineatur ſpiritus. Ita tamen, ut non negligatur dictum fundamentum præcipuum, & ſupponatur depuratio vel exaltatio ulterior. Unde duo fluunt axiomata alia indubitatæ veritatis: primum, quæcunque jam per ſe & una ſola deſtillatione homogenea & ſubtilia ſatis prodeunt, non opus habent ſecunda, multò minus tertia. Actum agere hoc eſt, ſi præter neceſſitatem illa exquiramus. Non opus habent rectificatione aquæ deſtillatæ jamdum activiores, modò in ipſo deſtillando diſtinctio probè fiat quoad recipiens vas mutandum; non olea per alembicum deſtillata ætherea quæcunque, non ſpiritus urinoſi, eodem modo & iiſdem legibus propulſi. Deſtillandum & hoc loco, non quod opus, ſed quod neceſſe eſt. Non item ſpiritus quicunque cum ℣i parati, modò ipſe jamdum bonæ notæ fuerit. Alterum: Quæcunque rectificatione tantùm abeſt, ut exaltari & meliorari, ut imminui potius viribus ſoleant, rectificatione non omninò egent. Videndum quid quodvis ferat; vel intendat; quæ enim depurari & exaltari amplius non poſſunt, etiamſi apparenter ſolùm quandoque, ſed viribus potius acciduntur, minus rectificari poſtulant. Ex ſolidis exemplo ſint flor. ſulphuris, mercurius dulcis, cinnabaris ☿ii. Hæc licet vulgò ſæpius jubeantur & vel decies ſublimari, fruſtra tamen id fit; imò diuturniori illo & vehementiori igne cinnabaris tandem comburitur magis, & viribus privatur. Quod fieri per pauca poteſt, non opus habet, ut fiat per plura. Terminus igitur eſt unicè ex dictis ponendus.

5. *Rectificatio ſequitur leges deſtillationis, magis tamen per alembicum peragenda.* Sequitur leges deſtillationis, tum in iis, quæ non addimus, ſed ex dictis ſupponimus

& huc referri volumus;tum inprimis quoad ordinem exeundi, ut id,quod eſt melius & expetitur, modò primo loco, modò medio, modò ultimo prodeat. Id ipſum quoque de ipſis vaſis & ignis regimine intelligendum eſt. Per retortam rarior eſt rectificatio, imò plerumque per retortam deſtillari ſolita, quæ quidem rectificatione indigent; rectificantur per alembicum. Valet verò id inprimis de butyro ♁ii, ſi quidem id intendamus. Nam licet & id poſſit provida & perfecta deſtillatione una prima haberi purum & ad ſenſum homogeneum,clarum,pellucidum & quaſi cryſtallinum,ac butyroſum;aliquando tamen,præſertim pro uſu interno,ſi majori copia id paretur, & aliis circumſtantiis,poteſt parari commodè,ſi retorta loco recipientis ſubdatur alteri, quæ hinc ipſa repoſita in arenam rectificationi ſubjicitur brevi manu. Per alembicum peragitur,quò complectimur, quæcunque huc referri poſſunt,& ſub uno hoc pileo velut tegi;inprimis verò triplicis generis, (1.) ex cucurbita, pro ∽u ⊖is,oleo ſuccini cum 🜄i rectific. ∽u C. C. & aliis; (2.) ex veſica,pro oleis deſtillatis, ut ſuccini, rectificandis, quatenus majori eget quantitate aquæ, ut adiiciatur, quod in cucurbita fieri non poteſt: eget etiam majori ignis gradu,quod ex arena obtineri itidem non poteſt. (3.) ex phiola, quæ duplici nomine rectificationi favet,partim altitudine, ſpiritus enim altius præ aqueis particulis aſcendere norunt, unde pro ſubtilioribus ſpiritibus parandis his utimur; licet aliquando ſint,qui phiolæ nomen pro cucurbita capiant;partim ob tenuitatem, unde non tam confusè fieri poteſt reſpectivè propulſio, ſed pars poſt partem magis evolvitur.

6. *Additis vel ſeparantibus, vel exaltantibus aliis, rectificatio fit melior.* Peragitur deſtillatio hæc repetita tum ſolo igne,& ordine exeundi monſtrato,quo volatile præ fixo, ſubtilius præ craſſo, ſpirituoſum præ aquoſo & ſic porrò evolvitur; tum juvantibus aliis. Juvant verò, quæ v.g. detinent partes aquoſas, & liberant acuuntque ſpirituoſas. Idque præſtant cumprimis alcalium quæ ſunt de proſapia. Singula hæc imbibunt tum aquoſa, tum oleoſa, atque hoc ipſo liberant ab his reliqua ſpirituoſa & ſubtilia. Aquoſa quidem,quatenus,lixiva ſolvuntur ab aqua, & ſic receſſum ſtatim, etiam extra ignem ullum, præſtant, quod ad oculum demonſtrat 🜄i non rectificatus alcali cuicunque, ut ſali tartari, cineribus clavellatis & ſimilibus affuſus, unde ſtatim fieri poteſt rectificatio ſine igne, prævia ſcilicet ſeparatione alia, paulò tamen impropriè ſic dicta; ubi pars ima petit, aquoſa, pars ſuperiora,ſpirituoſa. Multò magis id fit cum igne & ſeparato ſic & exaltato 🜄i, quod ſapore manifeſtum eſt. Et ſanè 🜄i rectificatiſſimus, cujus nota eſt,ſi pulverem pyrium deflagrans eundem accendat,unico hoc maximè medio haberi poteſt beneficio ſcilicet, ſeu alcalium, ſeu aliorum quoque.Ita paravimus aliquando talem, abſtrahendo aliquoties, ter vel quater,🜄i à ſale ammoniaco. Ratio hujus rei eſt, quod pars aquoſa conjuncta ignem fugiens inſinuet ſe pulveri pyrio, deflagrante ſolùm ſpirituoſa. Ille verò aquoſus redditus, ſeu aquea illa parte imbibitus, non accenditur,aqua enim igni & conſequenter etiam accenſioni & rarefactioni ſulphureæ ſiccæ contraria eſt. Tacemus commodè etiam in rectificatione 🜄i affundi aquam, ut partes feculentas empyreumaticas imbibat, quod & de oleoſis ſuo modo verum eſt. Oleoſa verò, quatenus diſſociat eadem, unde partes viſcidæ,lentæ,groſſiores implicantur protinus,& non niſi ſubtilibus datur particulis tranſitus, unde & additione alcalium,v.g.cinerum, parata olea rectificatione utplurimum non egent.

7. *In rectificatione ſpectandus uniuſcujuſque medicamenti genius.* Neceſſarium eſt id ipſum in omnibus operationibus pharmaceuticis, ne neglecto hoc fruſtranea ludatur opera. Spectandus genius quoad particulas activas & expetitas,ut illas acquiramus vel exaltemus.Hinc ſi ſulphur ſublimatione noxiam adſciſcit qualitatem,non id operatio in ſe inſons facit, ſed genius vel additorum,vel domeſticus factus,per accidens.Spectandus quoad odorem,ne dum ſeparare volumus & tollere v.g.à ſpiritu ♀ri fœtorem, qui tamen tantus non eſt,illum privemus viribus, reddito medicamento magis inefficaci,ſive illum cohobemus à capite mortuo proprio,ſive à pane biſcocto,ſeu ſola rectificatione ſimplici particulas oleoſas ſeparemus. Vis enim ejuſdem conſiſtit in acido leni & partibus oleoſis quibuſdam expanſis; his verò ablatis vel inverſis per alcalina, non poteſt non vis quoque alterari. Spectandus quoad vires, ne illas exacuamus magis, quàm ferre poſſit corpus; quod exemplo ∽us nitri & acidorum aliorum verùm eſt. Eſt etiam hîc modus in rebus habendus. Sæpe igitur tum imminuunt magis rectificationes repetitæ virtutem, quàm intendunt;ſæpè ultra quàm par eſt acuunt,adeoque non niſi neceſſaria inſtituenda. *Wedelius.*

REGINA PRATI, vid. *Ulmaria.*

RELAXANTIA, vid. *Chalaſtica.*

REPELLENTIA & REPERCUTIENTIA, vid. *Apocrouſtica.*

RESINA in ſpecie ſic dicta.

Reſina liquor eſt pinguis ac oleaginoſus ex arbore ſæpius ſponte, interdum eâ vulneratâ defluens.

Reſina propriè dicta in oleo promptè ſolvitur, in liquoribus aqueis nullo modo.

Reſina reſpectu conſiſtentiæ vel liquida eſt, ſubalbida & odorata è pinorum ſylveſtrium præcipuè generibus, vel ſponte vel vulneratis effluens: vel arida è corticis rimis, vel circa abſciſſos ramos, & quidem piceæ vel abjectis exiens.

Strobilinæ reſinæ nomen accepit, quæ circa conos ſeu ſtrobilos concreta reperitur.

E Reſina liquida colo prius defæcata ut ſordes ſecernantur in duplo aquæ decocta, quouſque, omni lentore conſumpto odorem amittat & friabilis reddatur, tamque arida ut tundi, teri, cribratique poſſit, fit candidiſſima ac fere nivea etiamſi antea oleoſa aut mellei coloris fuerit. I. B. è Dioſcor.

Spiſſatur etiam reſina cocta ſine aqua in cortinis æneis ſubjecto primum lento igne, deinde ubi coire cæpit, carbonibus liberalius aggeſtis, & aucto igne, ut quicquid ſeroſi eſt exhalet: quod requirit trium dierum & noctium continuam cocturam. Idem.

Haud abſimilis eſt coquendi modus chymiſtis uſitatus, oleum è Terebinthina elicientibus. Phialam ingentem luto oblitam; & reſinæ ad dimidium uſque repletam furno imponunt, & vas recipiens adaptant. Dein ea cautione qua dictum eſt ignem accendunt. Fluit primum liquidus ſudor, reſinæ aquam vocant, piſſelæo veterum reſpondens, qui tanquam inutilis abiicitur, tametſi ad ea valeat, ad quæ piſſelæum commendatur. Sequitur oleoſus liquor, qui cum totus extillaverit arida & friabilis in phialæ fundo reſina ſupereſt, colophoniam hodie nominant, magni,ut olim, in medicina uſus. Idem.

Cæterum Colophonia variæ ſignificationis eſt: vel enim reſinam crudam ex picea pinove ſiccam, denotabat, Chiæ maſtiche perſimilem, è colophonia advehi ſolitam, vel reſinam liquidam ex iiſdem arboribus ab eodem loco miſſam I. B. è Galeno pix Burgon ſeu Burgundiaca videtur eſſe reſina piceæ ſecundum Parkinſonum.

Reſina

Reſina omnis confert præcipuè tuſſi, aliiſque pulmonum affectibus (cum melle) urinæ ac alvo ciendæ. Calculum pellit, arthriticos affectus juvat, gonorrhæam ſiſtit.

Extrinſecus Chirurgis uſitatiſſima eſt in emplaſtris, movet enim pus, maturat & ſcabiei medetur.

Sunt qui Terebinthinam vulgarem (eſt autem ea laricis reſina) in cerevitia infundunt, atque ſimul deſervere ſinunt pro potu ordinario in præſervatione calculi, viſcerumque obſtructionibus. *Schrod.*

Reſina Abietina calefacit & humectat, conſumit & ſeparat, articulos roborat, tumores duros diſſolvit, dolores podagricos & iſchiadicos ſedat, emplaſtris juncta pus promovet: mundificat & incarnat renes, eoſque à calculo purgat: ſpecificum eſt in vulneribus capitis: in primis emplaſtri modo clavis pedum aut manuum applicata dolores lenit, & partim ejuſmodi tumores eradicat Wagnerus, p. 297. 298. D. Hulſe, *Raius*.

RESOLVENTIA.

Ut in morborum & ſymptomatum claſſe quidam primarii ſunt affectus, quidam ſymptomatici & comitati; ita quoque in remediis ſe res habet, ut alia ſint principalia, alia comitata. Exemplum hujus rei præbent inprimis Reſolventia. Proſunt hæ conjunctim viſenda in diureticis, nephriticis, diaphoreticis aliiſque pluribus, imò ipſis quoque purgantibus; quæ hinc congruè *Schenkius tractatu de humoribus* optima ait eſſe præcipitantia, quippe quæ unà ſint præcipitati expellentia, *cap.* 25. *p.* 163. Sunt tamen & ſeorſim quoque, ſive principaliter, in quibuſdam caſibus neceſſaria, unde operæ pretium eſt, eadem peculiari capite ſcrutari.

Quod enim exterius ſunt diſſipantia, id interius ſunt reſolventia; illa diſſipant humorem congeſtum, & conſiſtentem hic illic in extimis partibus, hæc interius.

Hæc ut pateant melius & tum ad ſanguinem ſeu grumos ſanguinis, tanquam exemplum illuſtre, tum ad ſeri quoque ſimultaneam vel ſeparatam coagulationem applicari queant, notabimus

(1.) Humores in corpore in perpetuo eſſe motu, (2.) vehi eoſdem tùm propriis canalibus, tùm communibus poris, tùm etiam cavitatibus, ut corde, utero; (3.) ſimulac verò motus hic quocunque modo non producatur, nec unda velut undam trudat, eoſdem coire & coagulari, quod in dicto exemplo grumorum nomine ſpeciatim venit. (4.) coagulatos extra archei jugum, ſphæram & imperium ire, ichoreſcere, putreſcere. (5) adeoque ſymptomata horrenda, febres, anxietates, dolores excitare, v. g. ſubſiſtentem ſanguinem, ut verbis utamur *Langii, l.* 2. *epiſt.* 3. *p.* 695. intra cranium & cerebri panniculos epilepſiam; in pectoris cavitate aut pulmonis arteriis, (bronchiis) tabem: in ventriculo cardialgiam & lipothymiam, in matrice hyſtericam uteri ſuffocationem, in veſicâ verò urinæ obſtructionem & dyſuriam, imò plura alia, de quibus ibidem legi poteſt.

(6.) Speciatim verò grumeſcentiam eſſe duplicem, aliam *in facto*, actu talem, de quâ teſtantur inter alia, exterius præſertim, livores, ſugillationes & vexationes, quæ dant intellectum; aliam *in fieri*, quod in palpitatione cordis & aliis patet, adeoque differre gradu, aliam minorem, aliam majorem eſſe,

(7.) Fieri vel à causâ externâ, vel internâ; Externâ vel violentâ, ut in contuſionibus, caſu ab alto, vel coagulante, uti v. g. in puerperis ſæpiſſimè grumeſcit ſanguis vel lochia in utero à ſolo admiſſo aere frigidiori.

(8.) Non fieri grumeſcentiam à ſolo acido figente & coagulante à priori, ſed etiam à diſgregatione & dimotione fibrarum ex ordine, uti videmus id ipſum quoque, facta per V. S. extravaſatione.

Hinc 1. *Quæcunque ſanguinem & ſerum in vaſis ſuis vel poris, internis vel externis, ſubſiſtentem in motum cient, & coagulum fiens reſpiciunt, ſunt reſolventia.* Cùm enim in motu vacillent, cùm στάσιν patiantur, meritò citanda ſunt in motum.

2. *Quæcunque ſanguinem & ſerum in cavitatibus his illis perfectè extravaſatum & contentum disjiciunt, & in motum cient, ſunt reſolventia.*

Reſolvunt hoc pacto univerſaliter & utriſque communia, (1.) *Diaphoretica*, tanquam communia & optima præſidia in omni vitio ſanguinis extra circulum ſuum moti, eaque vel fixa, vel media, vel volatilia, v. g. tinctura bezoardica, ∿us cornu cervi, mixtura ſimplex, theriaca & ſimilia, item ♁ium diaphoreticum, opiata omnia, licet ſecundariò ferè magis & cum aliis, quod *Sylvius* maximè probavit & aſſerit.

Reſolvunt (2.) *Diuretica nephritica* ſeu *lithontriptica & purgantia* eatenus, quatenus liquant, fundunt & diſjiciunt, aliunde huc mutuanda. Reſolvunt ſpeciatim, quæcunque ſulphureo vel ſalino activo principio pollent. Utroque putredini reſiſtunt, vel ſaltem defendunt hoc ipſo ſanguinis tonum, & archeum, ne tam facile eadem afficiatur, vel detrimentum capiat.

Reſolvunt (3.) *ſulphurea*, quatenus balſamum ſanguinis vigorant, ſive ipſa ſint balſamica, ſive ſale volatili, acido, mercuriali immutata, verbi gratia, myrrha, mumia, ſperma ceti, ſanguis draconis, radix zedoariæ, rhaponticum, ſanguis hirci, cinnabaris, flores ſulphuris, mel ipſum & alia.

Reſolvunt (4.) *ſalino* ſtimulo fœta, incidentia & attenuantia, ut *acida*, acetum, ſpiritus ſalis, vitrioli, miſtura ſimplex, oxymel; *alcalina*, ut oculi cancrorum laudatiſſimi, ſive præparati, ſimplice, ſive in magiſterio, corallia, ſigillum Salomonis, exterius in ſugillatione ſpecificum & plantæ traumaticæ variæ, ut bellis, ſummi uſus in coagulo humorum & lymphæ, inprimis ab hauſtu frigido exæſtuante corpore facto, commendata hoc nomine à *Minderero*, comprobante id experientiâ; item cerefolium, ejuſque aqua in pleuritide, retentis lochiis, caſu ab alto utiliſſima; millefolium, eorumque ſuccus & alia. Huc etiam ſpectat, quod Chirurgi carbones tiliæ eo caſu quoque adhibent, licet meliora proſtent, item terra ſigillata, medulla ſaxorum ſive lithomarga, bolus armena.

Reſolvunt (5.) *mixta*, v. g. acetum cum pulvere contra caſum, vel ſanguine hirci, oxymel, quod *Galenus* expertus eſt, per ſe, abſque adjuncto hauſtum, ſanguinem concretum diſſecare, expectorare vel per lotium proliceret; inprimis etiam vinum calidum, ſummum contuſionum præſidium, & huc ſpectantes. cum eodem coquendi, ſacculi capitales in contuſione & vulneribus capiti ſummi & unici uſus. Ex compoſitis huc ſpectant pulvis contra caſum *Langii*, item pulvis ad caſum Auguſtanorum, ex terrâ ſigillatâ, ſanguine draconis, mumiâ an. ℥ij. ſpermate ceti ʒj. rhabarbaro ʒß. miſce ſpec. diamum. *Mynſ.* item ex zedoariâ, ſanguine draconis & floribus ſulphuris, deſcriptus à *Ludovico tractatu von Feld-Kranckheiten.*

Uno verbo ſal coagulationis & reſolutionis eſt principium, unde maximè attendendum. Coagulationis, ſi combinetur cum terreis, gravibus, ad motum ineptis, unde tartarus enaſcitur chimicorum; ſi deficiat quandoque, undè pituita plurima; ſi vinculum ceſſet eſſe inter ſulphur & aquam, utrobique concurrente archeo motore univerſali; vel ſi excedat in genere & improportionatum fit. Uti verò ſal eſt principium coagulationis inter activa principia; ita paſſiva aqua & terra, quippe deſidia in ſe, & motui minus apta. Hinc ex aquæ & terræ ſymboliſatione, juxta quoſdam, fit calculus non ineptè. Eſt verò etiam principium reſolutionis ex dictis rationibus, quia attenuat, incidit, fun-

dit, vegetat & in motum ciet inertes humores mediante quidem ſero & ſanguine, tanquam menſtruis corporis univerſalibus, ut, charactere hoc recepto, fluxilior ſanguis redditus ſecum abripiat ceſſantes hîc illic & tardantes particulas, coagulo proximas.

Cum ergò partim dubium ſit de quibuſdam, an talia ſint, partim uſu differant, de iis quoque ſeorſim dicemus quædam, idque repetitis theſibus.

1. *Sperma ceti eſt reſolvens.* Negat id quidem *Langius* & rejicit *l. c.* (qui optime de his affectibus egit & latius) *p. 696.* ſed citra additam rationem, niſi quod vulgus chirurgorum imperitum id adhibere ſoleat, quæ inſufficiens eſt, nam & à plebejis ſæpe vel *Coo* teſte & experientiâ ſelectiſſima diſcas remedia. Quin ipſe *Langius* dilaudat alibi *l. 3. epiſt. 3. p. 979.* ſperma ceti & præſcribit ad ℈ij. unde colligimus laudatiſſimum eſſe id ipſum, uti revera in aſthmate, in calculo, in reſpiratione difficilis phthiſi, pleuritide, tuſſi graviori eſt utiliſſimum blandâ ſub pinguedine condens ſal, unde etiam durabile magis redditur.

2. *Mumia eſt reſolvens traumaticum*; itidem contra *Langium l. c.* & alios qui vilipendunt, imò planè exeſſe jubent; eſt enim balſamica, non tam quod ex aloe, croco & myrrhâ conſtet, quàm quod aſphalto debeatur vis illa, quod, immutatum unà ipſum, reſolvit. Sunt qui longè præferant elixir proprietatis, quod elementa genuina contineat, & verum eſt, reſolvens eſſe ad grumos ſanguinis diſſolvendos laudatiſſimum, quo nomine in putrilagine corrigendâ, v. g. fœtu mortuo, lochiis retentis optime ſe gerit, nam & aloe inter purgantia reſolventia optima eſt. Notanter verò diximus reſolvens traumaticum, unde & in eſſentiam noſtram traumaticam recipitur.

3. *Acetum eſt reſolvens.* Videtur hoc ipſum primo intuitu minùs cum veritate congruere, quia acetum coagulat. Verùm ratio ex regulâ dictâ de ſalibus facile patet. Ut ſalia, ſic & acetum in ſpecie coagulat & reſolvit, pro diverſo ſtatu ſuo, & inprimis ſubjectæ, cui debetur, materiæ. Hinc acetum non per accidens hiſce in caſibus convenit, ſed maximè per ſe, quatenus eſt remedium inſigne reſolutivum. Diſtinguendum verò eſt inter tempora & acida ipſa. Non tam conveniunt in coagulatione ſanguinis in fieri, quàm ubi pars jam incipit ſecedere ex ordine, & hoc ipſo coagulari. Viſitur hoc in experimento domeſtico & culinari, quando ſanguis anſerinus vel leporinus cum aceto miſcetur, ne grumeſcat, quatenus particulas magis unit, quæ alias promptè concreſcunt, & à putredine præſervat. Deinde acida alia ſunt ſibi relicta, alia refracta, & cum aliis data, ubi magis miteſcunt, minus coagulant, optime reſolvunt.

Conveniunt verò hæc ipſa externè quidem in contuſionibus, ſugillationibus, aliiſque caſibus, ubi ſanguis ad quietem invitatur vel cogitur magis; internè verò in caſu ab alto, qui affectus quaſi primarius eadem indicans, alias verò ſatis frequens & comitatus eſt, contuſionis ſpecies, item in vulneribus recentibus quibuſvis. Interne in pleuritide & inflammationibus aliis aſthmate, tuſſi, palpitatione cordis, abſceſſibus internis, anginâ, affectu hypochondriaco, hyſterico, à ſanguinis in utero grumeſcentiâ, coagulatione lactis in mammis, & ſimilibus. Taceo uſum ſecundarium non minus laudatum in vomitu & ſputo cruento, aliiſque.

Reſtat, ut de cautelis adeoque uſu ſpeciali & limitato dicamus quoque. Hinc notandum 1. *Alia reſolventia ſunt generalia, alia ſpecialia, adeoque inter ſe non confundenda.* Generalia dici poſſunt quæ ſanguinem & ſerum ſimul reſpiciunt, ut alcalina, lapides ♋. Specialia, quæ magis alterutrum, ut ſulphurea & acida. Illa enim velut ſerum magis reſpiciunt, hæc ſanguinem. Hæc ſperma ceti verbi gratia, magis in vitiis ſeri prodeſt, reſpectivè, ut in tuſſi, grumeſcentiâ lactis in mammis, unde externe quoque ſpecificum eo caſu eſt. Hinc acetum iiſdem caſibus noxium potius fuerit, ubi ſerum coagulum patitur, niſi ſecundario, & cùm aliis maritetur, vel per accidens quoque. Sic verbi gratia, ſpiritus ſalis in pleuritide datur, non tàm primario fine, ut inflammationem disjiciat, quàm ut febrim conjunctam mitiget, & cumprimis tuſſim abſolutè neceſſariam vel excitet, vel conſervet, adeoque expectorationem promoveat. Et hæc ratio quoque eſt, cur non ſolum acetum in caſu ab alio, ſed cum pulvere contra caſum mixtum propinetur; & vice verſâ, quare acetum cum ſemine carvi decoctum proſit in tumore mammarum; cur item calidum affundatur magis. Alcalina verò cum fluxile faciant ſerum, & acorem avertant, præcipuè quaſi ſunt talia, quædam ob ſal volatile latens eximia, ut oculi cancrorum, qui non minus ac chelæ cancrorum deſtillatæ, ſpiritum urinoſum fundunt.

2. *Hinc eadem quoque diſtinguenda ratione affectuum*; facilè enim patet ex dictis, non convenire omnia omnibus. Sic nitroſa licet reſolvant, non tamen in tuſſi, adde & pleuritide æque conveniunt. Sic ipſi flores ſulphuris licet ſint pectorales, pleuriticis tamen non adeò ſolatium afferunt, quia ſiccant magis, ut alia taceamus. Adeoque pro diverſitate affectuum diverſa quoque reſolventia ſeligenda, unde alia ſunt reſolventia cephalica, alia reſolventia pectoralia, quæ inter flores papaveris rhœados, tantopere deprædicati, ſtant poſt principia, ſi in pulveris formâ eligantur, & pro primario medicamento; alia reſolventia nephritica, alia traumatica, & ſic porrò.

3. *In reſolventibus medicamentis diſtinguenda quoque ſunt tempora morbi.* Alia ſcilicet conveniunt in principio læſionis, ne colligatur ſanguis in ſuppurationem iturus; Alia in progreſſu, & facto grumo perfecto, idque de internis & externis valet, illo enim caſu intentio, eſt, ut antevertatur, hoc ut avertatur grumefactio. Videmus hinc in ambuſtis & ſugillationibus, quomodo vel ab adhibito medicamento reſolvente, vel etiam aliquando per ſe, hinc inde à loco uno ad alterum livor vel rubedo provehatur, & colorem quoque diverſum ſanguis induat.

4. *Reſolventia ſtypticorum & traumaticorum actionem moderantur, adeoque medio caſu cum iiſdem jungenda*; verbi gratia, in ſputo cruento & vomitu cruento intentio eſt gemina (1.) ſanguinis fluxum ſiſtere, (2.) eum qui effluxit diſſipare, ſeu reſolvere. Neque enim ſatis fuerit conſolidare unitatem ſolutam, niſi ſimul proſpiciatur humori extravaſato. Ergò & tunc reſolventia habent locum, licet ſecundarium, ut traumaticum & disjiciens, imò curationem abſolvunt, unde factâ adſtrictione in utroque illo affectu, ſub finem decocta & eſſentiæ traumaticæ, pulveres ex lapidibus cancrorum, coralliis, &c. optimi ſunt, quâ methodo adhibitâ plurimos feliciter curavimus, inprimis non omiſsâ ſimul venæſectione in pede, & aliis.

5. *Reſolventibus interius ſuccinturiantur univerſalia*; ut diaphoretica, emetica & purgantia, &c. *exterius emollientia & paregorica.* De diaphoreticis res clara eſt, eaque optima ſunt reſolventia in inflammationibus omnibus internis & externis incipientibus. Emetica verò & purgantia, ubi ipſa indicantur, quod utrumque exemplo illuſtrabimus: Ancilla ab alto lapſa ſentit anxietatem circa præcordia, inſtantem lipothymiam, reſpirationem difficilem; advocatus Medicus, non attendens caſum præſcribit cordialia & refectoria, potiones, pulveres, unguenta & nihil non, ſed fruſtrà, in horas deterioratis ſymptomatibus. Advocatus alius, penſitans accuratius circumſtantias, propi-

nat emeticum, quo eductus è ventriculo grumatus ſanguis, ægrâ in momento adjutâ.

Imò cum aliquando pleuritica deſperatè quaſi ſuccumberet, nec propter viſcedinem materiæ & copiam ejici poſſet expectorantibus, deſperatâ quaſi re, auſi ſumus propinare ſperma ceti cum tantillo tartari emetici, gr. ß. circiter vel ¼. unde unico vomitu allevata adeò eſt, ut hinc valetudinem recuperaret. Ut non repetamus, ipſum ſperma ceti datum infantibus pro reſolvendâ pituitâ in pectore, ut plurimùm vomitum ciere, idque felici cum ſucceſſu. De purgantibus verò hoc notavimus. Faber ferrarius in pago Schloben ante aliquot annos laborabat abſceſſu interno infra diaphragma, quod à poſteriori confirmatum eſt, adauctâ difficultate reſpirandi & tumore pedum pedum accedente. Dato purgante, materiâ purulentâ copiosè per alvum eductâ, integerrimè convaluit. Notavimus quoque alibi, à datis reſolventibus pulveribus abſceſſum in pectore, per alvum rejecto pure, curatum. Nimirum archeus omne extraneum & peregrinum exturbare geſtit, vel leviculè adjutus. Illo verò gravatus non poteſt id commodè exequi unde ſi copia ſanguinis major ſit, quàm ut reſolvi poſſit, educenda eſt, ſive ſit in capite, unde trepanum inventum, ſive in ventriculo, ſive alibi, *Wedelius.*

RESTA BOVIS, vid. *Ononis.*

RESUMPTIVA, vid. *Analeptica.*

REVERBERARE & REVERBERATIO.

Calcinationem obſignat Reverberatio, dicta à modo tractandi, ſeu occurrentis ac admiſſi ignis. Cum enim extra dubium eſſet, ignem aliter aggredi mixta concluſum, aliter apertum, aliter ſubtus, aliter ſubter admiſſum, inventus eſt etiam reverberii ignis, cujus notionem exhibent ſequentia axiomata.

1. *Reverberatio eſt calcinatio aperto & lambente igne facta.* Impropriè quidem & latius paulò prædicatur quoque eadem aliquando de igne concluſo, qualis eſt retortæ, immediatè igni commiſſæ, ubi undique patet igni aditus, ut non tam ſubtus propellat, ſed latera quoque & totum globoſum corpus ambiat, arcto complexu & preſſione ſic extorquens intus locata, verbi gratia, in deſtillatione ſpiritus vitrioli, qui, utpote fixior, longiori & majori eget igne. Propriè verò & ſtrictiùs, quando contactu perpetuo flamma obvium calcinandum corpus verberat, *wenn die Lohe dran ſchlagt*; Uti hunc in finem reverberantur objecta in furnis calcariorum, vitrariorum, qui κατ' ἐξοχὴν tales ſunt, figulinorum, vel, quando deſtillatur ſpiritus vitrioli, laminæ martis tranſverſim locatæ, ut undique lambi & calcinari ab igne poſſint. Strictiſſimè verò reverberatio dicitur, quando compendioſo ſpatio, in furno reverberii, hinc inde deſcripto, ignis ita arctatur, ut in viâ quaſi ſuâ continuò feriat objectum calcinandum. Fundamenta hujus calcinationis reverberatoriæ ſunt nota, verbi gratia, (1.) quò magis immediata flamma eſt, eò fortior. (2.) Fortior eſt ſuperior inferiori. (3.) Fortior eſt tenuata, concentrata & repercutiens æquali. Eſt quidem & in noſtratibus furnis domeſticis reverberatio, ſed magis elongata, magis æqualis, ſpatio majori dato, ut morari intus majus, quàm calcinare queat. Reverberatio verò hæc chimica etiam dicit contactum intimiorem, ut flamma flammam trudat & flammando in objectum derivetur. Viſi hujus rei exemplum poteſt, quando per ſiphonem afflatus aër continuo dirigit ignem in obvium corpus, qui ſanè potentiſſimus ſic redditur. Apertum autem quando ignem dicimus, intelligimus non ratione aeris, qualis eſt in furno anemio, ſed ratione aditus aperti & liberi, ut ferire, verberare, repercutere queat corpora, adeoque apertus, ſed lambens eſſe debet. Hinc duobus modis po iſſimum talis redditur, vel furnis oblongis, cameratis, ut à tergo velut irruens ignis, qua data porta, obviet corpori calcinando, qualis eſt furnus reverberii dictus, vel furnis fornicatis, qualis pro pinſendis panibus piſtorum eſt, qualis vitrariorum & aliorum mechanicorum, nominatim ad cineres clavellatos parandos. Rotunda enim figura circulando, circulata verò flamma ad reverberandum aptiſſima.

2. *Reverberatio eſt calcinatio fixiorum & in igne ſubſiſtentium*; ſive jam prius calcinatorum, ſive minus. Talia ſunt mineralia quædam fixiora, metalla, mars, ☉, ſalia, & terræ ipſæ, velut aliud agendo, ſive intentione ſecundariâ. Notum enim eſt in praxi præſertim domeſticâ, lutum fornacum, crebriori reverberii iſtius igne calcinatum ad ruborem, uſurpari non tantum à vulgo in dyſenteriâ adſtringendi fine, ſed etiam ab ipſo *Knöfelio* utiliter ad hunc uſum impenſum eſt. Quod experimentum ſanè non eſt de nihilo, ſiquidem in luto non ſaltem partes terreæ ſunt, conſimiles ſuo modo bolo armenæ, terræ lemniæ, ſigillatæ; verùm quoque partes martiales, ochreæ, quod tum color teſtatur rubellus, qualis & in lateribus obſervatur, tum experimentum *Becheri*, qui exinde cum oleo lini ferrum producere docet. Unde hoc ipſum lutum fornacum inter euporiſta antidyſenterica optimo jure referri poteſt. Cumque fixiora hæc ſint, ob hoc ipſum ignis ductus lambens opus eſt, flamma lambens fota accenſis lignis, quorum acidum etiam in tranſitu continuato ſymbolum ſuum confert. Sunt, qui diſtinguunt etiam inter reverberationem clauſam & apertam, clauſam vocando, quam nos impropriè & laxius talem diximus. Tribui tamen etiam poteſt igni ſuppreſſionis, quando ἄνω & κάτω adminiſtratus ignis ſibi obviat, atque ſic repercutiendo intimius & fortius agit.

3. *Reverberatio fit pro majori immutatione & alteratione particularum.* Hinc ſi ſpeciatim hos uſus viſamus, diverſi inde reſultant effectus particulares verbi gratia reverberatio (1.) *depurat*, cujus exemplum præbet ſal lignorum, vulgò cinerum clavellatorum nomine veniens. Revera autem ſal eſt è lignorum cineribus elixiviatum & reverberatum peculiari eleganti furno, unde color albicans & cæruleſcens emergit, una quoque ſal ipſum magis ſic acuitur. Reverberatio (2.) *ſubtiliſat*, unde crocus martis, reverberii ignem paſſus, longè poroſior & ſubtilior redditur hoc ipſo; calx auri quoque per reverberationem magis ſubtiliſatur, ut taceam jam dictum ſal lignorum. Reverberatio (3.) *reſerat*; centra martis ita magis panduntur. Hinc quod *Paracelſus* de antimonio ſcribit, illud reverberando in tincturam aptari, id in ſulphure antimonii per ſal ammoniacum evecto alii experiri maluêre, panſo ſic magis ſulphure; quam in rem quoque nonnulli ſcorias reguli reverberant prius, quàm tincturam extrahant, licet ſatis elegans jamdum parari exin queat. Reverberatio (4.) *invertit* quoque & *conſtringit* magis acida, ſeparando magis corroſivitatem, unde etiam hæc ratio eſt genuina, quare ex croco martis aperiente igne reverberii reddatur adſtringens, quia nempe acidæ vitriolicæ particulæ ſic propelluntur fortiùs, vel cum terreis ochreis maritantur intimiùs, unde ochreis prædominantibus hoc pacto alteratis adſtrictio major eſt. Vis illa diverſa itaque pro ſubjectorum non uno modulo obſervatur. *Wedelius.*

RHABARBARUM.

Veris initiis cum germinare incipit, caput grande, rotundum, fuſcum protrudit è radice craſſa, fungoſa, lutea, quod in folia aliquot ſucceſſive ſe aperien-

tia paulatim explicatur. Sunt autem folia initio cum primum apparent valde corrugata & complicata, poſtea ſenſim dilatata & extenſa, rugis & plicis coæquatis lævia fiunt, perampla & ſubrotunda, pediculis atrovirentibus pollicem craſſis, & in lætiore ſolo binos pedes longis inſidentia, longitudine bipedali, nec minori latitudine, obſcure viridia, & cum juniora ſunt ſubglauca, conſiſtentia craſſiore quam Hippolapathi rotundi folii vulg. ſapore acido, lujulæ aut acetoſæ hortenſis gratiore. In medio foliorum (non tamen ſingulis annis) exurgit caulis craſſus, robuſtus, humilior tamen quam rhabarbari monachorum, foliis ejuſmodi rotundis ſed minoribus ad nodos amictus, ad ſummum uſque etiam inter flores, qui in hac planta, ſecus quam in alia quacunque lapathi ſpecie, albi, hexapetali, cum multis intus ſtaminulis albis. Floſculis, ut in aliis lapathis, ſuccedunt ſemina triquetra, maxima coloris Bætici ſeu caſtanei, aut ruſſi pulchre ſplendentia. Radix proceſſu temporis in magnam craſſitudinem excreſcit & multos ramos ſeu brachia emittit, colore foris obſcuro ſeu atrorubente. Cortici exteriori ſubeſt membrana tenuis, ſublutea, pulpam ſeu ſubſtantiam radicis interiorem proxime inveſtiens: quâ detracta apparet radix nuda, colore adeo vivido cum venis carneis eam permeantibus & diſtinguentibus ut præſtantiſſimum etiam rhabarbarum quod ad nos ex Indiis & China advehitur eam vix poſſit ſuperare. Hæc ſi curioſe & diligenter exiccetur blando hypocauſti calore, cavendo ne inter ſiccandum fruſta ſe mutuò contingant, colorem ſuum retinet non ſecus ac ſi recens eſſet, & ſalivam maſticata calore flavo tingit.

Rhabarbarum nullibi niſi in China provenire Garcias, Acoſta, Linſchotanus conſentiunt, unde per Tartariam Ormuz & Alepum defertur, inde in Alexandriam, & tandem Venetias, vel per Usbeken in Turciam, & hinc Venetias. Scribit Acoſta Rhabarbarum in interiore Chinarum regione duntaxat provenire, unde in urbem Canton (illius Provinciæ portum & emporium ubi Luſitani habitant) exportatur, & inde navibus in Indiam advehitur, quod citius corrumpitur: vel alia viâ per Tartariam Camelis, quod non adeo ca iosum.

Nunc dictum Navibus ad nos defertur ex India Orientali, non ut olim ex Alexandriæ Ægypti, aut Venetiis: in Indiam è Sinis (ubi ſponte oritur ut diximus) advehitur.

An rhaponticum antiquorum & rhabarbarum modernorum ſit una & eadem ſpecie planta à Botanicis controvertitur, aliis eandem eſſe affirmantibus, aliis negantibus: nonnulli etiam ſibi non conſtant, & nunc eandem, nunc diverſam affirmant, quorum ſententias & rationes vide apud J. B. in Appendice Tomi II. Hiſt. Plant. nec enim opus eſt ut iis immoremur; nunc enim Rhabarbarum verum Sinenſe (quod à Rhapontico Thracico toto genere diverſum eſt) in hortis Lugd. Bat. & Groning. colitur & ad Abrahamo Muntingio accuratè deſcribitur. J. Le Brun in libello de materia Medica hæc habet. Radix hæc Dioſcoridi & Galeno ignota fuit, unde male quidam Rhaponticum eorum cum noſtro rhabarbaro confundunt: nam Rheum Dioſc. non habet vim purgatricem, & notis veri Rhabarbari caret, rhabarb. enim ſubſtantiâ compactum eſt, ponderoſum & aridum, ſapore amarum, odore acre, colore exterius ſubnigro ac ruſeſcente intus ex ruſo flaveſcente, & ad nucis moſchatæ colorem internum & accedente, ac maceratum vel manducatum tingens croceo colore. Rhaponticum non eſt compactum, ſed rarum, non ponderoſum, ſed leve; non aridum, ſed lentum; non amarum, ſed ſubacre; non odoratum nec colore ſimile Rhabarbaro.

Vires. Rhabarbarum purgat bilem flavam, pituitamque viſcoſam ac tartaream in ventriculo primaque regione ſtabulantem, hepati ſpecifice confert, adeo ut Cor epatis dicatur: curat cæterum, & qui vim quoque aſtrictoriam obtinet in omnibus morbis diſſolutis, Dyſenteria verbi gratia, & diarrhæa, præ aliis commendatur. Exhibetur in vino albo aut ſero lactis.

Sunt qui rhabarbari uſum pueris & prægnantibus interdicunt ob vehementiam: verum ſine causâ efficiente: nam Joh. Bauhinus aliique ſe prægnantes multas eo feliciter ſine ullo damno purgaſſe referunt, infuſionem præferunt ſubſtantiæ, quæ enim citius ſine violentia medicamentum purgans evacuat, eò gratius. J. B.

Partem cùm purgantem, tum adſtringentem obtinere creditur, quarum prior facilius elicitur, poſterior difficilius; hinc pro diverſa intentione diverſimode quoque tractatur. Nonnulli levi toſtione vim purgantem minui, & adſtringentem augeri ſibi imaginantur; quod alii improbant, nec immerito: etenim cùm vis purgans fixior ſit, quam ut levi toſtione in auram evaneſcat, toſtio illa vix ſatisfaciet, præſtat itaque ſi aſtrictoriam vim auctam velimus, rejectâ prima coctione denuo id coquere, & fortiſſima expreſſione exprimere. Schrod. alii quoque in dyſenteria improbant torrefactum Rhabarbarum; tum quia nimia torrefactione vim purgatoriam penitus amittit; tum quia moderata vix evitari poſſit, quin acrimoniam contrahat, unde inteſtina rodit, & novam materiam ad locum affectum attrahit. Nos tamen in dyſenteria Rhabarbarum toſtum bono cum ſucceſſu uſi ſumus etiam in noſtro corpore.

Non approbo (inquit J. Bauhinus) eorum morem, qui in dyſenteria à principio adſtringentia exhibent: Ii augent morſum dum per ea retinent educenda, nempe acres, malignos & putridos humores quo natura vergit eò ducere oportet, ſi per convenientia fiat loca: ii igitur ſtatim à principio educantur convenientibus purgantibus, citò ſublevantur, & poſtea tuto adſtringentibus uti licet.

Cùm ſubſtantia frigida & terrea ad totum permeat, ignea autem in ſuperficie ſit, ideo per infuſionem ſeparantur partes calidæ & purgantes; manent frigidæ, terreſtres & adſtringentes. Hinc in infuſo plus purgat quam in ſubſtantia, Verum quia hoc modò, fit penetrantiſſimum timetur in iis præcipue qui alias ardore & difficultate urinæ laborant, ut Fallopius obſervat. Diureticum enim cùm ſit, agitat & pellit eò humores, ut ardor urinæ ſit moleſtus, quamdiu actio ipſius durat in corpore Hofman.

Ad febres & obſtructiones diuturnas, ℞ ℥ ij. rhabarbari vel ʒ j. pro infantibus: in taleolas conciſæ linteo raro includantur, & in aq. cichorii ℔ j. infundantur. D. ℥ iv. nodolo quolibet mane expreſſo. Has omnes febres ſe curaſſe hoc remedio teſtatur Montanus. Hoc etiam ego uſus ſum in quibuſdam affectibus longis cum febre, parte affecta non bene cognita, & ſemper mihi bene ceſſit. Cheſneau communicavit D. Huſle. *Raius.*

RHABARBARUM MONACHORUM, vid. *Hippolapathum.*

RHAMNUS CATHARTICUS.

Quamvis arbuſcula hæc in ſingulis acinis pluta quatuor grana non contineat, quia tamen granorum numerus nobis nondum exploratus eſt huc eam retulimus.

Nomina. Rhamnus catharticus *Joh. B. C. B.* ſolutivus *Ger.* emac. ſolutivus, ſive ſpina infectoria vulgaris *Park.*

Joh. B. Celebravit rhamnum catharticum uſus in pur-

purgando multus & felix, arbuſculam ſepibus alicubi familiarem, cortice externo nigro veſtitam, cui duo alii ſubſunt, alter viridis, alter luteus, materia pallida, dura, ramis ſatis crebris, iiſque fere ex adverſo ſitis brachiatam, duris rigidiſque ut longis ſpinis folioſis minacem, aculeis prætèrea aliis minoribus horrentem. Folia ad pruni folia accedunt, acuminata atrovirentia, crenata, nervoſa, adſtringenti ſapore. Flores herbacei coloris, parvos profert, quatuor apicibus conſtantes, multos ſimul junctos. Succedunt baccæ frequentes ad radicem ſpinarum ex longiuſculis pediculis, frangulæ pares, per maturitatem nigræ, ſucco virente plenæ, in quibus grana terna vel quaterna, pyrorum granis pæne ſimilia, figura fere triangulari, cortice nigricante, medulla albâ non ingrati ſaporis, quæ facile ungue premente franguntur: Sapor baccarum amarus, & aſtringens, & qui facile guſtanti nauſeam moveat, habet & ſuccus earum neſcio quem ſibi peculiarem odorem.

Locis ſenticoſis, ſepibus & ſylvis non raro occurrit in Anglia, Germania, Pannonia, &c.

Uſus baccæ hujus fruticis tria colorum genera præbent 1. meſſis tempore lectæ, arefactæ & tuſæ, inque aqua & alumine maceratæ luteum ſeu croceum potius reddunt colorem ad chartas luſorias & coria tingenda etiamnum in uſu. 2. autumno cum maturitatem aſſecutæ nigræ evaſerint collectæ, tuſæ & in vaſe vitreo aſſervatæ pulchre viridem exhibent colorem quem vocant pictoribus accomodatiſſimum, & in magno uſu. 3. Circa feſtum S. Martini in arboribus adhuc hærentes ſi legantur puniceum colorem reddunt (ut perhibet Tragus) iis qui coria inficiunt, & chartas pictas coloribus illuſtrant utilem.

Vires. Baccæ purgatrices ſunt atque craſſam pituitam & bilioſos quoque humores per alvum educunt, ut nonnulli volunt: rectius earum vires æſtimant qui ad pituitam tenuem & ſeroſos humores educendos utuntur. Nos (inquit I. B.) peculiarem earum vim in ſero & aquoſis humoribus educendis experti ſumus quapropter non raro earum ſyrupus ad uncias tres hydropicis præſcriptus notabili cum ſucceſſu datur, atque etiam exhibetur aridarum pulvis à ℈j. ad ℈iß. nonnulli baccas numero exhibent à 15. ad 20. verum ob vehementiam mollibus & debilibus in ſubſtantia non ſunt exhibenda. In ſyrupo verò (pergit idem) quo quotidie & frequente utimur, etiam in delicatiſſimis naturis nullam moleſtiam effatu dignam unquam deprehendimus, & ſolvendo corpori accommodatiſſimum à multis jam annis cognovimus, etiam in nobis ipſis. Syrupum parandi modus in pharmacopæis vulgaribus extat. J. Bauhinus ſic fieri jubet. Succi baccarum maturarum extracti & rite depurati lib. v. coquantur cum mellis optimi & ſacchari ℔ß. ad ſyrupi conſiſtentiam. Adde pro unaquaque libra ſyrupi, cinnam. & ſeminum aniſi conquaſſatorum an. ʒij ß. in pecia ligata immergantur. De hoc tuto ab ℥j. ad ℥ij. ſumi poteſt. *Raiu.*

E ſucco præterea baccarum Rhamni Cathartici in veſica concluſo ac de ea in aere ad deficcationem ſuſpenſo conficitur color viridis pictoribus familiaris ac non inelegans.

RHAPONTICUM VERUM.

Rhaponticum verum eſt Lapathi Thracici, ſeu Rhapontici folio Lapathi maj. glabro B. P. radix oblonga, craſſa, ramoſa, & brachiata rhabarbaro gravior, compactior, foras fuſca, ſeu ferruginea, rugoſa, intus crocea, & per tranſverſum ſecta ſpiras oſtendens, ſaporis ſubadſtringentis, lenti, viſcidi, lubacris, ſubdulc. cum quâdam amaritie, odoris pontici, ſed debilioris.

Nota generica eſt eadem cum rhabarbaro, ſc. quòd planta ſit ſpicata, tripetala, & quaſi muſcoſa, ſeminibuſque trigonis, lucidis, tribus foliolis incluſis gaudeat; Rhaponticum & Rhabarbarum ex unâ eâdemque radice provenire poſſunt: Semen rhapontici à ſemine rhabarbari nihil differt, nam quæ in Thracia ſeruntur producunt radices brachiatas, quæ in China tuberoſas maximâ ex parte; eæque radices quæ in China naſcuntur potentiores Thracicis ſunt. Illa pars radicis quæ tuberoſa eſt, vel quaſi truncus ſeu caput dicitur Rhabarbarum; Rami ex illo capite provenientes dicuntur Rhaponticum. Naſcitur hæc radix ſuâ ſponte in India aliiſque regionibus Orientalibus: ſpecies etiam ejus una ex Moſcovia transfertur, ſed propter inſignem amaritiem vix adhibetur.

Non habet particulas adeò acres ac Rhabarbarum, ideoque non tam valdè purgat, ſed etiam magis adſtringit, utpote plures particulas terreſtres in ſe continens: Ex ſapore tamen ſubacri colligimus vires habere aliquo modo calefacientes, incidentes, attenuantes, laxantes: Ex ſapore lento, eſſe vulnerarium & anodynum. In affectibus dyſentericis præferunt hanc radicem noſtrates Medici rhabarbaro. Uſurpatur in obſtructionibus hepatis & lienis, ac in obſtructione vaſorum meſenterii. Doſ. in ſubſtantiâ ad ʒij. in infuſo ad ʒiij. ſed ſæpius in decoctis præſcribitur vulnerariis.

Præparata officinalia ſunt ex rhabarbaro non rhapontico confecta, deſtillatione parum præbent: Spiritus vini ope removeri poteſt omnis vis purgans ut in rhabarbaro; reſiduum in fundo eò magis habebit vim adſtrictoriam. *Hermannus in Materiâ Medica manuſcripta.*

RHAPONTICUM VULGARE, vid. *Centaurium majus.*

RHEUM, vid. *Rhabarbarum.*

RHINOCEROS.

Rhinoceros magnitudine *Elephanti* æmula, cruribus tamen brevioribus, ut minus conſpicuum ſit Animal; uno in nare cornu, ab aliis omnibus Quadrupedibus abundè diſtinguitur.

Bontio deſcribente, Cute è nigro eſt cinericeâ inſtar Elephantinæ, rugoſa admodum, cum profundis plicaturis circa latera ac in dorſo; craſſa admodum pelle; roſtro Porcino ſed acutiore, in cujus extremitate cornu illud, unde nomen ſortita eſt bellua, modò nigrum, modò cinericeum, modò album.

Cornu ſolidum abſque ulla intus cavitate, ulnam *i.e.* tres pedes noſtræ menſuræ, longum, diametro ad baſin ſemipedali, aliquantulum recurvum: Oculi non procul ab extremo roſtro, parvi Porcinorum inſtar. Auriculæ porcinæ, molli & tenui cute veſtitæ; reliquum corpus durâ admodum & craſſa, velut ſquamis quibuſdam cruſtaceis rotundis aſperâ. Pili nigri breves, tenues, rari, ut ſquamas quas diximus multitudine vix excedant, è quarum etiam centris plerunque exoriuntur. Integram deſcriptionem vide apud D. *Grevv* in *Muſeo Soc. Reg.*

An ruminet, nec ne ambigitur. Mihi ſanè veriſimilius videtur quòd non ruminet. Quamvis enim ungulâ ſit bifidâ, aut potiùs quadrifidâ & cornigera; Cornu tamen ſitu, ſoliditate & duratione ſimul ſumptis à reliquis omnibus cornigeris, tam quæ cornibus ſunt perpetuis, quàm quæ deciduis differt. Nec refert quod carnivorum non ſit, ſed gramine aliiſque herbis & frugibus veſcatur: Nam & equus qui non ruminat eodem victu utitur. Magnus ille qui ann. 1684. & 1685. in Angliâ ſpectandus circumferebatur, fæno, raparum ſummitatibus & frumento (cujus modium & ſemiſſem menſuræ noſtræ unâ die vorabat) paſcebatur Cuſtodes interrogati negarunt ſe ruminantem unquam conſpexiſſe. Præterea cùm non tantùm capite & roſtro, & voce porcum referat; ſed & in cæno, autore Bontio, ſe pariter volutet, quidni & hâc non ruminandi proprietate cum porco conveniat?

Invenitur in Africæ deſertis & Abaſſiâ, inque regno Bengalæ & Patane Aſiæ.

Quamvis ſtaturâ & fortè etiam magnitudine Ele-

phanto cedat viribus tamen nihilo inferior eſt. Siquidem Romæ in Amphitheatro ſpectaculo exhibitus, Taurum animal ſatis grande & ponderoſum veluti pilam quandam in ſublime jactabat: hâc enim comparatione Martialis Poeta utitur. *Raius in Synopſi Anim. Quadrup.*

RHODIA RADIX.

Nomina. Rhodia radix *I. B. C. B. Ger. Park.*

J.B. Tuberoſa radice nititur, quam ob roſarum conſimili odore ſaporeq; Rhodiam appellant, foris in fuſco ſplendente, intus alba, fragili, roſeum odorem halante, guſtu roſis ſimili, non ignaviter adſtringente. Virgæ ab una radice plures oriuntur, tenues, numeroſo foliorum agmine denſè ſtipati, ſubſtantiâ & poſitu Telephii vulgo dicti, anguſtorum oblongorum, acuminatorum, & circumquaque ſerratorum, colore glauco excepto mucrone purpuraſcente, ſapore adſtringente, flores in umbella purpuraſcentes, quibus ſuccedunt ſiliquę oblongæ, extra reflexæ corniculorum, Aquilegiæ aut Aconiti inſtar, rubentes in quibus ſemen minimum oblongum & paleaceum.

In excelſis montibus Cambriæ, Eboracenſis Com. Weſtmorlandiæ &c. v.g. Snovvdon, Caderidris, Ingleborough, Hardknot, &c. ex ipſis rupium fiſſuris, præruptiſque in locis exit.

Vires. Modernis practicis vix in uſu eſt, niſi quod interdum ad renum calculos decoctis incoquatur.

Nos cum J.Bauhino judicamus eam non procul abeſſe à roſæ aut craſſulæ temperamento, qua cum facie externa adeo convenit, ut nulla ratio ſit cur diverſo nomine inſigniatur. *Raius.*

RHODIUM LIGNUM, vid. *Lignum rhodium.*
RHODODAPHNE, vid. *Oleander.*
RHODOMEL, vid. *Mel roſatum.*
RHODOSACCHARUM, vid. *Saccharum roſatum.*
RHUS OBSONIORUM, vid. *Sumach.*

RIBES.

Nomina. I. Ribes vulgaris fructu Rubro *Ger.* vulgaris acidus ruber *I. B.* fructu rubro *Park.* groſſularia multiplici acino, five non ſpinoſa hortenſis rubra, five ribes officinarum *C B.*

Multis ſtolonibus, parum craſſis, bicubitalibus & tricubitalibus aut etiam altioribus exurgit cortice ſpadiceo aut cinereo, materia infirma virente, cum ampla matrice ſeu medulla. Folia uvæ criſpæ foliis ſimilia, ſed multo labiora, ſinuata, mollia, ſuperne virentia, glabra, inferne molli lanugine caneſcentia, ſapore ſubaſtringente, acido & nonnihil acerbo. Flores racematim cohærent plurimi, ex pediculo tenui, unciali & ſeſquiunciali aciduli, quinque foliis pallide virentibus, oris extrorſum reflexis conſtantes (rectius unico folio in quinque lacinias profunde, diviſo, nudi, h.e. nullo calyce excepti) ſtaminulis ſex ſeſſilibus, exiguis umbilicum medium, qui colore obſoleto eſt, & ſtylo virenti minuto bifido lacunam aperit, ambientibus; ſuccedunt fructus parvi rotundi, groſſulariis minores, initio virentes, per maturitatem rubri ſucco acidulo grato turgidi, pluribus ſeminulis fœti, florem in vertice geſtantes.

Paſſim in hortis colitur, Aprili menſe aut ſerius pro Veris conſtitutione florens, Julio ſemen maturans: ubi ſponte provenit nondum didicimus: humidis tamen delectari videtur.

Ribes Arabum eſſe non poteſt; ſiquidem neque capreolos profert, neque folia obtinet rotunda, quæ Serapio Ribis notas facit. Veteribus Græcis incognita & indicta videtur.

Vires. Hujus fructus omnium conſenſu utiliter exhibentur iis qui ardentibus febribus laborant, neque non his qui calidas alvi fluxiones patiuntur autore Trago. Namque hi acini, ſicut & ſerapia, & eclegmata, atque Rob (ut vocant) de Ribes (h. e. ſuccus inſpiſſatus ad mellis conſiſtentiam, vel ſeorſim, vel cum ſaccharo) ſitim immenſam reſtinguunt, vomitiones ſiſtunt, cibi appetentiam invitant, cholerani morbum reprimunt, dyſentericis ex cauſa calida proſunt. Quidam ſaccharo has baccas condiunt ſicut & ceraſa: baccas etiam in Sole ſiccant & aſſervant ad eaſdem affectiones. Reliquas cum oxyacantha eaſdem vires obtinent.

Ribes grata ſua aciditate ardores febriles reſtinguit, bilem temperat, & ſitim ſedat. Adſtrictoria vi ad choleram morbum aliaſque bilioſas alvi fluxiones, ad hæmoptyſin, uvulæ tumorem, &c. uſui eſſe poteſt.

Matronæ noſtrates Ribium baccas in ollam inditas in balneo mariæ (ut vocant) coquunt, donec ſuccus copioſe exeat. Succum cum ſacchari q. ſ. decoquunt ad gelatinæ conſiſtentiam: (gelatinam ribium vocant) & pro dulciario ad menſas ſecundas inſtituendas reſervant. Eſt ea palato gratiſſima & ad omnes uſus ſupradictos commodiſſima.

Ex iiſdem cum ſaccharo vinum parant, eadem methodo qua vinum ex uvis criſpis, poſt fermentationem & ætatem debitam, generoſum ſatis, & palato, nec minus ventriculo gratum: folia vehementer aſtringere teſtis eſt Fuchſius.

Nomina. 2. Ribes vulgaris acidus albas baccas ferens *I.B.* vulg. fructu albo *Ger.* fructu albo *Park.* groſſularia hortenſis fructu Margaritæ ſimili *C. B.*

Baccis albis, pellucidis, Margaritas pænè referentibus ſapore vinoſo jucundiore, ſtolonibus (Parkinſono) elatioribus, rectioribus, craſſioribus, à præcedente differt. Ego pro præcedentis potius varietate quàm ſpecie diſtincta habeo. *Raius.*

RICINUS PLANTA.

Ricinus Dioſcoridi, *κίκι ἢ Κρότων* à ſimilitudine Crotonis vel Ricini animalis, quod ſemen ejus refert, dicitur. Kiki autem vox eſt Hebræa vel Orientalis, quæ legitur in Prophetia Jonæ, cujus ſignificatio incerta.

Ricini notæ genericæ ſunt caudex lignoſus, fructus tricocci muricati, in ſurculo peculiari racematim fere diſpoſiti: ſemen Ricino animalculo ſimile.

Nomina I. Ricinus vulgaris *I.B.C.B.* Ric. ſive Catapuntia major vulgaris *Park.* Ricinus ſive palma Chriſti, vel Kiki *Ger.* palma Chriſti.

J.B. Inſigni auctu celeriter adoleſcit, caule craſſo, ſtriato, glauco geniculato, inani, trium, quatuor & plurium cubitorum, ſuperius ramoſo, ex obſcura purpura nitente & glabro; candido videlicet deterſo tenui inſtar farinæ pulvere, quo veluti conſperſus ſubinde apparet. Folia ampla, Cordo, Platano & Aceri ſimilia, digitata, in ſeptem, octo aut novem acuminata, ſerrataq; ſegmenta, in quorum ſingula nervus è folii centro exporrigitur, dividuntur, atrovirentia, ſplendida, & interdum acetabuli inſtar concava, potiſſimum loco quo ſegmentorum nervi coeunt, unde & pediculus averſo folio oritur dodrantalis, purpuraſcens, concavus: quanto autem ſuperiora fuerint, folia tanto ampliora exiſtunt, ſic ut ex his petaſum æquantia ſit reperire, nullum è vulnere lac manantia. Flores longâ ſerie tyrſoide ſurculo peculiari racemati inſident, è ſanguineis, criſpiſque ſtaminibus, quæ terna è fructus rudimento emicant, conflati: quibus muricata triquetra vaſcula ſuccedunt, quæ ſemina claudunt oblonga, Ricini animalculi æmula Dod. foris livida & maculoſa, interiore medulla candida, quæ capitulis per maturitatem fiſſis ac rimas agentibus, cum impetu exiliunt. Ac præter flores dictos videre eſt in eodem thyrſo muſcoſa glomerata nucamenta coloris herbacei, quæ nullo relicto fructu tandem marceſcunt. Radix ſubeſt ſimplex, longa, craſſa, dura, candida, crebras circumcirca fibras emittens.

Seritur apud Germanos & Gallos (inquit J.B.) non modo ad ſpectaculum ſed etiam tutelam adverſus talparum injuriam, quas ferunt ricinum fugere. Annua verò in Germania ſtirps eſt, atque etiam in Anglia. Verum in Creta multos perdurat annos, & in tantam excreſcit altitudinem ut non niſi ſcalis admotis poſſit conſcendi,

quod

quod Bellonius tradit obſerv. lib. 1. c. 18.

Cluſius quoque Ricinos craſſitudine humana, altitudine trium hominum, multis prægrandibus ramis brachiatos, & multos annos durantes in maritimis Bæticæ obſervavit, eaſque exactiſſime congruentes deſcriptioni Dioſcoridis. Nos quoque in Sicilia Ricinum arbuſculam ſambuci æmulam lignoſam & ſatis longævam, in ſepibus frequentem obſervavimus.

Nomina 2. Ricinus Americanus *Ger. Park.* Americus, Curcas incolis, Cluſ. Not. in Monard. Ric. Americanus major ſemine nigro C. B. Ric. major. American. Curcas dictus & Faba purgatrix Indiæ occiduæ *I. B.* Munduy guacu Braſilienſib. Marggrav. & Piſonis. Pinhones Luſitanis, Ricinus Americanus folio ſtaphiſagriæ *C. B. app.*

Marggr. Arbor eſt in ficus magnitudinem & figuram excreſcens, ligno molli & fragili. Folia habet circa ramos inordinatè poſita, quodlibet ſuo pediculo ſemipedem longo inſiſtens: ſuntque viridia, ad tactum mollia, foliis ficus aliquo modo ſimilia, ſed non ita profunde ſecta, verum ſubrotunda, & anterius in tres angulos deſinentia, (C. Bauhino folia pallide virentia, pediculis oblongis & hirſuti aſperis donata, inferiora ad foliorum ficus formam nonnihil accedentia, & in lacinias quinq; diviſa, ſuperiora verò quæ ſtaphidis agriæ foliis ſimiliora, in ternas lacinias ſecta ſunt, omnia verò per circumferentiam crenis acutis exaſperantur, & nonnihil pubeſcunt, ita ut attactu mollia ſint:) lignum & folia fundunt è lacteo aquoſum ſuccum. Floſculos fert copioſos racematim, parvos, pentapetalos, petalis anterius viridibus, deorſum incurvatis, in medio flavis ſtaminulis, quæ decangularem ſtellam referunt, ſubdulcis odoris. Sequitur hos fructus turbinatæ figuræ, ſeu inſtar juglandis mediocris, & ejuſdem magnitudinis, primo viridis mox flavus, ubi plenè maturuit fuſcus ſive niger qui ſponte finditur in tres partes; quamvis ſex conſtare videatur. In quolibet fructu ſunt tres nuclei, magnitudine & figurâ pineis ſimiles, in tribus concamerationibus diſtincti, cortice nigro corticis caſtaneæ craſſitie tecti, & in extremitate ſunt maculæ albæ (harum alii non meminerunt) nucleus albus, inſtar cuticulæ ovi exterius etiam pellicula alba obductus.

Validè purgant tres aut quatuor nuclei comeſti, & quidem nimis ſi pellicula interior non ſuperetur, ideo ſemper adimenda.

Arbor facile tranſplantatur nam ramus deciſus, & terræ infixus aliam arborem progenerat, ideo ad ſepes vivas faciendas circum hortos uſurpatur.

Arborem hanc pro Ricino Americo Cluſii Curcas dicto habet Piſo & rectè quamvis in deſcriptione fructus non meminit operimentum illius tuberculis aſperis non eſſe obſitum, ut in vulgari Ricino, ſed læve & cinerei coloris. Huic etiam eandem omnino plantam eſſe minime dubito quam C. Bauhinus in appendice ad pinacem ſub titulo Ricini Americani folio ſtaphiſagriæ deſcribit, cujus ramum duntaxat ſiccum vidit. Ideoque eandem plantam bis ponit, pro duabus diſtinctis.

Hæc arbor videtur eſſe quã Quauhayohuatli 3. nomine Fr. Hernandes deſcribit, quamvis icon non conveniat.

Ex his quæ de nucleis hiſce tradunt auctores liquido conſtat (inquit Joan. de Laet) cum ſumma cautione exhibendum eſſe hoc medicamentum purgans, & ſummam eſſe habendam rationem ætatis & virium illorum quibus datur. *Raius.*

RICINUS ANIMAL.

Ricinus κρότων forte quia Ricini plantæ ſemina æmulantur; licet aliis videatur, potius Ricinum fruticem, vulgo palmam Chriſti, ab hoc animalculo nomen ſortiri; cujus grana illis ſimilia ſunt, Ariſtot. κυνοραιςὴς (quod canes mordendo lancinant) Cæſar Scaliger, Lanciniſta. Animalculum eſt lividum, & fædum, bobus, ſuibus, capris, viverris, canibus infenſiſſimum, æſtivo tempore aculeo totoque capite infixo adhæret, nec prius decidit, quam ſanguine ſaturatus. Oritur ex animalis excrementis, non è ſuo genere. Nam ubi ricinus ſanguine ſatur eſt, quod exitum non habeat, rumpendo moritur, & nihil procreat; venatoribus obſervatum eſt, quod canes cum domo egrederentur, prorſus ricinis carerent; redeuntes vero ex agris, ubi frequentior, ſpiſſior & altior filix erat, iis infecti eſſent. *Charleton.*

RISAGALLUM, vid. *Auripigmentum.*

ROB.

Viſenda verò ſunt etiam alià facie ſucci, inſpiſſati ſcilicet & variis formis tum pro gulâ, tum uſu medico formati. Sed quis omnes illecebras illas enumerare poſſit? Satis ſit, minus officinis uſitatos vel verbo tangere. Hinc not. de ROB:

1. *Rob ſunt ſucci fructuum pulpoſi, ſpiſſi, ſeu pultiformes.* Rob ad inſtar aliarum vocum plurium ex Arabicâ ſcholâ in medicinam illatum eſt. Cum verò non ſolùm ex Lexicis ſcriptorum, ſæpè ignarorum artis, ſed ex genio linguæ & rei ſubſtratæ conſideratione de nominibus talibus judicandum ſit, Rob vocant Arabes latius ſuccos fructuum denſatos, ſeu inſpiſſatos, quod Latini ſtrictius paulò de ſucco uvarum ſic præparato efferunt, ſapam dicendo, ſeu defrutum & calœnum, muſtum ad tertias coctum. Mirandum non eſt, ab Arabibus medicos retinuiſſe nomina, tanquam inventoribus ſeu excultoribus, cum plura talia etiam in aliis linguis ſuperſint, v. g. *magazin*, i. e. armamentarium &c. Germani commodè id vocant *Mueß*, à conſiſtentiâ. Utut verò ſucci etiam alii inſpiſſentur coctione pro uſu officinarum, per dicta; illi tamen rob non audiunt, ſed vel ſucci nomen retinent, inprimis qui denſantur, ad ſolidam uſq; formam, uti v. g. ſuccus glycyrrhizæ apud nos in paxillos cogitur, vel glutinis inſtar purior paratur, ſuccus item acaciæ, ſuccus viridis &c. ſolidâ formâ veniunt. Reliqui etiam ſucci inſpiſſati herbarum, ut abſinthii, fumar. agrimon. ſcordii, verben. &c. extractiformia quaſi idem nomen retinent, ad electuaria & pilulas impendendi. Quæ verò magis ſucculenta ſunt, ut fructus arborum & plantarum, quæ pulpam habent in receſſu, illa propriè præbent, rob, ſuccos ſpiſſos, pulpoſos. Sic elaterium rob æmulatur & dici commodè poteſt, ex cucumeris aſinini fructu & ſucco paratũ. Sic rob cynosbati & alkekengi nephritica ſunt. Fructus enim huc faciunt vel ſucculenti per ſe, exemplo laudatorum, vel in receſſu, tales, ut baccæ juniperi.

2. *Rob coctione, expreſſione & inſpiſſatione fiunt, cum vel ſine additamentis.* Notiſſima vulgò hæc ſunt, illam verò rationem ἐγχειρήσεως habent (1.) quod menſtrua aquea ſulphuri reſolubili, pulpoſo, mucilagineo debeantur, quatenus partes etiam balſamicæ, mediantibus terreis & coctione, igni auſcultant, exemplo baccarum juniperi; (2.) quod pulpoſa fixiora ſint, & virtutem coquendo non ſolùm non amittant; ſed & concentratam acquirant. Hinc coctio colligit & unit aquæ partes ſubſtantificas roſcidas; coctio denſat; partes aqueas abigendo, factâ interim probè agitatione, ne empyreuma contrahat, vel inæqualiter ſpiſſetur. Expreſſio ſeparat acinos, parteſque groſſiores alias non minus ac ſucculentas ipſas. Quæ ergò ſuccum non habent ſecum, ſufficienti quantitate affuſione aquæ pulpam dimittunt. Adduntur verò vel aromata, vel purgantia quoque, ut in diacydon. laxativo. Vinum verò cum coctione vires amittat, rectè omittitur, ejuſque in locum muſtum recipitur.

3. *Rob & affinia, miva ac gelatina, ſacchari vel mellis additione gratiam, uſum & conſiſtentiam diverſam ſortiuntur.* Sacchari additione rob modò ad ſyrupos accedunt, exemplo rob mucum ex ſucco corticum nucum immaturarum, diamoron &c. modò gelatinas & panes præſtant. Miva prædicatur ferè ſolùm de cydoniis, ſimplex & compoſita. Miva itidem ſuccum notat ad mellis craſſiuſculi conſiſtentiam coctum. Cumque gelatinoſum tale quid quædam pulpæ præ ſe ferant, & magis γλισχρὸν, ut ribeſia, mora, ex ſuccis hiſce

hiſce puris & clatis, cum ſaccharo coctis & inſpiſſatis conſurgit miva, vel gelatina, quas in ſcatulas ligneas, vel thecas etiam ſtanneas adhuc calidas effundunt, ut frigore congelaſcant æqualiter. Tacemus latere in quibusdam aliis quoq; talem gelatinam, qualem in deſtillatione ſpiritus ſambuci citrati ex cucurbitâ vitreâ obſervavimus elegantiſſimam. Hinc miva utrumq; notat, ſuccum, ut diximus denſatum, ſitupiformem, & inprimis gelatinam. Ex quo obiter etiam inferre licet, quid de præparato cum ſucco cydoniorum opio, aliiſque ſit ſentiendum. Reverà fermentatione illâ ſua inſigniter recludit centra opii & extrahit unde fermentum opii, ʒii, dicimus; attamen ſuccus ipſe in ſe ſpiſſior eſt, & gelatinaſcit facilè. Unde plurimum debetur ipſi huic gelatinæ, ita ut eſſentia anodyna laudatiſſima ſit, hoc modo parata, extracta hinc cum ſpiritu vini; alſ extractum opii ſive laudanum retinet illam γλισχρότητα, ut reſpectu cum aquâ ſimplici parati, ſolâ coctione, nec pilulas tam facilè formari, minus verò cum pulveribus miſceri, ut conſultum eſt in praxi, poſſit. Uti verò factâ colaturâ ex ſucco cydoniorum & ſaccharo ſit miva; & gelatina cydoniorum; ſic quando citrâ colaturam partis tenuioris, tam clarum ſive tenue illud quàm craſſum ſubſtantificum cernitur ſimul, & cum ſaccharo percoquitur ad juſtam ſpiſſitudinem, & hinc exiccatur, preloque ſubjicitur, fit cydoniatum ſive panis cydoniatus, *Quittenbrodt*, gratiam etiam ab additis caryophyllis acquirens, alimentum medicamentoſum egregium.

4. *Rob & ſucci inſpiſſati medici vires temperatas obtinent, proprias & adſcititias, eſſentiis diffuſis, bolis, electuariis & pilulis inſervientes.* Tacemus alimentoſas vires ſeu nutribiles, quas obtinent plurimas. Sulphur enim alibile temperatum plurimum habet γλισχρὸς, plurimum nutrit. Pro medico uſu parata rob & ſucci inſpiſſati alii vires temperatas vel ideò obtinent, quod partibus volatilibus per coctionem abigi ſolitis careant, quod viſcedini ſulphuris inviſcatæ ſint ſalinæ, uti videmus alias in opio v. g. deſtillato ſalis volatilis plurimum emergere, ut gelatinam cornu cervi non laudemus. Hinc commode adhibentur & per ſe & cum aliis, pro variis uſibus ſpecificis. Rob ſambuci ſudoriferum eſt euporiſton, ſerum fluxile & halituoſum reddens, & ſpeciatim in eryſipelate ſummi uſus. Rob ebuli in hydrope experitur, cum bezoardico ♂li. Rob cornorum & myrtillorum roborat & adſtringit; rob diamoron, dianucum anginoſis faucibus medentur; ribium & berberum refrigerant, modò alvi fluor nô obſtet, quod etiam de aliis valet. Rob enim ob lubricitandi vim præſente fermentatione humorum minus proſunt. Hinc etiam purgantes pulveres cum rob ſambuci aliiſque commodè ſumuntur, felici ſic conſequente effectu. Rob cynosbati nephriticum eſt, & temperans ardorem renum. Sic & diacydonium laxativum, ſeu gelatina cydoniorum laxativa lucida in officinis uſitata eſt pro delicatioribus. Præbent etiam eſſentias, exemplo malvatici juniperini, ſambucini & aliorum. Sic rob alkekengi & per ſe prodeſt in calculo iſchuriâ & aliis ſimilibus, & cum ſpiritu nephritico in eſſentiam redactum. Sic pulpa caſſiæ, tamarindorum rob eſt, ad bolos formandos aptiſſima. Sic in electuariis & rob & ſucci inſpiſſati inſumuntur, ut & in pilulis ipſis, ſed minus diffuſa. Ut uſum externum defenſivum refrigerantem alioſque non laudemus.

Rob ita que ſunt ſucci fructuum pulpoſi, cocti, expreſſi purgati & inſpiſſati ad juſtam conſiſtentiam, pro uſu alimentoſo & medicamentoſo vario. *Wedelius.*

Rob variæ præparationes ex variis.

Rob de Agreſta è *Pharm. Auguſt.*

℞. *Omphacii, ſeu Agreſtæ depuratæ* ℔ *ij. ſacchari optimi* ℔ *j. coque ad ſpiſſitudinem mellis.*

Refrigerat & adſtringit, unde fluxus malignos ac colliquantes coërcet, ſitim ſedat, bilioſoſque ructus compeſcit, & contagioſis morbis opitulatur.

Rob hocce cum ſyrupo de agreſta magnam equidem habet adfinitatem, majori tamen ſucci quantitate & craſſitie ab eodem differens, ut ita facilè unum alterius uſum explere valeat; quia tamen utrumque expeti à quibusdam ſolet, neutrum delere voluimus.

Rob de Berberibus, ex *eâdem Pharmac.*

℞. *Succi Berberum depurati, quantum volueris, coquatur per ſe ad ſpiſſitudinem mellis.*

Valenter refrigerat, ac præter adſtrictionem nonnihil incidentis facultatis habet, bilem ventriculo infeſtam reprimit, inde enata ventris profluvia ſiſtit, & ſitim inexpletam ſedat: & febribus ob id bilioſis, ac tertianis opportunum.

Rob de Berberibus, quod compoſitum olim dicebatur, ad differentiam hujus ſimplicis nomine inſigniti, cum ſyrupo idem eſt, niſi quod Rob ſacchari tantùm ℔ j. recipere conſueverit.

Rob Ceraſorum ſimplex, ex *Pharm. Auguſt.*

Paratur eodem modo, quo Rob de Berberibus ſimplex. Fervores internos extinguit, ſitim ſedat, cor Roborat, ejuſdemque calores præternaturales temperat.

Ceraſorum Purgans *Zvvelferi.*

℞. *Rob ceraſorum cum ſ. q. ſacchari parati* ℔ *j. cui adhuc calenti adde magiſt. gialapp. vel ſcamm.* ʒ *vj. ſoluti in ſpir. vini rectificatiſſimi* ℥ *ij. vel tribus.*

Et factâ adhuc vix unicâ ebullitione pro ſpirit. vini ſaltem exhalatione, qui protinus leni calore aëra petit, fiat electuarium ſive Rob. quod nulla aromatizat. indiget. Cum ceraſa per ſe grati ſunt ſaporis, ſi nuclei eorum ante expreſſionem ſucci probè fuerint conquaſſati: cum proprio itaque ſapore grato contenti, labores ideò, aliaque impenſa ulteriora ad alios reſervare volumus uſus.

Nota. Eandem ob rationem ſaporis nimirum gratitudinem, in præparatione præcedentis Rob ribium purgantis, ceraſorum Rob ſimplex illo Ribium ſurrogari commode poteſt. Quod autem reſinam quam in antea dicta Rob ribium compoſitione Mechoacanna, Gialappa, Turbith copioſe præbent extrahendo illa cum ſpir. vini à reliquo extracto ſeparare, exſiccare, atque in pulverem redigere, ac tandem amygdalis dulc. ſubigere juſſerim, ideò factum eſt, quia amygd. utpote oleaginoſæ omnes reſinas cum illis ſubactas quaſi diſſolvant, earumque acrimoniam contemperent, ut eò facilius poſtea in liquoribus aquoſis dilui poſſint, ne denuò, prout alias ſolent, in ſuam reſinoſam ſubſtantiam redeant, ac intra corpus ſumptæ vel parum aut nihil operentur. Verum (quod peſſimum) ventriculo ipſis quoque inteſtinis tenacitate ſua reſinoſa præſertim ſi parum frigida ſuperbibantur, præcipitatæ adhæreant; atque inde tormina, paſſiones colicas, ipſam etiam diarrhæam, imò lethalem quandoque hypercatharſin cauſent atque inducant. Etenim nullam hucuſque fide digniorem cauſam invenire potui, quæ ſimiles immoderatos alvi fluxus Tormina atque lethales hypercatharſes aliaque incommoda poſt ſumpta purgantia, ſi frigida præcipuè ſuperbibantur, induxerit, quàm ſcammoneata iſta medicamenta, vel reſinas ſimiles, ſive ſcammoneæ, ſive galappæ turbith, aut alterius purgantis ſint, cum, prout ſæpe dictum, ſi non legitimè & dextre diſſolutæ & veluti unctuoſitate amygdalarum contemperatæ ſint, intra corpus ſumptæ, facilè contingere poſſit ut ſi frigida & aquoſa ſuperbibantur, intra ventriculum & inteſtina veluti coagulentur, & præcipitentur, illiſque tenacitate ſua reſinoſa poſt adhærentes acrimoniaque ac venenata qualitate ſuâ, ea lancinantes, totum nervoſum genus in conſenſum trahere, ac infinita mala inducere valeant. Non enim memini unquam, ab alio quàm ſcam-

moneca

moncato, aut ſimili reſinoſo medicamento ſi frigida aqua ſuperbibita fuerit ſimiles immoderato fluxus fuiſſe excitatos; ſint igitur hæc experimenta de medicamentis reſinoſis purgantibus pro cautela impoſterum, quæ lubenti animo Lectori benevolo communicare volui.

Rob de Cornis, è *Pharm. Auguſt.*

℞. Pulpæ cornorum ℔ ij. ſacchari ℔ j. coquantur ad debitam conſiſtentiam.

Potenter adſtringit; unde in fluxibus ventris, dyſenteria lienteria, & cæliaca utiliter exhibetur.

Rob Cydoniorum ex *eadem Pharm.*

℞. Succi cydoniorum depurati quantumlibet. Coque ad mellis ſpiſſitudinem.

Ejus multiplex uſus ſolet in diarrhæa bilioſa dyſenteria, ac alvi profluviis à calidis & acribus humoribus concitatis vomitiones & ſtomachi ſubverſiones emendat: choleræ morbo medetur, inteſtinorum hæmorrhagiam cohibet, venenatis morbis adverſatur, & ſudores potiſſimum tamen in adultis ac ætate provectis, promovet.

Rob. Cynosbati ex *Pharmac. Auguſt.*

Fit, ut Rob de cornis, ex fructu cynosbati, vel roſarum ſylveſtrium, qui poſt florum defluvium circa finem Autumni, vel medio Autumno, pulcherrimo rubore maturefcunt.

Uſurpantur ad renum calculos atterendos, & arenulas eorundem expurgandas, hæmorrhagias etiam uteri, renum, ac veſicæ cohibendas: dyſentericis quoque auxilio eſt.

Rob Ebulinum, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Succi granorum ebuli ℔ j. inſpiſſetur lento igne addita libra ſimis ſacchari.

Bilem, pituitam,& ſerum detrahit,ſudores movet, ac ob prædicta hydropicos adjuvat: leucophlegmatiæ, & podagræ procurato ab ejus ſumptione ſudore, medetur.

Rob Glycyrrhizæ ſimplex è *Pharmac. Londin.*

℞. Radicum glycyrrhizæ optimæ q. v. mundatas, leviterque contuſas toto triduo in aqua fontana macera; ea ſcilicet copia ut tres circiter digitos ſupereminеat, tum demùm fervefiat parùm & exprimendo colentur; quodque expreſſum eſt, mitiori igne, in debitam ſucci formam condenſetur. ſ. a.

Rob Glycyrrhizæ compoſitus ex *eadem Pharmac.*

℞. Glycyrrhizæ mundatæ & contuſæ libram; decocti violarum ſcabioſæ, paſſularum, ℔ iv. infunde triduum, dein bulliant ad dimidias. Colatura iterum ebulliat in B. M. ad conſiſtentiam ſyrupi; cui addantur ſacchari cryſtallini ℥ vj. gummi tragacanthæ ℥ ij. olei aniſi chym. guttulæ aliquot: & ſemota ab igne agitentur aliquantiſper, ut probè commiſceantur.

Rob Juniperinum è *Pharm. Auguſt.*

Eodem modo quo priora parari conſuevit. Frigidis ventriculi, uteri ac inteſtinorum malis magnopere prodeſt; urinas, menſes, calculos ejicit; renes & veſicam à mucoſitate repurgat, flatus ventris diſcutit, pectus à craſſo & tenacius infarcto phlegmate expurgat, venena pellit; ob id plebi adverſus aeris infectionem,& contagioſos antidotus familiaris exſiſtit.

Rob Mororum, vid. *Diamoron.*

Rob Nucum, vid. *Dianucum*

Rob prunorum acidorum, è *Pharmac. Londin.*

℞. Prunorum Sylveſtrium vixdum maturorum q. v. exprimatur ſuccus, & in balneo ſ. a. inſpiſſetur.

Sic porrò fiunt ſucci inſpiſſati ex abſinthio, Eupatorio, Fumaria &c. contuſis, ſc. & expreſſis herbis etiamnum tenellis. Quorum ſuccus ad ebullitionem uſque ferveſcere ſinendus eſt in B. M. & poſt colaturam, ibidem in juſtam ſpiſſitudinem paulatim evaporare.

Rob Ribium, ex *Pharm. Auguſt.*

Paratur ex ſucco ad ſpiſſitudinem mellis inſpiſſato. Ad refrigerandum, adſtringendum, & ventriculum, cæteraque viſcera fervoris intemperie diſſoluta recreanda, & confirmanda, proficuum eſt ebrietati reſiſtit, ſitim reſtinguit, tum eam quæ ex ventriculo calefacto, tum quæ ex cordis omniumque partium intemperie ſicca & calida orta eſt, calorem febrilem mitigat, ventriculum firmat, vomitum bilioſum reprimit, felleas alvi excretiones ſiſtit, choleræ medetur, hæmorrhagiam curat, cardiacis ſuccurrit, in peſtilente conſtitutione efficax.

Rob hoc ſimplicis cognomine olim notabatur: compoſitum verò eſt quod cum ſaccharo, ut rob de berberibus paratur.

Rob Ribium purgans *Zvvelferi.*

℞. Rad. gialapp. mechoacannæ an. ℥ vj. turbith. gummoſi ℥ iv. aſari ℥ ij. fol. ſenæ elect. ℥ vj.

Ex omnibus inciſis atque contuſis extrahatur cum ſ. q. ſpirit. vini rectificati repetitis vicibus affuſi, omnis tinctura & efficacia, quouſque ſpirit. vini tingatur; colaturæ aut depletiones omnes in M. B. ad libras duas circiter abſtrahantur, (qui ſpiritus abſtractus ad alios ſimiles uſus aſſervandus eſt) reſiduo vero liquori in alembico ſeu extracto liquido reſina innatabit, quæ ſtudioſe ſeparanda & in ſcutella vitrea leni calore exſiccanda ut in pulverem redigi poſſit. Extractum verò reſiduum liquidum adhuc extracti ſpiſſitudinem leniter in diplomate evaporet.

Quod extractum inſpiſſatum (ut eò melius Rob ribium poſt addendo uniri poſſit) cum particula aniſi ſpiritus diluatur & per colatorium linteum cogatur, ac Rob ribium cum ſ. q. ſacch. ad durabilem conſiſtentiam parati ℔ iij. in leni calore uniatur, quibus bene unitis jungatur etiam reſina ſupra dicta exſiccata & in pulverem redacta prius cum amygd. dulc. excort. ℥ j. vel ℥ iß. probe ſubacta, item addantur eleoſacch. aniſi, vel cinamomi ℥ j. vel ℥ i ß.

Fiat electuarium juſtæ conſiſtentiæ.

Egregium atque præſtans hoc electuarium catharticum eſt, quod non ſolum omnes humores ſuperfluos pituitoſos, melancholicos & putridos educit; verum & febribus compoſitis & chronicis conducibile. Dosis ʒ ij. ad ℥ ß.

Rob Sambucinum ex *Pharmac. Auguſt.*

Fit ut Ebulinum.

Ebulino viribus affine eſt; etenim ictericos & hydropicos juvat, ſudoreſque potenter prolicit, ac ſerum acre, necnon bilioſi ichoris abundantiam, & eryſipelata ejicit.

Rob Veronicæ ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Succi veronicæ ℔ ij. ſacchari ℔ j. Fiat rob.

Utiliter peripneumoniacis ac phthiſicis lingendum porrigitur, urinarios meatus repurgat, renumque calculos atterit, ſanguinem mundificat, ſudores prolicit, & malignis peſtilentibuſque febribus adverſatur; datur ſanguinem ſcreantibus &c. ab alto lapſis, qui vaſis alicujus interni rupturam paſſi ſunt.

Rob Uvarum Sapa dictum ex *Pharmac. Norimberg.*

℞. Uvarum recenter decerptarum & expreſſarum q. v. coquantur ad convenientem conſiſtentiam.

ROBERTI HERBA, vid. *Geranium.*

ROBUR, vid. *Quercus.*

ROCOU, vid. *Urucu.*

RORELLA.

Folia è radice fibroſa tenui plura exſerit, pediculis longis ſupernè hirſutis nixa, circinatæ ferè rotunditatis, auriſcalpii figurâ, modice concava, pallide viridia, tenuium, rubeſcentiumque ſtaminum velut cilio circumquaque fimbriata; aſpergine rorida guttularum, etiam per ferventiſſimos æſtus pilis adhæreſcentium madida. Ejuſmodi ſtamina ſed breviora mediam quoque folii partem ſupinam obſident: prona namque ſuperficies omnino glabra eſt & pilis deſtituta. E medio foliorum exurgunt caules duo aut tres teretes, graciles, rubentes, foliis nudi palmares aut ſe-

mipe-

mipedales flores ſuſtinentes longa ſerie, versùs unam partem ſpectantes, brevibus pediculis fultos, candidulos, è calice oblongo in quinque ſegmenta diviſo exeuntes. Floribus ſuccedunt vaſcula ſeminalia oblonga figurâ & magnitudine fere granorum tritici, ſeminibus repleta.

Ros pilis ſeu ſetis adhæreſcens tenax eſt & viſcidus, inque filamenta ductilis digitorum attactu.

Floret menſe Julio & in humidis paluſtribus oritur, non raro inter muſcos aquaticos. *Raius.*

ROSA.

Roſa à Græco ῥέδον fit, δ. in σ. mutato, ῥόδον autem, ſi Etymologum audimus, nomen habet ab ὄζω, quaſi ὄδον. & κατὰ πρόθεσιν ῥόδον. Ita autem dici κατ' ἀντίφρασιν, quia δύσοσμον, quaſi ὄζω non dicatur etiam de bono ac grato odore. Plutarchus melius, lib. 2. Σύμπος. cap. ult. ubi ſcribit ita vocari, quia ῥεῦμα πολὺ τῆς ὀδωδῆς ἀφίησι. Cenſet ergo Plutarchus fieri à ῥέω & ὀδμὴ quia fluit ab ea odor gratus. Voſſius putat integrum eſſe Βρόδον, quomodo Æoles pro ῥόδον dicunt. Βρόδον vero dici cenſet κατὰ μετάθεσιν pro Βόρδον ſeu Βάρδον, idque à Chaldaico ורדא hoc es *Roſa*. Voſſ. Etymolog.

Roſam omnem initio candidam fuiſſe fabulantur Poetæ & Turcæ, illi ex ſanguine Dei alicujus, ſeu Veneris ſeu Cupidinis, tinctam erubuiſſe; hi ex ſudore Mahumetis rubedinem contraxiſſe ſibi perſuadent, ac propterea ejus folia humi jacere non patiuntur.

Cæterum roſa, ob tum venuſtatem tum amplitudinem floris, tum ob ejuſdem fragrantiam, omnibus ſeculis, omnibus terris ſummo in honore & pretio habita eſt, omnibuſque floribus & odoribus prælata.

Roſam pomiferis accenſuimus; quoniam fructus in nonnullis pomi magnitudinem aſſequitur, in omnibus figura potius ad pomum accedit, quam ad Baccam.

Roſam in genere ſic deſcribit J. Bauhinus, eſt (inquit) frutex infirmus Cæſ. & cito ſeneſcens niſi recidatur, ut cum ſuffruticibus ambigere videatur, ramis aut potius virgis duris, lignoſis, & utplurimum hiſpidis mordacibuſque aculeis horrentibus, non rectis ſed modice recurvis, frequentibus, foliis ſubrotundis, aſperis per ambitum ſerratis, quinque & ſeptem ex uno nervo ſive pediculo cohærentibus, ſibi invicem appoſitis, ſupremo ſingulari: floribus primum herbaceo incluſis calyce, qui tumeſcentes in virides alabaſtres faſtigiantur, quibus dehiſcentibus flores panduntur (vel ſimplices, vel multiplices) in calycis ſui medio ſtamina quædam capillacea, luteis apicibus donata complexi: ſemine in oblongis capitulis, quæ calycibus & floribus ſubſunt, per maturitatem rubentibus, & in quibuſdam nigricantibus, duro lanugine involuto: radicibus duris lignoſis in diverſa tendentibus, ſtolones crebros emittentibus.

Porro roſæ partes Medici numerant octo. 1. Capitulum illud ſolidum, lanugine quadam refertum, floribus ſubſtratum, ceu baſin totam Roſam ſuſtinens, calyx vocatum, quo nomine tamen globus roſæ totus nondum apertus ſed adhuc connivens dicitur. 2. Cortex, (rectius calyx) apertâ roſa in quinque pinnulas ſeu lacinias diviſus, Alabaſtros quibuſdam dictus; harum duæ barbatulæ ſunt, duæ imberbes, quinta ab uno latere barbata, ab altero minimè, 3. Floris medium illud croceum, quòd capillamentis inſidet, Anthera offic. (apices) 4. Capillamenta Anthera ſeu apices ſuſtentantia, 5. Folium πέταλον, cujus 6. ima pars candida unguis appellatur. 7. Lana in capite contenta. 8. Semen lanugine incluſum, cortexcum lana & ſeminibus incluſis fructus rectè dicitur, quarum maturitas tum ex Ruffo colore, tum ex mollitie æſtimatur.

Vires. De roſarum temperamento, calidæne ſint an frigidæ non levis eſt inter medicos controverſia: quâ miſsâ nos earum vires & utilitates quas humano corpori præſtant breviter indicaſſe contenti erimus. In uſu ſunt rubræ præcipue & incarnatæ, vulgo Damaſcenæ dictæ.

In rubris plus eſt terreæ ſubſtantiæ, & reſiccantis adſtringentiſque facultatis, non tamen abſque humido quodam permixto, quod quidem ipſis adhuc virentibus ineſt, in reſiccatis vero deperditum eſt.

Succus ergo hac de cauſa & dilutum earum ad alvum ſubducendam quoq; facit, minus tamen quàm Damaſcenarum. Reſiccatæ autem hæ roſæ humiditate jam abſumpta, adſtringunt & reſiccant. Dod. quo cum peritiores Medici conſentiunt. Nam (ut recte Langius) virtus roſarum laxativa & odorifera in ſupernis ejus partibus conſiſtit (unde & facile evaporat) at adſtrictoria & roboris altrix in internis deliteſcit: hæc de roſis rubris intelligenda ſunt; nam Damaſcenarum folia etiam reſiccata catharticam vim retinent, ut & ipſi experti ſumus. Pergit Dodonæus, robur cordi conciliant, ac tremori & palpitationi ejus ſuccurrunt, hepar, renes & alia viſcera debilia confortant: ventriculum, flaccidum, debilem & humidum ſiccant & corroborant: fluorem muliebrem, & ſuperfluam menſtruorum purgationem compeſcunt, ſanguinis undequaque eruptiones ſiſtunt: ſudores reprimunt, alvum nimio fluore laxam conſtringunt; Antidotis omnibus utiliter admiſcentur, & aliis quoque medicamentis, ſive foris adhibendis, ſive intra corpus aſſumendis, quibus adſtringens ac corroborans aliquod inde accedit.

Ipſe expertus ſum (inquit Simon Paulus) pulverem roſarum ex atrorubentium ℨ ij. pondere ſingulis vicibus bis quotidie in aqua plantaginis propinatum, ex ſententia contumaciſſimam dyſenteriam perſanaſſe quadripart. Botan. Claſ. 2. p. 181.

Apices croci, officin. Antheræ dicti, reſiccant ſimiliter & aſtringunt, & potentius quidem quàm ipſarum roſarum folia: exſiccati immiſcentur. Dentifriciis ad gingivarum adſtrictionem fluxionumque exſiccationem: cum aqua cydoniorum deſtillata dantur utiliter nimio menſium fluxu.

Calyces quinetiam & alabaſtri iiſdem viribus pollent, unde ad dentes à corruptione ſervandos, & gingivas roborandas ſumitur aceti ſcyllit. & aquæ è calicibus roſarum deſtillatæ æqua portio, & eo ſæpe os colluitur, annotante Monardo Hiſpal. ſed (inquit Dodonæus) cum his odor deſit, minus utilia ſunt, humanæque naturæ minus amica.

N. Roſæ, præſertim recentes, adnotante Meſue, coctionem nullam ſuſtinent; facultas enim earum tergens & purgatoria mox igni reſolvitur, remanet adſtringens manifeſtior; unde etiam patet vim catharticam in ſuperficiaria & facile reſolubili ac ſeparabili parte conſiſtere.

Notatu dignum eſt, quod quamvis roſæ decerptæ celerrimè exſiccentur, atque inter ſiccandum ſuaviſſimum odorem expirent, tamen in horto ſentibus adhuc hærentes, nullum ad aliquam notabilem diſtantiam de ſe fundunt odorem, quemadmodum caprifolii & caryophyllorum nonnullorum flores, adeo ut in roſario floribus explicitis pleno deambulans fragrantiam nullam naribus percipies, ut ſi oculis eo introductus eſſes, te in roſario verſari planè neſcires: quod argumento eſt odorem Roſæ in vapore aqueo facile reſolubili & diſſipabili conſiſtere.

Folia roſarum renibus ſubſtrata copiam ſeminis imminuere ſcribit Galenus: ſeque in nocturnis venereis imaginationibus cuidam ſuaſiſſe roſas experiri, qui ex his ſubſtratis levamen ſentit, citra ullam renum noxam. Ex foliis etiam aridis & expreſſis (referente Plinio) diapaſmata olim fiebant ad ſudores coercendos, ut à balneo inareſcerent corpora, dein frigida abluerentur.

E roſis

E roſis multa parantur medicamenta, ut v. g.

1. Aqua deſtillata. Matthiolus vaſis vitreis in MB. elicitam præcipue commendat, eſque quæ in vaſis metallicis deſtillatur longiſſimè præfert: nec immerito. Nam & empyreuma omne hoc modo cavetur, nec aqua pravam aliquam aut noxiam qualitatem à vaſis contrahet, ut in metallicis deſtillata ſolet.

Refrigerans eſt & cardiaca; ſpiritus languentes recreat & confortat, vel odore ſuo, naribus admota, vel in cibis & juſculis uſurpata, vel temporibus ea fotis, vel in ſuffumigiis: valet etiam ad ruborem & inflammationes oculorum exterius applicata, nec non ad capitis dolorem.

Damaſcenarum aqua multo odoratior eſt, purgat etiam larga doſi, ad ℥x. exhibita. Coſtæo teſte.

Tragematis, placentis, condimentis & aliis, quæ voluptatis excitandi gratia conficiuntur multis admixta, ſaporis gratiam conciliat, adeoque frequentis uſus eſt in Culina ut vix ullum ſibi locum in Medicina reliquerit.

2. Conſerva roſarum, quæ fit tundendo roſarum exunguium partem unam cum duplo ſacchari ſolidi in mortario marmoreo piſtillo ligneo, adſtrictoria eſt & cardiaca, poſt biennium prævalet, vix cardiaca, recentior magis adſtrictoria eſt, unde cum mithridatio mixta deſtillationes in nares & defluxiones humorum in oculos cohibet: utilis etiam eſt ad alvi fluxus ſiſtendos. Conſerva vetuſtior cum Diarrhodo Abbatis mixta ad lipothymias, deliquia & tremores ſeu palpitationes cordis utilis eſt.

Ventriculum etiam languentem & infirmum excitat & roborat, concoctionem promovet, vomitum compeſcit; & antidotus cenſetur adverſus morbos contagioſos.

3. Conſerva ſicca, ſaccharum roſarum dicta iiſdem viribus pollet quibus conſerva humida vetus.

4. Syrupus ex roſis ſiccis paratus ad eadem valet, atque inſuper ſanguinis fervorem temperat, & febricitantibus utiliter exhibetur.

5. Mel roſatum, quod fit ex ſucco roſarum expreſſo & foliis contuſis cum melle mixtis, fervefactis, & expreſſis, & deinde colatis, colatura decocta ad conſiſtentiam mellis. Hujus uſus inſignis & frequens eſt in gargariſmis & collutionibus, ad ulcera oris, faucium, gutturis aliarum partium mundanda & ſananda, & ad humores eò confluentes inhibendos, qui eorum conſolidationem impedire ſolent; uſurpatur etiam in clyſteribus ad refrigerandum & detergendum.

6. Diarrhodon Abbatis ut & aromaticum roſatum in obſtructionibus viſcerum calidis locum habet, eſtque cardiaca inſignis, & ad eadem valet ad quæ prædictæ præparationes.

7. Acetum roſarum inflammationes omnes ſedat, incidit, purgat, roborat. Multi etiam uſus eſt ad ſomnum inducendum, vel aquâ roſaceâ mixtum, & naribus admotum vel cum aliis hypnoticis temporibus applicatum.

8. Oleum roſarum calores omnes ſedat, inflammationes mitigat aut prohibet: membra debilia confortat, digeſtivam facultatem & calorem naturalem excitat & corroborat, aliis etiam unguentis & medicamentis admiſcetur quæ refrigerando & adſtringendo inſerviunt. Fit autem ex roſis recentibus contuſis in oleo olivarum coctis in MB. & expreſſis.

9. Unguentum roſaceum iiſdem ferè uſibus inſervit quibus oleum. Plurimum valet in principio apoſtematum repercutit enim materiam, ſedat dolores eorum, & capitis febricitantes & inquietudinem; refrigerat febres ardentes, hepar & ſtomachum calefacit, cum unguento populeo mixtum, & fronti ac temporibus illitum ſomnum provocat. Papulas, ulcuſcula, & eruptiones quaſcumque calidas refrigerat & compeſcit.

10. Syrupus roſarum ſolutivus fit ex roſarum foliis viridibus modo per infuſionem, modo decoctionem. Per infuſionem iteratam multoties, hoc eſt, ex infuſo in quo pluries roſarum virentium folia multa macerata ſunt, nobile & ſecurum purgatorium medicamentum paratur (inquit Amatus) quod & pueris tuto exhiberi poteſt; utiliſſimum quando expurgatione alia potentiori aut opus non eſt, aut uti non expedit. Humectat porro & refrigerat, ideo etiam febrium ardentium calores nimios ſedat, & viſcerum inflammationes mitigat & ſitim extinguit, ut ait Dodonæus & experientia confirmat. Eſt ſane medicamentum lene, benignum, tutum, multi uſus, & magni in morbis calidis præcipue ſolaminis, quodque ob vim adſtrictoriam in dyſenteria & aliis alvi fluxibus non ſecus ac Rhabarbarum cum ægrorum juvamento uſurpatur.

Parantur etiam ex roſis damaſcenis conſerva & mel roſatum earundem cum ſyrupo virium.

Utimur etiam (inquit C. Hofman.) ſucco roſarum incarnatarum ad Electuar. roſ. & de ſucco roſ. utrumque recipit & ſuccum roſarum & ſcammonium eadem quantitate. (at Parkinſonus Electuarium Roſarum è ſucco roſ. rubrarum fieri ait) exploratum eſt (inquit Joh. B. Hiſt.) contra guttam calidam, & malos tumores calidos & furioſos; fortiter purgat; ſanat tertianas ſimplices & duplas, & reliquias malorum humorum in convaleſcentibus exquiſite evacuat, potenter ſolvit, & eſt calcar aliarum medicinarum. Alia adhuc medicamenta è roſis parantur, quorum vires ex dictis æſtimari poſſunt.

Folia roſarum damaſcenarum exſiccata in odoramentis non poſtremum locum obtinent, à matronis noſtris valdè expetita ad pulveres cyprios quos vocant & ad ſacculos cum aliis ſuaveolentibus inferciendos, quos in arcis inter veſtes & linteamina recondunt, ad ea odore ſuo imbuenda. Eadem vel in infuſo vel in pulvere exhibita ſatis feliciter purgant (Coſtæus in ſero lactis caprini bibenda præſcribit) unde conſtat vim catharticam, ſaltem in hoc genere, parti tenui & volatili quæ inter ſiccandum exhalat & evaneſcit non inhærere: at neque in parte illa quæ tincturam & colorem communicat, cum roſarum damaſcenarum color, quamcunque curam adhibeas, magna ex parte ſiccando evaneſcit.

Roſæ autem, præcipiente Sylvio, mediocriter apertæ ſereno cælo mane lectæ, eodem die ut ſunt ſiccentur ſole, ſi potes, ſæpe vertendo. Nam vix umbra ſiccaverit, quanquam id eſſet optatius; ſiccatas avelle, & vaſe terreo reconde.

Roſas proprietate quadam teſtes lædere ſcribit Fuchſius.

Roſæ albæ non minus refrigerant & exſiccant quam rubræ aut incarnatæ; non alium tamen in Medicina uſum habent quam ut ex ſe aquam ſtillent, quæ ſpecifica proprietate oculis prodeſſe, eorumque ruborem & inflammationem lenire & ſanare creditur. Albas damaſcenas cæteris in purgando excellere ſcribit Manardus.

Semina dura quæ capitibus roſarum inſunt in pulverem redacta, ac è vino pota calculum pellere (Trago teſte) tradunt. Eandem facultatem nonnulli ſpongiolis quæ ſylveſtribus adnaſcuntur roſis, ſi in pulverem redactæ aut in vino decoctæ calidæ ſumantur, tribuunt. Verùm cum Dodonæo conſentit Joh. Bauhinus nec ſemina, nec ſpongiolas, ob eorum adſtrictionem & ſiccitatem ad calculum & urinæ difficultatem quicquam valere, niſi per accidens, renes corroborando, & refrigerando. Cum enim nonniſi calidi renes gignant calculos, & vero illi diureticis validioribus valde debilitentur; mirum non eſt roborari inde renes ut pellendo calculo aptiores ſint. Reliqua vide apud Dod.

Succus è fructu rubro maturo totaque ſuâ ſubſtantia tuſo expreſſus, poſteaque ſiccatus, demumque in pulverem redactus gonorrhææ, & tam rubris, quam albis mulierum profluviis ſingulari experimento medetur.

In genere medicamenta è roſis præparata multum celebrantur in curatione Phthiſicorum, tabidorum & & pulmonarium affectuum à Riverio, Sennerto, Roſenbergio aliiſque.

Egregias vires & efficaciam medicamentorum è roſis præparatorum in phthiſi, podagra, calculo, canum rabidorum morſu, capitis doloribus, aliiſque morbis, in fluxibus alvi aliarumque partium; in febribus, hæmorrhagiis, vulneribus, inflammationibus, inſectorum puncturis, Scorbuto, mobilitate dentium, vide apud Carolum Roſenbergium in Rhodologia ſua.

Cæterum odorem roſarum viſui nocivum eſſe ab exemplo probatur in Ephem. German. An. 12. Obſerv. 140. quod ſane nollem; cum nihil odore illo naribus noſtris gratius & acceptius ſit.

Pro medicamentis è roſis Perſicis, ſeu Alexandrinis, aliiſque. Vide Monardum apud Car. Clus.

Vires roſæ ſylveſtris. Cynosbati flores qualitatibus convenire videntur cum roſis ſativis, ſed majorem vim adſtringendi habent, proinde in profluvio uteri rubro & albo ſummæ ſunt extimationis.

Fructus vi lithontriptica maxime commendantur, in qua tamen excellunt exempli arilli. *Schrod.*

Pulvis iste in Antheris Cynosbati reperibilis, crocei coloris & ſummè volatilis, eſt genuinum ſulphur vegetabile ab Archæo ſublimatum, egregiis dotatum poteſtatibus: cui conſanguinei ſunt pulveres, viz. Alcool ex Julis Coryli, ſummitatibus pini, muſco terreſtri clavato, & in Antheris liliorum alborum. Habent egregiam vim anodynam, ſoporiferam, cardiacam. Hagendornius Cynosbatolog. p. 48. Idem tradit Wedelius de ſulphure plantarum: ego in phthiſicis & convulſis affectibus, in phreneſi, & doloribus leniendis utiles eſſe exiſtimo D. Tancred. Robinſon.

In acinis ſeu ſeminibus cynosbati reperitur oleoſa & balſamica ſubſtantia, egregiæ efficaciæ in lithiaſi; flammam cito concipit, & continet ipſam eſſentiam plantæ. Hagendorn. Cynosbatolog. p. 70. duo hydropici pro deſperatis habiti ad integram valetudinem reſtituti ſunt à diuturno uſu decoct. fructuum cynosbati integris cum arillis in vino. Hagendorn. Cynosbatol. p. 154 idem affirmatur de his floribus à Wedelio.

Hujus poma cum maturuerunt pulpam continent ſaporis cum aciditate grati, ad appetitum excitandum, & æſtum febrilem compeſcendum perutilem.

Ex hac pulpa cum ſaccharo officinæ noſtræ conſervam parant, non modo ad febriles æſtus, ſed & ad ſcorbuticos affectus calidiores utiliſſimam: ventrem etiam leniter aſtringit, & defluxiones ſiſtit, ut taceam palato admodum gratam eſſe, ventriculo acceptam & concoctionem promovere.

Ex hac etiam pulpa bellaria & ſcitamenta multa, parare norunt, cocci & Matronæ honeſtæ ad menſas ſecundas inſtruendas.

Inſanabilis ad hoſce annos (inquit Plinius) fuit rabidi canis morſus, pavorem aquæ potuſque omnis afferens odium. Nuper cujuſdam militantis in prætorio mater vidit in quiete, ut radicem ſylveſtris roſæ blanditam ſibi aſpectu pridie in fruteto mitteret filio bibendam. In Luſitania res gerebatur, proxima Hiſpaniæ parte: caſuque accidit, ut milite à morſu canis incipiente aquas expaveſcere ſupervenirett Epiſtola orantis ut pareret religioni, ſervatuſque eſt ex inſperato, & poſtea quiſquis ſimile auxilium tentavit.

In hujus ramis, fractis præcipuè aliterve læſis, vel ab inſecto aliquo compunctis per æſtatem muſcoſum quoddam corpus herbacei & rubeſcentis coloris ſæpe excreſcit, quod Bedeguar Lobelius, ſpongioſam alii appellant. Vulgus (Germanicum ſcilicet circa Norimbergam) quod ſuppoſitum ſomnum incumbentibus provocet, cujus cineres ad dyſuriam, tineas ac vermes expellendos Camer. laudat. ſpongiolam hanc ſi incideris, vermiculis exiguis albis intus refertam invenies, quæ per totam hyemem in cellulis ſuis latitantes, menſe demum Maio inſequentis anni muſcarum formâ prodeunt: quarum nonnullæ aculeo ſeu ſpiculo è cauda ſemper prominente armantur, & ad Mouffeti ſeticaudas referri poſſunt; aliæ eâ omnino deſtituuntur; & in hoc forte ſexuum differentia deſcriptionem muſcarum vide in Cat. Cantab.

Vires roſæ moſch. Cæterum roſæ moſchatæ odore caput tentant, & potentiſſime alvum ſubducunt, non minus, autore Manardo, quam ſcammonium, ita ut ſi ſex vel octo folia acetario miſcueris, totum purgatorium reddas. Idem confirmat Amatus, Hiſtoriam recitans mulieris, quæ ex guſtato condito harum Roſarum faucium & linguæ excoriationem cum ſtomachi roſione contraxerit. Quapropter ab ea tanquam à pernicioſo medicamento abſtinendum ſuadent. *Raius.*

ROSMARINUS.

Ros dic putatur quia roſcidæ ſit naturæ, vel quia roris inſtar aſpergatur, vel quia ejus uſus in aſpergillis, quod nobis veriſimilius videtur: marinus autem vel quia in marinis locis feliciter proveniat, vel quia ſaporis marini, locis feliciter proveniat, vel quia ſaporis marini hoc eſt amari. Voſſ. Etymolog. Græcis libanotus ςεφανωματικὴ i. e. coronaria, ab odore thuris, & quod ad corollas texendas adhiberi ſolebat.

Magnitudine ſua & ſtatura inſigni, floribus ad caulium nodos foliis intermiſtis, foliis oblongis anguſtis prona parte candidis, ſupina obſcurius virentibus à congeneribus differt.

Nomina. Roſmarinus coronarius fruticibus *J. B.* hortenſis anguſtiore folio *C. B.* Coronarius *Ger.* Libanotis coronaria ſive roſmarinum vulgare *Park.*

I. B. Roſmarinus, ſuffrutex jucundiſſimi odoris Thus redolentis (unde & nomen ipſi libanotidis inditum), vel imprimis utilitatis commendatione notiſſimus, & quia corollis petitus coronarii nomen adeptus, bicubitalis eſt & altior, virgultis tenuibus, cinereo colore præditis, in quibus folia aliquot ſimul ex intervallis oriuntur (imo bina ex adverſo & alia ex eorum ſinubus conferta) rigidula, lavendulæ anguſtiora, breviora, prona parte candida, ſupina ſaturatius viridia, flores ex alis foliorum exeunt; è cæruleo albicantes ſalviæ florum effigie, minores, cotylæ inſtar concavo guttato: fibræ incurvæ, longæ ex ſitu ſub ſupremo folio promicant.

Vere primo & per totam ferè æſtatem floret, in hortis ſeritur, verùm non ſemine ſed ſurculo. An differat ſpecie à ſpontaneo latiore folio dubito: quod ſi differat ubi ſponte proveniat proditum non invenio. Qui ſeritur & latiora & rugoſiora habet folia, nec facile fert hyemem.

Hujus varietas in hortis alitur foliis aureo colore variis, quæ Parkinſono roſmarinum ſtriatum ſive aureum dicitur. Habetur etiam flore duplici *Park.*

Vires, in uſu ſunt folia, flores (Anthos officinis dicti) & ſemen, cephalica ſunt è præcipuis nervina, ac etiam uterina, uſus præcipuè in affectibus capitis ac nervorum in apoplexia, epilepſia, paralyſi vertigine, caro, &c. Viſum acuunt, ſenſus ac memoriam juvant, fœtorem halitus emendant, Epatis lienis ac uteri obſtructiones reſolvunt, ictero ac fluori albo mulierum medentur, corque conſortant.

Herba ipſa ſuffitu & vapore ſuo peſtis tempore aerem emendat & ſalubrem reddit.

Dioſ-

Dioſcorides morbum regium ſanare tradit hanc herbam, ſi quis ipſam in aqua coctam ante exercitationem exhibeat bibendam, deinde excercitatum lavet, & vinum ipſi bibendum det. Semen cum vino hauſtum ad icterum commendat Myzaldus.

Ad paralyſin alioſque nervorum affectus conducit vino aut cerevifia in qua roſmarini ſummitates infuſa fuerint in potu aſſiduè uti.

Ad viſum acuendum conducit flores récentes quotidie jejuno ventriculo cum pane & ſale comedere.

Exſiccati & inciſi fumus ore hauſtus peti in modum utilis cenſetur adverſus tuſſim, phtiſin, & tabem pulmonum.

Solo uſui olei roſmarini Chymici propinati in decoctis idoneis ante paroxyſmum multas febres tertianas exquiſitè curatas eſſe in noſocomio Pariſienſi dicto *la Charité* vidit & obſervavit M. Jacques. Doſ. IV. vel VI. gutt. Sim. Paulus quadrip. Botan. claſſ. 2. p. 133. habui ex excerptis D. Hulſe.

Ex roſmarini fruticantis truncis caudicibuſve craſſioribus pectines in Galliis ſibi parant, quibus quotidie caput pectunt qui à vertigine aliiſque hujus generis morbis præſervari geſtiunt: ſed fraus ſimul inventa apparet, dum è ſalice, pyro, tilia, &c. affabrè pectines iſthic loci exſculpunt & perpolitos conſpergunt leviter cum gut. olei roſmarini vel ſpicæ, & ſic impoſtores arguti imponunt minus ſagacibus ex adverſar. D. Tancr. Robinſon.

Diarrhæam trimeſtrem deſperatam vino roriſmarini curatam refert Velſchius Hecatoſt. D. Hulſe ex Etmull. prax.

Aqua Reginæ Hungaricæ deſtillatur & præparatur è floribus roriſmarini in infuſis ſp. vini in cephalicis & nervinis affectibus celebratur. *Raius.*

Pro vera Aqua Reginæ Hungariæ conficienda Abbas ille Rouſſeau (de quo in præparatione Napelli, ſub titulo *Aconitum*, ut & in præparatione Mannæ aliquid jam diximus) nullo utitur ſpiritu vini, ſed tantum roremarino in hydromelite fermentato poſteaque deſtillato. Scilicet Aquæ font. aſſumit quatuor partes & mellis partem unam, miſcellamque hanc in laconico cujus calor commodè ab iis qui illud ſubintrant tolerari queat, reponit, unde intra dies duos aut tres ſine ullo alio fermento extraneo, diſſolutio mellis per ſe commovetur, & ad fermentationem perfectam poſt diem unum à prima commotione devenit, quo tempore roſmarinus minutatim confectus ac contritus in eam immittitur, (una ſcilicet menſura roriſmarini ſic præparati ſuper duabus menſuris diſſolutionis fermentantis) omniaque probè commiſta fermentationi ulteriori committuntur, quouſque nempe roſmarinus fundum petat, nec amplius, etiamſi commoveatur, in ſuperiora redeat, liquorque poſtea ſpirituoſus inde deſtillatur qui eſt vera Reginæ Hungariæ aqua. Eadem ratione aliæ itidem plantæ fermentari poſſunt, atque ex iis ſpiritus verè ardentes educi.

Ros Solis, vid. *Rorella.*

Rostrum Gruis, vid. *Geranium.*

ROTULÆ, ſeu MORSELLI.

Rotulæ, Morſelli, (Morſuli, Tabulæ,) ex omnibus Medicamentorum generibus fieri poſſunt, quæ non reſpuunt cum ſaccharo ſoluto commiſceri, indeque placentas indurari. Talia ſunt Pulveres, Semina, (minutiora) condita, Conſervæ, Olea, Extracta: Inprimis tamen ad morſellorum compoſitionem cooptantur pulveres, de quibus tamen notandum, quod non opus ſit æque ſubtiles eos recipi, ac in rotulis.

Modus fiendi.

℞. Sacchari q. ſ. ſolve in liquore debito ſuper ignem: hinc coque ad conſiſtentiam, ut frigefactum induretur, (probare id poteris tantillo in orbiculum ſtanneum vel lapidem effuſo:) Hinc immiſce ſenſim pulveres, optime agita, effundeque dum adhuc calore liquidum eſt, ſupra tabulam cupream lapideamvè, ut refrigeſcat & induretur, demum ſcinde in tabulas.

N. 1. *In purgantibus loco ſacchari recipi poteſt Manna, cujus proportio uti & ſacchari pro Medici voluntate adhibetur: ut plurimum recipitur ſacchari ſextuplum, octuplum, &c. prout res immiſcendæ fortiores vel ingratiores fuerint, exempli gratia, ad Extracta & Olea deſtillata major ſacchari quantitas expetitur.*

N. 2. *Nuclei ac ſemina emulſioni apti, ſi ad morſellorum conſtitutionem concurrant, pro libitu in emulſionem redigi poterunt, quo ſaccharum diſſolvatur.*

N. 3. *Condita duplici modo morſellos ſubeunt.* 1. *Conquaſſata.* 2. *In fiſtula inciſa.*

N. 4. *Olea deſtillata ſi occurrerint in fine ea inſtillare oportet; vel paratis morſellis illinere. Idem judicium ſit de Moſcho ac ambra, quæ in aqua roſar. diſſolvuntur, atque paratis tabulis illinuntur.*

Uſitatiores ſunt alterantes.

Morſuli. Bezoardici è pulv. bezoardic. Cephalici è ſpeciebus cephal. è ſucco & corticibus citri ſ. de citro, vide infra *N.* 1. *è Confectione Alkermes. Imperatoris, è ſpec. Imper. Pectorales,* 2. *Poſt paſtum, A. Saccharum roſatum tabulatum. Saponea, A. ad Vermes, A. Zinziberis cocti, A.*

Purgantes uſitatiores.

Morſuli. Diacarthami, A. Diaphænic. A. Diaturbith. cum rhabarb. è ſpeciebus de Diagrydio, ſ. laxativi è Cremore Tartari, vid. infr. 3. *de Manna Tartariſat.* vide libr. 4. *de Mechoaca,* 4. *è ſucco roſarum.*

1. Morſelli de Citro.

℞. *Carn. citr. Cort. citr. condit. conciſ. ana* ℥j. *Ol. citr. gran.* XIJ. *Succ. citri puriſſ. q. ſ. Sacchar. in aq. citri ſol.* ℥XVI. F. ſ. a. Morſuli.

Sunt Cordiales, ut citrum.

N. *Fiunt & ſimplices è ſucco, corticibus ſaccharo.*

2. Morſuli pectorales.

℞. *Pinear. rec. in aq. roſar. parat.* ℥ß. *Amygd. d. excort.* ʒv. *Sem. Melon. rec. Cucum. Cucurb. ana* ʒij. *Spec. Diarrhod. abb* ℈IV. *Mag. perlar.* ℈j *Sacchar. alb. in aq. roſar. & ſcabioſ. ſol.* ℥XVI. F. ſ. a. Morſuli.

Sunt nutritivi, refrigerantes, acrimoniam mitigantes, adeoque conveniunt in hectica.

3. Morſuli de Diagryd. ſ. laxat.

℞. *Crem. Tart.* ʒij. *Reſin. ſcammon.* ℥ß. *Sacchar. in aq. roſar. ſol.* ℔I. F. Morſelli.

Purgant bilem. Doſis adulto ℥ß.

4. Morſuli de Mechoaca, F. F.

℞. *Conſerv. violar.* ℥j. *Spec. Diatragac. fr.* ʒiß. *Turbith. gum. Mechoac. ã.* ℥ß. *Diagryd. præpar.* ʒij. *Ol. cinam. ſtill. gran.* VI. *aniſ. gran.* IV.

Sacchar. in aq. fœnic. ſol. ℥xiv. F. ſ. a. confectio in morſul.

Purgant bilem ac phlegma.

Doſis ab ℥ß. *ad* ℥i. *Vide part.1.l.4.obſervat. Cl. Gregor. Horſtii.*

De Rotulis.

Rotularum parandarum modus idem eſt, niſi quod Rotulæ, quia formulas Morſulis minores expetunt, medicamenta requirant, quæ rotularum formationem non impediant. Pulveres itaque ſubtiles eſſe oportet, doſique minori.

Proportio ſacchari vulgatiſſima eſt octupla, (⅛) plus minus. In purgantibus vero quadrupla, (¼)

pulver. }
ſacch. } In oleis ſtillatitiis major.

ſcil. ſacchar. ℈j. ol. gran. iv. &c.

N. *Fiunt & rotulæ è ſucco & ſaccharo, ſi ſcilicet hoc in illo ſolutum ad conſiſtentiam juſtam coquatur & rotuletur. Veruntamen notatu hic dignum, Rotulas, quæ ex ſuccis acidulis fiunt, v. gr. è ſucco citri non admittere coctionem, ſed ſola parari mixtione. Videlicet,* ℞. *Sacchari pulveriſat.* ℔i. *caleſcat ad ignem lentum, hinc affunde ſucci, v. gr. Berber.* ℥iii. *miſce & effunde in rotulas.*

Rotulæ uſitatiores ſunt.

Rotulæ de Berber. Manus Chriſti ſimpl. perlar. Diatragacanth. Sulphuris pectoral. Laxativæ infantiles.

1. Rotulæ pectorales.

℞. *Sacch. alb.* ℥j. *Florum Sulph. benzoinat. (ut cap. de Sulph. dicitur)* ʒii. *Ambr. griſ. gr.* vi. *Moſch. Orient. gr. ii. Ol. fœnic. gut. iii. Gumm. tragac. in aq. ſcabioſ. infuſ. q. ſ. F. maſſa.*

2. Rotulæ infantiles laxativæ.

℞. *Cranii human præpar.* ʒij. *Mercurii per ſextam* ♎*nem dulcificat. Rad. Jalap. an.* ʒi. *Margar. præp.* ℈ij. *Ol. cinnam. gutt.* vi. *Sacch. in aq. ſcord. ſolut.* ℥iiii. *F. Rotulæ.*

Vermes necant, & inde genitam Epilepſiam arcent.

Quinimo ex ſingulis pulveribus & ſpeciebus, tam alterantibus, quam purgantibus, addito ſaccharo in convenienti Aq. ſoluto Rotulæ pro rei exigentia fieri poſſunt. *Schroderus.*

Rotulæ ſive Morſelli variæ compoſitionis ex variis.

Morſelli Cephalici *Zwelferi.*

℞. *Sacch. can. albi* ℔ß. *vel* ℥viii. *ſolvatur in portiuncula aquæ cinnamomi vel arantiorum florum, & ad conſiſtentiam tabulati coquatur, in quo ab igne remoto liquefac Ambræ gryſeæ* ʒß. *vel pro ditioribus* ʒj. *prius tamen cum ſem. citri excort.* ʒß. *probè ſubacta: ſuperaddendo ſtatim moſchi orientalis opt.* ℈j. *cum aqua florum Arantiorum exigua port. in pultem redacti, nucum indicar. condit. & craſſiuſculè inciſarum* ℥j. *conſ. flor. Arantiorum, tunicæ an.* ʒvi. *piſtach. decort. & conciſorum* ℥i. *elæoſacchari cinnamomi* ʒvi. *ſumendo* ʒß. *olei pro* ℥i. *ſacchari, eſſentiæ roſatæ ſacch. antea edoctæ* ℥j.

Fiant morſelli confortantes & cephalici, caput, cerebrum, ac univerſum nervoſum genus inſigniter roborantes.

Cinnamomum coctum duplex *Zwelferi.*

℞. *Amygd. dulc. decort.* ℥iij. *piſtach. decort.* ℥ß. *contundantur minutiſſimè in mortario ad pultis formam, addita paulatim ſ. q. aquæ cinnamomi opt. quibus adde ſacch. can. albi pulver.* ℥vili. *pulv. cinnamomi acuti* ℥iij. *boli armenæ orient. præparat.* ʒvi. *vel* ℥j. *cardamomi, piperis longi, zingiberis an.* ʒj. *ol. ſtill. cinamomi* ℈j. *vel* ℥ß. *cum ſuffic. quant. mucilag. tragacanthi, aqua cinamomi extracti, fiat maſſa, ex qua formentur cannulæ inſtar cinamomi, ſiccentur leniter.*

Aliud ex *Eodem.*

℞. *Pulv. cinamomi acuti* ℥ij. *zingiberis albi* ℥ß. *caryophyllorum nuc. moſch. an.* ʒiiß. *Boli armenæ* ℥vi. *ol. cinamomi ſtill.* ℈j. *vel* ʒß. *ſacch. can. albi* ℔j. *è quibus mixtis, inque pulverem redactis, addita ſ. q. mucilaginis tragacanthi, aqua cinamomi extracti fiat paſta è qua formentur cannulæ inſtar cinamomi convolutæ.*

Roborant ventriculum & cerebrum, facultatem concoctricem labefactatam confortant, & anhelitum gratum efficiunt.

Rotulæ confortantes virides ex *Zwelfero.*

℞. *Sacch. can. alb.* ℔j. *ſolvatur in ſ. q. Aquæ cinamomi, in qua radices ſatyrionis aliquandiu maceratæ fuerint, & denuò ad tabulati conſiſtentiam percoquatur, in quo ab igne remoto diſſolvatur Ambræ gryſeæ* ʒj. *vel* ʒß. *plus minuſve pro fortuna & conditione patientis: addendo ſtatim rad. ſatyrionis condit. & conſciſſ.* ℥iß. *nuc. indic. cond.* ʒvi. *zingiberis indici cond.* ℥j. *cort. arantiorum cond.* ℥ß. *carnis ſcinci marini, veratri cervi raſpati an.* ʒiij. *piſth. decortic. pinearum mund. ana inciſ.* ʒvi. *cardamomi min. ſem. erucæ, linguæ avis, macis, piperis longi an.* ʒiij. *ol. cinamomi opt. ſtill.* ℈j. *caryoph.* ℈ß. *prius cum eſſentia citri ſaccharina* ℥j. *permixtorum.*

Fiant morſelli egregiè confortantes, ac ſemen inſuper augentes.

Morſelli Hepatici ex *Eodem.*

℞. *Rad. cichorii ſylv. recent.* ℥iij. *flor. roſarum rub. recent.* ℥j. *ligni ſantali rubri* ʒij. *fiat cum ſuffic. quant. aquæ ſimplicis decoctio ad* ℥x. *circiter: cum decocto hoc colato & probè clarificato diſſolve ſacch. can. albi* ℔j. *ac denuò coquendo ad conſiſtentiam tabulati redigatur, cui ab igne remoto adde conſ. roſarum rub. ex anatica quantitate roſarum & ſacch. paratæ* ℥ij. *Hepat. nobil. itidem ex anatica quant. florum & ſacch. factæ* ℥iß. *Flor. tunicæ n. uti ſupra* ℥i. *cort. Arantiorum, citri ana recent. & radula ſubtiliſſ. comminut.* ℥ß. *nuc. moſch. conſciſſ.* ℥ß. *magiſt. n. ſolub. corall. rub.* ʒiij. *Fiant morſelli ſ. a.*

Valent ad hepar roborandum, ejuſdemque obſtructionibus reſerandis, cachecticis, & hydropicis ſuccurrunt.

Morſuli Imperatoris ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Pinearum mundatarum, piſtaciorum decort. Amygdalorum dulc. an.* ℥ß. *ſpecierum imperatoris parum inciſar. & contuſ.* ʒiij. *Aromatici roſati Gabrielis, cinnamomi inciſi & contuſi an.* ʒj. *conſ. roſarum damaſcenar.* ℥ß. *ſacchari in aqua roſar. diſſoluti* ℥viij. *Fiant morſelli.*

Morſelli Diaireos cum extracto liquiritiæ ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Specierum diaireos ſimp.* ʒij. *extracti liquiritiæ* ʒj. *ſacchari albi in aqua violarum ſoluti* ℥xvi. *Fiant ſecundum artem Rotulæ.*

In tuſſi atque raucedine, & viribus, & jucundo ſapore ſe commendant.

Morſuli

Morſuli Laxativi ex *Pharm: Norimbergenſi.*

℞. Corticum citri ℨj. zingiberis ℈ß. ſpec. de tragacantho ℨij. pulveris jalappæ ℥ij. ſacchari albi ℔j. Fiant morſuli.

Morſuli adverſus Lumbricos *Zvvelferi.*

℞. Sacch. canarii albi in aq. roſar. ſoluti, ac denuo ad conſiſtentiam tabulati cocti ℥iiij. cui ab igne remoto adde pulv. ſemin. cynæ ℨiij. turbith albi ℨiß. corallinæ ℨij. cinamomi optimi ℨiß. mercurii dulcis ritè parati ℨij. Fiant morſelli vel rotulæ.

Efficaciſſimæ ad vermes enecandos & expellendos, tum infantibus, tum adultis exhibendæ, Doſis ℨij. ad ℥ß.

Manus Chriſti ſimplex & cum margaritis ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Sacchari albiſſ. ℔j. aquæ roſar. quantum ſatis eſt pro ſacchari ſolutione. Coquantur, ut artis eſt; quod ſi margaritas addere volueris, injiciatur ſub finem margaritarum præparatarum ℥ß. Fiant rotulæ.

Viribus dejectis, febribus ardentibus, & deliriis medetur.

Paratur etiam manus Chriſti perlata, adjectis ſub finem coctionis guttulis aliquot olei cinnamomi, jucundiſſimum ſanè ad omnem virium lapſum medicamen, ſi modo febris aut calor aliquis præternaturalis non ſubſit.

Rotulæ ex Mercurio vitæ correcto *Zvvelferi.*

℞. Mercurii vitæ ritè & dextrè parati ℨij. ſalis communis ℥j. nitri puriſſimi ℨvi.

Mixta hæc conterantur & levigentur diu, multumque (horis circiter quatuor) ſuper porphyrite lapide; poſt aqua calida abluantur ſalia, ut mercurius vitæ liber ab illis tandem remaneat: & tali pacto demitur ipſi vis violenta emetica, mitiorque evadit ut potius per inferiora operetur. Jam verò

℞. Sacchari albiſſimi ℥iij. ſolvatur in ſ. q. Aquæ roſarum, ac ad conſiſtentiam tabulati coquatur, cui ab igne remoto ac nonnihil refrigerato, adde mercurii vitæ correcti ℨß.

Fiant ſ. a. Rotulæ purgantes per inferiora, & nonnihil per ſuperiora omnes humores excrementitios. Doſis. ℨj. ad ℨij.

Morſelli Pectorales *Zvvelferi.*

℞. Sacchari albi can. ℔j. ſolvatur vel in ſucci ſempervivi major. depur. ℔ß. in quo prius Rad. enulæ inciſæ ℥ß. ireos florent. ℨij parum ebullierint; vel etiam in aq. roſarum fragrant. ſine ad. ſtill. ℔ß. in qua prius radicis enulæ ℥ß. ireos florent. ℨiij. aliquandiu tantum infuſæ & maceratæ fuerint, coquantur ad conſiſtentiam tabulati, cui ab igne remoto inijce.

Reſinæ ſtoracis calam. ℨij. ſpecier. diaireos n. ſuperius paulo deſcriptarum ℥iß. pulv. Rad. enulæ ℨij. & ſi lubet pulv. croci opt. ℥j. eſſentiæ roſatæ ſaccharinæ, elæoſacchari, Aniſi an. ℥ß.

Fiant ſ. a. Rotulæ vel morſelli in affectibus pectoris catarrhoſis, tuſſi diuturna, pleuritide & phthiſi ipſa perutiles.

Rotulæ Purgantes & emeticæ *Zvvelferi.*

℞. Sacchar. albiſſ. in aq. roſar. ſoluti ac denuo ad conſiſtentiam tabulati cocti ℥iij. cui ab igne remoto & nonnihil refrigerato adde mercurii vitæ ritè ac dextrè parati & probè edulcorati ℨj. pulv. mechoacæ albæ ℨiij. Ireos florent. rad. ℨj. Fiant ſ. a. Rotulæ albæ boni ſaporis bonique odoris.

Qui per ſuperiora craſſorum ac vitioſorum humorum ſaburram exturbare nititur in corporibus robuſtis, præſtans hic habet remedium, modò in doſi non nimium excedat; in morbis diuturnis, chronicis, febre quartana, melancholia hypochondriaca, præſens ſunt remedium, Doſis à ℨi. ad ℨii. ad ſummum.

Rotulæ de Rhabarbaro *Pharmac. Norimberg.*

℞. Rhabarbari ſelecti, ʒij. Aquæ endiviæ ℥ij. coquantur & ſolvantur in eo decocto ſacchari ℥ij. Fiant Rotulæ.

Morſelli Stomachici *Zvvelferi.*

℞. Rad. acori, calami aromat. galangæ an. ℨiii. zingiberis ℨiß. inciſæ coquantur parum in ſ. q. aquæ ſimplicis ad ℔ß. circiter: cum colatura ſolvatur ſacch. albi can. ℔j. ac denuò ad conſiſtentiam tabulati coquendo redigatur, cui remoto ab igne adde.

Nucis Indic. conditæ & conſciſſ ℥iß. zingiberis Indici condit & conſciſſi ℥i. calami aromatici condit. cort. arantiorum, citri ana condit. & conſciſſ ℥ß. amygd. dulc. decorticat. piſtach. decort. ana inciſorum ℥i. nuc. moſch. conquaſſ. ℥ß. cardamomi minoris ℨiij. macis, piperis longi, caryophyll. an. ℨiß. cinamomi acuti inciſi ℥iß. Fiant ſ. a. morſelli qui ſtomachum & reliqua viſcera infrigidata confortant, appetitumque excitant, & flatus comprimunt.

Morſuli varii ac Rotulæ ex Timæo.

Morſuli Imperatoris purgantes.

℞. Sem. melon. excort. ℥ß. aquæ roſarum optim. ℥iiiß. m. F. emuſio in qua diſſolv. ſacchar. albiſſ. ℔j. Reſinæ gialapp. ℨv. adde ſpec. pro morſul. Imperat. ℨvi. m. F. ſ. a. morſuli.

Morſuli Hydragogi.

℞. Magiſter. gumm. de Goa ℨj. lævigetur in marmore cum ol. ſtillat. macer. poſtea adde reſin. gialapp. ſ. a. ſolut. ℨij. cinamomi acutiſſimi ℈iiij. caryophyll. ℈ij. maceris ℈j. aromata groſſo modo incidantur, & c. ſacchar. in aq. cinam. ſolut. F. morſuli.

Morſuli Cephalici.

℞. Specier. diambr. diamoſch. dulc. an ℨij. cubebar. ℥iij. cardamom. ℨi. nucis Indic. condit. ℥j. cort. aurant. condit. ℨvi. medull. nuc. indic. condit. ℨij. maceris ℨj. ſacchar. albiſſ. in aq. lavend. ſolut. ℔j. F. ſ. a. morſuli, oleo nucis moſchat. ſtillatitio conſpergendi.

Morſuli Cordiales.

℞. Confect. alkerm. de hyacinth. an. ℥ß. pulv. noſtri cordial. ℨij. condit. cort. citri ℥iß. flor. citri ℨvi ſpirit. roſar. rub. Idæi an. ʒi. ſacchar. albiſſ. in ſucco citri ſolut. ℔j m. f. ſ. a. morſuli.

Morſuli Pectorales

℞. Spec. diaireos ℥ß. looch ſan. & expert. ℥j. flor. Benzoes ℈ß. condit. rad. enulæ ℥iß. corticis citri ℥i. conditæ incidant groſſo modo & c. ſacchar. albiſſ. in aq. fæniculi ſolut. ℔j. F. ſ. a. morſuli.

Morſuli Stomachales.

℞. Gran. paradis ℨij. Affund. aq. cinamom. ℥iiij. ſtent in infuſione per noctem, manè colentur. In colatura diſſolv. ſacchar. albiſſ. ℥ix. add. ſpecier. aromatic. roſat. ℨij. cardamom. minor. ℨij. cubebar. ℨj. condit. cort. aurant.

rant.citri,carnis cytoniorum an.℥vi. *zingiber. Chinens.* ℥j. *condita & aromata incid.groſſo modo f. ſ. a. morſuli parvi,aſpergendi ſpiritu roſarum in quo ambra gr.* vi. *diſſoluta ſint.*

Morſuli præſervantes à peſte &morbis epidemicis.

℞. *Spec. liberant. ſine aloe* ℥ß. *de hyacintho* ʒij. *bol. Armen. terr. ſigillat. ligni aloës an.* ʒiß. *rad. zedoariæ , contra-ierva an.* ʒiiß. *condit. rad. Angelic.ſcorzoner. pimpinell. enulæ an.* ʒvi. *cort. citri* ℥iß. *confect. alkerm.* ℥ß. *ſacchar. in aqua noſtr. bezoardica ſolut.* ℔ij. *m. f. ſ. a. morſuli.*

Rotulæ Manus Chriſti purgantes.

℞. *Reſin.gialapp.ſ.a.ſolut.*℈iiij.*gr.xij.magiſter.perlar.* ʒj *ſacchar.albiſſ.in aq.roſar.ſolut.* ℥iij. *m. exactiſſimè F. rotulæ.*

Rotulæ contra Vertiginem &Apoplexiam.

℞. *Magiſter.ſuccin. alb.* ℥ß. *ol. ſtillat. carvi gutt.* IX. *nuc. moſchat. gutt.* IX. *macer. gutt.* VII. *ſacchar. albiſſ. in aq. euphraſ. ſolut.* ℔ß. *miſc. Fiat ſ. a. rotulæ.*

Rotulæ Cordiales.

℞. *Magiſter. perlar, coralior. an.* ʒij. *hyacinth.* ʒj. *confect. alckerm.* ℥ß. *ol. ſtillat. cinamom.gutt.* VII.*citri gutt. v. ſacchar. albiſſ.in aq.carbunc.ſolut.* ℥iiij.*m. F. rotulæ.*

Rotulæ Pectorales.

℞. *Spec.diaireos ſimpl.*℥ß.*looch.ſan.& expert.*℥j.*flor. Benzoes gr.* XI.*ſacchar.albiſſ.in aq.fænic.ſolut.*℔ß.*m.F. rotulæ.*

Aliæ cum floribus ſulphuris.

℞. *Flor.* 🜍*is ter ſublimat.*ʒij. *looch. de pulmon. vulpis* ℥j.*gumm.ammoniac.*℈iiij.*extract.ennulæ* ʒj.*ſacchar.in aq.tuſſilag.ſolut.*℥vi.*m.f.rotulæ.*

Rotulæ Stomachales.

℞. *Rotul. manus Chriſt. ſimpl.* ℔ß. *ol.ſtillat.cinam. gutt.*XI.*caryophyll.nuc.moſch.an. gutt.* IX. *citri gutt.* VII. *miſc.F. rotulæ.*

Rotulæ contra Vermes.

℞. *Sem.ſanct.*℥ß.*turpeth.elect.*ʒij.*rhabarb. opt.* ʒij. *reſin. gialapp. ſ. a. ſolut.* ℈j. *corallinæ* ʒj. *ol. citri gutt.* VII.*ſacchar. albiſſ. in aq. flor. perſic. ſolut.* ℔ß. *m.f. rotulæ.*

Rotulæ ,ſeu Morſuli ex Hofmanno.

Morſuli Caput confortantes.

℞. *Cardamom. cubebar. cinamom. el. caryophyll. an.* ℥iij. *macis* ʒj *Nuc.Moſchat.num.j. cortic. citri condit. inciſ* ʒ *j fl.anthos.betonic. lavendul. borragin. tunic. ana p. ij. pinear.piſtac.ana inciſ.*ʒiiij.*nuc. indic. condit. inciſ. num.j.confect. alkerm. cum ſacchar. ſ. q. ſolut. in aq. lil. convall.ſ.q.f.ſ.a.morſuli.*

Morſuli Anti-Phthiſici D.D.C.

℞. *Amygdal. dulc.mundat.* ℥j.*ſem.4.fr.major. excorticat.*ʒvj *papav.alb.*ʒj.*urtic.R. bombac. ana* ℈iv. *terantur in mortario lapideo affunde aqua Pulmonar. ſ.q. f. emulſio , cum qua diſſolve ſacchari albi* ℥vij.*roſat. tabul.* ℥v. *violat. tabul.* ʒvij. *ſpec.elect. reſumptiv. rec.* ℈ivß. *diatrag fr.* ℈ij. *diarrhod. abb. diatr. ſantal. ana* ʒß.*ſolut.margarit. Or. corall. ana gutt.* xx. *extract. liquirit.* ℈j. *lact.* 🜍*ris* ʒj. *Pulmon. vulpis pt.* ʒ *j.*

Inciſa miſce ad ignem blandum , inſtilla in fine extrà ignem ol.d.aniſi cinamom.ana gutt.v. f. confectio in Morſulis ponderantibus ʒij.

N. Pro divitibus addi poteſt ambræ Moſchi ana ℈ß.

Morſuli de Citro.

℞. *Solut.perlar.or.* ʒij. *diſſolve cum ſ. q. ſucci citri recent.ad formam pulticulæ.cortic.citri condit.inciſ.*ʒiij. *& ſupra ignem in patella ſolve ſacchari albi* ℥iv. *cum ſucco citri f.morſuli ponderantes* ʒij.

Morſuli Confortantes.

℞. *Carnis citri condit.nuc. Indiæ. condit. pyror. moſchatell.condit.cinosbat.condit.ana* ʒij.*cinamom.inciſ.*℈iij. *Amygdal.dulc.excortic.pinear. excortic. piſtac. excorticat.ana* ℥ß.*ſacchar.canar.in aq.cinamom.& roſar.ſolut.* ℥vj.*f.ſ.a. morſuli. pro divitibus addi poteſt confect. alkerm.* ℥j.

Morſuli Venerem ſtimulantes.

℞. *Electuar.diaſatyr.*℥j. *radic. eryng. condit. inciſ.* ʒvj.*pinear. excorticat. inciſ. amygdal. dulc. excortic. & inciſ.ana* ℥iij. *ſpec.aromatic.roſat. diarrhod. A. ana* ʒß. *ambræ gryſ.zibeth.opt.ana gr.*IV.*ſacchar.in aq.cinamom. ſolut.*℥vj.*f.ſ.a. morſuli.*

Rotulæ Caput confortantes. D. F. H.

℞. *Extract.calami aromatic.rutæ ana* ℈j. *ol. d. rutæ. ſuccin.ana* ℈ß.*ſacchar.alb.ſolut.in aq.rut ſ.q.* ℥iv.*f. Rotulæ.*

In præſervatione apoplexiæ, epilepſiæ , vertiginis &c.

Rotulæ in præſervatione & ipſo paroxyſmo etiam Melancholicæ hypochondriacæ.

℞. *Spec.diambr.roſat.novell.ana* ʒj.*margarit.ppt.or.* ʒß.*ſmarag.or.ppt.*℈j.*ambræ gryſ.gr.iij.ol.d.carvi gutt.*IV. *ſacchari ſolut.in aqua card.b.*℥iij.*f.confectio in rotulis.*

Rotulæ in tuſſi inveterata ex cauſa frigida.

℞. *Fl.* 🜍*ris ſ. terebinthin.coct.ut pulveriſari queat, ana* ʒß. *pulver.myrrh.el.ſem. angelic. ana* ʒß. *ſucc. liquirit.*ʒiß.*ſacchar.opt.penid.ana* ℥j. *cum infuſ.gummi tragac.fact.ex aq.tuſſilagin.f.trochiſci irrorat.ol.d.aniſi gutt.xiij S. Huſte-Kuchlein.*

Rotulæ,ſeu Morſuli ex collectione Theoph. Bierlingii,

Morſuli purgantes.

℞. *Mechoacann.nigr.*℈ii.*reſin.jalapp.ſcammon.ā.*℈ß. *cremor.*♀*r.*℈j.*ſacchar.in aq.roſ.diſſol.*℥iij.*m.f. confectio in morſulis n.x.Doſis mediat.*

Morſulatum vitrum ℥ij.

℞. *Vitr.*℥ij.*gumm.tragacanth.ana* ʒß. *ol. aniſ fæniculi.ā.gutt iij.ſacchar.*℥ß.*f.l.a.morſuli, addunt plerique croci gr.ix.Doſis horum morſulorum* ʒj.

Morſuli de ♀ro *D. Borbonii* quibus renum ſentinam feliciter eluere ſolitus fuit.

℞. *Cryſtall.*♀*r.puriſſ* ℥ij.*ſacchar.in decocto brodii cicerorum rubrorum diſſoluti* ℥v.*f.l.a.morſuli.*

Morſuli contra Catarrhos.

℞. *Extract. lign. aloes* ℈j. *nuc. moſchat. ſicc.* ʒß. *maſtich.elect.cubebar.ana* ℈j.*ſemin.coriand.ppt.* ʒj. *ſacchari in aq.roſar.ſolut.*℥iij.*f.conf.in morſul.*

Noctu ante cubitum ſumat partem dimidiam morſuli alicujus.

Morſuli

Morſuli confortantes J. A.

℞. Amygd. dulc. recent. ℥iß. piſtac. pinear. ana ℥ß. ſal. margarit. coralliorum ana ʒi. confect. alkerm. ʒii. ℔ cinamom. ʒß ſacchar. opt. aq. roſ. c. tragac. ſolut. q. ſ. F. Morſuli.

Morſuli purgantes *M. Lehmanni.*

℞. Gummi gott. ℥ß. rad. ireos, ʒß. croc. orient. ℈ß. ſacchar. alb. in ▽. roſ. diſſol. ℥iij. F. Morſul. a. ponderent ſinguli ʒj. D. in ſcatula.

Morſuli nutritivi & refrigerantes in hectica.

℞. Pinear. rec. in ▽. roſ. purat. ℥ß. amygd. dulc. excort. ʒv. ſem. melon. rec. cucum. cucurb. ana ʒij. ſpec. diarrhod. Abbat. *℈ v. mag. perlar. ℈j. ſacchari albi in ▽. roſ. & ſcabioſ. diſſolut. ℥xvi f. l. a. morſuli.*

Morſuli purgantes.

℞. Pulv jalapp. ʒiij. cremor. ♀r. ℈ij. dagryd. gumm. gott. ppt. ana ʒß. ſpecier. aromat. roſat. diarrhod. Abbat. *ana ℈ij. Pulv. croc. gr. vj. ſacchar. albiſſ. aq. cichor. & cinam. parum diſſol. ℥iiij f. l. a morſuli.*

Morſuli contra ardorem Gulæ.

℞. Lapid. percar. ʒiij ocul. ♋. ʒj. cretæ, macis ana ʒij. terræ ſigillat. ʒiß. maſtich. corall rubr. ana ℈ij. corn. cerv. ʒiß. ſacchar. in ▽. roſar. diſſol. ℔j. f. l. a. morſuli.

Morſuli contra Peſtem *D. Steinmetzens.*

℞. Rad. valerian. angelic. torment. biſtort. alb. ſcord. card. benedict. ana ʒß ſem. citri, acetoſ. coriandr ppt. ana ℈j flor. borragin. roſar rubr. macis, cinamom, bacc. laur. ana ℈ß. bol. armen. ver. ℈ii. c. c. ppt. ſpodii ppt. ana ℈j. ſantal. alb. citrin. Xyloaloes ana ℈ß. corall. rubr. ppt. margarit. ppt. ſmaragd. hyacynth. ſaphir. granat. ana ℈j. trochiſc. de camphor. ℈ij. fol. ☉. n. viij. ſacchar. albiſſ. diſſol. in ▽. roſar. & acetoſ. q. ſ. f. l. a. morſuli.

Morſuli laxativi *D. Doreri.*

℞. Agar. ʒij. turbith. ℥ß. dagryd. cinamom. maſtich. caryophyll. aniſi ana ʒj. ſacchar. alb. in ▽. roſ. diſſol. ℔j. f. l. a. morſuli ℥ß. pro doſi.

Alii.

℞. Turbith. alb. gummoſ. ʒv. hermodact. ʒiij. dagryd. ℥ß. zingiber. ʒj calam. aromat. maſtic. aniſi ana ℈j. cinamom. ʒß. mac ℈ß. ſacchar. alb. ℥vj f. l. a. morſul. cum ▽. menth. Doſ. ℥ß.

Alii.

℞. Dagryd. ʒij. ℈ß. cinamom. elect ʒj. mac. gr. vj. ſacchar. alb. ▽. roſar. diſſ. ʒiij. aq. cinam. ℥ß. f. l. a. morſuli. Doſ. ʒiß.

Morſuli Diacitri ſolutivi Dreſdenſium.

℞. Cort. citri condit. ℥ij conſerv. borrag. violar. ana ʒij. Pulv. turbith. opt. ʒiij dagryd. ʒij. ſpec. diatragac. frigid. ʒj. ſacchar. ℥iiß. diſſ. ▽. ſcabioſ. f. l. a. morſ. Doſ. ʒv.

Morſuli ad caput *D. Doreri.*

℞. Cinamom. zingiber. Ireos, macis, nuc. moſchat. cardamom. cubebar. caryophyll. ana ana ʒj. Fol. euphraſ. ℥ß. amygd. dulc. mund. ℥ij. ſacchar. albiſſ. ℥xvj. ſolut. in aq. euphraſ f. l. a. morſuli.

Morſuli laxativi *Ejuſdem.*

℞. Conſerv. violar. borragin cortic. citri. rad. bugloſſ. condit. ana ʒiij. zingiber. albiſſ. ℈iiiß. ſpecier. diatrag. frigid ʒvj. dagryd. ʒj. turbith ℥iß ſennæ ℥ij. ſacchar. opt. in ▽. roſar. diſſol. ℔j. f. l. a. morſuli.

Morſuli purgantes *D. Sultzbergeri.*

℞. Reſin. ſcammon. ℈iiij. Pulv. rad. mechoacann. ℈vij. flor. roſar. ʒiß parum irrorentur ſpir. ⊕-l. ſacchar. albiſſ. ſucc. berber ſolut. ℥iiß. moſcht in ſpir. roſar. ſolut. gr. ii. f. l. a. morſuli.

Morſuli de rhabarbaro *D. Landgravii.*

℞. Carnis citri condit. cortic citri condit. rad. eryng. condit. cichor. condit. ana ℥ß. cinamom. acut. macis ana ʒß. rhabarb. elect. craſſiuſcul. inciſ. ℥ß. cort. citr. recent. ʒij. ſucc. citr. q. ſ. ſacchar. alb. in ▽. roſar. & cinam. diſſol. ℥vij. f. l. a. morſul. confortantes.

Morſuli præſervativi *Ejuſdem.*

℞. Carnis citr. condit. cort. citr. condit. flor. citr. cond. ana ℥ß. cort. citr. recent. minut. inciſ. ʒiiij. ℔ citr. deſtill. gtt. vj. ſucc. citr puriſſ. q. ſ. ſacchar. canar. aq. citri & roſar. diſſolut. ℔j. f. l. a. morſuli.

Morſuli contra ardorem ſtomachi *D. Doreri.*

℞. Nuc moſchat. ʒj. caryophyll. aromat. ʒij. coriand. oryz. ana ʒj. contuſ. macerentur per XII. *horas in* ✻ *acerrim poſtea reſiccat. & pulveriſ. adde farin. piſor. ʒvj. lentium ʒj. mac. parum toſti Ligni aloes ſantal. rubr. coral. rubr. ppt. ana ℈j. cydon. ſiccat. ana ʒij. perſic. ſiccat. ana ʒij. ſpod. ex ebore ʒj. Lapid. cancr. ppt. Bol. Armeni ppt. ana ʒj. conſerv. roſar. veter. ℥iß. rob. berber. cydon. ā. ℥ß. ſacchar. canar. albiſſ. ▽. roſar. diſſol. ℥xvj. f. l. a. confect. in morſulos.*

Morſuli ſtimulantes venerem.

℞. Semin. eruc. urtic. aniſ. fœnic. paſtinae. ana ℥ſs. Pulv. priapi tauri, cervi juſto tempore collect. ana ℈ij. nuclear pinear. amygdal. dulc. piſtac. minut. conciſ. ana ʒj. nuc moſchat. cubebar. cardamom. ana ℈j. zingiber. ℈ſs. piper. long. ℈j. ſtincor. Ægypt. no. vj. ſpec. diamoſch. Diambr. ana ℈ij. ſacchar. albiſſ. in ▽. cinamom. ſolut. ℥vij. f. l. a. morſuli adde ℔ cinamom. gt. viiij. fœnic. gt. vij.

Rotulæ Venerem ſtimulantes.

℞. Pinear. piſtac. amygd. dulc. excort. ana ʒiij. piper. long. zingib. gran. paradiſ. ana ʒſs. bolet. cervin rad. Aaron. ppt. cand. ſtinc. marin. borrac. Venet. ana ʒj. cantharid. abſciſſ. alis & capitib. no. vij. extract. diaſatyrion. ℥iſs. ſacchar. optim. c. aq. roſar. diſſol. q. ſ. f. l. a. rotulæ.

Rotulæ laxativæ.

℞. Vitri ♁ii ʒj. gumm. tragac. ʒſs. m. ℔. aniſ. ℈ß. ſacchar. alb. ℥iij. f. l. a. rotul. Doſ. ʒj.

Rotulæ ambratæ *D. Oſvvalds.*

℞. Ambræ odorat ℈j. hanc irrorando ſpir. roſac. diutius contere ut paſta fiat, inde phiolæ hermeticè clauſæ ut ſervetur fragrantia atque terræ per menſem commenda, poſtmodum exime & adde: magiſt. perl. ſp. ⊕-l. fact. ʒj. Pulv. rad. ireos. ſpec. diambr. compl. diaireos ana ℈iß. amyl. ʒij ſacchar. cand. alb. ℥viij. penid. ℥iſs. cum mucilag. tragac. f. l. a. rotulæ.

Rotulæ ad aerem in benignum *D. Anderſoni Angli.*

℞. Cort. citr ℈ij. oſſ. de cord. cerv. margar. ppt. ana ℈ſs. ſaphyr. ppt gr. iij. ℔ macis gt. ii. cinamom. gt. v. ſpec. liberant. ℥ſs. diarrhod. Abbat. *ʒii. ſacchar. alb. clarif. ℔ſs. aq. ſcord. card. benedict. ana ℥iſs. cinamom. ℥ſs. coq. ad conſumtionem aq. formentur rotulæ ſ. a. quarum unaquaque ponderet ℈j.*

Rotulæ purgantes.

℞. ♀r. ⊕-l. ℈ij. Zingiber. alb. ℈j. Caryophyll. Gal. ā. ℈ß.

Nuc. moſchat. Mac. ana gr. vj Pulv. lign. aloes ℈ß. Cardamom. Spic. ana gr. vj Scammon. ppt. ℈iiii. Sacchar. in ▽. cinam. diſſol. ℥ii. F. confect. in rotulas doſ. ʒi.

Rotulæ præſervativæ *D. Laurentii.*

℞. *Pulv. Bezoard ʒii. Spec. liberant. ſ. aloe ʒß. diarrhod.* Abbat. *Confect de hyacinth. ana ʒii. Magiſt. perlar. corallior. Corn. cervi. ana ℈j. Extract zedoar. gr. xv. Sacchar. in aq. roſar. ſolut ℔j. extra ignem adde ☍. de cort. citri ℈ß. ſpir. roſar. ℈j f. l. a. Rotulæ.*

Rotulæ contra vermes.

℞. *☍ rut, laurin. ana ʒj. Aloes. Semin. ſancti ana ʒiß. Corall. ppt. ʒß. C. C. uſt. ppt. ℥ß. Sacchar. fin. ℥iii. Diſſol in Aq. menth. q. ſ. F. l. a. rotulæ.*

Aliæ.

℞. *Sem ſanct ʒß Galang. Zedoar. ana ℈ß. Fol. ſenæ ʒiii. Mercur. dulc ℈ß. gr. vi. Sacchar. in Aq. gram. ſol. ℥iiß. F. l. a. rotulæ. Doſ. ʒj vel ʒiß. ſingulis matutinis.*

Trochiſci ſublinguales.

℞. *Zedoar. ʒii. Angelic. Confect. alkerm. ana ʒiß. ☍ macis. citri. angelic. ana ℈ß. è mucilag. tragac. f. l. a. Trochiſci.*

Trochiſci vomitorii.

℞. *Flor. ♂. debit. ppt. ℥ß. Gumm. tragacanth. Sacchar. finiſſ. ana ʒvj. ☍. aniſ. ℥ii. F. cum diligentia confectio in trochiſc. quorum unuſquiſque juſte ponderat. ℈j.*

Trochiſci moſchardini optimi.

℞. *Sacchar. alb. ℥viij. Pulv rad. ireos alb. ℥ß. Moſch. opt. in ▽. roſar. diſſ gr. xii. Cum. mucilag. tragac. albiſſ. aq. roſac. fact. f. l. a. Trochiſci.*

Trochiſci ſublinguales de confectione alkermes.

℞. *Confect. alkerm ℥ß. Sacchar. alb. ℥xvj. Moſchi, Ambræ gryſ. ana ℈ß. Mucilag. Tragac. c. aq. roſar. fact. q. ſ. f. l. a. Trochiſci.*

Alia deſcriptio.

℞. *Confect. Alkerm. compl. ℥i. Succ. kermes ʒii. Moſc. gr. viii. Ambr. gr. vj. Sacchar. Taberzeth Penid. ana ℥ix. Cum mucilag. tragac. aq. roſar. fact. q. ſ. f. l. a. trochiſci.*

Rotulæ & Morſuli ex Hadriano à Mynſicht.

Rotulæ Smaragdinæ.

℞. *Smaragdi ppt. ʒij. corn. alc. ſpagyricè calcin. ʒiß. Sem. pæon. mar. decreſcente luna collecti, ſem. citri de cortic. ana ʒj. galang. min rad. dictamn. alb. gran. Croci orient. præp. Cubebarum Viſci quercin. ana ʒß. Mag. Perlar. or Corallor. rub. Hyacinth. præp. ana ℈j. Ol. Succini alb. rectif. Nuc. Moſchat. Macis Cinamomi ana ℈ß. Roris marin. Lavendulæ ana Gut. iiij. Sacchari albiſſ. in aqua Apoplect & Epileptica noſt. ana abſſolut. ℥xvj. Miſc. & fiant l. a. Rotulæ.*

Vires, Uſus, Doſis. Miraculosè ab Apoplexia, Epilepſia, Paralyſi, &c. præſervant. Vertiginem corrigunt. Cerebri debilitatem auferunt. Memoriam & ſenſus acuunt. Caput confortant. Spiritus recreant. Literatos omnes meditationibus continuis curiſque variis facultates animales, periculosè debilitantes, maximè juvant atque liberaliter ſuſtentant.

Rotulæ Hyacinthinæ.

℞. *Spec. Diarrhod. Abbat. Diamargar. frig. ana ℥ß. Hyacinthi præp. ʒij. Flor. Nitri ʒj. Mag Corallor. rub. ℈j. Ol. Stil. Roſar. ℈ß. Sacchari albiſſ. in aqua flor. Nymphææ ſ. q. diſſolut. ℥xvj. Miſc. & fiat l. a. Confectio in Rotulis.*

Vires, Uſus, Doſis. Ad univerſi corporis caliditatem & inflammationem conferunt, omnemque virium imbecillitatem firmant, Syncopen juvant, atque longo morbo dejectos ſupra modum recreant, refrigerant, ac confortant. Aſtmaticis, Cardiacis, Hepaticis, Ictericis, Tabidis, Tuſſientibus & malignè Febricitantibus mirè auxiliantur. Doſis à 2. 3. ad 4. & 5. ſæpius in die.

Rotulæ Cordiales.

℞. *Spec. Diarrhod. Abb. ℥ß. Conf. Alkermes ʒij. Margarit. Trochiſcat. Mag. Corallor. rub. ana ℈j. Ol. Caryophyllor. Macis an. Gut. iiij Sachari albiſſ. in aq. Cinamomi diſſolut ℥viij Miſc. & fiat Confectio in Rotulis.*

Vires, Uſus, Doſis Cor inſigniter confortant, illudque ab omni corruptione illæſum præſtant, & ne facilè à maligno aëre depravetur, tutantur. Doſis 2. 3. vel 4. pro una vice.

Rotulæ Pectorales.

℞. *Spec. Diatragacanth. frigid. Dia-Ireos ſimpl. ana ℥ß. Lact. Sulphur. ʒij. Pulv Benzoin. ʒj. Ol. Fœniculi ℈j. Sacchari albiſſ. in lact. ſem. Papav. alb. cum aq. Violarum ext. diſſolut. ℥xvj.*

Vires, Uſus, Doſis. Ad omnem faucium & linguæ aſperitatem valent. Pectoris & thoracis gravitatem à cauſa calida & ſicca allevant. Tuſſientes, Phthiſicos, tabidos, macie confectos, & eos, qui defluxionibus è capite obnoxii ſunt, juvant. Doſis quavis hora 1, 2. vel 3. pro una vice.

Rotulæ Pectorales Citrinæ.

℞. *Loh. ſani & experti Spec. Diarrhod. Abb. ana ℥ß. Suc. Glycyrrhiz. ext. Flor. Sulphuris ana ʒi. Pulv. Bentzoin. Rad. Ireos flor. ana ℈j. Ext. Croci oriental. Bal. Sulphuris aniſat. ana ℈j Sacchari albiſſ in aq. Fœniculi diſſolut. ℥xvj. Miſc. & fiant l. a. Rotulæ.*

Vires, Uſus, Doſis. Pulmones expurgant. Pectus leniunt. Sputum facilitant. Ideoque tuſſiculoſis, Pleuriticis & difficulter ſpirantibus mirum in modum auxiliantur. Doſis ſæpius in die ab 1. 2. ad 3. vel pro una vice.

Rotulæ Pectorales Rubræ.

℞. *Spec. Diarrhodin. Abb. ℥i. Loh. Sani & exp. ℥ß. Conf. Alkermes ʒij. Suc. Glycyrrhiz. ext. Flor. Sulphuris ana ʒj. Pulv. Bentzoin Rad. Ireos flor. ana ʒß. Ol. Aniſi ℈j. Sacchari albiſſ. in aq. Hyſſopi cum ſantal. rub prius diſſolut. ℥xvj Miſc. & fiat l. a. Confectio in Rotulis.*

Vires, Uſus, Doſis. Thoracem & Pulmonem expurgant, eoſque ad expectorandam craſſam & lentam materiam roborant. Hinc Tuſſi diuturnæ, Aſthmati & Pleuritidi auxiliantur. Doſis à 1. 2. 3. & 4. pro una vice.

Rotulæ Lac Provocantes.

℞. *Cryſtallorum præp. ℥ß. Corallor. rub. præp. ʒi. Margarit. præp. Piperis longi ana ʒß. Ol ſem. fœniculi ℈j ſacchari albiſſ in aq. Nuc. Moſchat. diſſolut. ℥ij. Miſc. & fiat l. a confectio in rotulis.*

Vires, Uſus, Doſis. In provocatione lactis ſecretum eſt: dantur Nutricibus ſingulis diebus manè, meridiè & veſperi 4 aut 5. pro una vice.

Rotulæ Refectivæ.

℞. *Margarit. trochiſcat. ʒj. Mag. corallor. rub. Ambræ griſeæ ana ℈j. ſacchari albiſſ. in lact. Amygd. dulc. cum aq. Roſar. Ext. diſſolut. ℥iiij. Miſc. & fiat l. a. Confectio in Rotulis.*

Vires, Uſus, Doſis. In morbis chronicis vires reficiunt, alunt & deſperatos refocillatis viribus ſanitati reſtituunt totamque naturam corroborando conſervant & ad priſtinum robur recuperandum conducunt. Doſis eſt, ut, neceſſitatis uſu ita depoſcente, duæ vel tres aſſumantur, & ſenſim lingua confricentur, ac deinde deglutiantur.

Rotulæ Stimulantes.

℞. *Borracis Venet. ʒij. ſem. linguæ avis ʒj. Boleti cervini, carnis ſcincor. ana ʒß. piperis long. ℈j. cantharid. corp. ol. cinamomi ana ℈ß. ſacchari albiſſ. in aq. rad. ſatyrii & anthos diſſ. ℥vj. Miſc. & fiant l. a. Rotulæ.*

Vires, Uſus, Doſis. Mirabiliter irritant atque excitant: Propterea ad impotentiam & læſam virilitatem quam maxime valent. Doſis eundo cubitum à 3. 4. 5. ad 6. plus minuſve pro ratione puelli. Sumi etiam poſſunt poſt primam coctionem à media ſcilicet nocte.

Rotulæ Aromaticæ.

℞. *Galangæ min.* ʒiß. *calami aromat. gran. paradiſi, zingib. alb. ana* ʒj. *caryophyllor. caſſ. ligneæ, zedoariæ, pimpinellæ, piperis longi, ſem. carvi. ana* ʒß. *Cubebarum, nuc. moſchat. croci Orient. maceris, ana* ʒj. *ol. cinamomi, menthæ criſp. aurantior. roriſmarini, ana* ℈iß. *ſacchari albiſſ. in aq. Stomachal. noſt. diſſolut.* ℥xvj. Miſc. & fiat l. a. confectio in rotulis.

Vires, Uſus, Doſis. Omnia membra principalia; utpote: Caput, cerebrum, ſtomachum, cor. hepar, lienem, inteſtina, &c. refrigerata, egregiè calefaciunt, corroborant, atque à doloribus præſervant. Colicam impediunt. Vomitum phlegmaticum ſiſtunt. Appetentiam excitant. Nec non flatus ventriculum diſtendentes probè diſcutiunt, omnemque totius corporis noxam à cauſa frigida proficiſcentem curant. Doſis quovis tempore 2. 3. 4. vel 5. pro una vice.

Rotulæ Reſrigerantes.

℞. *Spec. diarrhod. abbat.* ℥j. *elæoſacchari citri, flor. nitri. ana* ʒij. *cryſtallor. præp.* ʒi. *tinct. corall. rub. granor. chermes, ſantalorum. ana* ʒß. *mag. ſaturni,* ℈j. *ol. ſtil. roſarum, gr. iv. ſacchari albiſſ. in ſuc. berber. & ribes ana diſſolut.* ℥xvj.

Miſc. & fiat, l. a. confectio in rotulis.

Vires, Uſus, Doſis. Inſigniter refrigerant, & ad extinguendam ſitim in morbis quaſi ignitis febribuſque acutis ſunt admodum convenientes. Confortant Stomachum & calidum innatum, Cor & Hepar ſupercalefactum alterant, & omnes inflammationes tam internas quam externas modeſtè delent, ſuaviterque ſiſtunt. Doſis pro libitu 2. 3. 4. vel 5. pro una vice.

Rotulæ Carminativæ.

℞. *Ol. Carminativi noſt.* ʒiß. *cinamomi, caryophyll. ana* ℈ß. *ſacch. albiſſ. in aq. carminativ. noſt. diſſol.* ℥xvi.

Miſc. & fiat l. a. confectio in rotulis.

Vires, Uſus. Doſis. Diſſipant flatus & ventoſitates in Ventriculo & Inteſtinis latentes. Concoctionem juvant. Acido ructui medentur. Nephriticos dolores urinam provocando, & calculum educendo, leniunt. Dantur neceſſitate ita exigente 3. 4. aut 5. pro una vice.

Rotulæ Diacymini.

℞. *Spec. diacymini, dianiſi, an.* ℥ß. *diamoſchi dulc. diambræ, an.* ʒi. *balſ. ſulphuris aniſat. ol. fœniculi, an.* ℈j. *aurantiorum, macis, ana* ℈ß. *ſacchari albiſſ. in aq. benedict. ſerpilli noſt. diſſolut.* ℥xvj.

Miſc. & fiat l. a. Confectio in Rotulis.

Vires, Uſus, Doſis. Inteſtinorum flatus potentiſſimè diſſipant, & proſunt ad omnes frigidos affectus. Cephalicis, Vertiginoſis, Stomachicis, Arteriacis, Tuſſientibus, Aſthmaticis, Cardiacis, Jecineroſis, Lienoſis, Inflatis, Colicis, Quartanariis & Senibus mirificè ſuccurrunt. Concoctionem juvant. Cachexiam emendant: & Hypochondriorum diſtentionem ſaluberrimè liberant. De quibus ſumat æger unam atque alteram ad lubitum.

Rotulæ contra Vermes.

℞. *Sec. diacinæ noſt.* ℥ij. *ſacchari albiſſ. in aq. rad. graminis & Tanaceti an. ſ. q. diſſ.* ℥xvj.

Miſc. & fiat confectio in rotulis, ut eſt artis.

Vires, Uſus, Doſis. Vermes interficiunt & educunt. Exhibentur quotidie pueris lumbricis ſcatentibus duæ, tres, vel quatuor aut quinque plus minuſve, pro una vice.

Rotulæ Mithridaticæ, præſervantes.

℞. *Extract. mithridatii cum aceto deſtill. parat.* ʒiß. *corn. cervi ſpagyricè calc. ſem. citr. excort. flor. ſulph. comp. ſmaragd. præp. boli rub. or. præp. an.* ʒij. *rad. tormentillæ, zedoariæ, an.* ʒß. *margaritæ trochiſcat. mag. corall. rub. camphoræ, an.* ℈j. *ol. ſuccini alb. rectif. angelicæ, ā* ℈ß. *Caryophyllor. rutæ, an. gr. iv. ſacchar. cryſtallini in aq. oxalidis & roſar. diſſolut.* ℥vj.

Miſc. & fiat l. a. confectio in rotulis.

Rotulæ Theriacales liberantes.

℞. *Ext. theriacæ Androm. cum aceto deſtillat. parat* ʒiß. *corn. alcis ſpagyricè calc. terræ ſigillatæ, ſem. acetoſæ. tinct. ſulph. hyacinth præp. an.* ʒj. *rad. enulæ camp. angelicæ, an* ʒß.

℞. *Lign. aloës ponderoſi. oſſ. de corde cervi, ſuccini alb. præp. an.* ℈j. *ol. camphoræ veri, myrrhæ rub. an.* ℈ß. *caſſiæ ligneæ, zedoariæ, an. gr. iv. ſacchari albiſſimi,* ℥xvi.

Miſc. & fiat Sacchato diſſoluto in aq. Card. Bened. & Scabioſæ, confectio in Rotulis.

Rotulæ Anglicæ præſervativæ pro gravidis.

℞. *Extr. rad. angelicæ cum aceto diſtillat. fact.* ʒiß. *corn. cervi ſpagyricè calc. terræ ſigillatæ, boli arm. præp. rad. pæoniæ fœm. ſem. acetoſæ. an.* ʒj. *margaritæ trochiſc. mag. corall. rub. hyacinth. præp an* ʒß. *macis in aceto macerat & exſic. caſſiæ ligneæ, croci or. an.* ℈j. *ol. ſuccini alb. rectif. zedoariæ, an.* ℈ß. *caryoph. citri. an. gr. iv. ſacchari cryſtallini in aq. tormentillæ & Veronicæ diſſolut.* ℥xvi.

Miſc. & fiant l. a. placentulæ.

Rotulæ Zedoarticæ, Salvificantes pro Puetis.

℞. *Ext. zedoariæ cum aceto diſtill. fact.* ʒiß. *corn. alcis ſpagyricè calc. ſuccini alb. præp. terræ ſigillatæ, bol. rub. or. præp an.* ʒj *rad. pæoniæ maris, diptam. alb. tormentillæ, ā.* ℈ij. *ſmaragd. præp. hyacinth. præp. ſem. citri excort. acetoſæ, cinæ, an.* ʒß. *mag. corall. rub. perlar. or. oc. cancri, oſſ. de corde cervi, balſ. ſulph. an ſ. an.* ℈j. *ol. cinamomi, macis, citri, an. gut. iv. ſacchari albiſſ.* ℥xvi.

Miſc. & Sacchato ſoluto in aq. flor. Nymphææ & Roſarum ana ſ. q. f. confectio in placentulis.

Vires, Uſus, Doſis. Contra Peſtis contagionem quam maximè valent: ab illa enim liberant, totumque corpus à corruptione præſervant, &, ne à maligno & peſtifero aëre lædatur, tutantur. Doſis tempore neceſſitatis, 2. vel 3. pro una vicæ.

Rotulæ Catarrhales calidæ.

℞. *Spec. diamoſch. dulc. diambræ, an.* ʒj. *arom. roſ. dia-ireos ſimpl. an.* ℥ß. *thuris elect. maſtichis, corn. cervi. præp an.* ℈j *ſacch. albiſſ. in aq. betonicæ diſſolut.* ℥v.

Fiant Rotulæ, quæ ol. Caryophyllorum leniter innungantur.

Vires, Uſus, Doſis. Quando humor è cerebro per nares, os, oculos, præter naturam excernitur, vel ſi ad partem aliquam corporis dilabitur, atque in ea continetur, functionibus ejus partis læſis, qualitatibus atque excrementis à naturali ſtatu mutatis, percipitur, hæ Rotulæ per celebres ſunt: omnes enim Catarrhos frigidos ſiſtunt, caput, pectuſque confortant. Doſis à tribus ad quatuor pro una vice.

Rotulæ Catarrhales frigidæ.

℞. *Semen. papav. alb. contuſ.* ℥iv. *ſiliquarum craſſiuſcule inciſar.* ℥ij.

Infundantur per aliquot dies in aq. Scabioſæ & Tuſſilag. ana ſ. q. Poſtea deſtillentur, & in hujus ſtillaticii liquoris ſ. q. diſſolve Gran. Maſtichis ℥j. coquantur parum & filtrentur, & additis Sacchari albiſſ. ℥viij. f. l. a. Rotulæ.

Vires, Uſus, Doſis. Quando Catarrhus eſt tenuis, acris, caput calidum, facies & oculi rubicundi apparent, partes, per quas defluit, exaſperantur, & exulcerantur, amaritudo & ſalſedo percipitur. Febris adeſt, hæ Rotulæ valde commendabiles ſunt. Doſis à tribus ad quatuor pro una vice.

Morſuli Cephalici.

℞. *Conſ. flor. pæoniæ, anthos. an. ℥ſs. ſpec. diamoſch. dulc. diambræ, cranei humani ſpagyricè calc. cornu alcis eodem modo calc. an. ʒj. rad. & ſem. pæoniæ debitè collect. viſci quercini, an ʒſs. ol. ſuccini alb. rect. ℈j. lavendulæ, nuc. moſch. carvi, an. gr. iv. ſacch. albiſſ. in aq. apoplect. & epilept. noſt. an ſ. q. diſſol. ℥xvi.*

Miſc. & fiat ut eſt artis, Confectio in Morſulis.

Vires, Uſus, Doſis. A tota ſubſtantia tam in curando quam præſervando Epilepſiæ, Apoplexiæ, Paralyſi. caro, &c. cæteriſque periculoſiſſimis capitis, cerebri & nervorum adfectibus conferunt. In præſervatione Doſis à ʒſs. ad ʒj. In omnibus Lunæ quadris malaque aeris conſtitutione. In curatione autem datur à ʒj. ad ʒij. & iij. in ipſo paroxyſmo Epileptico vel paulò poſt, per ſe vel in vehiculis appropriatis: Et ſi neceſſarium fuerit, reiterandum. Pueris pro ratione ætatis dimidia aut minor doſis ſufficit.

Morſuli Regii.

℞. *Piſtat. virid. ℥ij. pinearum mund. amygd. dulc. an. ℥i. margar. trochiſc. mag. corallor. rub. an. ʒj. flor. cordial. minutim inciſ. an. p. j. ol. macis, ℈j. ſacchari albiſſ. in aq. roſar. diſſ. ℥xvi.*

Miſc. & fiat Confectio in morſulis, ut eſt artis.

Vires, Uſus, Doſis. Saporis ſunt grati & ſupra modum confortant, alunt & nutriunt. Phthiſicos, tabidos, longoque morbo extenuatos & imbecillitate languentes recreant. In doſi non facilè errari poteſt; Quia cum cibo, ante cibum, & poſt cibum ad libitum ægrotantis ſumi condecenter poſſunt.

Morſuli Roſati.

℞. *Conſ. roſarum rub. opt. ℥ij. ſpec. diarrhod. abbat. ℥ſs. de gemmis frig. diamarg frig. an. ʒij conf. alkermes, troch. de berberis flor. nitri, an. ʒi mag. perlar. or. corall. rub. an. ʒſs. elæoſacch. roſarum, citri, an. ℈j. cinamomi, macis, ā. ℈ſs. ſacchari albiſſ. in aq. roſar. & fragor. ā. ſ. q. diſſol. ℥xvi.*

Miſc. & fiat, ut eſt artis, confectio in morſulis.

Vires, Uſus, Doſis. Ad Capitis, cordis, ventriculi, Jecinoris, Uteri, Renum, &c. intemperiem calidam; Item, ad febres ardentes, bilioſas, &c. valent. Debiles longoque morbo dejectos recreant, & ad priſtinum robur conducunt. Tremori cordis, defectioni animæ ac concoctioni auxiliantur; nec non illos, quibus forma corrumpitur, maximè juvant. Doſis à ʒij. ad ℥ſs.

Morſuli Pectorales.

℞. *Lohoch. ſani & experti, ℥ii. ſpec. diarrhod. abbat. ℥i. flor. ſulphur. comp. ſuc. glycyrrhiz. ext. an. ʒij. pul. rad. ireos flor. alipt. moſch ā ʒi. balſ. ſulphuris aniſat. ol. fœniculi ā. ℈ſs. ſacch. alb. in aq. praſſii & tuſſil. ā. ſ. q. diſſ. ℥xvi.*

Miſc. & f. ut eſt artis, confectio in morſulis.

Vires, Uſus, Doſis. Tuſſi diuturnæ, vocis aſperitati, & Aſthmati ſtrenuè ſuccurrunt. Spirandi difficultatem auferunt. Humores in pectore & pulmone craſſos incidunt, attenuant & inde natum dolorem levant. Doſis quavis hora ad libitum patientis à ʒſs. ad j. & ʒij.

Morſuli Refectivi de Cancris.

℞. *Carn. cancrorum fluviatil. in aquis pectoralib. coct. ℥ii. conſ. roſar. damaſc. ℥iſs. pinearum mundat. piſtat. virid. amygdal. dulc. ā. de nocte in aq. ſcabioſ. macerat. ℥i. ſacchari albiſſ in aq. pulm. vituli noſt. diſſolut. ℥v.*

Miſc. & in fide adde:

Syrup. maſtichin. ℥i. lact. ſulphuris, ʒii. margaritæ trochiſcat. ol. nuc. moſchat. exp. ā. ʒj. balſ. ſulph. aniſ. ℈j.

Miſc. & fiat, ut eſt artis, ſingulari diligentia confectio in Morſulis.

Vires, Uſus, Doſis. Arcanum eſt contra Phthiſin & conſumptionem corporis, quod multis aliis remediis meritò præferendum. Nihil enim ferè eſt, quod humidum radicale magis conſervet, quàm hi Morſuli. Vires amiſſas reſtituunt, & membra principalia confortant. Doſis, ſæpius in die à Drach. ij. ad Unc. ſs. plus minuſve pro ratione complexionis & ſexus.

Morſuli Stomachici.

℞. *Diacydonii ſimpl. ℥ii. zingib. de china cond. ℥i. calamit. aromat. virid. condit. ℥ſs. nuc. moſchat. caſſiæ ligneæ veræ, galangæ min. macis, ā. ʒi. ſem. coriand. præp. ameos, ā. ʒſs. ol. caryophyllor. cinamomi, ā. ℈j. ſacchari albiſſ. in aq. Stomachal. noſt. diſſol. ℥xvi.*

Miſc. & fiat, ut eſt artis, confectio in morſulis.

Vires, Uſus, Doſis. Stomachum infrigidatum ſummoperè confortant cibumque in eo continent. Membra nutritionis collapſa, debilia, corroborant & ſtipticant. Appetitum & guſtum potenter excitant. Flatus diſcutiunt & ventoſitates reſolvunt. Hypochondriorum tenſionem demoliuntur. Priſtinum calorem reſtituunt. Fœtorem corporis removent, illiſque, qui frigida viſcera habent, mirè conferunt. Doſis a Drach. j. ad Drach. ij.

Morſuli Hepatici.

℞. *Rad. Scorzoneræ condit. cichorei condit. an. ℥i. ſpec. diarrhod. abbat. conſ. roſar. rub. uvarum paſſ. āā. ℥ſs. flor. citri condit. ʒii. mag. corallorum rub. chalybis cum aceto tamarind. præp. ſpodii præp. hepatis lupi exſic. āā. ʒj. ſem. acetoſæ, portulacæ, an. ʒſs. flor. hepaticæ alb. ℈j ſacch. alb. in aq hepat. frig & calid. noſt. diſſ. ℥xvi.*

Miſc. & fiant l. a. Tabulæ auro coopertæ.

Vires, Uſus, Doſis. Ad debilitatem ſeu imbecillitatem Hepatis valent, ac ejuſdem obſtructiones auferunt, roburque adjiciunt. Morbo Regio, nec non aquæ intercuti, maloque corporis habitui ſuccurrunt. Doſis à Drach. i. ad Drach. ii. & Unc. ſs.

Morſuli Martiales.

℞. *Limaturæ martis cum aceto tamarindor præp. ℥i. caſſiæ ligneæ veræ, galangæ minor. caryophyll. ā. ʒi. macis, croci or. an. ℈i. ol. cinamomi, ℥ſs. ſacch. albiſſ. in aq. abſinthii & Centaur. min. diſſol. ℥viii.*

Miſc. & fiat, ut eſt artis, Confectio in Morſulis.

Vires, Uſus, Doſis. Valent ad omnes obſtructiones, præſertim Lienis, & ad omnia vitia Stomachi, Cordis, Capitis. Pallorem faciei, menſes movendos, &c. Sumendi autem manè 4. horis ante paſtum, ſuperbibendo hauſtum vini Abſinthiaci. Utatur etiam poſt aſſumptos ſingulos morſulos, moderato exercitio poſt horam. Doſis à ʒii. ad iij. pro una vice.

Morſuli Viriles.

℞. *Conf. de Succulata Inda noſt. ℥j. piſtat. virid. amygd. dulc. pinear. mund. an. ℥ſs. nuc. moſch. condit. ʒii. borrac. Venet. galang. min. piperis longi, cardam. min. an. ʒj. verat. tauri, cervi. an. ʒſs. galliæ moſchat. ſem. ling. avis, urticæ, carn. ſtincorum, croci or. an. ℈i. ol. caryophyllor. macis exp. cinamomi, an. ℈ſs. ſacchari albiſſ. in aq. rad. ſatyrii & anthos, an. ſ. q. diſſ. unc. xvi.*

Miſc. & fiat, ut eſt artis, Confectio in morſulis.

Vires, Uſus, Doſis. Ad maritale munus viriliter obeundum, egregiam & quidem extemporaneam præſtant operam: Quos proinde ſingulariter commendatos velim iis, qui in officio ſuo tardiores ſegnioresque facti, ita ut ſi deferantur ad judicem, cauſa cadant. Doſis pro prælio feliciter veſperi inchoando continuandoque à Drach. i. ad Drach. ij. ad Unc. ſs. ſuperbibendo parum vini Malvatici vel alius generoſi.

Morſuli Diacretæ.

℞. *Cretæ ter quatervè aq. violar. ablutæ,* ℥ß. *oc. cancri præp.* ʒii. *nuc. moſchat. boli armen. an.* ʒi. *corallor. præp.* ʒß. *margarit. præp. cinamomi inciſ. an.* ℈i. *lap. carpion. præp. macis torrefact. croci Or. an.* ℈ij.

Sacchari alb. in aq. Roſar. diſſol. ℥viii. f. l. a. Morſuli.

Vires, Vſus, Doſis. Valent contra ardorem Stomachi, qui aliàs non periculoſus, ſed valde moleſtus, & aliquando etiam ſanis ſæpè familiaris eſt, cum cibo ſumpto, tùm jejunis; & imprimis cum eructare volunt, intercluſo quaſi flatu igneo, & erumpere non valente: Hunc ebullientem dolorem ſiſtunt, & cauſam hujus mali tollunt. Doſis à Drach. j. ad Drach. ij.

Rubefacientia, vid. ſub titulô, *Attrahentia.*

Rubeta, vid. *Rana.*

RUBIA TINCTORUM.

Rubia Latinis, Græcis ἐρυθρόδανον à rubro radicis colore dicta eſt. Quæcunque ergo in hoc genere rubro radicis colore ſuntRubias appellandas duximus.

Nom. Rubia tinctorum *Ger.* Sativa *I. B.* Major ſativa ſive Hortenſis *Park.* tinctorum Sativa *C. B.*

J. B. Sarmenta longa producit, quadrata, uncinulis crebris hamata, geniculata; ad quorum ſingulos nodos folia rotatim radiata circumponuntur, Aparines modo, ſed multis numeris majora, conſimiliter aſpera, hiſpidis crenulis per ambitum inciſa, veſtibus tenaciter hærentia: ex quorum alis pediculi exeunt flores ſuſtinentes ex luteo herbidos, ſtellatos, tetrapetalos (pentapetalos J. B. q) apiculis luteis: quibus ſemina ſuccedunt rotunda. Per maturitatem nigra radices ſubſunt numeroſæ, reptantes, ſucculentæ, ruffæ, miniatæve, dura, lignoſa, matrice farctæ, ſapore mixto dulci, acerbo & ſubamaro.

In Hortis colitur magna copia ad lanas tingendas.

Vires, & Vſus. Rubia tinctorum vulnerariis potionibus admiſcetur. An verò abſtergat & aperiat, an potius adſtringat controvertitur. Qui adſtrictionem ei attribuunt adverſus fluxum menſium, hæmorrhoidas & dyſenterias propinant. Qui aperiendi facultatem in ictero, hydrope, urina obſtructa & ſanguine coagulato exhibent. Et fortaſſe utriuſque qualitatis particeps eſt, primo aperientis, poſtea adſtringentis, quemadmodū rhabarbarum. Quæcunq; enim tingendo idonea ſunt, tenuium partium meritò cenſentur, adeòque facile penetrant & obſtructiones reſerant: & pleraque ejuſmodi menſes & urinam cient, & ictero conducunt, Ex altera verò parte ſapor acerbus facultatem adſtrictoriam indicat.

A tinctoribus adhibetur hujus radix ad coloris rubri præparationem.

Expetuntur folia Senenſibus mulieribus ad ſtannea vaſa detergenda: ſiquidem mirum dictu quàm pulcherrimè niteſcant quæ rubiam fuerint experta. *Raius.*

Rubinus, vid. ſub titulô, *Lapis.*

Rubiola, vid. *Aparine.*

Rubrica, vid. ſub titulô, *Terra.*

Rubrificatoria, vid. *Sinapiſmus.*

RUBUS.

Rubus Græcis βάτος, vel quòd virgulta ejus rubeant dicta putatur, vel quòd mora ejus compreſſa ſanguineum ſuccum reddant. Fructu è pluribus acinis arctè ſtipatis compoſito uni & ſimplici flori ſuccedente, foliis in plura ſegmenta partitis, necnon parvitate & imbecillitate ſua à reliquis fruticibus bacciferis diſtinguitur.

Vires Rubi vulgaris, ſeu Sylveſtris.

Omnibus propemodum hujus plantæ partibus multas vires attribuunt veteres, de quibus Plinius & Dioſcorides conſulendi. Galeno rubi folia, germina, flos, fructus & radix qualitate adſtringente participant, eaque non obſcura. Fructus immaturus aſtringit potenter, maturus temperatior eſt, & ſubaſtringit: hinc in quibuſcunque profluviis, vomitu, fluxu alvi, uteri, narium, &c. utilis eſt: extrinſecus in aphthis aliiſque ulceribus oris inque Vulneribus adſtringendis. Commendantur à nonnullis, nec præter rationem, ad ſcorbutum; ſiquidem nec facie, nec qualitatibus multum differre videtur à fructu Chamæmori Alpinæ, qui ad hunc morbum ſpecificum eſt. Quocirca non eſt cur eorum eſus tam ſeverè pueris interdicatur. Dices Galenum affirmare dolorem capitis inducere copioſe iis veſcentibus. At Tragus ſe id necdum expertum eſſe ſcribit. Verùm (inquies) teſtatur ipſe Tragus mora illa vehementer refrigerare, ita quidem ut ſi quis aquam ſuperbibat eum horrores febriles continuo obruere poſſe. E contra J. Bauhinus ſe ſæpius comediſſe copioſe, nec nocumentum ſenſiſſe ait, quamvis frigidum & humidum ac pituitoſum haberet ventriculum, apud noſtrates infames ſunt quòd Achores & tineam capitis cauſare credantur, unde &...... dicuntur & hoc nomine ab eorum eſu pueri deterrentur. Hoc ego pro populari errore habeo: nec puto eorum uſum hoc reſpectu magis nocivum eſſe quam aliorum fructuum horariorum, qui ſi copioſè nimis ingerantur in ventriculo putreſcere apti ſunt, & hujuſmodi fortè affectus inducere.

E ſucco mororum Rubi vulgaris expreſſo & fermentato cum tantillo ſacchari parari poteſt vini quoddam genus ſatis generoſum & guſtui gratum.

Flores iiſdem viribus pollent quibus fructus immaturi.

Foliorum decoctum in gargariſmis & collutionibus ad aphthas & ulcera oris utiliſſimum cenſetur.

Rubi vulgaris baccæ ſuccum exhibent, qui in forma ſyrupi exhibitus maximæ efficaciæ eſt in dyſuria. D. Needham.

Vires Rubi Idæi.

Hujus baccæ eaſdem vires obtinent quas rubi vulgaris mora, magis tamen cordiales ſunt & guſtui gratiores.

Aqua è moris rubi idæi deſtillata, vel eorundem conſerva & gelatina, vel ſyrupus è ſucco paratus, ad febres ardentes conducunt, tum propter odorem ſuaviſſimum violaceum quem exſpirant, ſaporemque gratiſſimum inter dulcem & acidum, quibus & naribus & palato ſe commendant, corque roborant & exhilarant. Geſnerus ſyrupum vel Sapphyrinis vel Smaragdinis anteferre non dubitavit, idque expertus in ſeipſo & aliis.

Ex moris rubi idæi exprimi poteſt vinum ad uſus multos, nimirum ventriculum imbecillum, alvi fluxus, varioſque gingivarum, dentium, uvulæ, palati aliarumque partium affectus.

Qui cibos in ventriculo continere nequeunt, & frequentibus vomitionibus infeſtantur, his fructus rubi idæi devoratus, & folia recentia tuſa ac foris ſtomacho impoſita mirè proſunt. Trag. tum foliorum tenellorum decoctum, tum folia ipſa trita & impoſita, tum aqua deſtillata pota & illita, inflammationes quaſcunque ſedant & reſtringunt, ut Tragus, & alii volunt.

Folia

Folia rubi lixivio decocta, ſi illo caput aliquoties abluas capillos denigrant.

Vino cui infuſa ſunt rubi idæi mora ſaporem & odorem gratum communicant. Ex earum etiam pulpa cum ſaccharo laudatiſſima bellaria fiunt.

RUMEX, vid. *Lapathum.*

RUPICAPRA. De ejus deſcriptione, vid. ſub titulo, *Capra.* Hic tantùm de Partibus ejus, ut & Capri cervæ Officinalibus.

OFFICIN. NAT. EX RUPICAPRA.

1. *Sanguis.* 2. *Sevum.* 3. *Jecur.* 4. *Fel.* 5. *Stercus.* 6. *Lapis.*

1. *Sanguis* recens vertiginis eſt medela (*bibitus.*)

2. *Sevum* Phthiſi exulcerationique pulmonum ſuccurrit, (*cum lacte aſſumptum.*)

3. *Jecur* alvi fluxum ſiſtit, (*pulvis aſſumptus.*) (ad Vertiginem etiam eo utuntur.)

4. *Fel* oculorum nubeculæ, nyctalopiæque auxilio eſt.

5. *Stercus* calamum atterit & expellit.

6. *Lapis* [ſeu pila potius] in capſula ſupra ventriculum nonnullarum rupicaprarum (maſculorum inprimis, circa Autumni finem ex radicibus Doronici comeſtis) reperiri ſolet, (*ut Bezoar reperitur,*) magnitudine variante, & maxima ad juglandis magnitudinem aſcendente, colore nigro, odore dum frangitur gratiſſimo.

Hujus *Vires* experientia docuit inſignes ad febres malignas, venena, peſtem, & ſim. Unde alii *Bezoar Germanicum* vocant. (quidam Ægagropilam.)

Doſis gr. xv. ad xx. ad præcavendum gr. iv. vel v. *Caſp. Bauh. de Lap. Bez. c.* 13.

De Damarum Pilis ſeu Ægagropilis.

Pila Damarum, ſeu Ægagropila pulchrè, & fusè explicatur à D. Welſchio ſingulari tractatu doctiſſimo. Oriuntur in ventriculi primo, aut ſecundo loculo, quem venatores capſum, aut burſulam dicunt. Corrigeris enim & ruminantibus animalibus quadrifidus ventriculus eſt, vel ipſo teſte Ariſtotele l. 3. part. anim. c. 14. quem diſpeſcit Severinus p. 303. part. 4. Zootom. Democr. in peram, ollulam, conclave cellulatum, & ventriculum proprie ſic dictum. Non autem in omnibus rupicapris pilæ reperiuntur, ſed ſaltem in nonnullis, ubi vis coagulans exuperat. Ortum trahere putant quidam has pilas à comeſto *Doronico*, cui addit *Welſchius Scabioſam montanam, Aſterem montanum luteum, radicum odoratarum, Chamaedrin marem, Veronicam alpinam, Teucrium alpinum, Lotum odoratam, Pimpinellam majorem, Daucum montanum, Carlinam, Imperatoriam, Sedum alpinum, Vitemque Idæam &c.* Ægagropili, aut Ægagropilæ calidæ ſunt & ſiccæ, aperiunt, rarefaciunt, leviter adſtringunt, attenuant, & extergunt, ac proinde ſunt Diureticæ, Hydropicæ, Sudoriferæ, Fæcundantes, Alexipharmacæ. Uſus illarum eſt in febribus ſimplicibus, & malignis, capitis defectu & doloribus, affectibuſque aliis comatoſis, quæ omnia fuſiùs expoſita lege apud Welſchium. *Schröderus.*

Capra Alpina ſeu Rupicapra.) Illarum *cruor* recens hauſtus vertigini medetur. *Sevum* pulmonum exulcerationi confert. *Epatis* pulvis aſſumptus diarrhœam ſiſtit. *Lapis* circà Novembrem in maſculorum ventriculis reperitur forma oblonga & compreſſa trium tranſverſorum digitorum longitudinem vix ſuperans, aliquando cute coriacea nigra ſplendente, rugoſa obducta, quædam caſtaneæ colore, aliæ ſubcineritiæ, odore grato; aromatico, dum frangitur, quia ex herbis odoratiſſimis depaſtis conflatæ, conſtantes maſſa ex herbarum depaſtarum fibris pilos referentibus, pondere leves. *Pilæ potius ſunt quàm Lapides, vide de his Georg. Hieronym. Velſch. de ægagrophilis & Bauhinum de Lapide Bezoar. cap.* 13.

Hujus vires experientia docuit &c.) Vi pollent calefaciendi, ſiccandi & cerebrum roborandi, quocircà contrà vertiginem utuntur, quem tradunt ex eſu Doronici ventriculis Rupicaprarum ingenerari, ſed ſpecificam hanc virtutem contrà vertiginem potius ab ipſis Rupicapris, quàm Doronico habet. Animi etiam alacritatem miram & ſpirituum promptitudinem conferre volunt cum vino ſumptum. In partus difficultate internè etiam cum juvamine offertur. Ad ſecundinas pellendas, ſuffocationem uteri, menſes promovendos, dyſentericum fluxum, colicos dolores facit. Ad febres malignas quindecim grana aut viginti in aqua aliqua cordiali dantur. Eodem modo adverſus venena propinantur, contrà peſtem præſervationis loco gr. iv. vel v. cum tantillo vini jejuno ſtomacho manè exhibentur. Si amuleti loco de collo geſtetur, carnemque tangat vertigini reſiſtere volunt.

N. *Capræ Alpinæ.* ex quibus *dicti Lapides* deſumuntur, in præcelſis Rhætorum & Valeſianorum rupibus & alpibus Epiſcopatus Salisburgenſis vivunt. *Hofmannus.*

OFFICIN. NAT. EX CAPRI-CERVA ORIENT.

Lapis Bezoar Orientalis, qui eſt lapis in dicto animali repertus (*ac potiſſimum in proventriculo, hinc & in ventriculo aliiſque cavitatibus internis,*) figura ſcilicet variante, ovali, rotunda, ſeſſili & intus cava, (*meditullio paleam, pilos vel ſimile continente*) ſuperficie levi & ſplendente: ſubſtantia è laminis inſtar cæparum ſeſe invicem incumbentibus compacta: Variante item colore (plerumque atro virente, hinc dilutius virente, palleſcente, cineritio, fulveſcente, melleo, &c. odore nullo: variante magnitudine & pondere) pleriſque ſcilicet infra juglandis magnitudinem conſtitutis, nonnunquam & paulo majoribus.

N. *Dantur & adulterati ſeu falſi confecti ſcilicet ex lapidum fragmentis & pice artificio è coagmentatis: Item ex creta, cineribus teſtarum ſanguine ſicco & lapidibus Bezoar minoribus pulveriſatis, & cum liquore incorporatis: Item ex* ♄ ♂ ☿ *ignis artificioſo compactis, tinctis, &c. Qui ſane non modò citra utilitatem, ſed & cum detrimento in uſum accerſuntur.*

Notæ ergo bonitatis ab Authoribus paſſim notatæ ſunt.

1. *Forma à forma renum aut ovi columbini exterius lævigati diverſa utpote quæ ſignum lapidis adulterati.*

2. *Structura laminis multis inſtar cæparum ſeſe invicem incumbentibus, iiſque ſingulis glabris, levibus, ſplendore coruſcantibus: quod tamen alii reprobant.*

3. *Cavitas (meditullium) expers rei heterogeneæ præter pulverem, quidam malunt incluſam paleam, feſtucam, granum & ſim.*

4. *Pondus aliis levius, nonnullis gravius.*

5. *Commiſtio cum calce, id eſt, ſi lapis humectatus, & calci vel muro affrictus, calcem colore viridi tingat: ſi lapis calce viva (cui admiſta aqua) inunctus, paulo poſt flaveſcat: ſi lapis charta creta oblita affrictus viridem inducat lineam, ſi pulvis cum calce viva mixtus colorem ex pallido virentem referat, (quod tamen non de omnibus verum eſſe poteſt.)*

6. *Friabilitas & diſſolutio in* ▽, *quæ tamen itidem & falſi lap. propria eſſe non nequit.*

7. *Liquatio, id eſt, ſi acus candens intrudi poſſit.*

8. *Diſpa-*

8. *Diſparitas fragmentorum cum gypſo aut terra cocta (in duritie ſcilicet.)*

9. *Experimentum.*

Verum enimvero ſumma in dijudicatione lapidis cautio adhibenda eſt, neque abſque notarum ſyndrome de bonitate quid certi ſtatuere expedit. Præſtantiſſimus tamen inter cœteros habetur Perſicus (quoniam in Perſia Contrajerva copioſè creſcit quam depaſcit capra.)

Vires. *Corroborat, ſudores ciet, Alexipharmacus eſt, ideoque utilis in vertigine, Epilepſia, Lipothymia, Palpitatione cordis, Ictero, Colica, Dyſenteria, Vermicatione, Calculo, Menſibus obſtructis, partu difficili, Melancholia. Præcipuè autem in peſte febribuſque malignis, venenis aſſumptis. Quin & extrinſecus adhiberi poterit in ſcrophulis apertis, cancro ulcerato & ſimil.*

Doſis à gr. iij. ad xij. *Schrôderus.*

Capri-Cerva Orientalis, è qua Lapis Bezoar Orientalis) Capræ iſtæ non abſimiles valdè ſunt Capris noſtris Europæis, niſi quòd habeant erecta ac longiora cornua, ac quædam ex iis verſicolore ſunt pelle, ut tygrides, hæ capræ prout magnum aut parvum gerunt Lapidem, unamque aut plures, eò tardius vel citius incedunt, id quod Armenis ac Perſis perbenè notum eſt. In horum animalculorum ventriculis continetur folliculus piloſa carne conſtans ſpithamæ longitudine, in quo Lapides ordine inſtar parvorum nodulorum in tunica teſſellatim comprehenduntur.

Officin. *Lapis Bezoar Orientalis)* Hunc Perſæ vocant *Pa-Zahar*, ex *Pa & Zahar*, quorum prius ſignificat contrà, & alterum denotat venenum; quaſi Latino etymo antidoton dixeris. Hoc autem modo naſcitur, ut *Iacobus Bontius* ab Armenis ac Perſis Mercatoribus fide dignis certò accepit. Eſt locus in Perſia Stabanon dictus, trium dierum itinere ſuprà Laram civitatem celebre in Perſia emporium, in cujus campis naſcitur herba quædam croco ac hermodactylis admodum ſimilis, in cujus campis caprorum copia paſcitur, in quorum ventriculis ex hujus herbulæ eſu hi Lapides in ventriculis caprarum concreſcunt. Non deſunt, qui radicem ex India ad Nos delatam contrayervam appellatam ſtatuunt in eſu huic animali eſſe frequentiore, vid. Lazarus River. in Praxi Medica Lib. 17. Cap. 1. Hæc licet ſint vera, nihil tamen derogant veritatis ſententiæ à Jacobo Bontio de *Stabano* allatæ, cum veriſimile ſit non una ſed pluribus delectari herbis hoc Animal, unde & Monardes non herba veſci dicit ſalutifera, ſed herbis ſalutiferis. Hi apud Reges Perſiæ in tanto pretio ſunt ſuprà reliquos, qui in aliis locis gignuntur, ut Magnus Xaabas Imperatorum Perſarum ultimus mortuus Anno 1628. inibi vigiles locaverit, ut omnes iſtos Lapides *Pa Zahar*, qui centum pondus excederent, ſibi vendicarent. *In Not. ad Garc. ab Orta. p.* 44.

N. *Naſcuntur & Lapides Bezahar in ventriculis ſimiarum, qui teretes ſunt & digiti longitudinem excedunt, qui omnium præſtantiſſimi cenſentur. Idem Bontius l.c.*

Meditullio paleam, pilos vel ſimile continente &c.) *Lapis Bezahar* ſemper paleam vel aliud aliquid intus habet, quod nunquam fallit, niſi in adulterinis & ſi ſuperficiali tunica abraſa non ſuccedat alter orbis cœparum modo, donec ad paleam iſtam deventum ſit, fictitius eſt Lapis.

N. *De genuino Lapide* ſcribit *Nicolaus Monardes*, illum cavitatem quandam in meditullio habere plenam pulvere quodam ejuſdem cum Lapide ſubſtantiæ, qui maximè commendatur, atque etiam ipſi Lapidi præfertur, & hunc legitimi etiam indicium eſſe. Adulteratos autem gramen aliquod aut ſemen habere ſuprà quod Indi illum efforment, *vid. Garſ. ab Orta p. m.* 168.

Ejus adulterium Nonnulli ſequenti modo probare volunt.

Si Lapis fricetur pauca calce, & in loco fricato puniceus appareat color, dicunt verum eſſe & genuinum. Deindè ſi ponderatum accuratè Lapidem conjicias in pelvim aqua repletam & poſt duas aut tres horas eundem eximas ac rurſus ponderes, ac nihil de priori pondere aut perdiderit, aut eo gravior factus fuerit verus eſt *Lapis Bezahar*. Verùm ſi calce fricatus rimam ducat, aut ſi aquæ exemptus de pondere amiſerit, vel eo auctus fuerit, adulterinum eſſe audacter dicas.

Vires. Corroborat, ſudores ciet, alexipharmacus eſt &c.) Nullum dubium eſt, *hunc Lapidem* ad varios affectus adhibitum, in primis febres malignas, venena adſumpta &c. ſummæ eſſe efficaciæ, ſi verus & non adulterinus haberi queat. Unde & *Diomedes Cornarius in libr. conſ. & obſerv. hiſtor.* 22 *refert.* matronam quandam honeſtam octavo imprægnationis menſe febre maligna correptam cum gr. v. Lapidis bezahar ſumpſiſſet in aq. fl. borraginis ab hac febre curatam fuiſſe. *Claudius Richardus in deſcriptione hujus Lapidis* memorat D. Staphylum ſedecim diebus acuta febri maligna laborantem, tandem exhibitis granis ſeptem hujus Lapidis integrè reſtitutum fuiſſe. Refertur à *Ludovico Gyone* Dominum Vicecomitem N. Lutetiæ peſtilenti febre correptum & à Medicis deſertum, cum ſoceri ſui conſilio *Lapide Behazar* uſus fuiſſet per aliquot dies parvo temporis intervallo integrè convaluiſſe. De hujus uſu in aliis etiam affectibus *vid. Zacut. Luſitan. de Medic. Princip. hiſtor. lib.* 1. *qu.* 25. *ſeq.* Verùm ſi hic Lapis adulterinus, ut ipſi quoque Indici ſcriptores fatentur, dictos effectus edere nequit. Unde Vir Clariſſimus *Nardus Antonius Rech. libr.* 9. *cap.* 4. *Rerum* Medicar. *Novæ Hiſpan. p.* 326. *inquit.* Non omnes hi Lapides, ſcilicet Bezahar ſalubres ſunt tuendæ ſanitati, aut morbis profligandis apti, ſed ſoli illi, qui depaſtis herbis ſaluberrimis producuntur, unde non ſolùm difficile ſit cenſere, an illæ facultates mirabiles, quæ de eo Lapide noſtra tempeſtate jactantur, narrarique & prædicari cœperunt veræ, ſed etiam quinam ſint eligendi, aut qui utiles aut inutiles offendantur, quibus de rebus certò quid affirmari nequit. Et *Jacobus Bontius* l. a. hoc confirmat, dicens quantum ad hyperbolicas hujus Lapidis virtutes & facultates portentoſas non tantas in eo mille experientiis edoctus inveni, aliàs Natura non pronus ſuperſtitioſas medicamentorum facultates facilè admittere niſi experientia id verum invenerim. *Quomodo Lapis Bezahar adulterari poſſit vid. Cl. Zwelfer. in Pharm. reſtit. Appendice ad animadv. p.* 65. *Franc. Valleſ. lib.* 4. *Meth. med. cap.* 2. *Hercul. Saxon. de Plica cap.* 59. *Tractat. meus de Meth. Med. lib.* 1. *cap. de Alterat.*

Doſis à gr. iij. ad xii.) *Zacut. Luſitan. lib.* 1. *de Medic. Princip. hiſtor. obſ.* 34. in diuturnis, inquit, & aliis non ita acutis & periculoſis morbis, ſeptem aut octo grana exhibere ſalubrius eſt. Si verò ſua acutie & malitia urgeat affectus, multò majorem quantitatem porrigere non dubitamus. Et *obſerv. ſeq.* 35. nec non *lib.* 3. *de prax. Medic. admir.* unam alteramque ad drachmam integram feliciter exhibiti Lapidis hujus obſervationem adducit. *Jacobus Primeroſius lib.* 4. *de vulgi in Medicina erroribus cap.* 37. firmiter credit, poſſe ad ℥ja innoxiè adſumi, tam benignum atque innocens eſt remedium. Quoſdam ad grana triginta propinare ex *Cæſalpino Bauhinus* refert *De Lapide Bezoar. cap.* 34. Indifferenter tamen hujus doſis adaugeri nequit, ſed diligens morbi, ægri &c. habenda eſt ratio. Ideoque doſis hujus Lapidis diligenti perpendenda eſt examine. Multos enim inquit *Petrus à Caſtro de febre maligna petechial. ſect.* 8. §. 13. *p.* 185. vidimus, qui hujus ſine ullo delectu ingentem granorum copiam exhi-

exhibentes, tantum abeſt, ut quicquam profuerint, quin potius in ruinam inemendabilem egerint miſeros languentes, auxilium infamantes, quod aliis fuiſſet ſaluti. *Hofmannus.*

OFFICIN. NAT. E CAPRI CERVA OCCIDENTALI.

Lapis Bezoar Occidentalis, qui eſt lapis locis iiſdem animalis, ut de priori dictum, circa rem heterogeneam in cavitate media contentam, tunicatim concretus, Orientalibus ut plurimùm major, ſuperficie ſcabra, colore cinericeo, albo, nigro, obſcurevè virente, (qui optimus.)

N. *Præſtantiores habentur (uti & Orientales) ex animalibus montanis exempti.*

Vires. *Iiſdem viribus celebris eſt cum Orientalibus, cujus tamen bonitati non parum cedit. Hinc utilis compertus eſt in affectibus cordis, venenis, febribus peſtil. quartana, (cujus ſymptomata mitigat) [Melancholia, morbis diuturnis, Lumbricis, Epilepſia & ſimil. Nec minus & extrinſecus convenit in vulneribus venenatis]* (inſperſus.) Monard.

Doſis major quam Orientalis, ſcilicet à gran. VI. ad XX.

N. 1. *Peculiare habet, quod alvum quoque nonnihil moveat.*

N. 2. *Affertur & Lapis Bezoar ex nova Hiſpania, ſed Peruano aliquantulum vilior, & debilior.* Schrôderus.

Capri Cervâ Occidentalis] Ex *hoc Animali* Lapis *Bezahar Occidentalis* deſumitur, *Orientalibus* ut plurimum major, *Thom. Bartholinus* adeò ingentem vidit, caput humanum æquantem, rotundum, coloris ſubfuſci, glabrum ac nitidum. Diameter ejus fuit 23. pollicum tranſverſorum, pondere autem $6\frac{3}{4}$ libras mercatorias ſuperavit. Cardinalem Infantem Gubernatorem olim Burgundiæ 6000. Imperialibus à primo venditore eum redimere non potuiſſe ferunt. *vid. Ejus Epiſtol. c. 2. Epiſtol. 79.* Hofmannus.

RUSCUS.

Hæc planta genere cum hypogloſſo & Lauro Alexandrina convenit, ab iiſdem differt foliis minoribus, myrti æmulis, mucrone acuto & ſpinoſo, unde & oxymyrſine dicitur.

Nomina. Ruſcus *I.B. C.B. Park.* Ruſcus ſive Bruſcus. *Ger.* Oxymyrſine.

Duorum dodrantum, nonnunquam etiam duûm cubitorum altitudine, denſis viminibus, lentis, fractuque contumacibus & ſtriatis fruticat, uſque in multos ramulos diductis, in quibus conſertiſſima folia, myrtinis paria, rigidula, nervoſa, mucrone infeſto pungentia, nullo pediculo ramis hærentia, parte prona ad latus inflexa, ut non ſurſum & deorſum, ſed dextrorſum & ſiniſtrorſum ſpectare videantur, dura & robuſta, ſapore amara, & adſtrictoria vi efficaciaque pollentia; ad quorum medium flos minimus, perbrevi pediculo hærens, enaſcitur, qui ubi primum oritur, aciculæ nodulum figura ſua exprimit: expanſus verò tria latinſcula foliola, inferiore quidem ſui averſaque parte folium, cui quaſi ſtragulo incumbunt, reſpicientia, lintris in modum excavata, ſinuataque oſtentat omnia, reliquis interim tribus, quæ ternorum inſtar radiorum ſunt efformata in anguſtum apicem deſinentibus. Florem deinde fructus ſequitur rotundus, Aſparagorum baccis major, rubeſcens, ſubdulcis, ſub cujus bina pellicula latent ſemina magna, fulva, altera parte gibboſa, altera plana, inſignis duritiei. Succreſcit quotannis nova Aſparagorum ſimillima propago aromatica aliquantulum, amara, ut annotat Lobelius. Radices craſſæ, obliquæ, implexæ, fibras demittunt crebras, Aſparagorum fibris ſimiles, albas, longas.

Vires. Radix recenſetur inter quinque communes aperitivas. Ad infarctus & obſtructiones tollendas non parum conferre ipſi (inquit J. Bauhinus) multoties experti ſumus. Uſus ejus præcip. in obſtructione hepatis [ictero] urinæ [ſtranguria] menſium, alii de his qualitatibus dubitant. Alii ut Dodonæus, in ipſis hydropicis obſtructionibus magna utilitate præſcribi poſſe & ſolere ajunt.

Jo. Bauhinus textorem quendam ſexagenarium, cui pedes & abdomen totum in immenſum propemodum tumebant, ipſumq; adeo Scrotum capitis pueri amplitudinem æquabat; radicis hujus & iridis atq; fœniculi decocto ex aqua uſu [exhibitis interim etiam eradicativè purgantibus aliquoties, adminiſtratiſq; cæteris ad rem pertinentibus, potiſſimum omni præter jam dicto interdicto potu] unius tantum Menſis ſpatio, D. G. tanta ſe felicitate perſanaſſe refert, ut ipſemet (textor) ſub menſis finem pedes ad ſe, & ſæpius poſtea gratias habiturus & relaturus profectus ſit. Reliqua vide apud J.B. lib. 5. cap. 40. In oſſibus fractis conſolidandis non minus efficacem eſſe ajunt hanc radicem polygonato aut ſymphyto majore.

In Italia ipſum fruticem paſſim in ſcopas concinnari vidimus, inquit Cherlerus. Ruſtica plebs in carnario ſuſpendit, tueturque eo à murium injuria pernas, & caſei ſui fiſcellas: neque enim acuminata in cuſpidem foliorum ejus cacumina penetrare illa animalia audent. Marcel.

Barthol. Cabrolius non ignobilis Chirurgus Monſpelienſis, referente J. Bauhino, Ruſci radice copioſè infuſa in aqua, eaque mane & ſero per ſe, & in paſtu vino permixta, aliiſque cibis, ut juſculis, ipſique adeo pani, unius menſis aut quinque ſeptimanarum ſpatio duas puellas aſcite laborantes curavit, ut altera viginti annos ſana & incolumis ſupervixit. J. Bauhinus ex vacuationis modo ac impetu (nam ex vulva magno impetu profluxerunt libræ octaginta aquæ ſine ulla intermiſſione) potius hydropem matricis putat fuiſſe, cum vix credibile videatur tantam aquæ vim ex abdominis capacitate ſine immenſa virium, ac forte etiam vitæ, jactura tam impetuoſo & continuo fluxu evacuari potuiſſe.

Exemplum mendici hydropici, in quo decoctum radicum ruſci mira perfecit, vide apud Riverium obſerv. cent. 3. obſ. 52. *Raius.*

RUTA.

Rûta, Πήγανον, haud dubiè Græcæ originis eſt, ſiquidem ῥυτὴ apud Athenæum legitur, & Nicandri theriacorum interpres & Iolas Græcor ſcriptor antiquiſſimus & cujus nomen vel olim tantùm audiebatur, in Peloponneſiacis ſuis ſcribunt, quam tota Græcia πήγανον vocant in Peloponneſo ῥύτην appellari; & Heſychius ῥυτὴν τὰ σέμφυλα, καὶ πήγανον λευκὸν interpretatur. Varro denique lib. 4. de l.l. quæ in hortis naſcuntur alia peregrinis vocabulis ut Græcis, ocimum, Mentha, Ruta quam nunc πήγανον appellant &c.

Eſt autem ῥυτὴ à ῥύω ſervo, quia (ut Dioſcorides docet) valetudinem conſervat Voſſ. Etymolog. Φασὶ δὲ καὶ τὸ πήγανον ἀπὸ τῆς δυνάμεως ὠνομάσθαι· πήγνυσι γὰρ ξηρότητι διὰ θερμότητα τὸ σπέρμα καὶ ὅλως πολέμιον ἐστὶ ταῖς κυούσαις. Ajunt facultate ſua πήγανον dictum quod ſiccitate ſua & calore condenſet & coagulet ſemen. Hinc uterum gerentibus inimicum eſt, *Plutarch.*

Rutæ Characteriſticæ ſunt, vaſculum ſeminale in quaterna loculamenta partitum, quæ ſuperiore parte aliquouſque disjuncta ſunt & in angulos elata; folia in plures lobos ſeu ſegmenta diviſa, glabra, glauca, odore vehementi.

Vires. Tota planta graviſſimi odoris eſt, tantæque acrimoniæ ut per triplices chirothecas ad legētis manus penetrare non ſemel expertus ſum: & ſi quis quâ eam

eam decerpſit manu faciem demulceat, ilico vehementem inflammationem excitat; quemadmodum rectiſſimè ſcripſit Dioſcorides. Clus.

Ruta (inquit J. Bauhinus) experientia teſtis eſt, ferculis abdicatur, nec culinæ ſervit, propter injucundum quem habent odorem, & ſaporem quem obtinet ferventem, quo homines graviter efficit, quia tamen omni veneno reſiſtit, ideo peculiaris fit pauperum theriaca. Eſt enim tantarum virium, ut eas neminem ſatis deſcribere poſſe arbitratur. Tragus.

Ruta omnis digerit & incidit viſcidos & craſſos humores, flatus diſcutit, à peſte aliiſque affectibus malignis præſervat, viſum acuit, ſomnia venerea arcet & laſciviam reprimit, pleuritidi medetur, imbecillitatem ventriculi corrigit, colicam diſcutit, morſum canis rabidi curat, menſes & urinam movet.

Extrinſecus ejus uſus eſt in ictibus ſerpentum, carbunculis, febrium paroxyſmis arcendis (inunct. dors.) cephalalgia ex crapula, hemicrania, in febribus malignis (pro epithemate pulſum cum ſale & aceto) in dolore capitis, febrium ardentium ac malignorum, (ſimiliter pedum plantis adhibita.)

Ob tria autem præcipua celebratur Ruta; 1. Ob caſtitatem præſervandam, & libidinem reprimendam, ſecundum illud Scholæ Salernitanæ, Ruta facit caſtum. Cur autem ruta viris coitum minueret, mulieribus augeret, ratio eſt quòd viri calido ſunt temperamento, mulieres frigido; interim tamen an revera res ita ſeſe habeat meritò ambigitur.

2. Ob viſum acuendum: quod & Schola Salernitana docet.

Nobilis eſt Ruta quia lumina reddit acuta
Auxilio rutæ vir Lippe videbit acutè.

Et alibi,

Fœniculum, verbena, roſa, chelidonia, Ruta,
Ex his fiet aqua quæ lumina reddit acuta.

3. Ad peſtem alioſque morbos malignos & contagioſos præſervandos & curandos, vel vino indita, juxta illud ejuſdem Scholæ Salern.

Salvia cum ruta faciunt tibi pocula tuta.

Vel alio quovis modo uſurpata.

Rutæ præparationes quaſdam è J. Bauhini hiſtoria proponemus.

1. Rutæ conſerva hoc modo fit ℞. Comarum rutæ recentis & foliorum ℥j. Sacchari albiſſimi ℥iij. Comæ cum foliis in mortario lapideo tundantur cum piſtillo ligneo. Deinde iis optimè tuſis ſaccharum in pulverem tritum adjicitur, rurſus omnia ſimul tantiſper tunduntur, donec in unum corpus redigantur, & deinde pyxide vitrea inſolentur per menſem.

De hoc ſume jejunus contra peſtem ℥ſs.

2. Acetum ita conficies, ℞. Comas cum foliis; pone ſuper linteum 24. horas, ut aliquo modo flacceſcant: poſtmodum conſcinde, phialam imple, ſuperaffunde vini acetum optimum, obtura & inſola; poſt duos menſes cola & ſerva ad uſum.

3. Ut oleum conficias, ℞. Rutæ recentis inciſæ & contuſæ ℥iv. olei veteris ℔j. macera ad ſolem aut in loco aliquo calido diebus quindecim; deinde in duplici vaſe coquito, & abjecta ruta priori recentem injicito, & iterum quindecim diebus macerato; poſtea ſimili modo coquito, & tertio demum idem repete, & colato.

Si vel oleum rutæ vel defectu illius expreſſum ex recenti ruta ſuccum capias, & inſtilles aliquot guttulas in aquam graminis, rutæ, ſcordii; &c. & pueris propinaveris, feruntur certo experimento lumbrici ad unum omnes emori. Sim. Paullus.

ad Epilepſiam, ℞. Succi rutæ ℥j. mel. Scillit. ℥ſs. m. eſt præſens remedium epilepticis. Valeriola.

Sylvius prax. l. 1. c. 46. ſ. 80. inter medicamenta antepileptica, quæ ibi ordine recenſet, primum locum tribuit rutæ tam hortenſi quam ſylveſtri, quarum utraque ſale volatili, acri & mordicante, adeoque convenienti ſpiritus acidi correctorio turget. D. Soame.

Dolæus etiam l. 2. c. 1. S. 19. conſulit ut in epilepſia ruta digitis teratur & naſo indatur quomodo applicandum Polium Montanum; aliaque ſalia volatilia naribus admoveantur, quæ inſerviunt abbreviando paroxyſmo. Idem.

Et Fabric. Hildanus obſerv. Centur. IV. Succum rutæ in epilepſia ſibi in frequenti uſu fuiſſe ſcribit, ejuſque efficaciam & ſucceſſum ſe non raro inveniſſe.

D. Bovvle ſyrupum è ſucco rutæ paratum in omnibus Capitis & nervorum affectibus ſummopere commendat in obſervationibus ad nos tranſmiſſis.

In menſium difficultate Anton. Mizaldus rutam cum vino hiſſopi coctam & hauſtam commendat. D. Soame è Dolæi l. 1. c. 14. S. 14.

Ad matricis ſuffocationem, ℞. fol. rutæ minutim inciſ. cum albo & luteo ovi agitentur & coquantur in ſartagine in formam Aumelette, & calide ſupra umbilicum applicentur. Experimentum erat cujuſdam qui etiam ovorum teſtas imponebat.

Calculo arenuliſque pellendis efficaciſſimam deprehendi dec. rutæ ſylveſtris quam lapideam vulgò vocant. Achilles Gaſſarus obſ. 70. D. Soame. *Raius*.

RUTA CAPRARIA, vid. *Galega*.

RUTA MURARIA, vid. *Salvia Vitæ*.

LIBER XVIII.

Continens ea quæ incipiunt à Literâ

S

SABINA.

Nomina. SAbina vulgaris *Park.* Sterilis *Ger.* baccifera & ſterilis *J. B.* folio tamariſci Dioſcoridis *C. B.*

Sabina Latinis dicta à Sabinorum regione in qua multum naſceretur, Græcis Βράθυς, perpetua fronde viret, arbuſcula humilis eſt, in latum magis quam in altum proficiens, odore gravi & ingrato, foliis myricæ Germanicæ pungentibus, ſapore acri. Baccas fert juniperinis pares, per maturitatem atro-cæruleas: has baccas nulli præcedunt flores, ſed duntaxat baccarum rudimenta, incurvis pediculis inſidentia, ex tribus, quatuor aut quinque viridantibus tuberculis inſtar Myrmeciæ verrucæ parvæ compoſita.

Hæc planta ſexu differre videtur: eſt enim duplex, 1. mas ſeu ſterilis, quæ flores duntaxat profert, non fructû: cujuſmodi ſe Montbelg. vidiſſe narrat J. Bauhinus ſæpius

ſæpius florentem, verùm nullas unquam baccas in ea obſervaſſe; ſterilem etiam manſiſſe variis in locis à ſe plantatam.

2. Fœmina ſeu fertilis, quæ baccas profert non flores.

Botanici plerique Sabinam vulgarem omnino ſterilem faciunt: verùm id naturæ analogiæ repugnat, & J. Bauhinus diſerte affirmat eam baccas proferre. In noſtro ſolo & cœlo raro, fortè nunquam fructum edit. At in loco natali, Amani & Olympi Phrygiæ cacuminibus procul dubio ferax eſt.

Vires. Sabinæ folia ſiccant & calefaciunt ſtrenuè, in pulverem redacta & cum melle illita fluentibus ulceribus medentur, nigra & ſordida expurgant, nomas ſiſtunt & collectiones mitigant. Cum flore lactis temperata ſcabiei capitis puerorum unicè proſunt. Porro eſſentiæ tenuitate menſes quoque provocant, ut ſi quid aliud, & ſanguinem per urinas movent. Partum quoque viventem interficit ſabina, & fœtum mortuum ejicit; certè hoc nomine nimis nota eſt ejuſque uſus frequentatus fœminis inhoneſtis & meretricibus.

Aqua è foliis ſabinæ deſtillata Maculas faciei abſterget, & ut quidam, vertigini conducit.

Oleum ſabinæ ventri inunctum, aut frondes ejus tuſæ & umbilico impoſitæ vermes puerorum enecant. Decoctum intro aſſumptum idem præſtat: verùm uſum ejus internum minus tutum putat Parkinſonus. Nos tamen novimus ſucci expreſſi cum lacte mixti cochlear unum ſaccharo edulceratum maximo cum ſucceſſu pueris verminantibus exhibitum. Eſtque ſane medicamentum efficaciſſimum & minimè periculoſum, quod poſt alia multa incaſſum uſurpata optatum ſæpenumero, ne dicam ſemper ſortitur effectum etiam in deploratis pænè. Equis etiam & bobus in eundem uſum frequenter exhibetur. *Raius.*

SACCHARUM.

De eô vid. ſub titulô ARUNDO, in ARUNDINE SACCHARIFERA Hic tantùm de quibuſdam ejus præparationibus uno verbo ex *Schrödero* & *Hofmannô*.

Præparata ex Sacchero.

1. *Saccharum Penidium.* Hoc fit, ℞. Saccharum q. v. diſſolve & clarifica per alb. ovi. Hinc cola ac inſpiſſa lentè, donec bullæ magnæ appareant. Hinc retrahe ab igne, ut bullæ reſideant, effundeque in tabulam oleo amygd. [vel Butyr. inſulſ.] illitam, atque ubi nonnihil induruerit, de unco ſuſpende, manibus celeribus [amylo conſperſis] diſtrahe in formam debitam ac repone.

2. *Saccharum roſatum.* Fit ex ſacchar. in ſucc. roſ. ſoluto.

3. *Saccharum Violatum.* Fit eodem modo cum ſucco violar.

4. *Aqua ſeu ſpiritus acidulus* ℞. Sacchari (℔ij.) deſtilla ex cucurbita vitrea ſat alta & ampla (quippe facile in altum attolitur,) igne arenæ per gradus (NB. vel Retortam adhibere poteris,) ſic extillat aqua acidula, cum oleo ſupernatante: Rectifica VB. ſi placet, oleumque à ſpiritu ſeparato.

Vires. *Spiritum hunc in diſſolutione lapidum aliorumque cruſtaceorum adhibere licet, & eſt inſtar ſpiritus Guajaci.*

5. *Oleum.* Ex prioribus patet.

6. *Sal.* Ex relicto capite mortuo, ulterius incinerato elixiviatur.

7. *Liquor ſeu Syrupus.* ℞. Sacchar. cand. q. v. affunde ſp. vini ad eminen. digit. 1. accendatur, efflagretque ad conſiſtentiam ſyrupi.

Vires. *Prodeſt in tuſſi, aliisque affectibus pulmonum, inciſione, ac lævigatione opus habentibus.*

N. *Liquor hic apud vulgus uſitatiſſimus eſt, magnaque æſtimationis.*

8. *Liquor* alius. Inde Saccharum candidum albumini ovi cocti ad duritiem, repone ad liqueſcendum.

Vires. *Exhibetur ad tuſſim & aſperitatem gutturis infantum. Extrinſecus confert oculorum rubedini.*

9. *Eſſentia & cryſtalli Sacchari.*

Eſſentiam & cryſtallos Sacchari paravi, ut reperies publicatum centur. 3. artic. 20. Kesleri. Addo autem paſtæ ex ſacch. & Acet. deſtill. factæ cochleare unum ac alterum ol. Tartari, materiam relinquo in digeſtione cinerum per 24. horas, poſtea pro ℔j. ſacch. affundo ∇ non rectif. menſ. is. digeratur denuò, habebis Tincturam corroborantem.

Doſ. cochl. ij Sam. Cloſſ. Schröderus.

Præparata 1. *Saccharum Penidium.*] Hoc quodammodo à Saccharo communi albo differt non ſolùm modo ſubſtantiæ, & ratione coctionis & ſingularis modi efformandi in manuali operatione conſiſtentis, unde ſingularem acquirit texturam, ſed & ratione puritatis, & quod partes alienas, quales oleum amygdalarum dulcium & amylum, habeat admiſtas.

Aqua ſeu Spiritus acidulus.) Rec. Sacchari ſoluti ſ. q. candefac lateres & ſuperfunde illis uſque dum nihil amplius attrahant, tunc pelle per retortam ſpiritum, qui gemmas ſolvit & ſummum eſt arcanum in calculo.

N. Omne Saccharum acidum in ſe continet, ob quod Scorbuticis & febricitantibus nocet, quo varias vitioſas efferveſcentias ſuſcitat & ventriculi vitale fermentum corrumpit.

N. Nonnulli præparant ex Saccharo & O calcinato menſtruum, ad ſolutionem perlarum, corall. &c. incomparabile.

Præterea conficitur etiam ex ſaccharo Syrupus: Eſſentia & cryſtalli ſacchari ad tuſſim & aſperitatem gutturis egregiæ virtutis. Sed *Sal. ex relicto cap. mort. nullius momenti eſt, quod D. Autor.* allegat. *Hofmannus.*

SACCHARUM TABULATUM, vid. *Tabella.*

SACCHARUM SATURNI, vid. ſub titulô *Plumbum.*

SACCULUS.

Sacculus fomentarius fieri poteſt ex vegetabilibus quibuſcunque inciſis, ſc. craſſiuſculevè contuſis, ſacculoque inſutis.

Applicantur tepidè ſive ſiccum ſacculum velis, ſive humidum, id eſt, in liquore aliquo coctum & expreſſum.

Exemplo ſint.

Sacculus ſtomachalis.

℞. *Herb. menth. criſp. calament. origan. betonic. abſinth. an. m. j. majoran. fl. roſar. rubr. an. m. ſs. camomill. odora. p. 1. rad. calam. arom.* ℥ij. *nucis moſchat. num. 1. baccar. laur.* ℥ iſs. *ſem. aniſ. carv. cymin. an.* ℥j.

Ex conquaſſatis & inciſis F. Sacculus ſtomachalis cancellatim interſutus.

Vires. *Confortat Ventriculum. Crato.*

Sacculus cordialis.

℞. *Fol. meliſſ. m. j. baſilic. card. bened. an. m ſs. ſantal. citrin.* ℥ij. *cort. citri. arantior. an.* ℥iſs. *flor. laur.* ℥j. *cinamom. galang. nucis moſch. nuciſt. macis an.* ℈j. *lign. aloës* ℥ſs. *ſem. citri. meliſſ. an.* ℥ſs. *fl. borrag. bugloſſ. anthos. meliſſ. an. p. 1. roſar. p. ſs.*

Ex his craſſiuſculè contuſis, F. Sacc. interceptus ſerico.

Vires

Vires. *Confert in palpitatione. Crato.*

Sacculus Nephriticus, ſeu Paregoricus.

℞. *Herb. malv. heder. ter. biſmalv. cerefol. parietar. an. m. ß. rad. alth. lil. alb. an. ℥j. ſem. fœnugr. ʒvi. fl. camomill. meliloc. ſaxifrag. an. p. 1. contuſis & inciſis, F. ſacc.*

Incoctus aquæ pluviæ, lactivè applicetur renibus in dolore nephritico.

Huc pertinent & Cucuphæ, cujus Exemplum ſint, Species pro Cucupha, F. F.

℞. *Rad. ireos fl. ℥ß. cyper. rot. ʒiii. fl. lavendul. anthos. an. ℥iii. fol. menth. majoran. ocym. an. ʒij. ſtorac. cal. benzoin. an. ʒiiß. ſem. nigell. coriandr. præp. ſumm. thymi. ſtœch. arab. an. ʒj. moſch. gr. iii. ambr. gryſ. gr. ij.*

F. Pulvis groſſus, qui in goſſypio ſuſceptus inſuatur pileolo ſerico, interpaſſando. *Schröderus.*

Sacculi Cordiales pretioſi, *Zvvelfferi.*

℞. *Styracis calam. Aſæ dulcis an. ʒvi. Ladani opt. ℥ß. ligni aloës opt. Rhodii, cupreſſi an. ʒv. cort. arantior. recent. citri recent. extim. an. ℥iß. flor. arantiorum recent. Roſarum pallidarum recent. Lavendulæ, Tunicæ rub. an. recent. ℥j. caryoph. ʒvi. cinamomi opt. ʒiß, nucis moſch. ℥i. croci Auſtr. ʒvi. moſchi Orient. Si lubet, ℈j. vel ʒß.*

Incidantur & contundantur minutim, fiantque ſpecies groſſæ, quibus repleantur ſacculi cordis figura, ex zendalo rubro, & nonnihil interpaſſentur, quippe qui vel collo ſuſpendi ad regionem cordis, vel cum aqua aliqua cordiali, aut cum aceto Alexipharmaco ſæpius humectati, cordi admoveri poſſunt, ut & pulſibus, vitales ſpiritus egregie roborantes. Convenit pariter eaſdem ſpecies groſſas nodulis includere ad magnitudinem nucis juglandis, qui aceto roſarum aut alio madefacti, naribus infirmorum in Lipothymiis, aliiſque cordis defectionibus ad movendi; verum pro epilepticis, Apoplecticis & hyſtericis nonnihil de caſtoreo, dempto moſcho, admiſceatur.

Nota: quod recentes Arantiorum & citri cortices, flores item recentes, facillimè cum reliquis ſpeciebus ſiccioribus commixti, exſiccentur, & mutuo fragrantiam ſuam ſibi invicem communicent, ut adeò peculiari exſiccatione opus non ſit, qua fragrantia eorum ſpirituſque ſubtiles & ſulphurei magis exhalarent. Huc pariter referantur ſpecies ſeu pulvis groſſus pro roborando corde, ſimili forma ſacculis pro corde & pulſibus includendus, & in claſſe præcedenti de pulveribus præſcriptus.

Species groſſæ pro ſacculis contra peſtem. *Zvvelferi.*

℞. *Rad. Leviſtici, angelicæ, zedoariæ an. ℥i. herb. Baſilicon majoranæ, meliſſæ, roriſmarini, rutæ an. ʒvi. cort. arantiorum, citri an. recent. extim. ℥iß. myrrhæ rubræ, caryophyllorum, nuc. moſchatar. granorum juniperi an. ʒvi. camphoræ ℥ß. ol. ſtill. ligni Rhodii ʒi. rutæ ℈j. & ſi lubet ſalis volatilis urinæ ℥ß. incidantur contundanturque craſſiuſculè, fiant ſacculi de zendalo rubro, collo appendendi.*

Numerantur inter externa medicamenta & peſſi uterini: ut ergo formulæ quædam adſint, ſequentes ſubdo.

Sacculorum aliorum aliquot Formulæ Ioan. Michaelis.

Sacculus in Dolore Capitis.

Rec. Milii ℔ß. ⊖ *vulg. ℥iv. herb. verben. flor. chamom. rom. ſummit. anethi an. m. i. rad. rhod. ℥ß. milium & ⊖ primum torrefiant in ſartagine & protinus ſacculo calido induntur, additis dehinc reliquis*: Ita capiti calidè applicantur. Fiunt 2. Sacculi: Milium, ſal & arena, in omnibus affectibus, ubi diſcutiendum, ſatis ſunt commoda.

Sacculus ad Ventriculum.

℞. *Herb. menth. ſum. abſint. flor. roſ. rubr. chamom. rom. an. m. i. rad. cal. arom ℥ß. zedoar. galang ā. ʒi. nuc. moſch. n. 2. caryoph. macis ā. ℥ß. m. ſtichis ʒii. f. l. a. Sacculi n. 2.* Cum ſyndone, interpaſſentur. Adſpergi poſſunt cum ∽ mēthæ, vel ∽ ſtom. cōpoſito, vel ℰ aliis appropriatis.

Sacculus in Pleuritide Notha.

℞. *Aven. milii ⊖ commun. an. m. i. flor. cham. meliloti an. m. ß. ſem. cumini ℥ß. lini fœnugræci an. ʒii.* f. l. a. Sacculi interpaſſati n. 2.

Sacculi ad Cor.

℞. *Herb. meliſſ. m. ß. flor. roſ. rub. cord. ā. p. 2. cal p. 1. croci ℈i. flaved. cortic. citri rec. ʒß. ſem. meliſſ. ocymi an. ſpec. cord. temper. ʒi.*

F. l. a. Cum ſyndone ſacculus interpaſſatus in forma uſitata. Pro Ditioribus poteſt addi aliquid de moſcho & ambra & adſpergi ∽ roſ. vel ▽ carbunculi aut meliſſæ cum vino, vel ℰ ſtillatit. carbunculi.

Tempore peſtis præparantur ejuſmodi ſacculi ad cor ex cordialibus, additis alexipharm. cordialibus.

℞. *Flor. borrag. bugloſſ. meliſſ. calend. an. p. ij. tunicæ p. j. ſpec. pro epith. cord. ʒiij.*

F. Sacculi interpaſſati cordiales.

Sacculus contra Colicam.

℞. *Milii, avenæ, ⊖ com. an. mj. flor. chamom. mj. fol. lauri mß. baccar. lauri ℥ii.*

F. l. a. Sacculi interpaſſati N. ij.

In affectibus uteri & poſt partum ejuſmodi Sacculi conveniunt: Additis uterinis.

Sacculus ad Pulſum.

℞. *Flor. cordial. an. p. ij. ſpec. cord. temper. ʒij.*

F. l. a. Sacculi N. ij.

℞. *Saccul. ad pulſ. uſit. N. ij.*

S. Ut ſupra & applicentur cum ▽ carbunculi.

Sacculus refrigerans in dolore capitis.

℞. *Flor. violar. roſar. nymph. an. p. ij. ſem. lactuc. endiv. papav. errat. albi an. ʒi.*

F. Sacculus oblongus.

℞. *Panni ſcarlati minutiſſimè in lanam tuſi q. v. caryophill. nucis moſch. baccar. lauri an. ℈i. roriſmarini, flor. lavend. an. p. j. ſem. carvi, cumini an. ʒß. flor. ſtœch. Arab. ſuccini albi an. ℈i.*

F. Cum ſyndone rubra ſacculus quadratus, impone per noctem in vino Malvatico & iterum exſicca.

SÆPIA, vid. *Sepia.*

SAGAPENUM.

Serapinum offic. à *Sagapeno* corruptum eſt. Sacopenium Plinius à Sagapeno aperte diſtinguit lib. 20. cap. 18.

Eſt autem Sagapenum Dioſcoridi ſuccus herbæ ferulaceæ in Media naſcentis. Schroderus lachrymam ſeu gummi arboris cujuſdam ferulaceæ deſcribit ejuſdem nominis ex qua ſauciata educitur. Galenus ſtirpem ipſam Sagapenum primariò vocari ait, ſuccum abuſive, cùm rectius Sagapeni ſuccus diceretur.

Quemadmodum autem olim incognita erat planta quæ ſuccum hunc dabat, ita & hodie quoque *Caſp. Hofman.*

Sagapenum ita deſcribit J. B. guttis conſtat magnis velut thuris mammoſi aut maſculi (interdum in glebas magnas coactū, opopanacis modo ruſeſcentibus, intus corneo quodā colore præditis ſub dente vel etiā digito lenteſcētibus, albeſcentibuſq; mordaci acriq; ſapore, odore

odore viroſo, candelæ admotis flammam concipientibus; aſſulæ rarius in maſſa inventæ, ſubſtantia fungoſa, alba, foris purpuraſcente, rarius adhuc caulis ipſius portiones juſtæ, digitalis craſſitudinis, ſtriatæ, fibris longis contextæ, quarum ſpatia opplet fungoſa laxaque ſubſtantia; ſemen quoque gemellum, ferulaceo par, ſemuncia longius, ſemunciam fere latum, impuriores ſunt glebræ quarum vix grumos internoſcas, ita omnes ſunt concretæ veluti fuſæ, colore ſordido, ſapore & odore ſimili.

Notæ bonitatis Dioſcoridi ſunt pellucidum eſſe, extrinſecus fulvum eſſe, intus album, odorem inter Silphii ſuccum & galbanum medium habere, acrem ſaporem. Meſue colore, medium eſſe inter ſubrubrum & ſubalbum, odore porri in aqua reſolvi facilè (quod nec Aſſæ, nec Galbano contigit.)

Sed quo ſenſu (inquit Caſp. Hofmannus) accipere oportet illa in Galbano ὅσον ἀφρῶδες ἢ κοῦφον ἐστι, non eſſe amplius Galbanum, ſed tranſire in Sagapenum modo in aqua diſſolvi? hoc, notam illam facilè in aqua diſſolvi non eſſe propriam Sagapeno, ſed convenire etiam deteriori Galbano. Unde & ab odoris convenientia valde adjuvatur ſententia Lob, & Penæ Adv. p. 349. Tria hæc gummata Sagapenum, Aſſam, Galbanum eſſe cognatarum plantarum ferulacearum natalibus differentium ſuccos.

Vires. Sagapenum potentiſſimè aperit, diſcutit & attenuat, non leviter etiam abſtergit, facit (autore Dioſcoride quocum & Plinius conſentit) ad thoracis & laterum dolorem rupta, convulſa, & tuſſes veteres. Craſſa in pulmone hærentia repurgat. Datur & Comitialibus, opiſthotonicis, ſplenicis, paralyticis perfrigeratis, in febribus per circuitum repentibus; ſed & in unguentis commodè adhibetur. Ducit & menſes & fœtus corrumpit cum aqua mulſa potum. Auxiliatur commorſis à beſtiis venenatis cum vino ſumptum. Excitat eas quæ ab utero ſtrangulantur, ſi cum aceto ipſum olfaciant. Deterit Cicatrices oculorum, & quæ pupillis tenebras offundunt, & ſuffuſiones.

Inter purgantia validiora habetur. Meſue ait nocere ventriculo & hepati, corrigit adſtringentibus, & tonum conſervantibus ut ſpica, maſtice, &c.

Vires. Summatim recenſet Schrôderus. Tanta extrahendi vi pollere dicitur, ut quoque ſpicula è carne eliciat. Purgat lentos & craſſos, imo & ſeroſos humores ex ventriculo, inteſtinis, Utero, renibus, cerebro, nervis, juncturis, pectore. Hinc prodeſt in hydrope, tuſſi inveterata, aſthmate, cephalalgia, ſpaſmo, epilepſia, paralyſi, tremore artuum, in obſtructione & tumore ſplenis, febribus intermittentibus, dolore colico, menſes ciet, (ſed fœtum enecat) urinam movet. Convenit extrinſecus in pleuriſi aliiſque tumoribus ac doloribus mitigatione & reſolutione opus habentibus. Fumus excitat epilepticos, hordeola ciliorum ſanat. Doſis à ʒß. ad ʒj.

SAGITTA in Genere.

Eſt ſuperior pars ſurculi ſeu flagelli alicujus plantæ.

Sagitta planta in ſpecie.

Sagitta dicitur hæc herba, quod ejus folia alatæ ſagittæ cuſpidem proxime referant.

Nomina. Sagitta minor *J. B.* Aquatica minor latifolia *C. B.* minor latifolia *Park.*

J. B. Sagittæ radices ſunt multæ, albæ, craſſiuſculæ, fungoſæ, non ſine capillaribus fibris, à quibus propagines naſcuntur longiſſimæ, interdum bicubitales, junceæ tenuitatis, ſubter aquam ſerpentes, ſimiles radicibus Lyſimachiæ luteæ. Folia aquis innatant raræ formæ, alatæ ſagittæ mucronem æmulantia, fuſcis hinc inde in ſuperna parte maculis notata, quædam ex primis in acumen non deſinunt ſed rotundantur. In eorum porro ſingulas alas longi, terni aut quini nervi porriguntur, obliquis à nervo in nervum venulis intercurrantibus, lævore plantaginis aquaticæ, pediculo minimi digiti craſſitudine, fungoſo, ſtriato, pænè triangulo, duos aut tres cubitos longo pro aquæ profunditate in qua vivit. Folia ſapore nonnihil ſubdulci & viſcido cum veſtigio obſcuro acrimoniæ: caules rectos duos aut tres emittit, non multo foliis altiores, rotundos, fere, ſtriatos, craſſos, fungoſos, in quorum parte ſuperiore plures flores exoriuntur, plerumque terni, caulem amplectentes, ex pediculis ſive ramulis, modo longiuſculis modo brevioribus, pulcherrimi, mediocriter magni, tribus foliolis albis conſtantes, ungue purpuraſcente notatis, florum Amygdalarum foliolis paulo minoribus, in medio apices multi rubentes; ſub flore tria foliola viridia. Flores excipiunt echinata capitula, ſubpurpurea, magnitudine pænè fructuum arbuti vel fragorum, ex aculeis velut conſtantia, qui nihil aliud ſunt quàm ſemina lata compreſſa in acumen deſinentia unguibus avium ſimilia.

In aquis leniter decurrentibus frequens eſt.

Sagittæ tres ſpecies ſeu varietates conſtituunt Botanici.

I. Sagittam majorem J. B. Ger. quæ aquatica major C. B. major latifolia Park. minori anguſtifoliæ jam deſcriptæ, excepta magnitudine, per omnia ſimilis, verum folia non uſque adeo acuminata habentur.

2. Sagittam latifoliam minorem, ſuperius deſcriptam.

3. Sagittam minorem anguſtifoliam J.B. quæ aquatica minor anguſtifolia C.B. Sagittaria minor anguſtifolia Park. Hæc minori deſcriptæ per omnia ſimilis, ſed omnia minora ſunt ei, foliaque anguſtiora multo, magiſque acuminata.

Hæ tres varietates non videntur nobis inter ſe ſpécie differre; ſiquidem promiſcue in iiſdem aquis perſæpe oriuntur, unde & eidem ſemine ortum ſuum debere videntur. *Raius.*

Refrigerans eſt hæc planta, adſtringẽs ac condẽſans.

S A L.

Ac primò de Salibus in Genere.

Sole & ſale nihil in mundo utilius homini eſſe, vulgatum eſt aſſertum. Sali inter reliqua principii nomen attributum eſt, adeò latè quippe patet, ut omnia ſale conſtent, nulla ſalis ſint expertia. Meritò igitur de hoc velut cruce Pharmaciæ dicendum venit. Ob vaſtiſſimum verò ambitum ſalium, ut conceptum genuinum de iiſdem formemus, operæ pretium eſt, eadem luſtrare curatius paulo. Hinc not.

1. *Salia ſunt vel nativa, vel arte facta, explicita & ſeparata, vel implicita.* Nativa quæ ſint, facilè claret, quæ per ſe ſcilicet abſque artis ope naſcuntur, & producta ſe exhibent, ſeu immerſa vehantur hoſpitio amiciſſimo aquæ, exemplo maris & ſalſuginum variarum, ſeu effodiantur è terræ criptis, ut ſal gemmæ foſſile, cryſtallinum, ſeu effloreſcant è petris celliſque &c. Nativa porrò dici poſſunt alia abſolutè talia, alia ſecundum quid, naturæ obſtetricante arte. Et hæc diſtinctio ſalium generaliſſima & ſumma videtur, cui reliqua omnia ſubſtant, tanquam ſummo generi. Hinc etiam prædicari idem poteſt de omnibus ſpeciebus ſalinis, quæ ſimul, quantum hæc illuſtrare poſſunt, attendemus. Sic ſal ſalſum aliud eſt nativum, aliud arte factum. Sic nitrum nativum, aphronitrum, datur, & vulgare factitium. Sic vitriolum aliud eſt nativum, aliud arte factum. ♂le, ♀eum &c. Sic ⊖✳cum nativum hactenus quidem in officinis reperiri deſiit, reverà tamen datur, & copioſiſſimè quidem prope Puteolos, &

mon

mont's Veſuvii confinia, eadem omnia exhibens, noſtra experientia, quæ factitium. Idem quoque de alumine aſſerere integrum eſt. Et factitia quidem hæc adeò celebrata ſunt, & communia, & pro nativis vel quaſi talibus habeantur, unde ſi artis & naturæ conjungamus operas, tanto expromptius ſingula patebunt. Eadem verò ſimul noſſe expedit & ſeparata, prout vel natura, vel arte à reliquis principiis ſejuncta ſunt & per ſe extant; alia implicita, ut, ſi non formaliter, tamen materialiter mixtis inſint, & ſeparari poſſint, quod neceſſarium eſt, velut medium inter naturæ & artis opera. Quæ non patent natura, ars in apricum producit, διακρίσει & συγκρίσει decantata mediante.

2. *Salia ſunt vel ſimplicia vel compoſita, concreta vel fluida.* Non poſſumus compoſita noſſe, niſi ſimplicia noverimus. Hinc ſal, ut principium, concipiendum eſt tanquam ſimpliciſſimum, ex quo videlicet omnia reliqua fluunt. Alia verò iterum ſunt ſimplicia exquiſitè, reverà, & ſenſu rigoroſo, alia ſecundum quid. Hinc, ſi rigorosè examinemus ſalia extantia & producta omnia, ſenſu accuratiori, dicenda ſunt non abſolutè ſimplicia, & conſequenter principia, quin principiata potius, quod urgent hodienum quidam, ut ſubruant principiorum Chimicorum dignitatem. Satis tamen eſt, illa eſſe ſimplicia quoad maximam partem, & à potiori, reliqua in ſubdominio, iiſdem non tam juncta, quàm ſubdita; quin Deus O. M. ſtudio illa mixta voluit, ut ex mixtura ſimplicitatem noſceremus, Nullum enim dici compoſitum poteſt, niſi quod ex ſimplicibus conſtat. Satis quoque eſt, ut hoc etiam addamus, metiri nos poſſe magis compoſita ex magis ſimplicibus, & combinationem hinc ſalium ſimplicium varia compoſita largiri. Hæc ipſa verò ſingula vel concreta ſunt, ſalis genuino titulo venientia, corporatura ſolida gaudentia, vel fluida & liquida ſunt, ſub vehiculo alieno aquæ. Quod ſimplex erat abſolutè, ſenſibus incurrere minus poterat, hinc ſalibus corporaturam & conſiſtentiam largiuntur duo communia illa, terra quidem ſolidam, aqua verò fluidam. Sed cum terreæ particulæ magis ſint abſconditæ, minuſque reſpectivè ſeparabiles quàm aqueæ, uſu obtinuit magis, ut ſalia κατ' ἐξοχὴν dicantur concreta, quæ ſunt & ſibi ſic magis relicta.

3. *Salia ſunt vel alcalia, vel acida: vegetabilia, animalia, mineralia.* Ut ſalia maximè ſunt activa, ut maximè diffuſa, ſic non unum ſolum ſeu uniforme deprehendere & ſtatuere licet, ſed geminum, idque diverſum, imò invicem contrarium ſibi, ex quibus hinc mixtum non unum conficitur. Noſcuntur eadem ſenſu, ſapore ſcilicet, noſcuntur effectibus aliis. Manifeſtiùs ſenſum feriunt acida, magis obvia, utpote magis fixa & ſibi hinc relicta; minus alcalia, præterquam volatilia, utraque pro immutationibus ſulphuris & mixtorum ipſorum variè combinata. Sal vulgo conſtantiæ & ſtabilitatis lemma eſt, quod de ſtatu quietis & proprio eſt veriſſimum; immutationem verò præſtat unicè ſulphuris vitalis, prout vel concentrat idem, vel explicat. Sal mixtis mixtionem quaſi præbet, ejuſdemque tanquam anima eſt materialis. Alcali dicitur recepto termino, ut innuatur, tale intelligi, quale ex incineratione herbæ kali, tanquam exemplo univerſali, emergit, aliàs lixivum ſeu lixivioſum, ut innuatur parandi modus, qui tamen communis cum acidis eſt per analogiam. Deſcriptiones alcali & acidi variæ poſſunt dari, prout comparatione ad ſe invicem, vel ad alia principia conſiderantur. Cum enim duo hæc ſint ſimpliciora genera ſalium, quibus acquiſitis intellectus cogitur ſubſiſtere, ſal acidum dicitur communiter, quod efferveſcit cum alcali, alcali quod efferveſcit cum acido, puta non interveniente alio medio implicantis ſulphuris. Hujus verò reſpectu alcali dici poteſt, quod ſulphur rarefacit, acidum, quod obtundit. Alcali mercurium ſeu partes evaporabiles liberat magis, acidum figit. Ut verò principia chimica in genere ex minerali regno primitus orta videntur, unde & nomen retinuere: ſic meritò mineralia primum obtinent locum. Gaudent & ſalia ſuis mineris, velut ſeminariis & capſulis, è quibus depromi poſſunt & erui; hinc minera aluminis, minera vitrioli in uſu eſt & obvia. Mineralia magis acido gaudent ſale, vegetabilia acido & alcali, animalia alcali, ut vel hinc pateat, acida durationem, alcalia fluxilitatem moderari.

4. *Salia ſunt vel fixa, vel volatilia, vel media, ſeparata vel combinata.* Actus fixitatis vel volatilitatis ſalium itidem conſiderari poteſt abſolutè vel reſpectivè, prout ſe habent in ſe, & in combinatione mutua. Sic acidum aliud eſt fixum, ut ſuccus citri, acetoſa, cryſtalli Tartari; aliud volatile, ut acidum formicarum, aliorumque animalium, ♒us ⊕ cryſtallini, prout immerſum eſt particulis terreis, quietum vel in motum aptatum, fluidum vel concretum. Generaliter enim acida fluida vel fluorem adepta ſunt ſubtiliora & volatiliora præ concretis. Aliud medium, ut acetum, ſpiritus tartari, lignorum &c. Imò in uno eodemque ſubjecto ſæpè id viſitur, v. gr. ♒us ⊖li vel volatilis eſt, ſulphureus ille, & cephalicus, qui primo loco evolvitur; vel fixus, qui dicitur oleum ⊖li, remanens in fundo; vel medius, communis ille. Idem valet de aceto & aliis. Fixum dicemus h. l. quod minus eſt evaporabile; volatile, quod magis, unde odoratum maximè ferit: medium, quod medio ſe habet modo. Idem verò valet quoque de alcali. Alcalia fixa ſunt ſalia plantarum, mediante incineratione parata; alcali volatile, ſalia plantarum cum ſulphure ſubtiliſſimo meteoriſata; media, ut tartar. item ſalia eſſentialia, ſeu tartarus plantarum, per expreſſionem & evaporationem ſuccorum è vegetabilibus parata. Idem in animalibus valet, miro luſu & pluribus gradibus: v. g. menſtruum ventriculi eſt acidum volatile, nativum & ſibi debitum, acidum fixum in ſcorbuticis ſæpe, cruditate acida &c. medium in aliis. Media verò ſalia duplici modo dici poſſunt, vel media reſpectu volatilitatis & fixitatis, quoad gradus laudatos, vel media reſpectu ipſius combinationis, quæ vel nativa eſt itidem, vel arte facta, unde enixa dicuntur ſalia, tanquam ex coitu acidi & alcali nata. Exemplo ſit ⊖ ✱cum, vel urina, quæ conſtant ex ſale acido & urinoſo, quæ ſi unita ſint ſal medium, ſalſum, conſtituunt, ſeparata alcali urinoſum & acidum ſalinum. Variat tamen hoc ipſum pro varia miſcela & proportione acidi & alcali, ut & principiorum reliquorum & acceſſoriorum aliorum. Hinc.

5. *Salia media acida ſunt vel ſalſa, vel ammoniacalia, vel vitriolica, vel nitroſa, vel aluminoſa.* Salia ſalſa ex acido & alcali volatili ſtrictiori magis & intimiori combinatione coalitis conſtant. Patet id tum aliis experimentis, tum quod ſal commune in deſtillatione ſpiritus perfectè facta retortæ collo affigit ſal ammoniacale elegans, florum vel ſublimati forma. Sic & ex ♒u ⊖ ✱ci & ⊖is rectificato ſal communi æmulum prævia fixatione conſurgit. Salia verò ammoniacalia ex acido & alcali laxiori compage unitis conſtant. Patet hoc & per dicta, & ♒u ⊖ is ✱ci exemplo. Simulac enim alcali quodcunque ſali ammoniaco commiſcetur, confeſtim urinoſitas ſe prodit: ut taceamus idem docere ⊖lis ✱ci artificioſam præparationem & urinæ elementa ipſa, quæ naturæ eſt ammoniacalis. Una quoque ſtatim occurrit differentia inter ſal commune & ✱cale. In ſale communi aci-

acidum præpollet alcali volatili, & fixatio eſt perfectior, majorque; in ammoniaco alcali volatile præpollet acido, & fixatio eſt laxior, minorq;. Hinc ∽us ⊖✱ci urinoſus frequentior eſt & uſitatior præ acido, quippe qui ex ſale communi conſultius ipſo paratur. Utrobique terræ, aquæ & ſulphuris concurſus etiam modificat ſtructuram. Sic & ulterius ſalia vitriolica ex acido aqueo terreo metallico conſtant. Aqueum demonſtrat phlegma copioſum inſipidum & corruptibile; acidum ſpiritus & oleum, terreum ochra copioſa, quæ & metallicum principium ♀eum vel ♂iale ſimul condit. Aquæ & ſulphur immerſum ſubſtat. Aluminoſa ex acido, aqueo, auſtero, urinoſo conflantur, citra metallicum characterem, unde convenientia ⊖nis & ⊕li, eorundemque viciſſim diſparitas elucet. Illud tinctura caret, hoc gaudet, mutuans eandem à metallicis particulis. Et licet vitriolum quoque album detur, illud tamen in receſſu condit, quamvis pauciores, eaſdem. Nitroſa denique ex acido ſulphureo alcalino principio conſtituuntur, quæ omnia per mechanicam & præparationes uſitatas clarent. Referri ad hæc etiam meretur borax, ſal minerale egregium, quod inter aluminoſa & alcalia ferè ambigit. Ut ſe habet ⊖ ✱cum ad ⊖ ſalſum, ita ſe habere videtur borax ad alumen, ita ut auſterum acidum in alumine vincat & figat ſal volatile: in borace contrarium obſervetur. Hæc autem ſalium notio, ut omnibus communis eſt, ita ſpeciatim jam ad ſe nos vocant alcalia. Hæc enim κατ' ἐξοχὴν in ſcholis pharmaceuticis audiant ſalia, ſiquidem reliqua omnia in maxima copia, ſeorſim, extra pharmaciam, parantur, & ſic ſimplicium ferè loco habentur. Hinc de iis jam præcipuè agendum reſtat, de reliquis ſecundariò.

6. *Salia ſunt corpora ſapida & ſolubilia.* Valet id de omnibus & ſingulis, ſiquidem explicita ſint, nec impedita à reliquis prædominantibus, ſive conjuncta adhuc, ſive actu ſeparata. Corpora ſunt, ad ſenſum enim ſiſti poſſunt ſolida conſiſtentia, poroſa verò illa ſimul. Liceat ſtatuere ſal & hujus matrem terram pororum principium intrinſecum, quod ſal & terra omnium ſint poroſiſſima. Sulphur poros oblinit, ſal aperit & findit. Illud ſtricturam pororum, hoc laxitatem largitur. Hinc terra quo magis eſt exuſta, eò poroſior eſt, his verò poris oppletis à ſulphure, æqualiter igne fortiſſimo fuſo, fit vitrum. Pori hi diverſitatem etiam largiuntur affectionum. Sulphuris pori nonniſi igni patent & ſalibus alcalinis, hiſque ſimilibus, ſenſumque hinc alium afficiunt, odoratum & tactum. Salia ſunt corpora ſapida, ſeu guſtui oblata manifeſtum ſaporem exhibent, licet admodum diverſum. Sapida ſunt, quia ſolubilia, hinc primum menſtruum hominis ſalivam eſſe voluit ſummum Numen, ut ſtatim ſe exereret ſapor, ſoluto ſale & maſticando excuſſo magis. Sapida, quia variis hamis, aculeis, haſtulis prædita, quæ membranam linguæ guſtatoriam, ſeu fibras nerveas in eadem expanſas diverſimodè tangunt. Solubilia verò ſunt, quia poroſa, quàm quæ maximè, unde ſtatim diffluunt ad contactum aquei liquoris. Hinc omne ſapidum eſt de natura ſalis, & ob ſal eſt ſapidum; hinc omne ſapidum eſt ſolubile, non verò omne ſolubile eſt ſapidum, exemplo gummatum, mucilaginum & ſimilium. Solubilia ſunt in corpore, ſolubilia extra corpus, unde ob poroſitatem facilè etiam ex aëre imbibunt & ceu magneticè ad ſe trahunt humidum, deliquium ſic patiendo. Judex ergò ſalium primarius eſt guſtus, ſecundarius tactus: guſtus ob ſolutionem & receptionem diſtinctam & plenariam, tactus ob rigiditatem, quàm improportionatam offendit.

7. *Salia alcalia volatilia propulſione vel putrefactione conſurgunt.* Alcalia volatilia latiſſimè patent, in ſingulis regnis deprehendenda. Plurima & copioſiſſima ſunt in animalibus; pauca in mineralibus, neque tamen iiſdem denegaunda, exemplo ⊖is ✱ci nativi, & ⊖is ✱ci ex ⊖e communi eruti; non pauca in vegetabilibus. Ubicunque tamen elici poſſunt, gemina hacce via habentur. Propulſionem dicimus, quando ignis tortura in apricum prodeunt, ſiquidem id συςάσεως ratio permittat. Ubicunque nempe liberum eſt vel quaſi tale ſal volatile, ſeu propelli poteſt, ſola ignis ope extruſum in ſenſus incurrit; uti quidem abſolutè id fit in deſtillatione ſeminum aromaticorum & acrium, in quibus ſal volatile copioſiſſimum extat, imò & foliorum & herbarum conſimilium, fuliginis quoque & aliorum. Facta disjunctione particularum, compage laxiori puta, propellitur vel ſolum, vel ſub vehiculo aquæ, vel ſocio ſulphure ſal volatile, ut ex ſemine rutæ id impetravimus & aliis. Oleum nempe eſt ſalis volatilis tenaculum, à quo lubentiſſimè recipitur, invitum verò diſcedit iterum. Quandocunque igitur ſulphur deſtrui ab ignis vi poteſt, ſeu expelli ac ſeparari, ſal in apricum procedit, antea vix conſpicuum futurum. Putrefactione verò ſulphur idem deſtrui & ſupra probavimus, & quotidiana experientia eſt quàm veriſſimum, ſive illa ſit perfecta, & remota, quod potiſſimum experimus, ſive imperfecta & ſecundum quid talis, ſufficiens ſaltim pro dimittendo & extricando ſale volatili. Sic cochleariæ folia, quæ via ſicca idem fundunt, ſola putrefactione foliorum recentium, in retorta incluſorum, ſic flores liliorum convallium, ſic glaſtum, (quod Hiſpanico idiomate anil audit, ſicque non paucos decepit, pro diverſa planta id habentes,) & alia plura tale quid de ſe largiuntur. Ad propulſionem verò vel ignis ſolus ſufficit, iſque hoc loco concluſus, ſi ligans ſulphur ſolùm in mora ſit, uti quoque ex C.C. ebore, lumbricis ſal volatile haberi poteſt hoc pacto; vel ſal excutiens ligaturam & fixationem ab acido præſtò ſit, quod in ſpiritu ſalis ammoniaci, nativi & arte facti, & inprimis urina ipſa valet, quibus ſi calx viva, vel cineres, ſimplices vel clavellati, admiſceantur, ſpiritus exſpirat volatilis.

8. *Alcalia fixa calcinatione ignea, maximè apertâ, producuntur.* Cum ignis ſalia hæc primitus in apricum ſiſtat, inquirere non inconſultum eſt, unde illa oriantur. Videmus verò ignis actualis vim eſſe duplicem potiſſimum in ea, quæ dominio ejus patent, ut vel deſtruat, vel propellat. Deſtruit particulas inflammabiles ſulphureas unctuoſas, quæ in ejus pabulum cedunt; propellit evaporabiles, ſalinas volatiles, aquoſas, & ipſas ſub alis dictarum ex parte terreas, quibus ſe ſulphureæ quædam occultantes ac aufugientes ſociant; relinquit verò intactas reliquas, attamen immutatas, terreas & ſalinas fixas. De ortu eorum igitur non una eſt opinio. Ariſtotelici fieri ſalia aſſerunt generatione ſecundi & tertii modi, ubi non tam ex non ſubſtantia fit ſubſtantia, quæ dicitur primi modi, ſed nobilior ſaltim ſubſtantia, vel ex inſenſibili & minus manifeſta ſenſibilis & apparens conſurgit ſubſtantia, inque eò ferè acquieſcunt. Videntur tamen ſimul concedere vel tacitè συγκρίσει & διακρίσει hæc contingere, licet contendant reverà fieri, nec actu & formaliter, ſed ſaltim potentia ineſſe. Hinc ab oleis per incinerationem immutatis ac combuſtis ſalia hæc alcalia conſurgere *Polemannus* arguit, ab acidi & alcali volatilis concurſu & coagulo *Tachenius*. Cum verò olea vel deflagrent, vel actu ſeparentur, exemplo ∽us Tart. ubi ſeorſim oleum, ſeorſim ſal habetur, prior ratio ſufficere nequit. Cumque ſalia hæc cum acido maximè effervеſcant, nec inde ſaturata ſint, cum concluſo, ut diximus,

mus, igne ſingula illa, quæ cæteroqui avolant, ſeorſim, & nominatim ſpiritus acidulus ♀ri, exhibeantur, nec altera hypotheſis abſolutè concedi poteſt. Utraque tamen hæc aſſerta anſam præbent ulterius cogitandi. Satius videtur ſtatuere, quod impetuoſa illa deflagratione, cùm non æqualiter pateant igni particulæ unctuoſæ inflammabiles, cum reluctantiùs terreis confluant particulæ ſalinæ, ipſæque quædam ſulphureæ, licet paucæ, una figantur & concorporentur. Sulphur enim in ſalibus alcalibus latet, in fixis implicitum, in volatilibus explicitum magis, quod tum ſpirituoſis, tum acidis demonſtrari poteſt. Pro ſalibus ergò alcalibus parandis opus eſt incineratione, ſeu ut plantæ accenſæ humidiuſculæ vel ſiccæ redigantur in cineres. Humidiuſculæ ſed recentes plus præbent ſalis, quia ob humidi præſentiam ſal volatile minus avolare poteſt, magiſque & ſal & ſulphur ſic concentrantur. Aperto verò igne, ut ſulphur deflagret perfectè, nec colore ſuo inficiat eadem.

9. *Alia mixta alcalia fixa, alia volatilia, alia utraque largiuntur.* Subjectum, ex quo parantur ſalia, conſtituunt omnia incinerabilia pro alcalibus fixis, ſeu in genere, quæ ſeparationi ſalis à ſulphure non repugnant. Si tria regna luſtremus, ex animalibus plurimum & unum ferè ſal volatile ſolùm producitur, eò quod pauco acido & plurimo ſulphure abundent, eoque à ſalibus expanſo, unde liberius ſal expediri & à ſulphure partim liberari poteſt, partim ab eodem recipi. Pauco verò vel nullo ad ſenſum ſale fixo pollent animalium partes, quod tenuatum & liberatum ſal vel avolet, vel occultetur non tàm in ſulphure, quàm in terra ipſa quoque, unde alcalina omnia, oculi cancrorum, C. C. uſtum, corallia &c. ſal occultum implicitum in ſe gerunt, quod ex oculis ♋ demonſtrari etiam poteſt, vel ſaltim cum poris alcalium & textura multum conveniunt non minus ac effectu quoque. Occultationis hujus maniſeſtiſſimum exemplum eſt in calce viva, ſeu lapidibus combuſtis. Ineſſe huic ſal effecta clariſſima probant, vel ſolius ∽us ⊖is ✱ci exemplo. Illud verò ſi ex in elicere via ordinaria velis, non niſi terreum emergit magma. In metallis verò ſal ſulphuri ſubjugatum eſt, unde ductilia & malleabilia ſunt, ſal verò elici non poteſt, præterquam vitriolatum, eò quod non niſi acido auſcultent ſali, quod coiens cum particulis terreis & ſulphureis corpore fit iterum, exemplo ⊖-li ♂, ☽æ, ♀is &c. vel quaſi tale, exemplo ſacchari ♄ni. ob conformationem & diſpoſitionem ſulphuris diverſam. Ex vegetabilibus ſingula haberi poſſunt ſalia, ob teneritudinem mixturæ & ſeparationem faciliorem. Sic & ex ♀ro ſal volatile & fixum haberi poteſt. Ratio diverſitatis effectus hujus conſiſtit in duobus, (1.) in ſubjecti ipſius miſcela; prout vel laxius vel ſtrictius, vel copioſius vel parcius ſalino principio gaudent, ita etiam diverſa eliciuntur ſalia. (2.) In præparationis varietate, quod ex dictis patet, alium enim effectum ſortiri oportet ſulphur accenſum, alium putrefactione reſolutum, unde ſal centrale liberatur. Ex quo ipſo etiam de ſalis alcali natura pluribus licet philoſophari, quomodo nempe alcali fixum à volatili differat, non eſſentialiter ſcilicet, ſed accidentaliter.

10. *Quæcunque ſapore & pondere aliis præcellunt, non prædominante ſulphure roſcido, præcipuè fundunt ſalia.* Γένεσις ſalium differt reſpectu ſubjectorum diverſorum, & affectionum horum. Sal ut primum eſt ſapidum, ita ex ſapore quoque ſalium præſentia præcipuè colligitur. Hinc quæcunque ſalia magis libera, eminentia & activa obtinent, ut antiſcorbutica & acria, minus fundunt alcalia fixa, magis volatilia. In iis verò ſapor acris volatilis ſapore ſe prodit maximè. Et iterum: quæcunque plurimo pollent ſale volatili, minus pollent fixo, ut non ſolùm dicta antiſcorbutica, verùm etiam animalia omnia, ex mineralibus ſuccinum &c. Contra ea, quæ ſalinum & terreum principium ſapore amaricante magis præ ſe ferunt, copioſiùs fundunt ſal alcali fixum, ut abſinthium, carduus benedictus, centaurium minus, ſcordium, artemiſia &c. Quæ verò aquea, terrea, minuſque ſapida, ut hyoſcyamus, malva &c. magis ſunt inertia, & ſal etiam terreum minus deliquabile largiuntur. Ad ſapida etiam ſpectant ipſa acida, exemplo ♀ri, & gialapæ, quoad odorem &c. unde oleum & ſal copioſum largiuntur. Quæcunque ſapore & odore ſimul pollent, ſalis volatilis oleoſi indicio, olea aromatica & ſalia volatilia magis fundunt. Præter ſaporem ſal etiam pondus largitur, unde & ex pondere æſtimari poteſt ſalium copia & proventus. Quæcunque graviora, compactiora & acidula ſunt, præ levioribus vel reſinoſis aliiſque ſal præbent. Exemplo ſit lignum quernum & fraxini, aliaque, ſi comparentur cum lignis aliis, cum plantis ipſis. Hinc ex ſubere & ſtramine pauciſſimum ſal elicitur, quia prius non inerat. Ipſe quoque odor acidulus oleum non ita prædominari arguit. Quæcunque enim multum olei fundunt, parcius ſal fixum exhibent, exemplo ligni aloës, ſancti, ſuccini & ſimilium. Quæ verò terreis tenaculis præpollentibus illud detinent magis, ut tartarus, oleum & ſal præbent copioſum. Atque hinc eſt, quod, ſi vitale fermentum putredine reſolutum ſit in lignis, pondere ſic ablato, & ſulphure extra ſe verſo, aqua etiam deficiente, cadaveraſcit etiam, juxta *Helmontium*, *Tachenium* & alios communiter, ſal, & in terram fatiſcit, unde nullum vel paucum admodum ſal emergit, licet recentiores quidam contrarium aſſerant quod experiri ulterius non erit difficile.

11. *Salia è cineribus probè calcinatis ſeparat aqua, ſeparata unit ignis.* Quicquid in fundo remanet poſt calcinationem, ſal eſt, inquit *Paracelſus*. Sal eſt in gremiò terræ latitans, è quo expromendum eſt. Cineres ipſi jam ſalinum præ ſe ferunt, unde & cinerum vires unicè ſali debentur, aſt non purum, non ſeparatum. Vincula mixti deſtructa ſunt in cineribus, deſtructo ſulphure, mixtorum calido innato & ligamine. Separat ergò ſalia aqua, affuſione facta, qui actus uno verbo dicitur elixiviatio. Quales verò cineres, tale ſal. Facta rite deflagratione cineres albi vel gryſei lixivium largiuntur bonæ notæ, & conſequenter ſal. Quando verò calcinatio vel deficit, vel excedit, operatio ipſa minus ſuccedit. Quando deficit, non deflagrat rite ſulphur, & conſequenter lixivium fit flaveſcens, coloratum; ſeparat enim tunc ex iiſdem cum ſale etiam ſulphur reſiduum. Separat ſal, quia poros ejus ingreditur intimè, & viciſſim ſalis pori aquæ poros, qui dum ſe ſubeunt, promptiſſima fit ſolutio. Separat ſulphur, ſub vehiculo ſalis, unde ſalia illa fiunt magis unctuoſa, facilè deliquanda. Eſt verò cavendum, ne in ſeparando quoque fiat defectus, quam in rem notandum eſt, repetita calcinatione 🝣 etiam ſal in majori quantitate conſurgere. Neque enim una æquè calcinatione ſal omne exhauritur, quin repeti eadem cum ſucceſſu poſſit. Ut melius deflagret hoc ſulphur plantarum, ſolent addere inter calcinandum ſulphur commune; de quo alibi. Separata verò jam à cineribus ſalis & fluida elemento alieno reddita, unit ignis, abigendo aquam & difflando. Quando verò excedit calcinatio, haſtulæ ſalinæ iterum infringuntur, & ſulphur adhuc junctum magis expanditur. Obtinuimus ſic ex cineribus abſinthii fortius calcinatis lixivium planè cœruleum. Probè igitur calcinatis cineribus, ſulphurea parte tingente abacta, purius emergit ſal, & contra.

12. *Salia ſucceſſivè & ex parte evaporata, ſal cryſtallinum parturiunt*; ἀθρόως καὶ βιαίως, *ſimul ac ſemel & ex toto*, ἄφορμον. Prius longè optimum eſt, quia & puriora ſic ſalia, & aſſervationi magis convenientia acquiruntur. Puriora: fit enim ſeparatio commodior à partibus terreis, feculentis, ad fundum ſic deturbandis, quæ, ſi ſimultanea fiat concretio, confunduntur magis: fit ſeparatio à partibus ſulphureis feculentis. Quando cryſtalliſatio fit, in fine relinquitur tale crama ſulphureum, ſpiſſum, minus coagulabile, quod, ſi relinquatur, deliquii cauſa eſt ſimul, continet enim ſal unctuoſum, minus exiccari aptum, unde pori redduntur laxiores. Sin auferatur, melius res habet, atque aſſervari poſſunt per plures annos ſalia, ob ſulphur & terram conjunctam æqualiter panſa, & poros ſic oblinitos quaſi. Terra enim ſali præbet corporaturam & conſiſtentiam, unde & crebriori ſolutione & coagulatione ſic in tota in terram tandem redigi queunt. Ex quo patet, modum tenendum eſſe iis, qui hoc pacto ſalia elegantiora aucupantur. Addimus ad cryſtalliſationem etiam requiri ſalis ſ.q. quò majori enim copia lixivium præſto ſit, quò magis ſaturatum, eò elegantius cryſtalliſari ſalia quævis ſolent. Sin præcipitemus evaporationem, contrarium fit, & obtinetur magma ἄφορμον, non haſtulis elegantibus ludens & figuris variis, uti ſolent cryſtalliſata. Exemplo ſit ⊖ ♀ri; hoc lentè evaporatum, vel etiam ſolutum per deliquium, & hanc cryſtalliſatum, vel ſponte, ut vidimus, vel prævia exhalatione aliqua elegantiſſimum redditur. Aſt in cacabo quocunque vel vaſe commodo evaporatum & colorem & conſiſtentiam habet minus elegantem. Notari tamen & illud meretur, cryſtalliſationem hanc vix experi, præterquam in ſalibus plantarum pro uſu interno, in ⊖e ♀ri verò, cum polychreſtum ſit & ad varias operationes expetitum, non facilè.

13. *Salia acida non ſpontanea & ſtatim ſua calcinatione aërea producuntur.* Pleriſque ſi non omnibus ſalibus acidis communis eſt elixiviatio, quatenus aqua ſolvuntur & ſic congregantur, ac evaporatio, qua conſiſtentiam & corporaturam debitam acquirunt. Ut verò à poſteriori hoc conveniunt in præparatione; ita differunt à priori. Exemplo ſit minera ⊕li & Onis. Minera vitrioli Haſſiaca, expoſita aeri libero effloreſcit, ut tincturam ♂is ☉em putatam exhibeat, revera, ut vitriolum è centro & ſinu ſuo expromat. Tinctura illa ♂is nil aliud eſt, niſi ſolutio vitrioli, quatenus in pulverem fatiſcens minera ſolvitur aqua roris majalis deſtillata, vel alia, perinde enim eſt. Hæc ſi relinquatur ſibi, ut ſenſim vel in aëre evaporet aqua, relinquitur in fundo ipſiſſimum vitriolum, & ex eodem hoc fonte, ſeu conſimili minera, vitriolum Anglicum conficitur. Nobis h.l. ſufficit, enaſci vitriolum dicta calcinatione aerea, & collabi, miro naturæ luſu. Aër vitriolum gignit, aër perimit. Gignit, quatenus mineram, duram & elegantem, aër ambit liberè, unde verberat ſenſim ſenſimque poros ejuſdem, quibus ſic laxatis, ſucceſſivè ingerit atomos aqueas, quæ hoc magnete captæ infiguntur promptius, unde ſal effloreſcens turgeſcit, ampliandoque poros collabi facit corpus, prius compactum, ut in pulverem abeat totum, majuſque occupet & requirat ſpatium. Præter humidum aër etiam calidum ſuggerit, quatenus ſolis radii congeſtis cumulis magis aptant poros, ut promptius hinc admittatur humor. Contrarietas illa apparens, quod gignat & perimat vitriolum, facilè elucidari poteſt, ſi penſitemus aerem humidum advehere & diſſipare, advehendo temperatum communicat, difflando ſiccat & abſumit. Hinc vitriolum aeri expoſitum concidit, & calcinatur, ob abſumptam humiditatem, qua radicaliter reddita idem vitriolum habetur. Idem valet de alumine, cujus minera lapidem fiſſilem ex parte æmulatur, quæ eruta ex terra cumulatim aeri & ſoli exponitur, ad longum ſatis tempus, ſex v.g. menſes. Calcinatio hæc adjuvatur, affundendo partem aquæ per vices, quod ipſum comprobat dicta magis. Hinc ubi ſatis effloruerit, elixiviatur & more ſalium proceditur, niſi quod bona quantitas urinæ affunditur, unde præcipitatio fit & miſtio nova; idque ſecunda & tertia vice, breviori tamen mora, ad menſes circiter tres repetitur, exponendo denuò iterumque aeri ad plenariam calcinationem. Idem etiam poſſumus de nitro ſuo modo aſſerere, quod in cellis videmus & aliis locis aptis; ut taceamus flores ⦶ *Mynſ.* per ollam non vitreatam ſublimatos. Quæ verò ſtatim ſua ſunt, ſpontanea, hunc cenſum non ſubeunt, quamvis itidem aeris vis & humidi concurrat.

14. *Tartarus herbarum via humida factus ſalino-terreo debetur coagulo.* Tartarum herbarum dicimus, quæ alii ſalia eſſentialia, imò volatilia & ſucculenta nominare amant, eò quod ex ſucco ſint concreta. Tartarum ad analogiam tartari vini, cujus γένεσις multum lucis dare poteſt huic ipſi tartaro vegetabili. Tartarus vini ex ſucco uvarum fit, ſeu vino, quando jam pacatius degit à fermentatione peracta, quatenus ſenſim ſenſimque partes acidæ & terreæ coeunt, unaque reliquas ſulphureas ſecum abripiunt, ut unum novum ens inde conſurgat. Eodem pacto ſe habet tartarus plantarum, niſi quod tardius & lentius paulo ille coaguletur. Monſtrat hæc ipſa ἐγχείρησις principium ſalis internum eſſe, externum ignem. Via humida factus dicitur, quod expreſſione vel decoctione & evaporatione ſufficienti factus. Præcipuè verò tartarus hic ſeu cremor ex acetoſis parabilis eſt, in quibus principium coagulabile eſt copioſius; in aliis majori quantitate opus eſt, ut tale coagulum tartareum emergat. Simile quid ſponte quaſi evenit in prunis Hungaricis exiccatis, quæ exiccata convenienter ſucceſſu temporis ſaccharinum coagulum ſeu florem nectareum extrudunt. Imò licet referre huc ipſum ſaccharum, quod nihil aliud eſt quàm ejuſmodi crama ſalinum tartareum, ex cannæ ſaccharinæ ſucco prolectum & coagulatum, dulcedine ab ipſo ſulphure blando acidum temperante orta. Ex quo patet, tartarum hunc, ſeu ſal eſſentiale ſui generis, diverſum eſſe, non unius generis, & hoc ſenſu, ſi virtutem ſeminalem æſtimemus & artificium, ſi ſulphureas partes non abolitas ferè palmam præripere ſalibus cineritiis, ſeu alcalibus certum eſt. Et frequentius ſanè tales cryſtalli ſeu tartarus occurreret in præparationibus quoque aliis, niſi extractis vel rob magis ſtuderemus. Imò in rob ſambuci v. g. aliiſque non rarò, abſumpta per ætatem humiditate granula ſapida & egregia occurrunt linguæ, non aliunde arceſſenda, quàm à ſalino & tartareo tali coagulo. Utque tartarus ſal vini non dici poteſt, niſi ἀκύρως & latè; ita commodè hoc nomen retinere licet, ut denotemus ſal medium itidem ex acido, ſuperabundante vel obtuſo per ſulphur, & alcali, variis miſcelæ gradibus, diverſum effectum & ſaporem edens, quæ omnia in tartaro vini ad oculum patent. Unde ſuperioribus ſalibus mediis acidis §. 5. addere poſſumus tartarea hæc, imò & ſaccharina, exemplo ſacchari & ſacchari ♄ni, quæ nempe ex acido, alcali & oleoſo conſtant. Illuſtrare rem poteſt, quod acidum in plantis alio modo etiam demonſtrari poſſit, nempe aceto, quod ut ex fructibus alimentoſis, ſecali, hordeo, tritico per fermentationem reſultare notum eſt; ita ex herbis parandum deſcribitur à *Cl. Deodato l. 2. Panth. Hygiaſt. p. 15.* ♃ v.g. veronicæ, vel angelicæ, q.ſ. & per philoſophicas digeſtiones purum ab impuro ſepara, mox ad ſucci ita depurati ℔j. Vi rectificati adde ℥j. Tandem vitreo vaſi benè obturato incluſa ſoli expone, & brevi acerrimum acetum habebis, præſertim ſi aliquid fermenti & zingiberis addideris.

15. *Salia quæcunque principium ſeminale multiplicativum deſtructum habent, imprimis verò alcalia.* Chimici

ci principia ſua admirantes delicatius eò proceſſere,ut omnia ex omnibus fieri poſſe arguant,& v. g. ſeminalem vim ſali adſcribunt,adeò, ut & poſt incinerationem reſuſcitari è plantis combuſtis,earumque cineribus & ſale plantam ſtatuant.Inde etiam ad reſurrectionis humanæ è mortuis demonſtrationem, (eò procedunt,tum ipſi,tum,quod mirandum eſt,quidam etiam alterius fori) id applicarunt.Si audiamus,quæ pro ſtabilienda hac hypotheſi allegari poſſint & ſoleant,ratio dari poteſt,ſal eſſe principium fœcunditatis,& cõſequenter ſeminale. Cum ergò in cinere ſal, in ſale tanquam in centro lateat cujuſcunque rei vegetabilis virtus ſeminalis,integram illam aſſerere oportet, qui prius admiſerit. Et cum una experientia plus valeat, quàm centum rationes,adducuntur experimenta varia à *Quercetano*,& inprimis *Kirchero Mund.ſubterra.l.2. ſ.4.p.414.* ubi latè de hac palingeneſiâ diſſerit,pluribus videndus.Exhibuiſſe ſe ſcribit plantam (quam verò non addit)in phialâ hermeticè clauſâ,è cineribus ſuis reſuſcitatam.Imo cineres fœniculi fœniculum dediſſe genuinum,decocta plantarum congelata ſui picturam exhibuiſſe,alii huc allegant;ut *Fabri* theoriam nõ laudemus, qui ſeminata ſalia prolifera eſſe velut certum & indubitatum adducit. Prius verò,quã ulterius progrediamur,præmonendum eſt,ſalia variis ludere figuris, prout diverſa aquæ & aliorum miſcela ignisque regimen acceſſerit,adeò ut & ex animalibus deſtillata aqua,v.g.ſpermatis ranarum, imò & humidum aëris feneſtris affixum tempore hyberno,tales ramificationes & luſus exhibeat.Hinc ſal omninò admittimus tãquam figurationis principium, quod & in animali & minerali ipſo regno plures & admirandas figuras exhiber,teſtibus lapidibus,qui diſſecti arbuſtula depicta à naturâ exhibent,quales & apud nos reperiuntur.Simile verò non eſſe idem,noto eſt notius. Quod itaque attinet vim ſeminificam,in genere certum eſt, nullum genuinum eſſe ſemen, quod non ſimul gaudeat fermento,ut immutando ſe multiplicet. Qui verò palingeneſiam illam monſtrant phantaſticam plantam plerique oſtentant;qui veram producere tentant, fruſtrà ſunt.Deinde falſum eſt,ſemen in ſalis centro latere,cũ id potius in ſulphure ſit ponendum.Sulphur eſſe principium commune ſeminum ex eo patet,quod lucis eſt matrix,quod calidi innati ſedes.Satius quin fuerit, ſemina in luculâ conſiſtere, à divino Numine ſingulis diſpenſatâ creatis,quæ ſuſtentata ſalis & ſulphuris involucris aptum nacta hoſpitium propagari & multiplicari poſſit.Atque hinc ratio patet quare ignis ſit deſtructor ſeminum Expellit enim illam luculam & deſtruit,deſtruit ſulphur & peſſundat actualis ignis penitus,ſulphur ſeminale,etiam aquæ immerſus,& ſimplici coctione.Hinc ſemina plantarum & nuclei ab animalibus devorata ſeminifica manent exemplo ceraſorum, ab homine devoratis nucleis, ſambuci & aliorum ab avibus, carduorum à ſuibus. Animalis enim ignis vivificus eſt & blandus, elementaris ille deſtructivus.Adde luculam illam in ſemine velut ovulo recubare, unde ſi contundatur ſemen & comminuatur, deſtructâ debitâ partium texturâ & poſitu neceſſario & ordinatiſſimo planta ex ipſo ſemine produci nequit,nedum ſi comburatur penitùs in cineres. Ut mirari ſubeat quomodo regenerationem plantæ ex ſemine contuſo & rore inebriato fieri poſſe credant & præcipiant Vid *Kircher.l.c.* Quod ergò experientiam attinet,illa ramificationem & luſum exhibuit, qui ſi aliquam ſimilitudinem magis appoſitam plantæ præ ſe ferat,ex quâ cinis paratus fuit,id inter contingentia penitus numerãdum eſt,neque,ſi examen fiat penitius, id concordabit examuſſim,non aliter ac plantæ in lapidibus repertæ non certam aliquam ſpeciem ſignant. Satiùs ergò eſt in hiſce ac aliis ultrà vulgus ſapere,& mirari naturã,non tamen contrà eam aliquid tentare, Neque quicquam huc contulerit terra virgo. Cineres plantarum terræ virgini inſitos intra breve tempus ejuſdem ſpeciei plantam,quæ in cineres reſoluta fuerat,exhibituros,idem inſtar omnium *Kircherus l. c. p. 416.* promittit,quod ſæpè ſæpius in ſale abſinthii ſe expertum addit.Quod enim quid non habet, alteri dare nequit. Nulla generatio fit ſine ſemine, ſemen verò igne deſtructum eſt.Unde fruſtrà ſunt,qui id inter arcana habent,meritò pro talibus habenda, ſimul enim propalaverint,fucum prodere & turpiter ſe dare coguntur.Unde experientiæ illi particulari & prætenſæ opponimus publicam & univerſalem ſemina, plantas & omnia vegetabilia ab igne deſtrui in individuo, & ſpecie illâ quam expromere poſſent vel debebant,idque de ſalibus omnibus affirmavimus. Sal commune eſt principium;ſimul ac ergò productum fuerit è plãtis,reſoluta eſſe principia hypoſtatica certum eſt;unde nec de volatilibus id ſperandum eſt, nec de mediis, quibus potiori jure id adſcribendum fuerat, quippè plus de plantâ participant & principia componentia magis habent integra,Fruſtrà ergò ſunt, qui principium internum ſemen quærunt in uno ſale, communi & externo.Imò idem etiam valet de ſulphure. Reſuſcitationem talem formarum laudant quoque repræſentari poſſe ſequenti experimento. ℞. Terebinthinæ communis ℔ iv.impone in cucurbitam vitreã & elice lento igne ſpiritum & oleum æthereum. Continua ignem,quouſque acceſſerit oleum flavum, deinde rubrum.Si prolectæ fuerint olei flavi & rubri ana circiter unciæ duæ,aufer gradatim ignem,& refrigeſcat leviter vas ad tres dies & noctes,aufer ab igne,& videbis circa parietes vaſis formas multarum abietum, cum radicibus, truncis ramis & foliis mirabiliter repræſentatis. Adſcribitur id Davidſonio Scoto, quod citat & vidiſſe ſe ſcribit *Digby de plant.veg p.84.*

16. *Salia alcalia volatilia differunt à fixis diverſitate particularum,fixitate & effectu.* Non differunt eſſentiâ,unde & æquè ex plantis confiunt, neque ſolùm in plantis ſcorbuticis & cephalicis exiſtunt,ex iiſque elici poſſunt,ſed ex reliquis quoq; omnibus,ut alibi probavimus,ſeparatione debitâ ſecernendo,ut,diſſipatione coactâ,fixa.Diverſitas eſt ergò quoad accidentia,& (1) quoad diverſitatem particularum.In fixis ſuphur & terra intimius nexa conſiſtentiam fixam largiuntur; in volatilibus explicatiſſimum ſulphur,terra verò pauca & ſubtilior.Hinc promptiſſimè avolant, & poſt ſe liquorem rubellum relinquit ſal cornu cervi.Hinc hiſce duobus mediis figuntur quoque ex parte,v.g.ſal cornu cervi cum ſpiritu vini abſtractum fert ætatem, & ab aëre defenſum magis adſervari poteſt.Sic & cum cornu cervi uſto idem, tanquam partibus terreis magis fœto,itidem vel quaſi figitur,ut corporeitatem ſortiatur firmiorem,& diſpenſari ſolidâ formâ poſſit,modò ſimul ob uretur cum cerâ & veſicâ.Et hæc ipſa etiam ratio eſt (2) fixitatis. Sub calcinatione apertâ impetuosè ignis colligat & velut ferruminat illas partes, ſub putrefactione,vel aliis ſal volatile parandi modis, paulatina fit reſolutio, unde liberius vagantur particulæ,& capiuntur quidem volatiles,in libertatem tamen facilè ſe vindicantes ulteriorem. Cùm itaque à priori mixtione diverſâ differant, ſiquidem in fixis vinculum terreum intimius eminet; differunt (3) effectu,non univoco quidem,ſeu homogeneo & generali, ſiquidem in multis conveniunt quoque,ſed graduali & æquivoco,ac ſpeciali.Ita, præter alia dicenda,tincturam cœruleam violarum & fixa & alcalia ſalia extemplo reddunt viridem,unde & in gramine læta vigere colligere licet.Notabilis differentia & velut mechanica occurrit in præparatione turpethi albi,ſi enim ſolutioni ☿ ⌒i inſtilletur ſal alcali fixum, liquidum puta,ſtatim deturbantur ochreæ particulæ,turpethum vocatur communiter;ſin ſpiritus ⊖is ✻ci, albiſſimum coagu-

coagu-

coagulum emergit. Pertinet hoc illud Helmontianum, ſal volatile rei fixari in ſuo alcali fixato.

De Viribus Salium.

Speciatim attendi merentur vires ſalium, de quibus not.

1. *Salia alcalia omnia acidum abſorbent, & ſanguinem rarefaciunt : eminentius volatilia, minori gradu fixa.* Quemadmodum per mechanicam id viſitur extra corpus, ita in corpore effectus hic eſt generalis, communiſque alcalium, quod acidum deſtruant, ſive in primis viis, ipſoque ventriculo reſideat, ſive in maſſam ſanguineam intimius receptum hic illic fixantem edat effectum. Abſorbent acidum, non tamen æquè cum efferveſcentiâ notabili ſemper & ſenſui manifeſtâ, ut extra corpus, ſiquidem ſub ſulphuris & caloris vitalis concurſu id ſicuti nec ſpiritus ⊖is ✱ci vinoſus ab ullo acido præcipitatur, ſed amicè coit edulcatque. Ex hoc ipſo verò effectu communi plura alia phænomena explicari poſſunt. Inprimis verò alcalia rarefaciunt ſanguinem, uti oppoſita illis acida coagulant. Rarefaciũt, quatenus roborant ſal volatile ſanguinis, & quatenus expandunt ſulphur, ſerumque reddunt fluxile, unde & ſpiritus ⊖is ✱ci urinoſus ſanguini è vena educto confuſus illius colorem non deturpat, ſed exaltat magis, ejuſque conſiſtentiam firmam reſpectivè reddit, fibras æquali mixtura ſuſtinendo, non dimovendo. Rarefaciunt poſitivè volatilia, ob ſal & ſulphur volatile promptè in venas latum; rarefaciunt privativè fixa & volatilia, quatenus frenum rarefactionis acidum excutiunt. Sin oleoſitas accedat manifeſta, exemplo ſalis volatilis oleoſi aromatici cujuſvis, longè efficacius & evidentius id contingit. Idem hinc præſtant ſuo modo alcalina. Ob id verò, quod ſerum reddunt fluxile ſalia, quod cum nitroſis alcalia habent commune, minus locum habent, ubi motu & fluxilitate jam delinquit, ut in catarrhis, præſertim tenuibus, tuſſi, diarrhœa, dyſenteria, etiamſi peccet acidum, tamen non conveniunt. Adde, quod ideò quoque ſalia alcalia inter calefacientia ſint locanda.

2. *Salia urinoſa diaphoretica, excitativa, bezoardica, cephalica, cordialia ſunt volatilia.* Sive ea conſideremus ſolida, ſive fluida, perinde eſt, ſive in concreto, prout ſubjectis, è quibus parantur, adhuc immerſa ſunt, ſive in abſtracto, ſeparata ab iiſdem. Diaphoretica ſunt volatilia, ubivis nomini ſuo conformia, unde ſudorem potenter cient, & in expellendis variolis, bubonibus, petechiis, ſcabie &c. naturam ſummè juvant, ubi ſtimulo opus habet, non item ubi freno. Excitativa ſunt, tum in hoc, tum in genere archei, præcipuè in iis affectibus, ubi impellendus & citandus eſt in motum, in affectibus ſoporoſis, paralyſi, ſyncope, lipothymia, apoplexia, intus & extus, ſolo etiam odoratu. Excitant potenter, unaque poros obſtructos reſerant. Bezoardica ſunt, tum per ſe, ut ſpiritus cornu cervi, ſerpentum, viperarum, eboris, eorundemque ſalia volatilia ; tum cum aliis. Sunt inſtar ☿ii, ſemper activa, cum quibus ergò junguntur, illa quoque reddunt talia, ut tinctura bezoardica, rhabarbari, ♉ii &c. volatilis ita redditur. Sunt cephalica & cordialia volatilia, ſunt & antiſcorbutica, poſito indicante laudato, quiete humorum, στάσει, torpore, acore. Quo abſente etiam nociva evadunt, non ſua, ſed utentis culpa. In ſcorbuto v. g. calido φλογώσεις, ebullitiones, anxietates cient, & ſymptomata omnia potius excitant, quam ut mitigent, unde eo caſu cedunt acidis, aqueis, & temperatis aliis præcipitantibus. Uſu verò obtinuit, ut ſpiritus ⊖is ✱ci reſpectivè magis extra febrilem ſtatum, ſpiritus eboris, cornu cervi magis præſente eodem adhibeatur, licet exigua ſit differentia, potiſſimum ob teneritudinem & oleoſitatem, quam conſtantem quaſi ſecum ſervant illi ſpiritus, illa ſalia volatilia.

3. *Salia alcalia fixa viribus ſpecificis & dotalibus mixti carent, non tamen ejuſdem per omnia ſunt indolis.* Quando ſuis indulgent & delectantur fœtibus Chimici, plus etiam virtutibus ſalium adſcribunt, quàm revera præſtare poſſunt. Alii mitius rem exponunt, & aliquid ſervari de virtute priſtina concedunt. Senſus verò ipſe teſtatur, κρᾶσιν mixti per ignem deſtrui, deſtrui ſeminalem vim, quæ & viribus talem ſe exerit, deſtrui texturam particularum, ut ex amaro, acidulo, inſipido, odoro, nil amplius reſtet, hujuſmodi vel umbram referens, unde omninò fruſtrà quæras priſtinam formam. Unde è plantis cephalicis, cordialibus, purgantibus, ſtomachicis, non licet ſal cephalicum, cordiale, purgans, expectare, & quod præſtant in hoc ſalia, id faciunt ſuo modulo, citrà priſtinam texturam. Hæc ut ſunt veriſſima, ita nihilominus fatendum eſt, non minus differre quoque ſalia alcalia fixa à poſteriori, quemadmodum differunt à priori. Non una omnium eſt textura plantarum, ſed particulis diverſis, aliter atque aliter poſitis, gaudent, unde conſequens eſt, non unum idemque ſal in calcinando emergere, atque ſic aliud præ alio quoque ſecundum quid eligi debere, ad hæc vel illa viſcera alteranda, ad hunc illumque effectum ſpecialem & determinatum, quem intendimus. Hinc varii velut gradus & ſpecies ſalis alcali fixi concedendi ſunt, quæ differentia per mechanicam etiam demonſtrari poteſt, teſte *Tachenio Hippocr. Chim. c. 7. p. 30. ſeqq.* quatenus ſolutio ☿∿i cum aqua ſimplici factâ, aliter ab hoc, aliter ab alio ſale, itidem in aqua ſoluto, præcipitatur, cum tamen volatilia ſalia albicantem ſiſtant. Hæc ipſa verò volatilia alcalia majori gaudent privilegio, hæc quippe eſſentiam mixtorum unitam poſſident, ob ſalis & ſulphuris conjunctionem. Hinc ſal volatile liquidum cochleariæ, ſal volatile liquidum liliorum convallium veſtigia manifeſta ſaporis odoriſque obtinent.

4. *Salia alcalia fixa vires habent communes plurimas, ſpecificas originarias nullas, ſecundarias plures.* Si in laudes ſalium excurrere velimus, ampliſſimus hac ſe offerre campus. Potiores ſaltim videbimus virtutes, Salia v. g. (1.) *aperiunt* & reſolvunt Saponaria ſeu abſterſiva ſunt, venarum amurcam abſtergunt. Hinc, ut verbis utamur *Highmori lib. de affect. hypochondr. p. 129.* ſuccos figendo & præcipitando acidos fermentationem tollunt, atque ſic ſine tumultu & turbatione cibi in ventriculo diſſolvuntur, & ſanguis per totum pacatius circulatur microcoſmum (2.) *Leniunt* & ſtimulant : non purgant quod nonnullis viſum eſt ad inſtar purgantium aliorum, ſed leniunt tamen, fluxilem reddunt pituitam, extricant humores & expultricem admonent officii, virtute abſterſoria. In tenerioribus verò, & ubi magis ἀναίσθητος eſt ventriculus, viſuntur ſæpè etiam purgare, quod aliàs de nitroſis valet κατ' ἐξοχὴν, unde vidimus ab arcano duplicato ad ℈j. per tres dies continuos aſſumpto purgatam quotidiè fœminam. Hinc purgantibus infuſis & pulveribus commodè adduntur ſtimuli loco. Hinc tinctura ⊖lis ♀ri in alvo pigriori, qualis eſt in ſenibus, commendatur cum fructu (3.) *Urinam & ſudorem movent.* Diuretica & diaphoretica ſunt omnia alcalia, quatenus ſerum, utriuſque materiam, in motum cient & reſolvunt unà, unde etiam ſunt nephritica, calculum, ſabulum & arenulas expellunt. Si verò inter ſe comparentur, alcalia fixa magis urinam, volatilia ſudorem magis pellunt, & hoc fine eliguntur conſultius, quia nempe ad ſudationem halituoſitas ſeri major requiritur, ad urinam reddendam fluxilitas ſufficit. (4.) *Febrifuga*

ſunt;

ſunt; ſeu ebullitiones in corpore febriles exortas compeſcunt; Volatilia magis in continuis, ad diſpellendum μίασμα peregrinum, & roborandum vitale ſulphur ſanguinis: Fixa in intermittentibus, (licet ∾us ⊖is ✱ci ejuſque ſal volatile in quartanâ eligatur magis.) ut ſal cardui benedicti, centaurii minoris, abſinthii eo nomine celebria ſunt, ſive ſola, ſive quod melius, ſimul mixta & coalita cum nitroſis. (5.) *Corroſiva* ſunt; ſi id expetatur. Viſitur id in ſalibus alcalibus volatilibus quoque aliquando, ſi magis ſint unita & acuata, uti ∾us ⊖is ✱ci, ſi deguſtetur recens & fortior, excoriat ſæpè linguam; & in fixis roboratis calce viva. Minori gradu corroſionis ſunt cathæretica ſaltim; majori cauſtica. Quæ omnia etiam ſuo modo, exigua differentia, de ſalibus omnibus in genere prædicari poſſunt. Hinc patet etiam facilè, quid ſentiendum ſit de ſalibus compoſitis, quæ à nonnullis deprædicantur, ut apud *Mynſicht. in Armament.* Pluribus etiam de ſalium hac virtute legi meretur *Helm. l. poteſt. medicaminum*, item *Laur. Hoffmann. de uſu & abuſu medicamentor. chimicor. p.* 106. ubi qualitates illas ſpecificas latius rejicit, & pleraque è vegetabilibus parata ſalia unius ejuſdemque virtutis & efficaciæ affirmat.

5. *Salia alcalia media & nitroſa ventriculo minus grata, magis acida ſibi relicta.* Variè à ſalibus afficitur ventriculus, unde in ipſorum adhibitione meritò hujus ſemper ratio habenda, prout vel acido abundat, vel caret; prout item magis vel minus ſenſilis, prout ſtrictura vel laxitate villorum gaudet. Cum enim alcalia omnia acidum deſtruant, ventriculi verò menſtruum ad acidulum inclinet, ab eorundem uſu frequentiori ſenſim ſenſimque appetitus emori obſervatur. Valet id non ſolùm de ſalibus fixis, ſed & volatilibus, quod damno ſuo experiuntur, qui ∾u ⊖is ✱ci volatili utuntur largius, quatenus laſſari corpus & appetitum indies imminui obſervant; imò & de alcalinis ipſis, oculis cancrorum, creta, conchis. Hinc ad voracitatem corrigendam ⊖ ♀ri deliquatum & ſimilia porriguntur in praxi. Quo loco notandum venit, non quodvis acidum ventriculo eſſe gratum vel domeſticum, familiare. Toto enim die videmus acido abundante in ventriculo appetitum nullum eſſe, ob fixitatem majorem ſcilicet. Quam dum moderantur, corriguntque alcalia, & ejus generis alia alcalina, ſtomachicorum claſſi accenſentur non immeritò, modò reſpectus habeatur ad dictam humorum qualitatem. Idem de arcano ♀ri, de ♀ro ⊕-lato & aliis valet. Licet enim hæc non aquè abſorbeant acidum, laxant tamen villos & ſic tonum ejuſdem. Nitroſa verò id inprimis præſtant: laxant villos & ſtimulant, unde cautè eo caſu porrigenda, etiam in febribus, quando ventriculus non reſpondet, & alvus laxior eſt. Magis amica ſunt acida, quod præter alias rationes, mucum, ſeu pituitam, & bilem, quæ ipſi ventriculo maximè ſunt damnoſa, incidunt & domant. Modò itidem ſint proportionata. Ferre poteſt ſanè ventriculus longè majorem acrimoniam, quàm lingua & fauces; patitur tamen ſuos manes & corroſionem ab acidis excedentibus, unde ſuccus citri quoque immoderatius hauſtus eſcharam inducit. Acida verò ſibi relicta dicuntur ad differentiam aliorum, quæ acceſſione & miſcela ſua eadem modificant, ut particulæ minerales, metallicæ, auſteræ, ſtringentes fortius, aliaque.

6. *Salia non agunt niſi ſoluta, ſeu ſoluta agunt efficacius.* Receptum hoc aſſertum eſt in ſcholis medicis, & in praxi uſitatum. Non agunt niſi ſoluta internè, hinc quando ſalia febrifuga aliaque propinantur, commodè prius in vehiculo diſtemperantur, ut ſic promptiorem inveniant in vaſa aditum. Hinc acidulæ, thermæ, efficaciam ſuam maxima ex parte ſortiuntur, quod nil aliud quàm ſoluta ſunt ſalia. Hinc etiam in corporibus ſqualidis & ſiccis, cum non inveniant æquè ſufficientem quantitatem lymphæ ſolventis, minus operantur. Ipſaque fluida ſic cum ſalibus, quibus conjunguntur, quaſi dividunt vires, ut eo promptius utraque juncta agant. Sic nitroſa etiam interius & exterius idem verificant, ut ⦶ ǒiatum liquidum pro gargariſmatibus, pro epithemate ad frontem &c. Non agunt enim niſi ſoluta etiam externè, v. gr. in fonticulis excitandis; hinc leviter imbuitur ſaliva lapis corroſivus, neque applicatus ſiccus quoque prius corrodit, quàm è poris glandoſis ſortiatur ſolutionem. Adeò proprium eſt ſalium, ſolvi amicabiliter, & ſolutione prævia agere. Idem quoque de ſulphure & aliis valet. Quæcunque à menſtruo univerſali ventriculi non ſolvuntur, opiata, purgantia, emetica, aliaque, non acquirunt vim ſuam & actionem. Solutionem hinc ſal quoque largitur ſulphuri & aliis. Licet verò non ſolvantur integrè alia medicamenta, ut ſalia, imprægnant tamen lympham ſuo charactere, ut ſic agat. Non agunt niſi ſoluta, inprimis centraliter, (fluorem adepta eſſe vocant medici,) in operationibus chimicis, exemplo nitri, vitrioli, ſibi relictorum & in aquam fortem deſtillatorum.

7. *Salia lixiva ab acidis correcta magis grata, nec inefficacia, quin polychreſta.* Enixa ſalia virtutem cum aliis habent communem, quam diximus, variis verò de cauſis eorundam præparatio inventa eſt & commendanda. Ita enim aliam texturam nacta vires quoque alias, ſæpè nobiliores & polychreſtas, indipiſcuntur. Deinde vitia, ſi quæ habent ſalia, ſic corriguntur. Acida facilè ſtupefaciunt dentes, ſi liquida fuerint, nec ſolidari æquè, quà talia, norunt, hoc pacto verò conſiſtentiam ſolidam acquirunt & gratiam; ipſa verò lixiva quoque inprimis reverà ob lixivioſum ſaporem nauſeabunda ſunt, & à delicatis minus aſſumuntur. Hinc correctionem inveniunt & gratiam. Exemplo ſit ⊖ ♀ri, indeque enata ♀us ⊕-latus & arcanum ♀ri. Tartarus vitriolatus & inter magiſteria referri meretur, ratione præcipitationis, & ſalia enixa, ratione immutationis. Cumque eo coincidit ſpiritus vitrioli vel ſalis coagulatus, quando ſali tartari, abſinthii cardui benedicti &c. affunditur ſucceſſivè ſpiritus vitrioli, vel ſalis. Idque commodius ferè via humida, ut ſal tartari bonæ notæ & albicans ſolvatur, & ſoluto affuſo fiat eò uſque, donec effervescere invicem deſinant, de quo ſupra jam dictum. Arcanum verò tartari ſeorſim, aliàs terræ foliatæ, ſalis vini eſſentialis, aliiſque pluribus nominibus veniens, è ⊖is tartari & aceti coitione naſcitur, nilque aliud eſt, quàm ⊖ tartari, acido vini puro, ſeu aceto deſtillato ſaturatum, liquidum & ſolidum, licet hoc rarius, illud frequentius in uſu ſit. Exemplum hoc eſt methodi chimicorum, qui ſeparare partes ab invicem & ſeparatas conjungere ſatagunt. Duo verò ſic eveniunt notabilia: unum primaria intentione, ſal medium, quando alcali tartari ſic ſaturatur, ſali ſicco affundendo toties acetum deſtillatum per vices moderanda effervescentia, donec hoc abſtractum ſucceſſiva affuſione reddatur ſibi ſimile, odore & ſapore. Liquor enim à miſcela hac primum fit planè inſipidus & dulcis. Quem in finem fit evaporatio vaſe aperto vel clauſo, phlegmatis inſipidi, ad ℥j. ſalis, aceti deſtillati ℔j. circiter ad ij. requiſita. Obtento ſaturationis termino, Vi rectificatus, vel tartariſatus, ab eodem ſale abſtrahitur, & hinc phlegmate proprio vel aqua roris majalis ſolutum ſervatur ad uſum. Ita habetur enixum medium ſal, virtutibus inſigniſſimis conſpicuum, verbi gratia diureticum, nephriticum, hypochondriacum, febrile, ad laxanda ſeri & bilis; in infimo

infi…o cum primis ventre, coagula, & temperandum fervorem. Unde in affectibus hypochondriacis, calculo, hydrope, febribus intermittentibus, tum per ſe, tum cum tincturis martialibus, quas ipſas etiam variis modis exhibet, egregium eſt. Alterum intentione ſecundaria, & per accidens, ſulphur cœnoſum & terreum tingens. Quando enim commiſcentur acetum deſtillatum & ⊖ tartari, dicta ἐγχειρήσει, licet acetum deſtillatum ſit puriſſimum, cui etiam id adſcribi nequit, & ⊖ tartari albiſſimum; tamen ſulphur emergit impurum ejuſmodi, unde tingitur liquor, ipſumque in filtro remanet.

Salia ergò ſunt corpora ſapida & ſolubilia, è mixtis, volatilia propulſione & putrefactione, fixa elixiviatione & evaporatione parata, viribus quælibet diverſis prædita. *Wedelius.*

DE SALIBUS NATIVIS in SPECIE eorumque præparationibus ex SCHRODERO & HOFMANNO.

Salia nihil aliud eſſe quam corpora mineralia ∇ ſolubilia ac denuò in ſalinam cryſtallinamque formam coagulabilia, libro primo dictum eſt: hoc loco ulteriorem eorum enodationem aggredientes, quatenus ea medicam provinciam ſubeant, referemus.

Salia quæ medico uſui inſerviunt, adeoque præparatis inde parandis materiam ſuppeditare apta ſunt, triplicis quidem ſunt generis, pro triplici ſcilicet mundi regno, minerali, vegetabili, animali; attamen hoc loco primariò non niſi de mineralibus agere convenit, iiſque nativis ſolis, ad quorum normam tamen & artificialia, ſive è mineralibus, ſive vegetabilibus, ſive animalibus elixiviata illa fuerint, facilè dirigi poterunt.

De horum Salium origine ſic ſentio: Macrocoſmus non minus ac reliqua duo mundi regna ſua ſubſtantatur vivitque nutritione. In hac redundat perittoma ſalinum, reſpondens ſalſuginoſis excrementis, in animalium urina, ſudore, catharro, & ſimil. deprehenſis. Dictum perittoma macrocoſmicum ſalinum, in globo hoc inferiore congregatum, variam pro varietate matricum induit ſpeciem, non ſecus ac excrementum illud ſalinum in animalibus differens evadit.

Hinc

Sal {
Commune,
Gemmæ,
Nitri,
Alumen,
Ammoniacum,
Vitriolum,

Quibus & Arſenicum addere licet, quod tamen inter Salia & Sulphura ambigit.

Eligenda ſunt Salia hæc in genere loco natali celebriora, tum puriora, nitidiora, & ſi natura ferat cryſtallina. *Schroderus.*

De Salibus in genere.) Hîc *Dominus Autor* iterum more ſolito ex præconcepta opinione *De Macrocoſmi* Nutritione, ejuſque redundante perittomate diſſerit. Sed præterquam quod huic paradoxæ opinioni ſuprà in *Libro I.* à me jamdum fuerit ſatisfactum, repetimus tamen ex parte & aſſerimus, quemadmodum quælibet corpora ex aqua materia compoſitionis ſeu conſtitutionis deſumpſerunt, ita & ſalia Nativa ex aquæ propenſione ſpontanea originem duxiſſe à ſeminali diſpoſitione cuivis ſpecifica immutata. Et quæ ſalia arte ex concretis fluunt, non formaliter, ſed materialiter & effectivè in ipſis fuiſſe, & in forma fixioris alkali arreptione ſui ſulphuris ſal volatile inde cum oleo ad formaliter eſſe tranſiiſſe. Quod autem Vitriola ſpectat, licet non ſint vera metallorum ſalia, nec in ſalia converti queant, ſed in priſtina metalla, tamen negari nequit, ex ſalibus nativis eſurinis ſive acetoſis fieri ad omnia metalla accommodabilibus, quæ tamen illorum eſſentiam non ingrediuntur, licet illorum beneficio miras in corporibus metallicis Natura faciat viciſſitudines, quæ ſubterranea pyrophylacia per metallorum venas & fodinas diſpergunt. Inde variæ inter ſe ſalium & ſulphurum particulæ in mineris deprehenduntur, quæ tamen metallorum non ingrediuntur conſtitutionem. Semina ſalium cuncta in aquis ſita ſunt, ſed nondum ſaporem induerunt, niſi dum corporum principia conſentanea, uteroſque terræ debitos repeterint, tunc in qualibet terra ſpecifica ac peculiaris quædam ſubſtantia ſalina vel ſingulari vel aliis miſta emergit. *Cl. Helmont. in Paradox. Tertio* §.9. *Et Nobil. Morhoff.* l. c. *Hofmannus.*

PRÆPARATIONES.

Præparationes, quibus Salia ſubjiciuntur, ſunt. 1. Purificatio. 2. Calcinatio. 3. Deſtillatio. 4. Sublimatio. 5. Fixatio. 6. Liquatio.

I. PURIFICATIO.

Salia, quia plerumque heterogeneis ſcatent, minuſque ſyncera exiſtunt, depurari opus habent. Depurationis hujus modus pro varietate ſalium varius quoque inſtitui poteſt. Potiſſima tamen ratio ſalium purificandorum conſiſtit in ſolutione, ſoluti filtratione, filtrati exhalatione, adeoque ſalis concretione vel cryſtalliſatione.

Solvuntur Salia non niſi in liquore aqueo, (non ſulphureo aut pingui, & proin nec in ∀ rectificatiſſ.) Liquor hic, niſi ſpecialis acceſſerit admonitio, adhibetur vulgaris: ∇ fontana, in qua ſal quodlibet, maximè ſi tepefiat, diſſolvitur; diſſolutum per chartam trajicitur, ut fæcibus in charta relictis ſyncerum tranſeat; Hoc poſtmodum, humiditate, ad ſiccitatem uſque abſtracta, condenſatur, vel ſ.a. cum aliquota liquoris portione cryſtalliſatur.

II. CALCINATIO.

Calcinantur Salia per ignitionem, idque vel ſine vel cum fuſione: & interdum accedente ſubindè materia ſervili, de quibus ſpeciatim in ſingulis.

III. DESTILLATIO.

Salium Deſtillatio, quia ut plurimum ∿u fixiori gravida ſunt, per 🝭m peragitur, eamque vel ſimplicem, vel tubulatam; vitream, vel terream; idque igne tum arenæ, tum nudo, pro fixitate ſcil. majore vel minore liquoris eliciendi adhibito.

Per 🝭m tubulatam deſtillatio hoc modo peragitur.

Ad manus habere decet 🝭m terream fortem, quæ in ſuperiore ventris ſui medietate tubulum habeat foramine pervium, quo materia per vices injici, quodque poſt injectam materiam obturari firmiter poſſit. 🝭m hanc (ſi lubet loricatam) luto in fornace deſtillatoria obfirma, ut tubulus emineat, fumariis tamen uno ac altero relictis. Hinc roſtro appone receptaculum capaciſſimum, (quia ∿ cum impetu irruentes amplum requirunt ſpatium,) juncturis firmiter luto firmatis. Luto lentè exiccato accende primò lentum ignem, hinc fortiorem, ut 🝭 incandeſcat. Tunc injice materiam paulatim per tubulum, foramenque vel luto, vel bacillo ſtupha humida circumdato obtura, donec ♎ illi impetuoſi coagulati (aquæ in receptaculo immixti) ſint, receptaculumque clareſcat. Hinc iterum injice, obturaque ut dictum. Et ſic paratur Clyſſus.

Vide

Vide de his Figuram appoſitam.



N. 1. *Commodum erit aliquotam aquæ partem receptaculo infundere, cui ſcilicet impetuoſi illi* ∽ *immiſceri, adeoque condenſari poſſint.*

N. 2. *Salia ſimpliciora citra fluxum ſeu fuſionem deſtillari volunt, quare ne inter deſtillandum vi caloris fundantur, duplum, triplum, &c. vel arenæ, vel farinæ, laterum, vel argillæ ſiccæ, humidævè commiſceri ſolet, quorum beneficio fuſio illa præcaveatur.*

IV. SUBLIMATIO.

Sublimatio non niſi ſali ammoniaco peculiariter ac præcipuè competit, ut & arſenico. Flores enim ſalis communis uno & eodem deſtillationis actu acquiruntur.

V. FIXATIO.

Fixantur ſalia diverſimodè ; de quo ſpeciatim ſuis locis.

VI. LIQUATIO.

Liquari poſſunt ſalia, ſi vel aëri humido exponantur, vel liquore aqueo aſpergantur.

Forma Medicamentorum ſeu

PRÆPARATA,

Salina ſunt,

1. Cryſtalli ſeu ſal purificatum.

N. *Cryſtalli ſalis, ſi ſimpliciter præſcribantur, nihil aliud denotant, quàm ſal cryſtalliſatione purificatum, ſic conficiuntur Cryſtalli ſalis nitr. &c.*

Excipe Cryſtallos ſalis comm. dulces, de quibus in ſalis cap. ſequenti.

2. Sal calcinatum.
3. Deſtillatum, unde { Phlegma. Spiritus. Oleum.
4. Sublimatum. Flores.
5. Fixatum.
6. Liquor - Balſamus.

DE SALE COMMUNI.

Sal commune nihil aliud eſt quàm ſalſugo ▽æ ſalſæ, (marinæ ſcilicet vel fontanæ,) quæ ſalſugo humiditatis aqueæ evaporatione inſpiſſata remanet.

Dicitur, Baſilio Monacho, nobiliſſimum ac optimum aroma. Græcè ἅλας. Arabicè Melich, Melha, Germanicè *Saltz.-Kuchen. ſaltz.* ſel, ſel de Cuiſine. *ſalt. Kit-chin-ſalt-ſout.*

Duplex ſalis hujus genus occurrit, marinum ſcil. & fontanum, utriuſque diverſæ ſunt ſpecies.

Primas autem ſal marinum ſibi vendicat, ac præcipuè Hiſpanicum, in cujus tamen defectu ſatius eſt ſal fontanum, quod ad manus eſt, in præparationibus noſtris recipere, quam aliud ſalis genus cum ſumptu acquirere.

Inter fontana tamen maxima quoque diverſitas eſt, reliquiſque laudem præripere videntur Hallenſe ac Luneburgenſe, quibus tamen haud multum cedit quod in Patria mea Uffleniæ Weſtphalorum paratur.

Vires. *Calefacit, exiccat, abſtergit, diſſolvit, purgat, adſtringit leniter, conſumit ſuperfluitates, penetrat, digerit, aperit, incidit, Venerem ſtimulat, putredini, venenisque reſiſtit.*

Hinc convenit, Internè in cruditatibus ventriculi, appetitu proſtrato, obſtructionibus alvi & urinæ, & colicis doloribus, &c.

Externè, in ulceribus putridis ac ſerpentibus mundificandis, in tumoribus ſimplicibus & peſtilentialibus diſcutiendis, in combuſtionum ἐμπυώσει extrahendo, in pruritu & ſcabie exiccanda, in ſuggillationibus, ſanguineque extravaſato reſolvendo ac diſcutiendo, in dolore dentium, colico, cephalico, arthritico, & ſimil. mitigando, in oculorum pterygio abſumendo.

N. *Ad Salis hujus communis naturam accedunt ſalia artificialia, ex vegetabilibus ac animalibus incineratis ſcilicet elicita, unde & iiſdem ferè præparationibus ſubjici quent.* Schroderus.

De ſale communi.] Hoc ex numero eſt ſalium purè acidorum fixorum, quia purè ſalſis ſeu alkalibus non ſolùm eſt contrarium, ſed & ex illo ſpiritus acidus deſtillatur. Hoc in cryſtallos redactum conſtanti naturæ ritu cubicam efformat figuram, quam etiam in minimis effingit.

Duplex ſalis hujus genus occurrit.] Et eſt *Marinum*, vel *Fontanum*. *Marinum* omnibus præfertur, quia multum de ſale centrali ſeu univerſali participat: unde & ad præparationem ſpirituum fortiorum adhibetur, magiſque arcet putredinem, in primis *Hiſpanicum*. Huic *Fontanum* ſuccedit, in quo ratione virtutis & ſubſtantiæ magna etiam eſt diverſitas, in his excellit *Noſtrum Hallenſe*, hoc ſequitur *Luneburgenſe*, &c.

Vires.] Sal eſculentus Mortalibus à mundi Conditore conceſſus eſt tanquam neceſſarium ſanitatis & vitæ ſuſtentaculum. Calefacit, exſiccat, abſtergit, purgat, digerit, aperit, incidit, venerem ſtimulat, putredini & venenis reſiſtit, unde in Peſte maximoperè commendatur *Elixir proprietatis Juniperinum* cum *ſpiritu ſalis*. Externè in clyſteribus ad obſtructiones alvi convenit, in colicis doloribus fit ſacculus ex fl. chamæmel. n. vel milio pulveriſato cum ſale toſto &c.

N. Hîc quæritur; An ſal eſculentus calculoſis nocivus ſit, dum videtur ſali urinario materiam ſuppeditare; & quia vis coagulandi etiam à ſale dependet? Verùm examen ſalis pyrotechniæ medio inſtitutum aliud docet, cum enim ſal eſculentus, ut chemia docet in urinâ detentus, non ſit de ejus compoſitione, ſed prorſus extraneus in Nobis ſaltem ſupervacaneum ſal in ſe combibens & tranſmutans, ſervet impermiſtam & immutatam ſui Naturam, quemadmodum ſali tartari ſi addideris ſpiritum ſalis, tunc poſt coagulationem fit itidem & manet ſal commune, quod fuit, priuſquam in ſpiritum fuit converſum. Certum eſt, quod nequicquam etiam ſibi ſit negotii cum calculo: unde nec in compoſitione hujus vel minimum ſalis eſculenti reperitur unquam, cum magis calculum deſtruat, quàm promoveat. Sexagenarium mihi à deſtillationib. inquit *Cl. Helmontius* immunem à Renum calculo ſervavi annos ſedecim, cui aliàs obnoxius fuit, largo ſalis eſculenti eſu. Notum eſt, inquit Cl. Tachenius in Hipp. Chemic. quod carnes conſerventur ſale communi à corruptione, qui paucis diebus in liquorem ſalſum ſanguineum defluit, hunc coque ac deſpuma, inde retortæ vitreæ & blando igne omne humidum evoca, ultimò retortam obrue arena & ignem auge, tunc elevabitur in ejus collum ſal volatile urinæ ſali volatili urinoſo ſimile quod ſal ex carne abſorpſit. Eodem modo ſal eſculentus quotidie abſumit ſuperfluum ſalſum in cavitatibus in corpore collectum, ex urina enim facili negotio ſublimatur ſal volatile ſalſum & ſal eſculentus manet in fundo. Aſſertionem noſtram confirmat vice verſa defectus ſalis eſculenti nonnunquam in belli calamitatibus, temporum injuria, obſidionibus &c. occurrens, ubi inſalitis carnibus homines

verci coguntur, unde maſſa ſanguinea cum latice ob accumulata ſalia ſylveſtria ſalſa, quæ alias à ſale eſculento imbibuntur & præcipitantur, malignam ac venenatam induit qualitatem, ex qua ſcorbutus, febres malignæ peſtilentiales &c. progerminant, quemadmodum Anno 1673. in obſidione *Grœningiana à Gallis & Moguntinis* facta experti ſumus.

N. *Ad Salis hujus communis Naturam accedunt ſalia artificialia &c.*) Sed & hîc ignoſcant quæſo manes Schrœderiani; Si ſalia vegetabilia in purum alkali per artem ſint tranſmutata, neque ex animalibus calcinatis (impropriè incineratis) ullum ſal fixum alkali elici poſſit, ut ars pyrotechnica manifeſtat, iiſdem ſanè præparationibus, quibus ſal commune, ſubjici nequeunt. Ex ſalibus enim alkalibus nulli ſpiritus, nec flores elevari poſſunt, ut nec deſtillatio nec ſublimatio habent locum, nedum ut ex animalibus aliquid ſalis fixi obtineri poſſit, nam ex re aliqua ultrà cujuſdam naturalem inhæſionem quidquam velle extrahere, repugnat naturalibus principiis. *Hofmanus.*

PRÆPARATIONES.

Præcipuæ ſunt.

1. Purificatio. 2. Calcinatio. 3. Deſtillatio. 4. Sublimatio.

I. PURIFICATIO.

Purificatio Salis com. M. fit modo vulgari ſolvendo in ▽ ac cryſtalliſando.

N. *Si ſolutio hæc ac cryſtalliſatio aliquoties aliquo modo repetatur, tandem ſal com. dulceſcit, ſal ſæpius.*

II. CALCINATIO.

1. *Decrepitoria.*

Sal calore irritatum crepitare ſolet. Quare ne crepitando vas deſtillatorium diſrumpat, operæ pretium erit idem decrepitare, id eſt, ad Ignem calcinare, donec amplius non crepet.

2. *Fuſoria.*

Funditur ſal in crucibulo, ſine aliquo artificio, Igne ſaltem ſatis forti adhibito.

Aliter cum Calc. viv.

℞. Sal. Com. Calc. viv. an. miſce ac in anemio calcina igne violento, ut concreſcat. Hinc extrahe ſal cum Aqua commun. ac coagula.

Vires. *Baſilius ſal. com. hac ratione cum Calc. viv. ter calcinatum, (ſingulis vicibus cum nova Calc. viv. anaticè mixtum) adhibet in Tinctura ☾ conficienda. Vide de ☾.*

III. DESTILLATIO.

Deſtillatio Salis exhibet acidam ▽, phlegma, ſal volatile & ſpiritum.

Nimirum.

℞. Sal Com. deſtilla per ſe ex ☊, primò prodibit Aqua acida ſeu ⊖-lata; ſecundo phlegma, cum quo ſal quoque armoniacus, ſeu volatilis ſublimatur. Ceſſa à deſtillat. ac repone ☿ in loco humido ad trahendam ▽m (vel aliquota Aquæ parte irriga,) deinde deſtilla rurſum, ſic exibit ∽ acidus. Hoc repete toties, donec totum ſal Com. in ∽m converſum ſit, quem in MB rectifica.

1. *Spiritus ſalis, ſive oleum ſal. Com. vulgare.*

℞. Salis commun. ℔ij. impaſta vel malaxa cum argillæ figulinæ, bolivè armen. ℔ iij. ad v. & ultra, inde forma orbiculos, quos ad duritiem exiccatos, impone ☊ æ terreæ, luto obductæ, vix ad medietatem implendæ: jungatur. Recip. ſatis capax & ſervatis △ gradibus donec phlegma egreſſum ſit, ultimo pelle forti △ continuando eundem, donec ∽ albi prodierint, ∽m hunc rectifica, phlegma, vel in MB abſtrahendo, vel ſi mavis evaporando.

N. 1. *Si terram ſigillatam loco argillæ ſumpſeris, præſtantiorem elicies ſpiritum: Quinimo ſal cum triplo arenæ vel farinæ laterum, vice argillæ miſceri poteſt.*

N. 2. *Quandoquidem in prima deſtillatione Salis portio minima in ∽m reſolvitur, nonnulli ☿ in ▽ communi coquunt, & ſal. Com. inde extractum, ut prius deſtillent.*

Alii Sal extractum cum ∽u illo priori miſcent, aliquamdiu digerunt, & deinde cum bolo & ſim. ♌ando, totam ſalis ſubſtantiam in ∽m tranſire faciunt. *Croll. Senn. in inſt. l. 5. p. 3. c. 5. Beguin. Agricola.*

N. 3. *Impaſtatur ſal ne fluat, quippe ſi fluxerit vix ∽ aſcendet.*

N. 4. *Alii.*

℞. ○ uſt. part. ij. ſal. Com. p. iij. ♌antque: verum ∽m ſal. Com. purum hac ♌atione acquiri non videtur veriſimile, imò in examine conſtat, ejuſmodi ∽ vim ſuam ab ○ potius obtinere, quàm à Sal. Com.

Vires. *Diureticus eſt & Lithontripticus, tartaream que mucilaginem potenter reſolvit, unde utiliter adhiberi ſolet in obſtructionibus Epatis, Lienis, &c. in Hydrope, Ictero. Extinguit ſitim mirabiliter, abſumit corrodendo & ſine dolore quicquid in vulneribus aut affectionibus aliis putredine corruptum eſt.*

Mixtum cum ☍ Terebinth. Ceræ, Camomil. Verbaſc. & ſim. dolores podagricos ſedat, tophos diſcutit, &c. ſanat quoque membrorum contracturam ac ariduram.

N. *Ad eundem modum eliciuntur & ∽ ex ſalibus artificialibus vegetabilium, quorum vires licet ex plantis ſuis aliquo modo conjecturari poſſint, (e. gr. ex ſale abſynthii elicitur ♎ ſtomachicus, &c.) Attamen ∽ vegetabilium in genere omnes ſunt acidi, inſtar ∽ ſal. Com. incidunt, reſolvunt, &c.*

2. *∽ ſalis compoſitus.*

℞. Sal. Nitr. puriſſ. & ſal. Com. decrepit. (vel fuſi) ā. M. cum dupla vel tripla quantitate, (alii quadrupla,) argillæ ſiccæ, & exinde more ſolito △ nudo ∽m provoca.

℞. Hujus ∽ ℔j. ſal. Com. fuſi ℥iv. digere aliquamdiu, ut nimirum Sal Com. adjectum ſolvi poſſit; & protinus per ☊m deſtilla. Augebis hac ratione ∽m & fortiorem reddes; quem eodem plane modo, cum novo Sal. Com. fuſo, eâdem quantitate ſumpto; pro libitu toties augebis, quoties placuerit. Abſtrahe ab hoc ∽u phlegma, & deinceps eundem rectifica per ☊m. *Untzer. Agricola.*

Vires. *Maximarum eſt virium in Hydrope, intrinſecus & extrinſecus adhibitus, confert itidem in fiſtuloſis vulneribus.*

(*Spiritum ſalis roſatum vid. ſuprà Spiritum regium.*)

3. *Spiritus ſal. Com. viridis.*

℞. Fragmenta laterum, indantur ollæ igniantur que in fornace calcaria; ollæ huic alia ſuperpoſita ſit olla, ſale aliquatenus adimpleta, quod ubi vi caloris ut ſal fuſum in ignita defluat laterum fragmenta, cumque iiſdem miſceatur. Ex his igitur ♁etur ∽ per ☊m ut moris.

N. *Idem perfici poteſt, ſi ſale in cella liquefacto fragmenta laterum ignita imbuantur.*

4. *Spiritus ſal. com. corallatus.*

℞. Sal. Comm. ℔. iij. vel iv.
Corallor. tenuiſſ. tritor, ℔. j. M. lævigando ſuper porphyr. poſtea igne deſtilla vehementiſſimo in excipulum

pulum c pciſſ. & ∽m ſalis accipies unà cum ∽u corallorum.

N. *Addere potes & ſabulum, ut fuſio impediatur.*

Vires. *In affectibus cordis, palpitatione ſcil. & ſim. maximarum eſt virium.*

Doſis ℈ß.

5. *Spiritus Salis dulcis.*

℞. Sal. Com. optimè dephlegmati 🜈. opt. ā. M. ∂lentur ter vel quater, ſic unientur inſeparabiliter & dulceſcent.

(N. 1. *Dulcis dicitur, quia mitior, rodente aciditate habetatâ à* 🜈.)

N. 2. *Eandem dulcedinem conſequi poteris, ſi vel* 🜈, *vel* ☍ *Tartari, vel faces vini ab initio ∂lationis cum Sal. com. commiſcueris.*

N. 3. *Exuitur quoque* ∽ *Sal. com. vi corrodente ac velut matureſcit, dulceſcitve ſi dephlegmatus vaſe firmiſſimè clauſo trimeſtri ſpatio in Cineribus continuò atque æquali calore tepentibus (qualis eſt* ☉*lis æſtivus) digeritur.*

Vires. *Egregium præſervativum eſt in peſte, arcet enim omnem putredinem. Ventriculum cum viſceribus reliquis in optima conſervat diſpoſitione.*

Solvit corallia, &c. quin imo & ſolis tincturam extrahit. *Vide* 🜄 *temperatam Baſilii in* 🜈 *l. 4. claſſ. 2.*

Uſus. *Cum ſaccharo candido in formam Electuarii miſceri, ſingulisque diebus jejuno ventriculo aſſumi poterit. Hartm. in pract. loc. de peſt. Senn. in hiſt. Tentz. Gluckrath, &c.*

6. *Aliter.*

℞. Sal fuſum, ſolve in Aqua pluvia deſtillata, filtra, inſpiſſa, ac repone ad cryſtalliſandum: Cryſtallos hos exemptos vicibuſque aliquot, (10) uti dictum, ſolutos & cryſtalliſatos, (ſic dulceſcent) imbibe cum 🜈 formaque globulos cum argilla, deſtillaque ut moris eſt.

Vires. *Præter virtutes jam deſcriptas, inſigne exhibet menſtruum ex reb. ferè omnibus tincturas extrahere idoneum: Inſuper Herniam carnoſam conſumit, ſi quotidie ter illinatur, maneque ac veſperi ejus gutt. ſex aſſumantur. Agricola.*

7. ∽ *Sal. com. dulcis compoſitus.*

℞. ∽ Sal. com. compoſiti ac Alcohol Vini ā. M. ac uni circulando, cohobandoque.

Vires. *Adeo reſiſtit ſiti, ut Hydropici uſu illius aliquamdiu à ſiti liberi reddantur, prodeſt etiam Ictericis, Lumbricos potenter expellit, extrinſecus lenit podagram, ſi cautè illinatur, imo quicquid de Ol. ſpirituve Sal. Com. apud Paracelſum, aliosque modernos Authores legitur, idipſum huic potiſſimum adſcribendum eſt.*

Doſis g. 6. ad ℈ß. *in vino vel alio Liquore. Hartmann. in Croll. Tentzel. Untzer.*

8. *Spiritus Sal. Com.* ⊕*lati diureticus.*

Fit ex leviter calcinati ⊕li & Sal. Com. toſti partibus æqualibus cum bolo vel Terra figulinâ globulis confectis, (meo damno expertus ⊕lum his non ſufficere ad cohibendum fluxum, fixitatemque materiæ) more vero communi ∽us evocatur, qui poſtea per rectificationem à phlegmate liberatur.

Doſis gutt. vj. matutino tempore cum brodio decoctionis petroſel. Ex communicatione G. Horſtij habuit S. Cloſſ.

9. *Spiritus Eſſentialis.*

℞. Salis Hallenſis ad albedinem calcinati (qui hâc in operâ reliquis præfertur) ℥ij. Imbibatur ☍ Sal. Com mar. vel montan. ad conſiſtentiam pultis liquidioris, fiat clauſo vaſe digeſtio, quouſque ∽us cum Sale Comm. calcinato unitus ſiccatuſque ſit, affunde alium imbibendo deſiccandoque toties, dum ſal ulteriorem proprii ſui ∽us incorporationem recuſet, & ex colore aureo odoreque ſuavi dignoſcans, ∂ationis tempus inſtare, quam ſi per 🝭 inſtituas, exibunt fumi albiſſimi, qui in aquam convertuntur & rectificatione opus habent.

Vires. *Dicitur ex* ☉ *tincturam abſque corp. dilaceratione allicere. Eſt inſuper remedium ſiſtendis in momento vomitibus dicatum & certum, idque indifferenter & in omnibus morbis.*

Doſis gutt. 3. in Syrupo, juſculo vel vino.

Ex commun. S. Cloſſæi.

10. *Spiritus Salis Comm: dulcis* ☉*em ſolvens.*

Extinguantur fragmenta laterum 5. aut 6. vicibus in ☍ Sal. Com. poſtea deſtillentur, prodibit ∽us ſubacidus, qui in volâ ☉lis folia & margaritas ſolvere creditur. 2. Flos Salis ſive cryſtalli Sal. Com. dulces collo 🝭 poſt deſtillationem affixi, longoque tempore cum 🜈 digeſti idem efficiunt. 3. Solus ∽us ſal. com. vi circulationis diuturnæ caudam ſuam devorat, id eſt, acedinem ſuam innato ſuo balſamo dulcificat, 4. Idem cum ∽tu ardente ♄ni mixtus aliud menſtruum dulcer præbet ☉is ſolutivum. 5. Ex ſpiritu Roris Majalis & ſole calcinato fit alia aqua ſolutiva, dulcificatâ longâ digeſtionum & irrorationum ſerie, quæ ☉em in liquorem volatilem potabilemque evehit.

Ex Communicatione ejuſdem.

11. *Cryſtalli Sal. Com. dulce, ſeu ſpiritus Sal. Com. coagulatus.*

F. 🝭 terrea, ampla & fortis, quæ in ſuperiore ventris capacitate fiſtulam habeat, in medium 🝭æ corpus pone deſinentem. Huic 🝭æ impone Sal commun. vel quod melius Hiſpan. ſeu marini ℔. iij. vel iv. Receptaculumque adapta capaciſſimum, cui ſi libet Aquam infundere licet; adde Ignis per gradus, donec Sal. Com. fluat, tùm per fiſtulam guttula una vel altera Aquæ frigidæ immittatur, ut (fiſtulæ orificio ſtatim obſtructo,) in 🝭 ſpirituum, copia mediante humiditate elevetur, inque receptaculum propellatur. Continua hoc ipſum, donec Sal. Com. in ∽m ferè ſit redactum. Dephlegmetur dein ♌atum, evaporetque humiditas reliquum exponatur ad cryſtalliſandum, ſ. a. ſic cryſtalli colligi poſſunt Sacchari dulcedinem referentes, ſolubileſque per deliquium.

Vires. *Sudorificum eſt, Hydropicorumque ſitim non minus ac* ∽ *ille ſalis dulcis compoſitus arcet; quippe nihil aliud eſt, quàm* ∽ *Salis coagulatus, unde quoque eſſentialem humiditatem, quæ multum in Hydropicis exhauritur, maximopere adjuvat, ventriculumque ac viſcera reliqua confortat, malignitatem in peſte peſtilentialibuſque febribus potenter diſcutit.*

Doſis gr. 5. 6. 7. ad 20.

N. 1. *Si ad ſal. Com. exccat.* ℔j. *addideris carbonum pulveriſat.* ℔ij. *optimeque miſcueris, ex* ℔j. *ſal. Com. accipies ſpiritus* ℔. ſ. *Hartman. in Croll. Keſl. 4. cent. 79. Agricola.*

N. 2. *Cryſtalli hi cum* ☉ *impregnari nobiliſſimum exhibent confortativum. Fitque ſi Cryſtallorum p. 6. cum* ☉ *foliat. p. 1. aliquot Horas in* 🜂 *ſub tegula reverberantur. Agricola.*

N. 3. *Keſlerus docet & follem adhibere, cujus rei gratia* 🝭*m habere duplicem tubulum oportet, alterum frigidæ immittendæ, alterum folli intromittendo inſervientum.*

12. *Flores Sal. Com.*

Quemadmodum in ſuccici deſtillatione flores, ſalis volatilis titulo elevantur, parietibuſque ac collo 🝭æ adhæreſcunt, ita & ♌atione ∽ oleive ſalis, tandem Ignis vehementiâ flores aſcendunt, quos collige.

Uſus horum varius eſt, ad craſſum phlegma incidendum, corruptoſque humores à putredine vindicandos.

N. 1. *Sunt qui cum ✱ ſublimant, verum decipiuntur, ſi flores ſalis ſimpliciter inde ſibi imaginantur.*

N. 2. *Fiunt etiam flores ſalis, ſi in rectificatione 🜕 ac olei ſalis id, quod reſiduum fuerit, fortiori △ ſublimes.*

N. 3. *Si Ωlatio facta ſit cum O, ⊖m aëri aliquamdiu expoſitum, ac iterum Ωationi ſubjectum, plus olei ac florum ſuppeditabit; poteſt hoc aliquoties repeti.*

13. *Alius Spiritus ſeu 🝞 Sal. Com. unde Cryſtalli dulces.*

℞. Sal. Com: marini crebris ſolutionibus (in ∇ pluvial. vel fontis deſtillata) filtrationibus & coagulationibus optimè purificati, ℔ vi. adjice diſſolventis ⊖-lati & mell. flui ex vegetabili & animali parati, (id eſt, crucibuli ex mell. facti.) q. ſ. præmiſſa digeſtione deſtilla gradatim ac cautè, ex 🝪 terrea vel vitrea, luto probè munita in receptaculum capaciſſimum. Sic elicis Sp. aqueos ſulphureos ac ⊖-latos, dulces acidoſque, qui firmiſſimè ſali reconditi inhærent, (gradatim ac cautè Ωatio hæc peragenda eſt. Oportet enim ut vas incandeſcat, purpureo tamen non claro colore, ne ſcil. ſal. com. fluat, & in hoc gradu immorari decet ♂♀ 8. (poſt Sp. nebuloſos, (in quibus primum ens metallorum reſolutum eſt,) exhauſtos, tandem ad collum recipientis ſublimabitur terra foliata inſtar nivis albiſſima, vel etiam flava, (qui ☿ aut ſulphur philoſophorum nuncupatur.) Spiritum deſtillatum, ut & terram conjunge, aſtraheque phlegma ſolummodo inſipidum VB calore lentiſſ. reliquum repone ad cryſtalliſandum ſ. a. Et hoc repete, donec nulli amplius cryſtalli concreſcant, & id quod extillat aciditatem ſapiat. Tunc ab opere deſiſtendum, & in fundo cucurbitæ quærendum verum Sal. Com. 🝞 vitriolatum.

Vires. *Cryſtalli hi, etſi ſapore dulces. admiranda tamen ſunt virtutis, adeo ut vel per ſe ſeorſim, vel cum oleo ſuo debita proportione permixti, verum ſint Solis menſtruum diſſolvens, quod proprietates ejus ob virtutes vitales, vegetanteſque locupletat & exacuit.*

14. 🝞 *ſal. Com. rubrum.*

℞. Sal fuſum crucibulo ſufficienter impregnatum, miſce cum ſilicibus groſsè contuſis & deſtilla ex 🝪 per Aren. prodibit primo ſp. flavus, poſtea 🝞 rubrum.

N. *Impragnatio illa fit ut moris, Nimirum:*

Sal. Com. fuſo ſuperfunde Acet. deſtill. & abſtrahe per Aren. iterum ſuperfunde novum Acet. deſtill. & rurſum abſtrahe, hoc toties repetendo, donec materia optimè ſit putrefacta & nigra. *Schroderus.*

3. *Deſtillatio.*) Sal. comm. ita per ſe deſtillationi ex retorta ſubjici nequit, niſi duplum, triplum &c. argillæ, vel boli commun. &c. addideris, aliàs vi caloris fuſum retortam fragilem reddunt, additorum beneficio fuſio illa præcavetur.

1. *Spiritus ſalis, ſive oleum ſal. comm. vulgare.*) Præſens deſcriptio cum præparatione ex aſſe convenit; Et quoad notas additas ſciendum, hiſce omnibus Nos ſuperſedere poſſe, ſi ſpiritus ſalis priùs deſtillatus aliquot cohobiis ſuper Cap. mort. deſtilletur, & demum per MB rectificetur. Qua occaſione ſcias velim, non ſufficere, ut *Dominus Autor* annotat, phlegmatis ex MB abſtractionem, quippe latent in nonnullis liquoribus corpuſcula quædam terreſtris naturæ, quæ ſalinis implicata eorundem vires obtundunt, ideòque quo iſtiuſmodi liquores rectè depurentur, per MB. deſtillentur, neceſſe eſt, & lento quidem ignis gradu. Id quod ſapienti ſat non citrà rationem monere volui.

N. Cum O part. ii, & ſal. com. part. iij. compoſitum acquires ſpiritum ad magiſteria conficienda non rejiciendum.

Vires.) Diureticus eſt & Lithontripticus, tartaream q; mucilaginem reſolvit, inquit Autor. l. c. quâ virtute ſpiritus ſalis officinarum vulgaris ut plurimum crudus adhuc & partib. terreſtrib. & ſulphureis ſcoriis impregnatus non gaudet, ſed qui ſummum puritatis ac ſubtilitatis gradum ex Arte attigit penetrantiſſimus, fragrantiſſimus ac minus corroſivus eſt, non ſibi par habens remedium in extinguendis urinæ ardoribus, renum ſtranguriis, calculo renum, fermentum ventriculi juxtà corrigendo & corroborando, ut in malo hypochondriaco, ſcorbuto, hydrope, ictero, febrib. intermittentib. &c. aliquid ſingulare ſpondeat. Hîc autem non leve ſuboritur dubium; quî fiat, cur ſpiritus ſalis aliiq; acidi minerales tam egregias præſtent virtutes, cum tamen *Cl. Helmontius* primum quaſi Tartari principium in corpore humano adſcripſerit defectui fermenti bilis, eò quod hoc ipſum ſtomachi acidum chylum in ſalem ſalſum volatilem commutare nequeat *in Tr. de Lithias.* C. 4. Verùm hîc probè attendendum eſt, magnam eſſe diverſitatem inter aceto ſitatem ventriculi fermentalem p. n. conſtitutam, craſſam, crudam, fixam ac terreſtrem, magiſq; corruptivam, quæ in ſalem alſum volatilem converti nequit, & inter ſpiritus ſalis aut aliorum ſpirituum mineralium aciditatem, quæ volatilis, ſubtilis, corruptioni non obnoxia, ſed potius illam ventriculi cruditatem acidam corrigit, præcipitat & in volatile ſtomachi fermentum ſimpliciter eſt acidum, ſed eſt acido, ſalſum volatile, cujus finis eſt cibum tranſmutare in chylum humanæ digeſtionis, ſiquidem plura adſumuntur fixiora, acida, &c. cum cibis, quæ tamen cum volatilib. ſuccis parem ſubire debent conditionem, ſi penitius ad vitæ radicem migrare & noſtri inquilini fieri volunt. Deinde notandum eſt, unum acidum ſæpè præcipitare alterum poſſe, uti ex mechanicis conſtat chemicis. Præterea ſpiritus acidos ex earum rerum numero eſſe quibus diverſæ inſunt facultates. Hi enim immodicas hæmorrhagias, & evacuationes alias, quæ præter naturam eveniunt, ſiſtunt: Quævis etiam dura diſſolvunt corpora, & ſic per conſequens potius humores viſcidos, tartareos & quaſvis cruditates promptiſſimè digerunt, incidunt, abſumunt. Tandem & doſis horum ſpirituum venit conſideranda, dum in ſatis etiam largo exhibentur vehiculo, ut illorum ita diffundatur aciditas, ut vel exquiſito guſtus ſenſorio vix præſentiſcantur.

N. *Ad eundem eliciuntur & ſpir. ex ſalibus artificialibus vegetabilium* &c.) Verùm quod quis non habet, alteri dare nequit, ut ſupra jamdum percepimus; Ex talibus vegetabilium arte paratis in æternum non elicies acidum ſpiritum, utpotè alkalibus, quæ ab igne etiam non repatiuntur violentiſſimo, & inſtar ſalamandræ intenſum flammæ reverberium diu ſuſtinent, citrà virium jacturam, nec tamen atomus ex illis ſublimatur.

2. *Spiritus ſalis compoſitus.*) Si hunc ſpiritum ſalis compoſitum denuò cum Sale fuſo digeras & abſque argillâ ſiccâ protinus per retortam deſtilles, citrà fuſionem vel fluxum non perages, ſatius igitur erit priori Cap. mort. ſpiritum cum ſale fuſo acuatum denuò affundere ac deſtillationem inſtituere, poſtmodum autem rectificare. Maximæ eſt energiæ in hydrope; Externè confert in fiſtuloſis ulceribus. In Mechanicis chemicis ☉ & ☽ in calcem corrodit, quam ſpiritus Sal. com. ſimplex & verus contrà iterum præcipitat.

3. *Spiritus ſalis viridis*) Omnis ſpiritus ſalis peritè ac debitè paratus colorem plerumque obtinere debet ſub-

ſubviridem, & odorem non injucundum, id quod acquires, ſi ſpiritum ſalis non ſolùm probè rectificaveris, ſed & prius ſal, ex quo ſpiritus erit deſtillandus, vulcani beneficio per fuſionem à ſordibus purificaveris. Quemadmodum *Dominus Autor* hîc tibi modum oſtendit.

4. *Spiritus Sal.com.corallatus.*) Parum elicies ſpiritus acidi, quia corallia acidum combibunt, atque adeò nil niſi phlegma loco ſpiritus acidi acquires, ne gry quidem ex corallis ſuprà alembicum elevato. Si tamen corallia ſpiritu acido probè prius impræguata fuerint, ut nullum amplius imbibere queant acidum, tunc acidulum ſuper retortam dimittunt ſpiritum. Sed non video cui uſui.

5. *Spiritus Salis dulcis.*) Dulcis dicitur, non quod planè in dulcedinem degeneret, ſed quod mitiorem ſaporem, & meliorem acquirat odorem, dum acidum ſpiritus vini volatile rodentem ſpiritus ſalis aciditatem ita hebetat, ut ſummâ cum jucunditate ſumi queat. Vide infrà De vitriolo.

N. 1. *Eandem dulcedinem conſequi poteris, ſi vel ſpir. vini vel ol.tartari vel feces vini &c.*) Si aliquid ſalis tartari p.d. Spiritui Salis ſ.admiſceas, ac denuò Cap.mort. adfuſum deſtilles, per ſtrias quidem ſuper alembic. elevabitur, ſed in tantâ copiâ non acquires ſpiritum & minoris aciditatis erit.

6. *Aliter.*) Hic modus etiam ſuccedit, non differens à Priori. Ad eundem Modum & Spiritus Regius conficitur ſeq. modo: Rec. Spirit. ſalis rectificat. ℥iij. ſp. roſar. rectific. ℥ix. Inde hos ſpiritus cucurbitæ vitreæ, appone alembicum, cui ambræ ʒß. Moſchi ℈j. probè invicem miſta cum panno lineo puro inſerta & deſtilla per MB. durante ♃ latione ambra & Moſchus in gelatinam reſolventur: Et finitâ hâc ipsâ adde reſiduum in alembico panniculum & Confectionem Alkermes ſpiritui deſtillato, ac reſolvet iſtam gelatinam in liquorem, fietq; inde Eſſentia Ambræ & Moſchi elegantiſſima Cerebri & Cordis confortans non in poſtremis habenda, vel per ſe guttatim in accommodato vehiculo, vel cum aliis admiſta exhibita.

Vires. Egregiam præſervativum eſt in Peſte.) Tunc loco ſp. vini ſ. ſubſtitui debet Spiritus Theriacalis, item Elixir Propr. P. loco ſp. ſulphuris admiſceatur. Ex quo etiam Meum Elixir vitæ balſamicum eſt compoſitum.

7. *Spiritus Sal.com. dulcis compoſitus.*) Per aliquot menſes circulatio ac digeſtio continuanda eſt, & tunc demum egregius fit Spiritus in Laudatis ab Autore affectibus.

N. Spiritus Salis cum Spiritu ✱ urinoſo mixtus egregium etiam præbet aperitivum & anti-hydropicum Sal, abſumptâ prius per ignem lenem humiditate.

8. *Spiritus ſalis vitriolati diureticus.*) terra figulina eſt addenda ad fluxum prohibendum. Ex Cap. mort. hujus ſp. ſalis duplicati Sal Mirabile Glauberi conficitur.

9. *Spiritus Eſſentialis.*) Etiam ad fluxum cohibendum argilla eſt admiſcenda, ex quâ globuli cum Sale iſto impræguato ſunt formandi, niſi fractâ retortâ oleum ac operam perdere velis.

10. *Spiritus ſalis dulcis ☉ſolvens.*) Spiritus ſalis probè rectificatus aliàs ☉ſolvit, inprimis ſi diutinam digeſtionem fuerit perpeſſus, caudam ſuam devorat, id eſt acredinem ſuam innato ſuo balſamo dulcificat.

11. *Cryſtalli ſalis dulces, ſeu ſpiritus ſalis coagulatur.*) Hæc deſcriptio elaboratu admodum dubia eſt; Si tamen ad ſalis exſiccat. lib. j. addideris carbonum pulveriſ. lib. ij. felicius ſuccedet. Unde ad bonam ſpiritus ſalis copiam acquirendam dicere ſolebat *D. D. Iohannes Langius* p. m. Vulcanum utrumque accedere debere. Quem ego hariolor ignem & carbones fuiſſe; nec dubito ſuccedere, modò carbones prius à ſylveſtri aciditate ſua probè liberati ſint, ne compoſitus exinde oriatur ſpiritus ſalis.

12. *Flores ſalis.*) Hi in fine deſtillationis frequenter unà cum ſpiritu ſublimantur in collum retortæ; Sunt, qui cum ✱ ſublimant, hi licet non ſint flores ſimplices ſalis, ſed ✱, optimum tamen ſunt Medicamentum in febribus, quotidiana, terniana, quartana &c. & ubi vi aperitiva opus habemus.

N. *Si deſtillatio facta ſit cum O &c.*) O ſi calcinatum ſit, ſaporis expers eſt, & nullum de ſe ſpargit ſpiritum, libero autem expoſitum jovi, de Sale aëris multum attrahit, in quo Spiritus Univerſi reſidet.

13. *Alius ſpiritus ſeu ol. Sal. com. unde cryſtalli dulces*) De hujus deſcriptionis & præparationis veritate conſtat, modò encheiriſes in omnibus debitè obſerventur; Digeſtio ad multos dies continuanda cum Vitriolo ſoluto & menſtruo illo, quod eſt ex Acet. diſt. & melle cum boli additione elaboratum. Deindè gradatim ac cautè deſtillatio eſt dirigenda ac peragenda. Tertiò Vas ita incandeſcat, ne Sal ad fluorum perducatur. Spiritibus ſulphureis ac vitriolatis acidis elicitis demum, qui ſali reſiduo inhærent, ſublimandi ſunt inſtar terræ foliatæ coloris nivei. Hic proceſſus inter arcana refertur. Vide de his cryſtallis Rhumelium in theſaur. Secretorum.

14. *Ol. ſalis rubrum.*) Ex Sale fuſo Acet. impræguato & cum ſilicibus groſsè contuſis mixto ſpiritus ſalis ex retorta per Aren. ♌latur, quidem non purus ſimplex ſpiritus ſalis, ſed ſale Acet. adulteratus eſt; attamen egregium menſtruum ſolvens præbet ad Magiſteria conficienda. *Hofmannus.*

IV. EXTRACTIO.

Unde

℞. Salis calcinati q. v. ſolve in ▽ ſtill. & coagula, idque repete tantiſper, donec Sal purum ſine fæcibus dulce reddatur.

Hinc

℞. Hujus p. ij. O uſti part. 1. deſtilla △e nudo paulatim, donec ⌒ omnes propulſi ſint, ⌒m hunc rectifica vicibus aliquot. (4.) Dein ex ☿ Sal cum ▽ deſtillata elicito, idque optimè ſolutionibus ac coagulationibus purificatum calcina in phiala ad rubedinem, (ſit ſpatio Menſis) Hunc demum ſuperfunde ⌒m priorem, digere, & elicies Tincturam rubicundam, quæ nec recuſat per ◯m propelli.

Vires. *Sudorificum ac diureticum eſt inſigne, tartareas mucilagines incidit, putredini omnigenæ reſiſtit, corroborat itaque Balſamum nativum, adeoque uſus præcipui eſt in peſte febribus, hydrope, calculo, (atterit nimirum:) obſtructione Epatis, Lienis, &c. Quinimo & & ſanguinem mundificat; unde maximè prodeſt, in cutis pruritu, doloribus arthriticis. & ſimil.*

Doſis à ℈*j. ad* ʒ*j.* Schroderus.

IV. *Extractio: Unde Tinctura Salis.*) Hæc deſcriptio & elaboratio laborantem fruſtantur, ex ſale enim reſiduo extracto & calcinato ad rubedinem nemo cum ſpiritu priore Tincturam eliciet. Interim cùm alia proſtent magis parabilia, hac etiam facilè carere poſſumus. *Hofmannus.*

De Sale foſſili ſeu Sale Gemmæ & Indo.

Sal Gemmæ ſalis communis genus eſt, quod in fodinis lapidum frangitur, ſpecieque Cryſtallorum ſplendens eruitur, unde gemmeum, à gemmis ob colorem nuncupatur, dicitur aliàs Sal foſſile. Germ. *Steinſatz. Sal Gem. Sal Gemme, of Steenſout.*

Vires. *Hoc etſi eaſdem vires cum ſale communi obtineat, ſubſtituique eidem queat, rationis tamen u,us eſt in praxi Medica; crebrioris in Chymica, ubi in ſolutionibus Metallorum Sali communi antecellit. Com-*

mendatur tamen peculiariter Foreſti experientia ad ſtercora dura eliquanda, adeoque ad colica tormina arcenda intus & extus. l.21.5. Schroderus.

De Sale Foſſili, ſeu Sale Gemmæ & Indo.) Sal Gemmæ, quo utimur, ex Polonia maxima ex parte affertur, quamvis in Calabria & alibi etiam effodiatur. In his tamen quoad figuram externam & ſaporem nulla ferè eſt differentia; niſi quod Calabrinus purior ac nitidior ſit. In Minori Polonia inſtar ingentium ſaxorum hoc Sal adeò lapidea duritie ſolidum ferro exſcinditur, ut non ſolùm mola teratur ad hominum uſum, ſed ex illo etiam ædificia exſtruantur. Eaſdem vires cum Sale communi obtinet, niſi quod in ſolutionibus metallorum Sali noſtrati antecellat.

Rarioris tamen uſus eſt in Praxi Medicâ.) Ex hoc *Cl. Zwelferus in appendic. ad animadverſ.* p. m. 54. 55. cum nitro aqua reg. non ſolum ad ⊙ ſolvendum componit, ſed etiam cum ſp. vitrioli ad Medicinam transfert; Et ſpiritum vitrioli Eſſentificatum exindè elaborat. Aliàs hoc Sal ſtimuli loco clyſteribus adjicitur, ut & ſuppoſitoriis vel ſolvendum in aqua & clyſteris loco applicandum non ſine laudabili effectu ad fæces alvi induratas eliquandas & vacuandas. *Hofmannus.*

Præparationes.

Omnes præparationes ſubire aptum eſt, quas Sal Com. Attamen præcipua quæ ex illo in uſum veniunt.

Sunt

2. *Spiritus Salis gemmæ, Spiritus 8 fuſibilis ☿ialis.*

Fit eodem modo, quo ⁓ Sal. Com. Nimirum, 8 miſcetur cum triplo argillæ vel ſabuli, &c. Daturque per O⁓m igne nudo.

2. *Balſamus Salis gemmæ ſeu Liquor.*

℞. 8 ℔j. fluat ad △, & poſtea ſolvatur in ▽ pluv. deſtill. Filtretur coaguleturque. Has operationes liquefactionis, ſcilicet ſolutionis, filtrationis & coagulationis tantiſper repete, donec 8 ad ſummam ſubtilitatem fuerit perductum, quod inde cognoſcitur, quando ejus particula ad candelam admota, ſtatim liqueſcit.

Vires. *Arcanum ſummum eſt in rupturis, intus & extus adhibitum.*

Intra corpus dantur quotidie guttæ aliquot (3. 4. 5.) *cum Extract. conſolidæ,*

Extus fiat illitus, Hartm. in pract.

N. *Mentio quoque apud Veteres fit Salis Indi, de quo ambiguum, quid propriè ſit. Sunt nimirum, qui contendunt non Salis eſſe genus, ſed Saccharum, ſalis nomine inſignitum (ob ſimilitudinem quam cum ſale habeat.) Verum enim verò rectius ſentire videntur, qui id peculiare genus ſalis foſſilis faciunt, ejuſque loco, cum raro vel nunquam in noſtras regiones tranſportetur, Sal gemmeum recipiunt, Exempli gratia in Pilulis de Lapide Lazuli, & ſimil.* Schroderus.

Mentio quoque apud Veteres fit Salis Indi.) Nullum dubium, quin Indi legitimum Salem etiam non habeant; juxtà Plinium enim Lib. XXI. Cap. VII. in Oromeno Indiæ monte Lapicidinarum modo ingentibus foditur glebis. vid. *Matthiolus Libr. V. in Dioſcor.* Cap. 88. Hujus loco *Sal Gemmæ* ſubſtituitur. *Hofmannus.*

De Sale Nitri.

Sal Nitrum eſt Sal Sulphureum, ſeu φλόγιςον, ſalſoamarum ex terra pingui excoctum.

N. *Etſi præter Nitrum Antiquorum quod planè nobis incognitum eſt, triplex dari poſſit. Nimirum* 1. *Quod ex terra attrahitur.* 2. *Quod muris lapideis adhæreſcit. Et* 3. *Quod ſcopulis ſeu rupibus agnaſcitur: Attamen Officinis noſtris, non niſi unicum uſitatum eſt. Primum videlicet, idque excoquitur ex terris deſertis ac pinguibus, ſive pinguedo illa è terra Archæo ſit immiſſa, ſive aliunde introducta. Introducitur enim exempli gratia, urinis atque excrementis animalium ac columbarum.*

(N. *Nitrum loci natalis ratione ſæpè multum de natura * participat.*)

(*Nitrum nativum Alexandrinum roſei coloris, eſt ejuſdem Neapolitanum, flaveſcens Puteolanum.*)

Chymicis dicitur Cerberus Chymicus, Sal infernalis, Sal Sulphuris, Hermes, Baurach, Algali, Sal Anderonæ, Anatron, Cabalatar, &c. Baſilio, Serpens terrenus, Germ. *Salpeter*, *Salniter.* Salpetre, Sel de Nitre. *Salt-peter*, or *Salt of Niter. Sout-peter, of Sout van Niter.*

Eligendum nitrum eſt cryſtallinum, purum. Tantò autem purius cenſetur, quantò minus ſalis communis particeps fuerit, participationem hanc experiri licet φλογώσει.

Nimirum.

Mitte ſal nitr. in carbonem ignitum, ſi omne avolaverit, purum judicatur, & è contra, ſin aliquid remanſerit, purum judicatur, & è contra, ſin aliquid remanſerit, quantum remanſit, tantum de ſale communi participare æſtimatur.

Vires. *De Nitri qualitatibus primis haud parum controvertitur: Sunt enim qui calidum, ſunt & qui frigidum id æſtimant.*

Cæteras Nitri vires quod attinet, vim habet putredini reſiſtendi, ſitim ac æſtum compeſcendi. Tartaream ſaburram incidendi, coagulatos ſanguinis grumos reſolvendi, dolores mitigandi, (id quod præcipuè lapidi Prunellæ adſcribitur.)

Hinc.

Uſus ejus tàm internus, quàm externus vulgatiſſimus eſt.

Internè ſolvitur in potulentis ac præcipuè in ▽ fontan. (℥i. *vel* ℥ß. *in menſur.* 1,) *exhibeturque in febribus ardentibus putridis, præcipuè in febri illa Ungarica dicta, in pleuriſi, peripneumonia, in calculo renum & veſicæ, in obſtructionibus epatis ac meſaraï.*

N. *Ubi alvus nimis laxa fuerit, vel ventriculus debilis, ejus uſus non ita proficuus erit.*

Externè communiſſimus ejus uſus eſt in inflammatione faucium & anginæ (ubi in gargariſmis ſolvi ſolet:) in topicis anodynis ac refrigerantibus, ubi præcipuè ſolvitur in liquore appropriato & imponitur cum linteo: in combuſtionibus, ubi ſimili modo applicatur.

Doſis eadem quæ lapidis Prunellæ.

(N. *Nil magis arſenico contrarium eſt quàm Nitrum.*) Schroderus.

De Sale Nitri.) Hoc ſal ſulphureum eſt ſeu φλόγιςον, unde facilè ardet, Sal amarum ex terrâ pingui excoctum, præprimis ubi jumenta ſtabulantur. Conſtat ex ſale volatili acidis particulis abundante, ſeu ſpiritu acido & ſale ſalſo fixo. Deſtillato enim Nitro tum volatilis liquor acidus, qui eſt genus aceti mineralis, prodit, tum Sal fixum ad naturam alkali proximè accedens & ſalis lixivioſi indolem exprimens in Cap. mort. relinquitur. Adeoque Nitrum peculiare quoddam ſalis genus eſt, & ſuis ſibi proprietatibus internoſcitur, tum à ſalibus aciditate ſingulari præditis, cujuſmodi O. vitriolum, 8 &c. tum ab iis, qui reverà alkaliſantur, ut ſale tartari, & cinerib. clavellatis. Quinimò facilè advertere poſſumus ſummam differentiam inter effectus & operationes horum. Ita Metallina concreta pleraque, quæ aqua fort. per corroſionem diſſolvit, Ea per ſolutionem nitri fixi præcipitantur. Et pleraque corpora ſulphurea ac oleoſa, quæ ſolutione nitri fixi diſſolvuntur, illa ipſa affuſo ſpiritu

ritu

ritu acido nitri præcipitantur. Sic etiam ſi quis infuſo ligno Braſilienſi aquam puram coccineo imbuerit colore, eandem effuſo modico ſp. nitri & concuſsâ phiolâ rurſus adventitio rubore ita privare poterit, ut lentè flaveſcat: Eadem aqua, ubi ſolutionem exiguam Nitri fixi admiſcueris, iterum punicabit, & colorem priſtino magis ſaturum & ſanguinis haud abſimilem induet. Conſtat igitur, Nitrum ipſum partim eſſe fixum, partim volatile, quæ in ipſius compoſitionem veniunt & acida ſunt, eadem eſſe prorſus volatilia, quæ alkalica ſunt, ea quoque eſſe fixa. Hoc in cryſtallos redactum pyramidali gaudet figurâ, quam etiam in minimis obtinet reſolutum.

N. *Etſi præter Nitrum antiquorum, quod planè Nobis incognitum eſt, triplex dari poſſit.*] Nitri veriſſimi proventu non ulli etiam Terrarum Nova cedit Hiſpania. Verrunt illud ex terrâ areſcente, lacu aut è muris deradunt, aut antris, roſeum ac candidum plerumque leve, fiſtuloſum, fragile & percolatum formam & ſplendorem Noſtratis repræſentans. Quo fit, ut mirari ſubeat illorum (*Noſtrique Autoris*) ſententiam, inquit *Rerum Medicarum Nova Hiſpaniæ Nord. Ant. Recch. lib.* 10. *cap.* 26. qui vulgare nitrum ab antiquorum differre enixius contendunt, aut ſpumam Nitri neſciunt ab aphronitro Aphronitrum diverſum eſſe contendentes. Novæ ergò Hiſpaniæ ex Lacubus æſtate arefactis verritur ſcopis & colligitur manibus Nitri veriſſimi & candidiſſimi Aphronitri copia non mediocris & in uſus reconditur. Abundat Eo totus Mexicanus lacus.

2. *Quod muris Lapideis adhæreſcit.*) Ob locorum diverſitatem, in quibus provenit, Nitrum non ſemper æquales obtinet virtutes. Quod ſponte ex terrâ erumpit & citrà artificis opem habetur, de Naturâ Salis Armoniaci participat, & copioſè colligitur, atteſtante *P. Poterior in P.S. Lib.* 2. *cap.* 7. in pluribus locis agri Bononienſis & maximè in montibus ad meridiem expoſitis, quo loco marcaſita alba & citrina copioſè reperitur. Qui artificioſè ex terra educitur, atque ex muris & antiquis ruderibus colligitur, nihil quicquam de * natura participat. vid & l.c cap. 15. Aphronitrum quod vulgo ſpumam Nitri interpretantur, Jenenſe genere convenit cum hoc Bononienſi hodierno & Romano, cum Veteri & Pliniano nequaquam. Cæterum diſcrepant tùm ratione coloris, tum ſaporis, tùm denique gravitate & levitate, quæ omnia proveniunt partim culpâ ſeu mavis virtute Aquarum, quarum exhalationes in imbres & pluvias deſinunt, dum vel nitroſæ ſimpliciter, vel ſimul aluminoſæ, vitriolicæ &c. partim naturâ petrarum, Lapidum, terratúmque quas allabuntur & tranſmeant, hæ enim vel aluminoſæ, vitriolæ, armoniacæ, molles, duræ, pingues, argilloſæ, ſabuloſæ, & arenaceæ, album tum colorem, tum pondus aliud addendo, partim verò Solis, prout Calor intenſior fuerit, vel remiſſior. Ita videmus coctura ignis dulceſcere amara & vice verſâ adſtringere, acerba reddi, laxare pro texturæ & figuræ immutatione. Videas etiam ſi Nitrum coctum & purificatum ulterius coquatur in aluminis devergere Naturam. Sic Patavii & in tractu Puteolano obſervata fuit aphronitri hujus & in ſapore, flore, lævitate, candore & colore non una viciſſitudo. Quemadmodum, ubi Sulphur excoquitur, imò ad latera elegantiſſimè ſublimatur, ejus non parvam copiam nullius ſaporis notabilis, niſi leniter ſalſiduli, deprehendimus. Sed cur Vitriolum ſapiat Jenenſe, cauſa eſt, quod montes Jenenſes æris alant mineram, & lapides pyritides, qui eroſi & imbribus tacti florem ſuum reddunt & in ſuperficiem effundunt. Nullum eſt dubium, quin Sal Aëris centrale ſuum etiam hic conferat ἐπίβαλλον μέρος. Id quod præter alia etiam confirmant ova illa philoſophica ſeu Minera Martialis Caſſeliana aëri expoſita, cujus ſuprà meminimus. Reſolve Nitrum in aëre humido in liquorem, ac deſtilla ad priſtinam ejus ſiccitatem, hoc iterum aëri expone humido, & iterum exſicca: Hunc laborem quo ſæpius repetieris, eò majorem Nitrum acquiret volatilitatem ex Sale in aëre hoſpitante, ut demum etiam ſi Naturæ pondus æquet, planè fiat volatile. Reſidere autem Sal ejuſmodi in aëris hemiſphærio docet incrementum illud & ponderis auctio in rebus quibuſdam fortiter calcinatis, ſi ſcilicet Cap. mort. Tartari aut Vitrioli aëri exponas, verè illa augentur & incrementum ſumunt à dicto ſale, quod in Vitriolo ſalem mirabilem nitroſum exhibet, qui in Cap mort. Vitrioli, antequam exponeretur, non inerat.

Primum videlicet, idque excoquitur ex terris deſertis ac pinguibus.) Quomodo Nitrum conficiendum ſit, *Lazarus Ercker de Metallis, Angelus Sala, Glauberus &c.* deſcribunt. Nitrum conficiendi rationem & modum qui novit, totum terrarum orbem exiguis peragrare poteſt ſumptibus, modò terræ communis portionem ſumat, eamque imprægnet ſuo artificiali fermento Nitrifico, imprægnatam poſtea excoquat, depuret, & nitrum ex eâ extrahat, aërique iterum exponat. Fermentum conſtat ex ſale communi, urinâ, jumentorum ſtercore, & ſcoriis ♂tialibus &c.

Eligendum Nitrum eſt cryſtallinum.) Probitatem Nitri Nonnulli etiam inde experiri volunt, quando ſcilicet in manu detentum citò incaleſcit & tandem diſſilit. Aliàs Domini Autoris notæ ſunt probatæ.

Vires.) Nullus in rerum Naturâ Sal magis catholicus eſt, atque Nitrum, quod per univerſam Naturam adeò diffuſum & in concretionibus ſatúque miſtorum actuoſum eſt, ut quaſi ſpiritus Mundi ſit retinaculum, ſine quo Nemo vivere poteſt, dum omnibus vitam & creſcentiam largitur. vid. *Ol. Wormius in Muſæo* c. 8. p. m. 22. *De Nitri viribus.* HOFMANNUS.

PRÆPARATIONES

Præcipuæ ſunt.

1. Purificatio. 2. Calcinatio ac Fixatio. 3. Deſtillatio. 4. Extractio.

PURIFICATIO.

Unde

Nitrum cryſtalliſatum, ſeu cryſtalli nitri.

Nitrum cryſtalliſatum quando ſimpliciter præſcribitur, nihil aliud intelligi ſolet, quàm Nitrum ſine calcinatione, ſolâ ſolutione ac cryſtalliſatione purificatum. Solvitur autem in ▽ communi, cryſtalliſaturque ſ. a. ut moris.

Depuratio Salis Nitri.

Præter eam, quæ à Keslero art. 61. centur. 1. deſcribitur, fit quoque, ſi ℔xv. Sal nitr. in menſur. unâ aq comm. ſolvas in cacabo æneo ſuper △ lignorum per dimidiam horam, ſi probè ſolutum eſt, remove ab △, & ſenſim per vices inſtilla ℥iv. aut circiter ✢, tege cacabum pluribus linteis, & ſine concreſcere in diem alteram.

Ex S. Cloſſ.

II. CALCINATIO.

Unde

10. *Lapis prunellæ Nitrum tabulatum ſeu præparatum, fixum, anodynum ſeu cryſtallum minerale.*

℞. Sal. nit. puri q. v. fundatur ✢bulo, ſuperinjice aliquid Sulph. puri (melius eſt flor. Sulph.) quod ubi deflagraverit iterum aliquid Sulphur immitte, idque repete, donec ſuper Sal nit. ℥i. injeceris ʒß. ad ʒi. & Sal nit. planè purum fiat, tum effunde; & hic eſt lapis prunellæ vulgaris.

Nitrum hoc modo præparatum, ſi quas impuritates contraxit, purificari poteſt ſolutione & cryſtalliſatione, ut ſupradictum.

N. *Præſtat* ▽*m roſarum pro ſolvente adhibere.*

Vires. *Vires ac Doſis eadem quæ Nitri, imo quæ ſupra de Nitro dicta ſunt, de lapide hoc prunellæ potiſſimum intelligi debent.*

N. *Doſis Hartman. in pract. miſcet hujus Sal. nit. præparati* ℥*i. cum menſur. I. Liquoris ſeu* ▽*æ pro potu febricitantium. Ego vix* ℈*iv. tranſcendo, nimirum aliquantulum debilitat ventriculum, unde & alvi fluxus concitari nonnunquam ſolet, aliàs à* ʒß. *ad* ʒj *propinari ſine noxa poteſt, præcipuè autem cum Sacchara, quo amaror mitigatur, vide Sennert. Inſtit. Beguin. lib. 2. cap. 11. Quercetan. in Pharmacop. reſtit. & Alexiac. &c.*

2. *Nitrum fixum, aliud.*

℞. Sal nit. pur. ℔iii. iv. Calc. viv. ℔ iv. M. & cementa 8 5. vel 6. dein extrahe Sal. nit. affundendo ▽m calidam, filtrando & filtraturam inſpiſſando.

N. *Prima Cryſtalliſatio Sal. nit. optima cenſenda eſt, continet enim nitrum purius & magis inflammabile, ſecunda quæ fit per evaporationem ejuſdem aquæ uſque ad medias, minus ſyncera eſt, & Sal. comm. fixi particeps.*

3. *Aliter.*

℞. Sal nit. q. v. affunde ſpiritum ◻æ, deſtillaque ſenſim, tandem adde △m arctiorem ut fluat; Labores repete aliquoties. [5.] ad minimum, ſemper novum Spiritum affundendo.

N. 1. *Alii pro Spiritu* ◻*æ ſubſtituunt Spiritum. Sulph.*

N. 2. *Nonnulli Nitrum lævigatum impaſtant cum albumine ovi, exiccantque ad* △*m, tandem augent* △*m ut Nitrum fluat: hinc effundunt.*

Vires. *Metalla reddit malleabilia.*

4. *Cryſtallum minerale ſaccharatum.*

Fit, ſi Cryſtallo minerali in ▽ roſarum ſoluto Sacchari ana miſceatur; idq. fit propterea ne ſcilicet urinoſus ſapor moleſtiam pariat. *Fel. Wirtzius. 4. Chirurg. c. 4. pro arcano habet in humorrhagia vulnerum.*

5. *Nitrum perlatum.*

℞. Sal. nit. 🜄. ſolut. part. iii. vel iv, Sal. perlar. idem in 🜄. ſolut. p. ii. vel ana conjuge, coagulaque evaparando, ac repone in frigido loco ad cryſtalliſandum.

Uſus. *Egregium eſt cordiale & mitigat ſimul æſtum febrilem.*

6. *Nitrum corallatum.*

Fit eodem modo ex ſale ſcilicet corallorum & Sal. nit. an.

Vires. *Uſus idem eſt cum priori in febribus & virium reſtauratione.*

7. *Nitrum ſaturniſatum.*

Fit eodem modo, nimirum ex Sacchara ♄ni & Sal. nit puro, ſeu lapide prunellæ.

Vires. *Confert aſthmaticis.* [*Cardialgiâ, & ventriculi fervore affectis.*]

Doſis gr. 6. vel 7. in ▽ *aliqua convenienti.*

N. *Si cuipiam lubet nitrum vel lapidem Prunellæ tingere, ſolvat tincturam roſarum, violarum, ſantali, fl. Tunica & ſim. in appropriata aqua, in qua nitrum ſit ſolutum, reponaturque ad cryſtalliſationem: Eodem modo & Saccharum cryſtallinum tingi poteſt.*

Cryſtalli Sal. nit. ſive Draco fortificatus.

Digere nitrum depuratiſſimum in ♎u Sal. nit ut illius ſolvat quantum poterit, abſtrahe, egredietur phlegma, alium ♎um ſuffunde, digere, ♎a, donec tam acer exeat, uti affuſus ſit, tum ſatis Draconem impprægnaſti, liquorem in ♉ reſidem pone in cella ut lapilleſcat, hos lapillos in aqu. ſolve & denuò in Cryſtallos coge.

Ex commun. S. Cloſſ.

Vires. *Tart. materias expellunt hi cryſtalli, ſudores, ſedes & Urinas movent. Doſis* ℈*i. in aq. appropr.*

[Cryſtalli Nitri acido-dulces Spir. Nitr. cum ▽ per MB deſtillato in fundo remanentes calorem febrilem extinguunt potui injecti.

Terra foliata Sal. nit. S. Cloſſ.

Candefac Sal. nit. in ✚ & per vices injice carbonem vivum, ut Sal nit. inardeſcat, continua donec flagrare deſinat, quod reſtitat ſolvatur in 🜄, filtretur, coaguletur, idque ter cum novo 🜄 repetatur. Tandem ſolva ut in ▽, qui poſtmodum ♎etur. In fundo erit Terra Talcoſa nitri fuſilis inſtar ceræ.

Vires. *Obſtructum Meſenterium & lienem liberat, ſuaviterque repurgat, extractis Rhabarb. & ſenæ commodè additur ad virtutes eorum augendas.*

Doſis ʒß. *in dicto radic. aperitivarum uſu.*

[*Nitrum Antimoniatum.*]

[Commendatur in febribus ardentibus, pro ſtimulo purgantium, & clyſterum etiam inſervit.]

Nitrum ⊕-ium ſeu Sal Ducis Holſatiæ, Panacæa duplicata, Arcanum duplicatum.

Nihil eſt aliud quàm Sal ex 🜍▽ (ex Sal. nit & ⊕. an.) extractum, crebriſque ſolutionibus & coagulationibus ita depuratum, ut candidiſſimum exiſtat Hoc ſubtiliſſimè pulveriſatum, & cucurbitæ lutatæ impoſitum, calcinatur ita ut liquefiat. Melioris liquefactionis ergo aliquota pars Sal. nitr. additur.

N. 1. *Laborem hunc interdum 2. & 3. vice repetere convenit.*

N. 2. *Si vice tertia reſolutio iteranda ſit, expedit prius materiam ſolutione ac coagulatione à fæcibus repurgare.*

N. 3. *Alii liquefactionis ergo* ℞. *Lap. prunellæ p. 1. ad Sal. illius p. 2.*

Communicata mihi fuit hæc deſcriptio diverſis è locis & præ aliis ex illuſtr. Aula Holſatiæ Gottorp. unde & nomen illis in locis obtinuit.

Vires. *De viribus ita ad me Cl. D. D. Joel Langelot ſcribit: Mille experimentis ſalis hujus efficaciam Aula noſtra comprobavit in Melancholicis affectibus, febribus quibuſcunque continuis & intermittentibus, calculo, ſcorbuto, &c. Quin & ſomnum conciliaſſe, præſertim in Melancholicis non ſemel notavimus.*

Doſ. à ℈*i. ad* ℈*ii. Conſtitit Illuſtr. noſtro deſcriptio quingentis imperialibus. Libras aliquot quotannis abſumimus. Mynſichtus hic accepit, qui illud ſub nomine Arcani duplicati venditat.*

Ad ſalis illius part. 7. Calcis ☉ *ritè præparatæ p. 1. addimus.*

Sal Cachecticum Chalybeatum.

℞. Sal com. illius puri, (ex 🜍▽) p. ii.
Sal. prunellæ p. 1.

1. Fluat Sal prunellæ in ✚bulo hinc ſuperinjice animam ♂is [ſive illa liquida, ſive in forma pulveris] ſic rubeſcet. Si ſatis imprægnatum ac rubeum videatur, conterendo admiſce Sal illud 🜍i, fiatque pulvis ſubtiliſſimus. Hunc inde cucurbitæ vitreæ, da △ arenæ gradatim, tandemque fluat inſtar aquæ [quò diutius, eò melius.] Denique fracto vitro exime lapidem rubicundum.

Vires ac Uſus. *Summè conducit (ut & Sal Holſatiæ) in appetitu proſtrato, cachexia, febribus, nephritide, catarrhis, ſcorbuto, lue gall. contractura, paralyſi, & ubicunque ſanguinis emendatione opus eſt, Somnum*

num inducit, & alia præſtat quamplurima, idque ut plurimum inſenſibili tranſpiratione, nonnunquam ſudore ſine moleſtia, aliis blandum movet vomitum, ſed rarò, aliis leniter alvum ciet.

Doſ. à g. 6. ad ℈i. *in liquore appropr. Ex comm. Amici Hamburg.* SCHRŒDERUS.

2. *Calcinatio* Unde 1. *Lapis prunellæ.*) Nitrum tabulatum, ſeu præparatum, fixum, anodynum minerale &c. Lapis Prunellæ dicitur propterea, quod maximè in anginæ ſpeciebus (vulgò *die Breune*) adhibeatur, quæ Prunum vel Prunella dicitur. *Cl. Tachenius* in ſuo *Hipp. chemico* nitrum cum ſulphure combuſtum, & prout *Autor* deſcribit in angina magis nocere, quàm prodeſſe ſcribit, quia hoc eſt nimis acidum, ideoque nocivum. Unde Nitrum coquit in lixivio alkaliſato, donec gutta in frigido ferro, ut ſerum conſtet, & denique ad cryſtalliſandum exponit. Verùm *Tachenius* ſcire debet, in anginâ & febribus nonnullis ardentibus non ſemper cauſam occaſionalem eſſe acidam, ſed ſæpè etiam acrem & alkaliſatam, quam ſitis prodit intenſa, ſudores ſalſi, cruditas nidoroſa &c. quæ ſymptomata à ſpiritibus volatilibus urinoſis exaſperantur, ab acidis autem ſp. vitrioli, ſulphuris, nitri &c. mitigantur. Hiſce etiam non obſtantibus, notum tamen eſt, non omnia acida eſſe unius ejuſdémque generis, unumque acidum poſſe mitigare præcipitando & figendo alterum, ut videmus in magiſteriorum præparationibus, v. g. quæ ſpir. vitrioli, diſſolvit, hæc ſp. Nitri vel Sal. comm. præcipitat & ſic porrò.

Nitrum fixum aliud. 3. Aliter &c) Hæc omnia cum notis additis nulla indigent animadverſione. Sequentes tamen noſtræ annotationes nec in poſtremis ſunt habendæ.

N. 1. Nitrum fluat in Crucibulo, injice in ▽am bullientem, coagula, hoc quinquies repete, uſque dum Nitr. fiat inſipidum. Hoc magnes eſt, omnem calorem p. n. in corpore exortum attrahens, indignatum ſedans archeum, urinamque retentam ad miraculum provocans.

N. 2. Nitrum adhibetur vel antimoniatum, quod purgantibus & clyſteribus, illis ratione correctionis quoad illorum caliditatem, his ratione ſtimuli cum fructu adhibetur, vel cum aliis miſtum & incorporatum porrigitur v. g. Rec. cryſtall. Nitr. ℥ i v. funde in Crucibulo, adde fl. ſulphuris ʒi. Iterum deflagret, quo finito adde *ʒß. Iterum deflagret, poſteà effunde in mortarium ſtanneum. Eſt inſigne anti-ictericum, anti-febrile, & lithontripticum. Doſ. eſt ℈ß. ℈i ad ʒß. vel ʒi.

4. *Cryſtallum mineralem Saccharatum.*) Hoc non adeò ingratum eſt.

5. *Nitrum Perlatum.*) Præſtat hoc abſque Acet. diſt. conficere, cui ſubſtituatur aqua aliqua fragrantiſſima v. g. roſar. rub. id. &c. in hac ſolvatur nitrum & magiſterium ſolubile perlarum, ac in alembico ad ſiccitatem abſtrahatur. Eodem modo & (6. ac 7.) Nitrum corollatum ac Saturniſatum præparati poſſunt, quod ultimum magnoperè in calore ac ſiti inextinguibili commendatur.

N. *Si cuipiam lubet Nitrum vel Lapidem Prunellæ tingere.*] Sic Nitrum fit roſatum, violatum, papavere erratico inſuccatum, additóque ſucco acetoſellæ, Scordii, aliorúmque alexipharmacorum aut catharticorum fit alexipharmacum & catharticum Nitrum. vid. *Cl. Zvvelfer. in Maniſſ. Spagyric.* part. 2. c. 12 p. m. 404.

Cryſtalli Nitr. ſive Draco fortificatus.) Sic vice verſâ & duplicatus fit ſpiritus nitri, quando aliquoties à novo nitro abſtrahitur & △ fortiſſimo deſtillatur.

Terra foliata nitri S Cloſſ.) toties hoc fiat donec Acet. diſt. in eâ, quâ fuit affuſum, aciditate deſtillando evehatur. Hoc ſi cum terra foliata tartari conjungatur, majores acquirit vires diureticas & aperitivas.

Nitrum vitriolatum, ſeu Sal Holſaticum. Panacea duplicata. Arcanum duplicatum.) Hanc compoſitionem plurimis obnoxiam reddit difficultatibus *Cl. Zvvelferus in Mantiſſ. Spagyric.* parte ſecunda, capite undecimo: Nam cum ex æqualibus nitri & vitrioli partibus conſtet, aqu. fort. ingredientibus, tam violento △nis gradu hæc non urgeri ſtatuit, quin aliquid Spirituum corroſivorum in Cap. mort. non remaneat, ſequitur, quod poſtmodum corpori humano inferat noxam, dum emeticâ potius, quàm diaphoreticâ & diureticâ virtute dives erit. Unde Arcanum hoc ſequenti modo elaborat. Ex Cap. mort Vitrioli extremè calcinato, omnique vitrioli ſapore ac qualitatibus deſtituto, aëri verò & aſtris aliquot ſeptimanis expoſito elicit Sal aëreum, dulcem ac nitroſum, Vitrioli ſapore expertem. Hoc Sale aſſervato porro ex Cap. mort. à deſtill. ſp. nitri relicto Sal pariter elixivîando aquâ commun. prolicit, & crebris ſolutionibus & filtrationibus probè purificat. Hos duos ſales miſcet, ſalis Vitrioli aërei ℥ii. nitri extracti ℥iii immittit. alembic. & in arenâ die unâ vel alterâ leniter calcinat, poſtmodum Sal eximit & pro uſu recondit. Verùm hæc tanti momenti non ſunt, ut Nos ab hujus uſu recep. â præparatione & experientiâ diuturnâ probata uſurpatione deterreant, ſurrogata alia nondum probata deſcriptione. Nam longè alia operatio eſt ſalium Vitrioli & Nitri in fluore conſtitutorum, alia fixorum, aliam v. g. habet operationem ſpir. Vitrioli, aliam Sal vitrioli, aliam ſp. nitri & aliam ſal Nitri fixum; ratio eſt, quia diverſam habent texturam & figuram; Sic aqua fort. veneni æmulatur naturam, quod non præſtat ſeparatim conſtitutum ſal Vitrioli & ſal fixum Nitri, licet etiam ita fixa & non deſtillata ambo conjuncta & in legitima doſi exhibita. Deſtillata autem utraque commiſta Vitriolum ſcilicet & Nitr. malignum & deleterium Gas producunt veneni naturam æmulans. Deinde ſi hoc Nitrum Vitriolatum compendioſius elaborare velis, ita tamen, ut egregiam etiam habere debeat operationem, ſumas Nitri part iii. vel iv. Vitrioli autem Ungarici part. j. fundas in Crucibulo, ſenſim fl ſulphuris ad depurationem adjiciendo; demum ſolvas, filtres & iterum coagules, atque ſic compendioſiori via & meliori modo parabis Nitrum Vitriolatum albiſſimum, eleganiſſimum & probatiſſimum. Ex quo fonte etiam promanat *Dn. D. Mœbii ſal anti-febrile album & rubrum*, *ut & Emetodiaphoreticum.*

Vires.) In febribus intermittentibus exhibetur hora una vel circiter ante paroxyſmum, vel etiam in ipſo paroxyſmo, dum materia febrilis eſt in motu. In menſium obſtructionibus hoc etiam probatum eſt, ubi cum ▽a appropriata v g meliſſ. artemiſ. &c. exhiberi poteſt.

N. Omnes metallorum calces cum hoc arcano miſceri poſſunt v. g ☉. ☽. ♃vis &c. pro diverſitate affectus.

Sal cachecticum chalybeatum.) Hoc ſuam etiam meretur laudem tum ob veram deſcriptionem, tum genuinam ejus præparationem. Melioris tamen informationis gratia nec ſequens poſtponendum. Recip. Salis prunellæ ℥iß, ʒii. Arcani duplicati ℥i. ʒii. Vitrioli ♂tis ℥i. terantur ſubtiliſſimè & immittantur cucurbitæ vitreæ, hinc in Aren. calore per gradus aucto aliquamdiu ad rubedinem calcinentur, dando △nem ultimò paulò fortiorem, ut liquentur in maſſam, fracto denique vitro eximatur, cum refrixerint omnia, lapis rubicundus, & pro uſu aſſervetur. HOFMANNUS.

III.

III. SUBLIMATIO.

Unde

Flores Sal. nit.

℞. Sal.nit. Sal. com.an. ℔i. fluant. Hinc ſuperinjice carbones ignitos ac ſuperimpone fictile inverſum rite adaptabile. Sic exurgunt flores in fictile ſuperius panno madido obducendum. Candidos illos flores pennula abſterge & ſerva.

Vires. *Efficax eſt medicina in febri tertiana aliiſque æſtibus. Joh. Langel.*

N. 1. *Butyrum candidum purgativum ex liquore Sal. nit. & ſalis* 🜔 *vide in Myrothec. Fabri p. 330.*

N. 2. *Arcanum Sal. nit. per calcin. & cum Tart. & ſolutionem cum* 🜄 *additis ſpiritibus cinamomi &c. Vide in Deodato p. 177. 178.* SCHRODERUS.

3. *Sublimatio Unde Flores Nitri*) Adrian. Minſicht. In armamentario ſect. 1. de Medicam. Chemicis hoc modo conficit, dum ſolvit Nitrum in aq. aliquo deſtill. poſtea indit ollæ non vitreatæ & ponit in locum frigidum per aliquot dies, tunc flores elegantes Nitri pertranſeunt & parietibus ollæ externis adhærent. Sed non video quid ſingularitatis ratione virium præ reliquis Nitri præparatis ſpondeant. HOFMANNUS.

IV. DESTILLATIO.

Unde

1. *Spiritus Nitri.*

-⌒-Sal. nit. eodem modo rectiſſimè paratur, quo -⌒-Sal. com. nimirum Sal. com. cum triplo aut quadruplo boli, argillævè ſiccæ, cum vel ſine formatione globulorum miſcetur, perque retortam deſtillatur.

N. *Loco argillæ recipi poteſt arena.*

2. *Modus alius.*

℞. ⌒m in ſuperiore ventris capacitate tubulatam, (præſtat habere ferream.) pone in fornacem ut tubulus emineat receptaculo adaptato capaciſſimo exactè ⌒æ annexo. Hinc candefac ⌒m ac injice Sal. comm per vices, tubulumque ſtatim obtura. Sic -⌒-in receptaculum irruet, ac ſubſidebit.

N 1. *Subſidentia hæc felicius ac celerius fiet, ſi receptaculo △ infundatur, vel linteum frigida humectatum imponatur.*

2. *Si quis flores in deſtillatione elevatos ſeorſim colligere velit, habere creditur quo ☿ium figere poſſit.*

[*Spiritus Sal Nit. dulcis in Pleuritide, Peripneumonia, Paraphrenitide utilis.*]

Vide & Cryſtallo Sal. com. dulces.

Vires. *Reprimit ac ſedat efferveſcentiam -⌒- Salis microcoſmici, diſcutiendo ac reſolvendo malignos, crudos, nitroſos, tartareoſque vapores: viſcera reſerat, calorem p. n. infringit, movet inſuper & ſudorem, unde uſus ejus inſignis in colica, pleuriſi, prunella, febribus aliis, præcipuè malignis.*

Doſis ℈i. *ad* ℈ii. *&c.*

Uſus ejus tùm internus, tùm externus eſſe poteſt, v. g. in gargariſmis & ſimil. In colica miſcetur cum an. 🜄 ut fiat mixtura ℈ii. ad ʒi. quæ in hauſtu ▽æ fontanæ exhibetur: Illini quoque poteſt umbilico cum °₀ Nuciſtæ ac tantillo Zibettæ.

3. *Alius modus Keſleri.*

℞. Aluminis uſti & Sal nit. ana M. ac deſtillata per ⌒m. 1. *cent.* 56.

4. *Alius ejuſdem cum Sulph.*

℞. Sal nit. puri q pl. impone ⌒æ tabulatæ cum receptaculo capaciſſ. aliquota parte ▽æ adimpleto, da △m ut fluat Sal. nit. poſtea fluenti ſuperinjice per tubulum parum Sulph. puri, claudeque orificium, &c. hanc injectionem Sulph. repete, donec Sal. nit. conſumptum ſit, ſic prodibit liquor ſeu -⌒-Sal nit. inſtar butyri ℥ii -⌒-m hunc Sal. nit. dephlegma ac rectifica, &c. Materia in ⌒ relicta ſuppeditat. Sal. nit. fixum.

5. *Spiritus nitri Bezoardici.*

Eſt -⌒- Sal. nit. in præparatione Bezordici mineralis butyro affuſus, ac iterum deſtillatione in arena abſtractus.

N. *Hic ſi celeriter urgeatur, extillat rubicundus commodumque menſtruum præbet* ☉ *ſolvendo ac volatiliſando. Vide de* ☉

6. *Aqua cauſtica, ſeu aqua fortes.*

Aquarum fortium ut & regiarum (quas dicunt) magna paſſim eſt varietas. Fiunt pro diverſitate ſcoporum, è ſalibus mineralibus, ad ſcopum facientibus 🜔, Sal nit. *. Sal. com. & ſimul Nos brevitatis ſtudio unica ac altera deſcriptione contenti remittimus tyrones ad Authores fusè de his tractantes, ut ſunt: *Beguin. l. . cap. 3. Sennert. Inſt. lib. 5. par. 3. ſect. 2. c. 6. Libavii. 2. Alchym. tract. 2. cap. 27. &c.*

7. *Aqua fortis communis.*

℞. 🜔i exiccati. ℔ii.
Sal. nit. ℔i.
Tere ſimul & miſce.

Deſtilla per ⌒m loricatam, △e aperto per gradus: eſt operatio hor. 12.

N. *Geber. Lib. Invent. c. ultimo, addit. &* ℔ß. *O. deſtillatque: in deſtiliata hac* 🜅 *ſolvit* ℔ß. *. *ad* 🜆 *acquirendam.*

Vires. *Solvit* ☾ *&* ♄.

8. *Aqua Regia, Stygia Chryſulca Baſilii.*

℞. Sal. nit. part. ii.
*. part. ii.
Silic. contuſ p. iii. circiter.

Deſtilla per ⌒m ignitam tubulatam, *Vide in* ♄. *deſtillationem* △*a ſtimm.* ♀*rea.*

Vires. *Solvit* ☉ *eùmque per* ✕✕ *ſecum tranſportat Baſil. in Clavibus Tentzel.*

N. *Uſitatiſſimus facillimuſque modus deſtillandi modernis eſt per cacabum ſeu ollam ferream, cui ceu alembico terreum imponunt capitellum cum roſtro, deſtillantque igne aperto in receptaculum capaciſſimum.*

9. *Eadem* 🜆. *alio modo deſtillata.*

℞. Sal. nit. per ſe q. v. & cum tribus partibus ſilicum contuſorum miſce, deſtillaque igne libero per ⌒m. Sic habes ▽m nitri: poſtea habeas ⊕ è quibus per aquam calidam extractum ſit ſal, ut omnis acredo lixivii auferatur, hos ⊕ miſce cum *, ſit autem * tantum quantum antea erat Sal. nit. deſtillaque △ libero per ⌒m, ſic habebis 🜆.

N. *Si velis rurſum ex B. vel* ⊕*ibus per alembicationem deſtillare, fit clarior & lucidior. Tentzel.*

SCHRODERUS.

4. *Deſtillatio Unde 1. Spiritus Nitri.*) Argillam albam præſtat recipere, quàm bolum, quia in hunc plus vires ſuas exſerit Spiritus acidus Nitri, atque in illam, eò quod ille ut plurimum vel minera ♂tiali vel ☉lari gravidus ſit, & ita minus ſpiritus nanciſceris. De quo uti & aliis ſalium mineralium ſpiritibus notandum, ſi hos nihil aliud eſſe quàm ſalia concretorum à calore in fluorem redacta; id quod inde patet, ſi ſpiritum Nitri mutuo ſpir. vini connubio per MB deſtilles, finitâ deſtillatione cryſtallos Nitri acidos reperies jucundo ſpectaculo.

2. *Modus alius.*) Niſi cum argillâ vel carbonibus pulveriſatis Nitr. miſcueris: ob ſalis fluorem retorta tubulata diſſiliet, & ita fine tuo fruſtraberis.

Vires.) Omne venenum peſtilens arſenicalis naturæ eſſe experientiâ conſtat. Jam nihil magis arſenico contrariatur atque Nitrum, non tamen communi, ſed philo-

ſopho-

lophico præparatum modo, dum in terram convertitur albiſſimam, omne venenum inſtar magnetis in corpore humano attrahit & expellit. Hujus ſpiritus in febribus etiam malignis cum julepis ſummo cum emolumento præſcribitur. In Pleuriſi ac colica non minorem habet energiam, unde & ingreditur *D.D. Joh. Michaelis* ſpiritum anti-pleuriticum & ejuſdem anti-colicum.

N. *Dn. D. Johann. Michaelis* p. m. duas habet ſpiritus anti-colici compoſitiones. Una conſtat ex part. iii. ſpiritus carminativi & part i. ſp. nitri. Diſpellit flatus & ſedat dolores Doſ à ℈i. ad ʒß Altera fit ex ſale Tartari & nitro.

N. Spiritus Anti pleuritici præparatio fit ex tribus partibus ſpiritus anti-pleuritici vegetabilis & unâ parte ſp. nitri. Hic ſiſtit dolorem & inflammationem.

3. *Alius modus Kesleri.*) Verùm hoc modo ſpiritus nitri non erit purus. Ejuſdem cenſuræ etiam eſt ſequens 4. cum Sulphure. Neque enim ſic purum nanciſceris nitri ſpiritum: Et niſi argillam etiam vel carbones pulveriſatos nitro addideris, non ſuccedet ejus elaboratio.

5. *Spiritus nitri bezoardicus.*) Hic etiam non purus ſp. nitri eſt, ſed conſtat partim ex ſpiritu Vitrioli philoſophico, qui nil niſi ſpiritus ſalis ſubtiliſſimus eſt, partim etiam ex ſp. nitri, reliquis ſalibus in reſiduo manentibus.

6. *Aquæ cauſticæ ſeu aquæ fortes.*) Harum magna eſt varietas pro intentionis ratione uſurpantium, & ingredientium (Vitrioli, Nitri, * Sal comm. &c) diverſitate, Nonnullis placent inſtrumenta ferrea ad harum aquarum præparationem, ut proinde retortis fictilibus terreis carere poſſint, ſed agendo in ferrum debilitantur.

IV. EXTRACTIO.

Unde

Tinctura Nitri.

Tinctura Sal. nit. ad eundem fieri poteſt modum quo Sal. comm.

Vires. *Inſigne eſt corroborativum diaphoreticum.*

Hofman. *Extractio. Unde tinctura Nitri.*] Hæc etiam nihil aliud eſt, quàm Nitrum liquidum, quod in cella p.d ſolvitur. Diureticum eſt & lithontripticum.

¶ [Balſamus ſpiritus Nit. cum oleo comm Roſarum. vel Hypericonis, in phiala calore forti paratur, ad ulcera utilis]

DE ALUMINE.

Aluminis genera uſitatiora Officinæ, quinque nobis exhibent.

1. Rupeum (Gallis *Alun de Roche.*) 2. Plumeum ſeu plumoſum; videatur Amiantus. 3. Sciſſile, (quod glebarum inſtar eſt & plumoſum oblongum vocatur) 4. Zuccarinum ſive Saccharinum (ex O rupeo, albumine ovorum & aqua roſacea.) 5. Alumen catinum.

Verum ut in omnibus locis ubi Aluminis ſimpliciter mentio fit, ita & in his noſtris præparationibus, rupeum recipere fas eſt: quod nihil aliud ſcilicet eſt, quam ſalſugo terræ mineralis naturæ ſaturinæ, conſtans ex ſpiritu acido ac ſale terreſtri cauſtico

Triplicis autem id originis eſt; vel enim 1. per ſe in venis ſuis invenitur, vel 2 ex △is mineralibus excoquitur, vel 3. ex terra & lapidibus aliiſvè mineralibus extrahitur.

Dicitur autem Rupeum, quia ex Rupe ſeu ſaxis confici ſolet. Item Glaciale, quia glaciei conforme eſt, Græcè συπ̃ληεία. Arabicè Sceb. ſ. Seb. German. *Alaun.* Alum. *Alume, Roch-Alume. Aluyn, Roſz-Aluyn.*

N. 1. *Mentio apud Dioſcorid. fit quoque Aluminis rotundi & liquidi, verum cum noſtratibus minimè ea uſitata ſint, omiſimus: nec audiendi ſunt, qui liquidum Alumen faciunt materiam aluminis rupei. Vide Matthiol.*

[*Alumen Mexicanum coctum præter vim adſtringendi, ulcera ab excreſcente carne mundificat; ad coccinea pigmenta adhibetur.*]

N. *Alumen catinum, propriè aluminis genus non eſt. Sed Sal ex* 🜔*bus lignorum quorundam extractum, optiméque reverberatum, Germanicè Werd-Aſche.* des cendres de Saulz. *Salt out of Wod-Athes. Sout van houtaſſche. Huc referri poteſt & Alumen fæcum, quod paratur è fæcibus vini uſtis & albefactis.*

N. 3. *Modum alumen rupeum conficiendi, ſi quis ſcire cupit, conſulat Matthiol. Libav. in Alchym. &c.*

Vires. *Exſiccat, adſtringit, incraſſat, &c.*

Uſus O cruli præcipuus externus eſt, (*quamvis ab Empiricis & internè pro febrifugo, imo univerſali exhiberi ſoleat,*) *ac inprimis in angina & columella laxata, putredine gingivarum, tumoribus pedum œdematoſis, &c.*

N. *Sunt, qui in dyſenteria O exhibent.* Schroderus.

De Alumine.) *de Rupeo* ſcilicet intelligendum volumus quod ſalſugo terræ eſt, naturæ ſaturninæ, conſtans ex acido ſpiritu & ſale terreſtri. Dicitur autem *Rupeum*, quia ex rupibus ſeu ſaxis eruitur & conficitur. Alumen, quamvis corpus videatur valde homogeneum, tamen inter verorum ſalium cenſum referri non meretur, ſed habetur, ut vitriolum etiam nativum, pro quodam magiſterii genere, quod ſubſtantiam continet ſalinam & quoddam genus materiæ lapideæ; atque hoc ita ſe habere inde patet, cape ſolutionem aluminis, & affundendo ſufficientem quantitatem olei Tartari p.d. illico videbis mixturam in genus quoddam albi coaguli converſam; quod exſiccatum calcem quandam lapideam refert, mineralis proſapiæ, quod ignis violentiæ expoſitum nec liquatur nec ſublimatur.

N. *Alumen* in figuras octo hedrias efformatur, quas etiam retinet in reſolutione.

Triplicis autem id originis eſt, &c.) In Novâ Hiſpaniâ etiam *Aluminis* venis non deſtituta ſumunt terram aluminoſam, terunt & in fictilia profundunt, mox aquâ effuſâ liquant, quod ſtillat, utile eſt. Coquunt hoc, quantum expedire videtur, ſed priuſquam in debitam duritiem percoquatur, in fruſta parva dividitur, & diſcinditur, & exquiſitè coctum venundatur, in emporiis candens, lucidum, diaphanum & acris adſtringentiſque ſaporis veluti noſtrum. Ad quod Aluminis genus hoc Mexicanum debeat referri, ex hoc præparandi modo patet, liquidũ ſcilicet ac ſtillatitium. Temperant illo pigmenta ſua artifices & coccineis adjiciunt coloribus. Adſtringit, ſiccat, & abſtergit ulcera & excreſcentem exedit carnem. ac totidem uſibus, quot Noſtrum, accommodari poteſt. *Franciſc. Hernandez in Rer. Medic. Nova Hiſpan. Theſaur. lib. 10. c. 24. p. m 342.*

Item Glaciale, quia glaciei conforme eſt.] Præter dictas ſpecies ſunt & Naturales aliæ, cruſtoſi ſcilicet & cruſtoſi botryoidis; quod in acinorum extuberantium modum tumidum apparet. *Ferdinandus Imperat. in ſuâ naturali hiſtoriâ lib* 13. *cap.* 10. 20 & 21. *Rupeum*, vulgò *de Roccâ*, ex Lapidibus & terra aluminoſa non ſolum fit, ſed & ex ipſis aluminis naturalis ſpeciebus infuſione & coctione.

Vires.) Singulare febrifugum latitat in O, de quo vide O tinctum *Minſichti.* Item *Cl. Hartmanni febrifugum.* Ego ex O cum alkali quodam combinato egregium novi conficere ſal cryſtalliſatum + abſterſivum purgans tutiſſimè in febribus & aliis affectibus, ubi curatio aliàs per alia colliquativa purgantia non

+ Quod nihil aliud est, quam solutio aluminis cum S.q. lixivii Salis tartari præcipitata, et post filtrationẽ in crystallos salinas f. vid. Ettmull. t. 3. p. 316. a.

tia non facilè expedienda eſt, uſurpandum. Doſis eſt à ℈i. ad ʒii vel ultrà in brodio calido, habet vim ſaponariam, juxtà abſterſivam ac diureticam.

N. Ex alumine etiam pulvis paratur cum ſ.q. laccæ pictorum ad hæmorrhagiam narium convenientiſſimus. vid. Ephemerid. Medico phyſic. anno 1. obſerv. 24. p 90

Adſtringit.] Hinc in dyſenteriâ aliisque affectibus, ubi adſtrictione opus eſt commendatur, magis enim adſtringit, quàm ſperniola Crollii, quæ aliàs in hæmorrhagiis & gonorrhœâ ſummæ eſt efficaciæ.

Uſus O crudi præcipuus externus eſt.] Non deſunt, qui cum O balneum quoddam adſtringens præparant; quo virginibus, quibus veneris caſtellum fuit dilatatum & expugnatum, reſtitutionem in integrum promittunt; ſed hæc ſophiſticatio non deprædicatorem meretur. Aliàs in ſudore diaphoretico ſummâ cum circumſpectione externus aluminis uſus etiam non rejiciendus eſt, ſi induſium in aluminis ſolutione immerſum iterum exſiccetur & induatur, ſed non niſi in morbi declinatione commendo.

N. Prodeſt itidem in excreſcentia vulnerum carnoſa, & in fonticulis promovet fluxionem. vid. Aquas corroſivas ex O paratas in theſaur pharmaceut. annexo ſect. 2. num. XI. XII. XIII. &c. HOFMANNUS.

PRÆPARATIONES & PRÆPARATA.

1. Cryſtalliſatio ſeu Purificatio, 2. Calcinatio ſeu Uſtio. 3. Salificatio. 4 Deſtillatio. 5. Subtiliſatio.

I. PURIFICATIO ſeu CRYSTALLISATIO.

Aluminis purificatio fit more vulgari, ſcilicet ſolvendo, in ▽ pluv. calida, evaporandoque, donec cuticula in ſuperficie appareat; hinc reponitur ad cryſtalliſandum.

N. 1. *Hanc purificationem ſi bis terve repetiveris, miteſcit acerbitas O.*

N. 2 *Libavius ſolvit in* ⊡ *proceditque dicto modo, verùm hac qui hac ratione O purum nanciſci ſperat, fallitur, quippe Sal* ⊡*æ Omini ſeſe immiſcuit.*

II. CALCINATIO ſeu USTIO.

Uſtio aluminis quoque tonſoribus notiſſima eſt.

Nimirum.

O coquitur ad △m, ut phlegma & ⌒ exhalent, terraque mollis poroſa remaneat.

N. *Hac terra idem eſt cum* ⊛ *ex* ⌒*tione* ⌒ *reſiduo.*

Vires. *Uſitatiſſimum eſt Alumen uſtum in vulnerum excreſcentiis carnoſis conſumendis, in putredine arcenda, &c.*

III. SALIFICATIO.

℞. O uſtum, (vel ⊛ aluminis) coque in ▽, trajice per chartam; filtratura evaporet & habebis Sal fixum Ominis.

IV. DESTILLATIO.

Unde

1. Phlegma ac ſpiritus.

℞. O puri q.v. deſtillata per ◯m in ∴ ae elicies initio l. △ phlegma.

Igne poſtea fortiori, ⌒ prodibit albiſſimus.

[*Spiritus O Sulphureus volatilis & acidus, inhibet febrium intermittentium acceſſus per ſudorem & fermentationis inhibitionem.*]

(*Alumen* ⊖*lo præditum ſtyptico ſpiritum* ⊖*li coagulare putatur.*

2. ⌒ dulcis, O.

℞. ⌒O, rectifica aliquoties cum 🜄 & dulcis atque jucundus evadit.

Vires. *Uſus ejus internus diureticus eſt, pellit calculum, obſtructiones Lienis aperit, æſtus in febribus compeſcit.*

Externus ejus uſus admodum proficuus eſt, in vitiis oris, inflammationibus nimirum, (etiam oculorum) Aphthis, & ſim. curandis.

Doſis g. 4. vel 5. in vino vel alio liquore convenienti.

Phlegma adhibetur ad vulnera mundificanda, adſtringenda, inprimis ad gingivas, &c.

3. Magiſterium, ſeu ⌒ Ois Magiſteriatus.

O puri q. v. impone in vitrum, aſperge aquam & repone ut diſſolvatur.

Liquorem filtratura depuratum deſtilla in ⌒ ibus, ex cucurbita humili ad ſiccitatem: ſolve denuò, modo quo dictum, in liquorem, & deſtilla. Eouſque ſolutionem & ⌒ationem repete, donec tota O ſubſtantia per ⅩⅩ tranſcenderit.

Uſus. *Stypticum eſt nobile, vix cedit Eſſentia ferri, boli, ſperniolæ, &c.*

4. Saccharum O.

℞. O purificati q.v. deſtilla ut eliciatur phlegma, quod affunde iterum ⊛, & poſtquam ℥ 24. ſteterint, denuò abſtrahe, idque vicibus aliquot (5. vel 6.) tandem phlegmate reſervato ſolve ⊛ per d. Liquor digeratur ♂ [12.] coaguleturque in ∴ ad ſiccitatem: ſic præparatum Saccharum O.

Vires. *Celebratur in pectoris morbis, præſertim ex minerarum halitu contractis, qualibus Metallurgi frequenter affliguntur, Odontalgiam ſedat, gingivæ impoſitum.*

Doſis à gr. 5. ad 8.

(*Parant ex O Mannam, primum Ens O quod dicunt victorioſúmque Hecticæ remedium.*)

V. EXTRACTIO.

Unde

Extractum Aluminis,

alias,

Magiſterium.

℞. O crud. ℔. [VI.] coquatur in fictili amplo, ut evaporet phlegma, tandem calcina ut penitus candeſcat. Hinc injiciatur in ⚹ O illud candens; Sic extrahet ⚹ Eſſentiam ſeu Magiſterium reſidente terrâ albâ [quæ aquâ ferventi abluenda & ſervanda] ⚹ illud imprægnatum filtra, & abſtrahe in MB ad mellis conſiſtentiam. Tunc exponatur frigido ad cryſtalliſandum. Cryſtallos exime & ſicca.

N. *Cryſtalli tingi poſſunt rob. ſambuci pro libitu.*

Vires. *Sudorem movent, conveniuntque in ſcorbuto* [*ſingulis ſeptimanis ſemel ac iterum pro ſudore exhibiti.*] *in febribus tertianis* [*ante paroxyſmum aliquot vicibus iterato aſſumpti.*]

Doſis à g. 8. ad 20.

Ex communicatione Amici Hamburg. SCHRODERUS.

Extractio.) Hujus medio, prout Dominus Autor communicavit, O vitriolo ſuo ſtyptico non privatur, niſi ſequenti procedamus modo. Primò fiat depuratio; Recip. O rupei q.v. ſolve in aqua pluviali coq. in alembico, donec ſpumam exhibeat, ſpuma cum cochleari ligneo ſeparanda, rurſus coque. & inter coctionem adde Acet. diſt. tunc O deponit Vitriolum ſuum in ſuperficiem inſtar ſpumæ cœruleæ, quæ rejicienda, filtra ſolutum & deſpumatum O, infunde in vas ligneum, ut cryſtalliſetur. Rec. purificati hujus O ℔iß. deſtilla in Alemb. phlegma leni igne ad ſiccitatem, cavendo, ne ſpiritus adſcendant, ſed ut O ſaltem terra alba fiat, quam imprægna proprio phlegmate & cohoba. Inde ſumatur Cap. mort. Tartari, ex quo omne Sal. com. Tartari fuit extractum, hoc in crucibulo reverbera aperto

berà aperto igne per mediam horam,ut fiat terra poroſa abſque omni ſalino ſapore.Hanc terram Tartaream philoſophicam inde filtro chartaceo,rurſus ſuprà terram aliam pone chartam bibulam, in quam aluminoſam terram proprio phlegmate ſolutam filtra, ſic acida terra O attrahitur ab ignea terra filtri,& ſaltem dulcis terra tranſit filtrum cum proprio phlegmate,quam rurſus coagula per ♌tionem abſtrahendo phlegma, repete ſolutionem hujus cum proprio phlegmate & filtrationem per terram Tartari rurſus elotam & tertia vice reverberatam.Sic O deponit per præcipitationem à phlegmate omnem terram adſtringentem & cryſtalliſatur.Primum Ens Aluminis in frigore inſtar ſacchari, & ſummum celebratur anti-hecticum à P.Poterio in ſua P.S. Cap.7.p.m. 26. HOFMANNUS.

[*Alumen laccatum Epaticum, & ad Hæmorrhagias proficuum parant.*]

[*Balſamum Aluminis æquè ac Balſ. Nitri parare licebit,ſed non æquè coloratum.*]

De Sale Ammoniaco.

Sal✱ nativum à majoribus deſcriptum ſub arenis Libycis concreſcebat.Verum noſtratibus non niſi artificiale cognitum eſt. Quod nihil aliud eſt, quàm ſal amarum factitium compoſitum, volatile, coctum ex ∴,ſale fuliginis,Sal com.vel ♉,&ſimil. *Vide ſi placet modos conficiendi,apud Libav.in Alchym.& hinc apud Unzer.in tr.de Sale.*

[*Parant etiam ex urina ſanorum p. v.* ⊖*is communis p.j.fuliginis part.dimid.*♂*tis & ſublimatis.*

Dicitur & Sal armoniacum, Sal ſolare,Aquila cœleſtis,alba ☿ialis fuligo,Sal ☿ialis Philoſophorum, Lapis Adir.Audix.Anacab.Alacab Aliocab Allocaph. Alcob.Alfol. Alfatide Alinziadir. Aliſtiles. Alumonodig. Amizadir.Anoxadic.Azanec.Buttum. Hiſazium Lixandram.Miſatis.Neſtudar.Nuſiadal.Nyſæ.Obac.Raal Salmiax.Turſies.German.*Salmiar*.Sel ammoniac.*Salt Armoniak.Sout-Armoniack.*

[Dicitur etiam Sal mirabile, & clavis metallorum, quæ fluere facit.]

Eligatur candidum ac purum, vel niſi ſatis nitidum fuerit,purificari poteſt. Præſtantius habetur ✱ Venetianum ac Antverpianum,ex quibus tamen poſterius priori cedit.

Vires. *Internè vim habet diaphoreticam præcipuè in febribus, maximè in febri quartana, reſiſtit putredini, &c.*

Doſis ad ℈ß.

Externè adhibetur in Gangrana carne putrida abſumenda,in Angina curanda [*in Gargariſmis,*] *Quinimo Barbitonſores aquam ſuam cœruleam inde conficiunt in* ♀ *vaſe ad albuginem oculorum tollendam.*

Nimirum.

✱o in pelvi ænea ▽m affundunt additoque modico Calc. viv. ſimul optimè agitant. *Vide lib.2. cap.* 49. SCHRODERUS.

De Sale Ammoniaco.] *Ammoniaci* nomen non aliunde,niſi ab ἄμμος arenâ derivatur, ſub qua in laminas concretus in Cyrenaica regione invenitur. Unde ex errore dicitur Armoniacum, cum ſit dicendum Ammoniacum.Cyrenaici tractus hoc nobilitantur ſale ſub arenis invento, *teſte Plinio Lib.31.cap.7.* Cùm autem hoc ad Nos convehi deſiit, utimur ejus loco non niſi factitio. Nonnullis quoque ſal mirabile audit,aquila,clavis metallorum &c. Hoc componitur ex quintuplo crudæ urinæ humanæ ex ſanis deſumptæ, una parte ſalis communis, & dimidia parte fuliginis, hæc tria in maſſam prius coctione rediguntur, & tandem ✱ ſublimantur. *Veneriis* in copia conficitur. & *Antverpiæ*, ex quibus prius *Venetianum* poſteriori *Ant. Verpiano* anteponitur. Hic non deſunt,qui ſtatuunt ad illud Venetianum ſumi ex publico Urinæ tranſitorio tam ſanorum quàm ægrotorum,Leproſorum ſcilicet elephantiaſicorum gallicorum, febricitantium &c.Urinam. Verùm fallunt hi & falluntur; Nam ad hoc non niſi à ſanis collecta urina eligitur, & cum reliquis ingredientibus coctione in unam coagmentatur maſſam & poſtmodum ſublimatur,quomodo igitur Urina putrida, ut communis aëri diu expoſita ſolet, cum reliquis incoqui poſſet,quia ſtatim ſuo ſale volatili privetur,ſecius atque cum urina recenti fit. Præterea parum ſalis volatilis Urin.ægrotantium præbet, plurimum a.ſalis fixi deficiente fermentorum naturalium actione. N. Sal Ammoniacum in hexagona efformatur.

Vires] Ex hoc optima præparantur Medicamenta,ut infrà videbimus. Externè in gangræna eſt agyrtarum arcanum, item in angina ſucco fol.ſemperviv pro gargariſmate permiſtum maximè commendatur; Recip. fol. ſemperviv.rec lib iv. ſal ammoniac depurat. ℥iß. conquaſſata ponantur in cucurbita vitrea in cellam ſubterraneam,donec ſalia liqueſcant, deſtilla ex Alemb. ad ſiccitatem:fiat gargariſmus. Ad albuginem oculorum tollendam infunditur in mortarium aurichalceum & tingitur colore cœruleo quod Chirurgi *das blaue VVaſſer* vocant. HOFMANNUS.

PRÆPARATIONES.

1.Purificatio unde ✱ Cryſtalliſatum. 2. Calcinatio. 3.Sublimatio,unde Flores. 4.Deſtillatio. 5 Liquatio.

I. CRYSTALLISATIO.

✱ Cryſtalliſatum,nihil aliud eſt,quam ✱ modo vulgari purificatum, id eſt,in ▽ ſolutum, & poſt evaporationem aliquotam cryſtalliſatum,ideoque uſus ejus cum priori idem eſt.

II. SUBLIMATIO.

Flores ✱.

℞. ✱ tit.Limaturæ chalyb. ana q.v.mixta diligenter ex cucurbita in Arena ſublima; ſic relictis in fundo fæcibus aſcendit ✱ purum aliquotâ portiunculâ ♂is impregnatum.

℞. ✱ hujus,Sal.Com.fuſi ana M.ſublimaque denuò, ſublimationem de novo ſepties repete, ſemper ⊙ rejiciendo & parum Sal. Com. fuſi quantitatem ſingulis vicibus admiſcendo.

Nonnulli contenti ſunt poſterioribus ſaltem ſublimationibus (ſcil cum Sal.Comm citra ♂ peractis) ✱ depuraſſe.Verùm quia ♂ per vim aperitivam ✱ inſigniter acuit,operæ pretium erit, nec priorem illam ſublimationem intermittere.

Vires. *Flores hi ut operoſiores, ita & effectu præſtantiores cenſentur, quàm* ✱ *ſolâ cryſtalliſatione purificatum,ideoque felicius illorum loco adhiberi poſſunt in quartana.Tollunt quoque perfectè cruditates ventriculi, ſi in vino abſynthiaco vel decocto ſaſſafras per aliquos* ♂ *continuos propinentur ſudorque à ſumpto Medicamento procuretur.*

Doſis g.3.vel 4 imo ad ℈ß.*& ultra.Sennert. in Inſtit. Hartmann.in practica,loco de crudit.ventriculi.Tentzel. in Exeg.*

N.*Si cum limatura* ♂ *fiat* ♎*atio, tunc arroditur* ♂ *à ſale parumque admodum ſeſe ſublimat, ſi verò cum batiturâ ferri non tritâ,tunc fere ſal omne aſcendit colore ex flavo rubeſcente.* SCHRODERUS.

2. *Sublimatio Flores* ✱.) Si flores✱ſimplices abſque additione extranei concreti deſideramus, ſatis eſt ſublimatio✱ſolum cū Sale fuſo peracta Sin autem compoſitos magiſq;aperientes appetimus,cum limatura♂tis non

trita inſtituamus≏tionem.De his vid *Cl.Zwelferus in Manuſſ.Spagyr.part.1.cap.3.p.*338. Eodem modo etiam cum ✱ & lapide hæmatite *Aroph. Paracelſi* ſeu Aroma Philoſophorum conficit l c p.357. *Et Hadrian.à Minſicht* in ſuo armamentar. Tincturam Martis cum ✱ & Limatura ♂tis *Sect.*2. 43 *p.*43. Flores ✱ ſequenti modo ≏ati etiam non ſunt rejiciendi.

Recip. ✱ ℥vij. Sal com.Tartari ℥vj pulveriſata miſce, & ≏ma Primò adſcendit Sal com.volatile urinoſum, quod exime,tum porrò ≏ationem per totum ☌ continua & evehentur in alembicum flores elegantiſſimi; in boccia etiam dura & compacta accreſcit materia, quam floribus adde & ſerva pro uſu. Doſis eſt à gr.iv.viii.ad ℈ß.cum cremore Tartari ℈j addito grano uno Sulphuris ☿nii. Specificum eſt in quartana. Datur bis antè paroxyſmum,prima doſis tribus horis ante paroxyſmum: ſecunda ingruente paroxyſmo. Præmiſſis vomitoriis ſpecificis in quibus radix evellendæ quartanæ conſiſtit.

N Ex Cap.mort.ſal.anti-hypochondriacum aperitivum ac diureticum ſubflavi coloris conficitur. Doſis à gr.iij.ad ℈ß.vel ℈j.

Vires.] Flores ✱ ſunt bonum ſtomachicum & elegantiſſimum febrifugum;cruditates ventriculi tollunt, unde non deſint, qui hos flores ſtomachicum & febrifugum P.Poterii eſſe autumant. Verùm ego ſtatuo hoc ex Nitr. confici. HOFMANNUS.

III. Calcinatio & Fixatio.

Figitur cum Calc.viv.ſi anaticè cum eadem mixtum ▽e fortiſſimo ſubito adhibito,addito quoque folle fundatur,Poſtmodumque aquâ eluatur.

Uſus ejus præcipuus eſt,pro liquore inde conficiendo. SCHRODERUS.

Calcinatio & Fixatio,figitur cum calc.viv.&c) Scilicet ✱ miſcetur cum calc. viv. anaticâ proportione & ≏matur.illud, quod adſcendit, ≏mati nomine inſignitur Ex cap.mort. cum aqua loto oritur Sal. com. fixum ad ☉ ☽ ſolvendam aptum. HOFMANNUS.

IV. DESTILLATIO.

Unde

Spiritus ✱.

℞. ✱.p.I.-Erum p.IV.M.atque deſtilla ex Arena per ✕✕.ſic prodit Sp. ✱.quem rectifica è cucurbita altiori.

2. Aliter.

Solve ✱ in ▽ calida,eâque potato lateres ignitos, ut ▽m illam ✱co impræ gnatam penitus imbibant. Hinc deſtilla per ☊m igne arenæ,vel igne aperto.

3. Aliter.

℞. ✱ ſublimati q v.aſperge 🜄 rectificat.ut humectetur,hinc digere vaſe clauſo in MB ut reſolvatur.Solutiones decanta , è cucurbita oblonga in MB -ℛa ad dimidium; ▽-ℛtam rurſus affunde & -ℛa:tandem △auctiore omnes ſpiritus per ✕✕ propelle & rectifica.

Vires. *Eſt Diaphoreticus,inciſivus, diureticus.*

Doſis gr. 3.

*Joh. Rhenan.Chymiotechn.l.*I.

℞. ✱ q v.miſce cum argilla aut hæmatite, ac exinde fac globulos, -ℛaque per ☊m ut moris eſt.

Clar.Dn.D.Helvic.Dieterich.

Vires. *Hic ✱i Spiritus affuſus ſolutionibus Metallicis cum 🜄 factis:indeque per ✕✕ abſtractus ſecum alias corroſivas aquas tranſportat Itemque 4tanæ & obſtructionibus feliciſſimo cum ſucceſſu exhiberi poterit, ſolvit itidem calculum.*

Doſis à gr.3.ad 6.vel 10.

Extrinſecus anaticè cum 🜄 mixtus & plumaceolo loco dolenti podagrico aliquoties illitus , dolores ad miraculum reſtinguit , præcipuè ſi in eo tantillum Camphora fuerit ſolutum Sennert.Inſtit.Hartman.prax.loc. de Arthrit. Tentzel.in Exeg.

Spiritus ✱i urinoſus.

In ✱co duplex Spiritus reperibilis eſt,ſcilicet Spiritus Urinæ & Sal Com Ille facilè elicitur vel additis cineribus anaticâ proportione,aut Calc.viv.Sal.Nit fixo, ſale Tart.Modum vide pag.159.ſecundæ partis Glauberi. Quem verò deſcribit idem author pag 1:8. cum Lapide Calaminaris non ita feliciter ceſſit,fortè propter impuritatem Calaminæ, eſt enim una alterâ longè melior:Spiritus aureus ejuſdem naturæ cum Sal. Com. ſic prolicitur.

Spiritus acidus ✱ci.
S. Cloſſ.

Solve ✱ in aqu.comm.ita ut aliquid inſolutum reſtitet, hâc ſolutione imbibe folia plura chartæ Emporeticæ in globulos ſive pilas molles conformatæ , quas in cucurb conjice,& ex ∴ vel reverberio clauſo propelle ſpiritum coloris aurei ſummè acidum,qui per rectificationem albeſcet.

Vires. *Spiritus hic eſt penetrans , admodum & ſubtilis à commixtione ſalis volatilis* ☐ *unde ſummè Diaphoreticus eſt & Colicam ſedat.*

Doſis gutt.6.8.in vino.

N.2. *Cave ne vehementiori △ charta comburatur, alias denigrabitur -ℛus extillans , cum putore uſtionis ſit ergo △ gradualis.*

2. *Cave ne ☿-ℛtum addas,ut facit Querc in Tetrade titulo de Panacæa ☿ii . ſic enim prodit unà cum Spiritu ſalium fuligo quædam ☿alis, à qua (ſi detur hic ſpiritus intra corpus) gula conſtringitur cum ſignis inſtantis Convulſionis,poſt abſolutam autem deſtillationem ſi detur △ ≏ationis , tunc combuſtâ papyro nanciſceris ☿um dulcem.*

Spiritus alius fugaciſſ. ✱ci.

℞. Calc. viv. q.v. inde Cucurbitæ in MB impoſitæ. Hinc affunde ✱ cum in ▽ diſſolutum , idque paulatim & per vices , alembicum ſemper reaptando. Quando omne ſuperfuſum fuerit,Receptaculo & Juncturis probè munitis deſtilla lentiſſimo △.Sic prodit quidem Spiritus aliquali phlegmate dilutus,ſed qui unicâ rectificatione dein fugaciſſimus redditur.

Uſus ejus eſt in variis morbis Utimur tamen præcipuè in morbis capitis: Epilepſia, Apoplexia, gravitate auditus,&c. In morbis uteri:Retentione menſium,difficultate conceptionis,ſingulari quodam inſtrumento eum applicando, cui ſi vola manus calens admovetur,ſtatim operatur: Joel.Langel. inſtrumentum illud eſt vitrum ſtrictioris orificii,quod intruditur in vulvam.

[*Doſis à ℈℈.ad* ℈i]

[*Utuntur quidam ſpiritu ✱ aniſato,caryophyllato.*]

[*Item cryſtallis è ſpiritu ✱.*] SCHRODERUS.

Deſtillatio. Unde ſpiritus ✱] ✱ cum lapide hæmatite,minio, cineribus clavellatis,Sal. comm.Tartari,&c. miſceri poteſt,aqua impr gnatum:ℛlatione ſtatim mixturam inſequente; Primò ſpiritum ✱ ſalſum urinoſum volatilem, & ex cap mort.ſal fixum in omnibus obſtructionibus non ſatis deprædicandum in primis in quartana acquiris.

N. Si Cap.mort.ſpiritus ✱ urinoſi cum ſale alkali parato novum addas ſal alkali Tartari &c. & denuò deſtilles,novum acquires ſal volatile.

(Sal fixum ex ✱ & Sale Tartari) Recip.Salis Tartari ℥IV. ✱ ℥VIII.miſce & ſolve ita,ut ✱ prius in ▽ a ſolvatur , & ſuperinfundatur Sali Tartari & illicò ℛ latio fiat,

fiat,tunc aſcendit,ut aſſolet, ſpiritus volatilis ſalſus urinoſus,reſiduum autem in fundo uſque ad ſiccitatem deſtilletur,quod cum tripla aut quadrupla argillæ portione in globulo formatum △ne forti ♌la, tunc accipies ſp.ſalis & nitr.Utrumque rectifica, poſtmodum etiam invicem miſce.Primum ♌ latum ſpiritum ſalſum conjunge cum ſp.acido fixo vaſe clauſo & ſucceſſivè,& ſpiritus volatilis tantundem affunde, dum nihil amplius ebulliat,& ſic pondus Naturæ eſt impletum. Deinde leni △ne phlegma in MB abſtrahe. & nil niſi △a ♌labit, eò quod uterque ſpiritus ſalſus & acidus in forma ſalis citrini ad fundum ſe præcipitavit

N.Hæc ſalia cum priori ſale fixo Cap mort.ſunt conjungenda & p.d.ſolvenda;⊙.compagem referant.

2. *Aliter.*) Hæc ut & ſequens cum ſp vini minus neceſſaria eſt,imò fruſtranea, melioribus deſcriptionibus proſtantibus;niſi Ciner. clavellati vel Sal com. Tartari admiſceantur, non ſuccedent.

Aliter.] Parum accipies ſpiritus ſalſi volatilis urinoſi,ſed florum copia compenſabit.

N.Elegantiorem deſcriptionem ſp. ✳ ſalſi ac urinoſi non habebis, atque illa eſt *Cl. Zwelfer.*in appendice ad animadv.p 53.

Vires.) Totam maſſam ſanguineam incorruptam à putredine præſervat, fermenta acida præcipitat, ſuffocationi uterinæ, hypochondriacæ, apoplexiæ, epilepſiæ, ſpaſmo internè guttatim exhibitus, imò odoretenus etiam medetur: Et ipſius Peſtis ſummum eſt remedium cum Eſſentiâ ſpecierum theriacalium nuptus.Maximam prætereà vim obtinet aperitivam tum per ſe, tum cum ſp. ſalis vel arcano Tartari ſoluto maritatus in tartareis morbis.item cum ſcorbuto complicatis.In arthritide vagâ & fixâ non habet compar. In Quartanâ item ſingularis eſt ejus uſus,in menſium ſuppreſſione in uterum per Glauberianum inſtrumentum ſublimari poteſt,quod vocatur balneum ſiccum.Doſis eſt à gutt.x ad ℈j.vel ultra in convenienti vehiculo. Extrinſecus anaticè cum ſp.lil. convall.ſit ſp.arthritico mixtus ſp. ✳ ſalſus urinoſus addito parum camphoræ tutò extrahit dolores podagricos, non repellendo eoſdem, ſed materiam morbificam reſolvendo & diſcutiendo. Cum enim Podagræ primordia ſint ab aciditate hoſtili ad corporis ambitum delatâ & artus moleſtante, in quibus Podagræ character Archeum digeſtionum præſidem afficit hic ſpiritus autem cum ſit ſalſus volatilis & omne ſalſum extinguat acidum fit,ut podagrici inde notabilem levaminis ſentiant effectum. Cum plumaceolo loco dolenti podagrico aliquoties illinendus eſt.

In ✳ duplex ſpiritus reperibilis.] ✳ conſtat ex ſale duplici acido ſcilicet,quod ſal commune eſt & ſalſo & quidem urinoſo,ex urinâ & fuligine dependente,unde fit ut duplex etiam in ✳ reperiatur ſpiritus ♌ latione eliciendus ſalſus & acidus.

Spiritus acidus ✳ S.Cloſſ.)Hic non purus acidus ✳ eſt,cum multum ſalis volatilis urin.adhuc ſit admixtum. Mihi autem maximè ille probatur, licet ♂tialis ſit, qui ex Cap.mort.à quo flores ✳ martiales ſunt ⏜ati,deſtillatione elicitur.

Spiritus alius fugaciſſimus. ✳] Spiritum etiam acquiris ſummè volatilem;Ex ⊙ liquor nephriticus ſ.a.confici poteſt.Uſus autem & vires hujus jure ſpiritui ✳ urinoſo ſuprà edocto accommodari poſſunt. HOFMANNUS.

V. LIQUATIO.

Unde

Liquor ſeu oleum ✳, per deliquium.

℞. ✳ purif. q.v. impone albuminibus ovorum coctorum,ac repone ut ſolvatur per deliquium. *Keſler.1, cap.19.*

DE VITRIOLO.

Vitriolum eſt Sal minerale metallis proximum, ac præcipuè Cupro,&c Græcè Χάλκανθον,Arabicè Calcantum,Calcant,Alcalcadis.Latinè,Atramentum ſutorium, Vitriolum.German.*Vitriol Kupffervvaſſer.* Ju Vitriol. Eau Vitriolée.*Vitriol. Vitriool.*

Varia ſunt ejus genera,pro natura mineræ,quam in ſe continent,differentia.Præcipua autem quorum hoc tempore eſt exiſtimatio,ſunt 1. Cœruleum,Sapphyri inſtar, compactum ut Saccharum candum,tactu ſiccum,Hungaricum vocant,vel Cyprium, [Gallicum ex agro Lugdunenſi cœruleum Poterius commendat] 2. Subviride, herbacei coloris,magis granulatum, grumoſumque inſtar Sal Com. paulùm unctuoſum, manuique tangentis adhærens,quale Goslarienſe,Suecicum,&c.3. Album,in formam parvulorum panum effictum tactu ſiccum.

Ex his itaque generibus, (niſi peculiariter monitus ſis) ſecundum elige,& ex hoc,quod plus de ☿ quam de ♂ participat, nimirum quod cultro affricatum rubeo colore inficit, cavendo tamen Vitriolum minutum ſubcœruleum,pallidulum & aquoſum, manuſque tangentis madefaciens,quod paſſim venale proſtat.

Vires. *Vitrioli uſus tantopere fructuoſus exiſtit, ut Paracelſo* [*in naturalibus*] *ac Phædroni tertia pars Medicinæ habeatur, imò totam Officinam in eo latitare perhibet. Quercetanus in Tetrad.Galeno calfacit, ſiccat, adſtringit vehementer conſtipat, vomitum ciet, lumbricos fugat. Extrinſecus Errhinum exhibet naribus inditum.* SCHRODERUS.

De Vitriolo.) Vitriolum derivare volunt à vitro, vel quod colore vitri reſpondeat, vel quod vitri inſtar clari gratâ oculis pelluciditate ſuperbiat. Latinè Atramentum appellatur quod eo ſutores coria negredine inficiant,& liquor ſcriptorius niſi indè conficiatur. Græcè χάλκανθον quaſi æris ſeu ferri florem aut efferveſcentiam diceres.Germanicè *Vitriol,Kupffer VVaſſer.*

Eſt ſal minerale metallis promimum.]*Theoph Paracelſus Libr.de rer.Natural.ort.*Vitriolum Sal com. eſſe confirmat, ſed ſui generis, & ab aliis ſalibus diſtinctum. Id quod etiam repetit *Lib.2.de morbis mineral* tract 3. *cap.1.Joh Quercetanus,in tetrad.Capit.affect* Salis genus eſſe exponit.*C.Sennertus* Lib.5.cap.11 Phyſic.Vitriolum ſalis genus appellat mirabilis Naturæ. Idem ſtatuit *P. Poterius* in Pharmac.Spagyric.p.71. *Billichius* in obſervat.& paradox.Chemic.Lib.1.cap.13.p.m.78,Neque ſal, inquit,Vitriolum eſt,neque metallum, ſed mediæ inter utrumque Naturæ, utriuſque particeps. Nihilominus à potiori parte denominationem captantibus multò rectius pergit,dicetur ſal, quàm metallum. Contrà verò *Angelus Sala,Joh.Papius,Cl. Zwelferus* & alii negant, vitriolum ſal eſſe verum,ſed eſſe metallum ſolutum cum totâ ſuâ ſubſtantiâ,quodque denuò vi ignis in priſtinum metallum converti poſſit.Cui ſententiæ &ego ſubſcribo ut veriſſimæ;Cum enim vitriolum nil niſi Sulphureæ ſalſuginis acidæ æratæ aut ferratæ coagulum ſit, hoc eſt, cùm vitriolum nihil aliud ſit,quàm corpus minerale ſolutum ex ſpiritu Sulphuris acido, corpore ♂tiali aut ♀ nereo metallino, aqua elementari & terra quadam minerali compoſitum,non video quomodo inter ſalia propriè ſic dicta locum invenire queat, adeò ut omne Vitriolum nihil aliud, quàm proles ipſius Sulphuris videatur Cujus modus generationis talis eſt. In regione ſubterranea ex actione ignis ſubterranei in ſulphur oritur exhalatio,ſeu ſpiritus Sulphuris acidus, quem excipit aqua ſubterranea, & inde acidula redditur;hanc poſtmodum æris ac ferri mineræ efficaciter imbibunt & abſorbent,ac inde Vitriolum emergit. Id quòd Mechanica chemica & Vitrioli analyſis probat. Vitriolum artificiale paraturus ſume ſp. ſulphuris aqua dilutum,affunde ♂ vel ♀ raſuræ, & rem tibi dabit expeditam. Sulphur

ineſſe vitriolo non tam ratione,quàm ſenſu percipitur. A Sulphure igitur eſt initium, à quo etiam artificialis Vitrioli compoſitio ſuum habet fundamentum; Et de ejus præſentiâ certos nos reddit fidele ſenſus teſtimonium,ſive enim vitriolum uſſeris,ſive deſtillaveris,idem tibi odor ſulphureus feriet nares; qui à ſulphure oritur accenſo,& ſine dubio etiam Matthioli afflavit,dum ſcripſit,chalcanthi venam,dum foditur,fœtidum & graveolentem inſtar ſulphuris eructare halitum. *Comment.in Lib.V.Dioſcorid. cap.*114. Miſce ſp. vitrioli rectificatum cum æquali vel duplâ quantitate olei Terebinthinæ, & ex parvâ retorta vitreâ deſtilla, notabilem ſanè veri ſulphuris copiam circà retortæ collum acquires, ut inde etiam pateat, ſpiritum vitrioli, licet liquor ſit deſtillatus, & habeatur pro principio ſalino, eſſe tamen corpus compoſitum, ut præter ſalinam ejus partem ſulphur contineat vulgari ſulphuri ſimile,quod vix ipſum ſimplex & incompoſitum corpus fuerit. Præterea nec metalli expers eſt vitriolum,adeò, ut quamvis ex ſpiritu ſulphuris acido ſit corpus conflatum, denuò tamen in priſtinum metallum,Vulcani violentia transferri poteſt. Quomodo autem metallum à vitriolo ſit ſeparandum,vid. *Billichium* l.c.

Varia ſunt ejus genera pro Naturâ mineræ.] Vitriolum vel nativum ſeu ſtillatitium eſt, vel Factitium. Illud dicitur, quod in cavernis ſive fodinis terræ eſt concretum aut ex illis deſtillat, cujus ſpecies etiam eſt in metalliferis Rammeli montis Goslarienſis fodinis, quod divinas & non ſatis deprædicandas obtinet vires, dum adhuc gaudet ſale ſuo, centrali ac ſpiritu nativo, quod vel in venis, fibris & commiſſuris ſaxorum vel dum ex iiſdem guttatim deſtillat, ſtiriarum modo de eorum pendet cameris & deciduum ex ſtiriis in ſolum delapſum ita colligitur: reperitur etiam in fodinis Brunſvicenſibus, Anglicis, Hungaricis &c. Factitium eſt,quod ex Lapidibus illis chalcanthoſis ex terra illa æruginoſa aut cinerea maculis viridibus ac rubris interſtincta coquitur. Utrique huic una eſt Natura,ſola conſiſtentia & concreſcendi figura differunt.

Sunt 1.*Cæruleum.*) Ratione coloris,vel eſt cœruleum de venere participans,vel viride,de matris proſapia,ſubviride,herbacei coloris vel album &c. quod maximè ad Sal.com.naturam accedit.

2. *Cyprium*] Locorum ratione, *Cyprium* eſt, quod reperitur in Inſula Maris Ægei Cypro, olim ob inſignem fertilitatem Macaria dicta. Ad hanc Inſulam ipſe *Galenus* olim navigavit, ut ipſi de conficiendi modo & ratione hujus vitrioli conſtaret. *vid.Lib.9.de Medicament.facult.*Hoc ☉laris eſſe naturæ *Mazotta de triplic.philoſoph.* Lib.2.teſtatur Vel *Romanum*, non quod in Romano oriatur agro, ſed in Romæ ſaltem honorem ita dicitur, ut hic Roma ſumatur pro Italia, reperitur enim hoc in *Campania,Montæranâ,&c* Vel *Hiſpanicum,Hungaricum,Anglicum,Gallicum, Goslarienſe &c.* *Cyprium* admodum pretioſum eſt,nec minus *Romanum* dictum; *Hungaricum* carius venditur *Goslarienſi*, præſtantius tamen eſt, quia propè aurifodinas eruitur. *Anglicum* huic ſuccedit & *Hiſpanicum.Goslarienſe* plus de ♂tis,quam ♀neris natura participans propter exiguum pretium deſtillationi eſt convenientiſſimum.

Vires.] Licet vix centeſimo milleſimus artificum potiatur arcanis ex ☉, ☽na & ☿rio paratis, ſunt tamen præterea quatuor metalla, quæ facilius ductui & optatui artificum patent, adeò ut non fruſtra Th.Paracelſus glorietur,ſolo ſaturno fortè ducentas morborum claſſes ſuperari poſſe. Nihilque æquè victorioſè in humidum radicale agere, atque primum Ens cupri, vel ad Vitam longam ſulphure vitrioli eſſe benignius. Mars demum, quanquam pretio viliſſimus,& numeroſa prole ſpretus, non poſtremus tamen pugnaci natura à Paracelſo reputatur. Cujus genuinus filius eſt vitriolum martis, cui propter eximium ejus uſum tanta elogia à *Th. Paracelſo* ipſi adſignata competunt. *Helmont. in tr.Butler.*

N. In Peſte & febribus intermittentibus vitriolum cyprium à *Roderico à Fonſecâ in conſult. Medic Tom.1. commendatur,& P.Borellus Centur.4.obſ.77.* in febribus præſcribit. Vitrioli ſcilicet Cyprii fruſtum in ℔ iv. aquæ infundere docet per horæ quadrantem, & propinandas ſuadet hujus aquæ ſex uncias manè per 6. dies duabus horis ante cibum. HOFMANNUS.

PRÆPARAT.

Sunt

1. Purificatio. 2. Calcinatio. 3. Deſtillatio. 4. Sublimatio. 5. Præcipitatio. 6. Salificatio. 7. Extractio.

1. *PURIFICATIO.*

Purificatio ⊖-m à fæcibus, tum ſuperficiariis, tum exactius inhærentibus: Illud fit ſolâ ſolutione, filtratione ac cryſtalliſatione: Hoc interveniente inſuper digeſtione.

Hinc

1. *Vitriolum album vomitivum.*

Solve ⊖-m album in ▽, filtra & evapora, donec quaſi cruſta ſupernatans appareat, poſtea ponas in locum frigidum,& concreſcent cryſtalli, quos poſt habitis fæcibus, quæ ſubſident, exime: ▽m iterum evaporare ſines, reponeſque ut antea. Hic labor penitus tertiò reiteretur, coagulando ſcilicet & diſſolvendo, ultimo ter eodem modo procedatur cum ▽ roſarum. Cryſtalli tandem ſupra calorem lenem exiccati, redigantur in 🝗erem album.

Vires. *Eſt leve vomitivum operaturque feliciter in febribus,affectibus ventriculi,catarrhis,lumbricis, peſte, & epilepſia,&c.*

Doſis à ℈j. *ad* ʒj. *in Vino, Juſculo, vel alio liquore.*

N. 1. ▽ *centaurii,vim ejus emeticam maximè promovet Croll.Beguin.*

N. 2. *Quatuor ſunt ⊖-la vomitiva apud Chymicos ſeu Gillæ. Primum fit ex ⊖-lo cœruleo diſſoluto & præcipitato cum Ol.Tart.ſeparato Sulphur.filtratur ſolutio & cogitur in cryſtallos. Hæc Gilla eſt omnium vehementiſſima & acris valdè. Altera fit ex ⊖ albo modo jam dicto, quæ ad tantam malitiam non accedit. 3. eſt Vitriolum ♀ is aut ♂ paratum ad mentem Crollii, illi ineſt dulcedo ſtyptica, præſertim ſi bis aut ter in phlegmate O reſolvatur & rurſus coaguletur, huic minor violentia in eſt.4.Gilla eſt omnium innocentiſſima puerulis vomitu indigentibus dicata,quæ fit ex 🝎 Vitrioli poſt extillationem ſpirituum & olei, diciturque Sal Vitrioli vide infra. Omnia hæc Vitriola intra quadrantem horæ vomitus excitant.*

2. *Vitriolum Hemetico-purgans.*

♃. Vitriolum Roman [vel quodvis aliud ex tribus illis ſupra commemoratis.] q. v. pulveriſatum in loco calido,radiiſvè ſolaribus in 🝗erem album exicca. Poſtea ſolve in ▽ centaur. min. filtra & in loco frigido ad cryſtalliſandum repone: Cryſtallos exiccatos [ſervato tamen colore cœruleo] ſerva in vitro probè occluſo.

Vires. *Purgat per vomitum, & ſeceſſum, eximium exiſtens in febribus peſtilentibus Medicamentum.*

Doſis

Doſis à gr. 20. *ad* 31. *& plur. in liquore vel Aqua appropriata, ala de Vitriol.Gluckrath in Beguin.*

Purgatio defæcatoria.

Solve Vitriolum in ▽ vel rore majali (filtrato, vel quod melius, deſtil.) ſolutum cola, colatum colloca in digeſtionem, (per menſem) ſic ad ſuperficiem & fundum rejiciet fæces, quas, ſepara. Iterum ponatur in digeſtionem tamdiu, donec nullas fæces amplius ſ jiciat. *Inſervit multis præparationibus.*

Coagulum ⊕ *S. Cloſſ.*

℞. Salis Vitrioli in aq. ſolut. filtraque, Tart. calcinati itidem in aq. reſolut. part. æq. Conjunge ambas ſolutiones & coagula in hac.*

Vires. *Deſiccatum purgans præbet, non ita vomitivum*

Doſ. à ℥ß. *ad* ℈ ij. *&* ℨj. *in febribus Intermitt. & ad educendam Melancholiam.*

Sal. Vitrioli nitratum S. Cloſſ.

℞. Vitriol. & ſal. nit. perpurgati an. ℔j. M. colloca in ollâ △ſuſtinente, operculo ſuo munita, inter prunas ardentes per 7. aut 8. horas. Quod reſtat materiæ bulliat in aq. communi ad diſſolutionem uſque, filtretur, evaporet ad cuticulam, tum in frigido cryſtallos expecta vomitorios, quorum.

Doſis erit à ℈j. *ad* ℈ij. *&* ℨj. *in Cachexia, hydrope, calculo, ſuffocatione matricis, menſium retardatione.*

(*Purificatur etiam Vitriolum ita: Vitriolum ſolvitur* ▽ *calida, dum adhuc calet injicitur* ⊖ *comm. M j. ita præcipitatur impuritas, hinc filtr. evapor. ad tertias, & cryſtalliſatur.*) Schroderus.

1. *Purificatio.*) Hæc digerendo quàm optimè perficitur, Sic v. g. Recip. vitrioli cujuſvis q. v. ſolve in ▽ pluviali, poſtmodum cola per linteum, coque ad conſumptionem dimidij, hoc ſpatula lignea agita, & inde ad digeſtionem pone, reſidebit materia terreſtris lutea, ſupereminentem liquorem in cryſtallos redige.

Hinc 1. *Vitriolum album vomitivum.*) Hoc quoad exactam elaborationem & felicem operationem ſuam meretur laudem, dum vim ſuam exerit emeticam abſque ulla malignitatis ſuſpicione colliquativæ. Sequens tamen etiam non rejiciendum eſt. Recip. vitrioli alb. q. v. ſolve in aqua fontana & ebulliant, poſteà Recip. Nitri præparati q. v. ſolve etiam in aqua fontana, & guttatim vitriolo ſoluto aſperge, & omnis impuritas petet fundum, tunc clarum filtratum ad medietatem evapora, donec quaſi lacteſcat, quod infrà horæ ſpatium in cryſtallos abit.

2. *Vitriolum Emetico-purgans.*) Hoc ob violentiam valdè ſuſpectum eſt, ut jam non amplius ſit in uſu.

Coagulum Vitrioli S. Cloſſ.) Si loco Tartari calcinati ſal Tartari ſubſtituatur & in ſolutionem vitrioli infundas, ⁼tantur flores vitrioli, qui contrà lumbricos ſummo cum emolumento adhibentur.

Sal. vitrioli Nitratum S. Cloſſ.) Hujus deſcriptio & præparatio nullâ indiget animadverſione; Nec ullus ſibi imaginetur, hæc ſalia operatione imitari aq. fort. operationes ita elaborata, ſed in cachexiâ, hydrope, menſium ſuppreſſione, matricis ſuffocatione notabilis ſunt energiæ. Si alio modo conficias & ſumas nitri elect. part. iij. vitrioli el. part. j. & fundas in crucibulo, fuſum ſolvas, filtres & iterum coagules, nanciſceris Dn. D. Mœbii ſal anti-febrile album. Si autem accipias vitrioli Ungaric. part. iij. & nitri part. j. expulſo prius per retortam Gas ſylveſtri nocivo, reſiduum ſolvas, filtres & iterum coagules, habebis ſal ejus emetico-diaphoreticum, *Hofmann.*

II. CALCINATIO.

1. *Vitrioli Calcinatio aperta, unde Colchotar.*

℞. Vitriolum calcina, id eſt, coque & combure in vaſe terreo, donec, omni humiditate privatâ, rubeſcat.

N. *Vitriolum Calcinatione hâc ultra dimidiam partem pondere imminuitur.*

(N. *Immiſcetur Theriacæ, adſtringit, ſiſtit hæmorrhagias.*)

2. *Calcinatio Vitrioli clauſa.*

Vitriolum crebris ſolutionibus & coagulationibus optimè depuratum, lenique calore exiccatum, pone in Matracium firmum ſigillo Herm. munitum. Matracium hoc in Cineres calidis colloca, qui ſolis æſtivi calorem non ſuperent: ſtet ita donec per flavedinem in rubedinem inſtar ſanguinis convertatur. Labor eſt 20. ☍ circiter. *Beguin.*

N. *Vitriolum rarâ ſtratificatione ſternendum eſt, ne ſtratum illud craſſitie cultelli in dorſo denſius ſit, (nicht dicker als ein Meſſerruck dicke) plura ergò Matracia, niſi incaſſum laborare volueris, habere expedit. Inſervit variis præparationibus.* Schroderus.

2. *Calcinatio.*) Vitrioli calcinatio diverſos habet gradus, vel enim calcinatur illud in hypocauſto ad fornacem, vel ſaltem in ſole, vel in peculiari fornace diſpergitur, ut vitrioli phlegma ſimul colligatur, vel in ollâ mox ſuper igne per ſe liquatur, & coquendo à nimiâ humiditate liberatur & ad ſiccitatem reducitur, vel vitriolum crebris ſolutionibus & coagulationibus depuratum leni calore in matracio, prout *Dnus Autor* deſcribit, calcinatur, in his levioribus calcinationibus retinet vitriolum ſuos ſpiritus acidos. *Hofmannus.*

III. DESTILLATIO.

Unde

Deſtillata aquoſiora.

1. *Ros Vitrioli.*

℞. Vitriolum crudum, elice rorem calore MB ferventis cucurbita non adeo alta adhibita.

Vires. *Valet ad ardentes capitis dolores, mitigadn-ſ guinem aduſtum, corroborat viſcera. Sala.*

Doſis ℨij *continuatim, ad aliquot dies.*

(*Scorbuticis oris ulceribus proficuus.*)

2. *Aqua Vitrioli ſecunda.*

Poſt extillationem roris transfer cucurbitam cum reſtante Vitriolo ad arenam, & deſtilla, quoad ∻ari poteſt.

Vires. *Conducit ad purgandos renes, lenit corroſiones internas, Urinam & ſudorem provitat. Inflammationem plagarum corrodentium aliquantulum calefacta ſedat, lenit & mitigat dolorem, & ad conſolidationem confert; (infuſâ guttâ unâ ac alterâ Ol. Tart. ut mordacior fiat,) ſcabiem ſiccam mundificat, & carnem ſolidiorem efficit. Sala.*

3. *Phlegma Vitrioli acidum.*

℞. Vitriol. cærul. q. v. deſtilla ex Cineribus per XX cohobaque aliquoties, (7.) ſupra ☿ ultimâ vice fortius urgendo.

N. ▽*a illa ſuavem acquirit odorem, ſi poſt ultimam* ∻*ationem aliquamdiu calore moderato circuletur.*

Vires. *Eſt arcanum ad capitis dolorem & epilepſiam. Hartm. in Croll.* (*convenit aphthis.*)

[*Phlegma inſipidum opthalmiæ conveniens.*]

4. *Spiritus Vitrioli volatilis.*

℞. Vitrioli defæcat. & exiccati q. v. deſtilla gradatim per ⊂m △ nudo, ut ſimul poſt phlegma ſubſequantur Spir., quantum fieri poteſt omnes. Liquori egreſſo adde part. j. ▽æ pluvialis deſtillat. & in MB nova deſtillatio inſtituatur; tunc ſubtiliſſimus Spir,

Vitrioli cum Aqua elevatur, relicto acidiſſimo oleo in fundo.

N. 1. *Si volupe ſit Spiritum Vitrioli volatilem purum obtineri, aufer Excipulum dum inſtrumenta adhuc calent, ſtatimque in MB aquæ ferventis, probè adaptato alembico & recipiente parvo, cautè colloca. Videbis ſtatim volatilem Spir. in Excipulum tranſire, quem ſeorſim collectum, diligenter ſerva Ex. 6. vel 8. ℔. Vitrioli ℥iii. ad ſummum ℥ß. acquiri poteſt.*

N. 2. *Hæc eſt illa volatilitas Vitr. quam Theophraſtus partim, præcipuè autem par. 3. ad morb. ament. tr. 2. commendat ad Epilepſiæ curationem. Hartm. in Croll.*

Vires. *ille ▽æ pluviali immixtus ſumme penetrans eſt in febri Ungarica, aliiſque ardentibus febribus efficaciſſimè operari ſolet.*

(Si ⊕-lum ⊖ defæcatum, Spiritum de ⊖is natura participat.)

Alij ℞ationem hanc ex cucurbita loricata perficiunt, octies plus minus cohobando.

Alij ad nonum uſque Alembicum fortiſſimo △ pellunt: ſcilicet alembico altero exactè impoſito, ut in ſublimatione flor. ☿ii fieri ſolet, qua ratione penetrantiſſimus elicitur Spir. ⊕-i, ad fugandam epilepſiam præſtantiſſimus. *Hartm. in Croll. Sennert. Inſti. Tentzel.*

Alii addunt ⊕-o optimè purificato ▽m, ut fiat paſta; eliciuntque per ◯m 1. ▽ 2. ⊕-i phlegma. 3. ⊕-i Spiritum. Tandem ſeparant ▽m in MB à ⊕-i phlegmate; & ⊕-li Spiritum per Cineres dephlegmant: vel phlegma cum ſpiritu ab oleo fixiori per arenam proliciunt: poſtea in Cineres dephlegmant. *Senn. Inſt. tut. Tentzel, vide & ſeq.*

5. *Spiritus volatilis ⊕-i.*

Solutum ⊕-lum in aq. purâ coque in lebete ferreo 2. aut 3. horas, adjecta ℥j. aut alterâ limat. ♂tis ad libras ſingulas ſoluti ⊕-li. Remove ab △ & ochra limaturæ ſeſe implicabit poſt refrigerationem, id ter repete cum novâ limat. ſingulis vicibus ter ochream ſeparando. Cryſtallos vero ⊕-li reſtantes impone ◯ lutatæ, dando △ per gradus, uſque dum vapores albi recipiens oppleant, tunc ceſſa, phlegma à ſpiritu acidulo per rectificationem in MB ſepara & ſerva. Sed parum habetur hâc viâ. Quare Glauberum ſequor ſecundâ parte furnorum p.95. verùm cum vaſa illius ſive terrea ſive ferrea, ſint poroſa, neq; per ea tota ſpirituum & olei quantitas exhauriatur, ego poſt abſolutam impetuoſi phlegm. & ſpirituum alborum ℞ationem ſubſiſtere ſoleo poſt 12. horas & quod Colchotaris ſupereſt conjicio in ◯ vitream optimo luto inſtructam, admotoque eodem Recipiente phlegma & ſpiritus 1. exceptos continente, hoc opus ℞ationis redintegro, aperto △ cum carbone terræ ſubtus & ſupra adminiſtrato, idque per 8. ♂ & minus continuo, imò ſi ad XII. ♂ extendi poſſet, melius foret, præſertim ſi vitriolum optimæ notæ fuerit, quale eſt Ungaricum, tunc enim, (nec ferè prius,) ſpiritibus ſuis volatilibus, ac dulcedine ſua totaliter privatur. Tandem ſeparatio ſpir. Volatilis ab Oleo dulci inſtituatur, ut vult Glauberus in ſecunda parte p. 10.

Vires. *Spiritus volatilis ibidem videre eſt. Olei dulcis virtutes plures quoque ſunt: Jecur & lienem egregiè deobſtruit, valet in febribus ardentibus, doſi majore qua ad ℈j. extenditur (propter dulcedinem) in hauſtu cereviſ. figit quoque ☿m in pulv. album firmè fixum.*

N. 1. *Si ritè operatus fueris, tunc ex ℔ XII. ⊕ Hungar. ℔. v. olei nanciſceris.*

N. 2. *Sal Vitrioli ex hoc ⊖ beneficio phlegmatis elicitum pro vero ac genuino habendum eſt, reliqua ſalia, quæ poſt triduanam ℞ationem emunguntur, nil aliud ſunt quam Vitriolum reſolutum nondum ſatis ſpiritibus acidis orbum ac privum. Poteſt tamen inde haberi Sal ſyncerum, ſi ⊖ ad albedinem reverberetur, & poſtea more communi extrahatur.*

N. 3. *Habes aliam Spiritus volatilis methodum in Helmontio ſub titulo Ignis ☿is, unde Diaphor. Parac. paratur.*

6. *Spiritus Vitrioli, vulgari modo deſtillatus.*

℞. ⊕-i ad rubedinem calcinati, (vel ex ℞atione roris & ▽æ ſecundæ reſidui) ℔ VI. vel q. v. deſtilla △e nudo ex ◯ benè lutata, in Recipiens capaciſſimum, commiſſuris exactè clauſis, adhibitoque △ gradatim. Poſt tres ferè ☿as phlegma ſtillare incipit, quod tandem, paulatim aucto △ circiter ☿ 6. vel 7. Spir. albi nebuloſique ſubſequentur. His apparentibus continuandus erit Ignis, paulatimque augendus, donec nulli amplius Spir. egrediantur, quod cognoſces, ſi Receptaculum pellucidum appareat. Spiritum dephlegma in MB, donec guttæ acidæ exſtillare incipiant, poſtea rectifica eundem per ◯m vitream in Cinere, ſic exibit Spir. clarus, in ◯ verò manet ℰ rubicundum & acre.

N. *Si citra jacturam aliquam ſpirituum (in calcinatione forte evaneſcentium) ut & citra corroſivi olei admixtionem, (quo alias vix Spir. plane liberari poterit,) deſtillationem expetas, procedere monet Dn. D. Brendelius (in Chymia ſua, ubi & rationibus id inculcare conatur,) modo qui ſequitur.*

℞. ⊕-li opt. crud. q. v. (℔XII.) inde ◯æ, Excipulo capaciſſimo firmiter connexæ, (ita tamen ut foramen in commiſſura relictum ſit, ſpiritibus volatilibus ac impetuoſis exitum concedens,) deſtilla ut moris, lentè, donec impetuoſi illi Spir. fuerint egreſſi, (id quod cognoſces, ſi collum refrigeſcat;) dein obtura firmiter foramen illud, ac auge △m, pelleque horas 12. (non ultra, alias Spiritum inquinabis oleo corroſivo graviori) Hinc dephlegma ac rectifica, & habes Spiritum Vitrioli optimum.

N. *Spiritus in calcinatione evaneſcentes, vix ac ne vix operæ dicto modo adhibitæ æquivalent. Ideoque niſi Spiritum quoque volatilem expetas, vulgaris modus ſatisfacere poteſt. In quo nota tamen ne nimium initio calcines, nec nimium △m in deſtillatione urgeas. Etenim ut in omni fere ℞atione ita in hac paulatim craſſius, &c. propellitur.*

Alij addunt Sal. nit. aliquid, ſed ℞atum hoc potius ▽, quam Spir. Vitrioli nomen meretur.

Vires. *Spir. Vitrioli eſt diureticus, diaphoreticus, incidens, attenuans, putredini reſiſtens, &c. Hinc utilis in febribus ardentibus, obſtruct. Epatis. Lienis, & Meſenterij, appetitu proſtrato, &c. Quinimo cum liquore vel vino miſtus lenit Odontalgiam, (gingivis impoſitus) prodeſt & ejus illitus in tinea capitis, aliiſque generibus ſcabiei & pruritus, cum Aqua chelidon. mixtus.*

Doſis à g. 3. ad ℈ß. vel ad ℈j. in liquore, vel adhibetur in potibus quant. ſuff. ad aciditatem gratam.

7. *Spiritus Vitrioli dulcis, ſeu ℰ Vitrioli dulce.*

℞. Vitrioli benè calcin. ℔ iij, ſuperfunde ✱, ut benè ſupernatet; digere decantaque & affunde novum ✱, idque quinquies vel ſexies, ſemper, ♂ aliquot digerendo. Aceta illa impraegnata deſtilla, donec Spiritum Vitrioli tetigerit ℞andi ordo. Tunc inde in ◯m adjectis ſabuli puri manipulis duobus & liquor Vitrioli emanans dulcem referet ſaporem. *Tentzel. Keſler. 3. cent. 27.*

Vires. *Prodeſt in calculo, tartareis morbis, catarrhis, &c.*

Doſis ℈j. in liquore conveniente.

8. *Aliter.*

℞. Spirit. Vitrioli vulgar. (rectificati,) ℔ 1. ⊖ Vi-

Vitrioli (ex quo Sal. ſit extractum) ℥iv.
Deſtilla per 🝩m vitream in arena in receptac. ſatis capax; ſic prodit Spir. ſubdulcis, & quem ſi dulciorem cupias, circula cum ▽ ♂ 4. aut 5. dein abſtrahe ▽, ſic habes Spiritum Vitrioli dulcem.

N. *Dulceſcit etiam ſolâ circulatione cum ſuo phlegmate, vel ſi aliquoties à ſcoriis ♂ (ſemper novas ſcorias ſumendo,) ∂etur.*

9. *Spiritus Vitrioli Philoſophicus, vulgò Cohob.* ♁ II.

℞. ▽, quâ ☿ vitæ edulcoratus eſt, evaporet leniter MB, donec apparere incipiat liquor flavus & acidus. Liquor hic eſt Spir. Vitrioli philoſophicus, qui per 🝩m à terreſtri materia rectificari poteſt.

Vires. *Potioris eſt virtutis, quam qui vulgari modo conficitur. Medetur Febribus, Luem ♀ mitigat, Lienem & Meſeraicas ſolvit, ventriculum debilitatum, & à phlegmate craſſo infarctum confortat. In Melancholia, hypochondriaca, Epilepſia, omnibuſque affectibus capitis mirè prodeſt. Extrahuntur & ejus miniſterio Tinctura mineralium, corallia & perlæ diſſolvuntur, (Idem acuatus Spiritu Sal. com. ſolvit ⊙m)*

Doſis gr. 3. 4. ad 8. in hauſtulo vini vel liquore convenienti. Hartman. in Croll. Keſt. l. 1. cap. 26.

10. *Spiritus Vitrioli Tartariſatus, alias Liquor Dianæ.*

℞. Vitrioli Ungarici ad albed. calcin. p. ij. Tart. ad nigred. calcin. p. 1.
Pulveriſata invicem miſce & ▽ pauliſper conſperſa, deſtilla per cucurbitam (XX impoſito) forti △e, cohobaque: deinde rectifica liquorem egreſſum in arena, ſeorſim capiendo, & ▽m & liquorem reliquum.

Vires. *Egregias vires exhibet ad ſudandum in omnibus internis obſtructionibus, in ſanguine grumoſo, contra ſcabiem, ad mundificandam & lævigandam cutim.*

Doſis à ℈j. ad ʒj. cum brodio, aut cum pauxillo vini Hiſpanici. Daturque per 3. auroras continuas ſi libet. Tenzel.

11. *Spiritus vel ▽ aperiens Penoti.*

℞. ⊕-i Ung. ad rub calc. ℔ iv.
Silicum è fluviis collect. & optim. calcin. ℔. j.
Tart. ad albed. calcin. ℔. j.
Mixta inque tenuiſſimum 🝗erem tuſa liqueſcant in cella aliquantum in liquorem, quem deſtilla ex arena per XX, cohobaque ter, ∂tum liquorem ſingulis vicibus 🝩 in 🝗erem redacto, affundendo. Extremo per 🝩m △e aperto pelle, ſic initio lento △e primum phlegma exſtillat, poſtea vero ∿ acidus auctiori △e elicitur. Ex 🝩o calcinato Sal. Com. extrahe, & cum eo (ablato prius phlegmate per B) ∿m acidum digere. Tandem cum argilla in paſtillos redige, atque ex 🝩 △e nudo, gradibus tamen obſervatis, ∿m alcaliſatum provoca.

Vires. *Uſus ejus inſignis eſt in obſtruct. Epatis, Lienis, Meſenterii.*

Doſis à ℈j. ad ʒij. vel III. in vino vel alio liquore convenienti. Hartmann. in pract. loc. de obſtruct. loc. de obſtruct. Epat. Sennert. Inſtitut.

N. *Dicitur Antihydropicum Muffetti, ſummeque celebratur in Hydrope, cujus fomitem per alvum ac urinam, ſpiritus etiam nondum alcaliſatus educit. Datur cochlear unum jejunantibus ſingulis vel alternis horis aquæ appropriatæ injectum. Horning. in Ciſta med. Ep. 122.*

12. *Spiritus Vitrioli melliſatus.*

℞. ⊕-i Sole albificati ℔ II. mellis cum favo, ℔ I. Miſc. exactè ac deſtilla ut moris.

Vires. *Lenit dolores Podagricos: ſi adſit inflammatio miſceatur cum aceto, aliàs cum vino. Med. deſt.*

13. *Spiritus Vitrioli diaphoreticus.*

℞. ∿ ⊕-i vulg. ℥vi. Sal. Com. Tart. C. C. uſt. an. ℥ij. M. in mortario vitreo digerantur aliquantulum: dein deſtilla ex 🝩 in recep. capaciſſ. donec omnis humiditas extillarit. ∂to liquori adde ▽ an. reſervaque in vaſe benè obturato.

Vires. *Purificat ſanguinem, abigitque ſcabiem ac pruritum, aperit obſtructiones; ſudorem provocat in peſte, venenis, hydrope, ictteritia, & contracturis, &c.*

Doſis à ℈j. ad ʒ ß. continuari poteſt ejus uſus ad libitum ſine periculo. Sala in Anat. Vitrioli. Schroderus.

3. *Deſtillatio, unde Deſtillata aquoſiora, 1. Ros vitrioli.* Valet ad cephalalgiam, ophthalmiam, &c. In chirurgia putredini & inflammationi reſiſtit, item in ſcorbuto oris & ulceribus putridis. Facit etiam ad tincturas extrahendas eſt fl. violar. roſar. bellid. borragin. bugloſſ. papav. rh. ſed aliquoties rectificandum eſt.

3 *Phlegma vitrioli acidum.*) Vitriolum deſtilla ex cucurbita fictili per Aren. uſque ad ſiccitatem, deſtillatum liquorem cohoba multoties ſuprà Cap. mort. in fine fortius urgendo; intermediata digeſtione ac circulatione, ſæpiùs deſtilla à Cap. mort. tandem ſuavem violaceum acquirit odorem. Eodem modo & ▽ mineralis vitriolata Ambram redolens conficitur ſeq. modo: Recip. vitriol. Ungaric. ℔j. ✱ per Sal Com. ♎mat. ℥iv. omnia probè miſta, Alemb. indita colloca in MB. igne lento ♌la humiditatem, aqua hæc ultrà modum fragrantem reddit odorem, cohoba ſæpiùs à Cap. mort. ita ex propriâ vitrioli tincturâ odor inſtar roſæ elici poteſt. Sed neceſſe eſt, ut vitriolum ſit defæcatiſſimum.

Vires.) Hoc internè & externè in cephalalgiâ à causâ calidâ ſubortâ uſurpatur, item in ophthalmiâ, &c.

4. *Spiritus vitrioli volatilis.*) Quemadmodum Dnus Autor deſcribit, non multum ſanè ſpiritus vitrioli volatilis hoc modo nanciſceris, ideoque ſeq. modo procede; Recip. ſpir. vitriol. Ungaric. ℔iij. Cap. mort. illius vitrioli lib. i ß. dum ſpiritus vitrioli Cap. mort. ſuperfunditur, ebullire incipit, tunc celeri manu alembicum impone, adaptato recipiente, quod in hâc ebullitione elevatur & deſtillatur, ſpiritus volatilis eſt. Remanentiam inde retortæ vitreæ & deſtilla, tunc deſtillatum illud iterum affunde dimidiæ parti Cap. mort. vitrioli, quod tunc per alembicum prodit, affunde priori deſtillato. Remanentiam iterum per retortam ♌la, affunde recenti Cap. mort. vitrioli, & hoc toties affundendo & iterum abſtrahendo repete, donec nihil amplius per alembicum prodeat. Remanentiam ♌la per retortam. Hunc ſpiritum verum Th. Paracelſi ſtatuunt in Caduco eſſe. Qui, ſi apertus ſtet, evaporat, cùm admodum ſit volatilis.

Alii ſpiritum vitrioli ſeq. modo volatilem componunt.

Recip. vitriolum viride crudum, ſolutione ac coagulatione depuratum, deſtilla per alembicum ex Aren. ad ſiccitatem decies cohobando, digerunt poſteà aliquandiu ſub alembico cœco, deſtillationem, cohobationem, digeſtionem toties iterant, donec ſtriæ in alembico appareant, exinde ſpiritus prodit ſtriatus inſtar ſp. vini. Cujus tamen vires in profligandâ epilepſiâ elogio minimè reſpondent, longéque ei præſtantia.

Spiritus Alius vitrioli volatilis vitra, quibus incluſus eſt, deaurans. Cl. Tackii, ex D. D. I. M. comm.

Recip. Vitriol. Ungaric. cœrul. lib. iv. vel v. (poteris addere Romani unam alteramve libram, ita tamen ut

tanquam ſummum arcanum Nemini revelare voluit, ipſumque inſuper à cranio humano deſtillavit. Hunc ſpiritum etiam tota Gallia ac Dania adhuc inter arcana ſua reſervat. Vitriolum Ungaricum ſumitur depuratiſſimum calcinatum ad flavedinem, & ubi adhuc fervet infunde urinam puerorum ſanorum vinum bibentium digere per 8. horas in MB. leni calore, in duplo adde contuſarum ollarum non vitrearum fragmenta pulveriſata & non ex MB. ſed per retortam ſtatim igne aperto deſtilla. Deſtillatum iterum ſuper Cap. mort. ſemel cohoba, & demum per retortam vitream rectifica. Admodum tamen compendioſâ viâ hic ſpiritus confici poteſt, ſi ſp. vitrioli acidus volatilis ſalſi ac urinoſi juſtâ quantitate miſceatur ac deſtilletur. Phlegma hujus ſpiritus dolores podagricos mirè compeſcit. Et internè mirabiles hujus virtutes & effectus in caduci miaſmate expugnando, aliiſque capitis affectibus, ipsâq; maniâ propriâ meâ experientiâ non ſatis deprædicare poſſum.

15. *Spiritus antepilepticus Baſilij.*) Hic ſpiritus nihil aliud eſt, quàm ſp. Vir. ær. ſeu magiſteriorum menſtruũ *Cl. Zvvelferi*; Viridis autem non fit. Commendatur etiam in aſthmate humido ab obſtructione bronchiarum pulmonum ex pituitâ viſcidâ; ex Vir. ær. cum gummi ammoniaco *Dn. D. Johannes Michaelis* ſuum ſpiritum aſthmaticum etiam præparavit. In epilepſiâ hunc antepilepticum dictum Baſilii nondum expertus fui.

16. *Spiritus vitrioli antepilepticus Quercetani. Spiritus vitrioli viridis dictus in Tetrade.*) Verum hic ſpiritus præ vulgari nihil obtinet peculiaris, & iſta infuſio ſuprà denominata vegetabilia, ridicula & fruſtranea eſt, dum per deſtillationem vires amittunt & invertuntur.

17. *Spiritus Vitrioli antepilepticus Paracelſi.*) Hic ſuam meretur laudem vid. ſuprà ubi hunc accuratè deſcriptum invenies. Loco aquę theriacalis camphoratæ, ſubſtitui poteſt ſpiritus lil. conval. fl. tiliæ &c.

N. Ego elegantem ſpiritum antepilepticum habeo admirandæ virtutis in expugnando caduco, qui conficitur ex ſpiritu vitrioli & ſpiritu ſanguinis humani invicem deſtillatis, quo multos cum benedictione divinâ in integrum reſtitui.

18. *Spiritus Vitrioli antepilepticus compoſitus.*) Hujus animadverſionem vide *ſuprà Lib. 2.*

19. *Spiritus vitrioli coagulatus.*) Verùm hic ſpiritus vitrioli coagulatus cum ter ſigillatâ admodum ponticus & auſterus eſt; De cœtero variis alioquin conficitur modis, & cum diverſis ſalibus ſpiritus vitrioli coagulari poteſt, omnium tamen optimè cum ſale vitrioli, quod ex vitriolo ſummè calcinato in aëre relicto & aſtris impregnato extrahitur. Similiter etiam cum cryſtallis Nitr. ſuccedit, ut Autor etiam adducit. Adeoque totum coagulationis artificium in hoc conſiſtit, ut ſpiritui vitrioli corpus aliquod, quod ipſi non contrarietur, adjungatur, tale autem eſt ſal Vitrioli & Nitri tanquam ſalia acida cum ſpiritus Vitrioli à dimidio Nitri abſtractione. Nec eſt, quod quis *cum Domino Autore* nexum in 29. p. 492. vitrioli ac Nitri metuat, ejus enim noxa eſt, ut ſuprà etiam monitum fuit, non tam ex mutua corporum horum mixturâ, quàm ex illorum unitorum deſtillatione, quæ nocivum Gas excludit; Si autem ad alios affectus adhibere velis, ut v. g. febres intermittentes, obſtructiones tollendas &c. ſimiliter cum alkali quodam v. g. ſale abſynthii, &c. non eminenter ſaturatum coagulare poteris. *Hofmannus.*

DE OLEIS.

Olea hîc aqueos, non pingues liquores denotant, adeoque à ſpiritibus niſi craſſitie differunt.

Sunt.

1. 🝆 *dulce.*

℞. Vitriolum purificatum, ſolve in 🝆 Tart. p. di ac abſtrahe. Materiam relictam ſolve cum ∽ Sal. Com. atque redige in maſſam cum cremone Tart. (vel cum Saccharo cando, aliovè Sacchari genere,) Hinc pellatur per Retortam.

Vires. *Diaphoreticum eſt inſigne, polletque vi leniter adſtringendi.*

Doſis à gut. 1. ad 3.

N. 1. *Parum Olei ſuppeditat.*

N. 2. *Metallis ſeu crudis, ſeu in calcem redactis eadem ratione per ∽m Sal. com. ac cremorem Tart. Olea elici poſſunt. Ex commun. Experient. Dn. D. Dieteric.*

2. 🝆 *Vitrioli rubicundi.*

℞. Vitriol. ad flaved. calcin. p. 1. Silic. groſsè contuſor. p. ij. 🜄 q. ſ. ut f. pultis inſtar.

Deſtilla per Retortam, ſic rubicundum Oleum prodit, *Gluckrath.*

Uſus ejus potius eſt in Metallurgia, quam in Medicina. Poterit tamen & intrinſecus exhiberi. vide ſupra Spirit. Penoti.

3. *Aliud rubicundum.*

℞. Colchotar. par. iv. Vini alb. generoſ. p. ij.

Fac ebullire ad ſiccitatem uſque, poſtea tere & ex Retorta Ignis aperto deſtilla primo phlegma, poſtea applica receptac. capaciſſ. ac juncturis benè munitis propelle forti Ignis Oleum, inſtar ſanguinis, rubicundiſſimum, *Gluckr.*

4. *Aliter.*

Vitrioli Calc. deſtilla cum Lythargyr. & prodit 🝆 vitrioli rubicundum quod Podagricis prodeſt.

5. *Aliud ex Terra Vitrioli.*

℞. Fæces ſeu Terram ſubflavam Vitrioli ſiccatam, (*vide infra*) deſtilla per 🝭m 🜂 reverberii, 🝆 dabit rubicundum, penetrantiſſimum.

Vires. *Doſis gutt. 6. ad pleroſque affectus capitis perutile eſt.*

6. *Aliud* 🝆, *ex Sulphure Vitrioli.*

℞. Sulph. Vitrioli (dulc.) miſce cum dimidia parte Sal. Tart. Deſtilla per 🝭m, 🜂mque ultimo adde ſuppreſſionis & prodibit 🝆 rubrum.

N. 1. *Huic* 🝆*o ſi inſtillaris* ✳ *præcipitabitur* ♁ *ſpadicei coloris, quem edulcora* 🜄 *frigida, hinc ſicca & ſerva.*

N. 2. *Præſtantius erit, ſi flores ex Sulph. Vitrioli elevatos receperis.*

Vires. *Prodeſt, ſed efficacius, in iiſdem affectibus, in quibus Sulph. Vitrioli. Vide ſuo loco.*

Ex hoc Præcipitato fit Eſſentia ſeu Tinctura. *Schraderus.*

De Oleis ſunt 1. *Ol. dulce.*) Spiritus vitrioli & ejus oleum, ſpecie igitur non differunt, ſed ſubſtantiæ modo, dum ex ol. vitrioli præſtantiſſimus per ♌lationem ſpiritus vitrioli confici poteſt. Præſens ol. dulce ſuam potiſſimum Tartaro debet originem. Cap. mort. ſolutum ſuppeditat Tartarum vitriolatum. Hujus locum ſupplere poteſt extemporanea ac proportionata ſp. Tartari & vitrioli mixtura ſ. aut ipſa recentium vitrioli & Tartari crudi deſtillatio.

N. Ex Metallis ſeu crudis, ſeu in calcem redactis, etiam ex coralliis r. & a. oculis Cancri, &c. eâdem ratione per ſpiritum Sal. Com. ac cremorem Tartari olea elici poſſunt. Imò ſuccedit etiam cum ✳ abſque cre-

ſuccedit etiam cum ⚹ abſque cremore Tartari, ſed per retortam, vel in crucibulo △ne reverberii elaboratio abſolvi debet.

2. *Ol. vitrioli rubicundum.*) Si liquor rubicundus aucto △ne in fine prodire debet, recipiendæ ſunt part. ij. vitrioli calcinati & pars j. ſilicum contuſorum, aliàs non ſuccedet. Uſus hujus eſt potiſſimus in metallurgia.

3. *Aliud rubicundum.*) Hoc à communi impropriè ſic dicto oleo parum differt, quod per aliquot ſuper Cap. mort. cohobationes facilè iterum in ſp. vitrioli transfertur, quemadmodum hoc loco per lentas in vaſe altiori evaporationes in oleum rubrum.

4. *Aliter.*) Vitriol. Calcinat. cum lythargyrio deſtillatum compoſitum oleum ſuppeditat ex ♄no & ♂te vel ♀nere, quod podagricis prodeſt; ſuccedit etiam deſtillatio vitrioli Calcin. cum ſaccharo ♄ni facta.

5. *Aliud ex terrâ vitrioli.*) Præſtat ex hac terra elicere tincturam ſulphuris vitrioli. Terra vitrioli nihil aliud eſt, quàm Cap. mort. ex quo ſal vitrioli extractum eſt, unde ex hac nullum ol. deſtillari poteſt rubicundum, ſed tinctura exinde conficitur.

6. *Aliud ol. ex ſulphure vitrioli.*) Cum ſale tartari non ſuccedit, ſed cum ⚹ ſi Sulphur vitrioli miſceatur & ≏metur, flores acquires elegantiſſimos, qui aëri humido expoſiti p. d. ſolvuntur, ex quibus eſſentia ſeu tinctura præparatur. *Hofmannus.*

IV. SUBLIMATIO.

Unde

1. *Flores ex Terra Vitrioli, Subſtantia cuprea Vitrioli.*

℞. Terræ vitrioli nigræ (ex qua Sal. Com. extractum,) vel Terræ vitrioli ochreæ q. v. miſce cum ⚹ part. æq. ſublima initio △e lento, dein majori, donec nullum amplius fumum aſcendere videas. Sublimato affunde ▽m com. collocaque in MB tepido hora 24. unde ſubtilis ♄ in fundo ſubſidet, iteratis ablutionibus edulcorandus.

N. 1. *Hic ♄ igni fuſionis ſubjectus, comburitur partim, partim in bonum cuprum funditur. Vide Baſil. in repet, Lap. Ph. p. 153.*

N. 2. *Eodem modo & Terra ⊕-i ♂ tractatur, unde Sulph. combuſtibile ♂tis. Keſl. l. 1. c. 44. Eodem modo fit ex ♀. Ita ex Sulph. ⊕-i fit narcot. Mannagettæ.*

Virtus ſubſtantiæ hujus cupreæ eſt, mundare plagas putridas, incarnare & cicatrices inducere, Sala de vitriolo.

2. *Flores ex Sulphure Vitrioli.*

℞. Sulph. vitrioli (dulce) ſublima ſine additamento ex ſublimatorio humili, paulatim id injiciendo alembico ſcilicet ablato & rurſus repoſito.

3. *Flores ex Vitriolo crudo.*

Fiunt eodem modo, cum ⚹. *Schroderus.*

4. *Sublimatio unde Flores ex terrâ vitrioli, ſubſtantia cupreâ vitrioli.*) Suprà animadvertimus ex terra vitrioli per ſe nec ol. nec Sulphur elici poſſe, dum terra iſta vitrioli nihil aliud, quàm Cap. mort. ex quo Sal com. fuit extractum, acidis autem nupta liquoribus, egregias tincturas, aliaque ſuppeditat medicamenta. Qui verò Cap. mort. vitrioli denuò cum Sulphure calcinare non faſtidit, novum acquiret vitriolum. Cum ⚹ ſi Cap. mort. miſceatur & ≏metur flores inde etiam acquiruntur, qui ▽a communi ≏tantur, & per fuſionem in metallum, ex quo conſtant, iterum reduci poſſunt. Flores ex vitriolo crudo cum ⚹ eodem modo conficiuntur. *Hofmannus.*

V. PRÆCIPITATIO.

Unde

1. *Terra Vitrioli ochrea.*

℞. Vitrioli pur. q. v. ſolve in Aqua font. ſtetque aliquandiu, ſic vel ſponte ſua ſubſidebit Terra Vitrioli inſtar ochræ.

[Terra Vitrioli dulcis in excoriatis utilis.]

2. *Sulph. Vitrioli dulce.*

℞. Vitrioli puri q. v. ſolve in Aqua calida, ſolutioni affunde guttatim ☍ Tart. (alii lixivium ex Cineribus Clavell.) & præcipitabitur Sulph. vitrioli, quod edulcoratum exicca.

Vires. *Confert affectibus pulmonum, mundificat plagas putridas, cicatriceſque inducit. Hartm. in Croll. Sala in Vitriol. Tentzel. Keſler. 4. c. 69. 3. c. 10.*

[*Loco Vitrioli ſumi poteſt Vitriolum ♂, quod ſolutum & præcipitatum Sal viride dabit ad vermes ſingulare.*]

3. *Sulph. Vitrioli purgans.*

℞. Vitriol. opt. q. v. affunde phlegma vitrioli, vel Aqua deſtillat. ad eminent. digit. 4. ſtent in digeſtione & ſubſidebit Terra, filtra in filtraturam inſtilla ☍ Tart. p. d. & præcipitabitur Sulph. vitrioli; decanta Liquorem & edulcora Sulph. ▽ tepida, atq; exicca. *Keſl.*

Doſis à g. 5. ad 10.

Eodem modo fit & Sulph. vitrioli ♂ purgans; illud ſic ſolvendo in phlegmate vitrioli, defæcando & præcipitando cum Ol. Tart. *Keſl. 1. c. 38.*

4. *Sulph. Vitrioli fixum ſeu ♂iale.*

℞. Limatur. ♂ puriſſ ſine omni ♄ere, p. 1. Vitrioli Ungaric. Cærul. aut vitrioli ♀is, p. ii.

Trita, miſce & imbibe indendo in vitrum cum ⚹, ut ſupernatet digit. 2. Coque & coagula ad ſiccitatem Ignis ∴æ: in fine ad candeſcentiam uſq; urgeatur. Huic ♄eri affunde aliud ⚹ ad eminent. 4. digit. ac extrahe colorem ſ. a. In hoc tincto ⚹ delitelcit Sulph. vitrioli combuſtibile, (quod evaporatione & dulcoratione experiri poteris.) Inſtilla ☍ Tart. p. d. ſic Sulph. vitrioli ilico præcipitabitur & figetur. Edulcora Aqua com. *Hartman. in Croll. Tentzel.*

Ex hoc Sulphur. vitrioli fiunt Anodyna, Laudani nomine inſignita.

Præcipitabitur & ♄ ſpadicei coloris, ſi ☍ ex Sulph. vitrioli dulci deſtillato ⚹ inſtillaris. *Vide* ☍ *ex Sulph. vitrioli.* Schroderus.

5. *Præcipitatio unde 1. Terra vitrioli ochrea.* Hæc paratur, quando flava materia à Vitriolo ſoluto & in digeſtionem poſito calida ab aqua ≏tatur, & fundum petit.

2. *Sulphur vitrioli dulce.*) Melius erit ſi loco vitrioli comm. ſumatur vitrioli ♂tis pulvis, ſolvatur in Aqua f. & ſolutioni ol. Tartari guttatim affundatur, tunc ≏tabitur ſal viride ad pellendos & enecandos vermes ſingulare. Ejuſdem compoſitionis & effectus etiam eſt ſequens. 3. Sulphur. vitrioli purgans *Keſleri.* Et ſpecificum purgans ſeq. Recip. Cap. mort. vitrioli extrahe cum aqua calida, filtra, & affunde ſolutioni ol. tartari donec ≏tetur, adde etiam aliquantulum ſp. vitrioli ad aliqualem aciditatem. Poſteà iterum filtretur & abſtrahe ad part. dimid. tunc Sal. com. in fundo cryſtallinum apparebit. Doſis à gr. vi. ad xvi.

4. *Sulphur vitrioli fixum ſeu martiale.*) Præſens *Dni Autoris* deſcriptio ex aſſe convenit cum *Cl. Zwelferi deſcriptione* Sulphuris vitrioli anodyni, quam tradidit *in mantiſſ. ſpagyric.* part. 2. Cap. 9. p. 394. Verùm nec hoc Sulphur genuinum vitrioli anodynum eſt, cùm pulvis iſte ♂tialis ol. tartari ≏tatus nihil aliud

ſit,

fit, Ejuſdemque ferè etiam ſortis illud eſt, quod *Zvvelferus* l. c. part. 1. c. 3. p. 339. deſcribit. Unde & *Angelus Sala ſect.* 1. *ſynopſ. aphor. chymiatri.* 45. calculum ſuum addit, ſcribens: Pulvis iſte, quem chemici quidam mediante præcipitatione vel attractione per laminas ferri facta ſeparant, non eſt Sulphur, ſed pars mineralis & fixa vitrioli, cui nomen ſulphuris vitrioli anodyni nequaquam debetur. Unde non immeritò quæritur; An verum detur vitrioli anodynum, laudani nomine inſignitum? Dari illud multi quidem aſſerunt, ſed pauci demonſtrant, pauciſſimi hodie etiam credunt. Nos aſſerimus cum *Cl. Helmontio,* omninò dari ſulphur vitrioli virtutis anodynæ, longè tamen aliùs operationis, quàm opiatorum vulgarium, hujuſque elaborandi modum paucis cognitum, ac à chemicorum vulgo hactenus intentatum eſſe, cujus etiam *Th. Paracelſus* meminit, qui quamvis ex profeſſo non tractet ejus præparationem, tacitè tamen eam quaſi inſinuare videtur, dum illud embryonatum vocat, quo verbo inculcat, non in vitrioli corpore perfecto & excocto illud quærendum eſſe, ſed in ejus embryone. Unde colligimus, gravem eos committere errorem, qui vitriolum aqua ſolutum Sale tartari præcipitant, ſperantes hoc pacto ſe ejuſdem Sulphure anodyno potituros. Ne tamen lectorem benevolum ſine munuſculo dimittamus, ſcias Te verum ac genuinum Archei ſedativum etiam acquiſiturum, ſi *Sulphur illud vitrioli materiale, quod Cl. Zvvelferus* l. c. part. 1. C. 3. p. 339. *deſcribit,* depuratiſſimum ſumas & porro ad ſummam maturitatem beneficio Alcoolis vini excoquas, hocque ſufficere pro archeo ſedando. *Hofmannus.*

VI. SALIFICATIO.

Unde

Sal Vitrioli.

Vitriolum Ungar. cærul. in ✝bulo calcina, donec in Ӡrem obſcurè purpureum abeat. Huic ita calcinato, affunde Aquam com. ſenſim agitando, ne in fundo conglobetur, donec Aqua [quæ calida evadit, ac ſi calci vivæ ſuperfuſa fuiſſet,] refrigeſcat. Stent ita 24. horis poſtea filtra per chartam, fiatq; exhalatio ſuper Ignem lentum, donec ſal in fundo reperiatur ſiccum & coloris quodammodo incarnati. Hoc pulveriſando in albedinem vertitur.

Idem Sal poteſt extrahi ex ⊛o vitrioli in Ωat. ∾ reſiduo.

N. 1. *Si ⊕-m calcinatum non fuerit nigro-purpureum, ſed tantum inſtar Boli Armeni, nihil extrahes præter ⊕-m ejuſdem coloris ut fuit antea. (nec habebis Sal album: Nimiâ è contrà calcinatione omnibus acidis ſpoliatum ſpiritibus non multum ſalis, quod vomitum concitet, dabit.)*

N. 2. *Terra reſidua (corpus exanime vulgò) maxima eſt virtutis in Darrhæa & Dyſenteria.*

Vires. *Sala vomitorium hoc ad Cœlum uſque evehit, in Epilepſia aliiſque cerebri Symptomatibus ex corruptis & acribus è ventriculo ſurſum actis vaporibus ortis. Item in Pleureſi, Febribus peſtilentialibus, Lypothimia à repletione humorum corruptorum, & efferveſcentia bilis circa orificium ventriculi; in Epate, Liene, & Renibus obſtructis.*

Idem Sal naribus inſpiratum ſternutationem egregiè ciet, citra vim cerebrum ſeroſis ſuis excrementis expediens.

Doſis à ℈ß. ad ʒß. vel ℈ij.

Sala in Tern-Exetolog. Querc. in Tetrad & in Pharm. reſt. cap. de vomit. vis Senn. Inſt. Beguin.

N. *Sal Vitrioli ex ſolo ⊛o ex quo flores Sulph. elevati ſunt à ℈ß. ad ℈ij. exhibitus [in ▽ fœnic. vel vino,] conciliat facillime vomitum interdum & ſedes, & ſudores. Hartman. in Croll.* Schroderus.

6. Salificatio. Unde ſal vitrioli.) Hoc nihil aliud eſt, quàm ipſa vitrioli ſubſtantia, ſaltem ab impuritatibus & metallina ſubſtantia depurata. Loco vitrioli Ungar. ſubſtitui poteſt vitriolum ♂tis, à cujus Cap. mort. ſi ſp. vitrioli ♂tis prius deſtillatus fuerit, ſal elici debet. Hoc Sal Com. obſcurè fit purpureum, ſeu incarnatum, ſi aliquoties ſolvatur & rurſus calcinetur.

N. Terra reſidua maximæ eſt virtutis in diarrhœâ & dyſenteria; in primis, quæ ex Cap. mort. vitrioli ♂tis deſumpta eſt, purior enim hæc eſt, nec alterius exotici admixti particeps. In omnibus etiam hæmorrhagiis, hæmoptoë &c. tam internè quàm externè valdè utilis. Terra reſidua ex Cap. mort. vitrioli in emplaſtris vulnerariis, v. g. Empl. Opoteldoch. D. D. Mindereri. Magnetico Angeli Salæ &c. non tantum exſiccat, ſed etiam egregiè conſolidat.

Vires, in Epilepſiâ &c.) In primis per conſenſum ex ventriculo ſuborta, item in apoplexia, præmiſſo ſpiritus apoplectici uſu, in aqua apoplectica in ipſo paroxyſmo propinatum. In Pleureſi dico ſumma cum circumſpectione ſtatim in principio eſſe offerendum. Item in febribus malignis etiam ab initio, ſi febricitantes in ore amaritudinem perſentiunt, præſertim in morbo Ungarico &c. *Hofmannus.*

VII. EXTRACTIO.

Unde

Tinctura *ſeu* Eſſentiæ Simplices & Extracta.

1. *Extractum Vitrioli Narcoticum, anodynum.*

℞. Vitrioli pulveriſat. ac lento calore ad albedinem uſque exiccat. ℔ß. affunde ∀ optimi rectificati ℥xxx.

[N. *Nulla humiditas præter ∀ accedat vaſque ſit ſicciſſimum, alioque incaſſum laborabis.*] Sepelito in fimum equinum per menſem. Decanta poſtea à fæcibus abſque perturbatione, & deſtilla in MB ad reſidentiam uſque liquoris flavi ☍o Ωato non abſimilis. Tunc ceſſa, & quod prolectum eſt ſerva. Liquorem reſtitantem benè occluſum quoque in uſum repone, qui pretioſum Extractum eſt.

Vires. *Extracti illius uſus eſt narcoticus & anodynus, nec potentiâ opio cedit, ſine periculo tamen reprimit & coagulat Vapores ſubtiles venenoſos, Epilepſiam cauſantes, idque ſpecificè.*

Doſis à gut. 6. ad 8. & 12. cum liquore conven. Sala in ⊕.

2. *Eſſentia Sulph. Vitrioli.*

℞. Ӡrem ſpadicei coloris (*vide ☍o ex Sulph. Vitrioli*) digere cum ∀ in loco calido. (vaſe clauſo) ☍ 8. ſic dulciſſima Eſſentia Sulph. vitrioli tandem ſupernatabit in forma ☍ei, quam à ∀ ſepara per tritorium & ſerva.

Vires. *Hæc dulciſſima Sulph. Vitrioli Eſſentia æquipollet viribus ſuis Tincturæ ♁ij, & mirabiles effectus facit in ▽ Meliſſæ, noxios humores totius corporis expellit per inſenſilem tranſpirationem, venerem ſtimulat, uterum roborat, ejuſque motus inordinatos ſiſtit, & in utroque ſexu prolificam vim ſeminis ad liberorum generationem operatur. In ▽ Petroſelini idem benè præſtat, ſed inſuper Hydropem curat.*

[*Ad hæmopt. diarrhæas, dyſenteriam, uteri hæmorrhagiam, fluxum album æquè commendatur.*]

Uſus autem iſtius Eſſentiæ aliquandiu continuandus eſt.

Doſis g. 1. uſque ad 4. Hartm. in pract. loco de Lepra. Tentzel. de Sulph. Vitrioli Keſt. 4. c. 69.

3. *Alia Tinctura, Manna Vitrioli dicta.*

℞. Vitrioli purificati q. v. extrahe Tincturam; dige-

digérendo cum ∽u Vitrioli ſubtiliſſimo Eſſent ficato, id eſt, proprio Sale alcoliſato, filtra, coagula & habebis Mannam ſeu Tincturam vitrioli flavam.

N. *Hanc Tincturam, ſi cum ſpir. vini circulaveris, Oleum ſupernatabit quod per Alembicum Deſtilatum, ac iterum cum Spirit. Vini circulatum fragrantiſſimum evadit.*

Vires. *Nec minores vires habet, nec minorem laudem meretur, quam Eſſentia Sulphuris præcedens.*

4. *Tinctura.*

℞. Vitrioli viridiuſc. quant. ſatis magnam, educ phlegma ac ∽m per Cineres cum educto Liquore, ex Capite mortuo extrahe ſ. a. (etiam in loco frigido, ſæpè tamen commovendo,) Tincturam viridiuſculam, quam cautè decantatam deſtilla ad mellis conſiſtentiam atque aëri frig. ut in Cryſtallos concreſcat, expone.

N. *Si menſtruum ad extractionem requiſitum deficiat, ♌atione id abſtrahe ad extractionem continuandam.*

℞. Cryſtall. proximè præcedentium ℔ iij vel iv. &c. circula cum Spir. Vin. opt. rectific. vaſe H. C. Deinde deſtilla per Alemb cum ex Arena, Hinc cohoba. Inſuper affundendo ∽m Vitrioli deſtillaque per Retortam gradatim Dies 4, ut exſtillet poſt ∽ & Oleum rubicundum Spir. Vini abſtrahe in B. In. Mariæ; ∽n Vitrioli, in Cinere, & reſtat Oleum ſeu Tinctura rubicundiſſima.

Vires. *Admirandarum eſt virium adverſus omnes ægritudines in craſſiore materia ſedem habentes. Quercetan. in Tetrad.*

5. *Tinctura Magiſteriata ſeu Magiſterium Vitrioli.*

℞. Tincturam præcedentem, conjunge cum proprio ſuo ∽u Vitrioli, (qui inde abſtractus,) digere aliquandiu, ſic dulceſcet. *Quercet.*

Vires. *Remedium eſt nunquam ſatis laudandum, idque præcipuè, ſi Aurum philoſophicè ſolutum adjectum fuerit: prodeſt enim adverſus Epilepſias, aſtraleſque omnes affectus, Apoplexiam, Paralyſin, Vertiginem, Maniam, Ecſtaſin, Syncopen, Cachexiam, Hydropem, Calculum.*

Doſis gutt. una ac altera. Quercet. in Tetrad.

6. *Eadem Tinctura, Aliter.*

℞. Sal. com. Vitrioli (ex Capite Mortuo illo reverberato extractum ac) opt. depuratum, q. v. affunde ∽m Vitrioli (in præparatione Tincturæ reſervatum;) ad eminent. 2. digit. digere ac deſtilla, hinc novum ∽m affunde, digere, deſtilla, idque repete donec pars volatilis ſuperet fixam, ſecum evehat atque Sal. com. fixum volatiliſet. Hoc Sal. com. Vitrioli ſublim. imbibe ac incorpora cum Oleo ſeu Tinctura illa, digereque in Athanore per gradus ut uniantur, & per colores ad purpureum tandem deveniant. Eſt opus aliquot menſium.

Vires. *Eſt Elyxir ſeu Medicina univerſalis, ſummè penetrans ac fixa, ad curationem deploratiſſimorum morborum ſufficiens.*

Doſis g. 1. ac altera. Quercetan. in Tetrad.

Mediante hoc Vitrioli lapide reducitur Aurum in ſuam primam ſubſtantiam, unde tandem exurgit Medicina univerſaliſſima. Vide ibidem in Tetrad.

7. *Magiſterium Vitrioli.*

℞. Vitriol opt. q. v. ♌etur more uſitato, ∽ cum oo per ☊m ſimul rectificetur. Cum phlegmate (vel ▽ ♌at.) Sal. com. ex Capite mortuo extrahitur, phlegma ♌ando à Sal. com. ſeparetur, cum aliquot cohobiis & digeſtionibus.

Hinc.

℞. Sal. com. p. ii. ∽ vel oo Vitrioli p. 1. Ponantur in phiala in Baln. mariæ, ut aquoſitas exhalet; idque tantiſper repete, donec Sal tantum Olei imbiberit, quanti ponderis primo fuit. Hinc in phiala hermeticè clauſa 8. σ digeratur, tandemque in Cinere collocetur 14. σ° ad coagulandum. *Sennert, Inſtitut.*

8. *Magiſterium ex Tinctura & Spiritu Vitrioli.*

℞. ⊖m in ſe calcinatum; extrahe tincturam affundendo ✻ optimum: ✻ tinctum decanta, ♌que ad ſiccitatem, & manebit in fundo Pulvis rubicundus, quem pone in ☊m adhibito receptaculo grandi; dando Ignis per grad. decentes, egredietur ∽ flavus, poſtea rubicundus; continuetur Ignis eodem gradu, donec appareant ∽ albi; tunc ceſſandum. His ſpiritibus imbue Terr. in ☊ reſtantem, (potius Sal. Com. ex Terr.) digerendo, imbuendo, donec ∽ & anima proprio corpori reſtituantur. Hæc tandem in vaſe H. clauſo digere quadraginta σ°, donec figantur.

9. *Tinctura Vitrioli Cyprii ſive Magiſterium ♀is.*

1. Digeratur vitro clauſo per duos menſes △ gradatim aucto, donec varij colores appareant poſtea flavedo ſupremaque rubedo, hac enim viâ viriditatem Leonis cuſtodies & ad exteriora vertes. 2. Tincturam ab hoc Leone cum ſpir. vini extrahe. Divide eam in partes ſecundas. Una deſiccetur & ſanguis reſtans in formâ pulv. figatur per gradus in Terram rubram. 4. Partem alteram Tincturæ liquidæ, putrefac. per 3. hebdom. abſtrahe per cohobationem, cum reliquo ſpir. vini tincto eundem proceſſum ſervando. 5. Liquorem remanentem urge per ☊, donec Oleum benedictum exeat, quod aliquoties rectifica. 6. cape Terræ ſuperioris fixatæ. p. ij. Ol. benedict. Vitrioli part. 1. ſigilla vas. H. S. digere in cineribus, donec animam ſuam corpus receperit coaguletque, tunc novum Ol. ſuffunde, coagula ut prius per 10. σ Tandem fige ad quartum uſque gradum Vulcani, & per 3. σ in fluore detine. Habebis Lapidem rubrum, fixum abſque fumo, tingentemque ſummam medicinam.

Ex commun. S. Cloſſ. Schroderus.

7. *Extractio, u de Tinctura ſeu Eſſentia ſimplices & Extracta. 1. Extractum Vitrioli Narcoticum anodynum.*) Extractum vitrioli narcoticum hîc ab Autore deſcriptum, ſuâ ſanè non caret laude in vitioſorum humorum orgaſmo compeſcendo. In cujus præparatione hâc cautelâ opus eſt, ut primò ſp. vini alkoholiſatus ſumatur; deindè in digeſtionem per aliquot menſes ponatur; ac tandem è fæcibus decantatus liquor ex MB. deſtilletur ad liquorem unctuoſum flavum, Hoc niſi fiat, plus emeticæ, quàm ſedativæ & anodynæ virtutis obtinebit.

2. *Eſſentia ſulphuris vitrioli*) Optima fit ex terrâ vitrioli dulci beneficio ſpiritus Salis compoſiti, quo abſtracto iterum extrahitur poſteà cum ſp. vini eſſentia. Hæc maximè commendatur in hæmorrhagiis, hæmoptoë, pulmonum rupturâ, diarrhœâ, dyſenteriâ &c.

3. *Alia tinctura, manna vitrioli dicta.*) Spiritus eſſentificatus ſeq. modo componitur: Recip. ſp. vitrioli ſummè dephlegmati ℥vj. ſalis ♉ ℥iv. ſal ♉ prius contuſum

inditur retortæ vitreæ, cui ſuperaffundatur ſpiritus dictus & mixta per Aren. in receptaculum amplum per retortam deſtillentur ad ſiccitatem ſalis; Hic ſpiritus uſui reponatur. Cum hoc extrahe ex vitriolo purificato eſſentiam, filtra, & cum ſp. vini rectificatiſſimo circula, & pone in digeſtionem per aliquot menſes, abſtrahe poſtea per MB. ſp. vini & liquorem deſtillatum iterum cum ſp. vini circula, donec ſuaviſſimum & fragantiſſimum evadat medicamentum.

4 *Tinctura*) Hæc & quæ ſequuntur *Tincturæ & Magiſteria* tædioſa admodũ & fruſtranea ſunt quoad præparationẽ, ac adſignatæ illorum virtutes hyperbolicę, oſtentationem potius, quàm realem præſe ferentes effectum. Ideoque partim contenti ſumus in præcedentibus adductis eſſentijs, & tincturis, partim *Dominum Lectorem* remittimus ad *Cl. Zwelferi mantiſſ. ſpagyric. part. 2.* cap. 9 p. 363. ubi quaſdam eſſentias Vitrioli deſcribit, quæ harum locum ſupplere poſſunt. *Hofmannus.*

De SALIBUS ARTIFICIALIBUS eorumque variis Præparationibus ex SCHRODERO, HOFMANNO & Aliis.

Salia tùm nativa in Officinis extant, tùm artificialia: de nativis alibi, de artificialibus hîc loci agere fas eſt.

Artificialia ſalia, vel ſunt ſimplicia, vel compoſita, ſeu mixta.

Simplicia, (propriè ſic dicta) totuplicia ſunt quotuplices res naturales, quippe res nulla eſt, quæ ſalis prorſus expers ſit, imò conſtitutio rerum naturalium primitus ex ſale dependet. *Schroderus.*

Res nulla eſt, quæ ſalis prorſus expers ſit, imò conſtitutio rerum naturalium primitus ex ſale dependet.) Verum multa concreta naturalia ſalis ſunt expertia, quis ex lactucâ, endiviâ, cucurbitâ, &c. producat? quis ex Auro, Argento, Talco, margaritis &c. eruat? Et omnium rerum productionem primitus ex ſale eſſe, hoc tanquam falſum paradoxon ſuprà refutatum fuit. *Hofmannus.*

Medium, quo ſalia eliciuntur, liquor quilibet aqueus eſt; in quo ſalia ut ſolvuntur, ita & eidem ſeſe immiſcent. Quia tamen res naturales plerǽque valide compactæ ſunt, præmiſſumque requirunt apparatum, quo compedes, quibus ſal impeditum eſt, aperiantur pro diverſitate compactionis, diverſi quoque apparatus inventi ſunt.

Creberrima tamen præ reliquis eſt incineratio, qua partes mixtæ diſgregantur, ſalque fixum in cinere remanente aptum redditur in aqua liqueſcere, muriamque conſtituere; maximè ſi maceratio, tranſcolatioque repetita intervenerit.

Exempli gratia.

♃. *Cinerem* (*abſinthij à carbonibus purificatum,*) *coque cum aq. in lixivium, vel tranſcola aquam fervidam aliquoties; ſic imprægnabitur Sal. nomenque ſortietur lixivij. Hoc purifica filtrando, inſpiſſaque lentâ evaporatione, aut cryſtalliſatione.* Schroderus.

Creberrima præ reliquis eſt incineratio, quâ partes mixtæ diſgregantur.) Utrùm *Salia* rebus naturalibus, ex quibus eliciuntur, inſint, an verò ex illis fiant, in controverſiâ poſitum videmus? Beatus *SENNERTUS* priorem cum Chemicis defendit ſententiam, qui reverà Salem rebus ineſſe formaliter eumque arte chemicâ tantum ſeparari ſtatuunt. Verùm ſuprà ſatis jamdum demonſtravimus, Salia alkalia neque ante corporum compoſitionem exiſtere, nec ad miſtionem faciendam confluere, neque tandem naturalem corporum reſolutionem unquam in Naturâ apparere, ſed tantum per artem ignis ope educi & quidem effectivè inde procedere, adeò ut materialiter quidem & potentiâ paſſivâ Salia iſta alkalia in concreto ante conflagrationem, non verò formaliter in formâ alkali præexſtiterint. Unde ſubtiliſſimè & acutiſſimè *CL. HELMONT. in tr. Blas humanum*, alkali, inquit, non generatur in cinere ab igne efficienter, quanquam effectivè inde procedat; nam officium ignis eſt quidem accendere conſumere & ſeparare, non tamen quippiam producere. Cum non ſit dives ſemine ipſe deſtructor ſeminum ignis. Dum ergò alkali fixum fit ex ſale antea volatili, non eſt productio rei novæ, ſed rei alteratio ſaltem. Alkali enim materialiter quidem erat in concreto ante cremationem, veruntamen dum ignis tollit mercurium & ſulfur, ſal tanquam principium magis ſubſiſtens in liquatione concremationis arripit ſibi viciniam ſulfuris, ſive pinguedinis partem, eamque, dum ab ignis torturâ non ſat valet tueri, partim ſub larvâ Gas ſimul evolat, atque empyreumatis odorem acquirit, partimque apprehenſo ſulfuri colliquando incorporatur, ut verus carbo fiat. Quapropter ſulfur conjugio ſalis jam fixus non celeriter è carbone in fuliginem tendit, ſed ſenſim ac non niſi aperto vaſe, adeoque cum ſulfure priore (nam hinc ſulfur rei plerumque acutum ſalis volatilis ſaporem retinet) ac tandem cum ſulfure carbonitio juſtum ſui ſalis volatilis pondus evolat. *Et* §. 43. Didici nempe, quod omne corpus cremabile in ſe habeat ſal volatile, quod arreptione ſui ſulfuris fixatur in alkali. *Et* §. 41. Huc quadrat, quod ligna carioſa atque putrida vix ſalem in ſuis cineribus relinquant. Quippe ſal volatile abſceſſit cum ſulfure per fermentum putredinis. Hæc *HELMONTIUS.* Idem reperit. *CL. TACKENIUS* ex dicto *Helmontio in ſuo Hipp. chemic. Cap. XXI.* Nullum vegetabile habere ſal fixum, cujuſcunque ſit generis, niſi comburatur actuali igne, ita ut acidum uſtulando in alkali, viciſſim alkali in acidum, agere & apprehendere queat &c. Verùm, quamvis hoc κελνόμενον, Nullum ſcilicet vegetabile actu in ſe habere alkali minus veritati repugnet. Attamen an hoc modo quo *CL. HELMONTIUS* cum *TACKENIO* explicat per Vulcani artem in hanc mundanam ſcenam producatur, offerunt ſe adverſæ dubitationum procellæ; Enimverò nullum ſal volatile, ſive fixum alkali fuerit actu & formaliter vegetabilibus ineſt concretis, ſed in nonnullis, non in omnibus, (ut *Autor* vult) niſi potentiâ & materialiter alijs principijs Sulphureis & ſpirituoſis congenitis adhuc immerſum; Jam ſi ignis violentiam ſuam in ejuſmodi capax ſubjectum exercet, illico ut ſibi ſymbolicas aggreditur partes oleoſas ſulphureas, in quibus materialiter & potentiâ latet ſal volatile ſalſum, & occultum acidum hoc ſibi fugâ volens conſulere, partim in fuliginem abit, partim à ſpiritu acido, non ſine partium terreſtrium adhæſu grato connubio arripitur, & alkali naturam adſumit. Adſerti hujus fundamentum ex ipſâ naturâ petitur & mechanicâ chemicâ. Ligna putrida, ſummo licet ſtudio in cineres redegeris, quocunque ignis gradu ſal exinde non

non elicies, ratio, quia ligna putrida ſine violentâ exmbuſtione per corruptionem internam à ſale in aëre exiſtente ſunt reſoluta, antequam violenta reſolutio per ignem fuit inſtituta per principiorum ſeparationem: Sicque antequam ſal, qui potentiâ ineſt vegetabilibus, in actum fuerit redactus, aliis principiis Sulphureis & ſpirituoſis nativis adhuc maritatus unà etiam cum iis evaneſcit, adeoque etiam unà cum aliis dictis principiis naturali lege & neceſſitate volatiliſatus in Gas tranſiit. In vegetabilibus ſpiritum acidum manifeſtat illorum per retortam deſtillatio, nunquam non oleis Sale volatili turgidis ac acido volatili ſtipatum empyreumaticum, uti ex Tartari, ligni guajaci, & aliorum deſtillatione manifeſtum eſt. Fuliginis deſtillatio quantum ſalis volatilis & olei fœtidi craſſi cum ſummâ phlegmatis acidi copiâ conjuncti ſuppeditet, encheriſi chymicâ habeo compertum. Cum autem Animalia calcinata nullum alkaliſati ſalis veſtigium in ſe habeant, dum animalium Salia omnia volatilia urinoſa ſunt, nullo acido manifeſto prædita, hinc fit, ut in animalibus ſalium illa colliquatio fieri nequeat. *Hofmannus.*

N. 1. *Salia, hâc ratione calcinata, quia lixivium ſapiunt, nec ſatis albicant, calcinantur, id eſt, comburuntur, funduntur ve communiter ad ignem, ut albedinem acquirant. Verum potior videtur ratio albificandi per iteratas ſolutiones, filtrationes ac inſpiſſationes, hâc tamen admonitione, in majori doſi hæc ſalia eſſe exhibenda: Saporem lixivioſum quod attinet, optimè is aboletur, ſi cineres cum Sulph. ana circiter mixti, accenſo Sulph. calcinentur, atque hinc elixiviationi ſubmittantur.* Schroderus.

Hoc purifica filtrando, inſpiſſaque lentâ evaporatione, aut cryſtalliſatione.) Salia in cryſtallos redacta figuras ſuæ naturæ proprias oſtendunt; Sic Nitrum in pyramidas, Sal marinus in cubos, O in figuras octohedrias, * in hexagona, ſalinaque alia in alias figuras ſuâ ſponte conſtanti ritu efformantur. *Hofmannus.*

N. 2. *Salia hæc fundunt ſpiritum penetrantiſſimum ſi ad modum, quo Sal commune, deſtillentur.* Schroderus.

Si cineres cum Sulphuris ana circiter mixti.) Verùm hâc ratione vis alkalium deſtruitur diaphoretica & magis diuretica emergit, ſi tamen hanc expetas, ſuaſor ſum, non ut anaticam Sulphuris portionem, ſed aliqualem ſaltem cineribus admiſceas, ſic acidum Sulphuris figitur in cineribus & tranſit in ſal diureticæ virtutis. *Hofmannus.*

Salia volatilia, eſſentialia nonnullis dicta, nihil aliud eſſe videntur, quam portio ſalis aliquantulum elaborata humori nutritivo immixta, necdum ſubſtantiæ craſſæ inſinuata. *Schroderus.*

Salia hæc fundunt ſpiritum penetrantiſſimum) Verùm ultra rei cujuſdam inhærentias naturales quidquam ex aliquâ re extrahere naturalibus repugnat principiis. Ex ſalibus alkalibus ut alkalibus in æternum non Spiritus acidi penetrantiſſimi deſtillatione elici poſſunt.

N. Nonnulli Chemicorum Alkalibus ex plantis extractis virtutes etiam ſpecificas iſtorum plantarum, & ſic operationes diverſas adſcribere ſolent; Sic ſal abſinthij in ventriculi cachexijs plurimum commendatur, Euphragiæ pro viſus imbecillitate, guajaci in morbis venereis; ſed ſatis inconſulto & præter experientiæ fidem. vid. Nobiliſſ. Robert. à Boyle in paradox. chemic. p. 154. *Hofmannus.*

Modus fiendi ex plantis.

♃. Plantam convenientem coque cum magna quantitate aquæ, hinc exprime ſuccum, eumque optimè purificatum inſpiſſa aliquantulum, reponeque ad cryſtalliſandum, ſ. a.

N. *Si ſuccum purificatum recenti herbæ affuderis, interveniente digeſtione, coctione ac expreſſione, ut prius, majorem ſalis copiam nanciſceris.*

Exhibent itidem ligna, oſſa, cornua, ſanguis. &c. ſalia volatilia, ſed non niſi interveniente deſtillatione, quæ parietibus vaſorum deſtillatoriorum ea adhæreſcunt. Vide in oleis deſtillatis. Schroderus.

Salia volatilia (eſſentialia Nonnullis dicta) nihil aliud eſſe videntur. Hîc Dnus AUTOR ſalia eſſentialia vulgò dicta, quæ ex ſuccis vegetabilium parari conſueta ſunt, ſalia vocat volatilia, quæ tamen non ſunt ſalia volatilia, ſed Tartarus, quemadmodum igitur tartarum nomine ſalis volatilis non poſſum appellare, ita nec hæc ſalia eſſentialia nomen ſalis volatilis merentur, licet multum ſalis alkali prius incinerata ſuppeditent; Et ut Tartarus eſt corpus vini, ita iſta volatilia ejuſmodi etiam ſunt ſubſtantiæ, quæ uti ille etiam ex diverſis ac heterogeneis rebus, ut oleo fœtido, ſpiritu aquoſo, ſale fixo ac volatili & terrâ mortuâ conſtant: ita & hæc ex ijſdem conſtant concretis. Elegantiorem modum ſalia volatilia ex plantis ſi non omnibus, pluribus tamen ſine ullo ſolis vel elementari, mediato vel immediato igne ſine additamento etiam, neque deſtructâ plantæ texturâ, reverâ eliciendi promittit. D. D. Georgius Wolfgang Wedelius P. P. Jenenſis. Ipſum hoc experimentum, ne teſtibus carerer, & demonſtravit & ſermone expoſuit, ſcripto autem cum quopiam communicare hactenus dubitavit, non quod tam tenax eſſet arcani, ſed quod experimentis pluribus opus eſſe videret. Fruſtra proindè etiam eſt cochlearia curioſa cum ſuo ſale volatili Sal Eſſentiale cochleariæ pro ſale volatili habens, ſi enim hoc Sal Eſſentiale foret volatile coctione etiam factâ vel leviſſimâ & minus diutiuâ abiret in auras, quæ cauſa etiam quod ipſa tum coctionem Cap. VI. & VIII. tum etiam pro Spiritû fermentationem prohibeat. *Hofmannus.*

Salia impropriè ſic dicta, parantur ex lapidibus, metallis, cornibus, oſſibus, cruſtaceis, quæ beneficio acidi cujuſdam ſpiritus ſolvuntur, (communiter recipitur Acet. deſtil. vide Magiſterium,) filtrantur, & evaporatione in pulverem rediguntur, quem ſal vocant.

Hunc ſalem abluunt aliquoties, ne acidum ſapiat, & ſervant pro uſu, vel edulcoratum in liquorem per deliquium in cella reſolvunt. Vide liquor.

Salia ſimplicia uſitatiora.

Sal Abſynthii fixum, Eſſentiale, Acetoſellæ, Agrimoniæ, Aluminis, Saccharum, O. Angelicæ, Artemiſiæ, Borraginis, Cancrorum, Cardui benedicti fixum, Eſſentiale, Centaurei minoris, Cerefolij, Chamæmeli, Cichorei, Cinamomi, C. C. volatile, Cranij humani volatile, Euphragiæ, Fabarum è ſtramine & corticibus, Fœniculi, Fragariæ, Fraxini à ligno, Fumariæ, Geniſtæ, Guajaci volatile, Hederæ terreſtris, Hyperici, Hyſſopi, Juniperi è baccis, ex ligno, Lavendulæ, Majoranæ, Matricariæ, Meliſſæ, Menthæ, Nitri cryſtallini, fixi. Lapis prunellæ, Ononidis, Perſicariæ, Pimpinellæ, Plantaginis, Rutæ, Salviæ, Sanguinis humani, Scordij, Succini volatile, Tamariſci, Tartari, Vitrioli vomitivum, Urinæ, Urticæ, Zedoariæ.

Salia impropriè ſic dicta, rectius Calces diceres, uſitatiora ſunt.

Sal Jovis, Saturni, Corallorum, Perlarum, &c.

Salia compoſita.

1. *Sal Alcali.*

℞. Calcis vivæ ℔ 1. Ciner. Iſatidis, ℔ ß. Tart. Sal. nit. ana unc. 1.

Coque in ∇. ut fiat lixivium, filtra ac inſpiſſa ad ſiccitatem.

N. 1. *Theophraſtus.* ℞. *Cinerum clavell. Calcis vivæ & cinerum fabarum, extrahit lixivium, coagulatque.*

N. 2. *Venetiani.* ℞. *Calcis vivæ* ℔ 1. *cineris fagi, vel quercus.* ℔ 11. *Fellis vitri.* ⊖-*i calcinati. Tart. an.* ℥ 11. *Fac lixivium, atque exinde Sal.*

N. 3. *Alkali æquivocationem vide libr.* 1. Schroderus.

Exhibent itidem ligna, oſſa, cornua, ſanguis &c.) Hæc CL. TACKENIUS in *Hipp. chemic.* Cap. XI. etiam alkalia vocat; ſed minus rectè, dum inſigniter differunt à Salibus alkalibus non ſolum volatilitate, ſed & præparatione, virtutibus ac ratione ſubjectorum ex quibus eliciuntur. vid. apolog. contrà *Tacken.* part. 3. Cap. XI. p. 8. Sed hiſce iterum ſeſe opponit. Dnus *D. Luc. Schrœckius* l. c. *in Mantiſſ. Hermetic.* p. 524. ſeq. Et putat luſum ſaltem in terminis exiſtere; Alkali quidem appellationem, ſi primam ejus originem conſideremus, propriè non niſi ſali ex herbâ kali incineratâ elixiviato competere, quæ deinde ſalibus reliquis lixivioſis, ex cineribus vegetabilium, ob horum cum illo ſimilitudinem quoque tribuitur. Attamen, excipit *Schrœckius*, cùm alkalium horum proprium ſit, ut ſalibus acidis contrarientur &c. Salia autem illa volatila urinoſa idem facere deprehendantur &c. non incontinne nomen alkali ipſis imponitur. Verùm remittimus hoc Dni *Schrœckij* juſtæ indignationi, qua ulciſcitur injuriam *Auguſtanis à Zvvelfero* illatam, & dicimus hac ratione etiam Corallia, ocul. ♋. C. C. uſtum & omnia quæ acidis contrariantur alkalia eſſe, id quod inconveniens. *Deindè* inſtat, quod autem *Zvvelferus* ſalibus animalium volatilibus ideo minimè competere alkali nomen putat, quia licet acida, tanquam contraria immutent, eadem tamen non totaliter deſtruant; cum econtrà ſalia lixivialia ſive alkalia fixa acida totaliter deſtruant, inque aliud ens ambo degenerent, à quo arte revocabilia nunquam longe fallitur, inquit: Poſito enim ſalia volatilia ab acidis quodammodo tantum immutari, fixa autem alkalia ab iiſdem totaliter deſtrui, hoc ſanè nondum evincit iſta alkalia dici non poſſe, quia & dicta immutatio & deſtructio contrarietatem involvunt, & in utrâque ſalia, in aliud ens degenerant. Verùm hæc ratio ſecunda *Zvvelferi* omninò evincit ſalia volatilia alkalia dici non poſſe, eò quòd alkalia ſpiritus acidos deſtruant & in aliud eſſe tertium convertant, quod quaſi ipſorum proprium eſt; volatilia autem licet ab acidis quodammodo immutata, tamen iterum ab his ſeparari poſſunt. *Deindè* immutatio & deſtructio non contraria, ſed ſubordinata ſunt. *Tertiò* quod de ſpiritu vitrioli affert, quem iterum ex Tartaro Vitriolato revocabilem eſſe probat p. 521. ambiguæ mechanicæ eſt, ego ſæpius fruſtraneo effectu tentavi, tantis autoritatibus non refragans facilè me ſubmittam, donec contrarium crebrioribus laboribus evincam. Interim inconcuſſum manet optimo jure alkalia vocari poſſe, quæ ex cineribus puris extracta lixivioſa ſunt & acida deſtruunt; ſalia autem volatilia ſalſa urinoſa minus rectè alkalia dici, interim, quià etiam acidis reſiſtunt, alkalica vel alcaliſata dici poſſe. Hæc ſalia dicta volatilia non ſolum regnum animale, ſed & vegetabile ſuppeditat, ſic v. g. ſal datur volatile ex ipſo tartaro & Cap. mortſecum vini, à quibus Spir. vini abſtractus, dantur ſalia volatilia ex oleis vegetabilium ♎ta, &c.

N. Utrum ſal aliquod in liquore aliquo aut alio corpore in quo ſolutus eſt, prædominans, ad ſalium acidorum claſſem, an alkalium pertineat, probatur; ſi corpus ejuſmodi mutet ſyrupum violarum in rubrum vel ſubrubro purpureum colorem, plerumq; arguit corpus ſale acido abundare: Et ſi ſyrupus fiat viridis, arguit prædominans ſal eſſe ex numero ſalium alkalium, vel repugnantis Naturæ claſſis acidorum. Sic v. g. ſpiritus ſalis, vel Vitrioli, vel Aquæ fortis, vel Acet. diſt. vel ſuccus citri &c. mutant ſyrupum violarum in rubrum colorem; Et ſalia non ſolum volatilia CC. Urin. ✱ &c. ſed etiam alkalia Tartari &c. ſtatim ſyrupum violarum in viridem mutant. Et ſic tum mutationes, quas Natura & tempus producunt in magis ſalinis partibus quorundam corporum, poſſunt detegi, tum etiam, quomodo ejuſmodi chimicè præparata corpora, quæ vel non pertinent ad regnum animale vel alkalia, poſſint ad eorum naturam explorandam, examini feliciter ſubjici. Verùm, ex allatis in genere tantum ſcire poſſumus, hæc aut illa ſalia ad Acidorum claſſem non pertinere; attamen determinare hinc non poſſumus, pertineantne ad tribum ſalium urinoſorum, qualia omnia animalium aut aliarum ſubſtantiarum volatilia, vel ad numerum alkalium; æquè tamen unum ac alterum horum ſalium volatilium colorem cœruleum tincturæ ligni nephritici reſtituet, atque colorem ſyrupi violarum in viridem mutabit. Quare ut horum diſcrimen cognoſcas; Si alkalia fuerint ſublimatum in aquâ ſolutum inſtillata reddent coloris ex aurantio fuſci, cum è contra, ſi naturæ fuerint urinoſæ, albi & lactei. *Hofmannus.*

Uſus hujus ſalis ſolus Chymicus eſt, inſervitque ſeparationi ☉is à ♄e, ſi influxu injiciatur. 2. *Facit ad fluctionem ☾æ facilitandam.*

2. *Sal Alembrot.*

℞. Sal. com. præparat. ♉. ſalis alkali, an. ℥ 1. F. lixivium cum ſucci menthæ ac cary ophyllat. ana ℥ ij. aquæ fontan. ℔. ij. Filtra & coagula.

N. 1. *Dicitur & ſal Ellebrot, ſal Taberi, ſal Alkitran.*

N. 2. *Eſt & ſal Alembrot, nativum, quod in Cypro, ex certa terra, in monte* Olympo *extrahitur, formamque & colorem ſanguinis concreti habet, ſed noſtratibus incognitum.* Schroderus.

Alkali æquivocationem &c.) Vocabulum alkali, ut ſupra oſtendimus ex rei naturâ & propriè ſolis cineribus ex herbâ kali (cujus magna pars Venetiis proſtat, ex Ægypto tranſlata ad ſaponem & vitra conficienda) competit, poſteà verò impropriè & analogicè lixivialia ſalia extenſum; Præſupponit autem omne alkali combuſtionem aut incinerationem rei, ex qua extrahitur, & multum differt à ſalibus acidis acido-ſalſis & volatilibus. *Hofmannus.*

3. *Sal Anatron.*

℞. Calcis viv. ℔. iv. Alumin. ℔ ij. Vitriol. ℔ ij. Salis commum. ℔ iij.

F. Lixivium cum vino albo, digere per dies aliquot (9.)

Poſtea.

℞. Stiriar. ſalis petræ. ℔ x, affunde lixivii tantum, ut operiatur ſal in aheno. Miſce benè ac ſolve, coque ad medias, cola ac repone ad concreſcendum.

Vires. *Metallici hoc ſale utuntur ad purgationem fuſionemque Metallorum.*

Sumitur & Anatron, 1. *pro felle vitri, id eſt, ſpuma materiæ, ex qua vitrum fit, cinerum arena, &c. exhibens in hydrope aſcite ana* ʒ ß *ad* ℈ 11. *ut & in calculo.* 2. *pro terra ſarracenica, cujus ſunt ſpecies, nigra, rubra, & cærulea.* 3. *pro excreſcentia alba ac lapidea, quæ in petris creſcit, in modum uſneæ albæ, à quibuſdam ſal nitrum vocata. Vide Untzer, de Sale.*



Mich: Phi: del: et fecit

4. *Borrax.*

℞. Sal. ammoniac. Nitri. tartari calcinat. G. arabic. ſal. commun. ana unc. j. maſtich. alumin. roch. ana unc. ß.

Pulveriſatis affunde Urinam, filtra ac coque, donec materia in ſalem concreſcat.

N. *Alii conficiunt ex ſal. nit. & urina puerorum invicem commiſtis & coagulatis. Alij Borracem noſtratem ex peculiari lapide (Borracis nomine,) eoque calcinato extrahi volunt, monente Tholdio in Halographia.*

Vires. *In medico uſu facit ad menſtrua, ac partum provocandum, fœtum mortuum pellendum, veneremque ſtimulandam.* Schrodeius.

Sal Alembrot,) Hujus crebrior etiam uſus eſt in metallorum ſolutionibus. Clyſteribus tamen etiam ad dura emollienda ſcybala accommodari poteſt.

Borrax.) Nullius uſus eſt Domini Autoris compoſitio, ſed vera Borrax, qualem habemus, ex quâdam minerâ conficitur, cujus præparandi modus Nobis adhuc eſt incognitus. Non Venetiis ſolum, ſed & Hamburgi præparata jam venalis proſtat, indeque ad Nos transfertur. Ab igne & ſpiritibus acidis etiam ſalibus alkalibus indomitus flammâ Ignis in adamantinam degenerat duritiem, ut limæ reſiſtens eam fragilem reddat; Aurifabri ad Auri & Argenti glutinum adhibent. In Auro agglutinando viridem inſtar ſaphiri induit colorem. In fino argento per ſe adhibetur, in mixto cum cupro, additur ei fel vitri & albi manet coloris.

In uſu Medico partum promovet, menſium ſuppreſſionem reſtituit. Doſis à ℈ß. ad ʒß. in aq. cinamomi vel vino. *Hofmannus.*

Sal cachecticum chalybeatum ex D. Charraz.

℞. *Vitrioli martis ℥j. ſal. prunellæ ℥ij. ſal. ex aq. fortis capite mortuo extracti ℥iij. ſimul pulverentur, deinde cucurbitula vitrea excepta, igni arenæ gradatim aucto committantur ad materiarum rubedinem, donec inſtar aquæ fluant, & tandem in durum & rubrum lapidem convertantur; qui ad uſus ſervetur. Commendatur hoc ſal in cachexiis & morbis ſcorbuticis, pro depurando ſanguine, appetitu excitando, reſerandis urinæ viis, abigendis fluxionibus, quiete conciliandа, expellendis humoribus peccantibus per ſedem, urinas, ſudores, aut inſenſilem tranſpirationem, aliquando, ſed admodum infrequenter, per vomitum. Pulveratur & datur in liquore appropriato, à gr.* vii. viii. *ad gr.* xii. xv. *aut* xx.

Sal Diureticum ex eodem.

℞. *Urinam ſani hominis, in qua dilue Vitrioli Hungarici pulverati quantum diſſolvere poterit; diſſolutio fiat in vaſe amplo, ut ebullitioni locus ſit ſufficiens; qua finita, liquor cucurbita vitrea, ſuo capitello munita, excipiatur, & igne arenæ primùm lento, deinde gradatim aucto fiat ex a. phlegmatis & ſpiritus diſtillatio, ſaliſque volatilis ſub finem ſublimatio. Datur in vino albo, aut aquis vel decoctionibus diureticis à ℈j. ad ʒj. Phlegma in hac præparatione extractum podagræ impoſitum dolores ſedat; ut & etiam oculorum inflammationem reſtinguit.*

Sal Navigantium ex D.D. Donzello.

℞. *Sal. prunellæ, ſal. comm. fuſi, ſal. gemmæ ana ℥ß. galangæ, macis, cubebar. ana ʒj. M. F. Pulvis. Doſ. à gr.* iv. *ad gr.* viii. *mane jejuno ſtomacho. Ventriculum corroborat digeſtionem facilitat putredinem arcet & efficit ut navigantes minimè vomant.*

Salia varia ex Chymia D. LE MORT.

Oleum & Sal volatile Cornu Cervi.

℞. Cornu Cervi in exigua fruſtula redacti mediante ſerra q. v.

Imponatur retortæ terreæ, & in igne nudo ſenſim propellantur partes fluidæ, ſic prodit aqua cum leviſſimo Oleo; ſecundò Spiritus Salinus cum Sale volatili, undiquaque recipientis lateribus adhærente, ultimò Oleum rubrum craſſum. Omnibus refrigeratis ſeorſim excipiantur ſal volatile, & Oleum. Sal volatile Spiritui permixtum leniſſimo gradu ignis ab ipſo ſublimetur; ſublimatum Sal denuo cum propria calce depuretur per iteratam ſublimationem. Oleum ſuper propriam calcem vel ſuper ſal aliquod alcali rectificetur. Spiritus per ſe in arena iterato propellitur, ut limpidus evadat.

NOTÆ.

1. Hæc mixtura *Olei, ſpiritus & ſalis volatilis* ſi per aliquot menſes in loco frigido *reponatur, cryſtallos* præbet diaphanas. An hoc autem *acido* debeatur *in Oleo & ſpiritu* reſidenti, uti aliquibus videtur, dubium eſt præcipue ob tres *rationes. Primo,* quoniam *lentiſſime illa concreſcentia* procedit, quæ in *muriaticis ſalibus*, vel à *quocunque acido* alcali affuſo & mixto *citiſſime* procedit, *ſecundo*, quoniam ne minima unquam *effervеſcentiæ* nota cernitur, quæ & *vitri arctiſſime clauſi ruinam* minitaretur per ſuam ventiformem expanſionem. *Tertio*, quoniam *aquæ fugax & alcalinus volatilis* permanet, cum omni acido effervеſcens. Nec experimenta de *coralliorum ſolutione*, & de *metallorum liquatione* hic aliquid confirmant *de Oleorum acido interno:* nam *Corallia* non ſolvuntur, ſed *colorem ſuperficialem mutant* integris permanentibus coralliorum ramulis, nec *metalla* calcinantur in *Oleis* præcipue deſtillatis, ſed funduntur tantum ab *intenſiori igne Oleis communicato*; utrumque autem contrarium eſſe deberet, ſi *acidum* ibidem præpolleret. Corrodunt enim *acida*, & *fuſiones metallorum* impediunt, ut & *extractiones tales rubras putatitias coralliorum.* Credibile igitur eſt, illa ſalia, *cryſtallulos oblongas & acutas* ramos & cornua in ſua prima adhærentia repræſentantes, in ſpiritu ſuo diluta ſenſim ac *ſenſim juxta & ſuper ſe invicem diſponi*, ubi per longam illam moram *à ferocia ſui motus* remiſerint, &c.
2. Oleum ſi *ſubtilius* expetatur, cum *ſpiritu vini* rectificetur *ſubtiliori.*
3. Sal hoc eſt *fugaciſſimum*, ideoque præſtat illud *vel in proprio ſpiritu*, vel *in ſpiritu vini rectificato*, aſſervaſſe.
4. Si plane *candidum* expetatur Sal, & permanens in *albedine*, ter vel quater ad minimum cum *recenti calce propria* eſt ſublimandum, ut *Oleo* omni *ſuperfluo* ſpolietur, quoniam facile *flavedinem* ab illius ſocietate contrahit.

Vires. *Sudoriferum eſt & alexipharmacum, urinas pellit, & in omnibus morbis per ſudorem curabilibus convenit. Doſis Olei ad guttas* viii. *ſalis volatilis à gran.* iii. *ad ſcrupul.* i. *ſpiritus à ſcrupul. j. ad drach.* i.

Eodem modo deſtillantur *ungulæ equorum*, *alcis*, & ſimilia.

De *Urinæ analyſi* hic acturus, non poſſum non aliqua refutare, quæ à Medicis faſtuoſis, majoris ſcilicet authoritatis Viris, ut illis placet; Celeberrimis (forſan ſolo nitore muliebri, & arrogante ſupercilio mirum in modum elato) in Illius *ſigna* Tyronibus Medicinæ obtruduntur, & incul-

inculcantur, ut illos nempe deterreant *ab ejus inſpe-ctione*. Si *Urinæ ſigna*, nempe ſecundum illorum ſen-tentiam, ſunt *incerta*, agedum tradantur aliqua in Medicina *per externum tactum & viſum infallibilia*: *Pulſus* enim & *lingua ſeorſim & ſimul* conſide-rata, nunquam fere *Medico ſatisfaciunt*, niſi & *mendicum* ſe præſtiterit, ut *hiſtoriam & ſympto-mata morbi* ab aſtantibus obtineat, poſteaque, *in-certus adhuc* quid agat, *præſcriptionem medicamen-ti* conſuat, è cujus *bono vel infido ſucceſſu* poſt-modum judicet ſapientior factus Medicus, vel, ne famæ ſuæ deſit, indifferentia propinet, quæ ſimul *dolorem* ſedant, ut aquas ſimplices, antimo-monium diaphoreticum, laudanum opiatum, & ſyrupos, ut etiam *palato* conſulat: egregiæ enim hæ *mixturæ* politice *doctum*, imo *divinum* inſciæ plebi reddunt Medicum, præſertim muliebri, blan-diloquo accedente verborum lenocinio. *Vah, quan-tum eſt hoc modo ſapere!* *Pulſus* & *linguæ ſignis* in plurima morborum caterva *fallentibus*, quid reſtat vere docto, omniaque ſedulo perſcrutanti Medico ulterius agendum? profecto, ſi Doctiſſimi Anti-qui & Neoterici Medici illuſtres *ſigna ex pituita*, *menſtruo ſanguine* &c. petenda dicant & proponant, imo ſi Sereniſſimum illum Legatum Medicum non puduerit confiteri pro tota facultate Medica, *Ster-cus & Urina nobis ſunt ſigna*, nulla mihi *ratio* amplius reſtare videtur, cur tantum in illius *inſpectionis uri-na* odium vehantur. *Incerta* ejus, confiteor, ſæpius ſunt *ſigna*, ſed idem de aliis infinitis *hiſtoriis & ex-perimentis*, dicere & demonſtrare poſſum. *Muta-tur* continuo; ſic & *pulſus* & *lingua* in ægrotanti-bus, ſed profecto *alia eſt urina cruoris*, *alia ſeri*. *Agyrtæ* & *Empyrici*, omneſque doctrinæ Medicæ *ex-pertes* illam tractant, ergo à *Medicis* ſupra vulgus conſtitutis rejicienda: ſed *Vetulæ* & *Empyrici pulſum* & *linguam* etiam obſervant, ergo & illa *ſigna* è no-biliſſima facultate Medica eliminanda; Utinam & per eadem argumenta *magis abſtemii* plerique eva-derent, & à *calumniis* poſt tergum deſiſterent, quo-niam talium *abuſus* eſt maximus apud viliſſimæ con-ditionis homines. *Urinæ* autem *color* & *conſiſtentia di-verſa* arguunt *motum & præcipitationem humorum* & *ſanguinis variam*, quorum colamen exiſtit, verum exa-cta requiritur *Artis Tinctoriæ*, & *Chymiæ* cognitio, an-tequam *rationaliter*, & *non empyricè* de hiſce judicium ferre poſſit Medicus acutus, nec opus illi Agyrtarum more *inquirere* antea de ſtatu ægri, è qua *relatione* po-ſtea, tanquam ex tripode, ſententiam ſuam de *Urina* ſit laturus. Signa autem *inter ſe collata* melius & *fir-mius vaticinium*, Medico exhibent, ut non temere ali-quid tentet, vel effutiat, quamvis, prout diximus, plurimæ circumſtantiæ & obſervationes non rite per-ſpectæ nos decipere poſſint. Concludimus igitur, *Uri-næ inſpectionem* eſſe *maxime neceſſarium ſignum*, imò, ſi *unum ex lingua & pulſu* ſignum peti poſſit, audacter & millies expertus aſſero, *duo* ad minimum *ſigna ex Uri-na*, cum judicio & arte examinata, poſſe obtineri: Non mirum igitur eſt, de *Urinis* integros *tractatus* etiam *vetuſtiſſimos* conſcriptos extare; ipſi etiam *con-temtores Urinæ* ab ejus *inſpectione* non deſiſtunt, quod in ipſorum dedecus redundare debet, quoniam tale quid *inutiliter* inſpiciunt, forſan ut aliis & ſibi *impo-nant*, cujus *notio* ad illos nunquam pervenit. *Labor* aſ-ſiduus, *experimenta* indefeſſa, & *ſtudia* non intermiſſa requiruntur, ut quis recte *Medicinam* excolat, quæ non in ſola partium humani *corporis mortua ſtructu-ra* inveſtiganda conſiſtit, ſed multo magis in fluctuan-tium *procellarum vivido ſtatu* rite perſcrutando: alias enim *eodem modo* ageremus ac illi, qui, ut *motus* & *con-tentorum in flumine* notitiam obtinerent, *ripas*, *aggeres* & *fundum* tantummodo diffoderent & *inſpicerent*, exic-cato vel *depleto* in æſtate *fluvio*; Unde non immerito à *Celebri Medico frigida* dicitur *ſapientia*, quæ revera ſuos habet *uſus in Chirurgia & Medicina*, ſed non tam divinos, ut quibuſdam *diſſectoribus* placet. Sed ad viam propero, *Urinæ analyſin Chymicam* exhibiturus non ad ejus inſpectionem, quæ hujus loci non eſt, facilitan-dam, ſed ad ejus *Anatomiam mortuam* proponendam, id eſt talem, de qua aſſerere non auderem, *nullas un-quam alias* extitiſſe, nec poſſe exſtare particulas, *niſi eas*, quas ego per *Chymiam diverſo modo* extrahere pro-pono: quoniam *ſitum & figuram* innumeris modis va-riant illa fluida corpora in *diverſa mixtione & motu va-riarum partium*, in eo tamen *coincidunt*, ut *oleum*, *ſal vo-latile & phlegma*, ut ſequentes operationes edocent, fundant.

Spiritus Urinæ, & ejus Sal volatile.

℞. Urinæ Juvenis q.v. Evaporetur ad mellis conſi-ſtentiam, dein cucurbitæ immitte, & reliquum quod ſupereſt aquæ, evoca, ſic ſubſequitur Sal volatile, una cum pauca quantitate olei, partim in capitello hæ-rens, partim in phlegma decidens, Sal illud depuretur à ſuo oleo, mediante iterata ſublimatione cum cineri-bus oſſium, & ad uſum reſervetur; ſi verò Spiritum ſa-linum volatilem exoptas, *ſequenti modo* procede:

℞. Urinæ Hominis Sani quantitatem ſat magnam, reponatur in maceratione per quinq; vel ſex ſeptima-nas, donec interno motu mediante ſubſidentia & ſe-paratio particularum craſſiorum promoveatur: parti-culæ volatiles ubi ſui juris factæ fuerint, deſtillentur per veſicam, omnem exceptum liquorem ſpirituoſum ſuper ſalia alcalia rectifica ad debitam ſubtiliationem & dephlegmationem abſolvendam.

NOTÆ.

1. Ridicula eſt obſervatio plurimorum, *Urinam* debere eſſe *Vini potoris*; quaſi *Aquæpotoribus ſpiritus* & *ſalia volatilia* magis deficerent, quam *Bacchi* aſſeclis, imò *plurimâ experientiâ* ſatis conſtat, majorem ſalis *volatilis quantitatem* erui ex *Urina* illorum, qui *Vinum* ferè *nunquam* biberunt, quàm è *diverſoriis* & è Bacchi ſentina prolatis *Urinis*: eoſdem quoque firmiori, *ma-gis robuſto & longævo corpore* eſſe quotidie obſervatur, cum alii *liberiùs Vinum haurientes ſpiritus* & ſalia *po-tiùs fugent*: ultimò conſtat, è plurimorum *animalium Urinis plus Salis volatilis* obtineri, *quam ex Urina ho-minis*; ſi autem tantus ſit animus *ſpirituoſum* aliquod *Sal volatile* obtinere, illud facilius *poſt confectum Sal volatile cum ſpiritus vini* debita quantitate oleoſo; quamvis *non omnem* Vini hauſtum pro *Urina* eſſe de-negandum ſtatuamus, ſed potiùs *parcum* admitten-dum, ut alimentis aſſumptis *fermentatio* eò meliùs in ventriculis debilioribus ſuccedat; Nam, ut hoc obiter notemus, *Sal volatile* non dependet à *liquoribus inge-ſtis potulentis*, qui *fermentationi & dilutioni* potiùs inſer-viunt corporum duriorum, ſed ab *alimentis ingeſtis ſo-lidis*, *ſalia* illa prementibus, & in *minutias* reducenti-bus. Liquores enim *ſpirituoſi* potiùs *tranſpirationem* promovent particularum *ſubtilium*, quàm quod illas in *Urina* deponerent; *ſerum* enim diluendis & *reci-piendis ſalibus* dicatum eſt, *non ſpiritus*. *Urinas Vinum non bibentium* eſſe *acriores à ſale fixo*, contrariatur om-ni experientiæ: *acidum* enim *figens* ineſt *Vino*, quod non tantum ineſt *Aqua*; etſi vero *Cereviſiæ aciditas* quædam inſit, attamen illa *fugax* eſt, nec perſtat in calore, ut patet in *acetis exinde paratis*, quod plane *contrarium* eſt in *aceto vini*. *Aqua*, *diſſolutionem* par-tium quoad totam ſubſtantiam maxime promovens, nullibi ſalia *ſiſtit*, ſed potius decarcerata *propellit*, un-de *nec fixa nec acria* illa reddere poteſt; ideoque *Vi-num modice ſumtum* pro concoctione & aliquali acre-dine, ratione tartari, ſed *non pro copia majori ſalis* ob-tinen-

tinendi admittimus, id eſt, non rejicimus illam *Urinam*, ſi alia obtineri n queat. Quod de *offa Helmontiana* traditur è ſpiritu ſalis ammoniaci & vini utriuſque ſubtiliſſimis recenter paratis, illud ad hanc demonſtrationem *nullius* eſt *valoris*, niſi prius monſtraverint, tales etiam dari *dephlegmatos ſpiritus*, mutuum in amplexum *in Corpore noſtro* ruentes.

2. Si *ſpiritum in majori copia* obtinere ſit aminus, adde *Urinæ fermentatæ & jam deſtillandæ* manipulos aliquot *calcis vel ſalis alicujus alcali*, ſic tantò *majori copia* exſurgit, & *ſubtilior* evadit, ut & *fugacior*.

3. *Fœtidus* hujus *ſalis odor* mediante *ſpiritu ſalis communis* facilè tollitur; quoniam autem in minimis particulis *ramoſis terreſtribus eſſentia Salis volatilis* conſiſtit, quæ hoc modo ſeparatæ *Sal illud volatile* plerisque *eſſentialibus* & ab aliis ſalibus differentibus *viribus* privatum derelinquunt, ideo hanc *odoris* ſeparationem non facilè admittimus, niſi ubi in *ſal ammoniacum* illud reducendum venit.

Vires. *Urinam pellit, paſſionibus hyſtericis ſubvenit, apoplexiæ, paralyſi, epilepſiæ, & ſimilibus ſuccurrit; menſtruum inſuper exiſtit ſat famoſum in Chymia ad extractiones corporum, ut & metallorum & mineralium. Doſis à grano uno ad ſcrup. unum. Doſis Spiritus rectificati à gutta una ad guttas* xii.

Spiritus Urinæ ſubtilior.

℞. Urinæ Sanorum ℔xxx. ſp. Vini opt. ℔ iij. M. Fermententur ſimul per ſex ſeptimanas, dein adde Sal Tart. ℔. j. Deſtillentur ut ante, & rectificetur ſervandus ad uſum Spiritus.

NOTÆ.

1. Spiritus vini *oleoſus* magna ſui parte *urinoſo ſali volatili* mediante fermentatione permiſcetur, quæ duo poſtea *unum Spiritum* conſtituunt in deſtillatione.

2. Sal Tartari *acidum in Urina* latens, quod tamen haud facile ſecernitur, infringit, & *ſalia volatilia liberat*, unde major illorum copia exſurgit.

Vires. *Hic poſterior Spiritus eaſdem, ſed tenuiores & ſubtiliores vires obtinet, quam præcedens, utpote magis ſubtilis.*

Eodem modo omnium *animalium Urinæ* deſtillari queunt.

Spiritus Salis Ammoniaci.

℞. Salis Ammoniaci ℔. j. Salis Tartari ℔. j. ſs. Aquæ communis pintam j. Infundantur omnia retortæ, & deſtillentur per arenam, ſic procedit Sal volatile, quod à ſubſequente phlegmate diluitur, hic Spiritus in vitro arctiſſimè clauſo reſervetur.

NOTÆ.

1. *Rectificatione* vix opus habet, niſi quis ſuper *novum ſal fixum* illud *Sal volatile ſubtilius* reddere ſatagat; per ſe enim non niſi in *Sal volatile ſiccum* abit.

2. Cum *calce viva* in *ſubtiliſſimum* abit *liquorem*, compoſitum è *ſale acido tenui calcis igneo, & alcali proprio*, unde *acrior* & *fluidior* exiſtit, *nunquam* autem *in Sal volatile*; quoniam verò eſt *fugaciſſimus*, optimè reſervari debet.

3. Cum *aliis* etiam *ſalibus fixis* idem Spiritus fieri poteſt, & cum *lapide calaminari, hæmatite*, & ſimilibus *acido-muriaticum ſal* infringentibus.

4. Sal ammoniacum nil aliud videtur eſſe, niſi *mixtura ſalis muriatici & ſalis volatilis urinæ*, quæ in *Spiritum* reducitur *ſalinum volatilem* mediante ſale fixo, vel corpore aliquo terreſtri minerali *muriatici illius ſalis* loculos replente, cæteraque inibi contentas particulas expellente, unde nullis vinculis amplius impeditæ, *accedente motu liberè* quaquaverſum *fugam* tentant, exinde *ſpiritus*; *fuliginem* autem debere accedere, experimentis hucuſque à me factis *contrarium hanc* in talem abire Spiritum fugacem, *ſed etiam ipſa ſalia muriatica* illum poſſe præbere, quamvis *non in tanta copia, neque* tam *ſubtilem*, ſi ritè tractentur. Ob has rationes fit *iterata Salis volatilis deſtillatio cum fæcibus* hiſce poſt deſtillationem reſiduis, *additione ſalis fixi recentis*.

Vires. *Spiritus eſt valde penetrans, acidum infringens, ſudores movens, febribus reſiſtens, & omnibus præternaturalibus efferveſcentiis, ex auſtero & acido oriundis, ut in epilepſia, paſſionibus hyſtericis, paralyſi, apoplexia & ſimilibus. Doſis à gutta j. ad gut. viij.*

Sal volatile Oleoſum.

℞. Olei Menthæ. Corticum Arantiorum ana guttas xx. Garyophillorum guttas xvi. Macis ſtillatitij guttas xij. Roriſmarini guttas viij. Spiritus Vini unc. xx, Spiritus Nitri unc. ij. Deſtillentur per cucurbitam vitream in arena poſitam ad mediæ fere partis abſtractionem; hiſce unciis octo adde Spiritus Salis Ammoniaci unc. iv. digerantur ſimul per 24. horas, dein denuo deſtillentur leni igne circiter ad ℥x. ſic acquiritur Sal volatile non ingrati odoris, & magnarum virium.

Extemporaneum autem *Sal volatile* fieri poteſt *ſequenti* modo:

℞. Oleorum cujuſcunque generis ʒj. Salis Tartari puriſſimi ℥ iij. Miſceantur exactè, pulvis hic infundatur ſpiritus vini rectificati cum ſale tart. ℥x. Spiritus Salis Ammoniaci ℥iv. Agitentur ſimul per quadrans unius horæ, dein repontantur, ſic ſpatio ſemi-horæ liquor clarus & limpidus ſupernatans obtinetur uſui extempore inſerviens. Hic liquor per digeſtionem in fimo equino, aut MB. penetrantiſſimus evadit in odore & colore.

NOTÆ.

1. Primi generis ſal oleaginoſum requirit *acidum volatile Nitri*, in deſtillatione ſpiritus vini vulgaris aſcendens, ut *urinoſus* tollatur ex parte *odor*, & *mixtura* evadat quaſi *temperata*; cui verò volupe, illud *abſque ſpiritu Nitri* conficere, oportet ut *ſequenti* procedat *modo*:

℞. Olea præſcripta, hiſce adde Spiritus Vini optime rectificati ℥viij. Spiritus Salis Ammoniaci ℥iv. Mixta deſtillentur ſ. a.

2. Sunt, qui & idem efficere ſatagunt mediante ſola *digeſtione ſpiritus ſalis ammoniaci, & ſpiritus vini ſuper herbas, ſemina & aromata*, verùm non tanto cum fructu, quoniam olea cum phlegmate *ſæpius deliteſcunt* in *clauſtris ſuis terreſtribus*, & ſubſequuntur poſt abſtractionem ſpiritus procedentibus ſolis levioribus illis particulis, unde potius *ſpiritus ſalinus volatilis* eſt dicendus; *olea* autem cum ſpiritu vini deſtillata eſſentiam ſuam, & *vires integras* ei communicant.

3. Secundum intentionem Medici *variari* poterunt *olea*, hac tamen cum cautela, ut *tantum* recipiatur *oleorum, quantum ſufficiat diſſolutioni in ſpiritu vini*.

4. Si autem volupe fuerit illud *ex ſolis herbis* præparare, idem facilè aſſequitur *artifex*, ſi bina vel terna cohobatione *ſuper proprias fæces*, vel rectificatione *ſuper recentes herbas* ſæpius reiterata fiat *impregnatio* & exaltatio ſpirituum.

Vires. *Ventriculum roborat, flatus diſcutit, febribus medetur, putredini reſiſtit, morbis è frigida intemperie ortis adverſatur, ſpiritus recreat, acidum temperat. Doſis à guttis iij. & xx. in vehiculo.*

Sal volatile Sudoriferum.

♃. Aq. Theriacalis compoſitæ ℥v.
Sp. Vitrioli volatilis ſulphur. rect. ℥iij.
Tartar. ſubtilior.
Sal. Ammoniac. an. ℥ij. ß.
Camph. ℈ij.
M

Digerantur ſimul per 3. dies in MB. dein deſtillentur fere ad ſiccitatem, ſpiritus arctiſſime in vitro clauſo ſervetur.

NOTÆ:

1. Omnes liquores *optime dephlegmati* eſſe debent, alias *deſtillat o citius* abſolvenda, ut phlegma remaneat.

2 Qui *ſpiritum volatilem vitrioli* obtinere nequit, ſaltem ejus genuinum *ſubacidum, è vitriolo Veneris deſtillatum*, recipiat, non autem illum, qui ex oleo & aqua mixtis fit.

3 Quibus *camphora* diſplicet, illam *omittere* queunt, ſed vires inſigniter *ſudoriferas* auget.

4. Hoc *ſpiritu ſalino volatili* alia ſudorifera extrahi poſſunt ad *Tincturam beſoardicam* conficiendam, ut crocus, contrayerva, opium &c.

Vires. *In omnibus morbis & obſtructionibus per ſudorem curandis prodeſt, ut in peſte, variolis, cachexia &c. Doſis à gtt. v. ad xx. in vehiculo.*

De Salibus fixis.

Salia in genere cum *mira metamorphoſi* inter ſe ludant, nil aliud videntur eſſe, niſi *productum* aliquod *materiæ ſubtilis*, exceptum in *aëre*, communicatum *aquæ*, cujus auxilio mediante *terræ* ad ulteriorem *alterationem* ſuſtinendam objicitur. Hoc adminiculo in *majorem motum* redactæ particulæ *terreſtres*, ulteriori expanſioni & dilatationi aptæ *fœtui* ſuo producendo redduntur Hæ etenim particulæ, *craſſiora* illa corpora *imminuendo* facile in iiſdem *irretiuntur*, ibidemque *aggravatæ* pondere, & *retentæ* irregulari ſitu partium & pororum, in magna ſatis quantitate illic *accumulantur, interſtitia* illa occupando & *replendo*, quæ poſtea, ex parte *denuo liberatæ* ſuis vinculis *ſalinam* recipiunt naturam, id eſt, *puncta* ſua, antehac obducta, *magis exerunt, terreno* corpore, ſuperficiem antehac occupante, *detruſo*. Hæc facile demonſtrant *ſalinum principium*, ſummæ *neceſſitatis* eſſe in generatione ſeu *vegetatione plantarum*, & omnium vegetabilium: revera enim *vix ulla* daretur imminutio, expanſio, vel aliqua *corporum mutatio abſque illo. Sal* enim perfringit omnes carceres & clauſtra, quæ alias *pertinaciùs* ſat *reſiſterent* omni motui, ideoque illud rite tractatum *vegetationem* mirum in modum auget & *promovet*: verum, quoniam de *vegetatione* multa dicere animus non eſt, obiter tantum notabimus, *mixturam ſalis, olei expreſſi, & fimi* debito modo per fermentationem, unitam, miranda in *vegetabilibus* efficere circa eorum *incrementum*. Hæc *ſalia* non ſolùm *diverſitate variant*, pro differenti natura regnorum, *animalium*, nempe, *mineralium & vegetabilium*, ſed ſæpiùs *vario modo tractata* eadem corpora, *diverſa* producere ſolent *ſalia*: ita ut non unum idemque ſit, qua *methodo*, quibus *ad itamentis*, quibuſve *inſtrumentis* fiat operatio. In genere autem *ſalium ſequentem* ſtatuimus *differentiam*: *ſalia per ſe* conſiderata *ſunt particulæ ſcindentes, pungentes & acutæ*, quarum acies differt pro ratione *cohæſionis*, & *juxtapoſitionis* illorum minorum *punctorum*, & pro *ſoliditate* vel *figura* illius *terræ*, cum qua conſortium inivit, ut in *acidis* latius. Hic autem *ſalia fixiora* perſcrutari animus eſt, quæ præcipue ab *acido muriatico ſucco* ortum ſuum mutuantur, retinaculis *terreſtribus fixata*, & in *ſalinam lixivioſam*, vel *tartaream* ſubſtantiam redacta. Hinc *duplicem methodum ſalis* illius artificialis è vegetabilibus eliciendi proponere intendimus, *eſſentialis* nempe & *alcalici*. Naturaliter autem, *hæc ſalia an contineantur, an arte producantur*, è ſubjectis *utrumque* eſſe *verum*, ratio & experientia innuunt. Ut enim diximus, è *materia ſubtili* ortum ſuum ducere *ſalia*, ſic ſtatuimus, illa vehiculi loco ibidem in corporibus ipſis *contineri*, quæ aliàs *neceſſariò ſubſiderent*: hæc ibidem *agglomerata*, in *motum vehementiorem* corporibus craſſioribus reductis, ſpecimina præbent *ſpiritus contenti*, qui, ut diximus, nihil aliud eſt, niſi *congeries particularum fluidarum ſubtiliorum cum ramoſis & aquoſis*. Hæ particulæ *ſubtiliores*, filii *ſolis vel materiæ ſubtilis* vocari poſſunt, & *ſpiritus* nuncupantur, ſuntque *primordia omnium ſalium*. Hæc nunquam in corpore naturali vegetante, *in propria ſubſtantia alcalina ſeorſim* exiſtunt, ſed vel *per motum vehementiſſimum*, fugatis omnibus aliis volatilioribus particulis, *illæſa* perſtant in conſortio, & retinaculis *terreſtribus*: vel ubi *liquidæ ſolæ partes, ſucci herbarum* dictæ, *per ſubſidentiam* deprimuntur, omnes hæ particulæ *ſalinæ*, conſortium *fluidi & merè terreſtrium* fœcum derelinquentes, motu interno illorum corporum, *propulſis* per materiam ſubtilem *tenuioribus fluido innatantibus ſalibus*, ſenſim *majora ſalium puncta* in *cryſtallulos* coaleſcunt, ut *duæ ſequentes* operationes demonſtrabunt.

Concludimus ergo, *materiam adfuiſſe ex qua in ſtatu naturali; productum autem corpus ſuam figuram ab arte tenere*.

Sal Eſſentiale Cardui Benedicti.

♃. Card. benedict. recentis q. v.
Conſcindatur & contundatur, donec ſuccum ſuum emittat. Hunc ſuccum, prælo expreſſum, clarifica albumine ovi, colaturam inſpiſſa ad quartæ vel quintæ partis remanentiam, dein reponatur in cella per tres quatuorve ſeptimanas, ſic cryſtalluli concreſcent ad fundum & latera vaſis, quas exime, & in aqua calida denuo diſſolve, ut à fœcibus ſeparentur, & iterato in cryſtallos ſecundum artem reduc, haſce ad uſum reſerva.

NOTÆ.

1. Si *magis albicantes* requirantur cryſtalli, ſæpiùs *reiterari* poterit *ſolutio in aqua propria*.

2. Hæc *ſalia* dicuntur *Eſſentialia*, quoniam ex *integra ſubſtantia*, nullâ ignis torturâ, producta ſunt; & plurimas *ramoſas, terreſtres & aquoſas* in ſe admittunt particulas, *ex integro vegetabili* deſumptas, quæ *in ſequenti ſale* non reperiuntur, itaque ad *nitro-tartaream* accedunt naturam.

Quoniam *ex hiſce particulis compoſita* ſunt hæc ſalia, facilè etiam *ſequenti methodo* præparantur.

Sal Eſſentiale magis Chymicum.

♃. Spiritus Herbarum & Stipitum empyreumatici rectificati q. v. ei adde ſufficientem quantitatem Salis Alcali proprii, donec efferveſcentia omnimodè ceſſet, ſal hoc mixtum evaporatur, & obtinebis idem *Sal Eſſentiale*.

NOTÆ.

1. In defectu *ſalis proprii alcali*, etiam *ſal alcali quodvis* ſubſtitui poteſt; præcipuè ſi in ſale hoc alcali *olea empyreumatica* leviter calcinata fuerint, ut taliter qualiter illis particulis etiam *ante* imbuatur: dein *ſoluto huic ſali* in aqua propria affunde *ſpiritum acidum*, & ſic in ſal illius naturæ degenerabunt, quoniam *ab acido ad nutum ſuum trahuntur alcalia ſalia*.

2. Hæc

3. Hæccè ſalla non ſolùm *à ſucco naturali* producuntur, ſed & *ab eadem*, mediante *fermentatione* interna *alterato*, immutato, & in *acorem redacto*: unde *ſpatium tantum* requiritur ad ejus confectionem, niſi in valde ſalſis, amaris & acidis vegetabilibus.

Vires. *Attenuat, incidit, ſudores movet, & vires aliquales integras à propria ſua ſubſtantia reſervat, ita ut ex febrifugis & ſtomachicis oriantur febrifuga & ſtomachica ſalia, quod de alcalicis ſequentibus affirmari nequit. Doſis à granis v. ad ʒi.*

Eodem modo *ex omnibus ferè ſuccis herbarum* elici poſſunt ſalia: ut & ex illis *ſpiritibus acidis alcali aſſociatis.*

Sal mixtum.

℞. Stipitum Abſinth.
Fabar. an. ℔. x.
Lign. Guajac.
Juniper. an. ℔. v.

Mixta deſtillentur in cacabo ferreo, ut in oleis empyreumaticis dictum. Spiritum rectifica per ſe. Carbones reſidui una cum oleo fætido miſceantur cum quarta parte Nitri ſcilicet ad ſingulam libram carbonum ʒxii. Nitri ʒiii. calcinentur, donec albedinem acquirant: Calcinatam materiam elixivia ſ. a. & evapora. Huic ſali adde ſpiritum præcedentem, & coagula denuo, ſic obtinebis ſal optimæ notæ.

NOTÆ.

1. *Carbones* & *oleum* inſerviunt *figendo nitro* quod plurimis particulis exinde impraegnatur.

2. Ad *albidinem* prima vice *calcinatio* eſt inſtituenda, alias *iteratæ calcinationes* & *ſolutionos* expetuntur.

Vires. *Diureſin & diaphoreſin promovet, febribus adverſatur, vermes necat, ventriculum roborat, acidum infringit. Doſis ad ℈j.*

Sal Scordii.

℞. Herb. Scord. magnam ſatis quantitatem, incendatur, donec in cineres abeat albicantes, hoſce aquà ſuperfusà elixivia, lixivium filtra per chartam emporeticam, filtratum evapora ad ſiccitatem, ſic obtinebis ſal alcali, quod, ſi purius expetatur, iterata levi calcinatione & ſolutione candidum reddi poteſt.

NOTÆ.

1. Cineres, quo *albicantiores*, eo plus *ſalis* deponunt: è carbonibus *nigrantibus* enim *nullum ſal* unquam ſperandum.

2. Sunt, qui *addunt* poſt deflagrationem vel *nitrum*, vel *ſulphur commune*, ut majorem *ſtabilitatem* inducant *ſalibus*, & majorem *copiam* obtineant, inſcii forſan, *ſalia acida alcalium naturam* planè permutare, & ad nutum *ſuum* trahere, unde potius *ſecundum acida ſalia admixta* natura illorum ſalium expendenda eſt, quæ potius *compoſita & muriatica*, ſunt, quam *ſimplicia alcalia.*

3. Herbæ *virides* furno incluſæ ubi *exiccantur*, dein concremantur, inde copioſius *& efficacius ſal* obtinetur.

Vires. *Omnia in genere alcalia earundem ferè ſunt virium, eademq; poteſtate & agendi qualitate prædita, provocant enim urinam, acidum infringunt, & mediante illa actione ſudores movent, & particulas ſpirituoſas volatiliſant, ut Chymicis operationibus plurimi ſunt uſus, ut poſtea latiùs. Doſis à gr. v. ad ℈j.*

Eodem modo *omnia vegetabilia Salem exhibentia* tractantur.

Salia ex Pharmacop. BATEANA.

Sal Abſinthii cryſtallinum, fit ſolvendo Sal Commune Abſ. in Aqua filtrando, cryſtalliſando, ſiccandoque, ſ. a.

Sal Aceti eſſentiale. coq. Caput Mortuum Aceti deſtillati in Aqua filtra ac cryſtalliſa ſ. a. *Sudorificum eſt, & putredini reſiſtit. Doſ. gran. 5. ad 10. in vehiculo aliquo idoneo.*

Sal Aceti fixum. Calcina Caput mortuum, Aceti deſtillati, ſolve Aqua, filtra & coagula ſ. a. *Idem facit ut ſupra.*

Sal Alkali. ℞. ♆ ℔. Cineris iſatid. ℔ß. Tartari, Nitri, ana ℥i. coq. in Aqua, filtra & coagula ad ſiccit.

Sal. Aluminis. coq. Alumen uſtum in ▽, filtra & coagula ſ. a. *Sudorificum, & Febrifugum. Doſ. gran. 5. ad* 10.

Sal Armoniacum fixatum. Miſce Sal Armoniacum cum Calcis vivæ dimid. quant. & Igne fortiſ. ſubito adhibito, additoque folle funde, ac poſtea Aquâ elue ſ. a. *Inſervit præcipuè liquori indè conficiendo. Sudorificum eſt, & putredini reſiſtit, aperit obſtructiones. Doſ. gr. 5. ad x, &c.*

Sal Armoniacum Volatile, f. ex Salis Armoniaci, & Salis Tartari ana, Sublimatis ſ. a. poteſt & Sublimari (jubente Medico) cum tertia parte Caſtor. vel Succini. *Tollit ventriculi cruditates. Doſ. gran. iii. ad x. Specificum eſt in Arthritide & ſudorificum.*

Sal Armoniacum Volatil. Oleoſum. ℞. Caryoph. ʒii. Spec. V. ʒviij. Sp. Sal Ammoniaci ʒiv. Digere ſimul ad uniendum ſ. a. *Doſ. gran. x. ad 15. &c. in morbis capitis, ventriculi, lienis uteri, &c. in Colica & Tremore cordis Præſtantiſſ. Remed.*

Sal. Chalibis. ℞. Croc. martis per Aquam Regiam fact. q. v. extrahe ⊖ cum Aqua, filtra & cryſtalliſa ſ. a. *Vim habet incidendi, ac aperiendi obſtructiones, tum viſcerum, tum uteri. Doſ. à gr. i, ad 5. & ultra.*

Sal. Cibarius. v. *Pulv. Cibar.*

Sal. Coralliorum. Elicitur ex Cineribus more comm. Vel, ſolve corallia in Aceto deſtillato, filtra ac exhala ſ. a. Sic fieri pt *Sal Ocul. cancror. Margaritar, &c. Doſ. ℈ß. ad ℈i. &c.*

Sal. C. C. Succinatum, f. Sublimando c. c. cum dimid. quant. ſuccini ſ. a. *Doſ. gran. x. ad ℈i. &c.*

* *Sal Decrepitatum*, fit calcinando (crucibullo tecto) donec non amplius crepet Sal Commune.

Sal Diureticum Solve Caput Mortuum Salis Armoniaci volatilis in ▽ calida; filtra & coagula ſ. a. *Proficuum in Febribus intermittentibus. Doſ. ℈ß. ad ʒß. In Ictero, Scorbuto, Hydrope, & omnibus obſtructionibus valdè conducit.*

Sal Duplex. v. *Arcan. Duplex.*

* *Sal Febrifugum*, Elicitur ex teſtis oſtreorum opt. mundatis, & ad ſummum albed. calcinatis, ſolvendo in Aqua, filtrando ac coagulando ſ. a. *D. ad ʒi. ante parox.*

Sal Jovis, f. Solvendo Magiſtr. Jovis per digeſt. in Acetum Deſtillatum, filtrando & coagulando. *Præſentaneum remedium in uteri ſuffocationibus quas ad miraculum compeſcit, tam intrinſecus, quàm extrinſecus adhibitum. Doſ. gr. 2. 3. 4. &c. repetitis vicibus*

Sal Lithargyrites; Elicitur cum Aceto Deſtillato non ſecus ac ſacchar. Saturni. Decantetur ſolutio, filtra & coagula ſ. a. Si ſolutio præcipitetur

cum ol. Tartari, vocatur *Magiſterium. Interne datur in Diarrhœis, Dyſenteriis. Reliquiſque morbis reſolutis. Inteſtina læſa ac ulcerata ſanat & conſolidat: ſanguinem æſtuantem refrigerat. Doſ.* ʒß. *cum Theriaca aliqua ſudorifica, ſive anodyna.*

Sal Martis (i.e.) *Sal Chalybis.*

Sal Martis Catharticus. Solve Caput mortuum Florum Sal. Armoniaci martiatorum in Aqua calida, filtra & coagula. *Doſ. ad gr. xii. leniter purgat, & Diureticum eſt.*

Sal Perlarum, fit omninò ut coralliorum.

Sal Philoſophorum. Recipe Sal commune decrepit. Sal Gemmæ, ana ℥iß. galang. mac. cubeb. ana ʒß. m. f. Pulvis ſ. a. *Concoctionem juvat ventriculi, cruditateſque conſumit. Doſ gr.* iv. *ad* xii. *manè, jejuno ventriculo.*

Sal Polychreſtum, f. ex Fl. Sulphur. & Sal. petræ ana, exactè mixtis detonatiſque, ſolvendo Aquâ filtrando ac coagulando ſ. a. *Humores purgat ſeroſos per ſedem, & nonnunquam per urinas. Doſ.* ʒi. *ad* ʒiii. *in* Aqua fontis ℔ij. *ſolut. ut fiat inſtar Acidularum.*

Sal Saturni. (i.e.) *Sacch. Saturni.*

Sal Spongiæ Volatile, f. Deſtillando per Retortam, & Sal Commune rectificando ſ. a. ex Capite mortuo in Aqua calidâ ſoluto elixiviatur *Sal fixum. Utile ad calculos renum veſicæque frangendos. Valet etiam ad ſtrumas diſcutiendas. Doſ. gran.* 5. *ad* 12. *vel ultra.*

Sal Sulphuris. Solve Caput Mortuum Spiritus Sulphuris Aquâ filtra & coagula ſ. a. *Efficax remed. adverſus verminationem. Doſ. à gran.* 5. *ad* 10.

Sal Tartari, fit ex Tartaro calcinato non ſecus ac ex aliis Cineribus ſal extrahi ſolet. poteſt & elixiviari ex Capite Mortuo poſt Deſtillationem Spiritus Tartari relicto, ſi ulteriùs comburatur. Vel, fieri poteſt ex Tartaro crud. & Nitro ana Pulveriſatis & calcinatis in crucibulo ſ. a. *Optimum eſt remed. in Ulceribus, Serpiginibus, Tinea, Scabie, &c. tam internè, quàm externè adminiſtratum.*

Sal Tartari Volatilis. ℞. Sal Tartari purific. ℥iv. Alcoh. V. ℥viii. Deſtilla ex Arena, ter cohobando; & adhæreſcet Sal lateribus Alembici *Diureticum & Aperitivum inſigniſſimum eſt. Sanguinem purificat. & malignitati reſiſtit. Doſ. gran. decem, ad viginti, & ultra.*

Sal. Viper. Volatile, f. ex viper. ſiccis per Retortam, ut cornu cervi, ex Capite mortuo elicitur more comm. *Sal fixum. Medicamentum ſummè penetrans, Putredinem arcens, obſtructiones reſerat, febres omnes reſolvit. In melancholia, podagra, renum calculo & veſica, mira præſtat. Doſ. gr.* 6. *ad* ℈ß.

Sal. Veneris. [i.e.] *Flor. Viridis æris.*

Sal Urinæ Volatilis, f. ex Urina fermentatâ per Retortam Deſtillatâ ſ. a. *Fixum elicitur ex* Capite Mortuo *more comm. Inſigne anodynum eſt in doloribus ſedandis, mixtum cum liquore convèniente, & ſupra loca affricatum. Internè datum reſerat tartareas obſtructiones viſcerum ac meſenterii, unde inſignis ejus uſus eſſe poterit in Scorbuto, Cachexia, Icteritia flava ac nigra, &c. atterit calculum renum ac veſicæ, doloreſque indè ortos ſopit. Doſ. gran. quindecim ad triginta.*

Hic rurſus in majorem Tractatus de Sale perfectionem, Experimentum Chimicum novum de Sale Volatili Plantarum, ex Clariſſimo WEDELIO,

PRÆFATIO AD BENEVOLUM LECTOREM.

ÆQuiſſima vox eſt, redde quod debes. *Memini me promiſſo dudum debitoris nomen ſubiiſſe & exſolvere jam debere, quod plurimi à me hactenus ſollicitarunt,*

Liberare fidem addecet, licet dilatam, neque enim fruſtra ſæpe differre licet, quæ omnium judicio exponere velis, maturè interim in vadimonium teſtes exceptione majores mihi comparavi. Exponere rem eruditis decreveram, ne ſine teſte relinquerer, ore quidem, non literis, quid enim ſcripto aliud reportaſſem, quàm judicia ſiniſtra, aut vilipendium, aut, quando ab amicis hæc timenda non erant, alia.

Inter iſtos nomino potiſſimum Excellentiſſimos viros, [taceebo autem jam domeſticos, & familiares plures] D.D. Tackium, Meibomium, Barnerum, *aſt quanta nomina!*

Vix eloqui poſſum, quàm benevolè exceperit conatus meos ipſe tunc nobis præſens celeberrimus D.D. Tackius, *quàm ingenuè mentem ſuam expoſuerit, & quàm amicè de me ſentire apud Sereniſſimum meum Principem ſuſtinuerit.*

Non perſuadere opus fuit, nec differre, in his enim ſæpe.

Nec locus ingenio eſt, oculi, Te judice, vincant.

Id unum ſcrupulum movebat, quod accidit ſæpe, ut quæ audientes mirabamur, eadem legentes rideamus, ſeu, quæ Cyri *apud* Xenophontem *eſt oratio*, μείζονα εἰσιδὲν τὸ μείονα ἰδεῖν, arbitratos majora minora videre, *& quod in proverbio fertur,* ἄνθρακες ὁ θησαυρὸς. *Verbo, non ad palatum omnium fore, minus ad votum eruditiorum, alteri fœtidum, alteri difficile, aliis vile.*

Aſt noveram, quàm levis ſcintilla in altæ lucis pyramidem exurgere poſſit, unde licet imperfecta hæc videri poſſent, malui tamen rudia hæc, & in incunabilis ſuis, ſi ita loqui fas eſt, exhibere, quibus ultra ſeculum abſconditum latuerat, quàm diutius premere.

Εἷς ἀνὴρ οὐ πάνθ' ὁρᾷ, *ait* Græcus Poëta, *mihi ſatis eſt, multa neſcire, pauca nolle. Aliis quoque relinquenda eſt pars gloriæ, in medio palma omnibus poſita. Gaudebam hinc prodiiſſe hâc occaſione quædam alia, ad rem facientia.*

Noveram enim, quàm ſolerti diſputationum vanitate alter alteri præripere ſæpe conetur inventionis laudem, & quàm immeritò litterariis altercationibus conſpurcentur ſæpe, quæ nitore ſuo clarius prodire geſtiebant. Diſpeream, ſi hoc non eſt ſupplicium de ſtudiis ſumere.

Non arrogo mihi laudes tuas, Lector Benevole, *nec ambio vana molimina, liberum penes te eſto judicium.*

Q. D. B. V.

CAPUT I.

Salia volatilia plantarum dari, extra dubium eſt.

DIes diem docet: non unâ vice inexhauſtus fons arcanorum naturæ æque & penitus diffluit, reſtant indies novi propullulantes rivi, ne dicam maria; hinc ſæpe fruſtrà negantur dari, quæ ſolers cura in apricum proferre geſtit, imò ſæpe quaſi aliud agendo invenit.

Videri

Videri poſſet ἄτοπον, τὸ διότι quærere, ſi τὸ ὅτι nondum fuerit dilucidatum, ſed cum non ſolùm ignota fuerit chimicis ⊖lium volatilium è plantis productio, ſed & produci poſſe iiſdem impoſſibile viſum, & negatum, operæ pretium æſtimandum eſt, de his quædam præmittere.

Negant *alii* penitùs, ea dari in vegetabilibus. Vegetabilia, *ait Zvvelfferus claſſe* 15.*pharmac.reg.p. m.* 668. pauco, aut nullo, ſale volatili conſtant, ac per conſequens nec in illum reſolvi poſſunt. Ac, licet credi poſſet, illum tantùm de terreſtrioribus loqui, non aromaticis, balſamicis & ſcorbuticis, vero tamen verius comprobatum aſſerit, nullum ſubſtantiale exiſtens ſal volatile ex vegetabilibus, uti ex animalibus in dies acidit, arte elici poſſe, niſi ⊖em fixum, & hunc ipſum non, niſi præviâ incineratione.

Limam hæc ſubiêre non immeritò, tùm *DD. Schroeckii noſtri animadv.in Zvvelff pag.*525.*&* 526. tùm *DD. Bohnii*, qui *exercit. phyſiol.* 7. *de ſanguif in coroll.* rectè hæc mechanicæ contrariari affirmat, cùm ex frumentis ⊖ volatile copioſiſſimum proliciatur, & ex pipere ipſo ſal volatile penetrantiſſimum acceperit, quod non ſine causâ egregium febrifugum conſtituere ſuſpicatur.

Alii eadem quidem negant itidem; ſed, cum notabilem copiam ſalis volatilis vidiſſent in urina, quin in cervo, quoad hanc ipſam, & inprimis ſanguinem & cornua, credidêre eadem nec cibo, nec potui, plantiſve inextitiſſe, niſi in formâ ſpiritûs acidi, quem ventriculi ſal fermentale in ſal volatile commutet. Videri hanc in rem poteſt *B. Mœbius fundam. Medicin. Phyſiol.c.*10.*p.*109. *ubi*, plantæ, *inquit*, omnes non facilè ⊖ volatile præbebunt; ſed ſolummodò ſpiritum acidum.

Involutas eſſe aliis particulis volatiles has ſalinas, & nominatim ab acidis quaſi ſubjugatas, certum eſt; verùm, ut facile fuerit excutere hoc jugum, & annihilare imperium ſub quo degebant, ſic promtè eadem menſtruo ſtomachico auſcultant, ſui fiunt juris, & ſanguinis partes conſimiles vegetant & reſtaurant. Altioris verò indaginis eſt, quomodo acida volatilia, exemplo formicarum, penetrantiſſima illa & ſubtiliſſima, reddi poſſint urinoſa, & quo medio ipſa hanc naturam & efficaciam obtineant.

Neque obſtant, quæ *loco citato Zvvelfferus* objicit, neceſſe eſſe, ut ſal volatile ſapore, odore, deſtillatarum aquarum, prout in aromaticis, balſamicis & ſcorbuticis aquis, percipiatur: neque ſola elementaris, inſipida, ac inodora aqua prodeat; ſi enim id ſufficeret, pari ratione concludere licebit, nec in ſcorbuticis plantis ſal eſſe volatile, cum v. g. ▽♌ lata ſedi minoris, aſt acerrimi, per ſe facta, planè inſipida prodeat.

Ludit nimirùm ſal volatile inſtar ☿rii, modò hâc, modò illâ facie apparens, prout particularum inverſio, & immutatio ipſi accidit. Quin *ipſe*, cum à poſteriori argumentum ducat, arte elici eadem non poſſe, quod alembicum non aſcendant, ſeu mediante ♌tione vulgari aquarum ſe non exhibeant, cogitare debuiſſet, latius patere præparandi modum, neque firmiter ex hoc ipſo concludi poſſe, neque ſal volatile in plantis dari, neque arte elici ex illis poſſe.

Mitiùs ſi quis ea explicare velit, reſpexiſſe dici poſſent ad ea, quæ communiter proſtant, nondum in libellis chemicis de his extitiſſe proceſſus, modò ipſius contextus conſequentia id permittat.

Alii ſub nomine eſſentialium, ita communiter dictorum, ſalium volatilia venditarunt, ut *Vnzerus*, *Mullerus*, & alii plures; ſed, utut mediæ quaſi naturæ & conſtitutionis ſint hæc ipſa inter fixa alcalia & volatilia: attamen καταχρηστικῶς ſaltim ac impropriè nomen hoc merentur, quæ præſertim terrea magis ſunt, neque requiſita ac conditiones ſalis volatilis obtinent.

Ex his ergò efficitur, experientiam chimicam hîc in parte altiùs promotam, contra quaſvis ſive rationes, ſive hypotheſes, malè fundatas, ſive denique autorum contrarias opiniones, locare poſſe in apricum facili negotio ſalia volatilia, quo uno omnia corruunt argumenta, quæcunque in contrarium adducta ſunt, neque, cùm res tàm clara ſit, eadem vel adduci, vel diſcuti pluribus opus fuerit.

Hoc loco meminiſſe lubet, tenerum admodum eſſe plantarum ⊖ volatile, ac delicatum, ut in hoc meritò animali regno, cui major hujus erat neceſſitas, palma cedat; non tàm & tot ramoſis plicis & fruſtulis alembicum pingit vegetabile tenerum ſal, quàm animale. Quin ſæpe ne cryſtallulis quidem ſe videndum offert, ſed ſolùm liquori immerſum guſtui & olfactui ſe offert, & cum acidis effervescit: qui tamen ſenſus adeſſe nihilominùs id ſufficienter & nemine reclamante probant, ut adeò ſal volatile, ab aſſervandi modo & in quibuſdam neceſſitate, poſſit duplici ſub formâ concipi & ſtatui: *liquidum* & *ſolidum*: &, ſicut ſal volatile C. C. viperarum, lumbricorum, &c. matri ſuæ ſeu vehiculo immerſum totâ die diſpenſatur: ſic id longè magis in vegetabilibus concedendum eſt, v.g. ♎ ⊖is ♀volatili, &c.

Quòd enim ſuccini ſal volatile magis præ reliquis per ſe adſervari poteſt, ♎ copioſius facit, ejuſdem porulos quaſi incruſtans, ne annihilari ab ambiente, & reſolvi tàm facilè poſſit.

Nullum verò tàm promptiſſimè, quàm cervinum, avolat, hinc & viperinum & eboraceum, inde eadem immerſa ſervare, & diſpenſare eſſentificata par eſt, medio modo ſe habent ⊖ volatile ♀ri & ✱ci, ut adeò ⊖ia hæc volatilia meritò audiant, quòd & ignem minimè ſuſtinent, & aëris ſolius admiſſu faciliſſimè in auras avolant; contrà ac fixa facere conſueverunt alcalia.

Idem & vegetabilibus contingere certum eſt, niſi liquori juncta & diſperſa annihilari tàm promtè reſpuerent. Hinc & in ſequentibus, cùm de ſalibus volatilibus loquemur, eadem non tàm abſtractivè, quàm concretivè, ſeu non ſine ſubjecto ac vehiculo intelligenda potiſſimùm volumus, ceu id in ſcholis Medicis, modò propriè quis non ſolùm nomen ſæpe, ſed rem ipſam attendat, in aprico eſt, ut ♎us ⊖ ✱ci nihil aliud eſt, quàm ſal volatile in liquore aqueo ſubſiſtens: ♎us ⊖is ♀ri volatilis eundem cenſum cum aliis meretur.

Modi parandi Salia volatilia ex ſeminibus, extractis, & oleis ♌latis.

CAPUT II.

EX ſeminibus plantarum ⊖ volatile mediante igne elici poſſe, quæ acrimoniam cum odore, vel alterutrum horum junctum habent, tàm verum eſt, quàm quod veriſſimum, neque de reliquis, quæ minùs ſapidas offerunt particulas, penitùs dubitare licet, niſi quòd parciſſimum & diffuſiſſimum ea exhibitura ſunt, reſpectu priorum ⊖ volatile.

In ſemina ductu naturali, & extraneo calore vegetante ſolari, vis & anima quaſi omnis abit, recumbit in his, ceu in centro & puncto ultimo ⊖ volatile, unde effœta tunc eò magis redditur planta, quò matureſcit magis ſemen. Colligitur in his, ceu in receptaculo, ex plantæ cadavere quaſi emigrans & novum germen exſpectans vegetans forma, quæ priùs ſparſa erat in toto herbæ corpore, unde in his ⊖ volatile concentratum videre eſt, quod in reliquis partibus diffuſum priùs palabat.

Patet hinc, quàm promtè ex his educi poſſit ⊖ volatile, ſive ſeorſim, ſive ſub ſulphuris pallio occultatum, &, ceu ex herbis oleum longè difficiliùs elicere datur poteſtas, quod ex ſemine promtè efficitur; ſic par ratio eſt ſalis volatilis, ut mirari lubeat, luſiſſe multos

ea ipſa, & viſum effugiſſe, donec emunctiorum Chimicorum naribus ea videnda ſe exhibuëre.

Inſipidorum ſeminum exemplum ſint frumentacea, quæ copioſiſſimum in ſe continent volatile ſal, idq; prolici de ſe lubenter patiuntur. Magis id amicum naturæ eſſe conveniebat, magis pati, quàm agere in corpore, ob nutriendi, quâ pollet, facultatem: hinc minùs ſapori obvium, temperatæ oleoſæ emulſioni merſum, hinc volatile ſal minùs percipitur à priori. Aſt, quam belle reficit analepticus panis ſpiritus, in Tinct. coraliorum hinc non ſine causâ experitus: quàm confortat non dicam odor, quod *Democriti* prædicatur exemplo, quàm ipſa ſubſtantia, ut fruſtrà hinc neget *Helmontius*, panem reliquorum omnium ciborum eſſe fundamentum.

Neque obſtat ♒us acidulus, quem fundit, quò minùs occultetur unà ⊖ volatile. Tacemus alia ſimilia, quæ poſteris temporibus diligentia vulcano vel ſubjecit, vel committet ulteriùs. Ut enim in bonâ causâ vel tria verba ſufficere ſcribit *Pindarus*, ita etiam ſæpe in exemplis id abundè valet.

Tetigimus jam hæc priori capite, ubi & ⊖is volatilis piperis mentio facta eſt. Dudum jam nobis *ſal volatile fraxini* elegantiſſimum ex ſemine, quod avis linguam vocitant, prolectum commendavit & oſtendit *Dn. Ludovicus* noſter.

Illuſtrabimus exempli loco eadem ulteriùs ſemine rutæ, ſophiæ Chirurgorum, aliorum ſimilium.

℞. Sem. dictorum, rutæ, cochleariæ, ſoph. Chirurg. &c. bene mundat. & ſicc. q. v v.g ℔ß. vel ℔j.
Inde ☊ vitreæ, ℒla lento igne primò phlegma, hinc ⊖ volatile ſpiritui mixtum & ſeorſim quoque pulcherrimis rhombis recipientis ſe affigens parietibus longè elegantiſſimum, & oleum penetrans, ad χαρηβαρίαν uſque copioſiſſimum. Paucis horis re feliciter peractâ, ſeparetur mediante filtro vel tritorio minorio cum à liquore volatili urinoſo, conquaſſato priùs leniter vaſe, ut ⊖ volatile ſolvatur, & liquori immergatur, quo fine etiam ▽ rectificati modicum pro ablutione majori infundi vaſi poteſt. & ſervetur ad uſum. Eſt verò primum cephalicum, & ſpeciatim antepilepticum, alexipharmacum & penetrans, hyſtericum etiam medicamentum, non contemnendum, quod per ſe dari poteſt ad gutt. x. xx. vel cum ♒ *lil. convall.* aliiſque accommodis permiſceri. Reliqua matris ſuæ indolem ſequuntur.

Oleum ſeorſim rectificatur cum aquâ copioſâ, vel aliis artificiis ſordes ex oleis ad ſe trahentibus alcalinis, quæ hujus non ſunt loci, ad internum & externum uſum aptetur.

Notabile eſt, quòd impetuoſâ vi ſeceſſum faciente ſale volatili ab oleo, ſub finem, vel in medio ℒlationis facilè rumpi ſoleat retortæ corpus, præſertim, ſi paulò major fuerit deſtillationi commiſſa quantitas, licèt ignis ſubditus non ita fortiter urgeat egreſſum.

Tactis his nobilioribus, non opus eſt, aliis pluribus diutiùs immorari.

Extracta plantarum item fundere ⊖ volatile, exemplo eſt *opium*, quod & volatile, & ♒um ⊡noſum de ſe fundere, uti certum eſt, ita id *in opiol. noſtra l. 1. ſ. 1. c. 9. p. 33.* pluribus fuit tactum. Sic latere aſſuevit & immerſum eſſe particulis reſinoſis & roſcidis, ut etiam, niſi ſecedere hæ ab invicem cogantur, & dimittere, quod ſecum abſorpsêre, vix in conſpectum prodeat. Si enim opium deſtillationi ſubjungatur, non per ſe, ſed addito menſtruo vel aqueo vel ♒uoſo, tantum abeſt, ut dimittat de ſe ⊡noſum volatile ⊖, ut potiùs & anodynam ſervet ſecum vim, & liquor deſtillatus parum vel nihil inde participet, cùm de reſinoſâ parte nihil ſecum evexerit.

Extracta aliorum vegetabilium, non penitus gummoſa, iiſdem fovere ſecum ſal volatile, credibile eſt, ſi v. g. *extractum ſcorzoneræ, petaſitidis*, imò vel ipſius *hellebori* ℒlationi eodem modo factæ ſubjiciatur, neque enim æquè calor, ad eorundem præparationem antegreſſam neceſſarius, propellere eadem eſt ſufficiens, cùm irretita viſ oſis & fixioribus particulis magis ſint. Hinc verò fortiori extruduntur vecte. Et in genere ſalia volatilia odore urinoſo non eruuntur niſi vel propellantur fortiùs, vel liberâ gaudeant avolandi licentiâ, aliàs enim ſenſim exhalant, ut ſub aliorum velo latent.

Ex Oleis *aromaticis* ℒ*latis*, ſeparare ⊖ volatile, uti artificioſum eſt, ita, cùm ex *Helmontio* jam ſuprà de eo diſſeruimus, & latiùs hæc tradiderit *Excell. D. Ludovici tract. de* ⊖ *le* ♀*ri volat.* ſupervacaneum ducimus, longiùs id hoc loco repetere,

Duplex hic eſt *modus*, uterque ab *Helmontio* inſinuatus *in ſpecimine* ſeu *parte primâ c. 5. p. 41.* facilè à callenti ad olea applicandus, alter per *alcalia*: uterque magni momenti.

Sunt, qui ex eodem fundamento alcaheſt venantur, & panaceam, quibus ſua linquida eſt ſpeculario, quidem contra mentem autoris manifeſtò eſt, qui tantùm vicem alcaheſt obire poſſe eodem carentibus, ſcribit. Fieri poteſt proceſſus cum quovis ⊖e fixo & oleo aromatico. Minorum ſumtuum & parabilius eſt, ſi ⊖lis ♀ri part. iij. cum ♒*us terebinth. atherei* parte j. miſceantur; ſtent in digeſtione uſque ad coagulationem, (lapidem vocant, quò diutiùs ſteterit, eò meliùs evadit ſal; abſtractione lentâ factâ, ſi opus ſit, ℒlatio fit per ☊, aſcendente in ſublime ſale volatili, virtutum admirabilium.

CAPUT III.

Per fermentationem & ſemiputrefactionem ex plantis, floribus & foliis, ⊖ia volatilia putari poſſunt.

Uti verò per deflagrationem igne aperto ex ipſis quoque plantis ſiccis in incineratione, licet minori quantitate, æquè, ut ex ſeminibus largiori copiâ, ⊖ volatile colligere licet, (ubi, ſi nempe per ☊ℒ lentum herbæ, olea mutari poſſe in ſal volatile, ſunt, qui aſſeverant;) quod tamen obiter hoc loco ſaltim tangere lubuit, uti ex abſinthio ſal volatile amaricans ſeparatum novimus; ſic ex recentibus jamdudum id tentârunt, per fermentationem & ſemiputrefactionem cum ſucceſſu plures.

Dictum jam aliàs à nobis fuit, non perdi tàm facilè ſal volatile per fermentationem, ut communiter creditum fuit; ſed immerſum aqueis & aliis particulis ſaltim abſconditur, & cæterâ compage ſenſim hoc modo reſolutâ, præcedente leni fermentatione & incaleſcentiâ, ſi præſertim externus ambiens aër id non prohibeat, ſpiritus urinoſus inde prolicitur. Aliis enim calidus, vel ſaltim temperatus, & ſibi relictus convenit, aliis frigidus magis aptus habetur, v. g. in cellâ, vel; qui nonnullorum eſt modus, indita materia vaſi apto aquæ committitur, quæ digeſtio eſt frigida. Sic. ℞ *florum liliorum canvallium* recentium, rore majali imbutorum, vel etiam *anthos*, &c. ſ. q. inditi vitro apto, ſeu cucurbitæ reponantur in cellam, & decurſu aliquot menſium reſolvantur in liquorem, qui acutiſſimi & fragrantiſſimi odoris erit, hinc ℒtioni ſubjectus urinoſum volatilem ſpiritum fundet.

Ipſe hic modus callentioribus Chimicis aliis plurimis dudum celebratus fuit, quos nominare ſupervacaneum foret.

Si plantæ ipſæ hoc modo reſolvantur, minùs participans de odore, ⊖ volatile eruitur; ſin flores odoratiores, ubi partes 🜍eæ exſuperant cum ſalinis, magis id reſpectu illarum acquiritur.

Problema

Problema curioſum eſt, ⊖ia obtinere volatilia, quæ retineant odorem, ſeu quæ tenentur de odore plantæ, ex quâ parata fuerunt. Hac tamen analyſi, quæ majoris apparatus eſt, ut in pleriſque quoque aliis, odorum radicale principium, 🜍, vel ſeparatim ſe prodit, ſi id expetatur, vel prædominantibus aqueis & urinoſis partibus confunditur, (ut ita loquar) & odorem urinoſum præpollentem exhibet.

Per ſe facta ita ſe habeant, ceu innuimus, & curioſâ ἐγχειρήσει acquiri poſſunt; *per artem* verò ſalia volatilia reddere oleoſa, & finem hunc aſſequi, uti curioſum & paſſim hodie decantatum; ita facillimum eſt, prout inferius de eodem dabitur differendi occaſio.

Proceſſum ipſum, quo modo ex plantis hac via elici poſſit ſal volatile, cùm *in tranſactionibus Philoſophicis Anglicanis d. 25. Mart.* 1674. poſuerit & recenſuerit *D. D. Cox* huc excerpemus.

♃. Æſtatis medio, ſeu calidiori tempore, bonam quantitatem plantæ, quàm volueris, ſepara inde folia omnia, & ſeorſim caules ſtipiteſque abjicias. Hinc indas eadem vaſi firmo & clauſo donec omnimodè fermententur, putrefiant, atque in pultis formam redigantur, quod in quibuſdam tardius, in aliis ocyùs fit. Deinde ♌la hanc maſſam igne primùm mediocri, & habebis aquam qualis ex aliis plantis ordinarie elicitur, hinc ⌒us & ⊖ volatile ſuccedat, & circa finem oleum craſſum, nigrum atque fœtidum, quod cum ⊖e volatili jungendum, ſæpiuſque rectificandum eſt, & olei maxima pars in ⊖ adhuc faceſſet, unde ⊖ volatile ⊡noſum inſtar ⊖is ⊡næ, C. C. ſanguinis humani, vel ⊖lis ✱ci emerget.

Ubi notandum.

1. Per fermentationem, dum illa inchoatur, hæc herba valdè incaleſcet, præſertim circa medietatem ſeu centrum, hicque calor adeò fortis erit, ut, igni contrà, manum impoſitam lædere ſoleat.

Poſthæc incipit corruptio, putrefactioque omnes plantarum naturales qualitates immutat, & quidem non ſolùm ſenſibiles, ſed & ſpecificas; adeò; ut

Planta bonum gratumque exhalans odorem, fœtida corruptaque evadat, æquè ac alia, cui hæ (qualitates non inſunt; adeoque fœtet, ut odor æquè intolerabilis vix alius detur. Aſt hic fœtor non multùm durat, ſed omninò diſparet, ſimul ac planta ♌lationi ſubjicitur.

4. Plantæ humiditate & pinguedine pollentes duplo citiùs, quàm magis ſiccæ, & aromaticæ & teneræ putrefiunt.

5. Durante putrefactione interdum in medio vaſis, licet nullus eò patuerit, ab extra aditus magna vermium, muſcarum, aliorumque inſectorum quantitas fuit reperta, quæ verè ex putrefactione orta ſunt.

6. Vermes hi ⊖ volatile non largiebantur; verùm alium ab hoc multò diverſum liquorem exhibebant, mediante ſcilicet ♌latione.

7. In hac plantarum deſtillatione 1. *aqua* apparet adſcendens, ſub guttarum ſatis groſſarum formâ, congregaturque, & in recipiens cadit, 2. *Spiritibus* adſcendentibus, illos ſub nubium ſeu nubecularum ſpecie evehi cernes, quæ difficiliùs colliquantur, & ſtrias habent diverſificatas atque intortas, quemadmodum in deſtillatione ⌒us C. C. accidit 3. Denique *oleum* apparet, quod non, niſi violentiſſimo, & ad ſummum aucto igne exit, idque omnium fœtidiſſimum.

8. Nunquam aliud, præter hoc, obtinui oleum, poſt putrefactionem, quæ ſi perfecta non ſit, exit hoc oleum eſſentiale, odorem plantæ referens.

Plantæ, quæ oleum eſſentiale communiter non præbent, multum olei fœtidi largiuntur; verùm, quæ multum olei eſſentialis dant, plus olei fœtidi emittunt, quàm aliæ.

10. Inter ⌒us & °°°ea hæcce quædam ſæpiùs, (3. 4. 5.) rectificari amant.

11. Hoc ⊖ volatili rectificatum omnes ⊖is ⊡noſi qualitates habet, adeò, ut ipſum inter, & ſal volatile ſanguinis humani, C.C. ⊡næ, aut ✱ci nulla interſit differentia. Omnes etiam producit effectus, quos hoc, diureticum & diaphoreticum eſt, acidum deſtruit, cum illo ſe jungit, & inde ⊖ compoſitum reſultat armoniaco ſimile.

12. Quod magis eſt hæc ⊖ia volatilia à ſe invicem, neque quoad qualitates ſenſibiles, neque quoad effectus differunt.

13. Nullam plantam ♌lavi, (quamvis diverſas deſtillaverim,) quæ omnes has partes, de quibus modò diximus, non reddiderit.

14. Poſt ♌lationem in vaſe offert ſe odor moſchum ferè redolens, qui nullo modo tolli poteſt, licet per aliquot annos aëri expoſitum fuerit.

15. Vas in quo planta fermentatur, ſæpiùs apertum reliqui, & vertente anno pauciſſimum in eo reſtabat ⊖ volatile.

16. 🜨 nullum ⊖ fixum largitur.

Et hoc quidem modo ex animalibus quoq; quibuſdam deſtilari poteſt ⊖ volatile, ceu ex lumbricis per putrefactionem fit, quibus in vas vitreum ſeu terreum poſitis, accedente ambientis calore ferè eadem obſervantur, ac in plantis à dicta præparatione, ut & oras vaſis tranſcendere, &, niſi porta detur, veſicam diſrumpere ſoleat inteſtinus motus. Poſtmodùm deſtillationi ſubjecti fundunt liquorem, ⊖e ⊡noſo cum 🜍re fœtido refertum, & rectificatione prævia depurabilem magis & gratiorem reddendum, de quo jam in ſpecimine noſtro diximus.

Si quis verò addere plantis hunc in finem velit curioſus ſal fixum, ſeu proprium, ſeu uſuale aliud obvium, v.g. ⊖ Tart. vel calcem vivam quoque, aut ſaltim cineres illi id ipſum liberum eſt, ſufficit, abſque additamento ſimplici via id ſuccedere.

Adeoque hæc præparatio in vulgus jam innotuit, & poſſibilitatem ſufficienter quoque demonſtravit, proceditque non tantum in antiſcorbuticis, ut cochlearia, naſturtio; ſed etiam in aliis, ipſiſque floribus, præcipuè odoriferis, nec adeò ſiccis, ceu ex floribus filiorum convallium, uti modò dicebamus, elegans ⊖ volatile hâc via & methodo conſurgit.

Sine igne & ſine additamento, ſpontaneâ deſtillatione, ex ritè praparatis plantis prodit ⊖ volatile.

Videbatur jam evulgatus proceſſus, quo de in ſpecimine ſcripſimus, adeoque crambe recoqui. Verùm, uti cuilibet ſuam concedimus lubenter gloriam, ita in eo quoque non ſine effectu latuit hactenus experimentum noſtrum, ut ſeu inventionis ſimilis in publicum producerentur ſpecimina, ſeu de noſtro hoc doctiorum judicia. Licitum ſanè fuiſſet nobis, quæ graviſſimis viris & Chimiatris dudum oretenùs & oculotenùs demonſtraveramus, & commode cum illis feceramus, ſtatim evulgare, & in eo inventionis famam aucupari, cum, verbis *Dn. Lic. Garmanni* noſtri, multi è Philoſophis chimicis de ⊖is volatilis plantarum exſiſtentia, dubitarint, nullus autem, niſi forſan incidenter & ſuperficialiter, ante nos tractaverit hoc thema.

Modeſtè verò in hoc maluimus aliis judicium relinquere, ubi ſcripſimus verbis *Mirandulæ*, nec inventum à nobis id eſſe, nec quæſitum. Nunc verò abeat in lucem, ut quæ vel à nobis ſcripta primùm, vel occaſione hujus ab aliis publicata, lucem acquirant majorem.

Quoad ipſam rem, ne quis impunè gloriari de inventione poſſit, vel litem uti in rebus nauci ſæpe fit, in hoc movere nobis, quum omnibus modis averſamur, noſſe æquum eſt, ultra ſeculum, ſeu ultra centum hoſce annos, ne ampliùs progrediamur, evolutionem hanc ⊖is volatilis mille teſtibus, notam fuiſſe, ſed non obſervatam: viſam, ſed neglectam; publicè apertam, ſed nec agnitam, nec curatam. Qui probationem hujus deſiderat, cogitet quæſo, quamdiu in Thuringia noſtra glaſti præparatio nota & in uſu fuerit in univerſæ ferè Europæ uſum expetita. Eandem originem etiam ſibi vindicat experimentum noſtrum, ut ex ſequentibus patebit.

Liceat modò nobis mirari hoc loco naturæ abſcondita, latent ſæpe, quæ obvia ſunt, concluſa, quæ nares feriunt, occulta, quæ in oculos occurrunt, quid ſenſibus ipſis certius eſſe queat? Ludit in hoc mortalium ſtuporem, qui, quod habent, habere ſæpenumerò ſe credunt, quod habent, & ante pedes eſt, negligunt. Neque tamen culpanda anteceſſorum noſtrorum ignavia vel incuria, infelicitas hæc fuit, non ſocordia, poſteris quoque plura relinquentur. Non unâ vice pandit arcana ſua, ſed partitis; quæ uno momento nos delectant, facilè negligimus; quæ diſtinctis vicibus, gratiora ſunt & intimius afficiunt. In hoc tantum delinquitur, ſi in libris ſolùm & penes eruditos quæritur ſapientia. Latet hæc & ſordido pallio, neque, quod *Hippocrates* noſter jubet *in præception. cap. 2. v. 24.* pigeat ex plebeiis ſciſcitari, ſi quid ad curandi opportunitatem conferre viſum fuerit. Multa apud mechanicos arcana latent, multa apud operarios: habitat ſub ingrato ſæpe & inviſo hoſpitio naturæ ſplendor.

Sed, ne gratis hæc dixiſſe videar, à poſteriori quaſi præſupponimus pauca hæc axiomata.

Plantæ omnes pollent ⊖le volatili, aliæ quidèm magis, aliæ minùs: aliæ obvium magis & explicitum aliæ immerſum, & in ſinu implicitum, magis fovent.

2. *Plantæ ſibi invicem ſuperimpoſitæ incaleſcunt, quò majori quantitate & denſitate, eò fortiùs, & vice verſâ.* Videri id poteſt in quibuſvis herbis, abſinthio, carduo benedicto, in faſciculos majores & denſiores collectis, lupulo, imò ipſi etiam farinæ tempore æſtivo idem accidit, & fœni exemplo notiſſimum eſt. Memorat id ipſum de ſeminibus quoque & ſtercoribus, etiam ſiccis, *Galenus libro de cauſis morbor. cap. 2.* & accenſum etiam ipſum ſtercus columbinum hoc modò ſe vidiſſe addit. Illuſtrare hæcce licet elogio accuratiſſimo *divini ſenis*, qui, quaſi hæc intimius pervidiſſet, & ipſum proceſſum velut digito innuiſſet, ita *l. de natur. pueri c. 26.* ſcribit: καὶ γὰρ ἡ κόπρος ἡ νενασμένη μὲν εὐθερμοτέρη ἐστὶν, ἢ ἡ ἀραιὴ ἐοῦσα καὶ ἄλλως, τὰ μὲν ἰμαλέα καὶ πεπιεσμένα ὑπὸ σφῶν αὐτῶν ἐκθερμαίνεται, καὶ ἐν τάχει κάρτα ὑπὸ τῆς θερμασίης ξυγκαιόμενα σήπεται· οὐ γὰρ διίεισι τὸ πνεῦμα δι' αὐτῶν, ἅτε πυκνῶν ἐόντων. *Nam & ſimum denſius accumulatum, intus calidius eſt, quàm quod rarum exiſtit: & alias humecta ac compreſſa, & ſeipſis concaleſcunt, & brevi à calore valdè exuſta putreſcunt. Neque enim permeat ſpiritus per ipſa, nimirum cum denſa exiſtunt.*

3. *Plantæ certo modo priùs præparatæ, & ſibi invicem ſuperimpoſitæ de ſe mittunt ⊖ volatile.*

4. *Poſito ipſo calore, intrinſeco, ſponte facto, non extraneo, poſita aptitudine, 🝞latio fieri poteſt ⊖is volatilis ſine igne, per ſe, ſine additamento.*

5. *Humiditas nimia ſuperaddita, ſeu conjuncta, calorem quidem habet ſuccedaneum, & hinc ⊖ volatile, quod ſecum immerſum geſtat, igne mediante de ſe prodere poteſt; ipſum verò ⊖ volatile minus, quippe praditum & detentum, citra torturam hanc ſe offert.*

6. *Hinc exhalare prius leniter.*

7. *Proportionata tamen eſſe, unde, ſi ſiccitas nimia accedat, & conſequenter proruptio ⊖is volatilis moram trahat, affundere licet aquam.*

Quid multa? fatemur glaſti præparationem mechanicam obtuliſſe nobis ſal volatile ejuſdem: cum enim & curioſè hanc luſtraremus, & in parandi modum inquireremus, fumantes acervos vidimus, urinoſaſque particulas exhalantes percepimus, toto eo, quo continebatur, loco, ne dicam totâ domo, nares vellicantes. Mirati artificium, cogitavimus, quomodo in auras abiens, à nemine curatus, nec in uſus alios cedens urinoſus liquor, vel ſal volatile poſſet excipi, & impoſito inſtrumento hic depicto obtinuimus, quod volebamus. Ita ſcilicet ſine ſumptibus, ſine curâ, &, quod maximum eſt, ſine igne colligere licuit notabilem, quantitatem ⊖lis volatilis, in liquore hoc ſponte prolecto, odore non minùs, quàm ſapore ſe ſiſtens, quod hinc rectificare facilè, & 🝞latione leni XXcum magis aptare licet ſi pars circiter dimidia vel tertia ſaltem abſtrahatur.

Explicatio Figurarum, N. I. & II.

A. *Globuli glaſti, prius in hunc uſum præparati, & jam accumulati in tabulato, ab interno calore ſal volatile aſſumentes, circa ullum externi ignis acceſſum.*

B. *Inſtrumentum figulinum illis ſuperimpoſitum, ſive uno, ſive pluribus locis, ut colligi & excipi poſſit, nec vacuas evolare in auras ſal volatile; ſive rotundius illud fuerit & capax, ut* N. 1. *ſive quadratum & oblongam, pauloque altius, ut* N. 2. *ita globulis aptandum, ne admiſſu aëris liberi tranſfugere poſſit exhalatio, vel muſca etiam copioſa ſimul poſſint ingredi.*

C. *In collum abiens ejuſdem pars inſtar cucurbitæ, ut magis jam adſcendere poſſit & colligi ſal volatile.*

D. *Alembicus vitreus paulo capacior; collo huic impoſitus, qualem in 🝞tione ✳ti adhibere conſultum eſt. In hoc roſcida & aquea particula, vehicula ⊖lis volatilis, ad receptionem cohibentur & uniuntur.*

E. *Recipiens ſeu cucurbita itidem capacior, in quam deſtillat liquor ⊡noſus volatilis.*

Sal



Sal volatile ex hoc modo præparatis plantis, facta jam ſpontaneâ ⊗*tione, igne mediante acquiri poteſt.*

Adeò jam panſa & recluſa ſunt hoc pacto omnia; ut & ſponte abitum parare ⊖ volatile poſſit, & citra ullùm alius coloris acceſſùm colligi, novo & inuſitato deſtillationis genere, ubi, cum alias ſine igne Chimici ἐδὲν ἀξιόλογον τῶν χρησίμων κατασκευάζονται, *nihil quod operæ pretium ſit utilium parare poſſint*, ſpirare cernitur naturæ veſta æthereos fumos, & ſine furno ipſa ſibi ſufficere, quem ex ipsâ materia ſortitur.

Aſt ne ſic quidem inexhauſtæ ſunt omnes dotes, ipſa partem miniſtrat adjuta tam commodè natura, & quantum interiora poſſint, ſponte deſtillando manifeſtare; partem verò, & quidem non levem, quam abſconderat in globulis quaſi intimius, ignis artifici reſervat, ut præeuntem ipſam ſi ſequatur, abſolvere opus poſſit, & ⊖ volatile reſiduum, copioſum, neque enim omne avolat, igne extorquendo in gloriæ ſe partem vocare.

Facilis res eſt, & ex paſſim obvio, ac venali glaſto, præparato ſcilicet, ſiccoque, pro tinctorum uſu unicè accommodato, parabilis.

℞. *Glaſti præparati* q. v. v. gr. ℔ij.

Indito 🝭 vitreæ in arenâ, facta probè lutura, pellatur primò phlegma, hinc nebularum forma ſpiritus, ſale volatili potiſſimum ebrius, cui tandem oleum flaveſcens fœtidum, inſtar olei lumbricorum ferè minori quantitate ſuccedet. Filtretur liquor volatilis urinoſus & ab oleo ſeparatus, addito etiam, quod cum ℣ ex recipente elutriatur, rectificetur ſive per ſe, ſive additione cinerum puriorum cribellatorum, & ſic habebis ſpiritum, ſeu ⊖ volatile liquidum πολύχρηστον, antiſcorbuticum, diaphoreticum, antipodagricum &c.

Fixationem ſalis volatilis hujus ∽u ⊖li & aliis acidis machinari licet, quamvis longè melius volatili forma in uſum cedat. Par ratio eſt ſimilium eodem modo prius præparatorum & recluſorum, jam enim hoc præcipuè exemplum ſumpſimus.

Digreditur in glaſti deſcriptionem, & præparationem.

In Scholis Medicis *glaſti* nulla vel parca admodum hodiè occurrit mentio, ut locum & hic habere videatur *Helmontiana* querela, à *Dioſcoridis* uſque tempore paucam vel nullam acceſſionem factam in hoc uſque ſeculum, adeò videas pleraque herbaria tantùm gaudere tranſcriptione virtutum ut, quoad harum vim, ſi unum legeris, omnes legeris, in vaſtam nihilominùs molem excreſcunt, & præter icones, eoſque falſos ſæpè & imperfectos, parum ſolidi tradere; &, quod non dictum ſit priùs aſſolent.

Cum *ſativa* ſit alias iſatis, alia *ſilveſtris*, ex *Dioſcorideo* textu patet, antiquiſſimum eſſe uſum prioris ad tinctorum uſum, ſativam *ait*, ἥ μὲν βαφεῖς χρῶνται, *quâ lanarum inſectores utuntur*. Ex quo colligere non ineptum foret, & præviam ad uſum hunc præparationem, dudum & cognitam, & exercitam fuiſſe.

Tertium ex eâ accedit Thuringiæ noſtræ vectigal, cùm aliàs & vino & frumento abundet vid. *Cornarius Comm. in Dioſcoridem lib. 2. cap. 169. pag.* 210. Hinc volgatum eſt proverbium: *Tria fundere Thuringiam cognomina: VVein, VVeiken, VVald*; quibus & *quartum, VVolle*, non immeritò licet addere.

Proventus iſatidis inſtar zizaniæ cujuſdam, ceu vulgò eam vocant, facilis eſt modò in ſolum pinguius incidat.

Inprimis optimè creſcit iis in arvis, quibus priùs linum ſatum fuerat; ſin minùs anteceſſore hoc gaudeat ſtercorari eadem probè poſtulant.

Alterútro horum facto ſive lini præceſſerit fœtatio, ſive ſtercoratio proba aut foditur terra ad ſationem, aut aratro ad id aptato, quadrijugali, *groſſer VVaidpflug*, profundiùs aratur. Sin communi aratro præſtare id libuerit lentè feſtinandum eſt, mora enim eget; nec tàm alienis, quàm domini oculis, cujus præſentia, elogio *Palladii lib.* 1. *de re ruſt. t.* 6. profectus eſt agri, id gerendum.

Quod autumno aratro præparatum eſt arvum, hyemalibus feriis ad purificationis Mariæ feſtum relinquitur uberi irrigationi.

Semen ipſum, perinde eſt, recens ne an vetuſtum ſit, modò non fumi acceſſione, quod notabile eſt, corruptum fuerit.

Poſt feſtum purificationis, molliori cœlo, ſeritur, & ex voto quidem magis, modicâ nive poſita, & eâ quidem cautione, ne densè nimis ſatio fiat.

Elapſo uno alteroque die, quæ mora non de nihilo eſt, ſtudioſè mediante occatione, terra obtegitur.

Poſt Pentecoſten diligenter repurganda ab aliis herbis.

Poſt feſtum S. Johannis ad primam meſſem matureſcit, cum extima folia flavedinem præ ſe ferunt, vel metus eſt, flores ipſum meditari, ferro ad id parato, *Stoſſeiſen*, in terra herba detruncatur, in cumulum hinc colligitur, & ad loturam fertur.

Facta lotione, pabone ad locum aptum mittitur, ſparſim diſpergitur, & verrendo ſiccatur; marcor hic, *die VVelcke*, ſeu colono, ſi minor fiat & ſuperficiariè, ſeu emptori, ſi juſtus, lucrum fœnerat, illi quidem, aucto globulorum numero, huic meliori præparatione. Sin inconſtans tempeſtas minùs faveat, ut modò ſiccetur, modò imbribus irrigetur, quæ liberari ab extraneo humore debebat, periculum ſubit corruptionis, &, teſtis hujus, nigredinis, quod ſæpe unicâ nocte contingit.

Abſumpta ſuperfluâ humiditate, congeritur, & truſatilibus molis infertur, quarum plures videas in Thuringiâ, tum uſui huic accommodatas adhuc, tùm veſtigia ſaltim exhibentes priſtinæ copiæ & culturæ, ſolos lapides.

A conquaſſatione ſeu comminutione, & tritura hâc, qualis quidem ſucculentis adhuc convenit, in acervum obtuſum ſeu rotundum compingitur, ſuperna parte tecta pro arcenda pluvia, circa latera verò ventilabra fabricantur, ut herbacea ſanies reſidua per noctem excludatur. Modum hunc tangit & deſcribit paucis *Ryffius Comment. in Dioſcor. lib.2. cap. 177. p. 193.*

Abacto liquore digeritur in magnos globos, *vird geballet*, & tecto patulo ad id facto, *Horden*, ad machinam illam vecta imponitur, ut ſiccetur, adeò omni ſtudio ſuperflua humiditas abigitur, ne in putrilaginem fatiſcat, tum intentioni primariæ, quam colonus habet, tum ſecundariæ, quæ noſtra jam eſt, ⊖ ſcilicet volatile acquirendi, contrariam. Relinqui hic loci poteſt, quamdiu id fert occaſio, aut globuli jam leniter exſiccati, propriæ inferri domui, vel ad ulteriorem præparationem mercatoribus vendi poſſunt.

Globuli enim hi, quos ſexagenos *Schockweiſe*, vendi videas, tabulatis ingeſti & accumulati ſenſim incaleſcunt, & urinoſum ⊖ volatile de ſe exhalant, eo citiùs, quò calor ambientis, æſtivo tempore, & ipſorum copia major, illud verò non ſolùm, quo continentur, ſpatium, ſed totam ſæpe domum, & vicinas, odore ſuo replet. Adhærent tignis, parietibus, & tectis guttulæ roſcidæ, & in auras exſpirat, niſi excipiatur, ⊖ volatile. Tandem aquâ etiam affuſa magis intenditur calor, donec non in cineres, ut quidam volunt, ſed pulverem groſſum, tinctorum uſibus aptum fatiſcat, quod hinc glaſtum κατ' ἐξοχὴν, ſeu præparatum, audit.

Sed abſolvemus, quod reſtat circa iſatidis culturam. Secunda vice propullans non, uti priùs, ſolicitus unguiculis, ab immixtis aliis herbis repurgatur, ſed oves in agrum mittuntur, ut paſti interſito hoc gramine repurgent iſatidem, neque enim illi vel eſu, niſi ⊖e veſcantur, nocent, vel conculcando in terram, niſi paſtoris negligentiâ diutiùs, ac par eſt, inhæreant agro.

Exactis ſed ſeptimanis à prima meſſe, denuò, ut ſuperiori tempore detruncatur, & iterum elapſis, totidem hebdomadibus, ſi cœlum autumnale favet, nec gelu tàm citò ingruit, tertiâ vice, licet hæc minori bonitatis nota, ad utrumque opus polleat, tùm ob caloris ſolaris digerentis inſufficientiam, atque adeò tincturæ paupertatem conſequentem, tùm ob tempus lotuiæ minùs aptum, frigidiori exiſtente aquâ, & marcorem operi minùs parem, ut taceam exhauſtas jam ferè vires, ⊖is volatilis penuriam.

Patet & hinc, qui tardius, & quadrageſimali demum tempore arva ad iſatidis ſationem arant, binis tantum gaudere meſſibus, quarum prima cum ſecalis & tritici plerumque coincidit, & ſolent hujus generis glaſtum vocare *iung VVaid.*

Sequenti anno iiſdem arvis, quæ prius iſatidem tulerant, hordeum inſeritur.

Sin ſemina deſiderantur, tertia meſſe pars intacta relinquitur, unde vertente anno in ſemen exit, cujus pretium cum avenæ coincidit.

Sunt, qui à tertia meſſe, aut alterius ſpeciei, *andem Iung VVaid*, ſecunda, ſeu, ut uberiori fœnore potiantur, ſeu præpediti tempeſtatis & frigoris obſtaculis, reſpectivè tertium aut ſecundum metere nequeant, non ad hordei novam ſationem agrum ſcindunt, ſed hiemare herbam in hoſpitio ſuo permittunt, donec commodiori tempore circa quadrageſimam demùm, priùs, quàm hordeum ſeratur, in detruncationem cedat quod vocant *glaſtum ſecundarium*, *Rompes-VVald.* Aſt & minùs bonum id eſt, & arva nimis exſugit, ut ipſum hoc poſtmodùm in hordei proventum redundet minorem.

Ad uſum Glaſti digreſſio.

Quantus tinctis colore glaſti lanis honor ſit etiamnum, norunt Mercatores, & experiuntur, qui pannis hoc modo paratis utuntur. Colorem quidem propriè cœruleum, ob ⊖ volatile eminens, reliquis verò conſtans fundamentum præbet, unde cultura ſua t...m Thuringiæ noſtræ tùm aliis pluribus regionibus infinita attulit commoda; aſt poſtquam Indicum pigmentum advehi cœpit copioſius, utut ob exedentem & corroſivam naturam minùs commodè his uſibus ſerviens, licet colore, & quoad extrinſeca alia ad ſpeciem ejuſdem notæ & durationis tincti eodem panni videantur, Hanc ob rem jamdum præterito ſeculo, anno 1577. Francofurti, communi Imperii nomine decreto ejuſmodi fraudibus & noxis proſpectum fuit, & hocce noſtro, anno 1654. Ratisbonnæ d. 2. Aprilis à D. FERDINANDO III. ſub pœna confiſcationis cautum fuit, ne Indigo, ob copiam tingendi uſui vulgò inſerviens, ampliùs adhibeatur, in detrimentum Thuringiæ, Germaniæ, & emptorum. Eò tamen jam res devenit ut ad paucos redierit glaſto ſolo utentium tinctorum, atque adeò molarum truſatilium, hinc inde apud nos veſtigia priſtini mercimoniorum floris exhibentium, numerus.

Non noſtrum jam eſt, latiùs diſquirere, qui floridi colores, extractum, ex iſatide conſurgere poſſint & adhibeantur quoque à quibuſdam, neque in tinctoria ipſa arte occupati ad notitiam ſimplicium, & noſtrum huic in finem medicum, noſſe ſufficit, quod indigo & glaſtum ex eadem propullulent proſapia, neque niſi præparatione differant, unde tùm alii, tùm inprimis *Amatus Luſitanus*, *Comment. in lib. 5. Dioſcor. enarrat. 67. pag. 509.* Indicum, *ſcribit*, eſſe ſuccum defæcatiſſimum iſatidis herbæ, concretum inſpiſſatum.

Placet in communem notitiam præparationis hiſtoriam huc transferre ex auctore *anonymo de l'hiſtoire des joyaux*, qui creditur *Dn. de Chapuzeau cap. 6. p. 92.* Indigo, *ait*, quo ad floridiores vividioreſque colores utimur, ab arbore, (*rectius plantâ*,) deſumitur, quam poſt pluviarum exceſſum plantant, & quando ad altitudinem duorum triumve circiter pedum excrevit, reſcindunt dimidii pedis à terra diſtantiâ. Partem reſciſſam ſumunt, in repoſitorio cum calce reponunt, quæ adeò indureſcit, ut hæc repoſitoria marmorea videantur. Hæc ſtagna ſeu repoſitoria in circuitu communiter 80. pedes habent; ad medietatem, (vel paulò plùs,) aqua replentur, dein ad ſummum uſque virentibus arboris hujus frondibus complentur quotidiè omne hoc movendo, donec immergatur penitùs & evadat inſtar limi aggeſti, ſeu, ut terra pinguis aqua diluta. Hinc poſtquam hæc omnia per dies aliquot quieta relicta ſunt aquam emittunt & elabi ſinunt, qua educta penitùs, maſſam hanc limoſam manibus, priùs oleo imbutis, prehendunt, & ex eâdem fruſta magna vel parva pro lubitu conficiunt, quæ Solis radiis exſiccanda exponunt. Ad fallendos Mercatores eadem aliquando arenæ pro exſiccatione committunt, tunc enim facilè arena ipſis adhæret, majuſque inde pondus acquirunt. Sed nequitiam hanc multâ luunt, ſi id reſciſcat præfectus. Cæterum hæc arbor ter reſcindatur; ſed quoties id repetitur, minus inde reſultat indigo, & inter centum partes, viginti ad minimum de pretio pereunt, cùm tantum coloris non præbeat, ac prima ſpecies. Optimum Indigo ex

ex Biana, Indova & Corsâ, tribus pagis uno vel altero die ab Agra diſtantibus provenit, & hoc eſt, quod in fruſtrâ redactum globulorum ad inſtar cernimus. Octavo à Surat die, duobus ab Amadabat milliaribus pagus eſt, Sarqueſſe dictus, unde indigo planum ad nos fertur. Ejuſdem ferè naturæ, pretiique vix diſſimilis indigo creſcit etiam in Regno Colconda. Tandem idem ex Occidente, præſertim ex Antillis, ubi eodem ferè, ac in Oriente, modo fit, huc affertur.

Colligere ex his facilè eſt, & unde color exaltetur, & proſurgat cœruleus, ob explicatum magis 🜍ur in ⊖le volatili reſidens, & quam ob rem Indigo hoc tinctæ lanæ in receſſu minus bonæ ſint, ob calcis ſcilicet acceſſionem, quæ ipſa quoque cauſa eſt: cur exaltatus hic color & in apricum deductus minùs conſtanter tingat, quàm ſibi relictum & ritè præparatum glaſtum, quod citra talem communionem, mediante artificum tingentium induſtria, adhibetur: neque enim pars ſalina & terrena calcis vivæ, quę dubio procul & pondus ſimul adauget, eandem adulteravit.

Neque deſperandum eſſet de eodem artificio parandi indici, ſi huic operi manum quis & ſolertiam impendere velit, obſervata calcis & iſatidis proportione, &c, quæ aliæ minoris momenti ſe ſuggerunt circa id, circumſtantiis.

Certum interim eſt, quintam quaſi eſſentiam ad colores magis floridos & fulgidos exinde parari, & in uſum venire poſſe.

Cauſa incaleſcentiæ & evolutionis Salis volatilis.

Duæ ſunt operationes Chimicæ præcipuæ circa mixtionem corporum potiſſimum evenientes, fermentatio & efferveſcentia, quæ calorem producunt, tùm ad expanſionem & explicationem partium volatilium & ∽oſarum, tum ad alios uſus ubere proventu facientes.

In illa quidem blandius, & ſæpè vix ad ſenſum; in hac verò fortius omnia incaleſcunt, quia utrobique motus partium elementalium mixti occurrit, licet diverſus ratione mediorum, & finis, aliarumque circumſtantiarum.

Noſtra hæc operatio ad quamnam ſpeciem referenda ſit, dubium eſt non leve. Sicca quippe eſt, & citra turgeſcentiam vel intumeſcentiam, quale quid in fermentatione viſitur: neque tamen duo diverſa ſive ſimilia, ſive contraria apparentia, adverſis occurrunt frontibus; ſed, nullo extraneo interveniente, ſpontaneo motu exſurgunt partes volatiles.

Participat tamen de utriſque, cùm & motus ſit particularum à ſe invicem ſecedentium & avolantium, & cum inſigni calore eructet ⊖ volatile, non aliter, ac ſi ∽us ex ſalis ✱ci & Tartari combinatione evolvatur, unde commodè vel fermentatio ſicca, vel efferveſcentia implicita, quæ citra pugnam & tumultum evenit, dici poſſet; licet prius ferè malim.

Quantùm aliàs inter ſe commiſſa corpora ob diverſitatem pororum efferveſcant, in operationibus non ſolùm Chimicis, ſed & vulgatiſſimis occupatis ſæpenumero occurrit.

Sic v.g. calor & efferveſcentia occurrit 1. in præparatione *Tartari* ⊕-*lati*, ubi ∽us ⊕-li cum ⊖le Tartari ſicco vel deliquato conjungitur. 2. in præparatione *arcani Tartari*, ✱to idem ⊖ Tartari ſaturatur 3. in fixatione ⊖ium volatilium, cum ⊡noſa ligantur cum acidis 4. in præparatione ⊕-*li* ♂, cum v.g. limaturæ ♂tis ℥iij. artificioſè & per vices affunduntur ∽us ⊕-li ℥vj. & aquæ fontanæ ℥iv. Acida enim, quæ poroſiora ſunt, ſolvunt & aggrediuntur cum efferveſcentia modò calida, modò frigida. 5. in præparatione ∽*us* ✱ci cum ⊖ibus fixis, ✱co additis vinculum ipſius ſeu acidum abſorbetur, & volatile ſui juris factum propellitur. 6. cùm præparatur ∽us ⊖lis Tartari O uſto vel crudo. 7. cum præparatur ∽us ⊡næ cum calce viva. 8. cum ☍ terebinthinæ jungitur ∽ui ⊕-li, vel ⏀. 9. cum ☍ ⊕-li ☍eo aniſi 10 cum ∽us ⏀ & ▽ uterque rectificatus, accedente motu vel calore. 11. cum miſcetur ⏀ cum ⊕-lo ad præparationem ▽ 12. cum calci vivæ affunditur ▽, 13 cum rectificatur v. gt. ∽us 🜍is, & phlegma iterum jungitur acido in fundo remanenti, ubi calor & efferveſcentia conſurgit; cum tamen priùs ſe invicem toleraſſent &c. Plura hanc in rem videantur apud *D. D. Elßholzium in Clatoriâ curioſa*, *pag.* 62.

Sed horum alia ratio eſt, unde & longiùs ad eadem digredi, extra oleas eſſet vagari. Acceſſenda paulò altiùs eſt hæc noſtra incaleſcentia.

Præſupponemus iterum,

1. Adeſſe in plantis partes volatiles ∽oſas & ⊖linas, ſaltem materialiter, quod nemo negaverit: idque modo majori, modo minori quantitate; magis verò & minus non variant ſpeciem.

2. ⊖ hoc volatile eſſe ſubſtantiam tenuem ad motum maximè habilem & agilem.

3. Non tàm generari ergo propriè, prævia præparatione ſuprà expoſita, ⊖ volatile, ſed:

4. Evolvi impeditas, & libertas à compedibus avolare, unde explicatione egent & liberatione, ſi captare eaſdem velis.

5. Partes volatiles ſpirituoſæ mediante fermentatione propriè dicta eruuntur, unde rectè *Hamelius* ſcribit *lib.2.cap. ult. de conſenſu vet. & nov philoſ. pag.* 412. ante fermentationem aut deſtillatione aut alia arte prolici vix poſſe ſpiritus, non, quod ibi non eſſent, ſed, quaſi victi & aliis elementis oppreſſi jacebant; adeoque theſis firma eſt, non ineſſe ſpiritus plantis, niſi per fermentationem deducantur in actum. Uti enim τὸ materiale ipſorum met, & potentia ineſſe non negatur, ità minùs rectè de formali quis id accipiat, niſi velimus confundere ∽us φλογιςὲς, & partes aqueas parum de oleis ſecum habentes, unde ſpirituoſæ videntur aquæ, ob oleoſas & volatiles particulas in iiſdem diſperſas. Æquivocatio eſt in nomine ſpirituum. Adſcendunt partes quædam volatiles; ſed non in formâ ſpiritus, neque enim ſtriatim procedunt, etiamſi poſt rectificentur, adeoque fermentatione opus eſt ad propriè dictos ſpiritus, qualiſqualis demum illa fuerit. Vel, niſi velimus confundere ⊖ia cum ſpiritibus, neque enim, qui acris eſt, ſpiritus nomine (φλογιςȣ) appellandus liquor.

6. Partes volatiles ſalinæ mediante incaleſcentiâ ſimplici, & reſolutione citra turgeſcentiam & motum talem inteſtinum, qualis in prioribus occurrit, ſe captandos offerunt.

7. Ubi ſpirituum & ſalis volatilis copia eſt, brevi exagitantur & in motum cientur.

8. Sulphureæ herbæ magis ſpiritum, acres, ſalſæ, ſeu ſalinæ magis ſal volatile; utræque tamen pro diverſo præparandi modo & ſpiritum & ſal volatile fundunt.

9. In auſteris verò & acerbis partes volatiles non ſolùm ſubjugatæ; ſed etiam fixatæ quaſi ſunt, unde ex iiſdem ſal volatile non ita panſum, nec niſi ſub prædominio aliarum evolvitur, ceu in foliis quercus, aliiſque prædicto modo paratis, videre eſt.

10. Hinc ubi jam laxatis compagibus & vinculis prorumpunt partes volatiles, uti per putrefactionem ingrato & fœtido; ſic per artificialem hanc præparationem ⊡noſo gravi odore nares feriunt, & ſpiculis ſuis membranam narium, odoratui inſervientem, vellicant & lancinant.

In ſalibus enim volatilibus explicatiſſimum eſt ſulphur, unde & citiùs voto avolant, ſibi relicta, & ſi acidis hoc dometur & obtundatur, odor etiam abit omnis, ex quo adhuc patet, cur ſulphuri odor à Chimicis magis adſcribatur, quàm ſali. Sulphur enim eſt primum odorabile; ſed hoc debet eſſe explicatum ſale volatili: inde videmus, illa maximè eſſe odorabilia, quæ ſale volatili oleoſo ſeu remixto cum ſulphure, ejuſque exhalationem adjuvante, abundant. Unde etiam plerique auctores recentiores concedunt, quod ſalia volatilia ſimul ſint oleoſa, ſeu, quod ex ⊖le lixivio fixo & ſpiritu volatili conſtent, adeoque ſulphur eſt principium radicale colorum & odorum; explicativum verò illorum ⊖, tùm fixum, tùm volatile, ſeu Mercurius.

Quod ſi humidum copioſum adhuc adſit, motum & fluxum ⊖is & 🜍is obtundens prorumpunt quidem eadem ſimul in propriè dicta fermentatione, & aucupio apta ſe ſiſtunt, vel cum fœtore, & conjuncta putredine mixta reſolvuntur.

Sin neutra horum abundent, neque explicata ſint ſpiritus & ſalis volatilis tenacula, citra hæc ipſa fœtorem & putrediuem, exarent, marcent & fatiſcunt.

Eò magis verò & celerius moventur, quò à carceribus magis liberantur, unde, cum exhalarint jam partes aqueæ ſuperfluæ; ipſe verò ſuccus & ſanguis, ut ita loquar, conjuncta adhuc ſint, inde facilius jam evolant, expedita vehementius agitantur, & ſui juris evadunt in noſtra hac præparatione partes volatiles ſalinæ, cum liberum jam motum, & ſolutiorem nacta ſunt, affuſione aquæ magis congregantur, hinc & fugam unà meditantur.

Ut adeò, vi caloris interni, inde concitati, minus humido gaudens hæc compages, ſecundum artem jam præparata, à ſe dimittat ſal volatile, ceu pluſculum humidi alias efflagitat fermentatio, & ſpirituoſas partes turgentes cohibet; opus tamen eſt in hoc opere noſtro aliquali & proportionato reſiduo humido, ut cum eodem ceu accelerante ob calorem abitum vehiculo jam liberatæ partes aufugiant ⊖linæ, inſtrumento commodo jam delineato exceptæ alta petant, colligantur in XXco. & in receptaculum deſtillent.

Modus hic collectionis facillimus eſt, atque in aliis pleriſque prima ſtatim vice, ſine prævia rectificatione, odore, ſapore, effervescentia cum acidis, aliiſque documentis, ⊖is volatilis probat præſentiam, in aliis verò magis poſt ſeparationem ab aquoſiori vehiculo, quod itidem facilè obtinetur, ſi pars quarta vel tertia abſtrahatur reliquo inſipido rejecto.

Exhibebam ante quinque hos annos ⊖ hoc volatile Sereniſſimo ERNESTO, Duci Sac. I. Cl. & M. pientiſſimę memoriæ, qui, uti gnarus erat horum quam maximè, ita mirè delectabatur, cum & odoratu urinoſitatem perciperet, & ſapor idem confirmaret, & affuſo ſpiritu ⊕-li effervescentiam perſpiceret, ut adeò rei ſua jam conſtet veritas, antiquitas, & ratio quàm uberrimè.

Aliorum mentio, & Salium volatilium uſus.

Si nullo alio, quàm iſatidis exemplo, probare liceat ſalis volatilis experimentum; id ipſum tamen jam ſufficerit. Neque enim in eo objicere licet, *à particulari ad univerſale non valere conſequentiam.* Si enim ex ſuprà abundè dictis concedamus, dari ex hypotheſi Chimicorum ita dicta principia, non tàm extrinſeca, & producta, uti id ſolent vulgo ſæpe confundere, quàm intrinſeca: ſi demonſtravero ⊖ volatile à priori, ab ejuſdem affectionibus, vegetatione, & quæ in ſpecimine ipſo de his diſſeruimus latiùs, & vel in unico à poſteriori, firmiter concludi poſſe reor, in omnibus idem inexiſtere, licet majori vel minori proportione.

Abundat verò & prædominatur in viridibus plantis, v. gr. in gramine & aliis herbaceis foliis, ☿ ſeu ⊖ volatile præ 🜍re, unde & eadem creſcunt, & vegetantur, & viridia magis nutriunt bruta, quam arida hinc & virides herbæ fumant magis, non tam ob phlegma ſolum, (aquæ enim fumus & phlegmatis oculos non mordicat;) ſed potiſſimum ob ⊖ volatile. In pallidis verò jam ſeu flaveſcentibus 🜍 præpollet, ſeu æqualiter ſe, ut in ſeminibus patet, gerit, unde facilius comburuntur.

Si ergo quæratur, *an idem ex aliis fieri poſſit prædicto modo*, ultrò id affirmamus; quin ex volatilibus & terreis, v. g. cochlearia, abſinthio, carduo benedicto, tabaco, ipſoque gramine, & foliis quercus tres procedit, utut diverſi modi particularum mixtio non poſſit non variantem etiam gradibus liquorem fundere.

Recipiantur modò herbæ recentes, ſeparatis caulibus, qui impediunt conglobationem, & mutata proportione conſuſionis, exſiccationis, aliarumque circumſtantiarum in aliis, prout humidior ſicciorve eſt planta, procedatur non fallet experimentum, licet in quibuſdam, ceu diximus, fixioribus, obnubiletur quaſi ⊖ volatile, ob conjunctas partes auſteriuſculas, &c.

Fidem rei facere nobiſcum poteſt *Excellentiſſimus Dn. Ludovici*, quomodo tum alia tum ipſa folia quercus ſe geſſerint, effumando itidem liquorem, ſed minus urinoſum; & in tabaco res exploranda fuiſſet, Sereniſſimi ERNESTI beatiſſimæ recordationis mandato, niſi & abſentia noſtra, & glorioſiſſimi Principis morbus, ac alia obſtitiſſent. Erit tamen hæc alibi explicandi locus.

Ex *Cardui benedicti* reſolutione vel aliud agentes confirmati in eodem ſumus, offerente ſe poſt incaleſcentiam liquore urinoſo volatili, cui tùm alia vegetabilia addi poſſunt, tùm inprimis etiam *hepatica nobilis*, foliis pinguibus, recens, quam inter antiſcorbuticas referre plantas, ob copioſiſſimum, quod gerit, ⊖ volatile, nulli dubitamus, præcipuè, cum & per ſe ſola deſtillatione recentiſſimæ plantæ, addita aquâ, obtulerit nobis liquorem acerrimum inſtar, radicis api linguam ferientem, ut hinc debitò modo præparata aqua vix unciis præſcribenda ſit. Ut in uſum cedat familiarem, conſuevimus eodem extrahere *animam rhabarbari*, ſi v. gr. ℥j. radicis affundatur ℥x. circiter aquæ ob lentorem, quem in receſſu gerit rhabarbarum, additis ⊖ *Tartari* ʒij. vel ℥ß. quo pacto miſceſcit ruſus, & medicamentum longè nobiliſſimum conſtituit ac verè polychreſtum. Sin ⊕-li affundatur, ſtatim volatilis illa acrimonia figitur & miteſcit.

Utut verò hâc methodo tum ſine igne, tum cum eodem ex quavis herba & ex quovis ligno, liceat ita dicere, fieri poſſit ☿ius; ut tamen omnibus ſumptibus res careat, & in poſterum in officinarum uſum cedere poſſit ⊖ volatile inſtar omnium ſit ⊖ volatile iſatidis, benè rectificatum, quod ad gtt. xx. xxv. dari poteſt in omnes illos uſus, qui expetuntur ab hoc remedii genere.

Occaſio vel Gothæ, vel Erffurti, vel in vicinis locis aliis haberi poteſt quàm uberrima, ut & hoc pacto toti Germaniæ, non dicam Europæ proſpicere eodem poſſit noſtra Thuringia, citra defectum, ſi ſint, qui id expetant. Ad minimum cuivis jam copia datur, ex hiſce oris exportatum glaſtum propriis manibus eoldem in uſus, cum fœtore, ſolicitare.

Uti enim in genere conveniunt ⊖ia volatilia

noſt

□noſa viribus generalibus; ità perinde fuerit, utrum ex vegetabilibus ſeligas.

Præcipuè verò hoc ipſum iſatidis ⊖ volatile, ceu jam *cap.* 5. id tetigimus, egregium conſtitui antiſcorbuticum, anginæ & aliis inflammationibus medetur & eadem præſtat, quæ in vigorando ſanguine alia ſimilia celebrantur facere. Quin & ipſius præparati glaſti magma, vel vulgi experimento, anginæ medetur, & faucium quibuſvis inflammationibus præſentaneum eſt remedium, ſi gargariſatio cum infuſo liquore inſtituatur. Imo ipſum liquorem volatilem miſtiorem gargariſmatis hujuſmodi non rarò miſcuimus, ceu alias ⊕ ✳cale noſtrum, vel ⊕ ☿atum, (quod pro diverſo tractandi modo & ſexangulare & cubicum exhibere facillimum eſt, neque enim adeò propriæ ⊖ibus ſunt figuræ, uti vulgò ſtatuunt, quin unum idemque aliam cudere poſſit,) proficua eſſe notum eſt.

Tacemus hoc loco, quæ de colore cæruleo & viridi ex ⊖is volatilis experimentis deduci ulterius poſſent, quò & cineres v. c. abſinthii paulò intenſius & diutius calcinatæ, & ⊕∽⊖✳ci, lixivium cœruleſcens præbentes, referre poſſemus, cum albi intentio ſit de his ipſis diſputare. Sufficiat hoc loco textus *Paracelſicus*, ex *l.* 3. *Philoſoph. tract.* 3. *c.* 3. *p.* 46. colores provenire ex △re, quod, licèt hoſce in ſe non habeat, eoſdem tamen poſſidet ratione proprii ſui ⊖is & ☿ii, qui hiſce pollent, idemque mutant, ex quo ſuperius circa hoc aſſerta lucem ſibi mutantur.

Nec tacebimus, in aſſerti hujus fidem, præter ⊖ volatile, quod præſens adeſſe ex ſuperioribus conceſſum eſt, △is præſentiam demonſtrari poſſe non ſolùm ex ⚯eo, quod ibidem per ſuprà dicta claret & conceſſum non minus eſt; ſed etiam, ſi fidem deroges, experimento alio, eoque novo, & quod pluribus dignum eſſet excutere.

Affundas quæſo; ⊕ à ♌latione glaſti reſiduo, ſeu perfectè ♌to, ſeu amplius calcinato ubi flammâ id comburitur & ardet, aquam calidam, & hinc lixivio inde facto, (ita id vocabimus, licet non effervescat cum acidis) miſceas acida, v. g. ✣, ∽⊕li, vel alia, & manifeſtè ſe idem odor naribus offeret qui in præparatione △ aurati ☿ii apparet & liquor ipſe △ colore exhibebit, quod his mediis ▽tum in fundo ſubſidet flaveſcens, ulterius filtratione prægreſſa, exiccandum. En ſulphur vegetabile! colorum originem ac fundamentum, quod adeò latuerat! Si auratum id mecum vocare lubido ſit, non erraveris.

Non dicemus jam pluribus, plantas quaſdam tàm decoctione, quam deſtillatione ſalſum acquirere ſaporem à ⊖le volatili, ceu ex *foliis cardui benedicti* ∽us efficaciſſimus aurei coloris, ſaporemque lixivii ferè habens à ſale volatili, deſcribitur à *Sennerto in inſtitutionibus l.* 5. *part.* 3. *ſect.* 3. *cap.* 5 *pag* 1350. & *decoctum ex chamæmelo Romano* triplicatum ad calculum ſaporem ſalſum acquirit, à ſale ſuo volatili, ut jurare quis augit, pugillos aliquot ſalis culinarii in eo eſſe liquefactos, teſte *Simone Paulli in quadripert. botan. claſſ. tert. p.* 155. Quin idem fit in nonnullis mineralibus & metallicis, uti in præparatione *Tinctura* ♂tis cum Tartaro liquor manifeſtò fit ⊖inus: qui modus, uti in Germania dudum vel publicis ſcriptis plurimorum innotuit, & eodem modo rob ♂le noſtrum fit; ita fruſtrà ſunt, qui involucris hoc arcanum tegere, & inventionis gloriam ſibi attribuere ſatagunt.

De Salibus volatilibus oleoſis reddendis.

Saturare magis & miſcere ⊖ia volatilia cum oleis, inter alia Chimicorum inventa non minimi pretii eſt ἐγχείρησις, ſeu, ut ingratior ſapor odorque velo hoc occultetur, ſeu ut in vulgus nota medicamenta pro magis arcanis & non imitandis habeantur, prout cujuſvis ſcopus in hoc variat, ſeu, qui optimus eſt finis, ut hoc artificio promtius agant & ſtomacho minus negotii creent.

Duo enim inprimis *incommoda* à ⊖ibus volatilibus indiſcriminatim uſurpatis obſervantur ab accuratioribus practicis, *alterum*, quòd continuata uſurpatione appetitum dejiciunt, & laſſitudine hinc torpida membra mactent magis; cum acidulum in receſſu menſtruum ſtomachicum abſorbeant & invertant, ceu id à fixioribus quibuſdam lapidibus ♋ & pulveribus nephreticis ſecretioribus non rarò quoque obtingit: *alterum* quod in hypochondriacis & ſcorbuticis, quorum ſanguis magis rarefactus eſt, & faciliùs ebullit, ſæpe, quæ quieta ſunt, excitant & procudunt ſymptomata. Obſervavimus id ipſum in ∽u cochleariæ ſæpius, etiam, qui ad extractionem v. gr ♂lium aliorumque tantùm erat adhibitus. Adeo facilis eſt error, ſi ſpecifica hæc vel illa credamus occultâ magis; quàm certâ & definita ratione morbum oppugnare.

Magis ſcilicet *conveniunt* hæc omnia ubi vel fixiores & torpidiores ſunt humores, & acidi, auſteri pontici delinquunt: vel, ubi △ ſanguinis conſortio ſeri proportionato eget, ceu in maniâ, melancholia, affectibus ſoporoſis, hyſtericis, fixioribus hypochondriacis, item præcordialibus anxietatibus, paralyſi, obſtructione nervorum, epilepſi etiam, non effrenis ebullitionis impetus in cauſâ eſt, & ſimilibus aliis nervoſi & venoſi generis vitiis, quæ liberum pororum meatum, & ſuaviter demulceri efflagitant.

Licet autem combinatio ⊖is volatilis & ⚯orum ♌latorum aromaticorum, ut & ▽, & ∽us ⊕lis ✳ci videatur, & hinc inde ſcribatur perdifficilis, attamen utrorumque, imò ſingulorum longè facillima eſt, ſi quis naturam rerum exploratam habeat neque tàm aſſertis auctorum, vel terminorum luſibus nimis inhæreat.

Si enim recipias v. gr ∽um ⊖ ✳*ci* per ſe coagulatum, ſeu cryſtallos ejuſdem, in fundo nitri ſenſim ſubſidentes, vel quoque ipſum ∽um ſeu ⊖volatile aqua non ſolutum, (quid enim aliud eſt hic ∽us, quàm aqua ⊖le volatili inebriata?) v. g. p ij. ⚯*ei aromatici*, aniſi, caryophillorum &c. p. ß vel j. & ubi miſta per pauxillum temporis ſpatium ſteterint, addas ▽ *rectificati* q. ſ. v. gr. p. iiij vel vj leni digeſtione ſtatim miſcentur, ut vel per ſe diſpenſari eadem poſſint: vel quod melius, in uno longè nobiliſſimos per ✕✕ cum ♌lata hæc omnia aſſerventur.

Hoc modo intra ſemihoram ferè hæc conjuncta exhibere licet, & perſpicere theſeos vim, quod ∽ ⊖lis ✳ci coagulet ▽, id quod uti apparet quidem in rei veritate, ita facillimum judicatu eſt, unde hæc fiat coagulatio, & quantum illi ſit tribuendum.

Quin, ut faciliori opera & ſumptibus hæc conficiant, ipſum ∽um ⊖lis ✳ci aniſatum, aromaticum, hypochondriacum, utcunque expetatur, reddere jam facillimum erit, ſimplicium ipſorum acceſſione, modo non percellaris prædicto coagulationis fulmine.

Ex vegetabili ⊖le volatili id obtinetur quàm facillimè, ſi poſteriori, hoc modo aromatica addantur ⚯oſa. & una cum ▽ juncta ♌lentur: neque priori omnino res erit fruſtranea, præcipuè, ſi diligenti abſtractione concentratum fuerit ⊖volatile; minus tamen poteſtatis in olea ♌lata habet idem, tenerum ac delicatum quod diximus, quàm ∽ùs ⊖lis ✳ci.

Miſceri hinc idem poteſt ⊖ volatile ⚯oſum cum eſſen-

eſſentiis, & Tincturis aromaticis ac balſamicis, magno cum effectu, inde enim medicamenta emergunt longè utiliſſima, & , ſi qua alia , feliciter ſe in morborum ſpeciebus gerentia.

Conferri hic poſſunt , quæ in eandem rem commentatus eſt perſonatus ille, ſed doctiſſimus *Leonicenus , metamorphoſ. Apollin. & Æſculap. pag. 20. & ſeqq.*

Memoriam hic ſubit , quod *excellentiſſimus D. D. Takius* ante aliquot annos , cum de experimento noſtro ſermones invicem cæderemus, nobis retulit, quendam parare ex herbis nitrum inflammabile , ut commune , exſtare etiam ⊖ia volatilia ex plantis Rolandi modum apud *Fernelium libro de abditis rerum cauſis,* quem ipſe fecerit aliquoties. Deſcribitur modus hic ſub titulo *quintæ eſſentiæ* , in quâ maxima ſit proprietatis efficacitas , *loco citato cap.* 18. *pag.* 264. Primum, *ſcribit* , è re ſubjecta aquam lento vaporario prolectant, his deinde fæces reſpergunt, ut ſecundo humorem eliciant , ſicque ſeptena reſperſione & expiratione fœces torreri non ſinunt , & ex his vim facultatemque omnem exhauriunt , aquæ maximeque aſſidenti oleo innixam , quæ ad multa utilis accommodataque ſit. Quin etiam exceptas aquas vaſe pelicani effigie multa agitatione anfractuque longo circulant , quò hæ vires ſortitæ efficaciſſimas in quintæ illius eſſentiæ naturam vix ulli corruptelæ obnoxiam faceſſant.

Referri etiam huc meretur primum ens plantarum, quod deſcribitur à *Febure, vol.*1. *pag.*303. aliaque hinc inde ſparſim tradita , inprimis , quod *Arragoſius* ad *Cratonem* ſcribit *epiſt.*55. *p.* 73. ex ℔j. V i, quantumvis rectifi cati vix ℥ß. ſpirituum concretorum , ſeu ⊖lis volatilis extrahi , reliquum vero aquam inſipidam eſſe , ex quo lucem acquirere poſſunt , quæ *part.*1. *cap.* 5. *p.*41. ſcripſimus ſed tempus jam eſt , ut colophonem hiſce imponamus.

Finiemus verbis *Polybii lib.* 12. *hiſtor.* ἡ πολυπραγμοσύνη πολλῆς μὲν προσδεῖται ταλαιπωρίας, καὶ δαπάνης, μέγα δέ τι συμβάλλεται, καὶ μέγιστόν ἐστι μέρος τῆς ἰατρικῆς. *Illa rerum curioſa inquiſitio,* quam ſuopte Marte facere aliquis inſtituit , *magnis conſtat laboribus , magno ſumptu ; cæterum ad medicinam multum confert, atque adeò pars illius eſt potiſſima.*

SAL POLYCHRESTUM.

Præparatur ex Nitri & Sulphuris partibus æqualibus ſimul mixtis & detonatis , de quo vide in Salibus ex Pharmac. *Bateana* mox adductis , obſervando tantùm quod doſis ſit ibi parcior & quod ad ℈vj. in robuſtioribus aſcendi poſſit.

SAL VITRI.

Nihil aliud eſt quam ſpuma illa quæ fuſo vitro ſupernatat, quæque ex cineribus quibus vitrarii in vitro conficiendo utuntur provenit.

Sal autem hoc ſeligatur album extus & intus, ponderoſum ac marmori quam ſimillimum , rejiciendo immundum ſubnigrum ac humidum , cujuſque fruſta minutiora fuerint.

Hoc Sale utuntur figuli illi qui vaſa Faventina dicta conficiunt , pro plumbagine iis inducenda , ſeu potius pro iiſdem ad elegantiam extus vitrificandis.

SALAMANDRA.

Super ejus animalis deſcriptione vide ſub titulo *Lacertus.* Erodit autem & exulcerat , unde incinerata feliciſſimè medetur ſcropulis exulceratis.

SALICARIA , vid. *Lyſimachia.*

SALIVANTIA , vid. *Maſticatoria.*

SALIVARIS HERBA , vid. *Pyrethrum.*

SALIX.

Salix, Latinis à Saliendo dicta putatur , quod eâ celeritate creſcat ut ſalire videatur. Græcis pariter ἰτέα παρὰ τὸ ἰέναι quod cito in altum abeat.

Salix iulis ſeu nucamentis è multis vaſculis ſeminalibus compoſitis quæ ſemen continent pappo involutum, cum Populo convenit foliis longis aut ſaltem circumſcriptione æqualibus & minimè anguloſis ab eadem differt.

Vires & Uſus. Salicis cortex , folia , Iuli refrigerant & aſtringunt : exſiccant etiam citra mordacitatem tum flores , tum ſuccus expreſſus , quem medicamentis exſiccatoriis reſervant. Haud enim invenias quid ad plures res utilius medicamento citra mordacitatem exſiccante , quod paulum etiam adſtringat. Gal. hinc ſanguinem expuentibus proſunt. Corticis e ramis primis cinis clavum & callum aceto maceratus ſanat; vitia cutis in facie emendat , magis admiſto ſucco ſuo.

Succus è Plaga manans cum floret ad expurganda valet quæ obſtant oculis ; item ad ſpiſſanda quæ opus ſunt , ciendamque urinam , & ad omnes collectiones intus extrahendas.

Plura habent veteres de viribus Salicis , ejuſque partium , quæ vide apud I. Bauhinum.

Folia cum ramis in cubiculis ſtrata aerem infrigidant & febricitantium ardores mitigant. In quem uſum haud infeliciter etiamnum in Italiæ & Galliæ quibuſdam locis adhiberi obſervavimus. Folia cum aliis refrigerantibus aquæ incocta ad lotiones pedum febricitantibus conducunt. Ex ejuſdem ligno & bacilli raſorii parantur ad abradendam linguam cauſo & febribus ardentibus laborantium , notante Camerario hæc omnia è I. Bauhini Hiſtoria.

Salicis arboreæ ramorum uſus eſt ad perticas pro lupulis & ad ſtipites pro ſepibus ; ligni etiam olim ad ſcuta ; nam cum lentiſſimum ſit, plaga ei inflicta contrahit ſe penitus, eluditque ſuum vulnus , & ob id contumacius tranſmittit ferrum , & quod leviſſimum ſit , utilitatem eandem ingeminat. Plin.

D. Evelynus lignum hoc ad cultros menſarios exacuendos & poliendos alii cuicunque non ligno tantum, ſed & coti præfert.

Præcipuus autem eſt uſus viminum ad Corbes , ſportas , qualos , caniſtra , fiſcinas , clatros , vannos , cathedras, cunas, anaclinteria , aliaque utenſilia innumera texenda, in omni vita adeo neceſſarius , ut non immerito Cato tertium Salici locum dediſſe videtur , ut ſuperius diximus. *Rajus.*

SALSAPARILLA.

Nomina. Smilax aſpera Peruviana five ſalſaparilla *C. B.* aſpera Peruana *Park.*: Smilaci affinis ſalſaparilla *I. B.* Smilax Peruviana , Salſaparilla *Ger.*

I. B. Qualis reliqua ſit plantæ facies vix certi quicquam afferre poſſum : radices vero notiſſimæ ſunt ad deſudationes eorum quibus vagus concubitus luem affricuit : ſunt autem flagella longiſſima , plurimarum ulnarum , junci majoris craſſitie, obſequioſa funiculorum flexibilitate , ſtriis per longum decurrentibus , colore exterius fuſco , qui ſubſtantia farinacea alba ſubeſt , craſſiuſcula , mollis , & digitorum attritu in pulviſculum ſolubilis , agaricum ferè referens ſapore glutinoſo , amaricante , non ingrato tamen meditullium verò ligneſum , nitidum , lentum , fractuque contumax. Pendent porro flagella hæc ex pollicaris craſſitudinis radice tranſverſa, ſquammata , quæ ſarmenta crebra , ſurſum nutrit ,

nutrit, vitigineis non abſimilia, parique craſſitudine, veluti geniculis quibuſdam intercepta, ſtriata, aduncis ſpinis minacia, coloris buxei, ſubſtantia intus palmæ inſtar fibroſa, albicante, ſapore nullo evidente.

Quæſtio eſt an ſalſaparilla dicta ſit ipſiſſima Smilax ratione Cœli & Soli duntaxat differens an planta eidem affinis. Nobis affinis potius videtur quam eadem.

Sarſamparillam Marggravius ſic deſcribit.

Caule ſarmentoſo, lignoſo, lento, viridi ſerpit, aculeos ſeu ſpinas hinc inde habente acutas. Folia ſolitaria, quinque vel ſex, vel etiam duodecim digi longa exterius acuminata, & tres, quatuor, aut quinque digitos lata ubi latiſſima; in quibus tres nervi inſigniter conſpicui ſecundum longitudinem tendunt tranſverſim autem multas venulas minutas habent, vario flexu diſcurrentes; exterius dilutè, interius virent ſaturatè; ad quemlibet cujuſlibet folii pediculum (qui brevior) duæ Claviculæ prodeunt, lentæ, longæ, quibus aliis plantis ſe firmiter annectit. Flores fert racematim. ſequuntur dein baccæ, primò virides, mox cinnabrinæ, ubi autem maturuere nigræ, rotundæ, magnitudine mediocrium ceraſorum; quælibet in umbella conſiſtit, ſeu proprio breviori pediculo, quorum pediculorum decem aut duodecim, uni longiori inſident; baccæ autem rugoſæ ut ceraſa ſiccata intus continent unum aut duos lapides albo flavos, duros, in quibus durus, albicans nucleus.

Fr. Hernandes quatuor ſpecies Zarzaparillæ diſtinguit.

Prima Mecapatli Mexicenſibus dicta eadem eſt (inquit) quæ apud Hiſpanos, ac præcipuè apud Hiſpalenſes in vallibus aggeribuſque paſſim naſcitur refertur que ab herbariis peritis in ſmilacem Dioſcoridis aſperam; quam quoniam affabrè deſcripſit Dioſcorides. de forma ejus nihil dicam.

Secunda ſpecies Quaumecapatli dicta radicibus ſurculoſis innititur, unde profert caules volubiles & ſpinis horridos, capreolos multos ac ſemen nullum; folia verò ocymi acuminata, & nonnullis ſecta crenis, nerveis vero diſcurſibus ſecundum longitudinem excurrentibus.

Tertiam ſpeciem invenit in radicibus Ætnæ, non longè ab oppido Atattaco, per omnia Quauhmecaxochitl ſimilem, ſed radicibus tenuibus, nec fibris craſſioribus.

Quarta Quauhmecapatli dicta illa ſpecies eſt Zarzaparillæ cujus radices in noſtrum orbem deferuntur, foliis magnis, cordis figura, caulibus volubilibus & ſpinoſis, radice ſurculoſa fructu nullo, (in hoc proculdubio erravit Hernandes,) & capreolis hinc inde exorientibus

Ex hac etiam deſcriptione patet Zarzaparillam congenerem quidem ſmilaci aſperæ plantam eſſe, non tamen planè eandem.

Vires. Sarſaparilla partium eſt tenuium & ſudorifera Specificum eſt ad luem veneream. omnes ejus ſpecies, inquit Hernandes placandis doloribus articulorum, aliiſque à lue Gallica profectis utiles ſunt; ſudoribus item evocandis, curandiſque mali moris ulceribus, morbiſque inveteratis & inſanabilibus, & qui è craſſis lentiſque humoribus habent ortum, aut ad nervos pertinent, & tumoribus præter naturam qui rebelles ſunt diſcutiendis, curandis ulceribus, &c. nam jure decocti per aliquot dies propinato, eâ menſura quæ à multis jamdiu præſcripta eſt cum nota quoque victus inſtitutione, cæterumque rerum quas non naturales vocant; aut pulvere radicum duarum drachmarum pondere ex vino aut aqua devorato, aut evocato ſudore, aut inſenſibili quodam perſpiratu ægrotantes reſtituuntur.

Zarzaparilla à ſimilitudine quam cum ſmilace aſpera habet, nomen accepit, quæ Hiſpanis Zarzaparilla, qui rubus viticula dicitur. Zarza ſiquidem Hiſpanis, Lacuna teſte, rubum: parra autem Matthiolo interprete vitem, & parilla parvam vitem ſive viticulam ſignificant: hinc aliqui ſalſam parillam ſmilacis aſperæ Hiſpanicæ radicem conferunt: cum tamen Peruviana, Cœli temperati occaſione & ipſius Soli ingenio, longè efficacior ſit quam in Hiſpaniis, aut etiam Africa, nata: cujus uſum primi Hiſpani ex Peru & novi orbis ſive Americę Provinciis ante quinquaginta annos in Europam invexerunt C. B. qui ante ſexaginta annos hæc ſcripſit.

Proſper Alpinus Smilacem aſperam quam in Zacyntho Inſula invenit ſalſamparillam veram, quâ Medici utuntur ad luem veneream curandam eſſe contendit. Habebat enim illa radices longas, craſſas, aſportatis Hiſpania radicibus ſalſæ parillæ omnino ſimiles, reliqua apud ipſum, lib. de plantis Ægypt. cap. 43. *Rajus.*

SALVIA.

Salvia à ſalvere i. e. Salvum eſſe dicitur, quòd ad multa, præſertim ad fœcunditatem ſalutaris ſit; cum ſteriles hujus uſu frequenti gravidæ reddantur, quare Agrippa ſacram herbam vocavit, Aetio Autore, ἐλελίσφακον Dioſcoridi l. 3. c. 40. quaſi in tabem redacta, cum herba ipſa ſemper retorrida & exſucca videatur, id enim σφάκος & σφάκελος ſignificat, folia enim attritis veſtibus comparantur C. B.

Notæ Salviæ genericæ ſunt flores magni, hiantes in ſpicis laxis, è verticillis aliquantulum diſtantibus compoſitis, folia lata, obtuſa, rugoſa, odor valibus & vehementior.

Vires. Salvia noſtratibus ſaluberrima herba exiſtimatur, ideòque verno tempore, Maio præcipuè menſe, folia ejus & turiones cum butyro comedere ſolent ad ſanguinem depurandum & ſalutem tuendam, quoniam bufones ſub ea libenter ſtabulantur non niſi diligenter lota & mundata in cibis uſurpanda eſt: ad arcendos bufones & alia Animalia venenata rutam ſalviæ proximam aut eidem intermixtam plantare ſolent Itali: ſecundum vulgatum illum verſiculum.

Salvia cum ruta faciunt tibi pocula tuta

Salvia diuretica eſt; menſes ob craſſitiem remoratos ciet, & tamen nimios emendat. Prodeſt in capitis affectibus, paralyſi, vertigine, tremore, Catarrhis. Extrinſecus aphthas oris abſtergit (in gargariſmis.)

Puncturæ veſparum & araneorum curantur, repetita applicatione foliorum recentium ſalviæ. Ephemer. germ. An 8. 9. 10. aciditas enim fermenti veneniſi obtunditur ab Alcali vegetabili. hæc planta nigreſcit cum vitriolo ut Gallæ. Communicavit D. Tancr. Robinſon.

Ad menſes albos ℞ Salviæ, ſarſ. paril. & balauſtiana Cape ʒj. manè in juſculo per aliquot dies, eſt remedium Aulicarum Cheſneau.

Tremulæ manus auſpicatiſſimè lavantur in vino decoctionis vel macerationis Salviæ. S. Pauli.

Quòd ſiquis ex manipulo Salviæ & Tabaci Virginiani conciſio ʒij. & p. 1. atque altero tritæ polentæ decoctum ex aceto cereviſiæ ſibi paret ut os eo proluat, aut dentes foveat dum dolent, is ab uſu ingens levamen perſentiſcet, ut aliquoties in iis comperi quibus

bus ex vulgo id commendavi. Simon Paulus. ex excerptis D. Edv. Hulſii.

Vim adſtringendi & ſanguinem ſiſtendi Salviæ ineſſe cùm aliis experimentis demonſtrabat illuſtris Veſlingius in Horto Patavino plantarum vires ſpectantibus exponens, tum maximè hoc ſuo, quo ſputum ſanguinis eadem herba cum melle exhibita ſanatum teſtabatur, remedio ex Aëtio deſumpto, apud quem Tetrabib. 1. Serm. 1. Orpheus. dato inquit ſanguinem expuentibus ſucci Salviæ Cyathos duos jejunis cum melle bibendos, & ſanguis illico cohibetur. Communicavit D Soame ex obſerv. Georgii Hieron. Velschii 4. collectam.

Paralyſis partium deglutitioni inſervientium curatur per decoctum Salviæ in Vino, & continendo in ore Spiritus Vini infuſionis thymi. D. Hulſe ex Ettmulleri praxi.

Vinum in quo decoquitur Salvia commendatur admodum à Deckero in praxi ad dolorem acrem ventriculi, (cardialgiam) *Rajus.*

Salvia Vitæ vid. *Adianthum Album* ſub titulo *Adianthum.*

SAMBUCUS.

Sambucus 'Ακτῆ Græcis à Sambuca muſico inſtrumento, quod alii pectida, alii magadin vocant, dicta putatur. alii ab Autore cui nomen Sambix denominatam malunt. Nobis vox incertæ Originis eſſe videtur.

Sambucus flore & fructu in umbellas aut racemos compoſito foliis alatis, ramis medulla plurima farctis pauco ligno ab aliis arboribus facilè diſtinguitur.

Vires. Cortex ſambuci interior (medianus offic.) educit ſeroſos humores unde & hydropicos juvat. turiones ſeu folia tenera in vino decocta, aut in acetariis ſumpta non perinde ſunt efficacia, & imbecillioribus magis conveniunt iidem in pulverem redacti, & ex jure piſorum poti duram alvum emolliunt. Cortex interior ambuſtis impoſitus ad ardorem igneum extinguendum utilis eſſe perhibetur: Dioſcorides folia recentia molliaque illita ex polenta ad ambuſta commendat. Actuarius etiam ad recens ambuſtum ſambucum imprimis laudat.

Flores diſcutiunt, emolliunt & reſolvunt, ſudoriferi ac Anodymi ſunt. Uſus præcip. intrinſecus in eryſipelate præcavendo & abigendo, quartana curanda, extrinſecus in colico dolore in Eriſipelate combuſti, &c. (impoſiti) Schrod.

Florum umbellam (inquit I. Bauhinus) domeſtici noſtri potulentæ, immergunt, frigunt gratumque inde parant edulium ac ſalubre. Poſſunt etiam cibo aliquo permiſceri, vel cum ovis frigi; nam blande dejectionem moliuntur. reſiccati vero flores ſimul cum humiditate purgandi potentiam amittunt, digerendi & attenuandi retinent. *I. B.*

Acetum in quo flores macerati ſunt in cibis ventriculo gratum appetentiam excitat, craſſos crudoſque humores incidit & attenuat.

Baccæ itidem ſambuci alexipharmacæ ſunt & ſudoriferæ ſpiritus è baccis elicitus inter præcipua eſt diaphoretica; itemque antifebrile nobiliſſimum vinum ex eorundem ſucco vel mero, vel cum vino albo aut Rhenano compoſito mira præſtat in hydrope D. Needham. ſcribit Camerarius ſuccum acinorum admixtum juſculo Gallinæ, in quo multum radicis petroſelini decoxerit, & expreſſum plurimum conferre hydropicis.

Nuclei ſive ſambucina abſtergunt ac per alvum & vomitum purgant vehementer.

Decoctum corticis mediani Sambuci vel ebuli cum ſyrupo papaveris ad ſudores movendos valet. N. narcotica diureticis vel diaphoreticis addita ſudores magis promovent, ut patet in theriaca & mithridatio cum opio. D. Bovvle ad pedum inflationes ℞. Folior. Sambuci q. v. coque in oleo cum Sale & fove.

Ad arthritin, ℞. Folia ſambuci, immittantur in ollam vitreatam adeout ſine plicaturis ollam impleant, optimè ſæpe premendo: tege operculo; per annum ſub terra reconde: in ſuperiori parte cruſta deprehendetur, in inferiore oleum, quo nihil efficacius ſæpe probatum. Flores ſaccharo conditi ad idem valent D. Hulſe è MSS. nondum edito.

Sambucus ventriculo minùs nocua eſt quàm ebulus. Folia etiam non ita fætent, baccæque non tantam evacuandi vim habent.

Succo inſpiſſato è baccis Germani crebro utuntur ad movendos ſudores; & pueris etiam præbent cum pane: quo ei quidam non infeliciter uſi ſunt in iis qui ad hydropem proclives fuere; coquuntur baccæ ex aqua, & cribro tranſmittuntur, denuoque coquũtur ad ſapæ conſiſtentiam.

Prunus in ſambucum inſita (ſi Camerario credimus, qui ſe expertum ait) quamvis non facile comprehendat, fructus fert purgantes Nobis neutrum veriſimile, neque prunum in Sambucum inſitam comprehendere; neque ſi comprehendat fructum purgantem ferre.

Contra Eryſipelas apud noſtrates in frequenti uſu eſt fotus ex aq Sambuci part. ij. & Sp. vini part. 1. ratione & experientia ejuſmodi praxis nititur; quippe Sp. vini aptus eſt in naturalem ordinem reducere ſubtilitate ſua & particularum motu diſtortos cutis tubulos & fibras. Porro Eryſipelate affectæ partes hoc medicamento ſæpius levamen notabile ſentiunt Antonius de Heyde obſerv. 16 vulgare eſt hoc medicamentum Londini. Ego ſæpius uſus ſum. aq flor. ſambuci cum oleo Sambuci mixta & conquaſſata, bono cum ſucceſſu; interdum addidi Sp. è baccis Sambuci: non raro etiam oleo ſambucino & vino Canarino mixtis & conquaſſatis Eryſipelate affectos curavi. Communicavit D. Hulſe, ſæpe in hoc opere dictus, ſæpe dicendus.

Ad febrem quotidianam ℞. Cortic. rad. ſambuci ℥j. Aſari ℥iij Cinnamomi ʒiß coq. in lacte & propinetur paroxyſmo incipiente, movet ſimul & ſemel vomitum & ſeceſſum Cheſneau è Quercetano. Idem.

Ad combuſtionem ℞. cortic. median. ſambuci, quæ viridis eſt q. v. decoque in oleo quouſque contabeſcat, add. ceræ parum, itaut unguentum maneat lucidum; quod pluries ſum expertus. Cheſneau Idem.

Hortus Edimburg. Sutherland. habet ſambucum humiliorem fruteſcentem foliis eleganter variegatis. *Rajus.*

Sampsvcvs, vid. *Majorana.*

Sandalvm, vid. *Santalum.*

SANDARACA.

Hoc nomine duplex denotatur materia, & 1. quidem Arſenici nativi quædam ſpecies de qua vid ſub titulo *Arſenicum* 2. Gummi è junipero ſtillans, de quâ ſub titulo *Juniperus.*

Sangvinalis, vid. *Centinodia.*

Sangvinem Sistentia, vid. *Iſchaima.*

SANGUIS.

De variis animalium Sanguinibus eorumque uſibus vid. ſub titulis ſpecialibus animalium unde petuntur.

Sanguis Draconis.

Nomina. Draco arbor Cluſ. *Ger. I. B. C. B. Parck.*

Clus. Procera eſt arbor, pinum procul intuentibus referens, adeoque æquales ſemperque virentes ſunt rami. Hujus truncus craſſus, octo aut novem cubitales ramos, æqualiter naſcentes ac nudos, ſuſtinet, qui in ſummo fiſſi in alios ternos aut quaternos ramos, cubitales aut pauciores brachialiſque craſſitudinis definunt, nudos item & ſine foliis, in ſummo geſtantes capita plena cubitalium foliorum, unciali latitudine paulatim in mucronem deſinentium, media coſta denſiore & eminentiore, ut in iridis foliis, tenuium & rubentium in lateribus: mucronem planè repræſentant ea folia, ſemperque virent, & Aloes vel Iridis modo invicem amplexando naſcuntur. Truncus perquam ſcaber multis rimis dehiſcit, humoremque fundit per Caniculæ æſtus, qui in rubram lachrymam denſatus Sanguis Draconis appellatur, ob quam ſane cauſam arborem hanc Draconem nuncupavit Cluſius. Materia trunci firma eſt, ferrumqne difficulter admittit, quòd veluti fibris tranſverſim & oblique excurrentibus conſtet: at rami cùm multo ſucco prægnantes ſint, ſatis facile cedi poſſunt.

Olyſſippone primum vidit Cluſius poſt monaſterium S. Virginis à gratia.

Ramus fructifera ab hac arbore avulſus, & ad Cluſium ab amico quodam miſſus, pedali amplioreve longitudine erat, cui inhærebant alii ramuli multo fructu racematim compacto onuſti: fructui color flaveſcens, ſapor aliquantulum acidus, magnitudo exigui ceraſi. eum in ſummis capitibus naſci veriſimile eſt, ut in palma dactyli naſcuntur, ſpathâ tamen ut illa includi non intellexi, inquit Cluſius. Hujus porro arboris recentia capita tenella ſunt, & humilium palmarum ſive chamærhiphes, modò cujus cerebrum in deliciis eſt, edi poſſent, niſi amaritudo prohiberet.

In inſula Portus Sancti (è Canariis una eſt) prope Maderam provenire auctor eſt Aloyſius Cadamuſtus: in inſula Madera Thevetus: in colore baccharum differunt. Nam hic flavum dicit, cui ſubſcribit Cluſius; ille Venetum, id eſt, cæruleum; quæ quomodo conciliari poſſunt, inquirant alii. Cœterum Sanguis Draconis officinarum Gummi eſt ſeu reſina obſcure rubra, igni admota facile liqueſcens, inque eum injecta flammam concipiens, non tamen luculentam; compreſſu aut attritu colorem rubrum Sanguineum, ſeu Cremeſinum vegetum, reddens; ægrè tamen & difficulter liquore quovis ſeu aqueo ſeu oleoſo, ſolvitur ſive permiſcetur.

Vires. Adſtringendi vi pollet, ejuſque uſus non infelix eſt ad muliebres & dyſentericas fluxiones, cruentas excreationes, firmandos commotos dentes & roborandas gingivas. J. Bauhinus ſe nullam inſignem vim animadvertiſſe ſcribit in legitima ad reprimendos fluores Sanguinis. Aurifabris & gemmariis uſum ejus eſſe ſcribit Parkinſonus ad encauſta, & ſuppoſiti pro folio (ut vocant) ad gemmas & lapides precioſos illuſtriores & nitidiores repræſentandos: vitriariis etiam ad vitra colore cremeſino tingenda, pro feneſtris, &c.

Sanguinem Draconis Recentiorum Cinnabarin Dioſcoridis eſſe docti plerique exiſtimant. Cinnabaris Recentiorum antiquorum eſt minium.

Plinius & Solinus, qui Cinnabarin Indicam ſanguinem ſeu ſaniem eſſe Draconis eliſi Elephantorum morientium pondere, permixto Animalis utriuſque ſanguine tradunt, mercatorum Fabulis decepti ita credidiſſe videntur. *I.B.*

Aliorum erroribus refutandis non opus eſt immorari, cùm veritate detecta ſponte ſua coincidunt.

Tacori folia Draconis arboris ſimilia deſcribit Cluſius, cubitalis vel etiam bicubitalis longitudinis, uncialis verò latitudinis infima parte, deinde paulatim in mucronem gracileſcentia. Incolas (Kayanæ & VVayapok, ubi naſcebantur) aqua macerare dicebant, contundere, & in tenuia ſtamina diducere lini aut ſerici inſtar, quin & funes ex illis torquere ad tigna in ſuis fabricis colliganda idoneos.

Arboriſne an alicujus alterius plantæ folia eſſent non adſcriptum.

Pro fabula habeo cum Parkinſono & Lugdunenſi quod tradit Monardes de Dracunculi figura hujus arboris fructui à natura inſculpta. Fructus Draconis arboris Olyſſippone ad Cluſium miſſus ceraſi erat magnitudine aut oxymyrſines rotundus, tenui pelle contectus; quâ ſublata oſſeus nucleus conſpiciebatur, qualis eſt in fructu Ruſci, ſed is nullam animalis, nedum Dracunculi tanto artificio fabrefacti figuram referebat. Verum rotundus erat, & lævis, & totus oſſeus uti dictum. *Rajus.*

Sanguis Draconis ſuccus eſt inſtar ſanguinis exſiccati ex arbore Peruviana &c. ſtillans, ſive ille ſit puriſſimus, foliis arboreis involutus, in forma granorum pyramidalium (qui ſanguis Draconis in lachrymâ dicitur) ſive aliâ grandiori, in panes ſeu maſſas majores coactus. Hic ſuccus omnis ſaporis & odoris expers, contritus in pulverem, colorem præbet eleganter rubentem, inſtar cinnabaris; non diſſolvitur in aquâ, neque in oleo, ſed in ſpiritu vini. Adulteratus è contra in aqua liqueſcit, ſaporem habet adſtringentem pulveris formam difficulter admittit. Quæ omnia fraudem facilè detegunt. *Pharm. Auguſt.*

SANGVISORBA, vid. *Pimpinella.*

SANGVISVGA, vid. *Hirudo.*

SANICULA MAS.

Nomina. Sanicula ſive Diapenſia *Ger.* vulgaris & ſive Diapenſia *Park.* San. officinarum *C. B.* San. mas Fuchſii ſive Diapenſia *I.B.*

J. B. Concinna ſunt ſaniculæ folia, quæ à radice adſtringente, amara & fervida, foris nigra, intus alba, fibroſa exeunt, cum ſplendore virentia, rigidula, ferè rotunda, quinque partita, ſingulis ſegmentis ſubdiviſis, quorum omnium pulchræ crenæ. Caulis cubitalis, enodis, levis, uno tamen interdum vel altero folio cinctus, in faſtigio flores velut in umbellam diſpoſitos ſuſtinet: è ſummo namque caule quatuor vel quinque vel etiam plures radii exeunt, quorum qui medius eſt non amplius dividitur, reliqui qui eum circumſtant tripartiti ſunt, geſtantque plures floſculos in globulum congeſtos. Floſculi autem ſinguli quinque folii ſunt albi aut dilutè admodum rubentes, ſingulos flores bina excipiunt ſemina lappulata, ſimul juncta ut in umbellatis:

In Sylvis & ſepibus paſſim, floret ſub finem Maii.

Vires. Sanicula à mira ſanandi vi nomen traxit. Vulneraria enim eſt è præcipuis; unde gallis in adagium venit vulgo jactatum, eos non indigere Chirurgo qui Saniculam & bugulum habuerint.

Qui

Qui a du Bugle & du Sanicle
Fait aux Chirurgiens la Nicle

Guſtu id indicante aſtringit ſimul & amára eſt. Vulnerariis potionibus incoquitur. Internis & externis vulneribus, ſanguis eruptionibus, ulceribus, dyſenteriis, ruptis & vulſis auxiliatur decocta, pota & impoſita, ut breviter Lobelius, ſummatim vires ejus & uſus recenſens.

Umbilici eminentia & craſſities in pueris innumeris ferè curata eſt, cataplaſm. ex ſanicula in vino cocta, umbilico appoſita cum ligatura ſtrictiore: Rad. conſolidę majoris contuſa dorſo è regione umbilici admota.

SANICULA FÆMINA.

Ad eam pertinet Tabula XXI. hic adjecta, quamvis deſcriptio & vires videri debeant ſub titulo *Aſtrantia Nigra*, ut & ſub titulo generali *VVulneraria* inter quæ hæc planta primas meritò tenet, cujuſque prætérea radix de valerianarum radicibus aliquatenus participans ad Contrayervam non parum ſane viribus accedit, ut multiplici experientia edocti aſſerere poſſumus.

Sanicula Guttata Alpina.

Nomina. Sanicula montana rotundi folia major *C.B.* San. Alpina guttata *I.B.* Sanicula guttata *Ger. Park.*

Clus. Multa habet folia circinatæ ferè rotunditatis, ſaxifragæ aureæ foliorum æmula longis pediculis inhærentia, altis per ambitum inciſuris ſerrata, ſic ut minima folia tanquam digitata videantur, pinguia, hirſuta, ſupernè viridia, infernè aliquantulum exalbida, & valdè hirſuta, aſtringentis guſtus; caules deinde promit pedales, aut interdum ampliores, virides, hirſutos & nonnihil tortuoſos, & in his folia ſuperioribus reſpondentia. Summi caules in plures alas dividuntur, & ſingulis ramis inſident terni aut quaterni flores. Oxyacanthæ odorem referentes, quinque foliolis albis, ſanguineis punctis inferiore parte notatis conſtantes. Bifida vaſcula cum decem ſtaminibus medium florem occupant, quæ matura exile & minutum admodum nigrumque ſemen continent. Radix quodammodo ſquamata supernè, & craſſiuſcula, multis candicantibus fibris prædita eſt, & à lateribus propagines agit.

In Alpibus Helveticis, inque montibus Jura & Saleva propè Genevam: creſcit etiam Autore Cluſio, in omnibus Auſtriæ & Stiriæ Alpibus, umbroſo loco, &c. Floret Junio, in hortis etiam maturius. *Rajus.*

SANTALUM.

Apud antiquiores Græcos nullam ſantalorum mentionem invenimus; ſed apud Arabes, qui ea nobis oſtenderunt, & tria genera fecerunt, album, rubrum & citrinum.

SANTALUM CITRINUM.

Nomina. Santalum citrinum *Park. I.B.* pallidum *Ger. C.B.*

Decorticata Santali citrini quæ adferuntur fragmenta truncum arguunt ſatis craſſum. Eſt autem lignum ſolidum ponderoſum, pectinibus rectis, quo fit ut haud difficulter in rectas aſſulas findatur: colore ex pallido refulſcente, aut verius flaveſcente, ac nonnihil in citrinum vergente, unde nomen; ſapore aromatico, amaricante, cum acrimonia totum os implente, & ad caput uſque penetrante, ſuavi, odore fragranti, moſchum nonnihil æmulante, aut ſane ex eo ad roſarum odorem nonnihil vergente.

SANTALUM ALBUM.

Nomina. Santalum Album *I.B. C.B. Ger. Park.*

Parum colore differt à citrino, magis palleſcit, pyri ligno quod pallidum ſit colore ſatis ſimile: alioqui eadem ſubſtantia, eadem textura, & pectines iidem; ſed odore inferius, quippe qui debilis vix percipiatur, uti nec ſapor.

Scribit Garcias inter utriuſque Santali (albi & pallidi) arbores tantam eſſe affinitatem, ut pallidum à candido diſcerni non poſſit, niſi forte ab ipſis incolis qui eas mercatoribus vendunt.

Cæterum (inquit) Santalum in nucis juglandis magnitudinem attollitur; foliis admodum virentibus, lentiſci æmulis: flos ex cæruleo nigricat: fructus ceraſi magnitudine, primum viridis, deinde niger, inſipidus & admodum caducus. Inodoram ferunt eſſe arborem niſi detracto jam cortice exſiccatam.

Naſcuntur hæc genera in India ultra Gangem, plurimum verò in Timor inſula quæ undique portuoſa eſt: inveniuntur etiam in verbali portu Javæ, vehementer quidem odoratum, ſed brevi ſeneſcens. Garc.

Quantum ex hac Sandali deſcriptione colligere licet, inquit Cluſius, valdè erit dubitandum, an legitimum ſandalum pallidum habeamus; quandoquidem ſcribit vix in Luſitaniam deferri, quum ejus pretium majus ſit apud ipſos Indos quàm apud Luſitanos: fieri igitur poterit, ut aliquod aliud odoratum lignum nobis pro ſantalo legitimo obtrudatur.

Vires. Ligna hæc epatica ſunt ac cardiaca: uſus præcipuus in lipothymia, palpitatione cordis, obſtructione epatis. Extrinſecus in catarrhis, cephalagia, vomitu, epatis intemperie calida (in Epithem.)

Arabes eoſque ſecuti plerique Medici recentiores ſantala frigida eſſe ſtatuunt: Verum *I.* Bauhinus aliis, & quidem rectius ex guſtu & effectis ea calida eſſe decernunt. Electuarium Diatrion Santalon, quod ab his nomen accepit, præſcribi ſolet à Medicis adverſus calidam hepatis intemperiem, ejuſque obſtructionem & icterum, nec non ad ventriculi & viſcerum debilitatem.

Garcias magnam ſantali albi & citrini quantitatem per univerſam Indiam abſumi ſcribit, quia omnes ferè ejus incolæ, ſive Mauritani, ſive gentiles illo in mortariis lapideis contuſo & aqua macerato ſibi univerſum Corpus inungunt; deinde ſiccari ſinunt ad æſtus corporis tollendos, & odoris conciliandi cauſa. Indi enim plurimum odoribus delectantur.

Invenitur (inquit idem) & in Malabar odorati ligni genus. Santalo albo perſimile, quo ſe in febribus indigenæ inungunt, lingua Malabarica Sambarace appellatum. Commendatur ad Eryſipelata & inflammationes, atque ſantali rubri modo eo utuntur.

Parkinſonus ſantalum album in pulverem redactum & vel in ovo ſorbili ſumptum, vel in vino rubro ſuper cineres calidos per noctem infuſum & hauſtum ad ſpermatis fluxum in utrovis ſexu commendat.

SANTALUM RUBRUM.

Nomina. Santalum rubrum *I. B. C. B. Ger. Park.*

Lapideæ fere duritiei & ponderis ſunt è ſantali rubri truncis fruſta, quæ deliberata importantur, colore intenſius rubente qua lignum Braſilium, ut ferè nigreſcant, pectinibus rectis denſiſſimis, interdum criſpis tuber aut nodoſitatum veſtigia imitantibus odorem nullum evidentem ſpirant, ſapore ferè fatuo, cum

levi

levi adſtrictione. Commanſum vix modicum ſalivam rubeo colore tingit, at linteo affrictum tingit.

Garcias ſantalum rubrum & lignum braſilium eo inter ſe differre ſcribit, quòd ſantalum rubrum neque dulce ſit, neque inficit; at lignum braſilium utrumque at vero ſantalum rubrum quod ad nos adfertur rubro colore inficere Botanici plerique teſtantur & experientia confirmat, quamvis aliud magis, aliud minus.

Porro rubrum ſantalum non naſcitur in Timor, ſed loco valde diſtante, viz. in India intra Gangem fluvium, in Tanaſarim & maritimis quibuſdam Coromandel. Ex his locis omne Santalum rubrum adferri pro certo aſſerit Garcias.

Vires. Hoc genus Santali refrigerat & aſtringit: unde quicquid virium Arabes aliique adverſus ardores alioſque morbos calidos Santalis attribuunt, huic potiſſimum conveniunt. Rubri Santali (inquit Garcias) apud Indos exiguus eſt uſus ærarius. Utuntur tamen contra fervidas febres eo tempora, frontem & arterias inungentes. *Raius.*

Santalum Citrinum eligendum ſuaviter fragrans, magnam habens medullam, utpote odoris præcipuâ gratiâ nobilitatam, grave & nodoſum, nec ligno cedrino odoratiore adulteratum. *Santalum Rubrum* Braſilienſi ligno permiſto corrumpitur; fucus autem ex hoc patefit, quod ſantalum rubrum nec dulce ſit, nec ita inficiat; quæ notæ in Braſilienſi deprehenduntur. *Pharm. Auguſt.*

SANTONICUM & SANTONICA.

Nomina. Abſinthium Santonicum Alexandrinum *C. B.* Santonicum Alexandrinum, ſive ſementina & ſemen ſanctum *Park.* ſementina *Ger.* Lumbricorum ſemen vulgare & Matthioli *J. B.*

J. B. Quod in officinis proſtat lumbricorum ſemen vulgò dictum, ex variis minutiſſimiſque ſurculis, foliis & ſemine ipſo coacervatum eſt. Semen parvum eſt, oblongum (majora tamen inter ſe milio ſuppatia, ex ſquarroſis tuniculis compactæ) pullum vel flaveſcens at quæ minutula inter ea ſunt folioli ſtriata ſunt. Quædam etiam obſervantur trifida, anguſtiora, acuminata, videntur etiam adeſſe potiones tenuiſſimorum cauliculorum. Omnia facile digitis atteruntur amara ſunt cum acrimoniâ & colore graviuſculo.

Matthiolo planta eſt admodum fruticoſa, caulibus & ramis numeroſis referta, ſemine minuto oblongoque racematim prodeunte, amariuſculo guſtu, odoreque non inſuavi.

Varias autorum ſententias de hoc ſemine vide apud J. Bauhinum: qui cum Pena concludit ſemen contra vermes tritum Abſinthiorum nullum videri. Nam tametſi nonnulla amaritudinis & figuræ ſimilitudo illis interſit cunctis, tamen non adeò plene ſunt adulta horum ſemina aut horride amara, inquit Lobelius.

Quænam planta ſit quæ lumbricorum ſemen producat nobis non certo conſtat. Autor Scholii ad obſervationem primam Ann. 3. Decadis 2. Ephem. German. præ aliis nobis veriſimilia ſcribere videtur. Figura, inquit, Matthioli vitioſe delineata eſt, non tantum quod ſeminulorum figura potius folioli quædam repræſentet, ſed & ſeminula ipſa bina fore ſemper è diametro ſibi appoſita cauliculis adhæreant, cum tamen alternatim ubique è lateribus prodire cauliculi ſeminibus, prout ad nos deferuntur, permixti edocent. Cæterum hanc à Cortuſo tranſmiſſam plantam fuiſſe genuinam ſeminis noſtri Helminthici Matrem arbitror: cum illius à Matthiolo datam deſcriptionem ſatis huic quadrare *ἀυτοψία* commonſtret. Lobelius etiam in Hiſt. Plant. fruticulum ſurculoſum eſſe, undique ſeminibus gliſcentem pluribus fermè quam foliis teſtatur.

Unde ſi non ſui generis planta fuerit, ad Abrotana referre mallem; præſertim cùm & hoc vegetabile vim anthelminthicam poſſideat, & aliquæ ejus ſpecies etiam apud nos non plane ab illo peregrino diverſæ, quoad foliola, ſeminum copiam, colorem, odorem, &c. compareant.

Semen, quod microſcopio ſubjectum teres, flavumque eſt candelas cereas conjunctas elegantiſſime repræſentat, obſervante Elholzio. Id quod in taneceti ſemine non comparet, quod itaque pro ſementina vix habendum eſt.

De olei poſſibili è ſementina deſtillatione quæ habet, videſis loco citato. *Raius.*

Valet hoc ſemen contra vermes, & contra morſus animalium venenatorum; putredini præterea reſiſtit, & nervos corroborat. Stomachicum ſanè medicamentum eſt inſigne, ſed parcâ manu exhibitum.

SAPA.

Eſt ſuccus uvarum inſpiſſatus, de quo vid. ſub titulo *Rob.*

SAPHYRUS, de eo vid. ſub titulo *Lapis.*

SAPO ODORATUS.

Sapo odoratus, Smegma odoratum odoramenti formula eſt, conſtatque ex ſapone, (potiſſimum Veneto,) cui res *εὐώδεις* ſubtiliſſimè pulveriſatæ immiſcentur, adhibitâ ▽ fragrante, v. g. roſarum.

Formulæ ſint, ex D. D. Weickhardo.

Sapo Moſchatus.

℞. *Sapon. Venet.* ℥ ij. *ſtyrac. calam.* ʒ ij. *rad. ireos flor.* ʒ j. *nuc. moſchat. cinamom. ana* ʒ ß. *ſantal. alb.* ʒ j. *aſ. dulc.* ℈ ij. *caryophyll.* ℈ j. *moſchi gran.* iv.

Incorporentur in mortario cum ▽ roſarum.

Vires. *Habet vim abſtergendi & conciliandi gratum odorem, ſimulque confortandi nervos.*

2. Alius.

℞. *Caryophyllor. macis ana* ʒ j. *benz. rad. ireos flor. ana* ℥ ß. *moſch. gran. x. ambr. zibett. ana gran. v. ſapon. Venet.* ℔ ij.

Diſtemperentur cum ▽ roſarum, adjiciendo Ol. ſtillat. cinam.

3. *Sapo ad impetigines.*

℞. *Tart. calcinat.* ℥ ß. O. *calcinat.* ʒ j. *flor. ſulph.* ℈ ij. ☿. *g. v. aſæ dulc. ſtorac. liquid. an.* ʒ j. *calamit. lithargyr. an.* ʒ ß. *rad. lapath. acut.* ℈ j. *ol. caryophyll. g. iij. Saponis Veneti q. ſ. F. Globuli.* Schroderus.

Sapo Coſmeticus, Levis, ex *Lexico Pharm. D. Juncken.*

℞. *Saponis Veneti albiſſ. vel alterius pulchrioris,* ℔ j. *ſubtiliſſime raſum exſicca, ut poſſit pulveriſari, tunc affunde Saponis pulveriſato* ▽. *roſar.* ℔ j. *in vaſe vitreato capaci, ac leni igne ſenſim incaleſcat, & coquantur lente continue interea movendo piſtillo ligneo per dimidiam horam, donec rareſcere incipit, tunc affunde olei tartari per deliq. gutt. xx. vel xxx. & plus rareſcet, hoc viſo admiſce ol. ligni Rhod.* ℈ j. *cum moſchi gr. vj. ſacchari modico trita & mixta, & cum à vaſe ſeparari ſe patitur, nec adhæreſcit, tunc infunde formæ ligneæ quadratæ ad id aptatæ, ut ſejungi ab invicem queat.* Sit verò munita linteo mundo, deſuper quod effundatur ſapo, & ita ſtet & quieſcat per 5. vel 6. dies, ut ſiccetur, tunc eximitur ſapo & ulterius ſiccatur, ac pro lubitu in partes ſiccantur mediante filo.

Sapo Moſchatus, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Saponis Veneti* ℔ iv. *incidantur minutiſſime atque addantur pulveris caryophyllorum, ſandali albi an.* ʒ ij.

Benzoi ℥ *j. moſchi* ℈ *j. Fiat ex arte cum aqua roſacea.*

Moſchatus Venetus, ex *eadem Pharmac.*

℞. *Pulveris radicum ireos florentinæ* ℥ ß. *ſtyracis calamitæ, aſæ dulcis an.* ʒ *i. caryophyllorum, ladani, an.* ʒ *ß. ſandali albi, ligni aloës an.* ℈ *j. Tenuiſſime pulveriſata miſceantur ſecundum artem in mortario calido cum Saponis Veneti* ℔ *j. olei tartari per deliquium facti* ℥ *i* ß. *ligni rhodii* ℈ *j. moſchi* ℈ *ß. f. Globuli.*

Moſchatus alius albi coloris, ex *eadem Pharmac.*

℞. *Saponis Veneti* ℥ *x. pulveris radic. ireos florentinæ odoratæ* ʒ *v. miſceantur optime in mortario calido, addendo porrò olei tartari per deliquium facti* ʒ *x. & in fine olei ligni rhodii* ℈ *j. formentur globuli.*

Sapo Odoratus *Zvvelferi.*

℞. *Saponis Veneti* ℔ *ij* ß. *conſcindatur aut radatur ſubtiliter, ſolique exponatur, ſæpius tamen illum aqua roſarum vel florum arantiorum humectando, donec albeſcat, ultimò autem bene exſiccetur. Huic ſaponi albicanti adde*

Amyd. dulc. decort. & ad pultis ſubt. formam additâ ſ. q. aquæ flor. arantior. contuſ. & per ſetaceum tranſmiſſarum ℥ *vj. pulv. gum. aſæ dulcis, benzoes* ʒ *vj. magiſt. marcaſitæ per aquam fortem & præcipitationem parati* ℥ *ij. contundantur junctim diu multumque in mortario, donec per intima & minima commixta ſint. addendo*

Pulv. rad. ireos flor. ℥ *iij. moſchi orient.* ʒ ß. *zibethi opt.* ʒ *ß. ol. ligni rhodii* ℈ *ij. olei ſeu liquoris tartari per deliq. facti* ℥ *i* ß. *vel ejus loco ſalis tartari* ℥ *j.*

Miſceantur exactè, formenturque globuli fragrantes, qui præter odorem & fragrantiam, hoc virtutis habent, ut aſperitatem cutis leniant, glabram, ſubtilem, & albicantem illam reddant.

Sapo Tartareus ex *Pharm. Bateana.*

℞. *Salis tart. & tart. & nitr. ana fact. ſ. a.* ℥ *iv. olei terebinth.* ℥ viii. *ſtent. ſimul vaſe amplo in loco frigido & humido ad menſes aliquot; tamdiu ſal. (ſæpe interim quotidie agitando, & plus olei, quoties opus fuerit, adjiciendo) uſque dum ſal planè triplum abſorbuerit, atque omnia in unam maſſam, ſaponis inſtar, ſpiſſam conſpiraverint homogeneam, nullatenus ſeparandam.*

Inſervit parandis pilulis pacificis & pilulis Matthæi.

SAPONARIA.

Saponaria recentioribus ab extergendi facultate dicta eſt hæc herba, quòd Saponis ritu pannos eluat purgetque: ſtruthium veterum nonnullis creditur, quod à verbo στρουθίζεσθαι, id eſt, lanas purgare & candidas facere nomen accepit.

Nomina. Saponaria *Ger.* vulgaris *Park. J. B.*

Radicibus tenuibus geniculatis cortice rubenti tectis ſub terra repit. Caules ſeſquicubitales & altiores, teretes, glabri, (J. B. hirſuti) ſubrubentes, vix ſe ſuſtinentes, crebris geniculis intercepti, medulla farcti, folia ad genicula ex adverſo bina plantagineis ſimiles (J. Bauhino gentianæ cruciatæ) tribus nervis inſignioribus ſecundum longitudinem decurrentibus, glabra, ſapore nitroſo, brevibus aut nullis pediculis. Flores in ſummis caulibus velut in umbellas digeſti ſinguli breviſſimis pediculis nixi, è calice tenui, unciam longo, glabro (J. Bauhino hirſuto) non ſtriato, qui marceſcente flore in ventrem turgeſcit, pallide rubentes ſeu carnei, odorati, petalis quinis compoſiti nec laciniatis neque bifidis. Succedunt ſemina in vaſculo oblongo circa medium craſſiore, parva, penè rotunda, compreſſa, ſpadicea.

Juxta torrentes, fluvios & ſtagna locis apricis & arenoſis ſponte naſcitur, florens, Junio, Julio, Auguſto, & Septembri ut rectè J. Bauhinus.

Vires, in uſum Medicum veniunt folia, ſed raro & radix. Saponariæ radix attenuat, aperit, ſudorifica eſt. Uſus in aſthmate, utero & menſibus ciendis. Decoctum ejus in lue venerea commendat Septalius: extrinſecus ptarmica eſt, tumores ac præcipue panos diſcutit. Schrod. *Raius.*

Hæc planta præterea purgans eſt ſi in decocto paulò ſaturatiori aſſumatur.

SAPOR.

Medici vetuſtiores novem ſaporum differentias ſeu ſpecies conſtituunt indices temperamentorum, calidi tres, tres frigidi, & medii ſeu temperati totidem, quas tribus verſiculis complectitur ſchola Salernitana.

Hi fervore vigent tres, ſalſus, amarus, acutus,
Alget acetoſus, &c.

Jo. Fernelius autor imprimis eruditus & elegans pro *ſtyptico acerbum* ſubſtituit, pro pontico ſapore auſterum; Saporum autem differentias ſeu ſpecies ſic deſcribit.

Sapor *Acer* eſt, qui linguam & os acrimoniâ ferit atque compungit, ſimulque calfacit & interdum quaſi exurit: is maxime conſpicuus eſt in pipere, pyrethro & euphorbio.

Acidus Sapor guſtum quoque penetrat & tenuitate ferit, ſed citra ullum ſenſum caloris. Tale maximè in aceto deprehenditur, deinde etiam in ſucco mali cytrii, limonum, &c.

Pinguis Sapor nec calore nec acrimonia guſtum ſollicitat, ſed linguam oriſque partes lentore quodam oblinit, is præcipue animadvertitur in oleo, butyro, adipe, &c.

Salſus Sapor linguam non admodum calfacit, ſed acriter ſiccando corradit. Hic imprimis elucet in ſale communi.

Auſterus Sapor os & linguam moderate conſtringit & quadam aſperitate coarctat; hinc quadantenus ſiccat & refrigerat. Hic proprie crudus appellatur, eſtque immaturis fructibus peculiaris ut in ſucco uvæ acerbæ, pomorum, pyrorum, meſpilorum immaturorum.

Dulcis Sapor guſtu ſuavis atque jucundus oblectat, nullaque qualitate exuperante moleſtus eſt. Ejuſmodi conſpicuus eſt in ſaccharo, melle, glycyrrhyza, &c.

Amarus Sapor dulci ex adverſo oppoſitus, inſuavis ac triſtis; ſenſum ipſum veluti corradit aut divellit. Eo inſignis eſt Aloe, deinde abſinthium, centaurium minus & colocynthis.

Acerbus Sapor auſtero finitimus, eo tamen gravior moleſtiorque eſt, ac magis linguam omnemque guſtum conſtringit & exaſperat, & proinde magis tum ſiccat, tum refrigerat. Is luculenter in malicorio, in galla, in rhoe & nucibus cupreſſi conſpicitur.

In piſcibus, ἄποιος dictus, qui proprie Sapor non eſt, ſed ſaporis privatio, nulla qualitate manifeſta guſtum ferit. Talis eſſe videtur Farris univerſum genus, & cucurbita & citrulus.

SARCOCOLLA.

Nominis ratio obvia eſt: ita enim dicta eſt quod carnes agglutinet: vim, inquit Dioſcorides habet glutinandi vulnera. Lachryma eſt arboris in Perſide naſcentis, thuri tenui ſimilis Dioſc. Galen.

Sarcocollæ, (inquit J. Bauhinus) gummi albicantes ſunt, aut ex albo ſubruffi, ſpongioſi, micis lucentibus ſubinde miſtis; globoſarum lachrymarum fragmina, piſi aut parvæ Avellanæ magnitudine; tanta eſt enim fragilitas ut in pulverem craſſiuſculum vel concuſſu levi frietur, ſaporis amari cum quadam dulcedine obſcura, ingrata. Sub dente lenteſcit, & candelæ admota primum bullit, poſtmodum in claram flammam

exardet: admiſta reperiuntur aliquando folia ex candido flaveſcentia, Tithymali myrſinitis folia ſicca egregie referentia. (Granula papaverinis ſeminibus non multo majora eſſe Parkinſonius ait.)

Eligenda recens, calore ad pallorem vergens (vetuſta enim rubeſcit) ſaporis amari, ſubſtantiæ poroſæ & quaſi ſpumoſæ, facileque in aqua ſolubilis. *Schrod.*

In Sarcocollæ notis non conveniunt Plinius & Dioſcorides; hic enim ſubflavum ſeu flaveſcentem dicit: ille eo meliorem quo candidiorem. Dioſcorides laudat guſtu amariſſimam, Plinius cum acrimonia dulcem, in quo ab omnibus deſeritur.

Vires. Schrod. Calf. & ſicc. adſtringit, conſolidat, glutinat, coquit, maturat. Uſus præcipui in vulneribus conſolidandis, cicatrice obducendis, unde & nomen adepta eſt. Mirifice præſtat & in oculorum fluxionibus, albugine, nubeculis (maceratur in lacte aſinino, vel humano, ℥v. poſtea cum aqua roſarum mixta ciliis imponitur, addito ſi libet tantillo ſacchari. In hæmorrhagiis narium anacollematis admiſcetur.

Serapio multùm perforativam eſſe ſcribit, comedere carnes ulcerum, exulcerare inteſtina, inducere calvitiem & alia: at quomodo quod cauſticum eſt glutinabit vulnera? ſcribunt purgare pituitam craſſam à remotis partibus veluti oculis, cum quibus tantam habet affinitatem, ut purgandi gratia in illis data exulceret. Miſera affinitas! quam hoſtibus optem. Meſue dat in ſubſtantia à ʒ j. ad ij. quod ego ne in pilulis quidem audeam. Quantumvis bene correctæ videantur. Coſtæus ſuo more multa excuſat: ego dico, abeat Sarcocolla cum pil. ſuis in maximam malam rem. Caſp. Hofm.

Veteres Sarcocolla foris tantum uſi ſunt: de vi purgatrice nihil dicunt. *Raius.*

SARCOTICA MEDICAMENTA.

Σαρκωτικὸν, ſeu *carnem generans* illud eſt, quod deficientem carnem in ulcere vel vulnere cavo progignit, ipſumque cavum carne implet, idque ſolùm mediatè & per accidens, quatenus impedimenta, quæ naturam in producendâ carne retardare poſſunt, tollunt. Cum enim carnem generare ſolius naturæ opus ſit, propriè loquendo nullum medicamentum ſarcoticum dici poſſet, dicitur tamen ita reſpectu inde adjutæ naturæ.

Etenim materia carnis ſanguis eſt, iſque bonus laudabilis, efficiens natura ſubjectorum corporum, quibus ſuperinduci caro debet, id eſt, naturalis eorum temperies, quæ ſanguinem apponit, agglutinat, tandemque planè aſſimilat. Adjuvans ea medicamentum eſt, quod detergendo, modiceque ſiccando removet ea, quæ naturam in opere ſuo remorantur.

Quod ſi contingeret, autore *Galeno lib. 3. m. m. c. 3.* affluentem ſanguinem nullum neque in quantitate vitium habere, partem quoque, cui in generandâ carne ſuccurrimus, bonâ temperaturâ eſſe præditam, nil eſt, quod obſtet, quò minus carnis generatio & nullius externi medicamenti ope proſpere ſuccedat, ambabus quippe cauſis efficiente & materiali præſentibus. Id verò cum ob læſionem graviorem fieri minus poſſit, & in carnis productione hinc duplex perpetuò generetur excrementum: unum tenue, ichor nempe ſeu ſanies, unde ulcus redditur humidum; alterum craſſum, ſordes ſcilicet, unde ſordidum redditur, perinde duplici etiam medicamento opus eſt, humidum excrementum ſiccando & ſordidum detergendo, licet uni eidemque medicamento eadem facultas ineſſe queat.

Ubi igitur profundior hiatus & cavum explendum occurrit, ſpeciatim conveniunt ſarcotica, moderatè calefacientia & ſiccantia, citra morſum, acrimoniam & adſtrictionem, nec colliquantia ſc. nec cogentia, ſed intemperiem tollentia & vitale γλισχρὸν roborantia.

Hinc inſtar regulæ notandum eſt, ut omne exceſſivum humidum, ulcerum & vulnerum conſolidatio ni adverſum eſt; ita quæcunque blandè illud moderantur, ſunt ſarcotica, idque tantò magis, quò pars ipſa vel humidior naturâ ac temperie ſuâ eſt, vel ſiccitate gaudet. Niſi enim id fiat, promptiſſimè caro luxuriat; & in cerebro fungos, in aliis excreſcentias alias producit.

Sic in vulneribus cerebri v. g. omnia humida, præterquam diſſipantia, nocent, oleoſa, pinguia, quin in genere ferè, niſi ſint balſamica, omnibus adeò nocent, & minus conveniunt.

Par ratio eſt vulnerum capitis, & citra frontem, & ſimilium, ubi unguento digeſtivo nullus eſt locus, ſi quidem feliciter mederi eſt animus.

Sic ſi ungues ſint vulnerati, ſola ſiccantia rem omnem abſolvunt. Adeoque in hoc non raro errant chirurgi, quod oleoſis unguentis vel emplaſtris continuando ſordidum reddunt vulnus & producunt. Id quod & in ulceribus ſerpentibus cumprimis valet; ſiquidem in ſingulis ejuſmodi caſibus glandulæ cutaneæ labefactatæ ichorem ſtillant, omni modo compeſcendum.

Hinc meritò & in his externis celebrantur tum alcalina, ex pompholyge, lithargyrio, ceruſsâ, aliiſque, qualis etiam eſt pulvis foliorum ariſtolochiæ longæ; imò & vitriolata & aluminoſa conſtrictiva eundem in finem laudantur non immeritò; tum balſamica, quæ & balſamum vitale, & ſuſtinentes idem & ſuſcipientes partes obſervant.

Quod ergò olea cocta & pigriora ulceribus non conveniunt, non æque ideò fit, quod acida ſint, ſed quod laxum reddunt, quod ſtrictum eſſe debebat, pro conſolidatione præſtandâ; id quod & de emplaſtris valet.

Referenda huc etiam eſt abſterſio; ita ſcilicet ſemper ichor eſt tollendus, ne γλισχρὸν, glutinoſum negligamus. Blandè & mediocriter detergere convenit, ut ſordes, quæ in carnis generatione proveniunt, amoveant, citra tamen mordacitatem, ne ſi valentiora ſint, non ſordes modò abſtergant, verùm etiam ſanguinem concreſcentem, & in carnem coire non ſinant propullulantes miculas & ſtamina carnea prima.

Non nimis ergò adſtringere vel ſiccare debent ſarcotica, alioqui facilè fit, ut partis defœdetur conformatio. Patere ſarcoticorum natura poteſt è contrariis jam ſupra dictis cathæreticis, quæ ſuperfluum illud humidum & exceſſivum luxurians demunt & domant *Wedelius.*

SARDA.

Sarda ſeu *Sardina*, & cum nondum adolevit, *Sardella*, (à Sardinia) unde olim in alias regiones magna copia evehebantur: ſeu, ad conjecturam Marhodæi in dactylotheca.

Sardius à Sardis eſt, à quibus ante repertus)

Rondeletius τριχίδα & τριχίαν Ariſtotelis pro eodem piſce accipit, qui *Sardina* vulgo dicitur, niſi magnitudine & ætate differant; quæ differentia duplex nobis nomen peperit, ut Sarda dicatur, quæ major ſit; Sardina quæ minor. Piſciculus eſt (inquit) marinus, Aphyæ phalericæ omnino ſimilis, niſi paulo major & ſpiſſior eſſet, à parvâ Aloſa ore, branchiis, oculis pinnarum numero, ſitu, ſquamis, cauda minime diſcrepans, excepto tantum quod Aloſa ſit latior; Sardina igitur ſquamas magnas, ſed tenues habet; colore eſt vario, nimirum capite aureo, ventre albo, dorſo cum viridi cæruleo, utroque ſplendido rutilanteque, dum viva è Mari extrahitur, unà cum vita viridis evaneſcit, cæruleo manente, inteſtina habet parva & recta, Aloſarum inteſtinis ſimilia, felle caret; ideoque non exenterata in craticula vel Sartagine coquitur. Sale conditæ Sardinæ in annos

annos duos ſervantur, fitque ex his Garum, ſed minus laudandum ob ſquamarum copiam *Charleton.*

Sardonix, vid. ſub titulo *Lapis.*

SASSAFRAS.

Nomina. Saſſafras *Ger. Park.* Saſſafras ſive lignum Pavanum *I.B* Saſſ. Arbor ex Florida ficulneo folio *C.B.* Anhuiba ſeu Saſſafras major. *Piſon.*

Maximæ hujus generis Pini ſunt magnitudine & formâ: nam præterquam quòd ſunt trunco unico & palmæ inſtar non ramoſo valido & recto; ramos in cacumine habent coronæ inſtar ornate expanſos ad inſtar pinus repurgatæ. Cortice ſunt tenui, glabro ex gilvo nigricante (craſſo fulvi coloris, alio tenuiore cinericeo tecto) veluti odore, ita & ſapore admodum aromatico accedente ad fœniculaceum. Ramis hærent folia viridia, tenuia, ficulneorum aut vitis albæ æmula, odorata, multoque magis exſiccata: tenera adhuc pyri foliis ſimilia ſunt. Vixque ullum angulum oſtendunt, inquit Monard. quod confirmat Thom. Johnſonus in Gerardo ſuo emaculato: qui ſaſſafras arbuſculæ à ſe viſæ in horto D. Guliel. Coys Statfordiæ propè Londinum Ramulum deſcribit & depingit foliis infimis integris & propemodum pyriformibus, ſummis in tres cuſpides diviſis; in eodem utique ramulo.

Perpetua fronde eſt, floribus & fructibus Monardi & Piſoni incognitis. At J. Bauhinus fructum oblongum, rugoſum, longiſſimis pediculis donatum ei attribuit. Parkinſonus ex relatione Jo. Frandeſcantii. Flores parvos, luteos, ſtamineos corni maris floribus perſimiles eſſe tradit, quibus ſuccedunt pro fructu baccæ parvæ, nigricantes, calycibus parvæ exceptæ, multæ ſimul racematim congeſtæ, pediculis longis inſidentes. Radices nunc craſſæ, nunc tenues, ad terræ ſuperficiem expanſæ, unde arbor exſtirpatu facilis, quarum cortices arborum corticibus ut odoratiores ita & in Medicina præſtantiores, fœniculum recipientes, Cluſius Draconis herbæ guſtui aſſimilat.

G. Piſo Monardis deſcriptioni circa lignum Saſſafras non aquieſcendum eſſe ait, ſiquidem affirmat Saſſafras Floridæ lignum decorticatum ullius dignitatis eſſe, cum Braſilienſe eximiæ dignitatis & virtutis habeatur, atque à cortice liberatum in aliquot annos immune ſervatur: duas adhuc alias hujus arboris ſpecies deſcribit Gu. Piſo: I. prior albicante & flaveſcente eſt ligno, ac proinde Luſitanis Cedro Branco vel canella ob odorem dicitur, Braſilienſes Anhuipitanga vocant, foliis eſt parvis, anguſtis & tenuibus.

2. Altera ſeu tertia ſpecies, Anhuibamiri, quantum duabus prioribus magnitudine inferior, tantu m virtutibus ſuperior, omnibus pariter Braſilienſibus in quotidianos uſus repoſita. Folio eſt lauri, ſeu minori, fructu odorifero & nigro ubi maturuerit, eoq; ſimul cum cortice, ligno, foliis & radice intenſe calidis.

J. Bauhinus lignum Saſſafras ſic deſcribit, cortice tegitur interius fungoſo nonnihil molli: materies ſubjacet alba, vel ex albo ruſeſcens, aliqua interdum etiam ex parte ad cinereum vergens, mollitie & pectinibus Tiliaceis, odore & ſapore ſuavi, aromatico, actiuſculo & ſubdulci quodammodo Aniſi.

Naſcitur in maritimis locisque temperatis (in vaſtiſſimis & denſis ſaltibus Piſon.) Non tantum in Florida, ſed in aliis Americæ regionibus, etiam Braſilia ipſa.

Folia contuſis imponunt Indi, ſicca etiam in Medicos uſus aſſumunt.

Vires. Ligni decoctum, ſed maxime radicis ejuſque corticis, multi uſus eſt, quod vel meracius, vel ſaturatius pro ægri viribus ætate aut temperamento ſumendum eſt. J. Bauhinus cum Monſpelii ageret ligni cum ſuo cortice derasi ℥i ß. in tribus tantum aquæ fontanæ libris à medicis Monſpelienſibus infundi ſolere ait per horas 12. deinde ad ℔ij. conſumptionem decoqui & de colatura ℔j. manè ſumi calide. Meliuſque cenſemus (inquit) cum celeberrimis ejus loci Medicis in duas tantum doſes ſic parari quam in plures, tum quia aſſervatum gratiam odoris amittit, tum quòd facultas illius facile evaneſcit. Eſt enim tenuiſſimarum partium.

Reſidentiam prædicti decocti infundebant per tres horas in ℔ iv. aq. font. decoquebant ad ℔ ij. conſumpt. calatoque per manicam Hippocrat. ſaccharo, Boſcheti titulo, aut ſine eo, pro potu ordinario utebantur, liberaliori adhibito victu, quam in decocto guajacino, quo nomine frequens ejus uſus in corporibus macilentis. Hac ratione magno ſucceſſu præſcribebant ad podagras, iſchiadas, veteres fluxiones, obſtructiones confirmatas, febres nothas & antiquas, & ſingulari propemodum experimento ad fœdos virginum colores. In lue venera idem præſtat quod guajacum, China, ſarſaparilla, ſimili uſu & utilitate valere & ad membra reſoluta. Ventrem ſolvit cyathus manè calide ſumptus. Paſſionem cæliacam diuturnam ſanat, flatus uteri & cruditates conſumit. Certo experimento; menſes mirifice provocat, ſterilitatem etiam emendat. Macilentis confert & carnem auget: multi etiam ad peſtis & morborum contagioſorum præcautionem aqua vel decocto ejus utuntur.

Monardes ad frigidos ventriculi affectus & flatus commendat, nec non ad concoctionem promovendam & vomitum compeſcendum in morbis thoracis frigidis efficax eſt: inque capitis doloribus tam novis quam inveteratis. Calculoſis utiliter datur iiſque quibus arenulæ gignuntur in renibus: adverſa eſt iis qui urinæ ardore laborant. Halitum denique oris emendat. Hæc Monardes ad quem Lectorem qui plura velit remitto.

Notat Schroderus inſtar panaceæ in catarrhis haberi.

Ligno Saſſafras dicto ſubjungit Joh. B. lignum Aniſi.

A Thom. Platero Medico communicatum, odore aniſi & quam Saſſafras ſuaviore, mitioreque, materie ſolidâ, ſubfuſca, rectos pectines, maculis tranſverſis ac ſplendicantibus intercipientibus, quales fere in Fagino ligno videri ſolent facile finditur. Flammæ admotum facilè adoleſcit, & luculentam præbet flammam; ſed odorem gratum non reddit ſicuti Saſſafras. *Raius.*

SATUREIA.

Satureiâ aliis à ſaturando dicta eſt, quòd cibis loco condimenti addatur: alii à ſatyris nomen traxiſſe putant, quia coitus marceſcentes ſtimulat. Græcis Tymbra dicta eſt forte ἀπὸ τοῦ θύειν ob fragrantiam C. B. & tamen Columella diſtinguit Tymbram à Satureia.

Et ſatureia Thymi referens Tymbræque saporem.

Nomina. Satureia hortenſis *Park.* æſtiva hortenſis *Ger.* Sativa *I. B.* hortenſis, ſive cunila ſativa Plinii *C. B.*

J. B. Lignoſa nititur radice & ſimplici, fibras majuſculas emittente, ex qua virgultim ſurgunt pedem aut cubitu alta, teretia, rubeſcentia, ſubhirſuta, geniculis certis diſtincta, ad quorum ſingula folia naſcuntur hyſſopi vulgaris, nonnihil hirſuta, crebris foraminulis non tamen perviis eroſa, odore ſuavi vehementi (J. Bauhinus Thymi vulgaris mitiore) Sapore acri; caules ramoſi ſunt ramulis ex adverſo binis, è foliorum alis exeuntibus, & ipſis etiam caules longitudine excedentibus, è foliorum alis exeunt floſculi plures


ſcabioſa

ſimul, pediculis brevibus, & calicibus in quinque acuta & anguſta ſegmenta diviſis, ipſi in quatuor lacinias partiti, ex albo purpuraſcentes, ſemina parva, fuſca quam Thymi tamen majora.

Planta eſt æſtiva nec per hyemem durare poteſt; unde quotannis ſeri debet.

In agris circa Caſtelneuf non longe à Monſpelio copioſe & ſponte ortam obſervavimus.

Vires. Eſt inter herbas calidas & acres, quæ urinam & menſes movent: facultatibus cum Thymo & Serpyllo convenire aiunt. Nobis potius ut facie ſic viribus ad hyſſopum accedere videtur.

Uſus eſt (inquit Schroderus) in affectibus ventriculi, cruditate, anorexia, &c. (proindeque condimentum pauperum eſſe ſcribit Tragus: nam omnibus eduliis tam carnium quam piſcium concoqui, &c.) pectoris Aſthmate; uteri menſibus obſtructis: viſum acuit. Extrinſecus diſcutit tumores, doloreſque aurium ſedat.

Uſus ejus frequens eſt in culina inter alia olera. Cum phaſeolis & aliis flatuoſis utiliter incoquitur & editur, fabis cum ſelino inciſa & infrixa edulium gratum, Belgis frequens habetur, Lob.

Pauperes in Germania braſſicas capitatas hac herbæ condiunt, qui fit ut illæ jucundiſſimum odorem ac saporem gratiſſimum inde accipiant I. B.

Plantam hanc quamvis annua ſit & herbaceam ob convenientiam in foliis, odore reliquiſque notis cum ſatureia duriore ſeu hyemali ab ea non ſeparandam putavimus, *Raius*.

SATURNUS, vid. *Plumbum*.

SATYRIUM, vid. *Orchis*.

SAXIFRAGA MEDICAMENTA, vid. *Lithontriptica*.

SAXIFRAGA HERBA.

Et primò

SAXIFRAGA ALBA.

Nomina. Saxifraga alba altera bulbifera *Park.* Sax. bulboſa altera bulbifera montana *Col.* Saxifraga ad folia bulbos gerens *C. B.*

Col. hujus radici adnaſcuntur non acini ut præcedentis, ſed veluti ſquamoſi bulbuli, lilii modo ſe propaganti, duplo ſuperioris grumis ſeu granulis majores, foris rubeſcentes, intrinſeus albidi, ſapore primum adſtringente, poſtea amaro & ingrato, paucis in imo fibrillis terram amplexantibus. Folia hic minora, rotundiora, brevioribus purpuraſcentibus petiolis, piloſa, per ambitum rotundis crenis diviſa, tacta gummoſa ucuti caulis, florum calyces, & tota planta. Caulem edit craſſiorem, parum hirſutum, purpuraſcentem, cui denſa alternatim folia, abſque petiolo, per ambitum criſtata, veluti Euphragiæ folia acutis crenis diviſa, in quarum ſinubus bulbuli oriuntur quibus propagatur; ſeminis vicem ſupplentes, citius enim ſati erumpunt, atque nedum in foliorum ſinubus, ſed in florum petiolis, atque juxta flores ipſos, qui in ſummo caulis veluti corymbi uno ortu è caulis ſumme prodeuntes, ramoſi petiolis inſidentes, Aprili menſe atque Maio in quinque foliola candida dehiſcunt, calyces veluti cytinos hirſutos habentes, vel hyoſcyami, quinque etiam oris diviſos, in quibus fructus bicornes, ſtaminibus pluribus flaventibus circundati, qui perfecti per cornicula diſſecantur, copioſa, arenæ inſtar minutiſſima ſemina extendentes, ſupervacua.

Pratenſibus montium gaudet, & ſaxoſis herbidis umbroſis Campoclari & Æquicolis.

SAXIFRAGA AUREA.

Saxifraga aurea ob ſimilitudinem quandam in foliis cum Saxifraga alba hoc nomen obtinuit. Flores autem & ſemina genere diverſam eſſe arguunt. Nè quid de viribus dicam. Flore flavicante tetrapetalo: vaſculo ſeminali bicorni plurimis minutiſſimis ſeminibus repleto à reliquis hujus familiæ generibus differt. *Raius.*

Saxifraga utraque, ut ex vi nominis patet, commendatur in calculo; obſtructionibus ac urinarum difficultatibus. Decoctum præterea hujus plantæ mulieribus in menſibus provocandis propinatur.

SAXIFRAGA, vid. *Pimpinella Saxifragia.*

HIRCINA, ſub titulo *Pimpinellæ.*

SCABIOSA.

Scabioſa recens vocabulum eſt: quidam à ſcabro herbæ habitu nomen deducunt, eſt enim herba piloſa; alii, & rectius, à ſcabie cui medetur unde Aetii ψώρα eſſe creditur.

Nomina. Scabioſa major communior hirſuta folio laciniato *I. B.* major vulgaris *Ger.* vulgaris pratenſis *Park.* pratenſis hirſuta, quæ officinarum *C. B.*

J. B. Radicem habet, rectam, longam: Caules ſeſquicubitum, & duos cubitos altos, teretes, hirſutos, inanes: foliis cinctos per intervalla longiora ex adverſo binis, cana lanugine pubeſcentibus, forma valerianæ majoris, profundius ſubinde laciniatis, ſapore ſubacri. Caules & ramuli in florum capitula terminantur. Flores autem aggregati ſunt è plurimis floſculis quadripartitis purpureo cæruleis, quorum ſinguli ſingulis inſident ſeminibus, ſuoſque habent calices, ſtaminula & ſtylos. Floſculi marginales mediis productiores ſunt, laciniis longioribus. Floris totalis calix è plurimis foliolis acutis baſin ejus in circulum ambientibus componitur, flores explicati planam ferè aut non admodum gibboſam ſuperficiem efficiunt. Floſculis dilapſis ſemina in globum aut capitulum oblongius attolluntur. Quæ primò è radice exeunt folia integra fere ſunt, & non omnino laciniata.

In paſcuis frequens eſt, nec minus inter ſegetes Junio & Julio menſibus floret.

Hæc Scabioſa (inquit Joh. Bauhinus) aut mirabiliter ludit, aut differentias aliquas habet: quædam valde laciniata, ut deſcripta, quædam non laciniata, vel minus profunde & rarius, verſus ſuperiora tantum.

*Vires.** Herba vino decocta ejuſque ſuccus aut aqua in M. B. deſtillata apoſtematibus, pleuriti, Tuſſi, aliiſque pectoris vitiis medetur. Nec minus Aſthmati, Anginæ, peſti. Pollere autem hanc (inquit Joh. Bauhinus) inprimis adverſus ſcabiem nomen illi inditum per ſe manifeſtat.

Scabioſæ vires S. Urbanus his verſibus complexus eſſe dicitur.

Urbanus pro ſe neſcit pretium ſcabioſa;
Nam purgat pectus quod comprimit ægra ſenectus:
Lenit pulmonem, purgat laterum regionem:
Abſceſſus frangit ſi locum bibita tangit:
Tribus uncta foris anthracem liberat horis.

In plurimis expertus eſt D. Willebrochius Archiducis Ferdinandi Medicus celeber, ad rhagades ſeu ſciſſuras & ſerpigines ex lue oriundas: Etiam in illis in quibus dec. ligni parum profuit, certiſſ. remedium pulv. Rad. hujus per hebdom. 3. quotidie aſſumptum. *Raius.*

Dantur præterea aliæ plures ſcabioſarum ſpecies quas hic enumerare forſan inutile prorſus fuerit, unam tantùm itaque tradimus Tabulâ XXII. proxime adjectâ

 depictam

* Herbam hanc huius seculi Medici alexipharmacis omnibus vegetabilibus anteponere haud dubitant, in febribus malignis, abscessibus internis, extrahendo anthracis veneno f. ejus usus tum internus tum externus in decoctis ...

depictam, Scabioſam nimirum Alpinam maximam fruticoſam ad ebuli folium non parum accedentem, cujus vires inter alias Scabioſæ ſunt ſanè prænobiles.

SCAMMONIUM.

Nomina. Scammonia Syriaca *C. B.* Syriaca legitima *Park.* Syriaca flore majore convolvuli *J. B.* Scammonium Syriacum *Ger.*

J. B. è radice longa, craſſa, (brachiali craſſitudine foris obſcure cinereâ, intus albâ, fibroſâ) lacteo ſucco prægnante, multas aliquot cubitorum viticulas profert, proximis radicis ſeſe convolventes ſcandenteſque: folia triangula, ceu haſtilis barbatus mucro, ſimilacis lævis æmula, ſed minora, glabra, tenuia pulchrè viridia, pediculis brevibus inſidentia. Ex aliis foliorum prope ſummos caules exeunt flores pulchri, calathoides, purpuraſcentes, Helxines ciſſampeli floribus proximi; quibus ſuccedunt capſulæ ſeminales rotundæ ſeu globoſæ, ſeminibus intus nigris anguloſis.

Radicis ſiſſæ torulus ſive cor medium exemptum (inquit Jo. Bodæus à Stapel) planè idem eſt radici communis & probatioris Turbith officinarum: verum aliquanto facilius frangitur hæc, tametſi perinde gummoſa ſuccoque lacteo prægnat atque Turbith.

In calidis pingui exit ſolo, velut in Aſiæ Myſia, Syria aliiſque ſimilibus. Reperitur & in Creta inſula, Bellonio teſte.

Vires. Scammonium purgat valide humores bilioſos acres, ſeroſos, è partibus remotis, adeoque creberrimi uſus eſt non modo per ſe, ſed cum aliis admixtum.

Verum cum magnæ ſit acrimoniæ (inquit Schroderus) intenſæ caliditatis & ſiccitatis, infenſæ malignitatis, mordacis flatulentiæ, exceſſivæ attractionis, ideoque aptum natum quod erodat inteſtina, viſcera, cor, hepar, &c. conturbet, ventriculum flatibus mordacibus laceſſat. Vi ſua calefactoria & exſiccatoria inflammet & conſequenter febres inducat; vi attractoria hypercatharſes cauſet, correctione opus habet.

Quinque vitia habere aiunt, quibus niſi occurras Luet æger tutus.

1. Eſt, quòd flatus quoſdam mordaces gignat, uſque adeò ventriculum laceſcentes, ut ſumentibus nauſeam commoveant, noxa hæc tollitur, ſi in excavato cydonio malo clibano aut prunis inaſſetur, paſtâ undique circumlitâ, præſertim additis aut dauci, aut fœniculi, aut apii ſemine, aut galangæ.

2. Quod inflammet acredinis exuperantiâ corporis ſpiritus, quo fit ut facile febres excitet, iis præcipue qui obſtructionibus viſcerum & humoribus putreſcentibus obnoxii ſunt; ſed id nocumenti auferrur admiſtis inter coquendum quæ refrigerant & fervorem extinguunt, cujuſmodi ſunt mucilago pſyllii, decoctum & pulpa prunorum, ſuccus aut aquæ roſar. violar. &c.

3. Quod eadem acredine ſua recludat ora venarum, ut ſequantur evacuationes nimiæ hypercatharſes dictæ; hæc noxa tollitur adſtringentibus, maſtiche, myrob. pomo cyd. præcipuè Aloye, quæ inter purgantia ventriculo valde grata eſt.

4. Eſt quod acrimonia abradat inteſtina, & exulceret reliqua viſcera, quod ex crebris punctionibus innoteſcit. Hic damus partim ea quæ lubricant & lentore ſuo obſtant, ut ſecundo loco dictum eſt, partim adſtringentia, tum viz. cum jam incipit agere.

5. Eſt, quòd malignitate quadam indicibili principibus partibus bellum indicit. Hinc addimus cordialia, hepatica, ſtomach. &c.

Scammonium ſive ſuccus Scammoneæ denſatus per coctionem aut etiam per macerationem paratus Diagridium appellatur. Confectio autem ejus per coctionem hæc eſt.

Accipitur Cotoneum, extrahiturque durior ejus illa pars media quæ ſemina continet (reciſa tamen ſuperiori laminâ) cujus loco in excavatam partem Scammonium incitur: mox laminâ quæ prius fuerat reciſa, pro cooperculo additâ cooperitur, triticeaque paſta circumquaque malo Cotoneo obducitur ac itaque coquitur in clibano. Pomo refrigerato Scammonium eximitur & uſui reſervatur.

Per macerationem paratur accipiendo Scammonii partes duas, ſucci cydoniorum partem unam, & miſcendo probe, deinde ponendo in locum calidum & quotidie movendo, donec ejus maſſa mediocriter induretur; è qua fiunt paſtilli qui quantum ſatis eſt exſiccentur.

Vera autem (inquit *Le Brun*) Scammoneæ præparatio fit cum ſucco limonum depurato, in quo diſſolvitur in B. M. & fervens adhuc per linteum tranſmittitur, quo pacto craſſa & impura ejus ſubſtantia, quæ non niſi noxam parit, ſecernitur.

Quod ad electionem Scammonii attinet, optimum eſt quod ex Antiochia advehitur, nitidum, ſplendidum, (inſtar glutinis taurini) citò liqueſcens, friabile, colore cum frangitur fulvo, non valde ponderoſum, tactu linguæ lacteſcens, nec vehementer calefaciens (nempe hoc Tithymali admixti argumentum eſt).

At vulgare noſtrum ſqualidum eſt & cinericeo colore & aſpectu triſtiore, quia non eſt liquor manans aut lachryma Scammoneæ, ſed ſuccus vi expreſſus, non ex radice tantum, ſed ex tota planta.

Doſis Scammonii præparati à gr. VI. ad gr. XII. aut ℈j. Dioſcorides & Ruffus uſque ad ʒj. exhibent Paulus & Ætius uſque ad ℈ ij. quicquid ſit Græcorum Scammonium forte mitius erat, nec ut hoc tempore ſucco Tithymali adulteratum: ſtandum itaque potius in Doſi Meſue.

Scribit J. Bodæus à Stapel ſe ſæpiſſime gr. XX. etiam XXV. cum violaceo ſyrupo, non ſine feliciſſimo ſucceſſu exhibuiſſe; pueris VIII. X. XII. annorum grana X. XII. XV. non minori cum ſucceſſu quinquennibus gr. VI. ſeptemve.

Conſulo (inquit Fallopius) ut ſemper exhibeatis paucam quantitatem quæ quantitas ſit potius pro calcari; vocatur autem calcar pauca Scammonii quantitas addita medicamentis purgantibus pro ruſticis, vel pro aliis robuſtioribus & cervicoſis hominibus, aut etiam Monachis.

Denique cum nulla providentia ſit ſatis, moneo denuo (verba ſunt Caſp. Hofmanni in fine capitis de Scammonio) 1. ne Scammoneata dentur illis, quibus ventriculus (comprehendo inteſtina) eſt debilis, quales fere ſunt hypochondriaci. 2. Ne calidioribus & qui ad febres proni ſunt. Valde enim turbant corpora. 3. ne in ſpecie iis qui faciles ſunt ad lipothymias. 4. Ne ſubſtantia detur in juſculis.

Verùm quicquid hi contra Scammonium & ſcammoneata declamitant, ſi modo Scammonium rectè præparetur, & debita dozi exhibeatur, non eſt aliud præſtantius remedium quod certius & etiam tutius operetur, præſertim aliis medicamentis admixtum. Neque qui hujus uſum reprehendunt, ullum aliud medicamentum invenire poſſunt. Quod ejus loco ſubſtituant in tantilla quantitate adeò utile & proficuum, tantæ efficaciæ & tantarum virium. Audivi practicos nonnullos adhærentes, ſe plus huic medicamento fidere quàm alii cuicunque carthartico; nec ſecuros eſſe poſſe de operatione aliorum purgantium, niſi ſcammoniæ tantillum iis admiſceatur; hæc autem fere nunquam fruſtratur medicum, unde non immeritò aliorum medicamentorum calcar appellatur: quæ diximus confirmat Clariſſimus vir Franciſcus de le Boe Sylvius (ut nos monuit D. Soame) Scammonium, inquit, blandè purgat, quicquid ganniant imperiti; teſtatur ubique medicorum

rum peritorum experientia quotidiana. Ego certè poſt alios multos, aliquot millenis vicibus eo ſum uſus, ſed ſemper cum ſucceſſu optimo & operatione blanda.

Cæterùm Scammonium quadam latente totius ſubſtantiæ proprietate operari creditur. Nam guſtu quidem nullus in eo caloris vehementia deprehenditur. Cuicunque ſiquidem liquori aut rei permiſceatur, nullam ei vel amaritudinem vel acrimoniam aut alium ingratum ſaporem communicat.

Novi civem Ulmenſem, qui toties recidivam hæmorrhoidum paſſus eſt, quoties medicamentum ore aſſumpſit quod ingrederetur vel Scammonium, vel folia ſenæ. Horum uſu interdicto ab acerbo hæmorrhoidum dolore per multos annos immunis ſaluberrime vixit. è Sculteti Armamentar. Chirg. Obſ. 760. D. Tanc. Robinſ, *Raius.*

Scammonium eſt ſuccus plantæ cognominis *Scammonea*, ex Convolvulorum genere, lactariæ; laudatur optimum Antiochinum & Armenium. Expetitur nitidum, ſplendidum, clarum, ſpongioſum, tenuiſſimis fiſtulis excavatum, citò liqueſcens, friabile, non valdè ponderoſum, ſalivâ vel aquâ madefactum lacteſcens, linguam non exurens, nec tetro odore infectum. Adulteratur Tithymali lacte, ſed tunc linguam valenter nimis adficit. *Pharm. Auguſt.*

Præparata, ex Scammonio.

1. Scammonium correctum per Cydonium, id eſt, Diagridium.

℞. Scammonium tritum, coque in malo Cydonio excavato paſtâ circumdato, exemptum dein diagrydium ſerva pro uſu.

N. 1. *Hæc elaboratio eſt Gal.* l. 1. c. 1. de aliment. facult. *ubi interna mali cotonii acetabula ſemini deſtinata excavat, eaque Scammonio replet ac coquit.*

N. 2. *Antiquum imbecillum eſt ideoque flatulentum, bimum eſt optimum.*

N. 3. *Dicitur Diagridium, Diagrydium, Diacrydium.*

2. Scammonium defæcatum per ſuccum Citonior.

Solve Scammonium (vel diagrydium) in ſucco calido Citonior. Roſarumve pallidarum aut Damaſcenarum ſ. a. decanta à fæcibus ac coagula.

N. 1. *Quercetanus veram Scammonii præparationem fieri cum ſucco Limoniorum ait, cum quo procedit ut dictum.* Vide Pharmacop. c. 15. *Alii cum ſucco Citri.*

N. 2. *Crollius imbibit Diagridium puriſſ. ſucco clarificato Roſ. pallidar. vel Sylveſtrium, (forte Damaſcenar. ſeu Provincialium) addit ſpir. ⊖li guttam unam vel alteram, atque exiccat calore ſolis vel retro fornacem, idque repetit multoties (20. vel 30.)*

Doſis à gr. VI. ad XII.

N. 3. *Brendelius diſſolvit Scammonium in ▽ deſtillata actu frigida. Sic ſubſidet picea quadam ſubſtantia, à qua decantat liquorem ſupernatantem: idque repetit, novam ſcilicet ▽ affundendo, quoties ▽ albicantem colorem contraxerit. Coagulat dein decantatas ▽s leni calore ad ſiccitatem.*

Doſis ad gr. XII. &c. *Brandel. in Chym.*

3. Extractum per ſpiritum Vini, Magiſterium ſ. Regina Scammonii, Pulvis Syrius.

℞. Scammonii puriſſimi groſsè triti ℥ ij. 🜈 opt. ℥ XII. (vel ad eminent. dig. 4.) Digerantur in MB horâ unâ ac alterâ, ſæpius agitando, ut ſolvatur: dein filtra calidè per chartam, filtraturæ affunde ▽ frigidam Roſar. (vel aliam aliquam aquam) & lacteſcet liquor. Abſtracto ſpir. vin. repone reliquum & reſidebit Reſina quam (à ſupernatante lacteo liquore decantationis beneficio ſeparatam,) ter quaterve aq. roſacea lava.

N. 1. *Si Scammonium purum fuerit, vix pars tertia decedit.* Sala de Vegetab. Keſl. 1. cap. 90. Tentzel. in Exeg.

Doſis à ℈ß. ad gr. XV.

Fit quoque Extractum Scammonii per Acetum deſtill.

Doſis gr. 8. vel 12. *Hartm. in Croll.*

4. Extractum Diagridii aromatiſatum F. F.

℞. *Cinam. zinzib. caryophill. macis, nuciſt. cardamom. cal. arom. aniſ. cortic. arant. an. ʒ i ß.*

F. Extractum cum 🜈 ℔ ß.

2. ℞. Diagrid. ℥ iij. Extrahe itidem cum 🜈 *ſ. a.*

Utrumque Extractum conjunctim digere. 🜈 abſtrahe ad conſiſtentiam Extracti.

Doſis gr. XV. ad ℈ j.

5. Extractum Scammonii Glycyrrhizatum.

Verum Scammonii correctivum eſt ſuccus liquiritiæ. Infundantur radic. glycyrrh. bona quantitas in aq. per 24. horas, eaque infuſio nova ſemper glycyrrh. additione ter repetatur, coctione levi præmiſsâ. In hoc decocto Scammon. pulveriſatum reſolvatur, filtretur, exhalet aqua ſub finem leniſſimo △ (ne aduratur) uſque dum Extractum in fundo reſideat. *Eſt S. Cloſſai.*

6. Elyxir Scammonii Crollianum ſ. Pilulæ Scammonii.

Ex Scammonio crebris imbibitionibus ſucci Roſar. (ut ſupra) imprægnato, extrahe Tincturam ſ. a. digerendo cum 🜈 opt. (in quo ſem. aniſi fœnic. cinam. ſpica nardi macerata, decanta & abſtrahe 🜈 ad conſiſtentiam duriuſculam, vel quod melius, præcipita cum ▽ Roſar. & lava.

℞. *Hujus extract.* ℥ j. *ſucci citoniar. depurati* ℥ iv. *roſ. rub. depurat.* ℥ j. *M. & coagula ad conſiſtentiam pilul.*

Doſis à gr. 10. ad 20.

7. Alia correctio Hartmanni: Scammonium ⊖latum.

℞. *Scammon. minutiſſ. triti q. v. imbibe cum pauxillo ſpir. ⊖i vel ol. Sulphuris p. c. adfundendo guttas aliquot. ol. aniſ. vel fœnic. contere diligenter ut fiat maſſa inſtar picis viſcida, quam ſerva.*

Vires. *Purgat leniter ſine omni moleſtia.*

Doſis à gr. XV. ad XXV. *Hartm. in Croll.*

N. 1. *Eodem modo mitigatur & vehementia omnium ſuccor. purgantium, Aloës, Elaterii, Gummi de Pern.* Hartm. in Croll.

N. 2. *Quercetanus in Pharmac. Reſtit. cap. 15. Chymici, inquit, qui elegantes illas & ſingulares ⊖i proprietates occultè in eo deliteſcentes eruere norunt, haud verebuntur Scammoneam, Myrrham & ipſa etiam Gummi præparare & diſſolvere cum phlegmate ⊖i, toto ſuo ſpiritu imprægnato. In hoc ſolo enim ſpiritu latet vera illorum ſimplicium præparatio, quæ cum exuperante calefaciendi qualitate inſignita ſunt, & hac viâ exquiſitè & perfectè corriguntur.*

N. 1. *∽us ⊖li & Tartari comburunt Scammon. & in picem vertunt, ac proinde multum virtutis catarcticæ deperdunt. Satius igitur erit Scammon. reſolvere in Tincturâ roſ. cum ∽u ⊖li paratâ ut moris eſt, reſolutumque ad Extracti conſiſtentiam reducere.*

8. Scammonium Sulphuratum.

℞. *Scamm. minutiſſ. triti, q. v. Exempli gratia,* ℥ j. *vel* ℥ ij.) *Extendatur ſupra chartam bibulam, detineaturque ſupra carbonibus vivis ſulphure ſuperinjecto fumantibus, donec Scammonium, (quod continuò movendum) liqueſcere incipiat vel albeſcat. Scammonium hac ratione optimè correctum exhiberi poteſt à gran.* VI. ad VII.

9. Scammonium Roſatum.

℞. *Scammon. vel Diagrid. q.v. Extrahe cum ſpiritu Citonior. ſ. a. decanta, filtra & inſpiſſa ad conſiſtentiam mellis. Dein adde Scammon. ad ℥ j. ſucci Roſ. Rub. recenter expreſſ.* ℥ *ij coagulentur ſimul ad ſiccitatem.*

N. *Si ſpirituum Citoniorum, infuſione Santali tinctum, loco Menſtrui extractioni huic adhibueris, non modò Scammonium colore elegantius, ſed & Epati minus noxium acquires. Et hoc modo paratum Scammonium roſatum extat in officina Salzvvedeliana, jucunda ſuâ rubedine viſum oblectans.*

Doſis à gr. VI. ad XV.

10. Infuſum Scammonii, ſeu ſpiritus purgans.

℞. *Scammon el. p. iv. Succi Cydon. p ij. mixta pone in locum calidum quotidie movendo, donec induretur. Tunc affunde* ∇ *Malvatici, q ſ. ſtentque aliquamdiu in digeſtione. Et ſic ſpiritus purgans ſeu ſolutivus.*

Vires. *Purgat ſine ullo faſtidio ac moleſtia.*

Doſis variat pro Scammonii ingredientis quantitate.

N. *Hæc infuſio ad annum circiter ſervata, rejicit ad ſuperficiem guttulas olei rubei, inſtar picis liquidæ, in quo ferocia ſeu malignitas ſcammonii reſidere judicatur.* Tentzel. in Exeg.

11. Diacydonium Lucidum Scammoneatum, ſeu Laxativum.

℞. *Gelat. Diacydon. lucid.* ℔ *j. Extract. Diagrid* ℥ *vj. loque lento igne, (N. B.) optime miſcendo, ad juſtam conſiſtentiam.*

Vel

℞. *Scammon* ℥ *iv. extrahe Tincturam cum* ∇ *poſtea fiat ſ. a. Cydoniatum ex ſucci Cydonior.* ℔ *iij. Sacchar.* ℔ *j. Tincturam paulatim ſucco affunde, miſce exactè ac affunde in ſcatulas.*

Doſis à ℨ j. ad ℨ ij. & ℨ ij ß.

N. *Niſi mixtio exactè fiat, fieri poteſt, ut diagrydium in uno loco parcius, in alio copioſius concreſcat, inde purgatio juſto lenior, hinc copioſior adeoque hypercatharſis nonnunquam ſubſequitur.*

12. Gelatina Cydoniorum laxativa cum Turbith.

℞. *Scammonn.* ℥ *ij. turbith.* ℨ *iv. extrahe cum* ∇*, poſtea*
℞. *Decoct. cydon.* ℔ v ß. *ſacchar.* ℥ XVIII.

Coq. ſ. a. & F. Gelatina, cui ſub finem affunde Tincturam Diagridii & Turbith, ſpatulaque agitentur, donec ∇ evaneſcat. Tandem repone pro uſu.

N. Communiora præparata, quæ diagridium ceu baſis ingreditur, ipſemet Tyro obſervare poterit.

Præcipua ex his ſunt.

Confectio Aniſi Laxativi. Elect. Benedict. Laxativ. de citro ſolutivum, Diacydonites Laxativ. El. Epiſcopi ſ. Eleſcoph Confect. Hamech, Indum majus, Diaprunis ſolutivum. Roſatum, De ſucco Roſarum, Zingiber Laxativum, Pilulæ Aggregativæ majores, Aureæ, de Fumaria, de Hermodactylis, Extractum Catholicum, &c. Schroderus.

Scammoneata illis non ſunt exhibenda, quibus ventriculus eſt debilis, quales ſunt hypochondriaci. Nec illis qui καύμασι viſcerum laborant & ad febres proni ſunt; Nec illis, qui cardialgia laborant.

Præparata. 1. Scammonium correctum per cydonium, id eſt, Diagrydium.) verum quocunque modo præparatum & correctum ſit Scammonium, attamen ſummâ ſemper cum cautelâ & circumſpectione uti debemus. Ego nunquam in praxi meâ in uſu habui, nec in poſterum habebo, me ſemper ab iſtiuſmodi venenis colliquativis abſtinens, contra autem ſtudens ſalis meis purgantis abſterſivi ſaponariam vim habentis ſaluberrimæ uſurpationi, vid. ſuprà Libr. 2. Cap. 73.

N. *Niſi mixtio exactè fiat.*] Ideoque *extractum Scammonii* non ſolùm probè prius eſt exſiccandum & in pulverem redigendum, verùm etiam cum amygdalis dulcibus ſubigendum, ut eò facilius poſtea cum ſucco cydoniorum dilui poſſit, ut denuò, prout aliàs ſolet, in ſuam redeat reſinoſam ſubſtantiam, ac intra corpus ſumptum vel parum operetur, aut frigidâ ſuperbibitâ ventriculo ac inteſtinis moleſtias ſubſequutâ hypercatharſi creet. *Hofmannus.*

SCANDIX.

Scandicem veterum pectinem Veneris non fuiſſe probat Joh. Bodæus à Stapel; pecten autem Veneris à ſeminum noſtris confertis, pectinis dentium æmulis, dicta eſt hæc herba, ſeminibus in roſtrum productis geranii moſchati roſtra proxima ſimilitudine referentibus ab omnibus aliis umbelliferis diſtinguitur, ut plures notas conquirere non ſit opus.

Vires. Venerem mirum in modum excitat & adjuvat. *Bellus.*

Semen pro ſcandicis Creticæ miſſum à me ſatum plantam produxit ſcandici vulgari ſimillimam, imo planè eandem. Idem fereaccidit Joh. Bauhino: unde quicquid intercedit diſcriminis cœlo aut ſolo deberi ſuſpicor: niſi detur in plantis tranſmutatio ſpecierum.

Invenitur circa Monſpelium in ſterilibus, *à la Colombiere*, & in colle Ferran odore ſuavi Aniſi, imo & ſapore. Botan. Monſp. *Raius.*

SCARABEUS.

Scarabæus (à Græco Κάραβος, addito σ) Κάνθαρος (vel quaſi κ ἀθαρὸς quod valde ſit impurus & ſordidus: vel πάρατος κάνθωνα qui aſinus eſt, & ὄρον vel θόρον, quod eſt ſperma; quia hoc animalculum è ſtercore aſinino naſcatur, & vivat; unde & κοπρελόνα appellat Hippocrates.) *The Beetle* (forte ab Anglo Saxon. *Bitel*, à verbero. *Tobeat*; quia Scarabæi veſpera præ cæcitate involantes facies noſtras percutiunt inſtar mallei) *or Bugg*, inſecti genus teneras habens pennas, ob id cruſta ſuperveniente rectas. Plinius, Scarabæi nomine, omne genus inſectorum complecti videtur, quod cruſta tegitur, quod vaginipenne eſt, Scarabæi ſunt hermaphroditi. Horum variæ ſunt ſpecies. De quibus non eſt hic inſtituti noſtri agere. *Charleton.*

Scarabæi commendantur ad dolores & contracturas nervorum; ad febrem quartanam amuleti loco impoſiti. Cornua ſuſpenſa de collo infantum urinam cohibere dicuntur. *Schroderus.*

Scarabæus unctuoſus in ſpecie, ſeu *Proſcarabæus* Cantharidum naturam imitatur, urinam pellit & ſanguinem, canis rabidi morſum egregie expugnat, varos dictos id eſt Arthritidem vagam, Autore Wiero, curat pulvis vel conditura exhibita. Extrinſecùs expetitur à quibuſdam ejus liquor ad vulnera. Additur & emplaſtris in bubone & carbunculo peſtilentiali; permiſcetur & antidotis, fitque inde oleum ex infuſo animalium vivorum in oleo communi, quod loco olei Scorpionum nonnulli adhibent. *Schroderus.*

SCARLEA & SCLAREA, vid. *Horminum.*

SCHÆNANTHUM.

Nomina. Schænanthus ſive juncus odoratus *J. B.* Schænanthum *Ger.* Juncus odoratus aromaticus *C. B.* Juncus odoratus tenuior *Park.*

Radi-

Radicibus nititur albicantibus, parvis, lentis, duris, lignoſis, multis fibris exilibus ſummo ceſpite ſparſis (interdum adſunt radices paulo craſſiores, denſæ, geniculatæ guſtu valentiore reliquis) foliis eſt palmum excedentibus, triticeis, robuſtis, craſſis, ad radicem latis convolutis, & ſquamatim interſitis, quæ in tenuem rotunditatem, mucronatam firmamque deſinunt, colore ad radicem albidiore vel ſubflavo, prope verticem viridi, aut purpuraſcente, quæ culmos ut in Arundine multis veluti tunicis arcte cingunt. Culmi multi ex uno radicum ceſpite, rotundi, nodis longe ab invicem diſtantibus diſtincti, aliquando lignoſi; non cavi intus, ſed medulla fungosâ junceâ farcti, & in ſummo graciles aſſurgunt; quibus ſecundum caulem gemina ſerie lolii modo flores ſpicatim hærent, decidui, in quorum glumis aut caliculis foris rubellis papposi tenueſque floſculi odore & ſapore eodem cum foliis inſident. His ſemina (è quibus ſæpe apud Germanos planta excrevit) ſuccedunt,

Ubi recens eſt hæc planta, manibus confricata, jucundi eſt odoris & ſaporis non ingrati, licet videatur aliqua adeſſe amaritudo cum acrimonia, luculenter linguam mordicante; quæ tamen ſolet efficacior eſſe in quibuſdam foliis remiſſis gramineis, valde tenuibus & carinatis. Joh. Bauhinus, Parkinſonus etiam obſervavit folia illa tenuia, juncea, quæ in officinis nunc paſſim habentur, multo acriora eſſe magiſque aromatica, quam caules, flores, aut radices; proinde cum in deſuetudinem abierunt hæc apud practicos, à mercatoribus rarius adferri.

Qui apud nos ex ſemine ſuccrevit multos protulit velut ceſpites ſeu capita è longis junceis foliis denſe ſtipatis, ſe mutuo ima parte amplectentibus, compoſita, exterioribus majoribus & craſſioribus, interioribus pedalibus, tenuibus rotundis, duris, rigidis, paulo ſupra radicem quovis apud nos naſcente junco gracilioribus, ſapore acri & aromatico non injucundo, odore ſuavi, leni & delicato. Park.

Naſcitur, (Autore Dioſcoride,) in Libya & Arabia laudatiſſimus ex Nabathæa, proximus Arabibus adfertur & ex Ægypto. In Campania & Apulia reperiri aiunt.

In Arabiæ Provinciis, referente Garzia, Maſcate & Calayate tanta copiâ naſcitur, quanta in Hiſpania gramen vulgare quo Animalia naſcuntur. Sic ij qui terræ Sanctæ viſendi gratia in Orientem proficiſcuntur teſtantur negotiatores ex Syria Alexandriam ducere camelorum greges, quos Caravannas vocant, merces impoſitas ferentes: cum autem in ſolitudines inter Syriam & Ægyptam ad Arabiam ſitas pervenerint, neque pabuli, neque aquæ copiam invenire: attamen ſecus vias ubique aridas veluti ſtipulas, eaſque numeroſas, denſas & ſtipatas, ex uno Radicum ceſpite admodum odoratas naſci, quas inter eundum aut alias quieſcendum, Cameli depaſcant: eo etiam pabulo camelos onerare, nè in ſteriliotibus locis jumenta deficiant: quod vero ſuperſit Alexandriæ & Alcairi vili admodum vendere. Apud incolas licet in nullo ſit pretio, cum gens ſit rudis & ſylveſtris, quam ut eo & ſe & ſua jumenta lavent, attamen à nautis in Indiam defertur: hi enim aliquot faſciculos ſecum devehentes ibi in uſum Medicum vendunt, cum eo Medici Arabes & Perſæ qui in India degunt utuntur, Adchet vocantes. Sic & mercatores Equarii maxima copiâ in faſciculos colligunt, & in naves aſſumunt, ut equis ſubſternant, ne ſtercoris urinæ fœtore offendantur: nam ſimul atque maduerit in Mare abjiciunt, & recentem ſubſternunt.

Monachi in Meſuem & Anguillara Squinanthum officinarum non eſſe veterum ſchænanthum ſeu juncum odoratum contendunt: quorum rationibus reſpondent tum Joannes, tum Caſpar Bauhini: quos adi.

Vires. Tenuium eſt partium: calfacit, ſubaſtringit, diſcutit, uſus præcip. in obſtructis menſibus, hepate, liene; in ventriculi inflatione, vomitu ac ſingultu; in urinæ difficultate, renum, veſicæ, ac uteri dolore. Extrinſecus corrigit fœtorem oris, roborat caput (lotione) diſcutit uvulæ tumorem, roborat ventriculum &c. Schrod. exhibetur autem vel pulveriſatus ℥ j. pondere in vino calido; vel in aqua decoctus aut jure gallinaceo. Vini ſquinanthini ad prædicta utilis; duplicem præparationem vide apud C. Bauhinum in Hiſtoria: ibidem & aquæ ſtillatitiæ.

Memini (inquit Sim. Paul. in quadrip. Bot) Henricum Meibomium, ceu ſpecificum ad veſicæ ulcera, ſchænanthum herbam & cyperi radices adhibere; à quorum uſus tophus nucis juglandis fere magnitudine ex honeſtiſſimæ Matronæ naturalibus locis per urinas fuit excretus, qui diu ſatis ægram ulcere veſicæ vicinarumque partium confectam lecto affixerat. *Raius.*

SCILLA.

Notum eſt diſcrimen, *Scylla* marini monſtri ἀπὸ τοῦ σκύλλειν dicti, & *Scilla* plantæ, de qua agimus quamvis Græci nonnulli & ipſam plantam σκύλλαν ſcribant minus recte.

Nomen accepit quod inter hanc & teſtaceum Piſcem à tunicea ſquamarum compactili ſerie maxima ſimilitudo intercedit, vel σκίλλης nomen obtinuit ἀπὸ τοῦ σκιλλήματος i. e. viriditate quòd in Sabuletis marinis ſole retorridis oriatur, cujuſmodi ſunt in Hiſpania, & prope aridæ Luſitaniæ teſqua maritima. Latina Scillam dicunt & ſquillam etiam antiquiſſimi. Jo. Bod. à Stapel.

Cepaceo generi tantopere eſt compar (inquit Lobelius) ut multi eam cepam marinam vocent. At nos hyacynthis, ut puto rectius, eam adjudicamus.

Notandum Scillam Græcis veteribus etiam σχῖνον dictum fuiſſe nomine cum lentiſco communi,

Idem veteres tria Scillæ genera tradunt; duo Medica, maſculum albis foliis, fœminam nigris, & tertium genus, & tertium cibis gratum Epimenidium vocatum. Plin. lib. 19. c. 5. C. Hofmannus Epimeniam corrigit.

Vires. De Scillæ & præparatione multa habet Plinius, Dioſcorid. Galenus, quæ apud ipſos vide. Incidendi, aperiendi, diſcutiendi vi prædictam eſſe recentiores conſentiunt: unde uſus ejus eſt in obſtructionibus hepatis, meatus biliarii, Lienis, menſium retentione, urinæ, & in mucilagine pulmonum & tuſſi.

Maximus hujus uſus eſt (inquit C. Hofmannus) pro trochiſcis Scilliticis qui theriacam ingrediuntur.

Habemus in officinis duplex oxymel Scylliticum, ſimplex & compoſitum, utrumque Meſue, ad affectus præcipue pectoris ex pituita craſſa, &c. habemus & Loch ejuſdem duplex, ſimplex & compoſitum, utrumque ad craſſos & frigidos in pectore humores, Hofm. *Raius.*

SCINCUS.

Super ejus deſcriptione vid. quæ ſub titulo *Lacertus*. De *Scinci* verò partibus officinalibus & præparatis ſic *Schroderus*.

Alexipharmacus eſt Scincus Veneremque accendit ejus pinguedo ſimili virtute pollet.

Doſ. ℥ j. Matthiolus commendat roſtrum & pedes, eoſque cum vino propinat, hinc & carnes laterum commendat.

Ingreditur Antidota, & præcipuè Theriacam Androm. & Antidotum Matthioli.

SCOLOPENDRA ANIMAL.

Scolopendra (quod σκόλοπα, aculeum habeat in οὐρᾷ, cauda)

cauda) porcus lutoſus, Nicandro ἀμφικαρὴς, biceps (quod pari facilitate prorſum capite, retrorſumque ducente cauda incedat) *The Scolopendra* vermiculus eſt longiuſculus, planus, gracilis, trium aut 4. digitorum longitudine, coloris ſubluteì, pedibus innumeris utrinque refertus; & antennis binis longiuſculis, caudaque bifida ornatus. Contactus ſe contrahit. Invenitur in truncis arborum, aut in lignis ſupra terram locatis, aut palis terræ infixis. Ad morſum punctúrave ejus locus undique liveſcit, putreſcit, & vini rubri fæcibus ſimilis videtur. *Charleton.*

Scolopendrium verum, vid. *Ceterach.*

Scolopendrium Officinarum.

Quæ Græcè φυλλίτις, quaſi folioſum dicas, cum nihil niſi folioſus ceſpes appareat, Latinis pariter Græcum nomen retinentibus phyllitis dicitur. Officinis lingua cervina à ſimilitudine foliorum appellatur C.B.

Nomina. Phyllitis *Ger.* Phyl. ſive lingua cervina vulgi *J. B.* Phyl. ſive lingua cervina vulgaris *Park.* Phyllidis, lingua cervina officinarum *C. B.*

J. B. è capillaribus radicibus, nigricantibus, numeroſis Trago, Cordo maſculæ filici (id eſt, vulgari) ſimilibus, implicitis, cum foliorum veſtigiis connexis, foris nigricantibus, intus in pallido viridibus folia fundit longa, ſena, octona, vel dena (inquit Lobelius) interdum etiam plura incerto numero, dodrantalia, aut pedalia, duarum unciarum plerunque latitudine, Cordo acuto rumici ſimilia, Trago & Cæſalpino ſpleni, vel linguæ cervinæ, ima parte falcatæ Lunæ modo corniculata, læto virore ſplendentia ſupernè, infernè verò obliquis, pulverulentis areolis, ceu lumbricis ruffis (Cordo flavis aut rubentibus, Trago ſubluteis) virgata; ſapore acerbo, odore Dod. graveolenta. Color linearum in foliis averſis variat pro ætate; nam cum primò erumpunt albidæ ſunt, deinde cæruleſcunt, poſtea paulatim ad furrugineum tendunt.

Vaſcula hujus ſeminalia prout à D. Grevio microſcopio præſtanti examinata deſcribebantur, hujuſmodi fuere. Unaquæque capſula ſeu vaſculum ſeminale pediculo à ſemuncia ad unciam & amplius longo inſidebat, craſſitudine ad baſin (ut apparuit) ſetæ equinæ duplâ, ad cacumen paulo craſſiore. Capſula ipſa coloris erat argentei, magnitudine circiter oſſiculi ceraſini, figuræ ſphæricæ valido tendine coloris aurei circumcincta. Tendinis hujuſce ſuperficies cochleam delicatam, ſeu vaſa ligni aerea referebat. Quamprimum autem ſeu aeris incluſivi, ſeu aliter, tendo hic ſatis rigidus evadit diſſiliens capſulam illico bifariam in duos ſcyphulos diſtrahit & ſemina disjicit, capſulæ hæ in obliquis ſulcis averſo folio exaratis naſcuntur, à ſemuncia ad unciam longis, & circiter unciæ partem latis. Singulis ſulcis unciam longis plures 300. capſularum prædictarum innaſcuntur, ideoque ſi decem tantum ſemina ſingulis capſulis attribuimus, plus 3000. ſemina, quo numero in ſummam ſulcorum ducto, & producto iterum in numerum foliorum quæ una radix plerunque emittit, exurget ſumma 1000000. ſeminum, pro annuo proventu unius plantæ.

In umbroſis, uliginoſis & ſaxoſis, præſertim montanis, in omnibus fere Angliæ Provinciis oritur; in ipſis etiam puteis & ſpecubus inter lapidum aut laterum commiſſuras non raro exit.

Hæc herba in petrarum cavernis antroſiſque cautibus enaſcens puſilla, tenera & mollicella evadit ob ventilationis defectum, unde nonnulli magni etiam nominis Botanici eam pro diſtincta ſpecie, nimirum Hemionitide vera Dioſcoridis habuerunt, & Londinum, Mechliniam, &c. eo nomine in hortis plantandam miſerunt. Hæc autem non ita multo poſt, libero aeri expoſita, non mirabili aliqua metamorphoſi, ut illi imaginati ſunt, in phyllitidem abiit, ſed quod antea erat veram phyllitidem ſe eſſe prodidit. Vide Lobel. Obſ. pag. 469.

Phyllitidem, polyſchidem ſive multifidam, aliis folio laciniato aut digitato dictam, à vulgari phyllitide ſpecie diverſam eſſe non libenter conceſſerim; quin potius luſus quidam naturæ aut accidentalis varietas eſſe videtur.

Ejuſdem commatis eſſe puto & phyllitidem criſpam: utramque pingit & deſcribit Joh. Bauhinus, utramque & nos vidimus Lutetiæ Pariſiorum in Horto regio, elegantia & raritate ſpectabilem. Sive tamen ſpecie, ſive accidentibus tantum differant, tituli ſoli ad eas tum à vulgari phyllitide, tum à ſe mutuò diſtinguendas ſufficiunt, nec deſcriptione alia eis opus eſt.

Vires & Uſus. Uſus hujus plantæ præcipuus eſt in liene tumido, fluxu alvi, expuitione ſanguinis. Extrinſecus mundificat vulnera & ulcera. *Schrod.*

Pulvis herbæ exſiccatæ in palpitatione cordis, in ſuffocatione uterina; in motibus convulſivis mira præſtat, ſi in cerevisia tenui aut zythogalo ſeu liquore poſſeti noſtratibus dicto, modica ejus quantitas propinetur, ut plurimis experimentis nobis conſtat: poteſt & è foliis virentibus. Conſerva ad hos uſus parari: folia in vino pota ſerpentum morſibus adverſantur, autore Dioſcoride.

In catalogo Horti regii Pariſienſis præter ſupraſcriptas multas adhuc alias phyllitidis varietates invenio quas à reliquis ſpecie differre non puto. *Raius.*

Scolymus, vid. *Cynara.*

SCORDIUM.

Scordium dicitur hæc herba, quod ejus folia trita odore allii acri nares feriant.

Odore Allii, foliis & facie chamædrios, loco paluſtri & reptatu ab aliis hujus generis abunde diſtinguitur.

Vires. Scordium alexipharmacum ac ſudoriferum eſt; uſus præcip. in peſte peſtilentialibuſque morbis, febribus malignis (tam præſervando quàm curando) in obſtructionibus epatis ac lienis, in pulmonibus purulentis ac mucilagine refertis; extrinſecus mundificat vulnera & ulcera, lenit dolores podagricos. *Schrod.*

Sunt qui in menſium profluvio cum ſucceſſu exhiberi velint.

Succus ejus ſeu pulvis valet ad lumbricos inteſtinorum, verùm præcipua vis eſt in veneno expellendo, & adverſus peſtem alioſque morbos contagioſos.

Ex hoc herba paratur electuarium inde Diaſcordium denominatum; eximii uſus ad omnes prædictos affectus. Cardiacum eſt inſigne & uſurpatur in iis individuis in quibus theriaca & alia calida locum non habent. Nutrices noſtræ parva doſi etiam infantibus exhibent ad tormina inteſtinorum.

Gaſp. Guitmannus Med. Auguſtan. plurimos bubones peſtilentes ruptos & ulcera maligna curavit feliciter ſolo pulvere Scordii, & nondum ruptos aperiebat, D. Soame ex Obſervat. Reuſneri. *Raius.*

Scorodonia ſive Salvia agreſtis.

Scorodonia ab odore Allii quem exhalat, ſalvia à foliorum ſimilitudine dicitur, ſylveſtris potius quam agreſtis dicenda quoniam raro extra ſylvas & dumeta ſeu fruteta invenitur.

His autem duabus notis, nimirum odore Allii & ſalviæ foliis à reliquis hujus generis cum flore galea carente differt, quibus adde flores ex ſingulis foliorum alis ſingu-

ſingulos qua nota convenit cum lyſimachiis galericulatis.

Nomina, Scorodonia ſive ſalvia agreſtis *Ger.* Scordium alterum ſive ſalvia agreſtis *C. B.* Scorodonia ſive Scordium alterum quibuſdam, & ſalvia agreſtis *Park.* Scordotis ſive Scorodium folio ſalviæ *I. B.*

J. B. Radice nititur flexuoſa, dura, repente fibras tenues interdum longas demittente; ex qua caules eriguntur plures, cubitales & bicubitales quadrati, hirſuti purpuraſcentes vel nigricantes, albâ medullâ farcti, ad quorum genicula folia exeunt ex intervallis gemina oppoſita Salviæ vel Betonicæ niſi acutiora eſſent, ad urticam quodammodo accedentia, rugoſa, atrovirentia, ſcabra ſqualidaque, piloſa, per ambitum ſerrata, ſapore amaro. Summus caulis in ſurculos aliquot dividitur, in quibus ſpicatim digeruntur flores in unam partem vergentes, ex ſingulis foliorum adverſorum alis ſinguli adeoque bini ſimul, brevibus pediculis, colore herbaceo, vel candido pallido, ex quorum rictu loco Galeæ ſtamina exeunt purpuraſcentia; è calice cujus ſegmentum ſuperius integrum eſt, & ſurſum reflexum inferius in quatuor denticellos ſeu ſpinulas dividitur. Semina fuſca, ocymi granis ſimilia.

In Sylvis & dumetis reperitur.

Vires. Hujus decoctum urinam & menſes eiet; in lue venerea utiliter exhibetur. Vulneraria eſt è præcipuis, ſive interius ſumpta in potionibus, ſive exterius applicata.

Viribus cum Scordio convenit & Geſneri judicio ad remedia Scordio præferenda fuerit. Hildanus hanc miris laudibus in ulceribus gangrænoſis celebravit, & duplicata doſi Scordio ſubſtituit.

Sunt qui hujus decoctum lue venerea infectis non infeliciter propinant. Dod. *Raius.*

SCORPIO.

Scorpio, Σκόρπιος (vel περὶ τὸ σκορπίζειν τὸ ὀρίον, quod venenum jaculetur: vel περὶ τὸ σκαιῶς ἕρπειν, quod flexuoſe ſerpat.) Ciceroni & aliis Hepa, Pandectario Satocollos, *the Scorpion Charleton.*

Σκόρπιος, Scorpius. *Scorpion. The Scorpion, à venemous Worm. Een Scorpioen.*

Animal eſt formâ cancros æmulans, iis tamen minus.

Vires. *Urinam cient, calculo renum aut veſicæ impeditam,* (*vivi incinerati & exhibiti.*)

Ictibus propriis ſubveniunt, (*triti & impoſiti.*)

Præparata.

1. *Oleum Scorpion. ſimplex* infuſione Scorpion. in Ol. Amygd. amar. *vid. Auguſt.*

N. *Sunt qui propinant in colicis & calculoſis doloribus.*

2. *Ol. Scorpion. compoſ. Meſ.* quod recipit inſuper Ariſtoloch. Gentian. Cyper. & rad. capp. *vid. Auguſt.*

Vires. *Uſitatiſſimus eſt in Renum doloribus, urinaque obſtructa* (*illinitur dorſo vel pubi*) *medetur ictibus venenatorum animalium, febrium paroxyſmos arcet,* (*pulſibus vel dorſo inunctum*) *aurium dolores mulcet.*

3. *Ol. Scorpionum magnum, Matth. vid. Auguſt.*

Vires. *Majorum eſt virium quàm præcedentia. Uſuſque eximii in morbis contagioſis præſervandis & curandis, in venenatis morſibus & ſimil.* (*inunctum cordi, arteriiſque temporum, manuum, pedum,*) *dolores demulcet colicos & uteri, &c.*

Ol. Scorpionum Sanguineum.

℞. *Sem. hyperic.* ℥ *vj. infunde in vino malvat. per* ☍ [3.] *tum adde Terebinth. Venet.* ℥ *iij. Ol. centum antior.* [*id eſt, vetuſtiſſ.*] ℥ *vj. Croci* ʒ *j. flor. hyperic. M. iv.*

Omnia tumulentur in arena in boccia benè clauſa per triduum: deinde liquor in aliam bocciam fortiter exprimatur, liquor per inclinationem decantetur, uſque ad apparitionem olei. Oleo apparente vas elevabis, in eo videbis ol. rubrum ſanguinis inſtar. In hoc oleo reponantur pro unaquaque libra ſcorpiones N L in MB euſque relinquantur, donec fiat perfecta fermentatio. Hinc per pannum exprimantur omnia, oleumque reſervandum.

Vires. *Summè nephriticos dolores lenit, extrinſecus applicatum.*

N. *Hoc eſt illud oleum nephrit. ſanguineum magni Ducis, quod Pona deſcribit, ſed doſin non addit.*

Ex communic. Dn. D. Joh. Kieferi. Schroderus.

Eſt animal forma cancros æmulans. N. Hic quæritur utrum poſſibilis ſit *Scorpionum* ex Cancris generatio, & an ex ocymo generari ac produci poſſint, vid. ſuprà *lib. 4. de ocymo & ſæpius laudatum D. Sachſium à Levvenheim in ſuâ gammarolog. p. 283.*

Vires.) Hi etiam per ſe pulveriſati & adhibiti urinam & calculum pellunt. *vid. Ciſtam. Medicam. p. 97.*

Præparata. Oleum Scorpionum ſ.) Hoc tam internè propinatum, quàm externè dorſo ac pubi inunctum mira præſtat in calculo, colica &c. teſte experientia.

2. *Oleum Scorpion. compoſit.* Meſ.) Ejus uſus ſæpe noxius eſt, dum poris cutis ita inviſcatis inſenſibilis impeditur tranſpiratio, & veneni exitu intercluſo plus noxæ, quàm commodi febricitanti infertur. *Hofmannus.*

Artificialem Scorpionum productionem ſic deſcribit R. P. Athan. Kircherus Mund. Subterr. Vol. II. p. 387.

Scorpionum corpora contrita intra vitrum conde, quibus ſi aquam Ocymo *maceratam ſuper affuderis, & ſoli æſtivo per diem expoſueris, quod ſi ſagaci, & armato oculo inſpexeris, totum hoc mixtum in innumerabilem* Scorpionum fœturam *degeneraſſe reperies, quod idem tam in vivo, quàm mortuo non contrito evenire reperies, ſiquidem à corpore excrementum quoddam rejicitur, quod totum in ſimiles ſibi Scorpiones convertitur; quod* Lectorem *experiri velim, veritatem enim reperiet.*

Cur verò ex Ocymo potiſſimum Scorpius oriri dicatur, merito quiſpiam quærere poſſet, cùm ii neſcio, quam ſympathiam cum Ocymo habere deprehendatur. Scorpium in cerebro hominis Itali repertum, & ex nimio Ocymi uſu odoreque inibi natum Hollerius *tradit, &* Ambroſius Pareus *eum exactè depinxit. Dicunt quoque, Ocymum contritum, & inter duos lateres poſitum, ubi 24. horarum ſpatio Soli fuerit expoſitum, Scorpiones generare, quod &* Plinius *verum eſſe teſtatur, certè vel ipſe* Ariſtoteles *in mirabilium narrationum congerie* Scorpiones è Siſymbriis *putrefactis enaſci aſſerit: Eſt autem* Siſymbrium *ſpecies quædam Ocymi. Iterum* Plinius *hujuſmodi proponit experimentum; Si velis in unum locum convocare omnes alicubi latitantes Scorpiones, id perficies hoc modo: Manipulum Ocymi decem cancris fluviatilibus compactum, eo in loco reponis, & habebis intentum. Scribit* Avicenna, *amicum ſe habuiſſe, qui cùm vellet Scorpiones ex quibuſdam putrefactis lignis (quod ego nil aliud quàm putrefactos Ocymi caules fuiſſe exiſtimo) produxiſſe; quin & Ocymum in pulverem redactum unà cum Scorpionum cinere ſubactum percuſſis mederi tradit; Quæ omnia manifeſta ſunt mutuæ* amicitiæ Ocymum inter & Scorpionem indicia. *Quomodo vero ex Ocymo ſine ſenſitivæ naturæ ſeminio generari iſtiuſmodi animal poſſit, non video; unde cùm ſollicitius hanc rem apud* Franciſcum Corvinum *nobilem omnino Botanicum, & ſolertiſſimum rerum naturalium exploratorem inquirerem, reſpondit, id mirum non eſſe; habere enim radicem ſibi familiarem vermem* quem

quemdam Scorpioni haud abſimilem quem Theophraſtus *Spadylum vocat; hic enim ſeminio ſuo plantam poſtquam infecerit, ex eo tandem Scorpiones naſci, partim ex ſe, & ſua natura, partim arte, ex applicatione activorum cum paſſivis; atque hæc eſt vera & genuina ratio geneſis Scorpionum ex Ocymo. Quod verò ſubinde ex* Cancris *quoque* fluviatilibus *naſcantur, ratio eſt ſimilitudo cancri ſeu paguri cum Scorpione, quâ ille facilè in hunc convertitur & transformatur: qua arte autem id inſtitui debeat,* Ovidius *ſequentibus verſibus docet.*

Concava littoreo ſi demas brachia cancro
Cætera ſuppones terræ, de parte ſepulta
Scorpius exibit, caudaque minabitur unca.

SCORZONERA.

Scorzonera nomen eſt Hiſpanicum, huic herbæ inditum, quod animalis *Eſcoreu* Catalaunico ſermone appellati morſus curet. Formam hujus animalis vide apud Monardum, qui integrum libellum de hac herba & lapide Bezoar ſcripſit. Ad ſerpentinum autem genus pertinet hoc animal, unde Scorzonera idem fere eſt ac ſerpentaria, quòd contra ſerpentum venena efficax ſit.

Sunt qui ad Chondrillam Dioſcoridis referunt, ſed magis ad Tragopogonis genus reducenda eſt *C. B.*

Cluſius Scorzoneras à Tragopogis in eo ſolum differre putat, quod illarum radix vivax ſit, Tragopogi autem minime.

Nos potius ex floris ejuſque calycis formâ Scorzoneram à Tragopogone diſtinguimus, ut Scorzonera ſit cujus flos à calycis radii non ſuperatur, verùm floris orbis calycis oras excedit potius: Tragopogon autem cujus florem ambiunt & continent calycis radii floris ipſius petalis multo longiores. Flos quoque in Scorzoneris plerunque major eſt & plenior quam in Tragopogis, calix quoque in illis ſquamoſus; in his ſimplici radiorum longitudine fere æqualium, ſtellatim flore aperto expanſarum, ſerie conſtat.

Vires. Scorzoneræ radix ſapore eſt non ingrato ſed ſubdulci, unde & cruda & cocta & condita, non ſecus ac paſtinaca noſtra, editur: imo menſis etiam Magnatum infertur, & cuivis paſtinacæ aut ſiſaro præfertur. Contra morſum non ſolum ſerpentis Eſcurzo, ſed & quorumlibet aliorum valet: contra febres peſtilentes, contra quoſcunque cordis affectus, melancholiam, palpitationem, ſyncopen, epilepſiam, vertiginem, contra viſcerum obſtructiones, uteri mala, quid dico autem; omnia ita enim nova remedia celebrari ſolent. De vi ejus adverſus ſerpentes Eſcuerzos mira & prorſus incredibilia narrat Monardus. Qui ſingularem de hac planta edidit libellum, quem cum aliis vertit Cluſius.

Amagriæ inſulæ Scorzonera amarulentior eſt Hiſpanica, & nobis hortenſi, & in hydrope incipiente & ictero contumaci plurimum valet. Ratum ſit illud Hofmanni apud Medicos. Si medicamentum vis hepaticum in bile craſſa & aduſta idem amariſſimum fuerit opportunum. *Sim. Paulus.*

Scorzoneræ montanæ vis Alexipharmaca deprædicatur in Ephemer. Germ. An. II. Obſ. 81. *Raius.*

Scriptulus, vid. ſub titulo *Menſura & pondera.*

SCROFULARIA.

Scrophularia à radice nodoſa & ab affectu nomen accepit, quòd ad ſcrophulas prodeſſe credatur C. B. ſunt autem ſcrofulæ ſive ſtrumæ & chœrades glandularum induratarum tumores in cervice alis & inguinibus. Volunt ita dici quòd porcis ſunt familiares, aut quod numeroſæ ſunt ſobolis & prolificæ veluti ſcrofæ, Eſt autem ſcrofa ſus quæ fœtus cauſa alitur.

Scrophulariæ notæ ſunt flos auriculatus, vaſculum bivalve, ſubrotundum, acuminatum; folia in caulibus contrariis inter ſe pediculis bina, ſemina parva, fuſca.

Vires. Ex re nomen habet; ſiquidem radix ejus ſtrumas & hæmorrhoidas ſanat. Utilis inſuper eſt in cancroſis ac ſimilibus ſerpentibus ulceribus malignaque ſcabie. Si quis hæmorrhoidum cæcarum inſano dolore torqueatur, minimum quid ſcrophulariæ vel radicis, vel foliorum cum cibo aut potu capiendo ſtatim dolore liberatur; ſive ipſam plantæ ſubſtantiam ſiccam aut viridem, ſive decoctum ejus aſſumat. Hen. ab Heers in Obſerv. qui ſe hoc ſæpius expertum ait.

Siccæ radicis pulvis impoſitus hæmorrhoidas ſiccat. Idem drachmæ pondere potus lumbricos ventris pellit.

A qua è radicibus deſtillata faciei ruborem tollit.

Ex hac herba unguentum conficitur ad omnis generis ſcabiem utiliſſimum: quo ipſe (inquit Tragus) ſcabies lepræ ſimillimas curatas vidi. Ejus autem compoſitio ſic ſe habet, Maio menſe ſumatur herba cum radice, ſordibus diligenter expurgata ac lota, eaque contundatur, poſt ſuccum inde expreſſum in anguſto vitro probe obturato per annum aſſervetur. Cumque unguentum parare volueris, tum expreſſi ſucci, ceræ & olei æquis portionibus tantum accipe quantum unguenti parandum erit, quod ubi feceris conjunctim ea ſuper carbones decoquantur & euſque temperentur donec unguentum fiat, Trag.

Ad Scrophulas ſequens emplaſtrum præſcribit D. Sibbaldi Prod. Hiſtor. natural. Scotiæ ℞. Axung. porcin. ℔ j. ſolvatur moderato ignis calore tunc

℞. Folior. Scrophular. cynogloſſæ. Lamii flor. alb. digitalis an. p. æ q. 5. in minutas partes conſcindantur & in axungia coquantur igne temperato, repetendo coctionem ter aut quater, uſque dum unguentum ſaturati viroris ſit. Tunc appendatur in libra unguentum, ſumendo dimidium ejus ceræ & reſinæ tantundem, terebinth. ℥ ij. viridis æris ℥ j. diſſolvantur ſimul omnia tunc per linteum colentur, & fiat maſſa, ſuper alutam q. ſ. extendatur, & parti applicetur. *Raius.*

Scrupulus, vid. ſub titulo *Menſura & pondera.*

SCUTUM.

Hoc nomine denotatur medicamentum quoddam ventriculo peculiare, quod ſcuti formam habet, illiuſque calorem ſuſcitat, robur adauget, & coctionem juvat admotum.

Concinuatur interdum ex emplaſtro quodam ſtomachico ſuper alutâ extenſo & admoto eâ parte quâ carnem proximè contingit raro ſyndone involuto.

Sæpius tamen fit ex aridâ materiâ, quæ ventriculo confert roborando, craſſiuſculè trita bombace excepta, & duplici linteo ad ſcuti formam conſuta.

Materiam illam copioſiſſimam nobis ſuggerit calefacientium & roborantium uberrima ſeges, inter quæ ea potiùs ſeligenda quæ ſpeciali dote ventriculum reſpiciunt; ut nux moſchata, macis, caryophylli, calamus aromaticus, ſchænanthum, roſæ, menthæ, abſinth. & alia multa quæ ſuavi odore ſpiritum recreant, & amico calore juvant concoctionem. Sic autem parari poteſt ſcutum, viribus ad dictos uſus efficaciſſimum.

℞. *Cyperi, lign. aloes, calam. arom. ana* ʒ j. *ſchan. cinnam. caryoph. nuc. moſch. ana* ʒ ß. *macis* ℈ j. *roſar. rubr. major. abſinth. menth. an.* ʒ ij. *ſalv.* ʒ j. *f. omnium pulvis qui cotone moſchato exceptus & interſutus geminis linteis in ſcuti formam concinnetur.*

Minori ſumptu confici poterit, quod ſic deſcribitur.

℞. *Galang. ireos, piper. ana* ʒ j. *baccar. laur. cumin. ana.*

an. ℥ ſ. abſinth. utriuſque, ment. ſalv. & roriſmar. an. m. ß. f. omn. pulv. excipiatur carpto goſſipio & f. ſcutum regioni ventriculi admovendum. Renodæus.

Scutum Emplaſticum ex D. *Lemery.*

℞. Theriac. veter. opiat. Salomon. ſtyrac. liquid. ana ℥j. gumm. tacamahacæ, pulver. aromatic. roſati ana ʒj. olei nucu moſch. per expreſſionem extracti ℈j. olei caryophyll. cinnam. ana gutt. vj. f. ſcutum regioni ſtomachi admovendum.

SEBESTEN.

Nomina. Myxa ſive Sebeſten *I. B.* Myxos ſive Sebeſten *Park.* Sebeſtena, myxa, ſive myxata *Ger.* Sebeſtena domeſtica, an ὀμαμαξὶς Athenæo *C. B.*

Μύξαν dictam volunt hanc arborem ἀπὸ τῆς μύξης id eſt, humore lento è naribus deſtillante: nam & hunc fructum ſimili mucoſa lentore refertum eſſe. Sebeſten Arabibus & officinis dicta eſt, vel à Σέβαςος Auguſtus, in cujus honorem ita denominata eſt: vel à Sebaſta Samariæ Metropoli, ubi olim creſcebat: nam è Syria in Ægyptum translatam refert Alpinus.

Sebeſtena, deſcribente J. Bauhino ſunt fructus parvis ſerotinis prunis pares, nigricantes, turbinati, in acumen deſinentes, (in rugas contracti quæ in officinis habentur) calyci inſidentes facile recedenti, qualem in dactylis videmus, ſed longe majori & acetabuli inſtar concavo, cinerei fere coloris. Horum pulpa atra eſt, viſcida, dulci ſapore prædita, pertinaciter, oſſiculo adhæreſcens, quod alias tribus coſtis donatur, alias compreſſum pruni noſtratis oſſiculum imitatur; in cujus utrolibet fine foraminulum apparet, atque ex inferiore quoque qui vel in geminos, vel ternos mucrones acutos finditur, Germinis veluti rudimentum exilit. Nuclei tribus loculis ſeorſim tres continentur, oblongi, triangulares, albi, melonum vulgari magnitudine & ſapore, quique eodem modo vetuſtate ranceſcunt, qui non inſuaves in recentibus: alias unicus nucleus oſſiculo clauditur. Eligenda plena, majora, pinguia, carnoſa, quæque ſitum non redolent, calyci adhærentia, teredine non arroſa.

Arboris ipſius duo (inquit Alpinus) ſunt genera: alterum ſylveſtre, pruno ſimile: alterum domeſticum, foliis latioribus ac craſſioribus à ſylveſtri differens: utroque arbor flores fert albos, parvos, geranii proximos. Sylveſtris fructus fert minores, tardius matureſcentes, imperfectiores iis quos Sebeſten domeſtica profert.

Folia Sebeſten, adnotante Veslingio, extremis ſuis ovalem magis rotunditatem quam anguloſum acumen præ ſe ferunt, ſuperiore ambitu per ſpatia inæqualia variis inciſuris dentata, & nonnunquam ſegmento veluti ſubducto mutilata. Fructus brevi inſidet calyculo, rotundus tenui ſpinoſoque umbilico leviter adſtrictus, maturaque jam ætate pellucidus, non inſuavi glaucedine incluſa ſemina manifeſtat.

Vere floret, Autumno ſemen maturat, in Ægypto & Aſia.

Vires. Myxa prunis minus frigida cenſet J. B. in pulmonum affectibus, inquit, pluris facimus myxa quam pruna. Uſus eorum familiariſſimus eſt ad tuſſim (cum & ſiccitate junctam dyſpnæam, pleuritin, peripneumoniam & ad vocis raucedinem parato ex ipſis decocto, unde & multas compoſitiones præſertim thoracem & pulmones reſpicientes ingrediuntur. Veslingius ſuccum expreſſum excellens præbere remedium catarrhis ad fauces labentibus ſiſtendis tradit.

Ex pulpa ipſorum optimum viſcum conficiunt Ægyptii: quippe Sebeſten maturos contundentes atque lavantes. Sunt aliqui qui maſticando pulpam ab oſſe expuentes viſcum parant, quantitatem horum fructuum in vaſe collectam, parùm quoad aque a humiditas abſumatur bullientes. Visco utuntur omnes emplaſtri modo ad omnes ſcirrhoſos tumores resolvit enim eos & emollit omnem duritiem: ad quin ad tuſſim ex eo paratos bolos cum ſaccharo cando & radicis liquiritiæ pulvere multis diebus ſumunt.

Pollent fructus (teſte Matthiolo) dejectoria facultate non ſecus ac pruna, tam Græcorum quam Arabum teſtimonio, id quod etiam comprobatur quotidiana experientiâ. Eorum pulpa drach. 10 pondere devorata ad ſummum 12. eoſdem ferè præbet effectus quos caſſia vocata. Utiliter datur ex bile febricitantibus. Eadem confirmat Amatus. *Raim.*

SECALIS vel SECALE.

Secale à ſecando dicitur. Nam cum duo ſint genera frugum, frumentum & legumen; legumina quidem manu leguntur velluntur que: Secale ac frumenta alia ſecantur. Voſſ. Etymolog. Secale à tritico differt grano ſtrigoſiore, tenuiore & nigriore glumis non aperto ſed nudo; culmo elatiore.

Nomina. Secale *Ger. J. B.* vulgatius *Park.* hybernum Maius *C. B.*

C. B. Radicibus eſt multis, tenuibus, fibroſis; foliis cum primum prodeunt rubeſcentibus, dein ut reliquorum frumentorum virentibus, tritici tenuioribus, longioribus; culmis numeroſis, ſenis, ſeptenis, etiam pluribus (ſi enim ante hyemem à pluvioſa tempeſtate illæſum radices egerit, & in ceſpitem quaſi everterit, magni proventus ſpem facere ſolet: quæ plerunque adeo non fallit ut ex uno grano duodeni & plures quandoque ſpicati culmi exeant) qui Triticeis graciliores, & firmiores, longiores, & ex vagina aſpera gramineа, arundinaceave; quaternis utplurimum, nonnunquam quinis internodiis diſtincti prodeunt ſpicis inverſus digeſtis, ariſtis brevibus, nequaquam innocentibus cinctis, & aliquot quaſi hamulis ſerratis (caveat ergo quis ne ori ſpicam indat) quod & in reliquorum frugum ariſtis notavimus. Flore eſt luteolo, qualis in pleriſque frumentis obſervatur; & diu floret, adeo ut quadrageſimo tantum die à flore matureſcat, poſtquam enim deflorüit ſeptimanis quinque maturatur. At ſpica cum floret erecta eſt, quare rubigini cum imbres retinuerit opportuna: ſemine verò prægnans procumbit & deorſum propendet quia longior. Granum eſt oblongum, ſtrigoſius, tenuius & nigrius Tritico. Glumis non opertum ſed nudum, ideo caducum & ſæpenumero ſponte exiliens.

Duas hujus ſpecies conſtituit C. Bauhinus hybernum ſcil. ſeu Maius, & vernum ſeu æſtivum & minus: quas ſationis duntaxat tempore, & accidentibus inde ortis differre putamus.

In Germania, Gallia, Anglia, aliiſque regionibus, potiſſimum Septentrioni ſubjectis naſcitur qualicumque ſolo, etiam gracili, macro & arido (arenoſo ſabuloſo & levi) in fæcundiore tamen & lætiore melius & præſtantius.

Apud Anglos ſeritur Autumno, nunquam (quod ſciam) vere etiam ante æquinoctium; quo maturius eo melius & uberius evadit.

Vires & Uſus. Proximum inter frumenta à Tritico locum ſibi vendicat. Panis ex eo factus ater & ponderoſus eſt, lentoris atque obſtruentis naturæ nonnihil habens, concoctu difficilis & ventriculo gravis, præſertim ſi furfurum expers fuerit; quin iis qui non aſſueſunt alvum plerunque movet non ſine torminibus Agricolis perſuaſum eſt hujus panis corpora val

diora fieri. Bruyerinus aſſerit in Lugdunenſi tractu & vicinia mulieres quæ pane ſecalino utuntur validas, & bene curatas, formaque egregias conſpici, qui tamen admodum ſpernendum alimentum hominibus præſtare cenſet.

Panis ſecalinus ob humiditatem ſuam à nonnullis præfertur ei qui vel ex Tritico vel ex Zea conficitur, cum non ita facile & ſubito ab aere exſuccus & aridus reddatur.

Solent noſtri tantundem Triticeæ vel ex Zea confectæ farinæ admiſcere, ut panis teneritudinem ſuam diutius retineat, leviorque & gratior evadat: ſicque paratus etiam medicorum conſilio ad alvum emolliendam etiam Magnatibus in uſu eſt, maxime æſtate C. B.

Apud nos in Anglia, & ut Ruellius refert, apud Gallos etiam, ſecale non tantum ſolum & ſimplex ſeritur, ſed cum Tritico mixtum, æquis fere partibus. Miſcellaneam hanc ſegetem Latino nomine Miſcellane appellamus.

Quæ de ſecalis ejuſque partium viribus & uſibus in Medicina traduntur vide apud C. Bauhinum, Theat. Botan. lib. 1. Sect. 4. cap. 17. quibus adde è Simon Pauli quadripartit. 1. illud veriſſimum & experientia confirmatum, quod farina ſecalina conſuſanea diuturniores capitis dolores leniat, in linteo capiti circumligata, quæ etiam delirantibus profuiſſe obſervatum eſt, præſertim ſi ei remiſti fuerint abſinthii corymbi Sim. Paullus.

Vulgus doctum eſt ubi eryſipelate infeſtatur ſiccam farinam ſecalinam indere mundo linteo, ac loco affecto applicare, idque ſucceſſu ſatis felici diſcutere. Idem. Habui ex excerptis D. *Husle.*

Per frequentes pluvias grana ſpicarum inferiora in ſecali per maturitatem in grana atro-purpurea excreſcunt (C Bauhin. ſemina quædam longius ex utriculis ſuis ſeu glumis protruduntur, ac in mediocrem etiam craſſitiem excreſcunt, quorum quædam in corniculi modum curvantur, quæ omnia nigrum colorem foris contrahunt, intus vero candida farina denſioris materiæ continent,) quæ ſubſtantiæ farinaceæ, Saporis Malti, Noricis i. e. ſecalis mater dicuntur, & ſingulare præſidium ad compeſcendum lochiorum fluxum habentur. Secale hoc modo degenerans ſecale luxurians C. Bauhino appellatur, Clavi Siliginis Lonicero. Annon inſecti alicujus puncturæ originem debeant hujuſmodi excreſcentiæ inquirendum. *Raius.*

Sectio, de ea vid. ſub titulo *Limatio.*

SECUNDINA MULIERIS.

Ex eâ paratur pulvis epilepticis, & ab utero ſtrangulatis non parum proficuus.

SECURIDACA.

Securidaca Græcis πελεκῖνος, à forma ſeminis in utraque lingua dicitur Securem ancipitem æmulante, quæ & hujus generis nota eſto: nullius enim plantæ ſemen Cluſii judicio, veterum ſecurim aptius refert quam hujus.

Nomina. Securidaca lutea major C. B. Maius ſive ſecuridacâ major vera *Park.* Securidaca flore luteo, ſiliquâ latâ oblongâ *J. B.* Hedyſarum Majus *Ger.*

J. B. ex radice multos ſtatim emittit caules, cubito longiores, ramoſos procumbentes: folia lævia, lentis majoris, ſenim lateſcentia, ſex, octove conjugationibus ad coſtam annexis uno in ſumma alâ imparitatem faciente; indidemque adeò unde foliorum pediculus appendix peculiaris, in faſtigio umbellatim flores ſuſtinens meliloti nobilis Tragi, luteos, quibus ſuccedunt ſiliquæ, palmo longiores, nonnihil ſulcatæ, roſtro recurvo, compreſſæ; valde brevi pediculo hærentes, duobus hinc & inde aggeribus veluti foſſam intercipientes, ſeminum receptaculum, ruſſorum, quadrangulorum membranis diſtinctorum.

Nullius plantæ ſemen Cluſii judicio aptius veterum ſecurim refert, quam hujus, quam aliquot locis inter ſegetes in Hiſpania obſervavit. Nam infra Madritum ſecures videre meminit quæ eſſent huic ſemini ſimillimæ, nempe in medio quâ manubrium trajicitur & adaptatur craſſiores & utrinque in planam aciem deſinentes.

SEDUM.

Ἀείζωον Græcis διὰ τὸ ἀειθαλὲς τῶν φύλλων. Italis ſedum vel à ſedere quia folia habet ad radices exiles ſeſſilia, ut vult Martinius, vel fortè à ſedandis doloribus nomen impoſitum.

Notæ autem *Sedi* genericæ ſunt folia craſſa, anguſta non ſerrata aut dentata, vaſcula ſeminalia bicornia.

N. B. Sedum latiſſimo ſenſu accipi pro planta quacunque pentapetala aut polypetala vaſculo bicorni, imo plantas etiam ſucculentas multiſiliquas complecti; à nobis autem hoc in loco tum à ſucculentis multiſiliquis, tum à plantis vaſculo bicorni foliis minus ſucculentis, quales ſunt Cotyledon, ſanicula guttata, & ſaxifraga alba dicta, diſtingui.

Notatu digniſſimum eſt plantas pleraſque craſſas & ſucculentas in petroſis & ſiccioribus provenire, ibidemque ſine humore diu durare; cujus ratio eſſe videtur, quod folia cuticula denſiore minimeque poroſa, quæ humorem evaporare non ſinit, inveſtiantur.

Vires. Vermicularis herbæ ſtupendas vires in Scorbuto caſtrenſi expertus eſt cum incredibili ſucceſſu D. Belovv, interne in decocto, & etiam externe applicat in contracturis membrorum, in ulceribus & gingivis corruptis. Ephem. German. Ann. 6. & 7. Obſ. 22. Dom. Tancred. Robinſon nobis ſuggeſſit. Eandem obſervationem habui à D. Palmer ex dictatis D. Hermanni.

Vires Sedi Tridactylitis flore albo.

Herba infuſa in cereviſia tenui ſeu leptomera, & per aliquot dies pota, abſque ulla evacuatione ſenſibili ſcrophulis medetur, humorem abſumendo, dolores mitigando, tumores diſcutiendo, & ulceroſos exſiccando. D. Boyle de utilitate Philoſoph. nat. ad Medic. p. 203. *Raius.*

Sedum Maius vulgare, vid. *Sempervivum.*

SEMEN.

Semen in Officinis minutiores plantarum fructus denotat ex quibus ſimile naſci poteſt.

Semina autem Officinalia ſunt.

Semen Acetoſæ, *Saurampfferſamen.*
Agni caſti, viticis, *Schaffmullenkorner.*
Althææ, *Elbiſchſamen.*
Ammeos veri cretici, *Ammeyſ.*
Vulgaris, *gemein Ammeyſ.*
Amomi.
Anethi, *Dillſamen.*
Aniſi, *Aniſſamen.*
Apii, *Appichſamen.*
Aquilegiæ, *Agleyſamen.*
Aſparagi, *Spargenſamen.*
Atriplicis, *Moltenſamen.*

Aurantiorum, *Pomerantzenkern.*
Bardanæ, *Groſsklettenſamen.*
Baſilici, ocymi, *Baſilienſamen.*
Bombacis, Goſſypii, Cotti, Xyli, *Baumvvollenſamen.*

Excorticatum.

Burſæ paſtoris, *Teſchelkrautſ.*
Calendularum, *Ringelblumſ.*
Cannabis, *Hanffſamen.*
Cardui benedicti, *Cardobenedictſ.*
C. Mariæ, *Mariendiſtelſ.*
Carthami vel Cnici, *Feldſaffranſ. Floriſamen.*
Carvi, Carveos, *Wieſenkümmel, Feldkümmel.*
Cataputiæ majoris, Ricinum, *groſs Treibkörner.*
C. minoris, Eſulæ vulpinæ, *Treibſpringkörner.*
Cerefolii, *Korbelſamen.*
Cicera alba, *vveiſs Kichern, vveiſſe Zieſererbſen.*
C. rubra, *rothe Kichern.*
Cichorii, *Wegvvartſ. Wegvveiſs.*
Cinæ, Santonici, ſanctum, *Wurmſamen.*
Citri, citrei, mali, *Citronenkern.*

Excorticatum.

Coccognidii, *klein Kellerhaſsſ.*
Colocynthidis, *Colloquintſ.*
Coriandri, *Coriander.*

Præparatum.

Cucumeris, *Cucumern.*

Excorticatum.

Cucurbitæ, *Kurbesſamen.*

Excorticat.

Cydoniorum, *Quittenkern.*
Cymini, Cumini, *Römiſch Kummel.*
Dactylorum. Oſſa dactylor. *Dattelkern.*
Dauci communis, *Wildmöhrenſ. Vogelneſtſ.*

Cretici.

Ebuli, acini ebuli, *Attichſamen.*
Endiviæ, ſcariolæ, *Endivienſ.*
Erucæ, *vveiſſer Senff, gelber Senff.*
Fabarum, Fabæ, *Bonen.*
Fœniculi, *Fenchelſ.*
Fœnigræci, *Bockshornſ.*
Fraxini linguæ avis, *Eſchbaumſ.*
Fumariæ, *Erdrauchſamen.*
Geniſtæ, *Pfrimmenſamen.*
Granatorum, *Granatkorn.*
Halicacabi, Alkekengi, *Judenkirſamen.*
Hordei electi, *Gerſten.*

Excorticatum.

Hyoſcyami albi, *Bilſenſ.*
Hyperici, *Johannskrautſ.*
Hyſſopi, *Yſopſamen.*
Lactucæ, *Lattichſamen.*
Lapathi acuti, *Mengelvvurtzſ.*
Lentium, Lentes, *Linſen.*
Leviſtici, *Liebſtockſ.*
Limonium, *Limonienkern.*

Excorticatum.

Lini, *Leinſamen.*
Loti ſativæ, *Siebengezeitſ.*
Lupinorum, Lupini, *Feygbonen.*
Majoranæ, *Majoranſ.*
Malvæ, *Pappelſ.*
Meliſſæ, *Meliſſenſ.*
Melonum, *Melonenkern.*

Excortic.

Milii, *Hirſche.*
M. Solis, lithoſpermon, *Meerhirſch.*
Myrti, *Myrtenſ.*
Napi, Buniadis, *Gterkrubenſ.*
Naſturtii (hortenſis,) *Gartenkreſſ.*
Nigellæ, Melanthii, Nigellæ Romanæ, *ſchvvartz Kummel, ſchvvartz Coriander.*

Præparat.

Nuclei ceraſorum excortic. *Kirſchenkern.*
N. Meſpilorum, *Miſpelk.*
N. Morellorum ſeu Perſicorum Armeniacor, *Morellenkern.*
N. Perſicorum, *Pferſingkern.*
Orobi, Erva, *Ervenſ.*
Oryzæ, *Neiſs.*
Pœoniæ, *Peoninkern.* fœminæ ac maſculæ.

Excorticatum.

Papaveris albi, *vveiſſer Magſ.*
P. nigri, *ſchvvartzer Magſ.*
Paſtinacæ ſativæ, *Paſtinacſ.*
P. ſylveſtris, *Vogelneſtſ.*
Perfoliatæ, *Durchvvachsſ.*
Petroſelini Macedonici, Maſſilienſis; *Macedoniſch Peterlein.*
P. vulgaris, apii veri, *Peterſilienſ.*
Pimpinellæ, *Bibenellſ.*
P. Italicæ ſanguiſorbæ, *vvelſch Pimpinellſ.*
Piſorum, Piſa, *Erbſen.*
Plantaginis, *Wegerichſamen.*
Porri, *Lauchſamen, Schittlauchſ.*
Portulacæ, *Burtzelkrautſamen.*
Pſeudo-melanthii, *Kornrathelſ.*
Pſyllii, *Flohſamen.*
Raparum, *Rubenſamen.*
Raphani, *Rettichſamen.*
Roſmarini, *Roſsmarienſ.*
Ruſci, *Ruſtenkurner, Mauſsdornſ.*
Rutæ, *Weinrautenſ.*
Sambuci, i. acini.
Satureiæ, *Sodaneiſ.*
Saxifragiæ albæ, *vveiſs Steinbrechſ.*
Seſami vulgaris, *Flachsdotter.*
Seſeleos Cretici, Maſſilienſis, *Cretiſcher Seſelſamen.*
S. Vulgaris Sileris montani, *Silermontaſamen.*
Sinapis, *Senfff. rother Senfff.*
Spicæ noſtratis, *Spicanardſ.*
Staphidis agriæ, *Lauſsforner.*
Sumach. Vide Fructus.
Thlaſpi, *Baurenſenfff. Wegkreſſ.*
Thymi, *vvelſch Quendelſamen.*
Trifolii odorati, *Edelkleeſamen.*
Violarum martiarum, *blau Violſ.*
Urticæ majoris, *Neſſelſamen.*
U. Romanæ, *Romiſch Neſſelſamen.*

N. *Ex his ſunt nonnulla in praxi famoſiora, adeoque peculiariter calida vel frigida dicta. Sic ſunt*

Semina 4. calida majora; aniſi, fœniculi, carvi, cumini.

Minora; ammeos, amomi, apii, dauci.

Semina 4. frigida majora; Cucumeris, cucurbitæ, citrulli, melonum.

Minora Endiviæ, ſcariolæ, lactucæ, portulacæ.

Præparata ex ſeminibus prore nata fiunt, infuſiones, decoctiones, emulſiones, &c. *Schroderus.*

Semen generantia, vid. *Aphrodiſiaca. Tom. I. pag.* 155.
Semen extinguentia, vid. *Antivenerea*, ſeu *Antiphrodiſiaca.*

Semen contra, ſeu Sementina, vid. *Santonicum.*

Semicupium, vid. *Balneum &c.*

SEMPERVIVUM.

Hujus *notæ* ſunt folia in globulos oculi bovini æmulos congeſta, lata & ſucculenta, flores in ſurculis reflexis in ſummis caulibus ſtellati.

SEDUM MAIUS ARBOREUM ſeu Frutescens.

Nomina. Sedum Maius arboreſcens *I. B. Ger. emac.* Maius arboreſcens floſculis candidis *C. B.* Maius legitimum Cluſ. *Park.*

Cluſ. frutex eſt potius quam herba, duorum cubitorum nonnunquam altitudine, brachiali verò craſſitudine, multos ferens ramos pollicaris craſſitudinis, aut majores, qui in multas alas dividuntur digitalis craſſitudinis, ſummo faſtigio velut in orbem definentes, multis foliis confertim & imbricatim ſibi mutuo incumbentibus conſtantem, perinde ac in ſedo vulgari majore, carnoſa ſunt autem ea folia, ſucci plena, & linguæ inſtar efformata, hoc eſt, ab infima ſede paulatim in latum ſeſe dilatantia; in ambitu crebris & minutis veluti denticulis adeo leviter ſerrata ut vix appareant, guſtu paululum adſtringente: cortice denſo, carnoſo, ſucculento toto frutex cinctus eſt, cujus membrana exterior ſubfuſca, maculiſque ſeu potius ſedis foliorum veſtigiis reſperſa, ut in Tithymalo Characia. Interdum ſummis majoribus ramis emergit craſſius & veluti folioſus quidam pediculis, tanquam thyrſum gerens multarum, quæ ſucceſſu temporis in flores ſeſe explicant, ex flavo palleſcentes, ſtellarum inſtar in aliquot folia diviſos cum ſuis ſtaminulis. Jam matureſcere incipientibus floribus. Et ad ſeminis efformationem properantibus gracileſcit hic pediculus. Semen exile eſt & nigrum. Semper viret hæc planta, nam antequam vetera folia abjiciat, nova ſemper producit, & facile ramulis pangitur.

Sponte naſcentem obſervavit hanc plantam Cluſius prærupto & ſcopuloſo colle, non procul à Scyntri arce regia, quinto ab Ulyſſippone milliari. In Italia frequentem in fictilibus enutritam obſervavimus.

Legitimum id eſſe Sedum aut Sempervium Majus, Dioſcoridi ἀείζωον τὸ μέγα neminem in ſtirpium cognitione mediocriter verſatum inficias ire poſſe affirmat Cluſius. Nam quod hactenus pro ſempervivo majore habitum eſt, nihil aliud eſt quam cotyledon altera Dioſcoridis.

SEDUM MAIUS VULGARE *Tabulâ* XXIII. *proximè adjectâ depictum.*

Nomina. Sedum Majus vulgare *C. B. I. B. Park.* Sempervivum Maius *Ger.*

Folia edit terræ ac radicibus proxima, craſſa, pinguia, lenti ſucci plena, acuminata, denſa, per margines æqualia, & in orbem ad effigiem oculi diſpoſita, atque hujuſmodi orbiculos complures proferens, latè atque in amplitudine ſeſe diffundit, non raro & tenues fibras emittit, quibus latius ſerpat. Atque novos orbiculos progignat. Aſſurgit quandoque in medio horum caulis pedem plus minus altus, erectus, craſſiuſculus, ſimilibus ſed anguſtioribus & acutioribus foliis veluti ſquamis obtectus, ſuperius in ramos diductus, reflexos. Flores ſcanſiles, ſerie quadam ſuccedentes gerit, ſtellatos, rubentes aut obſcure purpuraſcentes, polypetalos, quos excipiunt ſiliculæ plurimæ ceu cornicula ſemine minutiſſimo repletæ, in orbem diſpoſitæ.

Inter petras in montibus ſponte oritur, & ad maceriās & muros, in Anglia ſpontaneum non vidi, ubique tamen in domorum tectis, muris & maceriis vetuſtis & imbricamentis ſeritur, caulis floriferus eſt poſt ſolſtitium æſtivum; cum ſemen autumno perfecerit exareſcit.

Vires. Refrigerat validè & aſtringit. Uſus præcip. intrinſecus in febribus bilioſis, ſedat ſcilicet ſitim & compeſcit ardorem. Vulgare eſt plebi noſtrati (inquit Schroderus) expreſſum ſuccum cum ſaccharo in febribus morbiſque calidis propinare: Botanici noſtrates præſcribunt ſuccum Zythogalo aut liquori poſſeti infuſum; ſeque cum bono cum ſucceſſu hoc modo propinatum noviſſe ait Dom. Tancredus Robinſonus, tum in aliis febribus, tum præcipue in Eryſipelatide & hectiça: abundat enim hæc planta, ſale alcali medicamentoſo.

Tragus ſuccum aut aquam deſtillatam, linteolis in eis madefactis ac impoſitis in inflammationibus quibuſvis corporis, imprimis vero phrenetico morbo, apprime conducere ſcribit, in inflammatione ac rubore oculorum, jecoris item & renum. Articulorum inſuper morbo medentur, & ambuſtis auxiliantur, ſuccus ſolatri ſucco admixtus, & cum oculis populeis decoctus in axungia ſuilla, ac percolatus ut fiat unguentum, mirè efficax eſt, omnibuſque populeis unguentis Tragi judicio præferendus.

Galenus cum Dioſcoride Epithematis loco ſuccum cum aceto eryſipelatis foris imponunt, quod hodie, inquit Caſp. Hofmannus.

Succus verrucis & pedum clavis illitus ut eo probe madefiant, deinde foliorum cuticulâ ſuperimpoſita, eos tollit & ſanat.

Ad cornua pedum, ℞. Folia ſempervivi majoris q. ſ. contunde & ſuperpone ſex diebus continuis, Cheſneau.

Ad matricis & urethræ ulcera ℞. Succi ſempervivi majoris ℥ iv. litharg. ℥ j. vitell. ovorum num. ii. diu agitat. in mortario plumbeo, utere. Remedium erat Chirurgi cujuſdam Pariſienſis.

Idem habui ex collectaneis D. Edv. Hulſe Medici Londinenſis.

In febribus linguam moleſtè aridam, vel etiam fiſſam lenient folia ſempervivi majoris, membranulâ externa denudata. Aquæ puræ aut roſaceæ induntur, hinc ſubinde linguæ imponuntur atque identidem renovantur. Dom. Soame è Sylvii lib. i. cap. 23. S. 64. *Raius.*

SENA.

Quamvis *Sena* revera herba ſit, non arbor aut frutex, quia tamen à Botanicis fruticibus annumerari ſolet, & à nobis in Hiſtoria herbarum per oblivionem omiſſa eſt. Hoc in loco ejus hiſtoriam trademus.

Senæ nomen ab Arabibus fluxit, ſiquidem Sena veteribus Græcis & Latinis incognita & indicta.

Senæ *notas* characteriſticas facit Paulus Hermannus ſtamina falcata è flore exſerta & ſemina in ſiliquis bivalbibus unicapſularibus, quaſi per articulos junctis.

Nomina. i. Sena Alexandrina ſive foliis acutis *C. B.* Sena *I. B. Ger.* Sena Alexandrina. *Park.*

Joh. B. Sena quam ex Oriente inſtitores important primæ eſt notæ: caulibus cubitalibus aut paulò altioribus, ligneſcentibus, ex quibus alternatim exeunt pediculi tenues pulmo longiores, ad quos ex mediocribus intervallis adnexæ ſunt foliorum quatuor aut ſex conjugationes, nullo impari alam claudente, quod ani-



animadverterimus adhuc. Singularia autem folia ex viridi in flavum declinant, proximeque coſtæ adhæreſcunt, glycyrrhiſæ foliis ſimilia ſed acutiora, guſtus nonnihil viſcidi & amari, non ſine nauſea aliqua. Siliquæ falcatæ, compreſſæ, nigricant, ſemen continentes parvum, gigartis ſimile, ſed compreſſum album vel nigricans.

Cordus flores luteos & palleſcentes, quinque foliis in cavitatem aliquam reflexis conſtantes Senæ attribuit; Matthiolus pariter flores luteos, pentapetalos, braſſicæ ſimiles.

Sena Græcis & Latinis antiquis nuſquam deſcripta invenitur: nam ex Averrhoes novam herbam eſſe adſtruit, & priſcis ignotam.

Cameratius Senam Alexandrinam, ne quidem in Italia, ultra annum durare, id oque pro frutice haberi non poſſe ait. Nec ſcio an in loco natali longioris ævi ſit.

Amat calidas regiones frigoris impatientiſſima eſt; in Septentrionalibus Provinciis ſata provenit quidem, verum ad frugem non pervenit, imo tantum abeſt ut nec ſiliquas, nec flores promat. Seri aiunt in Syria, Perſia, Arabia, inde in Ægyptum deportari, ad Alexandriam, unde ad nos defertur.

Vires. Purgat Sena non tantum bilem utramque, ſed & pituitam: imo in melancholia & atra bile creditur habere prærogativam quandam. Vim eius catharticam ad ſtuporem uſque extollunt plerunque. Ego vero expertus ſum, & ante me alii, eſſe inſigniter flatuoſum, inquit C. Hofman. & Lobelius Matthiolum reprehendens, folia ſi per ſe, pulvere, infuſo aut decocto dentur turbarum multum ciere, & inteſtina ſtomachumque torquere aſſerit. Ut vel plebecula conqueritur. Hoc ratio etiam dictat: Viſcoſum enim illud quod in lingua relinquit plane adſtipulatur experientiæ: aſtipulatur etiam viroſus ille odor, cynogloſſi aut punicæ fere ſimilis; quale quid etiam tam in infuſo quàm in decocto ſentitur. C. Hofman.

Quia calida & ſicca eſt, corrigitur flor. viol. borrag. prun. & quia flatulenta, quo minùs ventriculo obeſſe poſſit, cinnamomo, galanga, zingibere.

Quocunque autem modo detur, in decocto quidem minus flatulenta eſt ſed debilior; in infuſo autem flatulentior, ſed fortior, debet autem decoctio eſſe mediocris, ut Meſue præcipit: nam cum facultas purgatoria ſit, in ſuperficie diutina coctione evaneſcit.

Datur in ſuſtantia ab ℈ß. ad ℈iß. in intus an. ʒ ij. ad ʒ v. vel ad ℥ j.

Exhiberi poteſt (inquit Schroderus) omni ætati & vel ipſis prægnantibus; debito modo correcta.

Inſignes ei vires adſcribunt Medici tum veteres, tum recentiores mirifice prodeſt capitis doloribus, delirio, amentiæ, epilepſiæ, reſolutioni nervorum, ſciſſuris totius corporis phthiriaſi, ſcabiei, puſtulis, pruritui, &c. cor exhilarat, viſum acuit & auditum firmat quoquo modo ſumpta, viſcerum obſtructiones aperit, auget juventutem, ſeniumque retardat. Folia in capitis perfuſionibus utiliter decoquuntur, præſertim addita Anthemide, folia exhibentur à ſtipitibus ſeu pediculis avulſa, rejectis ſtipitibus.

Ad Senæ præparationem purgantem ſine igne.

♃. Folior. ſen. mund. q. ſ. ponatur in lagena vitrea ſatis capaci affundendo aquam vitæ, tinctura cinnamom. impraegnat. ita ut quatuor, vel quinque digitis excedat, dein vaſe bene clauſo ſinatur per biduum, & poſtea utere. Doſis coch. ij. cum juſculo. D. Huſle è Cheſneau.

Nomina. 2. Sena Italica *Park.* Italica foliis obtuſis *C. B.* Florentina *I. B.*

Cæſ. Caule conſtat cubitali; foliis ſimiliter diſpoſitis ac in Sena Orientali, ſed multo majoribus, nervoſioribus, non acuminatis, ſed per extremum latis ac pæne cordatis, guſtu glutinoſo, flores fert luteos, ſiliquas compreſſas & falcatas, anguſtiores Orientali, lineâ utrinque per medium inæqualiter extuberante, Seminibus nigris compreſſis, figurâ cordis.

Utuntur hac Medici loco Senæ Orientalis ad purgandos acres humores, ſed longe inefficacior eſt ad eum uſum.

Nomina. 3. Sena Orientalis hexaphylla, Tala Zeylonenſibus Hermanni. *Hort. Lugd. Bat.*

Herman. Radicem fert albam, tenuem, fibroſam, annuam: cauliculos dodrantales, herbaceos; primùm erectos, poſtmodum reclinatos; folia in qualibet coſta ſex, bina ſibi appoſita, ſubrotunda, unguem lata, pinguia, ſaporis ſubacris, ingrati, cocta vero oleracei haud ingrati. Flores congeneribus ſimiles, aſt minores, pentapetalos, ſtaminibus in medio concoloribus, & ſtylo falcato, longiori: ſiliquas compreſſas, anguſtas, recurvas, unicapſulares, bivalves, quaſi articulatas, ſeu iſthmis interceptas; in quibus ſemina oblonga, teretia, lucida, fuſca.

Sennæ ſpeciebus tum ob ſtamina falcata quæ ex flore exeruntur, tum etiam ob Semina in ſiliquis bivalvibus, unicapſularibus, quaſi per articulos junctis, annumerat D. Hermannus.

1. Paiomiriobæ primam ſpeciem Piſonis; quam Sennam Occidentalem, odore opii viroſo, orobi Pannonici foliis mucronatis, glabrum cujus deſcriptionem vide in lib. 18. p. 912. Hiſt. noſtræ

2. Paiomiriobæ ſecundam ſpeciem Piſonis: quam Sennam Occidentalem, odore opii minus viroſo, foliis glabris obtuſis appellat: cujus deſcriptio Hiſt. noſtræ loco citato habetur.

3. Loto affinem Ægyptiam C B. quam Sennam Orientalem tetraphillum Abſus dictam nuncupat. Deſcribitur Hiſt. noſt. lib. 18. p. 922.

4. Galegæ affinem Sopheram dictam C. B. quam Sennam Orientalem fruticoſam Sophera dictam inſcribit; & Ponnam Tagera Hort. mal. Tom. 2. p. 101. facit deſcriptionem vide Hiſt. noſt. lib. 18.

5. Chamæ criſtam pavonis Americanam ſiliqua multiplici Breyn. cui Sennæ Occidentalis ſiliqua multiplici foliis herbæ mimoſæ titulum facit.

6. Chamæcriſtam pavonis Braſilianam ſiliqua ſingulari Breyn. Cent 1. p. 64. quarum duarum deſcriptiones habentur Hiſt. noſtræ p. 982. 983 *Raius.*

Sena duplex haberi ſolet, tum Orientalis id eſt Syriaca & Ægyptiaca, tum Europæa, Italica nempe & Gallica. Illa acuminata, hæc obtuſiora magis habet folia. Præfertur Orientalis, modò reliquas præſtantiæ notas poſſideat. Eligatur itaque viridis, probè ſiccata; integra, non nimiùm contrita, non maculoſa, nec teredine attrita, vel ſtipitum folliculorumque nimiâ admixtione, aut etiam Coluteæ foliis fraudata. *Pharm. Auguſt.*

OFFICIN. NAT. ex SENNA.

Folia, tùm quoque *folliculi*, ſed rarò.

N. *Folia præſcribuntur ut plurimum ſ. ſt. i. e. ſine ſtipitibus, à quibus eligendo ſeligendoque ſeparantur.*

Vires. *Senna inter purgantia uſitatiſſima eſt, aduſtos ac ſeroſos humores, & hinc flavam bilem pituitamque ex Capite, Epate, Liene, continuatoque uſu juncturis, ſine noxa ſat benignè educens. Excitat tamen nonnunquam tormina, id quod ex abundantia pituita vitrea. ſeu mucilaginis, acris evenire nonnulli volunt. Verùm rectius ſentire videntur, qui id crudiori ac magis terreſtri ſenæ particulæ, forti expreſſione prolectæ, adſcribunt. Quia autem calida*

ac ſicca (1.) *corrigitur flor. Viol. Borrag. Prun. & quo minus ventriculo obeſſe poſſit, additur Cinam. Galang. Zingib. &c.*

Exhiberi poteſt omni ætati & vel ipſis prægnantibus.

Doſis in ſubſt. à ʒß. ad ʒiß. in infuſ. à ʒiiß. ad ℥ß. vel ad plures vices ℥ j. ij.

N. *Adhibetur & extrinſecus ad melancholiam capitis arcendam* (*in lotionibus capitis.*)

Præparata.

1. *Pulvis ſenæ Montag.* Vid. Diſpenſ.
2. *Syrupus folior. ſenæ.* V. D.
3. *Syrupus de pomis R g. Sab.* Vid. Diſpenſ.

N. *Poteſt Syrupus ſenæ parari cum fructu, ut eſt in Pharm. Poterii p.122. Acui poteſt ap. extrahens aliquot gutt. ~as ⊖-li aut Tartari.*

4. *Electuar. Diabelzemer.* ſ. Sennatum Renod.
5. *Paſſulæ laxativæ* Vid Diſp.
5. *Extractum.*

℞. Fol. Senæ Alexand. ℥j. affunde ▽ ſimpl. ferventem (acutatam ſi libet aliquot guttis ol. Tart. per d.) ℥ VIII. Extrahe exprimeque leniter, clarifica, inſpiſſa ad conſiſtentiam juſtam.

N. 1. *Alii extrahunt macerando cum ▽ ſtillat. pomor. redol.* Beguin. Quercet. *Alii cum ▽ Lupuli, Scolopend. Borrag. Fumar. addita portione alia Caryophyll. Zinzib. ſem. fœnic.* Auguſt.

Doſis à ℈iß, ad ʒ j. & ultra.

N. *Extractionem ex iiſdem foliis ſecundo ne repetas: gravia nimirum tormina excitare ſolet.*

7. *Tinctura Sen. aut Rhabarb. ex communicatione S. Cloſſ.*

℞. Fol. Orient. vel Rhabarb. ℥ß. Sal. nit. tantundem, reduc. in pulv. qui accenſus cum carbone ignito detonet in +lo, cinerem ſolve in Acet. deſtill. aut V̈, ſolutum filtra & evapora, ſolvatur denuo in aq. roſ. filtreturque addendo ʒij. rhei aut fol. Sen. in pulv. redact. digere per 4. aut 5. horas.

Doſ. hujus tincturæ ſint cochl. ij. in juſculo. Ita reliqua purgantia in Tinctura adducuntur. Schroderus.

Senna.) Vel *Alexandrina* eſt ſeu foliis acutis, quæ præſtantiſſima, *vel Italica*, quæ illi ſubſtituitur. Planta eſt ſiliquoſa magnitudinem habens unius cubiti è regionibus Orientalibus ad Nos primum advecta, coluteæ ut veſicariæ admodum ſimilis, cujus folia ad liquiritiæ vel fœnugræci effigiem accedunt.

Flores ex alarum ſinu erumpunt lutei, tenuibus pediculis appenſi, quibus ſuccedunt folliculi oblongi, plani, compreſſi, incurvi, ſeminibus parvis, fuſcis, compreſſis gravidi.

Colitur in Ægypto, Apuliâ & Hiſpaniâ.

N. *Veteribus Græcis indicta &c.*) Antiquis fuit ignota, ſed à junioribus Græcis & Arabibus ſolum cognita, *atteſtante Serapione cap.*58. vid. *Mizaldus in ſingulari de ſenna opuſculo.*

Vires. Senna inter purgantia uſitatiſſima eſt &c.) Hæc medicina ſecuritatis eſt, pueris & cujuſcunque ætatis hominibus benigna, aduſtos, craſſos & ſalſos humores à cerebro, Pulmone, jecore, Liene, ventriculo & Meſenterio blandè ſubducit, ac Morborum ex ejuſmodi humoribus provenientium Medela eſt. Errant igitur, qui illam perturbare Ventriculum & imbecillum reddere dicunt, cùm amaritudinis nonnihil & levis adſtrictionis habeat, patet, eam prodeſſe ventriculo. Quod verò muliebria & pituitoſa corpora epoto Sennæ infuſo torminibus vexentur, id humorum pituitoſorum vitio quidam tribuunt. Eſt aliquid; Verum, cur non etiam alia purgantia, quæ aduſtos æquè ac mucilaginoſos acres humores educunt, idem dant effectum? Rectius illi ſtatuunt, qui id crudiori ac magis fixæ terreſtri Sennæ particulæ forti expreſſione prolectæ adſcribunt. Hinc videmus ejus extractum ab ejuſmodi effectu immune.

Doſis hujus in ſubſtantia eſt à ʒß. ad ʒiß. In infuſo à ʒ ij. ad ℥ß. vel plures vices ℥ j. ij.

Ex Sennâ præparantur Pulvis Sennæ &c. Hoc loco, Lector Benevole, communico Tibi *Cryſtallos foliorum Sennæ A. purgantes à Clar. Dom. Joh. Ferdinando Hertodi S. R. I. Acad. Nat. Curioſ. Colleg. Reg. Civit. Brunenſis Phyſico*, mihi aliquot ante annos communicatos.

Rec. Spiritus roris majalis q v. in hoc infunde per noctem Fol. Senn. A. ſ. ſ. q. v. ut ſpiritus 4. emineat digitos. Tinctura multoties per chartam bibulam filtretur, hoc facto, leniſſimo vapore ſuperfluus exhaletur ſpiritus, reliquus in frigido & ſicco loco locetur & cryſtalli concreſcent, qui in vaſe eburneo ſervandi.

Doſis à gr. v. ad ℈ j. *Hofmannus.*

SENECIO.

Senecio Ἠριγέρων Græcis, quaſi vernus Senex, quia vere caneſcit, inquit Plinius, floribus in lanuginem abeuntibus; nec vere tantum, ſed per totum pæne annum germinat, floris productione, ſemper enim alterum alteri ſuccedit, & tempora omnia occupat. Theophr.

Nobis Senecio cenſetur herba flore compoſito, papposo, nudo, foliis laciniatis. Foliis laciniatis cum Jacobæa convenit, à reliquis congeneribus differt: floribus nudis ſeu non radiatis à Jacobæa diſcernitur.

Nomina. Senecio vulgaris Park. minor vulgaris C. B. vulgaris ſive Erigeron J. B. Erigeron Ger.

Radix obliquè interdum producta plurimis fibris albis in terram demiſſis alimentum attrahit; ex qua caulis perſæpe ſimplex, interdum bini ternive attolluntur, teretes, ſtriati, concavi, in apricis hirſuti, pedem aut dodrantem alti, ab imo ſtatim ramoſi, foliis veſtiti duas treſve uncias longis, alterno ſitu abſque pediculis cauli adnatis, utrinque in lacinias diviſis, & dentatis, mucrone obtuſo, obſcure virentibus. Caulis & ramulorum faſtigiis flores plures ſimul juncti inſident, pediculis tenuibus, brevibus, lanuginoſis appenſi; flores autem quos vocant è plurimis floſculis luteis arcte ſtipatis compoſiti abſque ullo in margine barbularum circulo, calyce longo, cylindraceo ferè, ex ſimplici foliolorum oblongorum ordine conſtante ceu vallo quodam, coercentur. Floribus delapſis ſemina cum pappo innaſcenti explicata, globulum ſeu ſphæricam figuram efformant. Calicis foliola, ut in dentis Leonis flore deorſum reflectuntur. Semina parva ſunt, tenuia, oblonga, diluta purpura tincta videntur. Odor huic nullus inſignis.

Non eſt cur locus huic aſſignetur, adeò ubique in arvis, hortis, areis nimis-quam frequens omni anni tempore occurrit.

Vires. Herbæ ſuccus in cereviſia ſumptus, ejuſdemve decoctum cum uvis corinthiacis aut melle, leniter purgat per vomitum ut quotidiana docet experientia. Tragus raro intus ſumi ſcribit: alii intus ſumptum ad multa utilem faciunt, choleram verbi gratia, icterum, intemperiem hepatis calidam, lumbricos, vomitum & expuitionis ſanguinis, iſchiadicum dolorem, fluorem muliebrem. Extrinſecus utilis eſſe dicitur in mammis inflammatis, ſcabie (capitis) ſtruma, dolore ventriculi, urinâ remoratâ, arthritide & vulneribus. *Schrod.*

Ad lumbricos utilem eſſe veriſſimum exiſtimamus; ſiquidem veterinarii noſtri & Hippiatri ſuccum ejus expreſſum equis præbent adverſus ventriculi & inteſtino-

rum

rum vermes, Bottes noſtratibus dictos, quorum præſentiſſima peſtis eſt *Raius*.

Senecta anguium, vid. *Serpens*.

SEPIA.

Sepia (quod attramento, veluti putrida quadam ſanie, quam Græci Σηπεδόνα vocant, abundet:) cui hoc proprium eſt, præter fiſtulam inter caput & alvum prominentem, quod attramenti copia luxuriet, & vel ideo quum in cæteris reperiatur majori, quod vitam littoralem traducat, & nihil aliud quod ſibi auxilietur habeat; cum polypis & brachia, & mutatio coloris inſerviat: unde fit, ut atramentum illud, ſive cruorem ſuum atrum per aquam effundat, cum ſe peti animadvertit, & piſcatoribus iter velut præſcipiat. Habet & Σήπιον in dorſo, robuſtum & latum, inter ſpinam & os mediam præ ſe ferens naturam, ſpongioſam inter ſe complectens corpulentiam: quod Aurifabri noſtrates, qui eo præcipuè utuntur, Cuttlebone vocant; pharmacopolis vero os ſepiæ dicitur. Apud Rondeletium reperias, & minorem ſpeciem, quam ſepiolam vocat. *Charleton.*

Os Sepiæ ſeu potius Sepiæ teſta, ſubſtantia eſt teſtacea, candida & levis, utrinque tumida, parte ſupinâ, duriuſcula, lævis & glabra, infernâ, fungoſa, mollicula, leviter aſpera, & friabilis, in dorſo piſcis nata, ſaporis aliquantulum ſubacris.

Exſiccat, abſtergit, maculis, nævis, ſcabiei humidæ medetur, oculis convenit, gingivis tumidis confert, aſthmaticis auxilio eſt, gonorrhæam ſiſtit, calculos pellit, urinas movet. *Schroderus.*

Serapinum, vid. *Sagapenum.*

Sericum, vid. *Sagapenum.*

Sericum, vid. *Bombyx.*

SERPENS & SERPENTINUM GENUS.

Serpens eſt animal pulmone reſpirans, unico in corde ventriculo, corpore longo, terete, gracili, ſquamis munito, pedibus carente, temperie frigida, inediæ diuturnæ patiens.

Serpentes plerique noxii & venenati ſunt. *Morſu* autem (ut ſcitè Poeta) *virus habent, & fatum in dente minantur* liquore venenoſo in vulnus dentibus inflictum inſtillato, & ſanguini commixto. *Pocula* imò & *Fercula morte carent.* Impune enim licet carnes, ſanguinem, Hepar, Fel, caput, imò liquorem ipſum venenoſum Viperæ aut alius cujuſvis Serpentis deguſtare, comedere, ſorbere aut deglutire, ut *Dom. Franciſcus Redi*, & *Dom. Charas* nos certiores faciunt.

Serpentes quamvis pulmonibus reſpirant, non tamen indeſinenti & reciproco motu brevibus intervallis & contractis aerem hauriunt & reddunt, ſed ſemel inſpiratum aliquandiu retinent. Cùm enim naturâ frigidi ſint, & calor eorum naturalis languidus, aut ſi mavis dicere blandus: aereo pabulo ad vitam continuandam non multo indigent: cumque per dimidium ferè annum apud nos torbidi & ſemimortui jaceant, calor prædictus viſcoſo forte vehiculo irretitus, velut ignis ſub cineribus obrutus non multum aeris abſumit, quin penus in pulmonum veſiculis reconditus expenſis hybernis fortaſſe ſufficiat.

Serpentes veneni reſpectu dividi poſſunt in *ἰοβόλους* ſeu *venenatos*, qui dentes exertos habent, longos, incurvos, acutos, in ſuperiore mandibula, quibus mordendo vulnus infligunt & venenoſum liquorem inſtillant; & *innoxios* qui dentibus illis & veneno carent.

Generationis etiam reſpectu dividi poſſunt in *Viviparos* qui vivos fœtus in lucem edunt, & *Oviparos*, qui ovorum catenam. Nec tamen magna eſt hoc reſpectu inter ſerpentes differentia. Utrumque etenim genus revera oviparum eſt; Hoc tantùm ova quæ intus concepit ovorum formâ parit, & in fimetum aliumve locum calidum deponit, ubi calore vel loci vel ſolis fota fœtum paulatim perficiunt & excludunt; illud ovum intus in utero fovet, & fœtum excludit: quemadmodum Piſces Cartilaginei Σελάχη Ariſtoteli dicti, quæ ἔσω μὲν ᾠοτόκα ille ait ἔξω δὲ ζωοτόκα.

Vipera, *A Viper* or *Alder*. Mas Græcis Ἔχις, Fæmina Ἔχιδνα dicitur. Longitudine eſt plerunque cubitali, interdum majore. Color ſupinæ partis ex flavo rubeſcens, in fœminis plerunque albicans. In medio dorſo linea nigricans utrinque dentata, ſeu catena macularum rhomboiδῶν nigricantium à capite ad caudam extremam per totam longitudinem extenditur. Paulò inferius in lateribus ordo macularum nigricantium. In lateribus imis utrinque 1. Linea è maculis parvis albicantibus compoſita; alia deinde è nigris majoribus, tandem tertia albicantibus. Venter ſquamis tranſverſis longis nigris tegitur. Verùm colores hi non ſunt perpetui in omnibus Viperis; vidimus enim ſupina parte tota nigricantem abſque ullis diverſi coloris maculis. Quantum tamen hactenus obſervavi, venter, omnibus totus niger eſt. Cauda ultra excrementorum exitum ad quintam longitudinis partem non producitur, verùm brevi in acutiſſimum mucronem tenuatur. Unde Aetius rectè eam deſcribit multis notis inſtar rotarum exornatam, magnitudine cubitali, caudâ acervatim in tenuitatem deſinente.

Wormius herbis veſci ait; at certè non ſolis; nos enim è diſſecti ventriculo tres mures adultos exemimus, quos, quòd mirum, integros deglutiverat, cùm collum vix minimum digitum ambitu æquaret.

Dom. Franc. Redi Aretinus nobilis in obſervationibus de Viperis affirmat, *Viperam humorem, excrementum aut partem nullam habere quæ bibita aut comeſa interficere valeat; in cauda non habere quo pungat. Dentes caninos tam maſculorum quàm fœminarum non plures eſſe duobus, eoſque cavos à radice ad apicem; nec licet feriant eſſe venenoſos, ſed tantummodo aperire viam veneno viperino, quod tum demum revera tale eſt ſi ſanguinem attingat: Venenum aliud dari niſi liquorem illum qui palatum humectat, & in vaginis dentes operientibus reſtagnat, non ex veſicula fellea eò translatum, ſed generatum in univerſo capite, & derivatum fortaſſe ad vaginas per quoſdam ductus ſalivales, quo forte caput illis communicat.* Potius glandularum ad id deſtinatarum ope à ſanguine ſecretus, quas infra fundum veſicularum dictarum ſemper invenit *D. Redi.*

De viſceribus & Anatome Viperæ nihil addam, ſed Lectorem ad Anatomicam deſcriptionem Anguis crotalophori ſeu Viperæ caudiſonæ inferius traditam ablego: in pleriſque enim conveniunt hæc Animalia.

Ammodytes ita dictus quòd arenam ſubeat. Viperæ peſſimi'em eſſe aiunt, cubitali longitudine, colore arenaceo, capite viperino ampliore, maxillaris latioribus, in ſuperiore parte roſtri eminentiam quandam acutæ verrucæ ſimilem gerens, unde ſerpens cornutus vulgo dicitur. In Libya, inque Illyrico & Italia, comitatu imprimis Goritienſi invenitur.

Ceraſtes, à duabus eminentiis, quas in fronte cochlearum inſtar ſed ſolidiores habet, nomen ſortitus eſt. Bina tubercula inſtar hordei granorum ſupra oculos habere gemina minuta cornua imitantia

ſcribit *Bellonius*, Dentes Viperinis ſimiles, ſimilique ordine diſpoſitos. Ritu Viperarum fœtus vivos edit, & inter omnia Serpentum genera diutiſſime ſitim toleret, eodem teſte. Invenitur in Lybia, inque Arabia circa Oppidum Suez. *Bellon.*

Hæmorrhous, quòd ad ejus ictum ſanguis ex omnibus humani corporis meatibus effluat, Corpore eſt puſillo, pedem longo; oculis igneo quodam fulgore micantibus; cute ſplendidiſſima; dorſo multis albis & nigris notis maculato; cervice anguſta; cauda præ tenui, cum corniculis ſupra oculos. Invenitur in Ægypto & iis locis quibus Thonis imperavit. *Hæmorrhous Indicus* Nierenbergii, *Abucyatli* dictus Viperæ caudiſonæ ſimilis niſi quod ſonalibus caret, major eſt hæmorrhoo Antiqui Mundi ſed ejuſdem veneni.

Kokob ejuſdem ad hoc genus pertinet, 4. dodrantes longus, fuſco colore, ſed cyaneis & rubeſcentibus maculis conſperſo. In agris Jucatanenſibus.

Seps & *Sepedon*, ἀπὸ τοῦ σήπειν dictus, quòd ab hoc vulneratorum caro ſtatim putredinem concipiat. Serpens eſt parvus in cujus deſcriptione Autores variant. Nos nihil certi habemus quod adferamus. Vide Lacertam Chalcidicam,

Aſpis. Rationem nominis probabilem non invenio, at neque deſcriptionem accuratam quamvis Serpens de nomine notiſſimus ſit. Africam & ripas Nili potiſſimum incolit. Bellonius in Italia apud Brutios ſerpentem callum in fronte tuberculi inſtar geſtantem vidit, quem Aſpidem veterum eſſe putavit.

Scytale à longa & terete figura, quâ baculum ſeu lorum coriaceum imitatur & exæquat, denominatur. Forma eſt tereti & ita æquali, ut ubi caput vel cauda ſit diſcerni vix poſſit. Magnitudine & longitudine eam ligonis ligno comparat Nicander.

Amphisbæna. Nominis ratio patet. Dari etiam Serpentis genus gemino inceſſu antrorſum & retrorſum non negaverim, multa enim Inſecta hoc modo incedunt. At vero bicipitem Serpentem, ſeu utraque extremitate capitatum in rerum natura inveniri nimis impudens eſt qui affirmat, & nimis ſtolidus qui credit. Fortè ob caudæ extremæ craſſitiem minus curioſè, & negligenter ſpectanti biceps videatur. Serpens eſt exiguus: Color illi terreus ſeu pullus. Reperitur in Libya & in Lemno inſula.

Huc pertinet *Ibijara* Braſilienſibus, *Bodey* Tapuyis, *Cega* Luſitanis *Marcg. Gobre Vega* vel *Cobra de los Cabeças* Luſit. Piſoni. Vulgò fertur duo habere capita, ſed falſo: inde a. error promanavit, quia tam cauda quàm ore feri & inficit ſuo veneno, nec facilè cauda à capite diſcerni poteſt, quia ejuſdem ſunt figuræ & magnitudinis. Minimi digiti craſſitiem æquat, & longitudine unum pedem & duos circiter digitos. Color eſt albus, ſplendens inſtar vitri, & annulis & elegantibus lineis notatur, coloris brunni aut ærei. Oculos habet minimos & vix conſpicuos. Hærent in cute inſtar punctuli acu facti. Sub terra vivit & illam fodiendo eruitur. Victitat formicis. Venenum exitiale contra quod nullum dari remedium Luſitani affirmant.

Cæcilia Typhlinus Græcis, *The Blind vvorm or Slovvvvorm*. Cæcilia dicitur non quòd oculis careat, ſed quòd eos parvos habeat. Parvitate ſua, & cauda in longum infra anum producta inque obtuſum deſinente à reliquis Serpentibus noſtratibus facilè diſtinguitur. In fæmina quam æſtate obſervavi dorſum unicolor erat, nimirum è flavicante cinereum, latera lineis nigris & albicantibus varia, imus venter niger. Verùm colores (ut puto) ſexuum variant, fortè etiam in eodem ſexu. Fœtus vivos more Viperarum enititur.

Cenchrus ſeu *Cenchris* à Milio nomen accepit, quòd notis quibuſdam Milii ſimilibus exornetur, quemadmodum Herpetis quædam ſpecies ob eandem rationem Miliaris dicitur. Longitudine eſt bicubitali, figurâ craſsâ in tenuem abeunte, & colore viridi ad luteum tendente, qui maximè juxta alvum apparet. Invenitur in Lemno & Samo ubi mons Moſylus.

Acontias Jaculum, ita dictus quòd Jaculi inſtar ſe vibrat. Hujus generis Serpentem in inſula Rhodo invenit Bellonius, quem ſic deſcribit. Trium palmorum longitudinem habet, & minoris digiti craſſitudinem non ſuperat. Color ejus cinereus ad lacteum tendens; venter prorſus candidus, parvus maculis oculorum inſtar in dorſo varius. A cervice nigra binæ albæ lineæ per dorſi longitudinem uſque ad caudam excurrunt. Maculæ quibus aſperſa eſt lenticulâ majores non ſunt, coloris nigri albo orbe cinctæ. In Ægypto & Lybia inveniuntur, & inſulis nonnullis maris Mediterranei Diverſæ eorum ſpecies habentur: de quibus conſule *Johnſtoni* Hiſtoriam naturalem de *Serpentibus*.

Dryinus, quòd in quercubus lateat appellatur. Bellonius nullum alium Serpentem in majorem molem excreſcere, & ſibilum majorem emittere ex ſibi cognitis ſcribit: tam magnum aliquando invenit, ut ſicco impoſitum ruſticus per duo milliaria ferre nequiverit, quin quieſcendum illi fuerit: illius exuvium fœno repletum craſſi alicujus viri crus magnitudine æquabat: nec plura de eo habet. At neque alii in deſcriptione ejus conſentiunt;ut nihil certi habeamus quod de eo dicamus.

Elops ſeu *Elaps*, Elaphis quorundam. Bellonius Serpentis cujuſdam in inſulâ Lemno meminit, quam *Laphiati* vocant, eundemque cum eo qui Veteribus *Elaphis* arbitratur in muſeo Aldrovandi invenit Ambroſinus coloratam iconem Serpentis, longitudinis trium pedum circiter, cujus venter lutei erat coloris, tergus leucophæi cum tribus lineis nigris à capite ad caudam uſque percurrentibus.

Anguis Æſculapii, Παρεία Græcis. Serpens eſt innocuus in Italia tam familiariter cum hominibus vivit ut etiam in lectis inveniatur: quamvis tamen adeò mitis & placidus ſit irritatus interdum mordet. Oblongus eſt, ſublutei aut potius porracei coloris obſcurioris, ſed magis circa tergum nigricantis. Maxillæ dentibus utrinque multis valdè acutis armantur. In cervice duæ parvæ eminentiæ conſpiciuntur, inter quas locus vacuus. In Hiſpania, Italia, aliiſque temperatis & calidioribus regionibus inveniuntur.

Vipera Caudiſona Americana Dom. Tyſon, *Boicininga* & *Boiquira* Braſilienſibus *Marcgr. Teuhtlacot Zauhqui*, id eſt, *Domina Serpentum*, Hernand. Luſitanis *Caſca vela*, *The Rattle ſnake*, id eſt Anguis crotolaphorus noſtratibus. Per ſaxa fertur celeri curſu, per terreſtria & plana tardiore, unde Mexicanorum quidam à vento nomen inderere, *Ecacoatl* vocantes. Ab omnibus Serpentibus dignoſcitur tintinnabulo ſeu crepitaculo in cauda extrema è multis ſquamis compoſito. Singulis annis ſingulas ſquamas huic tintinnabulo accedere aiunt, ut ex ſquamarum numero quot annos Serpens natus ſit, certò poſſit cognoſci. Omiſſis aliorum Deſcriptionibus minus perfectis, accuratiſſimam *Dom. Edvv. Tyſon* M. D. Anatomici celeber-

celeberrimi; in *Actis Philoſoph. Londinenſibus*, Num. 144. evulgatam ſubjiciam. Hujus (inquit) ad *Dom. Henricum Loades* Mercatorem Londinenſem è *Virginia* tranſmiſſi, & à me cultro Anatomico ſubjecti, longitudo 4. erat pedum, & 5. inſuper digitorum: [*unde è maximis fuiſſe patet, cùm* Franciſc. Hernandez *quatuor tantùm longitudinis pedes ei attribuat*, Marcgravius *non ultra 4. pedes & 3. digitos*, Piſo 5. *ad ſummum pedes.*] Corporis ubi craſſiſſimum, hoc eſt circa mediam longitudinem, ambitus $6\frac{1}{2}$ unciarum erat; colli trium. Caput depreſſum & supernè planum, ut in *Vipera*; ob maxillarum protuberantiam ſagittæ alatæ barbatam cuſpidem nonnihil referens; in cujus extremo nares; interque has & oculos, inferius paulo, orificia duo aperiuntur, quæ initio pro aurium meatibus habui; verùm poſtea, eorum ductum ſequendo, in cavitatem mediocrem oſſi cuidam inſculptam abſque exitu deſinere animadverti. Viperæ orificia iſthæc in capite deſunt. Oculi rotundi, $\frac{1}{4}$ digiti diametro; colore, pupillæ forma, aliiſque accidentibus, Viperinis ſimiles; quin & Animal ipſum totâ figurâ & ſpecie externa, excepto crepitaculo, cum Vipera convenit. Squama ampla velut ſuggrundium ſupra oculum [utrumque] prominebat, cui palpebræ uſum præſtare, ad prohibendum nè quid fortè incideret videbatur; non tamen ad oculos claudendos contegendoſve; quamvis introrſum membrana nictitante, pulviſculo ſiquis fortè adhæreſceret detergendo inſerviente, inſtructi eſſent. [*Membranæ nictitantis ſeu Periophthalmii, quod in Brutis pleriſque obſervatur, alius præterea uſus eſt; nimirum ad oculos liquoris ope quem ſupra eos effundit, & motu ſuo ferè continuo per totam ſuperficiem extendit, humectandos lubricandoſque, nè opaci aut minus pellucidi per ſiccitatem redderentur.*]

Squamæ in capite omnium minimæ ſunt, exinde in dorſo ordine majores ad maximam corporis craſſitiem, poſtquam ſenſim minuuntur ad crepitaculi uſque exortum, figurâ omnes Paſtinacæ latifoliæ ſemina quadantenus referentes. Colore variant: In nobis deſcripta capiti innaſcentes *Chloridis* avis pennas dorſales colore referebant, maculis nigris parvis, (è quibus quatuor majores & inſigniores) notatæ: quæ dorſum veſtiebant obſcuro folii mortui [*Feuille morte*] nigro, & flavo ſubobſcuro coloribus variæ erant, atque etiam punctatæ; hac colorum diverſitate & mixturâ pulchrè teſſellatam velut tabulæ ſchaccariæ ſpeciem exhibente. Quo caudæ propinquiores eò nigriores erant ſquamæ, & tandem propemodum nè dicam penitus nigræ. Squamæ dorſi, ut in *Crocodilo*, media parte in eminentiam acuminatam aſſurgebant, eò minus quo lateribus propiores, ubi prorſus planæ & æquales ſunt. Venter planus videbatur, ſquamis longis, tranſverſis, velut parallelogrammis tectus, colore flavicante, punctis nigris interſtincto. A collo ad anum 168 ſquamas numeravimus: ultra anum duæ dimidiatæ erant, exinde 19. integræ ſequebantur, colore plumbeo nigricante, fimbriis luteis, poſt quas ad crepitaculum ſex ſquamarum minorum ejuſdem coloris ordines extendebantur.

Squamæ ventrales muſculis diſtinctis ſibi mutuo connectebantur: inferior uniuſcujuſque tendo in ſuperiorem marginem proximè ſuccedentis ſquamæ inſerebatur, ejuſdemque muſculi tendo alter mediæ circiter antecedentis. Muſculi hi verſus mediam ſquamæ partem carnoſiores erant: fibræ autem exinde oblique aſcendebant. Uniuſcujuſque ſquamæ extremo utrinque coſtæ apex adnectebatur: quæ res magnum iis [ſquamis] momentum confert ad uſum cui à natura deſtinatæ videntur, robur addendo ad motus reptiles peragendos. Squamæ etenim veluti totidem pedes ſunt, quæ liberæ cùm ſint, & inferiora verſus apertæ, terram facilè apprehendunt, adeoque corpus contrahunt ſeu antrorſum adducunt: deinde muſculorum truncum coarctantium ope animalia iſthæc illum protrudunt ſe in anteriora extendunt, motumque progreſſivum hoc modo continuant. Unde non eſt cur *Franciſcus Hernandez* miraretur, qui fieret ut Serpens hic per ſaxa celeriori curſu ferretur quàm per terreſtria planaque, cùm ibi firmiora habeat veſtigia. Hinc etiam in terra molliore cùm incedit, ventrem quamvis planus ſit, in ellipſin ſeu angulum acutum contrahere novit, ut terram altius penetret, adeoque corpus ſtabiliat & promoveat, prout & in Vipera obſervavi.

Cùm huic Animalium generi neceſſarium ſit in terra ſemper provolutum jacere, magnâ Naturæ providentiâ, hujuſmodi armatura eorum tutelæ & incolumitati proſpectum eſt, adeo ingenioſè excogitata, & affabrè facta, ut quamvis totum corpus undique integat, frequentibus tamen juncturis motus omnes admittat, in quem etiam finem ſpinæ dorſi vertebræ mirabiliter conformatæ videntur; pilâ quadam ſeu globulo in inferiore extremo vertebræ cujuſque ſuperioris detornato cavitatem ei excipiendo in ſuperiore parte inferioris vertebræ paratam ingrediente, quemadmodum caput oſſis femoris oſſis iſchii acetabulum; quo fit ut quaquaverſum in omnem partem flecti & circumvolvi poſſit.

In dorſum reſupinatum & fixum aperui, & obſervavi tendines muſculorum abdominalium lineam in medio ſquamarum ventris efficere, ubi ſimiliter vas ſanguineum amplum decurrebat, à vena cava exortum verſus imam hepatis partem. Verùm nè minutias ſectari videar, ad viſcera examinanda progredior.

Aſpera Arteria ſingularis ſtructuræ & ab aliorum Animalium diverſæ erat. Cùm enim in illis cartilagines annulares vel integri circuli ſint, vel ſaltem membranis juncti, adeoque fiſtulam efforment aeri in branchias derivando, unde in minutas pulmonum veſiculas tranſmittitur; in hoc (quod ei cum Viperino genere commune eſt) Trachea quàmprimum thoracem ingreditur, pulmonibus occurrens, è cartilaginibus ſemiannularibus duntaxat conſtat, utraque extremitate pulmonum membranæ annexis, interna parte aperta aerem in pulmonum veſiculas abſque bronchiarum interventu tranſmittens, ut ex figura ſubnexa clarius apparet. Siquidem Arteriam dividendo in latitudinem ſeſqui digitalem eam facilè extendi obſervabam, cùm antequam pulmonibus occurreret cartilagines annulares eſſent: in longum viginti digitos extendebatur, propè cor & hepatis initium deſinens; & ad eam uſque pulmonum partem, quæ veſicam magnam conſtituit, pertingens. Tracheæ cartilagines propè ejus initium $\frac{3}{8}$ digiti erant, versùs finem $\frac{1}{4}$; per totam longitudinem depreſſæ & ad planum inclinantes, non perinde diſcretæ, & à ſe invicem diviſæ, ut in aliis Animalibus, ſed ramulis emiſſis in mutuo incurrentes & conjunctæ.

Tracheæ uſus evidens eſt, nimirum ad aerem in pulmones derivandum. Pulmones autem quanti uſus & pretii organum ſint, Natura ex mirabili eorum conformatione & amplitudine oſtendere velle videtur. A gutture incipiunt, & ad tres pedes in longum deſcendunt. Superior eorum pars in anteriore corporis regione, per pedis unius longitudinem ad cor uſque extenſa, ad modum pulmonis Ranini è veſiculis ſeu cellulis exiguis in hoc Animali compoſita erat, ubi ob frequentes & velut reticulatas vaſorum ſanguineorum ramificationes colore rubro florido tincta apparebat, ab initio pro corporis modo augeſcens; ejuſque modicè inflatæ

infima

infima pars propè cor 5½ digit. in ambitu habuit. Paulò inferius poſt 4. digitorum ſpatium cellulæ ſenſim evaneſcebant, ut tandem reticularem tantùm compagem valvularum conniventium, ad membranæ pulmones ſuccingentis interiorem ſuperficiem efformare viderentur. Hujus partis ubi maxima craſſities, ambitus 6½ circiter digitorum erat. Succedit veſica ſimplex, ampla, abſque ullis intus cellulis, in quam pulmones terminantur, tenui pellucidâ, validâ tamen, membranâ conſtans, cujus modicè inflatæ ambitus 8½ erat digitorum.

Salamandræ aquaticæ, aliorumque nonnullorum Animalium Pulmones duæ tantum amplæ veſicæ ſunt: in Rana, Crocodilo, *&c.* lobi gemini grandes, veſiculis ſeu cellulis membranaceis repleti. Verùm Anguis noſter crotalophorus, & congeneres omnes Pulmonem habent ſimplicem, nec in lobos diviſum, qui tamen prædictas duas differentias complectitur, ſiquidem anterior ejus pars numeroſas veſiculas continet, poſterior unicâ ſimplici peramplâ veſicâ conſtat.

In Teſtudine terreſtri Pulmo in duos dividitur lobos, hinc inde unum, verùm hi in alios plures ſubdividuntur ſecundùm interſtitia coſtarum teſtæ affixarum, & in ventre ſeu inferiore potiſſimùm corporis regione ſiti ſunt. Sed quod præcipuè animadverſum velim, ubi bronchiæ ſubdiviſiones has primò ingrediuntur, pulmo reticularis eſt, dein ampla cavitas ſeu veſica efformatur [in ſingulis.] Ut in his Animalibus, in quibus reſpirationis nixus minus frequens eſt, Natura huic tam neceſſario vitæ pabulo recondendo ſatis capacem paraverit apothecam in hiſce amplis veſicis, unde prout res exigit, pro uſibus Animalis depromi & diſpenſari poſſit. *Teſtudo* enim, *Vipera* aliique Serpentes, *Ranæ, Bufones*, &c. quæ magnam anni partem dormiunt, antequam ad quietem ſe componunt, uti cibi quantum ſufficiat ad expenſas hybernas ingerunt, ita & aeris fortaſſe, cujus ad vitam continuandam magis conſtans & aſſiduus uſus eſt, theſaurum in pulmonum cellulis & veſicis reponunt. Cùm etenim profundo ſopore oppreſſi, torpidi & velut mortui jacent, meritò dubitatur an partium aeri inſpirando deſtinatarum ullum omnino uſum habeant, cumque motus vitales adeò languidi ſint ut vix poſſint percipi, minimumque ſit quod abſumitur, quidni penus iſte in hyemem ſufficiat? Sic Salamandra aquatica, quæ ſub aquis degit, pro pulmonibus, ut diximus, duas habet amplas veſicas, ob hanc, ut videtur rationem, nè ad aerem inſpirandum in ſummas aquas ſæpius aſcendere cogatur.

In Vipera à me nuper diſſecta, quæ aliquot dies poſtquam pellis detracta, & pleraque viſcera exempta fuere, ſupervixit; pulmones per totum hoc tempus, non ut in inſpiratione & exſpiratione viciſſim crebro intumeſcere & detumeſcere obſervavi, verum perpetuo acre æqualiter extendi: ſed quamprimum Animal moriebatur aere exſpirato concidebant & detumeſcebant illico: Ventriculus tamen tunc temporis omnino vacuus & exhauſtus erat, prout & aliquandiu antea fuiſſe minimè dubito; quemadmodum & Viperæ qua de agimus, quæ per 4. minimum menſes nihil prorſus comederat: adeò ut quamvis ſine cibo tamdiu vivere poſſint hæc Animalia; Natura tamen ſummopere provida, nè pabuli aetei jugiter neceſſarii ſupplementum deſit, ei excipiendo & reſervando perampla repoſitoria paravit. Sic Ephemeron inſectum, *Bombyx* aliæque nonnullæ Papiliones, quamvis quandiu in eo ſtatu ſunt, cibum non capiunt, bronchias tamen ſeu Pulmonum veſiculas ſatis amplas & numeroſas obtinent, ac ſi ſolæ ad vitam ſuſtentandam ſufficerent, quibus oleo aliave materia pingui obſtructis & occluſis, illico ſuffocantur & convulſæ moriuntur.

Pergo jam ad partes cibo excipiendo & concoquendo deſtinatas: Et primò occurrit *Oeſophagus* ſeu *Gula*, ei in ventriculum derivando inſerviens: & revera in pleriſque aliis Animalibus hic ſolus hujus partis uſus eſſe videtur; verum in hoc genere Naturam ad aliud inſuper eum deſignaſſe ſuſpicor; nimirum ut Ventriculi vel Ventriculorum, ſi opus ſit, uſum præſtet. Nam cùm partem hanc flatu extenderem, duos tam amplos tumores ceu bulgas in eo obſervavi, ut ventriculus genuinus extenſionis tantæ non eſſet capax. Tota Oeſophagi longitudo duorum pedum & 3½ digitorum erat: Ventriculi propriè dicti 5. unc. Hic in eadem rectâ cum Oeſophago ſitus, eo craſſior erat, interna parte tunica notabili propria, ſubſtantia, colore & plicis à reliquis diſcretu facili, ultra interiorem gulæ ſuperficiem extante ut in Viperis, donata. A Pyloro ductus ad 1½ digit. anguſtabatur, deinde in Inteſtinum amplum dilatatus, ob rugas interioris tunicæ inter ſe contextas pulchram ſpeciem exhibuit. Inteſtinum hocce poſt paucas revolutiones in Rectum tandem reliqua parte anguſtius deſinebat. In ventriculo & Inteſtinis lumbricos teretes numeroſos obſervavi, cui morbo Viperæ etiam obnoxiæ ſunt. Tota longitudo canalis à gutture ad anum uſque unus & continuus ductus eſt, quamvis in variis Animalium ſpeciebus pro diverſo Naturæ ſcopo differat: In nullo magis ſimplicem & uniformem obſervavi quàm in piſce *Acus Marina* dicto, ubi Oeſophagi & Ventriculi diſtinctio nulla; verum ab ore ad anum anguſtus & ſimplex meatus, at neque valvulis ullis interceptus, producitur, verſus anum duntaxat paulò anguſtior redditus: in reliquis piſcibus Oeſophagus vel nullus, vel perbrevis cernitur. In aliis Animalibus non longus tantum eſt, ſed in nonnullis ob tumores ſeu extuberantias variis in locis varia ſortitur nomina, verbi gratia, in Avibus *Ingluviei*, in Quadrupedibus ruminantibus μεγάλης κοιλίας, &c. quæ quem uſum iis Animalibus præſtent, eundem aut ſimilem extumeſcentias prædictas Serpentibus præbere autumo, nimirum ad cibum quem ventriculus ob anguſtiam nondum commodè admittere aut capere poteſt, aliquantiſper continendum & reſervandum, quæ hoc genus Animalibus eò magis neceſſariæ videntur, quòd una tantùm Anni tempeſtate veſcantur.

Quandoquidem autem in cibo illo promiſcuo quo utuntur, quem integrum ſemper abſque maſticatione ulla aut comminutione deglutiunt, partes nonnullæ concoctioni ineptæ inveniantur, ideoque iterum rejiciendæ, gula autem prælonga ſit, eaque ratione actioni huic minus idonea, extumeſcentias haſce ingenioſa excogitavit natura, ut evacuanda quæ uno impetu difficulter egeri poſſunt inibi ſiſtantur aliquandiu & moram trahant, donec redintegratis viribus vomitiva facultas inſurgens, altero tertiove conatu ea prorſus ejiciat & foras eliminet. Quin ſi verum ſit quod à nonnullis fidenter aſſeritur, nimirum quòd Serpentes plerique fœtus periclitantes in os excipiant, diverticula hæc commodum iis hoſpitium ſeu Aſylum præbent. *Ignoſcat mihi ingenioſiſſimus & eruditiſſimus Deſcriptionis Auctor ſi in ſecundo quem aſſignat harum cavitatum uſu ei non conſentiam: nec enim mihi veriſimile videtur, quòd Serpens aut aliud quodvis Animal, à natura ita factum ſit, ut cibi deglutiti partem aliquam vomitu ſemper aut etiam frequenter rejicere debeat. Eſt enim vomitus motus extraordinarius & convulſivus, à morbo aliquo aut affectu præter naturam excitatus, eidemque ſublevando aut profligando deſtinatus, nec in ſtatu ſanitatis unquam contingens.*

Cibus

Cibus antequam in alimentum cedat comminuendus eſt, & in minutiſſimas particulas conterendus, quod quomodo perfici poſſit in Ventriculis hiſce membranaceis abſque corroſione non video. [*In ventriculis piſcium cibum deglutitum corrodi libenter concedo, & res ad oculum pateſcit: verùm ſerpentes ſuccum nutritium è rebus deglutitis aliâ ratione elicere cum Pariſienſibus Academicis ſentio, inviolato folliculo qui eum continet, nimirum quemadmodum liquores quidam medicamentorum vires quæ eis infunduntur imbibunt & exhauriunt; aut vinum & cereviſia ex uvis quibus affunduntur, imò ex carne ipſa ſuccum omnem alimentarium & ſpirituoſum exſugunt relictâ maſsâ exſuccâ & inſipida.*

Præcipuum quo hoc peragatur menſtruum, ut cum Chymicis loquar, liquorem illum eſſe exiſtimo qui glandularum ſalivalium ope à ſanguine ſecernitur. Hæ a. vel ad gutturis initium ſitæ ſunt, vel ad oſtium ventriculi ut in Avibus, vel in ipſo ventriculo, tunicam glanduloſam dictam efficientes, cujuſmodi Serpentis hujus interior ventriculi tunica eſſe videtur.

Cibus in ventriculo maceratus & comminutus in inteſtina exoneratur, quæ nè chylus unà cum fæcibus deſcendat & ejiciatur, plerunque reflexa, incorta aut convoluta ſunt, ut in hoc Animali, præpropero deſcenſu hoc modo vel etiam valvularum ope impedito, ut hac mora ſeparatio feliciùs procedat, fæceſque tandem ad nutriendum inutiles per *Rectum* ceu commodiſſimam ſentinam egerantur: quæ [fæces] cùm duriores ſunt, ut in hoc Serpente præ viperinis, inteſtinum ad actionem ſuam facilitandam muſculo validiore inſtruitur, ut & hic videtur.

Hinc totus ductus alimentalis in 4. plerunque partes officiorum reſpectu dividi poteſt. *Prima* eſt, quæ cibum devehit, *Oeſophagus*: *Secunda* quæ eundem concoquit aut corrodit, *Ventriculus*: *Tertia*, quæ chylum ſeu ſuccum nutritium perficit & diſtribuit, *Inteſtina*: Quarta quæ fæces evacuat, *Rectum*. Verùm *Hirudo* tota ventriculus eſt, & quod una vice devorat totius Animalculi pondus aliquoties ſuperat. Ventriculus ſanguine repletus & diſtentus integri corporis mole longe major eſt, imò aliquot vicibus eam excedi. Ventriculum dixi? in numero erravi: nón enim unus & ſimplex ventriculus eſt, ſed plures; cavitate interna membranis tranſverſis ceu diaphragmatis in plura velut conclavia ſeu cellas diviſis, quibus foramine in medio pertuſis cellulæ cum ſe invicem communicant. Quinetiam unaquæque cella utrinque protuberans in duos ſacculos ſeu ventriculos dividitur; ut omnium numerus (ſunt enim 10. vel 11. cellæ præter duas illas longas ad caudam uſque excurrentes) ad 22. ſaltem ſi non 24. aſcendat. *Rectum* inter divaricationes duorum extremorum ſacculorum anguſtum eſt & breve totius reſpectu.

Proximo in loco de *Corde* agemus, quod propè imam *Tracheæ* partem, ad dextrum ejus latus ſitum erat, & Pericardio cinctum: Longitudo ejus 1½ digit. figura compreſſa & plana potius quàm rotunda: unicum tantùm habuit ventriculum, valvulis parvis & carnoſis donatum, interna parte 4. aut 5. ſulcis tranſverſis diſtinctum. Auricula corde ipſo major erat. Cur *Dom. Charas* cordi Viperino duos tribueret ventriculos rationem non video: nam proculdubio in ventriculorum numero Serpentes omnes conveniunt. Ego multo libentiùs duplicem auriculam admitterem; unam ad ingreſſum *Venæ Cavæ*, cujus duo ſunt rami aſcendens unus, alter deſcendens; alterum ad exitum *Aortæ* ſeu Arteriæ magnæ, quæ in tres ramos dividitur, duos deſcendentes, unum aſcendentem.

Paulò infra *Cor* ſitum eſt *Hepar*, latiſſima parte unciam circiter latum: ex altero latere in lobos duos inæqualis longitudinis à *Vena Cava* dividi videbatur; ſiniſter duos plus minus digitos longus erat, dexter pedem integrum. Color totius ex brunneo ruber: uſus ad bilem à ſanguine ſeparandum. Cyſtis a. fellea, ut in aliis Serpentibus, poro bilario appenſa, & ad aliquam ab Hepate diſtantiam ſita, nullam aliam cum eo connexionem aut communionem habuit, quo *Sylvii* opinio de motu bilis refutatur. Erat a. cyſtis duos digitos longa, felle intus obſcure viridi; quod per tunicas tranſſudans partes adjacentes colore infecerat. Fellis Viperini ſapor guſtanti primò ſalſus, deinde γλυκύπικρος.

Ductus per quem cyſtis in inteſtinum ſe exonerat à ſumma ejus parte exoritur, indeque leniter diſcendens viſcus illud permeat, quod *Dom. Charas* pro Pancreate habet, Veteres Lienem faciunt, adeoque initium inteſtini jam dilatati ingreditur. In Viperis quidem color hujus partis, & ſitus inteſtino proximus *Charaſſi* conjecturæ (ut eam modeſtè vocat) favent: verùm in hoc Serpente color intenſius ruber, quali in nullo hactenus Animali Pancreas tinctum obſervavi, quin & figura non in latitudinem fuſa ſed contractior Veterum opinioni aſtipulantur. Magnitudo ei Fabæ majoris: Inteſtino a. circa initium ejus adhærebat; eamque mediam (ut diximus) porus bilarius perforabat.

Pinguedine hujus Serpentis, quam copioſam obtinet, ad dolorem iſchiadicum ſedandum lumbos perungunt Mexicenſes medici, aliaſque corporis partes doloris infeſtatas, ac diſcutiunt præter naturam tumores, referente Franciſco Hernandez in *Hiſtor. Nat. Mexic.* Membranam cui pinguedo adhæret in hoc & aliis Serpentibus pro *Omento* habeo, quod partes omnes inferiore ventre contentas ambiret, coſtis utrinque adnexa, ad *Rectum* uſque deſcendens, & ſacculum efformans qui partes hoc loco ſitas involvebat; verùm inferius ventrem verſus libera erat, lateribus non commiſſis. Ventrem inferiorem voco ad eum à reliquo trunco diſtinguendum; tota enim interior corporis cavitas continua eſt, nec ullo diaphragmate ſeu membrana tranſverſa intercepta.

Renes ad ſpinam dorſi utrinque ſiti, non tamen eſt firmiter adnexi 7. circiter unciarum erant: dexter ſiniſtro nonnihil longior, alteruter circa mediam unciam latus. Hi quamvis continuum corpus eſſe videntur, in plures tamen minores renes ſeu renulos manifeſtè poſſunt diſtingui [in altero ni malè memini 15. numeravi] ideò affabrè & curioſè exſtructos, eaque pulchritudine oculis adblandientes, ut deſcripturum verba deſtituant, quæ penecillus delineando aſſequi nequivit, tantùm abeſt ut ſculpturâ exprimi poſſint. Cùm primùm è corpore exempti eſſent non aliud quàm elegantiſſima vaſorum compages eſſe videbantur, ſanguiferis cum albis ſeu ſecretoriis variis intertextis. *Quæ ſequuntur cùm ad iconas referantur abſque earum intuitu intelligi nequeunt.* Verùm quod ad renum ſtructuram & ex renulis compoſitionem attinet non eſt ea huic Animali peculiaris, ſed *Urſo* aliiſque nonnullis Quadrupedibus *Phocænæ*, *Struthioni*, &c. communis; in quibus quot renuli ſunt, tot obſervari poſſunt Emulgentes, Ureteres, Pelves, partes corticales ſeu glanduloſæ, corpora papillaria è tubulis urinariis urinam in pelvem devehentibus compoſita. Notatu tamen dignum eſt, in Avibus, Piſcibus & Reptilibus renes plerunque longas eſſe, in aliis Animalibus contractiores, glanduloſis illis corporibus ex quibus componuntur conglomeratis, ſeu propius ſibi invicem admotis & arctius junctis. Sic Ren humanus quamvis uniuſmodi individua & ſim-

plex ſubſtantia eſſe videtur, revera tamen ex totidem partibus, & velut renulis componitur quot ſunt in eo corpora papillaria. Renum uſus eſt ad lixivialem & ſuperfluum ſerum à ſanguine ſecernendum & amandandum: quod ut ſeparetur quantum Animalis interſit, vel inde patet, quòd iis etiam quæ rarò aut unquam bibant, Natura renes contulit. Humor à renibus ſecretus ſi copioſus ſit per ureteres in veſicam defluit, ut ibi aliquandiu reſervetur, nè nimis frequens & importuna ejus evacuatio Animali moleſtiam crearet: quòd ſi minori quantitate ſeparetur, in cloacam juxta anum ſitam deponitur, ut una cum excrementis ſolidioribus evacuetur.

Ureteres in Serpente quem præ manibus habemus per totam pæne Renum longitudinem extendebantur, minoreſque ramos ad ſingulas glandulas tendentes obiter emittebant, ſeu potius ab iiſdem reverſas accipiebant, ſibique mutuò proximi in cloacam terminabantur, protuberantiam ibidem efficientes. Serpens enim crotalophorus Avium inſtar cloacam habet, quæ in Vipera fæmina tum ureteris, tum uteri utriuſque orificia admittit; aliquo modo etiam Inteſtini recti, quod tamen commodam quâ obtegitur valvam obtinet.

Propè *Cloacæ* marginem alia duo orificia obſervavimus, quæ cutis plicaturâ contegi videbantur: hæc autem ad folliculos, quos nobis *Odoriferos* appellare liceat, ducebant. *D. Charas* longè extra ſcopum jaculatur, cùm vaſa hæc Paraſtatas aut ſpermatis receptacula eſſe contendit, nec minùs illi quos refutat, qui Teſticulos ſecundarios ſeu ſuccenturiatos ea eſſe ſtatuunt, cùm in Viperis etiam fæminis reperiantur; quod ab utrumque errorem convincendum ſufficit, ut aliis argumentis non ſit opus. Horum alterum unciam circiter longum erat pennæ Anſerinæ craſſitudine, extremum versùs acuminatum, à colore liquoris quem continebat obſcurum; alterum paulò minus: liquor utriſque incluſus craſſiuſculus, odoris vehementis & valdè ingrati; cujuſmodi ſed remiſſiorem Animal ipſum ante diſſectionem emittebat.

Martialis Poeta hujus meminit, inque fœtidorum catalogo penultimum ei locum tribuit, cùm ait

Quod Vulpis fuga, Viperæ cubile
Mallem quam quod oles olere, Baſſa.

Joannes etiam *Laetius* Serpentum quorundam in India Occidentali meminit qui quovis vulpe aut Putorio tetriùs olent.

Fœtores omnium graveolentium Animalium in folliculos hoſce colligi, ſeu liquoris iis contento inhærere dudum obſervavi, [& nos etiam unà cum *Dom. Wilughby* olim] qua de re plura in præſentiarum non addam, duntaxat adnotabo Angues noſtrates vulgares multò gravius olere quàm Viperas: Crocodilos etiam nonnullos validum, non tamen ingratum odorem de ſe ſpargere à quibuſdam peregrinatoribus nobis narratum eſt. Quod, ſiquidem verum ſit, quin eandem cauſam habeat minimè dubito. Quamvis a. liquor hic dum adhuc recens eſt, aut in magna quantitate naribus admotus ingrati & odioſi odoris ſit; exſiccatus tamen & in minore proportione adhibitus gratior & jucundior fortaſſe evadet. Sic liquor verbi gratia, Muſtelinis folliculis exemptus, ad exſiccandum in charta extenſus & aliquandiu repoſitus nobis olfacientibus non injucundum, ſed potiùs e contrario gratum exſpiravit odorem in Leone à me diſſecto liquor folliculis contentus unanimi omnium qui illum odorabantur conſenſu Oleum Aniſi aut Fœniculi dulcis plurimum referebat, quæ præcipua & ferè ſola erat differentia quam inter Leonem & Felem obſervare potui: in Fele etenim liquor hic peſſime olet.

Pergo jam ad Organa generationi inſervientia, & ab iis in quibus ſemen elaboratur, nimirum Teſtibus, initium ſumam. Hi longitudine admodum inæquales ſunt: Dexter enim $2\frac{1}{4}$ dig. longus erat, ſiniſter $1\frac{1}{4}$ unc. non excedebat, ambitu ſeu craſſitie pennæ Anſerinæ. De longitudinis proportione idem in Viperis obſervavit *Dom. Charas*, in quibus etiam nobis obſervantibus fæminæ ovaria longitudine tantundem differunt, hoc illo duplo majore Teſtium, color ut in aliis Animalibus, eorumque ſubſtantia interior alba. In vaſis *præparantibus* nihil ſingulare occurrebat; verùm *Deferentia* dicta inſigni differentia ab aliorum norma abludebant; quamvis enim à teſtibus ad penem rectâ propemodum lineâ decurrerent, nec corpus valdè amplum efficerent, ductus tamen ipſe ſeu canalis qui ſperma devehebat toties revolutus & huc illuc reflexus erat, ut ſi explicaretur & in rectum extenderetur plus duplo longior eſſet, unde corpus illud à teſte ad penem productum nihil aliud eſſe quàm *Epididymidem* quandam aut *Epididymi* analogum mihi ſubiit imaginari. *Teſtis* enim congeries quædam eſſe videtur vaſorum curioſè convolutorum, quæ in *Epididymidem* terminantur; *Epididymis* a. in vas *deferens* deſinit; nec aliter inter ſe differunt Vas *deferens* & *Epididymis*, quàm quòd hæc ſit Ductus ſpermaticus ſupra corpus ipſius teſtis multipliciter reflexus & convolutus, illud idem ductus ſimplex & rectà extenſus abſque ulla reflexione. In hoc a. Animali aliiſque Serpentibus, in quibus ductus ſeu canalis ſpermaticus ſupra teſtem ipſum, in tot gyros & mæandros non reflectitur, ut *Epididymidem* notabilem conſtituat, per totum decurſum à teſte ad penem uſque ubique intortus & veluti criſpus, & circa medios renes ſæpiùs convolutus videtur.

Vaſa deferentia in Vipera à me poſtea diſſecta (nam in hoc Serpente clarè ob partium exſiccationem diſcernere non potui) ſimplicia & indiviſa ſecundùm penem procedere quoad is ſimplex eſſet comperi, deinde ad ejus diviſionem dividi, & ad utriuſque rami ſeu penis diviſi finem extendi; neque ullæ veſiculæ ſeminales aut proſtatæ quæ ea exciperent comparebant. Penes hi valdè notabiles erant non tantùm ob ſtructuram ſuam, ſed etiam ob numerum. Quatuor enim in univerſum, hinc inde duo intra corpus reducti, & velut in vaginas reconditi latitabant, ut primo aſpectu non facilè poſſent diſcerni, ſed ampla duntaxat Orificia per quæ retracti erant muſculorum ope, quemadmodum Chirothecæ digitus filo extremitati ejus adnexo. Verùm ſtylo immiſſo protruſi eâ figurâ quam in Schemate appoſito repræſentavimus apparebant. Obſervavi inſuper quod propè baſin ſeu radicem ſimplices utrinque eſſent, & ſpinulis crebris acutiſſimis mucronibus retrorſum ſpectantibus obſiti; ſubſtantia, præſertim cùm exſiccarentur echinorum aculeis ſimili. Hinc divaricati duo corpora teretia pennæ Anſerinæ minoris magnitudine efformabant $\frac{3}{4}$ circiter digiti partem longa, colore rubente; totum autem cùm jam protruderentur digitum longitudine ſuperabant. Protruſos facilè retrahi poſſe obſervavi ope muſculorum majorum iis affixorum, ſub cauda decurrentium tandemque ejus extremitati inſertorum ad primam Crepitaculi ſquamam. Horum uſus experimento facto adeò evidens erat, ut dubitandi locus non eſſet reliquus; atque idcirco Retractores penum eos appellabimus. *Dom. Charas* muſculos hoſce pro mentulis habere videtur, minùs rectè, ab *Angelo Abbatio*, *Ulyſſe Aldrovando*, aliiſque qui in eodem errore

verſan-

verſantur; fortè ſeductus. Nec rectius ſentiunt qui ex altera parte penes ſimplices & individuos faciunt, ſpinulis crebris pellis Erinacei inſtar undeque obſitos, cum pars hæc in Vipera tam vulgari quàm caudiſona in ramos dividatur; & bina ſatis craſſa & rotunda corpora, ſeu binos diſtinctos penes conſtituat: quod & *Baldo*, ſeu potiùs *Camentio*, qui pro eo diſſectionem adminiſtravit, ſuboluiſſe videtur, cùm dicat, *Quando turgidi ſunt, aut extra violenter emittuntur, uti ſæpe apud Paulum vidimus, Penes hanc formam referre Y, aſpectu aſpero ut Erinaceus:* Nam in Viperis ad extremum uſque hiſpidi ſunt, non tamen in hoc Serpente, ut ex utriuſque iconibus clarè apparet.

Multa Animalium genera penes omnino nullos habent, ſed vaſa deferentia tantum ut Piſces plerique. Quadrupeda, quantum noverim, omnia unicum & ſimplicem obtinent, ut & Aves nonnullæ: aliæ ſiquos habere dici poſſunt, binos, at perbreves: *Cancri, Aſtaci, Locuſtæ* binos eoſque longos, utrinque unum. *Lumbrici terreſtres, Hirundines, Cochleæ terreſtres* Hermaphroditi ſunt, & perfectis utriuſque ſexus organis donantur. Ex omnibus in quibus ſexus ſubjectis ſeu individuis diſcreti ſunt, mihi ſaltem hactenus cognitis, Viperarum familia hæc generationis Organa numeroſiſſima habet. At cur mas in hoc genere 4. obtineret penes, cùm fæmina iis excipiendis duos tantum uteros ſortita ſit, non ita facile eſt divinari. Præ aliis conjecturis, quæ cogitanti plurimæ occurrebant, ea potiſſimùm arriſit, quæ penem utrinque duplicem ſeu bifurcum his à natura indultum ſupponit., ut poſt uteri ingreſſum penes ſe divaricando in Y Pythagoricæ formam, firmius ibidem hæreant uſque dum officium ſuum præſtiterint. Atque hic etiam inter alios præcipuus eſſe videtur ſetarum ſeu aculeorum quos diximus ad penis radicem retrorſum ſpectantium uſus, ad prohibendum ſci. nè Penes uterum ſemel ingreſſi iterum elabi aut expelli poſſint; donec ſemine evacuato partes longa contentione delaſſatæ flacceſcant & concidant, adeoque exitum facilem inveniant. In Animalibus enim quæ veſiculis ſeminalibus carent coitus longus ſit oportet, ut ſperma, cum copiosè nequeat ſubminiſtrari à teſtibus, ſenſim derivetur, & in uterum paulatim diſtillet. At in iis quibus in veſiculis ſeminalibus jam antè reconditum, ſemper præſto eſt, coitus citò abſolvitur. Cum enim (ut dixi) vel ſpermatis præparatio expectanda eſt, vel ſaltem tardus ejus in penem deſcenſus moram poſtulat, coitui donec perficiatur producendo ſolicita proſpexit Natura. Sic in Canibus qui veſiculas ſeminales non habent, prope radicem oſſei penis corpus amplum creavit, è cellulis & vaſculis plurimis compoſitum, quod ſanguine & ſpiritibus, coitus tempore, cum impetu copiosè irruentibus adeò extenditur & intumeſcit, ut penem firmet & detineat, nec elabi permittat, donec impetu languente & ſpermate evacuato pars illa ſubſidat & & contrahatur. Sic *Lumpus* piſcis dictus corpus quoddam pectori adnaſcens obtinet, latum & ſubrotundum, affabrè effectum, Hirundinis caudæ aut Polypi acetabulo ſimile, cujus ope fæminæ adhærere potis eſt, & quamvis penis admodum brevis ſit, coitum hoc modo perficere, *Pars hæc nihil aliud eſt quàm pinnæ ventrales in unum coaleſcentes: ejuſque uſus nobis eſſe videtur, ut Piſcis, Saxatilis cùm ſit, rupibus & ſaxis ſe affigat, nè æſtu maris & fluctuum agitatione iis vehementiùs allidatur & violetur: At nec huic ſpeciei proprius eſt hujuſmodi pinnarum ventralium in unum velut infundibulum coalitus, ſed gobionibus marinis communis, quos Cornubienſes Rock fiſh, vocant, quia ſci. hujus pinnæ ope rupibus marinis firmiter adhæreſcunt.*

Feles, Leones, &c. cùm eorum penes perbreves ſint, ut fæminas inter coeundum retineant dentibus & unguibus uti coguntur. Hinc querelæ illæ, clamores, & horrendæ quas edunt ejulationes, à morſuum & ſcalpturarum ſci. dolore oriuntur; non ut falsò creditum eſt à ſeminis immiſſi fervore.

Quocirca in Serpente pariter noſtro (in quo, ut obſervavimus, veſiculæ ſeminales nullæ, vas a. deferens per totam longitudinem intortus & anfractuoſus, & ob utramque hanc cauſam coitus longior eſſe debet) hujuſmodi ſtructura & conformatio partium neceſſariò requiritur. Quamvis enim in hac actione beſtiæ corpora ſibi mutuò circumvolvant & implicent, quod ad hunc finem nonnihil confert; nexus tamen hic ſolus non ſufficit; partes enim nihilominus ob brevitatem ſuam & parvitatem leviſſima de cauſa vi nulla ferè adhibita elaberentur aut diſſilirent; quod nè fiat, divaricatio penium bifurca, & aculei ſeu ſetæ reflexo ſitu veluti tot unci diſpoſiti efficaciter prohibent. Quinetiam vaſa deferentia penes comitantia pariterque divaricata, & ad extremos omnium fines producta hunc eorum uſum eſſe arguunt. Ut ac fæmina à ſpinarum injuriis indemnis ſit, natura eam uteri partem quam ingrediuntur robuſtam & cartilagineam effecit, ut in Vipera obſervavimus. Nè mas etiam ab immoderata & nimia harum partium extenſione injuriam aliquam patiatur, muſculi illi robuſti qui genitalibus retrahendis inſerviunt, eadem corroborando prohibet. Conſiderandum inſuper, An non cùm Animalia hæc natura adeo frigida & ad Venerem tarda ſint, aculei hi veluti totidem calcaria iis incitandis & irritandis aliquid conferant.

Tranſeamus jam à partibus hiſce quibus ſibimet proſunt Serpentes, genus ſuum multiplicando, ad eas quibus aliis Animalibus nocent, eorum numerum minuendo, nimirùm Dentes venenoſos.

Primùm tamen de reliquis oris partibus, nimirum *Lingua, Larynge*, & Dentibus minoribus nonnulla adnotabo. In genere autem liceat mihi præmittere, Caput valdè parvum fuiſſe, rictum tamen ampliſſimum; cujus rei poſtea rationem reddam cùm de oſſibus verba faciam.

Lingua Viperinæ adeò per omnia ſimilis erat, ut hujus deſcriptio pro illius ſufficiat. E duobus longis & rotundis corporibus componebatur, ſibi mutuò contiguis & conjunctis à radice ad duas tertias longitudinis partes, quæ Serpentes magna velocitate evibrare iterumque retrahere poſſunt. Pars illa quæ foras apparuit nigro colore tincta fuit, quæ intus reducta & tanquam in vagina recondita latebat, rubro. Erat enim infra guttur fixa, & abinde ad locum uſque ubi exit propè finem laryngis vagina tecta; & ad faciliorem expeditioremque ejus ejaculationem inferior etiam maxilla hîc diviſa erat, ſpatio intermedio notabili relicto. Si enim ut in aliis Animalibus maxillæ crura conjuncta eſſent, & dentibus conſiti, hi linguam inter evibrandum lædere & vulnerare apti forent, aut ſaltem ipſa uſui illi cui à natura deſignatur minùs idonea redderetur; quem ego cum *D. Charas* eſſe ſuſpicor ad muſcas aliaque animalcula, quibus veſci amant Serpentes, capienda.

Supra linguam Larynx ſita, non tanta Cartilaginum varietate conſtructa eſt quanta aliorum fere Animalium eſſe ſolent; ſed quæ ſufficiant ad rimam aeri admittendo ſeu derivando idoneam efficiendam. *Epiglottis* ad impediendum nè fortè aliena corpora in tracheam illabantur, nulla; cùm huic incommodo arcta rimæ laterum commiſſura ſatis cautum eſſet. Aer autem per rimam tranſiens abſque aliis partibus ei modulando aptatis ejuſmodi ſono ſeu voci, quem ab iis editum ſentimus, ſibilo nimirum, creando ſufficit.

Dentes duorum ſunt generum: 1. *Minores*, in utraque maxillâ diſpoſiti, qui cibo corripiendo retinendoque inſerviunt. 2. *Majores* ſeu longiores, noxii & venenoſi, qui captum occidunt; in ſuperiore tantùm maxillâ ſiti. Omnes a. canini, ſeu apprehenſores ſunt. Cùm enim cibum non manducent aut comminuant Serpentes, ſed integrum deglutiant, molaribus eis non erat opus.

Prioris generis Dentium ordines in inferiore maxilla utrinque duo, & in utrolibet 5. ut in univerſum 20. ... riores a. exterioribus minores. In ſuperiore maxilla 16. tantum habentur, 5. utrinque retro, & ſex ante. Hi nullam inferunt noxam, quod Agyrtis (ut notat Cæſalpinus aliiſque) olim cognitum qui ut Antidotorum ſuorum vim experimento comprobarent, ſe à Viperis morderi permittere ſolebant, quibus tamen dentes caninos & nocivos priùs eximi curabant.

Dentes noxii extra mandibulas ſuperiores ſiti ſunt, verſus anteriorem oris partem, non maxillis infixi ut reliqui. Duo extimi & ampliſſimi oſſi cuidam affixi erant, quod (ſi detur ejuſmodi in hoc Animali) Os petroſum ſeu Auris cenſeri poſſit. Reliquos hujus generis dentes oſſi alicui affixos eſſe obſervari non potui, ſed muſculis ſeu tendinibus ibidem diſpoſitis. Dentes hi ore quamvis aperto non potuere diſcerni, cùm ſub membrana valida ceu vagina reclinati latitarent, non ita tamen ut protuberantiam quandam inſignem ad exterius latus minorum maxillæ dentium efficerent. Verùm Serpens cùm adhuc in vivis eſſet, eoſdem pro libitu ad vulnerandum erigere potuit, non ſecus ac Felis aut Leo ungues. Dentes hi adunci erant; & Babirouſſæ dentium modo inflexi ſeu arcuati. Nonnullæ è minoribus ad rectos angulos inflectebantur. Omnium figura & magnitudo ex iconibus quas eorum exhibuimus optimè intelligi poſſunt. In omnibus hiſce dentibus, præſertim majoribus, foramen ſatis amplum prope radicem obſervavimus, & propè mucronem fiſſuram longiuſculam clarè conſpicuam, calami Scriptorii crenæ inſtar ſectam. Pars autem Dentis à fiſſura ad radicem manifeſtè concava erat; quod gingivam digito leniter premendo primùm comperimus, tum enim venenum per cavum dentis promptè aſcendere & è fiſſura effluere conſpeximus. Hoc multis vicibus experti ſumus; experimentiſque repetendis, & dentium hujus generis omnium inquiſitioni diutiùs immorandi tantum temporis conſumpſimus, ut folliculos venenoſum liquorem continentes, & glandulas eum ſeparantes antequam exſiccarentur inquirere & examinare non potuimus. Verùm noſter hac in re defectus ex iis quæ *D. Redi* & *D. Charas* de partibus hiſce in Vipera ſcripſerunt facilè ſuppleri poteſt: nec enim hoc reſpectu differentiam quæ alicujus ſit momenti inter has duas ſpecies intercedere exiſtimo. Liquorem venenoſum aquei coloris eſſe obſervavi, flavo leviter tincti (in nonnullis Serpentibus fortè ſaturatiùs) quod puto ineptæ illi opinioni imaginantium eum à cyſti fellea mediantibus quibuſdam minutiſſimis ductibus ad dentes derivari anſam ... ἀφορμὴν miniſtravit. Revera nulla ferè res in Philoſophia pluribus controverſiis vexata eſt quàm Viperarum venenum, in quo conſiſtat, quid ſit, quomodo operetur & diros ſuos effectus producat. Severinus in Vipera Pythia ſatis amplam earum enumerationem & prolixum Catalogum exhibet, ad quem curioſum Lectorem remitto. Inprimis a. celebris eſt controverſia, quæ non ità pridem inter D. *Redi* nobilem Italum, & D *Charas* Gallum agitata eſt. D. *Redi* affirmat Venenum aliud in Viperis non dari quam liquorem illum flavum, qui palatum humectat, & in vaginis dentes operientibus reſtagnet. Quod liquor iſte ore tenus aſſumptus, & in Ventriculum deglutitus venenoſus non eſt: verùm vulneribus à Viperâ dum adhuc vivit factis, iiſve quæ vel multis poſtquam mortua eſt diebus infligere cogitur, inſtillatus diras tragœdias excitat, & funeſta Symptomata inducit. Quod demmet liquor tam è Vipera mortua quàm è viva exemptus ſi vulneri Animali inflicto immittatur & ſanguini commiſceatur, ſemper venenoſus & noxius eſt, etiam exſiccatus & in pulverem redactus: Quod omnis generis Animalia, quorum vulneribus inſtillatus fuerit enecet & exanimet.

D.Charas huic opinioni ſe ſtrenuè opponit, & aſſerit Venenum Viperinum ſolis ſpiritibus irritatis & excandeſcentibus inhærere; liquorem a. ſeu ſuccum illum flavum tam Viperæ vivæ atque etiam irritatæ, quàm recens aut etiam pridem mortuæ nihil omnino in ſe veneni aut noxii continere: ſiquidem guſtu exploratus & deglutitus nec homini, nec Animalibus ullum inferat damnum, imò quod nec Serpentis ipſius morſu, nec inciſionibus in carnem factis inſtillatus, iiſque optime affrictus, adeoque ſanguini immiſtus, ullam omnino noxam exhibet, nec Animal ullum perimit aut lædit, ſed mera & innocens eſt ſaliva.

Pro confirmatione opinionis ſuæ uterque ad experimenta ſe facta provocat, quæ cùm ſatis nota ſunt hîc non repetam, neque controverſiæ me immiſcebo. Duntaxit addam, Quòd cum *D. Charas* liquorem hunc meram ſalivam faciat, affirmetque quòd inſerviat non tantum ligamentis humectandis ut facilius dentes moveant & inflectant, verum etiam ad dentes ipſos alendos & inſtaurandos, minus rectè ſentire, & à ſcopo aberrare videtur; ſiquidem alius ſalivæ in Animalibus uſus eſt, aliud in corporis œconomia officium; nec dentibus nutriendis ullatenus idonea videtur: imò ipſorum dentium in hoc Animali ſtructura *D. Redi* opinioni favet & patrocinatur. Cùm enim (ut diximus) concavi ſint, & prope extremum fiſſuram amplam obtineant, eoſque ſuccus hic adeò promptè & q. naturaliter permeet, hæc mihi arguere videntur, naturam ad alios eum uſus quàm nutritionem deſtinaſſe, aliàs enim tam expeditum tranſitum & largum ei quà effluat orificium parando fine ſuo excideret & fruſtraretur. His adde, cùm Dentes adeò acuti ſint, ac prope mucrones firmi & ſolidi, fiſſura etiam externa ſeu convexa parte non interna exarata, quid convenientius potuit excogitari tum ad vulnus infligendum, tum ad venenum infundendum? Si enim fiſſura interiùs ſita fuiſſet, Animalis commorſi ſe ſubducentis lucta obturari & occludi periclitaretur, & veneni deſcenſus & influxus impediri: verùm hujuſmodi conformatio ejus infuſioni plurimum conducit. Sic *Scorpius*, *Apis*, *Formica* imò *Urtica* aculeus cum cutem compungunt, liquoris virulenti guttulam in vulnere relinquunt, quæ horrenda illa ſymptomata inducit, abſque qua ſi eſſet, vulnus nullius momenti foret. Nam *Franciſc. Hernandez caninis hujus Serpentis in uſus medicos ſervatis Mexicanos medicos collum cervicemque doloris capitis placandi causâ compungere ſcribit.* Verùm, ut credere fas eſt, prius diligenter emundatis, & à veneno probè repurgatis; quòd aliàs, ut conjicio, multo potius quàm ſpirituum excandeſcentia, nè dolores illos horrendos excitaret, periculum eſſet. At neque in Urtica ulla omnino ſpirituũ irritatio aut furor concedi aut intelligi poteſt, quæ tamen non impunè tractatur, verũ tangentis manũ pungens tumores excitat, & dolores creat, quamvis non adeò fatales & periculoſos ac alia venena. Ignoſcat a. mihi *D.Charas*, ſi de innocentia hujus liquoris nondum planè perſuaſus ab ejus ſententia abhorream. Ego ſanè in corpore meo, ejus ſanguini infuſi vim & effectum nollem experiri, nec aliis ut experiantur Autor eſſe velim. Non leve momentum ad me in contraria ſententia confirmandum contulit,

quod

quod mihi nuper ab Amico quodam homine intelligente & multiſcio narratum eſt. Nimirum cùm in Indiis eſſet Indigenam quendam, ad ſe & familiares aliquot qui unà erant ingreſſum varia Serpentum genera ſecum attuliſſe, ut experimenta aliqua de eorundem differentiis, veneni reſpectu, præſentibus oſtenderet (quæ apud Indos vulgaris praxis eſt) Primùm ergo Serpente grandiore prolato illum innocuum eſſe aſſeruit, & ut dictis fidem faceret, ligaturà injecta ut vocant brachio proprio conſtricto, quemadmodum in Venæſectione fieri ſolet, nudam cutem Serpenti, prius flagellato ut ad mordendum irritaretur, objecit: Sanguinem è vulneribus dentibus factis emanantem digitis collegit, & femori nudo impoſuit, donec dimidium circiter cochlearis nactus eſſet. Deinde alium exemit minorem, *Cobras di Capelo* dictum, deque veneni ejus vehementia pluribus egit, & ut experimento rem comprobaret: cervice Serpentis arctè conſtricta, liquoris in folliculis maxillaribus contenti circa dimidium (quantum conjectabantur ſpectatores) granum expreſſit, & ſanguini coagulato ſupra femur impoſuit, cui quamprimum admiſceretur miram illico ebullitionem & effervescentiam excitavit fermenti modo agens; illumque in liquorem flavum immutavit; quod ab aliis etiam obſervatum novimus, quodque ad modum quo venenum iſthoc operatur diſcernendum lucem aliquam fœneratur; & celebrem illam obſervationem confirmat, nimirum Viperæ morſum icterum inferre. Antidotum hujus veneni & remedium præſentaneum cenſetur lapis ille Serpentinus *la Pierre de Cobras di Capelo* Luſitanis dictus, & per totam Indiam famoſiſſimus, *Garcia ab Horto, Kirchero*, aliiſque deſcriptus, ſpeciatim a. & diligentiſſimè *D. Redi*, qui Relationes illas quas habemus, de inſigni illius virtute & efficacia valdè ſuſpectas reddit. Nam in multis quæ cum eo fecit experimentis nullum unquam proſperum ſucceſſum ſortitus eſt: & quamvis *Kirchero* in cane experienti, & *Carolo Magnini* Romæ in homine, aliter evenit; ambo enim evaſerunt: D. tamen *Redi* ſucceſſus hoſce naturæ potiùs quàm lapidis viribus imputat, quæ debili veneni vi ſtrenuè obniti eamque vincere potuit. Et revera *Hippocr.* illud effatum, Ἡ δὲ πεῖρα σφαλερή. Veriſſimum eſſe fatendum eſt; nec quicquam frequentiùs accidit quàm ut Elencho non cauſæ pro cauſa nobiſmetipſis imponamus. Quod ſemper ſuccedat non minùs denegandum puto quàm quòd ſemper fallat. Nam quòd aliquando effectum promiſſum ſortiatur, exempla nonnulla ægrotorum hîc in Anglia qui ex ejus uſu levamen ſenſerunt fidem nobis faciunt. Narratum eſt mihi à celebri medico *Londinenſi*, quòd hominis cujuſdam prope iſtam urbem à Vipera commorſi manus & brachium ſubitò intumuerint cum ingenti dolore; quodque lapide applicito unius noctis ſpatio remiſerit dolor, & reſederit tumor, ægerque ſe valere exiſtimans lapidem amovit firmiter adhuc adhærentem; verùm non ità multo poſt prioribus ſymptomatis cum ferocia redeuntibus & dolore recrudeſcente, ad Antidotum tanquam ſacram Anchoram iterum confugere coactus eſt, lapidemque tandiu loco affecto adhærere permiſit donec ſponte decideret, adeoque integrè ſanatus eſt. Alterum commemorabo experimentum quod egomet ipſe feci, in ægra quadam dolore podagrico in ventriculo laborante. Materia enim morbifica medicamentorum ope inde amota, digitum pedis invaſit, cumque ægra doloris eſſet impatiens, nè nihil agere viderer, & ad impediendum, nè multitudine medicamentorum, quæ inviſentium turba aſſidue ſuggerebat, uteretur, adeoque humorem iterum ad ventriculum repelleret, Lapis hic commodum in mentem venit. Eum ergo in manu tenens, abſque eo quod quicquam ægræ dicerem, articulo illi ubi dolor maximè ſæviebat propius admovi; cumque loco proximus eſſet, ſenſi eum è manu mea elabi, & parti laboranti promptè adhærere. Brevi fæmina mihi confeſſa eſt, ſe clarè ſenſiſſe attractionem quandam validam & veluti defluxum ſecundùm crus & femur totum, doloremque illico mitigatum agnovit. In tumoribus peſtilentialibus utilem eſſe poſſe veriſimile eſt. *Caterum Lapis hic res eſt factitia.*

Verùm nimis longè ab argumento, nimirum Anguis crotalophori Anatome digreſſus ſum; progredior jam ad Sceleti deſcriptionem, quam ut præcedentem prolixitatem brevitate ſequenti compenſem, paucis abſolvam.

Et primùm, quod ad capitis oſſa attinet, Cranium hîc integrum eſſe obſervavi abſque ſuturis, ut in iconibus repræſentatur; excepto duntaxat, quòd alia quædam oſſa ei adjuncta ſeu commiſſa eſſent, quemadmodum antrorſum ſupra nares oſſicula duo, quibus affixæ fuere Cartilagines ſeu potiùs oſſicula nares dividentia. Oſſa capitis reliqua pro ingenti extenſione & diductione maxillarum mirabiliter conformata videbantur, magna Naturæ ſolertia. Cùm enim omnia quæ ei in alimentum cedunt integra deglutienda ſint, ut antea diximus, caput a. parvum ſit, abſque artificioſiſſimo hoc mechaniſmo illud ut fieret omnino impoſſibile eſſet. Maxilla ſuperior interiùs oſſi illi adnectebatur quod dentem venenoſum excipit, quodque amplam in ſe cavitatem habet foras apertam, quam initio ut dixi, pro Auris foramine habui, verùm interiùs nullam nervo admittendo perforationem invenire potui, niſi fortè ſub oſſe quod illud cranio connectit aliqua delituerit. Articulatio hæc tum Canini dentis, qui nunc erigitur, nunc deprimitur, tum maxillæ ipſius motui comparata videtur. Verum quod præcipuè conducit, & maximum Animali momentum confert ad corpora magna deglutienda, curioſa illa eſt maxillarum retrorſum cum cranio articulatio duorum oſſium interventu, quæ ob uſum hunc (cùm non aliud quo diſtinguantur nomen novimus) *maxillarum dilatatores* dicemus. Horum figura, magnitudo, & ad motum hunc obeundum aptitudo ex figuræ intuitu ad oculum pateſcet, & facilè concipi poterit. Inferioris enim maxillæ oſſa ſeu crura cùm ad mentum conjuncta non ſint, ſed notabili intervallo à ſe mutuo diſtent, cum corpus ſeu oſſa magna deglutienda venit, quemadmodum membrana cui affixa ſunt facilè extenditur, ità (muſculi Capitis) oſſa duo prædicta elevando, & in rectum ferè dirigendo rictum oris inſigniter dilatent neceſſe eſt. Hac etiam de cauſa bina facta ſunt, non unicum & ſimplex os, ad motum ſcilicet hunc faciliùs peragendum. Articulatio iſthæc *Dilatatorum* dictorum cum ſuperiore & inferiore maxilla perquam artificioſa protuberantias illas efficit, ob quas caput barbatæ ſagittæ cuſpidi aſſimilavimus; ut & Poeta ob eandem fortè rationem non minùs quàm ob motus velocitatem.

Rumpat & Serpens iter inſtitutum,
Si per obliquum ſimilis ſagittæ
Terruit mannos.

Maxilla inferior utrinque è duobus oſſibus componebatur; ut in icone apparet, verùm firmiter connexis. Os anterius dentibus minoribus excipiendis inſervit, poſterius verſus articulationem dilatatur, ut & ſuperioris maxillæ pars ei hoc in loco oppoſita. Verùm ſuperior maxilla prope dentem exertum venenoſum in duo oſſa dividebatur, altero oſſi illi cui dens caninus inſeritur affixo; altero, quod dentes minores excipit, eidem interiùs commiſſo.

Vertebræ,pro corporis totiûs figura,versûs utrumque ejus extremum minores erant,media parte maximæ. A cervice ad anum tot numerabantur quot in ventre ſquamæ,nimirum 168. Ab ano ad Crepitaculi inſertionem ſquamas numero novendenario excedebant. Anteriores vertebræ ſpinam erectam compreſſam versûs dorſum habebant;gracilem,teretem,oblique deſcendentem interius ad ventrem. Unicuique vertebræ præter ſpinas prædictas alii inerant proceſſus ad coſtas articulandas,

Verùm præcipuè obſervabilis (ut antea innuimus) erat globulus ille ſeu tuberculum rotundum, & velut caput inferioris cujuſque vertebræ,quod cavitatem ei excipiendo in inferiore parte proximè ſuperioris paratam ingreditur,quemadmodum oſſis femoris caput acetabulum oſſis iſchii;quo artificio,ut & articulatione mutua facultatem illam corporis pro libitu quaquaverſum flectendi & circumvolvendi obtinent.

Coſtæ in collo breves,verſus medium corpus ſenſim longiores,ubi duos circiter digitos æquabant;versûs caudam iterum paulatim minuebantur,omneſque ad initium ſquamarum ventris terminabantur. In caudæ vertebris introrſum duæ erant ſpinæ,cùm in reliquis una tantùm eſſet. Ex iiſdem etiam hoc in loco exibant proceſſus tenues coſtis analogæ.

Ultimæ caudæ vertebræ adnaſcebatur *Crepitaculum* è multis oſſiculis compoſitum, quorum caudæ proximum plumbei coloris erat,reliqua cinerei.Oſſicula hæc,deſcribente *D. Grevio*,concava ſunt, tenuia, dura,arida,adeoque valdè fragilia vitri ferè inſtar, & perquam ſonora; omnia ejuſdem proximè magnitudinis,figuræ autem prorſus ſimilis , oſſi ſacro humano ſimillimæ. Quamvis eorum ultimum tantùm caudam rigidam ſeu epiphyſin adjunctam habere videatur,unumquodque tamen reverà parem obtinet , ſed tectam , ità ut præcedentis cujuſque cauda duorum proximè ſubſequentium cavum ſubeat ; atque hoc artificio non ſolùm mobiliter cohærent,ſed & ſonum magis multiplicem reddunt , unoquoque officulo alia duo eodem tempore pulſante.

Uſum hujus Crepitaculi,cùm alium neſciam,quem aſſignat *Gulielmus Piſo* ipſius verbis dabo. *Huic* (inquit ille) *tam pernicioſo colubro*, *benigna Natura cautionis quaſi gratiâ*, *Crepitaculum addidiſſe videtur*, *ut illius ſonitu admonitus quilibet homo non ſolùm* , *ſed & qualecunque pecus vel jumentum tempeſtivè ſibi caveat à vicino hoſte.* Verùm cur hujus extremitas in anum hominis immiſſa adeò funeſta eſſet prout ille dicit, & vel Dentium veneno pernicioſior rationem non video. Tum *Piſo*,tum *Nierembergius* aliique affirmant unum quotannis oſſiculum Crepitaculo accreſcere , ut ex numero articulorum numerus annorum Serpentis colligi poſſit. Nec quicquam noſtra ſententia huic aſſertioni adverſatur,quòd exinde ſequeretur Serpentem hunc ad 16. vel etiam 20. annos vitam producere, cùm obſervati fuerint nonnulli cum totidem hoc in Crepitaculo articulis. Quod etenim tot vel etiam plures annos durare poſſint frigida hæc Animalia nobis veriſimillimum videtur,cùm Teſtudines qui Serpentibus affines ſunt 80. etiam annos ſupervixiſſe teſtes fide dignos habemus.Crepitacula hæc latitudine ſua ad corpus perpendicularia ſunt,non horizontaliter ſita.Primum eorum oſſiculum ultimæ caudæ vertebræ muſculi craſſi eidem ſubjacentis,& membranarum illud cuti connectentium ope affixum eſt.

Deſcriptionem hanc Anatomicam partium hujus Serpentis internarum longè accuratiſſimam , *& Auctore ſuo dignam,quaque plurima continet ſcitu jucundiſſima utiliſſimaque,quamvis ſatis longam ſi modò longum dici debeat* cui nihil eſt quod demere poſſis, *Latinam facere non gravatus ſum* , *partim ut extraneis Anglicè neſcientibus gratificarer* , *partim quoniam reliquis hujus generis* i. e. *Viviparis Serpentibus,paucis immutatis, accommodari poſſit, adeoque pro generali omnium deſcriptione inſervire.Verùm cùm coluber deſcriptus mas fuerit,deſideratur adhuc generationis proceſſus partiumque ei in fœminis miniſtrantium deſcriptio,quam ut eruditiſſimus Auctor ad complendam ejus hiſtoriam Anatomicam adjicere dignetur exorandus eſt.*

Antequam *Serpentem crotalophorum* dimittam , libet adducere memorabile imprimis experimentum à *D. Andrea Cleyero* relatum *Ephemer. German.* Ann. 12. Obſerv.7.quod praxin medicorum Mexicenſium ſuperius memoratum, *qui ſcilicet Caninis hujus Serpentis collum cervicemque doloris capitis placandi causâ compungere ſolent*, ſatis pericoloſum eſſe arguit ; *D. Charaſſi* etiam & *D. Redi* aſſertionibus & experimentis diametro repugnat.

Quod Serpentis (de ingenti illo Urobubalum integrum interdum deglutiente loquitur) vel ipſi dentes non penitus veneno careant, ſequens caſus confirmare mihi videtur. Cùm ex tali Serpente empto Sceleton conficere mihi animus eſſet,meique famuli carnes Serpentis aqua cum calce viva mixta in magno aheno excoquerent , accidit ut miniſtrantium quidam,caput Serpentis à carnibus coctione liberatum mundificare ſtudens, fortè digitum aliquem ad mandibulam Serpentis,& ejus dentes majores acutos faucium redderet. Hinc tumor in iſta manu ingens, cum inflammatione, febre continua, delirio, amentiaque paulò poſt ſubſequebatur, nec priùs ceſſabant ſymptomata, quàm Serpentinus lapis (quem Patres Jeſuitæ hic componunt) vulneri adaptatus omne venenum extraheret , & reliqua Symptomata convenientibus Antidotis eſſent profligata. Ita ex ſola dente Serpentis , & non veſicula quadam ejus hæc maligna accidere Symptomata , quoniam omnis mandibulæ caro decocto calcis vivæ erat eluta & à veſiculis liberata.

Cùm experimentum hoc ſingulare ſit , D. autem *Redii* ſæpius repetita,quamvis Sententiam ejus paullum labefactet , non tamen planè convellit & refutat. Potuit fortaſſe particula aliqua liquoris venenoſi vel digito compuncto vel denti Serpentino adhærere & vulneri inflicto ſe inſinuare; vel alia aliqua ſubeſſe horum ſymptomatum cauſa nos adhuc latens.

BOIGUACU Braſilianis *Maregr. Boiguacu* ſive *Jiboya Piſon. Cobra de veado* Luſitanis. Serpentium omnium maximus eſt. Habuit *Marcgravius* unum $7\frac{1}{2}$,alterum $8\frac{1}{2}$ pedes Rhynlandicos longum. *Piſo* ex hoc genere quoſdam 18. vel etiam 24. pedes longos reperiri ſcribit. Vidit *Marcgravius* qui integram capream deglutiverat, unde *Boiguaçu* i. e. Magnus Braſilianis dicitur. Et Piſo *Cobra de veado* Luſitanis dictum ait , quòd Dorcades integras devoret, idque ſugendo potiùs quàm maſticando. Medio corpore craſſiſſimus eſt , versùs caput & caudam ſenſim tenuior ſeu anguſtior. Tota pellis elegantiſſimè variegata eſt , nempe per medium dorſum ſecundùm longitudinem catenâ quadam macularum nigrarum : Ad latera utrinque palmum inter ſe diſtantes maculæ nigræ rotundæ ferè, in quarum centro alba macula itidem rotunda. Magnitudo macularum major Imperiali nummo. Inter haſce, attamen extra illarum ordinem , versùs ventrem iterum utrinque duæ ſeries minorum macularum nigrarum diſcurrebant. Duplicem habet ordinem dentium acutiſſimorum in utraque maxilla, coloris ſplendidè albi inſtar matris perlarum politæ. Caput latum & ſupra oculos in duo tubera elatum. Hujus generis quidam citra anum non procul ab extremitate caudæ duos breves ungues habebat quaſi avium.

Fame

Famelicus hic Anguis (inquit Piſo) vel ex dumetis proſilit, caudæque ſuæ nitens, horrendè ſe erigit, & ſtrenuè cum feris & hominibus luctatur, & ſibilat irritatus, vel ex arbore inſidiosè in viatorem deſilit, eumque validiſſimis cingit amplexibus, ut etiam interimat. Nec minùs validi atque feroces exiſtunt duo ingentes illi *Arabo* & *Cucuracu*, hominibus æquè ac Capreis inſidiantes.

Ictus horum vix cenſetur venenatus; carne autem, quæ albiſſima eſt tùm Indigenæ & Nigritæ, tum noſtrates veſcuntur.

Hujuſmodi Serpens etiam in India Orientali habetur, qui integrum Urobubalum deglutire dicitur, de quo poſtea ex Ephem. German. An. 11. Obſerv. 7. plura producemus.

CVCVRVCV ſeu CVRVCVCU *Marcgr. Piſon.* Octo aut 9. (9. & interdum 12. *Piſ.*) Pedes longus eſt, *Boicininga* craſſior; ſquamis quidem ut ille figuratus, ſed flaveſcentibus, ac per dorſum maculis nigris grandibus variè variegatus: nimirum in toto flavo macula nigra eſt grandis, in nigro duæ flavæ, in quibus nigris etiam unica flava, & ſic continuè. Maximè eſt venenatus & plurimùm metuendus (inquit Piſo) licet caro ejus præparata à Barbaris comedatur. Venenum ejus Hæmorrhoi modo operari dicitur: Acuhyatli Nierembergii eſſe videtur.

IBIBOBOCA Braſiliens. Cobra de Coral Luſitanis, *Marcgr. Piſo.* Duos pedes longus & pollicem ferè craſſus eſt; verſus poſteriorem partem teres & acutus inſtar ſubulæ. Totus venter albus eſt & ſplendens. Caput ſquamulas habet albas, cubicas, ad oras nigras. Hinc cinnabria ſequitur macula, cujus ſquamæ per oras nigræ, & ità ſemper rubra macula eſt, hinc ſequitur nigra, hinc alba, iterum nigra, hinc rubra & ſic deinceps. Rubra macula plus uno digito eſt longa, duæ albæ & tres nigræ ſimul ſumptæ ſeſquidigitum longæ, æquales inter ſe. Albarum macularum oræ nigræ ſunt. Morſus ejus venenatiſſimus eſt, tardè ſe promovet.

BOITJAPO Braſil. Luſitanis *Cobra de cipo*, *Marcgr. Piſo.* 7. aut 8. pedes longus, vix brachium craſſus: teres ac poſtica parte inſtar ſubulæ acuminatus, coloris olivacei, in ventre flaveſcens, ſquamulis elegantibus quaſi triangulis veſtitus; ranis victitans: maximè venenatus, veneno Hæmorrhoi modo operante.

BOIOBI Braſil. *Cobre verde* Luſitanis *Piſo Marcgr.* Ulnæ eſt longitudine & pollicis craſſitie, coloris porracei & pulchrè micantis. Amplum his Os, & nigra lingua. Ædificiis gaudet, neque ulli nocet, niſi irritanti: Morſus tamen illius venenatus eſt & exitialis. Summoperè prodeſt radix nodoſa herbæ *Caa-apia* contuſa & ex aqua pota.

JARARACA *Piſon.* Brevis eſt, raroque ſemicubiti longitudinem excedit, venis quibuſdam in capite prominentibus inſtar viperarum, & haud aliter quàm illæ ſtridens: rubris & nigris maculis inſignis, cæterùm terreo colore. Morſus ejus venenatus eſt. Ei præ cæteris convenit *Caatia*, quæ merito *Herva de Cobras* dicitur, quod foris & intus exhibita hujus aliorumque ſerpentum morſus facilè reſtituat. Jararacæ autem quatuor ſpecies recenſet & deſcribit *Joan. de Laet.*

CANINANA *Piſon.* Ventre eſt flavo, dorſo autem viridi, 8. circiter palmos longus: inter minùs venenatos habetur: ovis victitat & volucribus: Capite & cauda reſectis ab Afris & Americanis comeditur.

IBIRACOA Braſiliens. *Piſon.* Serpens eſt variegati coloris, albis, nigris, rubriſque maculis inſignis. Ejus morſus eſt admodum venenoſus, & peſſima ſymptomata infert.

TAREIBOYA, & CACABOYA. Hi duo amphibiorum more modo in lacubus, modo in ſicco degentes conſpiciuntur, ac proinde Hydri vel natrices jure dici poſſunt, tametſi non æquè pernicioſi ac noſtri Europæi eſſe perhibeantur. Atri ſunt prorſus, nec valde magni: Irritati nocent vulnuſque facile curabile infligunt. Poſterior lutei, eſt coloris (at utroſque atros eſſe jam dixit) 6. palmos longus, ruricolis potiùs extimeſcendus quòd gallinas devoret, quàm quod homini lethale venenum inferat.

Præter deſcriptos quæ in habitato *Parnambuci* tractu frequentiores erant ædes & ſylvas pertreptantes, aliorum ad 10. uſque numero nomina recenſet Piſo, nimirum, *Arabo, Boicupecanga, Boipeba, Curucacutinga, Guiupaijaguara, Jacapecoaja, Manima, Vona, Amorepinima* cui inter piſces locum dedimus.

Alios inſuper Serpentes Braſilianos ex Autore quodam Luſitano, Lerio, aliiſque breviter deſcribit *Joan. De Laat*, Deſcript. Ind. Occident. lib. 15. cap. 6. Iiſunt;

GIRAVPIAGARA, quaſi dicas ovorum helluones, qui nigri ſunt, oblongi, ſubflavo pectore; tam velociter ſupra arborum faſtigia feruntur quaſi in aquis natarent; & ibidem volucrum nidos depopulantur.

GAYTIE PVA, in regione *Rarim* tantummodo reperitur, ingenti mole & tam graviter olens: ut fœtor illius nullatenus ab hominibus poſſit tolerari.

BOYVNA, i.e. niger anguis, gracilis & oblongus, gravemque de ſe odorem ſpargens inſtar vulpecularum.

ROM; magnæ molis, à ſtrepitu quem edit, ità dictus, cætera innocuus neque cuiquam infeſtus.

BOYCVPECANGA, i.e. Anguis in tergo notulis quibuſdam diſtinctus, multo eſt craſſior, ejuſque notæ ſupra modum virulentæ judicantur.

JARARACVCV, 10. interdum palmos longi: his Dentes ſunt grandiuſculi, quos morſuri digitorum inſtar protrudunt, alioqui buccis tectos: (*Hoc non eſt huic generi peculiare & proprium, ſed Serpentibus omnibus commune.*) Præcipuum in his virus; humor crocei coloris, adeò potens, ut 24. horarum ſpatio hominem de medio tollat. Plures ſimul enituntur fœtus, nam & qui 13. utero ſervare exenteratum ferunt.

JARARA COAYPITIVGA, i. e. Anguis cujus cauda magis alba eſt quàm fuſca tam venenatus quàm Vipera Hiſpanica, nec forma multùm differt aut color.

JARARA EPEBA, cui linea rubri coloris catenulæ inſtar ſupra dorſum & ſub ventre diſcurrit, cætera fuſcus aut cinereus.

His ultimo in loco adjicere libet Catalogum Serpentum Indicorum à Doctiſſimo & amiciſſimo Viro *D. Tancredo Robinſon*, M. D. acceptum quem ille in noſtram gratiam & operis hujus ſupplementum è *Muſeo Leydenſi* deſcripſit.

1. *Serpens Indicus Coronatus*, Diademate ſeu conſpicillo inſignitus, Luſitanis COBRAS DE CAPELLO dictus *Garciæ ab Horto.* Naia *Zeylan.* Vipera Indica vittata geſticularia *Catal. Muſ. Ind.* Vipera pileata *quibuſdam*: Animal ipſum poſtea vidit Amicus noſter prædictus apud *D. Charleton*; Erat autem duos plus pedes longum, roſtro oblongo, capite plano ſeu depreſſo, latiſſimo, cum ocularibus ſeu conſpicillis in ſummo, cujus oculi ad imam capitis partem ſe extendebant.

De *Quil* & *Quirpele* Animali huic Serpenti inimiciſſimo ſuperius egimus ſub *Viverra*:

De Lapide *Pierre de Cobra de Capello* dicto, qui veneni hujus Serpẽtis Antidotum eſt & remedium præſentaneũ, in deſcriptione Anatomica *Anguis Crotalophori* *D. Thevenot* peregrinator ille inſignis lapides hoſce artificiales eſſe ait, non deſumptos è capite hujus Serpentis.

2. *Vipera Indica tricolor major*, *PALA PARIJA* Zeylonenſibus, i. e. Serpens Amaranti tricoloris facie, ſub terra degens.

3. *Vipera Zeylanica minor maculis fuſcis holoſericeis eleganter variegata. TUNUPOLON* Zeylonenſibus, id eſt, arcuum & ſagittarum more variegata.

4. *Serpens Indicus albis & luridis floribus inſcriptus, MALKARABÆLA* Zeylonenſibus.

5. *Serpens Indicus gracilis viridis*, in arboretis & fruticetis degens, *ÆHÆTULLA* Zeylonenſibus, i. e. Oculis inſeſtus. Idem ex viridi & albo variegatus, capite mucronato.

6. *Serpens Zeylanicus elegantiſſimis miniatis ſtellulis decuſſatus, MALPOLON* Zeylonenſibus.

7. *Serpens Putorius*, Dryinus Geſneri *Jonſton.*

8. *Serpens Indicus Bubalinus*, *ANACANDAIA* Zeylonenſibus, id eſt Bubalorum aliorumque jumentorum membra conterens.

9. *Serpens Indicus Saxatilis*, *lineis per tranſverſum albicantibus inſcriptus*, *GHALGHULUWA* Zeylon.

10. *Serpens Indicus caninus ſpadiceus* cum maculis albicantibus, *MANBALLA* Zeylon. id eſt, Canum more prætereuntes invadens.

11. *Serpens Indicus ex fuſco nigricans cum maculis albicantibus NINTIPOLONGA* Zeylon. i. e. Somnum lethalem morſu inducens, *Serpens hypnoticus*.

12. *Serpens Indicus Arundinaceus*, *WEPOLON* Zeylanenſibus, i. e. faciem Arundinis Indicæ *Rotanque* dictæ præ ſe ferens.

13. *Serpens fluviatilis Surinamenſis*, variis characteribus Orientalibus inſcriptus.

14. *Serpens Indicus ſpadiceus ſagittatus*, ad cervicem & dorſum maculis ſagittiformibus inſcriptus.

15. *Serpens Indicus Putorius gryſeo luteus*, *HOTAMBÆIA* Zeylonenſibus. Hæc *D. Tancredus Robinſon* è Muſeo Egregii Viri *P. Hermanni*.

Forte horum nonnulli cum Braſilienſium aliquibus ſpecie conveniunt: quod niſi Animalia ipſa inter ſe, vel deſcriptiones eorum accuratas conferendo nequit determinari.

De octavo genere merentur legi quæ *D. Cleyerus* in *Ephemer. German.* Anno 12. Obſerv. 7. cui Titulus *De Serpente magno Indiæ Orientalis Urobubalum deglutiente* narrat, cui longitudo pluſquam 25. pedum. Hoc genus Serpentes quamvis ob apparentem faucium anguſtiam minime videantur Animalia deglutire poſſe, id tamen verum eſſe experientia confirmat. E cujuſdam diſſecti ventriculo extractum vidit (*Cleyerus* ipſe) Cervum mediæ ætatis integrum cum omnibus partibus: ex alterius ſylveſtrem caprum magnis præditum cornibus pariter integrum; è tertii Hyſtricem cum aculeis. In Ambona Moluccarum inſula (inquit) quondam mulier integra gravida à Serpente inſucta fuit. Fame utique maceratus Serpens, quibuſcunque animalibus, quæ ſaltu petere & morſu apprehendere valet inſidiatur. Captum hoc modo Animal à Serpente cauda & reliquo corpore circumligatur, atque adeò ſtrictè vincitur, ut vel ipſa in corpore Animalis oſſa frangantur & comminuantur. Quòd ſi Animal quoddam robuſtius renitatur, ut ſpiris anguinis enecari non poſſit, ſerpens crebris cum Animali convolutionibus, cauda ſua proximam arborem in auxilium & robur corporis arripit, eumque circuudat, quò eò fortiùs & valentiùs gyris ſuis Animal comprimere, ſuffocare & demum enecare poſſit: Ad hoc facinus morſu ſimul prehendit Animalis nares, quò ſpiritum non tantùm intercludat, ſed & Sanguinem ex iis ad internecionem uſque eliciat. Sequitur deinde Hiſtoria Urobubali hoc modo deglutiti, in quo præcipuè notabile, quod fragor oſſium comminutorum ad diſtantiam jactus tormenti bellici majoris exaudiretur. Tum deglutitionis modum enarrat. Serpens (inquit) qui gulam & fauces contractas quidem, ſed ultra modum extenſibiles habet, cum animal præfato modo occidit, atque oſſa ejus minutiſſimè confregit, adeo ut cadaver tanquam rude Chaos jaceat, linguam ad priùs extendit, deinde ſputo ſuo virulento illud ad deglutiendum aptum fingit diſponit & ſecundùm pilos lambendo lævigat, ut cadaver è longinquo glutine obductum reſplendeat, & ſic aptum ad ſorbendum videatur. Quo facto incipit Serpens rictu ſuo cadaveris caput apprehendere, & ſuctu fortiore quaſi abſorbere, donec animal interemptum cum omnibus ſuis partibus paulatim in ventrem ſeceſſerit. Hac actione juxta cadaveris molem Serpens quandoque ultra biduum inſumit. Poſtquam cadaver igitur tali inſuctu in Serpentis ingluviem ſeceſſit, inibique tanquam ſepultum eſt, Serpens tali crapula inſigniter turgidus, adeò invalidus redditur, ut nec pugnare ampliùs nec aufugere, nec movere ſe de loco ſuo valeat. Hinc fit ut à ruſticis ſive ejus loci venatoribus, ſolo reſte circa collum adſtricto Serpens tutò ſtranguletur, & non raro fuſtibus occidatur. Interemptus ità Serpens in fruſta & partes ſecatur, caroque ejus pro cibo gratiſſimo venditur.

NATRIX torquata, *The common Snake.* Deſcriptio quæ apud Ambroſinum occurrit ad iconem ad vivum delineatam facta vulgari noſtro angui ſatis bene convenit. Circa caput & collum tenuis eſt, craſſior circa ventrem, poſtea in caudam admodum exilem finit. Color tergi nigricat, (aut ferreus eſt) circa alvum inter luteum & viridem medius, lineis nigris virgatus. Hujus autem nota inſignis eſt in collo; nam maculæ candicantes è pallido inſtar torquis, circulum tamen non abſolventis apparent. Inter utraſque maculas in ſummo cervicis anguſtum eſt interſtitium, duarum forma ſquamularum, ubi maculæ utrinque quaſi triangulari figura in acutum deſinunt. Deinde maculæ nigræ ſplendidæ utrinque etiam poſt torquem ſingulæ conſpiciuntur. Adde multò longiorem eſſe Vipera, & in duplo nonnunquam majorem craſſitiem excreſcere. Ova in utero minimè fovet & excludit, aut vivos fœtus in lucem edit, Viperæ modo, ſed ovorum elenchum in Sterquilinio ſeu fimeto deponit, ubi calore fimi ſolis incubantis radiis tepefacti fota fœtus perficiunt & excludunt.

Frequens eſt in dumetis & locis uliginoſis; & per hyemem in foraminibus ad radices arborum vetuſtarum, vel in aggeribus ſepium torpidus ferè latitat. Vix veneni aliquid habere deprehenditur, ſiquidem manibus tractant, & in ſinu geſtant multi ſine incommodo, ut rectè *Wormius.*

Wormius graminibus, inſectis, & obviis quibuſvis veſci ait: mures etiam prædatur, non minùs quàm vipera.

Menſis Octobris Anni 1692. initio hujus generis Serpentem nactus eum pleniùs deſcripſi, Dorſum coloris erat nigricantis ſeu terrei: Venter ſeu pars prona varia ex albo cœruleſcente & nigro, propè caput tota fere alba, paucis duntaxat ad latera maculis nigris adjectis, inferiùs ſenſim maculæ & lineæ nigræ plures majoreſque ad anum uſque & ultimam caudam, ubi totæ ferè ſquamæ ventrales nigræ ſunt, utraque tantum extremitate albo cœrulea. Ventrem totum tranſverſæ ſquamæ ſimplices longæ velut parallelogrammæ obtegunt; unde ſquamarum harum cùm ſquamis parvis commiſſuram pro communi limite dorſum & ventrem diſterminante habeo: & in his tantùm colores quos diximus inhærent. Dorſi, hoc eſt, partis ſupinæ, quouſque

que ſquamæ parvæ extenduntur, color ſordidè terreus aut nigricans, verùm nigris lineolis, varius, è quibus inſigniores ſunt in utroque latere tranſverſæ à commiſſura ventris & dorſi, ſeu à ſquamis illis quibus venter integitur extremis utrinque inchoatæ, & verſus medium dorſum aſcendentes, longitudine ſemunciali aut majore, diſtantia duarum triumve ſquamarum minorum. Numerus harum linearum in utrolibet latere 80. excedit. Præter has lineas majores & longiuſculas, duæ inſuper minorum macularum nigrarum linearium ordines in quolibet latere ſuperiùs prope medium dorſum à capite ad caudam decurrebant, non tamen valdè conſpicui. Caput ſummum ſquamis amplis reliquo corpore obſcurioribus tegebatur. Maxilla ſuperior ad latera utrinque albicabat, quinque aut ſex lineis nigris perpendicularibus diſtincta. Maculam utrinque ad cervicis latera ſeu maxillarum angulos habuit pro torque albo-luteam: cui baſi ſua inſidebat macula hinc inde triangularis nigra ampla, vertice caudam reſpiciente.

In maxillis dentes caninos ſeu longos incurvos acutos qui venenum morſu vulneri inflicto inſtillent, nullos habuit, ſed, duntaxat duos dentium minorum ſerratorum ordines in utraque; unde Serpentem hunc innocuum eſſe, & impune tractari poſſe minimè dubito.

Rictus oris ut & Oeſophagus ampliſſimus eſt, ut mures integros & fortè etiam majora animalia ab eo deglutiri poſſe mirum non ſit.

Viſcera omnia & inteſtina eodem fere modo ſe habent quo in Angue Crotalophoro ſuperiùs deſcripto. *Raius in Mantiſſa ad Synopſin Hiſtor. Quadrupedum.*

OFFICIN. ex SERPENTE in ſpecie ſic dictô.

1. *Integri combuſti, Caro, Cor, Oſſa.* 2. *Pinguedo.* 3. *Exuviæ.* 4. *Fel.*

Vires. 1. *Integri combuſti, (pulvis ſerpentum.) ſcilicet caro, cor, oſſa ac epar*, vim habent alexiteriam, ſudoriferam, (non venenatam.)

Uſuſq; præcipui ſunt intrinſecus in omnibus morbis venenatis ac malignis, quales ſunt peſtis, febris petechialis, lepra & ſimiles: Quinimò & phthiſicos & lue Venerea laborantes, viperarum præcipuè uſu juvari, ceu ſecretum venditat Cardanus. Si ſcilicet caro cocta comedatur, jus bibatur, pinguedoque ſpinæ & juncturis illinatur. Nec eſt, quod uſum ſerpentum internum adeo formides, exenteratam enim ac decoriatam carnem, abjectis tamen felle, cauda & interaneis, loco cibi aſſumere licet.

N. 1. *Caput abjicitur, quia maximè venenoſum eſt, adeo ut dentibus ſolis vim ſuam malignam exerant. Cauda negligitur non quod venenata ſit, ſed quia ex oſſibus tantummodo conſtet. Veſica fellea rejicitur, quia proxima eſt lacuna materiæ venenatæ, quæ inde duobus meatibus ad dentium veſicas, ſeu gingivas defertur, in quibus ſcilicet ſpirituoſior ac efficacior illa fit, adeo ut ſi quis dentibus viperæ etiam jam dudum interemptæ pungatur, veneno inficiatur, ſecus ac de felle conſtat, quo recenti canes moriuntur, ſiccato ſine noxa veſcuntur. Interanea non adhibemus ob ſtercora vel ova adhærentia, aliàs tamen his rejectis, ſine noxa uſui eſſe poſſunt.*

N. 2. *Si placuerit corda ac Epata ſeorſim ſervare, ſecundùm nonnullos Theſaurum Medicum obtines pretioſiſſimum. Verùm me hercle, ſi quicquam peculiare à carne & oſſibus, quantum vires attinet, tibi inde perſuaſum habeas falleris. Falleris itidem, ſi (quod communis fert opinio,) deglutitione pulveris ſerpentis, (vel & cordium recenter extractorum atque adhuc ſeſe moventium) ab ictibus ſerpentum tutum te imagineris. Experto crede.*

2. *Pinguedo* emollit ſtrumas, oculorum rubedini & maculis medetur, viſum acuit, podagricos dolores mitigat.

3. *Exuviæ* partum facilitare creduntur, (*ventri vel lumbis alligatæ*,) odontalgiamque (in gargariſmis) mitigare, impetigines curant, (*pulveriſatæ vel incineratæ & impoſitæ*;) alopeciis medentur, ac pilos naſci faciunt (*illita.*)

4. *Fel* Ictibus ſerpentum impoſitum, venenoſitatem in ſe allicit, idem & de capite impoſito affirmant.

[Jecur exiccatum cum aqua cinamomi ad partus difficultatem propinatur.]

Præparata.

[Sal volatile [vertebrarum ſpinæ præcipuè] ad arthritidem vagam utile: Parari etiam poteſt oleum ſ. liquor.]

1. *Pulvis.*

Pulveres ſerpentum tot compoſitionum circumferuntur, ut Agyrta ferè quiſque peculiare ſibi quippiam imaginetur. At quid opus eſt compoſitione, nec enim corrigi ſerpentes exenterati opus habent, nec ſtimulari, ſat eſt fortis eorum vis, ſat tuta carnoſa ac oſſea ſubſtantia, (Cor, Epar, Lingua, Caro, Oſſa, utpote quæ minime venenata) integer itidem ſi comburatur, venenatam exhalat naturam, (mallem tamen caput rejeciſſe,) nihilominus tamen adſcribam unum atque alterum.

Bezoarticum animale ſimplex.

1. ℞. Serpentem excoriatum, (rejectis interaneis, cauda ac capite) lava & exicca, hinc pulveriſa, unà cum ſpinæ vertebris, pulverem ſerva pro uſu.

Doſis à ℈ſs. ad ʒj.

N. *Exiccatio vel per ſe in aëre peragi poteſt, vel in* MB.

2. ℞. Serpentes vivos, non exenteratos aut excoriatos, conjice in ollam ac tege operculo, torreque ad ignem lentum, ut omnis pinguedo & humiditas conſumatur, (*abſque combuſtione tamen*) poſtea redigantur in pulverem.

N. *Præfero priorem, quippe metus ne venenoſæ partes ſufficienter exhalarint.*

Ex hoc fit

Bezoarticum animale compoſitum.

℞. Pulv. ſerpentum ʒij. Rad. Valerian. Angel. Pimpin. Herb. Rutæ ana ʒj. M. F. Pulvis.

Doſis à ℈j. ad ℈ij. vel ultrà.

N. 1. *Solus pulvis colubrinus valet adverſus araneas vivas & Auripigmentum, non verò ad peſtem curandam experimento Vintzeri lib. de peſte p. 195.*

N. 2. *Ex carne ſiccata extrahitur Tinctura ad* 🜄 *aut quidem melius cum* ~~*u Juniperi. Vide Quercetan. & Fab. Myrothec.* Schrôderus.

Serpens.) Præſtant collecti initio Veris, cùm ſenectam deponunt; Non deſunt, qui hoc ab interno principio oriri negant, ſtatuentes ſordes potius, quàm pellem detrahi, *teſte Grevino de venen. libr. 1. cap. 3. Voſſius de idolol. libr. 4. cap. 53.* Verùm hos redarguit ipſa autoptica experientia, vera enim datur in his novæ cutis genitura, dum ſerpentes ſeſe inter duos lapides aut aliud ſimile ſeſe exuere ſolent, & ab oculis primùm detrahere exuvias intrà 24. hora abſolvi cute nova ſubtus renaſcente *Locatelli Mediolanenſ. in theatr. arcan. p. 277. Olaus Wormius in Muſeo.* Cauſa eſt alimentum balſamicum, quod veris tempore elevatum ad ſe trahunt, quo ſatis refecti & inſtaurati non ſolùm vim acquirunt & facultatem ſpolia ſua ſtato tempore exuendi, ſeque renovandi, ſed ob exuberans illud balſamum inſtar Medicinæ univerſalis ad corpus quavis ex parte vi-

tiolum emundandum & alexiteria vi balſami hujus copia præſentiſſima debellandi venena. Inde ex mente *Grembs Arbor homin. Libr.* 1. *cap.* 7. *theſ.* 8. §. 52. *Helmont.* Serpens continet remedium pro balſamo mortis & putat Diabolum, ut lateret Adamum remedium in Serpente aperuiſſe, ut ſicut Mors per ſerpentem intrarit, per ſerpentem vindicaretur. Ob hoc balſamum etiam ſerpentes innoxiè comeduntur, ut fruſtra illis energiam ſalutiferam adimat *Julius Cæſar Benedictus libr.* 10. *Ep.* 7. *Præter Plinium Libr.* 6. *cap.* 29. *Celſum Libr. V. Cap.* 36. *Et Jul. Cæſar. Scaliger. exerc.* 189. *ſect.* 4. *refert. Borellus Libr.* 2. *obſ.* 37. Locum à Caſtro in Gallis quatuor Leucis diſtantem eſſe Baſtida vocatum propè Sanctum Amantium, in quo ruſtici Serpentes innoxiè comedant, eòſque viatoribus comedendos ſub anguillarum tereſtrium nomine apponere, caudam ſaltem & caput amputantes, reliquum comedentes, quod mirè ſapiat palato, nec ex eo pabulo ullum ægrotare. Ob hanc balſamicam vim Serpentes & viperæ à Magnatibus ad uſum expetuntur. Modum ſaginandi gallinas cum ſerpentibus vel viperis *vid. in Cl. Zwelfer. Pharmacop. reform.*

Vulgare Serpentis genus intelligimus, à Cæciliis, viperis &c. diſtinctum &c.) Inter *Serpentes & viperas* ratione virtutis & modi operationis nulla eſt differentia. *Noſtri enim Serpentes* roborant æquè Naturam ac veneri & impotentibus ſubſidio ſunt, turgentes & luxuriantes in corpore humores compeſcunt, malignos corrigunt. Leproſos mundant, ac virtutem alexiteriam ſibi vendicant, unde & ex illis eadem depromi poſſunt medicamenta, quæ ex viperis. Et licet morſus viperarum reliquis pernicioſior ſit ſerpentibus, tamen hoc non ſit ratione aut qualitate veneni, quod virulento fomite tranſplantatur, ſed ſola iræ imagine, ex qua venenum, non tamen ſine materiali liquore, cui ceu vehiculo idea impreſſa quem dentibus longioribus tricuſpidibus, quam in reliquis ſerpentibus, ſigillant ac imprimunt, conſiſtit.

Non ſtatim ab egreſſu è latebris Hybernis.) initio ſcilicet Veris, ut ſuprà monuimus, nec refert, utrum maſculi ſumantur, an fœminæ, modò ex montanis & locis ſalubrioribus, non verò paludoſis inſalubribus fuerint.

N. *Serpentes* in Provincia Sinenſi Quamſi, uti *Atlas Sinicus* dicit, adeò ingentis longitudinis reperiuntur, ut nonnulli eorum decem perticas æquent, id eſt, triginta pedes Geometricos, quibus ſi groſſities reſpondeat, vix majores dari, exiſtimare quis poſſet. Idem teſtatur *Flora Sinenſis.* Gento, inquit, hoc enim Serpentis nomen eſt, Serpentum omnium in Quamſi in Haynan inſula, in Quantun facilè maximus reperitur, cervos integros exſugendo & diminuendo devorat, non adeò venenoſus, colore cineritio variegatus, longum 18. aut etiam 24. pedum, famelicus ex dumetis proſilit, caudæ innixus in altum ſe erigit, & cum feris æquè atque hominibus acriter luctatur, ſubinde ex arbore inſidiosè in hominem inſilit, & complexu interimit. Fel illius contrà oculorum affectus Sinis eſt pretioſum. Idem teſtatur *Marcus Paulus Venetus de Provincia Caraiam Magno Tartarorum Chamò ſubiecta.* it. Philippus Pigafetta in Regni Congi deſcriptione Autore Johanne Fabro Linceo in expoſitione novæ Hiſpaniæ animalium Nardi Antonii Recchi. Verùm relatu & auditu hæc jucunda quidem, ſed creditu difficilia: niſi in regno Congi minores ſint cervi noſtris Europæis, ut videmus in gallis gallinaceis Indiæ Orientalis, longè minoribus noſtris.

Officin. 1. *Integri combuſti Caro, Cor, oſſa.* 2. *Pinguedo.* 3. *Exuviæ.* 4. *Fel.*

1. *Integri combuſti.*) Hi parùm habent virium, omni virtute Medicinali per vulcani inclementiam ſpoliati. Vide infrà de præparat.

Scil. Caro, Cor, Oſſa, ac Epar. &c.) In dyſenteria maligna nihil præſtantius eſt pulvere cordis & epatis ſerpentum adjectis ſaniculæ rubræ alpinæ radicibus.

N. *Caput abjicitur* &c.) Verùm ſi ſerpentes aut viperæ integræ in vino extincto leproſos reſtituunt, *teſte Galeno*, & fœminæ quædam Nobiliores Anglicæ de vino tali viperino, quaſi interno coſmetico ad corporis pulchritudinem & formoſitatem comparandam abſque ullo damno & ſanitatis detrimento bibunt, corruet etiam aſſertio de nonnullis viperarum partibus abjiciendis id quod experiri etiam poſſumus, ſi canibus & felibus caput & fel devoranda pro jecerimus, ſique ea abſque ullo vitæ diſcrimine conſumpſerint, adeò ut in Morſu non excluſo liquore imagine iræ veneno mortifero imbuto illarum venenum conſiſtat juxtà *Cl. Helmontium.*

Veſica fellea rejicitur, quia proxima eſt lacuna materiæ venenatæ) Verùm hoc non eſt probabile; *Fel* enim non ſolum eſt alexipharmacum, ſed & contrà partus difficultatem notabili cum effectu propinari certò conſtat. Inprimis *ſi jecur* exſiccatum addatur, in aq. cinamomi miræ erit efficaciæ.

Theſaurum Medicum obtines.) Multi viri Principes & Magnates *Corda viva* ex ſerpentibus recenter occiſis excerpta devorant, ut ætatis progreſſu venenorum ſint certa antidota, philtrorum etiam & incantamenti expertiſſimum remedium, id quod & *ipſe Zwelferus* approbat, dum Aquas pretioſas, quæ ex vivis animalibus deſtillationis beneficio eliciuntur, ſecum perpendit *in Pharmacop. Regia.* Alia ratio eſt de *pulvere Serpentum* intrò ſumpto tanquàm prophylactico, cujus effectus experientiæ non ſatisfacit. *vid. in Animadverſ. ad P. A. p.* 273.

Pinguedo.) oculorum exulcerationibus medetur; item ad ſcabies pertinaciores, luem veneream & Lepram facit. *P. Borellus centur.* 2. *obſerv.* 37.

N. Serpens ſi filo ſuſpendatur & ſuffocetur, funiculus ille in angina & apoſtematibus faucium valet.

N. Theriaca à ſerpente deglutita ipſi non nocet, ſed vegetiorem facit, Tabacum autem ei adverſatur.

N. Nec hoc loco ſilentio prætereamus Lapidem illum ſerpentinum, quem Luſitani *La Piedra della Cobra* vocant; Hic à Brachmanibus inventus eſt, & eſt partim naturalis in ſerpente concretus, quem Luſitani *Cobra de Capelo*, id eſt, ſerpentem ſeu colubrum piloſum vocant partim artificiales, ex variis venenoſorum animalium potiſſimum hujus Colubri piloſi portionibus confectus, qui Lapis ſolis intoxicatis antidotum præſtat tempeſtivè adhibitum, remedium ferè toti Chinæ, nec non Indiæ uſitatum. Et ſanè non crediddiſſem, inquit *Autor Chinæ Illuſtratæ p.* 80. niſi, dum hæc ſcribo, experimentum Lapidis feciſſem in cane à vipera morſo; hic enim Lapis vulneri à vipera cani inflicto mox appoſitus, protinus ita agglutinabatur, ut vix amplius diſtrahi poſſet, manſitque tamdiu affixus vulneri, donec exſucto omni veneno hirudinis ad inſtar jam ſatur ſponte ſua decideret; quo peracto canis paulatim jam liber à veneno, etſi aliquando tempore torpidus, ad ſe tamen tandem rediit, priſtinæ ſanitati propediem reſtitutus. Hoc eodem tempore eximius Phyſiologus Carolus Magninus Romanus in homine quoque à vipera morſo hujus rei ſumma effectus felicitate experimentum ad veritatem explorandam ſumſit. Lapis verò intra lac conjectus, omni mox veneno depoſito, ſuo nitori, non dicam virtutis attractivæ robore diminutus, ſed & eo auctus redditur, lacte in flavo viridem colorem ob veneni vim degenerante.

N. Co-

N. Cobra de Capelo, id eſt, Serpens capillatus vocatur, non quod pilis capilliſque inſtructus ſit, ſed quod in ſuperiori capitis parte habeat veluti tegmen quoddam ad inſtar pilei plani, quod & prout concitatur, ſurgit verſatile. Refert P. Sebaſtianus d'Almeida ex India Romam advena, hujuſmodi Serpentes per totam Indiam paſſim reperiri, qui verò Lapides *Cobra de Caprelos dictos* intrà ſe generant, non ſi in Dienſi territorio reperiri. *Hæc Flora Sinenſis p.* 204.

Præparata.

1. *Pulvis* &c.) Rec. ſerpentes exenteratos abſtrahe per MB. humiditatem, quæ tamen non ut inutilis rejicienda, dum in oculorum affectibus mira præſtat, & ſcabie. Hujus pulveris cape partem unam, adde parum fl. Sulphuris & myrrhæ, item ol. d. angelic. & rut. partem unam cum ol. d. Cinamom. & Ligni Rhodii. q. ſ.

N. Magiſterium ſpinarum ſerpentum vel viperarum in arthritide vaga maximè commendatur.

N. Ex ſerpentibus æquè ac ex aliis animalibus Sal volatile, item liquor & oleum per deſtill. acquiritur vid. infrà de Viperis plura. *Hofmannus.*

SERPENTARIA, vid. *Dracontium.*

SERPENTARIA VIRGINIANA, vid. *Viperiana Virginiana.*

SERPILLUM.

Serpillum ἀπὸ τῦ ἕρπειν à ſerpendo dictum eſt, quia aliqua ejus particula terram tangente radices ab ea dimittuntur, ut autem Serpo à Græco ἕρπω, ita ſerpillum ab ἕρπυλλον ſpiritu aſpero in S. mutato, ut in aliis multis v. g. ἕξ ſex, ἑπτὰ ſeptem, ἕδος ſedes, ἱδρὼς ſudor, ὑπὸ ſub, ὑπὲρ ſuper, ὕλη ſylva, ὗς ſus, ὕμι ſemi, ὄλκος ſulcus, ἕ ſe, ἅλς ſal, ἅλλομαι ſalio, &c.

Serpillum à Thymo differt quòd humilius ſit & minus fruticoſum, & ut nomen indicat ramulis procumbentibus ſerpat.

Nomina. Serpillum vulgare *ger. I. B.* vulgare minus *Park. I. B.*

J. B. Tam Græco, quàm Latino hujus nomini originem dederunt ſerpentes ramuli, duri, lignoſi, quadrati, ſubrubentes, modicè hirſuti, qui ubi terram attingunt novas ſubinde radices agunt: primæ autem lignoſæ ſunt, ſatis craſſæ & frequentes, fuſcæ, plurimis fibris capillatæ. Ad ramulorum nodos folia Thymi vulgaris latiora, ſubrotunda, nervoſa, ſapore acri & aromatico. Flores in capitulis Thymi, interdum candidi, plerunque tamen purpuraſcentes.

Ejus duplex habetur genus. Primò flos eſt media parte minor, apice in medio interdum bifido, colore ut plurimum purpuraſcente: folia ut ſequentis, odore nonnihil ad meliſſam accedente. Secundo flos major duplo, in medio quinque apices, color remiſſior & minus purpuraſcens: in foliis non differt à præcedente, niſi odore, qui nobis ſuavior videtur. Utraque hæc varietas apud nos paſſim habetur.

Eſt nobis prætérea genus aliquod foliis & caulibus præcedentibus ſimile, ſed hirſutum valde.

Serpilli ſummitates non raro degenerant in capitula tomentacea, candicantia, quæ (inquit J. Bauhinus) florum loco ſunt; imò inſectorum matrices ſunt. Summitates enim hujus herbæ ab inſectis quibuſdam compunctæ hoc modo degenerant, & vermiculis domicilia & eſca fiunt. De his plantarum excreſcentiis ſeu fructibus ut vocant ſpuriis & excrementitiis Conſule Excellentiſ. Marcelli Malpighii anatomes plantarum partem alteram.

In Montoſis & paſcuis ſiccioribus, inque formicarum tumulis ubique ferè terrarum abundat hæc planta.

Serpillum aureum ſive Verſicolor Parkinſoni non alia in re à vulgari ſerpillo differt quàm foliorum colore ex aureo & viridi mixto ſeu variegato; qui arte inducitur, ut in hyſſopo, roſmarino, aliis.

Serpillum ut facie ſic viribus cum Thymo convenire videtur: eſtque inter calidas ſiccaſque herbas quæ urinam & menſes movent. Cephalica eſt (inquit Schroderus) uterina & ſtomachica. Uſus præcip. in menſibus ac urina ciendis, in expuitione ſanguinis, ſpaſmo, &c. extrinſecus arcet vigilias; cephalalgias. Vertigines. Ciet menſes (balneo.)

Vulgus decoctum ſerpylli dum Eryſipelate infeſtatur, bibit calidum, unde ſudor proritetur, quo epoto ſæpe valetudo melioreſcere ſolet. S. Paulus.

Balſamo ſerpylli auſpicato vertiginoſos à vertigine præſervamus, Idem.

Paracelſo in catarrhis palmarium remedium eſt aqua ſerpilli cum ſp. vini chymice elicito, D. Soame è Dol. l. 1. c. 10. S. 8.

Loquelam Apoplectico poſtliminio reſtitutam ſerpylli ſpiritu vidimus. Idem ex eodem. *Raius.*

SERRATULA.

Nomina. Serratula *I. B. C. B.* purpurea *Ger.* Vulgaris flore purpureo *Park.*

J. B. Caule recto, rigido, ſtriato, glabro, rubente ad cubitos duos attollitur, qui eis ſummitatem in ramos multos finditur. Folia aliàs integra, Betonicæ paria, aliàs ſcabioſæ inſtar laciniata, utraque atrovirentia, glabra, arguto ſpinularum mitium agmine ſerrata. Capitula crebra extremis ſurculis inſident, oblonga, ſquarroſa, atro-rubentia, è quibus flores emicant Jaceæ nigræ, purpurei aut carnei coloris. Cæterum flores è plurimis floſculis aggregatis componuntur; quorum unuſquiſque ſuo inſidet ſemini: ſuntque omnes, tam marginales quàm medii, ejuſdem magnitudinis & figuræ. Radicum fibræ majuſculæ, ſapore ſubamaro, tandem & eo quem Cyanus manſu exhibet.

Julio Menſe floret, eſtque in ſylvis & pratis frequens.

Datur utiliter potanda ex albo meraco ruptis & ab alto devolutis. Idem præſtat radix pulveriſata & ʒj. pondere in vino calidè pota: in vino decocta, ac deinde illita ulcera mirifice mundat, carne replet, & cicatrice obducit: hæmorrhoidum quoque dolores mulcet fotu adhibita. Folia & radix ſimul contuſa & impoſita vulnera & enterocelas ſanare creduntur, Matth.

Serratula à foliis minutim circumquaque inciſis & ſerratis nomen obtinuit. Parvitate ſua præcipuè à centaurio majore differt, cum quo foliorum ambitu ſerrato convenit.

Serratulæ affinis capitulo Baccharidis, flore Trachelii, Hort. Lugd. Bat. *Raius.*

SERUM LACTIS.

De eo vid. abundè ſub titulô L A C: Hic tantùm aliquæ ejus præparationes, ſeu exinde confectæ compoſitiones ex Pharm. *Bateana.*

Serum Aluminatum.

℞. O ʒiij. *lact.* ℔iv. *coq. parùm, ut f. Serum. adde ſacch.* ℥iv. *clarific. cum album. ovorum, ſ. a. Si velis Emeticum, coq.* O ʒiij. *in lactis* ℥viij. *ut f. Serum,* ante parox. febrilem ſumendum.

Serum

Serum Hepaticum.

℞. *Fol. fumar. cichor. endiv. ā. miij. hepatic. mij. agrimon. acetoſ. ling. cerv. borrag. bugloſ ā mi. ſem. carvi* ʒi *contuſis effunde ſeri lactis* ℔iij *f. expreſ. adde ſacch. alb.* ℥iij. *clarific. ſ. a.* D. ℔i. bis indies.

Serum Scorbuticum.

℞. *Fol. cichor. acetoſ. ā mxij. abiet. mvi. cochlear. naſturt. aquat. ā. miv. ſem coriandr.* ℥ij. *contuſis adde ſucc. aurant.* ℥iv *Seri lactis* ℔iv. *ſacch. alb.* ℥ij. *clarific. ſ. a.* D. ℔i. bis indies.

Serum de Sedo.

℞ *Succi ſedi major.* ℔i. *lactis* ℔ij. *coq. ut f. Serum ſ. a.* D. ℔i. vel ℔ij. indies. Uſus præcip. in febribus bilioſis; ſedat ſitim, compeſcit ardorem, &c.

Serum Sinapinum.

℞. *Lactis* ℔ij. *calefact. adde Muſtard. rec. fact. cochl. ij. ut f. Serum clarum; quod coletur pro una vice.* Remedium ſingulare in Tuſſi, Aſthmate &c. Bibatur hora ſomni & mane in lecto calidè per dies 3. vel 4.

SESAMUM.

Seſami nomen inditum videtur ἀπὸ τοῦ σήθω quod quandoque σείω denotat, concutio, impello & ἀμάω meto, quod ſubito & quaſi impetu ad meſſem prometo, quod ſubito & quaſi impetu ad meſſem propelleretur. Potius nomen exoticum eſt, ab Ægyptiis ſumptum, quibus Semplem dicitur, *J. Bod.*

Nomina. Seſamum *I. B. C. B. Park.* & aliorum Luſitanis girgelim, an gangila ſive Seſamum Africanum Piſoni & Marcgrav.

J. B. Veſling. Per caulem cubitalem, rectum, firmum, craſſum & pinguem folia habet ſemuncialibus pediculis hærentia, craſſiuſcula ex atro virore nonnihil rubentia, oblonga, acuminata (inferiora latiora & profundioribus inciſuris ſerrata, ſuperiora integris oris anguſtius patentia Veſling.) è quorum alis flores emicant Calathi forma, oblongi, magnitudine eximia, Monopetali, reflexis labellis, intus albidi, externus violæ colorem induti, tenuique reſperſi lanugine: Siliquæ rectà ſecundum caulem aſcendentes non quaternis tantùm, ſed etiam quinis ſeniſque lateribus anguloſæ, ſtellatum occupant calicem, oblongum illud. compreſſum, pingue, flaveſcenſque ſemen incluſum cuſtodientes.

Vires. Ægyptiis tum in cibo, tum in medicamentis uſitatiſſimum eſt, quod cum reliquis frugibus, poſtquam arentes campos, ſuis ſcatebris temperavit Nilus, celeri proventu ſurgens ſiliqua minimè fallaci cultorem ſuum locupletat. Parkinſonus, neſcio quo autore, Seſamum in India Orientali ſponte naſci ait, in Ægypto, Syria, Græcia, Creta, Sicilia, in agris duntaxat, ſeri & coli.

Oleum ſeminibus expreſſum κατ' ἐξοχὴν Zeldtaib, i. e. oleum bonum Arabes nuncupant, quod ad cibos in frequentiſſimo uſu eſt, majorique pretio quàm olivarum oleum in Ægypto venditur.

Marggravius radicem teneram, rectam, multis filamentis præditam, exterius ruffam, interius albam huic plantæ attribuit, ſi modo eandem plantam deſcribit.

Plantam hanc non eſſe verum antiquorum Seſamum nobis cum J. Bauhino & Stapelio videtur, ideoque an vires à Dioſcorid. Seſamo adſcriptæ ei conveniant dubium eſt. Iis ergo omiſſis, quas proponit in libro de plantis Ægyptiacis Proſper Alpinus, adferemus. Plantæ (inquit ille) decocto utuntur in fotu ad ophthalmias, ad tuſſes anhelituſque difficultatem, pleuritidem, peripneumoniam, & tumores duros ſcirrhoſos: Mulieres pro uteri duritie inſeſſiones faciunt, & utuntur ad capitis furfures livoreſque faciei: planta & ſeminibus coctis cum melle ad exſiccatos nervos, ad combuſtas partes, ad calidas inflammationes: decocto in clyſteribus, ad colicos dolores &, ad emolliendam alvum, ad movendas menſtruas purgationes. Oleum fæcemque ejus bibere ut impingueſcant mulieres in balneis familiariſſimum habent. Oleo etiam ad multa alii Ægyptii uti conſueverunt, viz. ad cutis puſtulas, aſperitatem, atque omnem defædationem ex humore melancholico tum epoto, tum in cibis frequentato, vel ipſis partibus affectis inunctis. Secretum apud quoſdem ad cutis pruritus, ejus quatuor uncias multis diebus bibendas exhiberi, ad anhelitus difficultatem, pleuritim deſperatam, peripneumoniam, ad movendos menſes, atque ad vehementes ſtomachi, inteſtinorum, uterique dolorum cruciatus demulcendos intus & extra. *Raius.*

SESELI.

Seſeli unde dictum ſit me quidem latet, nec enim ſatisfacit Harmari etymon παρὰ τὸ σαῶσαι τὸν ἐλλὸν, quod ſalutare ſit hinnulo, ſiquidem veteres cervas poſt partum purgari herba quadam quæ Seſelis vocatur prodiderunt. Ego potius vocem origine exoticam ſeu barbaram fuiſſe exiſtimaverim quemadmodum & alia in ι terminata; χόμμι, πέπερι, &c.

Seſelios pratenſis notæ ſunt foliorum ſegmenta anguſta, acuta, flores ex luteo pallidi, ſemina ruſeſcenti.

Nomina. 1. Saxifraga Anglica facie Seſeli pratenſis *Ger.* Seſeli pratenſe noſtras *Park.* Saxifragia Anglorum foliis fœniculi latioribus, radice nigra, flore candido, ſimilis ſilao *I. B.*

E radice vivaci, longa, rugoſa, foris nigra, intus alba, guſtu dulci aromatico & nonnihil acri, caules quotannis ſurrigit plures, ſeſquicubitales & bicubitales, digiti minimi ferè craſſitudine, teretes, ſtriatos, medulla fartos, prope terram rubentes, ab imo ſtatim ramoſos, ramulis per longa intervalla è foliorum alis exeuntibus. Folia tam quæ è radice exeunt quam quæ caules veſtiunt, glabra obſcurè viridia, in ſegmenta longiuſcula, anguſta, acuta, rigida dividuntur. Summi caules & ramuli in florum umbellas terminantur, non admodum grandes nec coactas, ſed laxas & raras. Floſculi ſinguli exigui quinque petalis è luteo albidis componuntur; quibus ſuccedunt ſemina ſtriata, brevia, apicibus rubentibus, per maturitatem caſtanea.

Nomina. 2. Seſeli Æthiopicum frutex *Ger. Park.* Æthiopicum ſalicis folio *C. B.* Æthiopicum fruticoſum folio periclymeni *I. B.*

J. B. Ramis aliquot cubitalibus & altioribus fruticat, rigidis lignoſis, nigricante cortice intectis, in multos ramulos diductis, folia per ramos ſublonga periclymeni, anguſtiora, leviter acuminata, breviora quam laureolæ, glabra, ſapore & odore juglandis, ſed multo mitiore gratioreque. Umbellæ pulchræ fœniculaceæ; ſemen delapſis flaveſcentibus floribus gerunt oblongum, Canaliculatum, magnitudine ſeminum fœniculi

In rupibus oppido S. Chamas in Gallo-Provincia vicinis obſervavimus. Lobelius ad Ceti montis radices, quà in lacum vergit uberi proventu fruticare ſcribit, quod & D. Magnol. confirmat. Auguſto menſe floret.

Semen Maſſilienſi Seſeli multò acrius eſt & odoratius, unde Lobelius eximiarum virium eſſe credit, ideoque ad Theriacam efficacius.

Nomina

Nomina. 3. Seſeli Maſſilienſe *Ger.* Maſ. ferulæ folio *C. B.* Maſſilienſe alterum *Park.* Maſſilienſe nuperorum folio aliquatenus ſimili Viſnagæ. Joan. Bauhin.

Hujus folium dodrantali circiter longitudine & latitudine tenuiter diſſectum, cæſuris Viſnagæ, utcunque latioribus, vidit J. Bauhinus: florentem aut ſemen ferentem non obſervavit. Semen Camerario longius & latius eſt quàm fœniculum, odoris vehementis. Lobelius Seſeli ſuum Maſſilienſe ferulæ folio deſcribit, majoribus, craſſioribus, latioribus, latiuſque ſparſis fæniculi foliis: Caule cubitali & proceriore: Semine in Umbellis mei, compreſſo, carnoſiore; guſtu Seſeli Æthiopici aut Peloponnenſis, valde aromatico. J. Bauhinus dubitat an Lobelius eandem ſecum intelligat plantam.

Nomina. 4 Tordylium ſive Seſeli Creticum minus *Park.* Seſeli Creticum minus. *C. B. Ger.* Caucalis minor pulchro ſemine: ſive Bellonii J. B.

J. B. Tenuem ligneſcentem, albam radicem demittit & ſimplicem caulem habet pedalem aut majorem, ſtriatum, hirſutum: folia per conjugationes longo pediculo adnexa, ſubrotunda, ſerrata, aſpera & piloſa, minora quàm caucalidis majoris, ſemine minus pulchro hirſuto; quibus penitus ſimilia etiam ſunt ea quæ ramorum divaricationi adnaſcuntur utcunque minora nihilque cum ſuperioribus caucalidis majoris foliis habent ſimile; flores in umbellam digeſti ſimiles, candidi, quorum etiam floſculi exteriores majora habent bipartita folia: peltata ſemina, pulchriora, non ita hirſuta, fimbria candida criſpa vel granulata ambiente ſapor plantæ ferè qui ſtaphylini. C. Bauhino flores & ſemina odorata, ac nonnihil acria Myrrhidis guſtu.

J. Bauhinus Monſpelii ſponte provenientem vidit, ubi eam copioſe oriri in vinearum marginibus, præcipuè circa pontem caſtri novi, teſtatur etiam D. Magnol in Botan. Monſp. nos eam in Sicilia circa Meſſinam obſervavimus.

Nomina. 5. Tordilium minimum Apulum *Col.* Seſel. Creticum minimum *C. B.* Seſeli Apulum Creticum minimum *Park.*

Coli hujus radix tenuis admodum, albicans, dura, dulcis, aromatica & calefaciens eſt. Folia coriandrina; majora quæ radici proxima, hirſuta, mollia; quorum primum oblongum, rotundis crenis per ambitum inciſum, ſeſquiunciam longum, latitudine verò unciam parum ſuperans; alterum verò duas æquat, nam veluti lacinias & incipientes lobos habet: tertium caulis imo hærens longiore petiolo binos lobos habet diſtinctos, parvos, rotundos, ſemunciali diametro, & in cacumine folium majus & oblongum, primis anguſtis. Quartum circa tertiam caulis partem hærens, tertio ſimile eſt ſed minus. Quintum vero tantundem ab inferiore diſtans, minus omnibus eſt, & acutius folium quod imminet. Ex illius & caulis ſinu & geniculo ramulus exit. Caulis nudus eſt ſupra folium tertia parte, hirſutus, ſtriatus, durus, tenuis, umbellam habens ſylveſtris paſtinacæ modo cum baſi foliacea, longis foliolis hirſutis conſtructa, ipſamque planam & expanſam, brevibus intus petiolis, in quibus flores albi, denſi, minuti, luteis intus ſtaminibus: hujus ſemina adeo ſunt ſimilia vulgari, ut nonniſi magnitudine differant. Duplo enim ſunt minora, & umbilico nigriore. Majora adhuc vireſcentia purpuraſcunt, deinde albicant, & folia decidunt è caule, ut planta cognoſci nequeat. Sapore aromatico, odorato, amaruſculo. *Raius.*

Seſeleos omnis ſemen eſt inciſivum, diſcuſſivum, aperiens, cephalicũ, venenis præterea reſiſtit, epilepſiæ ac convulſionibus. Radix itidẽ iiſdem inſervit uſibus.

Sevum, vid. *Axungia.*

Sextarius, vid. *Menſura.*

Sicla, vid. *Beta.*

Siderites, vid. *Magnet.*

SIDERITIS.

Sideritis ἀπὸ τȣ̃ σιδήρȣ i. e. ferro dicitur, ob vim vulnera glutinandi ein. Sideritis eam vim habet ut quamvis recenti gladiatoris vulneri alligata ſanguinem claudat. *Plin. lib.* 12. *cap.* 9.

Odore gravi & fœtido cum lamio convenit, foliorum figura differt; nos ſub hoc nomine complectimur omnes verticillatarum ſpecies reliquis generibus floribus non ſpicatis non comprehenſas, ſed eas præcipuè quæ odore cum lamio conveniunt, ſed folia urticæ non habent.

Sideritis vulgaris hirſuta erecta in ſpecie, ut & *Sideritis hirſuta procumbens*, *Herba Judaica* dicta, exſiccant vehementer & adſtringunt, hæmorrhagias ſiſtunt, catarrhos & deſtillationes à capite compeſcunt, vulnerariæ ſunt intus & extus applicari aptæ, præcipuè in herniis & enterocelis, alba itidem mulierum profluvia cohibent. *Raius.*

Sief, vid. *Collyrium.*

Sigillum Beatæ Mariæ, vid. *Brionia nigra.*

SILER MONTANUM.

Siler nomen à *Silè* deductum eſt, quia pro Seſeli ſemine utuntur. At Veteres ipſum Seſeli etiam *Sili* ac *Seli* vocabant.

Haud ſcio (inquit Bodæus à Stapel) an vox Sili rejicienda, nam apud Feſtum legere eſt, Silatum Antiqui dicebant quod nũc jentaculum dicimus, eo quod tum jejuni vinum Sili herba conditum abſorbebant.

Bodæus Semen Sileris majoris acredinis eſſe ſcribit quàm ullum Seſeli, eoque menſtruis ciendis perquàm commendatum.

Nomina. 1. *Siler montanum Officinarum* Lob. Ger. *Seſeli ſivè Siler montanum vulgare* J. B. *Siler montanum vulgo Siſelios* Park. *Liguſticum quod Seſeli Officin. C.B.*

J. B. Humanam ſuperat altitudinem ſileris montani *caulis*. Caulem ramoſque ceu vaginâ laxiore amplectuntur foliorum pediculi palmares aut ſeſquipalmares: ipſa verò *folia* in alas oppoſitas dividuntur. Segmenta extrema terna ferè ſunt, Cytiſi Tragi foliis ſimilia, oblonga, latiuſcula, mucrone leviter obtuſo. Umbellæ latæ, amplæ: *Semen* magnum cum fimbria foliacea, ſtriatum, oblongum, ſapore acri & ſubamaro, veluti corticis aurantii, tandem ad Cymini ſaporem accedente. *Radix* magna coma infimum caulem ornat, rugoſa, digitali craſſitudine, albida, odorata, in altum deſcendens.

In Jura & Saleva montibus propè Genevam, inque Alpibus propè Pontiebam obſervavimus: Alibi etiam in Alpibus frequens reperitur.

C. Bauhinus Liguſticum Matthioli idem eſſe ſtatuit cum ſilere montano. Johannes frater hoc non audet aſſerere, tum quia Matthiolus Seſeli hoc Officinarum cimicum fœtorem repræſentare ait; Liguſtici verò ſemen incolas Liguriæ paſſim in ciborum condimentis adhibere, tum quia Lobelius ſeparat, tum denique quòd ſemen quod apponitur iconi *Camer.* Differt.

Nomina. 2. *Siler montanum anguſtifolium.* Park. *Liguſticum ſive Siler montanum anguſtifolium. C.B.*

C. B. *Prod. Caule* eſt tenui, cubitali in alas brachiato, quæ umbellam albam, parvam ſuſtinent; *foliis* paucis in ſegmenta anguſta, oblonga (Peu-

cedani

cedani inſtar) ſed longè breviora diviſis, quæ in aliis ferè capillacea.

Propè oppidum *Stain* Auſtriæ. *Raius.*

Hæc planta eſt aperiens & alexipharmaca, cujus radix & ſemina electuarium Orvietanum ingrediuntur, valentque præcipuè in Boum morbis. Semen præterea maſticatum, ſpirituſque eo ſic imprægnatus in oculos per fluxionem cataractam minitantem debiliores emiſſus, non parum confert.

Silex, vid. ſub titulô. *Lapis.*

SILIQUA DULCIS.

Nomina. *Siliqua arbor ſive Ceratia J. B. Siliqua edulis* C.B. *dulcis ſive vulgatior.* Park. *Ceratia ſiliqua ſive Ceratonia* Ger. *Caroba* Offic. *Panis S. Johannis* Germanis & Belgis. *The Carob-tree.*

J. B. Arbor (inquit J. Bauhinus) cui fructus cornu modò intortus ſiliquæ & κερατίας nomen fecit [ſiliqua modicè admodum intorta & propemodum recta plerumque eſt] calidioris ſolis amantior, craſſo ut tradunt, caudice in magnam excreſcit altitudinem, latè ramos ſpargens, longos, firmos. *Folia* in alam diſpoſita [Clus. Alata ut Terebinthi aut Piſtaciæ, majora] quorum ſingularia brevi pediculo ad coſtam annexa, ſubrotunda; tres uncias plus minùs lata, paulo longiora, craſſa, rigida, nervoſa, crebris obliquis venulis in margines excurrentibus, ſuperius atro virore ſplendent, inferius pallidiori. Novemb. & Decemb. Julum inſtar juglandis ferè in flores ex rubro purpuraſcentes, ſeſe aperientem emittunt: deinde ſiliquæ, non tantum digito indici æquales, ſed & altero tanto interdum longiores, latiores, modicè intortæ, compreſſæ, callo dulci, eduli, ſemina claudunt membranis diſtincta, ſeminibus Caſſiæ ſolutivæ ferè æqualia, minora tamen, colore ſpadiceo obſcuriore, compreſſa modicè, altero fine in acumen leviter deſinentia, altero latiuſculo, pulpâ buxeâ, durâ, & leguminoſi quid reſipiente.

Quin hæc arbor ſit ſiliqua Plinii, κερατία & κερατωνία Græcorum, minimè dubium eſt.

In Sicilia circa oppidum *Puzallu* frequentem, & ſpontaneam ſeu ſylveſtrem obſervavimus.

In Apulia & regno Neapolitano vel ſponte oritur, vel ſaltem frequens colitur. Itinere à Neapoli ad Romam obſervavit *D. Tancredus Robinſon.*

Veſlingius paucas harum arborum in Ægypto vidit, frequentiores in Paleſtina, plurimas in Judææ montibus, & circa ſacram ibidem Urbem.

Siliquarum (ut rectè Plinius) cortex ipſe mandítur, eſtque melleo ac dulci ſapore. Virides ſumptæ, author eſt Dioſcorides & poſt eum Plinius, ſtomacho incommoda ſunt & alvum ſolvunt. Eædem ſiccatæ alvum ſiſtunt & ſtomacho commodiores ſunt, urinamque cient. Quamvis omnes, qui de his fructibus ſcripſerunt, ſiccatos alvum ſiſtere affirment, nobis tamen contrarium evenit, ſiquidem quotquot Venetiis (ubi magna copia venales ſunt) de iis comedimus, non ſolum nauſeam moverunt, ſed & alvum ſubduxerant non ſecus ac pulpa Caſſiæ, ita ut ventriculus poſtea ab iis abhorreret. Non tamen negaverim poſſe impunè iis veſci qui aſſueverunt.

Ægyptii, tradente Alpino, mel ex ſiliquis extrahunt dulciſſimum, quo Arabes ſacchari loco Caſſias ſolutivas recentes ac parvas, zingiber, Myrobalanos, Tamarindos atque alios multos fructus condiunt. Hujus quoque mellis uſus eſt frequentiſſimus ad clyſteres, & aliqui etiam per os ſumendum concedunt ad ſubducendam alvum: ipſo etiam alvus non minùs quàm pulpa Caſſiæ ibi ad excretionem movetur. Utuntur etiam in renum inflammationibus intus extraque appoſito.

Ad tuſſientes, aſthmaticos ipſum non ſecus quàm Caſſiam exhibent, valdeque ipſos juvat: nec minùs decoctum ex ſiliquis eadem præſtat.

In ardore & dolore ſtomachi ſiliqua Ceratia comeſta eſt egregia: item ſyrupus ex ſummitate. Quercus. *Etmuller. Prax.* Raius.

Siliqua Ægyptiaca, vid. *Caſſia Fiſtula.*

Silphium, vid. *Laſerpitium.*

SIMIA.

Simia, Cercopitheci, Cepi & Cynocephali.

Simia tam prona quàm ſupina corporis parte piloſa eſt, pilo craſſiore. Convenit cum homine facie, ut quæ nares, aures, dentes hominis more habeat: Cilium pariter in utraque palpebra, quanquam prætenue & prolixius in inferiore; cùm cæteræ Quadrupedes inferioribus Ciliis careant. Hanc Ariſtotelis obſervationem confirmant Pariſienſes.

In pectore binas habet mammarum papillas; & brachia hominis modo, ſed hirſutiuſcula, quæ & ipſa & pedes ut homo inflectit. Adhæc manus, digitos, ungues homini ſimiles, verùm omnia rudiora efferatioraque. Pedes ſui generis habet, ſunt enim veluti manus majuſculæ, & digitis ut manus conſtant, medio longiore. Hæc etiam confirmant Pariſienſes; Pedes (inquiunt) nobis deſcriptarum humanas magis manus quàm ſuas, aut quàm hominis pedes referebant, ob longitudinem digitorum & ob conformationem digiti anterioris qui pollicem imitabatur, ut qui longus eſſet, gracilis, & à digito indice longiùs remotus: cùm in manu ſeu pede anteriore adeò brevis eſſet, & digito indici proximè admotus, ut propemodum inutilis videretur.

Veſtigium etiam manui ſimile eſt, niſi quòd in longum ſe porrigat, & volam referens tendat ad poſtremum. Calloſius hoc altera ſui parte extrema eſt, & calcem ineptè atque exiliter imitatur. Pedes officium duplex, tum manuum ſcil. tum pedum, præſtant.

Simiæ dividuntur in cauda carentes quæ *Simiæ* ſimpliciter dicuntur, & caudatas quæ *Cercopitheci* appellantur. Quæ prioris generis ſunt Anglicè *Apes* dicuntur, quæ poſterioris *Monkeys.* In his quæ roſtro ſunt productiore caninum referente *Cynocephali* appellantur. Atque vel caudis longis ſunt, vel caudis brevibus Papiones dicti, Anglicè *Baboons,* magnitudine etiam inſignes.

Simiæ *Pariſienſibus* Academicis deſcriptæ è genere Cercopithecorum erant; parvæ, ſiquidem à vertice ad initium caudæ 20. tantùm digitos longæ: cauda 20 erat digitorum. Brachium 4. digitos longitudinis habebat: à cubito ad extremos digitos 6. unciæ erant. Femur 4½ digit. Crus 5; Pes 4. à calcaneo ad extremum longiſſimi digiti menſura ſumpta.

Omnes 1. in inferiore maxilla utrinque loculum ſeu ſacculum habebant, in quem cibum aſſervandum recondebant; 2. Dentes albiſſimos, humanis ſimiles, exceptis caninis, qui prælongi erant in ſuperiore maxilla, in inferiore ſtrictiores & longiores inciſoribus, aliàs ſimiles, nec acuminati. 3. Omnibus pedes poſteriores anterioribus propemodum ſimiles erant, illorum ſcil. digiti, horum digitis longitudine ferè æquales, ſecus quàm in homine. 4. Scrotum vel nullum vel admodum contractum, quo etiam ab homine differebant. 5. Cutis in clunibus carni arctè adhærebat.

Cercopitheci, *i. e.* Simiæ caudatæ, nam Κέρκος Græcis cauda eſt, Πίθηκος Simia, unicolores, *Cercopitheci* ſimpliciter appellantur, diverſicolores, *Cepi* q. Horti ob colorum, ceu florum, varietatè quibus diſtinguuntur.

Quod ad partes internas attinet, obſervarunt *Pariſienſes* Simias in externis partibus magis quàm in internis hominem referre. Omentum in multis ab humano

humano differt. 1. Quòd lævæ coli parti non connectatur. 2. Quòd muſculis Abdominis mediante peritonæo (quod ligamentum efformabat) alligetur, 3. Quòd vaſa nonnulla non à vena portæ ſola, ut in homine, ſed interdum etiam à cava accipiat. 4. Quòd totum Epiploon magnitudine humanum in tantum excedat, ut hoc illi minimè conferendum ſit. Nam non tantùm inteſtina tota integebat, (in nobis deſcriptis) quod in homine rariùs cernitur, quicquid contradicat *Galenus*, ſed ea etiam ſubtus involvebat & continebat, ut in aliis multis Brutis, præſertim curſu velocibus & ſaltatricibus; ad ea unà cum aliis viſceribus defendenda adverſus rudes illos ſubſultus & concuſſiones quibus inter currendum obnoxia ſunt.

In eo tamen cum humano convenit, quòd una & continua membrana ſit, non ut in plerîſque retis in modum perforata.

Hepar ab humano plurimùm diſtabat, Canini inſtar in 5. lobos tributum. Præter meatum cyſticum tres ductus bilarios habuit, non ut in homine unicum, Hepaticum dictum; qui omnes cum meatu cyſtico in unum communem ductum confluebant.

Orificium Ventriculi inferius dictum majus erat ſuperiore, & revera, inferius, ſecus quàm in homine, in quo in æquam cum ſuperiore altitudinem elevatur.

Inteſtina humanis proportione breviora; paris ferè magnitudinis omnia: ileon pro quantitate Animalium multò quàm in homine majus. Cæcum appendice vermiformi caruit, valde amplum, & valvulis conniventibus multis præditum. Colon in cellulas diviſum, non tamen ut in homine in formam literæ S. inflexum, ſed prorſus rectum.

Renes figura & ſitu ab humanis diverſi; erant enim rotundi & compreſſi, & dexter ſiniſtro multò inferior. Muralius dextrum ſede ſuperiore poſitum obſervavit.

Deſcriptionem partium generationi inſervientium apud Autores noſtros vide. Not. quòd exterius uteri orificium rotundum erat & anguſtum ut in Cane aliiſque Brutis, nec nymphas aut carunculas habuit. Foramen cervicis veſicæ magis introrſum reductum verſus mediam partem vaginæ uteri.

Tubæ uterinæ fœminis proportione longiores, & variis reflexionibus magis erant reduplicatæ, ut in aliis Brutis.

Corpus uteri, ejuſque membranæ, orificium interius, ligamenta tam teretia quàm lata, ejuſque vaſa omnia, & teſticuli per omnia exactè conformia erant muliebribus.

Mammæ etiam & papillæ tum ſtructura, tum ſitu humanas referebant.

Thymus peramplus: Pulmones in 7. lobos diviſi, tres in dextro latere; totidem in ſiniſtro, ſeptimus in cavitate Mediaſtini, ut in plerîſque Brutis.

Cor quàm in Homine acutius, ut & in reliquis Brutis.

Uvula, qua alia Bruta carent, omnino humanam referens.

Cranium humano conforme, ſubrotundum & ad latera compreſſum, oſſe triangulari, cerebrum à cerebello ſeparante in plerîſque Brutis caret. Cerebrum proportione amplum. Proceſſus mamillares non ut in homine molles, ſed duræ & membranaceæ. Rete mirabile nullum.

Reliqua quæ de muſculis habent, apud Autores requirenda omitto nè nimius & odioſus ſim. Obſervationem tamen quàm addunt memorabilem de organis vocis articulatæ & loquelæ præterire nequeo.

Muſculi (inquiunt) Oſſis Hyoidis, linguæ, laryngis & pharyngis, quæ præcipuè voci articulandæ inſerviunt, humanis prorſus ſimiles ſunt, & multo certè magis quàm manuum muſculi; quibus tamen Simia, quæ loquela deſtituitur, ad omnia ferè quæ homo æqua propemodum perfectione utitur. Unde patet loquelam actionem homini peculiarem eſſe, quibus à Brutis magis diſtinguitur quàm manus uſu: At neque neceſſariò infertur, agentia naturalia has vel illas actiones præſtare; quia ad earum exercitium idoneis organis inſtructa ſunt: aliàs Simiæ ſermonis uſu non carerent, cùm ad literas & voces formandas inſtrumenta omnia neceſſaria obtineant. Ità ut nè tribus illis exiguis muſculis careant, quæ ab Apophyſi ſtyloide exoriuntur.

Hoc genus Animalium tum caudatorum, tum cauda carentium ſpecies valdè numeroſæ ſunt: Non tamen multæ apud Autores fide dignos deſcriptæ occurrunt; nec ego in iis quas diverſis in locis, variis temporibus bene multas vidi, deſcribendis curioſius fui, ut qui de Hiſtoria Quadrupedum condenda nè per ſomnum quidem cogitaverim. Cercopithecorum tantùm à Cluſio, Marcgravio & Pariſienſibus traditorum Hiſtorias ſubjungam.

GUARIBA Braſilienſibus *Marcgr.* Magnitudo vulpis; facies elata; oculi nigri ſplendentes; Auriculæ breves ſubrotundæ; Cauda longa, versùs extremum nuda, qua intorta firmiter adhæret rei quam apprehendit. Pili totius corporis (excep [?] pedibus & dimidia cauda exteriore, quæ brunneæ ſunt) nigri, longi, ſplendentes, ità tamen compoſiti, ut Animal læve appareat: ſub mento & gutture longiores in barbam caprinam & rotundam deſinunt. Maximo numero in Sylvis inveniuntur, ibique horribilem clamorem edunt, ut longe audiri poſſint. Unus a. interdùm ſolus clamat, reliqui magno numero circumſident, & quaſi concionem audiunt.

Mirus a. eſt eorum mos ordinarius, quem ſe ſæpius obſervaſſe ſcribit *Marcgravius*. Singulis diebus ante & poſt meridiem ſemel atque iterum conveniunt; unus eorum minor in medio & altiori loco reſidet, reliqui paulò inferiùs circumſident, tunc præcinit ſuperior alta voce & ſigno manu dato, reliqui omnes accinunt, tandiu cantiones prorogantes, donec ſuperior iterum manu ſignum det; tunc omnes uno momento ſilent, & ſuperior grandi voce cantionem finit.

Catulos ſuos in dorſo geſtant, in ramis arborum diſcurrentes: catuli ambiunt (amplectuntur) corpus eorum poſterius, ubi tenuius, pedibus ſuis. Mordax eſt Animal nec domari poteſt.

Dantur & alii nigri ingentes, barba longa villoſa nigra, qui Nigritam mulierem ſolam offendentes vi ſtuprare ſolent. Vera dico & exempla ſcio.

CAGUI Braſilienſibus; Congenſibus *Pongi*, duplex eſt, major & minor. Major magnitudinem obtinet Cercopitheci *Cay* cui & aliquo modo eſt ſimilis (At *Cay* non deſcribit niſi ſit *Caitaia*) Pilos habet cineraſcentis coloris cum pauco tamen nigro mixtos, & longiores paulo quàm minor ſpecies. Facies ei ſubrotunda, leonina, ut & os: Aures ferè rotundæ nigræ, & pilis nudæ: Oculi nigri; Os nigrum; Pili frontis itidem nigri cum cinereo mixti. Cauda pedem & 4. dig. longa, pilis ruffis veſtita.

Cagui minor, tenerum eſt Animalculum & parvum, facie pariter Leonina. Corpus 6. circiter digitos longum, cauda 10. Caput parvulum vix pomum minus æquat: naſus exiguus elatus, oculi teneri: Os parvum cum dentibus acutiſſimis. Aures ſubrotundæ, quas circumſtant pili albi, ordine & cumuſatim poſiti, & quaſi eleganter pexi. Pili autem totius corporis interius & in exortu ruſeſcunt, exteriùs ſunt ex albo & fuſco mixti. Cauda quaſi ex albo

& fuſco annulata eſt. Acutiſſimam edit vocem, in ſaliendo velociſſimum eſt, frigoris impatientiſſimum.

Hæc eadem eſſe videtur cum ſpecie illa quam nomine *Sagouin Cluſius* ex *Lerio* deſcribit, Sciuro non majorem, & ejuſdem fere coloris; habereque formam, (quantum ad collum, roſtrum, anterioremque corporis partem attinet) Leoninæ non abſimilem; ſuperbam, & injuriarum impatientem, valde etiam teneram & delicatam eſſe tradit.

CAT Braſilianis Tououpinambouttiis dictus, *Lerio* deſcribente, puſillus eſt, ſed nigri coloris, maxima ex parte in Sylvis verſatur, & potiſſimum arboribus quibuſdam inſidere ſolet ſiliquas ferentibus Fabacearum magnitudine, quarum fructu veſcitur.

CAITAIA Braſilienſibus, Pilo longiore eſt, ex albido flaveſcente. Caput habet ſubrotundum, frontem haud elatam, aut pene nullam: naſum parvum & compreſſum; Caudam arcuatam. Redolet moſchum. Hæc unica ipſi ineſt gratia. Mitè tractari debet, aliàs altiſſima voce clamat; & facilè ad iram provocari poteſt.

Hæc eſt, ut puto, quam deſcribit Cluſius *Auctario ad Exoticorum libros*, ex *Fernambuco* Braſilianorum advecta, non magna corporis mole prædita, ſatis prolixis villis tecta, gilvi coloris, ſuavem quendam moſchi quodammodo inſtar odorem ſpirans. Hanc aut ſequentem Speciem in Belgio vidiſſe memini. Unde Simiam glandulas ſeu folliculos illos odoriferos ad anum ſitos habere ſuſpicor.

Alius ejuſdem generis ſed major, & pilo magis fuſco inſtar Zibellinorum, moſchum etiam redolet.

CERCOPITHECUS ANGOLENSIS major, Congenſibus *Macaquo Marcgr.* Color pilorum totius corporis ut Lupi: Nares bifidæ elatæ. Caput urſino ſimile: nates calvæ quibus inſidet. Caudam ſemper geſtat arcuatam. Longitudo corporis à capite ad caudam pedalis & major; capitis 6. digit. caudæ pedalis, crura æqualia, 10. digitorum ſingula. In anterioribus cruribus manus $3\frac{1}{2}$ digit. longæ, in poſterioribus quinque. Craſſities corporis maxima 1. pedis & 9. digit. Dentes habet albiſſimos, penem humano ſimilem. Clamat *Hah, Hah*; Mirè geſticulatur. *Angolenſis* alius. Magnitudo præcedenti par. Totus niger, at inſperſo cano nigredini per totum corpus. Cauda 2. pedum & 4. digitorum. Figura ut ſequens, ſed fronte non capillata.

CERCOPITHECUS BARBATUS Guineenſis, Congenſibus *Exquima*. Pilos habet fuſcos, ſed per totum dorſum quaſi aduſtos ſeu ferrugineos: fuſcis autem punctulatim inſperſus color albus. Venter albicat & mentum inferius. Barbam quoque egregiè albam habet, conſtantem capillis 2. & amplius digitos longis, paſſis quaſi ordinatim pexa fuiſſet.

Quando hæc ſpecies iraſcitur, os amplè diducendo & mandibulas celeriter movendo, hominem exagitat. Egregiè ſaltat. Varios fructus hi omnes comedunt, extremè tamen *Paco* delectantur.

Alius Guineenſis priori magnitudine par. Color pilorum maxima parte corporis nigricans cui umbra admixta; in ventre autem ſubcæruleſcens è cinereo: Caudæ medietas ulterior ex ruffo flaveſcens. Os cœruleſcit. In gena utraque magnam copiam tenet pilorum longiorum ex albo flaveſcentium, inſtar magnæ barbæ hircinæ uti & ad utramque aurem. Crura & pedes nigra. Ludit & clamat ut alter.

Guineenſis tertius Marcgrav. Minor eſt priori, pilo ex umbra griſeo, fuſco & flavo admixto, ferè ut in dorſo leporino. Caput huic parvum, cauda longa. Caret barbâ.

Cercopitheci quatuor Pariſienſibus deſcripti è minorum genere erant. Magnitudine conveniebant & plerisque aliis notis. Eorumque tres, qui mares, ſolo pilorum colore differebant.

Primus ruber erat ad viridem inclinans, in dorſo paulò obſcurior, in pectore & ventre dilutior.

Secundus è *Ceporum* genere. Nam præter colorem rubrum virideſcentem in dorſo: pectus, venter, & crurum pars interior cinereo tingebantur.

Tertius in pectore, ventre, armorum & crurum parte interna, atq; etiam clunibus albus erat. Dorſum ab omoplatis ad caudam obſcurè rubrum. Femorum & Armorum ſuperficies exterior nigra, ut & vertex capitis. Unuſquiſque a. pilus niger rubris & albis maculis varius erat, duabus maculis rubris verſus ſummũ partẽ notatus, inferiore medietate alba. In mento barba alba acuminata, digitum longa. Pili in dorſo digitum longi, circa collum ſeſqui-digitales, erectiores & collare ſimulantes. Supra oculum margo quædam alba, in qua ordo pilorum nigrorũ ſupercilii inſtar elatus. Iris oculi è rubro flavicans, pupilla perampla. Caput rotundũ, facies plana, humanam referens, naſo brevi & ſimo.

Quartus fœmina erat, roſtro oblongo ad cynocephalos accedente. Pilorum color triplex. Pectus & venter rubro & cinereo mixtis tegebantur. Arma & crura Bœtico ſeu caſtaneo obſcuro colore erant. Dorſum rubro & caſtaneo varium, alicubi rubro, alibi caſtaneo prævalente, & maculas amplas efficiente, propemodum ut in Catis. Neque colorem album in fronte, neque barbam habuit ut præcedens.

Hæ duæ poſteriores ſpecies *Sapaious* Gallis dicuntur.

Cercopithecus Indicus Bugêe dictus: Caſtorem capite, pilo, magnitudine proximè referebat: Cauda & pedes diverſi. Rarum eſſe Animal etiam in India, cuſtodes ejus D. *T. Robinſono* affirmabant, à quo Londini in platea vulgo *the Strand* dicta viſum fuit ſuperiore anno.

Simia alba ſeu incanis pilis, barba nigra promiſſ. ex Zeylona: *ELAWANDUM* Zeylanenſibus. D. *Robinſon* è *muſeo Leydenſi. Cercopithecus niger, barba incana promiſſa. WANDURU* Zeylanenſibus *Ejuſdem muſei.*

Papio, i. e. Baboon Geſnero deſcripta & depicta è Cynocephalorum genere eſt. Geſnerus Hyænam Veterum eſſe concludit, multis hactenus ſeculis re, nomine, & figura doctiſſimis etiam viris ignotam. Verùm Veteres de Hyæna multa fabulantur, ut quòd ſexum quotannis mutet; quòd collum in vertebras non dividatur, ſed ſimplici recto & continuo oſſe rigeat; quòd oculi in mille colores ſubinde tranſeant; Quæ cùm nulli Animali conveniant, non dari in rerum natura ejuſmodi Animal meritò quis ſuſpicetur. Nos tamen Taxum ſeu Melem Hyænam Veterum fuiſſe opinamur.

Lapides Bezoartici, & quidem omnium præſtantiſſimi ex Simiis deſumuntur majoribus ſive Bavianis & Borneæ, referente D. *Grimmio*, D. *Tavernier* ex Simiis talibus deſumi ait, quæ per inſulam *Macaſſar* vagantur; tantæ a. virtutis eſſe ut gr. ij. ſuperent 6. gr. lapidis è capris deſumpti. De præſtantia etiam conſentit *Bontius*. At *Philippus Baldæus* pretio longè viliori venire in ſua Malabaricæ & Cormandelii regionis deſcriptione refert, cap. 16.

Bontius in ventriculis Simiarum naſci rectè aſſerit: in capite oriri, ut Bandæ incolæ Baldæo affirmarunt, nimium facilis eſt qui credit. Rotundæ figuræ hos eſſe tradit D. *Tavernier*, dum qui ex capris exempti ſunt variis ſe prodant formis: Autores reliqui de figura non conſentiunt. Vide *Ephem. German.* An. 12. Obſerv. 189. p. 420.

CERCO-

CERCOPITHECUS barbatus 1. *Cluſ.* quem Guineenſi barbato *Marcgr. Exquima* Congenſibus dicto eundem puto. Magnitudo Cercopithecorum vulgarium majorum; ſupina corporis pars tota nigris villis tecta, quibus fuſcus color admixtus; prona longioribus villis, iiſque albis obſita. E mento propendebat dodrantalis longitudinis barba in mucronem deſinens, alba ſive incana. Aures non magnæ, nares ſimæ; Cauda valdè longa, & ſatis craſſa, cujus extrema pars in longiorum villorum floccum deſinebat, perinde ac leonis cauda; quæ nota inſignis eſt, & pauciſſimis communis. Pedes in 5. longiores digitos fiſſi, anteriores præſertim, quibus tanquam manibus utitur: ungues ferè humanis ſimiles.

CERCOPITHECUS barbatus 2. *Cluſ.* Elegantior erat, & magis politus quàm ſuperior: nam valdè terſis & nitidis pilis totum ejus corpus erat tectum, illiſque multò brevioribus: pectus etiam album habebat, & anteriorem ventris partem: cana etiam barba mentum ejus ornabat, minus tamen, prolixa quàm ſuperioris, & palmaris duntaxat longitudinis, eaque mucronata. Hujus cauda in floccum non deſinebat ut præcedentis, ſed ſimilis erat formæ cum Cercopithecorum vulgarium caudis.

CERCOPITHECUS non barbatus 1. *Cluſ.* Pili mediocris longitudinis fuſci ex flavo coloris: guttur tamen & totum pectus albicantibus villis erat obſitum. Cauda non valdè hirſuta, ſed lævis quodammodo, tanquam avulſi fuiſſent pili; extrema autem ejus pars in longiorum villorum floccum deſinebat, veluti prioris barbati cauda.

CERCOPITHECUS non barbatus 2. *Cluſ.* Majore corporis mole præditu fuiſſe videbatur, roſtrumque prorſus fuſcum habuiſſe, caput caneſcentibus villis tectum, & collum cum pectore longis villis, Leoninæ jubæ inſtar etiam caneſcentibus obſitum, alioqui forma ſuperiori non erat valdè diſſimilis.

Cercopithecus SAGOVIN Cluſ. Sciuro minor erat, & adeò delicatulus, ut molli villoſaque pelle fovendus eſſet ob aeris frigidioris aſperitatem. Roſtrum & capitis pars anterior Leoninam quodammodo formam referebant, fuſcoque colore, cui rubedo quædam admixta, erant prædita: Aures albentibus villis hirſutæ, quibus ruber color etiam admixtus: guttur & pectus longioribus villis partim fuſcis, partim albis tecta habebat: reliqui pili per corpus ſparſi albi & nigri, radiatim à dorſo ad ventrem erant diſpoſiti: cauda etiam, quæ longa erat, ſimilis coloris pilis alternatim erat tecta: venter nigris pilis veſtitus: Crura breviores albi pili quidam rubedine infecti tegebant. Pedes in 5. digitos non valdè longos fiſſi albis unguibus erant præditi. E ceporum genere.

Hic idem eſſe videtur cum *Caguei*, ſeu *Pongi* ſecunda ſpecie *Marcgrav.* potiùs quàm *Sagouin* Lerij, ſi modò *Sagouin* Lerij à *Sagonin* Cluſii diverſa ſpecies ſit.

D. Tancred. Robinſon obſervavit elegantiſſimum animal in Muſeo clariſſimi & generoſiſſimi viri D. *Charleton.* Inter Simiam & cynocephalum ambigere videtur, ei cauda nulla vel brevis, roſtrum productius, pili ſericei, inſtar ſciuri Norvvegici, auriculæ rotundæ; in uno digito pedum poſteriorum unguiculi acuti ſunt, reliquis omnibus lati: Ex inſula Ceylona advectum erat animalculum hoc rarum & elegans.

Raius in Synopſi Hiſtor. Animal. Quadrup.

Caro Simiarum adſtringens reputatur, creduntque præterea quòd cor hujus animalis toſtum & comeſtum memoriam juvet. Adeps eſt reſolvens ac nervis ſeu nervoſis partibus confert.

SINAPI.

Σίνηπι dictum putatur παρὰ τὸ σίνεσθαι τοὺς ὦπας τῇ ὀδμῇ, quod olfactu oculos lædat, vel quaſi σινοννάπυ; Atticis enim idem eſt, νάπυ cum σίνηπι. Nos potius exoticum eſſe putamus hoc vocabulum, cujuſmodi ſunt χόμμι & πίπερι & alia nonnulla ſimiliter terminata. Quòd verò Gallis *Mouſtarde* vocatur, ex eo factum videtur, quòd Muſto Sinapi ad intinctus conteri ſoleat. Camerario Muſtarda dicta placet quaſi muſtum ardens; quòd ignea vi ſemen nares & cerebrum apprehendat, lachrymas excutiendo, nullo aſperrimi ſaporis odore prævio. J. B.

Rapiſtrum dicitur ob ſimilitudinem herbæ cum rapo.

Notæ Sinapeos genericæ ſunt ſapor foliorum, ſed præcipuè ſeminum, fervidus & acerrimus; folia tam quæ in caulibus, quàm quæ ad radicem aſpera.

In hoc genere ſpecies illa elatior, ſiliquis quadratis, brevibus cauli appreſſis, ſemine minore & acriore propriè Sinapi dicitur: humiliores ſiliquis teretiuſculis majoribus à Caule extantibus, ſemine majore, at minus acri, rapiſtra appellantur.

Nomina. Sinapi ſativum 2. *Ger. emac. deſcrip.* Sinapi ſiliqua glabra latiuſcula, ſemine ruffo ſive vulgare *J. B.*

J. B. Ad cubitos aliquot excreſcit, caule imà parte hirſuto, ſuperiore glabro, frequentibus ramis brachiato (imo omnium hujus generis nobis cognitorum altiſſimo & ramoſiſſimo) coque tereti & fungoſa medulla pleno. Folia inferiora quidem lata, diſſecta tamen, rapitiis ſimilia, hirſuta, ſuperiora vero tenuiora & glabra (odore ſi terantur eodem qui in ſemine percipi ſolet, Flores erucæ minores, & rapiſtri lutei, ex quatuor foliolis apicibuſque medium occupantibus compoſiti, quos quatuor foliola, pallido herbaceo colore prædita obvallant, odore ſuavi. Hos excipiunt ſiliquæ glabræ, ſatis breves, erucæ Majoris ſimiles, ſed minores, ex brevi pediculo, quæ commiſſuræ ratione, ut illa, dehiſcunt, ſemina claudentes plus minus octo, cũ in eruca multò ſint plura, colore minus obſcuro, & paulo majora, in hoc à rapiſtri ſeminibus differentia quòd ruffa ſint, nec lucida, cum illa nigri ſint & nitida. Radix candida, lignoſa, fragilis, fibrata.

Sinapi rapi folio C B. Sativum Ger. Sativum Rapi folio Park. Pro Sinapi vulgari accipitur, verum male ab autoribus deſcribitur, ut deſcriptiones eorum cum noſtra conferenti patebit.

Annotat J. Bauhin. ad hanc plantam, nullum, quòd noverit, Botanicum bonam iconem exhibuiſſe Sinapeos de quo hic agitur, vixque ab aliquo ritè deſcriptam videri. Et revera mira eſt inter botanicos confuſio & obſcuritas in hiſtoria hujus generis.

Thomas Johnſonus omnium optimè, quamvis breviter & ſuccinctè Sinapi hoc vulgare noſtratibus Muſtard dictum deſcripſit, in ſuo Gerardo emaculato. Sinapi noſtrum vulgare (inquit) folia habet rapacea: caulem teretem, ſuperius glabrum, tres, quatuor, vel quinque cubitos altum, in multos ramos diviſum, foliis anguſtis, oblongis, deorſum dependentibus, ſuperiore præſertim parte veſtitos, ſiliquæ breves ſunt, cauli appreſſæ & ferè quadrangulæ: ſemen ruffum, aut ex ruffo nigricans.

Siliquas quadrangulas eſſe & cauli appreſſas, miror J. Bauhinum in deſcriptione omiſiſſe: cum in rapiſtri vulg. arvorum illius meminerit.

C. Bauhinus, annotante fratre, hic omnia turbare videtur & entia præter neceſſitatem multiplicare.

In hortis & areis, inque foſſarum aggeribus, & terra recens effoſſa ſponte & copioſiſſime exit.

Seminis ſinapeos pro condimento uſus eſt frequentiſſimus. Noſtri (inquit J. Bauhinus) muſteum ſemen nocte macerant aquâ, deinde manibus expreſſum adjecto aceto pilâ terunt. In variis modis condimentum hoc præparant. Quidam ſemen Sinapeos ad ignem exſiccant, deinde in mortario tundunt, tuſum per ſetaceum trajiciunt; & farinam cum aceto probe permiſcent ad Electuarii propemodum conſiſtentiam. Alii in mola ad id parata cum agreſta unà conterunt: hæc confectio muſtarda tàm Anglis quàm Gallis dicitur, quod cum muſto Sinapi ad intinctus conteri ſolet. Camerario muſtarda dicta placet quaſi muſtum ardens, quod ignea vi ſemen nares & cerebrum apprehendat, lachrymas excutiendo, nullo aſperrimi ſaporis odore prævio, ut ſuperius monuimus.

Nihil hodie muſtarda ad intinctus ubique, hyeme præſertim frequentius: nihil magis epulas commendare videtur, quòd ſi vel aſſidua conſuetudine, vel eſu gratia ciborum exoleſcit, hujus acrimonia faſtidioſis guſtum revocant, & hoc velut irritamento elangueſcentem appetentiam invitant, quo velut igniculo moroſius palatum titillante, vorandi moliuntur aviditatem J. B. Sed hujus vis confeſtim in ſublime fertur, nec aliud magis in cerebrum & nares penetrat, unde Sternutamenta ciet, & ſenſum vellicans lachrymas elicit. Hinc comitialibus auxiliatur, & uteri ſtrangulatu oppreſſos excitat, quin & lethargicis ſomnolentiam excutit, & omnibus in genere morbis cephalicis auxiliatur, paralyticis & apoplecticis, vel naribus inditum, vel in Sinapiſmis adhibitum.

Multas præterea vires Sinapi tribuunt Medici & Botanici tum veteres, tum recentiores, menſes & urinam ciendi, venerem irritandi, acceſſus febriles arcendi, catarrhos minuendi, raucedinem curandi, pituitam expectorandi, alvum molliendi, tumores diſcutiendi.

Inter hæc eſt vis rubificandi, hoc eſt, cutim in ruborem attollendi, quod fit per phænigmos aut Sinapiſmos, inde dictos quòd materia eorum ſit Sinapi. Hoc fit ideo ut humores in profundo habitûs latentes ad ſuperficiem trahantur; quod vocabant methodici μετασυγκρίνειν, & medicamenta inde μετασυγκριτικὰ C. Hofman.

Sinapi inſigniter conducit iis quibus ventriculus ac inteſtina multis viſcidis lentiſque humoribus ſcatent, qui liquefacit, fundit, atque abſtergit, qua ratione quoque Scorbuticis commendandum, cujus quidem nimia acrimonia aceto temperanda, ne nimis nares feriat. Qui edulcorant Saccharo valetudini minus conſulunt, quippe ſaccharum figit ejus acrimoniam, quâ ſcorbuto reſiſtit. Simon Paullus.

Semen Sinapeos in mortario tritum & cum vino albo mixtum multas centurias ſcorbuticorum & languentium hominum in obſidione Rupellenſi ſanitati reſtituit. Plerique enim obſeſſorum & urbe incluſorum fame & inedia preſſi, multa ſordida & quæ natura abhorret eſitare coacti, reſpirandi difficultatem, gingivarum putredinem, dentium nigritiem & vacillationem, aliaque ſcorbuti ſymptomata contraxerant, unde multi moriebantur, donec tandem Sinapi in foſſis circa urbem copioſè inventum & quo dictum eſt modo adhibitum omnes liberavit. Ex relatione D. Mervault, qui toto obſidionis tempore in urbe manebat communicavit D. Tancredus Robinſon.

Sinapi cum vino calido magna quantitate potum curat febrem quartanam ſi exhibeatur duabus horis ante paroxyſmum D. Palmer ex relatione *D. Hermanni.*

Dantiſcanus quidam valdè pronus ad vertiginem & apoplexiam conſilio medicorum ſolebat ſemen Sinapeos ad præſervationem maſticare. Cum vero propter ſenium ulterius id facere non poſſet, in pollinem redactum aſſumebat ore volutando, tandem cum ne hoc quidem modo eodem frui poſſet, in linteolo ligatum olfaciebat. Hoc autem efficiebat, ut diutiſſime vivens ab his malis omnino immunis degeret. D. Soame ex obſervat. Hieron. Reuſneri à Velſchio editis. *Raius.*

SINAPISMUS.

Sinapiſmus ſpecies eſt cataplaſmatis quæ in Lethargicis, Catoche atque in ſtupidis ac ſegnioribus naturis eò adhibetur ut ſenſus partis hebes excitetur, facultas affulgeat, calor excitetur, humor diſcutiatur.

Conficiendi Sinapiſmi modus ex Oribaſio & Aetio eſt hujuſmodi. *Caricas in aqua tepida pridie macerare oportet, poſtridie vehementer expreſſas contundere, dein acerrimum ſinapi per ſe terere, caricarum cremorem inter terendum paulatim affundendo, quò faciliùs teri poſſit, non tamen fiat aquoſum. Tum in maſſas leves redigito, alteram ex caricis, ex ſinapi alteram. Et cum vehementem Sinapiſmum volueris, duas Sinapi partes uni caricarum addito; ſi mediocrem, utriuſque partes æquas; ſi imbecillam, tertiam tantùm Sinapi partem duabus caricarum.*

Si ex acetô paratur Sinapiſmus, inefficacior eſt ac imbecillior, quia Sinapi virtutem diſcutit acetum.

Linteô autem excipi debet Sinapiſmus, ut parti adhibeatur, quàm ſæpe intueri oportet, utrum ex illius admotione ſatis ruboris contraxerit, alii enim citiùs, alii ſeriùs ejus ſenſum percipiunt. Quòd ſi longô temporis ſpatio Sinapiſmus cuipiam parti admotus non agat, nec cutis colorem immutet, ſpongiis aquâ calidâ imbutis fovenda eſt, ut faciliùs intrò facultas illius queat ſubire. Ut enim Sinapiſmus excrementa ad cutem evocare queat, hanc ſi non ulcerare, ſaltem rubrificare debet; unde & Phænigmus hoc eſt rubrificans medicamentum ſolet appellari.

Poſt ſufficientem Sinapiſmi uſum, in balneum ducendus eſt æger, à quô pars roſaceô illinenda. *Renodæus.*

SIRUPUS.

(1.) *Saccharum cum liquore inſpiſſatum ſirupos conſtituit.* Ut forma hæc externa pateat, elementa videnda ſunt ſiruporum, quæ duo ſunt, ſaccharum, vel mel, & liquor aqueus. Hæc duo inſpiſſatione legitima per ſe conſtituunt ſirupi formam. Hinc ſaccharum fluidum, ſeu liquidum impurius ſirupus audit, *Sirup.* Mel verò ipſum paulò rarius eligitur, & magis ferè pro uſu externo, unde mel roſatum colatum, mercuriale, anthoſatum clyſteribus uſitatius induntur, exceptis compoſitis, oxymel enim ſimplex, ſcylliticum, helleboratum ad affectus pectoris pituitoſos interius uſitatum eſt. Internam verò formam ipſa ſimplicia largiuntur, adeoq; ſirupi eſſentiale eſt, ut ſaccharum inſpiſſatum ſit, virtutem mutuatū à quocunq; vegetabili. Inſpiſſatio hæc fit leni coctione ſeu ebullitione, ubi unà impuritates auferuntur, & ſaccharum clarificatur, addito albumine ovi. Inſpiſſatio porrò hæc vel ſolitaria eſt, vel conjuncta cum ipſo

ipſo vegetabilis ſucco; hinc ſi ſaccharo ſirupiſato addatur extractum vel eſſentia v. g. papaveris rhæados, extemplo habetur ſirupus, & ſic porrò. Hinc ipſa quoque conſiſtentiam importat, ut ſirupus non ſit ſimplex liquor aqueus, dilutus penitus, aliàs ſitum contrahit, ſed liquidum quidem corpus, aſt paulò ſpiſſius, inſtar mellis colati, utut ſirupi alii aliis magis diluti, aliis magis craſſiores ſint.

(2.) *Sirupi ſuccos, decocta, infuſa, extracta æmulantur & comprehendunt.* Cum enim neceſſum ſit vegetabilium vires, à quibus denominantur, contineant, ſuccum & ſanguinem quaſi eorundem elicere oportet, eundemque cum ſaccharo inſpiſſare & jungere. Hinc vel ex ipſo ſucco recenter expreſſo ſucculentarum plantarum conſiunt, vel per acceſſum liquoris extraneum electo. Sic ex ſucco depurato acetoſæ, roſarum, violarum, ſcabioſæ, cardui benedicti, portulacæ, ſirupi eorundem parantur. Notabile eſt inprimis, è ſuccis parari ſirupos fructuum ſucculentorum, ex uvis immaturis, qui de omphacio ſeu agreſta dicitur, ribibus, berberibus, rubo Idæo &c. Cum verò non omnia ſucculenta ſint, ut poſſint commodè exprimi, vel penitus ſuccus & virtus omnis expreſſione ſola exhauriri, infuſio & decoctio ſuccedit, ejuſque vicem implet. Sic præter alia fit ſirupus roſarum & violarum ex infuſione ſimplici vel multiplici, qui ſolutivus audit, affundendo floribus ipſis aquam ferventem, ut imbibatur liquor hic virtute & colore eorundem. Imò ſtudiosè nonnunquam ex ſiccis fit ſirupus, ut vis ſolutiva auferatur, & roborandi adſtringendique potius ſe exſerat, uti v. g. ſirupus de roſis ſiccis in uſu eſt. Hinc benè addendum, quem ſirupum intelligamus, variant enim virtutibus, an ex roſis ſimpliciter, an ex ſucco, an de roſis ſiccis, an roſarum ſolutivum ſeu compoſitum. Hinc adeoque res eò redit omnis, ut *ſirupi nihil aliud ſint, quàm extracta vegetabilium liquida ſaccharata.* Extracta, inquam, ſunt, nam & ipſi ſucci decoctione mivam ſeu ſirupi formam induunt, & extractum ſiunt, & infuſione ſimili eademque penitus parantur.

(3.) *Sirupi ad gratiam & durationem parantur.* Gratiam largitur ſaccharum vel mel, durationem juſta conſiſtentia. Hinc utut pondus ac proportio ipſius ſacchari pro varietate ejuſdem & ingredientium variet, & arbitrio ferè Pharmacopœi id committi ſoleat, attamen vel anaticè recipitur, vel, quod uſitatius, ad part. j. liquoris, part. ij. circiter ſacchari, quæ ipſa acceſſio ſacchari palato gratius reddit medicamentum, ut facilius aſſumi poſſit. Ut verò duret, non ſufficit ſal hoc Pharmacopœorum, ſaccharum ſolum, verùm etiam conſiſtentia juſta requiritur, aliàs muceſcit & ſitum contrahit, ac corrumpitur. Hinc decoctio ad tertiæ vel quartæ nonnunquam partis conſumptionem fieri circiter debet, ut reverà ſit ſaccharum cum liquore non mixtum, ſed inſpiſſatum, ac concorporatum intimè; adeoque hinc fluidum quidem exiſtere, attamen, ob aqueas partes corruptibiles abſumptas, aſſervationi longiori aptum.

(4.) *Volatilia ſirupiſari inepta.* Ut in omnibus medicamentorum generibus parandis videndum & conſiderandum eſt, quæ ex quibus elici & confieri poſſint; ita etiam id valet in ſiruporum confectione. Volatilia intelligimus illa, quæ in ſe continent ſal volatile copioſum, ſive per ſe eminens, ut in plantis antiſcorbuticis, ſive ſulphure ſimul volatili fœtis, ut de roſmarino, majorana, meliſſa & ſimilibus cephalicis notum eſt. Ratio eſt, quia coctione avolant, licet media inveniri queant, quò minus abitus hic fiat, ſi cum ſaccharo ſirupiſato miſceantur, inconvenientiora tamen paulò hæc pro ſirupiſatione ſunt; unde ex hiſce talibus rariſſimi vel nulli proſtant ſirupi, & qui ſceletyrbicus audit Foreſti, ſolùm inter hos numeratur, temperatus, fit verò ex cochlearia & becabunga, nihilominus & hîc volatile ſal cochleariæ avolat. Contra ea ex dulcibus, acetoſis, amaris, frequentiores ſunt & rectius parantur, illa quippe minus evaporatione aufugere norunt, quin non tantum alterantes, verùm etiam purgantes ex taliſmodi jam dictis, non nimis reſinoſis, aptè parantur.

(5.) *Sirupi acidi non benè adſervantur in vaſis ſtanneis.* Valet id in genere quoque, acida in metallinis vaſis non benè adſervari, & quò magis quidem acida ſunt, eò minus; evocant enim illa ipſa brevi tempore ſal ♃-licum, unde ſaporem conſimilem corpori noxium acquirunt, in ſpecie verò de ſirupis, unde ſirupi acetoſitatis citri, berberum, ribium, & ſimiles aliter veniunt in uſum ſervandi, ſi uſum, non noxam inde haurire volumus, ut taceamus hoc loco, acida facilè conſiſtentiam ſacchari deſtruere, adeoque liquidiores ferè reddi ſirupos acidos.

(6.) *Sirupi medicamentorum aliorum condimenta.* Quod alimentis ſunt bellaria, quæ tamen coctioni non ita favent, id medicamentorum generi ſunt ſirupi. Hinc ſirupi per ſe rarius ſoli adhibentur, neque enim ad ℥j. iſs. ij. adſumuntur, uti quidam libri tranſcribendo, alii more ſeculi illius, quo editi ſunt, id ponere ſolent. Hinc nec medicamentis aliis, niſi ad gratum ſaporem adduntur, id quod tamen non ad nauſeam intelligendum eſt. Hinc etiam plurimis ſirupis carere poſſumus, quippe magis edulcandi fine ferè, adeoque ſecundariò, non primariò, magis expetuntur. Hinc etiam in acetoſis & aliàs in ipſis gratia quoque tuenda eſt, addendo ſaccharum legitima quantitate. *Wedelius.*

Hæc de Syrupis in genere, jam de eorundem variis Compoſitionibus in ſpecie & I. De Sirupis Alterantibus.

Sirupus de Abſinthio ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Abſinthii pontici, ſeu Romani* ℔ſs. *roſarum rubr.* ℥ij. *ſpicæ indicæ* ʒiij. *ſucci cydoniorum* ℔iij. *&* ℥ iij. *macerentur in vaſe fictili horis* 24. *deinde decoquantur, exprimantur, & colaturæ addantur ſacchari* ℔ij. *Fiat, ut eſt artis, ſirupus.*

Ventriculi, hepatis, & viſcerum aliorum imbecillitati etiam dolorificæ, & cachexiæ præſertim à cauſa frigida ſuccurrit: adpetentiam dejectam excitat; inteſtinorum & viſcerum retentricem vim confirmat: flatus diſcutit; auriginoſos juvat: humoreſque per urinas propellit: datur etiam in albo & pituitoſo menſium fluore.

Quamvis ſubtiliorum partium magna ex parte jacturam in coctione hujus ſyrupi contingere, nemo diffiteri queat, eaſdem tamen, utpote intentioni noſtræ neceſſarias, haud ægrè ferre poſſumus, eorum defectum, ſi neceſſitas poſtulat, ex tempore, aliarum ſcopo ſatisfacientium admixtione, facilè ſupplentes; ſi quis tamen aliquod earum connubium in hoc ſyrupo expetat, tum aliis modis, tum ſequenti etiam, præparationem inſtituere poſſet: Abſinthium ſcilicet, Roſas & ſpicam in aliquot vini unciis aliquandiu macerando, & exprimendo, remanentiam verò cum ſucco cydoniorum coquendo, exprimendo, & colaturam ſaccharo additam clarificando, atque ad craſſiorem conſiſtentiam per coctionem deducendo, ut dein cum ſuperiori infuſione, prius depurata, ſyrupus fieri queat, nativo vini &c. ſapore & odore magis pollens quàm ſi per deſtillationem ſeparatæ tenuiores partes ei

acceſſerint. Litem tamen haud movebimus, ſi quis alibi, per deſtillationem partes dictas ſeparando, eaſdem ſyrupo ſuo jungere ex arte voluerit; nos interea vinum quondam addi ſolitum omiſimus; cum cydoniorum ſuccus ſic ſatis extractioni neceſſariæ ſufficiat.

De Abſinthio compoſitus paulò aliter ex *Pharm. Londin.*

℞. *Abſinthii vulgaris, mediocriter ſicci,* ℔ß. *roſarum rubrar.* ℥ij. *ſpicæ indicæ* ʒij. *vini albi veteris generoſi, ſucci Cydoniorum an.* ℔ ſs.

Macerentur calidè integrum diem, in vaſe fictili; tum leviter coquantur in B.M. & colentur; addiſque ſacchar. ℔ j. Fiat ſyrupus ſecundùm artem.

De Abſinthio ſtomachalis & hepaticus. *Zvvelferi.*

℞. *Herb. recent. Abſinthii* ℥vi. *menthæ criſpæ* ℥iv. *roſar. recentium* ℥ ij *ſpicæ indicæ* ℥ß. *Rad. calami aromatici recent.* ℥ij *quæ minutim inciſa & contuſa immittantur cucurbitæ vitreæ, ſuperaffundendo vini opt. generoſi vel Hiſpanici* ℔iv.

Stent in digeſtione loco calido die unâ, poſteà, appoſito capitello juncturiſque benè clauſis, fiat deſtillatio & abſtractio libræ unius circiter & unciarum decem: Reſiduæ in cucurbita ſpecies unà cum vappa vini (quæ exantlata ſpirituoſa parte tota eſt nauſeoſi ſaporis, odoriſque ingrati, ventriculo, uti vidi, inſignem labefactationem afferens) abjiciantur. Abſtractæ verò aquæ odoriferæ & ſpirituoſæ de novo immergantur ſequentia minutim inciſa.

℞ *Herb. recent. Abſinthii* ℥iv. *menthæ* ℥ij. *caryophyll* ʒij. *vel* ʒiij. *nucum moſchatar.* ℥ß. *maſtichis electi conquaſſ.* ʒij. *factaque digeſtione per diem unum vel alterum in Alembico vitreo benè clauſo, fiat colatura & expreſſio, liquor colatus & per reſidentiam depuratus filtretur, interimque aſſervetur. Tum.*

℞. *Reſiduas ab infuſione præcedenti ſpecies, additis, herb. recent. Abſinthii* ℥iv. *menthæ criſpæ* ℥ij *rad. calami aromat. recent.* ℥j. *galangæ* ℥ß. *roſarum rub.* ℥j. *ſantali rubri* ℥ß. *inciſa, coquantur cum aqua ſimplicis* ℔iij. *ad remanentiam lib. unius cum dimidia, colatura poſt expreſſa ac probè clarificata, additis ſacchari albiſſ.* ℔iij *porro ad conſiſtentiam ferè Tabulati coquatur, tùm demùm jungatur Aqua ſpirituoſa ſuperius aſſervata, ac recentibus ſpeciebus impregnata,* ℥. *ſcil. x.*

Ac ſola diſſolutione fiat ſyrupus præſtantiſſimus: qui ventriculi, hepatis, & lienis imbecillitati, à cauſa frigida obortæ ſuccurrit, appetentiam excitat, flatus diſcutit, facultatem retentricem confirmat, adeoque in cachexia & Diarrhœa à debilitate & frigida ventriculi ac hepatis intemperie ſuborta præſtans eſt remedium; ſumptus quotidie in vini potu, vel alio vehiculo, morbo conveniente: utpote vino Cydoniorum aut alterante juſculo ab ℥ß. ad ℥j.

Nota: Libuit præparationem hujus ſyrupi, à priori in Pharmacopæia regia præſcripta, non abs re immutare, præſertim in abjectione ſpecierum à deſtillatione relictarum propter vappam vini illis adhærentem, & ab iiſdem minimè ſeparabilem, additis tamen harum loco recentibus herbis & ſpeciebus, quippe precium ſyrupi tantopere non augent tanquam levi ære comparabilia, cum interim ſyrupus, ademptâ vappoſâ nauſeâ evadat palato & ſtomacho gratior, acceptabiliorque naturæ. Notetur præterea: quod præfatus ſyrupus de Abſinthio, pro abſtemiis, omiſſo vino totaliter, ſubſtituto loco hujus vino Cydoniorum, non minus dextrè parari poſſit, vel etiam in modum ſequentem confici, utpote.

℞. *Succi Abſinthii noſtrat. probè depurati* ℔ſs. *ſucci ſeu vini Cydoniorum recentis* ℔iiſs. *quibus immerge ſequentia, inciſa prius & contuſa, nimirum: Abſinthii recentis unc. iv. menthæ criſpæ recentis unc. iij. calami aromatici, galangæ an.* ℥j. *roſarum rubr. unc. iſs. & facta digeſtione, duabus circiter diebus, coquantur ad remanentiam libræ unius ſemis, coletur, exprimanturque ſpecies, colaturæ expreſſæ, ac albumin. ovi probè clarificatæ adde ſacchari albi canarii* ℔ii. *& denuo ad ſyrupi conſiſtentiam percoque, cui pro aromatiſatione adde Elæoſacch. cinamomi* ʒvi. *caryophyll.* ℥ſs. *Fiat ſyrupus ſtomachalis præſtans cujus uſus & doſis ex ſuperioribus patet.*

Sirupus de ſucco Acetoſæ Meſuæ, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Succi Acetoſæ depurati* ℔iij. *ſacchari clarificati* ℔iſs. *coquantur ad ſyrupi conſiſtentiam.*

Febribus bilioſis admodum gratus eſt, & peſtilentibus ſalubris, viſcerum igneum calorem moderatur, ipſaque roborat.

Si quis exiguam partium ſubtiliorum portionem perdere nimis ſcrupuloſè vereatur, eaſdem, deſtillationem coctioni ſubrogando, conſervare, aliiſque uſibus adaptare; vel etiam, ſi tales, quamvis tanti momenti hîc non futuras, ſyrupo junctas expetat, juſtam aquæ deſtillatæ quantitatem cum ſaccharo & remanente ſucco ad craſſam conſiſtentiam coctis jungere poterit. Nobis tamen, dum minima illa non curamus & laboris tædio Pharmacopæos noſtros, tot ſyruporum deſtillationibus, tot inter aliàs magis neceſſarias operas, vix ſufficientes, ſublevamus, nemo jure ſuccenſere poterit, ſyrupum cæteroquin ſatis efficacem, & ſcopo noſtro parem coctione præſcripta obtinentibus. Id quod etiam de ſequenti, aliiſque nonnullis obſervari itidem volumus, ſcimus quidem poſſe & alia ratione, ſucci nempe acetoſæ depurati ſufficientem quantitatem cum ſacchari clarificati ad craſſiſſimam conſiſtentiam cocti libra una ſemis ſimpliciter miſcendo, præparationem non ineleganter inſtitui; aſt cùm hac ratione minor longè ſucci, cujus vires tamen unicè hic expetuntur, quantitas cum ſaccharo combinetur, in noſtro autem antiquo modo largior & concentratus is accedat, ut illum alterum amplectamur, nullam cauſam habemus.

Sirupus de Succo Acetoſellæ ex *eadem Pharm.*

℞. *Succi Acetoſellæ depurati* ℔ j. *ſacchari clarificati* ℔j. *coquantur in ſyrupum.*

Viſcerum inflammationibus, nec non malignis, ac peſtilentibus febribus confert, earundem fervorem reprimit, putredinem emendat, ſitim, ac ſanguinis ebullitiones compeſcit, & cor eximiè roborat; aphthis etiam auxiliatur.

Acetoſus ſimplex Meſuæ ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Sacchari clarificati* ℔v. *Aceti* ℔iij. *coquantur adjuſtam conſiſtentiam.*

Humorum craſſitiem incidit, attenuat & abſtergit, obſtructiones aperit; ſaluberrimus in affectibus calidis, ac bilioſis, & ex materia mixta natis, dum bilis impetum reprimit, æſtumque extinguit, urinas movet, ſudores elicit, ac peſtilentiæ putredinique reſiſtit.

Acetoſus compoſitus Meſuæ, *ex eadem Pharm:*

℞. *Rad. fœniculi, Apii, endiviæ an.* ℥iij. *ſem. Aniſi, Fœnicu-*

Fœniculi, Apii an. ℥j. *endiviæ* ℥ß. *coquantur lento igne in libris ſex aquæ ad dimidias : colatura cum ſacchari albi* ℔iij. *Aceti acerrimi* ℔ij. *coquatur ſ. a. in ſyrupum.*

Obſtructiones viſcerum, jecoris, lienis, renum, &c. reſerat, humorum craſſitiem tenuat, urinas promovet, febres compoſitas & nothas, prout & ventriculum bile ac pituita craſſa refertum corrigit.

Acetoſus Diarrhodon Meſuæ ex *eadem Pharmac.*

♃. *Rad. apii, fœniculi, endiviæ an.* ℥ij. *roſarum* ℥j. *glycyrrhizæ* ℥ß. *ſpicæ* ʒiiß. *ſem. Aniſi, fœniculi, Apii an.* ʒvii. *ſucci endiviæ, Apii an.* ℔iiß. *Aceti* ℔ij. *ſacchari* ℔iij. *coquantur lege artis in ſyrupum.*

Uſus ejus eſt ad febres complicatas : hepatis & ſplenis obſtructiones aperit & viſcera corroborat.

Sirupus Adianthinus Fernelii ex *Pharmac. Auguſt.*

♃. *Adianthi albi, id eſt, rutæ murariæ m. iij. nigri ſeu capilli veneris, vulgaris, id eſt, polytrichi aurei, ſaxifragiæ, betonicæ, pimpinellæ, Aſplenii an. m. ij. coquantur ex aquæ* ℔viij. *uſque dum ad v. redeant. in expreſſo ſolvantur ſacchari albi* ℔iiij. *mellis optimi deſpumati* ℔ß. *Fiat ex arte ſyrupus.*

Omnes in quacunque corporis parte humores incidit, atque detergit, cuivis morbo incipienti, omni itidem naturæ, ætati, regioni conducens.

Sirupus de Agno caſto ex *Pharm. Londin.*

♃. *Sem. rutæ, cannabis, an.* ʒiß. *endiviæ, lactucæ, portulacæ, cucurbitæ, melonum an.* ʒij. *pſyllii* ℥iß. *Agni caſti* ℥iiij. *florum nenupharis, foliorum menthæ an. mß. Decocti, ex lentium & ſemin. Coriandri an.* ℥iß. ℔iij. *ſimul coque lento igne ad exhalationem* ℔ij. *& colato reſiduo adde ſucci limonum* ℥ij. *ſacchari albi* ℔iß. Fiat ſyrupus ſecundum artem.

Sirupus de Agreſta Meſuæ ex *Pharmac. Auguſt.*

♃. *Omphacij depurati ſeu Agreſtæ* ℔v. *ſacchari clarificati* ℔iij. *coquantur in ſyrupum.*

Potenter adſtringit, refrigerat, & ſiccat, ideoque à putredine vindicat : peſtilentiæ quàm maximè reſiſtit : ventriculum roborat : prægnantium malaciam emendat, intemperiem calidam ſtomachi, hepatis, ſitimque vehementem reſtinguit; venenis, febribuſque bilioſis adverſatur : choleræ morbo, ac dyſenteriæ, purgato prius corpore, medetur. Poſt cibum ſumtus, vomitum immoderatum, ab æſtuante bile, aut inflammatione, perſanat.

Agreſta, ſuccus eſt ex uvis immaturis expreſſus, paulo antequam maturuerint; is Græcis omphacium dicitur. Hoc autem loco Agreſta ſumi debet nondum coctione denſata, ſed expreſſa tantum & depurata.

Sirupus de Albuminibus ovorum.

♃. *Album. ovorum n. viij flagellentur & diſſolvantur in aq. comm.* ℔iij. *tum adde ſacchari albi* ℔ij. *coq. & f. Sirupus ſ. a.*

Valet hic ſirupus pro humectando ac refrigerando pectore, ut & pro acrimoniis quæ illuc ex cerebro deſcendunt obtundendis, item pro exſcreatione facilitanda. Doſ. eſt ab ℥ß. ad ℥iß.

Sirupus de Althæa Fernelii ex *Pharm. Auguſt.*

♃. *Radicis Althææ* ℥ij. *graminis, Aſparagi, glycyrrhizæ, uvarum paſſarum mundatarum an.* ℥ß. *cicerum rubrorum* ℥j. *cymarum Althææ, malvæ, Helxines, pimpinellæ, plantaginis, adianti albi & nigri an. m. j. ſem. quatuor frig. major. & minor. an.* ʒiij. *inciſa coquantur ex aquæ* ℔viiij. *uſque dum quatuor ſuperſint : deinde cum ſacchari albi* ℔iij. *Fiat ex arte ſyrupus.*

Ardorem urinæ demulcet, ac citra manifeſtum calorem, craſſam, obſtruentemque pituitam, nec non viſcidam purulentamque renum ſaniem, & arenulas blandè expurgat.

Syrupus de Ammoniaco ex *Pharmac. Londin.*

♃. *Agerati, cetherac, an. m. iij. Abſinthii vulgaris* ℥j. *Rad. cichorii, Aſparagi, cort. Rad. capparum an.* ℥ij. *Fiat omnium poſt debitam præparationem, infuſio per horas 24. in vini albi* ℥iij. *aquæ Raphani ſimplicis, fumariæ an.* ℔ij. *dein ebulliant ad* ℔j. *&* ℥viij. *& clarificetur colatura per ſubſidentiam : in cujus adhuc tepentis* ℥iiij. *ſolve ſeorſim gummi Ammoniaci, prius in aceto vini albi acerrimo ſoluti,* ℥ij. *reliquum coquatur cum ſacchari albiſſimi ſeſquilibra in ſyrupum, injecta ex gummi mixtura ſub finem.*

Sirupus Anagallidis ex *Pharmac. Auguſt.*

♃. *Succi ex herba Anagallidis flore phœniceo, expreſſi & depurati* ℔iij. *ſacchari clarificati* ℔ij. *coquuntur in ſyrupum.*

Vires ejus ſunt cephalicæ, maniacis præſertim commendatæ; potiſſimum adhibetur in torminibus infantum.

Sirupus Aniſi cum vino Quercetani, è *Pharm. Schroder.*

♃. *Aniſi conquaſſati* ℥iiij. *macerentur in vini generoſi,* ℔ij. *per tres dies, coletur : colaturæ adde ſacchari* ℔ij. *& coque ad ſyrupum.*

N. eodem modo concinnari poſſunt ſyrupi, & ex aliis ſeminibus, veluti ex ſemine fœniculi, pæoniæ, ex baccis lauri, juniperi, & ſimil.

Sirupus Anticauſodicus ex *Pharm. Auguſt.*

♃. *Mellis clarificati* ℥xvi. *ſucci ſempervivi majoris* ℥iiij. *cancrorum fluviatilium, phlegmatis vitrioli an.* ℥iß. *Aceti roſati* ℥iij. *coquantur ſ. a. ad juſtam conſiſtentiam.*

In cauſo ſive febre ardente ejus uſus eſſe poteſt, linguam enim ſiccam humectat, aſperam lenit, & æſtuantem refrigerat.

Sirupus Aperiens magiſtralis ex *Pharm. Auguſt.*

♃. *Succ. depuratorum: Rad. cichorii, pimpinellæ an.* ℔j. *fumariæ, lupuli an.* ℥vi. *petroſelini, fœniculi an.* ℥iij. *Rad. apii, enulæ, aſparagi, eryngii, vincetoxici an* ℥j. *herbarum Agrimoniæ, ſ. Kunegundis ſeu eupatorii Avicennæ, agerati an. m. j. Foliorum cuſcutæ, ceterach, adianthi utriuſque, cardui benedicti, comarum Abſinthii pontici, Florum centaurei minoris an. mß. gr. Alkekengi* ℥j. *Aquæ fontanæ* ℔iij. *Aceti ſcillitici* ℔ij. *ſacch. albi* ℔iiiß. *Fiat ſ. a. ſyrupus juſtæ conſiſtentiæ.*

Omnibus jecoris, meſenterii, hepatis, ac venarum meſeraicarum obſtructionibus; nec non diuturnis febribus, & ex eis natis cachexiis, ac hydropi prodeſt. Acui ejus vis poteſt ſpiritu chalcanthi.

Sirupus Aperiens ſpleneticus & hepaticus *Zuvelferi.*

℞. Succor. depuratorum ex totis, quibuſdam, vegetabil. utpote pimpinellæ, apio, cichorio ſylv. petroſelino, fœniculo, an. ex toto ſcilicet rad. & herbis, cymis lupuli, naſturtio hortenſi an. ℔ß. quibus ſuccis immergantur inciſarum & contuſarum (ſi fieri poterit) recentium omnium, Rad. apii, enulæ, cichorii ſylv. vincetoxici an. ℥ß. cymarum Aſparagi, herb. naſturtii hort. cochleariæ, agrimoniæ, epaticæ nobilis, Agerati ſeu eupat. Meſ. ſcolopendrii, matriſylvæ an. ℥iß. granor. Alkekengi, juniperi an. ℥j. factaque digeſtione duabus circiter diebus, fiat colatura & expreſſio ſpecierum, ſucci, expreſſi ac opt. clarificati interim aſſerventur; ſpecies vero à colatura & expreſſione relictæ, affuſa ſ. q. aquæ ſimpl. coquantur leviter ad remanentiam ℔ij. decoctum colatum & albumin. ovorum probe clarificatum, additis ſacchari can. albi ℔iiij. coquatur ad conſiſtentiam fere tabulati, cui tandem jungantur ſucci ſuperius aſſervati & eſſentificati, ac paucis ebullitionibus fiat ſyrupus juſtæ conſiſtentiæ.

In obſtructionibus hepatis, lienis, meſenterii & pancreatis, atque inde exortis morbis quamplurimis, ſcorbuto præſertim efficaciſſimus, qui ipſe in exhibitionibus cum ſpiritu ſalis ſimpl. vel ſpiritu ſalis Armoniaci acido chalybeato permiſceri poterit & in vehiculis appropriatis, ab ℥ß. ad ℥j. vel ℥ij. propinari.

Sirupus de Artemiſia ex *Pharmac. Auguſt.*

℞. Herb. Artemiſiæ m. ij. pulegii, meliſſophylli, dictamni cretici, ſabinæ, an. m j. Flor. Hyperici mß. Rad. rubeæ, ruſci an. ℥ij. ſem. nigellæ ℥ß. caſſiæ ligneæ ℥j. ſacchari albi ℔ij. coquantur cum aqua font. ℔v. ſecundum artem in ſyrupum.

Menſium obſtructionibus, uteri ſuffocationibus, & partui difficili medetur.

De Artemiſia compoſitus ex *Pharmac. Londin.*

℞. Artemiſiæ m. ij. pulegii, calaminthæ, origani, meliſſæ, perſicariæ non maculatæ, dictamni cretici, ſalviæ, majoranæ, chamædryos, Hyperici, chamæpityos, matricariæ cum flore, centaurii minor. Rutæ, betonicæ, bugloſſi ſylveſtris, ſive echii, an. m. j. Rad. fœniculi, Apii, petroſelini, Aſparagi, ruſci, ſaxifragiæ, enulæ, cyperi, rubiæ tinctorum, Ireos, pæoniæ, ana ℥j. baccarum juniperi, ſeminis leviſtici, petroſelini, Apii, aniſi, nigellæ, carpobalſami ſive cubebarum, coſti veri, caſſiæ ligneæ, cardamomi, calami aromatici, Rad. Aſari, pyrethri, phu, ana ſemunciam.

Mundata, conciſa, & trita macerentur 24. horas, in aquæ limpidæ ℔xii. F. deſtillatio in B. M. ut eliciantur aquæ ℔viii. exprimantur fæces prelo, & in colaturæ cum albumine ovi clarificatæ q. s. coquantur ſacchari albiſſimi ℔vi. ad tabulati conſiſtentiam, dein addatur aqua prius deſtillata; & in B. M. F. ſyrupus ſ. a. aromatizandus cinnamomi ſpicæ nardi an. ʒiij.

Syrupus Aſthmaticus *Zuvelferi.*

℞. Rad. recent. enulæ camp. ℥ij. calami aromat. ℥iß. ceparum recent. ℥iij Herb. recent. hyſſopi, anethi, meliſſæ, naſturtii hort. ſatureiæ an. ℥iiiß. Florum recent. Tunicæ ℥ij. cort. Arantiorum recent. extim. ℥iß. cinamomi acuti, granorum juniperi an. ℥i. macis ℥ß. ſem. Aniſi, fœniculi an. ℥iß. omnia inciſa & contuſa immittantur in cucurbitam vitream quibus ſuperaffunde vini generoſi ſeu malvat ℔iiij. facta digeſtione una altera ve die fiat deſtillatio & abſtractio ℔ij. cui aquæ ſpirituoſæ prolectæ (abjectis ſpeciebus à deſtillatione relictis cum reſidua vini vappa) de novo immerge ſequentia ſaltem inciſa, ut pote

Scillæ præparatæ & ſiccatæ ℥ß. ceparum recentium ʒvi. Rad. recent. enulæ camp. ℥i. Ireos Florent. liquirit. raſæ an. ʒvi. calami aromat. ℥ß. herb. recent. hyſſopi, Anethi, meliſſæ, naſturtii hort. chærefolii ana ℥i. croci orientalis ʒj. digerantur per biduum, fiat pòſt colatura & expreſſio, eſſentiam interim prius purificatam aſſervando. Tum ℞. ſpecies ab ultima infuſione vel extractione relictas, quas cum ſ. q. aquæ ſimpl. coque ad remanentiam circiter ℔ij. colaturæ opt. clarificatæ adde ſacchari albi canarij ℔iiiß. coquantur ad conſiſtentiam ferè tabulati, cui junge aquam ſuperius deſtillatam & eſſentificatam, fiatque ſola diſſolutione ſacchari, debita conſiſtentiæ ſyrupus, qui

In Aſthmate, orthopnæa, dyſpnæa & ſimilibus pectoris affectibus catharroſis, & tuſſi antiqua, proficuè adhibendus. Per ſe ſumptus ad inſtar lambitivi efficacior exiſtet, quàm liquoribus aliis admixtus & potus; cochlear plenum ſæpius de die paulatim deglutiendo & lambendo, quo magis aſperæ arteriæ ſeſe inſinuare, & vel odoretenus bronchia pulmonum obſtructa permeare, eorumque infarctos viſcidoſque humores incidere, attenuare, & ad rejiciendum aptos reddere poſſit.

Sirupus de corticibus Aurantiorum ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Corticum Aurantior. recentium & extimor. ℥vi. vini albi Neccarici fortiſſimi ℔j. macerentur per 24. horas, in loco calido, benè obturato vaſe, poſtea vinum decantetur, filtretur, cum ſacchari clarificati ultra conſiſtentiam tabellarum cocti ſufficiente quantitate permiſcendo, Fiat ſyrupus.

Ventriculum frigidum roborat, coctionem adjuvat, flatus diſpellit, ac cordis vires adauget.

De Floribus Aurantiorum ex *eadem Pharmac.*

℞. Florum Aurantior. recent. ℔iß. infundantur in aquæ fontanæ calentis ℔ij. horis 24. tum rejectis prioribus floribus, cum totidem novis infuſio reiteretur, idque trina vice fiat. Tandem colatura depurata cum ſacchari albiſſimi clarificati & ultra Tabellarum conſiſtentiam cocti ſufficiente quantitate redigatur in ſyrupum.

Cor ac cerebrum recreat, ſpiritus inſtaurat, ſudoreſque movet, peſtilentibus ideò febribus ſalutaris, infectos namque humores à centro ad circumferentiam propellit, & exanthemata eiicit.

Sirupus de ſucco Aurantiorum ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Succi Aurantiorum depurati ℔iij. ſacchari albiſſimi ℔iß. coquantur ſecundum artem in ſyrupum.

Dupliciter hic ſyrupus præparari poteſt, è ſucco nimirum Aurantiorum dulcium, & acidorum: quorum hic nauſeam, ſitim, & cordis tædia pellit; ille calidis faucium ac pectoris malis opitulatur.

Sirupus Florum Bellidis ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Florum Bellidis hortenſis flore rubro ℔iß. macerentur in aquæ fontanæ ℔ij. per 24. horas, poſtea exprimantur & cum ſacchari albi ℔j. coquendo, & albumine ovi clarificando fiat ſyrupus.

In

In aperiendis obſtructionibus, hepatis præſertim, efficax; in pectoris vulneribus curandis, & ſanguine coagulato reſolvendo utilis exſiſtit.

Sirupus de Berberibus ex *Pharmac. Auguſt.*

℞. Succi Berberum depurati ℔ij. *ſacchari* ℔iß. *Fiat ex arte ſyrupus.*

Refrigerat & modicè attenuat: febribus malignis confert, bilem reprimit, febrium æſtus delet, ac immoderatam ſitim compeſcit, bilioſis ventris profluviis ſalutaris.

Sirupus de Betonica ſimplex ex *eadem Pharmac.*

℞. Succi Betonicæ depurati ℔iij. *ſacchari clarificati* ℔iß. *coquendo Fiat ſyrupus.*

Ad capitis & uteri vitia efficax: leniter aperit, concoquit & abſtergit, ac menſes moderate provocat.

De Betonica compoſitus ex *Pharm. Londin.*

℞. Betonicæ m. iij. majoranæ miß. thymi, roſar. rubrar. an. m. j. violarum, ſtæchados, ſalviæ an. mß. ſeminis fæniculi, Aniſi, ammeos, an. ℥iß. *Rad. pæoniæ, polypodii fæniculi an.* ʒv.

Digeſtione tepida in aquæ fontanæ ℔vi. & ſucci Betonicæ, depurati ℔iiß. 24. horarum ſpatio priùs peracta, deſtillentur in B. M. donec educantur aquæ ℔v. tum facta valida fæcum expreſſione, colaturæ, cum albumine ovi clarificatæ, incoquantur ſacchari albiſſimi ℔iiiß. ad conſiſtentiam tabulati: & demum addita aqua deſtillata. F. leviſſima ebullitione ſyrupus.

Alius *Zvvelferi.*

℞. Rad. cyperi rotund. pæoniæ recent. an. ℥i. *herb. recent. Betonicæ floreſc.* ℥iiij. *ſalviæ* ℥ij. *majoranæ, roriſmarini, thymi an.* ℥iß. *Flor. recent. lavend.* ℥i. *pæoniæ* ℥iij. *cheiri, paralyſeos, tunicæ, roſar. an.* ℥iß. *cardamomi, cubebarum an.* ℥ß *nucum moſchatar. cinamomi opt. ſem. Aniſi, fæniculi ana* ℥i.

Omnia ſucceſſivè, & tempore opportuno collecta, quædam conſciſſa & contuſa, nonnulla verò integra, utpotè, flor. cheiri, paralyſ. & pæoniæ, immergantur in vini albi generoſi vel malvatici ℔iiij. vel v. facta maceratione quoad omnia unita ſint, fiat deſtillatio & abſtractio ad dimidias, vel duas libras cum dimidia: aquæ huic deſtillatione prolectæ, fragranti, & ſpirituoſæ, denuò immergantur, (abjectis ſpeciebus in fundo Alembici cum vappa vini relictis.)

Rad. doronici veri ʒvi. *pæoniæ recentis* ℥ß. *herb. recentis betonicæ floreſc.* ℥iß. *roriſmarini floreſcentis, flor. recent. cheiri an.* ℥j. *ſalviæ* ʒij. *tunicæ* ℥j. *ligni aloës ponderoſi, nucum moſchatar. cardamomi minor. cubebar. an.* ʒiij. *cinamomi* ℥ß. *peracta extractione ſuffic. loco calido ac vitro.*

Benè clauſo, liquor ſpirituoſus à ſpeciebus infuſis, colatura & expreſſione ſeparetur, perque filtrum probè clarificetur quò interim aſſervato, accipe porrò ſpecies ab infuſione ſuperiori & expreſſione relictas, quas cum aquæ ſimplicis ſ. q. coque, ad remanentiam ℔ij. decoctum colatum, & alb. ovorum debitè clarificatum, additis ſacchari albi can. ℔iiiß. coquatur ad conſiſtentiam quaſi tabulati, cui tandem junge aquam ſuperius aſſervatam, ſpirituoſam & eſſentificatam in ſ. q. (℔ij. circiter.)

Ac ſola ejuſdem diſſolutione, vel unica ſaltem ebullitione Fiat ſyrupus præſtantiſſimus, qui in morbis capitis & cerebri frigidis ſaluberrimus, adeoque apoplecticis, epilepticis, catharroſis & ſoporoſis affectibus propulſandis efficax eſt: propinandus cum aquis deſtillatis cephalicis, vel cum vino, aut alio vehiculo grato, ab ℥j. ad ℥iß.

Alius *ejuſdem.*

℞. Aquar. lilior. convall. ſine additione aq. ſimplicis ex baln. n. vaporoſo ſtillatæ ℔j. *ceraſ. ſine addit. ſtill.* ℥vi. *Flor. cheiri, paralyſ. ana ſine additione aquâ ſimplicis ſtill.* ℥iij. *his aquis commixtis immergantur ſucceſſu temporis Rad. recent. pæoniæ* ℥j. *herb. recent. betonicæ floreſcent.* ℥vi. *roriſmarini* ℥ij. *Flor. recent. pæoniæ, cheiri, paralyſeos, tunicæ, tiliæ, roſar. pallidar. an.* ℥iij. *nuc. moſchatar.* ℥ß.

Maceratione verò peracta, quando nimirum omnia collecta ſunt, deſtillentur ex baln. n. vaporoſo ad omnimodam humiditatis prolectionem; Aquæ verò huic deſtillatæ fragranti ℔. circiter ij. denuò immergantur ſequentia minutim inciſa *Rad. doronici veri* ʒvi. *pæoniæ recent.* ℥ß. *herb. recent. betonicæ* ℥j. *roriſmarini floreſcentis. Florum recent. cheiri, pæoniæ, tunicæ, tiliæ, roſarum rubrarum ana* ℥ß. *ligni aloës ponder.* ʒij. *nuc. moſchatar.* ℥ß.

Et cum die una atque altera in digeſtione ſteterint, fiat colatura cum expreſſione, liquor expreſſus clarificetur per filtrum, interimque aſſervetur; ſpecies verò expreſſæ cum ſ. q. aquæ ſimpl. coquantur ad ℔j. cum decocto hoc colato & alb. ovorum debitè clarificato, ſolvantur ſacchari canarii albi ℔iiiß. & ad liquoris ferè totalem exhalationem coquantur, cui demum adde ſuperioris aquæ eſſentificatæ ℔ij.

Ac unica ſaltem ebullitione fiat ſyrupus juſtæ conſiſtentiæ; qui in affectibus capitis & cerebri, utpotè in epilepſia, vertigine, hemicrania, cephalea, & cephalalgia ſalutaris exiſtit, in aquis deſtillatis & appropriatis exhibendus ad ℥ß. ad ℥j.

Sirupus Bezoarticus *Donzelli.*

℞. Sem. milii integri ℔j. *infunde in aq. ſtill. rutæ caprar. & cardui bened. ana* ℔iiß. *macer. hor.* 24. *dein bulliat milium ad crepaturam, tunc adde cardui bened.* ℥ij. *rutæ caprar. recent. miß. vel ſiccatæ mj. poſt bulliant leviter & ab igne retrahantur: liquor refrigeratus coletur; colaturæ unicuique libræ adde ſacchari albiſſ.* ℥iiij. *bulliant de novo & clarificentur igne lento.*

Aſſumitur hic ſyrupus tantum calidus, quantum perferri poteſt; Doſ. ℥vi. additis vini albi generoſi ℥ij. mirandum in modum ſudores movet, & propterea medicamentum eſt multùm utile in omnibus febribus intermittentibus ſi detur ipſis declinantibus; ſitim extinguit ut experientia eſt comprobatum.

Sirupus de Borragine ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Flor. borraginis recent. ℔vi. *aquæ font. puræ calentis quantum ſufficit, Fiat infuſio per hor.* 24. *poſtea exprimantur, & colaturæ* ℔v. *cum ſacchari* ℔iiß. *coquantur ſ. a. ad formam ſyrupi.*

Prodeſt hic ſyrupus maniacis ac melancholicis, lætitiam enim auget, pectus quoque humectat & lenit, nec non ſyncopen & animi defectiones è corde natas arcet, cujus etiam tremori palpitationi & imbecillitati eximiè ſuccurrit.

Sirupus Botryos ex *Pharm. Londin.*

℞. Herbar. Botryos, eryſimi, urticæ an. m. ij. tuſſilaginis m. j. cum ß.

Coctione in aquæ font. q. ſ. in B. M. peracta, colaturæ claræ ℔ij. adde ſucci è piſis, demptis corticibus, in aqua fontana ſemel, iterumve mutata, ad mollitiem coctis, leniter expreſſi ac deſidentia paulatim facta à craſſamento liberati, ℔j. ſacchari cryſtallini ℔iij. percoque ulterius in B. M. in ſyrupum; parandum, quando uſus poſtulaverit.

Sirupus De Buglоſſo ex *Pharm. Auguſt.*

Paratur eodem modo, quo ſyrupus de Boragine. Quoad vires etiam cum eodem convenit.

Sirupus Byzantinus ſimplex Meſuæ ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Succ. endiviæ, Apii an. ℔ij. lupuli, bugloſſi an. ℔j. Ferveant ſimul ac depurentur. Poſtea eorum ℔iiij. cum ſacchari clarificati ℔iiß lento igne in ſyrupum percoquantur.

Febres putridas mixtas ex humore bilioſo & pituitoſo, ſolutu contumaces juvat: obſtructiones viſcerum aperit, humores tenaces & lentos incidit, ac tenuat, morbo regio ſuccurrit, ſplenis duritiem, & infarctus ab humoris melancholici craſſitie diſſipat.

Byzantinus compoſitus Meſuæ ex *eadem Pharm.*

℞. Succ. endiviæ, Apii an. ℔ij. lupuli, bugloſſi an. ℔j. in his ſuccis decoquantur, roſar. rubrar. ℥ij. glycyrrhizæ ℥ß. ſpicæ indicæ ʒij. ſem. aniſi, fœniculi, Apii an. ʒiij colaturæ addendo aceti ℔j. ſacchari albiſſimi ℔iij. coquantur, ut eſt artis, in ſyrupum.

Ad prædicta omnia valentior: ictero adverſatur, hepatis, & ſplenis pertinaces obſtructiones reſerat, ventris inflationi, ac hydropi incipienti medetur.

Sirupus de Calaminthæ Meſuæ ex *Pharmac. Auguſt.*

℞. Calaminthæ montanæ, & nepetæ, domeſticæ an. ℥ij. ſem. liguſtici, dauci, ſchænanthi an. ʒv. uvarum paſſar. ℔ß. Aquæ ℔vi. primo coquantur uvæ paſſæ cum reliquis ad medias, in fine addatur ſchænanthos. Expreſſum cum mellis deſpumati ℔j. ſ. a. fiat ſyrupus.

Viſcerum obſtructiones levat: incidit, attenuat, tergit, & aperit, interna calefacit, contumaces materias expulſioni præparat ac menſes movet, tuſſi inveteratæ, Aſthmati, intemperiei viſcerum frigidæ convenit, humores viſcidos ac craſſos, bronchia pulmonum obſidentes expurgat, ſenibus familiares affectus levat, nec non lienis tumorem duritiemque diſcutit.

Sirupus de Capillis veneris ſimplex ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Capillor. veneris ℥vi. macerentur in ℔vi. aquæ, horis 24. deinde coquantur ad medietatis conſumtionem: colaturæ addendo ſacchari ℔iß. Fiat; ut artis eſt, ſyrupus.

Ad thoracis affectiones calidas ac deſtillationes tenues præſtans eſt: pleuritidi proinde incipienti idoneus, cùm materia calida, aut mixta ob tenuitatem promtè ejici nequit: obſtructiones præterea vaſorum leniter aperit.

De Capillis veneris compoſitus ex *eadem Pharm.*

℞. Capillor. veneris ℥v. glycyrrhizæ ℥ij. Aſpleni, ſeu ceterach. m. j. macerentur in ℔vi. aquæ, horis 24. deinde coquantur ad medietatis conſumtionem colaturæ addendo ſacchari clarificati, penidiorum, aquæ capillor. veneris an. ℥viij. Fiat ſyrupus ſ. a.

Venarum meatus leniter expurgat, obſtructiones aperit, è renibus item & veſica mucores ac arenulas expellit: quem in finem Dodonæus radicum ruſci & aſparagi an. ℥j. ac ſeminis inſuper malvæ ʒij. addendas cenſet. Nunc ſyrupus Adiantinus Fernelii ejus vicem ſupplet.

Sirupus Cardiacus, vel Julepum Cardiacum ex *Pharm. Londin.*

℞. Vini Rhenani generoſi ℔j. aquæ roſac. ℥iiß. caryoph. ℈ j. cinnamomi ʒß. Zingiberis ℈ij.

Infunde horis 24. dein coque leniter in B. M. mox colaturæ claræ adde ſacchari albiſſ. ℥iij. Tum F. julepum, liquando ſaccharum in B. M. poſtea addantur Ambræ griſ. gr. iij. moſchi gr. j.

Alius Francofurtenſium ex *Pharm. Schroder.*

℞. Vini albi generoſi ℔ij. Aq. roſarum ℥iiß. cinamom. ℥ß. Zinziber. caryophill. an. ℈ij. ligentur omnia in petia, addaturque ſacchar. ℥ivß. coque ad conſiſtentiam ſyrupi, poſtea adde Ambræ griſ. gr. iij. moſchi gr. j. in ſyndone.

Vires. Convenit in lipothymia, aliiſque cordis affectibus.

N. Præſtat ſola infuſione, vel in MB parare.

Sirupus de ſucco Cardui benedicti ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Succi cardui benedicti depurati ℔iij. ſacchari clarificati ℔ij. Fiat coctione ſyrupus.

Febribus malignis ac peſtilentibus confert, humorum putredinem arcet; ſudores prolicit, vermes enecat, & pleuritidi auxiliatur.

Sirupus Carminativus ex *Pharm. D. Le Mort.*

℞ Ligni ſaſſafras ℥iß. macis, nucis moſch. an. ʒij. ſem. Aniſi, Fœniculi, carvi an. ℥iß. herb. menthæ m. iij. corticum arantiorum ℥ij. ſem. leviſtici ℥iß.

Contundantur omnia groſſo modo, & infundantur in ſ. q. aq. fœniculi, menthæ, æqualibus partibus, macerentur ſimul per aliquot horas, dein leviter ebulliant in M. B. fiat. colatura, quæ ſacchari clarificati & ad conſiſtentiam tabellati peracti ℔v. permiſceatur abſque coctione: ſyrupo confecto adde ol. cort. Arantior. menth. carv. fœnicul. Aniſ. caryophill. an. gutt. ij. in ſaccharo prius excepta & pulveriſata.

Vires. Flatus diſcutit, ventriculum roborat, affectibus frigidis convenit, quibus major olei copia placet, eam addere pro lubitu poterunt.

Sirupus Caryophillorum aromaticorum ex *Marcgravio.*

℞. Aq. caryophyllor. aromaticorum inſtar lactis albæ ℥i ij. in ea diſſolve ſacchari tabellati q. ſ. ut conſiſtentiam ſyrupi acquirat ſine igne.

Vires. Calefac. ſiccat, attenuat, incidit, cardiacus, ſtomachicus, cephalicus eſt.

Sirupus Florum caryophyllorum ex *Pharm. Londin.*

℞. Flor. caryophyll. præciſis unguibus, ℔j. totam noctem perfundantur aquæ fontanæ ℔ j. dein cum ſacchari albiſſimi clarificati, & in colatura, ad balnei calorem liquati ℔iiij. fiat abſque coctione ſyrupus ſ. a.

Sirupus

Sirupus Catarrhalis cum herba Thee ex *Pharm. Schroder.*

℞. Rad. chin. orient. ℥j. fænic. pæon. ireos florentin. an. ʒß. herb. thee ℥j. flor. beton. Trinitat. ana m. j. gran. chermes ʒß. infunde in ſ. q. ▽. betonic. hor. xij. & col. hinc coq. addit. ſacchar. ℔iiß. in formam ſyrupi.

Sirupus de Centaurio minori Antifebrilis *Zuvelferi.*

℞. Succi centaurii min. recenter expreſſi & depurati ℔iij. cui immergantur ſummit. ſeu florum centaurij min. recentium ℥x. minutim inciſorum, digerantur duabus vel tribus diebus, in loco bene calente, exprimantur dein flores, ſuccuſque expreſſus debitè iterum clarificetur, cui addantur ſacchari albi canar. libræ duæ coquantur ad conſiſtentiam ſyrupi; ſervetur. Eſt præſtans ad febres tertianas & quartanas abigendas, roborat ventriculum, & viſcerum obſtructiones reſerat, Doſis ʒß. ad ℥j. in vehiculo convenienti.

Sirupus ceraſorum Acidorum ex *Pharmac. Auguſt.*

℞. Succi ceraſorum acidorum per reſidentiam defæcati ℔vi. ſacchari clarificati ℔iij. Fiat ſyrupus.

Ad internos æſtus efficax: ſitim extinguit, adpetitum inſtaurat, febrium incendia reprimit, bilis ferociam domat, mulierum malaciæ prodeſt, cordis denique vires tuetur.

Sumenda hic ſunt ceraſa illa acida, aliquibus duracina dicta, quæ nos vulgari idiomate Beireſn nominamus atque ex eorum ſucco, ubi probè maturuerint, ſyrupus hic conficiendus.

Sirupus Chalybeatus pro Mulieribus & cachecticis *Zuvelferi.*

℞. Rad. recent. Apii, pimpinellæ, valerianæ, pæoniæ ana ℥iiß. Herb. recent. meliſſæ, pulegii, naſturtii hort. roriſmar. ſabinæ ana ℥iij. baccar. Juniperi, lauri ana ℥iß. ſeminis Fæniculi, Apii ana ℥j. cinamomi acuti ℥ij. maceris ʒvi. Antophyllor. ʒß. croci opt. ʒij. quibus omnibus conſciſſis & contuſis, necnon cucurbitæ vitreæ immiſſis, ſuperaffundantur vini albi generoſi ℔vi.

Facta maceratione per unum atque alterum diem, appoſitoque capitello fiat in M. B. abſtractio ad ℔iij. huic liquori prolecto, abjectis ſpeciebus in alembico relictis, una cum reſidua vini vappa, immergantur ſequentia inciſa ſaltem, ut potè:

Rad. recent. Apii, pimpinellæ, cichorii ſylv. petroſelini, fæniculi ana ℥iß. herb. recent. meliſſæ roriſmarini, pulegii, ſabinæ ana ℥iß. caſſiæ ligneæ veræ, cinamomi opt. ana ℥j. baccar. lauri ʒß. macis ʒiij. chalybis cum ſulphure liquati, & inſuper aliquoties cum ſulphure calcinati ſecundum Crollium, inque petia ligati, ℥viij. vel ℥x. crem. tartari vel ſaltem tartari albi veneti ſubtiliter triti & chalybi permixti ℥ij.

Macerentur loco calido per biduum, quotidie aliquoties agitando, & petiam vel ſacculum cum chalybe & tartaro exprimendo, factaque poſt colatura cum expreſſione, colatus & expreſſus liquor per filtrum clarificetur; interimque aſſervetur.

Porrò.

℞. Species ab infuſione ex expreſſione relictas, unà cum chalibe & tartaro in ſacculo ligatis, quas cum aqua fontana, ſpiritu ſulphuris ad gratam aciditatem acuatæ ℔iij. coque ad remanentiam ℔iß. (ſed quod bene obſervetur in patella ferrea) decoctum coletur & perquam optime clarificetur, quod cum ſacchari albiſſ. ℔iiij. denuò coquatur ad conſiſtentiam fere tabulati; cui tandem jungatur Aqua ſuperius deſtillata & recentibus ſpeciebus eſſentificata in quantitate competenti (℔iiß. circiter.)

Ut ſola diſſolutione, vel unica ſaltem ebullitione ſyrupus juſtæ conſiſtentiæ emergat. Qui in reſerandis menſibus obſtructis, egregiam non ſolum præſtabit operam, verùm etiam cachecticis & hypochondriacis auxilio erit. Commodè dabitur in juſculis alterantibus, vel etiam in vino, ab ℥j. ad ℥ij. plus minuſvè, juxta ſubjecti ac ægrotantis conſtitutionem.

Alius facilior ex *Eodem.*

℞. Chalybis cum ſulphure liquati, ac ſæpius poſt (ter quaterve ad minimum) cum eò calcinati, ſecundum Crollium ℥viii. cremoris tartari ℥iij. bis mixtis & ſubtiliter pulveriſatis, ac vitro largo immiſſis, ſuperaffunde vini albi generoſi ℔ij. macerentur loco calido, vitro probè clauſo, ſæpius de die agitando, per triduum, facta poſt colatura ac clarificatione, vinum hoc chalybeatum interim aſſervetur; tum verò

℞. Rad. recentium cum toto, Apii, fæniculi, cichorii ſylv. pimpinellæ, petroſelini an. ℥ij. herb. recent. ſcolopendrii, cherefolii, ceterach ana ℥ij. chamædryos, naſturtii hortenſis ana ℥iij. roriſmarini ℥j. caſſiæ ligneæ ℥iß. baccar. lauri ʒvi. item: chalybem cum tartaro ſuperius ab infuſione relictum, ſacculo incluſum.

Coquantur inciſa quæ incidenda ſunt in ſ. q. aquæ ſimpl. cum ſpiritu ſulphuris prius ad gratam aciditatem acuatæ (in ſartagine ferrea, caveas igitur à cuprea vel ænea) ad remanentiam ℔iß. coletur, exprimanturque ſpecies, decoctum album. ovorum probè clarificatum, additis ſacchari albiſſ. ℔iij. porrò coquatur ad conſiſtentiam fere tabulati, cui adde vini ſuperius chalibeati & aſſervati q. ſ. ut ſola ſacchari diſſolutione, aut unica ſaltem ebullitione ſyrupi conſiſtentia acquiratur; ſuperaddendo ſub finem elæoſacchari cinamomi ℥iß. ſervetur uſui.

Ad menſes mulierum reſerandos præcedente haud inferior, cachecticis præterea & hypochondriacis opitulatur. Propinari poteſt ab ℥j. ad ℥ij. in juſculis alterantibus aut laxantibus, vel in aliis vehiculis appropriatis.

Nota, ſi cuipiam medico volupe fuerit, vino ſubſtituere aquam cinamomi, vel etiam aliam aquam ſtillatitiam pro Extractione chalybis, non aberrabit; verum neceſſe eſt, ut eam ſpiritus ſulphuris prius acidulam nonnihil reddat, ſecus enim ineſficax foret in extrahendo chalybe, poſſet forte non nemo etiam hærere circa præparationem chalybis ſecundum Crollium, en! addendo ejus præparationem veram.

Accipe chalybis fruſtulum oblòngum, quod igne fortiſſimo, ſufflante folle candefac, quoad ſcintillas uberrimè de ſe ſpargat, cui ab igne remoto cito admoveatur ſulphur, ſic guttatim veluti ſolutus aut liquefactus in vas ſuppoſitum, aqua frigida repletum ſtillat: chalibe verò parum refrigerato, eundem denuò candefac, ut antea; ſulphurque ipſe admove, donec totus chalybs ſulphure liquatus fuerit, qui ab aqua ſeparatus ſiccandus & in pulverem redigendus, inque patella ferrea vel terrea, ſuper ignem

ignem carbonum, in loco patulo, vel ſub camino collocata, calcinandus porro eſt, ſpatula ferrea, continuo agitando, ad omnimodam ſulphuris conflagrationem; chalybs relictus denuò in pulverem redigendus, & pro ejus una libra ſulphuris triti uncia una admiſcenda, iterumque uti antea calcinandus, ſuper igne carbonum, ſpatula continuo agitando ad conflagrationem ſulphuris; & hæc calcinatio ſive conflagratio cum ſulphure, ter quaterve aut ſæpiùs repetatur, ſic ad prædictos uſus chalybs legitimè erit præparatus.

Sirupus Chamædryos *Bauderoni.*

℞. Chamædryos cum floribus ℥viii. ſcolopendrii, id eſt, Aſplenij ℥iij. corticum radic. capparum ℥ij. Acori veri (calami aromat. falſo in officinis nuncupati) ſchœnanti ſeu junci odorati nardi indicæ, ſeminum petroſelini, & aniſi an. ℥vi.

Contuſa biduo, in aquæ & vini albi utriuſque ℔iij. ſuper cineres calidos macerentur. Deinde parum coquantur, & exprimantur. Secundo maceratione iterata parum coque. Expreſſum clarificetur, & cum ſacchari albi, vel mellis deſpumati ℔iij. coque in ſyrupum condiendum cinnamomi ℨ j.

Sirupus de Chamælo ex *Pharmac. Auguſt.*

Præparatur ex florum infuſione, colatura & ſaccharo, uti ſyrupus de borragine.

Uſus ejus eſt in colica & iliaca, itemque affectibus uterinis à frigore natis. Additur potiſſimum in enematis ubi craſſos flatus evocare neceſſe eſt.

Sirupus de Cichorio ſimplex ex *eadem Pharm.*

℞. Succi cichorii depurati ℔iij. ſacchari clarificati ℔. ß. coquantur in ſyrupum.

Hepatis ac renum intemperiem calidam emendat: febribus auxiliatur, bilis acrimoniam frangit, refrigerat, humectat, & obſtructiones expedit.

Sirupus de Cinnamomo ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Cinnamomi optimi, craſſiuſculè pulveriſati ℥v, ponantur in cucurbitam vitream, addanturque aquæ cinnamomi optimæ cum vino deſtillatæ ℔ij. aquæ roſarum odoratiſſimæ ℥ij. ſtent in loco calido, benè obturato vaſe, ne quid exſpiret horis 24. deinde filtrentur, atque cum ſacchari albiſſimi clarificati & ultra conſiſtentiam tabellarum cocti ſufficienti quantitate Fiat ſyrupus.

Vitales ſpiritus plurimùm recreat, cor ac ventriculum à frigore languidum reficit, oris halitum commendat coctionem juvat, nec non univerſas corporis vires, fulcit.

Sirupus Acetoſitatis Citri ex *Pharmac. Londin.*

℞. Succi malorum citriorum colati, & per ſubſidentiam depurati ℔j. ſacchari albiſſimi clarificati & ad conſiſtentiam tabellati cocti, ℔ij. Fiat una vel altera ebullitione ſyrupus.

Sirupus de Corticibus Citri ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Corticum citri recentium & extimorum ℥vi. granorum tinctorum, ſeu chermes ℨij. vini albi neccarici fortiſſimi ℔j. macerentur loco calido, vaſe benè obtecto, per 24. horas; poſtea vinum decantetur, & filtretur, atque cum ſacchari clarificati ultra conſiſtentiam tabellarum cocti ſufficiente quantitate permiſceatur, addendo moſchi or. grana ſex in particula vini hujus citr. ſoluti & filtrati. Fiat ſyrupus.

Cor & ventriculum roborat: corruptos ſtomachi humores obtundit, anhelitus graveolentiam abigit, peſtilentibus venenatiſque morbis reſiſtit: cordis palpitationi medetur, mæſtitiamque diſcutit.

Incompletus etiam, i. e. ſine moſcho apud nos in uſu eſt.

Sirupus Cochleariæ, ex *Pharm. Amſtalod.*

℞. Sacchari clarificati, & ad conſiſtentiam tabellati cocti, ℔iiij. Aquæ ſtillatitiæ cochleariæ q. ſ. ut ſine coctione agitando ſ. a. redigantur in ſyrupum.

Sirupus Coralliorum Quercetani ex *Pharmac. Auguſt.*

℞. Corallia rubicundiſſima & elegantiſſima ℔ß. ſucci berberum perfectæ maturitatis depurati, ut materiam quatuor digitos ſupereminéat, digerantur in calore balnei vaporoſi vel alio moderato per triduum, vel quouſque corallia bullulas emittunt, dein quod diſſolutum eſt, per inclinationem ſeparetur, & recentem coralliis relictis ſuccum depuratum rurſus affundendo, tantiſper id reiteretur, uſque dum tota ſoluta videantur. Pro hujus ſucci, corallina eſſentia impregnati ℔ij. ſumatur ſacchari cantii albi ℔j. lenta in M. B. evaporatione redigantur in formam ſyrupi.

Hic ſyrupus facit ad omnes affectus ab hepatis vitio ſcaturientes; confert omnibus fluxionibus hepaticis, dyſenteriis, & lientericis.

Quamvis ſint, qui ſyrupum hunc, permiſcendo berberum ſucco corallia in aceto deſtillato ſoluta, & in ſalinam formam coagulata, parare ſoleant, in noſtris tamen officinis modum à Quercetano traditum, ut elegantem ſatis & paratu maximè poſſibilem, obſervari volumus.

Coralliorum compoſitus ex *Pharm. Londin.*

℞. Corallii rubicundiſſ. ℥vi. ſubtiliſſimè pulverato, ſuper porphyritem, cum pauca aqua roſarum, adde ſucci depurati limonum, in B. M à phlegmate liberati ℥xvi. ſucci depurati Berberorum ℥viii. Aceti vini albi acerrimi, ſucci limpidiſſ. lujulæ an. ℥vi.

Miſta conjiciantur in phialam vitream, ſubere & veſica bubula claudendam, indieſque agitando, donec octo dierum digeſtio in balneo vel fimo equino peracta ſit; tum fiat per chartam emporeticam colatura: de qua cape ℔iß. ſucci puriſſ. cydoniorum ℔j. ſacchari rolati ℥xij.

Miſce; fiat ſyrupus ſ. a. in Balneo; additiſque ſyrupi florum veronicæ rubræ ℥xvi. ſervetur in uſum, omiſſo nodulo ex Ambræ griſeæ ℈ß. moſchi orientalis gr. iiij. donec medicus imperaverit.

Sirupus Cordialis gemmatus calidus *Zvvelferi.*

℞. Cort. recent. citri vel limon. extim. ℥iij. Arantior. extim. ℥ij. flor. recent. roſarum damaſcen. ℥iij. tunicæ ℥ij. quibus minutim conciſis & cucurbita vitrea immiſſis ſuperaffundantur vini veteris albi vel malv. ℔iiij. factaque brevi digeſtione, abſtrahantur deſtillando per arenam, vel baln. n. vaporoſum ℔ij. Aqua verò huic prolectæ fragranti porrò immerge.

Cort. Arant. recent. & extim. ℥j. citri recentior. ext. ℥ß. flor. recent. tunicæ rubr. ℥j. & ſi in promptu ſint aut haberi poſſint, florum recentiorum Arantiorum ℨvi. ſem. ſeu granorum Kermes legitimorum & integrorum ℨij. macerentur una alterave die, tunc fiat colatura, nunc accipe hujus aquæ

aquæ odoriferæ rubræ & eſſentificatæ ℔ij, ac in ea diſſolve, magiſt. n. ſolubilium, utpotè coralliorum rub. ℥i. perlarum oriental. ℥ß. matris perlarum ℥j. his ſolutis ſuperadde ſacchari canar. albiſſ. ℔iij.

Ac ſolâ ejus diſſolutione, ſine ulla ebullitione ſyrupus conficiatur, cor, vitales ſpiritus ac animales inſigniter roborans ac recreans.

Cordialis Frigidus *Ejuſdem.*

℞. *Succi granator. acidor. recenter expreſſi, ſucci pomorum redolent. recenter quoque expreſſi, ſucci citri ſeu limonior. jam jam etiam expreſſi an. ℥viii. in his ſuccis digerantur cort. citri ſeu limon. recent. ext. ℥ij. Arant. recent. & ext. ℥i. flor. tunicæ recent. rub. ℥iß. bugloſſi recent. ℥ß. gran. Kermes legitim. integ. non contuſor. ʒii. & facta digeſtione die una vel altera in calore leni, vitro opt. clauſo, coletur, in colatis & bene clarificatis ſuccis diſſolve magiſt. n. ſolubil. corall. ℥i. his ſolutis ſupperadde ſacchari Canar. albi ℔iij.*

Ac ſolâ ſacchari diſſolutione ſine coctione fiat ſyrupus cordialis efficaciſſimus, qui in febribus ardentibus, malignis, peſtilentialibus, imò in peſte ipſa ſummè ſalutaris eſt, cordiſque palpitationi reſiſtit, exhibendus per ſe ob gratiam ſui ſaporis, ſive in vehiculis appropriatis, ab ℥ß. ad ℥i.

Sirupus Cydoniorum ex *Pharmac. Auguſt.*

℞. *Succi cydonior. acidorum depurati ℔iii. ſacchari albi clarificat. ℔iß. Fiat ſyrupus.*

Languidas ventriculi vires recreat, nauſeam & vomitum ſiſtit, nutritionis inſtrumenta roborat, coctricem facultatem juvat, ac viſcerum omnium vires inſtaurat: Lienteriam & alvi profluvium bilioſum, aut dyſenteriam hepaticam ex humorum acrimonia obortam ſedat: cibi adpetentiam excitat, malos ſuccos, bilioſos præſertim, concoquit, atque ad expulſionem præparat.

Syrupus Contra Dyſenteriam *Zvvelfferi.*

℞. *Rad. biſtortæ, tormentillæ an. ℥i. Cichorii ſylv. ℥iß. pimpinellæ, ſcorzoneræ, ſaniculæ, ireos flor. liquiritiæ an. ℈i. galangæ ʒvi. herb. recent. Conſol. ſaracenicæ, mille folii, ſanguiſorbæ, pyrolæ, hederæ terreſtris an. ℥ii. flor. roſar. rub. ſiccat. ℥iß. balauſt. paver. errat. an. ℥i. ſucci. Acaciæ ℥iß. capit papar. albi cum ſemin. num.* vi. *baccar. myrti ℥i. ſantali rubri ℥vi. cort.* Arantiorum, citri, *an. ℥i. nuc. moſchat. expreſſarum, ab oleo relictarum ʒvi.*

Inciſa & contuſa coquantur in ſ. q. aquæ ſimpl. repetitis vicibus affuſæ, quouſque tota ſpecierum virtus extracta ſit, colaturæ omnes alb. ovorum probè clarificatæ ad remanentiam circiter ℔ii evaporent, quibus additis ſucci ſeu vini cydon. ℔ß. ſacchari canarii albi ℔iij.

Coquantur denuò ad conſiſtentiam ſyrupi, abſtergit & adſtringit leniter, inteſtina exulcerata conglutinat, malignitati, quæ ut plurimum dyſenteriis conjuncta eſt, reſiſtit: roborat ventriculum & hepar: in omnibus porrò vulneribus internis & profundis, tanquam vulnerarium medicamentum præſtat, propinatus cum cremore hordei, ſero lactis caprini, aut aquis coctis appropriatis, ad unam vel alteram unciam, bis, terve de die.

Sirupus de Endivia Simplex ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Succi endiviæ depurat. ℔viii. ſacchari ℔iv. coquantur ut eſt artis in ſyrupum.*

Ad hepatis, & viſcerum omnium intemperiem calidam eſt utilis, ſitis enim ardores compeſcit, ac morbi lateralis initiis præcipuè convenit.

De Endivia Compoſitus ex *eadem Pharm.*

℞. *Endiviæ recentis, borraginis, ſcariolæ, hepaticæ, bugloſſi, meliſſæ, eupatorii, lactucæ an. m. j. ſem. quatuor frig. major. an. ℥i. florum cordialium an. ʒiij. ſandali albi, rubri an. ʒi. Coquantur in aquæ fontanæ ℔vi. ſ. a. ad medias: deinde Colaturæ addendo ſucci endiviæ depurati ℔v. granatorum ℥iij ſacchari albi ℔iv. Fiat ſyrupus ut eſt artis.*

Poteſt eſt in magno præcordiorum incendio; nec non ventriculi & hepatis intemperie calida, febribus pariter bilioſis & ardentibus: obſtructiones reſerat, ac urinas promovet.

Sirupus Antepilepticus Quercetani, ex *Pharm. Schroder.*

℞. *Rad. pæoniæ, viſci querni, an. ℥ß. Cinamomi opt. ʒij. flor. Calendulæ, lilii Conval. tiliæ, lavendul. an. p. j. Roſar. Rub. p. ii. Fiat extractio cum ſpiritu Juniperi vel vini ad eminentiam dig. 4. decantetur.*

℞. *Tincturæ ℥x. ſacchari Candi pulveris. ℥iij. aut iv. m. & accendantur, flagrentque Continuo agitando, donec ſyrupus ſatis Coctus, aut plus minuſue fortis videatur, tum enim extinguendum erit incendium.*

Vires. Præſtantiſſimus eſt ſyrupus, tam præcautioni quàm curationi inſerviens. Doſis cochlear. ſs.

Antepilepticus Witzelii ex *eâdem Pharm.*

℞. *Rad. ſcorzoner. ℥iß. fraxinellæ ʒii. herb. galeg. m. i. thee p. ii. viſc. Corylin. ℥ß. fl. Cheiri m. j. gran. Chermes ʒß. ℈i. ſtercoris pavonis ℥ß. Coque leviter in* ▽. *flor. Cheiri ſ. q. hinc col. & cum ſacchari ℔i. redig. in ſyrupum.*

(*Vires.* Proficuus admodum in Epilepſia infantum compertus.)

Sirupus de Eryſimo Lobelii ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Eryſimi totius recentis m. vi. radicum helenii, tuſſilag. an. ℥ii. herb. borraginis. Cichorii, Capillor, veneris an. m. iß. flor. Cordialium, Anthos, ſtœchadis an. m. ß. ſem. Aniſi ʒvi. paſſular. mundatarum ℥ii. inciſa & Contuſa Coquantur in aqua hordei, hydromelitis an. ℔iv. ſucci irionis ℥vi. ad remanentiam ℔iij. in expreſſo liquore diſſolvantur ſacchari albi ℔ii. Fiat. lege artis ſyrupus.*

Vires ejus ſunt pectorales, & magnoperè inprimis in raucedine commendantur.

Sirupus de Eupatorio Meſuæ ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Rad. apii, fœniculi, endiviæ an. ℥ii. glycyrrhizæ, ſchœnanti, Cuſcutæ, abſinthii, Roſarum an. ʒvi. Capillor. veneris, Cardui benedicti, eryngii, flor. bugloſſi, ſem. Aniſi, fœniculi, eupatorii Meſ. ſeu Agerati an. ʒv. Rhabarbari. maſtiches an. ʒii. ſpicæ indicæ, Aſari, foli i vel ejus loco ſpicæ Romanæ an. ʒii. Aquæ fontanæ ℔viii. Coquantur ad tertiæ partis Conſumtionem; expreſſioni addendo ſucci apii ℔ii. endiviæ ℔i. ſacchari ℔v. Coquantur ſ. a. in ſyrupum.*

Prodeſt in febribus diuturnis ac tertianis nothis, ex bile aut pituita Craſſa, quæ jecoris aut lienis obſtructiones parit, parteſque nutritorias & concoctrices vires labefactat, ortum ducentibus; aperit, incidit, tenuat, tergit, & digerit: adpetentiam exci-

excitat, coctionem firmat, robur ventriculi ſuſcitat, hydropi ſuccurrit, cacochimiam & cachexiam emendat: vitioſos ſuccos per urinas educit, intemperiem frigidam delet, flatus ventriculo aut jecori innatos diſſipat, hypochondriorum dolorem, ac tenſionem levat, atque adeo totius corporis corruptionem, quæ male affectum ventriculum, & hepar ſequitur corrigit.

Sirupus Exhilarans D. Laurent. *apud Renodæum.*

℞. Succorum bugloſſi & borraginis ℔ I ß. *ſucci pomor. redolent.* ℔ j. *ſucci meliſſæ* ℥ ß. *granor. Kermes* ℨIII. *croci* ℨß. *pulveris diamargariti frigidi* ℨß. *diambræ* ℈ IV. *ſacchari tabarzet* ℔ II. *fiat ex arte ſyrupus.*

Hujus ſyrupi deſcriptionem dat clariſſimus Vir Dn. Doctor Laurentius, Gallorum & Navarorum Regis medicus primarius, in quodam opere doctiſſimo, quod de viſu conſervando, de morbis melancholicis, catarrho, & ſenio in lucem edidit, illius autem authorem agnoſcit affinem ſuum Dom. Caſtellanum, Galliæ quoque Regis Archiatrum, à quo ſe habuiſſe confitetur, ſic verò debet confici.

In ſuccis depuratis grana Kermes noctem integram ſuper cineres calidos infundentur; in forti expreſſione ſaccharum diluetur: deinde coquentur omnia in ſyrupum: in cujus medio ſuſpenditur nodulus, qui ſuo ſinu pulveres, & crocum continebit. Doſis erit ab ℥I. ad ℥II. idque mane jejuno ſtomacho, & veſperi hora ſomni.

Cognominatur exhilarans, quia vim habet eximiam ad cor & ſpiritus vitales exhilarandos, facultates erigendas, mœrorem abigendum, & qualitatem humoris melancholici malignam comtemperandam.

Sirupus de Farfara ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Succi Farfaræ depurati ℔III. *ſacchari clarificati* ℔Iß. *decoquantur in ſyrupum.*

Refrigerat, lenit, & humectat: Calidis ob id pectoris vitiis adprimè confert, Tuſſi, pleuritidi, peripneumoniæ, ac phthiſi ſalutaris, nec non Catarrhis ſalſis, acribus, & in pectus fauceſque delabentibus perquam idoneus.

Sirupus de Fragis ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Succi Fragorum depurati libras tres, ſacchari clarificati ℔Iß. *Fiat lege artis ſyrupus.*

Æſtuoſis febribus, ac internis incendiis convenit. Calculos itidem atterit, urinas movet, & renum arenulas expurgat.

Sirupus de Fumaria ſimplex ex *eâdem Phar.*

℞. Succi Fumiterræ depurati ℔ IV. *ſacchari clarificati* ℔IIß *Fiat ſyrupus.*

Aduſtos, ſalſos, ac retorridos humores concoquit, ſanguinem mundificat, obſtructiones reſerat, ventriculum & jecur roborat, icterum tollit, ventrem lubricat, urinas prolicit, cutis vitia, pruritum & ſcabiem aufert, demum ex viſcerum infarctu natas febres: præſertim bilioſas Curat.

Sirupus de Glycyrrhiza Meſuæ ex *Phar. Auguſt.*

℞. Glycyrrhizæ ℥II. *capiller. veneris* ℥I. *hyſſopi* ℥ß. *Aquæ* ℔IV. *ſpecies prædictæ in aqua prius fervefactæ horis 24. macerentur, deinde decoquantur ad dimidias: colaturæ addendo mellis deſpumati* ℥VIII. *ſacchari albi* ℥XVI. *Aquæ roſar.* ℥VI. *Fiat ſyrupus ſ. a.*

Thoracem, & pulmones expurgat: diuturnæ, itemque ſiccæ tuſſi, ac pleuritidi opem fert, aperit, tergit, aſperam arteriam & partes ſpiritales lenit, eaſque ad materiam expectorandam confirmat: incipientibus Thoracis affectibus frigidis & pituitoſis ſaluber eſt; calefacit enim, incidit, tenuat, expurgat, lenit & moderatè ſiccat.

Quamvis ſaccharum penidium ab alio ſaccharo, manum pharmaceuticam non experto, haud parùm differat, quia tamen ſyrupos paulò herbidiores reddere ſolet, nec tamen virtuti eorum, ſi omittatur, multum detrahat, ejus loco ſacchar. album ſubſtituere in hoc ſyrupo aliiſque nonnullis ſubſequentibus voluimus.

Sirupus Granatorum Dulcium ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Succi Granator. dulcium depurati ℔V. *ſacchari albiſſimi* ℔IIß. *coquantur in ſyrupum.*

Tuſſim ſedat, exſcreationes promovet, humectando ſitim mitigat ac pectus lenit.

Granatorum Acido-dulcium ex eâdem *Phar.*

Paratur eodem modo, quo ſyrupus granatorum dulcium.

Refrigerat & humectat: nauſeam ac vomitum bilioſum reprimit, febribuſque bilioſis plurimum auxilii adfert.

Sirupus Antihecticus Riverij, ex *Phar. Schrod.*

℞. Teſtud. lacuſtr. aut fluviat. in fruſta diſſect. ℔II. *cancror. fluviat. vivorum confract.* ℔Iß. *ſem. quat. frig. major.* ℥IV. *limacum per medium ſectorum m. ij. ſucci veron. mar. melon. an.* ℔I. *vini albi* ℔VI. *ſucci nicot.* ℔II. *uvarum corinth. paſſul. an. q. ſ.*

Ponantur omnia in magno matracio benè obtura o & ſinantur digeri per ☌ 2. poſtea deſtillentur ex cineribus, & ex liquore deſtillato & ſacch. Cand. ℔IV. F. Syrupus. Cap. ℥j. pro doſi paulò ante paſtum bis aut ter in die, adde uſus tempore lactis ſulph. perlarum an. gutt. VII. m. & exhibe.

Lac perlarum fit terendo eas ſuper marmor in Alcool irrorando aq. roſarum paulatim, deinde iterum terendo in mortar. marm. cum ſucco limonum ſtatim perlæ diſſolventur, filtra, Colatura ſervetur.

Sirupus de Succô Hederæ Terreſtris ex *Phar. Auguſt.*

℞. Succi hederæ terreſtris depurati ℔III. *ſacchari albiſſ.* ℔Iſſ. *coquantur, ut eſt artis, in ſyrupum.*

Ad internos abſceſſus, cruenta, & ſanioſa ſputa ſalubris, phthiſi medetur, vaſa rupta glutinat, apoſtemata purulenta mundificat & ſanat: urinas, menſes ac ſudores promovet.

Sirupus Hydragogus *Zwelfferi.*

℞. Succi rad. iridis noſtr. cærul. depurati ℔IV. *radicum ſambuci, vel decocti ejus radicis fortis* ℔Iſſ. *quibus mixtis immerge ſequentia inciſa & contuſa, nimirum rad. recent. ebuli* ℥IV. *Enulæ* ℥II. *calami aromat.* ℥Iſſ. *cort. medii ſambuci recent.* ℥j. *medullæ ſambuci* ℥I. *baccar. juniperi* ℥Iſſ. *Alkekengi, ſem. bardanæ major. naſturtii, urticæ an.* ℥I.

Facta digeſtione brevi, coquantur ad ramanentiam ℔Iſſ. coletur & exprimantur ſpecies, calaturæ clarificatæ adde ſacchari albiſſ. ℔III.

Et denuò coquendo ad juſtam Conſiſtentiam ſyrupus efficiatur, qui præſtans eſt in hydropica diſpoſitione & cachexia, educit ſeroſam humiditatem per urinam, ut & quandoque per alvum, ſumptus ab ℥I. ad ℥II.

Hy-

Hydragogus alius Hepaticus *Ejuſdem.*

℞. Succi Abſinthij noſtrat. ℔ j. Epaticæ nobilis, Agrimoniæ an. unc. x. Iridis noſtr. cærul. ℔ j. quibus ſuccis commixtis immerge ſequentia, inciſa & contuſa ut potè rad. recent. Ebuli unc. VI. calami aromatici unc. I ß. galangæ unc. j. medullæ ſambuci ʒ VI. roſarum rub. recent. unc. III. ſantali rubri unc. ß. bacc. juniperi unc. I. factaque maceratione die una, coquantur ad conſumptionem ℔ iß. colaturæ expreſſæ & alb. ovorum clarificatæ adde ſaccari albi can. ℔ II. & denuo ad ſyrupi conſiſtentiam decoquantur, addendo ultimo pro aromatizatione Elæoſacchari cinamomi, caryophyll an. ℥ ß. Fiat ſyrupus.

Cachecticis & hydropicis emolumento eſt, hepar roborat inſigniter, ut & lienen, uncia una vel altera pro doſi frequenter exhibita.

Sirupus Florum Hyperici ex *Pharmac. Auguſt.*

Paratur ut ſyrupus de boragine.

Calculoſis, ac renum dolores patientibus auxilio eſt, urinas movet, vermes enecat, nec non cordis cerebrique vires adauget.

Sirupus de Hyſſopo Meſuæ ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Hyſſopi, Rad. Apij, fœniculi, petroſelini, glycyrrhizæ an. ʒ x. hordei mundi ℥ ß. Tragacanthi, ſem. malvæ, cydonior, an. ʒ iij. capillor. veneris ℥ vi. jujubarum, ſebeſten an. numero xxx. uvar. paſſar. major, ab arillis liberatar. ℥ iß. caricarum, dactylor. pinguium an. num. x. aquæ ℔ viij. coquantur ad ℔ v. conſumtionem, expreſſum cum ſacchari albi ℔ ij. in ſyrupum ex arte percoquatur.

Utimur eo in morbis Thoracis invaleſcentibus, ex frigida, craſſa, & lenta materia natis, ubi attenuatione, deterſione, ac expurgatione majore opus eſt: aſthmaticos & tuſſiculoſos juvat; obſtructiones aperit; hypochondriorum dolori, ac renum calculis utilis.

Sirupus Ivæ Arthriticæ, ſive chamæpityos ex *Pharm. Londin.*

℞. Herb. chamæpityos m. ij. majoranæ, ſalviæ, roriſmar. polij montani, origani, calamenthæ, mentaſtri; pulegij, hyſſopi, Thymi, Rutæ ſativæ & ſylveſtris, Betonicæ, ſerpylli an. m. j. Rad. Acori, Ariſtolochiæ longæ, rotundæ, Bryoniæ, dictamni albi, gentianæ, peucedani, phu an. ſemunciam, Apij, Aſparagi, fœniculi, petroſelini, Ruſci an. ℥ j. pyrethri ℥ ß. ſtœchados, ſem. Aniſi, Ammeos, carvi, fœniculi, liguſtici, ſeſeleos an. ℥ iij. uvar. paſſarum exacin. ℥ ij.

Prævia digeſtione 24. horarum ſpatio in aquæ font. tepidæ ℔ x. peractâ, deſtillentur in B. M. donec aquæ libræ quinque eductæ fuerint. Tum factâ validâ fœcum expreſſione, colaturæ claræ q. ſ. Coquatur cum mellis optimi, & ſacchari candidi, an. ℔ II. ad Tabulati conſiſtentiam; additaque aquâ priùs deſtillatâ conficiatur ſyrupus in B. M. aromatizandus ol. cinnamomi nucis moſchatæ an. ℈ ſs.

Sirupus de Jujubis Meſuæ ex *Pharmac. Auguſt.*

℞. Jujubar. numero ſexaginta, violar. ſem. malvæ an. ʒ v. capillor. veneris, hordei mundi, glycyrrhizæ an. unc. j. ſem. papaveris albi, melonum, lactucæ, cydoniorum, Tragacanthi an. ʒ iij. aquæ font. ℔ ix. coquantur ad Tertias, colaturæ addendo ſacchari ℔ ij. F. ſ. a. ſyrupus.

Ad tuſſim ſiccam, arteriæ aſperitatem, omneſque thoracis & ſpiritalium partium affectus à fluxionibus calidis ortum habentes adcomn odatus, ſputum tenue ſuo lentore maturat, incraſſat, glutinat, & expectorat: eum Manardus ad veſicæ ulcera celebrat, ad quæ lentore dulci, frigido, & mucoio ideoque leniente opus eſt.

Simplex fit ex ziziphis centum in aquæ cœleſtis ℔ iv. ad dimidias coctis, cum ſacchari ℔ j. utilis ad tenues in pectus deſtillationes, & ſputum liquidius modicè incraſſandum.

Sirupus Lientericus D. *Daquin.*

℞. Summit. Abſinthij major, roſar. rubr. exungulatar, an. m. iij. limaturæ chalybis nodulo incluſæ ℥ ij. rhei electi, & cortic. myrobolanor. citrinor. an. ℥ iß. tartari pulverati ℥ j. ſantali rub. contuſi ℥ ß. in vaſe fictili vitreato collocentur, cum ſuccor. plantag. & roſar. rub. an. ℔ iij. & cineribus calidis hor. 24. committantur; deinde lento igne per horæ quadrantem bulliant, colentur & exprimantur, liquor verò ovi albumine cum ſacchari optimi ℔ iv. Clarificetur & coquatur in ſyrupum.

Admodum efficax eſt hic ſyrupus in ſiſtendis lienterijs; ſtomachum; hepar, lienem & inteſtina omnia corroborat, acrimoniam humorum obtundit, & hæmorrhagias interiores ſiſtit; datur ab ℥ ß. ad ℥ iß. mane jeuno ſtomacho ſolus aut liquori appropriato admixtus.

Sirupus de Limonibus eu *Pharm. Auguſt.*

℞. Succi limonum maturor. depurati ℔ i ß. ſacchari albiſſ. clarificati, ultra tabellarum conſiſtentiam cocti ℔ iij. Fiat ſecundum artem Sirupus.

Refrigerat & acrimoniæ ſuæ vi penetrat; interhis incendiis ſummoperè conducit, putredinem arcet, ac lumbricos enecat: cor & ſtomachum reficit, eorundemque vires tuetur.

Sirupus de Lupulo, ex *eâdem Pharm.*

℞. Succi depurati lupuli ℔ iv. Fumariæ ℔ j. ſacchari clarificati ℔ iv. Fiat ſyrupus.

Ad jecoris intemperiem calidam, & bilis efferveſcentis impetum retundendum utilis: ſanguinem purgat, ejuſque ebullitionem temperato calore compeſcit: bilioſis inſuper febribus, ſynochis, cephalalgiæ calidæ, interniſque fericoribus confert, ictero perquam idoneus,

Paratur quoque hic ſyrupus ex ſolo lupuli ſucco, prout Meſue cap. de volubili docet.

In hujus ſyrupi confectione ſtudendum, ut ſuccus è primis emergentis lupuli turionibus, ſeu aſparagis, ante enata folia, exprimatur, non autem cùm jam planta provectior in caules adolevit.

Sirupus Maſtichinus è *Pharm. Norimberg.*

℞. Aquæ maſtichinæ ℔ j. ſacchari ad conſiſtentiam Tabulati inſpiſſati ℔ j. miſceantur & fiat ſyrupus, ut artis eſt.

Maſtichinus alius ſtomachalis *Zvvelfferi.*

℞. Aquæ maſtichinæ ſtomachicæ noſtr. in claſſe xv. deſcriptæ ℔ j. cui adde ſacchari albi can. ℥ xx. ac ſolâ ejuſdem diſſolutione, leniſſimo in calore fiat ſyrupus gratiſſimus, ventriculo ut & cerebro roborando in affectibus eorum frigidis efficax. Doſis unc. ß. ad unc. *iß.*

Sirupus de ſuccô Meliſſophylli ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Succi meliſſophylli, ſeu citrariæ veræ ℔ iij. abſtrahatur leni arenæ calore ejuſdem ℥ vi. in remanentia ſolvatur ſacchari albi ℔ i ß. clarificetur cum albu-

albumine ovi, & ad debitam conſiſtentiam cocta, addictá aquâ per deſtillationem abſtractâ Fiat ſyrupus.

Ad cordis vires reparandas efficax: lipothymias ſanat, ſpiritus auget, ac peſtilentium febrium malignitati adverſatur: uteri inſuper affectibus ſummopere prodeſt, immunditiem enim expurgat, & menſes moram trahentes eijcit.

Cum huic ſyrupo partes ſubtiliores, coctione aliàs exhalantes, conſervare præſtet, deſtillatione eaſdem à fuga retractas, ut pharmacopæi noſtri, ceu jam dudum obſervare prudentiores conſueverùnt, porrò conjungant, non prohibemus.

De Succo Meliſſæ Compoſitus ex *Pharm. Londin.*

℞. Corticum radicum bugloſſi ℥ji Rad. dictamni albi, pentaphilli, ſcorzoneræ an. ℥ß. fol. meliſſophylli, ſcabioſæ, ſucciſæ, flor. bugloſſi utriuſque, roriſmarini an. m. j. ſem. oxalidis, citrij mali, fœniculi, cardui benedicti, ocimi an. ʒiij.

His diem integrum macerandis affundè aquæ fontanæ, tepentis ℔ i v. coque in B. M. dein liquoris validè expreſſi & clarificati ℔ i i ß. adde ſucci meliſſæ depurati, aquæ roſar. rubrarum an. ℔ ſs. ſacchari cryſtallini ℔ i v. Fiat ſyrupus in B. M.

Sirupus de Succo Menthæ ex *Pharm. Auguſt.*

Fit ad modum. Sirupi de ſuccô Meliſſophylli.

Uſus ejus præcipuus eſt ſtomachicus, quem roborat, calefacit, coctionem juvat, cruditates emendat, ſingultum & vomitum inhibet, ac flatus diſſipat;

De Mentha minor Meſuæ ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Succi menthæ depurati, granator, dulc. acidorum ſacchari an ℔j. coquantur ſecundùm artem.

Commendatur in ventriculi intemperie frigida, ideoque vomitum, nauſeam & ſingultum ſedat, ac alvi fluorem, Retentricis facultatis imbecillitate ſubortum ſiſtit, ſtomachum quoque, & ventrem inferiorem totum blando ſuo calore, lenique adſtrictione confortat.

De Mentha major Meſuæ ex *eâdem Pharm.*

℞. Succi cydonior. acido-dulcium, & dulcium, granatorum acido-dulcium, dulcium, & acidorum, an. ℔ i ß. in ſuccis his, horis 24. macera menthæ ſiccæ ℔ i ß. roſarum rubr. ℥ i j. coquantur lento igne ad dimidias; & poſtea colentur, addendo ſacchari ℔ i j. ad perfectionem, in fine autem aromatizando galiæ moſchatæ veræ, tritæ & in ſindone ligatæ ʒiij.

Priore longè præſtantior, ſed multum quoque pretioſior; in quo parando mentha parùm ſicca ſumenda eſt, quæ ſupervacaneam humiditatem, ſuis flatibus ventriculum turbantem, depoſuerit.

Sirupus de Succo Mercurialis ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Succi mercurialis depurati ℔iij. ſacchari ℔ i ß. coquantur in ſyrupum.

Ejus uſus ad enemata paranda commendatur: alvum enim leniter ſubducit, bilioſos & aqueos humores evacuans: uterum quoque impurum mundificat, & conceptioni habilem efficit.

Sirupus de Moris Compoſitus ex *Renodæô.*

℞. Succi mororum domeſticor, non omnino maturorum ℔ß. ſucci mororum rubi ſylveſtris, mellis albi deſpumati an. ℔ i. ſapæ ℥iv. coquantur, ut artis eſt, in ſyrupum.

Ut diacodij loco, quod olim opiatæ forma parabatur, nunc ſyrupum de papavere ſimplicem habemus, ſic pro diamoro, ſyrupum de moris: ad cujus confectionem multi adjecerunt ſuccum fructus rubi idæi & fragorum: ſicque ex tribus mororum generibus conficiunt, alij utrumque relinquunt, atque ſapam: fit autem ſuccorum ſimul cum melle coctio ad conſiſtentiam tantum ſyrupi, qui dilutior eſt diamoro, ſeu rob de moris, quod nunc vix paratum reperitur, ſed ejus loco ſyrupus mororum compoſitus capite ſuperiore deſcriptus.

Multum quoque probarem ſyrupum de moris ſimplicem, ex eorum nempe ſucco & ſaccharo paratum: cui ſi portio aquæ roſaceæ adiiceretur, & gratiorem, & ad multa efficaciorem præſertim ad roborandum, & fluxiones ſiſtendas judicarem.

Syrupus de moris compoſitus valet contra depaſcentia oris ulcera: ad dentium quoque & gingivarum affectus. Ad columellam, ſeu uvulæ relaxationem, & ad omnia oris vitia, & per ſe ſumptus ex cochleari, & dilutus in decocto convenienti in formam gargariſmatis.

Sirupus de Mucilaginibus ex *Pharmac. Londin.*

℞. Sem. Althææ, malvarum, cydonior. an. ℥j. gummi Tragacanthæ, in nodulo incluſi ʒiii. horum perfuſioni ſex horæ concedantur in decocto tepido Malvarum, ſem. papaver. albi, & granorum Alkekengi.

Tum exprimatur mucilago ad ſeſquiunciam; ex qua, cum decocti prædicti ℥iii. ſacchari albiſſ. ℥ii. F. Syrupus ſ. a.

Sirupus Myrthinus Compoſitus Meſuæ ex *Parmac. Londin.*

℞. Baccarum myrti ʒxx. Roſar. ſandali albi, rub. & rubri, ſumach, balauſtior, berberum an. ʒxv. meſpilor. ʒxxxxx. ſucci pomorum agreſtium, cydoniorum an. ℔ß. omnia cum aqua fontis ℔viii. coquantur ad medias: colentur & cum ſacchari ℔iii. Fiat ſecundum artem ſyrupus.

Efficax ad Thoracis & pectoris affectus, ut hæmorrhagiam pulmonum tenuem, & calidam tuſſim: hæmorrhagiam omnem, utpote pectoris, uteri, renum, ac abundantia menſtrua cohibet, diabetem reprimit, & omnem immodicam vacuationem, uti ventris profluvium, vomitum ſiſtit; quia refrigerat, ſiccat, & adſtringit.

Commodiſſimè paratur hic ſyrupus autumnali tempore, quando meſpila matura quidem, ſed duriuſcula adhuc, nec temporis morâ vel diuturniore ſitu emollita proſtant.

Sirupus Nephrocatharticus Jouberti ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Quinque radicum aperient, an. ℥ ii. Rad. raphani, ſylveſtris, ononidis, bardanæ, Ericæ, rubi, Eryngij, leviſtici, rubeæ majoris an. ℥ i. macerentur contuſa, in aceto per diem naturalem: poſtea accipe. Rad. calami aromat, cyperi, Aſari, valerianæ, althææ, cort. rad. capparis, citri ſicci an. unc. ß. ſaxifragiæ cum rad. plantaginis cum radicibus an. m. ij. ſummitatum malvæ, parietariæ, urticæ, aſparagi, Betonicæ, pimpinellæ, quinque herbar. capillarium, naſturtij, ſiſymbrij aquatici, berlæ, id eſt, ſij, ſeu laveris, crithmi marini, fragariæ an. m. j. pulpæ paſſular, minor, jujubarum ſebeſten, glycyrrhizæ raſæ an. unc. i j. caricarum pinguium numero triginta, granorum. Halicacabi, Juniperi numero viginti, quatuor ſem. frig. majorum,

rum, minorum, ſem. milij ſolis, urticæ, ocymi an. unc. ß. carvi, dauci, ſeſeleos an. drach. II. florum cordialium, geniſtæ, hyperici, Matriſylvæ ſeu caprifolij German. an part. I. coquantur in ſufficienti quantitate decocti hordei, addito aceto infuſionis radicum. ℔ IV. *colaturæ adde ſucci limonum* ℔ I. *ſacchari & mellis deſpumati an* ℔ II. *Fiat ſyrupus qui aromatiſetur cinnamomi unc. j. nucis moſchatæ* ℥ß. *reponatur in uſum.*

Laborioſa hujus ſyrupi confectio, ejus tamen uſus quondam apud nos increbuerat, ob vires, quibus in cienda urina, renibuſque à ſabulo liberandis pollet: calculos enim atterit, arenulas expurgat, urinarios meatus aperit, & mundificat, datur commodiſſimè cum decocto Herniariæ aut cicerum rubrorum.

Sirupus Nephriticus primus *Zwelferi.*

℞. *Rad. recent. Apij unc. j. petroſel. unc. III. ononidis, pimpinel. an. unc. I3. calami aromat. liquirit, an. unc. j. bulb. aſparagi recent. unc. IV. herb. recent. naſturtij hortens, petroſelini, Rutæ murar. an. unc. III, bacc juniperi unc. Iß. Alkekengi unc. I. ſem. naſturtij urticæ an. unc. ß. ſaxifragiæ, dauci, Thlaspios carvi an.* ʒVI. *inciſa & contuſa coquantur in ſ. q. aquæ ſimplicis, (vel in aqua betulæ, ſi haberi poſſit, ſcil. quæ tempore veris ex arbore betulæ ſauciata ſponte effluxit) ad remanentiam* ℔ II. *colatura cum expreſſione facta probè clarificetur, cui adde ſucci raphani hortenſis radulâ comminuti recenter expr. & depurati libr. j. ſacchari canarij albi libras iij.*

Et ad conſiſtentiam debitam ſyrupi denuo coquantur. Vires habet eximias in cienda urina, exturbando calculo & ſabulo, cùm renum, tum veſicæ, renes, meatus urinarium etiam veſicam mundificat, calculi propagines, ipſas arenulas exturbando, velut in herba ſeminium præcidit, ſuppoſito quod ejus uſus continuato vigeat, exhibendo pro doſi unc. j. ad unc. Iß. in decocto cicerum & petroſelini.

Secundus ex *Eôdem.*

℞. *Limon. pomorum recent, ſucculentor, minutim conſciſſorum cum toto, exceptis ſeminibus num. xij. raphanorum hort, & hyemal. grand. ad inſtar raparum radula comminutor.* ℔ ij3. *ceparum recent. contuſarum* ℔ j. *ex his omnibus mixtis & contuſis in mortario lapideo, ac per biduum maceratis, exprimatur tandem ſuccus, qui probè depurandus & quocunque modo clarificandus ſine violenta coctura, hujus ſucci accipe circiter* ℔ ij. *cui adde ſacchari albi can.* ℔ iij3.

Ac unica ſaltem ebullitione confice ſyrupum debitæ conſiſtentiæ, qui eaſdem cum priori ſyrupo, imo potentiores in remorante urina cienda, ac pellendo ſabulo virtutes obtinet; conterit proprietate ſubſtantiæ ſuæ calculos in venibus, eoſque extrudit, ſi ejus uſus frequens ſit, eodem quoque modo: quo prior ſyrupus in decoctis cicerum & petroſelini, eorum juſculis, & aquis ſequentibus deſtillatis nephriticis commodè propinandus ab ℥ß. ad ℥j.

Tertius ex *Eôdem.*

℞. *Succi chærefolij recenter expreſſi & depurati* ℔ j. *raphani hortenſis mai. hyemalis recenter expr. & purificati* ℔ß. *vini albi rhenani* ℔ß. *in quo autem prius Bacc. juniperi conquaſſat.* ℥I. *macerata fuerint, in his ſuccis & vino unitis ſolvatur, magiſt. n. ſolubilis oculor, cancrorum cum ſpir. veneris par.* ℥Iß. *omnibus porrò probè filtratis adde ſacchari albi can. q. ſ. nimirum ad* ℔ j. *liquoris* ℥. *circiter xx. ſacchari, ut ſola ejus diſſolutione leni calore, & in vaſe ferreo ſyrupi durabilis conſiſtentia emergat, qui aromatizandus Elæoſacchari cinamomi* ʒj. *vel* ʒij *Fiat ſyrupus.*

Cujus virtutes ex ſuperioribus eluceſcunt: hydropicis Aſcite & anaſarca laborantibus ſalutaris eſt, pro doſi ℥ß. ad ℥j ſumptus.

Sirupus Nephriticus *D. Daquin.*

℞. *Rad. althææ, ononid. fragar. bardanæ & 5. aperientium an.* ℥iß. *fructuum alkekengi & cinosbati ani unc. iij. ſeminis bardanæ, milij ſolis ſileris mont. 4. frigidor. major. mundat, nucleor meſpilor. & perſicor. an.* ℥j *folior, ſaxifragæ, pimpinellæ, chærefolij, virgæ aureæ, hyperici, capilli veneris Monſp. an. m. j. Tartari albi pulverati* ℥ij. *coquantur ex a. in aq. parietariæ* ℔ x. *colatura cum ſacchari optimi* ℔ iv. *clarificetur & coquatur in ſyrup. Elæoſacharo anisi aromatizandum.* Doſis ab ℥j. ad ℥ j. in emulſionibus aut liquoribus alijs appropriatis.

Sirupus Nicotianæ ex *Pharm. Schroder.*

℞. *Succi peti* ℔ iv. *hydromelit ſimpl.* ℔ j. *oxymelit. ſimpl.* ℥ iv. *omnibus ſimul mixtis, fiat digeſtio in* MB. ♂. 2. *vel* 3. *ut defecetur; hinc decanta, ac digere iterum ut ſupra, donec materia ab omni fæculentia depurata fuerit, adde poſtea ſacchari* ℔ ij. & *coque in ſyrupum.*

N. Succus peti opus habet perexquiſita & ingenioſâ digeſtione, qua vis vomitiva, ac dejectiva corrigitur, atque in ſyrupum abit præſtantiſſimum adverſus omnes affectus aſthmaticos, in quibus pulmonum bronchia pituitâ craſſâ ac viſcoſâ infarciuntur, ut interceptâ reſpiratione ſuffocationis periculum immineat, in quo caſu hic ſyrupus ritè præparatus & adminiſtratus mira præſtat, cerebrum inſuper à catarrhis, ſive fluxionibus ſeroſis & frigidis liberat, ſimulque per inferiora educit.

Doſis cochlear. 5. ubi tamen à principio ſumma opus eſt circumſpectione, poſtea verò doſis augenda erit.

Alius ex *eadem Pharm.*

℞. *Succi peti (nicotianæ) depurati (ut ſupra)* ℔ iß. *hydromelitis ſimpl.* ℔ j. *in quibus macera per* ♂. 2. *vel* 3. MB. *fol hyſſop. politri h. Adiant. Flor. tuſſilagin ſtæchad. violar: bugloſſi an p. ij. ſem. bombac. urtic. card. bened an.* ℥j. *Follicul. ſenæ* ℥iij. *Agaric. rec. trochiſc.* ℥j. *cinamom. macis, caryophyllor. an.* ʒj. *deinde fortiter exprimantur, digerantur denuo ad perfectam* Fœcum depurationem. colaturæ ℔ iß. adde tantundem ſacchari, coquantur in ſyrupum.

Vires. Ad anheloſos & aſthmaticos alioſque affectus omnes pulmonum à frigidis & craſſis humoribus ſubortos, qui pulmonum bronchiis inhærentes, vel tuſſim antiquam, vel ipſam diſpnæam pariunt excellentiſſimum eſt remedium, alvum leniter ſolvendo, doſis unc. iß. vel unc. ij. ad ſummum.

Sirupus Nymphez ſimplex Nicolai ex *Pham. Auguſt.*

Fit ex florum nymphææ albæ infuſione, prout ſyrupus roſatus.

Inſigniter refrigerat, ſommum conciliat, viſcerum æſtus mitigat, veneris inſommia cohibet, ſemen immodicè fluens reſtringit, ſitim temperat, ac febrium ardores compeſcit.

Sirupus Nymphææ compoſitus Franc. Pedemontani ex *eâdem Pharmacop.*

♃. *Flor. nymphaæ albæ* ℥ II. *citrinæ, pſyllij integri, ſem. acetoſæ an.* ℥j. *quatuor frigid. major. an,* ℥ß. *minor. an,* ʒ II. *rad. fœniculi* ℥j. *coquantur in aqua hordei* ℔ IV. *ad medias: Colaturæ addantur ſacchari* ℔j. *ſucci granatorum acidor. Aceti an.* ℥ I. *Fiat lege artis ſyrupus qui aromatiſetur cum ſandali citrini, ſpica indica an,* ʒ Iß.

Valet ad bilioſarum vehementiumque febrium æſtus, dolores à bile procreatos, & capitis fervores, inſomnium levat, ſitim extinguit, ac potenter refrigerat & humectat.

Deſcribitur hic ſyrupus à Pedemontano in cap. de calida intemperie hepatis ſimplici & compoſita additurque ei ſpica, ne ſuâ frigiditate obſtructiones pariat.

Sirupus de Olibaho Rhaſis ex *Weckerô.*

♃. *Aceti veteris* ℔ III. *ſucci mal. granat. acet. Acetoſitatis citri, Agreſtæ Acidulæ, mororum, in quo ſumach fuerit decoct. berberis an* ℔j. *lactucæ, Endiviæ ſylveſt. an* ℥ III. *decoctionis jujubarum. infuſionis lentium an* ℔ Iß. *ſacchari* ℔ III. *Fiat ſyrupus, deinde* ♃. *ſpodij* ℔ß. *caphuræ* ℥j.

Terantur in mortario, & incorporentur cum ſyrupo, donec fiat unum corpus, & conſpergatur ter cum fruſto cucumeris, oblatus ante originem variolarum & morbillorum abſcindit eorum emerſionem: quòd ſi fortè apparuerint 20. non perficienter decem refrigerando calorem & putrefactionem prohibendo, niſi quod videatur vehemens materiæ expulſio, quæ tunc juvetur, idem datus cum calida, confert omnibus ægritudinibus ſang. choleræ, bubonibus, anthraci, anginæ, & conſimilibus.

Sirupus de Pœonia ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Paratur hic ſyrupus, ex florum infuſione; quamvis aliqui itidem ex ipſo florum ſucco eundem conficiant.*

Epilepſiæ, convulſionibus, ac ſpaſmo auxiliatur: comitialis morbi inſultus frangit, menſes ducit, uterinis quoque alijs affectibus opitulatur.

Sirupus de Pœonia Compoſitus ex *Pharma. Londin.*

♃. *Rad. recentis utriuſque pœoniæ plenilunio extractæ; & poſt diſſectionem in Taleolas, in vino albo odorifero, ſpatio integri diei, infuſæ, an* ℥iß. *contrayervæ* ℥ß. *ſileris montani* ʒ VI. *ungulæ Alces* ℥ I. *herb. roris marini cum floribus mj. betonicæ, hyſſopi, origani, Ivæ arthriticæ, Rutæ an.* ʒ III. *ligni Aloës, caryophyl. aromaticorum ſem. cardamomi minor. an,* ʒ II. *zingiberis, ſpicæ nardi an* ʒ I. *ſtœchados, mucis moſchath an* ʒ II. ß.

Poſt unius diei tepidam digeſtionem, in aquæ deſtillatæ radicum pœoniæ ℔ VI. coque in B. M. ad ℔. IV. in colaturam, mediante manicâ factam, iniice ſacchari albiſſimi ℔ IV. ß. & percoque in ſyrupum, in B. M.

Sirupus de Papavere Simplex Meſuæ ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Capitum papaveris albi & nigri recentium & cum ſeminibus, an* ℥ VIIß. *Aquæ pluvialis* ℔ VIII. *decoquantur ad remanentiam* ℔Iß. *cui addantur ſacchari albiſſ.* ℥ VIII. *Fiat ſyrupus, ut eſt artis.*

Uſu creber, arcendis defluxionibus calidis, tenuibus & acribus in Thoracem ruentibus, quæ aſperam arteriam fauceſque exaſperant, & vigilare cogunt, proinde tuſſim ex defluxionibus ijs enatam pellit: lentore autem ſuo gutturis aſperitatem lenit, caloris incendium mitigat, ſitim ſedat, ſomnum conciliat, refrigerando nimirum & humectando, tum ex accidenti, ſedatâ videlicet tuſſi, quæ vigilias parit.

Sirupus de Papavere Compoſitus Meſuæ ex *eâdem Pharmac.*

♃. *Capitum papaveris albi & nigri cum ſuis ſeminibus an* ʒ VI. & ʒ II. *capillorum veneris* ʒ XV. *glycyrrhizæ* ʒ V. *jujubarum numero triginta, ſeminis lactucæ* ʒ V. *malvæ, cydoniorum an* ʒ VI. *coquantur in* ℔ VIII. *aq. ultra medietatis conſumtionem: poſtmodum accipiendo colaturæ* ℔ III. *ſacchari albi, penidij an* ℔ I. *Fiat. ſyrupus.*

Somnum conciliat, & refrigerat, catarrhum, Tuſſim ſiccam, phthiſim ſedat; alvi etiam profluvio, ac diſſenteriæ, quam materiæ acris & bilioſæ effluxus excitat, medicatur, intemperiem calidam & ſiccam inteſtinorum emendat.

Sirupus de Papavere erratico ex *Pharm. Auguſt.*

Fit ex florum infuſione, ut ſyrupus de boragine: quamvis ex ſucco quoque parari queat.

Ad ardentium febrium vehementes æſtus adhibetur, quos potenter extinguit, vigiliaſque arcet; calidis præſertim pectoris malis, ut pote peripneumoniæ, acribus deſtillationibus, faucium inflammationibus, ac pleuritidi, cui à proprietate quàm maximè prodeſſe creditur, ſalutaris exſiſtit.

Sirupus Florum Paralyſeos ex *Pharm. Auguſt.*

Paratur ex florum infuſione, ut ſyrupus de boragine.

Frigidos nervorum ac cerebri morbos egregiè curat, datur convulſis, tremulis & paralyticis: cordis etiam vires tuetur, ac oris ulcera perſanat, atque in eundem uſum, mel quoque ſimili modo paratum olim proſtabat.

Sirupus de Pede cati ex *Pharm. Norimberg.*

♃. *Dactylorum mundat. Ficuum recent. paſſularum enucleat. Jujubarum, ſebeſten an* ℥ IV. *ungulæ caball. pulmonariæ maculoſæ cum floribus an m. ij.* Pedis cati, ceterach, an *m.* I. *liquiritiæ raſæ* ℥ I. *Fiat decoctio in ſ. q. aquæ fontanæ hujus* ℔ II. *cum pari pondere ſacchari, in ſyrupi formam redigantur.*

Vires. Pectoralis eſt ac nutritivus, unde his qui phthiſi laborant, ſolamini magno eſſe poterit.

Sirupus Antipthiſicus Vulnerarius *Zwelferi.*

♃. *Aquæ oculor. populi arboris, aquæ ſummitat. Abietis ſeu laricis arboris an, tempore veris ſine additione ullius rei, ex balneo n. vapor. deſtillat.* ℔ II. *in his mixtis aquis macerentur ſequentia ſaltem inciſa, utpote rad. recent. Enulæ camp. ſaniculæ an* ℥iß. *Tormentillæ* ℥ I. *cichorij ſylv.* ℥ II. *pimpinellæ* ℥ I. *ſymphyti majoris* ʒ VI. *herb. recent. veronicæ* ℥ III. *hederæ terreſtr. millefolij, conſolid. ſarac. flor. recent. papav. errat. roſar. rubi ana* ℥ II.

Maceratione ſufficienti peractâ in vaſe bene clauſo, & moderato calore, fiat colatura, cum forti expreſſione, expreſſum alb. ovorum in alembico vitreo, ſuo capitello munito, protiè clarificetur, interimque aſſervatur. jam verò.

♃. *Species ab infuſione relictas, quibus porrò adde, rad. recent. Enulæ camp.* ℥ Iß. *ſaniculæ, cichorij ſilveſtr. an* ℥ II. *pimpinellæ, ſymphyti major. Tormentillæ an* ℥ I. *herb. recent. veronicæ, hederæ terreſtr. mille folij. pulmonar. maculoſæ, conſol. ſeracen. flor. recent. papav. errat, roſarum rub. an* ℥ III. *inciſa coquantur in ſ. q. aq. ſimpl. repetitis vicibus, quouſque omnis virtus extracta ſit, colaturæ omnes junctim clarificatæ, additis ſaccari can. albi* ℔ VI. *ad conſiſtentiam quaſi Tabulati denuò*

coquantur, addendo tandem Aquam ſuperius aſſervatam & eſſentificatam in tanta quantitate.

Ut una vel altera ebullitione ſyrupi conſiſtentia emergat. Fiatque ſyrupus, qui in omnibus exulcerationibus internis phthiſi, vomica pulmonum, Empiematibus, vulneribus profundis, præſertim pectoris ſalutariter exhibendus, ſive per ſe, ſive in vehiculis appropriatis, utpote aquis vulnerarijs, ſero lactis caprini, imo in lacte caprino ipſo ab ℥j. ad ℥iß.

Nota: ſummo vere deſtillentur ſupradictæ aquæ ex oculis populi, & ſummit. Abietis, aſſerventurque donec reliquæ herbæ, flores & radices recentes iis infundendæ erumpant. Sic minus difficilis ſyrupi hujus erit præparatio.

Sirupus de Piloſella ſeu Hiſpidula *Renodei* ex *Ph. Aug.*

℞. Summit. floridarum & recentium piloſellæ ℔j. *infundantur per horas* XII. *in* ℔ V. *aquæ calentis, deinde lento igne bulliant, abhinc colaturæ libris addendo ſacchari* ℔III. *coquantur ex arte in ſyrupum.*

Ad plurimos pulmonis affectus depellendos maximè idoneus; ejus enim vulnera ſanat, & ulcera retardat, exhibetur potiſſimum iis, quibus à capite aut alijs partibus in thoracem fit defluxio, & quibus pulmones pituitoſo humore multo infarciuntur: ſiquidem humoris irruentis impetum cohibet, influxum coquit, partem affectam roborat, ac expectorationem promovet.

Sirupus de Piloſellâ Compoſitus ex *Pharm. Londin.*

℞. Piloſellæ m. III. *rad. Alchimillæ* ℥I. & ß. *conſol. majoris, rubiæ, dictamni albi, Tormentillæ, biſtortæ an* ℥I. *herb. pyrolæ, caudæ equinæ, hederæ terreſtris, plantag. ophioglosſi, fragariæ, hypericonis cum floribus, virgæ aureæ, agrimoniæ, betonicæ, pimpinellæ, caryophyllatæ, quinquefolij majoris, caulium rubr. balauſtiorum rub. an m.* I. *coque in aqua plantaginis* ℔ VI. *paulatim ad medias, deinde fiat cum forti expreſſione colatura; cui clarificatæ per ſubſidentiam adde mucilaginis gumm. Tragacanthæ. ſem. pſyllij, Althææ, cydoniorum, ſeorſum in aqua fragariæ, & betonicæ, extractæ, an* ℥III. *ſacchari albiſſimi* ℔ II. *ſimul coque ad melleam conſiſtentiam.*

Sirupus de ſuccô Plantaginis ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Succi plantag. defæcati ℔III. *ſacchari albi* ℔Iß. *coquantur, ut eſt artis, in ſyrupum.*

Utiliter internis vaſorum diruptionibus adhibetur: proinde cruentis ſputis, ac renibus ſanguinem fundentibus auxilio eſt, dyſenteriam quoque, hæmorrhoidas, & menſes nimium fluentes reprimit, internoſque ſinus glutinat.

Sirupus de Pomis Simplex Meſuë ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Succi pomorum dulc. Acidorum an. defæcatorum ℔V. *cum ſacchari* ℔III. *Fiat ſyrupus.*

Cor imbecillum roborat, ſyncopi, cordis palpitationi, ac omnibus cordis affectibus ab atra bile natis ſuccurrit: ventriculum firmat, ſitim ſedat, febribuſque bilioſis auxiliatur, cor, & facultates ejus omnes ſopitas excitat, ac lætitiam inducit.

Sirupus de Portulaca Meſuæ ex *eâdem Pharm.*

℞. Sem. portulacæ ℔ß. *ſucci Endiviæ cocti & depurati.* ℔ II. *ſacchari* ℔I. *ſucci granator, acidorum* ℥IX. *Tritum ſemen in ſucco endiviæ macera* 24. *horis, poſtea lento igne coque ad dimidias; demum cum ſaccharo ſ. a. percoque in ſyrupum.*

Potenter refrigerat, ſitim inexhauſtam ſedat, febrium ardores, ventriculi, & jecoris calidam intemperiem moderatur, eo efficaciter utuntur ad lumbricos, & interaneorum animalia expellenda, cortice citri indito.

Sirupus de Praſiô Meſuæ ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Praſij, ſeu marrubij albi non admodum ſicci ℥II. *glycyrrhizæ* ℈j. *capillor. veneris, hyſſopi an* ʒ VI. *calaminthæ, aniſi. rad. Apij, fœniculi an* ʒ V. *Iridis. ſem. malvæ, Fœnugræci an* ʒIII. *lini, cydonior. an* ʒII. *p ſſularum major. ab arillis liberatar.* ℥V. *caricar. pinguium num.* XVI. *coquantur in aqua pura* ℔X. *ad dimidias: expreſſioni addantur ſacchari albi, mellis deſpumati an.* ℔II. *Fiat lege artis ſyrupus.*

Ad longos & diuturnos thoracis affectus, tuſſim anhelam, ſenibus & frigidis naturis familiarem, ex craſſa, frigida, viſcida & lenta materia, perquàm ſalutaris, Aſthmaticis prodeſt, ſuppuratorum pus egregiè diſſolvit, incidit, tergit, atque educit.

De Praſio alius ex *Pharm. Londin.*

℞. Fol. praſij albi recent. ℥II. *rad. glycyrrhizæ, polypodij quercini, Apij, fœniculi, an* ℥ß. *fol. Adiandi albi, origani, hyſſopi. calaminthæ, Thymi, ſcabioſæ, ſatureiæ, Tuſſilag. an.* ʒVI. *ſem. Aniſi. Cydonior. in nodulo incluſ. an* ʒIII. *uvarum paſſar. exacinatar.* ℥II. *caricas pingues n. x.*

Digeſtione diem integrum in hydromelitis diluti calentis ℔VIII. peractâ, coque in B. M. factaque validâ expreſſione, colaturæ claræ ℔V. addantur mellis deſpumati & ſacchari albi clarificati an ℔II. Fiat ſyrupus in B. M. condiendus. rad. Iridis Florentinæ ℥I.

Sirupus Prunorum ſylveſtrium ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Succi prunor. ſylveſtr. depurati ℔III. *ſacchari clarific.* ℔II. *coquendo Fiat ſyrupus.*

Vim habet exſiccandi, adſtringendi, & incraſſandi; unde in profluvijs alvinis, & ſanguineis utilis cenſetur.

Sirupus de Duabus Radicibus ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Rad. petroſelini, fœniculi an ℥IV. *Aquæ* ℔V. *coque ad medias: colaturæ adde ſacchari albiſſ.* ℔II. *Fiat ex arte ſyrupus.*

Obſtructionem viſcerum aperit, humorum craſſitiem extergit, purgat & attenuat: urinas promovet: in febribus compoſitis & nothis prodeſt, ventriculum bile ac pituitâ refertum allevat, tenuis, lienis & jecoris infarctus penetrat.

De Quinque Radicibus Meſuæ ex *eâdem Pharmacop.*

℞. Rad. Apij, Fœniculi, petroſelini, Aſparagi, Rueci an ℥II. *Aquæ font.* ℔VI. *coquantur ad tertiæ partis conſumtionem: expreſſum coquatur denuò ſ. a. cum ſacchari* ℔III. *addendo ad finem Aceti albi* ℥VIII.

Humorum lentorem incidit, & præparat, obſtructaque potenter aperit.

Sirupus Raphani compoſitus ex *Pharm. Londin.*

℞. Rad. raphani domeſtici, ſylveſtr. an ℥I. *ſaxifragæ albæ, ruſci, leviſtici, Eryngij, ononidis, petroſelini, fœniculi, an* ℥ß. *fol. betonicæ, pimpinellæ ſaxifragæ, pulegij, cymarum urticæ urentis, naſturtij aquatici, trithmi, callitrichi, ſive capillor. veneris an. m. j. Fructuum Halicacabi, jujubarum an. p. x. ſem. ocimi, bardanæ major. petroſelini Macedon. ſeſeleos, carvi, dauci cretici, lithoſpermi, cort. rad. capparis an.* ʒII. *uvarum paſſarum, demptis vinaceis, glycyrrhizæ an.* ʒVI.

Macerentur diem integrum in aquæ font. Calentis ℔x. tum deſtillentur in balneo Mariæ. Educendo aquæ ℔vi quibus immergantur, Cinnamomi ℥j. nucis moſchatæ ℥ß, dein magma valide exprimatur, & colaturæ claræ q.ſ. Tabulati conſiſtentiam eoquantur; demum addendo aquam prius deſtillatam, F. Syrupus in B.M. ſ. a.

Sirupus Regius, aliàs Julapium Alexandrinum ex *Pharm. Londin.*

℞. *Aquæ roſarum rubrarum* ℔iiij. *ſacchari albiſſimi* ℔j. *Fiat ex arte Julapium.*

Sirupus de Ribibus ex *Pharmac. Auguſt.*

℞. *Succi Ribium depurati* ℔iij. *ſacchari* ℔iß. *Fiat ex arte ſyrupus.*

Incendio febrili ſalubris exſiſtit, excalefacta viſcera acoris ſui jucunditate plurimum recreat, ſitim ſedat, necnon choleræ, Cardiaciſque ſuccurrit.

Syrupus Roſatus ſimplex ex *Phar. Auguſt.*

℞. *Roſar. rubr. recentium* ℔xij, *Aquæ puræ calentis q. ſ. Roſæ contuſæ ſtent in infuſione per horas* 24. *tum colentur, & colaturæ addantur ſacchari* ℔iiij. *Fiat ſ. a. ſyrup.*

Abſtergit, aperit, lenit, ac concoquit: bilem crudam & humores pituitoſos, febrium fomitem præbentes expulſioni præparat, alvumque molliorem reddit.

Syrupus de Roſis ſiccis ex *eâdem Pharm.*

℞. *Roſar. rubr. exſiccatar.* ℔j. *infundantur in Aquæ calentis puræ ſufficiente quantitate, horis* 24. *poſtea in expreſſione dilnatur ſacchari albiſſ.* ℔j. *& coquantur ex arte in ſyrupum.*

Ad omnem alvi fluorem ſiſtendum commendatur: cæliacos, lientericos; ac dyſentericos juvat: partes internas roborat, ulcera detergit, ac glutinat, vomitum compeſcit, nec non uteri rheumatiſmum cohibet.

Syrupus de Rubeo Idæo ex *eâdem Pharm.*

℞. *Succi bacchar. Rubi Idæi depurati* ℔iij. *ſacchari albi* ℔iß *coque ſ. a in ſyrupum.*

Febrium æſtus mitigat, cordis defectiones arcet, Lipothymias fugat, alvum blandè adſtringit, ob id diarrhœæ & dyſenteriæ, bilioliſque alvi fluxionibus opitulatur: Cordis inſuper vires ſupra gemmas ac uniones tutatur & auget.

Syrupus de Scabioſa ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Succi ſcabioſ. defæcati* ℔iij. *ſacchari* ℔j. *ſemis, coque ex arte in ſyrupum.*

Pectoris noxis plurimùm prodeſt, & anhelam ſenum tuſſim ſublevat, pleuritidi confert, malignis febribus reſiſtit ac apoſtemata diſſolvit, & repurgat.

De Scabioſa alius ex *Phar. Londin.*

℞. *Rad. Enulæ camp. polypodii qnerc. an.* ℥ij. *paſſular. major. enucleatarum* ℥j. *ſebeſten n. xx. fol. Tuſſilag. pulmonariæ, Satureiæ, calaminth. ana m. iß. glycyrrh. mundatæ* ℥ß. *Tabaci Hiſpanici optimi, ſem. urticæ urentis an.* ʒij.

Coquantur omnia in B.M. (radicibus duobus primis vino albo pridie immerſis) in q. ſ. aquæ mulſæ dilutæ; dein ℔iiij. valide expreſſis & clarificatis. Adde ſucci ſcabioſæ depurati ℥iiijß. ſacchari albiſſ. ℔v. F. ſyrupus ſ. a. in B. M. alterandus ſpir. Sulphuris per campanam guttis xx.

Syrupus Sceletorbicus ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Succi naſturtii aquatici, Becabungæ ana* ℔ß. *fumariæ, lupuli an.* ℥iij. *lento igne deſtillando abſtrahantur ejus* ℥iiijß. *Reſiduum cum ſacchari* ℥viij. *clarificetur, & ultra Tabulati conſiſtentiam coctum, cum aqua deſtillata permiſceatur ad debitam ſyrupi conſiſtentiam.*

Scorbuto in primis medetur, ejuſdemque ſymptomata varia mitigat; lienis, & venarum meſeraicarum obſtructiones aperit, eroſioni oris, & gingivarum mirifice prodeſt.

Sceletorbicus alius ex *Pharm. Norimberg.*

℞. *Paſſular. Corinthiacar. ſucco Acetoſæ inebrietarum* ℥iß. *radicum polyp. quercini* ℥ß. *biſtortæ* ʒiij *Aſari, liquiritiæ, oxylapathi, an.* ʒij. *corticum radic. capparum, Tamariſci, Sem. Aniſi, fæniculi an.* ʒiß. *urticæ* ℈iij. *Agni caſti* ʒj. *herb. cuſcutæ, Acetoſæ, capillor. veneris, lichenis petræi, ceterach, linguæ cervinæ an. m. ß. Thymi, Epithymi an. p. ij. flor. boraginis, bugloſſæ, violarum, an. p. j. cinamomi* ʒiß. *præmiſſa deſtillatione, F. decoctio in aqua purriſſima ſ. q. ad remanentiam* ℔j. *in colatura clarificatâ diſſolve ſacchari albiſſimi* ℔j. *iterum coque ad ſpiſſam conſiſtentiam & affuſâ deſtillati ſ. q. Fiat Syrupus.*

Sceletorbicus alius *Zwelfferi.*

℞. *Herb. recent. Beccabungæ, cochleariæ, naſturtii hort. naſturtii aquat. an. q. ſ. ex his mixtis herbis conciſis, deſtilletur ſine alia additione ex baln. n. vaporoſ aqua præſtans. Hujus aquæ deſtillatæ* ℔ij. *immergantur ſequentia minutim inciſa, nimirum herb. recent. cochleariæ naſturtii aqua. Naſturtii horten. an.* ℥iv *peractâ aliquali digeſtione in vitro bene clauſo, fiat colatura cum expreſſione leni, quâ interim aſſervatâ aquâ, accipe porrò. Succor. recenter expreſſorum & depurat. utpote cochleariæ, naſturtii hortens. Naturtii aquat. an.* ℔j. *& additis ſacchari albi can.* ℔ijß. *coquantur ad omnem ferè humiditatis ſuccorum exhalationem, & Tabulati quaſi conſiſtentiam, cui tandem jungantur aquæ ſuperius deſtillatæ & impregnatæ* ℔ij *circiter.*

Ac una & altera ebullitione in terreo vaſe fiat ſyrupus præſtans in ſcorbuto, lienis & meſenterii obſtructiones aperit, ac eroſionibus oris & gingivarum, ſanguinem continuo fundentibus, admixto modico cremoris Tartari mirifice prodeſt; in aquis appropriatis ab ℥ß. ad ℥j porrigendus.

Sceletorbicus alius *D. D'Aquin.*

℞. *Rad. filicis maris, Angelicæ Eryngii, raphani ruſticani an.* ℥iij. *cortic. citri, arantior. an.* ℥ij. *folior. meliſſæ, fumariæ, ſcolopendrii, cochleariæ, becabungæ, naſturtii aq. nummulariæ, menthæ an. m iij. ſem. naſturtii hort. cardui bened. citri an.* ℥j. *flor. Tunicæ, geniſtæ an. m. j. Tartari albi contuſi* ℥ij. *decoquantur omnia ex a. aqu. chalybeatæ* ℔. *ix. colentur & exprimantur, liquor verò ovi albumine cum ſacchari opt.* ℔. *vj. Clarificatus, coquatur igne lento in ſyrupum, oleorum cinamoni & caryophyll. an. gut. iij. ſaccharo pulverato exceptis, aromatizandum.*

Hic ſyrupus depurat maſſam ſanguinis ejuſque circulationem facilitat; ſpiritus languidos ſuſcitat, eoſque deperditos reparat, debet autem ejus uſus aliquandiu continuari. Doſis cochleare j. aut ij. mane & veſperi ut & itidem inter prandium & cænam.

Syrupus de Scolopendrio Fernelii ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Polypodii querni, rad. bugloſſi. cort. rad. capparum, Tamariſci an.* ℥ij. *ſcolopendrii veri, ſeu ceterach m. iij lupuli, capillor. veneris, cuſcutæ, melyſſophylli an. m. ij. coquantur in aquæ* ℔ix. *ad remanentiam* ℔. *v. colaturæ adde ſacchari albi* ℔. *iv. percoquantur lege artis in ſyrupum.*

Craſſum melancholicum ſuccum attenuant, fluxilemque reddit; lienem ab obſtructione liberat, tumentemque

temque ſolvit: melancholiæ, quartanis, diuturniſque febribus adprimè utilis.

Syrupus de Scordio ſimplex ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Succi ſcordii depurati ℔ij, ſacchari ℔iß. Fiat ex arte ſyrupus.*

Ejus uſus præcipuus eſt in peſtilentibus & malignis febribus: internæ namque putredini maximè adverſatur atque humorum corruptiones emendat, lumbricos enecat, menſes ciet, Venenis reluctatur, vaſa rupta glutinat nec non ſudores prolicit.

Notandum, in ſucci hujus defectu ſubſtitui poſſe decoctum ſcordii, ex copioſa plantæ hujus quantitate paratum quod multam herbæ vim imbiberit ita ut ſuo valore ſuccum æquet.

De Scordio compoſitus Hieron. Mercurialis ex *eâdem Pharm.*

℞. *Flor. nymphææ, roſarum, boraginis, citri, folior. ſonchi, borag. Acetoſæ, pimpinellæ an. p. V. ſem. Acetoſæ, citri a. ʒv. decoq; in aq. hord. ℔iij. ad tertias.) Deinde recipe dicti decocti ℔ij. ſucci ſcordii depurati ℔iij. ſacchari fini ℔iij. decoque ſ. a. in fine addendo camphoræ, moſchi an. ℈ß. Fiat ſyrupus.*

Deſcribitur hic ſyrupus ob Octaviano Roberoto in Tractatu de febre puncticulari, cui præcipuè convenit, prout morbis omnibus ab humorum corruptela ſeu putredine natis.

Syrupus de Sempervivo ſimplex ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Succi ſempervivi depurati ℔iij, ſacchari albi ℔iß. coque ſ. a. in ſyrupum.*

Febrium æſtus potenter extinguit, ac internis incendiis auxiliatur, ob id Linguæ inflammationem ejuſque ariditatem aufert.

De Sempervivo compoſitus ex *eâdem Pharm.*

℞. *Folior. ſempervivi recent. ℔xii, contundantur in pila lapidea, adſpergendo iiſdem, Salis Ammoniaci mundi ʒx. ſtent probe tecta in vaſe fictili vitreato; per dies tres, vel quatuor & quotidie agitentur. Poſtea exprimatur ſuccus, qui cum ſacchari ℔vi. in vaſe itidem fictili, aut lapideo, coquatur lege artis in ſyrupum juſtæ conſiſtentiæ.*

Eaſdem cum Syrupo de ſempervivo ſimplici vires habet, efficacior tamen ad reſtinguendum febrium calorem ſupra modum adauctum: faucium ac Linguæ ariditatem & inflammationem tollit, anginæ opitulatur.

Sirupus de Siliquis, vid. *Diacodium.*

Syrupus Spleneticus *Zvvelfferi.*

℞. *Oculor. cancrorum in pulverem ſaltem redactorum ʒiij. cremoris Tartari ſubtiliter triti ℥ij. his mixtis ſuperaffundantur in alembico vitreo vini albi rhenani ℔ij. ſpiritus ſalis veri ʒij. bulliant parum in alembico vitreo, ſuo capitello munito juncturiſque bene clauſis, ut id quod bulliendo tranſit, excipi, & reſiduo, cum refrixerit, reaffundi poſſit, fiat poſt omnibus refrigeratis colatura, quâ interim aſſervatâ porrò accipe.*

Rad. recent. Apii, cichorii ſylv. fœniculi, pimpinellæ, petroſelini an. ℥ij. calami aromat. galangæ an. ʒvj. herb. recent. ſcolopendrii, chærefolii, cochleariæ, naſturtii hortens. Aſplenii, Matriſylvæ an. ℥it. ſem. urticæ, naſturtii an. ℥i. Apii ℥ß baccar Juniperi ʒvj. inciſa & conquaſſata coquantur in ſ. q. aquæ ſimplicis, ad remanentiam circiter ℔i j. colaturæ expreſſæ & probè prius clarificatæ adde ſacchari canarii albi ℔iiß. ac porro ad humiditatis ſuperfluæ exhalationem, ſeu tabulati ferè conſiſtentiam coquantur, addendo tandem vini ſuperius parati & aſſervati ſuffic. quantitatem, ſeu ℔i circiter.

Et una vel altera ebullitione, in terreo vaſe vitreato, fiat Syrupus, qui ad obſtructiones lienis & meſenterii reſerandas ac menſtrua mulierum pellenda efficaciter concurrit. Doſis ℥j. ad ℥iß

Nota: Quòd oculi cancrorum reſidui, nondùmque totaliter diſſoluti, aliis uſibus adaptari poſſint.

Syrupus de Stæchade Fernelii, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Florum ſtæchad. ℥iiij. Thymi, calaminthæ, origani an. ℥iß ſalviæ, betonicæ flor. roriſmarini an. ℥ß. ſem. rutæ, pæoniæ, fœniculi an. ʒ ii. inciſæ & contuſa macerentur per 24. hor. in aquæ fontis ℔x. & deſtillando, inde leni arenæ calore ſeparentur liquoris ℥. circiter xiiij. in quibus iterum per 24. hor. infundantur: cinnamomi, Zingiberis, calami aromatici an. ʒii. poſtea remanentia prima exprimatur, & quod expreſſum eſt, cum ſacchari ℔ iiii. clarificetur, ac ultra tabulati conſiſtentiam coquatur, adduâque aromatum infuſione filtrata; Fiat Syrupus.*

Vires hujus Syrupi cephalicæ prædicantur, cerebri ac nervorum affectibus frigidis & pituitoſis dicatus; unde in epilepſia, convulſionibus, paralyſi, ſimilibuſque morbis adhibetur.

De Stæchade minor ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Flor. ſtæchadis ℥iij. & ʒvi. Thymi, calaminthæ, origani an. ʒx. Aniſi ʒvij. paſſularum major. ab arillis liberatar. ℥iv. Aquæ ℔vii. ſacchari aut mellis ℔iiij. Fiat ad modum ſyrupi de ſtæcade Fernelii, & condiatur cum calami aromat. cinnamomi, zingiberis an. ʒiß.*

Ventriculum. cor cerebrum ac hepar obfirmat: craſſos humores & tenacem lentamque pituitam incidit, obſtructiones à viſcidis humoribus obortas reſerat, cruдоſque à frigore ſuccos concoquit.

De Stæcade major Meſuæ ex *eâdem Pharm.*

℞. *Flor. Stæchad. ʒiij. & ʒvi. Thymi, calaminthæ, origani an. ʒx. Aniſi, pyrethr. an. ʒvii. piperis longi ʒiij. zingiberis ʒij. paſſularum major. ab arillis liberatarum ℥iiij. Aquæ ℔viij. ſacchari aut mellis ℔v. eandem, cum cinnamomi, calami Aromatici ſpicæ indicæ, croci, zingiberis, piperis nigri, long. an. ʒiß.*

Affectibus cerebri frigidioribus, & pituitoſis convenientior, ubi calore majore, incidentibus & tenuantibus magis utendum eſt; cerebri ac nervorum frigidis noxis remedio eſt, horum cauſam pituitam ſcilicet craſſam & viſcidam, potenter incidens, digerens, ac tenuans paralyſi, ſpaſmo cynico convulſioni, nec non epilepſiæ medicatur, deſtillationes frigidas conſumit & ſiccat, facit etiam ad pectus anheloſum à deſtillatione, ac ventriculum confortat.

Syrupus Stomachalis *Donzelli.*

℞. *Caryophyll. cinnam. opt. an. ℥iiß. oculor. cancri macis, an. ʒj. calami aromat. cortic. citri ſicc. an. ʒij. pulveriſentur omnia ſubtiliſſ. atque includantur vaſe vitreo ſuper affuſa ſpir. vini opt. ℔ß clauſum vas ponatur in digeſtione donec ſpir. vini fuerit tinctus. Tum ℞. ſacchari albiſſimi ℔iß. clarificetur & coquatur ad conſiſtentiam Tabulati, retrahatur ab igne & cum refrigerari cæperit, admiſce illi aq. cortic. citri ſtillat. odoriferæ ℥iiij ultimoque adde ℥vi. Tincturæ præditæ, ut per ſimplicem diſſolutionem ſ. admiſſionem ſine igne Fiat Syrupus.*

Hic Syrupus mane jejuno ſtomacho ad quant. ℥ij. ſumptus digerit & ſolvit omnem viſciditatem, quæ ventriculi tunicis impacta fuerit, eamque per urinas ejicit.

Syrupus de Symphitô Fernelii ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Radicum & cymarum ſymphiti majoris m. vi. roſarum rubr. betonicæ, plantaginis, pimpinellæ, polygoni, ſcabioſæ, Tuſſilaginis ana m. ij. ex tuſis omnibus recentibus exprimatur ſuccus; coquaturque*

ad

ad ℔iij. addendo ſacchari albi ℔iiß. Fiat ex arte Syrupus.

Tabidorum & ulceratorum pulmonum ſaniem & pus blandè, ac leniter ſine ſanguinis erupturi metu extergit, pulmoneſque pariter confirmat.

Sirupus De Teſtudinibus ſive Reſumtivus Renodæi. ex *Pharm. Schroderianâ.*

℞. Carnis Teſtudinum ℥iiij, [abjectis cauda, collo & pedibus] hordei mundati ℥ij. carnis dactylor. ℥j. paſſularum damaſcenar. glycyrrhiz. raſæ ʒvj. ſebeſten, jujub. an. num. xiij. ſem. bombac. melonum, cucum. citrull. ana ℥ß. ſem. lactucæ, papav. albi an. ʒij. herb. ungul. caballin. pulmonariæ ana m. j. Flor. violar. nenuphar. ana ℥ß. F. decoctio. in colatura clarific. ac ℔iiij. adde ſacchar. albi ℔ij. ſacchar. roſati & diatragacanth. frig. an. ℥v. F. Syrupus.

Vires. Confert his qui à morbo chronico reſurgunt, macie confectis, tabidis, phthiſicis & ſimilibus.

Sirupus de Terebinthina *Donzelli.*

℞. Milii ſolis, herniariæ ſeu polygoni minimi, ſem. geniſtæ, ligni viſci querni a. ℥j. coquantur in aq. capill. Veneris q. ſ. a. in colatura diſſolve Terebinthinæ venetæ ℥ij. primùm in ovi vitello incorporatas: cum ſacchar. albiſſ. ℔iß. Fiat Syrupus igne lento.

Confert in omnibus renum affectibus, ſed præcipuè in calculo & gonorrhæa.

Sirupus Florum Tunicæ, vid. *Syrupus Caryophyll. Hortens.*

Sirupus de Succo Veronicæ ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Succi veronicæ depurati ℔iij ſacchari albi ℔iß. coquantur ſ. a. in Syrupum.

Renum calculos & arenulas expurgat, eoſque purulentos mundificat & ſanat; pulmonum præterea exulcerationibus eximie convenit, quocum ſanguinem abſtergit, ulcera glutinat, nec non ſanguinis ſpuitionem prohibet, peſtilentibus etiam febribus quàm maximè ſalutaris.

Sirupus Violatus ex ſucco Florum ex *eâdem Phar.*

℞. Flor. violarum martialium ℔j. eos diligenter è caliculis excerptos, & à viridi caule repurgatos, in ℔iß. aquæ per 14. horas infunde, poſtea cola & exprime; expreſſum cum ſacchari clarificati ultra conſiſtentiam tabellarum cocti ſufficienti quantitate. Fiat lege artis Syrupus.

Efficaciſſimus eſt in pectoris ac faucium morbis calidis: acres defluxiones demulcet ac temperat. Sitim relevat, gutturis aſperitatem mitigat, raucedinem adimit, refrigerat & humectat: delicatis naturis, ideoque puerulis & infantibus à tenui deſtillatione tuſſientibus auxilio eſt ſomnumque inducit.

Elegans eſt modus, quem docet Quercetanus, quo dicti violarum flores in mortario marmoreo, pi illo ligneo, fortiter confunduntur, & cum triplo ſacchari ultra Syrupi conſiſtentiam cocti permiſcentur & exprimuntur.

Sirupus Violarum ſimplex ex *Pharm. Auguſt.*

Fit eodem modo, quo Syrupus roſatus ſimplex.

In febrium æſtibus, bilioſis & acutis morbis, viſcerum inflammationibus, ac ſiti inexplebili commendatur, roſato potentius refrigerat & humectat, unde & ſomniferus magis, gutturis aſperitatem lenit, Thoracis ac pectoris, totiuſque ventris infer oris affectibus calidis ſuccurrit, & ſiccam tuſſim, partes ſpiritales ſuo lentore obliniens, demulcet, ac alvum nonnihil emolliendo bilis acrimoniam retundit.

Sirupus Violarum compoſitus Meſuæ ex *eâdem Phar.*

℞. Violarum recent. ℥ij. ſem. cydoniorum, malvæ an. ℥j. jujubarum, ſebeſten, an. Num. xx. aquæ cucurbitæ ℔ i. coquantur ad tertias: addendo ſacchari ℔iß. Fiat Sirupus ſ. a.

Pleuritidi & tuſſi ex cauſa calida medetur: non ſolum enim leniendo, refrigerando & humectando, ad gutturis aſperitatem utilis exſiſtit, ſed etiam ardentem urinam, ac nephriticum cruciatum demulcet.

Cucurbitula deſtillanda eſt, dum adhuc tenera exiſtit, & antequam indureſcere incipiat.

Hactenus de SYRUPIS ALTERANTIBUS *ſequuntur jam* SIRUPI *varii* PURGANTES.

Sirupus Florum Acaciæ.

Paratur ex infuſione Florum, ad normam Syrupi roſati laxativi ſimplicis, Syrupi roſati vires æmulatur; ichores enim ſanguini admixtos tenuéque ſerum leniter expurgat.

Sirupus de Bryonia ſimplex Meſuæ ex *VVeckerô.*

℞. Succi crudi rad. bryoniæ, mellis Hiſpanici, vino generoſo deſpumati an. partes æquales.

Coquantur leniter in vaſe terreo vitreato, donec fluxilis ſyrupi conſiſtentiam habeat, continenter deſpumando exprimatur autem ſuccus tempore Maii, Cœli conſtitutione ſicca: ſerius enim expreſſo, in luxuriantem herbam transfuſa fuerit ſuccoſitas radicis.

Sirupus De Bryonia compoſitus Meſuæ ex *eôdem.*

℞. Succi bryoniæ ℥v. aquæ decoctionis origani, hyſſopi ſicci, libyſtici, ſeſeleos, cardamomi, ſtæchados an. ʒj. ſapæ, uvarum paſſarum an. ℔ß. mellis ℔ij.

Syrupus de bryonia idem valet, quod medicamentum, dantur ℥ij. *Meſues.*

Syrupus de Carthamo ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Adianti albi, hyſſopi, Thymi, origan, chamædryos, chamæpityos, ſcolopendrii, bugloſſi an. m. ß. cuſcutæ, halicacabi an. ℥ß. rad. Angelicæ, glycyrrhizæ, fœniculi, Aſparagi an. ℥j polypodii querni ℥iß. corticum Tamariſci ℥ß. ſem. Aniſi, fœniculi, ammeos, dauci an. ℥j. carthami leviter contuſi ℥iiij. uvarum paſſar. enucleatarum ʒij Folior. ſenæ ʒiß. Agaric Trochiſcati ℥ß, Rhabarbari electi ʒvj. zingiberis ʒj. ſacchari albiſſ. ℔j. coquantur ſ. a. ad juſtam conſiſtentiam, & addantur ſyrupi violati ſolut. vi roſati ſolutivi, Acetoſi ſimplicis an. ℥ij.

Febribus inveteratis, quotidianis, quartanis & obſtructionibus viſcerum ex humoribus craſſis, ac pituita enatis opitulatur: incidit, attenuat, aperit, nec non pituitoſos & ſeroſos humores leniter per alvum educit, ac extergit. vid. de eo Joh. Guintherius Andernacus Comment. 2. de vet. & nov. Medicina dial. 7.

Sirupus Catholicus è *Pharm. Norimberg.*

℞. Croci metallorum abſinthiaci ʒij. vini albi opt. ℔ß. Aqu. florum roſarum ʒij. cinamomi optimi ʒiß. infunde horis 24. hinc addendo ſacchari albi ℥viij. Fiat Syrupus.

Sirupus Chalibeatus Aperiens Catharticus D. D'Aquin.

℞. Limaturæ chalybis in nodulo laxo & ſuſpenſo ligatæ ℥vi. rad. fœniculi, cichor. rubiæ tinctor. an. ℥iij. tartari albi contuſi ℥ij. in vaſe fictili vitreato poſitis ſuperfundantur ℔ix. aqu. ferventis in qua chalybis fruſtum candens ſepties extinctum fuerit, vaſeque cooperto horis xii. ſuper cineres calidos macerentur, deinde per horam lento igne bulliant, additiſque folior. rutæ, rumicis, lupuli, agrimonii, capilli vener. Monſpel. an. m. iii bulliant iterum ad tertiæ partis conſumptionem, colentur & exprimantur & colatura ſervetur. Interim ℞. Folior. ſennæ orient. mundat. ℥vi. ſem. carthami contuſi

contuſi ℥iiij. tartari vitriol. ℥j. macerentur ſeorſim ſuper cineres calidos horas xii. in ejuſdem aquæ chalybeatæ ℔ii j. poſtea leviter bulliant, colentur & exprimantur, colatura ovi albumine cum ſacchari opt. ℔ß. clarificetur & ſervetur. Tunc prioris decocti colatura ovi albumine cum ſa ch. ℔v. c. a. clarificetur, & lento igne coquatur ferè ad electuarii ſolidi conſiſtentiam, quo tempore liquor clarus poſterioris decocti priori permiſceatur, & lento igne ad ſyrupi conſiſtentiam coquantur; qui refrigeratus, olei cinnamomi ſtillatitii gutt. vi. ſacchar. pulverato exceptis aromatizandus erit.

Excellit hic Syrupus in reſerandis obſtructionibus hepatis lienis, meſenterii & pancreatis imo uteri; benigne purgat materias viſcidas & tartareas quæ dictas obſtructiones efficiunt. Poteſt itidem fæliciter adhiberi pro ſanandis cachexiis, hydrope, menſtruorum ſuppreſſione & ictero; poteſt aſſumi ſolus ex cochleari, aut admiſceri liquoribus idoneis, Doſ. ab ℥ß. ad ℥ij.

Sirupus de Cichorio cum Rhabarbaro Nicolai Florentini, ex *Pharm. Auguſt.*

♃. Endiviæ domeſticæ, Sylveſtr. an. m. iiß. cichorii, Taraxaci, an. m. ij. cicerbitæ, ſeu ſonchi lævis, hepathicæ, ſeu lichenis, lactucæ domeſticæ, Fumiterræ, lupulor. an. m. i. hordei integri ℥ij. capillor. veneris ℥ij. & ʒij. veſicariæ ſeu halicacabi, ceterach, cuſcutæ an. ʒvi. Adianti vulgaris ſeu rutæ murariæ, Rad. fæniculi, Apii, aſparagi an. ℥ij. glycyrrhizæ ʒvj. decoquantur in aquæ ſuff. quantit. ad medietatis conſumtionem: poſtea colentur, exprimantur, & cum album. Ovor. clarificentur: in cujus decocti ℔iij, infundantur hor. 24. Rhabarbari optimi ℥viiß. ſpicæ ʒij. ℈ij. & poſt lenem ebullitionem atque expreſſionem clarificentur: reſiduum verò decoctum cum ſacchari albi clarificati ℔x. ad juſtam conſiſtentiam coquatur, ut cum dicta infuſione in ſyrupum abeat.

Uſurpatur ad jecoris intemperiem calidam & obſtructionem, icterum, cachexiam, & viſcerum impuritatem: nutritioni inſervientia inſtrumenta firmat, humoreſque vitioſos per urinam & ſeceſſum educit: ſplenicis & melancholicis, peculiariter verò epilepticis ſubvenit, maximè pueris; quem in hoc caſu mirificè commendabat Montanus. Imo adſerebat Nicolaum eundem ad epilepſiam propulſandam compoſuiſſe.

Syrupus hic à Nicolao Florentino Serm. 5. de obſtruct. hepat. deſcribitur; libertate tamen, qua alii uſi fuerunt, fretis, nonnulla in ejus compoſitione mutare anteceſſoribus noſtris libuit, quos porrò hac in parte ſequi, ſalutaris hujus, quem præſtat, uſus nobis perſuadet.

Sirupus Diaſereos Andernaci ex *Pharm. Auguſt.*

♃. Intybi latifoliæ, ſeu endiviæ, cichorii an. m. iij. Andianti albi, nigri, agrimoniæ, ceterach, lupuli, Fumariæ an. m. ß granor. Halicacabi, cuſcutæ an. ʒiij. rad. Apii, fæniculi, Aſparagi ℥ß. polypodii querni ℥i. glycyrrhizæ ʒvi. ſem. cnici ℥iß. quatuor frig. major. an. ʒii. hordei non excorticati p. ij. ſem. endiviæ, cichorii an. ʒiß. uvarum paſſar. ʒi prunorum damaſcenor. num. xx. Flor. boraginis, bugloſſ. violar. an. p. j. myrobalanorum citrinar. chebular. ana ℥ß. Rhabarbari electi ℥i. ß. Agarici Trochiſcati ℥j. folior. ſenæ ℥iß zingiberis, cinnamomi an. ʒj. coquantur ſ. a. in ſufficiente quantitate aquæ ad tertias colentur & exprimantu colatura, addendo ſacchari optimi ℔j. clarificetur, atque ad juſtam Syrupi conſiſtentiam coquatur, cui permiſceantur Syrupi roſati ſolutivi ℥iij.

Ad viſcerum obſtructiones, febres & alia inde provenientia mala efficax, auriginoſos, cachecticos, hydropicoſque plurimùm adjuvat: renes etiam expurgat.

Cum ſeris medicamenti hujus baſis exſiſtat, nimis autem parca nobis viſa fuerit intybi & cichorii quantitas, idcirco earundem herbarum portionem triplicandam cenſuimus, ut Syrupus evaderet efficacior: deſcribitur ab Andernaco Comment. 2. Dialogo 7. de veteri & nova Medecina.

Sirupus Domeſticus, ſeu de ſpinâ infectoriâ ex *Phar. Auguſt.*

♃. Baccar. fruticis illius, quem ſpinam cervinam vocant, circa finem Septembris aut Octobris initio collectarum quantitatem ſufficientem: prius calefactæ confundantur in pila lapidea, deinde exprimendo colentur: ſuccus expreſſus coquatur lento igne, donec quarta pars abſumatur. In hujus colati ℔ii. ſacchari ℥xvi. ſolvantur, clarificentur & coquantur donec Syrupi bene cocti conſiſtentiam adquirant, adjiciendo in fine Aniſi, maſtiches an. ʒiij. zingiberis, cinnamomi, caryophyllor. an. ʒiß. Fiat Syrupus.

Syrupus domeſticus ſic dictus, quòd familiariter eo uti poſſimus bilem, pituitam & ſeroſos maximè humores purgat, unde ejus præcipuus in cachexia, hydrope ac arthritide. Conſule de eo Reinerium Solenandrum in conſiliis, ut & Matthiolum Comm. in Dioſcorid. Lib. 1. 102. de Ramnis.

Caveant Pharmacopæi, ne prò cervi ſpinæ baccis, ſimilitudine forſan decepti, Alaterni baccas accipiant.

Sirupus Emeticus Angeli Salæ ex *Pharm. Auguſt.*

♃. Vitri Antimonii ſubtiliſſimè pulveriſati ℥j. cinnamomi electi, zedoariæ, ſem. Angelicæ an. ℥ij. ſandali rubri ℥ß. croci Orientalis ʒß. Aceti roſati ʒxx. infundantur omnia in B. M. per 24. horas, poſtea filtrentur per chartam bibulam: & cum ſacchar clarificati, ultra conſiſtentiam tabularum cocti ſufficiente quantitate miſcendo, Fiat Syrupus.

Vomitorium hoc medicamentum non tantum vitioſos humores ventriculi evacuat, ſed & ejuſdem tunicis impactos educit, ex aliis etiam partibus peccantem materiam revellit, hinc non ſolùm ipſis ventriculi vitiis prodeſt, ſed etiam febribus intermittentibus, aliiſque morbis chronicis conducit.

Emeticus alius, ſive Oxyſaccharum ex *eâdem Pharmac.*

♃. Croci metallorum edulcorati ʒiij. Aceti ℥x. Fiat in locô calidô per triduum infuſio, ſæpius agitando; poſtea liquor imprægnatus filtretur, & in eo ſacchari clarificati ultra tabellarum conſiſtentiam cocti ℥x. ſolvantur.

Vires ejus nomini reſpondent. vid. de eo Exc. D. Daniel. Ludovici Pharmaciam. Mod. Sec. applic.

Emeticus Correctus *Zwelfferi.*

♃. Pulv. n. Antimonii correcti in mantiſſa edocti ℥ji extrahatur ejus eſſentia ſeu vis emetica cum vini albi boni ferventis ℔iß. nam aqua ſimplex, ſive etiam deſtillata per ſe vim emeticam ex hoc pulvere nequaquam elicit, filtratione poſt, aut reſidentia potius vino à pulvere ſeparato, adde ſacchari albi ℔j. & in Syrupum liquidioris conſiſtentiæ decoque, cui, pro odore & ſapore grato ipſi conciliando, porrò adde Elæoſacchari cinamomi ℥ij. Fiat Syrupus.

Doſis ℥i. vel ℥ii adultis hominibus, at junioribus; pueris, & infantibus ʒß. ʒj. ad ʒiij pro ratione ætatis ſecurè propinari poſſunt.

Nota: Si qui pulvere hoc Antimonii correcto deſtituti flores Antimonii albos ritè paratos ſubitituere vellent, ii conficiant Syrupum hunc Emeticum ad modum ſequentem.

Alius ex *Eôdem.*

♃. Vini malvatici ℔ij. cui immergantur florum Antimonii ritè parat. aut etiam Mercurii vitæ dextre parati ʒiij. (vel etiam loco horum vitri Antimonii dextre ſine additione parati & ſubtiliter triti ℥j. accipiatur) cremoris

cremoris tartari ʒvj factâ maceratione loco benè calente per triduum circiter, factâ pòſt colatura, vino colato adde ſacchari albiſſimi ℔iij. ac ſola ejus diſſolutione fiat Syrupus; addendo pro grato ſapore & odore conciliando Eleoſacchari, cinamomi, eſſent. Citri ſacchar. an. ℥j. Fiat Syrupus gratus.

Medicamentum efficax eſt in ſuis operationibus, proinde non niſi fortioribus naturâ hominibus propinandum, ad expellendos bilioſos, atros, melancholicos, & quoſcunque abundantes humores excrementitios, profundè radicatos & impactos; igitur in febribus quartanis aliiſque diuturnis & chronicis auxilio eſt. Doſis ℥ij. ℥ß ad ℥j.

Nota: pro abſtemiis qui vinum abhorrent, Syrupus dictus ex ſucco vel vino cydoniorum, quod æquè ac vinum vim emeticam ex pulveribus dictis Antimoniatis elicit, parari poterit, qui guſtui magis gratus, licet vel nullis Elæoſaccharis aromatizetur.

Alius ex *eôdem*.

℞. Rad. Aſari recent. ℥iij. Eſulæ cortic, ℥ij. hellebori nigri ℥iiß. conſcindantur & confundantur parum, quibus ſuper affundatur Aceti deſtillati & roſati ℔ß. ac iterum in vaſe vitreo exſiccentur, poſt coquantur in vaſe etiam terreo, vel ſaltem ſartagine ferreâ, cum aquæ ſimplicis ſ.q. repetitis vicibus affuſæ, quouſque tota virtus extrahatur. Colaturæ omnes alb. ovorum probè clarificatæ, addita ſacchari albiſſimi ℔iß. denuò coquendo ad ſyrupi conſiſtentiam redigantur, cui pro ſapore & odore grato conciliando Elæoſacchari cinamomi ℥ß. vel ʒj. admiſceri poteſt.

Syrupus Emeticus, ſeu Extractum Emeticum *Glauberi.*

℞. Florum Antimonii unciam unam; Tartari purgati uncias duas, ſacchari Candi uncias ſex, aquæ pluvialis lib. 2. mixta colloca in phiola vitrea fortiſſima in B. coctionis gratiâ, & fac bullire ſtrenuè 10. vel 12. hor. ſpatio, Poſtea balneo refrigerato, exime vitrum & effunde decoctionem, illamque filtra per chartam bibulam infundibulo impoſitam, aqua filtrata erit rubella, ſaccharata, ſubacida, quam accipe [abjectis fecibus in filtro] ex cucurbita vitrea parvula ignis calore lento in B. omnem abſtrahes humiditatem, uſque ad remanentiam melleam fuſci coloris: cui denuò affunde libram unam ſpiritus vini, effunde in phiola colli oblongi, & colloca in B. moderati coloris 8. vel 10. hor. ſpatio, & vini ſpiritus denuò ſeparabit extrahetque eſſentiam puriorem & nobiliorem, relictis fecibus in fundo, quæ poſtquam omnia refrixerint, filtrationis beneficio ſeparando per chartam bibulam, nimirum duplicatam. Poſtea accipe tincturam rubram filtratam & ex cucurbita vitrea in B. leni omnem ferè abſtrahe vini ſpiritum uſq; ad remanentiam ſyrupi dulcis & ſuaviſſimi; quem exemptum ſerva tanquam excellentiſſimum vomitivum, in multis morbis utiliſſimum, ubi reliqua cathartica nihil præſtare poſſunt: hæc enim medicina leniſſimè operatur; quare puerulis etiam ½ anni abſque periculo adminiſtrari poteſt, nec non ſenibus. Purgat hæc medicina cunctos humores, è genere nervoſo & venoſo attrahit omnes humores vitioſos, reſerat obſtructiones hepatis, lienis, pulmonum & renum: qua ratione varii graviſſimi curantur morbi.

Nondum reperi vomitivum huic comparabile, tutò & citiſſimè operanti. Doſis ejus eſt à gutt. 1. 2. 3 4. uſq; ad 10 & 30. habita ratione ætatis & ægritudinis; ita per ſe, vel cum vino, cerviſia &c. & quidem infra ½ horæ operari incipit, finitque operationem intra duas. Quandoque non vomitus excitat ſed ſolummodò ſedes, ubi adjuvat clyſter ſtatim ante adminiſtrationem medicinæ prædictæ adminiſtratus, factus è 2. vel 3 cochlearibus olei olivarum & aqua ſalſa; clyſter enim inferne præparat viam, ita ut rarò vomitivum ſupernè operari poſſit: ubi etiam poterit æger ſtatim ab aſſumptione medicinæ ori & naribus admovere panem toſtum calidum qui vomitiones rohibet, & infernam operationem promovet. Sed meo quidem judicio melius, medicinam non impedire quærentem operationis viam ſpontaneam, non coactam: multis vomitus magis convenit quàm purgatio illa per ſeceſſum.

Egregium ſanè eſt hoc medicamentum & eô commodè quotidie utimur, tum quia doſis quæ minima eſt, omni ætati & conſtitutioni poteſt propinari, tum quia ſapor non eſt injucundus, imò quia tale medicamentum aliis omnibus aptis facilè admiſcetur. Verùm ſæpius in eô præparandô extractione ſecundâ cum ſpiritu vini non indigemus & primam ſyrupiſationem ſine ulteriori operatione cum fructu adhibemus. Doſim autem quod attinet, quando effectus emeticos exoptamus, præcipuè in Soporoſis affectibus non tantùm ad gr xxx. ſed etiam ad ʒj. imò ad ʒiß. ſi morbi natura ita exigat, aſcendimus.

Sirupus de Epithymo Meſuæ ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Epithymi ℥iiß myrobalanor. citrinar. Indarum an. ʒxv. cuſcutæ, Fumiterræ an. ʒx. Thymi, bugloſſi, calaminthæ, myrobalanor. Emblicarum, belliricarum, glycyrrhizæ, polypodii, Agarici, ſtæchad. an. ʒvj. roſarum, fœniculi, Aniſi an. ʒijß. prunor. num. xx. paſſular. majorum ab arillis liberatarum ℥iv: Tamarindor. ʒiiß. Aquæ ℔x. ſacchari ℔i.. ſapæ ℔ij. coquantur ſ.a. in ſyrupum.

Eo utimur in humoribus & affectibus pituitoſis, ac melancholicis à bile aduſta & atra. Ulcera fiſtuloſa & ſinuoſa curat: fœdam corporis ſcabiem & nigram, capitis areas & impetiginem emendat, pſoram, lepram, cancrum, elephantiam, morbum item Gallicum depellit.

Sirupus de Fumaria Compoſitus Meſuæ ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Myrobalanor. citrinar. chebular. an. ʒxx. Flor. boraginis, bugloſſi, violar. abſinthii, cuſcutæ, an. ℥j. glycyrrhizæ, roſarum an, ʒiv. Epithymi, polypodii an. ʒvii. prunor. num. centum, paſſullar. major. ab arillis liberatarum ℔ß. Tamarindor. pulpæ caſſiæ an. ℥ij. aquæ ſont. ℔x. omnia lento igne ſ.a. additis in fine Tamarindis & caſſiâ, coquantur, & colentur: deinde verò addantur ſucci fumiterræ depurati, ſacchari albi an. ℔iij. clarificentur cum album. ovi & coquantur in formam ſyrupi.

Educit pituitam ſalſam, & bilem utramque aduſtam, nec non liberatis obſtructionibus, febres putridas ab his humoribus enatas curat, ventriculum & hepar roborat, pſoram, lepram, ſcabiem, impetiginem, ac exanthemata delet, icterum utrumque propulſat; utuntur eo quidam in morbo Gallico.

Sirupus Helleboratus Quercetani ex *Pharm. Schroderianâ.*

℞. Fibrarum hellebori nigri ʒij. Agarici rec. trochiſc. ℥ij. fol. ſen. mund. ℥iij. Turbith. hermodactylor. an. ℥j. ſem. Aniſi, fœniculi, cort. citri an. ℥ß. caryophyll. macis cinamomi an. ʒij. macerentur in oxymelitis ſimplicis, vini malvatici, & aquarum meliſſæ ac fumariæ an. q ſ. vaſe vitreo clauſo, hinc leviter bulliant ac exprimantur, depuratæ per digeſtionem, colatura addantur. Syrupi de pomis redolentibus ſolutivi, de ſucco roſarum pallidar. ſacchari roſati & violati an. ℥iv. F. Syrupus.

Vires. Omnibus morbis à materia tartarea, craſſa ac tenace à phlegmate aduſto, bile aut melancholia dependentibu, in capite, Thorace, ventriculo, hepate, utero, ipſiſque articulis mirum in modum confert.

Sirupus de Hermodactylis Nicolai ex *VVeckerô.*

℞. Quinque radicum an ℥j. ſem. 4 frig. majorum an. ℥iß hyſſopi. Capillor. veneris, Aſpleni an. m. ß. violarum. m. iß. flor. roris marini, borraginis an. m. iß. cyperi ʒiij. chamomillæ ʒij. paſſular. ℥j ſenæ ʒij. [an potius ℥ij.] hermodactyl. cuſcutæ an. ℥ß. Aniſi, fœniculi, carvi, an. ʒiiß. polypodii ℥iij. Agarici ʒij. coquantur in aquæ ℔iij. & colaturæ adde ſacchari ℔iß. roſarum ʒj. Rhabarbari ʒiiß. Turbith ʒiij. hæc tenuiſſimè trita, inque panno ligata ſuſpendes in ſyrupo cocto ſ.a. Nicolaus

Syrupus Holagogus Francofurt. ex *Pharm. Schroder.*

℞. Rad. polypod. Querc. rec. cappar. an. ℥j. fol. ſcolopend. ceterach.

ceterach, meliſſ. betonic. Rutæ murar. an. m. j. flor. trium. cordial. cuſcut. an. m. ß. ſem. limon. ſæn. cul. Aniſi an. ʒij. carthami contuſ. ℥j. fiat decoctio in ſ. q. aquæ, ad remanentiam quantitatis, cui ſpecies infra ſcriptæ infundi queant. Decoctio hæc ita ſtet horis 24. tum fiat colatura & in hac infundantur. Fol. ſenn. mundat. ℥iv. Agaric. albiſſ. ʒij. hermodactyll. alb. ʒvj. Rad. hellebori nigri in aceto præparati ℥j. Epithymi, Zinzib. alb. an. ʒij. an. ʒij. caryophyllor. ℈ij. macis ℈j. bulliant parum & ſtent in infuſione horis 24. hinc exprimantur. ℞. expreſſionem integram ad ℔j. & ℥iij. ſucci roſar. incarnatar. ℥ix. ſacchari albiſſ. ℔iij. coque ad ℔iv. circiter.

Vires. Convenit omnibus humoribus expurgandis, præcipuè atræ bili, ac exinde morbis oriundis.

Sirupus Hydragogus *Zwelfferi.*

℞. Rad. leviſtici rec. ℥iiß. mechoacæ albæ, jalappæ, Ebuli recentis an. ℥ij. Turbith albi, hermodact. an. ℥j. cort. med. ſambuci ℥j. medullæ ſambuci ℥ß. Gummi gamandræ pulveris. & in petia ligati ʒj cremoris tartari ℥ß. Tartari vitrioli ʒiij. ol. Tartari per deliq. ʒij. inciſis & conquaſſatis craſſiuſcule ſuperaffundantur vini, ad dimidias, ex generoſo deſtillati, ℔iijß. (ſumendo nimirum vini albi generoſi ℔vij. & ℔iiiß. ab illo deſtillatione abſtrahendo, vappâ vini reſiduâ abjectâ) locentur in digeſtionem loco calido, & vaſe probe clauſo, per quatriduum, poſt fiat colatura cum forti expreſſione, quâ colaturâ probè clarificatâ, & interim aſſervatâ, accipe ſpecies ab infuſione relictas, quibus porro adde, rad. rec. leviſtici ℥iiiß. cichorii ſylv. apii, vincetoxici, petroſelini an. rec. ℥iij. cimarum aſparagi rec. ℥iv. herb. hepatic. nobilis, ſcolopendrii, cichorii ſylv. agrimoniæ, naturtii hort. ana rec. ℥ij. ſem. naſturtii, urticæ an. ʒvi. Ebuti ℥iß. inciſa coquantur cum ſ. q. aquæ ſimplicis repetitis vicibus, quouſque virtus omnis extracta ſit, colaturæ omnes cum expreſſione factæ junctim clarificentur, & ad ℔j. circiter evaporent, addendo tandem ſuperiorem aſſervatam infuſionem catharticam & ſacchari can. albi ℔iv. ac leni unâ vel alterâ ebullitione factâ fiat ſyrupus debitæ conſiſtentiæ, qui aromatizandus Elæoſacchari cinamomi, caryophyllor. an. ℥ß.

Ejus uſus præcipuè eſt in affectibus cachecticis & hydropicis cum non ſolùm ſeroſam humiditatem in corpore fluctuantem per alvum & urinam evacuet, verum etiam per ſudorem & inſenſibilem tranſpirationem: obſtructiones præterea viſcerum naturalium reſerat, illaque roborat. Doſis ℥j. ad ℥iß. & ℥ij.

Alius *D. D' Aquin.*

℞. Rad. mechoacan. ireos noſtr. ebuli rec. medullæ ſem. carthami, folliculor. ſenn. Orient. folior. ſoldenella ſicc. an. ℥iß. turbith Gummoſi, hermodactylor. jalapp , rhei electi an, ʒvi. rad. valerianæ mai. Eryngii, enulæ campanæ, aſari, cortic. rad. capparis, Tamariſci, ſantali citrini, ſem. ebuli, baccar. juniperi an. ʒß. folior. ceterach. agrimonii, chamædryos, flor. geniſtæ an. m. j. limaturæ chalybis nodulo incluſæ, tartari albi contuſi Monſp. an ʒij. contuſa aut inciſa omnia in aq. cichorii ℔ij. & ſuccor. rad. ſambuci & folior. chærefolii depurat. an. ℔iij. ſuper cineres calidos horis 24. infundantur deinde per ſeſquihoram lento igne bulliant colentur & fortiter exprimantur; liquor verò cum ſacch. optim. ℔iv. clarificetur & coquatur in ſyrupum, ſub finem addendo tartari vitriolati & ſal. polychreſti an. ℥ij. refrigeratus ſyrupus olei cinnam. gutt. iv. ſacchar. pulver. exceptis aromatizari poterit. Datur ſolùs ex cochleari aut admiſtus liquori appropriato. Doſ. ab ℥j ad ℥ij.

Sirupus Laxativus de Lignis Witzelii ex *Pharm. Schroder.*

℞. Limatur. lign. ſanct. ℔ß. ſalſæ pariglie ℈iij. & cortic. l. ſanct. ℥iß. infund. hor. 24. loco calido in ſ. q. Aq. hinc coqu. & cola, in colaturæ q. ſ. infunde per noctem rad. polypod. qu. ʒvj. fol. ſenn. ſ. ſtip. ʒx. ſem. carthami conquaſſ. ℥iß. Epithym ʒiij. paſſul. minor. ſelect. ℥iv. ſem. fænic. ʒij. & ß. ligni ſantal. citr. ʒj. manè coqu, denuò ad conſumptionem medietatis, adde colatur. ſacchari ℥xij. F. ſ. a. ſyrupus.

Laxativus de Manna ex *Pharm. Aguſt.*

℞. Specier. decocti flor. & fructuum ℥ij. flor. 4. cordialium an. p. ij. folior. ſenæ elector. ℥iv. paſſular. minorum, radicum polypodii an. ℥ij. ſem. Aniſi, fæniculi an. ʒij. galangæ, macis, Zingiberis an. ʒj. coquantur in aq. fontanæ ſ. q. in colatura ſolvantur mannæ calabrinæ ℥vj. ſacchari albi ℥xviij. Fiat ſ. a ſyrupus.

Uſus ejus frequens eſt ad alvum in puerulis laxandam.

Sirupus Magiſtralis primus. *Zwelferi.*

℞. Folior. ſenæ elect. ℥iij. rhabarbari opt. ℥iß. Rhapontici veri ℥j. mechoacæ albæ ℥ij hermodactylor. ℥j. Agarici trochiſcat; ℥iß. cremoris tartari ʒvi. Tartari vitriolati ʒiij. ol. Tartari per deliq. ʒj. inciſis incidendis ſuperaffundantur aquæ ferventis ℔iiiß. vel ſi medico cuipiam placuerit, ſimpl. aquæ vinum album ſubſtituat. Et factâ maceratione per biduum vel triduum circiter fiat colatura cum forti expreſſione, quâ interim clarificatâ eſſentia & aſſervata, accipe ſpecies ab expreſſione reſiduas, quæ additis ſequentibus, utpote rad. recent. cichorii ſylv. pimpinellæ, petroſelini, fæniculi, Aſparagi an ℥ij. herb. rec. hepaticæ nobilis, ſcolopendrii, agrimoniæ, Endividiæ, cichorii ſylv naſturtii an. ℈iß. ſem. naſturtii, urticæ an. ʒvj. ebuli ℥j. cremoris Tartari ʒiij.

Coquantur, inciſa prius, cum ſ. q aq. ſimplicis repetitis vicibus, quouſque tota virtus, extracta ſit, colaturæ omnes cum expreſſione factæ, probè prius clarificatæ leniter evaporent ad remanentiam ℔j circiter, vel ℥viij. & additis ulterius ſuperiore eſſentiâ catharticâ aſſervatâ & ſacchari can. albi ℔iijß. denuò perpaucis ebullitionibus redigantur ad conſiſtentiam ſyrupi durabulis, qui aromatizandus eſſentiæ n. liquidæ citri ℥iij.

Utrique ſexui in educendis humoribus bilioſis, viſcoſis, pituitoſis, ut & hypochondriacis, conducibilis eſt, quapropter in morbis chronicis, hypochondrior. obſtructionibus, menſium ſuppreſſionibus cum ſucceſſu adhibetur ab ℥j. ad ℥ij. & ℥iij.

Magiſtralis Secundus ex *eôdem.*

℞. Rharbari opt. ℥iij. Rhapontici veri ℥ij. myrob. chebul. belliric. an. ℥j. cremoris tartari ʒij. inciſi ſaltem ſuperfundantur ℔iij. aquæ ferventis, & relinquantur in digeſtione per biduum, factâ poſt colaturâ cum expreſſione, eſſentia colata clarificetur, interimque aſſervetur.

Jam verò accipe ſpecies ab infuſione & expreſſione relictas, & his adde rad. cichorii ſylv. recent. fænic. recent. rubiæ tinctor. an. ℥ij. ireos Flor. liquiritiæ an. ℥ß. herb. cichorij, endiviæ, hepat. nobilis an. ℥jß. maſtichis electæ ʒjß. coquantur inciſa cum ſ. q. aq. ſimplicis repetitis vicibus, nova ſemper affusâ aquâ, quouſque omnis color & virtus extracta ſit, colaturæ poſtea omnes cum expreſſione factæ, junctim clarificentur, & ad remanentiam circiter ℔j leniter evaporent, cui addantur ſuperior aſſervata eſſentia qualiſcunque cathartica, & ſacchari albi ℔iij. quæ leni ebullitione ad conſiſtentiam ſyrupi debitam redigantur.

Præſtat in morbis bilioſis, & ut aliqui volunt in dyſenteriis & diarrhæis immoderatis, ubi cum virtute cathartica & abſterſiva vim adſtrictivam ſecum trahere ſibi perſuaſum habent: cæteroquin roborat hepar, & reliqua viſcera naturalia . inteſtina ab humoribus acrioribus liberat, eorumque dolores mitigat. Doſis ℥j. ad ℥ij. ℥iij.

Magiſtralis Tertius *Ejuſdem.*

℞. Rhabarbari opt. ℥ijß. rad. Apii, graminis, vin-

cetoxici ana recent. ℥iß. cardopatiæ ℥ß. liquirit. ʒvi. fol. fol. ſenæ ſine ſtipit. ℥ijß. vel ℥iij. herbæ abrotani, centaurii minor. Tanaceti ana recent. ℥iß. corallinæ veræ ℥ij. ſem. cynæ ℥iß. urticæ, Thlaſpios an. ℥ß. inciſa & conquaſſata coquantur in ſ. q. aquæ ſimplicis repetitis vicibus, nova ſuper affuſâ aquâ quouſque tota virtus extracta ſit, quod ex colore & ſapore decocti ultimò percipitur, colaturæ omnes albumin. ovorum clarificatæ ad ℔ij. circiter evaporent, tunc demum adde ſacchari albiſſ. ℔iij. & ad ſyrupi debitam conſiſtentiam. Denuò coquantur, addendo ſub finem mannæ el. Calabr. ℥viij. ſolutæ cum Aq. cinamomi, ceraſor. nigr. roſarum opt. fragr. an. ℥ij.

Servetur ad uſus puerorum & infantium, enecat enim vermes eorumve ſentinam atque alios etiam vitioſos humores extrudit, juxta ætatem dari poteſt; à ʒij. ad ℥j.

Magiſtralis Quartus *Ejuſdem.*

℞. Rad. Rhabarbari ſelecti ℥ij. Aſari ℥j. hermodactylorum mechoacæ alb ℥iß. fol. ſenæ electæ ℥ijß. cremoris tartari ʒvi. Tartari vitriolati ʒij bis inciſis ſaltem, quæ incidenda ſunt ſuperfundantur, vini alb. boni ℔iij. relinquantur in digeſtione per triduum, factâ poſt colaturâ cum expreſſione clarificetur eſſentia cathartica, interimque aſſervetur. Jam verò accipe ſpecies ab infuſione & expreſſione reſiduas, quibus adde rad. Aſparagi, Apii, cichorii ſylv. petroſelini, pimpinellæ an. rec. ℥ij. liquiritiæ ʒvi. herb. Artbemiſiæ, chærefolii, meliſſæ, naſturtii hort. roriſmar. an. recent. ℥ij. ſem. urticæ, naſturtii, Thlaſpios an. ʒvi. cremoris tartari ℥j.

Inciſa quæ incidenda ſunt, ſeminibus conquaſſatis coquantur in ſ. q. aquæ ſimpl. chalybeatæ, repetitis vicibus, quouſque omnis virtus & efficacia extracta ſit, colaturæ omnes, & junctim album. Ovorum probè clarificentur, cui clarificato decocto adde ſpir. vitrioli q. ſ. pro bona aciditate, quo facto in hoc ipſo decocto acidulo extinguatur, chalybis integri in fruſtula ſaltem contracti & candefacti ℔j quatuor vicibus circiter, poſt leniter ad ℔j. coquendo, decoctum hoc evaporet, cui tandem addantur ſuperior aſſervata eſſentia cathartica cum vino facta, & ſacchari albi can. ℔iijß. quæ juncta, paucis ebullitionibus ad conſiſtentiam ſyrupi competentem reducantur, qui aromatizandus Elæoſacch. cinamomi ℥j. vel. ℥iß.

Efficax eſt in morbis chronicis, cachexia, obſtructionibus menſium muliebr pellit inſuper urinam, & viſcera naturalia roborat. Doſis ℥j. ad ℥ij. & ℥iij.

Sirupus Mercurialis purgans *Zavvelferi.*

℞. Succi herbæ Mercurialis recenter expreſſ. & depurati ℔iv. cui immerge ſequentia craſſiuſcule inciſa & contuſa, utpotè fol. ſenæ ſine ſtipit. ℥iv. rad. Aſari ℥ß. peracta maceratione ſufficit. Coquantur ad dimidias, colaturæ dein clarificatæ adde ſacchari ℔ij. ac denuo coquendo ad ſyrupi conſiſtentiam redigantur, cui pro aromatizatione adde Elæoſacch. cinamomi vel caryophyll. ℥j. Fiat ſyrupus.

Alius ex *Eodem.*

℞. Succi herb. Mercurialis recenter expreſſi & depurati ℔iv. cui immergantur rad. Aſari rec. conſciſſ. ℥iij. hellebori nigri præparat. aceto roſaceo ℥iß. factâ brevi maceratione coquantur ad dimidias, colaturæ dein clarificatæ adde ſacchari can. albi ℔ij. & ad ſyrupi conſiſtentiam coquendo redigantur. cui odoris & ſaporis gratia addatur Elæoſacch. caryophili. ℥j. Fiat ſyrupus gratus.

Purgat leniter ſumptus ab ℥j. ad ℥ij. clyſteribus pariter haud ineptè admiſcetur, propterea non inconſultum etiam foret, ſi ſaccharo mel ſimplex & purum ſubſtitueretur.

Sirupus de Floribus Perſicorum ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Florum perſicorum recentium ℔j. contundantur & macerentur horis xij in ℔j. aquæ calentis, poſtea exprimantur, & in colatura depurata ſolvendo ſacchari albi clarificati & ultra conſiſtentiam tabellarum cocti ſufficientem quantitatem Fiat. ſyrupus.

Serum & bilem educit, vermes enecat, ac meſenterium infarctu liberans ſeroſos humores per alvum exturbat.

Sirupus de Polypodio ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Polypodii querni ℔j. paſſul. minor. ℥iij. myrobolan. citrinar. chebular. indar. an ℥iß. fol. ſenæ Orient. ℥vj. coquantur in aquæ fontanæ ℔xij. ad remanentiam ℔ij. in fine addendo calami aromat ℥j. ſem. fæniculi ʒiij. infuſionis roſar. ſolutivæ ℔iß. ſucci boraginis, fumariæ, lupuli an. ℥vi in colatura ſolvantur ſacchari ℔iij. clarificentur & coquantur in ſyrupum.

Atrabilioſos humores potiſſimùm evocat, ac lienis vitiis opitulatur, unde ſpleniticis & arquato correptis auxilio eſt, ſanguinem depurat, cutemque à ſcabie fœdam purgat.

De Polypodio Compoſitus ex *Pharm. Norimberg.*

℞. Radicum polypodii ſelecti ℥iij. cichorii ℥j. bugloſſ. ʒiß liquirit. rec. raſæ, iridis illyricæ, lapathi acuti, corticum citri rec. exiccatorum an ℥j. herb. fumariæ, cuſcutæ, ceterach, linguæ cervi, betonicæ, acetoſellæ, Trifolii, aurei, Sonchi levis, capillor. veneris an. m. j. Endiviæ, jaceæ, dictæ Trinitatis, cum floribus an. m. ij. paſſular. minorum ℥iv. pulpæ Tamarindor. ℥ij. omnium minutim inciſorum & contuſorum fiat infuſio & decoctio in ſ. q. ſeri lactis caprini ad tertia partis conſumptionem. Deinde.

℞. Fol. ſenæ Alexandrinæ ſ. ſtip. ℥iv. rad. polyp. querc. mundati, Turpethi ſelecti an. ℥iß. rhabarbari opt. Agarici albiſſimi, hellebori nigri præparati an. ʒvj. Epithymi ſelecti, ſem. Aniſi, fæniculi an. ʒß. urticæ ʒij. hæc omnia conquaſſata itidem in ſero lactis caprini immergantur, atque benè tecta coquantur, colentur, ſuperiorique decoctioni adjungantur. Tandem omnia ſine albumine ovi clarificando per decidentiam, decantentur ſaccari albi ℔iij. addantur, lentoque igne, ad conſiſtentiam ſyrupi, coquantur, affuſâ ad extremum Aquæ cinamomi una ℥. & ß.

Sirupus de Pomis Regis Saporis Meſuæ ex *Phar. Auguſt.*

℞. Succi pomor. dulcium, boraginis, bugloſſi an. ℔jß. folliculor. ſenæ ℥ij. croci ʒj ſena contrita horis 24. in ſuccis maceretur, ac ſemel aut bis ferveſiat, & coletur expreſſum cum ſacchari ℔ij. addito circa finem croco, coquatur ſ. a. in Syrupum.

Hic Syrupus Medorum Regi Sapori, à quo captus eſt Valerianus Imperator, attribuitur, & à Meſue deſcribitur. Eo utimur ad omnes affectus melancholicos, maniam, melancholiam, cordis etiam robur plurimùm auget.

De Pomis Magiſtralis paulò aliter ex *Pharm. Londin.*

℞. Succi & aquæ pomorum odoriferum, an. ℔jß. ſucci & aquæ boraginis, & bugloſſi, an, ℥ix. folior. ſenæ Orientalis mundatæ ℔ß. ſem. Aniſi, fæniculi dulcis an, ℥iij Epithymi Cretenſis ℥ij Agarici albiſſimi, rhabarbari opt. an. ʒß zinziberis, macis, an. ℈iv. cinnamomi ℈ij. croci ʒß. Rhabarbarum cum cinnamomo ſeorſum pertunde, vini albi ſucci pomorum an ℥ij.

Reliquis, præter crocum, in ſuprà memoratis aquis, ut decet, maceratis, poſtridie affunde ſuccos: hiſque ſimul

ſimul lento igne deſpumatis,colatiſque per manicam injice ſacchari albi ℔iv. Tunc coque in Syrupum: facta ſubinde croci in panno lineo ligati expreſſione; additoque tandem Rhei infuſo, & ſubſequenti levi ebullitione ut Sirupi modus conſervetur.

Sirupus de Rhabarbaro ſolutivus ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Rhabarbari opt.folior.ſenæ an.℥ijß.flor.violarum m.j. cinamomi ʒjß.zingiberis ʒß.Aquar.betonicæ,cichorii,bugloſſi an. ℔j Fiat omnium per noctem: mane ebullitione & expreſſione facta, colatura ſ.a. coquatur in ſyrupum cum ſacch.albi ℥xvj.cui addantur ſyrupi roſati ſolutivi ſimplicis ℥iv.

Citra moleſtiam in pueris & delicatulis alvum ſubducit,utramque bilem deherbans, ac pituitam quoque leniter evacuans.

Sirupus de Rhapontico ex *Pharm. Auguſt.*

Succi rhapontici depurati ℔iij. ſacchari clarificati ℔ij.coquantur in ſyrupum.

Vires ejus aperiendi ac roborandi celebrantur, qua ratione hepati medetur, & obſtructionibus lienis atque vaſor.Meſeraicorum utiliter opponitur.

Sirupus Roſatus ſolutivus ſimplex ſive Mucharum ex *Pharm. Auguſt.*

℞.Flor.roſar. Damaſcenar. recent. quantumlibet ex. gr.℔xij.contundantur & macerentur horis 24.in totidem aquæ claræ ferventiſſimæ ℔.j poſtea exprimantur,additiſque ſacchari albi ℔iij.in ſyrupum ſ.a.coquantur.

In uſu crebertimus eſt ad ventriculi incendium, & igneum calorem febrilem, ſitimque inexpletam ſedandam,febribus peſtilentibus præſtantiſſimus, quòd putredini venenis & aëris vitio, ſubamarâ & aromaticâ ſuâ qualitate reſiſtat; viſcera nimio calore diſſoluta refrigerando roborat,& ad temperiem reducit,febrium vigilias levat,ac modicè alvum ſubducit.

Quamvis olim multiplici infuſione parare hunc Syrupum, noſtris placuerit, cùm tamen majoris laboris compendio, hîc frui liceat, unicam ei ſubſtituere voluimus,non minùs efficacem ſyrupum daturam.

Cæterum infuſum hoc pharmacopæi noſtri utplurimum abſque ſaccharo etiam pro uſu reponere ſolent.

Quibus tot odoriferas roſarum particulas coctura perdere diſplicet, vel etiam parcior roſarum proventus eaſdem ſervare ſuadet, illi auctâ aquæ quantitate, loco macerationis deſtillationem per aliquot horas inſtituere,ac ita odoratiore aqua in M.B.abſtracta,reliquum pro dicto uſu poſſunt exprimere & adhibere.

Roſatus ſolutivus Aureus ex *eâdem Pharm.*

℞.Flor.roſar.incarnat.nondum penitus apertarum,& manè ſereno cœlo collectarum ℔iv.

Infundantur in ſufficiente quantitate aquæ fontanæ calidæ per 24.horas,poſtea colentur & exprimantur.In colatura denuo roſarum eadem quantitas infundatur,idque tertia vice repetatur;Tandem cum ſacchari albi ℔iv.coquantur ſ.a.in ſyrupum.

Vires ſunt eædem cum præcedenti;hic tamen magis colore & ſapore palato blanditur.

Roſatus Laxativus compoſitus Helleboratus Montani, ex *eâdem Pharm.*

℞. Mirobalanor.omnium enucleator.an.℥iv. radicum hellebori nigri veri ʒvj polipodii ℥vj.glycyrrhizæ ſeminum citri an. ℥iv.folior.ſenæ,Epithymi an. ℥vj. craſsè contuſa & inciſa macerentur per 24.horas in ℔xij. infuſionis roſarum ſupra deſcriptæ, poſtea coquantur ad quartæ partis conſumptionem. In cujus colati & expreſſi & cum album. Ovorum clarificati ℔j. infundantur rhabarbari electi ℥ij.caryophyll. ℥j.reliquum verò cum ſacchari clarificati ℔v.ad debitam conſiſtentiam coquatur, ut cum rhabarbari infuſione filtra a.Fiat ſyrupus.

Utebatur eo Montanus, Medicus Patavinus clariſſimus,in affectibus melancholicis,lue Gallica, pſora, lepra,impetigine lichenibus,cancro, Elephantiaſi & aliis.

Roſatus Compoſitus ſine helleboro, ex *eâdem Pharm.*

℞.Myrobalanor. omnium an.℥ij.rad. polypodii ℥ijß. ſem.carthami ℥iß Aniſi.fœniculi an. ʒvi.fol. & folliculorum ſenæ,Epithymi an.℥ß.corticum citri ℥j. caryophyllor.℥ß,nucis moſchatæ ʒiij.macerentur horis 24.in ℔xv. infuſionis roſar.poſtea fortiſſima fiat expreſſio;& addatur ad liquoris ſingulas ℔ij.ſacchari ℔j. Fiat lege artis Syrupus.

Leniùs quidem quàm prior purgat, nihilominus tamen bilem utramque,ac pituitam educit, viſceribuſque robur addit.

Paratur & alius quidam ſyrupus roſatus cum additione radicum cichorii,& folior.fumariæ qui hoc modo paratur & dicitur.

Roſatus Laxativus cum ambubeia ex *eâdem Pharm.*

℞. Rad.cichorii ſylv.recentium & mundat.℔i.herb. fumariæ recentis m.vj.infundantur horis xij.in ℔vj. infuſionis roſar. laxativæ: poſtea colentur exprimantur: Colatura poſthinc cum ſacchari ℔iij. coquatur in Syrupum,cui ad juſtam conſiſtentiam ferè percocto,in linteo immittantur,ac poſt perfectam coctionem in eo pendula permaneant ſequentia; utpote ſpecierum diatrion Sandal. ʒj. diarrhodon abbatis ʒß.Fiat.Syrupus,ut artis eſt.

Utramque bilem ac ſeroſos humores blandè evacuat, ſalſos itidem ichores leniter educit, ac putres emendat, unde aduſtum ſanguinem corrigit,ac jecori obſtructo opitulatur, icterum ac Tertianas ſanat,& venarum meſeraicarum oppilationes expedit,D.Raymundo Minderero, collegæ noſtro quondam, præ cæteris uſu familiaris.

Roſatus ſolutivus Quercetani ex *eâdem Pharm.*

℞.Succi roſar.pallid.recenter expreſſi ℔vj.in quibus infunde roſarum pallid.mediocriter contuſar. ℔iij. Stent in balneo Mariæ tepido per 24.horas,deinde exprimantur, & ſic reiterentur infuſiones,cum ℔iij.roſarum novar. novem vicibus vel pluries:quibus abſolutis, ultima expreſſio reponatur in uno vel plurimis vitris ab digerendum in B.M.24.horis uſque dum in fundo vaſis adpareat ſedimentum,quod tamdiu clareſiat,donec nulla amplius fæces conſpiciantur.

R. hujus ſucci ſummè depurati,à quo humiditas Mercurialis ſive aqua roſar. odoratiſſima ſit abſtracta ℥xvi. ſacchari albiſſimi ℥iv.Fiat.ſ.a.Syrupus.

Ejuſdem cum communi ſyrupo roſat.ſolutivo facultatis,in hoc ferè tantùm differens, quòd purpurearum loco,pallidas roſas recipiat,& majori cum labore præparetur; qui cæteroquin ad modum alterius illius confici poteſt.

Roſatus Lenitivus de Tribus ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Folior.ſenæ Oriental.mundator.℥vi.ſpirit.vitrioli optimè rectificati ʒj.muchari roſar ferventis ℔ij. indantur in cucurbitam vitream, adpoſito cæco alembico, & circumlinitis ritè commiſſuris, maneant infuſa in rorido balnei calore,horis 24. factâ levi ebullitione & fortaſſe expreſſione,in colatura denuò infunde,ut prius,folior ſenæ mundatorum ℥vj.iterumque factâ levi ebullitione,& forti expreſſione infunde tertium minutiſſimè inciſorum,folior. ſenæ mundal.℥vj. rhabarbari ſelectiſſimi, Agarici albiſſ.

an ℥ij.zingiberis acuti,caryophyll.an.ʒij. cinnamomi electi an iij.ſpica Indica ʒj. ubi iterum ſic ſteterint infuſa, ebullierint leviter, & expreſſa fortiter fuerint, colentur diligenter ad uſum. Poſtea.

℞. Remanentias folior.ſenæ ex infuſione ſuperiori, radicum polypodii querni, glycyrrhizæ an.℥iß. adianti utriuſque m.j.paſſul.major. ab arillis liberatarum,minor. mundatarum an ℥iij pruner. Damaſcenorum dulc. num. xxx.aquæ fontanæ ℔ivß. coquantur ſ.a.ad remanentia n ℔jß. in ultimam ebullitionem injiciendo flor.quatuor cordial.an p.iij.corticum citri rec.ʒij.expreſſis &colatis adde ſacchari finiſſimi ℥xvj. & ubi jam ad conſiſtentiam cocta fuerint,infuſionis ex mucharo facta ℔j. Fiat,lege artis,ſyrupus.

Omnes æqualiter humores,pituitam & utramque bilem blande evacuat,adeoque omnibus viſcerum naturalium obſtructionibus, ac inde natis febribus, tertianæ & quartanæ pellendis,admodum ſalutaris exſiſtit; qui jucundior & commodior futurus eſt,ſi tres vel quatuor unciæ mannæ lege artis diſſolutæ,eidem addantur.

Roſatus aureus *D.Donzelli.*

℞.Roſ.Damaſc.q.v.illis in vas vitreum immiſſis ſuperaffunde aq.roris q.ſ.poſt unius diei infuſionem deſtill.prolecta aqua novis roſis denuo affundatur & infuſione peracta rurſus diſtill.operatioque eadem duodecies repetatur, dein ex hac aqua fragrantiſſima cum ſacchar. albiß. q.ſ. Fiat Syrupus,cujus doſis ad ſummum ℥x.debet autem refrigerari priuſquam aſſumatur.

Sirupus Spleneticus D.Davidis Verbezii ex *Phar. Auguſt.*

℞.Succi pomor.redolentium ℔j.meliſſæ ℥iv.limonum ℥iij.ſpiritus vitrioli ab omni ph egmate depurati ʒiiß.foliorſenæ electorum ʒij.polypodii quer. ℥j. hellebori nigri præparati ʒiijß.corticum capparum Tamariſci an.ʒß.folior.citrariæ,ceterach an.m.flor.bo raginis, bugloſſi, roſar. an.p.ij.violarum m.j.ſeminum viticis, ocimi ca yophyllati,citri an.ʒijß. croci Auſtriaci ℈j. cinnamomi acuti ʒß. aq.fontanæ q.ſ.macerentur in B.M.tepido per biduum,coquantur poſtea parum,& fortiter exprimantur: colaturæ addatur ſacchari albi ℔j. Fiat ſyrupus, circa finem inſpergendo ſeorſim cremoris Tartari in tenuiſſimum pollinem redacti ʒiij.ſervetur uſui.

In omnibus melancholiæ ſpeciebus ſalutaris exſiſtit, dum humores atrabilarios lieni & venis meſeraicis impactos incidit & educit.

Loco ſacchari cantii violacei olim huic ſyrupo deſtinati,non tamen uſque adeo ſtrictè neceſſarii,album vulgare tantùm ſumere, & ideò violarum tamen pondus augere placuit; licet cæteroquin violaceum illud ſaccharum & ſponte in Syrupo violaceo ſæpius concreſcere ſoleat,& facilè parari queat.

Sirupus Violatus ſolutivus ex *Phar.Auguſt.*

Fit ut Syrupus Roſatus ſolutivus, ex violarum recentium infuſione.

℞. Hujus infuſionis depuratæ ℔iij.ſacchari clarificati ℔j. coquantur lento igne ad ſyrupi conſiſtentiam.

In febrium æſtibus, bilioſis & acutis morbis, viſcerum inflammationibus,ac ſiti inexplebili commendatur. Roſato validius refrigerat & humectat,unde & ſomniferus magis exſiſtit, gutturis aſperitates lenit, thoracis & pectoris totiuſque ventris inferioris affectibus calidis ſuccurrit, ſiccæ tuſſi medetur,ac alvum emolliendo bilis acrimoniam refundit.

Sirupus Zibebarum ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Folior.ſenæ electorum ℥iv.zibebarum ℥j.zingiberis ʒj.aquæ font. quantum ſatis, infundantur horis 24. dein ebulliant,& exprimantur & cum ſacchari ℔ij.coquantur ſ.a.ad conſiſtentiam ſyrupi,qui aromatizetur cinnamomi ʒj.

Sirupus hic nomine brodii zibebarum apud nos notiſſimus,alvum blande ſubducit,pueriſque ac delicatulis commode adhibetur.

Sequuntur Syrupi alii ex variis Auctoribus & I. ex Baldaſſare TIMÆO

Sirupus Aperitivus.

℞.Rad.polypod.quern.ʒiv.fænicul.apii,cichor. ſcorzoner.rubiæ Tinctor.aſparagi an.ʒß.herb.fumariæ m.ij.Eupatorii,Agrim.Capill.vener.cuſcutæ,card.bened. betonic, chemadr.chamæpyth.an. m.iß.ſummit.lupuli m. j. comar. abſinth.m.ß.cort.Tamariſ.fraxin.rad.cappar. an.ʒvi.flor. centaur.minor.m.ß.borag.bugloſſi an.p.j.ſem.Aniſi ʒij fæniculi,citri,petroſ.an.ʒj.paſſul. minor. ℥iij. inciſis & conquaſſatis affund.aq.Tartar. ℔iv.Acet.ſquill. ℔ß. coque ad remanentiam ℔ivß.colat.add.ſacch.albiſſ.q.ſ.F.Syr.

Sirupus Panchymagogus.

℞. ꝗri albiſſ.℥iß.coq.in ſ.q.aq.ſimpl.ad perfect.ſolutionem,in colatura adhuc calente infund.fol.ſen ſ.ſ.℥j. Agaric.albiſſ.ʒvj.rhabarb.elect. gialapp.gummoſ.an. ʒß. flor. borrag.bugloſſ.roſar.an.p.j.ſem.Aniſi.ʒij. fænicul.citri an. ʒj.cinamom.acutiſſ.ʒiij. zingiberis albiſſ.ʒiß.maceris ℈ij. caryophyll.℈j. ſtent in infuſione loco calido per horas vj. poſtea ebulliant ſemel atque iterum & exprimantur fortiſſimè colat.add.ſacch.albiſſ.q.ſ. F.ſ.a.Syrupus tenuis.

Sirupus Roſarum ſolutivus Compoſitus.

℞. Rad.cichorii,fænicul.polypod.quer. an.ʒß.ſem.melonum,endiviæ an ʒiij.flor.borrag.bugloſſ.an.p.ß.violar.p. j.caul.lactuc,recent,ʒvj.coquantur in ſ. q. infuſion. multiplic.roſar. exprimantur fortiſſimè, in colatura infundantur fol.ſen.ſ.ſ.℥iß.rhabarb.elect.Agaric.albiſſ.mechoacan. alb.an.℥iß.

Ebulliant ſemel atque iterum, poſtea exprimantur fortiſſimè,& c.ſacchar.albiſſ.ſ.q.coquantur ad conſiſtentiam Syrupi.

Sirupus Sambucinus Laxativus.

Succi baccar.ſamb.matur. ℔vj. Aquæ fumariæ ℔iij. infund.fol.ſen.ſ.ſ.℥iß.rad.gialap. Agarici albiſſ. mechoacan.elect.an.ʒß.ſoldanell.ʒß.Turpethi elect.ʒvj.ireos ʒß. cinamomi acutiſſ.ʒij.Zingiber.albi ʒj.caryoph ℈j.coquantur & exprimantur fortiſſime.Colatur. add.ſacch. albiſſ. q.ſ F.ſ.a.ſyrupus Tenuis.

Sirupus Solutivus Aureus.

℞. Roris maialis ℔xx.roſar.recent.q.ſ.infundantur per horas x.poſtea colentur ſine expreſſione, adde denuò roſar.rec.q.ſ.ſtent iterum in infuſione per horas x. labor. hic tertium repetatur.Colatur.add.ſacch,clarificat.q.ſ.F. ſ.a.ſyrupus.

Sirupus Ophthalmicus.

℞. ſucc.euphraſ.rec.℥iv.roſar.pallid. ℥ij.chelidoniæ, rutæ,verbenæ an.℥j.fæniculi ℥ij. depurentur ſ. a. poſtea cum ſacch.albiſſ.ſ.q.redigantur in formam ſyrupi,qui aromatizetur cinamomo & ambra.

Sirupus Pectoralis.

℞. Succ.ſympt.mai.℔ij.ſanguiſorbæ,veronicæ,roſar. rubr.ſalviæ minor.heder.terreſtr.farfaræ, portulacæ, an. ℥iv.depurentur & c.ſ.q.ſacch. albiſſ. redigantur in ſyrupum ſpiſſioris conſiſtentiæ ad formam lohooc.

Sirupus Antiſcorbuticus.

℞ Succ.rec.expreſſ.cochleariæ,naſturt.aquat.bekabung cich rii, fumariæ, acetoſæ an. ℔jß. mixta præcipitentur cum ſucc.citri ℔ij.colatur.add.Flaved. cort.citri ℥iß,ſacch.albiſſ. ℔ijß. immittantur cucurbitæ vitreæ c.alembico cæco.digerantur in B.M. per diem & noctem colatura ſervetur in vitro.

Sirupus Chalybeatus.

℞. Chalyb.præpar.℥iv. affund.Acet. vin.acerrim.ad Eminentiam 4.digitor.tranſverſ. ſtent in loco calido donec extrahatur tinctura,tum inclinato vaſe ſeparetur liquor.Cui adde ſacch.albiſſ. q.ſ. coquantur lento igne ad conſiſtentiam ſyrupi.

Alius Purgans.

℞. Chalybis præpar.℥ij paſſul.minor. ʒiß.affund. aq fumar.abſinth.an.℔j. ſtent benè tecta in loco mediocriter calido per triduum,poſtea add.rad.polypod.quern. oxyl. pathi cort.rad.cappar.an.ʒß.ceterach, cuſcutæ, an. m.ſ ſem aquilegiæ,Geniſtæ an.ʒj.cinam.acutiſſ,ʒß.fol.ſen.ſ ʒj.ra.

℥j.rad.gialapp.ʒvj. Ebulliant ſemel atq; iterum, colaturæ adde ſyrupi noſtr.panchym.℥iij ſacch.albiſſ.q.ſ.F.ſyrup.

Sirupus Antifebriticus.

♃. Succ.rec.expreſſ.card.bened.centaur.minor.an.℥v. potentillæ ℥iv.cichorii, fumariæ a.℥j.abſinthii ℥iv.ſacch. albiſſ.q.ſ.F.ſ.a.ſyrupus.

Sirupus Cordialis perlatus.

♃. Magiſter.perlarum ʒj.ſolv.in ſucc.citri acid. q.ſ. ſolutioni add.ſucci rec.expreſſ. & depurat. borrag.bugloſſ. roſar.acetoſellæ an.℥iv.ribium, fragorum, rubi idæi, granator.dulc.acid.an.℔ß.ſacch.albiſſ.q.ſ. M.F.ſ.a.ſyrupus.

Sirupus Nicotianæ ad Aſthma.

♃. Nicotianæ ſicc.℥ij.hyſſopi, veronic.ſcabioſæ, marrubii, calaminth.capill.♀is.ſatureiæ an.℥ß.rad. Angelicæ, Enulæ an.℥iß.ireos ʒvj. ſem. Aniſi, fœniculi an. ʒiij. Agarici Trochiſcat.℥j.inciſis & conquaſſatis affund. oxymel.ſimpl.℥vij.ſquill.℥iij. Aq.ſimpl.q.ſ. macerentur per biduum poſtea, coquantur ad remanentiam ℔iß. colatura clarif.cum ſacch.albiſſ.ſ.q.coq; ad conſiſtentiã ſyr.tenuis.

Sirupus de Pomis Solutivus.

♃. Succi pomor. borſdorf.℥xvj.fol.ſen.ſ.ſ.℥iß.mechoacan.alb.gialapp.gummoſ.an.ʒß.ſem.aniſi, fœnicul.an ʒiß. cinam.acutiſſ.℈ij.zinziber.alb.℈j.flor. borrag. bugloſſ. roſor.an.p.j.ſtent in infuſione loco tepido per diem & noctem poſtea coq.in diplomate igne lento. Ex colatura clarific. addit.ſacch ſ.q. F.ſ.a.ſyrupus

Sirupus Coralliorum.

♃. Magiſt.Coral ʒj.ſolv.in ſucc.berber.q.ſ.ſolut.add. ſacch.albiſſ.q.ſ.F.ſ.a.ſyrupus cui immiſc.Tinct.coral.ʒß.

Sirupus Maſtichinus.

♃. Maſtich.elect ℥ij.coq.ex ſ.q.aq.menthæ criſp add. aq.roſar.cinam.an.℥iij.ſacch.albiſſ.q.ſ.M. F.ſ.a.ſyrupus.

Sirupus Antipleuriticus.

♃. Flor.papav.errat. m.iij. bellidis cum toto, violar. purpur.an.m.j.fol.ſcabioſæ, card.bened.Taraxac.card.mariæ an.miß.inciſis & conquaſſatis affund. Aq.flor. papav. rhead.ſcabioſæ, card.bened.card.mariæ ad eminent.4 digitor.ſpirit.🜂. q.ſ. ad aliqualem aciditatem ſtent in digeſtione B.M. per biduum, poſtea ebulliant leniter, colatur. add.ſucci ſanguiſorbæ ℥iv.ſacch. albiſſ. q.ſ.m.F.ſ.a. ſyrupus.

Syrupus Anti-epilepticus.

♃. Flor.pæon.m.iij.tiliæ, tunicæ, lavend.lil.convall. anthos, primul.veris an.m.j.affund.aq.noſtr.cephal.ex florib. ad eminentiã 4.digit.ſpir. 🜂li q.ſ.ad aliquale aciditatem ſtent in digeſtione B.M.per biduum, ebulliant leniter colaturæ add.ſucci ceraſ.nigr.℔iß ſacch.q.ſ.F.ſ.a.ſyrupus.

Sirupus Nephriticus.

♃. Succ.rec.expreſſi ex ſecal. viridi menſe majo ante exortum ſolis collect.℔iv.potentill.℔ij.præcipitentur cum ſucc.citri acid ℔iß.filtrentur per chartam emporeticã & cum ſacch.albiſſ.ſ.q.coq. ad conſiſtentiam ſyrupi tenuis.

Sirupi varii ex Pharm. BATEANA.

Syr. Alleluja. ♃. Succ.Lujul.℔iiß. 🜄Roſ. rub.℔ß. ſacch.opt.℔iß.Digere in MB.dũ fæces ſubſiderint toties quoties.

Syr. Ambroſianus.v.Decoct. Ambroſ.

Syr. Antiſcorbuticus. ♃. Fol.Pini rec.cochl marin.naſturt.aquat.becabung.ã.p.æ.contuſa exprime ſuccos. ♃. horum ℔iij.ſucc. Aurant.℥vj. clarifica exactiſ.cum alb. ovor.adda ſacch.opt.℔ij coq.ad conſiſt.Syr.ſ.a.*cui refrigerato addi poſſunt Sp cochlear.*℥ij.

Syr. Balſamicus. ♃. Balſam de Tolu ℥ij. ∇ Flor.tuſſil. ℥xij.coq.in vitro circulatorio exactiſ.lutato in ∴.poſito per 🝰3. colat frigidæ admiſce ſacch.albiſ.℥xx.ut f.Syr ſine ope caloris.Eodem modo parari pt *Syr. Benzoin, de Styrace, &c.*

Syr. Benedictus. ♃. Infuſ. Bened.℥xij ſacch.alb.℥iv. exhala in MB.ad Syr conſiſt.ſ.a.*Doſ.coch 1.2.&c.pro Infant.*

Syr. Cardiacus auratus. ♃. Aq chelidon.comp ℔j. ſacch opt. ℔ij. diſſolve ad lentum B.calorem, & adde ſucc.chermes, Syr.de Corall.comp.an ℥ij. Fol.Auri nu. 20 m.ſ.a.

Syr. Chalyb. ♃. ⊖ ♂tis ʒij.ſolve in ∇ Gentian.comp. ℥j.adde Syr de pomis alter.℥xi.m ſ.a.*Doſ.*℥ß.*ad* ℥iß.*&c.*

Syr. Chalybeatus Alius. ♃. vin.Chalybeat nr.comp. opt.filtrat.℔ij ſacch.opt.℔ij.ſacch opt.℔j, exhalal. △.ad Syr.conſiſt.*Doſ.ut ſupra.*

Syr. Chalyb. Corallatus. ♃. Raſ.ſantal.r.℥iv. ſant.alb.cinam.corall.rub ã ℥j.macer. (obſignato vaſe) in V.rubell: opt.℔iß.ad 🝰4.f colat clara cui adde ſacch.opt.℔j f. Syr.ſ a.Tum adde ⊖ ♂tis ad rubed calcin.(in ∇ cydon: ſolut) ℥ß.m.*Valde adſtringit & robor.In fluxibus omnib: (præſertim hepaticis) uſus eſt inſignis.Doſ.*℥ß.*ad* ℥j.*&c.*

Syr. de Croco. ♃. Croc Anglic opt.ʒij.Lachrym.ſtillantium ex capitibus Papav. exotici ſupra laminam ferri ſicc & pul.ʒß.Sp.⊕li gt.30. ∇ citri totius ℥viij Digere in MB.ut extrahatur Tinct.quæ filtretur exactiſ, Tum ♃. Sacch.opt.℥xviij ∇ citri totius ℥vj coq.deſpumando ad Syr.craſſioris conſiſt cui adde Tinctur.prædict.ut f.Syr. conſiſt.debitæ ſine coctione.*Doſ.*ʒj.*ad* ʒiij. *& ultra.*

Syr. ad Fiſſuras. ♃. Gum.arabic.ʒij ſacch. cryſtall ℥3. 🜄Roſ.r.℥ij.coq.in Syr.liquidiorem *Remed.optatiſſ.in fiſſuris mammarum.*

Syr. Hæmoptoïcus. ♃. Succ.heder.terr. plantag. agrim: ſedi major.portul.depurat.ad ℔ß. Sacch.Roſat.duplum: f.Syr.ſ a.*Doſ.*℥ij. *cum* ∇ *Lactis* ℥vj *ſingulis auroris, & eadem quantit: hora ſomni cum* ∇ *Rhœad.*℥iv.

Syrup. Jovialis. ♃. Limat.♃is ℥vi.♂tis ℥ij.infund.in 🜄Ront.℔vi 🝰48.Tum adde Tamar.mij cort.rad. cappar. ℥iß.uv.paſſat.℥iv.aniſ.℥j coq.donec libræ 4.conſumptæ fuerint f.col adde ſacch lb.℔j.clarifica & coque ad Syr: conſiſt.*Doſ.*℥j *quotidie mane cum* ∇ *Lumbric. magiſtr.* ℥ij. *Optime valet ad Melancholiam hypochond. cachexiam, chloroſin, icterum &c.*

Syr. Limacum. ♃ Limac hort.ante ortum ⊙is collect. è teſtis ſuis exempt.& conciſ.℔j.ſacchar.cand.ſubt.pulv. ℔3.m.& conjiciantur in manic. Hippoc. ut in cella defluant in Syr.Fieri & pt.ex Limac perforatis cum teſtis, & ſacch.cando.*Doſ.coch.i.ſing.horis, in Phthiſi, Tabe, &c.*

Syr. Lumbric. ♃ Lumbric.terr.rec.opt.mundat.℔j. Inde vitro orificii anguſtioris (bene operculo munito) & obvolvatur vitrum totum paſtâ ex Fl.tritici & ∇â factâ, coq in clib cum panibus Piſtoris. Poſtea coletur liq. cui adde ſacch.opt.q.ſ.ut f Syr.*Doſ.*℥j.*cum chalyb: &c.*

Syr. de Myrrha. ♃ Myrrh opt.ʒv, croc.℈iv hyſſop. tuſſilag.ãm iij.cap.♀mi.ſem.bombac ℥j uv.paſſ exacin: ℥iij.coq in V alb. ℔iß.ad med.colat. adde ſacchar opt: ℥viij.coq.in Syrup.conſiſt ſ.a.*Pectoralis eſt, aſthmaticus: aperitivus, emmenagogus, &c. Doſ.*℥j.*ad* ℥ij. *&c.*

Syr. Pepon. ♃. Carn Pepon.matur.& rec ℔iiß. inciſ. minutiſſ adde ſacch.opt.pulv.℔j. f.S.S.S.in olla vitreata: ſtet deſuper peponis carnem pondus 1. vel 2. libratum (🝰 aliquot) ut f.Syr.in loco frigido ſ a. *Doſ.coch. 3.bis in die cum Pulv.Haly* ʒj.*in Phthiſi, tabe. &c.*

Syr. de Peto. ♃. Succ Peti Anglic.℔4 oxym.ſimp.℥4. Hydrom ℔j m.& Digere dies 4 ut opt defæcetur. Hinc decanta, iterumq; digere ut ſuprà, donec materia ab omni fæculentia depurata fuerit: adde poſtea ſacch.℔ij.& coq. in Syr ſ a.*Doſ.coch.*ß.*ad ij.per plures dies, mira præſtat in epilepſia, tuſſi, aſthmate, catarrho ſuffocativo, phthiſi, ventriculi dolore, viſu recuperando, &c.*

Syr. de Rapis. ♃. Rapar.excort.in lamidas ten.inciſ. ℔iij.ſacch opt.)(at.℔j f.S.S.S.in vaſe fictili ſtent.in frigido ſimul cum pondere ſuperpoſito per 🝰 12. f colat. *Lenit acrimoniam bilis ac aſperitatem bronchiorum, aſperaque arteria.*

Syr. Sambuc.comp. ♃. Bacc.ſambuc.matur à ſtipit. liberat.℔ij.uvar corinth.mundat.inciſ.℔j Fl.ſicc. Borrag. Bugloſ.viol.Roſ r.an.℥ß.V.Rubelli ℔ij coq in clibano: colat claræ adde ſacch. opt.an, & coq.in Syr.ſ a. *Miekletbvv Alexipharmacus, Cardiacus, & uterinus eſt.Sudorem movet, &c.*

Syr. de Scamm. ♃. Diagr.ʒvi uv paſſar. exacin ſacch. alb.ã ℥viij.Sp V.℔ij.coq l △ aduſtulando ad conſumpt. dimid.ſ colat pro Syr. cathartico.*Doſ.*℥ß.*ad* ℥iß.

Syr. Sidereus. ♃. Tincturæ Ferri (quam vide ſuo loco)

eo ;exactiſ.filtrat,℔ij.ſacch.opt ℔j.exhala in MB.ad conſiſt.Syr.ſ.a. *Longè efficacior eſt quàm Syr.Chalybeat.in obſtructionibus,&c.Doſ.ʒij.ad ʒvj.&c.*

Syr.de Sulphure.℞.Hepat.♁ris ℥ij.V.Hiſp.℔j. Digere dies 3.& V.tinctum filtra.Tum ℞.ſacch opt.℔iij. ▽ Tuſſil ℔j coq.deſpumando ad conſiſt.craſſiorem.Poſtea [Tincturâ prædictâ additâ] f.Syr.debitæ conſiſt.ſ.a. *Inſigniter confert ad Aſthma,Tuſſem,Phthiſin,Peſte,&c. Doſ.℥ß.ad ℥j.&c.*

Syr.Tolutanus magiſtralis.℞.Balſ.de Tolu,de Mecha, vel ejus defectu Capivi,ſtyrac.calamit.Benz.opt.oliban. Maſtich.Myrrh.Ammon. granulati, Taccamahac: gum. Elemi,Tereb.è Chio, Rad.irid. Flor.ā ℥ʒ. Aq. Bechicæ ℔iʒ coq. in vaſe circulatorio (opt. clauſo) in ∴.calidâ poſito 8 aliqt.colat.adde ſacch.albiſ. q.ſ. ut f.Syr.albiſſimus ſ.a.*Pectoralis eſt, Aſthmaticus,Phthiſicus,&c.Doſ. ℥ß.ad ßj.&c.*

Syr,Vermifugus.℞.Fol Hellebor.rec.℥ij.Hagioſp.℥iß. Rad.bryon.rec.℥ß.Abſint.Rom.mij.coq. in Hydr.q.ſ.ad ℔ col.adde ſacch.opt ℔j.&coq.ſ.a.*Doſ.coch.i bis indies.*

Syrupi varii è Frederico HOFMANNO.

Syrupus Cardiacus D.V.S.

Rec.ſucci borragin.bugloſſ.an.℔ß. pomor. dulc. ℔j. Meliſſ.℥ß gran.cherm. ʒ ij.

*Infunde in his ſuccis & exprime, deinde Rec.Croci Or.*ʒß.

Sacch.albiſſ.℔ij.f.Syr.cui admiſce ſpec.diamagr.fr.ʒiʒ diamoſc.dulc. ℈iv. f. Syrupus Cordialis cum ſpeciebus, qui & ſine ſpeciebus parari poteſt.

Syr.de Papavere plurium infuſionum Altenburg.

Rec.cap papav.alb.& nigr.n.xx.contuſ.infunde horis 24.in aq.pluv.deſtill.℔vj.coq.ad 3.part.caſum.Colaturæ infunde iterum cap.papav.alb.& nigr.n.xx.& procede ut prius,hocq; ter repete,tū adde ſacch ℔ß.Penid ℥iv.f.ſyr.

Syrupus Pectoralis Altenburg.

Rec.rad.ſymph.farfar.alth.an.ʒvj.Enul.℥ß. ligni Sancti ʒvj.Scyll pp.ſantal.r.a.ʒij.ſem.cym.urtic.a.℥iij.aniſi cardam.an.ʒj.fl.roſ.r.M.ij.f.beton.plantag.pimpin.piloſ. Polyg.Marrub.an.M.j.Salv.pulm.an.M.ß.jujub.n v.

Inciſ.& contuſ. coq.in diplom. cum aq.ſcabioſ. roſar. an.q.ſ.

Rec.Colatur.& cum ſacch. ſ.q.f.Syrupus.

Syrupus de Teſtudinibus D R.

Rec.teſtud.vivar.n.x.laventur in ▽ ſubfervidâ,coq.ad extimæ cruſtæ ſeparationem,quib. abjectis ſordes à carnibus purga,deinde in mortario contundantur,iterumque add.ſequentia;ſucc.liquir.Tragac.Sem.papav. alb. Lact. portul.bombac.4.fr.maj.cydonior.an.ʒvj.

Paſſul.minor.ʒv. Sebeſten.jujub.Berber.an.℥ß.fl.4. Cordial.adianth an. M.ij.

Coq.in ſ.q.▽ad tertias,adde ſacch.℔iij.f.ſyrupus.

Syrupus Chalibeatus D. V. S.

℞. *Aq. fumar. centaur. min. card. b. cuſcut. veronic. beccabung. an. ℔j. acetiroſae. parum adde & in iis extingue chalybis ignit. ℥vii & extinctio quater repetatur, facta colatura adde limatur. chalyb. cum fl. ſulphuris calcinat. pp. ℥vii. cortic. radic. Cappar. ℥ß. tamariſc. fraxin. an. ʒii. Citri ʒiii. paſſul. ſ. arillis ℥ii. ſpic. celtic, ʒiß. ſquinanth. ʒiii. h. abſinth. eupator. capill. ♀. cuſcut. chamædr. ſcolopendr. epithymi an. m. ß. cochlear. m. j. radic. cichor. ſcorzoner. polypod. q. an. ℥ß. ſem. fœnicul. carvi. an. ʒiß. fl. bugloſſ. ſambuci, Meliſſ. geniſtæ. cichor. an. p. j. inciſ. & contuſ. macera per biduum in vaſe vitreo in MB. Colatur. expreſſ. adde ſen. A. ſ. ſ. ℥iv. radic. ellebor. nigr. ppt. ℥iß. gialapp. ℥j. turbith. alb. ℥ß. rhabarb. ʒii. raſur. ligni rhod. ſaſſafras an. ʒii. Cinamom. el. ℥ß. Caryophyll ʒii.*

Iterum ſtent per noctem in infuſione in leni calore, manè ebulliant & cum Sacchar. alb. ſ. q. f. Syrupus.

Syrupus Antiſcorbuticus P. H. D.

℞. *Radic. ireos fl. polypod. q. helenii. raphani. aſari. ſarſaparill. an. ʒiii. liquirit. ʒvi. h. Cochlear. naſturt. aquatic. ſedi minor. fumar. Perſicar. Meliſſ. agrimon. veronic. Chelidon. min. abſinth. Card. b. ſcolopendr. Centaur. min. an. p. ii. fl. ſambuc. bugloſſ. an. m. ſ. ſem. aniſi. fœnicul. erucæ. an. ʒiii. fol. ſenn. A. ℥j. helleber. nigri ʒii. agaric. turbith. an. ʒiii. Cinamom. el zinziber. an. ʒii paſſul. Corinth. ʒj. coq. in ſ. q. ▽ ſ. ℞. Col. ℔ii. adde ſacch ℥iv.coq.ad ſyr.conſiſtentiam.*

Syrupus Violarum Solutivus. D. G.

℞. *Fl. violar. rec. ℔ii. Cremor. tartari. ℥iß. ſem. fœnicul. ℥iv. Cinamom. el. zinziber. alb. an. ʒvi. Caryophyll. galang. radic. ireos an. ʒiß. ſenn. A. ſ. ſ. ℔i. ℥vi.coq.in aq.violar.℞.Col.℥xii.ſacch. ℔vi.f.ſyr.*

Syrupus de Gialappa D. C.

℞. *Radic. gialapp. contuſ. ℥iv. Cichor. aſparag. petroſelin. an. ℥j. ſemin. aniſi. fœnicul. an. ʒ vj. tartar. ⊕-lat. ℈iv. inciſ. & Contuſ. infunde in vini optim. aq. Cichor. acetoſ. an. ℔ij. ſtent in loco Calido per 4 ☉. Deinde adde ♀ri crudi ℔i. coq.ad dimidium. Colaturæ adde ſacch.℔ii.℥viii.f.ſyr.aromat.△Cinam.℥iv.*

Syrupus Purgans Polychreſtus.

℞. *Pone ad △nem ſyrup. roſar, ſolutiv. ℥ii. huic jam calenti injice ſacch.rubr.depur.℥iß.quo ſoluto adde crem. ♀tari ʒiii. zinziber ʒj.ſemin.aniſ.ʒß.f.ſenn.A.ſ.ſ.℥iß*

M. cum ſpatulâ ligneâ, removendo ab igne uſque frigeſcat, huic poſtea iterum aliquid Syrupi roſar. ſolutiv. injice.

Doſ.eſt cochl.j.vel ij.

Sirupi varii ex Collectione Theophili BIERLINGII.

Syrupus contra Oris Fœtorem,

℞. *Succ. pyrol.* ℔j. *ſacch. q.ſ.* f. l. a. ſyrupus. *Adde ambr.* ʒii. *Caſtor.* ʒj. *zibeth. moſch. āā.* ʒj. M. ad lentum ignem. Sumitur Coclear 1. & per triduum continuatur. Totum corrigit oris halitum. Phlegma etiam capitis corrigit.

Syrupus Purgans Mineralis. D. *Krauſeus.*

℞. *Croci metall.juſte ppti.* ℥iß. *Cinnam. acuti* ℈ii. *nodulo incluſ. infundantur horas* 30. *in vin. Rhenan opt. ▽ roſar.præſt.ā ℥ii.Cord.noſtr.℥j.reſervetur in vaſe vitreo probe clauſo in loco ſatis calido, poſtea nodulo leniter expreſſo filtrentur per chartam,addendo juleb roſ.℥x.ſacchar.albq ſ.coq.ad juſtam ſyrupi conſiſtentiam.*

Syrupus Gemmatus Patavinus Ducalis.

℞. *Elect.de gemmis,Confect.de hyacinth.ā℥ß.alkerm. ʒiij. margar. ppt. ℥ß. Cort. Citr. roſar. rub. lign.aloes, rad. dracont. ā. ʒii. Aqu. flor. Citr. ℥ix. ſcorzoner. ℥ii. ſucc. Citri ℥iß. infund. per. 24. horas colentur & exprimantur,adde ſacch.fini ℥viii.moſchi,ambr.ā gr. iv.*

Syrupus Generalis,ſeu laxativo purgans Catholicus.

℞. *Fol. ſenn.℥iß.rad. mechoac. rhabarb. turpeth. ℥ß. ſpec.diamoſch.dulc.diamb.ā ʒi.agar.trochiſc.ʒiij.fibrar. hellebor.nig ℥ß.ſem.aniſ.fœnic.Cinamom.ā ʒj.groſſo modo pulveriſat.affunde in vaſe idoneo ſpir. vin. ℥xx. ▽. apoplect.℥iß.Cinamom.℥ß. digere omnia per 4. dies, refrigerata exprime fortiter & adde rhabarb. elect. ʒiß. pulv. roriſmar.flor.cordial. ā.p.i.trochiſcor. alipt. moſchat.ʒß, Croc. gr.vii.flor. Carthami.℈i. dagryd ʒii. digere iterum per 4. dies, poſtea fortiter exprime, expreſſum cola per pannum,ut ſubſtantia craſſa permaneat,hinc abſtrahatur humiditas ſuperflua ad mellis Conſiſtentiam,addatur ſacchari ſ.q.ad ſyrupi formam.doſis ℥ß.ad ℥i. ℥iß.*

Syrupus de Foliis Sennæ Laxativus *D. Peuceri.*

℞. *Rad.Cichor.polypod.ā.℥ß,paſſular.mundat ℥i. prunor.n.iv.decoq.in ſ.q.▽.ad conſumtionem illius, poſt fortiter exprime ℥xxxx.poſt infund.decocto adhuc fervente fol ſennæ ℥iß.& cum reliquis in vaſe bene obturato ſerva per noctem in infuſione in loco calido. Manè coletur, expreſſ.infund.iterum ℞.fol. ſennæ.℥iß. & poſt hor.xii. iterum exprimatur & coletur infuſio ; tertio infund. ſennæ ℥iß. ut ante, adde Agaric.optim.inciſ.rhabarb. elect ā. ʒii.ſpic. indic.℈ij. cinamom. zingiber. Alb. caryophyll.ā. ℈iiß flor. borrag.bugloſſ roſar. violar.ā.mß.iterum exprime & adde colatur. ſacchar. optim. ℔iß. & cum album. ovi clarificando ſ.ſ. a. ſyrupus.*

Syrupus Catholicus.

℞. *Rad. Apii,petroſelin.fœnic.ā.ʒi.herb.endiv. capill.*

♀r.

♀r, Agrimon. cuſcut. ceterach. betonic. ſalv. majoran ſtœchad. Arab. ā. m. j. flor. cordial. epithym. cretic. ā. p. j. f. decoct. in ſ. q. ∇. pur. ad reman. ℔j. in colatur. infunde per noctem. fol. ſenæ elect. ℥iiiß. Agar. alb. ʒii. turbith. optim. ℥ß. zingib. alb. ʒii. mane iterum bulliant & fortiter exprimantur. expreſſ. ℞. ℥xv. adde in petia ligat. rhabarb. elect. ℥ß. cinamom. optim. ʒiß ſyrup. de fumar. ℥iii. ſacchar. alb. ℥viii. coq. ad ſyr. conſiſtentiam ſæpius nodulũ exprimendo.

Syrupus Melanagogus *D. Rindfleiſchs.*

♃. Rad. hellebor. nig. ℥iß, laventur & incidantur. Deinde aſſume ∇. aniſ. q. ſ. digere in B. dein f. fortis expreſſio ♃. hujus ℔ß. fol. ſenæ elect. ℥ß. ſem. aniſ. fœnic. flor. nymph. ā. ʒiii. prunor. dulc. caricar. ā. mß. denuo bulliant ad ſyrupi conſiſtentiam, adde ſacchari ℥iiß. f. l. a. ſyr.

Syrupus Roſatus Compoſitus.

♃. Roſar. mediocr. color. q. ſ. contund. minutiſſ. & in vaſe vitreo recondantur ſ. a. per 6. dies in cella vinaria, deinde exprime ſuccum ♃. hujus ſucc ℔vi. ſtent per noctem ut ſubſid. poſt ♃. fol. ſenæ. ſ. ſt. ℥iii. Agaric. alb. ℥j. Aq. roſar. hujus anni opt. ℔xi. f. infuſſ. a. per horas 24. facta quoque ebullitione exprimatur fortiſſimè, & in hac expreſſione diſſolve ſacchar. alb. ℔iv. vel q. ſ. clarific. ſimul cum album. ovi. Poſt adde ſucc. & coq omnia ſimul pro ſyrupo.

Syrupus Exhilarans *D. Schillingii.*

♃. Succ. borrag. bugloſſ. ā. ℔iß. pom. redol. ℔j. meliſſ. ℔ß. gran. kerm. ʒii. lign. Aloes ʒi. ſant. citr. ℈ii. ſpec. diamarg. frigid. ʒß. diamb. ℈ii. ſacch. albiſſ. ℔ii. m. f. l. a. ſyr.

Syrupus Laxativus è Succis *D. Landgravii.*

℞. Fol. ſennæ ſ. ſt. ℥iv. rhabarb. elect. ʒvj. cinamom. zingiber. ā. ʒii. vini rhenan. q. ſ. f. ſ. a. infuſio in loco calido horas XII. Hinc colentur, nec cocta, nec expreſſa per inclinationem ſimplicem colatur, puris ſ. adde ſucc. endiv. cochlear. beccabung. borrag. pomor. depurat. ā ℔ß. ſyr. è ſucc. viol. purp. ſacchar. albiſſ. ā ℔s f. ſ. a. lenta coctura ſyrupus.

Syrupus Melanagogus cum Tartaro *D. Laurend.*

℞. Rad. liquirit. enul. polypod. querc. cichor. ā ℥ß. paſſul. enucl. ℥ß prunor. dulc. n. xii. decoq. in ſ. q. ∇. vel ℔iv. ad tertias. deinde cum adhuc fervent, injicia turfol. ſennæ opt. mund. ℥iß ſtent in infuſione per noctem benè cooperta, manè ebulliant, colatur, iterum ferventi infund. fol. ſennæ mund. ℥iß. ſtent in infuſione per horas XII. poſt ebulliant & colentur ut primo. Tertio. rurſum infunde fol. ſennæ mund. ℥iß. Cremor. ♀r. alb. ℥ii. agar. rhabarb. ā. ʒij. ſpic. ℈ij flor. Cordial. ā. Mß. hæc benè cooperta ſtent in infuſione horas XII. poſt bulliant parum, colentur, exprimantur, colatur. expreſſ. adde ſacchar. ℔iß. f. ſyrupus.

Syrupus de Polypodio Purgans *D. Doreri*

℞. Polypod. querc. purgat. & recent. exſicc. ℥ß. fol. bugloſſ. meliſſ. endiv. ā. ʒii. ſem. endiv. lactuc. ſ. a. vol. ā. ʒvi. Calam. aromat. rad. acor. vulgar. ā. ʒj. aſar. optim. & mund. Cyper. opt. ā. ʒij. epithym. Cretic. mund. fol. ſennæ ſ. ſt. ā. ʒi. Cortic. rad. Cappar. ℥ii. inciſ. & Contuſ. affund. ſ. q. ∇. ſtent per horas IX. in loco calido, ebulliant, deinde ad lentum ignem bis, terve, poſt cola, adde ſyr. è ſucc. pomor. ℥j. cort. Citri ℥ij. roſac. ſolut. ex infuſione multiplici ℥viii ſacch. ℔vj. decoct. & infuſ. purg. ℔xxiv. f. ſ. a. ſyrupus.

Sirupus varii ex Hadriano à MYNSICHT.

Syrupus Perlarum Orientalium.

♃. Aq. roſarum fragrant. borraginis, bugloſſæ an. ℥. vj. ſal. perlarum orient. ℥. ß.

Mixtis & ſolutis adde Amygd. dulc. q. ſ. & fiat optima emulſio: cui poſtea immiſce ſacchari albiſſ. ℔j. Et coque ad juſtam conſiſtentiam ſyrupi.

Vires, Uſus, Doſis. Cerebrum, & memoriam corroborat. Corpus ſanum conſervat. Tabem, Ariduram & Marcorem ſenilem mitigat. Pravos humores exſiccat. Lac muliebre emendat. Humidum radicale renovat. Semen utriuſque ſexus amplificat. Inſuper certiſſimum præſervativum contra Apoplexiam, Epilepſiam, Paralyſin, aliquoties in ſeptimana exhibitus. Doſis ab ℥ß. ad ʒ. v j. per ſe vel aliis ſpecificis.

Syrupus Corallorum Rubeorum.

♃ Tinct. roſar. rubrar. cum aq. è ſucc. Cichorei cum tota planta deſtil. & rubini inſtar, extract. ℥ x. ſal. Corallor. rub. ℥ß. Mixtis, ſolutis, & filtratis adde: *ſacchari albiſſ. ℔. j. ſuc. exp. berberum ribium an. ℥vi.*

Denuò miſc. & f. l. a. juſtæ conſiſtentiæ Syrupus.

Vires, Uſus, Doſis. Imbecillum cor confortat, ejuſque robur plurimum auget, Jecoris, Lienis, & Renum intemperiem calidam mitigat, illorumque obſtructionibus mire ſuccurrit. Hæmorrhagiam variam curat. Sanguinem in univerſo corpore mundificat. Choleræ medetur. Vomitum bilioſum reprimit. Sitim reſtinguit. Præterea ad refrigerandum & adſtringendum Ventriculum, cæteraque viſcera fervoris intemperie diſſoluta, recreanda & confirmanda proficuus: Unde in Dyſenteria, Lienteria, Diarrhœa, Cœliaca paſſione, fluxu hepatico, Gonorrhœa, fluore uterino, &c. ſecretum eſt. Contagioſis quoq; morbis confert & fluxionibus colliquantibus & malignis. Fœtum in utero fortificat, conſervat, & ab abortu prohibet, ſi geſtationis tempore ejus Cochl. s. ſingulis menſibus bis accipiant. Doſis ab ʒs. ad ℥i. per ſe, vel cum aliis vehiculis appropriatis.

Syrupus Vitriolato-Roſatus.

In præparatione Magiſterii Corallorum Vitriolatorum Roſati noſtri remanet & in ſeparatione liquor rubicundiſſimus, cui ſi ſ. q. ſacchari albiſſ. addatur, & ad Syrupi conſiſtentiam coquatur, dat rubini inſtar, nobiliſſimum & efficaciſſimum ſyrupum in peſte, morbis Epidemicis, Febribus, Dyſenteria, fluxu hepatico, Stomachi vitiis, Scorbuto, Jecoris & Lienis obſtructionibus, Inflammationibus, & aliis morbis quam plurimis &c. maximè utilem. Cujus Doſis eſt per ſe, vel cum aliis vehiculis appropriatis ab ℥i. ad ℥ i i.

Syrupus Cephalicus.

♃. Suc. depurat. card. bened. & millefolii an. ℔i. Aq. lavendulæ, betonicæ an. ℔ß. rad. Caryophyllatæ, pæoniæ an. ℥i. Caſſiæ ligneæ nuc. moſchat. Cubebarum an. ℥ß. herb. majoranæ, verbenæ, roriſmarin. origani an. ʒij flor. liliorum convall. tiliæ, primulæ veris, anthos, roſar. rub. an. ʒij. ſem. fœniculi, lavendulæ, ſalviæ pæoniæ, an. ʒis. lig. Aloes viſci quercin. Croci orient. an. ʒ j.

Coq. ad tertiæ partis conſumptionem; poſtea coletur, clarificetur & addita ſacchari albiſſ. ſ. q. fiat juſtæ conſiſtentiæ Syrupus, qui aromatizetur ſpec. Diamoſchi dulc. & Diambræ an. ʒj. ut eſt artis.

Vires, Uſus, Doſis. In omnibus periculoſis Capitis morbis & affectibus Cephalæa, Hemicrania, Epilepſia Apoplexia, Paralyſi, &c. mirabilis eſt juvamenti. Caput, Cerebrum, & Ventriculum corroborat, & iis, qui capite & corde tremunt, convenit. Doſis ab ℥s. ad ℥i, per ſe, vel cum aliis appropriatis.

Syrupus Pectoralis.

♃. Rad. glycyrrhizæ raſæ, tuſſilaginis an. ℥ij. enulæ camp. ireos flor. Angelicæ ana ℥. j. herb. pulmonariæ utriuſque Capil. veneris. ſalviæ acut. marrhubii ſcabioſæ an. ℥ß. flor. Chamomillæ, violarum, farfaræ, jaceæ, an. ʒ. ii. Incidantur, contundantur & infundantur in aquarum. *Card. benedict. fœniculi an. ℔ iij malvæ min. veronicæ, rad. Althææ an. ℔j.* Coquantur ad tertiæ partis conſumptionem. ℞. Colaturæ ℔vi. & in iis infunde *Paſſular. min. ℥iv. ſem. Card. Mariæ, myrtillorum, Aniſi, urticæ rom. Cydoneor. an ℥ß. dactylorum, jujuben. ſebeſten. ficuum ping. an. n. xxj.*

Iterum coquantur ad quartæ partis conſumptionem poſtea fortiter exprimantur & colentur.

♃. Colaturæ ℔iv. ſacchari alb ſſ. ℔ii. Denuò coq. & inter coquendum aromatizetur cum *Croci oriental. Cardamom. min. macis. Cinamomi an. ʒ. ij.*

Ligentur in panno raro & una bulliant, donec fiat ſecundum artem juſtæ conſiſtentiæ ſyrupus; cui denique immiſce Aq. Cinom. ℥ ij. & ad uſum reſerva.

Vires, Uſus, Doſis. Mirabilis eſt potentiæ ad omnes thoracis & ſpiritualium partium affectus, deſtillationes & obſtructiones: Humores enim craſſos incidit ac attenuat. Valet quoque ad conſumptos, tabidos & ulcera pulmonum. Aſthmaticis & tuſſiculoſis mi-

rè confert. Hypochondriorum doloribus utilis, & pleuritidis initio convenit. Suppuratorum pus egregiè diſſolvit, diſſecat, tergit, educit & in apertum promovet. In omni raucedine & ablatione vocis ſecretum eſt. Doſis ab ℥s. ad ʒvi. per ſe vel cum vehiculis appropriatis.

Syrupus Aſthmaticus.

℞. Sacchari candi alb. ℔j. aq. loch. ſani ℥viii. ſyr. de praſſio, de glycyrrh. an. ℥iii. capillor. veneris, de jujubis an. ℥iii. de hyſſopo, de ſuc. violar. an. ℥ii.

Invicem bene mixta coquantur ad juſtam Syrupi conſiſtentiam.

Vires, Uſus, Doſis. Aſthmati imprimis, & pleuritidi auxiliatur. Thoracem & Pulmones ſaluberrime expurgat, aperit, dilatat, terget, lenit & obſtructiones reſerat. Tuſſi anhelæ, diuturnæ & ſiccæ medetur. Pectoris & hypochondriorum doloribus utilis. Renum calculo ſalutaris; nec non ſenibus & naturâ frigidis valde familiaris. Doſis per ſe vel cum aq. pectoralibus, ab ʒß. ad ℥j.

Sirupus Cordialis.

℞. Cinamomi acut. ℥ij. rad. Bugloſſæ, ℥j. flor. roſar. rub. borraginis, Meliſſæ, violarum an. ℥ß. cardamomi min. nuc. moſchat. lig. aloes an. ʒij. croci orient. macis ʒj.

Inciſa & contuſa macerentur in vini boni & odoriferi Lib. iij. donec vinum ſapore & virtute ejus bene imbuatur; poſtea in duplici vaſe coque ad unius libræ conſumptionem.

℞. Colaturæ ℔ij. ſacchari albiſſ. ℔iß. Coquantur & circa finem immiſce: *Aq. Cordial. noſt. utriuſque an. ℥iv.*

Et fiat l. a. juſtæ conſiſtentiæ ſyrupus.

Vires, Uſus, Doſis. Exhilarat, animique magnanimitatem indies auget, & eſt ferè in omnibus morbis melancholicis medicamentum efficaciſſimum. Inſuper Cardiacis, præter rationem mœſtis ſeu triſtibus, cor inſigniter confortando, ſingulariter ſuccurrit. Doſis ab ℥s. ad ℥i. per ſe, vel in vehiculis convenientibus.

Sirupus de Caſſia Lignea.

℞. Mivæ Cotoneorum ℔j.

Coquatur per ſe in leni calore ad ſpiſſitudinem mellis; poſtea immiſce Tinct. de Caſſia Lig. noſt. q. ſ. ut mediocrem Syrupi conſiſtentiam acquirat, addendo Eleoſ. Caſſiæ lig. ℥j. Denuò miſce & ad uſum repone.

Vires, Uſus, Doſis. Senibus debilibus, & frigidis convenit, & quibus humor nativus & calor naturalis imminuntur. Omnia membra principalia confortat. Cor imbecillum & Ventriculum frigidum roborat. Syncopen & cordis tremorem ſanat. Nauſeam, Vomitum, & Singultum ſedat. Anhelitus fœtorem abigit, ejuſque ſuavitatem inducit. Doſis ab ℥s. ad ℥j. per ſe, vel cum vehiculis ſpecificis.

Sirupus Diacitri Roſatus.

℞. Suc. Citri & limonum per pannum aut filtrum, ſine ulla vi, aut expreſſione deſtillat. & cum pulv. roſar. rub. prius, rubin. inſtar, tinct. an. ℔j. rob. de Berberis de rib. an. ℥ viij. ſyr. de Agreſta oxyſacchari rubi Idæi opt. fragorum an. ℥ iv. aq. cinamomi bugloſſat. in qua ſpec. Diarrhod. abbat, infuſæ fuerint. ℥ ij. nitri præparat. an. ʒiß.

Mixta decoq. ut eſt artis, & f. juſtæ conſiſtentiæ ſyrupus.

Vires, Uſus, Doſis. Potentiſſimè refrigerat, penetrat, ſiccat, & à putredine vindicat. Febribus malignis, bilioſis, morbiſque contagioſis plurimum confert. Ebrietati, Venenis, & Peſtilentiæ ſaluberrimè reſiſtit. Intemperiem calidam Capitis, Cordis, Ventriculi, Hepatis, Lienis, Viſcerum, omnemque ſitim exſtinguit. Renum æſtus emendat. Urinas & ſudores movet. Vomitum bilioſum reprimit. Choleræ medetur. Cardiacis, Dyſentericis, & Cœliacis, purgato prius corpore, ſuccurrit. Doſis ab ℥ ſ. ad ℥j & duas, per ſe, vel in vehiculis ſpecificis affectum propriè reſpicientibus.

Sirupus Antiſcorbuticus.

℞. Suc. chamarubi Norvvegic. ℔iij. naſturt. aquat. becabungæ, acetoſæ, cochleariæ, an. lib. ß.

Mixtis adde: Sacchari albiſſ. ℔ ii. & f. juſtæ conſiſtentiæ ſyrupus.

Vires, Uſus, Doſis. Adverſus Scorbutum nobiliſſimum & probatiſſimum eſt remedium, Doſis ab ℥j. ad ℥ ij. ℥ iij. per ſe, vel cum aq. Antiſcorbutic. noſt. ſ. q.

Sirupus de Pyrethro.

℞. Agarici alb. & leviſſ. ℥iſ. Rad. pyrethri ℥j. pæoniæ maris, acori, pimpinellæ an. ℥s. ſem. fœniculi pæoniæ bac. juniperi an. ʒiij. herb. matricariæ, Agrimoniæ hyſſopi primul. veris, majoranæ, mentaſtri, nepetæ an. ʒij. flor. Lilior. conval. verbaſci cugloſſæ anthos an. ʒ i ſs. cinamomi acut. nuc. moſchat. cubebarum. an. ʒj.

Inciſa & contuſa infundantur in aq. Salviæ & Roriſmarini ana ℔iij. Stent in infuſione per noctem; poſtea coquantur ad tertiæ partis conſumptionem.

℞. Colaturæ ℔iv. ſacchari albiſſ. ℔ij.

Miſc. & coq. ad juſtam conſiſtentiam ſyrupi.

Vires, Uſus, Doſis. Valde ſalubris eſt in paſſionibus nervorum, Paralyſi, Spaſmo, Epilepſiâ, Iſchiade, &c. Potenter enim materiam peccantem reſolvit & dolorem mitigat. Doſis ab ℥ ſs. ad ℥j. per ſe, vel in vehiculis convenientibus.

Sirupus Nephriticus.

℞. Aq. Antinephritic. noſt. Lithontriptic. an. ℥ x. ſal. lep. percar. piſc. oc. Cancri an. unc. ſs. Mixtis & ſolutis adde: *Flor. malvæ arb. Rub. Rec. exſiccat p. ſ.*

Digerantur aliquot dies, uſque dum perfectè tingantur; poſtea cum ſacchari albiſſ. lib. ij. coq. ad Syrupi craſſamentum.

Vires, Uſus, Doſis. Calculoſo ab ℥ j. ad ℥iſs. per ſe, vel cum appropriato vehiculo manè propinabis; Nam calculos quamvis magnos exedit corroditque; quotidiana etiam experientia in urina arenulas & exeſa lapidis fragmenta videbis.

Sirupus Stipticus.

℞. Prunor. ſylveſt, maturor. & exſiccat ℔j. Rad. Acori aquat. tormentillæ, ſerpentariæ, zedoariæ an. ℥ j. cort. granatorum cydoneorum exſic. an. ℥ ß. gallarum turc. Roſarum Rub. balauſtior. an. ʒij. ſem. lapathi acut. ſanguinariæ, plantaginis an. ʒ i s.

Coq. l. a. in vini alb. ſ. q. ad perfectam tincturam.

℞. Colaturæ lib. iv. ſacchari albiſſ. lib. ij.

Denuò coq. dum Syrupi craſſamentum adſciſcat, & aromatizetur cum *Cinamomi acut. caryophyllorum macis nuc. moſchat. croci orient. zingib. albi, galang. min. an. ʒj flor. papav. errat. tunicæ an. ʒſs.*

Ligentur in panno raro, & bulliant in Syrupo ſecundum artem.

Vires, Uſus, Doſis. Dyſenteriam Hepaticam ex humorum acrimonia ſubortam ſedat. Cibi appetentiam excitat. Diabetem reprimit. Præcipuè autem longis & trahentibus alvi profluviis, ab humore aquoſo, pituitoſo tam frigido quam calido convenit. Vomitum Hæmorrhagiam omnem & abundantia menſtrua cohibet. Doſis ab ℥j. ad ℥ij. præmiſſis tamen univerſalib.

Sirupus Dyſentericus Laxativus.

℞. Rad. Polypodii querc. ℥ii. glycyrrhiz. Raſæ. pimpinel. ital. an. ℥j. tormentillæ, cichorei an. ʒvi. herb. ſcolopendrij, Agrimoniæ, veronicæ, polygoni, an. ℥ſs.

Fiat decoctio in Aq. Rad. Conſolid. Plantaginis & fol. Querc. ana ſ. q. ad tertias, & colentur.

℞. Colaturæ ℔iij. Rhabarb. opt. ℥ i ß. mechoacannæ myrob. citrin. fol. ſenæ an. ℥i. agarici troch. ſc. ℥ß. flor. Roſar. Rub. lilior. alb. ſambuci, chamomillæ verbaſci an. ʒ. ij. ſem. cydoneorum, aniſi, anethi an. ʒiß. caſſiæ ligneæ caryophyllor. nuc. moſchat. an. ʒj.

Stent infuſa in loco calido per noctem, manè leviter ebulliant & expreſſa colentur; Colaturæ adde: Saccha-

chari albiſſ. ℔ıı. & fiat juſtæ conſiſtentiæ ſyrupus, ut eſt artis.

Vires, Uſus, Doſis. In Dyſentericis citra moleſtiam & leniter alvum ſubducit, Humores acres & bilioſos, à quibus exulceratio in inteſtinis dependet, expurgat. Dolores inſuper lenit, & perfecto opere adminiſtrationem poſt ſe relinquit, alvumque, quam ſolvit, iterum ſiſtit. Doſis in junioribus ab ℥j. ad ℥iß. In adultis verò ab ℥ij. ad ℥iij.

Sirupus Pantagogus.

℞. *Rad. polypodii quercin. hermodact. Rub. an.* ℥iv. *turbith. alb. & gum. mechoacannæ an.* ℥ii. *Rhabarb. opt.* ℥ıs. *Hellebori nigri præp. jalappæ Reſinoſ. an.* ℥j. *agarici trochiſcati myrob. omnium an.* ℥ß.

Inciſa contuſa infundantur in vini albiſſ. ſ. q. Macerentur per aliquot dies; poſteà ſecundum artem coquantur, & in Colaturæ ℔iv. iterum infunde ſequentia:

℞. *Fol. ſenæ elect.* ℥ i i i. *paſſularum min.* ℥iii. *crem. tartari* ℥ı. *herb. capill. veneris, veronicæ, fumariæ an.* ℥ß. *ſem. fœniculi aniſi an.* ℥ij. *flor. perſicorum, violarum, Roſarum, acaciæ, epithymi an.* ℥j.

Stent in infuſione per noctem; poſtea denuò coquantur, exprimantur, colentur, & tandem cum ſacchari albiſſ. ℔ ı ı. fiat juſtæ conſiſtentiæ ſyrupus, & ſequentia.

℞. *Cardamomi min. caryophyllorum, galang. min. macis, zingib. alb. cinamomi acut. ſpicæ indic. an.* ʒß.

Pulveriſata & panno ligata lineo, inter coquendum infricentur, ut bulliant una cum ſyrupo & ei facultatem tradant.

Vires, Uſus, Doſis. Blandè, promptè, innoxiè & æqualiter, omnes morbificos & peccantes humores in omnibus morbis evacuatione egentibus purgat, & leniter per ſeceſſum educit, & venarum viſcerumque obſtructiones liberat. Offertur omnis ætatis hominibus; Senibus, pueris, debilibus, delicatis; Immo etiam neceſſitate ita exigente prægnantibus per ſe vel in aquis, quæ locum affectum propie reſpiciunt. In robuſtioribus autem cum aliis catharticis fortioribus, pro diverſitate morbi ſemper Doſis ab ℥ ı. ad ℥ ı ı. & tres.

Sirupus Hydragogus.

℞. *Rad. Ireos noſtrat. mundentur à cortice exteriori, piſtentur & exprimantur, ſuccuſque expreſſus ponatur in vitro, donec per ſe reſidentiam faciat: & recipe hujus ſucci clari.* ℥xvi. *aq. cinnamomi* ℥iv. *mag. gum. de Peru* ℥i.

Macerentur vitro bene clauſo horis viginti quatuor; poſtea tranſcola miſcendo ſacchari albiſſ. ℥xvi.

℞. *Spec. diarrhod. Abbat. Rhabarb. opt. an.* ℥ß. *ſandali rub. Rad. Anchuſæ an.* ʒii.

Mixta in nodulo ligentur & decoquantur in diplomate ad perfectionem: & ſyrupus ſummâ diligentia ita paratus cum

℞. *Caryophyllorum, cinamomi acut. macis an* ʒi. *galiæ moſchat.* ſs. i. *Aromatizetur, ut eſt artis.*

Vires, Uſus, Doſis. In Cachexia omnique Hydropis ſpecie glorioſum eſt catharticum & divinum adjumentum, ſi ab ℥iſs. ad ℥ij. plus minuſve, prout fuerit conſtipatus, bis vel ter in ſeptimanâ ſumatur: Hydrops enim, qui alias humana manu curari non poteſt, curatur hoc ſyrupo.

SISARUM *ſive* SISER.

Siſarum à Paſtinaca latifolia ſativa (cui foliis & ſapore radicis ſatis ſimilis eſt) differt ſemine, quod non ut in illa latum & foliaceum, ſed oblongum, anguſtum & ſtriatum eſt, item radice, quæ non ut in ea unica, ſed ex uno capite plures.

Vires. Cordus omnium radicum quæ veſcendo ſunt ſaluberrimas haſce affirmat; Dodonæus moderatè calidas eſſe ac humidas, facile concoqui, nec tardè deſcendere, nutrire mediocriter, nec parvi eſſe ſucci, flatulentum tamen quiddam etiam obtinere, unde Venerem promovet. *Rajus.*

SISYMBRIUM, vid. *Naſturtium Aquaticum.*

SIUM, vid. *Naſturtium Aquaticum.*

SMARAGDUS, *vid.* ſub titulô *Lapis.*

SMILAX.

Nomi n. Smilax aſpera fructu rubro *Park.* aſpera fructu rubente *C. B.* Smilax aſpera *Ger. J. B.*

J. B. Longis, rigidis, ſtriatis, contortis, valde implicatis, lentis, ſarmentoſis viticulis excreſcit, nunc in hanc, modo in alteram partem (inquit Cluſius) certâ quadam ſerie ſervatâ inflexis, ex geniculis capreolos proferens, quorum ope vicinis arboribus aliiſve advolvitur, & ab imis ad ſumma repit. Horret autem ſpinis duris rigidiſque, non tantùm per ſarmenta ſurgentibus, ſed etiam per pediculos unciales plus minus, quibus folia ex intervallis ſingularia appenduntur. Cæterum folia ſigilli B. Mariæ dicti poſſidet, ſed longe craſſiora, rigida, nervoſa, ſpinis non tantum per margines horrentia, ſed & in dorſo ſecundum nervos, nunc ampla & viridia, modo anguſtiora & albis maculis conſperſa, autore Cluſio. Flores è ſingulis extremorum ramulorum geniculatis tuberculis racematim cohærentes crebri erumpunt, parvi, albi, odorati, hexapetali, exiguis in medio apiculis hoſce excipiunt fructus rotundi ſeu uvæ, per maturitatem rubræ, vel ut Cluſius, rutilæ, in quorum ſingulis ſemina duo vel tria vel unicum, lubrica, magnitudine, colore, & figurâ ſeminum paliuri vulg. ſed duriora, pulpa albicante, nauſeoſæ cujuſdam dulcedinis participe. Cluſius nucleos vocat duros, oſſeos velut aſparagi, foris nigros, addens radicem longè lateq; ſerpentes ſub terra fibras habere, tenues, candidas, & germina ſummâ tellure ſpargere, minimi interdum digiti craſſitudine, nodoſa ſeu articulata, albicantia.

In Sicilia, Italia & Gallia Narbonenſi in ſepib. paſſim.

Vires. Succedaneum eſt ſarſaparillæ in curanda lue venerea, inq; articulorum & nervorum doloribus: noxios humores per ſudorem & tranſpirationem evacuat, cutis vitia expurgat, datur vel in pulverem redacta, vel in aqua aliove liquore cocta.

Fallopius cum in monte Juliani Piſis vidiſſet ſmilacem aſperam, ea uſus eſt loco ſarſaparillæ per biennium quo ibi fuit, felici cum ſucceſſu plurimos à lue venerea liberans. *Rajus.*

SMYRIS, *vid.* ſub titulô *Lapis.*

SMYRNIUM.

Smyrnium inde dictum eſt, quòd radix lachrymam emittat myrrhæ ſimilem, ut Theophraſtus hiſt. lib. 7. C. 6. & l. 9. C. ı. docet, qualem hippoſelinum fundere docet experientia, inquit Bodæus à Stapel.

Semine majore tumido, per maturitatem nigro à congeneribus diſtinguitur. Smyrnium autem Creticum foliis duum generum inferioribus apii in modum inciſis, ſuperioribus quæ caulem veſtiunt integris & indiviſis caulem amplexantibus ab omnibus cujuſcunque generis umbelliferis differt.

Vires. Alit bene, & præſtat eadem quæ Apium, ſed efficacius, venit in cibum cruda & cocta tum radix conciſa, tum folia tenella & caulis, frequentibus apud nos in juſculis verno tempore ad ſanguinem depurandum, rarius in intinctibus ex aceto & oleo in officinis noſtris olus atrum dicitur, in tranſmarinis vulgò ſed falſò petroſelinum Macedonicum. *Rajus.*

SODA,

Soda, vid. *Kali.*

Sol, vid. *Aurum:*

SOLANUM.

Solanum Στρύχνος Græcis, quaſi Sulanum, quod ſuibus confert adverſus febres ardentes, autore Trago, Martin.

Solani notæ genericæ ſunt flores monopetali, quinque partiti aut ſtellati, apicibus in umbilico oblongis, erectis & coitu ſuo umbonem quendam componentibus, ſemina parva compreſſa. Eſt autem duplex vel fructu minore, v. g. ſolanum vulgare lignoſum, &c. vel fructu majore, quod genus pomiferum dicitur ut pomum amoris, mala inſana &c.

Vires Solani Lignoſi Dulcamaræ dicti.

Sebizius viridem dulcamaram contuſam & cataplaſmatis formâ applicatam ait mitigare mammarum dolores, ac emollire earum duritiem, diſſolvereque in ijs grumeſcens lac.

Urinam ciere dicitur, & contra hydropem cum fructu exhiberi, accipe, præceptore Trago, lignum de hac planta libræ pondere ac minutim in fruſtula tali ludicri inſtar conciſa cum menſura vini albi in novam ollam, eamq; operculo (per quod tamen foramen in medio exiguum transfigito) probè contectam, ita quidem ut cum farina ex aqua undiq; oblinatur, reponas ſuperque carbones lento igne decoquito ſupra tertias, demumq; his utare. Hæc potio mane una hora antequam ſurgas, & veſperi cùm lecto te committere velis, cyathi vulgaris menſura ſumpta morbum regium, præſertim inveteratum leniter per alvum & urinam exigit. Fertur ruptis & ex alto præcipitatis aut etiam cæſis ſuccum utiliter bibi, creditur ſiquidem concretum alicubi in viſceribus ſanguinem diſſolvere & partium læſarum ſanitatem procurare, efficax etiam cenſetur ad aperiendas obſtructiones hepatis & lienis: at Parkinſonus ſcribit quoties ex medicorum præſcripto illum exhibuit ſe comperiſſe ſatis violenter purgare, & Prævotius ligno dulcamaræ decocto inter bilem benignè evacuantia principem locum tribuit. lib. de Medicina pauperum.

℞. Foliorum manip. quatuor conciſos cum ℥iv. ſemin. lini ſubtiliter pulveriſat, decoq; in vino moſchato Cretico, aut larido porcino ad conſiſtentiam cataplaſmatis, calidum applicetur, unius noctis ſpatio tumorem capitis humani magnitudine reſolvit, & confuſiones deploratas muſculorum ſanavit. D. Hulſe communicavit.

Vires Solani Hortenſis.

Solanum hortenſe erat olim edule, refrigerat cum adſtrictione: uſus apud Dioſcoridem eſt in Eryſipelate ſotis, hoc Dodonæus vehementer improbat, quod repellat, adhibetur etiam in dolore capitis & in parotidibus externè.

Remedium eſt præſtantiſſimum in penis inflammatione ex lue venerea orta curanda cum albumine ovi, ſuccus carpis applicatus febrem tollit, ut & in gargariſmis; interne non ſuadeo, communicavit D. Palmer, ex dictatis D. Hermanni Botanices profeſſoris & Horti medici Leydenſis præfecti.

Tumorib. mamillarum frigidis linimentum ex ſucco ſempervivi, ſolani & albumine ovi tepidū ſæpius inunctum mirifice prodeſt, ex obſervationibus Marcelli Cumani ab Hier. Velſchio editis excerpſit & miſit D. Barn. Soame.

Vires Solani Pomiferi.

Succus herbæ valde opportunus eſt incipienti epiphoræ fluxionibuſq; oculorum fervidis, glaucoma facturis, ſi per initia admoveatur, non enim modo irruẽtis humoris impetū ſiſtit, ſed etiam calorem moderatur ſæpius periculo à recentioribus facto, quin etiam eryſipelatis ignibuſque ſacris vehementer obluctatur.

Italis nonnullis eſitantur poma cum pipere, ſale & oleo præparata, non ſecus atq; cucumeres, ſed eduntur & cocta; neſcio quo commodo; nam teter quam halat tota planta ſpiritus, ea parum tuto in cibos venire ſatis prodet, ſucco aqueo abundant nobis guſtantibus parum grato, & certe alimentum quod corpori præſtant perexiguum eſt & vitioſum.

In oleo cocta ad ſcabiem ſunt efficacia, eadem arte chymica oleum ſubminiſtrant ad ambuſta percommodum. J. B.

Vires Solani Tuberoſi.

Indi, Acoſta referente, radicibus panis loco ütuntur, quem Chunno vocant: quin & aliud edulium, eodem chunno nomine nuncupatum, admodum diu durans, ex ejuſmodi radicibus ſole ſiccatis, inque partes diſſectis conficiunt: ſed & viridem vel coctam, vel aſſatam manducant, noſtrates (inquit C. Bauhinus) aliquando tuberum modo ſub cineribus aſſant, & cuticula ablata cum pipere comedunt, ad venerem excitandam, ſemen augendum alij & tabibis utiles volunt, cum bonum alimentum præbeant.

Non minus quàm paſtinacæ & caſtaneæ alunt, & flatulentæ ſunt, relatū mihi nunc apud Burgundos ha ū radicū uſum interd ctum perſuaſis earum eſum lepram cauſare, hactenus C. B. qui & Burgundos ramis reclinatis terraque tectis hanc plantam propagare ſcribit.

Nos in Anglia radices haſce eiſdem modis præparamus quibus Battatas Hiſpanicas.

Ebrodunenſis hiſtoriæ autores Caſparum Bauhinum immerito carpunt, quòd plantam hanc ſolanis annumeraverit, qui ſane (quicquid illi ogganiunt, non contemnendis, imo validiſſimis rationib. permotus id fecit. Solanum (inquit) appellavimus propter formam aliquam foliorum cum malis aureis, florum cum malis inſanis; fructuum cum baccis ſolani vulgaris; ſeminum cum ſolanis pæne omnib.; deniq; propter totius plantæ odorem quem cum ſolanis communem habet, nec enim à viribus, ſed à ſimilitudine & convenientia in partibus præcipuis notæ generum characteriſticæ deſumendæ ſunt.

Batata recens contuſa, affuſâ pauculâ aquâ, atque macerata, fermentando fit potus, quo indigenæ utuntur, imo ſubinde abutuntur ad inebriandum, hic potus nominatur Mobby & Jetici.

Solanum Lethale dictum Bella Donna.

A præcedentib. ſolanis non ſpecie tantum ſed & genere differre nobis videtur, quamvis nomen commune habeat, flores habet campaniformes concavos, & tubuloſos, reliquæ notæ ex deſcriptione peti poſſunt.

Nomina. Solanum Lethale *Park. Ger.* Melanoceraſos. *C.B.* ſol. Maniacum multis ſive Bella donna. J. B.

Totum pulvillum opacat pernicioſi Solani Bellæ Donnæ dicti luxuries: namq; ex radice craſſa tribus cubitis altiores caules erigit, pollice craſſiores hirſutos, qui in tuber craſſeſcentes, in multos ramos indidem fere exortos brachiantur: folia ſolani hortenſis formâ, non ſinuata, & pluſquam duplo triploq; majora utrinq; piloſa, ſupernè atrovirentia, infernè vero herbida, flores ſtriati, ex foliorum alis concavi, campanularum inſtar, in quinq; lacinias diviſi, colore intus quidem lurido, purpureoq; fundo luteo verſicolore, extra vero tantillum ex herbido rubeſcentes ſubhirſuti; occultant autem fibras quinas, ad exortum hirſutas, qualis & fundus eſt, apicibus albidis: ſtylus vero productior extra floris oras promittitur capitulo viridante, decedentibus floribus inſident hirſuto quinq; partito calyci Baccæ nitidæ herbæ Paridis.

Juxta parietes ſepimentaq; agrorum, ad vias publicas, locis ruderatis & parum cultis reperitur; ſed ra-

rius

rius in Anglia, prope Cantabrigiam circa Fulborn vicum copioſe provenit.

Vires. Solanum lethale dictum ſive Bella donna ſomniferum e & malignum nimoræ ſunt hiſtoriæ de pueris ex eſu baccarum ejus extinctis tum Wisbici in Anglia noſtra, referen e Gerardo tum in partibus tranſmarinis, narrante Fuchſio, quin & nupero per quam triti experimento confirmata eſt vis ejus lethifera.

In calidis inflammationibus ſine periculo adhiberi poſſunt ejus tum radices, tum etiam baccæ & folia.

Bella donna Venetis aliiſque Italis dicitur quia ex ejus ſucco vel aqua deſtillata fucum conficiunt mulieres quo faciem obliniunt, & ex rubicunda pallidam efficiunt frigoris vehementia, hujus herbæ folia recentia mammis impoſita earum durities & tumores etiam cancroſos emolliunt & diſcutiunt: ut ſæpius expertus eſt generoſus vir, D. Percivallus Willughby, quod à nemine hactenus, quod ſcimus, proditum publicæ utilitatis cauſa ſine invidia communicamus.

Horum & ipſe non ita pridem eff ctum vidi oppido mirabilem, nobilis Domina mihi nota ulcuſculo cuidam paulo infra oculum, dextrumve an ſiniſtrum oblitus ſum, nec multum refert quod cancroſum eſſe ſuſpicabatur, folii recentis particulam impoſuit; quæ noctis unius ſpatio uveam oculi tunicam adeo relaxavit, ut omnem explicandi ſeſe & pupillam contrahendi facultatem ei adimeret: ſiquidem pupilla clariſſimo lumini obverſa vehementer dilatata perſtitit, ſocio & pari ſuo plus quadruplo amplior; donec amoto folio uvea muſculoſam vim ſuam & tonum paulatim recuperaret, atque hoc ne quis caſui imputet, tribus diſtinctis vicibus in ſe ipſa experta eſt eadem nobilis Domina me quoque tunc temporis fortuna præſente & ip ctante.

An ſolanum hoc efficiat frigiditate, an potius vi quadam narcotica conſiderandum. Chirurgus qui cancrum eradicaverat & ulcus ſanaverat folii particulam loco impoſuit ad humores repellendos, ne eodem rurſus confluerent: verum ob ſymptoma prædictum eandem removere coactus fuit.

Paſtor quidam in Cherſoneſo Cimbrica adverſus dyſenteriam morbum eo loci contumaciſſimum & contagioſiſſimum ſummo cum fructu & ſucceſſu decumbentibus propinavit vinum cui infuſæ ſunt baccæ ſolani, non ſolum enormem fluxum ſiſtunt & dolorem demulcent; verum malignitatem in ſudorem reſolvunt, Eph. m. Germ. An. 1.. obſerv. b. 4.

Si per baccas ſolani ſylveſtris illius furioſi, quod puto, intelliguntur [inquit Luc. Schrok Scholio in hanc obſervationem] quadrabit huc quod Conr. Geſnerus, ſyrupum ex eis paratum pro magno arcano commendans, ad Achill. Gaſſerum perſcripſit: ſuccum ex ejus fructibus expreſſam, & ad ſyrupi conſiſtentiam cum pauco ſaccharo d coctum, ita efficacem eſſe, ut vel ligulæ aut cochlearij parvi menſura ſomnum inferat, fluxiones ſiſtat, dolores tollat, dyſenteriam curet: gratus eſt palato, ſed cavendum ne amplius detur; ego cum laude uſus ſum, utantur quibus videtur; ego ab ejus uſu abſtinendum cenſeo, niſi in tutiorum medicamentorum extremâ inopia.

Accidit, ni fallor, tempore Pontificis Maximi Urbani ultimi, ut quidam de famulitio Cardinalis magni nominis (ut mihi hic Auguſtæ retulit ejus hortulanus) infunderet in vino malvatico herbam illam quam Bellam donnam vocant, daturam alii s. per noctem, ut ejus herbæ effectus diſcerent; infuſum hoc propinarunt cuidam fratri mendicanti ex conventu S. Hieronymi qui Patavij fratrum ignorantiæ dicitur; à primo breve delirium, cachinni, geſticulationes variæ; dein inſania vera, poſt ſtupor mentis qualis eſt ebriorum vigilantium. Cardinalis pro ebrio in carcere includit; deinde à medico qui rem ſubolfecerat innocens pronunciatur, qui aceti cyatho propinato à dementia quam Bella Donna cauſavit eam liberat. Hœchſtetterus Decad. 7. o erv. Obſervatio iem tranſmiſit eruditiſſimus & amiciſſimus vir D. Edv. Hulſe. *Rajus.*

SOLDANELLA.

Nomina. Soldanella marina *Ger.* maritima minor *C. B.* vulgaris ſive ſolubilis Marina *Park.* Braſſica marina ſive ſoldanella *I. B.*

J. B. Per terram ſuas ſpargit viticulas, à quibus folia prodeunt ſubrotunda, reculis alis prædita. Tenuiora quàm longiora, chelidonij minoris ſimilia, ralliu cula, liquore lacteo manan ia, pediculis longis innixa, flos magnus purpureus, qui ſpatii ſis fere, campanulatus, non abſimilis multum floribus herbæ quæ pro Nil Avicennæ exhibetur, aut ſmilacis lævis, indiviſus. ſemen in loculis rotundis non tantum nigrum, ſed & album, angulo ſum, albo ſe ni e quæ ſi. nos nondum vidimus, guſtu eſt ſalſo ſubamaro.

In littoribus maris arenoſis frequens oritur, tum in Anglia tum in cæteris regionibus.

Vires. Herba in totum ventriculo inimica, acris, vehementiſſime alvum ciet. Coquitur propter acrimoniam cum pingui carne. Valide aquas ducit, præcipuæ prærogativæ in aſcite; utilis etiam ſcorbuto utendi modus varius, ſiquidem folia ejus ex ale, aceto & ſaccharo acetarij modo ad quinque aut ſex buccellas comeſta, mirabiliter aquas per alvum educunt, eadem in jure carnium cocta adjecto dein ſacchar aut melle propinantur; poſſunt & ſicca in pulverem in pulverem redacta ad ʒij aut ʒiij ex jure pulli bibi.

Fallopius aſparagos hujus in hydrope commendat. Altomarius autem de aſcitis curatione agens, quidam ait ex rumoribus ſuccum marinæ braſſicæ cùm ſapa ſeu aqua lactis approbant, cujus uſum non valde admitto namque ventriculo mirificè adverſatur, & ipſe pluries experientiâ vidi noxam potius inferre quàm auxilium aliquod hydropicis præſtare, imo quoſdam citius periiſſe obſervavi.

Corrigitur ſtomachicis. Zingib. mac. cinnam. Sem. Aniſi &c. Doſis in ſubſtan. à ʒß ad ʒj. chrod. *Rajus.*

Soldanellam habemus in noſtris montibus quæ *Soldanella Alpina minor* dicitur, cujuſque icon tabulâ xxiv fig. 1. exhibetur, ejus autem flos, qui hic omiſſus eſt quia eô tempore quo pictor noſter eam ad vivum delineabat non amplius reperiebatur. eſt admodum elegans, coloris cærulei primo vere, ſtatim ſc lic. ac nives funduntur magna copiâ erumpens. Hujuſce plantæ vires hactenus non ſumus experti, quamvis eam quidam vulnerariam reputent.

SOLIDAGO, vid. *Symphitum.*

SOLIDAGO SARRACENICA, vid. *Virga Aurea.*

SOLUTIO.

Solutionem hic nolo illam, quam cum combinatione Finem Chymiæ internum in *Differt.* & 2. conſtituere dixi, i. e. dum concreta in minima rediguntur nulla habita vel fluiditatis vel firmitatis ſeu ſoliditatis ratione, ſed ex Chymicis operationib. quib. ad finem hunc duplicem tendimus, illam, quæ corpora ſolida in fluidam aut mollio em ſubſtantiam faceſſunt, dum eorum minima fluidis aptis ac determinatis combinantur: ac ab his in fluore pro lubitu art ficis, conſervantur. Communiter equidem Extractionem à Solutione diſtinguunt, quamvis præter hanc illa nihil involvat, hac tantum reſtrictione: quod ſolutio totum mixtum, aut maximam ejus ſubſtantiæ portionem pro ſubjecto agnoſcat, v. g. dum Sal ab aqua reſina ſcammonij à vitello ovorum, diſſolvitur; per Extractionem verò fluidum in certas ſaltem ejus particulas ſolidiores agat ſibiq; has adaptet, v. g. dum ex jalappa ſubſtantia reſinoſa evocatur, unde infinitorū Infuſionū, Eſſentiarū, Tincturarū ac Elixiriū ſpecies emergunt.

§. 2. Sicut autem corpus ſolidum illud rectè pronunciatur, quod contactui manuum noſtrarū reſiſtit, ac nonniſi

niſi difficulter,in partes minores dirimitur; & Fluidum, quod haud reſiſtit, ſed diviſionem ſui in minima facilè admittit:infero, Solida illa eſſe, quorum partes inſenſiles ita inter ſe cohærent,ut quietæ maneant, i.e. earum connexio à nulla materia mobili interrumpatur;contrà fluida, quorum minima haud adeò invicem contigua ſunt, quin per materiam quandam, ſemper in motu exiſtentem, eorumque ſpatiolis interjectam, continuo agitentur, prout ab *Incomparabili Angliæ Philoſopho in hiſt. Fluid & Firmitat*, non minus prolixè, quàm accuratè, declaratum fuit.

§. 3. Proximum E, & potiſſimum Solutionis inſtrumentum fluidum extraneum eſt,ſolida in partes inſenſiles non tantum diſcerpens, ſed perpetim ſimul agitans, & quidem triplicis generis, Ignis nempe, Aër & menſtruum:ita tamen ut ſolutiones quædam corporum, per fluores quoque his proprios & per aquoſitatem intrinſecam fiant, præprimis ſi digeſtio commoda aut fermentatio ſeu putrefactio accedat. Prioris exemplum repetere licebit ex *diſſertatione præcedente* de vitriolo, in Mariæ Balneo per ſe & ſine ulla humiditate acceſſoria, ſed à ſola illa, quam in cryſtalliſatione ſibi combinaverat, deliqueſcente: Poſterioris autem phænomenon erit ſolutio liliorum convallium, aſellorum, lumbricorum terreſtrium &c. per fermentationem aut putrefactionem adornata, qua mixta hæc maximam partem per ſe in liquamen, abeunt, relictis exuviis tantum & folliculis tenuiſſimis, illi innatantibus.

§. 4. Minima illa, in quæ concretum, dum fluiditatem induit, reſolvitur, modò ſimpliora ſunt modo magis compoſita & de totius natura participantia; ita tamen ut vix ullum corpus per operationem hanc in corpuſcula ſimpliciſſima & homogenea magis abeat, aut per extractionem talia ex illo provocentur: Quatenus miſcibilia hæc adeò arctè ſibi intertexta ſunt, ut unum ſine alterius conſortio, nec ſolutum, exiſtere queat, quocunque demum ſolvente, hactenus quidem triviali, utaris.

§. 5. Ita quæ igne funduntur à ſolidis non ſimplicitate, ſed ſolo fluore, differunt, cujuscunque generis fuerint: Quæ aër ſolvit, ſalina equidem tantum, hincque aliis mixtis minus compoſita, ſunt, haud tamen differt liquor ſalis ab hujus granis, niſi conſiſtentia; nec quicquid ſalini mediante ejuſmodi deliquatione ex compoſitis magis exudat, de elementaris homogeneitatis titulo gloriari poterit, quod idem per menſtrua ad fluiditatem ſolutorum factum eſt.

§. 6. Aquea enim menſtrua quamvis primariò quidem ſalinas mixtorum atomos abſorbeant ſeu fundant, vix tamen ſal aliquod adeò purum, ulla arte, à concreto ullo, ſeparari poteſt, aut à natura productum exiſtit, quin alias ſimul heterogeneitates, terreas ſc. aut ſulphureas, intermixtas foveat; imò concreto inexiſtens ſal cæterarum partium amplexibus arctioribus ita irretitur, ut ſine harum inoſculationibus vix educi queat. Dum volatile ſal vix ſine oleoſi connubio concipere licet, nec fixiora, multifaria quamvis arte depurata & ad ſenſum homogenea reddita, omnis planè terreſtreitatis aut alterius heterogeneitatis expertia ſunt,cùm alcaliſata quoq; per repetitas calcinationes & cum aquâ ſolutiones luſtrata, ſi per deliquium fluunt, multum terræ, ab aqua in poſterum haud diſſolubilis, deponant, ita quidem ut liquor eorum colorem ſaturatiorem ſeu Tincturam lixivioſam, quàm à terræ commiſcela habebat, planè exuat & aqueam limpiditatem nanciſcatur. Pariter decocta, ſeu infuſa, vegetabilium, cum aqua ſimplici adornata,non tantùm ſalinam & mucilaginoſam vegetabilis ſubſtantiam imbibunt, ſed cum hac aliquid terreſtreitatum quoque: unde ſi ad ſiccitatem uſque ſolvens evaporetur, remanens calcinatum præter alcali fixum terram quandam exhibet.

§. 7. Cum fluoribus, per menſtrua ſalina introductis eodem res recidit, imò evidens magis eſt, quatenus his ſoluta mineralia, quæ propter concretionem atque texturam firmiorem magiſq;compactam non,niſi in partes homogeneas, ſe frangi patiuntur, facili negocio ab igne proprias & priſtina recipiunt formas, i. e. eorum ſolutiones ſeu extractiones nihil aliud, quam metalli ſeu mineralis,integri in ramenta minutiſſima fracti,moleculæ menſtruo intertextæ,exiſtūt. Nec exquiſitiore ſelectu utuntur menſtrua ſulphurea,utpote;quæ rarò ſulphur ſincerū, ſed ſale ut plurimum adulteratum è concretis evocant, dum v. g. ſpiritus terebinthinæ ex floribus ſulphuris præter, ſubſtantiam bituminoſam ſeu deflagrabilem ſalinam quoque complectitur, ſine multo apparatu ab illa denuo ſeparabilem, uno verbo, totum ſulphur, ſale acido & vitriolico turgidum, diſſolvit.

§. 8. Quibus ſuppoſitis *VVilliſio* condonandum haud eſt, quando *de Fermentat. cap.* 9. ſcribit, Camphoram per Aquam fortem in Liquorem oleagineum deliqueſcere, quatenus hæc partes illius concreti ſalinas, à quibus concretio ejus dependebat, abſorberet, ſulphureis intactis, hinc ſuperficiei ſolutionis innatantibus. Autopſia ſiquidem triviali ſatis conſtat, oleum hoc ipſam totam ac homogeneam camphoræ ſubſtantiam eſſe: quatenus cum aliis acidis v. g. oleo Vitrioli, eadem camphoræ ſoluta per intima oleo huic ſucceſſive connubit, quod ex hypotheſi Williſiana vix ſperandum; aqua verò utrique ſolutioni infuſa camphoram integram reſuſcitat.

§. 9. Operationis E. hujus ſpecies, pro ſolventium varietate contemplaturus, obſervo, per ignem fundi ſeu liquari [qui enim inter fuſionem & liquationem diſtinguunt, haud plus gratiæ merentur, quàm terminorum vana multiplicatio ipſis decernit] omnia pinguia & reſinoſa: atque hoc quidem aut pro heterogeneitatibus, tam aqueis quam terreis, ſeparandis, aut, quo alijs corporibus commodius & per minima magis commiſceri queant. Idem experiuntur ſalia quævis fixiora cum vitriolis, omnium tamen difficillimè alcalia: quibus accedunt mineralia plura & metalla, excepto Hydrargyro, cuncta, quorum tamen pariter alia vehementiorem ignem poſtulant, v. g. ferrum, alia à mitiore emolliuntur, v. g. plumbum, antimonium &c. ita quidem ut interdum opus habeant, borrace, ſimilique materia fuſionem maturante. Sc. ignis minima, ratione ſuæ ſubſtantiæ, ſenſorijs noſtris non, niſi calore & luce, obvia, corpora illa ſubeunt, horum particulas exagitant, divellunt & in motum vindicant: ita tamen ut eædem hunc & cum hoc fluorum inductum protinus iterum deponant,ſi ignis æſtus & vibratio adæquata remittat.

§. 10. Quam Aër præſtat, ſolutio Deliquium communiter audit, alijs ad differentiam deſcenſionis calidæ, ſeu deſtillationis per deſcenſum,deſcenſio frigida appellatur, utpote per quam concreta ſolidiora ab aere frigido & humido fluorem recipiunt. Forſan non incommodè ſolutionis vaporoſæ nomen mereretur, quod non aër per ſe, ſed ratione vaporum aqueorum, hîc agat, hos in corpora potentius vibrando, qui in illis cumulati & gravitate naturali deſcendere annitentes particulas eorum, ab aqua aliàs diſſolubiles, ſecum abripiunt & cum ijs liquores ſeu olea per deliquia conſtituunt. Sc. objecta hujus deliquationis ſalia fere tantum ſunt, imprimis alcalia & quidem duplici de cauſa. Siquidem cum reliqua ſalia per cryſtalliſationem texturæ compactionis longè, ac hæc, exiſtant, humiditatem aëris ambientis non adeò facilè admittunt; ita quidem ut alcalia quoque, ſi in cryſtallos redacta, difficilius in deliquium abeant: fit ut alcaliſatorum utpote ordinariè non cryſtalliſatorum, hinc texturæ laxioris, poros aër mox ſubeat, & ratione particularum, aquearum, quas ſecum vehit,illa deliquet. Deinde ſicut terram & metalla ſalibus reliquis ac vitriolis conſiſtentiam dare, ex *Diſſertatione decima tertia*

repe-

to, & quidem ut pro diverſa horum ad ſalinam portionem habitudine eorum quædam facilius, quædam difficilius,aut nunquam,per deliquium fluant:pariter alcaliſata, terreis cementis deſtituta aut parcius inſtructa, ab aëris humidioris contractu citiùs reliquis deliqueſcunt, potiſſimum ſi per repetitas ſolutiones ac calcinationes à terra ſua maximam partem liberata fuerint,e contra cineres minimè, aut difficulter, ideo quod terreæ horum maſſulæ, ſalinas adhuc obvolentes, aëri aditum intercludant.

§.11. Nec tamen acida ac acido-ſalſa aëris vim menſtrualem omnimode eludunt, ſc. illa, quæ terreo illo munimento minus firmata ſunt:dum v.g. ſal gemmæ, marinum,nitrum &c.utut ſibi relicta non adeò facilè diffluant,aliquot tamen fuſionibus, calcinationibus & diſſolutionibus eò adigi valent, ut ab aeris humidioris contractu in liquorem faceſſant,unde etiam ſal illud,ſeu ▽ Salis,quam Paracelſus pro Primo Ente vegetabilium ſecernendo commendat.Pariter Terra foliata Tartari ac Nitri,niſi ab aere probè arceantur, vix à deliquio defendi poſſunt, ex ſalibus purioribus minuſq; terreis coagmentatæ. Idem fatum experitur ✱um per calcinationē cum calce viva præparatum, quod alcaliſatum equidē ratione ſaporis ignei videtur, haud tamen purum, alcali, ſed compoſitum magis illud mihi præter rationem experientia demonſtravit: Dum 1. aliquid adſtrictorii linguæ ſimul imprimit. 2. non ab acido, ſed ab alcali ejus ſolutio præcipitatur: 3. in ſtrias nitroſis ſimiles hæc concreſcit; Ita ut quod per deliquium fluat, albuminis ovorum indurati præprimis interventu, à ſumma præprimis ſua puritate videatur petere.

§.12. Facili quoq;negotio in liquorem abit ſaccharū, ſalis naturam æmulans: item corpora minus ſalina i. e. ab ▽ haud diſſolubilia, modo cum ſalibus calcinentur, deliquio ſe ſubmittunt, v g.Margaritæ ac Corallia cum nitro calcinata aut cum Aceto ſoluta, Lapis Lyncis,Iudaicus, Cryſtalli, Cancrorum &c. aut poſt calcinationem in igne, aut ſine hac cum menſtruis acidis corroſa,Talcum cum Nitro toſtum, Calcus humanus cum Carbonibus uſtus.○-○ cum Nitro ac Tartaro calcinatum. Plumbum cum Aceto in ſaccharum formatum, lapis hæmatites cum ſale ammoniaco ſublimatus & ☿ ſublimatus, ita tamen ut hæc ſimiliaque, quæ non purè ſalina, multum terræ haud ſolubilis, poſtquam eorum quædam pars in fluorem abiit, poſt ſe relinquant. Sc. cuncta hæc corpora, per ſe minus deliquabilia, dum ſalibus hoc vel illo, modo combinantur, mineralium & metallorum particulas ſibi hæc adeo arctè adaptāt,ut ab atmoſphæræ undoſitate diſſoluta illas,ſibi intertextas, non facilè dimittant, pari modo ac eadem ſalia una cum corporibus,quibus intimiùs cohæreſcūt, per affuſam aquam diſſolvuntur: unde, an hi liquores mineralium ſimiliumve concretorum, an ſalium adjectorum, dici mereantur, Lectoris judicio relinquo.

§.13 Denique deliquationis aëreæ effectus quoq;obſervatur oleum myrrhæ,quatenus per illam tota hujus ſubſtantia Gummi reſinoſa, (niſi forſan aliis adulterata fuerit) in liquorem homogeneum abit: quod quidem eo minus mirari ſubit, dum in ore eadem brevi deliqueſcit, i. e. ut ut concretum hoc Gummireſinis non ineptè annumeretur,pariter ac Camphora, benzoe, ſtyrax &c. tantillum tamen eſt reſinoſæ ſubſtantiæ quodque à gummoſa valdè diſcontinuatum probeque ſubactum, cum hac aqueæ humiditatis,ritè applicatæ fluori cedit, ſimili modo ac maſtix gummi magis reſinoſum & inflammabile ab aqueis liquoribus, ſine ullo labore ſolvitur,ut taceam illius præeminentiæ,quam humiditas aërea præ aqua communi in corpora nonnulla habet, utpote de qua alias actum.

§.14. Apparatus deliquii varius deprehenditur,quatenus materia ſolvenda interdum ſuper marmore aut tabula vitrea explicatur, quo ſc. aëris vibrationes non tantū directè in illā incidant, ſed ab illorum ſubſtantia minus poroſa reflexæ etiam in eandem potentius agant: imò nec abſonum erit aſſerere, intra inſtrumenta hæc concentratum quaſi frigus vapores rei ſolvendæ impactos condenſare & in liquorem cogere. Interdum ſacculo lineo pyramidali, Manica Hippocratis dicto, eadem immittitur ſicq;ſuper vas latius, quod liquorem deſtillantem accipiat, ſuſpenditur: ita enim ſatis facile quoq; deliqueſcit,aëris appulſus undiq; excipiens Nonnunquā veſicæ bubulæ eadem materia includitur; hæcque aut in cryptam ſubterraneam pariter collocatur,aut aquæ immergitur,aut balneo vaporoſo admovetur uſq; dum illa intra mēbranCū hoc receptaculū ab humiditate ambiēte ſufficienter fluat,quatenus hæc in particulas ſummæ exilitatis attenuata poros veſicæ penetrat,intra hujus verò cavitatem cum ſubſtantia ſalina denuo condenſata eoſdē meatus adregreſſum minus proportionatos offendit.

§.15. Nec infrequens eſt,mixta delinquenda cum albumine ovorum ad duritiem cocto locis ejuſmodi ſubterraneis committere, adeoque horum æque ac loci humiditate eorum, v.g. ſacchari, myrrhæ &c. ſolutionem moliri; imò albuminis contactu aëris potentiam notabiliter juvari, ipſa experientia loquitur, dummodo dicta myrrha per ſe in cella non adeo fluxilis, huic encheirîſi nihilominus auſcultat. Nempe fluidum albuminis elixatione inſpiſſatum ab aere ambiente humidiore adeò ſenſibiliter attenuatur, ut exterior ejus ſuperficies brevi deliqueſcat & in mucum quaſi quendam convertatur, interior verò, & quæ corpus deliquandum immediatè magis tangit, quaſi flacceſſit & rugas contrahit, conſumpto nempe ac abſorpto liquamine, in quod ſubſtantia albuminis ſenſim deliqueſcit.

§.16. Semper tamen & quacunq;ratione negotium adornetur,tam pro ſolvendorum diverſa textura,quam diverſa atmoſphæræ habitudine, tardius,aut citius,ſuccedit deliquium: i.e. quæ ad ſalis alcali aut alterius purioris naturam propius accedunt promptius deliqueſcunt, aerq;humidior,qui frigidus inſimul brevius agit,quam temperatior:forſan quatenus ille vapores,ſemel adaptatos & concentratos, non adeò facile denuò rarefacit, ſed magis condenſat; calidior autem, niſi exceſſive humidus fuerit, v.g. in Balneo vaporoſo, tantillum humiditatis, ſali impactæ iterum abſtergit.

§.17. Quæ menſtruis demum peragitur, Solutio Infuſionis ſeu immerſionis nomine veniet,ita tamen,ut infuſum tanquam hujus productum,non illa tantum Galenica medicaminum forma dicatur, qua in liquore aqueo, vino, ſero lactis ſimilique minus ſpirituoſo res infundunt & poſtquam digeſtionem aut ebullitionem quandam (unde etiam Decocta audiunt) ſuſtinuerunt, liquorem deſpumatum, decantatum ac colatum, vel pro portione, vel alium in finem, exhibent: ſed præter ſalium cum aqua factas ſolutiones illa potiſſimum Chymicorum producta hujus loci erunt, quæ Tincturarum, Eſſentiarum,Extractorum aut elixirium nomine notantur, & activis magis menſtruis ſalinis æquæ ac ſulphureis,ut ut interdum ſatis dilutis, adornantur, vel aquea humiditate maximam partem abſtracta demum pro conſummatis habentur,v g. gelatinæ.

§.18. Salium & ⊕-lorum ſolutiones,eorum depurationis & Cryſtalliſationis gratia,tamen fiunt,& quidem abſque ſingulari encheiriſi, niſi ut ſolventis obſervetur quantitas proportionata: i.e ad minimum ſalis pondus duplo ſuperet illud, interdum tamen, ſi per ſubſidentiam terræ heterogeneitates ſeparandæ fuerint,largiore paulo manu aqua affundatur; ne verò nimia ejus moles evaporationem moretur ac protrahat,conveniet parcius eam adhibere, dum quicquid ſalis minùs ſoluti reſtat, à liquore denuò ſuper affuſo ſolvi queat Hujus loci eſt Tinctura ſeu Liquor Terræ ſeu mineræ Martis Haſſiacæ, ſolaris vulgo dictæ, quæ poſtquam per aliquot annos ad ⊕-li ſufficientem productionem aeri expoſita fuit,cum ▽ roris majalis aliaq;deſtillata calidè infunditur,ejus ſolutum filtratur,filtratum novæ iterum mineræ affunditur, donec hujus nihil amplius ſolvere queat.

§.19. Multo minus pro reliquis infuſionibus ſeu extractio

tractionibus menſtrui quantitas adeo accuratè determinari valet, & quæ vulgo per ſupereminentiam hujus duorum vel trium digitorum ſuper materiam infuſam circumſcribitur, vel ideò minus accurata videtur, quod diverſa vaſis capacitas etiam hanc neceſſariò variet. Ut plurimum tamen quadruplum ejus concreto diſſolvendo ſufficit, niſi forſan digeſtio & coctio longior ac vehementior, partem liquoris abſumens, ſextuplum aut octuplum poſtulet. Evocare per deſtillationem aut evaporationem portionem menſtrui exuperantem, adeoque ſolutionem aliquantum inſpiſſare, interdum convenit: quod ſi tamen cum menſtruo volatili ſolutio facta, hancq; ſub conſiſtentia liquida aſſervandi mens fuerit, talis ſeparatio haud ſemper congrua eſt; quatenus, ſublatis ſolventis partibus volatilioribus, minima concreti ſoluti, quæ menſtruum, hac ratione aquoſius redditum, detinere amplius non poterat, recedunt, & ſub reſinæ, aut cujuſvis præcipitati, forma fundum petunt.

§. 20. Quod ſi verò ad ſpiſſitudinem extracti craſſioris menſtruum abſtrahere placeat, cavendum maximè erit, ne enim aduſtione particularum extracti hoc fiat, ideoq; evaporatio ſeu deſtillatio hæc in Mariæ potiùs Balneo inſtituatur, ubi empyreuma non adeo facile contrahitur: vel poſtquam ſuper ignem nudum aut arenæ maxima liquoris portio fuerit ſublata, leniore & humido calore interveniente, ac frequentiore agitatione inſpiſſatio abſolvatur. Imo nec ad conſiſtentię illius, quàm intendimus, gradum ultimum ſemper extractum ſuper ignem redigi, neceſſe eſt, quatenus quod fluidioris mellis ſpiſſitudinem, dum adhuc calet, tantum præ ſe fert, refrigeratum ſoliditatem potiorem mox contrahit. Nec omnium rerum extracta facilè ad formam ſpiſſiorem redigi debent, aromatum ſc. vel aliàs fugacium admodum corporum v. g. antiſcorbuticorum: eò quod cum menſtruo, qualecunque demum hoc fuerit, volatiliores ac nobiliores horum partes exhalent, remanente magmate craſſiore ac effœto. Præprimis autem 🜈i, quo extracta hæc frequentius parantur, maximam olei eſſentialis partem (à qua nihilominus omnis illorum vis emergit) ſecum in ſublime rapit: cujus etiam reſtituendæ gratia extractis aliquot olei proprii guttulas *Zvveiferus*. addere jubet.

§. 21. In genere ſolutio hoc modo peragitur, ſc. materia diſſolvenda aut extrahenda quàm maximè incidendo, radendo aut contundendo comminuta menſtruo ſuo infunditur, clauſoque exactius, vaſe præprimis ſi hoc, aut illa, volatiliora exiſtant, per aliquot horas vel dies in digeſtionem ponitur, donec concretum diſſolutum aut liquor ſolvens ſatis tinctus compareat. Qui per inclinationem decantatur, &, ſi reſiduum non planè diſſolutum videatur, aut ex hujus colore, odore atque ſapore particulas activas & ſolubiles adhuc ſubeſſe, innoteſcat, cum nova menſtrui portione digeſtio reperitur, uſque dum hoc non ulterius tingatur, aut concretum plenariè diſſolutum fuerit. Quo facto depletiones junctæ, ſi opus fuerit, colantur, &, ſi congruū videatur, ad deſideratam conſiſtentiam, ſub circumſtantiis monitis, aliquid menſtrui inde avocatur.

§. 22. Peculiaris ſolutionis per menſtrua modus videtur per deſtillationem contingit, dum v g. in butyro antimonii à ſalibus ☿rii ſublimati corroſivis ſubſtantia antimonii ſolvitur & fluiditati exponitur, 🜍is communis aliqua portio per additamentum Salis armoniaci & Calcis vivæ ex Retorta ſub Tincturæ aureæ forma propellitur, ac ex ⊖-lo ♀ris cum eodem Sale armoniaco, poſt levem præparationem, Tinctura, cœrulea deſtillatione prolicitur; quam Vaporoſam pariter ſolutionem appellare fas eſt: quatenus ſubſtantia ſalina, vi ignis rarefacta & in vapores reſoluta compagem ſulphuris Antimonii ac cupri ſolidiorem invadit, hancque cum impetu penetrans quædam ejus minima deradit ſecumque in vas recipiens defert, & cum his arctius unita ſolutiones ejuſmodi format, pari circiter ratione, ac 🜈i, ♀i ſimileſq; volatiles, dum ab aromaticis ſpeciebus cohobantur, horum particulas magis oleoſas imbibunt, hiſq; imprægnatæ XXcum conſcendunt.

§. 23. An & quomodo Tincturæ, Eſſentiæ, Extracta & Elixiria differant, determinare vix licet, cum v g. eodem jure illud infuſum, quod cum 🜈i tartariſato ex myrrha paratur, eſſentiam atq; tincturam appellare nihil prohibeat, & non videam, quominus Tinctura v. g. roſarum, Martis &c. eſſentia horum dici queat. Obſervamus equidem, Tincturas utplurimum vocari, quæ concreti colorem ſpecificum præ ſe ferunt: aſt meritò dubitatur, (1.) an omnium Tincturarum colores, quibus pollent, concreto, unde denominantur, inextiterint, aut revera per menſtrua iis educti fuerint, v. g. Tincturæ Tartari, Coralliorum &c. (2) an non in eſſentiis æq; ac Tincturis particulæ concretorum deraſæ lateant, quæ, quamvis haud ſemper colorem naturalem, ut in eſſentia menthæ, rutæ &c. retineant, ſimiles tamen his ſint, à menſtruo ratione coloris externi leviter ſaltem immutatæ? Ac quid (3) judicare conveniet de Tinctura illa Martis quam ex liquore terræ ⊖-licæ, cujus ſuperius mentio facta fuit, per affuſionem aliquot guttularum Liquoris terræ foliatæ Tartari, in momento ac ex tempore producere licet? ſc. an, antequam ultimus hic liquor inſtillabatur, ille Eſſentiæ, an Tincturæ, encomium mereatur? Pariter quoad Elixiria eaſdemque Tincturas & Eſſentias nulla comparet genuina ac firma differentiæ ratio: quatenus Elixir proprietatis ſine acido paratum ſine omni ſcandalo *Timæus* Eſſentiam aloëticam, alii Tincturam Tartari compoſitam, ajunt, Tinctura & Eſſentia florum hyperici idem Pharmacopœis denotant, & quod hi Eſſentiam, Mynſicht Tincturam, baccarum juniperi & Caſſiæ ligneæ appellat. Infuſum Martis cum Succo pomorum ſunt, qui Extractum, ſunt qui eſſentiam vocant, nec illi à quopiam erroris accuſantur, qui Tincturam hujus metalli volunt. Sunt E. Tincturæ, Extracta, Elixiria & Eſſentiæ revera unum idemque ac diverſam tantum denominationem ab inventorum phantaſia receperunt: ita tamen ut, ſi ad craſſitiem mellagineam avocetur menſtruum, Extracta Pharmacopœis κατ᾽ ἐξοχὴν audiant.

§. 24. Ex animalibus eorumq; partibus pauciores obſervantur Eſſentiæ ſeu Tincturæ, v. g. Caſtorei, mumiæ, cranii humani, ſplenis bovis, viperarum, oculorum cancrorum lumbricorum terreſtrium Extractum fellis tauri & Splenis bovis &c. plura ejuſmodi ſolutionum concedunt vegetabilia ac mineralia.

§. 25. Vegetabilium ſc. Tincturæ ſeu extracta conficiuntur primo ex floribus, v. g roſarum, violarum, tunicæ, bellidis, borraginis, hyperici &c. ita quidem ut eorum potiſſimi. i e enarrati, ſi hypericum excipias, cuncti, cum phlegmate ⊖-li, aqua communi aut quadam deſtillata, ſemper tamen cum 🜊u 🜍is ⊖-li &c. acidulata, infundantur, ad Tincturæ uſq; ſaturatioris extractionem Quarum ſimiliumq; Tinct. occaſione annotare conveniet phœnomenorum 🜍ris gas & 🜊us egregiam diſparitatem: quatenus Gas ſeu fumus ſulphuris ex recenſitis ſimilibuſque floribus colorem purpureum non tantùm evocat, & in momento quaſi hos dealbat, ſed decoctum quoque eorum omnis rubedinis expers reddit, 🜄 verò 🜊u 🜍ris acidulata & cum roſis decocta tincturam egregiam promit; quod pariter contingit, ſi hujus ſtagmatis una vel altera guttula decocto priori inſtilletur, aut decoctum ſulphure fumigatum aeri libero aliquandiu exponatur.

§. 26. Deinde Eſſentiæ parantur ex foliis ſeu herbis infinitis, it. ex radicibus, lignis corticibus, baccis, fructibus, gummatis ac reſinis &c. & quidem vel cum 🜄a aut 🜊u proprio, v. g. elixir juniperinum, vel frequentiſſime cum 🜈i aliove, quem appropriatum cenſemus: ita tamen ut menſtrua hæc quoque facilioris extractionis gratia interdum acidulentur, aut cum ſale quodam lixivoſo acuentur.

§. 27. Ne-

§. 27. Notetur interim, Tincturas florum, quæ cum menſtruis ſalinis aut particulis ſalinis imbutis eliciuntur, non ſemper genuinas eſſe, ſed ab his diverſimode immutari: dum v. g. color florum borraginis, violarum &c. cæruleus equidem obſervatur prodit nihilominus ex his cum menſtruo acido Tinctura rubicunda, imò ad leviſſimum ſtatim ejus contactum cœruleitatem ſuam cum rubedine mox immutant, quos, ſi cum alcalico infudiſſes, viridem vidiſſes Tincturam. Præterea nec Tincturæ ejuſmodi in medicina inſignis adeo efficaciæ videntur, &, quod agunt, ratione menſtrui forſan potius agunt: Exiliſſimum quippe ſubſtantiæ eſt, quod de concretis his in Tincturam faceſſit, & ponderis imminutio in floribus, quamvis omnis color eductus fuerit vix deprehendi poteſt: ita ut in guttulis v. g. triginta, quibus tales Tincturæ ordinariè propinari ſolent, ne equidem dimidium granuli ſubſtantiæ roſarum adſtrictioriæ, refrigeratoriæ &c lateat; unde menſtruo evaporato parum extracti ſpiſſioris poſt ſe relinquunt, idque omnis priſtinæ rubedinis expers.

§. 28. Pariter & non ſine ratione de Tinctura Tartari, aut hujus ſalis color intrinſecus & ſpecificus exiſtat, potiſſimum ſi, ut fieri decet, ex ſale tartari ad cœruleitatem calcinato cum ſpiritu vini hæc paretur; cùm per repetitas ac diuturnas calcinationes, ſi qua inextitiſſet, tollatur. Vi E. potiùs pinguedo videtur quæ à particulis ſalis tartari alcalicis exaltata colorem ejuſmodi induit quatenus v g. Nitrum cum carbonibus fixatum quævis alcaliſata, ſi cum ſpiritu vini digerantur eandem Tincturam huic imprimunt, quam tamen horum concretis intrinſecam nemo concipere poterat.

§. 29. Quod autem eſſentiæ vegetabilium ut plurimum per Vi ſimileſque inflammabiles conficiantur, ratio duplex videtur, nempe vel quod eorum vis medicamentoſa, quam extrahere annitimur, maximam partem in oleoſo eſſentiali concentrata ſit, quod, menſtruis non, niſi ſulphureis, cedit; vel quod cum menſtruis aqueis productæ diu aſſervari nequeant, ſed mox mucidæ evadant & corrumpantur. Interdum tamen activitas Vi intenditur aut ad certa ſubjecta magis determinatur, illum vel aliquoties ſuper ſal Tartari rectificando, cum eodem ſale eum digerendo, aut ſale per deliquium ſoluto ſpecies prius macerando, vel in ipſa digeſtione ſiccum adjiciendo: quatenus v. g, Tinctura ſeu Eſſentia opii myrrhæ, caſtorei &c. Tartari potiùs Tinctura, quàm Vi ſimplici, etſi ſummè rectificato, evocatur: ut taceam; eorum quædam prævia demum cum aliis menſtruis maceratione v. g. gummi ammoniacum cum Alcaheſt Glauberi, ad dimittendam Tincturam diſponi, quod de animalibus quibuſdam pariter obſervandum, dum v g. ſerpentes per Spirituum viridis æris prius diſſolvere convenit, antequam ſpiritui vini pateſcant. Imò ſi diverſæ texturæ ſpecies extractum ejuſmodi ſubeant, non ſimplex, ſed duplicis generis, menſtruum adhibetur, v.g. in Elixir proprietatis vulgari præter Vi Spiritus ſulphuris aut alius quidam acidus, ita ut Vi aloën & crocum, liquor acidus myrrham diſſolvat.

§. 30. Imò ex dictis ſatis ſufficienterque conſtat, multas vegetabilium & animalium eſſentias & tincturas non niſi illorum ſolutiones eſſe, v. g. myrrhæ gummi ammoniaci, aloës, caſtorei & opii, quatenus horum tota ſubſtantia, recrementis & fibroſitatibus tantùm quibuſdam intactis, in menſtruis allegatis diffluit: pari modo, ac ſuperius dictum fuit oleum illud camphoræ commune non hujus pinguedinem concentratam, ſed totam camphoræ ſubſtantiam, ſub fluoris ſtatu, eſſe.

§. 31. Magis expetuntur à Curioſioribus Tincturæ mineralium, quamvis pauciſſimas earum hactenus viſas veras exiſtere, examen accuratius doceat; aut certè de earum ingenuitate diverſæ circumſtantiæ dubitare jubeant ſiquidem primò quoad gemmarum Tincturas, illas equidem pro entibus merè rationis & meris ſolutionibus habere, haud convenit, quatenus has ab earum ſubſtantia ſeparabiles eſſe, inde colligitur dum harum plures, ſi igne vehementiore torqueantur, colorem ſibi congenitum partim alterant, partim planè perdunt. Cui accedit, quod *Experientiſſimus Boyle de Gem.* duobus menſtruis, uno blandiore, altero corroſivo magis, ex granatis haud calcinatis imò integris, Tincturam ſe extraxiſſe, perhibeat, per diverſas circumſtantias pro vera habendam. Verum ſicut Colores ſuos intrinſecos gemmas à metallis horumque fumis recipere, omnes in confeſſo eſt, nova denuò emergit ambiguitas, an Tincturarum harum efficacia præ metallorum, quibus ſuam ſcaturiginem debent, ſolutionibus aliquid peculiare habeant; ſeu nonne Tincturæ gemmarum cum ſolutionibus metallicis determinatis ejuſdem generis ſint prout iiſdem Boylii obſervatio docet, Tincturam granatorum cum Aqua regis confectam, & gallarum infuſo inſtillatam hoc nigrum reddidiſſe, ac de præſentia particularum Martialium teſtimonium exhibuiſſe.

§. 32. Tincturam corallorum veram *Zwingerus* ſemel tantùm, *Crollius* nunquam, ſe vidiſſe, perhibent, imò de ejuſdem exiſtentia *A. Sala ſ. 1. aphor. 42.* planè dubitat, alii contra, v.g. *Ganſ. hiſt. corall. Agricol. de corall.* it. in *Ghirurg parva*, *Laurenberg. in Aphor. A. Sala & Arnold. Schroder*, *in defenſ. Laurenb.* eam adſtruunt: quibus ex recentioribus accedunt *Borrich. Apol. contra Conring. p. 329. Langelott in Epiſt. ad Curioſ. ac Vigan. Medull.* corallia in liquamen rubicundum diſſolventes: quia nihilominus de horum operandi modis dubium manet, an per illos tinctura tantum eliciatur: an potiùs quædam horum partes integrantes & minima de totiùs natura participantia ſolvantur, negotium hoc in ſuſpenſo relinquere quàm intempeſtivè decidere, prudentiùs videtur.

§. 33. Eadem fide deſtituuntur Tincturæ metallorum & mineralium, quales venditantur ex Auro, Argento &c. Siquidem quoad Tincturam auri, ut ut metalli hujus plexus & textura externa variis modis, v. g. per menſtrua, item trium, ita diſturbari poſſit, ut in ſenſibiles particulas redigatur, quia nihilominus, ejus compages adeo firma eſt, & 🜍r auri juxta *A. Salam. de ſept. Planet. terr.* reliquis ejus partibus ita alligatum & inſeparabiliter unitum, ut ſine illius reliqua ſubſtantia à menſtruo nullo imbibi valeat, hinc quicquid auro deraditur integri hujus mixti formam retinet: ſolutionis potiùs, quam Tincturæ, nomen merentur nobis hactenus obtruſa hoc titulo medicamina; quod de ſua quoque auri trituratione ac deſtillatione innuere videtur *Langelot*, dum hujus reſiduum pondere equidem imminutum, in corpus tamen auri verum beneficio borracis deliquari poſſe, fatetur. Cui accedit, quod non raro ejuſmodi Tincturæ, auri corpore intacto, à menſtruis ſolis cum particulis cementorum ſimiliumque additamentorum exaltatis emergant, ut variis experimentis evinci poſſet: potiſſimum, cum cujus generis ille color auri intrinſecus ſit, nondum demonſtratum fuerit, dum v g. *Nobiliſſimus Borrichius* viridem ſe extraxiſſe perhibet, qualem Tincturam me olim quoque apud *Polmannum* vidiſſe, recordor. Nec ſufficit, quo communiter ſuas auri tincturas defendunt, reſiduum nihilominus ab extractione album minuſque malleabile conſpici, E. 🜍re hoc, à quo tincturam & viſciditatem petit eſſe, orbatum: Satisfecit ſiquidem huic *Sala* jamdum *loco modò allegato*, quando per fuſionem cum antimonio ſimilique concreto priſtinum nitorem ac tenacitatem ipſi facilè reſtitui, ſcribit, cum ſalibus, quæ metallorum illam texturam externam turbant, ſicque colorem, malleabilitatem ac ſimiles ejus individuos comites alterant, per ignem expulſis priorem formam hæc recuperent.

§. 34. Tinctura lunæ pariter nihil incertius, cum ſibi

relicta luna, i.e. à cupro non adulterata ac poſt habitis menſtruis ſuſpectis, nihil coloris poſſideat, ſed in ſolutionem limpidam & aqueam plane abeat. Reliquorum verò metallorum Tincturæ præter meras ſolutiones, quarum colores pro diverſitate menſtrui variant, nihil aliud videntur. De tincturis Antimonii idem manet dubium ſc. an non potiùs ſolutiones totius ſubſtantiæ, aut à menſtruis per digeſtionem immutatis, aut à ſulphure tantum ejus externo & ſuperficialiter adhæreſcente ſint? Succini denique & ſulphuris Tincturas meras ſolutiones eſſe, autopſia & mechanica docet.

§.35. Reſtarint ex infuſorum claſſe Gelatinæ, quæ nihil aliud quam extracta ſpiſſiora, è fructibus ſucculentis, v.g. Pomis, cydoneis, ribibus, ac cornubus atque oſſibus animalium parata, ſunt, nomen autem Gelatinæ ſuſceperunt, quod inſtar glaciei pellucidæ, poſt aliqualem liquoris aquei evaporationem, ſponte congelaſcant: quia tamen ratio eas conficiendi nec mulierculas latet, ejus prolixiore explicatione in præſentiarum ſuperſedere, ac *Inſpiſſationis* naturam evolvere, conveniet.

§.36. Solutioni hæc quia contraria, contingit, ſi una vel plures fluidi conditiones tollantur, i. e. vel diſcontinuata combinentur, vel eorum figura immutetur, vel mobile, ſpatiolis eorum interjectum, exturbetur; quod detrahendo ac addendo artifex præſtare ſolet. Subtrahendo fluidum ſoliditatem concretis induci, evincunt decocta ſolutiones ſalium &c à quibus ſi aquea humiditas evaporetur ſub mellis aut ſpiſſiore conſiſtentia, aut ſalis rigidi forma remanentia conſpicitur; quòd pariter ſolutiones ſeu extractiones reſinoſorum teſtantur, à quibus provocatus Vi, maſſam reſinoſam & piceam in fundo relinquit: utpote qua ratione fluidum illud agitans demitur hoc verò ſublato priſtina particulis divulſis contiguitas reſtituitur Quo etiam ſpectat inſpiſſatio per præcipitationem contingens ac fluidum, hactenus ſolvens, exturbans: v.g dum camphora per aquam fortem ad fluiditatem reſinoſam redacta ac reſinæ quævis à Vi ſolutæ, aquæ ſimplicis affuſione priſtinam ſoliditatem reperunt, ſolvente ſc. illo nimis diluto, hinc ad ſolutionem diuturniorem inepto.

§.37. Quæ verò fluidis accreſcendo ſoliditatem inducunt, cunctas illorum conditiones non raro ſimul deſtruunt: ut in Coagulo ſpiritus urinæ & Vi, ☿rio ſublimato, Cinabari &c. obſervamus. In priore ſiquidem coagulo oleoſa Vi ſubſtantia dum cum ſalina ſpiritus urinæ coit, particularum utriuſque figuræ immutantur, pororum intercapedo minor, hinc contiguitas inter illas arctior redditur ſimulq; fluidi ætherei major portio excluditur, Simili modo ☿rii hactenus currentis globuli vaporibus ſalinis ac ſulphureis implicantur, & mediantibus his conferruminantur, ſicque ille in compactum ſublimati aut Cinabaris maſſam abit. *Bohmius.*

Sᴏᴍɴɪꜰᴇʀᴀ. vid. *Hypnotica.*

SONCHUS.

Sonchus, Σόγχος, aliis corruptum videtur à σομφὸς rarus, quia Scil. rarum & cavum caulem habet, aliis ἀπὸ τῦ σῶον χέειν dictum, quia ſalubrem ſuccum de ſe fundit ad æſtuoſas ſtomachi lancinationes & bilioſas hepatis obſtructiones utiliſſimum.

Sonchus à lactuca (quacum in multis convenit) diſtinguitur Capitulis grandioribus; caulibuſque tenerioribus & fiſtuloſioribus quibus etiam ab Hieracio differt, à quo & ſemine compreſſo diſtinguitur.

Sonchus duplex eſt lævis & aſper, utriuſque plures ſunt varietates, quas ego ſpecie differre non libenter conceſſerim.

Vires. Sonchus viridis & tener (inquit Galenus) eſtur ut olus præſertim ejus radices. Matth. apud noſtrates in uſu non eſt, ſed pro cuniculorum tantum & leporum eſca uſurpatur, unde & lactuca leporina dicta eſt. Succus ſtomachi roſiones ſorbitione mitigat. Caulis decoctus facit lactis abundantiam nutricibus, coloremque meliorem infantium. Plin. ex vino potus ſuſpirioſos & aſtmaticos juvat, & ſtranguriam ſanat. Succus auribus inſtillatus eorum dolores mulcere dicitur: quæ præterea habent veteres, apud I. Bauhinum vide: non iiſdem lactuca viribus pollere exiſtimamus: juniorem ſcilicet & tenerum refrigerare adultum & cauleſcentem potius excalfacere, ut ſapor amarus arguit. *Rajus.*

SOPHIA.

Nomina. Sophia Chirurgorum *Ger. Park.* Naſturtium Sylveſtre tenuiſſime diviſum *C. B.* Seriphium Germanicum ſive Sophia quibuſdam *I.B.*

I. B. Alta eſt cubitum aut ſeſquicubutum, compluribus ramis fruticans, duris lignoſis, in multas alas diviſis, teretibus, ſubhirſutis; folia tenuiter inciſa Abſinthii pontici officinis dicti, ſapore oleraceo, levi acrimonia prædita: floſculi crebri, parvi, luteoli: quibus ſuccedunt ſiliquæ unciam circiter longæ, fili inſtar tenues, ſeminum loculos foris oſtentantes: ipſum vero ſemen minutum, ruffum, Radix alba.

In veteribus maceriis, locis ruderatis, lapidioſis, ac non raro arenoſis, ac aliis incultis exit, ubi ſemel nata ſingulis facilè recurrit annis, ut rectè I Bauhinus. à Junio in Autumnum uſq; & quidem particulatim floret.

Vires. Præſtans habetur remedium ad Diarrhæas ℥j. ſemin. Sophiæ Chirurgorum. Nec ſemen tantum, verum etiam herba ventris fluores ſiſtit, adverſus dyſenterias commendatur, & ſanguinis profluvia reprimit, ad vulnera & ulcera ſordida ac maligna valere dicitur (in emplaſtris.)

In agro Eboracenſi ſemen hujus plantæ exhibetur in affectibus Nephriticis & calculoſis, nec ſine ſucceſſu D. Trancredus Robinſon *Rajus.*

SORBUS.

Sorbus, Latinis à *Sorbendo* nonnullis dicta putatur; quòd caro matura ſorbetur: & ſane fracidorum illa pulpa vix commodiùs quàm ſorbendo aſſumitur, nè ſimul cum & ſi quid intus ſeminum aut calculoſi deglutias I.B. Græcis ὄα & οὔα dicitur. Meritò à I. Bauhino proximè poſt pyrum collocatur ob fructuum ſimilitudinem in facie externa.

Sorbus fructu acerbo cum meſpilo convenit; foliis pinnatis, fraxineorum æmulis, & floribus eoſque ſequentibus fructibus.

Umbellatim congeſtis ab eadem rectè diſtinguitur, à *C. B.* quem nos ſequuti duas tantum ſorbi ſpecies facimus, nimirum ſativam, & aucupariam ſeu fraxinum bubulam dictam.

Vires. Sorba præſertim immatura aſtringunt validè, & fluxus quoſcunque alvi, uteri, &c ſiſtunt ad hos uſus ante maturitatem collecta vel in clibano vel in aere ad Solem ſuſpenſa ſiccant, & in pulverem redigunt, vel aqua calida molliunt, vel vino decoquunt. Nonnulli melle condiunt. Condita aliorum fructuum modo h.e. cortice & oſſibus mundata & in aqua cum ſufficienti quantitate ſacchari decocta confortant ſtomachum appetitum excitant, & frequenter compeſcunt fluxum & vomitum.

Sorba matura ſeu fracida minus aſtringunt, & alimenti loco edi poſſunt iis quibus alvus laxior.

Amatus adeo parum aſtringere ait, ut meritò non conſtringere (aut conſtipare ſint dicenda minus conſtringere quam meſpila concedimus, non tamen prorſus non conſtringere.

Extrinſecus vulnera conſtringit pulvis exſiccatorum.

Ligni materies ſolidiſſima eſt ac compacta, ideoq; ad menſas parandas lignariis fabris expetitur, quemadmodum & virgæ à bubulcis ad ſtimulos parandos. Matth.

Vires Sorbi Sylveſtris.

D. Needhamus Medicus inſignis & vetus amicus noſter Baccas ſuccum acidum hydragogum egregium præbere ait, itemque ſcorbuto ſanando aptum, VVallis in frequenti uſu, ubi vice diætæ purgantis quotannis exhibetur.

Liquor ille qui verno tempore è vulnere inflicto extillat aſſiduè potus ad ſcorbuticos & ſpleneticos affectus à nonnullis commendatur, verum ex conjectura potiùs opinor quàm experientia.

Nobis enim arbor vulnerata lachrymam nunquam fudit, fortè non adeo hactenus felices fuimus ut eam hora opportuna feriremus *Rajus.*

SOTIRELLA PARVA, vid. *Electuarium.*

SPARADRAPUM.

Tela utrinque emplaſtica in multis proſtat officinis, quam recentiores modò *Sparadrappum* modò *Telam Galterii*, primi forſan illius inventoris, vel potiùs infectoris, nominant. In emplaſtrum enim idoneum, jam paratum, ſed liquefactum, tela vetuſtate quodam modo attrita demergitur, & inculcatur ſæpè, dum planè infecta & inquinata fuerit, ac undequaque velut incruſtata. Tum extrahitur, & exponitur aëri, ut refrigerata obdureſcat, ac poſtea ad rerum exigentiam ſervetur.

Ejus autem varietates inveniuntur multæ, quæ non à telæ, ſed ab emplaſtrorum, in qua immergitur, diverſitate ſumuntur. Aliæ enim catagmaticæ ſunt, quæ fractis oſſis ſolidandis, & roborandis partibus conveniunt, quæ ſcilic. ex emplaſticis adſtringentibus & roborantibus parantur: ut

℞. *Olei cydonior. & roſat. ſevi ariet. ana ℥iiii. thuris, maſtich. picis, boli armenæ, farin. volat. ana ℥ii. ceræ alb. q. ſ. f. Emplaſtrum in quod liquatum tela immergatur.*

Aliæ vim habent exſiccantem & epuloticam, & ulceribus ad cicatricem perducendis commendantur, cujuſmodi eſt quæ ſic deſcribitur.

℞. *Olei roſati ℔i. ceræ citr. ℔ß. ceruſſ. Venetæ, tuthiæ ana ℥ij. lithargyr. auri ℥iij. f. Emplaſtrum & cum telâ vetuſtate quodammodo jam attritâ, f. Sparadrap.* RENODÆUS.

Sparadrapum pro Fonticulis ex *Pharmacop. Londin.*

℞. *Ceræ flavæ ℔ß. terebinth. ana ℥iiij. cinnabar. rad. irid. Florent. ana ℥j. moſchi gr. iiij.* liqueſcant ſimul cera & terebinth. tum adjiciantur pulveres olei comm. momento ſubacti, quo felicius miſceantur; inter quos cinnabaris & minium ſubtiliſſimè terantur. Diù validéque agita. Demum adde moſchum aqua roſacea ſolutum. Dum adhuc fervent immerge telam lineam parum attritam, ut f. Sparadrapum.

Sparadrapum, ſeu Tela Galteri, ex *eâdem Pharmacop.*

℞. *Olei roſac. ℔ß. ſevi arietin. ℥iiij. ceræ ℥x. lithargyri, reſin. pini, thuris, maſtich. ana ℥ij. boli armen. farin. volat. ana ℥j.* Liqueſcant ſimul oleum, ſevum & cera; liquatis lithargyrus ſubtiliſſ. tritus commiſceatur, nutriatur, & inter coquendum ſpatula aſſiduè agitetur. Tum addantur reliqui pulveres, adeòque ſubigantur, ut fiat Emplaſtrum; in quod adhuc liquatum & calidum tela vetuſtior immergatur.

Ceratum Sparadrapum Vigonis ex *Pharmacop. Auguſt.*

℞. *Hordei, myrtillor. pingued. vituli & vaccæ ana ℔ß. axung. porci ℥v. folior. plantag. ſolatri, matriſylvæ ana mij. vini granator. ℥viij.* Probè permixta macerentur aliquandiù, deinde bulliant ad conſumptionem vini; poſtremùm colentur. Colaturæ adde ſequent. *Lithargyri auri, & argenti ana ℥iij. minii ʒx. boli Armenæ, terræ ſigill. ana ʒvj.* Bulliant iterum, & cum cera alba q. ſ. f. Sparadrappum addendo in fine cocturæ, *camphor. ʒij. terebinth. ℥iiß. olei roſati ℥ij. unguenti Populei ℥iiß.* M. Fluxiones quacunque corporis parte irruentes intercipit, & ad locum affectum deferri vetat.

Sparadrappum noſtrum uſuale pro Mammis poſt partum obdureſcentibus.

℞. *Sevi cervini, olei roſacei, ſpermat. ceti ana ℥ß. ceræ albæ ℥j. fundantur ſimul e. a. & iis imbuantur telæ tenuiores ac attritæ, quæ baculo aqua roſarum humectato, ſuper eas ſæpius volutato, lævigatæ mammis affectis applicentur*; imò ante partum ad lac & affectus ex eo indurato pronaſcentes, præveniendos admoveantur.

SPARTUM.

Quoniam horum pleraque ſpicam habent ſecalinæ ſimilem, ideoque proximum ſecalinis graminibus illis locum dedimus.

Spartum à verbo σπείρειν dicitur, quod non tantum terræ ſemen mandare, ſed & texere aliquid vel inter ſe nectere ſignificat. Σπάρτα & σπάρται funiculi vel lineæ ſunt, ſic dicta non quod ex herbis ſativis nectantur, ſed quod ad vinciendum idonea ſint à σπείρειν nectere, complicare. Hinc herbas quæ funiculis, retibus, ſtoreis, aliiſque rebus texendis aliquem uſum exhibent, inter quas principem locum obtinet de qua nunc agimus, hoc nomine donarunt veteres.

Nomina. Gramen Sparteum Plinii, ſive ſportularum ficuum *I. B.* Sparteum primum paniculâ comoſa *C. B.* Spartum herba Plinii *Cluſ.* Spartum Plinii Cluſio *Ger.* Spartum Plinii, ſive Juncus Hiſpanicus *Park.*

Cluſ. Numeroſa, tenuia, viridia, junceaque habet folia, cubitalis longitudinis, ex eadem radice prodeuntia, quæ dum novella ſunt latiuſcula conſpiciuntur, & interiore parte caneſcentia, ſucceſſu verò temporis contrahuntur & convolvuntur, fiuntque juncea, dura, flexibilia tamen, & marginibus ita conjunctis, ut vix rima appareat, niſi diligentius obſerves: inter hæc culmi exiliunt, ipſis foliis paullo longiores, qui vere & æſtate parvam, arundinaceam paniculam ferunt, ſimili propemodum cum illa ratione florentem: deinde oblongum ſemen, ut nonnulla graminis genera. Radicibus nitroſis & perennibus, è quibus multæ ſimul enaſcuntur plantæ contiguæ, Junci modo, ut interdum una planta, ſive multarum ſimul congeſtarum cumulus, duorum pedum ſpatium, vel illo etiam amplius, in ambitu occupet.

Frequens naſcitur collibus arenoſis inter Vaena & Alcala-real, atque aliis Bæticæ locis, ſed omnium abundantiſſimè ab initio Granatenſis Regni ſive Bæticæ limitibus uſque ad Murgin urbem, vulgo Murcia dictam, ut non ſine cauſa totus ille tractus veteribus appellatus ſit Spartarius campus; quo etiam nova Carthago, vulgo Cartagena, Urbs maritima continetur: hæc etiam à nonnullis Spartaria cognominata eſt, ob ſparti (ut credibile eſt) eo agro naſcentis abundantiam.

tiam. Naſcitur & Valentino regno, atque illud quidem ſuperiore longè uberius & lætius.

Uſus. Eſt vero Spartum hoc, quod Hiſpanis, apud quos naſcitur, etiam nunc *Sparto* dicitur, illud ipſum quod Plinius Lib. 19. Cap. ij. deſcribit, eodem enim in uſu nunc eſt apud Hiſpanos, quo fuit Plinii tempore, nam ex crudo & exſiccato tapetes ſeu aulæa, ſtoreas, Corbes, rudentes alioſque funes conficiunt: Corbes etiam illi in quibus ficus & uvæ paſſæ advehuntur, ex ſparto contexti ſunt. Sed ex illo aqua inſtar lini macerato, deinde ſiccato & tuſo calceamenti genus, quod ipſi *Alpergates* appellant, paratur, funes etiam & alia ſubtiliora opera; præfertur autem id quod Valentino regno creſcit. *Rajus*.

Dicunt præterea quòd Sparti teneræ ſummitates per ſuperiora ac inferiora non minùs quàm Ellebori nigri radices expurgant, ſi in decocto aſſumantur.

Spatula Fœtida, vid. *Xyris*.

Species Officinales, vid. *Pulveres*.

Sperma Ceti, vid. *Cetus*.

Sperma Generantia, vid. *Aphrodiſiaca*.

Sperniola, vid. *Pulvis Sperniolæ*.

Sphondilium, vid. *Spondilium*.

Spica, in Genere, vid. *Lavendula*.

SPICA INDICA.

Nomina. Nardus indica *Ger.* indica vulgaris *I.B.* Indica ſive ſpica nardi *Park.* indica, quæ ſpica, ſpica nardi, & ſpica indica offic. *C. B.*

Nardus Dioſc. l. 1. fortè à Naardo, Urbe Syriaca Euphrati conterminа aliis Ναρδόσταχος. Genera multa recen et Dioſcorides cap. 6. quæ varietates potius loco natali ſolum differentes, quam ſpecies diſtinctæ videntur. Nardi indicæ nomen (inquit I. Bauhinus) particula duntaxat plantæ hodie obtinet, quæ & ſpica ob figuram dici meruit. Eſt autem nihil aliud quam comatum radicis caput, ex marcidorum foliorum nervoſis filamentis convolutis congeſtum colore ruſeſcente, ſapore amaro, acrique & aromatico, odore ſpicæ celticæ, validiori. Adhæret hæc coma radici digitalis craſſitudinis, ſaturatius ruffæ, ſolidæ ſed fragili: eſt ubi folia quoque nondum in nervos divulſa, albicantia inveniuntur: cauliculi etiam concavi, ſtriati, pluresque ex eadem radice capillatæ ſpicæ enatæ, ſubinde conſpiciuntur.

Miror autem quendam huic plantæ caules potuiſſe negare, cum eorum partes infimæ filamentis nervoſis obvolutæ ſe cuivis examinanti facile conſpiciendas præbeant.

Quicquid autem repugnet Anguillara aliique, ego cum I. B. Garcia aliiſque peritioribus Botanicis exiſtimo noſtram ſpicam nardi officinarum veram eſſe & genuinam antiquorum nardum indicam.

Porro non eſſe diverſa nardi Genera, ſed unicum duntaxat ſibi notum teſtatur Garcias; id ſc. quod in monte quodam juxta Gangem fluvium provenit, qui altera quidem parte orientem ſpectat, altera occidentem; ad quem occidentem ſita eſt Syria, multis regionibus ab India diſcreta: neque una præſtantior eſt altera, ſpicamve habet alia altera multò longiorem. Nec eſt quod quis ex ingenti pretio quo antiquitus teſte Plinio Lib. 12. cap. emebatur, inferre ſtudeat noſtram nardum non eſſe legitimam: nam Indiæ nunc magis apertæ & cognitæ ſunt quàm tempore Plinii fuerunt, & ipſa aromata majori copia, minuſque adulterata quam Plinii tempore ad nos adferuntur, proinde & viliori pretio emuntur, ex quo in Indias circum Africam navigari cæptum eſt.

Magna eſt inter eruditos quæſtio, quæ pars Nardi στάχυς ſit, quidam radicem eſſe affirmant, quidam negant, prioribus ſuffragatur Galenus, 1. Antid. 14. ὁ Ἀνδρόμαχος Ἰνδικὴν νάρδον κελεύει βαλεῖν, ἥνπερ καὶ στάχυν ὀνομάζομεν νάρδου, καί τοι ῥίζαν οὖσαν ἀπὸ τῆς πρὸς τοὺς ἀστάχυας ὁμοιότητος κατὰ τὴν μορφὴν Poſteriores Dioſcoridis autoritatem opponunt, dicentis, plures habet ſpicas ab eadem radice, tum comoſas, tum ſibi invicem convolutas. Dicendum ſpicas dici cauliculos multis capillaceis foliis obſitos, qui quamvis radices videantur, revera non ſunt, ſubſunt enim radiculæ ſeu fibræ, quibus alimentum attrahit planta; atque has vocat radices Dioſcorides & à caulibus diſtinguit. Interim tamen hanc plantam caules emittere ſumma parte ſpicis, aut paniculis onuſtos, ad modum graminum aut iis affinium plantarum minimè dubium eſt.

Vires. Nardi Dioſcoridi vim habent calefaciendi, exſiccandi, urinaſque ciendi. Quamobrem & alvum epotas ſiſtere, & appoſitas ex utero fluxiones ſaniemque compeſcere, ex frigida verò potas nauſeæ & ſtomachi roſionibus auxiliari: itemque iis qui à flatibus exagitentur, hepaticis, ictericis atque nephriticis; coctas vero in aqua & pro fomento inſeſſibus adhibitas vulvæ inflammationibus adhiberi. Facere & ad ſuperfluos humores redundantes oculorum palpebras, dum ipſa cilia adſtringunt & condenſant: quin & ſiccas ad ſummovendam graveolentiam humentibus corporibus utiliter inſpergi: miſceri etiam antidotis. Porro ad ocularia quoque medicamenta uſque ad ſummum lævorem tritas & cum vino in paſtillos conformatas vaſe novo in picato recondi.

Nardi folium Plinio principale eſt unguentis. Variè autem præparabatur nardinum unguentum ab Antiquis: V. Dioſcoridem. Vis autem ejus attenuans eſt, acris, exterſoria & rarefactoria humorum; & calefactoria.

SPICA SPURIA NARBONENSIS.

Nomina. Nardus Gangitis ſpuria Narbonenſis *Park.* Spuria Narbonenſis *C. B.* Narbonenſis *Ger.*

In montis amæniſſimi & celſi, herbarum lectiorum feraciſſimi, cui idcirco nomen Horti Dei impoſitum, ſeptem plus minus mill. à Gange urbeculá diſſiti clivo qua ad meridiem mareve mediterraneum vergit, hæc uberi proventu erumpit, muſcidis & udis tractibus; infima radix puſilla, exilibus fibris duris & raris, quæ ſubſunt ſpicatis comoſiſque torulis, minimum digitum craſſis, colore palleſcentibus ex fuſco, fere palmum altis, non valdè mucronatis, ſed quadantenus per extrema reciſis. Folio eſt viridi, rigido, junceo, vix pedem alto, numeroſo, quod ab ima radice ortum trans ſpiceam comam imum caulem ambientem ſeſe exſerit: multæque plantæ quaſi uno ceſpitis ambitu amplexæ unius effigiem præ ſe ferunt. tota inodora eſt præterquam capillamenta ſpicea, quæ multo craſſiora quàm indicæ ſunt, odora muſci querni vel terreſtris, cui ſemimerſa humo inſeruntur comoſa capillamenta: è quibus gracilis ac nitidus junceus culmus Elphæ vocatæ non diſſimilis, cubitum altus exit, à medio cujus ad ſummum alternatim ſunt admodum exiles herbaceæ ſiliquæ apiculis è calyculis aliquantum Schænanti flori, aut defloreſcenti geranio aut cotyledoni ſimilibus.

Adverſariorum Autoribus Nardo Gangitidi Dioſcoridis prorſum quadrare videtur. *Rajus*.

De

De Selectione NARDI INDICÆ *ex Pharmacop. Auguſt.*

Nardus, ſeu *Spica Indica* in Orientali India natales habens, odorata ſit, haudquaquam carioſa vel pulverulenta, (etenim ei ſtibium cum aqua aut palmeo vino ponderis cauſa à fraudulentis inſpiratur) cujus ſpicæ fibrillis longiuſculis præditæ; ſapore ſit ſubamara, & nonnihil ſubacris ac aromatica, colore autem fulva & ad purpureum vergens. Alterum Spicæ genus *Celticum*, in Liguriæ Alpibus montibus Tirolenſibus, aliiſque locis natum, ſit leve, longam comam & conſtantem odoris fragrantiam habens. Herbâ quâdam ſimili, quæ ob odoris gravitatem *Hirculus* dicitur, permixta adulteratur, verum herba hæc minoribus foliolis magis candicat, atque inſuper nec amara eſt, ut Nardus vera, nec adeò odorata.

SPICA CELTICA, vid. ſub titulo *Valeriana*.

SPINACHIA.

Spinachia, tam celebre & uſitatum nunc dierum olus, veteribus indicta & incognita videtur.

Spinachia autem recentioribus à ſemine ſpinoſo dicta eſt, quamvis reperiatur etiam ſemine lævi & Spinis deſtituto. C. Bauhinus Σπινάχιον à raritate in uſu medico Græcis recentioribus dictam ſcribit, Hujus an dentur ſpecies diverſæ nobis non certo conſtat Duas tamen ſeu ſpecies, ſeu varietates novimus. nimirum.

1. Spinachiam ſemine ſpinoſo *C. B.*

2. Spinachiam ſemine non ſpinoſo ejuſdem.

Spinachia ſemine non pungente, folio majore & rotundiore *I. B.* Si à præcedente differat nobis incognita eſt: *C. B.* præcedentis Synonymam facit. Spinachia fœmina ſeu ſterilis perperam pro ſpecie diverſa à *C. B.* ponitur. Cùm ex eodem fertili ſemine proveniat.

Nomina. Spinachia *Ger. Park.* Spin. mas & fœmina *I. B* lapathum hortenſe ſeu ſpinachia ſemine ſpinoſo *C. B.*

E radice tenui, alba, ſimplici, pauciſſimis fibris donata, caules ſurrigit pedales, fiſtuloſos, teretes, ſtriatos, in alas diviſos. Folia atriplicis ferè, longis pediculis nixa inferiora ad baſin ſuam interdum utrinque laciniata, mucronibus acutis; quæ autem in ſummo caule exiſtunt, duos tantùm proceſſus velut auriculas ad baſin obtinent, tenui quadam polline, atriplicis in modum, aſperſa. Flores in caulibus à medio ferè uſque ad faſtigium in mare herbaceis aut purpurantibus apiculis è calice quadri folio exeuntibus conſtant, in oblongis circulis ſeu racemis è foliorum alis ortis, ut in mercuriali. In fœmina flores nulli cernuntur, ſed tantum apiculi quatuor albi in ſummo ſemine. Semina autem ipſa foliorum alis arctè adnaſcuntur, conferta, aliàs (ut nomen docet) ſpinoſa; aliàs lævia, in globulos ſeu racemulos congeſta, majuſcula, nonnihil compreſſa, orbiculata.

Spinachia ubi ſponte oritur nobis non conſtat. Hiſpanicæ autem originem ſuam debere argumento eſt nomen quo à quibuſdam vocatur, nimirum olus Hiſpanicum paſſim in hortis ſeritur, nullum ſolum aut Cœlum reſpuens, tum Martio & reliquo vere, tum Septembri, non horrens hyemis frigora, quæ ſi iniqua nimis, Juglandis foliis conſervatur, ut verè cibum ſuppeditet, quo tempore ſemen profert. Martio verò ſata intra duos menſes perficitur. Autumno ſata foliis magis luxuriat, nam quæ vere ſeritur, caulefcit illico; unde ad pultes autumno potius ſerenda.

Uſus. In Culinis per totam ferè Europam, (teſte Trago & experientia) vix quicquam frequentioris eſt uſus pultibus ex Spinachia confectis, quas oleo aut butyro condiunt & inungunt, herba minutim conciſa; nonnulli uvas Corinthiacas eis admiſcent; citra aquam coquitur hoc olus, quod magnam vim humoris inter coquendum remittat, & velut proprio contentum jure alienum aſpernetur.

Inter omnia olera culinaria meo judicio ſpinachia eſt, laudatiſſima & gratiſſima. Trag. unde & in omni penè ægritudine cibo deligi poteſt.

Febricitantibus & ſenibus adſtrictioris alvi maximo commendanda eſt opere; illis imo vel hecticis, ut febrilem æſtum temperet, his ut alvum lubricet quod longè melius eſt quam ut ſuppoſitariis & catharticis ſemper extimuletur. S. Paulus.

Refrigerat & humectat, nitroſa ſua qualitate, alvum emollit, gutturis aſperitati medetur & aridæ tuſſi confert: nauſeam facilè parit niſi Zinzibere aut alio conſimile cordiatur.

Succus & aqua deſtillata ſtomachi ardorem & roſiones mitigare, & lac elicere dicitur.

Extrinſecus ventriculo & hepati impoſita cataplaſmatis inſtar, eorum inflammationes doloremque tollere creditur. *Rajus.*

SPIRITUS.

Inter chimica inventa palmam facilè ſibi præripiunt SPIRITUS, ſive ſubtilitatem æſtimemus eorundem, ſeu uſum, ſive parandi artificium & ambitum latiſſimum, ipſis oleis ſubtiliores & virtutibus cum iis certantes. Hinc not.

1. *Spiritus ſunt liquores deſtillati activi.* Spiritus dicuntur, ut alias quoque in medicis ſcholis, a convenientia & analogia cum ſpiritibus πρώτως ſic dictis, quod conveniant nempè volatilitate, penetrabilitate, ſubtilitate & poteſtate agendi: ſpiritus ſcilicet arte parati, & ex mixtis profecti. Quorſum illud ex Phyſiologicis huc facit, quod calidum innatum corporum dicatur ſpiritus vitalis; deque eſſe rei, vivere & moveri, inſtrumentum animæ. Quando ergò ſpiritum dicimus, ipſam quaſi eſſentiam, ipſum calidum innatum mixti ſeparatum & evectum obtinemus. Liquores ſunt; licet enim & ſicci ſpiritus exhaleut & butyroſi, ut in ſequentibus videbimus, corporaturam tamen liquidam propriè habent & affectant, quâ ſine non æquè in uſum cedunt, vel ſpirituum nomine veniunt. Æmulantur hinc aquas, craſſius & ſola conſiſtentia æſtimati, ſummè tamen ab iis diſcrepantes, ſi noverimus eoſdem intimius. Cumque liquores etiam alii natura vel arte parati proſtent, ut vinum, cereviſia, acetum, decocta, infuſa &c. addidimus eſſe liquores deſtillatos, i. e. vi ignis rarefactus & è centris ſuis propulſos vi generali, per διάκρισιν & σύγκρισιν. Quo ipſo ſenſu etiam generalius dici queunt volatiles, fixum enim propelli nequit; quæ volatilitas tamen variat. Activi ſunt, ob ſubtilitatem particularum, unde & extrà corpus variis operationibus deſtinantur, & in corpore quàm citiſſimè expediunt, quod debent. Activi ſunt reſpectu aquarum, quæ minus tales, magis inertes ſunt, unde & à putredine ſe defendere nequeunt, niſi ſub ſpirituum tutamine, nec frigori reſiſtere, quin congelantur, quod ſpiritus non patiuntur, quin ſuo commercio aquam hâc affectione eximunt. Cum tamen liquores ſunt medii inter aquam & olea, ab hiſce ulterius diſtinguendi.

2. *Spiritus ſunt liquores vinoſi, acidi, urinoſi.* Ita

enim tribus verbis & ab aliis & à ſe invicem diſcriminantur, & differentiam ſortiuntur ſpecificam. Ab aliis, neque enim aquei liquores, ſeu aquæ quæcunque, his qualitatibus gaudent, vel ſi gaudeant, non niſi per communicationem, ut hinc aquæ ſint ſpirituoſæ, & è cenſu aquarum nobilioris characteris conjuncti titulo eximendæ, ut aquæ deſtillatæ cum vino, vel cerevifiâ. Aquas enim ſi nominamus, licet deſtillatas, concipimus neceſſariò aquæ ſimiles, quoad conſiſtentiam & quoad ſaporem quoque ut habeant odorem mixto congenerem, ſed retuſum, debiliorem, ob particulas quaſdam oleoſas vel ſpirituoſas, non tamen evolutas, commixtas, ſed prædominante tamen maxima parte phlegmatis aquoſi. Par ratio eſt reliquorum. Simul enim ſalinum characterem per deſtillationem recipit, imò etiam extra eandem ſola infuſione, ſolutione, decoctione, mixtione, aquæ nomen exuit, & inſtar Protei vel Mercurii ejus naturam & nomen adſciſcit ſibi, quo cum miſcetur. Ad ſe invicem; ita enim uno intuitu diſtinctiſſimum conceptum offerunt, ſi nominemus ſpiritum vinoſum, ſi acidum, ſi urinoſum. Hinc & quicunque liquor vinoſus, ſpirituoſus eſt, & inebriat, ex eoque ſpiritus vinoſus deſtillari poteſt, exemplo cereviſiæ, vini, mulſæ & ſimilium. Hinc omnes cum ſpiritu vini deſtillati ſpiritus ſunt vinoſi, etiam ſalini, ut ſpiritus ſalis ammoniaci vinoſus, ad differentiam alterius, qui cum aquâ fit. Acidi verò & urinoſi intelliguntur itidem ſuper alembicum cumprimis vel 🝭 evecti. Singuli à priori jam apparati ſunt, ut deſtillari poſſint; licet alii magis, alii minus.

3. *Spiritus vinoſi à ſulphure fluorem adepto exurgunt inflammabiles.* De ſulphureitate teſtantur varia phænomena, cumprimis inflammabilitas. Ardent rapidiſſima flamma non ſolùm ſpiritus vinoſi quovis, verùm & ipſum vinum, ſi coquatur, & aeris concedatur acceſſio. Hinc & ipſa ſubjecta, è quibus producti fuere, fructus cereales, triticum, ſecale, baccæ juniperi, ſulphure plurimo pollent. In uvis roſcidum ſulphur teſtantur ſatis uvæ paſſæ. Teſtantur idem à poſteriori effectus, de quibus ſeorſim. Cum itaque certum ſit, ſulphureos hos eſſe, & ſulphur in vinoſis hiſce prædominari, non poſſumus hoc melius explicare & concipere, quàm ſi dicamus, in iiſdem liquoribus ſulphur eſſe fluorem adeptum. Fluorem adipiſci dicitur ſulphur (1.) diſtinctum à concreto, ut noretur ſulphur fluidum. (2.) Diſtinctum à ramoſo ſive oleoſo, ut notetur aliud quàm oleum. Fluor hic eſt (3.) centralis attenuatio & extraverſio; ut penitus ſubtilitatum fluorem adipiſcatur æqualem (4.) cum aquâ; ſic ut ipſum in aquam, & aqua in ſulphur, ita mixta, combinata & verſa ſint, ut confundi intimè queant, ita tamen ut ramoſæ fluidæ particulæ ſtrias exhibeant, etiam ſolâ confuſione aquæ cum V i Cumque ſal ſit interpres amicitiæ inter aquam & ſulphur, fluorem hunc comitatur etiam & perficit (5.) ſal volatile. Unde inflammabiles ſunt ſpiritus & ſapidi: inflammabiles ab oleo attenuato, & fluorem adepto, ſapidi à ſale volatili. Hinc ſpiritus ambigunt inter aquam & olea, medium locum obtinentes; non miſciles tamen ampliùs, niſi ſale roborentur. Omnia hinc huc faciunt, quæcunque ſulphur fluori aptare poſſunt. Ignis verò id ſolus nequit præſtare, qui ſi deſtruere nequeat aperto marte ſulphur, ſeparat & liquidum fluidumve reddit, in oleis deſtillatis, vel aquæ ſub vehiculo, vel ſolitarium. Id ergò videndum eſt.

4. *Sulphur fluorem adipiſcitur fermentatione.* Hæc clavis eſt tum aliorum plurium, tum ſeorſim pro ſulphure, ita ut miranda plurima exhibeat, quæ cæteroqui ſepulta jacebant. Unde ut fermentum eſt principium immutandi, ſic fermentatio ipſum immutationis actum notat. Sulphur rerum omnium vitale calidum conſtituit, ſulphur balſamum eſt univerſale. Spiritus vinoſi balſamum & ſulphur diductum, expanſum; & quidem mediante fermentatione. Hac ipſâ ſulphur diverſas ſubit mutationes prius, quàm ſpiritualſcat. (1.) *Comminuitur*; Ipſa quidem comminutio opus eſt ad fermentationem externa; compage ſic laxatâ, ſeu ſucco expreſſo, ſeu impaſtata v. g. farinâ, ſeu imbibitis granis frumentaceis aliiſque. Eâ verò comminutio quoque fit ſpeciatim ſulphuris, ut ſic aqua & ſalia intimè pervadere, per minima comminuere queant. (2.) *Extricatur*; diſperſo ejuſdem robore plicas & tricas ſuas opponere minus poteſt, unde debilitatur, reſolvitur, ut aliam aliamque texturam aſſumat. Videri hoc manifeſtò poteſt, ſi fermentatione mediante v. g. ſcammonium: quod totum reſinoſum eſt, planè immutatur, ut ſibi ipſi amplius non ſit ſimile, ſed diverſum quaſi videatur. (3.) *Turgeſcit*, ſeu amplius occupat ſpatium, bullulaſque & ſpumam concitat; quæ omnia teſtantur fluorem imminentem ſulphuris, uti per gradus eundem ſubit & obtinet. Ita enim, (quæ ὀργασμῦ ſeu turgeſcentiæ hujus requiſita ſunt,) *incaleſcit*, calorem, quem fovet tanquam elementum ignis, è centro ſuo per motum illum inteſtinum dimittit: *teneraſcit*, & velut frictione expanditur: *aëraſcit*, ut ſonus ſeu undulatio illa ſenſu percipi queat, & amplius ſic occupat ſpatium, non contentum prioribus alveis. (4.) *Diffunditur*, ſeu fluorem dictum patitur. Diffunditur in aquam laxiori ambitu & ſpatio, è qua hinc repetitur aliâ ἐγχειρήσει. Ex quibus vel tacentibus nobis eluceſcit, fluorem & fermentationem hanc innuere illa ipſa, quæ concurrunt, & modum. Exagitant nempe ſulphur partes ſalinæ acidæ & alcalinæ; ſub quarum incude & colliſione ſulphur vincitur & patitur, quod in utiliſſima doctrina de fermentatione latius digeſſimus. Emergunt ergò ſpiritus vinoſi & naſcuntur ex ſulphure nec nimis volatili, nec nimis fixo, ſed medio roſcidoque, per fermentationem panſo, explicato & attenuato, unà cum ſale volatili, quorſum fermentationis requiſita, maceratio, germinatio, expreſſio &c. huc repetenda faciunt. Patet hinc.

5. *Spiritus vinoſus non niſi fermentatione propriè dicta erui.* Finis enim obtineri nequit, niſi per media legitima, tanquam inſtrumenta, quibus non datis effectus omninò ceſſat, nec ſperandus eſt. Patet id per inductionem omnium exemplorum, & manifeſtiſſimò muſti, id enim deſtillatum prius, quàm fermentationem ſubierit recens, adhuc ſibi relictum dulce, nullum ſpiritum fundit, ſed, vel mulierculárum experimento, in ſapam coquitur, partibus aqueis per ignem abactis, ſulphureis roſcidis in ſpiſſum rob fatiſcentibus. Ex nullo ſucco, vel liquido prius non fermentato haberi poteſt ſpiritus vinoſus. Hinc quod *Scaliger* ſcribit *ex* 87. *p.* 322. Tartaros lactis tenuiſſimas partes ignis vi ſublatas, atque à craſſioribus exemptas, quod ſublimare dicitur, in uſu habere præſentiſſima facultate ad inebriandum, vel aliter ſe habet, cum Barbari iſti de deſtillandi arte parum norint, vel prævia fermentatione fieri intelligendum eſt. Non eſt itaque, cur ſpiritus dicamus aquas, vel ſpirituoſas, ſaltim quoàd ſulphur diffuſum non fluidum; cum ſale volatili in iiſdem diſperſum, uti aquam majoranæ; neque enim vel inflammabiles ſunt, vel inebriant, vel ſtriatim procedunt, ipſo quin ſenſu teſte differunt à ſpiritibus. Prævia autem fermentatione ex cereviſia, vino, quin & horum fecibus ſpiritus vinoſus obtinetur. Ex quo etiam patet, quare feces ſint fermentificæ, habent enim in ſe ſulphur h. m. fluorem adeptum & quaſi concentratum, velut in extracto & compendio, unde minima mole aliis aptis rebus mixtæ vim illam immutandi diffundunt & communicant. Ad illuſtrationem

nem hujus rei facit, ex fecibus liquidis, ſive cum aquâ diffuſis, ſpiritum vini ex iiſdem ſiccatis ſal volatile deſtillari poſſe, unde ſulphuris fluorem adepti & ſalis volatilis præſentia ad oculum patet; ſale acido ſub ſulphuris & reliquarum particularum involucris quoque præſente. Hinc & cereviſia feculenta facilè alvum turbat. Hinc ſpiritus vinoſi ſunt reverâ partes oleoſæ valatiles fermentatione mediante expanſæ, & in phlegma diditæ.

6. *Spiritus vinoſi è vegetabilibus mage ſulphureis parantur.* Subjectum generale ſeu adæquatum ſpirituum conſtituunt vegetabilia. Neque enim vel ex mineralibus, vel animalium genere ſpiritus φλογιςοὶ obtinentur. Non ex mineralibus, multò minus metallis ipſis, quia ſulphur illorum fixius eſt, quam ut poſſit extricari & mediante fermentatione ſubire illum fluorē. Objici quidem ſolet ſpiritus ſaturni, ſeu ex ſaccharo ſaturni deſtillabilis. ♃. ſacchari ſaturni q. v. v g. ℥iv Ex retorta vitrea per arenam ſucceſſivis ignis gradibus fiat deſtillatio ſpiritus & olei. Spiritus hic vinoſus eſt, & ardet accenſus inſtar ſpiritus vini, unde quoad vinoſitatem hanc negari & inter non entia numerari nequit. Eſt verò reverà ſpiritus vini regeneratus, quatenus ſulphur illud fluorem adeptum, acido fluorem item adepto ceſſerat in aceto, hoc verò per minium ſaturato & immutato, illud liberatum per igne[m] ſe ſiſtit. Neque ulla ratione probari poteſt, deberi ſpiritum hunc ardentem magis Saturno, quàm aceto cum eodem concreto & dulcefacto, quæ ipſa dulcedo vel ſola argumento eſt latentis ſpiritus, uti ſuprà innuimus. Cui ergo competit dulcedo principaliter, illi etiam ſpiritus vinoſus, cujuſcunque ♃ri competit fluor, illi itidem ſpiritus vinoſus. Jam verò aceto id omne competit, licet variè immutato, & concurrentibus ſimul alcalinis ſulphureis particulis. Ergò propter quod unum quodque eſt tale, illud etiam hoc loco magis eſt tale. Ex animalium claſſe ſpiritus ſulphurei itidem non obtinentur; quamvis ex urinâ φλογιςὸν ſpiritum acquiri poſſe communiter aſſerant. Neque negari poteſt in urinâ ſulphur, cum & matricem lucis eſſe hodie certiſſimum ſit, & phoſphorus ex urina inſpiſſata, & lege artis deſtillata obtineatur. Cedit tamen ſulphur ſali volatili, cujus eminentia ſulphur obſcurat quaſi reſpectivè parcius longè id ſit. Neque obſtat, potum vini vel cereviſiæ plurimum ſpiritus vinoſi corpori ſuggeſſiſſe; illud enim in ſulphur ſanguinis cedit, & ſpirituum lucem ac vigorem, & vegetabili nihilominus debetur origini. Cum igitur animalia quoad ipſam ſuam corporaturam fermentationem ſolùm ſubeant putredinoſam, unde ſal volatile in apricum prodit eminens magis, ſpiritus vinoſi ſunt incapacia. De melle verò ab animalibus parato mox. Reſtant ergò vegetabilia, quantum quidem per hodiernam experientiam & inventa conſtat & aſſecuti ſumus. Aſt magna etiam hic occurrit differentia. Præſtant ſpiritum principaliter illæ vegetabilium partes & fœtus, quæ ſulphure ad fluorem apto magis præditæ ſunt; adæquatè vegetabilia ipſa, plantæ magis ſulphureę, quæ ſulphure roſcido & ſale volatili oleoſo pollent; ut (1.) *ſucci vinoſi liquidi*, modò in ſufficienti quantitate exprimantur ac fermententur, & in ipſis non præpolleat acidum, quod de uvis, pyris pomis & aliis valet, adeoq; probè ſulphur ſit maturatum & digeſtum, cujus dulcedo index eſt. Id enim niſi fiat facilè ab acido ſuperatur & in acetum ſic degenerat, ſeu potius jugo ejuſdem aſſimilatur ſpiritus vinoſus. Hinc quo dulcius muſtum, quo dulcius & πολυφόρον eſt vinum, eo ſpirituoſius, & contra. Talis ſuccus vinoſus cum in fecibus quoque adhuc extet, ex iis quoque 🜄 i ſeparari poteſt. (2.) *Succi vinoſi concreti*, exemplo ſacchari & mellis, ex quibus fermentationem, ad fluorem ſic redacto ſulphure roſcido, ſpiritus vinoſus conſurgit, vel mulſæ ſolius exemplo. Mel nempe ab apibus colligitur ex floribus & herbis, quàm ut pro ſucco animali haberi poſſit propriè. Eſt enim balſamicum plantarum magiſterium, eſt ſulphur roſcidum, ſeu ſuccus vinoſus concretus, ſi[n]gulari naturæ providentia, qui ſi evolvatur, vinum & ſpiritus vinoſus præ[st]o eſt. (3.) *Semina, baccæ, grana, a[...]ni ipſi.* His enim cum κατ᾽ ἐξοχὴν competat ſal volatile oleoſum, ex illis quoque præcipuè fiunt ſpiritus. Hæc ſulphur ſubtilius & copioſius offerunt tum oleoſum, exprimendum ob copiam, tum concretum, & medium quod fermentatione aptari poteſt. Sic ex omnibus frumentaceis id parare licet, oryzâ ipsâ. Sic ex acinis uvarum, ſive vinaceis potius mediante fermentatione fit ſpiritus vinoſus. Hinc ex ſeminibus & balſamicis magis parantur, ſeu quæ oleum fundunt, eadem & ſpiritum, exemplo ſpiritus & olei juniperi, quæ una conſurgunt fidelia, adæquatè ex reliquis herbis, foliis floribus, radicibus & aliis.

7. *Spiritus vinoſi ſunt vel ſimplices, vel co[m]i[t]ati, vel compoſiti, vel regenerati.* Simplices voco, qui ſolâ fermentatione fiunt, velut à priori ut 🜄 i vetus, & frumentaceus. Simplices, qui præter φλογιςὸν qualitatem & propriam vinoſam nullam aliam ſecum habent. Noti fuêre hi longo tempore ſub aquæ vitæ nomine, & temporibus primis inventionis magni æſtimatione; quin & per ſe ſatis ſunt activi, & exemplum præbet quoque ſpiritus juniperi. Comitatos voco qui aliorum connubio juncti, vires eorundem tranſſu[mere] ſe[...], vehunt, ſive comitantur, qui fiunt ferè magis à poſteriori, per affuſionem vini vel 🜄 i, ut [...] abſinthii quamvis etiam ſub fermentatione ipsâ talis conjunctio fieri poſſit. Res enim eodem recidit, impetratur ſpiritus vinoſus ex fecibus jun[ct]is, qui excitat ſpirituoſam partem plantæ, cum eadem unitur. Talis v. g. quoque eſt ſpiritus cochleariæ, cùm mu[lt]ò prius facta fermentatione & hinc vino cochleariæ deſtillatione, ſpiritus roſarum item & aliorum. Compoſiti ſunt ad unum 🜄 ſ pluribus æqualium virium combinatis & condeſtillatis, uti id aquæ apoplecticæ, carfunc[uli] embryonum, [...] uterinus, maſtich compoſit &c. demonſtrant. Regeneratum voco, qui ſub fl[u]ore prædominante aceti prius ſepultus, iterum ſpiritus ve[st]em aſſumit, ut [...] ꝸni exemplo citato clarum eſt. Quin & odor vinoſus in abſtractione ✳ti cum ⊖e Tartari ſaturati ſe exerit, quantumvis per hactenus nota 🜄 i plenariè ſic non regeneretur.

8. *Spiritus vini partes aromaticas, ſalinas volatiles, [et] acidas ſecum ſuper alembicum vehit.* Non ſolùm tranſſumit hæc omnia in ſe, & cum iiſdem miſcetur; verum quoque vector eſt eorundem, unde ſpiritus vinoſi latiſſimè patent præ aliis & hoc ſenſu tanquam menſtruum univerſale ſe gerit 🜄 i. Aſſumit partes aromaticas, ſive ſale volatili oleoſo pollentes, ut, præter laudata jam, ex mentha, meliſſ. roſmarin. corticibus citri, aurant. rad. angel. helen. ex theriaca ipſa &c. unde ſpiritus cognomines conſurgunt varii. Ex theriacâ ſanè pars aromatica oleoſa ad oculum monſtrari poteſt, non minus ac ex dictis aliiſque ejuſdem commatis. Ubi notabile eſt (1.) ſpiritus aromaticos cum aquis commixtos albeſcere, ut ſi ſpiritus theriacalis confundatur aquæ deſtillatæ cuicunque, ut ipſi quoque aquæ cinnamomi, quia ſub præcipitatione partes aromaticæ ſolutæ in apricum prodeunt. (2.) Quas particulas oleoſas devorare in ſe nequivit 🜄 i illæ ſeorſim collectæ viſuntur: unde ol. theriacale, ol. apoplect. ſimul ſub finem evolvitur. (3.) In compoſitis hinc, ut aquâ apopl. v. g. primo loco prodire ſpiritum vinoſum, ſubſequi dehinc partem aromaticam, albicantem manifeſtò, & cum priori confundendam; ultimo loco phlegma. Salinas verò volatiles, tum ſpecificas, tum communes particulas, recipit itidem, uti

uti ♁us cochleariæ ſimplex & compoſitus optimè fit,. ſi à foliis recentibus cochleariæ abſtrahatur Vi; & ♁ ⊖ ✱ci vinoſus laudatiſſimus eſt, quando nempe ℞. ⊖ ✱ci, calcis vivæ, ana q.v. v. g. ℥iv. vj. viij. Vi rectif. q. ſ. Miſce deſtillentur lege artis in ſpiritum urinoſo vinoſum ſummè penetrantem, quo vel ſolo experimento omnia illa corruunt, quæ adduci ſolent pro coagulatione Vi à ♁u ⊖ ✱ci, quod nempe ♁us ⊖ ✱i cum aquâ paratus; ſi cum Vi miſceatur, concrementum ejuſmodi ſenſibus offert quatenus nempè excutitur ſic è ſuis loculis ſal volatile & manifeſtum evadit, alio accedente liquore, qui ambit ejuſdem ſolutionem ex quo velut certamine ſingula coeunt in offam, ▽, ſal volatile & Vi, cum tamen ſeorſim & ▽ & Vi, ſi cum ⊖e ✱co dicto modo deſtillentur vel Vi etiam à ⊖ ✱co abſtrahatur, nullo modo ulla fiat coagulatio. Simile tamen quid contingit, ſi ſimultaneo aquæ & Vi connubio ♁um ⊖lis ✱ci parare intendamus. Curioſius experimentum & longè optimum eſt, ſi loco Vi ſimplicis recipiatur alcaliſatus laudatus, ſeu ſuper cineres clavellatos ſolâ infuſione dephlegmatus. Recipit denique Vi acidas quoque partes occultatas ſic ſecum & dulcificatas, idque quavis forma; ſicca vel humida, A ſalibus quibuſvis etiam acidis abſtractus dephlegmatur inſigniter, imò à fixioribus hiſce etiam alcalibus aliquid ſubtilliſatum abripit, exemplo Vi Tartariſati, vel à ⊖le Tartari, vel cineribus clavellatis facta deſtillatione. Revera odore & ſapore præ ſe fert ſalinas qualitates ſimul evectas aliquas; licet pauciores. Sic in aquâ magnanimitatis dicta acidum formicarum volatile ſibi intimè copulat, unde ♁us formicarum acidulo-vinoſus eſt. Sic ♁us ⊕li cephalicus fit, ſi Vi abſtrahatur vel à ⊕lo ipſo Cyprio, vel ⊕⊕li vulgari, ne ⊕li epilepticum laudemus. Sic ♁us ⊖lis dulcis, ⊕li dulcis &c. fiunt, vel ſimplici commixtione & digeſtione, vel abſtractione ſimultanea. Fiunt ergò & ſic ♁us compoſiti, ſive mixti, vinoſi urinoſi, vinoſi acidi.

9. *Spiritus vinoſi ſtriatim in alembico prodeunt*; ob oleoſitatem reſolutam conjunctam. Striæ diſtinguunt ſpiritus vinoſos ab aqueis, ut & hoc ſigno poſſit ſeparari pars ſpirituoſior ab aquoſiori. Omnium volatiliſſimus eſt Vi, facillimè omnium ab igne ſublimabilis, unde primò ferè ubivis loco aſcendit, Principaliter verò ſtrias exhibent ſpiritus vinoſi omnes, teſtimonio oleoſitatis reſolutæ. Striæ cohortes notant particularum unctuoſarum, ab aquoſis ſeceſſum facientium, & invicem cohærentium, unde ſtrias quoque videas in oleis tenerioribus quibuſdam, per alembicum vitreum deſtillatis, exemplo fœniculi, terebinth. &c. Notabile verò eſt, ſtrias comparere non in aſcenſu, qui æqualis magis eſt, attenuatis & rarefactis particulis ἄνω latis, citra nebulas, vel fumum, vel aliam ſpeciem ſed in deſcenſu. Quando nempe aufugere nequeunt, è centro tegentis alembici, (uti quoque ſuo modo in margine vitri facit vinum generoſius,) unitæ particulæ undulant, & ſerie ſinita defluunt conſpicuo longo tramite. Curioſum & illud eſt, variare has ſtrias pro deſtillationis tempore & diverſitate volatilitatis. Primò impetu ignis ſæpe occulunt ſeſe, quod ob copiam confusè magis progredi neceſſum habeant, circa finem verò non attingunt ipſum cælum alembici, ſed horizontem velut lambunt, prope infimam vel mediam regionem ſaltim conſpicuæ. Adæquatè etiam ſtrias exhibet ♁us ⊖is, quando nempe ritè propulſus rectificatur è cucurbitâ. Poſtquam enim phlegma roridum aſcendit; ſtrias elegantes itidem pingit primus aſcendens ſpiritus, volatilior, reliquus ſuccedens non item, indicio manifeſtò, partes quaſdam oleoſas ramoſas implicitas eidem adhuc eſſe. Quod verò idem prædicatur de ♁u ⊕li philoſophico notandum eſt, eundem illum magis participare de ♁u ⊖is, quàm ⊕li; quod ſapor, effecta & ingredientia quoque teſtantur.

10. *Spiritus vinoſi alcalini imbibunt olea deſtillata ſubtiliora aromatica, nec efferveſcunt cum acidis.* Maximè decantatum hactenus fuit ſal volatile oleoſum, à *Sylvio* hinc inde celebratum, remq; inter arcana habuit autor, unde, quod fit, plures deſcriptiones hinc inde fuere propoſitæ. Res tamen omnis eò redit; quod Vi non recipit olea, niſi interveniente ſale alcali, ſive fixo ſive volatili, quòd quod acceſſum ſive inſtantiam ipſi conciliet. Hinc tres potiſſimum modos laudabimus. Primus modus nominatus eſt à *Leoniceno metamorph. Apoll. & Æſculap. p.* 33. per Vi Tartariſatum, ſi Vi Rhenan. rectif. ℔ij. abſtrahantur à ⊖is Tartari puriſſimi ℥iv atque hinc addatur olei aromatici, quantum haurire poteſt, jungendo itidem hinc ♁⊖ ✱ci. Alter omnium optimus eſt, ſi ♁⊖ ✱ci vinoſo inſtillentur olea aromatica, i. e. ſale volatili oleoſo fœta, ut aniſ. majoran. caryophyll. cinnam. macis, ligni ſaſſafras &c ad tolerantiam. Ità poſſumus extemplo egregia componere medicamenta, eademque variare multis modis. Quæ verò ſpiſſiora ſive tenaciora ſunt paulo olea, non æquè feliciter ſic ſolvuntur commodius aerea. Tertius modus, ſatis itidem elegans, eſt per alcali fixum, citra deſtillationem. ℞. Tincturæ Tartari probè paratæ, ſimpl. vel compoſitæ, v. g. Tinctura ☿ii utamur ad ſcabiem & impuritates ſimiles ſanguinis, huic verò ſcopo etiam oleum & lignum ipſum ſaſſafras inſerviat, junctis hiſce egregium conſurgit medicamentum: fit enim hoc pacto ♁us vinoſus alcalinus oleoſus. Quo ipſo etiam evincitur, tincturas laudatas non eſſe ſalis expertes, vel ſolùm V. coloratum: ita enim micula ſalinæ quoque ad oculum patent. ♁us vero ⊖✱ci vulgaris id non præſtat, quod vinculum ſal & aquæ ſit laxius longè & debilius, quàm ut combinare ſibi oleum queat. Sic hoc ipſo modo fit ♁us ⊖is ✱ci aniſatus, fœniculatus, ſaſſafratus, citra deſtillationem vel abſtractionem laborioſam. Alterum verò non minus curioſum eſt, acidum quodcunque non efferveſcere cum ſale alcali volatili vel fixo, ſub illâ Vi copulà, unde ♁us ⊕✱ci vinoſus, etſi urinoſiſſimus, miſceri poteſt cum ♁u ⊖is, ⊕li, ⊕ri, & viciſſim ♁us horum dulcis, v. g. ⊕ri, cum ♁u ⊖is ✱ci. Sulphur enim expanſum in Vi mediatoris vicem ſubit, obtundit ſpicula ſalina acida, ut non niſi leviſſimus fumus inde emergat, nulla efferveſcentia.

11. *Spiritus vini eſt menſtruum reſinarum & quaſi talium, ſulphurum ſubtiliorum: eſt medicamentum ſulphureum volatile, variis viribus tranſumptis modificandum.* Menſtruum eſt, ſolvens & extrahens tum abſolutè & principaliter, exemplo Vi camphorati, reſinæ ſcammon. gialap. benzoes &c. tum adæquatè aliorum cum ſulphure & ſale volatili connexorum exemplo eſſentiarum, tincturarum; elixiviorum, extractorum, quibus omnibus velificatur. Menſtruum eſt tum ſibi relictus, tum cum urinoſis vel acidis copulatus, ubi aquæ temperatæ nomen ſubit. Id quod cum notiſſimum ſit, non opus eſt; ut hoc loco diſquiratur latius. Eſt verò & medicamentum. Sunt qui aquas vitæ aquas mortis vocant, & Vi quocunque modo transformatum; ſi ſpiritus maneat, calori noſtro nativo improportionatum, urentem & noxium, unde vel ore detentus calorem illum ſuum exerat, & ejus potores facilè phthiſin vel hydropem reportent. Aſt innoxius & indemnis eſt omninò, modo cætera ſint paria. Confortat calorem innatum, & facilè, ut loquitur *Helmontius*, in ſpiritum vitalem aſſumitur, *l. ſpir. vita t.* 17, *p.* 159. unaque acidum & pi-

& pituitam obtundit, mitigat, incidit. Acidum enim non eſſe 🜄i contra illos evictum eſt, qui ad unicum principium, ſal, omnia redigentes, omne ſulphur acidum eſſe contendunt. Eſt medicamentum ſulphureum volatile, unde & aquæ apoplecticæ, balſama vitæ & omnia ſpirituoſa in virium debilitate, modo non à rarefactione nimia, ſed deficiente potius oriatur, & ipſe ſolus 🜄i, promptiſſimè ſuccurrunt labanti archeo. Hinc reliquis omnibus medicamentis largitur penetrationem. Abuſus verò non tollit uſum. Tacemus perabſurdè literatis non medicis vulgò appellari 🜄i vinum crematum, uſtum, vel aduſtum, per Germaniſmum nempe, cum Germani deſtillationem aquarum & ſpirituum vocent cremare, adeoque per *Brandvein* vinum deſtillatum, ſive 🜄i intelligant. Spiritus vini verò cum inſtar omnium aliorum ſit, ſeu verus, ſive ſuccedaneus frumentaceus, vires habet communes calefaciendi & rarefaciendi ſanguinem. Cumque reliquorum vires ſpeciales, teſte odore & ſapore, in ſinum ſuum recipere aptus natus ſit, proprias etiam obtinet vires antiſcorbuticas, alexipharmacas, apoplecticas &c. pro variantibus mixtis, cum quibus abſtractus fuit. Uſu quin imò externo etiam gaudet diſſipante eximio & roborante, unde gargariſma ex 🜄i in angina commendatur, 🜄i camphoratus in gangrænâ, in pernionibus aliiſque variis malis.

De Spiritibus acidis.

A ſpiritibus vinoſis ſulphureis ad ſalinos, & quidem Acidos, progredimur, qui non minorum ſunt virtutum: facienda & hic, ut conjunctim de omnibus valet, diſtinctione inter ſpiritum & phlegma, ut phlegma ſibi relictum ſpiritus expers, ſpiritus à phlegmate contradiſtinctus à potiori & virtute audiat. Hinc not.

1. *Spiritus acidi à ſale acido fluorem adepto deſtillando exurgunt.* Deſtillatio ſingulis eſt communis, quâ ſine liquores ſolùm vinoſi, acidi, urinoſi audiunt, hac verò itidem in ſpirituum aſſeruntur numerum. Aliud ergò eſt acidum fluorem adeptum, tanquam latius, aliud eſt ſpiritus acidus. Fluorem hinc alium poſſumus dicere ſpontaneum, nativum, alium arte modificatum. Acida verò vel fluorem patiuntur ſimultaneum, vel ſeorſim. Simultaneum voco, cum ſulphure quale evenit in vino, quod conſtituunt ſulphur & acidum, tanquam elementa, prædominante tamen in ſtatu vini ſulphure. Seorſim idem fit in aliis. Quo loco illud notabile ſimul occurrit, dulcia utrumque ſecum condere, ſulphureum & acidum, unde ex vino & 🜄i & acetum deſtillari poteſt; ex melle, ſaccharo, mulſa pariter ſpiritus vinoſus & acidus, pro diverſa præparatione. Dumque fluorem nominamus, præcipuè idem intelligendus eſt quoad phlegma, quod cæteroqui iners & vacuum concorporat ſibi hoc loco acidum, & ita quidem unit, ut in ſpiritum certa proportione abeat penitus, & nomen proprium amittat, non minus ac ſortem. Intelligendus quoad centralem extraverſionem, ut prius ſalſum, nitroſum, reſinoſum, dulce, vel inſipidum, quod exemplis patebit, acidum deprehendatur, ſive evadat; concreto prius ſub alia textura acido, jam vero excuſſo & ſibi reddito. Unde duo concurrunt, ſal ipſum ejuſque fluor; cui differentiam ſpecificam ſimul largitur deſtillatio.

2. *Spiritus fluorem jam adepti ſub aliis liquoribus ſolâ ſeparatione egent per deſtillationem.* Deſtillantur ſpiritus acidi vel ex liquoribus via humida, vel è corporibus ſiccis. In illis fluor jam factus eſt acidi, in his fieri debet adhuc. Commune verò prius illud eſt ſpiritibus æquè vinoſis acidis. Hinc ex vino, è fecibus, quod diximus, ſola ſeparatio per deſtillationem ſufficit, ignis generali potentia, qua omnis humor calefactus tenuior fit, juxta *Hippocratem*, vel rareſit. Sic ✳, ſeu ſpiritus aceti, cujus ſeparationem tantoperè avebat *Galenus*, ſola ſimplici deſtillatione paratur. In eo enim pars ſalina tartarea reſoluta & fluorem adepta, intimeque phlegmati jam ſociata, prædominatur. Ut igitur partes acidæ ſalinæ à conjunctis tartareis & ſulphureis ſeparentur, neque in evaporatione v. g. cohæreant, ſolvendis, ſed purum ſit acidum menſtruum, purum ✳, id præſtat deſtillatio, ex veſica inprimis cupreâ, cum alembico vitreo, ſine refrigerio, cujus rei plures dari poſſunt rationes. Acida nempe præ vinoſis fixiora ſunt & urinoſis, unde fortiori ad deſtillandum egent igne, qualis eſt veſicæ, ut ſic plures menſuræ uno die aceti deſtillati haberi poſſint, quod ex cucurbitâ vitrea igne mediato arenæ minus licet. Atque ſic, inprimis lardo prius inuncta veſica ad defenſionem majorem nil timendum eſt aſcendere de atomis venereis, quod fieret, ſi alembicus non vitreus ſit, vel per canalem cupreum refrigeratorii dolii transfluat. Cavendum etiam eſt empyreuma, quod fit, ſi ad ſiccitatem vel quaſi deſtillationem protogemus. Idem verò valet de rectificandis etiam ſeu denuò deſtillandis ſpiritibus acidis, exemplo ⊖us ſalis. Facto enim & ibi jam fluore, ſola opus eſt hinc ſeparatione confuſi largioris phlegmatis. Quin imò regula hæc locum habet non minus in ſpiritibus urinoſis. Sunt enim in ſingulis illis ſeu via humida ſpiritus confuſi, rediſtillando ſaparandi, unde *leutern* Germanis & rectificare id vocatur. ✳ illud polychreſtum eſt ad ſolutiones, quas tamen ſimplices præſtat aceto ſimplici, non deſtillato, perficere, (✳ enim purius quidem, non tamen æquè fortius eſt, ob partes tartareas ſic ſeparatas magis;) ad extractiones, tincturas, gelatinas, arcanum tartari, acetum bezoardicum extracta opii, hellebori, ſaccharum ♄i &c. Ex cereviſiâ verò ✳ minus quadrat, quod ſal in eo acidum ſit mitius longè & aquoſius.

3. *Sal acidum in fluorem cogit principaliter ignis, adæquatè ſalia ipſa & terra.* Ignis in quibuſdam ſubjectis ſolam διάκρισιν præſtat, exemplo ſpirituum acidorum in via humida parandorum; in aliis immutat & cogit variè texturam, ut aliis figuris poſitæ particulæ alium etiam atque alium prebeant ſaporem & effectum. Hinc alia deſtillat ſibi relicta, alia cum additamentis. Quin quædam adeò intimè ſibi cohærent vincula, ut non niſi ſolo igne poſſint recludi. Hinc curioſum eſt illud de ſulphure communi, quod poſſit igne tecto ſublimari, & varias in formas mutari, & propinari citra vel minimum acidi effectum, quod tamen ineſſe demonſtrat ignis liber, ſi accendatur. Sunt in ſulphure duæ ſubſtantiæ, ſalina acida, & ſulphurea reſinoſa, bituminoſa, inflammabilis. Suntque tam arctè ligata, ut oleum ſulphuris genuinum φλογιστὸν inter poſtulata pharmaceutica referri mereatur. Niſi enim ſulphur manifeſto & libero igne in gas ſolvatur, non exurgit liberatus ſpiritus, ſed iterum in forma ſiccâ idem concreſcit & ſublimatur, id quod cum aliis ſimilibus habet commune. Ita verò tractatum eructatur idem. Nullum enim imperium habet ignis in acidum, quod dominium ejus eludit & aufugit propulſum, ſicuti pars oleoſa inflammabilis ipſi in pabulum cedit. Ut itaque vinculum acidi ſulphurei arctiſſimum ſolvatur, igne opus eſt propellente, & excipiente vehiculo aqueo. Duplici hinc modo paratur ſpiritus ſulphuris & ſpiritus ſulphurei alii, vel accenſione apertâ & completa, unde ab inſtrumento excipiente fumum 🜍is, campana vitrea aliave, dicitur ⊖us 🜍is campanatus, vel accenſione clausâ, ut quæ in

in apertam flammam erumpere nequeunt, rarefiant tamen & in fumum abeant, quod fit, ſi clavis addatur ſulphuri, nitrum, aliudve inflammabile, quo de vid. *Keſlerus*, idemque in clyſſis nominatis obtinet. Salia nempe diſſociant ſulphur adeoque rarefactioni aptant, ut ſic non accendatur ſolùm, ſed & detonet, fulminetque niſi coerceatur. Idem verò & terra facit, quæ omnia latius ſunt dilucidanda.

4. *Spiritus acidi non prodeunt, niſi excuſſo, deſtructo vel infirmato ſulphure; facto verò hoc, facilè.* Hoc ipſum aſſertum lucem fœnerat & clavem porrigit pro omnibus ſpiritibus acidis parandis & dilucidandis, inſiſtens aliis non minus firmis & concuſſis fundamentis, v. g. ignem eſſe deſtructorem ſulphuris, adeòque ſulphur refugere ignem aliis implicatum, neque obſequi æquè; tutari ſe ſulphur ſub ſalium inprimis acidorum velo, ſulphur eſſe rarefactionis principium; ſulphur & acidum ſibi eſſe contraria adeoque & ignem & acidum diſſentire. Patet dictum per inductionem omnium exemplorum, quandoquidem ſpiritus acidi non prodeunt v. g. ex vino, niſi domito penitus ſulphure, adeoque ſale fluorem adepto ſuper 🜍r; non ex 🜍re ipſo. perdicta. Idem ad oculum patet in ⁓u Tartari, ubi, mirabili concurſu, acidum, oleoſum, alcalinum & terreum cohabitant. Idque cum laxius fiat ob diſſociationem 🜍ris; hinc in Tartaro partes evaporabiles per deſtillationem ſunt duplicis generis, aquos-acidulæ, oleoſæ, quæ ipſæ cum non minimâ quantitate adſint impetuoſitatem largiuntur & rarefactionem maximam. Has igitur deſtillatione expelli commodum eſt, tum per ſe, tum ad obtinendum partes ſalinas alcalicas, in 🜔 reſtitantes. Atque hinc ad refrænandum 🜍ris impetum conſultius eſt deſtillare ⁓um Tartari ex retorta vitrea per ignem arenæ, in recipiens vas capacius, neque niſi ℔iij. vel iv. circiter pro unâ vice retortæ indere, non neglectis ignis ſucceſſivis gradibus. Quærit enim auras ob dictas rationes. Atque hinc facilè patet, non opus eſſe, ut addatur V i, vel ut ſoli cryſtalli eligantur, præſtare etiam hanc ἐγχείρησιν, quam ſi ex retorta terrea igne immediato ſpiritum propellere velimus, utpote improportionato. Fit igitur in ⁓u Tartari manifeſtus diſceſſus acidi à 🜍re; quod niſi contingeret, ſpiritus acidulus haberi non poſſet, reverà polychreſtus pro uſu ſudorifero, aperitivo & purificante ſanguinem, unde in febribus, hypochondriacis, hydrope, ſcabie, ictero, arthritide &c. prodeſt egregiè, præcipuè cum aliis mixtis, ut in mixtura ſimplici, quæ dicitur ⁓us Tartari compoſitus, cum Tincturâ ♂is, potionibus &c. Facto verò hoc ⁓us Tartari impetuoſus eſſe deſinit & in rectificando placidè decurrit, citra ullam vehementiam ulteriorem, excuſſo quippe ſulphure, quod & in aliis obtinet. Idem verò valet quoque de lignis aliiſque groſſioribus, ubi ipſa textura nativa particulis reliquis ita innexum eſt ſulphur, ut igni auſcultet, ſive aperto, ſive ſuppreſſo. Exemplo ſint ſpiritus lignorum corylini, querni, ſaſſafras, guajaci & aliorum. Ex hiſce ad ℔iij. iv. raſura vel conciſione aptatis ad ingreſſum vaſis, per retortam vitream ex Arena, quod, ob eaſdem rationes, ac de Spiritu Tartari diximus, melius eſt, ſtillat, liquor ſive ſpiritus acidus medius, ſimplex ſive compoſitus, prout unum vel plura ligna combinata ſunt, ab oleo temperante ſive edulcante ſeparatus. Unde vires cum ſpiritu Tartari communes obtinet, per ſe vel cum aliis ſumendus ad purificandum ſanguinem, viribus diaphoreticis & diureticis, ſeorſim verò ad tincturam coralliorum parandam inde habetur menſtruum.

5. *Ubicunque ſulphur non diſſociatum eſt textura propria, additis terreis vel ſalino-terreis aptatum dimittit ſpiritum acidum.* Nexus hic ſulphuris cum acidis viſitur cumprimis in ſalibus mineralibus, eminenter verò in dulcibus. Salia, quà talia deſtillationi non apta ſunt per ſe, quia licet ſint acida in centro ſuo, oblinit tamen eadem ſulphur, hæcque ſe invicem tutantur ab igne ut vel crepitent hinc ſi igni exponantur, exemplo ſalis communis, indicio, non vim exercere poſſe ſuam ignem, niſi in partes aqueas, quæ & ipſæ ſic impetuosè diſploduntur, vel fluunt & funduntur, exemplo ⊖i, ⊖nis, imò Vitrioli, ob æquabilem nexum, ut amplexa ſeſe non poſſint diſſolvi vel διάκρισιν pati, ſibi relicta, unde ſimul liquantur & torturam ſuſtinent, itidem dimiſſo phlegmate, quoad licet. Hinc & alumine oblita ligna non ardent, ſed flammam averſantur & retundunt, quo de exemplum legi poteſt apud *Gellium in Noct. Attic.* Ut ergò deſtillari hæc poſſint in ſpiritum acidum, opus eſt diſſociatione, abſoluta quidem in ſpiritu ſal. communis, nitri & ſimilium, ſecundum quid in ⊖ne & vitriolo. Cum igitur ſalia pura ad evaporationem, & conſequenter acidum, ad fluorem ſint redigenda, conſuetum eſt & uſitatiſſimum id præſtare tripla boli communis additione; ſive globuli inde fiant cum aqua & exiccati deſtillentur, quod in ſpiritu ſalis communis aliquando fit, ſive ſimpliciter mixtum, ſal communis vel ſal petræ, vel conjunctum in ſpiritu ſal. Communis compoſito dicto, adminiſtratis ignis gradibus lege artis. Utrobique ſulphur diſſociatum & excuſſum demonſtrari poteſt. In ſpiritu ſal. Communis quidem id patet in phlegmate, quod impetuoſius eſt, & hinc libero vaſe alio, vitreo v. gr. excipiendum. Si enim ſtatim recipiens vitreum adaptes, ordinariè finditur, à ſulphure ſylveſtri rarefacto. Patet in ſpiritu, qui albus quidem prodit ordinariè, ſed ſi urgeatur ignis, virideſcens, vel crocei coloris, quod in oleo ſalis præcipuè viſitur &c. In ⁓u ⊖i verò nebulæ rubellæ, totum recipiens ita quaſi tingentes, cum tamen ſpiritus reverà albus ſit, indices ſunt ſulphuris attenuati excuſſi & expanſi, unde præ aliis ſpiritus ⊖i ſulphureus eſt, & flammam diſploſivam concipere poteſt. Niſi verò tripla terræ addatur proportio, vas rumpitur & nil acidi ſpiritus acquiritur. Impetuoſitatem in ſingulis largitur ſulphur, quin & odorem ſulphureum in ſpiritu Vitrioli volatili. Pro Vitriolo verò deſtillando non opus eſt abſolutè additione terræ, ſiquidem ochram plurimam, ſive terram metallicam, ſibi jam junctam habet; opus tamen eſt dephlegmatione ſeu calcinatione, ut partes aqueæ ambigantur, terreæ verò cum ſalinis coeant, & ſic vinci hæ ab igne & in fluorem cogi queant. Quâ ratione etiam caput mortuum Vitrioli, ſeu Vitriolum calcinatum cum nitro mixtum, per ignis gradus, aquam fortem largitur, ſeu ſpiritum nitri modificatum; & ſunt qui alumen quoque ita per ſe deſtillant, retortæ extremo altius locato, ne ebulliens tranſcendere poſſit, id quod ſi fiat, luditur itidem opera, & recipiens rupturam ſubit. Cum vero & in Alumine viſcedo manifeſta exuperet, & in Vitriolo quoque ex arctiori cohæſione partium terrearum cum ſalinis appareat, præſtat & in his diſſociationem adhibere, quâ factâ copioſior ſpiritus obtinetur, & citius. Alias enim notum eſt, ſpiritum Vitrioli præ omnibus aliis eſſe fixiorem, & mora egere, ut vel per tres ☉☉ urgendus ſit, neque tamen acidum fluorem perfectè naciſcatur, quin reſuſcitati, ut aiunt, ſeu potius expoſitione in aerem liberum laxari ille nexus ſulphuris poſſit, & denuò ſpiritus obtineri acidus. De modo hoc deſtillandi egimus in *Progreſſ. Acad. Nat. Curioſ.*

6. Sali-

6. *Salino terrea diſſociant ſulphur promtius & ſpiritus acidifluorem facilitant, in ipſis inprimis dulcibus.* Salino-terrea vocamus, quando ſal commune cum terrâ miſcetur, vel mixtum eſt, uti vulgo ∽us mellis parandus præcipitur cum ſilicibus calcinatis & ſale communi. Optimum omnium hoc fine deprehendimus ☠ ∽us ⊖is, alioqui rejiculum, aptiſſimum tamen huic ſcopo, ut exemplis patebit. Cum enim omnia dulcia ob unctuoſitatem roſcidam ſpumaſcentem calore attenuata facillimè ebulliant & aſcendant, intentio verò ſit partem acidam ijs immerſam deſtillando propellere, impetrari id non poteſt, niſi frænum ponamus bullulaſcenti illi ſulphuri. Experimentum ut faceremus, mannam ſubjecimus deſtillationi in cucurbitâ vitreâ cum alembico. Exurgebat ab ſublime uſque in ipſum alembicum, in ſpumam & bullulas attenuata, fruſtraneâ operâ. Idem de melle & ſaccharo ſperandum. Adeò veriſſimum eſt non diſtillari poſſe ex hiſce ſpiritum per ſe, per dicta, quia nempe ſulphur illud obicem ponit, neque evolvi patitur partes ſalinas acidas, quæ cum ſic quoque urgeantur, invicem aſcendunt & rareſiunt infinitis bullulis. Cogitatum itaque eſt de medio. Nil confert gradus ignis, etiamſi leniorem adhibeas, nil impetrabis, uti aliàs in oleis, ut aniſi, & aquis hoc moderamine opus eſt, aliàs tranſituris per alembicum confuſim ipſo ſemine ſeu corpore deſtillando cum aquâ. Nec terra ipſa æquè ſufficit, quia diſſociationem, ut in ſalibus deſtillandis, non tam præſtare poteſt ſufficientem. Hinc nec experimentum *Finckij* ſuccedit, quando *enchirid. dogm. hermet. cap.* 4. *p.* 21. jubet injicere ſacculos arenâ repletos pugni magnitudine in mel deſtillandum, ne nimiâ ebullitione illud alembicum tranſcendat, indeque ex cineribus prolicere ſpiritum; quod fruſtra dudum tentavimus. Ut paucis rem complectar, facillimum eſt deſtillare ex melle, ſaccharo, mannâ ſpiritum acidum, addito anaticâ proportione ☠ ∽us ⊖ s. Partes enim terreæ & ſalinæ ſulphureas illas bullulaſcentes compeſcunt & diſſociando enervant, ut ſic ſpiritus habeatur acidulus medius, pro tincturâ coralliorum, imò & auri ipſius extrahendâ. Excipitur verò ſaccharum ♄ni, quod dulce quidem eſt, & ob conſimilem ebullitionem ſunt qui bolum addunt. Verum fine ſuo fruſtrantur, neque ſic ſpiritum ardentem æquè acquirunt, cum ſulphur illud ſit paucius, ſit non tam acido, quàm auſtero obſeptum, unde & dulc-aſtringens eſt, cum alia dulcia potius lubricent, quippe in quibus acidum magis extat. Per ſe ergò potius deſtillatur, citra ullum tale diſſocians. Nihilominus ſi nitrum & ignis accedat, fulminare poteſt. Sic & cum ſalinoterreum ſit ⊕ cryſtallinum, deſtillatur per ſe ſucceſſivis ignis gradibus in ſpiritum penetrantiſſimum, (✱ concentratum) primò albicantem, deinde virideſcentem, tertio album nebuloſum, pro menſtruo convenienti ad tincturam ♂is adſtringentem. Ex ⊕ vulgari verò id non ſuccedit, ex quo cum ſulphure & gummi ammoniaco compoſitus anta iſthmaticus fit.

7. *Quæ ignis & ſalium copulâ acidum ſpiritum igne concluſo per vices ingeſta dimittunt, clyſſi audiunt.* Inter nomina recentiora, in ſcholis chimicis enata, non ignobile eſt clyſſus, incertum quo autore. Primus quidem ferè *Paracelſus, lib.* 4. *Philoſ. T. III. oper. p. m.* 50. clyſſum nominare videtur vacuum, ſeu ſpatium aereum, noctu, inquiens, humiditatem denſari magis, appetente ſole evocari in altum, ſive clyſſum. Poſt hunc deſcribit & nominat clyſſum *Thurnheuſerus hiſt. plant. p.* 90. ubi præmittit, clyſſum vocari unamquamque virtutem, unâ quidem velut è radice ortam, varia in loca diſtributam, tandem tamen iterum uno loco collectam & unitam. Ut hoc ſenſu arguatur per ignem attenuatus vapor in amplum ſpatium, hinc iterum in unum concētratū ſpiritum. Pingit verò ad ἐγχειρήσεως demonſtrationem tres cucurbitas, uno alembico exceptas, quarum uni oleum, alteri ſal, terræ liquorem indere jubet, & æquabili igni tria hæc evoluta in alembicum combinare; quod ipſum κατὰ ῥητὸν intellectum vel tyroni pharmaciæ notum igne tria diſtinctæ naturæ poſſunt æquabiliter propelli. Quicquid verò horum ſit, ad analogiam horum clyſſi hodiè dicuntur, acida vel quaſi talia deflagrabilia ſive detonabilia, ſucceſſivè rarefacta, ſeu ſpiritus aciduli per ſucceſſivam evaporationem, quæ detonando ſit, evoluti, & humido excepti. Duo enim, quod ex dictis patere poteſt, ſunt modi ſpiritus acidulos volatiles ſiccos propellendi, (1.) ſine fuſione, per diſſociationem terrearum particularum conjunctarum, ut ignis non tam fluidum, quàm evaporabile reddere poſſit acidum. (2.) cum fuſione deflagrabili, tum ſolitariâ, exemplo ſpiritus ſulphuris, tum acceleratâ per ſulphurei & ſalini combinationem, qui ipſiſſimi ſunt clyſſi.

8. *Clyſſi ſunt vel ſimplices, vel compoſiti, minoris vel majoris apparatus.* Sic tales clyſſi fiunt ex ⦶ & 🜍e, item ⦶ & ⊖ ✱co cujus exempla concipi poſſunt in lapidis prunellæ & ⦶i ✱calis confectione. Ubi, accenſione factâ manifeſtâ, ſenſui etiam occurrit ſpiritus acidus, qui ſi excipiatur, habetur clyſſus; ſive ∽us ⦶i ſulphureus, ∽us ⦶i ſalinus. Fiunt ex ⦶ & ♀ro, excepto per Vi ∽u, adeoque ex omnibus, ubi panſum per ſal & ignem ſulphur excutitur, & ad deflagrandum ἀθρόως ſolicitatur, detonare vocant medici. In omnibus hiſce curioſum & notabile eſt, fieri concurſum nitri & ſulphuris, ſeu inflammabilis, unde, præter hoſce enumeratos velut ſimpliciores clyſſos, tres compoſiti, eodem tamen recidentes, in officinis clariſſimam indepti ſunt autoritatem, κατ' ἐξοχὴν tamen primus. Ut nempe tres ſimplices inprimis ſunt, ſic & tres compoſiti, nempe (1.) clyſſus ſive ſpiritus nitro-ſulphureus 🜿iatus, ex ⦶ro, 🜿io & ſulphure, ſulphuratus uno verbo commodè dictus. (2.) Nitro-tartareo-🜿iatus, ex ⦶o, 🜿io & ♀ro, quem tartareum ad differentiam vocamus, quia ſulphur mutuatur à ♀ro præcipuè, & hinc 🜿io. (3.) Nitro-tartaro-✱calis, addito etiam ſale ✱co ad ⦶, ♀rum & 🜿ium, pro lubitu, quibus tanquam corpus jungere etiam ſolent ſilices calcinatos, & ſic majoris apparatus reddere, ut priores minoris eſſe conſtat. Cum itaque hoc concurſu, vel ſenſu teſte, ſulphur excutiatur ſtatim, & in motum, in flammam erumpat, unaque ſal acidum liberatum gas ſuum eructet, tota proceſſûs ratio & cautelæ in duobus conſiſtunt potiſſimùm, (1.) in accenſione, licet ſuppreſſâ, idem enim contingit ac ſi apertè accenderentur. Hæc niſi fiat, non evolvi poteſt ſpiritus, uti par eſt. Hinc retorta tubulata probè prius debet eſſe candefacta, & ipſa ingredientia ſiccata potius quàm humidula, pulveriſata & probè mixta, ut nihil ſit in morâ. Hinc ſulphur minori ad reliqua proportione addendum eſt, ad moderandum impetum, unde *Glauberus Furn. Phil part.* 2. *cap.* 41. ℞. 🜿 ℔i. ⊕ ℔ii. 🜍 ℥iii. Hinc detonato ſummo ſtudio in hâc præparatione debet obſervari. Hinc non niſi partitim, ʒß. circiter, injicitur, aliàs enim rumperet vaſa. Hinc tubus retortæ glubulis ex luto, (hi enim optimi ſunt,) mox obturandus, quod & ad alterum ſcopum pertinet. Conſiſtit enim (2.) in fumi ſulphurei acidi exceptione, qui cum copioſus ſit, hinc ſatis capax recipiens continuatâ ſerie collo retortæ, intermedio pro re natâ tubo alio elongato, adhærere debet, probè itidem lutatis commiſſuris. Hinc recipienti aquam indimus, ut corpus inveniat ſpiritus exhalans, quod ſub finem admodum promptè ſubire viſitur. Hinc tamdiu expectamus aliquantulum, donec vacuus ſit retortæ venter, & ſucceſſivè omnia fiant, Quin eadem ratio eſt pulveris pyrii, cujus diſplo-

ploſione factâ ſpiritus conſimilis in auras abit, qui exceptus clyſſum largiretur itidem.

9. *E ſalibus citra deflagrationem prunis candentibus ſucceſſivè injectis ſpiritus acidi exurgunt.* Memorandus eſt & ille modus ſingularis parandi ſpiritum v.g. ⊖lis *Glauberi*, in quem finem furnum invenit aptum huic rei, & deſcriptum *part.* I. *Furn. Philoſ. p.* 6. *ſeq.* Fundamentum proceſſus idem eſt, quod diximus, excuſſio & infirmatio ſulphuris conjuncti, quatenus igni immediatè commiſſis ſal acidum ſic liberatur & evolat; captum verò ſpir. largitur. Hinc affinis eſt hæc operatio clyſſis, eâ tamen differentia, quod in clyſſis vaſi clauſo, hîc prunis ipſis ingeratur materia deſtillanda, mox oſtijs laterali & ſuperiori clauſis, ut per tubum ad latus furni ſpir. tranſire in recipientia, ſeu aludel potius, poſſint, ſubtus excipiendi, quod ex figurâ depictâ & αὐτοψίᾳ melius poteſt intelligi. Laudat hunc modum autor, & reliquis præfert ob commoditatem, quod breviori tempore, minoribus ſumtibus, in copia, deſtillari ſic poſſint ſpiritus. Reſtringit tamen hoc ad unum ferè ∽um ⊖is: Cumque ſal commune ſolùm prunis injectum crepitet & diſſiliat, duobus modis id coercet, vel miſcendo ⊕lum vel alumen, atq; ſic ingerendo mixta hæc & pulveriſata: vel carbonibus in ſale cum aquâ ſoluto ſeu muriâ extinctis, iiſque ſi ſubdantur carbones alij, conſequente accenſione impetrari deſideratum ſpirit. Verùm licet ſatis curioſum ſit hocce inventum, non tamen aſſenſû & applauſum plenarium invenit, quin inconvenientia quædam circa hunc modum deprehendantur, (1.) quod ſic non obtineatur ſpir. purus, ſed partim mixtus gas carbonum, partim ſpir. alum. vel ⊕li, quicquid etiam contradicat *Glauberus*, ut puritatem hanc defendat. Atq; ſic longè commodius communis retinetur modus, cui etiam addi poteſt, quod ex muriâ ipſâ quoque deſtillari ſeparando poſſit ∽us ⊖is, de quo vid. *Ludovici*, item quod cum alumine uſto idem obtineri queat commodè. (2.) denegato aeris acceſſu, & materia non inflammabili ſuper prunas ingeſtâ, neceſſum eſt ignem ipſum ſuffocari, vel debilitari ſaltim, ut propelli ſpiritus minus poſſit. Quicquid horum ſit, & ſic ſuccedit commodè ſpiritus, impendendus uſibus varijs.

10. *Spirit. acid. ſiccis, nebul. hoſpitium & corporaturam largitur aqua.* Fluorem ſuum acidum unicè communicare geſtit cum aqua, pro cujus modulo & acceſſione variat conſiſtentia ſpirituum. Spir. acidi humidi, ſolâ ſeparatione aſcendentes, v.g. ex ✱ ſequuntur modum deſtillandi aquarum. Aſt è carceribus ſuis ſulphur. & terreis miſſi, nebularum & fumi, modò albicantis, ut è Tart. ⊖le & ⊕lo, modò ruſeſcentis, ut è ☽ro, ſpecie expelluntur. Hinc ſi nullum penitus humidum excipiens admittatur, ſpiritus conſurgunt craſſi, vel butyroſi, vel ſolidâ velut formâ ipſâ, exemplo butyri ♁ij. quando vel ☿ius ⊥tus, qui ∽us acidos ſiccos & concretos continet ſecum, vel ⊖ decrepit. & ⊕lum calcin. miſcentur & propelluntur ex retorta cum ♁io, ejuſve regulo. Ad eundem modum etiam ∽us ⊕li ipſe, & alii butyroſi haberi poſſunt. Hinc butyrum ♁ij. nil aliud eſt, quàm ∽us ⊖lis gumm. ob defectum partium aquearum concorporatarum, & præſentiam ſive commixtionem intimam partium terrearum, ſeu regulinarum, quod ad oculum patet, ſi affuſione aquæ ſimpl. inde præcipitetur ☿ius vitæ. Adeoq; ſpir. acidi ſine humido propulſi tali figurâ exhibentur, & ſunt fumoſi, ſeu ad aeris acceſſum fumant, & ab eo mutuâtes humidum liqueſcunt magis, imò adaugentur. Hinc differentia patet ſpir. acid. quod alii ſint aciduli, alii acidi, alii acidiſſimi; alij nebuloſi, alij fumoſi, alij butyroſi, alij liquidi. Hinc ſuo ſenſu tantum acquiritur ∽us, ⊖lis, ⊕li, Tart. ▽is, quantum ſuppetebat, vel conceſſum eſt aquæ ſeu humidi. Nominatim verò in ∽u ⊖is parando recipienti inditur aqua ſimplex largiori quantitate, non ſufficit enim extillans phlegma, unde in copiâ majori acquiritur. In ∽u verò ⊕li & nitri vulgò acquieſcere ſolent in domeſtico adhuc inhærente vel ſali vel bolo humido, quamvis in ∽u ⊕li etiam conſultum ſit phlegma proprium indere. Sic & ∽us Tart. habetur majori copia, ſi jam deſtillatus v.g. è ✠iv. Tart. ſpiritus indatur, vel relinquatur in recipiente, ut reliquus ſic capi & immergi poſſit promptius. Idem in clyſſo laudato & ſimilibus acidis vaporoſis omnibus valet.

11. *Spir. acidi concentrati dicuntur olea, licet impropriè dicta.* Solent quidem & abuſivè ſpir. hi acidi aliquandò olea appellitari. non factâ inter olea & ſpir. diſtinctione, uti hinc inde legas in potionibus & julep. ol. 🜍is, ol. ⊕li, inprimis apud *Joelem*, & paulò ſuperioribus annis qui ſcripſere, receptum. Accuratius tamen loquendo olea audiunt concentrati ſpir. v.g. quando rectificatur ∽us ⊖lis, poſt phlegm. & ſpir. propulſionem in fundo cucurbitæ remanens liquor flaveſcens, aurei coloris, dicitur oleum ſalis. Sic & idem in ⊕lo obtinet, prodeunte & diſtinguendo phlegmate aqueo, (licet & hoc quandoq; confundatur & pro ſpir. acid. capiatur,) ſpir. acid. & oleo, quod ſpiſſius eſt, ſaturatius & longè ponderoſius, ob ſal fluorem adeptum ſummè concentratum, & in via coagulationis adhuc gravius. Hinc butyrum ♁ij. ſpontanea mora & aeris acceſſu deliquium paſſum, optimè ſic depuratum, ut nullâ alia rectificatione egeat, communiſſimè dicitur oleum ♁ii. Et mirandum eſt, quomodo tàm intimè ſolutum contineat mercurium vitæ occultatum, & quomodo duci hæc olea poſſint, ut ol. vitr. contentum vitro, ſucceſſu temporis, labentibus menſibus vel annis, eo ſpatio contineri amplius non poſſit, velut multiplicatum. Ut vel inde probari poſſit, ſal eſſe magnetem humidi, & alcali & acidum, mediumq; ipſum, niſi alia interveniant obſtacula, quæ poros oblinant & alterent.

12. *Salia acida invicem mixta ſeſe acuunt.* Acuunt ſeſe mitia & fortiora, exemplo ſpiritus Tarr. & ⊕li, ſi deſtillentur ſimul ana, vel ⊕li ſubquadruplo, in ſpiritum aperitivum, qui geminus, ſi non melior, eſt ſpiritui aperitivo Penoti. Habet hic ſanè ſuum uſum, quandoquidem ſal Tart. ochram vitrioli magis præcipitat, ſilices verò calcinati diſſociant magis implicans acidum ſulphur, unde, accedente per deliquium neceſſarium humido, deſtillari poteſt ſpiritus. Idem verò facilius dicto modo confieri poteſt, vel miſceri etiam ſpiritus uterque. Solent verò fraudatores illi, qui ſpiritus venundant, ordinariè quaſi ∽tum Tart. ſic acuere, ut in copia pareat, à quo cavendum eſt, quod vires ſic aliæ acquirantur. Acuunt ſeſe fortiora ipſa, quin immutant quædam. Si ſpiritui ⊖is, quod itidem faciunt dicti homines, ſal proprium addatur, fortior ſic redditur, præter morem ſuum. Idem de ſpiritu nitri, ſale proprio ſaturato, valet. Notabile eſt, ex nitro & vitriolo fieri aquam fortem, quæ hinc de utriſque participat, in medium quid, acidum tamen, ſic immutatis. Melius quidem eſſe ſcribit *Polem. de ſulphure philoſophor. pag.* 61. ſi ſpiritus nitri & vitrioli ſeorſim deſtillati miſceantur, & rectificentur, nam ſpiritum vitrioli retardare ſpiritum nitri. Alii hoc modo infringere ſe ſpiritus contendunt. Sed ſatius eſſe, ut via ſicca, quàm humida paretur ▽, ſenſus demonſtrat: ſimul enim miſcentur in mortario vitriolica & nitroſa quævis, (ideò in compoſitis non miſcenda vel liquida vel ſolida,) ſtatim odor aquæ fortis emergit, & nares ferit. Atque ſic ex p. j. nitri, p. ij. ⊕li prius calcinati paratur per retortam, per gradus igne adhibito, & quantum deceſſit vitriolo inter calcinandum circiter aquæ, in recipiens indito. Compoſitæ aquæ fortes cum amiantho, tutiâ, & alijs audiunt gradatoriæ, de quo vid.

vid. *Keſler.* Ut verò nitro additum vitriolum aquam fortem efficit; ſic ⊖✱cum, vel ſal gemmæ, nitrum ipſum, ſubquadruplâ vel ſuboctuplâ parte additum aquæ forti, illam acuit, & in aquam regiam commutat & exaltat, tum via humida, ſimplici ſolutione, quamvis quidam deſtillare denuò malint: tum via ſicca, nitro & ſale gemmæ ſimul deſtillatis cum bolo, quo ſine etiam aliquando adhiberi poteſt ſpirit. ſalis compoſitus. Qui verò nitrum & ſal ammoniac. pulveriſata ana deſtillare volunt, vix videntur finem optatum obtinere poſſe, ob gas elaſticum potentiſſimum, quod facilè fulminat. Obſervavimus, pro deſtillatione ∽us nitri, bolum & nitrum ana recepta in ⊖ cum fragore diſrupiſſe retortam; multò magis id timendum eſt in ſolâ talium horum mixtione, quæ ſe invicem evocant, unde ſunt, qui, ad ductum *Tetzelii*, per retortam tubulatam id peragere ſuſtinent.

13. *Salia acida metallis infringuntur.* Non tàm mens eſt aſſerti, in ſolvendo infringi virtutem ſpirituum acidorum, cum efferveſcant cum iiſdem inter ſolvendum, quàm pro deſtillatione præſtanda. Notus eſt ſpiritus vitrioli martis, ſpiritus vitrioli veneris, quos etiam citra mentionem vitrioli efferunt, ſpiritum martis, ſpiritum veneris, quorum hîc acetum eſurinum hinc audit. Modus parandi non differt à poſteriori, vitriolum martis, vitriolum veneris eodem modo deſtillantur in ſpiritum, ac vitriolum vulgare. Differre verò volunt vires, & non ſolùm ſubtiliores ſic evadere, ſed & virtutes quaſdam accipere. Hinc *Faber*, per hyperbolen chimicam, ad miraculum & ſtuporem *ſcribit* ſpiritum vitrioli veneris opem ferre omnibus illis, quibus deeſt facultas retentrix ſeminis, & qui perpetua gonorrhœâ laborant, cum aqua quercus ſumptum, quæ ipſa etiam hac vi polleat. *l. 3. ſecret. chimic. c. 4. p. 424.* Verùm ſi penitius paulo intueamur ἐγχείρησιν, ſeu deſtillandi modum, ſanè actum agunt, qui ex vitriolo martis, vel veneris, ſpiritum deſtillant & aucupantur ſubtiliorem ac meliorem. (1.) enim omne vitriolum jam dum de natura martis vel veneris participat, unde hermaphroditicum audit. (2.) Actum agitur, ſi primò ſpiritus vitrioli ex vitriolo communi paratur, cũ hoc vitriolum ex marte vel venere, ubi acidum iterum corporeſit, ochram terream tanquam corpus aſſumendo, & ex hoc denuò id, quod prius jam obtinebam. Sin acuere illum velimus, præſtat vitriolum martis parte ſuboctupla, ℥j. ʒj. ſpiritus ſolvere, inque uſus aperitivos roborantes impendere. Unde (3.) ſpiritus hi vitrioli martis, vitrioli veneris, à ſpiritus vitr. vulgari non differunt, imò ferè debiliores ſunt, vel ſaltim pretioſiores, non virtute nobiliores.

14. *Spiritus acidi conſtituunt menſtrua corroſiva, & medicamenta.* Menſtrua præbent omnium potentiſſima; menſtrua ad extrahendum ſpiritus acidi mitiores, diffuſiores & medii, ut acetum deſtillatum, (ſuccos conſimiles non attinet hoc loco laudare pluribus,) ſpiritus mellis, mannæ, viridis æris &c. tum per ſe, tum adjumento comitante vel ſubſequente 🜄i, quod ex aliis capitibus & loculis abundè notum eſt. Menſtrua ad ſolvendum ſpiritus quidem mitiores quoq;, magis tamen fortiores. Solvit aqua fortis metalla omnia, excepto auro, ſolvit aqua regia aurum, non alia metalla, ſaltim recepto ſolvendi uſu. Solvunt ſpiritus hi acidi fortiſſimi metalla, deſtruendo compagem mixti, quæ in ſulphure reſidet. Sulphur eſt vinculum & compages univerſalis, unde omnia menſtrua tantum ſolvunt ex mixtis, quantum juris habent in ſulphur, quæ regula generalis eſſe poteſt omnium ſolventium. Cum verò acida in ſulphur, quà tale & cohæſivum eſt, minus virtutem ſuam exercere queant, unde aqua fortis, quæ ſolvit argentum, aqua regia, quæ ſolvit aurum, fixiſſimum corpus, non ſolvere novit ſulphur commune, fixitate nullo modo cum dictis comparandum; ſolvunt hæc ipſa metalla, ob junctam terram. Hæc cum abundet in metallis, neque pori ſulphuris aditum omnem in terram excludant, ut in ſulphure vulgari, fit, ut hac mediante jus in ſulphur obtineant, idque devorent partim in quibuſdam, argento, auro, cupro, plumbo &c. partim immutentur ipſa magis, ut ſpir. vitr. & omnis acidus in ferro, acetum deſtillatum in minio &c. Conſtituunt in his menſtrua primaria, uti in aliis ſecundaria, cum ſpiritibus vinoſis juncta, ſub aquæ temperatæ nomine, ut in elixirio proprietatis, juncta cum aquâ ſimpl. in tincturâ roſarum, violarum &c. Conſtituunt verò & corroſiva, pro excitandis fonticulis, abſumendis excreſcentiis, extinguendo charactere peregrino ſeminali in nævis maternis, ſed cum cautelis debitis adhibita, ut juvent, non noceant. Præbent corroſivum, & cauſticum in carbunculis peſtilentibus &c. Diſſolvunt & ſic ſulphur vitale & mixti, ſeu partis, cui applicantur, unde inducunt νέκρωσιν, quæ agendi ratio corroſivorum eſt genuina. Atque hinc etiam interno uſu ita moderandus eorum uſus, ne noceant, ardoremque vel eſcharam inducant ventriculo. Præbent verò & cathæreticum, & deſiccant, abſumuntque ulcera mitigata. Sic in ulceribus labiorum ſpiritus ſalis leviter contactus ſanat promptiſſimè. Sic *Jachinus* aquam fortem cum aquâ plantaginis commendat in ulceribus naſi, *comm. in Rhaſen. p. 226.* Denique largiuntur medicamenta, polychreſta & potentiſſima. Quicquid ab acidis expectandum eſt ullis; id potenter & κατ' ἐξοχὴν præſtant ſpiritus acidi, uſu ſtomachico ſpir. ſalis & vitrioli, carminativo ſpirit. nitri; inciſorio, reſolvente, diuretico, aperitivo, hypochondriaco, nephritico, antifebrili, refrigerante & alterante ſinguli: ſudorifero, diuretico & laxante alvum, clyſſus antimonii ſulphuratus. Tacemus alios ſpeciales uſus in ſingulis, hinc inde annotatos; qui tamen ex hiſce generalibus omnes fluunt, unde ſpiritus vitrioli cephalicus acidum vitrioli ſubtile & volatile, magis tenuatum & ſeparatum, exhibet, ſpiritus viridis æris cum 🜍e factus antiaſthmaticus &c.

De Spiritibus urinoſis.

Reſtat, ut dicamus quoq; de SPIRITIBUS URINOSIS, qui & ipſi ſummè activi ſunt, ut tribus hiſce heroibus ad omne morborum genus uti liceat. Certare verò urinoſi cum reliquis poſſunt tum ſubtilitate, omnium maximè enim ſunt volatiles; tum viribus, abſolutè & reſpectivè conſideratis. De his ergò not.

1. *Spiritus urinoſi à ſale volatili liberato & fluorem indepto conſiunt.* Urinoſi dicuntur ad differentiam vinoſorum & acidorum, qui ſaporem conſimilem & odorem de ſe præbent, hi verò urinoſum, ſenſibus inter ſe admodum affinibus, qualis nempe ex urinâ reſolutâ in ſtabulis equorum, in cloacis &c. ſpirat; quod cum communiſſimum, & nemini non notum ſit, ad hujus inſtar omnes conſimiles hinc dicuntur urinoſi, ſeu ſale volatili fœti, quo ipſo eſſentialis differentia ſimul elucet, quomodo à reliquis ad extra & intra diſtinguantur. Cumque præ reliquis volatilis hujus ſeu ſalis ſeu ſpiritus eſſet natura, & in quibus eminet, nec ligatum eſt, promptè ſe ſubducat & aufugiat in auras, immerſum quoq; & ligatum, vel ſociatum ſaltim deprehenditur alijs, ita, ut in quibuſdam nullo ſe probat à priori ſenſu, ut in cornu cervi, in alijs odor acidus potius ſe exerat, ut in formicis & pane, in alijs ſulphur volatile variè ſpecificatum, ut in floribus, & herbis. Totum igitur artificium acqui-

acquirendi ſpiritum urinoſum conſiſtit in libertate ſalis volatilis, quâ præſente ſe ſatis manifeſtat, ut è contrario occultatum eſt, vel in totum, vel in tantum, cedens aliis potentioribus. Hinc noſſe vincula oportet, quibus illigetur & innexum velut captivetur, ut ſic è carcere liberari queat. Ita verò fluorem adipiſcitur itidem & prædominatur, reliquis ſubjugatis; fluorem tum potentialem, qui in ſalis liberati conſiſtit evolutione, tum actualem, cum promptiſſimè liquori immergatur, atque ſic ſpiritum exhibeat, liquida forma.

2. *Spiritus urinoſi ex omnibus regnis, vegetabili, animali, & minerali ſunt parabiles.* Hactenus quidem id minus notum fuit, & ſpiritus φλογιςοὶ ex vegetabilibus magis, acidi ex mineralibus, urinoſi ex animalibus ferè parati, in quibus omnibus abundantiſſimè reperiuntur, id quod etiam καθ' ἐξοχὴν valet, & verum eſt. De vegetabilibus id negarunt communiter, nominatim *Zwelfferus* & *Mœbius* noſter, alibi laudati, quamvis ſal volatile in plantis antiſcorbuticis agnoſcerent, & idem in cephalicis deprædicaſſet *Helmontius*. Hodiè verò, vel noſtra levidenſi opera accedente, in apertam lucem poſita ſunt ſalia volatilia, ſeu ſpir. urin. plantarum, ut ad αὐτοψίαν, ad ſenſus provocandum ſit, ſi quis amplius negare id ſuſtineat, unde & ex fuligine dudum notus ſpiritus urinoſus, ſpiritus cochleariæ, lil. convall. urinoſus, exemplo eſſe poſſunt, de quo *l. 2. de ſale volatili plant.* egimus latius. Ex mineralibus verò difficulter quidem id videtur impetrari poſſe, ob prædominans acidum; prodeunt tamen ſpiritus urinoſi ex his quoque, tum per ſe, particulis ſalinis volatilibus ſub jugo aliorum incarceratis liberatis, exemplo vel ſolius ſpir. ſal. ammoniaci nativi, tum in quibuſdam per κοινωνίαν, ut ex alumine, ad cujus præparationem prius urina acceſſerat. Ubi & illa differentia eſt notabilis, ſpir. vinoſos odorem & ſaporem retinere magis, unde & audiunt vinoſi, acidos minus, medio modo ſe habere urinoſos, uti manifeſtè in dictis exemplis videre eſt.

3. *Vincula ſal volatile detinentia & implicantia duo ſunt, ſulphur & acidum.* Cum non offerat ſe ſenſibus æquè, vel tamen non ſolum & præcipuè, noſcenda ſunt illa vincula, ut ex illorum ſinu ſeu carcere liberari queat ſpiritus volatilis urinoſus. Diſtingui poſſunt hæc ipſa in principalia & adæquata, licet iterum & in his differentia deprehendatur. Principale illigans & domans eſt acidũ, hoſtis Varinianus omnis alcali, maximè verò volatilis. Hinc difficillimè omnium acquirere licet ſal volatile ex abundanter & purè acidis, ita ut vel jures nullum adeſſe penitus. Principale illigans & obvolvens eſt ſulphur, cujus viſco glutinoſo irretitum quaſi captivum detinetur, ægrè dimittendum, id quod exemplo oſſium, cornuum, & cranii humani illuſtrari poteſt. Liquoribus ac oleis animalium terra abſumtis & exeſis, verba ſunt *Quercetani in tetrad. affect. cap. p. m.* 228. oſſa ſalium domicilia, ipſaque propè tota ſales, licet exiccata tumulo, fixa tamen firmaque tota perſtant, nulla temporis ſerie expugnabilia nec vincenda. Quo ipſo tamen loco non noſſe videtur ſal volatile oſſium, cum incinerare eadem jubeat, ut virtutem ſuam exerant. Satis nobis ſit, etiam ex oſſibus & calvariis è cœmeteriis depromptis poſſe propelli & ſeparari ſal & ſpiritus volatiles. Adæquatum illigans & diſſocians conſtituunt reliqua: aqua & terra. Curioſum eſt, ob teneritudinem ipſum ſal volatile ita obſcurari poſſe in aqua, ut ne veſtigium ſui relinquat. Si v.g. ſedum minus, ſatis acre & ſale volatili fœtum, è cucurbita recens deſtillatur, liquor prodit aqueus, non acris, ob liquatum ſic ſal in aquam magis, quod prius videbatur magis ſe exerere, id quod & exemplo ſuccorum patet, qui ex proportione vel reſpectivè æſtimati minus ſæpe ſunt acres ipſis integris mixtis.

4. *Liberant ſpiritus & ſal volatile tria: ignis, alcali & putrefactio.* Diſſolutis vinculis dictis, neceſſum & conſectarium eſt, liberari ſpiritum & ſal volatile. Notanter dicimus ſpiritum & ſal volatile, cum unum quidem ſint re, diſtinctum verò modo, fluore, uno verbo, igni & aquæ debito. Ignis in deſtillatione ſpirituum urinoſorum ſe gerit ut analyſta communis & proprius. Communis, quia propellit omne volatile & evaporabile, atque adeò quoque ipſum ſal volatile. Proprius, quia eſt principium deſtructivum ſulphuris, tanquam vinculi, quo deſtructo idem liberat. Alcali eſt contrarium è diametro acido, ergò dum infringit ejuſdem vires, libertate ſua potitur ſal volatile. Non verò omni acido & alcali commiſſis ſal volatile emergit, licet gas ſubtile elaſticum eructetur, exemplo præparationis Tart. ⊖-ti, ⊖-li, martis, arcani Tart. & ſimilium, ſed eo ſaltim caſu vel potiſſimum, ubi ſubſtat acido alcali & ſubjugatum eſt, qualia ſunt ammoniacalia omnia. Facit id alcali modò extraneum, de quo in ſequentibus, modò domeſticum, juvando & promovendo, libertatem, uti notum eſt in deſtillatione ∼us ſalis, igne fortiori circa finem adhibito flores ammoniacales, etiam rubros, emergere. Liberat putrefactio, ubi ſulphur vitale nexibus ſuis exutum deſtruitur, atque ſic centraliter illo reſerato ſalia ſe in libertatem vendicant, & abitum moliuntur beneficio humidi, cui ſe aſſociant, unde ſi ignis propulſor accedat, poteſt haberi ſpiritus urinoſus imò & per ſe exhalat ſæpe, nareſque & oculos ferit. De his ſpeciatim dicendum eſt ulterius.

5. *Quandocunq; innexum ſulphuri & terræ ſolis eſt ſal volat. propelluntur ſpir. urin. igne concluſo.* In quibuſdã ſola ignis tortura ſufficit, ad viſcum ſulphur. gelatinoſum tollendum. Exemplo ſit ſpir. cornu cervi, eboris, alcis, cranii humani, viperarum, ſerpentum, fuliginis &c. Omnia oſſa, & his ſimilia ſolida ex animalium genere, ut dentes, chelæ & oculi cancrorum, pollent. (1.) plurimo ſal. vol. gelat. ſeu ſulphuri viſcido immerſo, quod hinc inter deſtillandum faceſſit in oleum. Gelatina oſſium nota eſt, notum ſulphur unctuoſum fuliginis, nota mucilago in ludo, & in ipſis lapidibus cancrorum. (2.) partibus terreis fixis, quibus aqueæ miniſtrant, & mixturam ſingulorum promovet. Cum ergò ignis liquat roſcidum illud gelatinoſum, fitque διάκρισις manifeſta, liberatur hoc ipſo humidum, & huic immerſum & per ſe quoque patens ſal volat. ℞. v.g. cornu cervi g. m. conciſ. raſuræ eboris tornati, vel aliorum, ex dictis, v.g. ℔ ij. vel iij. q.v. Indita retortæ vitreæ deſtillentur l.a. igne arenæ, cum debito receptaculo, per gradus. Procedit primo loco ſpiritus, (neq; enim phlegmatis hîc attenditur differentia,) ſuccedit oleum empyreumaticum, fœtidum, & ipſum ſal. volat. refertiſſimum, & denique ſal volatile copioſum, pro uniuſcujuſque modulo, parietibus recipientis varijs haſtulis & figuris ſe affigens, quæ ipſæ hinc non attenduntur æquè, licet curioſiores etiam diverſitatem hanc mirentur, uti ſal volatile. Cornu cerv. parallelipipedi figuram æmulari ſcribitur. Abſoluto propulſionis opere oleum ſeparatur à ſpiritu, beneficio tritorii vel filtri, ſpiritus verò cum ſale vol. conjungitur, quod cum ob copiam non ſolvere vel recipere omne queat, eluitur (ſiquidem ſpirituoſa liquida expetatur forma,) aqua ſimplici, quæ præ Vi terè potior eſt, ob promptiorem ſolutionem & homogeneitatem, quantum ad ſolutionẽ ſufficit. Hinc vel per ſubſidentiam ſolam, vel per deſtillationem à cineribus vel calce vivâ, rectificatur, ſeparatis ſic particulis ramoſis oleoſis, unde ferè ordinariè etiam rectificatus flaveſcentem, ſeu non adeò pellucidum colorẽ recipit. niſi alia artificia accedant. Reliquum verò caput mortuum, ſi igne aperto utatur ad albedinem, fit reſpectivè cornu cervi uſtum, ebur uſtum ſeu ſpodium &c. Quod ſi per retortam terream igne immediato fiat deſtil-

deſtillatio, ſal volatile terreum magis conſurgit, unde conſultius ferè, niſi majori quantitate intendatur ſpiritus, ex arena idem paratur. Sic etiam ex ſanguine humano, cervino aliove copioſiſſimum ſal volat. ſeu ſpirit. urin. paratur, per ſolum ignem propellendo. Imò & ſanguis hirci, vel alius exiccatus, ſi deſtillationi ſubjiciatur, idem demonſtrat, unde modus agendi ſanguinis aſini in melancholia, hirci in caſu ab alto & pleuritide patere poteſt. Idem fit ex pipere per ſe, ex ſemine rutæ, cochleariâ ſiccâ &c. Nec aliter ſe res habet in mineralibus, conſimili lege gaudentibus. Ita enim paratur ſpiritus calcis vivæ, quem fruſtra hinc ex calce quæras, (vel ſaltim nonniſi minimam partem,) urinoſus, volatilis, inſignium virtutum, ex ℔vi. vii. per retortam deſtillando lapidum iſtorum fragmenta.

6. *Ubicunque ſal volatile ab acido ligatum eſt, alcali addito ſpiritus urinoſus propellitur.* Liberatur enim ſic ligatum volatile, ut ſui juris eſſe & prodire queat. Ratio hujus in contrarietate perpetua alcali & acidi conſiſtit. Exemplo ſit ſpiritus Tart. urin. Langelotti, quando tartarus ſale proprio recluditur, atque ſic ſpiritum volatilem dimittit, neque idem ſal volatile ſub oleo tam latitare poteſt. Inprimis verò exemplum præbet ſpiritus ⊖is ✻ci, qui inter omnes urinoſos facilè principem tenet locum. Exuperant in ⊖e ✻co, tum nativo, tum arte facto, duo elementa: partes urinoſæ volatiles ligatæ, & quaſi fixatæ, & acidum ligans, idquè ſub panſo admodum ſulphure. Hinc quamvis geminus ſic haberi ex illo poſſit ſpiritus, urinoſus, reſpectu priorum, & acidus, intuitu ſalis acidi, de quo legi meretur *Polemannus*: nam deſtillatus cùm ſecali huic potius quàm ſali ammoniaco debetur; uſu tamen recepto magis ſpiritus volatilis expetitur, & κατ' ἐξοχὴν dicitur ſpiritus ⊖is ✻ci, acidus verò ſeorſim potius ex ſale communi petitur. Hinc per ſe, ſi igni ſubjiciatur, vel non additis alcalibus, nullum præbet ſpir. urin. nullum ſal volatile, ſed flores varios, æquabili textura ſalium remanente, quamvis ſal volatile ferè potiores in floribus affectet partes. Spiritum verò urinoſum promptiſſimè largitur, addito humido excipiente, aquâ vel Vi, & alcali propellente quocunque, v. g. cineribus vulgaribus, cineribus clavellatis, ſale Tart. calce vivâ, nitro fixato, Tart. cum nitro calcin. &c. ita enim ſtatim evolvitur. Idem quoque valet de ſalibus ipſis fixatis ex parte & ſic quaſi revificatis: Eadem verò ratio eſt urinæ, quæ ſalis ammoniaci cum ſale communi vel marino baſis eſt. Cum enim & hæc conſtet ex ſale acido, nitroſo, & ſubjugato ab eo volatili urinoſo, ſeu, uno verbo, ſit ammoniacalis naturæ, hinc ſpiritus urinoſus quidem ex urinâ ipſâ rarius ferè paulo hodiè paratur, ſupplente commodiſſimè ejus locum ſpiritu ⊖is ✻ci dicto, liberari verò itidem extemplò poteſt & propelli, ſi urina, inprimis, pro phlegmate ſuperfluo abigendo, ad tertias circiter evaporatione factâ, additione eorundem alcalium deſtilletur. Quibus ipſis monemur, ut de ſpirituum urinoſorum naturâ dicamus.

7. *Spiritus urinoſi excuſſo acido, ſubtiliſato & panſiſſimo ſulphure, igne obſtetricante fiunt.* Nullus ſpiritus urinoſus fieri poteſt, niſi abſit acidum, ligans perpetuum: abſit privativè, ut in cornu cervi; abſit poſitivè, infractum & annihilatum quaſi per alcalia addita. Aſt ſi meminerimus, idem acidum obtundere ſulphur, ſulphur verò explicatum & panſum eſſe principium odorum, ſpiritus urinoſos eſſe odoratiſſimos, ſeu odore gaudere penetrantiſſimo omnium; ſulphur optimè pandi & recludi ab alcalibus, facilè in ſpiritibus hiſce urinoſis omnibus panſiſſimum & ſubtiliſſimum mirabimur ſulphur. Spiritus nempe urinoſi non ſimplicia ſunt ſalia, ſed compoſita ex ſale volatili & ſulphure ſubtiliſſimo. Patet id, quod cum ſpiritu ⊖is ✻ci urinoſo ne mica procedat olei, etiamſi cùm fuligine paratum fuerit, abſorpto omni ſulphure, omni oleo, à ſalibus. Patet, quod urina quoque deſtillata nullum largiatur oleum eodem modo, & tamen aliâs ἐγχειρήσει, per evaporationem & putrefactionem v. gr. præviam largiatur per hodierna inventa phoſphorum, odore & luce ſulphur panſiſſimum ad oculum ſiſtentem. Idem quoque de omnibus aliis ſpiritibus urinoſis valet. Imò varietatem unicè & differentiam velut ſpecificam naniſcuntur à differente ſulphure, unde & ſpiritus fuliginis nauſeabundus eſt præ alijs. Neque obſtat, inter deſtillandum & huncipſum non minus ac alios quoſdam comitari ſimul propulſum oleum. Quid enim recipere nequit junctum ſal volatile, ſeorſim relinquitur & exiſtit ſic. Idem quoq; à virtute horum ſpirituum probari ſufficienter poteſt.

8. *Arctius innexum acido, ſulphuri, & reliquis ſal volatile, in quibusdam igne aperto laxatur.* Carioſum eſt, quamvis cuivis obvium, experimentum lignorum & fuliginis. Ligna omnia, quercus v.g. pini, ſanctum, betulæ aliaque combuſtibilia, & foco toto die inſervientia, igne clauſo ſubjecta retortæ, ſpiritum acidum præbent, cum oleo & ſale fixo in capite mortuo. Nullum ibi deprehendas ſal volat. nullum ſpiritum urinoſum. Aperto verò igne cremata idem largiuntur, teſte fuligine, quæ non al unde, quàm ab iis melior emergit. Ratio eſt hujus phænomeni, quod acidum exuperet & ligat ſal volatile: quod ipſum excuti nequeat igne concluſo ita, ut in apricum prodeat ſal volat. Cedit enim alterum alteri perpetuò, ſpir. urinoſo ſtillante nullus acidus, acido ſtillante, nullus urinoſus exit ſimul. Quæras igitur, ubi latitaverit ſal volat. an in ſpir. acido, an in oleo, an in ſale fixo & terrâ? In oleo putaverim, quod hinc vires ſuas ſortitur, exemplo olei ligni ſancti, corylini, ſeu heraclini Rulandi. Hinc etiam ſpiritus Tart. ſpir. cornu cervi alio modo parari poſſunt ex oleo eorundem, ſi affuſus ſp. vin. abſtrahatur, licet tranſſumat partes oleoſas ſimul, ſicq; occultet ſal volatile nihilominus. Quando ergò in pabulum cedunt igni ligna, acido excuſſo deflagrat ſulphur maximam partem, pars verò ſub rapido illo flammæ impetu adhæret fornaci, ſicque ſucceſſivè magma unctuoſum colligitur, unde ſal volatile lignorum, aliàs minus acquirendum, pelli poteſt.

9. *Ubicunque particulæ humidæ abundant cum laxiori texturâ mixti, ſpiritus urinoſus putrefactione acquiritur.* Putrefactio, quod diximus, præcipuè quoque extricat ſulph. viſcidum vinculum, modò laxius ſit illud, & humido macerante inſtructum. Putredo enim fit in humido, in ſicco nullum jus habet. Simul verò committit ſal acid. & urinoſ., ut vel propellant ſe invicem ipſa, vel igne extrudi queant & ſeparari promptè. Patet id exemplo ſpir. urinæ, qui præter primum modum, additionem alcali, etiam paratur per putrefactionem, ſeu reſolutionem ſulphuris, quantum ſecum condit & poſſidet, cujus comes & index eſt. Recipiatur urinæ bona quantitas, ſtet eo uſque in vaſe terreo aliove, donec fœtere incipiat & urinoſitas ſe prodere. Hinc deſtilletur cum ſuo phlegmate, & rectificetur. Hæc ratio ſuccedit, licet hodiè præ altera illâ minus frequentetur: neque opus eſt, ut urinam eligamus impolluti, vel vinum bibentis, ſatis eſt, ut nō poſt cibum ſtatim ſumptum aquoſa recipiatur. Quod enim communiter referunt quidam chimici, urinis ſanorum & juvenum plus ſalis volatilis ineſſe, quàm infirmorum & ſenum; idemq; à vini potoribus quàm cereviſiæ vel aquæ magis expectandum, id cum grano ſalis intelligendum, neque abſolutè verum eſt. Non enim tàm ex potu, quàm ex cibis emergit ſal volat. teſtibus brutis, quæ putà bibunt aquam, exemplo equorum, felium, cervorum &c. & tamen ſal volatile copioſiſſimum in ſanguine & urinâ ipſâ poſſident.

Exemplo quoque ſit ſpiritus lumbricorum volatilis. 🜄 lumbricatus ignavior eſt, niſi aliquoties de novis abſtrahatur, neque tamen urinoſitatem ſic recipit, cum ſal volatile itidem viſcido-glutinoſo ſit immerſum. Urinoſus verò fit tum per putrefactionem, ſi lumbrici vivi in olla vel vitro ſtent, donec reſolvantur in tabum, & hinc deſtillentur, qui tamen ſpiritus eſt fœtentiſſimus; vel ſtatim è retorta vitrea, ſuperingeſta bona quantitate cinerum, propellantur, qui ſpiritus efficacior eſt, laxiori enim compage ſulphureum gluten dimittit ſal volatile, inprimis diſſociatum cineribus. Exemplo ſint ſpiritus urinoſi plantarum, per putrefactionem itidem parati. Recipit folia cochleariæ recentia, vel flores liliorum convallium recentes, indantur retortæ vitreæ, obturato leviter orificio; ſtent per unam alteramque hebdomadem, donec faceſſant in tabum, ſeu putrilaginem. Hinc ex arena deſtilletur ſpiritus urinoſus, pro lubitu rectificandus à parte phlegmatica aquoſiori. Sin minus abundet humiditas, affuſione aquæ id præſtatur etiam in ſiccis. Sic eodem modo ac ex lumbricis etiam ex cornu cervi & ebore aliiſque ſpiritus urinoſus albus paratur, ſeparato oleo empyreumatico, ſi aqua gelatinoſa per coctionem emergens, ſub præparatione Philoſophica, putrefiat & hinc deſtilletur.

10. *Prævia putrefactione ſicca, & apparatu decenti facto*, (ablato excedente humido,) *impoſitæ ſibi plantæ, calore interno concepto, propellunt ſine igne ſpiritum urinoſum.* Id verò exemplo glaſti invenimus & expoſuimus latius *l. de ſale volatili plantarum.* Dicimus putrefactionem, plantæ enim contunduntur & ſic laxatur compages, ſuccuſque proprius ſubit corruptionem. Dicimus ſiccam, aëre enim ſiccaræ in globulos formantur, qui itidem exiccantur, & hinc demum ſibi impoſiti ſpiritum urinoſum ſpirant, tempore præſertim æſtivo, aëre ambiente calido evocante. Ex quo ipſo phænomena plura curioſiſſima patere queunt & confirmari, v. g. ſulphur tenaculum eſſe ſalis urinoſi volatilis; ſulphur in putrefactione & fermentatione palmam ſeu principalem locum tueri; ſulphur agitatum in motum calorem citare; plantas acido & alcali ſalibus pollere; ſub nexu ſulphuris amicè prius compoſita hæc ſecum pugnare, & ſulphur ipſum tenuatum cum ſale volatili ſic propelli, ut taceamus ſulphur quoque ſic haberi poſſe, aurati inſtar, & quæ alia inaudita olim exinde poſſunt elici. Hæc ipſa verò in præparatione glaſti ad oculum ſe exerunt, à nobis demum curioſius obſervata, ſimulque deſtillari ſpiritum urinoſum ex plantis per ſe, ſine additamento, & ſine igne, quod problema prima fronte videbatur impoſſibile, eſt tamen per αὐτοψίαν longè omninò veriſſimum. Tanti eſt obſervare etiam ubivis obvia & mechanicorum viliſſimorumque ſæpe hominum opera, his arcanis maximè fœta.

11. *Sali volatili abſcondito ſub oleis & ſpiritibus liberando obſtetricantur acida fortiora.* Notabile eſt primum in hoc ipſo aſſerto, olea eſſe receptacula ſalis volatilis. Sulphur libenter hoſpitatur in ſale, ſal in ſulphure. Sulphur abſconditur in ſalibus fixis, facta incineratione plantæ. Salia volatilia abſconduntur in oleo. Hinc tantum poteſt oleum, quantum pollet ſale volatili, & illa olea ſunt deſtillabilia magis, quæ ſale volatili pollent, reliqua pigra ſunt. Quis crederet ſali ammoniaco ineſſe ſulphur, niſi & per ſe ſublimatum, cum bolo præſertim, colore id ſe proderet, & in ſpiritu urinoſo odore? Hinc oleum cornu cervi fœtidum hyſtericis gratum eſt, ob ſal volatile junctum. Hæc verò theſis ut certa eſt, ita pro impetrando eodem artificio opus eſt, ſive id fiat cum 🜍i deſtillando v. g. ex oleo cornu cervi, ſive per acida. Sic è 🜍i concentrari & haberi poſſe ſal volatile, dilucidavimus alibi latius, ut huc illud repetere non opus ſit. Uti verò ſpiritus urinoſi panſiſſimum habent ſulphur, & ſubtiliſſimum, licet mole paucum: ſic ſpiritus vinoſi panſiſſimum & ſubtiliſſimum habent quoque ſal volatile, quod ſapore ſe prodit quoque, licet prædominetur ipſe ſpiritus vinoſus, unde *Helmontius* ex ℔j. 🜍i ſalis volatilis ℥ß. haberi poſſe ſcribit, ſi imbibatur in ſale tartari ſiccato. *l. aur. vit. p. 576.* Idem ſal volatile demonſtrari poteſt ex oleis deſtillatis, hinc enim eſt, quod oleum v.g. cinamomi ſæpe cryſtalliſetur promptè, quod oleum aniſi, roſarum verum aliaque concreſcant, & virtutes ſuas exerant varias. His ſi affundatur oleum vitrioli, efferveſcunt, quatenus aggreditur acidum hoc penetrantius ſal volatile, ipſaque ſic invicem ſeparat. Quod ſi hinc per alcali iterum excutiatur acidum, haberi poteſt ſal volatile, ſeu ſpiritus urinoſus, licet parcior pro re nata, quam in rem jam ſupra de oleis ſumus plura commentati.

12. *Spiritus urinoſi è ſalibus fixis non dantur abſolutè.* Liceat nobis hoc ipſum aſſerere paradoxon, notiſſimum enim eſt, quantum decantetur ſal ♀ri volatile, quod ſuccedaneum ipſius alcaheſt ſtatuit *Helmontius*, quod omnem venarum amurcam abſtergat, unde ſtrenuè in parandi ejus modum inquiſitum eſt, & ipſum exempli loco inſervire poteſt, inſtar omnium aliorum. Si modos parandi luſtremus, in quantum quidem innotuere communiter, pro volatiliſandis & deſtillandis ſalibus alcalibus fixis impenderunt alii primò terrea corpora, qui proceſſus eſt *Angeli Salæ* & *Deodati* quorum ille cum bolo vulgari, arenæ jam immerſæ, permiſcet, in globulos format, & ad inſtar ſpiritus ſalis aperto igne deſtillare jubet, hic cum ſilicibus contuſis & ſabulo puro idem tentat ex ſale v.g. abſinthii. Verùm hi ſcripſiſſe videntur magis ex ingenio & theorica ſpeculatione, quam ex praxi, uti plura ejuſmodi alia ſuperioribus illis annis exarata & conſcripta ſunt, ſine experimentis, ſine ratione, non minus, ac de lapide Philoſophico ipſo idem aſſerere licet. Quod in ſalibus acidis ſuccedit, non item in alcalibus expectandum eſt; unde qui liquor prodit, debetur phlegmati ſeu humido bolari & ſalis, citra fluoré. Idem quoque prædicandum eſt de ſpiritu aperitivo Penoti, qui vitriolicus eſt, acidulus magis, non urinoſus. Alter modus eſt eorum, qui aquæ aëreæ adminiculo idem tentant, quod ſecretum eſt *Zwelferi*, qui *pharm. Regia claſſ. 15. p. 719.* jubet oleum ♀ri p.d. abſtrahere per alembicum igne arenæ, eo uſque repetendo deliquationem & abſtractionem, donec à volatili illo attracto univerſali ſale aëris omnis ſal ♀ri vol. tranſierit per alembic. quæ ſanè conditionalis ponit ineſſe nihil. Phlegma manet plegma, ſal manet ſal, parum vel nihil ad volatiliſationem genuinam conferente aere vel igne. Tertius modus adſcito in ſubſidium 🜍i fit in 🜍i tartariſati exemplo, ubi ſalinum quid aſcendere fidem facit odor & ſapor, vireſque ſalinæ eminentiores. Sed ut non negatur, ignem etiam fixiora paulo ſic abripere & evehere; ita urinoſum illum non eſſe in confeſſo eſt. Quartus modus eſt *Helmontianus*, quando *l. de trib. princip. Chim. uti ſunt cauſæ morborum, p. m. 334. t.* 84. ad exemplum ſalis volatilis cinamomi, oleum ſuo ſali alcali miſcetur, circulando per aliquot menſes, & poſtmodum ſal volatile inde deſtillando. Sed hæc ipſa ἐγχείρησις, è ſalis & olei connubio, ſuccedit quidem; verùm quæſtio eſt, an oleum ex ſale, an ſal ex oleo eliciat conditum ſal volatile. Longè certius eſt poſterius, quia odor, volatilitas & effectus id ſatis teſtantur. Unde ſæpius dictum, propter quod unumquodque eſt tale, illud magis tale & hoc loco putandum eſt. Adeoque ſic potius cum & mediante ſale alcali fit ſpiritus urinoſus, quam ex ſale ipſo, licet & ſic modificetur ex parte ſpiritus urinoſus, & alius à ſpiritu ⊖ s. ✱ci vel urinæ appareat. Quintus proceſſus fit ex ſale tartari, vel tartaro ipſo crudo, cum alumine pulveriſato vel uſto,

quo

quo de legi meretur latius *B. Ludovici noſter*, qui id unicè æſtimat. Verùm qui novit proceſſum in parando alumine uſitatum, facilè concedet, urinoſum illum ſpiritum eſſe urinæ ſimul additæ, fixatum hactenus ab acido auſtero aluminis. Sextus modus addi poteſt per acida, exemplo arcani Tart. per deſtillationem; verum ne ſic quidem urinoſus ſpiritus expectari poteſt ullo modo. Septimus eſt, ſi deſtillentur per retortam fæces vini exſiccatæ, qui ſpiritus urinoſus fit, & ſal volatile ſic obtinetur. Verùm quis negaverit, in illis quoque oleum eſſe, quod laxatum eſt in compage per fermentationem, unde ſal volatile è centro fecum, non item ſalis fixi prodit. Neque enim tàm negatur ſal Tart. volatile, ſeu ſpiritus urinoſus volatilis Tart. quàm ſpiritus urinoſus ex ſale tartari. Octavus denique ſeptimo & quarto eſt affinis, nempe per fermentationem, quando tartarus crudus ſale tartari incoquitur, unde acidum & oleum attenuantur & infringuntur, ut ſal volatile non ab illo figi, ab hoc non condi poſſit æquè, qui modus eſt *Langelotti*, optimus cum aliis illis, ubi major reſolutio ſalium & recluſio viſitur. Ratio verò, quare urinoſus è ſale alcali fixo poſſit expectari ſpiritus urinoſus, eſt (1.) quia non poteſt fluorem acquirere debitum, per ignem & aquam, ita ut expandatur & alas acquirat. (2.) quia jam excuſſum & abactum per ignem evaporabile, & ipſum ſal volatile. Quidquid verò non eſt evaporabile, nec eſt deſtillabile. (3.) quia nullum adeſt ligans, quod excuti poſſit, eoque excuſſo ſal volatile liberari, vel alcali addito, vel igne ipſo, vel putrefactione, quæ propria eſt ſulphuri. Neque obſtat, igne continuato & repetito, calcinata ſalia ſulphur magis oſtendere, ſal enim in terram mutatur & abit. Ratum itaque maneat aſſertum, è ſale alcali fixo, quà tali, non poſſe facilè acquiri ſpiritum urinoſum.

13. *Quod ſpiritus urinoſus eſt in liquido, id ſal volatile eſt in ſicco, ob teneritudinem tamen priori forma facilius ſæpe diſpenſandum.* Corporaturam mixtis largiuntur aqua & terra, cujus ſymboliſmus nullibi magis, quàm in ſalibus occurrit. Hinc ut reliqui ſpiritus, ita & urinoſi inde mutuantur ſuam conſiſtentiam. Hinc tantum ſolvit v. g. ſpiritus cornu cervi, quantum capere poteſt liquor. Seu ſpiritus urinoſi nihil aliud ſunt, quàm ſalia volatilia liquida, liquore aqueo vecta; illâ tamen differentia, quod aqua ſimul evecta per deſtillationem & jungat intimius ſibi ſal volatile, & ipſa ſubtilietur quoque magis. Hinc ſi ſal ✱ cum cum alcali quovis deſtilletur, ſine additione aquæ, non ſpiritus, ſed ſal volatile habetur: quod ſi ſolvatur hinc ſ. q. aquæ, in ſpiritum ſeceſſit. Adde, quod affuſa aqua poros undique pervadat magis, & excitiat alcali acidum ſic magis. Quod ſi verò ſali ✱ſo, v. g. p. j. & alcali, ſeu ciner. clavell. pij. deſtillandis jungatur & ♈i & aqua ſimul, ſublimatur ſimul ſeorſim egregium ſal volatile, medium quaſi, non adeò urinoſum, ſed correctum, poroſum & elegans, quo ipſo coagulum illud ex ſpir tu ⊖ ✱ci & ♈i proveniens, quod volunt communiter, demonſtratur, in quo conſiſtat. Dum enim certant de ſolutione aqua & ♈i, quod illa hoc promptius ſolvat, medium tale quid conſurgit niſi tamen probè munias, facilè in auras evolans. Hinc ratio patet, quare liquida forma ſatius ſit aſſervare ſpiritus urinoſos, quàm ſolida, quia ſic coerceri poſſunt, & detineri, ſecus abitura ſalia volatilia, quamvis ſal volatile cornu cervi, ut in pulverum formam diſtribui poſſit, quæ unica eſt ratio, ſiccâ formâ, cum ſpiritu vini ſemifixatum, cum operculo cereo munitum, commodè ſervetur. Per acidos enim ſpiritus fixatio ſi fiat, de quo alibi diximus, fit ſal commune inde, ſcopis illis impar, quos intendimus. Valet id ſpeciatim ut de aliis, ut ſpiritu ſalis tartari aluminoſo, ſic de ſale volatili plantarum, quod ob teneritudinem non facilè hunc ſolidum corporaturam vel aſſumit, vel exhibet, unde ſatius eſt, relinquere ſibi & probè rectificare, quàm in fixando occupari.

14. *Spiritus urinoſi excutiendo fixanti acido, rarefaciendo & exaltando ſanguini ac ſpiritibus, & roborandis nervis, unicè proſunt.* Vires hæ ſunt communes ſpirituum urinoſorum, quod in motum cieant quietos & torpidos humores, adeoque archeum exuſcitent & partes mobiles vigorent, ut excuſſo torpore cieantur in motum. Speciatim conſtituunt volatilia cephalica, unde ſpiritus cornu cervi, ⊖is ✱ci, liquor cephalicus, ex ſpir. ſal. ✱ci & aqua liliorum convallium c. v. ana, in epilepſia, apoplexia, paralyſi ſunt probatiſſimi. Sunt volatilia cordialia, reſerant & pandunt poros, tum cerebri, tum ſanguinis, ſulphur ſanguinis expandunt, ut purpuram ſuam reinduat, in præcipiti virium lapſu, & ſpirituum decollatione, unicè proficua, interius & exterius, modò non id ipſum à rarefactione nimia contingat, ibi enim acida potius exterius proſunt, quæ coagulant, & retendunt ſpiritus reſolutos, ut ſint ſpecifica, & adæquata ipſis cauſis morbificis. Sunt volatilia hyſterica, in ſuffocationibus uterinis & ſpaſmodicis inſigniſſima. Nec reliquis viſceribus ſuccurrunt minus, modò cum aliis appropriatis ſocientur, ut ſpiritus ⊖i. ✱ci aniſatus, elixir pectorale cum eodem mixtû, eximiè proſunt in tuſſi, aſthmate & catarrhis ſuffocativis. Volatilia ſunt bezoardica, inprimis ſpiritus cornu cervi, & eboris, & exinde parata, liquor cornu cervi ſuccinatus, tinctura bezoardica volatilis, cum ſpiritu cornu cervi, liquor bezoardicus ex ſpiritu cornu cervi & ♀ri mixtis & filtratis, in peſte, variolis & morbillis, febribus malignis, putridis, potentiſſimè diſpellunt μίασμα peregrinum quodvis. Acido etiam fixanti in aliis affectibus proſunt, unde elixir antiquartium cum ♒u ⊖is ✱ci fit, & ipſe ſpiritus antiquartius audit. Tacemus uſum anthelminticum, menſes citantem, intus & extus, ad methodum *Glauberi*, uſum enthimum &c. Sic ſpiritus ſalis Tart. aluminoſus refringit ſpiritum ſalis pro tincturâ aperitivâ, & ipſe diureticum eſt egregium. Exterius ſpeciatim in doloribus articulorum & nervoſis aliis, ubi ſpiritus cornu cervi, lumbricorum, ⊖is ✱ci, eboris, & per ſe & cum ſpiritu formicarum optimè diſſipant ſτάσιν lymphæ.

Spiritus ergò ſunt liquores deſtillati, vinoſi, acidi, urinoſi, à ſulphure vel ſale, ácido vel urinoſo, fluorem adepto, quilibet in ſuo genere ſummè activi. *Wedelius.*

Hactenus de Spiritus in genere iiſque præcipuè ſimplicibus è variis vegetabilibus, animalibus & mineralibus proliciendis ex Clariſſimo VVedelio abundè ſatis, jam de variis ſpirituum præparationibus in Medicinâ uſitatis particularius.

SPIRITUS SIMPLICES.

Spiritus Abſinthii, ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Abſinthii vulgaris quantum placet, ſuperinfundatur Spir. vini tantundem, ut digiti unius latitudine ſupernatet: macerentur per octiduum, deinde in B. M. ſpiritus lege artis vocetur; remanentia verò filtrata pro extracto parando inſerviat.*

Quamvis ſpiritus Abſinthii (quod etiam de proximè ſequentibus tenendum,) non minus ex herba per fermentationem recluſa, abſque ſpiritus vini acceſſu, parari queat, hunc tamen modum, ceu paratu faciliorem, & nihilominus Abſinthii partibus volatilibus ſufficienter inſtructum, ut propterea abrogemus, nullam cauſam habemus. Eidem verò nomen ſpirit. Abſinth. denegare, & potiùs ſpir. vini abſinthiacum eſſe dicendum, urgere, nimis rigoroſa eſt animadverſio

ſio; cùm & vires Abſinthii in eo prævaleant, & unice expetantur,& ipſe quoque cenſorius calamus, v. g. oleo, quod ex Abſinthio & olivarum oleo coctione conficitur, nomen olei Abſinthii ſimpliciter impoſuerit, ſpiritumque ſubſtitutum, qui per fermentationem præcedentem paratur, à fermento, ſaccharive accedentibus particulis non purum, ſed itidem compoſitum parare edocuerit.

Hoc etiam modo parantur:

Spiritus cochleariæ, lavendulæ, liliorum convallium, meliſſæ.

Spiritus Aniſi.

℞. Sem. Aniſi contuſi ℔ß. *ſpiritus vini menſuram unam. Macerentur per octiduum, & per B. M. ſpiritus eliciatur.* Ita etiam fiunt: Spiritus carvi, fœniculi.

Spiritus Ceraſorum Nigrorum.

℞. Ceraſorum nigrorum quantumvis, contundantur, & in vaſe querno reponantur, uſque dum fermentando odorem vinoſum & nonnihil acidiuſculum adquiſiverint, deinde per veſicam leni igne deſtillentur in Spiritum, qui, ſi opus fuerit, rectificetur.

Hac ratione deſtillantur etiam. Spiritus Cydoniorum, Ebuli ex baccis, Fragorum, ſambuci ex baccis.

Spiritus Baccarum Juniperi.

Baccæ juniperi probè contundantur, & cum aqua tepida in qua portio aliqua fermenti, vel ſacchari &c. Soluta fuerit, diluantur, hinc ad fermentandum reponantur; quâ peractâ, deſtillatio inſtituatur.

Spiritus Roſarum.

℞. Flor. roſarum fragrant. quantum libet, adfuſa ſufficiente quantitate aquæ fontanæ, & addito fermento, fiat deſtillatio per veſicam, deſtillatum ſpiritum novis roſis fermentatis toties affundendo & deſtillando, donec ſatis fortem ſpiritum habueris.

Omnes & ſinguli modò dicti ſpiritus ſimplicium ſive vegetabilium deſtillati fuere.

SPIRITUS COMPOSITI.

Spiritus Anhaltinus ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Pulveris Xylaloes ℥j. maſtiches, cubebar. galangæ caryophyllor. an. ʒij. cinnam. Baccar. Lauri, ſem. fœniculi an. ℈iv. croci ℈ij. Thuris ℈viij. Terebinthinæ Venetæ ℥ij. infundantur per octiduum in ſpiritus vini ℥xxvi. poſtea ſ. a. in B. deſtillentur.

In capite, corde, ac ſtomacho confortando, catarrhis, paralyſi, epilepſia, apoplexia, vertigine &c. curandis deprædicatur.

Convulſivus *Geilfuſii.*

℞. Fol. roriſmarini, majoranæ, origani, ſalviæ, bethon. ſabinæ, rutæ, ſcordii, cochleariæ, naſturtii aquat. ſummit. pini reſinoſ. juniperi an. m. j. flor. ſpicæ, lilior. convall. hyperici an. m. iß. caſtorei ʒvi. lumbricor terreſtr. ℥ij. cubebarum, cardamomi an. ʒiij. nucis moſch. ℥iiß. maſtichis ʒij. Theriacæ ℥j. inciſa ac contuſa infundantur in vini generoſi ℔v. *& V* ℔j. *deinde deſtilla & ſerva, ac tempore uſus in eo diſſolve camphoræ q. ſ.*

Spiritus hic efficaciſſimus eſt ad omnes affectus ſpaſmodicos, paralyſin, contracturas &c. interne & externe.

Spiritus Diapente ex *Pharmac. Auguſt.*

℞. Elixir. proprietatis Paracelſi ℥j. ſpir. Theriacalis camphorati ʒiſs ſpir. vitrioli rectificati ʒj. Tart. rectificati ℈ij. ſalis rectificati ʒj. omnia miſceantur & digerantur per xiv. dies, ac ſerventur uſui.

In affectibus ventriculi & capitis multùm valet, humores ventriculi vitioſos corrigit, ſudoremque & urinam provocat.

Spiritus Diatrion ſeu miſtura ſimplex ex *Pharmac. Auguſt.*

℞. Spiritus Theriacalis camphorati ℥v. ſpir. tart. rectificati ℥iij. ſpir. vitrioli boni ℥j. miſceantur & digerantur aliquandiu in vitro benè clauſo.

Nobiliſſimum Medicamentum ad plurimos morbos, uti obſtructiones viſcerum reſerandas, pleuritidem, uterum calefaciendum, venena, & malignam materiam in febribus per ſudorem diſcutiendam exſiſtit.

Spiritus Ant-Epilepticus ex *Pharm. Norimberg.*

℞. Vitrioli Hungarici depurati ℔iv. *urinæ puerorum ſanorum, rec. collectæ,* ℔viij. *Digere vaſe clauſo aliquandiu in B. M. poſtea in eodem deſtilla ad ſiccitatem duplex phlegma, duplici uſui reſervandum. Caput mortuum ex retorta terrea, forti igne nudo, intenſo paulatim calore, urge: prodeuntibus confertim ſpiritibus, liquor emanat pretioſiſſimus, ſulphurei odoris, & ſaporis auſteriuſculi, qui per retortam ſemel atque iterum rectificari ac probe in vitro clauſo aſſervari poteſt.*

Spiritus Euphraſiæ Mindereri ex *Pharmac. Auguſt.*

℞. Spiritus Ceraſorum nigr. ℔j. *Aquæ hirundin. compoſitæ majoris ℥vi. Doronici veri, caſſiæ ligneæ veræ, Amomi veri, rad. valerianæ, chelidonii an. ʒii. mari veri, fol. rutæ an. ʒj. flor. Euphraſiæ ſelectiſſimor. ſiccorum unc. iß. vel recentium unc. iij. infundantur per noctem in liquoribus his, vaſe bene clauſo, manè per Balneum Mariæ deſtillentur leni igne in ſpiritum.*

Viſui confert hic ſpiritus, dum ſpiritus viſivos & animales reliquos reficit, cerebrique frigiditatem corrigit; in ſcotomia etiam & vertigine utilis.

Spiritus Salis Compoſitus Hartmanni ex *Pharmac. Auguſt.*

℞. Salis nitri puri, communis præparati an. quantumlibet. Miſce cum dupla vel tripla quantitate argillæ ſiccæ, atque è globulis indè factis exſiccatisque per retortam igne reverberii ſpiritum propelle; hujus ſpiritus, à quo prius phlegma in Balneo abſtraxeris, & deinceps per retortam vel cucurbitam in arena rectificaveris, ℔j. *permiſce cum eadem quantitate ſpiritus vini, circula aliquandiu ad perfectiorem unionem, & ſerva ad uſum.*

Hujus ſpiritus ſalis compoſiti uſus in ictericis, hydropicis, aliiſque morbis, in quibus ſpiritus ſalis ſimplici locus eſt, inprimis commendatur.

Spiritus Radicum Satyrii Aphrodiſiacus ex *Rolfink.*

℞. Rad. ſatyrii ſucculentarum, abjectis flaccidis ℔j. *micæ panis ſimilag. m. iij. ſpiritus vini, ad eminentiam ſpithamæ. Contundantur radices ligneo piſtillo, cum micâ, adfuſa ſpiritus vini parte. Subacta*

mixtura locetur in cucurbitâ ferreâ vel vitreâ. Poſt affunde 🜄. *Clauſo vaſe digeſtio inſtituatur in lento calore, ſpatio* ☍ x. *ex.me deinde ex vitro, & benè exprime omnem ſuccum per linteum.*

℞. *Hunc ſuccum macis, Cardam. ſem. erucæ, naſturt. an.* ℥iij. *nucis moſch. Caryophyll. cubebar. an.* ʒj. *in cucurbita cum alembico cæco, ſtent bene contuſa, ſuperfuſo vino generoſo, ad canth.* VI. *digere per aliquot dies. Hinc mutato alembico, roſtratum ſubſtitue. Fiat deſtillatio in cineribus. In liquore prolato ſuſpendantur nodulo incluſa. Moſchi* ℈j. *Ambræ* ℈ß.

Vires, Purificato corpore & rurſum benè nutrito cibis boni ſucci, & facilis coctionis, caponibus, perdicibus, ovis tremulis, vino dulci Hiſpanico, aliquoties de die, etiam circà tempus concubitus, ſumtus ſpiritus hic facit officium. Doſis cochl. j. ij. Utendi modus. Per ſe ſumi poteſt, aut cum vino aliquo generoſo.

Spiritus Theriacalis Camphoratus ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Spiritus vini optimè rectificati* ℥x. *Theriacæ Andromachi veteris* ℥v. *Myrrhæ rubræ* ℥uß. *croci Auſtriaci* ℥ß. *poſt peractam octiduanam digeſtionem fiat in B. M. ſpiritus deſtillatio, imponendo alembici roſtro camphoræ* ʒj.

Egregie ad ſudores eliciendos in peſte, ictero, quartana & ſimilibus confert; corpus penetrat, & quidquid noxium reperit, corrigit atque expellit.

Spiritus Vitrioli Cordialis Angeli Salæ ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Cornu cervini albiſſimè calcinati* ℥vi. *ſpiritus vitrioli acidi* ℥viij. *Mixta per retortam deſtillentur; & liquor elicitus ſervetur.*

Cordiale præſtantiſſimum, febribus item omnibus conveniens medicamentum, contra putredines inprimis, ſalutare creditum; à vulgari tamen ſpiritu vitrioli vix quidquam differt.

Sequuntur Spiritus varii tum ſimplices tum compoſiti, tum vegetabiles, tum minerales ex Chymia Jacobi Le Mort.

Spiritus Antapoplecticus S. Cloſſ. ex *Schrodero.*

℞. 🜔 *Sang. cervini* ℔ß.

Infuſionis florum lavend. in aq. pœon. fact. ℥iv. M. & deſtilla ad medias per MB. ſpiritui extillato adde infuſionis novæ florum lavend. eandem quantit, deſtilla denuò, idque tertium repete, tandem adde huic 🜔 🜄 rectificat. ℥ij.

Doſis à gutt. vj. ad xij. & xx. in juſculo aut aq. approp. Juvat Paralyticos, Apoplecticos, Pleuriticos, Aſthmaticos, omnes eos quorum pectus ſanie aut purè occupatur, anacatharſin enim promovet egregiè.

Spiritus Ant-Apoplecticus S. Cloſſæi.) Commodior fiet hujus elaboratio, ſi liquori ſanguinis cervini ſale volatili turbido ol. deſtillat. lavendul. addatur in ſ. q. & per MB. deſtillatio fiat. *Hofmannus.*

Spiritus Carminativus D. D. Franc. De le Boë Sylvii.

℞. *Rad. Angelicæ,* ʒj. *imperator. galangæ ana* ʒiß. *folior. roriſmar. major. rutæ hortenſ. baſilicon. ſummitatum centaurii min. ana* Mß. *baccar. lauri* ʒiij. *ſem. angelicæ, leviſtici, aniſi ana* ℥ß. *Zinziberis, nucis moſchatæ, maceris ana* ʒiß. *cinnamomi* ʒvj. *caryophyllor. corticis arantior. an.* ʒj. *Conciſis & craſſe contuſis adde. Spiritus vini malvatici vel Hiſpanici* ℥xl. *Digerantur per biduum in MB. hinc ad ſiccitatem diſtillentur. Quicquid aſcenderit magmati iterum affundatur, per biduum digeratur, mox tres partes quartæ diſtillentur. Servetur ſpiritus diſtillatus ad uſum. Qui valet affundat reſiduo ſpir. vini vulgar. ſed rectificati* ℥xx. *atque poſt bidui digeſtionem iterum diſtillet, quandiu prodibit ſatis potens ſpiritus, qui ſeorſim ſervetur, tanquam imbecillior priore, magnarum tamen ad diſcutiendos flatus virium, ſi convenientibus mixturis jungatur, aut addito ſaccharo in aq. roſacea vel fœniculi diſſoluto edulcoretur ad gratiã, uſurpeturq; purior & potentior.*

Spiritus Cordialis Balſamicus ex D.D. *Rolfincio.*

℞. *Terebinthinæ Venetæ* ℔ß. *thuris, maſtiches caryophyllor. nucis moſc. cubebar. cinam. cardam. ana* ℥j. *rad. Zedoariæ, tormentillæ, vincetoxici, angelicæ an.* ℥ij. *ſem. aniſi, fœniculi, baccar. lauri ana* ℥j. *Conciſ. contuſ. affundantur ſpir. vini canth. vj. Digeſtione quatriduana peracta; bene clauſo vaſe, deſtilletur ſpiritus. Primus ſeorſim ſervetur, inque eodem ſuſpendatur nodulus in quo moſchi alex.* ʒj. *ambræ* ℈j. *Exceptis gutt. x. xij. in cochleari vini lacteſcit liquor. Vires ſunt cordiales & alexipharmacæ. Doſ.* ℈ß. *& ultra in hauſtu vel cochleari vini vel juſculo.*

Spiritus Cordis Cervi compoſitus ex Eodem.

℞. *Cord. cervi vel aprugni ſylveſtr. nom. ij. Abluantur vino bono & incidantur in portiones parvas. Adde folior. cardui benedicti, meliſſæ, roris ſolis, majoranæ ana m. j. rad. ſcorzoneræ, angelicæ ana* ℥iij. *cortic. citri, aurantior. ana* ℥j. *ſem. citri, ocymi ana* ʒij. *caryophyll. cinnam. nucis moſc. ſantali citrini an.* ʒij. *ligni aloës* ℈j. *rhodij* ʒiij. *Inciſ. contuſ. adde vini malvatici vel alterius generoſi q. ſ. Deſtillentur in veſica. Cordialis eſt ad quantitatem cochlearis exhibitus per ſe.*

Spiritus dulcis Mercurij ex D.D. *Donzelli.*

℞. *Mercurii ſublimati cryſtall.* (*non mercurii dulcis*) *q. v. pulveretur in alcohol & reponatur in alembico vitreo non multum alto ſuperinfuſo ſpir. vini optimi q. ſ. diſtilla in calore cinerum, cohob. donec ſpir. vini per collum vaſis aſcendens albeſcat, ad inſtar olei albidi, tunc mutetur recipiens, & excipiatur mercurii ſpiritus dulcis. Reaffunde fæcibus novum vini ſpir. & procede ut in prima operatione, donec omnis materia in oleũ abeat.*

Hic ſpiritus efficaciſſimè operatur in ulcere renum & veſicæ, Doſ. gutt. ij. iij. bis aut ter in die, in aq. radic. nenuphar. caudæ equinæ, plantaginis. Arthmannus aſſerit, hoc modo etiam inveteratiſſimas exulcerationes tolli feliciter ſcilicet.

℞. *Conſervæ roſ. rub. ſine additione liquor. acidi* ℥j. *ſem. hyperici* ℥ß. *M. & ſume per aliquot dies quantit. nuc. jugland.*

2. Spiritus Nephriticus ex Schrôd.

℞. *Ovum ſtruthionis, pulver. affunde* 🜔 *Sal. com. & in digeſtione relinque, donec probè ſoluta appareat corticum ovorum ſubſtantia, atque tum per chartam filtretur, ſerveturque.*

Vires. *Eſt ἀπόῤῥητον nulli fere ſecundum à Cæſareis Medicis S. Cloſſæo communicatum.*

Doſis gutt. vj. viij. ex vino opt. vel aq. florum fabar. florum acac. malv. veron. addito ſyr. dialth. Fernel. Inſigniter aperit, incidit & commovet arenulas, calculum, urinam, nonnunquam etiam menſes & ſedes atque etiam ſerum in hydropicis.

N. *Fit & inſignis ſpiritus nephriticus* ▭*æ ſpiritum à* ⊖*-o deſtillando. Vid. I. Agricol. in Popp. p. 1. p. 585. Lôſſelium in Scrutinio Remim. Confer cum Querc. in Querc. Rediv. t. 3. p. 704.*

Spiritus

Spiritus Nephriticus.) Hic liquor potius quàm ſpiritus eſt. Præſtat aliquid in calculo expellendo. Fit & inſignis ſpiritus nephriticus cum notabili effectu ſuam operationem exercens ſp. urin. à Vitriolo deſtillando, de quo infrà Libro III. plura vid. theſaur. pharmaceu. l. c. n. VIII. *Hoffmann.*

Spiritus panis ſimilaginei analepticus ex D. D. *Rolfincio.*

℞. *Pan. è furno recenter extract.* ℔iiij. v. *nuc. moſc. num. x. macis* ʒiij. *caryophyll.* ℥j. *Zinziber. galangæ an.* ʒiij. *vini boni ſpir. frumenti an. q. ſ. ad eminentiam ſex digitorum. Conciſ. contuſ. ſtent in digeſtione; poſt deſtillatio ex arena inſtituatur. Deſtillatum bis vel ter cohobari poteſt ſuper panem novum, vel primum ſervari. Reficit ſpiritus deperditos. Doſ.* ʒj. *ij. iij. per ſe, vel cum alio liquore.*

Spiritus ſeu aqua polychreſta, ſcorbutica, cachectica ex Eodem.

℞. *Cortic. rad. cappar. tamariſci, fraxini, rad. cichorij, bryoniæ, polypod. vincetoxici, aſparagi, petroſelini, ſcorzoneræ an.* ℥iij. *chinæ, ſarſaparillæ, eryngii an.* ʒiij *folior. agrimonii, abſinthii pontici, centaurii min. chamædr. cochleariæ, cuſcutæ folior. eupatorii meſuæ, fumariæ, hyſſopi, meliſſæ, naſturtii aq. ſalviæ an. mij. ligni guajaci raſpati* ℥ß. *ſcobis ligni ſaſſafras, ſantali rubri an.* ℥iij. *ſem. apii, petroſelini, aniſi, citri, naſturtii ana* ℥ij. *flor. ſambuci, geniſtæ, nymphææ, lupuli ana m. iij. Exſiccata omnia, conciſa, contuſa macerentur per dies iij. in vin. bon. odoriſ. q. ſ. Deſtillentur per veſicam & alembicum cum refrigeratorio. Spiritus primæ & ſecundæ deſtillationis ſeorſim ſerventur, vel ex omnibus benè digeſtis per dies & noctes vj. & per linteum cum forti expreſſione colatis, ex cucurbita terrea deſtillatur ſpiritus, ſeorſim ſervandus, poſt aqua ad mellaginem uſque. Signetur ſpir. primæ & ſecundæ deſtillationis. Extractum ulteriùs evaporandum ſeorſim ſervetur.*

Spiritus Uterinus ex D. *Charraz.*

℞. *Rad. Ariſtoloch. longæ & rotundæ, pæoniæ, valerianæ min. an.* ℥ij. *caſtorei* ℥j. *ſummitatum ſiccar. abſinthij, arthemiſiæ, tanaceti, matricariæ, flor. ſambuci, chamomillæ ana m. j. Macerentur per triduum contuſa vel inciſa omnia in ſpiritus vini rectificati* ℔iv. *deinde ex a. deſtillentur & ſervetur ſpiritus.*

Hic ſpiritus præſens eſt remedium pro reprimendis vaporibus ab utero elevatis, & reſerandis obſtructionibus. Doſ. ʒj. *ij. iij. iv. in aq. aut decoctionibus hyſtericis, poteſt itidem, naribus, temporibus & umbilico applicari.*

Spiritus ardens Frumenti.

℞. *Farinæ Hord. germin.* ℔xx. *Farinæ Siliginis* ℔xxx. Mixtis ſuperfunde aquam ferè ferventem q. ſ. ut in paſtam mollem reducantur optimè agitando; coopertũ relinquatur vas per duas treſve horas, donec aqua omnes partes farinæ optimè madefecerit, dein adjice majorem quantitatem, indefeſſe materiam agitando, ne in glebas concreſcat. Tamdiu perſeveretur in affuſione aquæ & agitatione materiæ, donec ad ſupereminentiam debitam aqua ſuperaverit maſſam farinaceam; ultimò adde fermentum, ſive è fœcibus cereviſiæ, ſive è paſta panis ſubacida: fermententur ſimul, donec maſſa farinæ in altum elevata in principio fermentationis ſenſim detumeſcat, & ſubſideat, ſupernatante poſtmodum limpido liquore, acidiuſculum halitum ſpirante. Deſtillationi dein committe, quæ tamdiu continuari debet, donec aqua excepta flammæ injecta, amplius ardere nolit, quod ſignum eſt omnimodæ abſtractionis: liquor exceptus rectificationi committatur cum manipulis aliquot calcis. Signum boni ſpiritus eſt, ſi vitro immiſſus & aliquantulum commotus, bullas in ſuperficie admittat diutius perſtantes. Hic ſpiritus, ſi ulteriori rectificationi committatur, ad ſpiritum rectificatum & alcohol vini poteſt reduci.

NOTÆ.

1. Caveatur in prima affuſione *aqua*, ne illa *fervens* affundatur: facilè enim *aduritur* farina; *contrahuntur* enim particulæ *ramoſæ* à fervente liquore, ut corium ſupra ignem: unde exaltatio & *ingreſſus* impediuntur & ſic *ſpiritus* deperditur. *Maceratio* autem illa cum *parva* quantitate aquæ eſt perficienda: *primo*, ut æqualiter humectetur: *Secundo*, ut arctiſſimè partes commiſceantur: *Tertio*, ut particulæ *agitationem internam aliqualem* primo ſuſcipiant, quæ in humido externo natantes, preſſæ undiquaque, ab anguſta & irregulari viſcoſa vicinia corporum terreſtrium exacuuntur, expanſionem poſtea accelerant, & *motum inteſtinum* adjuvant, abſolvendum poſtea *majori* affuſione *aqua*, & *Fermenti*, mobilibus particulis gravidi.

2. Miſcentur hæ duæ farinæ, ut *Hordeum germinatum levitate* ſua *farinam ſiliginis ponderoſiorem* & graviorem facilius in *altum* elevet, & *fermentationem* facilitet.

3. Signum *bonæ fermentationis* eſt, ſi *omnis* farina in altum elevetur, & *halitus tenuiſſimus* aſcendens nares vellicet; *abſoluta* autem *fermentationis* ſignum eſt plenaria *ſubſidentia* hujus frumenti. *Elevatio* enim *farinæ primum* conſtituit fermentationis ſignum, prout *ſpuma* &c. in aliis fermẽtantibus liquoribus; quamdiu enim *ſphærica* jam in *bullas* dilatata craſſior figura perſtat, tamdiu *inflata*, tumidaque perſtat agitatio partium; *ventiformi inflatione* enim *leviores* factæ altum citiſſime petunt: eodem modo, ut *bullæ* apparent in *aqua ſapone* infecta, per fiſtulam inflata, itidemque omnibus liquoribus *mucilaginoſis*. Ceſſat verò illa *intumeſcentia* ſtatim, ubi textura illarum veſicularum læſa, *halitus* illos *retinere* diutius nequit, & *magis rectus* pororum & meatuum fuerit *ſitus*, expulſis etiam omnibus rarioribus corpuſculis *ſolino-ſulphureis*, antehac in clauſtris durioribus & inutilioribus hoſpitantibus, nullibi jam coercito, neque excepto moto in majoribus terræ gravioris tubulis, *ſubſidentia* fit *ſpontanea* illorum corporum, inſtar *limi fundum* vaſis poſtea occupantium. Eodem modo, ut videmus, corallia, perlas, oculos cancrorum &c. ab *acido illic ſeſe inſinuante*, in *altum* elevari, quo *ſatiato omnis motus graviorum* corporum *tollitur*: ſic & in *igne* tamdiu perſtare flammam videmus, quamdiu *integra* tubulorum & meatuum *ætherem* excipientium extat *figura*, qua læſa chaos ſuum perit *æther*, axes minores non obtinens, circa quas ſeſe exerceat.

4. Quo *major* affunditur aquæ copia, quæ ad minimum *tepida* eſſe debet, eò *citiùs tempus fermentationis* abſolvitur.

5. *Calx* admiſcetur in rectificatione, ut *odor empyreumaticus ſubacidus* tollatur, nec metus eſt, quod ullo modo ſpiritum *depauperet, cum è contra ſalia alcalia* magis *pingues & oleoſas* reddant partes: ut alibi latius.

Vires. *Convenit viribus cum ſpiritu vini, niſi, quod magis ſit anodynus & ingratioris odoris & ſaporis.*

Spiritus ardens nobilior & gratior, tam in ſapore quàm odore, colligitur ſecretiori *modo ſequenti.*

Spiritus Frumenti gratior.

℞. *Farinæ cujuſcunque Frumenti, debito modo præparati* ℔xx.

Fæcum Vini expreſſarum, Belgice, Droge weinmoer ℥xx.

Præpa-

Præparentur ut ſuperius, hac tamen cum cautela, ut fæces in aqua tepida prius diluantur, antequam farinę humectatæ adjiciantur: fermētētur dein ſ. a. liquorem limpidum, à ſubſidentia farinæ factum, deſtillationi per ſe committe, & rectifica, ut ſuperius: ſic nanciſceris ſpiritum, in omnibus ſpiritum è vino deſtillatum æmulantem. Fæces iterato addito liquore, leviter fermententur; ſic denuo ſpiritum præbent. Reſiduum craſſum pulpamentum, addita cereviſia vel aqua etiam extrahi poteſt per deſtillationem, ſic omnis ſpiritus obtinetur: ultimus autem ingratior exiſtit.

Fructus vel *magis ſucculenti* ſunt, qui, ut ceraſa, ribeſia &c. *expreſſo* & *fermentato* ſucco, *ſpiritum* præbent: vel *minus ſucculenti*, ut poma, pyra &c. è quibus etiam liquor *extorqueri* poteſt, ſed cum *jactura* partium: hæ ergo ut *conſerventur*, *ſeq: modo* procedendum eſt:

Spiritus Pomorum.

℞. *Aq. Communis q. ſ.*

Ei immergantur Poma, ut innatare queant; coquantur ſimul, donec mollia evaſerint, quibus exemptis alia injiciantur, & coquantur, ut ante, poſteaque eximantur, eodem modo tamdiu procedendo, donec ſufficiens adſit quantitas Pomorum coctorum. Adimpleatur iis dolium, & leviter contundantur; ſuperfuſa dein præcendenti aqua & cochleari uno vel altero fecum cæreviſiæ, fiat fermentatio ſ. a., qua abſoluta deſtillationi ſubjiciantur in veſica cum ſerpentina inſtructa: ſic prodit ſpiritus fragrans, ſpiritui è vino parato vix cedens.

NOTÆ.

1. *Coctio* hæc eſt præmittenda, ut *facilior* & promptior fiat *fermentatio*, & partes molliores factæ fere *omnes* in liquorem vertantur.

2. Liquor fermentatus, colatus à *fæcibus*, etiam deſtillari poteſt, ut gratiorem & magis fragrantem edat *ſpiritum*.

3. Et fæcibus *acetum* fieri poteſt, ſi cum aqua *ſaccharata diluta* iterato fermententur, addito fermento acido.

4. Liquor fermentatus *vinum* æmulatur, ſi rite præparatus exiſtat, ita ut non opus ſit dicere *ſeparationem* jam factam eſſe *ſalium tenuiorum* à *craſſiori fæce* terreſtri, quæ in fructibus, ſaccharo, muſto &c. mollem & *obtuſum ſaporem dulcem* efficit, jam in *acidum gratiorem* redactum.

Vires. Cum ſp. vini unæ eademque ſunt.

Eodem modo omnes *Fructus*, &c. tritici & omnium aliarum *farinarum* genera deſtillari poſſunt. Differunt autem hi *ſpiritus* tam in *guſtu*, quam in *odore*.

Spiritus ardens Mellis.

℞. *Mellis* ℔. xxv.

Aquæ pintas C. vel ℔. CXXXV. circiter. Ebulliant ſimul, vel ſaltem aqua fervefacta Melli ſuperfundatur, ut optimè dilui poſſit; huic adde fœcum cereviſiæ cochlearia 3. vel 4. fermententur ſimul per tres quatuorve ſeptimanas, dein deſtillentur, ut artis eſt.

NOTÆ.

1. Signum *perfectæ fermentationis* eſt, ubi bullulæ ceſſant, *odorem* & *ſaporem* valde *ſpirituoſum* liquor edat, & *guſtum dulcem* pro maxima ſui parte depoſuerit, denique, ubi liquor ſupernatans *planè clarus* evaſerit.

2. *Primus* egrediens *ſpiritus* pro *vino aduſto vulgari* conficiendo tam diu ſeorſim excipitur, quam diu *bullas in ſuperficie* admittit; *reliquus* verò liquor *ſubalbicans phlegmaticus*, eodem modo ulteriùs abſtrahitur, ut ſupra dictum, qui ulteriori *rectificatione* poſtea indiget.

3. *Effervescentiæ & fermentationis diverſitatem* demonſtrant fermenta & ipſa fermentantia: prout enim *effervescentia* ex mutuo *concurſu alcali & acidi* ſe mutuo involventium *oritur*, ſic *fermentatio* ab illo *coitu*, *veſiculas* & *cellulas* illas *replente*, & anguſtante, *tollitur*, ad fundum deturbatis *limoſis* particulis *gravioribus* factis, in quas antea inflatas & leves *Ætheris mobilis influxus* patebat, fortiter de loco *ſylveſtri illo vento* propulſo. Ideoq; nulla *alcalia fermentanti liquori ſola* addi debent, ſaltem non in principio, nec in tanta copia, ut poros & *meatus ſalium expanſorum* replere aliquo modo poſſint; ſtatim enim actio illa inteſtina tollitur. *Non uno* tamen eodemque *modo* illæ *motus ſublationes* fiunt, ſed *pro diverſitate alcali* diverſimode procedunt, quæ experimentis illuſtrare hic nimis longum foret. Egregia etiam ratiocinia & experimenta *de Morbis & Febribus, eorundemq; curatione per alcalia*, hic applicari poſſent, *An* nempe, *ulla in ſanguine bene conſtituto adſit fermentatio*, niſi tali nomine omnes *motus* magiſtri hujus artis velint indigitare, quod ego tamen cum aliis (ut aliquis olim protulit: *fermentatio eſt motus, ceſſatio eſt quies*) plurimis doctioribus Viris *nego*; tunc enim *omnia alcalia* eſſent *lethifera*, utpote quæ extinguerent illud *fermentum vivificum*: *An febres & morbi ab acido provenire poſſent ſine præcedente fermentatione*, quod etiam penes me in *negativa* ſtaret ſententia ob plurimas rationes partim in *fermentationis* hiſtoria allatas, partim ob alias nimis longas: *item, quid ipſa ſubſtantia medicamentorum contribuat, & an ab illis corporibus, vel ab halitibus dependeat medela?* &c. Sed ad rem. *Acida fermentativum motum* inceptum neutiquam ſedant, niſi reſpectu occurſus *ſalis alcali*, divortium à ſua *terra* parantis; è contra ſæpius inſtigatur ille *motus* ab iiſdem: hinc facile patet, quare *in doliis quernis fermentatio exactior* fiat, quam in *terreis, vitreis*, vel ex alio ligno fabricatis, quoniā nēpe *acido vitriolo vegetabili* ſcatet.

Vires. *Valde commodus eſt Spiritus oleis diſſolvendis & tincturis extrahendis, quamvis idem etiam aſſequi poſſis ſpiritu vini bene rectificato.*

Eodem modo *ſucci condenſati*, ſaccharum & ſimilia præparari poſſunt.

Spiritus Vini rectificatus.

℞. *Vini aduſti q. v.*

Impone veſicæ, & leniſſimo igne per ſerpentinam ſtanneam deſtilla ad mediam ferè partem. Hic ſpiritus, ſi denuo rectificetur, *alcohol vini* evadit, id eſt ſpiritus vini, omni phlegmate ſuperfluo liberatus, qui ad uſum ſervandus in vitro optimè clauſo.

NOTÆ.

1. Quò *fortius* vinum aduſtum, eò *majorem* ſpiritus rectificati copiam præbet.

2. Si *prima vice rectificatiſſimum* expetas ſpiritum, *per alembicum tubulatum* ad pedis unius vel alterius altitudinem fiat deſtillatio *per MB.*

3. Per additionem *ſalium* etiam *phlegma* retineri poteſt, ut non tam facilis ſit aſcenſionis, v. g. ſi ad ſingulas *libras quinque vini aduſti*, *manipuli duo vel tres ſalis* aſſumantur. Spiritum inde aliquo modo *immutari*, & *compoſitum* evadere demonſtrant *ſalium diverſa natura, illi in mixtione occurrentium*, experimenta. Sic huic ſpiritui cum *ſale communi* rectificato ſi *alcali fortiſſimum* inſtillaveris, levem ſubit effervescentiam; è contra, ſi ſuper *alcali* rectificatus ſit ſpiritus, cum *acido* eandem ſubit &c. Itaque unuſquiſque ſalia illa adhibeat, quæ operationibus inde ulterius conficiendis non contrarientur.

4. Additione autem *ſalium* etiam *prima vi per retortam vitream alcohol* fieri poteſt. Spiritus vini rectificatiſſimus, quamvis videatur *omni phlegmate* carere,

atta-

tamen illo non facile *plenariè* orbatur, ut demonſtrant *repetita rectificationes ſuper ſalia alcalia*, quæ tantum recipiunt *terra* & *aqua*, quantum *ſpiritus ſubtiliores*, in rarefactione auras petentes, *graviora ſua corpora* deſerunt, ut in pleriſque fit *nimis repetitis rectificationibus*: unde ſenſim totaliter *ſpiritu pereunte aqua elementaris* relinquitur.

5. *Signum boni Alcohol vini* eſt, ſi *pulverem pyrium incendat* deflagrans Spiritus vini, & ſi *gutta* una vel altera effuſa, *pavimentum non attingat*, ſed in aëre *diſpareat* ob ſubtilitatem & tenuitatem partium, quamvis facile credam, idem poſſe contingere in *guttula aqua*, ad *turris* altitudinem projecta ardente ſole. *Goſſypium* etiam *non totaliter* dephlegmato Spiritu vini incenditur, ubi hic illic *in extremitatibus*, per calorem *expulſâ* & rarefactâ *aquâ*, illud *ſiccum flamma devorandum* patet. *Perfectiſſimum* autem *ſignum* eſt, ſi cum *alcali ſale recenter optime ſiccato*, & calcinato miſceatur, & comburatur *perſtante* priſtina ſalis *ſiccitate*.

Vires. *Menſtrui loco famoſiſſimi ad exaltanda & extrahenda corpora exiſtit, ventriculo debili convenit. Doſis ad ℥j.*

Menſtrua Chymici plurima excogitarunt, corporum ſolidiorum *diſſolutionibus & extractionibus* idonea: Quoniam vero *plurima* eorundem *partes* pertinacius *reſiſtunt* liquoribus, vel ob *ſolidam compagem*, vel ob *texturam irregularem*, adeo, ut divortium non facile ineant, præcipue ubi *acies fluidorum minor*, & penetrandi vis *debilior* exiſtit: Ideo calcaris loco *ſalia* diverſa in uſum traxerunt, tam *fixa* quam *volatilia*, quibus *armata menſtrua* vi ſibi viam parare poſſint, & ad abſtruſos aditus pervenire; ut inde theſaurum nobis communicent ſuarum *virium*: quod in *duabus ſequentibus operationibus* circa hoſce Spiritus ardentes patet: ſic & *abſque deſtillatione phlegma* ſuo Spiritu privari poteſt *ſeq. modo:*

℞. *Vini Adusti* ℥xx. *Sal. Tartar. opt. calcinati* ℥iv. *M.*

Agitentur ſimul, ſic ſenſim phlegma diluit illa ſalia, quibus dein oneratum propria gravitate ad fundum abſcedit, ſupernatante Spiritu limpido leviter flaveſcente: Spiritum hunc per decantationem ſeparatum iteratò cum ſale alcali permiſce, & agita, donec ſal nulli phlegmati occurrens, ſiccum in fundo remaneat.

N O T Æ.

1. In hac operatione primo *color Sp. vini* intenditur, dein phlegmate ſecedente *remittit*, *phlegma* autem *rubrum* induit *colorem*, ſigno, præcipitationem aliqualem inde fieri ab occurſu ſalis cum ſpiritu.

2. *Rectificatus per deſtillationem Spiritus* & aqua vitæ ſi denuo cum *ſale alcali* agitentur, *flaveſcens* evadit, *phlegma* autem *limpidum* manet ob leviter *præcipitatas ſulphureas* terreſtres particulas.

3. Hic Spiritus ab *odore* & *ſapore ſalis lixivioſi* liberari poteſt, ita ut gratiſſimus evadat, *exaltato* nempe *ſulphure* vini, & *depreſſo acido* ejus ſuperfluo, unde fragrantia.

4. Idem etiam omni *colore privari* poteſt, ut fit inſtar Sp. vini per deſtillationem rectificati.

Vires. *Multo præſtantior eſt in extrahendis quibuſcunque ſimplicibus, Spiritu per deſtillationem rectificato: acuatus enim eſt particulis, quæ facilem ingreſſum præbent. Interne ſudores & urinam movet. &c.*

Spiritus Vini rectificatus compoſitus, Tartariſatus dictus.

℞. *Tartari crudi* ℥viii. *ſalis tartari* ℥iv. *Spiritus Vini vulgaris* ℔. viii.

Digerantur per diem unum, dein deſtillentur ad mediæ partis abſtractionem: deſtillatum Spiritum ſuperfunde ſalis Tartari ℥ii. & Tartari crudi ℥iv. denuo, deſtillentur ad mediæ partis abſtractionem, ſic Spiritus vini prodit, Tartari ſubtilioribus particulis imbutus.

N O T Æ.

1. *Digeſtio*, cum vulgari *Spiritu vini* præcedens, requiritur, ad majorem *exaltationem particularum Tartari*, quæ mediante *phlegmate* alcali *Tartari* imbuto diſſolvuntur, & quaſi fermentantur, vel potius *blande efferveſcunt*, *Spiritumque tenuiorem* hoc modo fundunt.

2. *Salium reſeratio*, unio, & exaltatio cum ſpirituoſis, commodiſſimè fit per *mixturam ſalis muriatici & fixi*, quoniam *ſalia fixa* clavium inſtar ſunt, & fermenti loco, quibus mediantibus *volatiles* particulæ, *in muriaticis exiſtentes ſalibus*, ſui juris fiunt, & facile aliis *volatilibus aſſociantur*, conſortio terreſtrium particularum liberatæ. Quod facile apparet in omni *efferveſcentia*, *ſpiritum fumoſum in copia exhibente*, qui *Mercurij Philoſophici* nomine *à Baſilio Valentino* nobilitatur, & revera *intermedium* conſtituit *Spiritum alcalino-acidum tenuem*. Sic omnia *ſalia* hoc modo modo *acuari* & exaltari queunt cum *Spiritu vini*.

3. *Alcalia ſulphureas partes depauperare*, nunquam expertus ſum; *contrarium* etenim *omnis experientia* demonſtrat, ubi partes illę, cum aqua altius ſeſe inſinuante, ſimul mixtæ *pinguem ſuam conſiſtentiam* reſervant: imo in plurimis ipſa *figura haut immutata perſtat* in ipſo conſortio, prout & in *diſſolutionibus per acida* factis. *Olea ſtillatitia* non magis in *Spiritu ardente ſacchari* diſſolvuntur, quam in *Spiritu vini generoſo*, id eſt, non ex nimis acidis fæcibus confecto; nam *gradus aciditatis* plurimi ſunt, antequam *Spiritus ardentes* totaliter *figantur*. Harum autem *maxima copia*, in præcedenti *Spiritu rectificatiſſimo per præcipitationem* facto, *abſorbentur*; unde & in *reſinoſis extractionibus* faciendis omnibus alijs prævalet; poſtmodum *hic* ſubſequitur *tenuioris & fugacioris conſiſtentia*. *Tartarus* autem *ſolus* ſi Spiritum præberet in deſtillatione tanquam acidus, *macrum* redderet *Spiritum pro oleis diſſolvendis*, quoniam *acida oleorum* & *reſinarum* conſortium *reſpuunt*, vel cum illis in *offam duram coaleſcunt* relicto menſtruo fluidiori; ſi *oleum præberet* ſaturatior jam Spiritus vini, ulterius *oleum admittere* vix poſſet: ideoque *intermedium* requiritur *ſal potius alcalinum quam acidum*, quod *macrum* reddit *Spiritum* pro *vegetabilium & animalium partibus oleoſis* extrahendis: pro *mineralibus* autem *denſioribus aciditas* relinquatur.

4. Spiritum hunc *aliquas è Tartaro partes* recepiſſe, & quidem *ſalinas volatiles*, argumentum infallibile præbet *efferveſcentia cum acido*, ut & leviuſcula poſt motum illum *ſubſidentia*, è particulis *ſalinis* orta. Rarius enim *præcipitatio* motum ſubſequitur, niſi ab *occurſu fluidi cum ſolido*, in mutuum amplexum ruentium, & corpora cætera in *interſtitiis* latitantia, vel in quibus hoc vel illud innatabat, deferentium.

Vires. *Diureſin promovet, menſtruum ſat famoſum eſt extrahendis Vegetabilibus & Animalibus aliquando itidem pro mineralibus. Doſis interne ad* ℥ß.

Flores & Folia particulis *ramoſis volatilibus* imbuta, *Spiritum etiam ardentem* præbent, ſed in *minori* copia; ut vero *major* eliciatur quantitas, & fermentatio melius procedat, addito *ſaccharo*, *melle*, *ſyrupo* & ſimilibus, quantitas ejuſdem Spiritus augetur. Quamvis autem hic *Spiritus compoſitus* edoctus, hinc ſpiritum *æqualibus viribus cum ſimpliciori* ſpiritu dotatum eſſe, novi ob varias rationes, è quibus præcipuè *hæ tres* ſunt:

1. Ob *rationem cohæſionem partium*, quæ facile læditur à *fermentatione*, *diſſolutionemq;* continui admitit; unde

unde *putredinem* fere concipiunt ante abſolutam fermentationem *ſine ſaccharo* &c. peractam.

2. Ob *facilem fugam partium tenuium è meris floribus* & folijs fermentantibus, quæ *retinentur* à particulis *viſcoſo-ramoſis ſacchari* &c.

3. Ob *fermentationem diuturniorem*, qua mediante partes magis attenuantur, & *exaltantur* cum ſaccharo.

Nunquam autem quis credat, *eundem Spiritum* poſſe obtineri è *ſimplicibus*, *cum Spiritu vini* maceratis: cum ille nil aliud, niſi *minimam copiam magis volatilium* & tenuium particularum ſecum *elevet*, ubi in hac operatione multo *copioſius* & quaſi *tota eſſentia ſimplicis* prodit; multo minus cum *fœcibus cereviſiæ generoſæ*, nec cum ipſa *cereviſia etiam generoſiſſima*, quoniam præter additas rationes *ingrato ſapore & odore Spiritum gratiſſimum florum* inquinant. Quod additione *fæcum cereviſiæ extempore* fiat aliquis *Spiritus ardens*, illud non arguit, *ſine fermentatione* talem ſpiritum poſſe elici, cum *jam fermentatæ* ſint ipſæ *fæces*: niſi quis crederet, ſe *ſine fermentatione vinum* poſſe parare, ubi ex *fæcibus vini turbidis*, muſtum forſan æmulantibus, liquorem limpidum & *vinum* ipſum per manicam Hippocraticam *tranſcolare* videret, non advertens, è *muſto jam fermentato* illas *fæces* liquidiores depoſitas fuiſſe.

Spiritus Ardens Roſarum.

℞. Roſar. pallid. magnam ſatis quantitatem unà cum earum flavedine, impleatur hiſce mediá pars cadi vinacei, ſuperfunde aquam calentem, cum cochlearibus tribus vel quatuor fœcum cereviſiæ, ſacchari ℔. j. ex gr. ad Roſar. ℔. xvi.

Fermententur ſimul per duas vel tres ſeptimanas, donec vinoſum & fragrantiſſimum redoleant odorem, dein deſtillationi committe in veſica, liquorem abſtractum rectifica ad abſtractionem duodecimæ circiter partis; quod reliquum eſt, ſub nomine aquæ reſervari poteſt: Spiritus hic denuo ulteriori rectificationi ſuper Roſas recentes committi poteſt ad plenariam dephlegmationem, dein reſervetur.

N O T Æ.

1. In hac operatione etiam *oleum* aſcendit *craſſius*, quod optimè *Spiritu proprio dephlegmato* diſſolvi poteſt.

2. Quibus *ſaccharum inviſum* fuerit, *abſque additione* eundem Spiritum aſſequuntur, at *non in tanta copia, primò*, quia *non* tam *bene fermentantur Roſæ*; *ſecundo*, ob *Spiritum ſacchari*, eidem ſeſe immiſcentem. Hic Spiritus *vehiculi loco* eſſe ſolet, & intimè *Roſarum fragrantiam & odorem* recipit.

3. *Quarta* pars liquoris *primo progredientis ſeorſim* aſſervetur; in hac enim *Spiritus* latet; *ſignum* autem ejus *quartæ partis abſtractæ* eſt, ubi *aqua* planè *limpida*, & *non albicans* eſt; reliquæ autem tres partes ſubſequentes retineantur ſub titulo *aquæ Roſarum*, quæ adhuc ſatis fragrans eſſe ſolet.

4. *Flavedo ramoſis* particulis ſcatet, unde hæc neceſſariò ad *ſpirituoſitatem augendam*, & *oleum acquirendum* addenda eſt.

5. In loco paululum *calido* reponantur, ut *fermentationem* facilem ineant; abſque fermentatione enim nullus *Spiritus ardens* obtinetur, idem de præcedentibus eſto judicium.

Vires. *Cardiacus eſt, & temperatæ naturæ, & odoris ſui fragrantia præcipuè, ubi per ſeptimanas aliquot immotus ſteterit, ſpiritus & cerebrum recreat. Doſis à guttis iij. ad xx.*

Eodem modo *omnium florum Spiritus* parari queunt.

Spititus *compoſiti* è diverſis ſimplicibus, *variæ figuræ* & texturæ exiſtentibus, *fermentationis tempus varium* expetunt. Prout enim *fugax* eſt *ſal internum, durioriſque* vel *mollioris cohæſionis*, inde *tempus* illius inteſtini motus *protrahitur*, vel *abbreviatur*: ut autem omnia ſuis *integris viribus* donata, in *mutua mixtura* uniantur, *ſequenti modo* procedendum: 1. *Ligna*, *Cortices & Radices groſſo* modo pulveriſatæ *fermentationi* committantur; adjiciantur 2. poſt decem vel duodecim dies *duriora folia*, 3. *flores* poſt decimum quartum diem addantur, niſi ſint firmiores, tunc una *cum foliis* injiciantur; 4. *antiſcorbutica*, ſale volatili & acri prædita, *fermentatione jam fere abſoluta* adjungantur. *Sequentia duo exempla* pro demonſtratione ſufficient:

Spiritus Cephalicus.

℞. Rad. contrayerv. ℥ii. *pæoniæ* ℥viii. *ſacchar.* ℔.vi. *aquæ cois calentis* ℔xxxx, *fermenti cereviſiæ q. ſ. ſtent in fermentatione per* 8. *dies, dein adde herb. Majoranæ, Meliſſæ. an. M* iii. *lavendulæ, M* x. *roriſmarini M* vi. *ſalviæ, M* ii. *ulterius pergant in ſuo motu per* 5. *aut* 6. *dies, tunc adjice, Flor. anthos,* ℥iv. *lavendulæ,* ℥vi. *fere perfecta fermentatione, raſura ligni ſaſſafras* ℥iß. *immiſce, poſtmodum lege artis, ut dictum, deſtilla.*

1. Quantitas *ſacchari* & *aquæ fermentationis tempus* accelerat, aut retardat, unde, quo citius abſolutus expetitur *fermentationis finis*, eo *major copia* requiritur *aquæ*.

2. Tempus *prolongari* vel *decurtari* poteſt injiciendorum ſimplicium pro *intentione Artificis*, & *ſoliditate ſipmlicium*.

Vires. *Excellit in nervorum affectibus, menſtrua promovet, fœtum pellit, vertigini medetur ut & paralyſi, epilepſiæ, apoplexia &c. Doſis à* ʒß. *ad* ʒii.

Spiritus Antiſcorbuticus.

℞. Cort. Ligni guajaci ℥vii. *aurantiorum* ℥v. *baccar. juniperi* ℔ *j. ſem. dauci vulg.* ℥ i. *ſacchar.* ℔vi. *aq. communis* ℔. *l. fæcum cereviſiæ q. ſ. fermententur. ſimul per* 12. *dies, poſtmodum adde ſem.* 3. *calid. major. an.* ℥i. *dein fere paractæ fermentationi adjice herb. cochleariæ, M.* xii. *beccabung. M* iii. *naſturtij aquat. indic. an. M* iv. *rad. raphan. ruſtic.* ℥ii. *lign. ſaſſafras* ℥iii. *poſteà deſtillentur, & rectificentur, ut moris.*

N O T Æ.

1, Quamvis *cortices Guajaci* non multum *odoris* ſpargant, attamen *per fermentationem multæ ejus reſinoſæ partes* attenuantur & volatiliſantur: *major* autem *copia* elicitur è *durioribus*, *minus odoris*, ſi pulveriſati *aqua* humectentur, & per dies duos vel tres ita *humidi* reſerventur, præcipue addita *parva quantitate Sp. vini* ad majorem *reſinæ* diſſolutionem: ſic *molliores* factæ illæ particulæ motui inteſtino magis parent.

2. *Clauſum*, quantum poſſibile eſt, *vas* retineri debet poſt additionem *antiſcorbuticorum*, ne *ſalis volatilis jactura* fiat.

Vires. *In ſcorbuto & affectibus frigidis convenit, acidum infringit, flatus diſcutit &c. Doſis à* ℈i. *ad* ʒi.

Huic claſſi etiam inſerendus venit *Ros*, qui *halitum quaſi vegetabilem* conſtituit, *radij ſolaribus imprægnatum*, *è ſuperficie terræ*, *& ipſis vegetabilibus, ibidem exiſtentibus, expulſum*, ut latius explicatum in præcedentibus, ubi de *Aëre* locuti ſumus: ad majorem vero explicationem ſequentia annectenus.

Aër tanquam *magnum recipiens hujus Macrocoſmi* cõſiderari poteſt; in quo omnis generis *ſeminia* & *ſpiritus mundi*, tanquã in proprio domicilio, hoſpitari ſolē[illegible]. *Exiguæ* igitur particulæ fere *omnes*, interno vel externo *fluido* adjutę, illud *chaos* petunt, tanto magis, quoniam

radii ſolares impetu in *terræ ſuperficiem* facientes, illinc, *fluidas* & *cum iis tenues ſolidas* in altū de loco ſuo pellunt, unde *Aër humidum ſubtile expanſum* eſſe videtur, præcipue circumcirca hanc mundi ſphæram. Hæ *fluidæ particulæ* cum *non unius* ſint exiſtentiæ; ſed pro ratione *loci, regionis* & *temporis variantes*, *diverſas* ſæpius *efferveſcentias* in ſumma *Aëris* noſtri regione efficiunt: unde *varij motus* dependent, & non raro nobis communicantur. *Salia*, quæ in regionibus maritimis *circa littora & ſtagna* reperiuntur, hoc modo *cum alijs elevata* & ſubtiliata, iis ſeſe uniunt (nam per ſe nullibi ſubſiſtere poteſt ſal volatiliſatum) imo *plantarum*, *animalium ſudores ſalini* hiſce conjuncti, mixturam efficiunt *fluidam*, quæ in *plenario motu* & expanſione tamdiu conſervatur, quamdiu *materia ſubtili gravida*, & quaſi repleta exiſtit: illa autem in *minori copia* ibidem exiſtente, propria gravitate hæ particulæ *ſubſidere* coguntur, quæ ſubſidentia humida *Ros* dicitur, *refocillationi* corporum dicatus. Ex his præcedentibus colligere eſt, *Rorem* nil aliud eſſe, niſi *ſudorem veluti ſpirituoſum ſalinum hujus mundi, materia ſubtili imbutum*: Quemadmodum vero omnia corpora *ſuis poris* & *ſpiritu interno* inſtructa ſunt, quæ *ægerrime vel nunquam* conſortium exacte ineunt, niſi mediante *fermentatione*, facile concludimus *motum fermentativum* continuum ineſſe *Aëri*, unde idem, *ingreſſum* obtinens in aliqua corpora liquida, promovetur. Sin autem hæc *fermentatio major* ſit, accedente *cohæſione & preſſione* aliqua *ſolidiorum* particularum, inde *venti*, *fulgura*, *tonitrua* &c. in *Aëre* oriuntur, ut patet in *experimentis chymicis* ex ſp. nitri & vini ſumme dephlegmatis ſp. nitri & limatura Martis, oleo vitrioli & terebinthinæ. Hæc *Aërea fermentatio* promovetur *repercuſſione & exceptione radiorum ſolarium* in *ſale*, *aqua*, & *terra*, quæ cum illis miſcentur in ſua rarefactione, uti diximus, unde illa materia ſubtilis, *durioribus* & *rigidis* illis præcedentibus expulſis corpuſculis adjuta, tanto magis in omnes partes impingens, illas *expandit & volatiliores reddit*: neceſſe eſt ergo *æſtivo tempore majorem* adeſſe *rarefactionem*, quam alijs anni tempeſtatibus. *Verno* tempore hæc quaſi *renata agitatio luculentior* nobis videtur obvenire, & *alacris cellularum explicatio in Aërem* germina ſua protrudentium manifeſte obſervatur, unde omnia *vegetiori ſucco fluido* imbuta proſiliunt; ratio eſt præcedentis tempeſtatis rigor: unde *ſalia rigidiora* & graviora facta, *in Aëre craſſo ſuſpenſa* & volitantia, nullibi fere ingreſſum obtinentia, jam vero magis attenuata ubique in *poris magis apertis* corporum ſeſe ingerunt, ibidemque *actum ſuum* producunt. Prout omnis *fermentatio ad exaltationem* partium tendit, vel *ad acredinem*, vel *ad diſſolutionem continui* migrat; ſic etiam in hoc *motu Aëreo inteſtino* idem obſervatur; quando enim *unio* exacta eſt partium *aqueo ſalino-terreſtrium*, ita ut ſimul *fluidum Aëreum* conſtituant, nulla *malignitas* adeſt: ubi vero *ſalinæ* prædominantur *extra vaginas* ſuas *terreſtres* (quibus *acies* illarum coercebatur) vagabundæ, tunc *Acredo* oritur, *morborum* & febrium *origines* fiunt. *Plenario* autem *receſſu* à *ſtagnatione* nimia facto, particulæ *ſalinæ* ſui juris factæ cum impetu ruunt, *corroſivæ & malignæ* fiunt, unde *peſtilens & contagioſus Aër* redditur, qui *fermenti inſtar putridi* corpora obvia, quibus ſe inſinuare poteſt, inquinat, & fere *ad putredinem* reducit, unde denuo *exhalationes* fiunt malæ. E præcedentibus liquet, *Aëris*, & in eo præcipue *Roris bonitatem* vel *malignitatem à motu illo inteſtino* dependere, ut & à *regionibus*, & *anni* tempeſtatibus, *colligendus* ergo, ubi *ſale volatili fermentante* turget *Aëris* regio, ut & ad uſum *chymicum* ulterius exaltetur, & è *cæleſti* alembico exceptus per *vitrea* organa purum ab impuro deponat, ut ſequitur:

Spiritus Roris Majalis.

℞. *Roris Majalis, tempore ſereno collecti*, ℔. xxx. *Mannæ liquidæ* ℥viii, *nitri puriſſimi* ℥iv.

Mixta reponantur per ſex ſeptimanas, donec omnia fermentata fuerint, & putridum odorem ferè concipiant, ſic ejus *ſpiritus ſalinus volatilis* internus, in apricum productus, deſtillatione ſtatim ſeparandus venit in cucurbitis vitreis in arena poſitis: primo larga quantitas liquoris recipiatur, quæ iterata deſtillatione in ſpirituoſam reducitur ſubſtantiam abſtractione duodecimæ partis: ſpiritum rectifica bis vel ter, donec omni phlegmate orbetur.

NOTÆ.

1. Manna & nitrum adduntur, quoniam *fermentatio major* iiſdem mediantibus perficitur, deinde, quoniam *manna eſt ros condenſatus in ſubſtantiam firmam redactus*; *nitrum* verò *aëreis* eſt impprægnatum particulis, unde *vi unita* particulas conſtituere videntur magis fortes & ſubtiles, *ſale volatili nitro-aëreo & ſpirituoſo* gravidas.

2. *Salia muriatica* imo & *acida*, *phlegmati* aquoſo intime poſſe *uniri*, cuivis conſtabit, qui *oleum vitrioli* cum *majori aquæ quantitate* deſtillaverit, ut & ſal commune, alumen &c. Imo *acidiſſima*, & maximam ignis vim requirentia ad ſuam elevationem, *ſponte* tractu temporis *pereunt* dilutione *Aëris* & *Aquæ*; non mirum igitur, ſi vires ſuas per *inteſtinum motum* & *mixturam exactiorem* communicent. Hic ſollicitus ſum de *cupro*, quoniam, ubi *mere ſalini ſpiritus* expetuntur, ibi *metalla ſolubilia obſunt*, non vero idem contingit in *ſalino-ſulphureis ardentibus Spiritibus* eliciendis, qui *ſine roſione libera* tranſeunt. *Salia* enim ratione *terræ* agunt, cum qua mixta ſunt, quod in *Chymicis* & *Medicis* ſatis ſuperque notum eſt, ideoque *circumſtantiæ* pro illa neceſſitate *variant*.

3. Cucurbita requiritur *vitrea*, ne *veſicam cupream* arrodat, & ſic partim immutetur & debilitetur: rectificatio autem fiat *in M. B.* ut *tanto levior* aſcendat *ſpiritus*, phlegmate in fundo remanente.

4. Spiritus hic procedit *nebuloſus albicans* inſtar omnium ſpirituum ſalinorum.

5. *Ros* colligitur *linteis* in campo diſperſis *veſpertina* hora, ſummo dein *mane* lintea *madida* exprimuntur, & *liquor roridus*, *gramini* &c. guttatim ſuperjacens, *ulterius* illis linteis *excipitur* ad uſum. Cum alijs etiam *concavis oblongis inſtrumentis ligneis* excipi poteſt *ſine ulla mixtura*, quod melius eſt.

Vires. *Menſtruum eſt pro vegetabilibus extrahendis ſat celebre, inſuper diureſin promovet, & in plurimis morbis tartareis convenire ſolet.*

Eodem modo *aqua diverſi generis* deſtillari poteſt, ut aqua *nivis* & *è tonitru* collecta, ſed *non in tanta copia* præbent ſpiritum, *neque tam ſubtilem*.

De Oleis & Spiritibus Empyreumaticis Vegetabilium.

Vegetabilium & Animalium textura admodum *mollis* & *teneræ* ſit originis, *aëreo* & *aqueo ſucco* primordia ſua debent: hic, in debitis *poris & interſtitijs* corporum terreſtrium exceptus, ita ut rite in ijſdem circulum ſuum abſolvere poſſit, *vitam & motum* illis communicat. Hæc *vita* cito & facile ab *ætheris rapido motu* læderetur, niſi ſepimenta & *tegumenta*, ejus injurijs reſiſtentia, adeſſent, ſub quibus quaſi ſub ſcuto *liberum & proprium motum* obtineret. Receptacula hæc ſunt *particulæ terreſtres*, quæ veſicularum & *capſularum inſtar humorem continent* & conſervant. Hæ *triplices* in ſtatu corporum vegeto conſpiciuntur. 1. quæ plurima *aqua & aëre* turgidæ *gummoſæ vel viſcoſæ* dici queunt; hæ inſerviunt *incremento & expanſioni corporū*, ut alibi latius: 2. illæ, ſuperflua *aquæ* copia privatæ,

per

per preſſionem & *exhalationem magis ad ſe invicem accedentes*, & ſpiritu interno plurimo cum pauciori aqua præditæ, *ramoſæ vel ſulphureæ* fiunt, quæ pro variâ conſiſtentia & motu illius ſpiritus interni *varias denominationes* obtinent: hæ particulæ præcipuæ ſunt, quæ ob irregularitatem & *denſitatem pororum & meatuum* externo *aeris motui* reſiſtunt. 3. *Craſſiores* vapidæ, id eſt, *ſpiritu ſalino interno privatæ*, adeoque non immutatæ, ſed leviter tantum imminutæ *partes terreſtres* dantur, quæ *interſtitia* occupant, *pondus* adducunt, meatusque minores claudunt, ne humores diffluant, & celerior motus impediatur. Ex hiſce *tribus* particulis *leviora & craſſiora* prodeunt *Olea*.

De *Aquis* & *Spiritibus* jam egimus, ut & de *ſubtilioribus Salino-Spirituoſo-Ramoſis*: reſtat, ut ad *magis intricatas haſce craſſas* & ponderoſas partes procedamus. Hæ, prout jam explicuimus, ſat *fixæ & ſtabiles* eſſe debent, ut functiones ſuas obeant; unde *tardius* etiam *in motum* reducuntur, & quidem *non niſi ſumma ignis violentia avelli* ſe patiuntur, integra cum *destructione corporis*. Ex omnibus animalibus eliciuntur hæc *Olea*, rarius ex mineralium familia prodeunt, niſi è paucis bituminoſis.

Olea hæc dicuntur *fœtida & empyreumatica* ob *tres* cauſas 1. quoniam plurima *ſalia interna* jam ab *involucris* ſuis *liberata*, *copia ſua* nobis *ingrata ſunt*, & nervos noſtros vellicant. 2. ob *materiæ ſubtilis effluvia plurima*, iis particulis communicata *ex igne immediatè* adhibito. 3. quoniam in *violenta illa agitatione*, duplicis generis *ſalia & terræ*, quæ antehac diximus reſidere in omnibus vegetabilibus, in *ſe invicem agendo*, & ſe mutuo exaltando & præcipitando, *irregulares valde figuras* efficiunt, & *ſalia acutiora facta* per illas preſſiones, *ingrato odore & ſapore* nos eodem modo afficiunt, ut *effluvia* & pulveres è *ſcoriis antimonii* & *lixivio ſulphuris* &c. ſolent.

Cum præcedentibus una aſcendit *liquor aqueo-ſalinus*, qui in animalibus eſt *alcali ſalſus volatilis*, in vegetabilibus plerumque *acido ſalſus volatilis*.

Obſervatur autem circa *Vegetabilia Primò*, ea plurimum illius *Olei & Spiritus* fundere, quæ *maximè* ſunt *dura & valde lignoſa*, ut *& ponderoſa*; *minus* verò, *levia* & meatibus laxis prædita, ut & *fungoſa*. *Secundo* variat *Spiritus* etiam pro hac præcedenti diverſitate: quo enim *leviora*, *eo magis aquoſus*, & ad ſalſum volatilem inclinans eſt liquor; quo verò *denſiora*, eò *Spiritum* obtinent *magis auſterum & acidum*: *denſitas* enim *ligni*, quod obiter notamus, *in reſinoſa & acida* ejus *ſubſtantia* conſiſtit; *levitas* autem in *aqua* & *aëris plurima admiſſione*, & *per conſequens in viſcoſitate*, reſidentiam ſuam obtinet.

Idem etiam in *Animalibus* eſto judicium, nempe, quo textura *carnium magis denſa & rubra*, eo plus Olei &c. fundit.

Oleum & Spiritus Ligni Guajaci.

℞. *Lign. Guaj. raſi q. v.*

Eo impleatur ad tertias partes retorta terrea, & appoſito recipiente ſat amplo fiat deſtillatio igne aperto adhibitis ignis gradibus, ſic primò procedit liquor aquoſus, ſecundò liquor ſubacidus cum oleo volatiliore; tertiò vapores aſcendunt valde albi, cum Oleo empyreumatico craſſiori, omnia excepta fini a deſtillatione ſeparentur; ſic obtinebis Oleum duplex, ſupernatans nempe ſpiritui phlegmatico oleum gravius, picem redolens, craſſum. Spiritus hic per ſe rectificetur, ſic primò procedit ſpiritus volatilis, ſecundò phlegma, tertiò ſpiritus ſubacidus. Oleum ſuper proprios cineres ad albedinem calcinatos cohobetur; ſic primò prodit oleum limpidum flaveſcens, ſecundò oleum ſubrubrum, quæ vel ſeorſim vel mixta aſſerventur.

NOTÆ.

1. Nulla indiget *interpoſitione particularum* ob propriam terreſtreitatem.

2. *Fæces* poſt deſtillationem, inſtar carbonum, nigricantes, pertinaciſſimè *ignem* retinere ſolent, ſi incendatur, ita ut *carbonum vice* in uſum trahi queant, & *cineres* inde remanentes inſerviunt rectificando *oleo*.

3. *Spiritus volatilis*, in rectificatione primò egrediens, diligenter, & tertio per ſe rectificatus, *ſpiritui acido fixiori* adjungetur, quem quaſi vivificare ſolet, & viribus majoribus inſtruere.

4. *Oleum* hoc ſi ſubtilius expetatur, addito *vehiculô aquoſô* denuo deſtillationi ſubjice, ſic, quidquid aſcendit cum aquâ, penetrans eſſe ſolet & *ſubtile*, atque hoc modô ad *Oleorum eſſentialium* naturam pertingit.

5. *Olea nigerrima*, aliquis vult, nulla per ſe dantur; ſed, prout *intenſa flavedo croci* & *ictericorum urinæ rubedinem* mentitur, ſic & *oleorum ſumma rubedo*, *nigredinem* rudioris ſenſus hominibus obtrudere videtur. Si quis enim *de colorib.* rite judicare velit, non de *maximo corporum acervo* ſtatim ſententiam ferat, ſed de *minimis eorum guttis*, ſi liquida ſint; vel *granis*, ſi ſolida exiſtant, ſeorſim bene perſcrutatis *ſuper corpus aliquod album*, judicet. A *copia* enim *elevatæ terræ conglobatæ*, inordinatius per *ſalium* luctam & aſcenſum diſpoſitæ *obſcurè rubra* evadunt *Olea*, quæ *magis perſpicua* poſt *rectificationem*, id eſt poſt *iteratam terræ depoſitionem*, ſe offerunt. Idem judicium eſto de *ſpiritu volatili*, & *fixiori acido*, qui per rectificationem à *terra* & *aqua* ſuperflua liberati penetrantiores & *limpidiores* evadunt.

Vires. *Oleum hoc eſt valde ſudoriferum, reſolvens & emolliens, unde convenit in lue venerea, tophis & bubonibus ejus curandis, duritiem artuum & tartaream ſaburram reſolvit in podagra, arthritide, nervorum frigidis morbis & ſimilibus.*

Notandum autem, externè ſufficere deſtillatum craſſum Oleum in emplaſtris & unguentis in linimentis autem tenuioribus ſemel rectificatum Oleum; internè verò ſummè proficuum Oleum cum aqua rectificatum; ſpiritus ejus eaſdem efficit operationes, verum debiliores; interno plerumque uſui deſtinatur, externè autem ulceribus lavandis proficuus eſt liquor Guajaci, Doſis Olei à gutta una ad guttas 8. Doſis Spiritus à ℈j. ad ʒij.

Omnia etiam *Vegetabilia* cujuſcunque notæ, è quibus *Olea eſſentialia* elicita ſunt, *Oleum* & *Spiritum* fundunt *empyreumaticum*, *ſi* per ſe deſtillentur, quamvis *non in tanta copia*, ut caryoph. nux moſchata, cæteraque ſemina & aromata.

Si vero hoc oleum minus fœtidum expetatur, *ſequenti modo* procede:

Oleum Ligni Juniperini.

♃. *Ligni juniperi raſi* ℔vj. *ſalis communis* ℔j.

Impleantur duæ tertiæ partes retortæ, & igne nudo fluidum contentum propellatur in recipiens capaciſſimum obſervato ignis regimine. *Oleum* & ſpiritus ſeorſim rectificentur ſuper proprios cineres, ſic multo gratius *Oleum* obtinetur.

NOTÆ.

1. *Aciditas ſalis Cois* compeſcit, & retinet *ſalium volatilium ferociorem motum*, & corpuſcula *terreſtria* aliquo modo figit, unde *Odor benignior* exiſtit.

2. *Cineres* hi, è ſale & ligni carbonibus confecti, optime *depurationi* inſerviunt *Oleorum & ſpirituum*, quoniam *fluidæ ſalis* particulæ hac mixtura, & calcinatione *pereunt*, unde fere ad *fixitatem* pervenere, ſic non nimis *volatiliſ ſunt*, ut mera alcalia, nec *figunt*, ut acida.

3. Si gratius *odore*, *ſapore*, & *colore* expetatur, ſuper

ſuper *ſal mirabile Glauberi*, vel *ſpiritum ſalis cois*, iterata fiat rectificatio; tunc enim pro maxima ſui parte *fœtore* ſpoliabitur.

Vires. *Antinephriticum eſt & antipodagricum, nervorum affectibus frigidis ſuccurrit. Doſis à gutt.* II. *ad* XII. *in vehiculo convenienti.*

Oleum Tartari fœtidum, cum Spiritu Volatili.

℞. *Tartari crudi* ℔. IV. *ſalis tartari* ℔. *j.*

Mixta indantur retortæ vitreæ, & per arenam in recipiens capaciſſimum deſtillentur igne gradatim aucto ad ſummum uſque, donec vapores albi ceſſent; refrigeratis omnibus Spiritus & Oleum ſeparentur: Oleum ſuper proprium ſal rectificetur, Spiritus in B. M. ad tertiæ partis abſtractionem depuretur, in fundo cucurbitæ vel retortæ reſtat phlegma ſubacidum pauci valoris.

NOTÆ.

1. *Sal Tartari*, ſuo *crudo Tartaro* additur, ut internæ *volatiles* particulæ liberius in *altum* evolare queant vinculis ſuis *acidis* & *terreſtribus* partim liberatæ, partim *tenuiſſimis acidis halitibus* imprægnatæ. Plurima inſuper *ſalia alcalia* mediante *vehiculo acido* in *ſal volatile blandum aliqua ex parte muriaticum* metecorizantur, ut apparet in plurimis *experimentis*, poſtea proponendis.

2. *Sal Tartari* fixum cum *acido Tartari* levem efferveſcentiam producens *duas ob cauſas* hic requiritur: *primo*, ut *fixum & ſtabilem in meatibus* illis *locum* occupet, expulſis ibidem contentis *fluidioribus* particulis; *ſecundo*, ut illa *fluida ſalia*, mediante celerrima illa actione, in *terreſtrea ſulphurea* corpuſcula impetum facientia, plurimas ſecum *rapere & liberare* poſſint partes illorum *poris convenientes*. Hæc corpora ſæpius in ipſa *agitatione figuram*, per colliſiones & concuſſiones mutuas *proportionatam* acquirunt, quam à *ſolo propulſivo motu externo* non aſſequerentur. Hinc *ſpiritus ſubtilior* producitur, quoniam in omni actione *efferveſcente vapores tenuiſſimi ſpirituoſi* producuntur ab interno motu exacuti.

3. Si *Olea empyreumatica* cum *ſpiritu acido* rectificentur, *benigno odore & ſapore* valent, ſed *non abſque virium jactura* illud perferunt, niſi quis mitiora illa velit.

4. Eodem modo *ſpiritus ille ſuper proprium ſal* rectificandus venit, ſi ſubtilior expetatur. Reſtat autem *phlegma ſubacidum*, ubi *per ſe* rectificatur, ob cauſas ſuperius allatas, & quidem præcipue, quoniam per *efferveſcentiam plurimi ſpiritus illæſi* aſcendere ſolent *leviores acidi*.

5. Inter omnia *naturalia vel muriatica* ſalia nullum datur, quod efficacius *guſtu & activitate* ſua, *acidorum* naturam referat, quam *Tartarus*: alia enim corpora *aggreditur*, *metalla* corrodit, *ſalia volatilia* figit &c. Deſtillationi autem *Tartarus* commiſſus multum de *aciditate* ſua *remittit* contra *aliorum muriaticorum ſalium* naturam, quæ potius in ſua *aciditate creſcunt*, imo poſtea demum *acidi naturam* induunt, ut alumen, ſulphur &c. Quanti igitur æſtimanda ſit *Chymicorum* aliquorum ſententia dicentium: *illud per deſtillationem eruitur, ergo nil aliud unquam adfuit in ſua productione*, omnes veræ *Phyſicæ experimentalis* Indagatores judicare poterunt. *Salia* enim ratione ſuæ permixtæ *terræ diverſimode figuratæ* agentia, iis particulis ſeſe in principio *accommodare* debuere, *in poris* nempe *& meatibus* earundem, ut unam referrent *mixturam* & corpus *ſolidum*. Hæc mixtio quoniam non ubique in omnibus corporibus *exacta* eſt, ſed quædam corpuſcula ſua *adhuc priſtina figura* dotata in *majoribus interſtitiis & meatibus* latitantia conſpiciuntur, ideo *plane alium ſitum* in cohæſione *priori* referunt, quem in *poſteriori*, id eſt, ubi partes illæ, *per motum inteſtinum colliſorium & præcipitatorium* fuerint intimius unitæ, nunquam aliquis reperiet. Experimenta infinita illud demonſtrant, in omnibus *Naturæ & Artis* phænomenis per mutuum particularum concurſum, *figuram & ſitum* partium mutantium, ut non opus ſit illa hic latius proferre. Idem in *Tartaro* noſtro contingit, cujus *particulæ ſulphureæ* hic illic diſperſæ *ſpatiola majora* relinquunt, id eſt, *acida*; verum, ubi motu vehementiori ejus partes rarefactæ *mutuos poros & meatus* ſubeunt, *cuſpides* illorum *ſalium* à *terreſtri* & ſalina *Olei* ibidem deliceſcentis figura hebetantur per intricationem illarum particularum, quæ ſe mutuo *involvunt* & replent, unde *minori aciditate* inſtructus prodit *ſpiritus*. *Anguſtioribus* enim *viis* imminuuntur illa *ſalia*, & *terra* onerantur, ut poſtea latius in ſale volatili; hinc pro ratione *mixturæ motus* & *terræ* ſalia fixa & volatilia è *Tartaro* eruuntur, quod ut commodius demonſtretur *ſequentia duo* de *Tartaro* experimenta trademus:

Vires. *Articulorum doloribus, arthritidi & nervis frigore læſis ſummopere conducit, ſudores movet, obſtructiones tollit. Doſis Spiritus à* ℈*j. ad* ʒ*j. Doſis Olei à gutta una ad guttas* VI.

Spiritus Tartari Subtilior compoſitus.

℞. *Tartari crudi Rhenani* ℔*j. fæcum vini expreſſ.* ℔IV. *ſal. tartar* ℔ß. *calc. viv.* ℥IV. *alcohol vin.* ℥II. M.

Digerantur ſimul in retorta vitrea, in fimo equino poſita per 8. dies, dein per arenam deſtilla ſpiritum & oleum: ſpiritum ſuper fæces ad albedinem calcinatas rectificabis, ſic ſubtiliſſimus evadit; ſiquid ſalis volatilis aſcendat, cum ſpiritu miſceri debet.

NOTÆ.

1. In fæcibus deliteſcit *Tartarum fluidius*, quod hoc modo *volatiliſatur*, & *vires ſpiritus* maximopere auget.

2. *Lente* procedas memento in *deſtillatione*; *velox* enim eſt *ſpiritus*, facile vitra diſrumpens.

3. Calx viva additur, ut *motus inteſtinus* promoveatur, & *aciditas* plenarie tollatur, dein (quod obiter notandum) ut illa *ſalia alcalia & ſubacida*, interventu particularum *terreſtrium calcis*, ab omnibus involucris & impedimentis, tam *acidis*, quam *ramoſis* &c. liberata, multo majori cum efficacia *altum* petant, & *ſubtiliora* evadant, ut in *ſpiritu ſal: ammon:* & ſimilibus *cum calce deſtillatis* patet.

4. *Digeſtionum varietas* hic ubique obſervanda venit: prout enim in omni fere *motu exhalationes* dantur partium tenuium, ſic non minima *alteratio* ab hiſce *effluviis* dependet, *ſeſe inſinuantibus* in ipſa corpora, digeſtivo calori objecta, unde hic, ubi *ſalis volatilitas* expetitur, *fimum equinum* præponimus *ſale volatili* gravidum, quod in *motum* redactum, & excepturum cæteras particulas *exaltare* poteſt.

Vires. *Egregium eſt deoppilans, omnibus obſtructionibus uteri &c. inſerviens, ſudores movet, promovet extractiones metallicas: Doſis à gutt.* X. *ad* XXX. *in vehiculo.*

Sal volatile Tartari.

℞. *Tartari Rhenani* ℔V.

Pulveriſetur groſſo modo, humectetur aqua communi, & in umbra humidus reſervetur, donec putreſcere incipiat nigricans factus *Tartarus*. Hunc mediante digeſtione vaſe clauſo in fimo equino ulterius exalta, addita parva quantitate Spiritus Vini per præcipitationem rectificati, donec ſpirituoſo-ſalinum redoleat odorem. Limoſum poſtea *Tartarum* deſtilla, primo leni igne, quam-

quamdiu phlegma altum petit, dein fortiori, ultimo fortiſſimo. Spiritu a ab oleo per tritorium ſeparatum miſce cum proprio ſale volatili, lateribus recipientis adhærente, & ſale fixo in fundo reſiduo, & deſtilla more, in ſalibus volatilibus deſcribendo, ſic acquires ſal volatile penetrantiſſimum *Tartari*, uſui in vitro optimè clauſo reſervandum.

NOTÆ.

1. *Putrefactione* corpuſcula *ſalino-ſulphurea* magis reſerantur, ut impetum *aëris* recipiant, ejuſque particulis adjuta ſalia, *terræ* ille *leviori*, *tortuoſa* & conglobatâ figurâ præditæ, altius infixa & in minutias ſummas redacta, *volatilem* & tenuem figuram acquirant: quæ poſtea *leviſſimo igne*, ubi à vinculis ſuis *craſſioribus* liberata ſunt, ſecernuntur.

2. Ut *major ſalis volatilis copia* obtineatur, adde ſenſim in ipſa putrefactione & digeſtione, *Olei fœtidi Tartari* rigeſimam, vel circiter partem. Sic copia *anguſtiorum tubulorum ſalia* magis imminuet, & intricabit.

Vires. *Inter omnia ſalia volatilia palmam meretur, eaſdem tamen vires, ſed paulo potentiores cum reliquis obtinet, niſi quod ratione ſui ſulphuris variet. Doſis à gr. v. ad xij.*

Spiritus Aceti, *ſeu* Acetum Deſtillatum.

℞. *Aceti vini acerrimi q. v.*

Deſtilletur per cucurbitam ſtanneam ſerpentinæ ejuſdem notæ annexam; primus, qui procedit, liquor cum ſit phlegmaticus, ſeorſim excipiatur, ſecundum liquorem reſerva, cavendo tamen, ne ad ſiccitatem uſque proliciatur; ſic enim empyreumatico odore inficeretur; quantitas autem reſidua in cucurbita debet eſſe circiter octava pars.

NOTÆ.

1. Si *minor copia* liquoris abſtrahatur, tantò *minor metus aduſtionis*; reliquus autem liquor per *retortam vitream in arena* poſitam ulteriùs evocari debet.

2. Cui deeſt *cucurbita ſtannea*, idem efficere poteſt per *cucurbitam vitream alembico munitã, cui ſerpentina ſtannea* fuerit *annexa*; breviſſimè enim hac methodo operatio perficitur. Vanus eſt metus de *corroſione ſtanni*; nam vix ac ne vix quidem aliquid detadit. Exemplum *nuperrimi Scriptoris* de *veſica cuprea & ſerpentina*, plane per *unicam deſtillationem Aceti proforatis*, phlegma merum fundentibus, inter *mira nla* hodierna, aut *nugas* aniles referri debet; quod facile norunt ii, qui *criſtallos viridis æris in magna* copia conficiunt, *Acetum hoc modo*, ut ſumtibus & labori parcatur, ſibi comparantes. Verum nullis ſuadeo, ut per *inſtrumenta cuprea* hæc agant, cum Venus ſit meretrix è *mari* orta, omnibuſque *ſalibus* ſeſe facile copulans.

3. Liquor *primus phlegmaticus* eſt, *quarta circiter pars* liquoris primò egredientis; quoniam verò *acido volatili* ſcatet, non planè *inutilis* eſt, ſed & aliis operationibus interviniere poteſt, ut *ſacchàro Saturni* conficiendo, & *aquis ſudoriferis* inde deſtillandis.

4. *Spiritus è fœcibus* reſiduis per retortam prolectus, eſt *multo fortior*, ideoque facilius diſſolvit metalla, mineralia & ſimilia.

5. Acetum illud deſtillatum *ſalibus aliis* impragnari poteſt, & *acuari*, ſi ſuper eadem cohobetur.

6. Reſiduum magma poſt omnem deſtillationem *criſtallulos præbet tartareas*, quoniam *Acetum* ipſum non aliunde conflatur, niſi è particulis *tartari*, antea ramoſis capſulis *incarceratis*.

7. Hoc *aceto emortificato*, *ſpiritus* denuo in lucem prodeunt *inflammabiles*, vinculis ſuis exuti & liberati, ut in *ſp. Saturni* ardente &c. poſtea patebit.

Vires. *Operationibus plerumq; Chymicis inſervit, inſuper ſudores movet, & cum aliis mixtum liquorem præbet alexipharmacum, in febribus malignis magni uſus. Inſuper inſervit mixturis ad faciliorem diſſolutionem pulverum additorum. Doſis à ℥j. ad ℥ß.*

Acetum Philoſophorum.

℞. *Cryſtallorum veneris ex ærug. pp.* ℔i. *ſulphur. vivi* ℥vi. *alum. uſt.* ℥ v. *Alcohol. vin ſubtiliſſ.* ℥iij.

Mixta digere in MB. per 2. dies, dein deſtilla lente ex arena; ſic præcedit ſp. Vini, ſubſequente ſpiritu Aceti fortiſſimo.

NOTÆ.

1. Hic liquor eſt ſp. Aceti, *ſalibus acidis ſulphuris & aluminis auctus*.

2. *Iterata deſtillatione* à *floribus ſulphuris*, in prima operatione aſcendentibus, *liberari* debet.

3. Sp. Vini ſubtiliſſimus additur ad *volatiliſationem* promovendam, qui *removeri* poteſt ante deſtillationem ſp. acidi mediante MB., ſic enim aſcendit *relicto acido fixiore*.

4. Spiritus hic valde *ſulphureo odore nares* afficit ob *ſulphuris halitum* admixtum.

Vires. *Menſtruum hoc magni apud Chymicos æſtimatur in ſolutionibus & tincturis mineralium & metallorum.*

Spiritus Nitri.

℞. *Nitri puriſſimi* ℔iv. *Argillæ opt. exſiccatæ & pulveriſatæ* ℔. *viij.*

Mixta infundantur cacabo ferreo, alembico terreo vitreato inſtructo, deſtillentur igne nudo in recipiens capaciſſimum, ſic primò prodibit Spiritus volatilis intenſe ruber, ſecundò Spiritus albicans phlegmaticus, tertiò Spiritus rubicundus inſtar ſanguinis, cruor ſalamandræ dictus: Spiritus hoſce, ſi lubet, ſeorſim excipe, vel deſtillatos rectifica.

NOTÆ.

1. Loco argillæ *bolus*, *alumen uſtum*, & *caput mortuum vitrioli* recipi poſſunt.

2. Sunt qui primò, *non lutato recipiente*, omnem avocant *liquorem phlegmaticum*, poſtea *juncturis firmiter annexis*, deſtillationem abſolvunt: verum, quoniam hoc modo facilè *quantitas aliqua ſpiritus* perit, & liquores præcedentes volatiles & *phlegmatici non planè* ſunt *inutiles* ideo illam methodum rejicimus.

3. Eadem operatio *per retortam* fieri poteſt, verùm cum fiat *jactura retortæ*, & ſæpius illa *frangatur*, antequam deſtillatio fuerit peracta, ſubſtituimus *ferream ollam*, quæ *majorem Nitri deſtillandi copiam* recipit; cui vero quantitas illa *nimis magna* eſt, in *minoribus vaſis mi cri cum emolumento* idem facere poterit. Mediante *aqua* omnis materia reſidua elixiviari poteſt deſtillatione peracta.

4. Unde Nitris Spiritus *rubicundo* procedat *vapore*, plurima inter Authores eſt diſceptatio; nos illius originem à *moleculis per aerem* diſperſis *in corpore ſalino exceptis*, ibidemque retentis, ortum ducere autumamus. Moleculas autem illas *ramoſæ* eſſe naturæ, vel ſaltem *ad ramoſam accedentes naturam*, plurima arguunt experimenta tam in *productione naturalium*, eorumque cohæſione, quam *congerie earundem in nubibus excepta* per fulgura & tonitrua diſplodente. Negamus autem, particulas *Nitroſas in aëre ſubſtantialiter* contineri, ſed illas tantùm *in terra* produci ab aliis ſalibus *ſequenti modo*; *Salis communis* particulæ interventu aliorum corporum *terreſtrium à ſe invicem diviſæ*, & quaſi *aperto ore hiantes*, *aërem circumfluum*, *plurima materia ſubtili radiorum ſolarium* in moleculis illis latitantium, *impregna-*

tum in maxima copia *admittunt*: unde ſenſim humido proprio adjuvante quaſi *inteſtinam expanſionem & agitationem* ineunt, ſenſimq; illis particulis inſufficienti quantitate aſſumptis, magis extenſam & *mobilem* naturam adſciſcunt, unde poſtea Nitrum. Hinc facilè ratio patet diverſitatis Nitri: quo enim *ſubtiliores*, & *in majori copia* moleculæ illæ ibidem in *ſale* excipiuntur, ut *motum* & *expanſionem majorem* illi præbere poſſint, eò *ſubtilius, & purius Nitrum* evadit. Non mirum igitur, quod in locis *frigidioribus* ob craſſitiem illarum molecularum, & *radiorum ſolarium debilem exceptionem* vilius Nitrum prodit, quam in regionibus *calidis*; imò ſæpiùs obſervatur, *mediam tantum partem ſalis* converſam in *Nitrum*. Nihil autem ad nos facit objectio, quod *Nitroſo quaſi ſale* integri campi conſperſi videantur matutinis horis, ut illud admitteremus, *è ſolo aëre* profectum ſuperficiem terræ obduxiſſe, quoniam, ut *in rore* diximus, plurimæ inſunt particulæ *ſalinæ* illis *moleculis*, ut & in genere *omnibus* corporibus *ramoſis*; hæ facilè inite poſſunt cum effluentibus particulis *ſalinis terræ* ibidem jam *præexiſtentibus*, conſortium, ut *Nitroſa* exinde *mixtura* aſſurgat. Illud patet è *productione* illius; ea enim loca, quæ *ſale fixo vel volatili* imprægnata ſunt, tractu temporis *aëreo* mediante *ſalino motu Nitrum in copia* producunt, ut latrinæ, animalium ſtabula &c. ſic & è *ſale communi* cum calce & urina calcinato & mixto, prodit *ſal Nitrum* &c.

5. Spiritus hic, etiam particulis *ramoſis ſubtiliſſimis imbutus non deflagrat*, nec, ſi junctus ſit *ſulphuribus denſioribus mineralium, Primo,* ob *tenuitatem* ſuarum *partium* facile avolantium. *Secundò,* ob *aquoſas plurimas particulas*, quæ quamvis conſpiciantur in omni *igne*, præcipue è *corporibus denſioribus* conflato, ubi *tubulos* illorum *dilatat*, ut recipiant *aëris* circumflui *materiam ſubtilem*, & ſic rarefacta *flammam* evomant, quæ *ceſſante aqua* etiam definit: ut patet in carbonibus foſſilibus &c. attamen in *ſalibus flammam* evomant, quæ *ceſſante aqua* etiam deſinit: ut patet in carbonibus foſſilibus &c. attamen in *ſalibus fluidis in majori copia* exiſtentes maximè ſunt *noxiæ*; nam illorum ſalium *aciem* nimis *diluunt* & inflectunt, aut unionem & *coalitionem corporum*, ſibi invicem occurrentium, impediunt, *Inflammabilitas* autem ejus redit per *ſalem fixum*, quo mediante *fluiditas* ejus infringitur, & *aqua,* tanquam in capſulis illis rigidis recluſa, ventiformi valida exploſione eliditur disjunctis earum particulis; ubi è contra in *fluido ſpiritu* particulæ *aquoſæ unita quaſi vi ſal ſulphureum* ambientes, illud ſuffocant & *à flammâ* cohibent.

Vires. *Refrigerat, ſitim lenit, bilis effervescentiam tollit, urinam & calculum promovet, febribus ardentibus medetur. Doſis à gutta j. ad guttas* IV. *inſuper menſtruum eſt ſat famoſum in Chymicis operationibus.*

Spiritus Salis communis mediante Oleo Vitrioli.

℞. *Salis communis* ℔. 1. *diſſolvatur in* ℥xx. *Aquæ, dein adde olei vitrioli rectificati* ℥v.

Deſtillentur ſimul per arenam ad ſiccitatem uſque; ſpiritus exceptus dephlegmetur, vel iterato ſuper recens ſal commune deſtilletur, ſic efficacior, & in majori quantitate prodit, quaſi eſſentificatus.

NOTÆ.

1. Hic ſpiritus continuò *augeri* poteſt iteratis deſtillationibus *ſuper Sal commune ſolutum* mediante aqua communi.

2. Eodem etiam modo *Spiritus Nitri*, ut Spiritus Salis, deſtillari poteſt: verùm *pauciſſimam ſpiritus flaveſcentis copiam* præbet.

3. Si *ſal commune* decrepitatum miſceatur cum duabus vel tribus partibus *colcotharis vitrioli ſpiritum* edit *continuò fumantem.* Cauſam hujus *effectus* aliquis aſſignat *animæ nitri* & *ſalis communis*, quam ego fateor me ignorare, ut pote *ſalibus* tale quid *aſſignare non edoctus* ſum: pernotum autem mihi eſt, *ſalia*, ſua *terra graviori* & *aqua potiori* liberata, *motui ætheris* facillime parere, & *fugam* tentare, qui motus retardatur, vel tollitur acceſſu *aquæ*; eodem modo ut *ignis* extinguitur per nimiam affuſionem *aquæ*.

4. Oleum vitrioli particulis ſe inſinuat *terreſtribus Salis* communis, & *effervescentiam blandam* init, unde cæteræ *fluidæ leviores ſalinæ* particulæ *ſui juris* factæ per expulſionem illam facilè conſortium ineunt cum *aquoſo* vehiculo. Ab hoc *nullo modo ſeparari* poteſt, *niſi* interventu corporum *graviorum & terreſtrium*, quibus particulas in altum avolare ſinant: unde *reſtans corpus ſiccum terreſtre ſalium, motui vehementiſſimo* objectum, *ſalibus liberum egreſſum permittit ſequenti* methodo:

Spiritus Salis concentratus.

℞. *Spiritus ſalis communis q. v.*

Superfunde Lapidi Calaminari, coquantur leviter, ut calore mediante tantò citiùs particulæ ſalinæ ſaturentur; ſolutionem per ſubſidentium clarificatam evapora ad ſiccitatem: pulverem hunc inde retortæ, dein ſecundum artem deſtilla igne nudo, eodem nempe, qui pro oleo vitrioli requiritur, ſic obtinebis ſpiritum fortiſſimum ob unctuoſitatem, ſeu potius ob proximitatem ſalium & terræ, non multum ſeparatorum à ſe invicem per aquam, oleum Salis dictum.

NOTÆ.

1. Sal commune facile *princeps* eſt *ſalium*; ex eo enim, tanquam ex fonte, cætera derivantur. Nam prout ſalia *terram recipiunt & dimittunt*, ut *idem* ſæpius *ſal diverſiſſima corpora* ſucceſſive *admittat*, *coloremque, ſaporem*, & *odorem mutet*, ſic *hoc Sal* omnibus fere ſufficit *alterationibus*, quod experimentis demonſtrare facile eſſet, nempe, quomodo per *mixturas & motus diverſos*, nitri, ſulphuris vulgaris, ſalis volatilis, & fixi naturam induat; ita ut hoc modo *ratione, ſummi uſus generale Sal* dici poſſit. *Originem* ſuam videtur aſſumpſiſſe *è duplici materiâ ſalina*, fixata nempe, concentrata, & *irretitæ* arenoſæ vel *rupeæ poris & meatibus*, & è *materia fluida* ſui adhuc juris exiſtente, quæ duæ ſibi invicem occurrentes, in mutuum amplexum ruunt, poſteaque retentæ *firmæ & rigidæ* permanent. Materiam dari *fixiorem, auſteram* & *concentratam in terra*, evincunt plurima experimenta, ut *argillæ* variæ ſpecies, quæ præbent *ſal volatile* mediante deſtillatione, *arena* maſticatæ, quæ *ſalſum* aliquem *blandum guſtum* linguæ communicant &c. *Materiam* autem *fluidam* intelligo præcipuè *halitus* eſſe *ſubterraneos acidos*, qui ad exteriorem *terræ* ſuperficiem, ubi plurima *ſalia fixata* hærent, protruſi, illis uniuntur, ad *externam* vero *faciem terræ* expulſa ſalia ulteriùs, mediante *aëris motu*, vario modo *alterantur*, ut in nitro dictum. Particulæ *terreſtres*, quæ *intermediæ ſalibus* hiſce jacere ſolent, plerumque ſunt *arenoſæ* vel *lapideæ*: *Arenoſæ* replere videntur *ſal commune* dictum, *lapideas* particulas *ſal gemmæ* ſubintrare probabile eſt.

2. Ab *additamentis*, in deſtillatione ſalium quorumcunque adhibitis, *variant* eorundem *Spiritus*: ſic *non eaſdem vires* obtinebit ſpiritus ille cum bolo, terra ſigilla, argilla, colcothare & ſimilibus deſtillatus, *neque in eadem quantitate* eruetur. Sic & *ſpiritus recenter deſtillati alias* ſæpius edent *operationes* interne aſſumpti, vel in operationibus Chymicis adhibiti, quàm illi, qui *per tempus aliquod* confecti fuerint. Motus enim *velocior* recentibus ſpiritibus à mate-

materia ſubtili communicatus, illas partes *vehementius impingere* facit in alia quævis *obvia* corpora, imo *abraſæ* per illum *motum* tenuiores particulæ, *temporis tractu* fugam tentantes *evaneſcunt*, ſale minus ſpirituoſo derelicto.

3. Eodem modo *omnia acida concentrari* poſſunt, ſi in *convenienti terra* minerali abſorbeantur, poſteaque evaporata deſtillentur, verum ſæpius *fugaciſſima* evadunt.

Vires. *Spiritus Salis vulgaris refrigerat, ſitim extinguit, urinam pellit, bilem compeſcit, & ardores mitigat. Doſis à guttis ij. ad guttas* VIII. *Spiritus concentratus metallis ſolvendis inſervit, aliiſque uſibus Chymicis.*

Aqua Fortis.

℞. *Nitri partem unam, vitrioli Goſlarienſis partem unam ſemis.*

Mixta infundantur ollæ ferreæ, alembicô terreô inſtructæ, cui roſtrum latiſſimum adſit, recipiens terreum ſatis amplum ei annectatur, oblinantur omnia firmiſſimò lutô ex argillâ, arenâ & calce invicem optimè mixtis, fiat deſtillatio ſecundum artem, auctô ſenſim ignis gradu ad ſummum uſque; recipiens autem continuò humectetur aqua frigida, ut eo magis vapores condenſentur. Refrigeratis omnibus liquorem exceptum uſui aſſerva.

NOTÆ.

1. Ut periculum præcaveatur *nimis impetuosè procedentis ſpiritus* volatilis, *rima* in orificio recipientis circa *connexionem roſtri* alembici permittatur, donec *impetus* maximus ceſſet, qua deinde obducta detur *ignis vehementior* tamdiu continuandus, donec recipiens vas *frigeſiat ſponte*, quod ſignum eſt *deficientium* vaporum.

2. Tantum *ſpiritus* obtinetur, quantum *nitrum* antea ponderavit; evehit nempe particulis ſuis *aquoſis nitroſa ſalia* vitriolum, & mediante *acido ſuo fixiori* vincula *ſalium fluidorum* reſerat, præcipuè, ubi *corpuſcula graviora terreſtria* illorum ſalium mutuos meatus *occludentia fluidis* illis antèa contentis *locum* ulterius denegant, poſtea in altum *vehementiſſimo* illo *motu* liberata aſcendunt; eodem fere modo, ut *ſalia fixa* à compedibus ſuis liberare ſolent *ſalia volatilia, tam alcalia, quam acida.*

3. Eadem *Aqua Fortis*, ſed *fortior*, *cum vitriolo calcinato* obtineri poteſt, at *in minori quantitate* prolicitur ob defectum *phlegmatis vitrioli* jam evaporati: ſic & *addito alumine uſto*, non alumine crudo, obtineri poteſt. *Differentia* autem plurima inter has Aquas conſpicitur, hiſce *additamentis diverſis*, præcipuè circa *colores & alia phænomena*, quæ illis mediantibus menſtruis producuntur.

Vires. *Menſtruum ſat famoſum in Chymia exiſtit præcipuè in Metallurgia & Arte Tinctoria; inſuper ſpiritus nitri vices ſupplere poteſt, cum parva inter hanc & illum ſit differentia.*

Ex hac *Aqua Forti*, *Aqua Regia* confici poteſt *ſequenti methodo.*

Aqua Regia cum & ſine deſtillatione.

℞. *Aquæ fortis* ℔ i. *ſal. communis* ℔ ß. *ammoniaci unc.* ß.

Mixta deſtillentur in retorta vitrea per arenam, ad ſiccitatem uſque. Sic prodit Aqua Regia, aliquo modo ſemper fumans, ideoque rite in clauſo vaſe reſervari debet. Sine deſtillaſtione fit *ſeqq.* modo:

℞. *Aquæ fortis* ℥ iv. *ſal. ammoniac.* ℥ j.

Mixta ſolvantur invicem, & liquor flaveſcens à fœcibus decantatus uſui reponatur.

NOTÆ.

1. Hæ præparationes & additamenta *variant Aquam*, ejuſque *actio*, & ut plurimum *qualitas immutata* conſpicitur; ita ut non extempore quis credat, ſe *eadem* poſſe perficere mediante *hac vel illa præparata Aqua*; nam ab *admixtis ſalibus & methodo procedendi*, *aliam* qualitatem, & *vim agendi* illas *Aquas* ſuſcepiſſe ubique operationes demonſtrant. Ut brevi illud *experimento* demonſtremus, ſufficiat nobis *Aquam deſtillatam Regiam* examinaſſe, quæ *cum ſale communi* è retorta propulſa *fœces* ſalinas *nitroſas*, imo *nitrum inflammabile* relinquit, ſigno veriſſimo, quod *Aqua fortis nitroſis*, ſed *non vitriolicis*, ut aliquis garrit, gaudens ſalibus adhæſerit *ſalis communis particulis*, eaſque totaliter fere *immutarit*, unde in altum elevatæ particulæ in *ſpirituoſam ſalis communis naturam* degenerarunt.

2. Cum *ſale communi ſolo* etiam deſtillatio fieri poteſt; additur autem *ſalis ammoniaci parva quantitas*, ut eo magis imprægnetur & *acuatur.* Si vero deſtillatio ſæpius repetatur ejuſdem *Aquæ ſuper ſal commune*, ſic planè in ſpiritum ſalis communis abit, *fixato & non volatiliſato ſulphure nitri*, ut ſupra memoratus vult. Hinc non mirum, quod ſæpius Tyrones & alii *ad has rationes & circumſtantias non attendentes*, *infelicem* obtineant experimentorum *ſucceſſum* circa varias operationes, ut in auro fulminante & ſimilibus, cum à *defectu nitroſi ſalis* jam immutati, ille oriri ſoleat, veluti poſtea demonſtrabimus.

3. Deſtillari etiam poterit fortiſſima *Aqua Regia ſeq.* modo:

℞. *Vitrioli ad albed. calcinati* ℔ v. *nitri ſalis communis an.* ℔ iß. *ammoniaci* ℔ ß. *aluminis uſti* ℔ ii. *M.*

Deſtillentur igne nudo per cacabum ferreum, vel per retortam terream, accuratiſſime obſervatis ignis gradibus: nam in principio valde lente eſt procedendum, fugaciſſimus cum ſit ſpiritus.

Vires. *Dicitur Aqua Regia, & lavacrum minerale ſolis, quoniam præcipue pro ſulphureis mineralibus, & auro ſolvendo inſervit.*

Quare autem *Aqua Regia aurum*, *Aqua Fortis argentum* diſſolvat, hæc mihi videtur eſſe ratio; quoniam aurum *poris anguſtioribus*, *irregularibus*, & magis intricatis, & *ſuperficie ſat lævi* conſtat, in cujus texturam *non adeo facilis* patet *ingreſſus*, unde inſtar juncorum inflectuntur particulæ fluidæ. Compoſitæ autem particulæ ſalinæ mediante ſua majori *rigiditate* unita quaſi vi, fortiori cum impetu *ſuperficiem lædunt*, & viciniam particularum deturbant. In *argento* verò videtur eſſe alia diſpoſitio pororum & meatuum, quæ *ſalium longiorum & rigidiorum* naturam reſpiunt; credibile eſt autem, in *menſtruò regio meatuum* & *interſtitiorum* eſſe majorem *penuriam*, ita, ut vix ſufficiant *particulis oblongis & planis argenti* recipiendis & retinendis. Non minimi etiam ponderis *ratio* eſt particularum *terreſtrium* in diverſis *ſalibus varia textura & figura*, quæ cum *porportionata* non ſint *meatibus* & *tubulis corporis ſolvendi*, *ingreſſum* ibidem *nullum* obtinere poſſunt *ſalia* terræ ſuæ arctius unita. Ex hac *mixtura* enim *ſalium diverſitas* inquirenda eſt, ut ubique fere in hoc Tractatu inculcavimus, & præcipue in *differentia Aquæ hujus Regiæ*: Ubi igitur *immutata* vel *depreſſa* ſunt hæc aut illa corpuſcula *terreſtria*, experimentum *ſucceſſu fido infidove* in campum prodit. Prout *Aqua Regia ſulphureis* & ramoſæ texturæ *mineralibus* & metallis convenit; ſic *Aqua Fortis nulla unctuoſa* vel ramoſa *attingit*, ſed illæſa in ea perſtant, imo ſæpius *duriora* evadunt ibidem detenta corpora,

quamvis & præparari queat, ut illa ramoſa *diſcerpat* & lædat.

Oleum Vitrioli.

℞. *Vitrioli Anglici vel cujuſcumque aliùs Martialis* ℔viii.

Evaporetur ad ſiccitatem uſque, donec levem flavedinem acquirat; dein pulveriſatum indatur retortæ latiſſimi orificii ſuperius deſcriptæ. Deſtilletur per furnum reverberii, adhibito recipiente valde capaci, ſic ſpatio octo horarum obtinebis Olei Vitrioli uncias xxx. quod, ſi libet, rectificari poterit.

NOTÆ.

1. Si vitriolum non bene fuerit *evaporatum*, *lentè* procedas memento, quoniam facilè diſrumpuntur *vaſa* à *phlegmate & ſpiritu volatili* primò prodeuntibus; augetur etiam *quantitas liquoris* vel minuitur, prout nimirum *calx Vitrioli* ritè fuerit præparata *exhalatione minori vel majori* adhibita.

2. *Orificium* retortæ ſit *capax*, & *venter* inferior *non minùs altus*; aliàs enim ob gravitatem & *ponderoſitatem illius ſalis fluidi*, multò longius requiritur *tempus* ad deſtillationem peragendam.

3. *Vitriolum Veneris* multò *minorem* copiam *olei fundit, majorem ſpiritus*, quod *contrarium in Vitriolo Martiali eſt*. Quale autem ſit illud *Vitriolum*, quod ex lacte ebutyrato, aceto, muria, pomis, pyriſque conſtruitur in *Anglia*, prout in ſua vita *Chymicus Obſervator*, ſibi & ſuis tantum ſapiens, conſcribillavit, me latet. Forſan *poma conſciſſa*, ſimilibus acidiuſculis liquoribus conſperſa, *in aëre poſtea flavaſcentia*, pro *Vitriolo* aliis obtrudere conatus fuit.

4. *Olea ſalium ſunt ſalia fluida concentrata*, id eſt maxima parte *phlegmatis* ſui orbata, unde particulæ *ſalinæ* ſibi invicem incumbentes, *ponderoſam*, & quaſi unctuoſam conſtituunt materiam. Hæc *Olea* in *ſpiritum* facili modo reducuntur, ſi *vehiculum aquoſum* ipſis admiſceatur mediante *deſtillatione ſequenti methodo*:

℞. *Olei vitriol.* ℥i. *Aquæ communis* ℥iv.

Deſtillentur in arena per retortam vitream, ſic primò prodibit phlegma, ſecundò ſp. in fundo ſubſidebit Oleum grave, tertia vel quarta ſui parte diminutum, ſic repetitis deſtillationibus & affuſionibus ejuſdem phlegmatis abſtracti, omne Oleum in ſpiritum converti poterit.

5. Oleum hoc plerumque *flavum* prodit, ſi verò leviter rectificetur, *rubrum* evadit, omni verò abſtracto phlegmate & ſpiritu, *limpidum* relinquitur *valde ponderoſum*.

6. In rectificatione primò procedit *ſpiritus volatilis valde ſulphureus*, qui exceptus *& conjunctus ſali* volatili, egregium *præbet antepilepticum*. E *Vitriolo Veneris gratior* procedit *ſpiritus*, quam è *Vitriolo Martis*.

7. Signum *bene deſtillati Vitrioli* eſt, ſi materia remanens ſit *leviſſima & planè inſipida*, *nullumque ſal in elixiviatione* dimittat.

8. Falſum eſt, quod plurimi ventilant, *Vitriolum: omni oleo & ſale orbatum*, denuo *ab aëre revivificari*, ſi enim hoc contingat, ſit ratione *ſalis reſidui in colcothare, quod aëris humido* diluitur, atque foras propellitur: ſic manifeſtum *ſal Vitriolicum* antea latitans ſeſe conſpiciendum exhibet, alias, nil niſi *ſal leve nitroſum aëreum* obtinetur.

Vires. *Oleum hoc eſt cauſticum, diſſolvendis metallis, iiſque in Vitriolum reducendis aptum, ut & ad ſulphura mineralium, quorum fluidum eſt ſpecificum, extrahenda & producenda, ut poſtea in ſulphure antimonii apparebit. Spiritus ejus refrigerat, bilis effervescentiam compeſcit, urinam promovet. Doſis Spiritus à gutta una ad guttas v. Doſis Olei interna ad guttam unam vel alteram in vehiculis.*

Oleum Sulphuris per Campanam.

℞. *Sulph. communis q. v.*

Liquefiat in olla terrea vitreata, donec ſponte flammam concipiat, liquefactum ſuppone campanæ vitreæ non nimis latæ ſecundum artem diſpoſitæ, cum recipiente vitreo, vel terreo vitreato: Ardeat, donec totum deflagraverit Sulphur, interea aliquando ſpatulâ ligneâ agitetur materia, ne cruſta obducta flammam deneget, & in locum deflagrati Sulphuris recens ſemper ſubſtituatur pulveriſatum liquefactum, hoc tamdiu continuando, donec ſufficiens quantitas Olei vel Spiritus adſit.

NOTÆ.

1. Si *bene* fuerit *diſpoſita* olla, & *campana bonæ notæ* obtinebis unciam ſemis, vel drachmas ſex *Olei Sulphuris* è libra una.

2. Pro *diverſa Sulphuris qualitate*, differet etiam *quantitas Olei*; ſic è Suecico, quam ex aliis, majus elicietur pondus ob vitriolicam ejus naturam, magis ſalibus fluidis impræægnatam.

3. Si *aëris ventilatio libera* relinquatur, magis ardebit Sulphur; negato enim *aëre* ſuffocatur, & extinguitur *flamma*, ideoque eò modo campana collocetur, ut *aër liberè* ingrediatur, ita tamen, ut nullum *diſpendium* nimium procreetur *halituum*, unde in loco quieto operatio fiat; alias enim cito pereunt *vapores*, aëreo motu rapti, & non condenſantur.

4. Pro *diverſitate campanæ* quantitas & qualitas *Olei*; ſic è *campana magna* paucum, ſed fortiſſimum nigricans prodit *Oleum*; *è vitris minoribus*, in campanæ modum inferius diſſectis, in majori prodit quantitate leviter flaveſcens; in *campana noſtra, limbo & roſtro* prædita, prodit flavum, & in maxima quantitate.

5. *Nebuloſa* & *pluvioſa* cœli temperies huic operationi conducit, & *condenſationem* majorem halituum efficit: ſed *Aërem* illum *humidum* ad *multò majorem* quantitatem *Olei* recipiendam conferre, experimentis non eſt conſentaneum; quamvis ſalſæ fluidæ particulæ *plurimum phlegma* ex aëre admittant, *nullum*, vero, vel pauciſſimum *ſal*. Itaque *ſpiritum*, *non Oleum, majori quantitate* recipit Artifex, ut in Oleo vitrioli in ſpiritum convertendo demonſtravimus.

6. Oleum hoc *rectificari* poterit eodem modo, ut oleum vitrioli, *in aquam, ſpiritum & oleum*, &, quod etiam in vitrioli oleo obſervabile, cum proprio ſpiritu *oleum calorem ſummum* concipit, ſibi invicem ſi *denuo permiſceantur*, ut calx viva *aquæ* affuſione *in calorem* redigitur: cujus ratio videtur dependere è *condenſatione, vel reſeratione pororum* & *meatuum*, *aëream* materiam admittentium vel propellentium. In pleriſque ſuis *viribus* & *actionibus* videtur *cum oleo vitrioli* convenire, ita ut vocari poſſit *Oleum vitrioli ſimplicius*, quod *particularum metallicarum* eſt expers, *qua ratione tantum* à ſe invicem differunt.

7. Oleum illud *acidum* ibidem *actu incluſum* fuiſſe particulis, ſeu capſulis ramoſis, *non* verò *productum* eſſe ab alia quacunque materia, demonſtrant *ſequentia: Primò Sulphuris* ipſius naturales *actiones circa metalla*, & ſimilia, quibus ſi pulvis inſpergatur, *æruginem* inducit, & *circa colores varios in Arte Tinctoria*, ubi acidi vices ſæpius ſupplere ſolet; *Secundò* idem demonſtrat omne *Sulphur artificioſum*, *è mineralibus*, vel aliis quibuſcunque *ramoſis* confectum; ſic ſit ex oleo vitrioli & antimonio *Sulphur inſtar Sulphuris communis*, ut & ex oleo terebinthinæ & oleo

& oleo vitrioli, mutuo amplexu junctis. Idem & *plurima alia experimenta* demonſtrant; imò in *omni inflammabili ſolido* quoddam exiſtere *acidum*, modo, *levius*, modo, *gravius*, plurima, ſi non dicam, *omnia experimenta* evincunt. Particulæ enim hæ *fluidæ* ſcindenti & *acuta* ſua *acie*, *tubulos* irregulares, & *meatus* denſiores *ramoſorum* corporum dividunt, ut *aëri ingreſſus* ibidem pateat, *expanſionem*que admittant *in igne*. Multum autem *variant* hæc *acida*, ideoque *non in omnibus idem phænomenon* conſpicitur: quò igitur *fixius & gravius* eſt *acidum*, eo *maior penetratio* & copioſior *deturbatio ſalium* antea contentorum; quo *levius & volatilius*, eo *minor actio* ejuſdem, & *tota* ſæpius *intricatio* obſervatur, *deſtructa*, corrugataque per *præcipitationem* parte *potiori ramoſa*, ut in animalium & vegetabilium *ſulphureis cum acido jungendis* particulis conſtabit.

Vires. *Refrigerat, bilem compeſcit, febribus ardentibus & ſiti convenit, urinas promovet. Doſis à gutta una ad guttas iv.*

Ut magis *fermento ventriculi* noſtri aſſimilentur *acida*, alias nimiam præcipitationem & coagulationem efficientia, *menſtrua temperata* ſibi excogitarunt Medici *Chymici*, quæ *nec volatili nimis ſulphure*, *nec acido corroſivo fixiori* abundarent. Eodem modo igitur, ut ſalia *ex acidis alcalia volatilia ſolida* fiunt per continuam *colliſionem*, & *imminutionem* ſuorum *punctorum* in ramoſis levioris texturæ particulis; ſic, hæc *acida* ut reddantur *fluida volatilia*, *fermentatum ardentem* requirunt *ſpiritum ramoſum*, ut leviorem ſubeat in *particulis magis dilatatis*, jam *leviſſimo volatili acido* inſtructis, *immutationem*. Nullus mirabitur *luctam* in hiſce confuſis liquoribus, nec ſtatim recurret ad *acidi & alcali inſufficientem demonſtrationem*, ſi *ſpirituum acidorum mutuas* agitationes, & ſudoriferas *pugnas* viderit, & æqua lance perpenderit. Siquis autem *terræ poroſitatem*, infinitis modis variegatam, tanquam *cauſam proximam* reſpexerit, in cujus *anguſtiis materia ætherea vario modo* ſeſe exercet, per *receſſum* vel *ingreſſum* aliorum *homogeneorum* vel *heterogeneorum* corpuſculorum, illum *non extra veritatis oleam* ſpatiari credo. Exempla autem *ſequentia duo* ſufficient:

Spiritus Nitri dulcis.

℞. Spiritus Nitri ſummè depurati ℥iv.
Alcohol Vini ℥viij.

Digerantur ſimul per ſex dies, dein deſtillentur ad ſiccitatem, deſtillatus Spiritus ad uſum reſervetur.

NOTÆ.

1. *Binis* vel *ternis deſtillationib.* repetitis idem abſolvitur *breviori* tempore, ſed mediante hac *maceratione* exactior & *blandior unio* particularum fit, quæ poſtea *levi deſtillatione* facilè ulterius coaleſcunt & maturantur.

2. Quo ſubtiliores, & *magis dephlegmati* exiſtunt ſpiritus, eò *melior dulcificatio* eorundem, quæ *aquoſo* conſortio impeditur: eodem enim modo; ut *ramoſa* nimiâ *aquâ perfuſa* ardere nequeunt, ſic & menſtruis *vis agendi* tollitur, ubi *aquâ* debilitata ſunt. Signum *optimæ unionis* ſpirituum eſt, ſi in primo concurſu *efferveſcentiam* ineant ſat *calidam*.

3. Hæc *dulcificatio* nihil aliud eſt, niſi exaltatio, id eſt, attenuatio & *ſubtiliatio acidi* ſalis mediante ſpiritu vini, qui ſimul ſuis *ramoſis* particulis *aciem* acidi ſalis infringere & *involvere* ſolet.

Vires. *Liquor eſt temparatus, in febribus malignis ſummi uſus ad ardores extinguendos, & fermentum ventriculi adjuvandum. Doſis à gut iij. ad gutt. viij.*

Spiritus Salis Ammoniaci acidus dulcificatus.

℞. Salis Ammoniaci ℥iv.
Ol. Vitrioli ℥iß.
Sp. Vini rectific. ℥viij.

Mixta digerantur ſimul in fimo equino per 8. dies, dein deſtilla trinis cohobiis: ſic ſpiritus prodit penetrantiſſimus uſui reſervandus.

NOTÆ.

1. Digeſtio in fimo equino fit ad *intimam unionem & exaltationem partium* promovendam.

2. Sp. Vini *rectificatum tantum* recipias, ut *phlegmate aliquali eo facilius* aſcendat, quoniam vehiculi loco inſervit.

3. Eodem modo & *ſp. ſal.* dulcificari poteſt cum oleo vitrioli & ſale communi.

4. Fit & Spiritus Salis Ammoniaci acidus reſidua fœce poſt *ſublimationem florum lapidis hæmatitis*, qui cum alcohol Vini miſceatur ad edulcorandum.

Vires. *Menſtruum eſt egregium in extrahendis mineralibus &c. inſuper penetrantior eſt, & majorum virium ſp. ſalis communis.*

Eodem modo *omnia acida dulcificari* queunt, imò & *oleum vitrioli*, quod hoc modo præparatum egregium exiſtit *refrigerans ſat grati guſtus*.

Spiritus varii ex Pharmac. Bateana.

Spiritus Alkermes. ℞. Sp. Cinnam. Citri, Ceraſ. n. Anthûs, an ℥iv. ſucc. chermeſin ℥ij. m. peroptimè, dein agantur per chart. emporet. adde tum ſacch opt. ℥ij. Fol. Auri num. x. m. ſ. a. *Sunt, qui addunt Sp. Ambræ ℥ij. pro ditioribus. Vapores tetros diſcutit. Spiritus naturales, vitales, animales recreat. parturientibus ſubvenit, &c.*

Spir Aluminis ♀atur ex O uſto per ♉ omninò ut ♂ ⊖li. *Doſ. gut. 4. 5. 6. &c.*

Spir. Alum Dulcis. f. Sptum Ois aliquoties rectificando cum Sp. V. ut dulcis evadat. *Diureticum eſt, calculum pellit, obſtructiones aperit, æſtus in febribus compeſcit. Doſ. gut. 4 5. &c. pro vice.*

Spir. Ambræ. ℞. Ambræ griſ. ʒß. moſch. gr. xv. ſacchar. cand. ʒj. m. f. Pulvis: cui affunde ♃ris cœleſt. ℥iv. Digere (vaſe hermericè obturato) in fimo equino ad dies 20. aut 30. Dein filtra ad uſum. *D. gt. vi in Animi deliquio, &c.*

Spir. Benzoini. ℞ Partium albar. Benz. opt. ℥ij. Pyrœni ℥xvi. maneant ſimul in frig. ſæpe agitando ad ſolutionem. Benz. filtra ac ſerva. Si ▽â lactis ♁es, & ſicces, erit *Magiſter. Benzoini. Doſ. Spiritus, à ʒj. ad iij. Magiſterii à gr. ad 20. vires obtinet Bezoini.*

Spir. Camphoræ, fit Solvendo Camph ℥j. in Pyrœni ℥viij. ſ. a. *Doſ. ℥ß. ante parox. Tertianæ. Diaphoreticum ingne in febribus malignis. Anodynum eſt egregium, odontalgiam ſedat, &c.*

Spir. Ceraſorum, f. ex Ceraſis nig. cum nucleis opt. contuſ, & fermentatis ſ. a. ♀ando per Alembicum, & rectificando in MB. *Cephalicus, & diureticus. hyſtericis & epilepticis prodeſt. flatibus & convulſionibus ſubvenit. Doſ. ʒij. ad ℥j. &c.*

Spir. Cochleariæ, f. ex Cochlear. hort. floreſc. fermentatâ, vel non ferm. ♀ando per Alemb. cum ſuo refrigeratorio. Quod primò prodit ſerva per ſe pro Sptu *Fieri etiam poteſt ad hunc modum.* ℞. Sp. V. legitimè probat. ℔xxiv, cochlear. hort. rec. & floreſc. qu. infarciri poteſt. Infunde per ☿xij. ac ♀a ad medietatem. In hoc Sptu ♀ato macera de novo cochlear. rec. ut ſupra, iterumque ♀a ad medias. Ex hoc Sptu, & Reſin. Scammon. vel zialap. (extrahendo Tincturam ac filtrando) parari poteſt *Sp. Cochlear. purgans. Spleniticus ac diaphoreticus, fixos ac crudos humores, volatiles reddit, putredinique reſiſtit. Hinc proficuus in hypochondriacis & tartareis morbis, ac præcipuè ſcorbuto. Doſ. gut 20 30. vel ultra in liquore idoneo.*

Spir. Coralliorum, fit ⊖em Corall. opt. purificat. ♀ando ∴ & rectificando. *Scorbuticus eſt & lithontripticus. Doſ. gt. 5. ad 20. &c.*

Spir.

Spir.Corn.Cerv ſuccinatus. ⊸ratur ex c.c. cum dimid. quant. Succini. *Doſ.gut. 5.ad 15.&c. Sudorificus eſt, diureticus, hyſtericus, Epilepticus, &c.*

Spir. Dracunculi. ♃ p. Vini cong. 1. Fol. dracunculi recent quant. infarcini poteſt Digere per Dies iij & ⊸a ſ.a. Aquæ ⊸latæ adde ſacc opt q.s. *Doſ.℥iv. pro vice; miranda præſtat in ignotis affectibus, ſudorem provocando.*

Spir.Embryonum. ♃.Capones num.3 exemptâ pinguedine contunde & incide: adde dactyl. ℔j. uv.paſſar. ℔iß meliſ. m iv angelic. majoran chærefol an.m iij. ſem. ocimi ℨß. fœnic angel cort. limon.ana ℥iij. cort. citri, Rad. p ..... borrag ana ℥iv. angel. ℥iß croc ℈v. Conſ. flo. Borrag caryoph. majoran. ana ℥iv. V. Hiſpan. ℔xxxij. ⊸a ad ſiccitatem cum hâc ▽â, & Sp. Hormin. ℔j. ▽æ Ceraſ n. Meliſ. ana. ℔iij. Borrag ℔iv. & amygd. decort. ℔iß. f. Emulſio: cui adde Conſ. flo. Pæon. ℥vj Borrag. & Caryoph ana ℥iv. Florum violar paralyſ. tunicæ roſ. r. anth. calend. ana m iv. Xyloal. ℨiij. Sant. citr. ℨiiß. cinnam. ℥viij Aromat Roſat. ℥j. ⊸a ſ.a *Fœminis datur quæ ſæpius Abortum paſſæ ſunt magno emolumento, itemque gravidis ubi à ſubito errore, aut aliqua occaſione extrinſeca langueſcant, lipothymias & animi defectiones, ventriſque inflationes in his perſanat: infirmum fœtum roborat, uteri ligamenta firmat. Epilepſiam arcet, ſanguificationi proficit, &c. Doſ. co. h. 2.3. &c. pro re natâ.*

Spir, Hormini comp v Aq. Horm. comp.

Spir Hyſſopi Verus. ♃. Hyſſop. rec floreſc. q v. contunde opt. & in vaſe quern. include, addendo ▽ ont. tepiduiſculæ q ſ. relinque ſic ad fermentandum (Flor. cereviſiæ tantillo addito) Dies 10. vel 12. Deinde adde plus ▽æ, ac ⊸a per XX. Poſtea rectificata ſæpe in MB ſ.a. Eodem modo ⊸ati poteſt *Sp. Herb. aliar. Flor. &c. Pectoralis eſt inſigniter.*

Spir. Juniperi Verus. ⊸ tur ex Baccis fermentat ut ſuprà *Ca minativus, diureticus, & ſtomachicus inſignis eſt. Flatibus, renumque arenulis pellendis, menſibus movendis, & ſterilitati auferendæ egregiè proficuus.*

Spir. Mannæ. Si Mannam ⊸es l. △ ex cucurbita habebis Spiritum inſipidum ſudorificum. *Sudorificum inſigne habetur in febribus tum peſtilentibus, tum communibus, ſudorem propellens admodum fœtidum. Doſ. ad coch 1.*

Sir. Millepedum. ⊸atur omninò ut c. c ſervando ⊖em *Urinam potenter ciet. Omnes obſtructiones reſerat. confert oculorum morbis, nec non Rachitidi. Specificus in ſurditate auribus inditus.*

Spir. Nitri. ♃. ∴æ p ij ⊕ p.i.m.ac ⊸a per ♉, donec ceſſant fumi apparere *Diureticum præſtantius vix invenies. Sudorem inſuper movet, unde uſus ejus inſignis in colica, pleuriſi, febribus omnibus, præcipuè malignis. Doſ. ℈j. ad ℈ij &c.*

Spir. Nitri Bezoarticus. ⊸atur ex Sp. ⊕ rectif. & Butyr. ♁ ij ana ex ♉ ſ.a. Inſervire pt. ⊚m *Bezoartico Minerali* parando

Spir Nitri Dulcis. ♃. Sp ⊕ rectif p. 1. Alco. V. p. ij. Digere ad unionem, ac ⊸a in ∴. bis cohobando ſ. a. *Doſ. ad ℈j, in liquor. conven. Sudorem ciet, tollit obſtructiones colicæ, renum, pectoris, &c.*

Spir. Reginæ Hungariæ v Aq. Hungarica.

Spir. Rhœados crapularius. ♃. flo. p pav. rhœad. rec. ℔j ſem carvi ℥ij nuc. m. ℥j. Ambr griſ. gr. 4. Sp. V. ℔iv. macer. ſ.a. f. cola. *Doſ. ℥iv hora ſomni, vel mane poſt crapulam. Specificè Pleuritidi ſubvenit.*

Spir. Salis Armoniaci. ♃ ✱ p.i. Calcis vivæ p.ij. ▽ p. iij. ⊸a in ∴. ſ a. *Diureticus, diaphoreticus, inciſivus, reſiſtit putredini, optimè valet in febribus. Doſ à gut. vi, ad xij. &c.*

Spir. Sal. Arm. Tartariſatus. ♃. ⊖is Tartari, ✱, ana cum triplo ▽æ ⊸a ſ.a. *Vires obtinet omnes cum priori.*

Sp. Sal. Arm. Succinatus. f rectificando S. ✱ ci ſupra Pulverem ſuccini ſ.a.

Spir. Sal. Arm. Chalybeatus, f.ex ⊚ o Florum ✱ ci. ♂ tiator. Aëri expoſito, ⊸ando per ♉ ſ.a. *Doſ. gut. 5. ad 15. &c omnes obſtructiones tollit, menſes & urinam provocat: Sudorificus etiam cenſetur.*

Spir. Salis coagulatus. Miſce ⊖is Abſinth. depuratiſſ. ℥i. cum Sp. ⊖ rectiſſim. ℥iß & coagula ſ. a *Diureticum eſt Medicamentum, & ſpecificum hydropicum, omnes aquoſas humiditates & flatus, omnemque tartaream & viſcoſam materiam, unde calculus procreatur, per urinam potenter expellens in Iliaca, Colica, febribus, icteritia, dyſenteria, apoplexia, Podagra, &c. præſentaneum eſt auxilium. Doſ. gut. vi, ad xv. &c. v. Mynſicht.*

Spirit. Salis Martialis. Deſtillatur per ♉ ex Sale gemmæ p i. ♂ p ij. ſ.a. *Doſ gt. 5. ad 25. Diureticus & valde aperitivus.*

Spir. Sambuci. Deſtillatur è Baccis ferment. uti *Hyſſopi*, &c. *Alexipharmacus, cardiacus, ſudorificus, & uterinus Daſ coch. 1.2. &c.*

Spir. Sanguinis. Deſtilla Sang. juvenis ſani putrefactum in Arena & rectifica ſ.a. *Maximè commendatur ad Epilepſiam radicitus tollendam, ad paralyſin, apoplexiam, pulmonem ulceratum, &c. Doſ. à gut. x. ad xx. & ultra per menſem integrum.*

Spir. Saturni. Deſtillatur per ♉ è ſacchar. Saturni opt. purificato, rectificando ſ. a. *Sudorificus eſt in Peſte, melancholia hypoch febribus ardentibus, Lue ♀ rea, & ſimil. Doſ. gut. 2.3.*

Spir. Spongiarum. ⊸a è Spongiis per ♉, & rectifica ſ. a. *Lithontripticus eſt inſignis.*

Spir. Tabacæ. ⊸atur ut ſuccini ex Foliis ſiccis. *Doſ. ℈j. ad ℈iij. &c. pro vomitorio*

Spirit. Theriacalis camphoratus. ♃ Theriac. Androm. ℥v. myrrh. opt. ℨx. croc. Anglic ℥ß. camph. ℨij. Alcoh V ℥x. Digere, ac ⊸a in MB. ter cohobando ſ.a. *Egregii uſus in morbis malignis ciet ſudorem, reſiſtitque veneno. Doſ. ℈j. ad ℨj. &c.*

Spir. Veneris Deſtillatur per ♉ ex ⊕ io ♀ ris ſ. a. *Summum eſt Arcanum ad Epilepſiam, corroborat ventriculum, cruditates emendat, uterum frigidum ca facit, ejuſque ſuffocationem ſanat, menſes movet, renum morbis ſuccurrit. Doſ gut. 5 ad 10.*

Spir. Vini Succinatus. ♃. Pulveris Succini ℥iv. Alcoh. V. ℥xii. ⊸a in MB ſ.a. *Cephalicus, &c.*

Spir, Vini Tartariſatus. ♃ ⊖ Tartarum ℥iv. ⊸a cum Alc. V ℔ij in MB. *Scorbuticus &c.*

Spir. Viperarum ⊸a ex Viperis ſiccis, uti c.c. ſervando ⊖em. *Summè eſt penetrans, putredinem arcens, in toto corpore obſtructiones reſerat, febres omnes reſolvit, etiam Quartan. Doſ. gut. iv ad x.*

Spir. Vitrioli. ⊸a ⊕ calcinatum ex ∴. & ſepara Sp. à phlegmate ſ. a.

Spir. Vitrioli coagulatus. ♃. ⊖is Acetoſæ ℥j Sp. ⊕ li ℥iß. m. & coagula ſ. a. *In roborando ventriculo, febribus, ſiti, inflammationibus, &c. Secretum eſt. Doſ. quantum ferri poteſt, ut dentes ſtupidi non reddantur, in liquor. con. ven. v. Mynſicht.*

Spir. Vitrioli Diaphoreticus. ♃. ⊖is Tartari, c.c.c. â ℥ij. Sp ⊕ ℥vi ⊸a per ♉ ad ſiccit. Liquori ⊸ato adde Sp. V. â & ſerva ad uſum. *Purificat ſanguinem, abigitque ſcabiem ac pruritum, aperit obſtructiones, ſudorem provocat in Peſte, venenis, hydrope, icteritia, contracturis, &c. Efficax quoque eſt in mundificandis pulmonibus. Doſ. à ℈j. ad ℨß.*

Spir Vitrioli Martis. ⊸atur in ∴. ex ⊕ lo ♂ is calcinato. *In obſtructionibus, chloroſi, Rachitide, &c. Doſ. gut. 5. ad 15.*

Spir. Vitrioli Philoſophicus. Fit ex Aq â in quam Butyr. ♁ ij projectum fuit, exhalando ad tertias, & rectificando

ficando ſ. a. *Cephalicus eſt, febrifugus & Ecphracticus. Doſ. gut. 5. ad 15.*

Sp. Vitrioli Tartariſatus: ℞. ⊖ ad albed. calcinat. p. ij. Tartari ad nigred. calcinat. p. 1. m. & conſperſa Sptu V. Deſtilla ex Retorta, & rectifica ſ. a. *Egregias vires exhibet ad ſudandum in omnibus internis obſtructionibus, in ſanguine grumoſo, contra ſcabiem. ad mundificandam & lævigandam cutim. Doſ. à* ʒj. *ad* ʒß. *cum brodio, aut vino, per tres auroras continuas, ſi libet.*

Spiritus varii ex Hadriano à MYNSICHT.

Spiritus Vini Cephalicus.

℞. *Sem. fœniculi* ℥iij. *rad. pæoniæ debitè collect. viſci quercini anacardi an.* ℥j. *bac. Juniperi* ℈vj. *herb. majoranæ, meliſſæ, origani, hyſſopi, ſalviæ an. m. j. flor. ſtæchad. Arab. lior. convall. roriſmarini, primulæ veris, lavendulæ an p. ij.*

Craſſiuſcule inciſa & contuſa infundantur in Spir. Vini ſimpl. Lib viij. & poſt debitam digeſtionem in Balneo Mariæ deſtillentur, & in liquore deſtillato denuò infunde:

Sem. coriand. præpar. ſileris mont. pæoniæ, carvi an. ʒß. *ſpec. diamoſch. dulc. diambræ an.* ℈iij. *cardamomi min. nuc. moſchat. galang. min. caryophyllor. an.* ℈ij. *calami aramat. cubebarum macis an* ℈j. *ſuccini alb. præp. lig. Aloës. flor. tunicæ roſar, an.* ℈ß.

Stent in infuſione per 8. dies; poſtea B. M. deſtillat. & Spiritus ad uſum reſervetur, qui ad placitum ſacchari cand. albo edulcorari, & vel Eſſ. flor. Pæoniæ, vel Tunicæ, vel Violarum vel Roſarum rub. vel gran. chermes, aut aliis quam plurimis &c. variè tingi poteſt.

Vires, Uſus, Doſis. Magni eſt uſus ad omnes frigidos capitis affectus, intra & extra adhibitus; Item, ad triſtes & timidos, & eos, qui de nocte loquuntur: Non ſolum enim caput calefacit, ſiccat, confortat atque catarrhos frigidos abſumit; verum etiam reliqua membra roborat. Contra Vertiginem, Epilepſiam, Apoplexiam, Paralyſin, convulſionem & tremorem ſingulariter, tanquam inſignem Medicinam commendare volui. Doſis à Cochl. j. ad Cochl. ij. &c.

Spiritus Vini Aromaticus.

℞. *Alkermes.* ℥j. *rad. Ireos flor. roſarum rub. an.* ʒß. *caſſiæ ligneæ, cort. citri, ligni Aloes, caryophyllor. an.* ℈ij. *cardamom. min. nuc. moſchat. cubebarum, macis. zedoariæ an.* ℈j.

Pulveriſata & mixta infundantur in Sp. Vini ſimpl. Lib. vj. per octiduum; aliquoties in die movendo; poſtea per alembicum deſtil. & Spiritus deſtillatus ſacch. cand. alb. ſ. q. edulcoretur.

Vires, Uſus, Doſis. In naturis frigidioribus & adultis COR confortat; nec non pectus, Stomachum, Hepar & Splenem roborat. Renibus enim frigidis in expellendâ ſeroſitate vires addit. Doſis manè & ſerò ante ſomnum à Cochl j. ad Cochl. ij. &c.

Spiritus Vini Odontalgicus.

℞. *Raſ. lig. guajaci* ℥. iv. *rad. pyrethri* ℥ij. *ſem. ſtaphid. agriæ. Hyoſcyami, cort. granator. Gallar. Turc. an.* ℥iv. *caryophyllorum, Zingiberis albi, piperis longi, olibani an.* ℥ß. *flor. papaver. errat. opii thebaici, camphoræ an.* ℈ij. *herb. tabac. Indic. ſalviæ acut. perſicariæ, mentaſtri an.* ℈j.

Contuſa & mixta infundantur in Spiritus Vini ſimpl. Lib. vj ſtent per 14. dies in digeſtione, poſtea B. M. diſtillentur.

Vires, Uſus, Doſis. Teneatur in ore; deinde iterum exſpuatur, & reiteretur, ſi opus, præſentiſſimum eſt remedium: Omnes enim dentium dolores efficaciſſimè ſopit. Interdum etiam propter majorem delectationem cum flor. papav. errat. prius tingere, & poſtea coloratum Spiritum ad uſum reponere ſolemus.

Spiritus Vini Otalgicus.

℞. *Ovorum formicar. Nr. 100. amygdal. amar.* ℥j. *rad. hellebori nigri raphani min. cyclaminis, cyperi rot. an.* ℥j. *cort. mali punici* ℈vj. *bac. lauri excort. juniperi an.* ℥ß. *ſem. fœniculi, cymini, Aniſi, carvi an.* ℈iij. *pulp. colocynthid. caſtorei veri an.* ℈iß. *majoranæ, abſinthii, ſabinæ, rutæ an.* ℈j.

Contuſa & mixta infund. in Spiritus Vini opt. rectificat. Lib. iv. & poſt debitam digeſtionem è B. M. ingenioſè tamen, ne vitrum rumpatur, deſtillentur; Deinde Spiritui abſtracto adde millepedum vivorum q. ſ. & digerantur adhuc tandiu, donec aliquo modo ſpiritus tingatur, poſtea filtra & ad uſum reſerva.

Vires, Uſus, Doſis. De hoc ſpiritu aliquot guttæ manè veſperi, inſtillentur in aures, claudendo cottone moſchato: ſic ſurditatem & gravitatem Auditus tollit; nec non contra tinnitum, ſonitum, ſtrepitum & ſibilum, item obauditionem & fluctuationem, præſtantiſſimum eſt medicamentum. Sed in his affectibus multum etiam præſtat panis recens coctus minor, ſtatim ex clibano ſumptus, & crusta inferiore ablata, immiſſoque ſpiritu hoc, ſi ad aurem applicetur, (interjecto circulo lineo craſſiore ad evitandum partis exuſtionem) ut vapor ille intro recipi poſſit. Continuetur autem curatio hæc, donec malum cedat.

Spiritus Vini Acouiſticus.

℞. *Ovorum formicarum, millepedum vivorum an. xxxj. amygd. amar.* ʒß. *bac. lauri excort. juniperi, ſabinæ, an.* ℈ij. *ſem. cymini rad. cyperi rot. an.* ℈j. *lumbricor. ter. exſic. nicotianæ, abſinthii, an.* ℈ß. *ſuccini alb. præpar. caſtorei veri an. ſcr. j. croci Oriental. ſcrup ß.*

Craſſiuſcule contuſa infundantur Sp. Vini ℥xvi. digerantur per octiduum, ſæpè in die mov. poſtea filtrentur, & ſpiritus tinctus uſui ſervetur.

Vires, Uſus, Doſis. Hic ſpiritus in gravi auditu & ſurditate; nec non in tinnitu aurium etiam inveterato, ſecretus eſt. Uſus ejus, ut guttæ aliquot auri inſtillentur mane Stomacho Jejuno, & veſperi ante cœnam, & deinde bombace moſchato auris obturetur.

Spiritus Vini Pectoralis.

℞. *Paſſular. min. ſem. Aniſi an.* ℥iv. *loch. ſani & exp. de pino an.* ℥ij. *ſuc. glycyrrhiz. ext.* ℥iß. *conſ. flor. hyſſopi, violarum, ſymphyti an.* ℥j. *cinamoni acut.* ℈vi *ſpec. diatragacanth. frig. diaireos ſimpl. diarrhod. Abb. ana* ʒß. *cardamomi min. croci Orient. macis ana* ℈ß. *herb. capil. Veneris, marrubii an* ℈j *flor. malvæ arbor. rub. farfaræ, ſalviæ an* ℈ß

Contuſa & mixta infundantur in Spiritus Vini ſimpl. Lib. viij. Digerantur diebus octo; poſteà in B M deſtillentur, & ſpiritus abſtractus ſacchar. cand alb edulcoretur.

Vires, Uſus, Doſis. Ad Catarrhos, Pectoriſque ægritudines, Tuſſim Aſthma antiquum & Anhelitum malum experciſſimum, Doſis à Cochl j ad Cochl. i j. Pectus enim ab humoribus craſſis & Viſcidis purgat; mundificat; omneſque in eo opilationes aperit.

Spiritus Vini Juniperinus.

℞. *Sp. Vini Juniperi lib. ij. ſacch. candi contuſ. lib. ß.*

Miſce

Miſce in vaſe commodo; ſpiritus accendatur filis ſulphureis, ſimul incorporentur, flammanſque liquor ſubindè agitetur cultro vel ſpatula; donec ſaccharum ſit ſolutum, coletur & appende in nodulo Croci Orient.Scr.ij.& ad uſum repone.

Vires, Uſus, Doſis. In Aſthmate, difficili reſpiratione, Pectoris vitiis, Tuſſi, imbecillitate & inflatione Ventriculi, torminibus ventris, &c. bonum eſt medicamentum. Inſuper urinam movet & calculo medetur; nec non ruptis, convulſis, & vulvæ ſtrangulatui ſubvenit. Doſis à Cochl j.ad Cochl.ij pro una vice.

Spiritus Vini Stomachicus.

℞.Cinamomi elect.℥iv.Galangæ min.ſem.Aniſi an.℥ij Caryophyllorum Nuc.Moſchat.an.℥j.Menthæ criſpæ Roriſmarini an.℥ß.Calami aromat.Zinzib.alb.Roſar.rubr. an.℈ij.

Craſſiuſcule contuſa & mixta infundantur in Sp.Vini ſimpl.Lib.viij.& poſt debitam digeſtionem B.M. deſtillentur; poſtea Spiritus evocatus, vel ſacch. cand. alb. vel myvâ Cydoneorum edulcoretur.

Vires, Uſus, Doſis. Valet propriè ad malitiam appetitus, & corruptionem digeſtionis. Ad frigus & dolorem Stomachi. Ad ſingultum, Nauſeam, Vomitum, Appetitum caninum. Ad Eructationem acetoſam, anguſtiam Anhelitus, frigidamq: complexionem cum humiditatibus ſuperfluis, ſenibus etiam imprimis convenit: Calorem enim naturalem mirè confortat & à putredine conſervat. Inſuper viſum & mentem in iis acuit. Oblivionem delet, & canitiem retardat. Doſis Cochl. j. atque alterum.

Spiritus vini Nephriticus.

℞.Rad.Ononidis, altheæ an.℥iij.cucumeris ℥ij.glycyrrhiz.raſæ, Aſari an.℥jß.ſem.milii ſolis ℥iij.ſaxifrag.a.b. urticæ rom.petroſelini, raphani, Aniſi, Rhabarb.elect. ariſtoloch.rot.galangæ min.cinamomi acut.macis, zingib. albi herb.equiſeti an.℥j.Cap.percar.piſc.Judaici, ſpongiæ lyncis, teſt.limac.min.præp. an. ℈vj. caſſiæ fiſtulæ, gran.alkekengi Bac.Juniperi, Theriacæ Venet.Sang.hircin.Oc.cancri, tali leporini an.℥ß.

Pulveriſata & mixta infundantur in Spir. Vini ſimpl. Menſ.vj.vel ſ.q. ſtent in digeſtione per 14.dies; poſtea in B.M. deſtillentur.

Vires, Uſus, Doſis. Frangit lapidem & ad minuta ſecernit, quouſque Renes & Veſicam ab omnibus ſuperfluitatibus mundificet, & clarum mingat: Et quod plus eſt, ita curat & ſabuloſas hypoſtaſes per urinam expellit, ut non amplius regeneretur. Inſuper in Colica & ſuffocatione Matricis non eſt remedium ei ſimile. Humores enim diverſos laxat & ventoſitates diſſolvit. Doſis à Cochl.ad ij.vel Cochl. iij.

Spiritus Vini Lithontripticus.

℞.Rad.enulæ camp.pimpinellæ, petroſelini an.℥j.lap. percar.piſc.Oc.cancri fluv.ſang.Hircini an.℈vj.ſem. dauci aquat.ſaxifragiæ alb. fœniculi, Aniſi, milii ſolis, urtic. rom.geniſtæ, bac. juniperi, gran. alkekeng. an. ℥ß.ſpec. lithrontrip.diathama .trion.Piper. an.℈ij.

Contuſa & mixta infundantur in Spir.Vini ſimpl.lib. iv. ſtent in digeſtione per 14.dies; poſtea in B M. deſtillentur pro uſu.

Vires, Uſus, Doſis. Calculos Renum & Veſicæ non ſolum confringit & comminuit; ſed & lapides per urinam expellit. Doſis cum præſervationis, tum curationis ratione, à Cochl.j.ad Cochl.ij.per ſe, vel cum aliis mixtis.

Spiritus Vini Paralyticus.

℞. Lumbricor.terreſt. exſic. Bac.Juniperi, ſem.erucæ an.℥ij.rad.Angelicæ, pyretri, aronis an.℥j.flor. lavendulæ, roriſmarini, ſalviæ acut. piperis long. allii rec. ana ℥ß.maſtichis elect. myrrhæ rub.ſuccini citrin.euphorbii, caſtorei veri an.℈iij.

Vires, Uſus, Doſis. Cum hoc Spiritu tincto innunguntur membra paralytica & arida [præmiſſis tamen univerſalibus] in eoque panni lintei madefiant, & ſupponantur membris affectis, & brevi miram videbis operationem & felicem reſtitutionem.

Spiritus Vini Theriacalis.

℞. Theriac. Venetæ ℥iv.rad Angel. enulæ camp. hirundin. dictamn.alb.morſus Diaboli, Serpentar.pimpinell. tormentill.valerian.zedoariæ, ſem.citri an ℥j.ill.& ſ.omnium pulvis groſſus, cui affunde ſp.vini ſimpl.℔.viij.Digerantur per 14. dies: poſtea MB.deſtilla & ad uſum ſerva.

Vires, Uſus, & Doſis. Ad præſervandum à peſte hic ſpiritus eximius eſt: appellatur etiam catholicus, quod ex duodecim conſtet ingredientibus. Poteſt ex eo capi cochlear, j. vel ij in aurora per tres aut quatuor horas ante prandium: vel antequam quis à domo exeat & reiteratur ejus acceptio omni mane. Aërem corruptum in homine alterat, & ſpiritum vivificat. In curatione datur à Cochlear. ij ad iij cum aq.cardui bened. vel de C. C. noſtra &c. & per ſudorem venenum copioſſimè expellit.

SPLENETICA.

Prius, quàm progrediamur ulterius, dicendum eſt aliquid de magneticis remediis inprimis hepaticis & ſpleneticis. In mentem venit, quod ad ardorem ventriculi, ſeu ſodam curandam in aulis quibuſdam ſolemne eſt uti carlinâ ſcandente, poſt florem perfectum in ſemen fatiſcente, quæ ſolo obtutu eandem curat.

Novimus nobilem erudiciſſimum, qui malo iſto mirum quantum vexatus unâ hâc utitur antidoto, cum inſigni ſucceſſu, nulla forſan aliâ de causâ, quàm quod aſpectu illo archeus moveatur fortius ad reſiſtendum effervecentiæ illæ humorum acidiorum & bilioſorum conſtringentium, unde & nobis audit *die Sood-Diſtel.*

Sic etiam tinca & hepati & ſpleni medendi communes laudes obtinet; in ictero quidem iſta ſine dubio agendi ratione, quod [1.] actuali frigiditate ardorem viſceris temperet, à conſiſtentibus humoribus ibidem pronatum; [2.] domito frigore & calore corporis jam excitato, potis magis laxatis ab humido conjuncto, faciliùs invitari humores ſubcutaneos bilioſos, ut in aliud quoque hoc corpus migrent; idque hinc cum ſucceſſu non invalido, qualia exempla vidimus ipſi. Pertinent huc de ſplene memorata à *Cl. Deodato panth hygiaſt. lib. prima, capite undecimo. part.* 109. qui ſcribit Patavii ſe obſervâſſe, tincam piſcem, lienis tumori vivum alligatum, tumorem abſtuliſſe, & eâdem vehementiâ, ut citra ægrotantis periculum ob nimium, [ita loquitur porrò] attractionem diutius detineri non potuerit. Sic & *Matthiol.præf.comm.in Dioſc.* ſcribit: hemionitidis contactu ſpleniticos ſanatos ſcimus.

Ut ſymbolica viſcera ſunt quoad deputationem ſanguinis hepar & lien; ita & ſymbolica & affinia remedia ſunt hepatica & ſplenitica, non ſolùm his viſceribus, ſed & pancreati, meſenterio, aliiſque ὑπὸ

τῶν

τῶν χόνδρων contentis medentia. Cum verò ſplen maximè diſpenſet in corpore ſerum & ejus qualitates, hinc medicamenta ſplenetica dicta reſpiciunt impedimenta illa ipſa, quæ hic loci ſe offerunt, ſeu ſalia ſylveſtria, impura, & tartarea ſanguinis.

SPLENETICA ergò I. ſunt, *quæcunque motum ſanguinis & ſeri, in colatorio hoc ſuo retardatum, tollunt*; quatenus vincula extranea laxant & annihilant, ſeu humores acidos, ponticos, auſteros exceſſivos, & ſanguinis partes volatiles figentes corrigunt.

Faciunt id v. g. [1.] *Aquea* diluentia & temperantia, aqua fumar. acac. aperit. polychr. Rolf. decoct. aperit. Meſ. fl. & fr. Ex ſimpl. becabunga, fl. bugl. borag. item ſerum lactis caprini, ſucci herbarum antiſcorbuticarum modò iis non abutamur, ſir. de pomis, thermæ, acidulæ, unicum ſæpè ſpleneticorum remedium; Hæ quidem, ſi interiùs adhuc mali conſiſtat ſævities, & æger ſit ſiccioris temperamenti, illæ quando ad exteriora, articulos, pedes, cutem magis impuritas vergit & æger eſt feroſior paulò & habitior, modò cætera conſentiant.

Diluentia verò hæc ipſa, ſingulis quaſi communia, maximè locum habent, quando ſimul humores ſeroſi deficiunt, unde in deliriis & vigiliis melancholicorum eximiè proſunt.

(2.) Lenia *aromatica* & *amara*, ut, præter dicta ſub hepaticis, rad. aſpar. filic. ebulus, fumaria, cicutaria, fol. buxi, ſem. fraxin. fl. geniſt. ſummit. & eſſent. pin. elix. propr. ſimpl. & antiſc. ♂le, M. P. ☿ear. extr. ſplen. bov. pulv. ſtom. Quercet. abſinthiaca, pulv. lætificans, ex aromatibus maximam partem & temperatis conſtans, tum aliàs utilis hypochondriacis, tum in palpitatione cordis eorundem.

(3.) *Alcalia* fixa & volatilia; hæc quippe cum acido morboſo confligunt, idque domant & extinguunt, fluxilitatem humoribus deficientem reſtituentia; ut plantæ antiſcorbuticæ omnes, ipſum quoque aſarum, & ex his parata, aqua hepat. nob. noſtro more parata, anima rhabarbari vera, ſpir. cochleariæ cum Spir. Vini, & urinoſus, Salis Tartari volat. ſpir. ⊖✱ci ſ. vinoſus & oleoſus varius, hic in cruditatibus & flatibus conjunctis, ille in deliriis ſummè proficuus, vel ipſi potui largiter inditus, ut neſcii quaſi eundem hauriant, imò & exterius odoratus ſpiritus fixatos unicè reficit. Adoleſcens melancholicus, ſummo capitis dolore & anxietate laborans, ita, ut ad incantamentum malum referretur, levamen ſubinde ſenſit à ſale ammoniaco lixivio indito, excepto naribus odore. Sic & ipſe in palpitatione cordis, inprimis caryophyllatus, & ſyncope hypochondriacâ, præcipuè verò in quartanâ, in liene utpluimum radicata, ſummè prodeſt. Sic Tinctura Tartari eximia quoque eſt, & talia abſinth. cent. min. junip. non ſolùm in febribus, ſed & aliis caſibus conveniunt.

4. *Alcalina*, terrea & reſolventia, ex ſimplicibus lapid. ♋ corall. conch. præpar. lap. lazuli. è plantis aſplen. ſpicantha, ſcolopendr. Lapides ♋. cum vino bullitos tum alibi, tum in *pleur. fur. Helmontius* dilaudat, ubi dolori lienis ſtatim ſe obveniſſe ſcribit potu vini bulliti cum lapid. Cancer, unde intra paucos dies omnis dolor & ponderis moles evanuerint, p. 33. Lapid. lazuli naturæ ſolaris, fruſtrà vulgò incuſatus ſummæ acrimoniæ & venenoſitatis, cum pulveribus purgantibus mixtus & per ſe in magiſterio melancholicis egregiè ſubvenit. Unde inſtar regulæ eſſe poteſt, *hypochondriacos & ſcorbuticos à præcipitantibus ſummum accipere remedium*. Faciunt huc cinnabarina pulv. cachecticus major & minor, pulv. abſorbens noſter ſimplex & cum vitriolo martis, quocum ſpleneticis ſæpius ſubvenimus. Imò ſi dicere volumus, quod res eſt, tàm decantata materia perlata nihil aliud eſſe vel agere videtur, quàm ejuſmodi pulvis præcipitans ex lapid. Cancr. matre perl. ☿io diaph. factus. Sic & Tincturam corall. cum ſucc. citr. ſpir. lignor. mannat. ad confortandos hypochondriacos prodeſt.

(4) *Martialia* meritò hypochondriacorum & ſcorbuticorum panacea ſunt & dicuntur, [de quorum agendi modo jam diximus ſatis ſub aperientibus] inprimis ſolidâ formâ gaudentia, ut croc. ♂ ♀atus, ſaccharinus, cum ſalinus &c. pulv. cach. Querc. ſimpl. & cinnabarinus, item Vitriolum Martis & tinct. Martis ☉tis vulgò dicta, quæ nihil aliud eſt, quàm eſſentia vitrioli ex miſy in aëre calcinato, & per ſe in pulverem fatiſcente, cum aquâ ror. maj. extracta, ſive ſibi relicta, ſeu cum arc. ☿ri in momento tincta. Laudari hîc poteſt quoque eſſentia ♂ vitriolata antiſcorbutica, ex ⊕-l. ♂, fl. ⊖lis ✱ci ♂lium a. p. j v. g. ℥ß. & ♒ûs cochl. ℥vj. vel viii. extrahenda l. a.

Hæc verò unà etiam ſerum exuperans corrigunt, unde proſunt in obſtructionibus viſcerum, hypochondriorum; hydropis initio, cachexiâ, palpitatione cordis, ſcorbuto, melancholiâ hypochondriacâ, doloribus & tumoribus hypochondriorum, imò cum hypochondria ſint fomes quaſi omnium morborum, hæc ipſa quoque ad effectus capitis, nervorum alioſque externos ambitu ſuo latius patent & ſpectant, in paralyſi ſcorbuticâ v. g. & aliis.

II. *Splenetica ſeri ſtatum volatiliorem ſeu acrimoniam & lixivioſitatem reſpiciunt & tollunt*, unde φλόγωσις, ebullitio & rarefactio ſanguinis major, dolores arthritici ſcorbutici vagi, ſudores colliquativi ſcorbutici, nocturni, vigiliæ, inquietudines, pavores aliaque oriuntur. Singulis his frenum injiciunt tum communia, diluentia aquea, tum [1.] *acidula*, ut cremor & cryſtalli tartari, hep. rubr. ſpir. aper. Penot. rad. & herb. acetoſ. Tinctura aperitiv. item mala citria. Uti enim qui diutius in navi vehuntur in Indiam, ob maris effluvia uliginoſa plerumque ſcorbutici fiunt; ita teſtatur experientia illos ipſos nautas, ſi accipiant mala citria, iterum convaleſcere, quatenus reſiſtunt putredini, & ſalia morboſa terreſtria M. S. præcipitant.

Tum [2.] *auſterinjcula* ſtyptica, quæ fluorum ſunt remedia. Ut enim in priori ſtatu ſtrictura adeſt humorum, fixitas ſpirituum, torpida omnia; ita hic laxitas, fluxilitas, mobilitas. Ille ſtimulo, hic freno indiget; felix, qui moderari ſingula, ut decet, poteſt. Hinc & opiata optimè proſunt ſpleneticis, modò cum humectantibus, præcipitantibus, temperantibus dentur. Exemplo eſſe præter alia poſſunt menſes immodici, frequenter in ſcorbuticis occurrentes, nonnunquam quidem ſimul, quod de aliis quoque hæmorrhagiis valet, ab obſtructione viſcerum, quatenus coanguſtatus ſanguis denegato ſufficienti ſpatio, exitum quærit neceſſarium, ſæpius verò ob ſalium rodentium lixivioſorum, vel cum acido mixtorum copiam, item ob tonum viſcerum, & hoc loco uteri, læſum, ubi, præter V. S. temperantia ὀργασμὸν hæc ipſa proſunt unicè.

Facit huc & ſpiritus ♂ris, ſive ex ⊕-lo ♂is deſtillatus, quod pretioſum eſt & minus utile, ſeu confectus ſolùm per mixtionem & ſolutionem ⊕-li. Sic etiam huc pertinet tinctura corall. cum tinct. ♂ adſtr. Zwölff mixta, roborans egregium. Taceo vomitum cruentum, ſcorbuticis & ſpleneticis familiarem.

(3.) *Terrea* quoque jam dicta huc conferunt, & inter hæc Galeopſis quoque. Saturnina planta, urtica iſta, *inquit Solenander conſil. med. l. 1. conſ. 13* quæ in foliis maculam habet albicantem, à Plinio lamium vocata, à Bononienſibus milzadella dicitur; cujus virtus in obſtructionibus & affectibus ſplenis probata eſt. Meminimus ludimoderatorem hypochondriacum pulvere florum horum feliciter uſum.

III. *Splenetica excipiunt & tollunt recrementa pituitoſa, tartarea, limoſa, ſero immerſa, & facilè in ſabu-*

ium cœroſum, arenulas ac calculum ipſum fatiſcentia; quod ipſum præſtant aperientia generoſiora, & (1.) quidem *acida*, potentiſſima tartari concreti & coagulabilis remedia. Inprimis verò laudatiſſimus eſt hoc nomine-♂-us ſalis,& ex eo parata tinctura aperitiva *Mœbii*, quæ nihil aliud eſt, quàm ſpiritus ſalis refractus & tinctus. Refractus ſale tartari, ſpiritu ſalis ♀ri vol. vitri pulvere, vel quocunque alio alcalino; tinctus tornâ ſolis; vel fl.viol. horumque tincturâ. Hæc famoſiſſima erat & vivente *B. Mœbio*, & poſt fata illius, ut luctum, & famam autori conciliaverit.

Operæ pretium eſt, ejus encomia ex literis ejuſdem in concione funebri expreſſis, huc excerpta dare: Tinctura aperitiva eſt panacæa hypochondriaca, confortat fermentum ſtomachale, excitat appetitum, diſcutit flatus, aperit venas meſenterii & lacteas, pellit tartarum hypochondriorum, aperit lienem & obſtructiones hepatis, ſiſtit ſitim & calorem internum præternaturalem, pellit urinam, calculum, præſervat à putredine, fovet calorem naturalem,(corrigendo cruditates;) cum fructu adhibetur contra hydropem cachexiam, pallorem, icterum, colicam, febres &c. Quæ, ſi prudenter applicentur, longè ſunt veriſſima.

(2.) *Alcalina & enixa*, ſeu ſalia varia, inprimis etiam ſal ammoniacum ejuſque flores, & cum eodem paratus liquor martialis, è floribus martialibus nigrioribus vitriolicis in fundo cucurbitæ poſt perfectam ſublimationem reperiundis, per deliquium ſolutis, commodiſſimè cum eſſ. abſint. eſſ. lign. aloës in Tinct. ♂is abſinthiacam & balſamicam, cum elix. propr. addito ol. caryophyllorum, cum M.S. antiſcorbuticâ ex ſpiritu cochleariæ, ♀ri & ⊖is ſtriato, additis eſſentiæ anodynæ aliquot guttulis, aliiſque miſcendus.

Spectat huc etiam arcanum ♀ri ritè elaboratum, & ex his parata, ut Tinct. ♂tis, cum eodem liquore martiali extemplò in id providè inſtillato conſurgens, imò aquæ quoque martiales. Hinc pro more ſeculi *Lang. l.* 1. *ep.* 48. præſentiſſimum indurati ſplenis remedium dicit aquam, in quâ ferrum candens extinctum.

(3.) *Aromatica*; ut enim ſplenetici ſunt ſputatores & flatulenti, ita ſtomachica aromatica iis egregiè ſubveniunt, v.gr. ſpir. menthæ, elix. ⊕-li Mynſ. eſſ. carmin. & alia.

(4.) *Abſtergentia, diuretica & nephritica* non ſolùm calculo futuro contraeuntia & arthritidi, iſchiadi aliiſque doloribus ſcorbuticis; verùm etiam copioſos ſeroſos humores & reſtagnantes avertentia, ut in hydrope, cachexiâ.

Reſolventia hæc & externè eximiè conveniunt, v.g. ol. carm. Mynſ. ♀ri fœt. cappar. laterin. empl. de cicut. cerat. de ammoniaco Foreſti, empl. ad quartanam ex odoriferis Helmont. empl. magneticum &c.

Et hæc ipſa non ſolùm cauſam unam affectus hypochondriaci, nempè ἀἐρωσιν chyli impeditam reſpiciunt, pituitam ventriculi abundantem nimis expediunt, μόλυνσιν, ſeu inertem chyli maſſam corrigunt: Verùm etiam alteram, depurationem ſanguinis læſam reſtituunt, & ab utriſq; deductos affectus tollunt, nominatim palpitationem cordis, ſyncopen, quartanam &c. Hinc & in arthriticis & nephriticis curandis hypochondria ſemper reſpicienda; optimaque ſunt eo caſu medicamenta ſalina, utrique convenientia, ut ſpir. ⊖, tinct. ♀ri, arc. ♀ri.

Egent verò & hæc ſuis cautelis, facilè ex dictis fluentibus. 1. *In genere variant ſplenetica pro vario & diverſo ſpleniticorum ſtatu.* Non uno eodemque ſe habent ſplenetici modo, ita enim generali & latiori vocis uſu hypochondriaci & ſcorbutici audiunt. Pertinet huc communis & ſimpliciſſima ſcorbuti diviſio, quod vel calidus ſit vel frigidus; diverſis uterque ſtiparus ſymptomatibus. Multum ergò intereſt qui quibus utantur, & quæ medicamenta magis polychreſta ſunt, & ſingulis magis convenientia præ reliquis quoque eſſe ſplenetica conſtat.

Fluunt ex hoc generali aſſerto plura ſpecialia, & quidem 2. *volatilia tum ſalina, tum ſpirituoſa & aromatica ſcorbuto frigido proſunt, calido nocent.* Nocent, quibus humores ſeroſi ſunt efferati, mobiles & exacerbati, unde vigiliæ, inquietudines, φλογώσεις, anxietates motus ſpirituum turbatus, omnia ſurſum deorſum moventur, & laceſſentia archeum. Plurimum intereſt, non irritare quieſcentem hoſtem, nec crabrones irritare.

3. *Acida ſpleneticorum remedia.* Non negamus acidum morboſum ſæpè in his peccare, negamus verò in morbis ab acido oriundis acida non eſſe remedia. Conveniunt inciſoriâ virtute in fixitate humorum, cum aromaticis inprimis. Proſunt figente, temperante & præcipitante naturâ, in rarefactione nimiâ, & inprimis in ſolenni ſcorbuticorum hæmorrhagiâ, quo de egimus *Ann. III. Ephem. Germ obſ.* 106. Proſunt in coagulo humorum tartareo corrigendo & reſolvendo; idque omne præſtant cum inſigni efficaciâ.

4. *Diluentia ut aperientium, ita & ſpleniticorum inprimis actuationi unicè velificantur.* Eo nempè ſtatu, ubi ſerum non abundat, vel reſtagnat, nam alioqui noxia potius fuerint, habita tamen ratione ventriculi, ne facilè noxam & labem contrahat. Frigida quin imò ſæpè præ calidis ſunt convenientiora hinc maximè temperamenta ſunt diſtinguenda & conjunctæ intemperies.

5. *Ut fixitate magis lien præ hepate peccare ſolet, ſic & majori volatilitate & activitate medicamentorum gaudet.* Communia enim quidem & ſymbolica ſunt utrorumque remedia, reſpectivè tamen lieni major gradus aperiendi debetur, quàm hepati, quod bilis reſpectivè minus fixior ſit naturâ ſuâ.

6. *Dulcia ſpleni minus amica*; neque enim quæ reliqua præſtant; ipſa cum aliis habent communia; non fixitatem humorum corrigunt non volatilitatem & lixivioſitatem, non limoſitatem & coagulum; quin omnibus potius cooperantur & producendis inſerviunt, quàm avertendis. Hinc quæcunque dulcia ſunt ſplenetica vel ſpleneticis gratiam conciliare debent, ſpeciatim ſunt notanda. Notabilis eſt radix polypodii, ſplenetica omnium conceſſione dulcis, ſed temperata, præcipitans, terrea ſimul, unde mobilibus reddendis & extergendis fixis terreis humoribus inſervit.

Alia verò ſaccharata & mellita minus hoc privilegio gaudent, unde tot ſirupi aperitivi meritò caſtrandi ſunt & imminuendi. Hinc egregio ſtrategemate ſirupi acetoſi inter ſplenetica recenſentur; ut abſtergendi promptius exequantur munus acida verò mitigentur.

Hinc ſir. de pomis, & ſir. ſceletyrbicus Foreſti habent quidem eximiè locum, magis tamen ſecundariâ medendi provinciâ, quàm primariâ. Conſtat verò hic ex cochleariâ & becabungâ, illo quoque commodo, ſi ſecundum intentionem autoris judicemus, ut volatile fixo temperetur. Hinc confectio alkermes licet ſplenetica vel maximè judicetur ob lapidem lazuli, aliaque non tamen promiſcuè inter lætificantia memoranda. Nocent verò præ reliquis, τῷ θεῖον, quod fermentativâ vi non componant, ſed potius exſuſcitent fervidos, ſalſos, acres humores, adauctâ ſimul bile, quæ in omnibus melancholicis ſimul peccat; unde hyſterica, epileptica, & ſimilia ſymptomata inducuntur &c. WEDELIUS.

Splenetica Specifica Andreæ CNOFFELII.

Eſſentia Martis Compoſita.

℞. *Eſſent. ♂tis præcedent.* ℥ß. *T℞a noſt. coralliorum.* ʒij *eſſent. moſch. ambrat.* ℈iv.

(*Not.* pro fœminis omittenda eſt eſſent. odorif. & in locum hujus *eſſent. caſtorei* ſubſtituenda) Miſce. In melancholia, epilepſia uteri, aliiſque morbis chronicis hujus eſſentiæ virtutes ſunt admirabiles. Doſis à ℈j. ad ʒß. & ultra, in vino vel aliquo liquore conducibili & appropriato.

Tinctura

Tinctura Tartari.

℞. *Cremoris Tartari albiſſ. & opt. pulver. ☍ Tartari per deliquium fact. an.* ℔ß.

Miſceantur ac leni calore in vitreo vaſe iterum coagulentur. Ex hac maſſa, quæ prius ſuper porphyrite læviganda eſt, extrahitur TRa rubicundiſſima, beneficio aquæ temperat. q. ſ. quod tinctum eſt auferatur, & nova ∇ temperata affundatur, digeſtione levi peracta, iterum quod tinctum defundatur, liquores tincti, per chartam emporeticam filtrentur, & abſtrahantur ad tertiam partem uſque: reliqua TRa Tartari aſſervetur in uſum neceſſarium.

Præſtans eſt in melancholia & affectione hypocondriaca, arthritide calculo, & retentione urinæ, omnes enim craſſos & tartareos humores expellit, & in morbis chronicis & diuturnis febribus intermittentibus utiliſſima eſt medicina, in vino vel aqua deſtillata appropriata. Doſis eſt à ℈, ad ʒß & ℈ j.

Hanc TRam etiam Clar. Dn. D. Cnœffel extrahebat cum phlegmate ⊖-li non ſolum pro uſu interno, ſed & externo, ad membra podagrica & dolentia illinenda, topicum ab authore ſæpius adhibitum & probatum.

Miſtura Splenetica.

℞. *TRæ Tartari ℥iß. miſtur de tribus noſt.* ʒvj. *-∽- cochlear.* ʒiv. *conf. alkerm.* ʒj.

Digerantur clauſo vaſe per 24 horas. Colatura per chartam filtrata ſervetur uſui. Doſis à ℈ß. ad ℈j & ℈ij. in liquore competente.

Miſtura Splenetica alia D. D. C.

℞. *-∽- Tartari, per lignum ſaſſafras correct.* ℥jß. *miſtur. de tribus* ʒiij. *-∽- cochlear. ♀ris ana* ʒij. *eſſent. meliſſ. citri ana* ℈ij.

Miſta omnia filtrentur, & in vitro cerâ optimè obturato ſerventur ad uſum. Arcanum eſt in hydrope. Doſ à ℈ß. ad ʒj. in liquore idoneo.

Alia miſtura Splenetica D D C.
pro Illuſtr. Dn. Subcamerario Regni Dn. Rilski.

℞. *-∽- Tartari ſaſſafr.* ʒß. *-∽-lis* ʒiß. *♀ris* ʒj *fraxini, cochlear. an.* ʒiij. *conf alkerm.* ʒij. *TRæ ſandal. q. ſ.*

Miſce omnia exactè digeſtione per diem & noctem præmiſſa: Miſtura per chartam filtrata ſervetur uſui. Melancholicis mirificè ſubvenit. Doſis à ℈ß. ad ℈j in vino vel aliis medicamentis & liquoribus deſtillatis.

Spiritus Tartari compoſitus.

℞. *-∽-Tartari (per infuſ. ligni ſaſſafras correcti)* ℥j. *TRæ ♂tis aperit. noſt. deſc.* ℥ß. *conſ. alkerm.* ʒj.

Miſta ſtent per noctem [vitro bene clauſo] in digeſtione, poſtea filtrentur, & ad uſum ſerventur.

Vires ſunt incidendi, attenuandi, reſolvendi. Hinc in arthritide, melancholia hypochondriaca, ſcorbuto, hydrope, aliiſque lienis & meſenterii morbis & obſtructionibus convenit, ſudorem & urinam promovet, & ab omni tartarea obſtructione liberat.

Doſis à gutt. x. ad xv. & ℈j.

Balſamum Spleneticum externum Dn. D. C.

℞. *☍ Tartari deſtillatione (& ſuper lign. ſaſſafras rectificat.) balſami ♀ris, per ☍ juniperi fact. ana* ʒij. *☍ cappar. expreſſ. (cum rad. anchuſa tinctor.)* ℥ß. cum *cerato ſandalino* q. ſ. Fiat balſam. conſiſtentiæ conſuet. cui adhuc admiſceantur *☍ ligni ſaſſafr.* gutt xvj. Duritiem & tumorem ſplenis à flatuoſis humoribus & tartareis impuritatibus reſolvit, ſi regio ſplenis bis in die inungatur.

Hæmorrhoidalia.

Et ſi fluxus hæmorrhoidum multotis ſalutaris eſſe & multis graviſſimis morbis hominem liberare & præſervare ſoleat, ob eamque utilitatem non cohiberi debeat; aliter tamen ſe res habet, ubi fluxus iſte nimia frequentia & copia peccat. Quo malo cum S. Reg. Maj. JOH. CASIMIRUS, ob copiam & acrimoniam feculenti ſanguinis non raro, & aliquando ſex vel ſeptem ſeptimanis, omni die vexata fuerit, fluxu vulgaria Medicorum remedia ſpernente; nihilominus tandem adhibitis Cl. Dn. D. Cnœffelii medicamentis S. M ſæpius curata fuit, qualia ſunt ſequentia.

Emulſio coralliata Cl. D. D. C.
In fluxu immodico hæmorrhoidum, pro S. R. Maj.

℞. *Decocti hordei, ∇ ſpermatis ranar deſtill. ana* ℥ij. *ſem. melonum & cucumer. ana* ʒij. *amygdal. dulc. excort. n.* vij.

F. lactis emulſio ſimplex. Adde *manus Chriſti coralliat.* ℥ß. *corall. rub. cum ſpermola in ſuccator.* ℈ij. *ocul. ♋ præpar.* ℈j. M. F. Emulſio coralliata.

Hanc Emulſionem S. Reg. Maj per 10. dies continuavit, & ex ſolo uſu hujus medicamenti convaluit.

Emulſio ſtyptica S. R. Maj.
In fluxu magno hæmorrhoidum, & menſtruorum, cum metu dyſenteriæ, ex præſcriptione Cl. Dn. D. And. Cnœffelii.

℞. *Decoct. hordei cum rad. ſerpent. ſ. q parati, ∇ ſtil. ſpermatis ranarum ana* ℥ij *ſem papaveris albi & nigri ana* ʒij. *gland. tminatur num.* j. *amygd. dulc. excort. num.* vj. F. Emulſio. Cui adhuc adde *gelatina. C. C.* ℥ß. *miv. cydoniata* ʒvj. *magiſt. corall. butyc.* ℈j. *cornu mineral. foſſil. gran.* xv. *extr, noſt. ſedativi* gr j. Miſce. Semel hanc emulſionem S. R. Majeſtas eundo cubitum bibit, unde fluxus uterque ceſſavit, ut Medico amplius auxilio non indiguerit.

Oleum Hæmorrhoidale.

℞. *Rad. ſcrophulariæ* ℥ij. *chelidon* ℥j. *herb. lineariæ c. floribus m.* ij. *fol. hyoſcyami flor. verbaſci ana m.* j. *ſpong: cynorrhod. num.* iv. *ſcarabæorum pilular. num,* xij. *☍ ſpermatis ranar.* ℔ß. *lini in ⊙e albificati* ℔ß. facta maceratione adde *ſucci cancrorum* ℥iij. Bulliant lento igne, ad conſumptionem humiditatis, fiatque fortis expreſſio, inſolentur adhuc per aliquot dies. Mirum in modum lenit pertinacem tumidorum hæmorrhoidum dolorem, ſi calidè applicetur.

Unguentum Hæmorrhoidale Dn. D. C.

℞. *☍ ſperm. ranarum, hyoſciami, in quo rad ſcrophulariæ ſint coctæ. lini, [in quo prius ſcarabæi & procellones bullierint.] ana* ℥vj.

Quibus infundantur *uſnea in oſſibus humanis collectæ*, vel loco hujus *muſci in tegulis domorum invent.* ℥ß. ⊕ ℥ij

Inſolentur per menſem in vitro benè clauſo, poſtea coquantur per mediam horam, olcum fortiſſimâ expreſſione ſeparatum interim aſſervetur. Jam.

℞ *Aceti anodyn: [ex ✕ flor. hyoſcyami & verbaſci, per infuſ. more conſueto confecti]* ℔iß. *lithargyrii opt. pulveriſati* ℔ß.

Stent in vaſe terreo vitreato per octiduum, quotidie bis vel ter, ſpatula lignea agitando. Hoc facto:

℞. *Hujus infuſionis lithargyrii q. ſ. & cum oleo ſuper aſſervati* ana p. æqu

Fiat unguentum, ſub continua agitatione, nempe donec ambo concreſcant in butyrum quaſi viridiſſimum.

Ad hujus *unguenti jam parati* ℥iij. adde *axung urſi* ʒj *pulv.*

℥j.*pulv.ſperniol.noſt.*ʒij. *opii gr.ij.* Miſceantur pro S.R. Maj. in doloribus & tumoribus hæmorrhoidum.

Unguentum hæmorrhoidale aliud S.R.Maj. à Cl. Dn.D.Cnœffelio præſcriptum.

℞.*Butyri hæmorrhoid.praced.abſque axungia urſi & opio parati* ℥iij.*rebis ſuillæ ſeu porci* ʒvj.*croci* ♂*tis noſt. ſtyptici,ſacch.*♄*ni,ſperm.ranar.noſt.coagul.an* M.F.Unguentum. Memini etiam S.R.Maj. à graviſſimo hæmorrhoidum fluxu quondam in Italia curatam fuiſſe,beneficio fruſtul. ſpongiæ in attramento (ex ⊕lo & galla parato) intinctæ, & in orificium conſuetum intruſæ. Pro interno remedio præſcripta fuit & infuſio ligni lentiſci,de qua ter in die bibit,ſcil mane, à meridie & veſperi,aliquando & in prandio,loco potus ordinarii.Ex relatione ipſius Reg. Majeſtatis Domini mei tunc temporis Clementiſſimi.

Mirabile remedium eſt illud,de quo *Franciſc. Oſvv. Grembs M.Doct.*(*in lib.2.c.1.§ 5.n.74.Arbor.ſcil integr. & ruinoſa*) ſcribit,quod ſudor morientium intra linteolum collectus,& hæmorrhoidibus applicitus,fluxum ſiſtat, quod remedium Archeum timidum reddit, qui ex natura ſua mortem timet, ut propterea à furore remittat.

Pulvis externus hæmorrhoidalis niger.

℞. *Sperniolæ ſimpl.noſt.*(*ex oculis nigris prap.) cornu foſſilis an.*℥ß.ʒij.*Onis crudi,*⊕*li ad rubed. calc.an.*ʒiij. *gallar.immatur.pulver.*℈vj M F.pulvis.

Uſus ejus externus eſt, non ſolum in fluxu nimio hæmorrhoidum, ſed & in quavis hæmorrhagia, maxime vulnerum,ſi goſſypio exceptus, oſculis venarum ſtillentium imponatur.

Pulvis alius hæmorrhoidalis ruber.

℞.*Cornu mineral.foſſilis,& labiis adhæreſcentis lacc. rub.globuloſ.pictorum, muſci cruſtacei oſſium human. ana* ℥ß *aluminis crudi ſperniolæ ſiccæ noſt.ex ipſis ranis cum propr ſperm.parat ana* ʒij.

M. F. Pulvis. Eandem habet virtutem & uſum cum præcedenti, nempe externum, etiam in deſperatiſſimis hæmorrhagiis,cæteris remediis nihil juvantibus.

Pulvis hæmorrhoidalis internus, pro Illuſtr. Principe Razivvil.

℞. *Corall.rub.præpar. unicornu mineralis ſeu foſſilis, ſperniol.ſicc.ſimpl.n.deſcript.ana* ʒij.*ſedativi noſt. citrati ſimpl gr.iij.eſſent.roſ.ver odoriſ gtt.*vj.

Miſceantur in mortario lapideo, poſt dividantur in 6. æquales partes ad 6.chartas, in Emulſiones ſpecifica ſeu aq. ſperm. ranarum ſumendas. Omnem hæmorrhagiam ſiſtunt.

Amuleta in fluxu hæmorrhoidum.

Omnia illa amuleta quæ in hæmorrhagia narium & fluxu nimio menſtruorum recenſita ſunt, & collo appenduntur,atque manibus tractantur, & hic locum habent.

Præ aliis à proprietate valet cingulum ex linteo urticæ crudo (ſeu loco hujus cannabino) ſpermate ranarum inſuccato. Item cingulum ex herba burſæ paſtoris recent. collecta. Muliercula in Ruſſia, ad hoc negotium muſcum terreſtrem clavatum, C. B [quem & ibi plicariam vocant] ſibi eligunt. *Harmannus in prax. chim.* vult cingulum, ex foliis hellebori nigri conquaſſatis recentibus, nudo corpori circumdatum, quo ipſemet feliciter uſus eſt. Pelle leonis, ſi ei inſideatur, hæmorrhoidum dolores efficaciter leniri, author eſt *Jonſton.de quadruped.hiſt.nat.pag.*117. Laudatur etiam.

Annulus ſtellatus Helmontii.

Quem Clariſſ. *Dn. D. Chriſtianus à Paulitz.* S. R. Majeſt p.m. Medicus, amicus & collega meus clariſſimus, ab Illuſtriſſim. Principe van Eggenberg dono acceperat,& S.R.Maj. Johann Caſimiro p. m. (me præſente) iterum obtulit, quæ R. Maj. annulum, exterius auro, abſque igne ornari juſſit, & per multos annos digito manus ſiniſtræ geſtavit. Annulus ſtellatus deſcribitur ab *Helm. in libro de Lithiaſi capite 2. & in tract. ſuper verba, in herbis, verbis & lapidibus magna eſt virtus.*

Quod cæteris nihil juvantibus (inquit Author) ſi geſtetur annulus, ſubito & in ipſo ſpatio orationis Dominicæ omnes hæmorrhoides, tam cœcas, quàm apertas, & illarum dolores,uti etiam matricis affectus ſiſtere ſolet. Meminit & hujus annuli *Unzerus de epilepſia lib.2. c.13.*

Hæmorrhoides ſunt (ut multi volunt) nonnullis hæreditariæ, præſertim apud Judæos, qui graviter iis infeſtantur; & ſi hoc, fortaſſe non malè ad maledictionem divinam referunt,quippe qui clamaverunt, ſanguis ejus ſuper nos & filios noſtros. Quod probare videtur *Pſaltes*,dicens, quod percuſſerit DEUS eos in poſterioribus dorſi, opprobriumque illis dederit ſempiternum.

SEPLENIUM, vid. *Scolopendrium.*

SPODIUM. vid. *Ebur*,ſub titulo *Elephas.*

Spondylium.

Spondylium, Σφονδύλιον, dictum fortaſſe ob odoris gravitatem,à ſphondyle inſecti genere odoris gravis.Pena. Marcellus Sphondylium à Spondylorum in Spina dorſi,& phalangii ejuſdem nominis forma dictum exiſtimat:ſiquidem rotunditate, duo hæc inter ſe ſimilia ſunt, & ambo perviam cavitatem habent,qua muliebrium fuſorum verticillis ſimilia ſunt.Ego nullam hic ſimilitudinem video.

Notæ hujus characteriſticæ ſunt folia in hoc genere latiſſima,flores albi,cordati.

Nomina. Sphondylium *Ger.*vulgare *Park.*vulgare hirſutum *C.B.*Sphondylium quibuſdam ſive branca urſina Germanica *J.B.*

Radice nititur alba,ſimplici,altè in terram deſcendente,Sapore dulci & nonnihil acri,medulla ſeu nervo intus grandi, lento & tenaci. Jo.Bauhinus Saporem fervidum & ſubamarum Linguam vellicantem ei attribuit. Folia à radice orta longis pediculis hirſutis inſident, duabus pinnarum conjugationibus, compoſita, cum impari in extremo in tres lacinias profunde diviſo: ſingulæ etiam alæ latæ ſunt,laciniatæ, & per margines crenatæ: folia autem brevi utrinque lanugine pubeſcunt, quæque in caule ſunt, iis quæ à radice non multum diſſimilia, origine latâ turgidâ caulem & ramulum è ſinu ſuo egreſſum amplectuntur.Caulis ſimplex bicubitalis,teres, ſtriatus, ſtriis minus eminentibus quam in paſtinaca,intus concavus, villis rigidiuſculis hirſutus, ab imo ſtatim ramotus, foliis per intervalla longiora quam in paſtinaca cinctos, è quorum pariter ſinubus ramuli exeunt. Caulis ad internodia nonnihil reflectitur, ſecus quam in paſtinaca latifolia. Flores in Umbellas ſummos caules & ramulos terminantes digeſti, albi, quam paſtinacæ majores pentapetali petalis bifidis & velut cornutis. Nulla in hac exortum umbellæ totalis aut partialium circumſtant foliola;ſemen foliaceum,pallidius quam paſtinacæ.

In hu-

In humidioribus pratis, paſcuis & agrorum marginibus, & propè rivulos abunde oritur.

Quas Dioſcorides & Plinius ſpondylio vires aſcribunt, non videntur huic plantæ convenire, unde merito ambigitur, an hæc ſit verum & genuinum Antiquorum Spondilium, quamvis deſcriptio Spondilij apud Dioſcoridem ei non ineptè quadret.

Radix, autore Trago, valet ad emolliendos & deprimendos tumores, præſertim vero matricis, hepatis, & lienis, ſuccum herbæ expreſſum unguentis emollientibus chirurgi admiſcent.

Fuchſius hujus radicem eandem habere cum Acanthi veri radice facultatem vult, nimirum exſiccatoriam & leviter inciſoriam, ab Acanthi veri viribus longiſſimè diſtare placet Geſnero: ſuffragatur. C. Hofmannus.

Schroderus quinque herbis emollientibus ſpondylium accenſet, & uſum præcipuum externum eſſe ſcribit clyſteribus aliiſque paregoricis quarumcunque formularum, & ut plurimum in cataplaſmatis.

Poloni & Lituani ex ſpondylij folijs & ſemine cum aqua addito fermento, potionem coquere feruntur, *Parſt* dictam, quæ pauperibus ſit loco cereviſiæ, ſi Dodonæus vera recenſet ſemen hujus plantæ, ni fallor, quam paſtinacæ ſylveſtris appellatione inſigniunt, egregium eſt in hyſterico paroxyſmo D. Willis è Io. Anglico.

Gratus cibus ſunt ſpondylii folia Cuniculis. *Rajus.*

SPONGIA.

Quæ Latinis *Spongia* Græcis Σπόγγος dicitur: Etymologus autem ſit appellari ſcribit παρὰ τὸ πᾶν τὸ ὑγρὸν, quòd humorem attrahat & combibat: quæ veteres, Ariſtoteles & Plinius de vita, ſenſu, motu & contractione ſpontanea, eſca & alimento ſpongiarum tradunt partim pro incertis & ſuſpectis, partim pro falſis habeo. Quis enim credere poteſt eas conchis ac piſce alis? eo ſcilicet argumento, quòd conchæ minutæ in eis reperiantur, quaſi vero hæc animalcula non ultro irrepant in earum poros & foramina, ſeu ob tutelam ſive ob eſcam; facile enim credimus conchas marinas ſpongias depaſci, tantum abeſt ut ſpongiæ conchas. Quis intellectum etiam ineſſe putet, quia nimirum ubi avulſorem ſenſere contractæ multo difficilius abſtrahuntur, ego nullam ejuſmodi vim eis ineſſe conceſſerim, confictam ſuſpicor, quoniam ſpongiæ compreſſæ & in anguſtum coactæ ultro reſiliunt & ſe dilatant vi quadam elaſtica, quâ multa præterea inanimata pollent.

Eſt ergo: ut rectè Imperatus) ſpongiarum natura fungis proxima, de vegetabilium marinorum natura fungis proxima, de vegetabilium marinorum genere, quarum ſubſtantia velut & lana compacta, fiſtuloſa ſeu foraminata, & undique mucagine quadam membranea veſtita, vivunt ſpongiæ, ſcopulis, teſtaceis & arenæ radice ſua affixæ, avulſæ à ſua radice repullulant & ut aliæ plantæ recreſcunt, earum proprium eſt, facile conſtringi, & in priſtinam amplitudinem dilatari: ad hæc humoris eſſe ſitibundas, quem facile imbibant, & compreſſe remittant. *Rajus.*

E Spongia uſta fit deterſivum pro dentibus mundificandis, imò pro bronchocele, ſeu ſtruma curandâ ſi hîc cinis in vino propinetur, vel aliis admiſtus ſub formâ pulveris exhibeatur.

SPUMA MARIS,

Sive Alcyonum Officinarum.

J. B. Hujus fruſtum à ſe adſervatum ita deſcribit J. B. Duos pugnos craſſitudine amplitudineque facile æquat, ſubſtantia, quâ ſuperficie tenus veluti cortice obtectum eſt, albicat, aliàs cinerea eſt, nonnunquam pulla, pro temporis (ut arbitror) ratione, cruſtoſa, tota punctis cavis notata, cavernis pluribus inæqualis, interior facies ſpongiæ ſimilis eſt, ſed firmior, colore pullo, tota poroſa; nam acicula vel modice preſſa facile penetrat, pondus pumicis lapidis non adæquat; odor & ſapor ſalſuginoſus.

Ex quo hæc ſcripſi invenio in Ephemerid. Germanicar. An. undecimo, obſervatio. XIV. novam ſententiam D. Lucæ Schrockij de his corporibus, nimirum arundinis eſſe progeniem, & quidem foliorum ejuſdem. Cujus rei fidem ei fecerunt pilæ ejuſmodi quamplurimæ, ad eum allatæ, quæ intus plantam ipſam tanquam circumvolutionis principium & fundamentum continuerunt: reliqua vide loco citato. *Rajus.*

Spuma Argenti, vid. *Lithargyrium.*

Spuma Nitri, vid. *Aphronitrum.*

Sputum Moventia, vid. *Pectoralia.*

Squama Metallorum, vid. *Metallica.*

STACHYS.

Στάχυς, Id eſt, Spica Græcis: ita dicta videtur quod flores in ſpicas diſpoſitos profert: quod tamen plantæ hoc nomine inſignitæ non convenit.

Differt à marrubio, cum quo verticillis denſis & canitie ſua convenit, magnitudine & ſtatura: eſt enim elatior & erectior, foliis longioribus & acutioribus: primam ſpeciem intellige, nam reliquæ ob analogiam & ſimilitudinem quandam huc referuntur.

Plantam hanc verticillatis non ſpicatis annumeramus, non obſtante nominis ſignificatione, quia nec verticilli proximè admoti ſunt, nec folia iis ſuppoſita diverſæ à reliquis figuræ. *Rajus*

Creditur urinam ciere, imo menſes in mulieribus movere, ac ſecundinam retentam pellere, hæc planta.

Stacte, vid. *Myrrha.*

STANNUM.

De ejus Minera vide capite de METALLIS. Hîc de hôc metallô, variiſque inde conficiendis præparationibus è *Schrodero* ab *Hofmanno* annotatô.

Stannum eſt Metallum molle, album, ſplendens cum livore quodam, conſtans ex ☿io puriore (in genere ignobiliorum,) molliore fugacioreque quam Metalla duriora, fixiore vero quam plumbum, & Sulphure albo minus maturo.

Dicitur Hermeticis Jupiter, quod Jovi macrocoſmico ſympathicè conveniat, & proinde Jovi microcoſmico, id eſt, Epati: nonnullis, plumbum. Germ. *Zin*, *Weiſzbey*, Etain, Plomb blanc. *Tin. Tin.*

Vires. *Præterquam quod Epati convenit, uteri morbis peculiariter quoque dicatur.* Schroderus.

De Stanno.) Hîc *Dnus Autor* comparationem inſtituit cum mercurio hujus metalli & reliquorum duriorum mercuriis. Non tamen mihi perſuaſerim, illum mercurium vulgi voluiſſe intellectum, talem enim currentem ſcilicet reliqua duriora ac fixiora metalla non habent. Hoc verum eſt ex ♄no ut & ex Jove mercurium currentem elici poſſe, adeò, ut quidam ſint experti, nudâ coctione mercurium vivum ex jove prolicitum fuiſſe. Verùm radicitus ei non adhæſit, nec ad ipſius ſubſtantiam pertinuit, ut ſuprà de-

demonſtravimus. Jovem præterea etiam Sulphur quoddam in ſe habere, apparet ex ♌latione butyri ♁nij cum jove & mercurio ſublimato facti, ubi hoc Sulphur (ſed indigeſtum reſpectu ☉ & ☽) inſtar foliorum ☉ adſcendit. *Hofmannus.*

I. PURGATIO.

Funditur ad ignem, atque inter fundendum ſuperinjicitur aliquid ſevi, ceræ, vel mellis, ut comburatur. Hinc effunde in ∇m calidam.

N. *Purgari quoque poteſt per ſublimationem. vide infra.*

II. CALCINATIO.

1. *Incinerationis,* &

2. *Reverberationis.*

Fiunt eodem modo, quo ♄ calcinare docuimus.

3. *Immerſionis.*

Fit itidem immergendo, liquoribus acidis ac corroſivis, ut in ♄, uſitatiſſimè tamen per ✳.

Unde.

1. *Sal ♃is.*

Unde Saccharum ſeu Sal ♄i, ad cujus modum ut parari & cryſtalliſari, ita & V exaltari poterit.

N. 1. *Niſi ♃. optimè fuerit reverberatus nihil effeceris.*

2. *Simili modo & ex floribus Sal conficere licet.*

Vires. *Præſtantiſſimum ac præſentiſſimum eſt remedium in uteri ſuffocationibus, quas ad miraculum compeſcit, tam intrinſecus quàm extrinſecus adhibitum. Commendatur itidem extrinſecus ad omnia ulcera fœtida, fiſtulas, cancrum, & alia eſthiomena.*

Doſis gran. II. III. IV. *&c. repetitis vicibus.*

2. *Magiſterium.*

Fit quoque ſimili modo per præcipitationem. *V. Mynſ. armam.*

N. *Paravi quondam Magiſterium ♃is ſolvendo ſcilicet reverberatum in ✳ præcipitandoque per ⌒m ⊕i, verum cum alia vice, idem ex calce ♃is, à Stannariis emptâ meditarer, nihil effeci. Præcipitatio autem ſubſecuta eſt inſtillando urinam.*

Vires. *Eædem ſunt cum priori.*

4. *Calcinatio Vaporoſa.*

Similiter quoque ut in ♄o dictum peragi poteſt. *Schroderus.*

2. *Calcinatio.* I. *Incinerationis.* 2. *Reverberationis. Hæ eodem modo, quo ♄ni calcinatio, peraguntur.* 3. *Immerſionis ſcilicet jovem liquoribus immergendo acidis v. g. Acet. diſt. Unde Sal. com. jovis.*) Hoc etiam conficitur in modum ſacchari ♄ni ex jove calcinato per exquiſitiſſimam reverberationem beneficio aceti concretum. Calcinetur prius ſtannum per ſe △e reverberij, prius enim in patellâ terreâ fictili ferreo baculo ſæpius agitando, uſque dum in pulverem gryſeum converſum fuerit. Ex hoc extrahe ope Acet. deſtillati acerrimi ſal ſive Vitriolum ſtanni ſolutio filtretur, & ad ſiccitatem abſtrahatur, relictum ſolve ſp. vini, iterum filtretur, & aliquali abſtractione liquoris cryſtalliſabitur. Præſtantiſſimum eſt medicamentum in uteri ſuffocationibus, item in hecticâ, epatis affectibus &c.

N. 2. *Simili modo & ex floribus Sal. com. conficere licet.*) Iſti fiunt ex ♃ve cum menſtruo ex Nitr. & O præparato. Vid. CL. Sennert. in inſtitut. Lib. V. part. 3. ſect. 3. cap. 15. p. m. 1431. Suffocationem uteri tollunt uſque ad miraculum inſtar incantamenti.

2. 2. *Magiſterium fit quoque ſimili modo per præcipitationem.*) Liquori ſcilicet ♃vis cum Acet. diſt. confecto inſtillatur vel Urin. recentiſſima puerorum, vel ſpiritus ſalis, & elegantiſſimum inde acquires Magiſterium vide de hoc Mynſichtum.

N. *Paravi quondam Magiſterium &c.*) Mihi etiam idem uſu evenit, benè autem cum ſp. Salis vel Urin. ſucceſſit præcipitatio. Diverſitatem igitur Jovis ſubſtantiæ in cauſa eſſe puto quæ in variâ texturâ partium illi conſiſtit. *Hofmannus.*

III. DESTILLATIO.

Deſtillationi quoque eidem obedit cum ♄no, unde lectorem eò remittimus.

Hinc.

1. *♃ Diaphoreticus.*

℞. ♃ optimè limati vel calcinati ℥II. ☿ ⊻ti. ℥IV. Miſc. & deſtilla per retortam, ex arena vel igne nudo gradatim adhibito, idque in excipulum ∇ ſemiplenum & præcipitabitur pulvis, quem lava, exicca & ſerva.

(In febribus, pleuritide, hyſtericis affectibus, utilis.)

N. 1. *Cum incipit deſtillare, ignem ſuppreſſum adhibe, ut calor ſit moderatus.*

N. 2. *Pulveris hujus origo potius ☿io adſcribenda quam ♃i. Sunt tamen qui ſtatuunt pulv. hunc nil eſſe aliud quam partem puriorem ♃ per ⌒tus ſalinos & Vitriolatos calcinatam, ſolutam atque extillantem, cum per fuſionem abeat in Regulum ♃ ut ille in Regulum ♁ij. redibat. Hinc Antihecticum Poterij.*

(*Quod paratur ex ♁ij & ♃is partibus æqualibus, agitatione in ſcorias redactis & cum* [illegible] *triplo in Crucibulo detonatione, famoſum ſed expectationi ſæpè inſufficiens*)

N. 3. *Aqua reſidua ⌒u Vitrioli philoſophico prægnata, deſtillationi ſubjici poterit, ut inde habeatur ⌒ Vitrioli philoſophicus, modo ſupra in ⌒ Vitrioli deſcripto.*

N. 4. *Si poſt extillatum butyrum Jovialem ignem ſuppreſſionis per gradus dederis, tunc in collum* [illegible] *ſublimabuntur flores argentei.*

Doſis gr. 4. 5. 6. *Beg.*

(*Bezoardicum ♃iale vid. cap. ſeq.*)

2. *Sulphur ♃is, ſeu* [illegible] *Supernatans.*

Elici poteſt ex Manna ♃is: modum vide in ♄o.

N. *Eàdem ratione quoque fragrans reddi poterit.*

3. *Gummi Joviale ſublimatum & Oleum S. Cloſſ.*

℞. *Limat.* ♃. ℥II. ☿ ⊻ti. ℥VI. *M. manu celeri, pone in* [illegible] *collo peramplo inſtructam, pelle per* ∴. ⌒*m ſemper fumoſum, poſtea butyrum, indeque ☿ vivus in copia exibunt, tandem adhibito ſuppreſſionis igne, elevabitur tota ♃ ſubſtantia, gummatis gryſei ac præduri ſpecie, paucis admodum fæcibus rubris in fundo ſubſiſtentibus. Hoc gummi ſtatim pulveriſandum eſt, aliàs ſubſidio humeſcit, deinde ſuper tabula ♂ ſtanno obductâ collocandum in cellâ vinariâ ubi colliqueſcet in oleum flavum.*

4. *Sulphur, ♃.*

Id quod remanet non colliquatum ſuper laminâ ♂. M. cum fæcibus ſuperioribus, affunde ✳ digere per quatriduum, abſtracto ✳ reperies Sulphur rubrum ♃is inſtar Minij.

5. *Sal ♃.*

Reſolve hoc Sulph. in aq. communi, vel per ſe, in hu-

humido liqueſcat, filtra, coagula, ſolve, iterum erit coloris Smaragdini cum quadam dulcedine.

Vires. Oleum numeratur inter ſolventia metallorum, Sulph. & ſal externis tantum uſibus inſerviunt, ſpiritus verò ♃ quem ideò ſemper fumoſum vocavi, quod in nullo vaſe abſque effumatione ſenſibili poſſit contineri.) Gangrenas attactu curat.

6. Cryſtalli ♃ ejuſdem.

℞. *Superioris* ♄*us fumantis ex* ♃ *inſtar aquæ claræ prolicitì quantum videbitur, affunde per vices parum* ▽ *tinctura ſalis Tartari impregnati, elevabuntur bullæ cum ſtrepitu & fumo, perge inſtillando, donec ceſſet tumultuatio, pone vas inter calidos Cineres, & fiet coagulatum nigrum picis inſtar, da ignem* ♎*ationis & ſurgent Cryſtalli albi fuſiles velut cera.*

Qui Ulcera ſcrophuloſa cancroſaq; curant inurendo profundam Eſcharam, quâ ſublatâ, balſamo Sulphuris ad cicatricem producuntur. Schroderus.

3. *Deſtillatio. Hinc 1. Jupiter Diaphoreticus Beguini.*) Prout *Dnus Autor* ex *Beguino* tradidit, etiam optimè ſuccedit. Commodius tamen fit ex amalgamate Jovis Anglici & ☿rij vivi ana pulveriſatis & cum ana ☿rij ſublimati probè mixtis, & aëri humido ad tempus expoſitis, per retortam △ni Aren. mediocri deſtilletur, & indito in recipiens ▽æ ſ. ſubquadruplo. Liquorem cum gummoſâ quâdam particulâ reſiduo in retortâ affunde: totumque calefactum & probè agitatum ſimpliciſſimè tantùm per chartam emporeticam duplicatam madidam filtra. Quod charta abſorpſit, unâ alterâve aquæ ſ. unicâ tranſcolata elue, & novæ retortæ hanc filtraturam inde, adjectâ pro ſingulis primitivorum ingredientium (☿rij vivi ſcilicet, ſublimati & jovis) Nitri crudi ſemiunciâ, & omnem liquorem ſpiritui Nitri compoſito conformem ad extremam guttulam & totalem Nitri exhauſtionem per Aren. △ne in fine forti deſtilla. Pulverem edulcorandum in fundo habebis. Doſis eſt à gr. VIII. vel ℈ß. Ex hoc præparatur etiam *Sudorificum maximum P. J. Fabri volum. 3. Panchym. pag. m.* 481. & 741.

Hujus etiam vires ſunt mirificæ, bezoardicæ ſcil. antifebriles, antipleuriticæ, anti-hyſtericæ &c. Ex eodem fonte promanat & antihecticum *P. Poterij*, quod conficitur ex ♁nij & jovis ana agitatione in ſcorias redactis & cum Nitr. triplo in candenti crucibulo detonatione. Hoc maximoperè etiam conducit in nimiâ hæmorrhagiâ, vomitu cruoris à menſibus reſtagnantibus & alijs uteri affectibus. Nitrum etiam illud cum jove fixatum egregiè refrigerat, dum ſanguinis compeſcit ebullitionem potui admixtum urgente calore febrili.

N. 2. *Pulveris hujus origo potius* ☿*rio adſcribenda, quàm jovi.* (Non deſunt, qui oſtentant, ſe obſervaſſe, (licet reverà nullo modo fieri queat) ☿rium vivum in auctiori pondere recuperatum fuiſſe in aliquibus præparationibus, cum primum unciæ ſex ☿rij vivi præſto fuerint, poſteà in quantitate duplâ reperiiſſe. Verùm multa ſæpè pro autoritate mendacia finguntur. Sed quid lucri iſtis accedit? ut eis, cum vera etiam poſteà dicunt, fides non habeatur. Prædictus Jupiter diaphoreticus purus putus pulvis jovialis eſt, beneficio ſpirituum ſalinorum & Vitriolatorum ☿rii ſublimati per retortam traductus & in aquâ præcipitatus, cum per fuſionem iterum in Jovem abeat. Sicuti ☿rius vitæ nihil de mercurio participat, ſed etiam pars ♁nij ſubtilior eſt: ita & hoc nil quicquam mercurialis partis ſapit, ſed puriores etiam partes ipſius Jovis ſunt, ipſâ ſubſtantiâ mercuriali penitus excluſâ. Eò quòd mercurius ſublimatus ſuis corroſivis in ipſâ deſtillatione cum ſtanno privetur, ipſiq; hi ſpiritus ſtanno communicentur, ut vivus iterum & currens factus mercurius in deſtillatione denuò ſe prodat ac conſpiciatur.

N. Antecedentibus Bezoardicis Jovialibus & affine eſt ſeq. *D. Bartholeni.*

℞. *Regul.* ♁*nij* ℥III. *funde cum* ℥II. *Jovis Anglic. pulver. & miſce cum duplici quantitate mercurii ſublimati, inde in retortâ, & ex furno clauſo elice butyrum ſ. a. quod ſæpius eſt rectificandum & poſteà cum ſp. ſal. com. ſimendum, qui tandem paulatim deſtillatione evocandus eſt ad materiæ ſiccitatem. Hæc in acet. reverberari debet, quousque ſubcœrulea evadat, △iſque vim ſuſtineat.*

N. 3. *Aqua reſidua ſpiritu vitrioli philoſophico impregnata.*) Hic ſpiritus dictus Vitrioli philoſ. nihil Vitriolici obtinet, ſed ex ſpiritus ſalis eſt proſapiâ, nil de ♁nio participans, ut infrà pluribus deducemus.

3. *Gummi Joviale ſublimatum & Oleum S. Cloſſ*) Hoc gummi gryſeum ac prædurum ſalinus & vitriolicus etiam fœtus eſt cum particulis tenerrimis Jovialibus imprægnatus. Interim tamen non elevatur tota Jovis ſubſtantia, ſed multum ejus in Cap. mort. reſiduum eſt, ex quo cum mercurio ſublimato denuò addito idem repeti debet labor. Eſt medicamentum hyſtericum nobiliſſimum. Doſis eſt à gr. III. ad ℈ß. Prout & ſequentia 4. Sulphur Jovis, 5. ſal Jovis altioris ſunt indaginis. Unde apparet, quomodo una res diverſimodè pro variâ partium exturâ arte factâ ſalium beneficio colorem & ſubſtantiam mutare poſſit. Notum eſt, ſolutionem Jovis calcinati ſali Tartari deliquato commiſſam hoc eſt, ſi ſtannum calcinaveris, eique ſaltem Tartari liquefactum commiſcueris, acquirere colorem cœruleum.

6 *Cryſtalli Jovis.*) Eodem modo & conficiuntur cryſtalli elegantiſſimi ex Jovis minera, *Zinngraupen*, pulver. ✱i. affuſ. ſp. Vitrioli rectific. ✱i. digere aliquaudiu in MB Poſteà ▽am comm. affunde, filtra, dum adhuc calent, & concreſcent cryſtalli, humiditate aliquali abſtractâ. Doſ. gr. I. ad II. in hydrope & affectibus ſcorbuticis. Item in fiſtulis deſperatis internè & cum melle roſac. externè applicati maximè proſunt. *Hofmannus.*

IV. SUBLIMATIO.

♃. *Calc.* ♃. (*exempli gratia, per* ▽) *ſublima per ollas cucurbitæ tubulatæ impoſitas, ad modum quo flores* ♁*ij parantur. Nimirum calx illa per vices injicitur, tubulique foramen ab injectione obturatur.*

N. 1. *Parum intereſt, an calcem vel limaturam* ♃*is receperis.*

N. 2. *Flores hi nihil aliud ſunt, quam* ♃ *depuratum.*

V. EXTRACTIO.

Unde.

Tinctura Baſiliana.

♃ *Laminas* ♃*is, cementa cum pumice* (*terna calcinatione reſtinctoria in Vino,*) *calcinato, ſubtiliſſimeque pulveriſato, in Crucibulo benè lutato & clauſo,* ☍ (5.) *per gradus* △. *Deinde derade pulverem de laminis, eique extrahe ſ. a. Tincturam cum* ✳ *Poſtmodum abſtrahe* ✳, *& habes Tincturam* ♃*is Tholdius.* Schroderus.

Hîc quæritur; unde Sulphur illud laminis adhærens. Utrum ex Jove, an aliunde? Nos dicimus ex flamma △is, in quâ acidum quoddam ex carbonibus aut lignis delituit, quod Jovis laminis ejuſmodi ſuppoſititium Sulphur appoſuit, illud emerſiſſe. *Hofmannus.*

VI. SALIFICATIO.

Unde.

Sal Verum.

♃. *Reſiduum ex quo beneficio* ✳ *Tinctura prior Baſil. extracta eſt, affunde* ▽*m mellis, ſtentque per aliquot* ☍ *Sic elicitur ſal, quod abſtractâ poſtmodum Aquâ mellis, fit conſpicuum.* Tholdius.

Vires. *Conducit ad Epilepſiam, Melancholiam,*

Vertiginem: Catarrhos exiccat, præcipuè qui ad oculos deſtillant.

Doſis ad ℈j. *vel* ℈ii. Schroderus.

6. *Salificatio Unde ſal verum*) Verùm Jupiter per ſe ne micam quidem Salis obtinet, inde nec hoc Sal. com. verum Jovis eſt, ſed Acet. diſt. ſoboles jure dicitur. *Hofmannus.*

VII. *MERCURIFICATIO.*

Miſſa eſt mihi ☿ii ♃. Mompelio pro certiſſimâ, quam in Cent. I. Keſleri artic. 22. poſtmodum reperi, ideoque eam non adſcripſi. Si quid ☿ iis metallicis tribuendum eſt, hæc certè non erit momenti minimi, cum in ea Sulph. impurum comburatur cum Sal. nit. deinde pars ☿alis aſcendat per ♎ationem, quæ tandem putrefactione & ebullitione in ☿um currentem reducitur *S. Cloſſ. Schroderus.*

7. *Mercurificatio.*) Non ſuccedit hæc Monpelienſis deſcriptio à Keſlero Centur. I. artic. 23. tradita, Vulcani examini expoſita: ſed quemadmodum ſuprà de ♄urno, & infrà de ♁nio procedendum eſſe diximus in mercurii ſeparatione, ita & hoc loco in jovis mercurificatione ſimiliter faciendum eſſe ſtatuimus. Nec conſilium carebit ſucceſſu.

N. Modò laudatus *Keſlerus* ſingularem ▽am inſipidam ex Jove olim præparavit contra vermes in primis. Scilicet calefactum Jovem aliquoties extinxit in ▽â aliquâ ſpecificâ v. g. hyperici, ſcordii &c. ter vel quater, & ita pueris propinavit. Hancque virtutem puto à mercurio vulgi provenire, qui copioſus latet in Jove. *Hofmannus.*

STAPHISAGRIA.

Σταφὶς ἀγρία à foliorum cum vitigineis ſimilitudine nomen accepit, foliis & filiquis atque etiam viribus cum Aconitis convenit, flore cum Delphinio, ad quod etiam ſemine magis accedit quàm ad Aconitum. Latinis Pedicularis dicitur ab effectu.

Nomina. Staphis agria *I. B. C. B. Ger. Park.*

J. B. Park.

Hirſutum habet caulem, cubito altiorem, in multos ramos diductum; in his folia longis hærentia pediculis, ampla, vitiginea, unde toti plantæ nomen comparatum, vel ricini magnitudine & diviſurâ digitata, piloſa, flores pediculis frequentibus, tum è foliorum ſinu, tum ex caulis faſtigio, tum ex ramis exeuntibus inſident, cœrulei è quinque foliolis hirſutis compoſiti, apicibus & ſtaminibus foliaceis medium tenentibus, Parkinſonus exactius flores conſolidæ regalis ſimiles ſcribit cum calcari pariter retrorſum extenſo, ſed multo ampliores, colore obſcurè cœruleo, quibus ſuccedunt ſiliquæ tres quatuorve corniculatæ, ut in Aconitis, ſed majores in quibus ſemina magna, rugoſa, nigra, triangula, uvidæ facultatis vi guſtatu os incendentia, radix longa, lignoſa, annua.

Naſcitur in opacis: in Iſtria (inquit Matthiolus) Dalmatia, Apulia & Calabria frequentiſſimo proventu.

Vires. Vehementer calidam, acrem, & cauſticam habet facultatem: hinc pro maſticatorio habetur: purgat etiam, ſed cum metu ſtrangulationis, ideo deſiit ejus uſus. Pulvis capiti inſperſus pediculos enecat, aut cum oleo tritus & inunctus: quæ de ejus viribus habent veteres apud ipſos vide.

Semen ſtaphidis agriæ exhibitum à Gr. xij. ad ℈j. ſurſum & deorſum purgat, ptyaliſmum excitat, unde egregiè juvat in lue venerea. Franc. de le Boe Sylvius Cap. de purgant, & ſalivant.

Idem lib. I. C. 5. S. 25. Staphidis agriæ ſemina quindecim ajunt, ſi trita cum hydromelite aſſumantur, potenter humores pituitoſos, glutinoſos per vomitum cum ſuffocationis periculo expellere. (Dod. Herb. Belg. lib. 12. Cap. 10. pag. 595.) ab illis namque inflammantur fauces, ardorque ſummus in iis accenditur, eadem ſemina docent manſa pituitam ex capite allicere in os, unde facile patet eadem ſemina, ſi ex aqua multa decoquantur, & illo decocto os colluatur, poſſe levem ſic excitari ſalivationem, quæ forſan felicius ſit, ſi non ſimul & ſemel quindecim ſemina, ſed unum vel duo diebus pluribus exhiberentur, ſicque paulatim ſalivatio levis excitaretur. D. Soame excerpſit & miſit. *Rajus.*

STERNUTATORIA, vid. *Ptarmica & Errhina.*

STIBIUM, vid. *Antimonium.*

STOECHAS.

Stœchas (Arabicam intellige) ab Inſulis ejuſdem nominis, ubi copioſè naſcitur, cognomentum accepit, teſte Dioſcoride l. 3. C. 32. & Plin. l. 28. C. 18. non tamen in iis duntaxat inſulis naſcitur, ut ſcribit Plinius, ſed alibi etiam multis in locis.

Herbam quæ ſtœchas citrina hodie vulgo dicitur, veterum Helichryſon eſſe Botanici peritiores exiſtimant, variè autem ſcribitur hæc vox, nimirum vel Helichryſus vel Heliochryſus, vel ἑλειόχρυσος vel Helejochryſus. Heliochryſus Plinio probari videtur, cùm ſcribat, florem ad ſolis repercuſſum aureæ lucis in modum dependere, quid autem paludi cum auro? inquit, C. Hoſmannus.

Aliis chryſocome veterum putatur, quæ à comantibus auri fulgore corymbis (ut Plinius loqui amat) nomen accepit.

Notæ ejus characteriſticæ ſunt flores foliis marginalibus aridioribus & exſuccis, quæque coloris gratiam diu retinent ſiccata, cintti; folia oblonga, anguſta, caneſcentia, aut etiam tomentoſa & incana.

STOECHAS ARABICA.

Stœchas ab inſulis ejuſdem nominis è regione Maſſiliæ ubi naſcitur cognomentum accepit, teſte Dioſcoride l. 3. C. 23. Plin. l. 28. C. 12. verum Lobelius in Adv. Nobiles illas & rariſſimarum ſtirpium alumnas Stœchades inſulas huic cognomines, non ex adverſo Maſſileæ, ut perperam ex Dioſcoride pervulgatum eſt (bidui namque itinere & litore indidem abſunt) ſed è regione Olbiæ, vulgo Hyeres, urbeculâ olim tam lauta quàm nobili, à qua etiamnum hodie inſulæ Stœchades nomen retinent non Maſſileæ; dicuntur namque Hyeres inſulæ.

Spicis habitioribus piloſis ſquamulis imbricatis, cum foliolis in earundem cacumine à lavendula differt.

Vires, Stœchas abſtergit, attenuat & aperit. Uſus præcipuus in affectibus capitis & nervorum, ſcil. in vertigine, apoplexia, paralyſi, lethargo, in morbis pectoris idem præſtat quod hyſſopus, inſuper urinam & menſes ciet, venenis reſiſtit, affectibus hypochondriacis ſuccurrit, extrinſecus in lotionibus capitis, ſuffitu, &c. Schrod.

In ejus virtutibus deſcribendis prolixus eſt Meſue, vide J. Bauhinum alioſque Botanicos. Syrupus ejus triplex in uſu eſt, ſimplex, compoſitus, & Fernelii: omnes cephalici habentur, & in nervoſarum partium frigidis affectibus felici cum ſucceſſu uſurpantur.

Meſue pituitam & atram bilem hanc herbam purgare ſcribit, ſed quia tardius & imbecilius operatur, ipſi addere jubet partem ſextam ſalis communis aut ſalis gemmæ, aut myrobalanum nigrum aut cepulam. Jubet inſuper bilioſos ab ea abſtinere: ob quam fortè cauſam inquit Caſp. Hofmannus deſiit eſſe in uſu.

Vires Stœchadis Germanicæ.

Hujus flores vino decocti & poti lumbricos ventris expellunt, quod Tragus experientia certum eſſe dicit; eodem modo ſumpti ſudores eliciunt.

Hujus varietatem florum ſquamulis eleganter in modum prunæ ex aureo rutilantibus, in Caſſubiæ ſterilibus arenoſis & apricis locis præſertim ſublimioribus Julio & Auguſto florentem, Septembri & Octobri ſemina perficientem, cætera præcedenti ſimilem Chryſocomes Germanicæ, flore igneſcente ſive ex aureo rutilante proponit. Jac. Breynius.

Aliam inſuper varietatem, floſculis longioribus & ſquamulis ſanguinei coloris imbricatis, valdè raram ex iiſdem montibus allatam addit.

Amaranti (ſic enim appellat hanc herbam) flores, autore Trago, calidæ ſunt naturæ, id quod & ſapor & odor arguunt. Vino quidem decocti & poti lumbricos ventris expellunt, quod Tragus experientia certum eſſe didicit: eodem modo ſumpti ſudores eliciunt, quare hanc herbam obſtructionibus hepatis, lienis, renum & veſicæ conferre exiſtimat, in lixivio decocti ſi cum illo caput abluatur Capitis & porriginem expellit, pediculoſque enecat. Veſtibus appoſiti à tineis illas tuentur, aquâ decocti vaporantibus & fomentis induratam ac tumentem matricem emolliunt, flores nonnulli felici ſucceſſu adverſus morbum regium uſurpantur. Breyn.

Vires Stœchadis Narbonenſis.

Stœcadis hujus flores, ut & Italicæ iiſdem viribus pollent quibus ſtœcadis Germanicæ. Attendamus Schroderum. Calf. & ſic. Diuretici ſunt & vulnerarii. Uſus præcipuus in obſtructione urinæ, hepatis, lienis, menſium; Coagulatum Sanguinem reſolvunt, Catarrhos exſiccant, menſes nimios ſiſtunt, Lumbricos fugant (vino decocti aut macerati & poti) Commendantur & in primis ad exiccandas defluxiones acres pulmonum. &c. extrinſecus faciunt ad emolliendam uteri duritiem (in balneo) Capitis defluxiones ſiccant & diſcutiunt (ſuffitu) Matthiolus herbam totam cerebri morbis à frigido provenientibus, nempe pituitoſis fluxionibus, diuturnis doloribus, comitialibus, reſolutis, & id genus alijs mederi aſſerit, ſive ejus decoctum in potu ſumatur, ſive in pulverem trita ex rhodomelle bibatur aut oxymelite, penes autorem fides eſto: morbi illi nimis contumaces nobis videntur, quàm ut tam imbelli medicamento expugnentur. *Rajus.*

STOMACHICA.

Ut ventriculi actio mediante calore nativo, & vitali fermento ſubacidulo, volatili & vitali, & his inſerviente villorum robore inprimis perficitur; ita STOMACHICA ſunt in genere, quæ his veliſicantur. Seu principaliter illa ſunt & dicuntur ſtomachica, quæ evaporationem chyli promovent, & impedimenta quæcunque ejuſdem tollunt. Res enim omnis eò redit, ut actio ventriculi adjuvetur, in hoc ſolo conſiſtens principaliter, ut & διάκρισις σύγκρισις, evaporatio chyli probè fiat.

Cum ergò in officinâ hâc microcoſmicâ opus ſit (1.) calore, qui evocet & propellat, (2.) menſtruo, quod ſi non ſolvat, ſolutionem tamen adjuvet; 3. robore villorum & fibrarum nervearum; hinc juxta hæc quaſi capita etiam ſtomachicorum claſſes diverſæ ſunt, licet ſymbolicæ,

Viſque horum eximè probatur exinde, quod immediatè huc ferantur medicamenta, atque hoc loco juvantia & nocentia primam explicent occaſionem, unde & animam in ventriculo locat *Helmontius* ſenſitivam.

Stomachica ergò dum dicimus calorem reſtaurare, omnia ea complectimur, quæ effecta caloris prædicari poſſunt; nempe (1.) *tam neceſſariam ἀναθυμίασιν promovent*, ut partes alibiles utiles à recrementitiis colcotharinis ſeparentur, adeoque.

(2.) *Motum chyli & chimi promovent*, ne in ventriculo plus juſte moretur, & gravitate ſuâ ac diſtenſione moleſtias creet, & μόλυνσιν patiatur, inſtar maſſæ panis non fermentantis, ac aëraſcentis.

(3.) *Cruditates expediunt & tollunt*, tum acidum, tùm pituitoſam cumprimis, ac nidoroſam, tanquam effectus vitiatæ coctionis.

(4.) *Placant irritatos nerveos villos*, ſive retinere nequeat ventriculus præ debilitate cibos ingeſtos, ſive ut extrudat tum ipſos, tùm alia etiam utilia; tum dolentem partem ipſam in cardialgiâ.

(5) *Evaporationem vitioſam avertunt, & prohibent*, ne vel aquoſa ſola, vel alijs characteribus notata in flatus & fluxiones citentur, ut in ructibus, ſingultibus, ſalivatione præternaturali, &c.

Denique [6.] *omnia impedimenta removent*, quæcunque turbare coctionem, ex his fundamentis, queunt, unde affectus conſurgunt varij.

Utquè ſulphur eſt matrix caloris, ita *ventriculi calorem* unicè & principaliter principio hoc fœta, balſamica, ſulphurea, *promovent* & conſervant; quatenus particulis ſuis volati ibus ignem vitalem adjuvant, ut focus ſplendidior coruſcet, ſanguine arterioſo & ſpiritibus roboratis.

Talia igitur cum latè pateant, ſunt, [1.] *aromatica.* Aromata omnia ſunt ſtomachica, ſeu ipſa κατ᾽ ἐξοχὴν talia, ſeu ad horum claſſem referenda vegetabilia varia, & exin præparata, ut cinamomum, caryophylli, nux moſchata, macis, lignum aloes; radices acori veri, galangæ, pimpinellæ, zedoariæ, caryophyllatæ, mentha omnis, cortices aurant. citri, pulvis ſtomach. Quercetani, ſpecies aromat. roſat. caryophyllat. roſ. novell. diagalangæ, diaxyloal. trageæ ſtomach. aqua menth. cinam. cum vino & cydoniata, eſſentia lign. aloes, elixir. propr. Helmont. extr. acori veri.

[2.] *Oleoſa balſamica ſuavia, & reſinoſa blanda*, ut ex nativis maſtiche, ambra, balſamum de Peru, ladanum, unde ceratum de ladano Craton. & tacamahaca externè proſunt, & deſtillata, oleum macis, caryophyllorum, menthæ, cinamomi, nucis moſchatæ expreſſum & deſtillatum,

[3.] *Spirituoſa*, quæ ſunt laudatiſſima ſtomachica & cruditatum correctoria; hæc quippe evaporabilia ſunt quàm maximè, unde in momento ſæpè gravitatem & anxietatem ventriculi tollunt. Hinc vinum inter potus genera optimum, ventriculo admodum gratum eſt, & vix alia ratione melius lac ſenum audit, quàm quod debilem eorundem ventriculum roborat, & calidum innatum confortat. Hinc pro brutorum genere aquam, pro humano vinum magis ordinavit divinum numen, licet & ipſa ſit nutrib ilis. Hinc in regionibus ſeptentrionalibus, utpote frigidioribus, non ſolùm cereviſiæ uſus, quaſi vini ſecundarij, verùm & ſpiritus vini frumentaceus & mulſum inventum eſt, ad ſolandum & juvandum calorem.

Pertinent huc vinorum varia genera, & ſpirituum ex hâc radice vel frumentis quoque tractorum, v. g. ſpiritus cochleariæ, menthæ, corticum citri, eſſentia menthæ. Hinc quod de ſpiritu vini in genere prædicatur, quod nullum medicamentum nobile dici mereatur, niſi quod cum ſpiritu vini optimo arctiori nexu ſit nuptum, ut ad penitiores vaſorum receſſus penetret: id inprimis valet de ſtomachicis.

Notabile verò eſt, quod reſtauret Spirit. Vini quidem, ut & vinum ipſum, optimè calorem ventriculi & corporis totius, ſed moderatè & proportionatè. Unde tutior ejus uſus frigidâ temperie præditis, iiſque

qui

qui flatibus & cruditatibus laborant, morbiſque frigidis tentantur. In his cruda colluvies objicit pabulum, in quo accerima ac urens vis ſe frangit atque hebetat, abs quâ ſi eſſet, deprædaret vitale humidum, viſcera accenderet, & nimiâ conſuetudine exequias iret ſuæ virtutis admiratori ante mortem, verba ſunt *Rolfincii Chim. p.* 186. longè veriſſima. Pertinet huc elixir ſtomach. Rolfinc. Mynſicht. Michael. & aliorum, elixir vitrioli.

(4.) *Carminativa*, ut præter dicta, ſemen coriandri, ſemina 4. carminat. Hæc enim omnia reverà talia ſunt, quæ evaporationem vitioſam tollunt, unde flatus fiunt, & nativam promovent. Inprimis verò ipſorum olea, ut oleum aniſi, carvi, anethi, corticum aurantiorum, carminativ. in cardialgiâ, ſingultu, ructu optima.

(5.) *Nervina* & *cephalica* etiam ſunt ſtomachica, ut roſmarinus, ſalvia, majorana, betonica, meliſſa, &c. inprimis verò caſtoreum, quod in cardialgiâ divinum eſt remedium, item in ſingultu ac ructibus. In viro laborante febri ſingultuosâ cinnabarina, caſtorina, & opiata unicè proderant. Pertinent huc etiam externa balſamica, ſuaviter archeum demulcentia & roborantia.

Ut verò flatus fiunt à calore debili, ſeu per ſe tali, ſeu reſpectu objectorum; Ita etiam carminativa & aromatica & ſpirituoſa aliaquè roborant eundem duplici hoc reſpectu, ſeu debilis fuerit in ſe, in frigidioribus ſenibus, ſeu per accidens, mediatè, in cruditatibus, vel reſpectu ciborum duriorum, piſcium, pinguium.

(6.) Speciatim etiam ventriculi calorem tuentur leniter *adſtringentia*, quatenus villos conſtringendo uniunt etiam magis ſpiritus & ſanguinem, unde quæcunquè ex laudatis ſimul ſunt ſtyptica ſeu adſtrictorijs particulis cum alijs junctis gaudent, κατ' ἐξοχὴν ſunt ſtomachica, ut inter externa emplaſtrum de cruſtâ panis, de baccis lauri, diaphænic.

Secundariò verò & adæquatè calorem reſtaurant, & ſuſcitant ſalina, cum alterâ ſequenti claſſi communi, v. g. (7.) *acria*, volatili ſale fœta, incidentia & detergentia pituitam, unaque rarefacientia, ut radix ari, pimpinellæ, piper, ſinapi, zingiber, tum per ſe, tum refractè in zingibere in Indiâ condit.

(8.) *Amara*, ut ſummitates cent. min. abſ. elixir propr. Paracelſ. unde tinctura proprietatis Mynſichti nata eſt eſſentia abſ. ſimpl. & compoſita, qualis hæc eſſe poteſt, polychreſta in ventriculi affectibus, cruditate acidâ, pituitoſâ & bilioſâ, febribus item intermittentibus, flatibus & affectu hychondriaco: ℞. rad galang. zedoar. ſummit. abſinth. (per immerſionem levem in aquam calidam correctarum,) a. ℥i. acor. ver. ʒvi. fl. centaur. min, ℥ß. caſſ. caryophyllat. lign. colubrin. amar. chin. de chin. a. ʒiii. cort. aurant. citr. rhab. Alex. a. ʒii. macis, n. m. caryoph. a. ʒiß. coſti ver. ſchœnanth. a. ʒi. M. Extrah. cum 🜄 rectif. vel appropriato, acidulato 🜄u ⊖lis; facilè cum liquore ♂li in Tincturam ♂ abſinthiacam redigenda, variato ſic colore, virtute & ſapore, danda ad gr. xx. xxx.

Calorem verò *exceſſivum* ventriculi, ſeu humores acres, ſalſos, bilioſos *deprimunt* communia magis tùm *aquea*, diluentia, emulſiones, tum *præcipitantia* & abſorbentia terrea, acida, auſteriuſcula, & ex parte nitroſa, acido-ſalſa, non omiſſis roborantibus, quæ ipſa verò partim communia ſunt cum alterantibus univerſalibus, ſiquidem ventriculus per conſenſum calidiorem intemperiem præternaturaliter habeat, ut in febribus, partim etiam fermentum corrigentibus ſpecialius, de quo mox.

Proſunt verò potiſſimùm in ſiti, ſodâ ſeu ardore ventriculi, & cardialgiâ cum aromatibus mixta.

Ita nempe ſemper ſitis ſedanda eſt, ne laxemus tonum ventriculi; ita præcipitandum, ne bilioſum roſivum ſal negligamus. Hinc vidimus in cardialgiâ dyſentericâ ſæpius nil profuiſſe, quàm pulverem conch. præparat. cum oleo caryophyll. remixtum, quo ipſo aliquos reſtituimus ex voto.

Non minus verò & *fermenti* ſeu *menſtrui* potius ventriculi ratio habenda eſt, ſeu *iners* fuerit, & acuendum, ſeu *acrius* & obtundendum.

Acuunt menſtruum iners deficiens *principaliter ſalina*, quæ ut (1.) *acria volatilia*, ut rad. ari, ejuſque fecula, pimpinellæ, raphan. ruſticanus, ſinapi, cochlearia & plantæ antiſcorbuticæ aliæ, item zingiber, flores ſalis ammoniaci.

(2.) *Amara* & *aromatica*, mentha, abſintiaca, & reliqua jam dicta. (3. *Acida* liquida & ſolida, ut acetum, conſerv. roſ. ⊕-lata, aceroſæ, 🜄 ⊖lis, ⊕-li, ♂is, ♄is, hepaticum rubr. cremor & cryſtalli tartari, 🜄us ⊕-li coagulatus, 🜄us ⊖lis vel ⊕-li dulcis, elixir vitrioli.

Exterius & interius prodeſt fermentum panificum. Sanè & panis ipſe, acidulâ & analepticâ ſuâ qualitate nutribule eſt eximium, & ita roborando fermentum, tum internè, tum externè officium facit, inprimis cum aromaticis, ac aceto ipſo mixtus.

Fermenti hujus intuitu ſine dubio factum eſt, quod pelliculæ ſeu tunicæ ventriculi quorundam volatilium etiam magni fiant à quamplurimis. Si tamen conſideremus, minus eſſe evaporabiles illas ipſas, ſed craſſioris & frigidioris texturæ, tantam vim ipſis adſcribere non addecet, ad chylificationem læſam. Quicquid faciunt, magis præſtant in demulcendâ acrimoniâ, præcipitando, abſorbendo & roborando, unde novimus, à quibuſdam pro ſpecifico dyſenterico, idque non ſine cauſâ, haberi eaſdem, præcipuè ob concurrentem viſcedinem, obtundentem lancinantes acres, acidos, bilioſos, & his ſimiles corroſivos humores; unà verò tueri parietes membraneos apta nata ſunt, unde & in vomitu ſunt egregium remedium.

Ut verò perpetua eſt inter calorem & menſtruum ventriculi ſymboliſatio; ita optimum eſt maritare hæc duo, ut indicationibus undique fiat ſatis. Et ſingulari providentiâ naturæ videtur factum, quod ab utriſque conjunctim ei ſatisfiat, quod ab alterutro expectari non poterat. Cum enim ſulphurea calefaciant quidem, unà verò appetitum obtundant; ſalia verò licet appetitum cieant, tamen calorem non reſpiciant, ſed diſgregent potius, optimum eſt conjungere utraque, vel interpolare ſaltem, id quod apprimè faciunt abſinthiaca &c.

Cum verò hinc inde etiam legatur ſcriptum ab autoribus, ⊖abſinth. v. g. aliaque id commatis facere quoque ad appetitum excitandum, ſeu ſtomachica eſſe, unde & lap. ♋. & ⊖ abſinth. ac junip. ingrediuntur pulverem ſtomach. Quercet. notandum eſt, id fieri mediatè magis & per accidens, quatenus alcalina hæc præcipitantia, quæ aliàs immodicè uſurpata deſtruunt appetitum, fixitatem acidam excedentem fermenti tollunt, unaque ſuperfluitatem humorum corrigunt, quando fermentum aquoſis humoribus magis eſt dilutum. Hinc conchæ præparatæ & cinnabarina quoque egregia ſtomachica ſunt, & in humorum abundantiâ & acore corrupto appetitum aliquando cient.

Neque enim abundante in ventriculo acido vel appetitus æquâ ſtimulat, vel coctio probè perficitur, ſiquidem tunc obtunditur calor, & evolutio, evaporatio

tio impeditur, quando nempe eſt fixius debito, unde gravitas potius ventriculi & cruditates fiunt.

Ut itaque dicamus de obtundentibus fermentum acrius, biliofum vel ſalinum, ut in ſodâ, ſiti, eroſione, fame caninâ & ubi humores acidi magis peccant, tenendum eſt ingenere, principaliter omnia illa id præſtare, quæcunque ſalino-acidulis ſunt contraria ; adæquatè, quæ calori, vel tono debilitando apta deprehenduntur.

Obtundunt pinguia, mucilaginea & oleoſa; notum enim eſt ex chimicis, nullum eſſe jus acidis in pinguia, adeoque cum hæc minus ſubigantur ab iiſdem, cum minus ſint evaporabilia, cum multum nutriant & ſaturent, commendantur ab autoribus non immeritò in bulimo & appetentiâ caninâ, ut butyrum, ol. oliv. lini &c.

Diluunt aquea communia, ſerum lactis caprini, potus largior, inprimis aquarum nitroſarum, potiones, emulſiones, in ſiti unicè expetita.

Invertunt lixiva, alcalia & alcalina, ut lap. ♋. creta, corallia ; in cholerâ humidâ & ſiccâ optima. Cum verò præter hæc & alia id præſtent, cautione tamen egeant, ſeorſim ſub pervertentium & figentium titulo ea fuêre tradita.

Nimirum tum per ſe in horum uſu cautione opus eſt, tum quando adhibentur pro fermenti correctione, ut duæ exurgant hinc regulæ: I. *Quæcunq; medicamenta, aliàs etiam bona vel optima, adhibeantur videndum eſt, quomodo ſe habeant erga ventriculum*, ne continuato uſu actioni ejus naturaliſſimæ noceant ullo modo. Aliàs enim officioſè nocet medicus, hæc non attendens, vel penitiùs non noſcens quid in receſſu gerant. Sic dulcia optimè nutriunt, & ventriculo ſunt amiciſſima; Si tamen excedas eorum uſu, v. g., ne de alimentis dicamus, potionibus dulcibus, ſirupis, electuariis, looh, citiùs emorietur vel inſigniter læditur appetitus.

Sic ſalina media, ut ♀ ⊖-tus, arcan. ♀ri, ⊖-l. coag. remedia ſunt polychreſta, aperitiva, diuretica, nephritica ; frequentiori tamen uſu ventriculo faceſſunt negotium, vel inſenſibiliter, ut ne id credas quidem, vel ipſi ægri primo intuitu.

Sic ſpeciatim nitroſa, lap. prunell. ☽ ♁-t, arc. dupl. &c. ad febres ſunt generoſiſſimum remedium, ſunt etiam acido ſale fœti, nihilominus cum tono non amica ſint nec particulis adſtrictionis polleant, facilè ventriculum exolvunt, ut & appetitus abeat & laxetur alvus, debilitato undique ſtomacho.

Sic Saturnina vel in ipſâ hecticâ commendantur quàm maximè, inde tamen ventriculus noxam ſentit, ſeu quod nimis adſtringant, ut ſacch. ♄ni, (nam & nimijs adſtringentibus læditur, læsâ evaporatione,) ſeu quod præcipitent nimis fermentum, ſeu quod ob metallicam ſuam naturam ſuperent ejus virtutem, ut ſubigi nequeant. Imò & martialia, inprimis groſſiora, ut croc. ♂c. ♁ per fuſionem paratus, eundem cenſum nonnunquam ſubeunt, ructus nidorulentos unà excitando plurimos, ut Jovialium, lunarium non mentionem faciamus, licet ſingula optima ſint medicamenta. Id verò obſervare magis in ijs licet, qui aliàs ſunt quoad ventriculum & reliquum corpus ſani, exceptâ unâ aliquâ parte, v. g. in pollutione nocturnâ vel gonorrhœâ ſimplici, vel virulentâ.

Sic ſpiritus ſalis ammoniaci ipſe laudatiſſimum eſt medicamentum, eſt, quod de alijs urinoſis volatilibus itidem valet, & ſuperius jam tactum eſt, continuata uſurpatione appetitum dejiciunt, & laſſitudine torpida membra mactant magis, cum acidulum in receſſu menſtruum ſtomachicum abſorbeant, & invertant, id quod & à fixioribus ipſis, lap. Cancrorum & pulveribus nephriticis continuatis, non rarò ob-tingit, uti *l. 2. de ſale vol. plant. pag.* 88. *ſeq.* diximus.

Adeò & hic concluderè licet, juxta *Galenum*, nullum eſſe tam generoſum medicamentum, quod tam magnificè proſit, quin aliquâ ex parte noceat, & ſemper attendendum eſſe ventriculum ſeorſim in morbis, & optimum ſæpè eſſe medicamentum, juxta *Hippocratem*, medicamento non uti.

Altera regula eſt: *ita ſemper corrigendum eſſe fermentum ſeu menſtruum, ne calorem vel tonum negligamus, ipſisve noxam inferamus* ; quod dictorum exemplo clarum fit, & de acidis & nitroſis interius ſub antaphrodiſiacis dicetur latius. Et vice verſâ, *ita ſemper calor alterandus & roborandus, ne lædamus fermentum.*

Utriuſque exemplum præbent tum ſpirituoſa & ſulphure vaporoſo pollentia quævis, tum inprimis opiata. In genere enim arguere licet: *quæcunque ſulphure magis fixta ſunt, obtundunt appetitum*, quatenus ligant fermentum, ligant calorem, & vaporoſitate ſuâ defectum ſupplent.

Sic à croci uſu appetitus minuitur, ob ναρκωτὶν ſulphuream vaporoſam, unde vel ex hoc capite ſolenni concluſione publicandum eſſet, quod nos facimus, ne anaticâ proportione in elixir propriet. Parac. recipiatur, quod ipſum tamen tantopere etiam à vulgo ad appetitum ciendum laudatur, neque id de nihilo, cum pituitam optimè extergat & domet facile ♂lè reddendum cum liquore ♂is, & roborandum guttulâ unâ vel alterâ olei caryophyllorum. *croci dosis in elixir proprie. corrigenda*

Sic fumus tabaci obtundit appetitum; Sic ſpiritus vini ipſus id facit, unde non videas facilè tabacibibulum multum comedere, vel qui manè & veſperi ſpiritum, vini frumentaceum, juniperinum &c. ordinariè haurit, appetitu ſolidorum ciborum decenti gaudere. Imò par ratio eſt abſinthiacorum, quæ ipſa quoque incauto uſu ſopiunt appetitum, unde & ad apoplexiam inducendam aptum eſſe eorum abuſum nonnulli rectè ſtatuunt. In ſpecie verò id competit opiatis, unde natura ipſa id innuit, quando his ſolicitatur, vomitum excitans nonnunquam.

Laxitatem denique & tonum debilem villorum corrigunt tum *nervina*, roborantia v. gr. in ſingultu; tum *adſtringentia* terrea, firmantia & orificium & parietes, ſeu fibras, unde in vomitu, cholerâ, diarrhœis profícua; imò & *acida*, modo citrà excretionem urgentem talem flacciditas corrigenda ſit, egregiè enim ventriculum corrugunt.

Licet ergò ſeorſim horum non fiat recenſio paſſim; reverà tamen, ſaltim in reliquis jam recenſitis conjunctim, attendenda ſunt, quin etiam ſeorſim in praxi, ubi laxitas præcipuè corrigenda fuerit. Sic ex dictis id præſtant præcipuè tum *amara*, ut mentha, tum *aromatica*, ut cinam. nux moſchata, tum *terrea*, ut corallia, unde præcipuè merentur laudem.

Valet id quoque de externo topico, uſu, undè de his diximus, quænam huc quadrent magis, nempè acida, & aromatica, utraque ob penetrandi, roborandi & conſtringendi virtutem; Quæcunque verò topica, unguenta, emplaſtra & cataplasmata, ſacculi ex talibus non conſtant, minus ſunt æſtimanda.

Hinc quoad rectum adhibendi modum 1. *in omnibus ad ventriculi robur attendendum eſt*, quatenus ſemper adſtrictio villorum tuanda eſt, nec ea admittenda ſolum, quæ ullo titulo roborant, parietes verò ventriculi & villos laxant; ut ex hoc fundamento, quænam ſint potiora ſtomachica, unicè ſit decidendum.

2. *Stomachicis calidis, minus ex toto reſolubilibus, minus fidendum eſt* ; Quia nempè inæqualis fit & damnoſa evaporatio, exemplo raphani ruſticani,

ſinaſi

ſinapios. Inde enim vel remanent groſſiores particulæ & ventriculum gravant, vel irritant ventriculum ad vomitum; ex quo ipſo etiam evaporationis chyloſæ dogma magis ſtabiliri poteſt.

3. *Refrigerantia ventriculo & per ſe & reſpectivè nocent.* Per ſe, niſi indicentur, ac nimiâ quantitate; reſpectivè, relata ad calida: unde ſi præſumitur in ventriculo intemperies calida, cautè refrigerandum eſt, & quidem ita, ut tonus ejuſdem non exolvatur.

4. *Ventriculus humectari deſiderat, non laxari.* Humectant aquea in ſitis ac humidi deficientis indicationibus quibuſcunque; Laxant verò tepida, nauſeam & vomitum cientia. Laxant pinguia & oleoſa omnia, meritò hinc moderanda. Hinc & cum oleo olivarum præparata acetaria longius ventriculo immorantur, tardius evaporant.

5. *In ſiccitate majori, cum acrimoniâ non niſi demulcentia, vel ſaltim ἄποια & temperata conveniunt.* Quin & in reliquis ſpiritibus fortioribus cautè mercandum eſt. Obſervatum ſiquidem, eoſdem & gravitate & corroſivitate nocuiſſe. Par ratio eſt ſucci citri, ſi quis diſpoſitus in eo excedat: longè magis, verò mercurialium minùs benè præparatorum. Obſervabatur tale foramen in ventriculo nobilis juvenis, à ſolo intempeſtivo & inconſulto uſu mercurialium, minùs etiam forſan benè præparatorum.

6. *Topica ſtomachica quidem magis anticâ parte proſunt & conveniunt; Poſticâ tamen aliquando non rejicienda.* Priori loco magis patet acceſſus & penetratio; poſteriori minus. In ijſdem verò nec deficiendum, nec luxuriandum.

7. *Ita alterandus eſt ventriculus, ne contrarius p.n. ſtatus inducatur.* Modò enim noverimus alterandi intentionem, ejuſdemque gradum & proportionem, facilè in medio erit conſiſtere.

8. *In adhibitione ſtomachicorum ita procedendum, ut juvemus ſine læſione conſequente tum ipſius, tum aliorum.* Videndum ergò, an per ſe, an per conſenſum laboret; non calefaciendo nimis, & ſemper attendendo unâ hepar, ac bilem, ne dum acidum ventriculi juvare eſt intentio, bilem nimis infringamus, & inertem reddamus; vel vice verſâ, ne dum acuere & roborare calorem eſt animus, bilem nimis acuamus, adeoque ἀντιπαρεξιν quandam inducamus.

9. *Abſorbentia vacuo magis ventriculo danda, non repleto; Spirituoſa vero & conſimilia, à repletione gravato, moderatè data concedi poſſunt.* Hinc alimenta medicamentoſa non alio fine apponuntur menſis, quàm ut ſint ciborum duriorum correctoria. Corrigentium verò & h. l. ſemper minor eſſe debet doſis. Ita vidimus ab uſu ſinapios largiori, cum piſcibus ſeu carpione aſſumpto, ſtomachum male habuiſſe, & longo tempore remanſiſſe averſationem piſcium.

10. *Ita ventriculus medicamentis tractandus, ne coquere alimenta intermittat.* Crebrior uſus medicamentorum ipſum lædit, alimentorum juvat, illa quippe diverſa ſunt, hæc ſimilia. Plus caloris & menſtrui impenditur ſæpè in medicamento actuando, quàm alimento. Imò & à juvantibus ipſis nimiâ quantitate aſſumtis læſio in eundem redundat, & cordialibus, *Wedelius.*

STORAX, vid. *Styrax.*

STRAMONIUM.

Stramonij notæ genericæ ſunt flores ex oblongó tubo Calathoides; Conceptaculum ſeminis grande, in quatuor Loculamenta diviſum, in pleriſque ſpeciebus ſpinoſum, facultas viroſa.

Vires. Fructus ipſe ac etiam tota planta ſoporiferæ ſunt facultatis, nucem methel eſſe affirmant Pharmacopœi & Phyſici orientales, quia facultatibus prædictis hujus ſit fructus, quas nuci Methel Avicenna tribuit, eoſdem effectus habere experientiâ comprobari teſtatur Dalechampius.

Stramonii ſemen in pulverem redactum & in potu exhibitum mentem turbat & alienat, inſaniam quandam 24. horas durantem inducens, unde à furibus inditur in cibos eorum quos deprædari volunt, referente Gareto; Acoſta autem impudicas mulieres illum ℨß. Pondere amaſiis ſuis ex vino aut alia quæ magis arridet materia præbere ait. Miſer qui eum hauſit diu velut mente alienatus remanet, aut videns aut ejulans aut dormiens, plerunq; etiam alteri colloquens & reſpondens, ut interdum etiam ſana mente eſſe credas, tametſi mentis non ſit compos, neq; eum agnoſcat cum quo ſermones confert, & colloquij habiti plane ſit immemor poſtquam ad ſe redit: ſunt vero nonnullæ adeò exercitatæ in hoc medicamento exhibendo, idque ſic temperare norunt, ut ad certas, eaſq; quot velint horas, quibus id propinant mentem adimant, nonnulli tamen ad provocandas urinas ex medicis gentilibus utuntur: Horum prima cura eſt medicamenta vomitum cientia exhibere; deinde acres Clyſteres injicere, forteſq; ligaturas & fricationes brachijs cruribuſq; adhibere, interdum etiam Cucurbitulas applicare; quæ ſi non juvant venam ſecare in majore pedis articulo neceſſe eſt.

Gentiles vero Medici & Chriſtiani indigenæ, cùm à Curcurbitulis & venæ ſectione abhorreant, nihil aliud quam vomitum provocant, forteſque Ligaturas & fricationes adhibent, quæ ſi non ſufficiant, balnea ex aqua calida præſcribunt ad eliciendum ſudorem: porro à vomitu vinum propinant, cui piper & cinnamomum admiſcetur.

Radicis drachma ex vino pota ſomnum profundum inducit, in quo varia inſomnia & miræ rerum facies obverſantur.

Semina per noctem in aceto macerata, deinde exactè trita utiliter illinuntur herpeti miliari & Eryſipelatis ſerpentibus.

Unguentum ex ſucco foliorum cum adipe porcino paratum ad partem aliquam aut membrum corporis igne vel aqua fervente uſtulatum ſanandum efficaciſſimum eſſe remedium multorum experientia comprobatum eſt. *Rajus.*

STRATIOTES, vid. *Millefolium.*

STRUTIUM ſeu STRUTIOCAMELUS;

Quæ de Ave hac à veteribus & neotericis traduntur videſis apud Geſnerum & Aldrovandum.

Avium omnium maximus eſt, ſi unum fortè Emeu excipias, qui quamvis proceritate ei cedat, Corporis tamen mole ferè æqualis eſt. Certe D. Willughbi vel æqualé vel majorem eſſe ſcribit, erecto collo ad altitudinem duarum ulnarum accedit, Plinius equitis equo inſidentis etiam altitudinem excedere ſcribit, quod ſane intelligendum eſt, dum collum quantum poteſt erigat. Caput parvum depreſſum ſeu platum, & (ut Aldrovandus rectè) anſerinum roſtrum quoque compreſſum eſt, & ſi corpori adæquas valdè exiguum, figuræ triangularis, Coloris cornei, extremo nigricante, cutis ejus ad nares in ſemicirculum deſinit, oris ſciſſura ampla eo uſque pertingit ut ejus anguli ſeu extrema oculis ipſis ſubjaceant oculi magni; iridibus avellaneis, Palpebras utrinque alitum ſolus ut homo obtinet, teſte Plinio; quod an verum ſit alijs examinandum relinquimus. Caput & collum ad pectus ferè nuda, ut & pedes ad genua (alij hinc crurum partem femora appellant.) Caput & collum Lanugine quadam ſeu pilis rarioribus pluramum vice obſita, partes ſubalares & pedes prorſus nudi, infima pars colli ubi plumæ incipiunt alba, alæ parvæ & ad volandum prorſus inutiles, in id à natura deſtinatæ, ut currentem ex-

pan-

panſæ adjuvent, dorſi pennæ in mare nigerrimæ, in fœmina fuſcæ tantum ſunt, ut lanæ quandam ſubſtantiam ſua mollitie efficiant. Alarum pennæ ejuſdem Coloris, ſed in ſuperiori parte Candidiſſimæ. Cauda conferta, rotunda, non ut in aliis avibus in latum expanſa, penn s in mare ſubalbidis, in fœmina ſubfuſcis, extremis albis, quæ ad caſſides maximopere expetuntur.

Collum & crura ei longiſſima ſunt; poſtico digito & anticorum intimo prorſus caret, extimus 5. digitos longus eſt, alter octo; totius pedis ab extremo calcaneo Longitudo undecim erat digitorum longiorem digitum ſquamę magnę disjunctæ num. 24. operiunt unguis ei magnus, validus, nigricans; extimus digitus ungue caret digiti autem ad primum uſque articulum membranâ craſſa valida connectuntur, ferrum, corium, gramen, panem, pilos aliaque quæcunque offeruntur promiſcuè devorat: ferrum tamen aliaq; dura non concoquit, ſed integra per Anum reddit, quem vidimus Bruxellis pane pilis mixto plerunq; veſcebatur. Africa nobis hanc Avem generat, tanta vero eorum copia in deſertis quandoq; conſpicitur, ut procul intuentibus velut equitum quædam acies appareant. Reperiuntur etiam in Arabia, & in America quoque copioſiſſimi, verum diverſi generis, ut paulo poſt patebit, ova parit maxima, ut pote capitis infantis magnitudine plus minus, 15. etiam libras pendentia, duriſſimâ & quaſi lapideâ cruſtâ munita, quæ in arena condita, ſolis duntaxat calore foventur, donec tandem ex iis pulli educuntur, nam matrem ova deſerere rei naturalis ſcriptores conſentiunt.

Pennarum ſtruthionum plurimum uſum ad conos & galeas Pileoſque adornandos tum apud veteres olim fuiſſe, Plinio teſte conſtat, tum apud nos etiamnum eſſe notiſſimum eſt: quin & ex iiſdem non in Italia duntaxat, verum etiam in Anglia fieri ſolent ventilabra, quibus nobiliores matronæ æſtivo tempore ventulum ſibi parant. WILLUGHBEJUS. *in Ornithologiâ.*

OFFICIN. NAT. ex STRUTHIO-CAMELO.

1. *Tunica ventriculi.* 2. *Adeps.* 3. *Ova.*

Vires. 1. *Tunica interior ventriculi*, ventriculum corroborat, calculoſque diſſolvit mirè.

2. *Adeps* nervoſis partibus convenit, duritiem Lienis mollit, dolores nephriticos mitigat, (*inunctus.*)

(3. *Ova* calculoſis conducunt. Hinc Spiritus Salis cum Ovis Struthionis rectificatus uſurpatur.) *Schroderus.*

Struthio.) *Plinius Lib.* 10. *cap.* 1. miram huic avi tribuit Naturam concoquendi ſine delectu devorata, ut *Jul. Cæſar. Scaliger Exerc.* 230 ferrum concoquere prædicet. Verùm jam olim *Alexander Aphrodiſæus* in præfat. problemat. hoc ipſum in dubium vocavit, & pro abſurdo habuit. Unde & *Ulyſſ. Aldrovandus Ornitholog.* lib. 9. cap. 2. teſtatur, ſe obſervaſſe Tridenti ferri fruſtula à Struthione deglutita, quæ incocta rurſus excreverit. Cui ſubſcribit Heinricus ab Heer, dum dicit, ſeſe Patavij & Venetiis Struthionibus experiundi gratia dediſſe obulos, quos illi nec ſemigranulo leviores cum excrementis totidem numero reddiderint. Imò *Th. Jordanum* cum Tridenti & Romæ Struthionibus æreas monetas objiceret, aviarii præfecti ſcntiçam vix effugiſſe, qui aſſeruit ex earum deglutitione graves eos incurrere morbos. Interim nullum dubium eſt, hanc Avem præ aliis admodum eſurino præditam eſſe ventriculi fermento, ad quod demulcendum ferro, lapidibus, & aliis rebus duris opus ſit pro diverſo ſanitatis gradu. *Hofmannus.*

STUPEFACIENTIA, vid. *Narcotica.*

STURIO.

Sturio (quaſi Στειρίων, quod roſtro ſuo proræ purpis roſtratæ ſpeciem gerat:) Acipenſer, Germanis Stoer; Angl. the Surgeon. Surio nomen Gothicum eſſe ſtatuit Jul. Cæſ. Scaliger; & ab ea gente in reliquam Europam tranſlatum; quod facile ſibi perſuaſit Olaus Wormius; quia ſtur vel ſteer magnum notat in Lingua Danica: at de nominis hujus origine, recentiores haud minus inter ſe pugnant critici, quam veteres de natalitio Homeri; adeoque variant eorum conjecturæ, ut nonnulli non ſolum cæteris cenſeantur, verum ſibimet etiam ipſis, repugnare, Exemplo enim præſto eſt ipſe Salmaſius, Criticorum facile princeps. Hic enim (Plinian. Exercit. pag. 1316.) nondum iſtum ſolvere, ſimulque inſignem Plinii errorem detegere aggreſſus; animo nunc huc, nunc fluctuat illuc. Primo Sturionis nomen exiſtimat à Thurſione διεφθαρμένως deductum; his verbis: nomen hoc ipſum videtur corruptum ex Thurſione: Licet aliud ſit Thurſio (fruſtum ſcilicet ſalitum canicu æ piſcis, quam Græci χαρχαρίαν vocant) Paulo poſt tamen ab iſta ſua ſententia ultro recedens, aliam, eamque ipſam quamdiu ante protulerat Jul. Scalig. amplexatur; ſed melius ſturionem inquiens, ex Gottico eſſe ſtur, quod equidem hic ἐν παρέργω adnotandum duxi, non ut tantum, & ſine termino eruditum virum inconſtantiæ inſimularem, (abſit, à me procul abſit tam ſtolida calami procacitas:) aſt ut illuſtri quodam exemplo ſubinnuerem, quanta ſit caligine vetuſtatis obducta nominum quorundam, olim animantibus inter ſe diſcriminandis accommodatorum, primordiâ, ſed unde digreſſus ſum, eo revertor, Ova piſcis hujus ſale condita & in maſſam coacta, Caveare vocant Itali, ſaponem noſtrum viridem plane colore & ſubſtantia referentia, à quamplurimis in delitijs habentur: ſed in iis nihil ego, quod delicate ſapiat, deprehendi. Piſcis eſt Anadromus, Cartilagineus, ſolitarius, ex galeorum genere, tegumento aſpero armatus, Delphino non multum diſſimilis, demta integumenti aſperitate; Teres eſt, trianguli ſeu priſmatis ferè figuræ, coloris obſcuri μαχαιρογγχότερος, roſtro longo, ; branchijs utrinque quaternis, operculo oſſeo ſcabro contectis, oculi parvi, os in prona parte rotundum, ſemper hians, abſque dentibus, magis ad ſugendum, quam maſticandum accommodatum; ante quod propendent appendices Carnoſæ quatuor, Venter planus ventriculus ei craſſior, ut Avium, hepar magnum, dulce, cor ut ovis. Pinnæ ſubalbidæ; quarum binæ ad branchias, totidem ad ventrem ſitæ ſunt; unica dorſo non procul à cauda, ineſt, à Capite per dorſum ad caudam uſque, inſtar medullæ, funis ſeu nervus, digiti Craſſitudine, excurrit, integrum piſcem roborans & firmans. Coqui, dum mactare volunt, eum extrahere ſolent, in mari degit, ubi parit, & educatur: tandem aquæ dulcedine allectus in flumina excurrit & capitur, Aere & vento puro eum nutriri aſſerunt: quidam limo & arena, alii piſciculis. Verum quoties ſecus, in ejus ventriculo nihil præter ſpumam & mucum deprehendi. Piſcis inprimis nobilis, pinguedine flava abundans, palato Apiciorum gratiſſimus. Apud veteres Romanos piſcis fuit maximi pretij & ſummæ nobilitatis; adeo ut eum à coronatis miniſtris, cum tibiis, quaſi quædam non deliciarum ſed numinis pompa, Convivium inferri conſueverit, unde Martialis Lib. 13.

Ad Palatinas Acipenſera mittito menſas,
Ambroſias ornent munera rara dapes,

Plura qui cupit, Schvvenckfeldum conſulat & Rondeletium. *Charleton.*

Oſſa Sturionis dicti piſcis commendantur in Arthritide vaga, (exhibita) Foreſt. lib. 20. obſerv. 12. in Epiſtola D. D. de Brahe.

Ut & in colicis doloribus diſcutiendis. *Schroderus.*

STURNUS.

Pondus maris 3. unciarum; fœminæ 3, Longitudo à roſtro ad imos pedes 9. digitorum, ad extremam caudam 8. Latitudo alis expanſis 16. digit. magnitudine eſt & figurâ merulæ vulgaris roſtrum, ab apice ad angulos oris menſurâ ſumptâ, 1. digit. Longum, in mare dilute flavum, in fœmina fuſcum, latius & magis depreſſum quam in turdis aut merulis, quâ præcipuè notâ ab ijs differt, mandibulum ſuperius inferiori æquale. Lingua dura, cornea, bifida oculorum irides avellaneæ, ſuperna parte albidiores, membrana nictitante donatur, pedes croceſcunt (vel carnei ſunt coloris) ungues nigricant, exteriores digiti antici hinc inde æquales: extimus autem medio imo ſui internodio jungitur, tibiæ ad articulos uſque plumoſæ.

Apices plumarum in collo & dorſo flaveſcunt, ſub cauda cineraſcunt, aliàs ubique nigricant cum cœruleo quodam ſeu purpureo Splendore qui pro vario ad lucem objectu variatur, in fœmina ad gulam uſque pennarum apices albent: in mare dorſum purpurei plus obtinet; uropygium ad viridem magis accedit; infimus tantum venter magis maculoſus eſt.

Remiges alarum pennæ fuſcæ omnes: verum margines tertiæ & ſequentium ad decimam & à decima quinta ad ultimam obſcuriores ſunt. Tegetes alarum ſplendent; minorum etiam Apices flavi, alas ſubtus tegentes fuſcæ marginibus dilutè flavis.

Cauda 3. digitos longa, 12. pennis conſtat, fuſcis, marginibus flaveſcentibus, ova dilute ad modum ex viridi cærulea, 4. aut 5. parit.

Appendices inteſtinorum ut in aliis hujus generis breviſſimæ & perexiguæ, ano propiores quàm in aliis. Ventriculus non admodum Carnoſus; inteſtina 13. digitos longa, felleam veſiculam obtinet. Scarabæis, vermiculi, &c. veſcitur.

Sturni gregatim degunt, volant & cantant unà cum turdis pilaribus & Iliacis, non tamen unà avolant, ſed per totum annum nobiſcum manent & nidulantur in foraminibus tectorum, arborum &c.

Hoc genus interdum colore variat. Vidimus enim in Cambria duos ſturnos albos, alterum capite atro, reliquo corpore albo, ad Aberdaren viculum in agro Carnaruanienſi. Caro ejus apud nos in cibum non venit ob amarorem: apud Italos alioſque tranſmarinos menſis adhibetur, humanas voces articulate loquendo egregiè exprimit; ſi modo ad id inſtituatur. WILLUGHBEJUS *in Ornithologiâ.*

STYPTICA, vid. *Adſtringentia &c.*

STYRAX.

Nomina. Styrax arbor *Ger. J. B.* Styr. arbor vulgaris *Park.* Styrax folio mali Cotonei. *C. B.* Cæs. J. B.

Caudice eſt malo Cotoneo ſimili, candidiori cortice Cæſalp. folio eſt etiam mali cydoniæ, minore, ſubrotundo, vel in obtuſum mucronem deſinente, ſubtus cana Lanugine pubeſcente, ſuperius glabro & viridi. Flores fert in novellis ſurculis Arantii, Candidos, plures & ſimul junctos, pluribus foliolis conſtantes, odoratos: fructum magnitudine Avellanæ æqualem, incanum, callo fuſco, amaricante, qui in duas, tres, quatuorve carinas dehiſcens exhibet lignoſum oſſiculum, buxei coloris, nucleum claudens aliquando unicum, quatuor Lineis ſulcatum, aliquando geminum anguloſum, interdum & tertium: hoc accidentarium eſſe puto, nam natura unicum oſſiculum, unicum tantum nucleum includit, Medullâ internâ inſuavis.

In agro Romano & circa Tuſculum in ſepibus & ſylvis copioſè oritur; ubi & eam ante nos Cæſalpinus obſervavit.

Cordus fructum ut reperitur cum ſtyrace exactius deſcribit his verbis, Nux ſtyracina globoſæ figuræ fructus eſt, mediocris avellanæ magnitudine, duplici cortice nucleoque conſtans: exterior cortex carnoſâ ſubſtantiâ, & in viridi cæſio colore, ſupremum Amygdalæ putamen refert, is in maturitate tribus rimis in tres partes dehiſcit alterum lignoſum, durum, flavum aut ſubruffum Corticem oſtendens, quo contineatur nucleus pinguis, oleoſus, guſtu acris, odoratus, & reſinoſæ ſtyracis qualitatibus reſpondens, ſed multo acrior & fauces ſcarificans, quæ deſcriptio ad amuſſim congruit ſtyracis fructui à nobis circa Tuſculum collecto.

Styrax reſina duplicis generis in officinis proſtat ſiccus & liquidus.

Siccus, officinis ſtorax calamita à cannarum calamis ſic dicta, in quibus olim, (autore Galeno) è Pamphylia apportabatur eſt arboris deſcriptæ gummeus reſinoſuſque ſuccus concretus, aridus, odoris ſuaviſſimi.

Non ſine cauſa in calamorum internodiis occluſus advehebatur Styrax, ſiquidem Parkinſonus noſter obſervatione & experientiâ propria ſtyracis gummi ſyncerum, arte & prælo ſolo à ſe depuratum & fluidum effectum, non ſolum commiſſuras & articulationes doliorum verùm lignum etiam ipſum æſtivo tempore penetrare, & effluere effirmat, adeo ut vitreo vaſe probè obturato illud reſervare neceſſe habuit. Cannarum autem internodia nullas habent rimas, nullas commiſſuras, ideoque ad gummi tam odoratum & ſubtile continendum commodiora ſunt.

N. Styracis arbor in Italia lachrymam paucam fert, ut aliæ multæ quæ in fervida regione multo ſucco abundant.

Vires. Cæterùm cùm ſtyracis ſimpliciter mentio fit, ea vox de calamita accipienda eſt, vim habet, teſte Dioſcoride, calefaciendi, exiccandi, emolliendi, concoquendi, facit ad tuſſes, deſtillationes, gravedines & raucedines. Convenit etiam ad uteri præcluſiones & duritias: menſes potus & appoſitus ducit, alvum quoque leniter mollit, ſi modicum ex ipſo cum reſina Terebinthina devoretur. Miſcetur etiam utiliter malagmatis diſcutientibus & acopis. Uritur autem & aſſatur & torretur, & fuligo ex ipſo fit vel ex Thure, quod vero ex ipſo præparatur in Syria ſtyracinum calefacit & emollit fortiter, capitis tamen dolorem inducit, & gravitatem ac ſoporem efficit.

Invenio, inquit Plinius, potû modico (ſtyracis) triſtitiam animi reſolvi, largiore contrahi, magni uſus eſt in odoramentis & ſuffumigiis.

Præfertur ſtyrax pinguis, lentus, fragmentis albicantibus rufeſcens, vel flavo colore perſeve-

ran-

ranti, qui dum molitur melleum liquorem reddit: improbatur furfuroſus, niger ac inodorus; Schrod.

Storax rubra officinarum, C. Bauhino Cortex eſt arboris, quem Thus Judæorum & Thimiama vocant, quo Judæi in ſuffumigiis frequenter utuntur: an κάσκαφθον ſeu κάρκαφθον Dioſcoridi L. 1. 22. quod ex India defertur corticoſum, mori libro ſimile quod jucundi odoris gratiâ ſuffitur.

Styrax liquidus eſt liquor pinguis, inſtar balſami craſſus, graveolens. Schrod. J. Bauhino melleæ & tenacis ſubſtantiæ eſt, coloris fuſci, aut ex fuſco rubentis, aut ex cinereo fuſci, odore valido, atque ob vehementiam fere ingrato, in quo tamen videtur apparere remiſſus ille ſtyracis calamitæ odor, multo tamen magis ſi linguæ admoveatur conſpicuus, dum in nares inde pauca quantitate anathymiaſis aſcendit, ſapore autem acriuſculo.

De ſtyrace liquida magna inter autores diſſenſio eſt: aliis, viz, nihil aliud eſt quam ſtacte, i. e. Myrrhæ colamen, quod falſum eſſe inde conſtat, quod myrrhæ lachrymæ ob ſubſtantiæ ſimilitudinem in quovis aquoſo liquore diſſolvatur, Styrax autem liquidus minimè, ſed in oleoſo & pingui; aut aliæ reſinæ, aliis, ut Cordo, factitium quid ex ſtyrace calamita in vino ac oleo ſoluta, admiſtâque reſinâ laricea excocta, quæ decoctio ubi refrixerit, ſtyrax liquidus ad fundum ſecedere dicitur, ad ſuperficiem mittens oleoſam ſubſtantiam liquidiorem, alii expreſſu idem moliuntur. Serapioni ſtyrax liquidus eſt oleum ex nucleis arboris ſtoraciſluæ expreſſum; at cortex fructus ex quo oleum expreſſum eſt, ſtyrax ſicca eidem dicitur. Avicennæ ſtyrax humidus fit per decoctionem Corticis, eſtque colore nigro.

Fæx remanens eidem Styrax ſicca dicitur, l. 6. cap. 32.

Facultates ſtyracis liquidi eædem ſunt quas Dioſcorides oleo Styracino attribuit, de quo ſupra.

STYRAX LIQUIDA.

Nomina. Styrax liquida C. B. Styrax Aceris folio C. B.

Ex radice rotunda, nigricante, rugoſo, ſtriato & quaſi articulato cortice tecto, folia terna etiam quina, oblongis, tenuibus, nigricantibus pediculis donata ex uno veluti tuberculo prodeunt quæ vitiginea ſunt, foliorum Aceris vel platani inſtar, in lacinias ternas, etiam quinas diviſa, nervoſa, per circumferentiam crenata & mucronato cuſpide.

Ab Honorio Belli habuit. C. B.

In horto inſtructiſſimo Reverendiſſimi Epiſcopi Londinenſis D. H. Compton, culta eſt hæc planta ab honeſtiſſimo viro & ingenioſiſſimo Hortulano D. Georgio London; tranſmiſſa fuit è Virginia à D. J. Baniſter. Q. an ſit acer odoratum Virginianum Herman? fructum hujus ſtyracis Virginianæ, conglobatæ & echinatæ figuræ eſſe qualem in pilulis Platani & Sparganii videmus, mihi affirmavit D. Tancredus Robinſon qui eum obſervavit in celeberrimo muſeo Clariſſimi D. W. C. medij templi; ideòque quærit an ſit platano Occidentali affinis, vel lanuginem ſeu pappum ferat? *Rajus.*

SUBER.

Suber Voſſius à ſuo dictum putat, quod calceamentis inſueretur; fœminæ enim non tantum hyberno tempore valetudinis cauſâ eo utebantur, ſed etiam æſtivo, ut viderentur grandiores.

Nomina. Suber latifolium *I. B. Ger. Park.* Latifolium perpetuo virens *C. B.*

Suber quod in Hiſpanis naſcitur, perpetuo viret, ut ilex, cui adeo ſimile eſt, ut primo aſpectu plerumque fallat, niſi cortex craſſus & dirumpi ſolitus errorem detegeret, majus eſt Ilice plerunque & caudice ubi adolevit longe craſſiore, cortice item denſo, carnoſo, ſcabro & rimoſo; qui niſi ſuo tempore detrahatur dehiſcit, alioque ſubnaſcente expellitur: eo detracto qui ſubeſt novellus ita rubet, ut procul aſpicientibus arbores rubricâ aut minio pictæ videantur. Sub ris ram Ilignis firmiores ſunt; folia majora, longiora, molliora, & ſupernè magis virentia, interdum nonnihil dentata, aliquando minimè, ut in Ilice, glans magna, ubi maturuit nigricans, Iligna longior & obtuſiore cuſpide, calyce etiam majore, magis hiſpido, & per oras molliter echinato; glans admodum adſtringentis & exſiccantis guſtûs, Ilignâ multo ingratior: magna ex parte conjunctim naſcitur ut pontica nux, ſed craſſo brevique petiolo, & firmiore quàm Iligna; ramulis nonnunquam adnaſcuntur dura & lignoſa quædam cinerei coloris, ſubercula, adeo firmiter inhærentia, ut niſi fracto ramo eximi non poſſit.

Cluſius ſuber in extrema Aquitania Pyrenæis proxima naſcens folia non retinere, ſed hyeme abjcere obſervavit; ut menſe Aprili folijs prorſus viduatæ erant quatuor ſuberis arbores, circa Bayonam, quare (inquit) Theophraſtus non immerito tribuit ſuberi deciduum folium.

Matthioli ſuber alterum oblongis anguſtiſque foliis, quod Piſano agro naſci tradit, ſibi nunquam viſum fatetur. Idem Cluſius, at quis alius præter Matthiolum fide dignus illud conſpexit?

Pleriſque Caſtellæ novæ Bæticæque locis, & totâ Luſitaniâ naſci Cluſius tradit, circa Tundos & viam Appiam copioſè naſcentem ſimul cum ſiliquâ arbore ſeu ceratia obſervavit. D. Tancredus Robinſon, qui affirmat folia ſuberum rarò eſſe decidua; uberrime etiam in Olbienſi orâ provenire auctor eſt Quinqueranus in libello de laudibus Provinciæ, quæ de triplici cortice habet Quinquer. nobis non probantur: detrahendis corticibus hæc eſt ratio, quâ ſtipes fiſſuræ committitur circumſcinditur ad lignoſam uſque materiam; pariterque in ſummis humeris antequam in brachia dividat ſeſe; mox à ſummo ad imum finditur, detrahitur triplex cortex: non explanantur aqua ſed igni, nec demuntur niſi tertio mox anno, quod ſi paucis diebus à tonſura largi imbres ſupervenerint, arbor interiit; quod raro accidit, nimirum regione calida & ſicca, & temporum obſervatione raro fallente, Clus. è Quinquer.

Alii ut Lobelius, & quidem rectius. Cortex geminus ſtipitem amicit; alter interior, qui perpetuo hæret; alter craſſior ad duos pollices, rugoſus, perquàm levis, qui deglubitur & quolibet gentium defertur.

Vires. Cortex tritus ex aqua calida potus ſanguinis fluxum ſiſtit; ejuſdem cinis ad idem valere dicitur. Uſus ejus eſt ad Anchoralia navium, piſcantium fragulas, cadorum aliorumq; vaſorum anguſti oris, ampullarum vitrearum obturamenta, fœminarum Calceatum hybernum, alvearia, & in Eſtremadura Hiſpaniæ ad tuguriorum tecta, referente Cluſio. *Rajus.*

Pulvis hujus corticis poſt adhibita detergentia efficax eſt medicamentum in ſiſtendâ Gonorrhæâ.

SUBLIMATIO.

Sicut in Digeſtione, Fermentatione ac Putrefactione, aliquatenus tantum commovebantur, i. e. ad ſeceſſum diſponebantur, concretorum particulæ, vix harum ulls, niſi volatilioribus maximè, ultra illorum compagem tendentibus: ita dum hæ ulterius & ex

extra eorum ambitum vi Ignis feruntur, generaliore conceptu *Sublimationem* hoc dicere liceat. Quoniam verò per operationem hanc illæ modò in auras ſpatioſas ſub fumi aut vaporis formâ exhalant, nulloque vaſe excipiuntur, *Exhalationis ſeu Evaporationis*, ac interdum ab effectu *Exſiccationis*, termino illa magis ſpecificatur; modò ab ambiente frigido intra vaſa appropriata denuo condenſantur, & quidem fumi utplurimum in maſſam ſpiſſiorem, *Sublimatio* κατ' ἐξοχήν, vapores in liquorem ſeu ſtagma, *Deſtillatio* mechanicis audit: hinc vix adeò abſurdè, ac *Beguinus* ſibi concipit, aquæ & ſpiritus deſtillati etiam ſublimati appellantur.

§. 2. Cauſa interim efficiens ſeu commovens communis ignis eſt, utpote in motu vehementiore conſtitutus, hinc partes à partibus magis divellens ac propellens: atque hic quidem utplurimum externus, cum præter calorem internum illum, qui ſub vegetabilium putrefactione excitatur quemque tandem ſalium horum volatilium ſeceſſum, abſque ignis ambientis adminiculo, præſtare, ex *Differt. præced.* ſuppono, nullum alium forſan obſervamus. Huc equidem referri poſſet illa ſpiritus urinæ ſine igne lucente præparatio, qua recens urina ad duas tertias evaporata, calci vivæ intra cucurbitam affunditur, vaſique mox congruus imponitur alembicus cum excipulo adaptato, ſicque ſubtiliſſimus atque volatilis urinæ ſpiritus exiguo temporis ſpatio ab igne Calcis interno ac cœco, per aquoſitatem urinæ actuato, in vapores reſolvitur & elevatur. Verùm eo ipſo, dum ignis hic non urinæ, ſed Calcis vivæ, eſt, externus potius, i. e. liquori deſtillando minimè intrinſecus, erit dicendus.

§. 3. *Evaporatio* haud magno apparatu opus habet, ſed in vaſe patulo, ſuper charta, tabula lignea laminave metallica, calori balnei, arenæ, aut, ſi feſtinanda fuerit operatio, igni etiam nudo, expoſita, interdum ſub radiis ſolaribus hinc *Inſolationis* nomine venit, peragitur: eaque utplurimum modò humiditas aquea ac ignobilior à materia ſolidiore ac deſiderata ſeparatur, v. g. pro ſalium, aqua diſſolutorum, coagulatione & cryſtalliſatione, item corporum humidorum aut humectatorum exſiccatione &c. modò partes fuliginoſæ & ſiccioris naturæ à certis concretis proſcribuntur v. g. dum ab Antimonio ſulphur immaturum & volatile nimis per calcinationem abigitur. Hujus ſpecies *Torrefactio* eſt, qualem rhabarbarum & myrobalani in officinis frequentiùs experiuntur, quaque horum pulvis ſuper laminam ferream & ignem tamdiu detinetur ac agitatur, donec eorum particulæ aqueæ cum ſalino-ſulphureis, ſuperficialibus magis, exhalent, & pulvis, obſcurioris paulatim coloris, adſtrictorius, potius quàm purgans, evadat. Interdum tamen pro humiditatibus aqueis ſecernendis ac expellendis, ſi negotium moram ferat, ſolus aër ſiccior & patulus ſufficit, imò præ calidiore expetitur, in vegetabilibus v. g. ita exſiccandis, ut aqueis eorum particulis exhalantibus oleoſarum maxima pars remaneat, aëri temperatiori minimè, aſt calori facilè, cedens; hinc illa non radiis ſolaribus, ſed aëri umbroſo potius, exſiccationis gratiâ exponuntur, & hac ratione odorem aromaticum, quem habebant, retineat, à calore quovis perdendum.

§. 4. *Sublimatio* verò κατ' ἐξοχήν ſic dicta operatio magis philoſophica videtur, rarefactoria ſc. qua mixtum in moleculas minores, fuliginum & vaporum nomine venientes, diſcerpitur, harum vicinia aliquantum mutatur, & ſub fluoris formâ ab imo ad ſummum vaſis occluſi delatæ, ad ſtatum ſoliditatis priſtinum aut ſimilem reducuntur & in flores & ſublimata condenſatur: ſubhac nihilominus diſparitate, ut corpora ſublimationi expoſita modò in minima homogenea, modò heterogenea, redigantur, modò corporum diverſorum partes in unum decompoſitum conjungantur.

§. 5. Prioris phænomeni intuitu Sublimationes optimo jure piſtilla chymicorum fuerunt appellatæ, earumque effectus in camphoræ, ſulphuris arſenici &c. it. ſalium volatilium ſublimatione experimur, in quibus tota horum corporum moles, ſi terreſtreitates quaſdam excipias, ita ut qualitates ſenſiles, hinc texturam intrinſecam, maximam partem retineant, interdum tantum laxiorem contiguitatem ſuſcipiant, v. g. flores ſulphuris. Quoad alterum, per ſublimationem ſæpiùs mobiliores particulæ fixioribus evolvuntur, v. g. in ſalium volatilium confectione: dum hæc à compedibus modò terreis, modò oleoſis, modò aqueis, modo acidis, liberantur & ad puritatis & ſimplicitatis majoris culmen evehuntur. Tandem nec combinationis uſus in ſublimatione obſcurus eſt, v. g. in Cinabaris, Mercurii ſublimati ac dulcis, Salis armoniaci, florum hæmatitis & primi Entis Veneris productione utpote in quibus cunctis corpora bina, imò plura, in unum concreſcunt.

§. 6. In homogeneas partes illa tantum concreta per ſublimationem ſecedunt, quorum moleculæ ratione ſuæ lævitatis laxius cohærent, hinc à motore ſubtiliore, leviter tantum ſuccuſſæ, diſtrahuntur, qualia ex mineralibus ſunt Sulphur, Mercurius, Arſenicum & Antimonium. Reliqua minaralia & metalla perſe ſublimationi haud parent, niſi horum mollius & volatilius, ſe plumbum, excipere velis, cujus aliquam partem igne fuſionis ſurſum urgeri, fumigatoria Mercurii per hoc calcinatio & metallorum per plumbum depuratio ſuadet. Multo minus hoc erit expectandum à lapidibus, aut horum analogis, v. g. Coralliis, margaritis &c. & per conſequens ſibi & ægris imponunt, qui ſulphuris flores corallatos antiphthiſicos magis pollicentur. Interim negari haud debet, metallica quoque aliaque mineralia, ſi eorum arctior connexio prius diſſolvatur, aut gravioribus particulis alæ mutuatitiæ adaptentur, ab igne proportionato in ſublime rapi, v. g. Biſmuthum, Ferrum & Cuprum à Sale armoniaco, Stannum ab eodem & Nitro: Imo aurum quoque fulminans, intra cucurbitam argenteam tubulatam ſi detonetur, in flores purpureos elevatur, aucto paululum igne in aurum verum deliqueſcentes; ut *Nobiliſſimi Boylii* taceam, qui exigua ſalinæ cujuſdam ſubſtantiæ portione aurum facile in rubicundorum cryſtallorum formam ſe ſublimare poſſe in *Chymſ. Scept.* aſſerit. Ex vegetabilibus forſan ſola camphora, animalia nulla, ſe ſublimari patiuntur; ideò ſc. quod horum rel quorumque vegetabilium partes ſolidæ humido glutinoſo conferruminatæ ſimul non, niſi per ignem deſtructivum magis, commoveantur, neque hoc ſine ſui colliſione atque alteratione. Unde quàm ineptè illi agant, qui Sulphuri ſublimando thus, maſtichen, aloen, myrrham, crocum, ſaccharum commiſcent, nobiliores & efficaciores inde flores ſibi promittentes, facilè colligi poteſt, quatenus dicta concreta igni, quem ſulphuris florum ſublimatio exigit, ferendo imparia ſunt, hinc facilè comburuntur ac deſtruuntur, floribus verò præter colorem ingratum & fuliginem empyreumaticam, nihil affricant; accedit, quod ſaccharum acidum equidem ſpiritum ſub hac tortura eructet, floribus tamen dictis haud commiſcibilem aut eorum virtutem exaltantem. Myrrha ſola ſi ſulphuri addatur, & quidem in minore proportione, particulas ſui

qua-

quaſd m homog neas floribus hujus ſine empyreumate ſenſibili videtur concedere, quatenus hi ſaporem myrrhæ exactiſſimè referunt, fuligine nihilominus quadam tincti cernuntur: at opus erit igne temperato, aliàs myrrha in fumum acidum & acrem reſolvetur. Par judicium de florib. benzoës erit, & non ſine ratione *Billichius* chymicos pro floribus fumos vendere ait, dum benzoinum hac ratione uſtulant, adeoq; fuliginem albicantem, à propitia & balſamica Aſæ dulcis clementia remotiſſimam atq; acerrimam, i.e. benzoinum defloratum, aſthmaticis quidem pro pituita viſcida incidenda ſatis accommodatum, aliis verò pulmoniacis minùs congruum, propinant.

§.7. Imo nec omnis dubitandi materia deficit, an non ex illis, quæ ſublimationi aptiora creduntur, quædam ab hac rarefactione mechanica aliquid mutationis, & texturæ naturalis depravationis patiantur? De Sulphure ſiquidem conſentientes offendimus diverſos Artiſtas, per experientiam aſſerentes, frequenter repetitas ſublimationes hujus florum activitatem haud leviter enervare, ita quidem ut *Zwelferus* crudum aut vivum Sulphur purius præ illis aliquoties ſublimatis amplecti haud vereatur: nec ſine ratione, quatenus ſingulis illis exhalationibus aliquid ſalis ſulphuris centralis ſub phlegmatis acidi formâ exhalat; quo nihilominus ſublato nec hujus textura, nec vires integræ erunt dicendæ. Pariter Antimonium ſiveperſe, ſive cum addito vitr o, ſublimetur flores haud ejuſdem coloris exhibet, albos ſcil. flavos & rubicundos: quod ſine texturæ illius alteratione fieri nequit. Denique nec benzoes flores, quos vulgus puriorem concreti ſubſtantiam ait, ab hoc parum differre, modò innui, quatenus eorum puriores, quos in officinis ſeligimus, bituminoſa illius pinguedine deſtituuntur, hinc manifeſtam acrimoniam, ratione cujus phthyſicis haud ſemper adeò grati exiſtunt, ac candorem cryſtallinum præ ſe ferunt.

§ 8. Quemadmodum autem pro materiæ ſublimandæ mobilitate & fixitate diverſa ignis gradus variant, & pro florum benzoës mitior, quàm pro ſulphuris, ſublimatione, potentior adhuc pro cinabaris antimonii confectione, requiritur, mitiſſimus verò ſalium volatilium rectificationi ſufficit: ita per ſe aſcendunt, aliis elevationis facilitandæ gratiâ quædam commiſcentur, quæ duplici præprimis ratione hoc præſtant. Se vel materiam compactiorem & ponderoſiorem diſcontinuando ac elevando, v. g. dum Antimonio, Ferro, Lapidi hæmatiti, Stanno, Biſmutho &c. Sal armoniacum additur: vel hoc, quod particularum volatilium aſcenſum ſufflaminat, per præcipitationis quendam modum, ſeparando & retinendo, cujus generis ſalia fixa, terrea & metallica ſunt, v. g. dum Sali armoniaco alcali tartari aut cinerum clavellatum & Calx viva, pro urinoſa ejus portione ſublimanda, vel limatura Martis pro floribus illius parandis admiſcetur, item quando Cinabari, pro Mercurio revificando, aut eadem limatura Martis, aut Calx viva additur. Faciunt huc corpora terrea, quæ ut ſublimanda magis diſcontinuentur, eorumque deliquatio & fluxus inhibeatur, adjiciuntur, v. g. farina laterum vitrumque pulveriſatum, antimonio admiſcenda

§.9. De cætero concreta quædam ad ſublimationem commodiùs ſubeundam antecedaneis præparationibus prædiſponuntur, & quidem non tantùm per digeſtionem, qualem v.g. Antimonium cum oleo vitriolo affuſo per menſtruum ad minimum ſpatium ſuſtinet, antequam ſulphur deſideratum ſublimari concedat, & ſalia fixa volatili ſuo comparari faciliùs connubunt, ac cum hoc in ſublime feruntur, ſi prius in blando calore aliquandiu detineantur: ſed per ſolutiones etiam atq; præcipitationes, quatenus v. g. Mercurius non currens, ſed per ſpiritum nitri demum corroſus atque coagulatus, ſalia inter ſublimandum ſibi adaptat; nec Aurum purum ſibiq; relictum, ſed per corroſionem & præcipitationem in calcem fulminantem redactum, in flores elevari contingit.

§.10. Quod verò diverſa inſuper mixta pro variis ſublimatis officinalibus conſtituendis, combinentur, non tàm ipſius operationis, quàm ſublimandi, immutandi, & corrigendi, gratia fit. v.g. quando ſpicula ſalina ſpiritus nitri, vitrioli & ſalis marini Mercurio fluido maritantur, & cum hoc in corpus ſolidum & cryſtallinum, Sublimati Mercurii nomine venies, coëunt; aut quando Sublimato huic certa adhuc Mercurii vivi portio additur, ſalium illorum & auſteritatis magmatis hujus corroſivæ attemperandæ cauſa, hincque nova ſublimatione Mercurius dulcis ſeu Draco mitigatus evolat. Pariter dum idem Mercurius vivus cum ſulphure communi, aut Antimonii, in Cinabarim ſublimatur, volatilitatis illius aliquantulum figendæ causâ alioſve ob fines illud fit: & dum ſalia volatilia Cornu cervi, ſerpentum &c. cum oleis aromaticis elevantur, empyreumaticis illorum tantum corrigendis ac demulcendis virtutique medicæ magis determinandæ hoc inſervit, cùm æque facile etiam ſine horum connubio ſublimari illa poterant.

§. 11. Inſtrumenta ab ſublimationem neceſſaria uſitatiora ſunt cucurbita & alembicus, utraque vel vitrea, vel terrea ac ferrea. Alembici modò adhibentur cœci & roſtris deſtituti, ſi totum ſublimandum in maſſam ſolidam coaguletur, modò roſtrati requiruntur, ſi illius quædam pars ſub fluidi, ſeu liquoris forma veniat excipienda, v.g ſi ſpiritus ſalis armoniaci cum ſale hujus volatili ſublimetur. Eiſdem interdum ſubſtituuntur cuculi pyramidales ex charta craſſiore conflati, v.g pro floribus benzoës colligendis. Sublimatorium interim totum, pro ſubjectorum diverſa volatilitate, nunc altius, v g. phiola pro rectificandis ac depurandis ſalibus volatilibus; nunc humilius, eſt, imò interdum cucurbita exilior & ſine alembico pro Mercurio dulci & Cinabaris depuratione ſufficit: Econtra plures ſæpè interdum Alembici, ſeu ollæ, quas alupel vocant, ita ſibi adaptantur, ut purior & volatilior ſubſtantia in earum ſuperiore, impurior verò in inferiore ac intermediis excipiatur, v g. dum Antimonium una ſublimatione in flores albos, flavos & rubros elevatur. Atque hæ ollæ tàm cucurbitæ, quàm ſibi invicem, arcte combinantur & luto convenienti firmantur, ne exhalationum potior pars in auras abeat: quamvis interdum aliquali etiam apertura opus habeant, quo liberior vaporum ſeu fuliginum contingat aſcenſus, ut in florum ſulphuris confectione deprehendimus; quod tamen oſtiolum in ſuperiore & remotiore demum olla fit, & quidem exile, ne ſulphur à copioſo aëris appulſu flammam cum diſpendio florum concipiat. Imò ſi facilè liqueſcat materia ſublimata, v. g iidem ſulphuris flores, ab igne diutius continuando & intenſiore, ita & abſque ullo luto ſibi imponuntur Aludel, ut ſucceſſivè tolli, ſublimatum tempeſtivè extrahi, illiſque denuo adaptatis ſine turba operatio continuari queat Tandem ſublimatio nonnunquam ad latus & per Retortam fit, v. g in Cinabaris, Florum Antimonii rubicundorum, Salis volatilis viperarum; ſuccini &c. confectione, ſi nimirum materia ſublimanda ponderoſior extiterit, aut ignis moderandi causâ aut propter alias circumſtantias Retorta cum excipulo ampliore commodior videatur, v.g. ſi cum ſalibus volatilibus, alembici roſtrum anguſtius facile obturantibus, oleum ponderoſius & ſpiritus elici debeant: cujus tamen ſublimationis diſpar obſervatur ſucceſſus, dum fuligines elevati modò mox in Retortæ collo, v g Cinabaris ſimiliaque ponderoſiora, modò in excipulo demum huic appoſito, condenſantur, v.g. ſalia volatilia leviora.

§ 12. Tertia ſublimationis ſpecies reſtat, quam humidã aliàs ideo quod vapor, illam commotus in humorem ſeu liquorem condenſetur, ſeu *Deſtillationem*, vocant, atque naturæ rotæ ac circulo in Macrocoſmo conformis operationum chymicarum omnium frequentiſſima eſt, ita

quidem ut Chymiæ Artis Deſtillatoriæ & Chymicis Deſtillatorum nomen conciliarit, quæque aut heterogeneorum æque ac homogeneorum ſecretioni, aut heterogeneorum combinationi, inſervit, quatenus aquam ab aqua & ſpiritum ac oleum à phlegmate ſeparat, & ſpiritum v. g ſulphureum acido aut urinoſo &c. combinat.

§.13. Ejus tria apud mechanicos obſervantur genera pro diverſo, [quæ communia cum ſublimatione habet] apparatu & poſitu diſtincta: quorum prius per cucurbitam & Veſicam cum Alembico contingens deſtillatio Recta ſeu per ſceſſum audit, cum vapores rerum deſtillandarum perpendiculariter aſcendunt, & in ſupremo vaſis in liquorem coëunt. Hujus modus peculiaris ille eſt, quem deſtillationem per campanam vocant, vix tamen, niſi in deſtillatione olei ſeu ſpiritus ſulphuris locum habet; quamvis nonnulli ſimili ratione per ſpiritum vini ſuper auro fulminante accenſum ex hoc ſulphur auri elevare conati fuerint. Altera obliqua & ad latus nuncupatur, dum iidem vapores ſeu fumi per retortam & lateralem hujus aperturam ſeu collum urgentur, idque ideò præprimis, vel quod graviores illi ſint, quàm qui ad illam altitudinem perpendiculariter aſcendere queant v. g. ſtagmata mineralium acida & olea craſſiora, vel quod cum particulis fluidis ſpiſſiores aſcendant roſtrum alembici obturantes, hic fluidorum deſcenſum turbantes v.g in Cornu Cervi, Viperarum &c deſtillationibus.

§.14. Quibus denique accedit deſtillatio per deſcenſum, quando vas deſtillatorium ſuperiorem, recipiens inferiorem, locum occupat, quo vapores & fluores vi ignis expreſſi deorſum urgentur, illo modo, quem *Geber. ſumm. perfect. parte quarta, capite 9. & 5. Kheum Chymiotecha lib. 3. 23. &* 41 aliique deſcribunt, quique ſatis inuſitatus nunc obſervatur, niſi in metallurgorum ſimiliumque operariorum officinis, v. g. ſi Mercurium ex Cinabari nativa eliciant, picem ex tædis reſinoſis parant, vel mulierculæ aquam ex roſis propellunt. Sed olla, inferiore ſui parte foraminulenta ac pervia materiam ſemper ſolidiorem continet, aut materia immiſſa lamina ſeu diaphragmate cribroſo tegitur, quod inverſo vaſe illam elabi haud ſinat. Quo facto olla hæc ſub aceti & terræ immiſſæ aut alia quadam ratione commodè collocato vaſi recipienti, ita adaptatur, ut per ipſius fundum aut operculum pervium particulæ fluidiores ab igne, deſuper & circa vas continens accenſo vel aqua fervente, interveniente commodo lebete admota, expreſſæ in hoc decidant. Geber deſcenſorium pyramidale cum coopertorio hunc in finem commendat, cui immittitur deſtillandum; in ſummitate ejus ignis accenditur, ut deſcendat liquor per vaſis partem anguſtiorem perviam in concham ſubſtratam. Sed egregia hujus deſcenſoriæ deſtillationis encheiriſis eſt, quam *Charras & Lemery* pro oleo caryophylorum albo & penetrantiſſimo comparando deſcribunt, ſcilicet infundibulum vitreum vaſi recipienti impoſitum, aut calicem ſaltem vitream, linteum laxè expandunt & firmant, huic pulverem caryophyllorum ac denique operculum, ita ſuper inſternunt, ut hujus fundus convexus illum immediatè contingat: quo facto cineres calidos cum prunis exilioribus huic immittunt, ſicque paucis intervallis oleum ad inferiora urgent, candidum ſi ignis blandior adminiſtratus, aſt rubicundum, ſi ille paulo intendatur.

§ 15. Cujuſcunque verò generis fuerit deſtillatio, à ſublimatione nihilominus in hoc differt, (1.) quod fluida æque ac ſolida pro objecto agnoſcat, cùm ſolida tantùm ſublimationem ferant: (2.) quod deſtillationis productum ſemper ſubſtantia liquoroſa ſit, qualiſcunque etiam ejus materia extiterit. Inter fluida mixta vix equidem aliquod reperire continget, quod per deſtillationem non commoveatur, niſi ſuccos vegetabilium naturaliter acidos & auſteros, v.g. citri & cydoniorum, excipere placeat, præter inſipidum phlegma nihil exhalantes; i. e. cuncta reliqua in vapores reſolvuntur, in liquorem denuò coagulabiles, atque hoc ut plurimum cum craſſiore in fundo vaſis remanentia, nunc copioſiore nunc parciore, ita ut hujus circumſtantiæ intuitu *Geber. l. ... c. 50.* cauſam, quare inventa ſit deſtillatio, *purificationem liquoroſià fæce ſua turbulentia* non inconcinnè pronunciaverint: aſt ſolidiora non æquè omnia per deſtillationem in fluorem abeunt. Ita quemcunque ignis gradum experiantur, metalla, utpote compactiora & magis homogenea nunquam tamen, niſi intervenientibus menſtruis ſalinis, illa non tàm deliquantibus, quàm corrodentibus particulas ſuas divelli & evehi patientur: pariter nec lapides, corallia, perlæ ſimiliaque mineralia, nec alcalia fixa, ob eandem rationem. Vegetabilia etſi ſemper liquores ſub deſtillatione fundant, an tamen cum his omnes eorum particulæ integræ & ſub textura hac ſpecifica, qua eorundem nonnulla has vel illas virtutes, v g. adſtringentem & purgantem, habere dicuntur, prodeant, nonnulli dubitarunt.

§.16. Quoad adſtringentia res manifeſta eſt, utpote quorum potentia, dum in terreſtreitate pontica, ſeu in acore particulis terreis determinata ratione combinato, conſiſtit mitiori igni haud cedit, fortiori verò ejuſmodi vegetabilia commiſſa plane immutantur & cum textura ſibi ſpecifica ſtypticitatem quoque perdunt. De posteriore nullum ambigere obſervo prius verò confirmant Aquæ officinarum, v g burſæ paſtoris, plantaginis, equiſeti, tormentillæ pro adſtringentibus venditatæ, quæ nihil odoris ſpecifici naribus, multo minus ſaporis adſtringentis linguæ, imprimunt aut ſi illius qui quam referant, à particulis aromaticis paucioribus combinatis hoc eſt, illis, à quibus nihil ſtypticitatis expectandum, id habent. Recordor equidem quoſdam aquis, ſi non aſcenſoriâ, certè deſcenſoriâ, deſtillatione paratis facultatem adſtringentem vindicare: verùm eo ipſo, dum hæc in arctiore ac certa acidi cum terrea ſubſtantia combinatione radicatur, nihil autem particularum terrearum, ſed phlegma merum, deſtillatio per deſcenſum exprimit, nec pariter, ac de ſuccis acidis & auſteris vegetabilium dixi quod alembicum haud conſcendant, acorem eorum deſtillatione deſcendit, quatenus fructuum acidorum, per deſcenſum ſi urgeantur, aquæ nihil aciditatis ſecum abripiunt, niſi ad ebullitionem & crepaturam uſque illi exagitati aliquid ſucci eſſentialis dimittant; nec aquis ſuperiùs recenſitis aliiſque ejuſdem generis adſtringendi munus concedi valet.

§ 17 De Vegetabilibus purgantibus eadem eſt nonnullorum cenſura, primo intuitu non omni quidem ratione deſtituta, quaſi nimirum nec illa per deſtillationem in vapores reſolvantur, in liquorem purgantem coagulabiles quod nihilominus aſſertum univerſaliùs juſto, adeoque per omnia vix admittendum videtur, ideo quòd aliorum catharcticorum v.g. hellebori vis in ſubſtantia magis ſalina & volatili, aliorum v g mechoacannæ, in gummatica ſeu mucilaginoſa, aliorum denique, & quidem plurium, in reſinoſa hæreat. Quamvis E. concedatur ex mucilaginoſis ac merè reſinoſis nullas particulas laxantes cum eorum aquis provocari poſſe: quin tamen cum ſalinis hoc interdum fieri queat, adeo ſimpliciter vix aſſererem. Quippe (1) annotavit jamdum *Zwelferus Pharm. Reg p* 35 & 76 helleborum nigrum aquam ſtillare, acrimonia manifeſtâ imbutam & reſidui vim catharcticam notabiliter imminuentem, quam partem hujus ſecum abripuiſſe, probabile foret: quod idem *Nobiliſſimus Borri bius Apol. contra Conring p.* 341. confirmat, dum ex ejuſdem hellebori nigri ſubſtantiâ totâ ſe per Balneum aquam copioſam elicuiſſe perhibet, cujus oppidò acris cochlearia octo adoleſcenti propinata huic tormina inſignia, virtutis laxativæ prodromos & comites, duodecim verò cani infuſa quatuor vomitus duos ſeceſſus moverint. Præterea &(2.) de aqua nicotiana, ex ſucco deſtillata,

lata,notum eſt,quod ejus uncia una,vel duæ,vomitus cieant.(3 *Quercetanus in Pharmac.reſt.gener.c.17.* aquam purgantem ſimplicem ex ſemine ſambuci & ebuli , magiſque compoſitam,ſimilemq;*Zvvelferus* l a.p.206.deſcribunt & per experientiam commendant , digeſtioni ac cohobationi præcipuè earum virtutes attribuentes , & *Libavius alchem.l.2.tract* ?.*c.30.* aquam ex roſis pallidis primò prodeuntem,it.ex flor.perſic pruni, herba & floribus ebuli,corticibus & floribus ſambuci,radice eſulæ & ſimilibus odoris penetrãtioris,deſtillatas purgantem vim retinere, aſſerit, in hoc conſentientem offendens modò laudatum *Dominum Borrichium* , ſub hac tamen cautela, ut prima & molliora potiùs florum ac foliorum germina præ provectioribus &ſolidioribus eligantur Imò quamvis,aquis ut talibus, virtus purgatrix denegetur, olea nihilominus quædam de illatata ejus quid fovere, oleum nicotianæ teſtatur,cujus aliquot guttæ (licet cum ſumma violentia & periculo)ἄνω ϗ κάτω evacuant: quod idẽ de plurib.purgantib.reſinoſis ſuſpicari liceret,cũ olea deſtillata nihil aliud,quã reſinæ colliquatæ & diſſolutæ ſint.

§ 18. Huc potius referenda, & ex deſtillandorum numero eliminanda ſunt animalia horumque partes, aquis officinalibus diverſis admixta,quib. etiam confortantib. alium vitium conciliare conabantur veteres,v.g. Capo, picæ, hirundines, cerebrum humanum, pulmones vituli &c.it.lapis percarum,oſſa de corde cervi,prout *Zvvelferus Ph.Aug.p.*287.&309.ac *Phar.Reg.p* 200. ſatis prolixè ac philoſophicè diſſeruit:ex quorum tamen nonnullis, v.g oſſe de Corde Cervi,ebore,Cornu Cervi aliquid gelatinoſæ ſubſtantiæ elevari,non improbabile eſt.Aſt fruſtra plane aquis deſtillandis adduntur ſaccharum, mel cũ his parata electuaria & conſervæ,ſumptus & remanentiæ molem,neutiquam deſtillati vires,intendentia;niſi forſan aliquot dierum fermentatio aliquid ſpirituoſitatis imprimat.Multò pauciores particulas activas recipient aquæ per deſtillationem à ceruſſa,borrace,alumine plumoſo, albumine ovi, gũmi Arabico, olibano, tragacantha &c. qualia v.g.aquam Coſmeticam precioſam à Schrodero deſcriptam,ingrediuntur:nec aliquid iiſdem promitti poterit de margaritis,auro foliato &c.pro aquæ carbunculi ſimiliumque confectione commendatis quibus demum addere licebit fructus diverſos horumque pulpas, v. g. amygdalas,ficus,paſſulas,pruna,pulpam caſſiæ atque tamarindorum , aquæ fumariæ compoſitæ deſtillationi mancipatos,ut *Zvvelferus* paſſim annotavit.

§ 19.Sicut enim diverſis ignis gradibus modoq; calore balnei,modò arenæ,modò igne aperto,deſtillationes peragi tyronibus artis innoſcit,quantum quidem volatilitas ac fixitas particularum propellendarum variat,ita ut v g. vegetabilium nonnulla ſubſtantiam ſuam volatiliorem mitiori ignis gradui & balnei, v.g flores roſarum relinquant,alia,v g.aromata,potentiorem,arenæ ſcil exigant, alia deniq;ab igne demum aperto ſubjugentur,v.g.Ligna, mineralia,animalia &c.Ita ratione vaſorum adhuc notetur,rebus volatiliorib. per deſtillationem à terreſtreitatibus aliiſq;heterogeneitatibus ſequeſtrandis vaſa, quò altiora,eò commodiora exiſtere,ſic enim particulæ maximè volatiles tantum,v.g.ſpirituũ urinoſorum & ſulphureorum,eorum faſtigium conſcendunt, fixioribus,qualia phlegma,oleum & acidum,in fundo remanentib. aut aliquantum quamvis ſimul elevatis, nunquam tamen cum illis culminantibus,ſed ab athmoſphæra frigidiore mox denuò depreſſis ac præcipitatis.Imò Spir.ſulphureorum, potiſſimum Spiritus vini,ad ſubtilitalem ſummam evehendorum gratiâ tubos interdum ſerpentinos veſicæ aut cucubitæ adaptamus , quo nimium horum pars aquoſa intra illius anguſtias ac flexuras,quas æq; facilè,ac ſpirituoſior,tranſcendere nequit,commodius ſecedat & in veſicam relabatur,ut alembicorum in ſummitate tubulatorum ſeu roſtratorum taceam , ſubtiliandis ejuſmodi liquoribus inſervientium,quales *le Mort* delineat.

§ 20.De cætero eidem deſtillationi juvandæ ac facilitandæ duo adhuc inſerviunt,ſcil.eorum per digeſtionem, fermentationem ac putrefactionem præparatio &corporum certorũ admixtio.Quid operationes illæ adjumenti deſtillationi præſtent;ex diſſertationib.ſuperioribus petatur, cùm inpræſentiarum notaſſe ſufficiat, has repagula craſſiora,quæ particulis activis magis moram nectebant, diffringere,adeoque has in libertatem vindicare.Nunc de additamentis obſervandum,illa modò evehendorum volatilitatem intendere,hiſq; quaſi alas addere,v.g. ſpiritum vini particulas aromatum oleoſas imbibentem ſecumq; per alembicum ſub ſpiritus aniſi,fœniculi,liliorũ convallium &c.nomine abripientem ; modò remoras enervare, v.g.cineres clavellatos & Calcem vivam in ſpiritus ſalis armoniaci deſtillatione:utriuſque verò ſpecimen exhibit Tinctura ſulphuris volatilis, per deſtillationem cum ſale armoniaco & Calce viva parata , quatenus hujus alcali ſalis armoniaci portionem acidam abſorbet ac retinet,ut urinoſus ſpiritus commodius ſecedat & ſulphuri particulas quaſdam ringentes deradat Quo etiam illa referenda,quæ pro concretorum ebullitione cohibenda,ſimulque eorum particulis diſcontinuandis & commodius in vapores redigendis,v g.arena, cineres lateresve contuſi, iis admiſcentur,aut prunæ ſimiliaque corpora candentia in iis extinguuntur , uſque dum hæc omnem materiam abſorpſerint,& mediantibus his demum illa deſtillantur v.g ſalia,mel,cera,oleum & pinguedo humana.

§ 21.Gradibus ignis in deſtillatione ritè obſervatis particulæ concreti ſeparatim,earumque aliæ citiùs,aliæ tardiùs pro diverſa nimirum ſua mobilitate,exhalant,dum ſpiritus ſulphurei & urinoſi ante phlegma(niſi aliis concretorum partibus ad huc involuti,ubi v g.in deſtillatione Cornu cervi aut viperarum, phlegma ſal volatile antecedit) phlegma ante ſpiritus acidos & olea &c. prodeunt:iis verò non obſervatis,ſed igne mox violentiore adhibito , confusè ſimul omnes evehuntur , & ſæpe vaſa rumpunt. Imò quædam mixta igne paulo feſtinante in liquamen homogeneum abeunt, nihilq; heterogeneitatum à ſe dimittunt,ut v.g. in ſuccino deprehendere contingit,quod igni ſtatim potentiori expoſitum nihil ſpiritus aut ſalis volatilis expirat , blando tamen ſtimulatum languet & partes ſuas ſucceſſive exhalat. Par exemplum Vitriolum ſiſtit,ſi hoc minus calcinatum calore paulo intenſiore urgeatur: mox enim per aquoſitatem ſibi intrinſecum commotum,hoc in maſſam compactiorem deliqueſcit,retortam frangentem & artificis expectationem eludendum.

§.22.Licet autem ſine omni dubio ignis ſit,qui res deſtillandas exagitat,harum particulas hactenus ſolidas in fluorem abripit ſeu in vapores redigit,ſimili plane modo, ac motu ſuo metalla, ſalia, ceram &c concreta deliquat: nihilominus cum hæc ab igne remota fluorem illum mutuatitium mox denuo amittant &cum priſtina firmitate commutent;alia ratio fluiditatis illius erit , quam corpora ſolida, deſtillationem paſſa, extincto licet omni igne,per longum &totum ſuæ ſubſiſtentiæ tempus retinent,v.g. Spiritus Cornu Cervi,Salis,Nitri,& Vitrioli, item olea deſtillata cuncta, petenda ſc.in ſpiritibus illis ſalinis à phlegmate intrinſeco, in oleis ab eorum fluore naturali,ex quo vel à particulis terreis intermixtis , vel per ſal coagulans hactenus erant deturbata & in reſinam ſoldiorem compacta.

§ 23.Pro quibus declarandis,ratione phænomeni prioris,ſupponendum,liquores ſeu ſpiritus ejuſmodi ſalinos, tàm urinoſos,quàm acidos, ex minutis & diſcontinuatis moleculis ſalinis conſtare, terreſtreitatibus ſuis evolutis & ab aquoſitate ſuperveniente dilutis. Si enim ſali cuidam volatili aquæ proportionatam quantitatem affundas,hæcque aliquoties deſtillando combines,in ſpiritum faceſſet fluidum ſal hoc ſolidum : & ſi in deſtillatione Cornu cervi, ſerpentum &c phlegmatis illam partem, quæ ad moderatam ignis adminiſtrationem primò elicitur,demas, plus ſalis volatilis poſtmodum comparebit, minore longè ejus quantitate,ac in deſtillatione ordinaria fieri ſolet, cum phlegmate reſiduo pauciore in ſpiri-

 tum

tum deliqueſcente. Acida verò mineralium ſtagmata nihil aliud, quàm ſubſtantiam aqueam ſalinis illorum minimis ſaturatam & acuatam eſſe, inde veroſimile fit, quod ſpiritus ſalis v.g. circa vaſis, in quo aliquandiu aſſervatur, orificium & operculum, exhalante aqua, in verum ſal denuo congeletur; & ſpiritus ſeu ſal urinæ cum ſpiritu ſalis & nitri æque, ac cum Sale marino atque Nitro, ſal quoddam armoniacum format.

§.24. Utrique autem corpori, ſc. illi pariter, quod ſpiritum urinoſum, ac quod ſpiritum acidum ſtillat, menſtruum hoc aqueum intrinſecum eſſe, ut ut mollitie & humiditate extrinſeca ſe non prodat, hinc eluceſcit quod ex recentiore v g. Cornu cervi plus phlegmatis & ſpiritus, minus ſalis volatilis ac ex aridore & vetuſto, per deſtillationem exprimatur; ideo ſine dubio, quod potior ſalinarum exhalationum copia ab uberiore menſtruo aqueo, ſpiritus nomine, imbibatur. Pariter cum ad ſalium mineralium quorumvis cryſtalliſationem multum aquæ requiratur, hanc poſtmodum cum iiſdem ſalinis minimis, per ignem commotis, in fluidum corpus abire ratio ſuadet: ita quidem ut Vitriolum ad rubedinem ſaturatiorem calcinatum, majoreque phlegmatis parte exutum, intenſiore ignis torturâ in fumum equidem ſeu nebulam elevetur, quæ tamen intra excipulum in maſſam ſalinam ſolidiorem, compingitur, in liquorem verò ſeu ſpiritum Vitrioli ſolvitur, ſi vaſi recipienti aliquid pluvialis aquæ infuſum fuerit.

§.26. Porrò olea deſtillata vegetabilium ſuâ naturâ ſubſtantiam fluidam eſſe, vel hoc credere jubet, quod ſimplici expreſſione ſub hoc ſtatu ex pleriſque concretis oleoſis & aromaticis prorumpant, ejuſdem odoris & ſaporis, ſi acrimoniam demas, cum oleis deſtillatis: Quominùs verò ex omnibus æque exprimi queant, vel concretorum lignea & ſolidior textura, vel olei fluidi ab acido combinante in reſinoſam ſubſtantiam condenſatio impedit. Quibus vinculis ſub deſtillatione diſſolutis, fluorem priſtinum recuperat ſuccus oleoſus, ita ut aliquid ſalis vegetabilis acidi, per ignem ſimul commoti, ſemper in ſinu ſuo gerat; ratione cujus temporis diuturnitate ſponte non rarò in reſinam faceſſit, pariter ac ab acido extrinſecus affuſo.

§.26. Ad Sublimationem atque Deſtillationem refertur, ſeu ſub his comprehenditur primò *Rectificatio* ſeu ſublimationis & deſtillationis repetitio, quâ corpora puriora ac ſubtiliora redduntur, i.e. à particulis craſſioribus & heterogeneitatibus quibuſvis magis liberantur, v. g. Spiritus à phlegmate & terreſtreitatibus, ſalia volatilia ab oleoſa ſubſtantia, aliaque generis ſublimata à variis recrementis. Adeoque illi errare videntur, qui, poſtquam à Spiritibus acidis aquoſitatem per deſtillationem ſepararunt, i.e. eoſdem dephlegmarunt, ſe abſque ſpiritus magis concentrati repetitâ deſtillatione ſubtilitatem ac puritatem deſideratam attigiſſe putant: latent quippe in iiſdem liquoribus adhuc terreſtreitates quædam, quæ ſalinarum atomorum vires obtundunt iiſve auſteritatem conciliant; hinc proportionato ignis gradu illi toti, ad remanentiam fœcum aridarum, ſatis copioſarum, evocandi ſunt.

§.27. Deinde iiſdem operationibus accenſetur *Cohobatio* quâ liquores & ſalia volatilia aut materiæ priſtinæ, aut ſimili, reaffunduntur ſeu commiſcentur, & ab eadem denuo proliciuntur, repetendo hoc pro rei exigentia, bis, ter aut pluries. Idque vel pro evocandis materiæ particulis penitioribus, v. g. dum oleum Vitrioli ab antimonio, pro extrahendo hujus ſulphure, aliquoties abſtrahitur, ſpiritus cochleariæ ſuper novam cochleariam deſtillatur: vel pro communicandis ac imprimendis reſiduo particuli ſubſtantiæ cohobatæ. Sive hæ activæ fuerint, & ſaturationi ſeu exaltationi reſidui inſerviant, v. g. dum Acetum deſtillatum à ſale tartari, pro terræ foliatæ confectione, pluries, idque ſemper novum, aut ſpiritus Nitri à butyro antimonii, bezoardici mineralis conficiendi gratiâ, deſtillatur: Sive eædem excrementitiæ & heterogeneæ materiæ cohobandæ extiterint, adeoque ab hac ſeparandæ, v. g. dum Spiritus tartari oleum fœtidum atque aciditas, hunc ſuper alcali proprium aut quodvis alius, cohobando, ſecernitur. Spectat huc Spiritus Vini ſuper Tartarum calcinatum aut ſal tartari repetita deſtillatio, hinc Spiritus vini tartariſati productio: quæ an tantum in phlegmatis depoſitione, an particularum alcalicarum ſimul imbibitione, conſiſtat, nunc determinare, anguſtia paginarum inhibet. BOHNIUS.

SUCCUS.

Vidimus Succos inveſtitos in ſirupis, videbimus etiam ſibi relictos & majori ambitu. Quod ſanguis eſt in animalibus, id ſucci in vegetabilibus. Prima hinc rudimenta pharmaciæ poſuiſſe videntur ſucci, facilè parandi, unde intellectus ulterius de viribus concludere potuit facilè. Hinc not.

1. *Succi ſunt liquores aquei, vel ſibi relicti, vel concreti.* Liquores ſunt, vel ipſius ſucci nomine audito conformi, non unius tamen generis. Liquores, ratione conſiſtentiæ, in plantis ſunt vel aquei, adeò ut nonnulli ipſiſſimam aquam æmulentur, exemplo aquæ ſive ſucci vitis, & betulæ; quales etiam ſunt plantarum reliquarum plerarumque. Vel balſamici, ut ſuccus hyperici, oculorum populi; vel medii lacteſcentes, ut eſulæ, ſcorzoneræ; ac quaſi tales, uti ſuccus chelidonii majoris; in his enim partes aqueæ cum ſulphureis commixtæ & contemperatæ ſunt. Aquei verò dicuntur κατ' ἐξοχὴν, non tam quod aquei ſint, abſolutè & ſimpliciter, ſed à conſiſtentia prædominante, quia ſucci ſunt liquores contradiſtincti oleoſis. Olea enim expreſſa quid aliud ſunt, quàm ſucci pingues oleoſi, inflammabiles plantarum? Valet id de ſibi relictis & concretis: quicunque nempe ſucci etiam ſicci & concreti inflammabiles ſunt, quâ tales, ad ſulphureos reſinaſque pertinent magis, licet quidam ſint mixti, exemplo opii. Ratione ſaporis mirum quantum etiam variant; alii quippe inſipidi, exemplo aqueorum; alii acidi, ut ſuccus citri, alii dulces &c. congeneres quilibet origini ſuæ. Liquores ſunt ſibi relicti, ipsâ illâ fluidâ formâ retentâ, ſive illi ſimpliciores ſpectentur, minus heterogenei, ſive ſaturatiores contentis, prout variat præparatio unde vel limpidi ſunt, vel denſiores, & ad fundum facilè dimittentes contenta. Menſtruum enim cum nullum aliud adſit, quàm proprius domeſticus ſuccus ſub vehiculo illo aquæ ſalinæ ſulphureæ & terreæ partes, laxius vel intimius ſolutæ, continentur. Concreti verò ſucci, ſeu evaporatione particularum aquearum denſati, quamvis ſolidi, nomen ſuum retinent, unde ſuccus viridis, opopanax, opium ipſum, ſuccus acaciæ, hypocyſtidis & alii reverà ſolidi ſunt, & denſati, concreti, ſucci tamen audiunt. Imò cum frequentiori uſu celebrentur, hoc loco non tam de iis propoſitum eſt agere, quod inter ſimplicia quaſi numerentur, & facta jam magis vendantur, quàm qui Pharmacopœi manu præparantur. Ipſaque illa concretio modò à naturâ ipsâ, modò ab arte fit.

2. *Succi è partibus vegetabilium mage ſucculentis præcipuè parantur.* Subjectum ſuccorum ſive materiam ex quâ conſtituunt principaliter plantæ, generali notione, ut & arbores ſic & frutices complectamur. Facilè tamen patet, non æquè ex totâ plantâ ſuccum elici, cum differant partibus integrantibus, cum differant eſſentiali humido aliæque partes aridæ, aliæ humidæ magis obſerventur, ſucco vitali vegetabili non æqualiter diſpenſato. Sunt quædam exuccæ ſeu ſicciores, quæ hinc nullo modo hunc cenſum ſubeunt, ſaltim reſpectivè, ut gnaphalium, conyza, quæ hinc Germanicè etiam *Dürrwurtz* audit, & alia. Vel tacentibus verò nobis jam intelligitur, plantas indigitari non aridas, ſed recentes. Quæcunque verò aridiores ſunt per naturam, illæ ad ſuccum fundendum minus aptæ vel uſitatæ

tatæ, tum quoad partes; tum quoad totum. Eſt tamen & hic diſtinguendum inter ſucculentiam patentem & latentem. Sunt enim quædam primo intuitu minus ſucculentæ, quæ tamen in recellu abundan em ſuccum occulunt. Exemplo ſit capillus veneris, de quo laudabimus experimentum *Scaligeri*, *l. 1. de plantis, p. m. 189.* Noſtis, *inquit*, eam trichomanis ſpeciem, quàm vocant capillum veneris, ut ea ſit arida, ſi tangatur; ut prorſus exucta videatur: & nomen ipſum adianthi favet opinioni. Ex ejus herbæ ℔iv. parum abeſt, quin tantundem prematur ſucci. Hinc verò modò ex radice elicitur ſuccus, ut ex cepis, & inprimis ex radice iridis noſtratis, pro hydragogo; modò frequenter etiam ex foliis, ut acetoſâ, hyoſcyamo, tabaco &c modò ex floribus, ut roſis, violis, bugloſſæ; modò ex corticibus ut ſuccus ex corticibus citri viridibus, medius ille & ſuaviſſimus, acido-aromaticus; modò ex fructibus, ut uvis, cydoniis, pomis. Quin & partes alioquin aridæ certo & ſtatuto tempore fundunt ſuccum magis.

3. *Succi vel inciſione, vel contuſione, & expreſſione parantur.* Tacemus ſuccos ſponte ſuâ enatos, & concretos, & liquidos. Utroſque, concretos tamen magis, uno verbo Græci dicunt δάκρυον, *lacrymam*. Solent enim ſtillare quædam vegetabilia motu proprio ſuccum, etiam non vulnerata, ubi memoranda quoque venit ſalix, quæ certo tempore talem velut ſalivam exſpumat, ſalivæ humanæ perquam ſimilem, ſimul deſtillante guttatim liquore copioſo. Tale quid in gummi ceraſorum, prunorum aliiſque obſervatur quoque, quæ primò ſunt liquida, hinc denſantur è poris exudantia, teſtimonio evidenti, arbores illas mage roſcidum & reſinoſum fovere ſuccum, unde gummata magis ſtillant, ut aliæ fungos magis, aliæ viſcum quoque, aliæ utrumque: quæ ſingula ſi non principium internum ſolum habent, uti videtur ab arbore arceſſendum, tamen comitatum obtinent. Ut verò animalia utcunque vulnerata ſanguinem ſtillant, ſic vegetabilia ſuccum & ſanguinem ſuum, illâ ſola differentia, quod magis limitatos habeant terminos, poris ſenſim ab intra occluſis. Qui inciſione parantur & obtinentur ſucci, ὀπὸ nomine veniunt, quamvis ejus nominis autores vix noviſſe videntur ſuccum betulæ & vitis planè aqueum, vel complexi potius aqueos ſimul, unde quod plorare quaſi videantur, lacrymæ nomen ortum. Hoc loco notare lubet, ſuccum plantarum maximam partem verno tempore ὀργασμὸν pati, turgere, & item luxuriari, ut eo ſolum tempore, non alio per totum ferè annum creſcant, quod in arboribus ad oculum patet, exceptis, quæ ob archeum particularem diverſum tempus hoc variant, & vel ſub ipsâ nive florent, exemplo aconiti hyemalis, hellebori nigri. De ſucco betulæ præ aliis legi meretur *Helmontius l. de lithiaſi capite octavo, tit. 24. 25. pag. 708.* Ordinariè verò magis contuſione & expreſſione conſiunt. Ad contuſionem ſpectat quoque tritus, uti poma cydonia contrita largiter fundunt ſuccum, quem aliàs non exhibitura forent, comminutis ſic intimius particulis, ut liquor vinoſus hinc exprimi poſſit. Expreſſio verò fit vel manu cum linteamine, ut ſic caput mortuum ſive feces terreæ ſeparentur, vel cum prelo, vel, quod majus inſtrumentum majori copiæ debetur, torculari, unde & German. *Preſſe*, à premendo audit. Si enim æſtimemus hinc ſuccos ab origine prima, nil aliud ſunt, quam menſtruum univerſale, aqua, ventre, ut ita loquar, plantæ cujuſvis immutatas unde ex aquâ v. g. in vite fit vinum, ſolâ immutatione illâ, cui præter archeum, exterius calor ſolaris rarefaciens & coquens plurimum favet & adjumento eſt.

4. *Succi vel pro uſu extemporaneo vel duraturo liciuntur.* Extemporaneum voco, qui ad uſum præſentem conficit & impenditur ſtatim, quâcunque demum miſcelâ vel adhibitione ſpeciali. Duraturum, qui ætatem fert. Cum enim ſucci naturâ ſuâ ſint corruptibiles, neque ſe tutari à corruptione, à putrilagine queant, ob heterogeneitatem particularum, multò minus alia; nihilominus tamen materiam utilis remedii conſtituant, etiam tempore, ubi virides plantæ & conſequenter ſuccus haberi non poſſunt, cogitatum meritò fuit, quomodo ſervare in futuros quoque uſus ipſos liceret. Hinc quoque eſſentia croci cum aquâ vitis præparata, quam ad melancholiam deprædicant, brevi corrumpitur, niſi inſpiſſetur. Nota verò principium corruptionis eſſe geminum: (1.) aquam, (2.) ipſi immerſas atomos alias, licet primo intuitu minus obvias, ſive heterogeneitatem particularum. Cui tertium addi poteſt externum, aër liber diſſipativus ſpirituum; unde ſulphur balſamationis principium invertitur, laxatur & ſic corrumpitur, putrilaginemque ſubit, neque ſal tutari ipſum poteſt, ſub illâ miſcela prædominantis aquæ. Eſſe verò hæc duo in causâ, patet experimentis va iis, v. g. quod aqua pluvia, menſe Martio collecta, aliaque ſimplicior non facilè corrumpitur; quod liquores tales ſucculenti turbentur, vel fermenteſcant, neque priſtinum ſuum ſtatum in odore, ſapore, conſiſtentiâ ſervent. Ut itaque ad manus ſit ſuccus hic ille, cogitatum eſt de remediis aptis.

5. *Succi vel ſuperfuſo oleo, vel inſpiſſatione, vel condimentis aliis in futuros uſus aſſervantur.* Non ſolum utile eſt, ſuccos vinoſos comprimis adſervare integros ultra tempus ordinariæ durationis, ut ſic muſtum v. g. vel tempore hyberno & æſtivo haberi poſſit, pro gulæ illecebris rarioribus; quæ enim rara, cara ſunt, ſed quoque in uſus medicos plures. Præſtat id oleum olivarum recens, ſi liquori in vaſe vitreo alioque anguſti orificii ſuperfundatur, ad digiti v. g. craſſitiem, ſive ſufficienti quantitate, & pro re natâ renovetur. Solet enim ipſum potius corrumpi ſuo modo, ſpiſſeſcere, & aliam texturam acquirere. Imò non abſurdum fuerit oleum deſtillatum ſubſtituere, v. g. terebinthinæ. Ratio agendi eſt, quia abarcetur ſic aër, unde ſecum habitant, nec concentrata divelli poſſunt principia, & tenaculum ſulphuris balſamici. Aër quippe corruptor eſt, & partium volatilium deſtructor. Oleum occludit omnes poros, omnem aditum, quod non æquè fieri poteſt aliâ occluſione, licet & illa in ſtatu ſuo aliquandiu ſervet, exemplo muſti, non fermenti, *verbaltene VVein.* Pertinet huc & frigus condenſans, & ſulphur tutans ac concentrans. Utroque modo cavetur, ne calor nativus, [ſulphur balſamicum,] exhalet vel deſtruatur, ac externus corrumpens irrepat. Inſpiſſatione verò id fit, quatenus particulæ aqueæ, corruptionis magnes quidam, abſtrahuntur & propelluntur, beneficio caloris, unde reliquæ ſub ſulphuris tutamine ſartæ tectæ ſervantur contrà omnem corruptionem. Sed aliam ſic acquiruntur ut texturam, ſic etiam ex parte uſum. Idem quoque tentatum eſt condimentis aliis, v. g. melle & ſaccharo, ſale pharmacopœorum univerſali, de quo mox ſub rob, item cum ſale, ſpeciatim in ſucco uvarum immaturarum, ſive omphacio, cui parum ſalis inſpergi pro adſervatione ſolet. Curioſus eſt modus Helmontianus, duplici loco inſinuatus, *l. natura contrarior. neſcia p. m. 141. §. 45.* Diſcant, *inquit* herbarum ſuccos, itemque jura carnium, abſque ſale, aceto, melle ſaccharo & igne condire, atque à putredine per annos vindicare &c. verò *Pharmacopol. ac diſp. modern. §. 21. p. m. 370* patefacit. Succus, *inquiens*, rerum, prælo expreſſus, ſolo odore cujuſdam ignis ſulphurei, manet deinceps abſque ſaccharo vel alio additamento incorruptus: cujus favore acquirit balſamicum aliquid, hauſtuſque æthereos ſibi incorporatos transfert ad magnam entelechiam.

Fumum

Fumum ſulphuris intelligit, qui & cadum vini à corruptione præſervat. *l. aſthm. & tuſſ.* §. 77. *p.* 301.

6. *Succi interius hauſti vires ſuas dotales corpori inferunt, cruditate verò facilè nocent.* Simpliciſſima eſt præparatio ſuccorum ad uſum corporis, quandoquidem particulæ activæ proprio vehiculo ſic aſſumuntur. Non attingemus latius illud aſſertum notum, ſuccos mediante fermentatione vinum, acetum & plura largiri, quod hoc ad fermentationem magis ſpectet. Fermentationem verò ſubire poſſunt magis ſucci vinoſi, dulces, ubi ſulphuris & acidi nexus eſt, hâc arte excutiendus & liberandus. Sufficiat de ſuccis ſibi relictis impræſentiarum agere. Plura talia experimenta proſtant, ut ſuccum rutæ, ſenecionis, ſedi majoris in epilepſiâ adhibent. Sic ſuccus plantaginis in febribus intermittentibus proficuus eſt. Succum raphani in tuſſi & reſpiratione læſam hauriunt, quo etiam medici olim uſi fuêre ad ciendum vomitum. Frequentiſſimè omnium in uſum cedunt hodienum ſucci plantarum antiſcorbuticarum, naſturtii, cochleariæ, becabungæ, fumariæ, abſinth. tum per ſe adhibiti recens expreſſi per aliquot plures dies, tum cum ſero caprino; adeò ut non pauci hunc modum pro polychreſto & tantum non univerſali & annuo commendent, ad inſtar acidularum quaſi. Et negandum ſanè non eſt, in ſcorbuto calido & frigido, pro re nata, hæcce diluentia & humectantia ſimul actionem ſuam egregiè exercere; id ipſum tamen cum grano ſalis capiendum, neque eo abutendum eſt. Succi omnes ob particulas aqueas & heterogeneas crudiores ſunt & flatulenti, ſi præſertim largiori hauriantur quantitate. Maxima ergò ratio habenda in horum uſu ventriculi, ne illum gravemus onere crudiorum, laxemus humore nimio minus evaporabili, atque ſic fermentum, calorem & tonum peſſundemus; præcipuè cum jam dum flatibus gaudeant & cruditatibus ſatis hypochondriaci & ſcorbutici iſti; multùm verò in robore ventriculi ſitum ſit ad ſuperandum vel tolerandum ſaltim morbum. Ut itaque non improbamus uſum, concinnum & debitum ſic inſtitutum; ita abuſum culpamus & damnamus, præſertim cum experientia teſtata fuerit non ſemel, inde malum auctum, inde appetitum dejectum, (quo quid gravius accidere poteſt miſellis?) & naturam in oppugnando morbo potius læſam, quàm adjutam. Unde ſatius ſæpè fuerit, embammatibus ex iſtis ſuccis, cochleariæ, raphani ruſticani, naſturtii, bonâ cum pace ventriculi, archei; & ſanitatis hinc uti, aliiſque diluentibus, quàm crudis & puris putis ſuccis. Habent ſanè ſucci aliquod privilegium etiam præ aliis formis & præparationibus, unde ſuccus iridis noſtratis in hydrope laudatiſſimus eſt, ad cochlear j. vel ij hauſtus, quod à decocto, infuſo, aquâ non expectaveris, ſed probè omnia conſideranda; ne excedamus, vel lædamus naturam, cujus miniſtri ſumus.

7. *Succi & externis uſibus non paucis corpori, & præparationibus aliis medicis inſerviunt.* More aliorum medicamentorum uſu gaudent primario & ſecundario, tum ſolitario, tum comitato & miniſtrante. Elucebit topicus hic uſus exemplis quibuſdam concinnis. Sic ſuccus majoranæ, betæ, puleg. errinum, ſunt egregium. Succus anagallidis præbet errhinum & collirium; Succus urticæ hæmorrhagiam narium ſiſtit exterius & interius, quocum imbibitum ſtercus aſininum quibuſdam experimentum ſatis probatum eſt ad hæmorrhagias tantum non quaſvis. Succus fumariæ eſt ὀξυδερκικὸν eximium, inſtillatus in oculos, quem in finem etiam ſuccus expreſſione proſiliens ex corticibus citri recentibus non raró in oculos projicitur. Succus ceparum barbam auget, auditui & ambuſtis medetur. Succus eſulæ & chelidonii majoris verrucas delet, oxylapathi lichenes & ſcabiem Succi inſerviunt epithematibus, ut verbenæ, ſedi majoris, ad frontem & dolorem capitis: unguentis & linimentis, exemplo unguenti de apio, de linariâ, de acetoſâ, cujus ſuccus expreſſus cum butyro frixus eſt rubefaciens & diſſipans. Faciunt ad unguenta & emplaſtra, exemplo ſucci hyoſcyami, ſolani, nicotianæ, cicutæ; ad deſtillationes aquarum, exemplo aquæ becabungæ, betulæ, aquæ cinamomi cydoniatæ, aquæ cordialis H. S. frigidæ, quo de vid *Deodat.* & aliarum. Ad tincturas, v g. martiales extrahendas, exemplo ſucci pomorum, acetoſæ, cydoniorum, qui & ad extractum opii, ad fermentum ℥ ij. &c. uſum habet. Ad ſirupos, exemplo violarum, roſarum, ſcabioſæ, portulacæ &c. Ad rob. mivas, ſapas, gelatinas.

8. *Liquores animalium ſpontanei ſuccos æmulantur, expreſſi minus uſitati.* Tales liquores ſunt ſanguis, fel, urina. Sanguinem humanum haurire non minus crudele videtur, quàm profundere, quocunque demum uſu fiat, ſive epilepſiæ profligandæ, ſeu adſtringendi ſanguinem fluentem, ſeu alio. Nullum ferè medicamentum crudelius & ignorantiæ rerum majus indicium laudari poteſt. Ut abſurdiſſimum hinc ſit *Ficini* commentum, ad vitam longam commendantis ſanguinem humanum, craſſo admodum errore. Sanguinis verò animalium exiccati & in clibano toſti alia paulò eſt ratio, ut ſanguinis hirci in caſu ab alto, pleuritide & calculo; aſini in melancholiâ, leporis in dyſenteriâ, & ſic porrò; iſto enim pacto ſanguis alium aſſumſit characterem, & in aliud ens degeneravit, ſive ſanguis eſſe deſiit, licet, ut verum fateamur, illis etiam carere poſſimus in medicinâ Wedelius.

Succi ex vegetabilibus potiſſimùm depromuntur, raró ex animalibus. E vegetabilibus puta non omnibus.

Inidonea enim ſunt, 1. nuclei, ſemina, & reliqua oleoſa, qualia ſunt amygdalæ, piſtacia, ſemina lini, [de quibus egimus in oleis expreſſis.]

2. Minus apta ſunt aridiora, ut fruges, niſi decocta harum ſuccos appellare l buerit.

Modus fiendi.

♃. Vegetabilia ſucculenta, [minùs ſucculenta macerari, inſolari, elixarivè antea volunt ▽] conquaſſa & exprime, hinc clarifica, [cum albumine ovi, filtrationeque vel digeſtione quod melius,] ſi opus eſt ▽. inſpiſſa, atque ne empyreuma contrahat, continuò agitata; ſic fiunt ſucci.

I. Ex floribus. ♃. Flores virides imple XX, premendo, collocenturque ad digerendum, ſ. putreſcendum in MB. ſatis profunde, donec in mucilaginem abiiſſe videantur: Hinc exprime ſuccum, clarifica. c. alb. ovi, & inſpiſſa lentè ad conſiſtentiam mellis; ſic fiunt ſucci, [Eſſentiæ dictæ] borag. bugloſſ. pœon. verbaſc. violar. & ſimil.

N. 1. *Si flores minus ſucculenti fuerint, affundatur parum ▽ æ; ſic fit extractum, ſ. ſuccus inſpiſſat. flor. tunicæ calendulæ, Keyri, Cyani, roriſm. papav. rhœad ſalv. & ſimil.*

N. 2. *Præſtant flores primum erumpentes.*

N. 3. *Expreſſum ſuccum ſi recentibus floribus affuderis, majorem ſucci copiam colliges.*

II. Ex fructibus. ♃ Succulentos, exprime, vel coque antea; hinc exprime trajiceque per ſetaceum, liquidioreſque ad mellis conſiſtentiam inſpiſſa.

N. *Succi è fructibus alio ferè nomine gaudent, mellis ſcil. ſi dulce ſapiant, ut mel juniperinum: paſſularum, & ſimil. alias Roob. Sapæ; ut rob. de berberis, de ribib.*

III. Ex radicibus & lignis, interveniente coctione (in ▽,) & expreſſione ſucci eliciuntur, adſciſcuntque nomen Extractorum, vide ſupra c. 57.

Succi officinales, tùm liquidi proſtant, tùm inſpiſſati.

Liquidi qui per ſe conſervantur pauci ſunt, quippe præter ſuccos, acidulos & fermentatos illos potulentos, (qualis vinum, vinum pomorum, pyrorum, & ſimil.) nulli ad tempus durabiles ſunt: hinc fit ut ad-

dito

dito ſaccharo, melleve, in ſyrupum coquantur: vide de Syrupis, c. 48.

Quin imo vel ipſis ſuccis acidulis nonnihil ſacchari ferè additur, cujus vi tùm parum fermentantur, tùm ab injuria corruptionis conſervantur.

N. *Dantur & ſucci è vegetabilibus tùm per ſcrupitis, tùm inciſis ſponte ſtillantes, [lacrymas vocare expedit] Verum hi paſſim nativis accenſentur, partim non uſuales ſunt.*

Talis eſt ſuccus betulæ, qui in Suecia & Finlandia, menſibus Martio & Aprili collectus & formentatus, mulierculis nobilibus potui ſuppetit; ſuccus juglandis arboris, liquor ſc qui in quercuum ſtipitibus coacervatur, lacryma vitis amputatæ. Huc opium & ſimil. Succi Officinales Liquidi, qui & Vina dicuntur, ſunt.

Succus berberum, citri, cytoniorum, granorum acidorum, limonum. Myrtillorum, ribium, rubi Idæi.

N. *Succi recentes tot ex tempore parari queunt, quot vegetabilia viridia ſucculenta exhibentur, verum quia gramineum ſapiunt ſaporem, minus in uſum veniunt, licet ſapor ille ſaccharo corrigi queat.*

Succi Inſpiſſati.

Succus Abſinthii communis.

Acaciæ noſtratis.

N. *Verus Officinis habetur inter nativa.*

Agrimoniæ, Alcë, cardui benedicti, chermes granorum, centaurei minoris, chicorii, cydoniorum. Enulæ. Fumariæ, Gentianæ, glycyrrhiæ, gratiolæ, Hyperici, hyoſcyami, ireos noſtratis cæruleæ, liquiritiæ, mercurialis, myrtyllorum Germanicorum. Heidelbeerſafft. *Nicotianæ, papaveris domeſtici erratic, plantaginis, portulacæ, roſarum incarnatarum rubrarum, ſcrophulariæ, ſolatri.*

Huc Pertinent.

Rob de Berberis ſimplex. de Ribb. [Mel Ebulinum, ſambucinum, juniperinum paſſularum,] conſiſtentiam, electuarii fere obtinent. SCHRODERUS.

SUCCUS CYRENAICUS, vid. *Laſerpitium.*

SUDORIFICA, vid. *Hydrotica.*

SUFFITUS.

Suffitus eſt medicamentum formâ ſiccum, vel humidum, quod ignis vel caloris vi expirat odores variis affectibus convenientes.

Alius eſt ſiccus, alius humidus.

Siccus componitur ex pulveribus aromaticis, quibus ſi addantur gummata, concinnantur in trochiſcos.

Uſus eſt

Primò, Ad roborandum, & alterandum in frigida & humida intemperie, catharro, &c.

♃. *Ladan.* ʒij. *ſtyrac. calam aromat. an.* ʒjß. *benjon. thuris, ligni aloës an.* ʒiij. *ambræ & moſchi an. gran. ij.* Fiat omnium pulvis, quo ſuper carbone injecto ſufficiantur tegmenta capitis, & de quo vapores naribus & ore hauriat in lecti ingreſſu. Si ex hoc pulvere trochiſcos efficere velis, adde gummi tragacanti in aqua roſar. ſoluti q. ſ. Fiat trochiſci, quorum uſus idem eſt ac pulveris.

Detrahe moſchum & ambaram, ſi pro mulieribus deſideratur ſuffimentum.

Secundò, Ad exſiccanda maligna ulcera, venerea, oris & faucium.

♃. *Styrac. myrrh. thur. maſcul. an.* ʒij. *benjo.* ʒiv, *cinnab.* ßj. Cum mucilag. gummi tragaci fiant trochiſci, quorum unus injiciatur carbonibus ignitis, fumum ſuſcipiat æger ore hiante.

Tertiò, Ad excitandos ſudores in prædicto inſtrumento ligneo, ad luis venereæ curationem.

♃. *Cinnab.* ℥jß. *ſtyrac. myrrh. calament. an.* ʒj. *reſin. pini* ʒij. *terebinth q. ſ.* Fiant troch ad ſuffitum.

Fiunt ſuffitus ex caſtoreo, plumis perdicum, papyro, aſſâ fœtidâ, ſolis vel mixtis, naribus tantùm amovendis pro hyſtericis.

Suffitus humidus vapor eſt, ex liquore nempe, acetô, vinô, aqua roſar. naphæ &c. ex olla vi caloris expirans.

Excipitur in uteri affectibus per cellam perforatam, aut infundibulum: in aurium morbis per tubulum ad figuram infundibuli conjunctum.

Uſus eſt in menſibus ſiſtendis, aut movendis, ex calaſticis, in dyſenteria, ex adſtringentibus, in ani procidentia hæmorroidibus ſiſtendis, pro quo ultima prodeſt ſequens formula.

♃. *fol. verbaſc. & rad porri an. m. j. ſem. lini* ℥j. *coq. in aq ſ. q. cujus tepidus vapor ano ex perforatô ſedili excipiatur.* TENCKE.

Candelæ pro ſuffitu Primæ ex *Pharmac. Auguſt.*

♃. *Benjoi, ſtyracis calamitæ ana* ℥iv. *Thymiamatis, olibani an* ℥xij. *ladani* ℥x. *& viij. caryophyllor.* ℥jß. *ſem. nigellæ* ℥j. *coriandri, granor. juniperi an.* ℥ß. *ſtyracis liquid.* ℥vj. *terebinthinæ* ℥ß. *carbonum tiliæ vel ſalicis* ℥xxx. *cum infuſione tragachanti, facta in aq. roſar. fiant candelæ.*

Candelæ pro ſuffitu Secundæ ex *eâdem Phar.*

♃. *Styracis calamitæ, carbonum ſalicis an.* ℥ij *benzoi* ℥j. *caryophyllor* ℥ß *ladani* ʒvj. *cum terebinthina cypria & mucilagine traganthi in aqua roſar. facta q. ſ. fiant candelæ quibus pro delicatioribus galiam moſchatam addere licebit.*

Candelæ pro ſuffitu pretioſæ. *Zwelferi.*

♃ *Reſinæ ſtoracis calamitæ expreſſæ* ℥iij. *cui imprimantur & addantur, pulver. benzoës* ℥v. *olibani* ℥ij. *ladani opt.* ℥jß. *carbonum tiliæ* ℔j. *vel* ℥. *quind. & additâ porrò ſ. q. mucilag. tragacanthi cum Aq. roſar. factæ.*

Fiat maſſa, ex qua formentur candelæ, notetur: qui has candelas fragrantiores deſiderat, præfatæ compoſitioni admiſceat Ambræ gryſeæ vel etiam nigræ ʒj. & gummi roſatum noviter ex India allati q pl. verum ſaltem in Magnatum gratiam.

Candelæ Viliores ex *eôdem.*

♃. *Pulver. aſæ dulcis ſeu benzoi, ſtyracis calamitæ, an.* ℥iv. *olibani albi* ℥x. *ladani opt.* ℥vj. *ligni juniperi ex rad. ſubtiliter raſpati* ℥v. *carbonum tiliæ* ℔ijß.

Ex his pulveribus mixtis, addita ſuffic. quantit mucilaginis Tragacanthi, fiat contundendo in mortario maſſa ſeu paſta, ex qua formentur candelæ, quas omni tempore & loco ſuffitus vice fragrantis, ut & contra morbos cum contagio graſſantes fructuosè accenduntur.

Suffitus Cephalicus ex *Phar. Auguſt.*

♃. *Benzoi* ℥iß. *ſtyracis calamitæ, ſuccini citrini, maſtiches ana* ℥j. *olibani, myrrhæ ana* ʒvj. *ligni Aloes, caryophyllor ana* ʒjß. *flor. roſarum rubr.* ʒvj *lavendulæ, corticis citri ſicci an.* ʒiij. *contundantur craſſiuſculè & miſceantur.*

Alius

Suffitus Alius *Zuvelferi.*

℞. Aſæ dulcis ſeu benzoës, ſtyracis calam. puræ, olibani an. ℥iij. gummi animæ ℥j. ligni juniperi odorati è radicibus craſſ. raſpati ʒjß. miſceantur, fiat pulvis groſſus.

Alius ex *Eodem.*

℞. Olibani ℥vj. maſtichis, ſtyracis calam. an. ℥iij. ladani optimi ℥ij. ligni juniperi odorati ex radicibus ℥v. fiat ex omnibus pulvis groſſus.

Suffitus Antipeſtilentialis *Zuvelferi.*

℞. Succini citrini ℥iv. ſtyracis calamitæ, olibani ana ℥ij. myrrhæ rubræ ℥iij. ligni juniperini odorati ex radicibus ſubtil. tornati ℥iv.

Miſceantur fiat pulvis groſſus. Qui verò ſulphur huic pulveri addere voluerit, illi liberum eſt: conducibilius tamen videtur, ſolo ſulphure ſæpius accenſo loca ſuſpecta ſuffumigrare.

Suffitus Communis ex *Phar. Auguſt.*

℞. Baccharum juniperi raſuræ ſuccini citrini an. ℥iij. flor. roſar. rubrarum ℥iß. ʒij. ſtyracis calamitæ ℥jß ligni juniperi ʒxj maſtiches, ſandaracæ an. ʒx. olibani ʒvij. miſce, fiat pulvis craſſiuſculus.

Suffitus Delicatus ex *eâdem Phar.*

℞. Benzoi electi ℥ß. ſtyracis calamitæ ʒvj. ligni aloës ʒij fiat pulvis craſſiuſculus.

Suffitus Menſes provocans ex *Nicol. Lemery.*

℞. Rad. ireos, bryonis, ſambuci an. ℥ß. fol. ſalviæ, ſabinæ, majoranæ, matricariæ, arthemis. an. m.ß. gagatis, baccar. juniperi, lauri an. ʒiij, fiat omnium pulvis pro Suffitu.

Paſtilli pro fumo Uſitati ex *Phar. Auguſt.*

℞. Benzoi electi ℥ijß. ſtyracis calam. ʒx. ligni aloës ʒiij. caryophyll. ʒvj. cinnamomi electi ʒij. ligni cupreſſi ʒjß. ſacchari albi ℥xiv. cum infuſione Tragacanthi aquâ roſarum facta, fiant paſtilli.

Paſtilli ad ſuffitum pretioſi ex *Zuvelferô.*

℞. Reſinæ ſtyracis calamitæ expreſſæ ℥ij. qua impregnentur ſequentia: pulver. benzoës ſeu aſæ dulcis ℥jß. gummi roſar. ℥j. Ambræ gryſeæ ʒj. ſolutæ prius cum ol. cinamomi, caryophyll. ligni rhodii ana ſtillatit. ℈ß vel gran. xv. item moſchi Orient. ℈ij. ſolut. ad pultis formam cum port. aquæ roſarum, pulver. carbonum Tiliæ q. ſ. pro maſſa in calido mortario efformanda, ut ſi refrigexerit, duriſſima fiat, ad inſtar ceræ Hiſpanicæ. Circa eorum uſum tamen hoc obſervandum, quod igni ſeu prunis immediatè non injiciendi ſint, ſed ſupra laminam argenteam, ferream aut cupream, vel ipſum vitrum, ſubſtratis vivis carbonibus, collocari oporteat.

Teda Aromatica ex *Phar. Auguſt.*

℞. Benzoi, ſtyracis calamitæ, maſtiches, olibani, ladani an. ℥j. caryophyllor. cinnamomi, ſandali citrini, ſuccini albi an ʒij ceræ ℔j. fiat teda ad craſſitiem unius digiti

Iſtiuſmodi Tedis Medici Læmodochiales noſtri quondam utebantur, pro diſſipando venenato aëre, & corrigendo conclavium infectorum fætore, in magna illi peſte, quæ anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſeptimo, ut & octavo urbem noſtram depopulabatur.

Suffitus ad Uterum Procidentem ex *VVeickardô.*

℞. Bituminis, colophoniæ, an ℥j. lapidis gagatis, uſneæ an ℥ß. rad biſtort. cupul glandium, balauſtior. an. ʒij caſtorei ʒj

Terantur omnia craſſiuſculè, fiatque pulvis, de quo urgente neceſſitate p. 1. ſupra carbones ignitos conjiciatur, ac fumus per infundibulum recipiatur.

Suffitus ex JOH. MICHAELIS.

Rec. Suffiment. Angel. Mynſ ℥j. D. S, *Kaſtlich.vvolriechend Pulver.*

℞. Suffiment. Imperial ℥j;
S. Ut ſuprà.

NB. Malè carbonibus injicitur, ſed potius cum papyro ſupra △ fit fumus.

℞. Baculor. pro fumo. ℥ß Illinantur ☍ *caryoph. & lign rhod vel affric. Eſſentia ambræ* M.

℞. Pulv. ſuffimig. Angel Mynſ. ℥ß.

Formentur cum Balſamo Peruviano vel ambra liquida Mynſ. trochiſci.

D. S. *VVolriechende Küchlein.*

℞. Pulv. pro ſuffiment. Imper ℥ß. carbon. ſalic. q. ſ. c. ſ. q. Gummi tragac vel ambr. liq.

F. l. a. Aviculæ.

S. *VVolriechende Kerſzlein,*

Baculi pro fumo Regis Hiſpaniæ.

℞. Myrrh. Benzoi ana ℥iv. ſtyr. calam ℥j. Moſchi optimi ℈ij. ambræ ʒß zibethi ℈j. ol ſtillat. cinnamomi g. vj. caryoph ʒß

F. l a. Paſtilli odoriferi.

Ex hiſce baculis etiam formari poteſt pomum ambræ & illiniri Balſamo apoplectico noſtro.

Pulvis pro ſuffimigio ad Catharros.

℞. Gummi junip. ʒij. tacamah. ſuccini ana ʒj. thuris. maſtich ana ʒß. ſtyrac calam. benz. an. ℈ß

M. *Rauch-Pulver gegen die Flüſſe.*

℞. Suffiment de ſuccino Mynſ. ℥ß.

℞. Pulv. pro fumô tempore peſtis ℥j.

℞. Suffiment. de ⊕ *℥v. D.*

Huic affunditur ſ. q. ✠ optimi. De hoc ✠ poſtmodum affunditur ſilicibus ignitis & fumus excipitur.

℞ Suffimen. de cornu capræ Mynſ. ℥jß. D.

℞. Flor. ſulphur ʒiij Myrrhæ ʒij. benzoi, ſtyrac. an. ʒß c. ſ. q. mucilag. tragac. cum ▽ *præſerv. præp.*

F. l a. Trochiſci pro fumô.

℞. Suffiment de Sabina ℥j.

M. S. *Rauch Pulver aufetlichmal*, in obſtructione menſium.

℞. Suffiment. de Tacamah. Mynſ. ℥j.

S. *Käucher-Pulver*, in ſuffocatione uteri.

℞. Troch. de verbaſc. Mynſ. ʒiij.

S. *Käucher-Pulver*, ad hæmorrhoides cæcas & condylomate.

Suffimigium in Lue Venereâ.

℞. Cinnab. factit. ʒij. gummi benzoi Styr. calam. ana ʒj.

Suffitus humidus.

℞. ▽ *ref optim. lil. convall. cum vino meliſſæ cum vino an. ℥iß. Mag. benz. ſtyrac. an. ʒß.*

Bulliant

Bulliant ſuper prunas leniter in vaſe ſtricti orificii.

℞. ∇ *optim. angel.* ℥ *iv.* S. *Wolriechend Waſſer.*

℞. *Angel. optim.* ℥ *iij. flor. lavend. cordial. Norimb. ana* ℥ *j.* ~ *lavend. ſambuc. cort. citri meliſſæ ana* ʒ *j.* M. S.

℞. ∇ *ſerpill. cum vino, lil. convall. c. vino, meliſſæ cum vino, lavend. ana* ℥ *j.*

M. S. *Wolriechend Hauptvvaſſer.*

℞. *Pulv. alipt. moſch. gall. meſch. ana* ℈ *j. rad. ireos flor.* ʒ *j. ambræ, moſchi ana gr. vj. ſacch. candi optimi c. gummi tragac. in* ~ *roſ. diſſolut.*

F. l. Globuli.

S. *Köſtliche vvolriechende Mundkuchlein.*

℞. *Rad. ireos Florent.* ʒ *j. pulv. diaromat. pretioſ.* ℈ *ij. cum ſ. q. ſacchari candi & gummi tragac. in* ~ *roſar. diſſolut.* F. l. Globuli.

S. *Koſtliche vvolriechende Mundkuchlein.*

Pulvis ad veſtimenta odoriferus.

℞. *Flor. lavend. roſar. rub. m.* ß. *rad. ireos. Florent.* ℥ *j. raſ. ligni Rhodii* ℥ ß. *ſtyr. calamit. benz. an.* ʒ *iij.*

M. S. *Wolriechendes pulver zun Kleidern.*

Pulvis Manualis odoratus.

℞. *Magmat. amygd. expreſſ.* ℔ *j. farin. fabar. lupin. ana* ℥ *ij. rad. ireos florent.* ℥ *j. cretæ albiſſ.* ℥ *iß. talci ſubtiliſſime pulveriſati* ʒ *vj.* ⊖ *tartari* ʒ *iij. ſtyracis, benz. ana* ʒ *ij.* ∞ *ſtill. Rhod.* ʒ ß.

M. S. *Wolriechend. Pulver.*

Pilæ ad Manus.

℞. *Sapon. Hiſpan.* ℥ *iij. Axung. cervin.* ℥ *ß. balſami Peruviani* ℥ *j. ol. ſtillat. ligni rhod.* ℈ *ß.*

F. l. a. Pilæ.

S. *Handballen.*

℞. *Sapon. Veneti* ℥ *iv. pulv. rad. ireos Flor.* ℥ *ß. roſar. alb.* ʒ *ij. ſtyrac. benz. ana* ʒ *ß. ambræ, moſchi, zibethi an. gr. iij. cum* ∇ *roſ. & lavend.*

F. l. a. Sapo odoratus. S.

Sapo in Scabie & impetigine.

℞. *Sapon. Venet.* ℥ *iij. flor.* 🜍 ʒ *ij.* ⊖ *tartari* ʒ *iß. extr. lapathi acuti* ʒ *j. helenii cum ſ. q. ſtyrac. liquid.*

F. l. a. Sapo.

Balſamus Saponis Coſmeticus.

℞. *Sapon. Veneti in ſucco limonum diſſoluti* ℔ *j. mellis virgin. albæ* ʒ *iij. coſmet. Cluvii* ʒ *ij. pulv. rad. ireos florent.* ℥ ß. ⊖ *tartari* ʒ *ij.*

F. l. a. Balſamus.

S. *Handbalſam.*

Balſamus Coſmeticus.

℞. ∞ *tartari per del. amyg. dulc. ana p. ij. jaſmin. part. j.* M.

Agitando pro linimento. Omnes impuritates & maculas tollit.

Globuli pro barbâ uſitati pretioſi.

℞. *Myrrh. Benz. ſtyrac. calamit. gummi anim. ana* ℥ *iij ceræ citrin.* ℥ ß. *moſchi, ambr. zibethi ana gr. vj.*

F. l. a. Globuli.

S. *Koſtliche Kugeln zum Barth.*

Globuli ad barbam communes.

℞. *Gran. thur. maſtich. aſſ. dulc. gum. anim. ana* ʒ *iij. ceræ citrinæ* ʒ *vj.* ∞ *ſtillat. ligni Rhod.* ℈ *j.*

F. l. a. Globuli.

S. *Barthkugeln.*

Pro Ditioribus fieri poſſunt globuli ex fumo Hiſpanico.

Suffitus ex Hadriano à MYNSICHT.

Suffimentum Angelicum.

℞. *Gum. ſtyracis calamit. benzoini ana p. æ.*

Solvantur in aq. Roſarum op. & fortiter ſine mora exprimantur; Poſtea exſiccentur, pulveriſentur & ad uſum ſerventur.

℞. *Hujus pulveris ita præp.* ℥ *i. lig. aloes, ponderoſ.* ʒ *ij. roſar. rub. exſic. ambræ griſeæ ana* ʒ *j. zibettæ non falſat. moſchi ana* ʒ ß. *balſ. Peruviani odoriſ. ol. lig. rhodini ana* ℈ *j. eboris ad nigredinem calc. q. ſ.*

Miſc. ritè cum aq. fragrantiſſ. Roſarum, & ex paſtâ ſubactâ formentur paſtilli nigri, qui involvantur foliis Roſarum, ſiccenturque in umbra, & vaſe vitreo reponantur.

Vires & Uſus.

Cæſares, Reges, Principes, aliique Magnates & divites hiſce ad ſuffumigandum magnificè utuntur, unus enim vel duo ſuper prunas ignitas poſiti, vel tempore hyemis fornaci calido admoti, aut etiam in aq. Roſarum infuſi & cocti, ſuaviſſimum, deſideratiſſimum & quaſi Angelicum & cœleſtem odorem halant, & non ſolum cerebrum & vitales ſpiritus jucundiſſimè recreant; verum etiam maligni aeris contagia irrita reddunt.

Suffimentum Imperiale.

℞. *Styrac. calamit. depurat. benzoini ana* ℥ ß. *lig. aloes elect.* ʒ *ij. zibettæ non falſat.* ʒ *j. Galliæ moſchat. veræ* ℈ *j. ol. charyophyllorum, roſar. veri an.* ℈ *ß.*

Mixta l. a. cum aq. Roſacea paſtillicentur, & ad uſum conſerventur.

Vires & Uſus.

Carbonibus ignitis injecti, gratiſſimum odorem excitant, qui non duntaxat venenoſum, fœtidum, putridum & corroſivum aerem corrigit; verum etiam jucundè & ſuaviter internos Spiritus, animos hominum inſigniter refocillat. Fumus etiam per infundibulum in orificium uteri immiſſus, mulieres ſuffocatas mirè revocat & omnes matricis motus inordinatos ſiſtit. Cavendum tamen hic tegumentis neceſſariis, ne odor ille ſuavis ad nares ægræ pertingat.

Suffimentum Epilepticum.

℞. *Succini alb.* ʒ *xj. myrrhæ rub. maſtichis elect. gum. animæ, galbani, elemi ana* ʒ *ij. viſci quercin. ſem. pæoniæ, exc. bac. juniperi, raſ. corn. alcis ana* ℈ *j. abſinthii, majoranæ, flor. lavendulæ, lilior. conval. roſ. rub. ana* ʒ ß.

Miſc. & cum infuſione tragacanth. facta in aq. Epileptica noſt. f. l. a. Trochiſci pro ſuffitu.

Vires & Uſus.

Fumus hic ſupra carbones naribus Epileptici admotus, paroxyſmum ipſi ſedat, & valde prodeſt iis, qui periculoſos capitis morbos, qualis eſt apoplexia & paralyſis, timent, contra ſtrangulationes etiam & uteri procidentiam recipitur.

Suffimentum de Sandaraca.

℞. *Sandaracæ opt.* ℥ *iv. ſuccini albi.* ℥ *ij. maſtichis elect. Sem. nigel. rom. coriand. præp. an.* ℥ *j. roſar. rub. exſicc. gum. animæ, olibani, ſtyrac. calamit. benzoini ana* ʒ *j. flor. papav. errat. lig. aloes an.* ℥ *j.*

Miſc. & fiat pulvis groſſus pro ſuffitu.

Vires & Uſus.

Carbonibus vivis inſpergitur & fumus ad nares, caput, totumque corpus decenter ſuſcipiatur & attrahatur: Qua in ſiſtendis, & exſiccandis, catharrhis omnibus

bus, tam frigidis quam calidis, ſaluberrimus eſt.

Suffimentum de Succino albo.

℞. Succini albi ℥ iv. ſandaracæ ℥ ij. maſtichis elect. Olibani ana ℥ j. gum. animæ rub. myrrhæ rub. roſar. rub. ana ℥ ß. tacamahacæ, ſtyrac. calamit. ladani puri an. ʒ ij. Origani Cret. thymi exſiccat. ſerpilli an. ʒ j.

Miſc. & f. pulvis groſſus pro ſuffitu.

Vires & Uſus.

Eſt pulvis valdè illuſtris, quo ſupra carbones impoſito, ſuffumigentur tam caput, quam opcrimenta ejus. Eſt enim in omnibus catarrhis & defluxionibus tum prohibendis & ſiſtendis, tum caput ab iiſdem præſervandis præſtantiſſimus & famoſiſſimus.

Suffimentum de Tacamahaca.

℞. Verrucar. equarum tibiis adnaſcentium. ℥ j. gum. tacamahacæ, galbani ana ℥ ß cornuum ung. capræ, ſuccini citrin. ana ʒ ij blattæ bizantiæ, caſtorei veri ana ʒ j.

Miſc. & cum Terebinth. alb. formentur trochiſci pro ſuffitu.

Vires & Uſus.

Fumus hic per tritorium ad retortam detruncatam, utero ſupra ſedem clauſam, inſtante paroxyſmo immiſſus vel etiam naribus admotus, quaſi momento mulieres ſuffocatas reducit, & ſufficit ad tollendas omnes matricis ſtrangulationes. Sed mirum eſt, Uterum hunc ſuſtinere fœtorem, cum alias ejus ſit impatientiſſimus.

Suffimentum de Sabina.

℞. Herb. Sabinæ recent exſic. ℥ ß. ſtyrac. calamit. myrrhæ rub. opopanacis, ſagapeni ana ʒ ij. cinamomi acut. pulegii utriuſque ſic. bac. lauri, ſem. cymini ana ʒ j, trochiſc. alhandal. ireos florent. aſari ana ʒ ß. galliæ moſchatæ veræ, aliptæ moſchat. ana ℈ j.

Miſc. & cum terebinth. alb. f. Trochiſci magni pro ſuffitu.

Vires & Uſus.

Ponatur unus ex his ſuper prunas vivas & recipiatur fumus per infundibulum, [niſi ſint puellæ non devirginatæ, quibus etiam nec ſuppoſitoria ſeu peſſaria poſſunt immitti.] Eſt enim ad ciendа muliebria probatiſſimus. Si mulier eſt paupercula, omittantur Ambra & Moſchus.

Suffimentum de Hypociſtide.

℞. Hypocyſtid. ℥ j. ſuccini alb. cort. thuris ana ℥ ß. uſneæ quercin. exſic. galbani opt. colophoniæ, aſphalti an ʒ ij. cupul. glandium, Biſtortæ, balauſtior. ana ʒ j. roſar. rub. caryophyllorum, caſtorei ana ʒ ß.

Miſc. & excipiantur terebinthina alb. & fiant Trochiſci magni pro fumo.

Vires & Uſus.

Experimentum eſt contra Uteri procidentiam, videlicet, quando matrix de loco ſuo naturali ad inferiora deſcendit, tunc mulier per infundibulum magnum manè & veſperi fumum hunc recipiat, & propter gravem odorem brevi liberatur.

Suffimentum de Cornu caprino.

℞. Raſ. de cornu caprino. ℥ ij. ſuccini citrini, myrrhæ, rub. lig. juniperi, flor. ſulphuris ana ʒ vj. rad. enulæ, camp. Angelicæ, hort. caryophyllatæ ana ℥ ß. olibani, benzoin. laudani, ſtyrac. calc. ana ʒ iij. roſar. rubr. abſynthii, rutæ, hort. ſcordii, fol. lauri, caryophyllor. camphoræ ana ʒ j.

Miſc. & cum therebinth. cypria formentur Trochiſci pro fumo.

Vires & Uſus.

Facere ex his ſuffumigia tempore peſtis in cameris aliiſque partibus domus valde utile eſt: Quia hic fumus corruptum & peſtiferum aerem mirum in modum rectificat, & manſiones totas ab omnibus infectionibus mundificat, liberat atque præſervat. Non autem aer ille artificialis tota die neceſſario teneatur occluſus; ſed tam in æſtate quàm hyeme [vento tamen Septentrionali, & aere claro & non turbido ſtante] feneſtræ interdum aperiantur & permittantur intrare radii ſolares, maximè manè per horam duas poſt Solis ortum: Quoniam hi venti ob ſingularem frigiditatem & ſiccitatem judicantur meliores reſiſtere putrefactionibus: Meridionales verò & Occidentales deteriores.

Suffimentum de Vitriolo.

℞. Vitrioli virid. ℥ viij. nitri purgati, myrrhæ rub. ana ℥ iv. flor. ſulphuris ſimpl. ſuccini citrini ana ℥ ij. bac. lauri rec. juniperi ana ℥ i ß. raſ. cornu cervi, olibani ana ℥ j. fol. ſcordii, rutæ, roſar. rubr. ana ℥ ß.

Miſc. & f. pulvis pro fumo.

Vires & Uſus.

Infundantur pulveriſata in Aceti vini ſ. q. & de hoc infunde guttatim in lateres ignitos, ad faciendum fumum, qui venenatam aurem in locis & domibus infectis conſumit, veſteſque, quibus adhæret, à veneno liberas facit.

Suffimentum de Verbaſco.

℞. Rad. herb. verbaſci ana ℥ j.

Pulveriſentur, miſceantur & cum Terebinthina fiant l. a. Trochiſci.

Vires & Uſus.

De his duo, tres, vel plures prunis candentibus impoſiti, ita ut fumus ſurſum ad inteſtinum rectum tendat, in teneſmo, & aliis alvi profluviis ſingulare ſunt experimentum; ſede tamen undique circumtecta, ne aliunde fiat exhalatio: Et hoc ter vel quater, imò ſæpius in die repetendum, & brevi incolumis evadet.

SULPHUR *in Genere.*

Principem locum inter principia chimica tenet Sulphur, calidi quippe foris, in quo vita conſiſtit, unde animam quaſi materialem præbet omnium mixtorum & viventium, ut ſulphur vitale ſit, quod motu gaudet, quod lucem internam exerit motu proprio & intrinſeco animæ. Sunt verò & Sulphura in cenſu medicamentorum pharmaceuticorum, de quibus not.

1. *Sulphura ſunt pulveres inflammabiles, vel quaſi tales, & colorati.* Sulphura audiunt ob analogiam generalem, quâ conveniunt cum ſulphure nativo minerali, quod ſulphuri nomen largitur, ſeu ut principio chimico conſtitutivo conſiderato, ſeu ut medicamento, unde quod *Paracelſus* de ſulphure prædicat, quicquid ardet, ſulphur eſt, illud etiam his ſulphuribus pharmaceuticis inprimis convenit. Ita verò audiunt ſulphura ſolida, ſeu pulveris formâ, ut ſic contradiſtinguantur ſulphuri liquido, ſeu ſpirituoſo, ut in ſpiritibus vinoſis, ſeu oleoſo, quod in oleis & pinguedinibus viſitur, ſeu viſcido, ut in pice, bitumine, & ſulphure communi ipſo. Pulveres ſunt, ut vel ſic diſlociatum innuatur ſulphur, & cum terreis particulis affine. Strictius nempe ſic ſulphura accipiuntur, cum alias latiſſimè pateant, reſtricta ſolùm ad pulveres. Differentiam verò ſpecificam largitur pulveribus his, ceu generi, (1.) inflammabilitas, ſive illa ſit pura, libera, & ex toto ſaltim ad ſenſum. & à potiori, ſeu ex parte. Sunt enim ſulphura immerſa quoque aliis, quæ corporaturam ſuſtinent

ſtinens. Satis eſt, ſulphura hæc eſſe inflammabilia vel quaſi. Hinc patet, quædam etiam dici paulo ἀκύρως & latius, ut ſulphur opii fixum, quando calcinatur idem impaſtatum cum ſpiritu vitrioli in crucibulo, vaſe clauſo, ne ſulphur deflagrare tàm libere & omne poſſit. (2.) color flaveſcens, auratus, citrinus, ruber, eminentis ſulphuris indicium. Id verò cum in crocis quoque viſatur, martis & ♁ii, neque tamen inflammabilitate gaudeant, diſtinctam à ſulphuribus claſſem conſtituunt. In quibusdam inflammabilitas ſaltim eſt in receſſu. Taceimus odorem & lucem. Sulphur igitur tum purum & per ſe inflammabile, tum aliis particulis immerſum, acidis, terreis, fixis, in omnibus regnis dari & elici poſſe inflammabilitas, odor, lux, calor & color demonſtrant.

S. *Sulphura ſunt alia ſpontanea, alia ſeparata & in apricum deducta ex aliis.* Spontanea κατ' ἐξοχὴν ſunt mineralia, exemplo ſulphuris communis ſtatim ſui, cryſtallini, ſtillaticii, vivi, adæquatè verò in aliis quoque regnis. Hinc de metallis univerſale aſſertum, omnia conſtare ex ſulphure & mercurio. In vegetabilibus eminent ſulphura in reſinis, ut eminenter in camphorâ, ardet quoque opium, ſeorſim verò in antheris arborum, fruticum & florum. Cum enim ſulphur vitale prolificum in flores & ſemina concedit, hujus prodromum & exemplar præbent antheræ, pulvillus tenuiſſimus impalpabilis, qui etiam circa loca ſylvoſa aquas pluvias incruſtat & ad oculum apparet, unde varias ſæpe pluvias ſibi finxere monſtroſas, antheræ per aëra latæ debitas. In animalibus ſpontaneum ſulphur tale præbet ſanguis, qui ſi exiccatus fuerit, ut & bilis, ardet. Separata verò dum dicimus, hoc ipſum ſupponit fuiſſe prius implicitum. Separantur ergò ſulphura ex quovis regno, licet ex aliis difficilius, omnium difficillimè verò ex metallis, tanquam fixioribus, neque ideò tamen neganda, quod nonnullis viſum eſt. Varius enim ſulphuris eſt nexus, ſeparandi nonnunquam à terrâ, ab aquâ, à ſalibus, acido, volatilibus, quibus implicatur; & ipſo nexu ſuo & diverſitate variè ferruminat alia & cum aliis ſeipſum, ita ut in quibuſdam ſit minus panſum & inſeparabile ferè magis. Eſt enim omnium vinculum, inque ejus recluſione, quod diximus, tota ſolvendi conſiſtit ratio in univerſum.

3. *Sulphura ſeparantur vel igne, vel menſtruis, formâ ſiccâ vel humidâ.* Ignis principium eſt deſtructivum ſulphuris, ergo contra perpetuo & potenter agit, ejus vincula laxat & excutit, modò aditus pateat, ut ſi non immediatè ſulphur ſic emineat & conjungat, ſeu ſeparetur actu, tamen mediatè & potentiâ. Exemplum talis ſeparationis concipi poteſt in cinnabari. Firmior hæc apparet, quàm ut deflagrare & conſequenter deflagrando ſeparari poſſit ſulphur exinde. Verùm ad oculum ardere hoc inter alia experimento patet; ſi enim cinnabaris nativa ſublimetur, ex cucurbitulâ minori, igne fortius adminiſtrato & orificio aperto, manifeſta eructatur flamma. Sic etiam in ſublimatione antimonii flores terreo-ſulphurei elevantur. Sic ex glaſto ſulphur paratur auratum, ſi caput mortuum à deſtillatione levius calcinetur, imò ex ipſis carbonibus lignorum, bituminoſis, & aliis idem ſuis artificiis ſeparare licet, igne prævio. Sic etiam mediatè ignis aptat ſulphura, ut extrahi poſſint cum alias, tum in metallis quoque. In his quamdiu ſulphur non excuſſum ob id ipſum ſunt fuſibilia, ductilia & malleabilia; ab igne verò, excepto auro cumprimis, viſcedo illa deſtruitur, ut calx emergat, ex calce verò hinc partes ſulphureæ ramoſæ, ſaltim cum aliis particulis, educi poſſunt, exemplo præcipuè ſaturni quando è minio, vel ceruſsâ, calce ejus, per acetum deſtillatum extrahi videmus manifeſtò ramoſas particulas, unde & in ſacchato ſaturni ſulphur hoc occultatum eſt, ſapore dulci, ſulphuri proprio, & colore rubello ſe exerens ut ſpiritum ardentem denuò non laudemus. Idem verò ſeparatur quoque à menſtruis, ſeu interveniente aut comitante igne, ſeu ſeorſim, non uno modo. Exemplum etiam ſeparati ſulphuris per ignem & putrefactionem præbent phoſphori ex urinâ, & alii.

4. *Sulphura ſeparantur menſtruis ſulphureis & ſalinis, principaliter alcalibus.* Sulphurea quidem rarius hocce fine impenduntur, ſed frequentius pro ſulphure liquido obtinendo, in eſſentiis, tincturis, vel balſamis parandis, uti balſamum ſulphuris ſic paratur, & tinctura quoque. Unde ferè ſtant poſt principia, & juvantur quoque ſalinis, neque enim ſine his ingreſſum obtinet æquè facilem Vi, exemplo eſſentiæ ♁ii tartariſatæ, & ſulphur hoc pacto ſubtiliſatur magis, quàm ut in formâ ſolidâ hinc præcipitari, ſaltim in decente quantitate, poſſit. Exemplum tamen hujus præſtat ſulphur tartari fixum *Zobelii*, quod parat ex tinctura tartari, è ſale tartari, prius fortiſſimo igne per σ℘ calcinato, paratâ, & hinc ad ſiccitatem abſtractâ, quamvis hoc ipſum ſulphur non ſit purum, ſed cum particulis ſalinis remixtum. Frequentius verò ſalia huic rei inſerviunt, & principaliter quidem alcalia. Exemplo ſit ſulphur auratum antimonii, hoc ſiquidèm minerale ſulphure eſt refertiſſimum, & conſtat, tanquam baſibus, elementis geminis, partibus metallicis regulinis, quas & mercuriales appellitare licebit, & maximè ſulphureis; quibus illigatæ acidæ, ad inſtar ſulphuris vulgaris, & aqueæ ac terreæ reliquæ ſubſtant. Quorum mentione occurrit, naturam velut digito opus ſuum in metallorum generatione monſtrare, & ratio alia, quare antimonium vocetur primum ens metallorum, quia nempe laxius ſulphur & mercurium cohærentia monſtrat & exhibet in antimonio, quæ in reliquis magis magiſque ſunt coagulata invicem, & ſic minus reſpective ſeparabilia. Sulphur igitur auratum antimonii impurum quidem hinc magis exiſtit, quod cum terreis & acidis coaluit penitius, unde non ex toto eſt inflammabile, licet & illud variet, aliudque præ altero ſit nobilius. Elicitur nempe hoc ipſum duobus modis, quorum primus & frequentior fit per alcalia, quæ ſulphur primario, & hoc cum partes terreas ſolvunt. Sic fit conjunctim cum regulo antimonii, ex ♁io, tartaro & ⦶ ana ſumptis, & ſucceſſive igne fuſionis in crucibulo detonatis, ubi pars quidem deflagrat; pars tamen non minima capitur ſub ſcoriis. Duo enim inde emergunt, regulus, ſeu pars metallica, & ſcoriæ, quæ in ſe ſulphur cum partibus alcalinis & terreis condunt, unde factâ elixiviatione tranſit per filtrum cum amico ſale implicitum, terreæ partes, ſub nomine croci metallorum debilioris, remanent in filtro; illud verò præcipitatur per acetum ſimpl. vel deſtillatum. Sic idem fit ſeorſim, ſi cum calce vivâ & ſale tartari, vel hoc ſolo aliove calcinetur, aut potius compendioſius & viâ brevi, quæ eodem recidit, ſi coquatur antimonium pulver. cum ſ. q. lixivii ſaponariorum, & procedatur eodem modo, filtrando hinc & præcipitando. Lixivium enim hoc conſtat ex alcalibus cinerum & calcis vivæ. Ita ſulphur auratum fit in majori copiâ, eo quod nullum ſic deprædetur ignis, ut in priori caſu, ſed integrum maneat, & poſſit ſemel iterumque caput mortuum coqui eodem modo, repetendo proceſſum.

5. *Sulphura, v. gr. ♁ii, ſeparantur, adæquatè etiam per menſtrua acida, viâ humidâ & ſiccâ.* Mirari quis poſſet, quomodo unum idemque ſolvi poſſit per contraria menſtrua. Verùm quare id fiat facilè patebit, ſi rem conſideremus penitius, non minus ac quibuſdam aliis idem accedit, ut tartaro. Alcalia menſtrua ſolvunt & extrahunt ſulphur per σύγκρισιν, per ſymboliſmum, collectivè, ob affinitatem pororum, quibus ſe invicem ſubeunt & ingrediuntur, unde & ſulphur pro lacte ſulphuris parando, ſi cum lixivio coquatur, elegantem

expromit colorem ſuum. Acida ſeparant idem & exhibent per διάκρισιν, per ſeparationem à terrâ. Acida enim cum in ſulphur ipſum nullum habeant jus, quâ tale inveniunt & nanciſcuntur idem mediante terrâ quâ cum ſulphur intimius unitum eſt. Solvunt igitur & aggrediuntur primario terram ac partes regulinas mediante hâc ſulphur, quod ſic ex hoſpitio ſuo deſtructo extruditur. Duplici modo hoc ipſum paratur, ſine igne, viâ humidâ, & cum igne, viâ ſiccâ. Illud fit, ſi antimonium ſolvatur affuſione ſucceſſivâ aquæ fortis, ſale comm. roboratæ, ▽F. & factâ ſolutione quaſi præcipitetur affuſâ aquâ ſimplici ſulphur φλογιϛόν. Hoc, ſi antimonio pulveriſato affundatur oleum vitrioli, vel ſolum, vel cum ſpiritu ſalis ana, & tumultu compoſito deſtilletur per retortam, unde ſulphur citrinum communis æmulum in collo retortæ ſublimatur, de quo vid. *Boyl. chim. ſcept. p. m.* 25. *ſeq.* qui & ſpiritu nitri fecit, *Williſ. lib. de ferm. p. m.* 74. & 95. ipſeque cumprimis *Helmontius I. H. V. L.* Sunt qui hoc ipſum ſulphur embryonatum Helmontii vocant & apprimè commendant. Uti verò dictis modis ſulphur auratum antimonii haberi poteſt; ita etiam modus alius notandus eſt per ſublimationem cum ſale ammoniaco, quod ipſum ſi cum antimonio pulveriſato ana ſublimetur ex cucurbitâ, igne arenæ gradibus debitis, evehitur idem ſulphur auratum in alembicum ab hâc aquilâ, à ſalſedine per affuſionem aquæ liberandum facilè, quamvis vulgò vocent eos flores antimonii compoſitos. Sic etiam hinc ex terrâ vitrioli dulci cum ſale ammoniaco ſublimari poteſt ſulphur vitrioli egregium.

6. *Sulphur coagulat mercurium, nominatim in cinnabari, ab eo verò liberatur per alcalia, purius ſic & fixius.* Diviſimus ſulphur in purum & impurum, item in fixum & volatile, quod ex affectionibus propriis laudatis elucet, & effectu. Valet id in genere de ſulphure quovis, unde digeſti, indigeſti, maturi, immaturi, narcotici acquirit nomina. Eâ verò occaſione duo inſinuamus: (1.) Sulphur coagulare mercurium, quæ regula in doctrinâ de metallis, & ipſâ alchimiâ, magni eſt momenti, unde & qui cinnabarin invenere primitus, inquiſivere ſic eandem coagulationem in aurum. Eſt verò non una hæc coagulatio, ſed variat reſpectu ſulphuris ipſius, & reſpectu mercurii, quæ prout in puritate & additamentis, volatilitate, fixitate variant; ita etiam effecta in metallis non una viſuntur. Sufficiat hinc nobis, aliam eſſe laxiorem coagulationem, aliam ſtrictiorem & reverâ metallicam. Hinc etiam diviſio ſulphuris, verbi gratia, metallici, alia eſt notabilis in externum & internum. Illud eſt ſeparabile, hoc minus, illud φλογιϛὸν magis, hoc viſcedo metallica, de quo vid. *Helmont. lib. de lithiaſ. cap.* 8. *t.* 6. Hinc qui mercurium tranſmutare in aurum volunt, id ſine ſulphure ſi peragere tentent, fruſtra ſunt. Duo hæc indubiè ſunt artis fundamenta, & inconcuſſa quidem, cum mercurius prima metallorum materia, abſque ſulphure nunquam in metallum coagulari poſſit; licet & ipſe ſuum internum habeat ſulphur. Sed hæc obiter. Alio itaque modo elementum hoc ignis ſeu ſulphur haberi poteſt, non quidem diverſum quoad modum præparandi, diverſum tamen quoad ſeipſum. Cum enim in coagulatione illâ laxiori nobis dictâ acidum & viſcidum ſulphuris implicatum ſit ita cum mercurio, qui viſcidum metallicum in ſe habet & acidum ſubtilius, vincula illa diruit alcali, ſi v. g. cinnabaris nativa, artificialis ſimplex vel antimonii cum anatica proportione ſalis tartari miſceatur, & ex retortâ terreâ igne immediato propellatur, per gradus adminiſtrato, inditâ in recipiens aquâ frigidâ. Sic enim mercurius liberatur à viſcedine & acido ſulphuris, quo cum coaluerat, & propellitur in recipiens. Ex capite mortuo verò coctione cum aquâ ſeparatur ſulphur, cum ⋇ præcipitandum, quod ipſum eſt purius & fixius, genuina pulmonum medicina. Ad eundem modum *Quercetanus in tetr. p.* 449. ad ſeparandum mercurium ex cinnabari, quæ ejus minera eſt, utitur calce vivâ. Quomodo verò ſulphur metallorum extraverti poſſit, ut v g. ex venere, corpore reliquo albo relicto, de quo latè paſſim agit *Helmontius*, adhuc inter arcana reſervatur adeptorum.

7. *Sulphura ſibi relicta anodyna, confortativa, & renovativa; mixta & impura minus & remiſſius id obtinent.* Vires poſſunt in generales & ſpeciales dividi. Generales inprimis ſunt, quod acrimoniæ ſalinæ ſunt antidotum. Sulphur acido eſt contrarium, ut acidum ſulphuri, implicat viſcedine ſuâ & obtundit haſtata & ſpiculata ſalia, abſorbet & invertit acidum. Adeoque eſt anodynum ſulphur partim poſitive, quatenus illigat ſpiritus & poros obſtruit, ſi mage roſcidum fuerit, & reſolubile; partim privativè, quatenus cauſam dolorum ſalinam corrigit, unde 🜍 ☿ii purum & cinnabaris ipſa ſtrenuè hoc exequitur. Sulphura tamen hæc mineralia, utpote minus vaporoſa, potius anodyni titulum, quàm narcotici merentur, unde mitigant humorum acrimoniam acetoſam. Sunt confortativa, quatenus cum ſulphure vitali puritate ſuâ conveniunt, unde luce ſuâ illud reficiunt, ſerenant & fovent, ac naturæ amica ſunt, unde ſunt cephalica & cordialia. Et ſeorſim cinnabaris in omnibus doloribus & debilitatibus viſcerum vitalium ſtrenue ſe gerit. In quibuſvis doloribus & membranoſarum partium irritatione ac roſione faciunt officium. Sunt renovativa & immutativa, in ſcabie, elephantiaſi, lue venereâ proficua. Cumque id ſpeciatim in phthiſi & affectibus pulmonum viſatur neceſſarium, 🜍 ☉tum ☿ii nobilius ſtrenue id exequitur, unde tinctura ☿ii ſicca *Gramanni* inclaruit. Exemplo etiam ſit epilepſia & motus ſpaſmodici; in quibus ſulphura hæc optimè ſe gerunt, imò ipſum ſulphur auratum, præcipuè ☉re, ad gr. j. cum aliis datum epilepticum eſt generoſum, quod non ſemel deprehendimus proficuum. Imò panaceæ etiam, communiter dictæ non aliunde quàm ex ſulphurum hâc claſſe petendæ ſunt. Sic etiam in febribus intermittentibus ſulphur embryonatum ☿ii proficuum eſt. Mixta verò & impura id præſtant remiſſius, ob gradum minorem, reſpectu ſulphuris vitalis, ob admixtas particulas alias, unde ſulphur auratum majori doſi adhuc movere ſolet vomitum, acceſſione auri aliorumq; metallorum etiam roborandum. Idem quoque valet ſuô ſenſu de ſulphure vitrioli, cui cum adhæreat, indivulſo quaſi nexu, ochra vitriolica venerea, vis emetica ſæpe magis competit. Præcipitatur ex ſolutione ejus, vel quoque ♀-⁓ti, cum marte vel alcali alio. Sublimatum verò cum ⊖e ⋇co confortativum & aperiens eſt inſigne. Tacemus vires ſpeciales alias.

Sulphura igitur ſunt pulveres inflammabiles, vel quaſi, & colorati, vel ſpontanei, vel igne & menſtruis ſeparati, viribus anodynis, confortantibus, immutativis conſpicui. *Wedelius.*

SULPHUR MINERALE *in Specie.*

Sulphur eſt Reſina ſive pinguedo terræ, chalcantoſa aciditate gravida.

Dicitur, Arabicè Cibut vel Chybur, Cribtit, Rabryc. Albuſao: Chymicis, Akiboth, Ahyſal. An. Anerit. Anerick. Alnerick. Kibrith. Kaprili, Lamare, Tifaſum, Tin. Ufifur. Græcè Θεῖον Germ. *Schvvefel* Soufre, *Brimſtone, Sulphur, Schuvevel, Solfer.*

Suplhur tum nativum, tum factitium Officinis in uſu eſt.

Nativum ex terra effoditur purum ſolidum, interdum ſciſſile, venitque nomine Sulphuris vivi, ſeu ἄπυρον, id eſt, △m non experti. Huc ſpectant ſtiriæ nativæ ærifodin.

[Sulphur ☉lare Americanum ex Peruviana provincia pellucidum mittitur.]

Facti-

Factitium vel ex vivo Sulphure impuriori, ; pyriti-ve vi △ educitur, vel ex aquis Sulphureis excoquitur.

Sulphur caballinum, quod in Officinis dicitur, fæces ſunt è coctione ſulphuris vivi impurioris relictæ & in ſaccos admixtis nonnunquam ſquamis ♂ transfuſæ.

N. 1. *Adhæreſcunt quoque interdum q. ſtiriæ Sulphureæ camino, ubi vitriolum ex ſua vena coquitur, quæ nihil aliud ſunt, quam Sulphuris flores ex Vitriolo dum excoquitur, elevati. Horum copiam exhibet Suecia ſat magnam.*

N. 2. *Exhibet Chymia & Artificialia Sulphuris genera ex ♀, ♁, &c. Hæc quidem longè reliquis præſtant, verum quia rara & chara ſunt rariſſime Chymicis præparationibus vulgaribus ſubjici ſolent.*

Delectus.

Eligatur Sulphur puriſſimum colore vireſcens, facile inflammabile, luculenter ardens, fumumque magis cœruleum halans.

Vires. *Calidum & ſiccum eſt pectori dicatum; aperit, incidit; putredini, veneno, venenatorumque animalium morſibus reſiſtit, provocat ſudorem, &c. Hinc conducit in [catarrhis] Phthiſi, Tuſſi, Aſthmate, Peſte, peſtilentialibuſque febribus (colica, menſium obſtructione.) Extrinſecus diſcutit tumores duros, ſanat lichenes duros, pruritum, &c. Fumus epilept. excitat. hiſt.* Schroderus.

De Sulphure.) *Sulphur* eſt reſina, ſive pinguedo terræ, ſive eſt ſuccus mineralis unctuoſus pinguis conſtans copiâ puris Sulphuris ingenti modica ſalis acidi quantitate, & tantillo ſpiritus, aquæ & terræ. Cùm enim ab oleo deſtillato Terebinth. vel juniperi &c. Sulphur commune diſſolvitur, pars Sulphurea tincturâ valdè ſaturata menſtruum impregnat, ſalina concreſcit in cryſtallos, aut quando ſub campana accenditur, Sulphur penitus deflagrat, interim ſal reſolutus acidus circa vaſis latera defigitur.

Græcis θεῖον dicitur, eò quod in expiationibus & ſacris ritibus vetuſtatis olim ejus uſus exſtitit.

Sulphur tum Nativum, tum Factitium Officinis in uſu eſt. Nativum ex terrâ effoditur &c.) Ex fodinis *Brunſwicenſibus* & ex *Goslaria* ac *Lubecenſibus* effoditur. Proſtat etiam *Sulphur nativum ex India* allatum, quod inſtar ſuccini elegantiſſimum repræſentat colorem citrinum, qualem etiam in *Anglia* reperitur. Hoc *Nativum triplex* eſt, *impurum*, quod ex *Islandiâ* adfertur, & demum depuratur. *Purum* ex *Goslariæ*, ut dictum eſt, fodinis. & *fixum* ex monte Veſuvio, hoc in ignem injectum non flagrat, nec flammam concipit. Huic affine eſt *Sulphur Puteolanum &c.* Sulphur fixum arte etiam fieri poteſt ſeq. m.

Rec. crucibulum calc. viv. plenum, fac foveam, inde ✱ pulveriſatum, rege iterum, cum calce viva & deluta crucibulum, cementa per 4. hor. poſt excandeſcat per bihorium, exime & cum aq. fort. mixtum fiat aq. reg. In hac ſolve Sulphur, abſtrahe aq. reg. in fundo remaneb.t maſſa dura, tere, lava, exſicca, & habebis Sulphur fixum.

Factitium vel ex vivo Sulphure impuriori, aut pyrite vi △ educitur, vel ex aquis Sulphureis excoquitur.) Variis confici ſolet modis. Quibuſdam in locis ex aquis decoquitur, ut ad Budam Pannoniæ. Alibi ex effoſſa gleba & in vaſis cocta perficitur igne, ut in multis Italiæ tractibus, Senenſi, Puteolano, ac Volaterrano. Præparatur autem h. m. effoditur impurum, terræ & lapidi commiſtum, in urinis fictilibus coquitur, ignem in fundo tantùm ſentientibus. Sic ♎matur purior ſubſtantia. quæ cum adſcenderit ad ſuperioris vaſis regionem, per roſtrum deſcendit in aliud vas liquatum olei modo inde egreſſum, in loco frigido varia coit figura, Aut pyrites eo ſtillat, & in ollis coquitur, ut cernere licet in Saxoniæ Brambecco & Hadzkeredo, ditione Principum Anhaltinorum *vid. Muſæum Ol. Wormii cap. 11. & Athanaſ. Kircher. in ſuo mundo ſubterran. Lib. 9. Sect. 3. & lib. 2. Sect. 2. p. 252.*

N. Exhibet Chemia & Artificialia Sulphuris genera, ſic verbi gratia, ♁nii, ♂tis, ♀neris, Jovis, ſic cinnabar. ♁nii, nihil aliud eſt, quàm Sulphur ♁nii cum ☿rio ligatum.

Vires.) Putredini reſiſtit; Eſt enim in Sulphure teſte *Cl. Helmontio*, vis arcendi putredinem, quam in nonnullis ſubjectis ad oculum deprehendimus, *Excell. Tackius* ſcribit: Si enim ſtagma Sulphuris, quod per campanam paratur, quotidie detur ad duas aut tres guttas in jure carnis aut cereviſia illis, qui ex venæ ſectione putreſcere ſanguinem ſuum compertum habent, illi poſt exiguum temporis ſpatium deprehendent, ex uſu illius ſtagmatis omnem putredinem à ſanguine receſſiſſe, totumque liquorem vitalem primævæ puritati ac ſinceritati reſtitutum. Quæ cauſa etiam, quod omnia medicamina ex ſulphure præparata peſtis tempore proſint, unde & Elixir Proprietatis in hoc caſu cum ſpiritu ſulphuris præparandum eſt. Aperit etiam, incidit &c. Unde medicamenta ex ſulphure confecta, qualia flor. ſulphuris, menſes cient, quare gravidis præprimis illis, quæ ad abortiendum ſunt proclives, non frequenter propinari debent. In Menſibus retentis fl. ſulphuris cum fecula bryoniæ exhibentur. Imò & crudum ſulphur in Colica paſſione ruſticis eſt auxilio. Interne etiam crudum pulveriſatum in brodio calido propinatum, quantum cultelli cuſpide ſumi poteſt, tempore matutino in ſcabie ſicca ſenum teſte experientia valde utile eſt. Externe in balneis & Linimentis ad ſcabiem, pruritum, lichenes duros &c. tanquam principale Medicamentum præſcribitur.

N. Illud mirum eſt ab uſu ſulphuris excrementa alvina Moſchi odorem referre.

Præparationes.

1. Sublimatio. 2. Præcipitatio. 3. Deſtillatio. 4. Infuſio & Extractio. 5. Liquatio.

1. *SUBLIMATIO.*

Unde Flores Sulphuris.

Flores Sulphuris nihil aliud ſunt, quam Sulphur à terreſtribus excrementis per ſublimationem purificatum.

N. *Nonnunquam tamen & aliis impregnantur.*

Sublimatio Sulphuris in arena calore mediocri gradatim adhibito, ex cucurbita terrea, cui ⅩⅩ vitreus ſine luto imponitur, ut auferri ſcilicet ac poſt exemptos flores iterum reponi poſſit.

N. 1. *Orificium cucurbitæ interea temporis, quo flores eximuntur, probe tegatur, ne aëris irruptione Sulphur (quod facile accidit) intendatur. Cujus rei gratia non abs re foret, duos in promptu habere alembicos, quorum alter alterius vicem ſine mora ſubire poſſit.*

N. 2. *Alembicus ante impoſitionem ad △m caleſcat, quippe ſecus facile diſſiliet.*

N. 3. *Roſtro ⅩⅩi recipiens apponi poteſt, ad liquorem acidum qui primo egreditur excipiendus, liquore egreſſo roſtrum chartâ obturare licet.*

1. *Flores Sulphur. ſimplices.*

℞. Sulphur. groſsè (ſi libet) contuſi q. v. impone cucurbitæ terreæ, vel vice una, vel per vices, ac paulatim. Sublimaque in Arena, ut dictum, igne moderato. Primo exit aciditas, quam Excipulo excipe ac ſerva (de qua infra,) ſecundo, ſublimantur flores flavi, &c.

N. 1. *Alii admiſcent Sulphuris ℔j. farina laterum ℔ß. Alii à terra ſigillata ſublimationem inſtituunt, vel à bolo.*

N. 2. *Si Sulphur fortuito accenderetur, farina vel cinere injecto extingui flamma poterit.*

N. 3. *Cavendum ne 🜍 nimium incendatur, adeoque non excedat calorem, qui alembico manum imponere permittit.*

Flores Sulphur. ⊖-lati.

℞. Sulphur. flaviſſ. ℔ 1. Sal. Com. fuſi & ⊖-i calcinati an. ℔ ß. pulveriſentur. F. Sublimatio ut dictum, dando initio ignem lentum, poſt aliquot horas (3. vel 4.) phlegma incipiet ſtillare & durabit per horas 4. vel 5.

N. 1. △ *augendum eſt ſenſim magnis carbonibus, ut tandem Catinus, in quo arena continetur, rubeat.*

N. 2. *Calor ſi ſit nimis exceſſivus, non flavo, ſed nigro colore Sulphur aſcendit.*

N. 3. *Alii.*

℞. Sulphuris Vitrioli calcinati & Sal. Com. ana. quæ ponderum diverſitas neminem turbet, modo △m rite adhibeat. Additamenta enim quo pauciora fuerint, eo △ ſufficit mitior.

Quercetanus non niſi colchotar anatice addit, omiſſo Sale Nit.

N. 4. *Flores cum novo additamento ⊖-i & Sal. Com. ut ante ſublimari poſſunt, idque vel vice tertia, quippe quo ſæpius flores elevantur eò plus tenuitatis acquirunt purioreſque evadunt, non tamen ſine imminutione quantitatis.*

Vires. *Reſiſtunt putredini, cient ſudorem, exiccant, &c. Hinc proſunt in peſte, peſtilentialibuſque febribus, ſive curandi, ſive præſervandi gratia adhibere libeat. Exhibentur quoque utiliter catarrhoſis, pulmoniacis, tuſſientibus, & ſimil.*

Doſis robuſto ʒ j. juveni ʒ ß. in præſervatione autem non excedimus ℈ ß. Exhibemuſque commode cum Extracto Enulæ campanæ.

3. Flores Sulphur. gummati ſeu myrrhati.

℞. *Flor. Sulph. compoſit. ut ante ℔ ß. colcothar. ℥ vj. Sal. Com. fuſi ℥ v. mirrh. Alexandr. thur. an. ℥ iij. aloës ſuccotr. ℥ iv. maſtich. ℥ iij. croc. ℥ ß.*

Omnia trita ſimul atque bene mixta ſublima l. △. poſt horas aliquot, exime flores, rurſus alembicum impone, △m continuando per hor. aliquot (12.)

N. 1. *Alii ℞. mox initio Sulphur. pulv. ℔ 1. ⊖-i calc. ♉ ana ℥ v. Aloës, Thur. Myrrh. ana ℥ iij. Floreſque cum novis ſpeciebus 2. vel 3. vicibus ſublimant. Sennert. Inſt. Paracelſ. volum. 1. p. 1046.*

N. 2. *Felicius procedunt, qui floribus Sulphuris jam factis, ſpecies ſolummodo admiſcent. Vix enim quicquam citra combuſtionem ex gummatibus una cum Sulphure aſcendit.*

N. 3. *Imponenda eſt materia per vices, ſi enim nimium impoſueris, comburitur materia ſufficitque 3. vel 4. digitorum craſſitie, ſingulis vicibus impoſuiſſe.*

Vires. *Efficaciores ſunt quam ſimplices, tum exiccando, tum putredini reſiſtendo.*

4. Flores Sulphur. Saccharati.

℞. Fl. Sulphur. miſc. atque ſublima cum Saccharo candido.

Vires. *Maius auxilium conferunt ad aſthma, aliaſque affectiones pulmonum, quam vulgares. Quercet. in Pharmac. reſt.*

Flores Sulphur. albi.

℞. Sal. nit. purificat. q. v. liqueſcat in ✝, poſtea injice per vices Sulphur. pulveriſ. *ut in Lapidis prunellæ præparatione*) idque tamdiu, donec Sal. Nit. in ipſo igne coaguletur. Ignem poſtea auge, operculatoque ✝bulo etiam △ ſupra accende, idque continua horis duabus.

℞. Ergò hujus Sal. nit. fixi, p. 1. Sulph. Elect. p. ij. Miſce optime & ſublim. △ Arenæ.

Vires. *Lacti Sulphuris, viribus ac poteſtate æquivalent. Sennert. Inſt. Tentzel.*

F. Flores Sulphur. Corallati.

℞. Corall. ℔ j. Fl. Sulphur. ℥ iv. tere minutiſſime & miſce; ſublimaque ut dictum, ▽m profluentem ſeorſim primo collige, dein flores.

N. *Sulphur ſic ſecum trahere dicitur ſubtiliſſimam Coralliorum ſubſtantiam.*

Vires. *Habentur præſtantiores quàm vulgaris Sulphuris flores, & ſi ex his Balſamus fiat Sulphuris, optimus pulſamus perhibetur.*

7. Flores Sulphur Benzoinati.

Fiunt duobus modis: vel ſublevando XX omni horâ interea dum ſublimantur flores Sulphur. & in cucurb. ʒ j pulv. benzoini projiciendo vel collocando flores jam factos in patinam terream vitreatam, in cujus medio ſcutella terrea promineat, cui inditur ferrum incenſum igne, moxque injiciuntur particulæ benzoini, contegitur patella, ut fumus flores reverberet, ſicque iteratur ferri accenſio, & benzoini projectio, donec ſit ſatis, quo facto teruntur flores Sulph. cum floribus benzoini exaggeratis, ſervanturque tanquam odoris jucundi, majorumque vitium. *Schroderus.*

Præparationes. 1. Sublimatio. 2. Præcipitatio. 3. Deſtillatio. 4. Infuſio, & Extractio. 5. Liquatio. I. Sublimatio: Unde Flores Sulphuris.) Cum additione variè ſublimantur, vel cum terra ſigillata, vel cum Cap. mort. vitrioli, vel cum Aren. vel cum ſale. Omnium optimè tamen præparantur, vel quando ſulphur per ſe abſque ulla additione ſublimatus, vel ſi ſulphur purum habeatur, illud per ſe in uſum trahendum, omni poſthabita ſublimatione. Cujuſmodi ſulphuris mentionem facit *Franciſcus Calceolarius* in *Muſæo ſect. 2.* quod è Peruanæ Provinciæ fodinis aureis erutum in dictum Muſæum fuit tranſportatum, colore fulvo aurum æquans, ac vitri inſtar pellucidum. Ejuſdem meminit & *Nicolaus Monardus in hiſtor. Medicam ſimplic. cap. 56.* Quito Provincia, ſcribit, Peruana mittit Nobis Sulphur vivum præſtantiſſimum, ut vitrum tranſlucidum, colore auri puriſſimi, cujus fragmentum puſillum lucernæ admodum, odorem maximum ſulphuris ejaculatur, fumo viridi permiſtum, ſed antequam incendatur, nullum ſulphuris præbet odorem. Eruitur iſthic è venis proximis aurifodinis. Hæc hiſtoria de ſulphure confirmat *Hamelii* ſententiam *de Foſſilibus lib. 2. cap. 9. p. 246.* quam habet, qui ſulphur ☉lare ejuſdem naturæ cum vulgari ſtatuit, niſi quod illud longa alteratione in fixum purum & incorruptibile evaſerit. Meminit *inquit Excell. Dom. Morhofius in Epiſtol.* l. c. p. 67. Me in chemicorum ſcriptis, ni fallor, in Richardi Anglici correctorio legiſſe, quod in interiori vulgaris ſulphuris natura reconditum lateat incombuſtibile ſulphur illud, ac poſſe Auro, cui ſulphur ſuum extractum eſt, ex ejus quaſi viſceribus reſtitui. Hæc *Morhofius* vid. l. c. Ubi unà hiſtoriæ mentionem injicit de Auro ſulphuris vulgaris beneficio è cupro extracto, vel potius in cupro ad maturitatem redacto.

Flores ſulphuris vitriolati.) Hæc ſublimatio florum ſulphuris ſuſpecta eſt ob ſulphuris jacturam, quam patitur, dum Spiritus acidus ejus in vitriolum calc. operatur, & ita deſtruitur; ut inde non in altum elevari & ſublimari poſſit.

N. Flores ſulphuris ſalis fuſi commiſtione noxios & quaſi corroſivos reddi annotavit *Zacharias Brendel. Chem. in Art. form. redact. ſect. 2. cap. 4.* Verùm noxios & quaſi corroſivos reddi, durum eſt credere, cum ſalia iſta acida Sal. Com. ſcilicet & ſulphuris acidi ſibi non

non ſunt contraria, nec eorum ſpiritus ſeu ſalia in fluorem redacta. Quemadmodum enim mixtura ſpiritus ſalis & vitrioli nemini noxia corroſiva erit in convenienti vehiculo diluta; Ita nec hæc ſibi invicem contraria, nec ulli noxia erunt. Ego potius dixerim majorem vim aperitivam acquiſitura.

N. Flores ſulphuris febrim tertianam perfectè curant, ſi bis vel ter ante paroxyſmum offerantur in aq. Centaur. min. vel vino, cum ſudoris elicio.

3. *Flores ſulphuris gummati ſeu myrrhati.*) Felicius procedunt, inquit *Dnus Autor*, qui floribus ſulphuris jam factis, ſpecies ſolummodo admiſcent: vix enim quicquam citra combuſtionem ex gummatibus una cum ſulphure adſcendet Cui & *Cl. Zvvelferus* ſubſcribit, præparationem, inquiens in *animadverſ. ad P. A.* hanc eſſe vanam, cum ſpecies iſtæ vi ignis comburantur, crocus ſcilicet, aloës, Maſtix &c atque ſic nil niſi empyreumaticum de iſtis elevabitur. Ideoque convenientius eſſe, ſi fl. ſulphuris miſceantur vel cum granis vel cum Magiſterio Myrrhæ, aliiſque ſpeciebus, atque ſic pro uſu reſerventur, qui pulvis utut amarum ad modum habeat ſaporem, in Peſte tamen præſtantiſſimus eſt, præprimis præſervationis gratia, imo & majorem habebit efficaciam, quàm ipſæ pilulæ peſtilentiales ex aloe, croco & myrrha. Pulvis jam laudatus præſtantior adhuc evadet, ſi aliquid camphoræ addatur. Verùm hic fateri quidem cogimur, dictos fl. ſulphuris Myrrhatos à fœtido empyreumatis odore ſe vix tueri poſſe: Interim tamen hoc ſimpliciter de omnibus dici poſſe *Nobiliſſ. Rolfinckius* contradicit; *Unde in Diſſert. chemic. 2. De Sulphur. cap. 12.* ſcribit. Cenſuram hanc de empyreumate gummatum, quam faciunt, nimis videri rigidam. Crocum ſive combuſtione per ſe ſublimari non poſſe, neque etiam cum aliis, concedit, nec ex aloe, myrrha thure, aliquid ſine combuſtione per ſe elevari poteſt. Poteſt autem cum aliis, ut ſulphure, ſale vel Cap. mort. ita ut nihil amburatur. Gummatum nomine dum contradicentes utuntur licentioſa id faciunt poteſtate. Gummata nullam admittunt ſublimationem, ſed thus & maſtiche ſunt reſinæ. Myrrha eſt anomala gummi reſina, & potius lachryma. Aloe eſt ſuccus. Benzoi etiam eſt reſina, quæ vel ſola juſto ignis expoſita regimini ſublimatur in chartacea pyramide in flores Sulphuri cum colcothar miſto ſi idem benzoin pulveriſatum addatur, citra ambuſtionem ſimul elevatur, ignis regimini expoſitum & fiunt, flores ſulphuris benzoini. A juſto ignis regimine, & juſta ingredientium propoitione, omnis fauſtus ſucceſſus eſt expectandus. Interim placet Th. *Paracelſi* exemplum & fructuoſum judicatur floribus cum colcothar ſublimatis addere aloën, myrrham & crocum, *quod & Cl. Zvvelferus* ſequitur. Interim tamen ad empyreumatis præcautionem ſeq. modo *ſublimat. in chem. ad Art. form. redact. lib. 5. ſect 4. cap. 5.* Rec. ſulphuris magdaleon. viridiuſcul. ℔ iv. aloes epatic. myrrhæ, thuris ana ℥ ij. Sal. comm. ℔ ij. Pulveriſ. Hujus Pulveris ℥ iij. vel iv. inde in vas ſublimatorium, impone capitellum terreum, huic alterum & plura, demum vitreum in apice perforatum & obſervatis ignis gradibus flores per intervalla colligantur. In ſuperiori alembico flores pauciores, in inferiori plures repetiuntur. Sequente die ſublimatio reiteretur, donec ad umbilicum ſublimatio perducta. His floribus tandem & Crocus additur.

Vires. Efficaciores ſunt quàm ſimplices.) Sunt excellens præſervativum in Peſte, pleuritide, & omnibus internis abſceſſibus. Difficiles partus accelerat, ſuppreſſionem menſium reſtituit.

4. *Flores ſulphur. ſaccharati.*) Saccharum æquè, ac gummata alia vi igni, corrumpitur & comburitur, ſi ſublimatur; Melius igitur erit, ſi ſaccharum cum ſpeciebus diaireos, flor. ſulphuris ac aliis pectoralibus appropriatis miſceatur & pro uſu reponatur.

5. *Flores Sulphur. albi.*) Nihil refert, utrum ſint albi, vel flavi.

6. *Flores ſulphuri corallati.*) Magiſterium corallorum præſtat admiſcere, quàm ut flor. ſulphuris cum ipſis corallis ſublimemus, quia parum de corallorum ſubſtantia elevari poteſt, majori horum parte in reſiduo manente.

7. *Flores ſulphuris benzoinati.*) Si benzoin pulveriſatum ſulphuri colcothar miſto jungatur, ignis actioni expoſitum citra empyreuma flores producit Sulphuris benzoinatos. vid. ſupra. *Hofmannus.*

II. PRÆCIPITATIO.

Unde Lac Sulphuris.

Lac Sulphuris, Magiſterium Sulph. eſt, ſeu præcipitatum.

N. *Aliis dicitur cremor Sulphuris, aliis Butyrum.*

Paratur autem 1.

℞. *Fl. Sulphuris, p. 1. Salis Tartari, p. iij.*

Pone in vitro oris capaciſſ. (ſive in olla fictili) in arenam collocato, affunde ▽ ad eminent. ſex digitoram, ita tamen, ut quarta pars vitri ſit vacua, hinc bulliant, ut Sulphur ſolvatur, (quod 5. vel 6. horis fiet,) ſpatulâ lignea continuò agitando, donec ferè omne Sulphur ſolutum ſit, liquorque rubeus appareat. Hinc filtra calidè per chartam Emporeticam, ac effunde confeſtim vinum auſteriuſculum, (alii ⚹,) lente, celeri tamen lapſu, tamdiu donec colorem lacteum acquirat, qui ad fundum paulatim ſecedit, nomine lactis: Lac hoc ad fundum præcipitatum; affuſo liquore collige, ablue ▽â & exicca, vel ſi placet, antequam planè exiccetur, miſceatur cum ▽ cinam. vel alia appropriata, ut fiat inſtar pultis lactis, &c.

N. *Si ▽ bulliendo evaneſcat, affundatur alia, ſed fervida.*

2. Modus compendioſior.

℞. Sulph. & Sal. Tart. liqueſcant in ⚹o per d. ſimul liquefactis affunde aliquid aquæ calidæ, mox affunde in patinam aq. calidâ plenam & ſtatim filtrentur, affundaturque paulatim vinum: ſic totus liquor albeſcet atque Lac ad fundum præcipitabitur.

N. *Quercetanus diſſolvit flores Sulphur. in oleo Tart. diſſolutionique affundit ✚ præcipitatque, &c.*

Vires. *Balſamum eſt pulmonum ac veluti △ conſumens & exiccans. Exhibetur igitur utiliter his qui moleſtantur Catharris, fluxu Capitis, Aſthmate, Phthiſi, Tuſſi, Colica, &c. Promovet expectorationem, intercipit defluxiones ad articulos, ventoſitates ventriculi ac inteſtinorum præcavet ac diſcutit.*

Doſis. *Tantum pulveris miſcetur, ut vehiculum albicante colore tingatur, daturque mane & veſperi coch. 1. Vehiculum ſit appropriatus liquor, Aqua ſcilicet Cinamomi, Meliſſæ, ♈ &c.*

N. *Quercetanus exhibet ʒ j. pro cathartico.*

3. Lac Sulphur. S. Cloſſ.

Coque in Cacabo ferreo Calc. viv. part. ij. Sulphur. pulver. part. j. cum maxima quantitate aq. donec partes 3. aq. ſint conſumptæ, ruboremque contraxerit inſtar ſang. ex Sulphure diſſoluto, coletur calidè per manicam, refrigerati permittatur, denique præcipitetur ▣ calente, & decantato lixivio Lac. 10. aut 12. aq. calidâ dulcoretur.

Vires. *Eadem quæ lactis Crolliani, verum quia interdum fallit, parumve præcipitatur, hic modus infallibilis adinveniendus fuit.* Schroderus.

2. *Præcipitatio. Unde Lac ſulphuris.*) Quid de hoc Lacte ſulphuris ejuſq; præparationibus ſentiat *Cl. Zvvelferus*, conſtat ex ejus *animadverſ. in P. A. & Mantiſſ. Spagyrit.* part. 2. cap. 10. Nam in animadverſ. dicit, hoc ipſum

ipſum parum ab ali rum Magiſteriorum præparationibus differre p. m. 450. Nam, in Mantiſſa l.c. rationem reddit, quamvis ſulphur per appropriata ſibi homogenea veluti menſtrua, ſalem tartari aut calc. viv. beneficio aquæ ſimplicis, legitimè ſolvatur, & ſic ſolutum ſulphur haud exiguos effectus medicinales edere poſſit: contrario tamen liquore id ipſum denuò præcipitatum, pro maxima etiam ſui parte deſtruitur, ut vix tertia ejus pars viribus ſalva conſtet, ac virtutes & operationes ſulphuris proprias edere poſſit, reliquæ verò duæ Lactis ſulphuris partes calx ſint emortua & inutilis, in igne conſtans, indiſſolubilis omni proprietate ſulphuris orbata. Verùm huic ſeſe opponit *D. Lucas Schrœckius Luc. Filius l. c. p.* 516. & falſum eſſe ſcribit, calcem emortuam & inutilem eſſe Lac ſulphuris, cùm crebra Practicorum ſuggerat experientia contrarium. Sic *P. Poterius Centur.* 1. *curat. & obſervat. cap.* 98. Pulmones aſſidua fluxione vexatos, decocto alexiterio & exſiccante cum Lacte ſulphuris in priſtinum ſe reduxiſſe: Et centur. 2. cap 54. Aſthma eodem reſtituiſſe. Sed *Cl. Zvvelferus* l. c. non ita loquitur, ac ſi omnes omnino virtutes huic Lacti derogare velit, ſed hoc ſaltem dicit, quod vel crudum ſulphur vel ipſius flores ſublimati longè majoribus virtutibus polleant, quàm hoc ipſum Lac ſulphuris tanto labore comparatum. Id quod & ipſe negare non poſſum, & quilibet periculum facere poteſt, & in momento veritatem videbit, ſi hoc Lac ſulphuris ſublimationi exponat, vix tertiam ejus partem ſulphuream eſſe, & reliquas duas calcem emortuam ac inutilem. Pro exigua igitur illa ſulphuris indeſtructi parte reſidua Lac ſulphuris aliquid virtutis obtinet, quod à Practicis commendatur, pro maximâ autem ſui parte inefficax eſt. Ut igitur Lac ſulphuris non deſtruatur & ſulphurea ejus pars ſervetur integra, præſtat ſulphur quidem per homogenea ſibi menſtrua, quæ *Dnus Autor* allegat, Sal. comm. Tartari ſcilicet, lixivium calcis vivæ &c. legitime ſolvere, contrario tamen liquore Acet. diſt. vel alio præcipitare. Quapropter modius erit, ſulphur ſæpius cum ∇ calc. viv. tritum coquere, & deſpumare, ſeparata aliquoties calc. viv. aqua, aliaque ſuperaffuſa ad tantam puritatem, liquabilitatem ac albedinem, ut omni fœtore expers inſtar ceræ ſuper igne liquetur, & quouſque rubedo in decoctione appareat. Omiſſis omnibus liquoribus præcipitantibus. Hiſce ſtatuminatis, omnes ſequentes *Domini Autoris* proceſſus de Lactis ſulphuris præparatione corruunt. *Hofmannus.*

3. DESTILLATIO.
Unde,
1. *Spiritus Sulphur. S. Cloſſæi.*

Eligatur Sulphur Leodienſe coloris vireſcentis minoris tubi ſive magnitudinis [Galli vocant *du Souphre verd à petit canon*] tale enim per ſe luculenter ardet, locetur per magdaleones in ſcutellâ intus & extus vitreata, accendatur ad candelam, ut guttulæ liquati Sulphur & ardentes alios magdaleones incendant, huic ſcutellæ Campana ex arte appendatur, ita ut verticem illius flamma non attingat, nec etiam nimium diſtet, (gignitur enim hoc oleum ex reverberio flammæ ſubvolantis contra aliorum opinionem) alias flores acidos habebis, perge in ſubſtituendis ſcutellis, donec ſatis ∼us campanarii habeas. Ex ℔ j. Sulphur. nanciſceris ∼us ℥ j.

Spiritus ſ. Oleum Sulphuris, per C.

Habendum eſt vas vitreum latum paropſidis vel patinæ inſtar, è cujus medio ſurgat meta, (tripus vel aliud aliquid metæ vices ſupplens) ſupra metam concha vel ✠bulum ſtatuatur Sulphure repletum. Deſuper campana ſuſpendatur vitrea, ea diſtantia ne flamma illam attingat, ſic fumus ex Sulphure accenſo aſcendens in campana condenſabitur, condenſatuſque ex campanæ oris in ſuppoſitam patinam decidet.

N. 1. *Si conclave fuerit clauſum, locuſquè ac tempus humidum, major olei quantitas colligitur.* [*hinc & major hyeme.*]

N. 2. *Utile eſt campanam initio madefacere.*

Alius modus.

Idem Oleum per retortam tubulatam deſtillari poteſt.

Nimirum.

Retorta tubulata, vel quæ in poſtica parte tubulum habeat in fornacem collocetur eique recipiens aquæ menſura adimpletum, ut in Cliſſo, ſine luto adaptetur. Poſtea ubi incaluit Retorta, fruſtula Sulphuris partitis viribus injiciantur, & poſt ſingula fruſtula injecta tubulus claudatur: Spiritus poſtea ſeu Oleum in MB ab aq. ſeparetur & rectificetur.

N. *Si prorſus aerem denegaveris fine fruſtraberis, id quod mihi accidiſſe ſcias, qui lacteſcentem liquorem loco Spiritus obtinui, omnis aciditatis expertem.*

Vires. *Spiritus Sulphur. ut fere nihil aliud eſt, quam ſpiritus Vitrioli, ita & eaſdem cum ipſo vires obtinet. Inſuper eſt & contra Peſtem, Aſthma, &c. utiliſſimeque extrinſecus adhibetur in procidentia ani ſi illius pauxillum cum aq. v.g. plantaginis miſcetur, & ſpongia hoc liquore madefacta locus affectus tangitur.*

Vide Sennert. Inſt. Beguin. Gluckrath. Tentzel.

N. *Ex reſiduis fæcibus ſi in copia collecta fuerint, Sal elixiviari poterit.*

3. *Spiritus Campanarius S. Cloſſ.*

♃. Sulphur. viridis ex alterius pulveriſ. ℥ iv. ∼us Sal. nit. vel ∼us ex Sal. Com. & Vitriol. compoſiti (Vide ſupra cap. 21.) ad ſupereminentiam 4. digitorum tranſverſorum, deſtilla ex ☋ in ⊢E ſubtus & ſupra poſitis ad ultimam uſque guttulam. Cohobetur 6. aut 7. [quo plus, eò melius] Reperies in ☋ ultra ℥ ij. ∼us ejuſdem amaroris, naturæ, facultatiſque cum Campanario, viribus ∼ nitrarii haud imminutis.

N. *Etſi ad ſiccitatem videatur ſecretum fuiſſe menſtruum, nihilominus Sulphuri inhæret Sal cauſticum, quod dio expoſitum in ∼um Sulphuris reſolvitur, novo quotidie ſuccreſcente, nec à Campanario ullatenus differente.*

4. *Aqua acida ſeu aciditas, vel Phlegma Sulphuris.*

Aqua acida Sulphuris appellari poteſt liquor ille acidus, qui in ſublimatione florum, initio (parcè tamen) extillat.

Vires eaſdem cum ſpiritu præcedente obtinet, verum quia minus efficax, rarò in uſum.

5. *Aqua ſeu Ens Balſami ſulphuris.*

♃. Aquam acidam, quæ extillavit in ſublimatione flor. Sulph. ⊕-tor. rectifica & conjunge in MB bullienti, cum ∇ acida, quæ extillavit in ſublimat. flor. Sulphur. reſinatorum.

N. *Hæc aq.* (*quæ lactei coloris*) *ſeorſim colligenda eſt, ne miſceatur cum oleo ſubnigro, quod ſubſequi ſolet.*

Uſus idem qui florum, in peſte, febribus, colica, obſtructionibus ac aliis affectibus pulmonum. *Croll.*

6. *Ol. Sulph. Balſameum.*

Balſamo Sulphuris Sal toſtum adde atque per Retortam deſtilla. *Sennert. Inſt.*

7. *Ol. Sulphur. Linatum.*

♃. Sulphur. citr. (℔ j.) maceretur & ſolvatur in Ol. Lini, (℔ i ß.) & fiet maſſa concreti ſanguinis inſtar. Refrigerata materia deſtilletur per Retortam & prodibit Oleum rubicundiſſimum.

N. *Alii*

N. *Alii addunt Vitrioli calcinat.* ℔ ij. *Mil.*

Vires. *Prodeſt ad ulcera ac bubones peſtilentiales maturandos.*

8. *Ol. Sulphuris aureum.*

℞. Sulphur aliquoties liqueſact. & in ▽ effuſi ℔ j. pumic. ℔ ß. miſc. ut fiat maſſa ac deſtilla lento △. (N. *ne des ignem inferius, ſed ſupra & ad latus,*) ſub fine auge ignem, & extillat oleum inſtar ⊙.

Vires. *Exhibetur utiliſſime in Cachexiis obſtructionibusque viſcerum, præſervat à peſte. Clar. D. D. Johan. Tileman. P. Profeſſ. Marpurg.*

9. *Ol. Sulphuris rubeum.*

℞. Sulphur. ℔ j. Calc. viv. ℔ ij. per Retortam pelle.

Vires. *Itidem maxima eſt utilitatis in bubonibus peſtilentialibus maturandis.*

10. *Oleum Sulphur. verum S. Cloſſ.*

Reſolve ℥ij. Sulphur. tuſi in ℔ ß. ſpiritus thereb. clari, id quod fiet intra & ſuper cineres, ſolutionem rubentem decanta, alium affunde, digere, ſepara per inclinationem, fæces (quæ erunt perpaucæ) abjice. Tincturas deſtilla △ Arenæ lentiſſimo ex magna ⊂⊃, donec ferè omnem ⌒um thereb. recuperaveris. Guttulis autem rubris apparentibus mutetur recipiens & △ paulatim augeatur, egredietur Oleum coccineum cum fœtore intolerabili, qualis eſt latrinarum, ultimò ⊂⊃ ferè incandeſcente, ſpiſſum & obſcurè nigricans. Hoc rectifica & ſepara à ⌒u therebinth. ſuperſtite. Oleum autem vaſe clauſo digere per menſem in MB, ubi fœtorem deponet, evadetque verus Pulmonum balſamus.

Vires. *Eſt egregium Vulnerarium intro ſumptum, curat ulcera interna, reſiſtit ſuffocationi matricis, peſti, colicæ, catarrhis fluentibus, aſthmati, empyemati, urinam provocat. Doſis gut. 3. in ſyr. conven. vel ovi vitello.* Schroderus.

3. *Deſtillatio Unde* 1. *Spiritus Sulphuris S. Cloſſæi*) Hæ præſentes deſcriptiones, quas *Dominus Autor* ex *S. Cloſſæo, Beguino, Sennerto* & aliis communicavit, non ſunt rejiciendæ, ſed debitâ præparationis obſervatâ encheiriſi voto reſpondent. Hunc ſpiritum nonnulli ſequenti modo conficere ſibi præſumunt; Scilicet dolium accipiunt ▽â plenum, & aliquot librarum ſulphuris fumo imprægnant, & poſtmodum hanc aquam ſulphuratam per alembic. dephlegmant. Aliam hujus ſp. ſulphuris multiplicationem tradidit *P. Poterius in P. S. lib.* 2. *cap.* 11. & *Philippus Grulingius in Florileg. p. m.* 375.

N. Utrum ſpiritus Sulphuris & Vitrioli realiter differant an ſecus, hîc ſequitur? Videtur hoſce ſpiritus unam eandemque eſſentiam habere, cùm eandem habeant materiam ex quâ & eandem cauſam efficientem. Nihilominus tamen viribus & effectu differre videntur: Cùm quædam Medicamenta cum ſp. ſulphuris præparata meliores obtineant virtutes, quàm quæ cum ſp. vitrioli v. g. ♂tialia cum ſp. vitrioli præparata ſunt auſterioruſculi & adſtringentis ſaporis, vomitum non raro cientia, quæ verò cum ſp. ſulphuris, laudabili ſunt dotata dulcedine. Deinde addit *Cl. Tachenius in Hipp. Chemic.* ſp. ſulphuris acidus, ſi roſerit naturale corpus v. g. arenam, ignem nondum expertam, tunc ex eo naturale ſublimatur ſulphur, id quod cum ſp. vitrioli non ſuccedit. Verùm dicimus Nos ſpiritum vitrioli à ſp. ſulphuris, non eſſentiâ, ſed accidentibus differre, illum eſſe impuriorem magiſque terreſtribus conſtare partibus, hunc autem puriorem magiſque liberum.

Vires ſpiritus ſulphuris &c.) Hic ſpiritus ſulphuris potui miſtus à peſtis putredine præſervat, non ſecus atque ejuſdem ſulphuris fumus cadum vini à corruptione liberat & præſervat. Unde circumſpectè ac curioſè omnes potus cum ſpiritu ſulphuris miſceri poſſunt: atque hinc etiam ad Vitam Longam *Cl. Helmontius in Tr. Arbor. vitæ* commendat. Præterea contra aſthmæ exhibetur; verùm hîc diſtinguendum eſt inter aſthma idiopathicum, quo ſp. ſulphuris non habet introitum, & inter ſympathicum, nidum circa hypochondria habens, quorum auxiliatori ſulphuri ſuus quoque eſt introitus. Majoris erit virtutis hic ſpiritus ſulphuris, ſi cum vit. ær. ſeorſim, vel conjunctim etiam cum gummi ammoniaco deſtilletur. Extrinſecus adhibetur in procidentiâ ani, ſed hoc non facile ſuaſerim, acida enim partibus membranoſis & nervoſis admodum ſunt inimica. Emplaſtrum ex opopanace ego mallem ſubſtituere.

3. *Spiritus Campanarius facillimus S. Cloſſ.*) Verùm hic ſpiritus non ſimplex eſt ſulphuris, ſed compoſitus ex nitro, vel ex ſale & nitro ſimul.

4. *Aqua acida vel phlegma ſulphuris. Item* 5. *Aqua ſeu Ens Balſami ſulphuris.*) Hoc ſulphuris phlegma proles ſulphuris genuina eſt, ex ejus ſale acido orta; Unde eaſdem cum ſpiritu præcedente vires obtinet.

6. *Oleum ſulphuris Balſameum.*) Sed hoc etiam fit compoſitum.

7. *Oleum ſulphuris linatum.*) Hujus elaboratio admodum periculoſa exiſtit, quia oleum citò vitra penetrans facile accenditur, nullis liquidis, ſed ſolâ arenâ extinguibile *D. D. Knœfelius* hoc oleo in Peſte & vulneribus fœlici cum ſucceſſu uſurpavit. Hæc maſſa concreti ſanguinis inſtar ex Sulphur. & oleo lini conſcindatur & per retortam deſtilletur. Nonnulli addunt vitriolum calcinatum.

8. *Oleum ſulphuris aureum.*) Hujus elaboratio à *D. D. Johanne Michaelis* p. m. & à Me ſæpius tentata fuit, ſed ſemper fruſtraneo cum effectu, oleum & operam perdidimus.

9. *Ol. ſulphuris rubrum.*) Poſt olei deſtillationem ex hujus Cap. mort. Lac. ſulphuris demum præparari poteſt.

10. *Ol. ſulphuris verum S. Cloſſ.*) Hoc laudem meretur, cujus vera conficiendi ratio in digeſtione olei illius fœtidi & optimè rectificati conſiſtit. *Hofmannus.*

4. *Infuſio. Unde*

1. *Balſamus Sulphuris Therebinthinatus, ſeu Rubinus Sulphuris.*

℞. Fl. Sulphuris ⊕-t. ℥ iij. Spirit. Terebinthin. ℥ vj. vel vij. Digerantur in vaſe vitreo, donec ſolvatur Sulphur & ſpiritus Terebinthinæ rubicundus reddatur. Hinc decanta ac ſerva.

N. *Quodſi hunc Balſamum à ſuo ſolvente, ſeu ſpiritu ſeparare volueris, affunde* ▽ *& deſtilla, ſic ſpiritus una cum* ▽ *extillabit, relicto Balſamo in fundo.*

Vires. *Excellentiſſimam Medicinam contra Phthiſin, quippe valet ad ulcera pulmonum conſolidanda, præſervat à peſti, aliiſque morbis contagioſis: inſervit quoque Tincturæ Sulphuris, vide infra.*

Doſis à gr. 4. *ad* 7. *ſcilicet ſi à ſuo ſolvente ſeparatus ſit, vel ad g.* 20. *cum ſuo ſolvente. Quercet. in Pharm. reſtit. Hartmann. in Pract. Sennert. Inſtitut. Beg. &c.*

2. *Balſamus Sulphuris compoſitus, Balſamus vitæ.*

℞. Flor. Sulph. ℔ j. Myrrh. ℥ iij. Aloës ſuccotr. ℥ ij. croc. ʒ ij. pulveriſa ac digere cum ⌒tu Terebint. ad eminent. digit. 2. affuſo decanta.

Vires. *Efficacius operatur quam ſimplex.*

3. *Balſamus Sulphuris ad externa qui Rulando adſcribitur.*

℞. Fl. Sulphur. vel Sulphur. put. ℥ j. Ol. rapar. expreſſ. vel nucum ℔ ß. Vini generoſi ℥ ij.

Macerent.

Macerentur ☍ 8. △ e lento, aliquoties agitando. Poſtea coquantur lentè ad vini conſumptionem. Tandem cola & ſerva uſui.

Vires. *In variis morbis à Rulando Balſamus hic adhibitus eſt. Vide ejus* 11. *Cent.* 92.

N. *Balſamum Rulandi aliter deſcribit Untzerus tract. de Tart. Vide & Balſamum Sulphuris ⊖-latum in Angel. Sala tract. de ⊖-lo.*

4. *Tinctura Sulphuris.*

Poſtquam à Balſamo ∽ Terebinth. ſeparatus fuerit (*modum ſeparandi habes in Balſamo*) affunde V & extrahe V in MB, & habebis Tincturam; digere atque à fæcibus ſubſidentibus decanta.

Vires. *Præſtantiores effectus habet quam Balſamus.*

Doſis gutt. 3. 4. *&c.*

N. *Extrahit quoque ex ſulphure crudo Tincturam citrinam V optime rectificatus.*

5. *Tinctura Sulphuris S. Cloſſ.*

Infer in candens tigillum per cochlearia mixturam ex Sal. Nit. ℔ j. Sulphur. pulver. ℥ iv. comburantur △ forti, donec ſtrepitus ceſſet, & in maſſam rubram mixtura detonata compingatur, cui in pulv. redactæ Spiritus Vini Tartariſatus affundatur, extrahaturque Tinctura.

Vires. *In peſte, febribus, ſcorbuto, obſtructionibus hepatis, pulmonumque morbis utilis.*

Doſis gut. 8.

6. *Alia Tinctura.*

Fac Capitellum ex Sal. Nit. in aqu. ſoluto, in cujus ℔ vi. bulliat per 24. horas Sulphur. pulv. ℔ j. filtretur liquor rubeus, & præcipitetur cum aceto, in quo decoctum fuerit ♁ ex ⊖-lo. In fundo reſidebit pulvis ſcarlatinus, è quo tinctura, modo ſuperius tradito, vel per ∽um thereb. extrahenda venit.

Eſt S. Cloſſ.

7. *Cryſtalli ex Tinctura.*

Poſtquam per ∽um Terebinth. & V tinctura fuerit prolecta, ut dicitur artic. 4. p. 166. abſtrahendus eſt V, dum reſtitet tantùm pars tertia illius quæ in cellâ collocatur, ubi naſcuntur cryſtalli, in quibus reſidet Q. Eſſentia ſulphuris, diſſolvantur iterum in alio V, & denuo coagulentur, quò magis ac magis ab odore gravi immunes reddantur.

Doſis g. 4. *in liquor. appropr. tabellis electuar.*

8. *Sal Sulphuris.*

Vel fit ex ♁ ∽us Campanarii, de quo vide Keslerum artic. 54. Centur. 1. vel ex carbone nigro levi & foliato Sulphure poſt extillationem Olei veri (vide præcedentem pag.) reſiduo, hoc △ miti reverberandum eſt ad albedinem.

Uterque modus parum Sal. præbet, ſed efficax adverſus verminationem remedium.

9. *Eſſentia Sulphuris.*

℞. Miner. Sulphuris q. v. affunde V (ex ⊖ & Sal. nit.) ſolve, quoad poteris. Hinc abſtrahe ſolutum ad ſiccitatem, edulcoratumque reverbera ad rubedinem ſaturatam. Hinc extrahe Tinct. cum V, digereque donec Eſſ. Sulphuris à V ſeparetur inſtar olei, fundumque petat.

Vires. *Magnarum eſt virium ad arcendam putredinem.*

Doſis gut. 6.

N. *In hac Sulphuris Eſſentia ſi Myrrha, Aloë, aromaticè infundantur, atque Tinctura MB extrahatur, dicitur Balſamus mortuorum.*

Baſil. in repet. Lap. Ph. Schroderus.

4. *Infuſio: Unde* 1. *Balſamus Sulphuris Terebinthinatus ſeu Rubinus Sulphuris.*) cum ol. Terebinth. promptius quàm cum ſpiritu ejus ſuccedit; Sic v. g. Rec. fl. ſulphuris per ſe parat. q. v. ol. rectific. Terebinth. q. ſ. digere vel coque donec tinctura appareat.

N. Melius ſuccedet operatio, ſi ſulphur elect. cum ſale Tartari miſceas, vel ſuper ignem leniſſimum in crucibulo torreas in maſſam rubicundam, ſed non ſine fœtore erit, & poſtea olea deſtill. vel juniperi, vel aniſi, vel quod volueris ſ. q. ſuperinfundas.

N. 2. *Quod ſi hunc Balſamum à ſuo ſpiritu ſeparare volueris &c.*) Rec. fl ſulphuris ℥ ij. affunde ol. d. juniper. vel Tereb. q. ſ. ad ſolutionem cum ebullitione in Aren. peragendam, ſolutum effunde, filtra per chartam bibulam, colaturæ adde ſp. vini rectific. q. ſ. deſt. Rec. extracti reſidui ſulphurati ℥ j. ol. deſt. aniſi ℥ iv. balſami de Peru ʒ ß. fl. benzoin. ʒ ij. pone in digeſtionem per aliquot ☍.

N. Si loco ol. d. aniſi ſubſtituatur ol. d. Citri, fit Balſamum peſtilentiale.

N. 2. Balſamum vitæ conficitur, ſi fl. ſulphuris ſ. q. affundas ol. d. Cinamomi, caryophyll. Macis, Cortic. Citri. aurantior. zedoar. ana ſ. q. & digerantur in loco tepido.

Vires. *Excellentiſſimam Medicinam præbet contra phthiſin ad ulcera pulmonum conſolidanda &c.*) Hic quæritur, Utrum Balſamus ſulphuris, & alia oleoſa balſamica ex ſulphure cum oleis deſtillatis præparata in phthiſi aut exulceratione pulmonum aut aliorum viſcerum ex humoribus ſalſis hæmoptyſin cauſantibus ortâ tutò in uſum trahi poſſint, an ſecus? *Dnus Autor* cum aliis affirmat, nec forſan deerunt ipſis rationes: Quia *primò* iſtiuſmodi balſamica remedia, humidum ſeu balſamum radicale cum calido innato augent; *Deindè* ſpiritus vitales reficiunt. *Tertiò*, quia ſalia acida in lympha & maſſa ſanguinea contemperant, à quibus putredines; Uti ex mechanicâ chemicâ conſtat, dum ejuſmodi oleis deſtillatis aquæ fortis vis corroſiva acida corrigi poteſt; *Quartò* quia ſunt interna vulneraria putredini reſiſtentia, eo quod etiam externè brodiis carnis calidis inſtillata & ad tempus aëri expoſita, quo attingunt, ea non putreſcere aut fœtorem contrahere ſinant, ſecus, ubi non attigerint, fœtere.

Verùm ſi & hoc loco communem illam medendi regulam non inſuper habere volumus, contraria contrariis eſſe curanda, dictitantem, certè non ſuccedet tutò, ſi phthiſin ſeu pulmonum exulcerationem iſtiuſcemodi balſamo ſulphuris aut aliis oleoſis balſamicis ex fl. ſulphuris cum oleis deſtillatis præparato curare velimus. Notum enim eſt in phthiſi ſeu exulceratione pulmonum aut aliorum internorum viſcerum ſemper vel præviam adfuiſſe, vel adhuc conjunctam adeſſe inflammationem, eamque adeò non ſine acido inflammante ac dolorifico. Olea deſtillata & alia, ex quibus dicta balſamica conficiuntur, etiam calida eſſe inflammabilia ac reſinoſa omnibus, me etiam tacente licet, notiſſimum eſt, ac verò hoc particulis eorum acidis acceptum eſſe ferendum perpauci ſentiunt, *inquit D. David von der Vecke in Experiment. & Meditat. circa Rerum naturat. princip.* Patet tamen ex ſalium volatilium beneficio alkali ex oleis deſtillatis præparatione. Olea deſtillata & alia pinguia illita cranii & oſſium affectibus nocent, & affectibus eryſipelatoſis ob acidum eorum occultum gangrænam afferunt. Quomodò igitur hæc ſanâ ratione & in Phthiſi ſeu pulmonum exulceratione convenire queant? Præterea, cum tunc etiam fermenta digeſtiva admodum debilia ſint, & hæc balſamica oleoſa fermentis eorum ob unctuoſum acidum ſalibus volatilibus immerſum potius reluctentur, uti ex ructibus poſt eorum uſum conſtat, in actum deduci, & in ſalia volatilia Naturæ convenientia converti nequeunt, unde

unde toti Naturæ ſic cruda relicta negotium faceſſunt ac damnum irreparabile inferunt. Huc accedit, quod in ejuſmodi affectibus aliàs tota maſſa ſanguinea una cum lymphâ tunc quaſi vappeſcat, ita ut in hac abſumptis ſeu reſolutis partibus volatilibus ſalſis oleoſis ac balſamicis Naturæ congruis ſpiritus vitæ debilior ſuum lumen amittat, imò pauciſſimus fiat, adhibitis jam iſtiuſmodi ſulphureis ſylveſtribus oleis calidiſſimis, quid aliud eveniet? quàm ut flamma major extinguit minorem, ſic hæc etiam calida in excellenti gradu reliquum flammulæ vitalis penitus penituſque ſint extinctura, vel loco vitalis caloris hecticum ſint inductura. Unde *Caſparus Hoffmanus in præfat. in Lib. de Medicament. Officin.* Olea, inquit, ſtillatitia, quæ ferè eſſentias vocant, tam apertè ventriculo membranaceo inimica ſunt abſumendo humidum illius radicale, hepati autem aliiſve viſceribus ſanguineis inflammando, aut φλογωσιν ſeu rectius καῦμα excitando, ut quidam ſibi ſitim perpetuam adſciverint, quidam cachexiam bilioſam, quidam hydropem calidum, addo ego cruentum alvi fluxum, ſcabiem ſiccam, febres hecticas &c. Quorum omnium pervelim, inquit Excell. *D. D. Simon Pauli in Quadripartit. Botanic. Claſſ. tert.* p. m. 256. Novellos Practicos ſubindè meminiſſe, nec ſe moveri ab empiricis patiantur, cum illi caſu, ſæpe per empiriam levare quidem Morbis ægros, ſæpius verò frequentius in præſentiſſimum vitæ diſcrimen, alios atque alios ejuſmodi calidis, validis chemicis medicamentis præcipitaſſe viſi ſunt, Methodi medendi ignorantiſſimi. Nec obſtat, iſtiuſmodi balſamica balſamum radicale confortare, falſum hoc eſt, longa enim eſt differentia inter ſulphura vi peregrinâ ac virulentâ nondum ſpoliata, & iſta adhuc conſtantia, ad quæ ultima Nos balſamum ſulphuris & alia adhuc cruda olea deſtillata referimus. Tirones, inquit *Clar. Helmont. in tract. V. H. L. M. V.* p. 577. addiſcant ſulphura ſpoliare vi ſuâ peregrinâ ac virulentâ, (hoc eſt, ſub acido) ſub cujus nimirum cuſtodiâ abditur ignis vitalis Archeum in ſcopos deſideratos placidiſſime ducens. At de quibus hic agimus, talis genii non ſunt.

Nec ſufficit Spiritum vitalem ſuaviſſimis Sulphurum popiſmatis demulcere, ſed & horum vi ſpecifica cauſam morbificam conſumere, & vias oppilatas ac obſtructas reſerare & fermenta viſcerum confortare oportet.

Olea deſtillata vel ſp. vini ab ▽ fort. abſtracta hujus vim corroſivam demulcere, dum acidum minus corrigit majus, notum quidem eſt, ſed quid hoc facit ad internum eorum uſum? Quod autem iſta olea balſamica carnis juſcula, ſi hiſce infundantur, à fœtore & corruptione præſervent, fit hoc, quod ab aëris injuria defendant, quemadmodum etiam videmus ol. amygdal. dulc. expreſſ. vel ol. olivarum vinum in doliis incorruptum ſervare; ſed quid hoc præſens negotium? Nihil probat. Longe enim alia eſt iſtorum balſamorum operatio in corpore humano, & alia in aliis rebus extra corpus conſtitutis. Illic calor viget fermentalis, & vitalis; hic putredinalis elementaris, &c.

3. *Balſamus Sulphuris ad Externa, qui Rulando adſcribitur.*) Verum hæc non eſt vera Balſami Rulandi deſcriptio, Ea autem; quæ ſequitur, videtur genuina. Rec. flor. Sulphuris ter ſublimat. ℥ iij. ol. roſac. complet. ℔ ß. vini rubri opt. ℥ iv. Macera per octiduum leni △ne & aliquot agitentur, tunc coque lento △ne & ſemper movendo ad vini conſumptionem. In colatura diſſolve Terebinthin. clar. ℥ ij ß. & ſerva ad uſus.

N. Hunc balſamum ad tophos articulorum emolliendos, leniendos & diſcutiendos *Rulandus Centur. 2. cap. 92.* mirè commendat. Cui agyrtæ jam ſubſtituunt reſinam Pini pretio equidem inferiorem, neutiquam virtute. Balſami ſulphuris utilitatem in arthriticis *Tulpius expertus eſt lib. 4. obſerv. cap. 56.*

4. *Tinctura Sulphuris.*) Hæc ſuo ſtat talo, prout & 5. *S. Cloſſ.* quæ cum ſp. vini Tartariſato extrahitur, adhibetur in ſcorbuto, reſerat obſtructiones, & diuretica eſt.

N. Sequenti modo etiam Tinctura Sulphuris componitur, Rec. Sulphuris el. ſal. Nitri & Tartari ana fac, fluant in Crucib. effunde, pulveriſa, ac cum ſpirit. vini extrahe Tincturam rubicundiſſimam. Sic & Tinctura ſulphuris volatilis elaboratur. Rec. Sulphuris opt. pulveriſat. ℥ v. ✱ tantundem, calc viv. ʒ vi. Miſce & immitte pulveriſat. in retortam, ♌ l. ex Aren. per ignis gradus. Calore aucto prodibit rubra tinctura ſulphuris volatilis. Hujus uſus in Peſte & pectoris affectibus non deprædicandus eſt. Digitos colore ting t nigro.

7. *Cryſtalli ex Tinctura Sulphuris.*) Hic modus non procedit. Bene autem ſequens, 8. Sal ſulphuris vel ex Cap. mort. campanarii Spiritus vel ex reſiduo poſt extractionem oleoſæ ſubſtantiæ cum ol. d. Tereb. vel juniperi factam, △ne leni calcinato. Sed parum Salis præbet.

9. *Eſſentia Sulphuris.*) Hæc nihil peculiaris à dictis Tincturis obtinet. *Hofmannus.*

V. *Liquatio.*

Sublimatur Sulphur in ſublimatorio ſat alto ▽ forti, ſublimatum expone liquationi in cella, aliquamdiu. *Baſil. d. l.* Schroderus.

Sulphura è variis mineralibus præparanda ex Pharmac. BATEANA.

Sulphur Antimonii.

℞. ⊖ tartari, vel Abſinth. ℥ iv. in ✚bulo fuſis injice cochleatim ♁ crud. pulverat. ℥ j. fluere ſinatur ad horæ quadrantem, & effunde in vas æneum. Maſſa crocei coloris edulcetur crebris ablutionibus ſ. a. *Ciet vomitum. Doſ. à gr. 5. ad 10. cum crem. tartari purgat per ſeceſſum.*

Sulph. Antim. combuſtibile.

♁ Solutum in menſtruo idoneo in ▽am projice: collige 🜍r, & ▽ calidâ ablue: vel (ſi videtur) per ſe ♎a ſ. a. *Doſ. cum viribus eadem ut ſupra.*

* *Sulphur Auratum.*

Fit è ſcoriis à Regulo ♁ii liberatis, in ▽ coctis & filtratis, ⚗ando 🜍 cum ✚, & abluendo. *Doſ. gr. 5. ad 15. In aliis vomitum ante ſudorem, movet. mirè conducit febribus tertianis & quartanis horâ unâ ante paroxyſmum. Peſti, variolis, &c. ſtatim à concepto contagio, bis terve repetendo, ſæpe prævenit, vel felicius erumpere facit. Lui ♀ reæ proficuum eſt.*

Sulphur Vitrioli.

Fit ſolvendo ⊕ in ▽ calidâ, guttatimque affundendo ♁m tartari, ut ⚗etur 🜍 ⊕li, qd edulcoratum exicca. *Confert affectibus pulmonum. Mundificat plagas putridas, cicatriceſque inducit. in Epilepſia, vertigine, & morbis chronicis valde utile. Doſ. ad gr. 15.*

Sulphur Vitrioli Martiale.

Ablue Fl. ✱ci Martiatos ab omni ſalſedine, & calcina ſ. a. *Idem facit cum ſuperiori; & præterea obſtructiones reſerat. Doſ. etiam idem eſt.*

Sulphur Vitrioli Narcoticum.

℞. ⊕ p. ij. ♂ p. j. Digere in ✚, ac d ſtilla in ⁂ ad ſiccitatem. Ex Maſſa rubra extrahe tincturam ope ✚i, filtra & ♎a ♁ tartari. Tandem 🜍 in fundo edulca

edulca & ſicca. *Ex hoc fiunt anodyna, Laudani nomine inſignita. Catarrhos ſiſtit, dolores mitigat*, &c.

SUMACH.

Nomina. Sumach ſive Rhus *I. B.* Rhus folio ulmi *C. B.* Coriaria Dod. *Ger.* obſoniorum Lob. *Cluſ.* Sumach ſive Rhus obſoniorum & coriariorum *Park.*

I. B. Rhus arbuſcula eſt, altitudinem hominis ſuperans, parvulis ramis, ſubhirſuto cortice, potiſſimum circa faſtigia veſtita, è quibus folia alternatim exeunt alata, ſorbi quinque aut ſex conjugationibus ex intervallo longiuſculo diſpoſitis conflata, coſtæ tenui hirſutæ hærentia; ſingularia folia oblonga, acuminata, hirſuta, ſerrata; ramulorum faſtigia inter folia flores ſuſtinent racematim congeſtos, ſambucinis ſimiles (Cæſalpino rubri & minuti) quos & racemoſi grana excipiunt, orbiculata, lenticulæ modo compreſſa, rubentia, medulla exiguâ, cuticulâ acidi ſaporis obducta. Radix haud alte deſcendit, per ſumma cæſpitum hærens.

In collibus circa Monſpelium, prope Caſtrum novum, & Garrigues dictis copioſe provenit. Cluſius magnum ejus proventum Salmaticenſi agro eſſe, iſticque quæſtus gratiâ diligenter coli obſervavit. Multi (inquit) agri eo conſiti, nec minore ibi cura quàm vineta, alioqui nec tam læte aſſurgit, & ſi cultura abſit degenerat ac ſylveſcit.

Cæduntur ſingulis annis enati ſurculi cubitales ad radicem uſque ad ſummam tellurem, deinde deſiccantur, in pollinem rediguntur, & in uſum convertuntur ad paranda coria, qui uſus in Hiſpania celebratiſſimus habetur. Tarde fructus ſuos ad maturitatem perducit.

Rhus Ponticum, Syriacum, obſoniorum, coriariorum, Rubeum apud Galenum non ſunt arbores ſpecie diverſæ. Sed Rhus obſoniorum nihil aliud eſt quam fructus; coriariorum quam folia & fruticis ramuſculi; rubeum quam ejus ſemen immaturum, cui major adſtringendi facultas ineſt quàm maturo, cujus acini quadantenus nigricant.

Folia & ſurculos teneriores hujus fruticis non minus olim quam nunc dictum ad coria ſpiſſanda perficiendaque celebres fuiſſe nos docent Theophraſtus, Dioſcorides, Plinius, unde patet ea adſtringentis & deſiccantis naturæ eſſe.

Fructus ejuſdem non minus uſitati fuere ad cibos condiendos, vel ſalis loco, vel cum ſale mixti, ut veteres teſtantur, qui uſus etiámnum hodie à Turcis frequentatus eſt, ut ſcribit Bellonius, nam in Heraclea ubi in vicinis montibus abundat, magnos ſaccos venales videas hujus fructu plenos, quibus contuſis cum ſale & aliis ſuis cibis non inſuavem gratiam conciliare norunt, aſpero hoc condimento tam aſſis quam elixis cibis.

Notat Sylvius Rhois ſuccum eſſe vice omphacii in Gallia Narbonenſi.

Vires. Cùm ergo (ut diximus) Rhois folia & ſemen aſtringant, refrigerent & exſiccent, hinc fluxum quemcunque alvi, uteri, menſium, hæmorrhoidum compeſcunt, vomitum ſiſtunt, bilem obtundunt, ſeu intus in juſculis & ſorbitionibus ſumpta, ſive extus adhibita, dentes denigrant, putredini & gangrenæ reſiſtunt: utilia experimento ſe agnoviſſe tradit Galenus ad cruſtas & uvulæ inflammationes: gummi dentibus inditum odontalgiam ſedat.

Rhus nomen accepit à colore coccineo acinorum, à voce ῥόος Latinorum rufum Manaſſe contendunt. Bod. à Stapel. *Raius.*

SUPPOSITORIUM.

Inter medicamenta localia inprimis memorari merentur Suppoſitoria. Videntur hæc jure ſuo referenda potius inter compoſita, quàm diſtincta ab his præparata; Nos tamen ſeorſim inter hæc illis locum dedimus quod è Pharmaciæ ſinu petantur & præſcribantur uſitatius, prout jam proſtant. Illa igitur ratio ſatis erit ſufficiens. Cæterùm de ipſis notanda veniunt.

1. *Suppoſitoria ſunt medicamenta topica ſolida vel molliora.* Suppoſitoria dicuntur à ſupponendo, quod locis inferioribus imponantur, Unde ὑπόθετα audiunt Græcis, item *βάλανοι, glandes*, quod teretem glandium formam aliquo modo æmulentur. Suppoſitoria igitur ſunt quod ſupponantur non tam in genere quocunque modo, quàm in cavitatem, q. d. inferius, ſeu ſub corpore reliquo poſita, ut denotetur infimul locus applicationis. Pro mechanicâ horum illuſtrandâ faciunt huc cumprimis trochiſci, & turundæ chirurgorum, quas in cavitates corporis extraordinarias imponunt. Eodem modo ſuppoſitoria cavitatibus & meatibus ordinariis patentioribus ſupponuntur. Ut verò in dicto exemplo modò ſolida, modò mollia imponuntur, ſicca vel uda, pro modulo diverſo actionis; ita & ſuppoſitoria latius paulo patent & ſtrictius iterum comprehenduntur. Suppoſitoria audiunt, ut utrumque includant, ſolida primario, hæc enim promptius intrudi amant; molliora ſecundario, prout quidem id variat locus admittendi modus & capacitas.

2. *Suppoſitoria vel ano vel utero imponuntur.* Seu quod idem eſt, glandes & peſſi ſunt medicamenta ſymbolica. Vulgò quidem diſtinctis traduntur capitibus, & tanquam diverſa planè tractantur, aſt revera ſymbolizant. Strictius quidem ſuppoſitorium recepto uſu audit, quod in anum ſolùm inditur; latius verò, ut fieri debebat, & peſſos omnino complectitur. Peſſi, πεσσοὶ & πεσσάρια nominati, uteri ſunt ſuppoſitoria. Latini Græcum vocabulum retinuerunt, barbari *naſcalia* vocant, licet iterum alii peſſos de fœminis ſive conjugatis, naſcalia de virginibus prædicent. Equidem rarius in uſum hæc cedunt, neque facilè ea ſuaſerit medicus, niſi vel familiaritate vel auctoritate magis polleat, ne ipſi cedat in opprobrium remedium, minus ritè ſuſceptum vel admiſſum. Attamen & hìc eſt naturâ præſide turpe nihil. Ut ano imponenda medicamenta ſive ſupponenda ſuaſit neceſſitas, ſic & utero non minus. Satis eſt nobis utraque medicamenta ſub uno eodemque capite commodè tractari, imò tractari debere longè rectius quàm rotulæ & morſuli, vel alia medicamenta affinia inter ſe. Unde optime ſuppoſitoria & glandes uterinæ nuncupantur, tum ratione figuræ, tum ratione compoſitionis.

3. *Suppoſitoria inteſtinalia & uterina ſolida, vel ſimpliciora ſunt & extemporanea, vel compoſita*; utraque rite figurata. Materiam conſtituunt ſuppoſitoriorum varia ſimplicia, virtute magis vel minus ſtimulandi apta. Parantur enim ex caulibus viridibus viridibus betæ, braſſicæ, ☿lis, aliiſque ſimilibus, oleo, melle aut butyro, addito ſale, perunctis. Adhæc ex ſapone albo, ſevo, butyro indurato, & in longioris turundæ formam aptato, quamvis ad mollia magis hæc referantur. Item ex lardo, caſeove ſalito, alumine. Sic & peſſos componendi ſimpliciſſimus modus eſt, quo radices, verbi gratia, helleb. nigr. gentianæ, aut quæ optima eſt, bryoniæ repurgantur à ſordibus in peſſorum formam aptantur, deinde oleo lil. alb. aliove oblinuntur & filo annexo in uterum immittuntur. Memorandus hoc loco eſt peſſus ſecretus ad fœtum mortuum, quem bis cum ſucceſſu probatum ſcribit *Fontan. l. de extract. fœtus mortui per uncum*, p. 109.

℞. Rad. tenuem nuc. jugland. recent. palmi longitudine, eam abrade cultello, quouſque attenuetur inſtar digiti. Hoc peſſarium utero indc. Ab ejus impoſitione

tione tantus conſurgit fragor, *addit*, & ardor, ut uterus tri videatur. Ejus acrimoniâ ſanguis provocatur & fœtus expellitur. Figura ſuppoſitoriorum æmulatur digitum minorem, cum aliqua tamen latitudine, concinnantur enim majori quantitate pro adultis, minori paulo pro infante, & quâ parte in anum induntur, acuminantur, ut facilius infigantur. Hinc oleo vel butyro inunguntur, quò facilius & minori cum moleſtiâ ſubeant. Propriè ſuppoſitoria dicuntur remedium ſolidum, oblongum & rotundum, aliquando tamen & globulorum formâ immittuntur, uti globulus ſaccharinus moſchatus in alvo obſtructâ convenit. Sic & peſſaria ſimilem ſuppoſitoriis habent figuram, longam ſcilicet atque rotundam, quanquam iis aliquando ſint & longiora & craſſiora, tum quia altius penetrare debent, tum quia locus, in quem immittuntur, amplior eſt atque capacior. Adeoque globuli uterini ad procidentem uterum retinendum propriè loquendo non ſunt peſſi, ſed nomen ſuum retinent.

4. *Suppoſitoria compoſita ſolida ex mellis coagulo & ſtimulantibus potiſſimum fiunt.* Dividuntur ſuppoſitoria ratione virtutis in lenia, mediocria & fortia, quod variant hinc ingredienti[a]. Cumque deſideretur corpus ſolidum, quidem, ut afficere poſſit, reſolubile verò ab humido & calido, ut agat eò promtius, optime in ſuppoſitoriis ſe gerit mel, tanquam excipiens. Quamvis enim ex farinâ hordei, tritici aut ſiliginis cum aquâ in maſſam redactâ, modico ſale conditâ & in glandis formam mutata, etiam confieri poſſint, exiccanda & uſus tempore in oleo intingenda; prius tamen illud in officinis uſitatius eſt, quando ex melle aut ſolo, (pro ſimplici & leniori) aut adjunctis aliis tum ſimplicibus, tum compoſitis medicaminibus ſuppoſitoria finguntur. Primò enim mel igne lento in exiguo cacabo ad ſpiſſitudinem coquitur, id eſt, eouſque, ut digitis formari tractarique poſſit; deinde figura imprimitur dicta, lege artis. Stimulantium vicem obit ⊖ commune, ⊖ gemmæ, pulveres purgantes ex aloe, agar. ſcammon. colocynth. hellebor. utroque, elater. trochiſc. alhand. fell. tauri, ſpec. hier. picr. Galen. Obſervandum autem, ne dum mel coquitur, ſpecies commiſceantur, ſed tunc demum cum mel ſatis eſt coctum ac concretum: aliàs enim ſpecierum virtus ignis vehementiâ diſſipabitur. Proportionem verò inter mel & pulveres hanc tenent artifices, ut ℥ j. mellis pulverum ʒ j. aut ʒß. prout uſus exigit, adjiciant. Verum diſtinguendi quoque ſunt pulveres; mitiores enim ad ʒ j. fortiores ad ℈ j. ℈ß. gr. VI. aut IV. addi debent, v. g. ℞. mell. coct. & concret. ℥ß. vel ℥ j. ⊖ gemm. ʒß. vel ʒj. M. F. ſuppoſitorium. ℞. mell. coct. & inſpiſſ. ℥ß. ſpec. hier. picr. ℈ j. ⊖ gemm. ʒß. M. F. ſuppoſitorium. Eadem ratio eſt peſſorum v. g. ℞. Mell. cochl. ij. parum, addaturque pulv. irid. cyclamin. a. ʒ j. M. F. l. a. peſſus in modum digiti, exiccandi, & uſus tempore oleo commun. vel butyro oblinendi. ℞. Mell. cochl. ij. rad. helleb. nigr. ʒß. ⊖ comm. ℈j. F. l. a. peſſus. Loco mellis etiam recipiuntur, quæ in candelas formantur licet ſint ferè molliora, & adduntur mitigantia alia. Sic in fluxu hæmorrhoidum immodico feliciter id fieri poteſt, ſi ſebo cervino vel hircino commiſceantur ſpecies adſtringentes ex thure, maſtich. balauſt. ſang. dracon. Sic in ulceribus vel ardore etiam uteri fingi poteſt peſſus ex ſevo hircino, qui inungatur linimento de lithargyr. vel de cerusſâ, vel diapomphol. & immittatur. Sic medicamenta pulveriſata etiam aliis liquoribus, v. gr. terebinthinâ, cerâ, adipe, ſevo, ladano, ſtyrace, galbano &c. excipiuntur, probè miſcentur ac in figuram peſſi, cui filum alligatum ſit, aptantur. Pro peſſo v. g. hyſterico & diſcutiente ℞. Sem. nigell. myrrh. a. ʒ ij. fol. ſalv. ʒ j. caſtor. ℈j. gall. moſch. ℈ß. moſch. zibeth. a. gr. ij. ladan. ſtyr. liquid. a q. ſ. M. F. peſſus, qui ſindone obligetur & alligato filo immittatur.

5. *Suppoſitoria, utero & ano debita molliora ἀφορμαὶ magis, vel ſaltim conſiſtentiæ laxioris conficiuntur.* Talia ſunt pro ano quidem globuli ex ficubus inverſis, præterea ex vitello ovi, croco, melle, & ſale, quæ ſimplicia in rarum linteum induntur, & in anum intruduntur. ℞. vitell. ovi n. j. ⊖ comm. ℈j. M. linteoque excepta ligentur filo, cujus appendix aliqua relinquatur, ut pro arbitrio extrahi poſſit; irrigatus oleo nodulus indatur. Verùm hæc paulo rariora ſunt, & certis potius caſibus locum habent, verbi gratia in teneſmo, ubi non tàm ſtimulare eſt animus, quàm demulcere; item in doloribus hæmorrhoidum &c. ita ut magis tunc ſint ἐπίθετα quàm ὑπόθετα. Aſt in uterinis ſuppoſitoriis id frequentius in uſu eſt, adeò ut etiam virginibus hujuſmodi molliora ſuadeantur magis, quàm peſſi ſolidi. Cumque latius hæc pateant, operæ pretium eſt pauliſper hæc diſpicere. Sic talis generis peſſi fiunt (1.) ex ſolis pulveribus aliiſque ſindone exceptis. Legi meretur hanc in rem locus *Ang. Salæ S. 4. eſſ. veget. cap. 3. p. 20.* ubi ſcribit ſe hellebori nigri vim & efficaciam in aliquot gravibus, præſertim matricis, ex menſium retentione, affectibus expertum. Quo caſu fœminis cujuſvis ætatis, temperamenti & conditionis ℈ j. hellebori nigri nodulo ſerico exceptum, per vices renovatum, locis muliebribus applicatum, quoad neceſſitas poſtulaverit, geſtare præcepit, à cujus uſu mutatio & quædam quaſi contractio per totum corpus oborta, eatenus duravit, donec menſes pedetentim promanare cœperint, quod admiratione non caret. Par ratio eſt lanæ carptæ, goſſypii vel linteaminum conceptorum, unde *Paulus & Aetius* peſſus dicunt eſſe lanam conceptam & ad digiti formam rotundam, quâ medicamenta, ſucci olea, unguenta, linimenta, imbuuntur, excipiuntur, ac pudendis muliebribus induntur. Sic in pruritu ℞. lanam carmin. & ad digiti formam contort. imbuatur ſucco centaur. min. & indatur. In menſibus immodicis.

℞. Linteamina in peſſi formam accommodata, imbuantur decocto gallarum, vel liquore ſtyptico. Item formetur peſſus ex bombace, lanâ aut linamentis, & imbuatur linimento, quod habet ſterc. porcin. ℥ß. bol. arm. ʒj. ſucc. burſ. paſtor. vel plantag. q. ſ. vel ℞. Gallar. ʒ ij. balauſt. roſ. rubr. a. ʒiß. colcothar. pil. lepor. a. ʒj. ſucc. acac. hypociſt. a. ℈ij. bol. armen. ʒ ß. excip. ſucc. plantag. F. peſſus. (2.) Sacculi oblongi & medium digitum craſſi, ex linteo raro, vel tenui ſindone concinnantur, ac vel ſimplicibus contuſis ſucculentiſque, ut allio tuſo, nuce moſchat. vel aridorum ſimplicium, ut rad. cyclam. bacc. heder. arboreæ, pulveribus implentur, filo affixo in uterum indendi, ol. lil. albor. caſtor. vel liquore conveniente prius perfuſi.

6. *Glandes & peſſi ſunt vel ſtimulantes, vel mitigantes.* Generalis hic duplex uſus ſufficere poteſt, quod reliqui ſpeciales ſub hoc alterutro militent. Sic ſtimulantes inprimis propriè dicti & duriores ſunt, quæ alvum adſtrictam ſolicitant, quæ aſcarides exſtimulant & necant, quæ exſtimulant clyſteres retardantes, unaque ſenſum quoque obtuſum magis in affectibus ſoporoſis. Frequentiſſimus hic eſt uſus in conſtipatione alvi; item cum ægri vel præ virium imbecillitate clyſteres admittere non poſſunt, vel præ timiditate neſcio quâ aut pudore quodam ſubruſtico eoſdem ſibi applicari nolunt. Suppoſitoria ergò clyſterum ſunt ſuccedanea, & monitoria, ſi ſcilicet reſtiterint, nec injecta ſatis tempeſtivè reddantur, quemadmodum in colicâ fieri & alias aſſolet, tunc enim ſuppoſitoriis evocantur quoque. Eodem modo ſuppoſitoria uterina ſive peſſi ſtimulant in ſuppreſſione menſium, ventoſitate impuritate, retentione ſecundinarum, fœtus mortui & molarum. E contrario mitigant quoque ſuppoſitoria. Verum quidem eſt, omnia ano injecta ſtimulare, id tamen cum grano ſalis eſt intelligendum; Mitigant ſuppoſito-

ria ratione materiæ ex quâ, & ratione modi applicandi con deratа. Mitigant improprie dicta, molliora, & mucilagine anodyna prædita. Mitigant in hæmorrhoidibus immodicis ſiſtendis, fiſſuris ani, quas rhagades vocant ſanandis, in doloribus & inflammationibus ſive ardoribus, è tranſitu acrium humorum enatis, ſedandis, in diarrhœis, dyſenteriis, & teneſmo ipſo pro re nata. Faciunt huc inter alia ungt. de ceruſſa, litharg. di pompholig. Comitiſſ. roſat. popul. ſevum hircin. cervin mucilagines, aliaque, materia enim aliunde facile nota eſt. Tacemus hiantem & relaxatam alvum conſtringentia. Sic & peſſi ſiſtentes in menſium fluxu immodico, anodyni, mundificantes, carminativi, mitigantes ſedantes pro uſibus uterinis faciunt.

7. *Adhibitionem ſuppoſitoriorum limitant partium teneritudo, affectus & circumſtantiæ aliæ.* Cavendum eſt à ſuppoſitoriorum uſu in hæmorrhoidum occluſione-in genere, metus enim eſt, ne rectum inteſtinum inflamment, exulcerent, & in dolores adigant, unde parum tuta ſunt eo uſu, poſtponenda hirudinibus, frictionibus, aut potius ipſis internis aperientibus. Abſtinendum in ſpecie (exceptis dictis mitigantibus) cum hæmorrhoides cœcæ ac dolentes ægrum affligunt, quando podex aut eſt inflammatus aut exulceratus, teneſmo afflictus aut alias tumefactus, ſuâ quippe duritie dolores exaſperant, unde varianda ſunt tunc, quod diximus. Præſtant etiam adhibitis ſuppoſitoriis utriſque utentes decumbere & in lecto quieſcere. &c. *Wedelius.*

Suppoſitoria ex IOH. MICHAELIS.

Suppoſitoria Purgantia.

℞. *Mellis crudi* ℥j. *Muſcerdæ ſeu ſterc. mur.* ʒj.
F. l. a. Suppoſitorium.

℞. *Mellis communis* ℥j. *Spec. hieræ picræ cum agar.* ʒj. *fellis tauri inſpiſſati* ℈j.
F. l. a. Suppoſitorium.

℞. *Suppoſitor acut.* N ij *Illinantur* ☍ *diacolocynth. & aſpergatur* ☉ *cum* ☿ *fixato vel* ⊖ ✱ *vel* ⊖ *gemmæ vel* ⊖ *purgante. Vel*

℞. *Sterc. mur.* ℈ ij. *rad. helleb. albi* ℈j. *cum ſ. q. mellis*
F. l. a. Suppoſitorium.

In Vermibus aſcaridibus.

℞. *Fellis Tauri inſpiſſ. ſucci abſinth. inſpiſſ. ana* ℈j. *aloes myrrhæ ana* ℈ß. *cum ſ. q. mellis*
F. l. a. Suppoſitorium.

Ad Lumbricos alliciendos.

Commendat Quidam ſaccharum penidium in formâ ſuppoſitorii: Ubi etiam convenit ſuppoſitorium ex lardo.

In Flatibus pellendis.

℞. *Pulv. cumini carvi ana* ℈j. ☉ *cum* ☿ *fixati* ʒß. *c. ſ. q. Elect. de baccis lauri & mellis*
F. l. a Suppoſitorium.

Suppoſitoria adſtringentia fiunt ex extractis ſymph. tormentillæ cum ſero hircino & cera.

Ad alvum adſtrictam ſuppoſitoria ex vitell. ovorum ⊖ & butyro certum experimentum, & ubi nullum aliud juvat cum linteo toto inſtar turundæ applicatur, quod eſt arcanum Mulierum.

Turunda in Rhagadibus & fiſſuris ani.

℞. *Emplaſtri de ceruſſa* ℥ß. *camphoræ gr. vj. cum unguent. roſato pomato & oleo roſarum.*
F. l. a. Turunda, oblinatur & indatur in anum.

Suppoſitoria ex Hadriano à MYNSICHT.

Suppoſitoria.

In Epilepſia, Apoplexia, Vertigine, Subeth, Congelatione, Stupore &c.

℞. *Trochiſc. albandel. agarici trochiſcat. ana* ʒj. *hellebori nig. fol. ſenæ ana* ʒß. *ſal. gemmæ, nitri ana* ℈j.
Mellis q. ſ. fiant ſuppoſitoria duo groſſa & oblonga ut eſt moris.

Suppoſitoria Anodyna.

℞. *Sem. Cymini, rutæ ana* ʒ ij *mumiæ tranſmarin. Opii thebaic. ana* ʒj. *flor. papav. errat. croci orient. ana* ℈j. *ſtyrac. calamit. caſtorei veri ana* ℈ß.
Miſc. & f. pulvis, qui melle excipiatur.

Suppoſitoria Stiptica contra Dyſenteriam ventriſque fluxus.

℞. *Hypociſtidis* ℥j. *gallar. turc. acaciæ ana* ℥ß. *cort. granator.* ʒ iij. *rad. althææ, glycyrrhiz. ana* ʒj. *corn. cervi uſt. croci martis, ſang. draconis ana* ʒß.
Miſc. & cum albumine ovorum & ſucc. plantaginis f. l. a. ſuppoſitoria.

Suppoſitoria Dyſenterica Anodyna & ſomnum conciliantia.

℞. *Mellis cocti* ℥ iij *ſem. hyoſcyami alb. papav. nigri, ana* ʒ iß. *opii thebaici, balauſtiar. ſpodii, olibani, ana* ʒj. *flor. papav. errat. crocis Orient. ana* ℈j.
Miſc. & fiant l. a. ſuppoſitoria.

Suppoſitoria Carminativa.

℞. *Cort. Aurantiorum, flor. chamomill. ana* ʒ iß. *ſem. cymini, carvi, ſeſelios, ameos. agni caſti, cherefolii, rutæ ana* ʒj *Pul. colocynthid. ſalis vulgaris. ana* ʒj.
Mellis q. ſ. Miſc. & fiant l. a. ſuppoſitoria.

Sus, vid. *Porcus.*

SYCOMORUS.

Sycomori nomen adeptus eſt hic fructus à ſimilitudine quam ad utrumque fructum, ficum & morum habet. Unde ridiculos eos eſſe ait Galenus, qui Sycomora dicta putant quòd μωρῶς σῦκοις, id eſt, fatuis ficubus ſimiles exiſtant? quibus verbis Dioſcoridem notare videtur; nec quenquam hactenus inter probatos autores Græcos vidimus qui per ω ſcribat, inquit J. Bauhinus.

Dicitur etiam hæc arbor Sycaminus.

Eſt autem Sycomorus nihil aliud quam ficus genus fructu ex arboris trunco exeunte.

Vires. Pomum Sycomori alvo utile eſt, ſed perquam exiguum præbet alimentum, ſtomachoque adverſatur, refrigerandi & humectandi alvumque lubricandi vim ei attribuunt, unde febricitantium ſtomacho utiliter imponitur cum roſaceo. Galenus in curatione tumoris ex craſſo vaporoſoque ſpiritu mirum in modum commendat emplaſtrum διὰ Συκομόρου.

Lachryma arboris vim habet emolliendi, vulnera conglutinandi, & ea diſcutiendi quæ ægre maturantur. Bibitur etiam nec non & illinitur contra Serpentum morſus in ſcirrhum induratos lienes, ſtomachi dolores atque perfrictiones: celeriter vero teredinem ſentit.

Fiebat antiquitus & vinum è Sycomoris, quod facile in acetum acre degenerabat *Raius.*

Sylphium, vid. *Laſerpitium.*

SYMPHITUM.

Symphitum Maius.

Symphitum ἀπὸ τοῦ συμφύειν connaſci dictum eſſe manifeſtum eſt, ὅτι τὰ κρέα συμπήγνυσι, quod carnes conglutinet dum coquuntur additum. Floribus cylindraceis, pendulis cum cerinthe convenit, ſeminibus ad ſingulos flores, quaternis iiſque lucidis & politis lithoſpermi inſtar, ab eadem differt.

Nomina. Conſolida major *Ger.* Symphitum magnum

gnum *I. B.* majus vulgare *Park.* Symphitum conſolida major *C. B.*

J. B. Læto (& humido) ſolo ſatis obvium, radices ſurculoſas & craſſas demittit, foris nigras, intus albas, ſapore fatuo, ſed magnopere viſcido & lento. Caules ſeſquicubitales & altiores (craſſitudine digitali) inanes hirſuti, aſperi, & membraneis foliorum alatis appendicibus inæquales. Folia Helenii foliorum formam pene imitantur, acuta, rugoſa, hiſpida (marginibus æqualibus) nullo ordine poſita. Flores in ſummitatibus caulis & ramorum ſimul multi (antequam aperiuntur caudæ Scorpii in modum revoluti, veluti flores Echii Scorpioidis dicti aut Heliotropii,) penduli, nolarum inſtar, non raro ex pallido & luteo candicantes, interdum purpuraſcentes, ex calice hirſuto in quinque ſegmenta acuta diviſo, ipſi pariter ſummo margine in totidem acutas lacinias partiti, quibus totidem in penito flore adnatæ ligulæ herbidæ, totidemque ſtamina brevia cum ſuis apicibus albidis in interſtitiis ligularum, ſtylus longus flori concolor è centro calicis oritur, dilapſo flore reſiduus, circa quem ſemina quatuor ſimul juncta calicis fundo adnaſcuntur. Semina Echii ſimilia calore pullo Anchuſæ degeneris dictæ, ſplendentia velut lithoſpermi, iiſdemque magnitudine paria.

In aquoſis ad rivos & foſſas: Maio menſe floret.

Vires. Vulnerarium eſt è præcipuis celeberrimum, mucilaginoſum incraſſans, humorum acrimoniam obtundens. Uſus præcip. in fluxionibus quibuſcunque, inprimis alvi, in eroſione pulmonum ac phthiſi. Schrod. ego (inquit J. Bauhinus, cum quo etiam ſentit C. Hofmannus) nolim uti radice Symphiti in omnibus vitiis è thorace expurgandis, ſed tantum in iis quæ eveniunt à tenui, ſubtili & calida materia.

Flores in vino rubro coctos, biſque in die ſumptos in cruenta urina optimos ſcribit Camerarius.

Extrinſecus vulnerum ſanguinem ſiſtit, & fracturas oſſium conſolidat, quotidianâ experientiâ atteſtante; unde & Anglice à nonnullis Bone-ſet dicitur. Hujus virtutis in vulneribus agglutinandis & fracturis oſſium conſolidandis evidens argumentum eſt, ſi modo verum experimentum illud à veteribus proditum, quod ſcil. radices Symphiti (majoris) carnium fruſta quibuſcum coquuntur cogant ita ut coaleſcant.

Radices recentes minutim conciſas, tuſas & impoſitas ad dolores podagricos leniendos, & ulcera ſerpentia aut etiam gangrænas compeſcendas commendat Parkinſonus. Explicatius *D. Hulſe.*

Recipe hujus radicum quantum vis; tunde in mortario donec in maſſam redigantur, quæ ſuper alutam extendatur & applicetur parti dolenti.

Medicamentum hoc ad dolores podagricos & nonnunquam etiam iſchiadicum leniendum valere iteratis experimentis atteſtantibus ab amico quodam certior factus ſum. Quin & multos eo uſos ad brachiorum dolores cum motus privatione conjunctos: aliquem etiam ad venereum quendam poſt multas embrochationes fruſtra tentatas, non ſine ſucceſſu.

Radyx Symphiti ſiccata & pulveriſata in aqua tepida fontana diſſolvatur, agitando uſquedum à ferrumine aut viſco Symphyti lenteſcere ex parte aqua advertitur: quod ſimpliciſſimum medicamentum tum adverſus hæmorrhagias, tum fracturas & luxationes artuum ſolertiores Chirurgorum multis aliis compoſitis anteponunt. laborat quidam ulcere cacoethe, quod Chirurgi cancrum pronunciabant, ſed curare non poterant: accedens Ægyptia accipiebat Rad. Symphiti majoris & deraſo ſuperiore cortice nigricante, reliquam ut poterat contuſam & linteo induſiam quotidie bis imponebat. Æger convaluit. cancer tamen recens erat, nec octo aut decem circiter ſeptimanas exceſſerat. D. Soame ex obſervat. Hieron. Reuſneri à Velschio editis. *Raius.*

SYMPHITUM MINUS, vid. *Bugula.*

SYMPHITUM MINIMUM, vid. *Prunella herba.*

SYRUPUS, vid. *Sirupus.*

LIBER XIX.

Continens ea quæ incipiunt à Literâ

T

TABACUM.

Nicotiana dicta eſt hæc herba à Joanne Nicotio Ulyſſiponæ Luſitaniæ Regis Galliæ Legato, quam à Belga quodam è Florida allatam accepit, & in Galliam intulit, anno 1559.

Tabacum dicitur à Tabaco inſula Floridæ adjacente C. Hofman. quod nomen aliis omnibus quibus inſignitur prævaluit.

Braſiliani dicuntur vocare Pætum ſeu Petum. Botanici nonnulli ob vim narcoticam ei cum Hyoſcyamo communem Hyoſcyami ſpeciem faciunt, & Hyoſcyamum Peruvianum appellant. Verum cum facie externa diſtet, & partium præcipuarum, floris puta & ſeminis ejuſque conceptaculi figurâ, quantumvis viribus conveniat, ab Hyoſcyamo diſtincta & ſui potius generis planta cenſenda eſt.

Notæ ejus ſunt flos è tubo longo in latitudinem expanſus, vaſculum ſeminale bivalve, ſeminibus minutiſſimis innumeris refertum. Folia in caulibus alternatim poſita.

Vires & Uſus. De Nicotianæ ſeu Tabaci viribus & uſu multi multa. Peculiarem Tabacologiam conſcripſit Joannes Neander, Medicus olim Bremanus, & inde Alſtedius in ſua Encylopedia: Chryſoſtomus etiam Magnenus: Raphael Thorius hymnum compoſuit de Tabaco: ſatis itidem prolixus eſt in ejus deſcriptione Nicol. Monardes in ſimplicium Medicam. hiſt. cap. 14. vires ejus ſummatim tradunt Schroderus & J. Bauhinus.

Herba recens abſtergit, incidit, reſolvit, aliquantulum aſtringit, reſiſtit putredini. Sternutatoria eſt, apophlegmatizans, anodyna, vulneraria, vomitoria. Uſus præcip. externus, ad catarrhos cerebri exſiccandos, ſomnum inducendum, laſſitudinem ex labore diſcutiendam, ureti ſtrangulatum compeſcendum.

A peſte præſervat (in ſuffitu) ſedat dentium dolores: diſſolvit tumorem uvulæ (in gargar.) medetur lichenibus, phthiriaſi, prurigini, achoribus ac favo; mundificat & conſolidat vulnera & ulcera inveterata, ſanat ambuſta quoquomodo adhibita (balneatione ſcil. vel ſola impoſitione foliorum recentium noſtratis Nicotia-

næ, &c.) nec tamen prorſus uſum quoque refugit internum, dum pro vomitorio exhibetur ſat violento, qua ratione curat febres alioſque morbos: ſed cautione hic opus eſt.

Fumi Nicotianæ in tubo accenſæ ore attracti & redditi per totam Europam uſus eſt creberrimus: pituitam elicit & catarrhos exſicca, unde evacuatis oris & faucium glandulis dentium dolori & capitis gravedini auxiliatur.

Verùm quoniam calfacit & exſiccat, uſus ejus minus utilis eſt, imo nocivus iis qui calidioris ſunt temperaturæ, biliosis & macilentis; ut in memetipſo expertus ſum, niſi cum dentes dolent & fauces humore turgent.

Sunt qui fumi hoc modo accepti uſum damnant, audivi (inquit C. Hofmannus) à militibus in Belgio verſatis vidiſſe ſe diſſecta capita eorum quibus patera cerebri ab Anatomicis dicta tota interius eſſet nigra, licet à carnifice interiiſſent. Audivi à Patricio Norico qui in ſuperiori bello Bohemico vidit omnes qui in conflictu cum hoſtibus interierint Anglos habere talia capita; Hinc diſcant ſapere qui alias ſapere nolunt. Idem nobis affirmant Dom. Boucheret Pharmacop. Londinen.

Si hæc vera ſint (de quo tamen eſt cur dubitem) non inde tamen ſequitur fumum nocivum eſſe, cum multos novimus qui hodie & copioſe per plures annos eo uſi ſunt, ſanos tamen & validos vitam ad extremam ſenectutem produxiſſe, nec ullum inde incommodum, ſed potius maximum juvamen percepiſſe: aliis enim ventriculum refocillat & concoctionem promovet, aliis alvum leniter ſolvit: alii nullum inde commodum, at neque damnum ſentiunt, quibus uſus ejus adiaphorus eſt.

Uſum hujus fumi prius in Angliam intuliſſe dicitur D. Gualterus Raleghe, ex America redux, ubi ſervos & mancipia eo uſos obſervavit ad ſomnum conciliandum.

Foliorum pulvis inſpiratus attractuſque naribus (qui mos in Italia uſitatiſſimus eſt) verbera & cujuſvis generis ſupplicia non ſinit ſentiri, vires addit, auget animum & ad labores tolerandos infractam vim, verum in eo utendo cauto opus eſt, ne modum excedas. Hernandes.

Folia nicotianæ viridia, contuſa & applicata ſedant dolorem podagricum & vim obtinent narcoticam. Inde etiam æſtum & puſtulas ab urticis excitatas nicotianæ ſuccus aut folium viride applicatum reſtinguit & ſanat.

Modum quendam purgandi cerebrum ſingularem refert Joannes Terentius notis in Hernandes quem à Capoccino quodam didicit, qui ſe multos à podagra liberaſſe aſſerebat. Ex nicotianæ arido folio quantum juglandi poſſis includere ſumitur, digitiſque compreſſum linteolo mundo, vel ſerico includitur, & in nodulum nucis ponticæ magnitudine figuratur, filoque compingitur. Cum nodulum ori indimus & lingua ad palatum ſublevamus per dimidiæ horæ ſpatium ſtatim effluit pituita tenaciſſima, fili inſtar ex ore dependens, quæ capite inclinato in vas ſubjectum excipitur. Et licet aliqua cerebri vertigo ſequatur, ea tamen niſi cerebrum admodum calidæ ſit naturæ ſtatim evaneſcit, eſtque omnino innoxia.

Nonnulli nicotianam ob vim narcoticam frigidam eſſe volunt. Verum calidam eſſe arguunt, odor reſinoſus non ingratus, & ſumma acrimonia, quâ & fauces urit, & non minore purgat per vomitum violentia quàm ipſe helleborus, ut experientia multorum conſtat. Tandem nullum (inquit Joan. Terentius) hactenus innotuit narcoticum, quod non ſit calidum.

Ad calculum è renibus abigendum uſus aquæ ſtillatitiæ nicotianæ viridis plures tenaciter adhærentes abegit. Cheſneau ex Zacuti lib. 2. prax. mirand. obſerv. 66. E collectaneis D. Hulſe.

Ad dentium dolorem ℞. Tabaci probe calcinati in crucibulo, inde in cavum dentis, & ſtatim dolor ſedatur, ut pluries expertus ſum, Cheſneau. Olei Tabaci gt. j. vel altera linguæ vel ori felis aliuſve animalis inſtillata ocyſſimè illud interimit. Franciſcus tamen Redi obſervat non omnia animalia interficere oleum, neque quæ perimit, eodem omnia temporis ſpatio: cum magna hoc reſpectu intercedat differentia inter Tabaci plantas, interque animalia in quæ agit, D. Tancred. Robinſon. utuntur Chirurgi ad torporem ubi membra abſcindunt D. Palmer è dictatis D. Hermanni.

Commendo uſum Tabaci in peſte; me enim liberabat peſte correptum; omneſque fere domus, in quibus hæc planta vendebatur & Noviomagi & Londini liberæ erant à contagio cum vicinæ infectæ eſſent. Diemerbrochius de peſte. Ex adverſariis D. Tancr. Robinſon.

Ad paralyſin, ℞. Folia Tabaci viridis, infundantur in vino malvatico, hoc vino fricentur partes reſolutæ poſt ſudores. Præſtat omnibus externis remediis, Hartman. Communicavit ingenioſiſſimus vir. D. Edv. Hulſe.

Teſtatur Anton. Recchus fumum Tabaci in uterum inſpiratum, in ſuffocatione ejus, in difficili anhelitu, mulierum Anguſtia, ſyncope, mira præſtare, atque dicto citius. Ex excerptis D. Hulſe.

Folia Tabaci ſi manui, chartæ aut linteo affricentur, colorem pulcre viridem præbent. Obſervante D. Merret. notis in Anton. Neri p. 265. exemplum violentæ vomitionis ſemper immediate ſequentis inſperſionem pulveris Tabaci ſuper femur contuſum & laceratum habetur Ephem. Germ. An. 12. obſ. 108. ut me monuit D. Tancr. Robinſon.

Nobilem virum adeo pinguem vidi, ut equo inſiſtere nequiret quin ſtatim ſopiretur, nec loco fere moveri poſſet: ille tamen nunc huc, nunc illuc vadit, mole illa deperdita, & priſtinum habitum recuperavit, quod ſola maſticatione foliorum tabaci peractum fuit, ut ipſe mihi aſſeveraverit; pituitoſis enim & frigidis corporibus utile eſt. Petrus Borellius cent. 2. obſ. 2.

At maſticatio Tabaci non ſemper & in omnibus eundem effectum habet, ut ipſe experientiâ didici in amico quodam noſtro, qui ob id nihilo macilentior effectus eſt: affirmavit tamen ejus uſum dentes antea vacillantes firmaſſe.

Novi tres juvenes robuſtiſſimos à dyſenteriis liberatos propinando decoctum Tabaci, quod maxima ſua violentia totam mali cauſam evacuavit, & reliquit anodynam & narcoticam qualitatem Diemerbrokius obſ. Medic obſ. 19. quamvis hoc iis bene ceſſerit, nimis tamen temerarium foret, me judice, illud in exemplum trahere, & nicotianæ decoctum dyſentericis promiſcue propinare, purgat enim violenter tam per vomitum quam per ſeceſſum.

Williſius noſter Tabaci uſum in caſtris commendat, poſſe enim commeatus inopiam, quæ inibi frequens eſſe ſolet, ſupplere & milites laborum & periculorum minus ſentientes efficere. Morbis inſuper caſtrenſibus, colicæ, diarrhææ, ulceribus capitis & artuum doloribus, apprime conducit, tam præſervando quam ſanando.

Lixivium Tabaci frequenter adhibetur in pſora & lepra pecudum ac jumentorum D. Tancred. Robinſon, qui & præcedentem obſervationem miſit.

Nocumenta & incommoda quæ uſum tabaci ſequi ſolent videri poſſunt in Sereniſſ. Regis Jacobi tract. de Tabaco, & Simonis Paulli de abuſu Tabaci. *Raius.*

TABELLÆ.

De iis vid. ſub titulo *Rotula* Hic rurſus tantùm paucula ex Pharmacopæâ *Lemortiana & Bateana.*

Tabellarum Præparatio ex D. LEMORT.

Immodicus Sacchari uſus in tota fere Medicina Galenica obviam venit, unde non minimus eorundem *Medicament-*

dicamentorum contemptus & *faſtidium* ortum duxit: imo per nimiam *ſacchari fermentabilitatem* & pulverum,in eo dilutionem *vehementius diviſa à ſe invicem particulæ*,& *figuram* & *efficaciam* ſuam *citiſſime* contra intentionem Medicam & cum damno *Ægrorum mutant*. Non alibi autem manifeſtius hæc ratio valet,quam in *Tabellis*, quæ fere totæ quantæ quantæ ſacchatum ſunt,in gratiam autem *delicatulorum* hæc *ſemi-medicamenta* huic etiam ordini inſeremus, præcipue, quoniam hæc non raro *Aulicis Medicis*,ut & *guſtum* potius, quam vires medicamenti expetentibus *delicatis*, & palato ſuo deditis arridere obſervemus.

Tabellæ igitur *ſunt Electuaria ſolidiſſima*, *ob ſolum guſtum,ſi mero interno uſui deſtinentur;& maſticationem gratam paranda. Diverſæ* attamen fieri queunt pro *intentione* & lubitu Medici & Ægri. *Saccharum* ſola baſis & recipiens exiſtit in hoc medicamenti genere, unde etiam, ubi Saccharum ad *ſoliditatem* reducendum præſcribit *Medicus* ad *Tabellati* conſiſtentiam illud coquendum eſſe dicit. *Sequentes* exiſtunt differentiæ:

1. Fiunt è meris *pulveribus* & *Saccharo* : Pulveres hi vel mere *terreſtres* ſunt,ut perlæ,&c.& in minori quantitate permiſcentur, vel gummoſi & reſinoſi exiſtunt, & in majori copia *Saccharo* coctò adduntur, unde præparatio variat.

Tabellæ Perlatæ.

℞. Sacchar. albiſſim. cum aqu. Roſar. ad conſiſtentiam tabell. percocti ℔ j. *margarit. præpar.* ℥ ß.

M. f. ſ. l. a *Tabellæ*.

Vires. *Cardiacæ ſunt, acidum infringunt, ſed præſtat Perlas præpar. in ſubſtantia exhibere.*

Tabellæ purgantes.

℞. Scammon. præpar. ʒ j *rad. jalapp. Fol. Senn. an.* ʒ ij. *rhabarb. el.* ʒ iij. *merc. dulc.* ℈ j. *Sacchar. albiſſ. in aq. vel infuſion. Tanaceti ad tabell. conſiſtent. cocti* ℔ j.

M. f. ſ. l. a. *Tabellæ*.

Vires. *Alvum leniter ſubducunt, vermes necant, putredini reſiſtunt. Doſis à* ʒ ß. *ad* ℥ ß.

Pro Vermibus Tabellæ.

℞. Sem. zedoar ʒ ij. *corall. præpar.* ʒ iß. *camphor. gr. vj. merc. dulc. croc. mart. aper. an.* ℈ ij. *ſantal. rubr. ſcammon. ſulph. an.* ʒ j. *ſacch. albiſſim.* ʒ vj.

Infuſionis limpidæ ex Tanaceto & abrotano cum aqua ferventi factæ.

Coquatur *Saccharum* ad conſiſtentiam *Tabellati* cum illa infuſione coagulanti immiſce pulveres, celerique manu effunde, & in debitas *formas quadratas* mediante cultello reducito, quibus adhuc calentibus ſuperliniatur aliquid olei fœniculi ad gratiam, dein ad uſum recondantur.

Vires. *Vermibus & putredini reſiſtunt, leviſſime purgant, infantibus proſunt in lienis obſtructione &c. Doſis à* ℈ j. *ad* ʒ j.

2. Fiunt & ex *acidis*, verum minima quantitas *acidi* eum poſſit admiſceri, *ſequenti* modo procedendum eſt:

Tabellæ de Berberis.

℞. Sacchar. albiſſ. pulveriſat. ℔ j *incaleſcat, donec fere liqueſiat, dein adde ſucci berberorum evaporat. ad medias* q. ſ. M. f. ſ. a. *Tabellæ*.

Vires. *Leviter refrigerant, ſitim temperant, unde conveniunt in morbis, & febribus ardentibus &c. Doſis pro re nata.*

Eodem modo fiunt *Tabellæ* de ſucco Limonum &c.

3. *Olea ſtillatitia* non facile Saccharo permiſcentur, quin ſolidam conſiſtentiam tollant, ideoque hunc in modum confici ſolent:

Tabellæ Garyophillatæ.

℞. Sacchar. ad conſiſtentiam tabell. cocti ℥ v. *huic fere coagulato adde olei garyoph. gut. vj.*

M. f. ſ. a. *Tabellæ*.

Vires. *Ventriculum roborant, frigidis morbis è viſcida intemperie ortis medentur.*

Etiam effuſo in *Tabellas* ſaccharo, cum plumaceolo *oleo* imbuto ſuperficies ſacchari calentis leviter obduci poteſt; ſic oleum abſorbetur, & *Tabellæ odore* & *ſapore olei* imprægnantur.

Hæ tabellæ notiores eſſe ſolent iis, qui Condimenta varia è ſaccharo conficere ſolent, quam Pharmacopæis, quoniam. ut ſuperius dictum potius ad gratiam, quam ad vires inde obtinendas conficiuntur, ideoque non diu hiſce immoramur.

Sacchari deſcriptionem hic obiter addemus, ad meliorem notionem inde obtinendam tam in viribus ejus Medicis,quam in *præparationibus* compoſitionum. *Saccharum* eſt ſuccus arundinis condenſatus, naturaliter conſtans particulis aquoſis, viſcoſis, ramoſis & terreſtribus. Viſcoſæ,& aquoſæ partes plurimæ mediante arte ab ipſo ſeparantur, unde magis ſolidum & durabile ſaccharum evadit: Aquoſo viſcoſa pars enim ab *Aeris* humido facile diſſolvitur,& diffluit in nigricantem ſuccum fluidum. Cæteræ partes Viſcoſo-ramoſæ albicant, quæ albedo eo intenſior eſt,quo aliæ magis ab hiſce ſeparantur; inde etiam *ſoliditas ejus* major vel minor exiſtit: Hæ maximè in uſum trahuntur pro *Tabellis* conficiendis; Cæteræ non adeo, ut dicunt, reſinatæ pro ſyruporum confectione ſufficiunt,quæ & meliores ei uſui ſunt, quoniam non facile concreſcunt in *criſtallos* &c. Quoad cæteras ejus *actiones in ejus mixtione*, extractione &c. hæ præcipuæ ſunt:

1. Non facile *oleis* vel pinguedinibus aſſociatur coctum,vel ſolutum ſaccharum,ſed tantum *pulveriſatum*.

2. *Acidorum conſortium ipſi inimicum*, ſi ſolidam retinere & recuperare debeat conſiſtentiam; imo & *color* illius exinde mutatur, ut in ſyrupis notavimus.

3. Valde *inflammabile* eſt ob partes ramoſas ibidem exiſtentes in ſat magna copia.

4. *Extractionem difficillime* admittit menſtruis *ſpirituoſis* vel ramoſis, *diſſolutionem* autem *facilem in aqua*.

5. *Spiritum* valde *acidum* in deſtillatione exhibet, ut & oleum empyreumaticum, ut omnia fere ramoſa vegetabilia.

6. *Fermentationem* facillime ſubit dilutum cum *aqua*.

7. *Alcalia* in ipſo *deliquationem* partium *aquoſo-viſcoſarum* promovent,unde in uſum trahuntur lixivia è *calce* confecta ad ipſius depurationem.

Ex hiſce ejus natura ſatis patet, & quodnam Saccharum pro *Tabellis* præcedentibus, Syrupis & conſervis eligendum ſit; iis ergo nunc diutius non immorabimur brevitati ſtudentes. *Le Mort.*

Tabellæ variæ ex Pharmac. BATEANA.

Tabulæ Abſinthiacæ.

℞. Sacch. albiſ. ℔ j. *Aq. Abſ. q. ſ. coq. ſ. a. inſtillando* 🜔 *ſt. Abſ. gut.* 60; *& effunde in marmor.* Stomachicæ, hepaticæ, ſpleneticæ, &c.

Tab. Amydaloïdes.

℞. Partium albar. benz. opt. ℥ j. *Fl.* 🜍 ℥ ij. *irid flor.* ℥ i ß. *ſang. dracon.* ʒ j. *ſacch. alb.* ℥ xij. *mucilag. gum. trag. in* 🜄 *oſ. extract. q. ſ. f. Tabul. ſ. a.* In Aſthmate, Tuſſi, Phthiſi, &c. præſtantiſſimæ.

Tabul. de Angelica.

℞. Rad. Angelic. rec. ad mollitiem coct. & per ſetaceum traject. ℥ i ß. *ſacch. opt.* ℥ xij. *mucilag. gum. tragac. q. ſ. f. Tabulæ albiſſimæ.*

Tabulæ Anthiſynanchicæ.

℞. Flor. ſulph. ℥ j. *cyncopri ſubtilit. pulver.* ℥ iij *ſang. dracon.* ʒ ij. *olei aniſi gut. vj. ſacch. albiſſ.* ℥ viij. *cum mucilag. gummi tragacanth. q. ſ. f. Tabellæ.*

Tabellæ de Aurantiis.

℞. Cortic. externi aurant. citri limonior. candefactor. an. ℥ j. *confection. aniſi & zingiber. an.* ʒ iij.

Galang. ℈ ß. *caryoph. num.* II. *nuc. m. condit. num.* 2. *Aromat. Roſat.* ℈ IV. *Amygd. decort. rad. eryng. candefact. an.* ℥ j. *pinear. piſtach. an. nu.* x. *moſch. zibet. an. gr.* 4. *Ambr. griſ.* ℈j. *ſacchar, alb.* ℔ ß. *mucil. tragac. in* ▽R *oſ. fact. q. ſ. ut ſ. Paſta, & exinde Tabulæ ſ. a.* Antiſcorbuticæ Cordiacæ, Carminativæ &c.

Tab. Burgeſianæ.

℞. *Glyc rec.* ℔ j. *decoct. paſſular. ſcabioſ. & violar.* ℔ VI. *Infund. per dies* 3. *& coq. ad dimid. f. expreſſio, quæ exhaletur ad mellaginem: cui adde ſacch. cand. alb. pulverat.* ℥ XII. *gum. tragac. pulverat.* ℥ ij. *ol. aniſ. gt.* xx. *ambr. griſ. gr.* iij. *contunde opt. ut f. maſſa, ex qua formentur Tab. vel Rotulæ, ſ. a.* Bechicæ, Cardiacæ, &c.

Tab. Cardialgicæ.

℞. *Cret. candid.* ℥ ij. *oc.* ♋ ℥ j. *nuc. m.* ʒ j *ſacch. albiſ.* XII. *mucilag. ſem. cydon. q. ſ. ut f. Tabulæ.* Titulus demonſtrat vires.

Tab. Carminativæ.

℞. *Sem. Dauci com. pulverat.* ℥ j. *ſacch. opt. in decoct. ſem. dauci com. ſolut.* ℥ xij. *coq. & effunde ſ. a. Aliter.*

℞. *Sem. Cardamom. craſ. pul.* ℥ j *flaved. cortic. aurant. minutiſſ. inciſ.* ℥ ij ß *ſacch. opt. in* ▽R *oſ. cum tertia parte* ▽ *Thymi ſolut.* ℥ xvj. *coq. & effund. ſ. a.* In flatu optimum Remedium.

Tab. Catharticæ.

℞. *Diagryd.* ʒ i ß. *crem. tartari,* ʒ vj. *ol. ſt. caryoph. gt.* vj. *ſacch. albiſſ.* ℥ IV. *mucilag. gum. tragac. in* ▽R *oſ. fact. q. ſ. f. Tabellæ ſ. a.*

Tab. Dialthææ.

℞. *Pulveris Rad. alth.* ℥ ij. *glyc.* ℥ j. *Fl.* 🜂 ʒ vj *gum. tragac.* ʒ ij. *ſacch. opt.* ℥ xij. ▽ *pectoralis q. ſ. f. Tab. ſ. a.*

Tab. Diambræ.

℞. *Spec. Diambr.* ℥ ß. *ſacch. alb.* ℥ viij. ▽ *cinnamom. q. ſ. coq. ſ. a.* Cardiacæ, Cephalicæ, ſtomachicæ, &c.

Tab. Di tragacanthi.

℞. *Spec. Diatragac. frig. rec. fact.* ℥ ß. *moſch. ambr. griſ. an. gr.* j. *zibeth. gr.* 2. *ſacch. opt.* ℥ xij. ▽R *oſ. Dam. q. ſ. cont. in maſſam, & f. Tab. albiſſima.*

Tab. Divinæ.

℞. *Lact. Apyrothii* ℥ ij. *ſacch. alb.* ℥ vj. *mucil. cydon. q. ſ. f. Tab. drachmales.* In hæmorrhoidibus curandis Arcanum eſt. Valent præterea in ſcabie, aſthmate, &c. Doſ. nu. 3. vel 4. bis vel ter in die.

Tab. Embryonum.

℞. *Pulverum Rad. biſtort. ebor. coral. r. coriandr. ppt. an.* ℥ ß. *ſuccin. alb. cryſtall. bacc. cherm. an.* ʒ ij. *ſacch. alb.* ℥ xvj. ▽ *cydon. q. ſ. coq. ſ. a. addendo ol. cinnam gt. vj. & effunde.* Vitium ſunt magnarum in Abortu præcavendo, fœtu roborando, &c.

Tab. Emeticæ.

℞. *Stibii ſubtiliſſ. pulveriſat.* ℥ ß. *ſacch. opt.* ℥ IV. *ol. aniſ. gut.* v. *mucilag. gum. tragacanth. q. ſ. f. Tabellæ.* Doſ. gr 16. ad 40.

Tab Farfareæ.

℞. *Fol. tuſſilag ſereno cœlo collect. & (abſterſâ mucoſitate aridâ, cum linteo madido, irrigando demum Vino Hiſpan. & exiccando) pulveriſat.* ℥ ß. *glyc. pulveriſat.* ℥ ß. *ſacch. cand. alb. ſubt. pulveriſat.* ℥ xij. *gum. tragac. in decoct. Pector. ſolut. q. ſ. f. Tab. vel Troch. ſ. a.* Pectorales ſunt efficaces in Tuſſi, &c.

Tab Fœniculanæ.

℞. *Sacch. opt.* ℔ j. ▽ *Fœnicul. q. ſ. a. inſtillando* ♁ *ſtil. Fœnicul. gut.* 50. *effunde ſ. a.* Ad flatum, colicam, &c.

Tab. Griſeæ.

℞. *Ambr. griſ.* ʒ j. *moſch. gr.* vj. *ſtypter. gr.* ij. *ſacch. cand. alb. pulveriſat.* ℥ xij. *mucil. gum. tragac. in* ▽ *menth. extract. q. ſ. f. Tabellæ* Cerebrum & cor confortant, Spiritus naturales, vitales, ac animales mirificè reficiunt. Doſ. ʒ j. ij. &c, ter vel quater in die.

Tab. Hæmoptoicæ.

℞. *Terræ lemn.* ʒ iij. AB ʒ ij. *lap. Hæmatit. magiſt. eboris, an.* ℈ iv. *rad. biſtort. ſem. hyoſcyam. cort. limon. rec. minutiſ. inciſ an.* ʒ j. *ſem. papav. alb.* ℥ ß. *rhodoſacchar.* ℥ viij. *mucilag. hum. tragac. q. ſ. f. Tabellæ.* Titulus virtutes indicat. ſumantur ſæpè in die.

Tab. Helenii.

℞. *Pulp. rad. enul. rec. coct.* ℥ i ß. *ſacch. opt.* ℔ j. *mucilag. gum. tragac. in* ▽ *hyſſop. extract. q. ſ. f. Tab.* Ad Tuſſes, Aſthmata, &c. valde conducibiles.

Tab. Infantum.

℞. *Reſin. chelop.* ʒ j. *Ziabach. dulc. ſubt. pulveriſat.* ʒ vj. *ſacch. opt.* ℥ iij. *mucil. gum. trag. q. ſ. f. Tab. pondere* ʒ ß. comedantur manè 2, 3, vel 4. ad vermes.

Tab. Lenthales.

℞. *Glyc. rec.* ℥ viij. *aniſ.* ℥ iv. *carvi* ℥ j. *aquarum tuſſilag. hyſſop. praſſii, an.* ℔ j. *infund. in* MB. *dies* 3, *f. expreſſ. fortis, quæ ad mellaginem exhaletur; addendo gum. ceraſ arabic. an* ℥ ij. *tragac.* ℥ ß. *per dies* 2. *infuſ. in* ▽R *oſ. dam.* ℔ ß. *Tum adde ſacc. opt.* ℔ ij. *moſch. ambr. griſ. an. gr.* VI. *pulveris glyc.* ℥ ß. *contunde opt. in dies, & exinde f. Tab. vel rotulæ, ſ. a.* Pectorales ſunt jucundæ.

Tab. de Pipere.

℞. *Cinnam.* ℥ ß, *zz.* ʒ ij. *piper. nu.* ℈ ij. *calam. arom. mac. nuc. m. an.* ℈ ij *gr.* v. *cubeb. cardamom. min. an. gr.* xv. *caryoph. galang. flaved. cort. aurant. crud. rec. an.* ʒ j. *flaved. cort. citri crud. rec.* ʒ j. *Incide omnia craſſo modo, & adde amygd. dulc. excort.* ℥ v. *cort. citri condit.* ℥ j. *ſacch. alb. in* ▽ *menth. ſolut.* ℔ j. *coq. & effunde ſ. a.* Cephalicæ, ſtomachicæ, carminativæ, &c.

Tab. Prunellæ.

℞. *Lap. prunell.* ℥ ß. *ſacch. opt.* ℥ vj. *mucil. tragac. q. ſ. f. Tab.* In ore ſæpe tenendæ ad ſitim in febribus.

Tab. Roſiceæ.

℞. *Roſ. rub. exungul.* ʒ vj. *gum. Arab. tragac. an.* ℥ ß. *ſacch. opt.* ℥ xvi. ▽R *oſ q. ſ. ut fiat paſta. Inde fiant Tab. vel rotulæ, ſ. a. Addi pt. ol. nuc. m. gut. aliquot.* In Catarrhis, tuſſibus inveteratis, &c. proficuæ.

Tab. Saponaceæ.

℞. *Sapon. Ven. opt.* ℥ i ß. *glyc.* ℥ ij. *rad. irid. Fl.* ʒ vj. *Fl.* ℥ ß. *rad. angelic* ʒ ij. *ol. aniſ.* ℈ ß. *ſacc. opt.* ℥ viij. *mucil. tragac. in aq. hyſſ p. fact. q. ſ. f. Tab. vel Troch. ſ. a.* In Empyemate, Phthiſi, &c. optimè valent. expectorationem efficaciter promovent.

Tab. de Styrace.

℞. *Styrac. cal. colat. pulp. paſſul. min. an.* ℥ j. *pulveris glyc.* ʒ vj. *xyloal. cinnam. an.* ʒ ij. *nuc. m.* ʒ ij. ℈ ij. AB. ʒ x. *nuc. moſch. condit. ſiccat.* ℥ i ß. *ſacch. opt.* ℥ xx. *muccag. trag. q. ſ. f. Tabellæ.* Catarrhales, Pectorales, Cordiales, & Tabidis mirè conducibiles.

Tab. Tartareæ.

℞. *Cryſtal. tartari ſubtiliſ. pulveriſat.* ℥ j. *ſacch. opt.* ℥ viij. *mucil. trag. q. ſ. f. Tabellæ,* frequenter in ore tenendæ urgente ſiti.

Tab. Vermifugæ.

℞. *Pulveris c. c. crud. ebor. an.* ℥ i ß. *corallin.* ℥ ß *ſacch. alb.* ℥ viij. *mucil. tragac. q. ſ. f. Tab. ponderantes ſingulæ* ʒ ß. *D. nu.* 3. bis in die.

TACAMAHACA.

Nomina. Tacamahaca *C. B. Park.* Tecomahaca Hernand. Tacamahaca populo ſimilis fructu colore pæoniæ *J. B.* arb. populo ſimilis reſinoſa altera *C. C.*

Col-

Colligitur vulnerata arbore magna ut populus admodum odorata, cujus fructus ruber eſt pæoniæ ſemin s modo. Monard. Fr. Hernandes folia obrotunda, mediocria & ferrata arbori attribuit. Fructum parvum obrotundum, fulvum refertum ſemine nucleo perſici haud abſimili in ſummis ramorum flagellis. Color eſt galbani (nec deſunt qui idem eſſe putent) unguibus albis uti ammoniacum, odore gravi atque etiam ſapore Monard. J. Bauhinus plenius deſcribit, coloris eſt rutili partim, partim flavi pallidioris, veluti ex unguibus diverſis compacta, reſinæ ſtrobilinæ concretione, bullatis tamen tuberculis alicubi cava, ſub dente, in pulverem deſilit primum, mox rurſum recolligitur, lenteſcenſque pro arbitrio ducitur, ſapore amaricante, haud ingrato & aromatico. Suffita jucundum ſpirat odorem, maſtiches fere æmulum, minus vehementem & ſuaviorem nulloque relicto craſſamento conſumitur.

Vires. Magni eſt apud Indos uſus in quocunque affectu, præſertim in omnis generis tumoribus in quacunque corporis parte, ſiquidem mirifice reſolvit, maturat & diſſipat: Tollit etiam omnes dolores ab humoribus frigidis & flatulentis provenientes. Prunis injecta naribuſque admota mulieres uteri ſuffocatione laborantes illico liberat; umbilico emplaſtri modo impoſita uterum ſuo loco retinet, uſu familiariſſimo. Delicatiores Ambram & moſchum addunt. Defluxiones quaſcunque à capite reprimit (linteo, excepta & poſt aurem alteram vel utramque applicata ſuffituve attracta) temporibus adhibita cerati modò defluxiones in oculos aut alias faciei partes revellit, dolores dentium ſedat dentibus corruptis indita.

Ex ea ſtyracis tertia parte & Ambræ momento fit emplaſtrum ſtomacho longe utiliſſimum, ſiquidem illum roborat, appetitum ciet, concoctionem juvat & flatus diſcutit, eodem modo cerebro impoſita. Magnæ eſt efficaciæ in doloribus coxendicis, & omni articulorum morbo præſertim ſi ab humoribus frigidis vel mixtis proveniant. Sola juncturarum aut nervorum vulneribus impoſita, ea curat; nam ſtatim ſuppurat & ſpaſmum prohibet. Ego (inquit Monardes) tertiam partem ceræ adjicio, ut facilius inducatur, hæc omnia Monard. emplaſtrum de Tacamahaca ventri applicatum cephalalgiam lenire dicitur; efficax etiam eſt ad Tumores lienis & duritiès diſcutiendas. *Raius.*

TALCUM, vid. ſub titulo *Lapis.*

TALPA.

Talpa, A Mole, or Mornwarp or Want. Animal eſt ſubterraneum, coloris nigri; reperiuntur tamen nonnunquam albi, cujuſmodi meminit Wagnerus in Hiſt. nat. Helvetiæ, qualem etiam ad me miſit amiciſſimus vir & peritiſſ. Botanicus, *D. Jac. Petiver* in agro Warvvicenſi captum. Pili molliſſimi, breves & denſi. Roſtrum ei ſuillum. Dentes habet *muris aranei* dentibus ferè ſimiles; in ſuperiore maxilla utrinque ad latera ſingulos eminentes, poſteriores ſive interiores multis cuſpidibus ut in *mure araneo* exaſperatos. Lingua eſt tanta quantam inferior oris meatus capere poteſt. Collum inter crura anteriora breviſſimum & pæne nullum. Crura ei breviſſima, & ungues acuti; digiti in omnibus quinque. Vola ſ. palma anteriorum pedum bene lata eſt, & manum refert. Ungues in eiſdem robuſti, & majores, longiores latioreſque quàm in ullâ animante pro ſui corporis modo. Pedes eorumque digiti non deorſum ſed ad latera ſpectant, ad commodiùs fodiendum. Cauda brevis & hirſuta. *Geſner.* Quicquid veteres & Recentiorum nonnulli dicant, oculi nec deſunt talpæ nec ſunt membranâ tecti, ſed ſuâ habent in cute foramina, & cuivis inquirenti ſe facilè conſpiciendos præbent, veluti puncta nigra, ſeminis Minii magnitudine, nervo affixa: inter pilos latitant ut ſi eos preſſius intueri velimus, pilos diffla e neceſſe ſit. Humores iis inſunt, & tunica nigra uvea ſe prodit. *Schneiderus.* Auriculæ nullæ. Lumbricis veſcitur. Humum fodiendo mira celeritate viam ſibi facit.

In Talpa à Schelhammero diſſecta hæc obſervata invenio. Pellis duriſſima eſt & planè nervea, ut niſi acutiſſimo cultello vix cedat: ad defendendum frigus externum, & ad impediendum nè calidi vapores exhalent. Pili tenuiſſimi, & quovis ſerico molliores, ob eandem rationem, ut ſcil. frigus repellant. Nec dubium, inquit, fieri adeò tenues, quia poruli è quibus ipſis eluctandum eſt tenuiſſimi ſunt. Pilos enim pro ratione pororum è quibus egrediuntur majores minoreſve eſſe videmus. Sic iis Animalibus quibus circa os ſetarum more craſſiores excreſcunt, ut Feli, ac Lepori, poros ibi & longe majores & plane conſpicuos eſſe, in aliis partibus minores.

2. Carnoſus panniculus adeò ſimiliter cuti adnexus eſt, ut innatus videatur, ad motum pelli conciliandum, & ad frigus excludendum.

3. Sub hoc membrana tenuiſſima ac pellucida univerſum abdomen unà cum thorace involvens: ſub qua demum muſculi latebant.

4. Muſculi inferioris ventris erant omnino bini, fibris in longum extenſis, ut recti in nobis, conſtantes, ſed latiores, in membraneam ſubſtantiam tandem degenerantes, qua peritonæo firmiſſimè adhærebant.

5. Omentum, quod multis Animalibus deeſt, huic aderat, Inteſtinorum tenuium & craſſorum diſtinctio nulla: ſed cellulis ab initio ad finem omnia plena, ad excrementa retardanda, ob commodiorem chyli ſeparationem, ut in ipſo etiam homine tenuia inteſtina ejuſmodi ſemoris non carent. Oeſophagus ut in *Sciuro*, *Lepore*, *Equo*, &c. in medium ventriculum inſerebatur. Ventriculus intus lumbricos terreſtres continebat, quibus veſcitur præcipuè hoc Animal.

Fel in veſicula ſua contentum manifeſtam dulcedinem cum amarore conjunctam habebat, ut in aliis omnibus Animalibus.

Reliquis omiſſis, quantumvis lectu digniſſimis; quæ de partibus genitalibus habet duntaxat ſubjungam.

1. Penis intus penè totus abſconditus, longiſſimus erat, ut dimidium fere totius Animalis æquaret. 2. *Teſtes* non propendentes, ſed ſub cute; magnitudine renes ſuperabant. 3. *Paraſtatæ* non modo ad teſtes adhærebant, ſed cùm ipſis capiendis non ſufficerent, ſingulari ſacco inſuper eximia earum pars erat incluſa, qui ex fibris carneis conſtabat; ex quo ſacculo demum vas ſeminale prodibat. 4. Corpora extus carnoſa manifeſtò, indeque rubicundiſſima; intus nervea, canali nerveo duriſſimo prædita, qui longè ante veſiculas ſeminales in penem ſeorſim inferebantur. Porro 5. circa veſicam, quæ craſſiſſima, rugoſa, nervea, aliud occurrebat globoſum, carneum parte exteriore, interiore nerveum, in ipſo pene ſitum, in quod cùm ex veſica aditus erat, tum etiam vaſa ſemen deferentia terminabantur, ex quo proſtatas eſſe apparebat. Sed poſt hanc demum inſertionem ex dictis corporibus rotundis, canales illi nervei ſeorſim in penem abibant. Ita ſe habent hujus Animalculi genitales partes, in quibus tantum apparatum haud immeritò admireris. Cùm enim reliquis præter teſtes valdè mediocres, quorum paraſtatæ appendiculæ ſunt, & glandulas proſtatas, veſiculaſve, nihil natura dederit; huic & maximos illos, & paraſtatas ampliſſimas & reliqua; & inſuper novum corpus ſeminale ab his diverſum ac ſeparatum, novis ductibus inſtructum conceſſit, penem etiam facile omnium, ni fallor, anima-

lium longiſſimum. Ex quibus colligere eſt, maximam præ reliquis omnibus animalibus voluptatem in coïtu, hoc abjectum & vile animalculum percipere, ut habeant quod ipſi invideant, qui in hac ſupremæ vitæ ſuæ delicias collocant. Cumprimis verò conſiderari dignum, omnes has partes carnoſis tegumentis muniri, ex quo manifeſtum fit contrahi eas, atque ſic ſeminalem materiam propellere &c. Patet inſuper in hoc animali materiam ſeminalem non ſimplicem eſſe, ſed quadruplicem, cùm ſeorſim ex variis locis confluat idque per ductus ſeparatos & diſtantes. *Raius in Synopſ. Hiſtor. Quadrup.*

OFFICIN. NAT. ex TALPA.

1. *Talpa ipſa.* 2. *Cor.* 3. *Sanguis.*

Vires. 1. Cinis confert lepris, ſtrumis ac fiſtulis, (*illitus cum albumine ovi aut melle.*)

Intrinſecus cum cerviſia aut vino potus curat arthritidem vagam dictam, (*die lauffende Vahren, die lauffende Gicht. The running Gout, De loopende of vliegende Gicht*, & Scrophulas.

Doſis ℈ ß. quotidie aſſumenda.

2. *Cor* Herniam ſanat. (*ſiccatum, pulveriſatum & exhibitum, per dies 3. aut 4. ſcilicet quotidie unum.*) [*vertiginem tamen & palpitationem cordis inducere dicitur.*]

N. *Præſtat menſe Majo collectum.*

3 *Sanguis* recens illitus, capillis calvitiem decorat.

N. *Vulgi opinio eſt, ſi quis talpam manu compreſſerit, ut moriatur, eum à febri eo ipſo anno fore ſecurum, quin & in Paroxyſmo febrili manu retenta, inſultus reprimere cenſetur.* Schroderus.

Talpa.] Loco cineris ſubſtituenda talpa exſiccata. Hujus etiam caro vel *cruor* arcanum eſt in gangræna & ſphacelo, ſi papyro illitus & exſiccatus poſtea aquæ intinctus ita applicetur: item in gangrænoſis mammillarum affectibus conducit. Caro per ſe imponi poteſt.

N. Talpa cum oleo Lini cocta vaporetenus necat, unde contra hoſtium inſultus in navibus incendiariis juxtà adhibetur. Ex communic. m *ſ. Hofmannus.*

TAMARINDUS.

Nomina. Tamarindus *Ger. Park. I. B.* Siliqua Arabica quæ Tamarindus *C. B.*

Arbor eſt grandis, ramis denſis, in latum diffuſis, Alpino pruni, Garciæ fraxini, juglandis, caſtaneæve magnitudine, Marcgravio tiliæ maximæ. Radix craſſa eſt, brachia latè diffundens, cortice rubeſcente. Stipes craſſus, ambitu duorum hominum amplexum æquans, cortice craſſo, cinereo in trunco & ramis vetuſtioribus, in ſurculis minoribus viridi, materie firma non fungoſa. Folia pinnata, filicis fœminæ foliis ſimilia Acoſtæ, pediculo communi & coſta cui pinnæ adnectuntur vix ſpithamam longo, in quo ordinate poſita pinnæ ſeu foliola parva, pollicari forma longitudiue (Paulo plus ſemidigitum longa Marcgr) latitudine ferme ſemidigitali, æqualis undique latitudinis, paulo tamen verſus apicem anguſtiora quam ad pediculum; bina autem exactè ſibi ubique opponuntur, ac arctè ſe mutuo attingunt, apicibus ſubrotundis. Sunt autem foliola tenuia, textura ſolida, plana, infernè dilute viridia, ſupernè ſaturatius; ac interne nervo ſecundum longitudinem eminente, & venulis tranſverſis ſecundum latitudinem, ſed valde exilibus prædita, quæ ſuperne vix conſpiciuntur. Egregiam aciditatem ſapore referunt, & ideo in febribus ſitis extinguendæ gratiâ manducantur flores in ſurculis ſeu pediculis è foliorum ſinubus expreſſis octo aut decem ſimul, Aureæ mali floribus admodum ſimiles formâ exteriore & odore Acoſtæ, octo petalis (H. M. ſeptem) conſtantes, è calyce craſſiolo & rotundo, (odore nullo H. M.) petala quatuor exteriora candida poſtmodum parum ſubflaveſcunt, oblonga cuſpidata, tenuia, nullis venis ſtriata, (Acoſtæ quatuor interiora alba ſunt & craſſiora) tria interiora extremo rotundiora, in oris tenuiter criſpata, colore albo venis rubris variegato, duobus tertio longioribus & latioribus, tertium autem ſurrectum eſt minuſculum, concavum, cuſpide parvo ac ſufflavo eminens. Acoſtæ bina è petalis exterioribus eleganti nervo radiata ſunt.

E medio flore (Acoſtæ quatuor) tria enaſcuntur ſtamina tenuia & incurva & viridia (Acoſtæ candida & corniculorum modo inflexa) primo in unum juncta, poſt verſus folium ſurrectum divaricata, exteriora, apicibus primo flavis, poſtea cum flores ſubflaveſcunt rubro-fuſcis dotata. Stylus ſtaminibus craſſior, inter hæc & folium ſurrectum prodit, qui ſiliquoſum germen eſt.

Fructus lignoſis & craſſiuſculis petiolis ramis appenſi ſunt; ſiliquæ oblongæ, craſſæ, in glandulas tres quatuorve extuberantes, cortice craſſiolo, exterius viridi, fragili, pulpa per maturitatem molli, & flavo ſeu rubrofuſcâ, ad corticem ex petiolo lignoſis filamentis, ſed raris in longum pertextæ, acidi ſaporis gratiſſimi; ſub carne ſiliquæ in membranacea loculamenta in quibus ſemina, diſtinctæ ſunt.

Semina quadrata ſunt & plana, lupinorum æmula, dum adhuc immatura ſunt cortice viridi, diluto & nitente amaro, pulpa intus alba, ſolida & denſa, ſapore adſtringente, maturitatem conſecutæ in oſſeam duritiem cortice rubro fuſco evadunt.

Floret ſemel in anno, menſe Novembri.

Folia Sole occidente ut in Acacia aliiſque ſeſe contrahere ſolent, eoque oriente aperire, ut tradit Alpinus. At vero fructum ſive ſiliquam frigoris vitandi causâ foliis ſeſe involvere ut Alpinus & Acoſta ſcribunt & miraculi loco habent, mihi cum D. Syen fabulam redolere videtur.

Creſcit hæc arbor in Arabia felici, inque India Orientali & Occidentali ſive America.

Vires. Tamarindi humorum acrimoniam temperant, bilem purgant, ejuſque & ſanguinis fervorem compeſcunt, febres acutas & icterum ſanant, ſitim ac omnem ventriculi hepatiſque ardorem extinguunt, vomitum ſiſtunt.

Turcæ & Arabes æſtate longinquum iter ſuſcepturi (ait Bellonius) Tamarindos coemunt, magni in Turcia uſus, non Medicinæ, ſed ſitis reſtinguendæ gratia.

Utuntur Ægyptii, referente Alpino foliis Tamarindi in pueris ad vermes necandos, atqueipſorum vel infuſo, vel decocto ad ſolvendum alvum. Medici Indi (Autore Garcia & Acoſta) folia trita partibus corporis Eryſipelate infectis imponunt.

Arabes condiunt ſiliquas parvas ac virides ſaccharo vel melle Carob, tum etiam grandiores factas atque maturas condiunt ipſarum pulpam ſaccharo, quam per itinera, quæ in deſertis Africæ locis conficiunt, ſecum viatores deferunt. Qua ſæpe calefacti ac ex calore itinereque inflammati valde ſitientes refrigerantur atque ſitim reſtinguunt. Per alvum plurimum calidorum humorum ſubducentes atque evacuantes.

In febribus verò peſtilentibus, atque omnibus aliis ex putridis exurentibus, aquam in qua multa copia Tamarindorum infuſa fuerit cum ſaccharo ebibunt: potus ſiquidem ex calore ſitientibus jucundiſſimus eſt, maximèque refrigerat & ſitim extinguit, præterea ad gonorrhæam uſum Tamarindorum frequentant. Fallopius etiam in gonorrhæa bilioſa laudat.

In bilis redundantia, ſanguinis fervore & ebullitione ſiti infeſta, morbis cutaneis & præſertim ictero ſimplex medi-

medicamentum ex caſſia fiſtula cum Tamarindo, una cum ſaccharo vulgo dicto Jagra de canna ab Indis datur, quod leniter alvum ſolvit H. M.

Affertur ad nos Tamarindi fructus non integer, ſed contuſus, ut bene compactus non admittat aerem externum.

Annos tres ſervantur in vaſe vitreato, ſtricti oris, & bene obſtructo, & in locum purum & perflatilem ſepoſito, niſi externus vel calor vel humor putredinis initium ipſis attulerit.

Nonnulli Tamarindum Arabicum ab Americano diſtinguunt. Nobis una eademque ſpecie arbor videntur. Siliqua tamen Jutay ſive Tamarindi Braſilianæ Piſon. brevior & magis compreſſa eſſe videtur. *Raius.*

TAMARISCUS.

Μυρίκη forte ἀπὸ τοῦ μύρεσθαι, quod ſtillo & fluo denotat, nomen ſumpſit, quod juxta fluvios naſcatur, rectius ἀπὸ τοῦ μύρεσθαι, quod lugere ſignificat, quod ut fabulæ tradunt, Cinyræ filia in hac converſa ſit. Heſich. erat autem Cinyras Rex Cypri: vel quòd improborum eſſet corona: quodque lignum ejus infelix habitum eſſet. Vide Jo. Bod. à Stapel. Comment. in Theophraſt hiſt. lib. 4. cap. 7. p. 408. qui plura habet.

Ejus *notæ* ſunt folia cupreſſi ſeu ericæ vulgaris, flores ſpicati, multa ſemina lanugine involuta, ſimul conferta racematim in ſummis ramis.

Vires. Hujus Gallæ, ut & cortex, non paucam fortitæ ſunt aſtrictionem, adeò ut Gallæ omphacitidi ſint (inquit Galenus) niſi quia acerbitas evidens eſt in Galla, aut myricæ fructui temperatura ineſt inæqualis, immiſſa enim eſt naturæ ejus multa partium tenuitas atque vis abſtergendi, quod ſane Gallæ non accidit. Attamen ubi Galla ad manum non eſt, ea uti licet ad omnia ad quæ illa utimur, ad eadem & cortice.

Decoctum foliorum in vino potum lienem abſumit. Dioſc. ſuccus expreſſus cum vino bibitus Plin. adeoque mirabilem hujus arboris antipathiam contra ſolum hoc viſcerum faciunt, ut affirment ſi ex alveo facto bibant ſues ſine liene inveniri. Hinc ex ejus ligno, ut olim ita & nunc dierum detornantur pocula, in quibus potus lienoſis præbetur. Cluſius Doliola è myricæ aſſulis Francofurti ad Mœnum venalia memorat, quibus contentus liquor lienoſis prodeſt. Ejuſmodi etiam Doliola ex Epiſcopatu Saliſburgenſi artificioſè conſtructa Viennam uſque venalia deferri ſcribit J. Bauhinus. Conſimilium vaſorum uſus eſt etiam apud Ægyptios ad induratum lienem, autore Alpino, Eodem tradente Tamariſci ligni uſus eſt tum in Ægypto, tum magis ſupra Ægyptum, ubi harum arborum copioſus eſt proventus, ad ignem major, quando fere nulla alia ligna ad comburendum habeant. Mulieres decocto ex cortice parato per os ſumpto utuntur ad ſiſtendas menſtruas purgationes. Ex quo parant etiam inſeſſiones, & clyſteribus in uterum injiciunt decoctum; idem quoque fructus facere aiunt, iis ſiquidem utuntur in ſputo ſanguinis, in lienteriis, & in menſtruis plus juſto fluentibus, atque hæmorrhoidum immodico fluxu: dentes etiam commotos atque collabentes ipſorum decocto firmant, atque in iis concitatum dolorem demulcent. Utuntur etiam ad oculorum lippitudines incipientes in collyriis, atque ad oris ulcera. Cinis quoque corticum & fructuum ulcera curat. Atque hæ vires & effectus ſunt quos veteres etiam Tamariſci tribuunt.

De ligno multi decoctum, non ſecus quam noſtri ex guajaco ad curandam luem veneream facere ſolent, quod exhibent leproſis, ſcabioſis, atque aliis multis puſtulis & ulceribus affectis, feliciori cum ſucceſſu: idemque faciunt in melancholicis, ictericis nigris & hydropicis ex refrigerato obſtructo atque indurato liene concitatis.

Luem impura venere contractam verè ſcripſit Alpinus non ſecus Tamariſci quam guajaci decocto profligari. Non enim adeò gravia ſunt quæ in Ægypto infecti patiuntur. Excludit mali impetum purior corporum conſtitutio, tum illa ſudorum per continuum aeris æſtum & balneorum frequentiſſimum uſum conſueta profuſio. Vidi ſæpius peſſimè affectos, & in oſſa ipſa fœde ſeviente morbo, cum extrema omnia fruſtra alibi tentata fuiſſent, in hac regione citra magnam præſidiorum vim noxiam luem evaſiſſe. Vesling. *Raius.*

TANACETUM.

Tanacetum forte à *Tannaco* quo nomine Partheniuni appellatum fuiſſe Plinius teſtatur, recentioribus dictum eſt, C. inquit Bauhinus.

Ejus characteriſticæ ſunt flores nudi in umbellæ formam digeſti, folia laciniata.

Nomina. Tanacetum *Ger.* vulgare *Park.* vulgare luteum *C. B.* vulgare flore luteo *I. B.*

J. B. In ſatis magnam adoleſcit proceritatem duorum cubitorum & amplius, caulibus teretibus, nonnihil ſtriatis & hirſutis, medullâ albâ fungoſâ plenis. Folia ex viridi in flavum vergunt, pennata, in ſegmenta per ambitum crenata diviſa, coſtæ media adnexa, odore vehemente, ſapore amaro. Flores in ſummis caulibus velut in umbellam digeſti: ſinguli autem corymbi ſeu flores totales è floſculis exiguis, adeò ut eorum partes viſum pene fugiant, creberrimis, denſè ſtipatis componuntur, iiſque nudis h. e. nullo in ambitu barbularum circulo donatis, è calicibus ſquamoſis. Caules quotannis marceſcunt & emoriuntur, radice in terra ſuperſtite: hæc planta ludit interdum foliorum colore, vario ex albo & viridi; hinc Tanacetum verſicolor Parkinſono.

In montoſis Angliæ Borealibus plurimum oritur, & alibi etiam ſecus vias & in agrorum marginibus non infrequens.

Vires. Temperamento & viribus cum matricaria convenit. Vulnerarium uterinum ac nephriticum eſt. Uſus præcip. in lumbricis, torminibus ventris, calculo renum & veſicæ, menſibus obſtructis, flatibus hydrope.

Succus illitus manuum pedumque rimas ſanat, ulcera etiam cruſtoſa & impetigines.

Ex tenellis herbæ erumpentis foliis aut eorum ſucco cum ovis & farina placentas faciunt tempore Paſchatis, guſtui non jucundas & ventriculo utiles ad diſſipandos flatus ex piſcium & leguminum eſu Quadrageſimæ tempore contractos.

Corymbos & ſemen Agyrtæ ad expellendos lumbricos ſæpe ingenti miraculo verminantibus pueris propinant. Sim. Paullus D. Bovvle conſervam ex foliis & ſummitatibus paratam adhibet; quæ etiam reſiſtit putredini, aperit obſtructiones, recreat lienem, illuſtrat ſenſus.

Succum cum quovis oleo inunctum nervorum contractionibus ac doloribus auxiliarem eſſe aiunt, miles Monſpelienſis hydrope pertinaci laborans ad ſanitatem reſtitutus erat ſolo decocto tanaceti. Ephem. germ. An. 12. obſ. 112. *Raius.*

Tapsia, vid. *Thapſia.*

Tapsus barbatus, vid. *Verbaſcum.*

Taraxacon ſeu dens Leonis.

Nomina. Dens Leonis *Ger.* vulgaris *Park.* latiore folio *C. B.* Hedynois ſive dens leonis Fuchſii *I. B.* Aphaca ex oleium genere Theoph. 7. hiſt. 10. *C. B.* *Bodæi à Stapel.*

E radice digiti fere minimi craſſitudine, lacteſcente, ſurgunt nudi, & inanes pediculi palmares & pluſquam

quam dodrantales, aliquando hirſuti lanugine facile cedente, quibus inſident ſinguli ſinguli flores pulchri, patuli, lutei, majores quàm Hieracii cujus floribus ſimiles: ſunt: exterioribus foliis prona parte ex fuſco ruſeſcentibus, calice glabro, multifido, extra quem quatuor aut quinque folia, viridantia, reflexa: flores in pappos abeunt calyce dehiſcente & circa pediculum reflexo nudam florum ſedem porosa pelliculâ calvitium ſenile imitante obductum oſtendente: unde nonnullis caput monachi dicitur.

In hortis & areis inque paſcuis ubique oritur, & per totam æſtatem floret.

Variat foliis anguſtioribus & profundius laciniatis, itemque ſeminibus ruffis & citrinis.

Vires. Epatica eſt, cum endivia conveniens quo tamen potentius operatur uſus præcip. in febribus putridis inveteratis. Schrod. aquam deſtillatam magnopere commendat Tragus in apoſtematibus & febribus ardentibus, trium aut quatuor cochlearium menſura ſingulis vicibus ſumptam; ex qua & optima collyria adverſus oculorum maculas fiunt: quin & inflammationi membrorum medetur aqua deſtillata, linteolis in ea madefactis & impoſitis.

Herba cocta ſtomachum diſſolutum aſtringit. Cruda etiam alvum ſiſtit. Eadem dyſentericis auxiliatur, ſed magis cum lente decocta. Matth. ſuccus potus iis prodeſſe dicitur quibus genitura effluxit. Univerſæ plantæ decoctum potum ictericiam tollit.

Alvum ſupprimendo, obſtructioneſque reſerando meſeraicarum plus lotii derivat in veſicam quam pueruli retinendo ſunt, præſertim inter dormiendum, eoque tunc imprudentes & inviti ſtragula permingunt, unde Gallis pueris *piſſenlict* (noſtratibus etiam eodem nomine) quaſi lectiminga & urinaria herba dicitur. Radices enim plebecula Gallica in acetariis edit, aut juſculis addit.

Parkinſonus radices & folia decocta in vino aut juſculo commendat in phthiſi, tabe, cachexia & febrium acceſſionibus. *Raius.*

TARTARUS.

Tartarus in Medicina pathologica eſt res naturæ lapideſcentis, i.e. in lapides coagulari apta vel jam demum coagulata: potiſſimum tamen viſcoſam ac lentam mucilaginem denotat, quæ nondum in duritiem lapidis converſa eſt. Hinc deducitur quoque ad officinam, denotatque ſal terreſtre ex vegetabilibus certis, vel per ſe, vel artificio ſeparatum.

N. *De Tartari origine non poſſum quin animi ſenſa communicem: Rerum principia primitus indigeſta ſunt, ac veluti, in chaotica ſua diſpoſitione ſimplicia: hinc ſubinde cum maturitate in partes ſecernuntur craſſiores & ſubtiliores. Craſſiores ad elementalem vergunt ſtatum, ſcilicet aqueo terrenum: ſubtiliores & potiores exaltantur ſubinde ſeu (uti dicitur,) ſpiritualiſantur, id eſt, in ſtatum ſpiritus evehuntur. Hæ ergo ubi ad ſtatum deducta fuerint ſummum, quem natura intendit, exhibent ſpiritualem partem, ſiu minus eædem ſint digeſtæ, vel cum tempore retrogreſſæ ad ſtatum crudiorem exhibent Tartarum conſtantem ſcilicet ex partibus potioribus, aqua, terra, & ſalis, adeoque Tartarus pollet viribus inſignibus, ſpiritus vires æmulantibus.* Schroderus.

De Tartaro.) Hic non eſt Naturæ lapideſcentis, ut D. *Autor* cum aliis docet, licet coaguletur, nullus enim lapis prout Tartarus in aqua calida reſolvitur in liquorem, qui communiter cremor Tartari vocatur, ſed eſt concretum acidum à muſto, cui formaliter ineſt, ſeparatum, dum acidum in vino agens mediante fermentatione in fæcem vini tanquam in alkalicum ſaturatur, & ſui activitate jam exutum tranſit in coagulatum, quod *Tartarus* vocatur. *Unde Cl. Helmontius in tr. Tartarus non in potu §. 4.* Tartarus vini, *inquit*, non eſt inter lapides reponendus, ſed eſt liquor concretus. Interim neque vinum, nec fæces ejus, ſed ex ambobus conſtitutum Neutrum, ex ſuccis vinoſis ſpiritu vini actualiter conſtantibus & leviter aceſcentibus. Quæ alias *D. Autor* de *Tartari* Origine adfert ex Principio chaotico, cùm lubrico nitantur fundamento, & ſupra *lib.* 1. *cap.* 4. jamdum ſint à me refutata, prætermitto & ad alia tranſgredior.

Notandum autem hoc loco, Nos non tractare de ſubtili illa vini parte, quæ ſpecialiſſimè *Tartarus* dicitur & cum vino conjuncta eſt puriſſimo, quæ vino colorem tribuit & in deſtillatione vini ſæpe in fundo remanet. Nec agimus etiam de fæcibus vini, ſed de Tartaro ejus genuino, qui à ſuccis vinoſis leviter aceſcentibus, ut ſupra dictum, beneficio fermentationis ſecernitur.

Præſtantior ille eſt, qui coagulatus continuè dolii lateribus in longitudinem protenſus adhæret, ponderoſus, durus, non poroſus, aut ſiccis fæcibus refertus, ſed qui ab illa parte qua vinum tangit plurimis apicibus inſtar adamantis acuminatus ſplendet. Has notas ut plurimum *Rhenanus* obtinet & *Monſpelienſis.* Vinum rubrum rubicundum; albicans & niteſcens *album* exhibet *Tartarum.* Hofmannus.

Præparata.

Præparationes Tartar. ſunt 1. *Depuratio,* 2. *Deſtillatio,* 3. *Salificatio.*

I. DEPURATIO.

Depuratio vel fit à ſordibus externis, vel parte magis arenoſa ac minus ſolubili: illa lotione peragitur, hæc ſolutione ac coagulationibus.

Lotio ſeu ablutio: unde Tartar. lotus.

℞. Tart. triti ac cribrati, q. v. affunde ∇ fontanam, calidam (vel lixivium forte, exempli gratia ex cineribus clavellat.) agitaque optime, hinc ſine reſidere ac refrigeſcere, poſtea decanta aquam unà cum impuritatibus, idque repete aliquoties, donec Tart. ſit inſtar arenæ.

N. *Si lixivium adhibueris, edulcorare Tartarum oportet.*

Solutio & coagulatio, unde.

1. *Tartarus depuratus, Acidum Tart. Cremor & Cryſtalli Tart.*

℞. Tartari optimè loti, q. v. affunde ∇æ ferventis bonam quantitatem, agitâ ſpatulâ ligneâ, & ſolvetur particula Tartari, cola per manicam Hippocrat. dum adhuc calet, aliàs coagulatur rurſus, quod ſolutum erat: reſtanti Tartaro affunde aliam ∇m ferventem agita & cola, idque reitera tantiſper, donec nil niſi arena irreſolubilis reſtet. ∇s has Tartaro impprægnatas repone ut refrigeſcant, & videbis Tartar. purum, partim ſupernatare inſtar cuticulæ, partim inſtar cryſtallorum vel ad fundum reſidere, vel parietibus ac bacillis immiſſis adhærere, utrumque cuticulam ſcil. & cryſtallos colige, exicca atque ſerva.

N. 1. *Si nimia aquæ quantitas coagulationem impedierit, evaporare aliquantulum ſine.*

N. 2. *Sunt qui cuticulam ſupernatantem ſeorſim colligunt (nomine cremoris Tart.) & cryſtallos itidem ſeorſim (titulo cryſtallorum Tart.) verum cùm utrumque ejuſdem ſit naturæ & efficaciæ, diſtinctionem hanc parvi momenti autumno.*

N. 3. *Felicius adhæreſcent cryſtalli vaſi ligneo.*

N. 4. *Si depuratum hoc Tart. haud ſatis candidum ſit, ſolve iterum in aq. fervente, filtra & repone ut antè ad coagulandum.*

Vires. *Uſus hujus Tartar. depurati eſt craſſos Tartareoſque humores, præcipuè autem in prima ventris regione*

regione ſtabulantes incidere ac attenuare: commodè itaque adhibetur in obſtructione Epatis, Lienis, Meſenterii, Renum in affectu Hypochondriaco, &c. Hinc quoque ſibi primas vendicat inter Digeſtiva univerſalia, cujus rei gratiâ & catarcticis præmitti plerumque ſolet. Quinimo ad laxandam alvum commodiſſimum medicamentum eſt, ſi ſaltem grano uno ac altero Diagridii vel Gummi de Gamandra acuatur.

Doſis à ʒß. ad ʒ j. vel ʒ ij.

2. *Cryſtalli Tart. chalybeati Acidum Tart. chalybeatum* Salæ.

℞. Acid. Tart. ℥ iv. Magiſter. chalyb. i. e. cryſtal. ♂ per ſpir. 🜕 (Vide in ♂) ʒ ij.

Cryſtallos ♂ ſolve in ▽ fumar. ſolutionem incorpora cum acido Tartari in mortario lapideo. Exicca iterum ac pulveriſa: aromatiſetur aliquot guttis ol. Cinamomi.

Vires. *Utiliſſimum medicamentum eſt in morbis chronicis, ut ſunt obſtructio Lienis, quartana, icterus uterque, cachexia virginum, Hypochondriaca paſſio.*

Doſis à ℈ j. ad ℈ ij.

3. *Cremor Tartari chalybeatus compendioſior. S. Cloſſ.*

Ubi ▽ impprægnata Tartari pulveriſat. ℔ j. ſolvitur in ℔ xv. aq. fluvial. per ebullitionem fuerit reſoluta, & ad decidentiam unius quartæ evaporata, injice in vas ℥ iv. limat. ♂tis moxque ab △ remove ac cola calidè. Habebis cremorem pretioſum & ſummè deoppilativum.

N. *Injiciatur limatura dum ▽ fervet nec diu relinquatur, ne cremor reddatur vomitorius.*

[Tartarus Tartariſatus Tartarus eſt ſui ipſius beneficio præcipitatus. Videtur apud Bartoletum; Tartarus ſolutus etiam dicitur, in frequenti apud noſtrates uſu.] *Schroderus.*

Præparationes Tartari ſunt 1. Depuratio.) *Quoad Depurationem, Henricus ad Heer lib. 1. obſerv.* 1. plus tribuit *Tartaro crudo* per lotionem à partibus impurioribus liberato & pulveriſato, quàm cremori aut criſtallis inde præparatis. In *Tartaro crudo*, inquit, plus ineſt alviducæ virtutis, quàm in ejus cremore vel granulis anxiis Chemicorum manibus & animis eductis, cum coctione terrea ejus & ſalina parte maximè conſedit, & tot ablutionibus vis ejus purgativa plurimum tenuis vaneſcat in auras. *Depuratio* peragitur, vel quando à ſordibus externis lotione liberatur, vel quando ſolutione & inſequente cogulatione impuritates deponit. *Optimus lotionis* modus, eſt, ſi *Tartarus* groſſo modo contuſus aquâ frigidâ, ſæpius affuſâ lavetur, manibus fruſta fricando, impuram aquam decantando, uſque dum nulla impuritas amplius ſentiatur.

Solutio & coagulatio, unde 1. *Tartarus depuratus. Acidum Tartari, Cremor & Cryſtalli Tartari.*) Quomodo cremor & cryſtalli Tartari ſint præparandi, ſatis ſufficienter *D. Autor* cum annotationibus tradidit. De his plura qui deſiderat, conſulere poteſt *Cl. Zvvelferum in Anad P. A. & D. Sachs à Levvenhaimb in ſuâ ampelograph.* ſect. 9. cap. 3.

2. *Cryſtalli Tartari chalybeati, Acidum Tartari chalybeatum Salæ*) Scil. cryſtallorum tartari ſumuntur part. 3. Vitrioli Martis pars 1. coq. cum aquâ in aheno ferreo, evaporata aquæ parte alia affunditur, donec optimè miſta invicem ſint, tandem fit filtratio & coagulatio. Ex quo eti m *Eſſentia Martis aperitiva cum ſpiritu vini* parari poteſt.

3. *Cremor Tartari chalybeatus compendioſior. S. Cloſſ.*) Recip. Cremoris Tartari ℥ iv. limatur. Martis ℥ ij. ebulliant cum aquâ in tigillo ferreo, abſumptâ aliqua aquæ parte, nova affunditur, uſque dum aqua probe Martis ſubſtantia impprægnata fuerit, tandem filtra, abſtrahe & coagula. Habebis Tartarum ſummè deoppilativum.

N. Si Tartaro Tartariſato, qui conſtat ex duabus ſalis & purioris Tartari tribus partibus in ſ. q. aquæ ſ. diſſoluto ſpiritus Vitrioli inſtilletur & debitè coaguletur, acore vitriolico exſuperante, elegantiorem habebis effectu Tartarum cryſtalliſatum. *Hofmannus.*

II. DESTILLATIO unde

1. *Spiritus ac Oleum.*

℞. Tartari albi crudi loti (vel quod melius depurati,) q. v. deſtilla ex Retort. vitrea in arena (vel igne nudo) △e gradatim adhibito: primò extillat phlegma, dein ſpiritus in forma nebulæ & tertio oleum pingue. Separa oleum à ſpiritu, vel beneficio chartæ ac filtrationis, vel tritorii goſſypiive auxilio.

N. *Sunt qui Spiritum Tartari ternâ vice ſupra colchotar rectificant.*

Rectificatio ſpiritus Tartari. Deſtilla ex MB. tertiâ vel quartâ vice ſemper vaſa deſtillationi inſervientia optime lixivio forti eluendo.

Rectificatio ol. Tartari. Affunde quantitatem magnam ▽ (vel Acet. deſtill. ac deſtilla per MB,) ſepara oleum ab aq. ut moris, idque rectifica aquam ſcilicet fragrantem aliquam addendo ac denuò deſtillando.

N. *Ex reſiduo capite mortuo extrahi poteſt ſal. Vide ſuo loco.*

Vires. Spiritus *vim habet incidendi, attenuandi, reſolvendi, diſcutiendi. Hinc reſerat obſtructiones viſcerum, purgatque per ſudorem ac urinam, ideoque utiliter adhibetur in Hydrope, Tympanitide, Arthritide, Paralyſi, Scorbuto, lue venerea, impetiginibus, ſcabie, contractura artuum (ex materia flatulenta & humorali fluida, non Tartarea coagulata & fixa.)*

Doſis à ℈ j. ad ℈ ij.

Oleum intrinſecus adhibitum prodeſſe creditur adverſus dolorem colicum, ſuffocationem uterinam, &c.

Doſis gr. iij. iv.

Extrinſecus, admiſceri poteſt unguentis contra ſcabiem communem vel luis venereæ, &c. *Vide Crollium, Sennert. in Inſtit. Salam. in Tartarologia.*

N. *Spiritum Tartari ex muſto parat Foreſtus p.* 1000. *de morb. Tartar. collectis ſcilicet cryſtallis evaporatione lentâ, in quibus ſpiritum Tartari primaterialem remanere credit.*

2. *Spiritus Tartari compoſitus.*

℞. Tartar. purum, deſtilla ut moris, prodeatque phlegma ſpiritus ac oleum. Ex capite mortuo extrahe Sal. com. quod ſolutionibus ac coagulationibus purificatum, conjunge cum phlegmate ſpiritu ac oleo: Hinc digere in MB vaſe clauſo, donec Sal com. totus ſolutus ſit, cum hoc liquore impaſta argillam ſiccam, formaque globulos & deſtilla ex Retorta, igne nudo, (ut deſtillatur ſpiritus Sal. nitri,) prodibit cum ſpiritu & oleo, Sal totus ſpiritualiter in poſterum à ſpiritu Tartari inſeparabilis: Oleum fœtens ſepara à ſpiritu, ut moris.

Vires. *Penetrantior & efficacior eſt priori.*

3. *Spiritus Tartari Vitriolatus, ſeu ſpiritus Tartari aperitivus compoſitus.*

℞. Spir. Tartari (ſimplicis) ℔ j. 🜖 ℥ iij. Miſce & affunde colcothari: digere in MB. (☍ 8.) ac deſtilla per Retort. adhibitis ignis gradibus omnibus. Totum deinceps quod prodit, funde ſuper caput mortuum nigrum Tartari, ex quo nimium ſpiritus ille ſimplex eſt prolectus. Digere hor. 24. Tincturam decantanta, reſiduum calcina ad albedinem, atque ex eodem extrahe Sal cum Tinctura illa decantata, in calido S. (hor. 24.) relinquendo; aquam hanc per filtrum purifica.

Vires, *Exhibetur magno cum ſucceſſu ad contumaces obſtru-*

obſtructiones viſcerum, ad fœdos colores, *febres diuturnas, Hydropem.*

Doſis à ℈ j. ad ℈ ij. in aquis appropriatis.

Spiritus Tartari Philoſophicus ad aurum potabile, *S. Cloſſ.*

Reverberetur Sal Tartari ſuper teſtâ probatoriâ (*in einer flachen Scherben*) abſque fuſione tamen: per horas 24. ita cœruleum evadet ſal, affunde acet. deſtill. quouſque tumultuet amplius, & Acet. deſtill. 3. digitos ſuper materiam emineat, digere, tingetur Acet. deſtill. ſaturato rubore, filtra & coagula. Hoc quater cum novo Acet. deſtill. repete. Permixtis 4. ſalibus ſpir. vin. rectific. ſuffunde & tincturam extrahe toties, dum colorari deſinat; ſal reſtans ſolve iterum in Acet. deſtill iterumque cum 🜄 extrahe tincturam. Jam omnes 🜄 tinctos, & in unum collectos deſtilla per MB. in cucur. cui XX infundibulo inſtructus imponatur, extillatum 🜄 reaffunde per infund. ſali tincto & cohoba toties (14. vicibus ad minimum) donec videas guttas rubentes decidere, tùm ceſſa, & liquorem ex Arena per ♌ leniter deſtilla, ita tranſibit ſpiritus ſalis Tartari, nebuloſis cum guttis rubris, ſuperſtitie in fundo ♌ pulv. rubro. Illo utere ad extractionem ☉is.

Vires. *In obſtructione meſenterii, & arthritide, dantur gutt.* 4. 6. *in vino, in retentione menſium, ſi doſis ter aut quater iteretur, certò fluent menſes.* Schroderus.

Deſtillatio unde 1. *Spiritus ac oleum.*) *Spiritus ad Dom. Autoris* præſcriptum, & ut communiter elaborare ſolent, ne momentum quidem ſalis Tartari volatilis in ſe continet, ſi enim ita elaborato ſpiritum quendam acidum affundas, non incaleſcit, id quod alias contingit, adeò, ut, ſi rectè deſtillatus fuerit & ſale volatili turgeat, vitrum, in quo continetur, ita incaleſcat, ut vix manibus contineri queat, eo quod acidum ſal Tartari volatile ſalſum abſorbeat, unde minus rectè faciunt, qui ſpiritum Tartari cum acido quoque miſcent, (ſi ſale conſtet Tartari volatili,) moritur enim & degenerat. *Tachenius in Hippocrat. chemic.*

℞ *Tartari albi crudi lot.* (*vel quod melius depurati*) &c) Si ſp. vini pauxillo impregnabis melius deſtillatio ſuccedet non ex retorta vitrea in Aren. ut *Dom. Autor* deſcribit, ſed ex retortâ fictili igni aperto expoſitâ, adaptato capaciſſimo recipiente. Poſt deſtillationem ſepara ſpiritum ab oleo goſſypii auxilio, & ſpiritum rectifica per phiolam oblongam. Ego ſequenti modo optimum ſpiritum Tartari conficio. Recip. Tartari crudi albiſſ. depurat. q. v. impregna ſp. vin. rectificat. q. ſ. deſtilla ex retortâ fictili igne nudo gradatim adhibito, primò extillat phlegma, deinde ſpiritus & tertiò oleum. Si ignis regimen per gradus probè obſervaveris, obtinebis etiam ſal volatile. Separa poſt deſtillationem per goſſypium oleum fœtidum à ſpiritu, & ſpiritum ex phiolâ oblongâ per Aren. vel MB rectifica Poſt modum recipe ſal Tartari ex Cap. mort. etiam ulterius calcinato extractum & O crudi anaticam partem, deſtilla ex retorta igne aperto, & acquires in receptaculo probè munito ſal Tartari volatile elegantiſſimum, quod poſtea cum ſupra elaborato ſp. Tartari rectificato nuptum denuo per MB. rectificandum eſt, adſcendens cum ſpiritu in formâ liquidâ.

N. Componitur etam ſal Tartari volatile ex oleo Tartari fœtido cum ſale tartari aliquandiu digeſto & demum deſtillato. Fœtidum quidem hoc oleum, ſed proprium eſt ſalis tartari fermentatum, quo ſal tartari fermentatum ipſum Urin. & C C. ſal volatiliſatione ſuperat, fœtorem autem magnum in fermentatione acquirit, fœtoris ſalis urinæ ferè æmulum. Et ſequenti modo præparatur. Si olei tartari fœtid. part. 1. cum ſalis tartari ex Cap. mort. poſt ſpiritus deſtillationem extracti part. ij. ritè mixtæ in retortâ optimè munitâ lentè per aliquot menſes ſupra fornacem tempore hyemis continuo digeſta ſint, inſtituta poſtmodum per Aren. deſtillatione ſal volatile ſat copioſe prodit, recipientis lateribus undique adhærens.

N. Sp. vini tartariſatus unâ vel altera vice à ſale tartari abſtractus pro majori phlegmatis ſeparatione ſecum etiam aliqualem ſalis volatilis partem abripit, acidum enim inſtillatum non ſolùm ſubtilem ebullitionem, verùm etiam poſt lentam exhalationem ſalis oppido exiguum quid oſtendit, & ſenſibilius poſt ſeparatum phlegma demum prodit. *vid. Cl. D. Daniel. Ludovic. diſſert. de ſal. tartari volatilitate.*

Excell. D. Joël Langelot Archiater Sereniſſ. Holſat. Ducis Regentis ſeq. modo elaborat. Recip. tartari crudi ad nigred. calcin. ℔ ij. vel iij. Huic ollæ capaciſſimæ immiſſo affunde tantum aquæ, ut ad digiti tranſverſi latitudinem emineat, ignem primò lentum admove, ut tantùm intepeſcat, poſtea dimidium manipulum Tartari crudi pulveriſati inſperge, & brevi videbis bullulas quaſdam ſurgere. Hoc viſo perge, veluti cœpiſti, partitis nempe vicibus Tartari pulverem inſpergendo, & ſic major fermentatio excitabitur, bullis concinne ſurgentibus, ac ſi ipſas uvas naturales excepto colore conſpiceres, ſed accurato hic ignis regimine opus eſt, moderato ſcilicet, qualis omnis fermentatio requirit. Cavendum etiam, ne copioſiori inſperſione nimia ebullitio excitetur & fermentatum ollâ elabatur. Ceſſante fermentatione mitte omne, quod ineſt ollæ, in cucurbitam ferream, ne rumpatur, cui ſæpè linteum frigida madefactum applicare oportet, quo nimia tartari fermentati ebullitio prohibeatur, unde & ignis caute regendus, lento gradu augendus, in fine autem ſat forti, ut ſal omne ſurſum pellatur. Egreſſum liquorem rectifica, uſque dum ſubalbido colore appareat. *Hæc Cl. D. Langelot.* Hic quæſtio oritur, Utrum in hac tartari fermentatione primariò Tartarus crudus additus ſolùm volatiliſetur, non ipſum alkali Tartari fixum? an verò præter Tartarum crudum etiam in ipſo alkali Tartari quid ſit quod ad volatiliſandum ſit diſpoſitum? *Excell. Dominus David van der Becke, Phil. & Med. Mindanus in epiſtol. ad præcellentiſſimum D. D. Joël Langelot*, ſtatuit hac tartari fermentatione primariò non ipſum alkali Tartari fixum denuo volatiliſari, ſed potius fermentum additum, Tartarum ſcilicet crudum. Et hanc rationem reddit, quia in hoc Tartaro crudo, licet ſalia fixata non dentur, nihilominus tamen alkalicæ Tartari partes volatiles ob acidis ejuſdem volatilibus ad punctum ſaturationis uſque admixtis detinentur, unde figuntur, hæc enim duo conjuncta ſe mutuo figunt, ſepara verò volatilia denuo ſunt. Verùm hæc ut lubens quidem omnia concedo pro parte Tartari crudi, tamen non video quid obſtet, quo minus in alkali Tartari ſub partibus terreſtribus huic admixtis adhuc ſalia eſſe volatilia abſcondita, quæ tartari crudi admixtione ſui juris fiant & æthera petant, licet & ex ipſo Tartaro crudo addito ad maximam etiam eleventur partem, unde enim illud ſal tartari volatile, quod ex O admiſtione cum Cap. mort. tartari factâ? Unde illud oritur, quod ex ſale Tartar. & ſp. vini? Unde illud quod ex ſale tartari & Nitro? &c. niſi quod dicta ſalia acida ſal tartari volatile in alkali Tartari latens à compedibus terreſtribus liberent, adeoque ſui juris faciant.

N. *Spiritum tartari ex muſto parat Foreſtus* p. 1000. de morbis *tartari.* (Nec dubito ſuccedere, ſi rite operatus fueris. Ex fæcibus exſiccatis in furno poſt ſp. vini deſtillationem reſiduis egregium etiam ſal tartari volatile acquiritur beneficio deſtillationis ex retortâ igne aperto per gradus adhibito, quod per ſublimationem ex cucurbita rectificandum eſt. Ex Cap. mort. locum ſal fixum confici poteſt, magni etiam in Medicina uſus.

2. *Spiri-*

2. *Spiritus Tartari compoſitus.*) Hic modus expectationi minimè ſatisfacit, dum non opus eſt additione phlegmatis, ſpiritus & olei, nec globulis ex argilla formatis, ſed ſufficit, ſi tantummodò oleum cum ſale Tartari digeſtionem ſuſtineat, ut ſal volatile exinde conficiatur, quemadmodum ſuprà oſtendimus.

3. *Spiritus tartari Vitriolatus ſeu Spiritus tartari aperitivus compoſitus.*] Hic nihil aliud eſt, quàm Tinctura ſalis tartari ex Cap. mort. ejus extracta cum ♈ i tartariſato ſuprà Colchothar. rectificato. Ejuſdem ferè virtutis cum *ſp. aperitivo Penotti, de quo Libr. 3. de Vitriolo.* Huic perſimilis vadè eſt ſequens liquor tartari ex ⊕-lo compoſitus.

Recip. tartari albi crudi, vitrioli ana q. v. deſtilla per retortam, cohobetur ſuper Cap. mort. quouſque liquor appareat clarus. Hunc recipe & adde Spiritus vini rectificati partem dimidiam & denuò deſtilla ſuper vitriol. & Tartar. calcinat ſ. q. quouſque omnis ſpiritus purus & ſubtiliſſimus fuerit deſtillatus. Hic vel per ſe vel cum eſſentia Theriacali per ſex ſeptimanas circulatus in leni calore uſurpatur in omni corporis obſtructione, Lue ♀nerea, Iſchiatico dolore, podagra, Chiragra, colica iliaca, febribus &c. Doſis eſt à gutt. x x. ad x x x. & ultrà manè cum brodio calido.

Vel Recip. Spirit. Vitriol. non rectificat. parum tamen dephlegmat. ℔ j. tartari albi crudi ℥vj. vel ℥viij. miſce & ♌la ad ſiccitam △ne forti, aſcendit ſpiritus acidus & penetrantiſſimus. Cap. mort. extrahe aqua & fac inde tartarum Vitriolatum præſtantiorem vulgari.

N. Si etiam cryſtallis tartari affundas ol. Vitrioli, ut fiat paſta, & digeras per 3. ♂♄ ac denique affundas aquam pluvialem deſtillat. quam ad medietatem uſque in MB. abſtrahas remanentiam filtres & ſic habebis cryſtallos ad extinguendum febrilem calorem.

Spiritus Tartari Philoſophicus ad Aurum potabile S. Cloſſ.) Huic non diſſimilis eſt *Spiritus Keſleri in Proceſſ. Cap. 3. §. 11. vide ſuprà Libr. 3. Cap. 11. de ☉ potabil. ſpirit. Sal. Tartari parando.* Hofmannus.

III. SALIFICATIO *unde*
1. *Sal Tartari.*

Sal Tartari elixiviatur ex Tartaro ad albedinem calcinato, (id eſt, combuſto,) non ſecus ac ex aliis cineribus Sal extrahi ſolet.

N. 1. *Ex capite mortuo in deſtillatione ſpiritus reſiduo, itidem Sal elixiviari poteſt, ſi uleritus comburatur. Promptè enim ignem concipit, atque etiam extrà ignem comburi poteſt.*

N. 2. *Communiter calcinatur Tart. in fornace figulina.*

2. *Ol. Tart. p. d.*

Pone Tart. calcinatum in cella liqueſcendum, vel diſſolve Tartar. calcinatum in ▽ communi, filtra & coagula.

Vires. *Optimum eſt remedium in ſerpiginibus, ulceribus, tinea, ſcabie, &c.*

N. *Eſt porro hujus olei elegans uſus in Extractis vegetabilium purgantium conficiendis. Ejus enim guttæ aliquot cum menſtruo mixtæ, tum extractionem facilitant, tum catharſin ipſam promovent.*

3. *Magiſterium Tart. ſeu Sal. nit. Tart. alcoholiſatus.*

Imprægna Sal Tart. Sale volatili Vini, v. g. ♃. Salis Tart. puriſſimi, q. v. affunde ♈ ad eminent. digit. 1. digere ac deſtilla leniſſimo calore, iterumque ♈ affunde, idque repete toties, donec Sal Tart. totam ſpirituoſam Vini ſubſtantiam, ſeu omne Sal volatile Vini imbiberit, quod ubi factum, ſublima, habebiſque ſal vini ſublimatione ab omni phlegmate & aquoſitate ſeparatum. *Sennert. in inſtitut.*

4. *Magiſterium Tartari purgans.*

♃. Sal Tart. q. v. imprægna aceto optimo, donec Tart. nihil amplius aciditatis retinere velit (vide correctionem flor. ♁ ij. Crollianam l. 3.) dein affunde ſpir. vini eumque abſtrahe aliquoties cohobando: tandem repone Tart. ad liqueſceedum & habebis oleum rubrum.

Vires *Purgat per infriora, utile in omnibus morbis deploratis.*

Doſis à gr. v. ad ℈ß.

N. *Sal illud. Tart. Acet. deſtill. ſufficienter imprægnatum ſi in ▽ deſtill. (e.g. Borraginis) ſolutum atque ſ. a. cryſtalliſatum ſit, conveniens medicamentum evadit in morbis Tartareis.*

5. *Tinctura ſeu Sulph. Tartari.*

♃. Sal Tart. optimè purificatum, calcina igne violentiſſ. ad cærulitatem: dein affunde Spiritus vini, extrahe rubedinem ſ. a. decanta, abſtrahe ad conſiſtentiam olei. Sic habes Tincturam Tart. quam ſi placet exaltare, digere aliquamdiu cum ♈ recenti ad emin. dig. 1. affuſo.

N. 1. *Sunt qui ex Tart. cum Sal. com. an. calcinato Tincturam hanc extrahunt, ſed prævalet modus prior.*

N. 2. *Maxima pars Tartar. decedit.*

Vires. *Urinam largiter ciet, confertque in Melancholia hypochondriaca, Scorbuto, Hydrope, aliiſque Meſenterii ac Lienis morbis & obſtructionibus.*

Doſis gutt. aliquot 4. 5. 6. 7. 8.

6. *Tart. ⊕-latus.*

♃. Ol Tart. puriſſimi per deliq. ℥iiij. affunde guttatim Spir. ⊕-li ʒij. vel q. ſ. donec ſtrepitus ceſſet, idque in vitro capaci: ſic fiet coagulum: ſedata ebullitione evaporate ſine humiditatem lento calore ad ſiccitatem.

Vires. *Digeſtivum eſt præſtantiſſimo Tart. in corpore humano efficaciſſimè reſolvens. Hinc utiliſſimè exhibetur in obſtructionibus viſcerum, venarum meſaraicarum, in omnibus febribus, præcipuè in quartana, in obſtructionibus menſium.*

Doſis à ℈ß. ad ℈j. in convenienti liquore, convenientiſſimè autem propter saporis emendationem offertur in Hydromelite.

N. *Eodem modo fieri quoque poterunt ſalia vegetabilium Vitriolata. Sic ſal (e. g. abſinthii) depuratum ſolve in aqua abſinthii, inſtilla Spiritum Vitrioli, procedeque ut cum Tartar. Vitriolato.*

Tartarus ⊕-lat. alius.

♃. Magiſterium Tart. purgans ad ſiccitatem evaporatum, affunde guttatim ⌒um ⊕-li, donec ſtrepitus omnino ceſſet, abſtrahe phlegma in Arena coagulum ſuperſtes reverbera per triduum, ita tamen ut ſal non confundatur, ſed in continuo iſto calore velut fixetur. Vocatur à Parac. *lib. 7. Archidox.* ſpecificum purgativum.

Vires. *Purgat benignè per inferiora, & ſudores movet in peſte, ſcorbutico, hydrope.*

Doſ. ℈ß. in ſyr. de roſ. de rhamno; &c. Ex communicatione S. Cloſſ.

7. *Tart.* 🜕-*latus cryſtalliſatus.*

℞. Crem. Tart. ℥iiij. ſpir. Vitriol. ℥ij. digerendo ſolvantur. Hinc affunde ▽ calid. ut penitus ſolutio fiat, abſtrahe aliquantulum, & repone ad cryſtalliſandum.

[Tartarus nitratus Grülengii ad Anginam, febres, ſpatis infarctus utilis.]

Doſ. ℈j. *ad* ʒß.

8. *Sal Tart. volatiliſatum.*

℞. Sal. Tart. purificat. q. v. affunde Spiritus vini rectificatiſſ. deſtilla ex Arena per XX cohobando aliquoties (3.) & adhæreſcet Sal Tart. lateribus alembici.

N. *Si per* MB *-Qaveris, non ſublimabitur, ſed exhibebit Menſtruum corallis ſolvendis idoneum.*

Vires. *Inſigne eſt lithontripticum.*

Doſis gr. v. vj.

9. *Liquor Tartari ſpleneticus.*

℞. Tart. ℔j. Sal. com. ℔ß. (al. ℔j.) Miſc. exactè imponeq; mortario, ſartagini vel laminæ ferreæ ignitæ ut calcinentur: Hinc pulveriſa ac affunde quæ ferventis ℔iiij. digere in loco calido ♂ ♀ (6.) quotidie agitando, poſtea colentur, ut omnis ſalſedo inſit aquæ. Huic aquæ imprægnatæ tandem adde Tart. el. ℔j. digerantur ♂ ♀ (8.) filtrenturque pro uſu.

Vires. *Inſigne eſt deoppilativum Lienis, aliarumque tartarearum obſtructionum, meſenterium maximè infeſtantium, adeoque utile in hypochondriaca, ſcorbuticaque affectione ac menſium obſtructione.*

Doſis cochl. ſ. ad I. cum aliis appropriatis vehiculis. *Schroderus.*

3. *Salificatio unde* I. *Sal tartari.*) Hoc vilibus hactenus veſtibus ſuam Scenam luſit, *teſte Tachenio* in *Hipp. Chemico*, cum verò Philoſophi manu ſpoliatur, ut compareat in formâ nuda, lucida & reſplendenti, tunc res, quæ illi committuntur, reducit in eandem & ſimilem ſui materiam. Sic v. g. Sal tartari calc. vivo nuptum extrahit aliud & ſimile alkali, multoque potentius efficit, ut ferè in igneam naturam convertatur, ſi fiat cum Vi extractio, oritur inde Tinctura ad calculum. Item oculi ♋ cum ſale tartari ſoluti in longâ quotidiana febri conferunt. Sal tartari informe accipit formam ejus, cum quo unitur. *Vide Plura de Sale Ammoniaco* Cap. 25.

N. *Ex Cap. mort. in Qlatione ſpiritus reſiduo &c.*) Ex hoc ad albedinem combuſto lixivium cum aquâ conficitur, & exinde ſ. a. ſal elaboratur. Quomodo ex hoc ſal ejus volatile conficiendum ſit, ſuprà jamdum monitum; Alium tamen hujus elaborandi habet proceſſum *Cl. Zvvelferus in Pharmacop. Reg.* p. 248. ex Sale tartari celebrius aëri humido expoſito, & ſoluto ac iterum coagulato, uſque dum à ſale aëris ita imprægnatum ſit ut ſublimari poſſit. De hoc vid. David *van der Becke* in experiment. & meditation. De Princip Rerum Natural.

2. *Ol. Tartar. p. d.*) Hoc fit ex ſale tartari albiſſimo aëreæ humiditati commiſſo. Adhibetur in ſerpiginibus, tinea, cutis ſorditie, &c. Ex hoc & Nitr. egregius conficitur liquor per deliquium, quod vinum rubicundo tingit colore. Eſt porrò hujus olei elegans uſus in extractis vegetabilium purgantium conficiendis, ſi enim purgantibus addatur eorum compagem facilius ſolvit & efficaciora reddit, dum etiam acidum ventriculi potiſſimam illorum remoram infringit ac imbibit, unde communiſſimè purgantibus nodulis addi ſolet.

N. Impropriè dicitur *Oleum*, quia flammam non concipit, ſed eſt liquor tantum ſalis reſoluti.

3. *Magiſterium Tartar. ſeu Sal tartari alcoholiſatus &c.*) Verum hoc eſt Sal Tartari affuſione Vi & ſæpius repetita ejus abſtractione ſale vini volatili imprægnati. An autem inde iterum ſublimari poſſit; non poſſum conſtanter affirmare. Alias conſtat, *Balſamum Samoch Paracelſi* nihil aliud eſſe, quàm ſal tartari facta Spiritus vini ab eo deſtillatione edulcatum, donec ſal ſit ſufficienter ipſius ſale volatili ſaturatum, ac liquorem deſtillari adeò efficacem ſinat, atque erat affuſus.

4. *Magiſterium tartari purgans.*) Hoc nihil aliud eſt, quàm *Terra foliata tartari ex ſale tartari & acet. diſt. elaborata Cl. Zvvelfero in Mantiſſ Spagyric. Sal vini eſſentiale vocat, ut & in apolog. adverſus Tachenium* p. 33. cujus etiam elaborationem communicat, in dictæ Apologiæ p. 73. Hujus etiam Arcani ſalis tartari ſeu terræ foliatæ mentionem facit *Philippus Mullerus in miracul. Chemic. & Myſter. Medic. Lib. 3. Cap. 4. Cl. Sennertus in inſtitut Medic. Lib. 5. par. 3. ſect. 3. cap. 6. Excell. Rolfinckius in ſuâ Chemiâ in Art. form. redact. Lib. 4. ſect. 1. art. 3. Cap. 13.* Sequenti autem modò optimè elaboratur. Recip. Salis tartari albiſſ. ℔j. Acet. diſt. fortiſſ. q. ſ. abſtrahe Acet. diſt. quod inſipidum elevatur deſtillando per cucurbitam fictilem, poſt novum Acet. diſt. affunde & deſtilla, id quod ſæpius repetendum eſt, uſque dum ſpiritus iterum exſtillare incipiat acidus, qualis fuit affuſus. Tunc Tartarus eſt animatus, & ceſſandum ab iterata affuſione Acet. diſt. Nigra in fundo remanebit materia, quæ Vi ſolvenda, Qtione per chartam bibulam filtranda & leniſſimo Aren. calore in vaſis terreis exſiccanda. Exſiccata materia iterum Vi ſolvenda, filtranda & exſiccanda toties, donec materia alba appareat & foliorum longè à ſe invicem diſſitorum inſtar concreſcat. Hanc terr. foliatam tartari nonnulli ſalis tartari volatilis nomine inſigniunt, & rectè, eò quòd particulæ terreſtres alkali tartari figentes additione Acet. diſt. præcipitatæ ſint. Hæc in aëre humido ſolvitur p. d. & per ſe uſurpata doſis eſt à gutt. v. ad ℈ß. vel cum aqu. aliqua deſtillare mixta ad plures extendi poteſt guttas.

N. Poteſt etiam cum nudo Aceto elaborari, licet poſtmodum non adeo album & purum ſit, & reſiduum Vi ſolvatur.

N. Vel compendioſius: Recip. Sal tartari ℔j. tartari crudi ℥xiv. Acet. diſt. ℥xxvj. Sumatur olla ferrea alta Acet. diſt. impleta, pone ſuper carbones, dum Acet diſt. caleſit & ebullire incipit, tunc immitte mixturæ ſuprà dictum Sal tartari & tartarum crudum per vices, donec omnia ſint reſoluta, quod ſpatio 2. horar. fieri poteſt. Hoc partim coagulari, partim cryſtalliſari ſinas.

N. Vel adhuc compendioſius: Recip. Sal tartar. albiſſ. q. v. affunde in lebete ferreo Acet. diſt. evaporet, & tamdiu Acet. diſt. affunde, dum ſpirat acidum, poſtmodum coagula, & cum Vi edulcora ſæpius cohobando.

Vires. *Purgat per inferiora* &c.) Eſt ſummum ſanguinis depurativum, hoc ſali volatili CC. viperar. Sal Armoniacum &c. aſſociatum egregium eſt anti-hypochondriacum, par non habet in arthritide, calculo & in omnibus morbis Tartareis. Doſis eſt à gr. v. ad ℈j. in brodio calido tempore matutino.

N. Hæc terra foliata tartari cum cryſtallis ♂tis ſi miſceatur in mortario lapideo ex aëre ſal attrahens fit rubicundi coloris, quæ p. d. ſoluta in aëre humido demum cum Vi tranſit in tincturam ♂tis hæmatinam aperitivam.

N. Hæc

N. Hæc terra foliata tartari vel in ▽ quadam deſtillat. vel Elixir Propr ſ. acidis ſolutá efficax eſt ſub tincturæ nomine ſpleneticum, nephriticum, arthriticum &c. ſive per ſe detur, ſive aliis alkalinum conſortium ferentibus combinetur.

5. *Tinctura ſeu ſulphur. tartari.*) Hic neceſſe eſt, ut V ſit optimè dephlegmatus, aliàs Sal tartari aqueas V i imbibit partes, & inſtar olei tartari p. d. facti ad vaſis fundum ſe ▽tat. Loco ſp. vini ſumi etiam poteſt ſpiritus tartari. Hæc tinctura nihil aliud eſt, quam V i ab alcali tartari volatiliſato tinctus. Hæc merè diuretica eſt, ex eorum cenſu, quæ urinam reddunt abſterſivam, adnataſque ſordes incidunt, excretricemque ſtimulant. Unde in renum impuritatibus: obſtructionibus viſcerum aliiſque morbis qui præmiſſis præmittendis tandem diureticis expediuntur, apprimè conducit.

N. Ex tartaro rubro affuſa ſpiritus ſalis ſ. q. ut fiat maſſa quam blandè digere, tribus ♂♀ elapſis ſi ſpir. vini affundatur, egregiam etiam præbet Tincturam aperitivam.

6. *Tartarus vitriolatus.*) Hic *Cl. Zvvelferus* animadvertit commodius tartarum vitriolatum ex ſale tartari ſicco, quàm p. d. ſoluto parari, &, ſi lubet, cryſtalliſari debere. Hujus aſſerti rationem reddit in *Mantiſſ. ſpagyric. part. 2. cap. 11.* pag. 416. dum tartarum vitriolatum ex ſale tartari ſoluto paratum facilè in aëre iterum liqueſcere dicit. Verùm nihil refert, utrum Sal Tartari ſiccum, an verò p. d. ſolutum compoſitionem tartari vitriolati ſumas, utrumque enim eadem ratione cum ſpiritus vitrioli in unum congredi & coagulari poteſt, abſtracta humiditate. Et quod rationem *Cl. Zvvelferi* concernit, ego potius ſtatuerem, Sal tartari reſolutum p. d. jam ſaturatum eſſe, & ſic non ita liqueſcere cum Spiritus Vitrioli unitum, atque ſiccum Sal tartari, quod adhuc vacuum ſaturari cupit, unde & humido aëri expoſitum liqueſcit. Tartarus igitur vitriolatus tam ex ſale tartari ſicco, quàm p. d. reſoluto confici poteſt, nec facilè in aëre liqueſcit ullum alkali ejus acido jam ſaturato exiſtente.

N. Cùm certum ſalis tartari ſpiritus vitrioli pondus determinari nequeat, ſpiritus vitrioli magis vel minus dephlegmato, ſale tartari etiam in tenuitate aut ſiccitate diſcrepante uſque inſtillatio ſpiritus vitrioli in Sal tartari continuanda dum ſtrepitus aut efferveſcentia ceſſet. Tunc à præcipitato pulvere liquor ſupernatans, ut inutilis non removendus, ſed potius lento calore uſque ad Salis vitriolati tartari ſiccitatem abſtrahendus eſt.

Vires. *Digeſtivum eſt præſtantiſſimum.*] Tartarus vitriolatus, & cryſtalli tartari, hodiè adeò ſunt vulgaria medicamenta, ut à non paucis vix ulla Medicamenta præſcribantur, quibus hæc non admiſceantur. Et fateor, *Inquit Cl. Sennert. in Medicin. Practic. Lib. 3. p. 3. cap. 4.* Sanè ex tartaro parata in humoribus melancholicis craſſiſque incidendis & attenuandis, ideoque obſtructionibus aperiendis magnam vim habere. Cùm verò ſæpè accidat, ut in affectione hypochondriaca bilis atra, humoreſque ſalſi & acerbi atque omninò acres, & qui ignis quaſi ſeminaria in ſe continent, reperiantur: talibus certè humoribus tartarum vitriolatum & hujuſmodi acria medicamenta non conveniunt, cùm eorum acrimoniam non retundent, ſed ea potius uſurpanda, quæ pravas qualitates talium humorum temperant, & omninò contrariæ qualitates contrariis ſunt opponendæ.

N. Quod ex uſu tartari ⊕-lati tam dira quandoque oriantur ſymptomata, ut vomitus, cardialgia &c. non Sali tartari acceptum eſt referendum, ſed ſpiritui vitrioli ſæpiùs impuro.

Tartarus Vitriolatus alius.) Hic eſt ex communicatione S. Cloſſæi, & præparatur ex terrâ foliata tartari cum ∽u ⊕-li in coagulum redacta prout *D. Autor* deſcribit, ſuas meretur laudes. Huic affinis

7. *Tartarus vitriolatus cryſtalliſatus.*] Hic ſequenti modo rectiùs elaboratur: Rec. tartari crudi albiſſ. ℔j. adde ſpiritus vitrioli ℔ij. deſtilla per Alembicum donec nihil humidi ampliùs extillet, frigefactum exime., ſuperafunde aquam calidam, extrahe filtra, evapora in MB. ad medietatem; in fundo remanet, pone in locum frigidum ad cryſtalliſandum. Ex his cryſtalli tartari etiam fieri poſſunt rubicundi ſeq. modo. Rec. tartarum alb. groſſo modo fractum q. r. lava, & ab impuritatibus ſeparatum exſicca: Deinde Rec. Santal. r. ſ. q. affunde V i imprægnatum ∽u vitrioli & extrahe tincturam, quam decanta. Tartarum coque cum aqua pluviali & infunde tincturam rubicundam, urge coctionem tamdiu, donec cruſtam acceperit, expone loco frigido & cryſtallos acquires rubicundos.

N. Tartarus Vitriolatus ☉laris.

Rec. ☉ fulminant. part. j. tartari vitriolat. part. iij. vel iv. contere optimè & pone in Crucib. in furnum anemium per quadrantem horæ, ut optimè, liqueſcat, effunde, & nihil reguli de ſole reperies, ſed hunc à tartareo vitriolato ita exaltatum videbis, ut totum colore violaceo tinxerit, quem alias per ſe fuſus nunquam acquireret.

Vires: juxta vim ſuam abſterſivam habet unà diaphoreticam & felici cum ſucceſſu in omnibus & cordis affectibus uſurpatur.

N. Tartarus Vitriolatus Lunaris.

Luna optimè calcinatur per ſp. Nitr. vel aq. fort. & præcipitatur per ol. tartari p. d. vel Rec. laminas Lunæ & tartarum vitriolatum ſ. S. S. S. cementa in tigillo clauſo pe 3. horas, tunc maxima pars laminarum in Sal. com. viride abibit, hic labor tamdiu repetitur uſque dum laminæ totaliter conſumptæ & pulveriſatæ.

Vires ſummo cum effectu in morbis capitis & hydrope adhibetur.

N. Sic & tartarus vitriolatus antimonialis fit ex Cap. mort. clyſſi ♁nii extractò Sale & cum ∽u vitrioli ▽tato.

8. *Sal tartari volatiliſatum.*) Hic modus reſpondet 3. Magiſterio ſcilicet tartari ſeu ſali tartari alcoholiſato. Sed licet cum V i aliquid Salis volatilis ex ſale tartari in forma liquida elevetur, tamen in forma ſicca ſublimati inſtar vix comparebit. *De Salis tartari volatiliſatione vide ſuprà alios modos Sal tartari eliciendi, qui huic ſurrogandi ſunt.*

N. Quomodo alkalia à ſalibus volatilibus ſublimentur, vid. D. David. *von de Becke* in experim. & meditat. circa naturalium rerum principia.

9. *Liquor tartari ſpleneticus.*) Præſenti compoſitione non indigemus, ſi loco tartari cum ſpiritu ſalis copulatum egregium obtinebimus etiam deoppilativum, ut ſupra jamdum monuimus liquori tartari ſplenetico *Dom. Autoris* præferendum *Hofmannus.*

Hactenus SCHRODERUS ab HOFMANNO annotatus de variis Tartari præparationibus pluribus quidem, ſed de ejuſdem Sale volatili pauca admodum enarravit. Quoniam verò ſalem illum inter præcipua artis arca repoſuere Chymiatri, non incongruum fore arbitrati ſumus ſi de eo quædam ulterius legenda præberemus, atque ea propter Tractatum Celeberrimi D D. Danielis Ludovici, De volatilitate Salis Tartari hic insereremus. Sic enim conſtabit, quid in hac mate-

materia quærendum, quidque minimè quærendum ſit. Quædam præterea circa varias alias præparationes chymicas, ut & circa earumdem exhibitiones ad Tractatuli elaboratiſſimi calcem adjecta vidimus quæ ſupprimere ordo materiarum aliquatenus ſuadebat, ſed quoniam pauciſſimis pagellis complexa & accuratiſſima ſunt hæc omnia conſtituimus Diſſertationem integram exhibere perſuaſi Lectori minimè tædio futurum præclara hæc quamvis extra proprium ordinem legere.

PRÆFATIO.

Ad Benevolum Lectorem.

Cum ſuperioribus luſtris Alcaheſtinæ diſquiſitiones complures fatigarent, fieri non potuit, quin decollante paſſim ſpe, nihilominus in tanti Liquoris Vicarium parili diligentia inquireretur. Tentavimuſque hinc circa fixitatis Alcalinæ Volatiliſationem ſimiliter nonnulla; quæ poſtmodum Amicorum ductu, horis ſucciſivis è Memorialibus collecta, nunc ante ſeptennium edidimus: ſaltem quo adhuc verſatiorum aut feliciorum obſervationes & Enchiriſes circa hujuſcemodi materiam eliceremus. Nec ſanè concepta, curioſiſſimo hoc ſeculo, ſpes nos deſtituit; experimenta ſua liberaliter publico conſ[illegible]entibus Viris exercitatiſſimis. Ceu inter ea quidam, quæ ad manus noſtras hucuſque pervenerunt, iſta forſan primus eſt Spiritus, qui quaſi ſemi-diliquiis in cella, vel dum hujus pigrior ut plurimum, ac minus agitatus aër eſt, per Subaſtrationes, (ut ita loquamur,) poſt quamlibet deſtillationem repetitis, è Sale Tartari colligi præcipitur: conſenſu tamen hactenus in diverſa abeunte: dum quidam ſaturatiſſimum hinc dixerunt; Alii verò phlegmaticum ſolum, & Alcalinum in aquam tandem reſolvendorum Exemplum: ceu forſan circa Ignis genus atque gradum, Vaſa, Alcali ſolitarium, vel acceſſoriorum reliquiis adhuc diverſimodè infectum, ipſamque Patientiam haud exigua accedere potuit variatio. Nobis, [cum poſtliminio circa talia ſuſcepto aliquando tentamine, hunc quoque proceſſum perſequeremur,] ſingulis vicibus, poſt phlegmatis egreſſum, urinoſi volatilis liquoris quodpiam] Arenæ quidem, at validiſſimo aſſumptique quantitati ſufficientiſſimo igne, per Retortam [Sale tamen perdiu prius, alios in uſus, moderato calori expoſito;] tantiſper in fine oblatum eſt; donec tot repetitionum ac confractionum pertæſi, abjiceremus [inter alios officii] productiorem hunc, & felicioribus, cum reliquis, relictum laborem; elutriato reſiduo equidem Terræ fixæ particulam, pro horum [tacitè tandem fatiſcentium] more, præbente: deſtillationis autem Modo cum [infra notatis] Tincturæ, vel ſaltem Solutionis Salis Tartari [in Spiritu ardente factæ, & à ſubſidente ſaturatiſſimo hinc phlegmate ſeparatæ] Deſtillationibus quadantenus conveniente: Sique Aſcenſus aliqualis hic ratio perquirenda, ſolicitato forſan ſic, aut per toties repetitas ignearum & aquearum particularum alternationes, [ferè ceu quadam quaſi cohobia,] vel intimiores quarundam complicationes, ſucceſſive diſpoſito magis Subjecto ad induendam ſufficientis ſibi vehiculi quantitatem, aut aliter reddendam attenuatiorem ſui portionem. Nam inter varias adhuc difficultates & perceptibiliora quædam experimenta, forſan arbitrari poſſet quiſpiam, ſingulariorem horum ac conſimilium, [adhuc copioſius prodeuntium] ſuſcitationem aut emerſionem, per univerſalis iſtius Salis attractionem vel inſinuationem, [ſimpliciori Radiorum vibratione vel permeatione longe ſublimiorem,] nec dum adeò eſſe planam: Præſertim dum penitius expenditur & confertur exigua plerumque Proportio ſalinæ participationis tam in Rore, pluvia, Nive &c. quam in ipſa [ambiente nos] Atmoſpherâ [utut in ſuo genere ſeu deſuper, ſeu ab inferioribus, quò vel copioſiſſima culinarii ignis effluvia ad Gas uſque, referre qui poſſet, ſatis aliàs impregnata,] cum ea Coagulorum quantitate, paſſim & brevi ſæpe, tam è fixis ignem variè prius perpeſſis, quàm è Mineris, ſub diu uvido fatiſcentibus emergente: ſi porro conſideratur Salis iſtius, [hactenus quidem notis; etiam operoſioribus modis collecti,] nec dum ea paſſim, ſeu in medendo, ſeu ſolvendo deprehenſa univerſalitas: imo ipſius concentrati quorundam Spiritus Mundi, [ni de Magneticis, collectioni communiter deſtinatis corporibus quidpiam ſimul evehat,] exigua aut nulla ſæpe à priore Roris deſtillatio differentia: ex adverſo vero, [præter igneorum, ſive tranſeuntium ſive nonnullibi cohærentium effluviorum varietatem,] imprimis Aquæ [quaſi ſemi-Mercurialis cujuſdam elementi,] ſub acceſſu complexuque ſuo, [vel Vegetabilium exemplo,] planè variabilis & diverſimode applicabilis, Mineralium autem, præcipuè ſalini quid evidentius participantium,] haud adeò facile exhaurienda vel enervanda Natura; quin gliſcentes inibi: & ſemet ſenſim poſtmodum exolventes; aut poſt aliqualem ſuppreſſionem vel alterationem ſuam,] denuò hinc induentes particulæ reſtent: & quod per lentam ſolum humectationem, & repoſitionem [conceptaculis interea ſatis obturatis,] diuturniorem, è pleriſque hujus generis ſubjectis, [vel perfecti Colcotharis, Aluminis uſti, &c. exemplo,] nihilominus eadem producta habeantur, aut ſi quæ [guſtui odoratuive,] diverſi quid præ ſe ferant, id pariter fortaſſe non tam novæ extrinſecæque ſubſtantiæ acceſſu, quàm variata ſolum particularum figuratione, poſitura, occultatione, &c. contingere queat; indeque hoc inſuper non rarò ſaltem ſit temporaneum: [ceu Sal è Vitrioli conſummatiſſimæ deſtillationis capite mortuo, accuratè ſic collectum, nobis nunc poſt 12. demum annum vitrioleſcere incipit:] & ſi quæ amplius, v.g. è Calcis ſpontè reſtinctæ ſimiliumque verè Calciformium obſervationibus; Nitri murarii natura; Pyridis atramentoſi concidentia; acido ſalinarum particularum ſub inſipido vel quaſi-dulci coagulo latitatione; ſulphureo odore, Cephalici quorundam Spiritus haud remiſſiore, etiam inter vulgaris inodorique Spiritus Vitrioli rectificationem repetitò prodeunte, &c. adduci, [ſed præter inſtitutum noſtrum] poſſent, ab animo ſublimioribus hujus generis præſuppoſitis, ad dimenſionum ferè penetrationem interdum deducentibus, minus adſueto. Potius ſequatur alius ex Aceti deſtillati Saturniorumque magmate, ſolitarie vel cum Jovis calce ſimilibuſve, [ad modum Spiritus Coralliorum,] valido ſatis igne deſtillatus: in variationibus chymicis jam olim etiam ad fixiora commendatus, nec quibuſdam inconveniens: ceu conformes ferè, [poſt abſtractiones à Solutis ſuis tandem] prodeunt Guajaci quoque, Mellis, Mannæ, imò Tartari nonnunquam Spiritus, Acetumque, vel ab ipſo Sale Tartari: acumine talium, à priſtino ſuo, haud parum differente. Verum cum noſtra nunc recenſio præcipuè circa vulgare Sal Tartari, [ut illic ſingularius aliquod prodeat,] occupetur, ſufficiet forſitan, mentionem tantum hujuſcemodi Liquoris feciſſe. Quemadmodum etiam Tertii, è ſiccatis vini fecibus; ceu in ſubſequa Diſſertatione jam adducti; cum additione: quod commodè prius Spiritus ardens abſtrahi, & reſiduum poſt refrigerationem & ſubſidentiam, exiccari demum queat. Forſitan autem ex hoc capite

com-

commercioque eſt, quod in crudi quoque Tartari deſtillationibus nonnunquam ſimilis Salis quidpiam apparuerit. Amplius retulimus ibi etiam Tartari Tartariſati, [uti quibuſdam vocatur,] Spiritum: cui quemadmodum affinis, ita laborioſior quidem, at poſt debitas rectificationes penetrantior aut ſaturatior, proceſſuique [cum Spiritu & Sale Tartari inſtituendo] tunc ferè compar eſt, qui poſt Tartari & crudi & ambuſti, [tanquam præ ſale fixo minus adhuc exhauſti,] debitam inter ſe ſolutionem deſtillatur. Quod autem caput mortuum elixiviatum, alcali quidpiam nobis exhibuerit, in cauſa forſitan fuit ni ſalinarum particularum temporanea [ceu Tartari quoque, cum Alumine deſtillati capiti mortuo contingit,] latitatio, vel conſueta renitentia, ſaltem ferreæ cucurbitæ, intenſiorisque ſic propulſionis defectus. Quod quidem in medio nunc feliciori-buſve repetitionibus relinquimus: quemadmodum etiam, ſi fortè quiſpiam botriformes hic ſub diſſolutione, bullas, [cum non ſolùm in crudi quoque Tartari depurationibus, aut cum Vitriolo coctionibus, verùm etiam in aliis pulverulentis inſperſionibus ſaponariiſque & albugineis mixturis concuſſis eveniunt,] non tam ad Sal Tartari, [tanquam intimioris adhuc participationis] Vitis genimen, quam ad ſimpliciorem [quadrantium congredientiumque,] particularum poſituram, varia hujus generis phænomena in Mineralibus, ſalinis, aliiſve coagulis ſiccis aut conglaciatis &c. [citra omnem Eſſentialitatis primordialis acceſſum,] exhibentem referre voluerit. Reſiduas autem Formulas, v. g. Terra Alcalium partis ſubtractionem, quo volatiliores facilius prodeant: [niſi de primitus notato proceſſu, vel aliquorum perfuſiones depuratione, aut Acidorum acceſſorium arreptione, ceu infra has notavimus, intelligatur; Item, Alcali hujus etiam abſque igne, in aliqualem volatilitatem abitum, [ni urinoſum quidpiam, vel Aluminis miſcella, ſingulariorve enchiriſis ſubterfuerit; ceu madida quoque vegetabilia compacta, ſponte concepto calore, quadam inflammabile Sulphur, quædam ſal volatile copioſum eructare deprehenduntur:] & ſi quæ inſuper eſſe queunt, planior olim Alcali hoc perſequentium explicatio deteget, hucque tunc cum aliis facilè reducentur. De cætero in ipſa [ut publicata primitus fuit,] nihil mutavimus, ne alia, ſed [ob exemplarium defectum,] recuſa ſaltem exiret. Præfari tamen hæc voluimus, ne manca in reſiduis videretur; addimuſque inſuper, tanquam pro complemento: 1. Quod rectificatio vel cohobia ſuper proportionalem Alcali quantitatem, complurium acumen aut ſaturatiorem notabiliter augeant. 2. Quod æque ac Calcis Vivæ Spiritus, etiam liquore competenti diluti, nihilominus admodum, [præſertim in frigido] tranſpirent. Et 3. quoad effectum, uti præſens quidem eſt [in convenientibus affectibus & exhibitionibus] hæc volatilitas, ita per ſe inconſideratius diutiuſve tenerioribus data, haud parum tandem appetitum dejiciat; [æquè ac ex eodem ferè capite, largior Vini Spiritus, & ipſum, nonnullis in plethoricis, Sal eſſentiale Tartari:] Aliis verò per ſolutiones ſociata, bonum quidem ſub Prudentia medica remedium, non tamen protinus ſemi-univerſale vel ſine pari præſtet. Quæ incipientium, ſingularioribus ſæpe proceſſibus, formulis, aut [alia tunc ibi Praxis vulgaris facie, præcipui Authoris commendationibus nimis inhærentium cauſâ, ſuperaddere viſum haud fuit inconveniens.

De Volatilitate Salis Tartari.

Quantopere Tartari crudi Volatilitas etiam Verſatiſſimorum manus hodiedum fatigarit, notorium eſt: uſque adeò, ut iſtorum haud pauci poſtquam nihil non per Serpentinas quoque, Refrigeria, interpoſitum cum ſpiritu Vini Globum, Furnos, Alembicoſque ſingulares & alia hujus generis Compendia, incaſſum ferè tentaſſent: tandem ad incoercibile, ac Fermentantium Effluviis, aut Fulminantium Sylveſtreitatibus conſimile Gas retulerint. Totum illud, quod naturæ (forſan maximam partem Salinæ,) incenſo præſertim poſt ſequeſtratam humiditatem Tartaro; communiter, (plus minus tamen, pro Artificis dexteritate) evolat: quodque Caput mortuum in bilance prolecto Liquori conferentibus, paſſim deſideratur: etiam cum planè proportionale Tartari ad recipiens pondus adſumptum eſt: nec tot ejus libræ, Vulcano inconſideratius (licet adhuc perfrequenter,) unâ vice ſubjectæ, potiſſimam ſui partem inter commiſſuras per relictum epiſtomium, aut aliàs vi factâ, ne quicquam eructarunt: aut (quamvis ſpecioſior Recentiorum invento ſucceſſivæ Ingeſtiones nihilominus per Deſtillatorii deſuper operculati contiguitates, (fruſtraneo etiam circumfluo Plumbo;) vel ſi inferius adapertum fuerit, inter Obturatorium ingratiis demiſerunt. Sed ejuſmodi deſiderio, ſervandoque ſubtiliori (à Laborantium venali certè nimium quantum differenti) ſpiritui ſuæ, citra dubium, adhuc ſuperſunt Enchiriſes.

Majus autem negotium tædiumve curioſis faceſſit volatilitas, quæ inter ampliſſima, Alcaheſtiniſque ferè proxima promiſſa, ex ipſo Alcali Tartareo hactenus (certo & aliquali copia) quæſita eſt. Ut inde nonnulli dum fixitatem & refinentiam Salis illius, è præparandi modo cogitarent: herbaceorum Alcalium, cum Bolo vel Argilla continuato igni ſubjectorum Spirituum ut plurimum tandem Acidulo-ſalinum guſtarent vel experirentur: in pleriſque hac de re Libellis modò Vota tantum, aut obſcurum, ſuper æque obſcurum, modò tralatitios ſaltem aliquot, mutuoque (citra ſucceſſus aſſeverationem) deſcriptos, vel aliàs Authoris, Ingredientium, Enchiriſis, Circumſtantiarumve nonnullarum cauſa, (jure vel injuria) ſuſpectos Proceſſus invenirent; dubioque hinc eventui difficiles complicatoſque labores elocare nollent; aut experiundo tandem (ſeu propria, ſeu præſcribentis culpa) ſæpenumero nihilominus modò nil, parum, aut phlegmaticum, modo dubium, tertiumve quidpiam ægrè nanciſcerentur: totum hoc negotium inter vanas Chymicorum Aſſertiones, aut ipſa Non Entia retulerint.

Sed enim levari reverà poſſe quandam inde, & genuinam quidem partem; manifeſta inibi verſatorum, nec ſubterfugiis temerè ſubvertenda docet Experientiâ. Imo ſimplex inſuper, at paulo validior continuataque Alcalium, etiam prius ſufficienter depuratorum aut concentratorum) calcinatio, vel cum fixioribus nonnullis, nec adeò ſulphureis Subjectis inſtituta Fuſio; Salis Tartarei vel congeneris haud parum, (vel intra horam & integro adhuc nec intimius undiquaque vitrificato Crucibulo,) una cum accidentaria Acceſſorium humiditate elidens: naribus effluvia ſalina ſat ſentientibus.

Nec tamen iſti proinde ſumus, qui Eleuſini Sacri, vel Alcaheſtini Vicarii revelationem hic profiteamur. Saltem iſtud Alcali (pro conquirenda hinc proficua quadam Volatilitate) adorientium, & ab initio) circa delectum aut ſucceſſum Proceſſus hæſitantium; præterea Ægrotorum (ejuſcemodi remediorum genere ſæpe perquam adjutorum) cauſa ſimpliciſſimè proſequamur, quæ manualis Experientia, ac longa nobis, (per aliorum præſcripta, privatoſque conceptus euntibus,) dedit obſervatio: quæque pariter

Incipientibus quidem confirmationem, & ulterioris inquiſitionis, aut (Medicæ vel Chymicæ) adaptationis Fundamentum, Exercitatioribus verò anſam dabunt, auctiora, exactiora, clarioraque eodem candore ſuperaddendi; quo nos impræſentiarum, ſine cujuſquam Allegatione aut Vellicatione breviter ingenuéque ſolùm Introductionem quaſi quandam, cum Experimentorum potiorum, (illuc forſitan compendiarie ducentium) Syllabo proponimus: Superpondii loco hinc inde interſerentes, quæ licet ad ſingulos Paragraphos directè non pertineant, incidenter tamen, & data ſic occaſione haud inutiliter, in quamplurium operationum & expenſarum compendium annecti poſſe videbantur.

Qui itaque in negotio operæ pretia facere voluerit: principio, quod Materiam Quæſiti noſtri concernit; equidem (ob inconvenientias cuivis hinc facile concipiendas, majori difficultate, minorique fœnore occupabitur circa vulgare illud Alcali, per figulorum extremas uſtulationes, aut (licet communiſſimè præceptas;) uſque ad Virorem Cæruleumve Calcinationes exhauſtum, ac ſublimandis poſtliminio particulis tantùm non quaſi ſpoliatum. Æquè ac toties repetitas deprædatoriaſque Salium Officinalium Fuſiones, ea candidiora quidem, nihilo tamen hinc uſibus medicis præſentiora reddere; eoque laborum minus prodigos primis illorum coagulis, vel ipſis nonnunquam Lixiviis parili ſucceſſu ſecuritateque acquieſcere cernimus: ſiquidem defuerint, aut ſpecialem ſcopum interdum haud adeo attingere poſſe putentur Granulata; in Diſpenſationem aliàs commodiora: nec, (dum per Sulphur flagrantibus herbis moderatè interjectum conficiunt,) invertentem diaphoreticamque vim, ſic admodum perdentia.

Porrò verò nec illud citra laborum fruſtrationem hic aſſumetur, quod extemporanea anatici Tartari ac Nitri Detonatione, (de cætero compendioſè, ſique libet, perforatâ ſolum rejicula quadam Retortâ, cum Clyſſiformis Spiritus prompta collectione,) paratur. Siquidem in ſubitanea illa excandeſcentia Nitroſæ Aciditatis pars tacitè arripitur, & in Alcalinum complexu, (quamvis guſtantibus inſenſibiliter,) occultatur tamen tantiſper, donec paulo violentiori igni, vel aſſociatis, (Sali Tartareo) amicioribus ſubjectis denuo cedat; & penetrantem expectantibus, deſidem, ac inſtar exhauſtæ Aquæ Fortis acido nitroſum relinquat. Uti nobis plus vice ſimplici, etiam cum Silicibus, ipſoque Saturni Vitro, (dum ſuperiorum annorum commendatione ducti, neſcio quæ ſecreta inibi cum prædicto Alcali quæreremus,) contigit. Atque hinc procul dubio etiam eſt, quod in iſtius Oleo deliquato (concentratiori,) Tincturaque, tandem nitriformia quædam ſpicula inferius concreſcant.

Ut itaque Sal noſtrum non quidem extremè, & ad pugilli quaſi remanentiam calcinatum; ita nec perfunctoriè tantùm, fundum tenus, & inæqualiter combuſto Tartaro extractum ſit. Ne ex adverſo, reſiduæ ſemicrudæ hujus partes (quemadmodum in imperfecta Spiritus deſtillatione, & in Tartari Tartariſati confectione fit,) abſorptæ, Liquorem poſtmodum prodant (ob Spiritus oleique Tartari communis aliquantillum) à quæſita noſtra volatilitate haud parum differentem (atque curioſioribus in iſthoc genere meritò ſuſpectum

Nec tamen hinc opus erit, ut Tartarum quiſpiam, (cum polychreſti Spiritus jactura) ſeorſim calcinet. Quandoquidem ipſum Caput mortuum (v. g. è duabus tribuſve Crudi libris) poſt totalem & ultimam dicti Spiritus Oleique deſtillationem adeoque intimam fidentis Tartari combuſtionem reſtitans, (citra ulteriorem ſupervacueque vulgo repetitam uſtulationem,) gratis & quaſi pro ſuperpondio ſuppeditat Sal, ut aliis uſibus, ita huic quoque operationi ſufficientiſſimum; præſertim ſi ſine ſubitanea poſtmodum vehementiâ; imò penitus ſine quadam, (quamvis ſeverè operoſéque nonnullis hunc in uſum reiterata) Depuratione ſenſim ſaltem in ſeipſo totaliterque exiccetur. Nec enim (poſt partis coagulatu difficilioris in deliquium verò magis pronæ ſeparationem) Reſiduum ſubterconcretum, (ceu alii iſtud ſpecie, vel etiam lixivii Sarmentorum cryſtalliforme coagulum requirunt,) ſeorſim huic negotio aptius invenimus. Quin potius, qui è Salis culinarii ſpontanea nonnullibi è Catthis Salinarumve Metis ſtillante Muria, v. g. ad quartæ partis remanentiam exhalatâ, per arenam quoque Spiritum elegantiſſimum aperitivum deſtillari vidit; fortè priorem illam portionem ferè commodiorem crederet.

Cæterum, ſi porrò ſupradictum Alcali, à crudioris Tartari commercio, (ni quaſdam oleoſarum ſtriarum vel ſcoriarum particulas, interdum inter eluendum, innoxiè arripuerit,) aliàs ſufficienter ſic ſecretum; diuturniori mediocrique Calori per Menſes aliquot, aut ſuper Fornacem una alterave hyeme, perfunctorie tectum exponatur: lenta ignis actione pene poroſum, ac in ſe quaſi ſpongioſum, eoque hujuſcemodi laboribus adhuc aptius deprehendetur. Atque hæc circa vulgare quoque (juſtæ calcinationis,) Sal Tartari ſimiliter maximam partem obſervari queunt. Nam illud hinc, dum operationum tantummodo compendia, per diverſas obſervationes & Enchiriſes venamur, neutiquam rejicimus.

Tandem verò ſiccæ vini fæces, (Deſtillatoribus vulgò vel recentiorum aliis occupationibus haud inconvenienter cedentes,) ſi poſt vini reſidui expreſſiones &c. aut conſuetas Spiritus abſtractiones, in aheno parilive modo debitè deinceps exiccentur; uti per deſtillationem (tùm ſolitarie tùm alibi tradentis additamentis inſtitutam, penetrantiſſimum & volatili ſpontaneo Sale refertiſſimum, (ſique per competentem ſuper Alcali rectificationem à graveolentia nimia liberetur) perquam in compluribus affectibus proficuum, ſane volatili Salis Tartari Spiritui hoc in paſſu ferè conſimilem Liquorem ſive Spiritum fundunt: ita poſt communem at planè mediocrem (in olla tecta) calcinationem ſpecioſum, copioſè ſuperſtans, & quaſi ſponte deſuper ſublimatum albiſſimum Sal præbent, ejuſcemodi negotio præ reliquis convenientiſſimum.

Atque hæc de ipſius Alcali differentiis, (quatenus huc ſpectant,) & haud inutili Selectu: quo ſe in aliquali copia, ſed tamen genuina & in Urinoſitate ſua, (quoad ejus fieri poterit,) intemerata Volatilitas inde ſequeſtrari queat. Nam licet nonnullorum aſſerta in Solutiones quaſdam aliaſque circumſtantias Acidum aliquid inferre videantur: nihilominus cum in (hactenus quidem notis) hujus fortis ⊖tibus ſpeciale ferme nil, aut parabilioribus ejuſcemodi Menſtruis adeò ſuperiùs inventum fuerit ipſique potius circa diſſolvenda Subjecta deſides, aut circa ſoluta jam, (quæ intimius ſecum deferre debebant,) inſtabiles, vel alias alienigeni deprehendantur: forſan haud immeritò (donec ſecretior præſentiorque, citra ſuſpicionem, modus ad Aciditatem obtigerit,) acquieſcemus purè ſalſæ, certè conſimili lixivioſæ Alcalium (ab iſta tranſlocatione ſeu immutatione haud penitus alienorum) naturæ præ Acido (in hoc quidem genere) viciniori; competentiaque vel prædiſpoſita Subjecta ſuo quodvis modo, ſat is adorienti & amplexanti Volatilitati. Sive de cætero Salis; ſive ⊖us, (utpote parum hinc differentis, & ſali-

& ſalinas particulas ſaltem in liquamento ſuo vehentis) forma prodeat.

Proindè conſequens nunc eſt, ut Modos videamus, quibus ejuſcemodi Volatilitas in rei veritate proliciatur, an prolici putetur. Quemadmodum enim plures ſunt, qui (ut ab initio notavimus,) Plegmaticum ſolùm, (Tartarei quid olentem,) aut levidenſem Liquorem, vel nominale tantum, alienum, aut planè tertiam quidpiam genuini loco præbeant: ita non unus ſaltem verùm aliquot inveniuntur Proceſſus, qui revera quæſitum hic Sal, aut ipſi congenerem (à communi tamen Tartareo admodum diſtantem) Spiritum ſuppeditent; & nihilominus invicem tùm in odore, ſapore, colore, ſalinarum partium formâ, &c. tùm in effectu viribuſque manifeſtè coincidunt. Æque ac permulta v. g. Mercurii, Antimonii &c Præparata, quamvis ad concertationem uſque, diverſis viis mediiſque negorioſè conquirantur, eodem tamen ut plurimum poſtmodum recidere; & quæ per operoſas ambages ferè ſecreto confecta fuerunt; cum vulgatiſſimis tandem compendiis penitùs convenire paſſim cernimus.

Amplius, quemadmodum Salinorum reliquorum pleraque (licet reſpectivè minus fixa,) faciliùs tamen atque copioſius elevantur, ſi dum annatum defuerit, extrinſecum ſolummodo, ſed competens atque continuationem deſtillationis in iſto genere ſuſtinens addatur Vehiculum; aut pro re nata Separatorium ſaltem corpus quod aliquam Subjecti partem præſertim fixiorem aut alienam invadendo, &c. Subtilioris atque huc magis pronæ ſubſtantiæ aſcenſum ita facilitet. Ceu inter plurima, vel ſolùm ſal culinarium, (oppidò Spiritus ſui facilis aut iniquus, pro additamentorum ratione, promus condus,) liberaliter innoxieque refundit dupli, (hunc in finem adjecti) Aluminis crudi ſuperpondium: iis qui naturam ejus & Capitis mortui (ſeu integri, ſeu in Sal tertii generis & albiſſimam Terràm reſoluti) notabilem Aluminoſitatem norunt, in medendo neutiquam ſuſpectum. Sic pariter etiam Alcali Tartareum, (etſi longè forſan pigrius,) per vehiculi tamen complicati vel ſolicitantis, aut certæ Materiæ (ſulphureæ vel acidæ, ſalis portionem arripientis, & in eo ignis gradu carboniformiter aut Magiſteriali coaguli inſtar retinentis,) acceſſum, equidem facilius aſcendit ſecundum reliquam iſtam partem, quæ ſimplici ignis actioni aliàs vix, aut non ſine variis inconvenientiis paruiſſet.

Quibus ita præmiſſis, ut ſpecialibus deinceps ac ordine quodam, diverſimodè ſic quæſitæ vel promiſſæ Volatilitatis noſtræ rationes, quid valeant, quantique ſint, (ducto per remotionem quaſi, à languidioribus, ſuſpectis, minuſve talibus exordio,) perluſtremus: principio Tartariſatus Vini Spiritus, unâ ſcilicet alterave vice ab Alcali Tartareo pro phlegmatis (ſulphureo ſalinis iſtius particulis adhuc dum ſat copioſè intermixti) majori quadam ſeparatione communiter abſtractus; quamvis ob evidentiorem hanc concentrationem, tum per ſe, tùm in Eſſentiis Mixturiſque compluribus perquam in ſua deſtinatione præſtans ſit: & quaſi proprium ſibi volatile quoddam Sal (ex iſta proſapia) participet, imò vel ab ipſo Alcali inſuper aliquid abreptum, ſecum evexiſſe ponatur: indeque propter alterutrum horum, ſi paulò validior ⊖-li -^-us inſtilletur, non ſolum ſubtilem quandam Ebullitionem, verum etiam utplurimum poſt lentam exhalationem Salis ſubaciduli nec inelegantis quidpiam oſtendat: noſtro tamen apparatui, & per multum hinc diſtanti prægnantiorique Salis Tartari Spiritui proximus haud accenſeri poterit. Siquidem & Alcalinum illud quod in ſuperficialiori hoc, æquè ac in ſpecioſiori inceratìonis (inferius attingendæ,) proceſſu forſitan aſcendiſſe conjicitur, oppidò nihilominus erit exiguum: & ſenſibilius in ejuſcemodi operatione, poſt ſeparatum quaſi ſemiſtiptici ſaporis) Phlegma, demum prodire deprehenditur. Ceu ultimas ſolum guttas, dum dicta reſiduæ humiditatis abſtractio per Retortam inſtituitur, aut parili modo V́ (per Salis Tartari diſſolutionem, & ſubito ſubſidentis aquoſitatis ſubtractionem compendioſè Dephlegmatus,) ad ſiccitatem uſque paulò fortiori igne deſtillatur, Acredinem alcalinam guſtantibus offerre tandem obſervamus. Quas ſi quis pro lubitu (uam & congeneribus Alcalium volatilitatibus addi poſſunt, abſtracto V́i Tartariſato (præſertim repetito dum per accidens obtingunt, permiſcuerit; haud minus inde ſic Alcaliſatum (alios fortaſſis in uſus) habebit; quam ſi vini rectificatum -^- à globulis argilla & ſale Tartari conſtantibus, validiori demum igni abſtraxiſſet: aut in Eundem (prius à crudo Tartaro lentè deſtillatum,) intenſiori poſtmodum Vulcano Tartareæ -^-tuoſitatis reliquias (ſed ingratiori hinc odore) protuliſſet. De cætero tamen nec hi Liquores ob eandem Volatilitatis inibi diſperſæ paucitatem, deſideratorum numero convenienter aſſociari poterunt.

Quod autem Oleoſi quidpiam in prædicti Spiritus Vini Tartariſati confectione, reſiduo Phlegmati, (æque ac venali generoſiorum fæcum Spiritui,) nonnunquam innatet verum quidem; ſed tantum ideo Cordiale non eſt, aut inde meretur ut guttatim ſic, aut operoſius adhuc rectificatum vini, cum concentratiſſimo Salis Spiritu digerendo, eoque ſulphureas particulas abreptis ſalinis, liberando,) colligatur. Cum ad Mœni Rhenique tractus, fæcum deſtillatores paſſim tolerabili pretio vendant vini iſtud (pauciſſimis noſtratium, dum plerique Spiritum ardentem hoc nomine proponunt, notatum) Oleum, è Rectificationis remanentia ſucceſſive, more tralatitio, deſuper collectum; atque hinc oppido fæculentum quid olens; donec ſuper Alcali vel Salis Spiritum, aut potius per veſicam rectificatum, acceptiorem & Spiritus è fæcibus prolecti ſimilem odorem induat. Verum hæc in tranſitu.

Sequitur præcedentibus quadantenus affinis, ac pridem hoc nomine traditus modus; è ſoluto in Vino Alcali, (poſt Spiritus ardentis atque phlegmatis abſtractionem,) Sal volatile proponens. Experientiæ ſubjectus dedit quidem è reſidua Maſſa (utpote Alcali & Tartaro vini conſtante, modicum Liquoris, uti vulgari Tartari Spiritu longè graveolentioris, ita quoque acrioris, & manifeſtas hinc particularum ſalinarum notas oſtendentis; concreti verò cujuſdam Salis veſtigia quædam potiùs, quàm ſpectabilem compagem: cum Olei Tartarei circumcirca decidui aliquantillo. Ut evidentiori Volatilitate prægnantioribus, atque ſimul minus ingratis acquieſcentes, (præſertim cum ipſe vini Spiritus feculentiori odore ſic infectus prodeat,) totum hoc feliciori forſan (inter frequentiores adhuc repetitiones, vini variationes &c.) inquiſitioni relinquerimus.

De cætero aſſimilis iſti, ſed tamen acceptior eſt Spiritus, qui è Tartaro Tartariſato, (ſeu aperitivo illo coagulo, è tribus Tartari purioris aut depurati, & duabus Alcali partibus confecto,) haud difficulter, (proflua ſimul olei parte,) deſtillatur: de Volatilioribus Salis particulis procul dubio quidpiam (vel odoris ſaporiſque huc declinantis teſtimonio,) ſimiliter participans: atque licet (in exquiſitorum claſſem ob antedictam cauſam referri nequeat, nihilominus in aperiendo & reſolvendo non contemnendus: ſive per ſe ac ſolitarius, ſive ſub competentium, nec volatilitatem ejus adeo infringentium Spirituum tincturarumve conſortio detur. Æquè ac Tartareus iſte, (ſed

(ſed ſubacidulus) qui cum Vitrioli ad crudum Tartarum ſubquadruplo vel ſubtriplo (alias in diverſos uſus,) haud inconvenienter prolicitur; vulgatiorique officinarum Aperitivo, (etiam debito ignis regimine, ne tandem planè vitriolicus exiiſſe videatur: deſtillato,) in ejuſcemodi deſtinationes longè præſentior deprehenditur.

Porro verò nec tralatitius ille cum Bolo conſimilive Terrâ modus momentum adeo magnum huc conferre poterit, Quamvis enim ut plurimum quadantenus procedat; & Liquorem ſenſibiliter urinoſum, eoque deſtillato Vitrioli Spiritu ſubtiliter ebullientem præbeat: volatile tamen inibi perquam eſt exiguum, indeque (ceu alii quoque queſti ſunt,) effectus oppido remiſſior; ſive per ſe, ſive quæſitis hinc Solutionibus. Extractionibuſque fuerit adhibitus. Ut taceamus, acidulum ſolummodò, deſidique Terræ ſigillatæ, vel congenerum Argillaceorum Spiritui conſimilem nonnunquam (pro additamenti forſitan natura, copia, &c.) cum aliquali ſaltem Tartareo odore prodiiſſe.

Quod autem nonnullorum Ignem penitus immediatum attinet; Faſtigiato illi (per directa Receptaculâ) Furno cum ſuperioribus annis multa commendatione propoponeretur,) injecimus ſuper prunas pro more carbones oleo Tartari rite ſaturatos, & circumcirca ſufficienter ſiccatos. Sed idem nobis (fortean infelicioribus) contigit, quod aliquibus nonnullibi Spiritum ſalis parili ratione quærentibus. Ignis ſcilicet ſenſim ſuffocatus, & phlegmatici tantummodo quidpiam, pauciſſimis particulis revera urinoſis intermixtum, in inferiori Recipiente collectum eſt.

Nec ſaturatius quid (in exiguâ ſimul quantitate) nacti ſumus, cum alia vice ipſum Alcali (mediocriter ſaltem ſiccatum,) prunis inſpergeremus. Adhæreſcens ſiquidem hinc, inde, vel per contiguitates iſtarum ſecedens, illic in maſſulas ignitioni ſuſtinendæ minus deinceps aptas abeundo, hic Vulcani levatoriam violentiam ſubterfugiendo, utrinque tunc expectationem noſtram in tantum refellit.

Cùm autem ipſum (à deſtillato Tartari ſpiritu reſtitans) Caput mortuum, nondum elixiviatum, ſimiliter aliquando injiceremus, (uti ignem alias promptè concipit, ita) ſecedentis ſubtilioris partis manifeſtiores notas, in ſuperioribus præſertim Receptaculis (etiam odorantibus) oſtendit: eo ipſo tamen potiſſimam partem effugiens, infimo ſalinæ urinoſitatis modicum reliquit. Ut facilioribus ac eodem recidentibus modis deinde contenti, hactenus in hujus generis deſtillationibus repetendis curioſiores eſſe deſierimus: majori aliorum, inter otia, felicitati relicto ejuſcemodi (ſeu priſtini, ſeu propter difficultates quaſdam contractioris nunc) Furni proventu, ſive (Sarmentorum combuſtorum inſtar) per ſe, ſive per additamenta quoque, evidentius fortaſſe conquirendo.

Quò pariter remittimus ſingulare quoddam, nobis alicubi ſuperioribus annis depictum Inſtrumentum; proculdubio Authoris famigeratiſſimi verbis, huc perfrequenter, nec citra ſpeciem tractis: (quod ſcilicet aër imprimis volatiliſet ſulphur concreti, " cum omnimoda ſeparatione ſui Salis, &c.) inven-" tionem debens: atque adeo circa Salis Tartari conceptaculum aërem quadantenus admittens, ut per cucurbitiformem Tubum ad Alembicum convehatur levatus à ſubterraccenſo igne Spiritus; ferè Sulphurei campanarii inſtar. Nam diſſipationes volatilis hujuſmodi ſubſtantiæ hinc inde, præſertim repleto (per ſuppoſitionem) Receptaculo ſubveriti, tale quid experiri noluimus. Atque hæc de magis quidem conſentaneis, levioribus tamen remiſſioris Volatilitatis modis.

Sequuntur, (ne quid in iſthoc genere cenſuque ſit reliqui) remotiores adhuc, ob acceſſoria magis ſuſpecti, vel planè tertii penituſvè alieni quamvis (in ſua quivis deſtinatione) haud inefficaces, indeque nonnullam hujus fortis ortuſque ſpeciem diverſimode præ ſe ferentes, aut rem ex alio aliove capite penſitantibus, præ ſe forſitan laturi. Quodque inter iſtos, principio, Spiritum ex Armoniaci, Salis Tartari, Calcis vivæ, (imò aliorum inſuper, indifferenter inibi ſemet habentium additamentorum) mixtura, per notas paſſim enchiriſes deſtillatum concernit: equidem in penetrantia, ſua perquam præſtans, nonnullis hinc pro quaſi Tartariſato habitus eſt. Verum, ut Acidæ Armoniaci partis, (Sal Tartari vel Calcem vivam pro more invadentis) intuitu, quædam Volatilitatum (inde ſecedentium) aſſociatio, mediocri conjecturâ concedi poſſet: collectus tamen (& inter ſufficientis humidi defectum Floribus nonnunquam intermixtus) Spiritus, (hactenus Armoniacali titulo diditus,) per iſtud quoque præſuppoſitum nihilominus maximam potiſſimamque partem adhuc Talis, ſeu Urinoſus ac forſan fulgineus foret. Caput autem mortuum ulteriori experientiæ ſubjicientibus, (ut incidenter hæc perſequamur, ſiquidem è Calcis vivæ commercio fuerit, Tincturam vel Liquorem ſuppeditabit, (Nephritici nonnullibi nunc uſualis imitamento,) haud penitus rejiculum: ſin autem è ſimplici Salis Tartari atque Armoniaci mixtura ſupererit, & ſpiritus Vitrioli parte perfundetur; promptè hinc deſtillabitur Aperitivus Spiritus, cuivis Armoniacali Acido compar: Quando verò dictum caput mortuum rectificato Vini Spiritu ſimpliciter extrahetur, & quod extractum eſt, Spiritu Vitrioli præcipitabitur, elegans ſalinum, (& Sale Antihypochondriaco, quibuſdam è Florum Armoniacalium, à Sale Tartari perfectè ſublimatorum, capite mortuo extracto vix inferius) coagulum prodibit.

Sed ut ad inſtitutum noſtrum redeamus; num quoque vulgatior Calcis vivæ Spiritus (per prævias Alcohol vini abſtractiones & Alcali Tartarei additionem, &c. paratus,) pariter de acceſſorio hoc Sale quidpiam participet; è diverſis conjecturis diſquiri quidem poſſet: & in utramque partem facilè quis allegaverit tùm ipſam Calcis vivæ naturam; & pronum hinc (ut & ab Alcalibus) Volatilitatem quarundam ſucceſſum; quarundam verò totalem quaſi tranſmutationem: tum porro Spiritum Calcis, etiam abſque Sale Tartari deſtillatum: Odorem ab hujus Spiritu quadantenus diſtantem, &c. Præterea & ex adverſo, conſimilem ferè Salis Tartari cum Silicibus, etiam calcinatis deſtillationem: Liquoris ſub olei Saponis confectione provenientis alcalinam Acrimoniam, corporali Sale volatili (ni quis ex Animali proſapia prodiiſſe dixerit) manifeſto perfuſam: diverſas circa Lapidem tonſorum corroſivum obſervationes; & ſi quæ inſuper, pro & contra, (uti loquuntur) huc proferri queunt. Verùm ejuſcemodi ſententias operoſius perſequi, noſtri nunc non eſt inſtituti: nec ſi vel maximè de Alcali Tartaro quidpiam participaret Spiritus ille (ſi ritè paratur,) præſtantiſſimus; ob acceſſorii tantillum, aut ſolam affinitatem, noſtræ protinus ſortis aut Sylloges genuina pars foret. De cætero comparem, penetrantiorem, & citra tædioſas Incerationes, Tubuli bifidi, vel hamulatarum intus (per Retinacula quaſi, phlegmatis aſcenſum impedientia) Serpentinarum applicationes, longè parabiliorem Liquorem nanciſcetur, quiſquis ſaltem Salis (haud dephlegmatum, vel

vel cum Alumine compendioſius deſtillatum) Spiritum anatico Calcis vivæ recentis ponderi affundendo, per Alembicum exceperit id; quod (inter conſuetas effervescentias, & Acidi cum Terreo copulationes,) ſponte ſed copioſè, urinoſiſſimo ſapore & odore ſtillat. Reſiduo in ſupra notati Liquoris Nephritici, (è Spiritus Salis calciſque coagulo communiter educti, confectionem adhucdum ſufficientiſſimo.

Porrò, cum Sal Tartari Aceto (tantùm ſimplici; eodem, quo pro Terra foliatâ conquirenda cum deſtillato ſolet; modo) ſaturatur: (fit autem iſtud utrobique commodiſſimè unica ſufficienti affuſione:) & relictum poſt abſtractionem Magma ulterius validiori igni ſubjicitur: Spiritus provenit urinoſam quandam acrimoniam acetoſitati (quaſi Armoniacaliter,) intermixtam præ ſe ferens: indeque recenſitis quadantenus quidem affinis: parabilior ſane ſic, atque ſpecioſior præ iſto Liquore, qui ex Aceto deſtillato; (dum Alcali ſimiliter imprægnatur) Spiritui Mellis Guajacino primo ſimilis, tandem autem apertè acetoſus redit; (& aliquibus ad inſpiſſatorum quorundam Succorum Marinorumque ſolubiliorum extractiones adhibetur:) aut qui longè carius ex ipſâ Terra foliata (dum ultimæ Vulcani vehementiæ pro ſublimatione, de ſubito ſic nequicquam quæſita, ſubjicitur,) non ſine diſperditione polychreſti medicamenti, acidulo ſapore ſtillat. Eo porrò, qui ex Eſſentiali Sale Tartari, cum Bolo ſubacto, nonnullis (Arcani Tartari nomine) propellitur; haud adeo hoc quidem in genere poſterior. Quod tamen proinde, cum ſociis hiſce ſuis, congeneribuſque (quamvis alias in uſu medico vel chymico haud inefficacibus) ad expetitam Volatilitatis noſtræ Syllogen propriè referri nequeat, vel acetoſarum particularum aſſociatione (etiam qualicunque) liquet. Ideoque & ſingulariorem iſtum, qui è ſæpedicto Eſſentiali Sale poſt plurimas ſpiritus Vini abſtractiones quaſi Tartareo velamento tandem prodit, iſti confidentius accenſere adhucdum diſtulimus. De cætero, quemadmodum Terræ foliatæ deliquium aut dilutum, tum per ſe, tum in aliarum (ſymbolizantium nec contenti ſui nimiam præcipitationem hinc patientium) Tincturarum conſortio perquam eſt efficax: ita nec ſupra notati Magmatis (ſal enim ſiccum ſic non provenit,) dilutum, inter ejuſcemodi aperientes & detergentes Liquores adeo deſes invenitur. Ceu aliàs Acetum ſimplex (in ſe nitroſæ potius, quàm Vitriolicæ vulgò naturæ;) in compluribus operationibus (v. g. Plumoſorum Magiſteriorum confectionibus, Mineralium Metallicorumque nonnullorum extractionibus, &c.) tædioſè Deſtillati locum ſufficienter complet: niſi compendioſiùs & in copia (per veſicam cum Vitreo XXbico, grandioríque Recipiente) deſtillatum, certis de cauſis impendere placeat.

De Spiritu, qui ſub Tartari Vitriolati communis præparatione per mediocrem (non verò violentam ultimamque, Vitriolicum poſtliminio reddentem) abſtractionem poteſt colligi; & aliquibus haud penitus rejiculus habetur, cum in Volatilitate illa, quæ hic quidem requiritur, ſit leviuſculus; non eſt, cur in præſentiarum multa dicamus. Sic dum uſualis ſalis Tartarei vice, iſtud quod Aceto deſtillato ſaturatum eſt, aut ipſa Terra foliata (aquæ ſ. aliquantillo diluta) recipitur, ſanè penetrantiſſimus, ſed ſimul (deſtructo per ſpiritum vitrioli priori coagulo) acetoſiſſimus adeoque à noſtra tunc intentione ſimiliter alienus hinc Liquor ſub debita moderataque abſtractione prodit; relicto (ni validiore igne deſtruatur,) Tartaro quodam vitriolato, in deſtinationibus ſuis haud adeo inepto. Verum adhuc ſpecioſior colligetur, ſi (quò obiter talia perſequamur,) Tartariſatus Tartarus, loco ſalis Tartari ſpiritu vitrioli eodem modo imprægnetur. Gratuitus autem, & quaſi aliud agendo, in copia, dummodo complures iſti (vulgò paſſim effuſi) Liquores qui poſt Vitriolicarum Solutionum per Alcalia, (& vice verſa) peractas præcipitationes, abundanter reſtant, (nec in rei veritate vomitoria vi, quod tamen è ſulphureis Antimonii Solutionibus verendum hic non eſt, infecti deprehenduntur,) debitæ exhalationi ſecuriſſimoque coagulo exponerentur. Quod etiam circa acetoſarum extractionum, (per ſal Tartari ac verſa vice præcipitatarum) ſupernatantem humiditatem parili compendio, (pro gratis acquirendo Terræ foliatæ fundamento,) obſervari poterit. Sed hæc pro remiſſiorum alienorumque modorum luſtro vel recenſione (feliciorum nihilominus experientiæ, forſan inter enchiriſis aliarumve circumſtantiarum variationes oppido relicta,) hactenus ſufficiant.

Conſequens nunc eſt, ut ſimiliter, (ſecundum obſervationes noſtras) Saturatiores, magiſque Conſentaneos, Genuiniſve propinquiores deinceps videamus. Quod itaque ab initio iſtum cum Silicibus congeneribuſque (abundantioris tamen humiditatis Alabaſtrum nondum tentavimus,) attinet: ſuccedit negotium; ſi cum Alcali Tartarei quadruplo per retortam, (cum Operculatum illud vas ejuſcemodi penetrantiores ſucceſſivè Ingeſtorum ſpiritus, inter quaſcunque cautelas admodum diſperdat,) debito ignis regimine, (ne protractiori labore Sal perfluat) ritè deſtilletur. Et urinoſa volatilitas Siliceæ (nobis neutiquam hic ſuſpectæ vel deſtinationibus iſtius adverſanti,) aquoſitati intermixta ſemet ſat prodit; quin imò nonnunquam ſalini coaguli quidpiam ſeorſim apparet. Ne vero quis Alcali Tartareo nitroſum ad ejuſcemodi operationem recipiat, ſupra jam monuimus. Quod autem reſiduam (magnæ ſuperioribus annis commendationis) Maſſam concernit, equidem (præter alia Mechanica) Tincturam (pro aſſumptorum tamen Silicum natura) ſuppeditat aliquanto ſpecioſiorem Vulgari ſive ſimplici Tinctura Tartari; utpote quæ alias ab Oleo deliquato, vel potiùs à ſubſidente ſaturatiſſimoque Phlegmate, (dum Alcali in ardenti Spiritu diſſolvitur, parum differt, Utramlibet tamen in pleriſque intentionibus æquat aut ſuperat, haud inelegans Tartari Tartariſati liquor, per ſimplicem iſtius Coaguli in duplo Spiritus Vini diſſolutionem, & lentam ſecedentis (à phlegmatica ſui parte) Spiritus divaporationem promptè conficiendus. Sic nec Magiſterium è communi Silicum Liquore tanti in medendo deprehenditur: ſive per aquæ ſimplicis copiam, (leviſſimum tunc;) ſive per ſpiritum Vitrioli (ſpecioſo Tartaro Vitriolato poſt filtraturam inde ſimul proveniente) præcipitetur. Sed hæc in tranſitu.

Porrò verò prægnantior adhuc eſt huc uſque recenſito qui ad normam ſingularis iſtius Salificationis ſubtiliorum Oleorum inſtituitur modus. In dubium quidem aliquando tractus; quaſi (cum mixtura ſaponiformis hinc oriatur,) etiam in ultra oleum ſaponario compar ſit ſuppeditaturus; aut ſaltem ſub occultiori Digeſtione, (ceu Singularis alicubi à recentiori talium Autore vocatur;) ſepultus lateat. Sed enim labor hic, uti jam olim à ſolertiſſimis Viris ex parte propoſitus eſt, ita ad literam quoque in noſtro hoc ſubjecto feliciter procedit: ſique ſimpliciſſimè ſolum Olei Tartari nigri pars una, cum ſalis Tartari (præſertim prædiſpoſiti, vel è Vini fæcibus extracti) duabus partibus ritè mixta, & craſſamentum hoc (ſaltem in Retortula ſua) lentè per menſes aliquot, aut ſu-

pra

pra fornacem hyemali tempore, continuo, & patienter digeſtum fuerit, inſtituta poſtmodum [per arenam quoque ſi minor extiterit quantitas] deſtillatione, Sal volatile urinoſiſſimum ſat copiosè prodit, recipientis lateribus, cornutæque collo undique adhærens, & congeneri tandem Spiritui [unà cum penetrantiſſimi ac quaſi ſaponarii Olei aliquota parte adſcendenti,] nonnunquam ad dimidium uſque illiquefcens. Cujus autem parentis nunc ſit progenies; & num aliquæ olei Tartarei particulæ per transformationem quandam, [quod frequens Autoris de Oleorum in Sal volatile Mutatione vel Abitu phraſis nonnemini ſonare poſſet,] revera hic obriguiſſe quaſi credi queant: an verò ſalinæ Volatilitates, [ſub primam iſtius deſtillationem arreptæ vel abſorptæ,] per Alcali propellentis acceſſum, à Sulphureis denuo ſic liberatæ ſolum fuerint: aut demum ex ipſo Sale fixo (per volatilis ſubſtantiæ aſſociationem, obſcuriorive adhuc ratione in ejuſmodi mixtura digeſtioneque ſollicitato vel diſpoſito) ſurrexit illud, quod in notabili, quantitate, relictaque ſimul, (dum è capite mortuo reſiduum Alcali elixiviatur,) carboniformi, ſeu pinguedinum combuſtarum ſimili cruſta prodit: [quamvis ſit præter inſtitutum noſtrum,] dijudicatu tamen haud adeò forſan erit difficile: præſertim ſi quis Volatilitatis iſthoc modo collectæ odorem, ſaporem & effectum, cum aliis proceſſibus, [Olei Tartari ad Alcali volatiliſationem ſenſibiliter nil accipientibus,] penitus eundem; præterea olei ſimul extillantis acumen, [præſuppoſitarum ſalinarum particularum quaſi concentrationem ſat prodens:] item Liquoris ſub Saponis (tanquam coaguli noſtri Imitamenti cujuſdam ſuperficiariæ ingredientium coagmentationis) deſtillatione provenientis ſalſedinem, (ſi per ſupradictam limitationem, inter conſimiles obſervationes libet,) eadem opera perpenderit. Sed hæc de ſingulari hoc & delectui noſtro (donec alius Salis, non Olei Spiritus reveletur in tantùm genuino, ac perquam ſaturato, tædioſiori tamen proceſſu ſufficiant.

Sequitur tertius, (ſed æque ferè laborioſus, genuinus interea,) qui in pleriſque ea de re Libellis per Spiritus Vini (imo Frumentacei quoque,) verum utrinque prius alcoliſati, aut (per ante notatam ſimplicem Salis fixi diſſolutionem, Tartariſati abſtractionem vulgò præcipitur. Aſcendit poſt Spiritus, aliquoties hinc repetitas lentaſque deſtillationes, [intenſiori poſtmodum igne) Liquor urinoſiſſimus, congeneri Sali plerumque, (ni parciora cohobia, ignis remiſſior, aut vaſorum difformitas impediant,) ſociatus; at ſimul perquam parcus: ut compendioſiorum modorum intuitu vix compenſare videatur toties repetendos, (ut totum generali voce complectamur,) labores. Num enim revera ſic inceretur Alcali; ſive de ſalinis Spiritus ardentis particulis adhæreat ipſi quidpiam, poſtliminio denuò ſublimandum, an verò diſponatur ſaltem ad faciliorem ſubtiliorum (& vellicationibus iſtis quaſi ſollicitatatum, liberatatum, aut qualicunque tandem ratione modificatarum) partium aſcenſum: aut penitus demum alternatione quadam, inter Cohobia, Volatile fiat fixum, fixum autem eadem opera Volatile: adeoque cujas tandem ſit iſthæc volatilitas, haud adeo difficulter forſitan determinabit, qui conferet invicem (altera quidem parte) manifeſtum & largum (ſubadſtringentis) Phlegmatis poſt ſingulas abſtractiones proventum; (à ſubtracto vel planè quaſi ſubterinverſo Spiritûs ardentis interiori Sale proficiſci nuper quoque traditum:) ſecretiora inſuper iſtud deſtruendi vel ſeparandi præſuppoſita: Salis porrò ſic ſaturati pondus ut plurimum aliquantillo auctius, &c. Ab altera verò Parte Phlegmatis illius forte ſimplicem tantum (inter ſalinas ſulphureaſque Spiritus particulas [intermixtionem; atque ſucceſſivam hinc (adeoque ſenſim proinde decreſcentem) Secretionem: (æquè ac expreſſa ſtillatitiaque Olea aquoſitatis plurimum nihilominus occultaſſe deſtillationes rectificationeſve ſuas deprehenduntur.) Manifeſtarium præterea concentratiſſimi hac ratione Spiritus (ſimul profluentis) Acumen ſalinum; non ſolum ſolubiliora quædam ſuperficie tenus adoriens, verùm etiam (ſpontaneam ſolummodo Tincturam hic induiſſe dicentibus) nonnulla ſimultanea dimiſſione præcipitans; imò corporale Sal per inſtillatum ſupranotato modo Vitrioli Spiritum, inter leviculam fortè exceptiunculam demonſtrans. Item conſuetam, Volatilium (pure ſalſorum) an Alcalibus genuinis [in liquida & ſicca forma] plerumque ſic ſecedentium Rectificationem: Salis Tartari verò pondus (poſt ejuſmodi incerationes) paulò auctius, æquè forſitan ab aquearum quarundam particularum (eo caloris gradu minus perfectè pro priſtinæ ſiccitatis recuperatione ſeparabilium, Adhærentia profectum: (ne adſertam ab aliquibus iſtarum Fixationem dum aqua deſtillata ab Alcalibus compluries abſtracta fuerit, allegemus.) Et ſi quæ inſuper pro cujuſlibet opinionis defenſione vel ſingularum conciliatione produci (è vulgatioribus quoque obſervationibus) poterunt. Nos practica noſtra ſecundum inſtitutum perſequamur.

Atque hinc, quod denuo nunc quibuſdam ſecretò commendatum Proceſſum concernit: qui ſc. per Spiritus Tartari digeſtiones aut cohobia ſuper Alcali perfici docetur: ſuccedit ſimilter negotium: & quemadmodum ſupradictus Fæcum Vini ſiccatarum Spiritus, inter repetitas à Sale Tartari abſtractiones, copioſum (ceu intimè & abundanter ipſi aliàs permixtum eſt) Sal volatile quærentibus ſic offert: ita ſi bonus acriſque ille, (non autem acidus vulgò venalis) Tartari Spiritus, ritè dephlegmatus, Alcali proprio parcè per vices affundatur, & (poſt debitam lentamque digeſtionem) deſtillando vel etiam cohobando hinc repetatur; urinoſam volatilitatem ſibi (pariter, at longè ſenſibilius, quam in Tartari Tartariſati, aut ipſius crudi Tartari, ſuper proprium Sal rectificato Spiritu ſit) complicatam, imo nonnunquam ſeorſim hinc inde coagulatam, diverſimoda tamen proportione ſecum evehit. Sed enim, dum in paulo facilioribus modis eundem nihilominus effectum invenimus; tædiosè prius conquirendum, atque aliis ſat polychreſtum Tartar ſpiritum (ſive ſolitarium, ſive Ardenti, aliiſvè congeneribus ſociatum,) ejuſcemodi laboribus vel experimentis denuò vix impendemus.

Tandem verò, & pro recenſionis noſtræ complemento; cum deliquatum Tartari oleum Aluminis ſolutioni vel vice verſa (v. g. pro explorandâ Magiſteriorum Vegetabilium, Metallicorumque, ſic nonnullis præparatorum, ſimplicitate,) inſtillatur; poſt albiſſimam Terram ita præcipitatam, urinoſiſſimus perdiu ſentitur odor; æquè ac dum ipſum Alumen, vel deſtillati hinc Spiritus caput mortuum pulveriſatum cum Alcali Tartareo triturando miſcetur. Sique hujus obſervationis ductu, dicti Alcali & Aluminis crudi ana per Retortam (etiam in Arena) deſtillatur; atque Spiritus volatilis copioſus: penetrantiſſimus; & paulò ante recenſitis (ut ovum ovo) in odore, ſapore, viribuſque ſimilis exit. Suſpicionem de Exoterico probè novimus; & eſt aliquid. Urinoſitas ad Aluminis ſequeſtrationem inter Metallurgorum requiſita nonnullibi

accedens

accedens: præterea ſalinarum ejus particularum facilitas, qua ſolitariæ quidem, relicta terreſtreitate, notabiliter Retortam (dato ſibi ſaltem per vices vehiculo aqueo) aſcendunt: item, (quod affinitatis & ulterioris inquiſitionis cauſa hic ſuperaddimus, Spiritus, è crudo quoque Tartaro cum ana Aluminis crudi per arenam, nullo quaſi negotio deſtillabilis, pariter penetrantiſſimus, copioſiſſimo Volatili Sale ſimul proruenti intermixtus; cuivis ex Alcali Tartareo prolecto, in ſenſibilibus effectuque compar, ſuprapoſito è ficcis Vini fæcibus acceptior; &c. Verum, ut hæc pro aliena vel mixta natura demonſtranda, cum veriſimilitudine quadam haud inconvenienter allegantur: amplius tamen (in ulteriorem horum inquiſitionem, cum uſto quoque; vel ad extremum deſtillati Capite mortuo (etiam recentiſſimo) ſimiliter labor iſte procedit; ſique alterutrum cum Salis Tartari anatico pondere eidem ignis generi ſubjicitur; eadem Volatilitas tum liquida, tum imprimis (ob vehiculi diluitioni hic ſufficientis defectum, ſalina conſiſtentia, quantitate haud exigua, de cætero (quia forſan per uſtionem aut deſtillationem præviam ab Alumine Sulphureum iſtud, Salis volatilis particulas diverſimodè alias alterans, majori pro parte ſecretum eſt) odore minus gravi colligitur. Uſque adeò, ut qui inſuper ejuſmodi Producti Proportionem; Vires porrò (quoad ſpeciales deſtinationes) ſimplicem Urinæ, Salis Armoniaci, Fuliginis, Cervinumque Spiritum excedentes, volatili verò Salis Tartari ſpiritui penitus conformes, item in reſiduo capite mortuo Aluminoſitatem cum adjecto Alcali apertè fixatam, ſive in tertium quid (planè inſtar Arcani Duplicati) coagulatam; pariles denique Volatilitatum per conſimilia additamenta modoſque evehendarum rationes, &c. paulò penitius conſideraverit; forſan haud adeo culpabili conjectura, niſi purè vel admodum Tartareum, Tartareis ſaltem longè proximiorem, luſtratis ſanè ab initio Proceſſibus (in iſthoc genere) oppido ſpecioſiorem (uti faciliorem,) exiſtimare poſſet. Nec caput mortuum (poſt extremam Aluminis deſtillationem,) ſolum apparenter inſipidum, intra paucos verò dies (vel ex aëre attracta humiditate priſtinam adſtrictionem denuò inducens,) aliave in contrarium alleganda ſibimet eouſque obſtare ſineret; quominus parabilem hanc volatilitatem (ad minimum operoſiſſimorum purè Tartareorum loco adhiberet. Sed tamen per nos cuivis integer ſit delectus, uti profectò poſtremorum omnium inter ſe, & cum noſtro hoc Aluminis crudi vel uſti interventu comparato, imò ex ipſo Tartaro cum Alumine deſtillato Spiritu, idem in rei veritate eſt effectus: præſertim ſi dilutiores (v. g. cum Silicibus aut ſæpedicto Alumine crudo confecti) Liquores, prius per Rectificationem, ejuſcemodi purè ſalſis Volatilitatibus debitam, (cum modico ſ. Spiritus Vini ſuper Alcali priorem præſtantioremque partem denuo abſtrahendo;) quaſi concentrentur. Quemadmodum & reliqui ſale proprio, (ſi quod in prima deſtillatione vel inſtituta poſtmodum, ad minuendum odoris gravitatem, Rectificatione ſimul evectum eſt,) convenientiſſime per circumſpectam diſſolutionem ſaturantur, vel (ut communiter loquuntur artifices) Eſſenſificantur. Cujus intuitu ſupra jam, ſub æquipollentia quaſi quadam, Sal atque ſpiritum in recenſionibus noſtris conjunximus. Figere verò talia per inſtillatum v. g. ſalis Vitriolive ſpiritum, (donec ebullitio ceſſet filtratumque Liquorem ad ſalis conſiſtentiam, (ſimpliciter vel affectata quadam quaſi cryſtalliſatione exhalare: item, iſtiuſmodi (Armoniaco ſimile) Coagulum per ſuperadditum Alcali Tartarum denuo diſſolvere, ſeu Volatile hinc (eo, qui in Viperino quorundam Sale, vel Florum aut Spiritus Armoniaci præparatione obſervatur, more) ſequeſtrare; curioſitatis in ſuo genere nec injucundæ, non contemnendæ, nec tamen protinus hinc artificium (ceu cuidam placuit) verè Alcaheſtinum eſt.

Quod autem Vires & uſum volatilitatis noſtræ attinet, tædiosè talia non repetemus, cum ab aliis diffuſa commendatione tradantur; nos autem data opera brevitati ſtudeamus: nec (quoad Chymicam quidam adaptationem,) animum ullatenus nunc induxerimus, hanc noſtram (etſi genuinam) Volatilitatem ſimpliciter, & confidentia forte majori (ſiquidem noviſſimis quibuſdam attributis ad literam alicubi ſatisfaciendum foret,) pro Alcaheſtino quodam vicario venditare, ac Locorum eò pertinentium explicationem perſequi hinc velle: præſentanea ejus in Medendo efficacia, dum per ſe quoque datur, impræſentiarum & pro inſtituti noſtri ratione ſatis contenti. Hoc tamen vel ulterioris curioſorum inquiſitionis gratia, è noſtris, (aliàs ejuſcemodi Diſquiſitionibus hic nondum deſtinatis) obſervationibus quaſi indice notando ſuperaddimus: quod abſoluta illa Authoris, (de Lunæ, Mercurii, Unicornu, Oculorum Cancri ſolutionibus,) aſſertio proculdubiò nihilominus cum Salis quaſi grano, etiam ſub ſecretioris Tartareitatis acceſſu,) intelligenda videatur; ſicque parili modo ſeu traditus quiſpiam, ſeu fortè ſpecioſior (ex Eſſentiali Sale,) aliiſve modis exiens Spiritus adhibeatur: delectu tamen aut præparatione Solvendorum prævia (pro cujuſlibet ſc. natura, proclivitate, aut renitentia,) adhuc opus ſit. Atque hinc in ſpecie quidem, noſtræ nunc tractationis Volatilitas. Oſtracoderma, Marinaque (ſolubiliora) cruda oppido adoritur; & inter ebulliendum abſorpti quidpiam, ceu vel inſtillati nec tamen ſolutum denuo è talibus arripientes Liquores teſtantur,) retinet, reliquum notabiliori copia, eadem opera præcipitat: planè nitroſi Cliſſi inſtar. Super Magiſteria eorum ut plurimum ferè coloratur magis, quam evidenter ſaturatur. Metallicorum verò, præſertim perfectiorum & utrobique debito prius Menſtruo diſpoſitorum particulas promptius abſorbet: magiſque adhuc Mineralium (v. g. Antimonii aliaque nonnullorum puriora) Sulphura, &c. Uti ſolutionum & Exaltationum Analogia, [ad urinoſorum Spirituum recentiores genuinaſque adaptationes inſtituta] cuivis [leviter inibi verſato] haud difficulter oſtendet. Et cum etiam in Febrilibus, aliiſque affectibus, per ſe quoque ſat ſit efficax; nec ſolutorum iſtorum ſubſtantia aut ſulphureitate admodum aut deſtructione ſic alteratur: equidem hinc per Acceſſoria competentia, [præſertim ſi contractioris doſis efficaciæque fuerint,] eo magis ſemet exercere deprehendetur. Reliquum peculiarior fortè quiſpiam Salis Tartari ſpiritus, aut ſingularis inde, ſed exotericis intemerata Aciditas, [ex condicto Diſſoluta per intimiores digeſtiones deferens, nec inter invertentium occurſum deferens,] expectantibus varieque inquirentibus expediet. Nos ad inſtitutum noſtrum: & ſolitarium ſpecialemque hujus in medendo uſum revertamur. Non quod diſtincta pertractatione totum recenſere, vel in certas Digeſtiones uſque per chiliferas Sanguiferaque Vaſa, [ſat aliàs penetrantem] comitari ſedeat. Sed tantum ut [in exemplum,] manifeſtaria aperiendi, detergendi, reſolvendi, adeoque Diuretica Diaphoreticaque vis generalis, uni alterive graviorum Affectuum [inter quæſitam brevitatem, & ſollicitantium vel cooperantium acceſſum; ſeorſim accommodetur.

Quan-

Quantum in Hypochondriacorum noſtrorum Arthritide vaga pareſique ſolitarius, aut alternis vicibus Cinnabari (præſertim nativa, alias nervoſorum hyſtericorumque dolorum inſigni levatorio,) largiter interpoſita præſtet; obſervatio inter continuationem (pro doſi. v. g. 20. 30. guttas propinando,) facilè docebit. Etiam circa Purgantia; plerumque opis parum, at nova ſæpe ſymptomata afferentia: citra Balnea, inſeſſus aut fomenta, & citra reliquorum vulgatiorum Topicorum pleraque, Contracturas ut plurimum citiùs, quàm languentium membrorum vigorem ſuſcitantia: præprimis citra illitiones illas pinguedinum, oleorumque hinc vel aliunde diverſiformiter, compendioſiſſimè alias ex Adipe, Cera, Sapone, &c. ſequenti ratione paratorum: ſc. ſuper eorum ſ q. cineres uſque ad ipſum Retortæ collum largiter ingerantur; ita unica vice clariſſima rectiſſimaque per arenam exeunt. Sed hoc incidenter.

In Hydrope Anaſarca & (Catharcticis alias rarius auſcultante) Aſcite, ſimiliter ſucceſſu per quam felici datur; præſertm Urinis (ſua de cauſa) aquoſioribus: egregieque tum pariter ſe gerit Arcanum illud duplicatum; etiam compendioſiori ratione parabile; Metallicam ſubſtantiam è diſſoluto Vitriolo per Nitrum verè fixum atque lixivioſum, (ceu per accidens interdum obtingit,) totaliter præcipitando, & poſt filtrationem Sal per exhalationem collectum fundendo.

Quemadmodum cum Rubicundiores fuerint, inter alia haud parum adjumenti confert Antimonium Martiale Cacheticum: ex ana Antimonii & Limaturæ Martis ſaltem in ſcorias liquato & cum triplo Nitri poſtmodum detonato confectum: Nitri ſingularem fixationem (cum elutriatus pulvis primitivo longè gravior ſit) haud obſcurè oſtendens.

In reliquis quoque Hypochondriorum affectibus, & eorum aſſeclis vel productis, (reſolventia, deobſtruentia atque invertentia requirentibus,) neutiquam deſes eſt hæc noſtra Volatilitas: & quod nonnullorum Tincturæ atque Spiritus, (ſive cliſſiformiter per Mineralium ſulphureorum, Tartari, Nitri, &c. detonationem; ſive congenerum Volatilium more, è certis Alcalium, Armoniaci, Tartari, Calcis vivæ, cornu cervi, Antimonii, &c. Mixturis quaſi ſecreto deſtillati) interdum ad hyperbolem uſque promittunt; ſufficienter, & (ſano ſenſu) vel uſque ad Arthritidem (è ſentina iſta proficiſcentem,) præſtant; ſi pro morborum, ac circumſtantiarum ratione cum judicio, ac præmiſſis vel interpoſitis (ſicubi hic nonnunquam opus,) Evacuantibus, (Emeticis ſcil. correctionibus, Laxativis, Tartareis vel Aloeticis, Antimoniatorum acciſis vel tertiatis doſibus, &c. (aut Martialibus aliiſve Roborantibus exhibeatur.

Atque quo dictorum, quędam, nobis uſatitiora, aliquoties eſt iſtis hinc inde rogati,) data ſic occaſione annectamur: inter alia Emeticum præſtantiſſimum & ſecuriſſimum habetur; ſi (Tartari Emetici Abſinthiaci M imitatione) ſaltem Croci Metallorum, ſive Hepatis Antimonii vulgaris (& edulcati) Acidique Tartari ana, in duodecuplo Aquæ ſ. ferventis infundatur, & poſtquam per triduum ſuper fornacem ſteterit, mediocriter ad Tartari diſſolutionem ebulliat; liquor calidiſſimè filtretur & ad dimidium evaporatus per diem reponatur. Cryſtalli hinc elegantiſſimi Noſtris ad granum unum, duo, tria; alibi (ceu pro Diſtrictuum conditione purgantium doſes oppido variant, ad quatuor vel etiam quinque dati, ſufficienter, quod ſuum eſt, expediunt: Mercurio Vitæ per Salis trituram, aut Acidorum abſtractionem correcto, longè ſecuriores; & præ Eodem per Nitrum aliquanto fixatiori, præque Tinctura Antimonii tartariſata, certioris in ſingulas doſes determinationis.

Tartarea abſtergentia, (ſolitaria diverſimodè acuata) aliunde nota ſunt; & horum quodam etiam ſupra attigimus. Quod autem Sal ♀ri Eſſentiale Specifici Purgantis, (oppido diverſa; & ad Sal Tartari volatile ferè accedente ratione comparandi) titulo alicubi proponitur; detergente Saponariaque vi ſaltem utrobique intelligendum eſt.

Inter Aloetica laxativa, uti liquor hinc cum aliquota Nitri fixi, imò etiam Rhabarbari, ſi libet, parte (notabili amaritiei remiſſione) paratus, haud inefficax habetur: ita ſpecioſiores adhuc Pilulæ; forma illa numeroque minutiori ſemet commendantes, poſtquam hactenus diverſo, ſed utplurimum ſuppreſſo, (cuivis forte ſua de cauſa,) compoſitionis modo hinc inde diſpenſatæ fuerunt, curioſiores in ſui perveſtigationem, aut imitamentum ſaltem quoddam præcipuè traxere. Atque hinc alii quidem modò Aloën crudam vel Roſatam violatam, aut aquoſo vel ardenti menſtruo ſimpliciter negotioſiuſve Extractam; modo Aloëphanginas quaſvis Tartareas, Ammoniacales, Marocoſtinas conſimileſque recentiorum Pilulas Diagridio, Reſina Scammonii vel Jalapii, vel Trochiſcis Alhandal aut Colocynthidis Extracto aliquantum acuerunt: Alii novas Maſſas (adjecto Ammoniaco, Myrrha, croco Tartaro, Sulphure, imo Marte quoque abſinthii Carduique benedicti Extracto atque Sale, cum vel ſine Rhabarbaro, Agarico &c.) compoſuerunt; aut jam pridem Uſuales; imò ipſas Peſtilentiales (paulò ſaltem auctiori Aloës pondere,) etiam Mithridatio nunc, Eſſentiiſve amaricantium vegetabilium ſubactas denuo (variato nonnunquam nomine) diſpenſarunt: Alii verò, cum Aloën quaſi puram putam, citra draſticorum ſtimulum, exiguo ſic pondere, eodem nihilominus effectu nonnullibi propinari perciperent; ſecretiſſimum ſeu Menſtruum ſeu præparandi modum præſuppoſuerunt. Cæterum, ut acuatas illas, ſub diverſo Locorum Autorumve nomine, (modo brevi ante, modo poſt cœnam hactenus, & impune quidem) datas, durioribus forſan Ileis, ſuoque interim in precio relinquamus &c. circa ultimum vero, tanquam Hypochondriacis præſertim tenerioribus, cereviſiæ adſuetis, &c. longè convenientius, meritoque commendabile) genus hæſitantibus, per obſervationes & varia experimenta noſtra, rem paulo faciamus planiorem: principio certum eſt, quod ſelectioris (ceu omnino requiritur,) Aloës Epaticæ vel Socotrinæ pars gummeaa, ſeu aquoſo Menſtruo reſolubilis, ad alvum iſthoc modo ſollicitandam, præ reſinoſa parte, vel Extracto cum V̈i præparato, longè aptior; ac Teneſmi hæmorrhoidalis reſpectu cæteris paribus pene ſecurior ſit: quodque officium hoc ſuum etiam ſub minima quantitate præſtet: uti aliàs ſuccus ille ſingulari vi ſtimulante pollet, eaque in noſtrorum quoque hortorum planta extus deprehenditur. Quod porrò Acceſſorium pro cujuſvis opinione potius quàm intimiora neceſſitate, ſub Corrigentium Dirigentiumve titulo varieformiter additorum (pleraque ſupervacanea ſunt; & molem ſaltem in ejuſcemodi quidem deſtinatione) augeant: quemadmodum & Purgantium, mediocrium, v. g. Rhabarbari, Agarici, Mechoacannæ, &c. Extracta in ampla debitaque doſis ſatis aliàs languida, ſub grani parte profectò nil aut perparum huc conferentia.) Proinde qui ſecundum ejuſcemodi præſuppoſita paulò penitus penſitabit, quantum

gummeæ

gummeæ iſtius Aloëticæ partis uſualibus Pilulis, ab Aloë rhanginis uſque ad recentiſſimas laxativas compoſitiones inſit; haud amplius forſitan demirabitur, ejus ſolùm grana quædam ab additamentorum nimiâ mole, reſinoſitateque propriâ liberâ pari cum effectu, adſuetis fluidioribuſque dari; ſique hinc ſupradictum Extractum, diligenter & vel ſimpliciſſimè vel adjecta ſimul; (inter extrahendum) Scillæ vel Ari non præparati, ſimiliumve (citra notabilioris molis accrementum) ſtimulantium particulâ confectum, cum Elixirii Proprietatis (haud adeo acidi,) Eſſentiæve Abſinthii liquidæ parum alcaliſatæ, tanquam conſimilis detetſorii;) tantillo poſtmodum ſubegerit, maſſam nanciſcetur, cujus (pro conſtitutionis, &c. ratione;) granum unum, (teneririmis interdum etiam dimidium,) duo, vel nonnunquam tria in exiguas, adeoque reſolutu ſic faciliores pilulas (v. g. quatuor præterpropter ex uno grano,) formata paulo ante vel nonnullis quoque poſt cœnam ſumpta, ſequenti die alvum ſalubriter laxando expediunt.

Circa acciſas Antimoniatorum Emeticorum doſes ſimiliter alias certum eſt; quod licet v. g. Oxiſaccharum (ſimpliciſſimè, citra aliorum vegetabilium acc. ſſum, è vulgari Metallorum Croco cum Aceto ſimplici paratum,) aliaque hujus generis (Antimonio tantùm medicata, ideoque ſuo modo hinc mitiora) Vomitoria effectum, ob juſto parciorem doſin, haud ſortiantur; nihilominus tamen ſubtractoria quadam, quamvis minus perceptibili, levi ſaltem nonnunquam nauſeæ complicata, actione ſæpenumero plures Hypochondriorum alioſve effectus admodum levarint. Et quod fortuitarum ejuſmodi obſervationum ductu, porro data opera non ſine fructu certis in circumſtantiis exhiberi queant. Æquè ac ſub pari proculdubio operandi modo Sulphura Antimonii & ejus generis Panaceas, ipſaſque Tincturas,) hunc in finem profectò optimas ſive non nimis fixis, verum mediæ quaſi naturæ præparatis, & vel Aceto ſ. è communi Metallorum croco, &c. ſeparatæ fuerint) feliciter, modo cum judicio, dari vel continuari cernimus.

Inter Martialia, quemadmodum ubi adſtrictiora vis magis requiritur, ſingulariter præ aliis confert Tinctura cum Spiritu Æruginis ſimplici aut Sulphurato extracta; vel etiam Florum è coagulata Martis (in Spiritu Salis) ſolutione ritè ſublimatorum, aut ipſorum quoque Salis Armoniaci Fluorum Marti alium nigrorum ultimorum (per deliquium diſſolutorum) Liquor; inſtillata ſ. q. Liquoris Terræ foliatæ (cum per ſe adſtringentiſſimus ſit) infractus & exaltatus; &c. Ita dum aperire magis eſt in animo; forſan efficacior (reliquarum tantùm non omnium promiſſa expertis) vix invenitur, præ Tinctura Tartariſata; non quidem defide iſta, per ſimplicem ferri Tartarique coctionem confecta; ſed elegantius è Vitrioli Martis factitii Tartarique depurati anatico pondere, aquæ ſ. ad mellis conſiſtentiam cocto, & hinc ſextuplo vel octuplo Spiritus Vini (totaliter ferè) diſſoluto; per mediocrem exhalationem) præparata. Liquor enim relinquitur, qui vel ſine quodam alio remedio Icterum noſtratium perfectè curat, cachexias corrigit, Spleneticos affectus inſigniter mitigat, &c. Sed hæc in tranſitu.

Redeamus ad Spiritum noſtrum Volatilem; qui porrò tum per ſe ac ſolitariè præſtans exhibet Diaphoreticum; tum aliis quoque hujus generis Spiritibus v. g. Armoniacali urinoſo, Cornu Cervi ſale proprio poſt debitam rectificationem ſaturato &c. Eſſentiæ Camphoræ vulgari, aut (diſſoluto ejus ſubtriplo in Spiritu Vini Tartariſato) ſaturatiori, aliiſque competentibus nec ejus naturæ adeo adverſantibus Diaphoreticis Alexipharmaciſque Tincturis, Eſſentiis, ipſive Mixturæ ſimplici, aut (frequentiori nunc in compoſitionis tamen & effectus fundamento parum hinc diſtanti) Tincturæ Bezoarticæ haud inconvenienter eodem fine aſſociari poterit, Atque hujus generis Volatiles eſſentificatique Liquores, &c. (ut incidenter tactos breviter adhuc perſequamur,) pro Diaphoreſi (ſed circumſpectè ac cum delectu, præprimis ſi valdè Camphorati fuerint,) dati, in pleriſque Malignis (adjunctis interea vel interpoſitis, pro circumſtantiarum ratione; Abſorbentibus temperatis, Invertentibus, Anodynis; &c.) equidem plus præſtant, quàm nominatiſſimum illud Bezoarticum minerale, ſive ſimplex; (aliàs longè compendioſius è Mercurio Vitæ, vel crudiori quoque Sulphure Aurato, per ſimplicem ſolum ſextupli Spiritus Nitri abſtractionem conficiendum:) ſive ſpecioſius adhuc Solare; (propter Auri in doſin tantillum; aliquibus Antimoniali Cinnabari forſan ſimiliter tinctum:) aut Joviale quodlibet; cum affini ſuo, (ſed nec certo ſemper nec propriè dicto (Antihectico; ac Maximo illo (miſſis ambagibus, ſaltem per unicam primò deſtillationem, & filtrati poſtmodum Liquoris adjectique Nitri fortem abſtractionem, æque feliciter præparando) Sudorifero: ſique alia hujus cenſus fixiora ſunt, communiter commendatiſſima, ſudoremque largiter quidem moventia, intenſioris autem Malignitatis ſeminaria & conſectaria, v. g. Anxietatem præcordialem, deliquia, dolores vagos &c. rarius ſic evidenter compeſcentia: ſi Nauſeę atque Vomitus ab initio ſyptomaticè complicati, & ſolum fixiora illa ex Antimonio, oppoſita fuerint malum [quod ſupranotatis Alexipharmacis volatilioribus, ſolitariis Anodynorum tantillo exaltatis, facilè ſopitur;] ſæpenumero tum, [non ſine præpoſteræ confectionis, aut diuturnioris aſſervationis inculpatione,] quaſi magis exaſperantia, aut ſaltem longè minus inibi conferentia: in ejuſcemodi morborum congreſſu haud rarò crudis vel ſimpliciſſimè pręparatis [ex Animatorum, Foſſiliumque claſſe] Diaphoreticis Alexiteriis [ſimul evidentius abſorbentibus aut præcipitantibus,] ferè poſteriora, uti ſunt Cervinum Cornu, per coctionem, [ſi perfectum vel potius Decidum fuerit; ſin autem Mollicellum] per debitam in vap. Balneo exiccationem, [verum non ſine diffuſiori hinc, adeoque ingratiori doſis mole, præparatum; imo ipſum nonnunquam mulierculàrum Uſtum, haud penitius [in calciformi licet, ſua congenerumque naturâ,] evanidum, aut per accidens ſolummodo hydroticum: item Terræ ſigillatæ; Unicornu foſſile, & ubi ſuppetit, Cetaceum; quod tamen inde ultra modum ſingulare neutiquam hic deprehenditur: ceu Rhinocerotis [ſelectius quoque] Cornu, nec per ſe, [quamvis in largiſſima doſi,] nec Chymicè præparatum, aut congenerum modo deſtillatum, Cervina, [uti multoties experti ſumus,] adeo ſuperat, Ebur Philoſophicè nunc calcinatum, hoc in genere planè deſes, Lapis Bezoar ab aliis ſatis jam notatus eſt. Ipſa Viperina [cruda, aut curioſius in Magiſterium, Extractum, vel Eſſentiam redacta,] ni debita proportionalique quantitate, [unde profecto Theriacalis doſis ob Unum Trochiſcorum, vel quaſi Viperinorum granum, ſub eodem tamen Opii pondere, tantum colubrinum, gravidarum noxa, Purgantium ſufflamen, & quid non? indifferenter æſtimari nequit: præterea verò exaltantium vel penetrantiorem, v. g. Armoniaci, Nitri fixi, &c. ſtimulo dentur, ſupradictorum volatiliorum pollentiæ haud infrequenter hic cedunt. Sed quid Diſſertationem tantum ſcribimus,

mus, hic finiamus; alia quæ hinc inde interſeri vel latius diduci poterant, novis forſitan pagellis reſervantes. Si quibuſdam hæc placuerint, gratum erit; & de ejuſmodi materiis pridem perfecta, (quæ Prodromo quaſi materiam de ſe dederunt,) Deo volente ſequentur. Sin diſplicuerint, & data ſic occaſione ſecretiores commodioreſque Volatilitatum Tartarearum modi proponentur; Similiter gratum erit functis vice cotis acutum reddere quæ Ferrum valet, exors ipſa ſecandi. Sin tandem inani ſolum contradictioni cenſuræve, verè bonaque intentione dicta ſubjicienter; tempus & valetudinem Topicis litigiis in perſonalia plerumque poſtmodo deſinentibus, & in ſingulis forte columnis ſuas ſibi reſponſiones hic invenientibus, nequaquam conſumemus. Apprimè nobis hactenus placuit Exterorum nunc ſtudium, qui obſervationes & experimenta ſua ingenuè literato orbi communicant. Dum autem Noſtratium quamplurimi, quieti exiſtimationique ſuæ conſulentes, divulgatorum traductiones haud immeritò reformidant, fit, ut elegantiſſima ſingulariſſimaque inventa, magno boni publici damno, hinc inde ſupprimantur. De cætero breviter ſaltem & conciſo ſcribendi genere materiam noſtram pertractavimus: cum per ſupervacuas amplificationes Volumen condere noſtra non patiatur Conditio. Quiſquis paulò attentius & ſedendo quaſi pagellas haſce, ſi mereri videbuntur, perlegerit; ſub aliquali laborum Chymicorum notitia, ſententiam noſtram haud difficulter (inter qualemcumque è brevitate natam obſcuritatem) adſequetur. Ut autem aliquid, vel in interlinearibus inveniat, quod legiſſe forſan juvet, errataque (uti hominibus obrepunt,) ex parte compenſet, perquam optamus.

Taurus, vid. ſub titulo *Bos.*

TAXUS ARBOR.

Nomina. Taxus *Ger. Park. I.B. C. B.* & omnium fere Botanicorum Smilax Dioſcoridis lib. 4. cap. 80. μίλος *Theophraſti* 3. hiſt. 3.

I. B. Taxus perpetuæ frondis arbor, procero ſtipite, Abieti & piceæ ſimilis. Folia abietis foliis ortu & numero ſimilia, dimidium culmum lata, non teretia ut piceæ, ab Abiegnis in hoc diſpeſcuntur quòd infirmiora minúſque rigida, neutiquam explicata foliorum ſervent agmina, quin eodem vergentia ferè coincidant: jam vero ſi ſingularia, ſpectes Taxi folia, ſunt ea Abiegnis acutiore mucrone donata, ſupernè atro virore ſplendentia, infernè nitore deſtituta, unicoloria tamen & viridantia, nervo ſecundum longitudinem decurrente; cum Abiegna elatiorem averſa parte habeant coſtam, coloreque glauco ſunt prædita, guſtu amaricante. Porro autem in extremis ramulis circumquaque inter folia oriuntur perpuſilla ſed copioſa capitella, ſublonga, ſquamata, ex quibus veluti floſculi emicant, Juniperinis ferè ſimiles, ex virore palleſcentes, qui deinde in meros & muſcoſos apices fatiſcunt. (Cæſalpinus Taxum floſcoſos ferre amentaceos inter folia ſine fructu tradit.) Circa menſem Auguſtum, uti obſervavimus, fert baccas ex calyce ita emergentes, ut ſimile quid habere videantur cum glande; poſtquam verò maturuere, quod fit menſe Novembri, nihil plane ſimile habent cum glande, ſed figura quodammodo referunt fluorem vitis Idææ, quippe parvo, virente atque ſquamato calyculo, brevipediculo adnato fructus inhæret, grano Juniperino Major, ſupernè apertus atque hians, veluti ex carnoſa cute conſtans, colore pulcherrimo & ſplendente coccino conſpicuus, intus cavus, ſucco præditus viſcido ac dulci, in quo granum latitat pipere minus, nec exactè rotundum, ſed leviter compreſſum, colore inter pullum & ſpadiceum medio, cortice duriuſculo, medullam continens ſaporis non ingrati. Hoc granum fructus capacitatem non adimplet, ſed undique ferè intactum à fructus pellicula in medio ſitum eſt, baccæ imò adhærens, haud ſecus ac ipſa ex pediculo enatum. Suſpicor autem tum cum longiuſculæ ſunt, & glandis formam aliquo modo demonſtrant nondum maturas eſſe: jam verò maturiores aperiri, & propter hiatum figuram acquirere rotundiorem. Materies bicolor partim rubet, partim ex albo flaveſcit.

Smilax Theophraſto arbor eſt glandifera è genere quercus, cavendum ergo ne confundatur cum ſmilace Dioſcoridis ſeu Taxo.

Taxus in montoſis, ſaxoſis & præruptis locis oritur: in Occidentalibus & meridionalibus Angliæ partibus, in montoſis ſylvis & ſepibus frequens eſt. Majores noſtri in cæmiteriis Taxos plantarunt, ob æternum (ut puto) frondis virorem, uti Symbolum eſſent immortalitatis & æternæ vitæ, quam ibi depoſita cadevera poſt reſurrectionem expectabant.

Vires. Hujus arboris fructus pernicioſos eſſe & lethales non veteres tantum, ſed & è neotericis plurimi tradiderunt. Dioſcorides eos qui baccas ederunt in alvi profluvium incidere ſcribit: Idem alibi Taxum potam frigiditatem totius corporis inducere, ſuffocationemque ac celerem mortem.

Refert Cæſar, lib. 6. de Bell. Gall. Cativulcum Eburonum Regem Taxo (ſucco epoto) ſe exanimaſſe.

Sunt (inquit Plinius,) qui & Taxica hinc appellata dicunt venena, quæ nunc Toxica dicimus, quibus ſagittæ tinguntur. Verum oſtendunt Voſſius & Jo. Bodæus Toxicum aliud veneni genus fuiſſe, cervarium Feſto dictum, quo Barbari ſagittas inungere ſoliti erant, ut lethalia vulnera inferrent. Toxicum ergò à Τόξον dictum eſt.

Matthiolus etiam affirmat in Tridentinis montibus non veterina ſolum (quod veteres tradiderunt) ſed ruminantia etiam animalia devorata Taxo interire: Paſtores etiam & lignatores cum has ediſſent in febres ardentes incidiſſe & alvi profluvia, non ſine magno vitæ diſcrimine.

Teſtatur etiam I. Bauhinus à fide dignis hominibus ſibi affirmatum in montibus Burgundiæ foliorum ut etiam corticum eſu mortuos boves & vaccas: & à Jo. Lutzio Pharmacopœo Kirchenheinenſe relatum in ædibus ſuis Turturem album cum torque nigra baccarum eſu periiſſe, & in pago Oberentzingen Aſinum deguſtata Taxo ſubitò mortuum.

Nos è contra taxum immerito in crimen adductum ſuſpicamur. Siquidem Lobelius ejus baccas innoxie puerulos in Anglia eſitare affirmat, ſeque guſtaſſe ſub hyemem non ingrato ſapore, ſed fatuo vel ſubamaro, ibique porcos paſſim eas tanquam glandes comeſſe. Gerardus etiam noſtras tum ſemetipſum, tum plurimos è condiſcipulis ſuis eas ad ſatietatem uſque ſæpius ingeſſiſſe narrat, nec ſub umbra tantum arboris, ſed in ejus ramis aliquoties dormiviſſe, nec tamen minimum inde nocumentum aut incommodum unquam ſenſiſſe. Sed & Camerarius Taxum innoxiam eſſe tradit, acinos ejus rubros avide expeti ab avibus, ſed inde attonitas reddi, quæ facilè poſtea capiantur. vel ergo falſa ſunt quæ de Taxo tradunt veteres, vel aëris conſtitutio vel conditio Soli hanc in ejus qualitatibus diverſitatem efficiunt. Fateor equidem arborem triſte vivere, ejuſque melancholicum (ſi ita loqui liceat) adſpectum malignam aliquam qualitatem ei ineſſe ſubinnuere; eoque tempore quo florere incipit

& ſuc-

& ſucco maximè prægnans eſt, jumentis noxiam eſſe poſſe, nihil tamen affirmo: nam & veteres ipſi de qualitate noxia & lethifera hujus arboris ſibi parum conſtant. Theophraſtus fructum ab aliquibus hominibus innoxiè mandi ſcribit: folia etiam jumentis lethalia, ruminantibus nequaquam. Plutarchus eo tantum tempore noxiam eſſe tradit quo florere incipit. Dioſcorides non ubique lethalem & venenoſam eſſe innuit, cum de Italica & Narbonenſi tradat lethales eſſe. illam baccis, ac etiam umbra. Fructum edentes aviculas nigreſcere mirum. Taxum etiam Apibus noxiam eſſe nos docet Virgilius.

Sic tua Cyrneas fugiunt examina Taxos.

Et alibi jubet.

Ne propius tectis Taxum feras.

E Taxi ligno laudatiſſimi arcus fiunt, eratque olim in hunc uſum expetitum maximéque celebre.

Itureos Taxi torquentur in arcus.

Virg.

Ligni porro materies, quo rufeſcat quamplurimis intercurſantibus venis incorruptaque ſit, lignariis fabris maximè expetitur, & plurimi fit, præſertim concinnandis menſis & haſtis teliſque conficiendis. Germani hujus aſſeres ad ſua conſtruenda hypocauſta non exigua ſibi comparant pecunia: ex hoc etiam ligno parare ſolent Saltzburgenſes opifices pulchros Scyphos, cucurbitulas, Epiſtomia, aliaque ſubtilia, elegantia & egregia utenſilia, quæ per totam Germaniam diſtribuuntur. Addentes rotarum molendinarium poſtes terræ infigendos, vehiculorum axes, nulli ligno ſecundum eſſe affirmat D. Evelynus: commendat idem ad Muſica inſtrumenta, teſtudines, rotas, trullas, aliaque curioſa.

Quæ de alio genere Taxi in horto Piſano cultæ habet, cujus folia abiegnis ſimiliora ſunt, arbor ipſa fruticoſior ſeu frondoſior, frondibus crebris à radice ſurſum inſtructa; adeoque denſa ut ſepes potius quàm arbor videatur, quamvis procera admodum ſit quàmque Taxum Antiquorum mortiferam exiſtimat, cum D. Belluccius horti Piſani præfectus hortulanos qui eam interdum detondere ſolent, non ultra dimidiam horam una vice Tondentes durare poſſe affirmet, tam gravem eis capitis dolorem arbor incutit; odore noxio & viroſo quem cæſa expirat; vide apud ipſum *Rajus.*

TAXUS ANIMAL.

Circa ejus deſcriptionem vid. quæ adducuntur ſub titulo *Canis.* Hic tantum paucula circa ejuſdem partes officinales ex *Schrodero.*

OFFICIN. ex TAXO.

1. *Integer incineratus*, 2. *Sanguis*, 3. *Adeps.*

Vires.

1. *Taxus integer* incineratus cum ſucceſſu exhibetur pulmoniacis, ſanguinem excreantibus.

2. *Sanguis* pulveriſatus lepræ convenire dicitur, deſtillatuſque peſti ſubvenire.

3. *Adeps* præcipuè Officinalis eſt, qui uti paulò craſſior, ita & paulò calidior ac efficacior eſt ſuillo. Renum doloribus auxiliatur, à calculo ſubortis, (*inunctus vel in Clyſmate adhibitus*) febrilem æſtum mitigat, contracturis ac imbecillitatibus artuum ſuccurrit, *cum adipe vulpis cative ſylveſtris.*

TEDA AROMATICA, vid. *Suffitus.*

TELA GUALTERI, vid. *Sparadrapum.*

TELEPHIUM.

Telephium dictum volunt, quod ulceribus malignis & deploratis, qualibus Telephus Myſiæ Rex ab Achille volneratus conſenuit, (eam ob rem etiam Telephia vocantur) auxiliatur. Fabario vulgo à foliorum cum faba ſimilitudine, officinis craſſula major appellatur. *C. B.*

Folia in Telephio non conglobantur in Capitula; ut in ſedo majori, nam à prima ſtatim germinatione; excauleſcit. Flores velut in umbella penta petali, quibus ſuccedunt Thecula plurimum quinque.

Vires. Vulneraria eſt & aſtringens. præcip. uſus in conſolidanda inteſtinorum eroſione per dyſenteriam introducta, in curanda hernia, in ambuſtis medendis. (aqua deſtillata exhibita, aut radix cum melle in vino cocta ac pota.)

Magna dolores ſedandi facultate pollet hæc herba; idque tam in recentibus vulneribus, quàm in ſordidis & inveteratis ulceribus efficiunt folia tuſa & impoſita.

Herba ſub cineribus toſta & cum adipe ſuillo mixta & impoſita paronychias egregiè ſonat.

Radix Telephii recens appenſa (aut aliquot ſaltem ejus nodi, prout nodi plures vel pauciores in ano protuberant) cum filo in dorſo inter ſcapulas, hæmorrhoidum dolores ilico levat ſimulque cum marceſcente radice tabeſcit & evaneſcit omne tuberculum. V. Ephemer. Germann. An. 2. obſerv. 195. ubi D. VVedelius Amuletum hocce miris præconiis celebrat, ejuſque efficaciam duobus exemplis comprobat. Nos ut non negamus Amuletis aliquam vim ineſſe poſſe, ità iis non multum fidimus. *Rajus.*

TEREBINTHINA, vid. *Terebinthus.*

TEREBINTHUS.

Nomina. Terebinthus *Ger. I.B.* vulgaris *C.B.* anguſtiore folio vulgatior *Park.*

I.B. Arbor eſt Terebinthus, ſed quæ, Cluſio teſte, magna ex parte fruticat, ramis longis, raris, cinereo cortice tectis, nec ea quidem, quantum animadvertere rimus, frondis ſuæ per hyemem tenax. Primus ferè eſt florum verno tempore apparatus, quos è ramulorum tuberculis copioſos in longo racemo producit, meris ſtamineis fibris purpuraſcentibus contextos. Hinc ſe explicant in alam folia, quanquam non ſemper æquali ſitu, laurinis ſimilia, ſed magis obtuſa: (piſtachiis & ejuſdem odoris Clus.) conjugatim ut in ſorbo naſcentia, ſubrubentia, quæ crebris obliquis nervulis percurruntur, fructus delapſos flores excipiunt, parvi ex rotundo oblongi rubentes, carpobalſamo offic. pæne ſimiles, reſinoſo lentore viſcidi nucleum continentes (ex Cæruleo vireſcentes tactu pingues & reſinoſi, manuſque dum colliguntur inficientes.)

Fert etiam vindemiarum tempore concavos quoſdam folliculos ſeu veſiculas, foliis & ramulis inhærentes; quales ferè in ulmi foliis naſcuntur, ſed pallido aut purpuraſcente colore: interdum etiam extremis ramis oblonga & cartilaginea cornicula (rubentia, quatuor, quinque aut ſex digitos longa, aut etiam longiora I.B.) varia forma excreſcentia concava, quæ (uti etiam folliculi) aperta lentorem quendam continere deprehenduntur, cui permixta cinerea & fuliginoſa excrementa, atque exigua animalcula alata, horum corniculorum meminerunt omnes ferè qui de

hac arbore ſcripſerunt: nihil autem aliud ſunt quàm excreſcentiæ quædam ab inſectis folia & ſurculos compungentibus. Et ibidem ova ſua deponentibus, excitatæ, ut inſerviant matricum ſeu uterorum loco in fovendis & excludendis fœtibuſque editis alendis & protegendis, mirâ naturæ providentia.

Adverſariorum auctores Theophraſtum [ut puto] ſecuti, Terebinthum ſemper virentem & perpetuis foliis eſſe ſcribunt. Verum Bellonio Rauvvlſio, Cæſalpino, Cluſio, teſtibus αὐτόπταις & ἀξιοπιστοτάτοις, folio deciduo eſſe affirmantibus omnino abſque hæſitatione credendum.

Terebinthus libenter provenit locis ſiccis, Lapidoſis & ſoli expoſitis, ut teſtatur Matthiolus. Autore Dioſcoride in Judæa, Syria, Cypro, Africa & Cycladibus inſulis. Cluſius in plurimis Luſitaniæ, Hiſpanicæ & Galliæ Narbonenſis locis, ſponte naſci tradit, ubi interdum in arborem adoleſcit, ſed maxima ex parte fruticat. Addere potuiſſet & Italiæ, ubi nos eam obſervavimus at nuſquam, quod noverit Cluſius, commemoratis locis reſina è Terebintho elicitur. Lobeliio tamen Terebinthi arbores in Valena ſylva Monſpelientium, ferro vulnuſculiis inflictis ſæpius non paucam Terebinthinam extillarunt lucidam. Bellonius in Syria & Cilicia copioſam inveniri, ex qua gummi colligitur, quod vendendum ferunt Damaſcum: quod vero in Cairo venditur adferri ex regione Turcis dicta, Aſamia, i. e. Meſopotamia & Aſſyria: floret Monſpelii menſe Aprili Septembri cum fructibus I. B.

Vires & Uſus. Terebinthi folia, fructus & cortex (tradente Dioſcoride) qua pollent adſtringendi vi ad eadem, ad quæ etiam lentibus conveniunt ſimili parata modò, ſumptaque. ejus fructus eſculentus eſt, at ſtomacho noxius: urinam verò ciet & excalefacit. Eſt & ad excitandam venerem aptiſſimus. Ex vino verò potus contra phalangiorum morſus prodeſt. Semen Plinio in capitis dolore bibitur.

Bellonius teſtatur veterem morem in comedendis ſeminibus Terebinthi nunc adhuc durare in Cilicia & Syria, ſibique aliquando ruſticum Arabem occurriſſe ducentem Camelum Terebinthi fructibus onuſtum, ut Damaſci venderet.

Species ſunt Gallæ, magnitudine Avellanæ, intus cavæ provenientes ex excreſcentiis foliorum Terebinthorum maſculorum. Hos circa finem Junii colligunt ruſtici Thraciæ & Macedoniæ, & carè vendunt ad tingenda ſerica ſubtilia diverſis coloribus in Urbe Bource i. e. Pruſa Bithyniæ, colliguntur autem vere, cum primum efformatæ gallarum magnitudine ſunt: quo tempore niſi colligerentur in longitudinem ſemipedalem excreſcerent ad formam Cornu Eum duntaxat in uſum 6000. pondo quotannis inſumi.

Terebinthina vocata, deſcribente Cordo, eſt Terebinthi arboris reſina, colore candida, ſubflava, vitrea, aut candida Cœruleum colorem affectans, interdum pellucida, quæ friata in plurimas micas teritur, mox lenteſcit & glutinoſa fit: odorem habet acrem, ſuavem, aliquantulum gravem, & lariceæ reſinæ non diſſimilem, præſertim, manibus tractata & prunis impoſita, guſtu modo amareſcit, & inter dentes lenteſcit, iis dum maſticatur adhærens. deſtillat hæc primum liquida, deinde paulatim areſcit; ſiccam impoſtores Thus ſeu incenſum vocant, & pro Thure vendunt: Thus autem verum Olibanum vocant, non intelligentes hæc duo vocabula, alterum Græcum, alterum Latinum ejuſdem rei nomen eſſe.

Reſinas omnes (Authore Dioſcoride) antecedit Terebinthina, proxima huic lentiſcina. Galenus lentiſcinam præfert. Quomodo hi conciliandi vide apud I. B. in hiſt. pl. Lib. 3. Cap. 20. & C. Hofmannum.

Vis autem reſinæ cujuſvis [Dioſcoridi] molliendi, calefaciendi, diſcutiendi, diſſipandive, & expurgandi. Tuſſi ac tabi conveniunt in eclegmate, per ſe aut ex melle; quæque ex pectore educi oportet expurgant, urinam quoque movent, cruda concoquunt, & ventrem emolliunt: ad agglutinandos palpebrarum pilos conferunt, itemque ad lepras cum ærugine, ſutorio attramento ac Nitro: ad aures denique ſanie manentes cum melle & oleo, nec non ad genitalium pruritum ſunt utiles, emplaſtris quoque; malagmatis ac acopis admiſcentur, & per ſe illitæ aut impoſitæ laterum doloribus utiles ſunt.

Galeno cum adſtrictione moderata adjunctam habet amaritudinem quandam Terebinthina, per quàm magis etiam quàm maſtiche digerit: ob eam qualitatem ineſt & abſterſio, tanta quidem ut & pſoras ſanet: iiſdem facultatibus & ventrem movet.

Recentioribus, purgat thoracem ab omni immunditie, item jecur, ſplenem, renes & veſicam. Confert veteri tuſſi, ſpirandi difficultati, ſputo ſanguinis purulento, vertiginoſis, calculoſis, & peculiariter etiam Iſchiatidis, podagricis, Chiragricis: aperit, mundat, calfacit & roborat nervos.

In ſpecie utiliſſima eſt nephriticis & calculoſis. Hinc practici in curatione arenularum poſtquam mitefactum eſt ſymptoma, præcautionis ergo utuntur Terebinthina, ſed cocta ut dicunt, ut minus calefaciat, magis adſtringat. Idem fit in iſchiade, paralyſi, arthritide data bis in ſeptimana, vel illota, vel lota in aqua Cichorei. Hofm. Magnæ autem ipſius laudes in podagra & omnibus articularibus malis, ſi accipiatur, ut docet Avicenna, quantitas nucis avellanæ ſingulis matutinis à jejuno, nec mirum quod calculo confert etiam podagræ prodeſſe, cum cognati ſint hi morbi, & eandem cauſam continentem ſeu materiam habent, unde non raro in ſe mutuo tranſmutantur.

Exhiberi poteſt 1. per ſe, placentulis quas oblatas vocant involuta. 2. in aqueo liquore adjecto tantillo vitelli ovi, ſic lacteum, ſci. exhibet liquorem. 3. inſpiſſata aliquantulum, & in pilulas redacta. Verum ob evaneſcentiam ſpiritus præſtant modi priores. Schrod.

N 1. Terebinthinam veram officinis eſſe ignotam: officinalemque eſſe vel reſinam laricеam, vel reſinam Abiegnam è tuberculis abietum novellarum collectam.

N. 2. Odoris vim manere etiam in urinis utentium, quæ violas quodammodo redolent, audivi [inquit C. Hofman.] qui diceret in doloribus partium genitalium præſentiſſimum eſſe Anodinum.

Verno tempore ramulorum pullulantia tenella Terebinthi effracta lagella, ipſo etiam Narbonenſi aut Monſpelienſi agro inſtar ficulneæ arboris lac ſtillant; quod conchis exceptum & adſervatum in limpidiſſimum tenacem, reſinoſum laticem abit, qui dum recens eſt, id eſt, in muſto, ut [Plinii verbis utar] in laneam veſtem fuſus neque maculas facit, neque ſi elucetur veſtigium aut notam relinquit; ſeneſcens tempore craſſeſcit, nec abluitur niſi ovi vitello addito. Lob. de Balſamo.

Terebinthina deſtillata, ſeu oleum Terebinthinæ proximum eſt oleo Balſami, vel parum calidior, & confert omnibus ægritudinibus frigidis, ſed præcipuè nervorum.

Oleum

Oleum Terebinthinæ deſtillatam ſingulare ſolatium præbet in doloribus nephriticis intus ſumptum: exterius illitum, & calida manu diu affrictum parti dolenti in nervorum contractionibus, tenſionibus aut relaxationibus egregium auxilium præbet, præſertim ſi cum ſpiritu vini dæfecatiſſimo miſta & conquaſſata adhibeatur. Modum eliciendi hoc oleum vide apud Ebrodunenſis hiſtor. plant. auctores lib. 3. cap. 20. vel etiam in Pharmacopæis vulgaribus.

Sunt qui Terebinthinam in Cerevisia infundunt, & ſimul defervere ſinunt pro potu ordinario in calculo, viſcerumque ob ſtructionibus. Schrod.

Dioſcorides etiam vinum Terebinthinum parare docet è bacciferis ejus ramis tuſis & in muſto fervefactis: quod quoniam in deſuetudinem abiit, omitto.

Apud veteres tam commendabiles erant Aſparagi Terebinthi, ut etiam in hyemem reſervarentur. *Rajus.*

Hactenus Clariſſ. RAIUS, jam de Terebinthina aliquid rurſus adjiciemus ex SCHRODERO ab HOFMANNO annotatô.

Reſina Terebinthi ſ. Terebinthina Cypria.

Therebinthina in officinis Reſina eſt liquidiuſcula; referens balſamum ſive oleum craſſiuſculum, colore ex albo flaveſcens, ſapore acris, lenta, cutique tenaciter adhæreſcens. Eſtque duplicis generis. Reſina ſcilicet Terebinthi & Reſina Laricis. Reſina Terebinthi ῥησίνη τερμινθινὴ Reſina Terebinthina (Avicennæ gluten Albotin) eſt ea quam officinæ Terebinthinam Cypriam, Venetam; Paracelſus Lorchet appellat. Terebinthina Reſina, *Matth.* Ter. vera, C. B. 1.

Optima cenſetur clara, pellucida, alba, vitrei coloris in cæruleum vergentis, acris & odorata. Præfertur item quæ ex Chio Inſula affertur, poſt hanc Lybica, tum Pontica, tandem Cypria, Syriaca, Judaica, Arabica. Terebinthus arbor eſt mediocris magnitudinis, in plurimis regionibus ſponte familiaris, v. g. in Hiſpania, Syria, Sicilia, &c.

N. *Terebinthinam veram officinis eſſe ignotam autumat Cluſius, officinalêmque eſſe reſinam abiegnam è novellis abietibus collectam.* Videſis claſſ. 1. in abiete.

Vires. *Facultates Terebinthinæ ex lib. 2. ſub titulo de Reſinis huc referre licet. Excellit enim Terebinthina præ reliquis reſinis, unde & facultatibus præpollet. Confert intrinſecus, præcipuè in tuſſi aliiſque pulmonum affectibus (cum melle;) in urina ac alvo cienda: convenit Epati, Lieni, Renibus, Veſicæ, expectorationi purulentæ ac phthiſi incipienti ſuccurrit, calculum pellit; arthriticos affectus juvat, uterum à ſaburra liberat. Extrinſecus uſitatior ex terebinthina laricea quæ hujus vicaria in defectu eſſe poteſt, viribus iiſdem pollens, ſed imbecillioribus.*

N. 1. *Lavari ſolet in aqua appropriata & hinc exhiberi.*

N. 2. *Exhiberi poteſt 1. per ſe, placentulis, quas oblatas vocant, involuta. 2. In aqueo liquore, adjecto tantillo Vitelli ovi, ſic aqueam ſcilicet exhibet liquorem. 3. Inſpiſſat aliquantulum, & in pilulas redacta. Verum ob evaneſcentiam ſpiritus præſtant modi priores, vel ſi placet, formentur modo ſequenti.*

Pilulæ de Terebinthina cum Rhab.

Pilulæ Podagricæ.

♃. *Terebinth. Cypr.* ℥j. *coq. in* ▽ *chamæpyt. dum albeſcat, hinc adde Rhab. opt. pulv.* ʒvj. *Iv. arthetic. Succin. alb. ana* ʒij. *Glycyrrhiz.* ʒj. *M. & F. Maſſa.*

Vires. *Faciunt ad removendam materiam calculi & podagr.*

Doſis ʒß. ad ʒj. &c. *Cl. Greg. Horſt. part. 2. lib. obſerv.*

N. *Crato eaſdem habet, ſed paulo ſecus, conſ.* 143. Schroderus.

Reſina Terebinthi ſeu Terebinthina Cypria) Vera *Terebinthina* ex Terebintho Arbore habetur & ex Chio inſula defertur, Chia inde appellata. Poſt hanc *Lybica* probatur, deinde *Pontica*. *Veneta Terebinthina* non *Terebinthi Arboris*, ſed *veræ Abietis* reſina eſt; licet vulgari ſit elegantior.

Terebinthus eſt arbor contorta, fructicoſa & mediocris magnitudinis, caudice craſſo, ramis multis, oblongis, foliis fraxini modo longis, ſed craſſioribus & pinguioribus, flores admodum parvi ſunt, muſcoſi & purpuraſcentes, fructus exigui baccarum ritu racematim cohærentes, rotundi, oblongi, pingues ac reſinoſi, odore grati.

Naſcitur copioſa in Chio, Cypro, Syria, circa Idam ac Macedoniam.

Vires.) Hæc *Terebinthina Cypria* reliquis præfertur reſinis ob facultates & vires, quas præſtat egregias in tuſſi & aliis pulmonum affectibus diuretica juxtà ac alviduca eſt, Unde in internis exulcerationibus ventriculi, inteſtinorum, Epatis ac lienis &c. notabilis eſt energiæ, exhibita cum vitello ovi ſoluta in brodio calido; item in forma pilulari. *Hofmannus.*

Reſina Laricis, ſ. Terebinthina vulgaris.

Reſina Laricis eſt, quam Terebinthinam vulgarem ſeu Terebinthinam ſimpliciter ita dictam, vocant. Hæc quantò Terebinthinæ priori ſimilior, tantò quoque præſtantior æſtimatur adeoque optima, quæ puriſſima, odoratiſſima, aliquantulum tranſlucida, & quæ in tincto digito contumaciter & æqualiter diffluit.

Vires. *Calfac. emollit; abſtergit. Uſus præcipuus intrinſecus in pulmonibus expurgandis, in Gonorrhea ſiſtenda (cum* ▽ *plantag. ac ſuccino, urinam ac alvum ciet. Extrinſecus Chirurgis uſitatiſſima eſt, ferèque in Emplaſtris omnibus adhibetur; movet enim pus, maturat, ſcabiei cutis medetur.*

N. *Sunt qui Terebinthinam in cerevisia infundunt atque ſimul defervere ſinunt pro potu ordinario in præſervatione calculi viſcerumque obſtructionibus.*

PRÆPARATA.

Ex Terebinthina ſola vulgari fieri ſolent, ad quem modum tamen & reliqua tractari poterunt.

Suntque 1. *Spiritus Terebinthinæ.*
2. *Oleum Terebinthinæ.*
3. *Balſamus Terebinthinæ.*

} *Horum præparationes* Vide l. 2. de oleis.

N. *Oleum ac Balſamus rarò ſeorſim, crebro conjunctim extant.*

4. *Colophonia.*

Vires. *Spiritus calfacit, ſiccat, attenuat, urinam ciet; tartaream mucilaginem reſolvit. Hinc confert in tuſſi, aliiſque Pulmonum affectibus tartareis, in Lienis & uteri obſtructione, in calculo Renum & Veſicæ, in ſtranguria, gonorrhæa virulenta; ulceribus penis ex lue venerea.*

N. *Urinæ odorem Violaceum conciliat.*

Balſamus calfacit, attenuat, mundificat, conſolidat. Hinc adhibetur feliciter membris frigore rigidis, tumoribus ſcirrhoſis, vulneribus inveteratis ac putridis, gangrænæ, fiſſuris pedum à frigore oriundis (pernionibus) quas efficaciter curare creditur.

N. *Cunrad. Kunrath, commendat ſummè Spiritum Terebinth. mellitum, cujus guttulas 4. 5. 6. in li-*

quore convenienti quotidie ad calculum Renum & Veſicæ atterendum. Parat ex mellis puri part. 2. & Terebinthin. p. 1. mixtis exactè & per Ret. vel XX deſtillatis.

5. *Oleum cæruleum Terebinth.*

Fit S. S. S. in Veſica cupreâ ex ſcobe radicum pinguium abietinarum cum flore chamom. affuſa aq.q.ſ. fermententur per dies aliquot, donec Tereb. abieti inhærens tincturam ♀is ad ſe attraxerit, quàm in olei ejus prolectatione ſecum XX rapit, ſibique per omnia miſcet. *Eſt vulnerarium incomparabile, ſi Thurneuſſero creditur.*

6. *Tinctura Terebinth.*

Evaporet ol. flavum illius leniter in ſcutella, dum reſtet Colophonia rubentiſſima, è qua tinctura cum V trahitur eoque remoto balſamus relinquitur, quo renes junguntur in doloribus.

7. *Sal volatile Terebinth. purgans.*

Deſcrib. in Myroth. Fabri

8. *Pilulæ de Terebinthina cum Rhabarb.*

℞. Terebinth. cypr, ℥j. Coq. in aq. chamæpytis dum albeſcat. Hinc adde Rhabarb. opt. pulv. ʒvj. Ivæ arthetic. Succin. alb. ana ʒij. Extr. Glycyrrhiz. ʒj. M. F. Maſſa.

N. *Crato aliquot hujuſmodi deſcriptiones exhibet, atque Rhabarbarum in minori quantitate immiſcet.*

Vires. *Commendantur in præſervatione arthritidis, calculi, &c. Aſſumuntur ſingulis trimeſtribus, &c.*

Doſis ad ʒj.

Greg. Horſt. *lib.1. obſerv.* Schroderus.

Reſina laricis (ſeu *Terebinthinæ vulgaris.*) Hæc ex Larice ſponte ſua deſtillat, & magna ſæpe copia, Terebinthinæ priori viribus nihil cedens.

Vires. *Calefac. emollit, abſtergit, &c.*) Unde uſus Ejus præcipuus internus eſt in pulmonibus expurgandis, gonorrhœa ſiſtenda, in præſervatione calculi &c. Hæc teſte *Foreſto lib.24. obſ.* 28. potius facit ad calcliu præſervationem, quam ad ejus curationem. Cujus egregium habetur exemplum apud *Amatum Luſitanum Centur.* 2. *Curat.* 68 de Monacho quodam, qui hanc ſingulis diebus magnitudine nucis caſtaneæ cum Saccharo deglutiebat, & intra ſex menſium ſpatium ab hoc malo liber evaſit. Quare autem hæc frequenter uſurpata, ut reliqua diuretica, non nocent, hanc cauſam reddit Greg. Horſtius decad. 8. quæſt. 1. de calculo Renum & veſicæ affect. quia caliditas hujus temperata, membris coctionis dicatis amica. Aliam reddit. *Cl. Riverius Tom.1. prax. Libr* 8. *cap.* 1. quia *Terebinthina* urinas movendo ſimul alvum laxat, ita ut craſſiores humores per alvum deturbentur, qui ab aliis diureticis ad renes deducerentur.

Ex hac præparantur 1. *Aqua* 2. *Spiritus* 3. *Oleum* 4. *Balſamus.* 5. *Tinctura &c.*) *Horum præparationes vid. ſuprà libr. de Oleis & in Theſaur. Pharmaceutic. annexo ſect.*1. *n.* 53. & 54. *Aquam contra Gonorrhœam D. F. H.*

Vires. *Spiritus calefacit, ſiccat, attenuat,* &c.) diureticus eſt & lithontripticus, confert etiam in tuſſi, aſthmate & aliis pulmonum affectibus, in gonorrhœâ, ſtranguria, item in dyſenteria non poſtremas obtinet laudes *teſte Petræo in Noſolog. p.* 104. inſignem enim vim Balſamicam, prout & *Oleum* obtinet anodynam, reſolutivam & emollientem. Ex *oleo* agyrtæ balſamum ſuum 🜁tis, conficiunt, pretio quidem inferiorem vero balſamo 🜁ris, ſed non virtute. Ingreditur etiam *Elixir vitæ meum balſamicum*, & Balſamum Hiſpanicum ſect. IV. n. XI. Theſauri Pharmaceutici annexi.

N. Oleum Terebinthinæ commune cum oleo ⊕li mixtum cum æquali vel dupla quantitate, & ex parva retorta vitrea deſtillatum, notabilem 🜁ris ſuppeditat copiam.

N. Acetum etiam ex terebinthina per deſtillationem elicitur poſtquam oleum acceperis, colophonia ſubſidente, quæ etiam per retortam deſtillata in acidum abit liquorem. Ex reſiduo Tinctura cum V i elici poteſt. *Hofmannus.*

TEREDO.

In carioſis lignorum caudicibus naſcitur, & farina ſeu carie ſaginatur, cui involvitur, qui in navium tabulis, proprie Teredines; ſic enim Ovidius (1. de Ponto.)

Eſtur ut occulta vitiata teredine navis.

(Teredo, τερέδων, à terendo, eſt vermiculus candidus & minutus, ligna erodens & corrumpens: cujus dentes ſentiunt omnes ferè arbores, præter larycem, Evonimum & Xyloſteum farina ſeu caries, ulceribus humidis & fluidis utiliter inſpergatur: ſine morſu exiccans.) Qui in ficis ceraſtes vocantur. Qui in platano carabi. Qui in quercus radicibus, Rauci. Qui in corticibus, corticarii. Qui folia arborum & flores depaſcuntur, Syrones. Qui tam in lignis, Cortice, folio, floreque & fructibus arborum, quam in caſeo, cera, &c. generantur; Acari nominantur. Qui in ipſa aridi ligni medulla generantur, Termites, vermis vitivorus, ſic Higginio dictus, forte à colore aureo, forma annulari, & pernicie quam atrodendo vitibus affert Blatta Tinea. *Charleton.*

OFFICIN. NAT. ex TEREDINE.

Caries, ſeu farina Teredinum.

Vires. *Exiccat, unde ulceribus humidis & fluidis feliciter inſpergitur, & hoc eodem titulo mulierculis noſtratibus admodum familiaris eſt in excoriationibus Infantum exiccandis.* Schroderus.

TERRA.

De *Terra* in præſentiarum acturi, non conſiderabimus, quatenus Macrocoſmi pars elementi ſimplicis nomine veniens, originalis eſt, nec quatenus rerum omnium Alma mater divinà, fertiliſſima ac ditiſſima prædita faviſſa, ſeminum incomprehenſibili theſauro in Mundi uſque finem duraturo divinitus repleta, peripheriam verſus variis depicta frugum coloribus & omnis generis animalium gregibus tecta. Sed quatenus ejus fructus tam Minerales, quàm metallicos juxta ſui Naturam, proprietates medicas, colores, diverſitatem matricum, regionum vel aliarum circumſtantiarum examinabimus, unde & pro harum ratione diverſa ſortiuntur nomina. Sic v. g. Terra dicitur primò ratione ſoli natalis Lemnia, Turcica, Armenica, Chia, Melitea, Strigenſis, Brunduſiaca, ſeu Bohemica, Labacenſis ſive Wetteravica. Deinde ratione proprietatum & colorum, Terra ☉laris ☽naris &c. De hiſce Terris Medicatis vid. Athanaſ. Kircherus in Mund. ſubterr. T.1. ſect.2. lib.7. c.4. p. m. 337. *Hofmannus.*

De Terra incipimus, non quatenus Elementum audit ſimplex, ſoloque conceptu comprehenſibile, ſed quatenus microcoſmico ſemine imprægnata eſt. Mortua enim rectè à Paracelſo perhibetur, vivere autem Elemento inviſibili, id eſt, vapore ſeu ſpiritu univerſali infuſo

infuſo quippe hujus virtute, terra alias mortua vivificatur, ſterilis fœcundatur, vegetatur, inque naturam variam, tùm mineralium, tum vegetabilium, tùm animalium faceſſit. Ex mineralibus ſunt, quæ terræ faciem adhuc quidem retinentes, à communi tamen terra quodammodo recedunt, atque medicarum terrarum claſſes ſubeunt. Hę pro diverſitate matricum, colorum, proprietatum, regionum vel aliarum etiam circumſtantiarum, diverſa nomina ſortiuntur. Sic dicitur 1. Ratione ſoli natalis; Terra Lemnia, Turcica, Armenia, Chia, Melitea, Strigenſis Brunduſiaca, ſeu Bohemica, Labacenſis, ſive VVerteravica 2. Ratione proprietatum & colorum: Terra ☉ris, ☾ris, ♀rea, ♂ialis, ♄nina, & 3 Ratione ſigni impreſſi; terra ſigillata &c. Nos, reliquis Terrarum ſpeciebus omiſſis, Officinarum noſtratium terras ſolummodo enodabimus.

N. *Dicitur Arabicè Teri, Gracè* γέα vel γῆ, *German. Erd*, Terre *Earth. Aert.*

Vires. *Terram in genere frigidam communis ſtatuit opinio, nixa Elementorum quadruplici combinatione; quippe qua terra per frigiditatem ad aquam accedit, aqua per humiditatem ad aërem, aër per calorem ad ignem ignis per ſiccitatem ad terram. Verum licet hac de terra dici queant, quatenus ut Elementum ſimplex illa conſideratur, id eſt, quatenus cum reliquis Elementis Elementorum generationem ingreditur; Attamen quatenus nobis terra offertur, minime talis cenſeri poterit, quippe (teſte Hippocrate libro* περὶ σαρκῶν *potius* περὶ ἀρχῶν) *multum calidi (ſpiritus illius de quo ſupra) terra ineſt, cujus vigore fœcunda ipſa redditur. Fœcunditas enim non niſi à principio ſpirituoſo procedit, eòque calido, licet in caliditate ea, maxima ſcilicet latitudo ac diverſitas deprehendatur. Quoad qualitates reliquas adſtringentis cenſetur natura, ac putredini reſiſtentis.*

PRÆPARATA.

Præparationes quibus terræ ſubjici poſſunt, & inde Medicamenta producta ſunt.

1. Purificatio ſeu Lotio: unde terra lota.
2. Præparatio officinarum: unde præparata.
3. Præcipitatio: unde Magiſterium.
4. Deſtillatio; unde Spiritus, &c.

1. *De Lotione.*

Quia Terræ, ut plurimum ſabulo ac calculis ſcatent; lavari communiter ſolent, id eſt, in aqua diſſolvi, quâ ſolutione ſabuloſa ac lapidoſa ſubſtantia, utpote quæ terra utili ponderoſior eſt, ſubſidet. Hinc aquam terra turbidam decantant, exhalandoque exiccant: verùm lotio hæc, meo quidem judicio citra aliqualem, imo magnam virium jacturam fieri vix poterit; Nimirum pars quædam ſubtilis, (quâ magna ex parte terræ perfuſæ ſunt) lotione illa recedit: Volatilis itidem terræ pars (quâ imprægnatæ terræ ſunt) exhalando evaneſcit. In præparationibus itaque præſtat terram crudam non lotam recipere.

N. *Non improbamus imbibitionem ſeu impragnationem, quâ terra ſucco aliquo medicamentoſo iteratis vicibus humectantur, rurſum exiccantur, atque ita viribus confortantur novis.* Schroderus.

Praparata & 1. De Lotione.) Si terræ ſuperficietenus à ſordibus non ſint mundatæ, hæc lotio ut ſuperficialis non eſt adeò rejicienda, atque citra omnem virium jacturam peragi poteſt. Nemo alias eſt, qui inficias eat, omnem terram præſertim pinguem, aſtris imprægnatam & ſale centrali, quod in aëre eſt, & per aërem ac pluvias ad nos deſcendit omniſque fertilitatis clavis eſt, imbutam eſſe, ſi hæc lotio diu durat, omni hac virtute terram ſpoliari.

N. *Non improbamus inhibitionem ſeu impregnationem &c.*) Præſtat itaque in præparationibus Terram puram & crudam accipere, inprimis, ſi Solaris, Lunaris, Martialis aut aliis proprietatibus aut mineris impræguata, imbue illam rore majali vel aqua pluviali ingenti tonitru & fulgure delapſa, quo facto, illam aëri & aſtris expone & ſponte exſiccare ſinas, à radiis ſolaribus interdiu præſervando, & ita viribus confortabitur mirificis. *Hofmannus.*

2. *Præparatio.*

Præparandi modus non eſt diverſus à modo præparandi generali, cap. 76. Lævigantur nimirum terræ, ſubinde irrorantur aqua appropriata, v. g. Tormentillæ redigunturque in pulpam per ſe exiccandam. *Schroderus.*

Subindeque irrorantur aquâ appropriata &c. Vel decocto aliquo appropriato v. g. decocto viperarum, C. C. crudi, ſcordii, radic. ſcorzoner. tormentill. &c. & rediguntur in pulpam per ſe exſiccandam. *Hofmannus.*

3. *Præcipitatio.*
unde
Magiſterium.

Solvitur Terra in Spiritu aliquo acido, e g. Spiritu Sal. com. vel ſimili, ſolutio decantatur, præcipitaturque cum oleo Tart. per del. vel cum △ communi largiter affuſa, præcipitatum edulcoratur aquâ fontana.

4. *Deſtillatio ac Sublimatio,*
unde
1. *Spiritus ſimplex.*

℞. Terræ orbiculos formatos, ac deſtilla igne nudo ex Retorta. *Vide infra de Terra ſigillata.*

2. *Spiritus cum vino.*

℞. Terræ, (exempli gratia, Strigenſis, de minera antequam lavetur) q. v. affunde aquam deſtillatam: inde Retortæ, ac deſtilla lente, ut aliquantulum aperiatur corpus. Hinc ſuperfunde ∇i, digere & deſtilla. *Schroderus.*

Spiritus cum vino.) pro aqua deſtillata ſumatur pluvialis vel majalis vel tonitru decidens, hac terra irroretur frequenter, iterumque exſiccetur idque crebrioribus repetatur vicibus, inde retortæ ac deſtilla lentè ut aliqualis ſubtrahatur humiditas. Hinc ſuperfunde Spir. vini digere & deſtilla, deſtillatum cohoba & cohobatum aliquandiu ſub cœco alembico digere, interpoſita ſemper digeſtione & cohobatione, certè ſi quid ſalinæ inerit virtutis vel per ſpiritum vini duplicatum ſummè volatilem vel ſalem fixum Cap. mort. unitum ſeſe exſeret; & ita Minerale in vegetabile transferetur. *Hofmannus.*

3. *Spiritus Alcaliſatus ſeu Balſamus.*

℞. Terræ Strigenſis, [crudæ non lotæ,] q v. affunde aquam tonitrualem, macera aliquot ſeptimanas ad putreſcendum. Hinc deſtilla per XX. Ex materia ſuperſtite extrahe Sal idque deſtillato liquori junge, circula per menſem, poſtea deſtilla iterum; Sic liquor ſecum rapiet Sal, naſciſceriſque ſubtilem Balſamum.

Aliter.

℞. Terræ crudæ vel lotæ, *e. g.* lib. xx. &c. deſtilla per cucurbitam vitream loricatam ad latus inclinantem (vel per Retortam) calore ſat forti gradatim adhibito. Primum extillat Aqua, hinc Spiritus; Spiritibus animadverſis augeatur ignis, & ſublimabitur Sal: Conjunge ſalem hunc aquæ deſtillatæ, ac deſtilla denuo ſemel ac iterum, ut poſt deſtillatum liquorem Sal ſublimetur vel digere ſimul: ſic Balſamum habes pretioſum. Cunrad. *Kunrath, in Medulla deſtillat.*

N. *In copia terram deſtillare oportet, alias parum Sal. nanciſceris.* Schroderus.

Spiritus Alkaliſatus ſeu Balſamus.) Quamvis neminem fore putem, quia Terris Medicatis ſaltem & quidem ſui generis centralem ſeu ſpiritum ſuum connatum, non quidem alkaliſatum, ut *Dnus Autor* nominat, ineſſe illumque ab aqua tonitruali augmentum capeſſere ſit negaturus, pauxillus tamen eſt, ut ad hujus magnam copiam acquirendam innumeris aquæ tonitrualis menſuris opus habueris alias parum ſalis nanciſceris. *Hofmannus.*

I. TERRÆ ARGILLACEÆ Seu SIGILLATÆ.

Omnibus Terrarum generibus laudem merito præripit Argilla, quæ à ſigillo quo ferè notata venditur, ſigillata dici ſolet, Arabicè Tetimachtim. German. *Siegel Erd*: *Sealed Earth. Gezegelden aerde.* Hanc varii generis officinæ exhibent.

Sunt enim Terræ ſigillatæ, 1. Turcicæ (Turcicis Characteribus inſignitæ) quas pro Lemniis terris communiter venditant, cum veræ terræ Lemniæ Galeni minimè reſpondeant: Verum enim verò ſi ſint qui Terram ſigillatam in placentulis cineritei coloris Conſtantinopoli advectam, pro vera Terra Lemnia uſurpare velint, utpote quæ inter modernas præſtantiſſima ſit, ipſis bellum propterea non indicam.

2. Eſt terra Melitea, ſic dicta à Melita ſeu Maltha Inſula, in qua eruitur, terra ſigillata Sancti Pauli.

3. Eſt & officinalis, terra ſigillata Germanica eaque duplex, una dicitur Strigenſis, lutei coloris, quæ in Scaptenſula agri Svvenicenſi reperitur, Officinis Terra ſigillata Strigenſis, à Striga Sileſiæ Oppido, ubi pręparari ac ſigillari cœpit, dicitur & Medulla vel axungia Solis, eo quod Sulphure Solis imprægnata credatur: Altera Lignicenſis vocatur, eſtque triplex, coloris ſcilicet rubei, albi & cinerei. Hanc vocant axungiam Lunæ, quippe quæ Sulphure ☾æ ſit perfuſa; Item Unicornu minerale, quod viribus vero Unicornu reſpondeat.

N. *Similiter & in reliquorum metallorum cuniculis inveniuntur terræ. Sic & in VVetteravia, haud longè à Labaco oppido, ſpecies quædam terræ datur, quæ ad axungiam Solis accedere videtur: Et Huſana prope Marpurgum.* Schroderus.

1. *Terræ Argillaceæ ſeu ſigillatæ* ſunt 1. *Turcicæ*, quas pro Lemniis terris communiter venditant.) Hic venit in controverſiam, utrum *vera ſit Lemnia* illa *Terra*, quam hodiè Turcico obſignatam charactere ad Nos convehunt Mercatores, an verò adulterata & illegitima? à *Braſavolo*, *Matthiolo*, *Fallopio* & aliis pro ſpuria & illegitima prole habetur, cum Lemnum hæc jam deficiat, ut ex eo nihil amplius ad nos deferri poſſit, locis illis prorſus devaſtatis & inhabitatis Hinc evincere conatur *Fallopius*, Lemniam verè non eſſe eam terram albam, quæ Turcarum Regis ſigillo munita in officinis pro terra ſigillata habetur, & cum hæc alba ſit, nequeat eſſe Lemnia, quæ ſemper rubea ſit. Deinde non cohærere, quod nonnulli aſſerunt, veram Terram Lemniam eſſe Bolum Orientalem officinarum, quamvis & hoc Bolo pro Lemnia poſſimus, utpote iiſdem præditus viribus quod tamen ille inficiat manus, longè ab hac differt, quæ manus tangentium non collinit. Non deſunt contra qui legitimæ prolis honore dignantur *Olaus VVormius in Muſeo* Cap. 4. *Bellonium & Stephanum Albucarium* citat, qui confirmant, Lemni incolas teſtari nullibi unquam in hac inſula effoſam fuiſſe hanc terram, quàm eo in loco, ubi jam foditur è colle fertili Orientem ſpectante herbis veſtito propè villam dictam *Repondi.* Terram, quam ibidem fodiunt, maxima ex parte albam eſſe; ſecundam quandoque Rubram & luteam inſtar Boli armen quo jam utimur; Adeo ut aut in alio colle tempore *Galeni* hanc terram effoderint, qui jam ruinis obrutus eſt, aut hanc ipſam priſtinam Naturam mutaſſe neceſſe ſit. Semel tantum in anno eruitur hæc Terra, ſexto die Auguſti non ſine ſuperſtitione dum putant, nullam habere efficaciam, niſi eo die fodiatur. Operarii Græci ſunt, diligenter eos animadvertentibus Turcis, qui Magiſtratum in Inſula gerunt, ne quid clanculum aufferant. Dum fodiunt, ſuavem ſpirat odorem caverna. Nec omnis terra inde effoſſa pro bona habetur, illam ſaltem eligunt, quæ intra quaſdam petras fragiles latet, pinguiorem, tenacem, ſabulo deſtitutam. Oriente Sole per ſex horas ſaltem continuando fodiunt, mox foveam claudunt, nec amplius in anno aperire licitum eſt. Hinc fit, quod rara admodum ſit hæc Terra, cum pauci fodiant, & tam brevi tempore. Bonam, quam æſtimant, unicus lavat, lotam ſacculis includit, quos ſuſpendunt ut omnis aqua percoletur, hinc in maſſulas majores aut minores formant, quas Imperatoris ſigno ſigillant, & exſiccata, Conſtantinopolin ad Imperatorem mittunt unà cum ſigillo. Hęc *VVormius* l. c. Ex quibus patet non ſolum Rubram, ſed & Albam & rubicundam ac Luteam dari Terram Lemniam. *Inſula Lemnus* hodiè *Stalimene* dicitur & quamvis terra, quæ jam inde adfertur, differat ſigillo & modo eruendi ab eâ, quę antiquitus inde effodiebatur, attamen minorum non eſt virium. Tres ſpecies noſtro tempore inde tranſportantur teſte *Ferrando Imperato* Libr. V. Cap. 33 *Prima* eſt *Terra Sacra*, vel *Bolus Armenus Orientalis* non tingens, vel alba leviter ad cinereum vergens, quæ quandoque etiam colore incarnato, ex quibus ſigilla, quę hodie tanto ſunt in pretio, fiunt, quam tangere nulli licet præter Sacerdotes. *Secunda Rubrica fabrilis*, qua fabri lignarii utuntur. *Tertia fullonum*, quâ pannos mundant, eamque eruere & tractare cuivis integrum eſt. Vid. *Bernhard. Caſius de Mineralibus* Libr. 2. Cap. 2. ſ. 7. Plura vide *in Galen. Libr.* 9. *ſimplic.* P. *Bellonio* Libr. 1. obſ. 28. *Sylvatic.* Libr. 1. *De Theriac.* 20. *Matthiol. in Dioſcor.* Libr. VI. Cap. 1. Undè concludimus *Terram ſigillatam Lemniam* moderno tempore adhuc dum veram obtineri, & Autores contrarium ſtatuentes tum ex diverſis illius coloribus, tum ex nomine loci, ex quo eruitur, mutato dum inſula *Lemnus* hodiè *Stalimene* dicitur deceptos fuiſſe. Utrum autem hæ Terræ diverſis inſignitæ coloribus ſpecie differant tanquam diverſæ ſpecies ſub eodem genere, an ſecus, multi ambigunt? Ego ſtatuo, non ſpecie, ſed accidentibus, nempè colore differre: Unde & in viribus non admodum inter ſe diſtinctæ experientia & uſu deprehenduntur.

2. Eſt *Terra Melitea.*) Sic dicta à *Melitâ*, ſeu *inſula Maltâ*, in quâ eruitur; tactu aſpera eſt, colore albo ad cinereum vergente adſtringens. Ad ſerpentium commendatur morſus eamque vim à *Divo Paulo*, accepiſſe credunt, cum naufragus ad hanc inſulam appuliſſet, unde quidam Lapidem Sancti Pauli vocant.

Qui-

Quò pertinent & *Gloſſopetræ Melitenſes*, oculi ſerpentum lutei, quæ per totam inſulam inveniuntur eâ quâ venduntur forma. Et veſtigia certiſſima Nonnulli credunt Miraculorum *D. Pauli* patratorum, dum tribus integris menſibus in hac inſula Evangelium incolis annunciavit eoſque ad fidem Chriſti duxit, omnes ejus inſulæ ſerpentes veneno ſpolians, cicureſque & inhabiles ad lædendum faciens, ac ſi in petras eſſent converſi, terram præterea infinitis dotibus augens, ut quemadmodum Morbus naturalis per ſerpentem in vitam intravit, ita etiam viciſſim ex ſerpentibus naturalis medela contra illum hauriretur, unde & ſingulare venenorum eſſe alexipharmacum tam terram, quàm linguas & oculos communi fama Melitæ eſt pervulgatum, omnibus morſibus venenatis & Morbis aliqua malignitate ſuſpectis adverſa.

Uſus hic eſt; linguæ collo aut brachio appenduntur, parum dictæ Terræ vino aut aqua miſtum bibitur, vel liquor ſolus poſt linguarum infuſionem. Loco Terræ ſigillatæ plurimis exhibentur, quibus malignitas per ſudorem debet eliminari. Annulis includuntur dicti ſerpentum oculi, ita ut geſtantis tangant carnem & inſtar aliarum gemmarum digitis ſint ornamento. Vaſis ex Terra Melitea præparatis, ſi vinum vel aqua infundatur, ac ubi vim eorum abſorpſerint, bibantur, multos morbos curant. Non deſunt, qui linguas has Melitenſes ob vim bezoardicam vel ipſum Lapidem Bezoar Orientalem ſuperantem in febribus ardentibus malignis, variolis, morbillis, lumbricis infantum, epilepſia ſuffragante experientia commendant. Hæ Magnatum ſcyphis inditæ à potu venenorum præſervant immunes, dum præſente veneno in menſa ſudantes veneficium produnt. Vidit *C L. Thom. Bartholinus centur. 6. hiſtor.* 1. Meliſſæ gloſſopetram ex terra erutam antiquam, cui plumbeus circulus annexus indicium præbebat, vel auribus olim, vel collo appenſam. Puerorum collo ſuſpenſas dentitionem juvare prodit *RONDELETIUS* Libr. 32. c. 10. & puerorum pavores arcere. Gloſſopetram in manu parturientis retentam, donec incaleſcat, partum juvare dicunt. Vulnuſculum gloſſopetra inflictum in epilepticis paroxiſmis ſingulari remedio pueris prodeſt. Non abſonum fuerit, ſi pulveres cordiales dictæ linguæ Melitenſes ſeu Gloſſopetræ ingrederentur, quemadmodum Panormi fieri teſtatur *Iohann. Frid. Habela*; ſed ante omnia benè obſervandum, ut per homines omni fide majores hi veri dentes ex Melita apportentur, ne fraus ulla ab impoſtoribus contingat, quibus ſignis dignoſcantur deſcribit idem *Thom. Bartholinus* l. c. quod ſcilicet non eſſe debeant dentes ſerrantes, monſtrorum marinorum in formam triangularem tornati, quemadmodum alii dentes albi & ſolidi, oſſa, quia nullius ſunt valoris, ſed eligendi teneri mediæ duritiei & à natura calcinati: qui unà cum cortice ſplendido & levi facilè maſticantur inſtar eboris benè calcinati. Gloſſopetræ veræ Vulcani examini commiſſæ non in calcem, ſed quæ oſſeæ in carbonem abeunt, advertente *Fabio Columna*. Ceneritias præfert *Abela* ordinis Hieroſolymitani Vice-cancellarius vid. *OLAUS WORMIUS in Muſæo* Cap. 4. p. m. 7.

3. *Eſt & officinalis Terra ſigillata Germanica, eaque duplex, una dicitur Strigonenſis*, ſeu ut communiter *Strigenſis.*) Terra eſt lutea, pinguis & viſcoſa, inſtar butyri in aqua & ore diffluens dicitur & medulla, vel axungia Solis, eò quod Sulphure Solis imprægnata credatur. Generatur in aurifodinis *Montis* acuti, ſeu *Divi Georgii* ad *Strigonium* oppidum *Ducis Suidnicenſis.* inter duriſſimas rupes. Inde eruitur & ſumma diligentia ordinatione Magiſtratus præparatur, & in formam orbiculorum impreſſo ſigillo Urbis redigitur. Naturæ eſt ſolaris & veluti ſolis extractum in viſceribus terræ denſatum. Non immeritò tamen Terram veram Solarem Ungaricam huic præponuimus & primas tribuimus Altera *LIGNICENSIS* vocatur, *GOLDBERGENSIS* ad *Goldbergam* in *Lygiis* & *Stregonium*, hanc vocant axungiam Lunæ, quia colore alba eſt, & ex argento oritur, unde & agnatam & ingenitam cum argento vim in medendo ſortitur, & ad ea, quibus Medicamenta Lunaria inſerviunt, Vid. *Caſpar. Schwenckfeld. in catal. ſtirp. & foſſil. Sileſiæ* Lib. 3. *Hofmannus.*

Delectus; Præſtantiſſima omnium quæ modernis in uſu ſunt, cenſetur Lemnia, rubri, hinc cineritii coloris, quæ Conſtantinopoli ad nos pervenit. Huic ſuccedere poteſt axungia Solis, in affect. cordis, vel axungia Lunæ, in capitis & Epatis morbis: Ex Lunari autem antecellit ea, quæ cineritii coloris eſt, *Schroderus.*

Delectus.) Omnibus palmam præripit *Lemnia* ſuprà deſcripta, quàm Conſtantinopolis ſufficit. Hujus in locum ſubit Solis axungia in cordis affectibus, vel axungia Lunæ in Capitis Morbis. Uſus hujus præcipuus eſt in febribus malignis, peſte, Dyſenteria, diarrhoeâ; morſibus animalium venenatorum. *Hofmannus.*

Nota *Bonitatis in terris ſi, ſi linguæ adhæreant.* 2. *ſi ſaliva aut humore humectatæ, in bullam ſeſe elevent, vel in aquam conjectæ bullas excitent.*

Vires. *Exiccat, adſtringit, reſiſtit putredini venenoque; reſolvit, ſanguinem dilatat, adeoque ciet ſudorem. Uſus præcipuè in peſte, febribus malignis; Diarrhæa, Dyſenteria, in morſibus animalium venenatorum. Extrinſecus in vulneribus malignis mundificandis, in ictu venenato.*

N. 1. *Terra Labacenſis, Terra ſigillatæ vires æmulari videtur, ſudores largiter movet, nec vi adſtringendi reliquis cedit.*

N. 2. *De axungia Solis experientia comprobavit*; 1. *Quod cruda, [qualis ſcilicet ex minera eruitur] ſæpiſſimè Epilepſiam curaverit.* 2. *Quod in Philtris maximè profuerit.*

Doſis à ℨß. *ad* ℨij.

Præparationes & Præparata Terrarum Argillacearum; ac imprimis Sigillatæ. *Schroderus.*

Præparationes & præparata Terrarum argillacearum ac inprimis Sigillatæ.) Ubi 1. occurrit *Terra ſigillata præparata*, quæ ſine præparatione vulgari in uſum venit. 2. *Magiſterium.* Hoc nullius uſus & efficaciæ eſt. *Hofmannus.*

1. *Terra ſigillata præparata.*

N. 1. *Ut plurimum terra ſigillata ſine præparatione vulgari in uſum venit.*

2. *Magiſterium.*

℞. Solve in ſpirit. Sal. nit præcipitat ol. Tart. p. d. vel ▽. comm. ita Magiſterium ſub colore terræ nativo nanciſceris.

Doſis à ℈ß. *ad* ℨß. *& ultra.*

3. *Spiritus Terræ ſigillatæ ſimplex.*

Deſtillatur terra, per ſe ex Retorta: Nimirum

℞. Terræ Sileſiacæ flavæ [optima eſt, quæ duobus monticulis inſignitur] libr. 1. frange in particulas duas, ac deſtilla per Retortam, igne nudo, hor. 6. vel plures, [ad ♂ integrum] in Receptaculum capax. Primum exſtillat Phlegma, dein Spiritus albicantes

ſantes in parva quidem copia, ſed grati acoris ac ſaporis.

N. *Terra reſtans, ejuſdem etiamnum figura extrahitur, ſed qua non amplius lingua adhæret, nec ſaliva humectata in bullas exurgit.*

Uſus: *Non opus habet rectificatione, ſed in uſum venit una cum Phlegmate.*

Doſis ℈ß. *Vide Horſtium in Problematibus. Schroderus.*

Spiritus Terræ ſigillatæ ſimplex.) Spiritus albicantes illos acidiuſculos ſi in M. B. rectificaveris habebis luteos & ſi hunc licet parvâ in copia majorum virium exoptes, extrahe ſal ex Cap. mort. in furno figulino calcinato cum aqua pluviali (quamvis paucum & non niſi ex flamma Ignis forſan productum) & circula cum ſpiritu. Quoad vires. Dn. *Samuel Gloſſeus* hoc ſpiritu in febribus uſus fuit malignis cum ſudoris elicio & *Gregor. Horſt.* communicavit, qui illum inſeruit Centur. problem. Therapeutic. decad. I. de febrib. quæſt. v. Doſis eſt à ℈ß. ad ℈j. vel ij. in liquore appropriato. *Hofmannus.*

4. *Spiritus Terræ ſigillatæ cum Vino.*

Fit macerando Terram cum aqua & deſtillando. Hinc digerendo eandem cum 🜄i atque deſtillando. Vide ſupra.

5. *Spiritus Terræ alcaliſatus, ſeu balſamus. Terræ.*

1. Fit ſi cum ▽. maceretur ac deſtilletur, & poſtea cum ſale ſuo alcaliſetur. Vide ſupra.

2. Deſtilletur ſine ▽, floreſque forti calore propulſi, cum liquore deſtillato conjungantur.

Vires. *Vires ex terræ viribus judicari poterunt, præter quas vim quoque habet arthriticos dolores ſummè mitigandi, malignitatem ſcabiei corrigendi, &c.*

N. *Solvit quoque* ☉.

(*Spiritu Nitri, ſalis, vel* 🜖*li. impregnatur etiam Terra ſigillata, indèque liquores ſtyptici, & alexipharmaci parantur.*)

6. *Oleum Terræ Strigonienſis.*

℞. Terræ Strigonienſ. ℔. I. Affunde aq. pluvialem, deſtill. colloca in locum temperatè calidum per menſem vel amplius, & oleoſitas à corpore ſua ſponte ſeparabitur, & aquæ innabit, aquam ſepara per infundibula & oleoſitatem cum part. VI. 🜄 deſtilla & egredietur Oleum aurei coloris ~ui innatans. Materiam autem inſtar perlæ albam in fundo relictam exime, cum aq. pluvia Sal. ut moris eſt, extrahe, hunc oleo redde majorumque virium, ergò circula, & ex ♉ vitrea in Arena deſtillata.

Doſis gutt. vj. in vehic. convenient, in febribus malignis, variolis, calculo. Schroderus.

6. Oleum terræ Strigonienſis.) Num oleum propriè ſic dictum Terræ inſit ſigillatæ valdè dubitatur, licet etiam tacta lutulet digitos, hoc tamen potius ab ipſius lentore, quam pinguedine connatâ oritur. Non igitur video, quomodo per hunc proceſſum oleum ex terrâ ſigillata elici poſſit. Eodem vitio laborat ☉ potabile Rhumelii in antidotar. p. 114. ex terra ſigillata extractum. Alii h. m. procedunt; Recip. terr. ſigillat. imbibe ſpiritus Nitri rectific. ad formam pultis, in frigore inſtar lapidis induréſcat, teratur in pollinem, inde veſicæ ſuillæ, quæ in fundo ſit perforata, in loco frigido reſolvitur in liquorem rubicundum. Doſis ℈j.

N. Hic liquor oritur non tam ex terra ſigillata, quàm Sale Nitri coagulato & per deliquium ſoluto in loco frigido. Eadem etiam ratio eſt ſequentis liquoris ſtyptici cum ſpiritus Vitrioli præparati, qui etiam *D. D. JOHANNI MICHAELIS* p. m. in uſu fuit.

Recip. terræ ſigillatæ minutiſſimè contritæ, affunde ſpiritus Vitrioli, digere, abſtrahe, iterum affunde, idque ter repete, & videbis materiam coagulari in lapidem durum, pulveriſa & ſolve in cellâ in liquorem.

Vires: ſummum remedium audit in dyſenteria, confert febribus malignis cum alvi profluvio conjunctis, vomitu &c.

Cum ſpiritus ſal. comm. compoſito etiam ex terrâ ſigillata extractum fieri poteſt, & cum ſpiritu vini in liquorem redactum ad dictos affectus utile paratur h. m.

Recip. terram ☉larem opt. affunde ſpiritus Sal. comm. compoſ. extrahe tincturam, filtra, abſtrahe, & poſteà cum ſpiritu quodam cordiali conjunge & denuò filtra. Vires: Egregium eſt Medicamentum in cordis affectibus & Morbis epidemicis. Doſis à gutt. x. xx. ad xxx. ubi abſtrictione opus eſt in angoribus cordis, vomitu & Dyſenteria maligna. *Hofmannus.*

Q. E. terræ ſigillatæ vide in Hodegetico Popp. p. 120.

(*Terebinthinæ oleum ex Terra ſigillata extrahit liquorem rubicundum alexipharmacum.*)

(*Trochiſci de terra ſigillata.*

II. BOLUS.

Bolus terræ genus eſt, ex pallido rubrum, vaporibus ♂alibus inprimis impragnatum.

Dicitur Medicis Bolus armena, vel Orientalis, eò quod ex Armenia finitimiſque locis, præcipuè advehatur. Præcipuè dico, ne excludam & alia loca, in quibus ea foditur, & ad nos tranſportatur, quibus nec Germania noſtra caret, unde nobis VVitebergica uſualis eſt. *Schroderus.*

II. *Bolus Armena.*) A Medicis ita dicitur, eò quod ex *Armenia* advehatur. De quo tamen dubitat *Zacutus Luſitanus in Medicor. Principium hiſtor. Lib. 4. hiſtor.* 51. An ſcilicet ille verus ſit, qui ad Nos defertur. *Matthiolus* ad rubricam ſinopicam accedere ſtatuit. Quidam veram terram Lemniam eſſe arbitrantur, ſed manus inficit, quod Terra Lemnia non facit. *OLAUS VVORMIUS* in Muſæo ſuo duorum generum maſſas tenet, globoſam unam, non ſignatam aut in formam artificioſam redactam, quæ pallidior, vi adſtringente & pingui tenacitate aliis non cedentem. Altera in maſſam oblongam quadratam pondere quinque drachmarum cum dimidia redactam cui duo ſigilla Turcica impreſſa magis ſaturati coloris, quàm prior. Notas veri Boli Armeni etiam habet, & inſtar butyri in ore liqueſcit.

Bolus Toccavienſis in *Tranſilvaniâ* ad *Toccam* ſeu *Toccay* repetus à *Cratone* in uſum traductus. Dantur & alia loca, in quibus ea foditur, unde & *VVürtenbergica* uſualis eſt. Modò allegatus *VVormius* l. c. mentionem etiam facit *Boli albi*, ad cinereum colorem vergentis, mollis, lubrici, pulverulenti, tangentium manus colore albo inficientis, ex *Hetruria* affertur, Ut & *Boli* cinerei *Fionici* ac *Borringholmici* ex inſulâ *Daniæ Borringia* tranſportati. *Boli Norvegici* conditionis aliquanto pinguioris & ad contactum lubrici. *Hofmannus.*

Delectus. Præſtat pura (non arenoſa) quæ in lævorem calcis inſtar affuſo humore promptiſſimè ſolvitur ac commanducata butyri modo liqueſcere videtur. Reliquis tamen præſtantior cenſetur, quæ ex Armenia vel locis finitimis apportatur.

Vires

Vires. *Valde ſiccat, adſtringit, roborat. Hinc uſus ejus ſaluberrimus eſt in fluxu ſiſtendo in humore inſpiſſando, in putredine arcenda, veneno obtundendo, &c. qua ratione convenit in Diarrhæa, Diſenteria, fluxu menſtruo, Catarrho, ſputitione ſanguinis, Hæmorrhagia narium & vulnerum, &c. Externus ejus uſus creber eſt in Cataplaſmatis, pulveribus adſtringentibus, &c.* Schroderus.

Vires.) Facultatem habet admodum exſiccantem & conſolidantem, adſtringit, roborat, hinc uſus Ejus ſaluberrimus elt in fluxu ſedando, humore tenui inſpiſſando, putredine arcenda veneno obtundendo &c. quo modo in omni alvi fluxu convenit, dyſenteria, Catarrhos ſalſos ad pulmones delabentes incraſſat, in hemoptoe, hæmorrhagiâ narium & vulnerum agit aliquantiſper præcipitando, in ulceribus putridis oris & pulmonum etiam commendatur, quocirca & Phthiſicis utilis eſt, in Peſte à *Galeno* commendatur. *Hofmannus.*

PRÆPARATA.

1. Bolus armena præparata fit modo generali. *Schroderus.*

Præparata.) Communiter Bolus Armena abluitur aqua roſacea ad ſordes & arenulas removendas, ſi quas habuerit, alias præſtat cruda & pura: & ſi libuerit Bolum majoribus imprægnare virtutibus, illum rore Majali vel aqua tonitruali frequenter imbue, aëri expone ac leniter exſicca, à radiis ſolaribus interdiu præſervando, vel etiam ſi volupe fuerit decocto quodam medicato appropriato imbue, ut decocto ſerpentum, C C. crudi, ſcordii, &c. *Hofmannus.*

Ut de Terra ſigillata monuimus, cruda potius, quam præparata terra Armenia in uſu eſt.

2. Magiſterium: fit ut Magiſterium terræ ſigillatæ.

[*Antidotus ex Bolo.*]

III. CRETA.

Creta, *Kreyd.* de la Croye. *Chalk. Kreyt* à Creta Inſula ſic dicta, ubi in copia invenitur, (licet Dania, Gallia, & aliæ regiones quamplurimæ eâ ſcateant) terræ ſpecies nobiliſſima eſt, durior, & candida.

N. *Renodæus triplicem hujus facit ſpeciem candidam, vireſcentem & nigricantem; Verum, nobis non niſi candida in uſu medico eſt, eoque rariſſimo.*

Vires. *Siccat, abſtergit, emplaſtica eſt.*

Uſus. *ejus internus nonnunquam in ardore Stomachi eſt, externus in vulneribus; ulceribus, &c. ſiccandis.* Schroderus.

Creta Kreyd à Creta inſula.) Aliæ Regiones quàm plurimæ illa etiam abundant. Inter paternos *Cretæ* lares *Plinius Libr.* 37. Cap 27. numerat *Theſſaliam, Liciam, Sardiniam, Umbriam.* Præterea *Agricola Libr.* 2. *De Natura foſſilium* p. 196. Habent, inquit, pleræque regiones *Cretæ* colles ut *Gallia, Britannia, Muna* deſerta *Maris Baltici inſula*, quâ ex *Pomerania* navigatur ad *Coppenhagen Daniæ. Smyrnæ* etiam naſcitur & quidem optima. Item in *Brabantiâ* inter *Lyram & Diſtum* effoditur. Plura ſunt *Cretæ* genera. *Volaterranus Libr.* 27. *Philolog.* p. 649. Inter hæc recenſet *Cimoliam, Sardam, Umbricam, Theſſalicam, Saxum & Argentariam* ita appellatam, eò quod nitorem argento reddat. Idem *Cretæ* generibus etiam annumerat *Sardam, rubricam, argentariam & viridem*, quam *Agricola Lib.* 2. *De Natura foſſil* p. 193. optimam pronunciat, *Smyrnæ* natam, hæc virides ducit lineas *OLAUS WORMIUS in Muſæo* Cap. 3. hanc viridem poſſidet levem, ſubtilem, quæ cocta ad rubedinem tranſit. *Græci* θεοδότιον vocant, quia fundus iſte, in quo primò hæc creta fuit inventa, fuit *Theodoſii* cujuſdam.

Vires & Uſus.) Internè nonnunquam in ardore ſtomachi datur vel per ſe, vel cum ocul ♋ & Nuc. Moſchat. in aqua portulac. vel in morſulis, de quibus vid. *Mynſicht.* creta drachmæ unius pondere aſſumpta cum vino vel lacte caprino non ſolum vermes interimit; ſed & ne altius aſcendant; prohibet. Si teneatur in manu, ſiſtit hæmorrhagias, Uteri hæmorrhagiam ſiſtit, ſi applicetur umbilico. Externè etiam in vulneribus, ulceribus &c. ſiccandis ob ejus vim ſiccantem; abſterſivam & emplaſticam commendatur. Gallis Gallinaceis quoad uſum domeſticum eſt adverſa vid. *Thom. Bartholinus centur.* 5. *hiſtor.* 83. Hofmannus.

IV. TERRA JAPPONICA.

Eſt & terræ genus exoticæ, colore purpureum, punctulis albis intertextum, ac ſi ſitum contraxiſſet, ſapore auſteriuſculum, maſticatum liqueſcens, ſubdulcemque poſt ſe relinquens ſaporem; CATECHU vocant, ſeu TERRAM JAPPONICAM. *Hujus uſum perhibent celebrem in exiccandis catarrhis, capiteque roborando, ſi in ore detineatur.*

[*In hernia varicoſa mictione involuntaria.*]

Particulam *hujus* obtinui à Pharmacopœo noſtrate curioſiſſimo Dn Matthia Banſa.

[*Non rara nunc*] Schroderus.

4. *Terra Japponica* ſeu *Catechu.*) Eſt Terra exotica colore purpurea, punctulis albis intertexta ac ſi ſitum contraxiſſet, ſapore auſteriuſcula, maſticata liqueſcens & ſubdulcem poſt ſe relinquens ſaporem. Si in lingua detenta maſticetur vel globuli inde fiant, hujus uſum celebrem perhibent in exſiccandis catarrhis ſalſis & capite roborando. Reperitur apud Dominum *Langermannum* in nundinis Lipſienſibus. De hujus Terræ Japonicæ ſingulari uſu in urinæ profluvio continuo ac hernia varicoſa vid. Ephemerid. Medicophyſic. anno 2. obſervat. 129. ſeq. Ex hac etiam Tincturam ſtypticam confecit Domin Georg. Wolfgang. Wedelius P. P. Jenenſ. celeberrimus l. c. *Hofmannus.*

Præparationes variæ Terræ Cetechu ſeu Japponicæ ex D.D. HAGENDORNIO & primò.

De Medicamentis Catechu in forma ſolida.

Præparatio generalis Terræ Catechu.

♃. *Terræ cathecu q. v. redige in pulverem & per cribrationem à particulis lignoſis & lapilloſis ſepara, illique affunde juſtam aquæ ſimpl. vel alicujus deſtillatæ proportionem* [*qualis aqua rubi idæi, quæ omnino proficua*] *Digeras per unum alterumque diem ad calorem fornacis, bacillo, interdum commovendo, hinc liquorem tinctum per inclinationem ſepara, poſt aquoſam humiditatem evaporando, reſtitans magna ad leniſſimam calorem exſiccetur & in pulverem redigatur. Hunc laborem tandiu poteris iterare, novam ſemper affundendo aquam, uſque dum nihil præter partes impuras & inutiles in vitro ſupereſſe videris.*

Magiſterium Terræ Catechu.

♃. *Tinctura catechu cum* 🜄 *parata q. v. Affunde Sp. Vitriol. vel alterius aciduli q. ſ. permitte omnia aliquandiu quieſcere, poſtmodum ad fundum ſubſidens magma per exhalationem liquoris ſupernatantis in pulverem redige magiſteriatum.*

Vel affunde catechu in aq. v.g. rubi idæi ſoluta & per inclinationem à fæcibus liberatæ aceti deſtill. q.ſ. Sic citiùs præcipitabitur magiſterium; exhalatione liquoris aquoſi mox impetrandum.

Eſſentia Catechu ſicca.

℞. *Tinctura Catechu cum Spiritus vini parata q.v. abſtrahe per alembicum vel evaporationem Spiritus vini totum, reliquum leniter exſicca & in pulverem redige.*

Hæc eſſentia tincturam omnium pulcherrimam præbet, cum liquore quovis ardente facilè parandam.

Pulvis Stypticus externus.

℞. *Terræ vitrioli dulc.* ℥ß. *Catechu præpar.* ʒij. *croci martis adſtringentis* ʒj. *thuris* ℥ßʒß. *apii pulver. gr. v. circiter, cum tantillo camphoræ F. pulvis ſubtiliſſimus.*

Pilulæ Catechu anodynæ, Stypticæ.

℞. *Extracti catechu* p. iij. *pulver. anodyni* p. j. M. *accuratiſſimè; adde quandoque lap. Bezoar. orient.* gr. j. *vel* ij.

Hæ pilulæ apprimè juvant delicatulos & medicamentorum pluralitatem faſtidientes; præter vim ſtypticam ſudores etiam movent, ut in dyſentericis aliquibus obſervatum à D. D. Hagendornio.

Pilulæ Catechu odoriferæ.

℞. *Extracti catechu q. v. Confectionis alkermes ambræ q. ſ. M. F. Pilulæ gratum oris halitum conciliantes.*

Rotulæ Catechu ſtypticæ.

℞. *Sacchari in aq. appropriata ſoluti q.ſ. adde catechu præparatæ & pulver. v.g. pro ſingula,* ℥j. *ſacchari,* ʒj. *M.F. ſ. a. rotulæ, oleo cinnamomi vel alio, ſi lubet, irrorandæ.*

Rotulæ Catechu odoriferæ & confortantes.

℞. *Sacchari in aq. odoriferis ſoluti q.ſ. aut* ℥ij *circiter, catechu præparatæ* ʒij. *Confectionis alkermes cum moſcho* ʒß. *F. Rotulæ.*

Vel, quod compendioſius. ℞. *ſacchari in aq. odoriferà ſoluti q. v. adde tincturæ catechu ambratæ q.ſ. F.ſ.a. maſſa in rotulas efformanda.*

Rotulæ Catechu pectorales.

℞. *Sacchari in aq. fœniculi ſoluti q. v. Catechu præparatæ & olei fœniculi q.ſ. ut fiant ſ.a. rotulæ, in hæmopthyſi, tuſſi, catarrhis &c. multi uſus.*

De Medicamentis Catechu in Forma Media.

Extractum Catechu.

℞. *Catechu præparatæ q. v. ſolve in aq. appropriata quam ultra dimidium evapora atque ad conſiſtentiam extracti redige. Vel.*

℞. *Tincturam catechu Spiritus vini factam, evapora ad dimidium, vel ultra etiam reſiduum extracti faciem facilè præſentabit.*

Balſamum Catechu vulnerarium.

℞. *Catechu pulver. q. ſ. adde lixivium ſalis tartari proportione circiter quadrupla. Lixivium hocce mox purpureo tingetur colore; omnemque catechu ſubſtantiam in ſe quaſi abſorbere videbitur, nihil relicto ſedimenti in fundo. Liquor hic lixivialis dulcore quodam remixtus per aliquot dies in gelatinam veluti quandam abit rubicundiſſimam, quæ butyri inſtar ſe tractari, & linimenti vel balſami vice uſurpari ſuſtinet Magnarum virium in ulceribus antiquis & putridis.*

Electuarium Catechu pro delicatulis.

℞. *Mellis opt.* ℥ij. *ſacch. alb. in aq. appropriatæ ſoluti* ℥j. *extracti catechu liquidi* ʒiij. M. *exactiſſimè continuò agitando; cavendoque ne empyreuma contrahat. Poſtea ab igne remove, & dum adhuc calet, adde guttulam unam vel plures olei cinnamomi. Servetur in fictili.*

Si excellentius deſideraveris optimo conſilio addes chocolatæ & confectionis alkermes, q.ſ in actu præparationis, atque ita pro ſingulari analeptico id diſpenſabis.

Emplaſtrum Stypticum.

Componitur ex pulvere ſtyptico externo, (de quo ſuprà) cum cera, reſina pini, oleo hyperici, juſta proportione additis & ſ. a. ritè miſtis. Maſſæ antequam frigeſcat adde pro odoris gratia guttulas aliquot olei roſar. deſtill. & poſtmodum ſi lubet redige eandem in magdaleones.

De Medicamentis Catechu in forma liquida.

Tincturæ Terræ Catechu.

℞. *Catechu pulv. q.ſ. affuſis Spiritus vini partibus circiter quatuor, vel ſex, prout dilutiorem vel ſpiſſiorem eandem expetis, in leni digeſtione, vel etiam ſine eadem, colloca, tinctum liquorem filtra, reſiduæ maſſæ iterum, ſi volueris, Sp. vini partes ſolummodo tres affunde, iterum digere, uſque dum Spir. vini rubineſcente ſe commendet colore, eſſentiaque conſiſtentiam æmuletur. Vel.*

℞. *Eſſentiæ catechu ſiccæ q.v. eidemque* 🜄*i, vel aliud menſtruum ardens affunde. Sic abſque digeſtione, abſque filtratione, abſque ullius ſedimenti depoſitione, mox impetrabitur tinctura.*

Ita & aliæ Catechu tincturæ confieri queunt, v. g. Traumatica, cum Spir. cerefolii. Styptica cum Sp. theriacali. Antiſcorbutica, cum Spiritu cochleariæ. Stomachalis, cum Spiritu panis ſcalini. Confortans, cum Spiritu citri, addita confectione alkermes ambrata &c.

Ita quoque cum aliis ſi volupe eſt, menſtruis, & aliæ tincturæ, & extrahi & diſpenſari in ægrotantium commodum poſſunt.

Miſtura Catechu pro fœtore oris.

℞. *Catechu præparata q. v. affunde aquas odoriferas, cum tantillo ambræ & moſchi addito: digerantur & percolentur; hæcque miſtura in uſum dictum uſurpetur.*

Doſis & Vehicula Medicamentorum ex Terra Catechu.

Doſis cum diverſa ſit ob diverſitatem medicaminum exinde paratorum, hinc notandum. Catechu ſimpliciter & in forma præparatam exhiberi poſſe à ℈ß. *ad.* ʒß. *Eſſentiam verò ſiccam à* gr. v. *ad* ℈ß. *ad ſummum. Tinctura cum Spiritu vini parata, propinatur à* gr. x. *ad* xl. *Vel ſi conſiſtentiæ ſpiſſioris fuerit inſtar extracti liquidi guttulæ* x. vel xx. *ſufficiunt. Eadem doſis & reliquis competet, tincturis, ſive cum Spiritu cochleariæ, ſive panis ſecalini, &c. concinnatæ fuerint. Tinctura tamen Catechu confortans ambrata, vix ultra guttulas* 15. *vel* 20. *exhibeatur. Pilularis catechu forma vix* ℈ß. *tranſcendit.*

Rotulæ & electuarium arbitrio aſſumentis relinquuntur.

Vehicula ℞. *grata, interim tamen vim medicamenti non infringentia; qualia, Juſcula, cereviſia calida, vinum malvaticum, ni calor præternaturalis obſtiterit.*

Vires

Vires *Catechu generaliores hæ ſunt. Catechu remedium eſt Stypticum, anodynum, alexipharmacum, aphrodiſiacum, apophlegmatizans. Sed qui plura de viribus ſpecialioribus, ut & de ortu, anatome, natura, patria, differentiis, electione, affectionibus, temperamento, qualitatibus paſſivis & uſu catechu, voluerit, conſulat Doctiſſimum* D. D. HAGENDORNIUM *qui tractatum integrum de eo conſcripſit.*

V. MARGA.

Marga, eſt portio quædam pinguis & quaſi medulla, in ſaxis nonnullis, dum franguntur reperta, unde & Medulla Saxorum dici ſolet, Germ. *Steinmarck.* La Moüelle des Pierres. *Marle* or *Marrovv of ſtones. Merch van Steenen.*

Vires. *Siccat, adſtringit, conſolidat, ſarcotica eſt tartarum ſanguinemque coagulatum reſolvit, (intus exhibita.)* Schröderus.

5. *Marga.*) Hæc eſt vel candida, pinguis, liquida, cruſtacea, vel incarnata rubra, linguæ adhærens. In *Montibus Bohemicis* ſummâ reperitur in copiâ, & Saxorum commiſſuris quemadmodum & in *Lygiis* montibus reperiri ſcribit *SCHWENCKELDIUS.* Datur etiam lutea in *Grode* Lapide & cinereâ Lapidoſâ. Reperitur & *Rochliziꝫ* & *Jena* in montibus ſolaribus &c. Ut Jovis omnia ſint plena.

Vires.) Commendatur ruptis ex alto devolutis, hæmoptoicis, dyſentericis, unde & ex hâc ornat *Dn. D. JOHANN MICHÆLIS pulverem ſuum anti-dyſentericum,* cujus deſcript. vid. ſuprà in Libr. II. & annex. theſaur. pharmaceutico ſect. 23. num. XXV. In oſſium fracturis etiam convenit, in calculo renum; Contra epilepſiam vulgi medela exiſtit. Exterius admota ſiccat ſine morſu, undè ulceribus deſiccandis inſpergitur, &c.

N. Hûc pertinet etiam *AGARICUS MINERALIS ſeu LAC LUNÆ* candore, levitate & raritate agarico vulgari prorſus ſimilis. Vocatur & *Gleba Norvvegica* albicans, *Marga ſaxatilis, ſtenomarga* &c. Et deſcribitur à *FERRANDO IMPERATO* Libr. V. Cap. 41. *GESNERO, OLAO WORMIO in Muſæo* Lib. 1. ſect. 1. Cap. 4. p. 5. Reſpondet hæc *Terra alba Veterum,* cujus duo fuerunt genera: Unum *collyrium dictum*, eò quod Medicamentis ocularibus miſtum fuerit, terra pinguis, rara, mollis, candida, dulcis. *Alterum dictum ASTER,* vel quod ſigno ſtellæ ſignatum, vel quod micæ quædam ſtellarum inſtar in eâ emicabant.

Vim habet refrigerandi, adſtringendi, ſanguinis eruptiones & fluores ſiſtendi, uteri profluvia compeſcendi, inflammationes ſedandi. Rara eſt, tenuis, levis, adſtringens, micans, & granula quædam habet permiſta ſplendorem de ſe fundentia, quæ ab aliâ ſui parte, qua ſaxis adhærebat, frequentiora apparent, cum permixta viriditate. Hæc in fodinis cupreis propè Nidroſiam inventa eſt. A ſuprà nominato *FERRANDO* l. c. *Agaricus Mineralis* vocatur, candore, levitate, & raritate *Agarico* verò prorſus ſimilis. Quidam *Lac Lunæ* vocant, propter candorem & teneritudinem, quàm habet. Oritur à vaporibus metallicis, qui indies ſubtiles vehunt exhalationes, quæ ubi per ſaxa in cavitates exſudaverint, humido evocato, quod ſiccum eſt, remanet, & in medullam hanc raram, teneram & friabilem concreſcit. *Boetius ad Galactitem* refert. Hæc terra mixta aquæ albo lactis colore eam tingit, inſipida eſt, ſiccat ſine morſu; ſuperſtitiosè quidam adverſus quemvis Morbum ſalutarem eſſe putant. Lac auget drachmæ unius pondere ex juſculo propinata, commodius exhibetur in emulſionibus, mammillæ evidenter inde turgent, in profluvio item ſanguinis commendatur, & à quibuſdam tanquam ſomniferum utiliter exhibetur. Pollinem ejus ulceribus deſiccandis inſpergunt. vid. *OLAUS WORMIUS, l. c.* Hofmannus.

De Lacte Lunæ, ſic in Appendice ad Pharmacopœam Schrœderianam.

Lac Lunare vel lac Lunæ deſcribit CONRADUS GESNERUS, *de figur. lap. p. 50. quod in altiſſimorum quorundam montium Helveticorum ſpeluncis reperiatur, ut Storchornii in ditione Bernenſium, & Fracti ſive Pilatini Lucernenſium: De quo repetam, ait* GESNERUS, *hic ea ferè verba quæ in fracti montis deſcriptione noſtra ante annos ſedec m poſui, mutatis nonnullis & additis. In Spelunca quadam, per ſummum montem fornici adhærens, naſcitur quædam ſubſtantia, fungoſa, friabilis, alba, leviſſima, quam fungum petreum dixeris, vel agaricum ſaxatile, tam ſimilis hujus eſt facies. Incolæ Monmilch appellant h. e lac lunæ, à ſubſtantia alba & ſpumoſa, ex qua concretus videtur hic lapis, ſi lapidis nomen meretur. Aquæ mixtus, albo lactis colore eam inficit. Inſipidum eſt Siccat ſine morſu. Nulla in eo aſperitas, & totum cum ſaliva mandentis liqueſcit, præſertim quod melius fuerit, nam & craſſius & aſperius reperitur, immaturius nimirum & crudius; quod odore etiam caret. Concoctum autem & perfectum, ut aſperitatem admittit, ita albius colore, & pondere levius, & ſuaviter odoratum redditur. Videtur autem naturam Holoſteis dictis lapidibus qui in terra arenoſa in Palatinatu effodiuntur proximam obtinere: & lapidi quem ab odore cydonitem nominant. Superſtitioſè quidam, adverſus quemcumque morbum ægroti cujuſvis, propter quem expreſſo ipſius nomine à ſpelunca petatur, ſalutare eſſe putant. Lucernæ in pharmacopolio venire ſolet. Pollinem ejus Chirurgi ulceribus deſiccandis inſpergunt. Sunt qui nutricibus pollinis hujus drachmam exhibeant, ad augendam lactis copiam, è jure, ni fallor (poteſt autem commodius ex lacte amygdalarum, cui immixtus hic pollen aliquot horis fuerit, colato propinari, cum pauco ſaccharo & aqua fœniculi) Ajunt autem mammillas evidenter hoc auxilio turgere, & repleri lacte.*

Præterea à docto quodam viro nuper proditum invenio, lac Lunæ in profluvio ſanguinis utiliter dari, tanquam ſomniferum; idque ſibi experimento conſtare. Quod ad nomen priſcum ego aut ipſum Morochtum veterum eſſe aliquando putavi, aut eaſdem certè illi facultates obtinere: Sed amicus quidam rerum omnium foſſilium cognitione clarus, Margæ friabilis genus mavult.

VI. OCHRA.

Ochra terræ ſpecies eſt durior, coloris flavi, ſeu lutei. Germ. *Ochergeel.* de l'Ochre *Yel lovv Okar. Geel Oker.*

Vires. *Siccat. adſtringit. diſcutit, excreſcentias reprimit.*

Uſus *Ejus rariſſimus eſt, & nonniſi externus ac præcipuè in vibicibus & colliſis, tum quoque in tumoribus duris diſcutiendis* (Emplaſtr.) Schröderus.

6. *Ochra*) A luteo colore *Græcis Ochra* dicitur; Et eſt *duplex, una Nativa* reperta non ſolum in metallis, ſed etiam in propriis venis vid. *Agricol. Libr. 2. de Naturâ Foſſil.* pag. 199. & in Bermanno pag. 444. Cæſius de mineral. lib. 2. cap. 11. ſect. 11. *Factitia altera* eſt, & fit ex plumbo nigro, quàm plumbariam vocant. Scilicet plumbum tamdiu Vulcani vehementiæ exponitur, uſque dum colorem Ochræ contraxerit, hac pictores utuntur. Uſus ejus eſt rariſſimus, panos tamen diſſicit, concretas circa oſſa lapidoſas duritiès frangit, & ſi nata fuerit in æris fodinis, vim etiam cauſticam habet, articulorum item tumores & tophos diſcutit in emplaſtris adhibita. *Hofmannus.*

VII. RUBRICA.

Rubrica terræ ſpecies eſt lapidoſa rubea, &c. dicitur & rubrica fabrilis, quòd fabris lignariis crebrò inſerviat, in ducendis lineis, German. *rothe Kreide, Rötelſtein.* de la Rubrique, ou Croye rouge. *Red Earth, Rattleſtone* or *Carpenters Ruddle.* Roo Aert, *of* Rat-tel ſteen.

Vires. *Siccat, aſtringit.*

Uſus ejus Medicus eſt in ſputo ſang. & in Emplaſtris vulnerariis & ſiccantibus. Schrôderus.

7. *Rubrica.*) Terræ ſpecies eſt lapidoſa, à rubro colore dicta, unde omnis Rubrica eſt rubea, & ſi quæ non rubeat, ea non dicenda rubrica. *Duplex eſt Nativa & factitia. Illa* gignitur in metallis auriferis, argentariis, ærariis, ferrariis, unde & de illorum participat naturâ, quia etiam ſæpe in propriis reperitur venis. Loca autem, ex quibus effodiutur, optima fuere *Cappadocia, Lemnus, Ægyptus.* Nunc in Noſtræ Germaniæ metallis reperitur & propriis in venis, unde pro locorum diverſitate multiplex eſt, *Rubrica Lemnia, Ægyptia, Sinopica, Africana, Germanica &c.* Omnium præſtantiſſima eſt *Lemnia, Sinopica* & quæ ex *Africâ* aliisque locis affertur. Ratione uſus diſtinguit *Fallopius Rubricam* in tres ſpecies, *Unam.* qua Medici utuntur & eſt *Terra Lemnia*; *Alteram*, quâ utuntur fullones; *Tertiam*, quâ fabri lignarii & Medici aliquando. In cunctis ignavior eſt hæc ultima. *Rubrica factitia* fit ex uſtâ ocrâ, de quâ vid. Agricola Libr. 3. de ortu & cauſis ſubterraneis p.40. *Caſius de Mineral.* Libr.2. Cap.2. ſect.3. Quoad vires, pollet adſtringendi, reprimendi, & fluxum ſanguinis ſiſtendi facultate, undè & vulgus communiter in dyſenteriæ curatione ſibi levamen quærit. *Hofmannus.*

VIII. TRIPOLIS.

Tripolis terra eſt coloris Citrini intenſe, ſpecieſque videtur Ochræ.

Vires. *Uſus ejus in Pharmacopœja vel nullus, vel rarus eſt, niſi quòd pro deſtillandis Spiritus ſalinis, ſalibus admiſceatur, quo minus ea fluant.* Schrôderus.

Præter hæc recenſita *Terrarum Medicarum* genera, aliæ adhuc dantur ad rem Medicam etiam utiliſſimæ. Sic *Joh. Euſebius Nierenbergius Terra Damaſcena ſeu Adamica* meminit de *Miraculoſ. Terra Naturis* Cap. 17. p. 465. quæ reperitur in agro Damaſceno, ubi afferunt, Adamum à Deo plaſmatum & hinc tranſlatum in Paradiſum terreſtrem, atque inde rurſus ejectum ob peccatum, quo ſe & nos omnes perdidit, huc relatum. Hic ager terram habet rubram & mirè tractabilem, quàm Saraceni deferunt in *Ægyptum*, Indiam, *Æthiopiam*, carè vendentes. Ferunt, foveas revoluto anno adimpleri, & habetur famâ conſtanti terram hanc talis eſſe virtutis, ut eam geſtantibus nulla telorum vis noceat, vel alia incommoda, unde & aliqui in varias abutuntur ſuperſtitiones. Hæc ex *Nierenbergio.* Nonnulli putant, in hâc Terrâ Adamicâ eſſe Sulphur, & Sal comm. Naturæ, & habere vim ardendi, teſte *Roſenkreutzer*, qui cum vellet ex hac parare ſpiritum, ardere cæpit. Quomodo autem iſte ſpiritus ad ☉ & ☽ ſolutionem deſtilletur, apud *Joh. Phil. Rhumelium in antidotar. chemic.* & in *Roſenkreutzers Aſtronom.* p. 363. invenies.

Aceldema Terra etiam mentionem facit ſuprà citatus *Nierenbergius* Cap. 59. Cujus virtutis mirabilis & fidem ferè ſuperans, dum defunctorum corpora 24. horarum ſpatio in pulverem redigit, quàm virtutem etiam in aliàs devecta regiones non amittit. Dicitur Pariſiis cœmiterium ejuſmodi terrâ gaudere, quàm de Naturâ calcariâ participare dico.

Terra Chia ſuo candore ſe commendat, ſumptâ denominatione ex ſui nominis inſulâ, quæ ſita eſt in mari Icario circà minorem Aſiam, olim *Chios*, nunc vulgo *chio* aut *ſchio* eaſdem cum ſamiâ vires poſſidere dicitur. Faciem mulierum erugat, & lævigat, ſplendidamque reddit, in balneis utuntur fæmellæ ad cutem abſtergendam.

Terra Iluana, optimum eſt in febribus malignis cum ſucco citri miſta remedium, ac in vermibus puerorum expellendis ac compeſcendis abdominis cruciatibus mira præſtat. Apprimè conducit motibus illis convulſivis, quibus non raró pueri tentantur. Ob facultatem adſtringentem, refrigerantem & exſiccantem ſanguinem, ex quâcunque corporis parte fluentem compeſcit.

Terra Cimolia ſiccat, refrigerat, digerit, aceto diſſoluta, parotides & alia tubercula diſcutit, item ambuſtis mox illitâ medetur, ne puſtulæ generentur. Nit. & Acet. diſt. mixta tumorem pedum ſanat, teſtium tumores diſſipat, ſi ceræ cypriæ permiſceatur. Illita immodicos ſiſtit ſudores; achores & ulcera capitis tollit, ad eryſipelata commendatur, ſi imponitur. vid. *Caſius* l.c. ſect.10 p.151.

Terra Oreana, cujus *Ol. Wormius* etiam meminit in muſæo p.15. ſic dicta ab Oro, quod Italis Aurum denotat, quaſi Terram auream ſeu ſolarem diceres. Per Italiam enim & Galliam aliquot ante annos circulator quidam percurrebat, hoc Terræ genus contrà varios morbos venditans; ſed unde advecta, & an artificio quodam depurata, non conſtat. Gleba eſt crocei coloris, minimè pinguis, arenoſa & fibroſa, acida aliquantum, leviter adſtringens, levis, in pulverem levi attactu diſſiliens. Terræ ſigillatæ Naturam & vires æmulari dicunt. Intellexit tandem *Wormius* Terræ ſpeciem non eſſe, ſed ſuccum inſpiſſatum *Achiott* ſimilem & locum in *chocolatâ* obtinere, dici verò *Oreanam* à loco ubi creſcit planta ex quâ exprimitur. *Barlæus* in rebus geſtis *Mauritii* p. 128. vocat Tincturam aurantii coloris *Orellianam.*

Terram Antiſcorbuticam commendat *Heinricus Petræus in diſſert Harmon. de Scorbuto* 38. in *Norvvegia* propè Bergas celebre emporium Terram rubram ſigillatæ cuidam non abſimilem effodi perhibent præſentaneum ſcorbuti alexipharmacum. Cur igitur Terra Antiſcorbutica vocetur, hinc patet eò, quòd radicitus ſcorbutum exſtirpare dicunt, Drachmâ unâ in aquâ antiſcorbuticâ exhibitâ, ut ſudorem provocet. Miror autem hanc Terram ad exteros non exportari. Vulgaris eſt morbus exotica ſuſpicere & admirari, propria autem deſpicere.

Terra Martialis, hæc in fodinis mineræ martis reperitur, & ad uſum Medicum accommodat *Zacutus Luſitanus in Prax. Hiſtor. Libr. 3. obſ.* 3. Quæ in umbrâ exſiccata ſubtiliſſimè teritur, lævigatur, eademque dôſi, modo, ordine & forma in iiſdem affectibus ægrotantibus offerenda eſt, in quibus Mars ſolet præſcribi, imò ægri mirabiliorem & efficaciorem ejus uſu percipiunt utilitatem, quam ex ipſo ♂te. Id quod & *Petrus à Caſtro* Practicus Veronenſis confirmat remedium inauditum & ſæpiſſimè expertum ad menſes ciendos egregium indigitans. Quam laudem *Zacutus & Petrus à Caſtro* huic Terræ attribuit, eandem & meritò *minera Noſtra Martiali Caſſelienſi* ovum dictæ Philoſophicum deferimus, quæ inibi effoditur partim cedens in crucibula fuſoria, partim in Medicum veniens uſum ad nos defertur griſea intus inſtar pyritæ Hallam, Lipſiam, Geram &c. Hæc optimè trita aëri expoſita temporis progreſſu in flores ſalinos martiales ſplendidiſſimos degenerat albos, ex quibus ſecundum artem cum ſpiritu roris majalis conficio Tincturam Martialem Rubini vel granati colorem æmulantem jucundo ſpectaculo. Non deſunt, qui pro Tincturâ ☉lari venditant.

tant. Hujus uſus in maſsâ ſanguineâ à ſalibus ſylveſtribus liberandâ per urinam admirabilis eſt, vide tractat. de Auro Auræ Anonymi. *Hofmannus.*

TERRA MERITA, vid. *Curcuma.*

TERRA VITRIOLI, vid. *Vitriolum.*

TERRÆ OLEUM, vid. ſub titulô *Naphtha.*

TESTICULUS CANIS, vid. *Orchis.*

TESTUDO.

TESTUDO, Græcis Χελώνη, *A Tortoiſe.* Teſtæ pars ſuperior [in Teſtudine terreſtri Indica maxima Pariſienſibus deſcripta] è variis lamellis ceu ſquammis diverſæ figuræ, plerique tamen pentagonis, componebatur. Lamellæ iſthæc ſeu ſegmenta oſſi affixa erant cranii inſtar, Animalis interanea cingentes cum duplici apertura, unâ anteriùs per quàm caput ſcapulas & pedes anteriores exſerit, alterâ huic oppoſitâ poſterius, unde pedes poſteriores & femora egrediuntur. Os iſthoc cui ſquamæ adnaſcebantur nonnullis in locis ſeſcunciam craſſum erat, alibi, ubi tenuiſſimum, lineam & dimidiam craſſitudine non excedebat. Duplex eſt, altero dorſum integitur, altero venter, quæ in lateribus ſibi mutuo commiſſa ſunt, & ligamentis validis duriſque juncta, non ità tamen quin motibus obeundis cedant & libertatem permittant.

TESTUDO *terreſtris vulgaris*, *The common Land Tortoiſe.* Luteis & nigris maculis ſeu areolis in dorſo diſtinguitur. Teſta ſuperior valdè convexa eſt, inferior plana. Caput habet parvum, ſerpentinum, quod exſerere & intra teſtam ſubducere poteſt pro libitu, aut prout res exigit. Palpebra ſuperiore & meatibus auditoriis caret. Per hyemem ſine cibo in terra latitat; & quàm diutiſſime vivit.

JABOTI Braſilienſibus *Marcgr.* Luſitanis *Cagado de terra.* Teſta nigra eſt, cui multæ figuræ hexagonæ inſulptæ. Roſtrum ut in reliquis. Caput & crura fuſca, verùm maculis ex umbra variegata. Jecur ſapore optimo commendatur.

Teſtudo aquarum dulcium, *& Lutaria.* Teſtudinem lutariam ab eâ quæ in Aquâ dulci vivit non ſejunxit Ariſtoteles; illa in paluſtribus & limoſis aquis, foſſiſque Urbium & Caſtellorum mænia ambientibus degit; Latitudo ei in dorſo pectori ſimilis, nec convexo incurva calice, ingrata viſu. Vocatur à Gallis *Tortugue d'aigue*, id eſt, Teſtudo aquatilis, ad diſcrimen terreſtris, quæ duæ ſimiles ſunt, niſi quod aquatili cauda eſt longior, perinde ac in muribus, à quâ muris Aquatici nomen accepiſſe videtur. Teſta colore eſt nigro, aliquot particulis veluti Tabellis pectinatim junctis conſtat, pro arbitrio pedes, caudam, caput modò exerit, modò recondit. Pulmones, renes, veſicam, denique partes internas eaſdem habent lutariæ Teſtudines cum marinis. Veſcuntur inſectis aquatilibus, limacibus, cochleis, herbis; *&c.* Cibo omni deſtitutæ diu vivunt, atque etiam abſciſſo capite; in foris venales ſunt pro re diætetica.

Teſtudo marina, *vulgaris.* A terreſtri præcipuè differt magnitudine quâ eam excellit, Teſtâ, minùs pulchrâ & concinnâ, molliore; pedibus piſcium pinnis ſimilibus, ad natandum comparatis. In ingentem magnitudinem excreſcit. Inveniuntur frequentes circa *Braſiliam* & inſulas *Caribbeas* quarum unius caro 80. vel 100. hominibus in prandium ſufficiat.

Solinus in Mari Indico tam grandes eſſe ſcribit, ut teſtis duabus ſuperna parte junctis & inferne deductis ædes ſuas conſtruant. In Taprobana inſula ædium tecta ex teſtis Teſtudinum conſtare refert Ælianus. Populos Chelonophagos Æthiopiæ vicinos ejuſmodi corticibus pro cymbis quibus ad continentem navigant, item pro tentoriis, uti docet *Diodorus Siculus.* Vidit Herbertus noſter in mari Indico Teſtudines tantas ut quatuordecem homines unius dorſo ſeu teſtæ ſuperiori inſiſtere poſſent. *Nic. Trigautius Jo. Fabro* pro certo aſſeveravit in mari *Sinico* Teſtudines vidiſſe ſe tantæ magnitudinis quantæ erat ejus cubiculum, quod paſſus erat longum decem, latum ſeptem. In Cuba inſula in tantam magnitudinem excreſcere ſcribit *Joannes de Laet*, ut 5. viros teſtâ ſuâ ſuſtineant, & cum iiſdem prorepant. Mas & fæmina per integrum menſem Lunarem in complexu Venereo perſeverant. In dorſum reſupinando eas capiunt piſcatores, dum in ſummis aquis fluitantes dormiunt tacitè appropinquantes, & reſupinatas manibus præ ſe agentes ad cymbam uſque, ut in mari Mediterraneo vidimus. Cùm ſupini in dorſo jacent, ex imo pectore ſuſpiria ducunt, & lachrymas ubertim fundunt. Loco dentium os habent unum continuum, tam durum ut craſſos baculos unico ictu præcidere dicantur. Mandibula ſuperior canalem inſculptum habet, inferioris aciei dentatæ excipiendæ; & inferior viciſſim canalem quem ſubintrat ſuperioris dentata protuberantia, quorum ope gramen aliáſque herbas facilè decerpunt.

In terram egreſſæ in herbis pariunt ova (inquit Plinius) avium ovis ſimilia, & ad centena numero. (Ova alba ſunt non tamen ellipticæ figuræ ut Avium ova, ſed Sphæricæ.) Quæ de incubatu habent veteres falſa ſunt, nam ſolis calore duntaxat foventur & excluduntur: quod de omnium in univerſum Teſtudinum ovis dictum eſto. Pulmones hujus Animalis non in Thorace ſed in ventre inferiore ſub Diaphragmate ſitos eſſe *Joannes Faber Lynceus* notis ſæpius laudatis affirmavit. Curavi (inquit) aſperam arteriam aliqua ex parte detruncari, ac tubulo ex arundine immiſſo eam inſufflari. Statim ambos pulmones in ventre imo conſpicuos habui, ad extremum ejuſdem ubi inteſtini recti exitus habentur pertingentes, & verſus thoracem ſurgentes, in latitudine valdè creſcentes, rubicundos ac planè coloris elegantiſſimi. --- Deſcendit à larynge in thoracem aſpera arteria, quæ in eadem pectoris capacitate quoque bifurcatur, & ubi ambo hi rami diaphragma perfoderunt, ſub hoc in pulmones ingrediuntur.

Hi ſuâ ſubſtantia ſunt ſubtiliſſimi, ità ut inflatæ veſicæ quædam rubræ eſſe appareant, ſed verè tamen pulmonum ſubſtantium obtinet, & parte illa quâ dorſum reſpiciunt, firmiter adhærent, ità tamen ut digitis non cultro auferri, & à dorſo liberari valeant.

JURUCUA Braſilienſibus, *Tartaruga* Luſitanis. Loco pedum habet q. alas; anteriorum quidem quamlibet ſeſquipedem circiter longam, poſteriores verò breviores: caudam acutam conicam: oculos nigros magnos: os edentulum, & inſtar roſtri volucrum. Habui 4. pedes longas, tres latas. Coſtæ teſtis inſeruntur, ad quodlibet latus 8. Mediæ longiores, anteriores & poſteriores breviores. Ova illorum comeduntur uti & caro. Ponunt autem ova ad litus maris, foveam in arena facientes, & deinde arenâ tumulantes. Sæpius inveni veſtigia illarum ex mari egredientium, & retrò abeuntium. Variis figuris Geometricis teſtæ q. inſculptæ videntur. Quædam teſtam habent nigram ſplendentem, flavis lineis & figuris egregiè interſtinctam: aliæ aliter conformatam.

Hæc videtur eſſe *Teſtudo Franca*, *Tortue Franché* Rochefort: *Hiſt. Naturelle Des Antilles.* Cujus ſolius, inquit, caro in cibis cõmendatur: quæ perſæpe ad magnitudinem

gnitudinem adeo enormem excreſcit, ut teſta ſuperior $4\frac{1}{2}$ circiter pedum longitudinis, latitudinis 4 obtineat. E mari in terram nunquam egrediuntur niſi ovorum ponendorum gratiâ; quæ foveâ pedibus effoſſâ in arena recondunt. Modum quo Indi è mari egreſſa hæc animalia in dorſum reſupinando capiunt apud Autorem vide. Ducentas libras non raró poudere ſuperant. Ova rotunda ſunt, Pilæ palmariæ magnitudine, Gallinaceorum modo albumen & vitellum intus continentia, non tamen teſta dura fragili, ſed molli tantùm & membranacea tecta. Ova in arena depoſita, abſque ulla incubatione, ſolo calore Solis intra ſed circiter hebdomadum ſpatium excluduntur: quo facto recens natæ Teſtudines naturæ inſtinctu, arenam in qua ſepultæ erant penetrant, & ad mare ſe conferunt.

TESTUDO marina *Caöuanna* dicta, *Tortue Caoüanne* Rochef. Ejuſdem eſt figuræ cum præcedente, niſi quòd teſtam habeat paulò craſſiorem. Verùm caro ejus nigra eſt, filamentoſa, & ingrati ſaporis.

TESTUDO *Caretta* dicta D. Rochefort. *Tortuë Caret.* A præcedentibus duabus differt, quòd multo minor ſit, quòdque ova in arena non ponat, ſed in glarea ſeu ſabulo calculis & lapillis admixto. Caro ejus ingrata eſt & nullius pretii. Verum ova delicatiora ſunt quàm aliarum ſpecierum. In pretio eſt ob teſtam in ſquamas ſeu laminas, 15. in univerſum, tam grandes quàm parvas, diviſam; quarum 10. planæ ſunt, quatuor nonnihil incurvæ, quinta quæ collum tegit triangula eſt & concava veluti clypeus parvus. Spolium Carettæ plerunque 3. aut 4. ℔. pendet: interdum ſquamæ adeò craſſæ ſeu ſpiſſæ ſunt, & laminæ longæ latæque, ut omnes unà 6. aut 7. libras ponderent. Ex ſquamis hiſce multa fiunt [aut incruſtantur] pretioſa utenſilia, pectines, vaginæ, cochlearia, cultrorum manubria, ciſtæ, abaci, capſellæ, ſpeculorum margines, &c.

JURURA Braſilienſibus, *Cagado d'agoa* Luſitanis *Marcgr.* Minor eſt reliquis teſtudinibus. Teſta ſuperior, figuræ ellipticæ, 10. digit. habet longitudinem, latitudinem 9. convexitate conſiderata; inferior teſta 9. dig. longa, $4\frac{1}{2}$ lata & plana. Intra teſtam ſe abſcondere poteſt, & collum rurſus ad 3. digitorum longitudinem extendere. Caput tres digitos craſſum, & paulò oblongius, naſus elevatus & acuminatus: os amplum, oculi nigricantes, pupilla nigra. In pedibus 4. ungues oblongi, nigri: Cauda brevis acuminata. Cutis rugoſa & q. è ſquamis conſtans. Teſta ſuperior fuſca, inferior flaveſcens. Ova ponit ſubrotunda, dimidii gallinacei magnitudine, teſta alba, boni ſaporis ſi frigantur. In domo Autoris abſque omni cibo ſolidiore 21. menſes inediam toleravit.

TESTUDO *terreſtris puſilla ex India Orientali.* Worm. Muſ. Teſtæ ſuperioris longitudo vix 4. eſt digitorum, latitudo 4. Tribus conſtat teſſellarum ordinibus, & limbo omnes ambiente. Hæ verò teſſellæ variis coloribus pictæ ſunt, nigro, albo, purpureo, ſubviridi, luteo, quę ubi laminatim decidunt remanent veſtigia è nigro luteola. Inferior teſta tota albicat, & variis lineis denticulatis interſtinguitur. Caput & roſtrum Pſittaci formâ habet, in cujus ſummitate præeminentia quædam miniata, luteo interſtincta. Collum anguſtum: Pedes anteriores, ut & crura corneis ſquamulis obſita. Pedes plani ſunt, in 4. ungues terminati. Crura poſteriora longiora ſunt & tenuiora, corio communi tecta, ſed pedes ſquamoſi, & ut anteriores 4. unguibus armati. Caudam tenuem habet, in apicem terminatam, vix digiti dimidii longitudine. Alii hujus generis ſunt majores & minores.

Teſtudo teſſellata minor, an picta ſeu ſtellata *Wormii? The leſſer chequered Tortoiſe.* Hiſt. R. S. Muſ. *D. Grevv.* Hujus dorſi operculum, ſi per convexum metiaris dig. 7. longitudine ſuperat latitudine 5. colore nigro, ſtriis rhomboidibus referto. Tres ordines prominentiarum præter limbum teſtam conſtituunt ſuperiorem, in quorum medio 5. in lateralibus 4. conſpicuuntur eminentiæ, à quarum centro nunc plures, nunc pauciores ad ambitum derivantur lineæ ſtellatim diſpoſitæ. Inferior teſta 8. diſcretis conſtat laminis, ſuturis q. conjunctis, quarum duæ reliquis duplo majores; nigro & ſubluteo colore variegatæ omnes.

Hæc eſt Deſcriptio Wormiana, Muſ. p. 317. Teſtudo D. Grevio deſcripta ab hac quid differat, apud ipſum vide R. S. Muſ. p. 37.

Aliarum Teſtudinum teſtas in *muſeo Reg. Societatis Londin.* aſſervatas deſcribit *D. Grevius* in *Catalogo* & Hiſtoria *Muſci* prædicti.

1. *Teſtudo teſſellata* major, *The great chequered Tortoiſe-ſhell.* Ex Inſula *Madagaſcar* tranſmiſſa eſt. Ellipticæ ſeu ovatæ figuræ ſolidæ pluſquam dimidia pars eſt, ex omnibus quas unquam vidi maximè concava, pedem longa, 8. dig. lata, & 6. propemodum alta. Reliquam deſcriptionem & figuram apud Autorem vide; nam ſine icone intellectu difficilis eſt deſcriptio verbis concepta.

2. *Teſtudo teſſellata ex Suranam.* Cujus etiam deſcriptionem ob rationem prædictam omitto.

3. *Teſtudo teſſellata Virginiana.*

4. TESTUDO *Squamoſa. A Scaly Tortoiſe-ſhell.* Lutarii generis eſſe videtur, pedem plus longa, 10. uncias lata, ad altitudinem $3\frac{1}{2}$ convexa; media parte ſecundùm longitudinem in acumen inſigne aſſurgit. Teſtudini Carettæ Rochefortii affinis & ſimilis eſt. *Raius in Synopſi Hiſtor. Quadrup.*

OFFICIN. NAT. è TESTUDINE.

1. *Crura.* 2. *Sanguis.* 3. *Fel.*

Vires. 1. *Crura* pro Periapto antipodagrico experientiſſimo adhibentur.

Videlicet.

Accipiatur Teſtudo maſculina, cognoſcitur inter cætera ex caudæ diſcrimine, & leni ſub interiore teſta inciſura, ubi Luna maximè fuerit diminuta, priuſquam cum Sole conjungatur, amputentur vivæ crura omnia, ea conſuta in ſacculos ex pelle hœdina anguſtos alligentur membris patientibus, ita ut dextrum crus teſtudinis dextro cruri ægrotantis reſpondeat, ſiniſtrum ſiniſtro. Item anterius crus dextrum brachio dextro applicetur, ſiniſtrum ſiniſtro, *Solenand. ſect. 1. conſil. medic. 20. Schenkius in obſerv. Idem refert Bapt. Porta ex Rhaſi & Conſtantino, libr. 4. Phytogn. cap. 4.*

2. *Sanguis* Teſtudinis marinæ & terreſtris, in remediis internis pro antidoto datur ad ʒij.

Sanguis Teſtudinis terreſtris ad Hecticam imperatur (*recens & crudus ad ʒij.*) exiccatus ad Epilepſiam commendatur.

3. *Fel,* Oculis confert.

[Hepar ad ſuffocationes uterinas in peſſo utile.]

[Ex teſtudine ad cancrum præſidium paratur.] *Schröderus.*

TETRAPHARMACUM, vid. *Unguentum.*

TEUCRIUM.

Teucrium à Teucro inventore dictum planta eſt fruticeſcens, foliis Chamædryos, æmulis floribus Galea Carentibus.

Teucrium ſtaturâ ſuâ & magnitudine, foliis latioribus

ribus à Chamædrye differt, quacum folijs Galea carentibus convenit. *Raius.*

Medetur morbis lienis & venenis reſiſtit, ſi decoctum propinetur.

THALICTRUM.

Thalictrum ſeu *Thalietrum*, Ταλικλεϛν, ἢ Θαλίκλεϛν, ſimilitudo figurarum κ & η ſcripturæ varietatem peperit. Forte à θάλλω vireo, dictum eſt, eò quòd dum germina protrudit eleganter vireat.

Notæ ejus *Characteriſticæ* ſunt folia umbellatarum in modum diviſa, flores ſtaminoſi, ſemina ut in umbelliferis ſtriata. Nonnullæ tamen ſpecies Thalictri dicti ſemina folliculis incluſa geſtant.

Vires. Folia in oleribus admixta alvum nonnihil commovent, autore Dodonæo, radicis decoctum idem potius præſtat, Optimum Rhabarbari ſubſtitutum eſt. D. Palmer.

Thalictris quibuſdam in locis in Italia, teſte Camerario utuntur contra peſtem; in Saxonia contra icteritiam. *Raius.*

THAPSIA.

Thapſia ex eo nomen accepit, quòd in Thapſo ejuſdem nominis Inſula primum inventa fuerit, autore Dioſcoride.

Thapſiæ *notæ genericæ* ſunt folia tenuiter diſſecta: ſemen alâ foliaceâ ſummâ parte bifida cinctum, ſapore acri.

Vires. Tapſiæ radix ejuſque ſuccus aut decoctum ſupernè interneque cum violentia purgat, ideoque intra corpus exhiberi non debet. Quidam pro Turbith per errorem ſubſtituunt. Meſſanenſes ex numero ſunt, qui pro Turbith hac planta utuntur, ut rectè Imperatus. *Raius.*

THE' Sive THE'A

Nomina. The Sinenſium ſive Tſia Japonenſibus *Breynii.* Chaa, herba Japoniæ *I. B.* lib. 27. cap. 1. *C. B.* p. 147.

The compluribus & denſis ramis eſt frutex: foliis obſcurè viridibus, per circuitum ſerratis, non tam Chamælæ agni, quàm ſpiræ Theophraſti ſubſtantia & toto habitu æqualibus, ſaporis exſiccantis cum quadam amaritudine: flores proferens (quantum ex pictura, & duobus, at imperfectis, ex Japonia tranſmiſſis floſculis conjicere potui) ciſti fœminæ & goſſipij mediam faciem obtinentes ubertimos, quinis foliolis albicantibus aut pallidis conſtantes, ſtamihulis multis medium florem occupantibus. His demum ſuccedunt fructus dum adhuc vigent (ut ferunt) virides, reſiccati autem cortice magis rugoſo, ex ſpadiceo fuſco veſtiti, in quibus non minus quàm in Coccis Orientalibus mirabili varietate mutabilis Vortumnus ludit. Quidam penitus globoſi ſunt inſtar dictorum Coccorum ea etiam magnitudine, aut duplo pæne aliquando majores, ſemen tantum unicum continentes: alii contra geminati, ſive in duos loculos diſpertiti, alii vero trigoni, forma & magnitudine à fructu ricino ſimili J. B. non admodum abludentes: hi maturi ubi ſe aperiunt in tres, illi in duas dehiſcunt partes, quarum quælibet ſemen continet, quod vel orbiculare planè ad ſtyracis, vel quia minus ſplendet, ad fructum exoticum 15. à Jacobo Gareto acceptum Cluſ. propius accedens, vel in una parte ſeſſilis, nonnunquam etiam triquetra eſt nucula, tenui putamine & lævi, ſpadicei ſeu ſubrufi coloris, excepta baſi (qua parte adhæſit) albidi, conſtans, quo nucleus ſubalbidus pallidusve ac valdè rugoſus, guſtu primum dulci, poſtmodum amaro & nauſeabundo, tandemque calido & valide exſiccante, cuticulâ tenui & Cinerea obductus continetur.

Catalogum Autorum qui de hoc frutice ſcripſerunt vide apud Jac. Breynium exot. centur. 1. cap. 52. quibus adde D. Pechlin Belgæ Tractatum de Thea anno 1684. editum, in quo Hiſtoriam ejus plenam tradit, & contra Sim Paulli uſum ejus deffendit. M. Dufour hiſtoriam Theæ, Lugduni impreſſam 1685. & tractatum quendam Anglicè conſcriptum Londini 1682.

Verùm omnibus quæ de Thea ſcripta ab aliis ſunt obſervationes D. Wilhelmi ten Rhyne, magni Imperatoris Japoniæ Medici, præferendas cenſemus; quæ apud Jacob. Breynium habentur in appendice ad Exot. Centur. 1.

Semen hujus fruticis circa menſem Februar. terræ (ni nimio indurata gelu, vel nive altius tecta ſit) mandant Japones ſequenti methodo; in terra bona, dulci, non ſalſa, neque limoſa, neque arenoſa nimis, ſed temperata, rotundum ad octo aut paulò minùs pollicum altitudinem ſcrobem effodiunt, cui à 40. ad 50. ſeminales folliculos confertim injiciunt, exinde Scrobem operientes, eundemque inhorreſcente bruma ſtramineis ſtoreis tegentes. Hæ autem ſeminalia capitula communiter in ſex octo, decem, ad quatuordecim, & quandoque plures pauciores ve frutices propullulant, quos abſque ulteriore cultura naturæ ingenioque ſuo relinquunt agricolæ, niſi quòd eos ab inutilibus herbis repurgent. Stirpes autem quod ſpiſſius glomeramen alterioremq; apicè (rarius tamen ſupra quatuor aut quinque pedes) exurgunt eò meliores judicantur, mollioribus utpote magiſque benignis folijs, quæ rarenter intra primum triennium decerpunt Japones: decerpunt autem plerumque menſe ſuo tertio, qui ordinario juxta noſtrũ Aprilem eſt, nonnunquam aduſque modium Maij procurrit (anno nimirum intercalari,) quovis triennio recurrente) quando matres cum ſuis infantibus & ancillis folia hæc calathis colligunt, novella & recens edita (ſubflaveſcente ſuo virore & parvitate à virentibus foliis facillime diſtinguenda) cum parum adoleverint ſicca tempeſtate, quacunque diei hora, inprimis intenſiori ſolis æſtu, avulſa circa veſperam portant domum.

Tum ſingula folia fuſæ ex ferro patellæ Sinicæ, nitidæ, candenti atque obliquè collocatæ (ne manus comburant) injectant, eademque manibus aſſiduè verſant, uſque dum flacceſcant, mundis tunc ſtoreis papyrove imponenda, ac perflanda flabello ut frigeſcant; hinc in planis ex Arundine Indica confectis corbibus conteruntur, donec compactæ criſpentur: hinc iterum in pura & modicè candefacta patellâ uti antea manibus continue verſantur, donec mediocriter induruerint, deinde patelli eximunt & flabello frigefaciunt, & in tertia ac quarta patellis per gradus minus calefactis revolvunt, ut majorem ſiccitatem duritiemq; contrahant. Tandem ollis intrinſecè vitreatis bene clauſa ſervant, & in urbes pagóſve venalia tráſferunt. Poſtquam autem per ſextiduum circiter ollis reſerata fuere, eaſdem aperiunt, foliorumque delectum, minora & teneriora à majoribus & durioribus ſeparando, faciunt, ultimâque vice in quinta patella ſecuritatis ergo ſiccant, in annos tunc durabilia, ſi accuratè obturata teneantur.

Pro Imperatore & Magnatibus majore ſtudio & cura colitur. [Prope Misko urbem locus Oaſi dictus totius Japoniæ in hoc opere princeps eſt] frutices nempe, à nimia pluvia, vel intenſo ardore frigoreve, cæteriſque aeris, injuriis & pravis purgamentis, volatilibus reptilibuſve inſectis ſtudioſè præmuniuntur, juſto rigantur tempore &c.

Congrua tempeſtate ſcrupuloſa foliorum fit electio: tenerrimi fruticũ ramuſculi primævis in apice foliis nudantur, quæ eapropter cariſſima potentioribus reſer-

reſervantur emptoribus; hæc autem à mediocribus; hæc iterum à majuſculis, hornotinis tamen ſingulis, ſegregantur: omnia in umbra ſiccantur.

Ruricolæ & tenuiores folia eo quo diximus modo præparata promiſcuè in æneo cacabo aqua repleto lento coquunt igne, & ſic toto die pro communi potu in foco ſuſpenſum ſervant; donec iteratis tincturis folia illa debilitate rejiciantur, ingeſtis protinus novis. Primates autem & locupletiores cives nullum in re domeſtica opus majore diligentia, faſtu atque Nitore & artificio curant quàm ſui T'chia præparationem. Quandoquidem qui in cæteris parciſſimæ ſunt ſupellectilis copioſo, & ſuperbo inſtrumentorum famulorumque apparatu impenſè imò ad ſuperſtionem uſque geſtiunt.

Inſtrumenta ſunt ex electo ophite mola (quali noſtrates ſemen Sinapi conterunt) qua ſuum T'chia in tenuem pollinem commolant. Præterea fornacula, ex mixto cum aliis metallis ære artificioſè fuſa, cui aqua plenam cucumam, ex eadem materia confectam ſuperimponunt, ut ſemper præſto ſit lympha fervens hinc exiguis cochlearibus (ex teſtudineo cornu aliove pretioſo ligno, vel etiam metallis fabrefactis) viridem illum ac bene fragrantem pulverem T'chia calycibus ſuis infundunt, ac ſuperfuſa cum mundato hauſtro infundibulóve aqua fervida pulverem hunc minutulis, ex Arundine indica crenarum forma artificioſè conciſis, ſetis tandiu quaſſant donec in ſpumam elevetur. Famulos qui in hoc opere occupantur omitto. Sinenſes autem (quorum methodum noſtrates ſequuntur) fervefactam in cupreo cacabo aquam ſiccis integriſque folijs Thee, ſingulari ollæ prius injectis ſuperfundunt, tincturamque extrahunt, quàm limpida aqua ad gratam amaritudinem temperatam calidè ſorbent, ſaccharumque utplurimum unà maſticant, uti & noſtrates, rarius autem Japones, tametſi γλυκύφιλοι. Deinde novâ affuſâ aquâ tincturam iterum extrahunt ſecunda vice, quæ debilior eſt primâ, poſtea folia abjiciunt; quæ ſocijs Navalibus meliorum defectu acetariorum vicem ſupplent. (Japones autem iiſdem folijs rubentes papulas ac cutanea ſudamina curant; atque in tinctoria arte eadem (vetuſta licet) uſurpant Mauri.

Fruticis hujus natale ſolum varium eſt in Japonia: plurimus in regione Fiſien creſcit. Humo gaudet neque arenoſa, neque lutoſa nimis, neque declivi, neque acclivi nimis, aprica & temperata planitie lætior: multis autem in locis inter ipſa frumenta in pulvillorum liris frutices Theæ conſitos intuearis. In China etiam creſcit.

Pretium pro foliorum magnitudine variat. Quantum namque magnitudine ſurſum decreſcunt tantùm pretio accreſcunt. Tanta eſt autem pretij differentia, ut una libra hujus Theæ pluris veneat quàm centum libræ alterius: foliorum verò bonitas in grata fragrantia (proxime autem ad fæni accedentis odorem, tantiſper aromaticum accedit) colore viridi (nam parum maſticata frictaq; ubi fuerint, viror vividus emicare debet) ſapore ſubamarè dulci.

Vires, Has ei vires tribuunt Sinenſes, ſanguinem purificat, horrenda pellit inſomnia, vapores à cerebro arcet malignos; vertiginem capitiſque dolorem, præſertim à crapula ortum mitigat; hydropicis conducit; egregiè enim diuretica eſt, capitis rheumata exſiccat, humorum acrimoniam corrigit, obſtructiones viſcerum tollit; viſum inſtaurat; quippe quantum ego exiſtimo, hæc decoctio T'chia primarium Japonenſibus eſt antidoton contra viſus imbecillitatem ac oculorum vitia illis frequentiſſima, ac ex aſſiduo oryzæ calidæ & ſui Sacqui potu & uſu maximè contracta. Aduſtos humores temperat, calidum emendat jecur, induratum lenit lienem; ſomnum coercet, ut in ijs præſertim qui rarius Thee bibunt. Corpora vero reddit vegetiora; inprimis autem hebetiores à ſomno ac Torpore ſenſus expergefacit, cor exhilarat, timoremque propulſat, inteſtinorum tormina ac flatus compeſcit, illoſque qui uterum infeſtant diſcutit: Viſcera vireſque roborat, reminiſcendi vim exſuſcitat, ingenium acuit, bilem temperat, nephritidem tollit, medicamen hoc Lithontripticum; ego ſaltem nunquam in Japonibus vel minimum calculi, ſive renum, ſive veſicæ indicium reperi, ſat ſedulo licet inquiſiverim; ac tandem dulces in amplexus vertit officium Thori.

Ad ſpecifica ſtomachica pertinet herba Theæ, non tantum ſtomachum roborans, ſed & à calculo & arthritide præſervans; & capiti inprimis conveniens. Præſervat ab ebrietate & ſomnum arcet, & ſtomacho inprimis confert. Ettmuller. Prax. cap. de chyleſeos læſionibus.

Quæ in Bontii & Piſonis hiſtoriis hujus plantæ reprehendit & emendat apud Breynium vide.

Quòd in Europæis regionibus quædam ſanitatis incommoda æquè efficaciter non arceat potus ille Thee quàm apud Sinenſes vel Japonas, non præparandi utendive modo adeo imputandum cenſeo quàm quidem aſſiduitati uſus & temperatiori victus rationi.

De nocumentis hujus potus hæc apud Antonium de Heyde occurrunt in centur. obſervationum, obſ. 76.

Tincturam è folijs Thee mediante aqua calida extrahi vulgo notum eſt. Ejus potum aliquando quibuſdam conducere negare nolo; tamen ut eum omnibus utilem putem adduci nequeo: quippe veriſimile videtur emolumenta quædam Thee adſcripta ab aqua calida potius eſſe deducenda. Hunc potum quibuſdam nocuiſſe videtur experimento ſæpius probatum: inter alia hoc patet ſequenti hiſtoria, mulier vegeta & ſana, potui Thee dedita, conqueritur de frigore acri interiora concutiente, præſertim noctu, quod à Thee potu derivandum putat hanc ob cauſam, quia eo potiſſimum corripitur ubi huic potui indulſit. Memini ante aliquot annos virum robuſtum conqueſtum eſſe de frigore acri in abdomine, quod etiam potui Thee, quem quotidiè ſumebat imputat. Communicavit D. Hulſe de potu Theæ & Coffee, hæc occurrunt in Mais Podalirio redivivo. p. 59.

Sed quid ſentiendum de potu Theæ & Coffee? ego cum Lugduni Batavorum ſtudiis operam dabam; per totum annum cephalæa miſerè laboravi, & poſtquàm potui copioſiori Teè & præcipue quidem Coffee quotidie ſumendo aſſuevi ſemper immunis ab ea vixi non tantum, ſed & ab omni alio incommodo, quamvis anteà ità vixerim, ut mortis haberet vices lentè quæ trahebatur mihi vita gementi, qui per totum quinquennium cum longa morborum ſerie acriter conflictavi.

Et p. 85. ego nonnullos novi meorum familiarium antea haud parum à nephritide cruciatos qui nullum incommodum inde amplius perſenſerunt poſtquam potum Coffæ ſatis magna copia aſſumpſere.

Cæterùm hæc arbor rectius fortaſſe ad eas quæ fructu ſicco ſunt refertur.

Quidam ex Oriente reduces affirmant magnates Chinenſes & Japonenſes decoquere gemmas & flores hujus plantæ, majores vires ijs attribuentes quàm folijs. *Raius.*

Theé ſunt folia fruticis in Regnô Sinicô & Japonicô creſcentis, quibus diverſa magnitude, diverſum imponere pretium ſolet, minoribus, ut melioribus, majori pretio venientibus. Eligenda quæ ſunt fæni recentis

centis inſtar odorata, non admodum nigra, aut ſitu corrupta, cum quadam amaritie adſtringentia, & aquę impoſita figuram oblongam, acuminatam, & in ambitu crenatam exhibentia, inque plumbeis, ſtanneiſve pyxidulis conſervata & adportata. *Pharmac. August.*

Theriaca, vid. *Electuarium.*

Thermæ, vid. ſub titulo *Aqua.*

THLASPI.

Thlaſpi à fructus forma, qui veluti infractus & contuſus eſt, à θλᾶν infringo, conquaſſo, nomen accepit.

Thlaſpeos *nota Characteriſtica* ſunt capſulæ ſeu vaſcula ſeminalia compreſſa.

Duo autem Thlaſpeos genera ſunt, vel enim membrana cellulas ſeu loculamenta diſſepiens ad planum ſeu latitudinem capſulæ parallela eſt, & quæ ejuſmodi capſulam habent *Alyſſa* dicuntur; vel ad latitudinem ſiliquæ tranſverſa ſeu perpendicularis, quod genus *Thlaſpi* ſimpliciter dicitur, de quo hic.

Nomina. Thlaſpi Vulgatius *I. B.* Vulgatiſſimum *Ger.* vaccariæ folio *Park.* Arvenſe vaccariæ incano folio majus *C. B.*

J. B. Ex radice ſatis craſſa, fibroſa, lignoſa, alba, ſubacri caules exurgunt hirſuti, teretes, rigidi, brachiati: quibus folia ſine pediculis adhærent, longa, ſenſim anguſtiora reddita, ſerrata ſive crenata, geminis pinnulis caulem amplectentia, ſapore cum morſu acri. Floſculi minimi, albi, multi, ut in burſa paſtoris diſpoſiti, quatuor foliis vireſcentibus ſuſtentati, apicibus candidis. Capſulæ præmaturo ortu flores occupant, foliaceæ, ſubrotundæ, infractæ, in ſummo fiſſæ, in quibus ſemen acre ſinapi aut naſturtii.

His adde, folia quæ è radice exeunt longis pediculis inniti; ſiliculas ſeu vaſcula ſem. longioribus pediculis inſidere quàm in naſturtio hortenſi, deorſum reflexis, & bina duntaxat ſemina, hinc inde unum continere.

Inter ſegetes præſertim ſolo arenoſo aut glareoſo frequens oritur.

Vires; Tlaſpeos ſemen calidum eſt & ſicc. uſus præcipuè in internis abſceſſibus rumpendis, menſibus ciendis, Iſchiadicis affectibus curandis. Extrinſecus abſtergit ulcera quæcumque manantia, inſuperque ptarmicum eſt, ſed minus vulgare. *Schrod.*

Gravidis quia fætum necat; infeſtum cenſetur. Idem ingreditur hoc ſemen Theriacam.

THORA VALDENSIS.

De qua jam ſub titulo *Aconitum* cum figura addita.

J. B. Caulem habet ſingularem, palmarem, aut fere etiam dodrantalem, junceum: folia duo aut tria ex radice ſtatim principio oriuntur; cauli quoque circiter medium adnaſcitur, nullo interveniente pediculo, folium unum aut alterum, unumquodque ſingulare, ordine caulem conſcendens, circinatæ fere rotunditatis (imo latior plerunque) Cyclamini folio par aut etiam duplo majus, in medio per marginem aliquando ſinuatum, intermedum minus, rigidum, nervoſum glabrum, argutis denticulis concinnè in ambitu crenatum, reliqua ſuperiore caulis parte parva, oblonga, acuminata, ſimplicia, aut in lacinias aliquot fiſſa Thalictri folia æmulantur flos ſummo cauli inſidet unicus, (interdum bifidus caulis in ſingulis ramis ſingulos gerit flores) Ranunculi & figura & colore luteo; nec diſſimile ranunculorum echino capitulum è ſeminibus coacervatis conglobatum. Radix numeroſis conſtat, habitiuſculis, oblongis, Aſphodeli imitatione ad caput unum obliquum annexis radiculis; in tenuia longaque filamenta deſinentibus.

In altiſſimis jugis montis Juræ propè Thuiri copioſam invenimus. Provenit & in monte Baldo;

Cluſius in Etſcheri præcipitijs, & copioſius in Sneber, obſervavit, cujus folia breviora; ſuperna etiam parte latiora & magis inciſa deprehendit quàm ſint Thoræ Valdenſium & montis Baldi. *Raius.*

Thoracica, vid. *Pectoralia.*

THUNUS ſive THUNNUS.

Thunnus, (ἀπὸ τοῦ θύνειν, quod eſt, magno impetu moveri, quia velociſſimè natat: ſeu ab Hæbreorum Thannin, quo cetaceum piſcem intelligunt, Cujus & varia nomina, pro diverſitate ætatum; & hiſtoriam admirandam petas velim è Johnſtoni lib. de piſcibus, cap. 2. *Charleton.*

Hujus piſcis caro non malè vitulinam ſapore referens, ſale condita aſſervatur & in longinqua convehitur. Non tantùm autem menſis apta eſt, ſed etiam veneno ac rabiei, imò morſibus viperarum ſi reſiſtere creditur, ſi comedatur & extùs applicetur.

THUS.

Nomina. Olibanum ſive Thus *Park.* Thus *I. B.* arbor Thurifera *Ger. C. B.*

J. B. Sicca ac pinguior eſt, Thuris Lachryma quàm maſtiche, ſtatimque in luculentam pertinacemque flammam exardet, odore multo imbecilliore, ſed nihil per incendium ſtillat, ut maſtiche; dentibus ſtatim friatur, verùm friatura non cogitur denuo, ut maſtiches, neque ut ea liberè volutari poteſt cum dentibus eorumque præſepiolis adhæreſcat. Sapore eſt amaro & modice acri, non ingrato tamen, Cæſalpino adſtringenti ſubamaro. Colore eſt ex albo fulveſcente, minuſque pellucet quàm maſtiche, colore candicante aut ſubruffo; translucidæ guttæ, aliàs ſingulares, aliàs gemellæ Teſticulos aut mammas, prout eæ majores minoreſve fuerint, imitantur, unde & mammoſi & maſculi Thuris cognomenta: interdum quaternæ aut quinæ magnitudine ciceris, Avellanæ, & majores, adhærentes nonnunquam ſuo cortici unde exudarunt: friatura verò immundior ex grumorum attritu decuſſa Thuris manna Græcis appellatur.

Quod ex eo (Thure) inquit Plinius rotunditate, guttæ pependit maſculum vocamus, cùm aliàs non ferè mas vocetur ubi non ſit fœmina. Maſculum alij putant à ſpecie teſtium dictum: Caſp. Hofmannus, quàm ob cauſam maſculum vocabant ſe neſcire ſcribit, nec enim arridere quæ Plinius dicit lib. 12. cap. 14. nobis ſatisfacit Plinius ob formam vel præſtantiam maſculum dictum.

Mammoſum Thus J. Bod. à Stapel à maſculo diſtinguit quod illud oblongis grumis mammarum inſtar pendulis compoſitum ſit; hoc parvis rotundis candicantibus aut flavis, interdum ſingulis, interdum teſticulorum inſtar gemellis conſtat; alij hoc ab illo non differre volunt.

De Arbore Thurifera nihil certi traditur. Theophraſtus arborem non magnam eſſe tradit, quinque fere cubitis attolli ramoſam eſſe, folia habere pyro ſimilia, corticem lævem ut Laurus. Alij tamen (inquit) ſimilem lentiſco eſſe ajunt, & ejuſdem fructus ſubrutilo folio; alij & cortice & folio

etiam Lauri. Diodorus Siculus Acaciæ Ægyptiacæ formam Arbori Thuriferæ attribuit, ſalicis folia, Lentiſci autem folia myrrhæ Arbori, in quo Dioſcoridi & Theophraſto plane contrariatur: quomodo hæc concilianda non video, niſi ſit quædam tranſpoſitio. Garcias quoque thuris arborem humilem eſſe & folia habere Lentiſco ſimilia ſcribit.

At Thevetus arborem Thuriferam pinus reſiniferas referre tradit: verùm iconi quàm proponit cum pinis nulla eſt ſimilitudo; quamvis ſe fingat adſtare Arbori, aut ei adſtantem pingat. De vera ergo forma hujus arboris etiamnum incerti manemus, quod neque veterum quiſquam, neque recentiorum in vaſtas illas Arabiæ ſolitudines penetravit quæ Thus dant, ut Caſp. Hofmanni verba uſurpem.

Oportet tamen ut regio thurifera ſatis latè pateat, & arboribus etiam abunde, cum Thus tam vili veneat.

De loco Thuris magna lis eſt: nonnulli Arabiam ſolam Thus gignere ſcribunt, nec tamen eam omnem, ſed Sabæam dictam, ſolis eſt Thurea virga Sabæis, Virg. Juba, autore Plinio, negat in inſulis naſci præter Arabiam ullis. Thus quoque præter Arabiam nullis gigni Theophraſtus & Plinius tradunt. Dixere tamen poſtea, quod ex relatu acceperant, id etiam naſci in quibuſdam inſulis. Thevetus etiam multas inſulas & regiones hujus feraces eſſe ſcribit præter Arabiam, & quibuſdam in locis tàm vulgarem eſſe quàm Aurantiæ malum: Thus tamen quod ex Arabia defertur, ut olim ita & nunc omnium præſtantiſſimum haberi.

Dioſcorides præter Arabicum Thus inveniri & Indicum ſcribit. At Garcias per univerſam Indiam Thus non naſci certiſſimum eſſe ait, cum quicquid Thuris ibi conſumatur ex Arabia deferatur: & miratur à quo Dioſcorides id acceperit. Potuit forte à colore nigro quoddam Thuris genus Indicum appellari, quemadmodum Myrobolani nigræ inde denominantur. At Bodæus à Stapel Indum Græcos vocaſſe ait hoc genus, non quòd in terra ipſa Indiæ continente naſceretur, ſed in inſulis Arabiæ adjacentibus, quæ tum temporis erant ſub Indorum poteſtate, quæ deinde ab Arabibus forte ſunt recuperatæ, & hodie ſub eorum ſunt principatu. Duplicem Thuris quotannis meſſem eſſe tradit Plinius & confirmat Thevetus. Meti ſemel anno ſolebat, minore occaſione vendendi; jam quæſtus alteram Vindemiam affert; prior atque naturalis Vindemia canis circa ortum fragrantiſſimo æſtu, incidentibus qua maximè videatur eſſe prægnans, tenuiſſimuſque tendi cortex. Autumno legitur in æſtivo partu. Secundo Vindemia eſt vere, ad eam hyeme corticibus inciſis, Plin. quod æſtate colligitur candicans, purum, nitidum, pellucidum eſt (inquit Thevetus) alterum quod vere rubeſcens, pondere, pretio, bonitate, viribus ſuperiore longè inferius.

Vires. Quod ad vires attinet, Thus calfacit, ſiccat, & ſubaſtringit. Uſus præcip. intrinſecus eſt ad varios capitis & pectoris affectus, ut & ad alvi utriſque profluvia, ad tuſſim (deglutitur veſperi fruſtatim) vomitum, ſanguinis excreationem, diarrhœam, dyſenteriam mitigandam. Avicenna depravatis ſenſibus & abolitæ memoriæ Thus opem præſtare tradit. Dioſcorides Thus in ſecunda valetudine hauſtum inſaniam facere, & largius cum vino ſumptum interficere ait. Nos ergo (inquit J. Bauhinus) conſulimus, ut nulli affectui interno præſcribatur, nec etiàm in ſuffumigiis, ſi vera ſcripſit Dioſcorides de ejus natura; ſunt nobis alia tutiora medicamenta pro roboranda memoria, & adverſus alios pravos affectus internos.

Extrinſecus inſervit ſuffitibus pro capite roborando, catarrhos diſcutit, cava ulcera carne replet & ad cicatricem perducit: cruenta vulnera, cephalica imprimis glutinat, perniones (cum ſuillo adipe aut anſerino) ſanat: ulcera cacoetha tum ſedis, tum reliquarum partium demulcet (tritum cum lacte linimentum oculorum rubedini ac lippitudini medetur (ſcil. aq. roſarum multiplici inextinctione Thuris impraegnata, lactique muliebri poſtmodum commixta pro collyrio liquido:) verrucas incipientes & impetigines abigit (cum pice & aceto impoſitum) emplaſtris, unguentis, balſamis ad vulnera & ulcera mundanda & carne replenda utiliter admiſcetur. Præcipui uſus eſt in cranii fracturis Olibanum cum albumine ovi tritum & temporibus applicatum hemicraniæ & cephalalgiæ prodeſt.

Ad aurium dolores, (aures ulceroſas Matt.) cum vino dulci (& calido) infunditur.

Cortex Thuris vim habet eandem quàm Thus, efficacior tamen eſt, & magis aſtringit. Quare potus magis commodat ſanguinem ſpuentibus, & fluidis affectionibus appoſitus. Hodie in uſu non eſt; nec ſcio an olim importaretur per ſe, ſed duntaxat qui unà cum Thure ab arbore deradebatur, èique adhærebat.

Alia res eſt Cortex Thuris nonnullis dictus, vel Thymiama vel Thus Judæorum quod Judæi in ſuffumigiis frequenter utantur eſt corticoſum quid ex India allatum. Manna Thuris dicta eandem etiam vim habet quàm Thus ipſum; nec enim aliud eſt quàm micæ Thuris concuſſu eliſæ, ut Plinius ſcite.

Fuligo etiam Thuris olim in uſu fuit ad mitigandas oculorum inflammationes, ſiſtendas fluxiones, repurganda ulcera & cava implenda compeſcendaque carcinomata; verùm nunc dierum non amplius in uſu eſt. Modum autem faciendi fuliginem vide apud J. B. tom. 1. part. 2. pag. 306.

Cæterum Thuris uſus antiquiſſimus & longe celeberrimus erat in ſacris; Thure enim ſacrificabant olim, eoque in templis ad ſuffitus utebantur. Nec rarior ejus uſus eſt nunc dierum in templis Chriſtianorum ad ſuffumigia. Ejuſdem (inquit Amatus) etiam uſus eſt in luſtrandis cadaveribus mortuorum. Et mirum dictu ut hic mos per omnes ætates, inter omnes fere gentes & religiones inolevit.

THURIS LIMPIDI FOLIUM Lob.

Nobis cum Parkinſono nihil aliud eſſe videtur quàm limonio congeneris plantæ Cluſio dictæ foliũ; An I.B. eo nomine deſcriptum diverſum ſit inquirendum. Thus, vel Tus ut in antiquis Codd: abſque aſpiratione legitur à tundendo dici ſcripſit Soſipater, ut Tus dicatur quaſi tuſum, nempe à glebis tuſis, ſive tunſis. Aliis placet Thus dici quaſi θύος, ἀπὸ τοῦ θύειν, quod Voſſio magis placet: nam θύος Græcis idem ac θυμίαμα ſuffitus ſive ut recentiores loquuntur incenſum. Quemadmodum θύειν unde θύος, idem interdum ac θυμιᾶν ſuffire. Voſſ.

λίβανον Græcis quidem dictum volunt à juvene Aſſyrio ejus nominis in hunc fruticem converſo, quē Deos ſtudioſiſſime colentem invidi occiderunt: hinc diis Thure gratius nihil afferunt. Alij malunt à monte Libano: ſed in eo, Thuris arborem reperiri veterum nemo prodidit. Veriſimilior illorum opinio, qui à λείβω ſtillo nomen accepiſſe ſcribunt. Officinæ Olibanum vocant à Græca voce λίβανος, λίβανος arbor λιβάνωτος Lachryma. Euripidi vice verſa λιβάνωτος arbor, λίβανος Lachryma, ut recentiorum nonnulli obſervarunt.

THYMELÆA.

Thymelæam dictam volunt quaſi Tithymalæam, quod oleæ

oleæ ferat folia, & Tithymali inſtar alvum ſolvat: certe tum foliis tum qualitate Tithymalum refert. hujus generis *Notæ Characteriſticæ* ſunt flores Monopetali in quatuor lacinias acuminatas expanſi, baccæ monopyreni, vis acris & cathartica.

Nomina. Thymelæa *Ger. Park.* foliis lini *C. B.* Monſpeliaca *I. B.* Cluſ.

Frutex eſt pollicaris interdum craſſitudinis, cubitalis vero altitudinis, aut amplior, & in multas virgas diviſus, cubitales, tenues, pulchras, rectas, quæ ſepiunt perpetuò virentia folia, lini fere, ſed majora, latiora, non obtuſa cuſpide ut Chamælæa, neque adeo fragilia, ſed mucronata, lenta, & gummoſum quiddam ſi dentibus atterantur præbentia. Flores fert in extremis virgis copioſos tetrapetalos, oleæ fere ſimiles, candidos, racematim fere propendentes; deinde fructum baccarum myrti interdum magnitudine, paulo longiorem, initio viridem, poſtea coralli modo rubrum, carne ſucci plena ceraſorum inſtar; ſub quo latet unicum ſemen, nigra fragilique pellicula obductum; & fervidi ſaporis medullam obvolvens; radix lignoſa eſt & dura, in tenellis plantis raphani modo efformata, craſſo cortice tecta, ſed quemadmodum tota planta lento & admodum tenaci.

In Italia & Gallia Narbonenſi agris depreſſioribus inter alios frutices paſſim provenit. Cluſius per totam Hiſpaniam locis aſperis naſci tradit.

Hujus fructum Coccum ſeu granum Gnidium Antiquorum Botanici peritiores exiſtimant. Officinis Mezerei Germanici baccæ pro Cocco Gnidiæ habentur. Cocco Gnidiæ vis ardens & fauces adurens: unde miramur perdices & aviculas Thymelææ baccis avidiſſime veſci. Aſt grana non ſunt baccæ integræ rubræ [quæ fortè eſculentæ ſunt] ſed ſemina quæ baccis celantur. Ruſtici Hiſpaniarum ſingulis annis propè infinitas aviculas hoc ſemine curvatis virgis & quibuſdam lineis diſpoſitis venantur, teſtibus Amato & Cluſio.

Cavendum monet Camer. Ne quis radice veſcatur, quia paucis horis perimit. *Raius.*

THYMALLUS.

Thymallus, [à Thymo, quem olet; unde Bellonius Thymum vocavit χρυσόφαγος, Aurivorus,] ſeu quod minutula auri fragmenta propter ſplendorem appetant: ſeu quòd, cum majori pretio veneant, obſophagorum aurum abſumant, & loculos exhauriant. Piſcis eſt ſpectatu digniſſimus, ſquamis duriſſimis argentei coloris tectus; ad latera juxta caudam æris rubedine ſplendens. Pinnis donatur ſubcæruleis, notis rubentibus maculatis; Lien ſanguineus. Ventriculus longior craſſiorque, rugoſus intus, foris candidus, Cartilaginis inſtar durus, Appendiculis plurimis, ceu lumbricis, donatus. *Charleton.*

OFFICIN. ex THYMALLO.

Axungia.

Vires. Oculorum maculas, ungueſque abſtergit, [Sole liquata & melle permixta, maculas cutis tollit, foveas poſt variolas relictas explet, [*illita*] *Schröd.*

THYMBRA, vid. *Satureia.*

THYMUM.

Θύμος vel ἀπὸ τοῦ θυμοῦ dicitur, quòd adhibeatur ijs qui animi deliquium patiuntur ob craſſos humores; vel ἀπὸ τοῦ θυμιάσεως ἢ τῆς θυσίας quòd hoc veteres in ſacris quæ igne accenſo fiebant primum uſi ſunt. Aliàs Grammaticorum Conjecturas de ratione & origine nominis vide apud J. Bodæum à Stapel. Comment. in Theophr. Hiſt. lib. 6. c. 2. pag. 566.

Differt à Satureia, cui aliàs ſimilis eſt, odoris fragrantiâ, & floribus in oblonga capitella congeſtis.

Nomina. Thymus Capitatus, qui Dioſc. *C. B.* Thymum Legitimum Capitatum *Park.* Thymum Creticum, ſive antiquorum *I. B.* Thymum Creticum *Ger.*

Cluſ. Suffrutex eſt Thymum, pedem interdum altus, multis ramis lignoſis, tenuibus & candidis præditus, quos per intervalla ambiunt folia, ſibi invicem oppoſita, anguſta, tenuia, candicantia, acris guſtus, quæ quibuſdam locis hyeme decidunt: nam ubicunque ſponte naſcentem hanc plantam inveniebam, ſeu hyeme, ſeu veris initio, folijs viduam conſpiciebam: ſed utrinque ab exortu & veſtigiis foliorum prominebant veluti oblonga Capitella, inſtar eorum quæ in origano onite ſunt, ex tenellis foliolis viridibus congeſta, adeò confertis & numeroſis, ut unicum longiuſculum folium appareret. Ipſa capitella cum floribus in planta virente obſervare non potui. Hiſpali autem, ubi maximus eſt ejus proventus [nam aliud Thymum non norunt] magni ejus jam reſiccati faſciculi demonſtrati ſunt, cum ſuis foliis & longiuſculis capitellis ſuos purpuraſcentes flores adhuc retinentibus gratiſſimi odoris: illo enim in aqua decocto utuntur ad dolia, quibus vinum reſervatur eluenda & repurganda: non minoris etiam uſus eſt ad conciliandam odoris gratiam iis vaſis quibus Uvæ conditæ aſſervari ſolent.

Non modò circa Hiſpalin copioſè naſcitur, ſed Gadibus etiam, qua parte inſula ponte jungitur continenti, tota inſuper Bætica in maritimis collibus, meridiei obverſis. Nos in Saxoſis propè Syracuſas, Siciliæ Urbem invenimus, D. Wheeler in Inſula Corcyra.

Et in inſula Cithæra nunc Cerigo aliam ſeu ſpeciem, ſeu varietatè foliis minoribus agminatim naſcētibus.

Bellonio Autore ita frequens in tota Græcia reperitur, ut nulla herba in montibus facilius proveniat; ubi pro loci diverſitate florem profert omnino album vel cæruleum aut purpureum vel mixtum.

Vires. Thymum cum aceto & ſale pituitam per alvum detrahit: ejus decoctum prodeſt anhelofis & Orthopnoicis, tineas ventris exigit, menſes, partus & ſecundas pellit, atq; urinas ciet; cum melle in eclegmate faciliores efficit exſcreationes: recentes tumores diſcutit, cum aceto illitum; concretum ſanguinem diſſolvit; verrucas penſiles tollit: Iſchiadis cum vino & polenta impoſitum ſubvenit, hebetibus oculis in cibo: eſt enim & ſanitatis tempore ad uſum idoneus loco condimenti Dioſcor.

Pares illi facultates tribuit Plinius, & inſuper addit, dari Comitialibus, quos correptos olfactus excitat Thymi: & vitis contra inflationes, & ſi venter urgeat, teſteſve aut veſicæ dolor exigat; articularibus morbis ac luxatis tritum ac lanæ inſperſum ex oleo imponi: dari & portionem articularibus morbis trium obolorum pondere in tribus cyathis aceti & mellis.

Thymo, quia gratiſſimi odoris in aqua decocto utuntur Hiſpalenſes [Cluſio referente] ad dolia, quibus vinum aſſervatur, eluenda & repurganda: non minoris etiam uſus eſt ad conciliandam odoris gratiam iis vaſis quibus conditæ uvæ aſſervari ſolent.

THYMUM INODORUM *C. B. Park.*

C. B. Prod. Suffrutex eſt, ob lævem lanuginem quâ pubeſcit incanus; Caule lignoſo, cortice incano, rugoſo veſtito, qui in plures ramos palmo minores, recurvos, hique in alios & velut in orbem diſpoſitos dividitur, quos per intervalla folia breviſſima, anguſtiſſima, plura ſimul juncta, inodora & pæne inſipida cingunt. Cauliculorum ſummis flores plures, purpurei, formâ & diſpoſitione Thymi vulgaris floribus ſimiles inſident.

In Regno Valentino locis arenoſis ad littora copioſè provenit.

Vires. Saporis eſt ſubacris, unde attenuat & incidit, uſus præcip. in affectibus Tart.; 1. Pulmonum, ut aſthmate, tuſſi

tuſſi &c. 2. Artuum ut podagra omnia viſcera reſerat, appetitum excitat. Extrinſecus in tumoribus frigidis, ſugillationibus, inflationibus ventris, doloribus arthriticis, *Schröd.*

Noſtratibus uſurpatur pro olere, & juſculis incoqui ſolet: calore ſuo ventriculum refocillat, & concoctionem promovet. *Raius.*

TILIA.

Tilia, ſi Papiæ credimus, quaſi Telia, quod lignum ejus ad telorum uſum ſit utile ob levitatem ejus. At Martinius à τίλον penna, nempe ob foliola albicantia pennas referentia unde umbellatim floſculi efflorefcunt. Cæterum Arbor hæc ligulis foliaceis oblongis communi floſculorum pediculo adnaſcentibus, floribus Pentapetalis, fructu rotundo parvo monococco, cortice lento & ad texendos habili, à reliquis hujus generis non difficulter diſtinguitur.

Vires. Cortex & folia tiliæ ſiccant, repellunt, urinam ac menſes cient, corticis mucilago in ambuſtis ac vulneribus magni eſt ſolaminis (cortex commanſus & illitus Dod.)

Folia trita & aqua conſperſa pedum tumores diſcutiunt, ad aphthas etiam & ſpaſmum flatulentum in gravidis ſingulare remedium habentur. Eorundem ſuccus expreſſus, cum vino mixtus & calidus artubus infrictus ſpaſmo eidem bene facit.

Flores partium tenuium & cephalici ſunt, eorundem odor perquam ſuavis eſt; aqua deſtillata in frequenti uſu eſt ad Epilepſiam apoplexiam, vertiginem. Commendatur etiam ad cordis tremorem, uteri dolores, calculum renum, ſanguinem contuſione aliqua concretum. Aliqui tritos Tiliæ carbones admiſcent. Doſis ʒj. aut ʒiſs. Quidam adverſus ventris tormina exhibent. Mulierculæ etiam ea utuntur ad faciei fucũ.

Baccæ in pulverem redactæ in dyſſenteria aliiſque alvi profluviis ſummopere laudantur; cum aceto tritæ & in nares inditæ ad hæmorrhagiam. Baccæ aliquot deglutitæ valide ſanguinis è naribus profluvium compeſcere dicuntur.

In cortice Tiliæ interiore, phylira dicta, recenti adhuc, olim ſcriptitatum.

Sutores tabulis ex hujus ligno factis ad ſecanda coria utuntur, quoniam ob mollitiem cedit ferro nec ejus aciem retundit, contra ac veteribus viſum. Quin & ſculptores ſimulachrorum ex hujus materia omnia pæne ſimulachra exſculpunt. Levis enim eſt, tenax facile ſecatur, diu durat, nec teredini obnoxia eſt.

Carbones hujus omnium optimi ſunt pro pulvere pyrio conficiendo, item pro delineationibus pictoribus expetiti.

E Cortice funes (ut diximus) & Corbes, lagenæ, & cunæ, ut Thophraſtus, vel potius ciſtæ aliaque vaſa texuntur.

Baſileæ & alibi pauperiores adventante hyeme Tiliæ folia recondere ſolent pro vaccarum & caprarum pabulo, uti refert J. Bauhinus. *Raius.*

TINCA.

Tinca, *merula fluviatilis* Scaligero. Martinius dictum putat quaſi tincta, ſc. ſubviridi & nigricante colore. Piſcis latiuſculus, utrinque quaſi compreſſus, ſquamoſus, tactu lubricus, ad nigredinem tendens, pinnis cæruleis. Celeriter ad juſtam magnitudinem accreſcit. Tinca umbilico impoſita icteritiam ſanat, vulgi experimento plantis pedum per medium ſecta, ſuppoſita, in peſte venenum divertit; nec non calorem febrilem. Fel aurium affectibus, flatibus, & vermibus efficax medela. *Charleton.*

OFFICIN. NAT. ex TINCA.

1. *Integer piſcis* 2. *Fel.* 3. *Lapillus.*

Vires. 1. *Integer piſcis* diſſectus imponitur pulſibus manuum pedumque plantis, ad mitigandum æſtum febrilem, vel & ad divertendum venenum peſtilentiale. Simili etiam modo adhiberi ſolet in dolore capitis ac artic. Vivæ tincæ (*una poſt alteram*) umbilico ac epati impoſitæ, donec moriantur, Icterum curare dicuntur, luteum nimirum contrahunt colorem. Incineratam tincam, (præcipuè tegumentum) in fluore albo mulierum exhiberi vidi cum ſucceſſu.

2. *Fel*, commendatur ad aurium affectus.

3. In capite gerit *Lapidem* ut Carpio, qui ad ſimiles affectus exhiberi poterit, quo dictus Carpionis lapis. *Schröderus.*

TINCTURA.

Tincturæ, tùm liquidioris, tùm ſolidioris conſiſtentiæ in uſu ſunt.

Liquidioris conſiſtentiæ Tincturæ nihil aliud ſunt, quàm extractiones ſine abſtracto menſtruo.

Solidioris conſiſtentiæ Tincturæ ſunt pulveres, ſine combuſtione ex liquidioribus tincturis abſtracto menſtruo reſidui. Et hoc juris ſola mineralia ſibi vendicare videntur.

Modus fiendi eſt is, quem de Extractis dedimus. Conveniunt nimirum Tincturæ cum Extractis in plurimis, adeoque non raró confunduntur, quàm confuſionem ut in alijs, ita & hocce in loco removere, non abſque commodo foret. Hinc fiunt Tincturæ.

1. *Ex fructibus.*

℞. *Rob. affunde* 🜄 *ac extrahe.*

Vel ℞ Baccas ſeu fructus exiccatos, affunde aq. convenientem ſtillatitiam, ac extrahe, &c.

N. *Si Tinctura lentè inſpiſſetur, Extractum dicitur.* *Quercet. P. R. cap. 26. Sic fiunt Tinctura ceraſorum, baccarum ſambuci, ebuli & ſimil.*

℞. *Flores ſiccos, infunde in aq. appropriata, (propria) vel fontana tepida, additis guttulis aliquot ſpirit.* ⊖*i, vel Sulphuris.*

Famoſiores Tincturæ ſunt, E Mineralibus.

Tinctura ☉ } *vide libro tertio.*
☾
☿
♂
♄
♀
♁
⊖i
Sulphur.
Sapphiri.
Smaragdi.

E Marinis.

Tinctura Corallorum.
Succini.

Ex Vegetabilibus, & maximè ex floribus.

Tinctura Alkekengi è baccis.
Eſſentia croci, v. d. l. 4.
Ceraſorum nigrorum.
Fragorum
Hypericonis, vide c. 57.
Flor. Bellidis.
Papav. Rheados.
Pæoniæ.
Roſarum.
Violarum.

Jalappæ.

Jalappæ.
Rhabarbari.
Roris Solis.
Granorum Sambuci.
Ebuli.
Tartari.

Ex Animalibus.

Tinctura fellis tauri, vide libr. 5.
[1. *Tinctura anodyna D. Jo. Dan. Horſtii.*]
[℞. *Salis Tart.* ✳, ana q. v. ſublim. quinquies.
℞. *Hujus ſublimati pulv.* ʒj. *Opii* ℈ß. *g. ij. Benoin.* ℈j. *Caſtor. g. iij. Croc.* ℈ß. *Spir. Vini* ℔ß. *diger. per horas* 48. *filtr.*

2. Tinctura Parac. diaphoretica correcta à S. Cloſſ.

℞. *Zedoar. angelic. calam. arom. galang. macis. zinzib. cinam. gran. parad. piper. nigr. caryoph. ſaſſafr. ſarſæpar. ulmar. an.* ʒj. *aloës. maſtich. myrrh. thur. camphor. ana* ʒß. *moſch.* ℈j. *infund. in ſpir. vini & aq. roſ. moſchat. an. q. ſ. ut ſuperemineant digitos* 4. *Adde ad maturandam putrefactionem*, ♎ *Sulph. per camp.* ℥ß. *ſalis juniperi* ʒj. *ſtent in loco calido per* 14. ♂.

Doſ. ℈j. *in formâ qualibet. Eliquat glaciata, reſinoſa diffundit, fuliginoſa efflat, balſamicâ ſuâ vi putredinem arcet, & ſoporiferis morbis auxiliatur.*

[Hæc ferè ex omibus radicibus, herbis, floribus & ſeminibus Alexi-pharmacis, baccis herbæ Paris, cortic. citri, Coſto, Gran. Chermes, Agallocho, Croco, & camphora paratur, infundendo in Spiritum Juniperi & Sambuci, & deſtillato Spiritum Theriacalem addendo, nec non ſpirit. Tartari, & Vitrioli, tingitur Santalo rubro.

Doſis à guttis x. ad xx. xxx. xl. ⊕-lata, datur ubi æſtus major in febribus malignis.

Quæ cum Spiritu Salis Tartari volatilis parata, ubi malignitas major.]

[Præter vim alexipharmacam etiam commendatur in atonia viſcerum, Cachexia, melancholia hypochondriaca, imò & in Epilepſia.]

4. Tinctura Catheretica S. Cloſſ. Arch. Mediomatricum.

℞. *Scammon.* ℥j. *turbith. agar. hermodact. rhabarb. ana* ʒiij. *pulveriſata indantur lagenæ vitreæ, addendo ſpir. vini per* 40. ♂ *circulati, ut acrimoniam deponat, (vel ejus loco aq. cinnam alb.* 1. *exſtillat.)* ℔ß. *Infundantur per* 8. ♂ *in ciner. & agitentur bis aut ter ſingulis diebus, tinctus* ∽ *aureo colore depleatur ſerveturque. Ejus cochl. j. m. cum* ℥ß. *ſyr. roſ. pallid. viol. aut limon. aceſacti cum* ∽ ⊕-*li.*

Benignè admodum corpus à ſaburrâ phlegmatica aut ſeroſa vindicat & repurgat. Schröderus.

Tinctura variæ è variis.

Tinctura Aluminoſa Magiſtralis ex *Pharmac. Londinen.*

℞. *Aq. plantag. roſar. rubr. an.* ℔j. *ſublimati, Alumin, rupei an.* ʒij. *Terantur Alum. ei ſublimatum, bulliante ſimul cum aquis in vaſe vitreo orifi ii anguſtioris, ad abſumptionem medietatis. Poſt quintiduo factam deſidentiam,* F. *Colatura clara, ſervanda in vaſe vitrea.*

Tinctura Anodyna *Ludovici.*

℞. *Extract. opii ſimpl.* ℥j. *Aquæ apoplectic. Ludovici ſpir. vitrioli. roridi an.* ℥iv. *miſta ſtent donec liquor probè tinctus & opium ferè ſolutum extet, tunc ſerva.*

Præſtat hæc tinctura in plurimis morbis pluſquam integra remediorum phalanx, v. g. in compluriun malignarum principiis, vomitu, diarrhœa, nephritide, Rheumatiſmo, &c. Doſ. gutt. vi. ad x. xv. vel xx. præcipuè noctu data.

Tinctura Antimonii ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Salis tartari* ℔j. *Antimonii electi* ℔ß. *pulveriſata & mixta fluant in crucibulo; valido igne per horam poſtea ad eundem modum, quo tinctura tartari parari paulò poſt monſtrabitur, cum ſpiritu vini fiat extractio, & liquoris tincti ad tertiæ partis remanentiam abſtractio.*

Uſus ejus eſt inprimis in depurando ſanguine, unde hypochondriacis, cachecticis, ictericis, & ſcabioſis prodeſt.

Tinctura Aperitiva *Mœbii.*

Eſt ſpiritus ſalis, abſtractus à ſale tinct. aut alio quocunque alcalino, ſicq; refractus, tunc tornaſolis tinctus.

Famoſiſſima olim vivente B. Mœbio; & ut panacæa prædicata fuit, in ſtomachi fermento confortando, appetitu excitando, tartaro hypochondriorum pellendo, flatibus diſcutiendis, urina & arenulis pellendis, calore præternaturali & ſiti ſedanda &c. ubi videlicet partes bilioſæ, & humores exorbitantes & nimium ebullientes acido mihi mitigari neceſſe habebant.

Cramerus in ſuo Collegio Chimico aliam tradit hujus tincturæ aperitivæ præparat. v. g. ℞. Salis com. ⊕j. ana. ℔j. Tart. ℔ij. mixta deſtilla per retortam, & ſpir. egreſſum rectifica à ⊖e Tart. ac tingatur torna ſolis. Non ergo ſpiritum ſalis hoc medicamentum conſtituere, ſed tantum ejus ingrediens eſſe, inquit. Injectio verò ⊖is Tart. tam diu continuanda eſt, donec ebullitio ceſſat.

Operatio optimè inſtituitur in alembico supernè foramine prædito, quòd ſubitò poſt injectionem claudi debet quo ſpiritus ſubtilis exſurgens in recipulum tranſeat & capiatur.

Tinctura Aphronitri *Mollenbroc.*

℞. *Aphronitri q. l. affunde ei ſpir.* ⊖*is guttatim tam diu, donec nulla ampliùs ſentiatur efferveſcentia, tunc filtra ac ſerva.*

Quoad vires præbet inſigne antinephreticum, in Tartaro per urinam expellendo.

Tinctura Bezoardica *Ludovici.*

℞. *Rad. carlin, vincetoxic. Enulæ, zedoar. an.* ℥iiß. *croci or. integr. pulv. viperini, myrrhæ an.* ℥j. *opii* ʒvi. *caſtorei* ʒij. *groſſo modo inciſa infunde cum ſpir. vini ſimpl. non adeo phlegmatici, vel ſpir. Juniperi optime dephlegmati* ℔ivß. *ſtent in leni digeſtione per dies xij. ſæpius agitando. Tunc* ℞. *Liquoris hujus tincti decantati* ℔iv. *(ſi forte* ℔ß. *remanentibus ſpeciebus inhæreat) adde eſſentiæ camphoræ* ℥ij. *ſpir.* ♀. *propria manu elaborati, ſed non rect f.* ℔iij. *ſpir.* ⊕-*li roridi* ℥xij. *Miſce tingatur vel ſantalo rubro vel floribus papav. ſiccatis, & ſervetur.*

Tinctura Bezoardica *D. Juncken.*

℞. *Rad. Angelic. Imperator. Valerian. Leviſtici, Enulæ, Ariſtol. utriuſque tormentill. zedoar. an.* ℥j. *herb. ſcordii, card. bened. rutæ an. mij. flor. tunic. calendul. hyperici an. mj. ſem. angelic. leviſtici, citri, rutæ, an.* ʒj. *Bacc. Juniperi* ℥ij. *cortic. citri aurant. an.* ℥iß. *myrrhæ* ʒiiß. *croci* ℥ß. *inciſis & conquaſſatis affunde, ſpir. juniperi menſ. iv. ſtent in infuſione probè clauſa per tempus, tunc cucurbitæ immiſſa deſtilla, donec menſura una circiter prodiit, quam ſerva.*

Rema-

Remanentiam exprime & cola ac leni calore evapora & inſpiſſa in extracti formam. Cui tunc affunde ſpiritum prolectum: & ſtent, donec probe tinctus & ſaturatus exiſtit.

Hujus ſpiritus tincti ℞. ℔ii. *ſpirit. Tartari propria manu parati & non rectif.* ℔iß. ⊖-*li roridi, ſive volatilis* ℥ɪɪ. *Camphor. ſpir. ſubtiliori ſolutæ* ℥j. *Miſce, & ſerva, tempore uſus & ratione circumſtantiarum, cum tinctura anodina, caſtorei, &c. maritanda.*

Vires ſunt admodum inſignes, etenim Alexipharmaca eſt & ſudorifera, diuretica, & emmenagoga, obſtructiones aperit & flatus diſpellit, febres abigit, tàm continuas quàm intermittentes, hyſtericis medetur &c. Doſ. gutt. xx. ad 60. in continente vehiculo.

Alia Bezoardica *ex Eôdem.*

℞. *Rad. zedoar.* ℥ij. *angelic. pimpinell. Valerianæ ver. vinxetoxici an.* ℥ß. *herb. Scordii m. iij. millefolii, rutæ, meliſſæ an. m j. calami aromat.* ℥j. *coſti electi, cortic. citri exter. recentium, baccar. juniperi an.* ℥ij. *myrrhæ* ℥ij. *camphor.* ℥j. *Theriac. opt.* ℔iß. *ſpir. vini boni menſur. ij poſt triduanam digeſtionem abſtrahantur in arena ſpir.* ℔ij. *his adde ſpirit. Tincturi genuin.* ℔ß *vitrioli volatil.* ℥vi. *Miſce & tingantur cum baccis herbæ paris, ac filtrentur & ſerventur.*

Tinctura Caſtorei ex *Pharm. Londin.*

℞. *Caſtorei pulv.* ℥ß. *ſpiritus Caſtorei* ℔ß. *digerantur ſimul per dies x. in frigido. Colatura ſervetur pro tinctura Caſtorei.*

Tinctura Cinnamomi vulgò Aqua Clareta ex *Pharm. Londin.*

℞. *Cinnam. contuſi* ℥ij. *ſpiritus vini rectif.* ℔ij. *Fiat infuſio per quatriduum vaſe amplo, ſubere, & veſica clauſo, bis terve in dies agitando, ſeorſim verò diſſolvatur* ℔ß. *ſacchari cand. in* ℔ij. *aquæ roſar. Miſce utrumque liquorem, & indatur nodulus continens Ambræ grizeæ* ℈ß. *moſchi gr. iiij.*

Tinctura Coralliorum ex *Pharm. Auguſt.*

Spiritum mellis funde ſuper fragmenta coralliorum rubicundiſſima pulveriſata, digerendo extrahe toties Tincturam donec corpus album & quaſi mortuum remanſerit. Omnes extractiones mixtas lento igne coagula, reſiduumque denuò rectificatiſſimo vini ſpiritu extrahe & filtra.

Mundificare ſanguinem, obſtructiones viſcerum reſerare atque leucophlegmatiæ, cordi palpitatione, ſyncope, Melancholia, hydrope, podagra, calculo, utero purgando & vaſis urinariis proficuum medicamentum eſſe creditur.

Quamvis traditam hanc coralliorum tincturam pro vera & genuina venditare, nunquam nobis in mentem venerit, eandem tamen omnino hîc expungere non potuimus, inprimis quòd reipſa ſit innocua, & ab aliis vix meliores, aut ſi ab examen revocentur, haud genuinæ, miris licet encomiis condecoratæ, in medium fuerunt adductæ. Nos, qui non adeo præcellentem virtutem à Coralliis ſic tinctos liquores obtinere, experientia edocti ſcimus, & ſincero Exc. D. D. Joh. Majoris judicio, in tract. quem Genii errantis titulo donavit, pag. 203. prolato, adquieſcimus, hanc operi noſtro inſertam voluimus, ut opinioni vulgi & aliorum perſuaſioni radicatæ ſatisfaciamus, ut & habeamus, quod expetentibus præſcribamus.

Tinctura Corticum Aurantiorum ex *Pharmac. Norimberg.*

℞. *Corticum Aurantiorum exter. q. v. relinquantur in umbra per diurnum ſpatium; ſuperinfundatur ſpiritus vini rectificati ſuff. quant. & relinquantur in digeſtione blandi caloris, per triduum; novi denuò cortices infundantur poſt digeſtionem, & pro uſu aſſervetur.*

Tinctura Coſmetica ex *D. Juncken.*

℞. *Storac. calamit. Benzoi an.* ℥j. *Balſ. Peruvian.* ʒij. *ſpir. vini rectificatiſſ.* ℥vi. *ſtent. in infuſione, donec ſpiritus eſt probe tinctus & ſaturatus, tunc filtra & ſerva, ac alium affunde tamdiu, quamdiu ſpiritus tingitur, tandem ſpiritus tinctos conjunge & ſerva, ſi ejus aliquid aquæ roſaceæ admiſcetur fit inde Lac Coſmeticum.*

Si Storax & Benzoi prius ſolvendo cum rore Majali, calore leni depurantur, & rurſus inſpiſſantur colata, tunc tinctura inde emergit nobilior.

Tinctura Croci ex *Pharm. Londin.*

℞. *Croci opt.* ʒij *Aquæ Theriacalis ſtil.* ℥viij. *digerantur per dies vi. reſervando colaturam.*

Tinctura Fragorum ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Fragorum recentium in mortario Marmoreo conquaſſatorum, Aquæ cichorii an.* ℔ij. *Endiviæ, fragorum ana* ℔j. *ſpiritus vitrioli boni* ʒj. *Digerantur invicem in loco calido per noctem, poſtea filtrentur, & cum ſ. q. ſyrupi fragorum edulcorentur.*

Suave hepatis refrigeratorium vocat eam Balduin. Timæus, à quo reſponſ. medic. 8. deſcribitur. Præterea in Nephritide utiliter adhibetur.

Tinctura Hyperici ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Summitatum hyperici florentis pulveriſatarum quantum vis. Macera octiduum in ſpiritus vini rectificati ſufficient. quantitate, in loco tepido, poſtea filtrentur, & accipies Tincturam rubicundiſſimam inſtar rubini, ſaccharo edulcorandam.*

Imbecillitatem mentis corrigit, in morbis etiam renum & veſicæ prodeſt, urinam provocat, & menſtrua pellit.

Tinctura Jalapæ ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Radic. Jalapæ reſinoſarum* ʒiij. *cortic. citri exteriorum recent.* ʒj. *cinamomi acutiſſimi* ʒß. *ſemin. Aniſi* ℈ß. *ſpiritus vini rectific.* ℥ij. *Fiat infuſio per triduum in loco calido, poſtea fortis expreſſio & filtratio.*

Suave ſeroſi humoris eſt catharticum, prælaudati Michaëlis inventum.

Tinctura Lunæ *Zvvelferi ex* D. *Junckeni.*

℞. *Argenti puriſſ. per* ♄*num purgati* ℥ij. *ſpir.* ⦶. *opt. q. ſ. ſolvatur argentum, poſtea ſolutionem abſtrahe in cucurbita vitrea, ad cuticulam, ut refrigerata in criſtallos ſive* ⊖-*leum lunæ convertatur, quod leni calore in patella vitrea ſiccetur; pulveriſato huic adde ſalis armoniaci ſublimati duplum, miſta relinquantur aliquandiu libero aëri expoſita, donec colore cœruleo imbuantur; tunc in cucurbitula ſublima in arena, & ſic anima Lunæ per reiteratas ſublimationes cum novo ſemper* ✱*co evehatur poſtea verò per elixiviationem cum aqua ſimplici à ſale*

rurſus

rurſus liberetur: tunc vero ſpiritum vini ſumme rectific. & ſale volatili microcoſmi eſſentificatum, repetitis affuſionibus Tinctura extrahatur; tandem ſpiritus omnis tinctus paulisper abſtrahatur in MB ad tres circiter uncias: cui ſi cæruleus color diſparuerit, nonnihil ſalis communis vel microcoſmi addatur, & tunc ſervetur tinctura.

Tinctura Martis è vitriolo ejus ex *Pharm. Norimberg.*

℞. *Vitrioli martis, cum ſpiritu, vel oleo vitrioli, vel ſulphuris, parati q. v. calcina in ſigillo ad rubedinem, extrahe cum ſpiritu vini compoſito (ex ſpiritus ſalis p. i. & ſpirit. vini part. iij. per retortam rectificati) q. ſ. filtra & abſtrahe in M. B. ad conſiſtentiam juſtam.*

Tinctura Martis tartariſata ſive liquor ejus ex *Lex. Pharm. D. Juncken.*

℞. *Limatur. ♂, tartari crudi pulv. ana ℔ ß. coque cum aqua menſuris VII. circiter per plures horas ad mellaginem, ſubinde bacillo ligneo materiam agitando: poſtea affuſâ denuo aq. font. menſ. 2. vel 3. ſtent in infuſione per noctem, tunc repetatur coctio ut prius, tandem filtra liquorem & ad tertias evapora, ac affunde huic ſpirit. vini q. ſ. ita ut non minus diluta fiat tinctura. Ubi parum præcipitatur, rurſus liquorem filtra & ſerva.*

Tinctura Nephritica Amelungi ex *eodem.*

℞. *⦶ i puriſſ. tartari albi minera ☿ Silicum pulv. an. ℔ j. ✱ci ℥ ij. roris maj. q. ſ. ut probe humectentur pultis inſtar, ſtent ita per longum tempus 12. præter propter ſeptimanas quo longius, eò melius, ut probe invicem fermententur, ac materia exſiccetur; tunc deſtilletur ex retorta tubulata; per vices injiciendo, & prodit liquor tinctus, odorem ſpiritus ✱ci referens qui ſervetur.*

Vires prædicantur ceu ſpecificæ ad reſolvendas concretiones tartareas, arenuloſaſque, doſ. ℈j. ad ʒß.

Tinctura Odontalgica *D. Jungken.*

℞. *Raſur. ligni ſancti ℥ ij. ſaſſafr. ℥j. rad. pyrethri ℥ ß. fol. nicot. ℥ iij. ſerpill. origani an. ʒ ij. caryophyll. ℈ iß. ſpir. vini ſimpl. ℔ ij. ſtent in infuſione & fiat Tinctura.*

Sedat dolores dentium, & ſtagnantes humores acres extrahit, ſi ejus aliquid in ore continetur.

Tinctura Antiphthiſica *ex Pharm. Auguſt.*

℞. *Salis ſaturni, vitrioli martis artific. an. ʒ ij. ſpiritus vini, Aceti deſtillati an. ℥ ß. miſceantur & per aliquot dies digerantur, liquor rubicundus filtretur.*

Præter virtutem antiphthiſicam & hæmoptoicam, etiam in alvi fluxibus utiliter adhibetur.

Tinctura proprietatis ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Spiritus Aniſi ℥ XVI. elixir proprietatis Parac. ℥ j. confectionis Alkermes incompl. ℥ ß. Flor. tunicæ rubrorum ʒ ß. ſtent in digeſtione, donec ſaturato rubore ſpiritus aniſi tingatur, qui filtratus ſaccharo clarificato edulcoretur.*

In melancholia, Aſthmate, ventriculi imbecillitate, cardialgia laudabile præbet medicamentum. Vid. Mynſichti Theſaurus Med. Chim.

Tinctura Rhabarbari *Rolfinc.*

℞. *Rhabarb. Alex. ℥ ß. ▽. cichor. ℔ ß. ⊖ tartari alb. ʒ ij. rhabarbarum contuſum miſceatur cum ⊖e tartari & affundatur aqua ſic in momento extrahitur Tinctura, ſtent verò per tempus in digeſtione, poſtea filtretur Tinct. & ſervetur.*

Vires ſunt inſignes in bile acida corrigenda, & obſtructionibus meſenterii, & alvi ſolvendis. Doſ. ℈j. ad ʒj. & ultra mane cum juſculo.

Tinctura Roſarum ex *eadem Pharmac.*

℞. *Flor. roſarum rubrar. exſiccatarum ℥ ß. aquæ fontanæ ℔ j. ſpiritus vitrioli boni ʒ ß ſtent in balneo mar. tepido per horas IV.; poſtmodum in colatura rubicundiſſima diſſolvantur ſacchari albi ℥ iij. & per chartam bibulam trajiciantur.*

In febribus aliiſque caloribus præternaturalibus inſigne refrigerans, & hepati confortans exſiſtit.

Tinctura Scordii ex *Pharm. Londin.*

℞. *Fol. ſcordii ſelectiſſimor. ſereno tempore collect. ℔ ß. ſpiritus vini tenuioris, ℔ VI. digerantur in vaſe conv. obturato per triduum. Fiat levis expreſſio, & infuſio repetita cum foliis rec. ad tertiam vicem. Liquor per deſidentiam depuratus ſervetur ad uſum; ſic fieri poteſt tinctura chelidonii, ononidis, roris ſolis &c.*

Tinctura Succini ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Succini flavi ſubtiliſſime triti ℥ j. ſpiritus vini tartariſati rectificatiſſimi ℥ VIII. leni calore in phiola optime clauſa per aliquot dies digerantur, & aliquoties moveantur, tandem liquor tinctus filtretur.*

Uſus ejus eſt eximius in capitis & uteri affectibus.

Tinctura Sulphuris ex *Pharm. Norimberg.*

℞. *Flor. ſulphuris, per vitriolum ſublimatorum, q. v. ſolvantur in ſpiritu terebinthinæ non nimio, extrahatur deinde, cum ſpiritu vini, ex prædicta ſolutione, tinctura, quæ ab oleo terebint. facile ſeparabitur: ſpiritum vini per balneum, quantum opus fuerit, abſtrahe, tincturamque ſatis coloratam, reſerva uſui.*

Tinctura Tartari ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Salis tartari depurati quantumvis. Funde illud in valido crucibulo igne intenſo, inque fluxu tamdiu conſerva, donec in colorem è rubro cæruleum tranſierit; effuſum in mortarium ferreum calefactum pulveriſetur, & mox in phiolam itidem prius calefactam indito ſuperfunde ſpiritum vini rectificatiſſimum, ad eminentiam trium digitorum; digerantur per aliquot dies in arena, interdum agitando, donec ſpiritus vini rubicundo colore tingatur; quo decantato, novum readfunde, quamdiu opus fuerit. Ultimò liquores tinctos filtra, & ad tertiæ partis remanentiam abſtrahe, quam ad uſum ſerva. Abſtractus autem ſpiritus pro ſpiritu vini tartariſato inſervire poteſt.*

Tinctura hæc ad tollendas viſcerum obſtructiones valet, veſicam & renes à ſuperfluis impuris humoribus, urinam largiter movendo, liberat.

Tinctura Theriacalis ex *Pharm. Londin.*

℞. *Vini cretici, vel canarini opt. aliquoties deſtillati, Aceti acerrimi in quo ſeminum rutæ ℥ ß. incocta fuerit, an. ℔ ß. miſce ac inſolentur, vel hypocauſti, aut balnei calore digerantur, & aqua colata ſervetur uſui.*

Tinctura Viridis ex *Pharm. Londin.*

℞. *Æruginis æris ℥ ß. Auripigmenti ʒ VI. Aluminis ʒ iij. coquantur in vini albi ℔ j. ad abſumpt. dimidii & poſtquam refrixerit adde aq. roſar. rub. ſolani an. ℥ vj.*

Tinctura Uterina ex *Lex. Pharm. Dom. Jungken.*

℞. *Myrrhæ elect. ℥ ß. croci Orient. ʒ ij. caſtor. ℈ IV. camphor. ʒ i ß. ol. ſabin. deſt. gutt. xx. optime tritis affunde ſpirit. vini ⊖e vol. impræg. ℥ vj. m. & fiat ſ. a. tinctura, cujus doſis ℈ ß. ad ʒ ß. cum vehiculo conveniente; in doloribus optime poterit addi tinctura anodina.*

Vires ſunt inſignes in affectione hyſterica, menſibus obſtructis &c.

Uterina Alia ex *Eodem.*

℞. *Caſtor. opt.* ℥ß. *myrrhæ el.* ʒiij. ⊕ *ſuccini vol.C.C. vol. non depurat. Flor.* ✱ *ci,* ⊖: *arthemiſ. an.* ℥j. *croci opt.* ʒv. *camphor.* ℥ß. *ſpir. vini rectificatiſſ.* ℔ ij. *infunde in vitro probe clauſo per tempus, tunc filtra & ſerva.*

Tinctura varia ex Baldaſs. TIMÆO.

Tinctura Cordialis.

℞. *Flor. recent. & cælo ſereno ante exortum ſolis collect. borragin. bugloſſ. roſar. calendul. lychnidis coronariæ, an. q. v.*

Abſciſſis petiolis verſus colliculum inde in cucurbitam vitream affund. oleum ſacchari factum cum ſpiritu vini alcoliſato, ſuperpone alembicum cæcum, commiſſuris hermetice ferruminatis, inſolentur per octiduum. Hinc flores exime & exprime per linteum mundum, liquori novos flores commiſce, ubi Tinctura ſpoliatos deprehenderis, procede ut prius & renova flores ter aut quater, demum ultimos flores exprime diligenter in veterem liquorem & ſerva uſui.

Antipleuritica.

℞. *Flor. papav. erratic.* ʒ vj. *violar. purpur.* ℥ iij. *affund. aq. taraxac. ſcabioſ. card. bened. heder. terreſtr. ana* ℔ ß. *ſpirit. ſulphuris q. ſ. ad gratam aciditatem.*

Mixta induantur cucurbitæ vitreæ, ſtent in B. M. donec extrahatur tinctura, quæ filtretur & edulcoretur ſyrup. flor. Rhead. q. ſ. ad gratum ſaporem.

Anthiphthiſica.

℞. *Conſerv. roſar. rubr.* ℔ ß. *ſymphyt.* ℥ iv. *fol. piloſell. heder. terreſtr. veronic. pulmonar. Aureæ ſanicul. pimpinell. an.* ℥ ß. *Flor. hyperic. Rhead. ſalviæ, violar. an.* ʒ ij. *aq. roris majal. ex ſpirit. ſulphuris ſubacid. q. ſ.*

Stent in digeſtione B. M. donec extrahatur tinctura quæ filtretur & ſaccharo violaceo cryſtalliſato edulcoretur.

Epatica.

℞. *Spec. trochiſc. de roſis, de Abſinthio, de Eupatorio, de lacca, de Rhabarb. ana* ℥ ij. *diarrhod. Abbat.* ʒ iß. *ſantal. rubr.* ℥ ß. *affund. ſpirit. vini ſimpl. q. ſ. mixta digerantur lento calore B. M. donec extrahatur tinctura.*

Aloëtica.

℞. *Pulv. aloës puriſſ.* ℥ j. *myrrh. elect.* ʒ iij. *croc. orient.* ℥ j. *affund. ſpirit. vini ad eminent. 4. digitor. digerantur in B. M. per triduum, poſtea filtrentur per chartam emporeticam.*

Odontalgica.

℞. *Raſur. lign. Sanct.* ℥ j. *buxi* ℥ ß. *ſem. hyoſcyam. alb.* ʒ iij. *fol. origan. ſerpill. ſalviæ an.* ʒ ij. *corti. inter. pini, ſambuci ana* ʒ iij. *rad. pyrethri* ʒ ij. *ſantal. rubr.* ʒ ij ß. *caryophyll.* ℥ ß. *balauſt.* ʒ j. *alumin.* ℈ ij. *opii Thebaic. puriſſ.* ʒ iij *ſpirit. vini ex laudan. opiat. reſidui q. ſ. ad eminent. 4 digitor. digerant. in B. M. per triduum; poſtea filtrentur, in colatur. diſſolv. eſſent. croci* ʒ ß. *camphor.* ℈ j.

Rubi Idæi.

℞. *Fruct. rub. idæi bene matur.* ℔ ij. *conquaſſentur in mortario lapideo, poſtea irrorentur ſpir. vitrioli* ʒ iß. *affund. aq. ferventis* ℔ iv. *ſtent. in fictili vitreato donec extrahatur tinctura, colatura edulcoretur ſyrup. rub. idæi q. ſ.*

Eodem modo tincturæ fragorum, ribium, mororum, berberum, aliorumque fructuum, quanquam minus ſint durabiles, parari poſſunt.

Tinctura varia ex Pharm. BATEANA.

Tinctura Abſinthii,

℞. *Summit. Abſ. vulg. ſiccat, à ſtipit. liberat.* ℥ v. *contuſis adde Pyrœni* ℥ xx. *Digere in* MB *ad dies aliqt. exprime fortiter. in liquore infunde iterum alias ſummit. abſ. & exprime Repet. opus ad tertiam vicem. Dein filtra colaturam ſ. a.*

Doſ. gt. vi. (plus minus) in hauſtu Vini, vel cereviſiæ.

Tinctura Amygdaloïdes.

℞. *Partium albar. benz. ſtyrac. calam. an.* ℥ j. *pyrœni* ℔ j. *Digere ad ſolutionem, filtra & exhala ad dimid.*

Pectoralis eſt, catarrhalis, aſthmatica, nervalis, ſudorifica. &c.

Doſis ʒ ij. ad vi, &c.

Tinctura Antim. Emetica.

Extrahitur ex vitro antimonii cum ✱, filtrando & exhalando ad ſiccitatem. Materiam in ▽ ſolutam, filtratam, iterumque ad ſiccitatem abſtractam digere cum Sp. V. ad colorem rubicundum, ac filtra. Elici etiam poteſt Tinctura è ſcoriis Reguli ♁ii cum Sp. V. digeſtis & filtraris. Vel, extrahe Tincturam ex vitro ♁ii cum Sp. ♀ rectificato; effunde ac abſtrahe in XX, non autem ad ſiccit. totalem: tum extrahe Tincturam cum Sp. V. quam filtra & exhala ad conven. ſpiſſitudinem.

Doſ. ad gut. x.

Tinctura Antim. purgans.

℞. *Vitr.* ♁*ii pulverat.* ℥ j. *Sp.* ⊕ *non rectificat.* ℥ viij. *Digere in* MB *Sic fit Tinctura nigropunticea.*

Panchymagogum cenſetur in omnibus morbis curandis, fortificat ventriculum, obſtructiones aperit, convenit chloroſi, cachexiæ, &c.

Doſ. à gut. 6. ad 10.

Tinctura Armoniaci.

℞. ✱ ℔ ij. *maſſa* ℔ j. *m. opt. ſimul terendo, & deſtilla per* ♈ *per gradus. Serva per ſe Sp.* ✱*ci* ♈*tem in fundo hærentem deſtilla, & frequenter aquâ affuſâ edulcora. Poſtea adjectis Spir. V.* ℔ ij. *digere tepidè dies 8. Dein abſtrahe in* MB *Spir. vini* ℔ iij. *ut una libra Tincturæ ſuperſit.*

Egregiè præſtat in omnibus obſtructionibus hepatis & lienis. Item in Melancholia hypochond. quartana, cachexia, hydrope, morbo virgineo, ſcorbuto, menſibus ſuperfluis & retentis.

Doſ. gut. vj. ad xii. in liquor. conven.

Tinctura Aſæ fœtidæ.

℞. *Aſ. fœtid.* ℥ ij. *Alcoh. V.* ℔ j. *extrahe Tincturam & filtra.*

Uterina eſt, traumatica, & ſplenetica.

Doſ. ʒ j. ad ʒ ij. &c. in liquore conveniente.

Tinctura Aſthmatica.

℞. *Rad. Helen. irid. Florent. ſem. aniſ. carvi, glyc. ana*

an. ℥ *ij. fol. cardui ben. m ij. uv. paſſ. exacin* ℔ *j. fol. ſenæ mundat.* ℥*vj.* ▽ *aniſi,* ℔ *vj. digere dies 4. & f. colat.*
D. coch. 2. h. ſomni, 3. vel 4. manè ſeq.

Tinctura Aurea.

℞. *Pulp. colocynth. à ſemin. liberat. conciſ. & craſ. deſtillat.* ℥ *i ß. caryoph. nu. vj. aniſ.* ʒ *j. croc.* ℈ *ß. Spir. v.* ℥*xx. Digere ad menſem, & filtra.*
Doſ. ʒ ij. ad ℥ i ß.

Tinctura Beſoartica.

℞. *Rad. enul. angel. zed. ſerpentar. Virg. ana* ℥ *i ß. croc. opt.* ℥ *j. myrrh. cinam. cort. citri ſicc. an.* ʒ *vj. fol. ſcord. rutæ, an. m. ß. theriac. androm.* ℥*iij. opii thebaic.* ʒ *ij. Sp. tartari rectif.* ℥ *xv. Sp.* ⊕*-li* ℥ *iij. Sp. Bacc. ſambuc. & Sp. bacc. junip. rectif. an.* ℥*xviij. Digere ſ. a. ac filtra. Tum adde* ⊖ *ſuccini* ʒ *j. camphor.* ʒ *ij. Digere iterum ad uſum.*
Doſ. ℥ iij. ad ʒ j. &c. in Peſte, morbiſque omnibus malignis. Spiritus inſigniter recreat.

Tinctura Cardamomi

℞. *Sem. cardamom. min. excort. & contuſ.* ℥ *iv. Alcoh. V.* ℥*xvi. Digere, exprime ac filtra ſ. a.*
Flatus potenter diſcutit, & cerebrum confortat.
Doſ. ʒ j. ad ʒ iij. &c. in vehiculo idoneo.

Tinctura Carvi.

F. è Sem. & Alcoh. V. omninò ut Cardamomi. Idem facit cum priori.

Tinctura Cathartica Ridglei.

℞. *Senæ opt.* ℥ *j. caryoph.* ʒ *i ß. croc.* ʒ *j. V. Hiſpan. chalybeat* ℔ *i ß. Infunde dies aliqt. exprime ac filtra.*
Doſ. coch. 2. 3. 4. quotidie ad longum tempus, in febribus obſtinatis, &c.

Tinctura Ceruſſæ.

℞. *Ceruſſ. Ven. pulverat.* ℥ *iv. camphor.* ℥*ß. oo tartari p. d.* ℥ *iij.* ✢ ℥*xvi. macer. in frig. filtra.*
In cutis fœditatibus, inflammationibus, ambuſtis, &c. uſus eſt.

Tinctura Chamæmeli.

Extrah. ex Flor. ſiccis, & Pyræno, uti Abſinthii. Idem præſtat cum Tinct. carvi.

Tinctura Cochleariæ comp.

℞. ♂ *mund* ℥*iv. Salv. rubræ, agrimon. ana m. iij. cochlear. marin. fol. ſelectiſſ.* ℔ *ij. cochlear. hort. m. iij abſ. com. roriſm. an. m. ij. Rad. raphan. ruſtic.* ℥ *iv. Incide minutiſ. & adde V. alb. & V. Cherienſ. an.* ℔ *iv. Infund. per dies 3. & f. colat.*
Doſ. ad ℥ iv. bis Ind'es per dies 20. 30. 40. Ex deplorato hydrope cum ſcorbuto curati fuerunt multi præter ſpem; aliis plurimis fruſtra tentatis.

Tinctura Corallii.

Solve corall. r. in Sp. Panis, filtra & evapora: exinde Tincturam extrahe cum Sp. V. filtra & exhala ad debitam confiſt. ſ. a.
Cardiaca, diuretica, vermifuga, &c. Doſ. gut. 30. 40. &c. in liquore appropriato.

Tinctura Ferri.

℞. *Battituræ Ferri mundat.* ℥*vj Abſinth. Rom. m. j. raſ. eboris, ſantal. alb. an.* ʒ *i ß. V. Rubelli* ℔ *ij. macer. hor. 48. f. colat. quæ filtretur.*
Longè efficacior habetur, quàm Vinum chalybeatum in omnibus obſtructionibus, &c.
Doſ. coch. 2. ad 5. &c. omni manè per longum tempus.

Tinctura Guajaci.

℞. *Cort. guajac. pulverat* ℔ *j. ambr. griſ. gr. xv. ſem. aniſ. glyc. an.* ℥*j. Sp. v.* ℔ *iv. Digere & cola ad uſum.*
Sudorem provocat. Optime conducit in lue ♀rea curanda. Odontalgica eſt, pulmonica, & catarrhalis.
Doſ. ℥ vi. ad ℥ i ß. &c.

Tinctura Galbaneti.

Extrah. ex Galbaneto Senn. *cum duplo Tinctura de* ⊖*e tartari, circulando, ac poſtea ſeparando Oleum à Tinctura ſ. a.* Hyſterica eſt, paralytica, ſcorbutica, emmenagoga, &c. Doſ. gut. 10. 20. 30. &c.

Tinctura Hæmatitæ.

Elicitur ope Sp. V. ex Lap. Hæmatit. cum ✱♎*ato.*
Uſus in hæmorrhagiis omnibus ſiſtendis.
Doſ. ʒ j. ij. &c.

Tinctura Hieræ.

℞. *Spec. Hier. ſimp.* ℥ *j. coccinel* ℈*j. V. Cherienſ.* ℔ *iiß. m. & digere ſæpe agitando ad dies aliqt. deinde filtra ad uſum.*
Datur in ventriculi dolore cachexia ructu, vermibus necandis, &c. Ante paroxyſmum Tertianæ, necnon Quartanæ exhibita, ſæpe curat poſt tertiam vicem.
Doſ. ℥ ij. ad iv.

Tinctura Juniperi.

Fit ex Rob de baccis ℥ *j. Sp. de Baccis fermentatis* ℔ *j. digeſtis & filtratis ſ. a.*
D. coch. 2. ter in die. In hydrope, colica, &c. ſingulare remedium.

Tinctura Martis.

Extrah. ex Flor. ✱*ci* ♂*tiatis ope Alcoh. V. ſ. a.*
Eaſdem vires obtinet, quas Tinctura Armoniaci.

Tinctura Martis Aurea.

℞. *Croc. martis* ℥*j. Sp.* ⊖ ℥ *iv. Infund. dies 2. ſæpe agitando: dein adde pyræni* ℥ *iv. Digere tepidè dies 3. vel 4. filtra, & erit Tinct. coloris aurei.*
Doſ. ad gut. 20.

Tinctura Martis Tartariſata.

℞. *Tartari alb. pulverat.* ℔ *ij.* ♂ *rubiginat.* ℔ *j m. & coq. in vaſe ferreo in* ▽ *ont. cong. ij. per hor. 12. agitando ſubinde ſpatulâ ferreâ, & addendo pro re natâ plus* ▽*æ bullientis. Poſt reſident. debitam filtra liquorem, & exhala ad ſpiſſitudinem convenientem ſ. a.*
Doſ. ʒ j ad ʒ iij. &c.

Tinctura Melampodii.

℞. *Rad. melampod.* ℥ *i ß. calam. arom.* ℥ *ij. galang.* ℥ *ß. croc.* ʒ *i ß. cardamom. min.* ʒ *iij. V. Hiſpan.* ℔ *iv. macer. (vaſe clauſo) hor. 20. in loco tepido: poſtea in frigido dies 4. 5 6. f. expreſ. & filtra.*
D. coch. 2. h. ſomni, & 3. manè, ad dies aliqt. Uſus eſt inſignis in capitis intemperie, cephalalgia, melancholia, aſthmate, &c.

Tinctura Meliſſæ.

℞. *V. Rubelli cong. ij. meliſſ. rec. m.* VIII. *deſtilla in* MB. *ad ſiccit. aquæ deſtillatæ adde fol. meliſ parum ſiccat m. v iij. deſtilla per* XX ℔ *iv. in recipientem lagenam foliis meliſſ recentiſ. & ſelectiſ. integris repletam. Poſtea colat. admiſce ſacch. opt.* ℥ *ix ſuſpendendo in nodulo ambr. griſ. gr. v. moſch. gr. i.*
Inſigniter Cardiaca eſt.

Tinctura Mellis.

℞. *Mell. opt.* ℔ *ij.* ∴*a mund. ſiccat.* ℔ *iij. Spir. V.* ℔*j. Digere tepidè, filtra, & in* MB. *evapora ad Syrup. conſiſt.*
Exhibetur phthiſicis pro nutrimento. Doſ. coch. 2. vel 3. pro vice.

Tinctura Myrrhæ.

♃. Aloës opt. myrrh. an. ℥j. Alc. V. ℔ j. Digere & filtra.

Vulneraria eſt inſignis, aſtringit, conſolidat, exterget, putredinem arcet, & gangrænam præcavet.

Tinctura Oculor. Cancrorum.

♃. Oc. ♋ pulverat. ℥iv. ✠ opt. ℥xvi. extrah. Tinct. & filtra.

D. coch. 2. ter in die, ad ulcera, &c. curanda. *K. D. E. A.*

Tinctura Odontalgica.

♃. Guajac. ℥ij. pyrethr. ℥j. malicor. gallar. ſem. hyoſcyam. ſtaphidiſagr. an. ℥ß. caryoph. zz. piper. l. oliban. an. ʒij. opii, camphor. an. ʒj. peti Indici, ſalv. mentaſtr. an. ℈ij. Sp. V. ℔ iij. macer. & f. collat.

Tantillum de hac calidè in ore teneatur, poſtea iterum expuatur, & reiteretur. v. Mynſicht.

Tinctura Paralytica.

♃. Pulveris Cantharid. ℥ij. Ammeos ʒvj. pyræn. ℔ ß. extrahe tincturam, quam cola.

Pro membris paralyticis fricandis.

Tinctura Perlarum.

Fit omninò ut Corallii.

Tinctura Piperis.

F. ex Pipere n. & Alc. V. uti Cardamomi. vires habet piperis.

Tinctura Proprietatis.

♃. Aloës opt. myrrh. elect. an. ʒvj. croc. opt. ℥ß. in pulverem redactu adde ol. tartari. p. d. ℥ ij. Digere (vaſe clauſo) hor. 24. dein adde Alcohol V. ʒxvi. Digere ac filtra f. a.

Eaſdem vires obtinet quas Elix. Propriet. dulce.

Tinctura Rhabarbari.

♃. Rhab. opt. glyc. an. ℥ij. uv. paſſ. enucleat nu. 60. aniſ. ℥j. ſacch. cand. ℥vj. Sp. V. ℔ ij. Digere ſ. a. f. colat.

D. coch. 2. 3. 4. manè. In ventriculi cruciatibus, &c. mira præſtat.

Tinctura Roſarum.

♃. Flor. roſ. r. exungul. ℥ß. ol. 🜍 gt. 30. 🜄 ont. calentis ♃iiß. macer. ad hor. 3. colat. clara adde ſacch. alb. ℥iij.

In febribus refrigerativa, hepatiq; confortativa. Coctionem juvat. Diarrhœis, Menſium fluxibus, &c. ſuccurrit. Doſ. ℥ ij. ad iv.

Tinctura Saſſafras.

♃. Cort. ſaſſafr. ℥ iv. ſalv. ſicc. ℥ij. nuc. m. ℥j. cinam. ℥ß. Ambr. griſ. ℈ß. extrahe tincturam cum Sp. v. ℔ ij ſ. a.

Doſ. coch. ij. Lenit. arthritidem vagam.

Tinctura Saturni.

♃. ♄ni laminat. q. v. extrahe tincturam cum Sp. ♄ni eſſentificato. filtra ac abſtrahe ſ. a.

Apprimè conducit maniæ, melancholiæ, quartanæ, phthiſi, &c. Doſ. gut. j. ad 5. &c.

Tinctura Scorbutica.

♃. Fol. cochlear. naſturt. 2. aquat. m. j. rad. raphan. ruſtic. ℥ij. rhab. ℥ ß. polypod. qu. ℥ i ß. Sena ℥ j. Sp. v. ℔ ij. infund. dies 2. & f. colat.

Doſ. ℥ j. vel ij. omni manè cum 🜄â cochleariæ. Mirum eſt quantum levaminis affert hydropicis ac ſcorbuticis.

Tinctura Serpilli.

F. ex herba floreſc. ſicc. & Pyræno, eodem modo quo abſinthii. Diuretica, hyſterica, ſtomachica, &c.

Doſ. gut. 5. ad 15. &c.

Tinctura Stomachica.

♃. Spec. hier. ſimp. ℥j. coccinel. ʒj. Sp. v. ℔ j. Diger. ac filtra ſ. a.

D. coch. 1. 2. 3. ante paſtum, in ſtomachi cruditatibus aut dolore. Si exhibetur ad ℥ iij. hora dimid. ante parox. per 3. vel 4. vices efficaciſſimè curat Tertianam: interdum & Quartanam.

Tinctura Succini.

♃. Succin. alb. ſubt. pulverat. ℥ iv. Alc. V. ℔ j. Digere ad ſolutionem ſuccini. Decanta, filtra, & 3 tiam partem abſtrahe in MB.

Cephalica eſt, hyſterica, colica, nervalis, &c.

Doſ. ʒ j. ad ʒ ij. &c.

Tinctura Sulphuris.

♃. Hepat. 🜍ris ℥ij. Sp. v. ℔ j. Digere ac filtra. Extrahi etiam pot. ope Spir. v. ex Balſ. 🜍ris terebinthinato in MB. ad ſiccit. coctio.

Valde pectoralis. Doſ. ad gt. XII.

Tinctura Veneris.

Extrah. ope Spe Sp. v. ex Fl. ⊕ is p. j. ✱ii, p. ij. in ✠ bulo ſupra 🜂em mixtis ſ. a.

Præſtantiſſima habetur in epilepſia, paſſione hyſterica, &c. cum liquor. conven. exhibita.

Tinctura Virginiana.

♃. Rad. Serpentar. Virg. pulverat. ℥ij. tinct. ⊖is tartari ℥xvi. extrahe tincturam per digeſt. ſ. a.

Alexiteria, cardiaca, ſudorifica, ſcorbutica. &c.

Doſ. ʒj. ad iij. &c.

Tincturæ ex Hadriano à MYNSICHT.

Tinctura Corallorum.

Spiritum mellis verum, Philoſophicè deſtillatum, non autem corroſivum illum & venenatum vulgi, funde ſuper fragmenta Corallorum rubicundiſſima, per ſe prius ſpagyricè, & quidem ſine igne calcinata, ad extrahendum Tincturam, donec corpus album & quaſi mortuum remanſerit. Extractiones omnes mixtas, poſt debitam ablutionem & coagulationem in B. M. lentè abſtrahe, & reſiduam eſſentiam rei ſolutæ, & non menſtrui ſolventis denuò rectificatiſſimo Vini ſpiritu extrahe, uſquedum Tincturam rubicundiſſimam Sanguinis inſtar acceperis, quam in forma olei, alcohole ſaltem ad medietatem evacuato, tanquam veram & genuinam Corallorum; & nequaquam aq. mellis tincturam (ut multi hactenus, invidiosè ſecretum hoc occultando, ſomniaverunt) ad uſum retinere feceris.

Vires, Uſus, Doſis.

Hac nobiliſſima & pretioſiſſima Eſſentia hactenus ſe extulerunt artifices Hermetici; Uſi enim ſunt eadem contra Phantaſiam, Epilepſiam, & Melancholiam felici cum ſucceſſu & magno fructu; Quia mundificat, & renovat pleniſſime ſanguinem in toto humano corpore. Reſiſtit etiam omnibus defectibus ex putredine & corrupto ſanguine orientibus, omneſque morbos internos radicitus evellit. Confortat quoque ſeptem membra principalia, præſertim autem Cor & vitales Spiritus, quod contra virus & omnes malos & periculoſos caſus munit. Item, omnes obſtructiones in præcipuis membris, Pulmone, Jecore, Splene, & Renibus mirifice reſerat, & inflammationes ſedat. Febrium æſtum compeſcit, earumque materiam conſumit, &c. In vehementiſſima ſuffocatione matricis, menſtruis ſuperfluis, Hydrope, Paralyſi, Scorbuto Lue venerea, Lepra, Dyſenteria, Gonorrhœa, Spaſmo. & Sanguine concreto medicamentum divinum eſt. Doſis à guttis VI. ad ℈ ß. & ℈ j. in vehiculis convenientibus & morbos propriè reſpicientibus.

Tin-

Tinctura Martis.

℞. Salis armoniaci p ij. limaturæ chalybis p. j.

Miſce & per Retortam, ſecundum gradus deſtilla, primum lento, deinde fortiori igni, ſic Martis eſſentia remanet in fundo, hanc exime, & optimè edulcora, ut ab omni Salis Armoniaci acredine ſit libera: poſtea materiam hanc edulcoratam cucurbitulæ immitte, & cum Spiritu Vini extrahe tincturam, cumque deſiit tinctio, Spiritum tinctum exime, & per alembicum abſtrahe, uſque ad medietatem: reliquum manens cum eſſentia extracta, per chartam filtra, idque ipſum, utpote veram Martis tincturam ad uſum aſſerva.

Vires, Uſus, Doſis.

Hæc Tinctura Martis, ſingulare experimentum eſt in omnibus obſtructionibus Hepatis & Lienis. Item in Melancholia, hypochondriaca, Quartana, Cachexia, Hydrope, morbo Virgineo, Scorbuto, Menſibus ſuperfluis & retentis, &c. Doſis à gut. vi. ad ℈ ß in Vino, vel Syrupis, vel decoctis, vel aliis liquoribus convenientibus, ut vires ejuſdem eò melius penetrare, etiam ad remotas corporis partes & angulos poſſint. In uſu autem hujuſdem, corpus ab humoribus peccantibus ſæpiuſculè decenter & leniter purgandum, & ſimul bona diæta obſervanda.

Tinctura Antimonii.

Recipe Vitrioli ad rubedinem debitè calcinat. q. v. ſuperfundatur acetum deſtillatum, Stent loco calido per biduum aut triduum, aufer tincturam per inclinationem, filtra & menſtruum paratum eſt. Poſtea Rec. Antimonii crudi q. ſ. optimè pulveriſa, & affunde menſtrui jam dicti ſ. q. digerantur ut eſt artis, donec flavedo in menſtruo appareat, aufer, & recens affunde, uſque dum omnis tinctura extracta fuerit. Hoc facto omnes depletiones mixtæ ad ſpiſſitudinem mellis deſtillentur; tandem cum Sp vini de novo extrahe, & ad medietatem iterum abſtrahe, tunc ſubrubeam tincturam retinebis, quam ad uſum repone.

Vires, Uſus, Doſis.

In Epilepſia Melancholia, Mania, Philtris, & Venenis hauſtis, Peſte, Febribus acutis, &c. mirè operatur. Doſis gr. vi. in vehiculo convenienti.

Tinctura Sulphuris.

Flores ſulphuris extrahe cum ſpiritu Terebinthinæ, more uſitato, quo facto, Spiritum paulatim evaporare ſine, donec reliqua exſiccentur: exime tunc materiam illam exſiccatam, redige in pulverem, & hinc cum Spiritu Vini rectificato Tincturam extrahe, & deſinente tinctione, Spiritum tinctum, cùm deliquaveris, miſce affundendo, quantum illius eſt, de aqua noſtra pectorali, & aliquot diebus loco calente, ut digerantur, repone: Poſtea Spiritum vini in B. M. lento igne abſtrahe, & ſic Tinctura Sulphuris remanet in aqua pectorali. Hanc aufer per inclinationem & ad medietatem ſeu oleitatem ſaltem evaporare ſine, reliquum per chartam emporeticam filtra & ad uſum communem ſerva.

Vires. Uſus, Doſis.

Hæc Tinctura non ſolùm pectus ab omni humore craſſo, organa reſpirationis obturante, tuſſim & anhelitus difficultatem cauſante, liberat; ſed pulmonum etiam & vicinarum partium apoſtemata in thorace purgat, earundemque curationem promovet, anhelitum tardum & facilem reddit, caputque frigefactum, conſumptis catarrhis delabentibus, refovet, ſiccat & corroborat. Inſuper Colicos dolores ſedat Omni putredini reſiſtit. Magno etiam cum fructu in peſtis humidæ contagio adhibentur, ſed hominibus præſertim plebeiis, vili & vulgari victu multas humiditates pravas in Sanguine colligentibus, ideoque infectioni huic magis, quàm alii ſubjectis & obnoxiis. Doſis ordinaria eſt à v. vi. vii. uſque ad guttulas, in vehiculis appropriatis.

Tinctura Tartari.

℞. Salis Tartari, frequenti ſolutione & coagulatione ſummè depurati, quantum vis, affunde opt. Spir. Vini alkoholiſatum ad eminentiam trium vel quatuor digitorum: Pone in digeſtione per aliquot dies, quotidie aliquoties, ut decet, movendo, ſed cavendo, ne Spiritus vini vitrum rumpat, & tingetur colore rubicundiſſimo. Poſtea tinctum Spiritum aufer per inclinationem, & recentem affunde, tamdiu, donec non amplius tingatur vel omnis tinctura extracta ſit. Ultimò Spiritum vini tinctum, ſimulque mixtum filtra, & ad uſum reſerva.

Vires, Uſus, Doſis.

Veſicam & Renes à ſuperfluis liberat, atque calculos, urinam largiter movendo, & ſanitatem conſervando, rumpit, conterit, farinæque inſtar, expedit. Omnes etiam obſtructiones & putrefactiones, præ omnibus ferè aliis medicamentis & arcanis, totum penetrando & roborando corpus, egregie tollit. A Paralyſi & Podagra præſervat, ſi bis quotidie exhibeatur, manè ſcilicèt & veſperi, per ſe vel in liquoribus ſpecialis. Inſuper in rectificatione Sanguinis, dolore Capitis, Hydrope, Eryſipelate, Icteritia utraque, Colica, Lepra, Lue Venerea, Scabie, Pruritu, Serpigine, Lentigine, Menſibus recentis, Pleuritide, punctutis laterum, febribus, contracturis, Arthritide, cæteriſque morbis tartareis & aliis venenatis, &c. multum facit, & eſt medicamentum nunquam ſatis laudatum. Doſis à cochl. ſemis, ad integrum, per ſe vel cum vehiculis appropriatis, quæ tamen doſis, habita ratione ætatis, ſexus, complexionis, & conſimilium circumſtantiarum augeri minuive poteſt.

Tinctura Laccæ.

℞. Gum. Laccæ ſubtiliter pulv ℥ ß. aluminis uſti ʒ ij.

Mixtis affunde aq. Lap. Medicam. cum aq. Salviæ & Roſar. fact. ℔ iij. Stent. in digeſtione, donec perfectè tingantur, poſtea filtrentur, & tinctura rubicundiſſima ad uſum communem ſervetur.

Vires, Uſus, Doſis.

In gingipedio morbo, ſeu Scorbuto oris, experimentum eſt; gingivarum enim laxitatem, putredinem, & fœtorem oris, curat & carnem amiſſam reparat: præſertim quando hac Tinctura gingivæ laxæ flaccidæ & ſanguinolentæ frequenter fricantur & abluuntur.

Tinctura Proprietatis.

℞. Spir. vini aniſati ℥ xvi. elix. proprietatis ℥ j. conf. alkermes ℥ ß. flor. tunicæ rub. ʒ j.

Stent in digeſtione, donec perfectè tingantur: poſtea Spiritum tinctum & filtratum ſacchari candi alb. ſ. q. edulcora & ad uſum reſerva.

Vires, Uſus, Doſis.

In melancolia, hemicrania, vertigine, paralyſi, catarrho, aſthmate, tuſſi, ventriculo debilitato, cardialgia, quartana, calculo, &c. medicamentum eſt illuſtre. Inſuper cor confortat, canitiem retardat & lætitiam adfert, &c. Doſis à ʒ j. ad ʒ ij. in vehiculo conveniente & ſpecifico.

Tinctura Bac. Juniperi.

℞. Bac. juniperi rec. & craſſiuſculè contuſ. ℔ j. ſem. aniſi cont. ℥ iv. rad. angelicæ ℥ j. lig. nephritici ℥ ß. macis elect. ʒ ij.

Mixta infundantur in vini malvat ℔ viii. Stent in infuſione per 14. dies, quotidie aliquoties movendo. Poſtea B. M. deſtillentur; & cum hoc deſtillato liquore ex Bac. Juniperi Tincturam extrahe, ut eſt artis: quæ deinde filtretur & parum edulcorata ad uſum ſervetur.

Vires, Uſus, Doſis

Excalefacit, aperit, attenuat, diſcutit, ſtomacho

utilis. Contra Pectoris vitia, Tuſſim, Inflationes, Tormina, & Serpentum ictus efficaciſſimè bibitur. Veneris mirifice adverſatur, quare Peſtilentiam arcet hauſta. Calculos quoque renibus pellit. Urinam ciet: Unde ruptis, convulſis & Vulvæ ſtrangulatui ſubvenit. Doſis à Cochl. j. ad tria, manè jejuno Stomacho.

Tinctura Papaveris erratici.

♃. Conſerv. flor. Papaveris errat. ℥ *j. flor. papav. errat. Spir. vitrioli irrorat.* ʒ *j.*

Miſc. & cum aq. ex ſucco prædictorum florum deſtill. ℥ xxx. extrahatur Tinctura rubicundiſſima; quam poſtea filtra & adde

Syr. è ſuc. flor. Papav. errat. parum vitriolat. ℥ *viij.*

Miſc. & ad uſum repone.

Vires, Uſus, Doſis.

In defluxionibus calidis, tenuibus & acribus, aſperam arteriam & fauces exaſperantibus, inſomniaque facientibus, quàm maximè valet: Tuſſim quoque inde natam, nec non Catarrhum & Phthiſin ſedat, refrigerat atque ſomnum conciliat. In Pleuritide & puncturis laterum ad dolorem mitigandum, inflammationem reſolvendum, ſudoremque eliciendum admirabile præſidium eſt. Inſuper ad alvi profluvium & dyſenteriam ex materiæ acris & biliosæ effluxu excitatam, valde prodeſt. Doſis ab ℥ j. ad ℥ ij. per ſe vel cum aliis vehiculis idoneis.

Tinctura Caſſiæ Ligneæ.

♃. Aq. Cinamomi cum vino Malvatico vel alio generoſo deſtillat. ℔ *j. caſſiæ ligneæ veræ* ʒ *vj.*

Stent tamdiu in digeſtione, donec perfectè tingantur; poſtea filtra, & ad uſum reſerva.

Vires, Uſus, Doſis.

Omnibus frigidis affectibus idonea eſt: Stomachum, Jecur, Lienem, Pulmonem, Cor, Cerebrum, & nervos roborat. Viſum acuit. Venenis, Venenatiſque ictibus ac morſibus prodeſt. Halitus gratiam commendat. Menſtrua ac lotium educit. Nauſeam ſedat. Faſtidientem Stomachum juvat. Omnibus tandem morbis auxiliatur, ubi calefacere, reſerare, attenuare, digerere & confortare volumus. Qui tamen calidiori ſunt temperamento, cordis præſertim, aut aliquarum in meſenterio, cæteriſve locis partium inflammatione laborant, temere non utantur.

Tinctura Hyperici.

♃. Suc. herb. & flor. hyperici exp. & depurat. ℔ *ij. Anagallidis cum florib. purpureis exp. & depurat.* ℔ *j. Sang. Aſinini ex venis poſt aures ext.* ℔ *ß. flor. bugloſſæ roſar. rub. Anthos ana* ʒ *vj. conf. Alkermes Caſſiæ ligneæ ana* ʒ *ß. croci or.* ʒ *j.*

Infundantur per noctem, & B. M. diſtillentur ad ſecundum cohobium.

♃. Hujus aq. ℔ *ij. eſſ. flor. hyperici cum ſpir. v. ext.* ℥ *ß.*

Stent in loco tepido per noctem, manè aliquoties filtrentur, donec Tincturam rubicundiſſimam, rubini inſtar accipias: quæ ſacchari candi albi ſ. q. edulcoranda & ad uſum ſervanda.

Vires, Uſus, Doſis.

In Melancholia, Mania, Dementiis, faſcinationibus, & incantationibus, nec non in imminuta & abolita Phantaſia ratiocinatione hæc aqua valdè ſecreta eſt, imbecillitatem enim, habetudinem, ſtupiditatem, torporemque mentis & tarditatem ingenii emendat, & quantum per artem licet, corrigit, & omnes imaginationum affectus feliciter tollit. Inſuper Urinam ciet. Menſtrua pellit. Tertianis & quartanis ſuccurrit. Morbis quoque Renum & Veſicæ prodeſt. Doſis à cochl. iij. ad iv. bis in die, mane ſcilicet ante Solis ortum, & veſperi eundo cubitum.

Tinctura Vitæ.

♃. Sp. vini ſimpl. ℔ *vj. aq. roſarum opt.* ℔ *iv. cort. aurantiorum, citri, roſar rubr. exſic. mentæ criſp. meliſſæ, ſantali alb. cinamomi ana* ℥ *viij. lig. aloes, macis ana* ʒ *ij. ſem. angelicæ, coriand. aniſi, fœniculi ana* ʒ *i ß. ſpicæ nardi, galang. min. croci orient. cardamom. min. caryophyllor. ana* ʒ *ß. ambræ griſeæ, moſchi, alexand. ana* ℈ *ß.*

Stent in digeſtione per octiduum; poſtea per alembicum deſtillentur.

♃. Sp. evocati ℔ *vij. caſſiæ ligneæ veræ* ℥ *ij. conf. alkermes* ℥ *ß. croc. orient.* ℈ *j.*

Digerantur, donec perfectè tingantur, poſtea ſpiritus tinctus cum Sach. candi alb. ſ. q. in phlegmate proprio diſſolut. edulcoretur & ad uſum ſervetur.

Vires, Uſus, Doſis.

Sua odoris eximia gratia Cor & Spiritus reficit, exhilarat, & vitam prolongat, Cerebrum & Stomachum confortat. Ventriculi calorem auget, Robur firmat, Flatus diſſipat. Concoctionem juvat, Tormina ventris ſedat, Inteſtina ſana conſervat; nec non ad frigida Thoracis, Hepatis & Lienis vitia valdè utilis eſt. Doſis à Cochl. j. ad Cochl. ij.

Tinctura Ligni Guajaci.

♃. Raſ. lign. guajaci ℥ *iv maſtichis elect.* ℥ *j. lig. aloes reſinoſ.* ʒ *j. flor. tunicæ exſic.* ʒ *ß.*

Mixtis ſuperaffundatur Sp. vini ſ. q. ad extrahendum tincturam, quæ poſtea filtrata ad uſum ſervetur.

Vires, Uſus, Doſis.

Cum hac Tinctura ſæpius quotidie abluantur os & dentes dolentes, dolorem enim plerumque à Capitis defluxionibus ortum, ſiſtit, Catarrhum inhibet, fœtorem & putredinem oris aufert, ejuſque halitum emendat. Temporib. etiam Empl. de Gum. Elemi vel Maſtiche factum, ſimul applicetur, quod tamen ante applicationem optime calefiat. Item poſt exſpuitionem ſemper os decocto aniſi diligenter abluatur.

Tinctura Ligni Saſſafras.

♃. Aq. fontanæ bene coct. & adhuc ſummè calidæ ℔ *viij. lign. ſaſſafras in taleolas tenues inciſ.* ℥ *ij.*

Stent in infuſione per noctem in olla novâ vitreata & bene cooperata; donec per ſe refrigeſcant; Manè per chartam filtrentur, & colatura clara cum Tinct. Caſſiæ Ligneæ parum aromatizetur, & ad uſum pro potu quotidiano ſervetur.

Vires, Uſus, Doſis.

Catarrhoſis & Arthriticis Nectar eſt. Ob ingentem enim ſiccitatem & moderatum calorem eſt remedium excellens ad omnis generis defluxiones, quas radicitus abſumit, nec non calculum ejicit. Flatus diſcutit. Uterum ad conceptionem præparat. Menſes provocat. Concoctionem juvat. Vomitus cohibet, & alvum ſubducit. Sed iis, qui extenuati ſunt & imbecilles, non convenit. Doſis proprie non obſervatur, ſed patiens ad libitum bibat, continuando per aliquot ſeptimanas.

Tinctura Odontalgica.

♃. Raſ. lig. guajaci ℥ *ij. ſaſſafras, ſarſ. parill. ana* ℥ *j. rad. pyrethri, aluminis crud. nitri præp. ana* ℥ *ß. ſem. ſtaphid. agriæ. hyoſcyami ana* ℥ *ij. opii ſpagyrice præp. caryophyllor. ana* ʒ *i ß. ſerpilli, origani, crocior. ana* ʒ *j.*

Miſce & f. pulvis, quem inde vitro & ſuperfunde Sp. v. ſimpl. & aceti vini ana ℔ i ß. & f. Tinctura.

Vires, Uſus, Doſis.

De hac Tinctura tantillum calidè in ore contineatur, loco illo, ubi ſunt dolentes dentes; poſtea iterum exſpuatur; & reiteretur, ſi opus eſt: efficaciſſime omnes dentium dolores, etiam acutiſſimos affluxus inhibendo, ſedat atque placat. Immò mirabiliter extrahit humo-

humores illapſos: ab initio quidem videtur ſæpius dolor augeri, ſed paulò poſt mitigatur & deſinit.

Tinctura Uterina.

℞. *Rac. Chamæactes, Sambuci ana ℥iv. rad. bryoniæ ℥j. herbæ majoranæ. ʒj.*

Manifeſtiſſimam hyſtericam & Cephalicam vim habet: propterea omnes ſuffocationes & ſtrangulationes uteri, etiam periculoſiſſimas; nec non præcordiorum compreſſiones & dolores tollit. Doſis à Cochl. ß. ad Cochl. j. per ſe, vel in aq. ſingulari hyſterica.

Tinctura Diaphoretica.

℞. *Spir. vini ex confectione Bezoartici ſolaris noſt. reſidui flor. ſambuci rectif. ana ℥iv. tartari aliquoties rectif. ℥ij. vitrioli opt. ℥j. conf. alkermes. ʒvj.*

Digere per aliquot dies, ſæpius movendo, uſque dum perfectè tingatur.

Vires, Uſus, Doſis.

In peſte, putredine, morbis Capitis, paralyſi, rectificatione ſanguinis, tremore Cordis, Cachexia, Hydrope, ictero, Aſthmate, Pleuritide, Angina, puncturis laterum, Lue Venerea, Lepra, Vermibus, contracturis, menſibus retentis, febribus, &c. ſingulare eſt medicamentum: membra enim principalia confortando, ſuperfluitates conſumendo, noxia corrigendo & expellendo, omnes nervos, muſculos & medullam vi ſua diaphoretica penetrat; nec non omnia in priſtinum naturalemque ſtatum reducit. Doſis à Cochl. dimidio ad integrum in aq. Card. benedict. Sambuci, jaceæ, &c.

Tinctura Stiptica.

℞. *Vitell. ovorum ad duritiem coctorum num. xxi. Conſ. rad. conſolid. major. flor. papav. errat. ana ℥iv. raſ. coll. Piſcium, nuc. moſchatæ, gum. arabici ana ℥ij. Cap. papaver. cum ſeminib. flor. urticæ mortuæ rubr. ſucc. acaciæ ana ℥j.*

M. & infund. per 24. horas in vini rubr. ſtiptici ℔. vi. poſtea adde Aq. hypnotic. noſtr. ℥x. M. & in B. M. deſtillentur.

℞. *Liquoris ſtillat. ℔iv. ſanguin. dracon. ſpir. vitrioli parum irrorati q. ſ.*

M. donec perfectè tingatur; deinde filtra, & tinctura rubicundiſſima ſyr. è ſucco flor. papaver. errat. priùs edulcorata ad uſum ſervetur.

Vires, Uſus, Doſis.

In omnibus alvi fluoribus, nempe Dyſenteriâ, Diarrhæâ, Lienteriâ, Teneſmo &c. valdè utilis, & magnæ efficaciæ eſt. Doſ. ad ℥ iv.

Tipha, vid. *Typha.*

TITHYMALUS.

Tithymalus & *Tithymallus* cum duplici ll à τίθος mamma & μάλος tener dictus putatur, quod tenerum lac non ſecus ac mammæ quædam effundat. Lobelius Adv. autor eſt hanc vocem ſcribendam eſſe per diphthongum Tithoimalus, quod mammam ſive papillam uberis exitioſam viroſamve non inepte interpretatur. Nam μάλ@- vocem exitioſam ſignificare Euſtathius docet. Hujus una ſpecies Characias dicitur, id eſt, vallaris, ſic dicta quia vallis ſeptiſque muniendis apta ſit, aut quod plerunque his in locis proveniat.

Notæ Tithymali *characteriſticæ* ſunt vaſculum ſeminale tricoccum in ſummo ſtylo, & ſuccus lacteus, acer in pleriſque ſpeciebus, in una alterave inſipidus.

Pityuſa, Apios, peplus, peplis, lathyris, chamælyce, eſula, cataputia nomina ſunt variis Tithymali ſpeciebus impoſita.

Pityuſa dicitur quaſi πιτύϊδσα, quod folia piceæ ſimilia ferat.

Apios à radice pyriformi.

Peplus & Peplis à Peplo ſive flammeolo, quod ramulorum ambitu & quaſi rotundo amictu velum efformet, ac tellurem operiat, Lob. & alibi, quia fruticat uberiore undequaque ramulorum comoſa concinnaque ſobole, in pepli ſpeciem collecta.

Lathyris quod folia duo, quæ caulis partem ſummam amplectuntur cavitatem ſatis magnam oſtendunt. Etenim inter duo folia quæ umbellam ambiunt ſemen quaſi inter duas januas ſeu bivalvi continetur. J. Bod. à Stapel.

Cataputia, quod ſemen in pilulis quibuſdam ſive catapotiis ferat; vel (quod magis arridet,) quod ſemen in catapotiis ſumptum purget. Stapel.

Chamelyce à lacteo fici ſucco & humiditate nomen accepit. Idem.

Eſulæ non invenio etymon probabile, nam quod J. Bodæus adfert non placet.

Vires. Omnia Tithymalorum genera adurendi vim obtinent (inquit Tragus) imprimis vero lacteus eorum ſuccus, quare raro citra noxam ſumi poſſunt. Dodonæus Tithymalorum omnium ſuccum inferna purgandi validam vim habere ſcribit, bilem, pituitam & aquoſos humores ducere, etiam in exigua quantitate ſumptum, ſed ventriculum vehementer conturbare, & interna viſcera inflammare; eamque ob cauſam ab ejus uſu doctos ac prudentes medicos abſtinere.

Eſula pituitam validiſſime, præcipue per inferiora, purgat, unde & ruſticorum Rhabarbarum audit. Eſt autem acris, ignea & erodens, adeò ut impudentium mendicorum fraudi inſerviat, qui ejus ſucco cutem ſibimet exulcerant ſcabritiei ſpecie. *Schrod.*

C. Hofmannus ſe nunquam conſuluiſſe ait, ſed fuiſſe tantum ſpectatorem audaciæ vulgaris quæ tota cochlearia admetitur. Si quis tamen (inquit) uti velit, Eſula præparata offic. utatur, quæ per viginti quatuor horas ſteterit in infuſione acerrimi aceti, iterumque exſiccata. Hujus doſis eſt à ℈ij. ad ʒ j. & ſine noxa purgat. Caſp. Dornavius ita corrigit. ℞. Eſulæ præp. ℥ iv. macis, galangæ an. ʒij. ſpodii præp. ʒ j. Trag. Bdellii ana ʒ iij. fiat pulvis cujus doſ. an. ʒß. ad j. *Raius.*

Topazius, vid. ſub titulo *Lapis.*

TORMENTILLA.

Tormentilla, ἑπτάφυλλον, quod radicis pulvis cum aluminis & pyrethri momento cavis dentium inditum eorundem tormentum ſive cruciatum ſedet. Lob. alii à dyſentericis torminibus ſanandis à recentioribus ita nominatam cenſent.

A Pentaphyllo diſtinguitur, foliis ſeptenis in eodem pediculo quod & Pentaphyllis nonnullis commune eſt, ſed præcipue flore tetrapetalo, quod huic proprium.

Vires. Tormentilla, cum pentaphylli revera ſpecies ſit flore tetrapetalo, eaſdem cum eo vires obtinet.

Siccat & potenter aſtringit; hinc in fluxionibus quibuſcunque alvi, uteri, &c. non aliud remedium uſitatius quam Tormentillæ radix, quomodocunque exhibita; præterea diaphoretica & alexipharmaca unde & omnibus medicamentis quæ adverſus venena, peſtem, variolas & morbillos alioſve morbos malignos componuntur adhibenda præſertim. Si cum fluxu alvi conjuncti ſint. Tandem vulnerariis potionibus, unguentis & emplaſtris adjungi ſolet, nam vetera & putrida ulcera & abſceſſus ſanat.

In inſulis Ferroenſibus Tormentilla utuntur, defectu corticum in pellibus animalium præparandis. Tho. Bartholin. Act. Med. An. 1671. obſ. 49. D. Tancred. Robinſon.

Ad Diarrhæam commendat Etmullerus extractum Tormentillæ præmiſſæ ſi opus eſt Rhabarbaro una alterâve vice: hinc exhibitum ana ℥ß. ad ℥ j. quod remedium præcellit omnibus aliis medicamentis in dyſenteria epidemica. D. Hulſe ex Etmulleri prax. cap. de diarrhæa, *Raius.*

Toxicum, vid. *Venenum.*

TRACHELIUM.

Trachelium eſt planta de campanulatum genere, ſic dicta, quòd morbis colli medeatur, unde etiam Cervicaria, & Uvularia vocata eſt: Quamvis alii Trachelium ab aſperitate denominatum credant, τραχύτης enim apud Græcos aſperitatem ſignificat: Trachelium autem Campanula hirſuta etiam vocatur, nec eſt quo ulterius in hâc plantâ deſcribendâ immoremur.

TRAGACANTHA.

Tragacantha, id eſt, hirci ſpina folia habet pinnata, viciæ in modum, coſtæ mediâ cui pinnulæ annexæ ſunt in longam, rigidam, acutam ſpinam procurrente; ſiliquas geminatas, duplici alveolo duplicem ſeminum ſeriem continentes.

Eſt & Tragacantha gummi è vulnere radicis inciſæ emanans: quale autem ad nos adfertur (inquit J. Bauhinus) eſt glutinoſum, candidum aut flavum, aut ex ruffo palleſcens, contortum in erucarum vermiculorumve formam tanquam violentiore preſſu per denſius colum tranſmiſſum, ſapore ſubdulci & ferè fatuo aquam cui infunditur in lentam ſequacemq; mucaginem converſus.

Uſus. Vim habet, auctore Dioſcoride, meatus obſtruendi & acrimoniam obtundendi. Uſus ejus ad medicamenta ocularia, & ad tuſſes & arteriæ aſperitates, & vocem retuſam, & deſtillationes in eclegmate cum melle. Subdita etiam linguæ liqueſcente ſucco devoratur. Sed & macerata in paſſo drachmæ pondere bibitur ad renum dolorem & veſicæ roſionem, admixto cornu cervino uſto ac loto, aut modico alumine ſciſſo. Extrinſecus (inquit Schroderus) ad dyſenteriam valet (in clyſteribus) ad rubedinem & acres deſtillationes oculorum, (ſoluta in aqua roſacea vel lacte) ad palpebrarum ſcabritiem.

Aqua calida ſolvitur, mucilaginemque exhibet, aliis medicamentorum formulis, e. gr. trochiſcis formandis convenientem. *Raius.*

Tragea, vid. *Pulvis.*

Tragemata, vid. *Confectio.*

Tragopogon, vid. *Barbula Hirci.*

TRAGORIGANUM.

Tragoriganum Latine hircinum origanum ſonat; ſic dictum non quod hircum oleat, ſed quod gratum ſit hircis pabulum, ut onitis aſinis; Nicandri Scholiaſtes ad hunc verſum, τραγορίγανόν ἐστιν ὄρειον ὅπερ ἐσθίοντες οἱ τράγοι γίνονται καλωφερεῖς i. e. in venerem proclives ſeu præcipites.

Non videtur differre genere à Thymo vulgari.

Vires. Tragoriganum herba eſt calida & acris, & ad eadem utilis ad quæ Thymus, ſatureia, hyſſopus, nimirum ad pulmonis affectus, tuſſim, &c. ad menſes & urinas remorantes, ad cruditatem ventriculi & ructus acidos &c. *Raius.*

Tragoselinum, vid. ſub titulo *Pimpinella*, item *Saxifragia.*

Tragus; De ejus præparatione vid. ſub titulo *Triticum.*

Transmutatio metallorum, vid. ſub titulo *Chryſopœia.*

TRAGI.

Cyperi quædam ſpecies eſt. Cyperus rotundus, eſculentus, anguſtifolius *Caſp. Bauh. Tourneforto & Raio* dictus, cujus radix pectoralis eſt reſolutiva, emolliens, antidyſenterica; imo in urinæ ardoribus eſt pro ſeminis generatione confert, ſi comedatur, aut in decocto aſſumatur.

Traumatica, vid. *Vulneraria.*

TRIBULUS.

Nomina. Tribulus terreſtris *J. B. Ger. Park.* terreſt. Ciceris foliæ, fructu aculeato.

Radicem prolixam, albam, ſimplicem, paucis fibris capillatam, coliculos emittit plures, humi ſtratos, teretes, hirſutos, geniculatos, rubentes, palmares aut etiam dodrantales, ramis multis diviſos. Folia pinnata lenticulæ aut ciceris, ad ſingulos geniculos ſingula, alternatim poſita, in ſummitatibus tamen ramulorum bina ex adverſo, papaveris erratici in modum piloſa. Flores pediculis ſatis longis, & foliorum ſinubus ortis inſident, lutei, pentapetali. Succedunt muricata capitula, ſpinis majuſculis hærentia, ad ſpinachiæ accedentia (inquit J. Bauhinus) nobis capitula ex quinque velut triangulis conflata videbantur quorum omnium cuſpides in centro concurrunt, reliqui anguli in longam & acutam ſpinam exeunt; ſunt & aliæ ſpinulæ breviores quæ pediculum amplectuntur.

Sub Maii finem exit, Julioque & Auguſto cum flore & ſemine in calidioribus regionibus, Italia & Gallia Narbonenſi, paſſim conſpicitur.

TRIBULUS AQUATICUS.

Tribulus dicitur παρὰ τὸ τρεῖς βάλλειν, quòd fructu ſuo tria vulnuſcula infligat, vel quòd cuſpidatum trifariam feriat. Bod. à Stapel.

Nomina. Tribulus aquaticus *J. B. C. B. Ger.* aquaticus major *Park.*

J. B. Ex uno capite ῥομβοειδῆ folia multa, ſeſcunciantia, duobus quadrantibus ſuperioribus ſerrata, ſupra glabra; ſubtus rugoſa, populneis quodammodo ſimilia, pediculo palmari & ſeſquipalmari, fungoſo & paulo intra inſertionem tuberoſo hærentia. Flores parvos albos ſequuntur muricati fructus, ſpinulis armati, nigricantes, caſtaneis pares, pulpâ nucleove non diſſimiles, candido, eduli, guſtu haud ingrato, qui, autore Dod. & recens mandi, & arefactus, moliique contritus in panem cogi poſſe fertur. Radices longiſſimæ ex intervallis, veluti ad genicula ſtaminum utrinque Cæſariem premunt, partim in aqua natantes, partim limo hærentes.

Naſcitur variis in locis, ac fere ſtagnantibus fluviorum partibus, lutoſis lacubus, & urbium foſſis, quibus limoſus ſit fundus. Inter Montbelgardum & Baſileam obſervavit Joh. Bauhinus, ubi floret menſe Junio. Matthiolus in pleriſque Italiæ fluminibus & lacubus provenire ait, præſertim in agro Mantuano & Ferrarienſi: neque ſolum in dulcibus aquis gigni, ſed etiam in mari, quod non credimus.

Nos fructus Venetiis venales vidimus.

Pleniorem hujus plantæ deſcriptionem videſis apud Jo. Bod. à Stapel. Comment. in Theophr. hiſt. lib. 4. cap. 11. *Raius.*

Tricomanes, vid. *Adianthum.*

TRIFOLIUM.

Legumina trifoliata ſunt vel trifolia proprie dicta, quæ terna duntaxat habent folia in extremo pediculo; vel minus proprie ſic dicta, quæ præter folia terna in extremo pediculo bina inſuper habent ad ejus à caule exor-

exortum ſeu baſin, quæ Loti appellantur & quodammodo pentaphy la ſunt.

Trifolia propriè dicta ſunt vel floribus in capitula aut ſpicas congeſtis, vel iiſdem magis ſparſis & rarius ſitis.

Quæ floribus ſunt in capitula aut ſpicas congeſtis, ſunt vel 1. ſeminibus & ſiliquis in calycibus plerunque occultatis, floribus erectis capitulis aut ſpicis ſummos in pleriſque caules terminantibus, ſeu ſpicæ, lanugine nulla aut rariore obſitæ ſunt, calycibus florum vel ſtrigoſioribus & ſtriatis nec à delapſo aut marceſcente, flore in veſicas intumeſcentibus ut in trifolio pratenſi, montano, &c. vel in veſicas tandem intumeſcentibus, ut in trifolio fragifero, &c. ſive ſpicæ molles ſunt & villoſæ mollitie ſua pedem leporinum referentes, ut in lagopo. 2. Seminibus & ſiliquis viſui expoſitis & extra calyces apparentibus, floribus pendulis, capitulis aut ſpicis è foliorum alis egreſſis, ſiliquis ſeu folliculis ſcabris aut rugoſis, in meliloto.

Quæ floribus ſunt magis ſparſis & rarius ſitis ſunt vel ſiliquis rectioribus, ſeu productioribus in fænugræco, ſeu brevioribus in Anonide vel iiſdem intortis & cochleatis in Medica.

TRIFOLIUM ASPHALTION.

Frutex hic ad cubiti altitudinem in America Septentrionali attollitur; virgam habet tenuem junceam, atropurpuream, quæ ſtatim ab infima parte παραφυάδας, hoc eſt, ramulares propagines emittit; ſummitate in plures diducitur, à quibus folia Loto arbori ſimilia prodeunt, acutiora tamen & anguſtiora, qualia ὀξύφυλλα Dioſcorides nominare conſuevit, leviter etiam hirſuta ſunt, ac velut oleoſa pinguedine obſita, ex uno longiori pediculo naſcuntur. Hæc defracta aut ex attritu non olent, verum cum levius attrectantur, oleoſus hic humor digitis apprimitur, moleſtus gravitate odoris, qui quidem odor in novella planta Rutæ eſt, in adultiore bitumi aut bituminis. Cujuſque rami extremum flos occupat purpureus, ut ſcrophularia tribus exertis foliolis conſtans, & uno ſemper intus reflexo, quod poſtremum ſuperant tenuia filamenta tria, albo apice donata. Floris foliola intus alba ſunt, licet à tergo ſint purpurea. Flori ſuccedunt ſiliquæ digitum longæ, æquè quam folia hirſutæ, oleoſæ, virides, extremo purpureæ; in quibus alveolis diſcreta conduntur ſemina, lata, oblonga ut Cytyſi, medio ſinu excavata, ut faba purgatrix, aut renes animantium, quo fit ut intortum veluti corniculum efforment. Radix longa, fibroſa, inſigni fervore prædita eſt, ac fere pari acrimonia linguam mordicat quâ Anemone

Annua eſt, & non niſi ſatu perennat.

TRIFOLIUM ACETOSUM.

Ab acido ſapore voce diminutiva Acetoſella dicitur: Oxys Plinii creditur. Calabris Juliola dicitur, ridicule Barbari corrupere in Lujula & Alleluya. Scal. in Theophraſt. de cauſis plant.

Notas inſignes habet quibus ab omnibus aliis plantarum generibus facile diſtinguitur, nimirum folia in eodem pediculo terna, florem pentapedaloidem, ſaporem acidum, vaſculum ſeminale pentagonum, quod per maturitatem levi tactu diſſiliens cum impetu ſemina ejaculatur.

Nomina. Trifolium acetoſum vulgare *Park. C.B.* Oxys alba *Ger* Oxys ſive Trifolium acidum flore albo & purpuraſcente *J.B.* Acetoſella & Lujula ſive Alleluia offic.

J. B. Ex craſſiuſcula, ſquamata, alba, vel ex albo rubente radicula longæ & crebræ pendent fibræ albicantes, indidemque emergunt pediculi infirmi, tenues, rotundi, palmares & longiores, terna gerentes folia ſatis magna, latiora quam longiora, cordata, hirſuta, ex viridi flaventia, ſæpe reflexa, ut capitum ad pulticulum coitus turbinatam reddat formam, ſapore acido. Inter hæc alii ſurgunt pediculi, florem ſinguli ſuſtinentes unicum, magnum, albicantem, ſtriatum, tenerum (quinque petalis ad ipſos tamen ungues junctis compoſitum, unguibus (præſertim interius) flavicantibus folliculus pentagonus, quo attacto ſemen exilit ruffum nucleo Perſici ſimile, ſtriatum.

Opacis plurimum provenit locis, in ſylvis & ad ſepes.

Vires. Ut ſapore ita & viribus cum Acetoſa convenit, ideoque æſtum febrilem mitigat, ſitim ſedat, & ventriculi ardores, jecur refrigerat & cor roborat, quoquo modo ſumpta. Fit enim ex ea ſyrupus, conſerva, aqua deſtillata ad hos uſus. Extrinſecus adhibetur aqua deſtillata ad collutiones oris, ad eryſipelata, ad ulcera ſordida mundanda, &c. obſervaſſe autem ſeſe ſcribit Fuchſius, atque adeo multorum experientia compertum, quòd ejus herbæ copioſi flores crebras illius anni pluvias & aquarum inundationes certo portendunt: pauci contra ſiccitatem.

TRIFOLIUM FIBRINUM.

Nomina. Trifolium paluſtre *J. B. C. B.* paludoſum *Ger. Park.* Trifolium fibrinum Tabernamont. & Germanorum.

J. B. Geniculata radix longa, alba, prorſum incedit, fibris ſubinde demiſſis firmata; pediculi inferius latiores vaginæ inſtar, dodrantales, tria habent annexa folia, magna, fabaceis forma & magnitudine reſpondentia, lævia; inter hæc caulis ſurgit cubitalis, levis, gracilis, virens, Thyrſum gerens florum, ex albo purpuraſcentium, ſpecioſorum, qui antequam aperiantur exterius rubent, recluſi in quinque ſegmenta acuta expanduntur (ſunt enim Monopetali) ſuperficie interna tenuiſſimis & candidis filamentis criſpis, velut lanugine ſeu pube quadam obductâ; è ſingulis floribus exeunt ſtamina quinque alba cum apicibus flavis; in medio ſtylus brevior & viridior. Succedunt capitula ſeu vaſcula ſubrotunda, in quibus ſemen Helianthemo ſimile ex fuſco flaveſcens.

In paluſtribus & aquoſis frequentiſſimum occurrit: extra aquas non diu durat. Maio & Junio floret.

Vires. In morbo articulari debellando vires inſignes exſerit hæc planta nulli hactenus Botanicorum proditas, ſed Thorunii Pruſſiæ in nonnullis ægris feliciter expertas. Folia herbæ in cereviſia decoquunt & bis aut ter de die cùm dolores ſentiunt, decoctum bibunt, quamvis ingratiſſimi odoris & ſaporis ſit. Qui autem eo utuntur levamen omnes percipiunt. Quin & matrona quædam folia in aqua decocta & calide parti affectæ applicata in Arthritide vaga admodum deprædicat. Gratior reddi poterit herba præparatione uſitata in ſpiritum, extractum liquidum, & ſyrupum. Ephemer. German. Ann. 4. & 5. obſerv. 123.

D. Tankredus Robinſon Trifolium paludoſum in hydropicis affectibus commendat; ſeque ſæpius obſervaſſe ait oves tabidas in paludes hac herbâ abundantes, compulſas, ejus eſu ſanitati reſtitutas, quin Germanicos nonnullos ſcriptores etiam laudare in ſcorbuto febribus intermittentibus & catarrhis.

Simon Paulus cum ſuccum cochleariæ ſcorbuticis valde prodeſſe ſcripſiſſet vel cum ſero lactis vel per ſe exhibitum, ſed tamen Trifolium fibrinum, inquit, ei præferendum eſt.

P. Tilingius præparat varia medicamenta è Trifolio paludoſo ut ſpiritus, ſalia, eſſentias, tincturas olea, quæ in morbis chronicis egregie deprædicat, omnibuſque aliis plantis hanc longe præfert. Ephem. German. Ann. 12. Obſ. 74. recte obſervavit D. Tancredus Robinſon herbam hanc Germanis aliiſque gentibus Septentrionalibus nunc dierum unice charam & in

magno

magno pretio eſſe, & aſſiduo uſu frequentari in omnibus fere morbis ut certiſſimam panaceam, ad quam etiam in deploratis affectibus velut ad ſacram Anchoram confugiunt.

TRIFOLIUM INDIVISUM.

Nomina. Trifolium hepaticum flore ſimplici *C. B.* Trif. hep. ſive trinitatis herba flore cæruleo *J. B.* hepatica nobilis ſive Trifolia *Park.* hepaticum Trifolium *Ger.*

Radices craſſiuſculæ in plurima capita diviſæ, fibris innumeris ex rubro nigricantibus varie intertextis capillate, adeò ut totæ fibris hiſce occultentur, nec aliud eſſe videantur quam maſſæ ſeu congeries fibrarum glomeratarum & miris modis implexarum. E ſingulis autem radicis capitulis ſeu nodulis quotannis progerminant primo flores; deinde folia cum primum emergunt complicata & hirſuta, poſtquam extenduntur glabra, ſuperne obſcurius viridia, averſa parte pallidiora & interdum cyclamini modo purpuraſcentia, in tria ſegmenta non tamen ad pediculum uſque diviſa, per margines æqualia, pediculis ſeſqui palmaribus & longioribus inſidentia. Caules ex eadem radice plures tenues, breviores quàm ſint pediculi foliorum, nudi, ſinguli ſingulos flores ſuſtinentes ſpecioſos, ſex & interdum ſeptem aut octo foliis compoſitos, plerunque cæruleos, rarius carneos aut albos, ſtaminibus cum ſuis apicibus intus plurimis. E calice trifolio à flore delapſo ſuperſtite, ſemina aliquot nuda, acuta, ranunculorum modo in globulum congeſta protegente.

Vires. Probatur maximè à recentioribus Medicis, (inquit Joh. Bauhinus) ad vulnera glutinanda tam foris illita, quam intus ſumpta: item ad enterocelas, in quem uſum pulverem dimidii cochlearis menſurâ ex vino auſtero propinant. Tota planta decoquitur in vino eodem ad columellæ, fauciumque inflammationes: refrigerat enim ſiccat & roborat. Quare adverſus intemperies calidas, & inflammationes hepatis & febrium calores perutilis. Rarius præſcribitur à medicis noſtratibus, & in illis qui eo uſi ſunt ſe nullum potuiſſe effectum obſervare ſcribit Parkinſonus. *Raius.*

TRITICUM.

Triticum inde dictum creditur quod ex ſpicis triturando facilè excutiatur, Græcis πυρὸς quaſi σπυρὸς à σπορὸς ſemen. Pro qua etymologia facit, quòd Herodianus ſcribit, à Syracuſanis τὰ πυρὰς dictos fuiſſe σπυρὰς quaſi σπορὰς quibuſdam πυρὸς dicitur ab acutie & pyramidali ſpicæ figura.

Eſt autem Triticum frumenti genus, grano majore in hoc genere oblongo, nudo, hoc eſt glumis non arte adhærentibus, ſed triturando facile abſcedentibus tecto, turgido, lucido & flaveſcente, ab uno latere ſulcato, farina candidiore & leviore, nutrimenti optimi.

Vires & Uſus, E Tritici farina fermentata optimus conficitur panis. Verùm & Amylum ex ea fieri Plinius aſſerit. Pultes quoque infantibus commodiſſimæ ex ea in aqua aut lacte decocta fiunt, quæ & optime nutriunt, & in canina appetentia & veneris defectu commendantur. Eædem in faucium & pectoris affectibus, renum & veſicæ exulceratione, fluxionibus alvi, præſertim dyſenteria, perutiles ſunt, vel è juſculis cum butyro confectæ; crudi Tritici eſu alvus inflatur; nec facile conficitur. Galenus Tritici elixati in cibis uſum damnat; verum nos ab ejus butyro conditi, & ſaccharo edulcorati, uſu frequenti nullum damnum aut noxam ſenſimus.

Graneæ Triticeæ confectio apud Cratonem, (ſic vocat ptiſanam Triticeam pultemve ex ea paratam) parum differt à præparatione pultis Triticeæ apud nos in Anglia uſitatæ frumenti dictæ. Selibram Tritici puri in mortarium purum indat, lavet bene, corticemque detrahat bene, eluatque bene, poſtea in ollam indat & aquam puram, coquatque, ubi coctum erit, lac addat paulatim uſque adeo donec cremor craſſus erit factus.

Extrinſecus ad viſum & debilem & obſcurum & ad maculas tollendas collyrium quod Triticum ingreditur vide apud C. Bauhinum in Theat. ad maculas tollendas ſuccus è Tritico expreſſus valet. Faciem erugat farina Tritici, ſi cum aqua fabarum calida ſolvatur.

Ad lichenas recentes in mento aut alia faciei parte Criſpi apud Galenum è Tritico medicamentum.

Tritici grana multa in incudem imponito, deinde laminam (æris aut ferri perinde enim eſt) igne calefactum Tritico ſuperponito, & reſolutum ab eo liquorem calidum adhuc afferto ac ſuper lichenas linito. Hoc ſolo multos curatos ſcimus, nec ſolum ad lichenas faciei, ſed experientiâ noſtrâ ad omne genus herpetas & impetigines valet. Idem ad ulcerum ſinus, pedum & manuum rimas à frigore, & cutem aſperam lævigandam facit.

Farina cum oleo mixta & in forma cataplaſmatis impoſita, ſed melius in aqua cocta, oleo addito, mammarum duritiem emollit. Eadem Apoſtemata hepatis, lienis, aliarumque partium maturat.

Nervorum contractionibus & mammis dependentibus ex aceto cocta & impoſita prodeſt.

Triticum crudum commanducatum & impoſitum commorſis à cane rabido auxiliari dicitur. Idem oculorum Apoſtemata maturat.

Ad alvum irritandam, è farinæ partibus duabus & unâ ſalis cum albumine ovi paſta conficitur, in formam ſuppoſitorii reducitur, oleo vel butyro inungitur & ano inditur. Podagræ conferre dicitur pedes ad genua uſque in Triticum mergere, quo levatus eſt inopinatò Sextus Pomponius referente Plinio, melius ſuccedit curatio, ſi Triticum conquaſſatum in vaſe ad ignem caleſcat.

Ad omnes quorumcunque artuum dolores mitigandos valet cataplaſma ex farinæ Triticeæ & Hordeaceæ, florum chamæmeli & roſarum, ſingulorum unciis duabus, in aqua decoctis dein olei chamæmelini & roſacei ſingulorum uncia una adultis, ac in modum cataplaſmatis calide parti impoſitum.

Fermentum ex farina Triticea calefaciendi, extrahendi & maturandi vi præditum eſt, privatim callos in plantis pedum extenuat, & cum alia tubercula tum etiam furunculos ex ſale maturat atque aperit.

Furfurum multiplex uſus eſt. Inſerviunt manibus purgandis ſaponiſve vice, ſi aquæ in qua abluuntur immiſceantur, quin & manus molles albaſque reddunt.

Furfuribus purgandis inſervit aqua in qua calefacta per diem & noctem infuſa fuerint. Gargariſma ex decocto faucium aſperitatem & dolorem lenit.

In aqua decocti & ſacculo inditi omni humore expreſſo ſi calide applicentur, pleuriticorum punctiones mitigant, modo ſacculus refrigeratus in eadem aqua calefactus & expreſſus ſæpius applicentur.

Alia præterea multa juvamenta præſtant quæ ſi placet apud C. Bauhinum vide.

DE PANE.

Panis multiplex Etymon adfertur. Vel enim deducitur à Panus, J.C. πλύνη ſive fili glomus ad cujus ſimilitudinem panes fingi ſolent. Varro. vel dicitur Panis quaſi paſci-

paſcinis à paſcendo, vel eſt Panis à Deo Pane, quòd Pan primus conſperſas fruges coxiſſe perhibetur, Caſſiodor. vel ab adjectivo πᾶν, quaſi, ὅ ζῶα πάντα ἐφίεται. Panis dictus quòd cum omni cibo apponatur, vel quod omne animal eum appetat Iſidor. vel quòd inſtar omnis cibi ſit.

Sed omnium (inquit Voſſius in Etymolog.) horumce ſententias diluit Athenæus, ex quo diſcere eſt Romanis Panem vocari quod Dores dicunt πανόν. vel ἀμίσως Panem à πάομαι deducere licebit.

Panis definiente C. Bauhino eſt cibus ex frumentaceis molitis, aqua maceratis, pinſitis ac coctis apparatus.

Quatuor Panis genera apud antiquos à tritico fiebant;

1. Siligineus panis, σιλιγνίτης, ex ſiligine, id eſt, flore farinæ, ſive puriſſima parte, ab omnibus furfuribus exactiſſime repurgata.

Tener & niveus mollique Siligine factus, Juvenal.

Similagineus, σεμιδαλίτης, ex ſimila ſeu ſimilagine, id eſt, farinæ parte tenui quidem, ſed ſiligine impuriore, ut pote ex quo non omnes excuſſi furfures, ſed craſſiores tantum.

3. Confuſaneus, αὐτόπυρος & συγκόμιςος ex farina omnes frumenti partes in ſe continente, cui nihil vel floris, vel furfurum deceſſit.

4. Cibarius, gregarius, ſordidus ἀγελαῖος, ῥυπαρὸς è furfuracea farina coactus, ex quo molliſſima puriſſimaque farina excuſſa eſt. Nonnulli his addunt quintum genus, quod furfuraceum vocant, πιτυρίαν ſeu πιτυρίτην Athenæo, qui Canicaceus Panis dicebatur, quod in canum fere gratia confici ſolebat, & hic ex Tritici extis conſtat quæ Latini furfures, canicas & apludas vocant.

Fiebat & olim (Marcello fides) e Polline frumenti tenuiſſimo, ad molæ parietem adhæreſcente, indeque multis cum ſordibus deterſo.

Optimus ac ſaluberrimus Panis eſt qui concoctu facillimus. Talis autem eſt, monente Galeno, qui plurimum eſt fermentatus, & pulcherrime ſubactus, quique in clibano igne moderato fuerit aſſatus.

In ſumma (inquit C. Bauhinus) Panis optima commendatio conſtat Tritici bonitate, juſtaque ejus molitura ac piſtura, cribri tenuitate, miſtione plurima, fermenti, ſaliſque modico; dein apparatu ſubactioneque exacta, & proba coctura, de quibus copioſe diſſerere noſtri non eſt inſtituti.

Notandum tamen in Anglia ſpumam cereviſiæ concretam uſitatiſſimum fermentum eſſe, nec noſtrates alio fere uti, niſi in hujus inopia. Hoc autem fermenti genus (teſte Plinio) apud Septentrionales olim in uſu fuit; Galliæ & Hiſpaniæ frumento in potum reſoluto, quibus diximus generibus, ſpumâ ita concreta pro fermento utuntur. Qua de cauſa levior illis quam cæteris Panis eſt Plin. Hiſt. lib. 18. cap. 7. eſt ergo, Plinii teſtimonio, laudatiſſimum hoc fermenti genus.

Certum eſt furfur vires abſterſorias obtinere, quibus inteſtina, ſi intus ſumatur, ad dejectionem ſtimulantur. Hinc panis qui fit ex farina cui furfures omnes excuſſi non ſunt, modo probe fermentatus ſit ſalubrior nobis videtur, ſapidiorque etiam quam qui ex mero flore ſeu ex ſiligine. Extrinſecus mica panis ad eadem fere utilis eſt ad quæ farina triticea. Galenus ſcribit cataplaſma ex pane factum magis digerere quàm quod ex tritico fit, eò quòd panis ſalem & fermentum adjuncta habeat, cujus ſententia rationi conſentanea videtur & experientia etiam eam confirmat.

Chondrus & Alica quid ſint diximus in explicatione terminorum quantum ſufficere videtur: cum enim jam in deſuetudinem abierint, non eſt cur de eorum præparatione aut uſibus in Cibo & medicina admodum ſoliciti ſimus, qui pleniorem eorum explicationem deſiderat C. Bauhini Theatrum & Joh. Bauhini hiſtoriam petat.

Amylum etiam quid ſit ibidem dictum eſt: cujus Vires & uſus vide apud Bauhinum utrumque.

Far duplex eſt, naturale & factitium: naturale eſt certum quoddam frumenti genus: factitium Plinius pro Farris farina, ſive pulte, ſive grano decorticato ſumpſiſſe videtur, cùm ex Verii ſententia ſcribit populum Romanum farre tantum è frumento trecentis annis uſum fuiſſe. Far ex Ætio oſtenditur eſſe quodvis frumenti genus, decorticatum & ab utriculis repurgatum, ac deinde in partes aliquot contractum & ſiccatum.

Athera, puls & gluten conſiſtentia tantum differunt, Athera enim pulticula liquida eſt, infantibus conveniens quæ ex farina tenuiore cereviſia tenui aliove liquore coquitur.

Athera craſſius & ſolidius eſt gluten Græcis κόλλα, ex ſimilagine & farina Tritici, quo chartæ glutinantur: quod propter eam quam habet glutinandi vim ſanguinis excreationibus prodeſt.

In utriuſque medio πόλτος ſive puls eſt, ſolidior quidem ac ſpiſſior Atherâ, liquidior vero glutine, proinde minus glutine, plus autem quàm Athera viſcera obſtruens. Atheræ aut potius pultis genus eſt, Edulium quod Galenus ex multa Tritici farina lacti permixta fieri ſcribit, quo hac ætate univerſa inferior Germania frequentiſſime utitur. (Pultem puto intelligit quam nos *paſtu pudending* vocamus) cibus boni ſucci & multi alimenti, ſed eos qui eo aſſidue utuntur offendens. Nam in hepate obſtructiones parit, & calculos in renibus gignit, autore Galeno. J. B.

Tragus eſt res factitia. Fiebat autem ex diverſis frumentorum generibus, ut ex Dioſcoridis, Galeni, Plinii locis ubi de eo agunt inter ſe collatis patet. A Chondro & Alica præparatione potiſſimum differt. Chondrum ſiquidem gypſum & arena perficiunt: Halicam creta emundat, Tragus ſola aqua maceratus excorticatur.

TRITICUM INDICUM.

Hæc planta inſignibus notis ab aliis omnibus frumentaceis, differt eſt enim paniculata ſimul & ſpicata: Panicula ſcilicet caſſa, acceroſa ſummo culmo inſidet, ſpicæ craſſæ tres quatuorve è foliorum ſinubus exeunt.

Nomina. Triticum Indicum *J. B.* frumentum Indicum Mays dictum *C. B.* Item frumentum Indicum Mays dictum alterum ejuſdem, milium Indicum maximum Mays dictum ſeu frumentum Indicum *Park.* frumentum Turcicum & Indicum *Ger.*

C. Bauhinus. Radicibus nititur numeroſis, duris, fibroſis, ſed minime craſſis, & albis: quibus ab imo caulis geniculo fulcra quædam in terram demittuntur, quibus Culmi à vento agitati ſuſtineantur, qui Arundinei ſeptem vel octo pedes alti, rotundi, pollicem craſſi, rigidi, multis geniculis articulati, inferna parte purpuraſcentes, qui paulatim extenuantur, ſolidi denſâ & alba medullâ, inſtar Arundinis ſaccharinæ, farcti, qui dum adhuc virides & ſucculenti ſunt, dulcedine ſunt ſacchari. Foliis & Arundineis, cubito plerunque longioribus, tres aut quatuor uncias latis, venoſis, marginibus aliquantum aſperis: paniculis ſummo caule dodrantalibus, gracilibus, raris, Jubæ modo multiplicibus aliquando in 15. 20. & etiam 30. ſpicas procumbentes diviſis, ariſtis carentibus, & flori tantum emittendo natis. Etenim flores ſummo culmo nutant, non fœturæ

deſtinati

deſtinati, non umbræ, ſed ornatu ſpectatores oblectantes, naturæque luxum oſtentantes, quod raro in aliis conſpicitur: nam cum defloruerint exareſcunt, & nullum ſemen producunt; floret autem ſecalis inſtar, flore nunc candidi, nunc lutei, nunc purpurei coloris, prout videlicet fructus ſive frugiferæ ſpicæ coloratæ erunt. Et quod ſingulare huic plantæ videtur eſſe; quòd alia parte florem, aliâ fructum ferat, & non reliquarum frugum more in panicula ſemen fructumve proferat, ſed à latere ex culmorum geniculis, medio foliorum & geniculorum ſinu ſpicæ ariſtis carentes, longæ, craſſæ, rotundæ, cylindracea effigie, fructum ferentes, & ab uno culmo tres quatuorve alterno ordine exeunt, at à ſingulis nodis ſingulæ, quæ multis foliaceis, tunicis vaginæ inſtar obvolvuntur, in ſummo tam arcte convolutæ ut ne aquam quidem tranſmittant; quæ ſpica, corrumpere poſſit: & ſpicæ cum ad juſtam magnitudinem pervenerint piceæ arboris conos tum longitudine tum craſſitudine æquant, & è vaginularum verticibus filamenta capillacea eodem cum granis colore dependent, quo ab avium & vermium injuriis tutæ eſſe poſſint. Vaginis cum exaruerint denudatis grana apparent Piſi magnitudine, omnino nuda, nulloque folliculo incluſa lævia, ſubrotunda, & quæ mediaſtino fuliginoſo undique hærent; propter compreſſionem anguloſa, frequentia, quæ ſæpe in uno racemo apud Indos 700. (apud quos ſæpe in uno grano 300. modia colliguntur) coacervata, at arctiſſime juncta, ac in octo, aut decem, rarius duodecim ordines, in longitudinem rectis lineis digeſta: quæ ratione coloris variant, modo candida, interdum lutea, modo purpurea, nonnunquam fuſca aut rubra, medullâ tamen candidâ, & ſapore cæteris frumentaceis dulciori ac ſuaviori.

Interdum Paniculæ, Camerario monente, etiam grana adnaſcuntur, ubi nondum plene ſeſe explicavit, potiſſimum circa imam partem, quæ tunicis veſtitur, quaſi fœcunditas nuditate evaneſcens pereat, eademque à tempeſtatum injuriis operimentis integra conſervetur.

Quòd paniculas floriferas infœcundas à ſemine ſeu fructu remotas gerit non huic frumento proprium eſt, ſed & lachrymæ Jobi dictæ commune.

Quòd vero paniculæ hæ omnino ad generationem inutiles ſint, & ad ſpectaculum ſeu luxus naturæ oſtentationem duntaxat comparatæ, Bauhino non aſſentior: veriſimile enim eſt apices floridos ſpermatis maſculini vicem præſtare & ſemen fœcundum reddere, ut in parte generali docuimus.

Fruſtra Gerardus noſtras, Tabernamontanum ſecutus, pro granorum colore ſpecies multiplicat, cum ex eodem ſemine pleræque hæ varietates haberi poſſint.

Frumentum hoc Indiæ Occidentalis indigenam eſſe (in cujus omnibus fere regionibus reperitur) indeque in Africam, Aſiam, & Europam delatum, Matthiolo conſentimus. Quicquid contradicendi ſtudio repugnant adverſariorum autores: milium autem Indicum Plinii, quod Neronis principatu in Italiam fuit convectum Melicam ſeu ſorgum eſſe minime dubitamus.

Seritur Martio, in ſingulas ſcrobes, inter ſe paſſum unum diſtantes, quaternis quinisve granis conjectis, naſcitur paucis diebus, & quarto in India menſe demetitur. Apud Germanos ſeri in agris obſervavimus: ubi terram probe ſtercoratam, pinguem & humidam expetit. Frigoris & pruinarum impatiens eſt. Tempus ſerendi pro regionis qualitate & temperamento variat; alibi ſerius, alibi citius ſerendum, alibi etiam breviori temporis ſpatio ſemen perficit & ad maturitatem perducit, alibi longius requirit. Eſt genus trimeſtre, eſt quod duobus tantum menſibus & ſeritur & metitur. Quinetiam aliud eſt quod 40. tantum diebus à ſatione matureſcit; ſi autoribus fides, Quòd in altitudinem excreſcat, & plures ſpicas producat, vel loci fertilitati, vel cœli temperiei debetur.

Vires & Uſus, Quidnam hoc frumentum in Medicina poſſit nondum ſatis conſtat (inquit Joh. Bauhinus) quia autem dulcedinem & lentorem quendam grana præ ſe ferunt, haud dubie idem cum Tritico habebit temperamentum, ac proinde eaſdem etiam facultates obtineat neceſſe eſt. Grana itaque teruntur in candidiſſimam farinam, quæ in panificia ſubinde cogitur. Panis tamen ille lentoris quiddam & obſtruentis naturæ habet. Hinc eſt, quòd in Aſia & Turcia illius nullum in cibo uſum eſſe, niſi cum annonæ premit inopia, dicunt. Panis ex eo paratus (autore Dodonæo) mediocriter quidem candidus eſt, furfuribus concinnatus ſed durus ac ſiccus, veluti biſcoctus, nihilque lentoris habens; concoctu eas ob cauſas difficilis, corporique nullum aut omnino exiguum alimentum præbens tarde deſcendens ac alvum conſtringens, veluti ex milio aut panico factus.

Franciſcus Hernandes frumentum hoc valde celebrat: temperatum eſt (inquit) aut ad caliditatem humiditatemque pauliſper declive. Subſtantiâ mediocri, concoctu facile, præcipue his qui eo victu uti conſuevere, non craſſa, aut veluti quidam opinantur, obſtruenti & viſcoſa, quod vel Indis ipſis, qui ex eo Pane in placentulas formato vivunt, nec tamen obſtructi aut decolores conſpiciuntur, periclitari licet: iiſdem affirmantibus, nullam in ventriculo gravitatem ſentire poſt epulas, imo poſt paucas horas rurſus ac ſi nihil ingeſſiſſent eſurire, & magna aviditate, ſi adſit copia repetere nutrimentum, nec vel de nomine ſolo ad aventum uſque Hiſpanorum lithiaſin noviſſe; quin quod nullus eſt apud Mexicanos celebrior ægritudinum acutarum & commodior victus qui etiam ptiſanæ præfertur, quod mille experimentis comprobatum confirmatumque eſt: celeriter utique (aiunt) coctum deſcendere, corpora quantum ſat eſt nutrire, nullum inferre gravitatis ſenſum, mollire ventrem & pectus, calorem ſubtilem demulcere (præſertim ſi pulvis ejus ex aqua permittatur brumali tempore gelare) urinam evocare, viaſque omnes extergere. Reliqua apud ipſum vide, ut & varios modos illius parandi tum ſanis, tum morbo aliquo affectis.

C. Bauhinus neſcio à quo edoctus, ſcribit Indos ſi nimium utantur hoc frumento in cibis, tumidos & ſcabioſos reddi. Imò (inquit) pueri Guineenſium, qui hoc frumento ſæpe Panis loco utuntur, videlicet granis è ſpicis excuſſis, iiſque nonnihil toſtis & præuſtis ſi paulo frequentius utuntur, à ſcabie ſe ſe vindicare non poſſunt, cum ſanguinem nimis calidum & quaſi aduſtum gignat.

Panis & vini ex hoc fermento conficiendi apud Indos modum vide in Hiſtor. C. Bauh, lib. 1. ſect. 4. cap. 31.

Farinæ uſus eſt ad cataplaſmata mollientia & ſuppurantia, nam ſuo lentore meatus obſtruens apoſtematibus ſuppurandis peridonea eſt. Foliorum item recentium ſuccus refrigerandi facultatem obtinet, & Eryſipelatibus, ſi Panni intincti applicentur conducit.

TRITICUM INDICUM ALTERUM.

Nomina. Frumentum Indicum Mays dictum minus C.B. Indicum alterum ſive minus Park.

Quod

Quod mediam præcedentis altitudinem vix attingat, cujuſque ſpicæ frugiferæ non ad culmorum lateγa prodeunt, ſed paniculis cùm defloruerint ſuccedunt cætera ſimilis, cùm invalido tibicine ſolius Tabernamontani fide & authoritate nitatur, nobis quidem dubium & ſuſpectum eſt.

Pro Cultura & uſu frumenti indici Mays dicti. conſulantur, Tranſact. philoſoph. n. 142. pag. 106. 5. *Rajus.*

MODUS PRÆPARANDI TRITICI aliaque GRANA quo unus eorum MODIUS terra commiſſus duplum omnino producat quàm quod alias naturaliter eadē GRANA producere ſoleant.

℞. Tritici mundi & recentis modium v. g. unum, bulliat igne lento in aq.ſ.q. horis tribus, illud interea ſubinde agitando, trajiciatur poſtea decoctum per linteum, illudque & ipſum triticum ſeorſim aſſerventur: Triticum ſcilicet corbi ligneæ impoſitum, furno eô tempore quô panis in id ad coquendum intruditur committatur, atque ex ipſo, ſc. tritico probè toſtô fiat pulvis unde ſal ſecundum artem eliciatur, quòd in decoctum tritici projiciatur ac diſſolvatur. rum ℞. Decoctum ſale tritici ſic imprægnatum & aquę è fimeto ſtillantis āā. ſtercoris ovilli, vel caprini modii quartarium, ſalis nitri puri, ℥iv. reponantur omnia in vaſe idoneo ſuper igne lentiſſimo per horæ quadrantem, materias interim ſpatulâ continuò commovendo ut exquiſitè miſceantur ac diſſolvantur: quô peractô compoſitio ab igne removeatur, & in vaſis ligneis, aut aliis aptis aſſervetur. Hæc autē cōpoſitio continet verum nitri ſpiritum cujus efficaciâ triticum etiam terris ſterilioribus ac modicè & ſine ſtercoratione cultis commiſſum abunde vegetat. Quando autem triticum ſerere volueris, neceſſarium erit ut per horas 24. in prædictâ compoſitione maceretur, ſicq; maceratum poſt effuſam per inclinationem aquam (quæ pro novâ infuſione peragenda reſervari debet) retrahatur, poſteaq; corbibus ſuper charta impoſitum in umbrâ ſiccetur; Sic enim ad ſationem præparatum erit. Eô autem tempore quô illud ſerere volueris, ipſi commiſcendum erit, terræ levioris, vel etiam arenæ duplum, quô ſcilicet clare admodum conſeratur, nam in agro quatuor aut ſaltem trium modiorū capaci, unus tantùm conſerendus eſt. Nullatenus autem ſtercorandæ ſunt terræ quibus triticum ſic præparatum immittitur, quia illud jam in ſe fimum, ſeu nitrum eſſentiale continet, unde quodlibet granum 15.20.25.30. imò etiam 40. ſpicas longiores producit. Si verò ejus major quantitas quàm quæ pręſcripta eſt in certô ſpatiô ſeratur, ſuffocatur ſemen, aut culmus poſtquā adolevit ac ſpicâ ſuâ agit in humū ſpargitur & proſternit. Debet autē ſeri ſtatim ac ſiccū eſt.

Eâdem ratione pręparantur alia omnia grana, obſervando tantùm quòd decoctum primo locô pręſcriptū ex eô ipſo confici debet granô quod ſerere animus eſt. Sic præparatum granum contra omnes aëris injurias, pręterquam grādinem &c. tutum eſt. Non inutile pręterea fuerit ſi triticô macerato, eô ſcilicet quô è compoſitione educitur momento boli pulviſculus leviter inſpergatur, quô deſiccatio acceleretur.

TRITICUM SARRACENICUM, vid. *Fegopyrum.*

TROCHISCATIO & TROCHISCUS.

Requiruntur ad trochiſcationem duo (1.) ſubjectum, quod in hanc formam aptari debet, trochi ſcilicet, ſeu orbiculi majoris aut minoris, vel oblongi, ſive carnes, ſeu pulveres, aliaq; ut in officinis viperæ, ſquilla, agaricum, colocynthis, præparari aſſueverunt; priora pro theriacâ imprimis, poſteriora pro uſu polychreſto purgante. (2.) Liquidum ſubiens & inviſcans, ut coire particulæ & ex maſſâ forma debita cōcinnari queat. Adeoq; fundamentum hæret in cohæſione particularū, qualis laxior etiam in pulveribus præparatis vulgò obtinet, in aliis magis, in aliis minus compactâ, diverſo pro uſu. Hæc igitur inviſcans vis vel domeſtica eſt jam, ut in agarico, item in terris, unde terræ ſigillatæ nihil aliud ſunt, quàm trochiſchi, prout afferri & proſtare conſueverunt. Eſt enim terrarum hæc nota, quod cum aquâ in lutum coëant. Par ratio eſt ſucci glycyrrhizæ trochiſcati. Vel adſcititia, quem in finem gummi tragacanthæ, Arabicum, imò & farinæ vel panis biſcoctus in trochiſcis de viperis & de ſquillâ adhibentur, quæ nempe in ſe habent lentorem.

Hinc enim trochiſcatio fit (1.) *pulveriſationis melioris extemporaneæ gratiâ*, quod de agarico valet, quatenus pulveriſatum & per cribrum trajectum maceratur cum vini albi generoſi ſufficiente quantitate, in quo zingib. ʒii. fuerint infuſæ.

(2.) *Ob adſervationis & diſpenſationis commoditatem*, quod forma ſit portatilis, & cohæreant magis partes, unitæ verò meliores etiam hoc loco ſint quàm diſperſæ, accedente inprimis, quod id comprobat, uſu & conſuetudine, quæ hanc ſyncriſin ſtabilivit.

(3.) *Ad præſervationē à corruptione*, quod in trochiſcis de viperis & aliis manifeſtum. Pulveres enim corruptibiles magis ſunt, nec ferūt ętatē. Inviſcatio verò defēdit à corruptore aëre, accedēte inprimis ſiccatione probâ.

(4.) *Ad correctionem*; lentor enim particulas ſalinas obtundit & inviſcat ex parte, ut colocynthis hinc minus abradere vi illâ ſuâ acri inteſtina queat, quod etiam de agarico leviori ſunt qui ſcribunt, poroſitate nimiâ ejuſdem hoc pacto retuſâ.

(5.) *Ad deglutitionem*, ſeu aſſumtionem meliorem. Forma trochiſcorum maſticabilis eſt, unde præbia diviſa quaſi jam exhibet, qui uſus cum compoſitis eſt communis. *Wedelius.*

Materia Trochiſcorum ſunt omnis generis Medicamenta, quæ pulveriſata, liquore conveniente, (viſcoſo,) ſuſcipi, compilari ac impaſtari queunt.

Parantur autem in Officinis Trochiſci, partim ut pulveres viſcoſo aliquore compacti ab injuria aëris eò melius aſſerventur, exigenteque neceſſitate, adhiberi queant, partim quoque, ut per ſe applicentur, e. gr. Trochiſci bechici ſublinguales, prophylactici, trochiſci pro fumo, & ſimil.

Modus fiendi.

℞. *Medicamenta ſubtiliter pulveriſata, redige in maſſam cum liquore conveniente mucilaginoſo, e. g. cum mucilagine aliqua (Tragac.) cum ſucco, ſyrupo, & ſimil.*

Ex maſſa impaſtata formantur trochiſci, ſeu parvi paſtilli, (quibus character pro libitu imprimitur,) vel fiunt inde bacilli oblongi.

Trochiſci uſitatiores alterantes.

Trochiſci.

- de Abſinthio, Meſuæ, *Auguſt.*
- de Agno caſto, Rhaſis, *Aug.*
- Alexiterij ſ. contra peſtem, 1.
- Aliptæ moſchatæ, cum ambra ac moſcho, A.
- Aliptæ moſchatæ, ſine ambra & moſcho.
- de Alkekengi, cum opio, A. ſine opio,
- de Aniſo, Meſuæ, A.
- Bechici albi, cum moſcho; A. ſine moſcho. nigri, rubri, ſive è bolo.
- de Benzoin.
- de Berberibus.
- de Camphora, Meſuæ.
- N. *Renodæus alios è Myrepſo ſubſtituit.*
- de Capparibus, Meſuæ.
- de Carabe, ſ. ſuccino, Meſuæ.
- de Corallio, Nicol.
- Diacorall. Gal.
- Cypheos Damocratis.
- de Eupatorio, Meſuæ
- pro fumo vulgares, 2.

optimi, ſ. cum moſcho, 3.
de Gallia moſchata
Gordonii
Hedychroi
de Violis, Nicol.
de Lacca, Meſuæ
Moſchardini. 4.
de Myrrha, Rhaſ.
Pectorales. Baculi pectorales, 5.
Prophylactici cum mithrid. 6.
Ramich Meſuæ.
Diarrhodon. Nicol.
de Santalis, Meſuæ.
Diaſpermaton Gal.
de Spodio.
de Terra ſigillata, Meſ.
de Vipera, Gal.
de Xyloaloë, Meſuæ.

Huc referendi ſunt 1. Trochiſci ophthalmici, quibus imponitur nomen Sief. 2. Candelæ pro fumo. 3. Sapo odoratus; ac 4. Poma Ambræ, de quibus partim ſuis locis, partim hoc loco.

[*Trochiſci de Catech. muſcerdæ minimâ formâ, muſchati, qui ſub lingua pro fragrantia & apophlegmatiſmo tenentur:*]

Collyria ſunt uſitatiora,

Sief. album cum & ſine Opio, album Galeni.
citrinum Meſuæ
de plumbo Meſuæ
de roſis ſiccis.
de thure Rhaſis.
} Vide Diſpenſator.

Trochiſci purgantes.

Trochiſci de Agarico, Meſuæ.
Agaricus Trochiſcatus,
Alhandal. ſ. de Colocynthide,
de Rhabarbaro.
de Violis ſolutivi.

1. Trochiſci Alexiterii Renodæi. *ex Schrod.*

℞. *Rad. Zedoariæ, gentianæ, tormentillæ, rad. ireos flor.* ana ʒi. *angelic. cinamomi. caryophyllor. macis,* ana ʒß. *Zinziber.* ʒj. *coriandri præp. roſar.* ana ʒj. *cort. citri. ſicc.* ʒii.

F. Pulvis ſubtiliſſimus, & cum ſucci Glycyrrhizæ ℥vi. f. paſta mollis, de qua formentur trochiſci, vel potius bacilli oblongi.

Vires. *Peſti præcavendæ multum conferunt, ſi in ore detineantur, vel & in ventriculum demittantur.*

2. Trochiſci pro fumo vulgares. F. F. *ex Schrod.*

℞. *Santal. citrin. roſar. rubr. Caryophyll. cinam.* ana ʒvi. *benzoin.* ℥iß. *ſtyrac. calamit.* ℥i. *ſacchar. pulv.* ℥xii.

Cum mucilag. Tragac. in ∇ roſ. fact. f. trochiſci.

3. Trochiſci pro fumo cum moſcho F. F. *ex Schrod.*

♃. *Benzoin.* ℔i. *ſtyrac. calamit:* ℥vii. *roſar. rubr.* ʒi. *ligni aloes* ʒß. *caryophyll. ſantal. citr.* ana ʒii. *ſacchar. alb.* ℥viii. *moſch. zibeth.* ana ʒß.

M. & cum infuſione tragacanth. in ∇ roſar. formentur trochiſci.

Trochiſ. hyſterici *è Ph. Colleg. Reg. Londin.*

♃ *Aſæ fœtidæ, galbani an.* ʒiiß. *myrrhæ* ʒij. *caſtorei* ʒiſ. *rad. aſari, ariſtolochiæ longæ, folior. ſabinæ, matricariæ, nepetæ an.* ʒi. *dictamni* ʒs. *gummi, in ſucco, vel decocto rutæ maceratis, colatis, & ad mellis craſſitiem coctis, adjiciantur reliqua tenuiſſimè pulverata fiantq; trochiſci ſ. a.*

Trochiſci Cauſtici ex D. *Charraz.*

♃. *Cinerum clavellator. & calcis vivæ recenter coctæ an.* ℥j. *ſublimati corroſivi & thuris maſculi an.* ℥s. *Subtiliter pulverentur & miſceantur, & cum aqua roſarum, fiant exigui trochiſci, in umbra ſiccandi.*

Hi trochiſci brevi temporis ſpatio cauteriſant partes corporis quibus imponuntur.

Trochiſci odorati vel aviculæ Cypreę *ex eodem.*

♃. *Pulver carbon. ſalicis* ℥iii. *labdani* ℥ii. *ſtoracis benzoini an.* ℥s. *maſtiches, gummi tacamahacæ odoratæ, ſuccini flavi an.* ßii. *ſantali citrini, ligni rhodij an.* ʒiß. *cum mucilagine gummi tragacanthæ in aq. roſar. extracta, fiant ex a. trochiſci in umbra ſiccandi.*

Trochiſci vel aviculæ Cypreæ aliæ *ex eodem.*

℞. *Carbonum roriſmar. pulverator.* ℥iv. *labdani* ℥ij *ſtoracis, benzoini an.* ʒj. *rad. cyperi, calami aromatici, maſtiches, ſuccini an.* ʒij. *caryophyllorũ* ʒj. *moſchi, ambræ griſeæ, zibethi an. g. x. cũ mucilagine gũmi tragacanthæ in aqua florũ arantiorũ extracta, fiant trochiſci in umbra ſiccandi.*

Trochiſci alii Nobiliores *ex eodem.*

♃. *Reſinæ ſtyracis, benzoini electi, carbonum ſalicis an.* ℥j *tacamahacæ odoratæ puriſſimæ, ligni aloes veri ſubtiliſſimè pulverati an.* ℥s. *ambræ griſeæ* ʒj. *moſchi* ʒß. *Zibethi* g. vi. *oleorum ſtillat. ligni rhodij, cinnamomi, caryophyllor. an.* g. vi. *cum mucilagine gummi tragacanthæ in aq. roſar. extracta fiant ex a. trochiſci.*

4. Trochiſci Moſchardini, alias confectio moſchardina; Corpus ſine anima, *ex Schrod.*

♃. *Moſchi ex* ∇ *roſar. diſſolut.* ℈j. *ſacchari. albiſſ.* ʒvi. *amyli.* ʒv.

Atterantur piſtillo, & cum mucilagine tragacanth. (ex ℥i.) in ∇ roſar. fact. f. grana inſtar hordeaceorum, quæ exiccentur in umbra, pro uſu:

N. *Sunt qui ſanguinis Draconis* ʒii. *addunt.*

Vires. *Graveolentiam oris emendant, ſi paſtillus unus ac alter in ore detineantur.*

5. Baculi Pectorales F. F. *ex Schrod.*

♃. *Spec. diatragac. frigid. diaireos ſimpl. an.* ʒi. *rad. liquirit.* ʒß. *ſacchar. albiſſ.* ℥vi.

Cum mucilagin. Tragacanth. F. *Baculi.*

Vires. *Tuſſim leniunt, aſperitatem demulcent.*

6. Trochiſci Prophylactici cum Mitridatio, F. F. *ex Schrod.*

♃. *Boli armen. in ſucco citri infuſi & exiccati* ʒi. *corall. rubr, præpar.* ℥ii. *raſur. c. c* ʒi. *ſuccin. alb.* ℈ii. *rad. tormentill. pimpinell. imperator. angelic. zedoar. cinamom. an.* ʒii. *croc.* ℈j.

F. Pulvis ſubtiliſſimus.

♃. *Hujus pulveris* ʒii. *mithridatii opt.* ʒi. ♂ *cinamom. angelic. an. gut.* 1. *ſacchar. albiſſ.* ℥iii.

Cum mucilagine G. Tragac. in ∇ angelicæ facta. F. Trochiſci.

Vires. *Frequenti hic in uſu ſunt ad peſtem præcavendam.*

Hujus quoque loci ſunt, candelæ & baculi fumales, quæ fiunt ex pulveribus odoriferis, impaſtatis mucilagini Tragacanth. Styrac. & ſimil. uti trochiſci pro fumo, à quo non differunt, quoad modum fiendi.

Sic ſunt

7. Candelæ fumales. F. F. *ex Schrod.*

♃. *Benzoin.* ℥xvi. *lign. aloes, rhod. ſantal. citrin. ladan. an.* ℥iv. *oliban. maſtich. caryophyll. an.* ʒiii. *ſacchar. alb.* ℔ii. *carbon. tiliæ* ℔iv. ß.

F. omnium pulvis ſubtiliſſimus & cum mucilagine tragacanth. in ∇ roſar. majoran. & cort. citri facta, formentur candelæ, addendo parum ſtyracis liquid. & terebinth.

8. Maſſ-

8. Maſſa ſeu baculi pro Fornace *ex Schrod.*

℞. *Benzoin. ſtorac. cal. an.* ℥vi. *ladan. opt.* ʒvi. *balſam. indic.* ʒiii. *lign. aloes* ʒiii. (*præſtat extract.*) *moſch. alexand. zibett. an.* ℈j. *m. ſ. a. f. maſſa.*

Formenturque inſtar ceræ Hiſpanicæ baculi fornaci affricandi.

Trochiſci alij varij, ad varios uſus, ex variis Autoribus.

Trochiſci de Abſinthio Meſuæ ex *Ph. Aug.*

℞. *Roſar. Abſinth. pontici, Aniſi an.* ʒii. *rhabarb. ſucci Eupatorij Meſuæ, Aſari, ſem. Apij, Amygdalorum amarorum, ſpicæ indicæ, maſtiches, Folij an.* ʒj. *ſucci endiviæ quantum ſufficit. Fiant Trochiſci.*

In diuturnis febribus proficui, obſtructiones ventriculi, hepatis & dolores eorundem levant, partes naturales omnes roborant, dejectamque adpetentiam ſuſcitant.

Agaricum Trochiſcatum ex *Phar. Aug.*

℞. *Agarici elect.* ℥iv. *vini cretici aut malvatici, in quo* ʒj. *zingiberis infuſa fuerit, quantum ſufficit, formentur Trochiſci.*

Pituitam craſſam bile permixtam expurgat, ac viſcerum obſtructiones tollit.

Agaricum ſelectiſſimum per incerniculum tranſmiſſum cum juſta quantitate infuſi Zingiberini in mortario Lapideo in paſtillos cogatur, qui aere libero in umbra ſiccentur, ut evadant candidi, cùm alioquin facilè nigreſcant.

Trochiſci de Agarico Meſuæ *ex eâdem Ph.*

℞. *Agarici elect.* ℥iii. *ſalis gemmæ* ʒi. *ſyrupi acetoſi ſimpl. quantum ſufficit. Formentur Trochiſci, qui reponantur in loco calido & ſicco.*

Confert agaricum ſic præparatum antiquis Capitis doloribus, viſcerum obſtructionibus à craſſa, tenaci ac pituitoſa materia obortis, ſtomachum, renes, lienem, hepar ac uterum mundificat, Epilepſiam & vertiginem abolet, vermes enecat & expellit, prodeſtque ut plurimum morbis partium naturali facultati dicatarum, unde forſan Democrito Medicina familiæ dictum fuerit; venenis quoque reſiſtit, aſthmati conducit, & reſpirationem facilitat.

Hi ſunt communes illi Trochiſci de Agarico, ſolemnior tamen & magis correcta eorum componendorum ratio pluribus videtur ea, quæ ſequitur:

℞. *Agarici albi & levis* ℥ii. *ſalis gemmæ* ℥ß. *Zingiberis* ʒiii. *oxymelitis ſimp. quantum ſufficit. Formentur Troſchiſci.*

Antiquor. mos in corrigendo Agarico hic erat, ut ei ſalem gemmeum tres potiſſimùm ob cauſas adderent, quar. prima, exigui tamen ponderis eſt, ut is jam dictum Agaricum ob levitatem ſuam os ventriculi alioquin petiturum, ac vomitum vel ſtomachi ſubverſionem citaturum, ad ventriculi fundum deprimeret, deinde vero, ut, cum agaricum tardè ac ſegniter purget, ſal gemmeus magis irritet, ſtimulet, atque excretionem promoveat. Tandem quoque ut abſtergat & mundificet, unde priſcos omnibus ferè medicamentis purgantibus ſalem indidiſſe notavimus. Oxymeli porrò adjiciebant, ne agaricum Inteſtinis adhæreret, ſed protinus abſtergeretur, cùm aliàs vitium hoc ei peculiare exſiſtat, unde Avicenna eundem colicis non exhibendum eſſe docet, ne levitate ſuâ inteſtinis adhærens novos dolores procreet, inſuper etiam oxymeli craſſos ac lentos humores incidit, prout & zingiber, quod tenacem pituitam liquat attenuatque, & agarici infirmam vim ad longinquiores partes deducit, cum interim calore ſuo aromatico eaſdem confortet.

Trochiſci de Agno Caſto Rhaſis ex *Ph. Aug.*

℞. *Sem. Agni caſti* ʒv. *Endiviæ, portulacæ an.* ʒiiß. *cort. tamariſci* ʒv. *Formentur Trochiſci cum decocto ſcolopendrij.*

Profluvio feminis & gonorrhææ, morbis itidem ſplenis medentur.

Trochiſci Albi Rhaſis ex *Pharm. Londin.*

℞. *Ceruſſæ aquâ roſar. lotæ* ʒx. *ſarcocollæ* ʒiii. *Amyli* ʒii. *gum. Arabici, Tragacanthæ an.* ʒj. *camphoræ* ʒß. *excipiantur omnia aquâ roſar. vel lacte muliebri & Fiant Trochiſci ſ. a.*

Trochiſci Alexiterii ex *eâdem Pharm.*

℞. *Rad. zedoariæ, pulv. è chelis cancrorum an.* ʒiß *cort. exter. citri ſicce condit. Sem. Angelicæ, an* ʒj. *boli armenæ* ʒß. *ſacchari cryſtallini, triplum pondus omnium. Fiat pulvis ſubtiliſſimus, & cum ſ. q. mucilaginis gum. Tragacanthæ in Aq. Theriacali ſtillat. extracta, f. paſta ex qua formentur Trochiſci.*

Trochiſci Alhandal ex *Phar. Auguſt.*

℞. *Tragacanthi, gummi arabici, bdellij an.* ʒii. *macerentur in aqua roſacea, donec liqueſcant, & cum majori parte hujus mucilaginis pulpæ colocynthidis à ſeminibus mundatæ ac minutim inciſæ* ℥x. *imbuantur, ſiccentur, pulveriſentur & tandem cum reliqua mucilagine formentur Trochiſci.*

Pituitam, & humores alios Craſſos ac glutinoſos è profundis longeque diſtantibus partibus, utpote cerebro, nervis, muſculis, juncturis, pulmonibus, ac Thorace evacuant, quo nomine in Cephalalgia, hemicrania, apoplexia, vertigine, aſthmate, diuturna tuſſi, dipſnœa, thoracis anguſtia, iſchiade morbiſque articularibus frigidis uſurpantur, exhibentur in dolore Colico flatulento ad vitream & viſcidam pituitam ex inteſtinis deturbandam.

Correctionem, quam ex Meſuæ præcepto, cum amygdalor. dulcium oleo inſtituere olim conſueverunt, cùm facilè carere eâ poſſimus, conſultò omiſimus.

Trochiſci Alkekengi Meſuæ *ex Pharm. Auguſt.*

℞. *Fructuum Halicacabi* ʒiii. *ſem. citruli, Anguriæ, cucurbitæ an.* ʒiiiß. *Boli armenæ, gummi Arabici, Thuris maſculi, ſanguinis draconis, Amygdalorum amarorum, ſucci glycyrrhizæ, Tragacanthi. Amyli, pinearum mundatar, ſem. papav. albi an.* ʒvi. *Apij, hyoſciami, charabe, ſeu ſuccini albi, Terræ ſigillatæ, opij an.* ʒii. *cum ſucco Halicacabi vel cum aq. roſacea, in qua ejuſdem fructus ſicci fuerint macerati, Fiant Trochiſci.*

Dicuntur etiam diaphyſſalidon & de veſicaria, ad urinæ ardorem, in fiſtula urinariâ, veſica, renibus, & ureteribus exulceratis, feliciter exhibentur, dum ulcera detergunt, glutinant, & cicatrice tegunt, lotij acrimoniam mitigant, indeque urinæ tarditatem & dyſuriam natam tollunt.

Trochiſci Alkermes ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Confectionis Alkermes completæ* ʒiß. *laccæ florentinæ* ℈iv. *Ambræ, moſchi ana* ℈ß. *ſacchari albi* ℥xvi. *mucilaginis Tragacanthi cum aqua roſarum factæ quantum ſatis, Fiant Trochiſci.*

Viribus cum ipſo electuario ſive confectione conveniunt.

Eoſdem etiam ſine moſcho & Ambra paratos in uſu habemus.

Trochiſci Aliptæ Moſchatæ Nicolai ex *Ph. Aug.*

℞. *Ladani puriſſimi* ℥III. *ſtyracis calamitæ* ℥Iß. *ligni aloes veri* ʒII. *Ambræ* ʒI. *camphoræ* ʒß. *moſchi* ℈ß. *aquæ roſar. quantum ſufficit. Formentur Trochiſci.*

Conferunt hi Trochiſci infantibus ac puerulis aſthmaticis & pectoris anguſtiâ vel anhelitus difficultate preſſis, ventriculum eorum laxum ac imbecillum roborant, unde lactis à nutrice præbiti evomitiones compeſcunt; nec non ad pretioſos ſuffitus expetuntur.

Parandi modus hic eſt, ut ladanum & ſtyrax, in calido mortario, piſtillo calido, validè contuſa commiſceantur, & emolliantur, deinde lignum aloës in tenuem pollinem tritum inſpergatur, & denique camphora, Ambra & Moſchus in ſufficiente quantitate aquæ roſaceæ odoratiſſimæ ſoluta addantur, & omnia in paſtam cogantur, quæ in paſtillos aut orbiculos efformari queat.

Trochiſci de Aniſo Meſuæ ex *Phar. Auguſt.*

℞. *Aniſi, ſucci Eupatorij Meſuæ inſpiſſati an.* ʒII. *ſem. Anethi, ſpicæ indicæ, maſtiches, Folii, Folior. Abſinthij, radicum Aſari, Apij, Amygdalor. amarorum, an.* ʒß. *Aloes* ʒII. *ſucci abſinthij quantum ſufficit. Fiant Trochiſci.*

Obſtructiones hepatis reſerant, flatus diſcutiunt, ſtomacho auxiliantur, atque chronicos frigidos morbos, febrieſque diuturnas ſanant.

Trochiſci de Antiſpodio Meſuæ ex *Renodæo.*

℞. *Roſar.* ʒVII. *antiſpodij* ʒIV, *ſem. portulacæ, ſucci glycyrrhyzæ an.* ʒII. *cum mucagine ſeminis pſyllij. Fiant Trochiſci.*

Si aliquando fas ſit balbutire cum balbutientibus, hos paſtillos ad electuarij de pſyllo condituram accommodatos, de ſpodio vocavimus, ſed inviti quidem, quod illorum baſis ſpodium non ſit, ſed potius antiſpodium, vel verius uſtum, quod hucuſque Pharmacopæorum familia pro cannæ ſeu Tabaxir radicibus uſtis uſurpavit, valeat tamen iſtud pſeudoſpodium, vel imaginarium Arabicæ gentis ſpodium, quod valere poterit, ex eo antiſpodio à nobis vocato, parandi & nominandi ſunt Trochiſci deſcripti, additis roſis, ſemine portulacæ, & ſucco glycyrrhizæ, pſylli glutine comprehenſis.

Vires. ſic autem parari non modo in Electuarij dicti veniunt compoſitionem, ſed & per ſe dantur ad febres acutas, ventriculi & hepatis inflammationem, & ſitim vehementiorem.

Alij dantur adhuc à Meſue magis compoſiti, cum ſemine videlicet acetoſæ, pulpa ſumach, amylo, coriandro, balauſtiis, berberis & Gum Arabico, omphacij ſucco exceptis, minus tamen uſuales ſunt, nec probè congruunt electuario nominato.

Trochiſci Bechici Albi ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Sacchari albiſſ.* ℔j. ℥VIII. *ireos* ℥Iß. *Amyli* ℥Iß. *mucilaginis Tragacanthi albiſſimi cum aq. roſarum factæ quantum ſatis. Formentur Trochiſci parvi.*

Faucium aſperitati proſunt, ac tuſſientibus & difficulter ſpirantibus opem ferunt.

Bechici Nigri ex *eâdem Pharm.*

℞. *Succi liquiritiæ inſpiſſati* ℥VIII. *ſacchari* ℔II. *cum mucilagine Tragacanthi fiant Trochiſci, in mortario calido maſſam miſcendo.*

Tuſſi ſiccæ à materia acri & calida profectæ conferunt, guttur ac fauces leniunt, difficileſque exſcreationes promovent.

Pulveris liquiritiæ ℥j. olim huic compoſitioni deſtinatam, ſi quis addere voluerit, per nos liceat, quamvis hac ratione Trochiſcorum, colorem nigrum, à multis vulgo expetitum immutari contingat.

Bechici Nigri alij ex *eâdem Pharmac.*

℞. *Succi glycyrrhizæ inſpiſſati* ℥IV. *ſtyracis calamitæ* ℥Iß. *ſacch. cantij* ℥Iß. *ſpecierum diaireos Salom. lohoch. ſani an.* ℥ß. *ſacchari penidij* ℔ß. *albiſſimi* ℔II. ℥II. *mucilagin. Tragacanthi cum aqua hyſſopi factæ quantum ſatis. Fiant Trochiſci.*

Viribus cum Trochiſcis Bechicis nigris, ſuperius deſcriptis conveniunt.

Bechici Rubri ex *eâdem Phar.*

℞. *Specier. Trochiſcos, bechicos albos conſtituentium* ℥j. *boli Armenæ orient, præparatæ* ʒij. & ℈ij. *cum infuſo Tragacanthi facto in aqua roſar. Fiant Trochiſci.*

Catarrhos tenues intercipiunt, leniter enim adſtringunt & exſiccant, ac ſputum Sanguinis inhibent.

Bechici Griſei ex *Phar. Norimberg.*

℞. *Pulveris liquiritiæ* ʒij. *ſpec. de iride* ʒß. *pulvi ſeminis aniſi* ʒj. *ſtyracis calamitæ* ʒIß. *ſacchari alb.* ℔ij.

Cum mucilagine Tragacanthi fiat maſſa, addantur olei aniſi guttæ aliquot.

Bechici Antipleuritici *Zwelferi.*

℞. *Species omnes Trochiſc. bechic. albos ingredientes quib. adde extracti flor. papav. erratic. vel Rhæad.* ℥ij. *rad. Enulæ* ʒI. *pulv. boli Armenæ prep.* ℥Iß. *crociopt.* ℥II.

Ex omnibus probè unitis fiat, beneficio mucilaginis tragacanthi (ſi pulpæ ſeminum & pineaium non ſuffecerint) cum infuſione flor. papav. Rhæad. factæ maſſa ſeu paſta ſ. a. ex qua formentur Trochiſci: qui in omnibus pectoris, Tuſſi antiqua, pleuritide, ſputo cruento, imò in phthiſi ipſa cum emolumento exhibentur.

Trochiſci de Bdellio Avicennæ ex *Bauderonô.*

℞. *Roſar. rubrarum* ʒX. *Bdellij* ʒIII. *nardi indicæ* ʒII. *amygdalar. amararum & coſti, utriuſque* ʒIß. *myrrhæ & maſtiches, utriuſque* ʒI. *diſſolve Bdellium cum vino, & finge paſtillos pond.* ʒI.

Trochiſci de Benzoë ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Benzoi* ℥VI. *ligni Aloes optimi* ℥VIII. *ſtyracis calam.* ℥III. *moſchi* ʒß. *ireos* ℥II. *ſacchari cantij* ℔III. *pulveriſatis omnibus, Fiant Trochiſci cum aqua roſar.*

Caput & pectus roborant & ſiccant, nec non ad ſuffitus ac odoramenta expetuntur.

De Benzoë ad uſum internum *Zwelferri.*

℞ *Sacchari can. albi* ℔j. *ſolutum in ſ. q. aquæ roſarum frag. ad conſiſtentiam Tabulati coquendo redigatur, in quo ab igne remoto diſſolve, reſinæ ſtoracis calam. per expreſſionem factæ* ℥j. *item ubi parum refrixerint, pulv. Benzoes el. in granis* ʒVI. *ligni aloes opt. gum.* ℥ß. *rad. ireos flor.* ℈j. *moſchi orient. in nonnullis guttulis aq. roſar. ad pultic. ſoluti* ℈j. & *ſi in promptu ſit, olei Benzoes ſtill. fragr.* ʒj.

E quibus omnibus mixtis addita ſ. q. mucilaginis tragacanthi, cum aq. Flor. Arant. facti, efformetur paſta, ex quâ tandem formentur Trochiſci laudatiſſimi pro uſu interno, in affectibus pectoris & aſthmaticis utiliter adhibendi.

Trochiſci de Berberibus Meſuæ ex *Ph. Auguſt.*

℞. *Berberum* ʒij. *ſpodij. ligni aloes, ſeminis acetoſæ. maſtiches, galliæ moſchatæ, nardi indicæ an.* ʒj. *arabici* ʒIII. *roſar. rub.* ʒV. *aquæ roſarum quantum ſufficit F. Trochiſci.*

Ingrediuntur Elect. roſatum Meſuæ, in eumq; uſum potiſſimum parantur, licet uſurpari etiam poſſint ad intemperiem calidam, febrium ardores, linguæ ariditatem, & ſitim ſedandam.

Tro-

Trochiſci de Camphora Meſuæ ex *Ph. Aug.*

℞. Roſar. rub. ʒiv. ſacchari albi, mannæ an. ʒiii. ſandali citrini ʒiʒ. glycyrrhizæ, ſpodij an. ʒii. ſem. 4 frigidor. major. gummi arabici, Tragacanthi, nardi indicæ, croci an. ʒj. ligni aloës, cardamomi majoris, Amyli, camphoræ an. ℈ii. cum mucilagine ſem. pſyllij, extractâ cum aqua roſacea, formentur trochiſci.

Ad febres ardentes, bilis & ſanguinis fervorem, ventriculi & hepatis intemperiem calidam, & ab his ſitim intenſam, icterum quoque, phthiſin & hecticam utiliter adhibentur.

Trochiſci de Capparibus Meſuæ ex *Ph. Aug.*

℞. Cort. radicum capparum, ſem. Agni caſti an. ℥vi. nigellæ, naſturtij, calaminthæ, ſucci Eupatorij Meſuæ, Acori. Amygdalor. amarorum, Folior. rutæ, Ariſtolochiæ rotundæ veræ, Ammoniaci an. ʒii. cyperi rotundi, ſcolopendrij veri ſeu ceterachi an. ʒi. Trita omnia cum ammoniaco in aceto diſſoluto formentur in trochiſcos.

Commendantur ad lienis & hepatis obſtructiones à craſſa & melancholica materia profectas; potenter enim humores attenuant, natamque inde viſcerum duritiem emolliunt, ac flatus hypochondriacos, cæterarumque partium ſolvunt.

Trochiſci Cephalici ſeu Capitales *Zuvelferi.*

℞. Sacchari canar. albi ℥vi. ſolvatur in ſ. q. aq. roſar. ac denuo ad conſiſtentiam tabulati parum coquatur, in quo ab igne remoto diſſolve Ambræ gryſeæ ℈i. vel ʒß prius tamen cum ſem. citri excort. ℈j. probè ſubactæ, reſinæ ſtoracis calamitæ ʒj. his bene mixtis & diſſolutis ſuperadde ſtatim conſ. flor. betonicæ, arantiorum ana ex anatica quantit. Flor. & sacch parat. ℥i. pulv. rad. doronici veri, ligni aloës an. ʒii. nucum moſchatar. ʒii. macis, Cardamomi, cubebarum an. ʒiß Elæoſacchari, cinamomi. ʒvi. caryoph. ℥ß. ſumendo ʒß. oleorum pro ℥j. pulv. ſacchari, ſacchari roſati ſuperius edocti ℥j.

Et cum ſuffic. quantit. mucilaginis Tragacanthi, cum Aq. roſarum fragr. extractæ fiat paſta ſeu maſſa tenax, ex qua Trochiſci formandi, cerebrum & totum caput, ut & ventriculum inſigniter roborantes.

Trochiſci de Charabe Meſue ex *Phar. Aug.*

℞. Charabe ʒvi. cornu cervi uſti, gummi Arabici, corallij rubri, Tragacanthi, ſucci Acaciæ hypociſtidis, balauſtior. maſtiches, laccæ, papaveris nigri an. ʒii. Thuris, croci, opij an. ʒj. gr. xv. mucilaginis pſyllij quantum ſatis eſt. Formentur Trochiſci.

Sanguinem exſcreantibus, tabidis, purulenta exſpuentibus, cœliacis & dyſentericis auxiliantur, ſanguinem undecunq; emanantem ſupprimunt.

Trochiſci de Corallô Nicolai ex *Ph. Aug.*

℞. Corallij rubri, cinnamomi, myrrhæ, amomi, ſem. papaveris an. ℥ß. ſchœnanti, croci ʒii. calami aromatici, Xylobalſami, caſſiæ ligneæ, Folij maſtiches, folior. polij montani, pedis columbini, radic. phu, Aſari an. ʒj. mucilaginis tragacanthi quantum ſufficit. Formentur Trochiſci.

Sanguinolenta excreantibus, dyſentericis, cæliacis, & cibum faſtidientibus mirè ſubveniunt.

Diacoralliu Galeni ex *eâdem Pharm.*

℞. Corallij rubri, terræ ſamiæ, aut Boli Armenæ an. ℥i lemniæ, balauſtior. Amyli an. ℥ß. hypociſtidis, ſem. Hyoſciami, opij an. ʒii. ſucci plantaginis quantum ſufficit. Formentur Trochiſci.

Iisdem affectibus probè tollendis, quibus præcedentes ſuccurrunt.

Trochiſci de Croco Nicolai ex *Phar. Aug.*

℞. Croci ʒiii. roſarum rubr. Ammeos, myrrhæ an. ʒß. ligni aloës ℈ij, cum mucilagine Tragacanthi aquâ roſacea facta fiant Trochiſci.

Lienis & hepatis obſtructiones aperiunt, flatus diſſipant, humorum putredinem arcent, ac cordi vires addunt.

Crocomagma Damocratis ex Galeno ex *eâdem Pharm.*

℞. Croci ʒxxv. myrrhæ, roſarum an. ʒxiiß. Amyli, gummi. Arabici an. ʒviiß. vini Chij quantum ſufficit. F. Trochiſci.

Trochiſci Cypheos Damocratis ex Galeno, ex *eâdem Pharm.*

℞. Uvarum paſſar. major. ſeu cubebarum, Terebinthinæ coctæ an. ℥iii. myrrhæ, ſchænanthi an. ℥iß. calami Aromatici ʒix. cinnamomi ʒiv. bdellij electi, ſpicæ indicæ, caſſiæ ligneæ veræ, cyperi, baccar. Juniperi an. ʒiii. Aſpalathi ʒiiß. croci ʒj. mellis quantum ſufficit, vini cretici modicum.

Bdellium, myrrha, & Terebinthina cocta in vino diſſoluta redigantur ad craſſitiem mellis, & carni paſſular. ex melle diu tritæ miſceantur: deinde reliquà in tenuiſſimum pulverem redacta adjiciantur, ac ſimul agitando commiſceantur, formenturque Trochiſci, qui in umbra ſiccentur.

Deſcribuntur à Galeno 2. de Antidotis in Mitridatio Damocratis cujus compoſitionem ingrediuntur. Quamquam per ſe quoque commodè ijs dentur, qui jecur, aut pulmones vel renes, aut aliud aliquod viſcus exulceratum habent.

Trochiſcos hos inter obſoletos repoſuimus, ut & qui Hedycrhoi dicuntur, poſtea deſcribendi; cùm nobis pro alijs uſibus haud inſerviant, quàm ut Theriacæ ac mithridatij compoſitionem, ingrediantur; quibus tamen ſpecies pro ijs requiſitas commodiùs ſubſtituimus, & etiam ſubſtituere hactenus conſuevimus.

Trochiſci de Eupatorio Meſuæ ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Mannæ, ſucci eupatorij an. ℥j. roſarum ℥ß. ſpodij ex ebore ʒiiß. ſpicæ indicæ ʒiij. rhabarbari, Aſari, Aniſi an. ʒiiß. cum aquæ cuſcutæ fiant Trochiſci, qui in umbra ſiccati reponantur.

Efficaces ſunt ad omnem lienis & hepatis obſtructionem, tumoremque præter naturam; febres antiquas, earumque rigorem ſanant, morbo regio & hydropi incipienti ſuccurrunt, ſtomachicos juvant, & corporis flatus diſcutiunt.

Trochiſci de Gallia Moſchata Meſuæ ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Ligni aloës ʒv. Ambræ ʒiij. moſchi ʒj. mucilagi Tragacanthi extractæ cum aqua roſarum quantum ſufficit.

Cerebrum, cor, ventriculum, & reliqua viſcera roborant, vomitum reprimunt, pectoris anguſtias & reſpirationis difficultatem juvant, oris halitum commendant, & ad varias Compoſitiones expetuntur, ſuffitu ac vaporatione gratiſſimi, nec non ad delicias odoris ſuavitate quàm maximè adcommodati.

Trochiſci Gemmati ex *Pharm. Norimberg.*

℞. Reſiduum à Julepi gemmati ſolutione; addantur aliquot grana moſchi, & ambræ, cum ſufficiente ſacchari quantitate Fiant Trochiſci.

Trochiſci ad Gonorrhœam *Renodæi.*

℞. Sem. viticis, ſeu agni caſti, lactucæ, roſarum, balauſtiorum an. ʒj. ſcobis eboris, electri an. ʒiß. boli

armenæ in aqua centinodiæ lotæ ℥ii. *ſem. plantaginis* ℈iv. *ſaſſafras* ℈ii. *cum mucagine ſeminis citoniorum in aqua nenupharis extracta, fiant Trochiſci.*

Gonorrhæa vel eſt voluntaria, ut cum ſemen per coitum & cum voluntate excernitur, vel indita, ut cum citra venerem effluit: atque ea vel ſimplex eſt, & nullius qualitatis malignæ particeps, quæ aut à ſeminis plenitudine, aut qualitate, aut labore, curſu, equitatione, & piperatorum uſu nimio oritur: vel fœda & virulenta, quæ ex impuro Concubitu, cum lue Indica affectis contrahitur, in qua virus albicans, aut ex virore flaveſcens è vaſis ſeminalibus ſine ſenſu excidit vigilanti pariter atque dormienti, frequens quidem malum eſt, mulieribus perinde atque viris commune, quod tempore nonnunquam tantas vires acquirit, ut per totum corpus ſerpat & partes ſingulas afficiat.

Vires. Ad utramque verò utiliter noſtri paſtilli uſurpantur ad ſimplicem quidem, ſola ſanguinis eductione præmiſſa: ad virulentam, incipientem, vel mondum inveteratam, corpore ſemel atque iterum repurgato & ſanguine imminuto, dantur cum decoctione ſeminum papaveris & melonum, vel cum aq. roſarum Doſis eſt à ℥i. ad ℥iiß. aut ℥iii. ad ſummum. Horum ut præcedentium eadem eſt, ac facilis præparatio.

Trochiſci Gordonii ex *Phar. Auguſt.*

♃. *Sem. 4. frigid. major. mundatorum, papaveris albi, malvæ, Bombacis, portulacæ, cydonior, baccar, myrtillorum, Tragacanthi, gummi Arabici, pinearum mundatar. piſtacior, liquirit, mundæ, hordei mundi, mucilag. pſyllij, Amygdalor, dulcium, an.* ℥i. *boli armenæ, ſanguinis draconis, ſpodij, roſarum myrrhæ an.* ℥ß. *ſacchari cantij* ℥ii. *cum Hydromelite Fiant Trochiſci.*

Deſcribuntur à Gordonio de paſſionibus renum, partic. 6. Cap. 10. Quorum exulcerationes ſanant, ſanguinis mictum inhibent, diabeti & gonorrhææ conferunt, ac ſtranguriam levant. Propinantur ſi abſterſio expetitur ex hydromelite, aut decocto liquiritiæ vel hordei; ſin verò conſolidandi intentio prævalet, ex lacte aut aqua Chalybeata cum ſyrupo vel ſucco plantaginis; ac ſi exulceratio in veſica extiterit, lacte diſtemperati per ſyringam injiciuntur. Aliam deſcriptionem ſimilium Trochiſcorum ponit idem præfatus Auctor eodem loco Cap. 11. quæ Ambram, ſuccinum, ſpicam, ſchænantum, & alia recipit; verùm hæc, quam adpoſuimus, uſitatior exſiſtit.

Trochiſci Hedychroi Andromachi ex Galenô *Pharm. Auguſt.*

♃. *Mari, radicum Aſari, Amaraci, Aſpalathi an.* ℥ii. *ſchœnanthi, calami odorati. phu. pontici, Xylobalſami, cinnamomi, coſti an.* ℥iii. *myrrhæ, Folii. nardi Indicæ, croci, caſſiæ ligneæ an.* ℥vi. *Amomi* ℥xii. *maſtiches* ℥i. *vini Falerni quantum ſufficit. Fiant Trochiſci.*

Deſcribuntur à Galeno 1. de Antidotis Cap. 10. ad Theriaces compoſitionem expetiti, in his cum quædam requirantur interdum ſuccedanea, pro maro, ſi defuerit (quod tamen ad nos jam deferri cœpit) dictamni cretici folia, pro Aſpalatho ſandalum citrinum, pro opobalſamo oleum caryoph. pro coſto Angelicam, pro Amomo citri ſemina, ac denique pro Falerno creticum vinum adſumere licebit.

Trochiſci. Hepatici Refrigerantes *Zvvelferi.*

♃. *Cremoris Tartari* ℥i. *fœculæ ſeu potius ſalis eſſentialis Acetoſellæ* ℥ß. *nitri cryſtallini cum papar. errat. vel potius cum roſis, eſſentificati* ℥ii. *Eſſent. citri ſaccharinæ, roſatæ ſacch. an.* ℥i. *pulv. ſacchari cant. albi* ℥ß. *ſantali rubri* ℥ii.

Ex his omnibus probè mixtis, additâ ſ. q. mucilag. Tragacanthi cum tinctura roſarum extractæ, fiat paſta, ex qua formentur Trochiſci, qui cuſtodiantur. Refrigerant & humectant, viſcerum intemperiem calidam contemperant, & ſitim inexhauſtam extinguunt.

Trochiſc. Hyſterici ex *Pharm. Londin.*

♃. *Aſæ fœtidæ, galbani an.* ℥iiß. *myrrhæ* ℥ii. *caſtorei* ℥iß. *Rad. Aſari, Ariſtolochiæ longæ. Fol. ſabinæ, matricariæ, nepetæ an* ℥i. *dictamni* ℥ß. *gummi in ſucco vel decocto rutæ maceratis, colatis, & ad mellis craſſitiem coctis, adjiciantur reliqua tenuiſſime pulverata. Fiantque trochiſci ſ. a.*

Trochiſci Diaïon ſeu de Violis Nicolaï Alexandr. ex *Ph. Auguſt.*

♃. *Flor. violarum purpurearum recentium* ℥v. *ſem. papareris albi* ℥iiß. *rhabarbari* ℈v. *ſem. plantaginis* ℥i. *opobalſami vel olei caryophyllor.* ℈i. *Trita ſubigantur, & cum aqua roſarum formentur Trochiſci.*

Thoracis anguſtias levant, guttur leniunt, ac alvum emolliunt.

Trochiſci de Laccâ Meſuæ ex *Pharm. Auguſt.*

♃. *Laccæ mundatæ, ſucci glycyrrhizæ, Eupatorij, Abſinthij, berberum, rhabarbari, Ariſtolochiæ longæ, coſti, Aſari, Amygd. amarorum, rubiæ, Aniſi, Apij, Schœnanthi an.* ℥i. *cum decocto Ariſtolochiæ & ſchœnanthi, vel ſucco eupatorij, aut Abſinthij fiant Trochiſci.*

Jecinoroſos, lienoſos & hydropicos adjuvant, febreſque ex viſcerum obſtructione natas propulſant, ac urinas potenter movent, quo nomine Aſcitem pellunt.

Trochiſci de Ligno Aloes ex *Pharm. Londin.*

℞. *Xyloaloës, roſar. rubr. an.* ℥ii. *maſtiches, cinnamomi, caryoph. ſpicæ nardi indicæ, nucis moſchatæ, ſem. paſtinacæ, cardamam. majoris, cubebar, galliæ moſch. cortic. citri, macis an* ℥iß. *Ambræ gryſeæ, moſchi an.* ℥ß. *cum mucilagine paſſui f. Trochiſci.*

Trochiſci de myrrha Rhaſis ex *Phar. Auguſt.*

♃. *Myrrhæ* ℥iii. *lupinor.* ℥v. *Folior. rutæ, mentaſtri, pulegij cervini, cumini, Rubiæ, Aſæ fœtidæ, ſagapeni, opoponacis an.* ℥ii. *diſſolvantur gummia in aceto ſcillino, & cum ſucco Artemiſiæ fingantur Trochiſci.*

Deſcribuntur à Rhaſe 9. ad Almanſorem, utiles in menſtruæ purgationis retentione, quæ ex craſſorum & frigidior. humorum copia aut ſanguine concreto ortum duxit: attenuant, incidunt, & infarctos meatus aperiunt, fœtum mortuum, & præcipuè ſecundinam tardantem expellunt, exhibentur in decocto granorum juniperi.

Pro pulegio cervino quidam vulgare capiunt, ejus enim maxima vis eſt in ciendis menſtruis.

Trochiſci Narcotici Fernelii ex *Renodaô.*

℞. *Gummi Arabici, Tragacanthi, amili an.* ℥ß. *ceruſæ lotæ aqua roſarum* ℥vi. *ſtyracis calamitæ, myrrhæ, caſtorij, opij ſapa ſoluti an.* ℈iv. *Croci* ℥ß. *Trita omnia excipiantur mucagine ſeminis pſyllij in aqua roſarum deprompta & Fiant Trochiſci.*

Superſunt duo paſtilli uſuales tantùm exterius adhibendi, quos eadem ſerie deſcribere, nec ad poſteriorem officinæ partem, quæ de medicamentis tantum externis agit, differre non libuit, quorum priores vocantur à Fernelio narcotici, quod parti cuipiam admoti ſenſum ſtupefaciendo dolorem illius conſopiunt,

piunt, horum autem apta eſt Compoſitio & uſus pernecſſarius, neque ulli ante extant ad ſimiles affectus accommodati ad præparationem ſingula primum ſeorſim tenenda, dein confuſè mixta, mucagine ſeminis Pſyllij excipienda & in maſſam cogenda.

Trochiſci Narcotici debiè admoti, Capitis dentiumque dolorem conſopiunt, in febrium ardoribus ſomnum accerſunt, Eryſipelata, inflammationes extingunt, partium omnium externarum dolores alijs medicamentis ſoluti compeſcunt.

Trochiſci Pectorales cum Ambra ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Specier. diaireos ſimplit. ℈VIII. *diambræ completæ, pulv. radic. ireos Florentinæ an.* ℈IV. *Amyli* ʒß. *Trochiscorum galiæ moſchatæ veræ* ℈IV. *grana* VIII. *ſacchari albiſſimi* ℔I. *mucilaginis Tragacanthi cum aqua roſur. facta quantum ſatis Fiant Trochiſci.*

In Catarrho & defluxionibus è capite varijs ad aſperam arteriam & Cavitatem pectoris in primis utiles ſunt, lentorem catarrhi incidunt, ſputum premovent, & expectorationi humoris conducunt.

Trochiſci Antiphthiſici *Zvvelferi.*

℞. Rad. Enulæ camp. ʒVI. *ireos Florent.* ℥I. *liquiritiæ coquantur in aquæ ſimpl. ſuff. quantit. ad remanentiam circiter* ℔I. *coletur decoctum, & ad* ℥IV. *evaporet, quod interim aſſervetur, jam verò*

℞. Sem. melonum, cucurbitæ ana excort, ʒVI. *papav. albi, Amygd. dulc. decort. an.* ℥I. *Benzoes opt.* ℥ß. *contundantur junctim in mortario ad pultis formam cum ſuperioris decocti aſſervati ſuff. quant. ac per ſetaceum tranſmittantur huic pulpæ adde pulv. ſacchari can. albi* ℥VIII. *croci Auſtriaci* ℥III. *ireos Florent.* ℥I. *Flor. ſulphuris* ʒVI. *liquiritiæ* ℥ß. *Elæoſacchari Aniſi* ℥I. *& contundendo in mortario lapideo efficiatur paſta, ex qua formentur paſtilli oblongi, vel etiam Trochiſci.*

Trochiſci Polyidæ, ſeu Sphragis Andromachi ex *Ph. Londin.*

℞. Flor. mali punici, i. Cytinorum ʒXII. *Aluminis ſciſſilis, vel rupei* ʒIII. *Thuris, myrrhæ, an.* ℥ß. *Chalcanthi* ʒII. *Fellis taurini* ʒVI. *Aloes,* ℥I. *vini auſteri, vel ſucci ſolani, aut plantaginis q. ſ. f. Trochiſchi ſ. a.*

Trochiſci Ramich Meſuæ ex *Ph. Auguſt.*

℞. Succi acetoſæ ℥XVI. *roſar. rubr.* ℥I. *baccar. myrti* ℥II. *ſemel ferveſiant & colentur, adde colato gallarum recent. adcuratè tritarum* ℥III. *Coquantur iterum aliquantulum, deinde inſpergatur ſequentium ſpecierum minutiſſimus & optimè commixtus pulvis.*

℞. Roſarum ℥I. *ſandali citrini* ℥X, *gummi Arabici* ℥Iß. *ſumach. ſpodij an.* ℥I. *omphacij* ʒVII. *gran. myrti* ʒIV. *ligni aloes, caryophyllor. macis, nucis moſchatæ an.* ʒIV.

Miſce omnia; & extende in ſcutella lapidea uſque dum ſiccentur, Exſiccata rurſus in tenuiſſimum terantur, & formentur Trochiſci parvi cum camphoræ aureo ſeu denario uno, hoc eſt, ʒI. & ſeptima ejuſdem parte, & ſufficienti aqua roſarum ac in umbra libera exſiccati reponantur.

Hos Trochiſcos aliquot Compoſitiones recipiunt, uſurpari tamen etiam poſſunt in inteſtinorum & alvi totius lævitate, acriumque humorum per ſedem profluvio: infuſi enim acrimoniam obtundunt, & impetum refrænant, eoque nomine choleræ morbo ſuccurrunt, hæmorrhagiam omnem ſiſtunt, naribus immiſſi, viſcerum languores, ventriculi, hepatis & cordis imbecillitates firmant.

Illius receptæ antiquitus præparationis loco, commodiùs, omittendo commendatam in principio coctionem & infuſionem, pulvis roſarum & granorum myrti doſis duplicari, gallæ etiam contritæ admiſceri, & cum reliquis, ope gummi Arabici in omphacij & ſucci acetoſæ ſufficienti quantitate ſoluti, in Trochiſcos effingi poſſent.

Trochiſci de Rhabarbaro Meſuæ ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Rhabarbari optimi ʒX. *ſucci Eupatorij, Amygdalor. amarorum, an.* ʒIV. *roſarum rubr.* ʒIII *ſpicæ indicæ. Aniſi, Rubeæ, radic. Abſinthij. Aſari, ſem. Apij an.* ʒI. *mucilaginis Traganthi cum aqua cuſcutæ factæ quantum ſuffiit: Fiant Trochiſci.*

Horum uſus eſt in febrium diuturnarum declinatione, impendente malo corporis habitu, plurimùm namque proſunt ictericis, hydropicis, hepaticis, & Cachecticis; tumoribus, doloribuſque ventris inferioris medentur, obſtructiones reſerant, formæ corruptionem ac fœditatem emendant, nec non affectus jecoris inveteratos, aquei acris ac ſeroſi humoris dejectione tollunt.

Trochiſci Diarrhodon Nicolai ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Roſarum recent. ʒIII. *ſpodij* ʒII. *ſandali rubri* ʒIß. *grana* VII. *albi* ʒI. *gr.* XII. *croci* ℈IIß. *camphoræ* ℈ß. *roſas contunde in mortario lapideo, tum reliqua in pulverem redacta adde: & cum aqua roſacea. ſub finem camphoram addendo, formabis Trochiſcos, quos in umbra ſiccatos uſui reſerva.*

Dyſentericis, Cœliacis, jecinoroſis, & Stomachicis conferunt.

Trochiſci de Roſis Rhaſis ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Roſarum rub. ℥ß. *ligni aloës* ʒII. *maſtiches* ʒIß. *cinnamomi, Abſinthij pontici, nardi Indicæ, caſſiæ ligneæ veræ, ſchœnanthi an.* ʒI. *cum decocto quinque radicum aperientium formentur Trochiſci.*

Efficaces ſunt ad jecoris obſtructionem, ac febres antiquas, icterum, & aquam intercutem; ventriculi & nutritioni dicatarum partium imbecillitatem corrigunt.

Trochiſci de Sandalis Meſuæ ex *Ph. Auguſt.*

℞. Trium ſandalor. an. ℥ß. *roſarum* ʒIIIß. *berberum aut ſucci eorundem inſpiſſati* ʒIII. *boli Armenæ, ſem. cucumeris, cucurbitæ, citruli, portulacæ, ſpodij an.* ʒII. *Camphoræ* ʒß. *cum mucilagine Tragacanthi aqua portulacæ ſoluta, Fiant Trochiſci.*

Ad febrem ardentem, ventriculi & hepatis intemperiem calidam & ſitim levandam uſurpantur.

Trochiſci de Scilla Galeni ex *Phar. Auguſt.*

℞. Scillam plenam & candidam, cortice primo, detracto, & parte duriore cui radiculæ adhærent, abjectâ farinâ ſubactâ involves & eò uſque in clibano coques, donec farina cruſtam contraxerit quâ perforatâ, ſtylo ligneo explorabis, num ſcilla tenera ſit, eam exemtam diligenter teres, & admiſcebis farinæ Ervi tenuiſſimè cribratæ ℥VIII. *ad ſingulas* ℔. *formabiſque Trochiſcos ponderis* ʒII. *quos in umbra ſiccabis, ſæpius invertendo, donec probè ſiccati fuerint.*

Deſcribuntur à Galeno I. de Antidotis, & in Theriaca ad Piſonem, ejus enim Compoſitionem ingrediuntur.

Pro farina orobi ſeu Ervi rectè hîc à nobis ſubſtituitur Pulvis radicum dictamni albi, ſeu Fraxinellæ.

Trochiſci Diaſpermaton Galeni ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Sem. Apij, ammeos an.* ℥ß. *Aniſi, fœniculi an.* ʒII. *opij, caſſiæ an.* ʒI. *cum mucilagine Tragacanthi aquâ pluviali facta formentur Trochiſci.*

Dantur ex paſſo, aut aqua, ad omnes internos affe-ctus dolorificos, ſanguinem rejectantibus adprimè conferunt, ac ſomnum conciliant.

Trochiſci de Spodio cum Semine acetoſæ ex *Phar. Auguſt.*

℞. *Roſarum rubr.* ℥iß. *ſpodij* ʒx. *ſem. Acetoſæ* ʒVI. *portulacæ, coriandri, ſumach. an.* ʒIIß. *Amyli, balau-ſtiorum, berberum an.* ʒII. *gum. Arabici* ʒIß. *ompha-cij quantum ſatis F. Trochiſci.*

In Febribus bilioſis cum alvi fluore præſtantes ſunt, inflammationem ventriculi & hepatis ac ſi-tim continuam ſedant.

Trochiſci Sublinguales Completi contra Pe-ſtem ex *Ph. Auguſt.*

℞. *Extracti ligni Aloës gr. x. ſpecier. cordialium temperat.* ʒI. *diamoſchi dulcis* ʒß. *radicum ireos flo-rent.* ℈II. *olej cortic. citri gutt.* III. *ſacchari albi* ℥VIII. *Ambræ griſeæ gr.* V. *moſchi gr.* IV. *Zibethi gr. j. muci-laginis Tragacanthi cum aqua roſarum factæ, quantum ſatis Fiant Trochiſci.*

Sublinguales Incompleti ex *eadem Phar.*

℞. *Pulv. radicum Angelicæ* ℥ß. *pimpinellæ, ſemi-nis Angelicæ, corticis citri ſicci, Zedoariæ an.* ℈IIß. *ſacchari albi* ℥VII. *cum mucilagine Tragacanthi ex aqua roſarum facta q. ſ. Formentur Trochiſci parvi.*

Sublinguales *Zwelferi.*

℞. *Sacchari albiſſ.* ℔ß. *vel* ℥VI. *ſolvantur in ſucci ſcordij recenter expreſſi & depurati* ℥. *circiter* IV. *& ad conſiſtentiam tabulati ſatis ſolidam coquendo redigatur, in quo ab igne remoto diſſolve Extr. Zedoariæ, ſucci ſcordij inſpiſſati an.* ʒII. *cort. citri recent. extim. ra-dulâ prius comminut. & ſubtiliſſ. contuſorum* ʒVI. *Am-bræ gryſeæ* ℈j. *prius cum ſem. citri excort.* ℈j. *probè ſu-bactæ, moſchi orient.* ℈ß. *ol. ſtill. cinamomi, rutæ* ℈j. *nuc. moſch. expr.* ʒß. *quæ omnia ac ſingula l. a. probe adunita, ſuperadditâ ſ. q. mucilaginis Tragacanthi, re-digantur in maſſam, è qua formentur Trochiſci.*

Hi in peſte, deſævientibus morbis malignis, ac contagio, cum emolumento adhibentur, ſingulis au-roris aliquot eorum aſſumendo, & ſi penetralia ut domos arcano Contagio ſuſpectas inviſas, ſub lingua nonnullos occultando.

Nota: quod ſi tempore hyberno, deficiente ſucco ſcordij recenti, Trochiſci hi forent parandi, condu-cet loco ſucci ſcordij, ſyrupum ſcordij præfato ſac-charo addidiſſe, quæ ambo etiam, additâ portiun-culâ aquæ roſarum, ad prædictam Tabulati conſiſten-tiam concoquenda.

Sublinguales alij *ex eodem.*

℞. *Sacchari can. albi* ℥VI. *ſolvantur in ſucci rutæ recenter expr. & depurati* ℥III. *& ad conſiſtentiam Ta-bulati coquantur, in quo ab igne remoto diſſolve Extr. Zedoariæ, Angelicæ, Enulæ an* ʒIß. *addendo porrò pulv. ſuccini albi præp.* ʒIII. *myrrhæ rubræ* ʒII. *ol. ſtill. rutæ* ℈I. *nuc. moſch. expreſſi* ℈Iß.

Ex omnibus probè unitis efformentur Trochiſci ſ. a. qui in contagioſis & peſtilentialibus morbis pro-ſunt, cum horis matutinis manducati, tum etiam ſub lingua detenti, ſi loca ſuſpecta, & contagio infecta, viſitanda veniunt.

Trochiſci de Sulphure & Tuthia ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Sulphuris vivi, camphoræ, Tragacanthi an.* ʒI. *Tu-tiæ præparatæ* ʒß. *cum aqua roſarum quantum ſatis Fiant ex arte Trochiſci.*

Ad varia ſuperficiei corporis vitia, impetigi-nem, phlogoſin, herpetem, phygenas, ragades, eryſipelata, conducunt, ſi cum aqua adpropriata diſſolvantur, & parti dolenti ſæpius imponan-tur.

Trochiſci de Terra Sigillata Meſuæ ex *Phar. Auguſt.*

℞. *Sanguinis draconis, gummi Arabici, Trochi-ſcorum Ramich. roſarum rubr. Amili, Acaciæ, Hy-pociſtidis, lapidis Hæmatitæ, balauſtior. boli Armenæ, Terræ Sigillatæ, Corallij rubri, Charabe an.* ʒj. *ſpo-dij de ebore margaritarum præparat. Tragacanthi, ſem. papaveris nigri an.* ʒIß. *roſarum* ʒj. *portulacæ, cornu cervi uſti, Thuris maſculi, conorum cupreſſi, croci an.* ʒII. *aquæ plantaginis quantum ſufficit. Fiant Trochiſci.*

Sanguinem undecunque manantem & ſputa cruen-ta cohibent, hinc menſtruam fœminarum purga-tionem immoderatiùs fluentem morantur, intus ſumti, vel cum ſucco polygoni aut plantaginis ac ovi albumine coxis & pubi illiti, aut cum conve-niente liquore utero immiſſi, cruento item lotio medentur, ac dyſenterias, diarrhæas & alvi proflu-via compeſcunt, potentius id præſtant, ſi eis ad-datur opium, quod aliqui Compoſitioni huic ʒII. pendere adjiciunt.

Trochiſci de Terra Lemnia ex *Pharm. Londin.*

℞. *Terræ Lemniæ, ſive ſigillatæ, boli Armenæ, Aca-ciæ Hypociſtidis, gum. Arabici toſti, ſanguinis draconis, Amyli toſti, roſarum, rub. Antheræ, ſeu ſem. roſa-rum, rubrarum, lapidis Hæmatitis, corallij rubri, ſuccini, balauſtior, ſpodij ex ebore, ſem. portulacæ, parum toſtorum, olibani, cornu cervi uſti, nucum cupreſſi, croci an.* ʒII. *ſem. papaveris nigri, Traga-canthæ, margaritarum an.* ʒIß. *opij præparati* ʒI. *cum ſucco plantaginis, Fiant Trochiſci.*

Trochiſci de Violis ſolutivi Meſuæ ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Violarum martialium mediocriter exſiccatarum* ʒVI. *Turbith.* ℥IV. *ſucci glycyrrhizæ, ſcammonij præp. mannæ an.* ʒII. *cum ſyrupo violato Fiant Tro-chiſci.*

Uſurpantur in expurganda pituita lenta & viſci-da, quæ Thoracis vias intercipit, & ſuſpirioſos facit, bileque vitellina permixta deturbanda.

Trochiſci de Viperis Galeni ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Carnis viperinæ, Anetho, ſale & aqua coctæ, & poſt factam à ſpinis ſeparationem nonnihil exſiccatæ* ℥VIII. *panis triticei puriſſimi, bis cocti, triti & cri-brati* ℥II. *Formentur Trochiſci, cum jure, in quo de-coctæ fuerint carnes viperinæ, prius tamen coctione ad minorem molem deducto, & inungantur oleo Caryo-phyllor, quod proximè accedit ad naturam balſami. Siccentur in loco umbroſo & aeri pervio, ſæpe eos in-vertendo, deinde in vaſe vitreo, aut vitreato, bene obturato, reponendo. Annum integrum perſeverant; quanquam longè melius fuerit, recentes ſemper pro confi-cienda Theriaca adhibere.*

Trochiſci hi Theriacæ conficiendæ inſerviunt; cæterum cutaneis morbis, viperar. morſibus, & febribus peſtilentialibus conveniunt, Elephanticos ju-

uvant, oculorum caliginem atque obſcuritatem emendant, nec non viſum ipſum acuunt.

De Viperis *Zvvelferi.*

℞. Pulveris viperar. fideliter & dextrè juxta modum n. Animadverſionibus præmiſſis. pag. 215. 216. edoctum. parati ℔j. panis è farina tritici, cum ſucco ſcordij vel rutæ (loco aquæ ſimplicis) facti, piſti & biſcocti, ut in pulverem conteri queat, ℥iv. vel ℥v. ol. caryoph. ſtill. ʒß. vel ℈ij. ſucci oleaginoſi ex recentibus limoniorum cort. radula Comminutis expreſſi ℥iß. vel ℥ij. & cum ſuffic. quant. decoct. Cort. limoniorum fiat contundendo in mortario paſta ſeu maſſa tenax. ex qua formentur trochiſci figura viperarum aut ſerpentum ſignandi: ſigillum vero ſæpius oleo nuciſtæ expreſſo inungatur, ne paſta illi adhæreat.

Nota: horum trochiſcorum non minus legitimam quam elegantem ſtructuram, ſi quis accuratioris rationis trutinâ perpèndere dignabitur, facere non poterit, quin hanc ipſam reliquis illis antiquo, ac illegitimo prorſus modo, paratis Trochiſcis præferat, adeoque album experientiæ noſtræ adjiciat calculum, Revolvantur, quæ in animadverſionibus n. locis diverſis, de viperis, earum natura veneno & præparatione, quæque de adulterina Trochiſcorum videlicet ex illis confectione, imo de fraude & impoſtura revelavimus; è contra verô in parando ex illis verò pulvere fundamentaliter atque ad oculum fideliter oſtendimus: lugendi proinde ſunt ij, ne dicam deteſtandi, qui eò veſaniæ & pertinaciæ procedunt, ut potius livore ac invidiæ tabe conſumi ſe ſinant, propria ſectantes ac cum turba & grege aberrantes, quàm ut noſtro & paucorum melioris notæ Authorum nutu ad meliora ſe ſinant manuduci: præclari ſanè naturæ æmulatores, ſibi ultro, quæ alijs revelare tenentur peplum & tenebras, pervicaciter inducentes, qui licet, convicti, meliora probent, ſequi tamen detrectant, quod vel maximè in Theriacès diſpenſatione elucet, cujus licet elegans & maximæ energiæ ac virium proſtet compoſitio, ſuperciliosè tamen negligunt, veterem Cantilenam ac tonum reſonantes, quanquam (Cæteris, qui languent & periclitantur, ex animo condoleo) optandum ſit, ut dum ipſi morbo ſuccumbunt, hanc ſibi etiam, cum meliorem cæteris invideant, cramben apparent. Tandem hiſce Trochiſcis de viperis, qui velut agmen claudunt, huic quoque claſſi finem facio: palam interim confiteor, quod ipſi hi Trochiſci in veteri hac formâ ac conſiſtentiâ ad integrandum Theriacam, ſive quibuſcunque uſibus deſtinentur planè inepti ſint, niſi repetito labore denuò in pulverem terantur: nihilominus tamen, cum uſus Trochiſcorum de viperis ad apparandam Theriacam in tantum prævaluerit, ut potius clavam herculi manu extorqueas, quàm ut animo eximas inviolabile eorum judicium & fiduciam, quam dura ejuſmodi ingenia ſancivere: facere tamen, quod probi viri eſt, volui, & nova Methodo genuinum trochiſcorum de viperis, uti & reliquorum, parandi modum edocere, cum, inſiſtendo veterum modo, citra dolos & mille fraudes diſpenſari aut præparari nequant. Faxint Superi; ut in nocte hâc denſa & ægyptiacâ caligine, facem ijs præferam, qui olim ad meridianum tetra caligine detenti, oberrarunt, ut ſaniora dogmata ſectantes, legitimè ac cum ægrorum proventu viperinos hoſce Trochiſcos apparent, priuſquam tamen claſſem hanc abſolvam, hoc te L. B. denuò monere volui, quod (uti in Animadverſionibus etiam aſſertum) pulveris viperini Trochiſcatio ad Theriacæ confectionem ſtrictè adeò neceſſaria non ſit, quin pulvis viperinus, noſtro nutu paratus legitime ſuccedere poſſit: nam panis biſcoctus, quem etiam ipſe pro maſſa facilius cum pulvere Viperino efformanda, è qua deinde Trochiſci parandi, non ſimpliciter, nec magna quantitate ſuperaddidi, aliam Viperino pulveri naturam aut virtutem, non tribuit, nec corrigit, niſi quod inſtar baſis aut Corporis pro maſſa acquirenda ſubſternatur, verum non ſimpliciter ſed virtute alexiteria prius imbutus; quod ſuccus Rutæ præſtat, & ſuccus Cortic. citri oleaginoſus cum eorundem decocto; quæ omnia ac ſingula ut æquo judicio tractes, amicè pervelim.

Trochiſci de Xylaloe Meſuæ ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Ligni Aloës, roſar. rubrarum an. ʒii. maſtiches, cinnamomi, caryophyllor. galiæ moſchatæ, ſpicæ indicæ, macis, nucis moſchatæ, cubebar. cardamomi utriuſque, paſtinacæ, corticum citri an. ʒiß. moſchi, Ambræ an. ℈ß. cum melle paſſulato Fiant Trochiſci.

Ventriculum, cor & hepar, ac membra alia debilia roborant, oris fœtorem abigunt, Cordis palpitationem & ſyncopas auferunt, hydropicis auxiliantur, ac peſtilenti Conſtitutioni medentur.

Trochiſci varii ex Baldaſſ. TIMÆO.

Cephalici.

℞. Magiſter. ſuccin alb. ʒiij. ſpec. diambræ, diamoſch. dulc. an. ʒiij. cardamom. min, ℈iv. ambræ gryſeæ gr. v. moſchi Alexandr. gr. iij. miſc. c. Tragacanth. in aqua apoplect. ſolut. Fiant Trochiſci.

Cordiales.

℞. Confect. alkermes Monſpel. ℥ß. ſpec. de Hyacinth. complet. ʒij. ambræ gryſeæ gr. vj. moſchi gr. ij ſacchari albiſſ. in aqua cinam. ſoluti ℥iv. m. Fiant. Trochiſci.

Pectorales.

℞. Succi liquiritiæ depurati ℥j. ſpec. diatrag. frigid. ʒj. lactis ♀is ℈iv. diacodij ℥ß. ſacch. penid. ℥iij. mucilag. Tragacanth. c. aqua roſarum extract. q. ſ. m. Fiant Trochiſci.

Contra Dolores Dentium.

℞. Opij puriſſimi ʒij. pulv. caryophyll. ℥iß. ol. nuc. moſchat. per expreſſ. fact. ʒj. camphor. Extract. croci an. ℈j. m. f. Trochiſci illinendi oleo caryoph. vel ſi ſcorbutus infeſtet oleo cochleariæ.

Regij pro Suffitu.

℞. Gran. benzoës ſtyracis calamit. an. ʒij. ambræ gryſeæ, moſchi, zibethian. ℈ij. ol. roſar. ex floribus ℈iß. cinamom. ℈j. caryophyllor. citri an. ℈ß. balſami indici q. ſ. pro incorporatione. Fiat maſſa ex qua formentur Trochiſci.

Trochiſci ex Hadriano à MYNSICHT.

Trochiſci Vitæ.

℞. Man. chriſti ſimpl. ℥viij. conf. alkermes ℥iß. margaritæ trochiſc. noſt. ambræ griſeæ an. ʒj. moſchi laudatiſſ. lap. 5. pretioſ. præp, an. ßj. elæoſacch. cinamomi. caryophyllor. an. ℈ß.

Miſc. & cum Tragacanth. in aq. fragrantiſſ. Roſar. diſſ. f. Trochiſci parvi pro uſu.

Vires, Uſus, Doſis. Omnes vires delapſas mirificè atque cœleſti quaſi vi reficiunt. Spiritus animi recreant. Humidum radicale confirmant, augent atque renovant. Caput, Cor, Ventriculum, Jecur, &c.

ſupra modum corroborant, & Stomachi vitioſos humores diſcutiunt. Obſtructiones venarum pariunt. Omnibus morbis frigidis conveniunt. Senes debiles reſtituunt. Concoctionem juvant. Omnem putredinem impediunt. Vertiginem avertunt. Viſum acuunt. Ab Epilepſia & Apoplexia præſervant. Partum accelerant. Animique deliquio parturientis præſentiſſimum ſunt remedium. Doſis unus atque alter pro una vice. Præparantur etiam ſine Moſcho.

Trochiſci de Radice Rhodia.

℞. Rad. rhodia ℥j. cort. rad. mandrag. nucl. perſicorum, opii ſpagyrice præp. myrrha rub. an. ʒ. vi. flor. papaveris errat. croci orient. roſar. rub. ana ℥ß. ſem. Hyoſcyami, alb. anethi apij ana ʒij. nuc. moſchata cubebarum, camphora ana ʒij.

Miſc. & cum mucilag. ſem. Pſylii & Cydoneor: cum aq. Lactuc. extract. f. l. a. Trochiſci.

Vires & Uſus. Ego expertus ſum in Melancholia, Mania, Phreneſi, vigilis immodicis, nec non in omni dolore & diſcraſia caput reſpiciente, trochiſcos illos eſſe probatos, ſi inſtar linimenti adhibeantur, vel diſſolvantur in aq. Lactuc. & Roſar. vel Hypnotic. noſt. vel in Lacte muliebri & fronti & temporibus tepidè applicentur.

Trochiſci Ophthalmici.

℞. Ceruſa lota ℥j. corn. cervi ſ. igne calc. ſarcocolla. nutrit. tutia præp. ana ℥ß. gum. arabici tragacanth. alb. amyli. ana ʒ ij. matris perlar. præp. nihili albi olibani ana ʒj. opij ſpagyricè præp. camphora ana drach. ß.

Miſc. & cum albumine ovorum f. trochiſci oculares pro collyrijs cum appropriatis parandis.

Vires & Uſus. Valent ad omnis generis paſſiones oculorum; imprimis autem ad rheumatiſmos, lippitudines ſubacres, fluxum tenuem, puſtulas, inuſtiones, prolapſus, confuſiones, rupturas, concavitates, ſcabritiem, pruriginem & ophthalmicos dolores leniendos proſunt; nec non oculorum vulnera replent & conſolidant.

Trochiſci de Papavere.

℞. Sacchari penidij ℥ij. ſem. Papav. alb. ℥ß. melonum excort. cucurbita ana ʒij. ſuc. glycyrrhiz. ext. bol. armen. rub. præp. flor. Sulphuris comp. ana ʒ iß. tragacanth. alb. amyli ana ʒj. ext. flor. Papav. errat. ʒ ß.

Miſc. & cum mucilag. Sem. Cydoneor. cum aq. Papaveris errat. f. Trochiſci ſublinguales.

Vires, Uſus, Doſis. Utimur hiſce feliciter contra omnes catharros acutos à capite ad pectus deſcendentes; quos egregiè ſiſtunt, caput priſtinæ functioni reſtituunt, pectoriſque dolores potenter leniunt. Pro doſi ſingulis vel alternis ſaltem horis, duos vel tres pedetentim per ſe linguæ & palato affricandos ægrotantibus ordinamus.

Trochiſci de Glycyrrhiza.

℞. Sacchari candi alb. & Penidij ana ℥iv. ſucc. glycyrrhiza ext. ʒx. ſpec. dia-Ireos ſimplic. diarrhod. Abb. diamarg. frig. ana ʒj ſem. 4. frig. major. Alipta moſchata, lact. ſulphuris ana ʒß.

Miſc. & cum mucilag. rad. Altheæ cum aq. violar. ext. f. Trochiſci ſublinguales.

Vires, Uſus, Doſis. Tuſſi calidæ & ſiccæ imperando, vocem abſciſſam reſarciendo, thoracem expurgando. Sputum facilitando, cæteris remedijs dignitate excellunt. Pueris ſingulariter proſunt. Dantur quotidie multoties duo tresvè pro una vice, certis tamen intervallis, pro indicatione morbi & virium ægri.

Trochiſci Cordiales.

℞. Sacchari candi alb. ℥viij. conf. alkermes ℥j. lap. quinque pretioſ. præp. ana ℈j. ol. caryophyllor. cinamomi ana ℈ß.

Miſc. & cum Mucilag. Tragacant. alb. cum aq. Roſar. fragantiſſ. facta fiant Trochiſci parvi.

Vires, Uſus, Doſis. Cor ſingulariter confortant, ejuſque exolutioni ſuccurrunt. Animi deliquio medentur. Longo morbo dejecto & imbecillitate languentes refocillant, & ad priſtinum recuperandum robur conducunt. Ventriculi quoque faſtidia tollunt, ejuſque concoctionem juvant. Doſis tres, quinque ad ſex, pro una vice.

Trochiſci Joviales.

℞. Mag. Jovis Anglici, matris perlar. corallor. rub ana ʒj. ol. ſuccini alb. rect. ℈j.

Miſc. & cum Gum. Tragacanth alb. in aq. Hyſterica noſtra diſſolut. f. l. a. Trochiſci parvi Scrupulum ſemis ponderantes.

Vires, Uſus, Doſis. Admirandæ potentiæ & operationis ſunt; Suffocata enim, quæ de his unum vel duos horis trium dierum matutinis, ex aqua noſtra hyſterica, vel alio apropriato vehiculo aſſumſerit, poſt Dei providentiam, libera cenſenda & nuncupanda ſit: pro quo divino experimento ſolus Deus ſit benedictus.

Trochiſci de Alumine.

℞. Aluminis crudi, rad. pyrethri, ana ℥ß piperis long. ʒj. ſem. hyoſciami, farina ſiliginis, creta, alba, nitri præp. ana ʒjß. zingiberi, alb. caryophyllorum, opij præp. ana ʒj.

Miſc. & cum ſucco Urticæ min. f. Trochiſci.

Vires, Uſus, Doſis. Super dentes & gingivas poſiti (factis tamen prius debitis purgantibus per phlebotomiam, ſi expediat, vel per ventris ſolutionem) dolorem ſedant.

Trochiſci de Satureia pro Lixivio.

℞. Satureja exſic. ℥ß. majorana, origa i ana ʒij flor. lavendula, roſarum, rub. anthos, an. ʒjß. lig. Aloes pond. gum. arabici, tragacanth. alb. rad. caryophyllat. Ireos florent. ana ʒj. caryophyllorum. nuc. Moſchat. cardamom. min. cubebarum. opt. ana ʒj. ambra griſea, moſchi op. an. ℈j.

Miſc. & cum albumine ovorum formentur Trochiſci ʒj. ponderantes.

Vires, & Uſus. Horum Trochiſcorum duo, tres, vel plures bulliant in lixivijs, quoque Caput manè ante cibum, corpore excrementis vacuo, abluatur, ſic tamen, ut ſtatim linteis calidis abſtergatur & exſiccetur: Sudores enim & ſordes Capitis detegit, illudque roborat, & cutis meatus reſerat. Catarrhos exſiccat, Memoriam confortat & ſenſus acuit.

Trochiſci de Nitro.

℞. Rot. de ſucco Berber. de ſuc. Ribium, ana ℥viii. ſpec. Diarrhod. Abbat. ſp. Vitrioli irrorat. nitri præparat. ana ℥j. ſul. roſar. rub. vitriolat. ʒii. ol. Cinamomi, Gut. iii.

Miſc. & cum Tragacanth. in Suc. Citri d ſſ. f. l. a. Trochiſci.

Vires, Uſus, Doſis. In Angina, Inflammatione oris & linguæ, ebullitione ſanguinis (quam mulierculæ hodie *die fliegende Hitze* vocant) ardore urinæ, Febribus ardentibus & præſertim Hemitritæo putrido, vulgo *die Haupt-Kranckheit* valdè commendabiles ſunt. Doſis è ʒ j. ad Drach. i j. in vehiculis ſpecificis.

Styli Dentifricij.

℞. *Farin. Silicum fluviat, calcinat.* ℥ii. *lap. pumicis præp. Aluminis uſti, an.* ℥ß. *rad. ireos florent. cineris Tabaci Ind. albiſſ. ana* ʒ. ii. *galliæ moſchat. veræ, ol. lig. rhodini. an.* ßi.

Miſc. & cum Gum. Tragacanth. alb. in aq. Roſar. diſſolut. f. l. a. Styli dentifricii.

Vires, & Uſus. Ad dentium ſordes tollendas & colorem vitioſum emendandum, nobis uſitatiſſimi ſunt: Dentes enim à naturali ſuo candore vel ad flavum vel lividum aut nigrum colorem deflectentes, mirè nitidos & politos iterum reddunt; ſi his ſæpius fricentur & mundificentur.

Pomum Ambræ.

℞. *Rad. ireos Florentin. Caryophyllorum, macis elect. cinamomi, ana* ℥ß. *lig. aloes veri, ſantali citrini, ſtyracis, calamit. aſſæ dulcis, ana* ʒii. *ambræ, griſeæ,* ʒi. *moſchi, alexand.* ʒß. *balſ. Peruviani odoriſ. ol. Lig. Rhodini, ana* ßi. Omnibus diligenter mixtis & tritis adde: *Zibettæ non falſat.* ʒii.

Et cum Gum. Arab. & Tragacanth. ſ. q. in aq. Majoranæ. Narciſſ. Roſarum, Lavendulæ & Baſilic. diſſolut. f. Maſſa; ex qua poſtea formentur vel Trochiſci, vel Poma.

TRUTTA.

Trutta, ſeu *Trocta*, (à trudendo, quoniam ſemper in adverſum & impetuoſum flumen nitatur, adverſus undas ſuperare:) Italis Torrentina (quod in torrentibus & rivis montanis abundet, varius admodum eſt piſcis, ſquamulis minutiſſimis contectus, purpureis ſeu rubentibus maculis totum corpus pingentibus, carne intus rubra; quemadmodum in ſalmone: Lingua oſſea & ſpinoſa, ventriculus longiuſculus, cui parte inferiore ac inteſtino appendices longiores adnaſcuntur, quarum ſuperiores ventriculum ipſum attingunt, extra quam citiſſimè expirat; indubiæ ob amplam branchiarum ſciſſuram, pinguedo Mariſcis & ani fiſſuris utiliter illinitur: hujus ſpecies ſunt.

1. Trutta fluviatilis vulgaris, χρυσοφρυς.
2. Taurina (ab inſigni magnitudine) apud nos in Northumbria. a Bull-Trout.
3. Minor, Cornubienſibus ashote dicta, agri Lincolnienſis incolis, a shard.
4. Salmoneta, parvus ſalmo, a Salmon Trout, reliquæ differentiæ à coloribus duntaxat deſumtæ videntur. *Charleton.*

Officin. Nat. ex *Trutta.*

Pinguedo. Hæc illinitur utiliter mariſcis & ani fiſſuris,

(Maxillæ dentatæ è vivis truttis evulſæ ad epilepſiam uſurpantur.)

(Eædem utiles ad dolores menſtruis advenientibus urgentes.

(Doſ. ʒi.)

(Lapilli etiam colliguntur viribus Carpionum lapidibus pares.) *Schroderus.*

Tryphera, vid. *Electuarium.*

TUBER.

Tuber Latinis à *Tumeo* dictum eſt, quomodo à facio faber, ab humeo huber & per aphæreſin uber, à glabo glaber, & alia multa, Voſſ. Etymolog. Græcis ὕδνον dicitur ἀπὸ τοῦ ὕδνειν, id eſt nutriendo, plurimum enim alimenti præbet, in Aldino & Baſileenſi (Theophraſti hiſt) Codd. obſervante Io. Bodæo, οἴδνον legitur, & fortaſſe rectius, ἀπὸ τοῦ οἰδεῖν vel οἰδάνειν quia ſunt οἰδήματα τῆς γῆς, terræ tumores.

Nomina. Tubera *I. B. C. B.* Tubera terræ *Ger.* Tubera terræ edulia *Park.*

J. B.

Nihil aliud ſunt Tubera quam ſine caule, ſine foliis radices, magnitudine varia, pugillari interdum, alias juglandis caſtaneæ aut avellanæ, Tuberculis extantibus inæquales, externa ſuperficie rugoſâ & nigrâ, ſubſtantiâ albâ, conſiſtentia carnis caſtanearum, guſtu fatuo, odore nonnihil gravi, & hircino.

Imperato Tubera è genere vegetabilum ſunt, ſub terræ cortice latentia, figurâ inæqualiter globoſâ, ſubſtantia eorum calloſa eſt, tenera, nutritioni apta. Creſcunt locis arenoſis & inter ſtirpes. Noſtratia ut plurimum ad melonum magnitudinem accedunt, cortice tecta nigro, ſcabro atque rimoſo; ſubſtantia internâ, colore lacteo, ſapore communiter grato, dignoſcuntur Tuberum loca natalia ex rimis quæ in terræ ſuperficie ſpectantur,

Modus quo ruſtici in Italia (ut nobis relatum eſt) tubera indagant, perridiculus eſt, porcellum ſcilicet Autumni tempore funiculo alterutri poſteriorum pedum alligato præ ſe agunt in paſcua ubi horum proventum ſolere eſſe norunt: qui ubi ad locum venit in quo tuber latitat, odore mox id percipit roſtroque eruit, erutum qui inſequitur præripit, & ad alia indaganda porcellum abigit. Chriſtanus Mentzelius porci actorem ipſum ſue, quam primum roſtro indicium dederit re-ſti retracto, Tubera effodere, inque uſum humanum gulæque delicias colligere ſcribit.

Tubera quæ Bononiæ & Florentiæ vidit Mentzelius exterius fuſci coloris erant, interius quoque ejuſdem, ſed multo candore inſtar marmoris interfuſi, frixa cum oleo recenti & pipere guſtui grata ſunt, veneremque ſtimulant.

Idem Mentzel. in Marchia Brandeb. propè Furſtenvvaldiam Tubera quædam à porcis eruta obſervavit, quæ teſticulos humanos proxima ſimilitudine referant, & hircinum odorem ſpirent, indicium eſt non leve ea veneri ſtimulando idonea eſſe.

Tubera cocta & pro emplaſtro impoſita Anginoſis adeo proſunt, ut quidam jam morituros hoc auxilio liberarint. Cardan. de variet. rerum, cap. 28. *Rajus.*

Tubera Cervina, vid. *Boletus Cervinus.*

Tunica, vid. *Caryophyllus Hortenſis.*

TURBITH.

Eſt Convolvuli Indici Althææ foliô, modò Cortex, modò radix oblonga, craſſa, reſinoſa, foris ferruginea, intus albida, ſaporis ſubacris, reſinoſi, nauſeabundi.

Eadem quæ Jalappa & Mechoacanna. HERMANNUS *in Materia Med. Manuſcr.*

Colliguntur in uſum Medicum non caules, ut perhibet Garcias; ſed radices craſſiores, turgentes lacte & reſinâ copioſiore. Quæ ad nos transferuntur fodiuntur in Guzarata, ubi proventus luxurioſus in locis opacis, humidis, ad foſſarum margines, retro hortorum ſepes aliiſque locis ſylveſtribus à mari longè diſſitis. *Rajus.*

Turbith. Radix plantæ lactiferæ ex Cambaiâ abiiſve Indiæ locis ad nos deveniens, mediocriter ponderoſum ſit, ſubalbidum, aut cineritium, recens, ac fractû facilè, non carioſum, aut pulverulentum, intùs reſinoſum. Adulteratur Gummi diſſolutô radicibus aliis illitô: verùm hæc reſinoſitas non extrinſecùs tantum, ſed in fractæ radicis ſubſtantiâ etiam requiritur. *Pharm. AUGUST.*

Offi-

Officin. Nat. ex *Turpetho.*

Cortex ſeu *Radix* à medulla lignoſa ſequeſtrata.

Vires. *Calf.* 3. *craſſos viſcoſoſque humores, ſive pituitam fortiter & à remotioribus partibus, juncturiſque elicit: unde & diuturnis morbis maximè conducit. Inprimis proficuus ejus uſus eſt in Arthritide, ventriculo pituita abundante, Aſthmate, Lue venerea, Hydrope, Elephantiaſi, ſcabie, &c.*

Quia ventriculo nauſeam & vomitum procreare per ſe ſolet, corrigitur Zinzibere, Maſtiche, Pipere, Cinam. Fœnicul.

Doſis à ℈ii. ad ℈iii. In infuſione à ʒi. ad ʒiii.

N. *Infantibus ac gravidis dare caveto.*

Præpar.

1. *Species Diaturbith. c. Rhab.* Vid. Diſp.
2. *Pulvis Steckſtaldi dictus.* V. D.
3. *Pilulæ de Turbith ſtomachicæ Meſuæ.* V. D.
4. *Acetum de Turbith.* Varii generis.

Vires. *Commendatur in Peſte, fitque ex Turbith, ruta, myrrha, aloë, aliiſque putredinem arcentibus in Crucibulum infuſis.*

5. *Extractum.*

N. *Quia Turpethum reſinoſum eſt, ſeu ut ajunt gummoſum, convenit cum Spiritu vini Extractum ejus conficere.*

Doſis hujus Extract. à g. vi. ad x. & plura *Schroderus.*

Turpethum, ſive *Turbith* plantæ nomenclatio Arabica ſemi-Maurave eſt, eademque Perſis ac Turcis recepta, in Guzarata verò, ubi frequens eſt, Barchaman, in Conara, cujus civitas eſt Goa, *Tiguar* nuncupatur. Magna eſt inter *Authores* de hâc plantâ controverſia. *Serapion* radicem eſſe *Tripolii Dioſcoridis* aſſerit, à quo non diſſentit *Avicenna. Meſues* verò eſſe radicem herbæ ferulaceæ lacte turgentis ſcriptum reliquit. *Hanc plantam* peritiores quidam eſſe *Thapſiam Dioſcoridis* affirmant. Non deſunt, qui dicunt, *Plantam à Meſue* deſcriptam eſſe *Alipum Dioſcoridis.* Inter recentiores Græcos *Actuarius* ponit *duplex Turbith*, *album* nempe, quod idem *Autor* eſſe *Alipum Dioſcoridis* aſſerit; *Alterum verò Pityuſæ radicem* eſſe *Tithymali Myrſinitis*, minus tamen rectè. *Turbith* verò, quo hâc tempeſtate in officinis utuntur, recentiores quidam *duplex* eſſe ajunt. *Unum quod ex Alexandria affertur*, eſſe radicem Scammonii Antiocheni, quod adhuc differt. Nam *Alterum eſt album* & melioris notæ. *Alterum nigrum* & deterioris notæ. *Secundum Officinarum Cineritium* à colore nuncupatur, & eſt cortex radicis *Thapſiæ* vulgaris, quæ *Hiſpaniæ* frequens eſt, ejuſque radice pleræque officinæ pro legitimo *Turpetho* utuntur, & Apuli ex Gargano Monte per Univerſam ferè Italiam afferunt. *Turbith* verò Indicum longè aliud eſt à prænarratis. Herba namque eſt folia ferens ibiſci, caules volubiles per terram repentes, digitos paulò craſſiores duos dodrantes longos, quandoque verò valdè prolixiores, floreſque interdum candidos, interdum ex albo rubeſcentes. Radicem neque magnam nec longam. Utilis autem eſt in medicinâ caulis pars inferior duntaxat radici proxima. Alii dicunt, corticem illum, quem officinæ oſtendunt, eſſe hujus plantæ caudicis inferioris corticem exteriorem medio exempto.

Naſcitur in Cambayâ, Surate, Dio Inſulâ, Bazaim & in ipſâ urbe Goâ. *Franciſc. Hernandez l. c. Lib. V. cap.* 58. Hofmannus.

Turpethum, vid. *Turbith.*

TURDUS.

Hoc nomine & merulas & ſturnos complectimur. Notæ omnibus communes ſunt, magnitudo inter columbas & alaudas media; roſtrum longitudinis & craſſitiei mediocris, deorſum modice in flexum; os intus flavum, cauda longa; victus ex baccis & inſectis promiſcuus, pleræque hujus generis aves canoræ ſunt & humanis vocibus imitandis dociles.

Hoc genus tres ſub ſe complectitur ſpecies, nimirum turdos ſtrictè & propriè ſic dictos, quibus colore in dorſo cinericeo pectus maculoſum; merulas, colore nigro inſignes; ſturnos denique & congeneres, quibus roſtrum latius & planius ſeu depreſſius quam Turdis aut merulis.

Adagium illud Turdus malum ſibi ipſe cacat, de iis dictum qui ſibi ipſis exitii cauſa ſunt, inde ortum dicitur, quòd planta illa paraſitica, è cujus baccis viſcum avibus capiendis olim fiebat, ex ſemine à Turdo excreto naſci credebatur, Plinius viſcum (inquit) ſatum nullo modo naſcitur, niſi per alvum avium redditur, maximè palumbis & Turdi, hæc eſt natura, ut niſi maturatum in ventre avium non proveniat. Verùm viſcum è ſemine non provenire omnino, plurima ſunt quæ ſuadent argumenta; quorum præcipuum eſt, quod in ramis etiam ſurrectis & in averſâ ſeu Terram ſpectante ramorum parte oriatur, qui plura velit, conſulat ſub hac re, Aldrovandum & Scaligerum.

Turdi quatuor ſpecies Angliæ notæ & familiares ſunt, duæ apud nos perennant & nidificant, nimirum I. Viſcivorus major, 2. Simpliciter dictus ſeu viſcivorus minor: duæ adventitiæ ſunt, quæ per hyemem hic commorantur, æſtate abeunt, nec unquam apud nos nidificant, Turdus ſcilicet pilaris & Iliacus. Merularum tres ſpecies alit Anglia 1. Merulam vulgarem 2. Mer. Torquatam. 3. Mer. aquaticam, de qua alio loco inter terreſtres piſcivoras agimus. Merula montana ſeu rupicola. Derbienſium Rock-ouzel, fœmina eſt, ni fallor, Merulæ torquatæ, quamvis in pectore torquis nec vola (ut ajunt) nec veſtigium ſit. Sturni unam duntaxat ſpeciem agnoſcimus. Merula ſaxatilis ſeu ruticilla major. Itemque paſſer ſolitarius & galbula, quas in tranſmarinis vidimus, Angliæ ignotæ ſunt & peregrinæ. Willughbeius *in Ornithologiâ.*

Commendatur hæc avis ab aliquibus contra Epilepſiam.

TURTUR.

Turtur *à Turtle Dove*, Τρυγὼν Græcis.

Mas quem deſcripſimus à ſummo roſtro ad ultimam caudam longus erat 12. digitos. Latitudo alarum extenſarum 21. Roſtrum ipſum gracile, ab apice ad angulos oris digitale ferè, exterius cœruleo-fuſcum, interius rubens. Lingua parva non diviſa, oculorum irides ex rubro flavæ, circulus nudus rubeus oculum ambit, ut in multis hujus generis.

Pedes rubri; ungues nigri, digiti ad fundum uſque diviſi: latus interius medij: unguis in aciem tenuatur.


Caput & medium dorſum cœrulea cinereave columbæ vulgaris colore, interſcapulium & uropygium ſordide ruffeſcunt, pectus & venter alba, gula vinaceo colore pulchro tingitur. Colli latera perbellè illuſtrant, ceu torquis quidam, pulcherrimæ plumulæ apicibus albæ, cætera nigræ.

Remi-

fig · I ·
Soldanella · Minor · Alpina ·



fig 2
Tussilago Rotundifolia Minor Alpina



Remiges pennæ exteriores fuſcæ, mediæ cinereæ, interiores ad margines ruffæ. Secundus pennarum ordo cinereus: ordines minores nigri. Cauda 12. pennis conſtat, quarum extimæ utrinque tum apex albus, tum pinnulæ ad ſcapum exteriores; interiores enim ex cinereo nigricant. Sequentibus ordine albor paulatim minuitur ſeu contrahitur, unde & medijs duabus omnino deeſt. Longitudo caudæ 4. digitorum.

Teſtes magni, digitum longi, inteſtina 26. digitos æquant. Appendices breviſſimæ. Ingluvies magna in qua Cannabis Semina obſervavimus. Ventriculus Muſculoſus, ſupra ventriculum Oeſophagus in folliculum glanduloſum dilatatur. *Willugb ejus.*

Officin. Nat. ex Turture.

1. *Integer Turtur.* 2. *Adeps.*

Vires. 1. Turtur viribus cum columba convenit peculiariter tamen commendatur in dyſenteria ac præcipuè in ſiſtendo menſium profluvio, [*ſive cinis combuſti turturis, ſive exinde extractum exhibeatur,*] [*Doſis gr.* 4. 6.] *ſive turtur deplumatus & exenteratus inſuta in ventre maſtiche* ℥1. (*aceto roſaceo, inter aſſandum aſperſo, butyri loco,*) *aſſetur poſtmodumque in olla clauſa exiccetur, atque in pulverem convertatur, & cochl.j. ſingulis mane exhibeatur.*

2. *Pinguedo* inter aſſandum collecta illinitur renibus, ventri, pectori, inguinibus, &c. *Vide Foreſt. lib.* 28. *obſervat.* 10.

N. *Sunt è podagricis, qui ſibi perſuadent paroxyſmos arceri, podagramque præcaveri, ſi in cubiculo turtures alant.* Schroderus.

TUSSILAGO.

Tuſſilago latinis, Græcis Βήχιον dicitur eodem ſenſu, à commodo compertiſſimo quod præſtat anheloſis & tuſſi afflictis, nonnullis chamæleuce dicta putatur quòd folium ſubtus albeſcat inſtar populi albæ, ungula caballina à ſimilitudine foliorum.

Nota ejus *Characteriſtica* ſunt flores folia antevertentes & brevi marceſcentes, in ſingulis cauliculis ſinguli, radiati: folia ſubrotunda ſubtus incana.

Vires. Folia hujus recentia temperatis proxima ſunt: unde extrinſecus impoſita (cum melle trita Dioſc.) ulceribus calidis & inflammationibus (ut & Eryſipelati) proſunt. Siccata vero modice acria & calida evadunt, eorum fumus (per infundibulum ore exceptus ac deglutitus ſecundum veteres, rectius tubo inditorum & incenſorum hauſtus, ad modum nicotianæ) tuſſi, orthopnææ, vomiciſque pectoris conducit, ad hos uſus paratur ſyrupus ex ſucco foliorum recentium; Item conſerva, tabellæ, & eclegmata, ad eadem valent & radices ſiccatæ, ſummâ Thoracica eſt inſignis.

Ubi ſylveſtris naſcitur Tuſſilago ſubeſſe aquas credunt & hoc habent ſignum Aquileges, teſte Plinio lib. 16. cap. 6.

Hujus radici adnaſci dicitur ſubalbida quædam lanugo quæ à radicum ſegmentis prius expurgata, & deinde linteolis involuta, & in lixivio parum decocta, addito ſalis nitri aliquanto, ac demum ſole ſiccata, omnium optimus eſt fomes ad ignem ex ſilice excuſſum excipiendum: quippe adeò ignis capax eſt, ut primo ſtatim chalybis concuſſu accendatur. Jo. Bod. in Theophr. hiſt. lib. 7. Cap. 12. pag. 877.

Tuſſilaginis foliorum cum flore ſulphuris & ſuccino in pulverem comminuto mixtorum: & incenſorum fumus ore hauſtus inſtar nicotianæ phthiſin aliquando ſanavit. D. Boyl. de utilitate philoſoph. nat. ad medicinam.

D. Hillerus Med. Marchionis. Brandeburgici pueros Atrophiâ laborantes plurimos reſtituit ſolis folijs ungulæ caballinæ, quæ & conciſa oleris ritu, & pulte farinacea imbuta atque in butyro ſalviæ in modum frixa comedenda diutius exhibeat D. Soame ex obſervat. Hieron. Reuſneri à Velſchio editis. *Rajus.*

Dantur aliæ Tuſſilaginis ſpecies, inter quas recenſeri merentur *Tuſſilago Alpina folio longo*, & *Tuſſilago Alpina minor rotundifolia flore purpuraſcente* quæ non parum vulneraria, ac pectori apta, cujuſque iconem hic tabulâ ſcilicet XXIV. exhibemus.

TUTHIA, *vid.* ſub titulô *Æs.*

Deſiccativa eſt, deterſiva, morbis oculorum apta; valet itidem pro cicatriſandis vulneribus, &c. extus autem tantùm adhibetur porphyrite quàm ſubtiliſſimè lævigata.

TYPHA.

Typha Florum effigies turbinata & in clavam compoſita (quæ & plantæ nota characteriſtica eſt) quaſi Typhonis ſeſe gyrantis turbinem, aut gigantis ſtaturam minacem ſignaret, nomen dediſſe videtur. C. B.

Hanc nos eodem in loco ubi olim Lobelius & J. Bauhinus obſervavimus, nimirum ad fluvium Arve quâ Rhodano confluit, prope Genevam. Cum eam primum vidimus perexigua fuit, Clava, gracili & ſtrigoſa, ut non dubitaverimus diſtinctam ſpeciem eſſe: poſtea vero caput cylindraceum clavatum in tantam intumuit craſſitiem ut ſuſpicari cœperimus parvitatem loco potius (ſiquidem extra aquas crevit) quam plantæ naturæ deberi, quod vero Clavas geminas in eodem ſcapo proferat perpetuum non eſt & accidentarium eſſe videtur: nec minus quod Clava ſuperior inferiorve major ſit, vel minor. *Rajus.*

Valet in herniis & ambuſtis ſi in pinguedine frixa iis applicetur.

LIBER XX.

Continens ea quæ incipiunt à Literâ

V

VACCA, *vid.* ſub titulô *Bos.*

VACCINIA vid. *Myrtillus.*

VAINILIA, vid. *Vaynillas.*

VALERIANA.

Valeriana à *Valerio* neſcio quo dicta exiſtimatur: aliis à valore ſeu valentia, quia multis & inſignibus facultatibus valet.

Characterum abunde habet quibus ab aliis herbarum generibus facilè poſſit diſtingui, ij ſunt caulis teres concavus foliis ad intervalla binis adverſis cinctus: flores monopetali velut in umbella, ſemina ad ſingulos flores ſingula, nuda, pappo innaſcente alata.

Vires Valerianæ Majoris.

Radix ut & herba ipſa alexipharmacæ, ſudoriferæ & diureticæ ſunt, Uſus præcip. in imbecillitate, viſus, peſte, (hinc miſcentur antidotis, Theriacæ & mithridatio) aſthmate, vetere tuſſi (cum dulci radice uvis paſſis & aniſo decoctæ) pleuritide, obſtructione hepatis (ictero) lienis, Ureterum hernia, &c. extrinſecus confortant viſum, maculas oculorum abſtergunt (in aqua aut vino decoctæ & guttatim inſtillatæ) cephalalgiam ſedant, menſes cient, ſudorem promovent (in balneis) exſiccant, catharros (ſuffitu) bubonum ac Anthracum malignitatem corrigunt, globulos ſagittaſve extrahunt; ulcera inveterata mundificant, hæc omnia Schrod. & nimis ſane multa: audiamus C. Hofmannum; non opus habes (inquit) honoratis illis titulis, quibus Dodonæus illam onerat, hoc imprimis certum eſt valde diureticam eſſe.

Pulvis radicis hujus plantæ ſponte ortæ, antequam caulem edat Cochlearis dimidij menſurâ cum vino, aqua, lacte, aut alio quovis decenti ſucco ſemel aut bis ſumptus Epilepſia correptos, liberat, ſiquidem ἄνω & κάτω purgat: hujus vim & in aliis multis, & in ſemetipſo expertus eſt doctiſſimus & veraciſſimus F. Columna & confirmat Panarola; Sylvius quoque plus ei tribuendum putat, quam pœoniæ, ut quod ſale volatili abundet.

Vires Valerianæ Minoris ſeu *Sylveſtris.*

Hæc, autore Dodonæo, ruptis, convulſis, ex alto præcipitatis utilis eſt, ſed & folia ad oris & gingivarum cum inflammatione exulcerationes & aphthas prodeſſe dicuntur, ajunt & radices aridas tuſaſque drachmæ pondo cum vino ſumptas infra ſupraque purgationes moliri: ſuperius diximus Epilepticis conducere.

VALERIANA *quæ Nardus dicitur.*

Nomina. Nardus celtica I. B. Ger. Celtica Dioſcoridis C. B. Alpina Clus. Nardus ſive ſpica celtica Park.

Clus.

Integros interdum Cæſpites occupat ſerpendo radix, & late ſumma tellure ſeſe inter muſcum diffundendo: oblongi procumbenteſque humi ramuli, tenues, plurimis veluti foliolis aut ſiccis ſquamis circumſepti, ſubinde fuſcas & nonnihil capillatas fibras agunt, ſumma parte in unicum aut bina ternave extuberant capitula, aliquot longis, ſecundum caput anguſtis, deinde in latitudinem paulatim ſe laxantibus foliis, ſatiſque craſſis & ſucculentis plena, colore dum primum emergunt viridi, deinde ſub autumni initium aut æſtatis finem flaveſcente, guſtu amariuſculo: palmaris aut dodrantalis, nonnunquam etiam major, inter iſta emergit cauliculis, ſatis firmus, ut in minutioribus valerianis ſylveſtribus geniculatus, bina ad ſingulos nodos habens interſe oppoſita exigua foliola; cui circa ſummum ex ſingulis alis enaſcuntur pedicelli, binos aut ternos floſculos coloris pallidi ſuſtinentes, quibus ſuccedunt ſemina valerianæ ſylveſtri Alpinæ, ſaxatili præſertim (valerianæ minimæ nardifoliæ) proxima, paullo tamen minora, tota planta aromatica eſt, & radicum valerianæ ſylveſtris odorem æmulatur.

Copioſe provenit (inquit I. Bauhinus) in Alpibus Germaniam ab Italia diſpeſcentibus, montoſis gaudet Genuenſibus, Liguriæque Alpibus ſterilibus.

Autore Cluſio, copioſe naſcitur in ſummo Judenberg Stiriacarum Alpium jugo inter muſcum, ſaxoſis locis. Ibi menſe Auguſto floret ſub ipſis fere nivibus; folia deinde promit cum illa diſſolvere & diffluere incipiunt, legitur autem ab incolis ſub Auguſti finem & Septembris initium cum folia flaveſcere incipiunt, tum enim ſummam habet odoris gratiam, quâ caret cum folia primum promit, & adhuc viridis eſt. *Rajus.*

VAYNILLAS HISPANIS.

Nomina. Volubilis ſiliquoſa Mexicana foliis plantagineis. Aracus aromaticus, Tlilxochitl, ſeu flos niger Mexicanis dictus *Hernandes.* p. 38. Vaynillas Hiſpanis à vaginarum ſimilitudine *Piſo, Mantiſ. Arom.* p. 200. lathyri Mexicani ſpecies *Amman.*

Hern.

Volubilis herba eſt, arbores conſcendens & amplectens Hernand. foliis undecim uncias longis, ſex latis figurâ plantaginis ſed pinguioribus & longioribus, viroreque intectis ſaturato: Singulis ex utraque parte caulis alterna im exorientibus: floribus nigricantibus, ſiliquis longis, anguſtis & pæne teretibus nigris, olentibus muſcum aut balſamum indigenam.

Calidis regionibus, humentibus locis provenit, & ſiliquas Verno tempore profert.

Vires. Siliquæ binæ aquâ reſolutæ & potæ urinam cient, menſtrua evocant, cum mecaxochilt partum accelerant, ac ſecundinas mortuumque fœtum expellunt: ventriculum caleſaciunt & roborant, flatus diſcutiunt: humores crudos concoquunt, cerebrum confortant; ad ictus venenatos utiles eſſe dicuntur, hinc chocolatæ compoſitionem ingrediuntur. Elegantes Icones, foliorum ſiliquarum, & ſeminum Microſcopio conſpectorum extant in D. Franciſci Redi Experiment. Circa res naturales. *Rajus.*

VENENUM.

De Venenis, & eorum Antidotis in Genere, ac Primo

De Venenis in Genere.

Ut cognitio remedii ſupponit cognitionem morbi, & vice verſâ, ſi juxta rationem velimus procedere; ita de alexipharmacis ſeu Bezoardicis, tanquam venenis reſiſtentibus remediis, vix feliciter poſſumus diſſerere prius, quàm de venenis, quæ & qualia ſint, penitius conſtet.

Dictum eſſe venenum ex philologiâ conſtat, q. d. quod citò per venas tranſeat, ſeu ſalubre, ſeu noxium ſit. In genere enim pro medicamento accipitur; ſeu latiori ſignificatione veneni appellatione continetur omne, quod adhibitum naturam ejus, cui adhibitum eſt, mutat; propriè verò prædicatur de noxio & contradiſtincto alimento & medicamento.

Adeoque venena propriè ſunt, quæ per ſe nocent, & adverſa ſunt corpori, non item, niſi latius, quæ per accidens id præſtant, quorſum *Scaligeri* illa venenorum genera ſpectant *Exercitat.* 33. *tom.* 2. nocere eadem vel à primis qualitatibus, ut aqua epota frigida homini labore & ſole æſtuanti, ut gypſum exſiccando ſtrangulat; Vel à ſecundis, ut crocus laxando nimis ſpirituum viam, quod vulgo ſtatuunt, nos verò quid ſentiamus, mox patebit; Vel à tertiis, ut cantharides veſicæ, lepus marinus pulmoni. Tacemus exemplum vini, ſpiritus vini & aliorum.

Præſupponimus ergo 1. Venena eſſe & dicenda, *quæ corpus citra externam violentiam aliam,* (ut conformatione vel unitate ſolutâ) *violenter deſtruere norunt.*

norunt. Hinc enim intoxicati vel veneno potionati ſunt & dicuntur, qui citra aliam quandam cauſam manifeſtam periculum vitæ ſubeunt, vel moriuntur.

2. Adeoque eſſe peregrina corpori, ſive *illata*, ſive *in eodem producta.* Illa propriè dicuntur venena, hæc maligna & veneno analoga; unde differunt potiſſimum quoad modum inficiendi. Alia *inſpiratu* lædunt, ut ſeminaria peſtis, & morborum malignorum, febrium &c. quatenus ἀπόῤῥοιαι ſeu effluvia, vel exhalationes ex infectis corporibus & locis ſpirantes communicantur; Alia *hauſtu*, ut quæ ore aſſumuntur; Alia ſolo *contactu*, ut illa quæ foris nos contingunt, etiam ex ſupra dictis peſtis & febres maligniores; Alia denique ex *ictu* & *morſu*, cujus generis ſunt animalia, quæ vel dentibus nos mordent, vel aculeo pungunt, vel contactu nocent.

3. Alia eſſe *externa*, alia *interna*, quod ex dictis ſatis patet; Externa iterum vel vi illata, ut morſus animalium, vel inadvertenter, ut peſtis, per poros irrepens; Interna verò vel ore hauſta in pulmones, vel deglutita in ventriculum, vel generata in maſſâ ſanguineâ, etiam citra ullam extraneam, ſaltim immediatam, communionem, ſeu contagium.

4. Alia eſſe *magis cita & activa*, quæ, præſentaneâ vi, exiguo temporis ſpatio occidunt; alia *lenta, temporaria*, efficaciæ remiſſioris, quæ poſt multos demum dies necant. Priora v. g. calida tenuia, & ferè erodentia ac putrefacientia; poſteriora frigida & craſſa, quæ minus in vaſa ſubeunt, cenſentur.

5. Venena alia eſſe *homini*, alia *brutis*; multa ſiquidem homini ſunt venena, quæ tamen aliis animantibus in alimoniam cedunt, ob diverſum nexum principiorum vitalium, ſanguinis & ſeri. Sic cicutâ ſturni veſci ſcribuntur; hyoſcyamo & mandragorâ, ſues; Cantharidibus, hirundines; ſerpentibus, cervi, quo de vide *Sachſii Gammarol.* & *Ann. I. Ephem. Germ. obſ.* 14. attractis iiſdem è ſpeluncis ſuis; araneis gallinæ; ſerpentibus & bufonibus ciconiæ &c. Contra ea aloë medicamentum eſt hominibus utiliſſimum non minus ac amygdala amara, lupis, vulpibus & canibus verò venenum. *Vid. Mœb. Fundam. Med. Phyſiol. c.* 10. *p.* 159.

6. Alia venena eſſe *univerſalia*, alia *particularia*, quæ diſtinctio tùm in ſpecie humanâ, tùm generalius quoque de aliis valet. Univerſalia omnibus atque ſingulis animalibus venena ſunt arſenicum & mercurius ſublimatus, nullum quippe viſum eſt, quod ſciam, innoxiè per omnia hiſce uſum. Specialia venena, præter jam dicta, in ſpecie humanâ alia ſunt nervis & ſpiritibus inimica, ut ſolanum furioſum, alia pulmoni, ut lepus marinus, alia ventriculo, ut corroſiva, alia veſicæ, ut cantharides ardore & mictu cruento infames.

7. Alia partes *ſpirituoſas*, alia *humidas*, alia *ſolidas* magis afficere; inprimis verò cum humidæ mediæ ſint inter reliquas & quaſi vinculum quoddam, præcipuè etiam eaſdem pati certum eſt.

8. Alia eſſe *vegetabilia*, ut aconitum, cicuta, napellus &c. Alia *animalia*, ſive toto, ſive partibus ſaltem, ut ſcorpius, vipera, quorſum & caudam cervinam quidam referunt; Alia *mineralia*; ut arſenicum, mercurius ſublimatus, cobaltum. Adeoque pauca quidem nota ſunt venena, reliqua tamen, cum magis & minus non varient ſpeciem, itidem huc referenda. Nondum innotuit vel publicatum eſt venenum, quo in Galliâ hactenus tot cædes patratæ occultæ, *Poudre de ſucceſſion* vocant, in pulveris formâ; licet ſint, qui carnes infantum ex utero materno exciſorum (horrendum dictu) cum aſpidibus aliiſque confermentatas nominent.

9. A venenis aſſumtis *oboriri ab aliis alia*, omnia tamen in ſubitaneam conſpirare perniciem; ad vomitum cieri ventriculum, cardialgiam, anxietates, tremores, pallores, lipothymias, pulſum frequentem, abdominis inflationem, capitis turbationem fieri. A demorſis verò ſcorpio vel viperâ, nigredinem contrahi, dolorem, ardorem, tumorem, inflammationem partis affectæ.

Ex his colligere eſt: 1. *Venena non tam occultis quàm manifeſtis agere qualitatibus.* Utut enim occultæ qualitates, quatenus manifeſtis ſunt contradiſtinctæ, concedi poſſint, quo ſenſu venena communiter à totâ ſubſtantiâ, ſive virtute ſpecificâ agere aſſerunt; ſi tamen penitius eadem inveſtigemus & occultum ſumamus pro eo, cujus nulla omninò ratio dari queat, ratum eſt atque certum, venena agere manifeſtis atq; inveſtigabilibus, intellectui notis, qualitatibus. Hinc notanter *Scaliger, loco citato,* qualitas hæc dicta, *ait*, cum multum abſit à ſenſibus, ſolâ ratione comprehendi poteſt; (loquitur verò de remediis venenorum totâ ſubſtantiâ agentium) ſed in hujus cognitionem perveniemus per veſtigia tertiæ, ſcilicet qualitatis, ſeu ad normam manifeſtarum.

2. *Venena ſine dubio ſubruere principia vitalia*, quorum nexu indiſſolubili vita propagatur, violenter verò deſtructo ſufflaminatur. Neq; enim ulla ratio dari alia poteſt tam citæ νεκρώσεως & immutationis, præcipuè cum omnia id teſtentur phænomena, unde meritò cauſæ taliſmodi univerſali eorundem vis adſcribitur, in quâ omnia adeo conveniant, licet admodum diverſa.

3. *Pollere venena ſale, ſulphure & mercurio, machinæ humanæ peregrinis & deſtructoriis.* Id verò eſt tota illa ſubſtantia, occulta qualitas, textura nempe & modus mixtionis. Uti enim particulæ alimentorum ſunt benignæ, familiares & ſubjugabiles, ſimiles, ſaltim à poſteriori, medicamentorum diverſæ, ut alium ſtatum alterando vel purgando inducere queant; ita venenorum adverſæ, in internecionem partium ſpirantes.

4. *Eſſe eadem vel* CORROSIVA, *vel* FERMENTATIVA, *vel* VAPOROSA, *vel* MIXTA. In his quippe effectibus vel qualitatibus vis venenorum in genere conſiſtit. CORROSIVA ſi fuerint, ventriculo eſcharam & νέκρωσιν inducunt, unde parte ad vitam abſolutè neceſſariâ deſtructâ, neceſſum eſt machinam ipſam ſubrui & principia vitalia deſtrui. FERMENTATIVA quæ ſunt, motum p. n. eumq; vel abſolutè lethalem, vel ſummè tamen periculoſum inducunt, unde calor febrilis, æſtus, deliria. VAPOROSA ſpiritus obnubilant, ſuffocant, deſtruunt. Adeoque *corroſiva ſolidis, fermentativa humidis, vaporoſa ſpirituoſis inprimis ſunt hoſtica, mixta univerſis.* Quæ verò de his non participant, ut pix aſſumta & plurima alia inter venena vulgò relata, inter venena tantùm per accidens talia & impropriè dicta referenda fuerint.

5. *Venena mineralia* ☿ium 🝞matum & arſenicum ejuſque ſpecies, *agere ſolâ potiſſimum corroſivitate.* Hæc ipſa νέκρωσιν, νέκρωσις ſanguinis & ſeri deſtructionem inducit, ſecundariò quoque fermentatione peregrinâ & ſpirituum turbatione conſequente. Hinc ſi ſtatim revomantur, delicatiori archei ſenſu & robore, non nocent. Hinc in ventriculum plenum, vel pinguibus præſumtis ingeſta minus necant, faciliori vomitu conſequente, & acrimoniâ obtuſâ. Hinc qui mortui ſunt ab horum uſu, ſive incauto, ſive malitioſo, ventriculum & inteſtina ſphacelata & eroſa exhibuerunt, quod ipſi in cane obſervavimus. Par ratio eſt aquæ fortis, butyri antimonii &c. Patet id ipſum quoque ex analyſi ☿ii 🝞mati, neque enim ☿ius vivus, nec ⊖, nec 🜕, nec 🜖lum, quibuſcum ſublimatur, eſt venenum, ſed ſola textura inde emergens, quâ iterum immutatâ, per additionem ☿ii vivi & ſublimationem, in ☿io dulci, eadem quoque venenoſitas emori-

tur. Neque mirandum eſt, hinc ardorem ſtomachi, convulſiones, livores, tumores & alia ſymptomata ab his oriri, de quibus videantur Practici. Sic & O-O corroſivitate & cauſticâ vi ablatâ innoxium eſt, vel ſolius magnetis O-Olis exemplo.

6. *Venena animalia* (loquimur verò de univerſalibus magis) *agere potiſſimum vi fermentativâ peregrinâ*; ſive viperæ morſus exempli loco ſit præcipuè, ſeu canis rabidi, ſeu alia conſimilia. Hinc cum ſalivâ taliſmodi ſal peregrinum, irato cumprimis animali, in vulneratam partem illatum, mox ſerum & ſanguinem immutat, ut corrumpantur, ζάσιν, fermentationem, νέκρωσιν patiantur, factâ hinc, recurſu ad cor, communicatione, etiam reliquam maſſam ſanguineam mox inficiendo. Par ratio eſt ictus cum aculeo ſcorpionis, morſûs aranei & ſimilium. Hinc factâ ſtatim exſuctione vel deſtructione fermenti hujus peregrini, vel non nocet planè, vel ſaltim citius debellari poteſt. Curavimus aliquando puerum à cane rabido demorſum 1. dato intrinſecus bezoardico volatili, 2. exterius vulnere cum rutâ, thериacâ & aceto eloto, feliciſſimo cum ſucceſſu. Hinc ligaturæ etiam locum habent. Verbo, omnia φαινόμενα teſtantur de inductâ fermentatione præternaturali. Hinc etiam ſi ictus apum, vel veſpæ excipiatur ungue, & hinc guſtetur, ſalinum taliſmodi quid manifeſtè deprehendi poteſt.

7. *Venena vegetabilia potiſſimum agere vaporoſitate peregrinâ.* Quatenus ſulphure v. g. impuro, mucilaginoſo, nervis inimico pollent. Hinc hyoſcyamum, ſeu ejus ſemen, imaginationem diſlocaſſe obſervavit in cauſidico *Helmont. lib. demens idea. p. m.* 224. ipſumque *ibidem. pag.* 225. exoticam phantaſiam imprimere aſſerit; quod itidem in puellâ obſervavimus obſervatione 21. *ann. II. Ephemerid. German.* conſignatâ. Sic napellus, verbis *ejusdem*, ſuam furoris in nobis imaginem communicat, de cujus φαινομένοις ab aſſumtione evenientibus, ut & de arſenico ſtudio experimentandi propinato, videri meretur *Cornarius hiſtor. admir.* 12. *&* 13. *pag.* 41. *& ſeqq.* A ʒj. pulveris napelli, pectoris anguſtia, ventriculi dolor, oculorum obtenebratio vertiginoſa, pulſus immutatus, paulò poſt etiam delirium accidit, ut in folio lacero altè cecinerit æger. Legi hanc in rem quoque ſeorſim meretur *I. I. Wepferus libro hiſtoria & noxa cicutæ aquaticæ inſcripto*, & *I. M. Faber in Strychaomaniâ*, tractatibus curioſis. Sic & crocus riſu ſcribitur interimere, riſus verò ſtultorum eſt. Par ratio eſt opij ipſius, aliorumque, quæ vaporoſitate ſuâ ſpiritus turbant & nocent.

8. *Venenum in corpore genitum in febribus malignis eſſe fermentationis peregrinæ ſobolem, ſæpe tamen non tam à priori, quàm poſteriori factum.* Quando enim vel ob aëris auſtrinum frigidioremve ſtatum, ob errores diætæ, vel contagium quoque leges proportionis ſanguinis & ſeri violantur enormius, conſiſtentiâ, motu & calore læſis, periculum ruinæ ſubit machina, peregrino inducto æſtu, varijs cum effectibus ſiniſtris. Inprimis ſal volatilius redditum, rarefaciens ſulphur, ſero diluente excuſſo, ferociens hinc & quaſſans corpus accuſari meretur. Unde ſanguis emiſſus rutilans, cinnabarinus, ſero quaſi incoctus viſitur, quo de alibi latius.

9. *Venenum peſtis, ſolo contagio propagandum & illatum, ſingula conjunctim poſſidere.* Non in aëris corruptione, præterquam particulari, conſiſtit id ipſum neque à priori æquè, unde primitus emergat, cognitum eſt; à poſteriori verò optimè. Eſt nempe venenum hoc corporeum, ſeminale, calore nativo expanſivum, ſui multiplicativum, humorum corruptivum & principiorum vitalium deſtructivum. Corroſivum eſſe demonſtrant ſatis carbunculi & puſtulæ quaſi ab ambuſtione factæ, dyſenteria, pleuritis, cardialgia, aliaque conjuncta; Fermentativum, febris, bubones, anxietates &c. Vaporoſum, deliria, ſopores, vertigo, ipſos ſanos quoque impetens eâdem domo verſantes. Eminet tamen tanquam magis activa vis corroſiva, unde reliqua quaſi obſcurat, & eâdem potiſſimum necat, ſi v. g. ventriculus fuerit carbunculo affectus, ſi mictus cruentus accedat, ſi hæmorrhagiæ; variat etiam effectus hic ratione recipientium ſubjectorum. Hinc clavis patet, quare tam ſubitò internecionem inferat peſtis; quare nullum remedium ſpecificum & appropriatum, idque certum & infallibile, quod communiter deſiderant, detur; quidque ſit ſentiendum de varijs hypotheſibus de veneno peſtilenti hodiè agitari ſolitis. Pigrum id & lentum eſt, omniſque præcautio hinc fieri debet, ne in actum deducatur: ne hauriatur, vel hauſtum maturè profligatur, ne nidum ſibi paret, cum pernicié certâ corporis. Omnia, uno verbo, ſic velut panſa patent φαινόμενα.

10. *Venena particularia magis eſſe ſubjugabilia, minuſque vincula vitalia deſtructum ire.* Noxia quidem ſunt, unde venena audiunt quoque; attamen non toti æquè, ſecreta ab archeo victore, ſeu ſuperiore, huc illuc. Satius enim eſt hanc illam partem lædi, quàm totam machinam ſubire periculum lethi. Sic *cantharides*, ſale volatili acriori conſtantes, inficiunt non tam ventriculum, acriora etiam exterius ulcerantia & rubefacientia, allia, ſinapi, lepidium ferre adſuetum quàm expanſis ſalinis particulis ſuis ſerum, unde excretioni deſtinatum in tubulis renum, ardorem delicatioribus longè partibus inſupportabilem conciliant. Par ratio eſt *leporis marini*, de quo cum minus conſtet nobis, pluribus dicere non licet, à poſteriori tamen exulceratio decantata id probat ſatis.

11. *Ubi virus, ibi virtutem deprehendere licere.* Præſtat enim ex venenorum quoque doctrinâ alios depromere uſus. Neque enim ſolùm utiliſſima eſt, tum ut venena cognoſcantur, cognitaque vitentur, tùm ut infecti melius & rectius curari valeant; verùm quoque ut cognitâ virulentiâ virtutem, quam natura illâ condidit, noſcamus. In genere enim virtuoſa eſſe & potentia ex effectu patet ſatis; quod ſi ad leges temperamenti humani redigere mitigareque illa pergamus, pro vinculis vitalibus roborandis facient, quæ contra ea deſtinata videbantur. Exemplo ſint vegetabilia plurima, ut cicuta, v. g. opium, crocus, ſemen hyoſcyami, & alia, ut arſenicum, araneas, & alia non laudemus.

De Bezoardicis primi generis.

Sed viſis hiſce jam judicium ferre poterimus de bezoardicis accuratius, generalibus & ſpecialibus. Contra enim juxta ſe poſita eluceſcunt magis. Ut itaque venena ſunt non una, ſed diverſa; ita quoque non uno nomine veniunt ijſdem oppoſita. Generali notione dicuntur *alexipharmaca*, *alexiteria*, latinè *amuleta*, (quæ vox hodiè de extremis appenſis ferè uſurpantur,) ab amoliendo, i. e. ſubmovendo, depellendo, eò quod venenis reſiſtunt: item *bezoardica*, ex eo haud dubiè, quod lapidem bezoar putarint omnibus venenis reſiſtere, modò ſit genuinus. Atque ſic eleganter & uſitatius hodiè dicuntur. Sin ſpecialius ea conſideremus, prout à Veteribus demominata fuêre, diviſa ſunt etiam quoad nomina hinc, ratione objecti potiſſimum, i. e. veneni, in quod agunt, teſte *Galeno 6. Epid. Comment. 6. tom.* 5. & albi. Cum enim venena

vel

vel ab animalibus, vel ex vegetabilibus, mineralibusve proficiſcantur (pharmaca vocant) ideò remedia ijs reſiſtentia duplicis quoque generis eſſe ſcribit *idem: Alia* quæ venenatorum morſus, ictus aut venena ſanant; alia deleterijs pharmacis medentur. Illa *alexiteria*, ἀπὸ τοῦ ἀλέξειν, *arcere, depellere, propulſare*, item *opitulari*, καὶ τῶν θηρίων, à *feris* vel belluis, nominantur. Hinc & ſimpliciter θηριακὰ φάρμακα, ſeu theriaca, propriè dicuntur, quæ morſibus animalium debentur. Dicta enim eſt theriaca partim ab effectu, eò quod ſerpentum morſibus maximè ſuccurrat, partim ab ingrediente carne viperinâ. Hæc *alexipharmaca* ἀπὸ τοῦ ἀλέξειν καὶ τοῦ φαρμάκου, quod lethalibus medeantur morbis. Exemplo ſit jam dicta theriaca, quæ cum primariò morſibus animalium inflictis debeatur, non protinus contrà omnia & ſingula venena poteſt adhiberi alia, fruſtra adverſus vegetabilia, mineralia, & plura quoque animalia. Utraque alijs terminis dicuntur etiam *alexicaca*, item *antidota*, licet hæc quoque de internis tantùm prædicentur magis.

Nos generalia illa jam vocabimus uſitato nomine Bezoardica, tanquam communia magis & univerſalia; hæc ſcilicet malignitati ex diſſolutione humorum vitalium, minori vel majori, quam venena intentat, exurgenti debita cor defendunt, & κρᾶσιν, conſiſtentiam ac motum ſanguinis contra venena in vigore ſuo aſſerunt. Monuit enim jam ipſe *Galenus l. 5. de ſimpl. medic. facult. cap.* 18. nihil intereſſe, an alexiteria, an alexipharmaca remedia venenis opem ferentia appellemus, quod ſcilicet in unum demum eundemque finem funeſtum illa conſpirent. Antidota verò ſpecialiſſimè notant, quæ his vel illis ſpeciatim & in individuo notis venenis, quoad illam qualitatem, quâ particulariter noxia ſunt, in corpus illata, adverſantur, ut ☿io ♁to, cantharidibus, & ſimilibus, de quibus in ſeq.

Cum verò ex dictis clarum ſit, bezoardica hæc reſpicere potiſſimum venenum animale, in motu fermentativo & deſtructivo conſiſtens, adeoque convenire v. g. ad morbos malignos, & prodeſſe in febb. malignis & morbis epidemiis, pleuritide, dyſenteriâ, variolis, morbillis, peſte, febribus Hungaricis, petechialibus, inflammationibus febrilibus, anginoſis &c. meritò veneni hujus ἐνέργειαν reſpiciunt præcipuè. Tertia enim pars hominum moritur febri, unde facilè colligere eſt, quantum momenti ſitum ſit in bezoardicis.

Reſpiciunt nempe vel calorem, vel conſiſtentiam, vel motum ſanguinis & ſeri, quippe benè habentibus, vel defenſis & ſartis tectis, vita producitur & contrà. Seu I. *Bezoardica reſpiciunt excluſionem fermenti peregrini*, quo calidum nativum impetitur. Quæ verò id ipſum excludunt, balſamum nativum neceſſariò roborant.

Excludunt id ipſum *Balſamica*, putredini ſimul reſiſtentia, phyſicæ, & hinc medicæ, *Sulphurea*, ut è ſimplicibus, Radices *angel. carlin. contrayerv. diptamn. gentian. imperator. petaſit. olſnit. Zedoar.* Ex herbis *ruta, ſcordium, galega. ſalvia.* Ex floribus *ſambuc. calend. bacc. laur. juniper. myrrha, cortic. citr. aurant. camphora, ſuccinum, ſulphur*, hinc θεῖον vocatum, & ex his parata, ut *oleum angel. citr. ſucc. n. rutæ, camphor. peſtil. Heinſij; Elixir peſtil. Croll. Tinctura Bezoard. Michael. Rolfinc. Mœb. Ludov. Wedel. eſſentia myrrhæ, theriacæ, balſamica, ſpir. theriac. camphorat. bezoardici; Theriaca Andromach. cœleſtis, mithridat. orviet. flor.* ♁*r. myrrhat.* &c.

Excludunt *Balſamica ſalina*, volatilia & mixta, ut ⊶ *ebor. C. C. ſerpent. viperar. Tinctura bezoard. volat. liqu. C. C. ſuccinat.*

Excludunt item, ſed concentrando & penetrando magis, *acida*, ut *Acetum ſ. bezoard. rutac. theriacale*, ſuccus citri, aliaque, de quibus mox plura.

Ut hæc illuſtrentur magis, tenendum eſt (1.) eſſe ſua morborum taliſmodi ſeminia, ſeminaria & quaſi ovaria, inprimis malignorum, & inter hos maximè peſtis, ſive aliunde illata, quod de peſte quaſi abſolutè, de alijs ſecundum quid verum eſt; ſive concepta & fabricata in corpore. Patet hoc, quod ſint ſui multiplicativa, cum alijs communicentur, radices & fomitem habeant in putredine & corruptione humorum, & quæ alia adduci poſſunt argumenta plura. Adeoque conſequenter opus eſt, ut, qui curare eoſdem feliciter velit, hæc potiſſimum ſibi habeat commendata.

(2.) Impeti ab his archeum, ſeu calorem nativum, ſpiritum vitalem, qui niſi roboretur, exterminando & excludendo fermento morbifico eſt inſufficiens. Debilitatur hic reverà, licet efferato calore id minus compareat, quin ipſi ægri ſæpe non credant ſe ægrotare, per aliquot dies circumambulantes, *dencken ſie wollens ubergehen, habe nichts zu bedeuten*, ſed hinc demum magno ſuo malo id experiuntur. Maximè verò in malignioribus id videas, ubi ſimul decollant vires, ſummèque proſtratæ viſuntur, ita ut ſæpe de nullo alio conquerantur, quàm ſolâ laſſitudine, *ſie wâren nur matt*, peſſimo tunc degentes in ſtatu.

(3.) Eſſe in ſanguine illa ſeminia & fermenta heterogenea, peregrina, non deſidia, ſed ſummè activa, ſeu ſanguini ſeu ſero magis inhæreant, quod vel bubonum, & carbunculorum uno exemplo clarum eſſe poteſt. Sin maturè ſecludantur, brevi pacatos reddi excitatos fluctus microcoſmicos, idque per ſudorem, ipſius naturæ inclinatione & optimâ viâ, quæ à centro ad circumferentiam has ſordes ſequeſtrat, ac ab ijſdem ſe liberat.

Hæc ſi vera ſunt, uti ſunt veriſſima, patere poteſt, qualia ſint hæc ipſa bezoardica & quomodo agant, activiora potiſſimum recenſita & volatilia, tùm κατ᾽ ἄρσιν, tùm κατὰ θέσιν.

Κατ᾽ ἄρσιν dicimus (*a*) *non ſola eſſe bezoardica & unicè, quæ animatam verminoſam putredinem reſpiciunt.* Notum eſt per *Kircheri, Langij, Hauptmanni* hypotheſes, ſtatuere quoſdam peſtis venenum conſiſtere in animato ſeminio, aërem repletum eſſe vermiculis tunc temporis plurimis, qui illati & hauſti M. S. deſtruant, & φαινόμενα omnia illa producant. Quin, ut taceamus omnes adeò morbos & mortem ipſam duos illos poſteriores pro animatis habere, repertos eſſe in cadaveribus peſte defunctorum, cultro audaciori ſubjectorum, vermes copioſos in ventriculo. Hinc rentur vim illam omnem bezoardicorum adſcribendam uni ſoli huic cauſæ, quod vermibus & verminoſæ putredini adverſentur.

Verùm utut non negandum ſit, poſſe animata ſeminia & in aëre & in corpore reperiri, imò in quibuſdam reperta eſſe actu; poſſe item à vermibus ſymptomata enormia excitari, quin ipſa hæc bezoardica eſſe ſimul anthelmintica; exinde tamen concludere non licet, quod volunt, peſtem & febres malignas unicè ab animatâ putredine eſſe oriundas. Neque enim (1.) phænomena comitantia tàm diverſi generis ex hâc hypotheſi poſſunt derivari, non bubones, v. g. non carbunculi, præcipua peſtis ſignacula; Vis illa corroſiva, fermentativa, vaporoſa gravior eſt, quàm ut poſſit per verminoſam putredinem explicari firmiter. (2.) Quia ipſa illa animata putredo non tàm producens eſt, quàm productum, ubi enim putredo, ibi facilè vermes generantur, adeoque poſito illo dari & reperiri in his ſubjectis, quod tamen univerſaliter verum non eſt; potior tamen ratio habenda erit cacochymiæ tanquam cauſæ, quàm ejuſdem

effectus (3.) Non ſunt propoſitiones convertibiles: quæcunque ſunt bezoardica, illa ſunt anthelmintica & vice verſâ: omnia anthelmintica ſunt bezoardica, utraque enim latius patent, exemplo ☿ii dulcis, abſinthij, purgantium, corallinæ, tanaceti. (4) Neque etiam omne ſeminium verminoſum eſſe oportet. Hinc hypotheſis hæc illuſtrare quidem poteſt bezoardicorum vim agendi, & tanquam effectus ſpecialis conſiderari, non verò abſolutè & univerſaliter locum habet, præcipuè cum hoc ipſo pacto dubiis non fiat ſatis, nec exhauriatur malignitatis & veneni vis. Unde niſi ulterius in principia prima entis venenoſi inquiramus, paulo minus eſt hoc ipſum, quàm ignorantiæ aſylum.

(β) *Non ſola eſſe bezoardica & unicè, quæ viriditatem perpetuam ſervant.* Sunt ex recentioribus, qui remedia peſtis genuina in his quæritant, omnia verò alia cariei obnoxia, ut angelicam, zedoariam, carlinam, & alia nauci eſſe habenda contendunt; Juniperum contra ea, laurum & alia generoſiſſima & vera largiri præſidia. Sed nec ipſa hæc propoſitio verificari poterit, omnia perpetuò virentia eſſe peſtis remedia, ita ut univerſaliter concludat. Ut argumentum topicum & particulariter valet, non univerſaliter. Si enim inquiramus in cauſas viroris perpetui, vel ſulphuri ille eſt adſcribendus, vel ſali volatili, utrique minori reſpectivè aquæ, tanquam principij congelaſcentis, proportione pollenti. Jam verò propter quod unumquodque eſt tale, illud magis eſt tale. Ait propter ſal & ſulphur perpetuò virent. E. hæc ipſa ſal & ſulphur balſamica magis attendenda, quàm effectus, viror ſolus. Neque, ſi exempla attendamus, id ipſum ſuccedit & firmo ſtat talo. Non enim ſabina, cedrus, abies, cupreſſus, pinus, præbent bezoardica, niſi quatenus reſinoſitate ſuâ ignem, aeris purgatorium, alunt; non cochlearia, naſturtium aquaticum, & hybernum, lepidium, aliaque virentia ſemper. Adeoque licet verum ſit, utraque hæc poſſe tutari corpus à putredine; quamvis concedamus virorem eſſe ſignaturam quandam & characterem externum, teſtantem de virtute internâ, ipſa tamen hæc ratio non ſufficit, quin plus ultra progredi ſatius ſit, & hæc penitius inquirere.

(γ) *Non ſola eſſe bezoardica ♁iata & 🜍ata.* Fuêre hactenus alij quidam, qui ponentes peſtem in metallicâ arſenicali conſiſtere maliâ, imò talem illud quoque, in locis mineralibus, ubi effodiuntur opes irritamenta malorum, peſtem graſſari magis & frequentius; non ſufficere ulla aliqua autumant bezoardica alia, quàm ſola metallica. Quàm lubricum verò hoc ſit aſſertum, facilè ex dictis & dicendis mox patet, & poſito, veram eſſe hypotheſin; ipſa tamen ♁iata & 🜍ea non eo modo arſenicale virus corrigere noſcunt, uti actuali igne commixta in magnete arſenicali illud domant, & figunt.

Κατὰ ϑέσιν verò diſplodunt & excludunt, quod diximus, peregrinum illatum ſanguini, quatenus ſulphur & ſal volatile ſanguinis vigorant, idque in motum citant, exſuſcitant calorem, circulationemque ſanguinis & lymphæ promovent, ϛάσιν verò omnem nocentiſſimam impediunt. Hinc bubones in peſte quidem boni ſunt, ſed incompletè, quin viſi ſunt, per ſola bezoardica inſenſibiliter quoque diſcuſſi. Unà verò, ſi viſcoſius fuerit ſeminium, diſſipant & annihilant; ſi vaporoſum, poros cerebri reſerant & in halitus id ipſum reſolvunt; ſi fermentativum, deſpumando ad extima ὀργασμὸν vertunt: ſi corroſivum & viſcolum, ut peſtis, affigi id non patiuntur maturè propinata, ſed diſſipant & excludunt; idque omne obſtetricante & adjuto inprimis calore. Ait quando vis corroſiva vel fixa eſt nimis, ut in arſenico, ☿io ♎to, vel in peſte jam fixata, infixa partibus intimius, minus poſſunt, minus proſunt.

Præcipuè ergò conveniunt in omnibus malignioribus, ubi penitior putredo, ϛάσις major, ſeminium efficacius, & ſpeciatim etiam in morſibus tarantulæ, viperæ, canis rabidi, &c. Punctus ſtudioſus ab araneâ in collo, brevi convaluit, ſolo uſu ſudoriferi ex theriacâ.

De Bezoardicis ſecundis & tertij generis.

Ut verò primum in hiſce morbis eſt excluſio fermenti peregrini maligni, id quod niſi maturè fiat, neceſſum eſt alia unà conſequi non minus periculoſa, quæ omnia ceſſare oportet, factâ iliâ excluſione, & demto, quod fermentationem peregrinam inferre queat; ita effectus porrò conſequentes quæ reſpiciunt, bezoardicorum titulo meritò quoque veniunt.

Adeoque II. talia ſunt *reſolutionem nimiam impedientia*; non neglecto penitus priori. Reſpiciunt ſcil. hæc productum primum malignitatis, quatenus ex ordine dimovetur ſanguis & ſerum, ſeu reſolvitur. Primum nempe genus bezoardicorum reſpicit quaſi ſanguinem & ſerum ſimul; alterum hoc elementum alterum, nempe ſanguinem, particulas ſulphureas & ſalinam ſeorſim, quatenus ſulphureas has particulas & volatiles ſalinas nimis efferatas obtundunt, enervant & alterant. Aliàs enim neceſſariò vincula deſtruuntur & ſulphur nimis rareſit.

Talia diverſo reſpectu ſunt 1. *adſtringentia* temperata, ut *tormentilla, biſtorta*, potiſſimum in febribus malignis cum diarrhœâ, quæ peſſimi eſt ominis, cæteris paribus, item *pulvis ſtypticus*.

2. Paria faciunt, licet remiſſius *mucilaginoſa*, ut *cornu cervi*, ejuſque *gelatina, C. C. Philoſ. ppt.* & *magiſter.* item *ſcorzonera*, inprimis montana, Italica, & noſtras; *terra lemnia, ſigillata, bolus armena* &c. Hæc ipſa hoc cenſu venire palam faciunt tum diarrhœæ malignis febribus ſolenniſſimæ, etiam in ipſis puerperis, tum hæmorrhagiæ, quin imo non rarò ſudores ipſi. Eoque maligniores cum ſint febres putandæ, quò magis alterutrum horum comitem ſibi adſciſcunt; tantò magis locum inter bezoardica habent hæc ipſa adſtrictoria, ita tamen comparata, ut ſimul calorem p. n. reſpiciant. Mucilaginoſa verò ſal illud peregrinum, quod expulſione ſecerni non potuit, inviſcant quaſi & ſic temperant, unaque remoram ponunt ſali volatili rarefactivo. Adeoque & freno in his morbis eget natura & ſtimulo; ſtimulum addunt expulſiva, quæ laudavimus, frenum reliqua ſecundi ordinis.

3. *Præcipitantia* quoque huc faciunt, tùm abſorbentia, ſi qua aciditas peregrina ſe immiſcuerit, tùm reverà invertentia humorum ὀργασμὸν. Utroque modo fluxiles redduntur, ſeu in motum citantur & circulum debitum humores. Neque aliâ ratione agit *lapis bezoar* uterque, *orientalis*, majori virtute conſpicuus, & *occidentalis*, minori commendabilis, ut & pretio. Idem præſtant bezoardica mineralia quæcunque. Illa nempe non tam ♁iatâ ſuâ origine eunt malignitati, quàm ipſâ hâc ſuâ præcipitandi virtute, unde diſjiciuntur humores & præcipitantur. Talia ſunt ♁ *diaph. bez. miner. ſ. ♃le ☉iale ☽re*, &c. Hinc fruſtra ſunt, qui eadem hæc reliquis omnibus unicè anteferunt, cum potius homogeneis aliis miſcenda ſint, uti v. g. ♁*ium diaph.* cum *C. C. phil. oc.* 69. ā. & *extracto ſcorzon. mont.* par, qui *pulvis bezoardicus minor* eſt, abundè facit officium. Uti *major*

eſſe

eſſe poteſt ſequens: ℞. *rad. contrayerv. terr. lemn. unicorn. foſſil. corall. rubr. ppt.* ♁ *diaph. ſuccin. alb. ppt.* ā ℥j. *C. C. philoſ.* ℥ij. *lap. bez. occid.* ℥ß. *ol. citr.* M. P. pulvis, alterandi & confortandi fine utiliſſimus, in febribus malignis, variolis, morbillis, dyſenteriâ & aliis hujus generis morbis. Datur ad ℈ß. g. xii. xv. ℈j. remiſcendus cum *cinnab. nat. anodyn.is*, ⊖ *C. C. volat.* aliiſque. Tacemus pulverem bezoardicum *Sennerti*, *Rolfincii*, aliorumque. Præter illam verò exſiccandi & ſerum corrigendi vim eadem bezoardica mineralia ſunt ἄποια, omnis qualitatis heterogeneæ expertia, & tantò magis huic ſcopo propria, quò magis ſunt pura, fixata, & particulis metallicis fœta. Hæc ipſa tamen præcipitantia non ſunt unius & ejuſdem generis. Exemplo ſit unicornu foſſile & animale; illud magis adſtringit & ſiccat, hoc magis genium naturæ ſuæ retinet, & ad exemplum aliorum ſimilium ſal volatile ſuum facilè oſtendit reconditum.

Quæcunque enim vel volatile in ſinu gerunt, vel quoque mucilaginem blandam obviſcantem & infringentem, illa ipſa vel mineralibus dictis palmam dubiam reddunt, unde non fidendum iiſdem magis, quàm aliis cujuſcunque regni bezoardicis.

4. Nec *acida* ſunt excludenda ex hâc claſſe, ſiquidem illa ſulphur quàm maximè obtundunt, & ſal volatile peregrinum rarefaciens figunt. Hinc *Acetum ſ. & bezoard. ſucc. citr. granator. aurant. Tinctura roſ. viol. fl.* 4. *cord.* ▽ *bez. Ruland. ſirup acetoſ. citr.* ſunt bezoardica, inprimis verò *clyſſus* ♁ *ratus*, ⊖ *bezoardicus* pluribus nominibus.

5. Ipſa quoque *opiata* huc faciunt, licet incomplerè & cum aliis, quatenus & ipſa inſigne hoc habent beneficium, quod (1.) in centro ligant fermentum febrile, idque (2.) ad exteriora profligare juvant & ſudorem unicè promovent, (3.) coagulum ſimul avertunt, (4.) ſpirituum profligationem prohibent, (5.) ſanguinis & ſeri vincula quàm accuratiſſimè defendunt, modò providè in uſum vocentur.

Hæc ipſa tùm in genere malignitati obſiſtunt & bezoardica ſunt, licet ſecundariò ſaltem, tùm ſpeciatim illis morbis malignis debentur, ubi humor ſeroſus freno indiget, ut in fluoribus quibuſcunque cum febribus conjunctis, tunc enim maxima ſemper horum habenda eſt ratio. Et ex hâc ratione conſultum eſt, Tincturam, bezoardicam conſtituere varij generis ingredientia, ut eò magis polychreſta ſit. Hinc eâ occaſione dicendi datâ duo libabimus ſpeciatim, Theriacam & Tincturas bezoardicas. Aſſeruimus cum *Platero* & *Walæo* Theriacam ſine opio confectam ſudorem non movere, duplici ex fundamento, tùm quod opium ſudoriferum eſſe quotidiana teſtetur experientia, minimâ nempe quantitate, uti datur, aſſumtâ, ægrotos in ſudorem blandum & copioſum diffluere. Si ergò opium movet potenter ſudorem ad gr. j. v. g. meritò eandem vim exeret in theriacâ id ipſum, ſiquidem hujus ℥j. circiter gr. j. opii recipit. Hoc vero ablato, neceſſum eſt, deſtitui theriacam virtute tàm inſigni ſudoriferâ. Tùm experientiâ, de quâ illud vulgatum notum eſt, unam experientiam plus valere, quàm centum rationes. Audiamus *Walæum* ipſum præeuntem, medicamenta ſudorifera, *inquit*, pauca vera ſunt, & inter hæc excellit opium; quod enim theriaca, quod mithridatium ſudorem moveant, hoc omne ab admixto faciunt opio. Expertus ego ſum, *addit*, hæc duo electuaria, abſque opio præparata ſudorem prorſus non moviſſe, *m. m. p.* 65. Adſunt ergò duo immota hæc fulcra, ratio & experientia, niſi velimus negare experientiam viri fide digni, eamque ſubleſtam vocare, ſtabilitam tamen ratione. Cui accinit in *diſqu. therapeut. Swalbius*, hoc eſt, *inquit*, (ſcilicet opium) quo theriaca, quo mithridatium, quo diaſcordium, & pleraque antidota ſudores præcipuè eliciunt. *S.* 4. *p.* 89.

Contra hæc verò ſunt, qui aſſertum hoc negant, & ejuſdem veritatem impugnant. Modeſtius paulò *Velſchius in comment.* id negat, *quod reliqua theriacæ ingredientia videantur id ſatis præſtare poſſe citra opium.* Experientiam verò laudat in contrarium nullam; Idem facit *Hannemannus Tract. de inebriamentibus p.* 13. concedens opium vi diaphoreticâ pollere, aſt omnem vim diaphoreticam, quâ theriaca, mithridatium, diaſcordium prædita ſunt, ſoli opio velle acceptam referre, eſſe poſtulatum nimis liberale. Ratio additur eadem; *multa illa electuaria ingredi, quæ ſunt naturâ ſuâ diaphoretica.* Ad experientiam verò *Walæi*, dicit: hæc electuaria fortè ſudorem non provocaturum, non quia opium abfuit, ſed vitium fuit in aſſumentibus. Experientia verò itidem in contrarium affertur nulla; Sed reſpondemus, negando, in theriacâ eſſe naturâ ſuâ diaphoretica, quibus in ℥j. vel ℈i. opij vim ſudoriferam quas adſcribere. Ponamus eſſe talia ex farragine myrrham, rad. mei, gentianæ, phu pontici, & terram lemniam, tot enim fortè excerpſeris; horum verò doſis tàm exigua eſt, virtus tàm pauca ſudorifera, ut minimè ſudorem iſtis adſcribere queas. Nulla ergò inſunt theriacæ diaphoretica ſeu ſudorifera potius propriè dicta, niſi velimus hypotheſin illam ſupponere; calida ſudorem movere, quod ſaniores medici negant, neque enim ▽i, piper, cardamomum, id faciunt, & fixa contrarium teſtantur. Deinde experientiam viri probati negamus poſſe ſubrui fruſtraneâ conjecturâ. Omnes nempe circumſtantiæ reclamant. Aſſumta fuit theriaca ſudandi fine, nullum in hoc vitium eſſe poteſt vel fingi ſaltem adſumentium; non motus inde prorſus fuit ſudor, neque hìc vitium adſumentibus adſcribi poteſt ullum.

Hæc de theriacâ. Quod Tincturas bezoardicas attinet, uſu obtinuit hodiè, ut M. S. quaſi b. ſin præbeat his ipſis, unde & eadem vocari ſolet *weſſe Bezoar Tinctur*; ita ut nihil aliud videatur Tinctura bezoardica Michaëlis & aliorum, quàm M. S. tinctura & concentratior, mutuante Tincturam medicamento à ſandalo rubro. Ut adeò quòd theriaca & huic affinia ſunt in formâ mediâ, pulvis bezoardicus in formâ ſiccâ, id in liquidâ ſit Tinctura bezoardica, tantoque magis ſe commendet præ reliquis, quò magis conſtat, liquida citius penetrare & fundere humores, magiſque adeò eſſe activa. Præter unum hunc modum Tincturæ bezoard parandæ, nempe citra extractionem ſpecierum, Tincturâ aliunde veniente, vel peregrinâ ſandali, vel extractorum bezoardicorum, alter quoque in uſu eſt ex ſpeciebus bezoardicis ſelectioribus, beneficio ⊖us bezoardici, (utriſque majoris vel minoris apparatus aſſumendis,) extractis, adeoque propriâ Tincturâ, vel adſcitit â innoxiâ, ſimul gaudentibus, de quo *vid. Schulz. Tract. de Tinctura bezoard.* Et poſterior hic modus vel medius polychreſtus eſt magis, utrique verò opiata refractâ doſi adduntur concinnè, juvandi & refrenandi virtute; ita enim rarefactionem & reſolutionem nimiam infringunt, curando ſanguinis & ſeri vincula. Par ratio eſt acidorum, unde inſtar regulæ eſſe poteſt; acida & opiata bezoardicorum adjumenta eſſe certiſſima, exemplo M. S. & theriacæ. Exempli loco eſſe poteſt Tinctura bezoardica ſequens: ℞. rad. zedoard. gentian. ver. angelic. anthor. contrayerv. carlin. biſtort. diptamn. alb. torment. ſcorzon. Ital. montan. vincetox. olſnit. a. unc. 1. fl. galeg. (vel onobrych. ſylv. fl. rubr.) ulmar. calend. ſcabioſ. rut. a. ℥ß. ſem. fraxini card. bened. aquileg. rut. a. ʒii. bacc. parid. ℥iß. cubeb.

beb. gran. kerm. g. opobalſ. ã. ℥ß. cort. citr. ʒvi. camph. myrrh. elect. ã. ℥i. croci ʒi. Conc. cont. g. m. Affund. ∽ bezoard. ſeu ex ☠ extracti prioris, ſeu ſambuci citratum, è fl. ſambuc. & cort. citr. &c. q. ſ. Cum per aliquot dies ſteterit in leni digeſtione, add. ∽ Sal communis ſtriat. ℥ii. ſandal. rubr. ℥iß. Tinctura ſaturata decantetur & exprimatur, ſervanda ad uſum, in febribus continuis & malignis, variolis, morbillis, peſte, pleuritide, febribus puerarum, doloribus capitis, eryſipelate, dyſenteriâ, inflammationibus, defluxionibus catarrhalibus, caſu ab alto, & ubi aliàs ſudore opus eſt, probatiſſimi uſus. Miſcetur per ſe cum ſubduplo vel ſubtriplo miſturæ ſimplicis, Tincturæ anodynæ guttulis aliquot; cum alijs verò pro indicationum modulo variâ.

Tertiò, ut opus eſt per dicta excludere ſeminium, tutari ſulphur & ſal volatile ſanguinis; ita non minus tutandum eſt ſtudiosè ſerum ipſum, adeoque bezoardica quoque ſunt, licet itidem reſpectu priorum ſecundaria quaſi, *quæ ſeri defectum ſolantur*. Plurimi in hoc falluntur, qui unicè expulſivis illis utuntur, neglectis hiſce; licet contrà ea & in his exceſſus fieri poſſit.

Solantur ſerum ſubſtantificè humectantia, *aquea* temperata, aqua ipſa. Laudabimus hanc in rem non tam veterum morem, qui aquæ frigidæ potum in febribus maximi æſtimarunt teſte vel uno *Galeno*, quàm locum egregium *Georg. Hornij in arcâ Moſis pag.* 124. Ab alcali, *inquit*, ſitis eſt inextinguibilis, niſi per acida & puram aquam, crudam, incoctam, copioſiſſimè ingeſtam, etiamſi vomitu, flammâ prævalente, regurgitet, donec aqua in ſtomacho remoretur; mox ſequitur ceſſatio ſitis, caloris, ſopor, ſudor, ſanitas intra 12. horas, quod ipſe multoties in acutiſſimis febribus probavit. Præcipuam in eo conſiſtere curam remedio, ubere frigidæ potu, citra ullam Venæſectionem & purgationem, aſſerit etiam ibidem *pag.* 150. Faciunt huc *aquæ ſcorzoneræ, ſambuc. cord. Sax. frigid. galeg. bezoardica Rul.* aliorumque ſimplicium, ut *acaciæ, ceraſorum nigr.* &c. *decoct. hordei c. CC.* & *ſcorz. julepi, potiones*, & ipſæ inprimis *emulſiones*. Cum enim tunc & per rationem, caloris velut Veſuviani præſentiam, & αὐτοψίαν, ſi fiat V. S. deprehendatur ſanguis ſpiſſus, colore cinnabarino vel alio ſero omni quaſi privus, quo ſenſu ſolemus dicere ſerum quaſi omne incoctum eſſe, impoſſibile eſt, ut poſſit machina ſubſiſtere; quin hoc ipſum malignum eſt, & malignorum morborum multorum eſſentiale; meritò ſtudendum, ut principium hoc vitale, ſerum, ſeu humidum acido ſubſternatur. Quod niſi fiat, vigiliæ deliria, deliria motus convulſivos, ſingula mortem inferunt.

Solantur ſerum acida, & inprimis nitroſa, quatenus illud fluxile reddunt, & ſal peregrinum infringunt & temperant, v. g. *lap. prunellæ* inde nomen indeptus, quod prunæ huic vel fervori febrili conveniens ſit, ſal petræ ♁iatum, ⊖-latum duplex, viâ ſiccâ & humidâ paratum, ſal petræ perlatum, corallatum, ſaturniſatum. Hæc ſcilicet ſingula ardorem, fervorem, rarefactionem nimiam, adeoque ſeri conſequentem defectum, exhalationem & incoctionem remorantur, vel ſaltem non promovent, fluxile illud reddunt, temperant, ſimulque reſolutionem & ichoreſcentiam impediunt, quatenus ſulphureas particulas & ſalinas volatiles ſanguinis nimis efferatas coercent, obtundunt, diluunt, enervant & alterant.

Et ſpeciatim in delirijs, ardore majori, & ubi inflammatio in internis metuitur, ⦶ſa præſtò ſunt, ut in peſte. Hinc cùm in hâc ipſâ ςάσιν facilè concipiat ſanguis & carbunculos intentet, etiam interius, ut ipſo ventriculo, nitroſa quoque cum alijs fecêre officium, ſi non immediatè, tamen mediatè veneno debita.

Pertinent verò huc & illa, quæ ſerum in motum cient, ejuſque quietem & ςάσιν ac vappeſcentiam corrigunt. Eaque neceſſaria eſſe demonſtrat effectus, v. g. in peſte bubones, qui non aliunde, niſi ab hâc ςάσει ſeri in glandulis, eaſdemque ob fermentantem vim attollentis, confiunt. Fierique ipſum facilè, non difficilè eſt colligere etiam à priori, ob ſal peregrinum viſcidum corroſivum, unde illabitur promtè ſuis ſecerniculis, non verò elabitur.

Par ratio eſt in malignis, quando vel ob hanc cauſam, vel viſcidius ſerum ſudor nullus à medicamentis etiam propinatis obtineri poteſt. Eo caſu & volatilia & fixiora proſunt. Ex illorum cenſu ſunt urinoſa, ex poſteriorum cinnabarina, utraque ex ipſiſſimâ hâc ratione in peſte utiliſſima. Hinc obſervatum eſt volatilia urinoſa, nominata jam ſuperius, in principio peſtis ſummè fuiſſe proficua, & mediam quaſi Tincturam bezoardicam, ſeu acidis refractis gaudentem, ſeu volatilem urinoſam feciſſe ſtenuè officium; nec minus cinnabarina, reliquis interpolata, ut ☿ialia alia taceamus, ☿enim diaphoreticus, cujus præparationem ipſe *Paracelſus* & *Helmontius* docent, non minimum in peſte præſtat. Novimus medicum, qui in peſte Viennenſi evaſit & gloriam reportavit, ab adhibito taliſmodi medicamento ☿iali. Cum verò hinc alibi vel nimis ſibi fideret, Deo forſan non primariò in auxilium vocato, vel medicamento abuteretur, nec legitimè æquè applicaret, ſaltim ſibi ipſi, morti in rapinam ceſſit non minus ac alij. Quemadmodum enim, poſitâ hâc indicatione, ſeu hoc intuitu ſudorem alias difficulter mobilem excitare cum ſucceſſu licet; ita, ad ichoreſcentiam vel rarefactionem nimiam inclinante maſſâ ſanguineâ volatilia, cinnabarina & ☿ialia hæcce tantum abeſt, ut conveniant, ut convulſiones abigant, ut potius ſudores adaugeant & nimios reddant, ultra ſphæram ſuam efferatis & difflatis humoribus.

De Legitimo bezoardica adhibendi Modo.

Sed prius, quàm provehamur ulterius & de hoc adhibendi bezoardica legitimo uſu monita & cautelas addamus, illud facilè ex dictis patet, diſtinctionem eſſe ſummè neceſſariam inter bezoardica illam, de quâ mox plura, quâ in volatilia, media & fixa, non minus ac alia plura ſpecifica, dividuntur. Hæc ipſa diſtinctio fundamentum habet in re, eſtque utiliſſima; nos verò h. l. non tàm ſecundum materiale dividere eadem voluimus, quàm ſecundum medendi methodum ſimul, ut & pateat ſtatim, quid agendum, & quomodo agendum ſit in taliſmodi caſibus, quæ vitam concernunt.

Hinc nota 1. *Ut diverſa venena, ita etiam diverſa ſunt bezoardica.* Utraque penitius, quod anniſi ſumus, inveſtigata & juxta ſe poſita, quæ quibus conveniant, monſtrant magis. Niſi enim, quæ regula univerſalis eſt, inter indicans & indicatum, morbum & remedium, juſta intercedat oppoſitio, & oppoſitorum proportio, nullo modo morbus tollitur, quin ſæpe augetur magis, & contra. Tribuat hinc unuſquiſque, quantum volet, Tincturæ ſuæ bezoardicæ, electuario Orvietano, pulveri bezoardico ſpecifico, vel quibuſcumque etiam centum alijs; Tinctura bona, electuarium bonum, pulvis bonus, æger moritur. Neque eſt quod quis dicere poſſit, in peſte v. g. eſſe reverâ τὸ θεῖον, fruſtrà eſſe ſingula, non adjutos à peſte incipiente ullos, quemlibet ſuo fato mortuum; Verum enim eſt, ſi à peſte evaderent plurimi, vel omnes, non peſtem, ſed benigniſſimum æſtimandum fore morbum. Eſt enim de naturâ & eſ-

& eſſentiâ peſtis, plures ſimul corripi & citius mori, quàm ſuccurri ferè poſſit. Sed ſi fateri volumus quod res eſt, Deus & cum blanditur pater eſt, & cum cædit pater eſt; Unde & peſti ſuam, pro ſalute humani generis, in naturæ ſinu locavit antidotum, quamvis non talem, qualem ſibi vulgo imaginantur, vel ut poſtulatum impoſſibile fingunt. (Loquimur de cauſis & remedijs naturalibus, non Theologicis.) Quin hoc ipſum apparet ex naturâ veneni peſtilentis. Torpidum hoc eſt, ſed efficax; lentum, ſed tarditatem, ſi tamen ita dicenda eſt ſæpe, vel lentorem ſuum efficaciâ ſuâ compenſat. Non inſtar baſiliſci eſt, ut obtutu velut ſuo quemvis enecet, unde nec in aurâ venenum locatum eſt, ſed in contactu vel quaſi tali, in ſeminio propagabile unicè, reliquis obſtetricantibus ſolùm. Sed habet ſe inſtar viperæ, inſtar arſenici, inſtar napelli, ſi rem rectè concipiamus. Vipera lentum eſt animal, quod tractari poteſt innoxiè, modò caput prehendas, (quod vel centies experti ſumus,) nec temerè nec timidè rem aggrediaris. Arſenicum medela eſt, modò non hauriatur intrò & ſibi relictum; eadem ratio eſt napelli. Adeoque pro captu tractantis habent ſua fata venena. Fruſtra ſunt ergò & abſurdi, ſive è vulgo, ſive ex medicis, qui unicornu aliquod, qui lapidem bezoar fingunt, omnium venenorum antidotum, qui medicamenta crepant, vel ſimplicia, ut à lapide ſerpentino confecta pocula, aliaque, quæ venenum omne pellant, ad præſentiam ejus ſtatim ſudent, nullum inadvertenter ad vitalia dimittant. Ludicra ſunt hæc & ſuperſtitioſa vulgi figmenta, quod ipſum tamen velut promiſcuè per tot ſecula credit facilè & decipitur, non minus ac aſſentientes medici.

2. Fluit ex his promptè, *non eſſe confundenda bezoardica, cùm in genere, tùm in ſpecie.* In genere nemo non percipit, veneno corroſivo arſenicali non prodeſſe theriacam vel tincturam bezoardicam, nec morſui animalis cryſtallum, quem antidotum O-Oci ſtatuunt; ſed alia eſſe mineralium, alia animalium, alia vegetabilium antidota. Et licet ſint bezoardica polychreſta, pluribus ſcopis debita, nec illa tamen ſunt confundenda & permiſcenda temerè. In ſpecie verò id valet in febribus malignis, fermentativo veneno magis conſpicuis, & præcipuè in peſte ipſâ. Mirandum non eſt, vel hoc nomine mori plurimos peſte quod fidant his illis remedijs, pro probatis ab alijs habitis. Mori item febribus malignis affectos æquè ac peſte non paucos, qui nedum medicamenta aſſumunt, ſed corpus hoſti exercendum exponunt iſtâ ſuâ negligentiâ, donec proſtratis viribus medicinâ ſe opus habere, an habuiſſe, ſerò nimis intelligant. Auſim dicere, imò expertus aſſerere, jugulari poſſe febres ardentes, peſtem, dyſenteriam, alioſve morbos epidemios in primâ herbâ, ſi ſtatim ad primum mali ſenſum mederi liceat. Novimus virum ſatis timidum, qui ſexies dyſenteriam invadentem, quâ affecti erant domeſtici, & duo infantes, toties repulit extemplo, momento invaſionis ſumtâ Tincturâ bez. Nec minus exempla nota ſunt, qui viſitantes peſte infectos paſſi jam vertiginem, laſſitudinem & alia, ſumto bezoardico volatili, Tincturâ bez. alcaliſatâ, Mich. noſtrâ, liberarunt ſe à præſentaneo veneno & periculo mortis. Si verò promiſcuus uſus non convenit bezoardicorum, facilè patet, quid judicandum ſit de pluribus hoc tempore editis ſcriptis, concernentibus regimen peſtis præſervandæ & curandæ. Sanè maxima pars, ſi non promiſcuè, tamen confuſè hæc tradit: commiſſo legenti negotio, ut eligat cui dicat medicinæ, Tu mihi ſola places. Quicunque mederi vult tùm alijs ægris, tùm à peſte præſervandis & curandis, debet omninò 1. diſtinctè, breviter, & claris verbis exponere, quid, quando, quomodo agendum, ut nullum ſuperſit dubium, ut ſciat probè agenda patiens; 2. morbo conformia remedia, ſelecta, pauca & probata proponere, quæ juvent, non noceant; eaque 3. quæ diffuſa ſint nihilominus, pluribus communicabilia, citra pretij magnitudinem. Maxima enim intentio eſt mederi pauperibus, tertiæ ad minimum parti urbis vel pagi. Hinc & brevis ſæpe ſchedula ſufficit, neque uſum habent ullum, (hunc quidem, quem intendunt,) exaſciata & pluribus folijs conſtantia conſilia, quibus lectis, plebejus indoctior redit, vel incertior agendorum.

3. *Volatilia magis heroica, primò hoſti opponenda, fixiora interpolanda.* Ut in bello appetente hoſte non levis amaturæ milites impetum ſuſtinere, nedum retundere norunt, primus conflictus eſt acerrimus, & turpius ejicitur, quàm non admittitur hoſtis; pariter in medicinâ ſe res habet cum bezoardicis. Brevi rem conficiunt priora, niſi morbus radices jam egerit & vitalia occuparit; quo facto nihilominus principem tenent locum. Ratio immota & principalis eſt, quia excludendum ſeminium morboſum, ſive illatum, ſive conceptum interius. Neque timendus eſt calor, productum ejuſdem, brevi compeſcendus, modò excluſum ſit peregrinum motum hunc excitans. Ratio ſecundaria eſt, quia citius ſubeunt, activiora ſunt. Exemplo ſint variolæ, morbili, malignæ febres, dyſenteriæ epidemiæ, pleuritis, peſtis ipſa. Mox inde vel tollitur morbus, vel mitigatur, vel ſymptomata ab obſeſſione foci vitalis orta, anxietas, reſpiratio difficilis, retroceſſio bubonum, exanthematum præcaventur. Dato verò hoc ſtimulo, freno hinc moderamur archeum, ut non ultra quàm par eſt efferatus, reſiſtere queat. Fixiora autem reliquorum ſunt ſubſidia, ut quies concedatur naturæ, quâ interruptâ facilè fatiſcit. Imò hæc abſolvunt curationis reliquum. Media & communia ſunt acida, fervori & ſeminio, ut & ſero ipſi tutando, debita. Et ipſa quidem ſatis ſunt efficacia, ſolis tamen illis principalem expellendi provinciam demandare non æquè licet. Utut enim aliquibus profuiſſe viſa fuerint; potior tamen ſemper obſervata eſt volatilium, & quaſi talium, mediorum efficacia.

Cumque denuò excluſionis ſeminifici meminerimus, operæ pretium eſt addere, ſive illud alienis debeatur illatis, ſive in proprijs undis, ſive etiam, quod *Helmontius* & hunc ſequentes volunt, ipſa ſola terroris concepti idea generandæ peſtis ſemen ſuggeſſerit. Perinde hoc eſt, poſito hypotheſin veram eſſe; neque enim mutatur ob id curatio. Supponunt nempe, ſæpe fidem experientiam feciſſe, quod quis terrore ſolo peſtem abſentem ſibi atque ſuis paraverit, attamen graſſante peſte, occurrentibus objectis, quæ ad terroris imaginationem conducant. Sed quando huc devenimus, certum quidem eſt, terrorem eſſe obſtetricem, non æque verò patrem peſtis, cum experientia ipſa adducta ſine dubio cum objecto illo terrifico, ſeu vitali, ſeu alio, ſeminium actuale non excludat, imò quam maximè foveat. Vel unicum exemplum ſit, quod plures milites, ſucceſſivè tunicâ induti eâdem, peſte correpti & mortui ſunt, etiam neſcij quaſi fati prioris; quod cordatiſſimi, quique jam non ſemel peſti interfuerant actores, quos jam habitum contraxiſſe & conſueviſſe cum morbo putes, ſuccubuerint tamen; quod contagium per plurimas domos ſub initium graſſantis luis deprehendi potuerit illatum, unde in ſolo ideali illo terrifico ſeminio ſi

acquieſcere velimus, non æquè *φαινόμενα* omnia ita patent, ut dubium relinquatur nullum, Omne id inde videtur ortum, quod ſeminium illud à priori non æquè notum ſit, unde ex reali, ideale conceptum fuit, quod fugiens ſenſum nullum omninò fuiſſe reale creditum eſt. Ponamus veſtimentum vel integumentum quodpiam peſte infecti neſcienti cuidam, unde ſit, imò non credenti ab infecto tactum, offerri, quo induatur, uti toto die obſervatum eſt. Ille, diſpoſito corpore ad recipiendum, certo certius peſte corripietur, eandemque propagabit mox ulterius. Imo compertum, bruta, canes & feles, peſte reverà obiiſſe, arbores vicinas domui intermortuas & ariduram concepiſſe manifeſtam, quod Alſteri factum novimus.

4. *Ubicumque volatilia contraindicantur, temperatis magis, vel illis parcius ſolùm utendum.* Contraindicantur, ut ſic loquar, ratione ætatis, ab infantibus, quorum ſanguis texturæ eſt tenerioris, ut facilè efferari nimis poſſit. Contraindicantur à gravidis, unde floribus ♃ris quoque, multò magis verò theriaca, ~bus ☐oſis mitius utendum, ne in *ὀργάσμον* ruat ſanguis, & menſes cum abortu & vitæ periculo conſequantur. Unde & hîc valet, gravidam morbo acuto, ob hanc ipſam cauſam, corripi, lethale eſſe, quod aliquoties obſervavimus. Contraindicantur à debilibus, pulſu frequenti & rarefactione intenſâ, quam hoc ipſo non corrigere licet. Ubi obiter notamus, pulſum frequentem in febribus malignis, ſi ſtatim à principio talis ſit, plerumque eſſe funeſtum. Contraindicantur à fluoribus ſanguinis, quando ob dictam rarefactionem nimiam reſolvitur in hæmorrhagias, in menſes nimios, in ſudores. Media inter hæc eſt Tinctura bezoardica, cui vel ob hanc quoque cauſam commodè maritantur anodyna. Verbo, ita ſemper ſtimulo opus, ne frenum negligamus debitum; ita freno, ne ſtimulum adimamus expulſuri archei.

5. *Bezoardica ſudore non æquè rigoroſè continuando faciunt officium; ſudor verò ab impellente externo vel fruſtraneus vel noxius.* Obſervatum fuit ſudore imperato nimio, ultra *εὐφορίαν* ſcilicet, ægros malè habuiſſe in peſte ipſâ; in variolis verò ſuffocatos ægros, tantoque magis, ſi crucientur continuo udore, neque gutta potus, quod perabſurdum eſt, concedatur; cum tamen potu levetur ſudor, & promoveatur magis, ſitis verò ſudore multo prorogetur, ut loquitur *Helmontius.* Quodcunque nempe ſudoriferum non valet fermentum peregrinum expellere, internum vel externum potiſſimum, illud non adæquatum morbo, quin exitioſum eſt. Pulvis cardui benedicti, rob ſambuci, C. C. uſtum &c. debiliora longè ſunt, quàm ut iis demandari poſſit tàm ardua provincia. Quodcunque verò privat nimis ſero ſuo ſanguinem, itidem damnoſum eſt quàm maximè. Hinc ſolemus, quod jam monuimus, imperare quidem ſudorem primâ vice, ſequentibus verò præbijs non item, potiunculis verò aliiſque humectantibus domeſticis ſolari defectum ſeri.

6. *Bezoardica etiam magni nominis citrà rationem adhibita infida ſunt præſidia.* Non tàm ſcilicet occulta qualitas venenorum ſpectanda, quàm certa & indubitata læſionis ratio. Quod niſi fiat, andabatarum more pugnamus, & experimenta per mortes facimus. Sit ſua laus vipeiinis, ut bezoardicum animale audiant; vel horum affinibus ſerpentinis, quicquid præſtant, faciunt temperatâ mucilagine, cui ⊖ volatile immerſum latet. Neque enim, ut mors per ſerpentem irrepſit, ipſa quoque per ſerpentis mortem, ſeu medicinam vindicatur. Vid. *Helm. Tum. peſt. p. m.* 890. *& antec.* ubi & Hippocratem hoc uno ſolò arcano, carne viperinâ vel colubrinâ, exiccatâ & pulveriſatâ, divinos ſibi honores acquiſiviſſe ſcribit. Lapis bezoar uterque ſit venenorum antidotus, modò ſobriè de eodem judices in applicando. Eſt enim præcipitans, temperans, cui non dubitant recentiores lapides quoſcunque alios, equinos, humanos &c. conferre, ſi non anteponere. Unicornu quoque vim contra araneas, & alijs modis utcunque probatam non vilipendimus, ſed intra modulum activitatis ſuæ concluſum, non ultrà.

7. *In dubiis mitiorem & tutiorem ſequimur viam.* Cum itaque & bezoardica quædam malè audiant & ſuſpecta, præſtat eadem ex antidotis omittere, proſtantibus melioribus. Idque tùm in ſe bonum & neceſſarium eſt, tum propter calumnias inde facilè & imputationes conſequentes. Novimus ſartorem empiricum uſu nucis vomicæ non paucos liberantem tertianarios, hinc necis inquiſitionem ſubiiſſe, cum pro viro ægro idem peteret fœmina malefica, ipſi verò hæc venenum aliud porrexiſſet, & culpam in medicamentum hoc derivaret.

8. *Principiis ſi ullibi, ſanè in peſte obſtandum & febrium inſultu.* Omnis hîc mora periculoſa, omnis dilatio mortifera. Hinc ipſo invaſionis momento maturè ſumenda antidotus prius, quàm cibus capiatur, vel ſomnus ineatur, utroque enim caſu promtè vitalia ſubit malum, radiceſque agit, vix niſi cum morte finiendas.

9. *Corpora impura quò magis volatilibus agites, eò magis læſeris.* Summatim enim opus omninò eſt cautelis pluribus in uſu bezoardicorum, quæ omnes tamen in proportione agentis ergà patiens, veneni & antidoti, indicantium & prohibentium, vi univerſalis medendi methodi conſiſtunt.

De Antidotis Specialibus.

Quæ hactenus diximus de effectu & remediis venenorum in corpore, eadem quoque illuſtrari poſſunt, ſi antidota ſuis venenis oppoſita breviter ſpectemus. Duo verò monita circa hæc attendemus, factâ duplici diviſione: Aut enim 1. Venena ſunt incognita, aut nota; 2. Aut mineralia, aut animalia, aut vegetabilia.

Incognita ſi fuerint dubijs effectibus, facilè tamen dignoſcendis, ſi vel agendi modum intueamur, an ardore circa ventriculum ſint infamia, an vitalia magis petant, an ſtuporem vel quaſi inducant turbulentum; lex generalis in ſcholis medicis obtinet, ut communi potius expulſivo vel defenſivo utamur, quàm nullo. Notis verò ſua quibuſvis opponenda remedia; debita qualitati exceſſivæ & corpori vim inferenti.

Non temerè credendum, ut de venenis ſic de antidotis quoque ſcribentibus, unde, vaſtitas maxima & confuſio cum ignorantiâ enata ſunt.

Inprimis ergò ex dictis ſuperius hypotheſibus ad triplicia venena, triplex erit antidotorum ratio, & quidem Venenis Mineralibus generalem præbent antidotum, *quæcunque correſivitati ſunt oppoſita,* adæquate vomitoria, quæ exturbando maturè operationem illorum ſufflaminant & impediunt ſtatim. Oppoſita corroſivitati duo laudantur & celebria uſu ſût, (1.) pinguia, quibus inviſcari & obtundi particulæ acres, ſalinæ, quibus & oblini parietes ventriculi poſſint, itaque defendi ac muniri, v.g. oleum amygd. d. butyrum, hoc præſervativè, illud & curativè. Hinc tum ad operationes metallicas commendatur panis butyro illitus, ut ſumatur prius, quàm labores ineantur, tum ad chimicas quoq; ☿iatas; aliaſque idem multis conſuetum eſt.

(2.) Præcipitantia & acorem corroſivum infringentia, quo nomine cryſtallus à *Sennerto* aliiſque, tanquam unica & præcipua antidotus, contra ☿atum & ⊖cum, quæ inſtar omnium ſunt,

ſunt, ut & contra 🜄 laudatur, quo de exemplum habet *Heerus*, & nos obſervavimus & curavimus quoque ſtudioſum, qui iſtum loco ♁ni hauſerat, (1.) dato pulvere cryſtalli præparatæ, (2.) emulſione temperante, (3.) juſculo avenaceo &c. Commendatur verò ad 3i. pondus cum oleum amygd. d. Idque tanto magis, quod eadem cryſtallus porracei ac æruginoſi humoris, ſeu bilis acido confermentatæ, proprium & præcipuum habetur remedium à medicis probatioribus, quos inter præcipui ſunt *Lang. in Epiſt.* & *Fr. Valeriola lib. 4. enarr. 3. p. 536.* & *Poterius* tribuit cryſtallis naturam famelicam vel eſurinam, quâ aliorum acrimoniam vel aciditatem in ſe abſorbendo, egregiè ſe ſaturant, *pharmac. ſpag. l. 2. p. 523.*

Notanter verò addendum eſt, habere quidem locum & prodeſſe cryſtallum in leviori caſu, minus in graviori, neque enim ſubigi vomitu non eductum medicamentum æquè hoc oppoſito remedio poteſt.

Sin alia quoque metallica venenoſa qualitas, velut extraordinaria vel comitans, ſit corrigenda, itidem hæc præſidia habent locum, non neglectis tamen tunc univerſalibus quoque antidotis; quando in alteram claſſem communem quaſi fermentativorum ſecedunt, vel potius accidentariò ſeu ſecundariò conjunctam habent. Legi hanc in rem meretur liber egregius. *Samuel. Stockhuſij de lithargyrij fumo noxio morbifico, ejuſque metallico frequentiori morbo, vulgo dicto die Huttenkatze, odor Huttenrauch,* in quo probare ſatagit, morbum, obſtructionem alvi tanquam præcipuum ſymptoma conjunctum habentem, non fieri ab arſenico *pag. 28.* non à mercurio, nec à Sulphure vel vitriolo, ſed unicè à fumo Saturni. Specialiter verò pinguia per os præbita feliciſſimè operari; Id, *ait,* hactenus luculentiſſimè comprobavit experientia, *pag. 104.* Et in appendice de *Aſthm. montano pag. 50.* oleoſa & pinguia unicè latius commendat.

Reliqua hujus claſſis pro ſpeciali noxâ, quâ agunt in corpus, etiam ſpecialia habent antidota, quod in reliquis quoque dicemus regnis. Sic ♀ea cuperoſa ventriculum exſolvens vis antemeticis, inprimis acidis, corrigitur. Curavimus fœminam quæ groſſum deglutiverat, ſpiritu ⊖is ſubinde dato, unde conquievit feliciter ſapor cuperoſus in ore, alia accidentia. Idem valet de ſaturninis, uti exempla plura collecta dedimus *anno III. Ephem. Germanic. obſ. 141.* Tacemus ☿ialia & alia minorum gentium.

VENENIS ANIMALIUM *optima ſunt, quæcunque fermentativum venenum illatum explodentia activiora, & ſecundariò acida figentia.* Sic demorſus quis ſit à viperâ, cane rabido, araneâ, extemplo dentur theriaca, Tinctura bezoardica, orvietanum, ut arceatur fermentativa vis, etiam in minimo conſiſtens. Utque hæc interius conveniunt, ita & pars affecta ſtatim conſimili fine curanda, eluendo vulnus theriacalibus, rutâ, Aceto &c. quod ſuperius jam innuimus.

Not. verò (1.) *diverſa eſſe venena animalium, ratione graduum & lædendi modi,* unde & alia aliis facilius ſuperantur antidotis, tantò magis verò curanda vel attendenda noxia vis, quantò eſt major ipſa. Sic non confundendum eſt venenum ſerpentis & viperæ, inprimis fœminæ. Siquidem mas duos habet dentes uncinos, fœmina quatuor, qui quantum lædere vel aculeo ſuo poſſint, facilè ex autopſiâ colligi poteſt.

(2.) *Proprio antidoto, ex lædentibus animalibus deſumpto, fidendum æquè non eſſe.* Solent curationis loco, cum præſervationis quoque hæc talia commendari, ut per ſymboliſmum ſeu magneticam ſuam ſimilitudinem auferatur venenum, appoſitâ carne v. g. canis rabidi, vel, quod nonnullis placuit, jecore ipſo comeſto. A particulari enim & hoc loco ad univerſale non valet conſequentia. Deinde & hîc cauſæ & remedia probè examinanda. ♏o ſcorpion. ad proprios ictus laudatur, ſed magis ut remedium ſecundarium, demulcens partem, quod omnia pinguia faciunt, non neglectâ theriacâ; ſcorpionum etiam venenum reſpectivè mitius eſt, unde videmus innoxiè oleum aſſumere quamplurimos in calculo & aliàs. Nec ineptum fuerit ſtatuere ſal volatile animalis oleoſum, aliàs ſibi relictum venenoſum, ob hanc olei olivarum additionem alterarum vires fortiori diſcutiendi majores, ſivè inſignes. Si cauſam attendamus, res clara eſt.

(3.) *Carnem viperinam in ſpecie talismodi magnetiſmo non pollere.* Utut enim agat in corpus, fit ſudoriferum & demulcens remedium egregium, debilior tamen eſt, quàm ut ſola fermentum peregrinum excludat, citra additionem aliorum. In carne viperinâ non conſiſtit venenum; Ergò nec id attrahere poteſt, multò minus verò præſervat, ut à morſu tutus ſit, qui eum pulverem ſumſerit. Fit id omne, ſi feliciter res cadat, per accidens, quatenus audacius prehendunt illa animalia, & quando eadem offendunt torpidiora, non irritata prius. Conſuluimus ſæpius captores viperarum, an ullum aliquod deprehenderint inde auxilium vel præſervativum, ſed ſemper aſſeruêre contrarium, cautiores & candidiores. Magis aſtu, quàm fortitudine, ſeu audaciâ apprehendendi promiſcuè, capiuntur hæ beſtiolæ; Unde opinio hæc orta ſine dubio ab illo putatitio experimento, quod ſerpentes ceperint innoxiè, præſumto ſerpentum pulvere. Iſta verò vaniſſima eſt perſuaſio & fallacia, ſerpentum enim venenum reſpectu viperarum quaſi nullum eſt, unde ſerpentum captor quæſitus, num revera hoc fretus pulvere aſſumto tractaret innoxiè ſerpentes, an vero per ſe magis innoxii ſint ſerpentes, accedente præſertim per conſuetudinem, habitu & audaciâ majore; faſſus eſt, hoc ipſum poſterius eſſe veriſſimum, & hanc in rem juſſit tutò imitari hoc ipſum. Qui verò confundunt viperam cum ſerpente, næ maximo cum ſuo periculo experiuntur quantum diſtent. Inſigniſſima quædam perſona cum ſerpentibus tractandis aſſueta eſſet, offenſam viperam cordatiſſimè prehendit, putans tutam ſe fore, quod perinde eſſet an ſerpens an vipera caperetur, ſed inflictum vulnus graviſſima poſt ſe ſymptomata trahens, cum metu gangrænæ ipſius, aliud docuit.

(4.) *Neque etiam magnetibus venenorum aliis tutò fidendum eſſe.* Non ſolùm *Galenus* dudum *lib. 1. de facultat. natur. cap. 14.* ſcripſit, dari medicamenta nonnulla, quæ venenum eâdem ratione attrahant, quâ magnes ferrum; ſed & recentiores non pauci id aſſerunt promptè & experimentis id demonſtrare conantur. Inprimis laudandi ſunt lapides ſerpentum Indiæ orientalis, quos Cobras de Cabelo dicunt Luſitani. Hos tanquam probatæ fidei experimentum inſervire ſtatuunt, & ſecuriſſimi antidoti loco, ſi imponantur morſui viperarum, aſpidum & quorumcunque aliorum animalium morſu vel ictu interficientium, & vulneri ſagittarum venenatarum. Adhærere lapides applicatos tali vulneri tenaciſſimè, nec prius dimoveri, quàm omne venenum ſugendo imbiberint, quo facto ſuâ ſponte ſoluti in terram cadant, omni deleto veneni charactere. Deſcribit hos ipſos cum dictis latius & depictos exhibet *Fr. Redi in experim. natural. par. 5.* & contra *Kircherum* alioſque experimentis certis demonſtrat, tùm nullum in iſtis lapidibus ſubſidium adverſus venenum viperarum & ſcorpionum eſſe, *pag. 14.* & 80. tùm eoſdem tenaciter vulneribus æquè venenoſis ac non venenoſis adhærere, *pag. 86.* Hæc ipſa cum ſint veriſſima, & à viro docto & peritiſſimo ſcrutatore rerum naturalium profecta, non dubitan-

bicandum de eo amplius eſt, quicquid etiam alij in contrarium ſtatuant. Nullibi obſcurior veritas, quàm quæ ex longinquo adfertur.

Speciatim *cantharidum* antidotum præſentaneum præbet lac, nativum & artificiale. Si minori doſi dentur, benè eſt, neque effectus ſiniſter inde timendus, ut in rot. ſtimul. Mynſ. ſin paulo majori doſi idem fiat, ardor urinæ, & mictus cruentus ipſe promptè inde conſurgit, quale exemplum *Langius l.* 1. *epiſt.* 47. unà cum curatione recenſet, id quod ipſi quoque nos cum veritate reſpondere, experientiâ comperimus.

Similium verò aliorum, & in quibuſvis Regnis, eadem eſt ratio, neque enim noſtri inſtituti ratio patitur, ut ad omnia jam digrediamur amplius.

Denique Venena Vegetabilia *principaliter acida, adæquatè reliqua domant.* Effectum puta venenoſum præcipuum, vaporoſum, & conſequenter quoque inde producta alia, exceptis ſpecialiori conjunctâ qualitate gaudentibus. Acida quippe, maximè crucibulum ſimpl. & deſtillatum ſulphur vaporoſum domant, mucilaginem peregrinam annihilant, & conjuncta ſymptomata alia tollunt.

De *helleboro* verò aliiſque, ſpeciali noxâ aliâ infamibus, non attinet plura addere. *Wedelius.*

Plura de Antidotis *vid.* ſub titulô *Bezoardica.*

Venerea Medicamenta & Antivenerea, vid. *Aphrodiſiaca.*

Ventrem Subducentia, vid. *Purgantia.*

Venus, vid. *Æs.*

VERATRUM, *ſeu* HELLEBORUS ALBUS.

Helleborus, autore Etymologo, Græcis dicitur παρὰ τὸ ἑλεῖν τῇ βορᾷ, quod eſu perimat. Veratrum latinis dictum volunt quòd mentem verrat.

Scribitur & ἐλλέβορος, ſine aſpiratione.

Duorum generum eſt, albus & niger, hi quamvis nomine, & aliquatenus etiam viribus conveniant, facie tamen externâ minime, unde & toto genere nobis differunt.

Flore ſex foliolis conſtructo, ſemine triquetro cum lapatho convenit; ab eodem differt folijs nervoſis, tenuioribus, liratim ſtriatis & velut plicatilibus; radice fibroſa, purgatrice, emeticâ & ſternutatoria vi prædita.

Nomina. Helleborus albus *Ger. J. B.* albus vulgaris *Park.* albus flore ſubviridi *C. B.*

J. B.

Helleboro albo radices ſubſunt fibroſæ, albæ in caput collectæ: caulis bicubitalis interdum, teres, folijs ſtipatus quorum pediculi caulem involvunt, ſunt vero ipſa folia formâ quidem quodammodo plantaginea, vel potius gentianæ ſimilia, longitudine vero pedali, haud multo anguſtiora, mollia, liris denſiſſimis ſtriata, & veluti plicata, ſubhirſuta. Caulis à medio ferè ad cacumen uſque ex foliorum quorundam parvorum alis Thyrſos emittit palmares & ſeſquipalmares florum creberrimorum, ſenis ex herbaceo albicantibus foliolis radiatis conſtantium; quibus ſuccedunt ſemina parva, longiuſcula, triquetra, albicantia nuda, nec ullo præter florem folliculo aut vaſculo tecta, ut rectè Parkinſonus.

Locus, Gaudet veratrum album montanis & aſperis; non modo in Græcia, Italia, aut aliis calidioribus regionibus; verùm & in Germaniæ ac Helvetiorum montibus viret, nos in montoſis paſcuis paluſtribus propè ſummitatem montis Juræ offendimus copioſiſſimum.

Vires. Hellebori albi radix (quæ ſola hujus plantæ pars in uſum medicum venit) ob violentiam purgationis quam per ſuperiora ac inferiora movet, uſum purgandi internum ſoli ferè helleboro nigro reliquit. Schrod. poteſt tamen (inquit Tragus) per viginti quatuor horas vino aut oxymelite macerata, poſteaq; reſiccata, ʒß. pondere cum vino exhiberi furioſis & melancholicis, helleborum utrumque, dicit Geſnerus, (ſi cum aceto & melle temperetur & decoquatur ut ſyrupus fiat) medicamentum innoxium, & ad pleroſque phlegmaticos morbos (thoracis & capitis inprimis, ut aſthma, dyſpnœam, Epilepſiam) πολύχρηστον ſæpè utiliſſimè ſe expertum eſſe: alvum enim, urinam & meatus omnes, etiam cutis, mirifice nulla moleſtia expurgare.

In uſu hellebori albi (inquit C. Hofmannus) duo præcipuè videnda, alterum ut morbi ſint pertinaciſſimi, alterum ut vires conſtent, hinc non debet radix hæc ſeni, puero, fœminæ, ullive delicato dari. Accedit tertium, ne quidquam fiat niſi prægreſſa & corporis & hellebori diligenti præparatione.

Vetuſtiſſimus mos eſt dandi cum raphano, idque tripliciter, vel enim raphanum radicibus transfixum in oxymelite infundebant, & oxymel ſolum offerebant: vel raphanum ita habitum per noctem relinquebant, manè abjectis helleboris in oxymelite infundebant, oxymelque propinabant: optima ejus præparandi ratio (inquit Parkinſonus) eſt ut ſucco mali cydonii infundatur, aut cydonio indita in furno aut ſub cineribus coquatur, quin ſi ab helleboro ſumpto ſtrangulationis periculum immineat, cydonia comeſta eorumve ſuccus aut ſyrupus præſentaneo remedio ſunt, radix in aceto decocta, ac in ore aliquandiu retenta dolorem dentium tollit: in lixivio decocta, ſi eo caput abluatur, pediculos & furfures enecat & abſtergit, Idem unguento alicui permixta efficit: ſcabies, impetigines, ſerpigines ſanat: animalia pleraque interimit talpas, mures, lacertas, aves, &c. in paſta exhibita, Trag.

Pulvis naribus inditus ſternutamenta movet, unde & anglicè....id eſt, ſternutamentaria herba ſeu ptarmaca dicitur.

De Hiſpanorum Toxico ex ſucco radicum in vaſe fictili fermentato confecto, quo ſagittas intingunt ut vulnera inſanabilia infligant, conſule Parkinſonum, & To. Langium Epiſt. medicinalium lib. 1. Epiſt. 68. maximè mirum alicui videri poſſit, quod venenum hoc epotum nullam ſaltem lethalem noxam infert, ſed tantum vulneri infuſum, adeoque ſanguini permixtum; verùm idem eſt de veneno viperino, quod intro aſſumptum nullâ pernicioſa ſymptomata inducit, verùm Sanguini immiſſum per vulneris aut puncturæ orificium maximas illico Tragædias excitat, & ni opportunis remediis occurratur, brevi animal interimit.

Cæterum helleborus uterque in furioſis & inſanis ſanandis olim fuit celeberrimus; neque nunc niſi in morbis magnis, ut Epilepſia, vertigine, mania, hydrope, iſchiade, convulſione & ſimilibus adhibendus eſt. *Rajus.*

Verbasculum, vid. *Primula Veris.*

VERBASCUM.

Verbaſcum nonnullis quaſi Barbaſcum dictum putatur, quia folia ejus piloſa ſunt; Italis enim Barbaſſo, & prima ſpecies vulgo Taplus Barbatus dicitur, Plinius à Verbena deducit. Græcis, φλόμος appellatur, ἀπὸ τῆς φλογὸς à flamma, quod ejus foliis & caulibus in lanternis pro ellychniis uterentur.

No-

Notæ ejus ſunt folia in caulibus alterna, flores in Thyrſis oblongis conferti, non horizontaliter ſiti, ſed potius ad horizontem perpendiculares; capſulæ bivalves conicæ aut Turbinatæ.

Vires. Verbaſcum [ſummitates & lanugo] in hæmorrhoidum doloribus à Godartio & Riverio, item à Dan. Sennerto & Weikardo commandantur.

Tapſus barbatus ſpecificum eſt contra tympanitem, autore Grembs.

Verbaſcum primum præcipuè utile eſt in morbis pectoris, tuſſi, expuitione ſanguinolenta, torminibus ventris. Ad pulmonum affectus in jumentis & vaccis à veterinariis noſtris adhibetur, unde noſtratium vulgo id eſt pulmoraria vaccarum appellatur. Extrinſecùs flores & folia præcipuæ æſtimationis ſunt in ſopiendis doloribus quibuſcunque, imprimis in affectibus ac tumoribus ani, hæmorrhoidibus, in capillis luteo colore tingendis Schrod.

Hujus folia plantis pedum nudis intra calceos ſuppoſita, paucis diebus ante debitum purgationis tempus menſes remorantes leniter movent & educunt. RAIVS.

VERBENA.

Verbena Ἱεροβοτάνη, Grammaticis quaſi herbena quia qualibet herbam in ſacris uſitatam ſignificat. Verbena, autore Plinio, quòd ad Jovis menſam verrendam præparandamve ad Sacrificium adhiberetur. Vide Plin. lib. 22 c. & lib. 25 c. 9.

Hierobotane ſive *herba ſacra* dicitur, quia autore Dioſcoride, in luſtrationibus ſuſpenſa alligatave felicem habeat uſum. Adeò autem uſitata erat hæc herba in ſacris apud Ethnicos, ut ejus nomine [ut diximus] uti ſolebant ad quamlibet herbam in ſacris utilem ſignificandam; ut unanimiter cum Servio teſtantur omnes Critici & Grammatici.

Plantam hanc ob notas genericas communes, nimirum folia in caulibus ex adverſo bina & ſemina ad ſingulos flores quaterna, nec non flores monopetalos menthæ æmulos, ad verticillatas retulimus.

A congeneribus differt foliis rugoſis, laciniatis & floribus in ſpicis longiſſimis anguſtis, nullis intermiſtis foliis.

Vires. Verbenæ plurimas virtutes attribuunt veteres; quas ſummatim recenſet Schroderus Cephalica ac vulneraria eſt. Uſus præcipuè in dolore aliiſque affectibus capitis à frigidis humoribus, in affectibus oculorum & pectoris, tuſſi inveterata: in obſtructionibus hepatis ac lienis, ictero, torminibus ventris, dyſenteria; imprimis atterit & expellit calculum, libidinem coercet, febrem tertianam fugat, arthritidem mitigat, vulnera ſanat, partum facilitat; extrinſecus in cephalalgia, odontalgia, alopecia, melancholia; in oculorum lippitudine, imbecilitate, rubore: in angina, raucedine, [collo circumpalmatizata:] in tumore glandularum, in faucibus [gargaris.] In dolore lienis [cum axungia porci] ac podagrico mitigando; in vulneribus adſtringendis, ac putridis abſtergendis; in procidentia ani, mariſcis, &c.

Cum tot viribus polleat, quid mirum tanto eam olim in honore fuiſſe, ut herba ſacra dici meruerit. Ad lienis tumorem ♃. Verbenæ contuſæ cum album. Ovorum & farina hordei aut frumenti, fiat cataplaſma; linteo raro involutum & applicatum ſupra tumorem attrahit quaſi ſanguinis tenuioris portionem: quidam addunt betonicam, eſt populare remedium, Chelneau.

Verbena Capiti vel ſub pulvinari impoſita, vel fermento acerrimo & oleo roſaceo in emplaſtro ſubacta Capitis dolorem à vino ortum levat. E Dol. l. 1. c. 9. S. Ib. D. Soame. RAIVS.

VERMES, vid. *Lumbrici.*

VERMES NECANTIA, vid. *Anthelmintica.*

VERMICULARIS, vid. *Sedum.*

VERNIX, *idem eſt quod Sandaracha;*

De qua vid. ſub proprio titulo.

VERNICES ARTIFICIALES

Vernices, nil aliud ſunt, niſi *mixturæ vel potius ſolutiones corporum ſolidiorum valde plana & æquali ſuperficie præditorum, quam aliis poſtea communicant corporibus duris, aſperis, & inæqualibus.* Dantur inſuper & talia corpora quæ poſt levem ſuarum *volatilium* partium *fugam*, corpuſcula magis *ſolida* & terreſtria poſt ſe relinquunt, *ſuperficiem* aliorum corporum *obducentia*, eandemque *lævem reddentia*, ut ol. lini, nucum, papaveris alibi &c.

In earundem præparatione *hæc præcipuè obſervanda*.

1. Ut corpora ſolvenda ſint *rigida & fragilia*, quam *conſiſtentiam* in ipſa ſolutione debent *retinere*.

2. Ut *menſtrua* adhibenda pro ſolutione, ex parte, vel ex toto ſint *volatilia, relicto corpore plano, ſolido, duro*.

3. Ut *pulveres ingredientes* ſint in minima copia, vel, ut plane diſpareant, ne *minus æqualis & lucida* reddatur *ſuperficies*.

Secundum hanc normam *ſequentes* ſatis egregiæ fiunt *Vernices* ad quæcunque corpora obducenda; hac tamen cum *obſervatione*, eo magis tenuem & limpidam debere eſſe *Vernicem*, quo corpora vel eorundem *color* ſunt magis *albicantia* aut *variegata*.

Vernix.

♃. *Ol. lini* ℔ j.

Litharg. aur. opt. pulv. ℥ vj.

Macerentur, aut potius inſolentur ſimul in vaſe *plumbeo aperto* per aliquot ſeptimanas donec plane limpidum & clarum appareat oleum, cruſta in ſuperficie apparente: quod ad uſum reſervetur.

Alio modo.

♃. *Olei Lini* ℔ j.

Coquatur ſuper ignem, donec ſpuma diſpareat, poſtea ſenſim injice fruſta aliquot exigua panis, ſic plurima ſpuma & ebullitio obſervabitur, mediantibus particulis aqueis, oleoſas craſſas de loco pellentibus. Remotis dein fruſtulis aduſtis inſperge oleo calcem quamcunque plumbi ſicciorem ad drachmas duas vel tres, ab igne tunc remotum ſubſideat & frigefiat oleum, ab acido tale liberatum, & quodammodo illa calce ſoluta repletum.

Vernix è Succino.

♃. *Succini fragment. q. v.*

Liquefiat in retorta vitrea, donec ſal volatile aſcendat, & frigefactum in pulverem vertatur, qui tribus partibus olei immediate præcedentis inſpergatur. Coquantur ſimul in MB. per horam unam, ultimo addatur drachma una vel altera Vitrioli albi leviter calcinati. Oleum frigefactum nigricantis coloris dicitur Vernix; hæc, ſi craſſior extiterit, cum media parte Sp. Tereb. dilui poteſt ad uſum.

Vernix è Maſtiche.

♃. *Maſtichis elect.* ℥ ß.

Ol. Terebinth ſubt. ℥ ij.

Cretæ calcinat. ℈ j.

Committantur omnia Vitro in MB. bulliente per horam unam, dein ſupernatans limpidus liquor decantatus uſui ſervetur in vitro clauſo.

Eodem modo è *Sandaracha* &c. præparatur.

Vernix de Gummi Copal.

℞. *Terebinth. Venet.* ℥ij.
Gum. Copal. lucidi ℥j.
coquantur ſimul,donec conſiſtentiam fragilem acquiſiverint,maſsâ planè tranſparente;
℞. *Hujus Maſſæ* ℥j.
Ol.Tereb.tenuis ℥iij.
Coquantur in MB per horam ſemis, dein adde Vitrioli albi calcinati ℈ij. & poſt ſubſidentiam refrigeratum liquorem à fæcibus ſepara.

Vernix Japonica.

℞. *Gum. Lacc. depurati* ℥j.
Sp.Vini optime rectif. ℥j.
In ſubtiliſſimum pulverem vertatur gummi,optimeque agitetur cum Sp.vini primâ horâ ter vel quater,dein ſingulis duabus vel tribus horis,ne coaleſcat, tertio die ad uſum citiſſime coletur per pannum,ut in arctiſſimè clauſo vitro reſervari poſſit.

Si *Colorata* expetatur, attamen *limpida Vernix*,prius pro *rubro* extrahatur tinctura è ſanguine draconis,ſantalo rubro,cocco &c. pro *aureo* & *flavo* ex croco,curcuma,aloë &c. Hi colorati ſpiritus ſolutioni laccæ poſtmodum inſerviunt. Ut *colores* amæniores,& *magis reflectentes* reddantur,*folia metallica* ſubſternantur,ex.g auri,argenti,cupri,ſtanni &c. Le Mort.

Vernicis Sinensis varia Præparatio ex Rever. Athanaſ. Kirchero China Illuſtratâ.

Gummi quod *Cié* vocant Sinenſes ſtillat ex arboribus,& haud abſimile eſt lachrymæ quam Terebinthus apud nos fundit. Æſtate colligitur purgaturque à Sinis,& quô volunt colore inficiunt; optimum quod aureo flaveſcit colore judicatur, proximum quod nigerrimum,cùm nondum ſiccatum eſt, venenatam quandam emittit exhalationem, cui inaſſueti intumeſcunt,& palleſcunt vultu: Nam remedio, quod ipſi ſoli norunt, non ſtatim adhibito, in phtiſin lapſi, lenta paulatim tabe moriuntur; remedium tamen ſub initium morbi facilè paratum habent, antidotum infallibile. Res materiales iſtiuſmodi gummi, ſive vernice illitæ, tardè, niſi in humido ſint loco, ſiccantur; ubi tamen exſiccatæ fuerint, nunquam amplius liquefactum defluit, quàm autem res ſit elegans, jucunda ac ſplendida, jam dudum *Europa* ex capſulis,quæ ex *Sinis* quotannis adducuntur, didicit: Et quamvis multi ex *Europæis* hucuſque allaboraverint, Vernicem ſimilem præparandi, nemo tamen hucuſq; inventus fuit, qui perfectionem artis attigerit; venit tandem *Romam* ex ordine S. Auguſtini,Pater Euſtachius Jamart,Ordinis Sancti Auguſtini Religioſus, qui vernicem tam dextrè apparare novit, ſive propria inventione, ſive ab aliis ipſi communicato invento neſcio,ut in rerum eô tinctarum à *Sinarum* artificiô,nitore rerum & ſplendore in nullo diſcrepare viſus ſit: Verùm ut is mecum multoties de novarum,arcanarumque rerum repertis, quàm familiariſſimè amiciſſiméque verſatus eſt, ita quoque reciproca arcanorum communicatione,illud ſuæ Vernicis Secretum communicare non eſt dedignatus: utitur ipſe gummi quodam, ſi non idem cum Sinico,ſaltem non diſparis conditionis, quod *Gummi Lacca* vulgò vocant, & ex arboribus Indiæ colligitur,non ut nonnulli ridiculè ſibi perſuadent, à formicis collectum, eructatumque, ſed arbori à Natura inſitum; colorem ei admiſcet, ſanguinem Draconis vocant, ex quibus deindè tincturam extrahit,per menſtruum ſpiritus vini ſæpius rectificati; atque hoc pacto nitidiſſimas, politiſſimaſque res conficit, Verùm cum multi hujus arcani deſiderio teneantur, ego totius rei proceſſum ſincerè & Germana fide & candore, ad bonum publici emolumentum, ne unà cum pereunte authore, & ipſum intereat,prodendum duxi.Ita autem res ſe habet.

Confectio Vernicis pro poliendis variis rebus.

A. 1. Recipe Gummi Laccæ benè purgatum (de quo infrà) hoc ponatur in vaſe vitreo ne frangatur, ſat capaci.

2. Huic ſuperaffundatur Spirit. Vini optimè rectificatus ad quatuor digitorum eminentiam.

3. Uno vel duobus diebus digeratur,indies liquorem in vaſe ſpatula agitando,ne gummi vitro adhæreat.

4. Hoc peracto,illud per linteum tranſcoletur,identidem digitis exprimendo in vitreum aliquod ſtrictioris colli vaſculum.

5. Hoc in digeſtione pones in loco calido,vel balneo cinerico moderato per 24. circiter horas.

6. Et comperies Vernicem intentam ſupernatare limpidam, prorſus & diaphanam, quam per inclinationem decantabis. *Atque hæc eſt Vernix rebus poliendis deſtinata.*

Purgatio Gummi Laccæ.

H. Gummi Laccæ, ubi variis quiſquiliis mixtum repereris, ejus purgatione opus eſt, ità autem procedes.

1. Separandum eſt gummi à ramulis ſuis,quibus accrevit.

2. Hoc ſeparatum in mortario contundendum non omninò in pollinem farinaceum, ſed in pulverem granitum.

3. Ponatur hic pulvis in craſſiori panno, *Pezzo* vocant, eique adjungantur aliquot fragmenta Saponis, ſeu Smegmatis puri & defœcati, deindè hoc intra concham aquâ limpidâ refertam integrâ nocte immerſum relinquatur.

4. Poſtero die exemptus ſacculus unà cum impoſita materia agitetur tam diu donec rubedo ſeu tinctura rubra exeat, quæ addito nonnihil aluminis, abſque tamen Sapone,ad varios uſus conſervetur:quod verò in ſacculo manet, eſt Vernix illa purgata, quam deinde in uſum in Recipe A. præſcriptum applicabis.

De modo imbuendi bacculos cæteramque ſuppellectilem.

Vernix Rubra.

4. Recipe Lachrymam Sanguinis Draconis melioris notæ, quam diſſolves in Vernice illa, quæ in fundo ſacculi remanſit juxta 4. punctum, operationis H. id eſt, ſi colore rubro imbuenda ſit materia ligni; tum lachryma Sanguinis Draconis miſcenda eſt Vernici dictæ, & bacculus imbuendus, *de quo paulò infra pluribus.*

Vernix Nigra.

C. Fit pro fundamento nigro color niger ex oſſibus combuſtis, & quàm optimè contritis, & ſubigatur Vernice in fundo ſacculi repertâ. Ubi paulò ante monuimus.

Modus procedendi in praxi.

1. Fiat ciſtula ſeu baculus ex ligno lævi,& quàm exactiſſimè politus,& ſi quidem variè maculatum velis, ſic age. Accipe ceruſſam in pollinem redactam, quam ſubiges Vernice A.

2. Hoc peracto hujuſmodi mixturâ tertiò illinies ciſtam aut baculum; ſive quodcunque aliud materiale, ita tamen,ut prima illitio non fiat per liquorem nimis craſſum,ſed per optimè dilutum; Secunda illitio inſtituenda erit per liquorem paulò denſiorem; & Tertia per adhuc denſiorem, & deindè materiale ad ſiccandum ſepone, ſiccatum verò pumiceô pulvere per cribrum, ſeu ſeta-

ceum priùs colatô, uſque ad polituram perfricatis.

3. Maculæ depingantur cum vernice nigra C. etſi maculæ ſiccatæ jam non benè comparuerint, aut perfricatione abraſæ fuerint, denuò tinctas ad ſiccandum ſepone, & hoc ſemper quater aut quinquies cum dicta Vernice A.) deindè denuò pumice perfricandus baculus ſiccatus, uſque dum politè ſeſe exerant maculæ teſtudinaceæ.

4. Bacillus denique ita politus purgatuſque ultimam ſubibit tincturam Vernicis H.) Tertiò aut quartò, deindè denuò pulvere pumice poliendus eſt, & denuò ſtanni aduſti perfricatione opus abſolvitur, quæ fit panno madefacto prius.

Ad Baculum Venturini colore imbuendum.

Sic age. 1. Accipe fila aurea, per prelum ſubtiliſſimè traducta, quibus paſſim textores & acupictores utuntur, latitudinis minimæ; ità ut propè in pulverem ex ſubtiliſſima ſciſſione redigantur non tamen in pulverem impalpabilem, ſed qui corpus habeat.

2. Vernix craſſa miſceatur rubro vel violaceo colore.

3. Accipe ſedimentum Vernicis, & eâ imbuatur baculus, deindè aſpergatur adhuc humidus Vernice baculus pulvere hoc aureo, & ubi ſiccatus fuerit.

4. Accipe Vernicem colore Sang. Dracon. mixtam, & illines eâ baculum, & ubi ſiccatus fuerit, denique repetes illitionem, deindè ſiccato, Vernicem A. dabis, & deindè pulvere pumiceo, & ſtanni combuſti reliquam polituram ultimam abſolves.

Nota, non omnem Vernicem ſuſtinere; Cœruleo enim colore alia Vernix imbuenda eſt, quam multi præſcribunt. Atque hæc de Vernice Sinica ſufficiat.

De AURO MUSIVO *ſeu* MOSAICO *ſub titulô* AURUM *promiſſo.*

Ut Pictoribus & Statuariis (ſive πλάςαι ſint, ſive γυψοχόοι, ſive λιθοξόοι, ſive ex ligno deſectores: horum quippe omnium rem perſpectam habere intereſt:) arcanum, quô inter Chymica nil reconditius, patefaciendo, quadantenus gratificarer; addere lubuit AURUM MUSICUM, quod aliis *Muſivum*, vulgo *Moſaïcum* dicitur, fortè ex cô, quòd ſimilitudinem habere videatur cum eô Auri factitii genere, quô Veteres Muſearii utebantur in operibus ſuis *Muſivis*, hoc eſt pavimentis & lacunaribus; quæ ex variis lapillis teſſellatulis ſive quadratis, in piſcium, quadrupedum, Satyrorum, aliarumque rerum effigies emendatè & graphicoterως diſpoſitis & coagmentatis conſtabat: quorum hodiè etiam nonnulla, ſed temporis injurias perpeſſa, ſuperſunt exempla. Unum oſtenditur juxta *Cumas* Italiæ, in antro *Sybillæ* dicto: Alterum Romæ, inter *Neronis* Palatii auro reliquias. Nos etiam ejuſmodi opere Muſivo ſuperbimus; eo nimirum, quo Nobiliſſimum illud *Edvardi Confeſſoris* monumentum ſepulchrale, in magnificentiſſimo templo Weſtmonaſterienſi extans, elegantiſſimè exornatur. Sed ne longius ab inſtituto digrediar, *Aurum* hoc *Muſicum* hujuſmodi artificio præparatur.

♃. *Stanni* illius generis, quod Stannatiis noſtris *Block Tin* vocatur, libram unam. In catino liquefiat, illique, dum adhuc in fuſione eſt, ſenſim addantur primò *Mercurii* crudi libræ duæ, deindè *Salis Ammoniaci* libra una, & poſt paucula temporis momenta, *Sulphuris* communis tantundem: Spatula lignea leviter agitando, ut arctius conſocientur. Tum ab igne remota, terantur ſimul ſuper laminam marmoream, & in pulverem tenuiſſimum ac læviſſimum laborioſè redigantur. Qui in vas vitreum vel fictile, ſublimationi accommodatum, & capite cæco (ut vocant Chymici) in cujus tamen vertice foramen exiguum, nempe apicis digiti minimi capax, factum eſt, inſtructum, immiſſus in fornace ſublimatoria collocetur: & ſuccenſis carbonibus urgeatur, donec bona mixturæ pars vaporum ſpecie exhalaverit: interim proſpiciendo, ne dictum foramen exhalationum agmine planè obſtruatur. Ceſſante fumo; ſubtrahatur ignis & poſtquam omnia ſpontè refrixerint, auferatur caput. His ritè peractis, collo vaſis circumcirca, annuli in modum, adhærentem videbis florem quendam aurei coloris, & butyri inſtar mollem: qui exemptus: & à Mercurii crudi una aſcendentibus particulis quibuſcunque ſeparatus, eſt verum *Aurum Muſicum*. Quo πλαςαὶ potiſſimum utuntur, ut ex gypſo argillave effictis Magnatum ſtatuis colorem Æris vel Orichalci æmulum inducant.

Quod ut melius præſtent, ſtatuas primò oblinunt pigmento quodam, ex *Umbriâ & Ochræ luteâ* partibus æqualibus, lævigatione in pollinem redactis, *oleoque puro* probè contemperatis, confecto: eique jam penè exſiccato & alterum deinde ſuperinungunt, quod ex *Auri Muſivi* polline, & pinguiori *oleo ſeminum Lini*, radiis ſolaribus prius clarificato, commixtis, & in marmore diuturna circumactione contritis, conſtat. Si verò *Cupri* colorem Paradigmatis ſuis Gypſeis inducere conſtituant; tunc priori pigmento admiſcent dimidiam proportionem *Ochræ rubræ* cum *Cinnabaris* vel *Minii* pauxillo. Sin *Æris* jam veteraſcentis atque ad viriditatem in ſuperficie inclinantis color [qualem in æneis antiquorum ſtatuis, & vetuſtioribus tormentis bellicis cernimus] gratior videatur: tum Ochræ rubræ, &, Minii loco, *Æris viridis* tantillum ſubſtituunt. Hocque pacto alterutrum è dictis Metallis tam affabrè mentiuntur, ut ſic coloratas ſtatuas, non ex Gypſo, Argillave in proplaſmate ſiccata, ſed ex ſolido ære vel Orichalco arte fuſoria effictas eſſe, haud immeritò crederes. Hanc colorationem (qua nulla alia aut oculis magis grata, aut aëris injuriis obnoxia, eis, qui in arte plaſtica verſantur, hactenus innotuit,) noſtrates *Brounting* vocant. CHARLETON.

VERONICA.

Veronicam recentioribus quaſi φερονίκην dictam exiſtimat C. Hofmannus, quia triumphat inter plantas noviter repertas.

Veronicæ notæ ſunt, floſculi parvi tetrapetaloides, nam quæ videntur petala diſtincta ad ungues juncta ſunt, adeò ut flos integer decidat, unde ſtrictè & propriè loquendo flores monopetali non ſunt tetrapetali. 2. vaſcula ſeminalia in bina loculamenta diviſa & plerumque compreſſa Thlaſpeos inſtar.

In hoc genere calycis folia non decidunt unà cum flore, ut in tetrapetalis ſiliculoſis, naſturtio Thlaſpi, &c. ſed à flore delapſo reſtant ad ſeminis uſque maturitatem: prætereà flores è ſinu foliorum exeunt, præter illorum normam, in quibus nulla ad florum exortum apponuntur foliola.

Veronicæ autem in triplici ſunt differentia. Aliæ enim flores ſpicatos producunt, ſpicis ſummos caules & ramulos terminantibus, quæ Veronicæ ſpicatæ dicuntur. Aliæ florum ſpicas producunt è foliorum alis exeuntes: quod genus Teucrii ſeu Chamædryos ſpuriæ nomine inſignitur.

Aliæ denique flores ſingulares ſeu ſolitarios ſecundum caules, è foliorum ſinubus proferunt, quæ Alſinæ ſpuriæ cenſentur.

Vires. Vulneraria inſignis ac ſudorifera eſt. Uſus præcip. in eroſione ac obſtructione pulmonum ac lienis: hinc & imprimis in colica phthiſi, ſcabie, pruritu, peſte, vulneribus. Extrinſecus famoſiſſima eſt in vulneribus abſtergendis, in duritie lienis & in colica, Schrod.

Summatim in uſus ſumpta valet. 1. adverſus tuſſim & vitia pulmonum. 2. adverſus peſtem & morbos contagioſos. Extrinſecus ad vulnera, ulcera, ſcabiem, cutis vitia commendatur.

Decoctum veronicæ ſatis magnâ doſi aliquando aſſumptum fœminam quandam calculo, quem per ſedecim annos in rene ſiniſtro aluerat liberavit. Calculus nempe primo ad ureteres protruſus eſt, deinde in Veſicam delatus, tandemque continuo ejuſdem decocti uſu foras ejectus. Ephemer. Germ. An.1. obſerv.107.

Inſigniter Veronica ſterilibus prodeſt. Nobiliſſima quædam fæmina poſt ſeptennium ſterilitatis meo conſilio pulverem Veronicæ in aqua ejuſdem per multos dies ſibi propinabat, & ſtatim concepit. Poſtea illa hoc conſilium aliquot aliis dedit, & x. vel xij. ex illis ex ſententia profecit. Syrupus Veronicæ ulceribus pulmonis eſt admirabilis. Hofman.

Cum immedicabili tibiarum ulcere Illuſtriſſimus Guntherus per aliquot annos laboraſſet, ac ſerpentis ulceris totam propemodum tibiam obſidentis cacoethis dolores per intervalla ſeptimanarum aut menſium recrudeſcentes mitigari deberent, nullum præſentius percepit levamen quam ſi madefaceret lintea aquâ Veronicæ, eaque tibiis applicaret. Ceſſabat enim inflammatio, & alia quæ eam comitari ſolebant ſymptomata

Veronica vim inſignem traumaticam obtinet: fiſtula thoracis quæ balneatorum induſtriam, omniumque medicamentorum vires eluſit, tandem ſanata eſt, ſolius aquæ hujus plantæ uſu interno Ephemer. German. Ann.13. obſerv.166.

Extractum Veronicæ mixtum cum extracto baccarum Juniperi in obſtructionibus viſcerum & pectoralibus morbis eſt præſtantiſſimum remedium; maximo cum fructu non raro eo uſus ſum: materiam morbificam per urinam expellit, ſed præmittenda ſunt laxativa & aperitiva. D. Tancr. Robinſon, è G. Fabric. Hildani Epiſt.73

Ingenuè fateor cum aliquando variis medicamentis adverſus cruſtoſam ſcabiem puerorum uſus eſſem incaſſum, me ad recenſiti exempli imitationem juſſiſſe parentibus dicto modo aquâ Veronicæ intincta linteamina applicarent compreſſa nè ſtillarent ſuris brachiiſque puerulí ejuſdem, meque ſic eum ex voto reſtituiſſe priſtinæ valetudini; juſſi tamen ut nutrix decoctum fumariæ ex ſero lactis quotidie hauriret. Sim. Paullus.

In colica, calculo, ipſa peſte Grato plurimi fecit hanc herbam: imò vel ſimplex decoctum Veronicæ longè præfert omnibus aliis generoſioribus internis medicamentis contra calculum, cujus hæc ſunt verba. Idem.

Uſus clyſteris ex ſolo decocto Veronicæ cum ſacchato magis quàm ulla medicamenta per os ſumpta proderit. In decoctum vel adeps Vervecinus ad renes, vel cuniculi, vel capi adjiciatur, ut ita lubricitatem faciat. Si iſta non ſunt ad manum parum butyri recentis addatur. Idem

Ipſe ſanctè teſtare poſſum ſæpiculè plus commodi & levaminis percepiſſe multos ægros, ſive colicis paſſionibus, ſive nephriticis doloribus tortos, ab uſu ſimplicis clyſteris, ex lacte vaccino, & ſaccharo parati, in quo ad exemplum Cratonis, vel Veronicæ, vel florum chamomil. non Romanæ, ſed vulgaris temperatioris decoxi, quàm ex aliis majoris apparatus, v.g. ex pulegio, origano, ruta, calamintha &c. confectis: cum hi ſæpe exagitent humores. Idem. Ex collectaneis D. Edv. Hulſii cui ob plurimas obſervationes communicatas ego & Lectores mei, ſi qui futuri ſunt, multum debemus. Raius.

VERRUCARIA *ſeu* HELIOTROPIUM.

Quòd *Heliotropium* folia cum Sole circumagat veteribus traditum eſt; nos nihil tale nunc dierum in ejus foliis experimur, at neque in alterius cujuſvis plantæ. Ingenuè fateor (inquit P. Laurembergius) quæ tot Botanici prodidere de foliis Malvæ cum ſole converſis, de Tithymalo helioſcopio, de Lupinis, de cichorio, de calendula, de flore Solis, pluribuſque aliis quotidie cum Sole circumactis, cæloque nubilo horas oſtendentibus, me nulla uſpiam in regione, nullo tempore etiam ſtudioſiſſime obſervare geſtientem deprehendere potuiſſe. Flos Solis caput equidem verſus meridiem plerumque inclinat: at quorſum ſemel inclinavit Capitis pondus ibidem ſemper retinet, ubi ubi Sol verſetur.

Ut Dodonæus Heliotropium dictam hanc herbam aſſerit, non quòd ad ſolis diurnum motum convertatur, ſed quòd æſtivo ſolſtitio floreat, cùm ſol longiſſime ab Æquinoctiali circulo digreſſus ad ipſum rurſus τροπὴν ſive converſionem faciat.

Nomina. Heliotropium majus Lob. *Ger. Park.* majus flore albo *J. B.* majus Dioſcoridis *C. B.*

J. B.

Planta eſt dodrantalis & major, interdum minor ratione loci, radice ſimplici lignoſa: caulis fungosâ medullâ plenus, foris ex viridi incanus, tomentoſus, multis alis concavus. Folia ad ramulorum exortum & per ipſos ramos diſpoſita, ocymi foliis paria, ex rotundo oblonga, nervoſa, cauli concoloria, hirſuta. Flores ramoſi, albi, parvi, foliolis lanuginoſis obſiti: cæterum racemus ille ſpicatus cacumen in ſe Scorpionis caudæ inſtar contorquet. Semina ſuccedunt triangula, brevia, cinerea, quaterna juncta, acuminibus coeuntibus globoſum capitulum efficientia.

In Gallia Narbonenſi, inque Italia & Sicilia in agris ubique fortè luxuriat. Vidimus etiam circa Moguntiam & alibi in Germania.

Vires. Quæ de viribus Heliotropii habent veteres apud ipſos vide.

Verrucas & Myrmecias & Thymos affricata herba valenter adimere dicitur. Efficaciſſima eſt adverſus carcinomata & ulcera gangrenoſa & tumores ſtrumoſos (tota planta Matthiolo, ſemen Lobelio) folia ex roſaceo illita Capitis dolorem mulcent. Epotum foliorum decoctum unà cum cumino renum calculos pellit & frangit, & inteſtinorum animalia necat. Raius.

Vervex, vid. *Ovis.*

VESICANTIA & VESICATORIA.

Veſicatoria, ab effectu nomen ſortita, ea ſunt, quæ veſicam in partibus cutaneis ardore ſuo, ſeu puſtulas excitant, prolicientia humores & ſuccos à ſanguine diverſos, inprimis ſeroſos & ichoroſos.

Utimur veſicatoriis generali uſu ad revellendum, vacuandum & derivandum Sive enim humores ſeroſi acres in parte quâdam ipsâ reſtitent, eamque citra inflammationem tamen, vel ruborem, vel manifeſtum hiatum, (tunc enim non conveniunt,) vellicent, rendant, & rodant; ſive in aliâ vicinâ inflammatio, ipsâque in maſsâ ſanguineâ confuſio & inquinamentum majus fuerit, faciunt officium: illo caſu evocandi & derivandi, hoc evocandi & revellendi magis fine.

Hinc in exemplum prioris ſcopi applicantur verbi gratia, femori, in dolore iſchiadico, ut & derivetur & evocetur humor morboſus; partibus carnoſis aliis, in doloribus profundioribus ſimilibus, in foco epileptico alicubi exſpirante, uti exemplum habet *Heerius in Obſ.* Noſque in puellâ ex pede ſiniſtro conſimilem auram ſentiente prius, quàm malo corriperetur, experti ſumus. Item in bubonibus peſtilentibus & lue venereâ, ut venenata materia cò citius & potentius extrahatur.

Revellimus eorum uſu itidem in epilepſiâ, ſi poſteriori capitis parti ſeu nuchæ applicentur; in cataractâ ſeu ſuffuſione, in diuturno acerboque capitis dolore, in phrenitide. Applicari poſſunt nuchæ, bregmati ipſi, quod non ſemel cum ſucceſſu fecimus, pone aures, & utrique brachio. Ut taceamus inſignem & hinc inde decantatum ac praxi probatum eorundem uſum in hemicraniâ, dolore dentium, ophthalmiâ,

mià, febribus ardentibus & malignis, de quo vid. *Senn. l. de feb. & Excellentiſſ. Borrich. libr. de ſomniferis pag.* 29. febrium intermittentium paroxyſmis & aliàs. Sunt etiam, qui in hydrope vacuandi fine ambobus cruribus, aut etiam abdomini ipſi, in aſcite, admovent eadem; verùm id nec tutum æquè, nec porportionatum remedium alibi jam aſſeruimus. Non tutum, quod hydropicorum ulcera exorta non æquè facilè conſolidentur. Aquâ intercutem laborantibus, inquit *Cous*, ſeu hydropicis, exorta in corpore ulcera, à causâ ſive internâ ſeu externâ, non facilè ſanantur, ob copiam ichoris affluentis & effluentis, ob ſtimulum ſalinum perpetuum, ob gangrænæ & eroſionis majoris metum, *6. aphoriſm.* 8. Videndum igitur, quid æger ferat, quid minus.

Materiam veſicatoriorum tùm alia præbent, ex dictis rubificantibus, tùm inprimis uſitatiſſimè cantharides, inſectorum genus notiſſimum, liguſtri, fraxini, tritici præcipuè amans. Eliguntur verò 1. vel noſtrates vel exoticæ, quarum hæ cum ſæpe vetuſtæ ſint, non æquè ſemper præferendæ illis; 2. recentes, vetuſtæ enim & pulverulentæ minus ſunt aptæ.

Lis eſt 3. an totæ, quoad corpus, ala's, pedes & caput recipiendæ, an abjectis alis & pedibus *Galenus libro ſecundo, de antidot cap.* 10. totas & integras uſurpavit perpetuò, quia perſuaſum habuit, alas & pedes eſſe antidotum adverſus vim maleficam truncorum; Cui & *Matthiolus comm.* 53. *lib* 2. *Dioſcor.* aſſentitur. Contra *Hippocrates libr. de nat. mul.* & alibi paſſim detractis capitibus, pedibus & alis, cum liquore conveniente bibendas propinat. Unde ſunt, qui cum *Mercuriali* ſtatuunt *lib. de venenatis morbis & venenis c.* 14. Cantharides toto corpore venenatas eſſe, extremitates tamen magis ipſo trunco, unde Hippocratem l. c. non immeritò illas abjeciſſe ſcribit.

Ut alios taceamus, pro interno uſu præſtat recipere corpus cantharidum, licet id non fieri debeat facilè niſi refractâ & minimâ doſi, ut in rot. ſtimul. Mynſ. videre eſt, abjectis alis, capite & pedibus, quia partes illæ ſunt leviores, & aculeatas particulas habent majores. Exterius verò vel integras, citra delectum, quod commodius, vel, ſi mitius velimus operari, ſolum truncum poſſumus recipere Illud verò antidotum, quod ab alis expectandum fuerit, vix tanti æſtimandum erit.

Pondus quoque 4 notandum, quod exprimitur vel implicitè numero, vel expreſsè additâ menſurâ; neque verò opus ſemper eſt majore pondere, ſiquidem & una v. g. corporetenus impoſita exulcerandi vi pollet; poſſunt igitur recipi ad ℈j. ʒß. circiter, ſiquidem agens & hìc agit ad menſuram recipientis corporis; ubi cumprimis ſpatium definit virtutem. Ut verò explicari ſpicula magis queant.

5. Forma quoque externa memoranda venit. Sine dubio verò optima illa erit, quæ & ſpatium deſideratum non excedit, & partem melius tegit, adhæretque, adeoque intentionem magis explet. In formam unguenti quidam, vel cataplaſmatis mollioris redigunt, cum melle anacardino, vel theriacâ. Frequentiſſimum eſt cataplaſma cum fermento, ad ʒß. cantaridum ʒij. vel ℥ß. recipiendo, ne quid nimis tamen, quantum ſatis pro explendo ſpatio; & hinc optimum eſt emplaſtrum.

6. Additamenta ſi ſpectemus, ſolent vel corrigendi, vel augendi fine addi verbi gratia, ſemen ammios, ſinapios, euphorbium, acetum ſimplex, idque potiſſimùm in formâ cataplaſmatis. Additur acetum pro formandâ conſiſtentiâ. Ponamus verò ipſum & infringere vim catharidum ex parte, id potius in bono habendum eſt; mitigat quippe vim acrem & ſuam confert. Unde conſultò in cataplaſmate retinetur 🜊, cum præſertim 🜊 ipſum ſit rubefaciens, & experientia effectum teſtetur Poſſumus tamen & in ſimpliciori acquieſcere mixturâ fermenti, 🜊, & cantharidum, unde tales paſtæ rarius ſolent præſcribi, ſed chirurgis ferè jam in uſu ſunt, & ad manus.

Optimè verò, citra ulla alia additamenta, cantharides impaſtantur cum quocunque emplaſtro vel corpore emplaſtico, ſive ſoli ceræ & terebinthinæ, quod *Martianus* facit; ſive emplaſtro diaphoretico Mynſichti, aliiſque.

7. Effectus in aliis citius, in aliis tardius conſequitur. In validis & robuſtis, ſtrigoſis, ſerius trahuntur veſicæ; in teneribus, ſeroſioribus citius. Unde quatuor, quinque, ſex horas relinquere par eſt, & hinc tempus eligimus magis matutinum, ut ne ſomnus interturbetur.

Applicata enim maximè in emplaſtri formâ, parti aliàs in texturâ ſuâ integræ & ſanæ, à calore vitali actuata veſicatoria non minùs ac rubefacientia ſalinas tùm acidas, tùm in cantharidibus & aliis ſalinas volatiles cauſticas atomos in poros cutis vibrant, unde latex in glandulis cutaneis fluxilior redditus rareſit, confluit, & rubidam partem reddit, vel ichoris formâ, ceu à fervente aquâ, cuticulâ à cute ſeparatâ, in bullulas plures, tandemque in unam ferè veſicam colligitur, hinc ruptione factâ evacuandus.

8. Poſt agenda quædam ſint prius, quàm dicamus, non timendum eſt, ne noxa cantharidum ad interiora redundet, &, quod *Solenander* ſcribit *conſ. 2. pag.* 13. ab iis veſicam affici etiam capiti appoſitis, ita, ut exulceratis internis partibus mictum cruentum excitent, id non valet quantum noſtra experientia nos confirmavit, quàm in rarioris texturæ & ſeroſioribus ſubjectis.

Excitata verò veſica forfice diſcinditur, ſeu perforatur & aperta ſervatur, nec ante exulceratio ſiccari ſinitur, quàm omnis humor quaſi, ſufficiente quantitate, ex parte affectâ ſit exhauſtus, idque efficitur *ἀπροείσως* folio braſſicæ crudæ. butyro vel oleo, vel unguento alio pingui illito & veſicæ impoſito, cujus loco & folio hederæ arboreæ, plantaginis item tuſſilaginis utuntur alii, tempore præſertim verno & æſtivo ubi braſſica vel caulis minus præſtò eſt.

Una hoc ipſum ardorem lenit vi nitroſâ & aquoſâ; conveniunt enim eadem ferè hocce fine, quæ ad ambuſta. Conſultius tamen, præſertim in delicatis, emplaſtrum refrigerans applicatur. Sin hoc ipſum refractâ doſi cantharidum roboretur, & mulcet & ichoris profluvium continuat, unde etiam ad duodecim nonnunquam dies ſervavimus apertum ulcuſculum, non ſine inſigni *εὐφορίᾳ*.

Hic uſus ut generalis eſt, ita non attinet ſpecifica veſicatoria hoc vel illo affectu præſcribere, quod nonnulli faciunt. Suntque cautelæ quædam de eo obſervandæ.

Affectus, qnibus præmiſſis univerſalibus conveniunt ſunt e. g. inprimis oculorum & capitis, hemicrania, ophthalmia, ſuffuſio & alii.

Aſt quibus minus ex uſu, imò ſæpe nociva ſunt, exemplo ſint pedes hydropicorum, dolor ſpinæ dorſi, tumor, calor partium, crura œdematoſa, arthritis, quæ & rubefacientia & veſicantia excludit. Minus etiam proſunt, ubi copia vel influentis humoris major eſt, vel extrahendi ejuſdem improportionata, cujus exemplum præbet hydrops. Non educunt quidem parum veſicantia reſpectu ipſius partis & ichoris ſenſim & ſenſim exudando, parum tamen eſt illud reſpectu molis totius hydropicæ aquæ, quæ ad plures menſuras extenditur, & in cavitate abdominis hæret; quorſum vis extrahens ſeu liquans minus penetrare poteſt.

Ab adhibitis attrahentibus demulcentia poros proficiunt. Exemplo ſit paralyſis & gibbus. In paralytico adoleſcente poſt balneum formicarum ſedulò repetitum cataplaſma ex radice ſymphyti recentis faciebat officium. WEDELIUS.

Veſicatorium eſt topicum remedium, quod cuti ad-

motum epidermia in bullas elevat, & ichoroſam materiam ad cutem educit.

Componitur ex variis, faciliùs tamen & utiliùs paratur, vel ex emplaſtro veſicante ſolo, aut addito pulvere cantharidum; vel ex fermento & cantharidibus præparatis, id eſt, quibus alæ & capita præciſa ſunt.

Sinapiſmi & phœnigmi olim fiebant ex pulpa caricarum & ſinapi, ſed horum uſus obſolevit, vices efficaciùs ſupplent veſicantia, Quorum

Uſus eſt ad humores ad cutem educendos, vacuandos, revellendos & derivandos, in ſoporoſis affectibus, catarrho dilabente in pectus, aures, dentes, &c. In articulorum, & iſchiadicis contumacibus doloribus exoſtoſibus venereis, &c.

In morbis capitis admoventur ſupra colli vertebras: in affectibus oculorum etiam pone aures, &c. In aliis verò caſibus ſupra partem affectam. Volunt aliqui prodeſſe febri malignæ ſi carpis admoveantur.

Quantitas veſicatorii pro ægri,& partis cui apponitur magnitudine præſcribitur.

Veſicatorium ex ſolo emplaſtro veſicante pro pueris, vel quando non eſt opus forti.

℞. *Maſſæ empl.ſt.veſicantis* ℥ij.*vel iij*.Malaxa cum aceto acri, & fiat veſicatorium.

Vel

Ex emplaſtro veſicante, & cantharidum pulvere, quandò fortius deſideratur.

℞ *Maſſæ emplastrum veſicant.* ℥iij. *pulver. cantar.præpar. gr.iv.* Cum aceto acri fiat veſicatorium admovendum colli vertebris.

Vel

Maſſæ empl.de gumm.℥iij.*pul.canthar.*℈ß.Cum aceto forti fiat veſicatorium

Ex fermento & cantharidibus.

℞. *Cantaridum præpar* ℨj fermenti acris aceto acerrimo emolliti q.ſ. Fiat veſicatorium admovendum colli vertebris

In apoplexia,& cæteris ſoporoſis affectibus pro partibus poſticis aurium.

℞. *Maſſæ emplaſtri veſicantis* ℥ß. *cantarid. præparat. drach. j.* Cum aceto acri fiant duo emplaſtra ad formam ſemi - lunæ admovenda parti aurium poſticæ

Veſicatorium parti admotum.tandiù relinqui debet, quandiù opus eſt, ut plures veſicæ excitentur. Quod fit aliquandò intra horam, aliquandò non operatur niſi intra tres, quatuor,au ſex horas.

Sublato veſicatorio bullæ tunc aperiendæ, & folia betæ alterâ quâque hora, præſertim æſtate, admovenda. Si ſuperveniat inflammatio; inungendæ partes inflammatæ unguento roſato & albo Rhaſis lotis in aqua plantag. ſi gangræna, ſcarificationibus & ablutionibus cum aqua vitæ, tum & cataplaſmate ſuprà dicto utendum.

Non eſt adhibendum veſicatorium niſi præmiſſa fuerint univerſalia. In apoplexiâ ſtatim poſt purgationem, aut venæ ſectionem. Tencke.

Veſicatoria ex Hadriano à Mynsicht.

Veſicatorium in dolore Capitis & dentium occipiti poſt aures applicandum.

℞. *Theriaca Venet.* ℈ij. *cantharid.demptis alis & capitibus ping. leporis an.* ℨß. *rad. pyrethri nuc.moſcat. an* ℈j.

Miſc.& cum ſ.q.Fermenti fiat l.a.Veſicatorium in parte, ubi dolores.

Veſicatorium aliud in Cephalæa, &c.

℞. *Cantarid. in aceto macerat.*℈j.*zingib. alb. piperis long. an.* ℈ß *Majoranæ* ℈j.

Miſc & cum Fermenti ſ.q. fiat optima incorporatio; poſteà cum dimidiæ nucis cortice ſuperpone,donec veſica excitata fuerit; quia poſtea rumpitur, illique ſuperimponitur folium braſſicæ,& aperta detinetur.

Veſicatorium in omni mentis alienatione, Phreneſi,Melancholia, Mania,&c. probatum.

℞. *Cantarid.abjectis alis & capitibus Scr.iv. ping. leporin.*℈j.*ſuccini alb. cubebarum an. Scr.j. ficuum ping. No ij.aceti parum.*

Miſc.& cum ſ.q.Fermenti & aliquot guttulis ſp.Vini,ſine igne redigantur in formam Emplaſtri,& vertici à capillis nudo apponatur.

Veſicatorium in angina expertum.

℞. *Fermenti* ℥ß. *rad. althææ ireos flor. an.* ℈ij. *cantharid.præp.* ℈jß. *pul. ſuc. glycyrrhiz.croci orient.an.*ℨj. *ficuum ping. no.ij.*

Miſc.& incorporentur pro emplaſtro,quod ponatur ſuper pectus. Divertit materiam ad pectus & eſt experimentum nobiliſſimum.

De Veſicatoriis plura vid. in Emplaſtris & Cataplaſmatis.

VESPERTILIO.

Veſpertilio, Græcis Νυκτερὶς, *The Bat or Flittermouſe.* Hoc Animal malè à nonnullis Avibus accenſetur, ob alas & volatum; cùm nec pennatum ſit, nec roſtratum,nec oviparum,quæ certæ & characteriſticæ Avium notæ ſunt, ut alia multa omittam. Præter alas enim & volatum nihil ferè cum Avibus commune habet, ſed per omnia cum Animalibus Quadrupedibus viviparis convenit. Nec major eſt ratio cur veſpertilio quàm cur Lacerta alata (talem enim apud Ornatiſſimum Virum *D. Gulielmum Courtine* vidimus) Avibus annumeretur.

Veſpertilio tum figurâ corporis, tum magnitudine murem minorem domeſticum [noſtratem intellige, dantur enim Gallinis in *Guinea* & alibi æquales] tum etiam vellere ſ. pilis, refert; unde nomen *Flittermouſe* ſ. *Fluttermouſe*, i.e. Mus alas motitans, Anglis cum Germanis commune,

De numero dentium in hoc animali non conveniunt Autores. *Bellonius* 34. in mandibulâ inferiore 18. in ſuperiore 16. obſervavit: Aldrovandus 24. in ſingulis ſcilicet mandibulis 12. Cluſius in ſuperiore mandibula utrinque ſenos, in inferiore ſeptenos, quorum anteriores cæteris longiores, omnes valdè albos. Verùm Cluſius exoticum Veſpertilionem è maximis deſcribit, cujus longitudo plus quàm pedalis, nec ambitus corporis minor: Singulæ pinnæ, [ità alas appellat] 21. unciarum longitudinem habebant, 9. latitudinem. Deſcriptionem integram vide apud Cluſium, *Exot. libro quinto, capite primo*

Alæ membranaceæ cutaneæve,ſeu pinnas mavis dicere,corpus circumambiunt, & ſibi mutuò continuæ ſunt,& pedibus connexæ. Ad alarum flexum ſeu articulum pro pede anteriore uncum habet, quo parietibus aut arboribus adhæreſcit.

In nonnullis, adnotante Cluſio, oris rictus magis obtuſus,

obtuſus, ad felini formam quodammodo accedebat, in aliis magis longus & anguſtus, vulpeculæ rictui proprior erat.

Verùm cùm Veſpertilio Animal ſit ſingulare & ſui generis non opus eſt longa verborum ambage ad eum deſcribendum.

Locis obſcuris & cavernis ſubterraneis interdiu & per hyemem latitat, crepuſculo & diluculo evolat. Culicibus & muſcis, fortè etiam phalænis, victitat quas inter volandum prehendit. Geminos volitat (inquit Plinius) amplexa infantes ſecúmque portat, nec plures una vice parit, cùm bina duntaxat ubera habeat. Raius. *In Syn. Hiſtor Quadrup.*

Aliqui dicunt veſpertilionem tuſam & applicatam in doloribus podagricis conferre, forſitan eadem ratione quâ cranunculi tuberoſi radix, quæ Gallicè *tire-goutte* dicitur, folia urticæ urentis tuſa, imò alia omnia vi veſicante prædita à multis in hoc morbò commendantur. Nam quòd vis veſicans & magna acrimonia in Veſpertilione reſideat exinde patet quòd ſanguis ejus depilatorium ſit non infimum; jam verò iſti operationi perficiendæ remedia cauſtica & arſenicalia, de quibus propriò locô, veniunt adhibenda.

Vetonica, vid. *Caryophyllus Hortens.*

VIBURNUM.

Nomina. Viburnum *Park.* vulgo *C. B.* Lantana ſive Viburnum *German.* Lantana vulgo, aliis Viburnum *J. B.*

J. B

Hic frutex arboreſcens eſt, grandis quandoque, licet in amplitudinem magis diffundatur quàm in altum aſſurgat, ligno que conſtat fungoſo & medulloſo. E radice ſummo cæſpite vagante ramos digitali craſſitudine emittit bicubitales etiamque longiores, cortice ruffo farinaceo pulviſculo conſperſo, materie pauca ac viridi, medullâ ampliſſimâ ac albâ, folia ad Alnum vel potius ad Sorbum Alpinam accedentia, oppoſita, lata, ſublonga, craſſiuſcula, in ambitu crenata, hirſuta, & pulviſculo albo, maxime inferna parte, quæ ob id etiam magis candicat, conſperſa, guſtu adſtringente. Flores in umbellâ, odore florum. Sambuci, candidi, quinque petalis, extrorſum modice reflexis, conſtantes ſinguli, in quorum medio ſtamina quina ſurriguntur, longa, albicantia; quos excipiunt ſupervenientes baccæ, primum virides, deinde rubræ, per maturitatem nigræ compreſſæ, dulces & viſcoſæ, ſapore tamen noſtro palato minus gratæ; quamvis è ruſticis multi iis veſcantur, quos ut citius matureſcant ſupra paleas aut fænum reponere alterno ſtratu ſolent; ſemen intus continent latum, compreſſum & ſtriatum, oſſeo, cortice intectum.

In ſepibus non infrequens eſt, ſolo maximè inculto & argilloſo æſtate floret citius aut ſerius pro tempeſtate Cœli, temperie & conditione Soli: magna ex parte acini rubeſcunt Julio, Auguſti fine demum & Septembri matureſcunt, ut teſtatur J. B.

Vires. Tum folia tum baccæ ſiccant & adſtringunt, unde ad tonſillarum & gutturis inflammationes, columellæ procidentiam, dentes vacillantes, alvi fluxiones commendantur. Folia in lixivio decocta capillos denigrant, & eoſdem fluentes ſiſtunt. Paratur è radicum corticibus ſub terra maceratis, & ſubinde decoctis ac diu tuſis viſcum ad aucupia haud inutile. Matth. Dod. veremur cum J. B. ne Matthiolus multa tribuerit Viburno quæ ſunt Rhois, cùm eaſdem aliquando putarit, Ruellium ſecutus.

Ex ſurculis paratur optima aqua ad oculos. Camer.

Rura noſtra (inquit Ruellius) viurnam appellant, fluxu ferè invictam; & ob id faſcibus ligandis utuntur: prout & alibi fere paſſim provenit unde peritiores Botanici eam Spiræam Theophraſti eſſe exiſtimant.

Cæterùm Viburnum à viendo ſeu ligando dictum eſt: Viburnum enim non eſt alicujus particularis fruticis nomen apud antiquos: à recentioribus huic arbori ut proprium tribuitur quia rami ejus ſunt lenti unde & lantana dicitur. Raius.

VICIA.

Vicia aliis à vinciendo ut Varr. de R. R c. 31. quod capreolos habet, ut vitis, quibus ſcandit, & alias plantas vincit. At nos cum Voſſio in Etymolog viciam à Græcis eſſe cenſemus. Nam Aſianis βίχιον vocatur, teſte Galeno, lib. 1. de aliment. facult. cap penult.

Notæ Viciæ characteriſticæ quibus à reliquis leguminibus ſcandentibus diſtinguitur ſunt folia minimè cæſia ſeu glauca, ſed viridiora & plerunque hirſuta, è minoribus & pluribus pinnis compoſita.

Uſus ejus eſt apud noſtrates cum pilis & avenâ mixta pro equorum pabulo, ſeritur interdum ſeorſim & viridis in herba demetitur pro jumentorum pabulo in graminis inopia, &

Vicia paſta diſtendunt ubera Vaccæ. Raius.

VICTORIALIS.

Nomina. Allium Alpinum *J. B.* montanum latifolium maculatum *C. B.* Alpinum latifolium, ſeu victorialis *German.* anguinum *Park.* victorialis longa *Clus.*

Radix nonnihil obliqua eſt, in longum bulbum deſinens, multáſque fibras perplexas emittens, multiplici cortice, variis fibris tranſverſim coeuntibus quodammodo reticulato involuta, ſingulis annis (autore Cluſio) feliciter aliis bulbis circa ipſam adnatis ſeu propagans fibris adeo implicatis, ut difficile ſit bulbos conjunctim nato & cohærentes ſejungere. Hinc emergit caulis cubitum altus, minimi digiti craſſitudine, propter terram rubeſcens, enodis, lævis, ſuperius viridis, ſtriatus, fungoſus, cui inſident glomeratim congeſti flores, ceparum floribus ſimiles, unciâ longioribus pediculis hærentes; candidi (in planta nobis obſervata flores non candidi prorſus erant, ſed ex albo palliduli) quibus trigona ſuccedunt capitula, ſeminibus rotundis, pullis repleta. Folia duo aut tria vaginâ ſuâ caulem complectuntur, forma foliorum Allii urſini, nervoſa ſublonga & lata, acuminata, ſed majora, rigidiora, gentianæ majoria foliis pænè ſimilia, ut non male cenſet Cluſius.

In ſummis Jugis altiſſimorum montium maximo Carthuſianorum cænobio in Delphinatu imminentium. Viribus cum reliquis aliis Sylveſtribus per omnia convenit.

Vires. Plebi noſtrati (inquit Schroderus) Judæiſque amuletum eſt familiariſſimum, quo à ſpectris aëreque infecto ſe tutos fore perſuaſi ſunt, unde & victorialis nomen ei inditum. Raius.

Victorialis alia minor datur foliis non malè Lilium Convallium referens, atque Allii ſaporem non minùs quàm prior exhibens, verùm ejus nullas novimus vires peculiares & propterea ab ulteriori abſtinemus deſcriptione.

Vincetoxicum, vid. *Aſclepias.*

VINCA PERVINCA.

Clematis hæc dicitur, qui inſtar κλημάτων repentes proferat cauliculos, quos κλήματα (Sarmenta) Græci

Græci vocant: Daphnoides vero, cum à lauri foliorum figurâ, tum ad differentiam aliarum cognominum. Dod. vinca pervinca, quod humi ſerpat, & ſe in modum fruticuli porrigat, vicina quæque Vinciens Fuch.

Notæ ejus ſunt ſarmenta longa, repentia, folia glabra, colore & conſiſtentia hederaceorum, flos amplus, ſiliqua ad ſingulos flores gemina non lanigera.

Nomina. Clematis Daphnoides minor *C.B.J.B.* Vinca pervinca minor *Ger.* vulgaris *Park.*

Flagellis reptatricibus, humi fuſis, late ſe propagat. Radix fibroſa eſt: ſarmenta multa, tenuia, teretia, virentia & geniculata, è geniculis emiſſis fibris rurſum radicantur. Folia è geniculis bina oppoſita, Laurinis ſimilia (colore & conſiſtentia hedoraceorum ut nobis quidem videtur) minora tamen multo, acuta, rigida, lævia, brevibus pediculis appenſa, ſupernè virore ſaturato nitentia, internè dilutiore, ſapore adſtringente, ſubamaro; flos pediculo è geniculis enato, duas uncias longo, ſingulari ſingularis inſidet, oblongus gelſemini modo, nunc ſimplex, in quinque lacinias altiuſculas & latas diſſectus, nunc aucto foliorum numero multiplex, quorum interiora modo bina, modo terna, ad imum integra, ſuperius ut extima laciniantur duntaxat, aliàs penitus ſeparata. Color ſimplici cæruleus cum apicibus concoloribus, ſed dilutioribus parum, vel albus cum ſtaminulis luteis, piſtillo albo, fundo candidis verſibus ſtriato; vel pulcherrimo ſpectaculo violaceum florem per ſingulas lacinias à ſummo ad imum linea decurrit lactea, id quod & in multiplici obſervatur. Verum quæ multiplici eſt flore eam non alio quàm purpureo aut purpuro violacco colore obſervavi; & bicolore ut dictum. Flori ſuccedit ſed rariſſimè ſiliqua bicornis, Cæſalpinus. Cornicula tenuia ſunt, arcuata, utraque extremitate cohærentia, bina plerumque ſemina continentia, oblonga, Seſelios.

Ad ſepes & in aggeribus foſſarum.

Vires. Vulneraria inſignis eſt. Uſus præcipuè in fluxionibus alvi, dyſenteria, hæmorrhoidibus, expuitione ſanguinis, hæmorrhagia narium vulneribus ſero liquore manantibus. Extrinſecus in profluvio menſium, in laxitate ac dolore dentium: lac extinctum revocat. Schrod.

Folia ore retenta ſanguinis fluxum è naribus erumpentem compreſſiſſe frequenter vidimus, inquit Coſtæus libro ſuo de ſtirpium differentiis.

Folia recentia ſuper chartam bibulam vel emporeticam impoſito ſuperius lino pexo interbaſtata, & thuris odore ſuffitâ, conſilio mulierculæ cujuſdam in ſtrumis adhibita, diſcuſſere tumorem brevi tempore, qui per anni ſpatium aliis medicamentis à Medico docto præſcriptis contumax obſtiterat. Eodem medicamento ejuſdem mulieris monitu pro deplorato relictus curatus eſt antea. D. Hulſe.

Vinum turbidum, quodque colorem amiſit, hujus herba q.ſ. vaſi impoſita, intra quindecim dies purum clarumque & genuini coloris reddit. Expert. Trag. præſtabit tamen ut vinum prius in alium vas transferatur. Raius.

VINUM.

De eo in genere ſub titulo Vitis Viniferæ. *Hic tantum* Vina *quædam* Medicata, *ad varios uſus variè compoſita.*

Vinum Abſinthites è *Phar. Londin.*

♃. *Abſinthii ſicci m.j. pro uno quoque vini congio, immittatur in vas bene obturatum, & ſic maneat in infuſione.*

Vinum Antimoniale ex *Phar. Londin.*

♃. *Reguli antimonii pulv. ʒiv. vini albi opt. ℔iij. macerentur ſimul in vaſe obturato, poſt primam agitationem permittendo ſubſidere regulum.*

Vinum Benedictum ex *eâdem Phar.*

♃. *Croci metal. pulv. ℥j. macis ʒj. vini Hiſpani ℔iß. macerentur.*

Vinum Ceraſorum Nigrorum ex *eâdem Phar.*

♃. *Succi ceraſ. nigr. congium unum, ſervetur in vaſe clauſo, donec fermentari incipiat. Tum coletur, & adjectâ ſacchari albi ℥j. ad unamquamque libram, per manicam hip. trajiciatur, & in lagenis optimè obturatis ſervetur in uſum.*

Vinum Chalibeatum ex *eâdem Phar.*

♃. *Chalybis præparati ℥j. croci pulverati & in nodulo incluſi gr. viij. vini albi odori ℔ij. infundè frigidè per triduum, aut quatriduum ſæpe interea agitando. Inverſo vaſe, tum F. colatura per manicam Hip. ſerveturque uſui.*

Chalibeatum aliud ex *Weickardô.*

♃. *Accipiantur verbi gratia chalybis diligenter præparat. ℥viij. Fol. menth. ceterach. beton. ivæ arthriticæ, ſtæchad. meliſſæ, ſaſſafras, cappar. Tamariſci ana m j.*

Hæc omnia minutim inciſa infundantur per 8. dies in ℔ xij. vini albi generoſi & ſub radiis ſolaribus in vaſe vitreo ſæpius agitando diligenter macerentur, poſtea de hoc bibat æger pro una vice ℥iij. mane in initio paſtus.

Vinum Elleboratum ex *Phar. Londin.*

♃. *Ellebori albi minutim inciſi ℥iv. vini Hiſpanici opt. ℔ij. macerentur ſimul in phiola conv. optimè obturatâ ad ſolis calorem per dies caniculares, vel alios æſtivos.*

Vinum Hippocraticum ex *Phar. Auguſt.*

♃. *Cinnamomi ℥iß. zingiberis ℥ß. caryophyllor. ʒß. macis, cardamomi, gran. paradiſi an. ʒj. galangæ ʒiß. ſem. aniſi ʒß. vini ℔v. ſacch. albi ℔iß. fiat potus ſecundùm artem per infuſionem in colaturam.*

Cerebrum & ventriculum roborat, ſpiritus auget, vitales facultates fulcit, amiſſas vires reparat, ac infirmæ coctioni opem præſtat.

Hippocraticum aliud ex *eâdem Phar.*

♃. *Cinnamomi electi ℥ij. zingiberis, galangæ an. ℈ij. nucis moſchatæ ℈j. ſacch. albiſſ. ℥xvj. vini albi generoſi ac odoriferi ℔v.*

Macerando probè tecta per horas viij. vel x. poſteaque ſæpius vinum aromatibus in manica Hippoc. contentis denuo adfundendo & percolando, redigantur in potum Hippocraticum.

Hippocraticum extemporaneum Heurnii ex *eâdem Pharmac.*

♃. *Cinnamomi electi ℥iß zingiberis acuti ʒiij. caryophyll. nucis moſchatæ an. ʒß. granorum paradiſi ℈ij. piperis ℈j. pulveriſentur craſſiuſcule ac macerentur in ℔iß. ſpiritus vini optimi, probè obturato vaſe, poſtea filtrentur.*

Hippocraticum Laxativum *Zwelferi.*

♃. *Vini albi boni ℔ iv. collocetur in olla terrea ſupra ignem carbonum, ollâ nonnihil tectâ, quamprimum autem incipit ferveſieri injiciantur ſequentia ſaltem inciſa, utpote Rad. mechoacæ albæ, gialappæ an. ℥j. Rhabarb. opt. ʒvj. Aſari ʒß. cinnamomi acuti ʒvj. cardamomi min. ʒiß caryophyllor ʒß. cort. Arantiorum, citri ana recentior. extim. ʒiß. cremoris tartari ℥ß. his*

bis omnibus vino ferventi immerſis, ſtatim deſuper etiam ſuperinfundantur ſacchari can. albi ℥v. & Album. Ovorum numero ij. conquaſſatorum ſcopula deſpumatoria, addita nec non particula aquæ cinamomi.

Atque unicâ ebullitione factâ ſtatim removeantur ab igne & manicæ Hippocratis, ſacculo ſcilicet in cuſpidem deſinente infundantur, & vinum hoc ſæpius trajiciatur, donec clarificatum & purum defluat, ad inſtar vini Hippocratici boni ſaporis & odoris, delicatulis propinandum, repetitis vicibus, quibus per Epicraſin materia morbifica educenda. Doſis ℥ij. ad ℥iij.

Hippocraticum Laxativum *VVeickardi.*

℞. Fol. ſen. Alexand. purgat ℥j. rhabarb. elect. interior. ℥ß. agar. albiſſ. ʒij mechoacæ ʒiß diagryd. ℈ß. cinam. acutiſſ. zingiber. galang. caryophyll an. ʒj.

Hæc omnia craſsè inciſa miſc. in vini opt ℔. iv. vel v. ac in loco calido ponantur per 12. horas, deinde colentur per pannum laneum ſepties, & poſtea addatur ſacchari albiſſ. ℔ß. vel plus minuſvè & benè agitentur. Quotieſcunque igitur quis ſe purgare voluerit, ſumat ℥ix. hujus potionis, reliquum in vitro bene obturato reſervetur.

Hippocraticum pro Hydrope ex *eodem.*

℞. Rad. quinque aperitivar. ana ℥ß. rad. iridis ℥j. Azari ʒij. cort. rad. ſambuc. cortic. ebuli & dulcamaræ an. ʒv. ſumm. Abſynth. ʒiij. major. ʒij fol card. bened. m. j. Flor. centaurii minor. ʒij geniſt. ʒiß. ſem. fænic. Aniſi, petroſ. an. ʒij. ſem. Ebuli, Hederæ an. ℈ij. fol. ſen. ſ. ſtip. ℥ij. rhabarbari opt. ℥j. agar. ℥ß ſoldanell ʒiij. ſpic. ſchænanti an. ʒß cinam. cort aurant. citri an. ʒj.

His omnibus arefactis ac in vaſe vitreo collocatis affunde vini menſ. ij. deinde cum aliquandiu hæc infuſio ſteterit hauſtus ſumatur mane duabus horis ante prandium ſingulis vel alternis diebus prout operabitur.

Vinum Rubellum ex *Phar. Londin.*

℞. Vitri antimon. pulver. ℥j. caryophyl. inciſ ʒij. vini clareti ſive rubelli ℔ij. ſerventur in phiola benè clauſa.

Vinum Scilliticum ex *eâdem Phar.*

℞. Rad ſcillæ albæ montanæ circa canis exortum collectæ, in laminas conciſæ, & per menſem exſiccatæ ℔j. gallici ℔viij. macerentur per quadraginta dies, deinde ſcilla eximatur.

Vinum Stomachicum *D. Le Mort.*

℞ Rad enulæ campanæ ℥iv calami aromatici ℥ß galangæ, gentianæ, zedoard zinzib. ana ʒiij. cubebar. cort. arantior. ana ʒj. cardamomi, caryophyl. ana ʒv ſummitat. Abſinthii m. iv. muſti generoſi. vini Gallici, vel Rhenani Stop. xx.

Contundantur omnia groſſo modo, dein Sp. vini tartariſato irrorentur, mox in ſacculo lineo ſpecies illæ reponantur per horas 2 vel 3. dein denuo irrorentur, idque bis vel 3. repetatur donec ſufficienter ſpecies vini præcedenti imprægnatæ ſint id eſt molliores evaſerint ſpiritu interno tumidæ; hæ Sp. muſto fermentari cum ſacculo injiciantur: fermentationem ineant ſimul per 14. circiter dies, quibus elapſis ſpecies cum ſacculo extrahantur, & exprimantur, vinum poſtea clarificatum per ſubſidentiam, uſui exhibere ſucceſſive.

Nota: Species etiam facilius ſeorſim in parva quantitate Sp. vini tartariſati macerari poſſunt; qui à ſimplicibus abſorptus, faciliorem poſtea extractionem & fermentationem præbet.

Vires. Omnibus ventriculi cruditatibus confert; concoctionem adjuvat, appetitum ciet, morbis & febribus exinde oriundis medetur. Doſis ab ℥iß. ad ℥ij.

Vires plerorumque ſimplicium à textura pororum & meatuum dependentes infinitis modis alterantur inteſtino motu cohæſionem & figuram illam multum dilacerante: unde ſalia illis interſtitiis minoribus antehac proportionata nunc magis ſui juris facta quæcunque corpuſcula terreſtria eliminant, vel alio modo diſpoſita aliam agendi qualitatem inire cogunt. Quod potiſſimum obſervabile in acrioribus reſinoſis particulis, majori quantitate aquæ dilutis & tumidis, quæ, ubi diſruptionem ſuarum cellularum ſemel admittere coactæ fuere, per ventiformem aëream expanſionem ſuorum tubulorum, ſtatim à ſumma acredine & calore manifeſto, ad acidorum & frigidorum dictorum claſſem tranſeunt plane mutata actione ſuarum partium, jam fere ad nutum tantummodo ſalium prædominantium in ſua extravaſione ſe ſe exercentium. Salia autem quamvis in numeras videantur mutationes ſuæ figuræ iniviſſe, attamen illas non niſi mediante aliquali imminutione acquirunt, ubi ſeparati à ſe invicem pulviſculi ſalini hic illic interſtitiis, meatibus, & poris corporum terreſtrium intruduntur, quibus ſe ſe adaptare coguntur, ibidemque latitare debent, ut cultri in vaginis reconditi, nullaſque poſtea operationes exhibere illis permiſſum, niſi per hoc vel illo modo diſpoſitos tubulos & poros. Verum hi ſolutionem diverſam continui patientes ubi liberius fluere poſſunt ad ſe invicem denuo accumulati acidam priſtinam indolem recipiunt, è qua ortum primo duxere, ut in Chimia latius. Hæc ſalia terreſtribus adhuc particulis ſociata auſtera & aſtringentia fiunt, quamvis aperientia & purgantia exſtiterint ſimplicia adhibita Sedulo igitur cavendum eſt, ne hæc infuſa & fermentata vires ſuas amittant aut immutent; in primo enim ſtatu & motu incipiente potiſſima vis nativa, uti dictum, conſiſtit; qualitas autem à priſtina declinans, alterationem virium concomitatur. Præſtat igitur in minori copia vina infundenda præparaſſe, niſi illa ſtatum ſuum integrum per artem vel ſpirituoſas ramoſaſque molles particulas diutius conſervare poſſint.

Vina Medicata ex Pharmac. BATEANA.

Vinum Arthriticum. Recipe Sarſaparill. guajac. ana ℥j. Viſc querc. ʒvj. Fol. ſicc. chamædr chamæpit. ſalv. an. ℥iij. Fl. primul. veris, roriſm lil. conval. an. ℥ß. hyperic. ʒvj. V. alb. ℔x. infund. dies 3 f. colat. D. ℥ij. *bis in die per dies 30. aut 40. poſt uſum Vini ſeq.*

Vinum Arthriticum purgans. Recipe Chin ſarſaparill. ana polypod. ℥iij. rhabarb. Senæ, ana ℥j. chelop. ʒvj caryophyll ʒj. V. alb. ℔vj. Infund. ſ. a. & cola. *Doſ. ℥iv. quotidie per dies 8. Vere & Autumno.*

Vinum Chalibeatum. Recipe ♂ crud. ℥viij. Rad. eryngi enul. ana ℥iß. ſantal citr. ℥j. coral. rub. raſ. ebor. ana ʒvj. caryophyll mac. cinamom. zz ana ʒiiij. ceterach, anth. Fl geniſt. epithym ana p. ij l cucoen. opt. ℔vj macer. in MB. dies 8. ſæpe agitando. poſt reſidentiam filtra ad uſum *Doſ. coch. 3. ad 6. &c. omni manè ad dies 20. 30. &c. in Chloroſi, hydrope, ictero, menſibus obſtructis, quartanis, &c.*

Vinum Ephracticum Recipe. Lumbric terreſt. vivent. circulis rubris in collo ſignatos numer. 24. contund. in mortar. marmor. cum uv. corinthior. mund. ℥ij. addendo V. Rhen. ℔iij. cryſtal. mineral.

amineral. [in V. Rhen. ſolut.] ℥ß f colat. limpidiſſ. ſæpe trajiciendo per manic. Hip. *D ℥iij. ter in die cum Aq. cinnam. hord.* ℥j.

Vinum Hippocraticum. ℞. Caryoph. zz. an. ℥j. cinam. nuc. m. an. ℥ij. contuſis adde Vin. Hiſpan. ℔xij. ſacch. albiſſ. ℔iijß m. cum lactis rec. ℔ijß ſtent ☿ 24. f. colat. deſuper limon. ii inciſ. & rotiſm. virgultas duas ſæpe per manic. Hip. trajiciendo ad claritatem. *Doſ. ℥iij. vel iv. in languoribus.*

Vinum Hydropicum. ℞. Rad. irid. noſtrat. ℥j. enul. ſcillæ præparat. an. ℥ß. marrub. mi. cort. rad. ſambuc. ebul. an. ℥ j. Fol. ſenæ, ℥ i ß. agaric. ʒj. zz. ʒj. vin. alb. ℔ i v. infunde ſ. a. f. colat. *Aliter.* ℞. ✝rum geniſtæ & juniper. an. ℥j. Vin. Rhen. ℔ iij f. lixivium, cui adde Rad. ireos noſtrat. ℥ i ß. cort. intern. ſambuc. & ebuli, ana ℥ j. cort. dulcamar. ℥ ß. rhab. ʒ ij. mechoac. ℥ß. Senæ, ℥ j ſem. carvi, ʒ v j. cort. ſaſſafr. & VVinteran an. ʒ i j. infunde tepidè per noctem: colat. adde ſacchar. alb. ℥ j v. fl. roſ. Dam. mij. ſtent aliquantiſper, & denuò cola. *Doſ. ℥iij. &c. omni manè per dies aliquot.*

Vinum Scelotyrbicum. ℞. Fol. acetoſ. becabung naſturt. aquat. cochlear. hort. an. miij. Rad. enul. ireos noſtrat. raphan. ruſtic. an. ℥iß. ſem. cochlear. ℥j. V. alb. ℔iv. macer. per dies 2. & f. colat. *Titulus monſtrat vires.*

Vinum Viperinum. Recipe. Viperas fæmellas vivas tempore verno collectas numer. vi. Vin. Hiſpan. opt. ℔ v j. macer. (vaſe opt. clauſo) ſine calore per menſes 6. dein cola ad uſum. Sunt, qui macerant viperas excoriatas (rejectis interaneis, cauda ac capite) in Vin. Hiſpan. per dies aliqt. *In Lepra Græcorum, Elephantiaſi, ſterilitate, Peſte, &c. celeberrimum eſt, vitam prolongat, &c. Doſ. ℥iij. vel iv. bis in die, ad longum tempus.*

Vina Medicata ex Collectione Theophil. BIERLINGII.

Vinum laxativum.

℞. *Rad. mechoac. gialapp. an. ℥ß.*

Flaved. cort. citr. recentior. ʒ j, groſſo modo incidantur, & in vini Rhenani ℥viij. infundantur, adde ſacchar. ℥ß. filtrentur.

Vinum Arthriticum.

℞. *Fol. chamædr. chamæpyth. ſalv. an.* ℔ij.

Flor. primul. ver. ℔j. *anthos, raſ. viſci quercin. an.* ℔ß. *cort. lign. ſanct.* ℥iv. *rad. chin* ℥iij.

Inciſa reponantur *in einer Tonne Moſt.*

Vinum Martiale D. M.

℞. *Eſſent. vel extract. ♂t. Mynſ. ℥j. caſ. lign. ver. ʒij. cinamom. elect. ʒiß. antophyll. ʒj.*

Superfunde vini Malvativi ℔ij. ſtent in loco calido per triduum, poſtea colentur. Doſis ab ℥j ad ℥ij.

Vinum præſervativum in podagra.

Ejuſdem.

℞. *Herb. chamæpyth. anagall. c flor. an. Mj.*

Flor. hyperic. p. iij. anthos, betonic. an. p. ij.

Rad. hellebor. nigr. gialapp. an. ℥j. *hermodact. turpeth. an. ʒvj. cremor. ♀r. ʒij. coſti aromat. ver. ʒjß.*

Inciſa & contuſa dentur in nodulum, dulcoretur ad palatum.

Vinum antepilepticum purgans.

Ejuſdem.

℞. *Rad. pæon. juſt. tempor. collect. ℥ij. herb. primul. ver. Mj. flor pæon. lilior. convall. tiliæ, an. p. iij. viſc. quercin. ℥ß. raſur. cran human. ag. ric. albiſſ. ʒvj. radic. helleb. nigr. ℥j. gialapp. ℥ß. cardamom cubebar. an. ʒiß. ſemin. pæon. ʒj.*

Aſperguntur ſpiritu epileptico.

f. l. a. Nodulus.

Ein herrlicher Holtzvvein vor die Fürſtin von Hohenzoltern.

℞. *Lign. guajac. ℥vj. ſaſſafr. ℥j. rad. cichor. ℥iß. dictamn. alb. ℥ß lign. rhod. ℥j. cort. tamariſc. ʒvj. herb. ſcolopendr. ceterach. an. Mj. rad. rhapont. ʒiß. fol. ſen. ſ. ſt. ℥jv.*

Vinum Gallicum D. P. C.

℞. *Rad. ſarſaparill. ℥ij. polypodii, hermodactyl. an. ℥j. bruſci ℥ß. fol. ſen. ſ. ſt. ℥ß. ſchœnant. ſemin. aniſ. an. ʒv. infundantur in X. menſ. vini albi.*

VINA *alia varia* MEDICAMENTOSA COMPOSITA *vid. ſub titul.* INFUSUM *&* CLARETUM.

VIOLA.

Viola per diminutionem à Græco ἴον dicta eſt, ſpiritu in ᵛ literam converſo, ut in aliis multis.

Notæ ejus *genericæ* ſunt flos pentapetalos difformis, calcari donatus vaſculum ſeminale ternis loculamentis diſtinctum.

Duplex eſt, alia foliis rotundis, alia foliis oblongis, quæ & jacea dicta.

Vires. In Viola odorata, ut & in aliis complutibus plantis, multæ ſunt partes viribus diſtinctæ. Radix enim, umbilicus & ſemen vim habent catharticam: radicum enim tres unciæ conciſæ, & in aquam ferventem, cum ab igne removetur injectæ, aut vino per noctis ſpatium infuſæ, vim purgatricem ipſis conferunt. Semen pulveratum & liquori immiſtum ſeſquidragmæ pondere idem præſtat. Umbilicus multo eſt debilior, eamque vim communicat aquæ cui infunditur ex qua fit Syrupus violarum quem ex infuſionibus vocant: humores autem dejiciunt bilioſos, ſeroſos, nec admodum pertinaces.

Folia vero ſubfrigidam & aqueam ſubſtantiam habent ſuperantem: itaque phlegmonas mitigant, æſtuantem in ventriculo & oculis calorem ſedant, in olere ſumpta leniunt alvum. P. Renealm.

Flos recens refrigerat, humectat, emollit, laxat. Cordialis eſt è quatuor illorum famoſorum numero & pectoralis. Uſus præcip. in fervore febrium compeſcendo, doloreque capitis inde nato, in tuſſi, aſperitate gutturis & pleuritide. Syrupus creberrimi uſus eſt ad ſitim febrilem reſtinguendam & alvum leniter ſubducendam.

Violarum ſemen eſt lithontripticum inſigne. D. Butlero Cantabrigienſi Medico Celeberrimo olim inter arcana. D. Needham.

Dioſcorides & Plinius id quod in flore purpureum eſt cum aqua potum angina correptis & Comitialibus maxime pueris mederi affirmant. Quod autem aiunt Comitialibus mederi (inquit Paul. Renealmus) experientia docuit non vacare impoſturâ: Antiquorum ſcripta non ſine mendis ad nos traducta malit aſſerere MAIUS.

VIOLA LUNARIA.

Nomina. Viola Lunaria Major ſiliquâ rotundâ *C. B.* Lunaria Major ſiliquâ rotundiore *J. B.* Viola Lunaria ſive Bulbonach *Ger. Park.*


J. B.

Caule aſſurgit ſeſquicubitali aut altiore, [digiti minimi interdum craſſitie] colore glauco aut rubente, hirſuto. Folia urticæ, majora aliquando duplo aut triplo, hirſuta, ſerrata, oppoſita interdum, alias ad ramulorum propagationes ſingularia, ſapore oleraceo. Ramis (& ſummitati caulis) inſident flores multi, (eodem ferè modo diſpoſiti quo in braſſica) purpuraſcentes aut carnei, ſtriati (braſſicæ vulgaris floribus pares, Leucoii minores, alias iis ſimiles) odore debili, ungue intus conſpicuo & albicante. Stamina quatuor vireſcentia apicibus luteis ſeu chloris (vix è calice emergunt) hæc omnia excipit cauliculus oblongus, phæniceus, è quatuor foliolis, duobus majoribus totidem minoribus, compoſitus,

(Leucoii


Tab. XXV. Tom: II. pag. 1031.





Tab. XXVI Tom. II
pag. 1031

Tab. XXVII Tom. II pag. 1031



(Leucoii Calici ſimilis) ſiliquæ latæ,ſubrotundæ (nonnihil tamen longiores) compreſſæ, bivalves, argenteâ bracteolâ exteriores utrinque laminas intercedente, filum ſumma parte emittentes, ſeminum orbiculatorum compreſſorum duplicem ordinem continentes. Radix ſtrumoſa ſeu glanduloſa (unde nomen Bulbonach) ſemen ut in hoc genere maximum eſt,ex ruffo nigricans,& cum aliqua amaritudine acerrimum. Folia per hyemem retinet: ſecundo à ſatione anno caulem fundit, & cùm ſemen maturuit perit.

Copioſè creſcit in Saltubus Turingiæ Sylvæ Cam. in Montanis Sylvis Auſtriæ,Stiriæ, viciniarumque ſylvoſis locis, atque etiam in Pannonia interamni ſponte magna copia provenit. Clus.

Violam Lunariam majorem alteram & Cam. C. B. quam præcedente minorem & flore albo eſſe ſcribit, à ſequente Planta non differre puto, nihil tamen temere affirmare auſim. J. Bauhinus Lunariam majorem aliam flore albicante odorato perennem Cam. hort. ſequentis Plantæ Synonymam facit.

Vires. Calido,acrique & amaro guſtu eſt,præſertim ſemina,ſed tamen radices in acetariis ut Rapuntia manduntur. Abſtergit, modice calfacit, & urinam ciet ut Rapunculus. Pulvis ſeminis amariſſimi cum aqua appropriata exhibetur in Epilepſia. Cam. Schvvenckt.

Quidam in Helvetia Chirurgus ex Lunariæ perennis contuſis foliis & ſanicula parabat unguentum vulnerarium non contemnendum. Idem. RAIUS.

VIOLARIA, vid. *Viola*.

VIPERA.

Viperæ deſcriptio vid. ſub titulô SERPENS, ſeu SERPENTINUM GENUS.

Hic itaque tantùm poſt figurarum Tabulis XXV. XXVI. & XXVII. delineatarum explicationem, de hujus animalis, viribus atque præparationibus ex SCHRODERO &c. paucis agemus.

XEPLICATIO EORUM QUÆ CONTINET TABULA XXV.

AAA. *Deſignat Viperam fœminam catulos ſuos excludentem, ac in ventrem obverſam, ubi conſpicua ſunt majores ſquamæ, quibus ad ſerpendum utitur.*

BBBB. *Quatuor Viperei catuli, in unoquoque Tabulæ angulo, involuti depicti, eodemque ſitu & poſitu quo ipſos vivos conſpeximus, & exitui proximos: Quorum duo involucro carent, alter propria tunica obvolutus, tertius ſecundinæ portionem umbilico appenſam trahit.*

CCCC *Quatuor alii Viperini fœtus, intra circulum à Vipera efformatum; quorum unus ſerpere videtur, à ſecundina liberatus. Secundus hanc adhuc ex umbilico pendulam gerens: Tertius è latebra emergens ac ſecum ſecundinam trahens; eo videlicet in ſtatu qui nativitati proximus fuit.*

DDD. *Pars corporis Viperæ fœminæ per ventris longitudinem, diſſecta; ſcilicet ab eô locô in quô ſita eſt veſicula fellis ad orificium uſque uteri.*

E. *Fel.*

F. *Pancreas, à plurimis Lienis nomine donatum.*

G. *Fundum Ventriculi.*

H. *Principium Inteſtinorum.*

IIſ. *Ova in ambobus uteri cornubus contenta, ſed majori multo numero in latere dextro quam ſiniſtro.*

K. *Portio poſtremi Inteſtini.*

MM. *Ambæ perulæ, contiguæ principio amborum uteri cornuum.*

NN. *Portio utriuſque Renis.*

EXPLICATIO EORUM QUÆ EXHIBET TABULA XXVI.

AA. *Prima pars dimidiati corporis Viperæ maris excoriati, reſupinati & ſecundum ventris longitudinem diſſecti ab uno ad aliud extremum, continens.*

BB. *Tracheam Arteriam.*

CC. *Pulmonem.*

D. *Thymum glandulam.*

E. *Cor.*

F. *Hepar.*

G. *Venam Cavam.*

HH. *Oeſophagum.*

I. *Ramum Arteriæ Aortæ aſcendentis.*

L. *Ramum Arteriæ Aortæ deſcendentis.*

M. *Ventriculum.*

N.N. *Alterum dimidiatum corpus, eodem quo prius in ſtatu, comprehendens in ſe.*

O. *Fundum Ventriculi.*

P. *Veſiculam Fellis.*

Q. *Pancreas, vel ſi mavis, Lienem.*

RRR. *Inteſtina.*

SS. *Teſticulos una cum Epidydimide.*

TT. *Vaſa ſpermatica.*

VV. *Renes.*

aa. *Maris cauda, cui adnexæ ſunt ſunt partes ſubſequentes.*

bb. *Uterque Penis, quo modo tempore coitus erumpunt.*

cc. *Ambæ Paraſtatæ, aut Receptacula ſeminis.*

dd. *Ambo vaſa ſpermatica.*

ee. *Ambo Teſticuli.*

ff. *Ambæ Epidydimides.*

ggg. *Inteſtina.*

hh *Ambo Renes.*

ii. *Cauda fœminæ, cui adjuncta ſunt partes ſequentes.*

ll. *Orificium uteri.*

mm. *Ambæ perulæ.*

nnn. *Duo corpora uterina.*

oo. *Ambo Teſticuli, una cum Epidydimibus & vaſis ſpermaticis.*

pp. *Inteſtina.*

qq. *Ren uterque.*

rr. *Maxima pars corporis lacertæ, ejus longitudinis & magnitudinis, quâ per vomitum excluſa fuit à Vipera jam ante plures dies capta.*

ſſ. *Reliqua capitis pars, & crurum anteriorum ejuſdem lacertæ, eodem egeſta tempore.*

tt. *Oeſophagus, in quo cohibita fuerat pars maxima corporis lacertæ.*

uu. *Ventriculus qui exceperat, & paulatim ad ſe allexerat ſubſtantiam reliqui corporis prædicti animalis.*

EXPICATIO CONTENTORUM TABULA XXVII.

A. *Sceleton Viperæ integrum.*

B. *Caput cujus os occluſum, cum colli parte depictum.*

C. *Caput, cujus os ex parte hiat, parte laterali excoriatum, ubi occurrunt Glandulæ Salivares, una cum vaſis Lymphaticis, ſupra majores dentes.*

D. *Caput collo nudatum, ore patulo deſignatum.*

E. *Aliud caput ſine collo magis hians, cunctas partes interiores diſtinctè exhibens quæ depingi poſſunt.*

F. *Cranium Viperæ integrum.*

G. *Pars inferior iſtius Cranii ablata.*

H. *Glan-*

H. *Glandulæ ſalivares Conglomeratæ, una cum vaſis propriis Lymphaticis depictæ, naturalibus paulo majores quo meliùs innoteſcant, quàm ſi in naturali ſuâ exilitate exprimerentur.*

I. *Eædem Glandulæ Salivares. Oculi ambo cum nervis opticis. Cerebri corpora quinque cum medulla ſpinali, cohærentia, à Cranio liberata, ſuperna ſua facie depicta.*

L. *Eadem corpora conjuncta, ſed facie inferiori exhibita.*

M. *Varii Dentes majores, quidam ſolitarii, alii intra veſicam reconditi: alii quibus adſtant dentes ſubſidiarii, inferius intra eandem veſiculam infixi.*

N. *Maxilla ſuperior, Oſſiculo cuidam coarticulata, quod altero extremo coarticulatur radici majoris dentis.*

O. *Maxilla inferior, ex duobus oſſibus conſtituta, coarticulata oſſi inferiori claviculæ cubiti in morem inflexæ, deducta ex parte laterali poſtica cranii.*

P. *Pulmo una cum Aſpera arteria extra corpus.*

Q. *Cor intra pericardium.*

R. *Jecur in duos lobos diviſum mediante vena Cava.*

S. *Veſicula* Fellis, *una cum vaſe ſuccum in inteſtinum deferente.*

T. *Pancreas, à quibuſdam pro Splene acceptum.*

V. *Inteſtina.*

Viperis ſolis peculiare eſſe volunt, vivum fœtum parere, unde & Viperæ, quaſi Vivipara dictæ ſunt, attamen & in ſerpente ſat magno, quem in Finlandia ſecui, fœtus vivos deprehendi.

Non tota Vipera venenata ac lethifera eſt, ſed ſolum caput & fel, reliqua ut caro, epar, oſſa veneno carent, vide ſupra de Serpente.

Præſtat: 1. Fœmellæ, collectæ tempore Verno, poſtquam aliquamdiu à cavernis ſuis hybernis fuerint egreſſæ, victuque quadantenus refectæ

2. Juvenculæ, (non effœtæ, nec gravidæ,) quæ ablatis partibus auferendis, diu adhuc moventur, quæque degunt locis aridis & montanis.

Vires. *Vide in ſerpentum deſcriptione.*

Nimirum:

Vires ibidem recenſitas præ aliis ſerpentum generibus Viperæ excellenti gradu obtinent. Præter eas ſunt qui Viperæ caput ad anginam notham commendant (*collo appenſum.*)

PRÆPARATA.

1. *Oleum ex Viperis.*

℞. Viperar. nigrar. ℔ i i j. Ol. Seſamin. ſextarium. j. ß. in vaſe vitreato anguſti oris probè obturati, ne vapor inde exhalet, incoquantur, donec caro ad oſſibus decidat, dein cum refrixerint, reponantur. Andernacus.

N. *Alii per deſcenſum eliciunt ex Viperis ſcilicet capite, cauda, &c. orbatis.*

Vires. *Cutim exterget & impetigines, aliaque id genus vitia ſanat.*

2. *Sal Theriacale, vide Diſpenſ. Auguſt. & ſi placet Querc. in Phar. Reſt. Aëtium & Galenum.*

3. *Trochiſci de Viperis v. Diſp.*

N. 1. *Sunt qui Theriacam de Cecula (Cæcilia Blindſchleich, The Blinde VVorm,) confecerunt, ſummoque cum ſucceſſu tempore peſtis ad ſudorem eliciendum ſemel ac iterum propinarunt. Geſn. de Serpent. Schvvenckfeld ex Platero.*

N. 2. *Fieri poteſt & vinum viperinum (id eſt, in quo Viperæ interfectæ ſunt,) ad Elephantiaſin celebre (bibitum) Galen.*

4. *Pulverem alium egregium reperies in Pharm. Poterii.*

5. *Eſſentiam Viperarum in Myroth. Fabri.*

6. *Alcohol. Viperarum deſcribit Burggr. in Biozlychn.*

Sal Viperarum volatile ☍. *Spiritus & Sal fixum. & fixatum.*

Viperæ exiccatæ, conciſæ ac leviter contuſæ unà cum Epate & Corde, indantur in ☊m loricatam uſque dum impleatur, ☊la in vas recip. amplum gradatim. Exhibet phlegma & Spiritus, hinc ſal volatile undique lateribus recipientis, colloque ☊ adhærens, tandem ☍ fœtidum & craſſum, quod chartâ ſeparandum. Exemptum v. ſal volatile purificetur in phiolâ ſatis longa cum amplo, ſi placet ✗✗ ſublimando per arenam moderato △ ne aquoſitas aliqua ſalem ſequatur, quod aucto △ contingere ſolet. Salis hujus partes ſublimes reliquis ſunt odoris penetrantioris, idcirco in ✗✗ optimè clauſo cuſtodiantur.

Medicamentum ſummè penetrans, putredinem arcens, in toto corpore obſtructiones reſerat, febres reſolvit omnes, & quartanas, ſi hora 1. vel altera ante paroxyſmum propinetur in liquore appropriato, qui acrimoniam ejus nonnihil obtundere, non tamen obſtruere valeat, utpote in emulſion. ſem. melon. vel amygd. d. additâ portiunculâ ▽æ roſar. vel cinam. & ſacch. alb.

Doſis g. ad ℈ß.

Figitur eodem modo, quo ſal volatile microcoſmi, niſi quod loco Sp. proprii ex ſale fixo, (qui paucus eſt in viperis & ex ☠ elicitur) ſumitur Spir. Sal. com.

Vires. *Sic fixatus medicamentum eſt immutabile totum corpus permeans reſolvit enim excrementa quæcunque, eaque abſtergit inſtar ſaponis, ubicunque locorum adhæſerint non aſſimilata, ut facilè commodè à materia repellantur: vel per ſudorem, inſenſibilem tranſpirationem, aut quod plerumque fieri ſolet per ⊡ propterea in melancholia quacunque, podagra, renum calculo & veſicæ obſtructionibus viſcerum omnibus ac putredine præſtantiſſimum eſt remedium. In deperditis viribus pertingit ad loca affecta, naturam confortat, adjuvat purgando ſe & reſolvendo excrementa naturæ contraria.*

Doſis ℈ß. ad ℈j.

Eſſentia Viperarum.

℞. Jecinora & corda Viperarum N. 100. exiccata & contuſa cum V̈ rectif. ♄ ♀ (3. vel 4.) digere, extrahe ſ. a. Junctis deſtillationibus adde (ad ℔j. Eſſentiæ) Salis volat. ℥j. fixi ℥ß. Digere ut optimè uniantur, adhuc ♂ uno atque altero, & habebis ſummum quod à Viperis ſeparari poteſt medicamentum.

N. *Uſitatiſſima hæc medicamenta ſunt in Italia, magnoque cum ſucceſſu & ægrorum applauſu adhiberi dicuntur.* SCHRODERUS.

Vipera.) Quaſi Vivipara, quia vivum fœtum parere dicitur. Nulla tamen eſt differentia inter *has viperas & Serpentes* ratione virium, ut ſupra monuimus. Et in Serpentibus etiam vivi fœtus deprehenduntur.

N. Vide obſervationes de viperis Franciſci Redi Nobilis Aretini ex Italicâ in latinam tranſlatas.

N. *Non tota vipera venenata, ſed ſolum Caput & Fel. &c.*) Unde & *D. Autor* ſuprà ſcribit, ſi quis dentibus viperæ etiam jam dudum interemptæ pungatur, veneno infici. Verùm quod non denti viperarum, neque humori illi bilioſo ſalivali, qui in veſicula dentium baſi adhærenti continetur, virus venenoſum inſit, hoc Patavii ſequenti modo aliquot retrò annis detexerunt Medici curioſi. Caudæ ſcilicet canis currendo ſe primum exercentis recens ex vipera non incandeſcente extractum dentem inflixerunt, à quo nec tumor, nec dolor ullus eſt ſubortus. Altero die bilioſum humorem in veſiculâ

ſiculâ concluſum eidem obtulerunt, verum nec quicquam inde vitæ periculi emerſit. Ultimo caput jam detruncatæ viperæ ad caudam canis applicuerunt, quod diductis irâ œſtroque maxillis confeſtim caudam dentibus ſuis transfixit, ut non modo clamor ſubortus, & ejulatus in cane fuerit, ſed & tumor, dolor, & convulſiones horrendæ ſucceſſerint, finemque vitæ paucorum horarum ſpatio induxerint. Ex Communic. *D.D. Theodor. Schenckii P. P. Jenenſ. p.m.* Ex quo patet Caput & bilem in viperis demortuis non eſſe venenata, ſed in vivis venenoſam oriri ab accenſâ voluntate nocendi per iram imaginem, Modernorum tamen Italorum experientia & curioſitas patefecit, ut D. Redi Archiatri Florentini, in viperis liquorem ſalivalem in dentium veſiculis contentum expreſſum in quovis liquore adſumptum innoxium eſſe, ſin verò vulneri vel levi cutis inciſuræ illinatur, ſeu ex viperâ vivâ ſeu ex mortuâ fuerit deſumptus, mortem inferre, unde *Cornelius Celſus* venena animalium non potu, ſed vulnere nocere docet.

Præſtant 1. *Fœmellæ collectæ tempore verno &c.*) Nihil refert, ſive Maſculi, ſive fœmellæ fuerint, modò non ex locis paludoſis, metallicis exhalationibus infeſtis, ſed è montanis optimis vegetabilibus luxuriantibus capiantur. Has colligendi opportunum tempus eſt Vere finiente, nondum tamen æſtate incipiente: vel ſi Ver quoad magnam ſui partem hyemale fuerit, circa principium æſtatis non multo poſt Pleiadum ortum. Et eo tempore etiam, quo Libero Patri Sacra fiunt, vindemiæ ſcilicet tempore.

Viperæ excellentis gradus obtinent &c. Verùm inter has & Serpentes nullam ratione virium agnoſcimus differentiam, ut ſupra oſtendimus.

Vires.) Vipera ſimul renovandi ac reſtaurandi pollet facultate, ex quâ balſamum contra quælibet venena eſt eliciendum & propinandum. Quicquid enim ſe renovat balſamo aliquo, illud etiam aliam Naturam eodem balſamo renovat. Ubi virus, ibi etiam eſt virtus. *Nollius in Syſtemat. Hermet. Medic. cap. 9. p.32.*

Hîc præterire nequeo Modum illum leproſos per viperas curandi in Italia uſitatum, quem recenſet Kircherus in Arte Magnetic. lib. 3. part. 7. de Medicinal. magnetiſmo. Et Caspar. Ens de ſingul. in Italiâ inveniendis, quæ curatio cùm admodum curioſa ſit, huc afferre lubet. Æger ſcilicet præviis purgationibus primò depoſitus in ſpeluncâ ſupra ſtratum exponitur totus nudus, qui vix ingreſſus ſtatim ex evaporatione halituum calidorum in ſudorem reſolvitur, ſudorem ſomnus ſequitur, & dum ita ſomno ſopitus, immotuſque jacet æger, viperæ ex cavernis ſuis ſudore allectæ egredientes, totum dormientis corpus ſpiris ſuis implicant, illud innoxie lingendo ſtringendoque, quæ tamen ad minimum motum aufugientes latibula quærunt. Neceſſe igitur eſt, ut æger corpore immotus jaceat, hinc aliqui, tum ut cura conducibilior ſit, tùm ne viperarum aſpectu linctuque terreantur, opio poto ſpontaneo ſopore ſtupefiunt: ubi verò duabus, tribus, aut quatuor horis ita jacuerint, ii, qui curam ægri habeant, è Speluncâ erutum, veſtimentiſque indutum in vicinam Fumarolæ domum introducunt; ubi poſtea requie captâ, variis confortativis reficitur, duratque hæc cura, donec intentus ſanitatis effectus fuerit inſequutus. Hæc Kircherus, qui hujus rationem unice in exhalationes minerales, ſalubres & ſuaveolentes refert; Attamen potior curatio eſt viperis accepta referenda, quæ ſanioſos humores ex ægro dimanantes lambunt, & unà cum ſpiritibus effluviis emanantibus exſugunt hæc effluvia & ſpiritus morboſam conſtitutionem producentes viperæ vi ſuâ balſamicâ & alexiteriâ corrigunt, & per magnetiſmum ac mutuum conſenſum una ſpiritus reliquos corpus informantes ſanant.

Præparata.

1. *Oleum ex Viperis.*) *Oleum Seſaminum*, hoc eſt, quod ex Semine Seſami exprimitur, quod ex Siciliâ & Cretâ adfertur, de quo ſupra *vide lib.* 4. commendatur externe contra porriginem ſeu furfurationem. vid. *Zacut. Luſitan.* in *Praxi Medic. admir. obſ.* 2. Et omnes cutis affectus. Idem *Lib.* 1. *de Medicor. Princip. hiſtor.* ult. 84.

2. *Sal Theriacale &c.*) De hoc *vid. Clar. Zvvelfer. in animadverſ. ad P. A. p.* 273. *D. Tackenium in ſuo Hippocrat. Chemic. cap.* 2. *&* 11. *D. Luc. Schrœck. in P. A. R.* p. 269. & ſeq.

3. *Trochiſci de viperis &c.*) Hiſce melius ſubſtituuntur pulveres viperarum aut ſerpentum rite præparati vid. *Zvvelfer.* l. c. Pharmacop. Reg. p. 150.

4. *Pulverem alium egregium reperies.*) in *Pharmacop. Poterii & Cl. Zvvelfer.* l. c.

5. *Eſſentiam viperarum.*) Alias Eſſentias *vide in Zvvelfer.* l. c. p. m. 214.

Sal Viperarum volatile, ol. ſpiritus & ſal fixum & fixatum.) Conficitur, ut reliqua alia animalium volatilia. Hoc per ſe uſurpatum majoris eſt energiæ, atque illud quod cum ſpir. ſalis, vitrioli aut Terra foliata tartari præparatum eſt, tunc enim aliam planè induit naturam, & magis diureticum, quàm diaphoreticum exiſtit. Nil profuiſſe vid. ſupra lib. 4. de Cibo.

Niſi quod loco ſpiritus proprii ex Sale fixo &c.) Ex Cap. mort. viperarum planè nullum Sal fixum elicitur, quare nec ſpiritus inde proprius præparari poteſt. Nullæ enim animalium partes poſt illarum deſtillationem Sal fixum relinquunt.

Vires. Sic fixatus Medicamentum eſt immutabile.) cum aliis etiam ſalibus volatilibus urinoſis procedit, ut ſp. ✻. CC. Cruoris cervi, humani &c. quæ vel per deſtillationem vel aliorum additionem, ut Salem Tartari, CC. uſt. &c. inde iterum ſeparari poſſunt, & puriora evadunt. Cum arcano Tartari Sal viperarum volatile fixatum egregiam præbet Medicinam in Malo hypochondriaco, podagra, calculo &c.

Eſſentia viperarum.) ſi ſp. vini ſubſtituatur Sal Tartari volatile & hoc ipſo extrahatur mediante digeſtione, melius ſuccedet. Omiſſo Sale fixo, quod in rerum natura non eſt. *Hofmannus.*

Hactenus de Viperæ viribus ejuſque variis præparationibus è *Schrodero* ac *Hofmanno.* Jam nos hic addemus quædam de fabrica peculiari ſalis viperarum volatilis eleganiſſimi ſanè ac non ingrati cujus innumeros uſus experti ſumus, verùm alias de eo dicendi locus. De hujuſce autem ſalis volatilis ut & aliorum omnium quocunque demùm, ac vulgari etiam artificio, è vipera proſectorum, in iis qui ab iſto animali commorſi ſunt, curandi, vi verè ſpecifica vid. in Bibliothecæ noſtræ Medico-Practicæ Tom. 4. pag. 855. ut & præcedentibus, ubi etiam fusè ſatis diſſeruimus de Viperarum veneno, de hujus ſcaturiginibus, operandi ratione & effectibus. Juſcula viperina quod attinet tabidis, febribus lentis conſumptis, ac ipſis etiam qui ſenio confecti ſunt & languidis, tantopere, ac non minùs quàm in variis cutis affectibus, utilia; de iis nihil hic adjicimus quandoquidem eorum præparatio ſatis omnibus nota eſt.

VIPERINA VIRGINIANA.

Quæ ad nos adfertur eo nomine inſignita, eſt *Vincetoxici Virginiani* radix tenuis, fibroſa, vulgari, candidior, plures ex uno capite dependentes fibrillas emittens, ſaporis incidentis, aromatici, ſubamaricantis, odoris vincetoxico vulgari fragrantioris & gratioris.

Naſcitur in Novâ Angliâ; vires ejus fortiores ſunt

S ſſſ quam

quàm Vincetoxici vulgaris: Specificè pellit febres quartanas, & hinc cum feliciſſimo ſucceſſu in iiſdem profligandis uſurpata fuit à D. Talbot in Curâ Gallicâ, cujus remedium adeò celebratum fuit: ſcilicet,

♃ Vincetoxici Virginiani ℨj. urtic. Peruviani ℨiß. macerentur in vino Hiſpanico & exhibeantur paulò ante paroxyſmum. *Hermannus in Materia Medic. manuſcr.*

Hanc plantam Clariſſ. Raius Botanicus magno ſuo merito verè celebris ex judicio Thomæ Johnſoni qui eam in horto Joh. Tradeſcanti prope Londinum cultam & florentem viderat, non ad vincetoxicum, ſed ad Piſtolochiam Creticam *Caſp. Bauh.* eò quòd ejus omnes notas characteriſticas poſſideat, refert. Circa odorem autem nobis viſa eſt hæc planta ad valerianarum odorem, & præcipuè ad illam ſpeciem quæ Valeriana Alpina prima dicitur accedere. Vires in affectibus Epilepticis, & omnibus propè nervoſi generis morbis ac ipſis etiam febribus tum intermittentibus, tum malignis non ſemel experti ſumus.

VIRGA AUREA.

De eâ vid. Tab. XXVIII. hic adjectam.

Virga aurea à forma & floris dicta, Aſteris genus videtur, floribus parvis aureis, plurimis in ſummis caulibus in thyrſos aut corymbos, umbellaſve congeſtis.

Nomina. Virga aurea *Ger.* aurea vulgaris *Park.* aurea vulgaris latifolia *J. B.* aurea anguſtifolia minus ſerrata *C. B.*

J. B. Geniculatim hujus incedit radix, obliquè per terram acta, fuſca, frequentes demittens fibras, albicantes, ſapore aromatico. Caules tecti & rigidi, duos aut tres circiter cubitos alti, ſtriati, ſubhirſuti, medulla fungoſa farcti. Folia tum à radice, tum in caule, & hæc quidem alternatim, longis pediculis appenſa, interdum nullis aut perquam brevibus donata, quorum quæ ima ſunt, palmum fere lata exiſtunt, duos circiter longa (in noſtris regionibus eam longitudinem & latitudinem non aſſequuntur) ſuperiora minora atrovirentia, utraque hirſuta & per ambitum ſerrata. Flores tum in ſummo caule, tum in pediculis peculiaribus ex foliorum alis exortis frequentes inſident Doriæ vocatæ floribus ſimiles, lutei, in pappos evaneſcentes.

In ericetis ac montoſis ſylvis & ſaltubus frequens oritur. Auguſto menſe floret.

Variat foliis (ut rectè *C. B.*) quæ ſæpe ſine crenis, aliquando ſaltem minus conſpicuis ſerrata ſunt.

Vires. Vulneraria eſt è celeberrimis intrinſecus & extrinſecus adhibita, ipſi etiam ſolidagini ſaracenicæ præferenda in vulneribus internis (inquit C. Hofmannus) prodeſt ſubductione ichorum per urinas. Quod enim notarunt ſummi viri pleræque omnes potiones vulnerariæ ſunt diureticæ: & pugiles ſolent in potu ordinario valerianam ſumere, quæ inter diuretica familiam ducit: in externis juvat exſiccatione & abſterſione, quibus qualitatibus valde excellit.

Lithontriptica diureticaque eſt non è poſtremis omnium conſenſu è calculo primam experientiam habuit Villanovanus, qui in pulvere uſurpavit: & celebrat in hoc affectu Barclaius Argen. & Euphorm. Doſ. ℨij. in vino albo calido quoque mane ſumptæ.

Inſigni vi abſterſoria dotatam eſſe ait Hofmannus: hinc tantæ ipſius laudes in viſcerum obſtructionibus, ad hydropem jam inclinantibus, ut diu in ſecretis fuerit habita in decocto. Ad fluxus tamen omnes alvi & uteri ſiſtendos, necnon hæmorrhagias internas commendatur, quæ adſtrictoriam potius quam abſterſoriam eſſe arguunt, niſi forte exſiccatoria vi hæc præſtet, quam omnes ei attribuunt.

VIRGA AUREA ALIA, ſeu CONSOLIDA SARRACENICA.

Nomina. Solidago Sarracenica *Dod. Lob.* Sarracenica vera, ſalicis *Park.* Virga aurea anguſtifolia ſerrata *C. B.* aurea Anguſtif. ſerrata, ſive ſolidago ſaracenica *J. B.*

J. B. Bicubitalis eſt hæc & tricubitalis, caulibus ſtriatis, glabris: ex quibus alternatim folia naſcuntur palmum & ſeſquipalmum longa, unciam unam aut duas lata, ſimilia fere foliis ſalicis auriculatæ, Doriæ inſtar per ambitum cremata, ſed tenuiora, glabra, non hirſuta ut in vulgari ſapore quodam aromatico prædicta, calidiuſculo. Flores non ſecundum caulem ut in virga aurea vulgari, ſed in extremis ſurculis, ut in Doria, ut umbellam quodammodo mentiantur, lutei, foliis longiuſculis ternis vel quaternis conſtantes, floſculis confertis in pappos reſolvendis medium obtinentibus.

In foſſis prope Argentoratum in Germania, inque ſummis jugis montis Juræ collegimus; J. Bauhinus in monte Rosberg prope Maſmunſter.

Floret Septembri atque etiam Octobri. Conſolida ſive ſolidago à conjungendis vulnerum labris Turcis & Saracenis dicta eſt. Lugd. ad eadem valet ad quæ virga aurea, cujus etiam ſpecies cenſetur. *Raius.*

VIRGA PASTORIS.

Dipſacus Δίψακος, id eſt ſitibundus nomen à contrario inveniſſe dicitur, quoniam cohærentium foliorum ſinu concavo rorem vel imbrem recipiat, quo velut ad ſitis injurias abigendas utatur. At Voſſius Etymologias haſce per antiphraſin rejicit & explodit. Labrum vero Veneris à foliorum etiam poſitu, pelvis vel lavacri ſpeciem conſtituente, humorem faciei nitorem concil antem continente.

Nota generica ſunt caules ſpinoſi, floſculi ſquamis disjuncti, ſinguli ſingulis ſeminibus inſidentes in capitula congeſti flores compoſitos imitantia.

Vires. Radicis hujus uſus eſt in rhagadibus ani conſolidandis (decoctæ in vino) commendatur & in verrucis abigendis.

Aqua quæ in concavo foliorum reperitur caliginoſis & rubentibus oculis prodeſſe creditur: eadem maculas faciei emendat & exterit. Mulierculæ formæ ſtudioſæ uſum ejus optime tenent. Trag. à noſtratibus ad verrucas abigendas commendatur.

Hujus ſed præcipue ſequentis, ſingulis capitulis ſinguli vermiculi, quos idcirco non immerito ſolitarios dixeris non raro innaſcuntur, Mouffetto in ſect. theat. lib. 1. cap. 20. deſcripti.

Hos impari numero pennâ anſerinâ incluſos febre quartanâ laborantium collis amuleti aut remedii loco appendere vulgus noſtratium ſolet. Sunt autem amphisbæna hæc animalcula, & caput tangentis digitum retrorſum incedendo propere devitant. Deſcriptionem vide in Cat. Cant.


Præcipuus uſus capitulorum dipſaci eſt ad pannos depectendos.

Scrofulas ſanat carduus fullonum: in genere ſpecifica qualitate omni putredini reſiſtit, & eſt medicina cibalis & ſapida. Coctus in vino purgat per urinam non ſecus ac aſparagus. D. Soame ex obſerv. Marc. Cumani à Velſchio editis.

Phthiſicis etiam quodammodo deſperatis experimento Guidonis Helidei & Henrici Stromageri Chirurgi mire proficuum comperi radicum cardui fullonum tuſam & melle exceptam. Idem ex obſervat. Achillis Gaſſeri.

Si mulieres laborant appetitu depravato laudat Ægineta aquam virgæ paſtoris potatam, & præſertim poſt cibum. D. Soame è Dolæo. *Raius.*

VIR-



VIRGA SANGUINEA.

Nomina. Cornus fæmina *Germ. C. B. Park.* Cornus fæmina putata, virga ſanguinea *J. B.*

J. B. Ex fruticum familia eſt quam Cornum fæminam vulgo vocant, multis ſtolonibus luxurians, ramis plurimum oppoſitis, cortice ſpadiceo, ſed ramorum ſanguineo, odore vinoſo prædito, materia alba & dura. Folia ad corni ſativæ quam proxime accedunt, atrovirentia, nonnunquam rubore aſperſo bina ex oppoſito naſcentia. Flores in umbella gerit odoratos, candidos, quatuor foliis radiatis conſtantes: in medio oblique ſurgunt totidem ejuſdem coloris ſtamina, ſtylo recto ſubviridi. Baccæ hederaceis vel juniperinis pares ſanguineis petiolis appenſæ, primum virides, per maturitatem nigricant, lacunâ in umbilico parva perfoſſæ, in quibus oſſiculum pulpa virente, acerba, inſuavi, nec fine amarore immerſum, ſtriatum, nucleum continens album amarum. Ligni materies, autore Matthiolo dura oſſeaque corno minime cedens, virgis corno tenuioribus, robuſtis nodoſis, cortice ſanguinis modo ruſeſcente.

Cæſalpino fructus niger, ut in liguſtro rotundus, oſſe binas cavitates habente, in quibus ſingula ſemina continentur.

In ſepibus & ſylvis ſeu frutetis paſſim provenit tam in Anglia quam in exteris regionibus. Æſtate floret, baccæ Septembri maturantur.

Lignum lanionibus ad verucula conficienda in frequenti uſu eſt; nam durum admodum eſt & renitens, ideoque carnes facile penetrat exacutum. Tragus ad utenſilia & ruſtica inſtrumenta, potiſſimum vero ad carros pertinentia conficienda experti ſcribit ob durabilitatem.

Camer. tradit Italos ex hujus ligno aquam ſtillatitiam elicere, quâ ſolâ ſtrumas (ſi qua id fieri poſſit ratione) penitus diſcutiant; ſin minus maturare parum & diminuere.

Fructum inguſtabilem omnibus animalibus producit cornus fæmina. At Cæſalpinus à turdis multum experi aſſerit: cui contradicit Dodonæus, baccas ſapore ingratas, & volucrem nulli deſideratas eſſe ſcribens.

Ananienſia rura in agro Tridentino oleum ad Lucernarum uſum conficiunt è cornus fœminæ baccis decoctis primo in aqua deinde Torculari expreſſis. Matth.

In demorſis à cane rabido eundem habere effectum dicitur hujus lignum quem habet corni maris.

Modeſtinus in l. penult. ff. ad legem Pompon. de parricidis, antequam ſacco parricidæ inderentur, oſtendit in more fuiſſe poſitum, ut virgis ſanguineis cæderentur, nempe ex hac arbore ſumptis, non, ut quidam legunt, ſagmineis, aut, ut alii interpretantur ſanguine rubentibus, quoniam infeliciſſimum haberetur & maxime infame. Magius, & ex eo Delechamp.

Hinc fortaſſe veteribus virga ſanguinea dicta eſt hæc arbor: ni potius quod virgæ ejus magna ex parte rubeant ſanguinis inſtar. *Raius*.

Viride Æris, vid. *Ærugo*.

VISCUM.

Viſcum ſeu *viſcus* ab Æolico *βίσκος* pro *ἰξός*, quod idem ſignificat. Latini Æoles ſequuntur, unde eſt quòd ii non tantum aſperum ſpiritum in V. convertunt quo modo ab *ἕσπερος* eſt veſper, ſed & lenem, ut in *οἶνος* vinum, *ἐμῶ* vomo, *ἰταλὸς* vitulus, *εἴδω* video, *ἔαρ ἦρ* ver, *οἶκος* vicus, *ἴν ἰνὸς* vena, *ἴς* vis, aliiſque quæ apud Caninium legi poſſunt.

Viſcus eſt planta paraſitica, ſeu frutex arboribus aut fruticibus aliis innaſcens, baccifera, monopyrenos.

Vires. Viſcum ad aucupia ex hujus fruticis baccis tum olim tum etiam nunc dierum aliquibus in locis parabatur, poſtea contundunt & tandiu lavant in aqua quoúſque furfuracea excrementa eximant Paratur optimum ex caſtaneæ viſco. Quod apud nos in uſu eſt viſcum è cortice Agrifolii fit. In Damaſco è myxis ſive ſebeſten paratur. Quod Venetias inde tranſvehitur.

Viſcum ſeu gluten ad Aucupia paratum multi apud veteres in Medicina uſus erat. Vim habet emolliendi & diſcutiendi tumores, parotides & abſceſſus reſinæ parique ceræ admixtum: Epinyctidas quoque in ſplenio ſanat. (Strumas ſiccat, comitialibus medetur. Plin.) reliqua vide apud Dioſcoridem, Plinium & Galenum.

Ligni uſus præcip. & ſpecific. in Epilepſia. Præſcribitur etiam contra apoplexiam, & vertiginem, tum intus epotum, tum vero collo appenſum: quibus in morbis multum præſtare tum veterum tum recentiorum Medicorum unanimis eſt ſententia. Scimus quoſdam (inquit J. B.) viſci ligno in vino macerato non inutiliter uſos contra vertiginem, Pulvis viſci (maxime quercini) non Epilepſiæ tantum medetur, ſed & menſes movet. Arcanum etiam eſt contra pleuritidem ſemel atque iterum & tertio in aqua cardui & papav. exhibitus. *D. Bovvle*.

J. B. Contuſum & aquis convenientibus maceratum adverſus vermes inteſtinorum, in pueris aliquos ſuaſu ſuo uſos ſcribit.

Viſci oxyacanth. innaſcentis pulvis vino albo aut Hiſpanico infuſus, & duabus ante paroxyſmum horis exhibitus, doſi ſubinde repetita ſi opus fuerit, febrem quartanam non raro fugat & perfecte ſanat.

Commanducatæ fruticis frondes & depaſtæ à jumentis & vaccis à ruſticis noſtris ad ſecundas remorantes ejiciendas utiles cenſentur.

Quod viſcus quercinus præ aliis in honore & pretio ſit, Druidum ſuperſtitioni tribuendum, autumo, qui viſco & arbore in qua naſcebatur, (ſi modò ea quercus fuerit) nihil habuere ſacratius. Plin. lib. 16. cap. 44. aiunt & Druidas ſolitos fuiſſe per adoleſcentes ſuos viſcum ſuum anni principio mittere, quo viſo clamarent omnes annum eſſe novum: atque hinc manaſſe quòd juvenes hodieque anni principio oſtiatim diſcurrentes, ſtipemque carmine poſcentes appellent id *aguilaneuf* quaſi *à gui l'an neuf*, id eſt, ad viſcum annus novus. Voſſ. Etymolog. fæcunditatem eo poto dari cuicunque animali ſteriſi arbitrantur Druidæ, contraque venena omnia eſſe remedium. Plin. apud quem plura vide.

Eſt viſcum corylinum in epilepſiis & aliis capitis affectibus longè efficacius quercino: ſed non naſcitur in corylo niſi poſt centeſimum annum ex opinione Henrici ab Heers. Joh. Helf. Junchen. in Chym. experimenta l. Curioſa. p. 618. utravis utaris perinde eſſe puto. *Raius*.

Vitex, vid. *Agnus Caſtus*.

VITIS VINIFERA.

Vitis non à *vino* ut voluit Varro quatuor de L.L. ſed ut Donatus è viere, quod Feſtus alligare, Nonius interpretatur, vincere & inflectere. Sane vitis lenta eſt facileque inflectitur, unde ut ea centurionum erat inſigne, quo milites cædebant, ut oſtendit Voſſius in Etymolog.

Vinum à vi, ut quidem ſcribit Varro quatuor de L. L. Sic autem dicitur quia vim inferat menti: unde Plinianum illud ſapientiam vino obrumbrari. Aliis placet vinum dici quaſi vitinum à viti. Ego cum Voſſio in Etymologico plane cenſeo vinum dici ab *οἶνος*, *οἶνος* vero eſſe à Punico & Hebræo jain, quod & ſentit doctiſſimus Angelus Caninius. Etymolog Voſſ.

Notior eſt (inquit J. B.) vitis vinifera quàm ut deſcribi debeat, ſed gratificemur frigido ſubjectis Septentrioni: ut vel lectione noviſſe diſcant notiſſimi etiam ipſis nectarei liquoris parentem, qua nihil abjectius in-

tueri videri poſſit,alienæ opis indiga, ridicarum & pedamentarum adminiculo innitens,tortuoſo ſtipite,fuſco nimioq; cortice hiulca quæ ubi tepidiorem benignioris cæli auram ſenſit, gemmas protrudit, in pampinos poſtmodum ut familiare illis comparatione utar; lupi ſalictarii abituros minime tamen inamæna illa aſpredine horridos, ſed læto virore ſplendentes: ita uti diximus humo ſublata, capreolorum beneficio adminicula ſua complexa à contemptu vindicatum ſeſe it; floſculorum ſuaveolentium quinque fibrillis herbidis, luteoſos apices ſuſtinentibus compactilium (Cæſalpinus floſculos parvos & candidos ut oleæ ei attribuit) racemis divitem colono ſpem excitat uvarum, quas alias ne colori putes obligatam generoſitatem, ochrâ, alias rubrica, alias nigritie tinctas, aliiſve coloribus inſignes producit: tanta talique ſaporum vitiumque varietate quantam qualemque tam adverſa quam ſecunda valetudine quotidie experimur. Florem (addit Cæſalpinus) non in ſummo fructu,ſed in ſede habet,ac plura ſemina in communi conceptaculo: brevi tempore in magnam altitudinem creſcit,ita ut niſi crebra amputatione coerceatur multitudine viticularum luxurians ſylveſcat folia fert ampla, varie laciniata vi ficus, quos pampinos vocant.

Vitis Theophraſto, ut & Varroni, arbor eſt, verùm cum alienæ opis indiga,niſi in propinquo ſint quæ arripiat,humi provolvatur, arboris nomen non meretur, quamvix caudex interdum in humani cruris aut etiam femoris craſſitiem excreſcat. Priſci magnitudinis reſpectu arboribus annumerabant, qua revera arbores nonnullas vincit. Plinium attendamus id demonſtrantem, vol. 14. c. 1. Jovis ſimulacrum in urbe Populonia ex una (vite) conſpicimus, tot ævis incorruptum. Item Maſſiliæ pateram, Petaponti templum Junonis vitigineis columnis ſtetit. Etiam nunc ſcalis tectum Epheſiæ Dianæ ſcanditur vite una Cypria, ut ferunt, quoniam ibi ad præcipuam amplitudinem exeunt. Nec eſt ulli ligno diuturnior natura. Huc pertinent quæ, de earum proceritate ramorum & palmitum mira extenſione & denſitate habet. Nullo (inquit) fine creſcunt. Villas & domos ambiri ſingularum palmitibus & ſequacibus loris memoriâ dignum, una Vitis Romæ in Liviæ porticibus ſubdiales inambulationes umbroſis pergulis opacat, eadem duodenis muſti amphoris fæcunda. Ulmos quidem ubique exſuperant: miratumque altitudinem earum Aricia ferunt Legatum Regis Pyrrhi Cineam facete luſiſſe in auſteriorem guſtum vini, merito matrem ejus pendere in tam alta cruce.

De Vitium Generibus.

C. Bauhinus vitem dividit in ſativam & ſylveſtrem, ſativa (inquit) alia major eſt, cujus plurimæ ſpecies, alia minor. Majoris uvæ & colore & magnitudine differunt: alterius namque acini aut virides albicanteſve, aut fulvi, aut ſaturato rubore nigricant aut cærulei, aut ſubrubentis coloris: aliæ acinis oblongis magnitudine & forma prunorum, quæ pergulana dici poteſt: aliæ rotundis iiſque vel magnis, vel parvis: aliæ acinis ſunt frequentioribus, aliæ rarioribus. Sunt quæ granis aut vinaceis carent, interdum unicum vel alterum granum habent. Rarius uva barbata reperitur. Minor vero eſt acinis nigris,rariſſime albis aut fulvis, nucleo minimo ac molli: ſapore etiam differunt, ut dulci acerbo, muſcato, quæ Vitis Apiana Plinio.

In foliis quoque differentia eſt, alia majora, profundius inciſa ut Italica, foliis ad pediculum uſque in lacinias acutas diviſis, alia minora ſunt. Sic alia tenuiora, alia craſſiora, alia viridia, alia rubentia, alia maculata, alia ad tactum duriora, molliora, alia lævia, alia denique hirſuta. Hactenus C. Bauhinus.

De uvarum generibus breviter Plinius, uvarum genera magnitudine, colore, ſaporibus, acinis innumera, etiamnum multiplicantur Vino. Hinc purpureo lucent colore, illic fulgent roſeo, nitentque viridi; candidas enim nigerque vulgares. Tument vero mammarum more bumaſti: præ longis dactyli porriguntur acinis &c.

Genera vitium innumera & infinita eſſe non ſecus ac pyrorum & pomorum apud veteres etiam in confeſſo fuit, cum (ut recte Plinius) totidem pene ſint quot ægri, & nova in dies producuntur & uſque producentur.

Vires. Vitis viniferæ folia cum claviculis trita,& impoſita capitis dolores mitigant, itemque ſtomachi inflammationem & ardorem cum polenta. Id ipſum etiā folia per ſe impoſita præſtant, quippe quæ refrigerandi aſtringendique vim habent, Potus eorundem ſuccus juvat dyſentericos, ſanguinem excreantes, ſtomachicos, & mulieres malacia laborantes, lachryma vitium, quæ veluti gummi eſt, quæque circa illarum caudices concreſcit (in Vitibus noſtris hujuſmodi gummi ſponte exudans non invenitur) ex vino pota calculos pellit, inuncta lichenas, pſoras, lepraſque nitro affricto præparatas ſanat. Eadem cum oleo ſæpius pilis illitis pſilothri effectum habet; maximeq; liquor quem accenſa ſarmenta vitium viridia exſudarunt quo & perunctæ myrmeciæ tolluntur, Cinis autem ſarmentorum & vinaceorum circa ſedem condylomatis & Thymis illitus ex aceto medetur. Prodeſt & luxatis ac viperarum morſibus; quin & contra lienis inflammationes facit cum roſaceo; ruta & aceto impoſitus. Plures adhuc cineri & lixivio ex eo parato vires aſcribunt Botanici: verùm cum cineres lignorum eorumque lixivia non multum inter ſe differre nobis videntur, niſi quatenus ſalem fixum copioſiorem aut parciorem contineant, eas omittimus.

Uvæ ex ſententia Galeni, quemadmodum inter fructus autumnales principatum obtinent, ita fugacibus omnibus magis nutriunt, minimumque pravi ſucci habent præſertim cum exactam maturitatem ſint adeptæ. J. B. quælibet uva recens alvum turbat & ſtomachum inflat, ideoque earum eſus in febribus interdicitur: quæ vero decerpta aliquandiu pependit, propterea quòd ea ventilatione magna humidatis portio deceſſit, innocentior eſt, ac tum ſtomacho utilis eſt, tum appetentiam ciborum reſtituit, atque adeo ægris languentibuſve proficua; & alvum emollit. Cæterùm magna eſt inter uvas differentia, dulces enim magis nutriunt & corpus pinguefaciunt, ventriculum inflant & alvum ſubducunt: auſteræ è contra parum nutriunt & ventrem cohibent

Memini me alicubi legiſſe Matronam quandam Germanam toto vindemiæ tempore per unum aut alterum menſem quo uvis victitabat, nullum omnino potum haurire ſolitam, unde patet uvas ſitim reſtinguere.

Uvæ paſſæ non à patientia dictæ ſunt, ut vult Plinius, quaſi ſolem paſſæ, ſed à pando quòd ad ſolem expandantur; Monſpeſſulani uvas paſſas hoc modo parant, racemos binos hinc illinc filis ligatos vitioſis acinis forfice detractis, ferventi lixivio, addito olei paululo immergunt quoad flacceſcant tantum & corrugentur; deinde perticis imponunt ut ſicceſcant, ac poſt triduum quatriduumve inſolant ut Columella docet. J. B. uvæ paſſæ, vinaceis exemptis alvum leniunt; pectoris anguſtiæ, tuſſi, exaſperatis faucibus & renum veſicæque vitiis maxime conveniunt, unde & ptiſanis dictis immiſcentur: zibebæ dictæ h. e. paſſulæ maximæ ſeu damaſcenæ exemptis gigartis in aqua fontana vel ſtillatitia convenienti infuſæ, potum ægrotis exhibent ſatis gratum ſitique convenientem. Paſſæ Apirenæ Corinthiacæ dictæ aciditate grata commendabiles. Magis refrigerant & febricitantium juſculis utiliter incoquun-

quuntur. Gigarta vim habent adſtrictoriam, conveniuntque in vomitu & alvi fluxu, ſive intrinſecus, ſive extrinſecus adhibeantur, (torrentur ſci. ac teruntur.)

Vinacea, id eſt, ſiliquæ cum gigartis in expreſſione muſti reſiduæ, magnarum virium perhibentur in arthriticis doloribus ſedandis, ſi membrum affectum vinaceis per ſe caleſcentibus imponatur

Uvæ paſſæ calore ſuo acri & penetranti dentes & gingivas vellicant, maleque afficiunt; & frequenter comeſtæ eos ad putredinem diſponunt.

Liquor ille generoſus ex uvis ut moris eſt, calcatis vel ſponte deffluens, vel torculari expreſſus & preſſus & fermentatus vinum vocatur, quod nomen à Græco οἶνῳ factum eſt ſpiritu leni in V mutato, οἶνος autem ab Hebræo jain ut jam diximus.

Vini uſus & facultates explicare omnino ſupervacuum eſſet, cùm non poſſint non omnibus eſſe notiſſimi. Licet tamen hic inſerere obſervationem à D. Hulſe ex Antonii de Heide Centuria obſervationum quæ tertia in ordine eſt deſcriptam & ad me miſſam, ad Aphthas prætermittendum haud videtur. Quod in quibuſdam ægris aphthoſa cruſta non craſſa linguæ & palato adeò pertinaciter adhæret, ut lenientibus gargariſmatis (cil. à decocto raparum, hordei &c. quæ contra aphthas maxime conducunt, intra paucos dies abſtergeri haut potuerat, ægri licet à febre immunes eſſent, brevi tamen fugatur potu vini Gallici quia particulæ aphthoiæ ſubinde acriore ſtimulo ad ſui liberationem egent,

Genera vini veteribus celebrata recenſet Plinius lib.4.c.6. D. Auguſtus (inquit, Setinum cunctis prætulit, & ſecuti principes, confeſſa propter experimenta &c. naſcitur ſupra forum Apii (Setia oppidum eſt in colle à Teracina quinq; millibus diſſitum; hodie Zezza,) antea Cæcubo erat generoſitas, celeberrima in paluſtribus populetis, ſinu Amyclano, quod jam intercidit & incuria coloni, locique anguſtia, magis tamen Foſſa Neronis, &c. Secunda nobilitas Salerno agro erat, & ex eo maxime Fauſtiano. Exoleſcit quoque hoc copiæ potius quàm bonitati ſtudentium: Falernus ager à Ponte Campano læva petentibus Rhanam Coloniam Syllaniam, nuper Capuæ contributam incipit. Fauſtianus autem circiter 4. mill. à vico propè Cedias, qui vicus à Sinueſſa 6.millibus abeſt: nec ulli in vino major autoritas. Solo vinorum flamma accenditur. Tria ejus genera, Auſterum, dulce, tenue. Quidam ita diſtingunt: ſummis collibus Gauranum gigni, mediis Fauſtianum, imis Falernum. Non omittendum autem, nulli eorum quæ celebrantur jucundum ſaporem uvæ eſſe. Ad tertiam palmam varie venere, Albana urbi vicina prædulcia ac rara in auſtero. Item Surrentina, in vineis tantum naſcentia convaleſcentibus maxime probata propter tenuitatem, ſalubritatemque. Tib. Cæſar dicebat conſenſiſſe med cos ut nobilitatem ſurrentino darent, alioquin eſſe generoſum Acetum. Certant Maſſica æque ex monte Gaurano Puteolos Bajaſque proſpectantia. Inter Græca vina maxime celebrata fuere Maroneum in Cherroneſo Thraciæ, Thaſium, Creticum, Coum, Chium, Leſbium, Icarium, Smyrnæum, &c. inter Aſiatica Cyprium, & Montis Lybani vina. Reliqua genera vide apud Plinium loco citato, noſtri enim inſtituti non eſt omnia vini genera quorum nomina apud veteres & recentiores occurrunt denumerare. Sufficiat aliqua eorum quæ apud nos hodie in uſu & pretio ſunt breviter indicaſſe. E ſunt è Gallicis 1. Pariſinum, tenue & oligophorum, ubi bene maturum grati ſaporis & ſtudioſis aptum, *vin de Paris*, 2. Campanum *de Champagne*: omnium Gallicanorum delicatiſſimum; 3. Burdegalenſe ſeu Gravianum, 4. Vinum Burgundiacum, inter Burgundiaca autem primum locum obtinet Beaunenſe, ſecundum vulgare proverbium vinum Belnenſe ſuper omnia recenſe, 5 Vinũ albũ vulgare 5. vinum Frontinianum generoſiſſimum & Moſcatũ redolens, 7. Vina Aurelianenſia magni fiunt in Francia ob generoſitatem & ſalubritatem 8. Vinum emereticum.

Ex Hiſpanicis uſitatiſſima & notiſſima ſunt, 1. Canarinum omnium laudatiſſimum, generoſum & lene, naturæ amicum, 2. Malacenſe vetus, præcedente etiam opimius & pinguius, at ſi copioſe ſumatur caput gravans. 3. Xeranum auſterius & palato minus gratum. 4. Alonenſe, rubrum & craſſum palato quidem gratum, ad ſtomacho minus utile & caput gravans. Huic non multum diſſimile eſt genus illud quod adfertur etiam ad nos ex Luſitania vinum Portuenſe ſed rarius. Vinum Maderæ inſulæ ex majori parte in Americam transfertur. Ex Italicis pauca importantur, ex Herruria vinum Florentinum rubrum, ſtomacho commodiſſimum & in convictibus ſaluberrimum. 2. Verdea dictum itidem ex Hetruria, album dulce, & lene, magis gratum palato, quam ſtomacho utile. In Italia ipſa celebrantur, Venetiis vin. Malvaticum, Malvaſia Canarino proximum, non in Italia natum ſed in Creta inſula; Vicentinum rubrum dolce & piccante dictum. In Hetruria Faliſcinum ſive de Monte Fiaſcone, Romæ Albanum olim celebre, & de Monte Pulciano; Syracuſanum ex Sicilia inſula; Neapoli vinum rubrum lachrymæ Chriſti dictum, & vinum Græcum ad radices Veſuvii Montis ortum.

Vinum Moſchatellinum rubrum ex inſula Creta defertur.

Ex Germanicis Rhenana ſola aut non procul à Rheno remotæ originis ad nos importantur, ut Nicrinum, Rinchovianum, Machamore, Moſellanum, & Bacchαrac.

Vinum autem aliis potulentis quibuſcumque cereviſiæ, meliceratо, pomaceo, Apici, cæteriſque è fructibus factitiis tum voluptatis tum ſalubritatis reſpectu longe antecellit. Nunc dierum vina auſteriora quamvis palato minus arrideant, ventriculo tamen commodiora & cibo concoquendo magis idonea cenſentur; ut vina rubra Gallica & Florentina, quæ aſperiuſcula & ſtyptica linguæ & palato ſentiuntur; quam alba, quæ lenia & dulcia. Verum ſi omnia quæ de vinis dicta ſunt & adhuc dicenda reſtant perſequi vellem huic ſoli Hiſtoriæ non unum volumen ſufficeret. Qui plura velit legat Andreæ Baccii eruditiſſimum opus de vini generibus anno 1596. Romæ impreſſum, in quo quicquid ab antiquis & recentioribus de hiſtoria uvæ proditum occurrit complexus eſt, unà cum obſervationibus plurimis propriis & animadverſionibus in vina Græca, Italica, Hiſpanica, Gallica & Rhenena, eorundem culturas, locos, nomina, varios præparandi & tractandi modos, morbos & remedia, vaſorum veterum & novorum multiplicem varietatem, cellas, &c. reſpicientes.

Omphacium veteribus ſuccus erat acerbæ & nondum maturæ uvæ, ſole reſiccatus & denſatus ad conſiſtentiam Rob. recentioribus eſt ſuccus uvæ immaturæ expreſſus, colatus, in dolia reconditus & vaſe clauſo aſſervatus. Utrumque refrigerat & ſiccat; hoc non ad medicamenta tantum, ſed ad ciborum condimenta & intinctus utile eſt, nauſeam ac cibi faſtidium tollit, appetentiam excitat, alvi fluores reprimit, ardores ſtomachi aliorumque viſcerum mitigat, non modo intus ſumptum, ſed & foris admotum.

Dioſcoride auctore, omphacium veterum oculorum claritati confert, eorundemque ſcabritiæ & angulis erroſis, quod hodie de pomorum ſylveſtrium agreſta verum experimur.

Schrodetus omphacium calidis morbis omnibus felicior

feliciori juvamento eſſe ait quam acetum, quod præter refrigerandi vim & caliditate acri pollet, ſecus ac omphacium.

Sapa Græcis ἕψημα καὶ σιραῖον ingenii non naturæ opus eſt, muſto uſque ad tertiam partem menſuræ decocto. Plin. lib. 14. c. 9. & lib. 23. c. 2.

Defrutum Columellæ idem eſt, quod Sapa Plinio, nimirum muſtum ad tertias decoctum, Plinius defrutum à Sapa diſtinguit, quod ſit muſtum ad dimidiam decoctum. His addit Palladius,

Carænum, quod ait fieri cum duabus partibus deperditis tertia remanſerit.

De viribus & uſu Sapæ nihil attinet dicere cum jamdudum in deſuetudinem abiit.

Lora Græcis δευτέρια ſeu vinum ſecundarium, fit ex maceratis, aqua vinaceis. Tria ejus genera Plinio. Decima parte aquæ addita, quæ muſti expreſſa ſit, & ita nocte ac die madefactis vinaceis, rurſuſque prælo ſubjectis. Alterum quomodo Græci factitavere, tertia parte ejus quod expreſſum ſit addita aquæ, expreſſoque decocto ad tertias partes, Tertium eſt fæcibus vini expreſſum, quod fæcatum Cato appellat.

Spiritus vini ſeu aqua vitæ eſt liquor è vino deſtillando in vaſis idoneis elicitus. Calidus eſt & ſiccus, penetrantiſſimus: eximii uſus in animi deliquiis, ut vel naribus admotus odore ſuo animam revocet, in cordis palpitatione ac tremore; reſiſtit putredini, in tantum ut carnes vel cadavera ei immerſa, diu ſervari poſſint incorrupta; ſpiritus languentes refocillat, apoplecticos & Comate oppreſſos juvat; extrinſecus reſolvit tumores frigidos ac ſcirrhoſos, arcet coagulationem ſanguinis in contuſionibus, cruoremque reſolvit ac diſcutit. Nimis copioſe & frequenter pro potu ordinario ſumptus calorem naturalem paulatim extinguit, ventriculi tonum relaxat, appetitum proſternit, totamque naturæ œconomiam ſubvertens tabem & mortem inducit, menſtruum eſt (ut vocant Chymici) h. e. ſolvens, ad tincturas extrahendas aliaque nobiliſſimum.

Acetum fit ex vino vel in loco nimis calido detento, vel diutius reſervato, vel ſoli expoſito. Arte fit cum vinum aut cereviſia coquitur, refrigeratiſque fermentum; aut panis calidus hordeaceus (qui unus omnium prævalet) aut piſa, aut hordeum toſtum imponitur J. B.

Aceti uſus frequentiſſimus eſt & fere quotidianus in cibo & Medicina; in cibo ad condimenta & intinctus. Appetentiam cibi excitat & concoctionem promovet acidum ventriculi, quo cibi maxime conficiuntur Roborando.

In Medicina uſus eſt ad æſtum febrilem contemperandum, putredinem arcendam, phlegmaticos & glutinoſos humores incidendum ut excretioni & expectorationi habiles fiant. Extrinſecus ſcabiem pruritum, herpetem, &c. calorem eorum contemperando malignitatem corrigendo ſanat. Nervis nervoſiſq; partibus inimicum eſt: corpus quoq; extenuat, unde macilentis ejus uſus incommodus eſt: memorabilis in hunc rem eſt hiſtoria quam narrat F. Strada de bello Belgico l. 8. Chiapinus Vitellius Generalis Caſtrorum Præfectus ſub mediam fere ætatem, increſcente adeo mole, ut faſcia è collo demiſſa ſuſtinendus eſt venter, videns inde quotidie tardiorem ſe reddi ad belli munia, vino ſua ſponte ſibi interdicto, acetum exinde bibere ad vitæ uſq; finem perſeveravit, efficitque ut detumeſcente abdomine, defluenteq; ventris pelle, qua ipſe ſe thoracis inſtar involvebat, octoginta ſeptem librarum pondo decreviſſe compertus ſit,

Ad ſuſpenſos aut ſuffocatos etiamſi ſpumam emittant, da bibendum acetum mulſum cum pipere, aut acetum cum pulvere pulegii & pipere, tres ſervatos vidit Chriſtophorus à Vega. *Cheſneau.*

Ad tineam ℞ Zinzib. ℥ iij. decoque in aceti acerrimi & butyri an. ℔ß. quouſque acetum ſit conſumptum: deinde contunde & cum butyro fiat ung. quo mane & ſero tinea inungatur, & intra quatuor aut quinq; dies ſanabitur, (inquit lib. arcanorum) idem obſervationes è Cheſneau excerptas tranſmittit *D. Hulſe.*

Vaporis aceti in peſte uſus eſt eximius de quo Medici conſulendi pro tartari hiſtoriâ uſu, præparationibus, &c. vide Chymicos ſcriptores: plenam uvæ hiſtoriam ſcribere mihi locus nec opportunitas eſt. Tartarus eſt vel albidus vel rubeſcens; albidus magis æſtimatur, ut purior & minus terreſtris; optimus è Germania defertur. ejus præparationes habent facultatum attenuandi, incidendi, & aperiendi cremore tartari ad ʒß. dato ardor ventriculi jam deſperatus fuit ſublatus, Etmuller. Prax. cap. 8.

Ad ſingultum ex inanitione ℞ vini Hiſpanici & ſacchar. q. ſ. f. ſyrup. ſumat æger frequenter ex manuſcript. D. Page Medici Suffolcienſis.

Bulimos curatur optime per vinum, quod quo vetuſtius eo melius malvaticum præ cæteris convenit.

In picâ & malacia ſpecifice commendatur à quibuſdam aqua pampinorum vitis vere ex vitium ſurculis ſtillans.

Quidam ſani ſiti matutinæ obnoxii ſunt, hos optime curare ſolet hauſtus vini abſinthitis.

Tumor cancroſus omnino curatus eſt in quodam viro mihi familiari ex uſu vini rhenani ℔ß. cui infundebantur Raph. ſylv. ʒij. per horas 12. in cujus uſu perſeverabat per dies octo vel decem matutino tempore. Ex MS. D. Fisher, M. D. commucicavit D. Hulſe ad mixtionem ſanguinis ℞ Pulv. fol. vitis quæ poſt vindemiam rubeſcunt ʒj cap. in vino albo è lib. Arcanor. Cheſneau.

De ſpiritu vini illud annotandum quod ille qui conficitur ex frumento multo magis anodynus ſit quàm alius. Muis in Podalyr. redivivo p. 31.

℞. Uvas ſuſpenſas putridas, projice in aq. ferventem per horæ dimidium; eas ſupra ardentes prunas injice, fumumque excipiat mulier ſepties in die ad deturbandum fœtum mortuum Mirabile (inquit Zacutus) quod in tam facili remedio tanta vis recondita ſit, quod ego feliciter ſum expertus, lib. 3. prax. hiſt. c. 17. obſerv. 2.

Spiritum vini vulgarem cum pulveriſat. zingib. mixtum, & fortiter inſufflatum in ejuſdem lateris cum parte affecta narem, vel parti dolenti applicatum ab experientia frequenti commendat D. Hulſe in odontalgia, cum alterutra ex gingivis afficitur abſque ulla dentium carie aut cavitate. *Raius.*

E fæcibus vini deſiccatis & ad calcinationem combuſtis fit ſal ille qui *Cinis Clavellatus* quibuſdam *Gravellatus* dicitur. Item à fæcibus vini deſiccatis per operationes neceſſarias Clar. Wepferus educit ſal volatile acerrimus, cui tamen non ita forſan meritò ſalis tartari volatilis nomen attribuit, cùm potius ſal volatile fæcum vini quarum volatilitatem nemo non novit, appellari debeat. De hac autem encheireſi pluribus hic non agimus quia nihil peculiare habet, & quod aliorum ſalium volatilium elaborationi non conveniat.

Vitis alba, vid. *Brionia.*

Vitrificatio, vid. *Vitrum.*

Vitriolum, vid. ſub titulo *Sal.*

VITRIFICATIO & cum eâ Chrystallisatio.

§. 1. A calce & Cinerib. opacis tanquam Vitri materia, tranſeo ad Vitrificationem ſeu productionem concreti diaphani, cryſtallum naturale æmulantis. Operatio equidem hæc communiter inter inſpiſſationum ſeu coagulationum genera refertur, cum tamen peculiaris & ab his diverſiſſima videatur: quatenus fluidis minime ſpiſſitudinem dat, ſed ſolidorum potius texturam ita immutat, ut ex opaco fiat pellucidum, & ex illo, quod in aqua ſolubile, tale corpus quod hujus non tantum fluori, ſed ignis quoq; potentiæ deſtructivæ, maxime reſiſtit, adeoque metallo perfectiori ac puriori, Auro, fixitate & immutabilitate propius accedit hoc pyrotechniæ productum

ctum, ut cum illo idem ignis purgatorium intrepide ſuſtineat, pluſque ſplendoris & precii, ab ejus tortura, ac illud a natura excoctum minerale, ſi quod malleabilitas huic præ illo acquiſivit, excipias, petat.

§. 2. Non coagulationis modum, ſed ſolidorum corporum certam tranſmutationem, dum Vitrificationem aſſero, autem illud *Celeb. Morhofii* vellicat quod ex *Nob. Boylii* ore refert ſe quendam poculum aquâ plenum per inſperſionem pulveris cujuſdam albiſſimi in ſubſtantiam ſolidam & cryſtallinam convertiſſe: Quæ tamen hoc ſimiliaque ſecretioris minuſque quotidianæ indolis videntur, meum aſſertum haud turbabunt, Vitrificationis ſubjectum non tam fluida coagulanda, quam ſolida, diaphaneitate ornanda, eſſe, licet vitris quoque accenſeantur metallorum Scoriæ, parum, aut nihil perſpicuitatis habentes, adeoque artifici haud deſideratæ.

§. 3. Perſpicuitatis vitri æque, ac aliorum corporum, rationem ſubminiſtrare videtur *Ariſtot. ſect. 11. probl. 61.* per meatuum rectitudinem ſeu correſpondentiam talem, quæ radiorum lucis rectam incidentiam haud impediat. Id eſt, cum recta particularum lucis translatio ad omnem ejus propagationem requiratur, adeoq; hæc per corporum ſubſtantiam fieri nequeat, niſi illa poris rectis formalitas primario in dicta pororum rectitudine conſiſtet: ita quidem, ut annotante *Berigardo, du Hamel* aliiſque, vel ullum corpus adeò opacum ſit, quin in tenuiores laminas redactum aliquid diaphaneitatis monſtret, v.g. aſſerula tenuiora, auri argentique folia, quæ luci expoſita nonnihil pellucere, imo dictorum metallorum bracteæ inſtar cribri perforatæ, obſervantur, poris eorum hactenus tortuoſis per attenuationem ad rectitudinem redactis. Nihilominus adeo exquiſita ſemper pororum rectitudo in diaphanis neceſſaria vix erit, quatenus aliqualis eorum tortuoſitas, modò breviores fuerint, non omnem lucis tranſitum turbat, licet cum aliquali radiorum refractione hic contingat: ratione cujus luxilla penetrans non omni tinctura deſtituta, ſed in aſſerulo rutilans, in folio auri ex viridi cærulea, comparet. Præterea nec multitudinem pororum horum rectitudini interdum ſuccenturi, abſurdum eſt, ſi ſc. illa numerum particularum ſolidarum æquet, vel notabiliter ſuperet, ita ut hæ illis interceptæ pauciores tantùm radios inhibeant aut à recto motu detorqueant.

§. 4. Poroſitatem *quidem* Vitro *Voſſius de Natura Lucis, Zwelferus contra Tachenium. P. Cherubin* de *l'impenetrabilité du Verre* &c. magno conatu denegarunt, alii contra eoſdem aſſeruerunt; atq; hoc per argumenta haud levis armaturæ ſibi viſa. Sc. 1. quod ſubtiliſſimorum ſpirituum minima effluvia, item argentum vivum ipſas etiam hermetice ſigillatas phiolas permeent, illaq; odore etiam ſe prodant annotante *E. Bartholino de natura mirab. qu. 4. & Cornel. Conſentino de Circumpulſione Platonica. 2. Hiddens* referente *Nob. Borrichio de Ortu & progr. chym.* aquæ communis guttulas veſicularum vitrearum tenuiſſimarum parietes penetraſſe ſicque vaſcula hæc ſenſim exhauſta fuiſſe, refert. 3. Idem *Borrichius Act. Hafn. Vol. 1. c. 72.* Pariſiis quoſdam ſibi compertum tradidiſſe, vulgata Chymicorum vitra vacua, hermetice clauſa, ſi vinaceis calentibus aliquandiu imponantur, notabilem liquoris copiam intra ſe colligere, à tantilla aeris incluſi portiuncula haud oriundam. 4. Per experientiam ejuſdem *Borrichii l. a.* mixtura ex floribus ſulphuris & nitri, intra retortam vitream, ab arenæ calore in flammam abripitur. 5. Sub directione *Boylii de poroſ. Vitri* limatura ſtanni & plumbi intra vas pariter vitreum ſigillatum à flamma ſulphuris & ſpirituum ardentium in calcem cum ponderis augmento fuit mutata; ac 6. obſervante *Eodem de vi aeris elaſt. exper. 36* in deſtillatione materiæ cujuſdam, ſale volatili ſulphurea maxime turgidæ, igne ſupra modum aucto, externo recipientis ſuperficiei procul a commiſſura guttulæ adhæreſcebant, ejuſdem cum deſtillata materia naturâ.

§. 5. Aſt quoad penetrationem liquorum volatilium & Mercurii obſtat non tantum experientia contraria *Boylii & Borrichii*, quorum hic, ſpiritum Salis Armoniaci intra phiolam hermeticè obturatam & per aliquot menſes aſſervatum nihil odoris urinoſi exhalaſſe nihilque ponderis perdidiſſe refert, ut ut notabilem intra hoc tempus virium jacturam paſſus fuerit: Sed *li Saggi di Naturali Experienze fatte in Fiorenze*, oleum ceræ, balſamum ſulphuris & ſpiritum urinæ equinæ odore ſuo acutiſſimo vitrum hermetice ſigillatum haud permeaſſe, nec ſpiritum ſeu oleum corticum citri vaſculum vitreum tenerium ſatis ſubintraſſe & in hoc contentam aquam odore ſuo inficiſſe, quoq; teſtantur. Tentarunt iidem Florentini, an effluvia ſeu exhalationes perdicis, intra vitrum ſubtiliſſimum ac pariter ſigillatum detenti, hujus ſubſtantiam eouſque penetrent, ut à cane venatico percipi poſſent: Fruſtraneo tamen ſucceſſu. Quod verò ſpiritus Salis armoniaci phiolæ incluſi activitas ſenſibiliter interim fracta fuerit, vel ideo particularum volatilium receſſui haud attribuendum, quod ſine ponderis detrimento id contigerit, vel quod ſpiritus illi ſalini, continuo motu exagitati, non poſſunt non mutuo ac frequentiore attritu aculeos ſuos perdere, potiſſimùm cum ſalia quoque fixa frequentiore calcinatione ac ſolutione aculeos ſuos ſucceſſive ita perdant, ut in terram inſipidam planè convertantur, docente experientia quotidiana.

§ 6. Pariter quod aquæ ſubſtantiæ per vitrum tranſudationem Veſiculis illis tenuiſſimis, quales Hiddens formaverat, cum *Borrichio* facilè largior, quod propter ſummam ſui ſubtilitatem rectiores & breviores earum pori humoris tranſitum intercludere neſciant, in ordinariis tamen & craſſioris compagis vitrum adeo notabilem poroſitatẽ mihi perſuadere vix poſſum, admonitus à Florentinis dictis experimentatorib., qui ſal tritũ probeq; toſtum in vaſe ſigillo ſpagyrico munito, per decendium in imo cyſternæ poſt modum æquè diu in cryſtallophylaceo, aſſervarunt, ſine ulla humiditatis externæ inhibitione. Fatentur equidem, ſe aliquando aliquid ejus in ſale ejuſmodi obſervaſſe: quod tamen, cum ſemper in una vaſis parte contigerit, impetui frigoris potentioris aliquid humiditatis impellenti, tribuunt; forſan textui vitri potius illius lateri laxiori imputandum. Etſi enim negari haud queat, variiſq; experimentis conſtet, ſingulari virtute penetrativa glaciem & nivem pollere, ex ipſo tamen, dum in modò memorato experimento humiditas ſalis particularis tantùm deprenſa fuit, unum vaſis latus compactius, alterum laxius & poroſius, ſuſpicari licebit; quorum illud humiditatis æque ambientis ſub ingreſſum, ac frigoris illum impulſum inhibuerit, hoc iiſdem aditum conceſſerit.

§. 7. Quam vitrorum habitudinem diverſam conciliatricem nuncupo diſparis illius experientiæ, quam rerum naturalium ſolertiores animadverſores pro diverſis ſuis partibus allegant, dum v.g. *Bartholinus, Hiddens, Cornelius Conſent:* fluidorum, præter radios ſolares & flammam, vim vitra penetrandi teſtantur, alii v.g. *Boyli & Academici Florentini*, negant aut ſuſpectam ſaltem reddunt contra *Dan. Bartoli, del Suono de Tremori armonici & dell'udito, tratt. 3. c. 7.* autoritati *Magni Boylii* contradicens, ſe nihilominus certum eſſe, inquit, ſpiritus dari chymicos, maximè & adeò ſpirituoſos, qui ex vaſi hermetice ſigillatis ſimili ratione ac per feneſtræ cõſpicuas valdè aperturas, avolent imò Egregium quendã Philoſophum ac Medicum, rerumq; Chymicarum experientiſſimum virum, per experientiã propriam ac reiteratam ſibi aſſeveraſſe refert, quod Mercurii vivi, ovo chymico incarcerati ſubſtantia ad calorẽ Balnei per gradus auctum & aliquandiu continuatu illud, ſine ulla ruptura, permeaverit, ejuſq; ſuperficiem incruſtarit. Experientia ſiquidem ſuffragio conſtat, haud ejuſdem denſitatis cuncta eſſe vitra, eorumque nonnulla obſervantur,

quæ uberiore ſale turgida aut minus ſufficiente coctione ſubacta, non modò à ſpirituum acidorum contactu brevi corrodantur & in fragmenta minima reſolvuntur, ſed in locis uliginoſis ac humidioribus ſudorem quoq; ſalſum emittunt, quod nec in aliis, nec iiſdem, modò ignem diutius ſuſtineant, videre contingit. Bifariam hanc, i. e. ſtrictiorem ac laxiorem, vitrorum texturam confirmat experientia *Redi*, quâ aquam cinamomi in vitris cryſtallinis, Piſis conflatis, intra paucas horas ſuam diaphaneitatem cum lactea opacitate commutare, imo paucis interpoſitis diebus aliqualem amarorem induere, in vaſis Romanis & Venetianis poſt aliquot demum dies, in Pariſienſibus verò tardius & vix leviter, lacteſcere, nunquam amareſcere perhibet.

§. 8. Præterea hanc vitrorum penetrabilitatem non parum juvare videtur calor ignis intenſior, ſive poros eorum dilatando, ſive fluida contenta ſummè attenuando, hiſque irreſiſtibilem quaſi impetum imprimendo, ut Experimenta ex *Boylio, Bartolo ac Borrichio* producta probabile reddunt. Adeo, ut, vitrorum poros illos exiliſſimos, quorum rectitudinem ac multitudinem radiis ſolaribus, ignis flammæ & corpuſculis frigorificis concedere, palam eſt, ordinariè adæquatos aliis fluidis credere jubeat multijuga experientia: eorum verò penetrabilitas aut vitrorum imperfection i, aut caloris violentiæ in acceptis referenda venit.

§. 9. Subjectum Vitrificationis mineralia diverſa ſunt ſc. arena, ſilices, Antimonium, Plumbum &c & quidem modò per ſe, modò invicem, aut cum ſalibus vegetabilium alcaliſatis miſcenda: imò ipſa vegetabilia incinerata per continuatam violentioris ignis torturam in vitrum, ut ut minoris denſitatis ac brevioris durationis, deliquari poſſe præter experientiam, quæ alcalia quoq; à terra ſua minus liberata, aut crebrioribus ſolutionibus ac calcinationibus magna ſui parte in terram converſa nonnunquam vitreſcere, conſtat, ratio jubet, quatenus terrea cinerum ſubſtantia, ſulphureis maſſulis expulſis, cum ſalina denuo & per novam texturæ rationem coit.

§. 10. Ad Vitrum vulgare & quotidianum conflandum duo, tanquam partes eſſentiales, concurrunt, ſilices ſeu arena & ſal alcaliſatum, hujuſq; non tantum illa ſpecies, quam vulgo ſodam Hiſpanicam vocant, quæq; ex certo vegetabili, Kali dicto, educitur, ſed quam quæcunque vegetabilia, ſc. filix, ſtipites fabarum, Arundo, ligna foci & cineres clavellati ſuppeditant. Nempe lapidea portio cujuſcunque etiam generis hæc fuerit, vitro conſiſtentiam & firmitudinem dat, pari ratione, ac metalla vitriolis, ita quidem ut ſi ſal hac proportione ſuperet, vitra facile in aere humidiore deliqueſcant, quale quid in vitriolis quoque, metallo pauperioribus, obſervatur, ut tantum non ſemper madeſcant & ſponte quaſi diffluant. Alcalia verò eum in finem adducuntur, ut lapidum deliquationem facilitent, utpote quæ ſine illorum commiſcela difficilis, imò impoſſibilis, foret: Hinc Antimonio ſimilibuſque facilioris fuſionis mineralibus tali additamento haud opus eſt, imò interdum, v. g. in Vitro Saturni, plumbum, ut metallum maximè fuſibile ſilicibus idem quod ſal lixivioſum, præſtat, ut taceam, borracem, arſenicum, Nitrum ejuſdem virtutis eſſe, cum arena ſubtiliore in gemmas artificiales, appropriatis ſuis coloribus tingendas, deliqueſcentia. Additur binis his vitri quotidiani ingredientibus eſſentialibus aliquid Magneſiæ, non tàm vitri formandi, quàm ejuſdem virotis minùs grati expurgandi & diaphaneitatis exaltandæ gratia: quod tamen minerale, ſi paulo largius admiſceatur, nigro colore idem vitrum obſcurat.

§. 11. Proportionem ſilicum ſeu arenæ & Salis vix abſolutè determinare licet, niſi de utriuſq; conditionibus optimè conſtet. Ita ſilex macrior, & difficilioris fuſionis, v. g. pyrites, plus ſalis alcaliſati exigit, ſin pinguior exiſtat, ac facilius deliqueſcat, v. g. qui circa littora maris colligitur, minor ſalis quantitas ipſi ſufficit, cùm hic aliquid ſalis nitroſi, fuſionem juvantis contineat, adeoque ſalis fuſorii acceſſorii tantum haud poſtulet, imò plus æquo admiſtum ſal vitrum in aere humido ſponte diſſolvit. Pariter nec ſalium ſemper eadem videtur habitudo, quatenus quæ cum Sale tartari aut Calcis vivæ exaltata plus efficaciæ ſub minore mole præſtant. Atque hæc quidem probè depurata ſi in igne fluant, coëunt in corpus illud ſolidum, pellucidum ac fragile, quod Vitrum vocant, denſius & nitidius, quo diutius ignis fuſionis gradus ſuſtinuerunt.

§. 12. Reliquas & ſpecialiores hujus mechanicæ circumſtantias, quia ad vitriarios potius ſpectant, tranſeo, vitrorum merè mineralium & metallicorum ſtructuram contemplaturus, inter quæ ut ſimpliciſſimum, i. e. in officinis Chymicorum frequentiſſimum, obſervatur Vitrum Antimonii, cui etiam ideo primum præ reliquis hic concedo locum. Paratur hoc ex ſimplici Antimonii calce, coloris hyacynthini, per meram fuſionem, minime tamen, ut communiter philoſophantur, quod poſtquam ſulphur ejus per calcinationem exhalavit, ſalinæ ipſius particulæ, vitrificationis potiſſimi autores, denſius ſibi agglomeratæ, terreſtres, ab igne inter fundendum magis attenuatas, comprehendant, & cum his in Vitrum abeant. Quamvis enim negari haud queat per calcinationem antimonii crudi aliquid ſulphuris externi exhalare, quod ſine dubio vitrificationem turbat & ab ejus regulo jamdum per fuſionē ſeparatur nihilominus quia 1. per calcinationem hanc diutius continuatam tota ſimul antimonii ſubſtantia, non ſulphur tantùm, in flores elevatur, ex quibus nihilominus vitrum parari poteſt, 2. nec regulus, ſulphure illo licet exutus, in vitrum, niſi ad calcem uſque ciner eam toſtus, in vitrum abit, 3. ex Capite mortuo quoque Butyri antimonii ac cinnabaris regulus perfectus, & ex utroque novum pariter butyrum & cinnabaris conficitur, ideoque incongruè forſan illa nomenclatura notato 4. ipſum vitrum facile negotio in regulum redigitur, omnibus antimonii partibus eſſentialibus inſtructum, 5. ex eodem vitro etiam cinabaris parari valet: haud per ſpoliationem ſui ſulphuris antimonium ad vitrificationem diſponitur.

§. 13. De cætero quod pro hypotheſi ſua firmanda proferunt, quaſi nempe illa butyri antimonii remanentia fuſione equidem in vitrum deliqueſcat, album tamen & virtutis emeticæ expers, ideò quod omnes partes ſulphureæ maſſam iſtam deſeruerint, diverſis implicatur difficultatib. Quippe coloris mutatio in vitro antimonii vim emeticam haud ſemper tollit, quatenus quod cum borrace, albicans & ex mercurio vitæ ſuccineum ſeu flavum conficitur, Vitrum æquè ſuperiora ac inferiora movet, ac hyacynthinum hinc meliore jure ſuccinum antimonii, quàm mercurii, appellandum. Multo minus eadem coloris in vitro hoc mutatio ſulphur antimonio deceſſiſſe, neceſſario arguit, dum borrax vitro equidem antimonio rubedinem, haud tamen, ſulphuris reliquias, demit, ita quidem, ut cum borrace paratum vitrum, ſi denuò in regulum fluat, poſt novam calcinationem vitrum ſplendentis rubedinis promat. Imò colorum reliquorum cum albedine tranſmutationem non ſemper à certarum particularum detractione, ſed earum determinata tantùm modificatione, dependere, per infinita experimenta conſtat: quorum unicum, utpote Vitrificationis mechanica petitum, allegaſſe, ſufficiat, quod magneſia vitro certa ratione adjecta huic viriditatem ſine particularum quarundam ſecretione detergat. Præterea vix omni ſulphure ſpoliatam eſſe hoc remanens, docet ejuſdē fumus ſulphureus, quem dum calcinationi exponitur, eructat, item, ſumma inflammabilitas, qua retorta dum adhuc calet, fracta, quaſi ſponte exardeſcit. Deniq; ex eodem Capite mortuo non adeo commode vitrum hyacynthinæ rubedinis parare licet, nec tamen albū eſt, quod inde prodit ſed fuſcū potius ac nigricans: emeticumq; ſatis potens, ſecus ac *Willisius* aſſerit.

§. 14.

§. 14. Hinc nec à ſale Antimonii in vitrum abeundi diſpoſitio erit expectanda, potiſſimum cùm 1. non quodvis ſal, ſed alcaliſata tantum, quale tamen in concreto hoc concipi nequit, ad vitrificationem ordinariam concurrant. 2. In *Tranſact. Angl. Philoſ. num.*110. modus deſcribitur, totum fere Antimonium, ſine ulla præparatione aut calcinatione præcedanea, in vitrum, opacum equidem, ſplendens nihilominus ſummeque politum, redigendi, ipſi duntaxat, dum fluit, lapidis certe cretacei, mineris plumbariis frequentis, fruſtum candefactum immergendo. 3. Denique Plumbum quoque cum ſilicibus ſolis ac ejus ſaccharum per ſe & ſine omni ſale facillimè in vitrum deliquantur.

§. 15. Ita ut veroſimilius videatur, percoqui ad clarum pellucidumque ſplendorem Antimonium, non per harum aut illarum partium ſeceſſum & ſecretionem, ſed ejuſmodi tantum illarum, ratione figuræ, ſitus ac magnitudinis modificationem, ut liberum lumini tranſitum concedant. Pari nempe ratione, ac cinabaris & ſulphur nativum, mixta alias opaca, interdum intra venas ſua diaphaneitatem egregiam nanciſcuntur, contra cryſtallus vitrumque ſola comminutione omnem pelluciditatem deponunt, molecularum ſuarum figura ac ſitu ſaltim immutato: potiſſimum, cum, ut jam dictum, quod modo vitrum Antimonii erat, levi artificio in regulum priſtinæ naturæ ac integritatis convertatur.

§. 16. Ratione mechanicæ adhuc monendum, calcem, quæ Vitri hujus confectioni inſervire debet, haud per unum alterumve diem aſſervandam eſſe, quin mox in vitrum fundatur: videtur enim ſub mora hac eam ab aere ita diſponi, ut ad diaphaneitatem deſideratam deduci nequeat. Quare pulvis antimonii, ad gryſeum ſeu cynereum colorem, & donec fumus ejus imminuatur, calcinati, illico crucibulo candenti immittatur & igni fuſorio tradatur, qui, ſi reverberatorius fuerit, ac probè applicetur, intra quadrantis horulæ ſpatium illum in perſpicuum liquamen fundit. Addunt nonnulli operationis facilitandæ cauſa, ſuaſu Matthioli, aliquid Antimonii crudi, v.g. ad Calcis antimonii uncias tres antimonii crudi ℥ ij alii tantillum ſulphuris communis, dum Antimonium in fluore exiſtit, pelluciditatem tamen ſeparatam adhuc detrectet, fruſtulatim adjiciunt, quo illud id momento quaſi, depurare & ejus colorem exaltare contendunt. Sunt, qui eundem in finem auripigmentum, it. qui borracem admiſcent: cum tamen illius virtus deleteria hoc diſſuadeat, hic verò rubedini ejus multum detrahat, ita quidem ut, ſi in majore copia addatur, loco illius flavedinem, hinc pallorem, ipſi introducat.

§. 17. Qui in fuſione diaphaneitatem bacillo ferreo, aliquoties immiſſo, explorare contendunt, minus ſecurè agunt, facilèque vel frequentiore, vel diuturniore, illius immerſione aut vitri pelluciditatem turbant, aut colorem ejus fuſcum magis reddunt, quatenus antimonium cuncta metalla, & inter hæc Martem, avidiſſimè devorat: ſimileque ipſi contingere videtur, quod à ſilicibus, qui venas ac maculas flaveſcentes intertextas gerunt, ſibi metuunt Vitrarii, ferreis ſc. ſuis, quas continent, particulis ſplendorem ac puritatem vitri turbantibus.

§. 18. Vulgò pro Vitri hujus feliciore conflatione cœlum quoque ſudum ac ſerenum præ fluvioſo commendant, Solis aliorumq; aſtrorum potentiorem influentiam ad coloris ac diaphaneitatis nitorem maximè neceſſariam æſtimantes: quæ tamen vana videtur curioſitas vel quod iſte aſtrorum influxus adhuc ſatis precarius videatur, vel quod experientia magiſtra ſæpe eundem effectum ſub diverſa conſtellatione ac atmoſphæra concedat, & vitrum antimonii hyacynthinum aut flavum in cameris uliginoſis ac ſub cœlo pluvioſo ſeu nebuloſo æquè; ac in loco & aere ſereno, præparetur. Quamvis non dubitem, ad vitrorum cryſtallinorum ſplendorem atque nitorem aeri diverſam habitudinem multum conferre, quatenus referente *Velſchio Hecatoſt. obſ. med. phyſ. obſ.*41. Murani v.g. altera littoris parte è regione ſuarum officinarum vitra minus confici poſſunt, quod borealibus flatibus locus hic, officinæ verò Vitri *Ægyptiaci* nobilitatem præter materiæ excellentiam aeri quoque aliquid debere, idem largitur. Quibus accedit, quod in officinis vitriariis, multo fumo ſcatentibus, vitri ſplendor & puritas haud parum obnubiletur; quæ tamen circumſtantia quemadmodum vitra tingenda parum lædit, ſic in Vitri antimonii confectione parvi momenti vixque attendenda eſt.

§. 19. Inter Metalla vitrificationi aptiora ſunt ſtannum & plumbum, atque hoc præ illo, hincque ejus vitrum frequentius paratur, figulis potius quàm aliis artificibus uſitatum. Sc. Plumbi calx modò cum alcalibus & ſilicibus, & quidem ſub diverſa horum proportione, funditur, dum, v. g. ordinariè equidem ſilicum pars una cum duplo minii pondere deliquatur, minii tamen quantitas ad triplum & quadruplum augeri, aut vitro confecto addi poteſt. Ita nonnulli vitrum ſmaragdini viroris conflare annituntur, vitrum plumbi ordinarium denuo cum æquali, ac tertio cum duplo minii pondere deliquando: quamvis viriditatem illam promiſſam nunquam viderim, ſuccinea ſemper permanente flavedine. Imo Plumbum per ſe quoque in Vitrum abit, modò prius in ſaccharum Saturni fuerit redactum. Poſtquam enim, quod brevi contingit, Aceti particulæ ſalinæ, metallicis intertextæ, in crucibulo exhalarunt, fluore equidem videtur in priſtinam plumbi ſubſtantiam, quæ tamen ſucceſſive & per partes, igne continuato, in vitrum flavum faceſſit, ejus verò quod haud vitrificatum extrahitur varietate & elegantia colorum caudam pavonis ſi non ſuperat, certè æquat.

§. 20. Spectat huc ex plumbo & arſenico conflatum vitrum, pariter coloris ſuccinei, ad mineras metallorum nobiliorum rigidiores fundendas, haſque in regulum præcipitandas maximè idoneum: ut *Gebri* doctrinæ taceam, qua plumbum & ſtannum per colliquationem cum vitro ad puritatem nobiliorem evehere jubet, cui etiam *Iſaac. Hollandus* ſubſcribit, metalla, ſi in vitrum redigantur, hincque demum reducantur, nobiliora magis evadere. Denique ex calce ſtanni cum Aqua forti parata ac duplo Antimonii calcis vitrum Smaragdini coloris à nonnullis paratur, quamvis hoc interdum chryſolithum colore æmuletur.

§. 21. Sunt qui ex Auro pariter Vitrum parare ſatagunt, à *Rhenano* & *Poppio* hoc perſuaſi, verbi gratia, *Schröderus*, *Zvvelferus*, *Grülingius*, ſub Vitri Antimonii Solaris, Auri tranſparentis & Rubini Solaris nomine, Aurum ſcil. cum ſedecim Antimonii partibus fundendo, calcinando ac demum in vitrum deliquando: quod tamen expectationi vix ſatisfacit, neſcioque, utrum cautela illa, quam in colliquatione Antimonii & Auri prima commendat *Rhenanus*, *cavendum ſc. eſſe, ne regulus fiat*, Lectorem illudere potius, an animadvertere, intenderit. Cum quibuſcunque etiam modis hanc fuſionem tractes, aurum adeò intimè, prout quidem requirebatur, antimonio connubat, hinc nec ambo in Vitrum abeant: quod multo minus ſperabis ſi ſecundum Poppium operatus fueris duplum tantum antimonii auro adjicientem.

§. 22. Idem *Rhenanus* & *Hartmannus* ex Luna queq; & Mercurio aliquam Vitri confectionem docent, aſt nec horum promiſſis ſucceſſus reſpondet, quippe & hic labor, hic opus, quo (monentibus illis) *per Oleum Vitrioli totus Mercurius diſſolvatur & ſub ejus fluore abſcondatur*, illumque ſolutionis terminum nec ego nec amici, idem molientes, aſſequi potuerunt, accuratius licet operantes: ita ut quid de reliquarum in hac operatione

circum-

circumſtantiarum eventu mihi aliiſque polliceri debeam, dubius ſim.

§. 23. Progrediar ad *Cryſtalliſationem*, operationem, ſalibus & ſalinis concretis propriam & à qua horum nonnulla Cryſtalli dicuntur, v.g. Cryſtallum minerale, cryſtalli tartari, Lunæ, Veneris &c. quatenus poſt evaporatam liquoris, illa diſſolventis, quantitatem proportionatam corpuſcula ſalina, hactenus per illius fluorem diſperſa & agitata, congregari & euſq; uniri incipiunt, donec vel ſola, vel cum aliis, metallicis nempe & mineralibus, combinata rigidiorem faciem acquirant, hinc cum aqueis quibuſdam particulis in diaphanam compagem diverſæ, cuivis tamen ſali propriæ, figuræ abeant. Adornatur eum præprimis in finem, quo dicta ſalia à terreis ſimilibuſq; heterogeneitatibus ſufficienter expurgentur: quamvis à Vitriolo partes terreas ſeu metallicas omnino ſeparari poſſe dubium videatur, prout inferius conſtabit, nec ſalia ſimpliciora per calcinationes, ſolutiones & cryſtalliſationes repetitas omni terreſtreitate exui hinc colligitur, quod ſine terra quadam intrinſeca haud corporeſcant, adeoque ſtabilimentum ſui fluoris in terra ſoliditate demum inveniant.

§. 24. Encheiriſis operationis hujus potiſſima in proportionata humiditatis aqueæ ſeparatione conſiſtit, quam evaporatio ut plurimum rarius deſtillatio, præſtat, cujuſque terminum pellicula ſeu cruſta tenuior, ſuperficiei ſolutionis innatans, tanquam primum cryſtalliſationis inchoamentum, monſtrat: quem qui non attingit, propter nimis diſcontinuatas & commotas adhuc particulas ſalinas, cryſtallos fruſtra expectabit, aut exiliſſimos tantùm ſibi comparabit) qui tranſit ſeu ſeu excedit, loco cryſtallorum diaphanorum craſſamentum inconditum & ab illorum forma ſæpe quam alieniſſimum acquiret, vel quod particulæ ſalinæ per ſpacii medii fluidi anguſtias confuſe magis ſibi adjungantur, vel quod illo aquæ dimenſo, quam ad cryſtalliſationem poſtulant, defraudentur.

§. 25. Præter ſolidiores quippe Salium ac mineralium particulas aquæ non levem portionem cryſtallis ſalinis ſubeſſe credere jubet præprimis eorum pondus notabiliter a cryſtalliſatione auctum, detecta & abſumpta quamvis humiditate ſuperficiali. Accedit, quod quæ per decrepitationem, deſtillationem, ſimilemve rationem ab omni phlegmate liberata, ſalia & vitriola, ſi denuo cryſtalliſentur, parem quantitatem aquoſitatis fundant, ſine dubio, quam ſub cryſtalliſatione ſibi adaptarant. Ac Vitriolum, ſi intra cucurbitam, probe obturatam Balneo Maris immergatur, ratione hujus aquæ intrinſecæ & integrantis ab illius calore exagitatæ, facile ſolvitur, refrigeſcens verò priſtinam ſoliditatem repetit: Imo per eandem Vitriolum & ſacharum ſaturni ſibi commixta molleſcunt ac fluidiora evadunt, aqueis nimirum utrorumq; particulis per præcipitationis aliquem modum in libertatem naturalem vindicatis.

§. 26. Evaporatione autem liquoris rite ac proportionabiliter peracta cryſtalliſationē ut plurimum haud parum juvat, ſi aeri frigidiori liquamen cryſtalliſandum committatur, & ut communiter fieri ſolet, cellæ imponatur: forſan quatenus aër ille gravior ambitu ſuo ſolventis poros conſtringit ſeu comprimit, hincq; maſſulas ſalinas lenta & blanda præcipitatione exprimit ac cum tantillo aquæ interfluentis in concretiones cryſtallinas majores cogit; unde etiam in vaſe, è quo per machinam pneumaticam aer exantlatus, ſalia, motore & directore hoc externo deſtituta, vix adeo promptè cryſtalliſantur. *Zvvelfero* nihilominus in hoc condeſcendere jubet mechanica, aſſerenti, quaſdam cryſtalliſationes in aere calido aut temperato commodius fieri, v.g. tartari cryſtallorum, item ſalium lixivioſorū ac Nitrum: quatenus frigus impetu velut quodam ſolutionem condenſat, &, ut ſalem inhærentem præpicitanter magis deponat, cogit, ita ut, quia plana illius minimorum ſibi exacte contigua haud fiunt, cryſtalli minus pellucidi, ſed lumen variis modis refringentes, prodeunt: cujus contrarium, obſervatur, ſi ſucceſſive & ſub aëre temperatiore hoc fiat, item, ſi in vaſis, probè coopertis, aëriſque ambientis impetu hoc modo fracto, illud adornetur.

§. 27. Fixa ſeu alcaliſata ſalia per ſe, & ſine aliquo additamento, in cryſtallos cogi poſſe, paradoxum chymicum hactenus viſum fuit multis, hac de cauſa eadem vel cum ſulphure calcinantes, vel cum aqua forti ſimilibuſque acidis irrorantes: Verùm quia hoc modo eorum textura alcalica plane immutatur, aut notabiliter ſatis infringitur, à ſagacioribus chymicis ille, quamvis cryſtalliſationi proficuus & ad ornatum faciens, damnatur; atq; hoc quidem eo majore jure, cum alcalia etiam fixa per ſe & abſq; ullius heterogeneitatis admiſcela in cryſtallos egregios, caſu fortuito in ſale tartari mihi primū obſervatos redigere liceat. Evaporentur ſ. horum ſolutiones lento magis atque blandiſſimo igne, uſquedum cruſta quædam in harum ſummitate appareat, quæ ſtudioſè à fractura præſervanda, ne nimia & pro cryſtalliſatione neceſſaria aquæ portio exhalet, ſed à tegmine hoc ſalino aliquatenus coerceatur: in calore verò leniore per aliquot adhuc horas ſolutio detineatur & ſub cruſta illa cryſtalli egregii, ac non raro ſatis magni concreſcent, in calore moderato uti producti, ſic in eodem conſervandi, quamvis ſalis tartari cryſtallos ab annis ſex poſſideam, ultra biennium, tempore æque æſtivo ac hyberno in loco frigidiore ac interdum humidiore repoſitos.

§. 28. Concurrere proin in operatione hac duo ad minimum videntur, ſolutio nempe & inſpiſſatio, quamvis in ſalibus lixivioſis cryſtalliſandis calcinatione ſeu uſtulatione, in aliis, v.g. nitrotartareis ſeu eſſentialibus fuſione, ſimul opus ſit cum repetitis ſolutionibus & coagulationibus alternantibus, ac viſcidiores terreſtreitates cum pinguedine fuliginoſa abſumentibus ſeu ad ſeceſſum faciliorem eas diſponentibus. Quibus tamen poſterioribus ac reliquis ſalibus cunctis, ſive acidis, ſive acido-ſalſis, incongrua, imò damnoſa erit calcinatio, niſi in ſalſis aliquam acoris partem expellere mens ſit, prout Mynſichtum, Zvvelferum alioſque in præparatione Panaceæ Holſaticæ agere conſtat.

§. 29 Sicut autem ex ſalibus & vitriolis unum altero promptius in cryſtallum denſatur, Ita in ſpecie quæ de ſaccharo ſaturni hujuſque cryſtalliſatione communiter traduntur, experien iam minus faventem habent. A pleriſque enim dum quaſi uno ore, aſſeritur primam ſtatim plumbi ſeu calcis hujus extractionem, ad quartæ partis remanentiam evaporatam, in cryſtallos majores congelaſcere, ſi cum aceto deſtillato operatus quis fuerit, minimè ſuccedit, ſed ſolutio illa, quamvis ad oleaginoſitatem abſtracta fluida manet: adeoq; ad ſalis potius coagulationem ultimo blando ſatis caloris gradu, humiditas, non tamen ad ſiccitatē omnimodam, evocetur, ne flaveſcat coagulum, ſed ſub butyri ſpiſſamento è vaſe producatur & ſuper chartam bibulam expanſum, in loco temperate calido exſiccetur. Quod ſi tamen cryſtallos pellucidiores deſideres, cum aceto denuo ſolvatur maſſa hæc vitriolica & cryſtalliſationi convenienter evaporata humiditate, tradatur: cryſtallos nihilominus majores, nitidiores & inſtar metalli ſonantes Tibi comparabis, ſi priores cum ſp. vini ſolvas & poſt ſufficientem hujus abſtractionem liquorem loco frigidiori exponas, habet enim ſp. vini ſibi peculiare quid, quo cryſtalliſationem ſalium, alcaliſatorum quoque, juvat.

§. 30. Præterea ſine multis ambagibus elegantiores ſuppeditabit cryſtallos plumbum, ſi loco aceti deſtillati Spiritum Viridi æris aut ſpiritum Nitri ſolutionis adhibueris. *Febvre* pro congelatione hac maturanda vaſa ſtannea commendat, quaſi ſcil. his mediantibus intra viginti quatuor horas maximam liquoris partem in cryſtallos congelare liceat: Aſt nec ſub hac encheiriſi effectus

effectus expectationi reſpondet, multo minus ætiologiã, quam Autor dictus ſibi concipit, ſpiritum nempe acidum ſtanno inexiſtentem partes hujus liquoris ſalino metallicas condenſare, admittenda erit, quatenus v. g. extractio violarum, alias purpurea, non, niſi intra ſtannea vaſa, cæruleitatem induit, quod ab acido vix ſeparandam. Eadem vaſa alii fumo ſulphuris eundem in finem imbuere jubent, quamvis nec hujus ſuffumigationis ſingularem vim teſtari queam.

§. 31. Vitriolum qui à terreſtreitatibus metallicis liberare contendunt, ſecundum Baſilium frequentiore ſolutione & cryſtalliſatione hoc moliuntur, ſolvendo ſc. vitriolum in aqua tepida, haud fontana, ſed potius pluvia deſtillata aut phlegmate Spiritus vini, utpote mollioribus & ad ſuſtinendas illas particulas terreas graviores minus adæquatis, imo pro ſalinis magis diſcontinuandis, earumque vi interreas infringenda, aquam largius quam ad ſolutionem vitrioli neceſſarium, affundendo: Hinc digeſtione viginti quatuor horarum adhibita ſemper terra quædam ochrea ſeu flaveſcens ſubſidet, qua per filtrationem ſeparata evaporatur & cryſtalliſatur liquor, ut moris, ſolutionem & cryſtalliſationem toties repetendo, uſquedum nullum amplius ejuſmodi Sedimentum compareat. Vereor tamen, ne vitriolum, quamdiu natura vitrioli gaudet, ſemper ejuſmodi terram dimittat & præcipitari patiatur, imo tandem per repetitas has ſolutiones notabiliter imminuatur, ac in nihilum redigatur; quatenus metallica & eſſentiali hac parte dempta acidum volatilius cum phlegmate ſolvente ſucceſſive exhalat. Alii cum Biſmutho præcipitationem hanc brevius abſolvunt, ſicque ſal album magis, ac nitro ſimile quodque ſpiritum ſuum faciliùs dimittat, remanente capite mortuo non rubicundo, ſed albicante ac ſpongioſo, acquirunt: aſt idem circa hunc operandi modum mihi manet ſcrupulus, i. e. ex Vitriolo non vitriolum fiet. Aliam adhuc operandi rationem exhibent *Anglor. Philoſoph. Tranſact.* N. 103. ſcil. cucurbitæ anguſtioris colli & orificii, fundi verò plani, vitriolum pulveriſatum ita immittitur, ut mole ſua craſſitiem digiti haud tranſcendat vaſeque probe clauſo in Mariæ Balneo, ſub calore mediocri & æquali per aliquot dies detinetur; ſic enim abſque ulla humiditate externa illud deliqueſcit & ochrea terra ad fundum vaſis ſubſidens in ſolidiorem maſſam coagulatur vitrioli ſolutione vel in eodem vaſe, vel in aliud effuſa, in cryſtallos ſub aere frigidiore abeunte, excepta portione exigua alicujus liquaminis, quæ oleum vitrioli aciditate, igneitate & ponderoſitate æmulatur. Quæ deliquatio ſi ſemel aut bis repetatur, Vitriolum ad ſummum puritatis gradum evehi teſtantur. Idem tamen circa hanc encheireſin quoque videtur judicium. ſcilicet totam Vitrioli ſubſtantiam hac ratione tandem deſtrui, prout vel ex liquamine illo haud coagulabili, quod ſalina vitrioli ſubſtantia, metallo exuta eſt, colligere convenit.

§. Circa Nitri Cryſtalliſationem diverſa pariter monenda forent, inopina tamen paginarum anguſtia conceptus hos alii & ſpacioſiori occaſioni reſervare jubet. *Bohnius.*

DE VITRIS.

In deſtructione mixtorum quoddam perpetuitatis myſterium condidit æternum numen, ut dum eſſe deſinunt, perpetuari incipiant. Quid magis deſtructa eadem notat, quàm cineres, ſeu terra damnata? Ex cineribus tamen his conflatur Vitrum. Vitrum à deſtructore ſummo igne vitam ſeu eſſe ſuum ſortitur, vitrum lemma reſurrectionis noſtrorum corporum. Hinc not. de vitris, cumprimis medicis.

1. *Vitra ſunt corpora dura, pellucida & fragilia.* Dura ſunt, flecti neſcia, præterquam in igne & capillata; dura, ob reniſum, quo cum metallis conveniunt. Dura ob conitas intime particulas, unde & inter contundendum acumina produnt ſua, fortiora quidem, & mortari aculeis ſuis quaſi vulnerant ſatis. Dura vel ideo quod cedere neſciant, ſed frangi malint, quàm malleari, & ſic cedere. Pellucida ſunt, ſi tenuentur; denſitatem tamen ſi ſortiuntur, vel admiſceatur confuſum ſulphur eminens, minus hoc valet. Pellucida ſunt & fragilia ob paucita em ſulphuris, quod de eſſentiâ eſt vitrorum. Hinc vitrum ductile inter poſtulata & quæſita eſt chimicorum. Cum verò ductilitas propria ſit metallis, & vitrum à metallis differat eo ipſo, tanquam eſſentiali differentiâ, vitrum malleabile idem erit, ac metallum vitreum ac pellucidum, quod an lapide philoſophorum illo præſtari poſſit, incertum eſt. Nec de nobilioribus vitris id ſperandum eſt. Quid enim aliud ſunt gemmæ vitriformes, ut adamas, cryſtallus & aliæ, quàm vitra nativa? unde etiam arte parari queunt nativis contra elegantes. Repugnat in omnibus metalli naturæ: vitrum fragile, metallum malleabile; vitrum ſulphure pauciſſimo pollet, metalla plurimo. Vitra ſunt duriſſima reſpective, metalla in duritie ſuâ mollitiem condunt.

2. *Vitra à terrâ fluorem adeptâ conflantur.* Maximus eſt uſus fluoris, contradiſtincti fuſioni. In fuſione fluor eſt ſeu liquatio univerſalis totius compagis; in fluore particularis. In fuſione æqualis omnium particularum, in fluore inæqualis. Hinc ex fluore ſalium conſurgunt ſpiritus, ex fluore ſulphuris olea ſingula liquida. Terra verò cum ſit primum ſiccum & ſtabile, non fluore humidum conſtantem patitur, ſed ſiccum poſt ſe relinquit, coeundo ſic ſtatim, quod ipſe fluor importat hujus ſubjecti; adeoque fluor terræ producit vitra. Videtur primo intuitu contradictionem implicari, terram fluorem pati, quippe eidem potius videtur reſiſtere & fluori maximè contraria ac inepta. Aſt quid non tortura ignis præſtat? quid alia ipſi juncta? Hinc ſubjectum primarium omnium vitrorum eſt terra, cinis, calx. Terram intelligimus tum propriè dictam, arenam, cretam, aliaſque his analogas, tùm damnatam, i.e. exutam particulis prædominantibus activis, & calcem vel vegetabilem, ſeu cineres plantarum, arborum vegetiores: vel animalium, ut calces oſſium, quæ peculiare genus vitrorum albidiorum præbent: vel mineralium quæ vitra ſunt medica cumprimis & ferè unica, ut vitrum antimonii, ſaturni, &c. Subjectum ergò eſt terra, quæ fluorem adipiſci debet, unde abſque terrâ ne concipere quidem vitrum, nedum conficere licet.

3. *Terra fluorem conciliant ignis, ſal, & ſulphur fixum, calci ac fluori proportionatum.* Materiam præbet terra primam & communem, terra levis, ſubtilis & pro ſal & ſulphur adæquatam. Efficiens eſt ignis, iſque violentiſſimus, fuſorius ultimi gradus, in aliis tamen mitior, in aliis fortior, ſufficiens uno verbo fluori inducendo. Sal requiritur alcalinum, fixum, quod in igne perdurare poteſt, ut omnis fluor alius abſit excluſus. Sulphur itidem fixum, quod ignis deſtruentis vehementiam effugit, & ſub ſale vel terrâ occultatum & defenſum remanſit, Cum itaque fixa ſint hæc omnia, nec ignis propellere poſſit in fluorem amplius, ſeu ſulphur ſeorſim, in antimonio reſpective ſaltim fixum, minus deflagrabile, ſeu ſal alcali illud, fluorem terræ præſtat, obſtetricantibus his ipſis geminis. Fundamentum enim omnis vitrificationis præbet colliquatio, ſeu fuſio & fluor partium terrearum cum ſalinis, quæ intimiori & arctiori complexu igne externo eoque extremo unita coextenduntur in vitrum. Principium extrinſecum & latens ſulphur, medium, modò patens, modò latens, ſal. Sulphur verò requiritur, utpote vinculum ordinarium omnis compagis denſæ, paucum, nam dum evaporat adhuc, vel quaſi, vitrificationi ineptum eſt; fixum, ut perdurare in igne poſſit, ſali & terræ vinculum largiens, immerſum & coexpanſum: paucum, unde fragile eſt, nec viſcido metallico amplius pollet. Sic ſal tartari per ſe extremo igne vitreſcit, & cum ſilicibus ad eſſentiam ſeu tinctu-

tincturam ſilicum, ad ductum *Glauberi*. Sic vitrum ſaturni ex minio & ſilicibus fit. Sic in ſpecie antimonium vitra præbet, & optime quoque metallorum calces.

4. *Vitrum antimonii ex calce antimonii, cum vel ſine ſalibus additis, hyacinthinum, puniceum & ſuccineum conficit.* Triplex eſt vitrum antimonii, κατ' ἐξοχὴν verò ita audit hyacinthinum, ita dictum à conſiſtentia & aliquali perſpicuitate, ſuperiori ſeculo inventum, & hunc in diem uſque uſu celebratum. Quando nempe partes ſulphureæ ſuperfluæ non fixæ, & vitrificationi contrariæ, abiguntur, leni toſtione, ut partes metallicæ terreæ & ſulphureæ reliquæ ſub griſei pulveris ſeu calcis ſpecie remaneant, fuſorio igne vitrum emergit hyacinthinum dictum. Abſolvitur ergò duplici ἐγχειρήσει (1) calcinatione antecedente, eaque ſucceſſivâ, ſi ♁ium pulveriſatum, in patinâ terreâ expanſum, ſubdito igne convenienter ſubinde agitetur, ne tam citò grumeſcat, interim verò pars mercurialis quædam avolet, & ſulphurea comburatur, quod ad ſenſum patet. Grumeſcentia factâ pulveriſatur denuò, & calcinatio hæc bis vel ter peragitur, tertiâ enim vice utplurimum ad vitrificationem aptatur, pulvere griſeo conſpicuo non grumeſcens amplius vel quaſi. Obtento hoc adhibetur (2.) fuſio: inditus in crucibulum pulvis ille griſeus, ſeu calx hoc modo apparata, igne fortiori liquatur, & fuſum hinc in pelvim vel mortarium æneum effunditur. Sic citra additionem per ſe paratum, non minus ac cum borace quoque fuſum, innoxium eſt, nocentiſſimum verò cum arſenico. Quod ſi verò cum nitro ana pulveriſatum antimonium fundatur, breviori morâ idem obtinetur, extemplo ſic deflagrantibus particulis ſulphureis abactis, unde vitrum fit, puniceum dictum, à colore, aliàs croci metallorum fortioris & purioris nomine veniens. Idem hoc quandoque per accidens in præparatione ♁ii diaphoretici emergit, ſi non rite procedatur. Succineum denique vitrum, à colore itidem nominatum, ex ♁io vitæ, qui itidem calx eſt ſui generis, fit, ſi igne fundatur, ubi pars regulina ferè adhærefcere adhuc ſolet. In ſingulis abacto acido & ſulphure, quantum par eſt, partes reliquæ alcalinæ & terreæ metallicæ in fluorem adactæ vitreſcunt, quod etiam in vitro ſaturni videas.

5. *Uſus vitrorum tum mechanicus & curioſus, tum medicus eſt*; ad expanſionem ſulphuris & ſalis metallici. Prior uſus ad gemmas etiam artificiales ſatis notus & ſuperius tactus eſt, alter de antimonio potiſſimum valet. Utut enim & vitro vulgari ſuus uſus ſit ſalibus affinis, nephriticus, v. g. quo de vid. *Langius*, uti quoque pulvere vitri refringi poſſunt ſpiritus acidi, v. g. ſalis ad tincturam aperitivam; ille tamen aliis ſatis ſuppletur. Vitrum antimonii expanſionem ſulphuris & ſalis metallici exhibet ad oculum, & ſit hoc modo emeticum, (quale crudum non erat.) in ſubſtantiâ quidem nunquam dandum, aſt in infuſo optimum, ad tartarum emeticum quoque unice expetitum. Baſin nempe præbet (1.) emeticorum, formâ ſiccâ & humidâ variorum; (2.) tincturæ antimonii, ad morem *Zwelferi* parandæ. Præbet etiam calices chimicos, quo de *Primeroſius*, *Sala*, *Walæus* & alii legi merentur. Idem quoque ad alia vitra applicari poteſt. *Wedelius.*

De Vitri vulgaris cum ſtipitibus fabarum, ſeu etiam eorundem Cinere ſ. a. calcinato hîc nihil addimus, quia ſcilicet de eo jam in Calcinationibus actum eſt. Continuo itaque ad curioſa quædam ex Anthonio NERI circa vitrum ac ejus colorationes indeque efformandas varias Gemmas Artificiales progredimur. Eſto itaque.

ANTONII NERI
Florentini de Arte Vitraria

Tractatus & in eum CHRISTOPHORI MERRETTI *M. D. & Societ. Reg. Anglican. Socii Obſervationes & Notæ.*

PRÆFATIO.

Dubium nullum eſt, quin inter veros artis igniariæ fructus vitrum ſit. Utut enim compoſitum & arte factum ſit; quam proximè tamen accedit ad omne genus mineralium, & eorum quæ medio inter mineralia loco habentur. Igne funditur & in eo permanet: quin auri, metalli perfecti, & lucidi inſtar igne perficitur purgatur & niteſcit. Manifeſta res eſt, uſum ejuſdem in vaſis potoriis, aliiſque homini inſervientibus commodis multo magis liberalem, magiſque venuſtum & nobiliorem eſſe, uſu cujuſcunque alterius metalli, vel lapidis, ad hæc talia apti. Etenim, præterquam quod vitrum facile, exiguo ſumtu, & nullibi non parari poteſt; tenerius, nitidius & ſpecioſius eſt, quàm alia qualiſcunque materia, quæ quidem hodie nota ſit. Porro, ad diſtillatoriæ & Spagiricæ artis uſus, & componenda medicamenta, res eſt uſque adeo utilis, ne dicam neceſſaria, ut quaſi impoſſibile ſit, ſine vitri adminiculo quidquam efficere: Hinc enim tot vaſorum & inſtrumentorum genera fiunt, qualia ſunt, Cucurbitæ, alembici, recipientes, pelicani, retortæ, ſerpentinæ, phialæ, vitra quadrangula, ampullæ, ova philoſophica, pilæ, & infiniti generis alia vaſa, quæ uſus quotidie invenit, ad componendum alexiteria, arcana, quintas eſſentias, ſalia, ſulphur, vitriolum, mercurium, tincturas, ſeparationes elementorum, omniaque negotia metallica, & illius genera plura alia; præter aquas fortes & regias, tam neceſſarias illis, qui aurum ab argento ſeparant, & rei monetariæ à Principibus præfecti ſunt, ut aurum & argentum perpurgent, atque ad perfectionem ſuam deducant. Tot certè beneficia, quod ad uſus humanos attinet, vitro debentur, ut quaſi impoſſibile videatur, ſine illius ope vitam tranſigere: indeque haud ſecus atque ex omni alia re, maxima Dei providentia cognoſcitur, quæ rei tam homini utilis & neceſſariæ materiam, ex qua vitra fiunt, ubivis terrarum uſque adeò copioſe produxit ut nullibi non parari facillime poſſit. Sed inter magna etiam templorum ornamenta vitrum eſt, quando præter multa alia tot ex vitro feneſtræ fiant, elegantibus picturis adornatæ, in quibus metallici colores tot modis & tanta vivacitate increſcunt, ut totidem gemmæ orientales videantur: & in fornacem inditum, tot colorum, tantæque venuſtatis & perfectionis capax vitrum eſt, ut ſimilis ei materia inveniri in terris non poſſe videatur. Inventionem vitri antiquiſſimam eſſe credimus, cum S. Scriptura Jobi 28 dicat: *Non adæquabitur ei aurum vel vitrum* &c. evidenti teſtimonio, inter antiquitatis inventa vitrum eſſe; dicente S. Hieronymo, inter Abrahami poſteros, & filium Zanchi Jobum fuiſſe, qui per Eſavum quinto loco ab Abrahamo deſcenderit. Multi volunt, & fortaſſis non ſine ratione, à Chymicis inventum eſſe vitrum, qui gemmas æmulando vitrum repererint; non multum fortaſſis à vero abludente ſententia, quando modum imitandi omnes gemmas libro quinto hujus operis evidenter demonſtro; qua eadem ratione videre licet modum producendi vitrum ex lapidibus, qui per ſe nunquam liqueſcerent, nec in vitrum abirent. Plinius vult, ad Beli fluminis in Syria ripam caſu inventum fuiſſe vitrum à mercatoribus, qui tempeſtate eo delati, dum neceſſitate cogente ibidem morantur, & cibi coquendi gratia focum in littore ſtruunt, ubi ingens copia erat herbæ, quam plures *Cali* vocant, & è cujus cineribus *Soda* pariter & *Rochetta* conſtant, vitrum fecerint; ignis vio-

violentiâ unitis ſale & cineribus, illius herbæ, cum arena & lapidibus ad vitrificandum aptis: id quod intellectui humano modum monſtravit & rationem, quâ non vitrum modo, ſed cryſtalli etiam, & cryſtallina, totque alia venuſtiſſima opera, quæ vitro debentur, fierent. Fama præterea tenet, inventam Tiberio imperante rationem, quâ vitrum malleabile fieret; res poſtea formidabilis viſa, & hodie prorſus ignota. Etenim, ſi id nunc innoteſceret, ob elegantiam & incorruptibilitatem ſuam in majore quam aurum argentumque pretio vitrum eſſet, quando non rubiginem aliquam attrahit, non ſaporem, non odorem, nec qualitatem ullam. Aliud etiam præterea grande, commodum homini vitrum adfert ſpeculorum & perſpicillorum uſu: utut enim hæc cryſtallo naturali, quam montanam dicunt; illa verò ex æris & ſtanni partibus mixtis, quam chalybis miſturam vocant parari poſſint, multo tamen utraque commodius, nec non impensâ minore, & elegantia, effectuque majore ex vitro parantur: ſpecula præſertim, quæ præter difficultatem & ſumtum in conſtruendo, vivas imagines æque ut vitrum non reddant, & quod pejus eſt, brevi palleſcentia nihil omnino repræſentant. Quare ex his multiſque aliis rationibus concludere licet, inter res nobiliſſimas, quarum uſus nunc quidem in terris homini datus eſt, vitrum eſſe. Mihi, qui diutius in arte vitraria laboravi, plurimumque in ea vidi, propoſitum eſt, partem illius quod vidi & perfeci, aliquam publico dare. Utut enim modus parandi ſalia, decoctiones & paſtas notus quamplurimis; mihi tamen illud requirere operis materia videbatur, ut clare & diſtinctè, id quod ego facio pertractaretur, adjectis quibuſdam obſervationibus & regulis, quæ ſi probe conſiderentur, non omnino inutiles, ſed fortaſſis neceſſariæ & paucis notæ videbuntur: ut de mea particulari methodo extrahendi ſal nihil dicam, ex quo cryſtallus nobiliſſima fit. Quod ſi artifex tam in laborando diligens erit, quam ego in docendo claris demonſtrationibus utor, opus efficiet tam elegans & nobile, quam id fortaſſis hodie fit, aut fieri aliqua ratione poterit. Et hac quidem, omnique alia in re quam ego hic pertracto, inveniet diligens & curioſus operarius, me ſcripſiſſe, & demonſtraſſe veritatem, non hauſtam vel acceptam ab alio aliquo, ſed quam his meis manibus operando & experiendo didici cum ſemper hic mihi ſcopus fuerit, ut niſi quod verum eſſet nihil ſcriberem diceremve. Quod ſi cuiquam experienti has meas compoſitiones & modos parandi colores, paſtas & tincturas, id quod ego ſcribo, non ſucceſſerit, ne animum propterea deſpondeat, credatque me nugas ſcripſiſſe; ſed hoc cogitet, erraſſe ſeſe in aliquo, hi præſertim, qui iſtiuſmodi negotiis nunquam manum admoverunt: impoſſibile enim eſt, ut prima vice Magiſtri evadant. Repetant igitur opus, eo quo à me ſcriptum eſt modo, & ſenſim melius, tandemque perfectum erit quidquid egerint. Specialiter illud moneo, uti colorum ratio habeatur, quorum certa & determinata doſis præſcribi non poteſt, ſed praxi & experientia diſcendum, & oculo judiciosè diſcernendum eſt, ſatis ne pro ratione operis & paſtarum, quæ gemmarum nimirum imitatione fiunt magnitudine infectum colore vitrum ſit, notando, quòd gemmæ omnes, quæ ſubſtratis foliis auro includuntur, qualia ſunt annuli aliaque iſtiuſmodi, dilutum magis; contra, quæ auro incluſa in libero aëre dependent, ut inauria & res aliæ, magis plenum colorem requirant; quæ omnia doceri nulla ratione poſſunt, ſed curioſi hominis judicio relinquuntur. Notetur itidem, idque ſedulo, ut colores & ingredientia bene præparata lævigataque ſint; & ut tanto quivis magis ſecurus eſſe poſſit, ipſe colores, eo quo dixi modo præparet faciatque, quiſquis exquiſiti aliquid facere in animo habet.

Ignis in hac arte non levis momenti, ſed talis eſt, ut rem omnem abſolvat, & fieri abſque eo nihil omnino poſſit. Cum ratione igitur adhibendus eſt, & ſpeciatim ex lignis durioribus & aridis, vitanduſque fumus, ut qui ſemper noxius eſt, maximè in fornacibus, ubi ollæ & vaſa ſemper patent, vitrumque ipſum minus perfectum evadit valdeque deforme. Ulterius dico, ſiquidem operarius diligens & exercitatus fuerit, nec non accuratè, eo quod à me ſcriptum eſt modo egerit, inveniet vera eſſe, quæ hoc libro continentur omnia, nec me quidquam divulgaſſe & publico dediſſe, niſi quod opere ipſo probatum eſt: ac ſi cognovero publice gratos eſſe hos meos labores ut quidem ſpero, ipſe mihi fortaſſis animos addam edendi etiam alios meos labores chymicos & ſpagyricos, quos per tot annos in diversâ parte terrarum ſuſtinui: nec credo, ſi uſus & commoda hominum reſpicias, quidquam in rerum natura majus antiquitati notum fuiſſe: quæ quidem antiquitas ex hominibus in hac arte ſubactis Deos fecit, eoſque Deorum loco habuit, & divinis honoribus proſecuta eſt. Non extendam me ulterius. Etenim quia particularia quæque in hoc opere uſque adeò clarè & diſtinctè deſcripſi, ſecurus ſum animi, impoſſibile ferè eſſe, ut errare quis in tam regia via, niſi volens poſſit, tantum ut artis experimentum ante faciat, exerceaturque. Quare omnia mea tam in bonam partem capiantur velim, quam ego præſens hoc opus candidè, primò in gloriam Dei, & poſtea in uſus utilitatemque omnium perfeci.

Contenta univerſi Operis.

Demonſtratur verus modus extrahendi ſal ex pulviſculo, rochetta *Orientali,* Soda Hiſpanica, *filice aliiſque herbis, quas Thuſcia affatim ſuppeditat, parando decocto, quod* Bollito, *& cryſtallum artificialem vocant: nec non methodus chymice extrahendi hæc ſalia, perficiendo cryſtallo mirabili; item modus parandi* frittam *cryſtalli, cryſtallini & communi vitri, cryſtallique montanæ. Cum modo ita præparandi multos colores, ut multo magis ſplendeant; maximamque eorundem partem in vitro producere, quales ſunt picæ marinæ, aureus, granati, amethyſti, ſapphiri, holoſerico niger, marmoreus, carneus, lacteus, perſicus, baccarum orientalium, aëreus & berillinus: cum modo faciendi vitrum plumbi, quod colorem ſmaragdi orientalis, topaſii, chryſopathii, cæleſtem, ſapphiri, aureum, incarnatum, alioſque referat. Modus item tingendi cryſtallum montanam colore permanente rubini, balaſſii, topaſii, opali, heliotropii: & verus modus faciendi paſtam omnium colorum, quæ verum ſmaragdi, topaſii, chryſopathii, ſapphiri, granati & berilli colorem reddat: cum modo novo chymico, quo magis duri, & ſolito magis venuſti reddantur: nec non modo parandi omne genus encauſtorum, pingendo variis coloribus auro, præſertim roſeo & rubro transparente, id quod in Europa novum eſt. Modi item facillimi extrahendi laccam ex grani* Kermes, *ligno Braſileenſi, rubia tinctorum, floribus geniſtæ, liliis, floribus braſſicæ, borraginis, roſis agreſtibus, balauſtiis, roſis rubris, incarnatis, omnique alio herbarum & florum genere; cum modo faciendi colorem ultramarinum, aliaſque res curioſas.*

ANTONII NERI

Florentini de Arte Vitraria

Liber Primus.

CAP. I. *Extrahere ſal ex* pulviſculo, Rochetta *&* Soda Hiſpanica, *quo fritta cryſtalli, Italis* Bollito *dicta, fit, quod Artis vitrariæ fundamentum eſt: cum novo quodam & ſecreto modo.*

Pulviſculus vel Rochetta, quæ ex Oriente & Syria advehitur, cinis eſt herbæ cujuſdam ibidem abundantis. Dubium nullum eſt, quin ſal multo

quam *Soda Hiſpanica* candidus reddat: ideoque ſi cui animus eſt cryſtallum facere omnibus numeris abſolutam, ſale id fiat extracto ex pulvere vel rochetta orientali; Soda enim Hiſpanica, utut plus ſalis contineat, cryſtallus tamen ſale illius facta, ſemper cærulei quid refert, neque illum colorem, candorem & elegantiam habet, quam ex pulvere vel rochetta orientali facta obtinet. Modus autem perfectè extrahendi ſal ex rochetta pariter & ſoda, is eſt qui ſequitur, & quem ego ſæpius expertus ſum.

Cinis Syriacus piſtillo ferreo in pila lapidea contuſus, cribretur cribro anguſtiore, ut ſolus cinis tranſeat, non fiſtula: in hoc enim conſiſtit omne plus minuſve ſalis extrahendi artificium. In emenda hac vel illa ſpecie illud ſervetur, ut quæ plus ſalis continet eligatur; id quod linguâ & guſtu cognoſcitur: tutiſſimus tamen omnium modus eſt, crucibulo experimentum facere, & videre, utrum arenæ plus habeat, an tarſi; id quod inter artis rudimenta, & his qui vitra conflant notiſſimum eſt.

Adſint lebetes ænei cum ſuis furnulis, quales tinctorum ſunt, iique vel majores vel minores, pro majore vel minore conficiendi ſalis copia. Hi lebetes aqua impleantur limpida, adhibeaturque ignis ex ligno non fumante arido, & ubi jam aqua bene bullire cœperit, injiciatur ea cribrati pulveris quantitas, quam bullientis aquæ copia requirere videbitur, continueturque ignis & aqua bulliat uſque ad conſumptionem tertiæ partis, agitando illam ſemper in fundo palâ ligneâ, ut pulvis aquæ incorporetur & ſal omne extrahatur. Inde repleantur lebetes recenti aqua, bulliantque ad conſumtionem uſque partis dimidiæ, & paratum erit lixivium, ſale fœtum. Cæterum ut ſal tanto magis candidum & copia majorque exeat, in lebetes, ante pulverem, ubi jam aqua bullire cœperit, injiciantur libræ decem grumorum, qui cadis vini rubri adhærere ſolent, & vulgo *tartari* nomine veniunt, ad nigredinem uſque aduſtorum, ſolvanturque in aqua illa calida, quam palâ ligneâ agitabis, atque tum demum pulverem addes ut ſupra. Hic addendi tartari modus ſecretus eſt, quo plus ſalis acquiritur, & cryſtallus candidior fit magiſque ſpecioſa. Ubi jam duæ tertiæ bullientis aquæ exhalaverint, & fœtum ſale lixivium fuerit, minuatur ignis, ponanturque ordine aliquot vaſa terrea, quæ per ſex dies aqua communi repleta fuerint, ut tanto ſcilicet minus lixivii & ſalis imbibant, magniſque cochlearibus æneis cineres ſimul & lixivium ex lebete transfundatur in vaſa illa terrea, illiſque repletis, bidui ſpatio ſtare permittatur, quo exacto, ſubſidente interea cinere, lixivium omne limpidum, ſenſim, ne quidquam à fundo aſcendat, atque opus turbet, cochlearibus æneis in alia vaſa tranſmittatur, & per alterum biduum ſtare permittatur, ſubſidentibuſque denuo reliquis terreſtribus particulis lixivium eo magis clarum & limpidum reddetur, idque tertio repetatur, & lixivium habebis limpidiſſimum, & ab omni terrena ſorde liberum, ex quo poſtea ſal paratur ſatis purum perfectumque. Impleantur denuo lebetes, denturque in ſingulos lebetes tartari, ut ſupra, libræ decem, nec non pulveris quantitas ſolita, continueturque opus dum aliqua pars materiæ ſuperfuerit. Ut jam dictum lixivium conſtringatur & ſal extrahatur, primum lavandi erunt lebetes aquâ purâ, adimplendique hoc purgato clarificatoque lixivio, bulliantque lente, ut ſupra; hac adhibita cautela, ut lebetes perpetim dicto lixivio adimpleantur, donec craſſeſcere lixivium & ſal projicere cœperit, id quod viginti quatuor horarum ſpatio, aut circiter, evenire ſolet ut in ſuperficie lebetis ſal reticuli aut telæ inſtar candidum apparere incipiat: tunc adſit tudicula, pluribus in locis perforata, teneaturque in fundo lebetis, ut quicquid ſalis ſubſederit excipiat, quod ſucceſſive, atque ita eximes, ut lixivium guttatim in lebetem effluat, indaturque ſal in vaſa terrea, aut percolare lixivium tanto melius poſſit, quæ colatura denuo excepta in lebetem immittitur: ſal autem ſiccatur, eâdemque ratione proceditur, uſque dum omne ablatum fuerit. Notandum autem eſt, ut ubi apparere ſal cœperit, ignem adhibeas lentum: Etenim ſi violentum adhibeas, ſal lebeti adglutinabitur, & quia potens admodum eſt, lebetem corrumpet, id quod mihi nonnunquam accidit: quare hoc ſupra omnia obſervandum, magna adhibenda diligentia eſt. Sal autem ex vaſculis, ubi bene percolatum fuerit: eximatur, mittaturque in ſcrinium vel receptaculum ligneum, ut omnis humiditas tanto melius abſumatur, id quod plurium dierum ſpatio, & pro anni tempeſtate citius vel tardius evenire ſolet. Totum autem conficiendi plurimum egregii ſalis artificium in tartaro ſitum eſt, ut ſupra demonſtravimus. Ego ex libris tercentum cineris orientalis ordinariè ab octuaginta, in nonaginta libras ſalis extraxi. Ubi jam ſal bene ſiccatum fuerit, frangatur groſſo modo, & mittatur in fornacem calcariam, ut lento admodum calore ſiccetur, & inſtrumento ferreo, quod rotabulum artifices vocant diſtringatur, miſceaturque haud ſecus ac fritta ſolet. Abſumpta jam omni humiditate in fornace moderate calida, eximatur ſal, tundaturque in pila lapidea, cribretur anguſtiore cribro, ne grana ſalis, quæ excidunt, majora ſint granis frumenti. Hoc ſal ea ratione contuſum, cribratum & ſiccatum, ſeorſim, & in loco ab omni pulvere immuni adſervatur, ut inde fritta cryſtalli fiat, id quod eo qui proxime ſequitur modo fit.

CAP. II. *Modus, quo* Fritta *cryſtalli, vulgo* Bollito *dicta fit.*

Cryſtallum facturus pulchram & omnibus numeris abſolutam, id age, ut *tarſum* habeas candidiſſimum. Murani ſilice utuntur Ticinenſi, cujus lapidis in Ticino flumine ingens copia eſt. Tarſus marmoris duri & candidi ſpecies eſt, quæ in Thuſcia ad pedem Verrucolæ Piſarum, nec non Seravezæ, & Maſſæ di Carrara, itemque in *Arno* flumine ſubter & ſupra Florentiam, alibique naſcitur, & vulgo ſatis nota eſt. Hujus ergo Tarſi illam tibi ſpeciem parabis, quæ candidiſſima ſit & venis nigris, maculiſque croceis, & omni rubigine careat: animadvertendo, quod omnis lapis, qui chalybe vel ignitabulo percuſſus ignem reddit, vitro vel cryſtallo aptus ſit: & contra, quod omnes illi lapides, qui ignitabulo vel chalybe percuſſi ignem non reddunt, nullo unquam tempore in vitrum abeant, id quod monitorii loco inſervire poterit, ad diſcernendum omne genus lapidum. Hic tarſus, quam maxime pulcher & candidus minutatim contundatur in pulverem, idque in mortario lapideo, non alio quocunque metallico, ne, quod eventurum eſſet, colorem metalli attrahat, vitrumque & cryſtallum eo colore infectam minus abſolutam reddat. Piſtilla ferrea ſint neceſſe eſt. Tarſus bene & exactè pulveriſatus cribretur cribro anguſtiore: omnis enim negotii cardo in eo vertitur, ut tarſus in modum farinæ quam optime tundatur, & per anguſtiſſimum cribrum tranſeat. Et recipiantur, exempli gratia, hujus tarſi optime pulverati libræ bis centum, nec non ſalis pulverei triti, & cribrati ut ſupra, centum & triginta circiter libræ, omniaque optime miſceantur, unianturque, atque ea ratione mixta unitaque in fornacem calcariam probè calefactam mittantur: ſi enim in frigidam fornacem mitterentur, fritta non fieret. In principio per horæ unius ſpatium ignis adhibeatur temperatus, ita tamen, ut rutabulo fritta nunquam non miſceatur, tantoque melius incorporetur calcineturque. Poſtea augeatur ignis, miſcendo ſemper frittam rutabulo, id enim ad rem plurimum facit: eademque ratione procedatur per quinque

quehorium adhibendo ſemper ignem potentem.

Calcaria fornacis calcinatoriæ ſpecies eſt, qua in conflandis vitris utuntur: res maxime nota & vulgaris. *Rutabulum*, inſtrumentum ferreum & oblongum, & inter vitrarios non minus notum eſt, quo fritta continue movetur. Exactis ergo quinque horis frittam eximi è calcaria curavi; eo enim temporis ſpatio, ſiquidem ignis recte adminiſtretur, prompta & parata eſt: atque hanc frittam, ad arcendum omnem pulverem, velamento quodam opertam in tabulato, loco ſicco ſepoſui; magna diligentia opus eſt, ſi cryſtallum deſideras venuſtam. Fritta, eo, quo diximus modo facta, nivis inſtar candida eſt. Si tarſus macer fuerit, addantur ad prædictam doſin ſalis libræ circiter decem. Sed qui in arte exercitati ſunt, è prima ſemper fritta argumentum capiunt, mittendo partem ejus aliquam in crucibulum, indeque in patinam vitream mundam, ut videant, an bene & cito coëat: quo ipſo etiam apparet, tenerior an dura ſit fritta, ac proinde ſalis doſis vel augetur vel minuitur. Hæc fritta cryſtalli ut ſupra dictum eſt, loco ſicco adſervatur; humida enim & terreſtria loca non fert, ſed diſſoluto ſale in aquam convertitur, ſolo remanente tarſo, nec unquam in vitrum abit. Sed neque, ut alias fieri ſolet, humectatur hæc fritta, & ſi eâ ratione præparata per tres vel quatuor menſes adſervetur, operi magis apta eſt, & tanto citius unitur. Atque hic modus eſt faciendi frittam cryſtalli, cum ſua doſi, & circumſtantiis, qua ratione illam ſæpius feci.

CAP. III. *Alius modus novus, & à me inventus, extrahendi ſal ex pulvere, quo cryſtallus æquè formoſa & pellucida ſit, quam montana cryſtallus eſt.*

Recipiatur pulvis orientalis bene cribratus, mittaturque in ampullas vitreas in fundo lutatas, quas, ubi prius aqua communi repletæ fuerint, in fornace ſuper cineres vel arenam repones, adhibitoque per aliquot horas igne temperato, aquæ pars dimidia evaporare permittatur. Refrigeratâ poſtmodum fornaculâ, quicquid ſupereſt aquæ, leniter decantetur, in vaſa terrea vitriata, affuſaque ſuper pulverem recenti aqua, bulliat ut ante, idque toties & tam diu iteretur, uſque dum aqua ſal omne extraxerit, id quod guſtu ſimul atque oculis cognoſcitur, ſi nimirum aqua ſalſedinis nihil habeat, & coloris omnis expers ſit. Hujus lixivii quantum quiſque voluerit recipiatur, idque filtretur, & filtratum per dies quatuor vel ſex in vaſis vitriatis quieſcat; ea enim ratione magnam partem illius terreni quod continet, deponet. Inde filtretur denuo, eritque purificatum, & à maxima parte terreſtrium particularum ſeparatum lixivium. Mittatur denuo in ampullas in fundo lutatas, adhibitoque lento igne arenæ vel cinerum evaporare permittatur, animadvertendo, ut ubi materia ſiccata fuerit, ignis adhibeatur quam maxime moderatus & lenis, ne ſal aduſtum corrumpatur: quo bene ſiccato exemptoque diſpiciendum eſt, integrane ſint illa vaſa in fundo, an rupta, quod frequenter accidit, quo caſu ſal in alias ejus generis in ampullas in fundo lutatas & aqua communi repletas immittendum, & in fornace ſuper arena vel cineribus detinendum eſt. Semper autem octavam illius aquæ partem evaporare ſines, refrigerataque poſtmodum fornace effundenda eſt aqua ſale plena in vaſa terrea vitriata, & ubi per viginti quatuor horas requieverit, filtretur diligenter: feces enim aliaſque terreſtres particulas deponet. Exhalet hoc lixivium filtratum in ampullis vitreis ad lentum, & ubi jam ferè exhalaverit ad ſumme temperatum ignem, ne ſal aduratur, quod denuo miſſum in ampullas aqua communi ſolvitur ut ſupra, iteraturque hic labor, uſque dum ſal nihil ſecum aut terreſtris materiæ poſt ſe relinquat: tunc enim purum erit atque perfectum, ex quo, nec non tarſo ſubtili & candido, frittam facies, & cryſtallum, tantæ pulchritudinis & candidi ſplendoris, ut cryſtallum montanam orientalem ſuperatura ſit. In vitreis autem, non æneis vaſis peragendus hic labor eſt. Etenim ſal nunquam non aliquid coloris metallici attrahit, ideoque ſemper vireſcit. Hæc ut magis laborioſa via ſit minuſque ſalis reddat, cryſtallum tamen dabit quovis magno Principe dignam, ut inde omnis generis vaſa & labores fiant. Atque hoc meum inventum eſt, cujus ego cum magna mea delectatione & felici ſucceſſu multoties experimentum feci.

CAP. IV. *De Aureo cryſtalli colore Obſervatio.*

Notetur, quod fritta ſale pulveris, cui ſal tartari admiſtum eſt, facta, ad imbibendum auri colorem, inepta ſit, nec unquam iſtiuſmodi color, ex ea educi poſſit; ſed reliqui in univerſum omnes. Quare ut aureum colorem habeas, frittam facies ex mero ſale pulveris, ut ſupra purificati: niſi enim hoc fiat, aureum colorem non acquires.

CAP. V. *Modus extrahendi ſal ex herba, quem filicem vocant, quo cryſtallus ſatis elegans fit.*

Piſis experimentum feci cineris herbæ cujuſdam quæ vulgo *Filix* vocatur, & in *Thuſcia* copioſe creſcit. Hæc herba virens ſub finem menſis Maii ad dimidium uſque Junii reſecanda eſt, idque creſcente Luna & oppoſitioni vicina: ſummè enim tunc perfecta eſt & ſal reddit copioſius, magiſque candidum & notæ melioris, quam ſi alio tempore reſecetur: ſi enim ſiccari per ſe ſupra terram permittatur, exiguam ſalis minime boni copiam præbet. Refectâ ergo ut ſupra, & accumulata, ſtatim flacceſcit, & ſi comburatur optimum cinerem relinquit, ex quo ſervatis regulis, ut ſupra de ſale pulveris orientalis dictum eſt, ſal extrahitur purificatum & bonum, ex quo, nec non tarſo pulchro & bene cribrato frittam feci, quæ in patella optime percolata cryſtallum mihi dedit pulchram, & ſolito magis dulcem. Satis enim roboris habebat, & magis quam cryſtalli natura fert flectebatur. In tenuia enim fila duci poteſt, quemadmodum ego illam duci curavi. Hæc fritta aureum colorem mirum in modum reddit, tantum ne ſal tartari addatur, ut ſupra annotatum eſt; & aureus ille color, quem hoc cryſtalli genus reddit, multo ſeſe exerit venuſtius, quam in cryſtallo ex ſale pulveris orientalis facta, & ex eodem non minus, quam hoc priore omnis generis vaſa fieri poſſunt.

CAP. VI. *Modus parandi Sal aliud, ex quo cryſtallus fit ſtupendæ pulchritudinis.*

Paretur ſecundum prædictam methodum cinis ex ſiliquis & culmis fabarum ſiccatarum, excuſſis antea fabis, & hoc cinere, ſervato eodem, ut in ſale pulveris orientalis ordine, ſal extrahitur admirandum, quod cum tarſo candido & bene cribrato, ut ſupra fusè dictum eſt, frittam nobiliſſimam, & cryſtallum reddit elegantiſſimam. Idem fiet ex cinere braſſicæ, & rubi ſpinoſi, qui moros fert, nec non cinere ſcaporum panici, juncorum item atque cannarum paluſtrium, multarumque aliarum herbarum, quæ ſal ſuum dabunt, ex quo fritta more ſolito facta cryſtallos reddet formoſiſſimas, ut curioſus quiſque experiri poterit. Longè enim plus experientia docet quam diuturna ſtudia.

Cap. VII. *Sal ex quo cryſtallus ſatis venuſta fit.*

Extrahatur ſal ex calce muraria & depuratum admiſceatur ſali pulveris orientalis ordinarii, ad rationem librarum duarum in centum: id eſt libræ duæ ſalis calcis addantur ad ſalis pulveris ut ſupra facti, libras centum. Ex hoc ſale ita mixto, ordinario more fritta fiat, mittaturque in patellam ut purgetur, quemadmodum poſtea dicetur, ubi de modo faciendi cryſtallum cryſtallinam & vitrum commune agetur: ita enim cryſtallum habebis ſatis venuſtam & pulchram.

Cap. VIII. *Modus faciendi frittam ordinariam, ex pulvere ſcilicet orientali*, rochetta *&* Soda Hiſpanica.

Fritta nihil aliud eſt, quam calcinatio materialium ex quibus vitrum fit. Utut enim vel citra calcinationem liqueſcerent, & in vitrum abirent, id tamen non ſine diſpendio temporis & faſtidio magno ſuccederet. Quare inventa ratio eſt, ut fritta in fornace, vulgo *calcaria* dicta calcinetur. Etenim ubi bene calcinata, & pondus materialium juſtum fuerit, habita ſcilicet ratione bonitatis Sodæ, in olla celerrimè funditur & mirè purgatur. Fritta quæ ex pulvere fit, vitrum candidum, ſed commune dabit. Fritta quæ ex rochetta, ſed orientali fit, vitrum dat formoſiſſimum, quod cryſtallinum vocatur. Soda Hiſpanica utut magis unguinoſa plerumque ſit, vitrum tamen minus candidum, minuſque formoſum reddit, quam rochetta orientalis. Semper enim aliquid ex cœruleo trahit.

Ut ergo ſingula rite præparentur, pulvis cribretur cribro anguſtiore, & quæ non tranſeunt minutiæ, in mortario lapideo, nec aliter, tundantur, ne colorem attrahant. idem de rochetta & ſoda, ſed ſeparatim fiat, idque agatur, ut omnia bene tundantur, tranſeantque per cribrum anguſtum. Etenim ut vulgare vitrariorum proverbium fert, in cribro anguſto & lignis aridis ſitum eſt omne decus fornacis. Qualis ergo cunque Sodæ quantitas detur, libræ centum Sodæ, exempli gratia, requirunt ordinarie libras octuaginta quinque uſque ad nonaginta tarſi, quem ſecundum ea, quæ de cryſtallo dicta ſunt, neceſſum eſt ſubtiliter tundere in mortario lapideo, non alio, & tum demum trajicere per cribrum anguſtum, idque ea quantitate, quam bonitas & pinguedo ſodæ requirit, de qua experimento tibi conſtare debet, ut in arte notum eſt. Arenæ poſtea, & maxime illius quæ in Hetruria & Arni valle naſcitur, tarſoque pinguior eſt, & plus ſalis continet, ſemper libræ ſex vel octo in ſingulas centum libras dantur. Hæc tamen arena bene antea lota, & ab omni ſorde purgata, & poſtea bene cribrata ſit neceſſe eſt, ita enim vitrum reddit candidum & pulchrum. Tarſis tamen elegantius vitrum præbet, quam alia qualiſcunque arena, quæ in Hetruria naſcitur. Ubi jam inventa fuerit debita doſis arenæ vel tarſi, primum optime miſcenda eſt cum ſoda vel pulvere orientali bene cribratis, & ſic mittenda in calcariam calentem, & bene extendenda, miſcendo & agitando omnia ope rutabuli, ita ut bene calcinentur, continueturque hic labor, uſque dum omnia coëant in maſſam vel fruſtula magnitudine nucis Ponticæ, idque per horas quinque, ſervato eodem gradu ignis. Etenim ſi ignis debitè continuatus, & materia rutabulo quinque horarum ſpatio bene agitata fuerit, fritta omnibus numeris abſoluta evadet. id quod cognoſces, ſi abrupta à refrigeſcente materia aliquâ ejuſdem particulâ levis atque ita candida appareat, ut tamen flavedinis nonnihil ſecum ferat. Diutius autem quam per horas quinque frittam calcinare licet. Quanto enim plus agitata, quantoque melius calcinata eſt materia, tanto in olla ſolvitur citius, & aliquanto diutius; in calcaria permanens deponit conſumitque rudem illam flavedinem, quam ſecum vehit, vitrumque magis purgatur. Exemta jam è fornace fritta, ita ut eſt calida & ignita, tribus vel quatuor mediolis frigidæ perfunditur, & aliquanto poſt in loco humido frigidoque ſeponitur. Lutum autem quod ſuperat, cum ſal conficitur, ut plurimum in eadem vaſa immittitur, quibus lixivium pulveris continebatur, adjectaque communi aqua, quicquid per illud lutum paulatim reſtagnat, ſubmiſſis catinis excipitur, & lixivium ſatis acre præbet, quod ubi ſubſidere & clareſcere cœpit, ſeorſim ſervatur, eoque fritta per intervalla conſpergitur quæ quidem fritta loco humido accumulata, atque hoc lixivio per duos vel tres, aut quod melius eſt plures menſes conſperſa, lapidis inſtar concreſcit, ut ligone opus ſit ad diffringendam illam, atque tunc paucis admodum horis in olla liqueſcit, vitrumque reddit candidiſſimum, & cryſtallo fere ſimile. Lixivium enim illud ſal ei ſuum largitur, cujus hic effectus eſt. Quod ſi lixivium iſtiuſmodi ad manum non ſit, aqua communi conſpergatur, quæ utut eaſdem quas lixivium vires non habeat utilis tamen eſt, & fuſionem promovet. Et fritta quidem ſemper ſpatium aliquot menſium requirit: augetur enim ea ratione, minus lignorum abſumit, vitrumque reddit magis candidum & operi aptum.

Cap. IX. *Cryſtallum perfectiſſimam facere.*

Recipe frittam cryſtalli, ſedulo, & ad normam eorum, quæ in principio dicta ſunt, factam, eamque in ollam conjice, ſemotis quæ colores continent ollis aliis: fumus enim metallorum, quibus major colorum pars conficitur, cryſtallum reddit deformem & pallidam. Ut autem candida, fulgens & venuſta fiat, frittæ in ollam demiſſæ tantum magneſiæ da, quantum ollæ magnitudo & capacitas requirit, id quod in illorum qui vitra conflant experientia conſiſtit, & ab eorum munere dependet. Magneſiam autem intelligo Pedemontanam, præparatam uti poſtea dicetur. Fornax lignum requirit durum aridumque, quale quernum. Mollioribus enim lignis quaſi inter-mortua nihil agit. Præterea neceſſum eſt, ut aſſidue & leniter inſtigetur, excitandæ flammæ & fumi vitandi gratia, id enim ad venuſtatem cryſtalli plurimum facit. Liquata bene fritta eximatur ex olla, mittaturque in labrum grande terreum, frigidâ repletum, vel in vaſa lignea munda, projici etenim in aquam vult, quo illud efficietur ut ſalis quoddam genus, *Alcali* dictum, abſumatur: quod quidem ſal cryſtallo noxium eſt, illamque obſcuram & nebuloſam reddit: atque in cauſa eſt, ut, quod fœdum viſu, in opere ipſo ſal expuat. Mittatur denuo in ollam puram, & ſæpius, pro rei exigentia, in aquam projiciatur, ut cryſtallus ab omni ſale libera & immunis ſit: totum autem hoc negotium à peritia vitrarii dependet. Inde per quatuor vel ſex dies bulliat. ac quam id fieri poteſt minime ferro moveatur, ſemper enim tincturam ejus nigricando recipit. Ubi jam exacta & clara fuerit, videndum eſt, ſatiſne magneſiæ contineat, ac ſi aliquid ex viridi colore trahere videbitur, magneſiæ plus addendum eſt: animadvertendo, ubi cryſtallum quærimus formoſam, ſemper adhibendam eſſe magneſiam Pedemontanam, ut *Morani* fit: quæ enim ex Thuſcia & Liguria advehitur, plus ferruginei coloris continet, ac nigrum ſemper opus reddit, ideoque vitrarii Pedemontana ſemper utuntur, ut qua meliorem non agnoſcunt. Parcè autem & cum judicio addenda eſt magneſia: colorem enim cryſtallo tribuit ferrugineum, qui tandem in nigrum degenerat, eidemque ſplendorem detrahit. Additâ magneſiâ vitrum bulliat, uſque dum colorem acquirat clarum & fulgentem, Proprium magneſiæ in debita quantitate adhibitæ hoc

hoc eſt, ut ablata rudi viriditate cryſtallum perficiat, eique candidum ſplendorem tribuat. Parce igitur & gradatim adhibenda eſt, ne cryſtallum corrumpat: totum autem hoc negotium à diligentis & ingenioſi artificis peritia dependet, nec pondus aut menſura certa dari poteſt. Ubi jam cryſtallum habueris exactam limpidam & formoſam, id age, ut ſine interruptione in talia vaſa vel opera formetur, quæ tibi quam maxime arrident, minore tamen quam in elaborando communi vitro igne, ſed maxime lucido, & ex lignis durioribus & aridis, ſine fumo. Inſtrumenta autem ferrea, quibus operatius utitur, munda & polita ſint, advertendo, ne collum vel extremitas vitri, qua cannæ adhæret, in ollam cryſtalli projiciatur, ſemper enim aliquid ferrei coloris ſecum trahit, quod cryſtallum vitiat. Hoc ergo ſpecialiter notandum, & particula illa vitri, quæ cannæ annexa fuerat, in ollam vitri communis conjicienda eſt, unde minoris momenti vaſa conficiuntur, quibus hoc nihil obeſt. Atque hic modus eſt elaborandi cryſtallum, quo ſemper uſus ſum.

Cap. X. *Ut cryſtallinum & vitrum candidum, alias vitrum commune dictum fiat.*

Si frittam pulvere factam in ollam miſeris, vitrum habebis candidum & pulchrum, quod vitrum commune vocatur. Quomodo autem fritta ex pulvere & rochetta fiat, ſuo loco perſpicue demonſtratum eſt. Quod ſi frittam rochettâ factam adhibeas, vitrum habebis pulcherrimum, quod medio inter vitrum commune & excoctum, *Bollito* dictum loco eſt, & cryſtallus vocatur. Fornax ſemper calefiat lignis durioribus & ſiccis, cavendo fumum, qui ſemper noxius eſt, & nigrum opus reddit, Vitro, tam communi, quam cryſtallino ſua doſis, & ſua magneſiæ Pedemontanæ præparatæ pars detur ut de Bollito vel cryſtallo dictum eſt, & pulchrum evadet. Magneſia enim quicquid viriditatis habent aufert. Cryſtallinum ſemper in aquam projiciendum eſt, & vitrum habebis candidum & ſpecioſum. Idem vitro communi fieri poteſt, ut perfectum evadat. Inde in ollam redeant more ſolito, & ubi purgata fuerint, elaboranda ſunt, prout uſus poſtulat: notando, projectionem in aquam in uniuſcujuſque arbitrio ſitam eſſe, & omitti, ſi voles, poſſe: at verò ſi vitrum ſolito formoſius deſideras, neceſſaria eſt: præterquam enim quod vitrum reddit candidum, etiam hoc ei præſtat, ut calcinetur & bene purgetur, minuſque puſtularum habeat. Animadvertendum etiam quam maxime hoc eſt, ſi libris centum cryſtallini totidemque communis vitri, ſingulis ſeorſim, libras decem ſalis tartari purificati addideris, vitrum efficies & cryſtallinum citra controverſiam ſolito elegantius & operi magis aptum cavendo ne in cryſtallinum projicias extremitates illas vitri, quæ cannæ ferreæ adhærent; ſemper enim colorem nigrum progenerant, ideoque in vitrum commune projiciuntur, ſal tartari addendum, interim, dum fritta fit, miſcendumque cum tarſo vel arena, & cum pulvere vel rochetta cribrata, frittaque more ſolito paranda eſt. Modus autem purificandi in hos uſus ſal tartari, is eſt, qui ſequitur.

Cap. XI. *Ut* ſal tartari *purificetur.*

Recipe tartarum, vel grumos vini rubri, craſſiores, non pulverulentos, eoſque in ollis terreis inter accenſos carbones ure, ut in nigram calcem redigantur, omniſque pinguedo abſumatur, ac jam albeſcere incipiant, albi tamen nondum ſint, id enim ex re non eſſet. Hoc tartarum ea ratione calcinatum mittatur in vaſa terrea vitriata, & aqua communi repleta, bulliatque ad ignem lentum ita ut horis duabus quarta pars aquæ abſumatur. Tunc auferatur ab igne, & aqua refrigeſcens, ubi inclaruit, decantetur & acre lixivium dabit. Impleantur vaſa, quibus reliquiæ tartari continentur aqua communi, bulliantque ut ante, idque repetatur, ut ſalſi nihil in aqua remaneat, quo facto aqua omnis filtretur, & lixivium clarum filtratumque in ampullis vitreis ſuper cinere ad lentum ignem evaporet, ac in fundo ſal candidum remanebit, quod aqua communi ſolutum, ubi per biduum quievit, denuo filtretur, & ad lentum ignem in ampullis ut antea evaporet, remanebitque in fundo ſal longe quam antea candidius. Repetatur hic proceſſus ter quaterque, & ſal habebis nive candidius, & à magna parte terreſtreitatis ſuæ liberum, quod pulveri vel rochettæ cribratæ, cum debita quantitate tarſi vel arenæ admiſſum, frittam, & poſtea cryſtallinum & commune vitrum multo quam alias melius dabit.

Cap. XII. Zaffetam *præparare, ut coloribus in arte vitraria inſerviat.*

Recipiantur fruſta majora Zaffetæ, mittanturque in vaſa terrea, & per dimidium diem in camera fornacis ſerventur: inde in tudicula ferrea ad ignem fornacis candeſcant, extractaque acri aceto conſpergantur. Poſtea ubi jam refrixerint ſuper porphyrite ad lævorem ſubigantur, & in vaſis vitriatis calidâ ſæpius laventur, ita tamen ut Zaffera ſemper reſidere in fundo permittatur: quo facto aqua leniter decantetur, ita enim ſpurcities & terreſtreitas omnis auferetur, & ſola Zaffera in fundo remanebit, quæ ſiccata & vaſis clauſis in uſus aſſervata, vitrum egregie & longe quam antea melius tinget.

Cap. XIII. Magneſiam *præparare, tingendo vitro.*

Recipiatur magneſia Pedemontana: omnium enim, quas nunc quidem vitrarii norunt, optima eſt, & Venetiis copioſe proſtat, eâque ſolâ *Maranenſes* utuntur. Utut enim in Thuſcia & Liguria large proveniat, ferri tamen plurimum continet, nigrumque & ſpurcum colorem reddit, cum econtra Pedemontana ſpanum pulcherrimum faciat, & poſtremo vitrum ablata viriditate candidum relinquat. Hujus ergo magneſiæ fruſta in tudicula ferrea igne fornacis reverberentur, ac jam candentia acri aceto conſpergantur; poſtea macerentur ſubtiliter, laventurque aliquoties calidâ, non ſecus atque Zafferæ fruſta. Inde ſiccentur, redigantur in pulverem, & ſervetur vaſe clauſo ad uſum.

Cap. XIV. *Ut* Ferrettum Hiſpanicum *fiat colorando vitro.*

Ferretum facere nihil aliud eſt, quam æs ea ratione calcinare, ut recluſam tincturam ſuam vitro communicare poſſit: atque hac calcinatione bene facta illud efficitur, ut in vitro colores diverſi & valdè ſpecioſi appareant. Variis autem modis illa fit, quorum ego duo deſcribam, faciles, & quibus non ſine inſigni effectu multoties uſus ſum: ac prior quidem hic eſt.

Habeas laminas æris tenues, craſſitiei Florentinarum, adſitque unum vel plura crucibula, in quorum fundo ſtratum facies ex pulveriſato ſulphure, impoſitiſque alternatim laminis & pulvere, eodem ordine procedes, uſque dum crucibulum impleatur, id quod ſtratificare vocant. Crucibulum hoc luto bene obductum & ſiccatum in fornacem anemiam mittitur & accenſis infra carbonibus per duas horas igne urgetur valido: refrigerato poſtea crucibulo æs calcinatum invenies, quod digitis inſtar terræ ſiccioris confractum colorem reddet nigricantem & ſubruffum. Hoc æs ſubtiliter maceratum, cribro anguſtiore cribratur & ſervatur uſui.

Cap. XV. *Alius modus faciendi* Ferrettum.

Hic ſecundus modus faciendi ferrettum, magis quidem operoſus eſt, ſed effectum in vitro extraordinarium producit. Æs ergo loco ſulphuris cum vitriolo ſtratificetur calcineturque, & per triduum in camera fornacis prope *foramen*, Italis *occhio* dictum detineatur. Deinde extrahatur, recenti vitriolo ſtratificetur, reverberetur que ut ſupra; atque hæc calcinatio cum vitriolo ſexies iterata ferrettum dabit nobiliſſimum, quod tingendis vitris effectum præbet plus quam ordinarium.

Cap. XVI. *Ut crocus ferri, vel ut vulgo dicitur, Martis fiat, tingendo vitro.*

Crocus Martis nihil aliud eſt quam ſubtilis calcinatio ferri, qua mediante tinctura ejuſdem quæ in vitro rubicundiſſima eſt, ita recluditur, ut communicata vitro, non ipſa modo ſeſe manifeſtet, ſed hoc etiam efficiat, ut omnes alii colores metallici, qui alias in vitro occulti & quaſi mortui intercciderent, formoſi & ſplendidi appareant, Hoc enim illud remedium eſt, quo occulta metallica in lucem producuntur. Ego quatuor modos præparandi crocum dabo, quorum primus hic eſt.

Recipiatur limatura ferri, vel quod melius eſt chalybis, miſceatur cum tribus partibus pulverati ſulphuris, & in crucibulo, uti ſupra de ferretto dictum eſt, calcinetur, omneque ſulphur comburatur, id quod propere fit & inter carbones ardentes per horas quatuor detineatur. Poſtea extrahatur, redigaturque in pulverem, & per cribrum anguſtum trajiciatur. Deinde mittatur in crucibulum opertum & lutatum, ſtetque in camera fornacis prope foramen *occhio* dictum per dies quindecim vel plures, & colorem aſſumet ex ſubruffo puniceum & quaſi purpuraſcentem, ſervetur vaſe clauſo, ad tingendum vitrum: plures enim egregios effectus præſtat.

Cap. XVI. *Ut crocus Martis alia ratione fiat.*

Hic ſecundus modus præparandi crocum Martis, quanquam perfacilis, magnifaciendus tamen potius quam ſpernendus eſt. Etenim crocus ea ratione facta, efficit, ut vitrum ſanguineum colorem referat, eſtque talis.

Recipiatur limatura ferri, vel quod melius eſt chalybis, miſceatur bene in vaſis fictilibus aceto forti, id eſt irroretur hactenus, ut maſſa tota humectetur & madefiat. Poſtea extendatur in vaſe, exponaturque ſoli, ut ſiccefcat, vel abſente ſole, relinquatur in aëre Ubi jam ſiccata fuerit tundatur; conglobata enim erit, irroreturque recenti aceto, ſiccetur & tundatur ut antea, idque octies repetatur, ac tandem contuſa tranſeat per cribrum anguſtum, & pulverem dabit ſubtiliſſimum, colore lateris contuſi, qui vaſe bene clauſo ſervetur ad coloranda vitra.

Cap. XVII. *Alius modus faciendi* crocum Martis.

Hic tertius modus præparandi crocum Martis, beneficio aquæ fortis iſtiuſmodi eſt, ut intimus color ferri ſeipſum, magis quam credibile eſt, manifeſtet, id quod in vitro apparet. Ferri ergo vel chalybis limatura in vaſe terreo vitriato irroretur aqua forti, & ſiccetur in ſole. Deinde redigatur in pulverem, conſpergatur aqua forti, & ſiccetur, idque ſæpius repetatur. Aſſumpto poſtea colore ſubruffo, ut de croco Martis ſulphure facto dictum eſt, teratur, cribretur, & tingendo vitro ſervetur.

Cap. XIX. *Alia ratio præparandi* crocum Martis.

Hic quartus & ultimus, ac fortaſſe omnium optimus modus eſt, faciendi crocum Martis, quem nunc demonſtro, ita tamen ut nullus eorum, quos demonſtravi, non per ſe bonus ac perfectus, atque adeo propter diverſos, qui requiruntur colores, neceſſarius ſit. Solvatur ergo limatura ferri, vel quod melius eſt chalybis in vaſe vitreo bene clauſo aquâ forti regiâ, ſale armoniaco, ut moris eſt factâ, uti poſtea de calcedonio dicetur, ſerveturque per triduum, ita ut quotidie bene agitetur: advertendo, ut ſenſim limaturam addas, valde enim intumeſcit, & niſi caute tractetur, vitro periculum rupturæ minatur, vel omnia foras evomit. Exacto triduo aqua ad ignem lentum evaporet, atque in fundo crocum Martis nobiliſſimum invenies, quo vitra ſtupendum in modum tinguntur, quem in uſus tuos ſervabis.

Cap. XX. *Quomodo bracteolæ cupri tremulæ vel crepitantes, Italis tremolante vel orpello dictæ, calcinentur, quibus vitrum cæruleo vel picæ marinæ tingitur.*

Bracteolæ æris crepitantes, à tremendo, quod notiſſimum eſt; Italis tremolante dictæ, æris quædam à cadmia aureo colore tincti ſpecies ſunt: atque hæc cadmia non æs modo tingit, ſed cum eodem conjuncta pondus quoque ejuſdem non parum auget, & ab hoc augmento, æs ubi bene calcinatum fuerit, etiam hoc habet, ut vitrum, quod viſu jucundum eſt, medio inter aquæ marinæ, & cœli, cum ſudum eſt colorem modo tingat; quare neceſſe eſt ut cum cura calcinetur, id quod appoſite hac ratione fit.

Recipiantur æs crepitans vel tremulum, tale ſcilicet (ut impenſæ minuantur) quod uſui antea & coroilis inſerviit, idque forfice concidatur, & in crucibulum opertum lutatumque inditum, in medios carbones fornacis ardentes mittatur. Ego illud in præfurnio, ubi ignis ſuſcitatur, per dies quatuor igne valido detinebam, ita tamen ut non liqueſceret: fruſtranea enim omnis opera fuiſſet. Exacto hoc quatriduo optime calcinatum erat, id quod minutiſſime contuſum per anguſtius cribrum trajiciebam, & in porphyrite optime terebam, prodibatque pulvis nigricans, quem in tegulis extenſum per dies quatuor in area cameræ fornacis, prope rotundum ejuſdem foramen detinebam, & demptis qui inciderant cineribus, in pulverem redactum, cribratumque in uſus meos ſervabam. Bonæ calcinationis ſignum eſt ſi vitrum addito hoc pulvere valde intumeſcat: niſi enim hoc fiat æs male calcinatum, vel nimio calore aduſtum eſt, quo utroque caſu vitrum neque tingitur, neque intumeſcit. Hoc ergo notetur, cum ad praxin pertineat.

Cap. XXI. *Ut idem æs aliter calcinetur, & color ruber pellucidus nec non flavus onychinus fiat.*

Recipe æs tremulum, forfice ut antea dictum eſt minutim conciſum; ſtratificetur in crucibulo ſulphure pulverato & in candentes carbones mittatur. Ego illud ad calcinandum in præfurnio per horas viginti quatuor detinebam, contuſumque & cribratum in terreo vaſe operto ad reverberandum in camera fornacis per decem horas ſtare permittebam, & deinde pulveratum tritumque ad uſus meos ſervabam.

Cap. XXII. Color aquæ marinæ, *in arte vitraria primarius.*

Aqua marina, vel color eo nomine dictus è præcipuis

puis, quibus vitra inficiuntur, coloribus eſt, & ſi pulchrum illum & exquiſitum facere deſideras, è bollito vel artificiali cryſtallo fiat neceſſe eſt. Etenim vitro communi factus, pulcher non eſt. Jam qui cryſtallino fit, magis quidem elegans, ſed omnium optimus eſt qui bollito vel artificiali cryſtallo paratur: notando, ut aquæ marinæ colorem facturus, nulla ratione magneſiam addas; utut enim igne conſumatur, vitro tamen iſtiuſmodi qualitatem dat, ut aqua marina ſemper nigricare videatur, ac minus perfecta magiſque deformis appareat. Ut ergo aquam marinam elegantem & venuſtam facias, frittam cryſtalli recipe, eamque nulla addita magneſia in ollam mitte, & ubi jam vitrum bene coctum purgatumque fuerit, ſal quod vitro inſtar olei innatat cochleari vitrariorum ferreo, ut notum eſt diligentiſſime auferatur; niſi enim id fiat color deformis & unguinoſus reddetur. Ubi jam vitrum optime purgatum fuerit, ad viginti libras cryſtalli, aut circiter, addantur æris tremuli, eo, qui *capite vigeſimo* occaſione coloris cœrulei & picæ marinæ deſcriptus eſt modo calcinati præparatique unciæ ſex, nec non zafferæ præparatæ pars quarta, ſed ita, ut hi duo pulveres antea bene miſceantur, & ſenſim ac per vices in ollam mittantur. Etenim æs tremulum, bene & ſufficienter calcinatum, uſque adeo intumeſcit, ut vitrum omne è catino propellat: quare attentione opus eſt, & aſſiduo vitri motu. His peractis vitrum per tres horas quieſcat, ut colorem imbibat, & poſtea denuo miſceatur, captoque experimento videatur, an ſatis plenus color ſit, nec ne, ut intendere illum vel diluere, ſi opus ſit, poſſis. Etenim vaſa & pocula operis tenuioris colorem magis plenum, vaſa majora dilutum magis requirunt, & pro ratione operis vel intendendus vel diluendus eſt color, id quod judicio vitrarii relinquitur. Uſu tamen receptum eſt, ut experimento facto ſemper id quod minus eſt ſequamur, cum intendere colores, illos præſertim, quos vitro bene depurato damus, nunquam non in proclivi ſit. Exactis ab addito pulvere horis viginti quatuor, elaborandum erit vitrum: animadvertendo ſemper, uti antea quam operi manus adhibeatur, vitrum inde à fundo ollæ, & per totum bene miſceatur, & color miſcendo diffundatur. Etenim quieſcente vitro color fundum petit, & pars vitri ſuperior colore deſtituitur: miſceatur ergo ſubinde, prout neceſſitas requirit. Idem ordo, eademque doſis & regula in ollis cryſtalli majoribus ſervatur. Atque hunc modum faciendi aquam marinam Florentiæ anno 1602. expertus ſum, & plurima egregii coloris vaſa in uſus domeſticos feci. Notetur *Murani* ad iſtiuſmodi opera æquale pondus frittæ cryſtalli & rochettæ adhiberi, nec tamen eo minus elegantem aquæ marinæ colorem prodire. Elegantiſſimus tamen ex ſola cryſtallo.

Cap. XXIII. Cæruleus *vel aqua marina.*

Habeas in fornace ollam vitri depurgati ex fritta rochettæ vel ſodæ Hiſpanicæ: rochetta tamen orientalis huic negotio aptiſſima eſt. Ubi vitrum optime purgatum fuerit, in ollam librarum viginti dantur æris tremuli, ex præſcripto *capitis vigeſimi* bene calcinati, ſervatâ eadem, ut in aqua marina dictum, methodo, unciæ ſex: advertendo, ut ſal vitro innatans, id quod vitrarii optime norunt, diligentiſſime auferatur, & color prodibit cæruleus & picæ marinæ admirandus, qui, ut artifices norunt, pro ratione operis vel augetur vel minuitur. Elapſis duabus horis vitrum denuo bene miſceatur, factoque experimento videatur an color ſatis plenus ſit, ut augeri adjecto novo pulvere, vel dilui poſſit: ac ubi jam voto reſponderit, per horas viginti quatuor relinquatur, ac tum demum miſceatur & elaboretur, color enim erit cœruleus & aquæ marinæ pulcherrimus, & ab omnibus aliis coloribus qui in arte vitraria fiunt, diverſus; atque hoc colore Piſis anno 1602. ollas longe plurimas infeci, pulcherrimas & omnium perfectiſſimas.

Cap. XXIV. Pulvis ruber, *multis in vitro coloribus inſerviens.*

Recipe laminas æris tenues eaſque in arcu fornacis muro ſecluſas tantiſper detineto, donec ſimplici igne ſolæ & per ſe calcinatæ fuerint, ita tamen ut non liliquefiant: nihil enim inde boni fieret. Ubi jam calcinatæ fuerint, tundantur, & in pulverem redigantur, prodibitque pulvis ruber, qui ad varios in arte vitraria neceſſarios uſus ſervetur.

Cap. XXV. Æs ter calcinatum *tingendo vitro.*

Pulvis ruber ſupra dictus mittatur in fornaculam vel arcum fornacis, circa foramen occhio dictum in tegulis vel lateribus coctis, calcineturque per quatriduum continuum, & pulverem dabit nigrum conglobatumque. Teratur denuo, cribreturque cribro anguſtiore, & calcinetur in arcu fornacis, ut antea, per dies quatuor, vel quinque; & neque coacervabitur amplius, neque pulvis uſque adeo niger erit, ſed in leucophæum colorem inclinabit & per ſe diſſolvetur. Hoc pulvere, qui Italis *ramina di tre cotte* vocatur, aqua marina, viride ſmaragdinum, color Arabicus, vel ut vulgo Turcinus, nec non cæruleus admodum ſpecioſus multique alii colores fiunt. Advertatur tamen ne tertia vice vel plus vel minus quam par eſt calcinetur, neutro enim caſu vitrum bene tingeret. Signum autem perfectæ calcinationis eſt, ſi vitrum in ollis purgatum addito hoc pulvere derepente intumeſcat & inffletur: niſi enim hoc fiat, malæ notæ, & minus bene calcinatus eſt pulvis. Huc ergo res deducatur, ut perfecte calcinetur.

Cap. XXVI. Aqua marina *in cryſtallo artificiali, Italis* Bollito *dicta.*

In ollam frittæ cryſtalli librarum quadraginta, quæ magneſiam admiſtam non habeat, ſed accuratiſſime, ut ego citra trajectionem in aquam ſoleo, deſpumata, nec non optime excocta purgataque ſit, dentur unciæ duodecim æris, ut ſupra *capite vigeſimo quinto* dictum eſt, ter calcinati, nec non zafferæ, eo qui *capite duodecimo* demonſtratus eſt modo præparatæ uncia dimidia, unitique bene hi duo pulveres, & in quatuor partes diviſi quatuor diſtinctis vicibus in ollam mittantur, ut eo melius à vitro recipiantur. Miſceatur vitrum diligentiſſime, & ubi per duas horas requieverit, ac denuo miſtum fuerit, experimento facto videatur, an color ſatis plenus ſit, & ſi voto reſpondeat, ſtare permittatur. Utut enim aqua marina vireſcere videatur, ſal tamen, quod vitro ineſt, abſumet illam viriditatem, & ſemper in colorem inclinabit cœruleum. Exactis viginti quatuor horis operi ſeſe accingere licebit omniaque parata & color vel plenus vel dilutus erit, prout plus minuſve pulveris addideris. Colores enim ut addito novo pulvere intenduntur, ita demta vitri tincti, additaque alia ejuſdem naturæ & qualitatis vitri non tincti parte diluuntur, atque ea ratione ad optatum terminum deducuntur. Nullis enim certis regulis hoc comprehendi poteſt, ſed à vitrarii & artificis prudentia dependet. Hunc aquæ marinæ colorem parandi modum ſæpius expertus ſum nunquam fallente experientia: quod ſi frittæ cryſtalli partem dimidiam frittæ rochettæ admiſcueris, aquam marinam habebis pulchram: omnium tamen longe pulcherrima ex ſola cryſtallo fit.

Cap. XXVII. *Obſervationes generales in omni colorum genere.*

Ut colores pulcherrimi & ſumme perfecti evadant, advertatur, quod olla quævis recens, dum prima vice incaleſcit, ob terreſtrem ſuam qualitatem vitro rude quidpiam imprimit, quo mediante colores omnes, qui tunc fiunt, ſylveſtres & illepidi apparent, quare ollæ non admodum magnæ vitro albo fuſo, quod artificibus notum eſt, induci poſſunt. Secunda tamen vice periiſſe videbitur ſylveſtre illud & illepidum. Notetur ſecundo, in ollas huic vel colori inſervientes, non eſſe mittendum vitrum alterius generis colori deſtinatum. Exempli gratia: Olla flavo colori inſerviens, parando coccineo apta non eſt, nec quæ coccineo inſervit viridi, uti nec rubro inſerviens aquæ marinæ colorem fert, & ſic porro: ſed unuſquiſque color, ut perfectus evadat, propriam ſuam ollam deſiderat. Notetur tertio ut pulveres debita ratione, & neque plus neque minus quam par eſt calcinati ſint. Quarto ut omnia in debita proportione & doſi adhibeantur, & miſtura ex præſcripto fiat fornaxque bene calida ſit, & lignis incaleſcat ſiccis, & durioribus. Ligna enim viridia, minuſque dura exiguo ſuo calore, & fumo omnia corrumpunt. Quinto notandum eſt, ut color per partes adhibeatur, id eſt, ut pars una frittæ, altera vitro fuſo & bene purgato detur. Alia etiam obſervanda ſunt quæ ſuo loco, ubi ſpeciatim de coloribus egerimus, dicentur.

Cap. XXVIII. *Æs alio faciliore modo, & ſumtu minore ter calcinare.*

Recipe ſcoriam, quæ dum fabri ærarii urnas, ſitulas, aliaque ex ære candefacto armamenta fabricantur, decidit; minoris enim quam æs ſolidum emitur, neque ut calcinetur ſtructo vel deſtructo in arcu vel teſtudine fornacis muro, ut antea, opus habet, id quod per ſe moleſtum eſt, & magnas in fornace turbas dat. Hanc inquam ſcoriam ab omnibus heterogeneis purgatam, calidaque bene lotam & in lateres vel tegulas coctas impoſitam, in arcu fornacis circa foramen, vel in fornacula huic operi ſpecialiter dicata ſepone: Ego Piſis, exſtructa iſtiuſmodi fornaculâ in modum parvæ calcariæ nonnunquam viginti vel viginti quatuor libras hujus ſcoriæ exiguo aliquot horarum ſpatio calcinavi. Ergo in arcu prope foramen fornacis per dies quatuor ſtet, extractaque tundatur, tranſeatque per cribrum auguſtum, ac denuo in tegulis vel lateribus coctis in eodem loco & caloris gradu ut ſupra per dies quatuor detineatur, & prodibit pulvis niger, qui conglobatus, tundatur, cribretur cribro anguſto, & in tegulis coctis in eodem ut antea calore & loco ſeponatur, & minore quam ſupra faſtidio & ſumtu optime præparata erit, eundemque ſemper in tingendo vitro effectum præſtabit: advertendo, ut quemadmodum ſupra dictum eſt, antea quam calcinetur ab omni terreſtri materia ſedulo purgetur laveturque. Scoriæ bene præparatæ ſignum eſt, ſi vitro addita intumeſcere illud atque turgere faciat.

Cap. XXIX. *Elegans ex hac ſcoria aqua marina color in cryſtallo.*

Recipe ollam librarum ſexaginta frittæ cryſtalli, à ſale ut ſupra dictum eſt, optimè purgatæ & in aquam non trajectæ, (mihi enim in more poſitum non fuit, ut aquam marinam facturus cryſtallum in aquam trajicerem, videbaturque mihi ea ratione melius procedere negotium: liberum tamen cuivis erit, uti illud ſequatur, quod experimento facto optimum videbitur) in hanc ollam librarum ſexaginta cryſtalli bene purgatæ, ſenſim & per vices mitte libram unam cum dimidia ſcoriæ, ut antea dictum eſt, minore ſumtu factæ, nec non zafferæ præparatæ, & cum pulvere ſcoriæ bene miſtæ uncias quatuor, eaque omnia cum vitro per duas horas ſedulo miſceantur, omnibuſque bene miſtis experimentum fiat, & ſi color placuerit, ſtare permittatur: neque enim opus eſt ut color viginti quatuor horarum ſpatio augeatur. Deinde movendo ut antea, miſceatur vitrum, ut colorem bene imbibat, elaboreturque ut cuique placuerit, & aquam marinam pulcherrimam dabit, quemadmodum ego felici ſucceſſu multoties expertus ſum. Color autem minus vel magis augendus eſt pro ratione operis cui inſervire debet. Præcipue autem id agendum eſt, ut ſcoria bene calcinata ſit. Si frittæ rochettæ alterum tantum frittæ cryſtalli admiſceas, aqua marina omnibus modis pulchra erit.

Cap. XXX. Aquæ marinæ color *impendio minore factus.*

Eadem ut antea dictum eſt, præparatæ ſcoriæ, nec non prædicta doſis zafferæ, eadem ratione & forma detur rochettæ orientali & Hiſpanicæ, ita tamen ut neutra earum magneſiam contineat, nec in aquam projecta, ſed à ſale optime purgata ſit, ſervatis, quantum ad reliqua, iſtiuſmodi regulis, quas ſupra in cryſtallo memoravimus, & aqua marina ſatis pulchra & cuicunque operi apta evadet, multoque minore quam cryſtallus pretio emitur. Hac ratione illam ſæpius Piſis & ſemper felici cum ſucceſſu feci.

Cap. XXXI. Aqua marina *propriæ inventionis ſupra omnes alias admiranda.*

Caput mortuum vitrioli Veneris, ſine corroſivis Chymice factum, ſi per aliquot dies in aëre ſteterit, ſponte ſua, citra omne artificium, colorem recipit viridem ſubalbum. Ex hac materia, ſi in pulverem redigatur, & cum eadem zafferæ præparatæ, ut in aliis ſcoriæ præparationibus dictum eſt doſi, eodemque procedendi modo cryſtallo detur, aqua marina fiet admirabilis & ſtupendæ pulchritudinis, qualem ego Antverpiæ ſæpius feci, mirantibus cunctis qui illam viderunt. Modus ſpagyrice ſine corroſivis faciendi vitriolum Veneris hic eſt, ut bracteas æris tenues, magnitudine dimidiati Florentini recipias, & in promtu ſit unum vel plura crucibula, in quibus alternatim ſtratum ex ſulphure communi pulverato & æris bracteis facies, uſque dum crucibula impleantur, & omnes æris bracteæ abſumtæ ſint, id quod ſtratificare vocant. Hoc peracto tegantur crucibula, eo qui capite 131. ſequitur modo, ut experimentum fieri poſſit. Hunc modum nullus quod ſciam expertus eſt, ſed ego *Antonius Neri Sacerdos* experimento facto admirandum illum, ut ſupra dictum eſt, inveni, ideoque propriæ inventionis illum eſſe dico.

Cap. XXXII. Viride *in vitro* ſmaragdinum.

Dum viridis color fit, conſiderandum eſt, ne vitrum multum ſalis contineat. Etenim ſi iſtiuſmodi vitrum adhibeas, quod ſalis plurimum habet, quale illud eſt, quod ex rochetta & cryſtallo fit, viride pulchrum non fiet, ſed aqua marina potius. Sale enim viride illud abſumitur, & vitrum ſemper in cyaneum vel aquæ marinæ colore propendet. Quare ſi pulchrum viride facere animus eſt, metallum commune, id eſt ex pulvere, ut *capite octavo* demonſtratur, factum in ollam mitte: atque hoc vitrum magneſiæ nihil contineat: opus enim nigrum & deforme redderet. Ubi vitrum optime fuſum & purgatum fuerit addantur exempli gratia ad libras centum vitri, unciæ circiter

circiter tres croci Martis, aceto, ut *capite decimo ſeptimo* demonſtratum eſt calcinati. Miſceatur bene vitrum, & per horæ ſpatium quieſcat, ut tincturam croci imbibat: ita enim nonnihil flaveſcet, abſumeturque rude illud cœruleum, quod eidem ſemper ineſt, facietque ut ſuſcipere colorem viridem poſſit. Tunc ergo adſit ſcoria æris, eo qui *capite decimo ſeptimo* demonſtratus eſt modo, ter cocta, denturque in centum vitri libras, libræ duæ ejuſdem ſcoriæ, idque ſex vicibus, bene miſcendo pulverem cum vitro. Poſtea quieſcat per duas horas, uniaturque cum vitro. Inde miſceatur denuo, videaturque an pro ratione operis cui inſervire debet ſatis plenus ſit color: in ipſo enim opere plus ſcoriæ addere licet, & colores vel intendendi, vel diluendi ſunt, pro ratione illius operis, quod faciendum ſuſcepimus: nulla enim hic certa regula præſcribi poteſt. Quod ſi color viridis in marinum vel cœruleum tenderet nonnihil croci Martis, ea, uti dictum eſt ratione addi poſſet, & viride ſmaragdi pulcherrimum habebis, quod alio nomine viride pori vocatur, & exactis viginti quatuor horis deduci in opus poterit, advertendo ſemper ut vitrum antea miſceatur, quam operi manus admovetur. Colores enim ſemper fundum petunt, & circa verticem ollæ dilutiores ſunt. Hoc viride ſæpius Piſis & nunquam non eleganter feci, idemque eveniet omnibus, qui ea quæ ſupra dicta ſunt curioſè ſervaverunt.

Cap. XXXIII. Viride *eo quod ſupra dictum eſt elegantius.*

At vero ſi viride eo, de quo ſupra dictum eſt, elegantius, magiſque coruſcans deſideras, in olla cryſtallinum habeas quod magneſia careat, & ſemel vel bis in aquam projectum ſit, ita ut omnis ſalſedo abſumatur. Huic cryſtallino detur pars dimidia vitri communis albi, iſtiuſmodi ſcilicet, quod magneſiam non habeat. Ubi hoc vitrum miſtum, fuſum, & bene fuerit purgatum, recipe in centum vitri libras, libras duas cum dimidia pulveris laminarum æris, in arcu fornacis ut *capite vigeſimo quinto* demonſtratum eſt, ter calcinatarum, nec non uncias duas croci Martis, ſulphure ut *capite decimo ſexto* dictum eſt calcinati & reverberati, omniaque bene mixta, ſervatis iiſdem ut ſupra in dicto viridi regulis, vitro da. Et intendere quidem colorem plus minuſve, prout videbitur, poteris, ac ſi cœrulei quid habuerit, exigua ſupradicti croci portio addenda, vitrumque ipſum haud ſecus atque aliud viride elaborandum erit, & viride habebis pimpinellæ ſtupendum, idque ſæpius Piſis felici cum ſucceſſu feci. Notetur autem ſemper, ut ſcoria bene præparata ſit, ſi colores deſideras elegantes & pulchros.

Cap. XXXIV. Color viridis *admirandus.*

Recipe ſcoriam æris caldarii, ter ut ſupra demonſtratum eſt calcinatam, & loco croci Martis, tot modis, ut ſupra, præparati, ſcoriam ferri ab incude decidentem & à pulvere carbonibus & cinere purgatam, eamque tunde, & quam id fieri poteſt ſubtiliſſime cribra. Miſceatur in ſupra dicta doſi cum ſcoria æris, deturque vitro communi, facto ex pulvere, qui magneſiam non habeat, ſervatis iiſdem ut in viridi regulis. Et hic crocus vel ſcoria Martis colorem tibi dabit viridem ſmaragdinum mirabilem, qui abſumto omni colore cœruleo & marino, qui ordinarie vitro adhæret, inſtar ſmaragdi flaveſcet, ac fulgorem nitoremque præ reliquis viridibus obtinebit. Ut hæc ſcoria ferri detur ſcoriæ æris, id ego *Antonius Neri* inveni. Quod à reliqua, eædem quæ in reliquis viridibus doſes & regulæ ſerventur, & rem habebis ſtupendam, id quod experientia me ſæpius docuit.

Cap. XXXV. Color alius viridis, *qui palmam reliquis à me factis viridibus præripit.*

In ollam vitri librarum decem, cujus pars una cryſtallino ſæpius in aquam projecto, altera vitro communi albo pulvereo conſtet, recipe ſiltræ communis pulvereæ libras quatuor. Huic admiſce libras tres minii, omniaque bene unita in ollam mitte, & paucis horis purgabuntur. Ubi jam purgata fuerint, trajiciantur in aquam, bene advertendo, coierit ne in fundo aliqua plumbi pars; diligenter enim eximenda & abjicienda eſt, ne quod evenire ſolet olla frangatur. Deinde vitrum in aquam projectum denuo mittatur in ollam, & per diem unum purgetur. Poſtea addatur coloritium ex pulvere capitis mortui ſpiritus vitrioli æris chymice facti, cum exigua admodum quantitate croci Martis, & viride prodibit admirandum, & eorum quæ unquam feci pulcherrimum, quod ſmaragdum orientalem optimum referet, formando cujuſcunque generis operi.

Cap. XXXVI. Color cyaneus *vel* turcinus, *in arte vitraria præcipuus.*

Recipe ſal marinum, vulgo nigrum vel rude dictum: candidum enim, quod Volaterris fit, huic operi aptum non eſt: Mittatur in calcariam, vel furnulum, ut calcinetur, omniſque humiditas abſumatur, & album evadat; quo facto teratur, & pulverem dabit candidum. Hoc ſal ea ratione calcinatum ſervetur, ut inde color cyaneus vel turcinus fiat. Porro in olla frittam habeas cryſtalli, aquæ marinæ colore tinctam, de cujus non una præparandi ratione dictum eſt; & color ille quidem venuſtus & ſatis plenus ſit: omnis enim parandi coloris cyanei ratio ab aquæ marinæ qualitate dependet. Huic vitro ita tincto detur ſal marinum ſupradictum, ſenſim, & bene miſcendo, ut in ſcoria fit, & aqua marina ex pellucida & tranſparente opaca fiet: ſal enim dum in vitrum abit, pelluciditatem illam aufert, & pallorem quendam inducit, quo ſenſim color cyaneus vel turcinus, in arte vitraria præcipuus, fit. Cæterum ubi color jam voto reſponderit, ſtatim elaborandum eſt vitrum; ſal enim abſumitur & in vapores abit, vitrumque tranſparens & deforme fit. Quod ſi dum elaboratur color evaneſcat, addatur ut ſupra nonnihil ſalis calcinati & color redibit. Notet vitrarius, hoc ſal niſi bene calcinatum ſit, ſemper crepare; in adhibendo ergo caute agat, oculoſque & viſum à periculo præſervet. Doſis ſalis hæc eſt, ut ſenſim & per intervalla addatur, uſque dum color voto reſpondeat: nulla enim certa menſura aut pondere hic uſus ſum, ſed reſpondente colore ſubſiſtebam, & totum hoc negotium in experientia ſitum eſt. Sæpius hunc colorem feci, ut qui in re familiari neceſſarius, & in arte vitraria maximi momenti & præcipuus eſt: ſufficit tamen in hos uſus recepiſſe aquam marinam ex æqualibus cryſtalli & rochettæ partibus factam, & color evadet optimus.

ANTONII NERI
Florentini de Arte Vitraria
Liber Secundus.

Quo demonſtratur verus modus faciendi Calcedonium, colore Achatis vel Iaſpidis orientalis: nec non præparandi in hunc uſum omne genus colorum; cum modo faciendi aquas fortes & regias, in hac materia neceſſarias: modus præterea calcinandi tartarum, idemque uniendi cum rubri illius coloris genere, quod Itali Roſichiero vocant,

&

& varios undanteſque diverſorum colorum in vitro luſus repræſentat, eique opacitatem illam tribuit, quæ gemmis orientalibus naturalis eſt.

Cap. XXXVII. Quandoquidem in eo ſum, ut demonſtrem modum faciendi Calcedonium, Jaſpidem, & Achatem orientalem, neceſſum erit ut primo doceam præparationem aliquot mineralium huic compoſitioni inſervientium. Utut enim nonnulla ex his paſſim veneant; quia tamen id ago, ut opus prodeat ſummè perfectum, ex re mihi viſum eſt, demonſtrare modum exquiſitum & chymicum, quo mediante hujus artis periti & curioſi, ſine cujuſquam adminiculo quidvis magis perfecte & impenſa minore facere poſſint. Etenim ubi materia debitè præparata, & color metallicus bene recluſus, atque ab omni immunditia & particulis terreſtribus, ſeparatus fuerit, quæ unionem tincturarum cum vitro ordinarie impedire ſolent, dubium nullum eſt, quin vitrum tingatur coloribus vivis, ſplendidis & venuſtis, qui vulgares vitrariorum colores longiſſime ſuperant. Et quia color Calcedonii, vel potius compoſiti illius ex quo fit, nihil aliud eſt, quam coacervatio quædam omnis fere generis colorum, quos vitrum recipit, & vulgo omnibus æquè noti non ſunt; colores etiam ipſi niſi bene præparati ſint, illam venuſtatem & ſplendorem illum, qui requiritur, non exhibent, neceſſum erit, ut metalla aqua forti bene calcinentur, attenuentur, & reſolvantur, æs, ſulphur, vitriolum, ſal armoniacum, & illius generis alia materia diuturnitate temporis & lento igne aperiatur, præpareturque: Ignis enim violentia hîc maxime nocet. Ruber ille color, de quo cap. 124. & tartarum, utut ſummæ perfectionis & bene calcinata ſint, in debita tamen doſi atque proportione, nec non ſuo tempore adhibenda, obſervandumque eſt, ut vitrum bene coctum, purgatum, & operi maturum ſit; & talis in opere induſtria adhibenda eſt, qualem periti artifices adhibere ſolent: hac enim ratione Jaſpidem, Achatem, & Calcedonium orientalem perfecte imitabimur, idque tanta colorum varietate, & undantium macularum venuſtate, tantaque & tam intenſa vivacitate, ut quaſi impoſſibile videatur naturam ad illud faſtigium operis aſcendere poſſe. Quanquam enim vulgo dicatur, verumque eſſe videatur, quod ars naturam æquare non poſſit, experientiâ tamen conſtat, in rebus plurimis, & ſpecialiter in hoc tingendi negotio artem non æquare tantum, ſed longiſſime etiam ſuperare naturam, id quod niſi oculatus teſtis nemo crederet. Elegantia ludorum & varietas, nec non undantes & cum venuſtate variegati colores, qui in calcedonio, ſi materia bene præparata, & vitrum probe elaboratum fuerit, apparent, atque effectus qui inde reſultat, omnem imaginationem & conceptum humanum tranſcendit. Tribus illis, quos doceo, modis, ni fallor apparebit, quo pertingere ars vitraria in hoc negotio poſſit. Etenim omnia particulatim, & uſque adeo diſtinctè demonſtro, ut nullus dubitem, quin periti & ſubacti in ſimilibus negotiis hoc intellecturi ſint, ideoque niſi ſciens volenſque errare nemo poſſit: ſi quis ex præſcripto meo laboraverit, plus inveniet, quam ego dico & revelo.

Cap. XXXVIII. *Modus faciendi* aquam fortem, *vulgo* ſeparationis *dictam, quæ Argentum & Mercurium ſolvit, cum modo ſecreto.*

Recipe nitri purgati partem unam, aluminis roccæ, quòd in patella humorem omnem exhalaverit, partes tres, deturque in ſingulas hujus materiæ libras uncia una arſenici cryſtallini, qui modus ſecretus, nec vulgo notus eſt, & præterquam quod aquæ vires addit, etiam hoc efficit, ut ſpiritus, in quibus verus aquæ nervus & potentia conſiſtit, & quibus demtis, aqua fortis fontanæ ſimilis eſſet, tanto melius extrahantur. Redigantur omnia in pulverem, miſceanturque, & adjectâ decima totius compoſiti parte arenati optime pulverati, remiſceantur. Hujus materiæ tantundem in ampullam vitream mittatur, ut tres circiter vaſis illius partes impleat: ſintque vaſa hæc more ſolito lutata, idque fortis luto, cujus rei, utut vulgaris, & artificis ingenio committendæ, modum tamen non vulgarem docebo. Recipe partem unam limi fluminum pinguioris, qualis eſt *Arni*, arenæ partes tres, cinerum ex lignis ordinariis bene cribratorum partem dimidiam, & tormenti dimidiam alteram. Miſceantur, unianturque hæc omnia, & aqua communi excepta in paſtam redigantur, ſubiganturque optime: quo enim ſubacta magis, eo melior paſta erit. Adverte tamen, ut duriuſcula ſit hæc maſſa, addaturque ſalis communis pars tertia, incorporeturque optime: in hoc enim cardo negotii vertitur. Omnibus bene incorporatis lutentur vitra, & lutum erit perfectum. Poſtea ampullæ mittantur in fornaces vento expoſitas, & huic operi aptas, quæ terra cocta conſtent, & ſuſtinendo igni pares ſint. In fundo ampullarum arena ſit quatuor digitorum altitudine, nec non ferrum craſſiuſculum tranſverſum, oneri ferenda par & vaſa ad collum uſque arenâ circumdentur. Imponatur ſuus cuique ampullæ alembicus, iſque ſatis magnus & capax, & juncturæ optime lutentur luto ex farina tenui, & calce, pulveratis miſtiſque & albumine ovi optime agitato exceptis, & faſcia ex lino tenui obducantur, ſiccatæque ter quater vel quater luto muniantur, ſuperinducta toties faſcia, ac tantum temporis intercedat, ut ſiccari commode poſſint, ita enim ignis violentiam & impetum ſpirituum melius ſuſtinebunt. Apponatur porro cuique vitro recipiens ex vitro capaciſſimum, ut impetum & furias ſpirituum ferre poſſit, & qua parte roſtro alembici jungitur, eadem ut ſupra dictum eſt ratione luto & ſegmento telæ, quam id fieri optime poteſt, obducatur, nec ante ignis adhibeatur, quam ſiccatæ fuerint juncturæ: magni enim hæc res momenti eſt. Poſtea ignis adhibeatur, ſed carbonum & temperatus, idque per tres horas, quo temporis ſpatio flatulentus ille humor, qui vitris rupturam minatur, tranſit. Continuetur hac ratione per horas ſex igne temperato, & poſtea ſenſim augeatur ignis, adjiciendo ad carbones fruſta ligni aridioris quercini, idque per proximas ſex horas, uſque dum alembicus flaveſcere, & tranſire ſpiritus incipiant: atque in hoc gradu ſervetur ignis, donec alembicus ſimul & recipiens ruffo & tandem intenſo rubini colore tingantur, quò tempore augendus eſt ignis, continuandumque donec alembicus rubere incipiat, qui color quandoque per integrum biduum durat. Inſtandum ergo operi, uſque dum omnes ſpiritus tranſierint, & alembicus atque recipiens inclareſcere pedetentim, atque ad naturalem ſuam albedinem redire & refrigerari cœperint. Nihilo tamen minus per horæ ſpatium adhibeatur ignis, & tum demum fornax per ſe refrigeſcat: advertendo, ne dum ignis æſtuat, & alembicus pariter & recipiens rubent, ventus vel aura frigidior ſubintret, aut frigidi quidquam vitra attingat: Etenim quia tum maxime calent, facillime diſrumpuntur, idque cum jactura laboris, impenſarum & temporis. Ubi jam omnia frigent alembicus ſimul & recipiens panniculis madidis, & frigidâ bene repletis tegantur, ut ſpiritus aquæ fortis tanto ſidant citius, & omnia per 12. horas in eo ſtatu relinquantur. Juncturæ poſtea & lutum aqua tepida madefiant, ut iiſdem humeſcentibus demi ligaturæ & alembicus atque recipiens diſſolvi poſſint:

plerum-

plerumque enim hæc integra manent. Et ampullæ quidem frangantur: uſui enim amplius eſſe non poſſunt. Feces autem & ſedimenta aquæ fortis, id eſt pars ejuſdem tertia optime pulverata, adjectis in ſingulas libras unciis quatuor nitri purgati in ampullam novam mittatur, additaque eadem, quæ antea prodierat, aqua forti, cum ſuo alembico & recipiente bene junctis, lutatis & ſiccatis ut ſupra in fornace deponatur, & primis quatuor horis ignis lentus adhibeatur, iſque poſtea ſenſim augeatur, uſque dum alembicus & recipiens albeſcant & ſpiritus omnes tranſierint, quo tempore ignis ultra ſtimulandus non eſt, ſed cuncta refrigerari permittantur, & alembicus ſimul & recipiens panniculis madidis obvolvatur, idque per horas duodecim, & juncturæ eo quo dictum eſt modo ſolventur. Aqua fortis vaſis vitreis excipiatur, & vaſe clauſo ne optimi ſpiritus exhalent adſervetur. Hæc eſt illa aqua fortis vulgo ſeparationis dicta, quæ infraſcriptis uſibus inſervit. Nonnulli loco aluminis roccæ vitriolum optimum, Romanum ſcilicet vel aliud ſimile adſumunt. Utrum autem ad hos uſus aptum ſit vitriolum, nec ne, ex eo cognoſcitur, ſi fricatum ſuper ferro polito, æris colorem ei tribuat: & hoc vitriolum infra ſcripto modo purgatum præ alumine aquam fortem dabit longe potentiſſimam.

Cap. XXXIX. *Ut* vitriolum *purgetur & aqua fortis potentiſſima fiat.*

Habeas vitriolum optimum: quanto enim vitriolum melius eſt, tanto potentior aqua fortis erit. Hoc vitriolum aquâ communi calida ſolvatur, & per triduum quieſcat. Poſtea filtretur aqua vitriolo gravis. Feces flaveſcentes removeantur, evaporetque hæc aqua in ampullis vitreis, ita ut tertia tantum ejuſdem pars remaneat, quæ catillis vitreatis terreis, loco frigido ſervetur, & duodecim horarum ſpatio lapilli vitrioli, inſtar cryſtalli montanæ, coloris ſmaragdini, in ſuperficie aquæ circa labrum catillorum apparebunt, & in fundo terra relinquetur flaveſcens ſulphurea, & huic operi minus apta, ſolvantur hi lapilli communi calida, & aqua ſolutiones filtretur evaporetque in vaſis, & procedatur ut ſupra, ſemper abjiciendo terram illam flavam, quæ in fundo reſidet, & tertia vice vitriolum bene purgatum aptumque erit, ut aqua fortis optima & ſolito potentior, fiat maxime ſi nitrum bene purgatum ſit.

Cap. XL. *Ut* aqua regia *fiat, qua aurum & metalla reliqua diſſolvuntur, ſolo argento excepto.*

Recipiatur aqua fortis ſupradicta, mittaturque in ampullam minorem vitream, atque in ſingulas aquæ libras dentur ſalis armoniaci pulverati unciæ duæ, ipſaque ampulla mittatur in vas calida repletum, & ſal armoniacum commota ſæpius aqua ſtatim ſolvetur, tingeturque flavo colore. Addatur denuo tantum ſalis, quantum diſſolvere aqua poteſt, & ubi jam ſolvere deſierit aliquantiſper requieſcat. Poſtea quicquid limpidum erit leniter decantetur. Etenim in fundo remanere ſolet, quidquid terreni ſal armoniacum continet: habebiſque aquam potentem, quæ aurum aliaque metalla, excepto argento diſſolvit: id enim non attingit.

Cap. XLI. *Ut* Tartarum, *fex vini dictum, uratur.*

Habeas tartarum vel feces vini rubri, melior enim eſt quam albi idque conſtet ex fruſtis majoribus craſſiuſculis & ſcintillantibus, remoto ejuſdem pulvere, qui nulli hic uſui eſſe poteſt. Mittatur ita uti eſt in vaſa nova terrea, & ſub incenſis carbonibus uratur, uſque dum non amplius fumet, atque calcinatum & in maſſam redactum ſit coloris ex nigro purpuraſcentis, & uſtum præparatum erit.

Cap. XLI. *Ut* Calcedonius *ex vitro ſatis formoſus fiat.*

Recipe aquæ fortis libras duas, in ampulla vitrea, quæ collum gracile & oblongum habeat, in eandemque mitte argenti in tenuia fruſta conciſi uncias quatuor, & admotâ ad ignem, vel in aquam calidam miſſâ ampullâ argentum ſtatim diſſolvi continget. Soluto omni argento in ampulla ejuſdem generis & formæ alia habeas aquæ fortis libram unam cum dimidia, & in ea diſſolves argenti vivi uncias ſex, illiſque ſolutis, aqua ſolutionis in ampulla majore miſceatur, addanturque ſalis armoniaci unciæ ſex, & ſolvantur more ſolito ad ignem lentum. Solutioni addatur Zafferæ præparatæ uncia una, magneſiæ præparatæ uncia dimidia, nec non ferretti Hiſpanici tantundem, ſed ſenſim: tumere enim & ebullire magneſia non ſine periculo, & vel evomere materiam, vel diſrumpere vaſa, & omnia peſſumdare ſolet. Addatur porro croci Martis ſulphure calcinati unciæ pars quarta, nec non ſcoriæ æris caldarii ter calcinatæ dimidia pars unciæ, quæ non minus quam magneſia ebullire ſolet: ſmalti item cœrulei pictorum, nec non minii tantundem. Omnia hæc bene pulverata ſeorſim & per gradus mittantur in ampullam, agitenturque leniter, ut aqua pulveres bene imbibat, ita tamen ut ſemper tibi caveas ab effervescentia. Ampulla bene clauſa ſit, ac per dies decem ſæpius agitetur, ut pulveres bene incorporentur, & ab aqua eviſceratæ eidem pateant: poſtea mittantur in fornacem & arenam, adhibeaturque ignis temperatiſſimus, ut omnis aqua fortis exhalet, id quod viginti quatuor horarum ſpatio evenire ſolet, notando bene, ut ignis non vehemens ſed temperatiſſimus adhibeatur, & ſpiritus aquæ fortis aſſerventur, remanebitque in fundo pulvis fulvi coloris, qui optime pulveratus in vaſis vitreis ſervatur ad uſum. Ubi jam Calcedonium facere volueris, in promtu habeas vitrum bene purgatum, & ex fruſtis ſcyphorum confractorum cryſtallinis vitroque albo ſæpius liquato factum. Etenim vitrum ex fritta recens factum formando Calcedonio aptum non eſt, nec colores eidem ſeſe applicant, ſed à fritta conſumuntur. Semper ergo fragmenta adhibeantur, & vitrum quod in uſu antea fuit, & exempli gratia in ollam vitri librarum viginti aut circiter, dentur hujus medicamenti vel pulveris duæ, cum dimidia, vel tres unciæ, idque tribus diſtinctis vicibus, miſcendo bene vitrum, ut pulverem optime imbibat, qui additus fumum quendam cæruleum emittit. Cum bene mixtum fuerit vitrum, quieſcat per horam, eique altera miſtura detur, & per viginti quatuor horas quieſcat, miſceaturque bene, & experimentum fiat, exhibebitque colorem ex flavo cœruleum. Hoc ſpecimen in fornace ſæpius ignitum & extractum, ubi refrigeſcere cœperit, undas repræſentabit marinas & colores ſatis elegantes. Adſint tartari, ex præſcripto *capitis quadrageſimi* uſti, unciæ octo, fuliginis camini bene vitrificatæ unciæ duæ, nec non croci Martis ſulphure calcinati unciæ pars dimidia. Omnia bene pulverata & unita vitro dentur, quatuor vel ſex vicibus, obſervando, quod vitrum addito iſtiuſmodi pulvere mirum in modum intumeſcat, & niſi induſtrius in adminiſtrando vitrarius ſit, omnia peſſum itura ſint: paulatim ergo adhibeatur, & per intervalla, miſcendo ſemper vitrum, ut pulvis bene incorporetur. Porro addito omni hoc pulvere vitrum bullire, & non minore quam viginti horarum ſpatio quieſcere permittatur, quo tempore exacto cucurbitula ex eo fiat, & aliquoties in fornace

fornace candefactâ illa videatur, an vitrum voto reſpondeat,& foris aereum & viride quid,nec non aquam marinam,rubrum,flavum, alioſque varios colores, luſuſque & undas elegantiſſimas instar Calcedonii, Jaſpidis vel Achatis orientalis exhibeat, ac ſi,in aëre introſpicias velut ignis rubeat; id enim ſi fiat, tempeſtivum erit & vaſa formentur diverſi generis, ut ſunt pocula, crateres,ſalina,vaſcula pro aſſervandis floribus & illius generis alia, ſed ſemper plana & levigata, non varie elaborata: decus enim nullum habent: Notabit autem ſemper vitrarius, ut dum in opere eſt, forcipe vitrum bene vellicet, & cum judicio candefaciat, ut fluctus & undas marinas luſuſque colorum elegantiſſimos reddat. Ex hac etiam maſſa patinas majores, ovi formâ, vel triangulares aut quadratas, prout viſum fuerit, facere, illaſque instar gemmarum rotâ polire licebit: polituram enim & ſplendorem recipit, ac pro tablinis & pluteis inſervire poterit, verum lapidem, Achatem & Chalcedonium repræſentantibus. Quod ſi colorem evaneſcere, utrumque ex opaco pellucidum fieri contingat, id quod in hoc opere noxium eſt, ſuſpendendus eſt labor & vitro tartarum uſtum, cum fuligine & croco, ut ſupra, addendum eſt, ita enim corpus recipit, & opacitas fecit, ut colores appareant. Cæterum, ut pulvis recens additus bene incorporetur,neceſſum eſt, ut vitrum per plures horas purgetur quo peracto labor ut antea procedet. Atque hic ille modus eſt, quo ego anno cIↄ Iↄ cI Florentiæ in Caſino & fornace vitraria uſus ſum, qua æſtate egregius Dn. Nicolaus Landus, familiaris meus, & inſignis in ſmalti ad lucernam elaborandi negotio artifex fornacem illam extrui curabat, quo tempore etiam præparatâ ante materia, & ſervatis iiſdem regulis, plures ex hujus generis Calcedonio patellas inſigniter pulchra feci.

Cap. XLIII. *Secundi generis* Chalcedonius.

1. In libra una aquæ fortis ſolvi, & vaſe bene clauſo ſepoſui argenti puri minutim conciſi uncias tres.

2. In vas aliud vitreum miſi aquæ fortis libram unam, in eaque ſolvi, & ſolutis vaſe bene clauſo ſepoſui argenti vivi bene purgati uncias quinque.

3. In ampullam ejuſdem generis aliam miſi libram unam aquæ fortis, in eaque ſolvi, uncias duas ſalis armoniaci, illiſque ſolutis addidi dimidiam unciam croci Martis, aqua forti ut *capite decimo nono* dictum eſt, facti, nec non ferretti Hiſpanici, ex præſcripto *capitis decimi quarti* præparati, & ſcoriæ rubræ ad normam *capitis vigeſimi quarti* factæ, nec non æris tremuli, ſulphure ut *capite vigeſimo primo* demonſtratum eſt, calcinati ana vel ſingulorum unciam dimidiam. Omnia hæc, (ſingula tamen ſeorſim,& per ſe) in pulverem redacta gradatim,& lente, addita patientiâ in ampullam miſi, fritta enim non minus quam ferrettum Hiſpanicum & æs tremulum aquam fortem effervescere & turgere facit. Quare ſeorſim ſingula, nec non lente & in exigua per vices quantitate hæc immittenda ſunt, ne intumeſcendo ebulliant, & vitrum frangatur, quod facile evenire ſolet. Diligentiâ itaque & patientiâ opus eſt.

4. In vaſculum aliud vitreum miſi libram unam aquæ fortis, & in ea ſolvi ſalis armoniaci uncias duas, illiſque ſolutis ſenſim (quia intumeſcit, & ſtrepidum magnum excitat) addidi antimonii crudi pulverati unciam dimidiam,& aliquanto poſt cœrulei vel ſmalti pictorum tantundem, nec non minii unciam unam, & vitrioli ut ſupra dictum eſt, purgati, unciam dimidiam. Omnibus antea bene tritis & ſolutis, vas clauſum ſepoſui.

5. In aliam ampullam vitream miſi aquæ fortis libram unam, & in ea ſolvi ſalis armoniaci uncias duas. Poſtea addidi uncias duas Zafferæ, ut ſupra *capite duodecimo*, præparatæ,nec non magneſiæ Pedemontanæ ad normam *capitis decimi tertii* præparatæ, quartam partem unciæ, & dimidiam unciam ſcoriæ,ex laminis æris, in teſtudine fornacis, ter, ut ſupra *capite vigeſimo quarto*, & *vigeſimo quinto* demonſtratum eſt, calcinatæ, cum uncia una cinnabaris. Atque hæc omnia ſeorſim optime trita in ampullam miſi, cavendo ab his quæ inflare vitrum ſolent: quibus peractis vas clauſum ſeponebam.

6. In aliud ejuſdem generis vas miſi libram unam aquæ fortis, in eaque more ſolito diſſolvi ſalis armoniaci uncias duas. Poſtea addidi unciam ceruſſæ dimidiam, quæ valde ſtrependo intumeſcit, ideoque lente procedendum eſt: nec non laccæ pictorum rubræ, æruginis item, & ſcoriæ ferri ab incude decidentis ana unciam ſemis. Atque hæc ſcoria vehementer intumeſcit, ut jam cautione opus ſit. Omnia ſeorſim bene trita in ampullam miſi cavendo bene ab his, quæ aquam fortem turgere & effervescere faciunt, atque hac ratione agendo vitrum clauſum ſepoſui.

Has ſex ampullas per dies duodecim ſepoſitas, quotidie ſexies optime agitabam,ut aqua fortis penetrare & attenuare ingredientia poſſet; ita enim tincturam ſuam vitro communicant. Exacto illo tempore materiam omnem ſex illis ampullis contentam lente (ne effervescendo vitrum diſrumperet) in ampullam grandem, & in fundo lutatam, agitatis antea miſtiſque bene omnibus ſuper cineres miſi, & ignem adhibui maxime lentum, quo mediante aqua horis viginti quatuor evaporavit. Notandum autem eſt, ignem poſtremo adhibendum eſſe ſummè lentum, ne pulvis nimio calore corrumpatur. Qui aquam fortem recuperare volet, lutatis probè juncturis capellum adhibeat atque recipiens. Evaneſcente aqua,in fundo pulvis remanet ex rubro fulvus, qui vaſe clauſo ſervetur uſui.

Hunc pulverem dedi vitro, ex fragmentis vitri veteris, ut ſupra in primo Calcedonio dictum eſt, facto, recens enim fritta hîc nulli uſui eſt, antea demonſtravi: ſi tamen cryſtalli fragmenta adhibeas, melius ſuccedet negotium. Doſin autem eandem, eundemque miſcendi modum, & eadem temporis momenta in hoc, quæ in priore illo, ſecutus ſum: & corpus eidem dedi tartaro uſto, nec non fuligine camini vitrificatâ, & croco ferri, aceto mediante facto, idque lente admodum & ſenſim,pulvis enim hic terribiliter turget. Deinde cum per horas viginti quatuor quieviſſet, vas ex eo quoddam mihi parari curavi, eoque ſæpius bene candefacto videbam an corpus opacitatem acquiſiviſſet, atque illam colorum varietatem & undantes luſus exhiberet, quo animadverſo, varii generis vaſa ex eo fieri, & forcipe vel volſellis opus more ſolito vellicare juſſi, ad exprimenda varii generis phantaſmata. Ex hac Calcedonii ſpecie plurima pocula, eaque pulcherrima feci, & ex hac eadem maſſa aliquot centum corollæ in uſus equitum ſpecioſiſſimæ in *Flandria* per me factæ ſunt, quas magnus Hetruriæ Dux Ferdinandus, felicis memoriæ, multique alii Principes & Domini viderunt.

Cap. XLIV. *Tertius modus faciendi Calcedonium.*

1. In ampulla vitrea & aquæ fortis validæ libra una ſolvi,& ſolutas vaſe clauſo ſepoſui uncias quatuor bracteolarum argenti puri.

2. In alia ejuſdem generis ampulla & libra una aquæ fortis ſolvi uncias quinque argenti vivi, ſale communi & aceto purificati. Et ſal quidem aceto forti irroratum in ſcutella lignea piſtillo ligneo aſſidue agitabam, & aqua limpida communi, ut liqueſceret, omnemque Mercurii nigredinem ſecum aveheret, lavabam:

idque

idque ſæpius repetij, addito ſemper novo ſale & aceto: quo peracto Mercurium per pellem caprinam trajeci, & in aqua forti ſolutam vaſe clauſo ſepoſui.

3. In alia cucurbitula vitrea & libra una aquæ fortis ſolvi uncias tres argenti puri hac ratione calcinati. Argentum Mercurio, ut moris eſt, amalgamatum, miſceatur cum æquali pondere ſalis communis, ab omni terreſtri ſubſtantia purificati, id quod ſolutione per aquam communem facta aſſequimur: aqua cocta bidui ſpatio quieſcat, in hunc finem, ut particulæ ſalis terreſtres ſidant, quo facto aqua filtratur, & alio vaſe vitreo excepta, evaporando abſumitur, & ſal bene ſiccatum denuo ſolvitur, quieſcit, filtratur, & evaporat ut ſupra: idque tantiſper continuatur donec ſal feces in fundo nullas relinquat, & præparatum erit purificatumque. Atque hæc ſalis purificatio non ideo tantum fit, ut tanto in Lunam efficacius agat, ſed ne Luna terreſtrium particularum quidquam aſſumat, quod poſtea non niſi difficulter ſeparari ab ea poſſit. Mittantur omnia in crucibulo ſuper carbones, ut Mercurius avolet ac argentum in fundo remaneant calcinatum pulveratumque, cui æquale pondus ſalis communis, ut ſupra præparati, adjunges, mixtaque omnia in crucibulo per ſex horas in ignem ad calcinandum mittes. Hanc materiam aqua calida ſæpius lavabis, ut ſalſedo omnis abeat. Poſtea argentum in ampulla vitrea, communi aqua repleta, ad conſumtionem quartæ partis coques, & refrigerari ac reſidere argentum permittes. Decantetur quod reſiduum eſt aquæ, idque additâ ſemper recenti aqua ter iteretur, & quarta demum vice in ampullam aquæ fortis mittatur, agitetur & ſervetur in uſum.

4. In vas vitreum aliud miſi libram unam aquæ fortis, & in ea ſolvi uncias tres ſalis armoniaci, & ſolutione facta, id quod limpidum erat decantavi, abjectis quæ in fundo reſederant fecibus. In hac aqua ſolvi drachmas duas argenti, & ſolutas vaſe clauſo ſepoſui.

5. In curcurbitulam aliam miſi libram unam aquæ fortis, in eaq; ſolvi uncias duas ſalis armoniaci, & ſolutione facta addidi cinaprij, & croci Martis ſulphure, ut *capite decimoſexto* demonſtratum eſt, calcinati, nec non lapidis Armenij & FerrettiHiſpanici, ex præſcripto *capitis decimi quarti* facti, ana drachmas quatuor. Singula ſeorſim bene trita mittebam in ampullam, cavendo mihi ab his, quæ aquam fortem turgere & effervеſcere faciunt. Lentè enim hîc agendum eſt, ne exundante materia labor omnis fruſtraneus ſit; quo facto vas clauſum ſeponebam.

6. In ampullam vitri aliam miſi aquæ fortis libram unam, ſolvendo in eadem, more ſolito, uncias duas ſalis armoniaci: poſtea addidi croci Martis, aceto, ut ſupra *capite decimo ſeptimo*, calcinati, nec non calcis ſtanni inter vitrarios notiſſimæ, & zaffetæ, ut *capite duodecimo* demonſtratum eſt, præparatæ, atq; cinaprij, ana, unciam dimidiam. Singula ſeorſim bene trita, ſenſim, & ne efferveſcente aqua omnia peſſum irent, adhibitâ ingenti diligentia, addebam, eoque facto vas clauſum adſervabam.

5. In cucurbitulam ejuſdem generis aliam miſi aquæ fortis libram unam, ſolvendo in eadem ſalis armoniaci uncias duas. Poſtea addebam æris tremuli, ſulphure ad normam *vigeſimi primi capitis* calcinati unciam unam, ſcoriæ æris, ex præſcripto *vigeſimi octavi capitis* ter calcinatæ, nec non Magneſiæ Pedemontanæ, ut ſupra *capite decimo tertio* præparatæ, & ſcoriæ ferri ab incude decidentis ana unciam dimidiam: ſingula ſeorſim bene trita, ſenſim, & metu efferveſcentiæ cum cautela, & quaſi per otium addebam, eoque facto vas clauſum ſeponebam.

8. In vas vitreum aliud miſi aquæ fortis libram unam, & ſalis armoniaci more ſolito uncias duas. Solutione facta addebam minij drachmas quatuor, æruginis unciam unam, antimonij crudi & capitis mortui vitrioli purificati ana unciam dimidiam. Singula ſeorſim bene trita, & ad præcavendam ebullitionem, ut fieri ſolet, ſenſim addebam, eoq; facto vas clauſum ſeponebã.

9. In cucurbitulam aliam miſi aquæ fortis libram unam, & in eadem ſolvi ſalis armoniaci uncias duas. Deinde addidi auripigmenti, arſenici cryſtallini, & laccæ pictorum ex granis Kermes ana unciam dimidiam. Singulis ſeorſim bene tritis, additiſq; ab efferveſcentia mihi more ſolito bene cavebam, eoque facto vas clauſum ſeponebam.

Has novem ampullas per quindecim dies bene clauſas in calore fornacis detinui, & eaſdem quotidie ſæpius optime agitavi, ut aqua fortis agendo in materiali eadem bene attenuaret, tincturamq; eorundem aperiret, quæ niſi bene recluſa male operatur. Poſtea omnem aquam fortem cum ſuis ingredientibus in ampullam unam capacem vitream bene firmam lente & per gradus mittebam; Etenim dum uniuntur efferveſcunt. Inde clauſam per ſex dies, & quotidie agitatam ampullam cineribus impoſui, & adhibito per viginti quatuor horas lento igne id ſolum egi, ut aqua evaporaret; Notetur autem ampullam hanc inde à fundo ad medietatem uſque bene lutatam eſſe debere, & poſtremo ignem adhibendum eſſe ſummè lentum, ne pulveres nimio calore corrumpantur, ſed aqua tantum evaneſcat, & pars ſpirituum melior pulveri affixa remaneat: ea etenim ratione pulvis optimos in vitro effectus exhibet. Qui aquam recuperare volet, lutatis benejuncturis capellum & recipiens adhibeat: cui enim deinde, ut ſuo loco dicetur, poteſt. In fundo ampullæ pulvis relinquebatur coloris ex vireſcente fulvi, cujus eandem, ut in primo Calcedonio, doſin & quantitatem vitro purificato, & ex fragmentis cryſtalli, non vero ex fritta facto, addebam; neque enim in illo vitri genere ſuccederet negotium. Circa temporũ momẽta & cautelas eædem ut in primo Calcedonio regulæ ſerventur. Deinde, ut in primo Calcedonio dictum eſt, opportuno tempore tartaro uſto, fuligine camini & croco Martis aceto mediante facto opacitatem ei tribuebam; adhibitâ, eadem ut ibidem doſi, induſtria, & ſpatio temporis, & exactis viginti quatuor horis id agebam, ut vitrum elaboraretur, forcipe, illud ut ſupra dictum eſt, diligenter vellicando, & ſæpius recalefaciendo.

Hunc tertium modum expertus ſum Antverpiæ anno 1609. menſe Januario, quo tempore morabar, & per plures annos habitabam in ædibus Domini Emanuelis Ximenij, Equitis S. Stephani, natione Portugallenſis, & civis Antverpiani, hominis ingenioſi, & in omnibus ſcientijs ſupra omnes alios quos ego in Germania inferiore unquam vidi vel cognovi, maxime ſubacti. Atq; hoc pulvere Antverpiæ in fornace vitraria Domini Philippi Giridolfi, hominis valde officioſi, Calcedonium feci, uſque adeo pulchrum & venuſtum, ut verum Achatem imitaretur, & venuſtate coloris quam longiſſime ſuperaret. Et plures Portugallenſium nobiles gemmarii eundem cum admiratione aſpicientes, ajebant, naturam ad illud faſtigium aſcendere non poſſe. Atque hic Calcedonius omnium quos ego feci, pulcherrimus erat, penſante operis pulchritudine faſtidium laboris, & diuturnitatem operationis, ex eoque vaſa duo Princeps Auriacus ſibi comparavit, & grata acceptaque ſibi eſſe demonſtravit. Quod ſi aqua fortis bona, & ingredientia bene præparata fuerint, opus prodibit longe quam ego dico pulchrius.

ANTONII NERI DE ARTE VITRARIA,

LIBER III.

Quo demonſtrantur veri modi producendi in vitro colorem aureum, Granati, Amethyſti, Sapphiri: nigrum

item holoſericum, lacteum, marmoreum, & rubrum plenum : nec non modus faciendi frittam ex cryſtallo montana : modus item tingendi vitrum colore margaritæ, aliaque particularia in exercitio Artis Vitrariæ neceſſaria.

Cap. XLV. Hoc libro tertio demonſtratur ratio producendi in vitro colorem aureum, nec non colorem Granati, Sapphiri, nigrum holoſericum, lacteum, marmoreum, rubrum plenum, & colorem margaritæ, idque variis modis, quorum unus præſtantior eſt altero : modus item ſingularis faciendi frittam ex cryſtallo montana quæ non minus quam fritta ordinaria tunditur, ut inde vaſa fiant planè candida, pulchra & ſpecioſa. Dubium non eſt, quin eorundem colorum plurimi his qui circa artem verſantur jam noti ſint: ſed non omnes omnibus. Aureum enim & rubrum plenum, ceu colores in arte vitraria difficiles & faſtidioſos pauci bene facere norunt : ut enim fiant tanta opus eſt attentione circa doſin, tempus, circumſtantias & ingredientia, ut ſi vel minimum in aliquo eorundem errare contingat, res omnis corrumpatur, & colores plane diverſi prodeant. Ego in his duobus æque ac in aliis omnibus coloribus circumſtantias & minutiſſima quæque uſque adeo evidenter & perſpicuè deſcribo, ut dubium nullum ſit quin omnes me ita capiant, ut nullos non colores & nominatim ſupradictos, aurum & rubrum plenum perfectè & non ſine jucunditate & ſatisfactione ſua facere poſſint.

Cap. XLVI. Aureum *in vitro* colorem *producere.*

Recipe frittæ cryſtalli tarſo factæ partes duas : longe enim melior eſt, quam quæ arenâ fit : frittæ rocchettæ itidem tarſo factæ partem unam. Miſceantur omnia, & contundantur benè, atque in ſingulas centum libras hujus compoſitionis aſſumatur tartari rubri, craſſioris & bene vitrificati libra una. Hoc recrementum vini, ita ut eſt crudum, tundatur bene, & per cribum anguſtum tranſeat, deturque in ſingulas hujus tartari libras libra una magneſiæ Pedemontanæ, eo qui *capite decimo tertio* docetur modo præparatæ, Miſceantur bene hi duo pulveres, miſtique cum frittis ſupradictis commiſceantur optime, & miſtura in ollam miſſa igne fornacis ordinario per dies quatuor coquatur. Cæterum quandoquidem hi pulveres vitrum inflant & bullire faciunt, miſtura ſenſim & per gradus in ollam mittenda eſt, ne vitrum per orificium fornacis effluat. Ubi vitrum jam bene purgatum & tinctum fuerit (id quod exactis diebus quatuor frequenter evenire ſolet) in vaſa & iſtiuſmodi opera alia elaborandum eſt : hæc enim doſis materialium colorem dabit pulcherrimum. Quod ſi colorem ad opera magna magis dilutum requiris, minus pulveris addendum eſt & doſin habebis iſtiuſmodi laboribus aptam ; at vero ut opera pellucida & tenuia fiant, ſervando doſin priorem color ſatis dilutus & perſpicuus erit; plus enim materiæ tingentis requirunt. Canna autem vitrariorum craſſa, quam Itali *da Spici* vocant, minus tartari & quaſi dimidium magneſiæ poſtulat. Notetur autem utramque frittam, cryſtalli & rocchettæ optime unitam & permiſtam eſſe debere. Tartarum ſit rubrum, non album : id enim huc nihil facit : ſitque craſſum & in fruſtis, non pulvereum ; nam etiam illud inutile eſt. Magneſia ſemper ſit Pedemontana. Pulvis materiæ detur, non vitro fuſo : neque enim tingeret, omniaque ſenſim & per partes in ollam mittantur. Servatis his regulis color evadet aureus ſatis pulcher. Si vero pulcherrimum deſideras, loco rocchettæ meram cryſtalli frittam recipe, & colorem habebis aureum magis pulchrum, magiſque ſpecioſum. Atque hunc modum ego ſervavi in producendis dictis coloribus, & quotieſcunque illum expertus ſum, ſemper mihi pulchre ſucceſſit.

Cap. XLVII. *Color Granati.*

Recipe pondus æquale frittæ cryſtalli & rocchettæ optime miſtum, atque ſingulis hujus miſturæ libris centum libram unam magneſiæ Pedemontanæ, ex præſcripto *capitis decimi tertij* præparatæ, nec non Zafferæ præparatæ, & cum magneſia bene miſtæ unciam unam. Miſceatur bene hic pulvis cum frittis ſupradictis, & poſtea ſenſim mittatur in ollam, notando magneſiam in cauſa eſſe, cur vitrum turgeat. Ergo lente agendum erit, ne vitrum peſſum eat. Zaffera magneſiæ bene admiſta ſit : etenim vivum colorem reddit, eique ſplendorem conciliat atque venuſtatem. Exacto quatriduo, ubi vitrum purgatum & bene tinctum erit, operi admovenda manus eſt. Atque hæc juſta doſis eſt magneſiæ pro vaſis modicæ magnitudinis, ut color ſatis plenus evadat. Minora vaſa plus, majora minus & dimidium prædicti pulveris requirunt : & revera color vitri vel intendendus, vel diluendus eſt pro ratione operis quod agendum ſuſcipitur, idque totum à judicio & diſcretione ejus dependet, qui pulverem adhibet.

Cap. XLVIII. *Color Amethyſti.*

Recipe frittam cryſtalli tarſo optime factam, & antea quam in ollam aut vas mittatur, ſingulis frittæ libris adde infraſcripti pulveris bene miſti unciam, miſceanturque omnia bene, & ſenſim in fornacem mittantur : haud ſecus etenim atque ſupradictus Granati color turget. Ubi vitrum purgatum, & vero Amethyſti colore infectum fuerit, operi manus admoveatur. Notandum, hunc colorem non aliam quam cryſtalli frittam deſiderare, eundemque vel intendendum vel diluendum eſſe pro ratione operis. Pulvis producendo huic colori aptus is eſt qui ſequitur. Recipe magneſiæ Pedemontanæ, ex præſcripto *capitis decimi tertij* præpataræ unciam unam cum dimidia. Miſceantur bene hi duo pulveres, denturque frittæ cryſtalli, & vitrum dabunt veri Amethyſti colore infectum.

Cap. XLIX. *Color Sapphiri.*

Recipe frittam rocchettæ, & in centum hujus frittæ libras detur libra una Zafferæ, ad normam *capitis duodecimi* præpararæ, & cum uncia una magneſiæ Pedemontanæ præparatæ antea bene miſtæ. Mittatur fritta in fornacem, vitrumque fluat atque purgetur optimè, eoque purgato miſceatur bene, videaturque an color ſatis plenus, ſit ut augeri vel dilui, ſi opus ſit, poſſit, atque ſic elaboretur, & colorem ſapphiri habebis, qui violæ duplicis Conſtantinopolitanæ colorem referet, id quod exigua magneſiæ doſis eidem præſtat. ut *Piſis* ſæpius, & ſemper cum ſucceſſu expertus ſum, Magis tamen quam ego dicere auſim admirandus ille color erit, ſi ex ſola cryſtalli fritta fiat ut proximè demonſtro.

Cap. L. Color Sapphiri *magis venuſtus.*

Loco frittæ rochettæ habeas frittam cryſtalli optimam, deturque ei prædictus pulvis in dicta doſi, & colorem ſapphiri referet fulgentem & pulchrum, quo facere, quicquid voles, poteris : notando coloritium ex magneſia & Zaffera frittæ dandum, non vitro fuſo: vitrum enim fuſum colorem non niſi ægre, atque ita recipit, ut nullius valoris ſit.

Cap. LI. *Niger Color.*

Recipe ramenta varij coloris, illiſque adde magneſiam & Zafferam, & magneſiæ quidem quam Zafferæ dimidio minus. Hoc vitrum bene purgatum elaboretur, & nigrum dabit inſtar holoſerici, nec conflandis tantum vitris nitens & pulcherrimum, ſed cuicunque operi aptiſſimum,

Cap.

Cap. LII. *Nigrum pulchrius.*

Recipe frittę cryſtalli & pulveris, ana, libras viginti, calcis plumbi & ſtanni libras quatuor: miſceantur omnia bene, & in olla calente mittantur in fornacem & ubi vitrum bene purgatum fuerit, recipe chalybis bene calcinati & pulverati, nec non ſcoriæ ferri ab incude decidentis & pulveratæ partes æquales, eaſque bene miſce. Hujus pulveris bene miſti unciæ ſex dentur vitro fuſo, miſceanturque omnia: vitrum enim addito hoc pulvere vehementer turget. Deinde quieſcat per horas duodecim, ita tamen ut nonnunquam miſceatur, ac tandem manus operi admoveatur, prodibitque nigrum holoſerici inſtar pulcherrimum, & cuicunque operi aptum.

Cap. LIII. Nigrum aliud *pulchrius.*

In libras centum frittæ rocchettæ dentur tartari rubri pulverati libræ duæ, nec non magneſiæ pulveratæ & cum tartaro miſtæ unciæ ſex. Fritta ſenſim in fornacem mittatur, vehementer enim turget, purgeturque, id quod ſpatio dierum quatuor vel circiter fiet. Miſceatur bene vitrum, leveturq; & nigrum dabit admiratione dignum & multo quam ſupraſcripti nigri colores magis operibus aptum.

Cap. LIV. Lacteus color *egregius.*

Recipe frittæ cryſtalli libras duodecim, & calcis plumbi ſtannique libras duas. Miſceantur omnia bene, & addatur unciæ magneſiæ præparatæ pars dimidia, unitaque omnia mittantur in ollam calentem, ſtentque per horas duodecim: miſceatur poſtea bene vitrum, & ſi color ſatis plenus non fuerit, addatur nonnihil calcis ſupradictę, miſceaturque bene cum vitro, ut incorporetur, & octo horarum ſpatio vitrum operi aptum erit, dabitq; colorem lacteum pulcherrimum, qualem ego ſæpius feci.

Cap. LV. Color lacteus *pulcher, magiſque candidus.*

Recipe frittæ cryſtalli quadringentas ſexaginta, & magneſiæ Pedemontanæ præparatæ libras duas cum dimidia. Pulverentur omnia bene, mittanturq; in ollam & purgentur, id quod exactis octodecim diebus accidit. Hanc materiam projeci in aquam, ac denuo in ollam miſi, eaq; purgata experimentum feci, & quia tranſparere videbatur, addidi calcis ſupradictæ libras quindecim. Calx ſtanni in officinis vitrariis notiſſima res eſt. Vitrum aliquoties miſcui, & unius diei ſpatio ſupra quam id dici poteſt pulchrum, & quavis nive candidius evaſit. Dedi operam ut elaboraretur, idque multoties ea ratione feci, & ſemper mihi bene ſucceſſit. Ex rocchetta lacteus quoq; color, ſed minus quam ex criſtallo candidus fit. Cryſtallum ergo ſemper adhibeat, qui exquiſiti quidquam facere deſiderat.

Cap. LVI. *Ut* color marmoreus *fiat.*

Frittam cryſtalli in ollam mitte, & ubi liquata fuerit, manum operi admove, antea quam purgetur, & marmoreum ſatis pulchrum erit.

Cap. LVII. Perſici color *in lacteo.*

Magneſia Pedemontana præparata in lacteo dabit colorem floris mali perſici. Notandum autem eſt, in tempore elaborandum eſſe vitrum: color enim evaneſcit.

Cap. LVIII. Rubrum plenum.

Recipe frittæ cryſtalli libras viginti, ramentorum vitri candidi libram unam, ſtanni calcinati libras duas. Miſceantur omnia, mittantur in ollam, fundantur & purgentur. Fuſis omnibus habeas chalybis calcinati, & bene lævigati, nec non ſcoriæ ferri ab incude decidentis & bene tritæ partes æquales. Recipe hujus pulveris miſti uncias circiter duas, eaſque vitro ſupradicto, ubi purgatum fuerit optime admiſce: formidabilem enim in morem hic pulvis vitrum infl[illegible]: ſine incorporari, id quod quinque vel ſex horis evenire ſolet. Advertatur ne pulveris nimium adhibeatur: vitrum enim nigrum fieret, cum tamen non opacum, ſed pellucidum aut obſcure flaveſcentis coloris eſſe debeat. Id ubi aſſecutus fueris, bene h[illegible]bet, atque tunc recipe æris rubri, in arcu fornacis ut *capite vigeſimo quarto* demonſtratum eſt calcinati, & bene triti drachmas circiter ſex; addantur vitro, miſceanturque ſæpius, & tertia vel quarta vice color inſtar ſanguinis ruber apparebit. Sæpius ergo experimentum capiatur, & ubi color reſponderit, ſtatim elaboretur; niſi enim id fiat, color ruber evaneſcit, ſuccedente in locum ejus nigro. Præterea ne color pereat, olla aperta ſit, omniaq; cum cura agantur neceſſe eſt, & dum chalybs & ferri ſcoria additur, attendendum eſt, ne modum excedas, vitrumq; nigrum evadat, ſed tranſparentem & obſcure flaveſcentem colorem obtineat, tunc enim addito ære rubro color pulcherrimus apparebit, qualem ego ſæpius feci. Deniq; id agatur ut olla quam id fieri poteſt minime incaleſcat, neq; plus decem horis in fornace permaneat, ac ſi colorem interea evaneſcere contigerit, id quod aliquando accidit, addito novo pulvere ex ſcoria ferri color redibit, & quia faſtidioſum hoc negotium eſt, cum cura præparandum & peragendum erit.

Cap. LIX. *Cryſtallus montata.*

Cryſtallus montana in crucibulo operto, procul ab omni cinere & immunditia igneſcat, frigida reſtinguatur & calcinetur, idq; octies repetatur, & ubi reſiccata fuerit, ſuper porphyrio lapide in pulverem redigatur impalpabilem. Hic pulvis cum ſale pulveris ſnam pulla vitrea, ut *capite tertio* dictum eſt, præparato, & ſæpius purificato miſceatur, & fritta fiet, quæ in ollam calidiſſimam cum debita doſi magneſię miſſa, in fornace detineatur, & ſuo tempore, ut in cryſtallo dictum eſt, in aquam ſæpius projiciatur, deinde optime purgetur, & more ſolito inſtar alterius generis cryſtalli elaboretur, videbiſque mirabilia.

Cap. LX. Margaritę color *in cryſtallo.*

Cryſtallo fuſæ purgatæq; detur ter vel quater tartarum bene & ad albedinem uſq; calcinatum, miſceaturque bene cum vitro, idq; tam diu repetatur, addito ſemper novo tartaro, uſq; dum vitrum margaritæ colorem aſſumat: nulla enim hîc certa regula dari poteſt, cum totum hoc negotium in experientia ſitum ſit. Ubi color reſponderit, ſtatim elaboretur, faciilime enim evaneſcit. Hic meus proceſſus eſt, quem ſæpius experientia comprobavit.

ANTONII NERI FLORENTINI DE ARTE VITRARIA,

Liber VI.

Quo verus modus demonſtratur faciendi vitrum plumbi, nec non plumbum ipſum calcinandi, & ex eodem extrahendi colorem Smaragdi, Topaſii, Cyaneum vel picæ marinæ, Incarnatum, Saphiri aureum & lapidis Lazuli: nec non modus tingendi cryſtallum montanam colore permanente Rubini, Balaſſij, Topaſij, Opali, Heliotropij, aliiſque coloribus pulcherrimis.

Cap. LXI. Vitrum plumbi, paucis in arte vitraria notum, ſi de coloribus agatur, vitrum eſt, omnium, quę nunc quidem in fornace fiunt, pulcherrimum & nobiliſſimum, quo veros gemmarum orientalium colores imitamur, id quod cryſtallo vel alterius generis vitro fieri non poteſt. Verum eſt, niſi ſedulo admodum attendas, cujuſcunq; generis ollas & vaſa perrumpit, & in

in cineres abit. Omnia ergo uſque adeo diſtinctè deſcribo, ut credam nullum non periculum evitari poſſe. Totum autem hoc negotium in eo conſiſtit, ut veram plumbum calcinandi recalcinandique rationem noſcamus. Quanto enim calcinatum eſt ſæpius, tanto ad ſe redit minus, & conſequenter minus ollarum diſſolvit. Semper autem in aquam projiciendum, & exemptum denuo in ſuis generis maſſam conflandum eſt:& quoties aliqua ejuſdem particula in ollæ fundo reperitur,toties cum cura eximenda eſt, niſi enim id fiat,ollas perrumpit, & fundum earundem conſumendo,ſimul cum vitro per anguſtiſſimas rimas tranſit,ollaſque relinquit vacuas. Obſerventur ergo ſequentes hoc libro deſcriptæ regulæ, & omne evitabitur periculum.

Cap. LXII. *Plumbum calcinare.*

Primo plumbum in fornacula calcinetur (quod his qui fictilia pręparant notum eſt) idque in quantitate non exigua:bidui enim ſpatio multa plumbi centenaria calcinabuntur:notetur tamen, uti fornacula hactenus ita calefiat,ut fundendo vitro ſufficiat, nec ultra; non enim calcinaretur. Ubi plumbum aliquantiſper liquatum fuerit, & cuticulam flaveſcentem contraxerit, par ejuſdem calcinata ferro ad talia apto attrahenda, & in extremitate interiore fundi fornaculæ extendenda eſt, quæ quidem extremitas lapide conſtet tenero, qui ignem ferat, & orificium verſus propendeat, quæ omnia ceu vulgo nota hic conſulto præterimus; id tantum notando, plumbum ſemel calcinatum denuo in fornacem moderate calidam ad reverberandum mittendum & diſtendendum, nec non ferro per plures horas aſſidue agitandum eſſe, quâ ſecundâ calcinatione flavedinem acquirit. Poſtea per cribrum trajicitur anguſtum, & ſi quę ejuſdem particulæ non tranſeunt, plumbo novo addito denuo calcinantur. Atq; hac ratione magna plumbi quantitas ad vaſa fictilia, & in uſus figulorum calcinatur. Cæterum id vel maxime agendum eſt, ut moderate calida fornax ſit : etenim ſi juſto calidior ſit, plumbum nunquam calcinabitur.

Cap. LXIII. Vitrum plumbi *facere.*

Recipe exempli gratia hujus plumbi calcinati libras quindecim, frittæ cryſtalli, vel pro ratione coloris quem intendimus, rocchettę, aut pulveris libras duodecim. Omnia accuratiſſime unita mittantur in ollam, & exactis decem horis (eo enim temporis ſpatio optime liquata erunt) projiciantur in aquam, notando, ſæpius contingere, ut in fundo ollę aliqua pars plumbi coëat in maſſam ſui generis, quę diligentiſſime eximenda eſt : niſi enim id fiat, diſtringentur ollę, atque omnia peſſum ibunt. Hoc ergo unum ex pręcipuis in hac operatione obſervationibus eſt. Præterea cavendum eſt ſedulo, ne grana plumbi, quæ in aqua ſunt, & vitro non cohęrent, denuo in ollam redeant; eadem enim ratio, idemque fracturæ & damni metus ſubeſt. Servatis his vitrum in ollam redeat, & exactis ſummum decem horis operi aptiſſimum erit. Atque hic modus eſt faciendi vitrum plumbi.

Cap. LXIV. *Modus elaborandi vitrum prædictum.*

Si cui potoria, vel diverſi generis alia vaſa in uſus domeſticos ex vitro plumbi parare animus eſt, exiguam ejuſdem particulam cannâ vitrariâ attollat, ſublatam nonnihil deferveſcere patiatur,ac tum demum manum operi admoveat. Antea tamen marmor bene purgetur, & interea, dum vitrum parumper refrigeſcit, frigidâ bene humectetur : niſi enim id fiat, marmor nunquam non decorticatur à vitro plumbi, & vitrum aſſumtâ aliquâ marmoris particulâ deforme opus reddit. Aſſidue ergo, dum ſub manibus vitrum eſt, humectetur marmor, alioquin omnis vitri elegantia & pulchritudo perit. Præterea, quanto durius eſt marmor, tanto minus periculi ſubeſt. Atque hic procedendi modus, in refrigerando vitro, & humectando marmore, ſemper locum habet, quotieſcunque nova vitri particula elaboranda ſuſcipitur. Uſque adeo enim tenerum hoc vitri genus eſt, ut niſi refrigeſcat, & in exigua admodum mole attollatur, elaborari nulla ratione,nec cannâ vitrariâ eximi è fornace poſſit : atque hanc ſuam teneritudinem, juſculo ſimillimam, plumbo debet. Ut ergo commodè elaborari poſſit, parum vitri attollatur, ſublatum nonnihil deferveſcat, marmor continue humectetur,& olla moderate calida ſit.

Cap. LXV. *Vitrum plumbi* colore Smaragdi *admirando.*

Recipe frittæ pulveris cribratæ libras viginti, calcis plumbi cribratæ libras ſedecim. Miſceantur optime, tranſeantque per cribrum, & mittantur in ollam moderatè calidam, & octo vel decem horarum ſpatio optime omnia liqueſcent. Projiciantur in aquam, & quidquid in fundo ollæ, vel aquæ, plumbi eſt,cum cura eximatur, ne ollam diſſolvat. Hoc peracto, materia in ollam redeat,& ſex vel octo, aut circiter horis optime liqueſcet. Projiciatur denuo in aquam, & plumbum omne ſemoveatur, ut antea, & vitrum ab omni pinguedine calcis plumbi & ſalis pulverei liberum, ſplendorem acquiret lucidiſſimum, & paucis horis liqueſcet ac purgabitur optimè. Ubi jam liquefactum purgatumque fuerit, addantur unciæ ſex ſcoriæ æris caldarij,ter,ut *capite vigeſimo octavo* demonſtratum eſt, calcinatæ, & cum granis 24. croci Martis aceto facti permiſtæ, idque per intervalla,quæ recitandis fidei articulis, vel ut vulgo vocant *Credo* &c. ſufficiant, ſextam ſingulis vicibus hujus medicinæ partem adjiciendo, & vitrum optime miſcendo. Poſtea quieſcat per horam, miſceaturque, & capiatur ſpecimen, & ſiquidem color voto reſponderit,per alias octo horas quieſcat,ut omnia incorporentur & exactis illis, vitrum elaboretur, atque ex eodem pocula fient coloris uſque adeo ſplendidi fulgentiſque, ut ex ſmaragdo de rupe orientali veteri facta videri poſſint. Hoc vitium, ubi debito modo tinctum fuerit, tantiſper in olla detineatur uſque dum feces omnes abſumtæ,vitrumque ſatis purgatum ſit, & colorem habebis ſmaragdo naturali adeo ſimilem, ut diſcerni ab eodem vix poſſit.

Cap. LXVI. Viride ſmaragdinum *aliud,ſuper omnia alia admirandum.*

Ut viride iſtiuſmodi admirandum fiat recipe eandem frittæ, calciſque plumbi, nec non croci Martis, ut antea *cap.65.* quantitatem, ſubſtitutâ in locum ſcoriæ æris eadem quantitate capitis mortui vitrioli Veneris, ex præſcripto *capitis* 131. *&* 132. præparati: atque hoc viride tam eſt rarum, quam quod fieri alio qualicunque modo poteſt, id quod ergo non citra delectationem ſæpius expertus ſum.

Cap. LXVII. Color Topaſii *in vitro plumbi.*

Loco frittæ pulveris recipe frittæ cryſtalli libras quindecim. Miſceantur, cribrentur & in ollam tranſeant moderate calidam, exactiſque octo horis projiciantur in aquam, ablatoque omni, ut antea, plumbo, in ollam, & ſucceſſu temporis denuo in aquam redeant, ſervatiſque ſervandis addatur vitri aureo colore, ut ſuo loco dictum eſt, tincti, pars dimidia. Incorporentur, purgenturque, & verum imitabitur hæc materia Topaſium orientalem.

Cap

Cap. LXVIII. Cœruleus vel aquæ marinæ *in vitro plumbi color.*

Recipe frittæ cryſtalli libras ſedecim, calcis plumbi libras decem. Miſceantur, cribrentur, cribratæ in ollam mittantur moderatè, ut antea, calidam, & exactis duodecim horis materia optime liquefacta erit, quam una cum olla in aquam projicies, ſeparatoque plumbo, ut antea, in fornacem, atque ſub finem horarum octo in aquam denuo mittes, & optime purgabitur. Hoc facto recipe æris tremuli ut ſupra *cap.* 20. demonſtratum eſt, præparati uncias quatuor, nec non zafferæ præparatæ partem unciæ quartam. Hi pulveres optime permiſti per intervalla quatuor dentur vitro plumbi, & exactis duabus horis vitrum denuo bene miſceatur, captoque ſpecimine videatur, an color pro ratione operis ſatis plenus ſit, nec ne. Deinde quieſcat per horas decem, incorporato colore vitrum operi aptiſſimum erit, & operando, ut ſuo loco dictum eſt, vitrum habebis coloris ſatis pulchri.

Cap. LXIX. Color Granati *in vitro plumbi.*

Libræ viginti frittæ cryſtalli permiſceantur cum libris ſedecim calcis plumbi, additiſque tribus unciis magneſiæ Pedemontanæ, nec non uncia zafferæ dimidia præparatis, mittantur in ollam ſolito more calidam, & ſub finem horarum duodecim projiciantur in aquam, ſemotoque omni plumbo in fornacem redeant & horis decem purgabuntur. Miſceatur materia, videatur an color reſpondeat, & manus operi admoveatur, habebiſque vitrum pulcherrimum, & colorem Granati ſatis ſpecioſum.

Cap. LXX. Color Saphiri *in vitro plumbi.*

Recipe frittæ cryſtalli libras quindecim, & calcis plumbi libras duodecim. Miſceantur optime & cribrentur, cribratiſque dentur zafferæ præparatæ unciæ duæ, nec non grana viginti quatuor magneſiæ Pedemontanæ præparatæ, omniaque miſceantur, & per horas duodecim in olla & fornace detineantur. Poſtea omnis hæc materia projiciatur in aquam, ſeparatoque cum cura omni plumbo, per alias duodecim horas in fornace purgetur, captoque ſpecimine, ſi color reſponderit, elaboretur, & vitrum habebis colore Saphiri orientalis oppido formoſi, qui violæ duplicis colorem admixtum habebit, & aſpectu jucundiſſimus erit.

Cap. LXXI. Color *in vitro plumbi* Aureus.

Recipe frittæ cryſtalli, nec non calcis plumbi, ana libras 16. Miſceantur bene, cribrentur, addanturque ſcoriæ æris caldarii ter calcinatæ unciæ ſex, & croci Martis aceto facti grana 48. Omnia bene miſta mittantur in ollam moderatè calidam, & exactis duodecim horis projiciantur in aquam, ſeparatoque plumbo per alias duodecim horas in ollam redeant, & optime purgabuntur. Miſceatur materia, & experimentum capiatur, an color reſpondeat, & ſi vireſcere videbitur, addatur parum croci Martis, & ablata viriditate color prodibit auri pulcherrimus. Elaboretur, & colorem habebis pulchrum, qualis eſt auri & qualem ego ſæpius feci.

Cap. LXXII. Color *lapidis* Lazuli.

Lacteum pulcherrimum, ex præſcripto *capitis quinquageſimi quinti*, & cryſtallo candidiſſimâ factum in olla funde, fuſo ſenſim addatur tantum ſmalti pictorum cærulei, quantum tingendo vitro ſat erit. Miſceatur bene vitrum, videaturque an color reſpondeat, eoq; reſpondente per bihorium ſtet, ac denuo miſceatur, & coloris experimentum fiat, omnibuſque bene ſeſe habentibus, per horas decem quieſcat. Miſceatur iterum, & omnibus in eodem coloris gradu permanentibus, vaſa fiant, quæ verum Lazuli lapidem referent. Quod ſi materia, dum in opere vitrarius eſt, turgeat, addantur aliquot fruſta foliorum auri, quæ per vaſa, dum turgent, diſtributa, naturalem lapidis Lazuli ſpeciem tanto magis reddent.

Cap. LXXIII. *Modus tingendi cryſtallum montanam* colore viperæ.

Recipe fragmenta cryſtalli montanæ pellucida, & ſine omni terreſtri materia, undantis aquæ ſpeciem repræſentantia, diverſæ magnitudinis, antimonii crudi & auripigmenti flavi bene pulveratorum ana uncias duas, & ſalis armoniaci unciam unam. Pulverata miſtaque omnia mittantur in fundum crucibuli, quod ignem ferat, iiſque imponantur fruſtula cryſtalli prædicta. Tegatur crucibulum, crucibulo alio inverſo, ità ut orificium orificio reſpondeat, luteturq; optimè & ſiccatum mittatur in medios carbones, qui adhibito ſenſim igne, ſponte ſua incendantur, & crucibulum, ubi ignem ſenſerit, fumare plurimum incipiet. Et hæc quidem operatio caminum requirit largum, & ubi exhalare fumus cœperit, laboratorio exiviſſe tutius erit. Pernicioſiſſimus enim, & quaſi mortiferus eſt hic fumus, ut cautione opus ſit, ne quoque modò attrahatur. Ceſſante omni fumo ignis per ſe extinguatur, & crucibulum ſpontè ſua refrigeſcat. Deinde eximantur fruſta cryſtalli, & quæ in ſummitate vel faſtigio crucibuli poſita fuerunt colore aureo, rubini, balaſſii, maculiſque pulchris; contra quæ in imo, & prope pulverem poſita fuerunt, maximam partem colore ſerpentis viperæ tincta erunt; & gemmarum inſtar rotâ poliuntur, & fulgorem acquirunt ſplendidum: fruſta reliqua, ſubſtratis pro ratione colorum foliis, auro incluſa, jucundum aſpectum præbent: & quia exiguæ hoc opus impenſæ, nec faſtidioſum eſt, nihil prohibet, cur non major eorundem quantitas tingatur: ſemper enim horum fragmentorum aliquot ſpecioſa & pulchra erunt.

Cap. LXXIV. Color Balaſſii, Rubini, Topaſii, Opali & Aſteriæ, *in cryſtallo montana.*

Recipe auripigmenti flavo-crocei, nec non arſenici cryſtallini ana uncias duas, antimonii crudi & ſalis armoniaci ana unciam unam. Pulveratæ & bene miſtæ ſpecies mittantur in crucibulum ſatis capax, ſuperimpoſitis primo ſegmentis cryſtalli minoribus, & ſucceſſive majoribus, omni vitio carentibus, & crucibulum totum impleatur. Applicetur huic crucibulo, crucibulum aliud, & orificium orificio, lutenturque optimè, relicto prius in fundo ſuperiori crucibuli foramento magnitudine ciceris: atque hoc ideo fit, quia fumus materialium rectâ aſcendens, quicquid impoſitum eſt in tranſitu melius tingit, quam ſi ad latus & oblique per juncturas crucibulorum tranſiret. Siccato luto crucibula in medios carbones ita mittantur ut crucibulum inferius plane totum, & ſuperioris pars dimidia carbonibus tegatur. Poſtea ignis adhibeatur, ſed ſenſim, & carbones ſufflante nullo per ſe accendantur, niſi ſi plane ceſſent, quo caſu incitandi erunt, ut igneſcant. Et carbones quidem majores & quercini ſint, procedaturque ut antea, ſtudioſe vitando fumum, ceu internecinum & vehementer noxium. Danda tamen eſt opera, ut carbones ſuccenſi exurantur: niſi enim id fiat, opus minime procedet. Fumus autem materialium, qui diutius aliquanto durat, per ſe ceſſet, nec non ignis ſua ſponte extinguatur, omni aura frigidiore & vento excluſis: fragmenta enim cryſtalli calida diffringerentur, & fragilia minimeque bona evaderent. Refrigeratis omnibus, reſolutiſque crucibu-

lis, pars cryſtalli major vero Topaſii, Balaſſii, Rubini, Chryſoliti, Aſteriæ & Opali colore tincta erit, aſpectu admirando. Ex his fragmentis, quæ melius tincta & colorata erunt gemmariorum rotâ poliantur, & ſplendorem acquirent, ſplendori gemmarum naturalium parem, & fortaſſe majorem, ſine ullo duritiei detrimento, quam ſatis conſtat in cryſtallo naturaliter, eſſe magnam. *Antverpiæ* non mediocrem eorundem copiam feci, & erant ex his fragmentis nonnulla Opali & Aſteriæ colore elegantiſſime tincta. Hi lapides varie aptati, & ſubſtratis, ut naturales, foliis, auro incluſi, aſpectum præbebunt extraordinarium. Auripigmentum autem eligendum & frondens & aureum: in hoc enim totum rei artificium conſiſtit, & ignis in principio adhibendus eſt lentus, omniaque per ſe refrigeſcant; quibus ſervatis, ſi prima vice non ſucceſſerit, repetatur labor, & operando fiet, ut nunquam fallat experientia.

ANTONII NERI FLORENTINI DE ARTE VITRARIA,

LIBER V.

Quo demonſtratur verus modus faciendi maſſam Smaragdi, Topaſii, Chryſoliti, Hyacinthi, Granati, Saphiri, Berilli vel Aquæ marinæ, aliorumque colorum: idque tanta venuſtate & elegantia, ut gemmas naturales in omnibus, ſolâ duritie exceptâ ſuperent.

Cum novo, & hactenus minus uſitato modo chymico Iſaaci Hollandi faciendi maſſam ſupradictam, quæ omnes alias, quæ nunc quidem in uſu ſunt, venuſtate & elegantia coloris longiſſime ſuperet.

CAP. LXXV. Smaragdos, Topaſios, Chryſolitos, Saphiros, Granatos, & omne quaſi gemmarum genus uſq; adeo perfecte imitari poſſe, ut colore, ſplendore, elegantiâ & politurâ, ſolâ duritie exceptâ, veras orientales, gemmas ſuperent, res eſt uſq; adeo ſuavis & pulchra, ut paucos eſſe credam, qui eandem non deſiderent atq; omni ſtudio quærant. Quare hoc præſenti libro modum ejus rei deſcribo, nec non circumſtantias & obſervationes ad hoc neceſſarias, ut non ſimiles modo ſint naturalibus, ſed eaſdem etiam exceptâ duritie ſuperent. Et vero dubium nullum eſt, quin ſolertes in hoc opere & induſtrii plus effecturi ſint, quam ego ſcribo. Cœterum ſupra alios omnes admirandus ille modus eſt, quem ex *Iſaaci Hollandi* opere deſumptum; experimento ductus primus comprobavi, quo paſtæ gemmarum uſq; adeo elegantes, pulchræ & perfectæ fiunt ut fidem fere ſuperent. Verum quidem eſt, laboris & moleſtiæ plenum hoc opus eſſe. Ego tamen, qui id ſæpius peregi, facile illud atq; expeditum, &, quod caput rei eſt, ſolidum eſſe pronuntio, ut jam levis & nullius momenti labor & ſumtus cenſeri debeat, qui in iſtiuſmodi negotia impenditur.

CAP. LXXVI. *Modus præparandi* cryſtallum montanam.

Habeas cryſtallum montanam, omnium quam id fieri poteſt, maxime pellucidam & pulchram, ſemotis Calcedonio, Tarſo, aliiſq; lapidibus duris: vitrum enim quod ex his talibus fit, minus perſpicuum eſt, minuſq; fulget, quam quod ex cryſtallo montana paratur: & lapides ſemper aliquid terreni & obſcuri habent; cum econtra cryſtallus aërei quiddam & pellucidi habeat, proximeq; ad naturam & qualitatem gemmarum accedat; orientalis præſertim, quæ effectum multo quam Italica & Germanica præſtantiorem præbet. Adſint ergo vaſa vel opera cryſtallo facta, & in crucibulum opertum indita, mittantur in medios carbones ardentes, & igneſcant, optimeque ignita in vas majuſculum frigidâ limpidiora plenum projiciantur, idque minimum duodecies repetatur, ſubſtitutâ ſemper recenti frigida, notandoque crucibulum ſemper debere eſſe opertum, & ab omni cinere & carbonibus immune: munditiâ enim hic opus eſt, & induſtria ſingulari. Cryſtallus ea ratione calcinatâ, ſiccataque non alio quam porphyrite lapide, idque ter, cum cura & aſſiduitate ſumma, teratur, ita ut tenuiſſimæ farinæ inſtar ſit, & tactum omnem effugiat. In hoc enim totius rei cardo verſatur. Nam ſi in mortario illam teras, æris, & ferreum piſtilli colorem aſſumet, nec præter ſmaragdi ſpeciem quidquam refert. Jam niſi exquiſitè admodum ſuper Porphyrite teratur, deforme opus erit, & nihil minus quam naturales gemmas repræſentabit. Summâ ergo hic patientiâ opus, atque exigua ſemper pulveris quantitas, & quæ dimidii cochlearis modum non excedat, aſſumenda, & ſæpius repetendus ille labor eſt, ut pulvis fiat longe omnium tenuiſſimus. Et quia hæc prima omnium artificialium gemmarum materia eſt, in hoc incumbes, ut tanto majorem hujus bene præparati pulveris copiam habeas, fingendis cujuſcunque generis coloribus.

CAP. LXXVII. *Modus faciendi* Smaragdum orientalem.

Recipe cryſtalli montanæ ut ſupra præparatæ uncias duas, minii ordinarii uncias quatuor. Miſceantur optimè hi duo pulveres, ut incorporentur; addanturq; æruginis bene tritæ & coloratæ grana 48. nec non croci Martis, aceto, ut ſupra *capite decimoſeptimo*, facti, & cum ærugine permiſti grana octo. Miſceatur diligentiſſime omnis hæc materia, & in crucibulum mittatur, quod ferendo igni par, atque illius, capacitatis ſit, ut intromiſſâ omni hac materiâ digiti unius ſpacium ſuperſit. Poſtea tegatur crucibulum operculo ſictili & lutetur optime, mittaturq; in fornacem figularem, ſtetq; calidiore loco per totū illud tempus, quo vaſa figulina coquuntur: & deinde fracto eo materiam invenies vitream ſmaragdi colore pulcherrimam, quæ ſi operibus magnis gemmarum inſtar inſeratur, ſmaragdum de rupe veteri orientalem ſuperabit. Quod ſi paſta hac vice ſatis excocta, & purgata non ſit, denuo mittatur in fornacem, & purgabitur. Signum bonæ coctionis eſt, ſi levato non nihil operculo materia pura & pellucida appareat: ſin minus, lutetur operculum, omniaq; in fornacem redeant. Atque adeo notandum eſt, non ante diffringendum eſſe crucibulum, quam conſtet paſtam optime coctam & purgatam eſſe. Etenim ſi rupto priore crucibulo in aliud tranſmittatur, ut ut purgetur, opus tamen deforme & bullis puſtuliſque plurimis obnoxium reddit. Quod ſi fornax figulina ad manum non ſit, exſtrui in hunc uſum levioris operis fornacula, & per horas 24. adhiberi ignis poterit, appoſitis pluribus coloris diverſi crucibulis. Ligna autem adhibeantur dura, (quale eſt quercinum) & arida; ignis ſit perennis & non interruptus: opus enim redderet imperfectum.

Ego *Antverpiæ* iſtiuſmodi fornaculam mihi præparavi, quæ crucibula diverſi coloris viginti capiebat, & horis 24. opus totum abſolvebatur. Majoris tamen ſecuritatis gratia continuari ignis per alias ſex horas, aut diutius aliquanto poterit, & omnia optimè excocta erunt, minuſque lignorum abſumetur; danda tamen eſt opera, ut iſtiuſmodi adhibeantur crucibula, quæ ignem ferant. Hæ paſtæ gemmarum inſtar naturalium poliuntur, ſplendorem accipiunt, & ſubſtratis ſolito more foliis auro alligantur, atque hæc doſis paſtam ſolito duriorem reddit.

CAP. LXXIII. Smaragdi *coloris magis pleni.*

Recipe cryſtalli montanæ, ut ſupra tritæ, unciam unam, minii vulgaris uncias ſex cum dimidia. Miſceantur bene, addanturque æruginis grana 75. nec non croci Martis aceto facti grana decem. Procedatur porro ut ſupra per totum, & colorem habebis

bebis ſmaragdi orientalis aliquanto magis plenum & admirabilem, qui in parvis operibus auro alligatus, ſubſtrato folio, ſupra quam id dici poteſt pulcher evadet. Magis tamen quam prior illa paſta excoquenda eſt, ut omnis conſumatur imperfectio, quam ordinariè plumbum producit. Et hæc doſis paſtam reddit teneriorem, ſed color elegantiſſimus erit.

Cap. LXXIX. Paſtam Smaragdi *elegantiorem facere.*

Recipe cryſtalli ut ſupra præparatæ uncias duas, minii ordinarii uncias ſeptem. Miſceantur, & in ſingulas hujus miſturæ uncias dentur æruginis grana decem, totidemque grana, ſed ſemel tantum, croci Martis aceto facti, ita ut totum hoc compoſitum efficiat pondus unciarum novem, nec non drachmæ unius, & ſcrupulorum duorum. Omnibus bene miſtis procedatur ut ſupra *capite ſeptuageſimo ſeptimo*, & ſmaragdum habebis egregium, ſatiſque ſpecioſum, & ob plenitudinem coloris exiguis operibus aptum, ſed propter plumbi copiam minus durum: neceſſum ergo eſt ut ſolito diutius excoquatur, & pallor ille ac pinguedo, quam plumbo naturaliter debet, abſumatur; & vitrum erit colore ſmaragdi orientalis pulcherrimum.

Cap. LXXX. Smaragdus *alius* pulcherrimus.

Recipe cryſtalli montanæ ut ſupra præparatæ uncias duas, minii ordinarii uncias ſex. Miſceantur optime: & in ſingulas hujus materiæ uncias dentur æruginis bene tritæ grana decem; Omnibus bene miſtis procedatur ut ſupra, & colorem ſmaragdi pulcherrimum habebis.

Cap. LXXXI. *Topaſius orientalis.*

Recipe cryſtalli montanæ, ut ſupra tritæ, uncias duas, minii ordinarii uncias ſeptem. Miſceantur omnia optimè, & in crucibulum mittantur, igni ferendo par, & in quo vacuum relictum ſit tranſverſi digiti latitudine. Etenim quia hæ paſtæ dum coquuntur turgent, hinc fit, ut repleto crucibulo materia vel adhæreat operculo, & opus deforme reddat, vel ſeſe proripiat foras, & omnia imperfecta relinquat. Diligentiâ ergo & ſpatio opus eſt. In reliquis eâdem ut ſupra ratione procedatur, & colorem habebis topaſii orientalis admirandum, quo facere quodcunque voles poteris.

Cap. LXXXII. *Chryſolitus orientalis.*

Recipe cryſtalli montanæ ut ſupra factæ uncias duas, minii ordinarii uncias octo. Omnibus optime miſtis, addantur croci Martis aceto facti grana duodecim: poſtea mittantur in crucibulum, & procedatur more ſolito, niſi quod diutius excoquenda eſt hæc maſſa, idque ob plumbi naturam minus perfectam, & colorem obtinebis Chryſoliti orientalis ſumme perfectum, qui ſubſtrato folio effectum dabit admirandum.

Cap. LXXXIII. *Color cœleſtis.*

Recipe cryſtalli montanæ ut ſupra præparatæ uncias duas, minii ordinarii uncias quinque. Miſceantur optime, addanturque Zafferæ præparatæ & tritæ grana 21, & cum materia permiſceantur. Poſtea mittantur in crucibulum, ſervatis regulis & obſervationibus ut ſupra, & colorem habebis cæleſtem formoſiſſimum.

Cap. LXXXIV. Color *ex violaceo* cœleſtis.

Recipe cryſtalli montanæ, ut ſupra tritæ, uncias duas, minii ordinarii uncias quatuor cum dimidia. Miſceantur, addanturque ſmalti pictorum cærulei grana 26. miſtiſque omnibus, fiat ut ſupra, & colorem habebis violaceum pulcherrimum, & cæruleum ſatis elegans.

Cap. LXXXV. Saphirus *orientalis.*

Recipe cryſtalli montanæ ut ſupra præparatæ uncias duas, minii ordinarii uncias ſex. Miſtis his pulveribus, addantur Zafferæ præparatæ ſcrupuli duo, nec non magneſiæ Pedemontanæ præparatæ, & cum Zaffera permiſtæ grana ſex. Omnibus bene unitis pergatur ut ſupra, & ſaphirus prodibit orientalis, coloris violacei ſpecioſiſſimus.

Cap. LXXXVI. Saphirus orientalis *colore ſaturo.*

Recipe cryſtalli montanæ ut ſuo loco dictum eſt tritæ, uncias duas, minii ordinarii uncias quinque. Addantur Zafferæ præparatæ grana 42. miſceanturque cum granis octo magneſiæ Pedemontanæ præparatæ. Omnia bene miſta mittantur in fornacem, percoquantur ut ſupra, & ſaphirum dabunt orientalem magis ſaturum, & cum inſigni pulchritudine violacei quid referentem.

Cap. LXXXVII. Granatus *Orientalis.*

Recipe cryſtalli montanæ ut ſupra tritæ uncias duas, minii ordinarii uncias ſex. Miſceantur optimè, addanturque grana ſedecim magneſiæ Pedemontanæ præparatæ, & cum granis duobus zafferæ præparatæ permiſtæ. Mittantur omnia in fornacem, coquanturque more ſolito, & granatum habebis pulcherrimum & ſpecioſum.

Cap. LXXXVIII. Granatus orientalis *magis plenus.*

Recipe cryſtalli montanæ præparatę uncias duas, minii ordinarii uncias quinque cum dimidia. Miſceantur, addanturque magneſiæ Pedemontanæ præparatæ grana quindecim, & cum granis quatuor zafferæ prępαratæ permiſceantur. Omnibus bene unitis procedatur ut ſupra, niſi quod plus vacui in crucibulo relinquendum eſt, cum materia magis turgeat, & colorem habebis granati orientalis ex violaceo pulcherrimum.

Cap. LXXXIX. *Alius* Granatus *pulcher.*

Recipe cryſtalli montanæ præparatæ uncias quinque, magneſiæ Pedemontanæ præparatæ grana 35. & zafferæ præparatæ cum magneſia permiſtæ grana quatuor. Omnia probe miſta mittantur in crucibulum, relicto majore quam antea vacuo, cum materia valde turgeat. Lutetur crucibulum, ſiccetur & in fornacem mittatur, procedaturque ut ſupra, & colorem habebis granati orientalis ſupra reliquos ſpecioſum.

Cap. XC. *Monita, paſtas earumque colores concernentia.*

Notetur, colores in his paſtis magis vel minus plenos fieri, prout cuique placuerit, vel operis ratio exigere videbitur. Etenim annuli minores colorem ſaturum, majores magis dilutum, inaures & monilia plenum requirunt, totumque hoc negotium ab ingenio laborantis dependet, neque certis regulis circumſcribi poteſt; & ſi quæ hic regulæ à me præſcriptæ ſunt, ex hoc tantum fiunt, ut curioſi artificis ingenio viam commonſtrent inveniendi meliora. Et colorum quidem præterquam æruginis, zafferæ & magneſiæ hic nulla mentio fit. Curioſus tamen & ingenuus quiſque ex auro colorem rubrum admirandum, ex ferro rubrum elegantem alium, ex ære viridem pulcherrimum, ex plumbo aureum, ex argento cœruleum, ex granato Bohemico aereum pulcherrimè extrahere poterit. Hi enim granati, quia minores ſunt, exiguo veneunt, & tincturam præbēt maxime inſignem, id quod ego in *Flandria* ſępius expertus ſum. Idemq; de rubino, ſaphi-

ſaphiro aliiſque gemmis judicium eſto, ut ſubacti in operationibus chymicis norunt: quæ omnia ſi hic perſpicuè, ut antecedentia deſcribere vellem, diffuſi operis materia eſſet & alioqui prædicti colores ſufficiunt parandis operibus jucundis. Adeo autem ad illud, quod in hoc negotio eſſentiale & præcipuum eſt, ne videlicet crucibula antea quam materia probè cocta & purgata ſit, frangantur. Etenim ſi paſtæ ex uno in aliud crucibulum tranſmittantur, ob reliquias adhærentis crucibuli plenum ſpurcitiei, ſcabroſum & prorſus inutile opus erit. Quare ſi paſtæ ſatis excoctæ non ſint, neutiquam diffringendum, ſed luto inducendum, & in fornacem denuo mittendum eſt crucibulum, & paſtæ ea ratione purgatæ, cuicunque operi aptæ erunt.

CAP. XCI. *Admiranda & hactenus minus uſitata ratio, faciendi paſtas ſupradictas, atq; imitandi omne genus gemmarum.*

Hic modus imitandi gemmas, quem ab *Iſaaco Hollando*, cum in Flandria eſſem mutuatus ſum, quod ego ſciam, minime uſitatus, & paucis fortaſſe notus, utut laborioſus, eorum tamen, qui alibi hactenus in uſu ſunt, aut certe ad notitiam meam pervenerunt, pulcherrimus & elegantiſſimus eſt. Quare uſque adeo perſpicuè, & adjectis tot circumſtantiis monitiſque illum demonſtrabo, ut exercitatus quiſque in arte Chymica eundem facillime capere, & perficere opus poſſit.

Ceruſſam tenuiter tritam in ampullam capacem vitream mitte, eique tantum aceti diſtillati affunde, ut palmi altitudine tegatur; notando acetum in principio vehementer efferveſcere, lente ergo & ſenſim agendum, & ſpatium furori dandum eſt. Deinde ampulla mittatur in cineres fornacis calidæ, ut octava pars aceti evaporet, removeaturq; ignis, & refrigeſcente ampulla, quod reliquum eſt aceti leniter decantetur. Et acetum quidem illud bene coloratum & ſale grave erit ideoq; in vaſe vitreo ſeponatur. Affundatur ceruſſæ acetum novum, evaporetq; & decantetur ut antea, idque tam diu repetatur, donec acetum coloris & dulcedinis nihil ſecum ferat, id quod ſexta frequenter vice ſuccedere ſolet. Filtretur tunc omne acetum coloratum cum cura, filtratumque in ampulla vitrea plane exhalet, & in fundo ſal plumbi candidum remanebit, quod in ampulla lutata & arena fornacis ſatis calidæ per 24. horas ita detineatur, ut ampulla tota ab arena tegatur, ſolo eminente collo, eoq; aperto. Poſtea eximatur ampulla, & ſal teratur, ac ſiquidem cinnabaris inſtar rubrum ſit, bene eſt: ſin flaveſcere videbitur, in ampulla vitrea per alias viginti quatuor horas ignem experiatur ſatis calidum, ita tamen ut non liquefiat, (fruſtraneus enim omnis labor eſſet) & cinnabaris inſtar rubrum evadet. Hoc ea ratione calcinatum plumbum rubrum in ampullam vitream mittatur, & affuſo ut antea aceto deſtillato, procedatur ut ſupra, uſque dum ſal omne extractum, & feces vel omnes vel minimam partem ſeparatæ ſint. Acetum hoc coloratum omne in ollis vitriatis per ſex dies aſſerva, ut particulæ terreſtres, & impura quæque ſidant, quo tempore exacto filtretur, ſemotis quæ in fundo ſunt inutilibus particulis. Deinde acetum hoc bene filtratum & ab omnibus particulis terreſtribus ſeparatum in ampulla operta detineatur, & in fundo ejuſdem ſal remanebit. Saturni candidiſſimum, & ſacchari inſtar dulce, quod bene ſiccatum aqua communi ſolvatur, & ſolutum per ſex dies in ollis aſſervetur, ut quicquid ſupereſt materiæ terreſtris, infundo vaſis remaneat. Filtretur tunc aqua ſale gravis, & reliquiis terreſtribus ſeparata, in ampulla vitrea evaporet, remanebitq; in fundo ſal, nivis inſtar candidiſſimum, nec minus quam ſaccharum dulce. Repetatur hæc ſolutio per aquam communem, nec non filtratio & evaporatio ter, & ſaccharū habebis Saturni, quod in ampulla vitrea & arena fornacis per dies pulſculos igne temperato calcinatum, colorem contrahet, magis quam cinnabaris rubicundū, & calcem reddet quavis farina cribrata teneriorem, & quæ tactum effugiat. Atq; hanc calcem verum Saturni, & ab omni ſorde, nigredine, & materia terreſtri purificatum ſulphur vocant. Quod ſi jam Smaragdi, Saphiri, Granati, Topaſii, Chryſoliti paſtas & cæruleum aliumve colorem facere animus eſt; recipiantur eædem ut ſupra materiæ, colores & doſes, minio tantum excepto, cujus vices in eadem doſi ſupplebit hoc Saturni ſulphur, & in reliquis exactiſſimè procedatur ut ſupra, & gemmas habebis diverſi coloris mire elegantes, & quæ alias omnes mediante minio factas longiſſimè ſuperabunt. Etenim hoc verum ſulphur Saturni alia omnia, pluribus quam ego ſcribo paraſangis antecedit, id quod Antverpiæ ſæpius deprehendi. Paſtæ hoc ſulphure factæ, pingue illud atq; flavum non habent, quod reliquis ordinariè adhæret, & quo ſucceſſu temporis fœdantur: nec humore aut halitu humano maculas ut aliæ contrahunt. Quare neminem pœniteat illius laboris, qui opere ipſo & ſucceſſu penſatur.

CAP. XCII. *Modus faciendi paſtas cujuſcunque coloris duriſſimas.*

Recipe cryſtalli montanæ ut ſupra calcinatæ, & tritæ, libras decem, ſalis pulveris orientalis ut ſupra *capite tertio* optime purificati libras ſex. Hoc ſal probè ſiccatum, prophyrite tritum, & bene cribratum admiſceatur cryſtallo ſupradictæ. Deinde addantur ſulphuris ſaturni chymicè facti libræ duæ, atq; hi tres pulveres in olla vitriata & pura optimè permiſceantur, & adjectâ modicè aquâ communi & limpida ita impaſtentur, ut maſſa fiat duriuſcula, ex qua poſtea placentulæ fiant trium unciarum pondere, & circa medietatem perforatæ, ut ſiccari in ſole poſſint. Deinde mittantur in fornacem figularem, & ibidem in ſummitate fornacis calcinatæ, tundantur, terantur porphyrite & cribrentur. Quibus peractis in ollam & fornacem vitrariam tranſeant, & per triduum purgentur: purgatæ in aquam trajiciantur, ſiccatæ in ignem redeant, & per dies quindecim optime purgentur, ut bullis & puſtulis, omniq; ſcabritie careant, & maſſa remaneat gemmarum naturalium inſtar puriſſima. Et hoc quidem vitri puriſſimi genus vario colore tingi poteſt, videlicet ſcoriâ ter calcinatâ ſmaragdi, necnon aquæ marinæ; zafferâ topaſii; eâdemq; zafferâ & magneſiâ, ut vitrum ordinarium, ſaphriri colore, adhibendo tincturam, ubi vitrum purgatum fuerit. Eâdem induſtriâ colo flavus tartaro & magneſiâ, nec non color granati magneſiâ & zafferâ per intervalla adhibitis, ut in vitro ordinario producitur. Et revera omnes in univerſum gemmas, coloreſque omnes hac paſta vitri puriſſima duriſſimaque imitari licebit, & ſplendorem obtinebunt mire lucidum, atque adeo ipſam etiam naturalium duritiem æmulabuntur: ſmaragdus præſertim, qui ex hac maſſa conficitur pulcherrimus, & duritie naturali fere par.

ANTONII NERI FLORENTINI DE ARTE VITRARIA,

LIBER VI.

Quo demonſtratur verus modus faciendi omne genus encauſtorum, quo aurifices auro varios colores inurunt; una cum regulis & ingredientibus, quibus utuntur: nec non modis adminiſtrandi ignem, ut encauſta illa, vel ut vulgo vocantur ſmalta *accuratiſſime fiant, additis demonſtrationibus pro negotij natura ſatis evidentib.*

Hoc ſexto libro demonſtratur modus faciendi encauſta varii coloris, in uſus aurificum, quibus aurum aliaque metalla inurunt: res jucunda & elegans, nec minus laborioſa quam neceſſaria, quandoquidem metalla tot encau-

cauſtorum coloribus ornata aſpectum præbent jucundum & inſignem, alliciendo ſupra modum intuentium oculos. Et quia hæc ars una ex artis vitrariæ præcipuis partibus & neceſſaria eſt, omnibuſque hoc gnatum fore putavi, in eo totus fui, ut plures modos faciendi varia encauſta, vel ut vulgo vocantur ſmalta, *deſcriberem, cujus rei notitia, quemadmodum per ſe vitrariam ſpectat, & ab illa tota dependet, ita minime vulgaris, & inter penitiora illius artis ſecreta eſt. Quare ne opus hoc tam pulchrâ, utili & neceſſariâ materiâ deſtituetur, præſentem hunc ſextum librum omnium uſibus & commodis dicatum volui.*

CAP. XCIII. *Materia ex qua* ſmalta *omnia fiunt.*

Recipe exempli gratia plumbi optimi libras triginta, & ſtanni optimi libras triginta tres. Hæc metalla, ut de plumbo ſuo loco dictum eſt, ſimul calcinentur, & calcinata cribrentur. Calx bulliat in aqua limpida & vaſe vel olla pura. Ubi parum bullierit, auferatur ab igne, & inclinando ollam aqua effundatur, quæ calcem ſubtiliſſimam ſecum feret. Reſiduo calcis affundatur aqua recens, bulliatq; & decantetur ut ſupra, idque tantiſper repetatur, donec aqua nihil calcis ſecum ferat, & quicquid craſſioris metalli in fundo reſidebit, calcinare denuo, & partem ejus ſubtiliſſimam ebullitione in aqua communi, ut antea, extrahere licebit. Evaporet jam omnis aqua, quæ calcem tulit ſubtiliſſimem, idque ad lentum ignem, in fine præſertim, ne calx vitietur, quæ in fundo reſidet, & tenuitate calcem ordinariam ſupperat. Poſtea recipe hujus calcis ſubtiliſſimæ, nec non frittæ, tarſo candido præparatæ, atque optimè tritæ, & per cribrum anguſtum tranſmiſſæ ana libras quinquaginta, & albi ſatis tartari, de quo ſupra, uncias octo. Omnia optime trita, mixta cribrataque mittantur in ollam, ex terra coctâ novam, admovendo ignem per horas decem, quibus exactis auferantur ab igne, & bene pulverata loco ſiccô & à pulvere immuni ſerventur: hæc enim illa materia eſt, ex qua varii coloris ſmalta fiunt.

CAP. XCIV. Encauſtum *lactis inſtar* album.

Recipe hujus materiæ, exempli gratia, libras ſex, magneſiæ Pedemontanæ præparatæ grana quadraginta octo, totumque hoc compoſitum mitte in ollam vitro albo obductam. Deinde liqueſcat & purgetur in fornace, igne lucido, & lignis quernis, ſine fumo, id quod brevi abſolvitur. Ubi ſoluta & liquata fuerit hæc materia, in aquam limpidam projiciatur, ac denuo in ollam redeat, ſolvatur, purgetur & in aquam projiciatur, ut antea, idque tertio fiat; ac tum demum, ubi quarto ſoluta & bene purgata fuerit experimentum capiatur, ſit ne, ut eſſe ſolet albiſſima, ac ſi vireſcere videbitur, nonnihil magneſiæ, ut ſupra, addatur, & lactis inſtar alba, nec non auro metalliſque pingendis aptiſſima erit.

CAP. XCV. *Smaltum quod* turcoidis *colorem refert.*

Recipe materiæ, ex qua encauſta fiunt, libras ſex, mittatur in ollam vitriatam vitro albo, fundantur, purgentur, & in aquam projiciantur, ac denuo in ollam redeant, & cum bene purgatæ fuerint, addantur unciæ tres ſcoriæ æris, ter, ut ſuo loco dictum eſt, calcinatæ, nec non zafferæ præparatæ grana nonaginta ſex, & magneſiæ præparatæ grana 48. Miſceantur bene hi duo pulveres, & in quatuor partes diviſi, quatuor diſtinctis vicibus addantur, optimè omnia miſcendo, ut pulvis bene incorporetur. Quod ſi periculo facto color ſatis plenus videbitur, aurificibus, eundem exhibebis, atque id ages, ut ex relegmine maſſæ de quibuſcunque coloribus oculo judicium ferre poſſis, id quod ego ſemper feci: neq; enim hic certa doſis præſcribi poteſt, cum colores modo plus, modo minus tingant. Oculo itaq; dijudicandi ſunt colores, & ſi nimij fuerint, plus materiæ, unde ſmalta fiunt, addendum eſt: ſtatim enim ſolvetur, & color reddetur magis dilutus: & contra ſi dilutiores fuerint, plus pulveris, quo tingantur, addendum eſt, atque ita colorem vel minus vel magis plenum reddes, prout exigere natura negotii videbitur, idquod ego Piſis ſemper feci, & oculi judicium ſecutus ſum, nullo adhibito certo pondere aut menſura.

CAP. XCVI. *Aliud* encauſtum cœruleum.

Recipe materiæ ſmaltorum libras quatuor, zafferæ præparatæ uncias duas, ſcoriæ æris ter calcinatæ grana 48. Miſceantur primò optimè pulveres inter ſe, & poſtea quam id fieri maxime poteſt cum materia, mittanturq; in ollam vitro albo inductam, & conſequenter in fornacem. Ubi jam omnia ſoluta & unita fuerint, projiciantur in aquam, redeantque in ollam, coquantur, & uniantur optime, eoque peracto eximantur ex fornace, & ſmaltum dabunt pro aurificibus ſatis ſpecioſum.

CAP. XCVII. *Smaltum* viride.

In ollam vitro albo, ut moris eſt inductam, atque in fornacem mittantur materiæ ſmaltorum ſupradictæ quatuor libræ, & horis decem vel duodecim optimè ſolventur & purgabuntur. Projiciantur in aquam, redeantq; in ollam, & purgentur optime. Ubi bene purgata fuerit hæc materia, addantur ſcoriæ æris, ter, ut ſuo loco dictum eſt, calcinatæ, unciæ duæ, nec non ſcoriæ ferri bene tritæ grana 48 Addantur autem hi pulveres, antea bene miſti, ſenſim, & tribus vicibus, bene ſemper miſcendo materiam, ut colorem imbibat, obſervandoque an color reſpondeat: & ſiquidem ex voto ſit, purgari omnia & bene uniri permittantur. Deinde, ut moris eſt, eximantur ex fornace, & ſmaltum erit viride, pro aurificibus pulchrum.

CAP. XCVIII. *Aliud encauſtum* viride.

Recipe materiæ ex qua ſmalta fiunt libras ſex, eique quam id fieri accuratiſſime poteſt admiſce ferretti Hiſpanici optimè triti uncias, nec non croci Martis cum ferretto permiſti grana 48. Omnia bene unita & permiſta mittantur in ollam vitro albo inductam, & ubi optime purgata fuerint, trajiciantur in aquam, redeantque in ollam ut purgentur, videaturque an color ex voto ſit, quo animadverſo, purgari permittatur, extrahaturque more ſolito. Et hæc quidem ſmalta omnia quatuor, vel ſex, aut circiter unciarum pondere parantur.

CAP. XCIX. *Smaltum aliud* viride.

Materiæ ſmaltorum libras quatuor in ollam vitriatam mitte, & paucis horis purgabuntur. Purgatæ trajiciantur in aquam, redeantque in ollam & purgentur. Deinde per tria intervalla pars ſequentis permixti pulveris tertia addatur. Recipe ſcoriæ æris ter calcinatæ uncias duas, & croci Martis aceto præparati grana 48. Pulverata addantur materiæ, ubi jam ſoluta & purgata fuerit, omnia bene miſcendo & incorporando, & ubi color placuerit, purgetur & eximatur, ut moris eſt.

CAP. C. *Encauſtum* nigrum.

Recipe materiæ, ex qua ſmalta fiant, libras quatuor, nec non zafferæ præparatæ & magneſiæ Pedemontanæ ana uncias duas. Hi pulveres optimè miſti uniantur cum ſupradicta materia, mittanturque in ollam vitriatam & purgentur. Et quia flatulenta admodum eſt hæc materia, olla adhibeatur aliquanto major, ad prohibendam ebullitionem. Ubi pur-

purgata fuerint omnia, trajiciantur in aquam, redeantque in ollam, & ſtatim purgabuntur. Videatur an color ſatisfaciat, & prout ex uſu videbitur, ſatur magis vel magis dilutus reddatur, & ubi voto reſponderit, in placentas orbiculares, ut reliqua encauſta cogatur, & encauſtum erit holoſerico nigrum pro aurificibus ſatis pulchrum.

Cap. CI. *Aliud encauſtum* nigrum.

Recipe materiæ ſmaltorum ſupradictæ libras ſex, zafferæ præparatæ, necnon croci Martis aceto facti, & ferretti Hiſpanici ana uncias duas. Hi pulveres bene ſubacti & uniti miſceantur optime cum ſupradicta materia, mittanturque in ollam vitriatam & fornacem more ſolito. Ubi jam omnia bene ſoluta & unita fuerint, trajiciantur in aquam, redeantq; in ollam & brevi purgabuntur. Videatur an color reſpondeat, cogaturque maſſa in placentam more ſolito, ſi tamen antea bene purgata fuerit, & colorem imbiberit, & nigrum erit pulchrum, quo aurifices metalla inuruut.

Cap. CII. *Aliud encauſtum* nigrum.

Recipe materię ſmaltorum ſupradictæ libras quatuor, tartari rubri uncias quatuor, magneſię Pedemontanæ pręparatę uncias duas. Hi pulveres bene ſubacti miſtiq; permiſceantur cum ſupradicta materia, mittanturq; in ollam vitriatam aliquanto majorem, ut ſpatium vacuum ſuperſit: intumeſcit enim valde hæc materia. Deinde fuſa unitaq; omnia trajiciantur in aquam mittanturq; denuo in ollam & purgentur, advertendo utrum color placeat, quo reſpondente in placentas ut moris eſt cogantur, & nigrum erit holoſerici inſtar elegantiſſimum.

Cap. CIII. *Smaltum purpureum.*

In libras materiæ ſmaltorum quatuor, dentur magneſiæ Pedemontanę optime præparatæ unciæ duæ, mittanturq; in fornacem in olla more ſolito vitriata grandiuſcula, ut vacuum relinquatur: bullict enim & intumeſcet valde hæc materia. Ubi jam ſoluta & unita fuerint omnia, trajiciantur in aquam, redeantq; in ollam & purgentur. Deinde videatur an ex voto color ſit, & ſiquidem talis fuerit, cogatur more ſolito, & color purpureus erit ſatis elegans, ita tamen ut dum in olla eſt, pro negotij natura vel ſaturetur magis, vel magis diluatur.

Cap. CIV. *Smaltum aliud* purpureum.

Habeas materiæ ex qua encauſta fiunt libras ſex: magneſiæ Pedemontanæ præparatæ uncias tres & ſcoriæ æris caldarii, ter calcinatæ uncias ſex. Hi pulveres bene uniti permiſceantur cum materia ſupradicta, mittanturque in fornacem more ſolito & purgentur optime. Poſtea trajiciantur in aquam, redeantq; in ollam & purgentur, videaturq; an color reſpondeat, ut ſaturare vel diluere eumdem poſſis, & ſi quidem debite pręparatus fuerit, eximatur & procedatur more ſolito.

Cap. CV. *Encauſtum flavum.*

Recipe materię ſmaltorum libras ſex, tartari uncias tres, & magneſiæ præparatæ grana 72. Pulveres bene ſubacti unitique miſceantur cum ſupradicta materia, quam id fieri poteſt optime, miſtaq; omnia in fornacem, & ollam vitro albo inductam, & aliquanto majorem mittantur: valde enim intumeſcere ſolent. Ubi omnia bene purgata fuerint, trajiciantur in aquam, redeantq; ut in ollam & purgentur, obſervando utrum color placeat, nec ne, ut intendere illum vel diluere ſi opus ſit poſſis, & encauſtum erit flavum, pingendis metallis aptiſſimum, excepto auro, quo ſplendor illius obſcuratur, niſi ſuperinductis coloribus aliis, quod aurificibus in uſu eſt, adjuvetur.

Cap. CVI. *Smaltum* Cœruleum.

Ut cæruleum & picæ marinæ colorem efficias, in promptu ſint unciæ duæ bracteolarum æris, ut ſupradictum eſt, calcinatarum, & zafferæ præparatę grana quadraginta octo. Hi pulveres bene miſti redigantur in unum corpus, cum libris quatuor materię, ex qua encauſta fiunt, & uniti trajiciantur in aquam more ſolito, redeantque in ollam & purgentur. Unitis & purgatis bene omnibus videatur an color reſpondeat, ut, ſicut alias dictum eſt, vel intendere illum vel diluere, ſi ex uſu ſit poſſis, & ſiquidem probus fuerit, procedatur ut artis eſt.

Cap. CVII. *Encauſtum* violaceum.

Ut ſmaltum facias violaceum, omnibus numeris abſolutum, adſint libræ ſex illius materiæ, ex qua encauſta omnia fiunt, nec non magneſiæ Pedemontanæ præparatæ unciæ duæ, & ſcoriæ æris ter calcinatæ grana 48. Pulveres bene miſti permiſceantur cum ſupradicta materia, & more ſolito mittantur in fornacem, projiciantur in aquam, & denuo purgentur, vocatoq; in examen colore, ſi neq; minuere illum nec augere neceſſe ſit, procedatur more ſolito, & encauſtum erit pulchrum & aurificibus utile.

ANTONII NERI FLORENTINI DE ARTE VITRARIA,

Liber VII.

Quo modus demonſtratur extrahendi laccam flavam ex floribus geniſtæ in uſus pictorum: nec non modus alius extrahendi laccam rubram, viridem, cœruleam, purpuream, omnemque alium colorem ex quibuſcunque floribus & herbis.

Modus item faciendi cæruleum Germanicum & ultramarinum: nec non modus extrahendi laccam ex cocco, ligno Braſilienſi, & rubia tinctorum, cum modo colorandi turcoidem decolorem. Alius item modus faciendi colorem rubrum tranſparentem, nec non ſmaltum roſeum pro auro aliiſque metallis: res non vulgares minimeque communes.

Hoc præſenti & ultimo libro demonſtro modum extrahendi omne genus colorum ex floribus & herbis in uſus pictorum, qui quidem colores etiam tingendis vitris inſervire poterunt. Modum item extrahendi laccam ex multis coloribus, nec non modum extrahendi colorem ultramarinum ex lapide lazuli, quæ omnia quidem in uſus pictorum cedunt; ſed ita ut etiam arti vitrariæ inſervire poſſint; idque tam in ſuperficie quam in igne fornacis. Præterea demonſtro modum faciendi colorem rubrum tranſparentem in vitro, qui hodie ceu res minus utilis in oblivionem veniſſe videtur: modum item faciendi encauſtum rubrum colorando & pingendo auro, quæ omnia ad artem vitrariam pertinent, & hodie in occulto latent ac paucis nota ſunt; præter multas alias res, quas huic operi deberi, & curioſis nobilibuſque ingeniis grata fore putavi.

Cap. CVIII. Lacca flava *ex floribus geniſtæ pro pictoribus.*

Ex ſoda vitrariorum & calce lixivium facies mediocriter potens, & in hoc lixivio ad lentum ignem recentes geniſtæ flores ita coque, ut lixivium omnem florum tincturam attrahat, id quod cognoſces ſi flores extracti albicantes & decolores, & econtra lixivium inſtar elegantis Trebiani flavum ſit. Exemtis tunc floribus lixivium in vaſis fictilibus vitriatis foco ad bulliendum admove, eique tantum aluminis roccæ ſuperaddito, quantum diſſolvi ab igne poterit. Deinde ablatum ab igne lixivium in vas aquâ limpidâ inſtructum effunde, & color flavus fundum petet; quo facto, quieſcat aqua, decanteturq; atque alia recens affundatur, & ubi tinctura reſederit, decantetur, idque

tan-

tantiſper hac, donec ſal lixivii & alumen omne à tinctura ablatum ſit: notando tanto magis pulchrum & elegantem fore colorem, quanto tincturam à ſale lixivii & alumine aquâ magis purgaveris. Aquam autem intelligo communem, cujus beneficio ſal lixivii & alumen aufertur: ſubinde autem, antea quàm decantetur aqua, ſubſidere tinctura permittatur, idque tam diu repetatur, donec aqua ſine omni ſalſedine & non mutata exeat: id enim ablati ſalis & aluminis ſignum eſt, & lacca in fundo remanebit elegans atque pura, quam aquâ bene decantatâ ſuper ſegmentis lini candidi extendes, & lateribus recens coctis in umbra ſiccabis, & laccam habebis flavam, quæ pictoribus ſimul & vitrariis inſervire poterit.

Cap. CIX. *Extrahere laccam ex papavere, iride, roſis & violis rubris, omnique genere herbarum virentium.*

Recipe florum vel herbarum unius ejuſdemque coloris quam volueris quantitatem, & eadem, ut *capite centeſimo octavo* dictum eſt ratione procede, & laccam vel colorem habebis & tincturam cujuſcunque floris vel herbæ pro pictoribus pulchram, & jure magni faciendam.

Cap. CX. *Extrahere laccam & colorem ad pingendum ex floribus aurantiis, papavere erratico, iride, violis ordinariis, violis rubris, roſis incarnatis, & rubris, floribus borraginis, braſſica, gladioli, & quibuſcunque aliis: nec non colorem viridem ex malva, pimpinella, omnibuſque aliis herbis.*

Recipe cujuſcunque generis & coloris florem vel herbam, quæ recens trita chartam colore ſuo inficiat: ſi qua enim hunc effectum non præſtat, huic operi apta non eſt. Mittatur in ampullam vitream aquæ vitæ ordinariæ, & in protuberantiam capitelli, quæ latiſſima eſſe debet, mittantur folia florum vel herbarum, ex quibus elicere tincturam & extrahere colorem cupis. Aptato poſtea recipiente capitello, lutentur juncturę, Ignisque adhibeatur temperatus, & pars aquę vitę maxime ſubtilis aſcendens in capitellum, primo in protuberantiam ejuſdem ſuper florum & herbarum folia, & porro extractâ eorundem tincturâ in recipiens decidet. Hæc pars aquæ vitæ tenuior in vaſe vitreo denuo diſtillata, peregrini coloris expers tranſibit, iiſdemq; ut antea uſibus inſervire poterit, remanente in fundo tinctura, quam modice ſiccabis, & laccam habebis ex omni genere florum & herbarum pro pictoribus optimam.

Cap. CXI. Cœruleum *inſtar Germanici.*

Recipe argenti vivi partes duas, florum ſulphuris partes tres, & ſalis armoniaci octo. Omnia ſuper porphyrite trita, cum argento vivo in ampullam vitream longioris colli & in fundo lutatam mitte, iiſq; ignem arenæ lentum admove, uſque dum omnis abſceſſerit humiditas, quo facto claudatur orificium vitri, augeaturque ignis, ut in ſublimationibus fieri ſolet, continueturque ad finem uſque, & cœruleum habebis ſatis elegans & pulchrum.

Cap. CXII. *Modus quo Turcoidi naturali nativus ſuus color deperditus reſtituitur.*

Turcoides ſubalbi & decolores mittantur in ampullam vitream, adjecto oleo amygdalarum dulcium, detineanturque in cinere temperato & tepido, & bidui ſpatio colorem acquirent pulcherrimum.

Cap. CXIII. *Miſtura pro ſpeculis.*

Recipe ſtanni bene purgati libras tres, æris purgati libram unam; fundatur primo æs, & poſtea ſtannum, optimeque fuſis & liquatis illis, addantur tartari rubri tantummodo uſti unciæ ſex, ſalis nitri uncia una cum dimidia, aluminis drachmæ duæ, nec non Arſenici unciæ duæ. Sine omnia evaporare, & in typos ſpeculorum mitte, & materiam habebis ſpeculorum optimam, quę ubi polituram recepit figuras exacte reddet; atque hæc illa miſtura eſt quam chalybeam vocant.

Cap. CXIV. *Modus tingendi interiorem ſphærarum, aliorumque ex vitro albo vaſorum ſuperficiem omni genere colorum, ita ut lapides pretioſos naturales referant.*

Pilam ſeu ſphæram, vel aliud ex vitro albo & candido vas concavum, vario genere colorum inducturus, recipe glutinis piſcium, bidui ſpatio in aqua communi macerati, & tenuiſſimi quantitatem debitam, eamque in ollula & aqua limpida tantiſper coque, dum optime diſſolvatur. Hoc decoctum ablatum ab igne & jam tepidū in ſphæram vel vas vitreum aliud infundede, & circumacto vaſe cura, ut tota vitri interior ſuperficies à glutine humectetur & madefiat, quo facto quicquid ſupereſt humoris effundatur. Inde ad manum ſint colores pulverati, & primo quidem minium, quod flatu per tubulum ex arundine ita injicies, ut fluctus repræſentet, & ubi vitrum hinc inde minio tinctum fuerit, beneficio illius tubuli idem ſmalto cœruleo, & poſtea ærugine, nec non auripigmento, & tandem lacca, omnibus probe tritis undulatim & diverſis in locis ita facies, ut mediante glutine, quo vitrum humectatum eſt, hi pulveres vitro adhæreant. Atque eâdem plane ratione cum reliquis in univerſum coloribus procedes. Poſtea gypſum recipe bene pulveratum, idq; in ſufficiente copia in ſphæram vel vitrum mitte, confeſtim circumagendo, & ſiquidem ſtatim atq; dum recens eſt gluten id feceris, gypſum ubiq; & per totum adhærebit; quo facto, quicquid ejuſdem ſuperaverit, aufer, & exterior vitri ſuperficies jucundiſſimo aſpectu variis coloribus tincta, & ludentis in duro lapide naturæ hoc opus eſſe videbitur, ſiccatoq; bene glutine colores illi vitro uſque adeo firmiter adhærebunt, ut reſolvi poſtea nunquam poſſint, & ſemper pulcherrimi appareant. Hæ ſphæræ pedi applicantur ligneo, vel ex alia qualicunq; materia, picto, & decoris atque ornamenti cauſa in tablina vel pluteos jucundo admodum aſpectu reponuntur.

Cap. CXV. *Color Cyaneus vel* ultramarinus.

Recipe fragmenta lapidis lazuli, bene, & cœruleo colore tincta, quę *Venetiis* copioſè & exiguo pretio veneunt, eaq; in crucibulo & igne carbonum calcinata, ignitaq; in frigidam, bis repetito opere projice, & ſuper porphyrite lapide in pulverem, farinæ cribratæ inſtar tenuiſſimum & impalpabilem tere. Poſtea recipe reſinæ pini, picis nigræ, maſtichis, ceræ novæ, terebinthinæ ana uncias tres, olei lini, thuris ana unciam unam. Diſſolvantur omnia ad lentum ignem in vaſe terreo, agitenturq; bacillo, ut optimè coëant, & bene incorporata in frigidam projiciantur, ſerventurq; in uſum. His peractis in ſingulas lapidis lazuli, ut ſupra triti, libras recipe uncias decem maſſæ, ex ſupradictis ſpeciebus compoſitæ, iiſdemq; in ollula ad lentum ignem reſolutis ſenſim pulverem lapidis lazuli aſperge, & virgula ut incorporetur bene ſubige. Incorporatis benè omnibus quicquid eſt materiæ ſubito in vas frigidâ plenum projicies, unctiſq; oleo lini manibus, paſtillos unum vel plures pro ratione materiæ oblongos, & rotundos forma, formatoſq; in frigida per dies quindecim detine, mutando aquam de biduo in biduum. His paſtillis, in catillo terreo, bene vitriato & puro, ſepoſitis, affundatur calida, in caldario ſeorſim cocta & limpida, eâque refrigeſcente ſubſtituatur in locum ejus calida recens alia, idq; tantiſper continuetur, dum paſtilli aquæ calore diſſolvantur, quo animadverſo addatur recens calida, & videbis aquam inſici colore cyaneo. Decantetur aqua in ollam vitriatam & puram,

ram, & paſtillis affundatur calida recens, eâque colore infecta decantetur ut antea, tranſeatque per cribrum anguſtum, idque tamdiu repetetur, donec aqua colore nullo inficiatur. Advertendum tamen eſt, ne aqua nimis calida, ſed tepida tantum ſit: nimio enim calore nigredinem contrahit hic color: probè ergo hoc obſervandum eſt, plurimum enim refert. Hæ aquæ coloratæ & per cribrum in ollam tranſmiſſæ, pinguedinem quandam in ſuperficie habent, quare per horas 24. quieſcant, & color omnis fundum petet. Decantetur tunc aqua, & pinguedo lentè, affuſâq; recenti limpidâ color per cribrum anguſtum in ollam vitriatam & puram tranſeat, agiteturq; frequenter, & magna pars ſpurcitiei & pinguedinis in cribrello permanebit; idq; ter, adjectâ ſemper recenti aquâ, repetatur, & cribrum toties ab omni immunditia purgetur. Color in ollis ſervetur vitriatis, ſenſim decantando aquam: per ſe enim ſicceſcit, & ultramarinum habebis pulcherrimum, quale ego *Antverpiæ* ſæpius feci. Cæterum major vel minor maſſæ ſupradictæ quantitas in ſingulas lapidis libras dãda eſt, prout lapis plus minuſve coloris continet, & color pulchrior fuerit. Optime autem atq; ita terendus eſt lapis, ut tactum effugias, & color optimus erit. Si ſmaltum cæruleum ordinarium eadem ratione triveris, & maſſæ gumminæ incorporaveris, nec non per dies quindecim cum lapide lazuli in digeſtione detinueris, & porro ut de lapide lazuli dictum eſt operatus fueris, materiam habebis elegantem ſatis & ſpecioſam, quæ ultramarinum mentietur. Atque hic color non pictoribus modo, ſed tingendis etiam vitris inſervit.

CAP. CXVI. Lacca coccinea *pro Pictoribus*.

Recipe libram unam tomenti albi tenuioris, eamq; per diem integrum in frigida detine, exemtamq; bene exprime, ut unguinoſum illud quod tundendo recipit dematur, & poſtea alumine illam infice, eo qui ſequitur modo. Recipe aluminis roccæ uncias quatuor, tartari crudi pulverati & in cacabum parvum cum quatuor menſuris aquæ miſſi uncias duas; ubi bullire aqua cœperit, tomentum injice, idq; per dimidium horæ ſpatium ad lentum ignem coq; & ablatum poſtea ab igne per horas ſex refrigerare permitte. Exemtum deinde tomentum aqua limpida lavabis, & ubi per bihorium ſteterit exprimes & ſiccari permittes.

CAP. CXVII. *Magiſterium quo* cocci color *extrahitur*.

Recipe menſuras frigidę quatuor, furfurum frumenti libras quatuor, pyrethri orientalis & fœni Græci ana drachmas duas, omnibus in cacabum miſſis admoveatur ignis, donec aqua tepefiat, & manus ferre calorem ejuſdem poſſit. Inde aqua auferatur ab igne & cacabus panno tegatur, ut calorem quam diutiſſime ſervet, quieſcendo per horas 24. quibus exactis lixivium decantetur in uſus infraſcriptos.

Recipe ollulam puram, in eandemq; mitte menſuras tres frigidæ, & unã magiſterij, & ubi jam bullire cœperit, adde grana Kermes, hac ratione contuſa. In Mortario æneo, contunde unciam unam granorum Kermes, eamque bene contuſam per cribrum toties tranſmitte, ut tota tranſeat. Poſtremo recipe aliquantum tartari crudi, idq; in mortario illo tunde, & tartarum omnem fundo mortarij & piſtillo adhærentem tincturam in ſe recipiet. Hoc tartarum cum cribratis granis Kermes permiſtum, in aquam, ubi bullire cœperit, mitte, ibidemq; ut aqua tingatur, per tantum temporis ſpatium, quantum recitando *Miſerere mei* &c. ſufficit, relinq; Poſtea recipe alumine, ut ſupra, infectum tomentum, ubi per dimidiam horam in frigida ſteterit, & aqua in ollula bene tincta fuerit, idq; expeſſã bene aquâ mittatur in ollulam, & bacillo bene verſetur, ut prompte tincturam ſuſcipiat. Per dimidiam horam in eo ſtatu permaneat, ita tamen ut leniter bulliat. Poſtea auferatur ab igno ollula, exemtumq; dum ligno puro verſetur tomentum, in vas frigidâ plenum projiciatur, & ſub finem dimidiæ horæ aqua omnis derivetur, ſubmittendo recentem frigidam: quâ iterum derivatâ tomentum exprimitur, & in loco à pulvere immuni ad ſiccandum ſeponitur, ſed extenſum ne vel ſitum contrahat, aut alias incaleſcat. Advertatur ut ignis ſemper oppidò lentus ſit: fortior enim ignis tincturam reddit nigram. Poſtea lixivium facies hoc modo; Cineres ſarmentorum vel ſalicis, aut cujuſcunq; alterius mollioris ligni telæ cannabinæ duplici impone, affuſamq; ſenſim frigidam percolare in ſubjectum vas permitte, & & quicquid percolatum fuerit, denuo cineri ad percolandum affunde. Poſtea quieſcat lixivium per horas viginti quatuor, ut cineres fundum petant, & lixivium purum atq; limpidum reddatur, quibus exactis decantetur in vas aliud, removendo quicquid eſt terreſtre, quia bonum non eſt.

In hoc lixivium, dum friget, mitte tomentum illud cocco tinctum, & cura ut ad ignem bulliat maxime moderatum: eâ enim ratione lixivium tincturam aſſumet. Primo ergo nonnihil tomenti recipe, atq; bene exprime, & ſiquidem coloris expers fuerit, aufer lebetem ab igne. Hoc enim eſt ſignum lixivium aſſumſiſſe tincturam tomenti coccineam.

Poſtea tibiale lineum, vel ut vulgo manicam Hippocratis ſuper capaci lebete vel cacabo ſuſpendes, & per hoc tibiale tincturam omnem percolabis, ipſo etiam immiſſo tomento: & ubi lixivium omne percolatum fuerit exprime tibiale ſimul & tomentum, ut omnem tincturam habeas, & invertendo illud à pilis lava, ut purum evadat nitidumque.

Peractis his recipe aluminis roccæ pulverati uncias duodecim, eaſque in vitrum grande frigidâ plenum mitte, ibique tamdiu detine, donec alumen omne ſolutum fuerit, & ubi jam illud in aquam abierit, manicam à pilis optime mundatam ſuper duobus baculis ita extende, ut quâ parte orificium ejus patet, ſuperiora, quâ in pyramidem exit inferiora & ſubjectum vas ſpectet. Poſtea aquam omnem alumine infectam in lebetem vel ollam, qua cocci tinctura continetur effunde, & ſtatim tinctura beneficio hujus aquæ, quodam quaſi coagulo, à lixivio ſeparabitur. Ergo lixivium ſimul & tincturam omnem ex ollulâ purâ in manicam effunde, & lixivium tranſibit purum & limpidum, remanente in manica cocci tinctura; vel ſi omninò aliquid coloris ſecum traxerit lixivium, denuo in manicam redeat, & confectum erit negotium. Deinde globulos tincturæ, manicæ adhærentes, ligulâ ligneâ purâ movendo miſce, poſitiſq; ordine lateribus recens coctis, laccam à manica ſolutam, & ſegmentis lini exceptam, & latius aliquanto extenſam illis impone, ut cito & bene ſicceſcat: etenim diuturno humore ſitum contrahit, & colorem reddit illepidum. Quare ſi lateres plus humoris imbiberint, ſubſtituendi erunt recentes alij, tanto enim citius ſicceſcit, ſiccata jam lacca auferatur à ſegmentis lini, & color erit pro pictoribus optimus, qualem ego *Piſis* ſæpius paravi. Notandum autem eſt, ſi color magis quam decet plenus & ſatur ſit, plus aluminis roccæ, ſi dilutior, aluminis minus addendum eſſe, & colores efficies ad guſtum & voluntatem tuam.

CAP. CXVIII. Lacca *ex ligno Braſilienſi & rubia, valde pulchra*.

Si ex ſpeciebus ſeorſim & unaquaque earum per ſe laccam extrahere volueris, eadem plane, ut ſupra de gra-

granis Kermes dictum eſt, ratione procedes, tingendo aquam hac vel illa ſpecie, ita tamen ut minus aluminis in ſingulas ligni, & rubiæ uncias quam granorum des. Etenim tinctura granorum altius latet; quam quę ex ligno Braſilienſi & rubia extrahitur. Cum ratione ergo dandum eſt alumen, id quod praxis docebit. Præterea in ſingulas tomenti libras plus ligni Braſilienſis & rubiæ dabis, minus enim quam grana Kermes tincturæ habent, & hac ratione laccam pro pictoribus ſatis pulchram, & minore quam ex granis impenſa habebis; ex rubia præſertim, quæ laccam præbet pulcherrimam & coloris ſpecioſi.

Cap. CXIX. *Lacca ex granis Kermes: modus alius magis expeditus.*

In hoc modo à me Piſis invento, non tomentum occurrit, non magiſterium, non lixivium, non tinctura lanę, nec tot alia, quot in ſupra dicto, utut veriſſimo, revera tamen laborioſiſſimo modo. Expeditiſſimus ergo hic modus eſt, & eundem effectum producit, atque hac ratione peragitur. Recipe aquam vitę, quæ primo deſtillaverit, & in lagenam ejuſdem mitte libram unam aluminis bene pulverati, ut diſſolvatur. Poſtea addatur uncia una granorum Kermes pulveratorum, cribatorumque, ut ſupra. Omnis hæc materia ſervetur vaſe vitreo, quod collum habeat minime anguſtum, agiteturque benè, & aqua vitæ mirum in modum tingetur. Hoc peracto ſtet per quatriduum, & affundatur in vas terreum vitro obductum. Deinde recipe aluminis roccæ uncias quatuor eaſque in aqua communi diſſolve, atque hanc aquam ſolutionis effunde in vas illud, quo aqua vitæ granis Kermes tincta ſervatur, & ſuper vaſe terreo per manicam extenſam, ut de lacca & tomento dictum eſt, cola, & aqua vitæ tranſibit coloris omnis expers, relinquendo tincturam in manica. Quod ſi coloratior aliquanto tranſiverit, coletur denuo, & clara evadet. Hæc lacca cochlearibus parvis ligneis & puris excipitur, & eâdem prorſus, ut antea dictum eſt, ratione ſiccatur, & exiguo laborè quantitatem laccæ granorum Kermes multo majorem & nobiliſſimam habebis, uti Piſis probatum eſt.

Cap. CXX. Rubrum *in vitro* pellucidum.

Recipe magneſiam ſubtiliſſime tritam, eamque cum altero tanto ſalis nitri purificati permiſce, & in vaſe terreo ad reverberandum & calcinandum per horas 24. in igne detine, extractamque poſtea & aqua communi calida lotam, atque à ſale ſeparatam ſicca, & colorem referet rubicundum. Addantur æquale pondus ſalis armoniaci, omniaque ſuper porphyrite trita aceto deſtillato imbuantur, ſiccenturque. Poſtea mittantur in retortam, quæ ventrem habeat largum, & oblongius collum, atque per 12. horas ignis arenæ ſublimatorius adhibeatur. Poſtea confracto vitro, permiſtiſque omnibus, quæ ſublimata erunt, vel in fundo reſidebunt, pondus materię exquiratur, tantumque ſalis armoniaci addatur, quantum ſublimatione deceſſit, omniaq; trita, & aceto ut antea imbuta, in ejuſdem formæ retorta ad ſublimandum ſeponantur, idq; tamdiu repetatur, uſque dum magneſia in fundo fuſilis remaneat.

Hæc illa medicina eſt, quæ cryſtallum & paſtas colore rubro diaphano, inſtar rubini tingit, atque hujus medicinæ viginti unciæ in ſingulas cryſtalli vel vitri uncias dantur. Plus tamen vel minus dari poterit, prout exigere coloris ratio videbitur. Magneſiam autem oportet eſſe Pedemontanam & bonam, hæc enim vitrum pulchro rubini & mirum in modum ſpecioſo colore tingit.

Cap. CXXI. *Rubrum inſtar ſanguinis.*

Vitri plumbi libras ſex, nec non vitri communis libras decem in ollam vitro albo obductam mitte, & ubi vitrum coctum purgatumque fuerit, adde, ſed moderatè & cum judicio, ſcoriam rubram. Incorporetur, miſceaturque vitrum optimè. Poſtea addatur tartarum rubrum pulveratum, & vitrum ſanguinis inſtar rubicundum evadet. Quod ſi color nimis dilutus fuerit, addatur plus ſcoriæ & tartari, & vaſe bene ignito, vitrum dubio procul bene tingetur.

Cap. CXXII. *Color Balaſſii.*

Frittam cryſtalli ollâ exceptam in fornacem mitte, & in aquam ter projice, poſteaque magneſiâ Pedemontanâ præparatâ tinge, & purpureſcet. Adde aluminis catini per incerniculum trajecti quantum ſat eſt, ut purpureum evadat vitrum: idque octies facies, notando, vitrum addito alumine non nigricare, ſed flaveſcere, & in rubrum colorem vergere, abſcedente magneſia. Poſtremâ vice magneſiam ſolam, & nihil aluminis, niſi intenſus nimis color ſit adde, & colorem habebis balaſſii pulcherrimum.

Cap. CXXIII. *Extraherè animam* Suturni, *in negotio ſmaltorum & vitri plurimis rebus inſervit.*

Lithargyrium bene tritum in vas fictile vitriatum mitte, affundendo tantum aceti, ut quatuor digitorum altitudine exundet. Sine ſtare, donec acetum lactis colorem attrahat, id quod confeſtim fieri ſolet. Decantetur acetum coloratum, affuſo, ut antea recenti alio, & ubi coloratum fuerit, decantetur ut ſupra, idque tamdiu fiat, dum acetum colorem nullum aſſumat. Mittatur acetum omne coloratum in vas terreum vitriatum, & quieſcat, donec materia lactea reſederit, & acetum limpidum decantetur. Lactea enim illa materia anima & pars Saturni nobiliſſima eſt, quæ in negotio encauſtorum & vitri plurimis rebus inſervit Quod ſi lactea illa materia non benè reſiderit, frigidam affunde: ea enim hoc præſtare ſolet, ut fundum petat, ſi vero ne ſic quidem reſederit, acetum & aqua evaporet: pars enim aceti maxime ſubtilis, & multi in re vitraria uſus in fundo reſidet.

Cap. CXXIV. *Smaltum roſeum, Italis* Roſichiero *dictum, quo aurum pingitur.*

Habeas frittam cryſtalli hac ratione factam: Recipe ſalis pulverei libras decem, tarſi candidi tenuiſſimè triti libras octo. Hanc materiam aquâ ſubige, ut maſſa ſolidior fiat, ex qua placentulas formabis exiguas, & tenues. Hæ placentulæ in vaſa fictilia & fornaculam mittantur, ad exemplum calcariæ fornacis factam, & per horas decem calcinentur: vel ſi iſtiuſmodi fornax ad manum non ſit, mittantur in cameram fornacis prope ſpiraculum vel aperturam, per tres quatuorve dies, donec bene calcinatæ fuerint. Adde calcis plumbi ſtannique ex præſcripto *capitis 93.* præparatæ, nec non tartari albi calcinati ana libras duas, mixtaque omnia in vas vitro candido obductum mitte, & ubi jam bene fuſa purgataque fuerint in aquâ projice, idque bis fiat, eoque facto in fornacem denuo redeant, & ubi bene purgata fuerint, addantur unciæ decem ſcoriæ rubræ, & incorporentur. Poſtea crocus Martis aqua forti factus, haud aliter ac magneſia ſolet, ſenſim addatur, & per ſex horas quieſcat, & ſi color nondum reſponderit, addatur ut antea ſenſim nonnihil croci Martis, uſque dum diſideratum colorem obtineas.

Cap. CXXV. Smaltum roſeum *pro Auro aliud.*

Recipe frittæ cryſtalli, ut capite *præcedente* 124. dictum eſt præparatæ, libras quatuor, eaſque in vaſe vitriato puro liquatas purgataſque in aquam

effunde, iterumque in fornacem mitte, & ubi bene purgatæ fuerint, addatur ſenſim, & ſingulis vicibus uncia ſemis calcis plumbi & ſtanni, ut ſupra *capite* 93. præparatæ, & incorporetur, & videaturque an color cinereus appareat, quo animadverſo ſubſiſtendum, neque plus pulveris addendum eſt, ne color cinereus in album degeneret: id enim bonum non eſt. Calce & vitro purgatis, dentur minii optimi unciæ duæ, & ubi omnia incorporata purgataque fuerint, projiciantur in aquam, & in fornacem redeant, ibidemque per horas octo detineantur. Poſtea addatur æris calcinati vel ſcoriæ rubræ, nec non tartari albi crudi ana uncia ſemis & bene permiſceatur, ac tandem adjiciatur hæmatitis, quo machæropæi in poliendis gladiis utuntur, nec non ſulphuris fixi ana drachma una. Miſceantur, & incorporentur, videanturque an color reſpondeat, & ſi nimis ſatur ſit magneſiæ nonnihil addatur, & diluetur, & contra ſi nimis dilutus ſit, addatur parum ſulphuris fixi, nec non lapidis hæmatitis, cum modico ſcoriæ rubræ, & tartari albi, idque tantiſper donec color ex voto ſit.

Cap. CXXVI. *Quomodo ſulphur in uſus ſupradictos figatur,*

Flores ſulphuris per horæ unius ſpatium in oleo communi coque, Deinde removeantur ab igne, acetumque affundatur fortiſſimum, & ſulphur ſtatim fundum petet, innatabitq; oleum aceto. Evacuetur utrumque & ſulphuri affundatur oleum recens, procedaturque ut ſupra, idque ter, & ſulphur habebis fixum ad uſus ſupradictos.

Cap. CXXVII. Vitrum *inſtar ſanguinis* rubrum, *quod ſmalti roſei loco inſervire poterit.*

Vitri plumbi libræ ſex & frittæ cryſtalli libræ decem in olla liqueſcant, purgentur, in aquam projiciantur, ac denuo in ollam redeant, & bene purgentur. Ubi bene purgatæ fuerint, addantur ſcoriæ rubræ calcinatæ quatuor vel ſex unciæ, & bene percoquantur ac purgentur. Poſtea addatur tartarum rubrum pulveratum, & incorporetur, purgeturque & videatur an color placeat: & ſiquidem ſatis plenus non ſit, addatur tantum ſcoriæ rubræ & tartari, quantum ſatis eſſe videbitur, capiaturque ſpecimen, idque denuo incaleſcat, donec ſatis rubrum ſit, id enim intendendi coloris gratia fit.

Cap. CXXVIII. *Modus faciendi* ſmaltum roſeum, *experimento comprobatus.*

Frittæ cryſtalli, ut ſupra *capite* 124. præparatæ, exempli gratia, libræ ſex, mittantur in ollam vitriatam, & ubi bene purgatæ fuerint, addantur quatuor diſtinctis temporib. & per intervalla, quatuor unciæ calcis plumbi & ſtanni, ex præſcripto *capitis* 113. factæ, incorporenturque bene. Ubi omnia incorporata & bene purgata fuerint, projiciantur in aquam, ac denuo in ollam redeant, fundantur & purgentur optime, eoque facto addatur ſcoriæ rubræ, maſſam pleno colore inficientis, uncia una ſemis, idque tribus diſtinctis temporibus, bene miſcendo vitrum. Incorporetur, purgetur, & poſt bihorium addatur croci Martis, ut ſupra *capite* 16. præparati, uncia una ſemis, idque tribus diſtinctis temporibus. Miſceatur bene, incorporetur, & purgetur trium horarum ſpatio. Poſtea addantur unciæ ſex tartari uſti, & fuliginis camini bene vitrificatæ uncia una. Tartarum, ut in Calcedonio dictum eſt, uratur, admiſceaturque croci Martis, ſulphure ut ſupra facti, uncia ſemis. Atque hi pulveres bene triti, quatuor diſtinctis vicibus vitro dentur, miſceanturque omnia bene, ſed ita ut ſemper temporis aliquod ſpatium intercurrat. Etenim intumeſcunt, atque hoc efficiunt, ut vitrum mirabiliter efferveſcat. Addito omni pulvere vitrum per horas tres quieſcat & purgetur. Poſtea miſceatur denuo, & experimento facto, ſi vitrum ſanguinis inſtar rubicundum & tranſlucidum appareat, bene habet; ſin, addatur denuo tartarum uſtum, cum fuligine, & croco Martis, ut ſupra, idq; ſenſim, donec deſiratus color exeat, permittendo, ut vitrum addito pulvere per horę ſpatium quieſcat, quo exacto, & exemto fruſtulo vitri, eoque candefacto, ſi ſanguinis inſtar rubicundum & pellucidum ſit, bonum eſt, & pingendo auro inſervit, ut *Piſis* ſæpius probatum eſt.

Cap. CXXIX. *Rubrum tranſlucidum.*

Calcinetur aurum aquâ regiâ, idque ſæpius, affuſâ quinquies vel ſexies eâdem aquâ. Hic auri pulvis in ollam fictilem, & fornaculam mittatur, tantiſper, uſque dum in pulverem abeat rubrum, id quod plurium dierum ſpatio evenier. Atque hic pulvis ruber ſi cryſtallo purgatæ, & in aquam ſæpius projectæ, pedetentim, & cum judicio addatur, verum tranſparentis carbunculi ruborem exhibebit, ut experimento compertum eſt.

Cap. CXXX. *Modus figendi ſulphur, ut ſmalto roſei coloris inſerviat.*

Fiat lixivium ex calce & acri cinere, qualis eſt quercinus, in eoque ſulphur optimè coquatur. Hoc enim lixivium ſulphuri unguinoſum & combuſtibile illud adimit, quod naturaliter habet, mutatoque lixivio ſulphur candidum evadit, nec non incombuſtibile & fixum, atque aurificibus inſervit, ut aurum pingant.

Cap. CXXXI. Vitriolum Veneris, *de quo ſupra in fine capitis* 31 *dictum eſt.*

Crucibula lutata mittantur in medios carbones ardentes fornacis anemiæ, & carbonibus bene operta ſtent per bihorium, quo exacto fornax per ſe refrigeſcat, exemtiſque crucibulis æs calcinatum coloris erit nigricantis, qui purpurei obſcurioris aliquid admixtum habeat. Hoc æs ea ratione calcinatum, teratur optimè, & cribretur. Adſit poſtea vas fictile rotundum, & in fundo planum, in *Thuſcia tegame* dictum, quod ignem ferat, & fornax in ſummitate vel faſtigio ferrum tranſverſum habeat, cui vas carbonibus plenum imponatur, ſuccenſiſque illis, immittatur ſupradictum æs calcinatum, adjectis prius in ſingulas æris libras unciis ſex ſulphuris communis pulverati, & cum ære permiſtis. Ubi jam vas incaleſcere, & ſulphur inflammari atque comburi cœperit, unco longiore ferreo vertatur, agiteturque continuè, ne vaſi adhęreat, vel in maſſam coëat, idque continuetur, donec ſulphur omne abſumtum ſit, & fumum nullum emittat. Tunc vas, ita ut eſt calidum, ab igne auferatur, exemtumque æs cochleari vel quo ſimili inſtrumento ferreo, optimè in mortario æneo tundatur, tranſeatque per cribrum, & pulverem dabit nigrum. Procedatur eadem plane ratione ter, hac adhibitâ cautelâ, ut vas tertiâ calcinatione finitâ tamdiu in igne detineatur, donec æs quod eidem ineſt, colorem aſſumat rubeſcentem fulvum, quo ſuſcepto auferatur ab igne, tundaturque in mortario æneo ut antea, & colorem habebis prędictum, nec non calcem, parando vitriolo, de quo infra dicetur, aptam.

Cap. CXXXII. Vitriolum æris, *vel ut vulgo* Veneris, *ſine corroſivis, ex quo verus & intenſus* color cœruleus *extrahitur: res mirabilis.*

Ut jam ex ſupradicto ęre calcinato vitriolum extrahatur, habeas pro ratione æris calcinati unam vel plures ampullas, debitæ capacitatis, vitreas, & exempli gratia libra una illius æris mittatur in ampullam ſex librarum aquæ capacem. Aqua ſit communis & limpida, & una cum ære calcinato arenæ for-

fornacis imponatur, adhibeaturque ignis temperatus per horas quatuor, donec libræ circiter duæ illius aquæ evaporaverint, id quod oculo diſcernere licet. Poſtea refrigeſcat fornax, & aqua leniter decantetur in vaſa vitriata; æs autem quód in fundo reliquum eſt, redeat in fornacem, ut omnis evaneſcat humiditas. Quicquid aquæ decantatum fuerit, colorem habebit cæruleum plenum, admirandæ pulchritudinis. Quieſcat aqua per biduum, & pars quædam æris, ruffum quid referens, fundum petet. Filtretur aqua more ſolito, ſubjectis vaſis vitreis, & pars æris, quæ in fundo reſidet, mittatur in vas fictile, ut omnis abſcedat humiditas, & cum ſingulis æris libris permiſceantur unciæ ſex calcinati ſulphuris, calcinenturque denuo, ut ſupra, & dum ſulphur fumat, ferro ut antea agitetur, ne vaſi adhæreat, & ut bene calcinetur. Calcinatione optime facta, eximatur ex olla, ita ut eſt calidum, tundaturque bene, & pulverem dabit nigrum, qui cum unciis ſex triti pulveris ut antea permiſtus, agitetur, calcinetur, & ferro continue ut ſupra agitetur, id enim neceſſum eſt, atque tantiſper in igne detineatur, donec æs colorem acquirat ex ruffo fulvum. Auferatur ab igne, atque ita ut eſt calidum, in mortario æneo optime tundatur, cribreturque cribro anguſtiore, & eâdem ut antea ratione, adjectis ſex aquæ libris in arena fornacis ad ignem lentum per quatuor horas, uſque ad conſumtionem tertiæ detineatur. Decantetur, filtretur, & quieſcat aqua, & reliquiæ æris in fornacem redeant, adjectis ad ſingulas æris libras unciis ſex triti ſulphuris, ut ſupra. Et quia in hac operatione non unum pleruraque vas dirumpitur, in locum eorum quæ vel dirupta ſunt, vel rimas egerunt, ſubſtituenda ſunt alia, ne ære in cineres & carbones delapſo totum opus pereat. Repetatur hic proceſſus quinquies, vel ſexies, & æs terræ molioris inſtar erit, tincturamque ſuam cæruleam in aquis filtratis relinquet, quæ collectæ denuo ſolito more filtrentur, abjectis fecibus, & aquam habebis limpidiſſimam, coloris cærulei, & admirandæ pulchritudinis.

CAP. CXXXIII. *Modus extrahendi* vitriolum *ex his aquis coloratis.*

Ampullam vitream, quæ tres aquæ libras recipiat, hac aquâ coloratâ repletam, in cinere vel arena fornacis ad ignem lentum ut evaporet detine, poſitis prope fornacem pluribus ampullis, coloratâ illâ aqua repletis, ut incaleſcant, unde poſtea quicquid humoris ampullæ majori evaporando decedit, ſenſim cochleatibus vitreis calidè reſtituitur, idque ne affusâ frigidâ rumpatur, & omnia peſſum eant. Hujus aquæ coloratæ libræ decem, evaporando ad duas cum dimidia, vel tres libras redactæ, tincturæ plurimum continebunt. Mittantur in vaſa fictilia vitriata, & per noctem in loco humido & frigido quieſcant, & vitriolum invenies æris lapillatum, & cryſtalli inſtar acuminatum, quod Smaragdi orientalis ſpeciem referet. Decantetur omnis aqua, ſiccetur vitriolum, ut non cohæreat, & quod reliquum eſt aquæ uſque ad conſumtionem dimidiæ evaporet, collectoque denuo vitriolo, eadem ratione procedatur, donec aquæ nihil ſuperſit. Hujus vitrioli libra una mittatur in retortam, luto forti optime lutatam, non admodum magnam, ſed quæ recipiens habeat amplum & capax, & per quatuor horas continuus ignis adhibeatur maxime moderatus. Etenim ſi in principio ignem vel tantillum adaugeas, humidi illi & flatulenti ſpiritus vitrioli tantâ violentiâ erumpunt, ut recipiens nullum ſit, quod ſuſtinere impetum eorundem poſſit. Hoc ergo maxime obſervandum eſt, ut ignis in principio, & per quatuor horas benè temperatus, & juncturæ optime lutatæ ſint. Poſtremo ubi ſicciores ſpiritus ſub candida ſpecie aſcendere incipient, ignem adhibe potentem, continuando, uſq; dum recipiens inclareſcere & plane frigere cœperit. Ceſſet jam ignis, exactiſque 24. horis juncturæ diſſolvantur, & quicquid in recipiente liquoris eſt, vaſis vitreis optime ſigillatis aſſervetur. Hoc enim verum illud & intenſum cæruleum eſt, quo admiranda plurima peraguntur, quod ex odore illius haud difficulter percipitur, qui rerum naturalium omnium potentiſſimus & acutiſſimus eſt. Plurima hic dicenda reſtant, ſed quæ tanquam aliena ab arte vitraria ſilentio tranſmittimus, & data meliore occaſione fortaſſis explicabuntur. Feces in retorta nigri coloris reliquæ, ſi per dies aliquot aëri exponantur, per ſe colorem aſſument cæruleum, ſed pallidum, & pulveratæ, atque cum zaffera ut ſupra permiſtæ, ſi cryſtallo in debita doſi dentur, aquam efficient marinam admirandam, qua de cauſa modum preparandi hunc pulverem tanta perſpicuitate deſcripſi, hac opinione fretus, minime vulgarem, ſed ex reconditioribus naturæ eſſe, quam indicavi procedendi rationem: atque hæc omnia in gratiam eorum, qui ingenio ſunt nobili & curioſo.

CHRISTOPHORI MERRET,

Med. D. & Societatis Regiæ membri

In Libros de Arte Vitraria

NOTÆ.

C. *Merretti Notæ in Neri Præfationem.*

Authorem noſtrum, atque hoc opus quod attinet nemo ejuſdem meminit, præter Garſonem in ſuo *de doctrina univerſali*, & Bornetium *de ſufficientia* pag. 141. idque nominetenus nec ultra: ac ne curioſe quidem inquirendo invenire unquam potui, alterum illud, in *epiſtola dedicatoria & præfatione* promiſſum, & res Chymicas concernens opus publici Juris factum eſſe: nec à quoquam Spagiricorum illud allegatum vidi: ex quo facile eſt concludere nunquam illud in publicum prodiiſſe. Neque id mirum: nullum enim hic liber ei ſtimulum addebat, ut alterum illum ederet, ex quo hoc genus doctrinæ homini utiliſſimum inter ſordida, atque infra ſpeculationem virorum hujus ævi numerari cæpit, quorum ſubtile ingenium unicè verſatur circa contemplationes inutiles vel indeterminatas, quarum notiones maximam partem meræ logomachiæ ſunt. Cæterum doctiſſimus noſter *Baco*, ſublimioris & perſpicacioris ingenii vir, in incomparabili ſuo *Novo organo* vanitatem atque impotentiam illius viæ ſolidè refutavit, & majore ſapientia aliam ſubſtituit, magis efficacem & activam, promovendis artibus & ſcientiis. Atque hęc fructuoſa doctrinę via captis pluribus experimentis, nonnullis privatim, non vero publicè ab omnibus trita eſt. Cæterum in eo jam eſt, ut maximos progreſſus factura videatur, ex quo eandem ſibi deſignavit nobiliſſima & maxime venerabilis *Regia Greshamenſis Collegii ſocietas*, quæ ſacræ Regiæ apud populum ſuum reſtauratæ Majeſtatis indulgentiâ, promovendis omnium virtuoſorum conatibus, hujus veri finis & propoſiti ergo ſingulis ſeptimanis congregatur, & quotidie materiam ſuppeditat huic pulchro ædificio inſervientem.

Partem hujus propoſiti alteram præſens hic liber continet, in quo plenè & fideliter expoſita eſt omnis vitrum faciendi & colorandi ratio, quam author noſter inde à juventute ſua ab ingenioſis & induſtriis hominibus didicerat, vel ab igne & experientia hauſtam perceperat: ac in plurimis tempus tibi, locumque operis & inventionis ſuæ dinumerat, idque cum omnibus circumſtantiis huc ſpectantibus.

Vitrum. Anglica noſtra vox *Glaſſ* eadem eſt cum Germanica, derivaturque à Latino *Glaſtum*, ex quo demta ſyllaba finali *Glaſſ* fit. Atque hoc *Glaſtum*

Cæſari commentar. quanto *vitrum* vocatur, cum ait: *Omnes Britanni ſe vitro inficiunt*: qua de re *Mela* lib. 3. cap. 6. *Britann: vitro corpora infecti*: & *Vitruvius*, *Lana vitro infecta*: ita enim eruditus *Turnebus* hunc locum reſtituit cum antiquitus pro *vitrum* legeretur *ultrum*. Vitrum autem illud *Iſatis* eſt, id quod ex his Vitruvii verbis liquet: *defectu Indicis coloris vitro inficiunt, quod Græci Iſatin vocant.* Nec aliter *Apulejus tractatu de herbis* nondum edito, ſed qui in Emerici Caſauboni manibus prodiit auctior, magiſque emendatus eſt, ubi ſic legitur: *Herbam Iſatin alii Aogigneme, Prophetæ Apeſion, Itali alutam, alii herbam vitrum.* Sed ſcribendum: *Iſatin alii angionem, Prophetæ aroſion, Itali rutam, alij herbam vitrum.* Salmaſius tamen conſt nter pro *Glaſtum* ponit *Guaſtum*, quod Britannis *Guadum* eſt quibus *caruleus color Glaß* vocatur. Idem *Plinius* lib. 22. cap. 1. teſtatur his verbis: *Simile plantagini Glaſtum in Gallia vocatur, quo Britannorum conjuges nuruſque toto corpore oblitæ quibuſdam in ſacris nudæ incedunt.* Et *Cambdenus* in ſua *Britannia*: *Hæc illa herba eſt, quam Glaſtum vocamus & quæ nonnihil cærulei coloris reddit, quem Britanni in hodiernum uſque diem Glaſſ vocant.* Ratio, cur *Glaſtum* requiſiverit nomen *Vitri* vel *Glaſſ* forte hæc eſt, quod vitrum, quemadmodum noſter author & experientia docet, naturaliter aliquod cærulei in ſe habet. *Vitrum* deſcendit *à viſum*, haud aliter atque *aratrum* & *rutrum* ab *aratum* & *rutum*, ultimâ ſyllabâ mutatâ in *Trum*, quod juxta Iſidorum lib. 16. cap. 15. *viſui perſpicuitate tranſluceat.* Etenim quicquid metalla reliqua continent, in obſcuro latet; cum econtra liquores omnes, & quæcunque vitro continentur, appareant, ac ſi extra vitrum eſſent: atque inde eſt, quod plurima corpora tranſlucida vitrea vocantur, qualia apud Phyſicos, Horatium, Ovidium, Boëthium & Apulejum de fonte ſunt albumen ovi, mare, flumina, aquæ.

Inter veros pyrotechniæ fructus ignis eſt: id quod veriſſimum eſt: totum enim artis, non naturæ opus eſt, nec ſine vehementi igne produci poteſt. Egregium artificem audivi facetè dicentem, artem vitrariam artium omnium toto orbe poſtremam fore; quandoquidem Deo hoc univerſum ignis violentiâ conſumente, omnia in vitrum abitura eſſent: idquod ſuppoſitâ rationabili miſturâ ſalis & arenæ vel lapidum omnino eventurum eſſet.

Proxime accedit ad omne genus mineralium &c. Authores in referendo vitro ad ſuam ſpeciem plurimum inter ſe differre video. *Agricola lib. 2. de re metallica* ſuccum ſtatuit eſſe concretum. *Vincentio Bellovacenſi lib.* 11. lapis eſt. *Fallopius* illud inter media mineralia numerat. Vitrarius, ubi fluere vitrum cœpit, metallum illud vocat. Mihi nullum horum eſſe videtur, id quod generale hoc argumentum ſatis evincit, quod ſupradicta omnia naturaliter concreta ſunt, cum vitrum arte compoſitum, & ab igne productum ſit, nec ullibi, ut reliqua omnia, in cavernis terræ inveniatur. Quare, quemadmodum factitia artium nomina à prædicamentis Logicis excluduntur, ita vitrum à prędictis ſpeciebus ſecludendum, nec magis metallum dicendum eſt, quam cereviſa, byne, gluten, lateres &c. Sed regerit Fallopius, quærendo, quale illud vitrum ſit, de quo loquamur: idne, quod in propriis ſuis venis, & propriè lapis eſt; an vero illud, quod extractum & depuratum eſt, nec magis artificiale vocari poteſt, quam metallum extractum ex ſua minera & jam purificatum? Si enim id, quod in primo illo lapide eſt intelligamus, vitrum quod in illo lapide exiſtit, ubi jam eductum eſt, non minus naturale eſſe, quam metallum quod ex venis ſuis & proprio lapide eductum eſt. Ad quod reſpondeo, vitrum nullibi eâ ratione inveniri, ſed arenam & lapides tantum, quæ vitri materia ſunt. At vero alia metallorum ratio eſt, quorum certam ſpeciem natura in ſuis venis formavit, utut nonnunquam ignis violentiâ educantur ex venis & terra vel lapidibus, in quibus minimæ earundem particulæ & atomi latent: hac tamen differentiâ, quod ignis innatâ ſuâ efficaciâ ſeparando heterogenea, & congregando homogenea tantum producit, aut potius detegit metallum, cum in vitro longe aliter ſeſe res habeat, ut quod uniendo & miſcendo diverſas ſalis & arenæ particulas perficitur. Hoc Fallopius, quod mirum eſt, negat, dicens, vitrum ex cinere non fieri: ſubjiciendo vitrarios quidem cineres ab Alexandria vel aliis locis allatos addere, ſed hoc fieri loco nitri, quod in uſu antiquitus fuit, idque hunc in finem, ut vitrum ex lapidibus metallicis tanto melius educatur: nec tamen ideo dicendum eſſe, cineres metallo admiſtos eſſe, ut vitrum fiat, ſed ut vitrum tanto facilius è minimis lapidis particulis, id eſt ex proprio ſuo metallo extrahatur. Sed abſurda hæc opinio facile refutatur: etenim ſi vitrum ex ſolo lapide extraheretur, pondus metalli neceſſario multo minus futurum eſſet pondere ſolius lapidis. Jam vero pondus lapidis longe ſuperatur à pondere metalli: etenim libræ centum arenæ ſupra centum quinquaginta libras metalli reddunt. Præterea ſal, ex quo vitrum componitur, magis fixum eſt, quam ut igne vehementiſſimo diſſolvi poſſit. Jam in antiquis feneſtris, ex vitro Gallico factis, quâ parte aërem reſpiciunt, manifeſtè, non dicam diſcernere, ſed prehendere licet particulas ſalis, guſtu naturam ſuam liquidò demonſtrantes. Porro nitidiſſimum vitrum, quod ſale magis defæcato conſtat, & majus quam pro ratione arenæ ſalis pondus habet, ſi diutius ſub terra, aut locis humidis aſſervetur, in fruſta diſſolvi invenies, ſolutâ unione ſalis & arenæ. Atque hæc ratio eſt, cur vitrum Venetum veneno diſſolvi dicatur: id enim verum eſt de nonnullis mineralibus, non vero vegetabilibus, aut aliis venenis: quo ipſo manifeſte evincitur ſal in vitro permanere. Atque huc facit experimentum *Helmontii*, *cap. de terra*, ubi hæc habet: *Si vitri pollinem pluri alkali quis colliquaverit, ac humido loco expoſuerit, reperiet mox totum vitrum reſolvi in aquam, cui ſi affundatur chryſulca, addito quantum ſaturando alkali ſufficerit, inveniet ſtatim in fundo arenam ſedere, eodem pondere, quo prius faciendo vitro aptabatur.* Ex in hoc experimento ſal ab alkali & aqua regia aſſumitur, atque eâ ratione partes componentes, quæ in compoſito antea confuſæ erant, in ſua prima principia reſolvuntur.

Alterum generale argumentum hoc eſt, quod utut concreti illi ſucci, de quibus ſupra, nec non lapides & vitrum igne fundantur, non omnes tamen lapides, nec omnes ſucci concreti & metalla vel ſemimetalla fuſionem recipiunt: non talcum, nec ſal armoniacum multaque alia quæ inter ſuccos concretos numerantur: ſed neque adamas, nec achates, oculus felis, jaſpis, nec lapides pretioſi complures alii, nec marmor aliique plures lapides, quibus interior fornacum facies conſtat: uti nec Mercurius inter metalla, nec auripigmentum inter medii generis mineralia liqueſcit: atque utut maxima pars eorundem fundatur, ſola tamen metalla ductilia ſunt, idque tum demum, ubi ad magnum frigoris gradum pervenerunt particulæ eorundem non cohærent, nec vitri inſtar tenacia ſunt, quod ubi probè incaluit, exiguo ſpiritu & ſufflando per cavitatem in quamcunque figuram mutatur, quod nulli prædictorum corporum accidit. Præterea metalla liquefacta diffluunt, & in plures globulos & fruſta abeunt: vitrum autem coit in cumulum, etiam tum ubi fractæ in fornacibus ollæ ſunt: & hæc vitri ductilis & tenax natura, mihi iſtiuſmodi qualitas eſſe videtur, quæ ab omnibus aliis corporibus eſſentialiter differt, etiam aliis quibus vitri nomen

nomen obtigit, qualia ſunt vitrum antimonii, vitrum Moſcoviticum, lateres aliique lapides vitrificati, quæ omnia iſtiuſmodi examen non ſuſtinent, & denominationem ſuam, non tam ab intrinſeca ſua proprietate & naturâ, quam ab eo receperunt, quod tranſlucent. (ſic *vitriolum* à *vitro*) Cæterum ut huic comparationi finem imponamus, proprietates vitri hic ſubjicimus, quibus à corporibus reliquis omnibus facile diſcerni poteſt.

1. Concretum eſt ex ſale & arenâ vel lapidibus.
2. Artificiale eſt.
3. Igne vehementi funditur.
4. Fuſum tenax eſt & cohæret.
5. Igne non abſumitur.
6. Ultimus ignis effectus eſt.
7. Fuſum ferro adhæret.
8. Ubi benè incaluit, ductile eſt, & quamcunque figuram aſſumit: malleabile non eſt, ſed flatu in concavitatem formatur.
9. Cum tenuius eſt, niſi calefiat frangitur.
10. Ubi friget friabile eſt: unde noſtrum proverbium: æque ut vitrum fragile.
11. Sive frigidum ſit, ſive calidum tranſlucet.
12. Flexibile eſt, & in fila ductum habet motum rectitudinis.
13. Frigido & humido diſſolvitur, præſertim ſi liquor ſalſus ſit, & vitrum derepente calefiat.
14. Solo adamante & ſmiride ſculpitur.
15. Æque ut pretioſi lapides diaphanum eſt & coloratum.
16. Aqua forti, Regia & Mercurii non diſſolvitur.
17. Succi acidi, & res aliæ quævis, colorem, guſtum vel qualitatem aliam ab eo non recipiunt.
18. Polituram recipit.
19. Ponderi ejuſdem à frequentiſſimo uſu nihil decedit.
20. Fuſionem aliorum metallorum promovet, eademque teneriora facit.
21. Quemcunque colorem metallicum internè ſimul & externe ſuſcipit, ideoque picturis magis aptum eſt, quam res alia quævis.
22. Omnium quæ in toto orbe ſunt maxime flexibile eſt, & quamcunque formam ſuſcipit, & ſuſceptam ſervat.
23. Liqueſcit, non calcinatur.
24. Vitrum patens ſi æſtatis tempore aquâ repleatur, in externo latere guttas aquæ colligit, idque ad eam altitudinem, ad quam aqua aſcendit, & anima hominis manifeſte humectatur.
25. Globuli vitrei, nucis magnitudine, ſi Mercurio adimpleantur, & in ignem conjiciantur, haud ſecus ac gutta vitri viridis quaquaverſum, non ſine ſonoro & acuto ſtrepitu diſſiliunt.
26. Vini, cereviſiæ, vel cujuſcunque alterius liquoris ſaporem non recipit, neque colorem mutat, aut rubiginem contrahit.
27. Lapidum & metallorum inſtar cæmentari poteſt.
28. Vitrum potorium, affuſâ aquâ, ſi digito circa marginem dextrè fricetur, tonum muſicum reddit, acutum, vel gravem, pro aquæ majore vel minore copiâ, ipſumque liquorem ſubſilire facit.

Antiquitas vitri.

Antiquitatem vitri quod attinet, author noſter illam deducit ex *Jobi capite* 28. *v.* 17. ubi ſapientia à verſu 15. ad 20. cum rebus ſelectiſſimis comparatur, & hoc *verſu* 17. dicitur; *Aurum & vitrum non æquabitur ei.* Ita author noſter ſecutus vulgarem latinam tranſlationem: ita ſeptuaginta, nec non Hieronymus, Elias in Nomenclatore, Pineda, Biblia Tigurina & Syriaca: ſed Arabica tranſlatio habet *Hyacinthus. Cryſtallus*, ut habet Chaldaica tranſlatio, nec non Xantes, Arias Montanus, Forſterus, & Hebræi, quos ſequitur Nicetas, nec non Regia Hiſpanorum & Anglica tranſlatio. *Lapis pretioſior auro*, ut Pagninus ex Rabino Levi Kimhi. *Speculum*, ut Thargum: forte quia tum temporis noviter inventa & in pretio erant ſpecula, ut quæ materia conſtarent pretioſa: atque ita Munzerus vertit. *Vitrum cryſtallinum*, ut Complutenſis. *Beryllus*, ut Vatablus, *Adamas*, ut Rabbi Abraham, Rabbi Mardocai, Pagninus, Cajetanus, verſio Italica, Hiſpanica, Gallica, Germanica & Belgica. *Pyropus vel Carbunculus, vel qua ſimilis, elegans, & pretioſa gemma*, ut Pineda. Sed hæc quidem nomina ſunt unius ejuſdemque gemmæ, quam noctû relucere credidit antiquitas, ſed quam in rerum natura fruſtra quæras. Recentiores illius loco ſubſtituerunt *Rubinum.*

Ratio differentiæ inter Interpretes hæc eſt, quod vox primitiva *Zechuchih.* deſcendit à radice *Zcac* quod eſt *purificare, emundare, lucere, album & tranſlucidum eſſe.* Eadem vox *Incenſo* applicatur, Exod. 30. 24. & à ſeptuaginta interpretibus reddita eſt *Pellucidum*: ut jam manifeſta ſit ratio varietatis in transferendo textu: quia enim vox illa in genere ſignificat, quicquid pellucidum eſt & ſpecioſum, hinc Interpretibus licuit illam applicare iſtiuſmodi rebus, quæ in æſtimatione & pretio erant, ita requirente textu; nec non pellucidis, ita requirente vi vocis. Cæterum mihi non Adamas, nec Carbunculus, neque Hyacinthus denotari videtur. Horum enim lapidum mentio fit in pectorali Aaronis, *Exod.* 28. quo tamen capite vocem illam non reperias. Sed nec vitrum, neque cryſtallus: incongruum enim eſſet, res uſque adeo exigui valoris in comparationem venire, cum illud materiâ conſtaret verè communi; hoc vero non eſſe vulgare. Præterea probabile eſt, vocem hanc auro additam eſſe amplificandi gratiâ. Adde vitri in Vet. Teſtamento nullam, in Novo apud Paulum, Jacobum & in Apocalypſi frequentem fieri mentionem. Et quis credat, rem tot modis illuſtrationi & ſimilitudini aptam ſilentio præteriri à ſcriptura, elegantiarum in hoc dicendi genere plenâ, ſi in uſu tum communi fuiſſet? Quare in ea ſum ſententia, ut putem vocem illam generaliter ſumendam, neque reſtringendam eſſe ad hanc vel illam pretioſam & pellucidam rem vel gemmam, ſed extendendam eſſe ad omne illud, quod utramque illam proprietatem habet. Sed nimis multa in alienam eſſe.

Ariſtophanes primus eorum eſſe videtur, qui meminerint vocis ὕαλος, quam nunc *vitrum* interpretamur. Etenim *in nubibus act.* 2. *ſcen.* 1. Sthrepſiadem introducit illudentem Socrati, & docentem novam methodum ſolvendi debita antiqua, nimirum inter ſolem & ſcriptam dicam interponendo lapidem pulchrum & pellucidum, quem unguentarii vendebant & quo ignis accendebatur. Sol enim deleturus erat literas intentæ dicæ, qui lapis Socrati ὕαλος eſt: ad quæ Scholiaſtes: *Unguentarii pretioſos lapides aquè ac medicamenta vendunt.* Et veteribus κρύος idem eſt quod κρύσαλλος. Homero ignotum fuiſſe hoc nomen, eidemque ſimul & antiquitati in uſu fuiſſe vocem *Electri* Scholiaſtes ibidem teſtatur, dum perſpicue vitrum noſtrum his verbis deſcribit: *Nos propriè vitrum illud vocamus quod ex herba uſta igne liquatur, ad præparanda certi generis vaſa.* Apud Heſychium vox *hyalos* eo ſenſu non extat, ſed hyale, hyalœis, pellucidus, diaphanus. Etymologiſta eadem in hoc ſenſu utitur, atque vocis etymon deducit ab ὕειν, quod eſt pluere, idque ob ſimilitudinem, quam quoad conſiſtentiam & pelluciditatem cum glacie habet, quæ congelata pluvia vel aqua eſt: atque hoc ſenſu nonnulli *à glacie glaſſ* deducunt.

Ariſtoteles duo de vitro problemata habet; primo: *Cur per vitrum videamus?* Secundo: *Cur flecti vitrum nequeat?* Hæc problemata, ſi Ariſtotelis ſint, de quo eruditi dubitant, inter vetuſtiſſima antiquitatis de vitro monumenta ſunt: nullibi enim apud antiquos Græcorum Poëtas vel Oratores vitri, utut cum propoſito eorum, ut ſupra dictum eſt, convenientiſſimi, mentionem factam invenies. Et nota ambiguitatem vocis hyalos: cryſtallus enim, ut ſupra *Scholiaſtes* & *Hugo Grotius*, eo nomine veniebat, permutatis ob ſimilitudinem rei nominibus: & *Gorræus* ait, certam ſuccini flavi, & vitri inſtar pellucidam ſpeciem, à nonnullis hyalum dictam eſſe. Primus ergo Græcorum, qui citra omne dubium vitri mentionem fecit *Alexand. Aphrodiſæus* fuit, qui hunc in modum: *Vigor coloris ſi per vitrum conſpiciatur.* Et magis clare: lib. I. *Vitra, ſi tempore hyemis derepente caleſiant, franguntur.* Et rurſus: *Corpus vitri frangere.* *Lucianus* prolixè admodum meminit *vitreorum poculorum.* Et Plutarchus in Sympoſiacis, *ignem tamaricis vitro formando aptiſſimum eſſe ait.*

Ægyptios hujus artis peritos fuiſſe ex *Flav. Vopiſco* liquet, citante *Marcell. Donato*, his verbis: *Alexandria, civitas opulenta & frugum plena, in qua nemo otioſus vivit: nonnulli vitrum conflant; alii papyrum conficiunt.* Kircherus tamen, in Oedipo ſuo, ubi de Ægyptiorum artibus agit, mentionem ejus rei nullam facit.

Lucretius, inter Latinos Poëtas primus vitri mentionem facit, cujus verſus addam, quia de vitri pelluciditate agunt. *niſi recta foramina tranant,*
Qualia ſunt vitri. lib. 4. 602.603. Et rurſus:
Atque aliud per ligna, aliud tranſire per aurum,
Argentoque foras, aliud vitroque meare l. 6. v. 98. 990. & poſteriores Poëtæ omnes.

Americæ ignota erat hæc ars, nec non univerſæ Aſiæ, exceptâ Sidone & Chinâ, quibus ſero admodum innotuit ars faciendi vitrum, ex oryza plane perſpicuum, ſed prorſus fragile, ideoque nullo modo comparandum cum noſtro: prope tamen ad illud accedit. *Atlas Sinicus. pag. 6.*

Cæterum ut hanc controverſiam decidamus, manifeſtum eſt, vitrum antiquitati non ignotum, nec minus antiquam vitri quam figlinæ & artis formandi lateres cognitionem eſſe: vix enim eſt, ut fornacem laterariam exuras, aut figularem percoquas, quin lateres nonnulli, & aliqua illius mercimonii pars in vitrum abeat. Quare vitrum ſine omni dubio tunc temporis, cum turris Babylonica exſtrueretur, & ex quo ars illa formandi lateres innotuit, ſimul notum fuit. Etenim dum filii Iſraël captivi detinebantur, magna pars ſervitutis erat formare lateres. Et hujus naturæ foſſile illud vitrum fuerit neceſſe eſt, de quo Ferr. Imperatus l. 25. c. 7. hunc in modum: *Vitrum artificiali ſimile inventum eſt, iis in locis, ubi magni ignes excitati fuerant, quod percuſſum ignem non reddebat. Inventa ſunt alia vitri ſegmenta, formâ orbiculari, & pyriti ſimilia, quæ confracta ſplendebant, colophoniæ ſpeciem referentia: atque hæc percuſſa ignem reddebant, haud aliter atq; pyrites, à quo tamen differunt, tam ratione vegetationis quæ pyriti peculiaris eſt, quam reſpectu ſplendoris, & quia, quod vitro proprium eſt, facillimè liquantur. Horum ſegmentorum alia fragilia, alia ſolida erant. Fragilia vel friabilia in ignem miſſa intumeſcendo albi pumicis ſpeciem & poſtea fulgorem vitri artificialis aſſumebant. Sed quæ continua & ſolida erant, poſt exiguam in igne mutationem à nigredine in vitrum album artificiale tranſibant. Hoc foſſile vitrum ab Americanis factum eſt, quo ferri loco ſcindunt, & foramina cavant:* Hactenus ille. Et forte ex hoc vitri genere, ſegmentum illud fuit, quod ad S. Albani, ubi vetus Rom. ſtatio fuit, à Romana latere abrumpebam, ejuſdemque cum hodierno noſtrate coloris & ſubſtantiæ eſt.

Nec vero dubium ullum eſt quin hoc vitri genus frequentius in illorum quam noſtris lateribus inventum fuerit; terram enim ſuam per biennium cogendo temperabant, quo ipſo opus reddebatur magis firmum ſolidumque; præterquam quod lateres ſuos magis exurebant. Atque hæc vitrificatio terræ lateribus accidit, non à prima tantum eorundem coctura, ſed uti Imperatus obſervavit, à quovis magno igne, iſtiuſmodi ſcilicet, qualis in calcaria & figulari fornace adhibetur, & cujus uſus in Aſia Africaque antiquiſſimus eſt, ubi lapides ut plurimum vitrificant. Nunquam tamen vel vidi, vel audivi, in domo lateritia, ab igne domeſtico vitrificaſſe lateres. Mihi enim ita videtur à ſolo igne, quo ſtrues crudorum & exſiccatorum laterum excoquitur, hunc effectum produci, niſi per viam reverberationis id fiat, in fornacibus, ubi vehemens, cæcus, & continuus ignis alitur.

Hoc vitrum diu ſub terra durabat, utut Helmontius affirmet, vitrum exiguo aliquot annorum ſpacio ſub terra diſſolvi, putreſcere & in aquam abire, id quod de cryſtallo noſtrate verum, nec tamen omni generaliter Vitro commune eſt.

Methodum ab autore noſtro adductam, & à mercatoribus inventam quod attinet, illa mihi fide non admodum digna videtur, quando non aſſidua exuſtio herbæ kali apud Hiſpanos & Ægyptios, nec alterius materiæ apud nos, in copia quam à mercatoribus majore, atque adeo conſequenter calore magis intenſo & durabili facta, ullo unquam tempore producere vitrum potuit, ac ne ingens quidem & cæcus calcariæ ignis producere illud poſſit. Forte metallorum excoctores, quam artem Tubalca in primus invenit, vel veteres Chymici, dum metalla fervidis fornacibus & igne diutius urgent obſervare vitrum ea ratione non potuere?

Horum Chymicorum antiquiſſimi Ægyptiorum Principes fuiſſe videntur, qui inde ab Hermete Triſmegiſto omnes hanc artem profitebantur, univerſalem medicinam molientes, non vero ſuppoſitam illam tranſmutationem metallorum, ut Kircherus in Oedipo ſuo affirmat. Atqui irritus fuiſſet ille conatus, citra magnum ignem & fornaces, quos æque ac materialia eorundem quandoque in vitrum abire neceſſe erat: ut jam ex his quæ dicta ſunt evidenter appareat, ipſam vitri cognitionem antiquiſſimam, ſed artem elaborandi vitrum inter recentiorum inventa eſſe, primumque hoc artificio & fornace vitraria nobilem locum Sidonem fuiſſe teſtante Plinio lib. 36. cap. 26. quemadmoum primus inter Romanos Tiberius fuit, cujus ætate, ſecundum ea quæ legimus, vitrum conflatum ſit, uti ex hiſtoria viri illius apparet, quem ob id cæſum Plinius refert, quod vitrum malleabile fecerat, de quo poſtea.

De uſu vitri.

In domeſticis negotiis vaſa ex vitro fiunt infiniti generis, coloris & magnitudinis: calices plani, effigiati, vel per totum, vel pro parte colorati pro vino Rhenano, Hiſpanico, clareto, cerevиſia: lagenæ aliaque vaſa, excipiendo vino, cereviſia, ſpiritu, oleo, pulvere; in quibus videre licet liquorum perſpicuitatem, bonitatem, nec non fermentationem, ſeparationem, omnemque aliam mutationem, quam natura in iiſdem cum tempore operatur. Præterea patellæ excipiendis ſervandiſque cibis calidis: vitra quibus horas & tempora dimetimur, quibus lineas veſtes complanamus: ornamenta item pro muſæis & pluteis: nec non feneſtræ ad arcendum frigus & humorem, admittendumque lumen in ædes noſtras, quod per coloratum vitrum tranſiens, oppoſita ſoli cor-

corpora proprio vitri colore tingit: & tandem vitra ſpecnlaria, deliciæ atque opus Narciſſi & ſequacium.

In Phyſicis perſpicilla convexa pro ſenibus, concava pro myopibus, qui contraria quam ſenes ratione niſi prope oculos poſita non vident: præter cucurbitulas & vitra, quibus urinam excipimus, quibus ubera mulierum ſugimus, & quibus cœlatores atque gemmarii, dum res minimas accuratas perficiunt, oculos præſervant; præter oculos etiam illos artificiales, quibus delectationis vel ornamenti cauſa objecta minuimus, dilatamus, prolongamus, multiplicamus, figuras eorundem & ſitum diverſimode mutamus, & varia eorum collocatione in vulgo ſpectatorum metum excitamus atque conſternationem, prout videre eſt in opticis, catoptricis, catoptrocauſticis, catoptrographicis, dioptricis & teleſcopicis, quorum partem maxime raram & admirabilem Scottus ex Kirchero, Porta aliiſque collegit. In Aſtronomicis quam rara & admiranda detecta ſunt beneficio teleſcopiorum, quæ Galilæus de Galilæis, vel Scheinerus (de eo enim inter ſe contendunt) invenit, & quæ Paulus Nealius Anglicanæ gentis decus, nec non doctiſſimus Hugenius, incomparabilis Hevelius & Euſtachius Divini Romæ vehementer promoverunt; quorum uſus doctrinam aſtrorum vere illuſtravit, detectis indies novis ſtellis, noviſque orbibus, antiquitati plane incognitis: præter uſum quem terrâ marique nautis, multibus, aliiſque perſonis exhibent, in diſcernendis, diſtinguendiſque rebus procul diſtantibus. His ad de inſignem illam ſphæram vitream, de qua Claudianus ingenioſum hoc epigramma ſcripſit:

Jupiter in parvo cum cerneret æthera vitro,
Riſit & ad ſuperos talia dicta dedit:
Huccine mortalis progreſſa potentia curæ?
Jam meus in fragili luditur orbe labor.
Jura poli, rerumque fidem, legemque virorum
Ecce Syracuſius tranſtulit arte ſenex.
Incluſus variis famulatur Spiritus aſtris,
Et vivum certis motibus urget opus.
Percurrit proprium mentitus ſignifer annum,
Et ſimulata novo Cynthia menſe redit.
Jamque ſuum volvens audax induſtria mundum,
Gaudet, & humana ſydera mente regit.
Quid falſo inſontem tonitru Salmonea miror.
Æmula naturæ parva reperta manus.

Rationem cur hanc ſphæram vitream fuiſſe ſtatuamus, Cardanus in ſuo de ſubtilitate libro prolixe tradit.

In Philoſophia doctrina reflectionum & refractionum ad detegendos effectus & affectiones aëris & aquæ, aliorumque liquorum, & varios eorundem motus in tubis & ſyphonibus. Experimenta vacui mediante Mercurio; nec non infinita experimenta rarefactionis & condenſationis in thermoſcopiis, hydraulicis, & pneumaticis, in Florentino, Romano & Magdeburgico experimento, quod Dn. Roberto Boylio occaſionem dedit rari illius inventi, quo mediante tot inſignes concluſiones demonſtravit, atque tot ſingularia experimenta invenit, quibus illuſtris factus eſt, apud omnes ſuæ gentis, nec non apud exterorum Legatos, & doctorum in vicinia quemque.

Nec omittenda ſunt vitra uſtoria, vel illa, per quæ lux in locum obſcurum admittitur, quibus Plempius & Scheinerus veram viſionis naturam demonſtrarunt, haud ſecus atque Renatus Carteſius vitris aliis generationem Iridis.

Nec oblivioni danda ſunt roſaria, monilia, inauria, aliaque ornamenta, quæ magnum nobis auri ex Guinea cumulum procurarunt, dum illius loci incolæ naſum, aures, labia & crura iſtiuſmodi rebus vitreis exornant.

Ita vitrum ædibus templiſque noſtris ornamenta ſuppeditat, in quibus res naturales ſimul & artificiales coloribus glorioſiſſimis & orientalibus ad vivum depictæ ſunt.

Concludemus triangulari illo vitro, quod Paradiſus ſtultorum vocatur, & dignū eſt, cognitione ſapientum, quodq; colorem rubrum, cæruleum & viridem uſque adeo vivè repræſentat, ut nulli colores cum iis conferri poſſint. Referam ex Trigaultio, quanti illud fecerit ſagaciſſima gens Sinenſium. In urbe Sinenſi Tanian graviter & periculoſe decumbebat Jeſuita Riccius. Cœterum amicus ejuſdem Chiutaiſo illis erga ęgrotantem defungebatur officiis, ut menſis unius quo ibidem morabatur ſpacio, ita vires ſuas recolligeret, ut melius quam unquam antea valere ſeſe arbitraretur.

Riccius hanc amici ſui urbanitatem inter alia remunerabatur iſtiuſmodi triangulari vitro, quo ille plurimum delectabatur, & ut vitro dignitatem adderet, religatis aureâ catenâ extremitatibus, thecę illud includebat argenteę, adjecto eleganti encomio, quo probare conabatur, hanc gemmam fragmentum eſſe illius materię, ex qua cœlum conſtat. Hæc ornamenta alliciebant plurimos, nec ut fertur defuit, qui vitrum illud paulo poſt quingentis coronatis licitaretur, abnuente pretium Chiutaiſo, ob hanc maxime cauſam, quod ſciret Regi iſthoc vitrum muneris loco deberi, metueretque, ne emtor illud ad eundem, præveniendo Riccium, mitteret. Sed cum reſciviſſet, oblatum jam tum iſtiuſmodi munus Regi, aucto nonnihil pretio illud vendidit, exſolutiſque eâ ratione pluribus debitis ſocietatem ſibi obligavit.

Malleabilitatem vitri quod attinet, cui Chymiſtæ poſſibilitatem ſui Elixiris ſuperſtruunt, illa pro fundamento, ſed debili habet locum Plinii lib. 36. cap. 26. ubi, *Ferunt*, inquit, *Tiberio principe excogitatum vitri temperamentum, ut flexibile eſſet. & totam officinam artificis ejus abolitam, ne æris, argenti, auri metallis pretia detraherentur, eaq; fama crebrior diu quam certior fuit.* Plinius vixit tempore Imperatoris Veſpaſiani, qui tertius à Tiberio fuit, ut diutius tenuiſſe hæc fama videatur. Idque plures poſt Plinium referunt, ſed ita, ut nonnihil ab eo differant. Dion Caſſius l 67. inquit: *Eo tempore, cum ingens porticus inclinaret in latus, architectus quidam (cujus nomē ignoratur, quia Cæſar invidiâ motus id prohibuerat in libros referri) mirâ illam ratione erexit, firmatis utriuſque fundamentis, ut immobilis ſtaret. Tiberius ſolutâ mercede urbe illum ejecit. At ille rediens, cum ſpecie ſupplicantis Principem adiiſſet, poculum vitreum conſulto prolabi paſſus eſt, & confractum manibus ſuis reſtituit, veniam per hoc ſeſe obtenturum ſperans: ſed mori ob id juſſus eſt.* Iſidorus affirmat, Imperatorem indignantem illud illiſiſſe pavimento, quod artifex quaſſatum, & æris inſtar complicatum, producto è ſinu malleo reconcinnaverit, eoque facto quæſiviſſe Imperatorem, an quis alius hujus artis gnarus eſſet, & cum id mediante juramento negaſſet artifex, juſſu Imperatoris eidem præciſum eſſe caput, ne divulgata hac arte aurum pro luto haberetur, & pretia metallorum detraherentur. Et certe, niſi rupturæ obnoxia eſſent vaſa vitrea, auro argentoque meliora eſſent. Gravem horum trium auhoritatem ſequitur Pancirollus, aliique, ex auditu tantum id referentes; At Matheſius, Goclenius, Valenſis, Libavius, & univerſa Chymicorum cohors, magnâ confidentiâ illud aſſerit, virtute Elixiris id factum eſſe contendens. Sed ſtatuant illi fidenter quicquid volent: Plinius referendo hanc hiſtoriam, addit, *Ferunt*, & *Fama*, ac tertio *crebrior*

brior quam certior eſt. Quod ter repetitę dictionis genus ſatis arguit, exiguam illam, quam huic hiſtoriæ tribuit fidem. Suffeciſſet in narranda re non admodū probabili, addidiſſe, ad aſſerendam authoritatem ſuam, vulgatum illud *Ferunt*, ſed addit de ſuo, *Fama crebrior* &c. quo ipſo, ſi externam ſpeciem ſequaris, aliquid fidei huic hiſtoriæ ab aliquibus; ſi vim verborum, nihil à ſapientioribus tributum eſſe evidenter probatur. Quid enim verba illa *Ferunt, ſed incerta fama* &c. inferre aliud poſſunt, quam diffidentiam narrantis? Et fama tantum erat: nemo Phyſicorum, Poëtarum, vel Hiſtoricorum illud refert: nemo perſonæ, nemo, quod mirum eſt pœnæ meminit inſolitæ, cum tamen libri eorum ſcateant obſervationibus raro contingentium. Et an cuiquam probabile videri poterit, Imperatorem non incubuiſſe huic arti, eandemq; inter penitiora tabularii non tranſmiſiſſe ad ſucceſſores, ceu rem notatu dignam, cujus in rerum natura exemplum non exſtaret, nec forte exſtiturum eſſet unquam, artifice cæſo? Et totum hoc, quanquam rariſſimum inventum, & inſuetum pœnæ genus, intra paucos annos ſub unius voci *Ferunt* præconio evanuerit. Vox ergo populi fuit, & quidem Romani; imo vero crudelitatis Neronianæ, quæ tueri hanc fabulam haud difficulter potuit.

Sed quam ob cauſam Plinius hoc retulit? Non ob aliam certe, quam ut obſequeretur genio ſuo, qui huc ferebatur, (nepote ejuſdem in epiſtolis, & hoc præſenti opere teſtibus) ut literis conſignaret, quicquid in arte vel natura rarum erat: Forte etiam narrando rem ſuo judicio non impoſſibilem, & quæ effectum aliquando ſortituta eſſet, id egit, ut ſuæ nationi aſſcriberet laudem inventionis alienæ. Præterea non aliud hoc temperamentum fuit, quam ut vitrum redderetur flexibile. Et quis credat poſteritati defuiſſe attentionem, in re vulgatiſſimi uſus, & ad quam præter duo materialia nihil requiritur? Et quid ſibi vult fama, cum de diminutione pretii auri & argenti loquitur? Fateor me nihil hic videre, quod vel Imperatorem non deceat, vel auri Argentique obſtiturum ſit pretio, ſed commoda longe plura, & in verbis Cæſaris vim conſequentiæ nullam. Ac tantum de Plinii teſtimonio. Sed quid eſt, quod illi, qui hæc à Plinio ſumſerunt, addere huic negotio, præter authoritatem primi referentis poſſint? Profecto nihil: ſpecialiter, ex quo ea in textum Plinii commentati ſunt, quæ verba ejuſdem non ferunt, omnia ſuis additionibus transformando in formalem relationem. Plinius ait: *ut flexibile eſſet*: Dionis commentum eſt: *artificem reſtituiſſe vitrum confractum*: qui primus ad malleabilitatem gradus eſt. Sed complementum Iſidorus addit, dicens, *malleo id refectum eſſe.* Hinc videre licet, per quod gradus ad nos pervenerit hæc opinio, & quam mirâ variatione & interpretatione id actum ſit, ut poſteritati veriſimilis videretur; Id quod Plinius ex vulgari traditione refert, addēdo cenſuram incertitudinis, Chymici, ut ſuam de omnipotente Philoſophico lapide ſententiam tueantur, omittunt, & flexibilitatem Plinii in malleabilitatem convertunt, ac ſi nulla inter flexibilitatem & malleabilitatem differentia eſſet; cum tamen omnia corpora aliquâ ratione flexibilia, ſed nulla malleabilia ſunt, præter metalla. Segmentum vitri vulgaris Muſcovitici, & infinita alia plurimum flectuntur, quæ tamen malleum non ferunt, & in tenues laminas, ut malleabilia, non dilatantur. Quin vitrum ipſum, ut apparet, aliquo gradu naturaliter flexibile eſt: Vitra enim cryſtallina, oppido tenuia, ſi debite incaleſcant, parum ſed viſibiliter flectuntur: & tubos habui duodecim vel amplius pedum experimento Mercuriali dicatos, qui Mercurio repleti inſigniter flectebantur: ut jam in ea ſim ſententia, ſi quidquam omnino veri his Plinii narratis ineſt, id huc redire, ut cum vitrum ætate Plinii maximè fragile, & cujuſcunque vel minimæ injuriæ incapax eſſet, ceu ſale nitro conſtans, ignotâ adhuc arte calefaciendi, de quâ nihil Plinius, prodierit hic artifex, qui mediante Kali, & via calefactionis, vitrum invenerit alio priore firmius & quod ferre aliqua ratione caſum & vim majorem poſſet, id quod famæ, occaſionem dedit, (de quâ Virgilius: *parva motu primo, mox ſeſe attollit in auras*) ut additis, ut fit, nonnullis circumſtantiis, formaret illam hiſtoriam, quam Plinius refert.

Poſſibilitatem autem faciendi vitrum malleabile quod attinet, nihil rationis, præter hanc Chymicorum relationem invenio, qui ratiocinando per circulum ab Elixire ad vitrum, & à vitro ad Elixir argumentantur. Et multo certe alterum altero factu facilius eſſet. Etenim ut Elixir producatur, neceſſum eſt, ut *ex ente non tali fiat ens tale*, non repugnante, nec inhabili exiſtente *materiâ ex qua.* Sed in vitro aliter ſeſe res habet: etenim res omnium naturâ ſuâ maxime fragilis vitrum eſt, & ut malleabile fiat, neceſſum eſt introducere qualitatem naturæ ſuæ contrariam. Præterea nullum malleabile diaphanum eſt: & quis vitrum vocaret, quod diaphanum non eſt? Eodem ſane jure quis aurum vocaret, id quod ponderoſum & malleabile non eſt, quo vitrum, id quod malleabile, ſed diaphanum, non eſt. Adde naturam malleabilitatis conſiſtere in arcta & perpetua cohæſione partium, nec non capacitate recipiendi quamcumque figuram, quoad minutas partes, id quod cum natura vitri non convenit. Materialia enim vitri, ſal ſcilicet & arena, iſtiuſmodi figuram habent, quæ cohæſionis illius incapax videtur. Sal præ aliis omnibus determinatam ſuam figuram habet, quam etiam cum maxime ſolvitur, & igne urgetur, ſervat, niſi totalis ejuſdem deſtructio accedat, id quod pluribus argumentis evincere licet. Et hæc figura pro ratione cujuſque ſalis varia eſt. Sal, nitrum, & quodvis aſcoliſatum ſal acuminatum eſt, & quia acuminatum & cauſticum eſt, ex infinitis acutiſſimis acubus conſtare videtur. Arenæ autem figura varia, imo, ut in microſcopiis videre licet, infinita eſt. Jam quis ſibi perſuadeat, hanc tantam figuræ in arena varietatem ita quadrare ad determinatam figuram ſalis, ut cohæreant in minimis id quod ad efficiendam malleabilitatem neceſſe eſt? cum econtra ut vitrum fiat, ſatis ſit, ut partes in hoc vel illo puncto ſeſe mutuo tangant, ex quo contractu iſtiuſmodi unio oritur, quæ formam vitri abſolvit, & malleabilitatis omnis incapax eſt. Atque ab hac unione in vitro pori ſunt, quibus mediantibus, uti ex Lucretio didicimus, diaphanum eſt: Præterea, quod jam dictum eſt ſupra, utrumque in compoſito id eſt & manet, quod erat antea. Concludam hoc argumentum, dicendo, me in ea ſententia eſſe, ut putem, à ſolo Elixire ſperandum eſſe hunc effectum, & eodem utrumque tempore proditurum in lucem.

De Fornacibus.

Antea quam artem ipſam aggrediamur, neceſſum eſt, ſubminiſtrare formas fornacum, earumque, præcipua inſtrumenta, nec non modum elaborandi metalla, ubi jam excocta ſunt, id quod ab authore noſtro prætermiſſum, nec tamen eo minus ſcitu neceſſarium eſt. Ac tres quidem fornacum ſpecies ſunt, ita diſtinguente *Agricola de re metallica.* Prior *Calcaria* vocatur, & ad modum furni fabricata eſt, longitudine decem, latitudine, ubi quam maxime patet, ſeptem, & profunditate duorum pedum. In uno ejuſdem latere foſſam habet ſex circiter pollicum, quadratam, cujus ſuperior facies cum ſuperficie fornacis in eodem plano jacet, & ab eadem prope orificium lateribus, novem

novem circiter pollicum latitudine, ſecernitur. In hanc foſſam carbones ſuos conjiciunt, quorum flamma omnem quaquaverſum fornacem pertranſit & à fornice in frittam reflectitur, cujus ſuperficiem fumus ater ſupervolitans; per orificium calcariæ egreditur. Et vitrarius quidem frittam antea non commovet, quam fumus omnis abierit. Carbones, ut in aliis fornacibus, ſuper ferreis cratibus recumbunt, unde cineres in cinerarium, quod in eodem cum pavimento vel area plano jacet prolabuntur. Vitrarius, quem in officinis vitri vulgaris *Fuſorem* vocant, ille eſt, qui debitum ſali, cineribus & arenæ pondus aſſignat, atque vehementi igne illud efficit, ut in maſſam coeant, & albedinem acquirant: quod ſi metallum juſto durius, atque adeo fragile ſit, ſal vel cineres; ſi tenerius vel mollius, arenam addit, miſcendo, uſque dum illud temperamentum aſſequatur, quod non aliter quam operando dignoſcitur. Ubi fritta jam præparata eſt, è calcaria illam eximit, & refrigeratam ad uſum ſeponit. Apud nos frittam aquâ non perfundit, nec lixivio, ut author noſter vult, madefacit, ſed exactis aliquot diebus operi ſe accingit, ut ex fritta metallum fiat, idque ubi jam liquatum eſt, raſtro ſcarrit, commovet, miſcetque, & ubi raſtrum incaluit, in ſitulam aquâ plenam illud immergit, ne vitrum ei adhæreat. Tudicula ſal Alkali eximit, vel metallum ex olla in ollam transfert, atque cum ſuo *Porteglo* vitrum deſpumat, & exemtâ cum ſuo *Spiei* (ferro, quod in extremitate uncum habet, atque acuminatum eſt) aliquâ metalli particulâ, diſpicit, an color reſpondeat, & metallum operi aptum ſit. Nonnulli ollas in hac fornace ſuas calefaciunt, ut Agricola.

Secunda vel operaria fornax illa eſt, in quam ollæ reponuntur, & quæ focum adjunctum habet atque cinerarium. Hæc fornax rotunda, trium in diametro ulnarum latitudine, & duarum profunditate, nec non circa faſtigium fornicata eſt, ad cujus internum latus octo vel plures ollæ, & inter has operariæ collocatæ ſunt. Numerus ollarum pro ratione *Boccarum* vel orificiorum ad opus deſignatorum ſemper duplex eſt, ſcilicet ut operarius quiſque ollam unam habeat, metallo repurgato & operi apto plenam, itemque alteram, purgando metallo, dum in opere eſt, dicatam. In duas hæc fornax diverſa eſt partes, quarum inferior ollas à foco dividit, & in centro ſuæ ſuperficiei foramen habet rotundum, ferreis cratibus munitum, quatuordecim in diametro vel plurium digitorum, per quod flamma tranſiens à fornicatis lateribus & faſtigio in ollas reflectitur. Altera & ſuperior pars fornacem à *Leera* dividit.

Foramina iſtiuſmodi fornacis hæc ſunt: 1. *Bocca, os* vel *orificium ergaſterii*, per quod metallum ex ollis majoribus eximitur, & ollæ in fornacem mittuntur. Hoc orificium operculo obturatum eſt, quod ex luto & lateribus conſtat, & removeri, ubi ita viſum eſt, poteſt, atque huic uſui inſervit, ut oculi operariorum præſervari ab æſtu foci poſſint. In medio hujus operculi palmo majus foramen eſt, calefaciendis, ubi id opus requirit, utenſilibus. Ad hanc *Boccam* pertinent *Halſinella*, quæ nihil aliud ſunt, quam *unci* quidam in latere fornacis firmati, in quib. utenſilia, dum calefiunt vertuntur & quieſcunt. 2. *Boccarella* vel *orificia minora*, ad utrumque Boccæ latus unum, eidemque utplurimum horizontale, quo mediante miniſtri metallum tinctum vel magis repurgatum ex ollis, quas *Pilin-pots* vocant, eximunt. 3. *Fornaces vel foramina proxime Leeram duo* quæ in eodem cum *Bocca* plano jacent, in quibus tartarum, ferrum &c. calcinatur. Atque huc *focus* pertinet, qui *Tizzonajos* vel *præfurnia duo*, & in unoquoque fornacis latere unum habet, per quæ miniſter nocte dieque carbones injicit, ut hunc Veſtalem ignem conſervet: & hæc quidem præfurnia lateritia ſunt.

Hæ fornaces alibi aliter fiunt, majoriſque munimenti cauſa quinque vel plures quandoque arcus habent; tres tamen ad inſtruendam cryſtalli officinam neceſſario requiruntur. Varias earundem formas apud Agricolam de re metall. lib. 12. Libavium Comment. Alchem. part. 1. c. 20. Ferrant. Imperatum l. 12. c. 14 15. & Portam l. 6. c. 3. vide.

Fornaces vitri viridis quadratæ ſunt, (cum priores ſint rotundæ, ſed quarum unum arcum Leera occupat) & in unoquoque angulo arcum habent, in quo vaſa calefiunt.

Leera (quæ apud Agricolam tertiæ fornacis loco eſt, in qua vaſa calefiant & refrigerentur, quæque eandem cum ſecunda formam obtinet, in qua metallum funditur, & in fluxu conſervatur) duas partes comprehendit, quas Angli vulgo *the tovver* & *Leer* vocant. *The tovver*, vel turris illa pars eſt, quæ directè ſupra fornacem fuſoriam poſita, ſepto tranſverſo, pedis unius craſſitie, ab eadem ſecernitur, in cujus ſepti medio, & in eadem cum foramento inferiore perpendiculari foramen eſt rotundum (Imperatus & Agricola quadratum illud & anguſtum faciunt) per quod flamma calorq; in fornacem tranſit. Hoc foramen *Occhio* vel *Lumella* vocatur, & annulo cingitur ferreo, quem vulgo *Cavalet* vel *Coronam* vocant; atq; in hujus terris area vel pavimento vaſa, ubi jam formata ſunt, à vitrario ut calefiant ſeponuntur. *Boccas* vel orificia ex adverſo duo habet, per quæ vitra, ſtatim ac parata ſunt, à miniſtris furca in pavimentû turris, & paulo poſt in patellas, quas Agricola argillaceas facit, & apud nos ferreæ ſunt, & vulgo *fraches* vocantur, ac tandem ab homine huic operi dicato, quem *Saroleman* vocant, gradatim & ſucceſſivè per univerſam *Leeram*, quinq; vel ſex cubitos longam, deferuntur, ut ſenſim refrigeſcant, idquod in fine demum *Leeræ* fit. Orificium *Leeræ* in locum quendam deſinit, in quo vitra, ubi refrixerunt, deponuntur. Hic locus *Saroſel*, & ab eodem *Saroleman* is vocatur, qui patellas ferreas, *fraches* vulgo dictas, per *Leeram* deducendo refert.

In fornacibus vitri communis duo ſibi invicem oppoſita latera elaborando metallo inſerviunt: reliqua duo calcarias adjunctas habent, in quas ignis à fornacibus aſcendens per foramina admittitur, coquendæ ſimul præparandæq; frittæ, & evitandi fumi gratiâ. Et ignem quidem intra arcus fornacis ſuſcitant, calefaciendis vaſis, totumque opus ſuum in hac una fornace abſolvunt.

Interior harum fornacum facies, non lateribus (ſtatim enim, ut lapides molliores reliqui, in vitrum abirent) ſed lapide conſtat arenaceo duriore, quod genus lapidis Imperatus *Pyromachium* vocat, & *Novo Caſtello* affertur, albicans, & percuſſu mutuo ignem reddens. Et hic tamen prædurus lapis trimeſtri ut plurimum ſpatio abſumitur, aut certè ſulcos ducit. Exterior vero fornacum facies lateritia eſt. Calor iſtiuſmodi fornacum longe omnium intenſiſſimus, obſervatumq; à me eſt, conjectas in hanc fornacem tertio poſt ignis reſtinctionem die ſtipulas ſtatim ignem concepiſſe: retulitque mihi operarius, ignem hujus fornacis altero tanto quam in reliquis fornacibus vehementiorem eſſe.

Proximum eſt, ut de *ollis fuſoriis* agamus, quæ argilla conſtant, *Purbecko* Vectis inſulæ loco allatâ, ex qua pro peto fiſtulas concinnant. Hæc argilla optimè lota in fornacibus ad hoc opus deſtinatis calcinatur, & molâ in pulverem tenuem redigitur, qui pulvis aquâ miſtus nudis pedibus calcando in debitam conſiſtentiam cogitur, manibus in certam formam deducitur, formatus convenienti loco ſiccatur, & poſtea in vel ſuper fornace incaleſcit. Sed quæ vitro communi inſerviunt ollæ ex argilla *Non-*

ſucho

ſucho allata fiunt, ſed cui admiſta ſit ex *Worceſtriæ Comitatu* alia, ut quæ ignem quam ſimplex *Nonſuchana* melius fert. Hæ ollæ metallo adimplentur, & eodem cum *Bocca*, vel orificio plano conſiſtunt.

In cryſtalli fornacibus duo ollarum genera in uſu ſunt: unum majus, trecentas: vel quadringentas metalli libras continens, craſſitie pollicis, & in fundo pedes prope duos latum, totidemque profundum, ſed quod circa apicem in latitudine pollices viginti obtinet. Alterum minus, quod vulgo *Piling-pots* vocant, quia ollis majoribus incumbit, quæ metallum excoctum & tinctum continent.

Poſtremum operis erit videre modum elaborandi vitrum, quem additis nonnullis ab Agricola lib. 12. de re metall. mutuabimur. Miniſter, ubi metallum ſatis excoctum eſt, ferrum cavum in ollam demittens, idque nonnihil verſans, quantum operi, quod intendit, ſat eſt, recipit: metallum ferro glutionoſi atque tenacis ſucci inſtar, & haud aliter, quanquam firmius, ac terebinthina vel theriaca, ubi à mercatore ex olla depromitur, adhæret. Figura quam ferro adhæreus obtinet, orbicularis eſt, & miniſter illud, dum fervet, hinc inde ſuper marmore verſat, ut partes tanto firmius adunentur: quo facto ferrum cavum leniter inflat, & metallum ab anima haud aliter atque veſica intumeſcit. Quoties ferrum inflat, id quod ſæpiſſime fieri neceſſe eſt, toties remotum derepente ab ore ferrum maxillæ admovet; ne flammam ſpiritu reducto attrahat: mox fiſtulam ſublatam circum caput aliquamdiu rotans, vitrum prolongat, refrigerat, & ſi opus ſit modulis & marmori fundum ejuſdem imprimit, eoque peracto vitrario illud offert, qui leni vi collum ejuſdem, vel partem illam, qua ferro adhæret, abrumpens, eandemque vitro communi addicens, cum ſuo *ponteglo* vitrum figendo glabrum reddit, & cum *paſſago* ſuo globum format, atque cum *procello* capacitatem ejus concavitatemque adaugens, & cuncta complanans, forfice quicquid redundat amputat, atque ea ratione inflando, premendo, ſubinde calefaciendo, amplificando, reſecando illam, quam mente concepit, figuram format, &, ſi uſus requirat, pedes affingit, & cum ſuo *Spiei* marmor & undas repræſentat: quibus peractis miniſter opus ferreâ furcâ prehenſum derepente in turrim, ut calefiat, & per gradus aſcendens in loco conveniente collocat, ne temere vagando offendens, hoc mercimonii genus fragile & tenerum, ac niſi calefiat per ſe ruiturum, corrumpat. Quot vitrarii, tot ollæ, totidemque foramina vel Boccæ adſint, neceſſe eſt: quiſque enim pro priam ſuam ſtationem habet, ubi fervidum illum calorem excipit, qui rectâ in faciem, os & pulmones eorum delatus, in cauſa eſt, cur veluti *Cyclopes* & *nudi membra Pyragmones* ſubuculâ veſtiti opus ſuum peragere neceſſe habeant, caput, ad arcendum nimium calorem & lumen, late fimbriato ſtramineo pileo tegentes. In largis & latis ligneis ſellis reſident, quæ longos cubitos habent, à quibus inſtrumenta artis dependent, ea ratione firmata, ut moveri non poſſint. Sex horis operantes, unico vitro tempus dimetiuntur, exactoque illo ſpatio alii ſuccedunt, qui ubi dimenſum ſuum abſolverunt, locum denuo dant prioribus; ita fit, ut nunquam dum in ſtatu eſt vacua ſit fornax, niſi vel vitium ollæ fecerint, vel metallum fluere deſinat. Libavius obſervat, illos maximam partem eſſe pallidos, ſiticuloſos & brevis ævi, idque ob colliquationem, & vitia capitis & pectoris; & quia corpus habent infirmum & debile, facillime vino inebriari & cereviſiâ, qui verus eorundem character eſt.

C. Merretti Notæ In *Neri Librum Primum de* Arte Vitraria.

Cap. I. Abſolutis illis, quæ neceſſario præmittenda erant, ad textum ipſum accedimus.

Pulviſculus vel Rochetta unum idemque denotant; nec quicquam aliud ſunt, quam cineres unius ejuſdemque plantæ, ſed bonitate differentes, quemadmodum apud autorem noſtrum diverſis in locis apparet. Poſterius nomen noſtris officinis plane ignotum eſt, ac ne Morani quidem diſtinctionem ullam recipit *Pulviſculi* nomen uſu receptum, omnique cineri commune eſt, qui ex Oriente in uſus vitrariorum advehitur. Ratio diverſitatis mihi hæc eſſe videtur, quod pulviſculi nomine id venit, quod in forma pulveris advehitur; & contra nomine Rochettæ, quicquid fruſtulentum, vel lapidis inſtar durum eſt. Et certè inter operarios experimento conſtat, ex fruſtis maximè duris & majoribus ſal prodire candidius, acriuſque, quam ex pulvere & fruſtulis minoribus. Cœterum idne ob diverſitatem plantæ, & diverſum ejuſdem creſcendi, colligendi, urendique tempus & modum, an vero ob ſophiſticam admiſtionem heterogenei ſalis vel aquæ ſalſę, aut alterius humoris, quo multum læditur, fiat id in medio relinquo. Illud conſtat, ut ſal producatur acerrimum, & quod in dura & lapidea fruſta coeat, lixivium illos parare ex cineribus primum uſtis, quo herbas porro comburendas conſpergunt: quâ ratione ſingulis vicibus novum lixivium aſpergendo, cineres parant pro ſmegmatopæis & tinctoribus longe acerrimos. Ubinam autem hic modus faciendi Rochettā inventus, & cur nūc minus in uſu ſit, affirmare non auſim.

Ex oriente & Syria. Syria Orientis pars eſt. Nunc autem hi cineres ab Alexandria & Tripoli advehuntur.

Herba cujuſdam. Hæc herba ab autore in epiſtola *Kali* vocatur, quo nomine etiam apud alios pleroſq; venit, non tamen ſine aliaqua levi variatione. Alpino l. de plant. Ægypt. *Kalli & Kallu*; nonnullis *Cali*; Geſnero *Alkali*; Lobelio *Soda*; Dodonæo *Salicorna*, & Gallice, nec non in hiſt. Lugd, *Salſola*; Camerario, Cordo, & maxime Fuchſio & Luſitano *Anthyllis Dioſcoridis* vocatur, id quod Mathiolus in apologetico contra Luſitanum ſolide refutavit, affirmans hanc plantam creſcere circa Tergeſtum Mauritaniæ. Poſtremo *Anthylloides* vocatur apud Thalium. Nomina *Soda, Salicornia & ſalſola* manifeſtè derivantur à ſale, quo vehementer abundat. Ita de antiquitate notitiæ, & nominibus hujus plantæ eruditus noſter popularis *D. Turner* in ſuo herbario. Quod ſciam, nomen Anglicum hæc planta non habet, & quanquam pluribus in locis abundè apud nos creſcat, invenire tamen neminem potui, qui illam noſſet. Ut aliquod tamen nomen inveniat, *Salt-Wurt*, vocetur, quia ſal guſtu refert, vel *Galſſ-Weed* quia cineres ejuſdem parando vitro inſerviunt. Parkinſonius refert, illam à noſtratibus *Froggraſſ* & *Crabgraſſ* vocari, forte quia his animalibus nutrimentum præbet, cum ſuccum habeat ſubſtantialem, nec ingratam palato ſalſedinem. Gaſp. Bauhinus in ſua Pinace decem ejuſdem ſpecies recenſet, quarum nomina & deſcriptiones, quia hujus loci non ſunt, omittimus, trium tantummodo mentione facta, ex quibus referente Alpino c. 42. Alexandrini & Ægyptii reliqui ſuum pulverem in uſus vitri & ſmegmatis parant. Prima ſpecies *Kali geniculatum*; ſecunda à nonnullis, apud Alpinum *Anthyllis*, ſed *Kali repens Neapolitanum à Columna* vocatur, qui hanc plantam Neapoli à ſe inventam deſignat, deſcribit, & uſibus vitrariorum inſervire dicit. Tertia ſpecies Ægypto magis propria eſt, & ab eodem authore *Kali Ægyptiacum*, foliis valde longis & hirſutis vocatur. Præter has tres ſpecies vidi, & penes me habeo quar-

quartam ejuſdem ſpeciem, ex cadis pulviſculi recepτam,& à Botanicis *Kali ſpinoſum* dictam. Harum prior & poſterior (ſi minus & minimum excipias) prope noſtrum Thameſin, & in locis Angliæ maritimis, (non aliis Septentrionalioribus) copioſè creſcit. Cœterum noſtrates ex hoc *Kali Spinoſo* cineres in uſus cryſtalli aut alterius vitri parare nolunt,& experimento in domo vitrariorum facto compertum eſt, herbam hanc candenti ferro impoſitam, in fumum abire, nullo aut exiguo ſale relicto: cum econtra Kali ex Oriente advectum, eidem ferro inditum, propere maximam ſui partem in cineres nigricantes ſalſos,quod ei proprium eſt,abeat. Hoc Kali uſtum vermis inſtar ſeſe contrahit, flammam diu ſervat, & ſal reddit acre admodum candidumq;. Noſtrum Kali collectum,guſtu aquam marinam & plane ſalſum quid refert,ac ſi locis humidis aſſervetur, ſeipſum contrahit, id quod Salgamarius mihi notus ſuo damno expertus eſt: qui loco criſhmi illud ſibi comparaverat. Cùm enim illud laviſſet, & in acre acetum immerſiſſet, ut in muriam abiret, parum ejuſdem ſupereſſe deprehendit, conſumtis ab aceto fere omnibus. Atque ingens hæc plantarum reſpectu natalis differentia, non in hoc noſtro Kaly magis quam in aliis manifeſte percipitur, in peto ſcilicet,quod ab eodem ſemine naſcitur,nec non Canarienſi & Rhenano vino,quod ab eadem vite provenit,ut & in cicutâ Græcorum & alterius regionis, pluribuſque aliis: atque hac eadem ratione pulviſculus à Soda ſecernitur. Hæ diverſæ Kaly ſpecies,utut naturaliter ex aquis proveniant,& prope ſalſos lacus naturaliter floreant, in mediterraneis tamen Hiſpaniæ & Ægypti locis ſeruntur, id quod dubio procul in calidis hiſce regionibus ad quantitatem, acrimoniam & fixationem ſalis plurimum facit: in Ægypto præſertim,quæ pluviam nunquam ſentit, ſed anni ſpatio ſemel à Nilo Fluvio irrigatur,qui ſangi lutiq; plurimam poſt ſe relinquit. Et hæ Kali ſpecies circa æſtatis medium, ubi quam maxime vigent,reſecantur,& calore ſolis ſiccatæ in ſtrues colliguntur, nec non ſuper ferreis cratibus comburuntur, decidente in foveam, & in lapides vel maſſam duriorem coeunte cinere,qui deinde collectus ſervatur, & teſtante Lobelio *Sodæ* nomen recipit. Quando hæc planta in uſum deduci cœperit,incertum eſt. Primi qui eandem noverint,eidemq; nomen ſuum impoſuerint. Arabes fuere, id quod addita particula Al, quæ mere Arabica eſt, ſatis demonſtrat. Inter hos mentionem ejuſdem factam invenio apud Serapionem & Avicennam Phyſicos, qui eandem contra calculum,ulcera & oculorum incommoda commendant. Lobelius putat, nos plantam ipſam ejuſque nomen & rationem præparandi debere Græcorum & Arabum recentioribus Philoſophis, qui Chymiam exercentes circa vitrum occupabantur. Adverſ. p.169. Sed Græcos,& Græcorum de hac planta notitiam quod attinet, aliter ſentio. Nulla enim ejuſdem apud Græcorum Phyſicos, alioſve ſcriptores mentio fit: præterea nullum in Græca lingua nomen obtinet: ideoque ſine dubio ab Arabibus aut recentioris ævi hominibus notitia ejuſdem ad nos deducta eſt.

In emenda. Optima & expeditiſſima ratio cognoſcendi qualitatem cineris hæc eſt,qua una qua ſmegmatopæi utuntur. Cineris in aqua limpida diſſolvunt, & filtratum lixivium examinant, & cognita lixivii quantitate,factaque comparatione inter pondus aquæ & cinerum antequam diſſolverentur, inveniunt,quantum ſalis data cinerum quantitas contineat.

Lebetes ænei. Author noſter ubique improbat uſum æris,niſi ſi viridem vel cœruleum colorem parare velimus. Et certe acria hæc lixivia nonnihil æris abſumunt, vel humiditas aëris & lixivii partem ejus aliquam in æruginem convertit. Quare noſtrates vaſis utuntur intus plumbo obductis, qualia illorum ſunt, qui alumen excoquunt.

Tartarum. Tartarum ab autore noſtro *Greppela & grume dei botti* dictum, revera fex vini, & à tartaro ipſo diſtinguenda eſt, quia tartarum ſemper lateri vaſis adhæret, atque in fruſta duriora concreſcit, nec nunquam teſtante Helmontio in regione fecum invenire eſt, cum econtra feces nunquam non in fundo vaſis inveniantur, humidæ; tenuium particularum. Tartarum vini rubri ad hos uſus optimum eſt, & ſal continet magis quam vini albi acre & copioſum. Calcinatur, ut quicquid heterogenei admixtum eſt abſumatur, & ſal candidius evadat, tantoque citius in aqua diſſolvatur & tanto facilius è pulviſculo extrahatur, cujus corpus tartaro recluditur, haud ſecus atque nitri corpus, dum aqua fortis vel ſpiritus nitri fit, ab alumine & vitriolo aperitur, id quod citra iſtiuſmodi additamentum non procederet. Et eandem ob cauſam tartarum aquâ diſſolvendum eſt, antea quam pulviſculus in vas mittatur. Tartarum ſuum in fornace (ex horarum ſpatio calcinant, uſque dum albedinem contrahat, cum experimento conſtet, id genus calcinationis plus operari, quam ſi arctiore temporis ſpatio abſolvatur. Quanti autem momenti ſit extractio humiditatis ex tartaro, id ſecreta Chymicorum nonnullorum procedendi ratio demonſtrat. Nimirum, ut cryſtallum, vel cremorem tartari majore copia & magis candidum faciant, tartarum groſſo modo comminutum calcinant, vel potius in fornace & patellis ſtanneis probè ſiccant, quâ ratione cremor multo melior evadit, quam ſine hac exſiccatione & moderatâ calcinatione. Sal fundum vaſis petit, & ligulâ eximendum eſt, ita, ut humor omnis in vas decidat. Ubi feces lixivii jam ſident, ſiphone detrahuntur.

Cap. II. *Tarſum.* Alterum materiale, quod vitro conſiſtentiam, corpus & firmitudinem dat arena vel lapis eſt, non aliter ac ferrum chalcantho Anglico; cuprum Hungarico, Dantiſcano & Romanorum vitriolo, id quod alias loco & tempore humido in aquam abiret. Et lapides quidem quod attinet, Agricola lib. 12. ait *liquieſcentes, candidi fuerint, cæteris præſtare*: quibus de cauſis cryſtallo primæ debentur: ex his enim fractis in India fieri vitrum uſque adeo tranſlucidum ut nullum cum eo comparari poſſit, autores eſſe Plinius ſcribit: ſecundas tribuunt lapidibus, qui tametſi eis duritia cryſtallorum non ſit, tamen ſimili modo candidi ſunt & tranſlucent: tertias dant his lapidibus candidis qui tranſlucidi non ſunt. Poſt *tarſum* autor noſter *Quocolos* commendat, quos Ferant. Imperatus lib. 24. cap. 16. ſic deſcribit: *Lapis vitrarius, marmoris candidi ſpeciem refert, nonnihil tranſlucens; ſed duritie ab eo differt, quam ſilicis inſtar habet, unde percuſſus ſcintillat, & conjectus in ignem non calcinatur.* Hic lapis frequenter aliquid ex dilutiore viridi ſecum trahit, ſerpentini lapidis inſtar. Reperitur in propriis ſuis locis, admiſtis venis, cruſtati talci. Projectus in ignem pelluciditatem ſuam amittit, & candidior leviorque fit, ac poſtremo in vitrum tranſit. Vitrariis materiam vitri præbet & & *Cuogolo* vocatur: in fundo enim colligunt, teſtacei lapidis forma. Et hos quidem Morani in uſu eſſe autor noſter ait. Extra controverſiam eſt, lapides omnes candidos & tranſlucentes, qui in calcem non abeunt, vitro inſervire. Autoris tamen noſtri axioma univerſaliter verum non eſt: neque enim lapides Novo Caſtello allati, quorum in diſcurſu de fornacibus facta eſt mentio, nec ſilices ignarii, nec lapides illi quibus pavimenta conſtant, pluresque alii, qui chalybe percuſſi vel ungula equi ignem reddunt, nec rhedarum rotæ huic propoſito inſerviunt. Silices revera omnes illas proprietates obtinent, & ſi calcinentur,& in pulverem minutiſſi-

tiſſimum & impalpabilem redigantur, atque per ſetaceum anguſtiſſimum trajiciantur, metallum reddunt cryſtallinum, longe omnium puriſſimum & nitidiſſimum. Sed maximus in præparandis illis labor dominos fornacum deterruit ab uſu eorundem.

Deficientibus aptis lapidibus ſuccedit *arena*, & ſecundum ea quæ autor noſter narrat, prior in uſu fuit: Candida, minuta & bene lota ſit oportet, antea quam operi admoveatur:atque in hoc omnis præparandi ratio conſiſtit.Reperitur ut plurimnm in oſtiis & circa latera fluviorum.Cryſtallus arenam requirit teneram, mollem & candidam.: vitrum commune magis duram & ſcobi ſimilem deſiderat.Ingens in hoc materiali varietas eſt : alia enim prompte liquatur, & cum cinere miſta in vitrum abit. Joſeph. l.2.c.9. de bello Jud. de arena mirabilia narrat,quorum hæc ſumma eſt: *Ptolemaidem Galileæ Belus fluvius præterlabitur,qui Carmelo monte Ptolemaidem inter & Tyrum oritur.Prope hoc exiguum flumen Memnonis ſtatua eſt cui ſpacium adjacet cubitorum fere centum,& admiratione digniſſimum.Vallis enim hic eſt in ſpeciem rotunda,arenam vitro præbens, quaſi à navibus ibidem congregatis exhauriatur, locus vacuus ſtatim denuo repletur. Venti ſiquidem,ut veriſimile eſt. de circumſtantibus ſuperciliis arenam huc convehunt. Locus autem metalli ſtatim in vitrum quicquid ſuſceperit mutat.Mirabilius autem mihi hoc videtur,quod jam converſa arena in vitrum,quæcunq; pars ſuper margines loci illius fuerit jacta, in vulgarem arenam denuo convertitur.*Et Tacitus hiſtoriarum quinto;*Belus mare Judaicum intrat,cujus oſtium arenæ collectæ,*(ita Lipſius non conjectæ) *quia ni trum admiſtum habent, in vitrum excoquuntur .Exiguum littus ſed inexhauſtum illud eſt, à quo ſuppeditatur.* Idem Strabo docet, l. 12. Plin. l. 6. Agricola de foſſil. & quotquot de vitro ſcribunt autores illius loci mentionem faciunt, unde arena depromitur. Noſtri Londinenſes vitriarii arenam habent admodum candidam illius generis, quo vulgo literas recens ſcriptas conſpergimus, vel utenſilia tergemus, quæ, Maidſtonio Cantii advehitur;itemque aliam, quæ vitro communi inſervit, & Wolvvicho advehitur:Prioris generis arena cum metallo vitri ordinario miſceri non vult:poſterioris, cum navibus advehatur, exiguo venit.

Cardanus lib.5.de variet.*Magneſiam*addit,eamq;*ſydeream* vocat,ceu tertium ingrediens:*Ex tribus*,inquit *vitrum conſtat,lapidibus nimirum,vel arena,ſale Cali.& ſyderea.* Atqui exigua Magneſiæ quantitas addita metallo parum ad rem facit. Præterea non in omni promiſcue vitro Magneſia locum habet.

CAP. III. Docet,quomodo ſal ſecundum communem Chymicorum methodum beneficio ſolutionis,filtrationis & coagulationis figatur.

CAP. V. *Reſecanda.* Plantæ in univerſum omnes ſuo quęvis tempore reſecandæ atque colligendæ ſunt, nimirum ubi jam maturuerunt. Tempus tamen omnium,ſive caules earundem, ſive folia deſideres, optimum,idemq; Chymicis operationibus, & extrahendo ex vegetabilibus oleo ſpiritibuſque commodiſſimum illud eſt, quod maturitatem earundem paulo antecedit:duplo enim major quam alio tempore quantitas extrahitur.Sal autem tunc melius extrahitur,ubi ſemen produxerunt,id quod filici circa hæc tempora accidit. Vulgaris error eſt,filicem,aliaſq;herbas capillares non producere ſemen,cum tamen illud ab interiore foliorum latere producant copioſum pulverulentum & nigricans. Quin ipſe etiam muſcus ſemine abundat, id quod certum genus non deſcriptæ,& in horto meo ſicco conſpicuæ chamæpeuces evidentiſſime demonſtrat,in cujus ramis,& inter unumquodq; folium ejuſdem copia ſeminis rotundi & nigricantis invenire eſt. Quantum pro ratione tempeſtivitatis anni vegetabilia differant, hi qui globulos pro thoracibus ligneos formant optimè norunt, qui pyrum æſtate, ilicem hyeme dejectam operi aptiſſimam eſſe deprehendunt. Buxus circa feſtum Paſchatos duriſſima, tenerior æſtate eſt. Oxyacanthus circa Octobrem, fortibus ęſtate miteſcit.

CAP. VI. Plantas enumerat, quæ ſal reddunt vitro aptum. Uno verbo : Nullum non vegetabile vitro aptum eſt, quod copiam ſubminiſtrat Alcaliſati ſalis. *Sal alcaliſatum* Chymici illud vocant, quod ignem fert vehementiorem, nec avolando evaneſcit in auras, denominatione facta à Kali, id eſt ſale extracto ex Cali. Et horum nonnulla hoc capite recenſet. Noſtrum Kelp à Cali ſic dictum, & cineres ſmegmatici cryſtallino metallo inſerviunt. Kelp maximam partem ex planta marina fit, quam *Seathongs* vel *Laces* vocamus, de qua Joh. Bauhinus l.39. c. 2. de hiſt. plant. *Alga anguſti folia vitrariorum, ſi paulo poſtquam collecta fuerit, ita ut eſt humida diutius aliquanto ſervetur, in ſuperficie foliorum attentius ſpectanti, ſal exhibebit candidum.* Matthiolus in Dioſcoridem hanc *algam vulgarem Venetorum* vocat, non tantum ob dictam rationem, ſed etiam,quia Veneti vitra ſua,quæ in exteras regiones tranſmittunt, hac alga veſtiunt. Et ſane hæc rejicula, cum tempeſtuoſum eſt mare, *ſcopulis illiſa refunditur alga*, juxta Virgilium, & copioſe per ſcopulos diſperſa, in ipſo littore,ab incolis illius loci æſtivo tempore colligitur, & pro re nata ſæpius circũacta, fœni inſtar ad ſolem & ventos ſiccatur, combuſtaque cineres reddit, alumini non minus, quam vitro inſervientes, quos *Kelp* vocamus. Neque hæc ſolum per omne noſtrum mare copioſiſſime diſperſa, ſed omnis in univerſum alga, & fucus, & quercus marina, aliæque plantæ marinæ ſal copioſum continent. Cineres ſmegmatici è Polonia & Ruſſia, nec non Anglia nova advehuntur, & maximam partem ex abietis & ſtrobili cinere parantur. In vitri communis uſum apud nos omne genus cinerum coemunt, ab his, qui potiſſimam Angliæ partem illius mercimonii cauſa pervagantur. Optimi tamen & acerrimi in Anglia cineres ex carduis vulgaribus fiunt, quanquam omne genus carduorum huic rei inſerviat. Proximum à carduis locum lupulus occupat, caules ſcilicet & germina ejuſdem, poſtquam flores collecti ſunt : atque hæc omnia nuperæ inventionis ſunt. Morus inter arbores optimum ſal reddit, nec non geniſta ſpinoſa, & poſt hanc Oxyacanthus & kali ſpinoſum inter plantas marinas, ut jam ſpinoſæ & aculeatæ plantæ optimum ſal reddere videantur. Succedunt herbæ amaræ omnes, lupulus ſcilicet, abſynthium, Carduus benedictus, Centaurium, Gentiana, Abrotonum, Tanacetum, Glaſtum, &c. quarum cineres copioſè & exiguo ſumtu parari poſſunt. Adde petum, cujus caules collecti & combuſti plurimum ſalis reddunt,unde non exigua lucri ſpes affulget, ſed cum aliquo ſoli detrimento. Mercator quidam mihi retulit, obtuliſſe ſeſe Carolo primo Regi, ſuo ſe ſumtu exſtructurum, & ſarta tecta ſervaturum aliquot templa, conſtitutâ in unum quodque eorum annua dote librarum centum, tantum ut ſibi cederent trunci vel caules peti in Virginia naſcentis, demonſtrabatque quantum inde ad ſe emolumenti rediturum fuiſſet. Proximus poſt petum locus leguminum plantis debetur, quales ſunt piſa, fabæ, &c. quæ aliquam cum reliqua tribu affinitatem habent; Specialiter, lupini, vicia, ciceres & lentes, quorum hi nuper in Comitatu Oxonienſi copiosè admodum, alendi pecoris gratia ſeri cæperunt, & experientia teſte huic negotio inſerviunt. Adde inter lacteas plantas omne genus tithymali, vel catapuciorum, & ficum arborem, quæ omnia inflammandi vim habent : nec non ſarmenta, & ſonchum

non

nonnihil aculeatum & flore declivi, in quo ei cum carduis convenit, & ſuccum inſtar tithymali lactеum habet. Porro hæc fixa ſalia quod attinet, notandum eſt, optima eſſe ea; quæ à terra & omni heterogeneo corpore quam maximè libera ſunt, nec non in fruſta duriora & candidiora coierunt, & guſtu inſignem acrimoniam præſeferunt. Secundò optimos cineres puro puto ſale plenos, in calcaria citiſſimè diſſolvi. Tertiò eos cineres vegetabilium optimos eſſe, qui vigentibus illis, & ex eorumdem maximè inſignibus ramis facti ſunt. Atque hinc Chymici *cineres clavellatos* denominaſſe videntur, quaſi *clavo latos*, *à clavola*, qua de re Varro l.1. de re ruſt. c.40. *In oleagineis ſeminibus videndum, ut ſit de tenero ramo ex utraque parte æquabiliter præciſum, quos alii clavolas, alii taleas appellant, & faciunt circiter pedales.* Ubi *Clavolam* interpretatur *tenerum ramum*. Nonus legit *Clavula*, eamque definit eſſe *reſectionem ligni*. Id certum eſt *Clavolam* vel *Clavulam deſcendere à clava*, quæ vox Anglicum noſtrum *Club* ſonat. Quartò ſalia hæc in ſicco & procul ab omni humore ſervanda eſſe: Valdè enim obnoxius humor eſt. Poſtremò horum cinerum alios aliis candidius vitrum reddere. Querni cineres vitrioli naturam induentes, vitrum obſcurius reddunt: Cineres fraxini & Oxiacanthi, quorum ſal ad nitri naturam accedit, metallum reddunt candidius.

Agricola hac ratione ex ſale vitrum facit: primas nitro; ſecundas ſali foſſili candido & translucido; tertias ſali ex cinere anthyllidis aut alterius herbæ ſalſæ facto defert.

Nonnulli inq: *primas cineri anthyllidis, non nitro deferunt, quo deficiente vitrum faciunt ex duabus partibus cineris querni vel lignei vel roborei vel cerrei, aut ſi hi in promptu non fuerunt, fagini vel abiegni cum una ſabuli vel arenæ parte, addito modico ſale, ex aqua ſalſa vel marina facto, & exigua magnetis particula: ſed iſti minus candidum & translucidum vitrum conficiunt: verum cinis ex antiquis arboribus fit, quorum truncus, ubi aſſurrexit ad altitudinem ſex pedum, cavatur, & injecto igne arbor tota comburitur, ac in cinerem convertitur: quod fit hyeme, cum nives diutinæ ceſſant, vel æſtate cum non pluit: nam imbres aliis anni temporibus, quod cineres cum terra miſceant, impuros reddunt, quamobrem tunc ex iiſdem arboribus in plures partes ſectis & ſub tecto combuſtis cinis conſiat.* Hactenus Agricola. Cœterum tempore & experientia uſus nitri & ſalis foſſilis exolevit, & primas pulviſculus obtinuit: nimis enim hæc mollia & teneriora ſunt, cum vitrum requirat ſal lixiviale & fixum quod guſtu acre & cauſticum ſit, & pinguedinis parum habeat qua nitrum & ſal foſſile abundant, ideoque maximam partem in ſal alcali reſolvuntur, cui nitrum guſtu & pinguedine affine eſt. At verò Agricola aliique male mihi Plinium cœpiſſe videntur, qui nitrum huic alcoliſato ſali præponunt: ita enim lib cap. 10. *Quercu cremata nunquam multum nitrum factitatum eſt*: & Virgilius eodem ut videtur ſenſu priore Georgicorum.

Semina vidi equidem multos medicare ſerentes
Et nitro prius, & nigra perfundere amurca.

Quod genus agriculturæ antea expreſſit, inquiens:

Arida tantum
Ne ſaturare fimo pingui pudeat ſola: neve
Effœtos cinerem immundum jactare per agros.

Et ultimi quidem hi verſus manifeſte evincunt, ſale ſtercorati agros; ideoque nitri vox in priore verſu neceſſario denotat vel ſal extractum ex cineribus, vel cineres ipſos, in quibus ſal latet: eodemque reſpiciunt hi verſus eodem libro:

Sæpe etiam ſteriles incendere profuit agros,
Atque levem ſtipulam crepitantibus urere flammis.

Qua combuſtione ſtipulæ præter ſal nihil producitur, cujus natura eſt deſtruere inutiles herbas, quæ diu & altius radicatæ recens ſatis omne nutrimentum adimunt, ſolumque reddunt ſterile, & ſemen abſumunt; ut taceam ſale & cineribus vermes necari, qui grana frumenti depaſcunt. At nitri frigiditas, affirmante Dn. Bacone ſatis omnibus inimica eſt. Præterea eruditus Cæſalpinus lib.3. c.23. de metall. cineres Kali, genus quoddam nitri vocat. His adde in partibus Angliæ occidentalioribus algas haſce, ex quibus *Kalp* vel *Kulp* conſtat, inſervire agricolis ad ſtercorandum agrum, id quod Ferr. Imperato teſte apud illos qui mediterranea inhabitant frequens eſt. Nitrum tamen ex aqua marina, nec non quibuſdam vegetabilibus extrahi poteſt; ſed in fornacem miſſum maxima ſui parte in ſal alkali reſolvitur.

Cap. VI. *Sal ex calce muraria.* Apud nos in uſu non eſt, ſed nonnunquam in vetuſtis muris reperitur, ideoque *paretonium* vocatur, & multo quam ſal ordinarium acrius eſt. Non exiguum ejuſdem fruſtum inter cimelia mea aſſervo, plane diaphanum, & alumini ſimillimum, necnon guſtu ut ſal acre. Ferr. Imperatus ſal commendat factum ex cruſtaceis, teſtaceiſque; ut ſunt oſtrea, & cancri, ex quibus ſal optimum in uſus vitri extrahitur: & experientia didici, calcem, qua cæmentarii in Hollandia utuntur acerrimi ſalis plurimum continere. Cœterum, hoc ſal, utut vitrum reddat plane candidum, minus tamen quam illud quod ex Cali fit pellucidum eſt, & maximam partem in ſal alkali abit.

Cap. VIII. *Frittam.* Fritta videtur derivari à Frittare, quod idem eſt quod Frigere: *Fritta* enim nihil aliud, eſt, quam ſal, cineresve cum arena frigendo concreti, quam etiam ob cauſam Angli totam illam maſſam, quæ ex fornace calcaria educitur, *a barch*, id eſt frictum vocant. Et ſecundo, Fritta ubi liqueſcere cœperit in maſſam fricillarum inſtar coit; quas Itali *Fritelli*, Angli *little frits* vocant. Antiquitus à nonnullis *Hammonitrum*, ab aliis commodiore etymologia *Ammonitrum* vocabatur, voce compoſita ab ἄμμον arena, & νίτρον vitrum: ita enim Plinius lib. 36. cap. 26. *Arena alba in Vulturno mari naſcens, miſcetur tribus partibus nitri, pondere vel menſura, ac liquata in alias fornaces transfunditur. Ibi fit maſſa, quæ vocatur Ammonitrum: atque hæc recoquitur, & fit vitrum purum, ac maſſa vitri candidi.* Et expreſsè magis Cæſalpinus: *Ex arena & nitro fit maſſa, quam Plinius Hammonitrum appellat; hodie Fritta dicitur.* Atque hæc frittas faciendi ratio id efficit, ut ingredientia optimè commiſceantur, & ſupervacuus humor, ſi quis adſit, evaporando conſumatur. Fritta vitri communis, quæ materiam habet minus politam, pro ratione bonitatis & teneritudinis cinerum & arenæ, decem vel duodecim plus minuſve horis abſolvitur. Nobis tres frittarum ſpecies in uſu ſunt: Primò *criſtalli* ad opera cryſtallina ex ſale pulviſculi & arena. Secundo *ordinaria*, ex meris pulviſculi vel Sodæ cineribus, nulla ſalis extractione prævia facta. Tertiò *communis*, in uſum vitri viridis, quæ ex promiſcuis cineribus, ſine omni præparatione fit; vel cineribus in pulverem tenuiorem redactis additur arena duriuſcula à *VVooluyco Cantii* petita.

Materialia in tenuiſſimum pulverem rediguntur, lavantur, cribantur, commiſcentur, & in ignem calcariæ fornacis miſſa, exactè & per minimas particulas minutiſſimoſque atomos uniuntur. Secus ſi fieret, ſal & arena, dum liquantur, diverſa corpora conſtituerent, id quod etiam ſervatis his regulis facillimè contingeret, niſi rutabulo frequenter agitarentur.

In mortario *lapideo*. Magis expedita ratio eſt, qua nunc utuntur. Maſſam cinerum duriorem, nec non magneſiam & zafferam calcinatas; argillam item, & ſal mola terunt, quam jumenta verſant, quæ lapidem mola-

rem marmoreum habet; latum novem vel decem pollices, & ſeptem vel octo pedes in diametro profundam, circumagiturque in pavimento æque marmoreo, in quod comminuenda quæque deponuntur: atque hac terendi ratione unius diei ſpatio plus efficitur, quam viginti homines tundendo effecturi eſſent.

Nos fritam aqua non perfundimus, nec lixivio irroramus, ſed, ſi quidem ita res ferat, opus intra paucos dies in olla abſolvimus: Irrorationem tamen illam ad puritatem vitri multum conferre neceſſe eſt.

Cap. IX. Tantum *magneſiæ*. In cauſa eſt diverſa colorum qualitas, quorum alii pleni, alii dilutiores ſunt. Jam magneſia & zaffera tantum bonitate differunt, ut hæc paupercula, illa dives admodum; alia inter utramque media ſit, id quod nec à vitrariis nec figulis, utut in ſua arte exercitatiſſimis niſi examine fornacis prævio dijudicari ulla ratione poteſt. Præterea, quæ ex iiſdem ingredientibus uno eodemque procedendi modo præparantur metalla, colores mutant, pro ratione ollarum, in quibus excoquuntur. Quam ob cauſam vitrarius colores ſuos non pondere nec menſura, ſed ſenſim & per intervalla admiſcens, metallum ſubinde commovet, & experimento facto de qualitate coloris oculi judicium ſequitur, & ſiquidem nimis dilutus ſit, quod viſum eſt addit, uſque dum id quod intendit aſſequatur.

Fornax lignum requirit aridum. Author noſter perpetuo quercum commendat, ut quæ ignem aut alat vehementem & flammam durabilem. Ferr. Imperatus lib. 14. cap. 16. ait, *vitriarium, dum in opere eſt, quia vividam magis & ſubſtantialem, quam ingentem flammam amat, fraxini truncis uti, quorum flamma in verticem fornacis recta pertingens, vim ſuam ollis ipſis communicet.* Fraxinus certe ignem præbet luculentiſſimum, ſed qui cito deficit, & niſi aſſidue inſtauretur, metallum nec liquatur, nec operi aptum eſt. Camerarius in horto non ſine cauſa juniperum commendat, ſi modo copia ejuſdem daretur. Haud ſatis capio, quid Plinius ſibi velit, inquiens: *Levibus vitrum aridiſque lignis coquitur:* nec quomodo Plutarchus audeat dicere, *tamaricen vitro formando aptiſſimam eſſe:* neque enim ignis iſtiuſmodi, qualem vitrum deſiderat, iſtiuſmodi lignis excitatur. Temperare mihi nequeo, quin adducam effectum ignis, memoratum ab Arabibus Phyſicis, eorumque lectoribus: nimirum vitrum uſtum, ſi ſpongiam calcinatam admiſceas, frangere calculum veſicæ & renum, nec non externa ulcera ſanare. At vero modus urendi vitrum, qualem ipſi deſcribunt, plane ineptus eſt, cum ſatis conſtet, ignem vel validiſſimum, & maxime perennem, id quidem efficere, ut in fluxu permaneat vitrum, ut vero in pulverem redigatur nequaquam.

Sal exſpuat. Sal Alkali, Gallis *Suin de verre*, id eſt *pinguedo vitri*, & Anglice per contractionem *Sandever* dictum. Plane candidum hoc ſal eſt & guſtu nitrum refert, & ab aëre ac humiditate loci facillime diſſolvitur. Noſtrates vitrarii metallum in aquam non projiciunt, ut ſal ab eodem ſeparetur, ſed ligula illud excipiunt, cum in ſuperficie metalli natet. Niſi enim deſpumando ſeparetur, vitrum operi minus aptum, & maxime fragile, minuſque lentum redditur. Olla continens libras bis centum metalli optimi, ſalis alcali pondo quinquaginta reddet; quantoque ſal magis ignavum, magiſque languidi cineres ſunt, tanto ſalis alcali copia major prodibit, ita ut metallum aliud ab alio quinta vel ſexta parte ſuperetur, & ſi vitrum commune & cineres pravi ſint, vitrarii ob nimiam ſalis alcali copiam quinquies vel ſexies ollam cineribus impleant neceſſe eſt, ut tandem metallo adimpleatur, ac dum ſalis alcali quidquam in olla reliquum eſt, vitrariis non licet frigidam ſuffundere, ut ebullitionem vitri impediant: id enim ſi facerent, olla ſimul & fornax cum impetu diſſiliret. Sal alcali efficit, ut metallum fluat; & exigua ejuſdem quantitas, cum antimonio & nitro miſta, dum crocus metallorum fit, quantitatem croci adauget, atque hoc efficit, ut à ſcoria facilius ſeparetur. In Galliis copioſe proſtat, & incolæ eodem utuntur loco ſalis communis, ad condiendum cibum potumque. Solutio ejuſdem erogata in ſemitas hortorum, vermes necat & herbas inutiles.

Collum. Colla vocantur reliquiæ illæ vitri, quæ cannis ferreis ſemper adhærent, quas antea quam metallum recens ex olla promant, decutiunt, & loco ad hoc deſtinato ſeponunt, ex quibus deinde tritis & metallo additis nihil præter vitrum commune puriſſimum fit, etiamſi ab optimo omnium metallo producantur.

Cap. X. *Ut bene calcinetur.* Vitrum non horis 24. aut eo amplius, ſed per integrum biduum triduumve in igne valido perſeveret: quanto enim diutius, tanto melius: ita enim defæcatur & maculæ puſtulæque omnes abſumuntur.

Cap. XI. *Tartarum vel grumos.* Tartarum generoſiſſimi vini ſoboles, atque index eſt vinum nihil incommodi paſſum eſſe ab aqua marina vel incommodis aliis, quibus virtus ejuſdem imminuitur, & tartarum in minutiſſimas partes diſſolvitur. Apud nos loco ad id deſtinato, in camera fornacis tertiæ, prope utrumque exterius orificium, ſex horarum ſpatio ad albedinem uſque calcinatur, atque hæc calcinatio eoſdem in vitro effectus producit, quo calidiore loco facta producere ſolet.

Cap. XII. *Zaffera.* Zaffera & Magneſia non aliam hic præparationem recipiunt, quam ut mola in pulverem tenuiorem redigantur, & eodem quo pulviſculus & materialia reliqua cribro cribrentur. Quid *Zaffera* ſit, apud nullum authorem invenio, & pauci mentionem ejuſdem faciunt Cardanus lib. 5. de ſubtil. terram vocat: *Eſt*, inquiens, *alia etiam terra, quæ ſic vitrum tingit, cærulei coloris, quam Zapheram quidam appellant.* Sed Cæſalpinus poſt Cardanum lib. 2. cap. 55. eandem lapidibus annumerat, *Alius eſt lapis* (ſunt verba Cæſalpini) *vitrum tingens colore cæruleo, & ſi pluſculum addatur, inficit nigredine: Zafferam vocant. Hic ex cinereo tendit in purpureum: ponderoſus & friabilis eſt: per ſe non funditur, ſed cum vitro fluit aquæ modo.* Aldrovandus in Muſæo utrumque ſequitur & hoc loco terram, alio lapidem vocat. Ferr. Imperatus l. 28. c. 8. lapidi illam plumbario & magneſiæ aſſimilat. Sed terra non eſt, cum aquæ non admiſceatur, nec cum eadem componatur: & nullus lapis æque ac Zaffera friabilis eſt, ut quæ digitis facili negotio in tenuem arenaceam ſubſtantiam redigitur, id quod tactu experiri licet. Et certe, ſi alterutrum horum, aut naturalis quidam color eſſet, non omnem eorum qui de hoc argumenti genere ſcripſerunt diligentiam effugiſſet: præſertim, cum tam frequenti apud omnes uſu ſit, tantaque ejuſdem copia à vitrariis figuliſque abſumatur: induſtrius *Agricola* illam non novit, neque mentionem ejuſdem facit. *Julius Scaliger*, qui librum conſcripſit vitri negotia concernentem, Cardanum eo nomine non redarguit. Quare in eo ſum, ut putem, nuperæ inventionis rem, & ab homine Germano arte factam eſſe, ideoque inter ſecreta aſſervari. Certe ex Germania advehitur, & ſi conjecturæ locus eſſet, putarem ex ære illam & arena, forte aliqua etiam lapidis calaminaris portione factam eſſe. Cœruleus ille color, quem reddit, meâ quidem ſententia æri debetur, haud ſecus ac Magneſiæ color ferro. Certe enim nihil eſt quod vitro colorem tribuat præter metalla, & ab omni metallo vitrum tingitur. Lapis Lazuli, quanquam durus, colorem ſuum in igne deponit, & ſic pretioſi lapides reliqui. Verum quidem eſt, ab Antimonio vitrum tingi, ſed à metallica ejuſdem parte & regulo tantum. Multo minus aliqua terræ pars ferendo igni par eſt. Quanquam ochra

Scotica & rubrum Indicum calcinationis beneficio in colores haud malos, ſi debite adhibeantur, degenerent, fornacem tamen vitrariam non ferunt. Reliquum eſt, ut à nulla alia quam metallica re produci hic color poſſit, & ſi metallica eſt, quid præter cuprum eſſe poterit? Utut enim ab argento procedere hic color credatur, æri tamen cui argentum alligatum eſt, ſoli debetur. Etenim argentum ter excoctum aquam ſeparationis plane non tingit. Secundum quod zafferam ingreditur arena eſt, id quod lingua & tactu diſcernere licet: ac ſi aquam fortem adhibeas, nonnihil candidæ & translucentis glareæ evidenter videbis, quæ pulverem pellucidorum illorum lapillorum, quos noſtrates Angli *Plebes*, Itali & Ferrantus *Quocolos* nominant, egregie æmulatur: nonnihil etiam videbis, quod ab arena noſtra vulgari non multum abit, & colorem refert ſubnigrum, atque haud difficulter liqueſcat.

Tertio, cur ſupponam lapidem calaminarem zafferæ admiſtum eſſe, in cauſa illud eſt, quod neque aqua fortis, neque ſpiritus vitrioli, zafferæ affuſus, ſenſibiliter quicquam operatur, ſive excitando bullas, ſive ſolvendo vel tingendo: cujus rei experimentum feci, affundendo aquam fortem ordinariam, & ſpiritum vitrioli, nec unquam percipere potui, vel minimam ebullitionem & motum liquorum, nec tincturam ſtrepitumque ullum, id quod in ſolutione metallicorum corporum frequenter evenire ſolet. Et lapidem quidem calaminarem obſtare ſolutioni, nec non illis quæ ſolutionem conſequuntur, id ex hoc experimento liquet, quod ſtatim adducemus. Præterea hanc ebullitionem impedire poteſt admiſtis reſinæ alicujus vel gummis quæ vim iſtiuſmodi liquorum non ſentit. Qua præparatione æris vel cur id fiat, eone quem authores tradunt modo, vel qua alia ratione, determinare non poſſum. Pauca aliquot experimenta detegere hoc ſecretum, & diſſolvere hunc nodum poſſent, ad quæ lectorem remitto. Poſtremo qui pondus ejuſdem conſideraverit, nec non pretium coloremque ex purpureo authorum nunc nigricantem (ita enim ſeſe habet, quicquid hactenus videre mihi contigit) is haud difficulter in meam opinionem concedet. *Zaffera* vocatur à *Saphiro* lapide, cujus cœruleum colorem æmulatur.

CAP. XIII. *Magneſia* ſic dicta quia pondere & colore *magnetem* refert. Materia vitri maxime univerſalis eſt, qua utuntur, non in hunc modo finem, ut viridantem & cœruleum colorem vitri abſumat, quo de Virg. Georgic. quarto:

----. *Eam circum Mileſia vellera Nymphæ*
Carpebant hyali ſaturo fucato colore

ad quæ commentator: *vitreo viridi: Nymphis apto*, qui color omni vitro ineſt: ut jam magneſia *ſapo vitri* vocari poſſit; ſed etiam, ut vitrum tingat, id quod præſtat efficiendo rubrum, nigrum, purpureum vel pullum, quin potiſſimum colorum omnium ingrediens eſt, id quod præſens hoc opus demonſtrat, & prolixe & vere de eo Cæſalpinus his verbis: *Hoc genus magnetis hodie vulgo Manganeſe & ab Alberto magneſia vocatur: addi ſolet ad confectionem vitri, quoniam in ſe liquorem vitri quoque ut magnes ferrum trahere creditur. Lapis eſt niger, magneti ſimilis, quo utuntur vitriarii. Si enim modicum ejus vitro admiſceatur, illud purgat ab alienis coloribus, & clarius reddit: ſi vero amplius, colore purpureo. Affertur ex Germania: foditur quoque in montibus Viterbii & alibi.* Meminit & Plinius pſeudomagnetis, ita enim inquit: *In Cantabria non ille magnes verus, caute continua, ſed ſparſa, neſcio an vitro fundendo aque utilis, nondum enim expertus eſt quiſquam: ferri (inquit) inficit aciem ut magnes.* Cardanus lib.5. de ſubtil. *ſyderearn* vocat, quo fundamento equidem ignoro, & per errorem pro rubro cœruleum ponit, ad quæ Scaliger exercit. 194.13. *Magneſiam non novi: cœterum in MS. codice de conflandis vitris Panthei civis Veneti ſcriptum erat, vitrum à magneſia colore purpureo inſici. Memini, cum puer eſſem, & Ladroni viverem effoſſum in montibus, ni fallor, Solodonianis, & Venetias delatum, neſcio quid, quo ipſo vitrum uſque adeo candidum purumque fieri perhibebant, ut cryſtalli nomen aſſumeret. Ferri colorem mihi retuliſſe videtur. Præceptor meus Secundus docebat me, vitrum admiſtione ferrei colore albicare, utriuſque rei ſubſtantia adeò arctè unita, ut compoſitis earum partibus ipſi etiam colores alii alios invaderent: & magneſiam ferreæ cujuſdam ſubſtantiæ & ignis impatientem exhalare, auferendo ſecum ſordes vitri, haud aliter atque lixivium quo lineæ veſtes mundantur.* Similem huic judicio opinionem apud Ariſtotelem invenio, ubi vires origani demonſtrat in purgando vino. Cœterum ferrea hæc ſubſtantia, metallo admiſta, non exhalat, igne etenim vel tempore minore excoquitur. Et hæc ſunt quæ de magneſia didicimus. Ac in hoc diſcurſu duo notanda ſunt, attractio, & purgatio. Et attractionem quidem quod attinet, non alio illa nititur fundamento, quam quod à nominis ratione proficiſcitur, quod nomen eidem ex placito impoſitum eſt. Etenim ſi vel maximam magneſiæ quantitatem exiguæ fracti vel liquefacti vitri particulæ addas, non movebitur. Quod ſi per liquorem vitri intelligunt ſal alkali, ceu partem quandam vitri, certum eſt viriditatem adhærere metallo, etiam bene deſpumato, ac tum magneſiam, ſi addatur, purgare vitrum. At vero ſi per liquorem vitri non aliud intelligunt quam vitrum jam liquefactum, gratis ea omnia dicuntur, nullo in medium allato argumento, nullo experimento. Cœterum quam obſcura attractio, tam evidens purgatio, modus autem plane obſcurus eſt. Scaliger, ejuſq; præceptor Secundus, per modum exhalationis id fieri putant: ac Plinius forte & Cæſalpinus per attractionem ſuam non aliud intelligunt, quam purgationem, ſed minus tunc dicunt, quam utrumque decet. A metallo ſeparetur neceſſe eſt, vel per modum præcipitationis, vel exhalationis. Per præcipitationem illud fieri non poteſt. Etenim commoto metallo rediret color, vel quod in aliis præcipitationibus fieri ſolet in fundo ollæ pulveris inſtar appareret. Nec veriſimilis magis exhalatio eſt, cum vitro jam depurato de pondere nihil deceſſiſſe appareat. Et quomodo fixum corpus magneſiæ, tenaci ſubſtantiæ vitri innexum, aſſurgere exhalando poſſet? ac quæ major in magneſia varietas ſupponi poteſt, quam ſi dicamus, illam attracta viriditate metalli onuſtam, avolare in auras & vapores inſenſibiles? Mihi ſola mutatio figuræ & minutiſſimarum metalli particularum in cauſa eſſe videtur. Ignis enim, liquefaciendo magneſiam, minutiſſimis illam metalli atomis per omnia miſcet, & varia ejuſdem agitatione & revolutione has atomicales figuras format, quæ aptæ natæ ſunt, ad reflectendam maximam partem illius lucis, quam nos candidam vocamus. Longe plures inſtantiæ adferri poſſent, ad illuſtrandam doctrinam de productione colorum ex ſola tranſmutatione partium: ſed contenti erimus adduxiſſe ea tantum corpora, quæ admiſtione coloratorum corporum albedinem acquirunt. Recipe terebinthinam flaveſcentem vel oleum capevæ, nigricans, vel terebinthinæ oleum ærugine (quæ facile in eo diſſolvitur) tingito, ad illum uſque coloris gradum, qui vitro naturalis eſt & ſingulis cum vitello ovi optime agitatis, colorem efficies candidum, pellucidumque: vel recipe lixivium acre ſmegmatopœiorum, eique agitando admiſce oleum viride ſambuci, & medicinam parabis, quam Phyſici lac virginis vocant: idemque efficies, ſi oleum aliquod eidem lixivio addideris. Hic colorem habes lixivii ex flavo rubeſcentem, qui viriditatem olei deſtruit. Rurſus, ſi oleum tartari effundas in aquam viridem, ſolutione pyritis in aqua

pluvia factam, candidum colorem efficies: idemque oleum infuſum, in aquam communem ſolutionis viridis vel cærulei vitrioli eundem præſtat effectum, ſed color minus quam in priori illo experimento candidus eſt, niſi magnam olei tartari quantitatem affundas: quibus inſtantiis via exhalationis ſufficienter refutatur, nec non evidenter efficitur, hanc vitri purgationem à ſola texturæ diverſitate & diſpoſitione partium metalli dependere, quam recens addita magneſia operatur. Et vero quæ alia ratio aſſignari poteſt, cur à ſale & arena, corporibus utrinque candidis, metallum procedat coloris plane diverſi? vel cur Zaffera & Magneſia nigro colore tingant? Magneſiam ferri plurimum continere, extra controverſiam mihi eſſe videtur, idque hoc experimento evincitur. Pulveri ejuſdem in vitro anguſti oris aquam fortem affundebam, & aqua in hoc vitro ſuſcitatis ingentibus bullis valde; in alio majoris orificii vitro minus ebulliens, fumum emittebat acrem, & maxime penetrantem, qui nares graviter offendebat. Spiritus autem vitrioli affuſus parum quidem coquebat, ſed ſcintillis pluribus emiſſis vitrum uſque adeo incaleſcebat, ut manu illud continere amplius non poſſem; & quod magneſiæ ut mihi quidem videtur, peculiare eſt, ſi limpidam affundas, calor decreſcens plurimum augebitur. Tinctura hujus lapidis ſaturum clareti colorem referebat: atque hæc omnia ferro, affuſis iiſdem ſpiritibus, eveniunt. Et certe color magneſiæ à ferro, quod continet, deſcendit: utrique communis eſt rubedo, & rubedine magis plenus purpuræ color, cum aliqua cœrulei ſpecie, eoſdem colores nonnullæ præparationes Martis obtinent: & quomodo pullus color à zaffera & magneſia, ita ſericum optime nigro tingitur, ſi ſcobinam adhibeas, ab arena cotis & acie ferri proficiſcentem, quam ii efficiunt, qui forfices & alia ejuſmodi utenſilia acuunt: & dubio procul hæc ſcobina colorando in olla & fornace metallo inſerviret, ſi vitrarii uſum ejuſdem noſſent, vel eâ uti non dedignarentur. Secundo, hæc Magneſia facit, ut metallum vehementer intumeſcat, non ſecus atque chalybs, vel crocus Martis, aliave aliqua ejuſdem præparatio, vel compoſitum, id quod ei cum cupro, ære & plumbo commune eſt. Obſervabis hic, autorem noſtrum præcipere ut nihil horum niſi ſenſim & per vices, atque ita in ollam mittatur, ut ſemper aliqua pars ollæ vacua maneat, ne metallum æſtuando in ignem cinereſque effluat, & jacturam temporis pariter & ſumtuum facias, id quod pati plerumque paſſu procedere ſolet. Author noſter magneſiam hic commendat Pedemontanam, ut quæ omnium toto orbe optima ſit: ideoque ubi Magneſiæ mentionem facit, loci mentionem ſubjicit. Atqui ſolertiâ noſtrorum ante aliquot annos in hac noſtra regione, circa Mendippi colles, famoſo ob plumbi mineras in Comitatu Sommerſetenſi loco, inventa eſt Magneſia, quæ cum optima, quâ Morani utuntur, conferri poſſit. Ubicumque foſſores metallici eam inveniunt, firmiter concludunt ſubeſſe plumbi mineram, eamque vulgo *Pottern Ore* vocant, quod figuli maximam ejuſdem quantitatem abſumant, ut quâ ſolâ merces ſuas nigro colore inficiunt, haud aliter atque zaffera cœruleo. Optimam eam eſſe perhibent, quæ micantibus ſcintillis caret, ac ſubnigra eſt, vel in pulverem redacta atrum plumbi colorem reddit. Res eſt oppido dura & gravis: quo autem magis plenus eſt color, eo metalla magis inficit. Eodem quo fritta tempore in ollam mittenda eſt.

Cap. XIV. & XV. *Ferrettum Hiſpanicum* Ferretti vox qua æs uſtum vulgo denotatur, Italica, & Latinitate donata eſt, à Cæſalpino, lib.3. capite quinto, ubi inquit: Optimum æs uſtum conficiebatur in Ægypti Memphide, deinde in Cypro, cujus notæ ſunt, ut ſit rubrum, & attritu colorem Cinnabaris imitetur: nam nigrum plus quam decet exuſtum eſt. Hodie in Hiſpania conficitur: appellant autem Ferrettum; ſed nigrum eſt, & inficit nigredine: ideo utuntur ad capillitium denigrandum. Cæterum ſi mediocriter calcinetur, rubrum apparebit, eundemque colorem retinebit in pulverem redactum: atque hinc nomen ejuſdem deductum eſſe videtur, ut ſit *ferrettum à ferreo colore*. Crocus enim Martis, ſi oculum conſulas, rubrum colorem exhibebit, ſed multo quam ferrettum magis dilutum. Eodem diſcurſu Cæſalpinus aſſerit, alias regiones aliis melius ferrettum reddere, prorſus ut Caſtilia ſaponem, Venetiæ vitrum optimum dant. Cæterum non tantam diverſitas climatis differentiam nobis habere videtur, ut nos cogat aliqua eorundem ex Hiſpania petere.

Duo maxime inſignes & præcipui colores, tam in ſe, quam relativè ad animalia atque hanc artem vitrariam ſunt cæruleus & viridis. In ſe, quia multum à luce mutuantur, ut videre eſt in vitris illis triangularibus: & hanc ob cauſam iſtiuſmodi colores jucundiſſimi, & viſui animalium gratiſſimi ſunt, quia pupillam oculi neque nimis contrahunt, neque nimis dilatant, quorum utrumque cum dolore conjunctum eſt, & oculum offendit. In arte vitraria autem & paſtis, encauſtis & vitro plumbi, ob maximam quam cum pluribus gemmis habent affinitatem & convenientiam, alioſque innumeros uſus: ut taceam varias gradationes, quas vel ſimpliciter & per ſe, vel miſti alius cum alio recipiunt. Cæruleus color ſimplex eſt in quibuſcunque artibus, qui circa illum verſantur; ſed viridis in curioſa arte tinctoria compoſitus eſt, ex cæruleo & ſuperinducto flavo, vel contra, conſtans. In aliis autem artibus ſimplex hic color eſt, & uterque tam cœruleus, quam viridis ex eadem cupri vel æris materia diverſimode præparata generatur. Portento ſimile, nec ſine grandi myſterio eſt videre, quam levi & vix perceptibili momento, adhibitâ eadem materiâ hic vel ille color fiat, quod illi, qui metalla purgant, quotidie experiuntur, dum ex eadem unius ejuſdemque materiæ quantitate pro aqua forti adhibitis iiſdem æris bracteis & albedine nonnunquam elegantiſſimum cœrulem, quandoque elegantius vel magis lutulentum viride producunt, cujus rei nec rationem reddere nec negotiis ſuis ita moderari poſſunt, ut non cum magno rerum ſuarum diſpendio loco elegantis cœrulei, viride aſſequantur, quorum hoc longe vilius eſt illo. Jam utut genuinus & naturalis æris & cupri color thalaſſicus, & ex utroque compoſitus ſit, in hunc tamen quam illum inclinat magis, & diſſolventia in hoc negotio utramque fere paginam abſolvunt. Etenim ærugo ex cupri bracteis & uvis ſub terra ſepultis facta viridem colorem; at chalcanthum cupro factum, & pyritis liquor aquâ pluvia ſolutus, in vitriolo Dantiſcano, Hungarico & Romano cœruleum exhibet, id quod non aliunde procedit, quam à reſolutione materiæ in partes magis tenues, & variâ texturâ atomicalium partium diſſolutæ materiæ. Ratio autem cur æs cœruleum producat quam cuprum præſtantius, hæc mihi eſſe videtur, quod Lapis calaminaris, quo uno inter ſe differunt, recipit, & in ſocietatem ſui corporis aſſumit aciditatem illam, quæ cupro naturalis eſt; & qua mediante, ut in ærugine factitia aciditate uvarum exaltata apparet, in viridem ſubſtantiam convertitur: quod ipſum etiam in cauſa eſt, cur uvæ Gallicæ, ut quæ aciditatis plus habent quam Hiſpanicæ, huic operi magis aptæ ſint, utut clima Hiſpanicum aëre fruatur magis calido. Et hinc videre licet virtutem & efficaciam ſuccorum vitriolatorum in chalcantho Anglico, nec non vitriolo Martis, ſpiritu vitrioli & chalybe facto, in quibus flavus ferri color in viridem convertitur, id quod etiam lapidi Armeno accidit, ſi cum aceto vini vel tincturâ ex eodem extracta teratur. Effectus hujus imbibitionis

in

in lapide calaminari, ceu uno ex ingredientibus in aquam fortem liquido apparuit in nobili illo & perſpicuo experimento, quod vicinus mihi meus, purgator metall., nuper oſtendit, qui cupri bracteas emerat præcipitando argento, quod aqua forti diſſolverat: ſed fruſtraneus erat ille labor, relictis in aqua citra præcipitationem libris decem de triginta: & inventa ratio eſt: Etenim hæ bracteæ liquatæ erant in olla in quâ æs antea liquefactum fuerat: ergo bractearius aſſumpta recenti olla igne vehementi ut fieri aſſolet, flores lapidis calaminaris volatiles ſuâ natura, & qui circumvolitando, veſtes, barbam & crines opificis, haud ſecus ac farina molitores, tingunt, adurebat, quibus probe ſeparatis, argentum aquæ forti innatans univerſum præcipitabatur. Et in hoc experimento lapis calaminaris imbibens partem aciditatis chalcanthi, ideoque bracteis minus corroſis, & conſequenter ab aqua forti minus abſumptis, ſpatium argento reliquerat, ut innatare aquæ poſſet, in quo præcipitationis ratio conſiſtit. Metallum enim aquæ recens additum, argenti locum occupando illud cogit, ut bracteis candidi pulveris inſtar adhærens deſcendat. Quod autem hic effectus ſequatur imbibitionem aciditati aquæ fortis, id ex eo manifeſtum evadit, quod aqua fortis, acetum, vel ejuſdem ſpiritus, aut quivis alius liquor eidem affuſus magis dulcis magiſque gravis evadit, quam ſi corallio, oculis cancri (ut vulgo male) vel conchis piſcium aut lapidi Lyncis &c. affundatur. Et hic erat, quod aqua his bracteis facta elegantiſſimum colorem cœruleum redderet, qualem purgator metallorum nunquam viderat: quâ eadem occaſione in mentem mihi rediit, æs aqua forti diſſolutum, additis cancri oculis, cœruleum reddere elegantiſſimum.

Metallorum omnium maxime malleabile cuprum eſt, auri argentique malleabilitatem in cudendis nummis promovet, modico igne funditur, facillime à ſpiritibus acidis vel ſale corroditur, & citra magnam difficultatem ab igne in pulverem reſolvitur, id quod quinque modis fieri author noſter docet. *Primo* calcinatione *cupri* cap. 14. *Æris*, cap. 21. *Sulphure*, nec non vitriolo cap. 15. *Tertio* ſimplici calcinatione æris in igne, cap. 20. Squamæ æris cap. 24. *Quarto* trinâ calcinatione æris, cap. 25. 28. *Quinto* præparatione vitrioli Veneris, cap. 31. 132. 133. quæ omnia cum inter tyrocinia artis Chymicæ ſint, pauca addere neceſſe habeo, præſertim cum uſque adeo prolixe diſſeruerim, qua ratione primi illi colores, cœruleus & viridis generentur. Inter omnes ergo has præparationes illa quæ vitriolo Veneris fit primas ducit. Secundas obtinet calcinatio eadem viâ & methodo, mediante ſulphure facta, vivo præſertim, quo ſi ignem adhibeas fortem & luculentum, color redditur melior, quam alia quavis ratione, cujus author mentionem facit. Utut enim ſulphur & chalcanthum ab eodem marcaſitæ genere fiant, & Spiritus producant nulla notabili differentia diſcretos, ſulphur tamen acutiſſimis flammarum ſtimulis magis adactum in corpora metallorum citius faciliuſque penetrat, & conſequenter particulas eorundem maxime tenues optime diſſolvit. Igne præterea Spiritus ſulphuris abſumuntur qui naturaliter apti ſunt, ut nigredine inficiant, & colores reddant lutulentos. Vitriolum enim, ut vulgo notum eſt, ſi gallam vel quodcunque aliud aſtringens vegetabile adjicias, atramentum dat, atque nigredinem pro tinctoribus. Si tamen cui vitriolum experiri placuerit, ab Anglico ſibi caveat, ut quod ferro conſtat, & illius loco aſſumat id, quod ex cupro factum eſt. Experientia enim purgatores metallorum docuit, aquam fortem Anglico vitriolo factam, ſordes ſuas communicare univerſas ſolutioni, quo ipſo color neceſſario lutulentus redditur: quare aquam fortem ex ſolo Gedanenſi vitriolo ſibi parant.

Quiſquis igitur aquâ forti bonæ notæ colorem extrahere voluerit, id quod authori noſtro præterquam in præparatione croci Martis infrequens eſt, halonitro & alumine illud faciat loco vitrioli, ut infra de Chalcedonio cap. 38. vel vitriolum aſſumat Hungaricum vel Romanum: hoc præſertim, ut quod aquam reddit fortiſſimam, cum cupro ſcateat, & quam proximè ad vitriolum Veneris accedat: ſimul enim cum his aquis exigui quidam atomi cupri aſcendunt, qui ſi (ut apparet) cultrum bullientis aquæ fumo admoveas, æreo colore eundem tingunt: ac ſi in hac aqua forti cuprum optimum diſſolvas, idque præcipitaveris (quod nonnunquam aqua forti purgatorum ſecundaria & cupro plena feci) cœruleum habebis elegantiſſimum & tingendo vitro accommodum: mihi enim dubium nullum eſt, quin ignis fornacum vehemens cincum omne ceu ſulphureæ naturæ vel diſſipaturus, vel in vitrum mutaturus ſit: etenim ſolutione per aquam fortem facta, cryſtallos emittit virides, ſuperante cupro, quo vitrum tingitur. Quod autem hæc præcipitationis via melior ſit quam extractio ſpirituum mediante calore facta, id ex eo liquet, quod partes cupri tenuiores & magis puræ ſimul cum aqua aſcendunt, ut in cultri pluribuſque aliis in ſcriptis Chymicorum obviis experimentis videre eſt. Unum adhuc experimentum addam, quod tinctura ex cupro extrahitur: Recipiebam cupri calcinati & æruginis ana unciam unam, repletaſque duas ampullas vitreas ſucco & foliis hortenſis & ſale volatili abundantis cochleariæ, bene clauſas per menſis unius ſpatium in cella, & poſtmodum per menſes æſtivos ſoli exponebam, eoque tempore exacto liquorem omnem per chartam emporeticam tranſmittebam, & ampulla una elegans cœruleum, altera exactum aquæ marinæ colorem mihi ſuppeditabat, id quod tanto libentius refero, quia nullum iſtiuſmodi de ſale volatili experimentum tum ſeſe mihi obtulit, & probabile admodum eſt, plantas illius generis alias, iſthoc ſale plenas & ſucco tenaci præditas, quale eſt allium, rarum in cupro effectum edituras: etenim folia earundem vel viride ſaturum continent, vel cœruleo miſtum. Ergo univerſa acidorum cohors, & fixa ſalia, quæ aciditatem in ſe continent, ſolvere cuprum poſſunt, & ingens procul dubio circa menſtrua & proceſſus in extrahendis tincturis varietas ſeſe offerret.

Author noſter cap. 10. æs ex cupro & lapide calaminari factum eſſe narrat, cujus rei proceſſum, quia nullibi plene deſcriptus eſt, hic recitabo. Lapis calaminaris in Comitatu Sommerſetano & ſeptemtrionali VValliæ parte inventus eſt: utut enim Gedano afferatur, bonitate tamen Anglicano noſtro cedit. Hic lapis antea quam in uſum deducatur, bene præparetur neceſſe eſt. Et primo quidem calcinandus eſt in fornace, quæ in altero latere orificium habeat anguſtum, ſuſcitando igni dicatum. Ignis autem carbonibus, vel quod melius eſt ligno ſuſcitatur: majorem enim flammam alit, & conſequenter reverberationem meliorem. Calcinatio horis circiter quinque abſolvitur, quo temporis ſpatio ſæpius rutabulo majore commovetur: ut autem bene calcinetur, acri judicio opus eſt. Etenim niſi bene calcinatum ſit, cupro admiſceri non vult; ſi plus juſto, cuprum reddit fragile, & utroque caſu minus quam par eſt vitrum tingit. Signum probæ calcinationis eſt, ſi in pulverem evadat candidum & maxime tenuem. Dimidia fere hujus Cadmiæ (ut vocant) pars perit, & in flores abit, adhærens orificio fornacis ſub diverſa ſpecie, & exigui uſus, utut haud difficulter probari poſſit, hanc genuinam veterum pompholigem eſſe qua in unguentis quæ inde nomen ſortita ſunt, frequenter utebantur. Egregium exſiccans eſt, & ſi tendinibus & nervis ſtil-

lantibus applicetur, citra dolorem celeriter exſiccat. Hunc pulverem communicavi incomparabili & æterno Anatomiæ & nationis Anglicanæ ornamento, nec non Chirurgo excellenti, & curioſo rerum naturalium indagatori Dn. Harvæo, cujus perennis apud me memoria erit, & fatebatur hanc veram ſibi veterum pompholigem videri, eaque frequenter & cum feliciſſimo ſucceſſu utebatur. Calcinatum lapidem calaminarem terunt cribantque in pulverem tenuiſſimum, eundemque cum carbonibus tenuiſſime pulveratis permiſcent, & omnem hanc miſturam in fundum ollæ conjiciunt, ſuperimpoſita cupri bracteâ, id eſt libris quinque cupri, ſuper libras ſeptem hujus miſturæ, quam ordinarie proportionem ſervant. Ollæ hujuſmodi ex argilla Nonſuchana conſtant, eaque vel ſola, & calcinata, vel cum æquali quantitate ollarum fractarum permiſta, & ſi bene omnia ſubigantur per duodecim vel quatuordecim dies durant.

Fornaces, in quibus cuprum & cadmiam fundunt, ſex circiter vel ſeptem pedum profunditate ſub terra jacent, ſuffoſſo per gradus & circulariter ab area officinæ ad orificium uſque cavernæ ſolo, per quod orificium ignis ſimul & materialia in fornacem conjiciuntur, quæ in meditullo ſuffoſſi ſoli & eadem cum ſolo & area fornacis perpendiculari ſita eſt. Tres vel quatuor in diametro circa fundum pedes lata eſt, ſenſim & per gradus in coni formam circa orificium deſinens, quod quidem orificium pedis unius in diametro latitudinem habet, & extrahendis igni & ollis abunde eſt. Hoc orificium ferreo gaudet operculo, & exiguo foramine, moderando igni. In fundo fornacis tubus eſt oblongus, vel locus concavus, per quem follibus ignem excitant. In principio ignem adhibent maxime moderatum, gradatim illum augendo, uſque dum cuprum liquari, & cum cadmia permiſceri videant, id quod frequenter horis duodecim exactis contingit. Singulis duodecim horis, numerando à quinta matutina ad quintam veſpertinam, bracteas ſuas immittunt, & ollas ſuas octo ut plurimum vel decem numero oblongo forcipe extrahunt, & aliquantiſper loco calidiore deponunt, ut metallum citra congelationem nonnihil deferveſcat, ac tum demum illud in typos lapideos effundentes, bracteas æris formant, tres pedes longas, unum cum dimidio latas, & à ſexaginta ad octoginta libras pendentes. Typi duobus conſtant lapidibus, ut mihi quidem videtur, & calcariorum genere; plures enim exiguas micanter particulas obtinent, quæ longo uſu non abſumuntur, ſed perpetim durant, utut color lapidum ex cæſio in rubentem æreum degeneret. Hi lapides primitus ab Hollandia advehebantur; ſed poſtea nonnunquam in montanis Cornvalliæ inventi ſunt, magnitudine & forma ſepulcralium. Calefaciendi ſunt horis aliquot ante quam metallum injiciatur, niſi enim id fiat, metallum diffugit, vel typis ruinam minatur. Plures iſtiuſmodi typos in promptu habeant neceſſe eſt, nam poſt tridui uſum, ut ajunt, delaſſantur & ſebo atque carbonibus reficiendi ſunt. Notandum eſt, miſturam lapidis calaminaris & carbonum ſemper ſubjiciendam eſſe bracteis cupri, ita enim cadmia calore fornacis & carbonum admiſtione ſuſcitata, facillime penetrat, & cum liquato cupro ſenſim permiſta, unam maſſam conſtituit, atque illud compoſitum perficit, quod æs vocamus: cum è contrario cadmia cupro impoſita avolatura ſit; quanquam ne ſic quidem omnis ejuſdem aſcenſus impeditur, ſed magna pars ejuſdem avolando lateri fornacis adhærens, pro diverſo ſitu, nec non figura & colore diverſa nomina ſortitur, & & à Plinio lib. 34. cap. 10. *Capnitis, Botricis, Placitis, Onychitis, Oſtracitis* vocatur, & ſemper aliquam cupri particulam continent, quæ affuſione aquæ fortis, vel ſi diutius libero aëri exponatur ſeparari ab iiſdem haud difficulter poteſt: quin ubi è fornace eximuntur, colorem quandoque in illis deprehendes ex cœruleo viridantem. Augmentum ponderis à libris 38. ad 40. aſcendit, ita ut ſexaginta libræ cupri, additâ cadmiâ, efficiant centum libras æris. Nota ignis ne ſit vehementior, nec ollæ fuſo cupro diutius in fornace permaneant, nè cadmia ante avolet quam carbones eidem admiſti & in fundo ollæ quieſcentes in cineres converſi ſint, qui non raro integri & illæſi reperiuntur, utut ollæ per plures horas in continuo calore ſteterint, id quod neceſſum eſt fieri, cum cuprum & cadmia ſimul plus temporis ut fundantur requirant, quam cuprum per ſe & ſolum ſeparationem cadmiæ & metalli quod attinet, his quæ jam dicta ſunt illud ſubjiciens, æs ubi in fila ducitur, toties calefaciendum eſſe quoties trahentis vim ſentit, ſecus ſi fiat dirumpitur: ita tamen temperandum eſt calori, ut ceraſi inſtar rubeſcat cuprum, nec ultra: etenim ſi ultra hunc caloris gradum procedas, cum magno poſſeſſoris damno cadmia decedit, id quod levi momento evenire poteſt, cum æs in tenuia fila ducitur.

Cap. 16. 17. 18. 19. Tradit diverſas vias efficiendi crocum Martis, ſed quas cum pluribus aliis tradiderunt authores Chymici, & referri ad hæc ſumma capita poſſunt. 1. *Ad ſimplicem reverberationem*, citra miſturam, qualem in ferreis cratibus vidi, quibus fornaces ſuſtinebantur: atque adeo colorum quos ego unquam vidi optimus, & maxime profundus hac ratione factus erat, in fornace, quæ diſtillationi aquæ fortis continue inſerviebat, cratibus ferreis ſenſim in crocum reſolutis, cujus vertendo ſatis magnam quantitatem collegerant. 2. *Ad calcinationem* vel reverberationem ſulphure, ſale, urinâ, vel aceto factam. 3. *Ad ſolutionem* in aqua forti, Regiâ, ſpiritu ſalis vel nitri; qua ratione, exhalante aqua, colorem obtinebis rubicundum. Solutione ferri in ſpiritu vitrioli vel ſulphuris, vitriolum Martis fit, chalcantho Anglico bonitate fere par, ſed viribus in arte tinctoria & medicina minus: ex hoc vitriolo calcinato colcothar fit, communi vitriolo non abſimile, quod pictoribus ſubminiſtrare materiam fraudulenti coloris poteſt, ſed in vitrariis fornacibus nulli uſui eſt: omne enim colcothar plurimum terreſtreitatis habet, quæ vitrum reddit obſcurum & ſordidum: atque hoc mihi in cauſa eſſe videtur, cur author noſter hac in re vitriolo non utatur, ut antea in cupro.

Quantum ad tincturam Martis, id ſolum dicam, acida omnia, & quicquid ſuccorum corradendi vim habet, & in cuprum agit, eundem in ferro effectum præſtare, ſed ita, ut ſemper rubrum colorem, aliud tamen alio magis translucidum & excellentem, producat, ut jam inſervire multis coloribus, & miſceri cum metallicis aliis varia ratione poſſit: Sic croco Martis aceto mediante facto convenit cum viridi, *capit.* 32. 34. 35. nec non cum Smaragdo ex vitro plumbi, *cap.* 65. idemque crocus in paſtis promiſcuè ærugini additur *cap.* 77. 78. 79. & nigro *cap.* 101. At vero ut rubrum elegans habeas, crocus Martis ſulphure, *cap.* 128. ut elegantius, crocus Martis aqua forti factus deſideratur. Cœterum quomodo vitriolum vel Venus optimus ex ære color eſt, ita primus & præcipuus ferri vel chalybis color is eſt, qui aqua Regis fit, idque partim ob miſturam ſalis Armoniaci, partim ob ſolutionem magis exactam.

Abſolutis nunc illis, quæ primam materiam & præparationem colorum in vitro ſpectant, pars reliqui operis præcipua conſiſtit in debita miſtura eorumdem, cum ſuis circumſtantiis, quam partem author noſter plane abſolvit, quare in his quæ ſequuntur oppido breves erimus, id tantum memoraſſe contenti, quod quondam ceu magnæ æſtimationis ſecretum ad notitiam meam pervenit, nunc vero ſatis notum eſt pluribus. Recipe antimonii & halonitri optime triti & miſti

miſti ana libras duodecim, communis vitri materiæ libras centum ſeptuaginta ſex: Omnia benè miſta & unita calcinentur in calcaria, & redigantur in frittam, vel quod eodem redit, Regulum antimonii ex antimonio crudo, & halonitro para: modum Chymici omnes norunt hic regulus cum metallo miſtus ſmaltum præbet percandidum, & variis coloribus inſervit.

Cap. XXIX. Porta lib. 6. cap. 5. Cyaneam gemmam colorare, quam vulgus *aquam marinam* vocat, ſpecie Sapphiri. *Æs combuſtum in tenuiſſimum pulverem teritur, ut omnem tactum, effugiat: ſin aliter, rudior gemma proveniet, ac vitreo immiſceatur. Quantitas determinari nequit: nam & meraciores & dilutiores fiunt ſcilicet pro ſingulis libris ſingulæ drachmæ ſatis ſunt.*

Cap. XXXII. De colore Smaragdino Porta lib. 6.c.5. *Quum aquam marinam tinxeris, facile in ſmaragdum vertes, addendo crocum ferri, ſed crocum medietas æris ſit, videlicet, ſi primò quartam æris partem addebamus, nunc octavam croci addemus, & tantundem æris. Notabis, poſt colorem injectum per ſex horas ſimul coquantur: ut materies gemmarum exclareſcat, quod colorum injectu nubila contraxerat. Ignis poſt paululum decreſcat, donec fornax refrigeretur: tunc ollæ detrahantur è fornace, confractaque ementitos pretioſos lapides largientur.*

De roſeo colore, quem *Roſichiero* vocant, Porta lib. 6. c. 9. *Peritiores recentiores vitrarii in colorando ſmalto roſei clari coloris; vulgus roſachiero vocat, non parum inſubant, videntes majores noſtros, quod illud ſatis artificioſe & pulcherrimè confinxerint.*

Cap. XXXVII. Author noſter ſuadet, ut ipſi aquam fortem præparemus, atque id quidem non ſine ratione. Etenim libra una aquæ fortis vulgaris; ut ſæpius expertus ſum, non continet niſi quatuor uncias boni Spiritus: quidquid ſupereſt phlegma vitrioli eſt. Arſenicum album in præparatione aquæ fortis addendum eſſe, apud Dominam Iſabellam Corteſiam invenio, cujus liber Venetiis impreſſus eſt, octodecim annis ante quam hoc authoris noſtri opus in lucem prodiit. Variæ ſunt compoſitiones hujus aquæ, ſed omnes halonitrum, ceu maximæ virtutis, ingrediens recipiunt. Plures illam ex vitriolo parant: nonnulli ex calcantho Anglico, quod aquæ genus communi uſui & vulgo tinctorum inſervit. Gedanenſi tamen vitriolo facta melior eſſet, quâ purgatores metallorum utuntur, qui lutulenti aliquid in noſtro Anglico deprehendunt. Nonnulli loco Vitrioli alumen addunt; ſed hoc præter debile phlegma nihil reddit. Alii ſal gemmæ addiderunt; ſed uſu compertum eſt, iſtiuſmodi ſal nihil ſpirituum largiri, ſed collo retortæ adhærendo obſtruere aditus ſpirituum, & diffringere vaſa. Ubi ruber fumus tranſiit, omnes halonitri ſpiritus aſcenderunt, & extinguendus eſt ignis, quicquid enim ſequitur, vitrioli ſpiritus eſt, qui operationem ſpirituum nitri in ſolvendis metallis impedit. Apud purgatores metallorum ſæpius vidi, intra viginti quatuor horas bis extractam optimæ notæ ſeparationis aquam quo temporis ſpatio & ignis gradu parum ſpirituum vitrioli aſcendere poterat, ut qui trium dierum ignem continuum & ultimo quidem biduo vehementiſſimum ut extrahantur deſiderant: ſed validitas nitri in aqua fortaſſis adjumento eſt, ut citius aſcendant. Unum author noſter omittit, quod tamen ſumme neceſſarium, & purgatoribus metallorum ſemper in uſu eſt, niſi aquam velint ſordidam, cujus rei modum & ſummam Beguinus tyronicii Chymici lib. 2. cap. 3. tradit: *Cape inquit quartam partem iſtius deſtillati, injice puri argenti drachmam unam, & ſolve ſuper prunis: ſolutionem infunde tribus aliis partibus, albæ evadent inſtar lactis, ſine reſidere & purum effunde*: id quod reſedit purgatores *fixum* vocant, & in vas aquæ menſuras viginti continens effundunt, & ſtatim omnis aqua lacteum colorem acquirit. Novi purgatorem, qui omnem ſuam aquam fortem in olla ferrea præparat, & experimento deprehendit, aquam prodire ſolito fortiorem, præterquam quod compendium ollarum & ignis facit: methodum apud commentatorem Beguini vide.

Cap. XL. Ut aquæ Regis tantum ſalis armoniaci addas, quantum diſſolvere poteſt, id verò neceſſum non eſt: unciam unam cum dimidia in pintam dediſſe ſat erit. Miror Beguinum in præparanda hac aqua halonitrum & ſal armoniacam diſtillando conjungere: me experientia docuit, dimidiam aquæ Regiæ quantitatem, in qua ſal armoniacum diſſolutum eſt, idem fere præſtare, quod alterum tantum illius aquæ cum eodem ſale diſtillatæ. Aqua regis argentum denigrat tantum: bracteas cupri ſtannique tenuiſſimas ægrè, & haud ſecus ac aqua fortis auri folia corrodit. At verò ſi aquam, diſſoluto jam auro, detraxeris, argentum & reliqua metalla aggreditur.

Cap. XLII. Methodus faciendi Chalcedonium, Iaſpidem & Achatem mihi eadem eſſe videtur cum illa qua chartis varios colores & undas, marmoris inſtar inducunt, quamque Kircherus lib. 10. de Luce & umbra & ex eo Schottus part. 1. l. 5. chrom. 9. exactè deſcribit. Methodus eſt. In conveniente liquore certos, & iſtius modi colores diſſolvunt, qui in aquam miſſi, tarde, aut nunquam, ac tum demum inter ſe coeunt, ubi chartæ ad inducendam varietatem colorum applicantur. Eadem ratione diverſi generis materialia, quæ utut miſta perfectam unionem reſpuunt, neceſſario metallum variis coloribus inficiunt. Plurima tincturarum experimenta profiteri poſſent in quibus utut agitati & confuſi, ſuum tamen liquores ſinguli locum & ſtationem occupant. Circa trinam præparationem Chalcedonii obſervo. 1. Quòd omnis colorantia materialia, zaffera ſcilicet, magneſia, argentum, chalybs, ſmaltum, & plumbum, ſed non eodem ſemper modo præparata, unamquamque Chalcedonii præparationem ingrediantur. 2. Quanto major ingredientium varietas eſt, tanto meliorem eſſe Chalcedonium: prior enim ſimplicior eſt ſecundo, & ſecundus tertio, & author noſter tertium præ ſecundo, & hunc præ primo commendat. 3. Eſſe in unoquoque præparationis genere aliqua ingredientium, quæ vitro nullum omnino colorem tribuunt, qualia ſunt tartarum, fuligo, ſal armoniacum, Mercurius. 4. Nonnulla ex his unguinoſæ naturæ eſſe, ut ſunt plumbum, fuligo, tartarum, ſmaltum, id quod unionem materialium impedit, & in cauſa eſt, cur aliis ab alio ſecedentibus in metallo refrigerato undæ appareant, & diverſi generis elegantiſſimi colores. Magna pars artis in debito caloris gradu & methodo procedendi ſita eſt; & in hoc poſtremo totum marmoris inſtar colorandæ chartæ artificium conſiſtit.

Porta vitrum variis coloribus inficere docet, idque aliis intentus caſu invenit. *Calx ſtanni colorem perſpicuum vitri cryſtallini tollit, & variè colorat: nam dum viciſſim inſpargitur vitris cryſtallinis rotâ perpolitis, & ſuccenſo igni expoſitis, variè colorat, & tenebricoſa reddit: nam pars una lapideſcit, altera coloratur variè, ut opalus videatur. Sed oportet ſæpius ex igne eximere, & accommodare, uſque dum voti compos fias.*

Hic & pluribus aliis in locis author noſter docet, vitrum in quamcunque figuram elaborari poſſe. Ego, ut Lector quo delectetur habeat, curioſiſſima eorum quæ legi enumerabo. Card. l. 10. c. 52. de rerum variet, currum vidit, & boves duos, ala muſcæ tectos. Agricola lib. 12. de re metall. Morani arbores, naves & alia plura famoſa & mirabilia opera vidit. Dominus Hovvelius pag. 39. navem vidit vitream cum malis, velis, funibus, & omni armamento, nec non prorâ, puppi, anchoris, & ſcaphâ: virum item armatum. Vormius in Muſæo ſuo parvas vitreas ſtatuas, tam virorum, quà

quam rerum aliarum habet; inſigne item templum S. Marci apud Venetos, intus muſaico opere elaboratum & certas hiſtorias aptis coloribus repræſentans, atque hic illic auro exornatum.

Cap. XLVIII. Porta lib. 6. c. 5. ut amethiſti colorem reddat, drachmam unam Magneſiæ in ſingulas metalli libras dat.

Cap. XLIX. Porta pro Saphiro drachmas duas Zafferæ metallo dat, & *quanto diutius in igni morabitur* (ſunt verba ejuſdem) *nitidiore colore ſuffunditur, ſed irrequiete remiſcendum eſt.*

Cap. LVIII. *Rubrum plenum*, quod *roſſo in corpo vocant*, de quo Imperatus l. 4. cap. 1. *Corpus habere dicuntur illi colores qui opaci ſunt & non tranſparent: Corpus non habere ille qui tranſparent.*

Cap. LXI. Vitrum plumbi apud noſtrates vitrarios in uſu non eſt, idque propter nimiam ſuam fragilitatem: Sed ratio calcinandi plumbum, quo merces ſuas inducunt, ſatis nota, & in uſu communi apud figulos eſt. Quod ſi hoc vitri genus atque ut cryſtallinum tenax eſſet, ob elegantiam coloris ſui reliqua omnia longè ſuperaret, id quod nemini ignotum eſſe poteſt, qui metallum illud novit, & experimento Kircheri, quod facile & nullo ſumptu paratur, evincere licet, ita enim ille lib. 1. *de luce & umbra* par. 3. c. 5. *Si argentum vivum, vapore plumbi congelatum, cochleari æneo impoſitum, carbonibus accenſis calefeceris ecce mox tibi in liquefacta materiâ tanta comparebit colorum varietas, ut nulla major in mundo concipi poſſit. ita lucidorum, ut nulli eorum quos apparentes vocant iis comparari poſſint.* Memini, cum in eo eſſem, ut ceruſſam igne in plumbum reducerem, me immittendo ferreum acuminatum, præter aliquot grana plumbi acquiſiviſſe ſatis magnam quantitatem materiæ fragilioris & opacæ, ſed elegantiſſimis coloribus, cæruleo, viridi & qui reliquos ſuperabat flavo exornatæ, Ita liquatum plumbum, addita aliqua ſulphuris particula, colorum reddebat cœruleum, omnium quos unquam ego vidi optimum, nec non colores alios minime deciduos, & qui duodecim jam annum perdurant. *Libavius de tranſmut. metall.* l. 7. cap. 10. ait excoctores metallorum, nec non illos qui rei metallicæ examinando præſunt; quotidie plumbum in vitrum convertere idque vitrum nigro, rubro, flavo aliove colore infectum eſſe, prout plumbum diverſimodè calcinatum, vel calcinatione lithargyrium, ceruſſam vel minium converſum eſt. *Quercetanus in Hermet. med. defenſ. cap.* 9. affirmat ſe propriis oculis vidiſſe annulum, ex vitro plumbi factum, qui vino per noctem infuſus, vim purgandi nunquam non exerebat. Eadem in biſmuto vel ſtanni vitro varietas videre eſt, *de qua Libavius ſyntagm. arcan. l. 6. c. 4.*

Plumbum in ſe rediens, fundum ollarum perumpit. Plumbum difficulter ita calcinari poteſt ut non aliquæ ejuſdem particulæ integræ permaneant, quæ poſtea calore fornacis in plumbum reducuntur: idem de ceruſſa dictum eſt, idemque in minio locum habet, quomodocunque etiam calcinetur. Cur autem ollas perrumpat, hoc mihi in cauſa eſſe videtur, quod denuò ibidem calcinatum, pinguedine & mole corporis ſui poros ollarum occludit; & impedimento eſt, quominus ignis in metallum agat, quâ actione impeditâ vis omnis in argillam vertitur, ex qua ollæ conſtant, ac ſi ulterior plumbi calcinatio accedat, ollam perfringi neceſſe eſt. Solum autem inter metalla plumbum deorſum vergere, cum metalla reliqua in ſuperficii ollarum natent, id præterquam quod reductione plumbi ſatis liquet; etiam crucibula aurifabrorum & excoctorum teſtantur, quæ externa facie & pondere quantitatem aſſumpti corporis produnt. Certum eſt, teſtas nonnihil argenti inhibere, quam ob cauſam iterata fuſio & ignis vehemens adhibetur: nec dubium nullum eſt, quin idem crucibulis accidat: utut enim Regii apud nos rei monetariæ perfecti id contra eos, qui aurum in maſſa inferunt, ſtrenuè negent, illi tamen, qui aurifabris præſunt, recoquendo argentum extrahunt. Exiguas tamen aliquot argenti particulas hoc caſu tantum recuperare licet, idque mediante plumbo, quo purgatores metallorum ſimul & qui examini præſunt utuntur, nec eſt præter argentum ullum aliud metallum, quod in teſta deſcendat. Altera hujus accidentis ratio eſſe poteſt, quod plumbum in poros ollarum ſeſe inſinuans, & ſenſim prorepens, ac gravitate ac pondere corporis ſui fundum ollæ pertranſiens foramina poſt ſe relinquit, per quæ metallum effluat.

Author noſter nullam hyacinthi ex vitro plumbi, nec vitri ſtanni vel capri mentionem facit, ſupplente hunc defectum Porta lib. 6. cap. 7. ubi hæc leges: *Hyacinthum effingere ſatis pulchrum, nec à verò admodum diſſimilem. Fictili olla & dura plumbum immittatur, ac vitrariorum fornaci igni accommodetur, immoreturque per aliquos dies, ſic plumbum in vitrum vertitur, & hyacinthinum colorem imitabitur.* & cap. 9. *Teſtaceo vaſe igni durabili conjicito ſtanni libram, finito calefiat & liqueſcat, & vitrariorum fornaci in æſtu flammarum accommodetur ferreis forficibus, triduo vel quatriduo: poſt amoto & frigefacto vaſe frangatur, & in ſuperficie vitrum invenies crocei coloris, turbidi, & ſi diutius in igne ſteterit evadet perfectius nec melius in hoc genere cognovimus, ex multis quæ experti ſumus. Sed in pulverem ritè redactum injici oportet, quod non ſolum pila & molis, ſed porphyretico lapide, uti opus erit. Si flagrantius evenerit, vitrum addendo diluemus. Eſt alius conficiendi modus amicis reſervatus. Sint novem partes ſtanni combuſti, ſeptem plumbi, bina cinnabaris, ferreti vocati Hiſpanici & tartari pars dimidia, lapidis ſanguinei ſimplex, rubri pictorum quarta, age ut ſcis.* De vitro cupri l. 6. ſic. *Argentum valida diſſolves aqua, projectis in aquas æreis lamellis, hærebit illis; collectum & exſiccatum vaſe fictili vitrariorum fornaci accommodabis, non enim multo dierum ſpatio in ſmaragdum convertitur. Sic de aliis metallis periculum vobis relego, ſat erit nobis viam aperuiſſe & inveſtigaſſe.*

Cap. LXXII. *Smalti pictorum cœrulei.* Hujus compoſitionem nullibi apud ſcriptores invenio, ſed ab honeſti nominis vitrario edoctus ſum, ex zaffera & cineribus ſmegmaticis ſimul calcinatis illud in fornace, ejuſdem cum vitrariâ formæ fieri, idque à ſe in Germania factum eſſe. Sed de hoc omnique alio naturali & artificiali colore in tractatu huic rei ſpeciali dicato.

Aurum impedit efferveſcentiam vitri: Eadem ratione ſi parum olei vel ſevi in ollam bullientis ſacchari miſceris, non exundabit, utut cum impetu ſurſum feratur.

Cap. LXXIV. Hæc cryſtallum colorandi ratio veram & naturalem methodum demonſtrat, qua opalus, achates, jaſpis, chryſolitus, oculus cati, marmor &c. varietatem colorum, quam poſſident, acquirunt: nimirum ab exalatione mineralium, quâ præexiſtens materia lapidis afficitur, haud ſecus atque corpus cryſtalli ab auripigmento ignium vi ſuſcitato & adacto vario colore tingitur. Quod ſi materia lapidis primò liquida, ideoque tincturæ capax, iſtiuſmodi matricem vel alvum habet, ex qua exhalatio ſimplex procedit, ſimplex quoque & uniformis ille color erit: ſi varia, color quoque pro diverſitate aſcendentis vaporis varius erit: Veritas hujus rei frequenti obſervatione in lapidibus translucidis majoribus confirmatur, quorum pars naturali colore tincta; pars ab omni calore vacua eſt, & inſtar glaciei tranſparet ut jam univerſus lapis aquæ congelatæ ſpeciem referat, cujus pars primo congelans acceſſionem coloris ſenſit, reliqua non item, id quod in amethiſtis frequentius quam gemmis

alii,

aliis videre eſt, quorum nonnulli aliquâ ſui parte colorati ſunt, nonnulli colore vel plane vacant, vel certis locis diverſos colores referunt, quod aliis etiam quandoque gemmis evenit.

Cap. LXXV. *Smaragdos imitari poſſe*, &c. Nihil hic quod alicujus momenti ſit, tantum inventa ſophiſmati vel fraudi via eſt. Cæterum, quandoquidem ars perfecte imitandi gemmas inventori plus lucri allaturâ eſſet, quam adulterina alia quævis, idque ſine aliquo forte hominum damno, imo ſi Chymicis credimus, cum magno eorum emolumento; cumque illa ars legibus quod ego ſciam obnoxia non ſit, niſi aurifaber gemmam adulterinam pro vera vendat; mirum non eſt, ad conſequendum hunc finem adhibita eſſe tot remedia paſtarum, duplicationum, foliorum, tincturarum in fundo, aliarumque compoſitionum & artificiorum, quorum maxime genuina & naturalia videntur, quæ author noſter profert. De fraude in duplicando Ferr: Imperatus lib. 20. c. 14. refert: Mediolanenſis quidam gemmarius ſmaragdum vendebat duplicatum novies mille ducatis, & fraus diu latuit.

Chymici his paſtis peculiare, ſed barbarum nomen impoſuerunt, quod nullibi præterquam apud illos invenias: *Amauſa vocant*: ita Libavius, Joannes Iſaacius: ſed Glauberus *Amauſas*: id utrum à *Muſaico* [non Moſaïco, ut Voſſius in gloſſario ſuo prolixe demonſtrat] derivetur, determinare non auſim: etymon certe probabile admodum eſt: etenim Muſaicum opus Hermolaus Barbarus ita deſcribit: *Muſivum opus, quod vulgo Muſeacum vocant, teſſulatum lapillis variorum colorum, ex queis arte cōpoſitis & coagmentatis omne genus imaginū redditur.* Hæc opera antiquitus ex varii generis & colore fruſtis marmoreis in figuras animalium formabantur, interpoſito nonnunquam auro, ut ex Plinio l. 36. c. 1. & Seneca ep. 86. apparet. Philander in Vitruvii lib. 7. c. 1. meminit reliquiarum pavimentorum quorundam, quæ ipſe viderat, in quibus teſſellatum marmor, craſſitie minoris fabæ, ſub variis coloribus piſcium aliarumque rerum effigiem accurare æmulabatur. Nunc in locum marmoris, aliorumque lapidum ſucceſſit vitrum tinctum. Libavius in ſuo ſyntagmate ait. *Saracenicis authoribus terracenica vocatur.* Sed paſtas & Amauſa inter ſe confundit. Verum eſt, ſi genus reſpicias, alterum ad alterius naturam quamproxime accedit, in eo tamen differunt, quod paſtæ cryſtallo præparatâ, & cum modico vitri miſta conſtant & in pelluciditatem gemmæ elaborantur: ſed encauſta vel Amauſa plumbum calcinatum & ſtannum pro baſi habent, à quo ob magnam ejuſdem ingredientibus admiſtam copiam opacitatem, corpus, & ſoliditatem accipit. Glauberus Furni Phil. lib 4. putat caſu in ventas eſſe paſtas, ab iis, qui igne vehementi calcinata corpora reducentes, eadem in vitrum convertunt, & ex Iſaaco Hollando addit, ex metallis vitrificatis & reductis nobilius metallum produci, ab auro nempe tincturam, ab argento aurum, & ab ære argentum &c & inſigne vitrum ex metallis fieri poſſe, ſi crucibula ſatis valida adeſſent. Quicquid porro pluribus verbis proſequitur, præparationem cryſtalli, ejuſdemque efformationem & tincturam concernens, nil niſi vulgare eſt.

Cap. LXXVI. Hartmannus in praxi Chym. hanc peculiarem viam præparandi cryſtallum pro gemmis habet: *Salis* inquit *tartari unciæ duæ in aqua ſolvantur, hoc pondo unum cineris fagi ut cineri cappellæ fiat ſimilis, humectetur: inde globuli in magnitudine pomorum formentur, exſiccentur, & ollæ operculo contectæ, in fornace figuli exurantur: ita enim globuli aliquantulum colliqueſcent, ſibique invicem adhærebunt: hi itaque ſubtiliſſime conterantur, & lixivium ex eis paretur: hoc in ſaltem uſque coaguletur, & in hoc lixivio cryſtalli toties & tamdiu exſtinguantur, donec intra digitos conterere poſſit: hoc peracto, de ſale in vaſe relicto aliquid per ſolutionem, coagulationem, & calcinationem toties repurgetur, donec nulla amplius fæces in ſolutione compareant. Eodem modo etiam ſalem tartari, ex tartaro albo præparatum, toties per ſolutionem, coagulationem & fuſionem debes purgare, donec ab omnibus fecibus ſit mundus, & in igne non amplius ſtrepet. Recipe hujus ſalis tartari partes duas, ſalis præcedentis præparati partem unam, hæc invicem fiant fluida, habebis materiam, quæ omnes colores totius mundi recipit, & gemmis Orientalibus ſimilis apparet.* Authores Chymici plerique omnes cryſtallum hac ratione præparant: nonnulli aceto vini utuntur, aquæ limpidæ loco. Ex iis, quæ de vitris ſtillatitiis poſtea dicturi ſumus, facile eſt diſcernere, quænam optima ratio, ideoque ſequenda ſit: & optima proculdubio hæc erit, ut eandem forti lixivio reſtinguamus.

Paſtæ eâdem quâ vitrum ratione conficiuntur, niſi quod hoc metallo cryallino, illæ cryſtallo præparatâ conſtant, adhibitis iiſdem utrobique coloribus, ideoque Porta vitrum ſuum tinctum, amethiſti, rubini &c. nomine dignatur: periculum fieri poterat in adamante noſtro Anglico, ut qui cryſtallo durior puriorque eſt.

Cap. LXXVII. Boetius de Boot, inſignis de re gemmaria ſcriptor, de ſmaragdo ita habet: *Omnibus fere modis adulterari ſmaragdi poſſunt: nobilior modus fit cryſtallo, vitro, & ſilicibus calcinatis, & fuſis, ſi iis exigua quantitas minii adjiciatur. Ita ego præſtantes feci. Alii æs uſtum in tenuiſſimum pollinem redactum addunt, adjectô croci ferri dimidiato pondere, ac ſex horarum ſpatio coquunt, ac vas per ſe refrigerari ſinunt, gemmamque polituræ committunt. Si exacte quis operatus fuerit, Americanis omnino ſimiles efficiet ſmaragdos.* Garcias ab Horto eoſdem in Balaguata & Biſnager ex fragmentis vitri majoribus egregie coloratos & prægrandes fieri tradit. Dalechampius putat jaſpidem addendum eſſe. Birellus *libro octavo, cap. 9. & 10.* &c eandem quam author noſter compoſitionem, aliaſque plures tradit. Aliter etiam ex minio & æris ſquama fit, *capite quinto, cap. 78.* Hartmannus varias rationes tradit, ac *prior* quidem, quæ animâ Lunæ, Solis & cryſtalli, nec non modico ſalis armoniaci fit, obſcura eſt, & intelligi non poteſt: *Secunda* ex unciis quatuor minii, duabus cryſtalli præparatæ, & drachmis duabus auri fit. *Tertia* ære calcinato & in pollinem redacto conſtat, additâ duplici quantitate arenæ vitrariæ, omnibuſque per dies quatuor igne vehementi, ac tandem per diem dimidium vehementiſſimo excoctis. *Quarta* cryſtallum ipſius præparatam & æris modicum recipit, eâque materiâ ollæ ad medietatem uſque adimplentur; inde per ſex vel ſeptem horas leni igne, & poſtea vehementi liquatur, ignis aufertur, & olla confractâ, quicquid intus eſt plumbi ſpuma obductum, ab heterogeneis purgatur, & ſmaragdus apparebit elegans, qui in fruſta diſſectus debite præparandus eſt. Sed non eodem ſemper modo ſuccedit hoc negotium, & aëre opus eſt ſereno. Quare augendo doſin, ollas adhibet quatuor, & una eademq; opera diverſi coloris ſmaragdos alios aliis præſtantiores producit. In primam ollam ſcrupulum unum æris; in ſecundam ſcrupulos duos; in tertiam drachmam unam; in quartam drachmam unam cum dimidia recipit: atque hic ſubſiſtit; ſi enim plus æris addas, vitrum minime tranſlucidum erit. Idem proceſſus in Jaſpide & topaſio, addito croco Martis, & in ſaphiro additâ zafferâ locum habet.

Sed in hac compoſitione Mars Veneri ſuæ neque corpus, neque ſplendorem dat. Cardanus de var lib. 10. cap 52. hunc colorem ex lapidibus fluviorum, in albedinem calcinatis, & cum æquali quantitate minii in crucibulo mixtis & liquatis, bis repetito opere, producit: ſed

ſed hæc procedendi ratio plane obſcura eſt.

Iſaacus affirmat, vitriolo id fieri calcinato, & reſiduo calcis, primo aquâ ſalsâ, & poſtea recenti limpidâ, utrinque calida, ſubactis, qua ratione effectum reddunt longè quam antea majorem, & facilius, magiſque perfectè liqueſcunt.

Seneca epiſt. 91. Democritum ait inveniſſe rationem vertendi lapides in ſmaragdos: & Plinius l. 37. c. 12. tradit, extare in ſcriptis authorum diverſas rationes tingendi cryſtallum, colore ſmaragdi, aliarumque gemmarum, quæ omnia ab iis quæ l. 36. c. 26. de vitro obſidiano & myrrhino diverſicolore dicta ſunt fortaſſis non longe abeunt.

Cap. LXXXI. Bapt. Porta topaſium ita fingit: *Ad ſingulas vitri libras quarta uncia pars ferrei croci remiſcetur, atque additur tantillum minii, ut nitidius rutilet, & ad ſingulas libras tres minii uncias addemus: ſed primò inditur minium poſt crocum.* Bootius hæc tranſcribens, ex authore noſtro hæc ſubjungit, adjiciens: *Fac pollinem ex ære uſto, cinnabari nativo: ac cryſtallo, quadruplumque ſtanni uſti adde, fuſorioque vaſi ex terra fortiſſimo inde, fornacique committe per diem; ſed non ſit ignis vehemens, ac ſemper eodem gradu permaneat, facile enim fluit pulvis prædictus.* Birellus hoc ultimo proceſſu utitur, mutato cinnabari in minium, ſed retentis iiſdem verbis, ita ut Bootius hæc Birello, Birellus Portæ debeat. Hartmannus & Libavius ceruſſæ uncias tres, cryſtalli præparatæ dimidiam adhibent. Author *quadrig. chym*: ſal ſtanni in uſus topaſii facit.

Cap. LXXXII. Porta chryſolitum ita ementitur; *ubi topaſium effeceris addito pluſculum æris, & hoc ut aliquantiſper vireat; nam chryſolithus à topaſio non niſi quod nitidius niteat differt.* Claveus argentum vidit per duos menſes in fornace vitraria calcinatum, cujus pars duodecima vitrum reddebat citrinum.

Cap. LXXXV. Glauberus ſaphiri colorem fingit marchaſitâ argenti in aqua Regis diſſolutâ, & liquore ſilicum præcipitatâ.

Cap. XC. *Ex auro colorem rubrum admirandum.* Chymiſtæ menſtruis ſuis auream ex auro tincturam promittunt: ego non infirmæ conditionis Chymicum audivi depoſito haud levi pignore offerentem, reducturum ſeſe in pauca numero grana omnem auri quantitatem, quam extracta ab illuſtri ejuſdem profeſſionis viro vel optima tinctura contineret, ſed oblata conditione nemo utebatur, ut jam in hoc proceſſu aliquid deperiiſſe neceſſe ſit. Certo novi aurum aquâ Regis diſſolutum, cutem tingere ſaturo purpuræ colore, idque per dies aliquot, & magnam aquæ copiam, affuſâ ac ſolutione eodem colore tingi. Glauberus egregium ſaphiri colorem eidem tribuit, ſi liquore ſilicum præcipitetur. Tinctura argenti cœruleum colorem non exhibet, ſed album, teſte omnem exceptionem ſuperante authoritate Dn. Boylæi, in experimentis ſuis phyſiologicis p. 60. ideoque jam antea dixi, Cœruleum colorem procedere ab ære, cui argentum admiſtum ſit.

Ex granatico Bohemico. Boetius de Boot affirmat, granatos Bohemicos colorem in igne ſuum ſervare, id quod aliis ferè omnibus datum non eſt, ideoque Bohemici ad hos uſus optimi ſunt: calor tamen vitrariæ fornacis colorem eorundem abſumit, quem in igne ordinario ſervant.

Cap. XCI. *Ceruſſam tritam.* Author noſter in præparando ſaccharo Saturni duabus viis utitur, una quæ mediante ceruſſa, altera quæ lithargyrio fit: *cap.* 124. hic ſaccharum calcinat, & ex ſaccharo calcinato novum ſaccharum producit. Chymiſtæ communiter minio, nonnulli plumbo calcinato utuntur: ſed omnes eodem tendunt. Obſervatum tamen eſt, à minio majorem ſalis copiam prodire, neque id mirum, majorem enim quam alia omnia calcinationem expertum eſt. Omnes ſolo vini aceto diſtillato utuntur. Beguinus tamen plegma ejuſdem ſubſtituit, ad quæ jure Commentator, *Deleatur.* Duo hic notabo: 1. Multo melius & minus ſumptuoſum eſſe, ſi recenti ſemper minio acetum affundas diſtillatum, quam ſi illi: quo uſus es antea: vilius enim eſt minium, & quicquid eidem boni ſacchari ineſt, prima ſtatim vice extrahitur; ut taceam compendium aceti fieri, id quod in emolumentum operatoris cedit. 2. Alterum, quod hic inſerendum mihi videtur nova ratio eſt, quam apud Chymicorum neminem legi, ſed operando ipſemet inveni, quæque citius & uno momento rem perficit, atque in Chirurgicis negotiis, quibus illam dicavi, ordinariâ non pejor, ſed, quod ſat ſcio, melior eſt: modus procedendi hic eſt: Recipe tenuiſſimas plumbi laminas, vel quod melius eſt, illud plumbi genus, quod in feneſtris diu perſtitit, idque aqua forti diſſolve, (aqua bonæ notæ ſuo ponderi æquale plumbi pondus abſumet) & plumbum diſſolutum brevi in fundo vitri ſaccharum acquiret. Dimidiatæ horæ ſpatio non exiguam ejuſdem quantitatem in exiguo vitro, & modico arenæ, vel cinerum calore, & ut bacillo ſuper igne perfeci, & certe hic proceſſus, ut magis expeditus, ita minus ſumptuoſus eſt: quid autem hæc medicina in vitro præſtare poſſit, dicere non habeo.

Cap. XCIII. Hic ſextus liber de encauſtis agit, quæ Anglis *Emanuels* vocantur, fortè quia multus eorum in annulis uſus eſt, vel voce deducta à Germanico *Emallieren*, quod Galli, à *maille* vel *macula*, quam repræſentat, *Eſmailler* vocant. Latinis *ab inurendo*, quod καίω, *Encauſta* vocantur; atque inde Lexicographorum *Encauſton, encauſtice, encauſtes.* Veterum tamen encauſta, de quibus Vitruv. l. 7. c. 9. Plin. l. 35. c. 11. Mart. l. 1. &c. à noſtris plane diverſa erant. Salmaſium in exerc. Solin: vide, qui de veterum encauſto; & tribus ejuſdem ſpeciebus prolixe agens, tandem vere concludit, periiſſe hanc artem. Porta ex Italorum *Smalto* vocem Latinam facit, & *Smaltos* vocat, quæ Libavio *Smalta* vocantur.

Cap. XCIV. *Encauſtum album.* Aliter ex Regulo antimonii fit, de quo dictum eſt ſupra Libavius & Porta illud ex una parte plumbi calcinati, duabus ſtanni calcinati, & dupla quantitate vitri perficiunt.

Cap. XCV. *Colorem Turcoidis.* Porta ſolâ Zaffera parat.

Cap. XCVII. Porta, ut *ſmaltum viride* ſaturum efficiat, æs uſtum, vulgo, ut ait: *Raminella*, & ut author noſter habet: *Ramina* dictum; ut dilutius, ſcoriam æris igniti adhibet, quæ dum malleo percutitur, decidit.

Cap. C. *Nigrum*, quod Libavius & Porta ex purpureo & cœruleo colore faciunt, magneſiâ conſtat atque Zafferâ, idemque proceſſus, eademque per omnia doſis eſt, cum ea, quam author noſter præſcribit.

Cap. CIII. *Rubrum auvinatum*, quod in textu *purpureum* redditum eſt, ego *rubrum* voco, & Libavio *croco Martis* fit.

Cap CVIII. *Lixivium ex Soda vitrariorum & calce.* Multum curæ impenſum eſt in hoc menſtruum: id quod calce & Soda fit, optimum eſt: cineres tamen ut vocant, ollares & alumen idem præſtant. Novi ingenioſum virum nobilem, qui omne genus colorum pro plantis, mediantibus his ſibi comparavit, & flores cujuſcunque generis, maximè conſpicuos, propriis ſuis atque genuinis coloribus in ingenti volumine ad vivum adumbravit. Virtus cinerum ollarum, quos tinctores noſtri *VVare* vocant, in *Indico* & *Gaſto* conſpicua eſt, quorum neutrum ſine his cineribus tincturam ſuam reddit. Colores magis perſpicui ſolutionem aluminis tantum requirunt, à ſale acriore deſtruuntur, ut in arte tinctoria & cineribus ſmegmaticis apparet, & à tartaro ut cap. 4. flavus vitri color non producitur.

Cap. CX. *Ex quibuſcunque herbis vel floribus.* Experimentum authoris bonum eſt, at verò ſi panniculus lineus colore inficiatur melius ſignum erit. Nautis peregrè euntibus à Mercatoribus illud præſcribitur ut plantam mandentes videant an ſaliva benè tincta ſit, quo caſu bona eſt: idemque, in charta tenui & linea veſte locum habet.

Ego catalogum vobis exhibebo plantarum &c. quæ colorem ſuppeditant, & conſequenter aptæ ſunt ad extrahendam laccam, & primò quidem earum, quibus tinctores utuntur, quales ſunt *lignum nephriticum*, & tres illius plantæ ſpecies quam *Fuſtick* Angli vocant, pro flavo & viridi colore, *Campegiana* & *Sylveſter* duo ſcilicet granorum vel baccarum minorum genera, quæ ex India occidentali ad nos devehuntur, & eundem quem *coccum infectorium* colorem, ſed minus illuſtrem præbent, ideoque cocci vices obeunt: *papaver erraticum, ſumach, glycyrrhiza, curcuma, flores carthami*, *anotto* quod ex fuco marino tinctorio, urina & adipe fit, & venuſtum colorem coccineum præbet: *geniſta tinctoria* pro flavo.

Alia ſunt quibus tinctores non utuntur, *crocus* ſcilicet, *phalangium, tradeſcanti* quod plenum & elegans cœruleum reddit: *cyanus*, quo illuſtris tinctorum cyaneus conſtat, *alga marina tinctorum*, diverſa à fuco: utriuſque mentionem Joh. Bauhinus facit: *hiacinthi: colchinum noſtrum purpureum: baccifera triplex* rubrum profundum exhibens: *heliotropium*, in cujus ſucco panniculi tincti colorem illum exhibent, quem vulgo *Turn-ſole* vocamus: *Blattaria* flore cœruleo & flavo: *convolvulus Americanus* folio contracto. Nonnullæ plantæ ſuccum coloratum habent, quales ſunt *tithymalus, ſonchus aſper, dens leonis* folio hirſuto, *hirci barba, periploca, rapunculi, lactuca* &c. quarum pars maxima, ſi in ſole ſiccetur flaveſcit, quo ipſo inducor ut credam, cambajam tithymali ſuccum eſſe, at verò *hypericum & androſæmum* rubentem ſuccum in capite gerunt: *chelidonium majus & felſel Alpini* flaveſcentem præbent. Ita plurium plantarum baccæ colorem exibent, ut ſunt *ſolanum hortenſe* & lethale, *utraque bryonia, ruſcus, polygonatum, aconitum bacciferum, rubus Ideus, ceraſus ferax, Spina cervina, pictorum ſuccus viridis, nuces juglandes, Bezetta* ſeu *torna-ſolis* Bezedini apud VVormium in muſæo l. 2. cap. 34. ubi illam ſic deſcribit: *Pannus ſubtilis eſt lineus tinctura rubicundiſſima & eleganti impregnatus, mihi à Sereniſſimi Principis Chriſtiani V. Pharmacopœo induſtrio, Chriſtophoro Herfurt dono data, ſed quomodo præparetur, quæque ejus ſit conficiendi ratio ignorabat ipſe. Santali rubri tinctura videtur, qua pannus eſt infectus. Ad rubram tincturam corpori & eſculentis inducendam utuntur, ut torna ſolis vulgari: ſed hæc longè elegantior: coſmeticis apta hoc habens peculiare, quod aquæ colorem ſuum immerſa communicet, ægrè vino, neutiquam Spiritui vini.* Hactenus ille. Vidi hanc tincturam goſſipio factam, quæ pro fuco inſerviebat, ac noſtratibus ſatis familiaris eſt. Et inſignis procul dubio lacca, indè præparari poſſet: *Amaranthi, balauſtia, ſemen heliotropii tricocci*, quod primo affrictu viridem, inde cæruleum, & poſtremo purpureum colorem reddit, teſte Libavio: *fragmenta Alaterni*, teſte Cluſio, nigrum *flores cichorei, flores ſcabioſæ Indicæ chryſanthemum Creticum, naſturtium Indicum*, aliæque plures, de quibus volente Deo poſt hac prolixe; ſpecialiter, quia Botanicorum nemo tincturas plantarum obſervavit, nec eaſdem in certas claſſes digeſſit, cum tamen uſus earundem in negotiis longè maximus ſit & nonnullæ ex his, de quibus antea locuti ſimus à mercatoribus in uſum deductæ ſint. Quorum folia colorem producunt, hæc ſunt; *Stramonium, arbor tinctoria Virginienſium*, cujus folia ſi manu fricentur, viride dabunt, omnium quot quot ego ex vegetabilibus vidi maximè ſaturum: *folia acanthi, folia petigenuini; flores nigellæ Hiſpanicæ*, utut cœrulei, ſi manu, charta vel panno linteo fricentur, elegans viride præbent.

Hæc via extrahendi colores beneficio diſtillationis optime nota & in uſum deducta eſt: omnes enim chymicè extracti ſpiritus, dum aſcendunt, albicant, & infuſione materialium, quæ tincturam continent; tinguntur ut in Pharmac. Londinenſi *Spiritus Lavandulæ compoſitus*, & *aqua papaveris compoſita*, & *aqua Mariæ, &c.* & Pharmacopœi ferè omnes hanc authoris noſtri viam docent.

At verò hæc extractio ſpiritus vini, ita tincti, colorem reddit emortuum, & nullius pretii, niſi in exigua quantitate, & moderato B. M. calore fiat: calor enim magis vehemens colores vegetabilium nigros reddit: quin ipſe *lapis Lazuli*, utut durus, calore nimio colorem ſuum amittit.

Cap. CXI. Hanc præparandi viam ſecutus ſum, ſed nihil mihi præter lutulentum cœruleum, ad figlina opera, ineptum reddidit. Author noſter hoc *cæruleum Germanicum* vocat, nec aliter Birellus l. 11. c. 106. ſed hic ſulphur addit, & quatuor tantum ſalis armoniaci partes recipit; plura ejuſdem naturæ alia apud eundem invenies.

Cap. CXII. *Turcoidi deperditum colorem reſtituere.* Subdubito, atque adeò fando accepi, non ſuccedere hoc negotium: melior tamen forte hæc quam llab. Corteſiæ ratio eſt, l. 3. 53. Lapidem ultramarino fricat, quod per diem in aqua forti ſtetit eaque evaporatâ ſiccatum pulverem adhibet. Deinde eundem primò in aquam fortem ex ære & vitriolo factam, poſtea in acetum vini, ac poſtremo in aquam, & quavis vice per aliquod temporis ſpatium infundit.

Cap. CXIII. *Miſtura pro ſpeculis.* Varias earundem compoſitiones apud authores invenio, & quia ſingularem in opticis uſum habent, nec Anglico ſermone hactenus deſcriptæ ſunt, quales inveni, tales hic deſcribam. Hæc ſpecula vel vitra *metallica* vocantur, non quod metallo conſtent, ſed quia aliquot metallica corpora hanc compoſitionem ingrediuntur, & quia pondere ſimul & externa facie metallica corpora æmulantur. Porta Mag. l. 17. c. 23. miſturam pro his ſpeculis ita præparat: *Accipiatur olla nova igni contumax, & intus luto inducatur, ut firmiùs perduret, reſiccari curato, idque bis, terve repetas. Igni appone, & in ea binæ tartari libræ liquefiant, & totidem arſenici cryſtallini, ubi fumare conſpicies, injice libras quinquaginta æris antiqui, atque uſu attriti ſepties, vel ſexies liqueſcat, ut purgetur, defæceturque mox addes viginiquinque libras ſtanni Anglici, & ſimul liqueſcant patiaris, paululum ex miſtura extrahes ferramento aliquo, & experimentum capies, ſi frangibilis, vel dura ſit, ſi frangibilis, æs adde, ſi dura ſtannum vel coqui ſito, ut aliqua ſtanni pars evaneſcat, quum ad optatum temperamentum pervenerit, projicito ſupra binas uncias boracis, & ſinito quouſque in fumum ſolvatur, deindè in typum projicito, & refrigeſcere ſinito, frigefactum pumice adfricabis mox ſmiri pulvere, ubi perfectè ſuperficiem adæquatam, & perpolitam conſpexeris, tripoli adfricabis: poſtremò ſtanno uſto nitorem, & lucem induces. Plerique tertiam ſtanni partem addunt æri, ut durior maſſa fiat, & majorem perſpicuitatem recipiat.*

Porta in priore editione l. 4. c. 23. hanc miſturam ita componit: *Ita communiter ab omnibus fit: Recipe æs & triplum ſtanni, ac parum arſenici vel tartari, ut liqueſcant & incorporentur: Aliqui ſtanno triplum æris, nec non parum ſtibii argenti & albi pyritis addunt: nonnulli plumbo & dupla portione argenti id efficiunt: ex alio etiam metallo & aliter temperato fit. Ubi jam formata fuerint, neceſſum eſt, ut poliantur & lævigentur, in*

tur, in hoc ut radius reflexus imaginem rei ſecum ferat, & ſpecula imitentur, id quod à lævigatione & aptitudine partium maximè dependet. Si miſtura non fuerit ſatis lævis deme vel tere, ut hinc imago major, illinc minor & diverſa repræſentetur. Si ſcabra fuerit, rotam adhibe, qua arma poliuntur, & polita erunt. Si vitrum feceris concavum vel convexum, ne motu rotæ vitrum frangatur, fruſtum ligni in vitri figuram dola, & vitrum, ne moveri poſſit, pice agglutina. Tunc corio vel linteo & ſmiride, & poſtea pulvere pumicis tenui vel dum ligno adhæret ſtanno calcinato, ab aurifabris Putty dicto, & tripoli, ac poſtremo fuligine, tartaro & cinere ſalicis vel juniperi, quo maxime nitet, fricetur. Smiris terendo, cribrando & infundendo præparatur.

Cardan. lib. 2. de variet. cap. 57. *Specula, chalybea vulgo dicta, ex tribus partibus æris, una ſtanni & argenti, & decima octava antimonii fiunt. Plures argentum ad minuendos ſumptus omittunt: alii partem ejuſdem vigeſimum quartam addunt, referente Aldrovando Muſæi metall. l. 1. c. 4. Nonnulli ex libra una ſtanni, & æris liquati parte tertia illa faciunt, ac tum demum unciam unam tartari, & dimidiam auripigmenti albi, dum fumant coctorum, addunt. Poſtea metallum fuſum in ſpeculi figuram ſuper tabula plana, fumo reſinæ ſiccata & calefacta, redigunt, & ligno agglutinatum, primo aqua & arena, deinde ſmiride vel lapide pumice, ac tandem ſtanno calcinato lævigant.* Hactenus Cardanus, & ex eo Kircherus & Schvventerus.

Harſdorfferus tom. 1. part. 6. 4. 13. delic. math. tres quartas ſtanni, & unam quartam æris purgati fundit, ac tum tartari calcinati quatuor, antimonii cryſtallini ſex, antimonii limati duas, olei communis quatuor, & marchaſitæ tres uncias recipit, miſtiſque omnibus uncias hujus miſturæ duas in ſingulas prædicti metalli libras dat, & ubi jam evaporarunt & purgata ſunt, nonnihil picis Burgundicæ addit, eaque conſumpta materiam in typos conjicit.

Scaliger exerc. 82. ſect. 3. ita de miſtura: *uncias ſtanni novem & æris tres funde, ac tum demum unciam unam tartari ſiccati & arſenici albi dimidiam adde, omniaque dum fumant in igne perſeverent, & infingendo & poliendo ut reliqui authores procede.*

Cornæus Schotto hanc methodum communicavit: *Recipe æris partes decem, eique ubi liquatum erit, adde ſtanni partes quatuor, & nonnihil antimonii & ſalis armoniaci aſperge, & movendo omnia miſce uſque dum periculoſus ille fumus, à quo tibi cavebis, evanuerit, & poſtea in typos conjice. Multo uſu* (inquit) *deprehendi optimam eſſe hanc miſturam.*

Nonnullas harum miſturarum, nec non illius generis plures alias, ut & diverſa materialiam uſum politure invenies apud Birellum l. 9. ac 47. uſque ad 55. quo te brevitatis cauſa remitto.

Cap. XIV. Hæc methodus tingendi interiorem ſphærarum vitrearum ſuperficiem, mutata eſt in aliam, quâ exterior earundem ſuperficies glutinoſis coloribus depingitur; res oppido jucunda, & quam frequenter in ædibus videas.

Gyſſum. De quæ Cæſalpinus, inter Latinos authores unicus, qui ejuſdem mentionem facit lib. 1. c. 9. *Eſt alia terra pallida glebis lapidoſis, qua utuntur ad aurichalcum detergendum*, Geſſum *vulgo vocant*. Quid autem propriè ſit, id ignoraſſe mihi videtur. Calcis in elegantem, duram & percandidam lapideam, ac valde ponderoſam ſubſtantiam uſtæ ſpecies eſt, maculis, ut in plumbi ſtannique venis, micantibus. Externa ſpecie & fragilitate alabaſtritem refert, tale enim eſt fruſtum illud haud exiguum, quod penes me ſervo. In Hiſpania fit, atque inde in Inſulas Canarias defertur, & vinis eo delatis albicantem & fermentationem tribuit, qua mediante præſervantur, cum ſine hoc condimento in exteras regiones delata in vappam abitura eſſent.

Cap. CXV. *Ultramarinus.* Ita vulgo, ut Cæſalp. ſpecioſiſſimus omnium, & pretio aurum, ſi non ſuperans certè æquans color eſt. Qui de lapidibus & coloribus agunt Authores in univerſum omnes præparandi rationem docent. Tenerrimus hic color eſt, & niſi lapidem lazuli adhibeas omnibus numeris abſolutum, irritus erit omnis labor. Suffecerit indice digito demonſtraſſe authores, qui de eo ſcripſerunt, omiſſis eorum proceſſibus, ceu prolixis admodum & tædioſis. Boetius de Boot de gemm. & lapid. l. 2. à capite 123. uſque ad cap. 142. longa ſerie verborum docet, quomodo hic lapis eligendus ſit, (alii enim ignem ferunt, quos Aldrovandus *fixos* vocant, alii colorem in igne amittunt) item quæ calcinandi ratio ſit, quomodo vaſa, lixivia emplaſtra fortia & mitiora, quibus color tanto facilius extrahatur, fiant, & quomodo lavandum ſit extractum, ut colori inſervire poſſit. Ultimò autem capite viam docet, quâ mediante color facilius & ſumptu minore extrahitur. Hunc proximè Birellus ſequitur, qui lib. 9. à cap. 80. ad capit. 109. omnes hos proceſſus compendioſiore methodo deſcribit. Nonnulli pictores lapidi lazuli tenuiter terunt, eoque ſic trito utuntur.

Cap. CXVI. *Lacca coccinea.* Dubium nullum eſt, eſt, quin hæc vox deſcendat à *gummi*, quod *Laccam* vocamus, & colorem atque tincturam eandem habet, quam lacca pictorum. Mathiolus lib. 1. in Dioſcoridem c. 23. aſſerit varias eſſe laccarum artificialium ſpecies, quæ ex ſedimentis diverſarum tincturarū parentur. Una ex baccis vel apice pimpinellæ, ab Anglis vulgo *Cremeſe & Cremeſina* (*Crimſon*) dictæ, altera ex baccis vel granis Kermes: tertia ex genuino Gummi laccæ: quarta denique atque omnium optima ex Braſilienſi fit: at vero modum, quo hæc vel illa fiat, non deſcribit.

Sed de hoc loco, & erroribus à Mathiolo hic commiſſis poſthac in tractatu ſpeciali de coloribus. Birellus l. 11. cap 39. viam docet faciendi laccam ex hoc gummi. *Recipe* inquit *urinæ viri libras circiter viginti, eaſque bene coque & deſpuma, adde gummi laccæ libram unam, & aluminis uncias quinque, omniaque igni committe, ac tamdiu coque, donec color omnis extractus ſit: capto experimento aluminis ſaccharini tantum, quantum ſufficere videbitur, adde, & ut laccas alia cola.*

Apud diverſos ſcriptores diverſas rationes parandi laccas invenio, ſed quæ tantum materia ex quâ vel menſtruo per quod differunt. Nonnulli baccis vel granis Kermes utuntur (ex quibus Pharmacopœi ſyrupum ſibi parant egregiè tinctum) Et hæc quidem grana Ilex ſuppeditat, Coccigera dicta, cujus generis arborem videre poteris in horto quodam vici vulgo *the Old ſtreet London* dicti, prope ædes peſte infectis dicatas, ſed qui fructum nunquam protulit.

Alia illius generis arbor *VVhite-halli* in privato Regiæ Majeſtatis horto ſuccreverat, quam nuperi uſurpatores ex inſcitia dejecerunt. Alii cochinella utuntur, quæ vermis eſt, vel muſca, quam ficus Indica progenerat, de qua prolixe diſſerentem Johan. de Laet deſcript. Ind. l 5. c 3. item Herreram & Zimenem vide. Sunt qui floccis tinctis utuntur, atque hæc via, quem author noſter hic docet, ut maxime vulgaris, ita omnium optima eſt. Alii loturâ & depurgatione utuntur veſtium cocco infectarum.

Hernandes in hiſtoria ſua lib. 3. cap. 45. de ratione faciendi Laccas in India ſic: Ex Nochetztli, id eſt Cochinella nonnunquam purpureus, aliquando coccineus color fit, pro diverſo præparandi modo.

Exquiſitiſſima omnium ratio eſt, ſi in aqua decoctionis arboris *Totzuatl* dicti, addito alumine maceretur, & quod reſederit in placentas formetur.

Quantum ad menſtrua, author noſter lixivium parat, ex cinere ſalicis, vel alterius ligni mollioris. Alii

roboreos,

roboreos, vel alterius durioris ligni cineres adhibent: quales tamencunq; adhibeantur, lixivium ne ſit fortius, quam ut linguâ deguſtatum eandem leviter pungat. Certe aqua fortis plurimum in hac re poſſet, quando incomparabilibus noſtris officinis tinctoriis teſtibus conſtat, quantos Cochinellæ color progreſſus mediante hac aqua fecerit. Id ſolum obſtare videtur, quod Laccæ hac ratione præparatæ, & aëri expoſitæ, vel madefactæ, colorem ſuum amiſſuræ eſſent, diffluente ſale: ſed etiam huic malo forte remedium adhiberi poterat, extractione, vel ablutione ſalis, citra detrimentum coloris. Exemtionem, præcipitationem, colaturam, & exſiccationem laccarum, & coloris quod attinet, eodem ſcriptores omnes pede procedunt. Poſtremo illud addam, lapides calcarios imbibendo humorem citius exſiccare quam lateres, id quod conſtans pictorum & excoctorum in exſiccando praxis ſatis confirmat. Antea quam plane ſiccetur Lacca in globulos illam, vel ligneo [non ferreo qualicunque] cultro in quamvis figuram formant, vel ſi ita viſum fuerit exemplo pictorum ſulcis in lapide factis illam committere poſſunt.

Cap. CXVII. *Orientalis, Saline of the Levant*; vel ut author noſter habet *Pilatro di Levante.* Vocem *Pilatro* apud Italorum neminem invenio. Expoſitionem ejus provectæ ætatis operario Moranenſi debeo, qui addebat, eſſe ſalis genus, extractum ex ſpuma maris & extremo calore regionis coagulatum. Ac nomen quidem *Saline*, & modum generationis ejuſdem ab alio etiam operario accepi, ſed expoſitionem vocis ab illo ſolo.

Cap. CXVIII. Birellus hanc laccam ex ligno Braſilienſi ita parat: Primo tincturam ex floccis extrahit; poſtea recipit libram unam ligni diſſecti [melius eſſet contriti] & lixivium ad conſumtionem latitudinis unius digiti coquit, colat, & colato liquori addit unciam unam gummi Arabici, pulverati; Inde colaturam omnem ad conſumptionem dimidii digiti recoquit, & utrumque liquorem bacillo miſcet, adhibendoque manicam Hippocratis procedit ut antea.

Cap. CXXIV. *Elegans rubrum roſeum: Roſichiero.* Porta l. cap. 9. *Roſaclerum* vocat, atque hanc præparandi rationem docet:

Denas cryſtalli libras in ollam injicito, ubi optime liquefactum noveris, immergito libram minus optimi, dimidiatis vicibus, ferreo veru quam citiſſime remiſcendo, nam ſui ponderoſitate facile in fundum conſidet, ubi remiſtum noveris, ex ollula inſtrumentis ferreis, ad id aptis, evellito, & in aquam mergito, idque tertio repetere ne pigeat mox ſupra, æris, in calcem redacti, uncias quinque, admiſceto coloris flagrantiſſimi cinnabarim, & maximè exagitatum tribus horis conquieſcere finito. Ubi id feceris, ſtanni vitri ſuperaddito ternas uncias, ſine intermiſſione remiſcendo, & floridiſſimum roſæ colorem in vitro perſpicies, quo exornando auro uti poteris. Hoc tamen modo poteris.

Cap. CXXVI. Quomodo ſulphur alia ratione figatur, capite 129. docet. Alium proceſſum, ſed multo quam hunc magis prolixum Birellus l. cap. 50. deſcribit. Atqui ſulphur, ea ratione præparatum, facile una cum ſale armoniaco ſublimatur. Nemo eorum, quibus cum ego verſatus ſum, iſtiuſmodi fixationem ſulphuris probat qualem Helmontius. Etenim in ſuo de elementorum miſtura, noſſe ſeſe viam inquit, qua mediante ſulphur quomodocunque diſſolutum reducatur in pulverem terreſtrem fixum. Quem hic pulvis in arte vitraria uſum habeat, author noſter nullibi docet.

Cap. CXXIX. *Rubrum pellucidum.* Libavius l. 2 tract. 1. cap. 3. conjecturando hunc ex auro colorem quaſi acu tetigit, his verbis: *In ea ſum ſententia, à tinctura rubra auri, in liquorem vel oleum diſſoluti, & ſpecialiter a cryſtallo Rubinum haud incommode formari poſſe*: cujus ſuæ conjecturæ hanc rationem aſſignat, quod Rubini frequenter in locis, ubi aurum adeſt, inveniantur, ideoque conſentaneum ſit aurum ibidem degenerare in hanc gemmam.

Cap. CXXXI. *Vitriolum Veneris.* Glauberus l. 2. furni philoſoph. compendioſam hanc viam demonſtrat: *Spiritus ſalis armoniaci, æri, beneficio frequentis ignitionis & reſtinctionis calcinato, affuſus, horæ unius ſpatio cæruleum colorem extrahit: hunc diſſoluto are decanta, & loco frigido committe, & vitriolum dabit longe elegantiſſimum.* Crollius in ſua Baſil. Chym præparationem hujus Medicinæ optimè deſcribit. Beguinus cap. hanc viam commonſtrat. *Cuprum calcinatum, ſive ſquamas cupri reduc in pulverem ſubtilem, quem in aceto diſtillato per diem naturalem digere. Tinctum acetum per inclinationem effunde: & aliud reaffunde toties, donec non tingatur amplius. Depletiones filtra, & tres partes fac evaporare, vel diſtilla, quodque relinquitur in fundo vaſis, ponatur in locum frigidum, ſic generabitur vitriolum viride, obſcurum.*

HISTORIA VITRI STILLATICII.

Hoc vitri genus Sereniſſimus Princeps *Rupertus* primus ex *Germania* in *Angliam* intulit, & Regiæ Majeſtati exhibuit quæ illud *Societati ſuæ* in Collegio *Greshamenſi* communicavit. Statim à Societate delegatus eſt *Commiſſarius*, qui de eo quod ſequitur retulit, prout in libro ejuſdem Societatis, quod ad hanc rem attinet, conſignatum, & eâdem conſentiente huc tranſcriptum atque publicatum eſt: id quod tanto magis deſideravi, ut hæc uſque adeo exacta procedendi ratio idea & exemplar eſſet cujuſcunque alterius experimenti. Ita anno 166 . Societati retulit Dn. *Rupertus Moray.*



A.B. filum. B C. corpus B. collum. A. terminus vel extremitas fili.

Vitro conſtant viridi, bene purgato; ac, niſi metallum ut vocant, probè excoctum ſit, nullius pretii ſunt, ſed crepant franguntur que ſtatim atque in aquam decidunt.

Optima ratio faciendi iſtiuſmodi vitra hæc eſt ut virgâ ferrea nonnihil metalli ex olla aſſumas, & immediatè in frigidam ſtillare, ac tantiſper ibi jacere permittas, donec refrigeſcat.

Si metallum nimis ferveat, ſtilla vitri, ubi in aquam deciderit, dubio procul crepabit & fruſtillatim diſſiliet.

Quodcunque vitrum in aquâ ſine crepitu, donec refrixerit perdurat, id certo bonum eſt.

Exercitatiſſimus operarius debitum caloris gradum ignorat, nec quidquam effecturum ſeſe, quod examen ſuſtineat, promittere audet pluraque dum ſunt pereunt; quandoque duo, quandoque tria, prius quam unum ſuccedat.

Nonnulla quaſi frigore diffiſa fatiſcunt, non diſſoluto corpore Alia, dum adhuc minus vel magis fervent, ſine magno crepitu in fruſta dirumpuntur: alia cum magno ſtrepitu, non multò poſt quam deferbuerunt: alia neque franguntur, neque crepant, antea quam plane refrixerunt: alia dum in aqua ſunt, integra manent, & ſponte ſua non ſine magno crepitu diſſiliunt, ſtatim atque ex aqua prodierunt: nonnulla poſt horæ unius ſpatium. Alia ubi per dies vel ſeptimanas aliquot perdurarunt, nullo tangente dirumpuntur.

Si vitrum iſtiuſmodi aliquod, dum fervet, ex aqua exemetis,

meris, pars colli tenuior, & quicquid à collo fili dependet, & in aqua fuit, in minutas partes decidet, ſalvo manente corpore, utut cavitates non minores, quam quod diſſilit, habeat.

Quodcunque in aëre à filo dependens, vel in ſolo jacens refrigeſcit, eandem per omnia, quam vitrum aliud ſoliditatem &c. acquirit.

Vitri ſtilla in aquam decidens, cum exiguo quodam ſibilo ſtrepit, corpus ejuſdem perexiguum aliquod ſpatium fervet, pluresque ab eodem vel ut crepitantes ſcintillæ erumpunt, quibus mediantibus ſubſilit & movetur: complures etiam ab eodem ubique bullæ in aqua, dum refrigeſcit, aſcendunt. Quod ſi aqua decem vel duodecim pollicum profunditatem habeat, bullæ antea quam ſuperficiem aquæ attingant, evaneſcunt, eoque caſu nihil præter exilem ſonum obſervare licet.

Exterior vitri ſtillaticii ſuperficies æque ut aliorum vitrorum glabra & lævis; vitrum vero ipſum intus ſpongioſum & cavernis puſtuliſque plenum eſt.

In fundo maximam partem orbiculare, margaritiſque pyriformibus non abſimile eſt, & in collum oblongius terminatur, ita ut nulla ex his vitris directa, ſed maximam partem incurva, & in exiguas plicas atque arcus ſinuata ſint, ac tandem à collo in exiguum apicem deſinant.

Maxima pars eorum, quæ in aqua fiunt protuberantiam & gibbum quendam habet, imminentem parti corporis capaciſſimæ, & frequenter in illud latus inclinantem, ubi collum terminatur: ita tamen, ut nonnunquam illam partem vitri occupet, quæ in vaſe, in quo vitrum fit, ſuperior eſt.

Si vitri ſtilla in aquam decidat ferventem, certò frangetur & crepabit, antea quam deferbuerit, vel momento poſt. In oleo olivarum minus quam in frigida periclitatur.

In oleo plures numero, & aliquanto quam in aqua majores bullas emittunt, & ebullitio illa diutius quam in aqua dura. Quæ in oleo fiunt, ſulcos minus quam in aqua facta ſpatioſos habent, eorumque nonnulla prorſus lævia ſunt, & protuberantiis illis carent, quas alia poſſident.

Aliqua pars colli eorum, quæ in oleo facta ſunt, nec non aliqua fili tenuioris in oleo reſtincti pars inſtar vitri communis frangitur. At vero ſi collum prope corpus frangas, & corpus ipſum cavâ manu detineas totum crepabit & frangetur, ſed minore quam quæ in aqua fiunt vi & ſtrepitu, & ita, ut in æquè minutas partes non diſſiliat, & fruſta, uſque dum dirimantur, cohæreant: atque hoc caſu tractus & lineæ in eo apparebunt oblongæ, in centrum corporis collimantes, & cavernas vel cavitates ejuſdem tranſverſim ſecantes, ſed minores numero & menſurâ quam in his, quæ in aqua fiunt. Quod ſi vitrum in acetum vini diſtillet, crepabit utique, & antea quam refrigeſcat, certò diffringetur, atque dum decidit, majorem quam in aqua ſtrepitum edet, ſed bullas excitabit, minus quam in aqua notabiles.

In lacte ſtrepitum nullum edit, nec bullas, quæ quidem percipi poſſint, excitat: nihilo tamen minus crepat, & in fruſta, antequam refrigeſcat diſſolvitur.

In ſpiritu vini plures quam in alio quovis liquore bullas excitat, & dum integrum eſt, ultrò citroque volutatum, magis quam in aliis liquoribus agitatur, & nunquam non crepat & in fruſta concidit. Si quinque, ſex vel plura vitra ſtillaticia eodem tempore in ſpiritum vini decidant, flammam quidem vinum concipiet, ac ſaporem particularem nullum.

In aqua ſolutionis nitri, vel ſalis armoniaci nihilo ſecius quam in aceto vini melius ſuccedit.

In oleo terebynthinæ vitrum unum haud ſecus atque in ſpiritu vini frangebatur: ab altero flammam concipiebat ut jam nulli amplius uſui eſſet.

In Mercurio, bacillo & vi, ut mergeretur, ſubactum, ſuperficiem acquiſivit rudem & depreſſam: ac vero experimentum perfici non potuit, cum ſubigi, uſque dum refrigeſceret non poſſet.

Cum in vitro inſtar calicis cylindraceo & frigidâ repleto experimentum caperetur, unum ſucceſſit, vitris ſex vel ſeptem aliis in fruſta diruptis. Id tantum à nonnullis è Societate vitrum ſtatim à lapſu manu prehendentibus obſervatum eſt, ad primum ejuſdem lapſum in aquam, & aliquanto poſt, durante rubro illo colore, rubras ab eodem ſcintillas in aqua promanaſſe, eodemque momento, quo hæ particulæ, nec non bullæ, ab eodem manifeſte prodeuntes, erumpebant, non diffringi tantum, idque aliquando non ſine ſatis magno ſtrepitu, ſed moveri etiam atque ſubſilire corpus vitri, tam illius quod permanet, quam quod frangitur.

Ab ictu levioris mallei, vel alterius cujuſque durioris armamenti vitrum ſtillaticium non atteritur, ſi tamen non alibi quàm in ventre percutiatur.

Apicem ejuſdem frange, & ſtatim in minutiſſimas partes diſſiliet, idque non ſine ingenti vi & crepitu, & particulæ illæ facili negotio in pulverem rediguntur.

Vitro fracto, ſi liberum quaqua verſum ſeſe extendendi ſpatium ſcintillæ inveniant, in orbem, eâdem quâ pyroboli minores, quos ob ſimilitudinem *mali granati Granatos* vocant, violentiâ diſperguntur.

Nonnulla vitra affrictu ſicci lateris in fruſta diſſiliunt, ſtatim atque in fundo nonnihil attrita ſunt: alia niſi ſemitrita perdurant. Fuit, quod dimidia circiter parte abſumtâ ſepoſitum, paulo poſt nullo tangente diſſiliret. Aliud affrictu lapidis, & adjectâ aquâ & ſmiride ad collum uſque detritum, perdurabat.

Vitrum in manu cujuſquam ſub aqua fractum, manum gravius & ſtrepitu majore percellit, quam in aëre, ac etiamſi prope ſuperficiem aquæ detineatur, minutarum tamen particularum nulla extra aquam fertur, ſed contrario quam in aëre modo, citra diſperſionem in aquam decidit: ac ſi unum ex his vitris in Dn. Boylæi machinam mittas, bene vacuato recipiente ruptum, haud ſecus atque in libero aëre quaquaverſum diſſiliet.

Si vitrum iſtiuſmodi in igne calefeceris inſtar vitri ordinarii ſeſe habebit, niſi quod temperamentum ejuſdem ita debilitatur, ut citra fracturæ periculum minus quam antea flecti poſſit.

Vitrum ſtillaticium lithocollâ collo tenus munitum, fracto apice ſtrepitum edit, quam ſi manu detineatur, minorem, ſed ita ut totum intus diſſiſſum eſſe liquido appareat; ipſe etiam color in cæſium degenerat, planâ manente externâ ſuperficie, ſed illum in modum colliſâ, ut exemtæ partes in floccos abeant, conicas quandoque figuras repræſentantes & uſque adeo fragiles, ut facili negotio in pulverem redigantur.

Vitrum iſtiuſmodi aliud lithocollâ undequaque pollicis unius craſſitie, tectum, rupto apice lithocollam omnem, haud ſecus ac granatus minor bellicus, in fruſta comminuebat.

Duo vel tria illius generis vitra ad gemmarium in hunc finem miſſa, ut margaritarum inſtar perforarentur, adacto propius terebello, ſtatim in fruſta diſſiliebant, haud aliter, ac ſolent, qui rupto apice diſſiliunt.

APPENDIX.

Quia frequens fornacum in hoc opere mentio fit, ex re viſum fuit, ſubjungere quæ de hoc negotio Agricola *non minus eleganter quam perſpicuè tradidit, adjectâ figurâ fornacum & inſtrumentorum, quæ apud* Amſtelodamenſes *in uſu ſunt, nec non nomenclatura eorum, quibus* Londinenſes *vitrarii,* Dn. Merretto *teſte in elaborando vitro communi utuntur. Et* Agricola *quidem* lib. 12. de re metall. *ſic habet.*

Reſtat vitrum, cujus confectura propterea huc pertinet, quod ex ſuccis quibuſdam concretis, & ſabulo, vel arena vi ignis & arte ſubtili exprimatur: & quod expreſſum,


Fig. 1.
B
A
C
C
Fig. 2.
C
C
A
A
A
A
B
G
D
D
D
H
H
Fig. 3.
C
D
B
A
F

ſum,ut ſucci concreti & gemmæ atque lapides quidam, transluceat:ut lapides liqueſcentes & metalla fundi poſſint:ſed primò mihi dicendum eſt de materia,ex qua vitrum conficitur:deinde de fornacibus,in quibus conflatur:tum de ejus conficiendi ratione.Conſtat autem ex lapidibus liqueſcentibus & ex ſuccis concretis , aut ex aliarum rerum ſuccis , qui cum his naturali cognatione junguntur. Lapides quidem liqueſcentes, ſi fuerint candidi & translucidi,cæteris præſtant : quibus de cauſis ad cryſtallos primas deferunt: ex his confractis in India fieri vitrum tam translucida facultate præcellens ut nullum cum eo comparari poſſit,autores eſſe Plinius ſcribit: ſecundas tribuunt lapidibus, qui, tametſi eis duritia cryſtallorum non ſit,tamen ſimili modo candidi ſunt & translucent: tertias dant his lapidibus candidis,qui translucidi non ſunt. Eos autem omnes prius urere neceſſe eſt:poſtea pilis ſubjectos ſic frangere & comminuere,ut inde ſabulum fiat:tum cribrare: quocirca, ſi tale ſabulum vel arena , ſe vitrariis ad oſtia fluminum oſtendit, eos urendi & tundendi labore levat. Quod verò ad ſuccos concretos attinet, primæ deferuntur nitro : ſecundæ ſali foſſili candido & translucido: tertiæ ſali,qui conficitur ex lixivio, ex cinere anthyllidis , aut alterius herbæ ſalſæ facto. Sunt tamen qui huic ſali, non illi , ſecundas tribuunt.Verum ſabuli vel arenæ ex lapidibus liqueſcentibus confectæ portiones duæ cum nitri vel ſalis foſſilis, aut ex herba ſalſa facti unà commiſceantur : ad quas adjiciatur minuta magnetis particula : certè ſingularis illa vis noſtris etiam temporibus æquè ac priſcis ita in ſe liquorem vitri trahere creditur , ut ad ſe ferrum allicit: tractum autem purgat , & ex viridi vel luteo candidum facit: ſed magnetem poſtea ignis conſumit: qui verò jam dictis ſuccis carent , ipſi duas portiones cineris quernei vel lignei,vel cerrei,aut ſi hi in promptu non fuerint, fagini vel abiegni cum ſabuli vel arenæ permiſcent,& addunt modicum ſalem , ex aqua ſalſa vel marina factum, atque exiguam magnetis particulam, ſed iſti minus candidum & translucidum vitrum conficiunt: verum cinis ex antiquis arboribus fit:quarum truncus , ubi aſſurrexit ad altitudinem ſex pedum cavatur, & injecto igni arbor tota comburitur, ac in cinerem vertitur : quod fit hyeme cùm nives diutinæ ſedent,vel æſtate,cùm non pluit: nam imbres aliis anni temporibus quod cineres cum terra miſceant, impuros reddunt: quamobrem tunc ex iiſdem arboribus in plures partes ſectis,& ſub tecto combuſtis, cinis confiat. Sed vitrariis aliis tres ſunt fornaces , aliis duæ, aliis una: quibus tres, hi in prima coquunt materiam, in ſecunda eam recoquunt, in tertia refrigerant vitrea vaſa & cætera opera candentia: eorum prima fornax concamerata & furno ſimilis ſit : in cujus ſuperiori camera, longa pedes ſex,lata quatuor, alta duos, lignis aridis accenſis res miſtæ coquantur acri igni donec liqueſcant,& in maſſam vertantur vitream: etſi nondum ſatis à recremento purgatam : ea refrigerata extrahatur & in partes dividatur : in eadem fornace ollæ , quæ continebunt vitrum,calefiant.

Primæ fornacis inferior camera A.
Superior B. [Vid.Tab. XXIX. fig. I.]
Vitrea maſſa C.

Secunda fornax rotunda & lata pedes decem , alta octo , extrinſecus , ut ſit firmior , cingatur quinque arcubus ſeſquipedem craſſis : ea item conſtet ex duabus cameris: quarum inferioris teſtudo ſit craſſa ſeſquipedem : ipſa camera habeat à fronte os anguſtum, ut ligna in focum , qui eſt in ejus ſolo , imponi poſſint: in ſumma verò & media ejuſdem teſtitudine magnum foramen rotundum : quod ab ea pateat ad ſuperiorem cameram , ut flammæ in ipſam penetrare poſſint. At in ſuperioris cameræ muro inter arcus ſint octo feneſtræ tantæ , ut per eas ollæ ventroſæ in ſolo cameræ circum magnum foramen collocari poſſint : quarum ollarum craſſitudo ſit ad digitos duos , altitudo ad totidem pedes, latitudo ventris ad ſeſquipedem , oris & fundi ad pedem. In poſteriori fornacis parte ſit foramen quadrangulum , cujus altitudo atque etiam latitudo ad palmum : per quod calor penetret in tertiam fornacem cum hac conjunctam : ea quadrangula & longa pedes octo, lata ſex , ſimiliter conſtet ex duabus cameris : quarum inferior à fronte habeat os , ut ligna in focum , qui etiam eſt in ejus ſolo , imponi poſſint: ab utroque oris latere in muro ſit oblongi vaſis fictilis receptaculum , longum circiter pedes quatuor , altum duos , latum ſeſquipedem. Superior vero camera habeat duo foramina , alterum à dextro latere , alterum à ſiniſtro , tam alta & lata , ut vaſa illa commode in eam imponi poſſint: quæ vaſa ſint longa pedes tres, alta ſeſquipedem , lata inferiori parte pedem , ſuperiori rotundata : in his opera vitrea jam conflata recondantur, ut mitiori calore refrigerentur: quæ ni ita paulatim fuerint refrigerata,diſrumpuntur. Deinde vaſis iſtis ex ſuperiori camera extractis & repoſitis in receptaculis prorſus refrigerentur.

Secundæ fornacis arcus A. [Vid.Tab XXIX fig 2.]
Ejus cameræ inferioris os B.
Feneſtræ ſuperioris cameræ C.
Ollæ ventroſæ D.
Tertiæ fornacis os E.
Receptacula vaſorum F.
Foramina ſuperioris cameræ G.
Vaſa oblonga H.

At quibus duæ ſunt fornaces , eorum partim in prima coquunt miſturam , & in ſecunda non modò eandem recoquunt , verùm opera etiam vitrea reponunt : quanquam in diverſis cameris partim in ſecunda materiam coquunt , pariter & recoquunt , in tertiam verò opera vitrea recondunt : atque ita illi carent tertia fornace , hi prima: ſed hujuſmodi fornax ſecunda differt ab altera fornace ſecundâ : etenim rotunda quidem eſt , ſed ejus cava pars lata pedes octo , alta duodecim , quod conſtet ex tribus cameris : quarum infima non diſſimilis eſt inferiori alterius ſecundæ fornacis In mediæ verò cameræ muro ſunt ſex fornices : quæ cum ollæ calefactæ in eam impoſitæ fuerint , etiam luto obſtruuntur relictis modicis feneſtellis: in hujus mediæ cameræ ſumma & media parte eſt foramen quadrangulum , cujus longitudo itemque latitudo ad palmum : per id calor penetrat in ſupremam cameram:quæ poſteriori parte habet os, ut in oblongum vas fictile,in ea locatum, opera vitrea paulatim refrigeranda reponi poſſint. Ea autem parte ſolum officinæ eſt altius, aut ſcamnum habet appoſitum,ut vitrarii conſcendentes commodius opera poſſint recondere.

Alterius fornacis ſecunda camera infima A.
Media B.
Suprema C.
Ejus os D.
Foramen rotundum E.
Foramen quadrangulum F. [Vid.Tab.XXVIII.fig 3.]

Sed qui carent prima fornace , hi cum munus diurnum perfecerint , veſperi materiam in ollas injiciunt: quæ noctu cocta liqueſcit & in vitrum abit. Duo autem pueri interdiu noctuque alternatim ignem alunt aridis lignis in focum impoſitis. At quibus una tantummodo fornax eſt, utuntur ea ſecunda , quæ ex tribus cameris conſtat : nam ut proximi materiam veſperi injiciunt in ollas : manè verò recrementis detractis opera vitrea conficiunt : quæ in ſupremam cameram , ut alteri, recondunt. Verum ſecunda fornax , ſive ex duabus, ſive ex tribus cameris conſtiterit, atque etiam prima, fiant ex lateribus crudis in ſole ſiccatis: qui deducti ſint ex terra,

quæ facilè igni neque liqueſcit, nec in pulverem reſolvitur; & quæ à lapillis purgata ſit, atque bacillis verberata: eadem terrâ calcis loco lateres interlinantur: ex eadem figuli forment tam vaſa quàm ollas; eaque in umbra ſiccent. Duabus partibus abſolutis reſtat tertia. Maſſa vitrea in prima fornace eo, quo dixi modo; confectâ & fractâ miniſtri ſecundam excalfaciunt, ut ea fragmenta recoquant. Dum verò hoc agunt, interea ollæ in prima fornace primum lento igni calefiunt, ut humorem exhalent: deinde acriori: ut ſiccatæ rubeſcant: mox vitrarii hujus os aperiunt, & ollas forcipe prehenſas, ſi rimis non fatiſcunt, celeriter in ſecunda reponunt: & recalfactas fragmentis vitreæ maſſæ, vel vitri complent; deinde feneſtras omnes luto & lateribus obſtruunt: cujuſque loco duobus tantummodo feneſtellis relictis, de quarum altera inſpectant & fiſtula recipiunt vitrum, quod ollæ in ſe continent: in altera reponunt alteram fiſtulam ut calida fiat: utraque orichalcea, vel ænea, vel ferrea eſt, tres pedes longa: quin ante feneſtellas cruſta marmoris fornici imponitur: atque ei rurſus terra aggerata & ferrum: hoc fiſtulam in fornacem immiſſam retinet, illa oculos vitrarii ab ignis calore tuetur: his omnibus ordine factis vitrarii opus perficiendum aggrediuntur. Lignis autem aridis, quæ flammam, non fumum emittunt, fragmenta recoquunt: ſed quanto diutius recoxerint, tanto puriora & magis translucida ex eis fiunt opera: tanto minus maculoſa & veſiculis turgeſcentia: tanto denique facilius vitrarii ſuum munus exequuntur, quocirca qui materiam, ex qua vitrum conficitur, unam modo noctem coquunt, ac mox ex ea opera vitrea efficiunt, minus pura & translucida faciunt, quam qui primo maſſam conficiunt vitream, dein ejus fragmenta diem noctemque recoquunt, atque hi etiam minus pura & translucida, quam qui duo dies noctesque eadem recoquunt: nam vitri bonitas non ſolum in materia, ex qua conficitur, ſita eſt, ſed etiam in coquendo. Sæpius autem vitrarii fiſtulis rapiunt experimentum: ſed quam primum ex eo didicerint fragmenta recocta ſatis eſſe purgata, quiſque altera fiſtula in ollam demiſſa, & paulatim verſata, recipit vitrum: quod tanquam lentus aliquis & glutinoſus ſuccus ad eam adhæreſeſcit; & quidem globuloſum. Recipit verò tantum, quantum ad opus, quod efficere vult, ſatis eſt: id marmori impreſſum volvit & revolvit, ut adunetur: atque per fiſtulam inſpirans veſicæ inſtar inflat: quam fiſtulam quoties inſpirat, ſæpius verò inſpirare neceſſe habet, toties eam repente remotam ab ore ad maxillam admovet, ne flammam ſpiritu reducto in os trahat: mox fiſtulam ſublatam circum caput in orbem torquens vitrum facit longum, aut idem in æreo inſtrumento cavo verſans figurat: tum recalfaciendo, inflando, premendo, amplificando in poculi, vel vaſis, vel alterius rei figuram mente conceptam format: deinde rurſus marmori imprimit: atque ſic fundum dilatat: quod altera fiſtula in partem interiorem compellit: poſtea forfice ejus os amputat, pedes & anſas affingit: quinetiam, ſi ei libitum fuerit, inaurat, & variis coloribus pingit. Poſtremò in oblongo vaſe fictili, quod eſt in tertia fornace, vel in ſuprema ſecundæ camera reponit, ſinitque refrigerari: quod cum talibus operibus ſenſim refrigeratis plenum fuerit, bacillo ferreo lato, ſub ipſum acto, ſublatum in ſiniſtrum brachium in altero receptaculo collocat.

Vitrarii autem diverſas res efficiunt: etenim ſcyphos, phyalas, urceos, ampullas, lances, patinas, ſpecularia, animantes, arbores, naves: qualia opera multa præclara & admiranda, cum quondam biennio agerem Venetiis, contemplatus ſum: in primis vero anniverſariis diebus feſtis aſcenſionis dominicæ cùm venalia eſſent apportata Morano: ubi vitriariæ officinæ omnium celeberrimæ ſunt: quas vidi cum aliâs, tum maximè cum certis de cauſis Andream Naugerium in ædibus; quas ibi habebat, unâ cum Franciſco Aſulano convenirem.

Fiſtula A
Feneſtella B
Marmor C (Vid. Tab. xxx. fig. 3.)
Forceps D
Inſtrumenta quibus formæ ſunt datæ E.

Reſtabat ut non formas modo fornacum, quæ *Amſtelodamenſibus* in uſu ſunt, earumque inſtrumenta, ſed omnem etiam univerſi, operis apparatum & procedendi rationem ſuccinctè & breviter adumbraremus. Sed enim quia potiſſima illius artificii Dn. Merrettus cum cura proſecutus eſt, contenti erimus ea adduxiſſe, quæ ſi rem per ſe obſcuram non omnino planam reddere, certe illuſtrare tanti viri labores poterunt.

INSTRUMENTA ET FORNAX VITRARIA

apud Amſtelodamenſes

[Vid. Tab. xxx. fig. 1.]

a.a.a. *Laminæ marmoreæ vel ferreæ, ſuper quibus metallum ubi ex fornace recens prodiit, ut adunetur hinc inde verſant.*

b.b. *Bocca, os vel Orificia, per quæ ollas in fornacem inferunt & metallum ex ollis eximunt.*

c. *Orificium aliud minus, Italis* Boccarella *dictum, per quod diverſum vitri genus educunt.*

d. *Murus tranſverſus qui arcendo calori & firmandis, ut vocant* Halfinellis *inſervit.*

e. *Halfinellæ vel unci in quibus inſtrumenta recumbunt.*

f. *Inſtrumenta vitrariorum, qualia ſunt* cannæ, ſpici, pontello.

g. *Rutabulum quo carbones cineresque verſant & commovent.*

h. *Cochleare majus æneum quo cineres lixiviumque ex lebete transfundunt.*

i. *Cochleare minus quo metallum in fornace verſant, & ex olla in ollam transferunt.*

k.l. *Batillus major & minor, quibus decuſſas à cannis vitri parti particulas excipiunt, & in ollas conjiciunt. Quorum minor .l. ejus magnitudinis eſt, ut per orificia b.b commode tranſire poſſit.*

m. *Pars fornacis quam* Leeram *vocant, in quo vitra ſenſim deferveſcunt.*

n. *Orificium Leeræ, per quod vitra in Leeram inferuntur.*

o. *Extremitas Leeræ, quæ in cameram deſinit, ubi vitra jam refrigerata ſeponuntur.*

p *Olla vitrariorum triangularis qua Amſtelodamenſes utuntur.*

q. *Olla vitriariorum rotunda qua Harlemi utuntur.*

[Vid. Tab. xxx. fig. 2.] *de Fornacibus.*

A. *Forfex Italis* tagliante *dicta, qua ſuperfluitates vitri reſecant.*

B. *Tudicula pluribus locis perforata, qua ſal Alkali ſubſidens excipiunt.*

C. *Inſtrumentum Italis* Borſella *dictum, quo vitra pro re nata coarctant vel extendunt, & lævigant.*

D. Borſella da fiori *Italis, qua vitrum vellicando diverſi generis flores vel ornamenta efficiunt.*

E. Borſella puntata, *qua vitrum extendendo & replicando funis in morem contorquent.*

F. *Canna vitrariorum aliqua ſui parte ligno, ob calorem & ut tanto commodius tractari poſſit, veſtita.*

G. *Inſtrumentum quo in conflandis vaſis urinariis utuntur.*

De


fig. 1.
fig. 2.
fig. 3.

De Inſtrumentis quibus Vitrarii apud Anglos utuntur, Cl. Dn. Merretus Appendices loco hæc habet.

Capite de Fornacibus recenſui inſtrumenta quibus utuntur in elaborando metallo cryſtallino: Cæterum quia nullam eorum mentionem feci, quibus utuntur in elaborando vitro communi, en illa tibi eo qui ſequitur ordine.

Tvvo Bats, *Vectes duo, quatuor aut circiter cubitos longi, quibus ollas attollentes in fornacem mittunt.*

A Padle. *Pala qua cineres & arenam in calcaria verſant atque commovent.*

Rakes. *Rutabulum quo cineres & arenam hinc inde corradunt.*

Procers. *Inſtrumenta ſunt ferrea, in extremitate uncinata, quibus ollas ſuo loco, & ad utrumque orificii fornacis latus unam, ita collocant ut nec procul nimis, nec nimis prope adſtent.*

Ladles. *Tudicula, quibus metallum ex olla alia in aliam transfundunt, ſive id fiat ob fracturam ollæ, ſive aliam ob cauſam.*

Smal ladles. *Tudiculæ minores, quibus operarii ſal alkali & recrementa deſpumando ab ollis operi inſervientibus auferunt.*

Strocals. *Inſtrumentum eſt oblongius ferreum inſtar batilli, quo metallum ex olla dirupta in integram transferunt.*

Forks. *Furcæ, quibus intermedia clathorum foci vellicant, ut cineres tanto facilius deſcendant, & ignis reddatur luculentus.*

Sleepers. *Vectes vel clathri majores, quique transverſim incumbentes minores alii impedimento ſunt, quo minus alii carbones deſcendant, & liberum cineribus tranſitum permittunt.*

Ferrets, *Inſtrumenta ſunt ferrea, quibus experimentum capiunt an metallum operi aptum ſit, nec ne: quibuſque orificia ampullarum vitrearium formant.*

Falcets. *Inſtrumenta ſunt ferrea, quæ in ampullas mittuntur, ut deferri commod. ad calefaciendum poſſint.*

The pipes. *Canna ſunt ferrea, quas inflando vitrum formant.*

Pontee ſtake. *Ferrum eſt, cui ligni particula incumbit, in qua vitrum à cannis ablatum hinc inde verſant, ut inſtrumento* ponte *dicto adnectatur.*

Shears. *Inſtrumenta ſunt quibus vitrum formatur & abſolvitur.*

Sciſſers. *Quibus vitrum reſecant lævigantque.*

Cranny. *Ferrum eſt orbiculare, in quo vitrum verſantes collum ejuſdem tenuius reddunt.*

Tovver. *Ferrum eſt, cui* Pontee *dum vitrum caleſit incumbit.*

Diverſæ formarum vel typorum ſpecies, quibus mediantibus varias figuras, & protuberantias, pro cujuſque typi qualitate & figura efformant.

ULMARIA.

Vlmaria à foliorum quadam cum Ulmi foliis ſimilitudine dicta, à Filipendula differt radicibus fibroſis, magnitudine qua illam excellit, ſeminibus intortis, in globulum congeſtis.

Nomina. Ulmaria *I.B.* Vulgaris *Park.* regina prati, *Ger.* Barba Capri floribus Compactis *C.B.*

Radicum fibræ rubentes Lignoſæ. J.Bauhinus radicem digitalem infinitis fibris rubentibus capillatam ei attribuit. Caule exurgit, ſeſquicubitali & altiore, recto, anguloſo, lævi, rubente, firmo, concavo, ramoſo. Folia per intervalla alternatim Cauli adnaſcuntur tribus aut quatuor pinnularum majorum Conjugationibus compoſiti cum impari in extrema ala folio trifariam diviſo ad modum fere foliorum Rubi Idæi: majoribus hiſce pinnulis interpoſitæ ſunt minuſculæ aliquot, ut in filipendula ac acrimonia, omnes circum oras ſerratæ, interne caneſcentes ſuperne virides: folia autem Criſpo plicatum Contextu ad ulmi folia accedunt, unde & plantæ nomen. Flores in intermixtis foliis ſuaveolentes, poſitu & forma Filipendulæ vulgaris albidi, pentapetali, apicibus crebris, ſimiliter albis, ſingulis floribus plura ſuccedunt Semina, nuda, oblonga, contorta, ac in globuli fere formam coacta.

In pratis humidis & ad rivulorum ripas paſſim & copioſe provenit.

Vires. Sudorifera ac alexipharmaca eſt, proin convenit in fluxibus omnis generis, diarrhæa, dyſenteria, fluxu menſtruo, expuitione Sanguinis, reſiſtit peſti. Folia Vino aut Cereviſiæ immiſſa gratum ei ſaporem & odorem conciliant, non ſecus ac pimpinella.

Flores odoris grati ſunt, Cor exhilarant, nec tamen Caput gravant, unde & æſtivo tempore Conclavibus & tricliniis ornandis ſternendiſque conveniunt. Rupelenſis Renatus, referente I. Bauhino, dicit hydromeliti ex ejus flore conciliari gratum odorem, & ita parari ut æmuletur vinum Creticu, quod malvaticum vocant.

Ipſe vidi & ſanctè teſtari poſſum, in Lethali vulnere veſicæ cujuſdam puellæ, itemque brachii fractura propemodum immedicabili reginam prati præclaros ediditſe effectus; unde merito ingreditur emplaſtrum Felicis Wurtz, toto orbe celebratiſſimum & uſitatiſſimum Sim. Pauli quadrip. Botan. p.4,2. è Collectaneis D.Tancredi Robinſon.

Felix Wurtz hujus radices miris laudibus effert imo omnibus aliis vulnerariis herbis aut adverſus fracturas oſſium commendabilibus præponere videtur; Idem. *Raius.*

ULMUS.

Vlmi vox (ut videtur) primitiva eſt: Siquidem nullum ejus Etymon apud Grammaticos aut Botanicos reperire potuerim græcis Πτελέα dicitur.

Ejus *nota Characteriſtica* ſunt folliculi ſeminales compreſſi Atriplicis hortenſis folliculorum æmuli antequam folia erupant præcoci maturitate decidentes.

Vires ac uſus. Ulmorum olim eximius uſus fuit ad vites maritandas, & ad pecudum Cibaria: nam Capræ & oves libentiſſime hac fronde veſcuntur, itemque boves, ſed magis Atiniæ, ideoque veteres, & præcipue Columella, quomodo Ulmaria facienda ſunt, reliquumque harum arborum cultum fuse ea eleganter exponit. Nunc dierum in honore minore ſunt.

Materia vel in ſicco vel in aquis diutiſſimè durat: at viciſſitudinum ſiccitatis ac humoris minus patiens eſt; reliquas poſt Cornum firmitate facile vincere auctor eſt Theophraſtus. Noſtrates (ut diximus) pro rhedarum ac vehiculorum axibus ea utuntur proque rotarum Modiolis, ad quem uſum aptior eſt quæ verrucoſis & nodoſis excreſcentiis tota ſuperficie obducitur, quibus hæc arbor præſertim detonſa valde obnoxia eſt, ſucco nutritio ob ubertatem, & quia exitum non invenit, perruptis vaſis ei devehendo deſtinatis ab uſitato tramite deerrans, & in irregulares motus, flexuoſos, circulares, undantes, raptus hujuſmodi tumores excitat; hinc Theophraſtus & Plinius Ulmum, quod virorem fortiſſime ſervet, Cardinibus aſſamentiſque portarum utilem eſſe ſcribunt; Celebratur & ad fores, præla & torcularia: utilis etiam eſt ad aſſeres pro tabulatis conclavium in domibus & ad alia multa, quæ vide in Sylva D. Evelyn.

Quod ad vires in medicina (authore Dioſcoride) Ulmi folia, rami & cortex adſtringendi vim habent. Folia trita ex aceto ad lepram efficaciter illinuntur. (Corticihoc tribuit Galenus, Plinius & libro & foliis) & Vulnera glutinant. Multò verò magis Cortex ſi faſciæ loco circumvolvatur. Radices eandem vim habent vulnera glutinandi? Nam decocto earum (Corticis radicum Dioſcor.) quidam perfundunt fracturas, unde eas celerius obducto callo conſolidant.

Idem decoctum articulorum duritias emollire, & ner-

vorum cõvulſiones reſolvere dicitur: decocto rad.ſupernatans pinguedo illita pilos defluxio reſtituit. Cortex rad. Contuſus,& muria uſque adeo ſubactus, ut malagmati ſimilis ſit, illicitus podagricos dolores mulcet.

Corticis denarii pondus (unciæ pondus) in hemina aquæ frigidæ [in vino aut aqua Dioſc.] potum alvum purgat, pituitaſque & aquas privatim trahit. Plin. Dioſc. mirum aſtringens purgare.

Lachrymam commendat Plinius ad collectiones, vulnera & ambuſta; at ulmus noſtras nec ſponte, nec vulnerata lachrymam fundit.

Cortex arboris ſi in aqua communi decoquatur, donec aqua conſiſtentiam ferè Syrupi acquirat, decocto autem admiſceatur tertia pars aquæ vitæ; ſingulare eſt remedium adverſus dolorem iſchiadicum, ſi pars affecta eo ad ignem aliquandiu foveatur.

Humor qui in folliculis foliis innaſcentibus reperitur faciei illitus cuti nitorem inducit faciemque gratiorem præſtat. Matthiolus puerorum enterocelis mederi ſcribit, ſi ſplenica in eo madefacta inguini ſupraponantur atque ſub femorali ſubligentur. Fallopius ſe nihil repetiſſe opportunius ſcribit in agglutinatione hoc liquore, ſeque vidiſſe mirabilia in Villicis: modumque ejus conſervandi tradit. plura vide apud J.B.tom.1.part. 2.lib.8.cap.51. pag.144. 145.& Sennertum in Paralipom. ad lib.1. pract. cap 19. Henricus ab Heers in obſervat. medic. duas narrat Hiſtorias imprimis memorabiles de hoc liquore quorum priorem non pigebit huc tranſcribere.

Ante annos 29. multum maris & terræ emenſus ſum cum quodam Lithuano, Chemiam, variaſque artes, ſerias, ludicras, etiam magicas, quarum tamen me præſente nullum unquam ſpecimen, etſi ſerio conaretur, edere potuit, profitente. Hic ab omnibus Medicis, agyrtis, anubus, veneficis, Chemicis, in tota quam obierat Aſia & Europa, ſecreta, ut vocabat, prece vel pretio, vel permutatione plurima collegerat: inter alia gallum gallinaceum utraque illum manu tenens, mihi obtulit, juſſit me oculum ſæpius acutiſſimo cultello punctum, interque digitos preſſum orbitæ cranii reponere: Affudit illi liquoris duas guttas, obligatoque capite ciſtæ incluſit. E qua poſt horas octo eduxit, utroque oculo ita ſibi ſimili, ut nec ego qui ſecueram, nec aſtantium aliquis ſectum oculum à ſano poſſet diſtinguere. Altera Hiſtoria eſt de Filia Viri Nobilis, cujus oculum acu punctum poſtquam totus humor aqueus & pars vitrei effluxerat, liquore hoc intra unius noctis ſpatium perrecte ſanavit: manſit tamen lumine & viſu caſſa: verum ita ut etiam vigeſimo poſt anno nemo excæcatum oculum videns, etſi curiosè indagabat, diſcriminare potuit, imo multos annos cum marito orbitatis ejus inſcio vixit. Hactenus ab Heers.

Verum ex recentiore & acuratiore obſervatione Franc. Redi,& Antonii Nuck colligitur liquorem prædictum ad vulnera inflicta ſananda & humorem oculi, aqueum expreſſum reſtituendum nihil contuliſſe, ſed naturam ſolam totum opus perfeciſſe: id quod cuivis manifeſtum eſſe poterit, [inquit D.Redi,] cui placuerit oculos hirundinum, aut alterius cujuſcunque Aviculæ acu vel ſcalpro ſoletter terebrare. Ego ejus rei periculum feci in Gallinis, anſeribus, anatibus, gallis noſtratibus & Indicis & animadvertendo omnia hæc volatilia ſua ſponte minore quam 24.horarum ſpatio ſanari veracem deprehendi Cornel.Celſum lib. 6. dicentem extrinſecus vero interdum, ſi ictus oculum lædit, ut ſanguis in eo ſuffundatur, nihil commodius eſt quam ſanguinem columbæ, vel palumbis, vel hirundinis inungere, neque id ſine causâ fit cum harum acies extrinſecus læſa, interpoſito tempore in antiquum ſtatum redeat, celertiméque hirundinis, unde locus fabulæ factus eſt aut per parentes, aut id herba Chelidonia reſtitui quod per ſe fit. Antonius Nuck in libello quem nuper evulgavit, de Ductu Salivali novo, Saliva, ductibus oculorum aquoſis & humore oculi aqueo, ductus hoſce aquoſos in oculi bulbum inſeri obſervavit, quibus humor aqueus aſſidue ſuppletur, & effuſus intra paucarum horarum ſpatium reſtituitur: unde in vulneribus & puncturis oculorum non aliud medicaminis genus magis neceſſarium putat quam quod mucagine quadam labia vulneris oblinere & viam quodam modo præcludere valeat.

Quòd humor oculi aqueus ſponte reſtituitur abſque ullius medicamenti ope, experientiâ probat; expertus (inquit) novi, loco ſaltem obſcuriore ſervato animali (poſt Corneæ læſionem & humoris aquei expreſſionem, decem horarum ſpatio, oculo humorem viſumque redditum fuiſſe & nuperrime in theatro noſtro Anatomico [Leydenſi] publice Idem demonſtravimus in cane cui ex vulnerato oculo tam copioſe effluxit humor aqueus, ut flaccidus appareret oculus læſus: obſervatum tamen elapſo ſex horarum ſpatio oculi bulbum humore ſuo iterum repletum fuiſſe, idque ſine ulla medicamentorum applicatione, ipſum Galenum hoc non latuit, oculos vulneratos reſtitui poſſe; cæterum incredibile quiddam, nec fieri vulgo ſolitum in puero vidimus, qui ſtilo in pupillæ loco fuerat compunctus, nam cum ſtatim effluxiſſet aquoſus humor, tum pupilla ipſa minor eſt reddita, tum tota cornea apparuit rugoſior, cæterum ſanatus poſtea recte vidit collecto ſcil. paulatim in eo qui effluxerat humore. Et ſi fides Hiſtoriæ Bizantinæ ſcriptoribus, teſtantur hi Imperatores Conſtantinopolitanos quoſdam, quorum oculi pungente inſtrumento, (qua de cauſa ſupervacaneum hic dixiſſe) ita lædebantur ut aqua efflueret, brevi tamen poſtea oculorum & vigorem & præter expectationem viſum recuperaſſe. Hoc ſi minus veriſimile videatur, teſtem adduco Joſephum Zambeccarium, qui de doctore quodam Nerio narrat ſequentia. Canis (inquit) binos oculos ſcalpello Chirurgico, quo venas aperire ſolent, dextre confodit, ex iis totum humorem aqueum expreſſit, ita ut oculi tanquam duo ſacculi vacui corrugati manſerint: cane deinde ſub ſolius beneficæ naturæ tutela relicto, poſt ſex horas & breviori forſan tempore, ipſius oculos repletos fuiſſe,& ad ſtatum naturalem rediiſſe; cicatricis nota ſolum remanſerat, & canis lætus & alacer erat, ac ſi nullo affectus fuiſſet incommodo,& quod pluris intereſt, cæcus non manſit & acutè videbat. Idem experimentum in variis aliis canibus, ſuper cuniculis, Indicis porcellis & Agno rurſus tentavimus, ſemper omnes intra paucas horas feliciſſime ſanati ſunt,& adeo incolumes evaſerunt, ut ne unus quidem ex ipſis ex inflicto vulnere cæcus remanſerit. Hæc autem quæ Nerius expertus eſt veriſſima ſunt, ſed locum ſaltem habent in oculis quibus pungente acu, aut alio quopiam inſtrumento, ſed tenello vulnera infliguntur exigua: ſi vero majuſculum fuerit vulnus, intimiuſque adactum inſtrumentum pungens aut ſecans, ſanandi methodum quam ſupra propoſuimus obſervare præſtabit.

Ex hoc liquore oleum paratur, teſte Sylvio, in vulneribus præſtantiſſimum. Nobis vero hactenus obſervatum, inquit J.B. olea quæcunque in vulnere ſimplici minus profeciſſe: nam & eis fere ſordeſcit vulnus, & glutinatio, quæ imprimis deſideratur, impeditur.

Cæterum apes, ubi ſe poſt hybernam famem Samerâ impleverint, profluvio alvi, niſi ſuccurratur, intereunt. Hinc in regionibus Italiæ ulmis conſitis, raro frequentes durant apes; ut prodidit Columella. Nihil tale à nobis hactenus obſervatum, at neque ab aliis fide dignis traditum accepimus RAIUS.

UMBILICUS MARINUS.

Nomina. Androſaces Matth. ſive fungus Petræus Marinus, ſive Umbilicus Marinus *J.B.* Andr. Matth. ſive Cotyledon Marina & Umbilicus Marinus *Park.*

Androſaces Chamæconchæ innaſcens, vel minor *C. B.* Item Androſacea Petræ innaſcens, vel major ejuſdem.

J. B.

Vitam agit ſub aqu is, conchatum ſtriatarum gibbis ſcopuliſve innaſcens; ſtaminibus fili inſtar tenuibus, uncialibus & ſeſcuncialibus; quorum ſingulorum extremum excipit umbilicus clypeoli, circinatæ rotunditatis, lineolis à centro creberrimis productis ſtriati: color cinereus, ſapor ſalſuginoſus.

Androſaces Dioſcoridis non eſt, nec enim ſemen fert; ſed Fungi Petræi ſpecies. Duplex habetur major & minor.

Circa montem Cetium in ſtagno Volcatum petris & conchis innaſcens abunde invenitur; ut & nos obſervavimus.

Quæ de hujus viribus traduntur, conjecturis nituntur & incerta ſunt. Lobelius tamen ventrem ſiſtere novit. Ut hic ſcrupulus (inquit) Anguillare eximatur, nec expectant alvum ſolvat. RAIUS.

UMBILICUS TERRÆ, vid. *Cyclamen.*

UMBILICUS VENERIS.

Nomina. Cotyledon vera radice tuberoſa *J.B.* cot. major *C.B.* Umbilicus Veneris *Germ.* Veneris vulgaris *Park.*

J. B.

Ex radice tuberoſa, exiguis fibris donata pediculi exeunt palmares, in medium peltati circinatique folii, craſſi, ſucculenti, glauci umbonem inſerti, ſaporis viſcidi & aquei, indidemque adeo caules prodeunt duo aut tres, dodrantales aut altiores, aliàs ſimplices, aliàs ramoſi, ab imo fere ad ſummum uſque confertis floribus oblongis, herbaceis comoſi, floribus polygonati ſimilibus, concavis, minoribus tamen: ſemen exiguum portulacæ ſimile.

Folia quæ in imo caule duo vel tria plerumque ſunt, non ut reliqua circularia, neque in eorum centrum ſeu Umbilicum inſeritur pediculus, ſed ad latus. Folia interdum ſuperne concava ſunt in fundibuli aut acetabuli ferè in modum. In Saxis & vetuſtis parietibus.

Alterius ſpeciei è Luſitania allatæ à Boelio meminit Parkinſonus quam Luſitanicam majorem, foliis pallidius virentibus vocat.

Superiore æſtate in Cotyledonis plantis, quas in horto ſuo coluit, obſervavit mihique oſtendit D. S. Dale pro vaſculo ſeminali quinque Theculas ſeu ſiliquas diſcretas ſeminibus refertas ſingulis floſculis ſuccedentes, adeóque de ejus loco omnem mihi ſcrupulum exemit.

Vires. Cotyledon Galeno 7. ſimplic. miſtæ eſt facultatis, nempe humidæ, ſubfrigidæ & cujuſdam obſcurè adſtringentis, & cum ea leviter amaræ: valde refrigerat, repercutit, abſtergit & diſcutit, itaque phlegmonas Eryſipelatodes & Eryſipelata Phlegmonode curat. Et maxime ſtomachi ardore æſtuantis utile Epiplaſma. Putantur folia cum radice manducata calculos confringere & urinam movere.

Dioſcoridi Cotyledon φίμυς τῆς ὀν αἰδοίοις κωλα ſucco ejus cum vino circumlito inſtillatove. Inflammationibus, ſacris ignibus, ſtrumis, pernionibus illitu auxiliatur, ſtomachi ardorem refrigerat, hydropicis folia ex melle dantur. Herba utuntur ad amatoria. RAIUS.

UNCIA, vid. ſub titulo Menſuræ & *Pondera.*

UNEDO, vid. *Arbutus.*

UNGUENTUM.

Notum eſt apophthegma illud *veteris* cujuſdam *ſapientis*, qui rogatus quomodo ad illam ætatem perveniſſet? intus, *ajebat*, intus melle, extus oleo. Nobis id facilè licebit applicare ad præſentem, ſcopum, non ſolum interna medicamenta ad ſanitatem facere; ſed & localia externa, ſiquidem præ reliquis animantibus glabra cutis homini obtigit, litui perapta.

Neque verò opus eſt, ut de LINIMENTIS & UNGUENTIS ſeorſim, duobuſve agatur capitibus ſiquidem magis & minus non variat ſpeciem & ex eodem fundamento utriuſque fabrica propullulat.

Nomen ſortita ſunt ab applicandi modo, ſive ab *ungue* unguenti nomen arceſſas, quod apud antiquos maximè valebat, quibus voluptuaria magis erant unguenta, & ad gratiam ſerviebant, quod hodiè de balſamis ſimiliter locum habet; ſive ab *unguendo*, ut ab *illinendo linimentum* dictum, non attinet dicere pluribus.

DEFINIRI poteſt *unguentum*, *quòd ſit medicamentum topicum, modò liquidius, modò ſpiſſius maximè ex oleoſis, leni affrictu corpori pro variis uſibus exterius applicandum.*

Topicum eſt medicamentum in quo genere cum reliquis convenit aliis, emplaſtro, epithemate, &c. Differentia verò ſpecifica conſiſtit in duobus potiſſimum, 1. in *materiali*, quod præcipuè ſunt oleoſa & pinguia, 2. in *applicandi modo*, qui non ſolùm ſimplici impoſitione; ſed affrictu fieri conſuevit.

Ut verò ab aliis jam laudato pacto differunt, ita & à ſe invicem paulò ſunt diſcriminata, idque præcipuè quoad conſiſtentiam, alia quippe ſunt fluida magis, ut linimenta, (ſiquidem ſtrictâ notione vocis unguentis contradiſtinguantur,) alia ſpiſſiora & mollia, ut unguenta; tum quoad virtutem & efficaciam, quam vel diffuſam habent majori mole, ut linimenta & unguenta vulgaria; vel concentratam, in exiguo corpore, ut balſama odorifera.

Utut verò omnia liquida & mollia in ſe ſpectata litu mediante externo corpori applicari queant, nihilominus tamen, teſtante experientiâ, magis huic rei inſerviunt, ceu elementa ſimpliciora, ſulphurea & principaliter quidem *oleoſa*, ſeu quæ reſinâ fluidâ pollent & inſtructa ſunt, adæquatè etiam *ſpirituoſa fluida.*

Spirituoſa quidem, quatenus leniter affricata citiſſimè penetrant, qualia ſunt in ſpecie linimenta nervina (non oleoſa,) quæ ex ſpirituum urinoſorum & φλογιςῶν conſortio emergunt, licet commodiſſimè quoque cum his conquaſſari poſſint olea deſtillata, v.g. oleum ſaponis in arthritide. Et hæc quidem poſterioribus ſeculis nata ſunt, unde mirandum non eſt, in tantâ Chimiæ ignorantiâ talia apud veteres unguenta non occurrere.

Oleoſa verò huic negotio præ aliis ſunt aptiſſima. Sic enim 1. vel ex *ſolis* quandoque *oleis* litus fit, ut notum eſt, Chirurgos commodè terminos partis vulneratæ oleo roſato illinere, quod ipſum & in affectibus capitis talibus non intermittunt, idque vel eo commodè nomine, quòd blandâ hâc emollitione & tepore tumores à circulatione ſanguinis impeditâ tollere poſſint: par ratio eſt, ſi unum alterumque oleum ſecum invicem remiſceatur, & compoſitum conſtituat.

2. Ex *oleis, pinguedinibus ac medullis*, quæ ipſæ quoque oleorum vices ſubeunt omninò, pinguedine humanâ, v.g. butyro inſulſo &c.

3. Ex *oleis*, ſeu *coctis* & *infuſis* ſeu *expreſſis*, varii generis, & oleis *deſtillatis*, qui modus ſanè commodiſſimus eſt & eximius, ſiquidem illa merum quaſi offerunt oleum, merum corpus, hæc verò concentrata ſeu deſtillata, ſi fateri volumus, quod res eſt, animam. Adeò & hîc commodum eſt Galenicorum & Chimicorum matrimonium. Et hæc hoc pacto nihilominùs ceu tutelari præſidio gaudent, quæ aliàs inuncta facilè

 tranſpi-

tranſpirarent citius. Vnde concinno ſtratagemate alterum alteri ſic commode ſubvenit.

4. Ex *oleis cum aqueis mixtis*, ſivè *ſuccis expreſſis* & in primis liquidis, ſivè coctione prolectis ex plantis cum aqua ſimplici, (ſingulis iis incoquendis, ut homogeneitas emergat) ſivè analogis aliis his liquoribus, v. gr. vino uti unguentum vulgò Samaritanum fit ex vino & oleo, illo coctione conſumpto: *mucilaginibus* tum *vegetabilibus*, uti ejuſmodi linimenta in febrium ardentium Veſuviano ardore & ſqualore linguæ in praxi neceſſaria ſunt; tum *animalibus*, ut albumen ovi, quod tamen videri poſſet paulò rarius, quale eſt v. gr. unguentum ad ambuſta *Mynſ.* ſatis euporiſton ex oleo lini & albumine ovorum ſimul conquaſſatis.

Notabilis h. l. eſt terminus *nutriri* ubi imbibitione, (id enim nutrire hic notat medicis) inſuccatur quaſi liquor pulveri vel calci metallicæ, & hinc miſcetur cum oleo, uti ſic fit unguentum de lithargyrio cum aceto & oleo, &c.

5. Ex *oleis*, *ſpiritibus*, & *extractis*. Notabile enim eſt, olea cum ſpiritibus, mediante hoc interprete, ſpiſſo ſcilicet corpore quovis, diſſipata in minimas particulas, intimè conſociari in linimenta, uti facile eſt v. gr. cum confect. alkerm. & aliis talia linimenta cordialia componere.

6. Ex *oleis cum gummatibus extractis*, *emplaſtris*, *cerâ*; & quidem cum vel ſine pulveribus & illis affinibus, quæ quidem unguenta magis ſunt compoſita.

7. Ex *melle*, *aqueis* & *pulveribus*, quale exemplum præbet unguentum Ægyptiacum, quod ex aceto, melle & viridi æris conſtit. Ubi notandum aquea h. l. latius dici pro omnibus iis liquoribus, qui non ſunt oleoſi Deinde etiam quod omnibus hiſce ſpeciebus addi poſſint & miſceri pulveres, & quod hæc invicem quoque commiſceri ulterius queant. Adeoque ſummatim res eo redit, oleoſa, pinguia & his conformia & liquida ſpiſſa inter ſe & cum pulveribus poſſe miſceri, addenda verò his heterogenea concorporanda eſſe.

8. Ex *unguentis officinalibus cum oleis ſimplicibus & deſtillatis*, *pinguedinibus*, *pulveribus*, in unum corpus facta mixtione, quem in finem præſtat cognita habere uſitata officinarum unguenta, variis ſcopis debita, & hic modus communiſſimus & facillimus quoque eſt.

Notabiles verò ſunt circa hanc ipſam corporaturam linimentorum & unguentorum CAUTELÆ.

1. *Pulveres groſſiores & mage corporeos minus benè conjungi & ſociari*, unde laudem meretur *Heurniana* obſervatio rectius fieri unguenta cum herbarum ſuccis quam cum eorumdem pulveribus, idque ad faciliorem penetrationem & illinitionem, *meth. ad pr. p.* 58. Adde quod vegetabilia jam indigitato modo coqui & colari poſſint commodius.

2. *In unguentis curandum, ut & virtuoſa ſint & penetrantia.* Neque enim ſolùm in extima pelle conſiſtere debet eorum virtus; ſed intimius adigi ad locum affectum, ut commodè ſine ſuo potiri queant. Et in hoc ſanè magna differentia eſt unguentorum vulgarium, veterum illorum, & ſelectiorum; ut enim veterum illorum, & ſelectiorum; ut enim verum fateamur, plurima illa unguenta pinguedine oblinunt magis v. gr. regionem ventriculi, hypochondriorum, lumborum, quam, ut de ſe expetitam ſpirent efficaciam. Hinc v. gr. in affectibus hepatis non ſola olea, nec linimenta unguinoſa præſcribenda, fruſtrà quippè id fit ob ſitum viſceris profundiorem, quo hæc ipſa torpida penetrare nequeunt. Hinc & vinum, acetum, & alia redduntur.

3. *Unguenta tonum viſcerum reſpiciant*, ut nempè ſingulis, quibus debentur, conveniant, hinc cordi & ventriculo magis ſpirituoſa & aromatica conveniunt, utriſque odorata; hinc hypochondriis etiam magis carminativa proſunt; hinc antiquitùs & vulgò quoque pro ventriculo galangam, pro hepate ſandalum ſolent addere. Contra ea cocta olea, quæ tamen frequentius vulgò præſcribuntur, ſeu unguenta unguinoſa, minus conveniunt ventriculo, magis balſamica odorata, balſama ſtomachalia &c.

4. *Aquea in unguentis, cum ſint heterogenea, ſi non poſſint conquaſſari incoqui & inſpiſſari oportet.* Nam ut aquea epithematibus cataplaſmatibus magis conveniunt, ita unguentis & emplaſtris oleoſa, unde huc pertinet cautela *Helmontii* quoque; *nihil emplaſtris & unguentis admiſcendum eſſe, quod in eis nequeat per totum homogenealiter reſolvi.* Ex quo inferre licet, illa unguenta, (par ratio eſt emplaſtrorum) in quibus olea, ceu excipiens, ſimul ſolventis quaſi vicem obeunt, eſſe præſtantiora, quam ubi ſimplex fit mixtura qualia ſunt præter §. 1. dictos pulveres vegetabilium, alii terrei quoque. Et hinc porrò eſt, quod talia ſubtiliſſime ſint læviganda, ut ſecum quantum fieri poteſt, incorporentur, homogenea fiant, & ſaltim ad ſenſum, ſe invicem tranſeant. Hinc & in unguentis mercurialibus mercurius prius extinguendus, & in minimas atomos diſpergendus eſt, id quod optimè fit non tam ſalivâ, non tam ipſis pinguibus, quam addito modico terebinthinæ Cypriæ, qui inviſcatus, hinc terendo in expetitam formam fatiſcit.

5. *Salia, in primis corroſiva refractè magis ingredi debent*; cum enim & maximè activa ſint, & minus certò definiantur termino, ut emplaſtra, ſed fluxilia ſint, facilis indè, ſi contrarium fiat, fit læſio; Hinc ad ℥j. olei ſeu pinguedinis, vel hujus analogi, gut. j. ad vj. ℞ri, ☉-☉ &c. ſufficit.

5. *Baſis excipiens ut plurimum primo loco præſcribitur*, ſeu oleum fuerit, ſeu pinguedo, ſeu unguentum officinale, additis hinc pro re nata aliis accommodis, ut adeò hinc.

FORMA externa illinibilis emergat, ubi in primis dicendum venit de conſiſtentiâ. Præſuppoſito enim ſolâ conſiſtentiâ fluidiori vel ſpiſſiori inter ſe differre hæc duo, ſæpè tamen confundi utraque alterumque pro altero prædicari, nihilominus maxima in hoc ipſo occurrit latitudo; undè quamvis vulgò unguenta v. gr. inſtar electuarii ſe habere linimenta inſtar ſirupi vel linctus dicantur, facile tamen fuerit ex iiſdem ingredientibus oleoſis modò linimenti, modo unguenti formam prodire poſſe, & hæc ipſa curſum ab his terminis ſecedere, magis quippe vires, quam conſiſtentia, attenduntur, modò commoda ſit illinitioni.

In primis corporaturam hanc ipſis fœnerat *cera*, ubi notandum,

1. *Ceram non eſſe de eſſentia unguentorum*, & in primis *linimentorum*, undè & poſt principia ſtat, & ad virtutem parum confert, unde nec omnibus unguentis additur, ſed plurima citra eam conſiunt. Cera enim per ſe non benè inungitur, ſed conglobatur affrictu, unde & in balſamica unguenta ſeu balſama odorifera non ingreditur. Cera poros obſtruit, unde minus penetrare ad partem affectam poteſt linimentum, quod ceram recipit. Quando verò intentio eſt poros obſtruendi & magis ea adhærere debent, magis recipi poteſt.

2. *Selectus in cerâ minus obſervatur*, undè licet ſint, qui veram flavam in affectibus frigidis, albam in calidis eligant, parum tamen intereſt.

3. *Cera quantitas rarò exprimitur.* Utut enim autores hanc proportionem exprimant, ut ad ℥j. v. g. olei, ceræ ſuboctuplum ſeu ʒß. in linimentis, ſubquadruplum ſeu ʒij. in unguentis, & pulverum circiter ʒj. recipiant, uſitatius tamen termino vulgari, quantum ſufficit, id effertur.

4. *In linimentis & unguentis præſcribendis non peccandum exceſſiva quantitate.* Et hoc in genere notandum,

dum; in ſpecie verò vix ultra ℥j vel ij. facilè tranſcendimus, præterquam pro uſu magis univerſali, v.g. in atrophiâ, in paralyſi, & ſimilibus affectibus, ubi ſpina dorſi, articuli, plantæ pedum, inungendæ. Imò præſtant talia unguenta, quæ penetrantia, & animâ mage inſtructa ſunt, in minori quantitate, etiam duplo aliorum minùs talium.

5. *Odorata unguenta decorant*, præcipuè enim & externis medicamentis gratia ineſſe debet; ne fœtore, colore ingrato, ſordida & inviſa reddantur; hinc v.g. unguenta ſcabioſa non tàm ingrata illa & fœtida, quàm ſuaviora ſeligenda. Neque verò ſolùm decorem, ſed & virtutem largiuntur, ſiquidem ſubtili ſuâ ἀναθυμιάσει maximè penetrant, & reliquorum virtutem ſecum tranſvehunt.

Denique forma hæc emergit & mixturæ inducitur, vel cum igne, præcipuè ſi ſint vel magis homogenea, ut hoc modo ſolvantur & ſubeant ſe invicem, vel heterogenea aquea, ut difflari vel inſpiſſari poſſint: vel ſine igne, ſolâ triturâ & ſubactione ſolerti, id quod in fluidioribus magis ſuccedit.

Unguentum in dolore capitis: ℞. *unguenti alabaſtr. ʒiij. populn. ʒj. philon. Rom. ℈ij. ol. nuc. moſch. expreſſ. gr. vj. nucleorum perſic. q. ſ. M.*

Antiparalyticum: ℞. *unguenti nervin. ℥ß. vel j. ol. petrol. ʒj. anth. ſuccini, ſalviæ, ſpicæ, an. gtt. vj. balſami de Peru ℈j. ſpirit. formic. ʒij. M.*

Pectorale: ℞ *unguenti rubri potab. ℥ß. ol. aniſi, fœnic. an. gtt. iij. croci gr. iv. M.*

Spleneticum: ℞. *ol. cappar.* ℥ ß. ☿ri *fœt. rectif. carvi, aniſi, junip. ſuccini*, ana gtt. vj. M. D. in vitro.

Nephriticum: ℞. *unguent. anod. ol. ſcorp. Matth. an. ℥ß. junip. ʒß. ſuccini gtt. vj. aniſi, carvi, ana gtt. iv. ligni Rhod. gtt. iij. M.*

Anticolicum & hyſtericum: ℞. *ol. hyoſc. ʒiij. nuc. moſch deſtillati, anethi, carvi, aniſi, ana gtt. vj. zibethi gr. ij. M.*

Contra ſcabiem: ℞. *unguenti enulati cum ☿io ℥ß. ſl. myrrhat. ʒj. ol. ☿ri per deliquium ʒß. lign. Rhod. gtt. vj. Balſ. Peruv. ℈ß. M.*

Notanda hîc in ſpecie ſunt unguenta officinalia quæ & per ſe pro uſu chirurgico, polychreſto, & aliàs conveniunt, ut ſingulorum quis virtutem nôrit ut in ſpecie unguentum digeſtivum, quod tale in uſu eſt Chirurgis: ℞. *tereb. cum vino vel aq. roſar. lot. ad albed. ℔ß ſebi cervini ℥iij. ol. roſar. ℥iß ceræ albæ, maſtich. olibani, ana ℥ß. camph.* ʒj. M. F. l. a. unguentum.

Hoc ipſum porrò in ſordidis ulceribus permiſceri poteſt cum unguento Ægyptiaco., quod & ſolum officium facit. Pertinent quin imò huc balſama vulneraria & alia ſimilia in praxi occurrentia.

Uti verò latiſſimus eſt unguentorum & linimentorum campus, ita ipſorum UTENDI ET APPLICANDI MODUS non minùs venit attendendus.

1. *Ratione partium affectarum*, quibus debentur unguenta & linimenta, notandum eſt *Oribaſii* effatum 10. *coll. vigeſimo ſeptimo*, apud *Bauhinum*: Quibuſcunque partibus cataplaſmata applicari nequeunt, nec madefactioni locus eſt, ibi præcipuè unguenta locum habent, verbi gratia, palpebris, auribus, totaque facie affectâ, in his enim conſiſtere minus poſſunt cataplaſmata, adeoque commodiſſimè unguenta ferunt. In reliquis videndum, an nullum adſit contraindicans, de quo paulò pòſt dicemus. Latior itaque eſt uſus unguentorum & linimentorum, quàm cataplaſmatum & epithematum, quin auſim dicere, & emplaſtrorum ipſorum.

2. Quoad *locum applicationis* in ſpecie, quæ pars ipſa indicat, ſeu immediatè, ſeu mediatè, illi quoque debentur eadem. Climata verò illa præcipua juxta corporis fabricam luſtrabimus. *Bregmati* adhibentur in catarrhis, quale unguentum eſt *Horſtii* ex gummi elemi in oleo ſuccini ſoluto, modò non hiſce calidioribus materiam ſeroſam à naturâ illuc motam in vaſa præcipitemus, & febrem aliaque mala excitemus, id quod à nonnullis factum meminimus cum periculo. Oleo verò ſuccini in uvulæ laxitatibus eodem loco ſæpiùs feliciſſimè uſi ſumus. *Temporibus & ponè aures* ſomnifera, in agrypniâ, id quod *& naribus* ſolent quidam applicare. *Oculorum palpebris* inunguntur commodè unguenta, præſertim acriora paulò, verbi gratia, eſſentia fellis lucii piſcis, pinguedo viperarum, aſciæ piſcis, quibus frequentiſſimè cum ſucceſſu utimur, non ſolùm in ſuffuſione & aliis malis oculorum, verùm quoque pro confortando viſu. Τῇ μεσημβρίᾳ *narium* in coryzâ, ut & ipſis *naribus*; *linguæ* ex theriacâ, ſinapi, caſtoreo, in aphoniâ, quale exemplum habet *Heer. obſ.* 21. *Spinæ dorſali* in paralyſi, roborandiſque nervis & mitigandis ſiquidem & in epilepſiâ conſultum & proficuum hanc illinitionem deprehendimus: in febribus item ante paroxyſmum in hecticâ, atrophia, tabe, & ſudore colliquativo *Scrobiculo cordis* pro ventriculo, & quidem non tàm ex oleis coctis, quàm balſamicis, aliàs quippe facilè laxum tonum eidem & debilitatem inducunt.

Lis quidem eſt inter autores, an anticâ vel poſticâ parte circa ſpinam dorſalem meliùs applicentur hæc topica, quod prolixiùs deducere poſſemus, niſi brevitati magis ſtuderemus. Qui poſteriùs applicare volunt, perhibent, orificium ventriculi ſiniſtrum vertebris dorſi vicinius eſſe, quàm cartilagini enſiformi; contrà ea verò calorem anteriùs faciliùs communicari cùm hepate, nullo ad ſtomachum redundante commodo; ſed juxta alios rectè objicitur. 1. Medicamenta per tantum oſſium vallum vix penetrare poſſe. 2. Vires eorum hoc modo multum exſolvi & deperdi priùs, quàm ad locum affectum pertingant. 3. Hepar ibi valdè tenue eſſe & faſtigiatum, ut, ſi omninò aliquid caloris concipiat, quod tamen ob refractam topici vim erit perexiguum, non ſit ob id metuendum toti viſceri. 4. Medicamenta ejuſmodi non eſſe intenſo gradu calida. Sin quis nimis calida adhibeat, hunc ſcopulum impingere poteſt

Sit ergò & hîc ſua laus unguentis ſtomachicis, ſiquidem ut nonnunquam fit, & circa dorſum, circa interſtitium ſcapularum doleat, potior tamen ratio eſt partis anticæ habenda.

Porrò *hypochondriis* inunguntur pro viſcerum ibi ſitorum, hepatis & lienis, ſolamine: *dorſo & lumbis* pro renibus in calculo, item affectibus uteri, ob metum abortûs: in pollutione nocturnâ &c *umbilico* antepileptica, diuretica, & purgantia, uti eo nomine unguentum de arthanitâ id eſt, de cyclamine in uſu eſt, item carminativa & paregorica in colicâ, pellentia in partu difficili, quòd pars ſit maximè perſpirabilis. *plantis pedum* ſomnifera & pectoralia quædã uti pinguedo lucii piſcis eo caſu vulgò adhibetur. *Digitis pedum* phrodiſiaca: *articulis* Mercurialia pro ptyaliſmo excitando in lue venereâ, ſcabie fugandâ; *Pubi* in iſchuriâ, affectibus uteri, & partium genitalium.

Tacemus partes alias, *uteri orificium* in partu, *thoracem* in affectibus pectoris, &c.

Ut verò 3. *penetrent* & *actuentur magis*, duo potiſſimùm conferunt, tum antecedens *frictio*, quæ maximè locum habet in ἀκόποις, ſeu, quæ dolori debentur & ſimilibus, tum conſequens *calefactio*, quibus utriſque virtus unguentorum & linimentorum ſanè maximè promovetur. Notabile in hoc eſt conſilium *Helmontii*, qui utut aliàs cauſas illas occaſionales, ut vocat, Archeum

chéum ad furorem vel iram concitantes, parùm curet, in quo nonnulli eundem τῷ πάδα ſequuntur; neſcio tamen quo favore proſequatur unguenta. Præſuppoſito etenim, unguentis quamplurimos morbos ſuperari, *lib. imago fermenti &c.* inſcripto *pag. nonageſima tertia*, in altero *pharmacopolio moderno*, ubi affectus eſt externus, tepida ſuadet eadem apponere; ubi verò internus, unguina hæc lapide calefacto vel arenâ calidâ [ſacculo calido uno verbo,] foveri jubet: illud in balſamis vulnerariis potiſſimùm & ſimilibus; hoc in doloribus, pleuritide, nephritide, &c locum habet. Dici enim non poteſt, quantum ſacculis talibus paregoricis, vel lapide ſerpentino calefacto &c. tenſiones & dolores partium ſopiantur, ut alia mittamus.

4. *Tempus* eſt vel *definitum & determinatum*, vel *indefinitum*. Opus habent illo gladiatorum termino antiquo: repete, unde nonnunquam in calculo, pleuritide, ſingulis 2.3. horis jubemus eadem illinere.

5. *Modicè, parum, & frequenter ſunt inungenda ut plurimum*; ſemper tamen vel ad extrinſecum, vel intrinſecum ſcopum frequentiùs habito reſpectu, vi methodi medendi.

Et hæc quidem de utendi modo; quam tractationem obſigillabimus digno ſcrutatu iſto corollario: Utrum dentur unguenta univerſalia, uti de lapide Butleri ſcribitur, ipſum ſolo quaſi linguæ contactu plurimos, ſi non omnes morbos ſanaſſe, unà cum paucis ſaltim adhibitis circumſtantiis. Sequuntur hunc ex parte alii, qui ad bregma id fieri præcipiunt.

Non negamus illud *Helmontii* effatum, odores habere immediatum cum ſpiritibus contactum, & multum poſſe in excitando archéo: utrum verò hìc ipsâ illinitione cum lapillo tali ex ente veneris &c. ille ipſe Archéus ita confortari poſſit, ut omnes cauſas occaſionales à ſe averruncare queat, magnum eſt & vix concedendum poſtulatum.

Miſſo itaque generali & communi hoc uſu de particulari jam & privativè & poſitivè erimus ſoliciti.

Unguenta 1. *minùs refrigerant*, reſpectivè ſcil ſeu frequentius calefaciendi, quàm refrigerandi fine præſcribuntur, & per conſequens refrigerantibus quoque, v. g. ungu. refrig. Gal. roſato Meſue, non æquè & per omnia fidendum, ob adjunctam quippe oleoſitatem.

2 Unguenta *minus adſtringunt*, ex generali illâ inductione, quod olea & pinguia omnia laxent, unde impropriè magis ſunt adſtringentia. Hinc & præter unguentum comitiſſæ, quod inunctum *lumbis*, in pollutione nocturnâ; *pubi* in menſium fluxu &c. commendatur, pauca in officinis ſunt adſtringentia unguenta. Et quæ hoc fine adhibentur, magis roborante aromaticâ vi in dyſenteriâ, abortus metu, vomitu, cholerâ, proſunt, quàm aliâ.

3. *Unguenta ubi laxitas vitanda, minus conveniunt*, hinc quod jam de ſtomachicis diximus & aliis, valet etiam de articulis, in podagricis quippe & arthriticis unguinoſa tranſpirationem impediunt, affluxum majorem cient, & loco affecto facilè humores impingunt, adeoque conſultius omittuntur. Quin &, ex *Cratonis* præcepto, *conſ.* 8. in pulmonum affectibus cautè ſunt inungenda, utut enim laxent materiam bronchiis inhærentem, attamen facilè affluxum majorem ipſis inferunt, unde eo caſu reſolventia magis proſunt, ut unguentum rubrum potabile. Hinc quæ viſcera adſtrictione gaudent, per unguenta laxari, ventriculus, quæ verò laxitate gaudent, nimis laxari renuunt.

4. Unguenta *cancero, hæmorrhoidibus, inflammationibus, ulceribus, tumoribus laxis & prahumidis* minus conveniunt, in cancro quidem, quia emollientibus acrimonia illa acido ſalina magis exacerbatur & diſſeminatur, unde vel ex ſolo hoc erraro, intempeſtivâ unguentorum applicatione, tumores non canceroſi in canceroſos ſæpè degenerant, præcipuè in membris delicatis, mammis, naribus, Hæmorrhoidibus, quod dilatent magis folliculos venarum, ſorditiem ibi collectam, vel ſanguinem etiam floridum fervidiorem exaſperent, tranſpirationem prohibeant, &c. Unde licet apud omnes adeò practicos deprædicentur unguenta, & in ſpecie de linariâ in eo caſu, neſcio tamen, quibus obſervationibus id confirmati ſcripſerint; ſiquidem aliquoties obſervavimus, hæmorrhoidibus cæcis dolorificis minùs hæc profuiſſe, quia potiùs dolorem, fervoremque intendiſſe. Inflammationibus, præterquam ad ſuppurationis promotionem, unde unguenta in eryſipelate proſcripta ſunt, licet ſint v.g. *Rondeletius*, qui & in hoc affectu unguenta præſcribant. Certum quoque eſt, inflammationibus externis, ſcilicet gravioribus, unguenta improvidè applicata ſæpe gangrænam excitaſſe. Hinc & in anginoſis non promiſcuè, uti in libellis practicorum fit, locum habent. Ulceribus laxis, v. g labiorum, ſiquidem ſordities his facilè promovetur.

Notabile tamen eſt, id potiſſimum intelligendum [1.] de *purè pinguibus oleoſis*, inprimis vulgaribus unguentis, [2.] non *immutatis*, & ſibi relictis, cæteroquin enim notùm eſt, unguentum de lithargyrio in ambuſtis & aliàs eſſe laudatiſſimum. Verbo, quicunque affectus læduntur pinguibus, læduntur etiam unguentis.

Contrà ea verò uſu ſe commendant eximio 1 *paregorico, digerente, leniente & mitigante*, hinc unguenta ἄκοπα in laſſitudinibus & doloribus ita dicta peculiare quaſi nomen obtinuerunt, hinc in pleuritide, colicâ, calculo, ileo, dyſenteriâ, nil præſentius eſt unguentis, quibus dimidia quaſi pars curationis horum affectuum abſolvitur.

2. *Emolliente*, de naturâ enim pinguium eſt, ut eximiè & eminenter emolliant, hinc ad partum facilitandum ante & in ipſo unguenta oleaque inprimis ex oleo momordicæ, quàm commendatiſſima ſunt. Notabile etiam eſt eo caſu linimenta præ unguentis, utpote fluidiora, eſſe præferenda, lubricant quippe magis. Hinc etiam ob emolliendi & irritandi lenem virtutem unguenta epomphalia officium faciunt, quæ vulgus ſæpè etiam in pinguedine anſerinâ, ſtercore murium, & pipere cum ſucceſſu parat, ut cataplaſma ex pomis putridis, item unguentum de cyclamine huic ſcopo inſervit; Paulò tamen rarior hic eſſe uſus conſuevit, & vix alius quàm leniens, qui ipſe tamen in induratione ſtercorum ſatis commodus & neceſſarius eſt. Hinc in calculo & iſchuriâ ex eodem quoque capite proſunt eadem.

3. *Maturante & ſuppurante*. Hinc, ut alia taceamus unguenta, præter emplaſtra emollientia, chirurgi axungiam leporinam tuberculis feliciter inungunt, maxime paulò vetuſtiorem & acriorem; faciunt verò id inprimis unguinoſa, quod poris obſtructis calor digerens roboretur.

4 *Humectante & roborante*, Hinc unguenta ſqualorem cutis aridæ & exſuccæ corrigunt, glandulas ſubcutaneas demulcent. & in atrophiâ, tabe, hecticâ tum particulari, tum univerſali, officium faciunt, & audiunt talia hinc reſumtiva & analeptica, ex pinguedinibus, humanâ, taxi, & nervinis. Roborant verò inprimis balſamica, nervina, aphrodiſiaca ſubtilitate & ſuavitate particularum oleoſarum volatilium, penetrante. Et id quidem ſociâ operâ ſæpè cum balneis ſimul, ante & poſt ea, quod de emolliente & aliis quoque uſibus non minus valet.

5. *Mundante & abſtergente*: hinc unguenta coſmetica non ſolum ad faciem, verùm etiam cutem in genere laudabilia ſunt, ſcabiem, varos, impetiginem, herpetem curant, & pellem nitidam reddunt ac æqualem, unde in foveis variolarum explendis ex pinguedine aſciæ piſcis, quam vel cum ol. ligni rhodini ſolo mixtam feliciter eo caſu abhibere ſolemus, proſunt.

ſunt. Quin & in pſorâ, ſive fœdâ ſcabie & in ipsâ elephantiaſi fiſſuris & furfuribus ſquamoſis infami, officium faciunt. &c. WEDELIVS.

Unguentum eſt topicum medicamentum, ex oleo, pinguedine, medullis, reſinâ, pulvere, cerâ & ſimilibus compoſitum, ad firmiorem linimento conſiſtentiam deductum.

Proportio ingredientium talis eſſe debet, ut pro ℥j. olei, ſit pulveris, & ceræ utriuſque quarta pars. Plerumquè non limitamus ceræ copiam, ſed ejus præſcribimus q.ſ.

Solum unguentum nutritum fit ſine cera & igne.

Doſis totius eſt ad ℥iij. vj. vel ℔j. pro partis inungendæ magnitudine. Aliqui immiſcent ſuccos oleis ut bulliant ad ſuccorum conſumptionem.

Unguentum aliud officinale, quod in officinis ſervatur paratum, ut ung. roſ. populeum, de alth, quibus vel ſolis, vel ſimul mixtis utimur.

Aliud magiſtrale, quod à Medico ex tempore præſcribitur, cujus uſus eſt multiplex.

Primò, ad emolliendum, & reſolvendum in tumoribus, & doloribus à cauſa frigida.

℞. *Ung. de alth. vel reſumpt. an.* ℥j. *ung. Agrip. & axung. anatis an.* ℥ß *Miſce, fiat unguent.*

Unguentum nutritum ad herpetes cutis, ulcuſcula, phlogoſes.

℞. *Litharg. auri tenuiſſimè triti, olei roſar. & aceti ana quantum lithargyrus agitatus in mortario ebibere poterit; & juſtam craſſitiem acquiſierit.*

Loco aceti quando magis refrigerandi, quam exſiccandi opus eſt, nutritur lithargyrus cum aqua roſ. vel plantag.

Secundò, ad ſcabiem & pruritum.

℞. *Sulphur. pulv. ſucco limon. loti & nutriti* ℥j. *axungiæ ſuillæ, vel butyri recentis* ℥jß. *ſalis comm.* ʒj. *Fiat unguent. quo veſpere dum it cubitum illiniatur.*

Tertiò, ad ſalivationem provocandam in lue venerea extirpanda.

℞. *Mercurii optimi cum terebinth. vel ſaliva perfectè extincti* ℥iv. *axungiæ porci* ℔j. *unguenti martiati* ℥. j. *olei chamæmel q.ſ. Fiat unguentum, quo illiniantur ut artis eſt, artus, nates, & ſpina dorſi.*

Fortius fiet unguentum, ſi Mercurii quantitas augeatur, ad ℔ß. pro ℔j. axungiæ: Adhuc fortius erit ſi ad ℥viij. Fortiſſimum verò ſi Mercurii & axungiæ ana partes æquales præſcribantur.

Pro delicatis, gracilibus, & ad ſputum proclivibus minor doſis, pro robuſtioribus aut robuſtiſſimis proportionaliter cæteræ conveniunt. Aliquando incipimus à minori doſi, & deindè augemus Mercurii quantitatem dum videmus ſputum lentè apparere, & procedere.

Tempeſtas idonea eſt verna, vel autumnalis. Debet fieri inunctio manè horâ ſextâ. In debilibus non longè ab aſſumpto juſculo; alioquin jejuno ventriculo, vel immediatè poſt aſſumptum cyathum bocheti ex ſchina: incipiendo à partibus inferioribus ad ſuperiores. Rarò fit bis in die inunctio univerſalis, nec unquam niſi in robuſtis: ſed aliquandò particularis veſperè, ſecundum extremas partes, ut juvetur prior inunctio, ipſius operatio, utque natura citiùs proferat πτυαλισμὸν.

Inunctio fiat per tres, quatuor, aut quinque dies, donec procedat oris fluxus; qui ſi quando apparuit, lentè progrediatur, promovendus eſt frictionibus particularibus manè, vel veſperè horâ quartâ.

In obeſis, pituitoſis, iiſque in quibus timetur nervorum imbecillitas, addenda eſt ſtyrax liquida ad ℥ß. in unguentis.

Aliquando dum incipit ptyaliſmus abſtinemus ab inunctione, in debilibus potiſſimùm & delicatis corporibus; nec enim tamdiu celebrari debet, dum liberrimè oris fluor procedat, quia motus naturæ optimè regulati incipiunt debiliter, poſteà augentur: ideòque aliquando per unum aut alterum diem fit intermiſſio, quo tempore ſi videamus naturam quaſi ſopitam, & penitùs languentem ad oris fluxum, ulteriùs quantum ſatis videtur, inungimus.

Quibus lues eſt implicita febri lentæ, imminenti hecticæ, tabi, vel ſputo ſanguinis; aut talis virium tenuitas, quæ ſine mortis periculo hydrargyroſim ſuſtinere non poſſit, in his per novem vel decem vices, alterno tantum die ab inguinibus ad plantas pedum, frictiones celebrandæ ſunt, cum victûs regimine, fracto robori, inunctioni atque ejus operationi convenienti.

Criſim in procinctu & proximè accedentem cognoſcimus, quandò adeſt laſſitudo inſignis, oris & gingivarum inflammatio, tumor, & ulcuſcula naſcuntur.

Inunctus æger linteis involvendus calidis, poſteà in lecto componendus, & ſtragulis coopertus per horam ſinendus.

Nota, quod non ſit admodum opprimendus ſtragulis, ne copioſus eliciatur ſudor, ſed his ſolùm, quibus ſufficiat ad majorem tranſpirationem, & unguenti ad interiora penetrationem. Per horam ſic relinquitur plùs minùs, pro virium robore, deindè detergitur ſudor, & poſt horam juſculum exhibetur.

Quandiù celebratur hydrargyroſis, juſculis optimis & panatellis æger eſt nutriendus: accedente criſi ſolis juſculis, tùm & quandiù natura fatigatur, aut adeſt febris inſignis.

Aliquando accidentia ſuperveniunt, quæ impediunt ſalivationem, ut febris, convulſio, angina, ſuffocatio, ſudor copioſus, alvi fluxus, ob fervorem & motum humorum, qui in varias partes feruntur, naturâ non determinante motum ad os quia opprimitur & nimis irritatur, tùm verò non eſt pertinaciùs inſiſtendum frictionibus, ſed, ut prudenti Medico videbitur, vena ſecanda aut purgandum, aut utrumque agendum, aut clyſteribus detergentibus, & anodynis laxior alvus coërcenda. Sedata tempeſtate, ſi non moveatur oris fluor, ad inunctiones rurſus procedendum, ſi non ſatis fuerint celebratæ, & vires ferre poſſint.

Iiſdem linteis diù noctùque immaneat æger, per ſex vel octo dies, ut oris fluxus conſervetur, niſi febris intenſior, copioſus ſudor, aut alvi fluxus, aliùdve inſigne ſymptoma mutare cogat. Quando ſudor & alvi fluxus ſuperveniunt inſigniter dum celebrantur frictiones, dandæ ſunt induciæ, & intervallum ſufficiens ponendum inter unam & alteram inunctionem, ut deſueſcat natura, quò minimè confert, movere. Quo tempore clyſteribus convenientibus, cæteriſque indicatis frænandus humorum motus.

Præparantia inunctionibus præmittantur, in uſu erant anteà venæ ſectio, purgatio per apozemata, diæta

diæta ſudorifica per xx. aut xxx. dies addebant aliqui hydrargyroſim: jam experientia oſtendit ſecuriùs extirpari radices luis venereæ, & ſalivationem obtineri, ſi venæ ſectioni ſemel, bis, térve pro ſanguinis copia; & viribus, purgationibus interpolatis, primò ex ſenna, caſſia, manna vel confect. hamech. & ſyrupo roſat. poſteà ex aquila alba & præcipitato albo, diagridio & ſimilibus, tùm & juſculis aperientibus & refrigerantibus, balneis quoque ad ſufficiens tempus, id eſt per xv aut xx. dies celebratis; ultimo tandem ſoli luis venereæ ῥιζοτόμῳ hydrargyroſi confidamus.

Nota, quod ſi lui venereæ, quod plerumque fit, implicentur alii affectus, ut viſcerum obſtructiones, infarctus, febris continua vel intermittens, tuſſis, macies inſignis, priùs auferendi ſint convenientibus remediis, non neglectis ſpecificis his verò vel penitùs, vel ex majori parte ſublatis, procedendum ad regularem luis venereæ curationem.

Sinendum ut oris fluor procedat per xxx. dies ad minùs xx. poſteà purgatio celebranda, cui præmittatur venæ ſectio ſi neceſſaria videatur. Si calida viſcerum intemperies ſuperſit, juſculis refrigerantibus & balneis; & ſi macies etiam reperiatur lacte aſinino utendum.

UNGUENTA VARIÆ COMPOSITIONIS.

Unguentum Adſtringens ex *Phar. Londin.*

℞. Olei roſati in aqua aluminoſa ſæpe loti ℔iß. ceræ alba ℥iv. gallarum immatur. nucum cupreſſi, baccar. myrti, balauſtior. malicorii, cort. glandium, Acaciæ, Rhois, maſtiches ana ℥j. omnia optimè trita macerentur in ſuccis meſpilor. & ſorborum per quatriduum; dein ſiccentur igne miti; ſicque cum oleo & cera, F. unguentum ſ. a.

Unguentum Ægyptiacum ſimplex Meſuæ ex *Phar. Auguſt.*

℞. ℥v. mellis ℥xiv. Aceti fortis ℥vij. coquantur omnia, donec fiat unguentum ſpiſſum, & colore purpureum.

Valentiſſimum ad ſaniem ſiccandam, ſordes detergendas, & carnem abſumendam, ulceribus malignis, putridis & ſinuoſis convenit.

Ægyptiacum compoſitum ex *eâdem Phar.*

℞. Æruginis, vulgò viridis æris ℥iv. Aluminis, ſalis ammoniaci ana ℥ß. ſucci ſcordii ℥iv. Alliariæ, rutæ ana ℥iij. Aceti ſcillini ℥vj. mellis cum decocto Abſinthii & ſcordii deſpumati ℥x j. omnia ſimul lento igne coquantur ad mediocrem unguenti conſiſtentiam: addendo theriacæ electæ, mitridatii an. ℥ß. camphoræ ℥j ex probè mixtis fiat unguentum.

Uſus hujus unguenti plurimuùm commendatur in gangræna, & ſphacelo, omnibuſque aliis ulceribus valdè putridis, & ſinuoſis; putredini ſiquidem reſiſtit, & carnem mortuam à ſana ſeparat, exiccat ac detergit, vaporeſque putridos & venenatos partibus nobilioribus præcipuè infeſtos, diſcutit, à Guilielmo Fabricio Hildano, chirurgo quondam experientiſſimo, in tractatu de gangræna & ſphacelo, inſtar ſingularis experimenti ad prædicta dilaudatum.

Unguentum Agrippæ ex Nicolao *Phar. Auguſt.*

℞ Radicum bryoniæ ℔ij. cucumeris aſinini ℔j. ſcillæ ℔ß. ireos ℥iij. filicis, ebuli, tribulorum aquaticorum an. ℥ij. ceræ albæ ℥xv. olei olivarum ℔iv. radices omnes iſtæ recentes mundatæ, inciſæ, & contuſæ cum tribulis macerentur in oleo per dies octo. Deinde coquantur exprimantur, & in colato ac expreſſo oleo reſolvatur cera, fiatque unguentum ſecundum artem.

Ad Regem Agrippam auctorem referunt hanc compoſitionem; ad aquæ ſuffuſiones, partiumtumores laxos ſeu œdemata, & nervorum contractiones valet, nephriticis ſuccurrit, ac ventri illitum alvum movet, ſtranguriam ſedat, ad lienoſos quoque, & ventrem dolentes utile exſiſtit.

Unguentum de Alabaſtro ex *Phar. Auguſt.*

℞. Flor. & herb. chamæmeli, rutæ ana m ij. roſar. betonicæ ana m. j. rad. althææ ℥ij. olei roſati ℔jß contundantur, & ad aqueæ humiditatis exhalationem coquantur, poſtea colentur & exprimantur. Ex colatura cum alabaſtri puri & pulveriſati ℥iij & ceræ albæ ſufficienti quantitate, F. unguentum.

Deſcribitur hoc unguentum, ab auctore Benedicto Faventino in Emperic. cap. 1. de dolore capitis in quo tamen ſuccorum loco, ipſas herbas & flores recipere hactenus noſtri conſueverunt. Confert autem omni capitis dolori, ſive is per eſſentiam, ſive per conſenſum, cum & citra febrem obortus fuerit.

Unguentum Album, ſive de Ceruſſa dictum Avicennæ ex *Phar. Auguſt.*

℞. Lithargyri albi loti ℥ß. ceruſſæ lotæ ℥xx. ceræ albæ ℥xxviij olei roſati ℥viij. albuminum ovorum numero iv. ceræ in oleo roſato liquatæ injice ceruſſam & lithargyrum probè contritam, miſce, ac poſtremò adde albumina ovorum.

Commendatur ad ambuſta, eryſipelata, ſcabiem & cutis vitia, à ſalſa pituita, & bile uſta enata, ad prurigines ac puſtularum eruptiones, acrem ſerpiginem, attrita, & intemperiem ulcerum calidam.

Album Camphoratum ex *eâdem Phar.*

℞. Olei roſati, ceruſſæ an. ℔j. ceræ albæ ℥iv. albuminum ovorum num. vi. camphoræ dilutæ cum ſpiritu roſarum ℥ij F. unguentum ſ.a.

Ad prædicta Valentius eſt propter camphoram eryſipelata reprimit, & ambuſtis medetur.

Unguentum de Althæa ſimplex Nicolai ex *Phar. Auguſt.*

℞. Radicum Althææ ℔j. ſemen. lini, Fænugræci ana ℔ß. butyri ℔iv. ceræ ℔j. Terebinthinæ ℥ij. reſinæ ℥vj. Radices & ſemina contuſa macerentur in aqua ſ. q. deinde coquantur donec emittant craſſam & viſcoſam mucilaginem, quæ exprimatur, Tum.

℞. Expreſſæ mucilaginis ℔ij. coque cum butyro, & cùm aquoſum illud in mucilagine conſumtum fuerit, ceram cum reſina liquatam & colatam, hiſque ab igne depoſitis Terebinthinam addito, & ſecundum artem unguentum peracto.

Uſu celeberrimum ad emolliendum, calefaciendum & humectandum, pectoris dolorem à frigore contractum abolet lateriumque doloribus feliciſſime adhibetur viſcerum durities laxat, ac ſtomachi inflationes diſcutit valet ad nervorum duritiem ac reſolutionem, eoſque præciſos glutinat, vulnera claudit, inprimis veſicæ benefacit periodicaſque febres emolitur, lenit incidit & digerit.

De Althæa compoſitum Nicolai ex *eâdem Phar.*

℞. Radicum Althææ ℔ij. ſeminum lini, Fænugræci ana ℔j. ſcillæ recentis ℥vj. olei ℔iv ceræ ℔j. Terebinth gummi hederæ galbani ana ℥ij. colophoniæ, reſinæ ana ℥vj radices & ſemina contuſa macerentur in ſ. q. aqua, deinde coquantur donec craſſeſcat mucilago, poſtea. ℞. mucilaginis expreſſæ ℔ij & cum oleo ad humiditatis aqueæ conſumtionem coque.

Adde

Adde ceram cum Colophonia & reſina liquefactam & colatam, ab igne verò depoſitis & ſemirefrigeratis, galbanum cum Terebinthina liquatum, ut & gummi hederæ pulveriſatum.

Nonnulli ex pharmacopœis, ut colorem Unguenti magis intendant, illudque oculis gratius efficiant; nonnihil de radicibus Curcumæ adiiciunt, id autem, ſi Cera pulchra & citrina fuerit, facere non opus eſt, nec curcuma ad medicamenti intentionem facit. Qui etiam parare voluerit hoc Vnguentum, poſſet dimidia, imo vel tertia, quartave parte radicum Althææ, & ſeminum contentus eſſet cum præſcripta quantitas nimia eſſe videatur.

Unguentum Marum ex *Pharmac. Londin.*

♃. Olei rutæ, ſabinæ, menthæ, Abſinthii, Amygd. amararum an ℥ß. ſucci Flor. vel folior. perſicæ, abſinthii an. ℥ß. Tormentillæ an. ʒj. ſem. Caulium, pulpæ Colocynthidos, an. ʒij. Aloës hepaticæ ʒiij. Farinæ Lupinorum ℥ß. myrrhæ, in aqua graminis lotæ ʒiß. Fellis Taurini ℥iß. Cum ſucci Limonum q. ſ. & ceræ ℥j. & ß. Fiat Unguentum ſ. a.

Vnguentum ad Ambuſta ex *D. Lemery.*

♃. Olei napi ℔. ij. axung. ovillæ, ceræ flavæ, ana ℔. ß. minii, ceruſſæ ana ℥iij. F. Vnguentum l. a.

Vnguentum Anodynum ex *Pharm. Auguſt.*

♃. Olei lilior. alborum ℥vi. Anethini, chamæmelini an. ℥ij. Amygdal. dulcium ℥j. pinguedinis Anatis, gallinæ an. ℥ij. Ceræ albæ quantum ſatis eſt, in oleis & pinguedinibus ceram liquando fiat Vnguentum.

Dolores quacunque in corporis parte mitigat unde nomen quoque contraxit.

Anodynum aliud, vulgò Iovis dictum ex *eadem Pharmac.*

♃. Fol. Hyoſcyami, Verbenæ, parietariæ, ſambuci, geranii, an. m. iij. violar. papaveris albi, Cicutæ an. m. vj. ſempervivi m. iij. radicis liquiritiæ ℔. iij. omnia ſumantur recentia, Concidantur & cum ſ. q. butyri recentis probe ſimul contuſa impaſtentur, poſtea coquantur & exprimantur.

Inflammationes, ac calidos quoſvis tumores reprimit, ſcroti præſertim incendiis ſalutare.

Anodynum Jovis aliud ex *eadem Pharmac.*

♃. Verbenæ recentis, Hyoſcyami recentis an. m. ij. butyri recentis ℥viij.

Contundantur ſimul, atque ſic maneant per dies quatuordecim: deinde coquantur ad conſumptionem humiditatis, & colentur.

Vnguentum de Apio ex *Pharm. Londin.*

♃. Succi Apii, ℔j. mellis ℥viiij. Farinæ tritici. ℥iij. ex coctis ad juſtam ſpiſſitudinem fiat unguentum ſecundum artem.

Unguentum Apoſtolorum Avicennæ ex *Pharm. Londin.*

♃. Terebinthinæ, reſinæ, ceræ albæ, Ammoniaci præparati an. ʒxiij. Ariſtolochiæ longæ, thuris maſculi, bdellii an. ʒvj. myrrhæ, galbani præparati an. ʒiiij. opopanacis præpar. Æruginis an. ʒij. Lithargyri ʒix. olei communis ℔iij. oleum cum Lithargyro ſufficienter coquatur lento igne, poſtea immiſceatur cera cum reſina liquefacta & colata, atque his ab igne remotis & nonnihil refrigeratis Ammoniacum, galbanum & opoponax cum terebinthina ſoluta, ac tandem reliqua in pulverem contrita.

Sic dictum quòd ex duodecim (oleo, ut fieri ſolet, non numerato,) conſtet ſimplicibus. Uſu frequens ad vulnera & ulcera difficilia, cuniculoſos ſinus & fiſtulas, ſordidaque ulcera emendat, exſiccat, ac detergit, & exeſa putrilagine carnem reſtaurat, duramque emollit. Unguentum iſtud cum venere antiquorum conſentit, quo uſi ſunt attrahendo, molliendo, glutinendo, & contra Ferarum Morſus.

Unguentum Aregon Nicolai ex *eadem Pharmac.*

♃. Radicum ari, cucumeris Aſinini an. ℥iiiß. bryoniæ ℥iij. pyretri ℥j. roriſmarini, majoranæ, ſerpylli, rutæ an. ℥iiiß. Foliorum Coccognidii ℥ix. cucumeris aſinini ʒvj. lauri, ſalviæ, ſabinæ an. ℥iij. perſicariæ ʒviij. calaminthæ ʒvj. maſtiches, olibani ana ʒvij. euphorbii, zingiberis, piperis an. ℥j. olei moſchelini ℥ß. communis ℔v. laurini, adipis urſini an. ℥iij. petrolei clari ℥j. butyri ℥iij. aut quantum ſatis eſt. Ceræ ℔j. ℥iij. herbæ & radices recentes contuſæ cum oleo communi aliquandiu macerentur, deinde ſufficienter coquantur & colentur; Colato oleo admiſce ceram, Adipem, butyrum, olea, & aliqualiter refrigeratis cætera in pulverem redacta.

Unguentum hoc ab effectu ἀρηγὸν, ſeu auxiliare dictum, numeratur inter quatuor unguenta calida, ideoque corporis vitiis frigidis, convulſioni, paralyſi, tetano, & nervorum diſtenſioni conducit; ſpinæ & renum dolores, ac colicos cruciatus ſanat, ad omnem ſtomachi & ventris dolorem, uterina quoque mulierum mala, quartanas, & morbum Comitialem conducit, arthriticos morbos & ſcabiem ex lue venerea juvat, & rigores febrium ſpinæ illitum diſcutit.

Moſchelinum oleum ſi deeſt, rutaceo aut laurino utendum.

Unguentum de Arthanita majus Meſuæ ex *Pharm. Auguſt.*

♃. Radicum cyclaminis ℔iij. Cucumeris agreſtis, butyri vaccini an. ℔j. olei irini ℔ij, pulpæ colocynthidis ℥iiij. polypodii ℥vj. Contundenda terantur, & macerentur in ſuccis & oleis diebus octo in vaſe vitreo; poſtea additis Fellis taurini ʒviiß. coquantur ad aquoſarum partium conſumptionem; colentur & exprimantur: in colato diſſolvantur ceræ ℥v. & ferè refrigeratis inſpergatur paulatim pulvis ſubſequens:

♃. Euphorbii ʒvij. Sagapeni, ſcammonii, aloës, colocynthidis, mezerei, turbith. an. ʒviiß. ſalis gemmæ ʒiiiß. myrrhæ, piperis longi, zingiberis, chamæmeli an. ʒiij. miſce, fiat unguentum.

Illitum ſtomacho per vomitum purgat, hypogaſtrio autem inunctum, alvum dejicit, ob id hydropicos juvat, ſeroſum excrementum evacuando; vermes quoque enecat & educit, adhibetur iis qui purgans medicamentum ſumere nequeunt.

Vnguentum Aureum Meſuæ ex *eadem Pharmac.*

♃. Ceræ citrinæ ℥vj. olei olivarum ℔iiß. Terebinthinæ ℥ij. reſinæ, colophoniæ an. ℥iß. thuris, maſtiches an. ℥j. croci ʒj. confice ſ. a. oleo ceram cum reſina & colophonia liquefactam & colatam immiſcendo, poſtea terebinthinam & reliquorum pulveres addendo.

Aureum à colore & virium pretio dicitur, quibuſdam regis unguentum; Vulnera glutinat, præſertim in corporibus mollioribus.

Vnguentum Baſilicon Majus ex *Pharmac. Londin.*

♃. Ceræ citrinæ pini, Sevi Vaccini, picis græcæ, ſive navalis, terebinth. olibani, myrrhæ an. ℥j.

olei ℥v. pulverentur olibanum & myrrha, cæteriſque liquatis rite inſpergantur, ut Fiat Vnguentum ſ. a.

Baſilicon Minus ſeu Tetrapharmacon ex *eadem Pharmac.*

℞. *Ceræ flavæ, reſinæ pinguis, picis græcæ, an. ℔ß. olei ℥x. liquata commiſceantur; & fiat ſ. a. Vnguentum.*

Unguentum de Bdellio Meſuæ ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *bdellii ʒvj. Euphorbii, ſagapeni an. ʒiiij. caſtorei ʒiij. olei leucoij ℥iij. ceræ quantum ſatis eſt. Ceræ cum oleo liquatæ addatur ſagapenum, nec non reliqua in pulverem redacta, fiatque ex arte Vnguentum.*

Commendatur ad paralyſin, & ſpaſmum jam confirmatum, valenter namque digerit, atque emollit, ut nervorum & articulorum tophos diſſipet; eorundem etiam frigidos affectus juvat, ac membrorum reſolutionem ſanat, ad Epileſiam quoque plurimum facit.

Unguentum de Bolo ex *Renodæo.*

℞. *Bol. Armenæ ℔ß. ſuccorum ſolani, & plantaginis an. ℥iij. Aceti ℥ij. olei roſati ℔j. Senſim agitentur in mortario donec Unguenti ſpiſſitudinem acquirat.*

Eandem aut parum diſſimilem deſcriptionem tradit Guido Cauliacus 5. doct. 1. 1. tract. 7. quam ex gal. lib. 9. ſimpl. accepiſſe fatetur: eum tamen librum evolvens; minimè tale quid inveni, à quocunque verò authore prodeat, ut optimum medicamentum à chirurgis plurimum expetitur Eadem eſt hujus atque præcedentis præparatio, & utrumque cum fiat abſque igne, crudum nominari poteſt.

Vim habet refrigeratoriam, aſtringentem & roborantem optimèque convenit initio fluxionum calidarum, proinde incipienti phlegmonæ, Eryſipelati, & ſimilibus affectionibus valde prodeſt.

Unguentum è Calce ex *Pharm. Auguſt.*

Calcem vivam aliquoties lavabis, aqua priori, poſtquam ſubſederit, decantata ſemper novam ſubſtituendo, poſtea exſiccabis. ℞. *hujus calcis ita præparatæ ℥iij. olei roſati ℔j. ceræ albæ ℥iij. Ceram oleo liquato; huic ab igne remota & jam concreſcere incipienti calcem leviſſime tritam admiſceto, & reponito.*

Aliud εὐπόριστον: Calci vivæ ſuperinfundè aquam putam cui mox detractæ adde tantundem olei communis & agita ſimul donec fiat Vnguentum Ambuſta feliciſſime inter initia percurrat. Aliud ad Ambuſta ex Corticibus mediis ſambuci refert Foëſius Sect. XI.

Vnguentum Carminativum *Zwelferi.*

℞. *Axungiæ porcinæ recentis ℔ij. olei chamæmeli n. m. parati ℔j. ceræ flavæ odoratæ ℥iij. vel ℥iiij. quibus invicem leniter liquatis immergantur, ſucceſſu temporis, & per vices ſequentia. ſummitat. recent. Anethi, majoranæ, roriſmarini, pulegii an. ℥ij. Flor. recent. chamæmeli rom. ℥iij. ſambuci ℥ij lavendulæ, ſem. anethi, aniſi, carvi, Coriandri, cumini, fæniculi an. ℥j. macis, nucis moſchat. an. ʒvj. Styracis calamitæ ℥iß. Stent in infuſione, ſeptimana una vel altera: factaque poſt una alterave ebullitione colentur & exprimantur ſpecies: expreſſo adde camphoræ ʒj. ol. ſtill. aniſi, carvi, ol. ſtill. chamæmeli, fæniculi an. ʒij. majoranæ ʒj.*

Fiat Vnguentum nobile, tàm clamoſos infantium abdominis, quàm Adultorum colicos, & hyſtericos dolores inſigniter compeſcens; cum intra corpus ſumptum, cum externè regioni umbilici, non attingendo ventriculum, inunctum, vel etiam gutturi inferiori immiſſum.

Unguentum Cephalicum *ex eôdem.*

℞. *Axungiæ recent. ℔iij. Cui ſucceſſu temporis immergantur ſequentia inciſa & contuſa: gemmar. populi arbor. recent. ℥iij. herb. recent. betonicæ, baſilici, majoranæ, menthæ aquat. roris marini, rutæ an. ℥iß. Fol. recent. nucis juglandis, Flor. ſambuci, tunicæ an. ℥ij. croci auſtr. vel orient. ʒß. Stent in infuſione, in cellario, donec omnia collecta & immerſa ſint: facta poſt aliquali Ebullitione; non vero ad totalem humiditatis exhalationem, in alembicô quidem vitreo, ſuo capitello munito. ut id, quod tranſit, ſequenti pulti parandæ inſervire poſſit, colentur & exprimantur ſpecies: expreſſo adde pulpam ſequentem.*

℞. *Nucleorum perſicor. ℥iiiß. ceraſor. ℥iß. camphoræ ʒß. Contundantur optimè in mortario, cum ſ. q. aquæ ſuperius in ebullitione & coctione per Alembicum, aſſervatæ, ad pultis unguento expreſſo viridi & odorifero, ſub continua agitatione uniatur, addendo adhuc ol. ſtill. majoranæ ʒij. nuc. moſchat. expreſſi ℥j. lapid. Alabaſtri præp. ʒij. vel ʒiij.*

Fiat unguentum nobile, capitale ſeu cephalicum, fronti, temporibus, & occipiti applicandum, in doloribus Capitis continuis, cephalæa, hemicrania, febribus continuis, tertianis & ardentibus, utiliter adhibetur.

Vnguentum Citrinum ſeu Baſilicon Nicolai ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Boracis ʒij. camphoræ ʒj. corallii albi ʒiiij. Amianthi ℥j. Vmbilici marini, tragacanti albiſſ. Amyli, cryſtalli, Antali, dentali, thuris, nitri an. ʒiij. marmoris albi, aut alabaſtri ʒij. gerſæ ſerpentariæ ℥j. ceruſſæ ℥vj. axungiæ porcinæ recent. mundæ ℔iß. Sevi caprini præp. ℥ß. adipis gallin. præp. ℥j. Confice ſic: Axungiam porcin. atque adipem gallinaceum liqua ſimul & impone tepidis adhuc corticum Citrii mali ſatis magnam quantitatem, & macerentur per menſem unum, Deinde exemito cortices, & ſevum caprinum addito poſtea camphora in ſpiritu roſar. diluta, & reliqua tenuiſſime trita adduntur.*

Citrinum officinæ vocant; cum potius Citrium dicendum ſit, à pomis citri, vel eorundem ſucco, Aſpera lævigat, faciei maculas & lentigines exterit, Ephelides ac ex inſolatu uſtiones factas, & cicatrices emendat, ruborem oculor. aufert, nec non puſtulas in cute à ſalſa pituita productas ſanat.

Vnguentum Clyſmaticum ex *eadem Pharmac.*

℞. *Parietariæ, malvæ, mercurialis, betæ an. m. iij. Fol. Althææ violariæ, flor. chamæmeli, meliloti omnium recent. an. miß. coque cum ℔ß. butyri recent. non ſaliti, donec vireſcat, addendo colaturæ olei Amygdalor. dulc. ℥viij. miſce Fiat. Vnguentum.*

Vires. cum illo, quod in priori ſectione deſcribitur convenient.

Clyſmaticum aliud ex *eadem Pharmac.*

℞. *herb. malvæ, biſmalvæ, brancæ urſinæ, parietariæ, mercurialis, an. m. iiij. radicum althææ, lilior. albor. an. ℥iiij Flor. chamæmeli, meliloti an. iij. butyri recent. ℔v. piſtentur ſimul, & ſic ſtent per menſem:*

menſem: poſtea coquantur & exprimantur

Adhibetur in enemata, vel per ſe liquatum iniicitur: emollit enim, leuit, digerit, dolores levat, duras fæces emollit, ac ventrem blande ſubducit.

Vnguentum Comitiſſæ Guilielmi de Varignana ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Cort. med. glandium, Caſtanear. quercus arboris, baccar. myrti equiſeti, gallar. corticum Fabar. Acinor. uvar. Calycum glandium, Sorbor. immatur. ſiccor. meſpilor. acerbor. ſiccator. Foliorum capparis, pruni ſylveſtr. rad. Tormentillæ an. ℥iß. contundantur aliquantulum & coquantur in aqua ſimpl. ſ. q. donec media pars conſumpta fuerit. Colatura ulterius coquatur cum olei myrtill. ℔iß. ad humiditatis aquoſæ conſumptionem, poſtea in ea diſſolvantur ceræ novæ ℥viiiß. ab igne depoſitis addatur olei maſtichini ℔iß. atque inſpergatur ſequentium rerum tenuiſſimus pulvis:

℞. Cort. med caſtanear. glandium, quercus arboris an. ℥j gallar. ſucci hypociſtidis, cineris oſſium cruris bubuli, baccar. myrti, Acinor. uvar. ſorbor. immatur. an. ℥ß. trochiſcor. de carabe ℥ij. miſce Fiat unguentum.

Vnguentum hoc à Comitiſſa Vandrenſi nomen ſortitum, ad menſtrua ſupprimenda, & ad abortum prohibendum concinnatum à Varignana lib. 16. de morbis Cur. cap. 4. Fæminei fluxus abundantiam compeſcit, locos muliebres firmat, uterum roborat ac renes laxatos ſtringit, ſi eo innungantur, hæmorrhoid. ſuperfluum profluvium ſiſtit.

Vnguentum Cordiale *Zvvelferi.*

℞. axungiæ porcin. recent. ℔iß. cui immergantur, ſucceſſu temporis, ſubſequentia, minutim prius inciſa, & contuſa: nempe herb. recent. meliſſæ citratæ, baſilici, roriſmar. majoran. Flor. recent. borraginis, bugloſſæ, arantior. lavendulæ, tunicæ an. ʒiß. roſar. fragr. ℥iij. violar. martial. ℥j. Cortic. arant. citri ana recent. & extim. ʒvj. croci auſtr. vel orient. ʒij. cinamomi opt. acuti, caryopyll. macis nucum moſchat. an. ℥ß. ligni aloës gum. ʒij.

Peracta maceratione brevi, & poſtquam omnia collecta fuerint, coquantur parum in alembico vitreo, capitello ſuo munito, & recipiente præpoſito, non ad totalem, ſed aliqualem, humiditatis exhalationem vel prolectionem; quæ ipſa tamen exſtillata humiditas unguento ultimò colato addi poteſt. Ulterius fiat colatura cum forti expreſſione ſpecierum; inque expreſſo & colato ſolve Reſinæ ſtyracis calamitæ pulv. Benzoës opt. an. ʒvj. his ſolutis porrò adde olei nucum moſchi expreſſi ʒvi. ligni rhodii ſtill. Extracti croci opt. an. ʒij. ex omnibus benè mixtis Fiat unguentum cordiale, præſtans, cui & ambra & moſchus pro placito adjungi queunt: tam recreandorum per odores acceptabiles ſpirituum gratia, quàm pro ditiorum exigentia.

Præſtantius etenim & excellentius, Vnguentum Cordiale, hoc, vix reperies ullum; quod ita in omnibus debilitatibus cordis, lipothymiis, animi defectionibus, morbis malignis & calidis peſtilentibus ipſis, utroque ſexui, excellentiſſimè medetur: eoque non ſolum cordis regio, ſed & pulſus, & vola manus, ſpina dorſi, & tempora bina, inungi ſæpius debent.

Vngue tum de Cyclamine, Vid. *Vnguentum de Arthanita.*

Vnguentum de Cynogloſſo ex *Pharm. Auguſt.*

℞. radicum Cynogloſſi rubr. recent. contuſarum ℔ß. butyri recent. ℔iß. coquendo & colando Fiat Unguentum.

Valet ad contuſa & ſuggillata, ſanguinem contretum tam intus aſſumptum, quàm extus illitum diſſolvit, pleuritidi auxiliatur, dolores à cauſa calida, etiam podagricos, mitigat, & anodynum eſt præſtantiſſimum.

Vnguentum Diachylon molle ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Emplaſtri diachyli ſimpl. ℔.iij. Unguenti dialthææ ℥viij. olei chamomillæ, liliorum albor. roſarum an. ℥iß. ſpicæ ʒj. Terebinthinæ ℥ij. miſce Fiat Unguentum.

Vnguentum Enulatum ex *Pharm. Londin.*

℞. radicum enulæ in aceto minus acri coctarum, contuſarum, & per cribrum trajectarum ℔. j. Terebinthinæ eodem decocto olei veteris an. ℥iiij. ſalis communis ℥ß. axungia, ceræ & oleo liquefactis adde terebinthinam, pulpam enulæ, ſalemque minutiſſime pulveratum, & fiat Vnguentum ſ. a.

Enulatum cum mercurio ex *eadem Pharmac.*

Fit ex priori Vnguento, immixtis ℥ij. Hydrargyri; non ſolum ſaliva aut ſucco limonum, ſed etiam tota terebinthina ad hoc ſervata, & axungiæ parte, in mortario, lapideo, indefeſſa agitatione extincti.

Vnguentum Fuſcum Nicolai ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Olei ℔.iß. ceræ novæ ℥iii. picis græcæ, nigræ, ſagapeni præp. an. ℥ij. maſtiches, galbani præp. Thuris, terebinth. an. ℥ij. Fiat Vnguentum, Ceram cum pice liquatam & colatam, poſtea ſemirefrigeratis maſtichen & Thus pulveriſata, ut & ſagapenum galbanum & terebinthinam invicem liquefacta, oleo immiſcendo.

Dicitur & nigrum. Vulnera mundificat; emollit, & concoquit, carnem generat, putridamque depaſcit.

Vnguentum Gummi Elemi ex *Pharmac. Londin.*

℞. Gummi elemi, terebinthinæ abietinæ an. ℥ß. ſevi vervecini veteris & depurati, ℥j. pinguedin. porcin. veteris & depurat. ℥ij. miſce F. Unguentum ſ. a.

Vnguentum ad Hæmorrhoides. *Norimberg.*

℞. Amyli albiſſimi, ceruſſæ lotæ, lithargyri puri, plumbi uſti, tragacanthi an. ʒiß. opii thebaici, camphoræ an. ʒj. Albumen ovi unius, olei roſacei, violacei an. ℥iß. ceræ quantum ſatis. Ceram in oleis liquefaciendo, poſtea juxta cum camphora in aceti deſtillati portiuncula diluta, reliquorum pulveres, & albumen ovi addendo. Fiat Unguentum.

Ad Hæmorrhoides aliud ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Thuris ℥ß. ſucci prunor. ſylveſtr. myrrhæ, Croci an. ʒiij. opii. ʒj. mucilaginis pſyllii ℥ß. olei roſacei ʒiij. lactis caprini ℥iiij. Vitellum ovi unum. Succus prunorum, & opium coquantur cum mucilagine, oleo & lacte ad debitam conſiſtentiam, tandem addatur pulvis Croci, thuris & myrrhæ, cum ovi vitello. Fiat Vnguentum.

Acerbiſſimos Hæmorrhoidum dolores placat, earundemque inflammationes retundit.

Ad Hæmorrhoides aliud ex *Pharm. Londin.*

℞. mucilaginis è ſem. pſyllii, cydonior. extractæ aqua ſolani an. ʒß. olei roſati completi ℥j. Vitellum unius ovi, pingued. gallinæ ʒij. Agitentur ſimul in mortario plumbeo. cum piſtillo plumbeo; addendo ceræ citrinæ liquatæ parum m. F. Unguentum ſ. a.

Ad Hæmorrhoides *Zvvelferi.*

℞. *Rad. Tormentillæ, cyperi rot. ireos Flor. an.* ℥j. *liquiritiæ* ℥ß. *herb. plantaginis, millefolii, equiſeti, hyperici, pyrolæ, an. recent.* ℥ij. *Linariæ recent.* ℥iij. *Flor. roſar. rubr.* ℥iß. *verbaſci, papav. errat. ſambuci an.* ℥j. *Croci opt.* ʒiß. *vel* ʒij. *ſucci Acaciæ* ℥ß. *opii Thebaici* ʒij. *inciſa & contuſa coquantur in ſ. q. aquæ chalybeatæ, ſeu fabrorum, ad reman.* ℔iß. *coletur: colaturæ adde.*

Mellis roſati ſimpl. ℔iß. *Coquantur porrò ad exhalationem decocti, & ad priſtinam mellis conſiſtentiam; Cui tandem adde, & immiſce vitell. ovor. num.* iij. *olei ovorum, è vitellis expreſſi* ℥iß. *pulv. olibani, ſang. draconis, ſuccini albi ana ſubtiliſſ. trit.* ʒiij. *Flor. verbaſci, ſambuci ſubtiliſſ. an.* ℥iß. *roſarum ſubtiliſſ. an.* ʒvj. *Croci martis adſtringentis, Croci auſtr. opt. ſacchari ſaturni, an.* ʒij.

Fiat omnibus l. a. mixtis, veluti opiatum, ſeu Vnguentum præſtans ad acerbiſſimos hæmorrhoidum dolores placandos eorundem inflammationes retundendas; fluxumque nimium ſiſtendum.

Aliud Hæmorrhoidale *ex eodem.*

℞. *Rad. recent. Tormentillæ, biſtortæ, ſaniculæ, ſymphyti maj. liquirit. an.* ℥j. *herbæ recent. millefolii, plantag. min. hepatic. nobil. pyrolæ, achimillæ an. m.* ij. *Flor. roſar. rubr.* ʒvj. *verbaſci, ſambuci, balauſt. an.* ℥ß. *Antimonii crudi pulv. & in petia ligati* ℥iiij. *Fiat cum ſ. q. aquæ ſimpl. repetitis vicibus affuſa, decoctio, ad totalem virtutum extractionem: decoctiones junctim clarificentur, & ad ſpiſſitudinem mellis, ſeu extracti, leniter in patella ferrea, vel in diplomate evaporent.*

Huic decocto inſpiſſato, ſi fuerint ℥iiij. *adde mellis virginei albi craſſi, & nunq. cocti, ſed legitime, uti ſuperius ex alveolis extracti,* ℥viij. *vel* ℥x. *Terebinthinæ claræ* ℥ij. *ſ. tres, in qua ſolutæ ſint, gummi Elemi, maſtichis an.* ℥ß. *balſami vulnerarii martial. ſuperius deſcripti* ℥iß. *quibus omnibus exactè mixtis ſuper inſpergantur ſequentes pulveres: utpote, pulv. olibani ſubtiliſſ.* ℥j. *Flor. ſambuci verbaſci, roſar. rubr. an.* ʒiij. *lapid. calaminar. cum ſucco millefolii præparat. Tutiæ, cum ſucco plantaginis præpar. an.* ʒvj. *ſacchari ſaturni ex minio parat.* ℥ij. *miſceantur omnia exactè, fiatque Vnguentum præſtans:* Cujus virtutes ex ſuperiori patent.

Ad Hæmorrhoides aliud *Godardi.*

℞. *Ol. roſ.* ℥iß. *Emp. de minio* ℥j. *Ceræ alb.* ℥ß. *liquatis adde Æthiop. mineral.* ʒij. *opii* ℥ß. *Croci, nuc. m. Fl. chamæmel. an.* ʒj. *ſyrup. roſat.* ℥j. *leni calore exhaletur humiditas & miſce ſ. a.*

Vnguentum Hepaticum *Zvvelferi.*

℞. *Axungiæ porcinæ recent.* ℔iiß. *cui immergantur ſequentia inciſa atque contuſa, ſucceſſu temporis, utpote, rad. Apii recent, enulæ, fœniculi, Calami Aromat. pimpinellæ, Cichorii, Rubiæ tinctor. ana recent.* ℥j. *herb. Abſinthii, agrimoniæ, chamædryos, botonicæ, hepat. nobilis, naſturtii hortenſ. ana recent.* ℥iß. *Flor. recent. roſar. rubr.* ℥iij. *papav. errat.* ℥iß. *baccar. Lauri, Iuniperi vitriol. an.* ℥j. *myrrhæ rubræ, ſem naſturtii an.* ʒvj. *fœniculi, ſantali rubri raſpati, an.* ℥ß.

Peracta maceratione, poſtquam omnia collecta fuerint, coquantur ad aliqualem humiditatis exhalationem, & ſi lubet, in alembico vitreo, Capitello ſuo munito; uti ſæpius monui: fiatque poſt colatura & expreſſio: Colato & expreſſo adde *pulv. gum. Ammoniac* ℥ij. *ſoluti cum ſ. q. Vini albi ad pultis formam, item Camphoræ* ℥j. *ol. ligni Rhodii ſtill.* ℥j. *& fiat ex omnibus legitime mixtis, Vnguentum hepaticum*, aperiens & roborans, aperit obſtructiones hepatis, & lienis, Conſtatque virtute confortandi dicta viſcera, ab extra applicatum: multo præſtantius eſt unguento, aut ſantalino Emplaſtro; quemadmodum ingredientia ipſa, ejuſque legitima præparatio demonſtrant?

Unguentum ad Hernias *Zvvelferi.*

℞. *Butyri majalis recent. non loti* ℔ij. *Axungiæ Taxi* ʒviij. *hominis* ℥viij. *his mixtis immergantur ſequentia, ſubtiliter inciſa & contuſa, rad. recent. Tormentillæ, biſtortæ an.* ℥iß. *ſymphyti maj.* ℥iij. *ſaniculæ, bardan. maj. an.* ℥ij. *herb. recent. perfoliatæ, hyperici, conſolid. Sarracen. pyrolæ, millefolii, Fol. recent. quercus, hederæ arbor. an.* ℥iß. *glandul. ſeu nuc. arboris laricis ſive abietis* ℥iij. *affuſis vini boni rubri* ℥vj. *facta maceratione, donec omnia ac ſingula collecta ſint, Coquantur leni igne, in ſartagine ferrea, ad humiditatis totalem ferè exhalationem? Colentur: poſt exprimantur ſpecies fortiter? fiatque ſic unguentum: ſervetur uſui.*

Certum remedium eſt pro ſanandis herniis, quo inungendæ partes affectæ? ſive in inguine ruptum ſit peritoneum, aut aliquo alio in loco abdominis, inteſtinis prolabentibus, ſive peritonei proceſſus, qui ad ſcrotum, tendit, dilatatus ſit, per quem inteſtina in ſcrotum etiam prolabuntur, perinde erit, modo inunctio ſemper verſus ſuperiora fiat. Inteſtinis tamen prius repoſitis, & Cingulo appoſito, ſive ligatura adhibita, paucarum ſeptimanarum ſpatio cura abſolvetur, hoc tamen inſuper notandum, quod, ſi hoc unguento partes anteriores inunguntur, retro, in dorſo cum Axungia urſi, tanquam ex oppoſito, inunctio quoque peragenda ſit.

Vnguentum infrigidans Galeni ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Olei roſati* ℔j. *ceræ albæ* ℥iij. *Ceram in oleo liquabis & pauxillum Aceti roſati adiicies.*

Vbicunque refrigeratione & humectatione opus eſt, ejus Vſus eſſe poterit, hecticis prodeſt, nec non renum dolori à cauſa calida provenienti opem fert.

Vnguentum ad Iuncturas ex *Pharm. Norimberg.*

℞. *Vnguenti Dialthææ* ℥x. *pingu. Canis, Porci, Taxi an.* ℥iiij. *ol. Lauri* ℥iij. *Euphorbii, de piperibus, Iuniperini ex granis an.* ℥j. *pulv. ſem. Erucæ, ſinapi, piperis longi, Euphorbii an.* ʒj. *vini ſublimati, ceræ an.* ℥ij. *Fiat ſ. a. Vnguentum citra coctionem.*

Vnguentum Laxans Alvum *Ieſſenii.*

℞. *Fell. Tauri, butyri inſulſi an.* ʒiij. *Extr. helleb. nigr. colocynth. an.* ℈j. *diagridii gr.* iiij. *croci gr.* iij. *M. lento igne ad mellis conſiſtentiam, tum nucis juglandis ſemitexta excipiatur & umbilico alligetur.*

Vnguentum Laurinum Vulgare ex *Pharm. Londin.*

℞. *Folior. Lauri contuſ.* ℔j. *baccarum ejuſdem contuſ.* ℔ß. *Folior. braſſicæ* ℥iij. *olei ex pedibus bovinis* ℔v. *Sevi bovini* ℔ij. *coquantur ſimul. & colentur, ut fiat Vnguentum ſ. a.*

Vnguentum

Vnguentum de Linaria ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Herb. linariæ cum floribus, Adipis porcini an.* ℔j. *Contundantur, coquantur ad aqueæ humiditatis conſumptionem, & exprimantur.*

Doloribus hæmorrhoidalibus medetur cum lana vel goſſipio parti affectæ applicatum. vid. de eo Gregorius Hoſtius ℔. 4. obſ. med. 42. & Iohannis Hartmanni praxis Chimiatrica.

De Vitellis ovor. juxta deſcriptionem addendis, Notamus poſſe illa, ad evitandam Unguenti corruptionem demum ex tempore, ubi à medico præſcribitur pro ejus lubitu immiſceri.

Unguentum de Liquiritia ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Butyri recent. liquiritiæ recentis ac ſucculentæ an.* ℔j. *piſtentur ſimul in mortario, poſteaque frigantur in ſartagine, colentur & exprimantur; Tandem butyro ſic præparato adde pompholygis* ʒij. *Ceruſſæ lotæ* ℥iij. *Albumin. ovi conquaſſati* ℥iß *Camphoræ* ℈ij. *Fiat ſ. a. unguentum.*

Inflammationes partium, eryſipelata, ſacros ignes ac puſtulas ab ichoribus ſanguinis Calidis aut bile natas perſanat, nec non manantibus ulceribus dolorificis à ſalſi ſeri acrimonia profectis eximiè confert, eſtque id Civibus, ex ſuaſu Raimundi Mindereri, med. doctoris & Collegæ noſtri quondam admodum familiare.

Unguentum de Lihargyro ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Lithargyri* ℥ij. *ceruſſæ* ℥ß. *Aceti* ℥j. *olei roſati* ℥iiß. *Fiat. ſ. a. unguentum in mortario plumbeo optime agitatum.*

Prodeſt Scabiei & cutis vulneribus, pruritum ac deſquamata juvat, & ſiccat ſine morſu. Sarcoticum eſt & epuloticum, difficiliaque ulcera perſanat, & Cruenta glutinat.

Vnguentum Martiatum ex Nicolao, *Pharm. Auguſt.*

℞. *Fol. Tamariſci* ℥vj. *Lauri, roris-marini* ℥viij. *rutæ* ℥vij. *Ebuli, ſabinæ, balſamitæ, ſeu menthæ aquaticæ, ſalviæ, ocimi, polii veri, calaminthæ, Artemiſiæ. Enulæ, betonicæ, brancæ urſinæ, aparines, parietariæ, pimpinellæ, ſanguiſorbæ vel vulgaris, agrimoniæ, abſinthii, primulæ veris, perſicariæ, Cymarum ſambuci, millefolii, ſempervivi minor. Majoris, chamædryos, centaurii, plantaginis minor. Fragariæ, orobi, quinque folii an.* ℥iiij. *radicum altheæ, Cumini, myrrhæ an.* ℥iij. *butyri* ℥j. ʒij. *ſem. Fænugræci* ℥iß. *urticæ, Violar. papaveris albi, menthæ agreſtis Criſpæ, ſeu mentaſtri, Lapathi acuti, Adianthi, albi, Cardui benedicti, matri ſylvæ valerianæ, geranii odorati, Trifolii acetoſi, linguæ cervinæ, Cotulæ non fœtidæ, abrotoni, Medulæ cervinæ, Styracis Calamitæ an.* ℥ß. *Adipis urſini, Gallinacei, maſtiches, Thuris an.* ℥j. *olei nardini* ʒij. *Ceræ* ℔ij. *herbæ omnes recentes, colligantur, & inciſæ ac contuſæ macerentur, exprimantur atque cum cera circiter* ℔ij. *& reliquis F. unguentum.*

Vſui eſt ad frigida corporis mala, capitis, thoracis, ſtomachi, jecoris, lienis alioſque dolores à frigore natos, Convulſiones, nervorum reſolutiones & coxarios juvat, tumores ac durities emollit, lieni indurato præcipuè, ut & hydropi confert.

Vnguentum Maſtichinum ex *Pharm. Londin.*

℞. *Olei maſtichini, abſinthii, nardini an.* ℥j. *maſtiches, menthæ, roſar. rubrarum, Corallii rubri, caryophyll. cinnamomi, ligni aloës, ſchænanthi an.* ʒj. *ceræ q. ſ. F. Vnguentum ſ. a.*

Vnguentum ad membra igne Ambuſta ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Camphoræ* ℥j. *olei roſarum* ℥iij. *ceruſſæ albæ* ℥vj. *pulveris olibani electi* ℥ij. *Albuminis ovorum numero* vij. *plumbeo mortario miſceantur & agitentur optimè.*

Vires ex nomine patent.

Aliud ex *eadem Pharmac.*

℞. *Corticum interiorum ſambuci ſucculentor.* ℥iiij. *olei roſati* ℥vj. *decoquantur ad humiditatis aquoſæ conſumptionem, & exprimantur, in colatura liqueſcant, ceræ albæ* ʒiij. *poſtea admiſceantur. vitellor. ovorum numero* iij. *Fiat unguentum.*

Euporiſton eſt, in ſedando dolore & ardore partium ab igne læſarum, nullo cicatricum relicto veſtigio.

Aliud ad ambuſta ex *Pharm. Norimberg.*

℞. *Olei roſarum* ℥iij. *Camphoræ* ℥j. *diſſolve in vitro clauſo, in leni calore, poſtea Coque ceruſſæ* ℥vj. *in Aceti deſtillati* ℔iß. *ad pultis formam, & oleo camphorato admiſce, diu multumque invicem agitando: Ultimò, albumina ovorum Conquaſſata, & in aquam reſoluta,* vj. *addantur, & porrò agitando, Fiat unguentum.*

℞. *Pinguedini cati ſylveſtris, ſevi cervini, olei laurini, ceræ novæ an.* ℥ß. *Camphoræ* ʒj. *diluatur camphora in Spiritus vini rectificati* ʒij. *& reliquis invicem liquatis ex arte miſceatur.*

Vires nomini reſpondent.

Vnguentum Mercuriale, ex *Pharm. Auguſt.*

Mercurii vivi purificati, Axungiæ porcinæ veteris an. ℔j. *Lithargyri argenti, Ceruſſæ an.* ℥ij. *myrrhæ electæ, Thuris maſculi, bdellii, gummi Ammoniaci an.* ℥j. *Theriacæ Andromachi, mithridatii Damocratis an.* ℥iß. *Unguent. Aggrippæ, Martiati an.* ℥ij. *de althea* ℥iiß. *olei Laurini* ℥iiij. *Axungiæ Viperinæ veræ* ℥j. *reſinæ pini* ℥ijß. *Mercurium Axungiæ porcinæ agitatione permiſcendo, ac cum reliquis jungendo lege artis fiat Unguentum.*

Vires Vnguenti hujus D. D. Ioannes Udalricus Rumlerus Collega quondam noſter, multo tempore in noſocomio gallico feliciter eſt expertus.

Mercurius cum aceto ac ſale agitatur, ac aliquoties abluitur, ac per Corium expreſſus purgatur.

Unguentum de Mucilaginibus ex *Pharm. Londin.*

℞. *Olei Lilior. alb. irini, violar. chamæmeli an.* ℥vi. *mucilag. ſem. lini Cydonior. Fænugr. rad. Althææ an.* ℥iiij. *pingued. Anatis gallin. an.* ʒv. *ceræ albæ* ℔j. *M. F. lege artis unguentum.*

Unguentum Mundificativum expertum ex *Ronodæo.*

℞. *Abſinthii, Centaurii minor. agrimon. Veronicæ, hormini, plantag. an.* mj. *macerentur in* ℔ij. *aquæ ei coquantur lento igne donec marceſcant. in* ℔ß. *Colaturæ expreſſæ injice mellis communis.* ℔ß. *bulliant rurſus ad aquæ fere diſſipationem. Tum adde olei roſati* ℔j. *Ceræ in eodem liquatæ* ℥iij. *pulv. Cancror. uſtorum* ʒiij. *farinæ lupinor. pulv. radic. gentianæ an.* ʒij. *Myrrhæ, aloës*

aloes an. ℥iß. *ireos, viridis æris an.*℥i. *Fiat unguentum ut artis eſt.*

Cum nullum extaret in vulgatis diſpenſariis mundificativum eximium de cujus efficacitate Chirurgi ad ulcerum deterſionem poſſit ſibi felices ſatis effectus pollicere, in illorum gratiam hoc rhypticum ſeu medicamentum extergens (mundificativum nominant) concinnavimus, his præditum viribus, quas Galenus c. 11. li. 5. ſimpl. requirit, ratio poſtulat, & probat uſus. Nam cum ejuſmodi medicamentum tenuitate ſubſtantiæ mediocriter exſiccantis ulcus extergeat, ſeu ſordes à parte, cui adhibetur, ſeparet, & foras emandet præter eam ſubſtantiæ Tenuitatem, & qualitatem exſiccantem, & ſæpius nitroſam ab emplaſtico, & viſcido, quod in parte cohibet, excrementa ac ſordes aggerit longe diſtare videtur. At verò mundificativa vulgaria, magna ſui parte, ex ſarcocolla, Thure & Maſtiche, componuntur: nonnunquam ex reſinis, ſimphyto toto, & ſempervivo quæ tantum abeſt, ut effectus præſtat, quos illa promittunt, cùm ſæpius ulcera ſordidiora reddant. Proin illis relictis felicius in ægrorum ſalutem hoc noſtrum rhypticum, ſeu extergens medicamentum in officinis ſervabitur.

Cancros autem fluviatiles uſtos excipit, quibus vis eſt ad extergendum, & exſiccandum inſignis. ſeligendi verò ſunt fluviatiles quorum tamen defectu, marini poterunt aſſumi. Vrendi verò in patella ignita eouſque, dum facile redigi poſſint in lævorem, qui miſcebitur unà cum pulveribus reliquorum ſimplicium ſeorſim tritorum. Tum omnia incorporata agitabuntur, ut in unguenti Craſſitiem uniantur idoneam.

Vim habet excrementa ſeroſa ab Vlceribus abſumendi: craſſiora ſeparandi, & extergendi: ſed quæ ſordibus Craſſiſſimis, vel Cadaveroſa carne conſpurgantur, validius detergens, & ſæpè Cathereticum poſtulant: inſigni autem virtute, eaque peculiari prodeſt vulneribus à cane rabido inflictis, Eorum enim virtus ſpecifica proprietate extinguit, & humores infectos veneno exterget, ſiccat, abſumit.

Unguentum Neapolitanum ex *Pharmac. Londin.*

♃. *Axungiæ ſuillæ, ſucco ſalviæ lotæ* ℔j. *Hydrargyri per alutam trajecti* ℥iiij. *olei laurini, chamæmelini lumbricor. an.* ℥ij. *de ſpina* ℥iß. *ſpiritus vini* ℥j. *ceræ flavæ* ℥ij. *Terebinthinæ ſucco Enulæ lotæ* ℥iij. *pulveris chamæpytios, Salviæ an.* ʒij.

Axungia cum ſalviæ ſucco leni igne ferveſcat, ad hujus diſſipationem: admiſceantur olea chamæm. lumbric. de ſpica, & cera. Agitentur ſpathula, donec cera probe liquata & commixta fuerit. Tum ab igne remotis laurinum adjungatur. Interea Mercurius cum Axungiæ parte in Terebinthina extinctus in mortario accuratè ducatur, poſtea totum: ſimul agitando commiſceatur. Tandem addantur pulveres & ſpir. vini; ruſuſque agitatione multa fiat ex arte unguentum.

Unguentum Nervinum ex *Pharm. Auguſt.*

♃. *Herb. ſalviæ, camapityos, majoranæ, roris marini, menthæ, rutæ, lavendulæ, hyperici, paraliſeos cum flore, Florum Chamam. meliloti, ſummit. Anethi, rad. pyrethri. an.* ʒij. *baccar. lauri. juniperi, an.* ℥j. *Maſtiches* ℥ʒ. *benzoini* ʒvi. *Terebinth.* ℥iiij. *ol. lumbric. vulpini, Anethini, hyper. an.* ℥iij. *Terebinth.* ℥j. *Axungiæ humanæ, cati ſylveſtris, Canis an.* ℥ʒ. *Therebinthinæ cum oleis & axungiis liquatæ, reliqua in pulverem ſubtiliſſ. trita immiſceantur, & cum cera ſ. q. Fiat ſ. a. unguentum.*

Frigidos nervor. morbos tollit, ac doloribus eorundem opitulatur.

Unguentum Nicotianæ Jouberti ex *Pharmac. Auguſt.*

♃. *Fol. Nicotianæ* ℔ij. *pingued. porci recentis diligenter lotæ* ℔j. *ſucci Nicotianæ depurati* ℔ʒ *herba recens contuſa cum ſucco & pingued. per noctem maceretur, mane igne lento coquatur ad humiditatis aquæ conſumptionem coletur & exprimatur. In expreſſo liquefaciendo reſinæ Abietis* ℥iiij. *ceræ novæ quantum ſatis eſt, additiſque Ariſtolochiæ rotundæ ſubtiliſſimè pulveriſatæ* ℥ij. *F. Vnguent.*

Deſcribitur hoc Unguentum à Laurentio Jouberto in ſua Pharmacopæia, cui miram in ſcrophulis diſſipandis vim ineſſe ait. Celebratur etiam in ulceribus & vulneribus, tam recentibus quam antiquis perſanandis. Ad uſta quodque morpheam & Tineam Capitis juvat, ac cutem à ſcabie mundificat.

Qui ceratum maluerit; pondus ceræ augeat, cui verò exſiccandi & conſolidandi mens fuerit, Mumiæ & ſuccini an. ʒiij. adjicere poterit.

Unguentum Nihili ad Oculos ex *Pharmac. Auguſt.*

♃. *Tutiæ præparatæ, nihili albi an.* ℥j. *Corall. rub. præparat. matris perlar. an.* ℥ß. *Camphoræ* ʒj. *pingued. porci mund.* ℔j. *Fiat lege artis unguentum.*

Calidas oculor. fluxiones demulcet ac ſiſtit, eorundem rubedinem, & inflammationem, nec non dolores indè natos aufert.

Unguentum Nutritum ſeu Tripharmacum ex *Pharm. Londin.*

♃. *Lithargyri Auri tenuiſſimè lævigati* ℔ß. *Aceti Vini* ℥v. *Olei roſati*, ℔j. *in mortario nutriatur lythargyrus, viciſſim affuſo modo oleo, modo Aceto; donec continua agitatione acetum amplius non compareat, & unguentum evadat albidum.*

Vnguentum ad Oculos ex *Pharm. Auguſt.*

♃. *butyri recent.* ℥iiij. *ceræ albiſſimæ* ℥j. *Tutiæ præparatæ* ℥ß. *camphoræ* ℈ij. *Fiat ex arte Vnguentum.*

Eaſdem Vires obtinet quas Vnguentum nihili, paulò tamen inferiores.

Aliud ex *Pharm. Amſtaled.*

♃. *Lapid. calaminaris præparati* ℥ij. *Tutiæ præp.* ℥j. *Vitrioli albi, Caphuræ an.* ℈ij. *Vnguenti roſacei* ℔j. *F. ſ. a. Unguentum.*

Vnguentum Ophtalmicum, ex *Pharm. Londin.*

♃. *Sevi Vervecini in aq. plantaginis & roſarum optimè loti,* ℥j *lapid. calaminaris, Tutiæ præp. an.* ℈ij. *plumbi albi loti* ʒij. *miſce diutina agitatione, ut F. Vnguentum ſ. a.*

Vnguentum ex Oxylapatho. *Pharm. Londin.*

♃. *rad. oxylapathi in aceto ad putrilaginem coctæ & per ſetaceum traiectæ, ſulphuris in ſucco limonii abluti, an.* ℥iß. *Axungiæ ſuillæ in ſucco ſcabioſæ ſæpius lotæ* ℔ß. *Unguenti populnei ſucco enulæ nutriti* ℥ß. *olei ligni rhodii guttulas aliquot. Omnibus in mortario ſubactis, F. unguentum ſ. a.*

Vnguentum pectorale ex *Pharm. Auguſt.*

♃. *Olei amygdalor. dulc.* ℥iiij. *Chamæmilini, violati an.* ℥iij. *butyri recent.* ℥vj *Adipis gallinæ, Anatis an.* ℥ij. *ireos* ʒij. *croci* ℥ß. *ceræ albæ* ℥iij. *ceram & adipes in oleis liquato, poſtea addito ireos & Croci pulver. F. ſ. a. Vnguentum.*

Laterum ac pectoris dolores mitigat, Tuſſim ſedat, maturat, exſcreationem juvat, humores craſſos digerit & attenuat.

Vnguentum

Unguentum pediculorum ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Sem. Staphidis agriæ* ℥ij. *hellebori albi* ℥j. *ſalis* ʒij. *Argenti vivi* ℥ij. *axung. porcinæ* ℔j. *olei laurini* ℥viiij. *ſaponis veneti* ℔ß. *F. Unguentum ſ. a.*

Sapo in lixivio communi ſolutus, Cum oleo coquatur ad humiditatis aquoſæ conſumptionem, poſtea mercurius cum axungia ſubactus & reliquorum pulvis commiſceantur.

Aliud ex *eadem Pharmac.*

℞. *Olei laurini* ℔j. *argenti vivi* ℥iiij. *ſtaphidis agriæ, hellebor. albi, an.* ℥j. *axungiæ porcinæ* ℔.vj.

Argentum Vivum agitetur cum oleo laurino, donec ſplendor. amittat, poſtea ſ. a. Cum reliquis jungatur.

Unguentum de plumbo ex *Pharmac. Londin.*

℞. *Olei roſacei* ℥vj. *plumbi uſti, lithargyri an.* ʒx. *Terebinth.* ℥j. *Ceruſſæ, Antimonii ann.* ℥ß. *ceræ albæ* ℥ij. *F. unguentum ſ. a. in mortario plumbeo optime agitando.*

Unguentum pomatum ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Axung. ſuillæ* ℔iiiß. *ſtyracis calam. Aſæ dulcis, radicum ireos Florent. Cinnam. caryophyll. an.* ℥j. *pomor. citri, aurantior. an. numero* ij. *borsdorfferianor. n.* 4. *omnia ſ. a. ad humid. aqueæ conſumptionem coquantur, Colentur, & juncta cera alba ſ. q. F. Unguentum,* cum ſpiritu roſarum aliquandiu agitandum.

Ad oris fiſſuras, & decorem Cuti conciliandum, utiliter adhibetur.

Aliud ex *eadem Pharmac.*

℞. *Styracis Calam. benzoi electi an.* ʒx. *Cinnam. electi, caryophill. an.* ʒvj. *radicum ireos Flor.* ℥j. *nuc. moſchatæ* ʒiij. *macis* ʒj. *Flor. lavendulæ, ſpinæ an. p.* ij. *pomor. Aurantior. recentium Citrior. recent. an numero* ij. *odoriferor. n.* 24. *aq. roſar. optimæ* ℥viij. *vini albi opt.* ʒiiij. *Unguenti roſati albi* ℔. iij. *Sebi caſtrati* ℔.j. *Ceræ albæ* ℥. iij. *F. lege artis unguentum*

Viribus cum illo, ſuperius deſcripto, convenit.

Aliud ex *Pharm. Londin.*

℞. *Axung. porcinæ recent.* ℔. iij. *ſevi ovilli recent.* ℥ix. *pomor. excorticator. & conciſor.* ℔. j. & ℥ix. *aquæ roſar. odoratiſſ.* ℥vj. *rad. ireos Flor. craſſiuſcule pulveratæ* ʒvj. *bulliant ſimul in B. M. donec poma liqueſcat. Dein cola ſine expreſſione & ſervetur uſui.*

Interim caleſiat denuò parum, & nova aq. roſacea lavetur, addanturque ſingulis ejus ℔. *olei ligni rhodii guttulæ* xij.

Pomata ſive Sebum Confectum ex Amato Luſitano ex *Pharmac. Auguſt.*

℞. *Adip. cervini, vel illius qui ab hœdi renibus ſeparatur* ℔. ij. *pingued. ſuillæ recent.* ℔ ß. *pinguedines à membranis purgatas albo vino abluito, deinde lineo panno exprimito, ut vinum à pinguedinibus ſeparetur, eas poſtea in olla vitreata aqua roſac. ſemiplena infundito, ut aqua ſuperemineat, & pinguedines cooperiat, quibus demum addes pulveris caryophyllor.* ℥ß. *nucis moſch.* ʒij. *ſpicæ indicæ gr.* iij. *pomor. camuſiorum mundator. & inciſor. n.* 8.

Poſtea optimè cooperta olla; lenibus prunis totum admoveto, & baccillo agitato, fervereque permittito, ut aquoſitas pene tota conſummatur. Tandem remota ab igne olla, quod reſiduum eſt per linteum novum rarum in vas fictile aqua roſacea reſperſum percolato, fæces tamen relinquendo, Colatur. denuò *in alteram infundatur ollam vitriatam, Cui adde olei Amygdal. dulc.* ℥vj. *ceræ albæ* ʒiiij. *ad ignem omnia liquefacta iterum Colato, & in vaſculum vitreatum roſaceæ aq. inſpertum cadere ſinito, demum omnia illa aqua roſacea abluta, in vaſe vitreo optimè cooperto ſervato, & tum candidiſſimum ſebum habebis quod interdum minio coloratur. Poteſt iiſdem addi corallior. rubr.* ʒiß.

In hujus Unguenti præparatione facile quis inveniet, quod mutationem expoſtulet, quam tamen cuivis illud parare qui voluerit potius relinquimus; ipſam verò deſcriptionem addere voluimus, ut & hæc tot inter alias, paſſim uſuales, ſi fortè alicubi in uſu ſit proſtaret.

Unguentum Diapompholygos Nicolai vulgò Nihili dictum ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Olei roſacei* ℥vj. *ceræ albæ* ℥iij. *ſucci fructus Uvæ lupinæ* ℥iiij. *ceruſſæ* ℥ij. *plumbi uſti & loti, pompholygis, Thuris puri an.* ℥j. *Confice ſ. a. oleum cum ſucco ad humidi aquoſi exhalationem coquendo, poſtea Ceram in oleo liquefaciendo, & pulveres reliquorum immiſcendo.*

prodeſt Ulceribus calidis, & iis quos acres & ſalſi humores infeſtant, refrigerat enim, ſiccat & conſolidat, nec non abſque ullius acrimoniæ ſenſu Cicatricem ducit.

Unguentum Populeum Nicolai ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Oculor. ſive Gemmar. populi arboris recentium* ℔iß. *axung. porcinæ præp.* ℔ij. *oculi populi contundantur, & macerentur in axungia, donec ſequentes herbæ per æſtatem colligi queant ſcilicet.* ℞. *cymar. rubi tenerrimar. Folior. papaveris albi, mandragoræ, hioſcyami, herb. ſolani, vermicularis id eſt, ſempervivi minor. Lactucæ, ſempervivi major. bardanæ, violariæ, Umbilici vener. an.* ℥iij. *herbæ contundantur, & miſceantur oculis populi & axungiæ, deinde coquantur lento igne ad humiditatis aqueæ conſumptionem, colentur & exprimantur.*

Febrium ardoribus cum roſaceo aut violaceo convenit, ſomnum conciliat, fronti, temporibus, aut manuum ac pedum pulſibus illitum.

Quidam, ut vireſcat magis, ac refrigerandi facultate ſit efficacius cóctioni addunt ſolani triti m. ij. in defectu folior. mandrag. augeri poteſt quantitas hyoſciami pro umbilico verò veneris herba paris aſſumenda.

Unguentum Potabile ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Butyri recent. non ſaliti* ℔jß. *rad. rubeæ tinctor. tormentillæ, Caſtorei, ſpermatis ceti an.* ℥ß. *rad. & ſperma ceti cum butyro bulliant in vini odorati ſufficienti quantitate ad ejus conſumptionem, colentur & exprimantur, ac addito pulvere Caſtorii. Fiat Unguentum ſ. a.*

Eorum qui ex alto ceciderunt vulnera interna glutinat, ſanguinem concretum diſſolvit, ut & in concuſſis auxilio eſt.

Potabile Rubrum ex *Pharm. Norimberg.*

℞. *Butyri reſent. non ſaliti* ℔iij. *Cinogloſſæ* ℥iiij. *rad. rubiæ tinctor. Tormentillæ an.* ℥ij. *Caſtorei* ℥j. *bulliant ſimul in vini odoratiſſ. ſufficienti quantitate, ad ejus conſumptionem & Fiat Unguentum.*

Potabile Viride ex *Eadem Pharmac.*

℞. *Herb. Salviæ, Hyſſopi, Marrubii, herb. menthæ, betonicæ, Scolopendriæ, ſcabioſæ, cichorei, Fœniculi, meliſſæ, veronicæ, matriſylvæ, Aquilegiæ rutæ, petroſelini, millefolii, Centaurii minor. Agrimoniæ, ariſtolochiæ rotundæ, plantaginis cum toto an. m.* ij. *butyri maialis* ℔ viij.

Infunde herbas omnes recentes, ſuo quamlibet Col-

lectionis tempore in butyro, ſtentque donec omnes collegeris, & infuderis, poſtea exprime; expreſſum coque ad conſumptionem aquoſitatis F. ſ. a. Vnguentum.

Unguentum Reſinum ex *Pharmac. Londin.*

℞. Reſinæ pini puriſſ. Terebinthinæ ceræ citrinæ lotæ, olei puri an, partes æquales: ceræ & reſinæ in oleo liqueſcant: dein addita Terebinthina omnia percolentur & ad ignem lenem bulliant, ut decet.

Unguentum Reſumptivum Fernelii ex *Pharmac. Auguſt.*

℞. Sem. Lini, Althea, Fænugræci, gum. Arabici Tragacanthi an. ʒij. *macerentur & bulliant in* ℔ß. *aquæ ſimpl. eliciatur Mucilago, quæ cum butyri recentis* ℔ß. *Adipis ſuilli, gallinæ, Anſeris, Anatis an.* ℥ij. *coquatur ad humiditatis aquoſæ conſumptionem, poſtea addantur œſypi* ℥ß. *ol. violar. chamameli, Amygd. dulcium an.* ℥ij. *medullæ vituli, ceræ albæ an.* ℔ß. *F. ſ. Vnguentum.*

Adhibetur commodè Aſthmaticis, hecticis, Tabidis, pleuriticis ac è longo morbo emergentibus quibus nuda cutis oſſa veſtit.

Vnguentum ex Rhamno & Frangula Mindereri ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Rad. recentium Scrophulariæ ℥ij. *Enulæ Lapathi acuti, Chelidonii major. Corticum med. Frangulæ, rhamni, ana recentium* ℥j. *butyri recent.* ℥xvi. *piſtentur ſimul fortiter, poſteaque additis Aceti rutacei* ℥iij. *coquantur ad humiditatis aquoſæ conſumptionem, colentur, & fortiter exprimantur, deinde addantur Terebinthinæ Venetæ* ʒvj. *ſtyr. liquidi* ℥iij. *Vitelli ovor. n.* iiij. *ſalis nitri* ʒjß. *ſulphuris vini* ʒj. *Aceti Scillini* ʒvj. *miſceatur omnium primo Terebinthina cum ſtyrace, & Vitellis ovor. poſtea additis reliquis Fiat Unguentum.*

Ad cutis vitia ex Scabie utile eſt, tutius longè omnibus mercuriatis.

Unguentum Roſatum Meſuæ ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Axungiæ porcinæ ℔j. *Lavetur aliquoties aqua ſimplici, deindè addantur roſar. albarum recent.* ℔ij. *probe terantur, & coquantur lento igne uſque ad humidi aquoſi conſumptionem poſtea colentur.*

Uſu frequentiſſimum ad phlegmonas, ignem ſacrum, ulcera ſerpentia, & cephalalgiam calidam, ventriculi & jecoris intemperiem calidam mitigat, renum ardoribus ac hæmorrhoidum inflammationi ſalubre, & cordi robur addit.

Quidam parum opii in aqua roſarum colliquati inter decoquendum injiciunt, ſed id unguenti candorem deſtruit.

Unguentum Rubrum, ſivè de Minio camphoratum ex *Pharm. Auguſt.*

℞. Olei roſati ℔jß. *litargyri* ℥ij. *minii* ℥iij. *Ceruſſæ* ℥jß. *Tutiæ præp. Camphoræ an.* ʒiij. *Ceræ albæ* ℥ij. *liquatam coram cum oleo lento igne, miſce in mortario plumbeo cum reliquis rebus tenuiſſimè tritis.*

Refrigerat & ſiccat potentiſſime, ideoque igni ſacro feliciſſime adhibetur, Cancros ſanat, ulcera quæ humorum acrimonia ſerpunt, eam namque obtundit.

Rubrum Deſiccativum ex *Pharm. Londin.*

℞. Olei roſati omphacini ℔j. *ceræ albæ* ℥v. *liquatis inſperge in mortario plumbeo, Terræ Lemniæ vel boli Armenæ lapid. Calaminaris ſubtiliſſimæ pulverat. an.* ℥iiij. *lithargyri auri Ceruſſæ an.* ℥iij. *Caphuræ* ʒj. *Fiat Vnguentum.*

Vnguentum Rutaceum ex *Pharmac. Londin.*

℞. Fol. rutæ viridis m. iiij. *origani, pulegii menthæ, abſinthii, ſalviæ an. m.* ij. *Conſuſis in mortario lapideo adde axungiæ ſuillæ ſalſæ, ſive veteris* ℔iij. *digerantur quatriduum in fimo vaſe fictili, donec liqueſcat axungia: Tum Torculari validè exprimatur, poſtea addantur novæ herbæ, fiatque quater, ut antea.*

℞. Hujus valentiæ, ℥xvi. *medullæ Cervinæ, olei Laurini, an.* ℥iiij. *gum. Tacamahacæ Elemi an.* ℥iij. *olei nucis moſch. per expreſſ.* ℥ij. *baccar. juniperi, roris mar. ſpicæ, petrolei an.* ℥j. *ſaponis veneti* ℥vi. *eſſentiæ Caſtorei extracta cum Spir. vini opt.* ℥ij. *Miſce & lento igne liquatis liquandis, oleis vero ſub finem mixtionis additis, fiat ſ. a. Vnguentum ſive balſamum.*

Vnguentum ad Scabiem ex *Pharmac. Auguſt.*

℞. Styracis liquidi ℥j. *Terebinthinæ venetæ, butyri an.* ℥ij. *Succi limonum* ℥iß. *ceruſſæ lotæ* ℥j. *ſalis* ℥ij. *Fiat ſ. a. miſcendo Vnguentum.*

Confert ad Scabiem & pruritum, cujus fervorem temperat, vitioſum humorem cuti impactum extergit, & emendat.

Vnguentum Scabioſæ ex *Pharm. Londin.*

Celebre inter noſtrates Chirurgos, ante trecentos fere annos Vnguentum pro quo ℞. Succi virent. Scabioſ. prælo expreſſi & per pannum colati, axung. porcinæ mund. an. q. v. contundatur axungia in pila lapidea, elato, non in orbem acto, piſtillo; paulatimque interea affundatur ſuccus, commodioris miſturæ & tincturæ cauſa. Mox ſimul in vas idoneum ſoli obvertendum, conjicito, & ut ſuccus axungiam ſuperemineat curato. Exactis in hunc modum novem diebus, ad pilam & piſtillum ut ante revoca; ejiciaturque quam contundendo, non differendo expreſſiſti, tenuis, & decolor humiditas; rurſumque per 5. dies in ſuo vaſe recondatur axundia. Quibus elapſis, contunde de novo, ſenſimque admiſce recentem ſcabioſæ ſuccum; iterumque poſt quindecim dierum in ſole & ſuo vaſe moram, ab aquoſa humiditate, ut priùs liberetur. Tandem cum recenti ſucco, in alios 15. dies reponatur, & quinta demum vice diligenter contuſa, in vaſe vitreo, vel in vitreata ſervetur uſui.

Vnguentum de Solano ex *Pharm. Londin.*

℞. Succi è ſolano, lithargyri loti an. ℥v. *Ceruſſæ lotæ* ℥viij. *ceræ albæ* ℥vij. *Thuris pulverati* ʒx. *olei roſacei, pluries in aqua ſimpl. loti* ℔ij. *Fiat Vnguentum ſ. a.*

Vnguentum Somniferum è *Pharm. Norimberg.*

℞. Vnguenti populeonis, Alabaſtrini an. ℥ij. *olei nuciſtæ expreſſ. nymphææ albæ an* ℥ß. *opii in aqua roſar. diſſolut.* ʒij. *Croci orientalis* ℈iß. *m. Fiat ſ. a. Unguentum.*

Vnguentum Splanchnicum ex *Pharm. Londin.*

℞. Olei Cappar. ℥j. *Lilior. albor. chamamel. butyri recent. ab agitatione ſucci bryoniæ, Cyclaminis an.* ℥ß. *coctis ad ſuccorum exhauſtum adde gummi Ammoniaci aceto Soluti* ʒij. *&* ß. *pingued. gallinæ, Oeſypi, medullæ cruris Vituli an.* ℥ß. *pulv. cortic. Tamariſci, rad. Caſparum, radicum Filicis, ceterach. an.* ʒj. *ſem. Agni caſti, geniſtæ an.* ℈j. *ceræ q. ſ. Fiat unguentum ſ. a.*

Splanchnicum Magiſtrale ex *eadem Pharm.*

℞. Corticis rad. Cappar. ʒvj *rad. bryoniæ, iridis Flor. farinæ ſem. Fæniculi dulcis, Ammoniaci aceto ſoluti an.* ℥ß. *comar abſinthii, Flor. chamameli an.* ʒj. *Vnguenti è ſuccis aperitivis, è floribus Aurantio-*

rum

tum an. ʒvj. *Olei irini, Cappar. an.* ℥iβ. *pulverentur pulveranda, & cribentur, Cæteriſque in mortario Calido diligenter admixtis. F. Vnguentum ſ. a.*

Splanchnicum *Zwelferi.*

℞. *axungiæ porcinæ recent.* ℔iij. *cui immergantur ſequentia inciſa & contuſa: utpote rad. recent. Apii, bryoniæ naſturtii horten. aquaticis matris, ſylvæ, verbenæ, roriſmar. abrotani an.* ℥iij. *plantag. men.* ℥ij. *cortic. Tamariſci recent.* ℥j. *Cappar. recent. ſale condit.* ℥iß, *baccar. juniperi virid.* ℥ij. *Lauri excort.* ʒvj. *ſem. naſturtii opt. conquaſſati* ℥ij. *facta maceratione, ſeptimana una vel altera, coquantur parum; poſt colentur & exprimantur ſpecies, fortiter expreſſo Vnguento adde pulv. gum. ammoniaci* ℥iß. *ſagapeni* ℥j. *ſolutorum cum vini albi ſ. q. ad pultis formam.*

Verùm non multum ea coquantur, ne ſubtiliores & penetrantiores gummatum partes in coctura exhalent, propterea pulveres prædictor. gummatum, non abs re ſumendos præcipio, quia facilius diſſolvi, vel dilui poſſunt & ſine Colatura. (Ob quam liquidiora effici gummata, & denuò, ac neceſſario, coquendo ad competentem conſiſtentiam pultis inſpiſſari deberent) unguento dextrè commiſceri. Item adde Camphoræ ℥j. *vel* ℥iß. *ſolutæ pariter prius ad pultis formam cum olei de Capparibus ſ. q. Fiatque Vnguentum ſpleneticum omnibus exactè mixtis Cui ſi libitum eſſet, olea Coriandri, lavendulæ vel majoranæ propter gratum odorem, addi poſſent.*

Eſt Unguentum præſtans & efficax, in obſtructionibus lienis; cujus duritiem reſolvit, emollit & egregiè roborat, externa & ſæpius repetita, inunctione.

Unguentum Stipticum Fernelii ex *Renodæo.*

℞. *Olei roſati ſæpius in aqua aluminoſa loti* ℔iß. *ceræ albæ* ℥iiij. *galar. immatur. nucum Cupreſſi, baccar mirthi, balauſtior. malicorii, corticum glandium, acaciæ, rhois, maſtiches an.* ℥. *cum ſuccis meſpilor. & ſorbor. immaturor. Fiat Vnguentum.*

Unguentum hoc aſtringens quod validiſſimum ſit, ac paratu facile, inquit Plantius, uſurpandum erit pro unguento Comitiſſæ & alio quovis aſtringente, ut ritè paretur omnia tenuiſſimè pulveranda, & dies circiter quatuor maceranda in ſuccis ſorbor. & meſpilor. vel horum tantum alterutro; deinde lento igne ſiccanda; Tum ceræ oleo liquatæ commiſcenda.

Inter aſtringentia primum locum obtinet: ob id admovetur partibus imbecillis roborandis, ad humor. irruentium tuendis & laxioribus conſtringendis ac anguſtandis. Nam fluxiones omnes intercipit, vulvæ, uteri, ſedis, inteſtinique prolapſum cohibet, & profluentem ſanguinem admodum ſiſtit, mammillas pendentes retrahit, minores efficit, & ventris rugas à partu tollit.

Unguentum de Succis Arantii ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *olei roſati* ℥vj. *omphac.* ℥iij. *ſuccor. plantagin. ſolani hortenſ. Centaurii minor. Lapathi acuti an.* ℥iß. *bulliant ad ſuccorum conſumptionem, poſtea addatur ceræ albæ ſeorſim liquatæ quantum ſatis, inſpergendo paulatim lithargyri triti* ʒiß. *plumbi uſti* ʒiij. *pompholigis* ʒij. *hordei uſti p.* ʒß. *boli Armenæ oriental. Camphoræ an.* ʒj. *his omnibus ſimul mixtis, ultimus loco adde Vnguenti populei* ℥j. *infrigidantis Gal.* ℥ß, *Fiat Vnguentum.*

Vlceribus fœdis at malignis opitulatur, mundificat enim, ſiccat, fluxiones acres in iiſdem temperat, inflammationes reprimit, at ſinus cicatrice tegit.

Vnguentum de Succis Aperitivis ex *Pharm. Londin.*

℞. *Succi ebuli* ℥viij. *Apii, petroſelini an.* ℥iiij. *abſinthii, ireos an.* ℥v. *olei communis* ℔ß. *lilior. albor.* ℥x. *Abſinthii, chamemelini an.* ℥vj. *pingued. Anatis gallinæ an.* ℥ij. *coquantur ſimul lento igne, donec ſucci abſumantur, dein cola, & cum cera alba* ℥vij. *Aceti vini albi tantillo, Fiat unguentum ſ. a.*

Vnguentum Sumach ex *Pharmac. Londin.*

℞. *Sumach. gallar. immatur. baccar. mirti, balauſtiorum, malicorii, corticum glandium, nucum Cupreſſi, acaciæ veræ, vel germanicæ, maſtiches ana* ʒx. *ceræ albæ* ℥v. *olei roſati, in aqua aluminoſa ſæpius loti* ℔j. *&* ℥x. *pulverandor. fiat pulvis tenuiſſimus, quatuorque dies integros maceretur in ſucci meſpilor. & ſorbor. immatur. an. q. ſ. dein ſiccetur. ad ignem minus acrem, & cum oleo & cera præſcriptis coque in Vnguentum.*

Vnguentum Tegularum ex *Pharmac. Norimberg.*

℞. *Tegularum ſubtiliter pulveriſatar. calcis vivæ, aqua roſ. lotæ an.* ℥vi *olei roſarum* ℔ij. *Camphoræ* ℥ß. *boli armenæ* ℥ij. *m. F. Vnguentum.*

Vnguentum Thetrapharmacum. Vid. *Vnguentum Baſilicon minus.*

Vnguentum ad Tineam ex *Pharmac. Auguſt.*

℞. *Olei roſati, Iuniperi ex ligno an.* ʒvi. *ſulphuris vivi, Stercoris Columbini, Floris æris an.* ℥ß. *ceræ quantum ſufficit. Fiat Vnguentum.*

Vnguentum de Tuthia Nicolai ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Olei roſati, Ceræ albæ an.* ℥jß. *ſucci ſolani* ʒij. *Ceruſſæ lotæ* ℥ß. *plumbi uſti & loti, Tutiæ præp. an.* ʒij. *Thuris* ʒj. *Ceram liqua cum oleo, lento igne, poſtea paulatim ſuccum ſupradictum inſtillato & reliqua in pulverem redacta immiſceto.*

Differt ab Vnguento diapompholygos in eo, quod hoc cadmiam fornacum botrytim dictam recipiat, noſtris Tutiam adpellatam, alterum vero pompholyga, id eſt Nil album dictum. Ejuſdem penè facultatis, ad exſiccanda Eryſipelata, ſanandaque vulnera ſordida & Tibiarum ulcera, in putridis & cancroſis, ubi fervor aliquis eſt, ſumma fiducia uſurpari debet quod nulli veterum compoſitioni cedat.

Tapſi Valentia & Tapſimel ex *Pharmac. Londin.*

℞. *Succi chelidoniæ, Tapſi barbati, an. partem unam mellis deſpumati, partes duas, coque ſenſim, donec ſucci evanuerint, additiſque præcipiente Artifice vitriolo & Alumine Combuſtis, & attramento, rurſum coque, ut F. Vnguentum.*

Unguentum ad Vermes ex *Pharmac. Auguſt.*

℞. *Succi Abſinthii, Abrotoni, Centaurii minor. perſicariæ, Folior. perſici, arb. Lupini, rad. Ebuli porri, naſturtii aquat. an.* ℥ij. *balauſtior.* ʒj. *olei abſinthii* ℔iß. *ceræ q. ſ. Fiat Vnguentum, ſuccos cum oleo coquendo, poſtea ceram in eo liquando, & pulverem balauſtiorum immiſcendo.*

Umbilico ſuperpoſitum ac ventri inunctum vermes enecat & expellit.

Ad Vermes aliud ex *Pharm. Norimberg.*

℞. *Succi perſicariæ, Folior. perſ. arbor. lupini radicis ariſtolochiæ rot. an.* ʒiß. *ebuli, corticum mali punici an.* ʒij. *de Abſinthio, Abrotano, Centaureo min. an.* ℥iß. *porri* ℥ij. *naſturtii aquatici* ℔j. *olei abſinthii* ℔jß. *ceræ q. ſ. F. Vnguentum.*

Unguentum ad Verrucas ſeu Carunculas in meatu Urinario ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Mercurii præcipitati* ʒij. *Vnguenti de Ceruſſa* ℥ß. *miſce, addi his poteſt pro magnitudine affectus aliquid olei vitrioli aut aquæ fortis immittenda hujus Vnguenti parum ſupra Candelam ceream in canalem*

canalem. Poteſt autem loco unguenti de Ceruſſa à principio ſumi unguentum anodinum in aqua cum præcipitato portione, aut etiam aliàs pro lubitu & intentione medici variari. Candelæ ſic fiunt.

℞. *Ceræ albæ* ℔j. *Terebinthinæ Venetæ* ℥j. *liqueſcat cera, poſtea addatur Terebinthina, & in liquatis intingantur Ellychnia, fiantque candelæ juſtam craſſitiem habentes.*

Vtebatur hoc unguento feliciter Alphonſus Ferrius Neapolitanus in extirpandis Carunculis ſeu Verrucis in pene natis, urinæ non rarò ſuppreſſionem cauſantibus; id quoque commodiſſimè quondam uſurpabat Ioannes Thanmullerus Lithotomus ac chirurgus inſignis, qui multis annis in urbe noſtra praxin ſuam exercuit, id verò D.D. Vdalricus Rumlerus Collega quondam noſter communicaverat.

Vnguentum violatum ex *Ph. Aug.*

Fit ut roſatum.

Calidis pectoris noxis prodeſt, refrigerat & humectat.

Vnguentum Viride Reginæ ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Fol. Lauri, roriſmar. ſalviæ, majoranæ, Rutæ, millefolii, Anagallidis aquaticæ, nigellæ cum floribus & ſeminibus an.* mij. *urticæ major. minor. hyſſopi, prunellæ, Artemiſiæ an.* mj. *Agrimoniæ Centinodii, plantaginis minor. Rad. cichorii, Bellidi, Conſolidæ mediæ, Saracenicæ, vincæ pervincæ, lavendulæ, Abſinthii, roſarum rubr. albar. an.* miij. *herbæ & radices mundatæ incidantur, contundanturque cum butyri recentis* ℔vi. *poſtea additis olei olivar.* ℔ij. *Coquantur lento igne, rudicula continuò agitando: Colentur & exprimantur, addaturque ceræ albæ* ℔ß. *ac tandem olibani & Maſtiches ſubtiliſſimè pulveriſator. an.* ℥iiij. *Redigantur in Vnguentum,*

Non tantum externè adhibetur, ſed etiam internè datur ruptis, convulſis ac ex alto prolapſis, ubi grumoſi ſanguinis ſuſpicio ſubeſt, ſuggillata curat, dolores partium lenit, eſtque ad varios uſus adcommodatum.

Vnguentum Vulnerarium Aureum ex *Pharmac. Norimberg.*

℞. *Ol. communis Vetuſti* ℔j. *petræ* ℥jß. *philoſophor. ceræ Terebinthinæ, juniperi an.* ʒij. *G. galbani* ℥j. *pinguedinis Taxi balſami peruviani an.* ℥ß. *ceræ* ℥iij. *vel quantum ſatis miſce.*

Vnguenta varia è Schroderi Pharmacopæâ illuſtratâ vel auctâ.

Vnguentum Acopum DD. Meiſneri ex *DD. Schultzio in Miſcell. curioſ. Germanor.*

℞ *Rad. Hioſciani* miij. *herbar. cicutæ, ſolani, parietariæ, lactucæ, ana gallid. ſempervivi ana* mij. *herb. paridis cum uvis vel baccis, papaveris, roſæ caninæ, verbaſci ana,* mij. *ranar. virid.* No viij. *lumbricor. terreſtr.* ℥iij. *axungiæ porcinæ* ℔viij. *contuſis, ac invicem probè mixtis adde vini hiſpanici* ℔iiij. *Peracta dein digeſtione dierum ſex, fiat decoctio ad conſumptionem vini, colaturæ expreſſæ adde ſuccor. inſpiſſat. Rad. & herb. hyoſciani, herb. ſolatri ana* ℥iij. *pulpæ aſſiæ* ʒvi. *opii thebaici* ℥ij. *ſtyracis calam.* ℥j. *pulver. herbæ ſolatri, corticis mandragoræ ana* ℥ß. *croci orientalis* ʒij. *camphoræ* ʒiß. *Cum ſufficienti q. olei papaver. & hyoſciami M. F. ſ. a. Vnguentum, quod Thorunii uſitatum eſt in podagra.*

Vnguentum ad ambuſta ex *D. Charraz.*

℞. *Butyri recentis* ℔ij. *in liquefactum igne moderato butyrum, injiciatur extra ignem nivis quantum calor butyri liquefacere poterit; collectoque butyro aquam nivis ſupernatanti, addatur ceruſſæ venetæ pulver.* ℥j. *caphuræ, cum tantillo ſpir. vini pulveratæ* ʒj. *& factum erit unguentum.*

Vnguentum aliud ad ambuſta ex *Eodem.*

℞. *Axungiæ porci maſculi* ℔j. *vini albi* ℔ij. *folior. ſalviæ minor. hederæ terreſtr. & muralis, majoranæ, ſemper vivi mai. ana* mij. *coquantur ſimul igne lento ſæpius movendo, ad humidi conſumptionem, deinde colentur & fortiter exprimantur, & ſervetur unguentum ad uſus.*

Vnguentum *CC.* *Anodynum Guilhelmi Simonidis.*

℞. *C. C. dimidium minutim inciſum ponatur in cacabo vino pleno, addito ſemper vino q. ſ. bulliant, ad vini conſumptionom. Deinde abjecta craſſiore C.C. parte, medulla remanens fricetur manibus, adde poſtea. Ol. Abrotan. Hyperic. Aneth, Scorpion. Lumbricor. terr. Nucum Laurin. Rut. Spic. Sabin. ana* ℥ß. *Axung. human.* ℥jß. *Caſtor.* ℥ij. *Nitri* ʒß. *Euphorb.* ʒß.

M.F.ſ.a. Vnguent.

Vires. *Summe prodeſt in doloribus ſcorbuto-colicis atrociſſimis, tum & in pareticis & podagricis, aliiſque torminibus.*

Vnguentum Anodynum in *Podagra.*

℞. *Flor. Roſar, ſylveſtr. M.x.*

*Herb. & Cortic. exterior. hyoſcyam. recent. M.*vi.

Conciſa coquantur in vini menſur. ſ. hinc exprimantur & colentur. Colaturæ l. △ *ad mellis conſiſtentiam inſpiſſatæ, adde pingued. ſuill. caſtrat.* ℔ij. *miſce optime ad* △, *tandem ubi parum refrigerata fuerint: admiſce. Opii in vino ſolut.* ʒj. *Croci pulv. ad magnitudinem avellanar. duarum, Extract. flor. verbaſci.* ℥ß.

F. Vnguentum

Vires. *Singulare eſt in ſiſtendo dolore Podagrico & Nephritico, ſi calide affectus illo inungatur.*

N. *Vbi dolori nephritico velis applicare, operæ pretium feceris, ſi manipul. duos vel tres baccarum Iuniperi ab initio compoſitionis cum hyoſcyamo teras & exprimas Croll.*

Vnguentum butyraceum nervale *S. Cloſſ.*

℞. *Herb. abſinth. virid. Majoran. Siſymbr. Hiſſop. Meliſſ. Calamenth. Orig. Baſilic. Hyperic. Rut. Calend. Sabin. Tanac. Arthemiſ. Abrotan. Flor. Chamæm. Melil. Hyperic. Beton. Agrimon. Centaur. min. ana M.j. Concidantur minutim & in magno fictili bull. in butyr. Majal.* 🜄 ℔vi. *Percoctis herbis & conſumpto* 🜄 *exprimantur per torcular & coquantur ſimul cum butyro, admiſcendo ſucci nicot. depurat.* ℔ij. *Tereb. lot.* ℔j. *Ceræ* ℥vi. *F. Vnguentum.*

Vires. *Valet ad omnes affectus frigidos nervorum, ſpaſmum Cynicum, præſertim ſi ſpondyli cervices & partes illæ quæ movent maſculos faciei eo inungantur, ſi verò totum pectus cartilago Xyphoides, tunc cedat ſingultum, tuncque ſic præſcribitur.*

℞. *Balſ. Peruvian.* ℥j. *Butyroſi noſtri* ʒij. 🜄 ℥j. *M. omnia ad exalationem uſque* 🜄.

Unguentum Catapſoras è *Pharm. Colleg. Reg. Londinenſis.*

℞. *Ceruſſa in acq. portulacæ prius lotæ, deinde in aceto) poſt maceratas in eo raphani ſylveſtris radices expreſſo, lapidis calaminaris, chalciteos ana* ʒvi. *plumbi uſti, ſanguinis hircini ana* ℥ß. *argenti vivi ſublimati* ℥j. *ſuccorum ſempervivi, ſolatri plantaginis ana* ℥ij. *axungiæ porcinæ à pelliculis mundatæ* ℔iij. *olei violarum, papaveris, mandragoræ ana* ℥j. *Primo ſubli-*

mò ſublimatum & axungia, deinde olea ſucci & pulveres ritè miſceantur, ut F. Vnguentum ſ. a.

Vnguentum Cardiacum.
Hertzgeſpan. Salb.

℞. *Herb. Cardiac. Camadr. Malv. Senecii, ſacea Amar. dulc. Scabioſ. Sempervív. Morſus galin. ana M. ij.*

Incidantur & coquantur in ℔ viij. *butyri recentis ad conſumptionem aquoſitatis, dein exprimantur, & F. Vnguentum.*

Vires. *Frequentis uſus eſt in affectu infantum, quem Cardiacam appellant. Fricant eo hypochondria & locum cardiæ, &c.*

Vnguentum Cordiale, DD. *Arnold. Weickhardi pro Officinis FF.*

℞. *Vng. roſar. Meſ.* ℥iij. *Ol. Scorpion. ſimpl.* ℥iß *Nuciſt. expreſſ. Stillat. cort. citri. camphor. ana* ʒj. *Antidot. Matthiol. Theriac. Andr. ana* ʒiß. *Aloes roſat.* ʒij. *M. F. Linimentum.*

Vires. *Corroborat Balſamum vitæ lanquidiſque viribus ſubvenit, cordi injunctum.*

Unguentum Cordiale *Cl. Ludovic. ab Horning.*

℞. *Vng. roſ. opt. loti* ℥iij. *Balſam. Apoplect.* ℈j. *Ol. nuciſt. expreſſ.* ʒj. *Still cort. citri* ℈ß *Cinam. g. v. Roſar. g. vi. M. optimè.* Vſus idem qui prioris.

Unguentum Narcoticum.

℞. *Sacchar.* ♄*ni* ʒij. *Opii* ʒj. *Camphor.* ℈j. ℴℴ *expreſſ. nuc. moſch.* ℥j. *nucleorum perſic.* ʒij. *ambr. Moch. an.* ℈. *F. ſ. a. Vnguentum.*

Vires. *Non tantum tolluntur ardores & dolores Capitis, ſed etiam ſuaviter conciliatur ſomnus, ſi utraque tempora eo illinantur.*

Unguentum Nevriticum ſecretum familiæ cujuſdam nobilis ex *D. Daniele Prottenio* in Act. medic. Hafnienſibus Bartholinianis.

℞. *Canem juniorem per totam cutem rubicundi coloris, hunc duorum menſium, vel ſex ad minimum ſeptimanarum ſpacio, ad ſatietatem cibo ac ſagina juſculis ex lacte, cui ſimplicia neuritica (uti ſunt teſtudines, conchæ, lumbrici, oſſicula pedum animalium contuſa; herbæ iisdem floreſque roriſmar. lavendulæ, ſalviæ, betonicæ, hyperici) fuerunt incocta, paratis. Deinde bene ſaginatum eundem ac eviſceratum, imple iterum modo recenſitis ſpeciebus, præſertim verò lumbricis, cum terreſtribus, cum humanis, limacibuſque tam albis quàm rubris, quibus inſuper axungiam humanam atque caſtoreum adjungere, ac loco lardi exterioribus ejus partibus, limaces lumbricoſque circum circa intertexere poteris. Atque ſic demum hoc modo præparatum canem una cum pilis lento Carbonum igni admove, ac deſtillata exinde penguedine ſæpius humecta eundem ſuperficialiter, idque tamdiu repete, uſquedum liquor iſte ſatis ſit imbutus ſupradictarum ſpecierum virtutibus. Tum recipe hujus oleoſæ pinguedinis* ℔ij. *eique antequam prorſus frigeſcat, infunde axungiæ humanæ ac caſtorei deſtill. ana* ℥iij. *olei lavendulæ, roriſmar. ſuccini deſtill. ana* ℥iß. *Atque tunc demum præparatum eſt admirabile unguentum in vaſis bene cuſtoditis ſervandum, quod in doloribus arthritidis, tam vagæ, quam ſimplicis, luxationibus, ariduris membrorum ſpaſmo & quamplurimis aliis nervoſo generi familiaribus morbis præſentaneum ac admirandæ virtutis eſt remedium.*

Vnguentum Ophthalmicum, *F. F. D. D. de Spina.*

℞. *Tut. præparat.* ʒß. *Camphor.* ℈j. *Aqu. roſar. alb.* ʒj. *Butyr. rec.* ℥j. *Viridaris parum. M. F. Vnguent.*

M. F. Vnguent.

Vſus. *Applicatur ciliis, in inflammatione ac rubedine oculorum.*

Vnguentum ophthalmicum aliud ex *D. D Willio in Actis Hafnienſ. Bartholin.*

℞. *Vnguenti nihili & de tutia ana* ʒij. *margaritar. corallor. oculor. cancri tutiæ, omnium præparator. ana* ℈j. *camphoræ gr. vj. fol. auri & argenti ana* No iiij. *M. F. unguentum hora decubitus lentis magnitudine cantho oculi majori indendum, & infra palpaberas allinendum. Dici non poteſt quàm citò unguenti hujus uſu ophthalmia violentia laxetur, adeo ut fere abſtergi malum videatur, ex moderate quippe quibuſdam refrigerantib. adſtringentib. & deſiccantibus conſtatum ritè jam celebratis univerſalibus omnibus non poteſt non eſſe conducibile. Poteſt etiam addi ſacch. ſaturni* ℈. *atque camphoræ pondus duplicari ſicque ſentietur effectus promptior felicitas.*

Vnguentum aliud ophthalmicum ex *D. Charraz.*

℞. *Vnguenti roſati* ℥ij. *mellis narbonenſ.* ℥ß. *aloes electæ & ſarcollæ pulveratar. & in lacte muliebri per dies tres ſine agitatione fuſar. mutato lacti unaquaq; die, ana,* ij. *pulver. trochiſcorum albor. rhaſis, boli armenæ, tutiæ præpar. ana* ℈iiij. *Vitrioli albi, ſacch. candi ana* ʒj. *pulveris croci, myrrhæ & olibani ana* ℈ij. *opii thebaici* gr. *F. ſ. a. Vnguentum, ocul. ad modum præcedentis indendum, mane ſubſequ. oculum aqua plantag. aut roſar. albar. abluendo.*

Vnguentum ad perniones mirandum.

Cer. flav. piſcis, reſin. alb. ol. olivar. lin. ana ℔ß. *Sevi bovini, Vervec. liquat. ana quart.* iij. *thur. albiſ.* ℥j. *Minii* ♄ *officinarum* ℥iv. *F. Vnguentum.*

De quo illinatur calide cum pluma pernio ulceratus ſuppoſito linteolo mundo. Non ulceratus v. fortiter petreolo ante △ *confricetur. Tantæ utilitatis eſt, ut quotannis plures iſtius Vng. libras in pauperes eroget, S. Cloſſ. Fiſſuras inſuper mammillarum & Eryſipelata leviora ſanet præcedente fotu cum* ♈.

Unguentum ad capiendos piſces ex *D. Charraz.*

℞. *Axungiæ humanæ & cati ana* ℥ß. *muniæ ſubtiliter pulver.* ʒiij. *ſem. cumini ſimiliter pulver.* ʒj. *oleor. ſtillat. aniſi & de ſpica ana* gutt. vj. *Zibethi & camphoræ ana* gr. v. *F. ſ. a. unguentum, illinendum lineæ piſcatoriæ pro capiendis piſcibus.*

Vnguentum contra ſcabiem.

℞. *Lythargyr. Ceruſſ. alb. ana* ℥iß. *Acet. roſar.* ℥iß. *Ol. roſar.* ℥vi. *Sulphuris viv.* ℥vj. *Sal comm.* ʒiij. *Butyr. recent.* ℥iij. *Terebinth* ℥iß. *M. ſ. a.*

Unguentum ſomniferum FF.

℞. *Opii thebaic.* ℈ij. *Croc.* ʒß. *Vng. roſar. alabaſtr. ana* ℥ij. *Ol. nuciſt.* ʒv. ℈j. *Acet. ſambuc. parum. F. ſ. a. Vnguent.*

Vires. *Inungitur temporibus, fronti, & cervici pone aures, ad conciliandum ſomnum.*

Vnguentum ſpleneticum.

℞. *Ol. Amigdal amar.* ℥j. *Cappar.* ℥ij. *Nucl. perſic. expreſſ.* ℥ß. *Succ. rad. Brion. Cyclamin. Cicut. ana* ℥ij. *Gumm. Ammoniac. in* 🜊 *diſſolut. Bdell. ana* ℥ß. *Pulv. cort. cappar. Tamariſc. ana* ℥ß. *Fraxin.* ʒvj. *Ceterach. Summ. centaur. min. ana* ℥ß. *Sem. Cymin. aceto macerati, & iterum exſiccati,* ʒij. *Cera novæ, q. ſ. F. Vnguent.* Vires. *Vim habet calefacientem, emollientem, reſolventem, aperientem, roborantem.*

N. *Penetrandi gratia poteſt addi* ʒj. *vel* ij *Ol. ſpic. vel Ol. ſtillatit. abſynth.* ℈iß.

Unguentum

Vnguentum Stipticum ex *D. Charraz.*

℞. *Olei comm.* ℔iiij. *mirtillor. ſiccor. contuſor.* ℔iß. *alumin. rupei* ℔ß. *ſucci myrtillor. & ſorbor. immaturor. ana* ℔j. *Omnia vaſi fictili cooperto commiſſa in ferventi B. coquantur ad integram fere humoris conſumptionem, deinde colentur & fortiter exprimantur, oleumque fœcibus liberetur. Tunc* ℞. *Olei illius* ℔iij. *ceræ albæ* ℥ix. *eod. B. calore inciſa cera in oleo liquetur, ſemique refrigeratis ſequentia pulverata permiſceantur.* ℞. *Nuc. cupreſſi, myrtillor. balauſtior cortic. granator. & glandium, acinor. uvæ, oſſis è crure bovis calcinati, granor. ſumach, maſtiches, acaciæ, aluminis uſti & corticis mediani caſtanear. ana* ʒvi. *F. omnium pulvis unguento permiſcendus.*

Hoc Vnguentum dorſi parti inferiori illitum uteri ligamenta corroborat, poteſt etiam adhiberi utiliter pro conſtringendo matricis collo poſt partum, ut & pro conſolidandis lacerationibus quibus affliguntur quandoque puerperæ difficilem partum paſſæ, remedium etiam eſt uteri hæmorrhagiis immodicis, quo caſu applicatur regioni renum, hepatis ut & toti abdomini, eo etiam inungitur ſtomachus pro ſiſtendis vomitibus.

Vnguentum è ſuccis è *Pharm. Colleg. Reg. Londin.*

℞. *Olei roſati opt.* ℔j. *ceræ albæ novellæ* ℥viij. *folior. plantag. ſolani, oxilapathi, centaurii min. ana* mij. *Cera cum oleo leni igne liqueſcat. Addantur poſtea herbæ, bullientque donec probe decoctæ fuerint. Poſtea colentur, torcularique exprimantur. Expreſſum, abjectis herbis, denuo moderatè ferveat donec omnis aquea humiditas abſumpta fuerit, & ſolidiuſculam unguenti formam acquiſiverit: quo ferè jam refrigerato, camphoræ pulveratæ ſemunciam inſpergito, tamdiuque agita donec refrixerit.*

Vnguentum Sympatheticum, *Crollii.*

℞. *Adip. Veteris aprugn. Vrſin. ana* ℥iv.
Bulliant per horæ dimidiam, in Vino rubro, fundanturque ſuper aquam frigidam, colligaturque pinguedo ſupernatans. Dein,

℞. *Lumbricorum lotorum pulveriſ. Cerebri aprugni Santal. rubr. Mumiæ. Hæmatit. ana* ℥i. *Vſneæ è cranio hominis intexempti*, ʒi, *F. ſ. a. Vnguentum cum pinguedinibus illis.*

N. 1. *Animalia illa quo ſeniora, eo adeps melior.*

N. 2. *Vſnea colligenda* ☾ *creſcente, & in bona domo exiſtente, ♀ ſcilicet ſi fieri poſſit non ♂, aut ♄i. Parandumque Vnguentum ☉ in libra exiſtente.*

N. 3 *Sunt qui omittunt Vſneam & Mumiam,*

Vſus. Hoc Unguento ſanantur omnia Vulnera, (modo nervi, arteriæ, &c. non ſint læſæ.) Ungatur telum, quo vulnus inflictum, quotidie ſemel, ſi neceſſitas urgeat, & vulnus ſit ingens, alioquin ſecundo vel tertio die inunxiſſe ſufficit.

N. 1. *Telum ſervetur in linteolo mundo, & loco non nimis calido, ne damnum inferatur Patienti. Cavendum etiam ne pulvis ſuper telum cadat, nec ventus afflet in loco frigido, alioquin Patiens mirè affligeretur.*

N. 2. *Si vulnus punctim inflictum, ungatur telum verſus mucronem deſcendendo.*

N. 3. *Si telum deſit, ſanguis ex vulnere lignello ſuſcipiendus, quod dein ut de telo dictum tractandum. Hac ratione dolor dentium mitigari quoque poteſt, ſi nimirum lignellum ſanguine gingivarum imbutum, eodem unguento inungatur.*

Operatio hujus Unguenti perficitur identitate Balſami, ſive ſpiritus illius Balſamici, qui in homine & cruore idem eſt. Inter hos enim ſpiritus non alia eſt differentia, quam quod in homine Spiritus ille adhuc vitali actu vigeat, in cruore autem coagulatus ſit. Quare cum experiamur, affinitatem ſanguinis tantum poſſe, ut uno fratre, vel conſanguineo proximo, peſte correpto, & alter etſi longo viæ intervallo abſit eadem afficiatur; quid non fieri poſſe, autumabimus, ſanguinis identitate?

Hofman. *Vnguentum ſympatheticum Crollii.*) Dicitur hoc Vnguentum ſympatheticum, eo quod cum vulnere quandam habere videatur ſympathiam ſeu conſenſum, ut ſi nonnihil cruoris, quod telo adhæret, eo imbuatur, virtus ſanativa in vulvus deferatur, ut aiunt, ſpiritus mundi beneficio, & in hoc ex unitatis ſolutione unionem efficiat naturalem. Magneticum etiam appellatur ab actione, qua inſtar Magnetis in diſtans agit ſanando vulneratos. Alias armarium, quod non vulneri, ſed armis Vnguentum applicetur & ſic ſanatio peragatur. Vocatur etiam ſtellatum, quia ab Aſtris ſuas accipere operationes ſibi perſuadent, vel pro certo ſtellarum poſitu componendam eſſe dicunt. Alii aliter deſcribunt.

Recip. *Adipis veteris aprugn. Vrſin.* &c.) *Dnus Autor* Crollianam retinuit deſcriptionem. Aliam Th. *Paracelſus* proponit in archidox. Magic. Libr. 1. *Iohann. Baptiſt. Porta* Magiæ natural. Libr. 8. cap. 12. Aliam tradiderunt *Franciſcus Tidicæus* de theriac. p. 279. & *VVeickardus* Libr. 4. de extern. corporis human. affect. p. 641. Plurimi tamen in eo conveniunt, quod ſtatuant Uſneam, Mumiam cruorem & adipem humanum ad hoc neceſſaria eſſe. de Uſneâ inter ſe diverſæ ſunt opinionis. Dum alii, ut Goclenius aſſeverat. Vſneam ex ſolis craniis ſuſpenſorum diligendam eſſe, quod ſpiritus vitales ſtrangulati in calvariam intrarint. Alii parum referre aiunt, ſive ſit ex ſtrangulatis, ſivè ex alterius cujuſdam capite. Et Paracelſus uſu comprobatum dicit, Vſneam ex cranio rota intemptorum non minus laudabilem eſſe, quam laqueo ſuſpenſorum. Et colligendam eſſe inquiunt, in ☽næ incremento in ♀ domo exiſtentis, vel ☽na in ♓ vel ♉ aut ♎ verſante.

Mumiam.) per mumiam intelligitur vel Arabica & Ægyptiaca illa, conſtans ex myrrha, aloe, croco, balſamo & aliis odoramentis, vel caro humana muſculoſa; in quâ ſpiritus inſitus mumialis & confermentatus eſt ſuperſtes, ſurroganda eſt.

Crollius cruorem & pinguedinem humanam omiſit, cum tamen etiam ſint neceſſaria, eo quod vulnerato per ea arctiſſima cum unguento ſit cognatio. Ex rebus humanæ naturæ optimè convenientibus, inquit *Robertus Fludd* hoc unguentum conflatum eſt. Vnde ad ejus ſanitatem reſpectum neceſſe eſt, nam uſnea tanquam oſſium humanorum vigor confermentatus, ſanguis & caro in mumia ad hujus compoſitionem cum adipe concurrere debent, in quibus virtus mumialis deliteſcit & cum his omnibus ſanguis permiſcetur, qui omnium prædictorum origo & quaſi pabulum eſt, ita ut integra corporis humani perfectio quaſi ad hujus unguenti compoſitionem concurrere videatur.

Vſus.) Ferrum ſeu telum, aut in ejus defectu lignum aut ramus ſalicis in cruore madefactus in unguentum immergitur, & ita relinquitur. Æger quotidie propriâ ſuâ urinâ vulnus eluat & deligat panno mundo, ſemper pus extergendo, vulnuſque qualibet aurora mundificando, Illud quod cruore madefactum eſt in locum temperatum ac mundum reponendum eſt, ſi enim aeri vel nimio frigori exponatur, excitabitur dolor, Attendendum etiam an cæſim vel punctim vulnus ſit factum. In cæſura ab apice verſus tergum telum inungendum eſt, in punctura autem à cuſpide verſus capulam, ſi non poſſis cognoſcere, quam profundè vel quomodo telum in carnem introiverit, poteris illud perungere; aliàs ſufficit locum teli, quo aliquis læſus eſt, inunxiſſe. Quo die telum inungitur abſtineat à venere & vulneratus, & is, qui telum inungit. In fracturis & ruptura oſſium aliquid pulveris ſymphyti

majoris

majoris oſtiocollæ Unguento addi poteſt. Idem modus procedit & in aliis affectibus. *Sic in* dolore dentium ſanando dens dolens tamdiu ſcalpello fricetur, donec ſanguinem emittat. Scalpellum poſtea cruentum hoc unguento inungatur. In Dyſſenteria excrementa cruenta cum hoc miſceantur unguento, tranſlata in locum temperatum patienti afferent levamen ex obſervatione *D.D. Joannis Michaelis.*

Operatio hujus Unguenti perficitur identitate Balſami &c.) Quæ cauſa ſit hujus operationis ſympatheticæ, magna contentionis ſerra inter Authores trahitur *Dnus Autor* cum Crollio identitati Balſami ſive ſpiritui illius balſamico qui in homine & cruore, idem eſt, adſcribit, hoc tantum intercedente diſcrimine, quod in homine ſpiritus iſte adhuc vitali actu vigeat, in cruore autem coagulatus ſit. Alii illam ſanationem per meram naturam & magneticam quandam efficientiam peragi putant. Vnde R. *Goclenius* in ſynarthroſ. Magnetica aſſerit virtutem magneticam à telo Vnguento delibuto propagari ad vulnus propter Naturæ cognationem & continuationem, quam ſequitur ſucceſſiva impulſio per medium aerem ſpiritu ſtellato & primario quodam ac magnetico vigore ac potentiâ imprægnatum. In Vnguento eſt ſpiritus balſamicus, hic evocatur à ſpiritu conſimili ſibique ſympathetico, ut ſpiritu mundi ſtellato ad effectum ſingularem producendum. Fit igitur cura vulnerum magnetica per meram virtutum tranſplantationem, quam efficit & perficit appetitus inter ſpiritum balſamicum & ſpiritum mundi. Alii contra curationem hanc tanquam pro fallaci, ſuſpecta & minimè naturali agnoſcunt, ut Cl. *Sennertus* in Practic. Medicin. Lib. V. Cap. X. CL. *Conring.* de Hermetic. Medicin Cap. 18. *Athanaſ. Kircherus* de Arte Magnet. Lib. 3. part. 7. de Magnetiſm. Medicinal. *Sylveſter Rattray* Theatr. ſympathetic. Nos medium tenentes locum, nec planè hujus virtutem adſpernamur, nec nimium etiam huic attribuimus. Interrogati autem de ratione & modo hujus operationis, ἐπέχειν cogimur prætendere.

Vnguentum Terebinthinæ vulgò

Einterſalbichen. Onguent qui facilite ou qui aide la ſuppuration des ulceres. *Oyntement of Turpentin, to make ſuppuration* or *matter in a vvound.*

Zurpentyn-Salf om materie in een vvont te make.

♃. *Terebinth.* ℔ij. *vitell. ovor. num.* vi. *maſtich. myrrh. oliban. ana* ℥i. *F. Vnguent.*

Vires. *In vulneribus generationem puris promovet.*

Vnguentum Viride potabile, Butyrum viride, F.F.

♃. *Herb. ſalv. hyſſop. praſſii menth. betonic. ſcolopendr. ſcabioſ. cichor. fænicul. meliſſ. veronic. matriſylv. aquileg. rut. petroſel. millefol. centaur. min. agrimon. ariſtoloch. rot. plantag. c. toto ana* mij. *butyri majalis,* ℔viij.

Infunde herbas omnes recentes ſuo quamlibet collectionis tempore in butyro, ſtentque donec omnes collegeris & infuderis, poſtea exprime, expreſſum coque ad conſumptionem aquoſitatis. F.ſ.a. Vnguentum.

Vires. *Expetitur à vulgo aſſumiturque ad ſanguinem coagulatum reſolvendum dolores leniendos, pulmonum mucilaginem demulcendam & expellendam. Quin & extrinſecus ad dictos effectus adhibetur.*

Vnguenta varia ex Iacobo Le MORT.

Vnguentum Rubrum.

♃. *Axungiæ Porcinæ, Olei Hyperici an.* ℥iiij. *Ceræ* ℥ij. *Cretæ* ℥j. *Minii* ℥ß. *Camph.* ℈ij. *M.F.ſ.a.*

Vnguentum.

Vires. *Acidum temperat, conſolidat, inflammationibus prodeſt, oculorum vitiis ſuccurrit, ut & manibus & pedibus frigore & calore aduſtis.*

Vnguentum Nervinum.

♃. *Vnguenti Althææ* ℥iij. *Pingu. Anatis, Anſeris, Canis, Felis, Olei Anethini, Chamæmelini, Laurini, Lumbricorum, Vulpini an.* ßj. *Euphorbii, Petræ, Spicæ, Terebinth. an.* ℥ß *Ceræ q.ſ. M.f.ſ.a. Vnguentum molle.*

Brevius ſic habe.

♃. *Ol. Laurini* ℥ij. *Lumbricorum, petræ, ſpicæ, Terebinthinæ an.* ℥j. *de palma* ℥iß. *camphor.* ℈ij. *pinguedinis anſeris* ℥j. *unguent. althææ q.ſ. Sp. Vini, in quo ſapon. venet.* ʒiij. *diſſol. fuerint,* ℥j. *M.f.ſ. a. Vnguentum.*

Vires. *Frigidis nervorum affectibus convenit, valde penetrat, & dolores è contractura & ſpaſmo ortos lenit.*

Unguentum Populeum.

♃. *Oculorum Populi recent.* ℔ij. *axungiæ porcinæ recent.* ℔vj.

Gemmæ Populi contuſæ macerentur in axungia, donec ſequentes herbæ in vegeto ſuo ſtatu collectæ fuerint:

♃. *Herb. Bardanæ, hyoſcyami, lactucæ, mandragoræ, papaveris nigri, ſempervivi majoris, minoris, Solani, violarum, umbilici veneris, Cymarum rubi tenerrimarum an.* miij.

Hæ contuſæ cum axungiâ & oculis Populi coquantur in MB ad humidi ſucci privationem, ut fiat ſ. a. *Vnguentum.*

Vires. *Inflammationes & dolores ex acri humore ortos ſiſtit, motum nimium compeſcit, leviter aſtringit, & anodynum eſt, unde convenit in affectibus calidis, &c.*

Unguentum Pomatum.

♃. *Axungiæ porcinæ, Sevi Ovilli an.* ℔j. *Aq. roſarum fragrant.* ℔ij.

Coquantur in MB. per horam ſemis, refrigeratis lentè omnibus, fœces in fundo deciduæ cultello auferantur, idque bis vel ter repetatur, donec fragranti odore & colore albo ſeva imbuta ſint: his adde

Poma redolentia mundata No. xvj. *Iridis Florentinæ Gran. Macalep. an.* ℥j. *Storac. Calamitæ, benſoes alb. an.* ℥ß.

Coquantur ſimul in MB. ad exhalationem ſuperflui liquoris, dein coletur ſevum à fœcibus, cui adde

Fl. Iaſmini ℥ß. *Ligni Rhod.* ʒj. *cinamom,* ℈j. *garyophill.* ℈ß *Florum benſoes* ℈ij. *moſci, zibeth. an.* gr. iij. *M.f.* Unguentum fragans.

Vires. *Odoriferum halitum gratiſſimum ſpargit, frigidis affectibus ſuccurrit, cor & ſpiritus reficit ſuo odore.*

Unguentum Martiatum.

♃. *Herb. abſinthii, abrotani, baſilici, calaminthæ, centaurii minoris, chamædryos, coſti hortenſis, illecebræ, majoranæ, menthæ aquaticæ, paralyſis, ſabinæ, ſalviæ, ſambuci an.* ℥iß. *lauri fol. roriſmarini rutæ an.* ℥iij. *Sem. cumini, fænugræci, urticæ majoris an.* ℥ß. *adipis urſini, medullæ Cervinæ, Styracis liquidæ an.* ℥iij. *butyri* ℔j. *Olei nucîſtæ expreſſi* ℥j. *Olivarum* ℔iiij. *Ceræ citrinæ* ℔j. *Vini generoſi q.ſ.*

Macerentur per octiduum in tepido MB. dein leviter coquantur ad humoris abſumptionem, ut f. ſ. a. *Vnguentum.*

Vires. *Efficax eſt Vnguentum in quibuſcumque morbis externis è frigore & obſtructione oriundis. Vermes*

mes necat, ventriculum roborat &c.

Vnguentum ad Scabiem.

℞. *Laterum rubror.* ℥ij. *Flor. ſuphur.* ℥iß. *merc. præcipit. rubr.* ʒiij. *aluminis* ʒij. *axungiæ Porcin.* ℥x. *Ol. Iaſmini* ℈j. *Ligni Rhod.* gtt. xij. *M. f. a.* Vnguentum.

Vires. *Scabiei, affectibus ſubcutaneis ex acriori ſale oriundis conducit &c.*

Vnguentum Magiſtrale.

℞. *Succ. mucilag. ſymphit. maj. barb. caprin. cum toto an.* ℔j. *chelidon. major. hyperic. an.* ℥iv. *Mellis* ℥xvj.

Coquantur, & deſpumentur ſimul, donec conſiſtentiam *Vnguenti* acquirant. Dein inſperge

Pulv. Barb. caprin. Symphit. major. Solidag. Sarac. an. ʒvj. *aloes* ʒij. *camphoræ* ʒj. *M. F.* Vnguent.

Vires. *Omnibus conducit ulceribus, & vulneribus, præcipue in corporibus ſcorbuticis, & acri acido ſucco præditis.*

Vnguentum Ægyptiacum.

℞. *Æruginis* ℥v. *aluminis crudi* ℥j. *mellis optimi* ℥xiv. *aceti fortiſſ.* ℥vij. *M.*

Coquantur ſimul in conſiſtentiam *Vnguenti.*

Vires. *Mundificat & vulnera, aſtringit, collutioni oris inſervit, &c.*

Vnguenta varia ex Pharmac. BATEANA.

Vnguent. Albuminum.

℞. *Fit miſcendo exactiſs.* 🝆 *Roſ.* ℥ij. *cum album. ovor.* ℥iv. *f. a.*

Ad ambuſta, inflammationes, &c. optimum remedium.

Vnguent. Antipyreticum.

℞. *Chenocopri rec.* ☉ *oliv. an.* ℥iv. *ung. Dialth.* 🝆 *Roſ. an.* ℥j. ▽ *nivis* ℥viij. *coq. l.* ▽. *f. a. colat. adde campho.* ʒj. *m.* Valet opt. in ambuſtis, &c.

Vnguent. de Aurantiis.

℞. *Poma aurantia rec. ſed immatura & viridentia in pulpam. cum cortic. contuſa num.* vj. *Fol. lauri miv. ſalv. acetoſ. calend. an.* mij. *ſucci naſturt. aquat.* ℔ij. *Butyr. rec.* ℔ij. *coq. ad ſuccor. conſumpt. f. expreſ. fortis: cui adde recentia folia lauri, & ſalviæ contuſa, cinnam.* ℥j. *nuc. m.* ℥ß. *coq. iterum ad herbarum putrilag. & f. expreſſio.* In Scabie, prutitu, &c. inſigne.

Vnguent. de Betonica aquatica.

℞. *Fol. beton. aquat. acetoſ. an.* mvj. *contuſis adde Butyr. rec.* ℔ij. *coq. ad herbar. ſiccit. f. expreſſio Repet. coctio ter foliis rec. colat. adde* 🜁 *viv. ſubt. pulvis pulverare* ℥iiß. 🝆 *ſtil. cort. aurant.* ʒj. *m. f. a.* In pruritu. Scabie, &c.

Vnguent. Cephalalgicum.

℞. *Vng. Alabaſtrin. Roſat. an.* ℥ij. *opii* ʒj. *croc.* ʒß. *ol. nuc. m. f. Vng.* Pro temporibus ac fronte inungendis.

Vnguent. Crinificum.

℞. *Labdan.* ʒvj. *Axung. urſin.* ℥ij. *mell. crud.* ℥ß. *pulveris Abrotani* ʒiij. *Cinerum Rad. arundin.* ʒiß 🝆 *nuc. m.* ʒj. *Balſ. Peruan.* ʒiij. m.

Vnguent. Depilatorium.

℞. ♆ ℥iv. ○○ ℥iß. *Rad. irid. Fl.* ℥j. *nitri* 🜁 *an.* ℥ß. *Lixiv. fortiſſ.* ℔ij. *coq. ad conſiſt. debitam: adde* 🝆 *caryoph.* gt. xx. *m. f. ung. ſeu Pulmentum.*

Vnguent. Digitalis.

℞. *Butyr. Maial.* ℔iij. *Flor. Digitalis rec. contuſ. quot infarciri pt. Inſolentur dies* 30. *deinde coq. f. a. & f. expreſſio.* Pro locis affectis ſcrophuloſis inungendis. Nil æquale.

Vnguent. Faciale.

℞. *Camph. Apyroth. an.* ʒij. *Diaſinap. fortiſ. colat.* ℥j. *ol. Rhodii gt.* 4. *m. f. Vng.* Ad faciei ruborem curandum, præmiſſis univerſalibus.

Vnguent. Familiare.

℞ *Butyr. Maial.* ℥vij. *ceræ, reſin. an.* ℥4 *mell. crud.* ʒx. *aleuri* ʒvi. *m. f. a.*

Calfacit, humectat, laxat, emollit, diſcutit, abſterget, lenit, concoquit & digerit. Vſus eſt familiaris in paronichiis, ac pernionibus ſubitò curandis. Vlceribus pedum ſcorbuticis mirè auxiliatur.

Vnguent. ad Fiſſuras.

℞. *Myrrh. zz. lithargyri* ☽*næ, an.* ℥j. *mell.* ℥iv. *ceræ,* ℥ij. 🝆 *Roſat.* ℥vj. *m. f. a. Pro deterioribus addi pt.* ☉ *Rhodii, gt.* xij *Fol. auri num.* x. aliter.

℞. *Bolus Armenæ, myrrh. ceruſ. ann.* ʒij. *cum axung. anatis q. f. f. ung.* citò curat.

Vnguent. ad Foveas.

℞. 🝆 *Amygdal. dulc.* ℥ij 🝆 *ſtil. Rhodii,* gt. iv. *m. f. unguent. f. a.* Ad foveas Variolarum delendas præſtantiſſimum eſt unguentum. Dolorem lenit, acrimoniam tollit, &c.

Vnguent. Fuſcum.

℞. *Colcothar. & Phlegm.* ⊕li, *an.* ℥j. *Aceti chelidoniati* ℥iß. *Flor.* ⊕ ʒ. v. *mell. deſpum.* ℥. *f. Vng. f. a.* Mundificativum optimum in vulneribus & ulceribus.

Vnguent. Hæmorrhoidale.

℞. *Butyr. Maial. rec.* ℔iij. *Flo. Sambuc. & geniſt. rec. qu. infarciri pt contuſos. Inſolentur per menſem. Dein agitentur, & ſub Terrâ defoſſa ſimul putreſcant per menſem. Poſtea coq. f. a. & f. expreſſio.* aliter.

℞. *Pulv. ſuberis combuſti* ʒj. *opii,* gr. vi. *Vng. Populn.* ℥iß. *m.* pro loco affecto.

Vnguent. Herpeticum.

℞. ♆ ○○ *an. Tartarum,* ⊖is, *nig. ſapon. com. an.* ʒij. 🝆 *Sambucin. q. f. ut f. Vnguent. f. a.* Inunge locum per optimè, maneat deſuper Horas 24. ſuperveniet cruſta, removenda Vngent. albo.

Vnguent. ad Lumbricos.

℞. *Fol. abſinth. vulg. menth. tanacet. rutæ, porri, jugland. an.* miij. *ſabinæ,* miv. *helleboraſtri,* mvi. *contunde probè cum Sem. Santon.* ℥ij. *Rad. bryon. rec.* ℥iv. *colocynth. aloës, an.* ℥ij. *Fellis Taurin.* ℔j. *Butyr. rec, inſulſ.* ℔v. *V. alb.* ℔j *coq. l.* △ *ad Vini & ſuccor. conſumpt. f. expreſſio.*

Vnguent. Ophtalmicum.

℞. *Butyr. Maial.* ℥iv. *ceræ alb.* ℥j. *lique & lava ſæpius cum Aq. Roſ. dein (effuſa aqua) adde Lap. Tutiæ præp.* ℥ß. *camph.* ℈j. *m. f. ung.*

Vnguent. Peragoricum.

℞. *Ceræ,* ℥vj. *tereb.* ℥iv. *Mell.* ℥ij. *Aleuri,* ℥iß. *Oleo Roſat. Vnguent. Hæmorrhoidal. an.* ℥iv. *Liqueſcant f. a. ut f. Vnguent.* Ad Perniones curandas egregium.

Vnguent.

Vnguent. Piperinum.

℞. *Pulveris Enul. Fl.* 🜂 *an.* ℥ij. *piper. n.*℥iß. *ung. Roſat.* ℥vj. *ol. Rhodii*, ℈ij. *m.f.unguent.* Ad Scabiem, Pruritum, &c. Elegantiſſimum.

Vnguent. Soleare.

℞. *Rad. allii contuſ.* ℥iv. *Axung.* ℥viij. *coq. ad ſucci conſumpt. f.f. expreſſio: adde croc. pulverat.* ʒj. *Sp. Sal. commune* ℈ij. *m.f. Vnguent.* Pro plantis Infantum inungendis, ad tuſſim, &c.

Vnguent. Sympatheticum.

℞. *Ol. Roſar. Bolus Armena an.* ℥j. *ol. Lini* ℥ij. *Axung. humanæ*, *Vſnea cranii hominis interempti pulverat. an.* ℥ij. *Mumiæ*, *Sanguin. human. an.* ℥ß. *Vng. f. a.* Vnguento hoc ſanantur omnia vulnera, ungendo telum, quo vulnus inflictum fuit quotidie ſemel ſi vulnus ſit magnum: alioquin ſecundo vel tertio quoque die inunxiſſe ſufficit. Telum ſervetur in linteolo mundo, & loco non nimis calido, nè damnum inferatur Patienti.

Vnguent. Virilitatis.

℞. *Anaphromel. Olei nuc. m. per expreſſ. an.* ℥ß. *pyreth. piper. n. cubeb. an.* ℈i. *moſch.* ℈ß. *Balſ. Peruvian.* ʒi. *m. f. a.*

Vnguenta varia ex Frid. HOFMANNO.

Vnguentum contra Epilepſiam & alios Morbos malignos.

℞. *Cinnabar. nativ.* ℥ß. *Lapid. Ophit.* ℥iß. *Magnetis* ʒii. *ol. d. Macis. d. guajac. corilin. ana gutt.* iii. *Confect. alkerm. de hyacinth. ana* ßß. *expr. Nuc. Moſchat. Vng. alabaſtrin. q.ſ. M.f. Vn.* Uſus *eſt ad bregma, frontem, tempora &c.*

Vnguentum ad faciei ruborem.

℞. *Piperis. zinziber. ana* ʒi. 🜂*ris vivi* ℥ß. *Vng. pomad. q.ſ. pro Vng.*

Vnguentum ad guttam roſaceam.

℞. *Vng. Pomad. opt.* ℥iß. *ol. camphor. gutt.* iii. ☿*rii præcipitat.* ℈ß. *benzoi.* ℈i. *aq. vit.* ʒi. *M. omnia accuratiſſime in mortario plumbeo & cum cera f. Vng.*

Vnguentum de Ceruſſa ♄nii.

℞. *ol. expr. ex ſemin. papav. ac cum* 🜄 *roſ. lot.* ʒvi. *Ceruſſ.* ♄ ℥iij. *alb. venet.* ʒß. *f. ung.*

Vſus & Vires. Refrigerat mitigat, moderatè, exſiccat, confert mitigandis doloribus arthriticis calidis, fervori eryſipelatum, præcipue defluxionibus ſalſis acribus in oculos delabentibus inungendo circumcirca palbebras & oculos, item prodeſt ad maculas faciei, Ad fiſſuras & rimas in manibus & facie hyeme provenire ſolitas.

Vnguentum Pectorale.

℞. *pingued. gallin. butyr. rec. ol. amygd. d. viol. li. alb. ana* ℥iv. *Croci Or.* ℈iß. *Ceræ alb. q. ſ. m. f. Vng.*

Vnguentum Anti-Pleuriticum Romæ uſitatiſſimum.

Rec. butyri vetuſtiſſ. ung. alth. pulv. tormentarii ana ℥iij. *ſemin. cymin. pulveriſ. erucæ ana* ℥ß. *ſucci urtic. vulg.* ℥iiß.

Pulveriſanda opt. pulveris. in ſucco Urtic. coq. Ung. alt. & butyr. ad ſucci conſumptionem. Deinde paulatim adde pulveres. Ultimo loco tandem pulv. tormentar. f. △ l. Unguentum.

Modus utendi. Locus affectus cum pauxillo aq. vitæ tepide leviter manu fricetur, deindè unguentum in quantitate nucis avellanæ craſſioris calidum applicetur manu bene confricando. Ac deindè foveatur duobus vel tribus foliis braſſicæ, quæ in patella frixaria cum aliquantulo butyro itidem veteri calefacta ſint & poſtea ſuperligetur pannus lineus aut laneus, qui ſit vetus cum faſciâ, aut medicamentum eo firmius conſervari poſſit ſupra partem ſi opus ſit, poſt ſingulas 6. horas renovetur Unguentum.

Vnguentum Anodynum DD. R.

Rec. alabaſtri pulveris ℥ß. *camphor.* ℈ij. *ol. Nimphi* ʒiß. *Vng. populeon. roſat. Meſ. ana* ℥j. *cum ceræ Modico f. Vng.*

Vſus eſt; in capitis doloribus inungatur temporibus, & nuchæ.

Vnguentum contra Calculum.

Rec. ol. lil. alb. ſcorpionum. violarum. chamæmel. Vng. dialt. ana ℥j. *Mucilagin. radic. alth. Sem. fœn. græc. pſyl. ana* ℥ß. *ceræ ſ. q. f. Vnguentum.*

Vnguentum ad infantum alvum laxandum.

Rec. Aloes epatic. ʒij. *fell. tauri* ʒj. *Scammon.* ℈j. *butyri q. ſ. f. unguentum*, *quo teſta nucis juglandis impleatur & umbilico apponatur.*

Vnguentum ad Partum facilitandum.

℞. *Mucilagin. Sem Lini. fœn. græc. rad. alth. ana* ℥. *pingued. anſeris ol. coct. chamæmel. n. lil. alb. ana* ʒj. *Croci* ℈j. *Ceræ q. ſ. f. Vnguentum.*

Vnguentum ad hæmorroides prominentes.

℞. *Succi verbaſci* ℥ß. *vitell. ovi j. conquaſſatâ omnia optimè ad uſum reſerventur.*

N. Pannus laneus parti affectæ imponatur prædicto Vnguento inunctæ.

Aliud in eodem Affectu.

℞. *Butiri cancrorum, ſevi hircini ana* ʒiß. *adde modicum ceruſſæ & f. unguentum.*

Aliud.

℞. *fl. linariæ* mij. *adipis porcinæ rec. q. ſ. coque & exprime*, *expreſſum vitell. ovor. miſce & applica cum lana vel goſſypio.*

Vnguentum Singulare contra urinæ profluvium mulierum, ſeu ſtillicidum, quo mulieres poſt partum difficilem ob labefactatam veſicam non rarò affici ſolent, urinamque perpetuò fluentem ſpongia pudendis admota excipere coguntur.

℞. *Lapid. calaminar. opt. in* ⚹ & 🜄 *roſ. bis vel ter loti & ſubtiliſſ. pulveriſ.* ℥iv. *lithargyr. argent* ℥ij. *Ceruſſ. opt.* ℥ij. *ol. coct. roſ. chamæmel. n. ana* ℥iv. *agitentur ſimul per hor.* 2. *& cum axungia hyrci* ℥ij. *f. Vnguentum*, *agitando ad* 4. *horæ partem*, *donec conſiſtentiam acquirat debitam.*

Vſus. Hoc pars affecta leniter eſt inungenda & linteo cooperienda. Miræ eſt efficaciæ & multiplici experientia probatum.

Vnguentum ad Contuſiones.

℞. *Oſſ. Sepiæ Ceruſſæ ana p. æq. Saponis nigri q. ſ. ad conficiendum unguentum.*

Vires; hoc una nocte omnem removet nigredinem in facie ex contuſione & percuſſione.

Vnguentum in Contuſionibus & Doloribus.

℞. *ol. olivar. bene matur.* ℔j. *medull. cruris bubulin. reſin. pini ceræ flav. ana* ℥ij. *butyr. recent. inſulſ.* ℥iij. *Liqueſiant omnia* △ *l. cumque medulla liquefacta fuerit remove.*

Unguentum pro caruncula penis.

℞. O *Roch.* ʒß. *lithargyr aur.* ʒij. *pulveriſ. pone in vas vitreum & affunde tantundem* ✕ *ut duos ſupernatet digitos, deinde ad* ⊙ *expone, donec exſiccata ſint, tunc iterum in pulverem redige. Huic adde* ♁ *nii crudi* ʒij *tutiæ ppt.* ʒiß *auripigment.* ʒij. *f. pulvis ſubtiſſ. qui cum ol. roſ. complet.* ℥j. *in unguentum redigatur, in fine coctionis adde camphor,* ʒiß. *cerat. diapalm.* ℥ß. *hoc tepidum adhuc extende ſuper candelas.*

Aliud ad carunculam Penis erodens.

℞. *Ol. roſar. compl. ceruſ. ana* ℥j. *tut. pp.* ℥ß. *camphor.* ʒij. *aloës epatic. olibani. myrrh. ana* ℈ij. *ſieſſ. alb. ſ. op.* ℥ß. *M. f. unguentum ſ. a. in mortario plumbeo, & hoc candelæ inungantur.*

Aliud carunculas conſolidans.

℞. *pingued. capreol.* ℥j. *ceruſſ. ana* ʒij. *camphor.* ℈j. *m. f. unguentum.*

Unguentum ad Carbunculos D. R.

℞. *Calcis extinct. ſaponis venet. fermenti acris.* ☿*ris vivi. ana* ʒß. ⊕*tri. tutiæ ppt. ana* ʒij. *Theriac. A.* ʒiij. *Opii Theb.* ℈j. *ol. lil. alb. ſ. q. f. unguentum.*

Unguentum gryſeum ad ulcera manantia tibiarum.

℞. *Ceruſſæ. lithargyrii ana* ʒiij. *lapid. calam.* ♄ *turvi uſti an.* ʒij. *tutiæ ppt.* ʒß. *calcis lot. terr. ſigill. ana* ℈j. O *uſti* ℈ij. *ol. Myrtill. cum album. ovor. an. q. ſ. f. unguentum in mortario plumbeo.*

Unguentum Vulnerarium.

℞. *Salviæ part. 4. millefolii part. iij. colligantur in fine Menſis Maii, minutim inciſ. coq. per 2.* ♃ *in vaſe cum butyri majalis depurat.* ℔viij. *filtrentur & colatura iterum* △ *imponatur, admixtis ſevi hircini* ℔j. *& cervini eadem quantitate. ceræ* ℔ß. *reſin. Pini quartar. terebinth.* ℔iß. *coque omnia invicem donec diſſoluta ſint, ab* △ *remotis adde tantum æruginis minutim contuſæ, ut viridi colore tingantur, immiſcendæ etiam olei ſpicæ* ℥ij. *M. f. unguentum.*

Vires. Utimur hoc in vulneribus recentibus & inveteratis, in nervorum reſolutione & aliis affectibus.

Aliud ad vulnera & ulcera.

℞. *Maſtichis* ℥j. *terebinth. venet.* ʒiij. *ceræ flav.* ℥iv. *liqueſcant in olla fictili, primò cera cum terebinth. poſteà remove & adde ol. maſtich. q. ſ. pro unguento.*

Unguentum Patavinum in ulceribus malignis.

℞. *Ol. roſac. complet.* ℔iij. *ſucci plantag. Lapath. acut. ſolani. centaur. minor. ana* ℥vj. *ceræ alb. q. ſ. coq ad ſuccorum conſumpt, deinde inſperge pulv ſeq. lithargyrii* ℥vj. *plumbi uſt. & lot.* ʒxj. *boli Armeni. camphor. ana* ʒiß. *lapid. calaminar. vel tutiæ* ℥vj. *ung. popul. refriger. gal. ana* ℥ij. *M. f. unguentum.*

Uſus. Hoc filamenta imbuantur & imponantur ulceribus ſuperimpoſito cerato de ceruſsâ.

Unguentum ad tineas.

℞. ⊕ *ol.* O *roch. uſt. chalcit. uſt. ana* ʒiij. *ariſtoloch. rot. ver. virid. æris ana* ℥ij. *picis navalis* ℥j. *pingued. an.* ℥ß. *butyri antiquiſſ.* ℥vj. *M. f. unguentum.*

Uſus. Abluatur caput lixivio facto ex herba & radic. cichor. loti cum ſiccetur & inunctio fiat dicto Unguento poſt tres dies lotio & inunctio repetatur, quod cum ter feceris, tineas evaſiſſe videbis.

Unguentum contrà Veneficia.

℞. *adipis canis benè liquatæ & Urſi* ℥viij. *caponis* ℥xxiv.

Viſci corylini tres truncos adhuc virentes, fruſtatim ſectos & tuſos, dum humeſcant, contunde autem ſimul lignum, folia & baccas. Miſce in phiola quam Soli ix. ſeptimanas cum expoſueris, virentem balſamum extrahes.

Uſus. Hoc veneficiatorum corpora, loca, maximè dolentia & juncturas inunge & certo curabis experimento.

Unguentum pro Pueris faſcinatis.

℞. *Ol. roſat. nardin. maſtich. ana* ℥ij. *ſucci menth. abſinth. cidonior. pomor. redo ent. ana* ℥iij. *corallar. ſcobis eboris, xyloaloës ana* ʒß. *cum pauca quantitate ceræ f. unguentum.*

Uſus. Hoc bis aut ter indies ſtomacho applicetur.

Solent etiam Hiſpanicæ mulieres ſuffumigare faſcinatos pueros gummi ammoniaco Sæpè etiam obſervavit Rod. à Caſtro proficere ſuffitus ferrei calcei candentis equi nigri ✠ ter extincti.

Unguenta varia ex Iohanne MICHAELIS.

Unguentum contra Dolorem Capitis.

℞. *Ol. anethi, chamomillæ, nucl. Perſic. per expr. ana* ʒj. *hyoſc. expr.* ʒß. *ſucci inſpiſſati verbenæ* ʒj. *c. ſ. q. ceræ.*

F. l. a. Unguentum.

Unguentum ad Dolorem Capitis in causâ calidâ.

℞. *Unguent. alabaſt.* ℥ß. ∞. *roſ. parum. D.*

Ad Vigilias.

℞. *Ungu. ſomniferi uſit.* ℥ij. ∞. *ſtillat. anethi g. vi.*
S. Eüſſerlich. Schlaffſælblein.

℞. *Ol. papav. expr.* ʒj. *nucl. Perſic. expr.* ʒß. *extr. opii gr. iv. croci gr. v.* ∞. *nuc. moſch. q. ſ.*

F. Linimentum.

Contra Pediculos Capitis.

℞. *Sem. ſtaphyſagr.* ʒij. *belleb. albi* ʒiß. *nicot.* ʒj. *c. ſ. q.* ∞. *nic. & ceræ parum.*

F. l. a. Linimentum,
adde ∞. *ſpicæ g. viij. M.*

Unguentum Paralyticum.

℞. *Ol. nervini* ℥j. *Pingued. caſtor.* ʒvj. *ol. de piperibus* ʒj. *ſtillat. roris mar. ſalviæ ana g. vj. junip. lauri ana* ℈ß. *ſuccini* ℈j *c. ſ. q. ceræ.*

F. l. a. Linimentum, quô principium Nervorum illinatur.

In ſpaſmô poteſt addi ∞ ſtillat. limacum nigrorum, quod ſingulare ſpecificum in hôc affectu cenſetur.

Unguentum Pectorale.

℞. *Unguent. pector.* ℥j. *pingued. hum.* ʒvj. ∞. *amygd. dulc.* ʒiij. *M.*

Unguentum Dorſuale in Hecticâ.

℞. *Unguenti reſumptivi* ℥jß. *refrig. Galeni roſ. Meſues an.* ʒiij. *ol. juniperi expreſſ.* ʒj. *ping. hum.* ℥ß. *M.*

Unguentum Pleuriticum.

℞. *Succi papav. errat. inſpiſſ. card. bened. ana* ʒj. *pingued. muris montani* ʒiij. *cum ſ. q. ceræ &* ∞. *anod. Mynſ.*

F. Linimentum.

In ni-

In nimiô Dolore Pleuritico.

℞. *Ol. anod. Mynſ.* ʒiij. *papav. expreſſ.* ʒj. *hyoſc. expreſſ.* ℈ij. *cum paucâ quantitate ceræ.*
F. Linimentum.

Unguentum pro corroborando Ventriculo.

℞. *Ol. ſtomach. Craton.* ʒij. *maſtich. menth. an.* ʒj. *ſtill. menth. g. vj. caryoph. g. iv. cum paucâ quantitate ceræ & ol. nuc. moſch. expr.*
F. l. a. Unguentum.

Unguentum expertum in Ardore Ventriculi.

℞. *Sevi hircini* ℥ß. *ung. pomatum* ʒij.
F. Linimentum.

Unguentum hepaticum.

℞. *Cerot. ſantal. uſitat.* ℥ß. *c. ſ. q. ol. roſ. & ceræ.*
F. Linimentum immiſcendo ſpec. diatr. ſantal ʒj. M.
Poteſt etiam aliquid de extractô vel ſucco inſpiſſato radicis cichor. addi.

Unguentum in duritie Lienis.

℞. *Ungu. de cicut.* ℥ß. *c. ſ. q. ol. lil. alb. & ceræ*
F. Linimentum.
adde *ol. ſtillat. gum.* ♓ *g. vj. ſacchari* ♄ *g. viij. M.*

℞. *Ungu. ſplenet. uſitat.* ʒiij. *extract. vel ſucci inſpiſſ. rad. filicis* ʒj. *cum paucâ quantitate ceræ*
F. l. a. Linimentum.

Linimentum Carminativum.

℞. *Ol. cham. anethi rutæ ana* ʒij. *ſtillat. cham. anethi ana* ℈ß. *cumini, carvi fœnic. an. g. vj. c. ſ. q. ceræ*
F. l. a. Linimentum.

In Dyſenteria & fluxibus alvi.

℞. *Ungu. comitiſſæ* ℥ß. *ter* ⊕ *optimè duſciſ.* ʒij. *croci* ♂ *adſtring.* ʒj. *c. ſ. q. ceræ & ol. maſtich.*
F. Linimentum.

Unguentum Nephriticum.

℞. *Ol. lil. alb. amygd. dulc. cham. anethi ana* ʒj. *nucl. ceras. per expreſſ. ſcorp ſimpl. an.* ʒij. *c. ſ. q. ceræ*
F. l. a Linimentum.

℞. *Unguent. dialth* ʒß. ♂♀ *ſcorpion ſimpl. nucl. ceras. ana* ʒj.
M. F. Linimentum.

In calore Renum.

℞. *Unguent. roſ. refrig. Galeni an.* ʒij. *ſacch.* ♄ *&* ♂♀ *nymph. parum c. ſ. q. ceræ*
F. Linimentum.

Contra Herniam.

℞. *Unguent. contra herniam* ○ ʒij. [*Mins.* ℥ß. *croci* ♂ *aſtring.* ʒiß. *c. ſ. q. ceræ*
F. Linimentum.

Contra Vermes.

℞. *Unguent. contra vermes uſit.* ℥j. *ol. ſtillat. abſinth.* ℈j. *rutæ, tanaceti ana g. vj. fellis, tauri, inſpiſ.* ʒij. ♂♀ *diacoloc. q. s. M.*

℞. *Olei diacoloc. Quercet.* ℥ß. *amygd. amar. per expr. nucl. perſicor. per expr. ana* ʒj. *aloës, myrrhæ ana* ʒj. *fellis tauri inſpiſſ.* ʒiß. ♂♀ *ſtillat. coryli* ℈ß. *ceræ q. ſ. M.*

Unguentum Externum purgans.

℞. *Elaterii* ʒiij. *troch. alband.* ʒij. *ſcammon.* ʒiß. *c. ſ. q. ceræ &* ♂♀ *diacoloc.*
F. l. a. Unguentum. M.

℞. *Elect. hier. picræ ung. dialth. an.* ℥j. *N. j. M.* applic. plantis pedum vel umbilico.

Unguentum ad Partum.

℞. *Mucilag ſem. lini, fœnugr. alt. cum aq. lil. extract. ana* ℥ß. *axung. anſerin.* ʒvj. *ol. lil. alb.* ℥ß. *amyg. dulc. & ceræ q. s.*
M. F. Linimentum.
Illinitur venter poſt balneum, vel etiam abſque balneô.

Aliud.

℞. *Olei cheirini, lil, alb. ana* ʒiij. *auxung. ſerpent.* ʒj.
F. l. a. Unguentum cum paucâ cera.

Unguentum contra cardialgiam, præſertim flatuoſam.

℞. *Ungu. rubr. potab.* ℥ß. ♂♀ *chamom.* ℈ß. M.
℞. *Ungu. cardiac. Francoſ.* ʒvj. *olei ſtillat. chamom.* ℈ß. *angelic. g. iv.* M.

Unguentum in Dolore hæmorrhoidum.

℞. *Mucilag. ſem. pſyllii cydon. cum aq. verbaſci extract. ana* ʒiij. *contunde in mortario plumbeô cum piſtillo plumbeô & c. ſ. q.* ♂♀ *linar. ſcarab. atque ceræ.*
F. Linimentum.

Contra Scabiem.

℞. *Ungu. roſati* ℥j. *arcani corallini* ℈j. M.
℞. *Succi helenii, lapathi acuti ana* ℥j. ☿ *vivi* ʒij. *lap. medicamentos.* ʒ. j. *c. ſ. q.* ♂♀ *nic. & ceræ.*
F. Linimentum.
℞. *Ung. enulati* ℥j *flor.* 🜍 ʒiß. *lap. medicamentoſi* ʒj. *c. ſ. q.* ♂♀ *nicot.*
F. Linimentum.

Contra Atrophiam ſeu Ariditatem membrorum.

℞. *Unguent. Agrippæ. ath.* ℥v. *pingued. taxi, vulpis, muris, montani, urſi, canis ana* ℥ß. *ſpec. diatrion pipereon* ʒij, *ſem. urticæ* ʒj ○ *plumoſ.* ℥ß. *euphorbii* ʒiß. *c. ſ. q.* ♂♀ *nervin. atque ceræ.*
F. l. a. Linimentum.
℞. *Unguent. arragon. alth. ana* ℥j *ol ſtill. roriſmar. lavend. an.* ℈j. *euphorb per infuſ.* ʒij. *D.*

Unguentum ad livorem partium imprimis faciei.

℞. *Mucilag. rad. ſymph. cum* ▽ *rad. ſigill. Salom. extr.* ℥ß. *pulv. rad ſig. Salom.* ʒij. *ceræ.*

Unguentum ad Gingivas in ſcorbuto.

℞. *Pulverat. flor. aquileg. fol. ſalv. ana* ʒij. *rad. irid. florent.* ℥iß. *myrrh. electæ* ℈ij. ○ *crud.* ʒiß. *c. ſ. q. mellis roſati*
F. Linimentum.

Unguentum ad facilitatem Dentium.

℞. *Mucilag. ſem. alth. cum* ▽ *roſ. extr.* ʒij. *edulcor. rot. manus Chriſti* ⊕.
Si adeſt inſignis calor, aliquid de mucilagine ſeminis pſyllii addi poteſt: Eſt in frequenti uſu D. Mich.

Vnguentum in ♋ Mammillarum.

℞. *Succ. herb. virg. aur. ſolan. plantag. card. bened.* ℥ß, ♋ *calcinat.* ʒiij. *ranarum, talparum calcinat. ana* ʒi. Contunde in mortario plumbeo cum piſtillo plumbeo ad conſiſtentiam linimenti. *S. Bruſtſalbe.*

Vnguentum Ophtalmicum.

℞. *Butyr. rec. cum* ▽ *euphraſ. lot.* ʒiij. *Tutiæ* ʒß. *camphoræ* ℈ß. *Sacch. candi* ℈j. *m. pro linimento.*

Vnguentum Coſmeticum.

℞. *Ol. amygd. dulc. non rancid.* ℥iß. *jaſmini* ʒii. *Inſtilla guttatim* 🝆 *Tartarum p. d. q. ſ. M. exactè in formam linimenti, adde coſmet. Ciwvii vel ceruſſ.* ♀ ʒi, *vel* ℈iv. *M.*

Vnguentum ad Ambuſta præſtantiſſimum.

℞. *Ol. recentiſſ. vel quod melius ſambuc. p.* j. *album ovor. p. ij.*

Conquaſſa diligenter, donec F. Linimentum. Illinitur pars ſæpè pluma gallinæ nigræ, nullis adhibitis linteolis aut ligatura *vid. Mynſicht.* qui ita de hoc linimento ſcribit: In tota Republica Medica ſecretius experimentum nullum: Perfectè, tutò, cito extinguit, dolorem ſedat, nullo cicatricis veſtigio relicto.

℞. ▽ Ψ 🝆 *lini vel flor. ſambuci vel cort. ſamb. vel filicis* M. Pro Linimento.

Præparatur etiam linimentum ad inflammationes ex album., ovi & O crudo. Alumen crudum in albumen ovi injicitur, agitaturque tamdiu, donec alumen ſolutum ſit.

Egregium etiam unguentum eſt unguentum viride Reginæ; ut & unguentum potabile in & externè. Dantur ad ℥ß.

Vnguentum ad Alopecias.

℞. *Olei ovorum* ℥ß. *laudani* ʒvi. *pingued. urſi* ʒii. *chartæ uſtæ, nuc. avellanæ una* ʒß. *pulv. myrrhæ* ℈ß. F. Unguentum.

Cum quo caput inungatur, deinde abluatur cum lixivio, in quo abrotanum & capill. Veneris decocta fuerint.

Linimentum ad Ambuſta.

℞. *Album. ovor. N.* ij. *Ol. roſarum* ℥ij. *Aquæ roſarum* ℥j.

Conquaſſentur ſimul omnia & cum linteolis in eo madefactis impoſita loco ambuſto, relinquendo, donec convaleſcat, ſuperponendo panniculum eadem mixtura irrorandum. Vel

℞. *Mucag. ſem. cydon. ex* ▽ *roſ.* ℥iv. *Vitelli ovorum N.* iv. 🝆 *lini* ℥iij. *croci* ℈ß. *M.* Adde *ſub finem curationis ceruſſæ* ʒj.

Ung. anod. ʒiij. *Opii gr.* v. *ol. chamom.* ʒß. *S. Euſſerlich Oel.*

Vnguentum reſumptiv ʒiij. *Ol. violar.* ʒß. *S. Zuckerſalb.*

℞. *Ol. nuciſt.* ʒj. *maſtich. menth. abſinth. cydon. ana* ℥ß. *M. S. Euſerliche Salb.*

℞. *ol. cappar.* ℥j. *Vnguent. dialth.* ℥ß. *ol. de palm.* ʒvj. *S. Miltzſalbe.*

℞. *Vnguent. popul. roſar. ana* ʒiij. *alabaſtr.* ʒij. *ol. nuciſt,* ʒß. *S. Salblein auf die Schlaff in ſchmieren.*

℞. *Olei amygd. dulc. Unguent. anod. ana* ℥j. M. C. in Pleuritide.

In Dolore Dentium.

℞. *O q. ſ. Fluat in crucibulo, hujus.*

℞. ʒj. *Nuc. moſch. N.* j. *Mellis roſ.* ʒiij. M. F. Linimentum gingivis applicandum.

Vnguenta varia ex Collectione Theoph. BIERLINGII.

Vnguentum ſingulare *Fuſcari* in contuſionibus magnis & doloribus è Turcia ab ipſo allatum.

℞. 🝆. *oliv. benè matur.* ℔j. *Medull. crur. bubul. Reſin. pin. ceræ flavæ an.* ℥ij. *butyr. recent. inſulſ.* ʒiij. *liquefiant omnia lento igne cumque liquefacta fuerit medulla, removeto. Miraculoſum eſt experientia.* D. Prævotii, Ex MSS. D. Burſeri.

Vnguentum ad contuſiones.

℞. *Sepia, ceruſſ. an. p. æq. Sapon. nigr. q. ſ. ad confic. unguentum*, hoc una nocte omnem removet nigredinem in facie ex contuſione & percuſſione *Ex MSS. D. Burſeri.*

Vnguentum lenitivum, emolliens, digerens, ſummum in omnibus ulceribus.

℞. *Fol. ſalv. rubr. rutæ an.* ℔j. *abſinth. commun. tenerrim. laur. an.* ℔ß.

quidam addunt chamomill. ℔ß. ophagogloſſ. ℔ß. colligantur circa meridiem, mundentur, non laventur. Incidantur virentes herbæ minutim, & in mortario conterantur, una cum adipis arietini ℔ij. facta diligenti mixtione, imponantur ollæ cruſtatæ cum 🝆. olivar. antiquiſſ. ℔vj. iterum ſubigantur in putrefactione per octiduum (olla ſub terra defoſſa,) poſtea in æneo lebete admoveantur lento Igne, & poſt 10. horas ab igne removeantur, cum nimirum placuerit color, qui exploratur gutta una vel altera ſuper patellam ſtanneam effuſa, factis prius crebris agitationibus baculo ligneo, tandem facta forti expreſſione colentur per ſpiſſam telam, & conſerventur in vaſe vitreo. Inſtillatur calidè vulneri, & linteum eodem 🝆 madefactum ſuperponitur.

Vnguentum quo uſus eſt D. Krauſe in contuſione dorſi & læſione nervi feliciſſimè.

℞. 🝆. *chamomill. rut. an.* ℥iß. *vini optim.* ℥ij. *Flor. lavend. p.* j. *ſtœchadis Arab.* ʒj. *Coq. ad vini conſumpt. adde* 🝆 *juniper. lumbric. terreſtr. an.* ℥ß. *caſtor.* ʒj. *Ceræ, q. ſ.* F. Vnguent. Molle.

Vnguentum certiſſimum ad generandos capillos & barbam *D. Bucretii.*

℞. *Fol. abrot. maſc. capill. vener. ad.* Mj. *Favi mell.* ℥j. *lapat.* ʒij. *myrtill.* ʒi. *ſem. lin. fœni græc. an.* ʒij. 🝆 *amygdal. dulc. amar. vini albi generoſ. an.* ℥iij.

Facta infuſione per 24. hor. bulliant lento Igne ad humiditatis conſumptionem, & F. expreſſio, cum colatura creſcente luna debet fieri inunctio. *Ex liter. D. Aſſelmanni.*

Vnguentum ad Venerem.

℞. *Rad. piretr. Piper. zingiber, cinnamom, Sem. ſinap. an.* ʒj. *euphorb.* ʒß. 🝆. *laur.* ℥ij. *ſpic.* ℈j. *ceræ parum. F. l. Vnguent.* quo illinatur regio intra anum & teſtes.

Vnguentum ad Partum facilitandum *D. Seintrancz.*

℞. Cancror. vivor. n. ij. Contunde in mortario & ſuccus exprimatur per pannum fortiter poſtea

℞. lumbr. terr. *laſz ſich dieſelben ein rein* ∴ *wohl reinigen, ſchaeit ihne die Zippel abe, und zerſtoſſe ſie wohl,* exprimire *ſie durch ein reines Tuch, dieſer 2. Säffte müſſen einer ſo viel als des andern ſeyn,* poſtea.

℞. axung. vulp. lepor. an. *laſz in einem reinem Pfænlein auf linden Kohlfeuer zergehen, ſchütte die 2. Säfte darein, und rühre es wohl untereinander, und*

und koche es zu einer geſchmeidigen Salben, aſſervetur in vitr. pro uſu. *Liegt ein Weib in Kindesnœthen, und kan der Frucht ſchwerlich genen.*

℞. *einen Schlangenbalck, nicht der abgeſtreifft, ſondern den die Schlange ſelbſten abgelegt, und fallen laſſen, ſtreich die gemelde Salbe darauff, netze den Balck ſambt der Salben in* aqua artemiſ. *und alſo Pflaſter weiſe auf das Dicke der Frauwen an der Seiten, wo das Kind am meiſten liegt, beſtreiche ihr auch dieſelbe Seite mit dieſer Salben, ſo kœmbt das Kind mit frœlichen Amblick hervor, ſo es heraus, nimb das Pflaſter hinweg, wiſche auch die Salbe ab, ſonſt ziegt es die Mutter herfür.*

Vnguentum ad exulcerationem cancri aliaque ulcera depaſcentia.

℞. *Balſam.* ☍. ℥ß. ☍. *hyperic. Myrh. Terebinth. card. ſanct. ſubtiliſ. pulv. & cribrat.* á ℥j. ☍ *vitell. ovor.* ʒij. *cum cera nova q. ſ. F. Vnguent.* PRÆVOT. ex communic. *D. Hanemann.*

Vnguentum ad ſomnum.

℞. *Vnguent. alabaſt.* ʒj. ☍ *nuc. moſchat. expreſſ.* ℈j. *opii gr.* iij. *Croc. gr.* j. *M. F. Vnguent.*

Vnguentum contra Peſtem.

℞. ☍. *ſcorpion. Matthiol. citri, an.* ℈j. *benz. gr.* ix. *Balſam. roſar. gr.* xvij. *Peruvian.* ℈ß. *Flor. Benz. gr.* viij. *pingued. viperin.* ℈j. *Moſch. gr.* ij. *M. F. Vng. pro corde & pulſ.*

Vnguentum contra Calculum.

℞. ☍. *lilior. albor. ſcorpion. chamomill. Vng. dialt. ana* ℥j. *mucilag. rad. alth. fœni græc. ſcyllit. an.* ʒß. *Ceræ q. ſ. F. l. a. Vngu. ex MSS. A. G.*

Vnguentum Polychreſtrum contra quosvis dolores arthriticos *D. Arniſai.*

℞. *Axung. porc. recent.* ▽. *ſamb. lot. & repug. q. ſ. taxi* ℥j. *medull. human.* ℥ß. *ſucc. ſurcul. recent. ſambuc. ebul. ſol. plantag. chamedr. an.* ℥vi. *pingued. vel muc. limac.* ℥vi. *unguent. diapalm.* ℥j. *poſt addatur ſucc. chamædr. V. l. a. Vnguent.*

Vnguentum contra rubedinem oculorum.

℞. *Vnguent. nihil. alb. q. v. micæ ſimilæ q. ſ. Contunde in mortario cum* ▽. *roſar. & pauco croco orient. M. F. Vnguent. quo inunge palbebras oculorum, conſumet rubedinem.*

Vnguentum lapathi acuti in ſcabie.

℞ *Lapath. acut.* ℥viij. ♀r. ℥ij. ⊖. ℥j. *rad. curcum.* ℈viij. *vitel. ovor. n.* viij. *acet. deſtill. q. ſ. F. l. a. Vnguent.*

Vnguentum ſingulare contra ſtillicidium urinæ poſt partum difficilem.

℞. *Lap. calamin. optim in Acet. deſtill. extinct. & in* ▽ *roſ. bis vel ter lot. & pulver. ſubtil.* ℥iiij. *Lythargyr.* ℥ij. *ceruſſ. ppt.* ℥j. ☍. *roſar. chamomil. an.* ℥v. *agitentur ſimul per horas duas & cum axungia hirci* ℥iij. *F. l. a. Vnguentum, agitando ad quartam horæ partem, donec conſiſtentiam debitam acquirat. Hoc unguento pars affecta leviter eſt inungenda, ac linteo cooperienda, miræ eſt efficaciæ & multiplici experientia probatum.*

M. Vilhelms von Vittenberg Stichpflaſter

℞. ☍. *olivar.* ℥iij. *litharg.* ℥iß. *Acet. vin.* ℥ß. *pic. naval. Colophon. Terebinth. an.* ʒj. ☍. *roſar.* ʒvj. *pulv. maſtich. olibad. ſarcocoll. alumin. uſt. camphor. an.* ʒj. *ſanguin. Dracon. cortic. granat. lumbric. ſangu. human. an.* ʒv. *Lap. magnet.* ʒj. ☍. *ovor. juniper. an.* ʒß. *galban. verb. alb.* ℥ß. *M. F. Vnguentum.*

Vnguentum defenſivum *Reineſii.*

℞. *Bol. Armen.* ℥ij. *cort. granat. Sanguin. dracon. an.* ℥ß. *Caphur.* ℈iiij. *farin. lent.* ℥j. *cum* ☍ & ✚. *roſac. F. Vnguent.*

Vnguentum ſuppurativum *Ejuſdem.*

℞. *Butyr. recent.* ☍. *hyperic. an.* ʒiij. *Balſ.* 🜂. Ruland. *maſtich. ſarcocoll. an.* ʒj. *thur. myrrh. an.* ʒß. *vitell. ovor. n.* ij. *Terebinth.* ℥ß. *Vnguent. apoſtol.* ℥j. *m. f. Vnguent.*

Vnguentum maturativum. *Ejuſdem.*

℞. *Terebinth. Cyprin.* ℥v. *pollin. Thur. maſtich. an.* ℥ß ☍. *hyperic.* ℥ij. *vitell. ovor. n.* iij. *croc.* ℈j. *M. F. Vnguent.*

Vnguentum ad Uſtionem.

℞. *Rad. althææ* ℥j. *fiat cum* ▽. *ſimpl. mucilag. cui adde Butyr.* ℥viij. *ad mucilaginis conſumptionem, injiciendo ſub finem vitell. ovor.* n. ij. *Minii* ℥j. *M. F. Vnguent.*

Vnguentum contra Paronichiam.

℞. *Raſur. ebor.* ℥ß. ☍ *roſar.* ℥j. *unguent. populion.* ʒij. *ceræ* ʒß. *M. F. unguent. imponatur, unguibus.*

Vnguentum in Memoria diminuta *Laurenbergii.*

℞. *Nicotian.* m iij. *baſilic. meliſſ. prim. ver. majoran. an.* mj. *contunde in mortario & fiat cum* ☍. *olivarum & inſulſo butyro maſſa quadam, qui adde vini Rhenani* ʒiij. *malvat.* ℥iij. ▽. *borrag. bugloſ. major. paon. an.* ℥ß. *M. ad craſſitiem unguenti.*

Vnguentum viride Cæſareum contra caſum, vulnera, contuſiones, ſugillationes, luxationes & dolores.

℞. *Flor. laur. recent. flor. ſpic. lavendul. roriſmar. ſclaræ, roſar. rubr. albar. baſilic. rubr. major. Ebuli, Agrimon. Chamomill. Flor. ſambuc. rad. tormentil. Lilior. albor. abſinth. rut. tenacet. plantag. acut. rad. & Fol. althææ, hederæ, abrotan. mar. paeon. an.* ℥iiij. *rad. enul. boſti amari, bugloſſ. hyſſopi, urticæ major. cum caulib. menth. criſpæ, Millefolii an.* ℥ij. *malv. pulegii, Carvi an.* ℥iiß.

Conſcinde omnia & contunde uſque dum formam pullis acquirant, inde in ahænum, adde butyr. majal. ℔vj. miſceantur bene, bulliant horam unam abſque intermiſſione, lento tamen calore inde poſtea in ſacculum exprime fortiter, & committe iterum ahæneo. Poſtea

℞. *medul. cervin.* ℥iiij. *ceræ recent. Sebi hyrcin. pingued. gallinæ an.* ℔ß.

Fluant in tigillo, cola per pannum vel linteum, commiſce cum prioribus, bulliant lento calore per ſemihoram, remove ab igne, ut parum refrigeſcat, adde ☍. *olivarum, lini. pulv. myrrh. maſtich. an.* ℥iiij. *Miſceantur exactiſſime.*

Vnguentum pomatum *D. Reſenbodts.*

℞. *Axung. porc. alb.* ℔ij. *pomor. acidor. dulc. an. n.* iij. *cort. citr.* ʒvi. *ſantal. citrin. rad. ireos Florent. an.* ʒiij. *benz. pur.* ʒiß. *nuc. moſchat. macis, Cinamom. elect. Caryophyl. Styrac. calamit. an.* ʒi. *Aq. roſ. opt. q. ſ.* Decoquantur ſimul lento △ F. ſ. a. Vnguent. Adde ſub finem moſchi orient. gr. ij.

Vnguentum Cordiale *D. Reineſii.*

℞. *Cerat. ſantal.* ℥ij. *Mithridat.* ʒvij. *caphur.* ʒj. *Aceti roſat.* ʒß. ☍. *hyperic.* ℥iij. *M. F. Vnguent.*

Vnguentum anodinum *Ejuſdem.*

℞. *Unguent. alabaſtr.* ℥ß. *Caphur.* ℈ij. °°. *nimph.* ℥iß. *Unguent. popul. roſat.* Mel. *an.* ℥j. *Ceræ modicum F. l. Unguent.*

Vnguentum ad delenda Variolarum veſtigia *D. Sola.*

Primo facies lavetur decocto cicer. phaſeol. furfur. tritic. fol. Scabioſ. malv. & lapath. ſubinde quoque madefiat lact. tepido.

Deinde ℞. Terebinth. cum pauxillo balſ. nigr. orient. & occid. extende ſuper pellem caprinam, & faciei applica, ut adhæreat, ita ut auferendo pellem, cutis aliquantulum elevetur, eſtque hoc continuandum per integrum menſem bis de die. Tandem hoc unguento illinatur.

℞. °°. *myrrh. vitell. ovor. an.* ℥j. *pingu. human. ſuillæ an.* ℥ij. *lytharg. Tartari, Borrac. Alumin. an.* ʒß. *Ceræ parum M. F. Unguentum.*

Unguentum mundificativum ex melle.

℞. *Mellis roſat. ſimpl. Terebinth. an.* ℥iij. *ſarcocol. thur. an.* ʒiij. *myrrh.* ℥ß. *m. f. Unguent.*

Vnguentum *Placentini* Palacii all' Angelo.

℞. *Liniment. ſimplic. cum* °° *roſar. præpar.* ℥j. *lytharg. ceruſſ. minii an.* ʒiiß. *præcipitat. opt.* ʒj. *alumin.* ℈j. *m. f. Unguent.*

Vnguentum ſtomachale *del Monſig. Duce di Suvverſe.*

℞. °°. *Ment. Maſtich. nardin. an.* ℥iß. *ſpic. tantum ut ſuperiorum odorem ſuperet. lign. aloes, calam. aromat. caryophyll. nuc. moſchat. macis an.* ʒiß. *ambr. moſchi an.* ℈ij. *corall. arbor. rubror. an.* ʒij. *Ceræ alb.* △. *roſar. lot. q. ſ. F. l. a. Unguentum.*

Vſus ad refrigerationem ventriculi vel ab æſtate, vel potu aquæ vel immodica venere, vel deſtillatione, vel nimiis ſtudiis, vel potu glaciali, vel cibis frigidis, & flatus ejuſdem, humectando prius cum Elixire vitæ, ad appetitum deperditum, ad indigeſtionem Sumitur quantitate fabæ dimidiæ. Liquatur in cochleari argenteo ſuper cineribus calidis vel candela & inungitur mucronatæ cartilagini uſque ad umbilicum ferè.

Unguentum præſtantiſſimum ad vulnera, ulcera, luxationes, fiſſuras manuum, aliaque vitia externa *Zapponii.*

℞. °°. *Olivar.* ℔iij. *myrrh. oliban. an.* ℥j. *Aloës, maſtich. colocynth. Sarcocoll. an.* ℥ß. *Colophon. utriuſque, Terebinthin. venet. an.* ℥vj. *ceræ* ℥iiij. *ping. porcin.* ℥iij. *Coq. ſ. a. addendo ſub finem ſtyrac. calamit.* ℥ß. *Spirit. vin.* °° *petræ an.* ʒij. *hyperic. ſpic. an.* ℥j. *Benzoin, pingued. human. an.* ℥ß. *Rad. alkanæ q. ſ. in nodulo ad colorandum. M. F. Unguent.*

Unguentum ſtomachale *à Patre Franciſco de Salis* communicatum.

℞. *Comar. menth. Fol. abſinth. ſalv. Roman. rutæ, major. chærefol. meliſſ. calaminth. inc.* Lobelii, *origan. Cretici an, Mj. Flor. chamæm. aneth. lavendul. roriſmar. ſpic. nard. calendul. roſar. rubr. an. p.* ij. *Rad. angelic. odor. carlin. leviſtic. hippomarathr. calam. aromat. galang. acori, zedoar. imperator. an.* ℥ß. *Cort. citr. aurant. an.* ʒvj. *Sem. fœnic. cumin. Bacc. laur. juniper. an.* ʒiij. *Macis* ʒij. *Vini malvat. & moſchat. generoſ.* Miiij. *l. v.* °°. *abſinth. maſtich. laurin. de menth. an.* ℥iiij.

Bulliant omnia lento △ in duplici vaſe ad totalem vini conſumptionem & colentur olea quibus adde. *Gumm. tamahac. Acetum deſtillatum diſſ.* ℥iij. *Balſ. oriental. Liquidambr.* °°. *nuciſt. an.* ℥ß. *Sal. abſint. ſpec. diarrhod.* Abbat. *aromat. roſat. caryophyll. an.* ℥ß. *Pulv. maſtich. Benzoin. an.* ʒiij. *trochiſc. de gallia moſch.* ℈j. °°. *aniſ. deſtill.* ʒß. *caryophyl. gt.* xv. *cebæ novæ q. ſ. F. Unguent. juſtæ conſiſtentiæ.*

Vnguentum contra tabem.

℞. *Vnguent. dialth.* ℥ij. *arregon. axung. taxi, urſi an.* ℥j. *canis* ℥ß. *Ol. caſtor. vulpin. an.* ʒvi. *juniper. later. terebinth. an.* ʒij *palv. alum. uſt.* ʒiß. *piper. niger. Euphorb. an.* ʒj. *caryoph.* ℈ij. *caſtor.* ʒß. *Croci* ℈j. *Aq. vit. alb.* ʒij. *cer.* ʒvij. *m. f. l. a. Unguent.*

Vnguentum cordiale *D. Meureri.*

℞. *Theriac. veter.* ℥j. *ſucc. acetoſ. citr. limon. an.* ℥ß. *margar. coral. rubr. ſem. acetoſ. an.* ʒß. *Camphor.* gr. iij. *croci* ℈ß. *M. F. l. a. Unguent.*

Vnguentum Cordiale ad pulſum *D. Landgravii.*

℞. *Santal. omnium* ʒij. *ebulliant in* ✱ *&* ▽. *roſ. an. q. ſ. colentur & exprimantur. Colaturæ adde Vnguent. roſat. opt. non rancid.* ℥ij. *ſpec. cordial. temper.* ℥iß. *F. ſ. a. ſuper lento* ▽. *Unguentum, ſub fin. adde ſucc. citr. purif. q. ſ. & ol. è cort. citr. deſtillat.* ℈ß.

Vnguentum contra ſcabiem.

℞. *Rad. lapath. acut. helen. lilior. albor. an.* ℥ij. *Summit. lupul. fumar. ſcabioſ. abſinth. an. Mij. cicer. lentium, hordei an. Mi. Chamæmel.* m. viij. *decoq. in ſ. q.* ▽. *puræ coletur. colatur.* ℞. ℥viij. *ol. roſar. maſtich. laur. an. gut.* xv. *bulliant ad conſumpt. poſt adde: thur. lytharg. maſtich. ſtorac. myrrh. an.* ℥j. *Terebinth.* ℥viij. *ſarcocoll. Ceruſſ. an.* ℥j. *m. ſ. Vnguent.*

Unguentum contra ſerpiginem.

℞. *Pulv. hellebor. nigr.* ʒj. *lithargyr. ſulphur. citrin. an.* ʒiß. *Tartar.* ʒiij. *alumin. uſt.* ℈j. *zingiber. tragacanth. Ariſtoloch. rot. alumin. rochæ an.* ℈ij. °° *amygdal. amar. maſtich. nuc. jugland. an.* ℥ß. *ſevi cervin. Butyri ſ. ſale an.* ℥ij. *in fine ad* °° *Tart. M. F. Unguent.*

Unguentum ſomniferum.

℞. *Vnguent. dialth. popul. an.* ℥iiiß. *alabaſt.* ℥vj. °° *roſar. violar. nymph. an.* ℥v. *hyoſcyam. papav. alb. an.* ℥ij. *nuc. moſch. expreſſ.* ℥j. *nuc. moſch. expreſſ.* ℥j. *opii thebaic.* ✱ *diſſ.* ʒvj. *croc. orient.* ℈iij. *ceræ novæ* ℥vj. *M. F. Vnguent.*

Vnguentum ſpleneticum.

℞. *Ol. cappar.* ℥j. *aneth.* ʒvj. *abſinth.* ℥ß. *amygd. dulc. amar. an.* ʒij. *ſpec. diacym.* ℈ß. *Gumm. ammoniac. bdell. an.* ʒij. *Trochiſc. de cappar.* ʒiß. *ceræ parum. M. F. Vnguentum.*

Unguentum veſicatorium *D. Doreri.*

℞. *Farin. lupin.* ʒx. ℈ij. *ſinap. alb.* ʒv. ℈j. *ſuccin.* ʒij. ℈ij. *cantharid.* ℥ß. *Tragacanth.* ℈j. gr. iij. *ac.* ✱ *ſcilit. q. ſ. incorporentur pro Unguento.*

Unguentum umbilicale purgans *Ejuſdem*; quod in colica quoque adhibetur.

℞. *Pulp. colocynth.* ℥ij. *zedoar. galang. Irid. an.* ℥j. *agaric.* ℥ij. *ſal. gemm.* ʒij. ℈ij.

Macerentur per horas XII. in vin. abſinth. ℔ij. *Expreſſ. adde galban. in* ✱ *ſcillit. ſolut.* ℈ij. ℈ij. *Inſpiſſata lento Ignis ad craſſitiem unguenti.*

Vnguenta varia ex Hadriano à MYNSICHT.

Unguentum Paralyticum.

℞. *Ol. Succini rect. Laterini ana* ℥iß. *Iuniperini Templini terebinth. an.* ℥j. *laurini petræ ſpicæ an.* ℥ß. *de Caſtareo de piperib. an. Drach.* ij.

Mixtis

Mixtis affunde ſp. paralytic. noſt. unc. iiij. & coq. ad ſp. conſumptionem, poſtea adde:

Aluminis plumoſ. prap. ol. ſtil. Roris marini Nuc. Moſchat. Caryophyllorum, Origani Cret. Abſinthii, Lavendulæ, Angelicæ, Salviæ an. ℈j. *miſc. & cum ſ. q. ceræ citrin. f. l. a. Vnguentum.*

Vires, Vſus, Doſis. Efficaciſſimè membra paralytica recreat, materiam peccantem inhærentemque nervis, muſculis atque tendinibus, digerendo abſumit: Partes nervoſas calefaciendo confortat, & priſtinæ motioni reſtituit, frigidæque Arthritidi confert. Inſuper in Iſchiatica affectione medicamentum eſt ſtupendum. Fit autem inunctio mane & veſperi in loco calido, Medicamentis tamen univerſalibus præmiſſis.

Unguentum Ophthalmicum.

℞. *Butyri majal. non ſalit. & aq. euphraſ. abluti* ℥iv. *Sang. Draconis veri & ſubtiliſſime pulveriſat.* ℥ß. *ſacch. candi alb. tutiæ præp. ana* ℈ij. *margaritar. præp. ſarſocollæ ana* ℈ß. *camphoræ* ℈ß. *opii ſpagyricè præp. gr. iv.*

Miſce & fiat Vnguentum ſecundum artem.

Vires & uſus. Si hujus Vnguenti tantillum, præmiſſis prius univerſalibus, ad angulos & palbebrarum oras adhibeatur, omnes humorum fluxiones, calorem temperando, dolorem ſedando, ruborem auferendo acrimoniam mitigando lacrimas ſiſtendo & exſiccando, arcet, oculoſque mire roborat.

Unguentum Pectorale.

℞. *Ol. de Piſtatiis exp. de pineis exp. Amygd. dulc. an.* ℥jß. *Butyri non ſalit. majal. axung. Caponis Sevi Hircin. an.* ℥j.

Mixtis affunde Aq. Pectoral. noſt. ℥iij. & coq. ad conſumptionem aquæ; poſtea adde:

Eſſ. croci orient. ℈ij. *Ol. ſtil. Chamomillæ Rom. fœniculi, macis, anethi, aniſi an.* ℈j.

Vires & Vſus. Valet propriè ad dolorem pectoris, ſuper illud enim inunctum, pituitam in eo reſolvit, & ſanat omnia loca, calefacit humectat, mollificat: &c. Fiat autem inunctio manè & veſperi coram lento ignis aut fornacis calore.

Unguentum pleuriticum.

℞. *Ping. muris mort.* ℥iiij. *butyri maial. ſine ſale Nuc. jugland. amygdal. dulc. papav. expl. laurini ſuc. Flor. pap. errat.* ℥vj.

Miſc. & coq. ad ſucci conſumptionem deinde, adde:

℞. *Ol. ſtil. Camomillæ anethi an.* ℈jß. *de laterib. Cymini an.* ℈j.

Denuò Miſce & cum ſ. q. Ceræ alb. F. Vnguentum.

Vires & Vſus. Poſt principium in ſedatione doloris pleuritici & reſolutione apoſtematis Unguentum eſt mirabilis effectus; Quod adminiſtretur loco dolenti, non ceſſandum ab inunctione, donec dolores deſiſtant: Et ſcias, quod hoc remedium valet in quolibet alio forti dolore, in toto corpore exiſtente & tibi honorem, ægroto autem utilitatem maximam conciliabit. Nota: Emplaſtra & Unguenta in morbis pectoralibus debent poni ſuper pectus ante & retro ſupra dorſum; in pleuritide verò magis ſuper latera.

Unguentum Anodynum.

℞. *Anodyni noſt. ſeptem Florum* ℥j. *amygd. dulc. hyoſcyami exp. Papav. exp. lumbricor. ter. hyperi an.* ℥j. *Ping. Cati Sylveſt. Anſerinæ an.* ℈vj. *Suc. depurat. Nicotianæ, chamedryos, verbenæ an.* ℥iiij.

Miſc. & coq. ad ſuccorum conſumptionem, poſtea cum ceræ alb. ſ. q. fiat l. a. Unguentum.

Vires & Vſus. Dolores in quacunque corporis parte mitigat, unde nomen quoque traxit: Sed in causâ nimis frigida Unguenti ℥j. adde. Ol. Petræ, juniperi, de lateribus ana Sr. j. & miſce pro uſu.

Unguentum Spleneticum.

℞. *Ol. de Capparib.* ℥iij. *ſem. Erucæ exp. Nigellæ exp. Canabis exp. Amygdal. an.* ℥j. *Iuniperi* ℥ß.

Mixtis affunde ſuc. Scolopend. exp. ℥iiij. Et coq. ad ſucci conſumptionem; poſtea adde:

℞. *Ol. ſtil. maſtichis cymini myrrhæ an.* ℈j. *Gum. ammoniaci Chamomillæ abſinthii an.* ℈ß. *Ext. Croci or. Scr. ij.*

Denuò miſce & cum ceræ alb. ſ. q. fiat Unguentum.

Vires, & Vſus. Lieni ad ignem illitum, eum aperit, confortat & à ſcirrho præcavet, præterea dolores & inflationes ſedat & diſcutit.

Vnguentum Spaſmaticum.

℞. *Ol. Limacum per deſcenſ. deſtill. lumbricor. ter. ſeſamini an.* ℥iß. *Ping. arietis caſtrat. erinacei, vulpis an.* ℥j. *Butyri majal. ſ. ſale Medul. Cervinæ an.* ℥ß. *Sp. Iuniperi* ℥iij.

Miſc. & coq. ad Sp. conſumptionem; Poſtea adde:

Ol. Stil. ſuccini alb. ℈iij. *Chamomillæ, laurini an.* ℈ß. *Roriſmarini, ſalviæ an.* ℈j.

Miſc. & cum ſ. q. Ceræ alb. f. Vnguentum.

Vires & Vſus. In convulſione, poſt debitam evacuationem; eſt præcipuum; membris enim Spaſmo correptis applicatum nervorumque origini inunctum mollificat, reſolvit, nervoſque refocillat. Locus autem ſpaſmaticus manè & veſperi calidè inungatur & citò videbis alleviationem.

Vnguentum Renale.

℞. *Ol. Anodyni noſt. vel 7. flor.* ℥iiij. *Sem. papav. alb. exp.* ℥ij. *Vng. Roſati rec. Populeon.* ℥j. *medul. Cervin. ſantali rub. Nitri præp. an.* ℈ij. *ſuc. flor. malvæ arbor. rub.* ℥j.

Miſc. & coq. ad ſucci conſumptionem; Poſtea cum cera citrina f. Vnguentum.

Vires & Vſus. In refrigerando & humectando præcipuam habet dignitatem: Propterea ubicunque refrigeratione ac humectatione opus, ejus uſus eſſe poterit. Imprimis autem dorſo, lumbis, &c. illitum, Renum inflammationi calori, & calculo medetur, necnon dolores in quacumque corporis parte à cauſa calida provenientе mitigat atque placat.

Vnguentum Nephriticum.

℞. *Ol. Scorpionum ſimpl.* ℥vi. *Flor. Verbaſc. chamomill. populini, anethini an.* ℥j. *amygd. amar. ping. gallinarum, Anſerinæ, Anatis an.* ℈vi. *Butyri rub. è Cancris conſ. Vng. Dialthea an.* ℥ij. *Balſ. Terebinthinæ* ℈iij. *ſuc. parietariæ exp.* ℔j.

Miſc. & coq. ad ſucci conſumptionem. Poſtea cum cera fiat l. a. Vnguentum.

Vires & Vſus. Renes, lumbi, deorſum uſque ad pubem hoc unguento quotidie aliquoties inungantur: Sic enim inunctum, mirabiliter vias dilatat, ut calculos & arena eò facilius dolores nephriticos leniendo, ureteres laxando lapidem & tartaream molem comminuendo, deſcendere poſſit.

Unguentum

Vnguentum ad Ambuſta.

℞. *Album Ovorum* p.ij. *Ol. Olivarum* p. j.

Conquaſſando diligenter & exacte miſceatur, ut fiat Vnguentum album.

Vires & Vſus. Hoc præſens præſtantiſſimum linimentum nullius ferè authoritatis & pretii eſſe videtur, ſed dico vobis, quod in tota Repub. Medica ſecretius & præſentius experimentum ad omnia ambuſta nondum inventum & excogitatum ſit: Quia adeò perfectè, citò, & tutò caloris vim extinguendo dolorem leniendo & ſiſtendo, omnia adultionis ulcera, etiam à quavis materia facta, nullo cicatricis veſtigio remanente, ſanat, ut meritò inter arcana domeſtica referatur ac poſteritati communicetur. Talis autem utendi & applicandi modus requiritur: patiens multoties in die cum pluma gallinæ nigræ (nullis tamen adhibitis linteolis ſeu ligaturis externis) locum affectum ad ſanitatem perfectam, donec cruſtæ ſponte decidant, continuando inungat.

Vnguentum de Calce viva.

Calcis vivæ ℥iiij. *auripigmenti* ℥iß. *rad. ireos flor.* ℥j. *Sulphuris citrin. nitri an.* ℥ß. *Lixiv. ſtip. fabarum fort.* ℥ij.

Miſc. & coq. in olla nova vitreata ad juſtam conſiſtentiam, quod cognoſces, ſi penna oblinita facilè plumas dimittat: tunc adde: Ol. Spicæ ℥ß. vel alia odorifera & fiat unguentum ſeu pulmentum.

Vires & Vſus. Ex hujus Vnguenti illinitione crines ſeu pili in quacumque etiam corporis ſunt parte, miro modo & ex tempore decidunt: Locus autem depilatus ungatur Ol. ſeu Vng. Roſato.

Vnguentum de Rapis.

℞. *Axung. Porcinæ* ℥ij. *Ol. Camomillæ roſarum Violarum an.* ℥j. *tritici exp. urinæ an.* ℥ß. *Oeſypi human. Sevi cervin. an.* ℈iij. *ciner. Cancror. Fluv. Olibani an.* ℈ij. *mucilag. rad. althea, ſem. lini Fœnugræc. an.* ℈vi. *Suc. Raparum exp. ana* ℥viij.

Mixta bulliant ad ſucci conſumptionem & cum Cerâ citrina fiat l. a. Vnguentum. Cui circa finem immiſce vitel. ovorum Nro iiij.

Vires & Vſus. Sciſſuras, ulcera, apoſtemata, quæ ſunt aperta, manuum, pedum & aliorum membrorum à frigore corroſivo facta, curat. Quotidie autem bis vel ter locus affectus eſt inungendus.

Vnguentum Medicamentoſum.

℞. *Ping. Lardi veteris* ℔j. *Terebinthinæ alb.* ℥vi. *Lap. Medicamentos. Ol. Tartari an.* ℥iß. *Sulphuris vivi & citrini, ceruſæ lotæ, litargyrii, Minii an.* ℥j. *Hellebori utriuſque Piperis longi, Tutiæ præp. Nihili albi an.* ℥ß.

Mixtis affunde ſuccor. depurat. Rad. Lapathi acut. & ſcrophulariæ, Herb. Fumariæ ſcabiolæ, Cort. int. virid. Sambuc. Limonum ana ℥iiij. Coc. ad ſuccorum conſumptionem; poſtea adde:

Styrac. liquid. cinnab. factit. an. ℥iß. *Ol. Laurini, Iuniperini, ovorum an.* ℥j. *Mercurii ſublimati* ℈iij.

Miſc. & f. Unguentum pro uſu.

Vires & Vſus. Scabiem manuum, & totius corporis ſanat: Item Impetiginem, Serpiginem, Tentiginem pravam, Pruritum, Sytones, Elephantiaſin, horribilem Ophiaſin ſive thiriam & Alopeciam curat: Furfures Capitis & pſydracia tollit. Inunguntur autem partes extremæ omni mane vel de tertio in tertiũ diem præſertim in declinatione. Sed cave ne inunctio ante corporis evacuationem fiat; Quoniam ab inunctione cutis poroſitates clauduntur, prohibita verò malorum humorum expiratione magis intus putrefiant; unde febres ac apoſtemata ſæpiſſimè inducuntur.

Unguentum de Sevo Hircino.

℞. *Sevi Hircini* ℥j. *Ol. vitell. ovorum amygdal. dulc. hyoſcyam. exp. de papaver. ana* ℥ß. *adip. anſeris gallinæ anatis an.* ℈ij. *Lithargyr arg. præp. Ceruſæ lotæ, tutiæ præp. minii an.* ℈ß *nihili albi alumin. uſt. ſacch. cand. alb. olibani an.* ℈j. *Scr. j. camphoræ opii præp. an. Scr.* ß.

Miſc. & cum Ceræ alb. ſ. q. f. l. a. Unguentum.

Vires, Vſus, Doſis. Fiſſuras, rimas, Rhagades; in manibus, pedibus, podice, papillis, pudendo mulieris, præputio in maſculis, palpebris, naribus, auribus, alibivè à frigore, calore, ſiccitate, humoribuſque bilioſis, ſalſis atque acribus, ſine moleſtia ſanat, & omnes inde ortos dolores placat.

Unguentum nobile.

℞. *Gummi Galbani elect. opopanac. ammoniac. ana* ℥j.

Solvantur in aceto vini & ſoluta forti cum expreſſione colentur, expreſſum ab aceto ſeparantur, & ſeparato tandem adde.

Axung. humanæ, canis, cervi, urſi an. ℥℈.

Mixta inde cucurbitæ ſuperaffundendo:

℞. *Oleor. terebinthinæ bac. lauri ana* ℥ß. *corn. cervi* ℈ij. *Sulphuris mediante ol. juglandis præp. Antimonii dulcis ex Pulvere Emetico per Retortam diſtillat. Vitrioli per laminas ferri edulcorat. Saturni ana* ℈j.

Iterum miſce; Poſtea ad Solem vel alio loco calide digerantur per aliquot dies, & quotidie cum ſpatula lignea agitentur, & ſic Vnguentum pretioſiſſimum tibi comparabis, quo Theophraſtus Paracelſus, tam recentia vulnera, quam inveterata ulcera intra paucos dies conſolidavit.

Vires & uſus. Curat omnia inveterata, putrida, & Cacoëthica mala: Item Vulnera Venerea deſperata, Lentigines, Lupum, Cancrum & Podagram. Omnibus amputatis, & conquaſſatis muſculis & membris medetur. Leucophlegmatica Capitis laborantibus, abraſis prius capillis & poſtmodum loco affecto impoſitum, bene facit. Hernioſis item & plaga antiqua in inguinibus affectis præſtat auxilium: & ut omnia paucis comprehendam, virtus hujus Vnguenti, verbis ſatis exprimi non poteſt. Immittatur cum pluma gallinæ nigræ, vel cum ſtuppis, ſuperimpoſito Emplaſtro Stictico vel Diaſulphuris.

Vnguentum Carminativum.

℞. *Flor. Sambuci* ℔j. *Butyri majalis non ſalit.* ℔ij. *Suc. Chamomill. cum vino expreſſ.* ℔ß.

Ebulliant in B. ad conſumptionem humiditatis, & colaturæ adde:

℞. *Ol. Cavi* ℈vj. *cymini* ℈ij. *fœniculi* ℈j.

Miſc. & fiat Vnguentum ſeu linimentum.

Vires & Vſus. In Tympanite & inflatione Ventriculi, ſecretum eſt: totus autem venter inunguntur, bis in die, manè ſcilicet & veſperi eundo cubitum.

Vnguentum Stipticum.

℞. *Ol. myrtillorum* ℥viij. *cydoneorum, nenuphar.*

an.

an. ℥iij. *Hyperici roſarum an.* ℥ij. *Suc. Herb. Plantaginis, Burſæ paſtoris, millefolii, an.* ℥vij.

Miſc. & coq. ad ſuccorum conſumptionem: poſtea adde:

℞. *Sang. Draconis, croci martis an.* ℥j. *Boli rub. or. præp. terræ vitriol. dulc. Corallor. rub. præp. ana* ℥ß. *Rad. Tormentillæ, biſtortæ ana* ℈ij. *Antheræ, roſar. Sem. plantag. berber. an.* ℈j. *aceti parum*

Miſc. & cum Ceræ ſ. q. fiat l. a. Vnguentum.

Vires, Vſus, Doſis. Stipticum eſt; Ideo Renibus & Ventri, in fluxu uterino inunctum, conducit in ſiſtendis menſibus, & fluxionibus immodicis.

Unguentum contra Vermes.

℞. *Aloes Hepatic.* ℥iij. *Ext. Gentianæ* ℥iß.

Solvantur ſimul in ſ. q. ſp. Vini & ſolutis adde:

Ol. Amygdal. amar. nucl. perſicor. abſinthii com. ana ℥vi. *Fellis Taurini* ℥iiij. *aceti vini* ℥iß.

Miſc. & coq ad ſp. V. & aceti & fellis conſumptionem & circa finem adde:

Myrrhæ rub. ℥j. *troch. Alhandel, Ol. Sabinæ an. an.* ℈iij.

Et cum ſ. q. ceræ fiat l. a. Unguentum.

Unguentum Hernioſum.

Vitell. ovorum rec. ad duritiem coctor. No. xxxvi *Butyri majal. ſ. ſale* ℔ß.

Miſc. & in igne carbonum lento ſemper agitando & deſpumando coquantur, & quando olei puri inſtar appareat, prælo fortiter exprimantur, & fœces rejiciantur, poſtea in expreſſo oleo calido diſſolvantur:

Ol. Balſamici noſt. ℥vi. *Petræ* ℥iiij. *Empl. Oxycrocei* ℥v.

Miſc. & fiat l. a. Unguentum.

Vires & Vſus. Curat Herniam inteſtinalem: Patiens autem in lecto per octo vel quatuordecim dies ſupinus, ſobrius, cavendo à cibis ventoſis, jaceat, & quotidie bis mane & veſperi locum affectum inungat, ſimulque debitæ ligaturæ faſciæque convenientes applicentur, & per Dei miſericordiam certiſſimè liberabitur. Interea autem mane & veſperi de decocto noſtro contra Herniam bibat pro vice Cochl. 2. 3. vel 4. Innumeros hoc remedio reſtitui.

Vnguentum contra Pediculos.

℞. *Ol. Laurini, templini an.* ℥iij. *Suc. Rutæ. exp.* ℥vi.

Miſc. & coq. ad ſucci conſumptionem: Poſtea adde:

Argenti vivi ſalivâ jejuni exting. ℥iß. *ſem. Staphid. agr. nitri præp. aloes epatic. an.* ℥ß. *rad. Hellebori alb. lapath. acut. tabac. indic. an.* ℈ij. *Camphoræ Ol. Spicæ. an.* ℈j.

Miſc. & cum Ceræ ſ. q. fiat l. a. Vnguentum.

Vires & Vſus. Hujus Vnguenti Celeberrimum uſum ipſa experientia docebit: omne enim pediculorum genus interficit, & caſtris tam Martialibus quam Venereis longè propellit.

Unguentum ad Livorem faciei.

℞. *Tragacanth. alb.* ℥ß. *Diſſolve in aq. roſar. in formam linimenti. Poſtea adde, rad. Sigil. Salomon. ſubtiliſſ. pulveriſatæ* ℈iij. *camphor.* ℈ij. *M. f. Linimentum.*

Vires & Vſus. Contra livorem faciei experimentum eſt, cutim enim conſtitutionibus, verberibus, aliiſque violentis ictibus liventem, priſtino, nativoque colori reſtituit; ſi loco affecto illinitur permaneat uſque dum per ſe areſiat.

Vnguis Odoratus, vid. *Blatta Bizantia.*

Ungulæ Variæ, vid. ſub nomine Animalium è quibus deſumuntur.

Unicornu Animal, vid. *Monoceros.*

Unicornu Minerale, vid. titulo *Lapis.*

Unifolium, vid. *Bifolium.*

Uniones, vid. *Margarita.*

VOLVBILIS.

Convolvuli notæ ſunt viticulæ ſeu cauliculi perticis aut plantis vicinis ſe circumvolvendo ſcandentes, quamvis hæc nota non perpetua eſt in omnibus ſpeciebus, nam Dorycinium Creticum Alpini aliis notis eſſentialibus & genericis cum convolvulis, convenit, & tamen erectum eſt. Vaſculum ſeminale interna loculamenta, quorum unumquodque ſemina bina majuſcula, anguloſa continet, diviſum; flos campanulatus margine integro, Succus in pleriſque ſpeciebus lacteus. *Raius.*

Deterſiva eſt hæc planta, aperitiva, vulneraria, aſthmati, aurium ulceribus, & alvo laxandæ apta.

Vomitiva, vid. *Emetica.*

UPUPA.

Nomina. Vpupa *Aldrov & Geſn.* ἔποψ *Græcis.* Angliche *Hoopor Hoopo.*

Vncias tres pendet. Longitudo ab initio roſtri ad finem caudæ 12. digitorum: Latitudo alis expanſis 19. roſtrum digitos 2. æquat, nigrum, acutum, nonnihil arcuatum. Lingua parva, ut rectè Aldrovandus, in profundo latitans, trigone item, initio lata, extremo acuta; inſtar perfecti & æqualium laterum trianguli. Figura corporis ad pluvialem accedit. Caput ornat pulcherrima Criſta, duos digitos alta, duplici pennularum ordine conſtans, à noſtro ad extremum uſque occipitium protenſa, quam pro libitu arrigere aut demittere poteſt, pennis autem numero 24. aut 26. componitur, quarum aliæ aliis longiores, quarumque extrema nigricant, deinde albicant, quod reliquum eſt coloris eſt Caſtanei ad flavum vergentis. Collum pallidè rubeſcit, pectus album areolis nigris deorſum tendentibus varium, adultioribus nullæ erant in pectore maculæ, ſed in lateribus ſolum. Cauda 4. (Aldrovando ſex) digitos longa 10. duntaxat pennis componitur, nigra verum in medio area lata parabolæ aut lunulæ figuram referens eam diſtinguit vertice pennarum radices, cornibus extremitates ſpectantibus. Cauda alas complicatas excedit. Remiges pennæ in utravis ala 18, quarum priores decem nigræ, area tranſverſâ alba, quæ in ſecunda, tertia, quarta, quinta, ſexta, & ſeptima ſemidigito latior eſt, in reliquis anguſtior, ſeptem ſequentibus quatuor aut quinque ſunt areæ Tranſverſæ albæ, ultimarum limbi nonnihil rufeſcunt. Uropygium album pennæ ſcapulares per dorſi longitudinem exporrectæ areolis albis & nigris variantur, eodem modo ac alæ, oculorum irides avellaneæ. Palpebra inferior ſuperiore major. Tibiæ breves extimus pedis digitus medio adnaſcitur, nulla interveniente membrana. Aſpera arteria (deſcribente Aldrovando) initio divaricationem quibus in pulmones utroſque finitur duo velut oſcula extrinſecus laryngis vicem ſupplentia exibet, quibus pellicula tenuiſſima prætenditur, annuli cartilaginei nobis obſervantibus, poſt divaricationem dimidiati, ut in Ardeis. In ventriculo ſcarabæos, invenimus, unde eam inſectis veſci manifeſtum

manifeſtum eſt; an verò & uvis aliiſve baccis, ut veteres nonnulli tradiderunt, neſcimus. Audio eam (inquit Aldrovandus) formicis inter cætera veſci. Appendices ſeu inteſtina cæca nulla. Numero pennarum caudæ, appendicum inteſtinalium carentiâ, alarum tranſverſis maculis cum picis martiis convenit, quibus idcirco eam ſubjunximus.

Circa Coloniam & alibi in Germania ſuperiore frequentes obſervavimus, ubi VVidehuppe appellant. Terræ plerunque interdum ſalicibus inſident. Turnerus in tota Britannia nuſquam reperiri ait, verùm falſus eſt, nam & in Northumbria & in agro Surreiano interdum quamvis rarius cerni, idoneis teſtibus nobis conſtat.

Nidum è ſtercore, humano potiſſimum, facere teſtatur Ariſtoteles, eum ſcil. hoc luti vice circumlinentem.

Nomen in utraque Lingua à vocis quam edit ſono inditum. Cæterùm literatores plerique omnes Britannici (inquit Turnerus) Upupam eam vocant avem, quam Barbari ab alarum ſtrepitu Vannellum, & ipſi ſuâ Linguâ Lapvvingam. Errorem hunc inveteratum Scholæ noſtræ triviales etiamnum retinent fœminam mare majorem ſemper eſſe aiunt. WILLUGHBEIUS.

OFFICIN. NAT. ex UPUPA.

1. *Caro.* 2. *Pennæ.*

Vires.

1. *Caro* ejuſque decoctum proprietate ſuâ cœlicos juvat, (*aſſumpta*) *Avicen. Pen. 16. tr. 4. c. 11.*

2. *Pennæ*, dolores capitis demulcere dicuntur, (*impoſitæ.*) SCHRODERUS.

URCEOLARIA, vid. *Parietaria.*

URETICA, vid. *Diuretica.*

URINA, vid. pro uſu Medicô in *Animalibus* unde deſumitur.

URINARIA, vid. *Taraxacum.*

URSUS.

Urſus, Græcis Ἄρκτος, *a Bear* Angl. Quamvis hoc Animal figurâ capitis productiore à reliquis hujus generis differre videatur, cùm tamen notis præcipuis, Dentium numero figurâ, ſitu, ut & facultate illa pedibus anterioribus veluti pugnis feriendi, cum iiſdem conveniat, omnino huc referendum eſt.

Totum ejus corpus tam denſo pilorum craſſiorum vellere undique obtegitur & occultatur, ut rudis quædam indigeſtáque moles potiùs quàm animal membris diſtinctum eſſe videatur, ut non injuriâ à *Virgilio* informe appelletur. Verùm detracta pelle vera ejus figurâ & partium ſitus in conſpectum venit.

In urſo à Pariſienſibus Academicis dimenſo corporis totius longitudo ab extremo roſtro ad ultimos ungues 8. pedum erat & trium digitorum; ad initium caudæ 5½ ped. ad occiput 1. ped. & 5. dig. cauda 5. uncias longa erat. Dentes Leoninis ſimiles, ſed multò minores: muſculi temporales quàm in illo minùs carnoſæ, Thorax quàm in Leone latior, longa inſuper, & 14. coſtis compoſita. Collum non, ut in Porco, pro magnitudine breve, quamvis ob pilos denſos & longos innaſcenſes ita videatur: Erat enim 7 tantùm digitos latum, 9 longum. Os femoris longius quàm in pleriſque Brutis. Patellam in genu habet.

Cutis in dorſo admodum dura & craſſa, ſub ventre tenuis & delicata. Pili molliores & minùs aſperi quam in Leone aut Apro, lanam quodammodo referentes, criſpiores quam in capris, multò tamen minùs quàm in ovibus. Cranium quàm in Leone duplo tenuius ſeu minùs craſſum; durum tamen & ſub ſerra ferro renitens: verùm quod cranii craſſitiei deeſt cerebri copia abunde compenſat; eſt enim quadruplo majus huic quam illi. Oculi pro magnitudine Animalis valdè exigui, quod imprimis notabile. Membrana nictitans oculum tegit.

Pedes tam poſteriores quàm anteriores in 5 digitos fiſſi; maximus & qui pollicem ſimulat, contrario humanis ſitu, locum minimi digiti ſeu extimum occupat; ſuntque omnes craſſi, breves, deformes. Super calcaneo incedit, ſive inter incedendum innititur more humano *D. VVillughby.* Idem radices unguium duris annullis firmari obſervavit: item ſub humeris mammas binas; Sceleton humano ſimillimum; os coccygis habent quamvis caudâ careant; claviculas nullas, coſtas 14. utrinque, vertebras 33. in collo ſeptem. Ventriculus perexiguus, & velut in duos diviſus. Inteſtina uniformia, nec colore, nec ſubſtantia, neque magnitudine diverſa, adeòque tenuium & craſſiorum diſtinctio nulla. Inteſtini cæci nec vola, nec veſtigium, uti neque cellularum in collo: ut non inteſtina, ſed potiùs unicum & ſimplex Inteſtinum dicenda ſint: erant a. duplo longiora Leoninis, nimirum 40 pedum. Renum ſtructura ſingularis: membrana etenim peculiari velut ſacculo incluſi, & in 56 parvos renes, actu à ſe invicem ſeparatos, ſuiſque ſingulos membranis cinctos; diviſi erant. Hæc renulorum maſſa ſeu congeries uvarum racemum, aut potius conum Pineum maturum referebat.

Hæc omnia Pariſienſes.

Invenitur in *Alpibus* inque *Germania*, *Polonia*, *Lithuania*, *Norvegia*, aliiſque Regionibus Septentrionalibus, colore etiam variant; namque & nigri & albi obſervantur; in *Nova Zemla* maximi. RAIUS. *in Synopſ. Hiſtoria Quadrup.*

OFFICIN. NAT. ex URSO.

1. *Pinguedo.* 2. *Fel.* 3. *Oculus.*

Vires.

1. *Pinguedo* calfacit, reſolvit, emollit, diſcutit, &c.

Uſus præcipui in alopecia (*illita cum mure combuſto*) medetur doloribus arthriticis, parotidibus, *Ohrenklamm*, [*axungiâ ejus & cerâ ano in Empl. redactâ,*] ulcera crurum tibiarumque ſanat.

N. 1. *In Hernia ſ. Enterocele uterique prolapſu, muliercularum vulgare remedium* [*dorſo ſ. oſſi ſacro illita.*]

N. 2. *In uſu externo pinguedinis hujus obſervare expedit, quod pilis albedinem conciliat.*

2. *Fel* commendatur intrinſecus, ad morbum comitialem, ad aſthma, & icterum.

Extrinſecus ad ulcera cancroſa, ad ſerpentia (*illitum*,) ad odontalgiam, oculorum hebetudinem, &c.

N. *In Finlandia ubi urſorum datur copia, vulgatum ruſticis eſt fel exiccatum inſtar Panaceæ exhibere, ſudoreque ſuperveniente morbos quamplurimos fuiſſe ſolutos audivi.*

3. *Oculus* dexter effoſſus, exiccatus & infantibus appenſus, terrorem quibus in ſomnis vexantur arcere dicitur.

Sunt & qui ajunt, oculum urſi ſiniſtro brachio alligatum, quartanam fugare. SCHRODERUS.

Urſus.) Hujus *pinguedo* calefacit, reſolvit, emollit, diſcutit &c. medetur doloribus arthriticis, in herniâ ac uteri prolapſu commendatur cum goſſypio oſſi ſacro, impoſita. *Urſi albi pinguedo* pro magno arcano coſmetico commendatur. *Urſi fel exſiccatum* egregium eſt diaphoreticum in plurimis affectibus utiliſſimum. HOFMANNUS.

URTICA.

Urticam ab urendo dictam eſſe conſentiunt Grammatic.

matici, quod igneæ ſit naturæ, unde admota cuti vel levi tantum tactu, pruritum ac puſtulas excitat, quomodo hoc præſtat paulo poſt oſtendimus. Ἀκαλήφη Græcis dicitur παρὰ τὸ μὴ ἔχειν καλὴν ἁφὴν, quod injucundo ſit tactu, & pruritum cieat. Athenæus. dicitur & κνίδη quod lanugine noxia, vellicet pungat, & ſuo morſu ſenſum laceſſat à verbo κνίζειν, quod pungere, & vellicare ſignificat.

Vrticæ quatuor tantùm ſpecies novimus, duas racemiferas, duas piluliferas, racemiferas voco quæ flores ſuos & ſemina in quibuſdam velut racemulis è foliorum alis egreſſis geſtant; piluliferas quæ eadem in pilulas ſeu globulos congeſta, eodem tamen ſitu, proferunt: illarum ſemina minora ſunt; harum majora ſplendentia & lini ſeminum æmula, racemiferæ ſunt:

1. Vrtica vulgaris major I. B.
2. Vrtica minor annua ejuſdem piluliferæ;
3. Vrtica Romana Ger.
4. Vrtica Romana altera parietariæ foliis Hort. Paris.

Præter has, alias exoticas, & nobis nondum cognitas, ex Hiſtor. Margravii & Horto Malabarico proponemus.

VRTICA MAIOR VULGARIS.

Nomina. Vrtica major Vulgaris *I.B.* major Vulgaris & media Sylveſtris *Park.* Urens prima & ſecunda ſive Urens maxima & altera urens *C. B.*

Radicibus luteis ſub terra reptat & latè ſe propagat. Caules ſurrigit bicubitales, interdum etiam altiores, quadratos, rigidos, ſtriatos, urida lanugine hirſutos, concavos, ramoſos, & foliis veſtitos per intervalla ex adverſo binis, pediculis oblongis inſidentibus, à lata baſi in acutum mucronem ſenſim anguſtatis, majuſculis, & profundioribus denticulis per margines ſerratis, Spinulis minacibus horridis. Verſus ſummitates Caulium & ramorum ad ſingula foliorum paria quatuor exeunt racemuli in formam crucis diſpoſiti, floſculis vel ſeminibus onuſti; nimirum ad latera ramuli è ſinu uniuſcujuſque folii exeuntis hinc inde unus, appoſita ligula ad racemuli pediculum utrinque. Flores herbacei, quadrifolii, perexigui, ſtamina quatuor apicibus donata continent. Vaſcula ſeminalia velut triquetra, duabus lamellis conniventibus compoſita, ſingula ſemina occultant, exigua, ſublonga, ruffa, ex urticis autem uliæ mares ſunt, aliæ fœminæ, aliæ nempe floſculos duntaxat inutiles proferunt, aliæ ſemen. Mordacibus ſpinulis, quibus tum caulis tum folia obſita ſunt. Vrtica ab aliis plantarum generibus abundè diſtinguitur. Spinulæ autem omnes (ut obſervavit Clariſſ. Hookius) concavæ ſunt & fiſtuloſæ, mucronibus acutis, tactu levi cutem perforantes, & folliculis quibuſdam liquore venenoſo repletis innaſcuntur, Singulæ ſingulis: qui ſpinularum tactu compelli per earundem cava ſyringarum modo liquorem ſuum in carnem transfundunt, qui pruriginem illam moleſtam & puſtulas excitat.

Æſtate floret. Superficies quotannis marceſcit, radice reſtibili, ad ſæpes in locis ruderatis nimis frequens.

Vires. Vrtica omnis diuretica eſt & lithontriptica, peculiariterque cicutæ adverſari dicitur, ut & hyoſcyamo, in olere ſumpta ſolvit alvum, abſtergit renes, calculos expellit, expectorationem morbillorumque eruptionem promovet. Matronæ noſtrates novella Vrticarum germina, & folia primulum erumpentia verno tempore juſculis incoquere ſolent ad ſanguinem depurandum. Succus herbæ aut ſyrupus ex ea confectus in hæmoptyſi efficaciſſimus eſt, ℞. Succi Vrticæ ℥iv. 5. aut 6. diebus continuis manè bibatur jejuno Ventriculo, & ipſa urtica juſculis incoquatur. Ægri deſiti à Medicis hoc remedio convaluerunt. Amatus. Communicaverunt D. Needham & D. Hulſe, Aq. ſtill. Sp. vini q. ſ. ad largam aciditatem mirificè reſtringit hæmophtyſin.

Hæmorrhagiam narium ſibi frequentiſſimam certo experimento ſiſtere ſolebant Hier. Rehlingerus Duumvir & Udalricus Jungius radice urticæ rubræ alba, lignoſa & tereti naribus indita, & aqua attracta. D. Soame à Cumani obſerv. à Velſchio editis.

Extrinſecus putridis, gangrænoſis & malignis ulceribus auxiliatur, duritias ac tumores diſcutit, reprimit uvulam inflammatam (gargariſat.) Sedat hæmorrhagiam narium (Vrtica minor ſcilicet contuſa, aut ſuccus ejus naribus inditus) Schrod.

Semen urticæ (Romanæ præcipuè) uſus crebri eſt in pulmonum effectibus, aſthmate, tuſſi contumace, pleuritide, peripneumonia; Conſervâ quæ fit ex racemulis florum, & ſeminum in calculo renum, inque thoracis affectibus & ſputo ſanguineo medicamentum eſt præſtantiſſimum. Semen urticæ urinam & menſes ciere, & Venerem ſtimulare inter medicos convenit; unde à meretricibus amaſiis ſuis propinari ſolet. Radix urticæ majoris commendatur maximopere ad ictirum: Eadem vino & melle decocta non vulgare medicamentum eſt adverſus frigidas tuſſus & orthopnœas.

Æſtum, puſtulas & pruriginem ab urticis excitatas ſedat & extinguit oleum olivarum, oleum roſarum, Nicotianæ ſuccus illitus, aut etiam folium viride applicatum: ipſius denique urticæ ſuccus expreſſus, referente Parkinſono.

Quin & eruditiſſimus vir, amicus noſter ſummus. D. Tancredus Robinſonus è Riverii centur. obſerv. p. 640. centur. 4. obſ. 81. aliiſque medicinæ practicæ ſcriptoribus ſuggeſſit nobis exempla immodici hæmorrhoidum fluxus cum omnia fruſtra adhibita fuiſſent ægro admodum debilitato, tandem curati à ſolo uſu ſucci urticæ, levi ebullitione depurati, & dati ad ℥ij. cum pauco ſaccharo.

Populares mei certo experimento cereviſiæ recentis intempeſtivam fermentationem inhibent, & à tonitru deffendunt collocando in doliis urticam urentem maximam & fruſta Chalybis, S. Pauli quadr. Bot. Cl. 4. pag. 536. 537.

VRTICA MINOR.

Nomina. Vrtica minor *Ger.* minor annua *I. B.* Vrens minor *D. B.*

Radix ei alba, ſatis craſſa, ſimplex, ſurculoſa tamen ſurculis fibrillis aliquot tenuibus capillatis. Caules craſſi pro plantæ modo, ſemipedales & interdum pedales, quadrati, ſolidi, ſtriati, ſpinulis rarioribus horridi, ramoſi minus recti quàm præcedentis: folia per intervalla ex adverſo bina, pediculis longis appenſa atrovirentia, quam præcedentis breviora & obtuſiora, per margines profundè dentata, ſpinulis venenatis utrinque minacia. Ad ſingulos caulium nodos ut in præcedente; floſculorum aut ſeminum racemuli quatuor in Crucis formam diſpoſiti. Floſculi ſinguli tetrapetali, caduci. Vaſcula ſeminalia exigua, bivalvia, è duabus lamellis conniventibus compoſita ut in atriplice, ſingula ſemina continent, exigua, longiuſcula, ſplendentia, figura ferè ſeminum lini.

In hortis oleraceis & locis ruderatis frequens oritur; nec ultra annum durat.

VRTICA ROMANA.

Nomina. Vrtica Romana *Ger. Park.* Romana ſive mas cum globulis *I.B.* urens, pilulas ferens, prima Dioſcoridis, ſemine lini *C. B.*

J.B. Radix ſublutea plurimas fibras ſpargit longiuſculas: quibus terram firmiter apprehendit (non alia (inquit J. Bauhinus) quam urticæ vulgari) non tamen perinde vivax. Caulis quatuor aut quinque interdum pedes altus, hominis altitudinem interdum multum ſuperans J.B. rotundus, ramoſus, infirmior, rigidioribus pungentibus ſpinulis pro urida vulgatæ lanugine donatur, perinde ut & folia, quæ ad nodos bina oppoſita quàm in illa altius inciſa: è foliorum ſuperiorum alis exeunt pilulæ virides aſperæ & mordaces, pediculis, in quibus incluſum continetur ſemen, quod & compreſſa laterum forma, & lubrica ſuperficie ſemen lini æmulatur, floſculis præcedentibus fibroſis luteolo pulviſculo plenis.

Spontaneam obſervavimus in ipſis pluteis oppidi Yarmouth, & in arenoſis circa Aldeburgum oppidum in Suffolcia, inveniri ajunt, & in plateis Romaniæ oppidi in Cantio & Liddæ prope Romaniam. J. Bauhinus Monſpelii paſſim in ſepibus obſervavit florentem & ſemina ferentem menſib. Aprili, Majo & Junio, Baſileæ in pratis. *Raim.*

VRUCU.

Nomina *Arbor Mexicana fructu Caſtaneo coccifera C. B. Daburi* Cluſ. *ex l.* 3. *c.* 19. *Bixa Oviedi* ejuſdem. *ex l. c.*20. *l. B. l.*12. *Vrucu Braſilienſibus* Marc gr. Piſo. *è qua fit tinctura* Orellana *dicta. Arbor finium regundorum* Scaligeri. *Achiotl.* Hernandez. *Orleana ſeu Orellana folliculis lappaceis* Herman.

Frutex eſt arboreſcens (Mali Medicæ magnitudine *Hern.*) ligno albo inſtar Coryli, cortice fuſco. *Folia* habet alternatim poſita, in pediculis tres, quatuor aut quinque digitos longis, etiam brevioribus, oblonga, mucronata, cordis ut pingitur figura, quinque, ſex etiam decem & duodecim digitos longa, nervo ſecundum longitudinem, & venis obliquis inferius prominentibus prædita, læte viridia.

Ad extremitatem ramorum in brevibus pediculis multi enaſcuntur *Flores*, in uvæ figuram diſpoſiti, quilibet magnitudine Roſæ, quinque foliis conſtans, albis incarnato dilutis: in medio ingens numerus ſtaminulorum luteorum, apicibus purpureis. Vix ſenſibilem habet odorem.

Florem ſequitur *fructus*, nimirum Siliqua, Myrobalani, oblongi formâ, ſeu pyramidali rotunda, duos, aut tres digitos longa magnitudine Pruni (quatuor modicis diſtincta angulis, qui ſecundum longitudinem diſcurrunt *Hern.*) quæ immatura vireſcit exterius, matura rufeſcit, eſtque tota hiſpida ob fila quæ habet prominentia, ſed non aculeata: In qualibet ſiliqua ultra 30. aut 40. grana, ſuo pediculo innitentia continentur, figuræ conicæ acutæ, aut exigui Piſi, at in duobus lateribus quaſi digito compreſſa. Granorum color inſigniter miniatus & ſplendeſcens, atque tali ſucco madens, ita ut ad tactum inficiat manus egregio miniato colore. Grana recentia mollia ſunt, inſtar granorum Pomi, quodlibet exterius punctulo argenteo notatum. Siliqua matura ſponte ſe aperit. Grana ſiccata evadunt obſcurò rubra, nihilominus tamen ut ante tincturam continent, & recentia ſive ſiccata uſurpari poſſunt. Trita ſimpliciter in aqua ſimplici ſeu ſtillatitia egregiam dant tincturam miniatam, quæ pota per ſe prodeſt contra varia venena, & eſt boni ſaporis, ſubamara & quid aromatici ſapiens. Collata in maſſam cogitur, ſphærulæque & tabellæ in multos annos durabiles inde conficiuntur, & in Europam tranſmittuntur. Cum urina mixta tam pertinaci colore tingit lineos pannos, ut in poſterum elui non poſſit. Magiſterium etiam inde more Coralli, præparant, & in uſus reſervant. Braſilienſes patinas ſuas & lagenas è Cucurbitarum corticibus factas hac tinctura exterius tingunt.

Radix cum carne Gallinacea vel alia tingit inſtar Croci optimi, & bonum ſaporem illi conciliat.

Barbari maximi faciunt hanc arborem, eamque colunt circa tuguria ſua: Viret toto anno, fructum autem fert Vere: & tum materies ejus cædi ſolet, quæ utilis eſt ad ignem eliciendum inſtar Silicis, confricando inter ſe. Hujus proprietatis & uſus ligni mentionem factam invenio à D. Rochefort in Hiſt. Inſularum Antillarum, & *D. Hugues* in Medico Americano:

Cortex idoneus eſt ad funes & rudentes, quæ robuſtiores ſunt Cannabinis.

Tinctura cum aliqua aqua ejuſdem temperaturæ hauſta aut foris adhibita mitigat æſtus febriles, ſiſtit ſanguinolentas dejectiones, diſcutit tumores & abſceſſus, quapropter commodè miſcetur potionibus refrigerantibus, atque etiam cibis.

Miſcetur etiam delicatæ potioni è Cacao, *Chocolata* dictæ ad refrigerandum & bonum colorem atque ſaporem illi conciliandum, efficitque ne quavis quantitate hauſta noceat: illius quippe ope facile digeritur ſine ulla cruditate. Mitigat dolores dentium à calida cauſa natos, promovet urinam, cedat ſitim.

Tincturam è fructu faciunt hoc modo. Sumunt grana bene matura eaque infundunt aquæ calidæ, & ex ſubſidientia tabellas conficiunt.

Obſervandum tamen (inquit *Ioh. de Laet.*) duplicem tincturam ad nos afferri, unam ſimplicem & perfectiſſimam, coccineam, cujus uſus ad fucum fœminarum, (Inſulani etiam Americani corpora ſua ea inungunt elegantiæ cauſa & ad Bellum ituri ut terribiliores hoſtibus videantur) alteram cum Reſina mixtam & in magnos globos coactam, cui & credo ſuccum radicis admixtum, tingit enim crocco colore magis quam miniato.

Granum parvum figura & colore Vrucu non multum diſſimile ex Inſula Barbados *Notta* nomine ad nos defertur, quo in panes coacto tinctores utuntur pro pannis colore Limonis inficiendis. *Raim.*

USNEA.

Nomina. Muſcus cranio humano innatus.

Non videtur nobis ſpecies muſci ab omnibus aliis diſtincta, ſed muſco arboreo cruſtaceo congener. Celebratur ille à plurimis Autoribus in hæmorrhagia præſertim à Chymicis Vſneæ titulo. Ingreditur autem compoſitionem famoſi illius Unguenti Armarii dicti vide Ephemar. German. an. 2. p. 100. & ſequentibus *Raim.*

UTERINA.

Audiunt alias *Hyſterica*, & magnam quidem cum aliis, ut omnia hæc habent convenientiam; attamen ſeorſim quoque non minus attendi merentur, & tantò quidem magis, quod ipſe uterus quaſi ζῶον ἐν ζώῳ eſt, & multas in corpore turbas & ſymptomata excitat.

Reſpiciunt verò hæc ipſa.

I. Vel *vaſa & vias*, quæ exituro ſanguini debent patere, adeoque huc pertinent è ſupradictis *aperientia* & obſtructiones ceu remoras tollentia, *incidentia & expurgantia*, tum *interna*, ſalina & ſulphurea, quæ huc repetere ſuperſedemus: tum *externa*, *balnea clyſteres*, tum *communes*, quæ hinc in partu difficili proſunt egregiè: tum *uterini*, ſuffitus, inſeſſus, peſſi inunctiones, aliaque abſtergentia; licet, ut fateamur, quod res eſt, una quaſi fidelia hæ obſtructiones tolli poſſint, ſi ſanguinis & humorum aliorum turgeſcentia & naturalis diſpoſitio reſtituantur, de quibus jam.

Vel enim II. reſpiciunt *contenta vaſorum*, ſeu *ſanguinem*

nem. Sanguinis motus litoralis, quaſi hîc eſt extimus, quo alluitur ad uterum, & lunaris, ſingulis enim menſibus eo fœminæ bene habentes exſolvuntur, Litoralem itaque hunc ſanguinis ad uterum motum reſpiciunt uterina.

Tum 1. *promoventia*, quæ fermentationem, turgeſcentiam, & motum procurant.

Sive *rarefaciendo & attenuando*, quæ ſpeciali nomine audiant emmenagoga ſive menſes moventia, ut ſunt *volatilia oleoſa, ſulphure volatili pollentia*, v.g. ſabina, crocus, angelica, myrrha, camphora, &c. *ſalina*, ſal artemiſiæ, borax, & inprimis *volatilia*, cochlearia, -ᐱ- ⊖lis ✻ci, aliaque acria, *amara*, ut inprimis aloe, quæ hinc ad pallidos colores eſt eximia, item elixir proprietatis; *aromatica*, quæ ſimul glutinoſitatem humorum expediunt, ab infarctu oſcula ſive extremitates vaſorum, ubi ſæpe contingunt obſtructiones, liberant, humoréſque pituitoſos, tartareos, mucilaginoſos eadem obviſcantes expediunt, poroſque dilatant, & uno verbo vias liberas præſtant, & patulas, naturamque ad excretionem blande ſollicitant. Ubi obiter notandum: *Quæcunque menſes promovent, illa etiam fœtus exitum accelerant*, v.g. ſalia, borax, & exinde parata, quæ etiam in mola, ſi quidem certa ſit mola, conducunt: attamen non ſola ſtimulantia rem abſolvunt, ſed etiam confortantia balſamica, ut oleum ſuccini, cinnabarina, cinnamomum, vinum malvaticum. Pertinent etiam huc varia ex his dictis parata, & conſtantia, infuſa præſertim, decocta, mixturæ, elixiria, &c.

Imò ſpectant huc ipſa *purgantia*, quæ ſæpe eodem die, quo aſſumuntur, menſium fluxum accerſunt, & ipſa enim tùm ſtimulant, & pellunt, tùm ſanguini novam fermentationem addunt: *diaphoretica*, præſertim volatilia. Hinc ſæpe vidimus à Tinctura bezoard. Mich. etiam extra ordinarium tempus menſes accerſitos, in ſucculentis præſertim magis.

Sive *abſorbendo*, humores acidos, auſteros, ſtypticos abundantes, eundemque ſanguinem nimis figentes & concentrantes tollendo, uti ſunt *fixa*, non quidem æque omnia; neque enim lapides cancrorum, vel creta, conchæ, corallia, inter emmenagoga recenſentur, vel locum habent; ſed *edulcantia* eoſdem intimiùs & ſaturantia, qualia præ aliis omnibus ſunt martialia. Vnde qui feliciter mederi vult menſium obſtructionibus, omnium optimè id præſtare poteſt martialibus, croco ♂tis aperitivo ⊕-lato, ſaccharino, pulvere cachectico Querc. vel ſtomachali ejuſdem cum martialibus mixto addito v.g. oleo cinnamomi, qui ſanè intentioni huic laudatiſſimè inſervit.

Conveniunt itaque hæc, uti ex jam dictis facilè patet, in menſium obſtructionibus, & inde oriundis mille ſymptomatibus, in quibus omnibus principaliter ſemper ad menſes reſpectus habendus eſt, ſi feliciter progredi velimus.

Tùm 2. *refrenantia & retardantia*, ſeu ſeroſior nimis ſit, & acris, bilioſus ſanguis, oſcula vaſorum reſerans & erodens; ſeu copioſe irruat ob rupturam, aliaſque læſiones. *Excedentem* vero hanc *fermentationem* & turgeſcentiam inhibent tùm *refrigerantia aquea*, quæ partes ſanguinis volatiles ſalinas ſulphureas abundantes temperant, ac diluunt; tum *terrea & ſtyptica*, quæ eaſdem præcipitant, diſgregant, & in motu retardant ac ligant, plantago, burſa paſtoris, coralia, hæmatices, & alia ex adſtringentibus huc repetenda: tùm *acida & auſtera*, eaſdem infrigentia & domantia, ut -ᐱ-us ⊕-li, Tinctura ⊕-li, violarum, roſarum, Tinctura ſtyptica, antiphthiſica *Gramanni*, quæ in menſibus immodicis officium facit, ipſaque *opiata*.

Et hæc conveniunt in menſibus immodicis, lochiorum nimio fluxu; quin & ex parte fluori albo nimio.

Vel III. reſpiciunt *nervoſum genus & ipſam uteri ſubſtantiam*, ceu notum eſt, eam eſſe membranoſam, cum capite maximum habere conſenſum, & nervis maximè irrigari; talia ſunt *nervina* omnia ſuprà ſub cephalicis enumerata, ſulphure balſamico volatili pollentia, *ſpirituoſa*, ſuavia ut meliſſa, roſmarinus, ſalvia, &c. caſtorium, ſuccinum, utraque ſale volatili oleoſo fœta, &c. & præ omnibus aliis *cinnabarina*, uti certum eſt experientiâ practicâ, cinnabarin nativam Hungaricam maximè ſolari affectus hyſtericos & motus uteri convulſivos, item ſecundina humana præparata, ebur ſine igne, & ex C. C. parata, aliaque. Ex quo patet, canonem medico-practicum, omnia cephalica eſſe quoque uterina ſive in ſpecie: *omnes herbas cephalicas etiam uterum reſpicere*, & vice verſa, hoc ſenſu potiſſimum valere; ob ſocietatem ſubſtantiæ, & convenientiam ac analogiam partium nervoſarum.

Et hæc, inprimis *aromata confortantia*, ſunt uterina, & proſunt ſpecificè in ſuffocatione hyſtericâ, ejuſque variis gradibus, & conſequenter lipothymiâ & ſyncope, &c. Suffocationem verò hanc eo ſenſu falſo hypochondriacam hodiè appellitant, ſi uterum excludunt pro ſubjecto; eo verò ſenſu verè, ſi eundem ut contentam ſimul ſub hypochondriis partem reſpiciunt, & quatenus pleræque hyſtericæ ſunt etiam hypochondriacæ. Probantur eadem in partu difficili, quatenùs vel roborant naturam & nervos, ut cinnabarina, quæ ob hanc cauſam & in calculo prodeſſe diximus; vel ſimul ſtimulant, ut ♂o cinnamomi, ſuccini, &c. item in hyſteralgiâ & fluore albo, quatenùs in eo laxior ſanguinis compages & ichor ſeroſus partibus oleoſis ſanguinis præponderans ob laxitatem & debilitatem fibrarum conjunctam excernitur, unde confortantia talia uterina, & oleoſa balſamica, v.g. roſmarinus, proſunt. Patere hinc poteſt, cur ab *Hippocrate* & hinc ſequentibus eundem practicis omnibus *acetum* dicatur ὑστεραλγές, quia nempe nervis eſt inimicum, quia figit ſanguinem ejuſque ſulphur & partes volatiles ſalinas deprimit & ſubjugat; aliàs enim, ubi incidendi eſt intentio, vel ſulphur domandi, ut in amore inſano, menſibus immodicis, optimè conveniunt, modò parcè adhibeantur.

Vel IV. reſpiciunt *humores extravaſatos* circa uterum reſtagnantes, & inde oriundos flatus, miaſmata putrida, &c. quod quidem ſæpe contingit, & varia ſymptomata, & atrocia quidem illa ſæpe excitat, qualia ſunt.

Tùm *balſamica*, putredini reſiſtentia, *amara & gummoſa*, ac *reſinoſa*, aloë, myrrha, ſcordium, aſa fœtida, gummi, galbanum, eſſentia ſuccini, myrrhæ, aſæ fœtidæ, elix. uterin. Crollii, &c.

Tùm *reſolventia* grumoſitatem ſanguinis extravaſati, tùm in fieri, tùm in facto, uti v.g. chærefolium, lapides ♋, bezoard ♃ale, ☿iata, & alia ſimilia, quidquid reſtitat, egregiè diſſipant, & ſymptomata convulſiva & hyſterica inde producta tollunt.

Tùm *diſcutientia*, *diaphoretica & ſudorifera* penetrantiora, ut Tinctura bezoardica, -ᐱ-us ♀ri, miſtura ſimplex quæ ipſa quoque putrida miaſmata arcent, uti ipſa quoque *diuretica* uterum egregiè mundificant.

Tùm inprimis *carminativa*, unde *carminativa optima ſunt uterina*, &, experimento practicorum, quæ colicæ debentur, eadem & ſuffocationi hyſtericæ opem ferunt, ut zedoaria, ſemina carminativa, galanga, eſſentia carminativa cum elixir. uterino, Tinctura ♀ri, bezoard. ♃ale, quæ in hyſteralgiâ & doloribus poſt partum inſignia ſunt & nobiliſſima.

Et hæc proſunt in flatibus uterinis, quos inſtar flatuum ventris in cacochymicâ per uterum excretos obſervavimus, & inde ac ab ibi reſtagnante ſanguine putrido productis ſuffocationibus hyſtericis, menſibus & lochiis dolorificis, cum anxietatibus, dorſi doloribus, torminibuſque &c.

Quoad Applicandi Horum Usum licet plura dici

dici poſſent; pauca tamen libabimus.

1. Canon eſt practicorum, inprimis *Heurnio* laudatus: *Dulcibus uterus demulceatur.* Is verò non tàm intelligendus de dulcibus actu talibus abſolutè, quæ quidem, ubi fermentatio ſanguinis inſtauranda eſt, inſignem habent uſum, quatenùs turgeſcentiam ejuſdem promovent, item in abortus periculo externe mel, panis mellitus cum vino Hiſpanico; attamen, *ubi ſanguis refrenandus eſt*, ut in nimio menſium fluxu, & in reliquis caſibus potiùs nocent. Sic dulcia ſaccharata & mellita lædunt hyſtericas, turbas enim excitant, & ſymptomata conſopita revocant & exaſperant; adeoque ex his rectus dulcium applicandi modus patet.

2. *Acida*, quod ceu poriſma ex dictis conſequitur, *& dulcia nec ſemper vitanda, nec promiſcuè danda*, inprimis id valet de aceto illud enim ſulphureis particulis minùs eſt inſtructum; quæ verò acida ſunt ſulphurea ſimul, ut ♁us ⊖is, ①i vel ⊕-li cephalicus, utero magis ſunt amica, unde ſirupus byſantinus oxymel ſimplex & ſquilliticum, & reliqua acida, uterum lædunt; hæc vero ſulphurea moderatè, ubi licet, adhiberi queunt. Patet id etiam ex diætâ, ſi fœmina menſes patiens acetaria vel alia acida comedit, illi ſiſtuntur. Sunt ſcilicet tono uteri tùm quoad turgeſcentiam ſanguinis, tùm quoad ſubſtantiam nervoſam adverſa.

3. *In gravidis volatilia pellentia cavenda*: unde, ſi dubius occurrat caſus, ſuppreſſine ſint menſes, vel fœmina gravida, vix ultra martialia ſolemus adſcendere, quod nobis ſæpe obtigit in praxi, offerentibus ſurinam meretriculis, & conceptum ſuppreſſione menſium ſimulantibus, poſtulatâ purgatione, vomitorio, ibi non facilè credendum, etiamſi Jovem jurent lapidem; martialia verò non nocent, ſed ſimul roborant. Aliàs ipſis attemperantia & adſtringentia, quoad vaſa uterina, & ſpirituoſa quoad vires fœtus robur, ut balſamum embr. conveniunt.

4. *Ubi aperiendum eſt, non ſola pellentia fortia conveniunt, ſed humectantia unà non omittantur; ubi adſtringendum, non omittantur ſiccantia.* Hinc peccant medici, qui in menſium defectu ſolis oleoſis volatilibus utuntur, oleo juniperi, ♁u ⊖lis ✻ci, oleo ſabinæ, borace, & aliis. Hinc etiam ſæpe meretriculæ, præſertim, ubi diſpoſitio ad abortum non adeſt, ſabinâ & ſimilibus fruſtrà utuntur. Reſpiciendum nempe unà eſt ad ſerum, quod æquè ac ſanguis ad turgeſcentiam potiſſimùm requiritur: hinc plùs ſemper præſtitimus humectantibus, ut Tincturâ ♂tis ♀iſatâ, Tincturâ ♂is pomatâ, infuſis & decoctis uterinis, quàm alia.

5. *Non adſtringendum in non gravidis citra revulſionem & evacuationem: in gravidis autem citra fœtus reſpectum*, v. g. ſi qua menſibus immodicis, quod ſæpe ex obſtructione vaſorum fit, & ſeorſim excuti meretur, laboret, Venæ Sectione præmiſſa meliùs conducunt adſtringentia; ſin gravida menſium fluxu corripiatur, ſemper fœtus debilitas eſt reſpicienda.

6. *In adſtringentibus quoque ſemper tonus uteri eſt reſpiciendus*, tùm quoad ſanguinem, tùm quoad laxitatem fibrarum. Hinc in fluore albo non tàm ſola adſtringentia vulgaria proſunt, quàm aromatica cum his mixta, ex roremarino, cheiri, ebore, caſtorio, magiſt. oc. ♋ cum oleo aniſi, ſuccini, quod optimum, aliàs enim feliciter res non ſuccedit.

7. *Clyſteres uterius egregiè quidem elutriant & abſtergunt: virginibus vero & gravidis non conveniunt*, velut & peſſi & ſimilia topica, de quibus ſuo loco pluribus. Totum potiùs reſpiciendum in his, neque enim extravaſatio facilè locum habet; ſin verò quid faciendum in his topicis, communicandum id priùs bene eſt cum adſtantibus quibuſdam. WEDELIUS.

UTERINA *Specifica ex Andreâ* CNOFFELIO.

ANTIHYSTERICA.

Eſſentia Uterina D. D. Cnœffelii.

♃. *Galbani, caſtorei, opii correcti n. m. an.* ℥ij. *ſpir. ſambuci*, ∇, *utriuſque rectificati an.* ℥xij. Miſceantur probè, & in vitro benè clauſo, ſtent in digeſtione ſupra fornacem per octiduum, & diutius; extractio prius benè tranſcolata in uſum ſervetur.

Eſſentia Uterina alia.
Sedativum uterinum Cnoffelianum dictum.

♃. *Theriacæ opt.* ℥ij. *extr. caſtorei* ℥j. *croci* ʒij. *ſpir. noſtr. ſedativi* ℔j. *Fiat infuſio, & poſt digeſtionem aliquod dierum, TRa extracta, & per chartam emporet. filtrata [abſque ulteriore deſtillatione] uſui aſſervetur. Cui & adhuc admiſci poſſunt in* ∇ *i* ♀ *riſat. ſ. q. prius diſſolut. ol. ſtil. menthæ carvi an* ℈ij.

Miſce. Doſis à ℈j. ad ℈ij & ʒj. in aqua aliqua hyſterica, ſcilicet meliſſæ, matricariæ, artemiſiæ, ſeu vino: datur & per ſe cum expectato ſudore, ante, & in ipſo paroxyſmo hyſterico. Medicamentum eſt in qualicunque ſuffocatione matricis præſtans. Præſervationis cauſa ſumitur, & ſingulis menſibus, & circa illud tempus, quo purgationes menſtruorum inſtant.

Mixtura uterina Officinæ Cnœffelianæ, Budiſſini, Dn. D. Nitzſchio olim familiaris.

♃. *Extr. liquidi galbani, cum ſpir. ſambuci fact. caſtorei cum ſpirit ſambuci extr. opii, ſimili modo, cum ſpirit. ſambuci parat. an. part. æqual.* Mixta digerantur invicem, poſtea filtrentur & pro uſu neceſſario ſerventur. Vires tit. indicat. Doſis eſt hujus mixturæ ℈ß ad ℈j. & ʒß. in hauſtu aquæ hirundinum, per tres dies.

Proportio hujus mixturæ ſit, ut ad unciam unam ſpecierum, ſumantur unciæ duæ ſpiritus ſambuci.

Mixtura hyſterica alia Dn. D. C.

♃. *Mixturæ antepilepticæ noſtr. in forma liquida, eſſent. noſtr. uterinæ ana* ℥ß. *aqu. meliſſ. c. v.* ℥ij.

Miſce. Doſis cochlear ſemis; exhibitum aliquoties remediis aliis multis fruſtra factis, ſemper profuit, inde hæc mixtura à Clariſſ. Cnœffel. in communi uſu habebatur.

Pilulæ Hyſtericæ Dn. D. C.

♃. *Extract. caſtorei, ſedativi noſtr. pro mulieribus ana. gr. j. M. Formentur pil. num. ij. auri folio obducendæ.*

Una capiatur cubitum eunti, ſuperbibendo ſcyphum trium unciarum emulſionis noſtræ; & ſi mulier non dormiat & paroxyſmus revertatur, altera etiam pilula poſt mediam noctem danda erit. Loco pilularum propinavit & infuſionem corculi ſui benedicti per emulſionem inſtitutam.

Emulſio Hyſterica Dn. D. Cn.

♃. *Sem. papaveris albi* ℥ß. *paoniæ, tiliæ an.* ʒj. *nucleor. ceraſor. nigror.* ℈iv. *aq. artemiſiæ, nymphææ, flor. ſambuci, liquor tiliæ ana* ℥iß. Fiat emulſio, cui adhuc admiſceatur *man. Chriſti prælat.* ℥j. *ſedativi magni Archei, q. videbitur* (quod ipſemet author emulſioni, prius in officina paratæ adjiciebat) *ſpir. meliſſæ* gtt. xxiv. Miſce.

Aqua Hyſterica compoſ. perlata.

♃. *Aq. meliſſ. citrat. artemiſiæ, epilept. Lang. ana* ℥j. *hirund. compoſ. flor. Cheiri, cinamomi ana* ℥ß. *ſpir. ſedativi noſtr. compoſ.* ℥iß. *meliſſæ* ʒij. *conf. manus Chriſti perlat.* ℥j. *magiſter. perlar. butyrac.* ℈ij. *corall. butyr.* ʒj. M. Fiat aqua.

Datur hyſtericis mulierculis, in paroxyſmo & extra eum à cochleari uno ad duo, ſingulis binis horis, agitando tamen ſemper prius optimè vitrum.

Ex præſcriptione Cl. Dn. D. Andr. Cnœffelii pro Magnifica Domina Buſſcrovva.

Pomum Vterinum Cnœffelianum.

℞. *Caſtorei opt. rec.* ℥iß. *gum. galbani* ℥iij. *aſſa fœtida* ℈ij *ceræ* q. ſ. Miſce & F. ſ. a. pomum, quod *ol. ſuccini ſeu rutæ inungendum, auri foliis obducendum, & capſulæ argenteæ, ſeu ligneæ includendum eſt.*

In aſcenſione & ſtrangulatione uteri, naribus admotum, ſubito uterum ſiſtit, contra vero ſuaveolentia utero admovenda: ut moſchi aut zibethi grana aliquot, cotone involuta, ut gratum odorem utero inſpirent, ipſumque retrahant.

Vteri affectus, maximè ſtrangulatio, ſuffocatio & furor fiunt ex productis à vitiata digeſtione, ſcilicet ex ſemine corrupto, quæ archeum uterinum furibundum reddunt, ut is vel inflammationem uteri pariat, vel in animum ſæviat, mentemque perturbet.

Itaque Helmontiano modo hunc affectum ſi quis curare cupit, illi opus abſolvendum erit per remedium ſedativum archei, ſi vero cauſam occaſionalem abſtuleris, & hujus acrimoniam ſedaveris, tum forſan uterus de furore remittet. Modum procedendi vide in *Franc. Oſvvald. Grembs tract. medico theorico pract. lib. 2. cap. 1. de Defectibus organ. hum. generationis.*

In Menſium defectu & retentione

Menſtrua retenta multorum morborum cauſæ ſunt, quemadmodum ipſorum purgatio naturalis à multis malis fœminas præſervare ſolet; qua de cauſa vitio citò occurrendum, ne natura aſſueta deſueſcat ab excretione. *Primò.* Ex multorum conſilio venæ ſectio inſtituitur, & quidem ſtatim à principio, & commodiſſimè, tribus vel quatuor diebus, ante tempus conſuetæ evacuationis, ut materia ad motum conciterur. Vena quæ aperienda, in talo eligitur; ſectio & aliquando in robuſtioribus, & in plethora repetenda eſt, una die nempe ex uno pede, poſtridie verò ex altero, in quantitate, prout Medico videbitur, & natura ſeu conſtitutio perſonæ & morbi permittit. Vbi & hoc obſervare licebit, quod in junioribus Luna decreſcente, menſtrua promovenda ſunt, unde verſus:

Luna vetus vetulas, juvenes nova Luna repurgat.

Sed hoc experientiæ non ſemper reſpondet.

Poſt ad medicamenta lenientia, præparantia & evacuantia deveniendum eſt. Tandem ad medicamenta, menſes moventia, tam interna, quam externa, deveniendum, è quorum numero præcipua & quaſi propria ſunt; 1. Cremor Tart. ♂. 2. Tartarus martiatus. 4. Crocus martis aperitivus. 5. Tartarus ⊕-latus. 6. Pulv. cachecticus ſimpl. & compoſ. 7. Pulv. chalybeatus ſimpl. & compoſ. 7. Pulv. chalybeatus ſimpl. & compoſ. 8. Diaphoret. antimoniale de regulo ♂. fact. 9. Bezoart. minerale ♂. 10. TRa. Tart. ſimpl. & compoſ. 11. Eſſentia ♂tis ⊕-lata ſimpl. & compoſ. 12. Spirit. Tartari aperitivus. 13. Spir. aperitivus acidular. Penoti. 44. Spir. de tribus, & plura adhuc alia, quæ Cl. Dn. D. A. Cn. in continuo uſu erant.

Vinum Chalybeatum.

℞. *Limaturæ chalyb.* ℥iv. *rad. ariſt.* O, *pimpinellæ, dictamni albi ana* ℥ß. *fol. roriſmarin. majoranæ, puleg. meliſſ. ana* mß. *ſpicæ Indicæ* ʒß. *flor. cheiri, calendulæ, calcatrippæ ana* p. ij. *cort. aurant.* ʒij. *caſſiæ ligneæ* ℥ß. *caryophyll.* ʒj. ℈j. *ſpir.* ⊕ gtt. aliquot. Species incifæ & groſſo modo contuſæ includantur ſacculo, ex ſindone rubra, cui ſuperfundatur *vini opt.* q. ſ. pro extractione ad ſupereminentiam ſcilicet 4. vel 6. digitorum, addendo poſt *ſaccharum* pro lubitu.

Doſ. ℥iij. per dies ſeptem, & antequam menſes fluere ſolent.

Nodulus ſive ſacculus alius, pro vino

℞. *Herb. ſabinæ* ʒvj. *artemiſ. rub. puleg. meliſſ. an. p.* iß. *rad. aſari, rub. tinct. lil. alb. an.* ʒij. *gramin. petroſelin. an,* ʒj. *ſenæ elect.* ℥j. *croc. or. mac. an.* ʒß. *borac. ven. cinam. el. an.* ʒß.

Incidantur, & contundantur groſſo modo, includantur nodulo; pro vino medicato.

Electuarium Martiale.

℞. *Conſ. meliſſæ, pulegii, flor. anthos an.* ℥j. *cheiri, cyani, calendulæ, calcatrippæ ana* ℥ß. *cond. rad. pimpinellæ, cort. aurant. an.* ℥ß. *magiſt. florum ♂tis* ℥ß. ℈iiiß. gr. v. *cryſtallor. Tartari ♂tiati* ℥j. ʒij. ℈iß. Cum *ſir. de artemiſia & cynamomo* ana q. ſ. F. elect. molluſcul. Doſ. ʒij. per octiduum poſt egreſſum è balneo & antequam menſes aliàs fluere ſolent.

Cryſtallorum Tartari chalybeatorum præparatio.

℞. *Cremoris Tartari albiſſ.* ℥viij. ſolvatur prius *in aqua, ſeu decocto clarificato ſabinæ* q. ſ. vel in alio decocto idoneo, poſt adde ⊕-*li ♂tis,* ſeu chalybis dulcis cum ſpir. ⊕-li fact. ℥j.

Et poſt totalem diſſolutionem, liquorem per chartam filtra, filtratum ad medietatem evapora, ac frigido loco ad cryſtalliſandum repone.

Egregium eſt aperitium, ad menſtrua retenta provocanda. Doſis à ℈j. ad ℈iß. & ℈ij.

In brodio carnis ſeu pulli, vel in alio liquore deſtillato & convenienti.

Simili proceſſu fit ſaccharum chalybeatnm.

Electuarium aliud Chalybeatum.

℞. *Raſuræ chalybis ſubtil.* ℥j. *cinamomi opt. pulv.* ℈ij. *caryophyllorum* ℈j. *conſ. flor. anthos, pulp. paſſulæ min. an.* ℥j. ℥j.

Et cum *ſir. meliſſ. & cinamomi ſimpl.* ana q. ſ. F. Elect. chalybeatum. Doſ. ʒj. ad ℥ij. ſuperbibendo hauſtum vini opt. malvatici.

1. Pulvis ad promovenda menſtrua.

℞. *Cremoris Tartari ♂tiati* ℈j. *ſuccini albi pulv. chalyb. ſimpl. c.* ⏝ ♀*ris noſt. m. parat. an.* ℈ß. *ſacchari citrati* gr. xij.

M. F. pulvis. pro doſi, & tales doſes n. 20. in tot chartis. Pro Magnif. Domina Rutska.

2. Alia compoſitio Cl. D. Cn.

℞. *Cremoris Tartari* ℈j. *croci ♂is n. aperitivi* ℈ß *tartari ⊕-lati gr.* viij. *ol. cinamomi* gtt. j. *elaoſacch. citrati ex rec. cort. gr.* iij.

M. F. pulvis pro doſi, & tales doſes nu. 54. pro Damoiſella Kriska.

Item ℞. *Raſur. chalybis ſubtiliſſ. præparat.* ℈ß. *conſ. roſar. meliſſ. ana* ʒj. *eleoſacch. citri in rec. cort.* gr. vj. M. F. bolus, decies ſumendus.

Pulvis Chalybeatus Cl. Dn. D. F.

Chalybis ſubtiliſſ. limati ʒij. *corallior. rub.* ʒj. *rad. rubric.* ʒiß. *fol. lauri* ʒß. *ſabinæ, roriſmarini, ſpecier. arom. roſat. ana* ℈j. *borracis* ʒj. *macis* ʒß. *croci* ℈ß. *ſacchari Canarii alb.* duplum omnium M. F. pulvis. Efficaciſſimus eſt in ſuppreſſione menſtruorum & partus promotione Doſ. ʒj. cum vino albo dulci, repetitis vicibus, & ante tempus illud, quo menſes in ægra fluere conſueverunt.

Pilulæ ad promovenda Menſtrua Dn. D. Kr.

℞. *Troch. de myrrh.* ʒß. *extr. ſabinæ* ℈j. *caſtorei* ℈ß. *borracis Venet. cinamomi pulv. an.* ℈ij. *ol. cinam.* gtt. ij. cum *ſir. de artem.* q. ſ. Formentur pil. ad placitum. Doſ. ʒj.

Vel ℞. *Extr. ſabinæ, borracis Venet. an.* gr. xv. *ſalis ſuccini volat.* ℈ß. *ol. ſabinæ* gtt. ij. *cinamomi* gtt. j. M. F. pilulæ pro una doſi, & tales doſes num. 4. in 4. chartis ſeparatim.

Rotulæ Martiales Dn. D. C.

℞. *Pulv. cachectici*, ♁ *fixi diaph. an.* ʒß. *bezoartici ♂tialis* ʒß. *ſuccini albiſſ. præparat.* ℈ij. *ſacch. Canar. alb.* ℥iv. cum *aq. artemiſiæ & meliſſæ* ana q. ſ. *ol. carvi* gtt. v. F. rotulæ.

Doſ. nu. 6. ad 7. mane in ingreſſu lecti, per octiduum; & antequam menſes prorumpant, etiam iis fluere incipientibus: ſi non benè procedant.

Tabulæ Martiales Dn. D. P.

℞. *Cremoris tartari ♂tiati* ʒß. *croci ♂tis aperitivi* ʒij. *bezoart. miner. ♂tialis* ʒß. *ſuccini alb. præparat.* ʒiß. *ſacch. albiſſ.* ℥vß. cum aqua conveniente q. ſ. Fiant tabulæ, ſeu rotulæ, irrorentur *ol. aniſi* gtt. v. Doſ. n. 6. 7. ad 8. bis in die, per 14. dies ante tempus conſuetum, ut ſupra dictum.

Trochiſci de Borrace Offic.

℞. *Borracis Venet.* ʒß. *ſalis ſuccini volat. extr. ſabinæ* ana ℈viij. *croci ♂tis aperitivi* ℈Iv. *ol. cinamomi* gtt. iv. *ſacch. alb. ſubtiliſſ. pulv. ad pondus omnium.* Cum *mucilag. trag. per aq. conv. fact.* q. ſ. F. ℈iv. plus minuſve. Menſtrua potenter movent.

Eſſentia florum Dn. D. M.

℞. *Fol. pulegii, roriſmarini, flor. cheiri, cyani, calcatrippæ, calendulæ ana* m. j. *anther ſeu ſtaminum, lil. alber.* ʒij. ʒj *caſſiæ ligneæ* ʒij. *croci Hungar.* ℈ivß. Inciſa & contuſa, groſſo modo irrorentur *ol. tartari per deliq. fact.* gtt. aliquot, adde *ſpir. ſecundinæ* ℔iv. ℥viij. Digerantur per aliquot dies, in vitro benè munito, ad totalem fermè extractionem ſpecierum. Poſt filtrentur, & ad uſum ſerventur.

Vires eſſentiæ, Menſtrua retenta promovet, & partum atque ſecundinas facilitat.

Doſ. Cochl. j. ij. & iij. per ſe, vel cum aq. cinamom.

IN FLUXU MENSIUM NIMIO.

Julapium Cnœffelianum gratiſſimum in fluxu immodico menſtruorum.

℞. *Aq. ſpermatis ranar. deſtill.* ℥xii. *mivæ cydoniaceæ aureæ* ℥v. *ſir. ſpermatis ranar. coralliior. an.* ℥ij. *ſpir. meliſſæ citratæ* ℈iv. *🜍ris per campan. fact.* q. ſ. adde *ſedativi noſtri q. ſ.* pro morbi indigentia. In omni ſanguinis profluvio, ſcilicet menſtruorum, lochiorum, hæmorrhoidum, eſt remedium excellens, maximè pro fœminis delicatioribus.

Doſis ℥iij per plures dies, & donec malum ceſſet, datur & bis in die, ſcilicet manè & veſperi cum coralliior. rubr. præp. ʒj. Pro potu ordinario laudatur à multis.

Decoctum Ligni lentiſci.

℞. *Scob. ligni lentiſci* ℥iij. *cort. aurantior. adhuc ſub viridium* ʒvj. *aqu. fontan.* ℔vj. coqu. ad duarum partium conſumptionem; colaturæ adde *ſir. coralliorum, maſtichini, myvæ cydoniatæ aureæ ana* ℥iß. Miſce. Validius redditur, ſi in aqua aliqua ſpecifica deſtillata fiat. Lignum lentiſcinum etiam infundi poterit vino rubro & auſtero, quo maximè viſcera corroborantur.

Electuarium ad fluxum Menſtruorum.

℞. *Conſerv. roſar. antiq. flor. tunic. condit. fr. cynorrhod. ana* ℥j. *cydonior. cort. virid. aurantior. flor. aurant. cond. ana* ʒß. *coralliior. rub. c. ſperniol. præp.* ʒij. *ſedati vi noſt.* gr. v, *confect. alkerm. ſ. m. & a.* ℈v. cum *ſirup. coralliior.* ſ. q. f. electuarium. Vires ex titulo deprehenduntur. Doſ. ʒij. mane & veſperi ſumitur, & per intervalla aliquoties in die, magnitudinis caſtaneæ dimidiæ.

Pulvis Corallatus Offic. Regiæ.

℞. *Coralliorum rub. propria* TRâ *inſuccatur. cort. ovorum cum liqu. ſperm. ranar. præp. ana* ʒß. *cornu foſſilis* ʒij. *pulv. ſperniolæ n. ſimpl.* ℈iij. *gr.* iiij. *eſſent. roſar. ſeu elæoſacch. roſar.* ℈iß. M. fiat pulvis. Fluxum ſanguinis menſtruum, etiam poſt partum laborioſum, nimium ſiſtit. Doſ. ʒj in ∇ appropriata, præſcribebatur à Cl. D. D. C. ſub hac formula.

℞. *Pulv. præſcripti* ℈j. *croci ♂tis aſtringentis, boli inſuccati Cl. Zwelff. ſeu ſpecifici noſtr. dyſenterici an.* gr. xv. *uſneæ humanæ* ℈ß. [ex oſſibus ſcilicet] *ſedativi noſtr.* gr. j.

M. Fiat pulv. pro una Doſi. Sign. pulvis ſpecificus in fluxu nimio menſium.

Topicum externum Vitriolatum.
Dn. D. M. L.

℞. *Vitrioli Hungarici ad albed. phil. calcinati* q. v. *ſpermatis ranar. in cella ſeu alio loco frigido (beneficio alum. & nitri) aſſervati, pro incorporatione ad pultis formam* q. ſ.

Hæc mixtura, linteis cinnabinis incluſis & imbutis, dorſo & lumbis, circum circa uſque ad umbilicum frigidè applicetur. Omnem fluxum ſanguinis, partium inferiorum miraculosè & incantamenti inſtar cohibet: Et eſt certiſſimum experimentum, in contumaciſſimo affectu, reliquis nihil juvantibus, & ubi periculum vitæ imminet.

Laudatur quoque.

Cataplaſma ex Gypſo.

℞. *Gypſi pulveriſati* ℔j. *pulv. nigr. ex oculis nigris ſperm. ranar. rad. conſolidæ pulv. ſang. draconis pulv. balauſtiorum an.* ʒj. *albuminis ovorum*, *(in quo aliquid gummi Arabici & ceraſor. diſſolutum ſit.)* pro incorporatione cataplaſmatis, q. ſ. M. optime.

In extrema neceſſitate, ubi de periculo vitæ agitur, hoc emplaſtrum ſeu cataplaſma, in linteo extenſum, & regioni pupis, & lumborum impoſitum, fluxum nimium ſiſtit menſium. Eſt remedium extremum.

Menſium fluxus immodicus in S. R. P. L. curatus à D. D. A. C.

Ser. Reginam L. M. tunc temporis viduam, à fluxu uteri cruento ſatis feliciter liberavit D. D. C. duabus emulſionibus cum mag. butyr. coralliorum ſub noctem exhibitis: De die vero adhibito croco ♂tis adſtr. cum coralliis, & topico ex fimo porcino.

Emulſio.

℞. *Sem. 4. frig. maj. an.* ʒj. *papaveris albi* ʒß. *decocti hordei* ℥ij. ∇ *ſperm. ranar.* ℥iß. F. emulſio, adde *man. Chriſti perlat.* ʒß. *magiſt. coralliior. rubr. butyracei* ℈j. -o- *roſar.* gutt. aliquot, miſceatur propè. Sign. *Nacht-Milch vor Ihr. Majeſt. die Konigin.*

Pulvis Corallatus ♂.

℞. *Coralliorum rub. præp. magiſt. corall. rub. butyracei an.* ℈ß. gr. v. *croci ♂tis adſt.* ℈ß. *eſſ. citri ſicc.*

ex

ex rec. cort. ext. fact. gr. iij. M. F. pulvis. Sign. *Corallen Pulver alle Tage des Morgens nuchtern.* in vehiculo conſueto *zunehmen.*

Peſſarium.

℞. *Fimi porcini, pulv. ſperniol. ſimpl. ex nigris oculis parati, & proprio mucagine inſuccat.* ana q. ſ. ▽ *aluminis & ⊕-li per aqu. ſperm. ranar. fact.* q. ſ. Fiat maſſa, ex qua cum ſindone rubra fiant peſſaria, competentis magnitudinis, immittantur utero ad reprimendos & adſtringendos menſes valde profluentes ſi nempe venæ cervicis uteri apertæ ſint.

Not. Sunt qui loco fimi porcini aſininum ſibi eligunt, & tam extra quam intus exhibent.

Lotio tibiarum in aqua frigida, aut decocto adſtringente, & hoc conducit.

De reliquo omnia illa remedia, quæ alias in hæmorrhagia nimia hæmorroidum præſcribuntur, & hic (in exceſſu magno menſium) locum habent, præcipuè illa, quæ ex occulta & ſpecifica qualitate fluxui ſanguineo reſiſtere ſolent. Aliquando & ad narcotica devenire licet; in cujus finem commendantur illæ pilulæ, quæ *in Miſcellaneis Medico-Phyſicis Naturæ Curioſorum, Ann. ſecundi obſer. LIII.* à nobis deſcribuntur, quorum delineationem per unam & alteram formulam hic repeto.

℞. *Vſneæ microcoſmi pulv. eboris foſſilis*, ſeu *corallior. rub. prap.* ana ℈j. *opii noſtri correcti*, gr. j. cum *ſir. idoneo.*

F. pilulæ foliato auro obductæ, quæ ſecundo ſemper die (in emulſione aliqua appropriata, ex ſeminibus ſcilicet 4. frig. maj. cum aq. ſpermat. ranar.) à cubitum eunte ſumuntur.

Aliquando & hæc formula placuit.

℞. *Vſneæ cranii humani, vel in aliis oſſibus humanis collectæ* ℈j. *corallior. rub. inſuccatorum pulv. ſperniolæ* ana ℈ß. *ſedativi noſtri* gr. j. miſceantur & cum *ſir. ſperm. ranar. ſeu miva cydoniata* formentur pilulæ. Vſus cum ſuperioribus convenit.

Cubilia & Culcitræ herbaceæ.

℞. *Herb. burſæ paſtoris, artemiſiæ rub. polygoni utriuſque, lyſimachiæ, folior. quercus, muſci quercini, prunor. ſylveſtr.* ana q. ſ.

Ex iſtis herbis & foliis, quæ ubique locorum facilè haberi poſſunt, parantur cubilia & culcitræ, in quibus infirma noctu jacere & quieſcere poteſt.

Amuleta.

Inter alia remedia, hic à viris doctis adducuntur & amuleta quæ collo appenſa ſeu manibus tractata ac cutim corporis attingentia omnem hæmorrhagiam corporis humani ſiſtere creduntur.

Hic verò loquor de amuletis Phyſicis, Medicis, licitis & naturalibus, quæ occulta ſua proprietate, divinitus in prima ſui creatione indita ſemper eodem modo agunt in corpora, quibus applicantur, ſive ſua ſympathiâ, ſive antipathiâ. Magicis & ſuperſtitioſis periaptis, quæ & nos improbamus, & deteſtamur, hic nullus debet eſſe locus.

Præ aliis commendatur à multis Medicis bufo tranſfoſſus, ſole in leone exiſtente exſiccatus, & ſindoni alligatus, ac regioni cordis applicatus, vel brachio ejuſdem lateris. Et hoc erat Cl. Dn. D. A. C. p. m. amuletum ex quo & ſuum parabat *empl. magneticum*, cujus conciliatio ſuo loco inter medicamenta antipeſtifera deſcribitur. A nonnullis celebratur & glomus ex muſco arboreo, ligni quercini ſeu pruni ſylveſtris ſub axillis geſtatus. Præſtantiſſimum amuletum fit ex pulv. bufonum, ſuccino, uſnea humana & ſperniola [ex oculis nigris parat.] cum mucilagine tragacanthæ per aq. ſperm. ranar. facta quod omnem hæmorrhagiam immedicabilem ſubito quaſi cohibere ſolet; Ejus accuratiorem deſcriptionem, inveniet B. L. in *Ephemerid. Naturæ Curioſior. German. anni ſecundi obſ.* 53. *p.* 101. ubi & armillæ, corrallia, poma & tabulæ in eundem uſum pro fœminis deſcribuntur.

APPENDICES.

Circa uſum topicorum ſuperius recitatorum ſequentia etiam ſunt obſervanda.

Primò. Si cruor peccat vitio alieno, vel ob qualitatem vel quantitatem aut materiæ alienationem, tunc temporis aliquantiſper fluor ſinendus eſt, quia conducit & à multis morbis mulieres liberat gravioribus. Si verò vires dejiciat, tunc cohibere oportet prius quidem per revulſiones & derivationes: poſtea medicamentis tam internis quam externis & quidem incraſſantibus & adſtringentibus, & quæ ex ſpecifica qualitate fluxum ſiſtunt & à nobis propoſita ſunt, ubi & tempore curationis, viſcerum corroborationi, & viribus proſpiciendum erit.

Secundò, ne remedia topica nimis aſtringentia, & refrigerantia adhibeantur, priuſquam revulſiones ſufficienter celebratæ fuerint, ne poſtea tumores in utero, aut graviora ſymptomata concitentur; idque conſentientibus aliis medicis inſinuare debui. Revulſiones autem inſtituuntur per ſectiones venarum in partibus ſuperioribus cum impetu, & quidem reiteratis vicibus & digito per vices foramini admoto; tamen cum diſcretione, & præſtat miſſionem ſanguinis partiri, & bis, vel ter repetere, quam copioſiore ſanguinis extractione, vires dejicere. Quod ſi fluxus adhuc perſeveret, vires ſectionem venarum non permittant, ejus loco cucurbitulæ dorſo & regioni hepatis ſunt applicandæ. Quæ & mammis, ſuaſu *Hipp.* 4. *aphor.* 50. applicari poſſunt; quod tamen *Galenus in Comm.* non ipſis mammis, ſed infra ipſas inſtitui vult; ſi etiam difficultas aliqua ſpirandi ſuperveniret, cucurbitulæ ſtatim à mammis removendæ ſunt. Plura alia quæ in hac curatione obſervatu digna ſunt, ab Authoribus recenſentur, nobis ſolum hic materiam medicam tractare libuit.

UVA CRISPA, ſive UVA SPINA, vid. *Groſſulata.*

UVA LUPINA, vid. ſub titulo *Solanum.*

UVA PASSA, De ea vid. ſub titulo *Vitis Viniferæ.* Hic tantùm.

Paſſulæ laxativæ ex *Pharm. Auguſt.*

℞. *Folior. Senæ Alexand.* ℥iiij. *cinnamoni elect. zingiber. an.* ℈iiij. *endiviæ* ℔iiß. *Infunde per hor.* viij. *deinde ebulliant ac leniter exprimantur: huic decocto addantur, ſacch. alb.* ℥iiij. *paſſular. minor. mundat.* ℔j. *atque poſt juſtam coctionem reponantur.*

Eodem modo parantur & Cybebæ & Pruna laxativa noſtris uſitata.

Adſtrictam alvum leniunt fœceſque detentas expellunt. Dantur puerulis delicatulis, & hominibus alias medicinas purgantes reſpuentibus.

Efficaciores ſed minus quidem gratæ, & nonnihil amareſcentes evadunt hæ paſſulæ, aut cybebæ, ſi loco aquæ endiviæ, mucharum roſarum ſumatur.

Paſſulæ laxativæ ſiccæ D. Immanuelis Didymi ex *Pharmac. Auguſt.*

℞. *Paſſularum minor.* ℥j. *radic. eſulæ ppt. radic. hellebori nigri ppt.* ãã ʒij. *Bulliant in* ℔j. *aq. ad medias, colentur, fortiter exprimantur, addendo poſtea pulveris diacrydii* ʒj. *Quæ miſtura paſſularum minorum ſucculentarum & optimè mundatarum* ℥vi. *adfundatur,*

datur, omniaque in patina conteсta prope concutiendo permiſceantur; deinde paſſulæ extendantur in eadem patina, & prope fornacem exſiccentur.

Paſſulæ purgantes ſiccæ ex *Zvvelfero.*

♃. *Paſſular. probè repurgatar.* ℔iß. *macerentur una alterave die in aq. cinnam. vel roſar. fragr.* ℥iiij. *circiter, quod totam abſorbent aquam, propterea ſæpius commovendæ, poſtquam verò leniſſimo in calore parumper ſiccata fuerint conſpergantur pulvere ſequenti, ut potè Diagrydii ſulphur. amygdalis dulcib. probè ſubacti,* ℥iß. *cremor tart.* ℥vi.

His mixtis pulveribus paſſulæ obvolutæ & conſperſæ, leniter & ferè totaliter exſiccentur & ſerventur uſui.

Valide operantur hæ paſſulæ neque ingratæ ſunt palato, cavendum tamen ne iis in affectibus adhibeantur quibus diagridium, vel ſcammonium obeſſe & tormina excitare poteſt. Doſis ℥ß. ad ʒvi.

UVA VULPINA.

Vid. Tabulam XXXI. hic adjectam.

Herba Paris dicta caulibus non ramoſis, unico in ſingulis flore & bacca, determinatè ſive ex una diſtinctione foliatis ab aliis omnibus plantis diſtinguitur.

J. B. Radicem obtinet tenuem, geniculatam, repentem; Caulem mediocriter craſſum, teretem, ſolidum, duos palmos altum, prope terram rubentem, ſuperius viridem: folia duobus cis ſummum caulem digitis quaterna, rarius quina [teneræ antequam haſtam producat terna ſunt], ex anguſto principio lata in acumen deſinentia, rugoſa, & nervoſa, per margines æqualia, internè ſplendentia, supernè non item flos in haſtula ſingularis, ex quatuor latiuſculis, acuminatis, viridantibus foliis inter quorum duo quælibet foliolum tenuiſſimum acutiſſimumque ejuſdem coloris intercedit. Stamina pro foliorum numero octona, longa, acuta, viridia; additamentis croceis [aliàs albentibus] obſita, in medio ſeſſilis baccula quadrangula, & interdum pentagona, atro purpurea, ex cujus umbilico quaterna filamenta ejuſdem cum ea coloris emicant. Semen acino incluſum album, minutum [magnitudine papaverini aut Amaranthi] copioſum. Odor viroſus & ingratus.

In montium, ſylvarum, convallium & frutetorum opacis, ac perinde aliis umbroſis pingui, ac læto reperitur ſolo, ut rectè I. Bauhinus. Aprili menſe è terra exit, & Maio aut Iunio baccam perficit. De hujus *viribus* ſic breviter Schroderus: baccæ & folia refrigerant & ſiccant. Vſus baccarum internus eſt alexipharmacus in peſte, venenatis morbis, veneniſque aſſumptis (ex gr. Arſenico) extrinſecus foliorum uſus eſt in bubonibus peſtilentialibus aliiſque calidis tumoribus, in paronychia, in ulceribus inveteratis.

Plantam hanc non Aconitum credendum eſſe, ſed potius Alexipharmacum probat Lobelius experimento duorum canum, quibus Arſenicum & ſublimatum dederat, quorum alter, cui pulverem Saxonicum exhibuit, convaluit; (hic error adeſt, nam pulvis Saxonicus nihil prorſus Vvæ vulpinæ, ſeu Herbæ paridis continet,) alter, cui nihil dedit, extinctus eſt. Vid. hiſtoriam integram *Adv.* p 103.

An tutum ſit peſtilentialibus morbis applicare narcotica, merito controvertitur, inquit J. Bauhinus. Cap. I. Hofmannus ad fidam experientiam provocat Matthiolus adverſus veneficia commendat, aitque ſe noviſſe quoſdam veneficiis ſemiſtultos factos, hujus plantæ ſemine ad viceſimum uſque diem hauſto drachmæ pondere, priſtinæ ſanitati omnino reſtitutos eſſe, nos contra pronunciamus eos ſemiſtultos vel plane ſtultos eſſe, qui credunt veneficia à ſagis illata [Si tamen intulerint] tolli poſſe per verba, aut ejuſmodi præſtigias.

Quod ad verba attinet & nos Cum Bauhino ſentimus: non videmus tamen Cur herbæ non poſſint corrigere & ſanare morbos, quos Spiritus mali humores corporis depravando intulerint. *Raim.*

Hæc omnia de viribus Vvæ vulpinæ ex Aconito Salutifero, ſeu Herba Parid. enatæ, parum accurata ſunt, & nexum inter ſe non habent.

WINTERANUS CORTEX vid. *Cortex VVinteranus.*

VULNERARIA, ſive *Traumatica Medicamenta.*

Latè patens & uſu commendata eſt materia traumaticorum. Dicimus *Traumatica* in genere, ut latitudinem illam exprimamus & complectamur omnia ſub hoc genere militantia, ſumendo vocem τραύματ@ latius, ut κατ᾽ ἐξοχὴν quidem vulnus, adæquatè tamen omne unitatis ſolutæ vitium ſub ſe contineat. Idque & neceſſarium & convenientius eſſe patet, quod traumatica meritò non ad ſola externa ſint reſtringenda, verum & ad interna, quod hoc pacto omnia illa dicamus, quæ affectis hoc modo partibus debentur, quo ſenſu initio hujus capitis traumaticis generalibus internis & externis agitur; fine & ſequentibus de ſpecialibus, externis puta ſolum.

Vt itaque vulnerariorum generale nomen & uſus eſt ita locum habent, ubicunque integritas partium, in unitate quocunque modo ſolutarum, reſtituenda eſt, ſive vulnera inflicta cæſim & punctim interna & externa, in primis graviora, curanda obveniant; ſive contuſæ partes livorem, inflammationem, gangrænam minitentur, ſive ulcera occurrant varii generis, ſimplicia, ſinuoſa, fiſtuloſa, phthiſica, quorſum abſceſſus quoque varii ſpectant, ſive eroſiones parietum, membranarumque & vaſorum, ventriculi, inteſtinorum, pulmonum, renum in vomitu, ſputo & mictu cruentis; ſeu rupturæ & fracturæ, rupturæ proceſſuum, ligamentorumque & vaſorum, in herniis veris quibuſvis, fracturæ oſſium patentes & latentes.

Verbo impedimenta quæcunque obſtantia auferunt, naturamque in conſolidatione unicè occupatam juvant undè ſi uſus ſpeciales attendamus, velificantur in genere requiſitis neceſſariis (1.) labiorum diſtantium adductioni, (2.) adductorum conſervationi, mediantibus faſciis, fibulis, ſuturis; [3.] ne quid labiis vulneris intercidat, cautioni, & [4.] partis ipſius toni conſervationi, quæ ad omnem vulnerum unitionem requiruntur. Hinc & infixa ipſa, tela, globulos, officula, aliaque natura his adjuta ejicit.

Sin materiam ipſam ſpectemus, ſunt illorum duo quaſi genera ſumma: 1. *ſalina*, & principaliter quidem alcalina, quæ particulis alcalinis; ſalinis cum terreis remixtis pollent, citra morſum deſiccant, præcipitant & abſorbent; adæquatè etiam alia, ut ſaccharum, vinum, urina ipſa. Illorum exempla præbent herbæ traumaticæ dictæ, in quibus alcalinum principium veneratur *Helmontius*, v. g. agrimonia, alchimilla, ariſtolochia, bellis, betonica, cerefolium, conſolida omnis, virga aurea, hedera utraque, herniaria, millefolium, piloſella, plantago, pyrola, ſanicula, ſcabioſa, ſcordium, veronica, vinca pervinca, nicotiana, ophiogloſſum. Ex radicibus, radix ariſtolochiæ rotundæ, ulmariæ, plantaginis, diptamni, gentianæ, rubiæ tinctorum, ſcrophul. primulæ veris, flores balauſtiorum.

Singulæ hæ ſalina gaudent facultate prædominante, detergente, abſtergente & conſolidante. Inprimis verò etiam lapides cancrorum, lapis oſteocollæ, bolus armena, terra ſigillata, antimonium diaphoreticum, lapis hæmatites, pulvis contra caſum, ſaturnina omnia, ut





nia, ut lithargyrium, ceruſſa, minium, lac lunæ, lapis calaminaris, & venerea, pompholyx, æs uſtum, tutia.

2. *Balſamica* & ſulphurea oleoſa, roſcida, unctuoſa & glutinoſa, & ſubſtantiâ & effectu talia; v.g. radix ſymphyti, gentianæ & alia ex dictis, de utroque principio participantia. Ex plantis laudatiſſimum eſt hypericum, totum roſcido reſinoſo balſamo fœtum. Sic lignum ſanctum, ſaſſafras, fraxini, ſemen perfoliatæ, plantaginis, nux moſchata, mumia, ſperma ceti, ſanguis draconis, ſarcocolla, flores ſulphuris, oleum terebinthinæ, tartari fœtidum, balſama omnia quaſi, de Peru de Capaivva, vulnerarium Mindereri, ſulphuris ad extra; eſſentia traumatica Rolfincii, N.O. hyperici, catechu, ſymphyti, mumiæ; extractum agrimoniæ, hyperici, plantaginis, ſcabioſæ huc faciunt.

Horum agendi modum quod ſpectat, facilè is eniteſcit, ſi attendamus & materiam hanc dictorum, & quæ in vulneribus accidant. Cum enim per vulnera quæcunque partes lædantur, ut liquores vitales eaſdem minus vegetare, ibidem recipi & remitti queant, continuo vigore; Hinc conſolidantia & traumatica hæc ſunt, quæcunque eoſdem liquores, ſanguinem & ſerum ad id aptant, ut & ipſi partis clima non deſtituant, aliàs communi vitâ privandum, & ita conſervetur in tono ſuo, ut defectus reſarciri omnis, hiatus ſuppleri, & factâ ſucceſſivâ appoſitione couniri diviſa poſſint, factâ demum plenariâ per callum, vel cicatricem obſignatione.

Hinc ex dictâ diviſione balſamicæ ſulphurea reſpiciunt potiſſimùm ſanguinem, ſeu partes ejus oleoſas, balſamicas, calorem innatum roborant & fovent, gluten carnium juvant & γλισχρὸν neceſſarium ſuggerunt; alcalina verò ſerum ichoreſcens corrigunt, ejuſque ςάσιν & vappeſcentiam prohibent. Utraque putredini reſiſtunt, ſanguinem in ordinem redigunt, tonum ac balſamum conſervant. Hinc & inſignis eorum uſus apparet in ichore ulcerum & vulnerum ſeroſo, *Glied VVaſſer*, ubi ſola conveniunt & potiſſimum partis calorem roborantia.

Hinc & ſpeciatim uſibus illis præſtandis præſtò ſunt, quæ deſiderantur vel concurrunt circa vulnerum curationem, ut coindicantia; quatenus ſimul quædam illorum ſunt quoque ſtyptica, laxitatem pororum concentrantia, exemplo plantaginis nuc. moſch. ulmar. alchimill. agrim. vinc. pervinc. ſanic. &c. ut muniam & alia taceamus; quædam ſunt deterſoria & mundificativa, ut vitriolica, venerea &c. ſaniei, ichori, putrilagini debita; quædam reſolvunt, in apoſtematibus internis variis, & ſanguine extravaſato, à caſu ab alto aliiſque caſibus utilia; ut cerefolium, bellis, millefolium, lapides cancrorum, mumia, ſperma ceti, eſſentia traumatica noſtra &c.

Inter hæc traumatica exempli loco inſervire poſſunt potiones vulnerariæ communiter dictæ, τραυματικώματα, *VVund-Trăncke*. Uſum horum celebrant recentiores reſpectu antiquorum Chirurgi, tum empirici, tum dogmatini, *Guido*, *Vigo*, *Paræus*, *Fallopius*, *Tagaultius*, *Joh. Andr. à Cruce*, *Aquapendens*, *Fernelius* & alii, Sic ſpeciatim *Guido* eas in ulceribus antiquis, fiſtuloſis & cancroſis, nec non in ſanguine congelato, in partibus internis, ac ſanie concretâ in pectore, itemqua in herniis exhibet. *Paræus l.18. cap.28.* obſervaſſe ſe ſcribit, naturam hujuſmodi potionibus adjutam mira non rarò in carioſorum oſſium correctione, in ulcerum conſolidatione, in fractorum oſſium ferruminatione, in nervorum unionis reſtitutione feciſſe. Adde & infixorum telorum expulſioni inſervire, quod ipſi obſervavimus Studioſus globulo plumbeo in pede læſus, cum citra graviorem noxam eximi hic non poſſet, ab infuſo traumatico per aliquot dies ſentiebat manifeſtam ab intrà protruſionem, ut leviſſimâ manu extraheretur. Imò & ad vulnera externarum partium & profundiora uſum horum extendunt, ipſumque etiam externum ad uſum, licet tunc non tam potiones, quàm fotus audire debeant, ſiquidem traumatica cum vino decocta tum vulnera capitis, tum alia curant.

Utut verò unanimi ferè conſenſu autores chirurgici potiones ſeu decocta vulneraria commendent; eas tamen *Balduinus Ronſſeus Epiſt.66.p.226.* rejicit atque contemnit; (1. quod Hippocrates nullam earum faciat mentionem, (2.) quod externis vulneribus externa tantum competant glutinantia, cum diſtantiora ſint, quàm ut eò dictæ potiones penetrare valeant; (3.) quod denique pro vulneratarum partium varietate traumatica etiam remedia varianda ſint, non unum potionis genus indiſcriminatim omnibus adhibendum. Undè concedit ſolùm, in ulceribus gulæ: ventriculi & inteſtinorum ea exhiberi poſſe, & læſis gulâ atque ventriculo per os aſſumenda decocta talia: inteſtinis autem affectis, per anum injicienda eſſe, verùm in aliarum partium vulneribus nihil utilitatis afferre ſibi perſuadet.

Infirmiora ſanè hæc argumenta ſunt, quàm ut evincant aliquid. Neque enim [1.] ſequitur, ſi Hippocrates nullam facit mentionem potionum vulnerariarum, ergò non ſunt adhibendæ; cùm notum ſit, multa priſtinis ſeculis incognita fuiſſe, quæ poſterioribus innotuêre, longô uſû & experientiâ; ut taceamus plura fuiſſe ipſis ipſis in uſu, quæ poſteris non æque nota ſunt. [2.] Falſa eſt hypotheſis, externis externa tantùm competere, tùm alia, tùm traumativa. Sæpè in praxi occurrunt, qui ob ſanguinem acrem Scorbuticum vulnera, etiam levia, longa & minus curabilia ſentiunt. Traumatica vero & ſuo loco faciunt ad intemperatum ſanguinem alterandum, vitioſum depurandum, concretum diſſolvendum, putredinem inhibendam: & ut character balſamicus conſolidativus eidem inducatur; quô factô ipſa poſtmodum curatio eo feliciùs & faciliùs ſuccedit, cum ſanguis & ſerum futuræ σαρκώσεως & κολλήσεως ſit materia. Quare, licèt potiones vulnerariæ non ſuâ ſubſtantia & corpore ad vulnera & ulcera pertingant, atque ita immediatè prodeſſe queant, eò tamen virtute ſuâ penetrant, & mediante ſanguine, cujus curam gerunt, plurimum conducunt.

Notandum tamen eſt, potiones vulnerarias in uſum potiſſimum non tractas, quòd non niſi ſimplicior præparatio illis ſeculis innotuerit, eſſe tamen & illam ſatis hodiernam ſelectoribus proſtantibus, uſitatam, modò cautelæ adhibeantur, quæ omnes innituntur aquoſitati & cruditati conjunctæ, ne indè vel pars affecta imprimis, quæ ſicciora amat, vel ventriculus lædantur.

Quemadmodum autem certum eſt & conſtans fidumque aſſertum, vulneraria pro interno uſu ad externam curationem plurimum prodeſſe, quò nomine expertiſſimam deprehendimus eſſentiam traumaticam, in *Tr. de terra Japponicâ Hagendornii* deſcriptam, ut lapides cancrorum vel ſolos cum ſucceſſu uſurpatos taceamus; Ita alterum illud certum quoque eſt, traumatica varianda eſſe pro ratione affectuum & effectuum. Illorum ratione, quòd variet contuſio ab ulcere, utraque à vulnere ſimplici, à fracturâ, quin vulnus à vulnere, ulcus ab ulcere diſtat. Variant ratione locorum affectorum; variant ratione materiæ ipſius dictorum traumaticorum.

Hinc traumatica alia ſunt generalia, alia ſpecialia; tùm ſimplicia, tum inter ſe nupta, undè ſelectu opus eſt. Sic v.g. in vulneribus capitis uſitatiſſima præ reliquis eſt betonica undè & emplaſtrum de betonicâ unicè tunc expetitur; ſcabioſa, veronica, ſymphytum, bugula, veronica pulmoni magis favent, undè in phthiſi optima, & aliàs quoque pectoralia cum traumaticis, ut v.g. elixir pectorale cum eſſentia traumatica mixtum, agrimonia magis hepate affecto & renibus], v.g. in mictu cruento & gonorrhœâ etiam virulentâ, laudem meretur, quo caſu optima,

optima ſunt traumatica illa decocta.

Hæc in genere tùm de traumaticis ipſis, tùm de uſu interno dicta ſuntque. Ejuſdem commatis verò ſunt & ſarcotica, glutinantia & epulotica, de quibus ſuô locô. WEDELIUS.

Vulneraria ſpecifica ex Andreâ CNOFFELIO.

Oleum anodynum refrigerans.

℞. *Ol. ſpermatis ranar. lumbricorum, ex ſucco cancror. ana* ℔ß. *medullæ crurum boum* ℥iv. His mixtis immergantur *fol. hyoſcyami, ſolani, ſempervivi ana* ℥iß. *flor. nymphææ. verbaſci, ſambuci, roſar. ana* ℥ij. Digerantur aliquandiu, poſtea coquantur leniter, & ad humiditatis exhalationem; colentur: poſt exprimantur fortiter. Omnes dolores calidos mitigat; In febribus ardentibus, ſpina dorſi eô inungenda eſt. Ex hoc oleo fit

Unguentum refrigerans.

℞. *Olei anodyni antea præſcripti* ℥iv. *ceræ albæ* ℥j. quibus invicem liquatis ſub continua agitatione adde *Aq. ꝟ ꝑar odor.* ʒvj. in qua prius diſſol. ſit *anodyni mineralis* ℈ij. *ſpermatis ceti rec.* ʒvj. *camphoræ* ℈ij. Fiat l. a. unguentum refrigerans, quod potenter ſiſtit omnes inflammationes; Efficaciſſimum eſt ad combuſtiones, dolores podagricos, & ulcera dolorifera maximè antiqua.

In doloribus renum & inguinum à cauſa calida & inflammatione ortis egregiè conducit.

Unguentum auratum, in ſcabie & alopecia leproſa, remedium certum.

℞. *Balſ. 🜍ris terebinth.* ℥iß. ☍ ♀ri *fœtidi rectif. cum* ♄ ℥ß. *flor.* 🜍*ris* ʒij. *ſulph. aurati ex ſcor. Reguli* ♁ ij. ʒj. ℈j. *mercurii dulcis* gr. xxiv. M fiatque linimentum.

Præmiſſis præmittendis, loca ſcabioſa, bis in die inungenda ſunt. Tollit & pſoram, & in alopecia leproſa remedium eſt ſingulare & ſæpius probatum.

Balſamum Samaritanum.

℞. *Olei olivarum crud.* ℔iß. *rectif. per cineres* ℔ß. *herb. memord. ophiogloſſæ ana* ɱj. *balſaminæ, millefolii ana* ɱß. *flor. hypericonis* ɱij. *verbaſci*, ɱj. Macerentur per octiduum. poſt adde *Tinct. flor. hypericon. per vinum odor. fact.* ℔ß. Bulliant deinde in duplici vaſe opt. clauſo. ad conſumpt. vini. Poſt colaturam exprimantur ſpecies fortiter; oleo expreſſo ſurſum infunde *Flor. hypericonis* ɱij. *momordicæ* ɱj. *balſami Indici* ℥ij. *crudi de Botin.* ℥iv. Digerantur denuo in MB. vitro benè clauſo, poſtea exprimantur iterum, & balſamum ita conciliatum uſui aſſervetur. Balſamum eſt præſtantiſſimum, quod omnia vulnera inflicta breviſſimo tempore ſanat, agglutinat & conjungit abſque ſuppuratione, etiam diſſolutum reparat, carnem renovat & ab omnibus aliis ſymptomatibus defendit

Balſamum Saturni, aliàs butyrum Saturni D. D. Craft.

℞. *Olei anodyni refrigerantis* ℥iij. *ſacch. Saturni cryſtalliſati* ℥ß. *aceti roſacei q. ſ.* Redigantur in mortario plumbeo, ſeu, patina ſtannea, agitando in butyri conſiſtentiam adde *ol. ſtil. ver. roſarum gtt.* ij.

Omnibus inflammationibus, ambuſtis, eryſipelati, multiſque aliis convenit, eſt enim unguentum nobile refrigerans.

Empl. Samaritanum vulnerarium domeſticum.

℞. *Olei ſeu balſami Samaritani* ℔ij. *lithargyrii pulv.* ℔iß. Coqu. lento igne, ſpatula fraxinea ſemper agitando ad empl. conſiſtentiam, cui ſtatim adde, prius liquefact. *ceræ* ℔j. *Terebinthinæ Venet.* ℥iv. *ol. lauri* ℥iß. In quibus diſſolutum (ſcilicet in Terebinth. ſeu oleo) *gummi elemi* ʒx. poſt immiſceantur & pedetentim, ſub continua agitatione, *gumm. purgat.* ✱*i, oppanacis, galbani ana* ℥ij. ſoluta priùs in *phlegmate* 🜕*li, ad pultis formam q. ſ.* tandem add. *ariſtoloch. Odæ, & longæ an.* ℥iij. *maſticis & olibani ana* ℥ij. *myrrhæ* ℥j. *camphoræ diſſolutæ,* (*in balſam. de Peru*) *ad pulticulæ formam q. ſ.* ℥ß. Fiat, omnibus exactè mixtis & copulatis, [cum piſtillo, ex ligno fraxineo] emplaſtrum univerſale omnibus vulneribus, antiquis & recentibus conducibile, quod breviſſimo tempore conglutinat, ſanat, & ab omnibus ſymptomatibus defendit, & quidem abſque alio remedio balſamico adhibito.

Empl. veſicatorium Cnœffelianum.

℞. *Axung. urſi, leporis ana* ℥ß. *ceræ citrinæ,* ℥iß. *cantharid. pulver.* ℥ß. *cinab. præparat.* ʒj *euphorbii* ʒij. *camphoræ* ℈ij. Fiat maſſa emplaſtri, cujus ℥j. vel ℥iß. & ℥iiß extenditur ſuper alutam, ad loca à Medico monſtrata.

Emplaſtr. ad fracturas oſſium Illuſtriſſ. Domini Adergaſt, Præfecti ſtabuli S. R. M.

℞. *Ol. olivarum* ɱij. *lithargyrii pulver.* ℔j. Coquantur ac conſiſtentiam ceratí. Adde in alia patella prius liquefact *ceræ* ℥iv. *reſinæ* ℥iij. Quibus omnibus exactè mixtis ſuperinſpergantur ſequentes pulveres, utpote.

Rad. conſolid. maj. pulver. boli Armenæ ſubtil. pulv. an. ℥viij. *farinæ fabarum* ℥ij. *mumiæ Ægyptiacæ, tragacanthæ ana* ℥j.

Miſceantur omnia exactè, fiatque emplaſtrum juſtæ conſiſtentiæ.

Vires hujus emplaſtri ſunt inſignes, ad fracturas oſſium ſanandas; Eorum enim coalitum promovet, callum, quo ſemel agglutinantur, auget, inſuper fovet calorem partis nativum, genus nervoſum roborat, & humorum fluxiones ſiſtit, partibus vero prius reductis & ligaturis, feruliſque idoneis probè adjunctis. Commendatur in herniis quoque ſanandis, & in doloribus podagricis placandis: quemadmodum Seren. Majeſtas JOH. CASIMIRUS, p. m. Rex Pol. hujus emplaſtri auxilio ſæpius reſtitutus eſt.

Pulvis pro cataplaſmate ad fracturas & luxationes oſſium. [German. *Darband.*]

℞. *Rad. conſolidæ majoris* ℥iij. *ulmariæ, farinæ fabarum volatilis ana* ℥j. *boli Armenæ* ▽ 🜕*li dulcis, flor. oſteocollæ ana* ℥ß. ʒij. *ſacchari* ♄*ni* ℈iv. *pulv. ſimplicis ex ſpermate ranarum* ℥ß.

M. fiat pulvis ſubtiliſſimus.

Uſus hujus pulveris: ℞. *Pulveris præſcripti* ℥ij. vel iij. *albuminis ovi in ſpumam agitatione redacti* q. ſ. ad incorporandum, & fiat cum ſtupa ✝to madida cataplaſma frigidè applicandum membro luxato. In ſanandis oſſium fracturis ejuſdem virtutis eſt cum emplaſtro ſuperius deſcripto: omnes namque fluxiones ad partem affectam impedit, & ne humores affluxi corrumpantur, cavet. Neceſſe eſt, ut hoc cataplaſma per ſeptem vel octo dies cum adhibita ligatura in parte affecta relinquatur, donec ægrotus perſentiat ſe melius habere. Plura vide apud authores, qui chirurgiam tractant.

Poſtquam de Medicamentis Vulnerariis in genere ex Clariſſ. WEDELIO; *deque quibuſdam inter*

inter ea Specificis ex Andrea CNOFFELIO hactenus egimus; Lectori nihil ingratum forſam fecerimus, ſi ipſi etiam de Herbis Vulnerariis, ſeu Traumaticis apud Nos alioſque ſanè multos non parum uſualibus, de quo earumdem variis præparationibus ac effectu ex propria experientia aliquid addamus.

Herbæ Traumaticæ apud nos familiares ſunt, Alchimilla, ſeu Pes Leonis, Sanicula fæmina, ſeu Helleborus niger Saniculæ folio, Bugula repens, Pyrola utraque ac præcipuè major, Veronica montana; Virga aurea eique affinis Conſolida Sarracenica, & Angelica montana, quibus quandoque adducuntur Vinca Pervinca, Conſolida, minima, ſeu Prunella, Pulmonariæ variæ, Betonica, Lingua cervina, & flores Hyperici, verùm ſeptem plantæ primo enumeratæ propriè & præcipuè conſtituunt herbas quas vulnerarias nuncupamus, quaſque eo nomine uſurpamus, & non paucis inter exteros uſurpandas mittimus; aliæ verò in caſibus quibusdam ſpecialibus, nunc ſcilicet hæc, nunc illa, ſuperadjiciuntur.

Quò autem pateat effectuum quibus ejuſmodi plantarum congeries prædita reperitur ratio, aliquid dicendum venit de principiis unde illi deducuntur, quapropter ſolidis experimentis innixi affirmamus eas non parum continere ſucci cujuſpiam verè glutinoſi ac balſamici partibus enutriendis ac conſolidandis verè apti, & præterea ſal alkali poſſidere indolis aliquatenus ſtypticæ, ac propterea naturæ mixtæ ipſiſque admodum ſpecificæ, quo mediante non tantùm ſero excludendo vias referunt, ſed etiam fibris partium per quas prædictum ſerum extruditur, novum robur addunt. Volatiliores particulas quod attinet, parcè admodum eas poſſident, ſi Angelicam exceperis quæ inter alias non eſt ſanè nobiliſſima. Hoc autem per tranſennam dictum fuerit contra eorum præconceptam opinionem qui vulnerarias noſtras coquere pertimeſcunt, eaſque in infuſo tantùm parandas volunt, ne ſcilicet pars volatilior abeat: Etenim dum conſervandæ qualitati non parum chymerice allaborant, negligunt interim quod præcipuum eſt, ſcilicet unctuoſitatem balſamicam ac ſal illud naturæ mixtæ de quo mox; quæ ſanè coctionis paululum protractæ vi ab iis educuntur, dum modò in vaſis probè coopertis hæc perficiatur.

Ex iis quæ mox enarrata ſunt ſatis patet plantas noſtras vulnerarias, 1. ratione ſalis ſui, in ſuccis coagulatis diſſolvendis; purulentia in carnes vel viſcera effuſa detergenda; fibriſque harumce partium corroborandis verè efficaces eſſe. 2. ratione glutinoſitatis balſamicæ, ulceribus ac vulneribus conſolidandis; ſalibus præterea acrioribus & corrodentibus ulcerationes conficientibus & conſervantibus, ſopiendis ac mortificandis; ſanguiniſque conſiſtentiæ reſtituendæ, aptas eſſe. Uno verbo, eas privilegio quodam non parum ſpeciali duobus principiis deſcriptis manante, duas actiones aliquatenus oppoſitas de ſe promere debere, diſſolutionem nimirum illius & quod præter naturam coagulatum fuerit, & inſpiſſationem ſeu condenſationem illius quod ultra modum, rarefactum ac ſubtiliatum fit, adeout ſi in ſuperbioribus illis panacearum nominibus verſari geſtiremus majori ſuo merito plantæ noſtræ iis inſigniri ac pro talibus obtrudi potuerint, quam non paucæ compoſitiones ac præparationes Chymicæ quas quidam Autores de ſe & operibus ſuis magnificenter ſentientes magno faſtu oggerunt, nam utrumque morbidum principium ſecundum recentiores quoſdam alkali ſcilicet & acidum extra modum evectum, oppugnant: Ac etiam condenſando & rarefaciendo in variis caſibus, quicquid requirebant Methodici veteres, ut & quidam inter recentiores verè nobiles Medici, abſolutè complent. Sicque in omnibus morbis facere debent. Verum animo omni præjudicio verè libero rem intueamur, & inde patebit, pauca admodum medicamenta nobis occurrere quorum effectus ſint univerſaliores quàm qui ab hiſce plantis emanant, præcipuos autem quos experientia plurium annorum nos docuit, ut & methodum ſecundùm quam in variis caſibus præparantur jam deſcribamus.

Nobiliſſimi ſunt affectus in febribus lentis ac phthiſica diſpoſitione, ſi modò præmiſſis præmittendis, nec neglectis aliis auxiliis diutius uſurpentur matutinis horis juſculo è pullis gallinaceis, vel alii tenuiori abundè coctæ, aut etiam earundem decoctum ſaturatius lacti in aſinino, caprino vel vaccino ad medias admiſtum ægris propinetur, quod præterea decoctum in emulſionibus è ſeminibus frigidis & piſtaciis recentioribus extrahendis ac veſperi iiſdem ægris exhibendis commodè impenditur. Adnotandum autem quod pro decocto herbæ ſiccæ ſunt aptiores, pro juſculis verò eædem recentes & virides.

In ulcerationibus partium corporis externarum, item in ulcerationibus oris & narium ſucco ex iiſdem plantis viribus expreſſo, aut viridium tempore brumali defectu, ſiccarum decocto ſaturatiori cum fructu utor, alterutrum ſcilicet, ſed præcipuè ſuccum, dum proſtat ſubinde applicando & iniiciendo. Inter prænemoratas autem ulcerationes, profundiores quaſdam in naſo cum oſſis vomeris non parva deperditione, palati itidem grandiores, ut & pectoris fiſtuloſas, per intus & extus adhibitum medicamentum non ſemel vidi curatas.

In Diarrhæis ac Dyſenteriis ſpecificum præbent remedium, ſi non tantum vino rubro, ſi abſit febris, vel aquæ aut juſculo, ſi eadem adſit, incoctæ propinentur; ſed etiam earundem ſucco aut ſaltem decocto ad modum enematum injecto, inteſtina ſubinde proluantur.

In ulcerationibus oris, palati, faucium, inteſtinorum &c. mox memoratis non terminatur earum virtus, ſiquidem etiam extenditur ad renum, veſicæ, colli uteri ulcerationes. Verum in hiſce omnibus caſibus per longum tempus continuandus venit earum uſus, adhibendo itidem injectiones quotieſcunque ad partem affectam progredi illæ poſſunt. In œſophagi ulcerationibus ac illa tracheæ ulceroſa affectione quæ raucedines pertinaces & moleſtas procreat, non tantùm juſcula, aut decocta ex vulnerariis herbis parata propino, & eclegmata ex ſucco earundem cum neceſſariis additionibus confecta præbeo. Sed præterea fumus ex earundem decocto ferventiori ex vini rubri ac aqua anaticis partibus parato evectus per infundibulum in fauces frequentiùs excipiatur quàm maximè curo.

In vulneribus recentibus poſt primò adhibita ea quæ, ſi neceſſarium fuerit hæmorrhagiam comprimere valent partem vulneratam ſucco, aut validiori decocto harumce herbarum, quotieſcunque ea deligatur, perluo, eundemque præterea ſuccum, pauco melli admiſtum ac plumaceolis exceptum prædictis vulneribus, imò & ulceribus applicandum jubeo, non neglecto interim uſu interno ex vino, dum febris abeſt, vel ex aqua, aut hydromelite ex quo ea advenerit.

In caſibus ab alto, ac corporis generalioribus contuſionibus illas continuo poſt venæ ſectionem larga manu celebratam ex vino propino, tanquam remedium quod apprimè ſanguinis coagulationi inde enaſcendæ occurrat, quodque ſymptomata magis aut minus pro majori aut minori partium affectarum dignitate, atrocia commodè prævertat.

In ſuppreſſionibus menſium, ut & in fluore mulierum

rum albo utiliter intus ex vino aſſumuntur; ſed præterea reſpectu fluoris albi adjicienda veniunt injectiones, ut & vapores ex earumdem decocto ferventi elevati. Hic ſubnectam rem obſervatione omnino dignam, quod ſcilicet non ſecus ac aquæ Spadanæ à Celeberr. Henrico ab Heers pro menſibus in exceſſu ac in defectu peccantibus æquè prædicantur, aſſerere itidem poſſum quod noſtrum hoc medicamentum in ſuppreſſis menſtruis provocandis, ac iiſdem nimiis moderandis verè efficax reperiatur, fœtuique ad juſtum terminum in utero conſervando non parum faciat in iis quæ per matricis hæmorrhagias abortiunt. Verum in hocce ultimo caſu ſelectus aliquis requiritur removendo ſcilicet & virgam auream & angelicam, reliquaſque tantum quinque cum prunellâ & vincâ pervincâ uſurpando.

Atque hæc de noſtris herbis traumaticis ſufficiant donec experientia nos alia in eodem argumento rurſus edoceat.

VULNERARIA HERBA, ſeu *Vulneraria Pratenſis*.

Nomina Anthyllis leguminoſa *Ger.* leguminoſa vulgaris *Parkins.* Loto affinis vulneraria pratenſis *Caſp. Bauh.* vulneraria ruſtica *Ioh. Bauh.*

Notiſſima eſt hæc planta & in omnibus prope pratis ſatis abundè occurrens. Quidam illam Capogallinaceum vocant, quia ſcilicet flores ſubflavos in ſummis caulibus gerit non abſimiles cucullis illis quos quædam gallinæ ſuper capite gerunt. Reputatur autem vulneraria inſignis cujus flores olivo infuſi præſtans in vulneribus recentibus præbeant medicamentum.

VULPES.

Circa hujus animalis deſcriptionem vid. quæ ſub titulo *Canis*.

Hic itaque tantum de partibus Vulpis officinalibus ex *Schrodero*.

Officin. Nat. ex *Vulpe*.

1. *Pinguedo.* 2. *Pulmo.* 3. *Iecur.* 4. *Fel.* 5. *Lien.* 6. *Pellis.* 7. *Sanguis.* 8. *Integra Vulpes* 9. *Stercus.*

Vires.

1. *Pinguedo* auxilio eſt convulſionibus, contracturis, tremoribus, &c. [*illita;*] aurium doloribus, vulneribus capitis & alopeciis.

(Lingua pro acuendo viſu appenditur.)

2. *Pulmo* conſolidat, abſtergit; hinc valet ad vitia pulmonum & anguſtiam pectoris, (*exiccatus ſaltem & combuſtus.*)

3. *Iecur.* Hepaticis & Spleneticis confert, (*ſimili modo ut pulmo adhibitum.*)

4. *Fel*, Oculorum Pterygio ſuccurrit [*illitum.*]

5. *Lien*, Lienis duritiei ac tumori medetur, [*impoſitum.*]

6. *Pellis piloſa* membris refrigeratis ac articulis morbo infeſtatis feliciter imponitur.

7. *Sanguis* arefactus & tritus calculo Renum & Veſicæ medetur: idem felicius præſtare perhibetur ſanguis recens, *potus ad cyath. ſcilicet vel abdomini, pubi, inguinibus ac renibus illitus.*

8. *Vulpes integra, vel caro ejus combuſta*, ad vitia pectoris commendatur.

Vulpes in aqua vel oleo optimè cocta, nervinis affectibus, ideoque contracturis ac doloribus articulor. medetur [*ſi locus affectus eo lavetur.*]

9. *Stercus.* ſcabritiem cutis ſanat [*cum ✠ illitum.*]

PRÆPARATA.

1. *Ol. Vulpinum v. Diſpenſ.*
2. *Loch de Pulmone Vulpis. Vid. Diſpenſ.*
3. *Pulmo præparatus ſ. lotus & exiccatus.*

[4. *Parari etiam poteſt Extractum pulmonis.* Schroderus.

Vulpes) Hujus *pinguedo* in affectibus nervoſi generis commendatur, convulſionibus ſcilicet, contracturis, tremoribus &c. Hac ſi mulierum calceos vel induſium inungas, canes illas permingunt. *Lingua* ejus maximè commendatur Menſe Martio exciſa ex viva vel modo occiſa vulpe & exſiccata, atque uſus tempore in vino macerata vulnerique calida admota extrahit omnia; etiam ex profundis partibus *D. Victor Schneiderus* ægroto cuidam, cui Pulmo globulo tormentario laceratus, & frequenti ſanguinis expuitione fruſta pulmonis ejecit, Medicamentum conficiendum curavit ex pulmone vulpis cruento adhuc & recenti ſtatim ex vulpe exempto, qui in aqua ſymphyti leniter coctus fuit, deinde minutiſſimè conciſſus, cui admixta fuere conſerva radic. ſymphyti, amili & in primis ſarcocolla purgata lota & lacte muliebri nutrita. Quo feliciſſimo cum ſucceſſu uſus fuit. Et nulla ferè datur Aqua antiphthiſica aut Aſthmatica quam pulmones vulpis non ingrediantur.

Teſtes vulpis exſiccati venerem ſtimulant intus aſſumpti. *Hofmannus.*

VULTUR,

Notæ *Vulturum* Characteriſticæ ſunt, 1. quod magnitudine aquilis pares ſint, aut etiam majores 2. quod roſtrum eis non confeſtim atque ubi à fronte enaſcitur, in hamum curvetur, verum poſt duorum digitorum (ſeu medii palmi continuam rectitudinem, quod Geſnerus in pluribus vulturum ſpeciebus ſeſe obſervaſſe ſcribit. 4. quod eximiam præ cæteris omnibus Avibus odorandi ſagacitatem obtineant, adeòut Cadaverum putorem è longinquo percipiant 5. Cadaveribus ſolis contentos eſſe & à viventium raptu & lanienâ abſtinere veteres præcipuè tradunt Bellonius, Geſnerus aliique à recentioribus eas vivas volucres inſectari, agnos, hædos, lepores, hinnulos, &c. Rapere affirmant. 6. Collum fere implume habere. Bellonius aſſerit inter reliquas rapaces atque recurvis unguibus præditas aves vultures turmatim volare, quorum magnas turmas & in ſingulis non pauciores quinquagenis obſervauit cum è Cairo in montem Sinai proficiſceretur, hinc falſitatis arguitur obſervatum illud Ariſtotelis γαμψώνυχον οὐδὲν ἀγελαῖον. 7. quod crura tota ad pedes uſque plumoſa ſint, quâ notâ eos ab aliis raptu viventibus diſtingui exiſtimat Bellonius. Verum id nec omnibus vulturibus commune eſt, nec vulturino generi proprium, cum & aquilis quibuſdam competat. 8. quod ſub gutture ſpatium habeat palmi latitudine non tam plumis quam pilis, qui vitulinis ſimillimi ſunt veſtitum. Hoc verum comperimus in vulture quem in ornithotrophio regio in Vivario S. Iacobi dicto enutritum vidimus, ingluvies ante ventrem velut ſacculus propendeat; quod in gypaeto dicto Venetiis obſervavimus. 10. Marem fæmina præter morem aliarum rapacium, magnitudine non ſuperat. 11. Alarum incumbens corpori pars leni tota vellere, quod ſoli inter rapaces peculiare, integitur. Quæ de vulturum generatione traduntur quod ſci. Mares inter eos non reperiantur; quod fæminæ vento impleantur, nec ova ſed vivos pullos pariant, &c. frivola omnino ſunt & falſa vix memoratu nedum refutatu digna, ex notis hactenus recenſitis maxime propria & vulturis characteriſtica mihi eſſe videtur, collum implume habere. Duò certè illi quos ſolos nobis hactenus videre contigit, non colla tantum, ſed & capita plumis deſtituta, & molli duntaxat brevique lanugine alba intecta habuere. *VVillughbeius.*

Officicin.

OFFICIN. NAT. ex VULTURE.

1. *Caro.* 2. *Pinguedo.* 3. *Cerebrum.* 4. *Fel.* 5. *Penna.* 6. *Fimus.*

Vires.

1. *Caro* convenire judicatur affectibus capitis, Epilepſiæ, Hemicraniæ, & ſimil. Decoctum cutis vitia ſanare perhibetur.

2. *Pinguedo* convenit nervis.

3. *Cerebrum* ſubvenit capitis imbecillitati, [*illitum vel naribus inditum*]

4. *Fel*, Epilepſiam arcere dicitur, [*aſſumptum cum vino.*]

5. *Penna*, de pennis nugantur ſi pedibus ſubdantur, quòd partum potenter promoveant.

6. *Fimus*, nidore partum excutit. SCHRODÆRUS.

VULVARIA.

Vulvaria, ſeu *Atriplex fœtida*, planta eſt eapropter ſic nuncupata quòd fœtore ſuô urinoſô animalium quaſi vulvam redoleat. Deſcriptionem autem peculiarem non meretur, ſiquidem cum aliis atriplicibus propriô locô deſcriptis omnino convenit, niſi quòd iis ſit multò minor ac odore ſe diſtinguat. Ex illâ melli incoctâ medicamentum paratur quod Dn. Charras Mel vulvariæ vocat, quodque in uterinis affectibus ſummopere commendat, ſi modò in clyſteriis diſſolutum injiciatur, aut aliàs etiam uſurpetur.

LIBER XXI.

Continens ea quæ incipiunt à Litera

X.

XANTHIUM, vid. *Bardana.*

XILALOE, vid *Agallochum.*

XILOBALSAMUM, vid *Balſamum.*

XILOCASSIA, vid. *Caſſia lignea.*

XILUM.

GOſſipium ſeu Xylon duplex eſt arboreum & herbaceum. Teophraſtum lanigeræ arboris in Tylo inſula naſcentis nomine arboreum intellexiſſe veriſimile eſt, ut & Plinium. Erraſſe ergo videntur Botanici nonnulli ipſi, dum Plinium & Theophraſtum erroris inſimulant quaſi Xylon herbaceum peregrinam & incognitam ſibi ſtirpem pro arbore habuerint. Horum ſententias vide apud J Bauhinum.

Xylon recentioribus bombax & cotoneum dictum eſt, ut Ruellio videtur à mali cotonei ſimilitudine. Cæterum xylon tum foliis, tum etiam flore Alceam Indicam dictam refert; vaſculo ſeminali interna tantum loculamenta diviſa & molliſſima lanugine candida ſeminibus interna, ixta aut adhærente repleto.

Vires & Uſus. Quod ad uſum attinet, nullum lini genus eſt quod huic candore & mollitie præferatur (inquit Jo. Bauhinus) quanquam firmitatis in eo parum eſſe videatur. Hallucinantur autem nonnulli putantes bombacem arte dealbari, nam naturâ candidiſſima cum lavatur non accipit (quod nec poteſt accipere) aliquid albedinis, ſed e contra amittit magnam partem nivei candoris, ſecus quam linum quod quò ſæpius lavas eò candidius efficis.

E cotone autem camiſiæ, femoralia, aliæque veſtes fiunt; eaque lanugine paſſim hodie utuntur ad farciendas veſtes fovendi caloris ergo.

Quod ad uſum in Medicina attinet uſta ſiſtit ſanguinis profluvia & præſertim in vulneribus. Seminis medulla tuſſientibus & difficulter ſpirantibus mirificè auxiliatur. Genituram quoque auget, proinde venerem ſtimulat. Oleum è ſeminis medulla expreſſum lentigines, alphos & cæteras cutis infectiones delet, palpebrarum quoque aſperitates lenit. Lanugo accenſa, & naribus ſubdita uteri ſtrangulatus avertit.

Ægyptii lanugine Xyli arborei [nam herbaceum apud ipſos non ſeritur] utuntur, linearum peciarum loco quibus noſtri tantùm utuntur ad ulcera vulneraque omnia ſananda. Adhibetur & ipſa, ut noſtri faciunt ad fluentem ſanguinem ſiſtendum. Seminis quoque mucilagine uſus frequentiſſimus ad omnes febres ardentes, atque venena eroſionem ventriculo & inteſtinis inferentia. Ad tuſſientes ex acrium ſalſorumque humorum deſtillationibus plurimus apud eos uſus.

Semina in xylo herbaceo nobis obſervata ſtrobilis multo erant minora, & ordine è poſita; non tamen cohærentia, neque nigra, ut in xylo Braſiliano.

Folia trita & cum lacte vaccæ mixta in unctione capitis adhibita ſomnum conciliant, atque eodem etiam modo ſedant dolorem capitis ac ejus vertiginem. Fructus triti, & in aqua epoti fluxui dyſenterico ſiſtendo conferunt ſerviuntque pro ſulcis oris. RAIUS.

XIPHIUM, vid *Gladiolus.*

XYRIS.

Nomina. Xyris *Ger.* Xyris ſive Spatula fœtida *Park.* Spatula fœtida, pleriſque Xyris *J.B.* Xyris J. ſive Gladiolus fœtidus *C.B.*

J. B.

Radix incurva Dod. in novellis plantis rotunda, & veluti bulbi aut cepæ alicujus caput, è qua fibræ dependent craſſiuſculæ, veteribus & multorum annorum plantis multæ, longæ, geniculatæ ſibi invicem implicatæ, magnum veluti ceſpitem conſtituentes. Denique ut formâ ita & acrimoniâ intenſa ad Iridem accedit. Folia multa cubitalia & ſeſquicubitalia, in cultratum mucronem deſinunt, anguſtiora quàm vulgaris iridis, atro virore ſplendentia, fœtidum cimicum odorem attritu obolentia: inter hæc caules plures, glabri, craſſitie mediocri, per media folia recti aſſurgunt quorum ſinguli canaliculato calici inſidentem ferunt florem iridis, ſed minorem novem foliis conſtantem, quorum tribus repandis ex purpura obſoleta albicantibus virgatis, nulla fimbria villoſa donatis, terno modico intervallo impoſita, fuliginoſo colore, bifida, ligulas concolores occultantia: reliqua tria modice erecta, ab exortu ad medium uſque circiter fuſca, deinde ex albido leviter purpuraſcentia Floribus ſuccedunt ſiliquæ oblongæ, vel [ut ait Cordus] Iridis Sylv. ſimiles utriculi, ſed paullo majores & triquetri, quæ per maturitatem pæoniæ inſtar dehiſcentes ſemen oſtendunt rotundum rubrum, minoris piſi magnitudine, guſtu fervido

Ad ſepes & in dumetis apud nos provenit, ſed rarius, obſervavimus cum Lobelio & ad litoreos maris aggeres: paſſim Monſpelii locis ſimilibus invenitur.

Vires. Ea vi & acrimonia prædita eſt radix; tametſi

cotulam

cotulam aut cimices oleat, & contra capitis vulnera Dioſc. teſte, faciat & fracturas, educat aculeos & omne telum extrahat citra dolorem: admixta floris æris tertia parte, radicis centaurii quinta & melle ſanet tumores & inflammationes cum aceto impoſita. Radix cum paſſo contuſa bibitur ad convulſa, rupta, coxendicum dolores, urinæ ſtillicidia & alia profluvia. Semen ad ciendam urinam efficaciſſimum eſt trium obolorum pondere in vino potum: Idem & lienem abſumit cum aceto potum.

Lob ad alvi profluvia bibitur non ſecus ac Rhabarbarum & aſarum: Ventris fluores materiam per urinam deducendo & avertendo ſupprimit. Cæterum opilionibus & ruſticorum plebi in præfectura Somerſeti Angliæ hujus radicis decoctum aut etiam infuſum purgationes Iridis modo molitur.

In omni alvi profluvio nolimus experiri hanc fervidam radicem, inquit J. Bauhinus; fortè poſſet tolerari uſus in profluvio alvi pituitoſo.

Hujus radices maximarum ſunt virium in ſcrophulis intus ſumptæ, D. Needham.

Pulvis radicum exſiccatarum in hyſterica paſſione, orthopnæa, & hypochondriacis affectibus utiliſſimus eſt. D. Bovvle Raius.

LIBER XXII.

Continens ea quæ incipiunt à Litera

Y.

Yera, vid. *Contrayerva.*

YPECACOANNA, ſive YPECACUANHA.

Nomina. Ypecacoanna *Braſilienſibus*; *Marggravio* Herba paris Braſiliana polycoccos. Maggr.

Ex radice ſpithamæ longitudine & ampliori, flexuoſa, nodosâ ſeu geniculatâ, multis filamentis lateralibus præditâ, quæque corticem habet ſubruffum inſtar Tormentillæ, interius autem alba eſt & in medio habens medullam, à qua reliqua ſubſtantia viridis radicis detrahi poteſt, medullaque removeri, progeneratur unus aut alter caulis, ſemipedalis aut paulò longior, teres, lignoſus, lentus, coloris cineraſcentis, partim terræ incumbens aliaſque radices agens, partim ſurrectus. In uniuſcujuſque hujus ſummitate ſex, ſeptem aut octo ut plurimùm folia inſident modo herbæ paris, ſuperius ſaturatè viridia, inferiùs dilutiora, nervo uno ſecundum longitudinem, & multis venis tranſverſis prædita inſtar foliorum lupini, ad tactum ut folia Aſari ſed molliora. E medio horum in proprio pediculo enaſcuntur decem, duodecim, aut quindecim floſculi, in capitulum congeſti, parvuli, albi, pentapetali, cum totidem ſtaminulis albis. Poſt flores ſequuntur totidem baccæ brunnæ ſeu ſaturatè laccæ coloris, magnitudine ceraſi ſylveſtris: bacca intus continet pulpam albam ſucculentam, cum duobus granis ſeminis duris, flaveſcentibus lenticularis figuræ.

Amat planta humidas ſylvas & in hortos translata nullum ſumit incrementum.

Radix contuſa, & drachmæ unius pondere in poculo vini aquâ mixti macerata, deinde leviter bullita, ſi bibatur, per vomitum & ſeceſſum purgat, & non ſolum in dyſenteria, ſed etiam in affectibus ventriculi datur optimo ſucceſſu. Raius.

Hypecacuanha præter facultatem purgatricem per ſuperiora & inferiora, omni veneno eximiè adverſatur. Nec credo præſtantius remedium adverſus plurimos morbos ex longâ obſtructione ortos, in primis in ventris fluxibus medendis in hiſce terris reperiri facilè.

Duæ exiſtunt ſpecies, neutra à nemine quod ſciam, deſcripta. Utraque eidem uſui dicata, ſed gradibus facultatum, & facie, & natali ſolô differunt. Una enim enim earum humi depreſſa exiguior in pratis creſcit pulegio non admodum diſſimilis: nam caulis foliis lanuginoſis exſurgit multis, albiſque floſculis cingitur: radix illius eſt craſſa, filoſa, albicans, à Luſitanis dicta *Ipecacuanha bianca*; quæ quòd minùs turbet corpus, & venenis validiſſimè reſiſtat æquè pueris ac gravidis exhibetur. Altera eſt longitudinis ſemicubitalis, trinis vel quinis tantùm foliis ornata. Gaudet locis opacis & tantùm in denſioribus reperitur nemoribus. In ſummitate caulis baccas producit nigras, ſed paucas. Radice eſt tenui, tortuosâ, nodosâ, fuſci coloris, ſaporis ingrati, amari, calidi & acris. Exſiccata in multos annos reſervatur, nec facilè vires deponit antidotales, ſudoriferas; ſed quidem vomitivas. Ejus in pulverem redactæ doſis eſt ʒ j. in infusô ℥. plùs minùs duæ. Facultatem habet abſtergendi, meatus reſerandi, ac infarctus exſolvendi. Utriuſque quotidianus eſt uſus, malunt tamen dilutum, quod vel unius noctis ſub diô maceratione, aut coctione in aquâ medicam ſuam virtutem abundè liquoribus communicet. Poſtea caput mortuum reſervatum, denuóque eôdem modô præparatum, in eundem uſum exhibetur; minùs quidem efficax ad purgandum, vel vomendum, ſed magis adſtringens. Itaut radix hæc non ſolùm materiam morbificam, licèt tenaciſſimam, à parte affectâ revellat, eamque per ſuperiora expellat; ſed & adſtringendo viſcerum tonum reſtituat. Præterquàm enim quòd fluxibus ventris aliiſque morbis medeatur, venenis adverſatur, viruſque, tum occultâ qualitate, tum manifeſtâ, per vomitum ſtatim expellit. Quamobrem religiosè à Braſilienſibus reſervatur, qui illius vires primi nobis revelârunt. *Hæc ex Guilielmô Piſone.*

Igpecaya, vel *Pigaya*, optimè, ut dicunt, dyſenterias ſanat: Ejus caulis ſemicubitum eſt altus, radixque ejuſdem eſt longitudinis: quatuor, aut ad ſummum quinque folia peſſimi odoris promit. Radix pulverata, & per noctem ſub diô in aquâ macerata, ac poſt trajectionem per ſetaceum mane ab ægrô epota, eum ità expurgat ut identidem alvi fluxum ſiſtat. *Joh de Läet in Indiæ Occidentalis Hiſtoriâ, ubi de Braſiliâ.*

Ipecacuanha quæ itidem vocatur *Beguquella*, *Specacuanha*, *Cagoſanga*, *Beeulo*, *Beloculo*, & *Radix Anri*, eſt radix puſilla quam Batavi ac Luſitani ad nos deportant è Braſiliæ regione quæ *Rio de Genecyro* dicitur, & quæ non alibi quàm in mineris auri, à quibus nomen mutuata eſt, reperitur. Colligitur ab iis qui minerarum, ſeu fodinarum labori ſunt adjudicati, & ea propter majoris eſt pretii, quòd diligentiſſimus ejus collector unô annô quantitatem duodecim librarum excedere non valeat, & ni cum aliis mercibus commutaretur, carior multò foret.

Batavi autem, aut alii tres Ipecacuanhæ ſpecies ad nos dimittunt, nempe *fuſcam*, quæ prima eſt & optima, ac propterea carior, *griſeam*, quæ minùs vehemens eſt quàm fuſca, & *albam*, de quâ in ſequentibus.

Ipecacuanæ tum fuſæ, tum griſeæ, plantæ ſunt mediocris

dioeris altitudinis, partimque repunt, partim ad dimidii pedis altitudinem elevantur. Folia gerunt parietariæ foliis non multùm abſimilia, è quorum medio flores pronaſcuntur albi, pentapetali, parvulis capitibus innixi, quibus ſuccedunt baccæ fuſcæ, quæ cùm maturuerunt ceraſorum Sylveſtrium magnitudinem æquant. Hiſce baccis concluditur pulpa albida, ſucculenta in quâ reperiuntur arilli duo duri, ſub flavi, lentis figuram non malè repræſentantes.

Seligatur hæc radix recens, bene nutrita, fuſca, fractu difficilis, reſinoſa, ac nervum in ſui medio habens, advertendumque ne ipſi admiſceatur caulis, ac varia præterea filaamenta, & inſuper videndum ut ſit ſaporis acris, amari, ac ingrati. Quidam amici quos Lisbonæ, Maſſiliæ & in Batavia habeo, mihi aſſeruere. Quòd Ipecacuanha fuſca ſit aliis efficacior, quódque hæc præcipuè in auri mineris reperiatur, dum aliæ ſpecies in montium radicibus, ac ipſis pratis & locis humidioribus colliguntur.

Inſervit hæc radix dyſenteriis curandis, alii præterea credunt vires poſſidere alexiterias, verùm nemini autor ut fuerim eâ, niſi maximis cautionibus adhibitis, utatur, atque ex conſilio prudentiorum medicorum, quia vehementioris eſt effectus, ſive in infusô, ſive in ſubſtantiâ præbeatur.

Doſis hujus radicis eſt à ℈ß. ad ℨj. exhibetur autem pulverata in liquore convenienti, manè, jejunô ſtomachô; hauſtô, duabus poſt horis, juſculô pingui, vel lactê. Vomitum autem ciet, priuſquam facultatem ſuam exerat adſtrictoriam.

Ipecacuanha alba ab aliis duabus ſpeciebus differt in eô quòd radicem habeat albam *behen albi*, vel *dictamni albi* radici prorſus ſimilem. Folia profert foliis acetoſæ rotundæ non abſimilia, ſeu ut aliis placet ad polii folia proximè accedentia.

Hiſpani & Luſitani Ipecacuanham albam aliis præferunt, præcipuè pro mulieribus gravidis ac pro puerulis, quia ſcilicet cum minori agit vehementiâ, eam autem in ſubſtantia ad drachmæ dimidium, in infusô verò ad ℈ij. præſcribunt. *Hæc Petrus Poncet in ſuâ Aromatum Hiſtoriâ univerſali Gallicè conſcriptâ.* Quibus quædam in ejuſdem operis *Appendice* præterea addit quæ hic conſultò reticemus, quia ſimilia ex *Nicolao Lemery* jam ſumus allaturi.

Etiamſi *Ipecacuanha* inter præſtantiſſima reponi mereatur medicamenta pro dyſenteriâ curandâ, exhibetur tamen aliquando ſine exoptatô effectû, ac propterea poſtquam bis, vel ter propinata fuerit, ſi morbum non ſiſtat, ab ulteriori exhibitione abſtinendum & ad alia remedia, confugiendum. Eam in enematibus ſæpius immiſcui pro dyſenteriarum curâ, ſed ſemper cum mediocri admodùm effectu, vim enim ſuam non exerit ni vomitus cieat. Vidi interim aliquos quos ſine vomitibus ſanavit; verùm in iis alvum impetuoſiùs movit.

Primus qui Ipecacuanham in Galliam adduxit fuit Dominus le Gras, Medicus, qui ter anno 1672. Americam viſitaverat. Eam nobis commonſtravit apud D. Abbatem Bourdelot, dum Chymicum Curſum peragerremus, & in meô Aromatario aliquid ejuſmodi radicis ab eô tempore concluſum habeo, ipſius virium tum interim neſcius. Poſt Domini le Gras obitum bona iſtiuſmodi radicis quantitas ad me ex illius domô adſportata fuit, verùm quandoquidem de eâ experimenta nulla ſumpſeram, nolui illam coëmere; ac propterea ad Dominum Craquenel Pharmacopolam delata fuit, qui eam tanquam vilis pretii mercem in proximâ tegulis contignatione repoſuit ac per plures annos aſſervavit, donec ſcilicet Domino Helvetio ipſam venderet qui medicamentum in magnô ſecretô habuit, donec à Rege vulgatum ſit, *Hæc Nicolaus Lemery in ſuâ Aromatum ſimplicium univerſali Hiſtoriâ Gallicè conſcriptâ.*

Hactenus multos audivimus Doctos Autores de Ypecacuanha tum ex propriâ experientiâ, tum ex aliorum relatione ſcribentes, quibus forſan cum aliquo Lectoris emolumento quid nos ipſi de hâc plantâ ac ejus effectibus adnotaverimus, paucis ſubjungemus.

Triplicem *Ypecacuanham* vidimus, Albam ſcilicet, Nigram, & aliam quæ coloris eſt cinnamomici; in hâc ultima, quæ Domini Poncet *Fuſca* dicitur, experimenta noſtra ſumpſimus. Eſt autem ſaporis in primâ manducatione ſubdulcis ac nauſeoſi, poſtmodùm verò & quando dentibus optimè contrita fuit, valdè amari ac aliquatenus auſteri & vitriolici. Nam ut plurimùm ad ℈i. in pollinem redactam in aq. plantaginis ℥vj cum paucô ſyr. roſar. rubr. & maſtich. puræ pulver. ℈ß. vel ſimul & ſemel, vel partitis vicibus, ſcilicet in duas diſtinctum doſes, duobus diebus continuis exhibuimus, vidimuſque ſic curatas dyſenterias, etiam eas in quibus plenô erumpebat fluentô, & diarrhæas aliquatenus coërcitas fuiſſe. Vomitus præterea ſanguineos, hæmoptiſes horrendas, urinas cruentas, fluxus hæmorrhoidales imò hæmorrhagias narium abundantiſſimas & pertinaciſſimas ſic vidimus ſanatas, dum ſcilicet vel plenâ doſi pulverem in prædictis aquis cum adjecta maſtiche propinavimus, vel in pilulis ex eo cum balſamo Judaicô vel etiam de Copaibâ confectis, ut ſenſim vaſa occluderentur, ſanguiniſque impetus reprimeretur, prout ſcilicet natura morbi, vel circumſtantiæ concomitantes exigebant, vorandam, tradidimus Ypecacuanham. At nunqam de facultate hujus radicis in ſiſtendis hæmorrhagiis nobis plenius conſtitit quam ubi profluvia uterina ejus ope aggreſſi ſumus, quô in morbô unicum caſum adducemus, unde ſatis ſuperque efficacia medicamenti patebit. Honeſtiſſima Matrona annos præterpropter 35. nata, jamque quartâ vice prægnans, tertiô gravitatis menſe in hæmorrhagiam incidebat uterinam tam horrendam, ut ſubinde de ejus vitâ conclamatum crederetur: Sanguis etenim plenô excidebat torrentô, nec aliquid in venis pro vita protrahendâ ampliùs ſupereſſe videbatur. Cùm tamen Medicus Doctus curæ prædictæ Matronæ præfectus fœtum contentum pro hæmorrhagiæ causâ genuinâ agnoſcens illius expulſionem per trochiſcos de Myrrhâ aliaque in id adhibenda methodica auxilia omnino ſuadebat. Verùm ego regerebam per expulſiva non tam fœtum quàm ſanguinis ac vitæ debiles reliquias ejectum iri, proptereaque autor potiùs eram ut hæmorrhagia quâcunque demùm ſiſteretur arte, perſuaſus quòd etiam ſi non ut in noſtrô caſu vires prorſus attritæ forent, ſanguiniſque maſſa penitùs prope exhauſta, nihil tamen durantibus turbis ab impetuoſiſſimô profluviô commotis, à naturæ etiam exquiſitioribus remediis adjutæ conaminibus expectari poterat. Propoſui itaque radicem Ypecacuanhæ ad drachmam integram in aq. plantag. cum maſtiche &c. modo prædictâ hauriendam. Quid fit? Sic vomitus continuo ciebatur ut in aliis omnibus qui doſim integram, vel etiam dimidiam unâ vice ſumunt, evenit; ſed qui agræ. ut ipſa referebat, levamini tantùm, moleſtiæ nullatenus fuit, ipſoque vomitus momento ſanguis parciùs erupit, ac ſub finem diei ſubſequentis cum excluſione fœtus prorſus ceſſavit: Unde mulier ab orci faucibus verè erepta, recuperatis in dies viribus adhuc dum plena fruitur valetudine, quintoque prægnans ac vegeta vivit.

YUCCA.

Nomina. Sive Yucca Peruana *Ger.* Yucca nova glorioſè elata & opinata planta *Lob. Ad. part. alt.* Yucca ſive Jucca *Park. Parad.* Yucca foliis aloes *C.B.*

Radice nititur craſſâ, tuberoſa, grandi, ſucceſſu tem-

temporis in multa capita protuberante, intus candida; foris rufa, rapi ſubſtantia ſed duriore, ſucci plena, Sapore ſubdulci, folia emittente plurima, in orbem ſe mutuo amplectentia, cubitum longa, dura, carinata, è cinereo viridia, in acutum & fuſcum mucronem convoluto utrinque cacumine deſinentia, æterno virore, lenta inſuper & fractu contumacia: in quorum medio, poſtquam planta adoleverit, at ne tunc quidem ſingulis annis, exurgit caulis tripedalis, teres, firmus, ſuperiore parte in ramos diviſus, quibus innaſcuntur flores plurimi, ſatis ampli, hexapetali, albi, deorſum dependentes, tribus exterioribus petalis venis multis dilutè rubentibus averſa parte ſtriatis, è petalorum unguibus ad mediam eorum partem extenſis, non ad margines uſque Flores in ſeptentrionalibus & frigidioribus regionibus nullo ſuccedente ſemine aut pericarpio increſcunt & decidunt: Verùm in locis naturalibus, Indiæ ſci. Occidentalis provinciis plurimis triangulares Capſulas in tria loculamenta diſpertitas producere dicitur, ſeminibus rotundis aut quodammodo angularibus repleta.

Abrahamus Muntingius in herbario Belgico aliam depingit & deſcribit Yuccæ ſpeciem quam vocat Iucam Americanam & Braſilianam ſtellatam eamque folio mucronato & folio obtuſo.

Alteram Yuccæ ſpeciem exhibent Muntingius & Moriſonus quæ donatur foliis filamentoſis, ſeu foliis filamentis albis interſperſis.

Vires. Nullius in medicina uſus, imo venenatus eſſe dicitur, ſed perperam; Cùm non ſolum ad vitæ ſuſtentationem conducat, ſed etiam ex radice in farinam comminuta panis eſculentus conficiatur.

Radix inſuper ſine omni injuria, imo cum commodo comeditur abſque ulla ejus præparatione. Dom. Palmer. ex dictatis *D. Hermanni.*

Non eſt autem hæc planta ex cujus radice panis in America uſitatiſſimus Caſſavi dictus fit, ut nonnulli per errorem crediderunt. *Raius.*

LIBER XXIII.

Continens ea quæ incipiunt à Literâ

Z

ZEA.

ZEA Tritici quoddam genus eſt, glumis adeò arctè adhærentibus ut eas triturando non deponat Ζείαν aut Ζέαν ἀπὸ τοῦ ζῆν dictam volunt, quod ea ante inventum frumentum homines vitam tolerabant. Antiquiſſimis autem Romanis (teſte Dionyſio Halicarnaſſenſi) *Zea Far* dicebatur. Farris tamen vox ambigua & æquivoca.

Vſus. Panes ex ea Germani conficiunt, non minus albos quam ex Tritico, leviores tamen, minuſque nutrientes, recens ſuavis eſt & concoctu facilis, antiquus non ita gratus & concoctu difficilis.

Ex eadem pultes cum Lacte, vel amygdalato, vel vino vel cervifia & ſaccharo fiunt & ſanis & ægris utiles. Pulticulæ ex farina adſtringunt, unde ad eadem valent ad quæ pultes ex oryza, hæmoptyſin, dyſenteriam diarrhæam &c, præcipue cum pedibus vervecinis & vitulinis decoctæ exterius quoque ad eadem utilis eſt.

Not. Veteres uno quaſi ore panem ex Zea damnare, Quare manifeſtè (inquit C Bauhinus) patet Zeam illam aliam eſſe ab ea, quam Plinius ſemen Romanis vocari tradidit, ex quo tam præclarus cibus Alicæ fiebat. *Raius.*

ZEDOARIA.

Zedoaria Græcis veteribus incognita; recentioribus, ut Aëtio & Actuario Ζάδαρ, Ζαδούερ, & Ζαδέερ dicta eſt, ab Arabibus mutuato nomine.

Foliis eſt Zingiberis, ſed majoribus, longioribus & latioribus, ut & radice; Sapore etiam Zingiber æmulatur, unde in Calecut Zingiber ſylveſtre Garcia authore vocitatur, hujus tres ſpecies faciunt, quas tamen omnes unius & ejuſdem plantæ radices eſſe peritiores Botanici exiſtimant.

Vires. Zedoriæ radix calida & ſicca cenſetur, corpus impinguat & imbecillum reficit, ut volunt Arabes, flatus diſcutit, odorem ſumptorum alliorum, Ceparum & Vini aufert; morſui venenoſorum confert, alvum ſiſtit, uteri apoſtemata reſolvit, vomitum reprimit & colicæ ventoſæ confert, noſtræ ætatis medici contra peſtilentis cœli contagia utuntur, & permultis medicamentorum compoſitionibus miſcent, ventriculo utilis eſt concoctionem juvando, eumque & reliqua viſcera calefaciendo; Germani ex ea vinum Zedoriatum conficiunt ad uſus prædictos, Zedoariam contuſam & ſacculo inditam in doliolo muſti cocti pleno ſuſpendendo. *Raius.*

ZIBETHUM.

De Animali Zibethico & de capſis unde Aroma *Zibethum*, dictum extrahitur, vid. ſub titulo *Canis.* Hic itaque tantum de Zibethi electione & viribus paucis agemus.

Zibethum animalis cujuſdam, quod Hyænis non nulli adnumerant, excrementum pingue & unctuoſum, in certis à naturâ circa inguina ei conceſſis glandulofis folliculis collectum: Quod Butyri mollioris conſiſtentiam habere, coloris ſubpallidi eſſe (quem tamen ætas in flavedinem magis immutat) & odorem omninò tetrum ſpirare debet, cùm aliis tamen permixtum eximiâ ſuavitate commendabilem. Inſuper ſi papyro adfrictum ſine corpore remanente totum ſit ſolubile, aut vaſi in quo aqua bullit, infuſum aquæ ſupernatet, heterogeneis nullis partibus fundum petentibus, bonum itidem æſtimari ſolet, odore tamen omnium optimè ſinceritatem confirmare apto. *Pharmac. Auguſt.*

Zibethum præfertur pallidum in Anglia collectum butyro non ſophiſticatum; rejicitur nigrum ex India orientali tranſportatum. *Dale in Manuductione ad Materiam Medicam.*

Vires. Vſus crebri in colica paſſione umbilico inunctum, in torminibus ventris infantum; ſtrangulationem ab utero tollit vulvæ applicatum. Ad virgæ erectionem & proritandam in virginibus venerem, plurimum etiam facit glandi penis ante pugnam inunctum cum tantillo theriacæ miſtum. Ex hoc etiam cum ambra & moſcho aqua externa de cypro præparatur. *Fridericus* Hoffmannus *in Clavi Pharmaceutica Schroderiana.*

ZINCUM.

Zincum, Species eſt marcaſſitæ, ſeu materiæ metallicæ

licæ Biſmutho non multum abſimilis verum minus frangibilis ac ſub malleo aliquatenus extenſibilis. Naſcitur in fodinis, ſeu mineris Goslarienſibus in Saxonia. Seligatur durum, fractu difficile, album ac è ſquamis latioribus & ſplendentibus conſtitutum ſtannarii eo utuntur pro dealbando ac purificando ſtanno non ſecus ac aurifabri plumbo utuntur pro purificando auro ac argento: Et ea propter dum ſexcentas verbi gratia ſtanni libras fundendas habent, Zinci libram unam immiſcent. Zincum præterea adhibetur in ferruminandis metallis, & cum curcuma admiſtum pro cupro deaurando. Extus applicatum reſolvens eſt ac deſiccans medicamentum.

ZINGIBER.

Zingiber, Ζιγγίϐερ Græcis dictum, nomen accepit ab Indorum vocabulo zingebil. Omnibus Botanicis eodem nomine dicitur. C. Bauhinus ſic deſcribit, radice eſt ad ternos vel quaternos palmos, Arundinum modo, in profundum acta, inæquali modicè plana, frequentibus geniculis in laterales partes diviſa quoquoverſum repente, longitudine ſeſquiunciali, nonnunquam majore pollicis craſſitudine ac minore foris albicante ut in candido ſubfuſca, carne alba friabili, tenerâ per cujus longitudinem venæ nervoſæ feruntur, guſtu piperis modo, fervida, acerrima, odore Aromatico; quæ teſte Acoſta, etiamnum viridis leviter adurit, minuſque quam cum ſicca eſt mordicat, & quo loca in quibus naſcitur magis humida ſunt, eo minus acrimoniæ retinet.

Foliis eſt [ut Garcias ſcribit] ſimilibus Iridi aquaticæ, aut gladiolo [non Arundini] at Acoſta folia lachrimæ Jobi foliis ſimilia ei attribuit; alii Arundinacea, ut Linſchotanus & Ruellius quod nobis veriſimilius videtur; cum Lobelius & Io. Bodæus à Stapel, qui plantam ipſam virentem viderunt, foliis & Calamo novellam ſive nuper enatam arundinem præ ſe ferre dicant; & G. Piſo folia admodum ſimilia eſſe foliis Arundinum teſtetur, ut qui nunquam viderit creſcentem hanc plantam, Arundinetum verò dixerit quod primum è terra ſurgit. Vnde cum Marggravius & F. Hernandes folia Iridi aut gladiolo ſimilia faciant minus exacta Comparatione uſi videntur. Caulis ei haud craſſus in pedalem altitudinem aſſurgit Arundini ſimilis, in faſtigio Capitulum ſtæchadi quadantenus ſimile geſtans. Hernand.

Duplex eſt, fœmina, quam deſcripſimus, & mas, Anchoas Mexicanis dicta: Cui deſcribente Piſone, folia non ultra tres pedes in altitudinem excreſcunt, aſperiora ſunt & craſſiora vulgari Zingibere unico nervo recto in longitudinem excurrente conſpicua, caulibus hinc inde ſine pediculo, inferius ſolitariè, ſuperius frequentiori Coma adnata radice majore & craſſiore ſapore acriore cum quadam amaritudine. Hernand. radices diverſi ſunt ponderis & amplitudinis, omnes tamen imbelles & tuberoſæ atque in ſuperficie terræ ſicut Arundineta expanſæ.

Naſcitur in omnibus Indiæ provinciis excultum ſatumque ſemine: nam quod ſponte provenit flocci penditur. Americæ non videbitur naturalis, ſed ex India orientali aut inſulis Philippinis in Braſiliam & novam Hiſpaniam translata, Malabaricum autem habetur laudatiſſimum: pingui ſolo, ſtercoratoque & probè exculto ſeritur (radice cui ſufficit unum alterumve internodium in ſcrobem depacta) & ſtatim à ſatu aqua dulci plus minus pro terræ ſiccitate rigatur proximo anno à ſatu radix eruitur denuò, ipſum ſci. Zingiber. Vindemia ejus fit creſcentibus foliis, quod juxta initium Januarii accidere ſolet, paulo exſiccatæ limo obducuntur ne evaneſcente nativa humiditate teredine, cui alias maxime obnoxiæ ſunt, afficiantur at Linſchotus aſſerit evulſarum radicum certam molem argilla figulina tegi, & tumulum exquiſita contra omnem aeris & ventorum vim oblinir; ſic enim & recentiores radices ſervari, & à vermium eroſione promptius defendi. Apud aromatarios radices reperiuntur albæ & rubentes: ſed diverſa genera non ſunt: rubrica infectæ ſunt rubentes, creta albæ, quo à teredinibus præſerventur. Stapel.

Siliqua a Lobelio depicta & deſcripta non videtur eſſe Zingiberis, ſaltem illius ſpeciei quæ à Franc. Hernandes pro fæmina deſcribitur, cui Capitulum ſeu ſpica ſtæchadi ſimilis.

Vt condiantur radices, prius decorticantur, moxque in muriam vel acetum conjiciuntur & macerantur per horam unam atque alteram, dein æquali fere temporis momento ſub dio probe inſolantur, ac denuò ſtragula ſub tecto cooperiuntur, donec omnis humiditas exalaverit; ſi aliunde transferendæ ſint radices, tunc thecis incluſæ & aqua irrigatæ noctu terra operiuntur, interdiu Cœlo patent. His omnibus ritè inſtitutis ab exercitato agricola, poſtea ſaccharo non ſolum, ſed muria vel aceto condiuntur, nulloque tum inſigni calore palatum afficiunt nec filamenta ulla ingrata in ore relinquunt, ſi nimio tamen magonio, nimiiſque lotionibus fatigentur, pars quoque aromaticæ ejus acrimoniæ evaneſcit.

Vires & Vſus. Viride conditum ſaccharo ex India affertur, ſenibus & pituitoſis ac frigidis & malè concoquentibus ſtomachis accommodatum, præſertim quod recens conditum fuerit: valet etiam ad lentam in pulmonibus pituitam.

Indi foliis Zingiberis in juſculis & coquinatio uſu atque acetario utuntur. Radices virides cum aliis herbis minutim conciſæ ex Oleo, ſale & aceto acetarii loco illis ſunt. Præterea Zingiber recens etiam remedio illis eſt præſtantiſſimo ad Colicos dolores. Cæliacam & Lientericam paſſionem, Diarrhæas diuturnas è frigore natas, flatus ventriſque tormina, & gravia his ſimilia accidentia, ut multoties in India ſe feliciter comprobaſſe teſtatur Bontius. Ea tamen perpetuò adhibenda cautela, ut qui ſanguine ſunt fervidore, ſive ſani, ſeu ægri, parciſſimè eo utantur, quia Zingiber ferè omne ſanguinem accendit, & orificia venarum aperit, Piſo Zingiberis ut & Piperis major in culinis quàm in medicina uſus eſt, cùm hæc duo inter omnia aromata plurimùm acrimoniæ & parùm aromaticæ qualitatis habeant. C.B. Galenus Zingiber minùs tenuium eſſe partium quàm Piper inde colligit, quòd calor ejus, quamvis æquè fortis, non primo ſtatim occurſu ſentitur. Caliditas autem quæ proficiſcitur à Zingibere diutius perſeverat, quàm quæ à Pipere, unde infert ſubſtantiam ejus & craſſiorem eſſe & humidam ſeu aqueam, Nam ut ab aridis calamis flamma celerrimè accenditur, atque etiam undequaque diſpergitur; quæ autem ab humidioribus, ceu ligna ſunt viridia & tardius accenditur & durat diutiùs, ita etiam in medicamentis fit.

Dioſcorides Zingiber alvum leniter emollire ſcribit, ſed intelligendum, ſi teneræ & adhuc recentes radices edantur, multa in eis adhuc humiditate alvum lubricante & emolliente reſidua: ut vidimus id Iride, nam vetuſtiores ſiccant potiùs & ſiſtunt alvum, facta ſc. proba concoctione.

Addi ſolent interdum hæ radices medicamentis catharticis ad eorum vim augendam. Datæ autem cum purgantibus vehementioribus eorum malitiam corrigunt. Zingiber Ventriculi & pulmonum farctus abſtergit & diſſipat ſupervacuo humore abſumpto, cerebrum & memoriam roborando juvat.

Hebetudini etiam viſus quæ ab humiditate provenit prodeſt. Venerem ſtimulat & flatus diſcutit. Quocumque modo ſumptum, ſive recens, ſive ſiccum ventriculum roborat & concoctionem promovet; Antidotis admiſcetur.

ZINGIBER ALIUD.

Zingiber fuſcum *C. B.* Zingiberis ſpecies Mechinum dicta *I B.*

A vulgari Zingibere differt non tantùm quod immaturius aut improbius ſit, ſed quod conſiſtentia ſit compactiore, duriore & paucioribus fibris intertexta, colore ex cinereo nigricante, acriore guſtu, nec teredine exedi ſolita, quod etiam conditur & in quibuſdam officinis proſtat.

ZINGIBERIS AFFINIS PLANTA.

Zingiberi affinis cortice ſquamato C. B. Zingiberis Mechini rara varietas I. B.

Radix eſt Zingiber vulgatum aut Mechinum referens, ſed elegantior aſpectu, multis nodis diſtincta, & ferè veluti Doronicum articulata, Corticem habet Gingiberi ſimilem, coloris ſubcitrini, pollicari craſſitie, fibriſque caret: gravis eſt ac ſolida, fracta venas albas oſtendit; ſapore eſt acri, aromatica, & ſi carie non exeſa ſit, guſtu Zingibere multo acriore & ſicciore.

Pona Doronicum Arabum nominat, & pro Doronico legitimo agnoſcit, ſiquidem notæ à Serapione & Arabibus Doronico adſcriptæ conveniant, quo etiam pro Doronico utendum cenſet, cujus loco multi hactenus Aconito Pardalianche minore, quod facultatibus Doronico planè contrariis ſit uſi ſunt. *Raiu.*

Zithum, vid. *Zythum.*

ZOPISSA.

Zopiſſa ſpecies eſt picis nigræ quæ è navibus poſt longas navigationes detrahitur, ſcilicet poſtquam, pix ipſa quâ impicatæ fuere naves ſale marino abundantiùs penetrata fuit ac impregnata, unde novam qualitatem adquiſivit. Hæc autem materia reſolvens eſt ac deſiccans extus adplicata.

ZYTHUM.

De *Zythi*, ſeu *Cereviſiæ* præparatione in genere vid. ſub titulo *Hordeum.* Hic tantum de Zythis quibuſdam compoſitis ac medicamentoſis.

Cereviſia Galieni ex *D. D. Iungk. Lexico Pharmaceut.*

♃. *Cereviſ. recenter cocta & nondum ferment. q. l. infunde urceis ad acidulas uſualibus, & immitte ſingula menſura cinnam.* ℈ij. *irid. Florent.* ℈j. *ſem. coriandri* ℥ß. *ac ſacchari cochlear. Tunc optimè agita, ac ſubere probe claude, & ad uſum repone in cella.*

Cereviſia purgans *D. D. Sydenham.*

♃. *Radic. polypod. querni* ℔. j. *rhabarb. monach. fol. ſenn. paſſular. enucleat. ana* ℔ß. *rhabarb. ven. incidi & radic. raphani ruſticani ana* ℥iij. *folior. cochleariæ hortenſis & ſalviæ ana m.* iij. *aurantia inciſa n.* iiij. *Infunde in congiis* 5. *vel* 6. *cereviſiæ non lupulatæ fermentationis tempore & quando ad maturitatem pervenerit.*

Purgat leniter per alvum & urinæ vias ſeroſos humores ac propterea utilis eſt in Scorbuto Rheumatiſmo, ut & pro ſanguine purificando, quem in finem Author ſuadet ut in potu ordinario, præcipuè matutinis horis, adhibeatur per quatuordecim aut viginti dies.

Cereviſiæ variæ compoſitæ ex Pharmac. Bateana.

Cereviſia Butleri.

♃. *Beton. ſalv. agrimon. cochl. hort. abſinth. Rom. ana* miij. *Rad. enul. raphan. ruſtic. ana* ℥iv. *m. f. Sacculus in cereviſ. non-lupulat. cong.* iv. *ſuſpendendus, cum lapide in fundo ſacculi.* Cephalica, Stomachica, Hepatica, Splenetica, Pulmonica, diuretica, &c. Sanguinem rectificat, fixos ac crudos humores reddit volatiles. Tartarum pulmonum renumque attenuat ac educit, Cachexiæ, Hydropi, Scorbuto, Melanch. hypochondriacæ, Scabiei, &c. ſubvenit. Sit pro potu communi, aut ſaltem ter in die bibatur.

Cæreviſia Catapſoras.

♃. *Fol. Senæ*, ℥vj. *mechoac.* ℥iij. *glyc.* unc. iß. *ſem. carvi* ℥j. *Rad. oxylapath.* ℔iß. *polyd. rubiæ tinctor. ana* ℔ß. *Fol. Scabioſ. agrimon. ana* miij. ♉ *crud. craſſ. pul.* ℔j. *m. f. Sacculus pro cong.* 5. *vel* 6. *cereviſ.* Sanguinem purgat. Optimè valet in Pruritu, Scabie, aliiſque cutis fœditatibus curandis. Detur ℔j. (plùs minùs) bis in die per dies aliquot.

Cereviſia Embryonum.

♃. *Raſ. ligni cotonei* ℔j. *ſant. alb. ebor. an.* ℥iv *muſci roboris* ℥ij. *Rad. tormentil.* ℥iß. *biſtort.* ℥j. *nuç. m. Sem. coriand. ana* ʒvj. *uvar. paſſar.* ℔iß. *m. & ſuſpende in ſacculo in cereviſ. rec. cong.* vj. pro potu ordinario. Abortum præcavet. infirmum fœtuum roborat, uteri ligamenta firmat,

Cereviſia Hydropica.

♃. *Fol. praſſii. ling. cervin. Hepat. c. abſinth. vulg. acetoſ. ana m. plenum. Incide, & poſtea in farina hordeacea obvolvantur: dein coque in clibano. Tum paſtæ cum herbis in fruſtra fractæ adde* ⊖ *abſ.* ʒij. *ſuſpend. in ſacculo in cereviſ. rec. conjug.* pro potu communi. Multos curavit hydropicos.

Cereviſia Jovialis.

♃. ℞. *Limat.* ♃ ℔j. *ſant. alb. raſ. ebor. ana* ℥iij. *uv. paſſ.* ℔j. *Fol. abſ. Rom. ling. cervin. veron. agrim. ana* mij. *cort. aurant.* ℥ij. *m. f. Sacculus, pro cong.* iv. *cereviſ. rec.* pro potu ordinar. Uteri morbis peculiariter curandis inſervit. Hepatica etiam eſt, & ſplenetica.

Cereviſia Oxydorcica.

♃. *Fol. rutæ, ſalv. verben. Euphrag. ana mi. millepedas vivas n.* 400. *Sem. fœnic. d.* ℥j. *uv. paſſ. exacinat* ℔ß. *Indantur ſacculo pro cong.* iv. *cereviſ. rec.* pro potu ordinario. ad viſus hebitudinem. Tern.

Cereviſia Scorbutica.

♃. *Fol. cochl. marin. parùm ſiccat.* ℔j. *ſalſapar.* ℥iv. *ſaſſafr.* ℥j. *naſturt. aquat. becabung. ana* miij. *ſalv. rubr.* mij. *caryoph.* ʒiij. *nuc. m.* ʒvj. *contund. & impone cong. v. cereviſ. rec. cum fruſtulis* ♂*is* ℥vj. *in fundo ſacculi*, pro potu communi.

Cereviſia Scrophularia.

♃. *Sarſapar.* ℥vj. *lign. ſanct.* ℥viij. *corti arbor. jugland. Rad. Scrophular. ſaſſafr. ana* ℥ij. *Herb. Roberti in* iij. *uv. paſſ. exacin. milleped. vivent. an.* ℔j. *m. f. Sacculus pro cong.* iv. *cereviſ. rec.* Uſus præcipuus in Strumis Scrophuloſis, ficis & mariſcis ani cancroſis ac ſimilibus ſerpentibus ulceribus, maligna ſcabie, &c. bibendo hanc cereviſiam pro potu communi, & purgando ſemel in ſeptimana cum appropriatis.

Cereviſia Vernalis.

♃. *Fol. Senæ* ℥v. *Rad. polyp. qu.* ℥vj. *Rhab. Monach. oxylapath. ana* ℥x. *uv. corinth.* ℔j. *glyc. Sem. fœnic. d. ana* ℥iß. *raſ. ſaſſafr.* ℥ij. *Fol. ſalv. rub. agrimon. naſturt. aquat. cochl. marin. ana* mii. *m. f. Sacculus pro cereviſ. cong. v.* Eaſdem vires obtinet, quas Cereviſia Catapſoras.

Zyziphа, vid. *Jujubæ.*

FINIS.

INDEX

INDEX RERUM

Quæ in Utroque Tomo

BIBLIOTHECÆ

PHARMACEUTICO-MEDICÆ

continentur, Locupletiſſimus.

A

ABIETIS variæ ſpecies. Tom. I. Pag. 1.
Abrotoni variæ ſpecies. tom. I. pag. 2.
Abſinthii variæ ſpecies, ejuſque variæ præparata. tom. I. pag. 3.
Abutilum. tom. I. pag. 4.
Acacalis. ibid.
Acaciæ veræ deſcriptio, & vires ibid.
Acaciæ Germanicæ vires, & præparata varia t. 1. p. 5.
Acanthus. ibid.
Acceſſorium apud Pharmacopæos quid ſignificet ibid.
Accipiter ibid.
Accipitrina, vid. Hieracium.
Acer Arbor. t. 1. p. 6.
Acer Sapor *quid ſit.* ibid.
Acerbus Sapor *quid ſit.* ibid.
Acetabulum, vid. Umbilicus veneris.
Acetoſa. ibid.
Acetoſella, vid. Trifolium acetoſum.
Acetum, & de eo in genere. ibid. & ſeq.
Acetorum ſimplicium variæ ſpecies. t. 1. p. 9.
Aceti Cryſtalli, & ſpiritus. ibid.
Acetum Agreſtinum ſolutivum Cloſſæi. ibid.
  Alexicacum deſtillatum F. F. t. 1. p. 10.
  Aromaticum odoratum à Mynſicht. t. 1. p. 11.
  Bezoarticum F. F. t. 1. p. 10.
   Diemerbroekii. ibid.
   D. à Mynſicht. t. 1. p. 11.
   Timæi. t. 1. p. 10.
  Confortans Cloſſæi. ibid.
  Diaphoreticum D. à Mynſicht. t. 1. p. 12.
  Febrifugum de le Boe Sylvii. t. 1. p. 10.
  Hyſtericum à Mynſicht. t. 1. p. 12.
  Lithargyrii Pharm. Aug. t. 1. p. 10.
  Myrrhatum à Mynſicht. t. 1. p. 11.
  Mithridaticum ejuſdem ibid.
  Peſtilentiale Zuvelferi. t. 1. p. 10.
  Philoſophicum Quercetani t. 1. p. 889.
  Prophylacticum F. F. t. 1. p. 10.
  Pro Rabidi morſu Hannemani. t. 1. p. 11.
  Rhizoticum Mynſichti ibid.
  Rutaceum F. F. ibid.
  Siccum Collect. Chymic. Leydens. ibid.
  Theriacale Pharm. Auguſt. ibid.
   Pharm. Londin. ibid.
   D. à Mynſicht. ibid.
   Antonii de Scobbis. ibid.
Acetum Vomitorium deſtillatum Mynſichti. t. 1. p. 12.
  Zedoarticum Mynſicht. t. 1. p. 11.
Achateſis, vid. Sub titulo Lapis t. 2. p. 91.
Achillea, vide Millefolium.
Acidus Sapor *quid ſit.* t. 1. p. 12.
Acinos. t. 1. p. 13.
Acinus. ibid.
Aconitum, ejuſque ſpecies, & præparata curioſa. ibid. & ſeq.
Acorus. t. 1. p. 14.
Acuſtica medicamenta, quid, & quænam ſint. t. 1. p. 15.
Adamas, vid. Gemmæ *ſub titulo* Lapis t. 2. p. 92.
Adarca ibid.
Adianthum ejuſque ſpecies variæ ibid.
Ægagropilæ t. 2. p. 730.
Aer quatenus inſtrumentum Pharmaceuticum t. 2. p. 28.
Æs quid ſit, & quomodo in orichalcum mutetur t. 1. p. 16.
Æs quomodo coloretur, & ejus varia præparata. ibid.
Aetites vid. ſub titulo Lapis. t. 2. p. 90.
Aetitis Lapidis præparata, ac præcipuè Quinta Eſſentia ad calculum frangendum t. 2. p. 121.
Agallochum t. 1. p. 20.
Agaricum, & ex eo præparata ibid. & t. 2. p. 999.
Ageratum t. 1. p. 20.
Agnus caſtus t. 1. p. 21.
Agrifolium ibid.
Agrimonium, vid. Eupatorium.
Alabaſtrites, vid. ſub Titulo Lapis t. 2. p. 122.
Alauda t. 1. p. 22.
Album Græcum, vid. ſub titulo Canis
Alce, vid. ſub titulo Cervus
Alcis Cornu, nervi, & Ungulæ ibid.
Alcea ibid.
Alchimilla ibid. & ſeq.
Alchymia quid ſit t. 1. p. 23.
Alchymia, quam Chryſopœiam vocant t. 1. p. 24.
Alchymiæ Antiquitas ibid. & ſeq.
Alcyonium, vid. Spuma & flos maris.
Alexipharmaca medicamenta quid, & quænam ſint. t. 1. p. 26.
Alga t. 1. p. 28.
Alhandal, vid. Colocynthis.
Alica ibid.
Alkaeſt. vid. Menſtruum *ſub Titulo* Extractum.
Alkali ibid. & ſeq.
Alkali & Acidi pro Principiis rerum naturalium Inſufficientia demonſtratur, & in hoc argumento Epiſtola

Clar. Iob. Bohnii *ad Nob.* Ioëlem Langelottum *conſcripta adfertur.* Tom. 1. Pag. 29.
Alkali & Acidi univerſa doctrina à Clar. Iacobo Barnero *ad examen revocatur.* t. 1. p. 36.
Alkekengi t. 1. p. 40.
Alkermes, vid. Kermes.
Alkool quid ſit. ibid.
Alleluia, vid. Trifolium acetoſum.
Alliaria ibid.
Allium ibid. & ſeq.
Allium ſerpentinum, vid. Victorialis.
Alnus t. 1. p. 41.
Aloe, & ejus præparata varia. ibid. & ſeq.
Alſine t. 1. p. 43.
Altercum, vid. Hyoſciamus.
Althæa ibid.
Alumen, vid. ſub titulo Sal. t. 2. p. 755. & ſeq.
Alumen plumeum, vid. Amiantus.
Alvum ſubducentia, vid. Hypactica.
Alyſſum t. 1. p. 44.
Amaracus, vid. Majorana.
Amaranthus ibid.
Amaranthus Luteus, vid. Stœchas.
Ambarum, & Ambra, ejuſque hiſtoria ibid. & ſeq.
Ambara, Piſcis. t. 1. p. 45.
Ambra nativa an detur? t. 1. p. 44.
An ſit ſpuma maris? ibid.
An ſit jecur cujuſdam piſcis? t. 1. p. 45.
An ſit ſperma Ceti? ibid.
An ſit fructus arboris ſub mari creſcentis? t. 1. p. 46.
An ſit Camphoræ ſpecies? ibid.
An ſit ſpecies Naphthæ? ibid.
An generetur in mari in ſpeciem fungorum, & à fluctibus maris in littus ejectari ſoleat? t. 1. p. 47.
An ſit gemma quædam? ibid.
An ſit verum & nativum ſulphur? ibid.
An ſit terra? ibid.
An fiat ex quodam fructu ad maris littus naſcente? t. 1. p. 48.
An ſit manatio fontis in mari ad inſtar bituminis? ibid.
An ſit ſuccinum? t. 1. p. 49.
An ſit excrementum belluæ marinæ? t. 1. p. 10.
An ſit recrementum Balænæ? ibid.
An ſit fimus odoratiſſimus avis Indiæ orientalis? t. 1. p. 51.
An è favis Apum conſtetur? t. 1. p. 52.
Ambra gryſea Vires, & præparata. t. 1. p. 53.
Ambra moſchata in forma ſicca ex Cnœffelio t. 1. p. 636.
Ambroſia t. 1. p. 53.
Ambroſia ex Pharm. Perſica t. 1. p. 784.
Archilei ex VVeckero t. 1. p. 765.
Ambuſta, ſeu Remedia ad Ambuſta, quid & quænam ſint. ibid.
Ametiſtus, vid. ſub Titulo Lapis. t. 1. p. 91.
Amianthus, vid. ſub Titulo Lapis. t. 2. p. 87.
Amianthi vires medicæ t. 2. p. 127.
Ammi t. 1. p. 54.
Ammoniacum ibid. & t. 2. p. 757.
Ammoniaci ſalis præparata t. 2. p. 757. & ſeq.
Amomum t. 1. p. 54.
Ampelitis, vid. ſub titulo Terra.
Amuleta, eorum hiſtoria, & variæ ſpecies. t. 1. p. 55.
Amuleta Cnœffelii *varia in fluxu hæmorrhoidum* t. 2. p. 904
Amuleta varia Cnœffelii *ad fluxum menſtruorum nimium* t. 2. p. 1135.
Amuletum cœleſtinum contra vertiginem, melancholiam, epilepſiam &c. Cnœffelii. t. 1. p. 538.
Amurca quid ſit. t. 1. p. 56.
Amygdalæ ibid. & ſeq.
Amylum, t. 1. p. 58.
Ἀναχολλήματα ſeu agglutinamenta quid ſint? ibid.
Anacardium ibid. & ſeq.
Anacathartica, vid. Pectoralia.
Anagallis t. 1. p. 59.
Anagallis Aquatica, vid. Beccabunga.
Anagyris ibid.
Analeptica medicamenta quid ſint ibid.
Ananas t. 1. p. 60.
Anas ibid.
Anaſtomotica medicamenta quid ſint ibid.
Anatrum, vid. ſub titulo ſal.
Anchuſa ibid.
Androſæmum, vid. Hypericum. ibid.
Anemone ibid.
Anethum ibid. & ſeq.
Angelica t. 1. p. 61.
Anguilla ibid.
Anguis, vid. Serpens.
Animal quid ſit ibid. & ſeq.
Animalium ſolertiæ variæ hiſtoriæ ibid.
Animalium generatio an ſit ſpontanea, aut æquivoca? t. 1. p. 64.
Animalia, An omnia quæ unquam fuerunt & futura ſunt initio creata fuerint, an novâ in dies generatione producantur? t. 1. p. 66.
Animalcula quæ generatione augentur, & perficiuntur in ovo fœmineo, an in ſemine maſculo hoſpitantur? t. 1. p. 69.
Animalium diſtinctio in Vivipara, & Ovipara. t. 1. p. 72.
Diviſio ibid. & ſeq.
Tabula Generalis t. 1. p. 73.
Quadrupedum viviparorum piloſorum diviſio t. 1. p. 74.
Viviparorum Quadrupedum Tabula ibid.
Partes carnoſæ uſitatiores t. 1. p. 75.
Partes membranoſæ ibid.
Cornua & oſſa ibid.
Animalia Cruſtacea, ſeu Teſtacea ibid.
Animalium Lapilli ibid.
Lac. ejuſque ſerum ibid. & ſeq.
Fel, eaque uſitatiora t. 1. p. 76.
Medullæ officinales ibid.
Axungia, ſevum & ſanguis. ibid.
Stercus, & Vrina ibid.
Vngues, Vngulæ uſitatiores, & Coagula t. 1. p. 77.
Animal moſchiferum, vid. Moſchus
Anime Gummi t. 1. p. 77.
Aniſum ibid.
Annulus Stellatus Helmontii ex Cnœffelio t. 2. p. 904.
Anodyna, & Narcotica, Eorum explicatio, quid ſint, & quomodo agant t. 1. p. 78.
Anodynum minerale, vide Cryſtallus mineralis.
Anonis, vide Ononis.
Anſer, ejuſque partes medicamentoſæ t. 1. p. 80.
Anſerina, vid. Argentina.
Antalia ibid.
Antepilepticum ſolare t. 1. p. 531.
Antepilepticum Lunare ibid.
Anthelmintica remedia, quid ſint, quænam ſint, & quomodo agant. t. 1. p. 81.
Anthora t. 1. p. 83.
Anthos, vid. Roſmarinus.
Anthrax, vid. Rubinus.
Antidota ſpecialia t. 2. p. 1018. & ſeq.
Antidotum, vid Alexipharmaca.
Antidotus Analeptica ex Pharm. Lond. t. 1. p. 766.
Aſyncritica Actuarii ex Renodæo ibid.
Eſdræ ex VVeckero t. 1. p. 765.

Aliud

Aliud ex eodem Tom. 1. Pag. 766.
Antidotus Hæmagoga, ex Pharm. Lond. t. 1. p. 767.
— *Lyſipyretos D* Cnœffelii t. 1. p. 911.
Matthioli, ex Pharm. Aug. t. 1. p. 765.
Theriacalis ex Pharm. Reg. Zvvelferi t. 1. p. 768.
Secunda, antidyſenterica, ex eod. t. 1. p. 769.
Antihypnotica medicamenta, vid. Hypnotica t. 1. p. 1016.
Antimonium quid ſit, ejuſque delectus t. 1. p. 83.
Antimonii Vires in genere ibid.
Præparata varia t. 1. p. 84.
Calcinatio ſicca in Crocos, Diaphoretica, Regulos, *&* Vitra ibid. & ſeq.
Præparatio in Crocum metallorum t. 1 p. 86.
Rulandi ibid.
Crocus Regulatus. t. 1. p. 87.
Antimonium Diaphoreticum, ejuſque variæ præparationes. t. 1. p. 87. & ſeq.
Antimonium diaphoreticum ſolare D. Cnœffelii. tom. 1. p. 717. & 1005.
Antimonii Regulus, ejus variæ præparationes, ex eoque varia præparata remedia. t. 1. p. 90 & ſeq.
Regulus Martialis. ibid.
Jovialis. t. 1. p. 91.
Solaris. ibid.
Antimonii Ceruſſa diaphoretica. ibid.
Solaris. ibid.
Antimonii Vitrum album. t. 1. p. 84.
Diaphoreticum. ibid.
Flavum. ibid.
Hyacinthinum. ibid.
Nigrum. ibid.
Purgans. t. 1 p. 85.
Regulinum. t. 1. p. 84.
Rubeum. ibid.
Solare. ibid.
Vitri Correctiones variæ. ibid.
Antimonii Præcipitata varia. t. 1. p. 92. & ſeq.
Sublimatio, unde Cinnabaris *&* Flores. t. 1. p. 93. & ſeqq.
Florum correctiones variæ. t. 1 p. 94. & ſeq.
Deſtillatio, unde Aceta, Olea, Spiritus, *eorumque variæ præparationes.* t. 1. p. 95. & ſeq.
Extractio, unde Sulphura & Tincturæ. t. 1. p. 99.
Sulphuris variæ præparationes. t. 1 p. 100.
Tinctura variæ. t. 1. p. 101. & ſeq.
Crudi Infuſio. t. 1. p. 106.
Vitri, tum Croci metallorum varia Infuſa. tom. 1. p. 107.
Salificatio, unde Antimonii Sal, *ejuſque variæ præparationes.* ibid. & ſeq.
Mercurificatio. t. 1. p. 108.
Currus Triumphalis Baſilii Valentini *à Theodoro Kerckringio commentatus.* t. 1. p. 108. & ſeq.
Antirrhinum. t. 1. p. 145.
Antiſcorbutica Medicamenta quid, & quænam ſint, t. 1. p. 146.
Antithora, vid. Aconitum.
Antaphrodiſiaca, ſeu Antivenerea Medicamenta, quid & quænam ſint. ibid. & ſeq.
Aparine. t. 1. p. 147.
Aper, ejuſque partes medicamentoſæ. t. 1. p. 148.
Aperientia Remedia quid & quænam ſint, & quomodo operentur. ibid & ſeq.
Aperitivum martiale hepaticum D. Cnœffelii t. 1 p. 976.
Apes, earumque partes officinales. t. 1. p. 150.
Aphaca. t. 1. p. 151.
Apium. t. 1 p. 152.
Apoerouſtica, quid & quænam ſint. ibid.
Apocynum. ibid.
Apollinaris, vid. Hyoſciamus.
Apophlegmatiſma, vid. Maſticatoria.
Apoſtema aperientia quid, & quænam ſint. t. 1. p. 153.
Apozema quid ſit, & quomodo fiat, ejuſque variæ ſpecies. ibid. & ſeq.
Apozema cholagogum. t. 1. p. 154.
Hydragogum. t. 1. p. 155.
Melanagogum. t. 1. p. 154.
Mixtum. t. 1. p. 155.
Phlegmagogum. t. 1. p. 154.
Aphrodiſiaca Remedia quid, & quænam ſint in genere. t. 1. p. 155.
Aphrodiſiaca aliquot ſpecifica ex Cnoëffelio. t. 1. p. 156. & ſeqq.
Aqua in genere & de ejus variis Differentiis & qualitatibus. t. 1. p. 157.
Aqua, quatenus inſtrumentum Pharmaceuticum. t. 2. p. 33. & ſeqq.
Aqua ſimplex. t. 1. p. 157.
Aquæ mixtæ ſeu compoſitæ medicatæ in genere, de earum cauſis, & de mixtionis cum mineralibus diverſo modo & ratione. t. 1. p. 158.
Aquæ auriferæ, gemmiferæ, aliæque terrâ infectæ. ibid.
Aquæ ſive Fontes, terreno luto infecti. t. 1. p. 159.
Aquæ & fontes ſalſi. ibid.
Aquæ & fontes Nitroſi. ibid.
Aquæ Sulphureæ & bituminoſæ. t. 1. p. 160.
Aquæ Aluminoſæ. ibid.
Aquæ ſucco lapideo, ſeu petrifico pollentes. ibid.
Aquæ metallicæ. ibid.
Aquarum medicatarum mixtura; id eſt; Quomodo & qua induſtria, quænam mineralia ac metallica corpora cuivis Aquæ medicatæ inſint, per nonnulla experimenta cognoſci poteſt. t. 1 p. 161.
Aquæ, Fontes, & Thermæ Europæ & primò de Luſitaniæ & Hiſpaniæ fontibus & Thermis. t. 1. p. 162.
Aquæ ſeu Fontes Medicati Galliæ. t. 1. p. 163.
Aquæ, Fontes, & Thermæ Germaniæ. t. 1. p. 164.
Aquæ, Fontes, & Thermæ Hungariæ, Tranſilvaniæ, cæterarumque adjacentium Regionum Septentrionalium. t. 1. p. 165.
Aquæ, Fontes, & Thermæ Italiæ. ibid.
Aquæ, Fontes, & Thermæ Aſiæ, Africæ, & Americæ. t. 1. p. 168.
Aquarum Medicatarum facultas, contra tot ac tam differentes morbos unde profluat. t. 1. p. 169.
Aquarum mineralium, plurimarum Galliæ Provinciarum, Obſervationes in Academia Scientiarum factæ ex Du Clos t. 1. p. 171.
De Aquis, ſive Fontibus Medicatis Angliæ Exercitatio, Nova & Prior Clariſſ. Martini Liſteri. tom. 1. p. 176.
De Aquis, ſive Fontibus medicatis Angliæ, Exercitatio altera Clar. Liſteri. t. 1. p. 188.
Aquæ ſive Balnea metallica artificio paranda ex libro Poſthumo Franciſci Frizimelicæ. t. 1. p. 211.
Aquæ metallicæ in genere, & de generatione ipſarum. ibid. & ſeqq.
Aquæ acidulæ artificiales Kyperi. t. 1. p. 218.
Mangeti. ibid.
Aqua Fluvialis. t. 1. p. 218.
Fontana. ibid.
Nivea. t. 1. p. 219.
Paluſtris. t. 1. p. 218.
Pluvialis. ibid.
Putealis. ibid.
ex Rore, unde multa ex rore præparata. t. 1. p. 219. & ſeqq.
Aquæ pluvialis Spiritus acidus, & ardens Joh. Fabri. t. 1. p. 220.
Aquæ ſtillatitiæ tam ſimplices, quàm compoſitæ in genere, & de Aquas deſtillandi modis variis. t. 1. p. 222.
Aquas per veſicam deſtillandi modus. t. 1. p. 224.
Aqua roſarum nobilis ex Roſis ſalitis. t. 1. p. 225.

Aquam

Aquam odoriferam ex fermentatis floribus Sambuci eliciendi modus. t.1. p. 225.
Aqua ex floribus Caryophyllorum. t.1.p.226.
Liliorum convallium. ibid.
Nobilis Veronicæ. ibid.
Aquarum deſtillatarum ad ſolem inſolatio, & earundem conſervatio. ibid.
Aqua & Spiritus Abſinthii compoſit. D. Goddard. t.1. p. 265.
magis compos. Londin. t.1 p.226.
minus compos. Londin. ibid.
Acuſtica, ſive ad auditum D. Mindereri. ibid.
ad Auditum difficilem D.Belzeri. t.1. p.276.
Alba pro pueris D. Doreri. ibid.
Alexipharmaca Amſtelodamens. t.1. p. 227.
Alexipharmaca, ſive Alexiteria D. Clementis. tom.1. p. 276.
Alexipharmaca, ſive Alexiteria D. Goddard. t. 1. p. 265.
Alexipharmaca, ſive Alexiteria alia, ejuſd. ibid.
D. Mayerne. t.1.p.278.
D. Muſitani. t.1. p.284.
D.Zvvelferi. t.1.p.226.
Aloëtica ſolutiva D. à Mynſicht. t.1.p.284.
Aluminoſa Pharm. Bat. t.1.p.262.
D. Fallopii. t.1.p.227.
D. B. ex Hoffmanno. t.1. p. 272.
D. Liebautii. t.1. p. 227.
Analeptica ex animalium partibus deſtillata Rolfinc. ibid.
D. Schillengii. t. 1. p.276.
Angelica Peſtilentialis Collect. Leyd. t.1.p.227.
Angelorum odorata D. de Scobbis. ibid.
Anhaltina Schroderi. ibid.
Animalis Ph. Bat. t. 1. p. 262.
Aniſi cum Spiritu Vini, Belzeri. t.1. p.276.
Antepileptica Pharm. Aug. t.1. p.233.
Ex cerebro humano. t.1. p.992.
Daniæ Regis. t.1 p. 275.
Reginæ. t.1.p.274.
Hartmanni. t.1. p.273.
D. R. ex Hoffmanno. t.1 p 265.
Langii. t.1. p. 233.
D. Mayerne. t.1.p. 278.
D. à Mynſicht. ibid.
& cephalica D. Zvvelf. t.1.p. 33.
& podagrica ejuſd. ibid.
Seu hyrundinum compoſita ejuſd. ibid.
è Volucrum ſpecie differentium pullis ejuſdem. t.1. p.254.
Anticolica P.H.D. ex Hofm. t.1.p. 269.
Antifebrilis D.B. t. 1. p. 274.
alia ejuſd. ibid.
D. à Mynſicht. t.1.p.282.
Timæi. t.1. p.259.
Antihectica D.Muſitani. t.1. p. 284.
Schroderi. t.1 p.235.
alia ejuſd. ibid.
Antihydropica D. à Mynſicht. t. 1. p. 282.
Antihypochondriaca D.Coci. t.1 p.276.
Seu Aperitiva Hoffman. t.1.p.269.
Antimelancholica Fiſcheri. t. 1. p. 227.
Antimonii per inferiora purgans ex collect. Bierling. t 1. p.273.
Antiparalytica Amſtelodamens. t.1.p. 239.
Charraz. ibid.
Antiphthiſica Ph. Bat. t.1. p. 262.
in phthiſi valdè utiles Weickard. t.1. p.258.
ex Sanguine humano, ex collect.Bierl. t.1.p. 273.
certiſſima, D. Bucretii. ibid.
D. à Mynſicht. t.1.p.280.
Antipodagrica P.H. D. ex Hartmanno. t.1. p.273.
Aqua Antipodagrica Quercetani. t.1. p.251.
Joh. Raici. ibid.
Antiſcorbutica Ph. Bat. t 1. p. 262.
alia ejuſd. ibid.
Bierlingii. t.1 p. 272.
Bontekoe. t.1.p.241.
Dornkreilii. t.1. p.240.
D. B. O. ex Hoffmanno. t.1.p.269.
D.R.R. ex eodem. ibid.
D.V.S. ex eodem. t.1 p.270.
ad phthiſin ejuſd. ex eodem. ibid.
D. Kiſtij. t.1.p.276.
D. à Mynſicht. t.1.p.281.
Norimbergens. t.1. p.241.
Calida ex Succis Timæi. t.1.p.259.
frigida ex ſuccis ejuſd. ibid.
Zvvelferi. t.1.p.241.
Antivenerea Muſitani. t.1.p.284.
Aperitiva Landgravii. t.1.p.276.
Schroderi t. 1. p. 227.
Timæi. t.1.p.259.
Apoplectica Charraz. t.1. p.228.
Crollii. t.1.p.227.
D.H. ex Hoffmanno. t.1.p. 265.
P.H.D. ex eodem. ibid.
H. ex eodem. ibid.
vidua Hoffmann. t.1. p.278.
Spirituoſa Juncken. t 1 p.228.
Sine Caſtoreo Kolreiteri. t.1.p. 277.
Langii *vid. Aqua mirabilis* Langii.
Ludovici. t. 1. p.228.
D. Mayerne. t.1.p.278.
D. à Mynſicht. t.1.p.279.
Norimbergenſis. t.1.p.218.
cum Ambra & moſcho D. Rothii. t.1 p.277.
Saxoniæ Electrici s. t.1. p. 228.
Sennerti. ibid.
Heroica Timæi. t.1. p.257.
Wedelii. t.1. p.228.
Zvvelferi. ibid.
Alia ejuſd. ibid.
Mineralis ejuſd. ibid.
Apoſtematica D Kolreiteri. t.1.p.276.
Ad Ariduras ex Hoffmanno. t.1. p.266.
Aromatica Norimbergenſis. t. 1. p. 229.
Artemiſia compoſita D Joh Jac. Reiteri.t.1 p.277.
Arterialis Muſitani. t.1. p 284.
alia ejuſd. ibid.
Arthritica Ph. Aug. t.1.p.229.
alia ejuſd. Ph. Aug. ibid.
D.C. ex Hoffmanno. t.1.p.265.
D.L. M. ex eodem. t.1.p.266.
P.H.D. ex eodem. ibid.
Mollenbrockii. t. 1. p. 229.
Tilemanni. t. 1 p. 273.
alia ejuſdem. ibid.
ex herbis calidis Timæi. t. 1. p. 259.
ex Radicibus calidis ejuſd. t.1. p.261.
Zvvelferi. t.1.p. 229.
Aſthmatica Ph. Aug. t.1. p. 229.
alia ejuſd. Pharm. ibid.
D.R ex Hoffmanno. t.1. p.266.
D.P ex eodem. ibid.
Alia pro D.S.B. ex eodem. ibid.
Alba D.Mavii. t.1. p.275.
Zvvelferi. t.1.p.229.
Aurea D. Doreri. t.1. p.276.
Langii. t.1.p.229.
Aurum ſolvens ſine corroſione, & deaurans. t. 1. p. 275.
Bardana compoſita Ph. Aug. t.1.p.229.
Bechica Ph. Bat. t. 1. p. 262.

Benedicta

Aqua Benedicta Ph. Bat. Tom.1. Pag.262.
Compoſita ejuſd. Ph. Bat. ibid.
Bezoardica Altenburgens. ex Hoffm. t.1. p.269.
Michaëlis Angeli Rotæ. t.1. p. 230.
Charraz. t.1. p.229.
Collegii Regal. Lond. t.1. p. 230.
Temperata D.F.H. ex Hoffm. t.1. p. 269.
Landgravii. t.1. p.276.
Muſitani t.1. p.284.
Schroderi. t.1. p.229.
Timæi. t.1 p. 258.
Bryoniæ compoſita Timæi. ibid.
Burſæ paſtoris D. Le Mort. t. 1. p.255.
Contra Calculum D. Doreri. t.1. p.276.
D. L. t. 1. p. 173.
ab Hungaro communicata. t.1. p.275.
Norimbergens. t.1. p. 230.
Chalybeata Ph. Bat. t. 1. p.263.
Chamæmel. compoſ. Ph. Bat. t.1. p.263.
Chamœmel. compoſ. D. Godd. t. 1. p. 265.
Camphorata Ph. Bat. t.1. p.262.
Cancrorum ſimplex. t.1. p. 230.
ex D. Cnœffelio. t.1. p. 914.
Compoſita ophthalmica D. L'Emery. t.1. p.230.
Ad Capillos denigrandos ex Hoffm. t.1. p. 271.
alia t.1. p.272.
Caponis compoſita Ph. Aug. t.1. p. 230.
D. à Mynſicht. t.1. p.280.
Carbunculi Ph. Aug. t. 1. p. 230.
Cardiaca D. Doreri t. 1 p. 276.
Cardui benedicti D. Le Mort. t. 2. p. 252.
Carminativa Dorncreilii t. 1. p. 231.
D. Mayerne. t.1. p. 278.
Sive de chamomilla compoſita Schrod. tom.1. p. 230.
Schvvalenbergeri. t.1. p.277.
Zvvelferi. t.1. p. 231.
Caryophyllorum Ph. Bat. t.1. p.262.
Caſtitatis D. à Mynſicht. t.1. p. 282.
Et ſpiritus Caſtorei Londin. t.1. p.231.
Contra catarrhos ex Hoffmanno. t.1. p. 266.
ad catarrhos deſiccandos ex Schrodero t.1. p.230.
cauſtica F.F. t.1. p.251.
alia. ibid.
Cephalica Ph. Bat. t. 1. p.262.
I. A. ex collectione Bierling. t.1. p. 273.
Interna D. P.H. ex Hofm. t.1. p. 266.
Externa P. H.D. ex eodem. ibid.
ad intra Kolreiteri. t.1. p.276.
Calida ad intra Mavii. t.1. p.275.
ad extra ejuſd. ibid.
Regis Poloniæ. ibid.
Schroderi. t.1. p.231.
Schvvalenbergeri. t.1. p.276.
Calida Timæi. t.1. p.257.
ex Succis ejuſd. ibid.
ex herbis calidis ejuſd. t.1. p.259.
ex herbis frigidis ejuſd. t.1. p. 260.
ex floribus calidis ejuſd. ibid.
ex floribus frigidis ejuſd. ibid.
ex Radicibus calidis ejuſd. ibid.
ex ſeminibus calidis ejuſd. t. 1. p.261.
ex ſeminibus frigidis ejuſd. ibid.
ex Aromatibus ejuſd. ibid.
ex lignis & corticibus ejuſd. t.1. p.262.
è VVeickard. t.1. p.231.
Ceraſorum compoſita Ph. Bat. t.1. p.262.
Cinnamomi bugloſſata D. à Mynſicht. t.1. p. 281.
Cardiaca Pharm. Aug. t.1. p. 231.
Pharm. Bat. t.1. p.263.
Cydoniata Pharm. Aug. t.1. p.231.
Hordeata Pharm. Batean. t.1. p.263.
Aqua Cinnamomi contra epilepſiam Norimberg. tom. 1. p. 231.
Cochlearia compoſita D. Goddard. t.1. p.265.
D. Le Mort. t. 1. p.254.
Cœleſtis Londinens. t.1. p.231.
Contra colicam D. Doreri. t.1. p.277.
Communitatis ophthalmica Schroderi. t.1. p.231.
alia ejuſd. ibid.
Confortans uſitata Pharm. Aug. ibid.
Norimbergens. ibid.
Cordialis temperata Pharm. Aug. t.1. p.232.
D.P.H. ex collect. Bierling. t.1. p.274.
Doreri. t.1. p.276.
Frigida D.V.S ex Hoffmanno. t.1. p.267.
Confortans P.H.D. ex eodem. t.1. p.268.
ex Corde Cervi, ex eodem. t.1. p.267.
alia ex Corde Cervi. D.G. ex eodem. ibid.
D. Goddard. t.1. p.265.
Saxoniæ Pharm. Lond. t.1. p.232.
Calida D. à Mynſicht. t.1. p.281.
Frigida ejuſd. ibid.
Norimbergens. t.1 p.232.
D. Pleiſneri. t.1. p.274.
ad pulſum D. Schillingii. t.1. p.277.
Reſtaurans P. de Spina. t.1. p.232.
Calida Timæi. t.1. p.258.
Frigida ejuſdem. ibid.
Odorata ejuſdem. ibid.
è Succis ejuſdem. t.1. p.232.
ex herbis calidis ejuſd. t.1. p 260.
frigidis ejuſd. ibid.
ex floribus calidis ejuſd. ibid.
ex ſeminibus calidis ejuſd. t.1. p.261.
ex fructibus ejuſd. ibid.
ex radicibus calidis ejuſd. ibid.
ex Aromatibus ejuſd. ibid.
Cordium compoſita Pharm. Bat. t.1. p.263.
Cordis Cervi ex collectione Bierlingii. t.1. p. 273.
D. Mayerne. t.1. p.2 8.
D. à Mynſicht t.1. p.281.
è Cordibus animalium D. Mayerne. t.1. p.278.
è Cornu Cervi D. à Mynſicht. t.1. p. 284.
Citrata. Valdſchmid. t.1. p.232.
Contra Cordis palpitationem, Doreri. t.1. p.277.
Corroſiva D.B. ex Hoffmanno. t.1. p.271.
Alia ex eodem. t. 1. p.272.
Coſmetica Pharm. Batean. t.1. p 263.
Coſmetica capilloſaugentes. t.1. p.645.
capillos elongantes. t.1. p 644.
capillos renaſci prohibentes. t.1. p.645.
capillos tingentes. t.1. p. 644. & ſeq.
dentes dealbantes. t. 1. p.646.
oculorum vitia tollentes. t.1. p.645.
odorata varia variorum Authorum tom. 1. p. 644.
faciem illuſtrantes. t.1. p.646.
faciem dealbantes & rubificantes. t. 1. p. 649.
faciem denigrantes. t.1. p.650.
faciei maculas tollentes. t.1. p.651.
faciem juvenilem reddentes. t.1. p.651.
myrrhata St Cloſſæi t.1. p.232.
Columborum Charraz. ibid.
alia ejuſd. ibid.
D. à Mynſicht. t.1. p. 284.
Schroderi. t.1. p.232.
pretioſa ejuſdem. ibid.
Crinalis Pharm. Batean. t.1. p. 63.
Cucumerum compoſita Ph. Bat. t.1. p. 263.
Cynosbati compoſita Ph. Bat. ibid.
de Cypro ex Hoffmanno. t.1. p. 271.
Alia ex eodem. ibid.
Damaſcena Doreri. t.1. p.277.

Aqua

Aqua Damaſcena
Hamburgens. ex Hofm. t.1.p.268.
odorifera Schroderi. t.1.p.232.
contra Dentium dolores D. Luchtenii. t.1.p.277.
pro dentium ablutione ex Hofmanno. t.1.p.274.
D. Berger. ibid.
Digerens ſimplex. t.1.p.259.
Digitalis Ph. Bat. t.1.p.263.
Divina. t.1.p.991.
Diuretica D. D'Aquin. t.1.p.231.
Charraz. ibid.
S. Cloſſæi. ibid.
ex nucleis F. F. Schroderi. t.1.p.232.
Timæi. t.1.p.259.
Dominarum D. à Mynſicht. t.1.p.283.
Dyſenterica D.G.R. ex Hoffm. t.1.p.270.
alia P.H.D. ex eodem. ibid.
alia D.D.R. ex eodem. ibid.
Schroderi. t.1.p.233.
Sive Balſamum Embryonum Ph. Aug. ibid.
Pharm. Bat. t.1.p.263.
Epidemica Londinens. t.1.p.233.
Pharm. Bat. t.1.p.263.
pro Epithemate Cordis. t.1.p.234.
Expulſiva D. Veckeri. t.1.p.274.
Faciei maculas delens. t.1.p.271.
ex lue Venerea delens. ibid.
Febrifuga Pharm. Bat. t.1.p.263.
ad Quartanarios Charraz. t.1.p.234.
D. à Mynſicht. t.1.p.282.
Schroderi. t.1.p.234.
contra Febres Hecticas Timæi. t.1.p.259.
Malignas ejuſd. ibid.
pro Fœtore oris D. Weickard. t.1.p.234.
Formicarum Ph. Bat. t.1.p.263.
Fortis Aluminata Ph. Bat. ibid. & t.2.p.895.
Duplex Ph. Bat. ibid.
Fumariæ compoſita Ph. Aug. t.1.p.234.
D. Le mort. t.1.p.255.
ad Gangrænam D. LEmery. t.1.p.235.
Gentianæ compoſita Londinens. ibid.
Gilberti Pharm. Lond. ibid.
ad Gingivarum exulcerationem & putredinem ex Hoffmanno. t.1.p.271.
Contra Gonorrhœam D.F.H. ex Hoffm. t.1.p.270.
Juncken. t.1.p.235.
Muſitani. t.1.p.285.
virulentam Quercet. t.1.p.235.
Hæmoptoïca Ph. Bruxellens. ibid.
Hellebori nigri D. Gantzlands. t.1.p.273.
Hepatica P.H.D. ex Hoffm. t.1.p.270.
alia ejuſd. ex eodem. ibid.
calida D. à Mynſicht. t.1.p.281.
Frigida ejuſdem. ibid.
ex herbis calidis Timæi. t.1.p.260.
frigid. ejuſd. ibid.
ex floribus calidis ejuſd. ibid.
frigidis ejuſd. ibid.
ex ſeminibus calidis ejuſd. t.1.p.261.
frigid. ejuſd. ibid.
calida ejuſd. t.1.p.258.
frigida ejuſd. ibid.
Hepatica ex Radicibus calidis Timæi. t.1.p.261.
frigidis ejuſd. ibid.
ex lignis & corticibus ejuſd. t.1.p.262.
ex fructibus ejuſd. ibid.
Herpetica Ph. Bat. t.1.p.263.
Hirundinum uſitata Ph. Aug. t.1.p.235.
compoſita ejuſd. Ph. ibid.
major ejuſd. Ph. ibid.
Ph. Batean. t.1.p.263.
D. Le Mort. t.1.p.257.
Hormini Ph. Bat. t.1.p.263.
Aqua Hungarica Ph. Bat. t.1.p.263.
Hydropica D. Coci. t.1.p.277.
P.H.D. ex Hoffman. t.1.p.270.
Hydrotica tempore peſtis, D. Weickard. t.1.p.235.
Hypnotica, ſeu ſomnifera ex collect. Bierling. t.1. p.273.
Altenburgenſis ex Hoffm. t.1.p.266.
D.V.S. ex eodem. ibid.
D. à Mynſicht. t.1.p.279.
D. Reineſii. t.1.p.273.
D Veckeri. ibid.
Hyſterica vulgò Panalis Heraclei compos. Pharm. Aug. t.1.p.236.
ex collectione Bierlingii. t.1.p.272.
Charraz. t.1.p.236.
compoſita perlata D. Cnœffelii. t.2.p.1132.
Crollii. t.1.p.235.
D. G. R. ex Hoffmanno. t.1.p.270.
Alia D. R. ex eodem. t.1.p.271.
Alia P. P. ex eodem. ibid.
Mathæi Martini. t.1.p.235.
D. Mayerne. t.1.p.278.
D. à Mynſicht. t.1.p.283.
Succincta & efficax D. Le Mort. t.1.p.236.
Timæi. t.1.p.259.
ex herbis calidis ejuſd. t.1.p.260.
Zvvelferi. t.1.p.236.
Contra Icterum Timæi. t.1.p.258.
Imperialis è Ph. Lond. t.1.p.236.
Inaurans. t.1.p.274.
Inſtaurans D. Mayerne. t.1.p.278.
Iſchiatica. t.1.p.274.
Juglandium compoſit. Ph. Lond. t.1.p.236.
Juventutis D. Weickard. ibid.
Lactis Alexiteria Ph. Bat. t.1.p.263.
Nephritica ejuſd. Ph. ibid.
Pectoralis ejuſd. Ph. ibid.
Scorbutica ejuſd. Ph. t.1.p.264.
Lamii compoſita ejuſd. Ph. ibid.
& Spiritus Lavendulæ compoſit. Matthiæ è Ph. Colleg. Reg. Lond. t.1.p.236.
Lavendulæ compoſita Schroderi. ibid.
Laxativa efficax D.D. Zvvelfer. ibid.
Lenitiva D. Goddard. t.1.p.265.
Limacum magiſtral. è Pharm. Coll. Reg. Lond. t.1.p.237.
Lithontriptica D. à Mynſicht. t.1.p.283.
& Spiritus Lumbricorum magiſtral. è Ph. Colleg. Reg. Lond. t.1.p.237.
Magnanimitatis K. ex Hoffm. t.1.p.268.
Laurenbergii. t.1.p.274.
in Officina Regia. t.1.p.528.
ex Schrodero. t.1.p.237.
alia ex eodem. ibid.
Mariæ è Ph. Colleg. Reg. Lond. ibid.
Martialis D. Le Mort. t.1.p.257.
Maſtichina è Ph. Aug. t.1.p.237.
D.D.L. ex Hoffm. t.1.p.270.
D. à Mynſicht. t.1.p.279.
ſtomachica Zvvelfer. t.1.p.237.
Melluminata Ph. Bat. t.1.p.264.
ad memoriam confortandam Nobilis Sileſii. t.1. p.273.
D. VVeikard. t.1.p.237.
Mercuriata Ph. Aug. t.1.p.237.
Pharm. Bat. t.1.p.264.
Mirabilis M.H. t.1.p.275.
Et divinæ ferè virtutis ſenio confectos quaſi re-juveneſcere faciens, etiam vulnera & ulcera ſanans, O.B. ex Hoffmanno. t.1.p.268.
ad Morphæam. t.1.p.274.
Muſcarum Crinalis D. Lemery. t.1.p.237.
Narcotica

Aqua Narcotica Mynſicht. t.1. p.279.
Nephritica Ph. Aug. t.1.p.238.
Amſtelodamens. ibid.
correcta D. de Bellegarde. ibid.
D. Cnæffelii. t.2. p. 443.
D.G.R. ex Hoffmanno. t.1. p. 270.
Alia D. R. ex eodem. ibid.
Alia R. G. ex eodem. ibid.
è Miſcellan. Curioſ. Dec. 1. Ann. 7. t.1.p.238.
D. à Mynſicht. t.1. p.283.
Rolfincii. t.1.p.272.
ex herbis calidis Timæi. t.1. p.260.
frigidis ejuſd. ibid.
ex floribus calidis ejuſd. ibid.
ex ſeminibus calidis ejuſd. t.1. p.261.
frigidis ejuſd. ibid.
ex fructibus ejuſd. ibid.
ex radicibus calidis ejuſd. ibid.
frigidis ejuſd. ibid.
ex lignis, & corticibus ejuſd. t.1.p.262.
Wedelii. t.1.p.238.
compoſita Weickard. ibid.
Zvvelferi. ibid.
Nervina Timæi. t.1.p.259.
Nigra Chirurgorum ad gangrænam & Sphacelum t.1. p. 275.
ad oculos Saphirea. t.1.p.250.
Ocularis D.V.S. ex Hoffmanno. t.1.p.266.
Alia ejuſd. ex eodem. ibid.
Externa D.Cnæffelii. t.2.p.489.
ad Oculos uſitata è Ph.Aug. t.1. p.238.
Odontalgica externa P. H. D. ex Hofm. t.1 p.271
Odorata egregia Charraz. t.1.p.239.
Odorifera Ph. Aug. t. 1.p. 238.
Pharm. Bat. t.1.p.264.
Zvvelferi. t.1. p.238.
pro epithemate Cord. & pulſuum ejuſd. Zvvelfer. t. 1. p. 239.
Omnium florum Ph. Bat. t 1. p.264.
Ophthalmica D. D'Aquin. t.1. p.250.
Ophthalmica ex Collection. Bierling. t.1.p.272.
Pharm. Bat. t.1 p.264.
Sapphirina ejuſd. Ph. ibid.
Ophthalmica Bruni. t.1. p.249.
Ophthalmica Cnœffelii t.2. p. 489
Ophthalmica Donzelli *ex floribus cichorii.* t. 1. p. 250.
Ophthalmica F.F. t.1.p.249.
D. D. K. ex Hoffman. t.1.p. 271.
Alia D. M. ex eodem. ibid.
D. Krauſens. t.1. p.275.
cærulea Juncken. t.1. p. 239.
pretioſa Muſitani. t.1.p.285.
compendioſior ejuſd. ibid.
Aurea D. à Mynſich. t.1. p. 279.
Viridis ejuſd. ibid.
Subnigra ejuſd. t.1.p.280.
de Cancris ejuſd. ibid.
Interna ejuſd. ibid.
Quercetani. t.1. p.250.
Rulandi. t.1. p. 272.
Timæi. t. 1. p 259.
Valentini Villii. t.1. p.250.
Zvvelferi t.1. p.239.
Panis t.1. p. 275.
Papaveris compoſita t. 1. p. 239.
Pectoralis D. Goddard. t. 1. p. 265.
Propectoralis Ejuſd. ibid.
Pectoralis Pharm. Batean. t. 1. p. 264.
D. à Mynſicht. t. 1. p. 280.
Norimbergens. t. 1. p. 239.
Ex herbis calidis Timæi. t. 1. p. 260.

Aq. Pectoralis ex herbis frigidis Timæi t.1. p. 260.
Ex floribus calidis Ejuſd. ibid.
Frigidis Ejuſd. ibid.
Ex ſeminibus frigidis Ejuſd. t. 1. p. 261.
Calidis Ejuſd. ibid.
Ex radicibus calidis Ejuſd. ibid.
Ex fructibus Ejuſd. ibid.
Perlarum compoſita Muſitani t. 1. p. 286.
Confortativa Zvvelferi t. 1. p. 240.
In officina Vſualis t. 1. p. 250.
Perſicariæ compoſita Pharm. Bat. t. 1. p. 264.
Petaſitidis compoſita Londinenſis t.1.p. 240.
Philoſophica Ex collect. Bierling. t. 1. p. 273.
Philoſophorum Ex Schrodero t. 1. p. 240.
Phyſagoga è Pharm. Aug. ibid.
Picarum compoſita Ph. Bat. t. 1. p 264.
Norimbergens. t. 1. p. 240.
Plantaginis. D. Lemort. t. 1. p. 254.
Pneumonica Pharm. Bat. t. 1. p. 264.
Frigida Timæi t. 1. p. 258.
Calida Ejuſd. ibid.
Alia Ejuſd. ibid.
Ad Podagricos dolores Charraz. t. 1. p. 240.
Pœoniæ compoſita Londinenſis ibid.
Polychreſta compoſita Rolfincii t. 1. p. 272.
Hepatica Ejuſd. ibid.
Præſervativa Ex collect. Bierling. ibid.
Prolifica Pharm. Batean. t. 1. p. 264.
Pulmonica D. Coci t. 1. p. 277.
Pulmonum vituli D. à Mynſicht t. 1. p. 280.
Purgans Zvvelferi t. 1. p. 240
Raphani compoſita Londinens. ibid.
Regia Pharm. Bat. t. 1. p. 264.
Regia cum & ſine deſtillatione t. 2. p. 892.
Reginæ Hungariæ ſimplex t. 1. p. 240
Compoſita ibid.
Salivalis Pharm. Bat. t. 1. p. 264.
Salviæ compoſita Norimberg. t. 1. p. 240.
Sarſæ compoſita Pharm. Bar. t. 1. p. 264.
Sarſæ parillæ deſtillata Rolfincii t. 1. p. 272.
Saſſafras Timæi t. 1. p. 258.
Scordii compoſita Londinens. t. 1. p. 241.
Norimbergens. ibid.
Senelorum compoſita Ph. Bat. t. 1. p. 264.
Serpilli Compoſita D. VV. ex Iunken t. 1. p. 241.
Benedicta D. à Mynſicht. t. 1. p. 282.
Siphylica Ph. Bat. t. 1. p. 264.
Somnifera ex collectione Bierling. t. 1 p. 273.
Muſitani. t. 1. p. 286.
Timæi. t. 1. p. 257.
Zvvelferi. t. 1. p. 251.
Splenetica D. Mavii. t. 1. p. 275.
D. à Mynſicht. t. 1. p 282.
F.F. Schroderi. t. 1. p. 241.
Timæi. t. 1. p. 258.
alia ex ſuccis ejuſd. ibid.
ex herbis calidis Timæi. t. 1. p. 260.
frigidis ejuſd. ibid.
ex floribus calidis ejuſd. ibid.
ex ſeminibus calidis ejuſd. t. 1. p. 261.
ex Radicibus calidis ejuſd. ibid.
frigidis ejuſd. ibid.
ex lignis & corticibus ejuſd. t. 1. p. 262.
ex fructibus ejuſd ibid.
Stapediana prima è Pharm. Aug. t. 1. p. 241.
Secunda ex ead. Pharm. ibid.
D. Stephani è Pharm. Londinens. ibid.
Stomachica Ph. Aug. ibid.
D. Hochstetteri è Ph. Aug. ibid.
P. H. D. ex Hoffmanno. t. 1. p. 269.
acetoſa D. à Mynſicht. t. 1. p. 281.
calida ejuſd. ibid.

Aqua Stomachica Timæi. t.1. p. 258.
ex herbis calidis ejuſd. t.1. p. 260.
frigidis ejuſd. ibid.
ex floribus calidis ejuſd. ibid.
ex fructibus ejuſd. t.1. p. 262.
ad Stranguriam Muſitani. t.1. p. 286.
Styptica Pharm. Batean. t.1. p. 264.
D. Matte la Faveur ex Charraz. t.1. p. 251.
alia ejuſd. ibid.
D. Lemery. ibid.
D. D. Weber, *Anchora Sauciatorum ipſi dicta.* t. 1. p. 2 2.
Styptica proceſſus è Miſcellan. Curioſ. Decur. 2. Ann. 4. ibid.
ad ſuffuſionem experti ſſima. t.1. p. 250.
Sudorifera D. Muſitani. t.1. p. 286.
Temperata Baſilii. t.1. p. 889.
Contra Terrorem ex Schrodero. t.1. p. 242.
Terebinthinata è Ph. Lond. t.1. p. 242.
Theriacalis è Pharm. Aug. ibid.
ex D. Charraz. ibid.
Crollii, ſeu ſpiritus theriacalis camphorat. ex Schrodero. ibid.
Seu Sudorifera D. Diemerbroeck. t.1. p. 243.
Cordialis, Bezoartica, D. Donzelli. t.1. p. 242.
alia ejuſd. ibid.
è Pharm. Colleg. Reg. Lond. t.1. p. 243.
Protheriacalis ex ead. Ph. ibid.
Theriacalis Bezoardica, ſive Chyloſtagma Diaphoreticum D. Mindereri. t.1. p. 242.
Theriacalis D. à Mynſicht. t.1. p. 283.
Per infuſionem Norimbergens. t.1. p. 242.
Seu contra Peſtem ex Schrodero. ibid.
D. Steinmetz. t.1. p. 277.
Aqua de Tribus, vid. Mixtura de Tribus.
Triſtantis ex Schrodero. t.1. p. 243.
Tuſſilaginis compoſita Ph. Bat. t.1. p. 264.
Veltheimiana. t.1. p. 274.
Contra variolas in oculis. t.1. p. 274.
& Morbillos Timæi. t.1. p. 259.
Venuſtatis è Ph. Bat. t.1. p. 264.
Contra Veneream luem ex lignis & corticib. Timæi. t.1. p. 262.
Vermifuga è Ph. Bat. t.1. p. 264.
Contra Vermes P. H. D. ex Hoffm. t.1. p. 271.
D. à Mynſicht t.1. p. 283.
Viridis Hartmanni correcta à D. Charraz. t.1. p. 243.
Sive Collyrium viride ad oculorum morbos. t.1. p. 50.
Virtutum D. R. ex Hoffm. t.1. p. 268.
alia Hamburgens. t.1 p. 269.
Virtutis ad extra ad Cor & pulſus D. Mavii t.1. p. 275.
ex Schrodero. t.1. p. 249
Vitæ pro mulieribus Altenburgens. t.1. p. 259.
peſtilentialis Altenburgens. ibid.
Compoſita è Ph. Aug. t.1. p. 243.
Regia D. Charraz. ibid.
pro muliebribus D. Doreri. t.1. p. 277.
Matthioli è Ph. Aug. t.1. p. 243.
Loimica Norimbergens. ibid.
Hibernis popularis, Uſquebach dict è Pharm. Lond. t.1. p. 249.
Mulierum camphorata ſeu ſpiritus matricalis camphorat. ex Schrod. ibid.
Aurea D. Reinholt. t.1. p. 275.
Mulierum, D. VVeickard. t.1. p. 249.
Angelica. ibid.
Aniſi. t.1. p. 247.
Aromatica per infuſionem t.1. p. 244.
Aurea. t.1. p. 245.
Aqua vitæ Carminativa t.1. p. 248.
Cephalica alba t.1. p. 246.
Nobilis ibid.
Cordialis præſtantiſſima. t.1. p. 245.
Alia. ibid.
Diambræ per diſtillationem t.1. p. 244.
Diaſatyrionis t.1. p. 246.
Seu Elixir Vitæ ibid.
Liliorum convallium compoſita t.1. p. 247.
Limonum & Arantiorum t.1. p. 248.
Menthæ. t.1. p. 247.
Nobilis cum Ambra per infuſionem. t.1. p. 244.
Pectoralis optima t.1. p. 247.
Rubra optima t.1. p. 244.
Tartariſata Quercetani t.1. p. 889.
Theriacalis t.1. p. 248.
Contra Ulcera Renum & Veſicæ Timæi. t.1. p. 259.
Antiqua carnem depaſcentia t.1. p. 272.
Vomitiva Æſculapii, ſive ſaturnina, ex Schrod.
Plateri, ex Schrodero ibid.
Contra Urinæ ardorem D. à Mynſicht. t.1. p. 283.
D. Timæi. t.1. p. 259.
Uterina D. R. ex Collect. Bierl. t.1. p. 272
Arcana ex collect. ejuſd. t.1. p. 273.
ex Radicibus calidis Timæi, t.1. p. 261.
Vulneraria è Ph. Bat. t.1. p. 264.
D. F. S. ex Hoffmanno. t.1. p. 271.
de Xyloaloë D. à Mynſicht. t.1. p. 279.
Zedoariæ D. Doreri. t.1. p. 277.
Aquifolium, vid. Agrifolium.
Aquila. t.1. p. 286.
Aquila alba, vid. Mercurius dulcis.
Aquila cæleſtis, vid Sal Ammoniacum. item t.2. p. 189.
Aquilegia. t.1. p. 287.
Arabis, vide Draba.
Arachus, vid. Aphaca.
Araneus ibid.
Arbor quid ſit ibid.
Arbor Dyſenteriæ, vide Macer.
Arbor Vitæ ibid.
Arbor fœtida, vide Frangula.
Arbuſtum, quid ſit. t.1. p. 288.
Arbutus ibid.
Arcanum Alemeth. D. Cnœffelii *in Epilepſia, Hydrope, Podagra, Quartana, & venerea lue.* t.1. p. 531.
Arcanum Aluminis è Ph. Bat. t.1. p. 288
Cephalicum t.1. p. 529.
de Ciconia. t.1. p. 764.
Corallinum Ph. Bat. t.1. p. 288.
Paracelſi, & S. Joſſ. ibid. & t.2. p. 281.
Coſmeticum Pharm. Bat. t.1. p. 288
Arcanum rariſſimum quo Auri ſcriptorii conficiendi modus traditur t.2. p. 103
Arcanum Duplex Ph. Bat. t.1. p. 288
Joviale, ejuſd. Ph. t.1. p. 288
Arcanum Oticum in ſurditate t.2. p. 524
Sanguinis hirci contra calculũ ex Cnœff. t.2. p. 445
Sanguinis humani t.2. p. 985
Scriptorium Ph. Bat. t.1. p. 288
Tartari Solare t.1. p. 635
Arcanum tartari Cnœff. & Helmont. t.1. p. 735
Archemi, vid. Cinnami.
Arcium, vid. Bardana.
Ardea t.1. p. 288. & ſeq.
Areotica Medicamenta, quid & quæ ſint t.1. p. 289
Areſta, vid. Ononis
Argentilla, vid. Potentilla
Argentifera fodina, ejuſque natura & proprietas t.1. p. 289.
Argenti natura & proprietates ibid.
Argenti inveniendi & præparandi ratio t.1. p. 290
Argenti in Medicina Uſus ibid.

Purgatio

Argenti Purgatio à ſordibus ſuperficiariis t.1. p.290
ab alienis metallis ibid.
per calcinationem immerſivam ibid.
per fuſionem cum Saturno ibid.
per nitrum ibid.
Calcinatio immerſiva t. 1. p. 291
Amalgamatoria ibid.
Reverberatoria ibid.
Cementatoria ibid.
Solutio & extractio t. 1. p.292
Argentum potabile per ſpiritum vini ſimplicem ibid.
Sale urinæ acuatum, & ſimil. ibid.
tartariſatum ibid.
vitriolatum ibid.
Argenti Tinctura Baſiliana ibid.
Argentum Potabile S. Cloſſæi ibid.
Batei t.1. p.293
Argenti ſalificatio ibid.
Spiritus S. Cloſſæi ibid.
Argentum Sophiſticandi artificia duo t.1. p. 294
Argentum vivum, vide Mercurius
Argilla, vide ſub Titulo Terra t. 2. p. 968
Arguropœia vid. Chryſopœia
Aries, vid. Ovis
Ariſarum ibid.
Ariſtolochia, ejuſque ſpecies ibid.
Armeniaca, vid. Mala Armeniaca.
Armenus Lapis, vid. ſub titulo Lapis t. 2. p. 89
Armeni Lapidis vires medicæ t.2. p.123
Amoracia, vid. Radicula Sylveſtris
Aromata, quid & quænam ſint? t.1. p. 295
Aromatiſare, quid ſit ibid.
Aronia, vid. Dracunculus.
Arrhenicum, & Arſenicum, vid. Auripigmentum.
Arthemiſia, vide Herba S. Johannis ibid.
Arthanita, vid. Ciclamen
Arthritica Medicamenta, quid & quænam ſint t.1.p.296 & ſeq.
Arthritica Medicamenta varia D. Schulτzii t.1. p.297
Arthriticum emplaſtrum miraculoſum ejuſd. ibid.
Johannis Caſimiri Poloniæ Regis ibid.
Regis Daniæ
Aliud in Arthritide vaga ibid.
Unguentum Acopum dictum D. Meiſſneri. ibid.
Burrhi t. 1. p.298
Decoctum è Miſcell. curioſ. Dec.1. *Ann.8.* ibid.
Arthritica Remedia externa varia D. Cnœffelii. ibid. & ſeq.
Articaulis, vid. Cinara
Arum t.1. p.300
Arundo ibid.
Saccharina t.1. p.301.
Aſa fœtida, vide Aſſa fœtida.
Aſa dulcis, vide Benzoinum.
Aſarina t.1. p.302.
Aſarum ibid.
Asbeſtus, vide Amianthus, *ſub Titulo* Lapis. t.2. p.57.
Aſcalonica Cepa t.1. p.303.
Aſchiotta, vide Achioti.
Aſclepias ibid.
Aſcyrum, vide Hypericum.
Aſelli, vide Millepedæ.
Aſellus ibid.
Aſinus, ejuſque partes officinales. ibid.
Aſius Lapis, vide ſub Titulo Lapis. t.2.p. 87.
Aſpalathus. t.1.p. 304.
Aſparagus. ibid.
Aſperugo. ibid.
Aſperula. ibid.
Aſper ſapor, vid Acerbus ſapor.
Aſperum Tactu, vid. Qualitates Tactiles.
Aſphaltus, vide Bitumen
Aſphodelus t.1. p. 305
Aſpis, vide ſub titulo Serpens
Aſplenium, vid. Ceterach.
Aſſa fœtida ibid.
Aſſæ fœtidæ eligendi modus ibid.
Aſſatio, & Frixio, quid ſit t.1. p.306
Aſſervatio medicamentorum ibid. & ſeq.
Aſtacus, vid. Cancer
Aſter Atticus t.1. p.308
Aſteria, vid. ſub titulo Lapis t. 2. p. 89.
Aſtragalus t.1. p.309
Aſtrantia nigra ibid.
Aſtrum duplicatum D. P. P. t.1. p. 634
Athanaſia magna Nicolai ex Pharm. Aug. t.1.p.767
ex Pharm. Perſicâ t.1.p.784
Atractylis, vid. Carthamus
Atramentum t. 1. p. 309
Atriplex ibid.
Attenuantia Medicamenta, quid & quæ ſint tom. 1. p. 310.
Attrahentia Medicamenta, quid & quænam ſint ibid. & ſeq.
Auberica, vid. Mala Perſica
Auditum Iuvantia, vide Acouſtica
Avellana vid. Corylus
Avellana Mexicoana, vid. Cacao
Avena t.1. p. 312
Avicula Cypria, vid. Trochiſci Odorati t. 2. p.998
Avis ibid.
Avium partes externæ ibid. & ſeq.
Internæ t. 1. p.314. & ſeq.
Generatio t. 1. p.317. & ſeq.
Ætas, quamdiu ſcilicet vivant t. 1. p.319. & ſeq.
Proprietates quædam, & Accidentia, v.g. Figura & Magnitudo, color, ingenium, inſtinctus naturales, &c. t.1. p.320. & ſeq.
Diviſio t. 1. p. 321. & ſeq.
Avornus, vid. Frangula
Aurantia, vid. Mala Aurea
Aurea Alexandrina, vid. Electuarium
Aurelia, vid. Elichryſon
Aurelia Hadrianea ex D. à Mynſicht. t.1.p.902
Auricalcum, vid. Cadmia, *Item* Æs.
Auricula Iudæ t.1. p. 322
Auricula Leporis, vid. Bupleurus
Auricula muris, vid. Piloſella
Auricula Urſi t. 1. p.322
Auripigmentum, & ejus ſpecies ibid.
Auripigmenti Sublimatio t. 1. p.323
Fixatio, ſeu Calcinatio ibid.
Liquatio t. 1. p. 324.
Deſtillatio ibid.
Aurium Sordes, vid. Cerumen
Aurum, Aurifodina, ejuſque conditiones ibid.
Auri Generatio. ibid.
Natura, & proprietas ibid.
Antipathia & ſympathia t.1. p. 325.
Inveniendi & præparandi ratio t. 1. p. 326
& Argenti Fodinarum, quæ in Peru, Novo Regno & Novâ Hiſpaniâ in America reperiuntur, mira fœcunditas ex Relatione P.S.I. ibid.
Et Argenti ſeparatio, & præparatio in Americâ uſitata t. 1. p.328
Argentique, hydrargyri beneficio, præparatio, in Regno Peruano uſitata ibid.
Aurum ab Argento ſeparandi, proceſſus in Hungaria uſitatus t.1. p. 329
Auri ejuſque mineræ probationes variæ t.1. p.330
Purgatio t.1. p. 331
Calcinatio Immerſiva ibid. & ſeq.
Cementatio ibid.

Auri Calcinatio Vaporoſa tom. 1. p. 332
Amalgamatoria ibid.
Cementatoria ibid.
Reverberatoria t. 1. p. 333.
Volatilizatio t. 1. p. 334
Extractio ibid.
Eſſentiæ variæ t. 1. p. 875 & ſeq.
Aurum potabile, ſive Auri Tinctura t. 1. p. 334
per Spiritum vini ſale urinæ acuatum t. 1. p. 336.
alkaliſatum ibid.
per butyrum antimonii ibid.
per Oleum antimonii Saccharatum ibid.
per ſpiritum Salis Nitri bezoardicum ibid.
per oleum Saturni ibid.
per Spiritum Salis communis ibid.
per oleum Sulphuris t. 1. p. 337
per eſſentiam ſalis communis ibid.
per ſpiritum mannæ ibid.
cum Spiritu ſalis communis Tartari ibid.
Auri variæ præparationes, variorum Authorum ibid. & ſeq.
Auri ſcriptorii conficiendi modus rariſſimus t. 2. p. 103
Auri potabilis Novi, paucíſque cogniti proceſſus t. 1. p. 340
Aurum alkooliſatum Cnœffel. t. 1. p. 636
Aurum potabile Aliud t. 1. p. 345
Aliud t. 1. p. 346
Quercetani ibid.
Auri Mercurius ibid.
Aurum tranſparens D. Cnœffelii t. 1. p. 637
Aurum vitæ Quercetani t. 1. p. 346
Aliud ejuſd. ibid.
Emeticum t. 1. p. 816
Potabile Baſilii Valentini t. 1. p. 349
Aliud ejuſd. ibid.
Aliud ejuſd t. 1. p. 350
famoſiſſimum Angli illius Franciſci Antonii ibid.
Joelis Langelotti t. 1. p. 351
Aurum ſophiſticandi modus ibid.
Auri à lapide lazuli ſeparatio t. 2. p. 102
Aurum Muſivum, vide Vernix t. 2. p. 1023
Axungia quid ſit t. 1. p. 351
Anatis ibid.
Anſeris ibid.
Canis ibid.
Gallorum ibid.
Felis Sylveſtris ibid.
Suis ibid.
Urſi ibid.
Ciconiarum, vide Oleum Ciconiarum
Viperarum, vide Viperæ
Viri t. 1. p. 351
Azoth quid ſit ibid.
Heslingii ibid. & ſeq.

B.

Bacca quid ſit t. 1. p. 352
Baccæ officinales, vide Fructus & Baccæ officinales
Baccharis ibid.
Balæna, vid. Cetus ibid.
Balanus, vide Ben. *Item* Suppoſitorium
Balauſtia, vide Granata
Balneum, & pediluvium quid ſit t. 1. p. 352
in Agrypnia t. 1. p. 355
in Arthritide ibid.
ad confortandos pedes poſt arthrit. Mollembr. ibid.
in Calculo t. 1. p. 356
ad Capillorum defluvium ibid.
Coſmetica corpus mundantia t. 1. p. 651
in Hæmorrhoidum dolore t. 1. p. 355
in Ictero ibid.
Balneum ad menſes movendos t. 1. p. 356
in paralyſi, ſtupore membrorum, & contracturis t. 1. p. 355
ad Partum facilitandum ibid.
ad Pedes roborandos poſt Podagrã t. 1. p. 356
in Pedum fœtore ibid.
Tumore ibid.
In ſcabie t. 1. p. 355
in Soporoſis affectibus t. 1. p. 356
contra ſterilitatem t. 1. p. 355
In Teneſmo ibid.
in Vigiliis nimiis ibid.
Balneorum variæ ſpecies, ad varios affectus t. 2. p. 19. 20 & ſeq.
Balſamatio quid ſit t. 1. p. 356
Balſamandi Corpora Humana, aliaque majora ſine eviſceratione, & ſectione hucuſque ſolita, &c. Methodus ex Gabriel Claudero M. D. ibid.
Balſamatio quid ſit traditur t. 1. p. 358
Balſamationis in genere ortus & progreſſus monſtratur t. 1. p. 359.
Sive Pollinctura Ægyptiorum, atque Judæorum Specialiora exhibentur t. 1. p. 362
Balſamandi Aliorum Veterum ritus deſcribuntur t. 1. p. 364.
Et condiendi Veterum materia & modus mediante exenteratione factus exponitur. t. 1. p. 365.
Balſamatio, & Conditura in melle & cerâ olim facta, ut & mumiæ in Lybiæ arenâ ſiccatæ, aliæque chymicè ſic vocatæ explanantur t. 1. p. 368
Balſamandi Materia & modus Recentiorum exenteratione factus declaratur t. 1. p. 371
Balſamatio ſive coditura Bilſiana nova offertur t. 1. p. 377
De Balſamatione Cadaverum, etiam majorum, ſine eviſceratione nonnulla, ex eod. Claudero in Miſcell. Curioſ. Dec. 2. Ann. 8. t. 1. p. 387
De Balſamandi Arte ex Blancardo *quadam traduntur* ibidem
Balſamina t. 1. p. 390
Balſamita ibid.
Balſamum quid ſit, & quotuplex t. 1. p. 391
Naturale ibid.
Verum ibid.
Copaibæ t. 1. p. 393
Maripendam t. 1. p. 394
Peruvianum t. 1. p. 392
Tolutanum t. 1. p. 393
Opobalſami Notæ & ſuccedaneum t. 1. p. 394
Balſamum Peruvianum artificiale præparandi modus Dn. Pomet t. 1. p. 395
Balſama Artificialia Varia in varios uſus, ac ratio ipſa componendi ibid.
Balſamum Abſinthiacum D. à Mynſicht t. 1. p. 407.
Alexicacum Reineſii t. 1. p. 406
ad Ambuſta ex Collect. Bierling. ibid.
Angelicæ Sennerti è Ph. Aug. t. 1. p. 396
Anodynum è Ph. Bat. t. 1. p. 403
Anti-arthriticum D. D. de Bernitz in Miſcell. Curioſ. Germ. t. 1. p. 401
Anti-arthriticum ex Hoffmanno ibid.
Antiparalyticum è Ph. Bat. t. 1. p. 403
S. Cloſſæi t. 1. p. 401
D. D. B. O. Sive dorſale ad extra ex Hoffm. t. 1. p. 405
D. à Mynſicht t. 1. p. 407
Antipeſtilentiale Rolfincii t. 1. p. 398
Antipodagricum ad extra ex Hoffm. t. 1. p. 405
Aliud D. D. I. Z. ex eod. ibid.
Aliud ad extra ex eod. ibid.
D. à Mynſicht t. 1. p. 408
ex Sanguine humano t. 1. p. 985
Apoplecticum Auguſtanor. t. 1. p. 396
è Pharm. Batean. t. 1. p. 403

Balſamum Apoplecticum Cl. D.Cnöffel. t.1. p.519
Collegii Romani R.P.S.I. t.1. p.529
Crollii *ſecundum F.F.* t.1.p.396
ad extra t.1. p.405
Aliud ad extra ibid.
Kiikeri t.1. p.396
D.J. Michael ibid.
*D.*à Mynſicht t.1 p.406
Norimbergens. t.1.p.396
Arcai Bruxellens. ibid.
Aromaticum D.à Mynſicht t.1.p.407
Auratum in ſcabie & alopecia leproſâ ex Cnœf. t.2. p.1138
Balſamita D.Charraz t.1.p.396
Benedictum vid ſub Titulo Oleum
Benzoinum fragrantiſſimum Tenzelii è Pharm. Aug. ibid.
Bezoardicum peſtilentiale Schroderi ibid.
Carminativum Norimbergens. ibid.
Caryophyllor. Auguſt. ibid.
contra Catarrhos t.1.p.405
Catechu Vulnerarium t.2. p.972
Cordiale odoratum Cnœffel. t.1. p.638
Cordiale Sennerti t.1.p.396
Balſama Coſmetica Cnöff. t.1 p.672
Dentientium puerorum D. Charraz. t.1. p. 98
D.Cnœffelii t.1.p.451
D.à Mynſicht. t.1.p.407
Balſamum Dolorem leniens D.Lemery t.1. p.396
Epilepticum ad extra D.F.H. t.1. p.405
Fœminarum è Pharm.Bat. t 1 p.403
Galbanetum uterinum Sennerti è Pharm. Auguſt. t.1.p. 96
*D.*Goddard *magis compoſit.* t.1.p 404
minus compoſit. ibid.
Guidonis, *vid.* infra in Balſamis vulnerariis.
Heurnii t.1 p.397
Hiſpaniæ ex Schrodero ibid.
Hyperici magiſtrale ex Schrodero ibid.
Hypnoticum D.Charraz ibid.
D.à Mynſich t.1.p.406
Jacobi de Pinto t.1. p.397
Italicum è Collect.Chym.Leyd. ibid.
Lœmicum Henſtianum, è Ph.Aug. ibid.
Lucatelli, vid ſub Titulo Oleum.
Pharm Bat. t.1.p.403
Magicum de hyperico D.à Rabenſtein t 2 p.463
Magiſtrale è Ph.Bat. t 1.p.406
pro manibus egregium D.Charr. t.1. p.397
Martiale è Ph.Bat. t.1.p.403
Matricale ad extra P.H.D. t.1.p.405
Medicamentoſum D.à Mynſicht t.1.p 408
Medicorum Florentinorum t.1.p.400
Memoriæ D à Mynſicht t.1 p 406
Mercurii ex Collect.Bierling. ibid.
Mirabile, ſeu compoſitum S.Cloſſæi ex Schrodero t.1.p.397
Mneme cephalicum ex Hoffm. t.1.p.402
Momordicæ è Ph Bat. t.1.p 403
Mortuorum D.Le Mort t.1.p.402
Balſamo artificiale del Napolitano per ferite è Theſauro Pharmaceut.Italico Donzell. t.1.p 397
Balſamum aliud ad idem ex eodem t.1. p. 398
Nephriticum D.Le Mort t.1 p.402
Nervinum ex Hoffm. t.1.p.401
Nuciſtæ è Ph.Bat. t.1 p.403
Odontalgica Clar.Cnöffel. t.2.p.451
Odoriferum D.Le Mort t.1. p.402
Plumbi ex Schrodero t.1.p.400
Polychreſtum, vid. ſub Titulo Oleum.
*D.*à Mynſicht. t.1. p.405
Radicale Margaritarum Cnöffel. t.1.p.633
Balſamum Samaritanum t.1. p.398
*D.*Cnöffelii t.2.p.1138
Sive Liquor Saponis t.1.p 402
Oleum Saponis alio modo ibid.
Saponis Coſmeticum t.2.p. 925
Saponis D à Mynſicht. t.1.p 408
Saturni t.1.p.398
aliàs Butyrum Saturni D.Craffc. t.2.p 1138
Saturninum è Ph.Bat. t.1.p 403
Sclopetarium è Ph. Bat. ibid.
Spaſmodicum D.à Mynſicht t.1.p.407
Spinale è Pharm.Bat. t.1.p 403
Spleneticum ejuſd Pharm. t.1.p 404
externum D.Cnöffel. t.2.p.903
*Stipticum D.*à Mynſicht t.1 p.408
Stomachicum ejuſdem t.1.p 407
Norimbergens. t.1.p.398
Regium Zvvelferi ibid.
Succini è Ph Bat. t.1.p.403
Sulphuris varia, vid. Sulphur. t.1. p.887.& ſeq. t.2.p.933. & ſeq.
Sulphuris Aniſatum è Ph.Bat. t.1.p.404
D.à Mynſicht t.1.p.407
Antimonii è Ph.Bat. t 1 p.404
Bateanum ibid.
Benzoinatum è Ph.Bat. ibid.
Knöphelii ex ead. Ph. ibid.
Minerale ex ead.Ph. ibid.
Rulandi ex ead Ph. ibid.
Succinatum ex ead. Pharm. ibid.
Tabaci ex collect.Bierling. t.1. p.406
Tartari è Pharm.Batean. t.1.p.404
Therebinthinæ D.à Mynſicht t.1 p.407
Tranquillum Abbatis Rouſſeau t.1 p 398
Veneris è Pharm Bat. t.1 p.404
ad extra t.1.p 405
Venereum D.Mynſicht t.1.p.408
Verum è Pharm Bat. t.1. p.404
Viride Metentium t.1.p.399
Noſtratium ibid.
Vitæ ex Hoffmanno t.1.p.401
Aliud ex eodem ibid.
Aliud ex eodem t.1.p.404
*pretioſum D.W.S.*ex eod. ibid.
Uterinum D.Charraz t.1. p 398
D.à Mynſicht t.1.p.408
Vulnerarium Comitis à Solms ex collect.
Bierlingii t.1.p.405
Inſigne D.Charraz. t.1.p.400
Aliud ejuſdem ibid.
Aliud ex Schrod. ibid.
Crollii ibid.
Aliud ejuſdem ibid.
D Evonimi ibid.
Fallopii t.1.p 399
Hollerii ex Renodæo ibid.
D. Meſu. falsò Guidoni tributum, ex Renodæo ibid.
*D.*Præfecti Pernæ t.1 p.398
Vulgare Renodæi t.1.p 400
Mirabile ejuſd. ibid.
Aliud ejuſd.
Metenſium ex Schrod. t.1.p 400
Samaritanum ex eod. ibid.
Zvvelferi t.1.p.399
Martiale ejuſd. ibid.
Zibethæ D. à Mynſicht. t.1 p.407
Baptiſecula, vid. Flos frumenti.
Barba Capræ t.1 p.408
Barbarea ibid.
Barba Jovis, vid. Sempervivum.
Barbula Hirci t.1.p.409
Barbus ibid.

Bardana, ejuſque ſpecies t.1.p.409
Baſilicum ibid.
Baſilicum Meſuæ, vid. Unguenta.
Batis, & Baticula, vid. Crithamum.
Batitura Æris, vid. Æs, item Metallica.
Batrachitis, vid. Bufonitis.
Batrachium, vid. Ranunculus.
Batrachus, vid. Rana.
Bdellium t.1. p.410
Becabunga ibid.
Becchium, vid. Tuſſilago.
Bechica, vid. Pectoralia.
Bedegar, vid. Spina alba.
Behen Album, & Rubrum t.1.p.411
Bella Dona, vid. Solanum.
Belemnites, vid. Lyngurium, *ſub titulo* Lapis t.2.p.89
Bellis, ejuſque ſpecies variæ ibid.
Ben ibid.
Benedicta Laxativa, vid. Electuaria.
Benzoinum t.1. p.412
Berberis t.1.p.413
Berungi, vid. Burungi.
Beryllus, vid. ſub titulo Lapis t.2.p.93
Berylli adulterini compoſitio t.2 p.100
Beſtia magna, vid. Alce.
Beta t.1.p.414
Betelle, ſive Betre ibid.
Betonica, ejuſque ſpecies t.1.p.415
Betula ibid.
Betullæ ens primum ſeu liquor t.2.p.444
Bezetta rubra Cnoeffelii t.1.p 671
Bezoar ex animali, vid. ſub titulo Capra *ubi* de Gazella, *Item* t.2.p.710
Lapis t.1. p 416.t.2.p.94
*Lapis factitius D.*Lemort. t.1.p.417
Circa Lapidem Bezoar experimenta à Dom. Leeuvvenoek *facta* t.1 p.416
Bezoar Germanicum, vid. Rupicapra.
Minerale, vid. Antimonium.
Bezoardica Medicamenta primi generis t.2.p.1012 & ſeq.
Secundi & tertii generis t.2 p. 1014 & ſeq.
Bezoardica adhibendi legitimus uſus. t.2.p.1016. & ſeq.
Bezoardica ulterius, vid. Alexipharmaca.
Bezoardicum animale ſimplex t.2 p.823
compoſitum ibid.
Norimbergens. t.1.p.417
Bezoardicum Joviale t.2.p.286
Lunare ibid.
Martiale ibid.
Mercuriale ibid.
Minerale, ex Mercurio t.2.p.285
Solare compoſitum ibid.
Crollianum ibid.
Verum ibid.
Bifolium t.1.p. 417
Bilem attenuantia Medicamenta, quid & quæ ſint t.1. p 418
Incraſſantia Medicamenta, quid & quæ ſint? ibid.
Præparantia Medicamenta quid ſint? ibid.
Purgantia, vid. Cholagoga.
Bipinella, & Bipennula, vid. Pimpinella.
Biſaria, vid. Dracunculus.
Biſlingua ibid.
Biſmalva, vid Altea.
Biſmuthum, ejuſque Magiſterium Coſmeticum Rolfincii ibid.
Biſtorta ibid.
Bitumen t.1.p.419
Blatta Byſantia ibid.
Blattaria t.1.p.420
Blitum ibid.
Bochetum quid ſit, & quomodo paretur? ibid.
Bollerrus Cervinus ibid.
Bolus quid ſit, quomodo paretur, ejuſque variæ deſcriptiones t.1.p.421. & ſeq.
Bolus terra, vid. ſub titulo Terra t.2.p.970 & 971
Bombax, vid. Goſſypium.
Bombyx, ejus partes officinales, & præparata t.1.p. 423.& ſeq.
Bonifacia, vid. Biſlingua.
Boona, vid. Faba.
Bonus Henricus, vid. Blitum.
Borax Nativa t.1.p.427
Venetus quomodo conficiatur; ejuſque vires t.1.p.559.
Borrago t.1 p.427
Bos, ejuſque partes officinales, ex iiſque præparata varia t.1.p.428.& ſeq.
Botrys t.1. p.430
Bracula cuculi, vid. Primula veris.
Branca Leonis, vid. Alchimilla.
Branca Urſina, vid. Acanthus.
Braſſica ibid.
Braſſica Canina, vid. Cynocrambe.
Braſſica Marina, vid. Soldanella.
Britannica t.1.p.431
Brodium, vid. Juſculum.
Bromus ibid.& ſeq.
Brucia, vid. Pix.
Bruchus, vid. Eruca.
Brunella, vid. Prunella.
Bruſcus, vid. Ruſcus.
Bryon, vid. Muſcus.
Bryonia t.1.p.432. & ſeq.
Bubali partes officinales t.1.p.433
Bubonium, vid. After Atticus.
Bucranium, vid. Antirrhinum.
Bufo, ejus partes, officinales & præparata & ſeq. ibidem
Bufonitis, vid. Bufo. *It. ſub Titulo* Lapis t.2. p.95
Bugloſſum t.1 p.435
Bugula ibid.
Bulbocaſtanum ibid.
Bulbus quid ſit ibid.
Bulbus Eſculentus, vid. Aſcalonium.
Bunias ibid.
Bunium Falſum, vid. Pſeudobunium.
Buphtalmum, vid Oculus Bovis.
Bupleurus t.1.p.436
Burga Spina, vid. Rhamnus.
Burſa Paſtoris ibid.
Burungi ibid.
Butyrum ibid.
Butyrum rubrum potabile ibid.
Viride potabile è J. H. Junck Pharm. Noriberg. ibid.
Butyrum antimonii t.2.p 283
Buxus. t.1.p 435.

C.

Cacabus, vid. Inſtrumenta Pharmaceutica.
Cacalia t.1. p.437
Cacavi, vid. ſub titulo Yuca.
Cacao ibid.
Cacava quahuithl ibid.
Cadmia t.1.p.444
Cæcilia, vid. ſub Titulo Serpens.
Cæmentatio, vid. Cementatio.
Cæpa, vid. Cepa.

Cæruleum,

*Cæruleum,vid.*Lapis Lazuli.
Caffe,ſive Coffeé t.1.p.444.& ſeq.
Calamandrina,vid. Chamædrys.
Calamentum t.1.p.446
Calaminaris Lapis,vid.ſub Titulo Lapis t.2.p.124
Calamus Aromaticus Veterum ibid.
*Calamus Aromaticus Officinarum,vid.*Acorus Verus.
*Calamus Saccharinus,vid.*Arundo.
*Calcantum,vid.*Vitriolum.
Calcarius Lapis t.2.p.123.& ſeq.
Calcatrepola, vid. Calcitrapa, *ſeu potius* Carduus Stellatus.
Calcatrippa ibid.
Calceolus Mariæ ibid.
*Calcifraga,vid.*Empetrum.
Calcinatio quid ſit ibid.
Calcitis, vid. Chalcitis.
Calculus Humanus,vid.ſub Titulo Homo.
Calculi Humani præparata varia t.1 p.986
Calefactio quid ſit t.1 p.448
Calendula ibid.
Caliga,vid. Inſtrumenta Pharmaceutica.
Calin quid ſit ibid.
Calix quid ſit ibid.
Callitrichum,vid Capillares.
Callum obducentia,vid. Catagmatica.
*Calor vid.*Ignis.
Caltha,vid Calendula.
Calx quid ſit ibid.& ſeq.
Calx Viva,vid. ſub Titulo Lapis t.2.p.123
Cum Calce viva Experimenta facta tom.1.p 449. & ſeq.
Camelina,vid Myagrum.
Camelopardalis t.1.p.453
Camomilla ibid.& ſeq.
Cammarus, vid. Cancer.
Campana,vid.Inſtrumenta Pharmaceutica.
*Campanella,vid.*Volubilis.
*Campanula,vid.*Trachelium.
Camphora, ejus origo ; & natura tom.1.p.454. & ſeq.
Camphoræ Uſus internus & externus tom.1 p.458 & ſeq.
præparationes , & utendi modi varii t.1. p.460.& ſeq.
Abuſus,& Noxa t.1.p.462 & ſeq.
Camphorata t.1.p.463
*Canapus,vid.*Cannabis.
Cancamum ibid.
*Cancanon,vid.*Cacalia.
Cancer, ejus differentiæ, partes officinales, & præparata ibid.& ſeq.
Candela quid ſit t.1.p.465
*Candela ad Verrucas ; ſeu carunculas in meatu Urinario,*Ph.Aug. ibid.
Candelæ pro ſuffitu, vid. ſuffitus tom. 2. pag. 923. & 998
*Canella,vid.*Cinnamomum.
Canella Alba ibid.
Canirubus, vid Cynosbatos.
Canis ejus variæ ſpecies , partes officinales & præparata t. 1. p. 465.& ſeq.
Cannabis t.1.p.471
Cantharides ibid.
Cantharus,vid Scarabæus.
*Caper,vid.*Capra.
Capillares t.1. p.472
Capillus Veneris,& Terræ,vid. Adianthum.
Capilli Humani, vide Homo.
*Capitellum,vid.*Alembicum.
Capnitis, vid Fumaria.
Capo,vid. Gallina.
Capparis t.1.p.472
Caper,& Capra,ejus variæ ſpecies,partes Officinales, & præparata ibid.& ſeq.
Capra Alpina,vid. Rupicapra.
*Capra Moſchifera, vid.*Moſchus.
Crapreolus,vid.ſub Titulo Cervus *ejus decriptionem.*
Capreoli,partes officinales t. 1. p.475
Capricervæ partes Officinales t.2. p.730
*Capricerva, vid.*Bezoar.
Caprifolium,vid. Periclymenum.
*Capruncula,vid.*Capra.
*Capſicum, vid.*Piper Indicum.
*Capſula,vid.*Burſa Paſtoris.
Capus,vid. Gallina.
*Caput Monachi,vid.*Taraxacum.
Caput mortuum quid ſit t.1. p. 475
*Caput purgantia,vid.*Errhina,Maſticatoria.
Carabe,vid. Succinum.
Caragna,ſive Caranna ibid.
Carbo Petræ,& Gagates,ei affinis materia *ibidem*
Carbon , ſeu Stercus Humanum ; vid.ſub Titulo Homo.
Carbunculus,vid.ſub Titulo Lapis t.2.p.92
Carcarias t.1.p.476
Cardamine ibid.
Cardamomum,ejuſque ſpecies t.1. p. 477
Cardiaca medicamenta quid,& quæ ſint ibid & ſeq.
Cardiaca planta t.1.p 479
Carduus t.1. p. 480
Carduus Benedictus ibid.
Centiceps, vid. [illegible]ium.
Mariæ
Stellatus t.1.p.481
Tomentoſus ibid.
Vulgatiſſimus ibid.
Carica, vid. Ficus.
Carlina t.1.p. 482
Carminativa Medicamenta , quid & quæ ſint ibid. & ſeq.
*Carota, vid.*Paſtinaca.
Carpentaria , vid. Millefolium.
Carpesium t.1.p 483
Carpio,ejuſque partes Officinales t.1.p.484
Carpobalſamum ibid.
Carthamus,ejuſque præparata ibid.
Carvi,ſive Carum ibid.
Caryocoſtinum, vid. Electuarium.
Caryophyllata t.1 p.485
Caryophyllus Aromaticus ibid.& ſeq.
Regius t.1.p. 487
*Caryota,vid.*Dactylus.
Caſeus,vid.ſub Titulo Lac.
Caſſamum, vid Carpobalſamum.
Caſſia Fiſtula Nigra t 1.p.488
Caryophyllata t.1.p.489
*Lignea,ſeu Aromatica,vid.*Cinamomum.
Caſsida ibid.
Caſſita,vid. Alauda
Caſſonada,vid. Saccharum.
*Caſſuta,vid.*Cuſcuta.
Caſtanea ibid.
Caſtor,& Caſtoreum ibid.& ſeq.
Caſtorei Hiſtoria ac Vires à Clariſſ.Joh.Mario.
cum additamentis D.Franci t.1.p.490.& ſeq.
Caſtrangula,vid. Scrophularia.
Catagmatica Remedia t. 1. p.512
Catapaſma,Diapaſma, & Empaſma ibid.
Cataplaſma quid ſit,& quomodo fiat? t.1.p 512
Ad Ambuſta ex quacunque re ex Hoffman. t.1.p.517
In Angina Michael. t.1.p.518
Aliud ejuſd. ibid.

Caplaſma Antiarthriticum Mollenbrock t.1.p.515
Antifebrile t.1.p 516
ex D. Cnœffelio t.1.p 914
ex Hoffmanno t.1 p 517
*D.*à Mynſicht t.1.p.519
Pharm. Noriberg. t.1. p.515
Apoplecticum Ph.Bat. t.1.p 518
ad Aſcitem Celebre Vidii t.1. p.519
ad Bubones in Peſte, Michael. t.1. p.518
pro Canis rabidi morſu Hannemann. t.1.p.517
in contuſionibus Capitis D.Weickard. t.1.p.515
ad Carbunculos Diemetbroëck t.1 p.517
ex Hoffmanno ibid.
ad Catarrhum J.Michael. t..1.p.518
Cephalicum Ph.Bat. ibid.
extemporaneum in deliriis Zvvelf. t. 1.p.515
de Cineribus D.à Mynſicht t.1.p. 19
Cordiale Zvvelfer. t.1. p.515
contra Cruorem effuſum vulgò Terband t.1.p 516
Cynanchicum Ph. Bat. t.1 p.518
In Dolore poſt phlebotomiam, quando nervus, aut arteria ex imperitiâ læditur ibid.
ad Dolores in ſcorbuto mitigandos, ex Hoffman. t.1.p.517
Emolliens & diſcutiens ejuſdem ibid.
Eſcharam tollens biduò, ut ſponte decidat ibid.
Febrifugum Principis Anhaltini t.1 p.518
In Febribus & deliriis ad plantas pedum, Mich. ibidem
de Fermento D. à Mynſicht t.1.p.519
Frontale t.1.p.516
Aliud ... *hæmorrhagia narium* ibid.
... *adversus Gangrænam* D.Weickard t.1.p.515
ad Hernias Zvvelferi ibid.
Cataplaſmata in Hydrope varia ex D. Cnœffelio t.1.p.998
J.Michael. t.1.p.518
Pharm. Noriberg. t 1.p. 515
Cataplaſma Hypnoticum ex Hoffm. t.1.p.517
Iſchiadicum Ph.Noriberg. t.1.p.515
Laxativum pro Adultis t 1.p.516
Puerilis ibid.
de Nido Hirundin. D.à Mynſicht t.1.p.519
Pharm Norib. t.1.p.516
In Oculorum affectibus J. Michael. t.1 p 518
ad Paronychiam Ph.Bat. ibid.
Peſtilentiale ejuſ.Ph. ibid.
ad Pleuritidem Ph.Norib. t.1.p.516
Podagricum, Pharm.Bat. t.1.p 518
Purgans, ex Hoffm. t.1.p.517
Reſolutivum, Foreſti t.1 p.516
Revulſorium in febribus ardentibus, ad pulſus manuum Hoffm. t.1 p.517
pedum ejuſdem ibid.
Contra ſingultum J.Michael. t.1. p.518
D. à Mynſicht t.1.p.519
Soleare Ph Bat. t.1.p.518
Spleneticum Zvvelfer. t.1.p.516
ſuppurans ſcrophulas nobile, ex Hoff t.1.p.517
In tumoribus ſcirrhoſis mammillarum, qui in cancrum vergunt, *D.B.C.* ex Hoff. ibid.
contra tumores Scorbuticos pedum t.1.p.519
In tumore ſcroti D.Michael. t.1.p.518
Ad tumores œdematoſos & duros, Zvvelf. t.1. p.516
duros artuum, ejuſd. ibid.
In Urinæ ſuppreſſione J.Michael. t.1.p.518
Veſicatorium t.1.p.517
Uſitatum Norimberg. t.1.p.516
Cattaria, *vid.* Nepeta.
Catechu, *vid ſub Titulo* Terra tom.2.p.971.972. & ſeq.
Catharetica Medicamenta quid & quæ ſint. tom.1. p 519
Catharſis, *vid.* Purgatio.
Cathartica, *vid.* Purgantia.
Catholicon, *vid.* Electuaria.
Catillus, *vid.* Inſtrumenta Pharmaceutica.
Catinus, *vid.* ibidem
Cattagauma, *vid.* Gummi Gutta.
Catus, *vid.* Felis.
Catus Zibethicus, *vid.ſub Titulo* Canis Zibethicus.
Caucalis t.1. p.520
Cauda Equina, *vid.* Equiſetum.
Cauda muris, *vid.* ſempervivum.
Cauda Tremula, *vid.* motacilla.
Caudela Amygdalina ibid.
Nenupharina ibid.
Caulis ibid.
Caulis Herba, *vid.* Braſſica.
Cauſtica Medicamenta, *quid & quænam ſint.* ibid.
Cauſticum perpetuum, *vid.* Lapis Infernalis, *ſub Titulo* Argentum.
Cauterium, *vid.* Pyroticum.
Cedria, *ſeu Cedrus Conifera* t 1. p.522
Cedria, *ſeu Cedri Lacrima* ibid.
Celopa, *vid.* Jalapa.
Cementa, *& Cementatio* t.1. p.523
Cementationis aliquot exempla ibid.
Cementi vulgaris compoſitio ibid.
Cementum Regale quod ſoli Auro probatiſſimo parcit ibid.
Cencrus, *vid.ſub Titulo* Serpens
Centaurium, *ejuſque ſpecies* ibid.& ſeq.
Centinodia t.1. p.524
Centum capita, *vid.* Eryngium.
Centum morbia, *vid.* Numularia.
Cepa, *& Cepula* t.1 p.525
Cephalica Medicamenta quid & quænam ſint. t.1. p.526.& ſeq.
Cephalicum Cnœff. t.1. p.531
D.Podchocinski t.1.p 529
Cera, *de ea in genere*, *vid.* Apes.
Cera Hiſpanica ad obſignandas Literas compoſitio t.1. p 539
Cera Catholica Burrhi ibid.
Ceraſtes, *vid.ſub Titulo* Serpens.
Ceraſum, *& Ceraſus* t.1 p.529. ibid.& ſeq.
Ceratonia t.1 p.540
Ceratum quid ſit, *& quomodo componatur* ibid.
Album Ph. Bat. ibid.
Alexandri Meſ. t. 1. p.541
de Ammoniaco Foreſti è Ph Aug. ibid.
Andromachi ibid.
de Arnogloſſo Galen. ex Bauderon ibid.
Aſtringens t.1.p.541
Barbarum Galeni ibid.
ex Betonica Ph.Aug. ibid.
hyberno etiam tempore parabile Zvvelf. ibid.
Capitale Phar.Aug. ibid.
Diabotanum cum Mercurio ibid.
Diachalciteos Galeni, *vulgò Diapalma* Ph.Auguſt. ibid.
ſeu Cataplaſma majoris compoſitionis.
ad commotionem Cerebri, Vigonis ibid.
Minoris compoſitionis ejuſdem ad idem ibid.
Diadictamnum ſeu Sacrum Galeni Ph.Aug. t.1. p.542
De Euphorbio Galeni ibid.
De Galbano, *vid.* Ceratum Matrícale.
De Gratia Dei, *Nicolai*, Ph.Aug. ibid.
Pro hernioſis DD. Noribergenſium ibid.
Ad Hernias Zvvelferi ibid.

Aliud

Ceratum ad Hernias aliud Zvvelferi t. 1. p. 542
Iſidis ex Galeno, Ph. Aug. ibid.
De Lithargyro Galeni ibid.
Matricale, vel de Galbano, Ph. Aug. ibid.
de Minio ibid.
de Mucaginibus ibid.
Oeſypi Philagrii Ph. Auguſt. ibid.
ex Pelle arietina Arnoldi de Villa Nova Ph. Auguſt. ibid.
dia Pente Mes. t. 1. p. 543
Diapipereos Galeni, Ph. Aug. ibid.
Diapyritis Galeni ibid.
Refrigerans Galeni, ex Renodæo ibid.
Santalinum è Pharm. Lond. ibid.
Sparadrapum, vide. Sparadrapum
Stomachicum Galeni, è Ph. Aug. ibid.
De Sulphure, vid. Emplaſtrum de Sulphure
Ceraunias, ſeu Lapis Fulminaris, vide ſub titulo Lapis t. 2. p. 90.
Cerebrum Humanum, vid. ſub titulo Homo
Cerefolium ibid.
Cerevisia, vid. Zythum
Cerinthe t. 1. p. 544
Cerimen, ſive Cerumen ibid.
Ceroneum, vide Emplaſtrum
Ceruſſa, vide Plumbum
Cervus, Cervinum Genus ibid. & ſeq.
Cervi partes officinales, ex iiſque præparata varia t. 1. p. 547.
Cervi Cornu auratum t. 1. p. 549
Cervus fugitivus, vide Mercurius
Cervus volans, vid. Scarabæus
Ceterach ibid.
Cetus, ſive Balæna ibid.
Ceti partes officinales ibid.
Ceti ſperma t. 1. p. 550.
Cha, vide Thé Chacarilla vide cortex Winteranus.
Chalaſtica, ſive Relaxantia Medicamenta quid ſint t. 1. p. 551.
Chalcedonius Lapis, vid. ſub titulo Lapis t. 2. p. 91. 1055. & ſeq.
Chalcedonii adulterini compoſitio t. 2. p. 101
Chalcitis, Sory, & Miſy t. 1. p. 551
Chalta, vide Calendula
Chalybs, vide Ferrum
Chamæacte, vid. Ebulus
Chamæcypariſſus, vide Abrotonum
Chamæcyſſus, vide Hedera terreſtris.
Chamædrys ibid.
Chamælea, vide Mezereon
Chamæleagnus t. 1. p. 552
Chamæleon Alb. vide Carlina
Chamæleuce, vid. Tuſſilago.
Chamæmelum, vide Camomilla
Chamæmelium, vide Fraxinella
Chamæmorus, ſeu Chamærubus ibid.
Chamæpitys ibid. & ſeq.
Chamæſyce, vide Peplus minor
Chamæzylum, vid. Gnaphalium
Charta di Spania, ſive Charta Hiſpanica purpurea coſmetica t. 1. p. 671
Cheiri, vid. Keiri
Chelidonium majus t. 1. p. 553
Minus t. 1. p. 554
Chelonitis, vid. Bufonitis
Chelopa, vide Jalapa
Cherephyllum, vide Cerefolium
Chermes, vide Kermes
Cherſa, vide Gerſa
Cherva, vide Kerva.
Chia, vide Terra Chia t. 2. p. 974
Chimia, vide Chymica
China t. 1. p. 554 & ſeq.
Chinchina, vide Kinkinna
Chocolata, vid. Cocao t. 1. p. 438
Chocolatæ variæ præparationes t. 1. p. 440
Chocolata quibus affectibus conveniat t. 1. p. 442
Chocolatæ qualitates ex ingredientium mixtione reſultantes ibid.
Chalagogum ſimplex, vide Scammonium
Chalagoga Medicamenta, quænam ſint t. 1. p. 555
Chondrilla ibid.
Chopina, vide Sextarius
Chryſanthemum t. 1. p. 556
Chryſelectrum, vide Succinum
Chryſocolla ibid. & ſeq.
Chryſites, ſive Chryſocome t. 1. p. 562
Chryſolitus, vide Topazius tom. 2. pag. 93. 107. 1059 & ſeq.
Chryſolampis, vide ſub titulo Lapis
Chryſologanum, vide Atriplex
Chryſomelum, vide Malum Armeniacum
Chryſopaia ibid.
Chryſoſplenium, vide Saxifraga aurea.
Chyliophyllum, vide Millefolium.
Chymia, & Chymiſta, ac Chymica Medicamenta, ibid. & ſeqq.
Chryſtallus, vide Cryſtallus
Cicada t. 1. p. 564
Cicatrices delentia medicamenta t. 1. p. 565.
Inducentia Medicamenta vide Epulotica
Cicer ibid.
Cicera t. 1. p. 566
Cicerbita, vide Sonchus
Cicerula, vide Lathyrus
Cicindela ibid.
Cicla, vide Beta
Cicorium, ſive Intybus, & Cicoracea ibid.
Ciconia t. 1. p. 567
Ciccus, & Ciccum t. 1. p. 568
Cicuta ibid.
Cicutaria ibid.
Cimex ibid. & ſeq.
Cimolia, vide Terra Cimolia t. 2. p. 974
Cinara vide Cynara
Cincinnalis, vide Adiantum nigrum
Cinefacere, ſive Cinerare t. 1. p. 569
Cineraria, vide Jacobea
Cineritium, vide Furnus
Cinis Clavellatus, vide Gravellata
Cinnabaris t. 1. p. 569
Cinnabaris nativa præparata varia t. 1. p. 570
De Cinnabari nativa Tractatulus, D. Gabriel. Clauderi t. 1. p. 571.
Cinnabaris nativa laudes extolluntur t. 1. p. 573
Sublimatio tractatur t. 1 p. 576
Cinnabarin nativam circulandi modus detegitur, tom. 1. p. 577
Cinnabaris nativa partes eſſentiales deſcribuntur t. 1. p. 579.
Cinnabaris officinarum artificialis t. 2. p. 281
Cinnami t. 1. p. 583
Cinnamomum ibid.
Laxativum D. à Mynſicht t. 1. p. 791
Cionia, vide Purpura
Circulare, & Circulatio t. 1. p. 585.
Circulatorium, vide Inſtrumenta Pharmaceutica.
Cirſium ibid.
Cirſium, vide Bugloſſum
Ciſſus, vide Hedera
Ciſtus Genuinus ibid.
Montanus ibid. & ſeq.
Ladaniferus t. 1. p. 586

Citraco

Citraco, *vid.* Meliſſa.
Citrinella t.1. p.586
Citrium, *vide* Mala Citria
Citrullus ibid.
Claretum Abſynthiacum laxativum D. à Mynſicht. t.1. p. 588.
Aniſatum ejuſd. ibid.
Antapoplecticum ejuſd. ibid.
Antepilepticum laxativum ejuſd. t.1. p.587
Antinephriticum ejuſd. t. 1. p. 589
Antipodagricum laxativum ejuſd. t.1. p.588
Antiſcorbuticum ejuſd. t. 1. p. 589
Chalybeatum ejuſd. ibid.
Hydragogum Zvvelferi t. 1. p. 587
Juniperinum D. à Mynſicht t. 1. p.588
Laxativum Zvvelferi t. 1. p. 587
Moſchatum D. à Mynſicht t.1. p. 589
Paſſularum laxativum ejuſd. t. 1. p. 588
Purgans ejuſd. t. 1. p.589
in Catarrho ex Schrodero t.1. p. 587
Rhabarbaratum D. à Mynſicht t.1. p 588
Stomachicum, *confortans* ejuſd. ibid.
Clarificare t.1. p. 589
Clavicula, *vide* Capreolus
Clematis t. 1. p. 590
Climia vide Cadmia
Clinopodium ibid.
Clymenum, *vid.* Peryclimenum
Clyſter ibid. & ſeq.
Clyſterum exempla aliquot t.1. p.592. & ſeq.
Cnicus, *vide* Carthamus
Coagulare, *& Coagulatio* t.1. p. 598.
Coagulum ibid.
Equinum, *vid* Hippace
Cobaltum, *vid.* Cadmia
Cocci Orientales, *vide* Coculæ
Cocconiglia, *vide* Cochoniglia
Coccos ibid.
Coccum Infectorium, *vid Cocula ſub titulo* Ilex.
Cochlea, *ejuſque partes officinales* ibid. & ſeq.
Cochenilia t.1. p. 599. & ſeq.
Cochlearia t.1. p.603.
Cochlear, *vide* Inſtrumenta Pharmaceutica
Coctio t.1. p.604
Cocula ibid. & ſeq.
Coffee, *vide* Café
Cohobare, *vid.* Coobare
Colare t.1. p 605
Colatorium ibid.
Colchicum, *vid.* Ephemerum
Colchotar, *vid.* Vitriolum, *ſub titulo* Sal
Collectio nativorum ibid.
Colligendi tempus ſecundum conſtitutionem cæli univerſaliorem t.1. p. 606
influentias particulares t. 1. p.607
Modus t.1. p. 613
Colletica ibid.
Collyrium ibid.
Collyrii ſpecies variæ t.1. p.615. & t.2 p. 489
Colocynthis, *ejus præparata* ibid. & ſeq.
Colophonia t. 1 p.616
Color ejus variæ ſpecies, *& explicatio* ibid. & ſeq.
Coloratio t. 1. p.620
Colores varii pro vitris tingendis quomodo fiant tom. 1. p. 1065 & ſeq.
Coloris ultramarini uſus, *& quomodo à Lapide ſeparetur* t. 2. p. 102.
Coluber, *vide* Anguis
Colubrina, *vid.* Clematis Indica
Columba ibid.
Columbæ partes officinales, *& præparata varia*, ibid. & ſeq.
Columbina, *vid.* Verbena
Colus vid. Colatorium
Coluta Scorpioides t.1. p.621
Colymbades, *Oliva condita*, *vid.* Conditura
Colymbas, *vid.* Stæbe
Coma quid ſit ibid.
Coma Aurea, *vid.* Stæchas citrina
Comarus, *vid.* Arbutus
Compoſitio Medicamentorum quid ſit, *& quomodo fiat* ibid.
Comprimentia, *vid.* Hypactica
Conceptaculum, *vid.* Alembicus
Conceptionem Iuvantia, *vid.* Uterum corroborantia
Concha t. 1. p. 622
Conchylium, *vid.* Blatta Bizantia
Conchyta t.1. p.623
Condenſantia, *vid.* Pycnotica
Conditi, *vid.* Struthium
Conditura ibid.
Caulium, *Corticum*, *& Radicum* ibid.
Fructuum, *Nucum*, *& Florum* ibid. & ſeq.
Conditorum variæ ſpecies t.1. p.624. & ſeq.
Condita compoſita, *vid. in* Electuariis
Conficere quid ſit t.1. p. 627
Confectio ſaccharata quomodo fiat, *& quid ſit* ibidem & ſeq.
Confectio Alkermes ex Ph. Aug. t 1. p.764
Meſuæ ex ead. Pharm. t. 1. p.765.
Anacardina Meſuæ ex Ph. Aug. ibid.
Aniſi ſolutiva ex Ph. Aug. t. 1. p.6 8.
Alia ex Zvvelfero ibid.
Emetica, ex eod. ibid.
Archigenis ex Ph. Aug. t.1. p.766
Aurea Alexandrina Nicolai, ex ead. Ph. ibid.
Citri D. à Mynſicht t. 1. p.788
de Corallis, *Diacorallium dicta* Pharm. Norib. t. 1. p. 629.
Cordialis Regia ex Pharmac. Reg. Zvvelferi t. 1. p. 768.
Hamech major Meſuæ, *ex* Pharm. Aug. t.1. p.759
De hyacintho correcta D. Lemery t.1. p.769
Adverſus Lumbricos, *ex* Ph. Aug. t. 1. p. 628
Magnanimitatis D. à Mynſicht t. 1. p.789
Narcotica D. à Mynſicht t.1. p.788
Opiata, ex eod. t.1. p.787
Pacifica de Succolata Inda, ex eod. t.1. p. 789
Paſſulata ex eod. t.1. p.792
poſt Paſtum, *ex* Ph. Aug. t.1. p. 629
Pectoralis ex ead. Pharm. ibid.
ex D. à Mynſicht t.1. p.788
Pretioſa ex eod. ibid.
de Rebecha, ex Renodæo t.1. p.629
Satyrii ex D. à Mynſicht t.1. p.789
De ſtyrace Meſuæ t.1. p.774
Styptica ex D. à Mynſicht t. 1. p. 789
Terebinthinata ex eod. ibid.
Theriacalis ex eod. t.1. p. 788
Confectio de Thure, *ex* Pharm. Norimbergenſ. tom. 1. p. 629.
Zingiberis cocti ex Ph. Aug. ibid.
Indi ex D. à Mynſicht t.1. p. 788
Solida purgans, ex Ph. Aug. t.1. p.628
Confectiones compoſitæ variæ, *vide ſub titulo* Electuaria.
Congelare, *vid* Coagulare
Conjungere, *Conjunctio* t.1. p. 629
Conquaſſare ibid.
Conus ibid.
Conila, *vide* Myrrhis
Coniſterium, *vide* Cineritium
Conopæum, *vide* Papilia
Conſerva, *quid ſit*, *& quomodo fiat* ibid.

Anthos

Conſerva Anthos t.1. p.631
Betonica ibid.
Borraginis ibid.
Bugloſſi ibid.
Meliſſæ t.1. p. 632
Nenupharis t.1.p.631
Roſarum ibid.
Salviæ, & ſtæchados t.1.p.632
Violarum t.1.p.630
Conſerva compoſita, vide in Electuariis
Conſolida, vide Symphitum
Conſolida Regalis, vide Calcatripa
Media, vide Bugula
Sarraſenica, vide Virga Aurea
Conſummatum, vide Juſculum
Contrayerva t.1. p. 632.
Convolvulus, vide Volubilis
Conyza, ſive Pulicaria ibid.
Coobare, & Coobatio ibid.
Copal, ſive Pancopal Reſina t.1. p. 633
Coquo, vide Coccos, *item* Palma
Corallina ibid.
Corallina Æginetæ, vide Anagallis
Corallium, vide ſub titulo Lapis t.2. p. 111. & ſeq.
Coralliorum differentia t.2. p. 112.
Calcinatio, unde Sal t.2.p. 113. & ſeq.
Magiſteria varia t.2. p. 114. & ſeq.
Olea varia ibid.
Salia varia ibid. & ſeq.
Syrupi varii t. 2. p. 118
Tincturæ variæ à variis Authoribus tom. 2. p. 115 116. & ſeqq.
Inſuccatio ſingularis ex Cnœff. t.1.p.637
Corallia ficta quomodo parentur t. 2. p. 103
Factitia contra Epilepſiam Cnœff. t. 1.p.538
Nigri coloris contra epilepſiam ejuſd. ibid.
Corcorus, vide Anagallis
Corculum benedictum Cnœffelianum t. 1. p. 538
Cordumeni vide Carvi
Cordialia medicamenta quænam ſint t. 1. p. 633
Coriandrum t. 1. p. 638
Cor Indum ibid.
Corneolus, vide Carneolus ſub titulo Lapis tom. 2. pag. 91.
Cornix ibid.
Cornalina, vid. ſub titulo Lapis
Cornua t.1. p. 639
Cornu Cervi, vide Cervus
Cornumuſa, vide Retorta
Cornus ibid.
Conuta, vide Retorta
Corona Regia vide Melilotus
Corona Imperialis t.1. p. 640
Coronopus ibid.
Corrigere, & corrigentia t.1. p.641.
Corrodere, vide ſub titulo Calcinatio
Corroſivum, vide Cauſticum
Corruda, vide Aſparagus
Cortex quid ſit ibid.
Cortices officinales uſitatiores quinam ſint ibid.
Cortex maceris, vide Macer
Bugiæ, vide Aſpalatus
Febrilis, vide Kinkina
Nucis moſchatæ, vide Macis
Thuris, vide Thymiama
VVinteranus ibid.
Corvus t. 1. p. 642
Corvi partes officinales ibid.
Corvus Aquaticus ibid.
Corylus t.1. p. 643
Corymbus ibid.
Coſmetica quid & quænam ſint ibid. & ſeq.
Coſmeticorum variorum præparatio t.1. p.644. & ſeq.
Coſmetica varia capillos augentia tom.1. p. 645. 654. 655. & 658.
elongantia t.1.p.644. 654. 656. 657.
renaſci prohibentia t.1. p. 645. 654. 658.
vario colore tingentia. t.1. p.644. 645. 652. 653. 654. 655. 660. 661.
criſpos reddentia. t.1. p. 654. 661.
Dentes dealbantia. t.1.p.646. 669. & 670.
Faciem illuſtrantia t.1. p.646. 654. 663. & 664.
dealbantia & rubificantia. t.1. p. 649. 654. 663. & 664.
Denigrantia t.1.p. 650.
Faciei maculas tollentia. t.1. p.651. 655. 663. 672.
Faciem juvenilem reddentia t.1.p. 650.
Cutis Capitis vitia curantia t. 1. p. 662.
ad Ambuſta t.1.p. 655.
Manus dealbantia t.1.p. 666. 670.
ad manuum tumores, & ſciſſuras ex frigore t. 1. p. 667.
Verrucas. ibid.
Mammillas parvas reddentia, & conſervantia papillarumque ſciſſuras curantia. t.1.p.668.
Oculorum, & palpebrarum vitia tollentia t. 1. p. 645. 661. 662.
Superciliorum vitia tollentia. t.1. p. 661.
ad Scabiem. t. 1. p.665. & ſeq.
Ventris rugas à partu abſtergentia t.1. p. 669.
Coſtus. t.1. p 672.
Cotonaria, vide Piloſella. *Item* Pes cati, *ſeu* Gnaphalium verum.
Cotonea, vide Cydonia.
Cotula. t.1.p.673.
Coturnix, ejuſque partes officinales ibid.
Cotyledon vide Umbilicus Veneris.
Cracca, vide Aphaca.
Crap. ibid.
Craſſula, vide Telephium.
Craſſula minor, vide Sempervivum.
Crateogon, vid. Aquifolium.
Crates, & Craticula, vid. Inſtrumenta Pharmaceutica.
Cremor Lactis, vide Lac.
Cremor Tartari, vide Tartarus.
Cremor Ptiſanæ, vide Ptiſana.
Crepitus Lupi, vide Orbicularis.
Creſcio, vide Siſymbrium. *Item* Naſturtium.
Creſpinus Matthioli, vid. Oxyacantha.
Creta, vide ſub titulo Terra
Cribrum, vide Inſtrumenta Pharmaceutica.
Crinita, vid. Adianthum.
Criſpula, vide Burſa Paſtoris.
Criſta Galli, vide Pedicularis.
Criſta marina, vid. Crythamum.
Croci variorum mineralium, & metallorum, vide ſub titulis Mineralium & Metallorum è quibus præparantur.
Crocodilus, vide ejus deſcriptionem ſub titulo Lacertus.
Crocomagma Damocratis Galeni, ex Pharmac. Auguſt. t. 2. p. 1001.
Crocus. t.1. p.674.
Crocus, ſive Sulphur Solis D. Cnœffel. t.1. p.654.
Metallorum. t.1. p.814.
Cruciata, vide ſub titulo Gentiana.
Crucibulum, vide Inſtrumenta Pharmaceutica.
Cruſtam Inducentia, vid. Eſcharotica.
Crux Cervi, ſive Os de Corde Cervi, vid. Cervus.
Cryſtalliſare, Cryſtalliſatio. t. 1. p. 675.
Cryſtallus vid. ſub titulo Lapis Cryſtallus naturalis. t. 2. p. 91. 125. 1047. & ſeq.
Cryſtalli adulterini compoſitio, t.2. p. 100.
Crythmum. t.1.p. 677.
Cubeba ibid.

Cuculus ibid.
Cuculi partes officinales t.1.p.678.
Cucumis ibid. & ſeq.
Cucupha, quid ſit, ejus materia, parandi modus, & uſus. t.1. p. 6 9. & ſeq.
Cucupha Corroborans Caput. t. 1. p. 681.
Alia. ibid.
in Capitis dolore ibid.
in Catharro ibid.
Cucurbita ibid.
Cucurbita citrina, vid. Citrullus.
Cucurbita Chimica, vid. Alembicus.
Cuſcul, vid Secacul
Culex ibid.
Cuminum ibid. & ſeq.
Cuminoides t. 1. p. 682.
Cuniculus ibid.
Cunila Bubula Plinii, vid. Origanum
Cuntur ibid.
Cupa, vid. Inſtrumenta Pharmaceutica.
Cupreſſus ibid.
Cupreſſus herba, vid. Abrotonum.
Cuprum, vid. Æs.
Curcas ibid.
Curevaio ibid.
Curcuma ibid.
Cuſcuta ibid. & ſeq.
Cyanus, vide Flos Frumenti.
Cyclamen t.1.p.683.
Cydonia ibid. & ſeq.
Cygnus t. 1. p.684. & ſeq.
Cyma t.1. p.685.
Cymbalaria ibid.
Cymbalum, vid. Umbilicus Veneris.
Cyminum, vid. Cuminum.
Cynara ibid. & ſeq.
Cynocrambe, vid. Mercurialis.
Cynogloſſum t.1. p. 686.
Cynorrhodos, vid. Roſa.
Cynosbatos, vid. Rubus.
Cynoſorchis, vid. Orchis.
Cypariſſus, vid. Abrotonum.
Cyperus t.1.p.687.
Cyperoides ibid.
Cyprinus ibid.
Cytinus ibid.
Cytiſus. ibid.

D.

Dactiliſcum, vid. Palma.
Dactylus t.1. p.688.
Dama, vid. Rupicapra.
Daphne, vid. Laurus.
Daphnides, Bacca Lauri, vid. Laurus
Daphnoides, vid. Laureola.
Datura, vid. Saramonium.
Daucus officinarum ibid.
Creticus ibid.
Daullontas ibid.
Decantare t.1.p.689.
Decoctio, ſive Decoctum quid ſit ibid.
Decoctum quomodo rite parari debeat ibid.
Decoctorum exempla aliquot proponuntur t. 1. p. 692.
Decoctum, Adſtringens D. à Mynſicht. t.1. p.708.
Album D. Sydenham t. 1. p. 692.
Alterans pro Magiſtratu ex Hoffm. t. 1. p. 702.
ex Schrodero t.1. p.695.
Aliud ibid.
Amarum alterans Ph. Bat. t. 1. p. 701
purgans ejuſd. Pharm. ibid.
Pharm. Londin. t.1. p.693.
Decoctum Ambroſianum Ph. Bat. t.1. p. 701.
Analepticum ejuſd. Pharm. ibid.
Contra Anaſarcam probatiſſimum D. Beckii tom. 1 p. 699.
In Angina augmento, & Status principio t.1.p.705.
declinatione ibid.
Antiarthriticum D. Hoffm. t. 1. p.704.
in arthritide vaga ſcorbut. ejuſd. ibid.
D. à Mynſicht t.1.p. 706.
Antiictericum Ph. Bat. t. 1. p. 701.
D. à Mynſicht t.1. p. 706.
D. Timæi. t.1. p.698.
Aliud pro delicatis ejuſd. ibid.
Antihypochondriacum ſcorbuticum Timæi ibid.
Antimoniale Ph. Bat. t.1.p.701.
D. Ludov. ab Hornig. t.1. p. 696.
Antiphthiſicum
Pharm. Bat. t.1.p.700.
Pharm. Norib. t.1.p.701.
D. Timæi t.1. p. 695.
Zvvelferi t.1. p.698.
t.1. p.695.
Antipleuriticum D. Timæi t.1. p. 698.
Antiſcorbuticum Zvvelferi t.1. p. 695.
Aperitivum majus Pharm. Aug. t.1. p.693.
Lenitivum majus cum Rhabarb. ejuſdem ibid.
Minus ejuſd. Ph. ibid.
Decocta aperitiva quadam in Ictero, ex Hoffmanno t.1. p. 703.
Decoctum aperitivum tempore verno Zvvelferi. tom. 1. p. 693.
hyemali ejuſd. ibid.
Aſtacorum Ph. Bat. t. 1. p. 701
ad calculum Timæi t. 1. p. 698 & 700
Nephriticum Zvvelfer. t.1. p.695.
Foreſti à Zvvelfer. *correct.* t.1. p.693.
Ad Canis Rabidi morſum Ph. Bat. t.1.p.701.
Capillorum Veneris Meſuæ t.1. p. 693.
Caponis pro conſumptis Zvvelferi ibid.
Carminativum Ph. Aug. ibid.
Catharrale D. à Mynſicht. t.1. p.705.
ad Catharros Timæi. t. 1. p. 700.
Cephalicum D. I. M. ex Hoffm. t.1.p.703.
præparans & purgans Timæi. t.1.p.697.
Citri D. à Mynſicht t.1. p. 706.
Confortans & corroborans in malignis ex Hoffm. t. 1. p.703.
pro Clyſteriis deterſivum D. Lemery t.1. p.694.
commune ejuſd. ibid.
cum fol. ſen. Ph. Norib. ibid.
Coſmeticum D. à Mynſicht t.1. p.706.
Cupreſſi nucum ejuſdem t.1. p. 709.
In defluxionibus ſalſis ad oculos externa t.1. p.704.
Digitalis Ph. Bat. t.1. p.701.
Diureticum D. Augenii t.1. p. 700.
D. Timæi t. 1. p. 698.
contra Dyſenteriam Ph. Bat. t. 1. p.701.
D. Zvvelferi t.1. p.694.
contra Epilepſiam Timæi t. 1. p. 700.
Epithymi Meſuæ ex Ph. Aug. t.1. p.694
Euphraſia ejuſdem t. 1. p.697.
Decocta Expellentia quadam in peſte & febribus malignis ex Hoffmanno. t.1. p.703.
Decoctum Expulſivum in variolis & morbillis ejuſdem ibid.
In febribus ardentibus ejuſdem ibid.
Ficuum D. à Mynſicht t.1. p.706.
Florum & fructuum Ph. Aug. t.1. p.694.
Fumariæ Meſ. ejuſd. Pharm. ibid.
Galli antiqui farcinati D. à Mynſicht t.1. p.708.
in malo hypochondriaco & ſcorbuto Timæi t. 1. p. 700.

Decoctum Galli Inſtaurans Timæi t.1.p.700
in Pectoris affectibus ejuſd. ibid.
ad extra ad gangrænam & Sphacelum t.1.p.705.
in gingivarum putredine ibid.
Guajaci D. à Mynſicht. t.1. p.708.
contra Hæmoptyſin & omnes fluxus ſanguinis Timæi t.1. p. 698.
Hepatis vituli Ph. Bat. t.1. p. 696.
In Hepatis ſcirrho Timæi t.1. p. 698.
Hepaticum Ph. Bat. t.1 p.696.
Decocta Hepatica quædam in viſcerum obſtructione ex Hoffmanno t.1. p. 703.
Decoctum Hepaticum D. à Mynſicht t.1. p. 706.
Calidum D. Timæi t.1 p.698.
Frigidum ejuſdem. ibid.
Zvvelferi t.1. p. 694.
contra Herniam inteſtinalem D. à Mynſicht t.1. p.707.
Hydragogum Zvvelferi t.1.p.694.
Hyſtericum Ph. Bat. t.1. p. 696.
in Hyſtericis affectibus ex Hoffm. t.1.p. 704.
Laxativum Ph Aug. t.1. p.694.
D. Petri de Spina t.1. p. 696.
D. Timæi t. 1. p.697.
Ligni Guajaci D. à Mynſicht t.1. p. 70 .
in Lue Venerea Berigardii t.1. p.699.
D. I. Z. ex Hoffm. t. 1. p.704.
ad Luis Venereæ præſervationem ex Ligno Guajaco Herculis de Saxonia t. 1. p. 699.
In Lue Venerea Secretum Zvvelferi ibid.
Majale Ph. Batean. t. 1. p.696.
Schroderi. t. 1. p.694.
Decocta quædam in Menſium obſtructione ex Hoffman. t. 1. p. 704.
Decoctum in menſium ſuppreſſione D. à Mynſicht tom. 1. p. 797.
Timæi t. 1. p. 699.
Zvvelferi t.1 p. 695.
Decoctum contra menſium immoderatum fluxum Timæi t. 1. p. 699.
In mictione cruenta ex Hoffmanno t.1.p.704.
D. à Mynſicht t.1. p. 707.
D. Timæi t.1. p. 699.
ad morſum Canis Rabidi Ph. Bat. t. 1. p.701.
Nigrum D. à Mynſicht. t.1.p. 709.
Nucum cupreſſi ex eodem ibid.
Odontalgicum Timæi t.1 p. 698.
Decocta ad Odontalgiam externa t.1. p. 705.
Decoctum Ophthalmicum Timæi. t.1. p. 697.
Pacificum Pharm Bat. t. 1. p. 701.
Paſſulatum D. à Mynſicht t.1. p.706.
Decocta Pectoralia in tuſſi deſperatiſſima ex hæmoptyſi cum diſcraſia ſanguinis calida t.1. p.702.
Attenuantia in tuſſi ex craſſis humoribus ex Hoffm. ibid.
Decoctum Pectorale incraſſans D.D. L. M. ex Hoffman. t. 1. p. 703.
Conſolidans ejuſd. ex eodem ibid.
Subacidum D. à Mynſicht t.1. p.705.
Subdulce ejuſdem ibid.
ex Radice Chinæ ejuſdem t. 1. p. 706.
Pharm. Noriberg. t. 1. p.695.
Timæi. t. 1. p. 697.
pro potu ordinario ejuſd. t.1. p.700.
Polychreſtum Ph. Bat. t. 1.p.701.
Polypodii purgans D. à Mynſicht t.1. p.708.
Præparans Bilem incraſſatam, Timæi t.1. p.697.
tenuem, ejuſdem ibid.
Humorem melancholicum, ejuſd. ibid.
Pituitam ejuſd. ibid.
Præſervatorium Ph. Bat. t.1. p. 01.
Decocta Purgantia quædam ex Hoffm. t.1. p.704.
Mangeti Bibl. Pharm.
Decoctum Purgans violatum D. à Mynſicht. t.1. p.708
Pro delicatulis Quercetani t.1. p.696
Bilem, ex Timæo t.1. p. 697
Humorem melancholicum, ex eod. ibid.
Pituitam ex eod. ibid.
ad Rachitidem Pharm. Bat. t.1. p.701
Rhabarbari, ejuſd. Pharm. t. 1. p.702
D. à Mynſicht t. 1. p.708
Reguli Pharm. Bat. t. 1. p. 702
ad Renum dolorem & exulcerationem ex Hoffm. t. 1. p. 704.
Rubicundum Ph. Bat. t.1. p. 701
Rubiæ tinctorum ejuſd. Pharm. ibid.
Sanguinem purificans in ſcabie ex Hoffmanno t. 1. p. 704.
D. à Mynſicht t. 1. p.708
Satyriacum ex eod. t.1. p.707
contra ſcabiem, ex eod. ibid.
in ſcirrho Hepatis Timæi. t.1.p.698
Scorbuticum Pharm. Bat. t.1. p.702
Senæ D. à Mynſicht. t.1. p. 708
cum Rhabarbaro ibid.
ad ſitim Ph. Bat. t. 1.p. 702
Splenis Bovis ejuſd. Ph. t.1. p.696
Decocta ſplenetica, aperitiva, antiſcorbutica, ex Hoff. t.1. p. 704.
Decoctum ſpleneticum D. à Mynſicht t.1. p.706
Timæi. t.1.p.698
contra ſputum Sanguinis Zvvelf. t.1.p 695
ad ſtrumas Ph. Bat. t.1.p.702
Traumaticum ejuſd. Ph. ibid.
Ph. Lond. t.1. p.695
Decoctum in Venerea Lue Berigardii t. 1. p. 99
D. I. Z. ex Hoffm. t. 1. p.704
ad Venereæ luis præſervationem ex ligno Guajaco Herculis de Saxoniâ t.1. p. 699
in Venerea lue Secretum Zvvelferi ibid.
Violatum purgans D. à Mynſicht. t. 1. p.708
Ulmi Ph. Bat. t.1.p.702
contra Uteri hæmorrhagiam D. à Mynſicht tom. 1. p. 707.
Vulnerarium D. à Mynſicht ibid.
Quercetani pro omnibus vulneribus internis & externis t. 1. p. 697
Decrepitare t. 1. p. 709
Defenſiva, vid. Intercipientia
Defrutum, vid. Sapa
Dejectoria, vid. Purgantia
Deleteria ibid.
Deliquium, per deliquium ſolvere, quid ſit? ibid
Delphinium, vid. Conſolida Regalis
Dens caballinus, vid. Hyoſciamus
Dens canis, vid. Gramen.
Dens caninus t.1. p.710.
Dens Elephantis, vid. Ebur.
Leonis, vid. Taraxacum
Dentalium t.1.p.711
Dentaria t. 1.p.710
Major t. 1. p. 711
Dentellaria, vid. Plumbago
Dentifricia, vid. Odontica t.2. p. 451
Dephlegmare quid ſit ibid.
Depilatoria, vid. Pſylotra
Deſiccare quid ſit t.1.p.711
Deſiccativum rubrum, vid. Unguentum
Deſpumare, quid ſit ibid.
Detergentia Medicamenta quid & quænam ſint ibid.
Detonare quid ſit ibid.
Diacalamenthes, vid. Pulvis.
Diacarthami, vid. Electuarium
Diacaſſia, vide Electuarium, aut etiam Looch pro clyſteribus

Diacatholicum,vide Electuarium.
Diaceraſum,vide Diamarenatum.
*Diachalciteos,vid.*Emplaſtrum.
Diachylum,vide Emplaſtrum.
Diacinnamomi,vide Pulvis.
Diacodium Aſthmaticum contra tuſſim diuturnam, Zvvelf. t.1. p.713
Dyſentericum ejuſdem ibid.
Joan.Bapt.Montani, alias ſyrupus de ſiliquis Ph. Aug. t.1.p.712
ſimplex Galeni ex Ph. Aug. ibid.
ſolidum ejuſd.Ph. ibid.
Aliud ejuſd.Ph. ibid.
*contra ſputum ſanguinis,*ex Zvvelfero tom.1. p.713
Diacrocron , vide pulvis
Diacuminum, vide pulvis
Diacydonites, vide pulvis.
Diacydonium Aromaticum Ph. Aug. ibid.
Lucidum Scammoneatum t.2.p.800
Pharm.Lond. t.1.p.714
Purgativum è ph.perſicâ ibid.
ſimplex Ph.Aug. t.1.p.713
ſolutivum ibid.
pellucidum ibid.
Stipticum ph perſicæ t.1.p.714
Diacynorrhodon, vide ſub Titulo Conſerva *, item* Cynorrhodon.
Diæta quid ſit,& quomodo paretur ibid.
Diagalanga,vide pulvis
*Diagrydium,vid.*Scammonium.
Diahyſſopi,vide pulvis.
Diaireos,vide pulvis.
Dialacca,vide pulvis.
Dialthæa,vide Unguentum.
Diamarenatum t.1.p.714
Diamargaritum,vide pulvis.
Diambræ, vide pulvis.
Diamorum compoſitum Galeni, ex Pharm.Aug. t.1. p.715
ſimplex ejuſdem ph. t.1.p.714
uſitatum Nicolai ex eadem ph. t.1.p.715
Diamoſchi,vide pulvis.
Diamygdalatum,vide Martius panis.
Dianiſi vide pulvis.
Dianthos, vide pulvis.
Dianucum, Ph.Aug ibid.
Diapaſma,vide Cataplaſma.
Diapenidii,vide pulvis.
Diapentia,vide Sanicula.
Diaphænicum,vide Electuarium.
Diaphoretica Medicamenta , quid & quænam ſint ibid & ſeq.
Diaphoretica Medicamenta,vide Hydrotica,
Diaphoreticus pulvis diurnus t.1.p.718
nocturnus ibid.
Diaphoreticorum formulæ, ſpecies, & Ætiologia t.1. p.1003
Diapraſſii,vide pulvis.
Diaprunum,vide Electuarium.
Diarrhodon,vide pulvis.
Diaſcordium,vide Electuarium.
Diaſebeſten,vide Electuarium.
Diaſenna,vide Electuarium.
Diateſſarum,vide Theriaca, Electuarium.
Diathamaron,vide Diacomeron.
Diatragacanthi,vide pulvis.
Diatriaſantali, vide pulvis.
Diatrion,Pipereon,vide pulvis.
Diaxilaloes,vide pulvis.
Dictamnus ibid.
Digerere quid ſit ibid. & ſeq.
Digeſtiva Medicamenta quid & quænam ſint t.1. p.720
Digeſtivus pulvis ordinarius D.Cnœffel. t.1.p.721
Digitalis ibid.
Dionyſia t.1. p.722
Diphryges ibid.
Diploma,vide Ignis.
Dipſacus,vide Virga paſtoris.
Dipſas,vide Serpens.
Diptamum,vide Dictamnus.
Diſcus ibid.
Diſcutientia,vide Reſolventia.
Diſpenſare ibid.
Diſpenſatorium,vide Antidotarium.
Diſſolvere,& diſſolutio ibid.& ſeq.
Diſtillare,& diſtillatio t.1 p.727.& ſeq.
Diſtillatum Inſtaurans Timæi t.1.p.700
Diſtillatum,vide Aqua Carnis,*ſive* Aqua Analeptica.
Diuretica Medicamenta quid,& quænam ſint. t.1. p.728.& ſeq.
Diureticus pulvis ordinarius ex Cnœffelio tom1. p. 733
in ardore urinæ ejuſdem ibid.
Dokimaſtice Metallica ibid.
De Dokimaſtice Metallica Olai Borrichii Tractatulus. ibid.& ſeq.
*Dolichus, vid.*Phaſeolus.
Dolorem lenientia,vid. Anodyna.
Doronicum t.1. p.744
Dorychnium t.1.p.745
Doſis medicamentorum. ibid.& ſeq.
Draba. t.1.p.748
*Drachma,vid.*Pondera.
Draco marinus. ibid.
Draco mitigatus. t.2.p.280
Dracontium. t.1. p.748
Dracunculus Hortenſis. ibid.
Dragacanthum,vid. Tragacanthum.
*Drakena.vid.*Serpentaria Virginiana ,*ſeu* Viperina Virginiana.
Dropax quod ſit. t.1.p.749
compoſitus, ex Weickard. ibid.
ſimplex, ex eodem. ibid.
Dropaces ex Joh. Michael. ibid.
Dryopteris ibid.
Dulcamara, vid Solanum ſcandens.
Dryinus,vid ſub titulo Serpens.
*Dulcis Radix, vid.*Liquiritia.
Dulcorare quid ſit ibid.
Durio ibid.
Dyſenterica Medicamenta quid & quæ ſint. t.1.p.750
*Dyſentericus Bolus D.*Cnæſtelii ibid.
*Dyſenteria D.*Cnœffelii ibid.
*Dyſentericus Pulvis Caſtrenſis D.*Cnœffelii ibid.
*Dyſentericum ſpecificum D.*Cnœffelii. ibid.

E.

Ebenus. tom.1. pag.750
*Ebiſcus,vid.*Althæa.
Ebullitio, quid ſit t.1.p.751
Ebulus ibid. & ſeq.
*Ebur, vid.*Elephas.
Eccoprotrica medicamenta, quid ſint t.1.p.752
Echinomelactos ibid.
Echinopus ibid.
Echinus caſtaneæ ibid.
Echinus Animal ibid.
Echini partes officinales ibid.
Echinus marinus ibid.
Echium ibid.
Eclegma,vid. ſub titulo Looch.

Ecpyptica

Ecpyptica, *vid.* Pepaſtica.
Ecryſotica, ſive Eradicantia Medicamenta t.1.p.753
Effervescentia quid ſit ibid.
Egetea ex Pharm.Bauderon. t.1.p.771
Elaphoboſcum t.1.p.775
Elaphoſelinum, *vid.* Oreoſelinum.
Elate, *vid.* Abies.
Elaterium, *vid.* Cucumer Sylveſtre.
Elatine t.1.p.755
Eletica, *vid.* Epiſpaſtica.
Eleagnon, *vid.* Agnus Caſtus.
Electrum, *vid.* Succinum.
Electuarium, quid ſit, idque componendi ratio ibid & ſeq.
Electuarii exempla aliquot t.1.p.756.& ſeq.
*Electuarium Abſynthiacum ex D.*à Mynſicht. tom 1. p.790
Album ex Pharm Bat. t.1.p.782
Alexipharmacum de Ciconiâ t.1.p.764
*D.*Pet.de Spina ibid
Alexiterium camphoratum D.D.R.ex Hoffmanno t.1.p 783.
Alkermes dictum, *vid.* Confectio Alkermes.
de Allio t.1.p.765
Amarum magiſtrale majus ex Pharm. Lond. t.1 p.758
minus ex ead.Pharm. ibid.
Ambroſia Archilei ex Weckero t.1.p.765
ex Pharm.Perſica t 1.p 7?4
Anacardinum Meſuæ, ex Ph.Aug. t.1.p.765
Anodynum ex Pharm.Aug. ibid.
Antepidemicum D.Goddard. t.1.p.769
Antidotale pro familia Stapedii ex Phar. Auguſt. t.1.p.765
Matthioli ex Ph.Aug. ibid.
Hæmagogum ex Ph.Lond. t.1. p.767
Analepticum ex Ph.Lond. t.1.p.766
Aſyncriticum Actuarii ex Renodæo ibid.
Eſdræ, ex VVeckero t.1.p.765
Aliud ex eodem t.1.p.766
Theriacale ex Phar.Reg.Zvvelf. t.1. p.778
Secundum, *antidyſentericum* ex ead. Ph.Zvvelf. t.1.p 779
Antiepilepticum ſingulare M. Ducis Hetruriæ t.1.p.783
D.Timæi t.1.p.781
Aliud ex eodem. ibid.
Antifebrile ex Ph.D.Le Mort. t.1.p 769
Antimorum Nicolai, ex VVeckero t.1. p.758
*Antiphthiſicum F.*ex Hoffm. t.1.p.783
ex Timæo t.2.p 781
*Antiſcorbuticum D.H.*ex D.à Mynſicht t.1 p.793
ex Timæo t.1.p.782
Ariſtotelicum ex Ph. Perſica t.1. p.784
Aſthmaticum ex Ph.Bat. t.1.p.782
contra Aſthma & orthopnæam, ex Hoffmann. t.1. p.783
Athanaſia magna Nicolai, ex Pharm. Auguſt. t.1.p.767
ex Ph. Perſicâ t.1 p.784
è Baccis Lauri Rhaſis, ex Ph.Aug. t.1 p.767
Benedicta laxativa Nicolai, ex Pharm. Auguſt. t.1.p.758
*Bezoardicum D.D.K.*ex Hoffm. t.1.p.783
Aliud ex eodem ibid.
Papæ Leonis t.1.p 793
de 7.radicibus, & 7. herbis Georgii Moral ex Theat.Ph. D.de Sgobbis t.1. p 767
ex Bolo Armena, ex Hoffm. t.1 p.784
contra calculum Cnœffelii t.2.p.444
Camphoratum Kegleri t.1.p.767
Electuarium Cardiacum ex Ph.D.Le Mort t.1. p.767
Carminativum, ex Timæo t 1.p.782
Caryocoſtinum, ex Ph.Aug. t.1 p.758
Caryophyllorum, ex Ph.Bat. t.1.p 782
Caſtitatis ex Ph. Bat. t.1 p 782
Catharticum Cæſareum D.à Mynſicht t.1.p 790
Caryophyllatum ex eodem t.1. p.791
Cholagogum ex eodem ibid.
Paſſulatum ex eodem t.1 p.792
Peruvianum liquidum ex eodem ibid.
Solidum pretioſum ex eodem ibid.
Commune ex eodem ibid.
Regium ex eodem t.1.p.791
Roſarum ex eodem ibid.
Therebinthinatum ex eodem t.1.p.792
Violarum ex eodem t.1.p.791
Vitæ, ex eodem ibid.
Catechu pro delicatulis t.1.p.972
*Cephalicum confortans D.D.B.O.*ex Hoff. t.1.p.783
D.à Mynſicht t.1 p.787
*D.*Timæi t.1.p.781. & 782
Chalibeatum, ex Ph.Aug. t.1 p.767
ex Ph.Bat. t.1. p.782
Arcularii, ex Schrodero t.1.p.767
Augenii, ex Schrodero ibid.
Cholagogum F. De le Boë Sylvii t.1. p.760
de Cineribus ex Ph.Aug. t.1.p. 68
de Citro ſolutivum ex Ph.Aug. t.1.p.759
Stomachicum Meſuæ ex Ph.D. Lemery t.1.p.768
ad Coitum, ex Hoffm. t.1.p.784
Aliud ex eodem ibid.
*Cordiale D.D.K.*ex Hoffm. t.1.p.783
Cordiale ex Ph. Ind. Grimom. t.1.p.787
Timæi t.1.p.781.& 782
Cor lætificans D. Michaël. t.1.p.7?7
Corroborans ſeptem membra principalia, Crollii t.1 p.768
Diabalzemer, ſive Sennatum Renodæi, ex Ph.Aug. t.1.p.758
Diabryonias Democriti, ex VVeckero ibid.
Diacapparis ex Ph.Lond. t.1.p.767
Diacarthamum Arnoldi de Villa-Nova, ex Phar. Aug. t.1. p.758
Solidum ex Ph.Aug. t.1 p.759
Diacaſſia cum manna ex Ph.Aug. t.1.p.759
D.D. Donzelli ibid.
Diacaſtorium, ex VVeckero t.1.p.767
Diacatholicon Nicolai Præpoſiti, ex Pharm.Auguſt. t.1.p.759
Diacinnamomum ex Pharm.Ind.Grimom. t.1. p.786
ex Ph.Lond. t.1.p.768
Diacorallion ex Ph.Lond. ibid.
Diacorum Altenburgens. t.1. p.783
ex Ph.Aug. t 1.p.764
Meſuæ, ex eadem Ph. ibid.
Diacrocuma ex Ph Lond. t.1.p 768
Diakermes ſolutivum ex Timæo t.1.p.782
Diaphœnicon Fernelii ex Ph Aug. t.1.p.762
Meſuæ ex ead.Ph. ibid.
Solidum ex ead.Phar. ibid.
Diaphoreticum Plateri, *ex Schrodero* t.1 p.768
Diaprunum D.F De le Boë Sylvii t.1.p.760
Diarrhodi ex Ph.Bat. t.1.p.782
Diaſarum Fernelii t 1.p 758
Diaſatyrion Nicolai, ex Ph.Aug. t.1.p.773
Diaſcordium Fracaſtorii ex Ph.Aug. ibid.
Sylvii ex eadem Pharm. ibid.
Roſarium ex D.à Mynſicht t.1.p.790
Diaſpermaton ex Ph.Lond t.1.p.774
Diaſulphur, *Meſuæ*, ex VVeckero. ibid.

INDEX RERUM.

Electuarium Diaturbith Minerale ex D. à Mynſicht t.1.p.791
cum Rhabarb. Montagnagnæ, ex Ph. Aug. t.1. p.764
Ducis Sabaudiæ, ex Ph. Bat. t.1. p 782
contra dyſenteriam ex Cnœff. t.1.p.750
Hœchſtetteri, ex Phar. Aug. t.1.p.768
D. à Mynſicht t.1.p.790
pro Noſocomio Argent. D. D. Segleri ex Hoffm. t.1 p.784. 793
ex Ph. Reg Zvvelf. t.1 p.769
Emolliens in alvi conſtipatione, ex Timæo tom. 1.p.781
Epilepticum ex Ph.Bat. t.1.p.782
Epiſcopi, quod Eleſcoph vocatur Meſuæ, ex Phar. Aug. t.1. p.759
Solidum ex eadem ibid.
in Exulceratione Renum, & Veſicæ ex Timæo t.1.p.782
contra Gallicum morbum D. Marchetti t.1.p.793
Gorgoroſtinum D. Beyeri ibid.
in Hæmorrhoidum fluxu nimio, ex Hofm. t.1.p.784
Hamech major Meſu. ex Ph. Aug. t.1 p.759
ex Hedera terreſtri compoſ. Ph. Aug. t.1.p.769
Hepaticum calidum ex Timæo t.1.p.781
frigidum ex eodem t.1.p.782
ex D. Cnœffelio t.1.p 976
Hiera picra Galeni ſimplex Ph. Aug. t.1.p.761
cum Agarico ex ead. Ph. ibid.
compoſita Nicolai ex Ph Aug. ibid.
Logadii Myrepſi ex ead. Ph. ibid.
Paſchii Diacolocynthidos, ex eadem Ph. ibid.
Hydragogum eximium Renodæi t.1.p.760
F. de le Boe Sylvii ibid.
primum ex Ebulo Zvvelferi ibid.
ſecundum, de Spina Cervina, ejuſd. ibid.
Hydropicum de ſoldanella, ex Bierlingt t.1.p.792
Hypnoticum ex Timæo t.1.p.782
de Hyſſopo Nicolai, ex Weckero t.1.p.769
Hyſtericum, ſive Laudanum facile, ex Schrodero ibid.
Indum majus Meſuæ ex Phar. Aug. t.1.p.761
Itzeboer mithridaticum Papæ Leonis t.1.p.793
Juniperinum ex Ph. Bat. t.1 p.782
Lenitivum Florenzolæ ex Ph. Aug. t.1.p.760
ex Tamarindis ex ead. Ph. ibid.
de Manna Nicolai ex Ph. Aug. ibid.
ex Ph. Ind. Grimom. t.1.p.787
Suaviſſimum ex Ph. D. Le Mort t.1.p.761
Pharm. Pariſiens. t.1.p.761
Lithontripticum ex Ph. Bat. t.1 p.782
contra luem Veneream D. Marchetti t.1.p.793
Pittaretia Veneti *dictum*, ibid.
Macis ex Pharm. Bat. t.1. p.782
Magnanimitatis ex Pharm. Aug. t.1. p.769
Martiale Cnœffel. t.1 p.1133
ad menſtruorum fluxum nimium Cnœff t.2 p.1134
Micleta Nicolai Myrepſi ex Pharm. Auguſt. t.1.p.770
Mithridatium Damocratis ex Ph. Aug. ibid.
reſolutum, ex eadem Ph. ibid.
Muſa Æneæ, ſive Zazenea, ſeu Egetea, ex Ph. Bauderoni t.1.p.771
de Napello ad Lepram ex Ph. Perſica t.1.p.785
de Nitro D. à Mynſicht t.1 p.790
de Nucibus inpeſte ex Hoffm. t.1. p.784
ex Schrod. t.1. p.771
Ophthalmicum, D. Timæi t.1. p.781
Opiata Solomonis Juberti, ex Renodæo t.1.p.771
Opticum D. à Mynſicht t.1.p.790
Orvietanum ex Ph. Bat. t.1.p.775
Electuarium Orvietanum ex collect. Bierling t.1.p.792
verum ex Ant. de Sgobbis t.1. p.771
ex Schrodero ibid.
de Ovo Max. Imperat ex Ph. Aug. ibid.
Oxydorſicum ex Pharm. Bat. t.1.p 782
Panchymagogum ex Phar. Reg. Zvvelferi t.1. p.762
Paralyticum ex Ph. Bat. t.1.p.782
Paſſulatum ex Ph. Lond. t.1.p.762
ex D. à Mynſicht t.1.p.792
ex D. Timæo t.1.p.781
Pectorale ex Pharm. Bat. t.1.p.782
ex Ph. Lond. t.1.p.772
contra Peſtem Guidonis: ſive Electuarium Papæ ex Pharm. Aug. ibid.
D. R. ex Hoffman. t.1. p.784
de Nucibus D. D. R. ex eodem ibid.
Philonium Romanum majus Nicolai Myrepſi ex Pharm. Aug. t.1. p.772
Meſuæ, ex Ph Aug. ibid.
Perſicum eiuſdem, ex ead. Ph. ibid.
Tarſenſe Galeni, ex ead. Ph. ibid.
Magiſtrale ex Ph. Lond. ibid.
In phthiſi D. Michaelis t.1.p.787
ex Schrodero t.1.p.772
Incipiente ex D. VVenclero t.1 p.773
ex Ph. Reg Zvvelferi t.1. p.772
Piperinum ex Pharm. Bat. t.1.p.783
Podagricum S. Cloſſæi t.1.p.762
Pretioſum Regis Franciæ t.1. p.793
de Prunis lenitivum ex Ph. Aug. t.1.p.762
Solutivum Nicolai, ex ead Ph. ibid.
Timæi t.1.p.781
Pſeudo acori Stomachicum, ex Schrodero t.1. p.764
de Pſyllio Montagnanæ ex Ph. Aug. t.1. p.762
Pulmoniacum D. Coci, ex D. à Mynſicht t.1.p.793
Regum, ex Schrodero t.1.p.773
in Renum & Veſicæ exulceratione ex Timæo t. 1.p.782
Requies Nicolai ex Ph. Aug. t.1 p.773
è Succo Roſarum Nicolai ex Ph. Aug. t.1.p.763
ſolidum ex ead. Ph. ibid.
Roſatum Meſuæ ex ead. Ph. ibid.
Sanguinem purificans D. Michael. t.1 p.787
in Sanguinis ſputo ejuſdem ibid.
è Saſſafras ex Ph. Lond. t.1.p.773
Scorbuticum ex Schrodero ibid.
de Scoria ferri Rhaſis, ex Ph. Aug. t.1. p.774
In Scorbuto D. Michael. t.1.p.787
de Scorzonera D. à Mynſicht t.1.p.790
de Sena Nicolai ex Ph Aug. t.1.p. 763
cum Ambra ex Ph. Norimb. ibid.
de ſoldanella hydropicum ex Bierling. t.1.p 792
ſolutivum ex Timæo t.1. p 782
Sotirella parva dictum ex Ph. Aug. t.1.p.774
Spagiricum ex Ph Aug. ibid.
Spleneticum ex Timæo t.1. p.782
Stomachicum D. C. ex Hoffm. t.1. p.783
Aliud ex eodem ibid.
Confortans D. Michael. t.1.p.787
D. à Mynſicht t.1.p.790
Stromayeri t.1.p.774
Calidum ex Timæo t.1.p.781
Frigidum ex eodem ibid.
Aliud ex eodem t.1. p 782
de Styrace Meſuæ t.1. p.774
de Sulphure ex Ph. Perſica t.1.p.786
de Tamarindis Georg Horſtii t.1.p.763
Therebinthinatum de Lemery t.1. p.774
purgans D à Mynſicht t.1.p.792
laxativum ejuſdem ibid.

Electua-

Electuarium therebinthinatum laxativum ex Timæo t.1. p.781
Theriaca Andromachi Senioris ex Galeno. ex Ph. Aug. t.1.p.774 & ſeq.
Theriaca Andromachi magis reſtricta & correcta, ex Ph.Reg Zvvelferi t 1.p.778
Theriaca benedicta Quercet. t.1.p.897
Theriaca cœleſtis t.1.p.898
Communis Auguſtanor. ex eadem Pharm. t.1.p 779
de Cancris ex Ph Perſica t.1.p.786
Ceylonica ex Ph.Ind.Grimom. ibid.
Contracta ex Ph.D.Le Mort t.1 p.780
Contractior alia ex eodem ibid.
Diateſſaron ex Ph.Aug. ibid.
Febrilis ex D.à Mynſicht t.1.p.790
Londinenſis ex Ph.Lond t.1.p.779
Mulierum ex D.à Mynſicht t.1.p.789
de Ovo ex Ph.Perſica t.1.p 786
Pauperum ex Ph.Ind.Grimom. ibid.
Reſoluta ex Ph.Norib. t.1. p.779
Saxonica ex D.à Mynſicht t.1.p.789
Selecta ex Pharm.Perſica t.1.p.785. & ſeq.
Simplex ex Ph.Reg.Zvvelferi t.1 p.778
Smaragdina ex Ph. Aug. t.1 p.780
Tryphera ad Lumbricos ex Ph.Perſica t.1.p.784
Magna Nicolai ex Ph Aug. ibid.
Minor Phæonis Meſuæ ex ead.Ph. ibid.
Perſica Meſuæ ex Ph.Aug. t.1.p.763
Sarracenica ejuſdem,ex ead. Ph. ibid.
ad Strumas ex Ph.Perſica t.1 p.784
Electuaria Varia ad Venerem ex Weckero t.1.p 780. & ſeq.
Electuarium contra Veneream luem D. à Mynſicht. t.1 p.793
D.Marchetti ibid.
Vermifugum ex Ph.Bat. t.1. p.783
In veſica & rerum exulceratione ex Timæo t.1. p.782
ad viſum recuperandum ex Hoffm. ibid.
Vitæ Arnoldi de Villa Nova ex Pharm. Auguſt. t.1. p.781
*Electuaria varia Confectiones dicta,vid.*Confectio.
Elemi Gummi t.1.p.795
*Elenium,vid.*Enula Campana.
Eleoſaccharum quid ſit,& quomodo paretur t.1.p.794
Cordiale ibid.
Compoſitum D.Cnœff. t.1 p 637
Eleoſaccharorum exempla aliquot t.1.p.794
Eleoſelinum,vid. Apium Paluſtre
Elephas ibid.
Elephantis partes officinales, & præparata tom.1. p.797
Elichryſon ibid.
Elixatio,quid ſit ibid.
Elixyr quid ſit,& quomodo paretur ibid.& ſeq.
Alexipharmacum ex Hoffmanno t.1. p.806
Alliatum antipeſtilentiale ex Pharm. Reg.Zvvelf. t.1.p.798
Antiepilepticum Cratonis,ex Schrodero t.1.p.799
Crollii,ex eodem ibid.
DD Freyen ex eodem ibid.
& Hyſtericum Schroderi ibid.
Antihypochondriacum , & Antiſcorbuticum Rolfinc. t.1.p.800
Antifebrile,ex Bierling. t.1.p.806
*ex D.*Cnœffelio t.1.p.913
ex D.J.M ex Hoffmanno ibid.
*ex D.*à Mynſicht t.1 p.808
Antimoniale Purgans D. Sachſii , ex Bierling. t.1.p.807
Elixyr Antipeſtilentiale ex Ph.Reg.Zvvelf. t.1.p.802
Antipodagricum,ex Timæo t.1.p.804
Antiſcorbuticum D.Michaël ex Bierling.t.1.p.807
D.F.H. ex Hoffmanno t.1.p 805
Aperitivum Claudeni t.1.p.799
Arthriticum ex collect.Bierling. t.1.p 806
ex Hoffmanno ibid.
Balſamicum P.Emmer. *correct.* à D. Jungken. t.1 p.798
ex Ph.Indic.Grimom. t.1 p.806
Bezoardicum ex Bierlingio t.1.p 807
Camphoræ ex D.Le Mort Pharm. t.1 p.803
Carminativum ex Ph.Indic. Grimom. t.1.p.806
Cephalicum ex Bierlingio t.1 p 806
ex Hoffmanno t.1.p 804
*D.D.G.M.*ex eodem ibid.
Rolfincii t.1.p 799
Timæi t.1 p.803
Wedelii t.1.p 799
Cinnamomi ex Ph.Noriberg. ibid.
Citri ex D.Le Mort Ph. t.1.p 803
ex Ph.Norimberg. t 1.p 799
Purgans D.Michael. t 1.p.807
Cordiale ex Timæo t.1 p.803
Epilepticum & hyſtericum ex Hoffm. t.1.p.805
ex Timæo t.1 p 804
Hypochondriacum, ex Schrodero t.1 p.804
Hyſtericum,& antepilepticum,ex eodem t. 1. p.799
Juniperinum ex Ph. Norimb. t.1.p 800
Mumiæ t.1. p.991
Nephriticum Arniſæi ex Bierlingio t.1.p.807
ex Schrodero t.1 p.800
Ophthalmicum ex collect.Bierling. t.1 p.806
Panchymagogum Crollii,ex Ph.Aug. t.1.p.800
Panis ex Ph.Indic.Grimom. t.1.p.806
Pectorale D.D.J.M ex Hoffm. t.1.p 805
Ducis Saxoniæ,ex eodem ibid.
ex Ph Indic. Grimom. t.1.p.806
Wedelii t.1.p.800
Peſtilentiale Crollii,ex Ph.Aug. ibid.
ex Ph.Indic.Grimom. t.1 p.806
ex Schrodero t 1 p.799
Pæoniæ D.à Mynſicht. t.1. p 808
Proprietatis compoſitum,ex Bierling. t.1.p.807
Dulce ex Ph.Aug. t.1 p.801
Fiſcheri, ex Bierling. t.1 p.807
D.Herbſtii,ex Bierling. t.1.p.806
D.D.G ex Hoffm. t.1. p.805
Aliud ex eodem ibid.
Aliud D.F.F ex eodem ibid.
*A.S.*ex eodem ibid.
Paracelſi,ex Ph Aug. t.1 p 801
correctum ex Ph Aug. ibid.
Purgans ex collect.Bierling. t 1.p.807
Rhabarbarinum t.1. p 801
Purgans Herbipolenſium, ex Bierling. tom.1. p.807
elegantiſſimum D.Michael. ibid.
Rorellæ ex Ph.Norimb. t.1.p 801
Spleneticum ex Timæo t.1 p 803
Stomachale D.D.J.M .ex Hoffm. t.1.p.805
ex Timæo t.1.p 804
ex eodem Aliud t 1.p 803
Sulphuris ex D.à Mynſicht t.1.p.808
Syncopticum S.Cloſſæi, t.1 p.801
Venereum ex Timæo t.1.p 804
Vitæ Bononienſe,ex Bierling. t.1.p.807
Cephalicum, & Stomachicum ex Zvvelf. t.1.p. 802
Majus Quercetani,ex Schrod. t.1.p.801
Minus ejuſdem,ex eodem t.1.p.802

Elixir Rubeum D. D. R. ex Hoffm. t. 1. p. 805
ex Timæo t.1. p. 804
Vitrioli ex D. à Mynſicht t.1.p.807
ex Ph. Norimb. t.1.p.802
ex Timæo t.1. p.804
Uterinum ex Bierling. t.1. p.806
Crollii t. 1. p. 802
D.G. M. ex Hoffm. t.1 p.805
Aliud D.I.M. ex eod. ibid.
Aliud D.F.M. ex eodem t.1.p.806
Michael. t.1.p.802
Rolfincii ibid.
Schroderi t.1. p.801
ex Timæo t.1. p 804
Wedelii t.1.p.802
Elleborus, vide Helleborus
Embrocatio, quid ſit, & quomodo paretur t.1.p. 809
Embrocationum ad varios morbos exempla aliquot ibid. & ſeq.
Emetica quid ſint t.1.p 809
Emeticorum exempla proponuntur t.1. p.810. & ſeq.
Emeticorum formulæ, & quorundam ex iis, quoad præparationes, & Analyſes Chymicas, Æthiologiæ, ex Williſio t.1. p 813. & ſeq.
Emenagoga quid ſint, & quomodo operentur, t.1.p. 817. & ſeq.
Emollientia Medicamenta quid ſint t.1.p. 818.
Emollientium modus agendi, & materia medica t. 1. p. 819. & ſeq.
Empaſma, vid. Cataplaſma
Empetrum t.1.p.820
Emphractica ibid.
Emplaſtica ibid.
Emplaſtrum quid ſit ibid.
quomodo paretur t.1. p. 821. & ſeq.
Emplaſtrorum exempla varia proponuntur t.1. p. 822.
Emplaſtrum Abbatis de Grace ex D. Lemery Pharm. t. 1. p. 824.
de Abſinthio ex ead. Ph. ibid.
Adhæſivum ex Ph. Bat. t.1. p.838
Album coctum ex Ph. Aug. t.1. p.824
frigidum ex Ph. Ind. Grimom. t.1.p.840
de Allio Alexandri, ex Meſuc. *correctum* à D. Lemery t.1. p.825
De ammoniaco ex Ph. Norib. ibid.
In Ani procidentia certum, ex Michael. t.1.p 840
Antiepilepticum, ex eod. t.1.p.829
Antipleuriticum ex Bierling. t. 1. p.842
Canonici Romani, ex eod. ibid.
Antipodagricum ex eod. ibid.
N. à S ex Hoffm. t.1.p. 839
D. Sachſii t. 1. p 825
Tackenii t.1. p.826
Antiquarium I.B V.H. ex Hoffm. t.1.p.839
Apoſtolicon Nicolai Alexandrini Pharm. Auguſt. t. 1. p. 825.
Arthriticum ex Hoffmanno t.1. p.839
D. à Mynſicht t.1.p 845
ex Schrodero t.1. p.825
Ioh. Caſimiri Seren. Poloniæ & Sueciæ Reg. ex D. Schulzio ibid.
Aliud ex eodem ibid.
Aliud ex eodem ibid.
De Baccis Lauri, ex Ph. Aug. t.1. p. 826.
Barbarum magnum, ex Ph. Lond. ibid.
Baſilicon majus Meſuæ ex Ph. Aug. ibid.
Minus Meſuæ, ex Ph. Aug. ibid.
Vulnerarium ex Ph. Reg. Zvvelferi ibid.
De Betonica ex Ph. Bat. ibid. & p 831
contra Bubones peſtilentiales, ex Dorœro tom.1. p. 843.
Burgundicum ex Pharm. Bat. t.1.p.838
Emplaſtrum Cæſaris ex Pharmac. Colleg. Reg. Lond. t. 1. p. 825.
è Calaminari lapide, ex Pharm. Auguſt. t.1. p.826 & 629.
De Calcitide, ſive de Palma, ex Pharm. Norib. t. 1. p. 827.
Pro callis pedum ex Pharmac. Italic. de Sgobbis t.1. p. 826.
Aliud ex eod. t. 1. p. 827.
Aliud ex eodem ibid.
Camphoratum ex Ph. Bat. t. 1. p.838
Ad cancros perſanandos infallibile D. Pr. t. 1. p. 840.
Joh. Vigierii t.1.p.827
Carminativum ex D. à Mynſicht. t.1. p.844
D. F. de le Boe Sylvii t.1. p.825
Sylvii ex Ph. D. Le Mort t.1.p. 837
De carne bubula D. à Mynſicht. t.1. p. 845
Ad carunculam, ſeu carnoſitatem virgæ auferendam ex D. Lemery Ph. t. 1. p.827
Catagmaticum ex Ph. Aug. ibid.
Catharrale ex Ph. Bat. t.1. p.838
In catharris ſuffocativis, & Abortu ex Bierling.
Pro catharris ſiſtendis, & capite Roborando Mich. t.1.p.840
Cephalicum ex Ph. Indic. Grimom. ibid.
ex D. Le Mort Ph. t.1.p.837
F. F. ex Schrodero t.1. p. 826
Regium ex Ph. Reg. Zvvelf. t.1.p.827
Ceroneum Nicolai ex Ph. Aug. ibid.
De Cicuta Schroderi, ex Ph. Aug. t.1.p.828.
De cinnabari ex Ph. Coll. Reg. Lond. t.1.p 826
Citrinum vulgare ex Ph. Aug. t.1.p.828
Ad clavos pedum ex collect. Bierling. t.1.p.842
ex D. Le Mort t.1. p. 837
Aliud ex eodem t.1. p.828
è Creta è Ph. Colleg. Reg. Lond. t.1. p.826
De Cruſta Panis Montagnana ex Pharm. Auguſt. t. 1. p. 828.
è Cymino ex Ph. Colleg. Reg. Lond. t.1. p.826
Defenſivum ex Ph. Reg. Zvvelferi t.1.p.828
Ad Dentium dolores ex Ph. D. Lemery t.1. p.829
Ad tempora applicandum ex D. Michael. t.1.p. 840
Diachilon Album, ſive ſimplex Meſuæ, ex Ph. Aug. t.1. p.827
Anodynum, ex D. à Mynſich. t.1.p.845
Compoſitum, ſeu de mucilaginibus ex Ph. Aug. t.1. p.828
Gummatum Vigonis ex Ph. Aug. ibid.
Ireatum ex Ph. Lond. ibid.
Magnum Meſuæ ex Ph. Aug. ibid.
Parvum ejuſdem ex ead. Ph. ibid.
Diadictamnum Galeni, vid. Emplaſtrum Sacrum
Diagalbani ex Ph. Bat. t.1 p 838
Diapalma ex Ph. Reg. Zvvelferi t.1.p. 827
Diaphœnicum calidum Meſuæ, ex Pharm. Auguſt. t.1. p. 833.
frigidum ejuſd. ex ead. Ph. ibid.
Diaphoreticum D. à Mynſicht t.1.p.844
ex Schrodero t.1. p. 826
ex Ph. Reg. Reg. Zvvelferi t.1.p. 828
Diapompholigos ex Ph. Aug. t.1.p. 833
Diaſulphuris camphoratum ex Ph. Ind. Grimom. t 1.p.140.
Rulandi, ex Schrodero t.1.p.836
Divinum ex Ph. Lond. t.1. p.828.
De Elemi ex ead. Ph. t.1.p.829
Epilepticum ex D. à Mynſicht. t.1. p.843
Epiſpaticum ex Ph. Bat. t.1.p. 838
ex Ph. Lond. t. 1. p.829.
Febrifugum ex Pharm. Batean. t. 1. p. 838

Emplaſtrum Febrifugum ex D. Cnœffelio t. 1. p. 914
ad Febres quaſvis ex Hoffm. t.1.p.839
ex Ph. Le Mort t. 1. p. 838
Strobelbergeri, ex Ph. Aug. t. 1. p. 829
Flos unguentorum dictum, è Ph. Colleg. Reg. Lond. t.1. p. 826.
Fluxus attractivum ad fonticulos, & Veſicatoria, D. D. M. ex Hoffm. t.1.p.840
Fœtidum D. à Mynſicht t.1.p. 845
Pro fonticulis Stegmanni, ex Bierl. t.1. p. 242
ex Schrodero t.1.p.829
De Fuligine ex Ph. Aug. ibid.
De Galbano D. à Mynſicht t.1. p.844
Coctum ejuſdem t.1.p.845
Crocatum ejuſd. t.1. p.844
ad Ganglia D. Charraz t. 1. p. 829
Aliud ex eod. ibid.
ad Globulos & ſagittas extrahendas Hoffmanno t. 1. p. 840.
de Gratia Dei ex Ph. D. Le Mort t.1. p.837
ex Ph. Lond. t.1. p.829
Griſeum, ſeu de lapide Calaminari Pharm. Aug. ibidem
ex Ph. D. Le Mort. t.1. p.837
de Gummi Elemi ex Ph. Lond. t.1.p.829
Gummatum Paracelſi, ex Ph. Schrod. ibid.
Hæmorrhoidale ex Ph. Bat. t.1. p. 838
Hepaticum ex Ph. Reg. Zvvelf. t.1. p. 829.
Aliud ex ead. Ph. t.1.p. 830
de Hermodactylis ibid.
Contra Hernias, ex Bierling. t.1.p. 842
Carnoſas D. Donzelli t.1. p.830
Doreri t.1. p.843
C. G ex Hoffman. t.1. p. 840
ex Ph. D. Le Mort. t.1. p.837
ex Ph. Lond. t. 1. p.830
ex D. à Mynſicht t.1. p.845
ex Ph. Norib. t.1.p.830
ex Schrod Ph. ibid.
ex Pharm. Reg. Zvvelf. ibid.
ad Hydropem ex Ph. Aug. ibid.
Hydroticum ex Ph. Norib. ibid.
de Hyoſciamo Ludovici ibid.
Hypnoticum D. à Mynſicht t.1. p.843
Hyſtericum ex Ph. Lond. t.1. p.831
ex Ph. Norib. t. 1. p.830
De Ianua ſimplicius ex Ph. Lond. t.1. p.831
Iſchiadicum ex Ph Aug. ibid.
Ad Iſchiadicos dolores, ex Bierl. t.1. p.841
Laterale ex Ph. Bat. t.1. p. 838
De Linamento Rambaudi, ex Pharm. Bauder. t. 1. p. 831.
Magneticum Angel. Sala ex Pharmac. Auguſt. ibidem
Malacticum cum gummat. ex Ph. Aug. ibid.
ſine gummat. ex eod. Ph. ibid.
Mammillare ex Ph. Bat. t. 1. p. 838
Manus Dei, ex Ph. D. Le Mort ibid.
De Marcaſita D. Donzelli t.1.p.831
De Maſtiche ex Ph. Lond. ibid.
Matricale D. à Mynſicht t.1.p. 844
D. Renodæi t.1. p.831
de Meliloto Meſuæ, ex Ph. Aug. ibid.
Simplex, ex Ph. Lond. t.1. p. 832
Μηλοπλωτικὸν ex Ph. Lond. ibid.
De Minio D. Goddard t.1. p 839
Compoſitum Ph. Lond. t.1. p. 832
ſimplicius ex ead Ph. ibid.
coctum ex D. à Mynſicht t.1.p 844
Nicolai Maſſæ ex Ph. Aug. t.1. p.832
Vigonis ex Ph. Aug. ibid.
Miraculoſum ex D. Schultzio ibid.
Emplaſtrum Mitigativum emolliens, ſedans, ex D. à Mynſicht t. 1. p. 844
De Mucilaginibus ſimplex, ex D. Lemery t. 1. p. 832.
ex Ph. D. Le Mort t.1.p.837
Gummatum Textoris t.1. p. 832
Mundificativum ex Schrod. ibid.
Narcoticum D. à Mynſicht t.1.p.845
Nervinum Vigonis ex Ph. Aug. t.1. p. 832
ex Ph. Indic. Grimom. t.1. p 840
Nicotianæ D. Neandri, ex Ph. Baud. t. 1. p. 832
Nigrum ex Ph. Aug. ibid.
Ad fracturas & contuſiones t.1.p 842
Ad Nodos Venereos emolliendos, & ſanandos, ex Collect. Bierl. ibid.
& podagricos, ex Hoffm. t.1. p.839
Norimbergenſis vera deſcriptio ex Authoris Erenfingeri manuſcripto t.1. p.843
S. I. ex Hoffm. t.1.p 840
Nuchale ex Ph. Bat. t.1. p.838
Opiatum ex Ph. Bat. ibid.
Opodeltoch D. Mindereri ex Ph. Aug. t.1.p. 833
ex Pharm. Norib. ibid.
Pro oſſibus fractis Vigonis ibid.
Cnœffelii t.2. p 1138
Oxycroceum commune Nicolai, ex Pharm. Aug. ibidem
Vigonis, *vide* Emplaſtrum pro oſſibus
Paralyticum Ph. Bat. t.1.p. 838
De Pice diaphoreticum ex D. à Mynſicht t. 1. p. 844
Podagricum Ph. Bat. t. 1. p. 838
& Nervinum ex Pharm. Reg. Zvvelferi t.1. p. 833.
Ad Punctionem pedis equini D. Charraz t.1 p.834
de Ranis Vigonis cum mercurio, ex Pharm. Auguſt. ibidem
de Rhabarbaro Manardi ex Ph. Aug. ibid.
Sacrum, ſive diadictamnum Galeni, ex Pharm. Lond. ibid.
de Sandyce ex Ph. Lond. ibid.
Santalinum, Olim Incognitum dictum, ex Ph. Aug. ibidem
de Sapone ex Ph. Lond. ibid.
Saturninum ex Ph. Aug. ibid.
ex Ph. Bat. t.1.p.838
ex D. à Mynſicht t.1. p. 845
Ad Scirrhos S. Cloſſæi, ex Ph. Schrod. t.1.p.834
Scorbuticum ex Ph. Bat. t.1. p. 838
ad Scrophulas D. Ios. M. ex Hoff. t.1. p. 840
Sicyonium ex Ph. Lond. t.1. p.834
Sine pari ex Ph. Lond. ibid.
Smecticum ex Ph. Bat. t.1. p. 838
Soleare ex Ph. Bat. ibid.
Spaſmicum ex Ph. Bat. t.1.p.839
è Spermate Ceti ex Ph. Aug. t.1. p. 834
ex D. à Mynſicht t.1 p. 846
Ranarum, ex Ph. Aug. t.1. p. 834
Spleneticum Fabrit. ab Aquapend. ex Pharm. Aug. t.1.p.835.
ex collect. Bierling. t 1 p.842
Pauli Jeniſchii t.1.p. 843
cum Succo Nicotianæ D. Landgravii ibid.
D. à Mynſicht ibid.
ex Ph. Reg. Zvvelf. t.1. p. 835
Στεφανίαιον ex Ph. Lond. ibid.
De ſtercore columbino ex Ph. Norib. ibid.
Stipticum Crollii ex Ph Aug. ibid.
ex Ph. D. Le Mort t.1.p.838
Stipticum D. à Mynſicht t.1.p 844
Aliud ejuſd. ibid.
Stomachicum ex Ph. Ind. Grimom. t.1.p 840

Emplaſtrum Stomachicum Keſtii t.1.p.843
Laurentii ibid.
ex Ph.D.Le Mort t.1.p.837. *&* 838
magiſtrale ex Ph. Lond. t.1.p.835
D à Mynſicht t.1.p.843
de Tacamahaca,ex Schrod. t.1.p 835
Regium ex Ph.Reg.Zvvelf. t.1.p.836
Aliud ex Ph.Reg.Zvvelf. t.1. p.835
ad Strumas ex Ph. Bat. t.1. p.839
Stypticum de Catechu t.2.p.972
de Symphyto ex Ph.Norimb. t.1.p.836
ad Hernias ex Ph.Reg.Zvvelf. ibid.
Synanchicum ex Ph.Bat. t.1.p.839
Talpinum ex D à Mynſicht t.1.p.845
ad Teſtium inflammationem ex Bierling. tom.1. p.842
Tetrapharmacum Galeni,ex Ph Aug. t.1.p.836
Tibiale ex Ph.Bat. t.1.p.839
Tonſoris ex Ph. Aug. t.1.p 836
ad Tophos Podagricos ex Hoffm. t.1 p.839
Venereos diſſolvendos ex eodem ibid.
Ulceratos,ex eodem ibid.
ex Schrodero t.1.p 836
Triapharmacum Meſuæ ex Ph.Aug. ibid.
ad Tumores cancroſos prohibens ne latius ulcera ſerpant ex Hoffm. t.1.p 839
Scrophuloſos, ex Scirrhoſos ejuſd. ibid.
Vermifugum ex Ph.Bat. ibid.
contra Vermes Infantum ex Bierling. t.1.p.843
contra Verrucas expertum Timæi t.1.p.842.&843
Veſicatorium ex Ph. Aug. t.1 p 836
Cnœffelii. t.2.p.1138
Ulmenſium ex Pharm Reg Zvvelf. t.1. p.836
Aliud ex Ph.Reg Zvvelf. ibid.
In Vigiliis Michael. t.1 p.839
Ad Ulcera maligna ex Bierling. t.1 p 842
Vulnerarium ex Hoffm. t.1. p.840
Paracelſi,ex Ph.Bauder. t.1.p.836
& Pectorale,ex Ph.Reg.Zvvelf. ibid.
ad Renes exulceratos,ex eodem t.1. p.837
Verum,ex eodem ibid.
Filii Zachariæ,i.e.Rhaſis,ex Meſu. ex Phar. Aug. ibidem
Emplaſtra itidem varia ex ſuperioribus emplaſtris ad varios morbos,ex variis Authoribus compoſita t.1. p.841 & ſeq.
Emulſio quid ſit, & quomodo paretur tom.1.p.846. & ſeq.
Emulſionum exempla varia proponuntur t.1.p.848&ſeq.
Enaimos medicamentum quid ſit t.1. p.852
Encauſtum ibid.
Encauſta ex quâ materia fiant t.2.p.1063
Encauſtum cæruleum ibid.& ſeq.
Flavum t.2.p.1062. & ſeq.
Lactis inſtar album t.2.p.1061
Nigrum ibid.
Purpureum t.2.p 1062.&ſeq.
Turcoidis colorem referens t 2.p.1061
Violaceum t.2.p.1062
Viride t.2.p.1061
Endivia,vide Cichorium
Enema,vide Clyſter.
Ens Veneris Boylei ex Lex. Pharm. D.Jungk. tom.1. p.853
Ens primum Tiliæ ex Cnœff. t.1.p.532
Entalium,vide Pantalium.
Enula campana t.1.p.853
Enula Ægyptia,vide Nepenthe.
Epatica,vide Hepatica.
Ephemeron ibid.
Epicarpia t.1.p.853
Epicarpium febrifugum ibid.
Epiceraſtica Medicamenta ibid.
Epileptica Medicamenta,vide ſub Titulo Cephalica.
Epilepſia cura per acidulas vegetabiles t.2.p.533
Epimedium t.1.p.853
Epiſpaſtica,vid. Attrahentia ibid.
Epithema quid ſit ibid.
Epithematum exempla varia proponuntur t.1.p. 855. & ſeq.
Epithymum,vide Cuſcuta minor
Epulotica Medicamenta,quid & quænam ſint t.1. p. 860
Equicervus,vide Alce.
Equiſetum t.1.p.861
Equus,ejus partes officinales,& præparata varia ibid. & ſeq.
Equus marinus,vide Hippopotamus.
Eradicantia,vide Ecriſotica.
Erica t.1.p.862
Erigeron,vide Senecio.
Erigeron marinum, vide Jacobea.
Erinaceus,vide Echinos.
Errhina,& ptarmica Medicamenta quid ſint ibid.
Errhinorum exempla varia ibid. & ſeq.
Errhinum Cnœffelianum in ſuffuſione oculorum t.2. p.470
Eruca planta t.2.p.865
Eruca Animal ibid.
Ervilia ibid.
Ervum,vid. Orobus.
Ervum Sylveſtre,vide Aſtragaloides.
Eryngium t.1.p.866
Eryſimum ibid.
Erithrodanum , vide Rubia Tinctorum.
Eſcalota,vide Aſcalonia.
Eſcharotica Medicamenta t.1.p.867
Eſſentia quid ſit ibid.
Eſſentia Abſinthii ex Ph.Aug. t.1.p.869
compoſita,ex Rolfincio t.1 p 872
Alexipharmaca ex Ph.Reg.Zvvelf. t.1 p.869
Ambra gryſea t.1.p.878
Moſchata in forma ſicca t.1.p.875
Mindereri t.1.p.869
Liquida ex Ph.Norimb. ibid.
Sicca ex Ph.Aug. ibid.
Moſchata ex Cnœffelio t.1.p.637
Anagallidis,contra Melancholiam & Maniam ex Rolfincio t.1 p.873
Antimonii t.1.p.876
Cnœffeliana t.1.p.634
Antipodagrica ex Bierling. t.1.p.879
Antiſcorbutica ibid.
Aperitiva D.M. ex Bierlingio ibid.
Aphrodiſiaca Wedelii t.1.p.869
Argenti t.1.p.875
contra Arthritidem vagam Scorbuticam t.1. p.871
ad Auditum D.M. ex Bierling. t.1.p.879
Eſſentiæ Auri variæ t.1.p.875
Eſſentia Baccarum Juniperi ex Rolfincio t.1.p 873
Benzoin.compoſita D.Jungken. t.1 p.869
Coſmetica,Rolfincii t.1. p.874
Bezoardica, ex Timæo t.1.p.873
Cardiaca Ph.Indic.Grimom. t.1.p.878
Carminativa ex Bierlingio t.1.p.879
ex Timæo t 1.p.871
Caſtitatis ex Bierlingio t.1.p.879
Eſſentia Caſtorei ex Ph.Aug. t.1.p.869
Sennerti ibid.
Catechu ex Ph.Aug. ibid.
Centaurii minoris Dioſcoridis t.1.p 872

Eſſentia Cephalica ex Ph. Aug. t.1.p.869
Ambrata Cnœffelii t.1.p.529
compoſita, ex eodem t.1.p.528
Cinnamomi ex Ph. Ind. Grimom. t.1.p.878
Citri liquida ex Ph. Aug. t.1.p.87.item t.2 p.204
Sicca ex Ph Aug. ibid.& t.2.p.204
Corallina D. Cnœffelii t.1.p.637
Coralliorum liquida Cnœffel. ibid.
Sicca, ejuſdem ibid.
Varia ex variis Authoribus t.1.p.878
Cordialis Cnœffelii t.1.p.637
odorifera ejuſdem t.1.p.658
D de Bernitz ibid.
Corticum aurantiorum liquida ex Pharm. Auguſt. t.1 p.869
Sicca ex eadem Ph. t.1.p.870
Corticis Febrifugi t.1.p.873
Coſmetica Benzoin. Rolfinc. t.1.p.874
Croci ex Rolfinc. t.1.p.872
ad fluxum album, ex Bierling. t.1.p.879
Eſſentias ex variis floribus, Herbis & fructibus parandi modus t.1.p.871.872.873. & ſeq.
florum ex Cnœffelio t.2.p.154
Eſſentia Galangæ ex Timæo t.1.p.871
Gemmarum ex Bierling. t.1.p.880
Granorum Kermes ex Cnœffel. t.1 p.637
Hepatica ex Bierling. t.1 p.879
Hypochondriaca Caſſellana, ex Bierling. t.1. p.880
ex Timæo t.1.p.871
contra Icterum ex Bierling. t.1.p.879
Kermes, ex granis t.1 p.637
Lapidum Cancrorum fluviatilium t.1.p.875
Lapidis Nephritici t.1.p.878
Porcini ibid.
Lignorum ex Pharm. Bat. t.1.p.870
Ligni febrifugi t.1.p.873
Sancti Gummoſi ibid.
Liliorum convallium ex Rolfinc. t.1.p.872
Lithontriptica Cnœffel. t.2 p 444
Lunæ t.1.p.875
Malvæ externa ex floribus, ex D. Cnœffelio t.1.p 914.
Martis compoſita Cnœffel. t.1.p.902
Martis aperiens ex Ph. Bat. t.1.p.870
liquida ex ead. Ph. ibid.
ex regulo ſtellato t.1.p.879
Hartmanni t.1 p.875
ex limatura & ammom. D. à Mynſicht t.1.p.876
ex vitriolo martis ope terræ foliatæ tartari ibid.
Tartariſata ibid.
Nigra cum ſuccis acidis, aceto, & ſuccis acetoſæ, & pomorum t.1 p.875.& ſeq.
Varia t.1.p.521. & ſeq.
Adſtringens t.1.p.876
Ad membra ex Ph. Ind. Grimom. t.1.p.878
Moſchi & Ambræ liquid. t.1p 875
Ambrata ex Cnœffelio t.1.p.637
Mumiæ Ægyptiacæ t.1.p.874.& 991
Myrrhæ ex D. Jungken t.1 p.870
Ononidis, ex Timæo t.1.p.871
Pectoralis ex D. Jungken t.1.p.870
Pæoniæ ex Radicibus, Rolfinc. t.1.p.873
Prunella ex floribus, ex D. Cnœffel. t.1.p.914
Purificans Clauderi t.p.876
Eſſentia Purgantium vegetabilium t.1.p.874
Eſſentia Reguli Martis Stellati, ex Bierling. t.1.p.879
Rorellæ ex Rolfincio t.1.p.872
Eſſentia Sacchari Beguini, ex Ph. Bat. t.1.p.876
Sacchari rubra, ex Bierling. t.1.p.880
Sanguinis Humani, ex eodem ibid.
Satyrionis ex eodem t.1.p.879
ex Ph. Norimberg. t.1.p.870
Paracelſi t.1.p.875
Scorzoneræ ex radicibus ibid.
Silicum t.1.p.878
Eſſentiæ Solis variæ t.1.p.875
Eſſentia Succini t.1.p.877
Eſſentiæ, ſeu balſama ſulphuris variæ ibid.
Eſſentia Tartari compoſita t.1.p.874
Simplex ibid.
Antiarthritica, & Lithontriptica ibid.
Terræ Catechu Sicca. t.2.p.972
Traumatica P.A.R. ex D. Jungken t.1.p.871
VVedelii ibid.
Trifolii fibrini P.A.R ex D. Jungken. ibid.
contra Vermes ex Bierling. t.1.p.879
Viperarum, ex eodem ibid & t.2.p.1032
Vitrioli martis antiſcorbutica VVedelii t.1.p.871
Uterina Cnœffelii t.2 p.1132
Vulneraria t.1.p.874 & 879
Zedoariæ, ex Timæo t.1.p.871
Eſula, vid. Tithimalus t.1.p.880
Evaporatio, Evaporare ibid.
Evonymus ibid.
Eupatorium verum t.1.p.881
Cannabinum ibid.
Euphorbium t.1 p.882
Euphorbii correctiones præſtantiſſimæ tom.1. p.883
Euphorbii extractum, & præparata reliqua ibid.
Euphraſia ibid.
Exacinare t.1 p.884
Exaltare ibid.
Excipulum, vid. Inſtrumenta Pharmaceutica.
Expreſſum, Expreſſio, & exprimere ibid.
Extergentia, vid. Detergentia.
Extinctio ibid.
Extractio vid. ſolutio.
Extractum quid ſit, & quomodo paretur ibid.& ſeq.
De Extrahendorum Menſtruis variis t.1.p.886. & ſeq.
Extractum Abſinthii ex Ph. Bat. t.1 p.900
Agarici ex Pharm. Bat. t.1.p.892
compoſitum, ex Phar. Bat. ibid.
Alexiterium D.D Z. ex Hoffm. t.1.p.901
Alhandal ex Ph. Bat. t.1.p.900
Aloës ex Phar. Aug. t.1 p.892
Angelicæ ſudorificum, ex collect. Chym. Leyd ibid.
Antiarthriticum G.P. ex Hoffm. t.1.p 901
Anticolicum ſpecificum ex D. à Mynſicht t.1.p.904
Antiepilepticum ex Ph Reg Zvvelferi. t.1 p.893
Antifebrile, ex D. Le Mort ibid.
ex Ph. Reg. Zvvelferi ibid.
Antipeſtilentiale T.d.B.à D.D.J.R. ex Hofman. t.2.p.901
D. Le Mort. t.1.p.896
Schroderi t.1.p.895
Tychonis de Brahe, ex Schrodero t.1. p.896
ex Pharm. Reg Zvvelferi ibid.
Aperitivum D. Rothii, ex Bierling. t.1.p.902
Aurelia Hadrianea dictum, ex D. à Mynſicht. ibid.
Benedictum, ex Hoffman t.1 p 898
Bezoardicum ſolare, ex D. à Mynſich. t.1 p.902
Quercetani, ex Schrodero t.1 p.892
Catechu t.1.p.972
Catholicon Arniſæi, ex Bierling. t.1.p.901
ex Pharm. Aug. t.1.p.892
Francofurtenſe t.1.p.893

Extractum

Extractum Catholicon Sennerti t.1.p.898
D. VVeickard t.1.p.899
Cephalicum nervinum ex Hoffm. t.1.p.900
Aliud ex eod. ibid.
Chalybis ex Pharm. Bat. ibid.
ex Ph. Norib. t.1. p.893
Chalybeatum magnum ex Schrod. t.1.p.892
Schvvallenbergeri t. 1. p 902
Cholagogum Quercetani ex Ph. Aug. t.1. p.893
Diacarthami Andernaci, ex Ph. Aug. t.1.p.892
Diacitri Reuſneri, Ph. Aug. t.1. p. 893
Diapœonias Mindereri ex Ph. Aug. t.1. p.895
Diaſena D. à Mynſicht t. 1. p.903
Diateſſaron ex Ph. Bat. t. 1. p.9 0
Draſticum ex Ph. Bat. ibid.
Ecphracticum ex Ph. Bat. ibid.
Emeticum ſpecificum, *ex* D. à Mynſicht t.1.p 903
Eſulæ minoris Quercetani t.1. p.880
Rulandi ibid.
Salæ ibid.
Febrifugum ex Ph. Bat. t.1.p 900
Fellis ex Ph. Bat. ibid.
Gummi gottæ roſatum, *ex* Ph. Aug. t.1.p. 893
Hellebori nigri purgans Petri Fabri t 1. p.899
Herbipolenſium nobile, *ex* Bierl. t.1.p. 901
Holagogum Andernaci ex Ph. Aug. t. 1. p.894
Hydragogum ex Ph Reg. Zvvelf. ibid.
Hydropicum ſpecificum D. à Mynſicht t.1.p. 903
Hyſtericum ex Schrodero t 1. p. 894
Ictericum ex Ph. Bat. t.1.p.900
Maltæ compoſitum ex Ph. Aug. ibid.
Marocoſtinum Mindereri ex Pharm. Auguſt. t.1. p. 894
Matricale S. Cloſſ. ex Schrod. ibid.
Melampodii ex Ph. Bat. t.1. p. 900
Melanagogum Quercet. ex Ph. Aug. t.1. p.894
In menſium ſuppreſſione, ex Bietling. t.1.p.901
Nepenthes Aureum ex Ph. Aug. t.1. p.894
Nobile Herbipolenſium, *ex* Bierling. t.1.p. 901
Seu Laudanum Opiatum ex Ph. Aug. t.1.p.894
Cydoniatum ex Pharm. Auguſt. t. 1. p. 895
D. Langelotti ibid.
Minerale t.1.p. 907
ex D. à Mynſicht t.1.p.904
ex Ph. Reg. Zvvelferi t.1.p.895
Extracti ſeu laudani Opiati variæ ad varios affectus formulæ p. 904. & ſeq.
Extractum Panchymagogum Crollii t.1.p. 899
Hartmanni ibid.
ex D. Lemery t.1. p.895
D. à Mynſicht t.1.p.903
Paregoricum ex Ph. Bat. t.1. p.900
Pectorale Ph. Bat. ibid.
Peticum Ph. Bat. ibid.
Phlegmagogum Quercet. ex Ph. Aug. t 1. p.896
Pilularum variarum ex Ph. Aug. t.1.p.896
Polychreſtum ex D. à Mynſicht. t. 1. p.903
Pulmonum, *ex* Schrodero t. 1. p. 896
Purgans Arniſæi M. R. Dan. ex Bierling. t. 1. p. 909.
Magenbucchii, ex eodem t.1.p.902
Umbilicale D. Doreti ibid.
Satyrii compoſitum ex Ph. Schrod. t.1.p.897
Scammonii t. 2. p.797. & ſeq.
Scorzoneræ compoſitum Magni Hetturiæ Ducis, t.1.p. 897
Sedativum Generale D. Cnœffelii t.1. p.536
Extracta Theriaca varia ex Ph. Schrod. t.1.p.897
Extractum contra Vermes, *ex* Bierlingio t.1.p.901
egregium D. Le Mort t.1.p. 897
Umbilicale purgans D. Doreti t.1.p. 902
Extractum Uterinum ſpecificum D. à Mynſ. t. 1. p. 904
Extrahentia, *vide* Menſtruum
Exuviæ ſerpentum, *vide* Serpens.

F.

Faba t.1.p.908
Faba purgatrix t.1.p.909
Fabago ibid.
Faba inverſa, *vid.* Telephium
Faba ſuilla, *vide* Hyoſciamus
Fabaria, *vide* Telephium
Facultas, *vide* Qualitas
Faces Vini, *vide ſub titulo* Vinum
Facula quid ſit ibid.
Radicis Ari ex Ph. Aug. t.1.p.910.
Fax quid ſit ibid.
Fagopyrum, *vide Fegopyrum*
Fagus ibid.
Falco Avis ibid.
Farcire quid ſit ibid.
Farraria, *vide Tuſſilago* ibid.
Farina quid ſit ibid.
Farinæ in Officiis uſitatiores quæ ſint t. 1. p.911
Faſeolus, *vide* Smylax Hortenſis
Febrilia Medicamenta quænam ſint ibid.
Febrilia medicamenta ſpecifica D. Cnœffelii ibidem & ſeqq.
Febrium quartanæ, *& tertianæ curandi methodus ex* D. Cnœffel. t.1. p.912. & 913
Fegopyrum t.1.p. 915
Fel terræ, *vid.* Centaurium minus
Felis Animal ibid.
Felis partes officinales, *& præparata* ibid.
Felis odorata, *vid.* Canis Zibethicus
Fermentare, Fermentatio, Fermentum t.1 p.916
Ferraria, *vide* Scrophularia
Ferrettum Hiſpanicum vitro colorando, *ut fiat* tom. 2. p. 1049.
Ferrum quid ſit t.1. p.917
Ferri natura & proprietas t. 2. p. 318
Ferri purgatio à ſordibus ſuperficiariis t.1.p.918
Gradatoria, *unde Chalybs* ibid.
Calcinatio, *unde Crocus* ibid.
Fuſoria, *unde Crocus Aperitivus* ibid.
Cementatoria, *unde Vitriolum martis* ibid.
Immerſiva ibid.
Vaporoſa t 1.p.919
Illinitionis ibid.
Ferri in chalybem mutatio t.2.p.321
Ferri in æs tranſmutatio t.2.p.321
Ferri fodinæ Ilvæ deſcribuntur t.2. p.320
Ferri volatiliſatio, *unde aqua*, *ſpiritus*, *& oleum* t.1. p. 919.
Extinctio, *unde Tinctura varia* t.1.p.920 & ſeq.
Sublimatio, *unde Flores* t.1. p 923
Salificatio, *unde Salia varia* ibid. & ſeq.
Liquatio t.1. p.924
Ferrum diaphoreticum ex Ph. Bat. ibid.
Potabile ex Ph. Bat. ibid
Ferri præparandi & temperandi ratio t.2. p.319
Ferrum Equinum t. 1. p.924
Ferruminatrix, *vide* Sideritis
Ferula ibid.
Feſtuca t.1. p. 925
Fiber, *vid.* Caſtor
Ficaria, *vide* Scrophularia
Ficaria Herba, *vide* Clymenum
Ficedula ibid.
Fictile, *vid.* Inſtrumenta Pharmaceutica
Ficus ibid.
Ficus Indica, *vid.* Opontium

Ficus

Ficus Ægyptia, *vid.* Sycomorus
Ficus Infernalis, *vid.* Ricini Semen
Ficula, *vid.* Polypodium
Filago, *vid.* Gnaphalium
Filicula, *vid.* Adianthum
Filipendula t. 1. p. 926
Filius ante patrem, *vid.* Tuſſilago
Filix, *ejuſque ſpecies* ibid. & ſeq.
Filtrare, *& Filtratio, quid ſit* t. 1. p. 927
Fimus, *vid.* Stercus
Fimus equinus t. 1. p. 928
Fiſtici, *vid.* Piſtacia
Fixare, *& Fixatio, quid ſit* ibid.
Flammula Iovis, *vid.* Clematitis
Flatus diſcutientia, *vid.* Carminativa
Flos quid ſit t. 1. p. 929
Flores officinales varii deſcribuntur ibid.
Flores Sal. Armoniaci t. 1. p. 1005
Flos Adonis t. 1. p. 929
Flos Amoris, *vid.* Amaranthus
Flos Chryſtalli, *vid.* Axungia vitri
Flos Æris, *vid. Squama Æris*, *ſub voce* Metallica
Flos Frumenti ibid.
Flos maris, *vid.* Spuma maris
Flos paſſionis t. 1. p. 930.
Flos Sancti Jacobi, *vid.* Jacobæa
Flos, *& ſpuma Nitri*, *vid.* Aphronitrum
Flos Regius, *vid* Calcatrippa
Flos Salis, *vid. ſub titulo* Sal
Flos Solis, *ejuſque ſpecies* ibid.
Flos trinitatis, *vid.* Jacea
Flores præparati, *quid ſint* t. 1 p. 931
Flores præparati officinales t. 1. p. 932
Fœmina, *vid.* Homo
Fœniculum ibid.
Fœniculum marinum, *vid.* Crythamum
Fœniculum porcinum, *vid.* Peucedanum
Fœniculum tortuoſum, *vid.* Seſeli
Fœnum Camelorum, *vid.* Schœnanthum
Fœnum græcum t. 1. p. 933
Fœtum conſervantia, *vid.* Uterina
Folium quid ſit. t. 1. p. 934
Folia officinalia, *vid. Herbæ* officinales
Folia Orientalia, *vid.* Senna
Folium Indum, *vid.* Malabathrum
Folium Leonis, *vid.* Leontapetalum
Folliculus quid ſit ibid.
Fomentatio quid ſit, *& quomodo fiat* ibid.
Fomentationes variæ, *pro variis affectibus deſcribuntur* ibid. & ſeq.
Fontalis, *vid.* Potamogeton
Formicæ t. 1. p. 935
Ex formicis officinalia, *& præparata* t. 1. p. 936
Fornax, *ſive furnus*, *vid. ſub titulo* Ignis
Foſſilia ibid.
Fotus, *vid.* Fomentatio
Fragaria ibid.
Frangula, *vid.* Frangaria
Frambeſiæ, *vide* Mora *Item* Rubus
Frangula t. 1. p. 937
Fraxinella ibid.
Fritta cryſtalli, *vulgo Bollito dicta*, *quomodo fiat* t. 2. p. 1046.
Fritillaria t. 1. p. 938
Frixio, *vid.* Aſſatio
Frontalia, *eorumque exempla* ibid. & ſeq.
Frontatum t. 1. p. 939
Fructus, *quid ſint*, *iique in officinis uſitatiores* ibid.
Frumentum ibid.
Frutex ibid.
Fu, *ſive Phu*, *vide* Valeriana
Fucus, *Animal* ibid. & ſeq.
Fucus marinus, *vid.* Alga
Fuga Dæmonum, *vid.* Hypericum
Fuligo, *ex eaque præparata* t. 1. p. 940
Fulminatio, *vide* Detonatio
Fumaria, *ejuſque ſpecies* ibid. & ſeq.
Fumigatio, *Fumare* t. 1. p. 942
Fundus plantæ quid ſit ibid.
Fungus ibid.
Fungorum hiſtoria ex Kirkero ibid.
Fungi officinales quinam ſint t. 1. p. 943
Fungus marinus, *vid.* Spongia
Funis Arborum, *vid.* Smylax levis
Furnus, *vide* Ignis
Furfur quid ſit ibid.
Fuſio quid ſit ibid. & ſeq.

G.

Gagates t. 1. p. 945
Galactites, *vid. ſub titulo* Lapis t. 2. p. 89
Galanga ibid.
Galbanum t. 1. p. 946
Galbani natalia, *vid ſub titulo* Ferula
Galbulus, *vid.* Cupreſſus
Galega t. 1. p. 946
Galena, *vid.* Molybdena
Galeopſis t. 1. 947
Gallera, *Gallæ Cupreſſi*, *vid.* Cupreſſus
Galerita, *vid.* Alauda
Galla, *vid.* Quercus
Gallina, *& Gallus* t. 1. p. 947. & ſeq.
Gallium t. 1. p. 949
Gallitricum, *vid.* Horminum
Gallus, *vid.* Gallina
Gargariſma quid ſit ibid. & ſeq.
Gargariſmatum in variis affectibus exempla varia t. 1. p. 950.
Gargariſmi variorum Authorum pro pluribus Affectibus deſcribuntur t. 1. p. 951. & ſeq.
Garum t. 1. p. 954.
Gariophyllata, *vide* Caryophyllata
Gariophylli, *vide* Cariophylli
Gataria, *vid.* Mentha
Gelatina quid ſit, *& quomodo paretur* ibid. & ſeq.
Gelatina Cydoniorum ſimplex Meſuæ ex Pharm. Aug. t. 1. p. 955.
Aromatica Nicolai, ex Ph. Aug. ibid.
Laxativa cum Turbit t. 2. p. 800
Purgans ex Zwelfero t. 1. p. 955
Corroborans ex Ph. Bat. ibid.
Ichthyocollæ ex Ph. Bat. ibid.
Oſſium de Corde Cervi ibid.
Gemma Plantæ, *quid ſit* ibid.
Gemma Lapis. *vid.* Lapis t. 2. p. 91 & ſeq.
Gemmarum præparationes quæ ſint, *& quomodo fiant* t. 2. p. 106. & ſeq.
Gemmarum adulteria varia t. 2. p. 95. & ſeq.
Geniculum quid ſit t. 1. p. 955
Geniculata, *vid.* Sigillum Salomonis
Geniſta, *ejuſque ſpecies* ibid & ſeq
Geniſtella t. 1 p. 956
Gentiana ibid.
Geranium t. 1. p. 957
Gerſa, *vide* Fœcula
Geſminum, *vid.* Jaſminum
Ghitta Iemoti, *vid.* Gummi Gutta
Gilla, *vid.* Vitriolum, *ſub titulo* Sal
Gingiber, *vid.* Zingiber
Gingidium, *vid.* Lepidium
Gith, *vid.* Nigella
Gladiolus ibid.
Glans, *quid ſit* ibid.

Glans ſubdititia vid. Suppoſitorium
Glans Unguentaria, *vid.* Ben.
Glaſtum t.1.p.957
Glaſtum Indicum t.1.p. 959
Glaucium, *vid.* Papaver Corniculatum
Glaux t.1.p.960
Glebra, *vid.* Terra
Gleſſum, *vid.* Succinum
Glis ibid.
Globuli ad barbam t.2.p.925
Gloſſopetra, *vid. ſub titulo* Lapis t.2.p.89
Gluma t.1.p.960
Gluten, *vid.* Ichthyocolla
Glutinantia, *vid.* Epulotica
Glycyrrhiza ibid.
Gnaphalium, *ejuſque ſpecies* t.1.961
Goſſipium, *vid.* Xylum
Gobius ibid.
Graculus ibid.
Gramen, *ejuſque ſpecies* ibib.& ſeq.
Gramen Tridactilites, *vid.* Paronichia
Granadilla, *vid.* Flos paſſionis
Grana Paradiſi, *vid.* Cardamomum
Grana Tinctorum, *vid.* Kermes
Granata t.1. p.962
Granatus Lapis t. 1. p.963.t.2.p. 92
Granatus Orientalis quomodo fiat t.2. p. 1059
Ex Granato Lapide præparata varia t.2.p.107
Granulare quid ſit t.1. p. 963
Granum quid ſit ibid.
Granum, *vid.* Pondus
Granum Gnidium, *vid.* Thymælea
Granum Infectorium, *vid.* Kermes
Granum Regium m jus, *vid.* Ricinus
Grapole, *vid.* Gravellata
Gratia Dei, *vid.* Gratiola
Gratia Dei, *vid.* Emplaſtrum
Gratiola ibid.
Gravellata, *vid.* Cinis Gravellatus, *ſub titulo* Vitis Vinifera, *ubi* de Vino, & Vini fœcibus
Groſſi, *vid.* Ficus
Groſſularia ibid. & ſeq.
Groſſulæ Rubræ, *vid.* Ribes
Gruaria, *vid.* Germanium
Grus, *ejuſque partes officinales* t.1. p. 965
Grutum quid ſit ibid.
Gryllus ibid.
Guajacum lignum ibid. & ſeq.
Gummi quid ſit t.1.p. 967
Gummi Arabicum ibid.
Gummi Hederæ, *vid.* Hedera
Gutta Gemou ibid. & ſeq.
Gutta Gemou correctum per ſpiritum vitrioli, *aut Tartari* Mindereri t.1.p.968
Guttæ Gemou Magiſterium, *ſeu extractum* ibid.
Gypſum ibid. & t.2. p. 86.

H.

Hæmatites, *vid. ſub titulo* Lapis t.2.p.88
Ex Hæmatite Lapide varia præparata tom. 2. p. 126 & ſeq.
Hæmionitis, *vid.* Scolopendrium
Hæmorrhoidalia, *vid.* Splenica
Hæmorrhodus, *vid. ſub titulo* Serpens
Halcedo t. 1. p.969
Halec ibid.
Halecis partes officinales ibid.
Halimus ibid.
Haſtula Regia, *vid.* Aſphodelus
Hedera Arborea ibid.
Hedera Terreſtris t. 1. p. 971
Hedypnois t.1 p 971
Hedyſarum ibid.
Helenium, *vid.* Enula Campana
Helianthemum, *majus & minus*, *vid.* Flos Solis
Heliotropium vulgare, *vid.* Flos Solis
Heliotropium Majus & minus, *vid.* Verrucaria
Heliotropius Gemma vid. ſub titulo Lapis t. 2. p. 91.
Helix, *vide* Hedera
Helleborine t.1.p.972
Helleboraſtrum ibid.
Helleborus albus: *vid.* Veratrum
Helleborus Niger ibid. & ſeq.
Hemerocalis t.1. p 973
Hemionitis ibid.
Hemina, *vid. ſub titulo* Menſura
Hemmenagoga, *vid.* Emenagoga
Hepatica ibid.
Hepatica nobilis, *vid.* Trifolium Indiviſum.
Hepatica ſtellata, *vid.* Aſperula
Hepatica Medicamenta quid & quænam ſint? ibidem & ſeq.
Hepatica ſpecifica quædam ex D. Cnœffelio t.1. p.976
Hepatorium, *vid.* Eupatorium
Heptaphyllum, *vid.* Tormentilla
Heraclea, *vid.* Herba Judaica.
Heraclia, *vid.* Nenuphar.
Herba quid ſit ibid.
Herbæ Officinales uſitatiores quæ ſint ibid. & ſeq.
Herba Fullorum, *vide* Saponaria
Herba Gallica, *vid.* Galega
Herba Iudaica t.1. p. 978
Herba Lactaria, *vid.* Tithymalus
Herba Muralis, *vid.* Parietaria
Herba Pappa, *vid.* Senecio
Herba Paralyſeos, *vide* Primula Veris
Herba Paris, *vide* Uva Vulpina
Herba Pedicularis, *vid.* Staphilagria
Herba Puliçaris, *vid.* Pſyllium
Herba Regia, *vid.* Artemiſia
Herba Roberti, *vid.* Geranium
Herba ſacra, *vid.* Nicotiana
Herba Salivaris, *vid* Pyrethrum
Herba Sancti Iacobi, *vid.* Jacobea
Herba Sancta Kunigundis, *vide* Eupatorium Avicennæ.
Herba Trinitatis, *vid.* Jacea
Herba Venti, *vid.* Anemone, *Item* Pulſatilla
Hercules Bovii t. 1.p. 816
Hermetice Claudere, *vid.* Sigillare
Hermodactylus t. 1. p. 978
Herniaria, *vid.* Centinodia
Heſperis ibid.
Hidrotica, *vid.* Idrotica
Hiera, *ejuſque ſpecies variæ*, *vide* Electuarium hiera.
Hieracium t.1.p.979
Hippocampus ibid.
Hipecacuana, *vid.* Ypecacuana
Hippace, *vid.* Equus
Hippogloſſum, *vid.* Biſlingua
Hippolapathum ibid.
Hippolithus, *vid. ſub titulo* Lapis, *item ſub nomine* Equus.
Hippomanes t.1. p. 980
Hippopotamus t. 1. p. 981
Hipposelinum, *vid.* Leviſticum
Hippuris, *vid.* Equiſetum
Hippurus t.1.p.982
Hircus ibid.
Hirundinaria, *vid.* Chelidonium Majus
Hirundinaria, *vid.* Vincetoxicum
Hirundo t.1.p.982

Ex

Ex Hirundinibus expertum ad Epilepſiam Remedium t. 1. p. 982
Hirundo ibid.
Hiſpidula, *vid.* Piloſella
Hœdus, *vid. ſub titulo* Capra
Holli ibid.
Holoſteon ibid.
Holoſteus Lapis, *vid.* Oſteocolla
Holothurius ibid. & ſeq.
Homo, ejuſque partes in Medicina uſitatiores tum è corpore vivo, cum è corpore demortuo deſumpta t. 1. p. 983
Hominis partium tum è corpore vivo, cum è corpore demortuo deſumptarum præparata varia deſcribuntur ibid. & ſeq.
Hordeum t. 1. p. 994. & ſeq.
Hordeum exoticum cauſticum Bauhini t. 1. p. 996
Horminum ibid.
Hortulanus, *Avis* ibid.
Hyacinthus t. 1. p. 997
Hyacinthus Gemma ibid. & t. 2. p. 92
Ex Hyacintho Gemma præparata varia t. 2. p. 108
Hydrargyrus, *vid.* Mercurius
Hydragoga, *vid. ſub titulo* Purgantia
Hydrolapathum t. 2. p. 997
Hydromel quid ſit ibid.
Hydromel compoſitum Ph. Aug. ibid.
laxativum tartariſatum Ph. Aug. ibid.
purgans commune Ph. Auguſt. ibid.
D. Zvvelferi t. 1. p. 998
Hydropica Medicamenta quid ſint ibid.
Hydropis curandæ methodus ex D. Cnœffelio ibidem & ſeq.
Hydrotica Medicamenta quid & quænam ſint t. 1. p. 999 & ſeq.
Hyoſciamus t. 1. p. 1006
Hyoſciamus Peruvianus, *vid.* Tabacum
Hypaſtica, *vid.* Purgantia
Hypecoum t. 2. p. 1008
Hypercathartica Remedia, *vid.* Purgantia
Hypericum ibid.
Hypnotica Medicamenta quid ſint ibid. & ſeq.
Hypocauſtum t. 1. p. 1017
Hypociſtis ibid.
Hyſſopus ibid.
Hyſterica Medicamenta, quid & quænam ſint ibid.
Hyſtericorum formulæ variæ ibid. & ſeq.
Hyſtrix t. 1. p. 1019

I.

Jacea t. 2. p. 1
Jacobea ibid.
Jalap ibid.
Jaſminum t. 2. p. 2
Jaſpis, *vid. ſub titulo* Lapis t. 2. p. 90
Iberis ibid.
Ibis ibid.
Ichneumon t. 2. p. 3
Ichthyocolla ibid.
Ignis ibid.
Ignis, quatenus Inſtrumentum Pharmaceuticum tom. 2. p. 23. & ſeq.
Ilex t. 2. p. 3
Ilex Coccigera, è qua baccæ Kermes dictæ veniunt t. 2. pag. 4
Illecebra, *vid. ſub titulo* Sedum
Imperatoria t. 2. p. 5
Incarnativa, *vid.* Sarcotica
Incerniculum, *vid. Inſtrumenta* Pharmaceutica
Incinerare quid ſit ibid.
Incraſſantia Medicamenta ibid. & ſeq.
Indicum, *& Indigo*, *vid.* Glaſtum Indicum.
Infundibulum, *vid.* Inſtrumenta Pharmaceutica
Infuſio quid ſit, & quomodo fiat t. 2. p. 6. & ſeq.
Infuſionum exempla varia t. 2. p. 8. & ſeq.
Inguinalis t. 2. p. 9
Injectio quid ſit, & quomodo fiat ibid.
Injectionum exempla varia ibid. & ſeq.
Inſecta t. 1. p. 10. & ſeq.
Inſectorum generatio, & hiſtoria ex Clar. Rhedi ibid. & ſeq.
Inſectorum diviſio generalis, ex Charlet. t. 2. p. 14
Inſeſſus quid ſit ibid.
Aſtringentes ibid.
Inſeſſus aperientes, varii ibid.
Calculum Frangentes t. 2. p. 15
Diſcutientes ibid.
Dolorem mitigantes ibid.
Emollientes t. 1. p. 14
Inſipidus ſapor, *vid. ſub titulo* Sapor
Inſolatio quid ſit t. 2. p. 19
Inſpergere, *vid.* Aſpergere
Inſpiſſatio, *vid ſub titulo* Solutio *cui opponitur.*
Inſtrumenta Pharmaceutica in genere ibid.
Inſtrumenta Pharmaceutica Interna, Ignis, Aer, Aqua, Terra, & Menſtrua t. 2. p. 23. & ſeq.
Intercipientia Medicamenta t. 2. p. 54
Intybacea, *vid.* Cichoracea
Intybus, *vid.* Cichorium
Ipecacoanha, *vid.* Ypecacuana
Irio, *vid.* Eryſimum
Iris ibid.
Iris noſtras ibid.
Florentina ibid. & ſeq.
Paluſtris t. 2. p. 55
Iſatis, *vid.* Glaſtum
Iſchaima Medicamenta quid & quænam ſint ibidem & ſeq.
Itzehoer mithridaticum Papæ Leonis t. 1. p. 793
Iva Arthritica, *vid.* Chamæpytis
Juba quid ſit t. 2 p. 60
Judaicus Lapis vide ſub titulo Lapis t. 2. p. 89. & 118
Juglans t. 2. p. 60. & ſeq.
Jujuba, ſeu Zizyphus t. 2. p. 63
Jujuba Domeſtica Sativa t. 2. p. 63
Sylveſtris ibid.
Iulepus quid ſit & quomodo fiat ibid.
Iulepi ad varios affectus formulæ variæ tom. 2. p. 64 & ſeq.
Iulus t. 2. p. 65
Iuncago ibid.
Iuncus ibid.
Iuncorum variæ ſpecies deſcribuntur ibid. & ſeq.
Iuniperus t. 2. p. 68. & ſeq.
Iuniperus Arborea t. 2. p. 70
Iupiter, *vid.* Stannum
Juſculum, quid ſit, & quomodo paretur ibid. & ſeq.

K.

Kali t. 2. p. 71
Karabe, *vid.* Succinum
Keiri, *vid.* Leucoium
Kermes, *vid.* Ilex Baccifera, *ſub titulo* Ilex
Kermia ibid.
Kinkina, *vide* Quinquina
Kolla, *vid.* Gluten
Komaros, *vid.* Arbutus

L.

Labdanum, *vid.* Ladanum
Labrum Veneris, *vid.* Virga Paſtoris

Labruſca t. 2. p. 72
Lac & ejus Serum ibid. & ſeq.
Lac Muliebre, ex eoque præparata varia t.1.p.983
Lac Aluminis t.2. p. 76
Ammoniaci ibid.
Benzoini ibid.
Lunæ t.2. p 76
Mercurii ibid.
Saturni, vid. Magiſterium Saturni
Scammonii ibid.
Sulphuris ibid.
Virginale, è Ph. Aug. ibid.
Aliud t.1.p.251
Lacca t.2. p.77
Lacca pictorum ibid. & t.2.p.1061.& ſeq.
Lacertus ibid. & ſeq.
Lacertorum variæ ſpecies ibid. & ſeq.
Lacertorum præparata t.2. p. 82
Lachryma quid ſit t. 2. p.83
Lachryma Iobi, vid. Milium Solis
Laconicum, vid. Hypocauſtum
Lactria, vid. Eſula
Lactuca ibid.
Ladanum ibid.
Lævigare t.2. p. 84
Laganum, vid. Panis
Lagopus ibid.
Lamium ibid.
Lampetra ibid.
Lampſana ibid.
Lampyris, vid. Cicindela
Lana ibid.
Lanugo ibid.
Lanugo perlata, ſive flores ☿ argentei S. Cloſſæi tom.2. p. 280.
Lanceolata, vid. Plantago
Lapathum, ejuſque ſpecies variæ t.2. p.84.& ſeq.
Lapides naturales in genere t.2. p. 85
Lapidum naturalium variæ ſpecies ibid.& ſeq.
Lapides varii coloris deſcribuntur ibid.
Lapidum molliorum Claſſis t.2. p.86. & ſeq.
Lapidum ex animalibus deſumptorum Claſſis tom. 2. p. 87. & ſeq.
Lapidum pretioſorum Majorum Claſſis t.2. p. 90 & ſeq.
Lapidum pretioſorum minorum Claſſis tom. 2. p. 92. & ſeq.
Lapides & gemmæ adulterini ſeu arte Confecti, eorumque parandorum ratio t.2.p.94. 95. & ſeq.
Lapides fictitii quomodo fiant, & ſaxa ingentia pro columnis, cæteriſque monumentis t.2.p.103
Lapidis fuſilis experimentum ibid.
De Lapidibus & Gemmis ſpecialius, quatenus nempe ad Medicinam faciunt, eorumque Præparationibus t. 2. p. 104.
Lapidum Calcinatio t.2.p. 105
Coagulatio ibid.
Liquatio ibid.
Pulveriſatio, & præparatio ibid.
Solutio ibid.
Syrupiſatio t.2.p.106
Volatiliſatio t.1. p. 105
Lapidum ſeu Gemmarum præparationes variæ ibid.
Lapis Contrayerva deſcribitur t.2. p. 140
Nephriticus factitius internus & externus Cnœff. t. 2. p. 445. 446
Lapidis de Goa compoſitio t. 1. p. 140
Lapidis Medicamentoſi deſcriptio ibid.
Lapidis Salutis compoſitio ibid.
Lappa vid. Bardana
Lardaria, vid. Euonimus
Larex ibid.
Laridum, vid. Porcus
Laſer Medicum, & Syriacum, vid. Aſſa fœtida
Laſerpitium t.2. p.141
De Laſerpitio Raii, item Plinii ſententia ibid.& ſeq.
Lathyris vid. Cataputia
Lathyrus t. 2. p. 144. & ſeq.
Lavacrum, vid. Balneum
Laudanum, vid. ſub titulo Extractum Opiatum, *item* Opium
Lavendula t.2. p. 146
Laureola t. 2. p. 147
Laurus ibid. & ſeq.
Laxantia, vid. Chalaſtica
Laxativum minerale t. 2. p. 284
Lazuli Lapis, vid. ſub titulo Lapis t.2. p. 88. & 128
Lectipes, vid. Lynipodium
Legumen t. 2. p. 149
Lenientia dolorem, vid. Anodyna
Lenientia purgantia ibid. & ſeq.
Lenitivum, vid. Electuarium Lenitivum
Lens t.2. p. 150
Lenticula paluſtris ibid.
Lentiſcus t. 2. p. 151
Lentiſcina reſina, maſtiche dicta t. 2. p. 152
Leo, & ex eo præparata varia t.2.p.153. & ſeq.
Leontica, vid. Cacalia
Leontopodium, vid. Alchimilla
Lepidium t.2. p. 154. & ſeq.
Lepus, ac Leporinum Genus t.2.p.155.& ſeq.
Leporum variæ ſpecies ibid.& ſeq.
Leporis Medicamenta officinalia t.2.p.161.& ſeq.
Leucacantha, vid. Carduus Mariæ
Leucanthemum, vid. Bellis Major, *Item aliquibus* Chamomilla
Leucoium t.2. p. 162
Leviſticum t. 2. p. 163
Libanotis Cachryophora ibid.
Libra, vid. ſub titulo Pondera
Libycus Liquor, vid. Benzoinum
Lichen, vid. Hepatica
Lichenes Equorum, vid. ſub titulo Equus
Lignum quid ſit ibid.
Lignum Aloes, vid. Agallochum
Lignum Aquilæ ibid.
Braſilianum ibid.
Citri ibid.
Corallinum ibid.
Colubrinum, ejuſque variæ ſpecies ibid. & ſeq.
Ferri ibid.
Heracleum, vid. Corylus
Indicum, vid. Guajacum
Moluccenſe t.2.p.165
Nephriticum ibid.
Rhodium ibid.
Violaceum ibid.
Liguſticum, vid. Leviſticum
Liguſtrum t.2. p. 166
Lilac ibid.
Lilium ibid.
Lilium convallium ibid. & ſeq.
Lilium Aquaticum, vid. Nenuphar
Lilium Cæleſte, vid. Iris
Limax, vid. Cochlea
Limonada t.2. p. 167
Limonada antinephritica D. Cnœffelii t. 2. p. 443
Limones, & Limonia mala vid. Malum Citrium
Limonium t. 2. p. 167
Linamentum ibid.
Linaria ibid.
Linctus, vid. Looch
Lingua Agnina, vid. Arnogloſſum
Avis, vid. Ornithogloſſum
Bovis, vid. Bugloſſum

Lingua Canis, vide Cynogloſſum.
Cervina, vide Scolopendrium.
Equina, vide Hippogloſſum.
Serpentina, vide Ophiogloſſum.
Linimentum, vide Litus.
Linteum ceratum pro larvis D. Cnœffel. t.1.p.67
Linum t.2.p.167. & ſeq.
Lini in Sericum tranſmutatio t.2.p.103
Linum Catharticum t.2. p.68
Liquare, & liquefactio ibid.
Liquidambar ibid. & ſeq.
Liquiritia, vid. Glycyrrhiza.
Liquor, quid ſit t.2.p.169
Liquor Acuens, vide Lac Scammonii.
Alexipharmacus D. Zvvelf. t.2 p.170
Antipodagricus trinunus ex D. à Mynſic. t.2.p.174
Arthriticus ex eodem ibid.
Camphoratus ex eodem ibid.
Cephalalgicus è Ph. Bat. t.2.p.172
ex D. à Mynſicht t.2.p.173
Ceruſſæ, ex eodem t.2. p.175
Coralliorum Rubrorum acidus, ex eodem t.2.p.173
Cordialis ex eodem ibid.
Refrigerans ex Ph. Reg. Zvvelf. t.2.p.171
temperatus, ex eadem Ph. ibid.
Cornu Cervi ſuccinatus ex D. Jungken ibid.
Diaphoreticus ex D. à Mynſicht t.2.p.173
Diureticus Suinfurtenſium t.2. p.122
Febrilis D. Cnœffel. t.1 p.913
ad Gonorrheam virulentam ex Phar. Reg. Zvvelf. t.2.p.171
Hepaticus D. Cnœffelii t.1.p.976
& ſpleneticus ex Ph. Reg. Zvvelf. t.2.p.171
Limacum ex Ph. Bat. t.2.p.172
Lithontripticus ex D. Hoffman. ibid.
ex Cnœffelio t.2.p.443
ex Ph. Reg. Zvvelf. t.2.p.172
Mercurii vivi D. à Mynſicht t.2.p.175
Acetoſus ex eodem ibid.
Saccharatus ex eodem ibid.
Liquores Mercurii varii t.2.p.290
Nectar Vitrioli dictus t.2 p.173
Nephriticus D. D. Ch. ex Hoffm. t.2.p.172
ex D. à Mynſicht t.2.p.175
Nitratus D. D. L. ex Cnœffel. t.1.p.914
ex D. à Mynſicht t.2 p.173
Oculorum cancrorum ex Hoffm. t.2.p.172
Ophthalmicus ſubalbidus ex D. à Mynſicht t.2. p.173
Pectoralis ex eodem ibid.
Perlarum ex D. Hoffm. t.2.p.172
Orientalium acidus ex D. à Mynſicht t.2. p.173
contra Prunellam ex Cnœffel. t.1.p.914
Refrigerans ex D. à Mynſicht t.2.p.174
Silicum t.2.p.172
Spleneticus aperiens ex Ph. Reg. Zvvelf. ibid.
Sulphuris è Pharm. Bat. ibid.
Tartari ex Lexic. Ph. D. Jungken ibid.
Spleneticus t.2.p.170
Tartareus ex D. à Mynſicht t.2.p.174
Tiliæ ex D. Cnœff. t.1.p.532
Tutiæ ex D. à Mynſicht t.2.p.175
Veſtimentalis ex eodem ibid.
Vitriolatus ex eodem t.2. p.173
Vulnerarius ex eodem t.2.p.174
Lithantrax, vide Carbo Petræ.
Lithargyrus t.2.p.175
Lithopetritum, vide Corallina.
Lithontriptica, vide Nephritica.
Lithoſpermum, vide Milium Solis.
Litus in genere quid ſit, & quomodo paretur. t.2.p.176
Mangeti Bibl. Pharm.

Lituum variæ formulæ t.2.p.176
Litus ad Ambuſta vulnera ex D. Weickard. t.2.p.177
paratu facilis, ex eodem ibid.
Antipodagricus ex Hoffman. t.2. p.178
contra Ariduram Agricolæ, ex Bierling. t.2.p.179
ex Hoffm. t.2. p.178
In arthritide vaga egregius ex D. Le Mort ibid.
ad Cancrum D. Spigelii, ex Bierling. t.2.p.180
capillorum productionem prohibens ex Phar. Perſica t.2.p.179
ad capitis dolorem ſiſtendum, ex eadem Ph. ibid.
ex VVeickard t.2.p.177
Vulnera cum Cranii fractura, ex eodem ibid.
In contractura ex Hoffm. t.2.p.178
Cordialis ex D. VVeickard ibid.
Alius in peſte correptis, ex eodem ibid.
Coſmeticus D. Cnœffel. t.1 p.672
Defenſivus, cujus beneficio plures è veſtigiis variolarum immunes manſerunt ibid.
Defenſivus, ex D. VVeickard t.2.p.177
Dentifricius ex Schrod. t.2.p.176
Dolorem ex inflammatione ſiſtens ex D. VVeick. t.2.p.177
Empyreuma ſimplex extinguens, ex eodem ibid.
pulveris Tormentarii extinguens, ex eodem ibid.
Errhinus ex Schroder. t.2.p.176
Fœtorem ſub brachiis diſſipans, ex Ph. Perſ. t.2.p.179
ad Gingivas tumentes & putridas D. Cnœf. t.2 p.451
ad Hæmorrhoides ex Bierling. t.2.p.180
Hæmorrhoidalis ex D. Charraz t.2.p.176
ad Herpetes ex eodem ibid.
Infrigidans puerorum, ex D. VVeick. t.2.p.177
Iſchiadicus ex D. Charraz t.2.p.176
ad Intertrigines ex D. VVeickard t.2. p.177
pro Lumbis in dolore calculi, ex eodem t.2.p.178
ad Mammillarum lacte turgentium dolores, & inflammationes, ex eodem t.2.p.177
Melluminatus ex Ph. Bat. t.2.p.178
Mollis ex Bierling. t.2.p.179
ad motus imbecillitatem ex eodem t.2.p.178
Naſalis ex Hoffman. ibid.
pro plebeis D. Mochingeri t.2.p.180
Nephriticus ureteres dilatans ex D. Weickard t.2 p.177
pro Nervo retracto, ex Hoffm. t.2.p.178
Ad Oſſa corrupta, & ulcera maligna, ex VVeick. t.2.p.177
in Paralyſi & reſolutione membrorum, ex eodem t.2.p.178
ad Pediculos, ex Ph. Perſica t.2.p.179
pro Penis erectione, ex Hoffm. t.2.p.178
In Pleuritico dolore, ex VVeickard. t.2.p.177
Alius ex eodem t.2.p.178
In podagrico dolore, ex eodem t.2.p.177
contra pruritum & ſcabiem ſiccam ex Ph. Perſiana t.2.p.179
ad puſtulas humidas in facie parvulorum excreſcentes ex eadem Ph. ibid.
pro Renibus ex D. VVeick. t.2.p.176
In Renum dolore, & expellendo calculo, ex eodem t.2.p.177
Inflammatione, ex eodem ibid.
Salutis ex arbore vitæ, ex eodem t.2.p.180
cum theriaca, & mitridatio, ex eod. ibid.
D. R. ex Hoffm. t.2.p.178
ad ſanguinem è naſo fluentem, ex Ph. Perſ. t.2.p.179
de Saturno ex Schroder. t.2.p.176
compoſitum ex eodem ibid.
ad Scabiem humidam, ex Ph. Perſ. t.2.p.179

Bitus ad ſciſſuras papillarum Lactant. ex Weich. t.2. p.177
Simplex ex Ph. Bat. t.2. p.178
Somniferus ex D. Charraz t.2. p.176
ad variolarum Cicatrices prohibendas, ex eod. ibid.
Ventrem adſtringens, ac diarrhœam compeſcens ex Ph. Perſic. t.2. p.179
contra Vermes Infantum ex Bierling. t.2. p.180
ad Verrucas eradicandas, ex Ph. Perſic. t.2. p.179
contra Ulcera Cervicis Uteri ex Bierling. ibid. & ſeq.
ad Ulcera corrodentia, ex Ph. Perſic. ibid.
Lixivium quid ſit, & quomodo paretur t.2. p.180
Antiaſthmaticum ex D. à Mynſicht t.1. p.182
Benedictum ex eodem t.2. p.181
Lixivia Capillos Augentia t.2. p.654
Prolongantia ibid.
Renaſci prohibentia ibid.
Criſpos reddentia ibid.
Albos reddentia t.1. p.653. & ſeq.
Denigrantia ibid.
Flavos reddentia t.1. p.652
Rubros reddentia t.1. p.653
Lixivium Cephalicum ex D. Jungken. t.2. p.181
ex D. à Mynſicht t.2. p.182
Diureticum ex Jungken t.2. p.181
ex D. à Mynſicht t.2. p.182
Sapientiæ ex eodem t.2. p.181
Tartari ex eodem t.2. p.182
Tingens ex eodem ibid.
Lixivia varia ad affectus varios t.2. p.20. & ſeq.
Locuſta in Phytologia t.2. p.182
Locuſta Animal ibid.
Lolium t.2. p.183
Lonchitis ibid.
Looch quid ſit, & quomodo paretur ibid.
Looch varia exempla ibid.
Album ex Ph. Bat. t.2. p.185
Antiphthiſicum ex D. à Mynſicht t.2. p.186
Benedictum Ph. Bat. t.1. p.753
de Caulibus Gordonii, ex Ph. Aug. t.2. p.184
ſeu Diacodium Crocatum ex D. à Mynſicht t.2. p.186
Domeſticum ex Ph. Bat. t.2. p.185
Expectorans ex eadem Ph. t.1. p.753
de Farfara ex Ph. Aug. t.2. p.184
compoſitum ex D. Lemery ibid.
Hæmoptoïcus ex Ph. Bat. t.1. p.753
Lentium Avicennæ t.2. p.184
de Papavere Meſuæ ex Ph. Aug. ibid.
Paſſulatum ex ead. Ph. ibid.
Pectorale ex D. à Mynſicht t.2. p.186
de Pineis Meſuæ ex Ph. Aug. t.2. p.184
de Portulaca, ex ead. Ph. t.2. p.185
de Pulmone Vulpis Meſuæ ex ead. Ph. ibid.
Roſatum ex D. à Mynſicht ibid.
Sanum & expertum ex Ph. Aug. ibid.
de Scilla ſuceo ex ead. Ph. ibid.
compoſitum ex ead. Ph. ibid.
Synanchicus ex Ph. Bat. t.1. p.753
de Teſtudinibus Ant. de Sgobbis t.2. p.185
Violarum ex D. à Mynſicht ibid.
pro Ulceribus pulmonum ex Ant. de Sgobbis ibid.
Lotio quatenus eſt Operatio Pharmaceutica t.2. p.186
Lotio quatenus eſt Medicamentum, vide ſub Titulo Fomentatio, item ſub Titulo Balneum
Lotiones variæ ad varios affectus t.2. p.17. & ſeq.
Lotium, vide Urina.
Lotus Arbor t.2. p.187
Lubricantia, vide Hypactica.
Lucius Piſcis ibid. & ſeq.
Lucii partes officinales, & præparata varia tom.2. p.188
Ludum antiphriticum Cnœffelianum tom.2. p.445
Ludus, vide Calculus.
Lujula, vide Oxytriphyllum.
Lumbrici, & ex iis præparata varia remedia t.2. p.189
Lumbricos necantia, vide Anthelmintica.
Lumbricorum artificialis productio ex R. P. Athan. Kirchero. ibid.
Luna, vide Argentum.
Luna Cauſtica, Lapis Infernalis, vide ſub Titulo Argentum, ibid.
Lunaria minor ibid.
Lupinus t.2. p.190
Lupulus ibid.
Lupus, ejuſque partes officinales, & præparata varia t.2. p.191. & ſeq.
Lupus marinus t.2. p.192
Lupus Salictarius, vide Lupulus.
Lucinia ibid.
Luteola ibid.
Lutra ibid.
Lutum Chymicum ibid.
Lychnitis, vide Verbaſcum.
Lychnis ibid.
Lycium ibid.
Lycoperdon, vide Orbicularis.
Lycoperſicon, vide ſolanum Pomiferum, ſub Titulo Solanum.
Lycopedium, vide ſub Titulo Muſcus.
Lydius Lapis, vide ſub Titulo Lapis t.2. p.86
Lynx Animal t.2. p.193
Lyſimachia, ejuſque ſpecies t.2. p.194

M.

Macer t.2. p.194
Macerare, & Maceratio quid ſit t.2. p.195
Macis, vide Nux Moſchata.
Macropiper, vide Piper.
Magiſterium, quid ſit, & quomodo fiat. ibid. & ſeq.
Magiſteria ex mineralibus quomodo fiant t.2. p.195
ex animalibus quomodo fiant t.2. p.196
è Vegetabilibus quomodo fiant ibid.
Magiſterium Antepilepticum Prævotii t.1. p.528
Hoffmann. t.2. p.197
Antimonii diaphoretici ex Ph. Bat. t.2. p.196
Auri t.1. p.636
Benzoini ex Ph. Bat. t.2. p.196
Biſmuthi ex Ph. Bat. ibid.
Coſmeticum Rolfincii t.1. p.418
Cinnabaris antimonii t.1. p.531
Cordiale D.D.G.M. ex Hoffm. t.2. p.197
Aliud D.D.K. ex eodem ibid.
Cryſtallor. mont. t.2. p.443
Gummi Gamandræ ex Ph. Aug. t.2. p.196
ex Ph. Bat. ibid.
Hepaticum rubrum ex Ph. Aug. t.2. p.196
Jalappæ ex Ph. Aug. tom.2. p.196
Jovis ex Ph. Bat. t.2. p.196
Lithontripticon Cnœffelii t.2. p.443
Lunæ S.R.M. Uladislai IV. t.1. p.530
Martis albiſſimum t.2. p.921
Saturni ex Ph. Bat. ibid.
Sulphuris, vide Lac Sulphuris.
Terræ Catechu t.2. p.971
Talci D. Cnœffel. t.1. p.670
Tartari ex Ph. Bat. t.2. p.196
purgans t.2. p.949
Turpethi ex Ph. Bat. t.2. p.197
Urinæ t.1. p.984
Magiſtrantia, vide Imperatoria.

Magnes

Magnes t. 2. p. 89 & 197
Ex Magnete præparata varia t. 2. p. 130
Magnes Arſenicalis t. 2. p. 197
Magnetica Saturni, vid. Antimonium
Magnetica Opalina, vid. Antimonium
Magneſia tingendo vitro, ut præparetur t. 2. p. 1049
Majorana . & Origanum t. 2. p. 197
Malabathrum t. 2. p. 198
Malaguetta, vid. Cardamomum
Malaxare quid ſit ibid.
Malicorium ibid.
Malleolus ibid.
Malva, ejuſque ſpecies ibid.
Malvaticum Iuniperinum, vid. Eſſentia baccarum Iuniperi
Malum, vid. Malus
Mala Adami t. 2. p. 199
Armeniaca ibid.
Aurea t. 2. p. 200
Citria t. 2 p. 201. & ſeq.
Cotonea, vid. Cydonia
Limonia t. 2. p. 204
Punica vid. Granata
Malus t 2. p. 205
Manati, & ex eo præparata t. 2. p. 207
Mandragora, ejuſque ſpecies ibid. & ſeq.
Manna t. 2. p. 208
Manna præparata varia, ſpiritus, ſyrupi, &c. ibid. & ſeq.
Manna Iulepata t. 2. p. 210
Mannæ præparationes quædam Curioſa, ex Abbate Rouſſeau ibid.
Marcaſſita ibid. & ſeq.
Marcius Panis, vid. Panis Marcius, *&* Paſta Regia
Marga t. 2. p. 211
Margarita ibid.
Margaritarum generatio, ac ratio qua ex imo maris cum ſuis oſtreis educuntur ibid. & ſeq.
Margaritarum adulterinarum confectio t. 2. p. 103. & ſeq.
Margarita, vid. ſub titulo Lapis t. 2. p. 94
Ex Margaritis præparata varia t. 2. p. 119. & ſeq.
Marmelada quid ſit t. 2. p. 212
Carminativa D. à Mynſicht t. 2. p. 214
Cephalica è Laboratorio Ceylonico t. 2. p. 212
D. à Mynſicht t. 2 p. 213
Frigida ejuſd. ibid.
Cum Gummi Gotti ex Laboratorio Ceylonico ib.
Hepatica è Laboratorio Ceylonico ibid.
Calida D. à Mynſicht t. 2. p. 214
frigida ex eod. ibid.
Hyſterica ex eod. ibid.
Laxativa è Laboratorio Ceylonico t. 2 p. 213
Magnanima ex D. à Mynſicht t. 2. p. 214
Nephritica ex Ceylonico Laboratorio t. 2. p. 213
ex D. à Mynſicht t. 2. p. 214
Pectoralis ex Ceylonico Laboratorio t. 2. p. 213
ex D. à Mynſicht ibid.
Splenetica ex eod. t. 2. p. 214
Stegnotica ex eod. ibid.
Stomachica è Laboratorio Ceylonico t. 2 p. 212
Calida ex D. à Mynſicht t. 2 p. 213
Frigida ex eodem ibid.
Therebinthinata ex eodem t. 2. p. 214
Marmor, vid. ſub titulo Lapis t. 2. p. 130. & ſeq.
Marrubium, ejuſque ſpecies t. 2. p. 215
Mars, vid. Ferrum
Mars diaphoreticus ex Ph. Bat. ibid.
Fulminans, ex ead. Ph. ibid.
Potabilis, ex ead. Ph. ibid.
Martagum, vid. Hemerocalis
Marum ibid.
Marum vulgare Dodonæi, vid. Clynopodium
Maſſula varia odontalgica Cnœff. t. 1. p. 451
Manget. Bibl. Pharm.
Maſticatoria & Salivantia Remedia quid ſint t. 2. p. 216. & ſeq.
Maſtiche, ejus delectus, & præparata t. 2. p. 220
Mater perlarum t. 2. p. 221
Matratium vid. ſub titulo Inſtrumenta Pharmaceutica
Matricaria ibid. & ſeq.
Matriſylva t. 2. p. 222
Maturantia, vid. Pepaſtica
Mayz, vid. Triticum Indicum
Mechoacan ibid. & ſeq.
Mechoacanna extracta varia t. 2. p. 223
Meconium, vid. Opium
Medica Herba ibid.
Medicamentum cryſtallinum antinephriticum Cnœffelii t. 2. p. 442
Medulla in genere t. 2. p. 224
Medullæ animalium officinales quænam ſint ibid.
Mel, vid. ſub titulo Apis
Mellis præparationes variæ t. 1. p. 150
Mel Anacardinum Alzaravii ex Ph Aug. t 2. p. 224
Anthoſatum ex ead. Ph. ibid.
Emblicorum, ex ead. Ph. t. 2. p. 225
Helleboratum è Ph. Lond. t. 2. p. 224
Mentha ex Ph. Aug. t. 2. p. 225
ex Zvvelfero ibid.
Mercurialis ex Ph. Aug. ibid.
Mororum, vid. Diamorum
Nucum vid. Dianucum
Paſſulatum ex Ph. Aug. ibid.
Roſarum Meſuæ è Ph. Aug. ibid.
Agaricatum è Ph. Norib. t. 2. p. 226
Anthoſatum ex ead Ph. ibid.
Citratum è Ph. Aug. t. 2. p. 225
Laxativum ex ead. Ph. ibid.
Simplex ex ead Ph. ibid.
Saponis è Ph. Bat. ibid.
Scilliticum Ph. Lond. ibid.
de Tuſſilagine ex Ph. Norimb. t. 2 p 226
Violatum ſimplex è Ph. Aug. t. 2. p. 225
Solutivum ex ead. Ph. ibid.
Melampyrum t. 2. p. 226
Melanagoga, vid. ſub titulo Purgantia
Melanthium, vid. Nigella
Melicratum, vid. Hydromel
Melilotus t. 2. p. 226
Melis, vid. Taxus
Meliſſa, & ejus ſpecies ibid. & ſeq.
Melones t. 2. p. 227
Menſes provocantia, vid. Emmenagoga
Menſes ſiſtentia quænam ſint ibid. & ſeq.
Menſtruum, vid Inſtrumenta Pharmaceutica Interna ubi in ſpecie de menſtruis agitur
Menſtrua famoſiſſima quæ ſint t. 1. p. 889
Menſtruum univerſale t. 1. p. 890
Boylei non corroſivi t. 2. p. 229
Menſura ibid.
Menſurarum & ponderum ſpecies variæ ordine Alphabetico breviter explicantur ibid. & ſeq.
Menſurarum & ponderum initium, & ortus tom. 2. p. 233
Menſurarum & ponderum diverſorum inter ſe comparatio t. 2. p. 234
Menſurarum & ponderum mutationis cauſa & modus per Nicolaum ibid. & ſeq.
Menſuræ & pondera Veterum & recentiorum deſcribuntur t. 2. p. 235. *ad* 268
Mentha, ejuſque ſpecies t. 2 p. 269. & ſeq.
Mentha Saracenica, vid. Balſamita
Mercurialis t. 2 p 270
Mercurius, ejuſque delectus t. 2 p 271
Mercurii uſus, & vires deſcribuntur t. 2. p. 271. & ſeq.

Mercurii Deſtillatio to.2. p. 274
Lotio ibid.
Purgatio ibid.
Præcipitatio & calcinatio ibid.
Mercurius præcipitatus per ſe ibid.
per ſilices ibid.
Fixatus, Panacea ibid.
Præcipitatus per oleum Sulphuris ibid.
Vitrioli rubic. ibid.
per ſpiritum Sal nitr. t.2. p. 275
per aquam Ovorum ibid.
per tincturam ſmiridis ibid.
Communis ibid.
Albus Vomitivus Catharcticus ibid.
Dulcis ibid.
Mercurii præcipitati Rectificatio t.2.p.277
Mercurius præcipitatus Incarnatus ibid.
Luteus ibid.
Vitriolatus fixus, dulcificatus ibid.
Mercurii præcipitatio egregia ibid.
Mercurius præcipitatus Solaris ibid. & t.1.p.815
Regulinus diaphoreticus ibid.
Viridis, ſeu Venereus t.2. p. 278
Mercurius ſublimatus Officinarum t. 2. p. 279
Regulinus ibid.
Mercurius dulcis vulgaris t.2. p.280
Sublimatus rubeus non corroſivus t.2 p. 281
Dulcis Solaris ibid.
Mercurius vitæ t.2.p. 284
Mercurii extractio t.2.p. 289
Salificatio t. 2. p. 290
Mercurii præparationes aliquot è Ph. Bat. t.1. p.291
Mercurius vitæ t.1.p. 814
Mercurius præcipitatus albus ex Ph. Bat. t.2.p.291
Correctus ex ead. Ph. ibid.
Flavus ex Ph. Bat. ibid.
Fixus ex ead. Pharm. ibid.
Griſeus, ex ead Pharm. ibid.
Incarnatus ex ead. Pharm. ibid.
Laxativus ex ead. Pharm. ibid.
Ruber ex ead. Pharm. ibid.
& Flavus ex ead. Ph. ibid.
Solaris per ſe ex ead. Ph. ibid.
Viridis ex ead Pharm. ibid.
Mercurius Vitæ correctus ex ead. Pharm. ibid.
purgans ex eadem Pharm. ibid.
Meſpilus, ejuſque ſpecies ibid. & ſeq.
Metallum quid ſit t.2.p. 292
Metallorum præparationes quæ ſint t.2. p.294
Metallorum probationes vid. Dokimaſtice Metallica
Metallurgia Athanas. Kircheri *in Mundo ſubterraneo* ibidem
Metallurgiæ Objectum t.2.p. 295
Metallorum cauſa materialis & formalis ibid.
Ad Metallorum productionem, utrum Cœlum & ſtellæ concurrere poſſint t.2. p 296
Metalla quomodo ex humore unctuoſo à Natura elaborentur t. 2. p.298
Metalla quare in igne fluida reddantur t.2. p. 299
Metallicæ artis perfecta notitia, Item de conditione Præfecti fodinarum t.1. p. 301
Metallurgiam curantium officia varia ibid.
Metallicorum morborum Curatio t.2.p.302
Metallognomia, ſive de ſignis Metalli latentis, & quâ Arte metallorum venæ cognoſcantur t.2.p.305.& ſeq.
Metallicarum Fodinarum Natura, proprietas, varia accidentia, &c. variis ad Kircherum reſponſis deteguntur t.2. p.308.& ſeq.
Metallorum purgatio t. 2. p. 313
Miſtura t.2.p.315
Sympathia, & antipathia t.2. p.316.
Scoria & excrementa ibid.
De Metalli fodinis Bohemiæ Clariſſ. Reiſelii *ſententia* t. 2. p. 322
Meu, ſive meum t.2. p. 326
Mezereon Germanorum, & ex eo præparata varia ibid. & ſeq.
Micleta Nicolai ex Ph. Aug. t.1. p.770
Milium, ejuſque variæ ſpecies t.2. p.327
Milium Solis t.2.p.328
Millefolium ibid.
Millepedes ibid.
Milvus ibid.
Minium, vid. ſub titulo Plumbum
Minorativa, vid. Purgantia
Mineralia quæ ſint t.2.p. 329
Miſtio, vid. Mixtio
Miſtura, vid. Mixtura
Miſy t. 2. p. 329
Mithridatium. vid. Electuarium
Miva, vid. Gelatina
Miva Borraginis ex Ph. Bat. ibid.
Conſolidæ ex ead. Pharm. t.2 p 330
Dialthea ex ead. Pharm. ibid.
Satyrii ex ead Pharm. ibid.
Mixtura quid ſit ibid.
Antiapoplectica Rolfincii ibid.
Antiaſthmatica ex eod. ibid.
Anticolica è Ph. Bat. ibid.
Antiepileptica ordinaria ex Cnœffelio t.2. p.536
& Antiparalytica Rolfincii t.2.p.330
Antepileptica in forma ſolida t.1. p. 536
in forma liquida ibid.
Antipeſtilentiales ex Bierlingio t.2. p. 331
Antiſceletyrbica Rolfincii t.2.p. 330
Bezoardica Angel. Sal. t.2.p.331
Contra calculum Rolfincii t.2.p.331
Kolbii ibid.
Catechu pro oris fœtore t.2.p. 971
Cephalica Cnœffelii t. 1. p. 529
Contra Cordis infirmitates Rolfincii t.2. p.330
Diaphoretica ſimplex Rolfincii ibid.
Hydropica D. Cnœffelii t.1 p. 998
Hypochondriaco-Scorbutica D. Finckii tom. 2. p. 331
Hyſterica Cnœffelii t.2. p.1132
Lithontriptica Cnœffelii t. 2. p. 444
Odontalgica Bierlingii t. 2. p. 331
Ophthalmica Rolfincii t.2.p.330
Contra Peſtem ejuſdem t. 2. p. 331
Simplex vid. Spiritus Diatrion. è Ph. Aug. to. 2. p. 8[illegible]4
Splenetica Cnœff. t.2. p.903
Stomachalis ejuſd. t.2. p. 330
Sudorifera catholica ejuſdem t.2. p.331
Topica, ſive localis Interna Cnœffelii tom. 1. p. 536
Tubularis è Pharm. Bat. t.2. p.330
Contra Tuſſim Rolfincii ibid.
Uterina Cnœffelii t.2. p.1132
Molucca t. 2. p. 331
Molybdena, vid. Plumbago
Momordica, vid. Balſamita
Monoceros ibid. & ſeq.
De Monocerote D. Stalpartii *ſententia* t.2.p.332. & ſeq.
Morſelini, vid. Rotula
Morſus Diaboli t.2.p.342
Morus ibid.
Moſchata, vid. Nux Moſchata t.2. p. 343
Moſchatellina ibid.
De Moſcho, Moſchiferoque animali Clariſs. Schrockii *tractatus elegans* ibid. & ſeq.
De Moſchi nomine t.2.p. 345
De Moſcho, ex folliculo ab animali depoſito t.2. p. 347

De

De Moſcho, cum folliculo ab hominibus adempto tom. 2. p. 349
De Moſcho è ſanguine parato t. 2. p. 351
De Moſcho ex renibus, & teſticulis confecto ibid.
De Moſcho ex toto animali producto t. 2. p. 353
De Moſchi genere conſtituendo t. 2. p. 355
De Moſchifero animali t. 2. p. 356
De Moſchifero folliculo t. 2. p. 361
Moſchiferi animalis locus natalis t. 2. p. 363
De Moſcho adulterino t. 2. p. 366
De Moſchi electione t. 2. p. 368
De Moſchi qualitatibus t. 2. p. 371
De Moſchi odore t. 2. p. 373
De Moſchi adverſatione t. 2. p. 377
De Moſchi Incommodis t. 2. p. 378
De Moſchi virtute alexipharmacâ t. 2 p. 380
Moſchi virtus confortans in genere t. 2. p. 384
Virtutes cephalicæ in genere t. 2. p. 385
in ſpecie ad certos affectus determinatæ t. 2. p. 386
Moſchi uſus ophthalmicus t. 2. p. 389
In Aurium morbis ibid.
In narium vitiis t. 2. p. 390
In oris fœtore, & odontalgia ibid.
Moſchi Vires pectorales, & pneumonicæ t. 2. p. 391
Virtus cordialis t. 2. p. 392
Hepatica t. 2. p. 393
Splenetica ibid.
Stomachica t. 2. p. 394
Anticolica, & Anthelmintica ibid.
Vires uterinæ t. 2. p. 395. & ſeq.
Venereæ t. 2. p. 398
Virtus in ſterelitate muliebri t. 2. p. 399
Uſus Arthriticus ibid.
Contra fœtores t. 2. p. 400.
Moſchi Doſis t. 2. p. 401
Moſchi Medicamenta liquida ibid. & ſeq.
Sicciora t. 2 p. 405. & ſeq.
Media conſiſtentia tom. 2. p. 410. & ſeq.
Moſchi Uſus Sacer t. 2. p. 412
politicus t. 2. p. 413. & ſeq.
œconomicus ibid.
Coſmeticus t. 2. p. 41[illegible]. & ſeq.
Emblematicus t. 2. p. 418
De Moſchatis rebus naturalibus ibid. & ſeq.
Motacilla t. 2. p. 423
Moxa ibid & ſeq.
Circa moxam experimentum t. 2. p. 425
Mucago, Mucilago ibid.
Mucilago Arietinæ pellis t. 2. p. 426
Pro aſperitate linguæ & faucium Cnœffelii t. 1 p. 914
Emolliens ordinario D. Lemery t. 2. p. 425
ad Hæmorrhagiam ſiſtendam ejuſd. ibid.
Icthiocolla ejuſdem ibid.
Nephritica è Ph. Bat. t. 2 p. 426
Tragacanthi Gummi D. Lemery t. 2. p. 425
Mugil t. 2. p. 426
Mullus ibid.
Mulſa, vid. Hydromel
Multipedes, vid. Millepedæ
Mulus ibid.
Mumia, vid. ſub titulo Homo
Mumia quid ſit, ex eaque præparata varia t. 1. p. 991 & 993.
Mumia Vitæ Alexiteria ex ſanguine humano parata t. 1. p. 985.
Mumiæ Uſus Medici t. 1. p. 369
Murex t. 2. p. 426
Mus, ejuſque partes officinales ibid.
Mus Araneus ibid. & ſeq.
Mus Terrenus, vid. Talpa
Muſa ænea ex Pharm. Baud. t. 1. p. 771
Muſa arbor t. 2 p. 427
Muſca t. 2. p. 428
Muſculus Piſcis ibid.
Muſculus Animal quadrupes, vid. de eo ſub titulo Mus, Mus Aquaticus
Muſcus, ejuſque ſpecies variæ ibid.
Muſcus Arboreus t. 2. p. 429.
Clavatus ibid. & ſeq.
Cranio humano innatus ibid.
Marinus, vid. Corallina
Pulmonarius ibid.
Pixioides Saxatilis I.B.C.B. t. 2. p. 4.8
Saxatilis, vide Lichen
Muſtela Animal quadrupes, & ſub eo Muſtelinum Genus, ac Vermineum t. 2. p. 430 & ſeq.
Muſtela piſcis t. 2. p. 432
Muſtum, vid. Vinum, *& præcipuè* Vitis vinifera
Mutica ibid.
Myagrum t. 2. p. 433
Myoſotis, vid. Auricula Muris
Myrica, vid. Tamariſcus
Myriophyllon, vid. Millefolium
Myrmacium, vid. Formica
Myrobolani, eorumque ſpecies, & uſus medicus t. 2. p. 433.
Myrrha, ejuſque ſpecies, & delectus t. 2. p. 434. & ſeq.
Myrrhæ Præparata varia t. 2. p 435
Myrrha Depurata ibid.
Myrrhæ Extractum ibid.
Liquor ibid.
Oleum ibid.
Trochiſci t. 2. p. 436
Myrrhis ibid.
Myrtillus ibid.
Myrthus ibid. & ſeq.
Mytulus, vid. Muſculus Piſcis
Myxa, ſeu Myxaria, vid. Sebeſten, *item* Myrobolanus

N.

Nacra vid. Mater perlarum, *præcipuè ſub titulo* Margaritæ
Napellus, vid ſub titulo Aconitum
Napelli præparatio Curioſa D. Abbatis Rouſſeau t. 1. p. 13.
Naphta, & ſub ea Aſphaltum, Oleum Terræ, & Petroleum t. 2. p. 437
Napus, vid. Bunias
Narciſſus t. 2. p. 438
Narcotica, vid Anodyna
Nardus, vid. Spica
Nardus montana Celtica, vid. Valeriana
Nardus Sylveſtris, vid. Aſarum
Nares vituli, vid. Antyrrhinum
Naſalia, vid. Errhina
Naſcalia, vid. ſub titulo Peſſus.
Naſturtium, ejuſque ſpecies variæ ibid.
Nenuphar, ſeu Nymphæa t. 2 p. 439
Nymphæa lutea ibid.
alba t. 2. p. 440
Nepenthes, vid. Laudanum
Nepetha ibid.
Nephritica Medicamenta, quid & quæ ſint ibid. & ſeq.
Nephritica Medicamenta compoſita varia t. 2 p. 442 & ſeq.
Nephriticus Lapis t. 2 p. 91. 108
Nerium, vid. Oleander
Nerprunum, vid Rhamnus
Nicotiana, vid. Tabacum
Nidus avis t. 2. p. 446
Nidus avis eſculentus ibid.

Nigella t.2. p.446
Nigrica Fabrilis t. 2. p. 447
Nitrum de eo vid. ſub titulo Sal t.2.p.750 & ſeq.
Nitrum rubrum eſſentificatum Cnœff. t. 1. p. 912
Noctua t. 2. p. 447
Nucamentum, vid. Julus
Nuces Cupreſſi, vid. Cupreſſus
Nuciſta, vid, Nux Moſchata
Nuclei Pinei, vid. Pinus
Nucula Terreſtris, vid. Bulbo Caſtanum
Nummularia ibid.
Nutritio in præparatione Medicament. quid ſit ib.& ſeq.
Nutritum, vid. Unguentum
Nux Iuglans, vid. Juglans
Nux Medica t. 2. p. 448
Nux Metella ibid.
Nux Moſchata, & macis ibid.
Nux Pinea, vid. Pinus
Nux Pontica, vid. Avellana
Nux Regia, vid. Juglans
Nux Vomica, vid Nux metella
Nycticorax, vid. Noctua
Nymphæa, vid. Nenuphar

O.

Obolus, vid. ſub titulo Menſuræ, & pondera
Ocellus Cervi, idem quod Elaphoboſcum
Ochra, vid. ſub titulo Terra t. 2. p. 973
Ocimum, vid. Baſilicum
Ocularis planta, vid. Eufraſia
Oculi in Phytologia t. 2. p. 450
Oculus Bovis, ſeu Buphthalmum ibid.
Oculus Cati vid. ſub titulo Lapis t.2.p.94
Oculis utilia, vid. Ophthalmica
Ocymaſtrum Tragi, vid. Scrofularia
Odontalgica, ſeu odontica Medicamenta ibid. & ſeq.
Odoramentum, vid. Suffitus
Oeluropus, vid. Piloſella
Oenanthe t. 2. p. 45
Oeſypus ibid.
Olea Arbor ibid. & ſeq.
Oleander, ſive Nerium t. 2. p. 453
Oleum, quidque de Oleis notandum ibid. & ſeq.
Olea deſtillata ex herbis, Floribus, ſeminibus, fructibus, radicibus, corticibus, lignis & viſcis, Aromatibus, reſiniſque quomodo parentur t.2.p. 460 & ſeq.
Olea deſtillata uſitatiora t 2.p.461
Olea expreſſa, eaque parandi modus ibid.& ſeq.
Olea expreſſa uſitatiora t. 2. p. 462
Olea per infuſionem, & expreſſionem, eaque parandi modus ibid.
Olea Inſolata ſimplicia uſitatiora ibid.
Olea cocta compoſita varia t.2.p.463
Oleum Abrotini ex Ph. Aug. t.2.p. 465
Abſinthii ex ead. Pharm. ibid.
deſtillatum ex ead. Ph. t. 2. p 476
Acouſticum ambratum ex ead Ph. t.2.p.465
D. à Mynſicht t.2. p.484
Aloëticum è Ph. Bat. t.2.p. 480
Amygdalorum amarorum è Ph. Aug. t.2.p.465
dulcium ex ead. Ph. t.2. p.466
Anagallidis ex ead. Pharm. ibid.
Anethinum ex eadem Pharm. ibid.
Angelicæ deſtillatum ex ead. Ph. t.2.p.476
Anodynum refrigerans Cnœffelii t 2. p.1138
Antapoplecticum cephalicum Zvvelferi t.2.p.466
Antiepilepticum pretioſum ex Hoffm. t.2 p.482
ex Ph. Reg Zvvelf. t. 2. p.467
Antimonii dulce ex Bierlingio t.2. p 484
deſtillatum è Ph. Aug. t. 2. p.476
Sennerti ibid.
Saccharatum è Ph. Bat. t.2. p 480
Antimonii Mercuriale t.2. p.283
Oleum Antipeſtilentiale Bonacurtii t.2. p.464
D. Coci t. 2. p. 484
ex VVeickard. t.2. p.472
Antipleuriticum Petri à Caſtro t.2.p.464
Antipodagricum D. Ch. ex Hoff. t.2.p.482
Aranearum Mindereri ex Ph. Aug. t.2.p.466
Arthriticum Arniſæi ex Bierling. t.2. p.483
Aurantiorum deſtillatum ex Ph. Aug. t.2.p 476
Balaninum ex Ph. Aug. t. 2. p. 466
Balſamicum è Pharm. Bat. t.2. p.480
ex D. à Mynſicht t. 2.p.485
Benedictum è Ph. Lond. t. 2. p. 466
Bufonum è Ph. Bat. t. 2. p. 480
ex Calculo humano t.1.p. 986
Contra Calculum ex Bierlingio t.2.p.484
ex Ph. Reg. Zvvelf. t.2.p.466
Camphora è Ph. Bat. t.2. p. 481
deſtillatum Sennerti t. 2. p. 476
Olea Capillos Augentia & conſervantia t.1.p. 655
Elongantia t.1. p. 656
vario colore tingentia t.1.p. 655
Oleum de Capparibus è Ph. Aug. t.2. p. 466
Carminativum ex Hoffm. t.2. p. 482
ex D. à Mynſicht t.2.p.484
è Ph. Reg. Zvvelf. t.2. p. 466
Carthami è Pharm. Aug. ibid.
Caryophyllorum deſtillatum è Ph. Aug. t.2 p.476
D. Le Mort t.2 p 479
Caſſiæ ligneæ deſtillatum D. Le Mort ibid.
De Caſtoreo Iacob. de Manliis ex Ph. Aug. t.2.p.467
Compoſitum Zvvelferi ibid.
Catellorum è Ph. Lond. ibid.
Ceræ deſtillatum è Ph. Aug. t.2.p.477
Cerebri humani t.1. p. 992
Chamæmelinum è Ph. Aug. t.2.p.467
Chamæmeli Roman. deſtillatum è Ph. Aug. t.2.p.476
Charta è Ph. Bat. t.2. p. 481
Cheirinum Meſuæ è Ph. Aug. t.2. p. 467
Chryſomelinum è Ph. Lond. ibid.
è Citri granis Ph. Aug. ibid.
Cordiale ex Bierling. t.2. p. 483
Coſmeticum è Ph. Bat. t.2.p.481
Coſtinum Meſuæ è Ph. Aug. t.2.p 467
Cremoris è Pharm. Bat. t.2. p. 481
de Croco Meſuæ è Ph. Aug. t.2.p.467
Cydoniorum Meſuæ è Ph. Aug. ibid.
ad defluxiones externum, ex Hoffm. t.2.p.482
Diacolocynthidos è Ph. Aug. t.2.p.467
de Enula Meſuæ è Ph. Aug. ibid.
de Euphorbio Meſuæ ex ead. Ph. ibid.
Exceſtrenſe è Ph. Lond. t.2. p. 468
Olea Faciem illuſtrantia t. 1. p. 654
Faciei maculas delentia t. 1 p. 655
Faciem vario colore tingentia t.1. p. 656
Oleum Febrifugum D. Cnœff. t. 1. p. 915
Strobelbergeri t. 2. p. 463
Fœniculi deſtillatum ex D. Le Mort t.2.p.477
Formicarum Nicolai, è Ph. Aug. t.2.p.468
ex D. à Mynſicht t.2.p.485
Hæmorrhoidale Cnœffelii t. 2. p. 903
Hæmorrhoidale Faventini t. 2. p. 463
Heraclinum è Ph. Bat. t. 2. p 481
Hirundinum ex Ph. Lond. t.2. p. 468
ad Hydropem ex Bierlingio t. 2. p. 483
Hyoſciami è Ph. Aug. t. 2. p. 468
Hyperici ex ead. Ph. ibid.
è Ph. Reg. Colleg. Lond. t.2.p.464
Compoſitum D. Ellenbergii t 2. p.463
è Pharm. Lond. t. 2 p. 468
D. à Rabenſtein t.2. p.463
Hypnoticum ex Ph. Reg. Zvvelf. t. 2. p. 468
Iaſminum è Ph. Aug, ibid.
Irinum Meſuæ è Ph. Aug. ibid.

Oleum Irinum è Ph.Lond. t.2.p.469
ad Iſchuriam ex Bierling. t.2.p.483
Lacertarum contra hernias ex Phar.Reg. Zvvelf. t.2.p.469
Laurinum è Ph.Aug. ibid.
Lignorum ex D. à Mynſicht t.2.p 485
Ligni Guajaci t.2. p.891
Iuniperi ibid.
Liguſtrinum Meſuæ è Ph.Aug. t.2.p.469
Liliorum Alborum ſimplex ex ead.Ph. ibid.
compoſitum Meſuæ ex ead.Ph. ibid.
Lini ex ſemine ex ead.Ph. t.2.p.470
Linteorum è Ph.Bat. t.2.p.481
Lucatelli è Phar.Lond. t.2.p.470
Ludi è Ph Bat. t.2.p.481
Lumbricorum è Ph.Aug. t.2.p.470
è Ph. Bat. t.2.p.481
compoſitum è Ph.Aug. t.2.p.470
Macis deſtillatum D.Le Mort t.2.p 479
Mandragoræ è Ph Aug. t.2.p.470
Martis è Ph Bat. t.2.p.481
Martiale Album t.1. p.919
præſtans ibid.
Rubrum ibid.
Sulphureum ibid.
Maſtichinum Meſuæ ex Ph Aug. t.2.p 470
Maſtiches deſtillatum ex Ph.Aug. t.2.p.476
contra Matricem probatum ex Bierling. t 2 p.482
Meliloti ex Ph Lond. t.2.p.470
Menthæ è Ph.Aug. ibid.
Mercurii antimoniale t.2.p.289
diaphoreticum Album t.2 p.286
dulce ibid.
fragrans t.2.p.287
Rubrum t.2 p.286
Saccharatum t.2. p 287
Milvinum è Ph.Bat. t.2.p.481
Momordicæ t.2p.470
Moſchelinum Nicolai Alexand. è Ph.Aug. ibid.
è Ph.Lond. ibid.
Mucaginum è Ph. Amſtælodam. t.2.p.471
Myræleum ex Renodæo ibid.
Myrrhæ è Ph. Lond. ibid & 435
Myrtillorum è Ph.Aug. ibid.
Myrtinum ex ead.Ph. ibid.
Narciſſinum t 2.p.471
Nardinum ſimplex è Ph Aug. ibid.
compoſitum Meſuæ ex ead.Ph. ibid.
Nephriticum ex Hoffm. t.2.p.482
ex D. à Mynſicht t.2.p.485
Nervinum Slotani t.2.p.471
ex Ph.Reg Zvvelferi ibid.
Nicodemi è Ph.Lond. t.2 p.472
Nicotianæ ex ead.Ph. ibid.
Nucis Indicæ ibid.
Nucum Juglandium ibid.
Nucis Moſchatæ ibid.
Nucleorum perſicorum ibid.
Nympheæ è Ph.Aug. ibid.
Olivarum communis ibid.
Mumatum t.1 p.991
Omphacinum t.2.p.472
Othalgicum D.Le Mort ibid.
D.à Mynſicht t.2.p.484
Papaverinum è Ph Aug. t.2.p.472
Paralyticum è Pharm.Bat. t.2.p.481
de Piperibus Meſuæ è Ph.Aug. t.2.p.472
è Piſtachiis & pineis ex ead.Ph. t.2 p.473
in Pleuritide admirandum ex Hoffm. t.S.p.482
contra Podagram ex Bierling. t.2.p.483
è Pæoniæ granis Ph.Aug. t.2.p.472
Polychreſtum è Ph.Lond. t.2.p.473
Polypodii è Pharm.Bat. t.2.p.481
Oleum Pomatum è Ph. Bat. t.2 p.481
ex Pomis amoris, ex Bierling. t.2.p.483
Populinum Nicol. Alexand. è Ph.Aug. t.2.p 473
Purgans compoſitum S.Cloſſæi t.2.p 465
ex Ph.Reg.Zvvelferi t.2.p.473
Ranarum è Ph.Aug. ibid.
è Ph.Bat. t.2 p.481
Reſolutivum è Phar.Aug. t.2. p.473
Rhodii ligni deſtillatum ex ead. Ph. t.2. p.476
ex D.Le Mort t.2.p.480
Roſatum ex Ph Aug. t.2 p.473
compoſitum Meſuæ ex ead.Ph. ibid.
Omphacinum ex ead.Ph. ibid.
Rutæ ex ead.Ph. ibid.
Rutaceum Lunaleum ex ead.Ph. ibid.
Sabinæ t.2.p 473
croceum D.à Mynſicht t.2.p.485
deſtillatum D.Le Mort t.1.p.478
Sacchari compoſitum ex Ph. Bat. t.2.p.481
Sambucinum è Ph.Aug. t.2.p 473
Sampſuchinum ex ead Ph. t.2.p.474
Sanguinis humani deſtillatum t.1.p.985
Sanitatis ex Bierlingio t.2.p.483
Saponis deſtillatum ex Ph.Aug. t.2.p 477
ex Ph.Bat. t.2.p.481
ex Hoffm. t.2 p.482
Sarcoticum D.Le Mort t.2.p.474
Saſſafras deſtillatum ex eodem t.2.p.479
Saturni deſtillatum ex Ph.Aug. t.2.p.477
è Ph.Bat. t 2. p.481
Scorpionum ſimplex Meſuæ ex Ph.Aug. t.2.p.474
compoſitum Meſuæ ex ead.Ph. ibid.
Matthioli ex ead.Ph. ibid.
Magnum Auguſtanorum ibid.
Sanguineum t.2.p.805
Septem florum ex D.à Mynſicht t.2.p.485
Seſaminum è ex Ph.Aug. t.2.p.475
Sicyonium, è Ph.Lond. ibid.
Silicum è Pharm Bat. t.2 p.481
Solani è Ph. Lond. t.2 p.475
Spermatis ranarum è Ph Noriberg. ibid.
Stercoris humani t.1.p.984.& ſeq.
Stomachicum Cratonis ex Ph.Aug. t.2.p.475
Florentinum ex ead.Ph. ibid.
ex Phar.Reg.Zvvelf. ibid.
ad ſtrumas D.Coci t.2. p.485
ex Styrace è Ph.Aug. t.2 p.475
Succini deſtillatum ex Ph. Aug. t.2.p.476
Sulphuris varia t.2.p.896. & 933
contra Surditatem D. Charraz t.2.p.465
Tabaci è Ph.Bat. t.2.p.481
Talchi per deliquium ex eadem Ph. ibid.
Tartari fœtidum t.2 p.892.&948
Tartari per deliquium ex Bierling. t.2.p.482
Terræ, vide Naphtha.
Terræ ſigillatæ ex eodem ibid.
Trigonienſis t.2.p.970
Terebinthinæ deſtillatum è Ph. Aug. t 2.p.477
Τειχοφυὲς è Ph.Bat. t.2.p.481
Tritici ex eadem Ph. ibid.
contra Venena mirabile D.Caranitæ t.1.p.483
Magni Ducis Hetruriæ t.2.p 475.&483
Verbenaceum è Ph.Lond. t.2.p.475
contra Vermes egregium ex Bierl. t.2 p 483.& ſeq.
Violaceum è Ph Aug. t.2.p.475
Viperarum è Ph.Bat. t.2 p.481 & 1032
Viridis æris ex Ph Bat. t.2 p.481
Vitrioli dulce ex ead.Pharm. ibid.& 896
Orthelii, ex Bierling. t.2.p.483
Vulnerarium ex Bierling. t.2.p.484
D.à C. ex Hoffm. t.2.p 482
Mindereri t.2.p 476

Oleum Vulnerarium VVeickardi t.2, p. 476
Vulpinum Meſuæ, ex Ph. Aug. ibid.
Olibanum, *vide* Thus.
Oliva, *vide* Olea.
Olla, *vide Inſtrumenta* Pharmaceutica.
Olor, *vide* Cygnus.
Olus t.2.p.485
Olus Atrum, *vide* Smyrnum.
Omaſa ibid.
Omphacium t.2.p.486
Onager ibid.
Onagra ibid.
Onobrychis ibid.
Ononis ibid.
Onyx, *vide ſub Titulo* Lapis t.2.p.91
Onychis adulterini, ſeu Pſeudonychis compoſitio t.2. p. 101
Opalus, *vide ſub Titulo* Lapis t.2.p.93
Opali adulterini confectio t.2.p.100
Ophioglosſum t.2.p.486
Ophioſcorodon, *vide* Victorialis.
Ophites, *vide ſub Titulo* Lapis t.2.p.130. & ſeq.
Ophris t.2 p.487
Ophtalmica Medicamenta ibid. & ſeq.
Opium, *vide aliquid de eo ſub Titulo* papaver.
Opiologia, *ſeu tractatus de opio* Clar. VVedelii. *quædam exponuntur* t.2.p.490. & ſeq.
Circa opiatarum uſum cautela t.2.p.518. & ſeq. *Item* t.1.p.1011. & ſeq.
Opiatarum uſus t.1.p.1009, & ſeq.
Opiatarum nocumenta & incommoda t.1.p.1011. & ſeq.
Opiatarum ſpecies, *præparationes*, *& formulæ variæ* t.1.p.1013. & ſeq.
Opiata Salomonis Juberti t.1.p.771
Opobalſamum t.2.p.521
Opobalſami notæ & ſuccedanea t.1 p.394
Opopanax t.2.p.521
Opuntia ibid.
Orbicularis ibid & ſeq.
Orchis t.2.p 522
Oreoſelinum, *vid.* Daucus Apii folio, *ſub Titulo* Daucus.
Orichalcum, *vide* Aurichalcum.
Origanum, *vide* Majorana.
Oriza, *vide* Oryza.
Orminum, *vide* Hormihum.
Ornithogloſſum, *vide ſub Titulo* Fraxinus.
Ornithopodium, *vide* Polygala.
Orobanche, *ſive* Limodorum t.2.p.522
Orobus ibid.
Oryza ibid.
Orvietanum, *vide* Electuarium Orvietanum t.1.p.771. & 792
Oſmunda Regalis, *vide* Filix Florum.
Os de Corde Cervi, *vide ſub Titulo* Cervus.
Oſſifragus Lapis, *idem quod* Oſteocolla *de quo vide* Lapis.
Oſtracites, *vide ſub Titulo* Lapis t.2.p.90
Oſtrea t.2.p.523
Oſtrites, *vide* Oſteocolla, *ſub Titulo* Lapis t.2 p.87
Oſtritis, *ſeu Oſteocolla præparata* t.2. p.131
Oſtrutium, *vide* Imperatoria.
Otis Avis ibid.
Otica Medicamenta quid & quæ ſint t.2.p.524
Oticum Arcanum in ſurditate ibid.
Ovis, *& ſub ea Ovinum genus* t.2.p.525. & ſeq.
Ovum, *vide ſub Titulo* Gallina.
Oxalis, *vide* Acetoſa.
Oxyacantha, *vide* Berberis.
Oxylapathum t.2.p.527
Oxymel quid ſit ibid.
Oxymel de Calamentha Meſuæ, ex Weckero ibid.
Oxymel Compoſitum Meſuæ ex Ph. Aug. t.2.p.527
Diureticum ex. Ph. Aug. t.2.p.528
J. Michael. ibid.
Elleboratum majus Juliani Ph. Aug. ibid.
Julanizans è Ph. Lond. ibid.
de Liguſtrico Meſuæ, ex VVeckero ibid.
Scilliticum Meſuæ ex Ph. Aug.
Compoſitum è Ph. Lond.
ſimplex Galeni, *& Meſuæ* è Ph. Aug. t.2.p.527
Oxyrhodinum quid ſit, *& quomodo paretur* t.2 p.528
Oxyſaccharum quid ſit ibid.
Oxyſaccharum compoſitum Nicolai Præpoſiti è Ph. Aug. ibid.
Emeticum Ludovici t.2.p.529
Mynſichti ibid.
Salæ, *vide ſub Titulo* Syrupus.
Simplex è Ph. Aug. t.2.p.528
Oxytriphyllum, *vide* Trifolium acetoſum.

P.

Pæonia t.2.p.529
Palea Camelorum, *vide* Schœnanthum.
Palimpiſſa ibid.
Paliurus ibid.
Palma ibid. & ſeq.
Palmæ majoris vulgaris Vires & uſus t.2.p.530
Palmæ Indicæ coccifera Vires & uſus t.2.p.531
Palma Chriſti, *vide* Ricinus. *Item* Orchis, ſeu Satyrium.
Paludapium, *vide* Apium.
Palumbus t.2.p.532
Palus ſanct. vide Guajacum.
Panacæa quid ſit t.2.p.532
Panacæa Anwaldina Volkameri ibid.
Eſſentificata D. Cnœffel. t.2 p.637
ex cinnabari nativa ejuſdem t.2.p.635
Hartmanni t.2. p.5 2
Solaris duplicata D. Cnœffelii t.1.p.635
Mercurii purgans t.2.p.281
Panax t.2.p.532
Panchymagogum, *vide* extractum panchymagogum.
Panicum t.2.p.533
Panis, *vide ſub Titulo* Triticum t.2.p.994
Panis Diaſarſæ ex Ph. Bat. ibid.
de Vipera ex eadem Ph. ibid.
Pannus linteus crocatus t.1. p 519
Papaver t.2.p.533. & ſeq.
Papaveris, *& Opii ex eo educti vires* t.2. p.534
Papaveris Rhæados Vires ibid.
Papyrus t.2 p.535
Paralytica Medicamenta, *vide ſub Titulo* Cephalica.
Paralyſis euporiſta t.1.p.529. & 530
Paralytica Herba, *vide* Primula veris.
Paregorica, *vide* Anodyna.
Parietaria t.2.p.535
Paronychia ibid.
Parus t.2.p.536
Paſſer, *ejuſque ſpecies* ibid.
Paſſula, *vide* Uvæ paſſæ t.2. p.1135. & ſeq.
Paſſulæ laxativæ ex variis Authoribus t.1.p.781. & 792
Paſta odorata vilior pro mulieribus Zvvelferi t.2. p.537
tempore peſtis ex eodem ibid.
pro placentulis ſtomachalibus ex eodem t.2.p 536
Regia, *ſeu panis Martius* è Ph. Aug. ibid.
Compoſita ex eadem Ph. ibid.
Paſtilli, *vide* Trochiſci
Paſtilli pro fumo, *vide ſub Titulo* ſuffitus t.2.p.924
Paſtinaca t.2.p.537
Pavo, *ejuſque partes officinales* t.2.p.538

Pectoralia Medicamenta, quid & quæ ſint tom.2. p. 539. & ſeq.
Pedicularis t.2.p.540. & ſeq.
Pediculus Animal t.2. p. 541
Pentaphyllum ibid.
Peplus, vide ſub Titulo Tithymalus.
Pepo ibid.
Perea ibid & ſeq.
Percepierre t.1.p.22
Perdix t.2.p.542. & ſeq.
Perfoliata t.2 p.543
Perforata, vide Hypericum.
Periammata, vide Amuleta.
Perianthium, vide Calyx.
Periclymenum, vide Matriſylva.
Perla, vide Margaritæ.
Perſica, vide Malus Perſica.
Perſicaria, ejuſque ſpecies ibid & ſeq.
Perſonata, vide Bardana.
Pervinca, vide Vinca Pervinca.
Pes Cati, vide Gnaphalium.
Pes Columbinus, vide Geranium.
Pes Corvinus, vide Ranunculus.
Pes Lelii, vide Clynopodium.
Pes Leonis, vide Archimilla.
Pes Leporis, vide Lagopus.
Pes Lupi, vide Muſcus Terreſtris repens.
Pes Vituli, vide Arum
Peſſarium, quid ſit, idque parandi modus t.2.p.545
Peſſi varii ad varios uſus ibid. & ſeq.
Peſtifuga Medicamenta t.2.p.547
Petaſites. ibid.
Petrolæum, vide Naphta.
Petroſelinum ibid. & ſeq.
Petum, vide Tabacum.
Peucedanum t.2.p.548
Phænigmus, vide Sinapiſmus.
Phalangium ibid.
Phalaris ibid.
Pharmacia Ars quid ſit t.2.p.549. & ſeq.
Pharmaciæ Artis diviſio & forma t.2.p.550
Phaſeolus t.2.p 551
Phaſianus Avis ibid. & ſeq.
Philanthropos vide Aparine.
Philonium, vide Electuarium Philonium.
Phlegmagoga, ſeu Hydragoga Medicamenta, vide ſub Titulo Purgantia
Phlomis, vide Verbaſcum Salvifolium.
Phœnix, vide Palma.
Phoſphorus quid ſit t.2.p.552. & ſeq.
Phoſphori præparandi ratio t.2.p. 553
Phu, vide Valeriana.
Phillirea ibid.
Phyllitis, vide Scolopendrium.
Phyllon, vide Mercurialis.
Pica ibid. & ſeq.
Picatio, vide Dropax.
Picea, vide Abies.
Piger Henricus, vide Furnus in Inſtrumentis Pharmaceuticis.
Pila marina t.2.p.554
Pilæ ad manus eluendas t.2.p.915
Pileolus t.2.p.555
Piloſella ibid.
Pilulæ quid ſint, de iiſque in genere ibid. & ſeq.
Pilularum exempla quædam t.2. p.556
Pilulæ Æthiopicæ ex Ph.Bat. t.2.p.571
de Agarico Meſuæ ex Ph.Aug. t.1.p.558
Aggregativæ Majores Meſuæ ex Ph.Aug. ibid.
Minores ejuſdem ex ead. Ph. ibid.
Aloephanginæ Meſuæ ex ead.Ph. ibid.
D. à Mynſicht t.2.p.574
Pilulæ de Aloe lota incerti Authoris ex Ph.Aug. t.2.p.558
& maſtiche Nicol. Mirepſ. ex eadem Ph. ibid.
Roſata ex Ph. Aug. ibid.
Violata Ph. Norib. ibid.
de Ambra e Ph.Lond. ibid.
de Ammoniaco Quercetani è Ph.Aug. t.2 p 559
Magiſtrales è Phar.Bat. t.2.p.571
Angelicæ ſeu de Aloë & rhab ex Ph.Aug t.2 p 559
ex Ph. Bat. t.2 p 571
Anodinæ Corteſii t.2 p.559
Mynſichti t.2.p.575
Anticolicæ ex Ph.Bat. t.2.p.571
Antiepilepticæ S. Cloſſæi è Ph. Schrod. t.2.p.561
Antimoniales ex Ph. Bat. t.2.p.571
Febrifugæ Hartmanni t.2 p.562
Antipeſtilentiales ex Michael. t.2.p.574
Antipodagricæ ex Ph.Bat. t.2. p.571
Arabicæ Nicolai ex Ph. Aug. t.2.p.559
Arthriticæ Nicolai ex Ph.Aug. ibid.
Herbipolenſes ibid.
Norimbergenſium ibid.
Schefferi ex Ph. Aug. ibid.
Articulares ex Michael. t.2. p.574
Aſſajaret Avicennæ ex Ph.Aug. t.2.p.559
Aureæ Nicolai ex Ph. Aug. ibid.
Balſamicæ ex Ph.Bat. t.2.p 571
de Bdellio majores Meſuæ, ex Pharm. Auguſt. t.2. p.559
de Benedicta ex Ph.Aug. ibid.
Benedictæ Mynſicht t.2 p.574
ex Ph.Schrod. t.2. p 559
Cacheclicæ D.Charraz. t.2. p.560
de Calce viva D.à Mynſicht t.2. p.575
in Calculo renum & Veſica D. Cnœffel. t.2. p.143
Caſtitatis ex Ph.Bat. t.2.p.571
Catarrhales ex Ph. Bat. ibid.
D.Michael. t.2.p.573
Catechu anodynæ ſtypticæ t.2.p.572
Odorifera ibid.
Catholici extracti è Pharm. Amſtæl. t.2. p.560
Catholicæ D. Michaëlis t. 2. p. 573
D à Mynſicht t.2.p.574
Cephalicæ D.Michael. t 2.p.573
D.à Mynſicht t.2.p.574
pro Chloroſi D.Charraz t.2.p.560
Cholagogæ de Centaurio Quercet. è Phar. Schrod. ibid.
Cicera Tartari dictæ D.à Mynſicht t.2.p.577
Cochiæ Rhaſis ex Ph Aug. t.2.p.560
pro Colico morbo D. D'Aquin ex Phar. D. Charraz ibid.
de Colocynthide Meſuæ, ex Ph. Aug. ibid.
Cordiales & Cephalicæ Zvvelferi ibid.
Crapulariæ ex Ph.Bat. t.2 p.571
Cretaceæ ex ead.Ph. ibid.
de Creta Palmarii ex ead.Ph. ibid.
de Cynogloſſo Nicolai Præpoſiti ex Ph. Aug t.2. p.561
cum Caſtoreo ex ead.Ph. ibid.
Diaphoreticæ in lue Gallica ex Michael. t.2.p.574
ex Ph.Schrod. t.2.p.561
Diureticæ ex Ph.Schrod. ibid.
ex Duobus ex Ph.Lond. ibid.
in Dyſenteria ex Michael t 2 p 574
de Eſula Fernelii è Ph. Schrod. t.2.p.561
de Eupatorio majores Meſuæ ex Pharm. Aug. ibid.
de Euphorbio Meſuæ è Pharm. Auguſt. ibidem

Pilulæ Quercetani è Ph. Schrod. t.2.p.561
Familiares D à Mynſicht t.2.p.574
Febriles D. Cnœff. t.1.p.912
antimoniales Hartmanni t.2.p.562
Michaelis t.2.p.574
variæ ex Variis Authoribus t.2.p 562
Fœtidæ majores Meſuæ, ex Ph.Aug. t.2 p 561
Francofurtenſes è collect.Chym.Leyd. t.2.p.562
de Fumaria Avicennæ è Ph.Aug. ibid.
ad Gallicum morbum è Ph.Perſ. t.2 p.572
ad Siſtendam Gonorrhæam D.Charraz t.2.p 562
contra Gonorrhæam ex Michael. t.2.p.573.& ſeq.
Gummoſæ Cloſſæi è ph.Schrod. t.2 p.562
de Gutta Gamandra è Ph.Lond. t.2.p.563
ad Hamicraniam Michael. t.2.p.574
Hepaticæ Michael. t.2.p.573
de Hermodactylis majores Meſuæ è Ph.Auguſt. t.2.p.563
de Hiera cum Agarico è Ph.Aug. ibid.
compoſitæ Nicol.Myrepſi è Ph.Aug ibid.
Hiera Galeni ex ead.Ph. ibid.
Hydragogæ Mynſichti t.2.p.576
de Hydrargyro ex Renodæo t.2.p.563
Hydropicæ è Ph.Bat. t.2.p.571
Bontii è Ph.Schrod. t.2.p.564
Michaelis t.2.p.573
ad Hydropem è ph.perſicâ t 2 p.572
Hydrotica è Ph.Aug. t.2 p.564
Hypochondriaca Michaelis t.2 p 573
Ph.Norib. t.2.p.564
Sylvii ibid.
Hyſterica è Ph. Bat. t.2.p.571
Charraz t.2.p.564
Cnœff. t.2.p 1132
de Ladano Horſtii, è Ph.Schrod t.2.p.564
appropriata Michaelis t.2.p 573
Zvvelferi t.2.p 564
Iliacæ Rhaſis è ph.Schrod. ibid.
Immanuelis è ex Ph.Aug. ibid.
Imperiales incerti Authoris, *è* Ph.Aug. ibid.
Indæ Haly ex Meſua, Ph. Aug. ibid.
Ipſa die è ph.perſicâ t.2 p 573
de Lapide Lazuli Meſuæ è Ph.Aug. t.2.p.565
Lithontripticæ è ph Bat. t.2.p.572
Lucis majores, *è* Ph. Aug. t.2.p.565
Lunares Boylei ibid.
Macri è Ph. Lond. ibid.
Marocoſtinæ Mindereri è ph. Schrod. ibid.
Martiales D.Jungken t.2.p.566
Maſtichinæ Conciliatoris, *ſive Petri Aponens*, *è* ph.Schrod. ibid.
Matthæi, *alias* Starkii *Ph.Bat.* t.2 p.572
Matricales Michaelis t.2.p.573
Schefferi è ph.Schrod. t.2.p.566
de Mechoacanna Renodæi ibid.
Melanagogæ è ph Bat. t.2.p.572
D.à Mynſicht. t.2.p.576
ad Memoriam è ph.Schrod. t.2. p.566
ad Menſes promovendos Cnœffel. t.2. p.1134
ad Menſes ciendos Michael. t.2.p 573
Mercuriales D.Charraz t.2.p.566
Meſenterica D.D'Aquin, ex D.Charr.ph.t.2.p.567
de Mezereo Meſuæ, *è* Ph.Aug. ibid.
de Myrobolanorum 5 *generibus*, *è* Ph.Aug. ibid.
Narcotica D.à Mynſicht t.2.p.575
Plateri è ph.Schrod. t.2.p.567
de Nitro diacolocynthidos Tralliano dicta. ibid.
de Octo rebus, *ſeu Octomera* Nicolai præpoſiti ibid.
Odontalgica Mynſichti t 2.p.575
Zvvelferi t.2. p 567
Odorifera Mynſichti t.2. p.575
Pilulæ de Opoponace Meſuæ, *è* Pharm. Auguſt. t.2. p.567
de Origano Cretico Mynſichti t.2.p.576
Pacifica è ph.Bat. t.2.p.572
Panchymagogæ Quercet. è Ph Aug. t.2.p.568
Zvvelferi t.2 p.567
Papales t.2 p 568
Pavii è ph.Bat. t.2.p.572
Pectorales D. Michaelis t.2.p 574
Mynſichti t.2.p.576
Peruviana Mynſichti ibid.
Peſtilentiales Avicennæ è Pharm. Auguſt. t.2. p.568
Diemerbroekii ibid.
Plateri è Ph. Aug. ibid.
Ruſi è Ph. Aug. ibid.
compoſita è ph.Schrod. ibid.
de Pice è Ph.Bat. t.2.p.572
Polychreſta Michaelis t.2 p.576
è Ph.Schrod. t.2.p.568
Proprietatis Michaelis t.2.p.575
Regia è Ph.Perſicâ t.2.p.573
contra Renum exulcerationem Michaelis ibidem
Reſtringentes è Ph.Bat. t.2.p.572
de Rhabarbaro Meſuæ è Pharm. Auguſt. t.2. p 568
Riverii *in morbis deſperatis* t.2.p.574
Roſata D à Mynſicht t.2. p.576
Rudii è Ph.Lond. t.2.p.569
de Sabina D.à Mynſicht t.2.p.577
de Sagapeno Meſuæ è Pharm. Auguſt. t.2. p.569
ex Ph. Bat. t.2.p.572
Quercetani è Ph Schrod. t.2.p.569
de Sandaracha D. à Mynſicht t.2.p.577
de Sarcocolla Meſuæ è Ph Aug. t.2.p.569
Senectutis D. à Mynſicht t.2. p.575
Sinapina ex Ph.Bat. t.2 p.572
Sine quibus ipſe nolo Nicolai, è Pharm.Aug. t.2 p.569
Smaragdina D à Mynſicht t.2. p.575
Spadenſes D.de Maets t.2.p 569
Spei è Ph.Perſicâ t.2.p.572
Splenetica Michaelis t.2.p.573
D.à Mynſicht t.2.p.576
Zvvelferi t.2. p.569
Stiptica D.à Mynſicht t.2. p.577
Stomachica Alkindi è Ph.Aug. t.2. p.569
*cum Gumm.*è Ph.Lond. ibid.
Michaëlis. t.2 p.574
Balſamica Zvvelferi t.2 p 569
ad ſtrumas è Ph Perſicâ t.2.p 572
de Styrace è Ph.Aug. t.2. p.569
è Ph Bat. t.2.p 572
Sylvii t.2.p.569
de Succino Cratonis è Pharm.Auguſt. tom.2 p.570
de Succo è Ph.Noriberg. ibid.
Sudorifera D.Le Mort ibid.
de Tartaro Bontii è Ph.Schrod. ibid.
è Ph.Lond. ibid.
Quercetani *à Sennerto Correcta* ibid.
Schroderi ibid.
de Therebinthina ſimplices D.Charraz ibid.
D. à Mynſicht t.2.p 576
contra Gonorrhæam virulentam t 2.p.571
cum Rhabarbaro t.2.p.566
de Tribus è Ph.Lond t.2. p.577
Turbith. Aurea Meſuæ, *è* Phar Aug. ibid.
Vaticana è Ph. Bat t.2.p 572
In Venerea lue Michaëlis t 2.p.573

Pilulæ Vermifugæ è Ph.Bat. t.2. p.572
de Vermibus, Anti-ictericæ, & deoppilativæ D. Mayerne t.2.p.571
Viſum Roborantes Michaelis t.2.p.574
Vomitoriæ ex Ph. Bat. t.2.p.572
Uterinæ D. à Mynſicht t.2.p.577
Pimpinella, ejuſque ſpecies t.2.p.577.& ſeq.
Pinaſter t.2.p.578
Pincolatum quid ſit t.2.p.579
Pincolatum Album è Ph. Aug. ibid.
Viride ex ead.Ph. ibid.
Pinei nuclei vide Pinus.
Pinguedo, vide Adeps.
Pinguicula Geſneri ibid.
Pinus ibid.& ſeq.
Piper t.2 p 580
Piper Indicum, ſive Capſicum t.2 p.581
Piper aquaticum, vide Perſicaria urens.
Piſcis ibid.
Piſum ibid.
Piſi deſcriptio t.2.p.582
Piſa artificialia pro fonticulis varia è Ph. Bat. ibidem
Piſſaſphalthum, vide Naphtha.
Piſtacia ibid.
Piſtaretia Veneti t.1 p 793
Pytiuſa, vide Eſula.
Pix, ejuſque ſpecies t.2.p.583.& ſeq.
Planta quid ſit t.2.p 584
Plantarum diviſio generalis t.2.p.585. & ſeq.
Plantago, & ejus ſpecies t.2.p.588.&ſeq.
Plantanus t.2.p.589
Plumbago, planta ibid.
Plumbum ibid.
Plumbi minera, ejuſque conditiones t.2.p.317
Plumbi præparationes quænam ſint t.2.p 589
purgatio t.2.p 590
Calcinatio reverberatoria, unde Minium ibid.
Cementatoria, unde Plumbum uſtum ibidem
Immerſiva, unde Saccharum, Magiſterium, Lac Plumbi &c. ibid.& ſeq.
Vaporoſa unde Ceruſſa. t.2. p 591
Deſtillatio, unde ſpiritus, & oleum Plumbi t.2. p. 593
Sublimatio, unde Sal volatile Plumbi tom.2. p 594
Extractio, unde Sulphur & Tincturæ variæ Plumbi ibid.
Mercurificatio, unde Mercurius Plumbi t.2.p.595
Salificatio, unde Sal Saturni verum ibid.
Plumbum Nigrum, vide Nigrica Fabrilis.
Pneumonica, vide Pectoralia.
Pocula febrilia D.Cnœff. t.1 p.915
Polium t.2.p.596
Polygala ibid.
Poligonatum ibid.
Polygonum, vide Centinodia.
Polypodium ibid.
Polytricon, vide Adianthum.
Pompholix, vide Tutia.
Pomum in Genere vide Malum.
Pomum Ambræ è Ph Aug. t.2.p 597
pretioſum ex Zvvelfero t.2.p.598
Poma Ambræ varia t.2 p.597.& 1007
Pomum Odoriferum Crollianum ibid.
Epilepticum Cnœffel. t 1.p.537
Febrile ejuſdem t.1. p 915
Uterinum Cnœffelianum t.2.p.1133
Pondus, vide de eo ſub Titulo Menſura.
Populus Arbor, ejuſque ſpecies t.2.p.598
Porcus, & Porcinum genus ibid & ſeq.
Porci partes officinales, & præparata tom.2. p.605 & ſeq.
Porrum
Portulaca t.1.p 606
Potamogeton t.2.p.605
Potentilla ibid.
Poterium Lobelii ibid.
Potio quid ſit t.2.p.607
Potionum exempla varia ibid.& ſeq.
Præcipitare, & præcipitatio t.2.p.608.*ad* 614
De Præcipitatione Cl. Bohnii *ſententia* t.2.p.614.& ſeq. t.2. p.616
Præcipitata, vide Magiſteria.
Præcipitata ex Mercurio, vide ſub Titulo Mercurius.
Præparantia & digerentia Medicamenta quid ſint t.2. p. 619.& ſeq.
Præparatio, & præparata t.2.p.620
Præparata uſitatiora ibid.
Præparatio Aſellorum t.2.p.621
Aluminis plumoſi ibid.
Cornu Cervi, Alcis, Cranii humani &c. t.2.p.620
Hellebori albi t.2.p.621
Nitri ibid.
Opii Thebaici ibid.
Pumicis Lapidis ibid.
Silicum fluviatilium ibid.
Terræ Vitrioli dulcis ibid.
Teſtarum Cochlearum ibid.
Praſſium, vide Marrubium.
Primulæ Veris ibid.& ſeq.
Probatio Metallorum, vide Docimaſtice Metallica.
Propolis, vide Cera *ſub Titulo* Apis.
Pruna t.2 p.622
Pruna Laxativa t.1.p.781
Prunella Herba t.2.p.622
Prunella fructus vide Pruna. *Item* Acacia Germanica.
Pſeudomelanthium t.2.p.623
Pſyllium ibid. & ſeq.
Pſilothra, ſeu Depilatoria t.2.p.624
Pſilothrorum aliquot formulæ ex VVeickardo ibid.
Ptarmica Medicamenta, vide Errhina.
Ptarmica Herba ibid.
Ptiſanna quid ſit, & quomodo paretur t.2.p.625 & ſeq.
Pugillus, vide ſub Titulo Menſura.
Pulegium t.2.p 626
Pulicaria, vide Pſyllum.
Pulmo Vulpis, vide Vulpes.
Pulmonaria, ejuſque ſpecies ibid.&ſeq.
Pulmonaria Medicamenta, vide Pectoralia.
Pulpa quid ſit t.2.p.627
Pulpa Caſſiæ ſimplex ex Ph.Aug. ibid.
compoſita, ſeu extracta, ex ead.Ph. ibid.
Prunorum ex ead. Ph. ibid.
Tamarindorum ex ead.Ph. ibid.
Pulſatilla ibid.
Pulveriſare, & pulveriſatio, vide ſub Titulo comminutio.
Pulvis quid ſit ibid. & ſeq.
Pulverum ſimplicium exempla aliquot t 2. p.629
Pulvis contra Abortum t.2.p.630
Zvvelferi ibid.
Abſorbens Wedelii ibid.
Acidus ex ſucco limonum D.Cnœffel. t.2.p.443
Adſtringens Galeni, è Ph.Aug. t.2.p.630
Æthiopicus è Ph Bat. t.2.p 650
Albus ex ead. Ph. ibid.
Alexicacus D.Laurentii t 2.p.662
Alexipharmacus, & cordialis D.Podchozinski t 1. p.635
Alexiterius D.Barbette t.2.p.631

Pulvis Alexiterius Viperinus, ex Hoffm. t.2.p.653
Specificus Sala, è Ph.Schrod. t.2.p.630
Althea è Ph.Lond. t.2.p.631
de Ambra Meſua ex Ph.Aug. ibid.
Analepticus frigidus è Ph.Aug. ibid.
in Angina laudatiſſimus ex Bierling. t.2.p.657
Anglicus, ſeu Comitiſſæ de Kent t.2.p.635
de Aniſo Meſua ex Ph.Aug. t.2.p.631
Anodynus Ludovici ibid.
Anonynus è Ph.Aug. ibid.
Antapoplecticus Regius Cnœffelii t.2.p.528
Zvvelferi t.1.p.631
Antepilepticus è Ph.Bat. t.2 p.651
D. Charraz t.2.p 637
D.Cnœfelii t.1.p 531
Daniæ Regis t.2.p.659
D.Doreri t.2.p.663
D Heidleri t.2.p.661
ex Hoffm. t.2. p.652
D. Lujæ t.2.p.661
Magiſtralis ex Timæo t 2. p.649
Mirabilis Mynſicht t.2. p.663
Ph.Noriberg. t.2. p.638
Peuceri t.2.p 659
pro pueris D. Podchozinski t.1.p.531
Rubeus ex Ph.Norib. t.2.p.638
Rudolphi 2.Imperat. t.2 p.661
de ſecundina è Ph Schrod. t.2 p 637
diaphoreticus ex ead. Ph. ibid.
Timæi t.2.p 659
Baronis à Wallenſtein t.2.p 661
Weickardi t 2.p.637
Viridis t.2 p 662
ex Bierling. ibid.
S.R.M Uladislai IV. t.1 p 530
Zvvelferi t.2.p.6 8
Anticardialgicus è Ph. Bat. t.2.p.650
Anticolicus ex ead.Ph. ibid.
Antidotalis Bierling. t.2.p.659
Antidyſentericus ex Bierling. t.2 p.657
Antifebrilis ex Hoffm. t.2. p.653
perlatus ex Timæo t.2.p.650
Antinephriticus ex Hoffm. t.2. p.654
Pulveres Antiphthiſici varii ex eodem t.2.p.652
Antipleuritici varii ex eodem t.2. p.653
Pulvis Antipodagricus D. Anderſoni Angli t. 2. p.659
Antipyreticus è Ph.Bat. t.2.p.650
Aperitivus Spleneticus ex Hoffm. t.2 p.654
contra Apoplexiam è Ph. Aug. t.2 p.631
Zvvelferi ibid.& ſeq.
Ari radicum compoſitus è Ph. Lond. t.2.p.632
Aromaticus caryophillatus Meſua è Ph.Aug. ibid.
Roſatus Gabrielis è Ph.Aug. ibid.
Arterialis Muſitani t.1.p 285
Arthriticus Turneri è Ph.Bat. t.2.p.650
Paracelſi è Ph Schrod. t.2.p.632
Aſthmaticus è Ph.Bat. t.2.p.650
Auratus Zvvelferi t 2.p.632
Aureus pretioſus Doreri t.2.p.662
ex tabolis Timæi t.2.p.650
Baſilicus è Ph.Bat. ibid.
Bezoardicus albus Rolfinc. ex Bierling. t.2. p 657
Charraz t.2.p 633
cum pretioſis Francofurt. ibid.
ſine pretioſis F.F. ibid.
ex Hoffman. t.2.p.653
Imperialis Mynſichti t.2 p.663
Laurentii t.2 p.662
Magiſtralis è Ph.Lond. t.2.p. 632
D. à Mynſicht t.2. p.663
Pulvis Bezoardicus Nicolai Præpoſiti ex Ph.Aug. t.2. p.632
Timæi t.1.p 650
VVedelii t.2.p.633
Zvvelferi t.2.p.632. & ſeq.
Buxtehudenſis ex collect. Bierling. t.2. p.657
Cachecticus ex Bierling. t.2.p.661
ex Hoffman. t.2. p.654
Ludovici t.2.p.634
Quercetani è Ph.Aug. t.2.p.633
ad Cadavera condienda, vide ſub Titulo Balſamatio.
ad Calculum ex Ph. Aug. t.1. p.634
è Ph. Bat. t.2.p 650
ex Bierling. t.2 p.658
P.Capucin.Virtzburg. t.2.p.661
pro Dania Rege fortior t.2. p.658
mitior ibid.
D. Doreri t.2. p.662
D.Roſæ t.2 p 658
D.Plateri ibid.
de Cancris ex Ph.Perſic. t.2.p.654
contra Cancrum D.Andrigethi ex Bierling. t.2. p.657
Cantianus è Ph.Bat. t.2.p.651
Capitalis Agricolæ t.2.p.659
Cardiacus Corallatus ex Ph.Bat. t.2. p.651
Eboratus ex ead. Ph. ibid.
Perlatus ex ead. Ph. ibid.
Rubeus ex ead Ph. ibid.
Magiſtralis è Ph.Lond. t.2.p 634
Carminativus ex Bierling. t.2. p.659
ex Hoffm. t.2. p.654
D. à Mynſicht t.2.p.668
ex Timæo t.2.p.650
ad Caſum è Ph.Aug. t.2.p.634
è Ph.Bat. t.2.p.651
Zvvelf. t.2. p.634
pro Cataplaſmate in fracturis & luxationibus oſſium t.2.p.1138
Cathareticus pro oſſibus S. Cloſſ. è Pharm.Schrod. t.2. p.634
in Catarrhis pro fumo ex Michael. t.2 p.656
pro inſperſione ex eodem ibid.
Cauſticus D.Caſſeri ex Bierling. t.2.p.657
Cephalicus Arniſæi t.2.p 659
Francofurtentium t.2. p 634
pro ſuffitu S.R. Cæciliæ Renatæ t.1. p. 529
ex Timæo t. 2 p.649
Zvvelferi t.2.p.634
è Chelis cancrorum compoſitus è Ph.Lond. ibid.
è Kermes Granis compoſitus è Pharm.Lond. t.2. p.635
Cholagogus Inſuccatus è Ph. Aug. ibid.
Chalybeatus Cnœffelii t.2.p.1133
Cholagogus ſimplex è Ph.Aug. t.2.p.635
ſeu ſpecies Cholagogæ Mynſichti t.2.p.668
Quercetani è Ph.Schrod. t.2.p 635
ex Timæo t.2.p.649
Cibarius ex Ph Bat. t.2.p. 651
è Cineribus Avicennæ è Ph. Aug. t.2.p.635
Cinnabaris compoſitus è Ph.Bat. t.2 p.651
contra Colicam Arniſæi t.2.p.656
Doreri t.2.p.662
Schalleri t 2. p.619
pro Collyrio D.Andreæ t.2.p.661
Comitiſſa de Kent ex Charraz Ph.Reg. t.2.p.635
ex Jungken ibid.
Comitis de VVarvvich è Ph.Aug. ibid.

Pulvis Confortans

Pulvis Confortans Muſſatii ex Bierling. t.2.p.657
*& Specific.*Michael. t.2 p.656
Corallatus ad menſtruorum fluxum ex Cnœffelio t.2. p.1134
ad Cordis palpitationem ex Hoffmanno t.2.p.653
ſeu ſpecies cordiales temperatæ ex Pharm Auguſt. t.2.p.635
*Alexand.Bened.*ex ead. ph. ibid.
Cordialis aureus Cnœffelii t.2.p.635
Bezoardicus ex Hoffm. t.2.p.653
In Saxonicis & Brandenburgicis officinis uſitatus,ex eodem ibid.
Nymmanni t.2.p.659
pretioſus ex Timæo t.2.p 636
Cornachini è Ph. Bat. t.2. p.651
Coronatus ex ead. Ph. ibid.
Corpus impinguatum gracile reddens è Ph. Perſicâ t.2.p.655
Coſmeticus Cnœfelii t.1.p.670
Cremoris tartari purgans Arniſæi t.2.p.658
Criſtalis è Ph. Bat. t.2 p.651
Cucuphalis è Ph. Bat. ibid.
de Cypero Odoriſicus è Pharm. Schrod. t.2. p.636
Cyprius Comitis à Solus t.2.p.661
Moſchatus ejuſdem ibid.
Violato Moſchatus ejuſd. ibid.
Moſchatus D à Mynſicht t.2.p.669
Violato moſatus ejuſdem ibid.
pretioſus Zvvelf. t.2.p.636
Contra defluxiones Francofurt. è Pharm. Schrod. ibid.
Pulveres dentes dealbantes & confirmantes tom. 1. p.669
Pulvis in dentium vacillatione Bierlingii t.2 p.660
Michaelis t 2.p 656
Pulveres dentifricii varii tom.2. p.450. 656.660. & 663.
Pulvis Deoppilativus Zvvelferi t.2 p 643
Diabalauſtiæ D.à Mynſicht t.2 p.666
ad Diabeten è Ph. Perſicâ t.2.p.655
Diaborracis D. à Mynſicht t.2.p 666
Diabugloſſæ ejuſdem ibid.
Diacalamenthes Galeni è Ph. Aug. t.2.p.644
Meſuæ ex ead. Ph. ibid.
Diacinnabaris D.à Mynſicht t.2. p.665
Diacinnamomi Meſuæ è Ph. Aug. t.2.p.635
Diaconitem ſine ſpeciebus è Ph.Baud. t.2. p.636
Diacretæ D.à Mynſicht t.2.p.665
Diacriſtalli ejuſdem ibid.
Diacubebarum è Ph Schrod. t.2.p 635
Diacuminu Nicolai è Ph.Aug. ibid.
Diacurcuma Meſua ex ead.Ph. ibid.
Diaeſulæ D. à Mynſicht t.2. p.667
Diagalangæ Meſuæ è Ph Aug. t.2.p.639
Diahyſſopu Nicolai è Ph Aug. t.2.p.641
Diajalapæ D.à Mynſicht t.2 p.667
Diajovis ejuſdem t 2 p 664
Diaireos ſimplex è Ph Aug. t. 2.p 641
Salomonis ex Nicol.Myrepſ. è Ph.Aug. ibid.
Uſitatæ ex ead. Ph. ibid.
Dialacca major Meſuæ ex ead. Ph. ibid.
Dialauri D à Mynſicht t.2.p.667
Dialunæ ejuſdem t.2 p.663
Diamajoranæ ejuſdem t 2 p.666
Diambræ Meſuæ ex Ph.Aug. t.2 p 631
Diamargariti Calidi Avicennæ è pharm.Auguſt. t.2.p.642
Frigidi ex ead.Ph. ibid.
Diamarti D. à Mynſicht t.2.p.664
Diamercurii ejuſdem ibid.
Pulvis Diamoſchu amari è Ph.Lond. t.2.p.643
Dulcis Meſuæ è Ph.Aug. ibid.
Diamumiæ D. à Minſicht t.2.p.666
Dianiſy Meſuæ è Ph.Aug. t.2.p. 631
Diantus è Ph.Lond. ibid.
Dianitri D.à Mynſicht t.2 p.665
Diaolibani ejuſdem t.2. p.666
Diapenidion Nicolai è Ph.Aug. t.2 p.644
Diaphoreticus ad morbum Gallicum Bierling.t.2. p.658
Diurnus D.Cnœffelii t.1.p.718
Nocturnus ejuſdem ibid.
Reineſii t.2.p.660
Diaplantaginis D.à Mynſicht t.2.p.666
Diapraſſiu Nicolai è Ph. Aug. t.2.p 645
Diarrhodon Abbatis Nicolai è ex Pharm Aug. t.2.p.646
DiaSaturni D.à Mynſicht t.2.p.664
Diaſpoliticon Galeni è Ph. Aug. t.2.p 646
Diaſuccini D.à Mynſicht t.2.p 665
Diaſulphuris D.à Mynſicht t.2. p 664
Diatabaci ejuſdem t.2 p.666
Diathamaron Nicolai è Ph.Aug. t.2.p.647
Diatartari D.à Mynſicht t.2.p.665
Diatherebinthinæ ejuſdem t.2.p.666
Diatragacanthum frigidum Nicolai è Phar. Aug. t.2.p 648
calidum ejuſdem, ex ead.Ph. ibid
Diatrion pipereon Galeni è Ph.Aug. t.2.p.644
Meſuæ ex ead. Ph. ibid.
Diatrion Santalon Nicolai Myrepſi è Ph.Aug. t.2.p.646
Diaturbith cum rhabarbaro Pharm. Norimberg. t.2.p.648
DiaVeneris D à Mynſicht t.2.p.664
DiaVitrioli ejuſdem t.2.p.665
Diaxilaloës Meſuæ è Ph Aug. t.2.p.649
Diazingiber Nicolai Ph. Aug. ibid.
Digeſtivus ordinarius D.Cnœffelii t.1 p.723
in ardore urinæ ejuſdem ibid.
Ordinarius Uladislai IV. t.1.p.721
Michaëlis t.2.p.655
Dyſentericus ex Bierling. t.2.p.660
Caſtrenſis Cnœff. t.1.p. 750
Crollii è Ph.Schrod. t.2. p 637
Doreri t.2.p.662
Hoffm. t.2 p.561.& ſeq.
Langii è Ph. Aug. t.2.p.637
Michaëlis t.2.p.656. & ſeq.
D.à Mynſicht t.2.p.667
ex Timæo t.2. p.650
Zvvelferi t.2.p.637
Electoris Saxoniæ t.2.p. 658
Electuarii Ducis ex Nicolao, Pharm. Auguſt. t.2.p.637
Juſtini ex Nicolao, è Ph.Aug. ibid.
Epidemicus Aureus è Ph.Bat. t.2.p.651
Epilepticus D.Cnœffel. t.1. p.530
Doreri t.2.p.66
Hoffman. t.2. p.652
Mirabilis Mynſicht t.2. p.663
Pulveres Epileptici varii t.2.p.638
Pulvis pro Epithemate cordis è Ph.Aug. ibid.
Zvvelferi ibid.
Hepatis è Ph.Aug. t.2.p.639
Errhinus è Ph.Aug. t.2.p.653
Eryſipelatodes D.à Mynſicht t.2. p.669
Farina Virginea nobilis dictus, ex Mynſicht t.2. p.668
Febrilis,ſeu contra febrem Arniſæi t.2.p.658
Certus è Ph. Bat. t.2. p 651
D.Cablovvitzki t. 1. p.912

Pulvis Febrilis D. Charraz t. 2. p. 639
Crollii ibid.
Hoffmanni t. 2. p. 653
Lithuanicus Georgii Iuchs t. 1. p. 912
Probatus D. à Mynſicht t. 2. p. 668
Seu ſpecies febrifugæ Mynſichti ibid.
Specificus D. Podchozinski t. 1. p. 912
Riverii ex D. Charraz t. 2. p. 639
ex Rolfincio ibid.
Sennerti t. 2. p. 660
ex Schroderi Ph. t. 2. p. 639
Stützel Eremitæ t. 1. p. 912
Contra fluorem album Timæi t. 2. p. 650
Ad fœtorem anhelitus t. 2. p. 658
In fœtus mortui expulſione D. Krauſens tom. 2. p. 661.
Pro fumo t. 2. p. 660
Pro fumo tempore peſtis D. Leuſchneri t. 2. p. 663
D. Mochingeri ibid.
De Gemmis frigidis Meſuæ è Ph. Auguſt. t. 2. p. 639
calidis ex ead. Ph. ibid.
Ad Gonorrhœam ex Anglia t. 2. p. 662
Michaelis t. 2. p. 656
Gravidarum præſervativus D. Pleiſneri t. 2. p. 657
Griſeus contra peſtem è Ph. Aug. t. 2. p. 640
è Ph. Bat. t. 2. p. 651
De Guttetæ antepilepticus D. Lemery t. 2. p. 640
Hæmoptoicus è Ph. Bat. t. 2. p. 651
Ad Hæmophtyſin ex Hoffm. t. 2. p. 653
Contra Hæmorrhagiam D. Herrod. t. 2. p. 640
Zvvelferi ibid.
Hæmorrhoidales varii ex Cœtſelio t. 2. p. 904.
Hæmorrhoidalis D. Lemery t. 2. p. 640
Halicacabi D. à Mynſicht t. 2. p. 668
Hepaticus D. Cnœffelii t. 1. p. 926
Ruber Dreſdenſis ex Hoffm. t. 2. p. 654
Quercetani è Ph. Schrod. t. 2. p. 640
Timæi t. 2. p. 650
Rubeus Zvvelferi t. 2. p. 640
Pulveres Hepatici varii ex eod. ibid.
Pulvis Hermodactylorum compoſitus è Ph. Bat. t. 2. p. 651
Contra Hernias Quercet. è Ph. Schrod. t. 2. p. 640
Seu ſpecies de Hyacintho è Ph. Aug. ibid.
Hydragogus Timæi t. 2. p. 649
Hydragogus Zvvelferi t. 2. p. 640. & ſeq.
Hyſtericus è Ph. Aug. t. 2. p. 641
è Pharm. Bat. t. 2. p. 651
Charraz t. 2. p. 641
Hoffmanni t. 2. p. 654
Iovialis è Ph. Schrod. t. 2. p. 641
Quercetani è Ph. Schrod. ibid.
Timæi t. 2. p. 650
Zvvelferi t. 2. p. 641
Ictericus Ph. Bat. t. 2. p. 651
Specificus Michael. t. 2. p. 655
Ieſuitarum memoriæ conſecratiſſimus t. 2. p. 660
Seu ſpecies Imperatoris è Ph. Aug. t. 2. p. 641
Inaurans è Bierlingio Germanicè deſcriptus t. 2. p. 660.
Iudaicus è Ph. Perſica t. 2. p. 654
Pro Lacte generando Zvvelferi t. 2. p. 641
Lætificans Galeni è Ph. Aug. t. 2. p. 642
Rhaſis ex ead. Ph. ibid.
Lateralis è Ph. Bat. t. 2. p. 651
Laxativus completus Schneideri t. 2. p. 657
Mineralis ſimplex t. 2. p. 658
Lenitivus è Ph. Aug. t. 2. p. 642
Liberans è Ph. Aug. ibid.
Liliaceus è Ph. Bat. t. 2. p. 651
Lithontripticus Nicolai è Ph. Aug. t. 2. p. 642
Contra Lumbricos Timæi t. 2. p. 650
Pulvis Mantuanus Ph. Noriberg. t. 2. p. 642
Manualis ex Bierling. t. 2. p. 660
ex Michael. t. 2. p. 656
Odoratus D. à Mynſicht tom. 2. p. 669 & 925.
Pulveres Manus dealbantes t. 1. p. 670
Pulvis Marchionis Epilepticus è Pharm. Auguſt. t. 2. p. 642.
De Margaritis è Ph. Perſic. t. 2. p. 654
Martialis compoſitus è Ph. Bat. t. 2. p. 651
Melanagogus Quercet. è Ph. Schrod. t. 2. p. 642
Timæi t. 2. p. 649
Ad Memoriam reſtaurandam Anderſoni Angli t. 2. p. 659
Rolfincii ibid.
Contra menſium fluxum Agricolæ t. 2. p. 657
Ad menſes promovendos ex Cnœff. t. 2. p. 1133
Menſtrua provocans Timæi t. 2. p. 650
Siſtens ejuſd. ibid.
Contra morbillos ejuſd. ibid.
Ad morſum Canis rabidi è Pharm. Norib. t. 2. p. 643.
Ad Naſalia è Ph. Aug. ibid.
De Naſturtio è Ph. Perſic. t. 2. p. 652
Nephriticus è Ph. Amſtelod. t. 2. p. 643
Charraz ibid.
Hoffmanni t. 2. p. 652
Seu ſpecies Nephriticæ Mynſichti t. 2. p. 668
Quercetani è Ph. Schrod. t. 2. p. 643
Timæi t. 2. p. 650
Odoratus è Ph. Bat. t. 2. p. 652
Ophthalmicus ejuſd. Ph. ibid.
externus Michaëlis t. 2. p. 656
internus ejuſd. ibid.
D. à Mynſicht t. 2. p. 664
Oſvvaldi, pulveri VVeinlini haud abſimilis t. 2. p. 658.
Oxytocius è Ph. Bat. t. 2. p. 652
Panchymagogus Timæi t. 2. p. 649
Pannonicus ruber è Ph. Aug. t. 2. p. 645
è Ph. Bat. t. 2. p. 652
Partum provocans è Ph. Aug. t. 2. p. 643
Doreri t. 2. p. 663
Helidæi de Paduanis t. 2. p. 643
Michaëlis t. 2. p. 656
Ph. Norib. t. 2. p. 643
& tormina ſedans è Ph. Schrod. ibidem
Paſſavanticus è Ph. Schrod. t. 2. p. 644
Pectoralis è Ph. Bat. t. 2. p. 652
Bierlingii t. 2. p. 662
Balſamicus ex Hoffm. t. 2. p. 653
Michaelis t. 2. p. 656
Pepticus è Ph. Bat. t. 2. p. 652
ex Bierlingio t. 1. p. 657
Perfumatorius ex eod. t. 2. p. 662
Contra peſtem è Ph. Aug. t. 2. p. 644
Peſtilentialis Imperatoris Ferdinand. 2. tom. 2. p. 661.
Phlegmagogus Bierling. ibid.
Quercetani & Salæ t. 2. p. 644
Timæi t. 2. p. 6 9
Seu ſal Philoſophorum è Pharm. Schrod. tom. 2. p. 644
Pleres-arconticon Nicol. è Ph. Schrod. ibid.
Pleuriticus è Ph. Aug. ibid.
Pro pileolis S. R. M. Uladiſlai IV. t. 1. p. 529
Pleuriticus è Ph. Bat. t. 2. p. 652
ex Bierlingio t. 2. p. 657
ex Hoffmanno t. 2. p. 653
Ludovici t. 2. p. 645
D. à Myn-

Pulvis pleuriticus D. Mynſichti t. 2. p. 667
Timæi t. 2. p. 650
Polichreſtus Imperialis Mynſichti t. 2. p. 667
Schneideri t. 2. p. 657
Nobilis ejuſdem ibid.
Pretioſus Brenneri t. 2. p. 663
Probatus ad ſanandas Variolas ex Mynſicht. t. 2. p. 668.
Ptarmicus Reineſii t. 2. p. 660
in Phthiſi ex Michaële t. 2. p. 655
Puerorum ex Bierling. t. 2. p. 659
Pulmonarius Altenburgenſis ex Bierlingio, ibidem
Pulveres Purgantes varii ex Michaël. t. 2. p. 655
Pulvis Purgans ex antimonio per ſeceſſum t. 2. p. 658
Scott. Manchreni ibid.
ex Sulphure ibid.
Purpureus ex Ph. Bat. t. 2. p. 652
vide Arcanum Alemeth. Cnœffelii
Pyrius t. 2. p. 669
ad Rachitidem è Ph. Bat. t. 2. p. 652
Refectivus ex Mynſicht. t. 2. p. 665
Reſumptivus L. Beieri t. 2. p. 663
Roſata Novella Nicol. è Pharmac. Auguſt. t. 2. p. 645
Roſetta Italorum dictus t. 1. p. 670
Rubeus Pannonicus è Ph. Aug. t. 2. p. 645
Contra Peſtem ex ead. Pharm. ibid.
Sabaudicus è Ph. Aug. ibid.
Sarcoticus D. Charraz t. 2. p. 646
Saxifragia compoſitus è Ph. Lond. ibid.
Saxonicus è Ph. Aug. ibid.
in Scirrho Hepatis, & lienis D. Fabritii t. 2. p. 657
Sena Montagnana è Ph. Aug. t. 2. p. 646
Compoſitus major è Ph. Lond. ibid.
Sine pari è Ph. Bat t. 2. p. 652
Solaris D. Cnœffelii t. 1. p. 634
& acidulæ D. Dietrici t. 2. p. 660
Solearis è Ph. Bat. t. 2. p. 652
Solutivus è cryſtallis tartari, è Pharm. Auguſt. t. 2. p. 647
Magiſtralis è Ph Aug. t. 2. p. 646
de tribus ex ead. Ph. ibid.
Timæi t. 2. p. 649
Contra Somnia horribilia ex Timæo ibid.
Sperniolæ è Ph. Norib. t. 2. p. 646
Spleneticus Timæi t. 2. p. 650
Ad Sputum cruentum è Ph. Perſic. t. 2. p. 654
Stegnoticus Caſpari Guttmanni è Pharm. Auguſt. t. 2. p. 646
Sternutatorius Anderſoni Angli t. 2. p. 659
e Ph Aug. t. 2. p. 646
ex Ph. Bat. t. 2. p. 652
Joh. Baumanni t. 2. p. 647
ex Bierlingio t. 2. p. 662
Cephalicus Cnœffelii t. 2. p. 529
Michaëlis t. 2. p. 656
ex Ph. Norib. t. 2. p. 647
Rulandi è Ph. Schrod. ibid.
Zvvelferi ibid.
Stipticus D. à Mynſicht t. 2. p. 666
externus t. 2. p. 972
Stomachicus Bertoldi t. 2. p. 657
Birkmanni è Ph. Aug. t. 2. p. 647
è Ph. Bat. t. 2. p. 652
Bierlingii t. 2. p. 657
Nobilis Mynſichti t. 2. p. 667
Seu ſpecies ſtomachicæ Mynſic. ibid.
Timæi t. 2. p. 650
Zvvelferi t. 2. p. 647
Ad ſtrumas Arnoldi de Villanova è Ph. Aug. ibidem.
Pulvis ad ſtrumas ex Ph. Bat. t. 2. p. 652
Donzelli t. 2. p. 647
ex Ph. Norib. ibid.
Suaveolens ex Bierling. t. 2. p. 657
Sudoriferus D. Lemort t. 2 p. 647
Ad ſuppoſitoria è Ph. Aug. ibid.
Zvvelferi ibid.
Sympatheticus è Ph. Bat. t. 2. p. 652
Syrius t. 2. p. 799
Thuraloës è Ph. Lond. t. 2. p. 648
Trageæ variæ è Ph. Aug. ibid.
Trithemii è Pharm. Schrod. ibid.
Contra tuſſim Infantum D. à Mynſicht. t. 2. p. 665
è Ph. Norib. t. 2. p. 648
Zvvelferi ibid.
Contra Variolas ex Timæo t. 2. p. 650
De Verbaſco D. à Mynſicht t. 2. p. 668
Ad Vermes è Ph. Aug. t. 2. p 658
è Pharm. Bat. t. 2. p. 652
ex Bierlingio t. 2. p. 660
Charraz t. 2. p. 649
Zvvelferi ibid.
Ad Veſtes odoriferas t. 2. p. 925
Violatus odoratus è Ph. Aug. t. 2. p. 649
Viridis contra vertiginem ex Bierling. t. 2. p. 663
Vita Comitis de Saltzburg. t. 2. p. 662
pro Ulceribus Gutturis è Ph. Aug. t. 2. p. 649
Ad Urinam cruentam è Pharmac. Perſic. t. 2. p. 654.
Uterinus ex Bierling. t. 2. p. 659
Vulnerarius Zvvelferi t. 2. p. 649
Vulvaris è Ph. Bat. t. 2. p. 652
Pumex, vid. ſub titulo Lapis t. 2. p. 86. & 669
Ex Pumice præparata t. 2. p. 131
Purgantia Medicamenta quid, & quæ ſint t. 2. p. 669 & ſeq.
De Purgantibus Medicamentis non uſitatis t. 2. p. 672 & ſeq.
De Purgantibus rarius uſitatis t. 2. p. 674. & ſeq.
De Purgantibus uſitatioribus, & Selectis tom. 2. p. 677 & ſeq.
De Purgantibus aliis t. 2. p. 683. & ſeq.
Purpurea t. 2. p. 685. & ſeq.
Putreficare, & Putrefactio t. 2. p. 686. & ſeq.
Pyraceum t. 2. p. 690
Pyrethrum ibid.
Pyrites, vid. ſub titulo Lapis
Pyrola t. 2. p. 691
Pyrotica, ſeu Cauteria ibid. & ſeq.
Pyrus t. 2. p. 692
Pyraſtrum, ſeu Pyrum Sylveſtre t. 2. p. 693

Q.

Quercula, vid. Chamædrys
Quercus t. 2. p. 693. & ſeq.
Quinquina quid ſit t. 2. p. 695. & ſeq.
Quinquina varia præparata Medicamenta t. 2. p. 697 & ſeq.

R.

Radicula Sylveſtris t. 2. p. 699
Radix quid ſit t. 2. p. 700. & ſeq.
Radices officinales uſitatiores, quænam ſint t. 2. p. 702
Radix Braſilienſis, vid. Ypecacuanha
Radix Dulcis, vid. Liquiritia
Radix Terva, vid. Contrayerva
Rana aquatica, & terreſtris t. 2. p. 703
Ranarum partes officinales, & præparata t. 2. p. 704 & ſeq.

Ranunculus animal t.2.p.705
Ranunculus Planta ibid.
Rapa, *vid.* Rapum,
Raphanus ibid.
Raphanus Ruſticanus, *vide* Radicula Sylveſtris
Rapiſtrum t. 2. p. 706
Rapum ibid.
Rapunculus eſculentus ibid.& ſeq.
Realgal, *vid.* Auripigmentum
Rectificare, *& Rectificatio* t. 2. p. 70 & ſeq.
Regina prati, *vid*, Ulmaria
Relaxantia, *vid.* Chalaſtica
Repellentia, *& Repercutientia*, *vid.* Apocrouſtica
Reſina in ſpecie ſic dicta t.2.p.708. & ſeq.
Reſolventia Medicamenta t.2.p.709
Reſta Bovis, *vid.* Ononis
Reſumptiva, *vid.* Analeptica
Reverberare, *& Reverberatio* t. 2. p. 711
Rhabarbarum ibid. & ſeq.
Rhabarbarum Monachorum, *vid.* Hippolapathum
Rhamnus Catharticus t.2. p.712
Rhaponticum vulgare, *vid.* Centaurium majus.
Rheum, *vid* Rhabarbarum
Rhinoceros t.2. p.713
Rhodia radix t.2. p.714
Rhodium lignum, *vid.* Lignum Rhodinum
Rhododaphne, *vid.* Oleander
Rhodomel, *vid.* Mel roſatum
Rhodo ſaccharum, *vid.* Saccharum roſatum
Rhus obſoniorum, *vid.* Sumach.
Ribes ibid.
Ricinus planta ibid.
Ricinus Animal t. 2. p. 715
Riſagallum, *vid.* Auripigmentum
Rob quid ſit, *& quomodo paretur* ibid. & ſeq.
Rob de Agreſta è Ph. Aug. t.2.p.716
de Berberibus ex ead. Ph. ibid.
Ceraſorum ſimplex ex ead. Ph. ibid.
Purgans Zvvelfer. ibid.
de Cornis è Ph. Aug. t.2.p.717
Cydoniorum ex ead. Pharm. ibid.
Cynosbati ex eadem Ph. ibid.
Ebulinum ex eadem Ph. ibid.
Glycyrrhizæ compoſitus ex Ph. Lond. ibid.
Simplex ex Ph. ibid.
Juniperinum è Ph. Aug. ibid.
Mororum, *vid.* Diamorum
Nucum, *vid.* Dianucum
Prunorum Acidorum è Ph. Lond. ibid.
Ribium è Ph. Aug. ibid.
Purgans Zvvelferi ibid.
Sambucinum ex Ph. Aug. ibid.
Veronicæ ex Ph. Aug. ibid.
Vvarum Sapa dictum è Pharmac. Norimbergenſ. ibidem
Roberti Herba, *vid.* Geranium
Robur, *vid.* Quercus
Rocou, *vid.* Urucu
Rorella ibid.& ſeq.
Ros Vitrioli Cnœffelii t.1. p. 533
Roſa, *ejus ſpecies*, *& ex ea parata Medicamenta* t. 2. p. 718.
Roſmarinus t.2.p.720.& ſeq.
Ros Solis, *vid.* Rorella
Roſtrum Gruis, *vid.* Geranium
Rotulæ, *ſeu morſelli quid ſint*, *& quomodo parentur* t. 2. p. 721
Rotulæ alterantes uſitatiores ibid. & ſeq.
Rotulæ ſeu morſuli ad aërem in benignum Anderſoni Angli t. 2. p. 725
Ambrata D. Oſvvalds ibid.
Rotulæ Anglicæ præſervativæ pro Gravidis Mynſicht t.2. p. 727
Antimelancholicæ ex Hoffmanno t.2.p.724
Antiphthiſicæ ejuſdem ibid.
Contra ardorem Gulæ ex Bierling. t.2. p. 725
Stomachi, ex Dorero ibid.
Aromaticæ D. à Mynſicht t.2.p.727
Seu Morſuli ad Caput Doreri t.2.p.725
Caput confortantes ex Hoffm. t.2.p. 724
Carminantes ex D. à Mynſicht t. 2. p.727
contra Catarrhos ex Hoffm. t.2.p. 724
Catarrhales calidæ Mynſichti t. 2. p. 727
frigidæ ejuſd. ibid.
Confortantes ibid.
pectorales ibid.
Catechu Styptica t. 2. p. 970
Cephalicæ D. à Mynſicht t. 2. p. 728
Timæi. t.2 p.723
Zvvelferi t 2. p. 722
Cinnamomi cocti ejuſdem ibid.
de Citro t.2. p. 721
ex Hoffmanno t.2.p. 724
Solutivi Dreſdens t.2. p. 725
Confortantes ex Hoffm. t.2. p.724
Virides Zvvelferi t. 2. p. 722
Cordiales Mynſichti t.2. p.727
Timæi t. 2. p.723. & 724
Diacretæ Mynſichti t. 2. p. 729
Diacymini ejuſd. t. 2. p. 727
de Diagrydio t. 2. p. 721
Diaireos cum extracto liquiritiæ è Pharm. Auguſt. t.2. p.722.
Hepaticæ Mynſichti t. 2. p. 728
Zvvelferi t. 2. p. 722
Hyacinthinæ Mynſichti t. 2. p. 726
Hydragogæ Timæi t. 2. p. 723
Imperatoris è Ph. Aug. t. . p.722
purgantes Timæi t.2.p.723
Lac provocantes Myſichti t. 2. p.726
Laxativæ infantiles t.2. p.722
ex Bierling. t.2. p. 725
Doreri ibid.
ex Pharm. Norib. t.2. p. 723
Adverſus Lumbricos Zvvelferi ibid.
Manus Chriſti ſimplex & cum margaritis è Ph. Aug. ibid.
Purgantes Timæi t.2. p. 723
Martiales Cnœff. t. 2.p. 1134
Martiales D. à Mynſicht t.2. p. 728
de Mechoaca F. F. t.2.p.721
ex Mercurio vitæ correcto Zvvelferi t.2.p.723
Mithridaticæ præſervantes Mynſichti t.2.p.727
Moſchardinæ optimæ ex Bierling. t.2.p. 726
Nutritivæ & refrigerantes in becticæ t.2. p. 725
Pectorales t. 2. p.721. & 722
Variæ ex Mynſicht t. 2. p.726.& 728
Timæi t.2.p.723.& 724
Zvvelferi t.2 p. 723
Contra Peſtem D. Steinmetzens t. 2. p.725
Præſervativæ D. Landgravii ibid.
Laurentii t. 2. p 726
à peſte & morbis Epidemicis tom. 2 p. 724
Purgantes Bierling. t. 2.p. 724. & 725
M. Lehmanni t. 2. p. 725
D. Sultzbergeri ibid.
& Emeticæ Zvvelferi t.2. p.723
De Rhabarbaro D. Landgravii t.2. p. 725
Pharm. Norib. t.2.p.723
Refectivæ Mynſichti t. 2. p. 726
de Cancru ejuſd. t.2. p. 728

Rotulæ Refrigerantes ejuſdem t. 2. p. 727
Seu Morſuli Regiæ è Ph. à Mynſicht t. 2. p. 728
Roſatæ ejuſdem ibid.
Smaragdinæ ejuſdem t. 2. p. 726
Stomachicæ ejuſdem t. 2. p. 728
Timæi t. 2. p. 723. & 724
Zvvelferi t. 2. p. 723
Sublinguales ex Bierlingio t. 2. p. 726
De Confectione Alkermes ex eod. ibid.
De Tartaro Borbonii, ex Hoffm. t. 2. p. 724
Theriacales liberantes Mynſichti t. 2. p. 727
In Tuſſi inveterata ex cauſa frigida Hoffm. t. 2. p. 724
Venerem ſtimulantes ex Bierling. t. 2. p. 725
ex Hoffm. t. 2. p. 724
D. à Mynſicht t. 2. p. 726
Contra Vermes ex Bierling. ibid.
D. à Mynſicht t. 2. p. 727
Timæi t. 2. p. 724
Contra Vertiginem, & Apoplexiam, ex Timæo ibidem
Viriles ex D. à Mynſicht t. 2. p. 728
ex Vitro antimonii, è Bierlingio t. 2. p. 724
Vomitoriæ ex eodem t. 2. p. 726
Zedoarticæ, Salvificantes pro pueris, Mynſichti t. 2. p. 727
Rubefacientia, vid. Attrahentia
Rubeta, vid. Rana
Rubia tinctorum t. 2. p. 729
Rubinus, vid. ſub titulo Lapis t. 2. p. 92
Rubini adulterini confectio t. 2. p. 99
Ex Rubino præparata varia t. 2. p. 109
Rubiola, vid. Aparine
Rubrica, vid. ſub titulo Terra t. 2. p. 974
Rubrificatoria, vid. Sinapiſmus
Rubus, ejuſque ſpecies, & vires t. 2. p. 729. & ſeq.
Rumex, vid. Lapathum
Rupicapræ deſcriptio, vid. ſub titulo Capra
Rupicapræ partes officinales t. 2. p. 730. & ſeq.
Ruſcus t. 2. p. 732
Ruta ibid. & ſeq.
Ruta capraria, vid. Galega
Ruta muraria, vid. Salvia Vitæ

S.

Sabina t. 2. p. 733. & ſeq.
Saccharum, vid ſub titulo Arundo Saccharifera
Sacchari varia præparationes t. 2. p. 734
Saccharum tabulatum, vid. Tabellæ
Saccharum Saturni, vid. ſub titulo Plumbum
Sacculus quid ſit, & quomodo paretur ibid.
Sacculus in capitis, dolore, Michaelis t. 2. p. 735
Contra colicam ex eodem ibid.
ad Cor ejuſdem ibid.
Cordialis, Cratonis t. 2. p. 734
Zvvelferi t. 2. p. 735
in Pleuritide Notha Michaëlis ibid.
Contra Peſtem ex Zvvelfero t. 2. p. 735
ad pulſum Michaël. ibid.
Stomachalis Cratonis t. 2. p. 734
ad Ventriculum Michaelis t. 2. p. 735
Sepia, vid. Sepia
Sagapenum ibid. & ſeq.
Sagitta in genere quid ſit t. 2. p. 736
Sagitta planta in ſpecie ibid.
Sal, ac de Salibus in genere ibid. & ſeq.
Salium Vires t. 2. p. 642. & ſeq.
De ſalibus nativis in ſpecie, eorumque præparationibus ex Schrodero *&* Hoffm. t. 2. p. 744
Salium purificatio ibid.
Calcinatio ibid.
Salium Deſtillatio t. 2. p. 744
per retortam tubulatam ibid.
Fixatio t. 2. p. 745
Liquatio ibid.
Sublimatio ibid.
Sal Alumen, ejus genera, & præparata t. 2. p. 755. & ſeq.
Ammoniacum, & ex eo præparata t. 2. p. 757 & ſeq.
Commune, ejuſque præparata t. 2. p. 745. & ſeq.
Gemmæ, & ex eo præparata t. 2. p. 749. & ſeq.
Nitri, & ex eo præparata t. 2. p. 750. & ſeq.
Vitriolum, & ex eo præparata t. 2. p. 759. & ſeq.
Salium artificialium varia præparationes t. 2. p. 770
Salia ex plantis quomodo fiant t. 2. p. 771
Salia ſimplicia uſitatiora quæ ſint ibid.
Sal Abſinthii cryſtallinum è Ph. Bat. t. 2. p. 777
Aceti eſſentiale, è Ph. Bat. ibid.
Fixum, ex ead. Ph. ibid.
Alkali è Ph. Bat. ibid.
Compoſitum t. 2. p. 772
Alembrot ibid.
Aluminis è Ph. Bat. t. 2. p. 777
Ammoniacum fixatum è Ph. Bat. ibid.
Volatile ex eadem Pharm. ibid. & 775
Oleoſum ex ead. Ph. ibid. & 775
Anatron è Ph. Bat t. 2. p. 777
Cachecticum chalibeatum D. Charraz t. 2. p. 773 & 752
Calculi humani t. 1. p. 986
Chalybis è Ph. Batean. t. 2. p. 773
Cardui benedicti eſſentiale t. 2. p. 776
Cibarius, vid. Pulvis Cibarius
Coralliorum è Ph. Bat. t. 2. p. 775
Cornu Cervi Succinatum è Ph. Bat. ibid.
Volatile D. Le Mort t. 2. p. 777
Decrepitatum è Ph. Bat. t. 2. p. 777
Diureticum è Ph. Bat. ibid.
D. Charraz t. 2. p. 773
Febrifugum è Ph. Bat. t. 2. p. 777
Compoſitum Cnœff. t. 1. p. 913
Salia Fixa, eaque parandi modus t. 2. p. 776
Sal Iovis è Ph. Bat. t. 2. p. 777
Lithargyrites è Ph. Bat. ibid.
Martis ſubdulce t. 1. p. 923
purgans ibid.
Saccharinum S. Cloſſæi ibid.
Catharticus è Ph. Bat. t. 2. p. 778
Mixtum t. 2. p. 777
Navigantium t. 2. p. 773
Perlarum è Ph. Bat. t. 2. p. 778
Philoſophorum è Ph. Bat. ibid.
Polychreſtum è Ph. Bat. ibid & 788
Saturni, vid. Saccharum Saturni, *ſub titulo* Plumbum.
Scordii t. 2. p. 777
Spongiæ volatile è Ph. Bat. t. 2. p. 778
Sudoriferum t. 2. p. 776
Sulphuris è Ph. Bat. t. 2. p. 778
Tartari è Ph. Bat. ibid.
Volatile ex ead. Ph. ibid.
Viperarum volatile ex ead. Ph. ibid. & 1032
Veneris, vid. Flores Viridis æris
Urinæ volatile t. 2. p. 778 & t. 1. p. 983. & ſeq.
De Sale Volatili Plantarum Experimentum Chymicum Novum ex Clariſſim. VVedelio tom. 2. p. 778 & ſeqq.
Salia volatilia plantarum dari extra dubium eſt ibid. & ſeq.
Salia volatilia ex ſeminibus, extractis, & oleis deſtillatis Parandi modi t. 2. p. 779 & ſeq.
Salia volatilia quomodo Oleoſa reddantur to. 2. p. 787 & ſeq.
Sal Vitri t. 2. p. 788

Salamandra t.2.p. 788
Saliuaria, *vid.* Lyſimachia
Salivantia, *vid.* Maſticatoria
Salivaris Herba, *vid.* Pyrethrum
Salix ibid.
Salſaparilla ibid.
Salvia t. 2. p. 789
Salvia vita, *vid.* Adianthum album, *ſub titulo* Adianthum
Sambucus t. 2. p. 790
Sampſucus, *vid.* Majorana
Sandalum, *vid.* Santalum
Sandaraca t. 2. p. 790
Sanguinalis, *vid.* Centinodia
Sanguinem ſiſtentia, *vid.* Iſchæ[illegible]a
Sanguis t.2. p.791
Sanguis Draconis ibid.
Sanguinis Humani crudè aſſumpti uſus t.1. p. 987
Ex Sanguine Humano præparata t.1. p. 985. 986. 988 & ſeq.
Sanguiſorba, *vid.* Pimpinella
Sanguiſuga, *vid.* Hirundo
Sanicula, *ejuſque ſpecies* t.2.p.971.& ſeq
Santalum Album t.2. p. 792
Citrinum ibid.
Rubrum ibid. & ſeq.
Santonicum, *& Santonica* t.2. p. 793
Sapa quid ſit ibid.
Sapphyrus, *vid. ſub titulo* Lapis t.2. p.92
Sapphyrus Orientalis quomodo fiat t. 2.p. 1059
Sapphyri adulterini confectio t. 2. p. 100
Sapphyrus in adamantem, quomodo converti poſſit ibidem
Sapphyri vires medicæ, & præparata t.2. p. 109
Sapones, ſeu Smegmata varia t.2.p.793
Sapo Coſmeticus levis ex Lex. Ph. D. Iungken ibid.
Albus Odoratus t.1.p. 669
Sapones ad Impetigines & ſcabiem t.2.p.793. 924
Moſchati e Pharmac. Auguſt. tom 2. pag.793 & ſeq.
Damaſceni t.1. p. 669
ex D.VVeickard. t.2. p.793
Sapo odoratus Zvvelferi t. 2. p. 794
Tartareus ex Ph. Bat. ibid.
Saponaria ibid.
Sapor quid ſit ibid.
Sarcocolla ibid.
Sarcotica Medicamenta t.2. p. 795
Sarda, *ſeu Sardina* ibid &ſeq.
Sardonix, *vid. ſub titulo* Lapis t. 2. p. 91
Saſſafras t. 2. p. 796
Satureia ibid.
Saturnus, *vid.* Plumbum
Satyrium, *vid.* Orchis
Saxifraga Medicamenta, *vid.* Lithontriptica
Saxifraga Herba, *ejuſque ſpecies* t.2. p. 797
Saxifraga, *vid.* Pimpinella Saxifragia
Scabioſa ibid.
Scammonium t. 2.p. 798
Ex Scammonio præparata varia tom. 2. pag. 799 & ſeqq.
Scandix t.1. p. 800
Scarabæus ibid.
Scarlea, *& Sclarea*, *vid.* Horminum
Schænanthum ibid
Scilla t. 2. p. 801
Scincus ibid.
Scolopendra Animal ibid. & ſeq.
Scolopendrium verum, *vid.* Ceterach.
Scolopendrium officinarum t. 2. p. 802
Scolymus, *vid.* Cynara ibid.
Scordium ibid.
Scorodonia, *ſive ſalvia Sylveſtris* t.2. p. 802
Scorpio Animal t. 2. p. 803
Ex Scorpionibus præparata Medicamenta ibid.
Scorpionum Artificialis productio deſcribitur à R. P. Athan. Kircher. Mund. Subterr. ibid.
Scorzonera t.2.p. 804
Scripulus, *vid. ſub titulo*, Menſuræ & Pondera
Scrofularia ibid.
Scrupulus, *vid. ſub titulo*, Menſuræ & Pondera
Scutum apud Medicos quid ſit ibid.
Scutorum exempla afferuntur ibid. & ſeq.
Scutum Emplaſticum ex D. Lemery t. 2. p. 85
Sebeſten ibid.
Secalis, *vel Secale* ibid.
Sectio, *vid. ſub titulo* Limatio
Secundina Mulieris t. 2. p. 806
Securidaca ibid.
Sedum ibid.
Sedum majus vulgare, *vid.* Sempervivum
Semen quid ſit ibid.
Seminum officinalium enumeratio ibid. & ſeq.
Semen contra, *ſeu ſementina*, *vid.* Santonicum
Sempervivum, *ejuſque ſpecies* t.2. p. 808
Sena ibid. & ſeq.
Ex Sena foliis præparata officinalia tom. 2. pag. 809 & ſeq.
Senecio t. 2. p. 810
Senecta Anguium, *vid.* Serpens
Sepia t.2.p.811
Serapinum, *vid.* Sagapenum
Sericum, *vid.* Sagapenum
Sericum, *vid.* Bombyx
Serpens & Serpentinum Genus ibid. & ſeq.
Serpentum varia ſpecies deſcribuntur t. 2. p. 811. 812 & ſeq.
Ex Serpentibus præparata officinalia t.2.p.823.& ſeq.
Serpentaria, *vid.* Dracontium
Serpentaria Virginiana, *vid.* Viperina Virginiana
Serpillum t. 2. p. 825
Serratula ibid.
Serum Lactis vid. ſub titulo Lac
Serum lactis Aluminatum è Ph. Bat. ibid.
Hepaticum ex ead. Ph. t.2.p.826
Scorbuticum ex ead. Ph. ibid.
De Sedo ex ead. Ph. ibid
Sinapinum ex ead. Ph. ibid.
Seſamum ibid.
Seſeli ibid.& ſeq.
Sevum, *vid.* Axungia
Sextarius, *vid.* Menſura
Sicla, *vid.* Beta
Siderites, *vid.* Magnes
Sideritis t. 2. p. 827
Sief album Galen. è Ph. Auguſt. t. 1. p. 615
Cum, & ſine Opio, ex ead. Ph. ibid.
De Plumbo Meſuæ, ex ead. Ph. ibid.
De Roſis ejuſdem, ex ead. Ph. ibid.
Viride Antai, ex ead. Ph. ibid.
De Thure Rhaſis, ex ead. Ph. ibid.
Sief reliqua varia, *vid. ſub titulo* Collyrium
Sigillum Beatæ Mariæ, *vid.* Brionia nigra
Siler Montanum t. 2. p. 827
Silex, *vid. ſub titulo* Lapis t.2. p. 85
Ex Silicibus præparata varia t.2 p.132
Siliqua dulcis t.2. p. 828
Siliqua Ægyptiaca, *vid.* Caſſia fiſtula
Silphium, *vid.* Laſerpitium
Simia, *ejus deſcriptio*, *& ſpecies* ibid & ſeq.
Sinapi t.2. p. 831
Sinapiſmus t.2. p. 832
Sirupus, *quid ſit*, *& quomodo paretur* ibid. & ſeq.
Sirupus de Abſinthio è Ph. Aug. t. 2. p. 833

Sirupus

Sirupus de Abſinthio compoſitus è Ph.Lond. t.2.p.834
Stomachalis & hepaticus, ex Zvvelſero ibidem
De floribus Acaciæ purgans t.2.p.850
De Acetoſæ ſucco Meſuæ è Ph. Aug. t.2.p. 834
De Acetoſellæ ſucco ex ead. Ph. ibid.
Acetoſus ſimplex Meſuæ ex ead. Ph. ibid.
Compoſitus Meſuæ ex ead. Ph. ibid. & ſeq.
Diarrhodon Meſuæ ex ead.Ph. t.2.p.835.
Adianthinus Fernelii è Ph.Aug. ibid.
De Agno Caſto è Ph. Lond. ibid.
De Agreſta Meſuæ è Ph. Aug. ibid
De Albuminibus Ovorum ibid.
Alleluiæ è Pha. Bat. t 2.p.857
De Althæa Fernelii è Ph.Aug. t.2.p. 835
Ambroſianus è Pharm. Bat. vid. Decoct. Ambroſiæ
De Ammoniaco è Ph.Lond. ibid.
Anagallidis è Ph. Aug. ibid.
Aniſi cum vino, Quercetani è Ph. Schrod. ibid.
Anticauſodicus è Ph. Aug. ibid.
Antiepilepticus Quercetani, è Pharmac. Schrod. t.2. p. 841
Ex Timæo t.2. p. 857
Witzelii è Ph. Schrod. t.2.p. 841
Antifebriticus ex Timæo t. 2. p. 857
Antifebrilis de Centaurio minori, ex Zvvelſero t.2. p. 839
Antihecticus Riverii è Ph. Schrod. t. 2. p. 842
Antipleuriticus ex Timæo t 2.p. 857
Antiphthiſicus vulnerarius ex Zvvelf. t. 2. p.846
Antiſcorbuticus è Ph. Bat. t.2.p. 857
ex Hoffmanno t.2. p.858
ex D. à Mynſicht t.2. p. 860
ex Timæo t. 2. p. 856
Aperiens Magiſtralis è Ph.Aug. t.2. p. 835
ex Timæo t. 2. p. 836
Spleneticus, & hepaticus, ex Zvvelf. t. 2. p. 836
De Artemiſia è Ph. Aug. ibid.
Compoſitus è Ph. Lond. ibid.
Aſthmaticus ex D. à Mynſicht. t. 2. p. 860
ex Zvvelſero t.2 p 836
De Aurantiorum corticibus è Ph. Aug. ibid.
Floribus ex ead. Ph. ibid.
Succo ex ead. Ph. ibid.
Balſamicus è Ph.Bat. t.2.p 857
De Bellidis Floribus è Ph. Aug. t.2. p 836
Benedictus è Ph. Bat. t. 2. p.857
De Berberibus è Ph. Aug. t.2.p. 837
De Betonica ſimplex ex ead. Ph. ibid.
Compoſitus ex ead. Ph. ibid.
ex Zvvelſero ibid.
Bezoarticus Donzelli ibid.
De Borragine è Ph. Auguſt. ibid.
Botryos è Ph.Lond. t.2.p 838
De Bryonia ſimplex Meſuæ, ex Weckero to. 2. p. 850
Compoſitus Meſuæ, ex eod. ibid.
De Bugloſſo è Ph. Aug. t. 2. p. 838
Byzantinus ſimplex Meſuæ, ex eadem Pharm. ibidem
Compoſitus Meſuæ ex ead. Ph. ibid.
De Calamintha Meſuæ è Ph. Aug. ibid.
Chalybeatus Catharticus D. D'Aquin tom. 2. p. 850.
è Ph. Bat. t.2. p. 857
ex Hoffmanno t. 2. p.858
ex Timæo t.2. p. 856
purgans ex eodem ibid.
pro mulieribus & Cachecticis, ex Zvvelſero t.2. p.839
Sirupus Chamædryos Bauderoni t.2. p.840
De Chamalo è Ph. Aug. ibid.
De Capillis Veneris ſimplex Meſuæ, è Ph.Auguſt. t.2. p. 838
Compoſitus ex ead. Ph. ibid.
Cardiacus auratus è Ph. Bat. t.2.p.857
ex Hoffmanno t. 2. p. 858
è Pharm. Lond. t.2. p. 838
Francofurt. è Pharm. Schrod. ibid.
De Cardui Benedicti ſucco è Ph. Aug. ibid.
Carminativus è Ph. D. Le Mort. ibid.
De Carthamo è Ph. Aug. t.2. p. 850
Caryophyllorum aromaticorum ex Marcgravio t.2. p. 838
Hortenſium è Ph. Lond. ibid.
De Caſſia lignea ex D. à Mynſicht t.2 p.860
Catharrhalis cum herba Thee è Pharm. Schrod. t.2. p. 839
Catholicus ex Bierling. t. 2. p. 858
è Ph. Norib. t.2. p 850
De Centaurio minori antifebrilis, ex Zvvelſero t.2. p. 839
Cephalicus ex D. à Mynſicht t.2. p. 859
Ceraſorum acidorum è Ph. Aug. t.2. p. 859
De Cichorio ſimplex è Ph. Aug. t.2. p.840
Cum Rheo Nicol. Florent. ex eadem Pharm. t.2. p. 851
De Cinnamomo ex ead. Ph. t.2 p. 840
De Citri acetoſitate è Ph. Aug. ibid.
Corticibus ex ead. Ph. ibid.
Cochleariæ è Ph.Amſtelodam. ibid.
Coralliorum Quercetani, è Ph. Aug. ibid.
Compoſitus è Ph. Lond. ibid.
Rubeorum ex D. à Mynſicht t.2. p.859
ex Timæo t.2. p. 857
Cordialis ex D. à Mynſicht t. 2. p.860
Perlatus ex Timæo t.2. p. 857
Gemmarum calidus ex Zvvelſero t. 2. p. 840
Frigidus ex eod. t.2. p.841
De Croco è Ph. Bat. t.2. p. 857
Cydoniorum è Ph. Aug. t.2. p.841
Diacurri roſatus ex Mynſichto t. 2. p 860
Diaſereos Andernaci è Pharmac. Auguſt. t. 2. p. 851.
Domeſticus, ſeu de ſpina infectoria è Pharm.Aug. ibid.
Dyſentericus laxativus ex D. à Mynſicht t. 2. p.860
Contra Dyſenteriam ex Zvvelf. t.2 .p. 841
Emeticus Angeli Salæ è Ph.Aug. t.2. p. 851
Glauberi t.2. p. 852
Seu Oxyſaccharum è Ph.Aug.t.2.p 851
Correctus, ex Zvvelf. ibid. & ſeq.
De Endivia ſimplex è Ph.Aug. t.2. p. 841
Compoſitus ex ead. Ph. ibid.
Epilepticus puerorum ex Cnœff. t. 1. p. 552
De Epithymo Meſuæ è Ph. Aug. t. 2. p. 852
De Eryſimo Lobelii è Ph. Aug. t. 2. p. 841
De Eupatorio Meſuæ è Ph Aug. ibid.
Exhilarans Laurentii, ex Renodæo t.2. p.842
D. Schillingii t.2. p.859
De Farfara è Ph.Aug. t.2.p.842
Ad Fiſſuras è Ph. Bat. t.2.p. 857
De Fragis è Ph. Aug. t.2.p. 842
De Fumaria compoſitus Meſuæ è Pharm. Auguſt. t. 2. p. 853
Simplex ex ead. Ph. t.2 p.842
Gemmatus Patavinus Ducalis ex Bierlingio t. 2. p. 858.
Generalis ſeu laxativo-purgans Catholicus ibid.
De Gialappa ex Hoffmanno ibid.

Sirupus De Glycyrrhiza Meſuæ è Ph. Aug. t.2.p. 842
Granatorum dulcium è Ph. Aug. ibid.
Hæmoptoicus è Ph. Bat. t. 2. p.857
De Hederæ terreſtris ſucco è Pharm. Auguſt. t. 2. p. 842.
Helleboratus Quercetani è Ph. Schrod. t.2.p.852
De Hermodactylis Nicolai, ex VVeckero ibid.
Holagogus Francofurt. è Ph. Schrod. ibid.
Hydragogus ex D. D'Aquin t.2. p. 853
ex D. à Mynſicht t.2.p. 861
ex Zvvelfero t.2.p. 842. & 853
& Hepaticus ex eod. t. 2. p. 843
De Hyperici floribus è Ph. Aug. ibid.
De Hyſſopo Meſuæ ex ead. Ph. ibid.
Jovialis è Ph. Bat. t. 2. p. 857
Ivæ Arthriticæ è Ph. Lond. t. 2. p.843
De Jujubis Meſuæ è Ph. Aug. ibid.
Laxativus de lignis VVuzelii è Pharm. Schrod. t.2. p. 853
de manna è Ph. Aug. ibid.
de ſenæ foliis Peuceri t.2. p.858
è Succis D. Landgravii t.2. p. 859
Lientericus D. D'Aquin t.2. p. 843
Limacum è Ph. Bat. t. 2. p. 857
De Limonibus è Ph. Aug. t. 2. p. 843
Lumbricorum è Ph. Bat. t. 2. p 857
De Lupulo è Ph. Aug. t. 2. p 843
Magiſtralis purgans primus ex Zvvelfero t. 2. p. 853
Secundus ex eod. ibid.
tertius ex eod. ibid. & ſeq.
quartus ex eod. t.2. p. 854
Maſtichinus è Ph. Norib. t.2. p.843
ex Timæo t.2.p. 857
Stomachalis ex Zvvelfero t.2. p. 843
Melanagogus cum tartaro D. Laurend. tom.2. p. 859
D. Rindfleiſchs ibid.
De Meliſſæ ſucco compoſitus è Pharm. Lond. t.2. p. 844.
De Meliſſophyli ſucco è Ph. Aug. t.2.p.843
De Mentha major Meſuæ ex eadem Pharm. t. 2. p. 844
Minor Meſuæ ex ead. Ph. ibid.
De Menthæ ſucco è Ph. Aug. ibid.
De Mercurialis ſucco ex ead. Ph. ibid.
Mercurialis purgans ex Zvvelf. t.2.p.854
Mineralis purgans D. Krauſens t.2 p.858
De Moris compoſitus ex Rænodæo t.2.p.844
De Mucilaginibus è Ph. Lond. ibid.
De Myrtis è Ph Bat. t.2. p. 857
Myrthinus compoſitus Meſuæ è Pharm. Londin. t. 2. p. 844.
Nephriticus D. D'Aquin. t.2 p.845
ex D. à Mynſicht. t.2.p.860
ex Timæo t.2. p.857
primus ex Zvvelfero t.2.p.845
Secundus ex eod. ibid.
tertius ex eodem ibid.
Nephrocatharticus Jouberti è Pharm. Aug. t. 2. p. 844.
Nicotianæ è Ph. Schrod. t.2. p. 845
ad Aſthma ex Timæo t. 2.p.857
Nymphea ſimplex Nicolai è Pharm. Auguſt. t. 2. p. 845
compoſitus Franc. Pedemontani ex ead. Pharm. t.2. p.846
De Olibano Rhaſis, ex VVeckero ibid.
Ophthalmicus ex Timæo t.2. p.856
Contra Oris fœtorem ex Bierlingio t.4.p.858
De Pæonia è Ph. Aug. t. 2.p. 846
Compoſitus è Ph. Lond. ibid.
Sirupus Panchymagogus ex Timæo t.2. p. 856
Pantagogus D. à Mynſicht t. 2. p. 861
De papavere ſimplex Meſuæ è Pharm. Aug. to.2. p. 846.
compoſitus Meſuæ ex eadem Pharm. ibidem
Plurium infuſionum ex Hoffmanno t.2.p. 858
Erratico è Ph. Aug. t.2. p. 846
De Paralyſeos floribus è Ph. Aug. ibid.
Pectoralis Altemburgens t. 2. p. 858
ex D. à Mynſicht t.2. p.859
ex Timæo t. 2.p 856
De Pede Cati è Ph. Norimb. t.2 p.846
Peponum è Ph. Bat. t.2.p. 857
Perlarum Orientalium ex D. à Mynſicht. tom 2. p.859.
De perſicorum floribus è Ph. Aug. t.2 p. 854
De peto è Ph. Bat. ibid.
De piloſella Renodæi è Ph Aug. t.2 p. 847
compoſitus è Ph. Lond. ibid.
De plantaginis ſucco è Ph. Aug. ibid.
De polypodio ex ead. Ph. t 2.p. 854
Compoſitus è Ph. Norib. ibid.
purgans ex Doreio t.2. p.859
De pomis ſimplex Meſuæ è Ph. Aug. t 2.p.847
Magiſtralis è Ph. Lond. t.2.p 854
Regis Saporis Meſuæ è Pharm. Aug. ibid.
Solutivus ex Timæo t.2. p. 857
De portulaca Meſuæ è Ph.Aug. t.2. p 847
De praſſio Meſuæ ex ead. Ph. ibid.
è Ph. Lond. ibid.
Prunorum Sylveſtrium è Ph. Aug. ibid.
Purgans Minerans D. Krauſens t.2. p.858
Polychreſtus ex Hoffm. ibid.
De pyrethro ex D. à Mynſicht t.2.p.860
De rhabarbaro ſolutivus è Ph Aug. t.2 p. 855
De duabus Radicibus è Ph. Aug. t.2.p.847
De quinque Radicibus Meſuæ, ex ead. Ph. ibid.
Raphani compoſitus è Ph. Lond. ibid.
De Rapis è Ph. Bat. t.2.p. 857
De Rhapontico è Ph. Aug. t.2. p. 855
Regius è Ph. Lond. t.2 p 848
Reſumptivus de teſtitudinibus è Pharm. Schrod. t.2.p. 850
De Ribibus è Ph. Aug. t.2.p. 848
Roſatus ſimplex è Ph Aug. ibid.
Aureus D Donzelli t. 2. p. 856
Laxativus cum Rhabarbaro è Ph. Aug. tom.2. p. 855.
compoſitus Helleboratus ibid.
ſine Helleboro ibid.
Lenitivus de tribus è Ph. Aug. ibid.
Solutivus Aureus è Ph. Aug. ibid.
Simplex, ex ead Ph. ibid.
Quercetani ex ead. Ph. ibid.
Roſatus compoſitus ex Bierling. t.2. p. 859
Solutivus compoſitus ex Timæo t. 2. p. 856
De Roſis ſiccis è Ph. Aug. t.2.p 848
De Rubo Idæo ex ead. Ph. ibid.
Sambuci compoſitus è Ph. Bat. t. 2. p. 857
Sambucinus laxativus ex Timæo t. 2. p. 856
De ſcabioſa è Ph. Aug. t.2.p. 848
è Ph. Lond. ibid.
De Scammonio è Ph. Bat. t. 2. p. 857
Sceletorbicus ex D. D'Aquin t.2.p. 848
è Ph Aug. ibid.
è Ph. Norimberg. ibid.
ex Zvvelfero ibid.
De Scolopendrio Fernelii è Ph. Aug. ibid.
De Scordio ſimplex è Ph. Aug. t.2.p.849

Sirupus

Syrupus de Scordio compoſitus Hier. Mercur. t.2 p.849
de Sempervivo ſimplex è Ph.Aug. ibid.
compoſitus ex ead. Ph. ibid.
Sidereus ex Ph. Bat. t.2.p.857
de Siliquis, vide Diacodium.
Solutivus Aureus ex Timæo tom.2 p.855
de Spina infectoria, ſeu Domeſticus è Pharm. Aug. t.2.p.851
Spleneticus ex Zvvelfero t.2.p.849
Purgans D.Verbezii è Pharmac. Auguſt. t.2 p.856
Stipticus ex D.à Mynſicht t.2.p.860
de Stæchade Fernelii è Ph. Auguſt. t.2.p.849
Major Meſuæ, ex ead.Ph. ibid.
Minor ex ead.Ph. ibid.
Somachalis D.Donzelli ibid.
de Sulphure è Ph.Bat. t.2.p.858
de Symphyto Fernelii è Ph.Aug. t.2.p.849
de Teſtudinibus ex Hoffman. t.2.p.858
Reſumptivus Renodæi t.2.p.870
de Therebinthina Donzelli ibid.
Tolutanus Magiſtralis è Ph.Bat. t.2.p.858
de Tunicæ floribus, vide Syrupus caryophyll. Hortens.
Vermifugus è Ph Bat. ibid.
de Veronicæ ſucco è Phar.Aug. t.2.p 850
Violatus ex ſucco florum ex ead.Ph. ibid.
ſimplex ex ead Ph. ibid.
compoſitus Meſuæ ex ead Ph. ibid.
Solutivus è Ph Aug. t.2.p.8 6
ex Hoffm. t.2 p.858
Vitriolato-Roſatus ex D.à Mynſicht t.2.p.859
Zibebarum è Phar.Aug. t.2.p.856
Siſarum, ſive Siſer t.2.p 861
Siſymbrium, vide Naſturtium Aquaticum.
Sium, vide Naſturtium Aquaticum.
Smaragdus, vide ſub Titulo Lapis t.2.p.92.& ſeq.
Smaragdum Orientalem faciendi modus t.2.p.1058. & ſeq.
Smaragdi adulterini confectio t.2 p.103
Smaragdus quid ſit, ejus vires Medicæ & præparata t.2.p.110.& ſeq.
Smilax t.2 p.861
Smyris, vide ſub titulo Lapis t.2 p.88
Smyrnium t.2.p.861
Soda, vide Kali.
Sol, vide Aurum
Solani ſpecies variæ t.2.p 862.& ſeq.
Soldanella t.2.p 863
Solidago, vide Symphytum.
Solidago Sarracenica, vide Virga aurea.
Solutio quid ſit t.2.p.863. & ſeq.
Somnifera, vide Hypnotica.
Sonchus t.2 p 868
Sophia ibid.
Sorbeta antinephritica Cnœffelii t.2.p.443
Sorbus t.2.p.868
Sotirella parva, vide Electuarium.
Sotirella parva è Ph.Aug. t.2 p.774
Sparadrapum quid ſit, & quomodo fiat t.2.p 869
Sparadrapum pro fonticulis è Ph.Lond. ibid.
ſeu Tela Gualteri, ex ead.Ph. ibid.
Vigonis è Ph.Aug. ibid.
Uſuale pro mammis poſt partum obdureſcentibus ibid.
Spartum ibid.
Spatula fœtida, vide Xyris.
Species Officinales, vide Pulveres.
Sperma Ceti, vide Cetus.
Sperma Generantis, vide Aphrodiſiaca.
Sperniola, vide Pulvis Sperniolæ.

Sphondilium, vide Spondilium.
Spica, in genere, vide Lavendula.
Spica Indica t.2.p 870
Spica Spuria Narbonenſis ibid.
Spica Celtica, vide ſub titulo Valeriana.
Spinachia t.2.p.871
Spiritus quid ſit ibid. & ſeq.
Spiritus acidi, quid ſint, & eliciendi modus t.2 p 875. & ſeqq.
Spiritus Urinoſi, quid ſint, & modus eliciendi t.2. p.879 & ſeqq.
Spiritus Abſinthii è Ph Aug. t.2.p 883
Aceti è Chymica D.Le Mort t.2.p.893
Philoſophicus ex eodem. ibid.
Alchermes è Ph Bat. t.2.p.897
Aluminis è Ph.Bat. t.2.p.897
dulcis ex ead Ph. ibid.
Ambræ è Ph. Bat.. ibid.
Analepticus Panis ſimilaginei, ex Rolfincio t.2. p.886
Anhaltinus è Ph. Aug. t.2.p.884
Aniſi ibid.
Antapoplecticus S.Cloſſæi ex Schrod. t.2.p.885
Antepilepticus è ſanguine humano t.1.p.985
è Ph. Norimb. t.2.p.884
Antiſcorbuticus è Chimia D.Le Mort t.2.p.889
Aphrodiſiacus è radicibus Satyrii, ex Rolfinc. t.2.p 884
Balſamicus antiparalyticus t.1.p.30
Benzoini è Ph.Bat. t.2.p.897
Camphoræ ex Ph.Bat. ibid.
Carminativus D. Franciſci de Le Boe Sylvii t.2. p.885
Cephalicus è Chymia D.Le Mort t.2.p.889
Ceraſorum nigrorum t.2.p.884
è Ph.Bat. t.2.p.897
Cerebri humani t.1.p.1006
Citri Cardiacus t.1.p.204
Cochleariæ è Ph. Bat. t.2.p 897
Convulſivus Geilfulſii t.2.p.884
Coralliorum è Ph.Bat. t.2.p 897
Cordialis Balſamicus ex Rolfincio tom.2 p.885
Cordis Cervi compoſitus ex eodem ibid.
Diapente è Ph.Aug. t.2 p.884
Diatrion, ſeu mixtura ſimplex è Ph Aug. ibid.
Dracunculi è Ph Bat. t.2 p.898
Embryonum è Ph Bat. ibid.
Euphraſiæ Mindereri è Ph.Aug. t.2.p.884
Formicarum t.1.p.530
Frumenti ardens t.2.p.886
Gratior ibid.
Fuliginis t.1.p.1005
& Oleum Guajaci ligni t.2.p.891
Hormini compoſitus, vide Aqua Hormini compoſita.
Hyſſopi verus è Ph.Bat. t.2 p.898
Juniperi è baccis t.2.p.884
è Ligno t.2 p.891
Verus è Ph.Bat. t.2.p.898
Mannæ è Ph.Bat. ibid.
Martis t.1.p.919
Mellis ardens t.2.p.887
Mercurii dulcis ex D.Donzello t.2. p.885
Millepedum è Ph.Bat. t.2.p.898
Nephriticus ex Schrod. t.2.p.885
Nitri varii t.2.p.754.893.& 898
Nitri Bezoarticus è Ph.Bat. t.2.p.898
Dulcis t.2 p.897 & 898
ſeu Aqua Polychreſta ex Rolfincio t.2.p.886
Pomorum t.2.p 887
Purgans ex Scammonio t.2.p 800

Spiritus

Spiritus Rhœados crapularius è Ph. Bat. t.2.p.898
Reginæ Hungariæ, vide Aqua Reginæ Hungariæ.
Roris majalis t.2.p.890
Roſarum t.2.p.884
Roſarum ardens t. 2.p.889
Salis varii t.2.p.746.& ſeq.
mediante Oleo Vitrioli t.1. p.894
coagulatus è Ph.Aug. t.2.p.898
compoſitus Hartmanni è Ph. Aug. t.2. p.884
concentratus t.2.p.894
Martialis è Ph. Bat. t.2.p.898
Salis Armoniaci Varii t.2.p.757.& 898
Chalybeatus è Ph.Bat. t.2.p.898
Succinatus ex ead.Ph. ibid.
Tartariſatus ex eadem Ph. ibid.
Salis Gemmæ Varii t.2.p.750
Sambuci è Ph.Bat. t.2.p.898
Sanguinis è Ph.Bat. ibid
Sanguinis humani è Ph.Bat. t.1.p.1005
Saturni è Ph.Bat. t.2.p.898
Spongiarum ex ead.Ph. ibid.
Sulphuris Varii, vide Sulphur t.2.p.932
Tabaci è Ph.Bat. t.2.p.898
Tartari t.1.p.1006.& t.2.p.948
Tartari compoſitus, ex Cnœffel. t.2.p.903
Volatilis cum oleo fœtido t.2.p.892
Subtilior compoſitus ibid.
Theriacalis camphoratus è Ph.Bat. t.2.p.898
è Ph.Aug. t.2.p.885
Terræ ſigillatæ, vide Terra ſigillata. t.2.p.970
de Tribus Cnœffelii t.1.p.913
Veneris è Ph.Bat. t.2.p.898
Vini Acouiſticus D.à Mynſicht t.2.p.899
Aromaticus ex eodem ibid.
Cephalicus ex eodem ibid.
Juniperinus ex eodem ibid.
Lithontripticus ex eodem t.2.p.900
ex Cnœffelio t.2.p.444
Nephriticus ex D. à Mynſicht t.2. p.900
Odontalgicus ex eodem t.2.p.899
Otalgicus ex eodem ibid.
Paralyticus ex eodem t.2.p.900
Pectoralis ex eodem t.2.p.899
Rectificatus t.2.p.887
Stomachicus ex D. à Mynſicht. t.2. p.900
Succinatus è Ph.Bat. t.2.p.898
Tartariſatus t.2.p.888.& 898
Theriacalis ex D à Mynſicht t.2.p.900
Viperarum t.2.p.898.& 1032
Viridis Æris t.1.p.533
Vitrioli Varii tom.1 p.533. & tom.2. p.761. *ad* 766
Vitrioli è Ph. Bat. t.2 p.898
coagulatus ex eadem Ph. ibid.
ex Cnœffelio t.2.p.443
Cordialis Angeli Salæ è Ph.Aug. t.2. p.885
Diaphoreticus è Ph Bat. t.2.p.898
Martis è Ph Bat. ibid.
Philoſophicus ex ead.Ph. ibid.
Tartariſatus ex ead. Ph. t.2.p.899
Urinæ Volatilis t.1.p.983.& ſeq.
Uterinus ex D.Charraz t.2.p.886
Splenetica Medicamenta quid ſint t.2.p.900. & ſeqq.
Splenetica ſpecifica Varia ex Cnœffelio t.2.p.902 & ſeqq.
Splenium, vide Scolopendrium.
Spodium, vide Ebur, ſub Titulo Elephas.

Spondylium t.2.p.904
Spongia t.2.p.905
Spuma Maris, ſive Alcyonum officinarum ibid.
Spuma Argenti, vide Lithargyrium.
Spuma Nitri, vide Aphronitrum.
Sputum Moventia, vide Pectoralia.
Squama Metallorum vide Metallica.
Stachys ibid.
Stacte, vide Myrrha.
Stannum ibid. & ſeq.
Stanni Purgatio t.2.p.906
Calcinatio Incinerationis, & Reverberationis ibidem
Immerſionis, unde Sal, & Magiſterium ibid.
Vaporoſa ibid.
Deſtillatio, unde Stannum diaphoreticum, Sulphura Stanni varia, cryſtalli &c. ibidem & ſeq.
Extractio, unde Tinctura ſtanni Baſiliana t.2. p.907
Mercurificatio t.2.p.908
Salificatio, unde Sal verum t.2.p.907.& ſeq.
Sublimatio ibid.
Staphiſagria t.2.p.908
Ex ſtercore humano præparata varia t.1.p.984. & ſeq.
Sternutatoria, vide Ptarmica, & Errhina.
Styli dentifricii, vide Trochiſci t.2.p.1007
Stibium, vide Antimonium.
Stœchadis variæ ſpecies t.2.p.908. & ſeq.
Stomachica Medicamenta quid ſint ibid.& ſeq.
Storax, vide Styrax.
Stramonium t.2.p.912
Stratiotes, vide Millefolium.
Strutium, ſive Strutiocamelus ibid.& ſeq.
Ex Strutiocamelo officinalia t.2.p.913
Stupefacientia, vide Narcotica.
Sturio ibid.& ſeq.
Sturnus t.2.p.914
Styptica, vide Adſtringentia. ibid.& ſeq.
Suber t.2.p.915
Sublimatio quid ſit ibid.& ſeq.
Succinum antimonii t.2. p.278
Succini adulterini confectio t.2.p.104
Succus quid ſit, & quomodo eliciatur t.2.p.920.& ſeq.
Succi inſpiſſati officinales t.2.p.922
Succus Cyrenaicus, vide Laſerpitium.
Sudorifica, vide Hydrotica.
Suffitus quid ſit t.2.p.923
Suffitus exempla varia ibid.& ſeqq.
Sulphur in genere t.2.p.296
Sulphur Minerale in ſpecie t.2.p.928
Sulphuris Mineralis delectus t.2.p.929
Sulphuris deſtillatio, unde Aquæ, Olea, & ſpiritus t.2. p.932
Extractio & Infuſio, unde Balſama, & Salia, Sulphuris varia t.2.p.933.& ſeq.
Liquatio t.2. p.935
Præcipitatio, unde Lac. t.2.p.931
Sublimatio, unde flores varii t.2.p.929
Sulphur antimonii t.1.p.814 & t.2.p.935
Auratum antimonii ibid.
Mercurii t.2.p.289
Vitrioli è Ph.Bat. t.2. p.935
Martiale ex ead.Ph. ibid.
Narcoticum ex ead.Ph. ibid.
Sumach t.2. p.936
Suppoſitorium quid ſit ibid. & ſeq.
Suppoſitoria varia ex D. Michael. t.2. p.938
Sycomorus ibid.

Sylphium

Sylphium, vid. Laſerpitium
Symphytum majus t. 2. p. 938
Symphytum minus, vid. Bugula
Symphytum minimum, vid. Prunella Herba
Syrupus, vid. Sirupus

T.

Tabacum t.2.p 939
Tabellæ quomodo parentur t.2. p. 940 & ſeq.
Tabellæ Abſinthiacæ è Ph. Bat. t.2. p.941
Amydaloïdes ex eadem Pharm. ibid.
De Angelica ex eadem Pharm. ibid.
Antiſynanchicæ ibid.
De Aurantiis ibid.
De Berberibus ibid.
Burgeſianæ t.2. p.942
Cardialgicæ ibid.
Carminativæ ibid.
Catharticæ ibid.
Dialthææ ibid.
Diambræ ibid.
Diatragacanthi ibid.
Divinæ ibid.
Embryonum ibid.
Emeticæ ibid.
Farfaræ ibid.
Fœniculatæ ibid.
Garyophyllatæ t. 2. p. 941
Griſeæ ibid.
Hæmorrhoicæ ibid.
Helenii ibid.
Infantum ibid.
Lenthales ibid.
Martiales ex D. Cnœffelio t.2. p.1134
Perlatæ t. 2. p. 941
Prunellæ t. 2. p.942
de Pipere ibid.
Purgantes t 2.p.941
Roſaceæ t.2.p. 942
Saponaceæ ibid.
De Styrace ibid.
Tartareæ ibid.
Vermifugæ t.2.p.941.& 942
Tacamahaca t.2. p. 942 & ſeq.
Talcum, vid. ſub titulo Lapis t.2. p. 133
Talci electio ibid.
Calcinatio ſicca ibid. & ſeq.
humida, unde Cremor, liquor, oleum, & Tinctura t. 2. p. 134
Talpa t. 2. p. 943
Talpæ partes officinales t. 2. p. 944
Tamarindus ibid.
Tamariſcus t.2. p. 945
Tanacetum ibid.
Tapſia, vid. Thapſia
Tapſus barbatus, vid. Verbaſcum
Taraxacon ibid.
Tartarus t.2. p. 946
Tartari Depuratio, unde Tartarus depuratus, Acidum tartari, Cremor, & cryſtalli tartari ibid.
Deſtillatio, unde Oleum, ac Spiritus tom. 2. p. 947
Tartari Salificatio, unde Sal t.2. p.949
Tartari liquor Spleneticus t. 2. p. 950
Magiſteria varia t.2. p. 949
Oleum per deliquium ibid.
Sulphur, ſeu Tinctura ibid.
Tartarus vitriolatus ibid. & ſeq.
De Tartari volatilitate D. Ludovici tractatus t.2.p.951 & ſeqq.
Taurus vid. ſub titulo Bos.

Taxus Arbor t. 2. p. 962
Taxus Animal t. 2. p. 963
Teda Aromatica, vid. Suffitus
Tela Gualteri, vid. Sparadrapum
Tela Aromatica pro ſuffitu t.2. p. 924
Telephium t. 2. p. 963
Terebinthina, & Terebinthus ibid. & ſeq.
Ex Terebinthina præparata varia tom. 2. pag. 965 & ſeq.
Teredo t.2. p.966
Terra quatenus inſtrumentum pharmaceuticum t.2. p. 33. & ſeq.
Terra in genere t.2.p.966
Terræ Deſtillatio, unde ſpiritus t. 2. p. 967 & ſeq.
Præcipitatio, unde Magiſterium t. 2 p. 967
Præparatio: unde præparata ibid.
Purificatio, ſeu lotio, unde terra lota ibid.
Terra Argillacea, ſeu ſigillata t 2 p. 968
Ex Terris ſigillatis præparationes variæ tom. 2. p.969 & ſeq.
Terra Bolus dicta, & ex ea præparata varia t.2. p.970 & ſeq.
Creta dicta, & ex ea præparata varia t.2 p 971
Japonica, & ex ea præparata varia ibid. & ſeq.
Terræ Japonicæ præparatio generalis t. 2. p. 971
præparationes ſpeciales t. 2. p. 972
Terra Marga dicta t. 2. p. 973
Ochra dicta, & ex ea præparata varia ibid.
Rubrica dicta t.2.p. 974
Tripolis dicta ibid.
Terra merita, vid. Curcuma
Terra Vitrioli, vid. Vitriolum
Terræ Oleum, vid. ſub titulo Naphtha
Teſticulus Canis, vid. Orchis
Teſtudo t.2. p. 975 & ſeq.
Tetrapharmacum, vid. Unguentum
Teucrium t.2. p. 976
Thalictrum t.2. p. 977
Thapſia ibid.
Thé, ſive Théa ibid. & ſeq.
Theriaca varia, vid. Electuarium Theriaca dictum
Thermæ, vid. ſub titulo Aquæ
Thlapſi t.2.p. 979
Thora Valdenſis ibid.
Thoracica, vid. Pectoralia
Thunus, ſive Thunnus ibid.
Thus ibid. & ſeq.
Thymelæa t. 2. p. 980
Thymallus t. 2. p. 981
Thymum ibid. & ſeq.
Tilia t. 2. p. 982
Tinca, ejuſque partes officinales ibid.
Tinctura quid ſit t.2.p. 982
Tinctura abſinthii è Ph. Bat. t. 2. p. 968
Aloëtica ex Timæo ibid.
Aluminoſa magiſtralis è Ph. Lond. t.2.p. 983
Amydaloïdes è Ph. Bat. t. 2. p. 986
Anodyna Ludovici t. 2. p. 985
Antimonii è Ph. Aug. ibid.
ex D. à Mynſicht t.2.p 989
Emetica è Ph. Bat. t.2.p. 986
Purgans ex ead. Pharm. ibid.
Antiphthiſica è Ph. Aug. t.2. p. 985
ex Timæo t. 2. p. 986
Antipleuritica ex eod. ibid.
Aperitiva Mœbii t.2. p.983
Aphronitri Mollenbroc. ibid.
Armoniaci è Ph. Bat. t.2.p.986
Aſſæ fœtida ex ead Pharm. ibid.
Aſthmatica ex ead. Ph. ibid.
Ex Aurantiorum corticibus è Pharm. Norimb. t.2.p. 984

Tinctura Aurea è Ph. Bat. t. 2. p. 987
Bezoartica è Ph. Bat. ibid.
ex D. Junken t. 2. p. 983. & ſeqq.
Ludovici ibid.
Carbunculi colorem referens t. 2. p. 102
Cardamomi è Ph. Bat. t. 2. p. 987
Carvi ex ead. Ph. ibid.
Caſſiæ ligneæ ex D. à Mynſicht t. 2. p. 990
Caſtorei è Ph. Lond. t. 2. p. 984
Catheretica S. Cloſſæi t. 2. p. 983
Cathartica Ridlei è Ph. Bat. t. 2. p. 987
Cephalica ambrata D. Cnœff. t. 1. p. 529
Ceruſſæ è Ph. Bat. t. 2. p. 987
Chamæmeli ex ead. Ph. ibid.
Cinnamomi è Ph. Lond. t. 2. p. 984
Cochleariæ compoſita è Ph. Bat. t. 2. p. 987
Coralliorum è Ph. Aug. t. 2. p. 984
è Ph. Bat. t. 2. p. 987
ex D. Cnœff. t. 1. p. 637
ex D. à Mynſicht t. 2. p. 988
Cordialis ex D. Cnœff. t. 1. p. 637
ex Timæo t. 2. p. 986
Coſmetica alba ex D. Cnœff. t. 1. p. 671
rubra ex eod. ibid.
ex D. Jungken t. 2. p. 984
Croci è Ph. Lond. ibid.
Diaphoretica ex D. à Mynſicht, t. 2. p. 991
Paracelſi *à Cloſſ. correcta* t. 2. p. 983
Ferri è Ph. Bat. t. 2 p. 987
Fragorum è Ph. Aug. t. 2. p. 984
Galbaneti è Ph. Bat. t. 2. p. 987
Ad gingivas tumentes, & ſanguinolentas t. 2. p. 450
Guajaci è Ph. Bat. t. 2. p. 897
ex D. à Mynſicht, t. 2. p. 990
Hæmatitis è Ph. Bat. t. 2. p. 987
Hepatica ex Timæo t. 2. p. 986
Hiera è Ph. Bat. t. 2. p. 987
Hyperici è Ph. Aug. t. 2. p. 984
ex Timæo t. 2. p. 990
Ialapæ è Ph. Aug. t. 2. p. 984
Iuniperi è Ph. Bat. t. 2. p. 987
ex baccis ex D. à Mynſicht t. 2. p. 989
Laccæ ex eodem ibid.
Lunæ Zvvelferi ex D. Jungken t. 2. p. 984
Martis è Ph. Bat. t. 2. p. 987
ex D. à Mynſicht t. 2 p. 989
Aurea è Ph. Bat. t. 2. p. 987
Tartariſata ex ead. Ph. ibid.
ex D. Jungken. t. 2. p. 985
ex ejus vitriolo è Ph. Norib, ibid.
Melampodii è Ph. Bat. t. 2. p. 987
Meliſſæ ex ead. Ph. ibid.
Mellis ex ead. Ph. ibid.
Myrrhæ ex ead. Ph. t. 2. p. 988
Nephritica Amelungi ex D. Jungken tom. 2. p. 985.
Oculorum cancrorum è Ph. Bat. t. 2. p. 988
Odontalgica ex D. Cnœffel. t. 2. p. 450
è Ph. Bat. t. 2. p. 988
ex D. Jungken. t. 2. p. 985
ex D. à Mynſicht t. 2. p. 990
ex Timæo t. 2. p. 986
Papaveris erratici ex D. à Mynſicht t. 2. p. 990
Paralytica è Ph. Bat. t. 2. p. 988
Perlarum ex ead. Ph. ibid.
Piperis ex ead. Ph. ibid.
Proprietatis è Ph. Aug. t. 2. p. 985
è Ph. Bat. t. 2. p. 988
ex D. à Mynſicht t. 2. p. 989
Rhabarbari è Ph. Bat. t. 2. p. 988
ex Rolfincio t. 2. p. 985
Tinctura Roſarum è Ph. Aug. t. 2. p. 985
è Ph. Bat. t. 2. p. 988
Rubi Idæi ex Timæo t. 2. p. 986
Sapphiri colorem referens t. 2. p. 102
Saſſafras è Ph. Bat. t. 2. p. 988
ex D. à Mynſicht t. 2. p. 990
Saturni è Ph. Bat. t. 2. p. 988
Scorbutica è Ph. Bat. ibid.
Scordii è Ph. Lond. t. 2. p. 985
Serpilli è Ph. Bat. t. 2. p. 988
Smaragdi colorem referens t. 2. p. 102
Stiptica ex D. à Mynſicht. t. 2. p. 991
Stomachica è Ph. Bat. t. 2. p. 988
Succi è Ph. Aug. t. 2. p. 985
è Ph. Bat. t. 2. p. 988
Sulphuris è Ph. Bat. ibid.
ex D. à Mynſicht t. 2. p. 989
ex Ph. Norib. t. 2. p. 985
Tartari è Ph. Aug. ibid.
Cnœff. t. 2. p. 444. & 903.
ex D. à Mynſicht t. 2. p. 989
Terræ Catechu t. 2. p. 971
Theriacalis è Ph. Lond. t. 2. p. 985
Veneris è Ph. Bat. t. 2. p. 988
Virginiana è Ph. Bat. ibid.
Viridis è Ph. Lond. t. 2. p. 985
Vitæ ex D. à Mynſicht t. 2. p. 990
Uterina ex D. Jungken. tom. 2. pag. 985. & ſeqq.
ex D. à Mynſicht t. 2. p. 991
Tithymalus t. 2. p. 991
Topazius, *vid. ſub titulo* Lapis t. 2. p. 93
Topaſii adulterini compoſitio t. 2. p. 103. & 1059
Topica varia ad Gangrænam ſpecifica ex Cnœffelio t. 1. p. 999
Tormentilla t. 2. p. 991
Toxicum, *vid.* Venenum
Trachelium t. 2. p. 992
Tragacantha ibid.
Tragea vid. Pulvis
Tragemata, *vid.* Confectio
Tragopogon, *vid.* Barbula Hirci
Tragoriganum ibid.
Trogoſelinum, *vid.* Pimpinella, *item* Saxifragia
Tragus, *de ejus præparatione*, *vid. ſub titulo* Triticum
Tranſmutatio Metallorum, *vide ſub titulo* Cryſopœia
Tragi t. 2. p. 992
Traumatica, *vid.* Vulneraria
Tribuli ſpecies ibid.
Tricomanes, *vid.* Adianthum
Trifolium, *ejuſque ſpecies variæ* ibid. & ſeqq.
Triticum, *ejuſque ſpecies*, *& ex iis præparata* t. 2. p. 994 & ſeqq.
Tritici præparandi Modus, *quo terræ commiſſum duplum producat*, *quam quod alias producere ſolet* t. 2. p. 997
Triticum Sarracenicum, *vid.* Fegopyrum
Trochiſcatio, *& Trochiſcus quid ſit* ibid.
Trochiſci quomodo fiant ibid.
Trochiſcorum alterantium uſitatiorum enumeratio ibid. & ſeq.
Trochiſcorum purgantium uſitatiorum enumeratio t. 2. p. 998
Trochiſci de Abſinthio Meſuæ è Ph. Aug. t. 2. p. 999
De Agarico è Ph. Aug. ibid.
Meſuæ ex ead. Ph. ibid.
De Agno Caſto Rhaſis ex ead. Ph. ibid.
Albi Rhaſis è Ph. Lond. ibid.
Alexiterii ex ead. Ph. ibid.
Renodæi ex Schrodero t. 2. p. 998

Trochiſci Alhandal è Ph. Aug. t. 2. p. 999
Alkekengi Meſuæ ex ead. Ph. ibid.
Alkermes Meſuæ è Ph. Aug. ibid.
Aliptæ Moſchatæ Nicolai è Pharmac. Auguſt. t. 2. p. 1000
De Aloës ligno è Ph. Lond. t. 2. p. 1002
De Alumine ex D. à Mynſicht t. 2. p. 1006
De Aniſo Meſuæ è Pharmac. Auguſt. tom. 2. 1000
Antiphthiſici Zvvelferi t. 2. p. 1003
De Antiſpodio Meſuæ, ex Renodæo t. 2. p. 1000
De Bdellio Avicennæ è Pharmac. Bauderon. ibidem
Bechici albi è Ph. Aug. ibid.
Antipleuritici Zvvelferi ibid.
Griſei è Ph. Norib. ibid.
Nigri è Ph. Aug. ibid.
Rubri ex ead. Ph. ibid.
De Benzoe è Ph. Aug. ibid.
ad uſum internum Zvvelferi ibid.
De Berberibus Meſuæ è Ph. Aug. ibid.
De Borrace Cnœffelii t. 2. p. 1134
De Camphora Meſuæ è Pharmac. Auguſt. t. 2. p. 1001
De Capparibus Meſuæ ex ead. Ph. ibid.
De Carabe Meſuæ ex ead. Ph. ibid.
Cauſtici ex D. Charraz t. 2. p. 998
Cephalici ex Timæo t. 2. p. 1005
ex Zvvelfero t. 2. p. 1002
De Corallis Galeni è Ph. Auguſt. t. 2. p. 1001
Nicolai ex ead. Ph. ibid.
Cordiales ex D. Mynſicht t. 2. p. 1006
ex Timæo t. 2. p. 1005
Crocomagma Damocratis ex Galeno t. 2. p. 1001
De Croco Nicolai ex Ph. Aug. ibid.
Cypheos Damocratis ex Galeno, è Pharm. Auguſt. ibidem
Contra dentium dolores, ex Timæo t. 2. p. 1005
Diajon ſeu de Violis Nicol. Alex. è Pharm. Aug. t. 2. p. 1002
Diarrhodon Nicolai ex ead. Ph. t. 2. p. 1003
Diaſpermaton Galeni ex ead. Ph. t. 2. p. 1004
De Eupatorio Meſuæ ex ead. Ph. t. 2. p. 1001
Profumo vulgares, & Moſchati t. 2. p. 998
De Gallia Moſchata Meſuæ è Pharmac. Auguſt. t. 2. p. 1001.
Gemmati è Ph. Norimb. ibid.
De Glycirrhiza ex D. à Mynſicht t. 2. p. 1006
Ad Gonorrhæam Renodæi t. 2. p. 1001
Gordonii è Ph. Aug. t. 2. p. 1002
Hedychroi Andromachi ex Galeno, è Ph. Auguſt. ibidem
Hepatici refrigerantes Zvvelferi ibid.
Hyſterici è Ph. Lond. ibid.
è Ph. Colleg. Reg. Lond. t. 2. p. 998
Ioviales ex D. à Mynſicht t. 2. p. 1006
De Lacca Meſuæ è Ph. Aug. t. 2. p. 1002
Martiales ex Cnœff. t. 1. p. 998
Moſchardini ex Schrodero t. 2. p. 998
De Myrrha Rhaſis è Ph. Aug. t. 2. p. 1002
Narcotici Fernelii ex Renodæo ibid.
De Nitro ex D. à Mynſicht t. 2. p. 1006
Odorati ex D. Charraz t. 2. p. 998
Ophthalmici ex D. à Mynſicht t. 2. p. 1006
De Papavere ex eod. ibid.
Pectorales cum Ambra è Pharm. Auguſt. tom. 2. p. 1003
ex Schrodero t. 2. p. 998
ex Timæo t. 2. p. 1005
Polyidæ ſeu ſphragis Andromach. è Pharm. Lond. t. 2. p. 1003.
Trochiſci Prophylactici cum Mithridatio ex Schrod. t. 2. p. 998.
Ramich Meſuæ è Ph. Aug. t. 2. p. 1003
De Rhabarbaro Meſuæ ex eadem Ph. ibid.
De Rhodia radice ex D. à Mynſicht t. 2. p. 1006
Regii pro ſuffitu ex Timæo t. 2. p. 1003
De Roſis Rhaſis è Ph. Aug. t. 2. p. 1005
De Santalis Meſuæ ex ead. Ph. ibid.
De Satureia pro lixivio ex D. à Mynſicht tom. 2. p. 1006
De Scilla Galeni ex eadem Pharmac. tom. 2. p. 1003
De Spodio cum ſemine acetoſæ ex eadem Ph t. 2. p. 1004.
Sublinguales completi contra peſtem ex ead. Pharm. ibidem
Incompleti, ex ead. Ph. ibid.
Zvvelferi ibid.
De Sulphure, & Tuthia è Ph Aug. ibid.
De Terra Lemnia è Ph. Lond. ibid.
Sigillata è Ph. Aug. ibid.
De Violis Nicolai Alexandr. *ſeu Diajon* tom. 2. p. 1002
Solutivi Meſuæ è Ph. Aug. t. 2 p. 1004
De Viperis Galeni è Ph. Aug. ibid.
Zvvelferi t. 2. p. 1005
Vitæ D. à Mynſicht ibid.
De Xyloaloë Meſuæ è Ph. Aug. ibid.
Trutta ejuſque partes officinales t. 2. p. 1007
Tryphera, vid. Electuarium Tryphera
Tuber ibid.
Tubera Cervina, vid. Boletus Cervinus
Tunica, vid. Caryophyllus Hortenſis
Turbith ibid.
Ex Turbith præparata officinalia t. 2. p. 1008
Turbith Minerale t. 1. p. 816
Turdus t. 2. p. 1008
Turpethum, vid. Turbith
Turtur, ejuſque partes officinales ibid. & ſeq.
Tuſſilago t. 2. p. 1009
Tuthia, vid. ſub titulo Æs
Typha ibid.

V.

Vacca vid. ſub titulo Bos
Vaccinia, vid. Myrtillus
Vainilia, vid. Vaynillas
Valeriana, ejuſque ſpecies t. 2. p. 1009
Vaynillas Hiſpanis t. 2. p. 1010
De Venenis, eorumque Antidotis in genere t. 2. p. 1010 & ſeq.
De Venenis, eorumque Antidotis in ſpecie t. 2. p. 1018 & ſeqq.
Venerea, & Antivenerea Medicamenta, vid. Aphrodiſiaca
Ventrem ſubducentia, vid. Purgantia
Venus, vid. Æs
Veratrum, ſeu Helleborus albus t. 2. p. 1020
Verbaſculum, vid. Primula Veris
Verbaſcum ibid. & ſeq.
Verbena t. 2. p. 1021
Vermes, vid. Lumbrici
Vermes Necantia, vid. Anthelmintica
Vermicularis, vid. Sedum
Vernix, vid. Sandaracha
Vernices artificiales ibid.
Vernicis pro variis rebus poliendis confectio tom. 2. p. 1022.
Vernix de Gummi Capal ibid.
de Gummi Lacca ibid.

Vernix Japonica t. 2. p. 1022
è Maſtiche t. 2. . 021
Nigra t. 2. p. 1022
Rubra ibid.
Vernicis Sinenſis varia præparatio ibid.
Vernix è ſuccino t. 2. p. 1021
Veronica t. 2. p. 1023. & ſeq.
Verrucaria ſeu Heliotropium t. 2. p. 1024
Vervex, vid. Ovis
Veſicantia, & Veſicatoria ibid. & ſeq.
Veſicatoriorum varia exempla t. 2. p. 1026
Veſicatoriorum exempla, vid. in Emplaſtris, & Cataplaſmatibus
Veſpertilio ibid. & ſeq.
Vetonica, vid. Caryophyllus Hortenſis
Viburnum t. 2. p. 1027
Vicia ibid.
Victorialis ibid.
Vincetoxicum, vid. Aſclepias
Vinca pervinca ibid. & ſeq.
Vinum, de eo in genere, vid. ſub titulo Vitis vinifera.
Vinum, Abſinthites è Ph. Lond. t. 2. p. 1028
Antepilepticum purgans ex Bierling. t. 2. p. 1030
Antimoniale è Ph. Lond. t. 2. p. 1028
Arthriticum è Ph. Bat. t. 2. p. 1029
ex Bierling. t. 2. p. 1030
purgans è Ph. Bat. t. 2. p. 1029
Benedictum è Ph. Lond. t. 2. p. 1028
Ceraſorum nigrorum ex ead. Ph. ibid.
Chalybeatum è Ph. Bat. t. 2. p. 1029
ex Cnœffelio t. 2. p. 1133
è Ph. Lond. t. 2. p. 1028
ex VVeickardo ibid.
Ecphracticum è Ph. Bat. t. 2. p. 1029
Gallicum ex lignis D. P. C. t. 2. p. 1034
Helleboratum è Ph. Lond. t. 2. p. 1028
Hydropicum è Ph. Bat. t. 2. p. 1030
Hippocraticum è Ph. Aug. t. 2. p. 1028
è Ph. Bat. t. 2. p. 1030
Heurnii t. 2. p. 1028
pro hydrope VVeickard. t. 2. p. 1029
Laxativum ex eod. ibid.
ex Zvvelfero t. 2. p. 1028
Laxativum ex Bierling. t. 2. p. 1030
Martiale D. M. ex eod. ibid. & t. 1. p. 958
Præſervans in podagra ibid.
Rubellum è Ph. Lond. t. 2. p. 1029
Scelotyrbicum è Ph. Bat. t. 2. p. 1030
Stomachicum ex D. Lemort. t. 2. p. 1029
Viperinum è Ph. Bat. t. 2. p. 1030
Vina varia Medicamentoſa, vid. ſub titulo Infuſum & Claretum
Viola ibid.
Viola Lunaria ibid.
Violaria, vid. Viola
Vipera deſcriptio, vid. ſub titulo Serpens, *&* Serpentinum genus
Ex Viperis præparata varia ex Schrodero t. 2. p. 1032 & ſeq.
Viperina virginiana t. 2. p. 1033 & ſeq.
Virga aurea, ejuſque ſpecies t. 2. p. 1034
Virga Paſtoris ibid.
Virga Sanguinea t. 2. p. 1035
Viride Æris, vid. Ærugo
Viſcum ibid.
Viſci aucuparii præparatio t. 1. p. 21
Vitex, vid. Agnus Caſtus
Vitis Vinifera t. 2. p. 1035. & ſeq.
De Vitium generibus t. 2. p. 1036. & ſeq.
Vitis alba, vid. Brionia
Vitrificatio, vid. Vitrum
Vitrificatio, & cum ea Chryſtalliſatio t. 2. p. 1038. & ſeq.
Vitriolum, vid. ſub titulo Sal t. 2. p. 759
Vitrioli Calcinatio aperta, unde Colchotar t. 2. p. 761
Clauſa ibid.
Deſtillatio, unde Aquæ, Olea, Spiritus varii, Ros, *&c.* t. 2. p. 761. & ſeq.
Extractio, unde Tincturæ, eſſentiæ, & extracta varia t. 2. p. 768. & ſeq.
Præcipitatio, unde Terræ, & Sulphura t. 2. p. 767 & ſeq.
Purificatio, unde Vitriolum album Vomitivum, aliaque præparata Emetica t. 2. p. 760
Saliſicatio, unde Sal Vitrioli t. 2. p. 768
Sublimatio, unde Flores Vitrioli, t. 2. p. 767
Vitrioli Martis præparatio t. 1. p. 913
Deſtillatio t. 1. p. 920.
Vitrum antimonii, vid. ſub titulo Antimonium
De Vitris t. 2. p. 1043 & ſeq.
De Vitraria Arte Antonii Neri Tractatus t. 2. p. 1044 & ſeqq.
Vitra quomodo vario colore tingantur t. 2. p. 1049. & ſeq.
Vitri antiquitas t. 2. p. 1069. & ſeq.
Vitri Uſus t. 2. p. 1070. & ſeq.
De Vitrariis fornacibus t. 2. p. 1072. & ſeqq.
Vitri ſtillatitii hiſtoria t. 2. p. 1093. & ſeqq.
De Vitrariis inſtrumentis t. 2. p. 1096. & ſeq.
Ulmaria t. 2. p. 1097
Ulmus ibid. & ſeq.
Umbilicus marinus t. 2. p. 1098
Umbilicus terræ, vid. Cyclamen
Umbilicus Veneris t. 2. p. 1099
Uncia, vid. ſub titulo Menſuræ, *&* Pondera
Unedo, vid. Arbutus
Unguentum quid ſit, & quomodo paretur t. 2. p. 1099 & ſeqq.
Unguentum Acopum D. Meiſſneri è Pharm. Schrod. t. 2. p. 1114.
Adſtringens è Ph. Lond. t. 2. p. 1104
Ægyptiacum ſimplex Meſuæ è Ph. Aug. ibid.
Compoſitum ex ead. Ph. ibid.
ex D. Lemort t. 2. p. 1118
Agrippæ ex Nicolao è Pharm. Auguſt. tom. 2. pag. 1104.
De Alabaſtro è Ph. Aug. ibid.
Album ſive de Ceruſſa Avicennæ, ex ead. Pharm. ibidem
Camphoratum ex ead. Ph. ibid.
Albuminum è Ph. Bat. t. 2. p. 1118
Ad Alopecias ex D. Michael. t. 2. p. 1122
De Althæa ſimplex Nicol. è Pharm. Aug. tom. 2. p. 1104.
Compoſitum Nicol. ex ead. Ph. ibid.
Ad alvum infantum laxandam ex Hoffmanno t. 2. p. 1119.
Alvum laxans Jeſſenii t. 2. p. 1108
Amarum è Ph. Lond. t. 2. p. 1105
Unguenta ad Ambuſta varia t. 1. p. 665
Unguentum ad Ambuſta ex D. Lemery t. 2. p. 1105
ex D. Michael. t. 2. p. 1122
ex D. à Mynſicht. t. 2. p. 1126
Anodynum è Ph. Aug. t. 2. p. 1105
vulgo Jovis dictum ex eadem Pharm. ibidem
D. D. R. ex Hoffm. t. 2. p. 1119
ex D. à Mynſicht. t. 2. p. 1125
in Podagra t. 2. p. 1114
D. Reineſii t. 2. p. 1124
ex C. C. Simonidis t. 2. p. 1114
Antipleuriticum Romæ uſitatiſſimum tom. 2. p. 1119
Antipyreticum è Ph. Bat. t. 2. p. 1118
De Apio è Ph. Lond. t. 2. p. 1105
Apoſtolorum Avicennæ ex ead. Ph. ibid.

Unguentum Aregon Nicolai ex eadem Ph. t.2.p.1105
de Arthanita majus Meſua è Pharm. Auguſt. ibid.
Arthriticum Burrhi t.1.p.298
Acopum dictum D.Meiſſneri tom.1. p.297
contra Atrophiam membrorum ex D.Michael. t.2. p.1121
de Aurantiis è Ph.Bat. t.2.p.1118
Auratum in alopecia leproſa, & ſcabie, ex Cnœffel. t.2.p.1138
Aureum Meſuæ è Ph.Aug. t.2.p.1105
ad Barbam & capillos generandos ex Bucretio t.2.p.1122
Baſilicon majus è Pharm. Lond. tom.2. p.1105
Minus, ſeu Tetrapharmacon, ex ead.Ph. t.2.p.1106
de B. ellio Meſuæ è Ph. Aug. ibid.
de Betonica Aquatica è Ph.Bat. t.2.p.1118
de Bolo ex Ren dæo. t.2.p.1106
Butyraceum nervale S. Cloſſæi t.2.p.1114
de Calce è Ph.Aug. t.2.p.1106
Vivâ ex D.à Mynſicht t.2.p.1126
contra calculum ex collect. Bierling. t.2.p.1123
ex Hoffm. t.2.p.1119
In Cancro exulcerato ex collect. Bierling. t.2. p.1123
Mammillarum ex D.Michael. t.2. p.1122
Unguenta Capillos criſpos reddentia t.1.p.661
defluos conſervantia t.1.p.656
reſtituentia t.1.p.657
renaſci prohibentia t.1.p.658
dealbantia t.1.p.661
flavos reddentia t.1.p.660
nigros reddentia ibid.
Unguentum contra capitis dolorem ex Michael. t.2. p.1120
ad Carbunculos D.R. ex Hoffm. ibid.
contra Cardialgiam ex D.Michael. t.2.p.1121
Carminativum ex eodem ibid.
ex D.à Mynſicht t.2.p.1126
ex D.Zvvelfero t.2.p.1106
pro Caruncula penis ex Hoffm. t.2.p.1120
Catapſoras è Ph.Colleg. Reg.Lond. t.2.p.1114
Cephalicum è Ph.Bat. t.2.p.1118
ex Zvvelfero t.2.p.1106
de Ceruſſa antimonii ex Hoffm. t.2.p.1119
Citrinum è Ph.Aug. t.2.p.1106
Clymaſticum ex ead. Ph. ibid.
Comitiſſæ ex ead. Ph. t.2.p.1107
ad Contuſiones ex Collect Bierling. t.2.p.1122
ſingulare Fucati è *Turcia allatum* ibidem
ex Hoffman. t.2.p.1119
Cordiale Ludovici ab Horning. t.2.p.1115
ad pulſum D.Landgravii t.2.p.1114
D.Meureri ibid.
D.Reineſii t.2.p.1123
D.VVeickard t.2.p.1115
D.Zvvelferi t.2.p.1107
Coſmeticum Cnœffel. t.1.p.671
ex D.Michael. t.2.p.1122
Crinificum è Ph.Bat. t.2.p.1118
Cutis capitis vitia curantia t.1.p.662
de Cyclamine, vide Unguentum de Arthanita.
de Cynogloſſo è Ph.Aug. t.2.p.1107
Diachylon molle ex ead. Ph. ibid.
Diapompholigos Nicol. ex ead. Ph. t.2.p.1111
Defenſivum D.Reineſii tom.2. p.1123
Unguentum in Dentium dolore ex Michael. t.2.p.1121
ad Dentium facilitatem ex eodem tom.2. p.1121
Depilatorium è Ph Bat. t.2.p.1118
Digitalis ex ead. Ph. ibid.
Dorſuale in Hectica ex D. Michael. tom.2. p.1120
in Dyſenteria & fluxibus alvi t.2.p.1121
Emolliens & lenitivum in omnibus ulceribus ex Collect.Bierling. t.2.p.1123
Enulatum è Ph Lond. t.2.p.1107
cum Mercurio ex ead Ph. ibid.
contra Epilepſiam, & alios morbos malignos ex Hoffman. t.2.p.1119
Faciale è Ph.Bat. t.2.p.1118
Unguenta ad faciei vitia varia t.1.p.665
Unguentum ad faciei ruborem ex Hoffmann. t.2. p.1119
ad faciei livorem ex Michael. t.2.p.1121
ex D.à Mynſicht t.2.p.1127
Familiare è Ph.Bat. t.2.p.1118
pro faſcinatis pueris ex Hoffman. t.2.p.1120
ad Fiſſuras è Ph.Bat. t.2.p.1118
ad Foveas ex ead.Ph. ibid.
Fuſcum Nicolai è Ph.Aug. t.2.p.1107
è Ph Bat. t.2.p.1118
ad Gingivas in Scorbuto t.2.p.1121
Griſeum ad ulcera tibiarum manantia tom.2. p.1120
è Gummi Elemi, è Pharm.Lond. t.2. p.1107
ad guttam roſaceam ex Hoffmann. tom.2. p.1119
ad Hæmorrhoides è Ph.Aug. t.2.p.1107
è Ph.Bat. t.2.p.1118
ex Cnœffel. t.2.p.903, & ſeq.
ex Godard t.2.p.1108
prominentes ex Hoffmann. tom.2. p.1119
è Ph.Lond. t.2.p.1107
dolentes ex Michael. t.2.p.1121
Norimberg. t.2.p.1107
ex Zvvelfero t.2.p.1108
Hepaticum ex D.Michael. t.2.p.1121
ex Zvvelfero t.2.p.1108
Hernioſum ex D.à Mynſicht t.2.p.1127
ad Hernias ex Zvvelf. t.2.p.1108
Herpeticum è Ph.Bat. t.2.p.1118
Infrigidans Galeni è Ph. Aug. t.2.p.1108
ad Juncturas è Ph.Norib. ibid.
Laurinum vulgare è Ph.Lond. ibid.
in Lienis duritie ex D. Michael. t.2.p.1121
de Linaria è Ph.Aug. t.2.p.1109
de Liquiritia ex ead.Ph. ibid.
de Lithargyro ex ead. Ph. ibid.
ad Lumbricos è Ph. Bat. t.2.p.1118
Magiſtrale ex D.Le Mort ibid.
Mammillas parvas reddens & conſervans t.1. p.668
Manus dealbans t.1.p.666
ad Manuum tumores & Sciſſuras ex frigore t.1. p.657
ad Manuum Verrucas ibid.
Martiatum ex Nicolao, è Ph.Aug. t.2.p.1109
ex D.Le Mort t.2.p.1117
Maſtichinum è Ph Lond. t.2.p.1109
Maturativum ex Collect. Bierling. t.2. p.1123
Medicamentoſum ex D. à Mynſicht t.2. p.1126
ad Membra igne ambuſta è Phar. Aug. t.2. p.1109

Unguentum in Memoria diminuta ex Lauremb. t.2. p.1123
Mercuriale è Ph.Aug. t.2.p.1109
de Mucilaginibus è Ph.Lond. ibid.
Mundificativum de Melle ex Collect. Bierling. t.2.p.1124
ex Renodæo t.2.p.1109
Narcoticum ex Schrod. t.2.p.1115
Neapolitanum è Ph.Lond. t.2.p.1110
Nephriticum ex D. à Mynſicht t.2.p.1121
ex D.à Mynſicht t.2.p.1125
ex D.Froltenio t.2.p.1115
in Nervi Caſione, & dorſi contuſione D.Krauſe t.2.p.1122
Nervinum è Ph.Aug. t.2.p.1110
ex D. Le Mort t.2.p.1117
Nicotiana Jouberti, è Ph.Aug. t.2.p.1110
Nihili ad oculos è Ph.Aug. ibid.
Nobile ex D.à Mynſicht t.2.p.1126
Nutritum è Ph.Lond. t.2.p.1110
ad Oculos è Ph.Amſtælod. ibid.
è Ph.Aug. ibid.
Contra oculorum rubedinem ex Bierling. t.2. p.1123
Oculorum lacrymas ſiſtens t.1.p.662
palpebrarumque livorem tollens t.1. p.661
Ophthalmicum è Ph.Bat. t.2.p.1118
D.Charraz t.2.p.1115
è Ph.Lond. t.2.p.1110
ex D. Michael. tom.2. p.1122
ex D.à Mynſicht t.2.p.1125
F.F.D.D. de Spina t.2.p.1115
ex D. VVillio ibid.
ex Oxylapatho è Ph.Lond. t.2.p.1110
ad papillarum ſciſſuras t.1.p.668
Paralyticum ex D.Michael. tom.2. p.1120
ex D.à Mynſicht t.2.p.1124
Paregoricum è Ph.Bat. t.2.p.1118
contra Paronychiam ex Collect.Bierling. tom.2. p.1123
ad partum facilitandum ex Hoffmann. t.2. p.1119
ex D.Michaël. t.2.p.1121
D.Seiſtrancz t.2.p.1122
Patavinum in ulceribus malignis t.2.p.1120
Pectorale è Ph.Aug. t.2.p.1110
ex Hoffm. t.2.p.1119
ex D.Michael. t.2.p.1120
ex D à Mynſicht t.2.p.1125
ad Pediculos è Ph.Aug. t.2.p.1111
Capitis ex D Michaël. t.2.p.1120
ex D.à Mynſicht t.2.p.1127
ad Perniones ex Schrod. t.2.p.1115
contra Peſtem ex Collect.Berling. t.2.p.1123
Piperinum è Ph.Bat. t.2.p.1119
ad Piſces capiendos ex D.Charraz t.2.p.1115
Placentini Palacii all'Angelo t.2.p.1124
Pleuriticum ex D.Michael. t.2.p.1120
ex D.à Mynſicht t.2.p.1125
de Plumbo è Ph.Lond. t.2.p.1111
Polychreſtum contra dolores arthriticos t.2. p.1123
Pomatum è Ph.Aug. t.2.p.1111
ex D.Le Mort t.2.p.1117
ex Ph.Lond. t.2.p.1111
Rubrum pro labiis tingendis t.1.p.672
ex D. Regenbodes t.2.p.1123
Populeum Nicolai è Ph.Aug. t.2.p.1111
ex D. Le Mort t.2.p.1117
Unguentum Potabile è Ph.Aug. t.2.p.1111
Rubrum è Ph. Norimb. ibid.
Viride F.F. t.2.p.1117
è Ph.Norimb. t.2.p.1111
Purgans externum ex D.Michael. t.2.p.1121
de Rapis ex D à Mynſicht t.2.p.1126
Refrigerans ex D. Cnœff. t.2.p.1138
Renale ex D.à Mynſicht t.2.p.1125
in Renum calore ex D.Michael. t.2.p.1121
Reſinum è Ph.Lond. t.2.p.1112
Reſumptivum Fernelii è Ph. Aug. ibid.
ex Rhamno & Frangula Minderéri è Phar.Aug. ibid.
Roſatum Meſuæ è Ph. Aug. ibid.
Rubrum ſive de Minio camphoratum è Ph.Auguſt. ibid.
ex D.Le Mort t.2.p.1117
Deſiccativum è Ph. Lond. t.2.p.1112
Rugas ventris à partu tollentia t.1.p.669
Rutaceum è Ph.Lond. t.2.p.1112
ad Scabiem t.1.p.665
ad Scabiem è Ph.Aug. t.2.p.1112
Ad Scabiem ex Lapatho acuto, ex Bierlingio
ex D Le Mort t.2.p.1118
ex D.Michael. t.2.p.1121
ex Schrodero t.2.p.1115
Scabioſa è Ph.Lond. t.2.p.1112
contra ſerpiginem ex Collect.Bierling. t.2.p.1124
de ſevo hircino ex D. à Mynſicht t.2.p.1126
ex Amato Luſitano, è Ph.Aug. t.3.p.1111
de Solano è Ph.Lond. t.2.p.1112
Soleare è Ph.Bat. t.2.p.1119
ad Somnum ex Collect.Berling. t.2.p.1122
Somniferum ex eodem t.2.p.1124
è Ph.Norimb. t.2.p.1112
*F.F.*ex Schrodero t.2.p.1115
Spaſmaticum ex D. à Mynſicht t.2.p.1125
Splanchnicum è Ph.Lond. t.2.p.1112
ex Zvvelfero t.2.p.1113
Spleneticum ex Collect. Bierling. t.2.p.1124
ex D. à Mynſicht t.2.p.1125
ex Schrodero t.2.p.1115
Stipticum ex D.Charraz t.2.p.1116
ex D.à Mynſicht t.2.p.1126
Fernelii ex Renodæo t.2.p.1113
Stomachale del Monſig. Duce di Stinuerſe t.2. p.1124.
à Patre Franciſco de Salis *communicatum* ibid.
è Succis è Ph.Collect.Reg.Lond. t.2.p.1113
Arantii è Ph.Aug. t.1.p.1115
Aperitivis è Ph. Lond. ibid.
Sumach è Ph.Lond. ibid.
Superciliorum vitia tollens t.1.p.661
Suppurativum Reineſii t.2.p.1123
Sympathicum è Ph.Bat. t.2.p.1119
Crollii t.2.p.1116
contra tabem ex Collect. Bierling. t.2.p.1124
Tapſi Valentia, & Tapſinel è Pharm. Lond. t.2. p.1113
Tegularum è Ph Norimb. ibid.
Therebinthina ibid.
ad Tineas è Ph. Aug. t.2.p.1117
ex Hoffm. t.2.p.1113
de Tutia Nicolai è Ph.Aug. t.2.p.1120
contra Veneficia ex Hoffman. t.2.p.1113
ad Venerem ex Collect.Bierling. t.2.p.1120
in Ventriculi ardore ex D.Michael. t.2.p.1123
pro Ventriculo corroborando, ex eodem t.2.p.1121 ibidem.
ad Vermes è Pharm Auguſt. tom.2. p.1113

Unguentum

Unguentum ad Vermes ex Michael. t. 2. p. 1121
ex D. à Mynſicht t. 2. p. 1127
è ph. Norimb. t. 2. p. 1113
Ad verrucas, ſeu carunculas in meatu urinario ibidem
Veſicatorium ex D. Dorero t. 2. p. 1124
Violatum è ph. Aug. t. 2. p. 1114
Viride Cæſareum, contra caſum, luxationes, contuſiones, dolores, vulnera ex collect. Bierling. t. 2. p. 1123
Viride Reginæ è Ph. Aug. t. 2. p. 1114
Virilitatis è ph. Bat. t. 2 p. 1119
Umbilicale purgans ex D. Dorero t. 2. p. 1124
Contra Urinæ Stillicidium ex Bierling. t. 2. p. 1123
Ad uſtionem ex eod. ibid.
Ad vulnera, & ulcera, ex Hoffm. t. 2. p. 1120
Vulnerarium ex eod. ibid.
Aureum è ph. Norimb. t. 2. p. 1114
Unguis odoratus, vid. Blaſta Bizantia
Ungulæ variæ, vid. Sub nomine Animalium è quibus deſumuntur.
Unicornu animal, vid. Monoceros
Unicornu minerale, vid. ſub titulo Lapis t. 2. p. 87. 134 & 135
Unicornu artificiale D. Cnœffelii t. 1. p. 637
Unifolium, vid. Bifolium
Uniones, vid. Margaritæ
Volubilis t. 2. p. 1127
Vomitiva, vid. Emetica
Upupa, ejuſque partes officinales ibid. & ſeq.
Urceolaria, vid. Parietaria
Uretica, vide Diuretica
Urina, vid. pro uſu medico in animalibus unde deſumitur
Urina humana, & ex ea præparata remedia t. 1. p. 983
Urinaria vid. Taraxacum
Urſus, ejuſque partes officinales t. 2. p. 1128
Urtica, ejuſque ſpecies variæ ibid. & ſeqq.
Urucu t. 2. p. 1130
Uſnea ibid.
Uterina Medicamenta quid & quænam ſint? ibidem & ſeqq.
Uterina ſpecifica varia ex D. Cnœffel. t. 2. p. 1132 & ſeqq.
Uva criſpa, ſeu uva ſpina, vid. Gloſſularia
Uva Lupina vid. ſub titulo Solanum
Uva paſſa, vid. ſub titulo Vitis Vinifera
Uvæ paſſæ, ſive paſſulæ laxativæ variæ t. 2. p. 1133 & ſeq.
Uva vulpina t. 2. p. 1136
Winteranus Cortex, vid. Cortex Winteranus
Vulneraria, ſive Traumatica Medicamenta quid & quænam ſint? t. 2 p. 1136. & ſeqq.
Vulneraria quædam ſpecifica ex D. Cnœffel. t. 2. p. 1138
De Vulnerariis Herbis quædam afferuntur t. 2. p. 1139 & ſeq.
Vulpes, ejuſque partes officinales t. 2. p. 1140
Vultur, ejuſque partes officinales ibid. & ſeq.
Vulvaria t. 2. p. 1141

X.

Xanthium, vid. Bardana
Xilaloe, vid. Agallochum
Xilobalſamum, vid. Balſamum
Xylocaſſia, vid. Caſſia lignea
Xilum t. 2. p. 1141
Xiphium, vid. Gladiolus
Xyris ibid. & ſeq.

Y.

Yera, vid. Contrayerva
Ypecacoanna, ſive ypecacuanha t. 2. p. 1142. & ſeq.
Yucca t. 2. p. 1143. & ſeq.

Z.

Zazanea è Ph. Baud. t. 1. p. 771
Zea t. 1. p. 1144
Zedoaria ibid.
Zibethum ibid.
Zincum ibid. & ſeq.
Zingiber t. 2. p. 1145 & ſeq.
Zingiber purgans ex D. à Mynſicht t. 1. p. 788
roſatum ex eod. t. 1 p. 791
Zingiberis affinis planta t. 2. p. 1146
Zopiſſa ibid.
Zythum ſeu Cereviſia, ejuſque præparatio, vid ſub titulo Hordeum
Butleri è Ph. Bat. t. 2. p. 1146
Catapſoras ex ead. Ph. ibid.
Embryonum è Pharm. Bat. t. 2. p. 1146
Galeni ex D. Juncken ibid.
Hydropica è Ph. Bat. ibid.
Jovialis ex ead. Ph. ibid.
Oxydorcica ex ead. Ph. ibid.
Purgans ex D. Sydenham ibid.
Scorbutica è Ph. Bat. ibid.
Scrophularia ex ead. Ph. ibid.
Vernalis ex ead. Ph. ibid.
Zizipha, vid. Jujubæ

FINIS.